LEXICON
TOTIUS LATINITATIS

AB

AEGIDIO FORCELLINI

SEMINARII PATAVINI ALUMNO

LUCUBRATUM

DEINDE

A

IOSEPHO FURLANETTO

EIUSDEM SEMINARII ALUMNO

EMENDATUM ET AUCTUM

NUNC VERO CURANTIBUS

FRANCISCO CORRADINI ET IOSEPHO PERIN

SEMINARII PATAVINI ITEM ALUMNIS

EMENDATIUS ET AUCTIUS

MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

Secunda impressio anastatice confecta quartae editionis aa. 1864-1926 Patavii typis mandatae cum appendicibus quibus aucta est prima anastatica impressio a. 1940 edita.

LEXICON
TOTIUS LATINITATIS

AB

AEGIDIO FORCELLINI

SEMINARII PATAVINI ALUMNO

LUCUBRATUM

DEINDE

A

IOSEPHO FURLANETTO

EIUSDEM SEMINARII ALUMNO

EMENDATUM ET AUCTUM

NUNC VERO CURANTIBUS

FRANCISCO CORRADINI ET IOSEPHO PERIN

SEMINARII PATAVINI ITEM ALUMNIS

EMENDATIUS ET AUCTIUS

MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

TOM. IV

CURANTE IOSEPHO PERIN

CUM APPENDICE

EIUSDEM

MCMLXV

ARNALDUS FORNI EXCUDEBAT BONONIAE

GREGORIANA EDENTE PATAVII

DE LITTERA R

R est A) Littera, et B) Nota.

A) R littera — a) Consonans, semivocalis et liquida, ex Græca P originem duxit et ab Appio Claudio Cæco (a. ab U. C. CCCCXLVI.), aut a Lucio Papirio Crasso in plura vocabula pro littera s invecta est. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 36. Appius Claudius, qui videtur ab hoc (*App. Claudio Cæco*) processisse, R litteram invenit; ut pro Valesiis Valerii essent et pro Fusiis Furii. V. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Fuerunt enim (*Papirii*) patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, quum antea consul cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum Papisii dicebamini, Post hunc XIII. fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primum Papisius est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum, factus est, annis post Romam conditam CCCCXV, etc. *V.* et *Liv.* 3. 4. *et* 8. Huc pertinent antiqua illa, quæ enumerantur a *Varron.* 7. *L. L.* 27. *Müll*, *fœdesum, plusima, asena, janitos*, etc. pro *fœderum, plurima, arena, janitor* et alia. Sic *vapos, clamos, lases*, apud *Quintil.* 1. 4. 13. pro *vapor, clamor, laser.* Sic *Paul. Diac. p.* 264. 6. *Müll.* R pro S littera sæpe antiqui posuerunt, ut *majosibus, meliosibus, lasibus, fesiis*, pro *majoribus, melioribus, laribus, feriis.* Adde *eumd. p.* 15. 3., *p.* 100. 1. et alibi. Hinc *arbos* et *arbor, odos* et *odor, labos* et *labor, honos* et *honor, quæso* et *quæro, pulvis* et *pulver.* — b) Apud Græcos in principio dictionum aspirationem recipit, ut Ῥέα, ῥήτωρ; hinc omnibus Græcis dictionibus ab ea incipientibus Latini addunt *h*, ut *Rhea, rhetor*, et similiter *Pyrrhus*: contra Latini *Burrus* pro *Pyrrhus*, et *Burria* pro Βυῤῥίας. — c) Hæc littera dicta est canina, quia canes provocati eam videntur exprimere: unde *hirrire* dicuntur. Hinc *Lucilius* apud *Charis.* 1. *p.* 100. *Putsch.* et *Non. p.* 31. 23. *Merc.* Irritata canes, quod, homo quam, planiu' dicit. *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 2. 4. 18. ita refert: Irritata canis quod, homo quam, plurima dictat. *Pers.* 1. 109. sonat hic de nare canina Littera. — d) In nonnullis vocibus pro *l* ponitur, ut *Latialis Latiaris, Palilia Parilia*; in aliis extrita est, ut in *pejero* pro *perjuro*, in *crebesco* pro *crebresco*, in *rusum* pro *rursum* etc. — e) In aliquot vocibus assimilatur: hinc *dossuarius* pro *dorsuarius, intelligo* pro *interligo, tenellus* pro *tenerlus, pellicio* pro *perlicio* etc. — f) Denique et aliæ litteræ in *r* transeunt, ut *conrigo* et *corrigo, inrumpo* et *irrumpo* etc.

B) In notis R. est *Romanus*, P. R. *populus Romanus*, R. P. *respublica*, R. G. C. *rei gerundæ causa*, R. C. *Romana civitas*, R. R. *rationum relatarum* apud *Festum p.* 274. 6. *Müll.*, R. P. XX. *retro pedes viginti* etc.

RA

RĂBĬA, æ, f. 1. idem ac rabies. *Gloss. Cyrill.* Λύσσα, rabia, rabies. *V.* RABIES init.

RĂBĬDĒ, adverb. Comp. *Rabidius.* — Rabide, Ital. *rabbiosamente*, λυσσηδόν, cum rabie vel iracunde et in modum rabie correpti. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate. *Augustin.* 2. *Mor. Manich.* 14. Rabidius immoderatiusque raptari.

RĂBĬDUS, a, um, adject. rabie laborans, rabiosus, ferus, λυσσώδης (It. *rabbioso, fiero, arrabbiato*; Fr. *furieux, enragé, forcené*; Hisp. *furioso, rabioso;* Germ. *rasend, müthend, tobend, wild*; Angl. *mad, wood, raving, fierce, rabid*).

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (98). Canis rabidi morsus. *Sillig.* vero ex plurimis optimisque Codd. *leg.* rabiosi. *Sueton. Cal.* 26. *sub fin.* Rabidis feris vilissimos senioque confectos subjiciebat. *Ovid.* 3. *Art. am.* 8. rabidæ tradis ovile lupæ. *Id.* 12. *Met.* 494. Ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres. *et* 7. *ibid.* 413. *de Cerbero.* rabida concitus ira. *et Virg.* 6. *Æn.* 421. *de eod.* fame rabida tria guttura pandens. *Seneca Herc. Œt.* 1077. rabida sitis Tantali.

II.) Translate est supra modum cupidus, avidus, efferus, iratus: item sævus, immanis, crudelis, *furioso, arrabbiato. Propert.* 3. 6. 11. Et mulier rabida jactans convicia lingua. *et ibid.* 17. 10. Et rabidæ stimulos frangere nequitiæ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 501. rabidos compescere mores. *Catull.* 63. 38. rabidus animi furor. *Val. Flacc.* 5. 627. rabidam qui Pallada cælo Non abigis, neque femineis jus objicis ausis. *Id.* 4. 239. rabidoque ita murmure terret. *Sil. It.* 7. 253. His dictis fractus furor, et rabida arma quierunt. *Id.* 16. 410. rabidum certamen. *Ovid.* 1. *Met.* 36. freta rabidis tumescere ventis. *Stat.* 6. *Theb.* 83. rabidum exsaturare dolorem. *Gell.* 19. 9. Facundia rabida et jurgiosa. *Lucan.* 6. 27. Ioniumque furens rabido quum tollitur Austro. *et ibid.* 337. rabidique Leonis Solstitiale caput. *scil.* propter Caniculam. *et ibid.* 66. rabidum latrare Pelorum. *scil.* propter Scyllæ canes. *Seren. Sammon.* 42. 774. rabida podagra. *h. e.* quæ dolore veluti rabidos facit. *Id.* 12. 5. Sæpe chelidoniæ rabidum sociatur acetum Adjunctoque nitro procedit cura salubris.

RĂBĬES, ēi, f. 5. *Rabies* in Genitivo vel Dativo pro *rabiei. Lucret.* 4. 1083. rabies unde illæc germina surgunt. *V.* FACIES et DIES init.— *Rabia, æ*, ponitur a *Servio* ad *Virg.* 1. *Æn.* 204. inter Latina, pro qua *rabies* antiqua esse dicitur. Sed locus ille est suspectus: et quamvis vere *Servii* esset, admodum exigui ponderis. — *Rabies* (a *rabio*, ut *species* a *specio*) est canum morbus (ut ait *Paul. Diac. p.* 272. 5. *Müll.*), quo in feritatem aguntur, et obvios quosque morsu petunt: et dicitur etiam de aliis bestiis, quum præter modum sæviunt, λύσσα (It. *rabbia*; Fr. *rage*; Hisp. *rabia*; Germ. d. *Raserei, Wuth*; Angl. *the madness of dogs, rage*).

I.) Proprie. *Ovid.* 14. *Met.* 66. Statque canum rabies. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 14. Rabies arcetur, letifer morbus huic generi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). In rabiem aguntur gustato eo canes. *Colum.* 6. *R. R.* 35. 1. Equarum nota rabies, ut quum in aqua imaginem suam viderint, amore inani capiantur, et per hunc oblitæ pabuli, etc. *Ovid.* 11. *Met.* 369. *de lupo.* Qui quamquam sævit pariter rabieque fameque, Acrior est rabie, neque enim jejunia curat Cæde boum diramque famem satiare, sed omne Vulnerat armentum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (68). Rabiem et cameli sentiunt. *et ibid.* 36. 54. (130). Rabies ursina. *Id.* 7. *ibid. procem.* 1. (5). *de homine.* Nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpius transfertur ad hominem, et est vehemens ira, cæca et avida cupiditas, impotens libido, furor, feritas, *ira, trasporto, avidità, furore. Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quamdam et rabiem fingi in canem esse conversam. *et* 4. *ibid.* 24. 53. Neque eos existimet sine rabie quidquam fortiter facere posse. *Petron. Satyr.* 94. Ex dolore in rabiem efferatus tollit clamorem. *Virg.* 9. *Æn.* 64. collecta fatigat edendi Ex longo rabies. *h. e.* ingens fames. Sic *Id.* 2. *ibid.* 357. Improba rabies ventris. *Id.* 8. *ibid.* 327. Et belli rabies et amor successit habendi. *Horat.* 3. *Od.* 24. 25. impias Cædes et rabiem tollere civicam. *Id.* 1. *ibid.* 15. 12. jam galeam Pallas et ægida Currusque et rabiem parat. *Liv.* 29. 8. *extr.* Pecunia inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit. *Sil. It.* 4. 351. Exoritur rabies cædum ac vix tela furori Sufficiunt. *Id.* 2. 619. hic turbidus ira Et rabie cladum etc. *Horat. Epod.* 12. 9. Indomitam rabiem sedare. (eo sensu *rabiem* hic dicit *Horat.* quo *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (181). Equos ad rabiem coitus agere. et *Lucret.* 4. 1117. Inde redit rabies eadem et furor ille revisit.) *Vellej.* 2. 64. 3. Tribunus continua rabie lacerabat Antonium. *Horat. Art. P.* 79. Archilochum proprio rabies armavit iambo. *h. e.* dicacitas mordacissima, studium maledicendi. Sic *Id.* 2. *Ep.* 1. 148. donec jam sævus apertam In rabiem cœpit verti jocus. *Ter. Eun.* 2. 3. 8. Qui si occœperit, ludum jocumque dices fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit. *h. e.* impotentia in amore. *Virg.* 6. *Æn.* 48. sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument. *h. e.* furore divino. ¶ 2. Transfertur ad vim et impetum aliarum rerum. *Val. Flacc.* 6. 355. Rabies pelagi. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 53. æquora semper Ventorum rabie, solibus orba, tument. *furia.* et *Horat.* 1. *Od.* 3. 14. rabies Noti. *Virg.* 5. *Æn.* 802. cælique marisque. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (2). mundi. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 15. Canis. *h. e.* æstus Caniculæ. ¶ 3. Rabies una est ex comitibus Martis (ut Discordia, Pavor) quæ et *Furor* appellatur. *Val. Flacc.* 2. 200.

RĂBĬO. *V.* RABO, is.

RĂBĬŌSĒ, adverb. idem ac rabide. *Cic.* 4. *Tusc.* 22. 49. Nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabioseve fecerunt.

RĂBĬŌSŬLUS, a, um, adject. *rabbiosetto*, deminut. rabiosi. *Cic.* 7. *Fam.* 16. Primum quia illas rabiosulas (*litteras*) sat fatuas dedisti.

RĂBĬŌSUS, a, um, adject. *rabbioso*, λυσσώδης, rabie furens, rabidus, et proprie dicitur de ca-

nibus, qui rabie laborant, et de aliis animalibus, quæ ex canis morsu rabiem contraxerunt.

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (99). Est limus salivæ sub lingua rabiosi canis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 75. Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus. *Veget.* 3. *Veterin.* 5. *Schneid.* Passio thoracis facit (*equum*) continuo rabiosum.

II.) Translate est vehementer iratus. *Cic.* 4. *Tusc.* 49. Vide ne fortitudo minime sit rabiosa sitque iracundia tota levitatis. *Seneca Herc. Fur.* 172. Jurgia rabiosa fori clamosi. *Petron. Satyr.* 96. Rabiosa barbaraque voce in fugitivos diu peroravit. *Plaut. Capt.* 3. 4. 15. Hic homo rabiosus habitus est in Alide. *h. e.* phreneticus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 126. Signi rabiosi tempora. *i giorni canicolari.* Pro his *Bentlejus* alia substituit ex MSS.

RĂBO, is, ere, n. 3. *arrabbiare*, λυσσάω, rabie agitur, furo. *Varro* apud *Non.* p. 40. 2. *Merc.* Quid est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi? *Cæcilius ibid.* Rabere se ait. *Alii leg.* rabire, ut sit a *rabio*, 4. conjugat. *Vet. poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Sed quid oculis rabere visa est derepente ardentibus? *Seneca Ep.* 92. *a med.* Videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime ridere et acerrime rabere. *Manil.* 5. 207. latratque Canicula flammans Et rabit igne suo. *et ibid.* 224. lingua rabit latratque loquendo.

RĂBO, ōnis, f. 3. idem ac arrhabo, per aphæresin. *Plaut. Truc.* 3. 2. 29. Tene hoc tibi; rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies. AS. Perii! rabonem? quam esse dicam hanc beluam? Quin tu arrhabonem dicis? ST. ar facio lucri; ut Prænestinis conia est ciconia.

RĂBŬLA, æ, m. 1. *tristo causidico, ciarlone*, περιαγοραῖος, λογράφος, vilis causidicus, locutulejus, blatero, et, ut ait *Gell.* 19. 9., clamator tantum et facundia rabida jurgiosaque pollens: vel, ut est apud *Senec. Herc. Fur.* 172., qui clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus, iras et verba locat. *Paul. Diac.* ex *Festo* p. 272. 9. *Müll.* Rabula dicitur in multis intentus negotiis, paratusque ad radendum quid auferendumque: vel quia est in negotiis agendis acrior, quasi rabiosus. *Festus* p. 282. 10. Ravam vocem significat, ait Verrius, raucam et parum liquidam, proxime canum latratum sonantem: unde etiam causidicum pugnaciter loquentem, rabulam appellabant, ut est apud Lucilium. Ex tribus his *Festi* notationibus prima minus est probabilis: secunda confirmatur a *Nonio* p. 26. 21. et p. 60. 19. *Merc.* Est igitur *rabula*, a *rabo*, quod a *rabie*. Videtur autem significare non solum causidicum, sed etiam ardelionem, h. e. multorum negotiorum satagentem, ut *Festus* indicat. *Cic. Orat.* 15. 47. Non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quærimus. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 46. 202. *Quintil.* 12. 9. 12. A viro bono in rabulam latratoremque converti. *Varro* apud *Non.* p. 60. 19. *Merc.* Rabularum grex. Hinc *Cic. Rosc. Am.* 20. 57. Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alii canes, qui et latrare et mordere possunt.

RABULĀNA Pix, apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 24. (120). fortasse dicta a colore ad flavum accedente, qui ravus dicitur. Sunt qui leg. *radulana*, quod tam sicca sit, ut radi possit. Huc pertinere putant illud *Colum.* 12. *R. R.* 20. 6. Et his (*debet*) commisceri rasis, quod est genus crudæ picis. *Radulanam* alii intelligunt picem, quæ radula detrahitur doliis, ut nova inducatur. *V.* RASIS et ZOPISSA.

RĂBŬLĀTĬO, ōnis, *et*

RĂBŬLĀTUS, us, m. 4. agitatio causarum, rabularum contentiones aut verbositas. *Capell.* 2. p. 46. Audiri nullo potuere rabulatu. *At* Kopp. *legit* reboatu. *Id.* 6. p. 189. Rabulatio forensis. *Alii perperam leg.* fabulatio.

RĂBUSCŬLUS, a, um, adject. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). memorat *rabusculam vitem*: ubi *Harduin.* in MSS. invenit *rabucula*, et conjicit legendum *ravuscula*: quod colorem foliorum habeat ad ravum accedentem. quod si verum est, possumus et *rabusculam* retinere, quia in multis vocibus *b* pro *u* scribi adnotatum est initio litteræ B.

RĂCA *et*

RACANA. *V.* RAGA.

RACCO *vel* RACO, as. *V.* RAUCO.

RĂCĒMĀRĬUS, ii, m. 2. ἐπιφυλλίς, pampinus sterilis. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 4. Ex quibus pampini pullulant vel steriles vel certe minus feraces, quos rustici vocant racemarios.

RĂCĒMĀTĬO, ōnis, f. 3. βοτρυολογία, racemorum, qui a vindemiatoribus præteriti fuere, collectio; sicut messibus peractis, quod superest, *spicilegium* dicitur. *Tertull. Apolog.* 35. *a med.* qui translate hac voce utitur; ait enim: Post vindemiam parricidarum racematio superstes. *h. e.* post supplicium eorum, qui in Septimium Severum Aug. conspirarunt, remanent adhuc pauci ex conjuratis revelandi.

RĂCĒMĀTUS, a, um, adject. βοτρυωτός, racemos habens, sive baccas, aut etiam grana racemi modo disposita. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (54). *de panico.* Parvis racemato paniculis.

RĂCĒMĬFER, fĕra, fĕrum. adject. βοτρυφόρος, qui racemos fert. *Ovid.* 3. *Met.* 666. Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis. *Id.* 15. *ibid.* 413. Victa racemifero lyncas dedit India Baccho. *Id.* 6. *Fast.* 483. *de eod. Baccho.* racemiferi capilli.

RĂCĒMOR, aris, ari, dep. 1. racemos a vindemiatore præteritos colligo. Translate *Varro* 3. *R. R.* 9. 1. De gallinis dic sodes, Merula: tum de reliquis, si quid idoneum fuerit, racemari licebit. Proprie *Thes. nov. Latinit.* ed. *Maio* p. 506. Racemari sparsas uvas colligere.

RĂCĒMŌSUS, a, um, adject. Sup. *Racemosissimus.* — Racemosus est βοτρυώδης, racemis plenus, vel in modum racemi factus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (30). Pomum suis inter ramos palmitibus racemosum. *Id. ibid.* 6. 12. (54). Flos racemosus olivæ modo. *Id.* 14. *ibid.* 3. 4. (40). Racemosissimæ uvæ.

RĂCĒMUS, i, m. 2. *raspollo*, proprie videtur esse pars uvæ, paucis granis peculiari pediculo pendentibus constans. *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 60. Racemus est pars botryonis. *Gloss. Philox.* Ἐπιφυλλίς racemus. Nostrates vulgo dicunt *un recchio d'uva.* Ducunt a ῥάξ, ῥαγός *acinus.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de uva. *Virg.* 2. *G.* 60. Et turpes avibus prædam fert uva racemos. *Propert.* 4. 2. 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *Ovid.* 3. *Met.* 484. ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem. *Id.* 4. *Trist.* 6. 9. Tempus, ut extentis tumeat, facit, uva racemis. (*Id.* 3. *Met.* 666. racemiferis frontem circumdatus uvis.) *Petron. Satyr.* 135. et passis uva racemis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 34. (115). *de var. pomor. generib.* Quædam alvo continentur, ut granata: dependent alia pediculis, ut pira: alia racemis, ut uvæ, palmæ: alia et pediculis et racemis, ut hederæ, sambuci. *Id.* 16. *ibid.* 26. 48. (112). Palma in spathis habet fructum racemis propendentem. *Id.* 14. *ibid.* 3. 4. (43). Vitis Alexandrina acino nigro fabæ magnitudine, nucleo molli et minimo, obliquis racemis prædulcibus. *Virg. Cop.* 21. Sunt et mora cruenta et lentis uva racemis. — In locis poetarum allatis *racemi* possunt et acini seu grana uvarum intelligi; in *Plinii* non possunt. ¶ 2. Latiori sensu dicitur et de aliis arborum fructibus figuram uvæ referentibus. *Virg.* 5. *Ecl.* 7. antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (146). Hederæ densus acinus et grandior, racemis in orbem circumactis. *et* (151). Helici racemi stantes ac subrecti. *Id.* 27. *ibid.* 13. 116. (142). Herba tragos pusillis racemis rubentibus. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (50). *de balanis.* Cecidisse candidam verrucam, quæ racemo adhæserit.

II.) Improprie. ¶ 1. Per synecdochen est ipsa uva, *uva, grappolo, raspo*, βότρυς, βοτρυών. *Ovid.* 3. *Art. am.* 703. lecti de vite racemi. *Virg.* 2. *G.* 102. Tumidi racemi. *Sil. It.* 7. 208. lucentes sole racemos. *Fur. Bibaculus* apud *Sueton. Gramm.* 11. Quem tres cauliculi et selibra farris, Racemi duo, tegula sub una Ad summam prope nutriant senectam. ¶ 2. De musto, aut vino. *Ovid.* 5. *Fast.* 343. Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis, etc.

RĂDĬANS, antis, particip. *V.* RADIO.

RĂDĬĀTĬLIS, e, adject. radians. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 286. Sulphorea sub luce micans radiatilis umbra.

RĂDĬĀTĬO, ōnis, f. 3. *brillamento, folgoreggiamento*, στίλβωσις, radiorum emissio, splendor. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (n. 10.). In cujus (*statuæ*) contemplatione monent parcere oculis, tanta marmoris radiatio est. Cf. *Firmic.* 1. *Mathes.* 1. *et* 4. et 2. *ibid.* 22. — In plur. num. *Arnob.* 6. 24. Mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret.

RĂDĬĀTUS, a, um, particip. *V.* RADIO.

RĀDĪCĀLIS, e, adject. ad radicem pertinens. Translate *Augustin. contra Faust.* 13. 12. Non intelligunt, ibi esse quodammodo germanam atque radicalem christianam societatem, unde istos separaverunt.

RĀDĪCĀTUS, a, um, particip. *V.* RADICOR.

RĀDĪCESCO, is, ere, n. incboat. 3. radices emitto. *Seneca Ep.* 86. *sub fin.* Liberalius sternenda vitis, ut etiam ex corpore radicescat.

RĀDĪCĪNA, æ, f. 1. deminut. radicis, *radichetta*, parva radix. *Pelagon. Veterin.* 2. *ante med.* Gramen, quod in terra nascitur, idest radicinas ipsas, quas plerumque aratrum evertit, cum hordeo et cum paleis minutis dare cotidie convenit. *Id. ibid.* 25. *sub init.* Chamæleontis radicinam combustam vulneribus sparges.

RĀDĪCĬTUS, adverb. *sin dalle radici, con le radici*, ῥιζόθεν, ab radice, ab imis radicibus, vel una cum radice.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 50. Herbas malas omnes radicitus effodito. *Varro* 1. *R. R.* 35. 1. Rosa conciditur radicitus in virgulas palmares. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 4. Pertica radicitus exempta et deposita. *Id.* 6. *ibid.* 3. 1. Sentes recisi radicitus intereunt. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 36. (62). Herbam radicitus eruere. *Id.* 22. *ibid.* 21. 29. (61). Verrucas hoc heliotropium radicitus extrahit. *Sueton. Vesp.* 5. *a med.* Arbor radicitus evulsa atque prostrata. *Catull.* 64. 108. pinus procul radicitus exturbata, Prona cadit. *et ibid.* 288. namque ille (*Peneos fluv.*) tulit radicitus altas Fagos. *Propert.* 3. 5. 65. vivos radicitus abstulit ungues.

II.) Translate est penitus, omnino, *affatto, interamente, del tutto.* *Cic. Dom.* 13. 34. Vides ne, me non radicitus evellere omnes actiones tuas? *Id.* 2. *Fin.* 9. 27. Cupiditas tollenda est atque extrahenda radicitus. *Id.* 1. *Tusc.* 46. 111. Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 121. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem. *Plaut. Most.* 5. 1. 62. Omnia malefacta vestra repperi radicitus. *Lucret.* 3. 877. radicitus e vita se tollit et eicit.

RĀDĪCO, as, are, a. 1. idem ac *radicor*, est *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 6. Volentes zizaniorum germina radicare. Cf. *Ambros.* vel *Pseudo-Ambros. Hymn.* Quæsita jamdudum fides Radicet imis sensibus.

RĀDĪCOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. Part. *Radicatus* I. et II. — Radicari est radices emittere, radices agendo firmari, *mettere radici*, ῥιζόομαι.

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 2. 2. Mergi (*vitium*) mox facile radicantur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (36). Ipsa arbor strata in solo humido tota radicatur, sed in frutices, non in arborem. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (51). Frumenta multis radicantur fibris. *Id.* 19. *ibid.* 6. 31. (99). Cæpe et allium non nisi in rectum radicantur. — Hinc particip. *Radicatus*, radices habens: ut *semina radicata*, plantæ, quæ una cum suis radicibus evulsæ alio transferuntur. *Colum. Arbor.* 20. *sub fin.* Arbores aut radicata semina autumno serito. *Pallad.* 3. *R. R.* 18. 1. *et* 12. 2. Planta radicata. *h. e.*, ut ait *Fel. Interpres* Italus, *colle barbe* aut *barbata.* et *Id.* 3. *ibid.* 10. 1. Vitis

transferatur radicata ad scrobem. — *Id.* 11. *ibid.* 17. 1. Mustum agitabis ex canna radicata vehementer. *h. e.*, ut ait *Vet. Interpres* Italus, *con una canna fessa.*

II.) Translate est qui radices egit, *radicato. Sidon.* 5. *Ep.* 20. *extr.* Naturali vitio fixum est radicatumque pectoribus humanis, ut etc.

RĀDĪCŌSUS, a, um, adject. ῥιζώδης, multas radices habens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 62. (151). Omnium hederarum generi radicosa brachia.

RĀDĪCŬLA, æ, f. 1. deminut. a *radix*, parva radix, ῥίζιον. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 66. 135. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco radiculam ore ferre. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 5. Idemque Pœnus auctor probat vinacea permixta stercori depositis seminibus in scrobe admovere, quod illa provocent et eliciant novas radiculas. ¶ 2. Speciatim radicula, *saponata*, herba quædam dicitur, succum habens lavandis lanis et ab œsypo repurgandis accommodatissimum, quam Græci στρουθίον, Latini etiam *lanariam* vocant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 18. (48). *V.* LANARIUS. Ejus varios usus in medicina describit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 56. (91). ¶ 3. Alia est radicula, quam *Cels.* 2. 18. *et* 21. et 4. 2. *n.* 3. *extr.* inter herbas edules, sed mali succi numerat, Græce ῥαφανίς, ex raphanorum genere sed bulbo minore; et cum raphano proprie dicto facile confunditur: unde nos utrumque dicimus *ravanello.* Appellat *Colum.* Syriacam radicem, 11. *R. R.* 3. 16. *Plin.* quoque recensens raphanorum genera, hæc habet 19. *Hist. nat.* 5. 26. (81). Nostri alia fecere genera: Algidense a loco, longum atque translucidum: alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum hiemisque patiens. Præcipuum tamen est, quod e Syria non pridem advectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur: id autem tota hieme durat. — Porro utraque hæc ideo *radicula* et *radix* dicitur, quia præcipua ejus vis et usus in radice seu bulbo est. *V. Vegetii* loc. cit. in PULMONARIA.

RĀDĪFĬCO, as, are, n. 1. radicor. *Gloss. Lat. Gr.* Radifico, ῥιζοφυῶ.

RĂDĬO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Radians* sub *A.* I. et II.; *Radiatus* sub *B.* I. 1. et 2. — Radiare est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrum *radiare* est radios emittere, refulgere, micare, resplendere, nitere, στίλβω (It. *mandare raggi, raggiare, sfavillare, brillare, risplendere*; Fr. *briller, étinceler*; Hisp. *brillar, resplendecer, relucir, chispear, centellear*; Germ. *strahlen glänzen*; Angl. *to emit rays, cast forth beams, glitter, glister, shine, radiate*).

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 50. (133). Astroboios radiat candido in sole. *Id.* 11. *ibid.* 37. 55. (151). Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. *Sil. It.* 8. 463. Is (*miles*) primam ante aciem pictis radiabat in armis. Adde *Propert.* 4. 1. 27. *Martial.* 8. 45. flavo radiant electra metallo. *Colum.* 10. *R. R.* 288. Phœbe purpureo radiat vultu. *Sil. It.* 2. 586. Ignea sanguinea radiabant (*anguis*) lumina flamma. *et* 15. 140. ferri inter nubila visus Anguis et ardenti radiare per aera sulco. *Ovid.* 2. *Met.* 4. Argenti bifores radiabant lumine valvæ. *Id. Heroid.* 18. 77. Unda repercussæ radiabat imagine lunæ. — Hinc Part. præs. *radians, raggiante, risplendente, sfavillante, lucente, brillante*, στίλβων, ἀκτινοβόλος, ἀκτινωτός, radios emittens, coruscus, splendens, refulgens, radiatus, micans. *Virg.* 8. *Æn.* 23. radiantis imagine lunæ. *Ovid.* 2. *Trist.* 325. radiantia lumina solis. *Id.* 9. *Met.* 272. astra. *Virg.* 8. *Æn.* 616. arma. *Ovid.* 4. *Met.* 636. radians aurum. *et* 13. *ibid.* 105. ultor galeæ claro radiantis ab auro. *Id.* 3. *Art. am.* 451. e templis multo radiantibus auro. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93). Carbunculi innato fulgore radiantes. *Seneca Herc. Œt.* 1239. Fera radiante clarum fronte gestans caput. *h. e.* cerva cornibus auratis instructa. *V.* in fin. — In illo *Silii It.* 3. 629. Siderei juxta radiabunt tempora nati: ἀποθέωσις seu consecratio significatur, secundum ea, quæ infra dicta sunt sub *B.* I. 2. — Huc pertinet et illud *Claudian. de Phœnice* 17. Arcanum radiant oculi jubar.

II. Translate. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 118. placidi radiant in casside vultus. *Id. IV. cons. Honor.* 517. Quantus in ore pater radiat! *Val. Flacc.* 8. 527. Ipsi inter medios rosea radiante juventa etc. *Imp. Justinian.* 1. *Instit. tit.* 5. § 3. Constitutio, quæ inter imperiales radiat sanctiones. — Hinc Part. præs., cujus exempla supra retulimus,

Radians, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Radiantior* apud *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 138. Gemmifer eloquio, radiantior ore lapillis.

B) Activum, seu cum Accusativo, est radiis munire, ornare, *fornire di raggi.*

I.) Proprie ¶ 1. *Rota radiata* est regulis velut radiis fulta. *Varro* 3. *R. R.* 5. 15. Axis, qui sustinet rotam radiatam. ¶ 2. Sæpius est radiis illustrare, fulgorem inducere, splendidum reddere, *irraggiare, illustrare. Propert.* 1. 15. 5. Et potes hesternos manibus componere crines.... Nec minus Eois pectus radiare lapillis, Ut formosa novo quæ parat ire viro. *At plerique rectius leg.* variare. — Hinc Passive tantum *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 103. Scuta sed et galeæ gemmis radientur et auro. *h. e.* distinguantur, ornentur. et *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 48. Cæruleusque sinus roseis radiatur alumnis. *Tac. Dial. de orat.* 20. *extr.* Templa marmore nitent, et auro radiantur. — Hinc frequens Part. præter. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Orbis flammeus radiatus solis. *Ennius* apud *eumd.* 3. *Orat.* 40. 162. Oculis lumen radiatum rape. *h. e.* solem. *Lucret.* 5. 700. dum veniat radiatum insigne diei. *h. e.* sol. *Seneca Herc. Œt.* 1518. O decus mundi, radiate Titan. *Martial.* 1. 71. radiata colossi Moles. *h. e.* colossus solis radiati, centum pedum longitudine, a Nerone effigie sua factus, a Vespasiano refectus effigie solis. *Sueton. Ner.* 31. *et Vesp.* 18.; et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (14). Rursus *Plin.* 27. *ibid.* 5. 19. (36). In cacumine (*asteris herbæ*) capitula stellæ modo radiata. *Sueton. Aug.* 94. *circa med.* Radiata corona *h. e.* aliquot erectis acuminibus instar radiorum ornata. Hujusmodi coronis ornabantur imagines principum consecratorum et in deos relatorum, ut in eorum nummis videre est. *Plin. Paneg.* 52. Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput et media inter deos sedes auro staret. Adde *Lucan.* 7. 458.; et *Sil. It.* 3. 629. *cit.* sub *A.* I. — *Radiatus*, radiis solaribus percussus. *Lucan.* 7. 214. Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu Descendens, etc. *Alii leg.* radiantis.

II.) Translate. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est: quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur.

RĂDĬŎLUS, i, m. 2. deminut. a *radius.* ¶ 1. Est tenuis radius solis, *picciol raggio*, ἀκτίς. *Ammian.* 28. 4. *circa med.* Si per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis. ¶ 2. Item genus oleæ, quæ et *radius* dicitur et *circites*, escæ aptior, quam oleo, ut ait *Colum.* 5. *R. R.* 8. (4). et *Arbor.* 17., ubi varia olearum genera recenset. Dicta esse videtur a similitudine radii textorii. *Id.* 12. *R. R.* 47. 2. Albam pauseam, vel orchitem, vel radiolum dum contundes, etc. ¶ 3. Item herba filici similis, in saxosis nascens, vel in parietibus, habens in foliis singulis binos ordines punctorum aureorum. *Apul. Herb.* 83.

RĂDĬŌSUS, a, um, adject. *raggiante, risplendente*, ἀκτινοβόλος, multos radios emittens. *Plaut. Stich.* 2. 2. 41. Commodum radiosus ecce sol superabat ex mari.

RĂDĬUS, ii, m. 2. a Græca voce ῥάβδος, ut quidem *Vossio* placet, est bacillus seu virga (It. *verga, bacchetta*; Fr. *baguette, piquet*; Hisp. *vara, bagueta, piquete*; Germ. *d. Stab, Stock, Stecken*; Angl. *a rod or staff used by mathematicians*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) De ramis vallorum usurpat *Liv.* 35. 3. Et adeo acuti aliusque per alium immissi radii locum ad inferendam manum non relinquunt. — *b*) Virgam significat etiam in illo *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 58. (117). de *psittaco.* Caput quum loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus. *et Auson.* [illegible] 25. 24. In numerum quoties radiis ferientibus ictæ Respondent dociles modulato verbere pelves. — *c*) Est etiam hostorium, seu baculum, quo æquatur cumulus modii, *rasiera*, ἀπομάκτρα. Quidam lexicographi afferunt hæc verba *Plauti*, quæ ego apud hunc ne in Suppositis quidem invenire potui: Dii deæque omnes tantam nobis lætitiam, tot gaudia sine radio cumulent. ¶ 2. Speciatim est bacillus seu virga mensorum, mathematicorum, astronomorum, ad metiendum et figuras lineasque in pulvere deformandas. V. PULVIS. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, Archimedem. *Virg.* 3. *Ecl.* 40. et quis fuit alter, Descripsit radio totum qui gentibus orbem, Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet? *Id.* 6. *Æn.* 850. cælique meatus Describent radio, et surgentia sidera dicent. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 2.; et *Avien. Arat.* 53. — Hinc metaphorice *Ammian.* 22. 16. 17. Ne nunc quidem in eadem urbe (*Alexandria*) doctrinæ variæ silent; nam et disciplinarum magistri quodam modo spirant, et nudatur ibi geometrico radio quidquid reconditum latet. *h. e.* geometriæ studio. ¶ 3. Hinc radius dicitur linea, quæ a centro circuli ad circumferentiam ducitur. *Cic. Tim.* 6. Cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. ¶ 4. Item speciatim, dicuntur etiam *radii* regulæ in rotis, quæ hinc modiolo, illinc canthis seu absidi inseruntur, *razzi della ruota, razze*, κνῆμαι, κνημίαι. *Virg.* 2. *G.* 444. et 6. *Æn.* 616.; *Ovid.* 2. *Met.* 317; et *Val. Flacc.* 6. 414. ¶ 5. Præterea *radius* est instrumentum textorium, quo subtemen stamini inseritur, *spola*; ita dictum, quod utrinque in acutum desinit. *Ovid.* 6. *Met.* 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis, Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. Adde *eumd. ibid.* 132.; *Lucret.* 5. 1354.; et *Virg.* 9. *Æn.* 476. Græce κερκίς a multis dicitur: sed κερκίς videtur potius esse pecten, quo tela premitur et densatur. Nostrates *radium* vulgo vocant *navesella*, a figura. ¶ 6. Item spina eminens super caudam trygonis, seu pastinacæ piscis quincunciali magnitudine, quæ arbores infixa radici necat, arma, ut telum, perforat, vi ferri et veneni malo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 48. 72. (155). et 32. *ibid.* 2. 12. (25). ¶ 7. Item aculeus in pedibus graviorum quarumdam avium, ut gallinaceorum, *sprone. Plin.* 11. *Hist. nat.* 47. 107. (256). Avium quibusdam gravioribus, in cruribus additi radii: nulli uncos habentium ungues. ¶ 8. Et genus olivæ oblongæ, quæ et *radiolus*, aptior ad escam, quam ad oleum. *Virg.* 2. *G.* 86.; *Colum.* 5. *R. R.* 8. 4. et *Arbor.* 17.; et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 4. (13). Ejus autem duo genera esse videntur: nam *radium majorem* nominant *Cato R. R.* 6. et *Varro* 1. *R. R.* 24. 1. Erit igitur et minor: et hæc fortasse radiolus. ¶ 9. Item os brachii minus, de quo *Cels.* 8. 1. *a med.* Radius, quem κερκίδα Græci appellant, superior breviorque et primo tenuior, rotundo et leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit. Cubitus inferior longiorque, etc. Græce dicitur etiam παραπήχιον: ab Italis quibusdam *fusello minore del braccio*: videturque radios rotarum imitari, de quibus mox, et inde nomen sumpsisse. ¶ 10. *Radius virilis* apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 14. est ἴθυφαλλος. Sic etiam legendum videtur in simili loco apud *eumd.* 2. *Tard.* 1. *ante med.* ubi in editionibus perperam legitur *radix virilis paralysi vitiatus*, in quo notandum est etiam, *radix* numquam in genere masculino usurpatam fuisse.

II.) Translate. ¶ 1. Ob similitudinem transfertur ad splendorem, qui e sole, stellis, igne et hujusmodi emittitur, quia in longum et acutum more virgæ subtilis fertur (unde *verbera radiorum* dixit *Lucret.* 5. 1104. et *radiis sol feriens*

cacumina habet Ovid. 7. Met. 804) raggio, luce, splendore, ἀκτίς. Cic. 5. Fin. 24. 71. Ut quemadmodum stellæ in radio solis, sic istæ in virtutum splendore ne cernantur quidem. Lucret. 3. 91. tenebrasque necesse 'st Non radii solis, nec lucida tela diei Discutiant, sed etc. Id. 2. 114. quum solis lumina quumque Inserti fundunt radii per opaca domorum. Virg. 4. Æn. 119. ubi Titan radiis retexerit orbem. et 7. ibid. 142. nubes ardens radiis lucis et auro. et ibid. 25. Jamque rubescebat radiis mare. Ovid. 1. Art. am. 724. Debet (nauta) et a radiis sideris esse niger. Id. 2. Met. 171. radiis gelidi caluere Triones. ¶ 2. Etiam fulminis radii sunt. Virg. 8. Æn. 429. Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ Addiderant, rutili tres ignis et alitis Austri. Adde Val. Flacc. 6. 55. ¶ 3. De fulgore oculorum. Gell. 5. 16. Stoici causas esse videndi dicunt radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissionem. Adde Apul. de Mag. 94. De corona radiata Virg. 12. Æn. 161. ingenti mole Latinus Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen. — De radiis in capite consecratorum in deos V. RADIO sub B. I. 2.

RĀDIX, icis, f. 3. Radicium in genit. plur. dixisse aliquos, scribit Charis. 1. p. 100. et 115., et magis cum ratione dici, quam radicum: usus tamen hoc magis videtur admisisse. At adhibuit Cassiod. 1. Hist. Eccl. 1. ante med. Per multam vero doctrinam audio te etiam lapidum scire naturas potestatesque radicium effectusque earum. — Radix, quam vocem a ῥάδιξ ramus derivant, est ima pars plantæ, quæ terræ infigitur et insistit et inde succum trahit, ῥίζα (It. radice; Fr. racine des plantes; Hisp. raiz; Germ. d. Wurzel d. Pflanzen; Angl. root.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. 5. Fin. 11. 33. Videmus, ea, quæ terra gignit, corticibus et radicibus valida servari. Varro 1. R. R. 37. 5. Aliæ radices angustius diffundunt, ut cupressi: aliæ latius, ut platani, usque eo ut Theophrastus scribat, Athenis in Lyceo, quum etiam tunc platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse. Cato R. R. 133. Surculi in arboribus radices uti capiant. Plin. 16. Hist. nat. 31. 56. (127). Magna et radicum differentia: copiosæ fico, breves et angustæ malo, crassiores lauro, ramosæ oleæ, robori carnosæ. Robora suas in profundum agunt. Si Virgilio credimus (2. G. 291.) æsculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Ovid. 14. Met. 632. bibulæque recurvas Radicis fibras labentibus irrigat undis. Id. Remed. am. 106. Et mala radices altius arbor agit. Sic Id. 4. Met. 254.; et Colum. 5. R. R. 6. 8. Radices agere. Virg. 1. G. 20. Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum. h. e. ab radice manu prehensam ferens: vel evulsam una cum radice. et 2. ibid. 318. radicem adfigere terræ. et 1. ibid. 319. venti segetem ab radicibus imis eruunt. et 5. Æn. 449. Aut Ida in magna radicibus eruta pinus. Ovid. 7. Met. 226. herbas placita partim radice revellit, Partim succidit. con la radice. Horat. 2. Ep. 2. 149. Si vulnus tibi monstrata radice vel herba Non fieret levius, fugeres radice vel herba Proficiente nihil curarier. ¶ 2. Specialim — a) Per excellentiam dicitur de raphano, ravanello, quia ejus usus in radice præcipuus. Horat. 2. Sat. 8. 7. acria circum Rapula, lactucæ, radices: qualia lassum Pervellunt stomachum. Colum. 11. R. R. 3. 18. Satio optima radicis et rapæ. Pallad. 1. R. R. 35. 5. Præcipue ubi radices et rapa pascuntur. Scribon. Compos. 60. radicem edulem vocat. Ovid. 8. Met. 666. Intubaque et radix et lactis massa coacti. Adde Arnob. 7. 16. — b) Radix Syriaca species est raphani, de qua dictum est in RADICULA I. — c) De radice Pontica, V. in RHA. — d) Radix dulcis apud Cels. 5. 23. et Scribon. Compos. 170. est glycyrrhiza, regolizia.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de ima parte aliarum rerum, qua inhærent. Virg. 8. Æn. 238. Silex avulsa imis radicibus. Lucret. 2. 103. Validæ saxi radices. Ovid. 14. Met. 713. Durior et ferro etc. Et saxo, quod adhuc viva radice tenetur. Phædr. 3. 10. A radicibus domum evertere. h. e. funditus. Plin. 37. Hist. nat. 10. 66. (180). Ab ora gemmæ ad radicem usque candido descendente. Ovid. 6. Met. 557. radix micat ultima linguæ. Plaut. Aulul. 2. 3. 72. Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus. Petron. Satyr. 126. a med. Frons radices capillorum retro flexerat. Ovid. 2. Met. 583. Pluma erat, inque cutem radices egerat imas. Plin. 36. Hist. nat. 13. 19. (87). Radices pyramidum. ¶ 2. Sæpissime de ima parte montium, radice de' monti. Lucret., Cæs., Cic., Nep., Liv., Plin., Justin., Gell. etc. Sic Cæs. 7. B. G. 36. Erat e regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregie munitus. Nepos Miltiad. 5. Sub montis radicibus acie e regione instructa. Seneca 3. Quæst. nat. 27. 9. Danubius non jam radices, nec media montium stringit, sed juga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera rupesque dejectas. ¶ 3. De origine, initio, fonte rei alicujus. Varro 1. R. R. 1. 11. Ea erunt ex radicibus trinis: et quæ ipse animadverti, et quæ legi, et quæ a peritis audii. Id. 6. L. L. 37. Müll. Cetera, quæ non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices. et 7. ibid. 35. Quocirca radices ejus (verbi) in Etruria, non Latio quærundæ. l'etimologia. et Cic. Sext. 22. 50. Memineram divinum illum virum atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii hujus, C. Marium. h. e. municipem nostrum. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (72). Apollinis se radice ortum jactabat. della stirpe. ¶ 4. Illæ aptiores sunt metaphoræ. Cic. 4. Phil. 5. 13. Virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ numquam ulla vi labefactari potest. et 2. Off. 12. 43. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. et 3. Tusc. 6. 13. Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. et 6. Att. 6. ad fin. Pompejus, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit. h. e. ea firmitate opum et potentiæ in republica. et Cæl. 6. 14. Nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis et patientiæ radicibus niteretur. Brut. ad Attic. inter ep. Cic. 1. ad Brut. 17. Illud malum fundamentum et radices habet altiores. — NB. De radice pro mentula V. RADIUS I. 10.

RĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. Part. Radens II. 1. b.; Rasus I, c., e., f. et II. 1. a. et 4.; Radendus I. f. — Radere est abradere, eradere, levigare, auferendo polire, ξέω (It. raschiare, radere, tagliare; Fr. râcler, ratisser, gratter, frotter, polir, raser; Hisp. raer, raspar, flotar, afeytar; Germ. schaben, kratzen, reiben, glätten, rasiren; Angl. to scrape, shave, smooth, polish).

I.) Proprie latissime patet. — a) Est tactu lædere, asperitatis sensu dolorem afferre, leviter vulnerare, præstringere, scindere, laniare, scarificare. Hinc radere et pungere Martial. conjungit 11. 100. Et radere genas, in legib. XII. Tab. vetantur mulieres in funere, graffiare le gote, ut est apud Cic. 2. Legg. 23. 58. et Plin. 11. Hist. nat. 37. 58. (157). et Festus p. 273. 30. Müll. Mulieres genas ne radunto, nevo lessum funeris ergo habento. — b) Sic est scindere, laniare, excidere etc. Plaut. Aulul. 4. 3. 2. Semel (corvus) radebat pedibus terram, et voce crocibat sua. Colum. 2. R. R. 19. 1. Area quum sit ad trituram satis habilis, primum radatur; deinde confodiatur. h. e. excisis exstirpatisque herbis purgetur. Cf. Pallad. 7. R. R. 1. 1. Junio mense area paranda est ad trituram, cujus primo terra radatur. — Radere dicitur etiam vomer terram præstringens et sulcans. Sil. It. 8. 391. Hernicaque impresso raduntur vomere saxa. — c) De hominum capite, barba etc. Martial. 6. 57.; et Petron. Satyr. 104. Radere caput et supercilia. Sic Cic. Rosc. com. 7. 20. Capite et superciliis semper est rasis. Gell. 3. 4. Barba rasa. Sueton. Aug. 79. Modo tonderet, modo raderet barbam. — Absolute. Plin. 7. Hist. nat. 59. 59. (211). Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens. Sueton. Cæs. 45. Ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed vellereturjetiam. Adde Martial. 11. 84. Lamprid. Elagab. 31. Rasit et virilia subactoribus suis novacula manu sua, qua postea barbam fecit. — Radere caput mos fuit quibusdam populis in luctu, ut est apud Sueton. Cal. 5. de morte Germanici: item servis quum manumittebantur, quia tunc pileum sumebant, signum libertatis. V. PILEUM. Hujus rei causam affert Non. p. 528. 21. Merc. quod tempestatem servitutis videbantur effugere. Nam et naufragium timentes caput radebant: eratque hoc naufragorum ultimum votum, ut ait Petron. Satyr. 103. sub fin. Unde Juvenal. 12. 81. gaudent vertice raso Garrula securi narrare pericula nautæ. — d) Est etiam aliquid radendo in minutas partes, vel in pulverem redigere, grattugiare. Marcell. Empir. c. 20. p. 125. ed. Ald. Radicem fœniculi in vini cyathum radito, et priusquam cœnes, vel quum dormitum ibis, potui sumito etc. et c. 27. p. 127. Caseus ovillus vetustus in cibo sumptus, vel rasus et cum vino potus, cœliaco medetur. — e) De iis, quæ radendo polimus, levigamus. Lucret. 5. 1267. silvas cædere Materiemque dolare, levare et radere tigna. Horat. 2. Sat. 4. 83. lapides varios lutulenta radere palma. h. e. scopis e palma factis verrere. Virg. 2. G. 358. Tum leves calamos rasæque bastilia virgæ. Ovid. 1. Art. am. 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis. Martial. 1. 118. Liber pumice rasus. Juvenal. 2. 97. Cærulea indutus scutulata aut galbana rasa. Martial. 2. 85. Rasa toga. h. e. quæ nullum habet eminentem villum, lævis. — f) Item pro atterere, abradere, radendo auferre. Quintil. 11. 3. 20. Fauces rasæ vocem exasperant. V. RASURA II. Martial. 9. 58. Nec rasum cavea latus bisontis. h. e. attritum. Id. 8. 71. Post hunc in cotula rasa selibra data est. mezza libra scarsa. et Ovid. 1. Amor. 11. 21. oculosque moretur Margine in extremo littera rasa meos. cancellata, abrasa. Juvenal. 13. 150. Sacrilegus, qui Radat inaurati femur Herculis. h. e. aurum abradat. Plin. 28. Hist. nat. 4. 13. (52). Ipsos gymnasiorum rasere parietes. Id. 17. ibid. 23. 35. (204). Quod supra terram est, radi jubetur, ne fruticet. Id. 18. ibid. 16. 43. (147). Herbam marris ad solum radere. Tac. 3. Ann. 17. ad fin. Nomen Pisonis radendum fastis censuit. Horat. 2. Sat. 6. 25. Aquilo radit terram. h. e. flando et pulverem excitando secum trahit. Sic Epod. 16. 54. largis Aquosus Eurus arva radit imbribus.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe a Poetis — a) Radere dicitur, qui prope locum aliquem transit ita ut pæne contingat, qui præternavigat, prætervolat, correre vicino, andare rasente. Virg. 7. Æn. 10. Proxima Circææ raduntur litora terræ. Val. Flacc. 5. 108. alta Carambis Raditur. Virg. 3. Æn. 799. altas cautes projectaque saxa Pachyni Radimus. Id. 5. ibid. 169. Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes Radit iter lævum interior. Ovid. 3. Amor. 15. 2. Raditur hæc elegis ultima meta meis. Propert. 3. 2. 23. Alter remus aquas, alter tibi radat arenas. Adde Lucan. 8. 246. Simile est illud Ovid. 10. Met. 654. de equis cursorib. Posse putes illos sicco freta radere passu Et segetis canæ stantes percurrere aristas. et Virg. 5. Æn. 216. columba aere lapsa quieto Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas. fende e scorre l'aria. et Ovid. 3. Met. 75. de angue celeriter proserpente. Terraque rasa sonat squamis. strisciata. Et Sueton. Ner. 48. divolsa sentibus pænula, trajectos surculos (Nero) rasit. strisciò per mezzo. — b) Flumina quoque ripas radunt, et quia præterfluunt, et quia demunt semper aliquid. Lucret. 5. 256. et ripas radentia flumina rodunt. Lucan. 2. 425. radensque Salerni Culta Siler. Seneca Hippol. 16. Mæander steriles amne maligno radit arenas. stringere, mordere, lambire. Poetæ eadem ratione dixerunt: quæ collegit Broukus. ad illud Tibull. 4. 1. 142. Gyndes Radit Arecteos haud una per ostia campos. V. ARECTEUS in ONOM. — Huc referri potest et illud Lucret. 6. 116. Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere nubes Frontibus adversis possint, quam de latere ire Diverso motu radentes corpora tractim.

¶ 2. Radere est etiam demere, detrahere, *torvia, levare. Pers.* –. 66. Baccam conchæ radere. *et* 3. 50. Scire erat in votis, damnosa Canicula quantum Raderet. ¶ 3. Radere est etiam pecuniam corradere. *Martial.* 2. 17. Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet. Non tondet? inquis. ergo quid facit? radit. *scil.* hic jocus in ambiguo est, nam hæc tonstrix, dum tondere videtur capillos vel barbam adventoribus, pecuniam ab iis corradit, sui corporis copiam præbens. ¶ 4. Item in re litteraria est emendare, elaborare. *Martial.* 10. 2. Nota leges quædam, sed lima rasa recenti. *h. e.* emendata. *Pers.* 1. 85. crimina rasis Librat in antithetis: doctas posuisse figuras Laudatur. *h. e.* rhetorica arte elaboratis. ¶ 5. Item est lædere. *Pers.* 1. 107. Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas? *et* 5. 15. pallentes radere mores. *Quintil.* 3. 1. 3. Quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, et aures præsertim tam delicatas raderet, verebamur.

RĀDŬLA, æ, f. 1. *raschiatojo*, κνηστήριον, instrumentum, quo aliquid ex aliqua re raditur, cujusmodi est illud, quo vetus pix e doliis raditur atque educitur, ut deinde iterum picentur ad futuram vindemiam. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 5. Sublata lampade, rutabulo ligneo et ferrea curvata radula pix ducitur.

RĀDŬLĀNUS, a, um, adject. qui radula eraditur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 24. (120). Radulana pice ac resina condire musta. *V.* RABULANA Pix.

RĀGA, æ, f. 1. eadem ac braca. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 14. 10. 2. Usum zangarum atque bracarum intra Urbem venerabilem nemini liceat usurpare. *Id. ibid.* 3. Intra urbem Romam nemo vel ragis vel tzangis utatur. Hinc vides *ragas* et *bracas* idem significare: de vocis etymo vide BRACA. — Etiam *raca* scribitur: item *racana* apud *Ennod.* 9. *Ep.* 17. Lænam et racanas, cujus vos volueritis coloris, rubei aut fusci, mihi sub celeritate dirigite. *Venant. Vit. S. Germ.* 44. Febricitantem virum racana undique obvolutum componit ejus in lectulo.

RĀIA, æ, f. 1. *raia, razza*, βάτος, genus piscis plani et cartilaginei, in tergo et cauda spinas habens iis simillimas, quæ in rubo visuntur: unde et βάτον Græci, idest rubum, appellarunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, ut raiæ, pastinacæ, squatinæ, torpedo. Adde *eumd. ibid.* 42. 67. (144). Ejus figuram habes in nummo G. Proculejæ apud *Morell. Fam. R.*

RALLA, æ, f. 1. genus vestis, ita dictum a raritate texturæ, *Nonio* teste *p.* 539. 15. *Merc.*: est autem deminutiva vox a *rarula* et per syncopen *ralla*. Adjective *Plaut. Epid.* 2. 2. 46. Tunicam rallam, tunicam spissam, linteum cæsicium. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

RALLĬĀNA, æ, f. 1. ralla, vestis ita dicta a raritate texturæ. *Edict. Dioclet. p.* 21. Sagum seu rallianam rudem ✕ sedecim. *camicione di canavaccio.*

RALLUM, i, n. 2. ferramentum, quo vomer tergetur a terra adhærente: a *rado. Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo. Quidam leg. *rulla*, sed contra MSS., teste *Harduino. V.* RASORIUS in fin.

RALLUS, a, um, adject. *V.* RALLA.

RĀMĀLE, is, n. 3. Licenter primam syllabam corripit *Capell.* 9. *p.* 310. Arcusque dulcinerves Roseo ligans ramali. — Ramale, *ramo secco, frasche, stipa*, ramus aridus, ramorum fragmenta igni nutriendo.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam. Spissatis ramalibus ac fronde congesta et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. *Ovid.* 8. *Met.* 645. Multifidasque faces ramaliaque arida. *Pers.* 5. 59. veteris ramalia fagi. *et* 1. 97. Ut ramale vetus prægrandi subere coctum. *Tac.* 13. *Ann.* 59. Arbor mortuis ramalibus et arescente trunco deminuta. *Capell.* 1. 1. *p.* 3. Delius quoque et ramale laureum gestitat.

II.) Translate. *Capell.* 7. *p.* 237. loquitur *Arithmetica*. Quamvis singulos vos universosque recenseam ex meis ramalibus germinari. *h. e.* ex meis numeris.

RAMEN, inis, n. 3. rasura, scobs. Dicitur a *Barth. l.* 4. *Adversar. c.* 4. usus eo *Marcell. Empir.* non designato loco. Sed videtur legend. *rasamen*, quam vocem vide in MAGIS, idis.

RĀMENTA, æ, f. 1. *V.* RAMENTUM init.

RĀMENTŌSUS, a, um, adject. ramentis similis. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *ante med.* Si ægrotantes parva excluserint sanguinolenta et ramentosa.

RĀMENTUM, i, n. 2. *Ramenta, æ*, f. 1. legitur apud *Plaut. Bacch.* 3. 4. 15. (quem loc. affert etiam *Non. p.* 222. 4. *Merc.*) Verum, quam illa unquam de mea pecunia ramenta fiat plumea (al. *plumbea*) propensior, mendicum malim mendicando vincere. *Id. Rud.* 4. 3. 77. Nunquam hercle hino hodie ramenta fies fortunatior. — *Ramentum* (quod multo sæpius in plur. num. usurpatur), a *rado*, unde *rasus, rasamen, ramentum*, est tenuis particula, quæ radendo aufertur, ut particulæ auri, argenti, ligni, quæ rasura eorum decidunt, κνῆμα, ξύσμα (It. *raschiatura, calia, bruciolo, truciolo*; Fr. *râclure, copeaux, parcelles, paillettes, gravier, miettes*; Hisp. *raedura, rasura, acepilladura, migaja, miaja*; Germ. *Splitter, Stückchen, Abschub, Späne, Abfall*; Angl. *a little piece scraped from any thing; a chip, shaving, filing, rament*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 1045. Et ramenta simul ferri furere intus ahenis In scaphiis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 24. (88). Ramenta eboris. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (62). auri. *Id.* 21. *ibid.* 2. 3. (5). e cornibus. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (160). salis. *Id.* 36. *ibid.* 22. 45. (76). lapidis specularis. *Id.* 28. *ibid.* 17. 69. (233). pellis cervinæ dejecta pumice. *Id.* 24. *ibid.* 2. 2. (6). ligni. *et ibid.* 5. 10. (16). cupressi. *Capitolin. Ver.* 10. Dicitur tantam habuisse curam flaventium capillorum, ut capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flaveret. — *b*) Differt a *scobe*, quæ pulvis est scobina vel serra vel terebra factus: *ramentum* vero particula crassior aut latior. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (67). Uvas scobe ramentisve abietis servare. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 16. et *Arbor.* 8. 4. Nos terebram, quam Gallicam dicimus, huic insitioni aptavimus: ea excavat, nec urit; quod non scobem, sed ramenta facit. *piallature, trucioli. Pallad.* tamen hac eadem de re loquens, 3. *R. R.* 17. 7. scobem vocat. Quin et *Plin.* fortasse aliquo ex allatis locis ramenta pro scobe posuit. — *c*) *Ramenta papyri* sunt philyræ exteriores. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (76). Charta daitica ex villoribus (*papyri*) ramentis. — *d*) *Navis ramentum* apud *Seren. Sammon.* 20. 366., et *ramenta carinæ* apud *eumd.* 24. 448. sunt zopissa. — *e*) *Ramenta fluminum* sunt arenæ, quas radendo secum ferunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (66). Aurum invenitur apud nos tribus modis: fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ *etc.*; puteorum scrobibus *etc.*; cuniculis per magna spatia actis. — *f*) *Ramentum sulphuratum* apud *Martial.* 10. 3. est fragmentum ligni sulphure illitum, *solfanello*. — *g*) De frustulis esculentis. *Scribon. Compos.* 191. Rejiciunt autem ab stomacho ramenta, quæ etiam simillima torminosis. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Exclusis igitur cum medicamine post sufficiens temporis intervallum maculentis humoribus atque ramentis —, sufficienter operatum medicamen accepimus.

II.) Translate de re minima et nullius pretii. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 29. Patri omne cum ramento reddidi.

RĀMĔUS, a, um, adject. *di ramo*, κλαδαρός, qui ex ramo est. *Virg.* 4. *G.* 303. ramea costis Subjiciunt fragmenta, thymum etc.

RĀMEX, icis, m. 3. (ramus). ¶ 1. *Ramices* dicuntur pulmones, vel potius pulmonum et pectoris venæ majores, quæ ramorum instar diducuntur, et quum vocem aut spiritum intendimus, inflantur. *Varro* apud *Non. p.* 166. 12. *Merc.* Priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit. *Plaut. Merc.* 1. 2. 26. Loquere id negotii quidquid est. ACAN. placide: volo acquiescere. Tua causa rupi ramices: jamdudum sputo sanguinem. *scil.* currendo. Adde *Pœn.* 3. 1. 37. Sunt qui his locis herniam intelligunt: sed ex ea rupta non sequitur sputum sanguinis. ¶ 2. *Ramex* est etiam herniæ species, qua venæ in scroto intumescunt ex nimia sanguinis copia, κιρσοκήλη, *crepatura, allentatura, ernia*. Causa hujus appellationis ex eo duci potest, quod ἔρνος, unde *hernia* dicta videtur, Græcis etiam ramum significat. Quare Latini *ramicem* dixerunt, Græco vocabulo insistentes. Ideo autem rami nomine hernia significatur, quia, inflatis scroti venis, veluti quidam rami apparent. *Voss.* in *Etymol. Cels.* 7. 18. *a med.* Integris tunicis (*testium*) ramex innascitur, κιρσοκήλην Græci appellant, quum venæ intumescunt. *et in fin.* Inguen quoque nonnunquam ramices implent; βουβωνοκήλην appellant. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (135). Ramices infantium lacertæ virides (*sanant*). *Id.* 22. *ibid.* 25. 57. (121). Paleam tritici calidam imponi ramicum incommodis experti jubent. *Lucilius* apud *Non. p.* 466. 15. *Merc.* Quod deformi' senex, arthriticus ac podagrosus, Quod mancus, miser, exilis, cum ramice magno. *Juvenal.* 10. 205. jacet exiguus cum ramice nervus. *h. e.* cum scroto turgenti ex ramice: quod in senibus (de quibus hic sermo) est frequentissimum. ¶ 3. Item est ramus oblongus, longurius, pertica, *ramo, pertica, stanga, perticone*, χάμαξ. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 3. Stipes compluribus locis efforatur, et in circuitu vivarii, certis intervenientibus spatiis, defixus erigitur, deinde per transversa laterum cava transmittuntur ramices, qui exitus ferarum obserent. *Varro* 1. *R. R.* 14. 2. simile quippiam describens, *longurii* voce utitur. *Apul.* 4. *Met.* Ante fores exigui ramices, vice structi parietis, attenduntur. ¶ 4. Apud *Colum.* 6. *R. R.* 12. 2. et *Veget.* 3. *Veterin.* 4. *n.* 10. et 4. 19. quidam leg. *ramicem* pro *saniem*, et esse ajunt pulmunculum, seu abscessum ac tumorem ex sanguine collecto.

RĀMĪCŌSUS, a, um, adject. *allentato, ernioso*, κηλήτης, qui ramice seu hernia laborat. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (136). Ramicosis cochlearum cinis cum ture medetur. *Marcell. Empir.* c. 33. *p.* 134. ed. *Ald.* Herniosis, ramicosis hydrocelicisque asparagi radices –, cum aquæ hemina potui sæpius datæ, celeriter subveniunt.

RĀMŌSUS, a, um, adject. Comp. *Ramosior* et Sup. *Ramosissimus* I. et II. — Ramosus est multos ramos habens, *ramoso, ramoruto*, ἐρνώδης, κλαδώδης.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1096. Ramosa arbor. *Ovid.* 3. *Fast.* 751. ramoso stipite nixus. *Propert.* 4. 4. 5. Silvani ramosa domus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 65. (102). Lappago similis anagallidi, nisi esset ramosior. *Tertull. Apolog.* 35. Ramosissimis laureis postes præstruebant.

II.) Translate. *Virg.* 7. *Ecl.* 30. Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi. (*Id.* 1. *Æn.* 192. cervos dixit capita alta ferentes Cornibus arboreis). *Lucret.* 2. 444. Denique quæ nobis durata ac spissa videntur, Hæc magis hamatis inter sese esse necesse 'st Et quasi ramosis alte compacta teneri. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 32. (58). Folium imbricatum magis et ramosius. *h. e.* magis diffusum. *et ibid.* 15. 52. (89). Radices ramosæ et multiplices. *Id.* 37. *ibid.* 11. 73. (191). Borsycitis gemma in nigro ramosa, candidis aut sanguineis frondibus. *Id.* 32. *ibid.* 2. 11. (22). Corallium probatissimum, quam maxime rubens et quam ramosissimum. — Et poetice *Lucret.* 6. 133. etenim ramosa videmus Nubila sæpe modis multis atque aspera ferri. *Ovid.* 9. *Met.* 73. *de hydra.* Hanc ego ramosam natis e cæde colubris Crescentemque malo, domui. *h. e.* multis instructam colubris, tamquam ramis, e trunco renascentibus. *Pers.* 5. 34. et vitæ nescius error Diducit trepidas ramosa in compita mentes. *h. e.* quæ in multas vias dividuntur, ut in ramos truncus.

RĀMŬLA, æ, f. 1. ungula. *Veget.* 2. *Veterin.* 58. 4. Provisurus ne coronam tangas aut ramulas; sed, his exceptis, in solo et in circuitu solidaturus ungulam confricabis. *Schneid. legit* ranulas. *Id.* 1. *ibid.* 56. 31. Oportet autem ferramento concisorio animalium soleas ramulasque purgari. *Gesner. correxit* ranulasque, *probante Schneid.*

RĀMULŌSUS, a, um, adject. ramulos multos habens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 38. (92). Folia ramulosa ulmo et cytiso.

RĀMŬLUS, i, m. 2. (deminut. a *ramus*) *ramicello, rametto*, κλαδών, parvus ramus, ramusculus. *Cato R. R.* 101. Si ramulos ficulneos voles cum foliis (*servare*), inter se alligato etc. *Catull.* 60. 22. Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 88. (111). Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos. *Id.* 24. *ibid.* 15. 81. (132). Chamædaphne unico ramulo est, cubitali fere. *Val. Max.* 2. 8. *n.* 5. Laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 6. 14. *Sueton. Galb.* 1. Gallina alba ramulum lauri rostro tenens. *h. e.* surculum.

RĀMUS, i, m. 2. pars arboris, quæ e trunco exit, et multipliciter se spargit, ἔρνος, κλάδος (It. *ramo*; Fr. *branche, rameau*; Hisp. *branca, ramo ú rama*; Germ. *d. Zweig, Ast*; Angl. *a branch, bough; an arm of a tree*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 1. 1092. arboribus summos frondescere ramos. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 179. In arboribus truncus, rami, folia sunt. *et* 1. *ibid.* 7. 28. Platanus ad opacandum locum patulis diffusa ramis. *Id. Cæcin.* 21. 60. Ramum arboris defringere. *Virg.* 2. *G.* 81. ingens Exiit ad cælum ramis felicibus arbos. *Id.* 3. *ibid.* 333. quercus Ingentes tendit ramos. *et* 2. *ibid.* 296. fortes late ramos et brachia tendens. *Id.* 3. *Æn.* 25. ramis tegerem ut frondentibus aras. *et* 6. *ibid.* 282. ramos annosaque brachia pandit Ulmus opaca ingens. *Horat. Epod.* 2. 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. *Virg.* 2. *G.* 370. ramos compesce fluentes. *scil.* putando. *Id.* 11. *Æn.* 5. Ingentem quercum decisis undique ramis. *Ovid.* 14. *Met.* 660. Suspiciens pandos auctumni pondere ramos. *Lucan.* 3. 400. lucus Obscurum cingens connexis aera ramis. ¶ 2. Latiori sensu per synecdochen ponitur pro arbore. *Virg.* 3. *Æn.* 649. Victum infelicem, baccas lapidosaque corna Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ. *et* 8. *ibid.* 318. Sed rami atque asper victu venatus alebat. ¶ 3. Et pro fronde. *Virg.* 5. *Æn.* 71. et tempora cingite ramis. *et* 8. *ibid.* 286. populeis evincti tempora ramis. *Val. Flacc.* 6. 296. conspectaque glauco Tempora nectuntur ramo. Adde *Ovid.* 3. *Fast.* 861. ¶ 4. Et pro ture. *Claudian. III. cons. Honor.* 210. Vobis rubra dabunt pretiosas æquora conchas, Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres. *h. e.* ramos turiferos.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro fuste seu clava. *Propert.* 4. 9. 15. Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus. ¶ 2. Transfertur ad alia. *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Ab ejus (*bovis*) summo cornu, sicut palmæ, rami late diffunduntur. *At Dinter legit:* ab ejus (*cornus*) summo sicut palmæ ramique late diffunduntur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (131). Sub monte Cambalido, qui est Caucasi ramus. *un braccio.* ¶ 3. De ramis Samiis *V.* PYTHAGORAS in ONOM. ¶ 4. Τὸ αἰδοῖον ἀρρενικὸν significat apud *Nævium* (*V.* ROBORASCO), citante *Nonio p.* 116. 26. *Merc.* Adde *Prudent.* 1. *contra Symmach.* 115. ¶ 5. Allegorice. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 13. Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. ¶ 6. De linea consanguinitatis. *Pers.* 3. 27. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis? *V.* vocem sequent. II. 2.

RĀMUSCŬLUS, i, m. 2. deminut. a *ramus*, ramulus.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 98. (261). Et viridi ferula ramusculus utilis ad omnia ea vitia. *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 124. *retro ed. Ald.* Fœniculi radicem et ramusculum ervi contunde, et ex vino vetere da bibendum.

II.) Translate. ¶ 1. *Hieronym. Ep.* 133. *n.* 3. *sub fin.* Doctrina tua Origenis ramusculus est. ¶ 2. De linea consanguinitatis. *Isid.* 9. *Orig.* 6. Stemmata dicuntur ramusculi, quos advocati faciunt in genere, quum gradus cognationis partiuntur. *V.* RAMUS II. 6.

RĀNA, æ, f. 1. animal palustre notum, in aqua et in terra vitam agens: ab sua voce dicta, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 78. *Müll.* Quidam deducunt a φρύνος *rubeta*, mox dempto φ Attice, et mutato υ in *a* Dorice. Sunt et ranæ scandentes arbores et ex iis coaxantes, βάτραχος (It. *ranocchia, rana*; Fr. *grenouille*; Hisp. *rana*; Germ. *d. Frosch*; Angl. *frog, paddock*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ovid.* 15. *Met.* 375. Semina limus habet virides generantia ranas: Et generat truncas pedibus: mox apta natando Crura dat: utque eadem sint longis saltibus apta, Posterior partes superat mensura priores. *et* 6. *ibid.* 377. Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt: Ipsaque dilatant patulos convicia rictus. Terga caput tangunt: colla intercepta videntur: Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet: Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (172). Ranis lingua prima cohæret, intima absoluta a gutture, qua vocem mittunt, *etc.* Tum siquidem inferiore labro demisso ad libramentum modicæ aquæ receptæ in fauces, palpitante ibi lingua ululatus elicitur. Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore propulsi. *Id.* 32. *ibid.* 8. 29. (92). Est et rana parva arborem scandens atque ex ea vociferans. *Cic.* 15. *Att.* 16. Pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt, ranæ enim ῥητορεύουσιν. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 14. mali culices ranæque palustres Avertunt somnos. *Id. Epod.* 5. 19. turpis ranæ ova. *Phædr.* 1. 2. Ranæ vagantes liberis paludibus. *Virg.* 3. *G.* 430. hic piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet. *et* 1. *ibid.* 378. Et veterem in limo ranæ cecinere querelam. (Quænam hæc sit querela, cognosces ex *Servio* in *hunc loc.* et *Phædr. loc. cit.*) *Martial.* 3. 93. Mellusque ranæ garriunt Ravennates. *Sueton. Aug.* 94. *circa med.* Quum primum fari cœpisset, in avito suburbano obstrepentes forte ranas silere jussit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. *Martial.* 10. 79. Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim. (V. fabulam de rana rupta apud *Horat.* 2. *Sat.* 3. 314. et *Phædr.* 1. 24.) *Id.* 14. 183. Perlege Mæonio cantatas carmine ranas. Βατραχομυομαχίαν. *Juvenal.* 2. 150. Stygio ranas in gurgite nigras. — *b*) *Inflat se tamquam rana*, proverb. de eo, qui sibi plus justo placet, apud *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.* — *c*) *Qui fuit rana, nunc est rex*, aliud proverb. apud *eumd. ibid.* 77. de eo, qui e parvis initiis valde crevit sive divitiis, sive honoribus. — *d*) In illo *Juvenal.* 3. 44. ranarum viscera numquam Inspexi; significatur veneficium, quod ex ranæ rubetæ visceribus conficiebatur. *V.* RUBETA.

II.) Translate. ¶ 1. *Rana* dicitur piscis marinus, qui Græce βάτραχος ἁλιεύς, Italice *martino pescatore* vocatur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, ut raiæ, pastinacæ, squatinæ, torpedo, et quos bovis, lamiæ, aquilæ, ranæ nominibus Græci appellant. *et mox.* Quum ceteri pisces ova pariant, hoc genus solum animal parit, excepta quam ranam vocant. *Id. ibid.* 42. 67. (143). Nec minor sollertia ranæ, quæ in mari piscatrix vocatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Ranæ marinæ dicuntur obruere sese arena solere, et moveri prope aquam: ad quas quasi ad escam pisces quum accesserint, confici a ranis atque consumi. ¶ 2. *Rana* est etiam morbi genus in bubus. *Colum.* 6. *R. R.* 8. 1. Solent etiam fastidia cibo afferre vitiosa incrementa linguæ, quas ranas veterinarii vocant. *Veget.* vocat *ranulas*. *V.* RANULA II.

RĀNĀCEUS, a, um, adject. ad ranam pertinens. *Ranaceum oleum* apud *Marcell. Empir. c.* 16. *p.* 111. *primo ed. Ald.* videtur oleum ex herba ranunculo vel batrachio. Sunt tamen qui corrigendum putant *rutaceum*.

RANCENS, entis, particip. ab inusit. *ranceo*: *putrefatto, putente, rancido*, ταγγίζων, ἑωλίζων, putrescens, putens, rancidus. *Lucret.* 3. 719. cadavera rancenti jam viscere vermes Exspirant. *Seren. Sammon.* 54. 978. Vetus et rancens axungia. — Verbum *ranceo* exhibent *Gloss. Lat. Gr.* Ranceo, ces, εὐρωτιάω.

RANCEO, es, ere, n. 2. *V.* voc. præced.

RANCESCO et rancisco, is, ere, n. inchoat. 3. *diventar rancido*, rancidus fio, putresco.

I.) Proprie. *Arnob.* 1. 21. Mel amarum fieri, olearum fluenta rancescere.

II.) Translate. *Ennod.* 3. *Ep.* 13. Animum ab scriptione suspendi, ne diligentiæ ratio sparsa per immeritos perlatores aliena importunitate ranciscat.

RANCĬDĒ, adverb. *rancidamente*, cum rancore, corrupte. Translate. *Gell.* 18. 11. Quæ mihi quidem neque abhorrere a poetica facultate visa sunt, neque dictu profatuque ipso tetræ aut insuaves esse, sicuti sunt quædam alia ab illustribus poetis ficta dure et rancide. *h. e.* nimis antique, putide. *et ibid.* 8. Ὁμοιοτέλευτα καὶ πάρισα καὶ ὁμοιόπτωτα ceteraque hujusmodi scitamenta, quæ isti ἀπειρόκαλοι, qui se Isocratios videri volunt, in collocandis verbis immodice faciunt et rancide, quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime significat Lucilius.

RANCĬDO, as, are, a. 1. rancidum facio ob odium; quippe translate *Fulgent.* 2. *Mythol.* 1. Voluptaria vita libidine mollitur, aut homicidiis cruentatur, aut rapina succenditur, aut livoribus rancidatur. *V.* RANCOR II.

RANCĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. *rancidetto*, aliquantum rancidus.

I.) Proprie. *Juvenal.* 11. 133. quin ipsa manubria cultellorum Ossea; non tamen his ulla unquam obsonia fiunt Rancidula, aut ideo pejus gallina secatur.

II.) Translate est putidulus et fastidium creans, *schifosetto, schizzinoso, affettato*. *Pers.* 1. 33. Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Phyllidas, Hypsipylas etc. *Martial.* 7. 34. Qui sic rancidulo loquatur ore.

RANCĬDUS, a, um, adject. Comp. *Rancidior* I. et II. — Rancidus est corruptus et putens: et dicitur præcipue de cibis diutius asservatis et putrescentibus; unde malus sapor odorque. *V.* RANCOR I. ταγγός, ἕωλος, σαπρός (It. *rancio, rancioso, rancido, stantio, putrefatto*; Fr. *infect, fétide, qui sent, rance*; Hisp. *rancio, infecto, fetido, hediondo*; Germ. *ranzig, stinkend*; Angl. *rank, rancid, musty, stale, rammish, offensive, putrid, stinking*).

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 89. Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus Illis nullus erat; sed, credo, hac mente, quod hospes Tardius adveniens vitiatum commodius, quam Integrum edax dominus consumeret. *Lucret.* 6. 1154. Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu. *Apul.* 10. *Met.* Partes opimas quasque devorabam, et, rancidiora seligens, abliguriebam dulcia. *M. Aurel.* apud *Fronton.* ad *M. Cæs.* 4. 4. Signini quidem isti nimis rancidos racemos et acidos acinos habent. *Ennod. Ep.* 3. 11. Despicientes rancida potentum fastidia. *et ibid.* 4. 23. Rancido despicientes cuncta neglectu.

II.) Translate. *Juvenal.* 6. 184. Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est, De Sulmonensi mera Cecropis? *qual cosa più affettata e fastidiosa?* et *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (92). *de boletis.* Quorumdam ex his facile noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore etc. *h. e.* lurido, et qualis solet esse rerum rancidarum. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 304. rancidæ edentularum cantilenæ.

RANCO, as, are, n. 1. est vociferari, proprium tigris, a sono vocis. *Auct. carm. Philom.* 49. Tigrides indomitæ rancant rugiuntque leones

Alii leg. raucant, *alii* raccant, *alii* racant *vel* rachant; *quod postremum* præferendum videtur, nam *Thes. nov. Latinit.* ed. *Maio p.* 78. Tigridum (*proprietas est*) rachare. et *Aldhelm.* ed. *Maio* (in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 570.) Tigrides raccant.

RANCOR, ōris, m. 3. *rancidezza, rancidume*, τάγγη, σαπρότης, marcor, corruptus odor aut sapor rerum diutius asservatarum: ab obsoleto *ranceo*.

I.) Proprie. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. 1. Receptacula olei semper munda sint, ne novos sapores infecta veteri rancore corrumpant. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 10. 2. — Hinc *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115. ed. *Ald.* Rancorem stomachi temperat caro vaccina ex vini et aceti æqua portione discocta et cibo sumpta.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 13. *n.* 1. Veteri rancore deposito. *h. e.* odio inveterato, quo mutua benevolentia corrupta est. *rancore.* odium enim homines rancidos facit seu lividos.

RĀNĬCŬLUS, i, m. 2. ranunculus. *Incert. Auct. in Anal. gramm. p.* 80. Rana, raniculus.

RĀNŬLA, æ, f. 1. *ranella, ranuzza*, βατράχιον, parva rana, ranunculus.

I.) Proprie. *Apul.* 9. *Met.* De ore pastoricii canis virens exsilivit ranula.

II.) Translate. ¶ 1. Est morbus in lingua boum, de quo in RANA II. 2. dictum est. *Veget.* 3. *Veterin.* 3. *sub fin.* Periculosum fastidium bobus ranulæ faciunt: quæ aperiendæ sunt, et allio cum sale pariter trito ipsa vulnera confricanda. ¶ 2. Item pars tenerrima in media ungula equorum, quæ βάτραχος a Geoponis vocatur. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 31. Oportet ferramento concisorio animalium soleas ranulasque purgari. *Id.* 3. *ibid.* 58. 4. Provisurus, ne coronam tangas aut ranulas. Ita legit *Schneid.*; alii aliter. *V.* RAMULA.

RĀNUNCŬLUS, i, m. 2. *rana, ranocchio*, βάτραχος, vox positione quidem ὑποκοριστική, sed usu idem quod rana, sive parva sit, sive magna.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 9. 15. Quis est, qui, ranunculos hoc videre, suspicari possit? *Marcell. Empir. c.* 8. *sect.* 6. *p.* 97. *retro* ed. *Ald.* Ranunculum viridem comprehensum acu cuprea pungito, et sanguine ejus excepto palpebras subinde conting .

II.) Translate. ¶ 1. Ita clientes suos vocat *Cic.* 7. *Fam.* 18. *ad fin.* Nam Ulubris, honoris mei causa, vim maximam ranunculorum se commosse, constabat. ¶ 2. Item herba quædam, de qua *V.* BATRACHIUM.

RĀPA, æ, f. 1. *V.* RAPUM.

RĀPĀCĬA, ōrum, n. plur. 2. teneriores raparum frondes et cauliculi, qui decocti usum habent in cibis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 34. (127). Et homini non minor rapaciorum suis horis gratia, quam cymarum: — Legitur et *rapicia*, et fortasse rectius: unde nostrum vulgare *ravizze*. Adjective *Cato R. R.* 35. Rapinam, coles rapicii unde fiant, in loco stercorato bene aut in loco crasso serito. *et ibid.* 134. Triticum, bordeum, faba, semen rapicium.

RĂPĀCĬDA, æ, m. 1. rapax, fur, latro. *Plaut. Aulul.* 2. 7. 8. Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus. *rapacidarum* dixit pro *rapacium*, quasi furum genus sit et natio, ut *Æacidarum. Turneb. l.* 24. *Adversar. c.* 23.

RĂPĀCĬTAS, ātis, f. 3. *rapacità*, ἁρπακτικόν, vitium rapiendi. *Cic. Cœl.* 6. 13. Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? *Justin.* 38. 7. 8. Adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum, sectio publicanorum, calumniæ litium. *Martial.* 6. 72. Fur notæ nimium rapacitatis. *Sueton. Tit.* 7. Suspecta rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari præmiarique solitum. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 5. Nisi si maxima vel negligentia servi, vel rapacitas intervenit. Adde *Ammian.* 21. 16. *a med.*

RĂPĀCĬTER, adverb. *rapacemente*, cum rapacitate. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Vatin.* 5. ab *A. Maio* editus in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 171. Insimulat eum sordide et rapaciter Puteolis esse versatum.

RĂPAX, ācis, adject. (rapio). Comp. *Rapacior* et Sup. *Rapacissimus* I. et II. — Rapax est palam rapiens, rapiendi avidus, rapinis intentus, fur, prædo, ἅρπαξ (It. *rapace, ladro, avido dell'altrui*; Fr. *rapace, ravisseur, avide, cupide, enclin au vol;* Hisp. *rapaz, raptor, robador, avido;* Germ. *rauberisch, raubsüchtig, raubgierig, reissend;* Angl. *rapacious, ravenous, devouring, greedy, covetous, eagerly desirous of what belongs to another*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Cic. Pis.* 27. 66. Olim furunculus, nunc vero etiam rapax. *Id.* 4. *Verr.* 2. 5. Furem aliquem aut rapacem accusare. *Plaut. Men.* 5. 7. 26. Vos scelesti, vos rapaces, vos prædones. *Sueton. Vesp.* 16. Procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret. *Id. Domit.* 3. Super ingenii naturam (*Domitianus*) inopia rapax, metu sævus. — De eo, qui sola munera sectatur, et donis tantummodo capitur. *Tibull.* 2. 4. 25. Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem Dat mihi. *et* 1. 6. 23. sagæ præcepta rapacis Desere. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 14. 33. Cinara rapax. — *b*) De brutis animantibus, ut sunt aves aut bestiæ rapaces, *da rapina. Horat.* 2. *Sat.* 2. 40. rapaces Harpyiæ. *Id.* 4. *Od.* 4. 50. Cervi luporum præda rapacium. — Et absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (247). Ungues hominibus lati, rapacibus unci, ceteris recti, ut canibus. — *c*) Dicitur commode de omnibus inanimis, quæ rapiunt, et ad se aut secum trahunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 12. (51). Succinum rapacissimum ignium et, si juxta fuerint, celerrime ardescens. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. (24). Quid constantius Oceani fervore in illis locis, Europam Libyamque rapax ubi dividit unda? *Lucret.* 1. 17. Rapaces fluvii. *et* 3. 651. falcesque rapaces. *Catull.* 25. 4. turbida rapacior procella. *Ovid.* 1. *Art. am.* 388. Nec mea dicta rapax per mare ventus agit. *Lucret.* 5. 397. Avia quum Phaethonta rapax vis Solis equorum Æthere raptavit toto. *Ovid.* 8. *Met.* 837. rapax ignis non unquam alimenta recusat. *Id. Heroid.* 12. 123. Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos. *Horat.* 2. *Od.* 18. 30. Rapax Orcus. *et* 1. *ibid.* 34. 14. Fortuna. *Seneca Hippol.* 467. Rapaces Fati manus. *Tibull.* 1. 3. 65. Mors rapax. *Propert.* 4. 1. 105. Mars rapax. *Tertull. Pall.* 4. Apud hirtos et hirsutos tam rapax a culo resina. *h. e.* quæ pilos a culo rapit, evellit. — Dentes rapaces, *gl'incisori*, τομικοί, primores, quibus arripitur cibus. *Veget.* 4. *Veterin.* 1. Dentes molares quatuor et viginti, canini quatuor, rapaces duodecim. *V.* DENS. — Apud *Tac.* 2. *Hist.* 43. legio una et vicesima, cui cognomen Rapaci, ita dicta est, ut *Fulminatrix, Adjutrix* etc., quod eorum militum virtus, velut torrens aut ignis, omnia raperet et conficeret. *Inscript.* apud *Gruter.* 51. 5. L. CORNELIVS VRBANVS MILES LEG. XXI. RAP. MERCVRIO V. S. L. M. Adde 382. 6., 434. 6. et 385. 5. etc. Ipsi etiam milites *Rapaces* dicti. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant.

II.) Translate, cum Genit. *Cic. Amic.* 14. 50. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. *Seneca Ep.* 95. *circa med.* Unde ista tam rapacia virtutis ingenia? *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Nostri omnium utilitatum et virtutum rapacissimi.

RĂPHĂNĪNUS, a, um, adject. *di ravano*, ῥαφάνινος, qui est ex raphano. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 49. (94). Raphaninum oleum phthiriases tollit.

RĂPHĂNĪTIS, idis, f. 3. ῥαφανῖτις, genus herbæ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 19. (41). Illyrica iris duorum generum est: raphanitis a similitudine, et, quæ melior, rhizotomos subrufa.

RĂPHĂNOS Agria, ῥάφανος ἀγρία, h. e. raphanus silvestris, herba, quæ et *apios ischas* dicitur, juncos duos sive tres spargit in terra rubentes, foliis rutæ: radix cæpæ, sed amplior: quare quidam raphanum silvestrem vocant. Intus habet mammam candidam, extra cortices nigros. Nascitur in montuosis asperis, aliquando et in herbosis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 46. (72)., ubi pergit ejus usus in medicina describere.

RĂPHĂNUS, i, m. 2. Sunt qui scribunt *rhaphanus*, ut omnis Græca aspiratio exprimatur. — Raphanus est herba nota crassæ radicis, inter olera locum habens, ῥαφανίς, ῥάφανος (It. *ravanello, ramolaccio, ravano, rafano;* Fr. *raifort;* Hisp. *rábano;* Germ. *d. Rettig;* Angl. *a radish or reddish*). *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (78). Cortice et cartilagine constant raphani: multisque eorum cortex crassior etiam, quam quibusdam arborum. Amaritudo plurima illis est et pro crassitudine corticis *etc.* Græci genera fecere tria foliorum differentia, crispi atque lævis et tertium silvestre. Atque huic lævia quidem, sed breviora ac rotunda copiosaque atque fruticosa *etc.* Nostri alia fecere genera: Algidense a loco, longum atque translucidum: alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum hiemisque patiens etc. (*V.* RADICULA et RADIX). Etiam num unum silvestre Græci agrion vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciam (unde Italorum *ramolaccio*) fronde copiosius, quam corpore. Hæc ex *Plin.*, qui pergit ibidem rationem serendi et vires in medicamentis describere. — De alio raphano silvestri *V.* in voce præced. — Raphanus podici immissus, ut etiam mugil, fuit mœchorum deprehensorum pœna, ἀποραφανίδωσις. *Catull.* 15. 18. Quem, attractis pedibus, patente porta, Percurrent raphanique mugilesque. — In femin. gen. *Pallad.* 9. *R. R.* 5. Raphanum tamen, sicut brassicam, constat esse vitibus inimicam. — Fertur in templo Apollinis Delphis adeo ceteris cibis prælatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum e plumbo. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (86).

RĀPĪCĬUS, a, um, adject. *V.* RAPACIA.

RĂPĬDĒ, adverb. Comp. *Rapidius* I. — Rapide est raptim, festinanter, velociter, ὁρμητικῶς, ἁρπακτικῶς, *prestamente, velocemente, rapidamente.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Fibrenus divisus in duas partes latera hæc alluit rapideque dilapsus cito in unum confluit. *Sueton. Cal.* 43. Iter confecit tam festinanter et rapide, ut etc. *Tac.* 4. *Hist.* 71. Eo rapidius Cerialis, contracto quod erat militum, tertiis castris Rigodulum venit.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 37. 128. Hoc (παθητικόν) vehemens, incensum, incitatum, quod quum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest.

RĂPĬDĬTAS, ātis, f. 3. *rapidità*, ὁρμητικόν, velocitas. *Cæs.* 1. *B. C.* 62. Tum rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur. Adde *eumd.* 4. *B. G.* 17.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 6. 2.

RĂPĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. rapidi. *Capell.* 8. *p.* 270. Quo terrore et rapiduli sonitus raucitate concussi eodem se quamplures convertere Divi.

RĂPĬDUS, a, um, adject. (rapio). Comp. *Rapidior* et Sup. *Rapidissimus* I. — *Rapidus* est festinus, celer, velox: et proprie dicitur de amne, torrente, procella, fulmine aliisque id genus, quæ celeritatis impetu obvia quæque secum rapiunt, ὁρμητικός, ἁρπακτικός (It. *veloce, presto, rapido;* Fr. *qui saisit rapidement, rapide, prompt, précipité;* Hisp. *rapido, veloz, prunto;* Germ. *reissend, schnell;* Angl. *swift, rapid, violent, vehement, boisterous, tempestuous, stormy, furious*).

I.) Proprie. — *a*) De fluviis et fulmine. *Plaut. Men. prol.* 63. Nam rus ut ibat forte, ut multum pluverat; ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule, rapidus raptori pueri subduxit pedes. *Virg.* 2. *Æn.* 305. rapidus montano flumine torrens. *Cæs.* 1. *B. C.* 50. Rapidissimum flumen. *Lucret.* 6. 668. Perque mare et terras rapidus percurrere turbo. *Propert.* 2. 13. 45. Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas. *Virg.* 6. *Æn.* 74. foliis ne carmina manda, Ne turbata volent rapidis ludibria ventis. *Id.* 1. *ibid.* 42. Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem. *Tibull.* 1. 2. 44. rapidum fulmen. *Curt.* 4. 9. 18. Quum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. — *b*) Velocitatem simul et rapacitatem seu voracitatem significat in his. *Virg.* 4. *G.* 425. rapidus Sirius. *Id. ibid.*

263. Æstuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis. *Id.* 2. *Ecl.* 10. rapido fessis messoribus æstu. *Ovid.* 1. *Trist.* 7. 20. Imposui rapidis viscera nostra rogis. *Id. Heroid.* 10. 96. Destituor rapidis præda cibusque feris. Alii leg. *rabidis*: facile enim hæc duo commutantur. *Lucret.* 4. 713. Leones rapidi. *et* 5. 890. canes. *Tibull.* 1. 2. 40. et 4. 1. 193. Rapidum mare. — c) Universim dicitur de quacumque re velocissima. *Virg.* 7. *Æn.* 156. festinant jussi, rapidisque feruntur Passibus. *et* 12. *ibid.* 683. Rapidus cursus. *et ibid.* 478. currus. *et* 11. *ibid.* 906. Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur Agmine. *Tac.* 2. *Hist.* 30. Rapido agmine Cæcinæ junguntur. *Flor.* 4. 7. *a med.* Rapido impetu recipientes se equites. *Ovid.* 5. *Fast.* 592. Rapidi equi. *Id.* 2. *Met.* 716. volucris rapidissima. *Virg.* 8. *Æn.* 441. nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis. — d) De orbibus cælestibus. *Ovid.* 2. *Met.* 73. Rapidus orbis. *Id.* 3. *Fast.* 518. axis. *Virg.* 1. *G.* 92. *et* 424. sol. *Stat.* 1. *Theb.* 197. Rapidum cælum.

II.) Translate. *Oratio rapida*, incitata, verborum copia et numeri impetu celeriter decurrens. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 3. Quum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas. — *Liv.* 22. 12. Qui (*magister equitum*) nihil aliud, quam quod impar erat imperio, moræ ad rempublicam præcipitandam habebat, ferox rapidusque in consiliis, ac lingua immodicus.

RĂPĪNA, æ, f. 1. (rapio). ¶ 1. Est rei alienæ raptio per vim: item ipsa res per vim rapta, et usurpatur sæpissime in plur. numero, ἅρπαγμα (It. *ruberia, rapina, cosa rapita, bottino*; Fr. *rapine, vol, pillage, proie, butin*; Hisp. *rapina, robo, hurto, pillage, saqueo, presa, botin*; Germ. *d. Raub, d. Räuberei, d. Beute*; Angl. *a bed of rapes; a field of turnips*). *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. 3. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis efficere potuisset. *Id.* 2. *Cat.* 5 (10). Nihil cogitant, nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas. *Auct. B. G.* 8. 25. Quum omnia cædibus, incendiis, rapinis vastasset. *Cassius* ad *Cic.* 12. *Fam.* 12. *a med.* Sequi spem prædæ et rapinarum. Sic *Sall. Cat.* 57. *Kritz.* Plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Hostem rapinis, pabulationibus populationibusque prohibere. *Auct. B. Afr.* 54. Rapinas per municipia facere. *Cic.* 14. *Att.* 14. *a med.* Rapinas scribis ad Opis fieri. *h. e.* pecuniam publicam, quæ est ad Opis, diripi et auferri. *Scævola Dig.* 31. 1. 90. *ad fin.* Scis, unum fratrem tuum filium nostrum occidisse, dum ei rapinam fecit. *Sueton. Ner.* 32. Ita jam exhaustus et egens, calumniis rapinisque intendit animum. *Id. Vesp.* 16. Ad manubias et rapinas necessitate compulsus. *Catull.* 19. 19. Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 157. Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis? *Virg.* 8. *Æn.* 263. Abstractæque boves abjuratæque rapinæ Cælo ostenduntur. *Lucan.* 3. 167. tristi spoliantur templa rapina. *Id.* 9. 222. Rapinæ æquoreæ. *piraterie.* et 7. 98. Ad præmaturas segetum jejuna rapinas Agmina compulimus. *foraggio.* *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 35. (73). Sola hirundo rapinæ ceterarum alitum obnoxia non est. *Ovid.* 10. *Met.* 28. Famaque si veterem non est mentita rapinam (*Proserpinæ*), Vos quoque junxit Amor. *il rapimento.* Sic *Id.* 3. *Art. am.* 760. stulta rapina mea est. *h. e.* qua Helenam rapui. *Martial.* 10. 87. Venator leporem, colonus hædum, Piscator ferat æquorum rapinas. *prede, pescagione.* et 8. 78. Omnis habet sua dona dies, nec linea dives Cessat, et in populum multa rapina cadit. *h. e.* missilia munera a populo diripienda. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (239). Arbores necant invicem inter se umbra vel densitate atque alimenti rapina. *h. e.* terræ humorem altera alteri rapiendo. *Id.* 2. *ibid.* 68. 68. (172). Terræ tres partes abstulit cælum: Oceani rapina in incerto est. *h. e.* nescitur, quantum terræ spatium Oceanus auferat habitationi hominum. — In illo *Severi Ætn.* 611. Tum vero, ut cuique est animus viresque, rapina Tutari conantur opes: *rapina* est celeris raptio et collectio rerum suarum et translatio in alium locum, ut tutæ ab incendio sint.

RĀPĪNA, æ, f. 1. (rapa) — a) Est Ital. *luogo seminato di rape*, γογγυλιών, locus rapis consitus, vel rapis seminandis destinatus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 71. Nam et napinæ itemque rapinæ siccaneis locis per hos dies fiunt. — b) De ipsis rapis *Cato R. R.* 5. *extr.* Post imbrem auctumni rapinam, pabulum lupinumque serito. *et* 35. *extr.* Rapinam, coles, rapicii unde fiant, et raphanum in loco stercorato bene aut in loco crasso serito. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 30., quæ est apud *Orell.* 2271. IBI OMNES.... CVM RAPINIS ACCEPERVNT. *V.* EMULIA. — c) In *Catonis* locis citatis *rapinam serere* putaverit fortasse quispiam de loco rapis destinato esse intelligendum, minime vero in allata *Inscript.*, ubi profecto *rapinæ* sunt aut fructus aut plantæ. Hinc etiam in *Columellæ loc. cit.* in a) sunt qui *rapinas* et *napinas* non loca rapis aut napis consita, sed raporum et naporum fructus intelligunt; quod et de *cæpina* et *porrina* dicendum est.

RĂPĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. rapina, actus rapiendi. Vox pastorum et rusticorum hominum propria. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 2. *ad Cæs.* (edente iterum *A. Majo*) *ep.* 15. Tum pastor unus ad alterum pastorem, postquam plusculos equites vidit, Vide tibi istos equites, inquit, nam illi solent maximas rapinationes facere.

RĂPĪNĀTOR, ōris, m. 3. idem ac raptor. *Lucilius* apud *Non. p.* 129. 29. et *p.* 167. 22. *Merc.* Homo impuratus (al. *impudicus*) et impune est rapinator. *Varro ibid.* In invidiam veniant in hoc ipso rapinatores. Priore *Nonii* loco legitur *rapister*, quod videtur esse mendum.

RĂPĬO, răpis, răpŭi, raptum, răpere, a. 3. *Rapsi* antique pro *rapui*. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapseritque, parricida esto. Alii leg. *rapsitque*. Hinc *rapsatus* in *Inscript.* opt. notæ apud *Fabrett. p.* 169. *n.* 323. SED RAPSATA LIVORIBVS CORPORIS REPLETA etc. Hæc *Inscript.* leg. apud *Orell.* 4859. — Part. *Rapiens* I. 2. et 3.; *Raptus* I. 1. *a.* 2., 3., 4. *b.* et 5., II. 2. et 3., et in fin.; *Rapturus* I. 1. *a.*; *Rapiendus* II. 2. — Rapere est per vim et festinanter prehendere, capere, auferre, abripere: a Græca voce ἁρπάζω, per metathesin (It. *pigliare o portare con forza e in fretta, rapire*; Fr. *prendre par force ou précipitamment, entrainer, emporter, tirer, enlever*; Hisp. *arrastrar, llevar con violencia, arrancar, tirar*; Germ. *reissen, fortreissen, -schleppen, - nehmen, -ziehen*; Angl. *to snatch, take or carry away by force, pull or drag away with haste or fury, carry off, seize forcibly, ravish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim de personis et de rebus. *Plaut. Men.* 5. 7. 9. Quid voltis vos? quid quæritatis? quid me circumsistitis? Quo rapitis me? quo fertis me? perii! *Id. Mil. glor.* 2. 5. 39. Vi atque invitam, ingratiis, nisi voluntate ibis, rapiam te domum. *Horat.* 1. *Od.* 18. 13. Rapere aliquid sub divum. *Virg.* 11. *Æn.* 651. validam dextra rapit indefessa bipennem. *et* 10. *ibid.* 486. rapit calidum de vulnere telum. *Ovid.* 3. *Met.* 730. Ventus auctumno frigore tactas Jamque male hærentes, alta rapit arbore frondes. *Seneca Phœniss.* 424. Quæ me per altas aeris rapiet vias Harpyia? *Ovid.* 12. *Met.* 271. Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris Prunicium torrem. Sic *Phædr.* 1. 28. Vulpes ab ara rapuit ardentem facem, Totamque flammis arborem circumdedit. *et ibid.* 13. Emisit ore caseum, quem celeriter Dolosa vulpis avidis rapuit dentibus. *et ibid.* 9. Passerem accipiter neo opinum rapit. *lo ghermisce.* et 5. 7. Dum pegma rapitur, concidit (*tibicen*) casu gravi. *si tira su con prestezza.* et *Auct. B. Alex.* 20. Qui in navibus remanserant, scalas rapere navesque a terra repellere properabant. *Liv.* 41. 3. Commeatum in litore expositum in naves rapiunt. *portano in fretta.* *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 29. rapit In præceps dominum durior oris equus. *Phædr.* 4. 21. Vos quod rapuistis, perit. *h. e.* quod arripuistis et extulistis e navi jam jam pessum itura. *Horat.* 3. *Od.* 11. 49. I, pedes quo te rapiunt et auræ. *dove ti portano i piedi.* *Stat.* 9. *Theb.* 272. Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor. *Virg.* 7. *Æn.* 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex. *staccato, avulsus.* *et* 6. *ibid.* 496. populataque tempora raptis Auribus. *Id.* 1. *ibid.* 382. Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates Classe vebo mecum. *tolti di mano, sottratti.* Sic *Id.* 9. *ibid.* 213. Sit qui me raptum pugna pretiove redemptum Mandet humo solita. et 5. *ibid.* 808. Pelidæ tunc ego forti Congressum Æneam, nec diis nec viribus æquis, Nube cava rapui. *tolsi di mano, sottrassi.* *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 17. Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas Æquet humo turres, tectaque rapta ferat. *Tac.* 4. *Hist.* 30. Suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso singuli pluresve hostium sublime rapti. *tirati a forza in alto.* *Sil. It.* 14. 146. Nec fervet majore fretum rapiturque tumultu. — b) Speciatim *rapere se aliquo* est aliquo se quam celerrime ferre. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 117. Ocius hinc te ni rapis. *se non ti levi o togli presto di qui.* Sic *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 27.-29. Utque procul vidit carpentes pabula tauros, — Illuc se rapuit gregibusque immiscuit illis. et *Cic.* 13. *Phil.* 8. 18. Inde se quo furore, quo ardore, ad urbem, id est ad cædem optimi cujusque rapiebat! — c) Item speciatim est ad pœnam per vim et statim ducere. *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 1. Ducite hunc: si non sequitur, rapite sublimem. *portatelo di peso.* et *Rud.* 3. 6. 15. Opta ocius, rapi te obtorto collo mavis, an trahi. *Ter. Adelph.* 3. 2. 20. Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 37. Rapere aliquem ad carnificem. *Cic.* 2. *Orat.* 59. (238). ad supplicium. *Plaut. Capt.* 5. 3. 45. in nervum. Adde *Ter. Andr.* 5. 2. 20. — d) Item ad judicem trahere, compellere aliquem, ut in judicio se sistat. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 72. Quum rapies in jura malis ridentem alienis. *Id.* 1. *ibid.* 9. 77.; et *Plaut. Pœn.* 5. 5. 56. Rapere aliquem in jus. *et Aulul.* 4. 10. 30. ad prætorem. ¶ 2. Speciatim est celeriter et raptim ducere. *Virg.* 7. *Æn.* 725. feroces Mille rapit populos. *et* 10. *ibid.* 308. rapit acer Totam aciem in Teucros. *Plin. Paneg.* 14. Per hoc omne spatium quum legiones duceres, seu (tanta velocitas erat) raperes. *Lucan.* 3. 116. Rapere gressus. *affrettare il passo.* *Seneca Med.* 380. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? *Id. Hippol.* 738. Ocior cursum rapiente flamma. *Stat.* 5. *Theb.* 3. Acrior et campum sonipes rapit. *h. e.* celeriter percurrit. Adde *ibid.* 655. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 49. Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 86. Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis. *Virg.* 10. *Æn.* 659. rumpit Saturnia funem, Avulsamque rapit revoluta per æquora navem. *Petron. Satyr.* 137. rapitur per valles improbus amnis. *h. e.* præceps decurrit. *Seneca Octav.* 122. Violentus ensem per latus nostrum rapit. *h. e.* celeriter ducit, adigit. — Similiter est trahere, per terram ducere, raptare, *strascinare, tirare*. *Virg.* 2. *G.* 153. Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 114. carceribus missos rapit ungula currus. — Sic Part. *raptus* est tractus, raptatus, *strascinato*. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 11. Quid Priamus doleat, mirabimur, Hectore rapto. *Alii leg.* tracto. *Id.* 12. *Met.* 591. Hectoris umbra subit, circum sua mœnia rapti. *Alii leg.* tracti. Confirmat priorem lectionem illud *ejusd.* 6. *Fast.* 744. Hippolytus lacero corpore raptus erat. *et* 2. *Amor.* 1. 32. Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis. *et* 4. *Trist.* 3. 30. Thebana cruentum Hectora Thessalico vidit ab axe rapi. ¶ 3. Item speciatim est palam furari, abducere, auferre, *rubare, rapire*. *Ovid. Heroid.* 8. 17. An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis, Arma feras; rapta conjuge lentus eris? *Cic.* 2. *Phil.* 25. (62). Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. *Id.* 4. *ibid.* 4. (9).

Spes rapiendi atque prædandi obcæcat animos. *Sall. Cat.* 50. Rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu. *Id. Jug.* 45. Populus libertatem in ludibinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. *Id. Cat.* 11. Rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere. *Liv.* 26. 13. aliquam ad stuprum. *Plaut. Trin.* 2. 2. 10. Quod manu nequeunt tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant: cetera rape, trahe, fuge, late. *Martial.* 8. 44. Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est. *Virg.* 10. *Æn.* 14. Tunc certare odiis, tunc res rapuisse licebit. *h. e.* prædas agere, *bottinare, far rappresaglie, saccheggiare.* et *Tac. Agric.* 30. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium appellant. *Virg.* 2. *Æn.* 374. alii rapiunt incensa feruntque Pergama. ἄγουσι καὶ φέρουσι. Sic *Stat.* 4. *Theb.* 371. hic te, bacchate Cithæron, Ille rapi Theumeson ait. Adde *Lucan.* 3. 98. Sic *Stat.* 1. *Achill.* 152. ipsi mihi sæpe queruntur Centauri raptasque domos abductaque coram Armenta. *Horat.* 3. *Od.* 3. 51. humanos in usus Omne sacrum rapiente dextra. *Id. Epod.* 5. 23. Et ossa ab ore rapta jejunæ canis. *Id.* 1. *Ep.* 17. 55. meretrix sæpe catellam, Sæpe periscelidem raptam sibi flens. *Virg.* 1. *Æn.* 532. raptas ad litora vertere prædas. — Item adimere, auferre, est etiam in his *Ovid. Heroid.* 15. 206. Ingenio vires ille dat, ille rapit. *Seneca Med.* 222. Hoc reges habent, nulla quod rapiat dies, prodesse miseris. et *Herc. Œt.* 396. rapit somnos pavor. et *Thyest.* 793. Cur, Phœbe, tuos rapis aspectus? *h. e.* subtrahis. — Hinc *Raptum, i,* n. 2. *V.* in fin. ¶ 4. Item speciatim — *a*) Rapi simulatur virgo ex gremio matris aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, quum ad virum trahitur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. *Festus. p.* 289. 4. *Müll. Catull.* 61. 2. Qui rapis teneram ad virum Virginem, o Hymenæe. — *b*) Hinc *raptus* usurpatur de eo, qui amoris causa abducitur. *Ovid.* 5. *Fast.* 669. Abstulerant raptas Phœben Phœbesque sororem Tyndaridæ fratres. *Id.* 1. *Art. am.* 679. Vim passa est Phœbe: vis est allata sorori: Et gratus raptæ raptor uterque fuit. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 32.; *Stat.* 1. *Achill.* 47. etc. *Ovid.* 8. *Met.* 850. qui raptæ præmia nobis Virginitatis habes. *V. Raptus* in fin. ¶ 5. Item rapi dicitur, qui immatura aut violenta morte perit. *Horat.* 2. *Od.* 17. 5. Ah te meæ si partem animæ rapit Maturior vis etc. *Id.* 1. *Ep.* 14. 7. Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis. et 4. *Od.* 2. 21. Flebili sponsæ juvenemve raptum Plorat. *Virg.* 6. *Æn.* 428. ab ubere raptos Abstulit atra dies. *Ovid.* 4. *Pont.* 11. 5. rapti jactura læsus amici. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 208. Hic finis rapto. et 5. *ibid.* 2. 16. post Orphea raptum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (45). Agrippa infelix brevitate ævi, quinquagesimo uno raptus anno. *Inscript.* apud *Orell.* 4475. DIS MAN. VIGELLIÆ SVCCESSÆ AGENS OCTAVO ANNO RAPTA EST. *Tac.* 2. *Ann.* 71. Si fato concederem, justus mihi dolor, etiam adversus Deos, esset, quod me parentibus, liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent. — Similiter *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 41. Tene, sacer vates, flammæ rapuere rogales? Cf. *Sil. It.* 16. 547.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. Urbana sunt illa *Horat. Epod.* 7. 13. Furorne cæcus, an rapit vis acrior, An culpa? responsum date. *vi trasporta.* et *Ovid.* 2. *Fast.* 762. cæco raptus amore furit. et *Ter. Adelph. prol.* 3.; et *Pollio* ad *Cic.* 10. *Fam.* 33. Rapere aliquid in pejorem partem. *h. e.* vitio dare, vituperare. *Virg.* 8. *Æn.* 21. animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias, perque omnia versat. *Propert.* 2. 21. 10. Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit. *se l portano.* et *Phædr.* 3. *prol.* Suspicione si quis errabit sua, Et rapiet ad se quod erit commune omnium, Stulte nudabit animi conscientiam. *h. e.* putabit in se dictum, quod in universum in omnes dictum erit. *Cic.* 2. *Off.* 10. 37. Quum aliqua ampla et honesta res objecta est, totos ad se convertit et rapit. *rapisce, tira:* allicit et trahit. *Horat. Art. P.* 148. et in medias res, Non secus ac notas, auditorem rapit. *Cic.* 2. *Legg.* 17. 43. Opinionibus vulgi rapimur in errorem. *Id.* 13. *Phil.* 7. 15. Incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam. *Id. Pis.* 24. 57. Prædæ ac rapinarum cupiditas cæca te rapiebat. *Id.* 16. *Fam.* 12. Quum Cæsar amentia quadam raperetur. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 19. Tu quoque, quæ nostros rapuisti nuper ocellos. *Id.* 3. *ibid.* 6. 28. Quum rapuit vultus, Xanthe, Neæra tuos. — Sequente Infinito. *Manil.* 1. 11. favet Mundus scrutantibus ipsum, Et rapit ætherios per carmina pandere census. *h. e.* trahit, allicit ad pandendum. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., est arripere, cito sumere aut facere. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 40. 162. Vive, Ulysses, dum licet. Oculis postremum lumen radiatum rape. Pergit *Cic.* Non dixit *cape,* non *pete:* haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, dum licet. *Horat. Epod.* 13. 3. rapiamus, amici, Occasionem de die. *Id.* 2. *Sat.* 5. 52. tabulas a te removere memento, Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo Cera velit versu. *h. e.* cito perlegas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 66. (249). In hoc temporis intervallo agricolæ rapienda sunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non suffecerit. *debbonsi spacciatamente fare.* Adde 11. *ibid.* 11. 12. (29). et *Ovid.* 7. *Met.* 288. barba comæque, Canitie posita, nigrum rapuere colorem. *tosto contrassero.* et *Virg.* 1. *Æn.* 180. rapuitque in fomite flammam. *h. e.* celeriter Achates flammam in fomite excitavit, quasi exprimendo et extrahendo eam ex scintilla: vel, si malis constructionem esse interruptam, scintilla ipsa raptim flammam duxit concepitque in fomite. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 374. Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam. *Id.* 3. *Fast.* 867.; et *Val. Flacc.* 5. 272. Rapere fugam. *darsi tosto alla fuga. Lucan.* 4. 345. letum. *h. e.* præripere, ultro arcessere, sibi properare. — Hinc *raptus* est celeriter sumptus. *Val. Flacc.* 5. 217. Rapta Ceres. *h. e.* cibus celeriter sumptus. *Claudian. B. Get.* 350. raptos contentus in armis Delibasse cibos. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3., est per vim auferre, violenter sibi tollere. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondam a socru Anomao rege Hippodamiam raptis nanctu 'st nuptiis. *Horat.* 2. *Od.* 12. 28. Oscula rapere occupat. *Tac.* 3. *Hist.* 41. Sed Valens in tanto quidem discrimine infamia caruit, quominus rapere illicitas voluptates crederetur. *Id.* 4. *Hist.* 1. Originem, mores, et quo facinore (*Ælius Sejanus*) dominationem raptum ierit, expediam. *Justin.* 11. 14. 6. Hoc prœlio (*Alexander*) Asiæ imperium rapuit. ¶ 4. *Rapi* dicitur, quod certatim et cupide a multis emitur. *Hieronym. Ep.* 57. *n.* 2. Harum (*litterarum*) exemplaria certatim Palæstinæ rapiebantur vel ob auctoris meritum, vel ob elegantiam scriptionis. *Sulpic. Sever. dial.* 1. 23. Quum liber tota certatim urbe raperetur, exsultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæstuosius haberetur. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Raptus, a, um. Unum adde: in Dativo plur. *raptabus* dici potest ad ambiguitatem fugiendam, quum de feminis sermo est, ut jam in ASINA observavimus. *Cn. Gell.* apud *Charis.* 1. *p.* 39. *Putsch.* Multitudo puerorum jam erat ex raptabus. — Hinc

Raptum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res rapta, *ladroneccio, rapina, ruberia.* Unde *rapto,* et *ex, de rapto vivere;* λῃστεύειν. *Liv.* 7. 25. *in fin.* (et *Virg.* 7. *Æn.* 749.) Quos rapto vivere necessitas cogeret. *Justin.* 41. 4. 7. Solitus latrociniis et rapto vivere. *Ovid.* 1. *Met.* 144. Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus. *Id.* 5. *Trist.* 10. 16. gentes, Quæ, nisi de rapto, vivere turpe putant. *Alii leg.* Quæ sibi non rapto etc. *Vellej.* 2. 73. 3. Latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur. *Seneca Ep.* 70. *extr.* Injuriosum est rapto vivere: at contra pulcherrimum, mori rapto. *h. e.* arripiendo quidquid mortem inferre potest: quidquid obvenerit ad vim sibi afferendam, invadendo. — Et in plur. num. *Liv.* 1. 4. Rapta dividere.

RĀPISTER. *V.* RAPINATOR.

RĀPISTRUM, i, n. 2. rapum silvestre. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 5. Vulgares lapsanæ, armoracia rapistrique olus.

RĀPO, ōnis, m. 3. idem ac raptor. *Varro* apud *Non. p.* 26. 32. *Merc.* Prætor noster eripuit mihi pecuniam. De ea questum ad annum veniam ad novum magistratum, quum hic rapo umbram quoque spei devorasset.

RAPSĀTUS, a, um, idem ac raptatus. *V.* RAPIO *init.*

RAPTĀBUNDUS. *V.* REPTABUNDUS.

RAPTĀTUS, a, um. *V.* RAPTO.

RAPTĒ, adverb. idem ac raptim. *Venant.* 4. *Vit. S. Martini* 651. Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur Alpes. *Hic perperam ultima syllaba corripitur, quæ natura sua longa est.*

RAPTIM, adverb. a *rapio.* ¶ 1. Raptim est rapiendo, palam furando, *con rapina, togliendo, rubando,* ἁρπαλέως, ἁρπαγίμως: *Novius* apud *Non. p.* 96. 20. *Merc.* In molis ludunt raptim pila, datatim morso. *raptim* et *datatim* contraria sunt. *Liv.* 5. 44. *a med.* Vagi per agros palantur, cibo vinoque raptim hausto repleti. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 22. (99). Semen raptim avium fame devoratum. ¶ 2. Item celeriter, cum festinatione, cursim, *in fretta, in prescia, correndo. Lucret.* 1. 661. Omnia denseri fierique ex omnibus unum Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim. *Cic. Dom.* 54. 139. Qui ageret illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Aguntur omnia raptim atque turbate. *Est qui leg.* ruptim. *Liv.* 5. 37. *ad fin.* Tumultuarius exercitus raptim ductus. *Cic.* 2. *Att.* 9. Quum mihi dixisset Cæcilius, puerum se Romam mittere, hæc scripsi raptim, ut etc. *Liv.* 31. 42. Raptim cibum capere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 18. (29). Mustum raptim et sine interspiratione potum. *Virg.* 1. *G.* 409. fugiens raptim secat æthera pennis. *Petron. Satyr.* 101. Simulque raptim causas odiorum trepidanti Eumolpo exponit. et *ibid.* 128. Raptim ædem Veneris intravit. *Sueton. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 198. Exiguo gratoque fruaris tempore raptim. *Tac.* 16. *Ann* 13. *de pestilentia.* Servitia perinde ac ingenua plebes raptim exstingui. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (52). Raptim insignes artifices transcurrere.

RAPTĬO, ōnis, f. 3. *rapimento,* actus rapiendi. Dicitur potissimum de persona. *Ter. Adelph.* 3. 3. 1. Ctesiphontem audivi una in raptione fuisse cum Æschino. Ubi *Donat.* Raptio ad personam refertur, rapina ad rem, raptus ad stuprum, si proprie loqui volumus. *Arnob.* 5. 37. Raptio Proserpinæ. *Auson. Perioch. Iliad. procem.* Helenæ. *V.* RAPTUS, us.

RAPTĬTO, as, are, a. 1. frequentat. a *rapto* vel a *raptus,* ut vult *Gell.* a quo, tamquam Latinum et usitatum, agnoscitur 9. 6.

RAPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a *rapio.* Part. *Raptans* I. 1.: *Raptatus* I. 1. et 2.; *Raptandus* I. 3. — Raptare est invitum vi trahere, ῥυστάζω, It. *strascinare o tirare per forza;* Fr. *amener de force, entrainer;* Hisp. *arrastrar, llevar con violencia;* Germ. *gewaltsam fortschleppen, fortzerren;* Angl. *to drag or carry away violenthy, take away by force*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est invitum vi trahere. *Cic. Sext.* 69. 145. Eversa domus est, fortunæ vexatæ, dissipati liberi, raptata conjux. *h. e.* ad tabulam Valeriam. *Lucret.* 5. 398. Avia quum Phaethonta rapax vis Solis equorum Æthere raptavit toto terrasque per omnes. Cf. *Ovid.* 2. *Met.* 234. arbitrio volucrum raptatur equorum. *Virg.* 1. *Æn.* 487. Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros. Sic *Id.* 2. *ibid.* 272. Hector raptatus bigis. *Ovid.* 12. *Met.* 223. Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis. *Stat.* 9. *Theb.* 160. ipse manu Tyria tibi captus Adrastus

Raptatur. *et ibid.* 303. nunc tela natantia raptans Ingerit. *Lucret.* 1. 278. *de ventis.* mare, terras, nubila cæli Verrunt ac subito vexantia turbine raptant. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 5. Quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa verberas? ¶ 2. Speciatim est raptim ducere, raptim ferre. *Auct. B. Afr.* 73. Ut legiones non uno in loco contineret, sed per causam frumentandi, huc atque illuc raptaret. *Val. Flacc.* 2. 575. Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, ostia Ponti Raptat iter: mox hinc vestras revehemur ad oras. *h. e.* necessario ducit. *Id.* 6. 747. Ille super socias clementi turbine gentes Erigitur paullumque levi raptatus in æthra, Jam tandem extremas pugnæ defertur in oras. *portato, sollevato. Sil. It.* 16. 30. Adventabat (*Hannon*), agens crepitantibus agmina cetris Barbara, et indigenas serus raptabat Iliberos. *Id.* 8. 404. Tullius æratas raptabat in agmina turmas. Sic *Id.* 3. 406. Talia Sidonius per campos agmina ductor Pulvere nigrantes raptat. *Id.* 9. 573. moderantem cuspide Lucas Maurum in bello boves stimulis majoribus ire Ac raptare jubet Libycarum armenta ferarum. — Sequente Infinito. *Nemesian.* 3. *Ecl.* 56. raptantur amantes Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas. ¶ 3. Item speciatim *raptare* est vastare, *saccheggiare, dar il guasto. Tac.* 4. *Ann.* 23. Adhuc raptabat Africam Tacfarinas. *Id.* 12. *ibid.* 54. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos. *Stat.* 6. *Theb.* 114. Ut quum possessas avidis victoribus arces Dux raptare dedit, vix signa audita, nec urbem Invenias: ducunt sternuntque abiguntque feruntque Immodici, minor ille fragor, quo bella geruntur. Cf. *Sil. It.* 9. 10. Sparsi ad pabula campis Vicinis raptanda. *a foraggiare.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est accusare. *h. e.* in jus rapere. *Propert.* 3. 9. 27. Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina (al. *crimine*) Divos? *h. e.* quasi in jus rapiam, incusem, reos faciam. *Auct. argum.* 2. *Amphitr. Plaut.* 6. Turbas uxori ciet Amphitruo atque invicem raptant pro mœchis. *h. e.* conviciantur, accusant. — Aliter *Sil. It.* 7. 74. At Patres Latiasque nurus raptabat ad aras Cura Deûm. ¶ 2. Speciatim est vehementer agitare. *Plaut. Cist.* 2. 1. 8. Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, lactat. *Val. Flacc.* 1. 798. sacer effera raptat Corda pavor. *h. e.* percellit, agitat, turbat. — Cum Infinito. *Sil. It.* 13. 719. Appellare viros erat ardor et addere verba: Sed raptabat amor priscos cognoscere manes.

RAPTOR, ōris, m. 3. (rapio) qui palam rapit et furatur, ἁρπακτήρ, *rapitore, rattore, rubatore.*
I.) Proprie. — *a)* Generatim. — Cum Genitivo. *Plaut. Epid.* 2. 2. 115. Magnus miles, raptor hostium. *h. e.* qui hostes vivos capit et abducit. *Id. Trin.* 2. 1. 23. Raptores panis et peni. Huc pertinet et illud *Augustin.* 21. *Civ. D.* 4. *a med.* Magnes raptor ferri. *h. e.* ferrum ad se trahens. — Absolute. *Propert.* 4. 9. 9. Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro. *Lucan.* 3. 124. nullasque feres, nisi sanguine sacro Sparsas, raptor, opes. *Tac.* 2. *Hist.* 86. Discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. *Martial.* 8. 26. Raptor Gangeticus. *h. e.* venator, qui tigridum catulos matribus absentibus rapit. (V. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 25., (66). *Val. Flacc.* 1. a. v. 489., *Stat.* 4. *Theb.* 316. et *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 263.) *Phædr.* 1. 31. Columbæ sæpe quum fugissent milvum, Consilium raptor vertit ad fallaciam. — Adjective. *Virg.* 2. *Æn.* 355. Inde lupi ceu Raptores, atra in nebula, etc. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 540. 9. et *Colum.* 7. *R. R.* 12. — *b)* Speciatim de eo, qui ad stuprum aliquam rapit. *Tac.* 1. *Ann.* 58. Raptor filiæ meæ, violator fœderis vestri Arminius. *Seneca Hippol.* 627. Raptor thalami mei. *h. e.* uxoris. Adde *Horat.* 4. *Od.* 6. 2.; *Propert.* 3. 21. 4.; *Ovid.* 1. *Art. am.* 680.; *Martial.* 12. 52.; *Justin.*; *Lucan.* etc. Hinc raptor stupri *Senecæ Hippol.* 726. est, qui per vim stuprum intulit, vel inferre tentavit.

II.) Translate. *Ovid.* 8. *Met.* 438. Discite raptores alieni, dixit, honoris, Facta minis quantum distent. *Vellej.* 2. 27. 2. Raptores Italicæ libertatis. *Val. Max.* 5. 3. *n.* 2. Raptor spiritus. *omicida.*

RAPTŌRĬUS, a, um, adject. ad rapiendum seu trahendum aptus, ut Raptorium machinamentum, *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *ad fin.* Cf. *eumd.* 5. *ibid.* 11.

RAPTRIX, icis, f. 3. *rapitrice,* quæ rapit. *Hieronym.* in *Chron. ad ann.* DCLX. ab *Abraam.* Frustra igitur Jovis fabula et raptrix aquila fingitur. *h. e.* Juppiter sub aquilæ specie rapiens Ganymedem. *Priscian.* super XII. *vers. Æn. lib.* 10. *p.* 1272. *Putsch.* In *tor* desinentia mutant *tor* in *trix,* amator amatrix, dator datrix, raptor raptrix, fartor fartrix.

RAPTUM, i, n. 2. *V.* RAPIO in fin.

RAPTŪRA, æ, f. 1. idem ac raptus vel raptio. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (83) *de araneo.* Quum vero raptura incidit, quam vigilans et paratus ad cursum! Alii leg. *captura,* et quidem rectius. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. Uti senapismo, cucurbitis rapidis, forti raptura motis, fricationibus, dropace et his similibus. *Sed verba* forti raptura motis *scholium esse videntur.*

RAPTUS, a, um. *V.* RAPIO.

RAPTUS, us, m. 4. actus rapiendi, ἁρπαγή. ¶ 1. Generatim est actus rapiendi et per vim trahendi. *Ovid.* 3. *Met.* 721. dextramque precanti Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu. Non habet infelix quæ matri brachia tendat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225) *de abiete.* Ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens, ad incitatos runcinarum raptus. *ad ogni presta piallata:* quoties runcinæ vi tractæ ligni aliquid rapiunt auferuntque. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *ante med.* Lenibus cucurbitarum raptibus utemur, quos Græci abusive κούφας vocant. *ventose o coppette strascinate.* ¶ 2. Speciatim de raptione, quæ amoris causa fit, *rapimento.* — *a)* Cum Genitivo. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Locus ut ipse raptum illum virginis declarare videatur. Adde *Ovid.* 4. *Fast.* 417.; et *Sueton. Ner.* 46. Similiter *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 71. Quis de Ganymedi raptu dubitat? — *b)* Absolute. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 12. It Venus et raptus metitur corde futuros. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 1.; et cf. *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 3. 3. 2. ¶ 3. Item speciatim est furtum palam factum, rapina, *rubamento, rapina, ladroneccio, ruberia. Tac. Germ.* 35. Nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. *Id.* 1. *Hist.* 46. Per latrocinia et raptus militare otium redimebant. *Id.* 2. *Ann.* 52. Vagos et latrociniis suetos ad prædam et raptus congregare. *Lucan.* 7. 236. Movere signa ad raptus segetum. *a foraggiare.* ¶ 4. *Raptus caninus* apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 7. videtur esse morbus, quem nostrates *il tic doloroso* vocant. *V. Harles* in *Notit. litter. Rom. p.* 514.

RĀPŬLUM, i, n. 2. deminut. a rapo, *picciola rapa,* γογγυλίδιον, parvum rapum. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 43. quum rapula plenus Atque acidas mavult inulas. *et ibid.* 8. 7. acria circum Rapula, lactucæ, radices.

RĀPUM, i, n. 2. *et raro* Rapa, æ, f. 1. ¶ 1. Rapum, *rapa,* γογγύλη, genus oleris noti, ex genere eorum, quæ cartilagine constant. — *a)* In neutro gen. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 22. Ab his leguminibus ratio est habenda naporum raporumque, nam utraque rusticos implent. Magis tamen utilia rapa sunt, quia et majore incremento proveniunt etc. *Plin.* multa de his 18. *Hist. nat. c.* 13. et 19. *ibid. c.* 5. De eorum ratione et cultura *Colum. loc. cit.* et 11. *ibid.* 3. *ad fin.* De condiendi ratione *Id.* 12. *ibid.* 54. et *Pallad.* 13. *R. R.* 5. *Martial.* 13. 16. Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa Quæ damus, in cælo Romulus esse solet. *Sueton. Vesp.* 4. Sortitus Africam, integerrime, nec sine magna dignatione administravit: nisi quod Adrumeti, seditione quadam, rapa in eum jacta sunt. *scil.* contumeliæ causa, quemadmodum contra honoris causa flores, corollæ, bellaria spargi in aliquem mos fuit. — *b)* In femin. gen. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 16. Rapæ napique semina obrues. *Scribon. Compos.* 176. et 177. Rapæ seminis pondo tria. ¶ 2. Est etiam tuber illud, quod in imo arboris caudice esse solet, ex quo radices exeunt. *Seneca Ep.* 86. § 16. Magnarum arborum truncos, circumcisis ramis et ad unum redactis pedem, cum rapo suo transtulit, amputatis radicibus, relicto tantum capite ipso, ex quo illæ pependerant. *V.* GRANDISCAPIUS.

RĀPUNCŬLUS, i, m. 2. idem ac rapulum. *Gloss. Lat. Gr.* Rapulum, rapunculus, γογγυλίς.

RĀRĒ, adverb. (rarus). Comp. *Rarius* et Sup. *Rarissime V.* in RARO. — Rare ¶ 1. Est non dense, non spisse, *chiaro, rado,* ἀραιῶς. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 6. Nisi rare conseritur, vanam et minutam spicam facit. ¶ 2. Item minus sæpe, insolenter, *rade volte,* σπανίως. *Plaut. Rud.* 4. 3. 56. Hic piscis rare capitur: nullus minus sæpe ad terram venit. *Raro* hoc sensu usitatius est. *Varro* apud *Gell.* 2. 25. A probus probe, a doctus docte: sed a rarus non dicitur rare, sed alii raro dicunt, alii rarenter. *Charis.* tamen 2. *p.* 193. *Putsch.* et *Catonem* et *Ciceronem* dixisse *rare* scribit. Eum penes sit fides: neque enim aut verba recitat, aut loca designat.

RĀRĒFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (rarus *et* facio). Part. *Rarefactus* sub *b;* Pass. *Rarefio* sub *c.* — *a)* Rarefacio, *radificare, diradare,* ἀραιόω, rarum facio: cui *denso* contrarium est. *Lucret.* 6. 869. Inde ubi sol radiis terram dimovit obortus Et rarefecit calido gliscente vapore. *Id. ibid.* 233. Conlaxat, rarequ[e] facit lateramina vasis. *Tmesis.* — *b)* Hinc *Rarefactus* Particip., *diradato, rarefatto,* ἀραιωθείς, rarus factus, laxatus. *Lucret.* 3. 441. corpus conquassatum ex aliqua re Ac rarefactum detracto sanguine venis. *Id.* 2. 1139. Jure igitur pereunt, quum rarefacta fluendo Sunt. — *c)* *Rarefio,* fis, factus sum, fieri, n. pass. anom. *diradarsi, rarefarsi,* ἀραιοῦμαι, rarus fio, raresco. *Lucret.* 1. 647. prodesset enim calidum denserier ignem, Nec rarefieri, si etc.

RĀRĒFACTUS, a, um, particip. *et*

RĀRĒFĪO, fis, factus sum, fieri, n. pass. anom. *V.* RAREFACIO.

RĀRENTER, adverb. *di rado, rare volte,* σπανίως, minus sæpe, raro. *Cato R. R.* 103. Dato rarenter bibere commixtam cum aqua amurcam. *Ennius* apud *Non.* 11. 52. Rarenter gemitum trahere. *Fabius Pict.* apud *Gell.* 10. 15. Rarenter flamen Dialis creatus consul est. Ipse *Gell.* 17. 8. Cur oleum sæpe et facile stet, vina rarenter congelascant. Etiam *Cicero* adhibuit, teste *Statilio Max.* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Adde *Cæcil., Næv., Pompon., Liv. Andr.* apud *Non.* 2. 732. et 11. 52. et *Apul. Florid. n.* 9. *sub fin.*

RĀRESCO, rescis, rescere, n. 3. inchoat. a *rarus.* Part. *Rarescens* 1. — Raresco ¶ 1. Est idem ac rarus fieri incipio, rarefio, *cominciare a diradarsi, rarefarsi,* ἀραιοῦμαι. — *a)* Generatim. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 186. quum rarescunt nubila ventis Aut dissolvuntur solis super icta calore. *et ibid.* 841. rarescit terra calore. Adde *Lucret.* 6. 513. et 841. *Colum.* 3. *R. R.* 16. 3. Interitu seminum cetera, quæ virent, rarescunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (231). Quadrupedibus in senectute pili crassescunt lanæque rarescunt. *Val. Flacc.* 6. 616. inque omnes pariter furit, ac modo sævo Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnæ. *h. e.* pugnantes fiunt rariores multis cadentibus. *Stat.* 4. *Theb.* 284. rarescunt alta colonis Mænala. Sic *Id.* 4. *Silv.* 4. 14. Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ. *Sil. It.* 17. 423. Rarescit multo laxatus vulnere miles Atque aperit patulas prostrato corpore late Inter tela vias. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 330. Erebi se sponte relaxat Squalor et æternam patitur rarescere noctem. *Stat.* 11. *Theb.* 73. profundæ Rarescunt tenebræ. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 407. Noctis et extremæ fuga rarescentibus astris. — *b)* Speciatim est dilatari, aperiri. *Virg.* 3. *Æn.* 410. ubi digressum Siculæ te admoverit oræ Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori. Ubi *Servius:* Quia venientibus de Ionio ad Calabriam, propter curvaturam litorum clausæ videntur angustiæ, quæ paullatim propinquantibus aperiri videntur. *Tac. Germ.* 30. Durant siquidem colles

paullatimque rarescunt. — c) Item rarius fieri, minui. *Propert.* 3. 13. 33. Litore sic tacito sonitus rarescit arenæ. ¶ 2. Rarescere est etiam idem ac minus sæpe fieri. *Ammian.* 22. 15. 25. Ibis - efficit, ut rarescant mortiferæ pestes absumptæ. Cf. *eumd.* 26. 3. 1. Id primum opera curabat enixa, ut veneficos, qui tum rarescebant, captos morte multaret.

RĀRĬFĬCUS, a, um, adject. qui rarum facit. *V.* ARIFICUS.

RĀRĬPĬLUS, a, um, adject. *di raro pelo*, ψεδνός, ἀραιόθριξ, raros pilos habens. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 26. Caprinum pecus aliter curatur mutilum et raripilum, aliter cornutum et setosum.

RĀRĬTAS, ātis, f. 3. *radezza, rarità*, ἀραιότης, *μανότης*, qualitas densitati contraria, laxitas.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 136. In pulmonibus inest raritas quædam et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima. *Vitruv.* 2. 5. a *med. de calce.* Liquor, qui est in ejus lapidis corpore, humore penetrante in foraminum raritates, confervescit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (169). *de asinis.* Nec pontes transeunt, per raritatem eorum translucentibus fluviis. *Id.* 28. *ibid.* 11. 46. (163). Raritatem superciliorum emendare. *Quintil.* 11. 3. 55. Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent.

II.) Figurate est paucitas, infrequentia, *pochezza, rarità, scarsezza*, σπανιότης. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (80). Modo multitudo (*stellarum*) conferta inest, modo raritas, ut fugisse miremur. *Sueton. Aug.* 82. Tantam infirmitatem magna cura tuebatur: in primis levandi raritate. *Id. ibid.* 43. Custodes in Urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. Quum pulsus densitas et humilitas in amplitudinem atque raritatem venerit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 13. 11. (58). Raritas exemplorum. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (43). Quinque, nec plures arbores, non raritate magis, quam suavitate mirabiles. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 247. Temporis ratio et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra. *Quintil.* 9. 3. 27. Raritas figurarum. *Lamprid. Elagab.* 29. Ita ut sericam vestem donaret, quæ tunc et in raritate videbatur et in honore. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (154). Alexandro equi magna raritas contigit: Bucephalon eum vocarunt. *Gell.* 3. 16. Antiquos Romanos Varro dicit non recepisse hujuscemodi quasi monstruosas raritates. *casi rari e strani.* Adde *Cels.* 7. 14.

RĀRĬTER, adverb. idem ac rare. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 11. 206. Quidquid fit rariter, magis delectat.

RĀRĬTŪDO, ĭnis, f. 3. raritas. *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* Rete dictum a raritudine. *Colum. Arbor.* 8. *ad fin.* Mediocri raritudine optima est vitibus terra.

RĀRŌ, adverb. (rarus). Comp. *Rarius* 1. et 2.; Sup. *Rarissime* 2. — Raro ¶ 1. Ratione habita densitatis, est non dense, non spisse. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 12. Tenui vimine rarius contextus saccus. *Id.* 2. *ibid.* 9. 2. Prima sementis rarius severe permittit, novissima spissius postulat. ¶ 2. Ratione habita temporis, est minus sæpe, insolenter, non frequenter, rare, rarenter, *rare volte, di rado*, σπανίως. *Plaut. Bacch.* 4. 10. 6. Potavi, edi, donavi, et id raro. *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 69. Vinum ægrotis, quia prodest raro, nocet sæpissime, melius est non adhibere omnino. *Id.* 1. *Invent.* 28. 43. Evenire vulgo soleat, an insolenter ac raro. *Id.* 1. *Fam.* 7. Quod si rarius fiet, quam tu exspectabis etc. *Id.* 1. *Off.* 38 136. Ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus, nec unquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 17. Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis. *Id.* 3. *Od.* 2. 31. Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Pœna claudo. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 7. Sed istud rarissime accidit. *Sueton. Claud.* 3. Non affari aviam nisi rarissime. *Id. Tib.* 47. Spectaculis rarissime interfuit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 47. 107. (257). Aves, quæ rarissime apparent. *Id.* 2. *ibid.* 50. 51. (135). Raro admodum. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (55). Perquam raro. *Id.* 22. *ibid.* 22. 46. (93). Raro unquam. — Sic est aliquando, interdum, *qualche volta. Cic.* 3. *Orat.* 38. 153. Inusitata sunt prisca fere ac vetusta et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa; quæ sunt poetarum licentia liberiora, quam nostra: sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. *V.* RARUS II. 1. *a.* in fin.

RĀRO, as, are, n. 1. rarefacio. *Gloss. Lat. Gr.* Raro, as, μανόω.

RĀRUS, a, um, adject. Comp. *Rarior* I. et II. 1. *b.* et 3.; Sup. *Rarissimus* I. at II. 2. *a.* et 3. — Rarus (quod volunt esse ab ἀραιός per aphæresin) est qui non est densus aut spissus, ἀραιός, μανός (It. *raro, non denso o spesso*; Fr. *qui n'est pas dru, peu serré, peu épais, peu dense*; Hisp. *no espeso, poco juncto, poco cerrado, poco denso*; Germ. *dünn, locker, nicht dicht, weit, licht*; Angl. *rare, thin, not close or thick, not dense, light, subtile, scanty*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 654. ne dum variantia rerum Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse. *et ibid.* 656. Denseri poterunt ignes rarique relinqui. *Virg.* 2. *G.* 227. Rara (*terra*) sit, an supra morem sit densa, requiras. - Densa, magis Cereri (*favet*), rarissima quæque Lyæo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (60). Baccæ expanduntur raræ, ne calefiant acervo. *Horat. Epod.* 2. 33.; et *Virg.* 4. *Æn.* 131. Retia rara. *Lucret.* 4. 622. raræ plexa foramina linguæ. *Id.* 1. 743. Res molles et raræ. *Id.* 6. 1022. Rarior aer. *Ovid.* 12. *Met.* 437. liquor rari sub pondere cribri Manat. *Id.* 1. *Amor.* 5. 13. Rara tunica. *trasparente. Quintil.* 9. 4. 17. Textum tenue atque rarum. *Id.* 11. 3. 103. Cava et rara manus. *h. e.* digitis diductis.

II.) Translate. ¶ 1. Rarus præcipue usurpatur de rebus et hominibus, qui dispersi sunt et dispalati. — *a*) Generatim. *Cic.* 6. *de republ.* 19. Vides habitari in terra raris et angustis locis, et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas. *Auct. B. G.* 8. 10. Quum raris disjectisque ex ædificiis pabulum conquireretur. *Virg.* 1. *Æn.* 122. Apparent rari nantes in gurgite vasto. *Id.* 5. *Ecl.* 6. aspice ut antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 111. Alba et rara coma. *Sueton. Cal.* 50. Fuit capillo raro ac circa verticem nullo. *Nepos Miltiad.* 5. Raræ arbores. — Hinc *rarus* pro aliquis, ut *raro* pro aliquando, *qualche. Horat.* 4. *Od.* 1. 33. Sed cur, heu! Ligurine, cur Manat rara meas lacrima per genas? — *b*) Speciatim in re militari. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Ut numquam conferti, sed rari magnisque intervallis prœliarentur. Sic *Liv.* 23. 27. Rari in confertos illati. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 44. Rari dispersique pugnabant. *Id.* 7. *B. G.* 45. *a med.* Raros milites ex majoribus castris, ne ex oppido animadverterentur, in minora transducit. *Tac.* 3. *Hist.* 25. Rariore jam Vitellianorum acie, ut quos, nullo rectore, suus quemque impetus vel pavor contraheret, diduceretur. *Virg.* 9. *Æn.* 508. Qua rara est acies interlucetque corona Non tam spissa viris. ¶ 2. Sæpe est paucus, infrequens, σπανός. — *a*) Generatim. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. *extr.* Summaque erat vasto atque aperto mari, magnis æstibus, raris ac prope nullis portibus difficultas navigandi. *Cic. Amic.* 18. 64. Qui utraque in re stabilem se in amicitia præstiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus. *et ibid.* 21. 79. Omnia præclara rara. *Id.* 2. *Fin.* 25. 81. Vel in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est. *Horat.* 1. *Od.* 2. 24. Rara juventus. *Tac. Agric.* '.. *extr.* Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. *Sall. in orat. Macri Licin. ad pleb. ante med.* Raris animus est ad ea, quæ placent, defendenda. *pochi sono che abbiano voglia di difendere* etc. *Tac.* 1. *Hist.* 81. Rari domos, plurimi amicorum tecta petivere. *Id. Germ.* 2. Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. *Quintil.* 8. 6. 30. Etiamsi rarus ejus rei, nonnullus tamen usus. *Plin.* ... Sed in principe rarum ac prope insolitum. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 121. *ad Musam.* Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti Nomen. *Petron. Satyr.* 3. Quoniam sermonem habes non publici saporis, et, quod rarissimum est, amas bonam mentem. *Grat. Cyneg.* 88. Rarum, si qua metus eludat bellua falsos. *Quintil.* 10. 7. 24. Rarum est enim, ut satis se quisquam vereatur. *di rado avviene, che* etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 39. (104). Rarum dictu, esse aliquid, cui prosit negligentia. — *b*) Speciatim *rarus* pro *raro*, apud Poetas. *Ovid.* 11. *Met.* 766. Iliacos cœtus nisi rarus adibat. *Quintil.* 6. 2. 3. Rarus fuit, qui etc. *Id.* 12. *prœm.* 3. Rarus reperiebatur, qui etc. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 61. (217). Calculus rarus inventu. *Id.* 21. *ibid.* 16. 56. (96). Helxine rara visu est, nec in omnibus terris. *Id.* 8. *ibid.* 16. 18. (46). Leones rari in potu. *h. e.* qui raro bibunt. *et* 33. *ibid.* 7. 38. (115). Homerus circa picturas et pigmenta rarus. *h. e.* qui picturæ et colorum raro meminit. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Cæsar rarus egressu, domoque aut hortis clausus. — Cum Accus. et præpos. *ad. Capitolin. Maxim. et Balb.* 6. Fuit cibi avidus, vini parcissimus, ad rem veneream nimis rarus. ¶ 3. Metaleptice est præstans, eximius, præclarus. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 55. indignum, juvenis rarissime, ducis, Te fieri comitem stantis in orbe Deæ. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 11. laudati juvenis rarissima conjux. *Propert.* 1. 17. 16. Quamvis dura, tamen rara puella fuit. *Ovid.* 14. *Met.* 337. *de Canente nympha.* Rara quidem facie, sed rarior arte canendi. *Seneca* 4. *Controv.* 28. *ad fin.* Homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi, ingenii. *Non.* 4. 388. huc trahit illud *Virg.* 4. *G.* 130. Hic rarum tamen in dumis olus, etc.

RĀSĀMEN, ĭnis, n. 3. (rado) rasura. *Marcell. Empir.* 1. *a med.* *V.* MAGIS, idis.

RĀSĀMENTUM, i, n. 2. idem ac rasamen, rasura. *Gloss. Lat. Gr.* Rasamentum, ῥίνημα.

RĀSĬLIS, e, adject. — *a*) Est It. *che si può radere e pulire*, qui radi, levigari et poli potest. *Virg.* 2. *G.* 449. Nec tiliæ leves, nec torno rasile buxum Non formam accipiunt ferroque cavantur acuto. — *b*) Item rasus, politus, levigatus, dolatus, *spianato, pulito, liscio*, ξεστός. *Catull.* 61. 168. Rasilemque subi forem. *Sil. It.* 4. 176. rasilis hasta. — *c*) *Rasilis palmes* qui dicatur a rusticis, *V.* in DRACO. Hunc nostrates vulgo *rásolo* vocant. — *d*) *Rasiles scopuli* apud *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 69. sunt nullis arboribus consiti aut herbis vestiti, atque adeo horridi. *rupi spelate.* — *e*) *Rasilis* est etiam idem ac interrasilis, *lavorato a straforo. Ovid.* 8. *Met.* 318.; et *Stat.* 7. *Theb.* 658. Rasilis fibula. *Ovid. Heroid.* 9. 76. Rasiles calathi. *Vellej.* 2. 56. 2. Triumphus Hispaniensis argento rasili constitit.

RĀSĬO, ōnis, f. 3. (rado) rasura, *raschiatura. Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *a med.* Non enim initio rasio capitis est adhibenda. *Id.* 4. *ibid.* 7. *a med.* Item rubor faciendus ventris in partibus, atque inter scapulas et clunes ex dropace vel arena litoris sole ignita; item strigilis rasio adhibenda corporibus et sicca defricatio ex asperis pannis.

RĀSIS, is, f. 3. *rajia*, nunc vulgo apud nostrates *rasa*, genus crudæ picis, quæ ex vetustate dura effecta contunditur, et in pulverem redacta vino admiscetur. Ita fere *Colum.* 12. *R. R.* 20. 6. Eadem videtur esse, quæ ab *eod. ibid.* 23. 1. dicitur *pix corticata*; et a *Plin.* 16. *Hist. nat.* .1. 22. (53). resina.

RĀSĬTO, as, āvi, are, a. 1. frequentat. a *rado*: *radere spesso*, ξυράω, sæpe rado. *Sueton. Oth.* 12. Faciem quotidie rasitare consuetus. *Gell.* 3. 4. Comperimus, nobiles viros barbam in ejusmodi ætate rasitavisse.

RĀSOR, ōris, m. 3. ξυστήρ. Rasores, inquit *Paul. Diac. p.* 275. 2. *Müll.*, dicti sunt fidicines, quia videntur chordas ictu radere. Cf. *Festus p.* 274. 13. *Müll.* — Ceterum proprie pro tonsore *Gloss. Lat. Gr.* Rasores, κουρεῖς.

RĀSŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

RĀSŌRĬUS, a, um, adject. ad radendum vel

tondendum aliquid pertinens. *Gloss. Lat. Gr.* Rasorius, ξουρικός. — Hinc

Rasorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est ferramentum rasorium. *Gloss. Cyrill.* Ξυστήρ, ralla, rallum, rallus, rasorium. *Gloss. Isid.* Rallum, rasorium.

RASTA, æ, f. 1. mensura veterum Germanorum itineraria, quæ, ut probat *Cellar.* in *Geogr. ant. l.* 1. c. 12. § 17., tribus milliariis constabat. *Hieronym.* in *Joel.* 3. 18. Nec mirum, si unaquæque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus; quum et Latini mille passus vocent, et Galli leucas, et Persæ parasangas, et rastas universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. *Auct. rei agrar. p.* 322. *Goes.* Duæ leucæ sive milliarii tres apud Germanos unam rastam efficiunt.

RASTELLUS, i, m. 2. ξύστρον, deminut. a *raster,* parvum rastrum, h. e. instrumentum rusticorum dentatum, e ferro aut ligno ad terram leviter effodiendam, glœbas confringendas et complanandas, festucas post fœnisiciam colligendas. *Sueton. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus, primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit. *sarchiello, zappetta, marra. Colum.* 2. *R. R.* 13. 6. Medica obruitur non aratro, sed, ut dixi, ligneis rastellis. (dixerat *ibid.* 11. 27. Ligneis rastris statim jacta semina obruantur.) *Varro* 1. *R. R.* 49. 1. De pratis stipulam rastellis eradi atque addere fœnisiciæ cumulum. *rastrelli, rastrellini.* et 5. *L. L.* 136. *Müll.* Rastelli, ut irpices, serræ leves; itaque homo in pratis per fœnisecia eo festucas corradit; quo ab rasu rastelli dicti.

RASTER, stri, m. 2. *V.* RASTRUM.

RASTRĀRĬUS, a, um, adject. qui ruri degit et agrum rastro colit. *Hypobolimæa rastraria* est titulus comœdiæ *Cæcilii,* cujus meminit *Non. p.* 16. 19., *p.* 40. 4., *p.* 147. 7. *Merc.* et alibi.

RASTRIX, icis, f. 3. quæ radit. *Non. p.* 150. 27. *Merc.* Possestrix a possidendo. Afranius Liberto: Tui monilis possestricem. Ita tonstrix, ita impultrix, ita curatrix (*Lindemann.* legendum putat *rastrix*), ita plaustrix, ita assestrix.

RASTRUM, i, n. *et in plur. num. sæpius* Rastri, ōrum, m. plur. 2. (quod a recto sing. *raster*) est instrumentum rusticum dentatum, ferreum plerumque, interdum ligneum: cujus usus ex subjectis apparet exemplis: a *rado, is,* δίκελλα, ξύστρον (It. *rastro, sarchiello, sarchio;* Fr. *bêche, hoyau, râteau;* Hisp. *pala de hierro, azada, rastro, rastrillo;* Germ. *d. Hacke mit mehreren Zacken, d. Karst, Ackergeräth;* Angl. *a rake, harrow, drag to break clods with; a weedinghook, mattock.* — *a*) Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Rastri, quibus dentatis penitus eradunt terram, atque eruunt. *Virg.* 1. *G.* 94. Multum adeo, rastris glœbas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (180). Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate vel rastro. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 4. Locus (*in quo medica sata est*) ligneis rastris sarriendus et identidem runcandus est. *Seneca* 2. *Ira* 25. Quum vidisset fodientem et altius rastrum allevantem. *Cels.* apud *Non. p.* 222. 8. *Merc.* Omnes rastra attollunt et adigunt. (*rastra* habet etiam *Stat.* 3. *Theb.* 589.) *Virg.* 1. *G.* 164. Tribulaque trabeæque et iniquo pondere rastri. (V. *Ter. Heaut.* 1. 1. 40.; et *Ovid.* 11. *Met.* 36.) et 7. *Æn.* 725. vertunt felicia Baccho Massica qui rastris. et 9. *ibid.* 608. Rastris terram domare. *Id.* 3. *G.* 534. rimari. *Martial.* 2. 75. renovare humum. *h. e.* arenam amphitheatri sanguine imbutam rastris vertere, ne pugnaturi laberentur. — Ex his patet, rastrorum usum eumdem fere esse, qui bidentis, sarculi, ligonis: nisi quod rastro plures dentes esse videntur: unde quadridentes rastros *Cato* memorat *R. R.* 10. *et* 11. Aliud quoque discrimen esse potest, quod in rastro ferrum in superiore parte nullum fortasse fuit, sed solum in inferiore idque divisum in dentes: si vera est figura, quam ex MS. libro Biblioth. Vat. exhibet *Nicolaus Fortiguerra* initio *Heautontim. Terent.* — *b*) Speciatim, quod Polyphemus dicitur apud *Ovid.* 13. *Met.* 765. rastris rigidos pectere capillos, non pectine: et hirsutam falce, non novacula, recidere barbam; pertinet ad significandam et feritatem hominis, et capillorum barbæque ejus hirsutiam. — *c*) Item specialim, *Ad rastros res redit,* proverbialis locutio. *Ter. Heaut.* 5. 1. 57. Nam si illis pergo suppeditare sumptibus, mihi illæc vere ad rastros res redit. *h. e.* eo redigar, ut ad vitam tolerandam necesse mihi sit agrum meis manibus fodere.

RĀSŪRA, æ, f. 1. radendi actio, *raschiatura, raditura,* ξέσις.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est, ut diximus, radendi actio. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 9. Calamus non amplius tribus digitis debet allevari, æqualiter ex ea parte, qua raditur: eaque rasura ita deducitur, ut medullam contingat. *Hieronym.* 5. *in Isaj.* 15. 2. Apud antiquos barbæ capitisque rasura luctus indicium fuit. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Tonsura vel rasura capitis, ut detractis capillis illinienda medicamina - aut cucurbitæ appositiones nullis obstantibus medeantur. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, est ipsum quod abraditur, scobs, ξέσμα. *Veget.* 1. *Veterin.* 10. Rasuras eboris bene tritas et cribratas miscebis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 8. *ad fin.*; *Theod. Priscian.* 1. 1. *p.* 291. ed. *Ald.* Sic *Marcell. Empir.* c. 8. *Sect.* 2. *p.* 93. *retro* ed. *Ald.* Postea rades concham ipsam, id est quod melle inlitum fuerat, et rasuram tundes in mortario etc.

II.) Translate. ¶ 1. *Rasura gulæ* dicitur labor faucium, quum verba plurimis consonantibus ac præsertim aspirationibus horrida pronunciamus, qualia sunt gentium septentrionalium et orientalium propria: Latina enim molliora habentur, quippe quæ multis constant vocalibus, quod præcipue nunc locum habet in Italo nostrorum temporum sermone. *Hieronym.* in *ep. Pauli ad Tit.* 2. 9. Judæi solent irridere nos imperitiæ, maxime in aspirationibus, et quibusdam, cum rasura gulæ, litteris proferendis. Hinc *Id. mox.* Ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum solutis labiis et obtorta lingua et stridente saliva et rasa fauce gaudentium. ¶ 2. Item vellicatio, quam *bruciore* vel *cociore* Itali vocant. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* Fluxus ventris ex sanguine adsellantibus seu rasuram cum putredine facientibus, ex vino austero cocto in myrto, per pessarium injicis, mirifice prodest.

RĀSUS, a, um. *V.* RADO.

RĀSUS, us, m. 4. radendi actus. In sexto casu sing. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Ab rasu rastelli dicti.

RĂTĀRĬÆ, ārum, f. plur. 1. referuntur a *Gell.* 10. 25. inter genera navium; et fortasse ita dicuntur, quod ratis formam habeant. — Apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 47. dicuntur *ratiariæ,* et definiuntur naviculæ cum remis: fortasse quia *rates* etiam remos significant. V. RATIS.

RĂTĒ, adverb. idem ac rato. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 34. *ante med.* Per quos rate se ferre hanc definitionem absentes profitebantur.

RĂTĬĀRĬÆ. *V.* RATARIÆ.

RĂTĬĀRĬUS, ii, m. 2. σχεδιαγός, qui rate negotiatur, ut navicularius, qui nave. *Paul. Dig.* 13. 7. 30. Qui ratiario crediderat, quum ad diem pecunia non solveretur, ratem in flumine sua auctoritate detinuit. *Inscript.* apud *Murat.* 67. 7. DEO SILVANO PRO SALVTE RATIARIORVM SVPERIORVM etc.

RĂTĬHĂBĬTĬO, ōnis, f. 3. *ratificazione, approvazione,* κύρωσις, actus ratum habendi. *Ulp. Dig.* 3. 5. 5. *a med.* Ratihabitio constituit negotium tuum, quod ab initio tuum non erat. *Id. ibid.* 46. 3. 12. *extr.* Rati enim habitio mandato comparatur. *per tmesim.*

RĂTĬO, ōnis, f. 3. (reor, ratus sum) est supputatio, calculus (It. *conto, conti;* Fr. *supputation, compte, calcul;* Hisp. *suputacion, computo, calculo, cuenta;* Germ. *das Berechnen, Abrechnen, die Rechnung;* Angl. *an account, reckoning, calculation*).

I.) Proprie. *Plaut. Men.* 1. 3. 23. Quatuor minæ periere plane, ut ratio redditur. *Id. Aulul.* 3. 5. 53. Itur, putatur ratio cum argentario. *Id. Trin.* 2. 4. 17. Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Rationes confectæ et consolidatæ. *Id. Cæcin.* 32. 94. Venit in istum fundum: rationes a colono accepit. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 399. 15. *Merc.* Inire et subducere rationes. *Horat. Art. P.* 325. longis rationibus assem In partes centum diducere. *con lungo conteggio.* et *Seneca Ep.* 87. Ponitis rationem singulorum, quibus pecuniam crediturі estis. *h. e.* rationem initis facultatum eorum, quibus etc. *fate i conti addosso. Ulp. Dig.* 47. 5. 1. Ponere rationem actus, quem servus administravit. *fare o dare i conti. Plaut. Most.* 1. 3. 146. Bene ratio accepti atque expensi inter nos convenit. *Colum.* 12. *R. R. præf.* 8. In commune conspirabatur ab utroque (*conjuge*), ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriæ rationem parem faceret. *pareggiasse le partite, i conti.* et *Cic.* 4. *Verr.* 11. (29). Non statuebas, tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? *dover rendere conto.* et *Id. opt. gen. Orat.* 7. (19). Rationes referre. *presentare, esibire i conti.* et eod. sensu 5. *Att.* 13. Edere rationem. *et ibid.* 21. *a med.* Rationes conferre. *Id. Cluent.* 37. 104. Rationem ab aliquo repetere. *dimandar conto.* et *Modestin. Dig.* 34. 3. 20. *a med.* petere alicujus rei. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 6. Conditum frumentum cum fide rationibus inferre. *dare in nota, deporre ne' conti. Cæs.* 3. *B. C.* 53. Quum horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numero cecidisse reperiebamus. *facendosi il conto.* et *Cic.* 7. *Verr.* 28. (71). Rationem numerumque habere piratarum, qui etc. *Sueton. Galb.* 12. Breviarium rationum. *Ulp. Dig.* 40. 12. 34. Nisi prius administrationum rationes reddiderit, quas, quum in servitute esset, egisset. *Scæv. Dig.* 40. 7. 40. § 3. Servus meus actor, si rationem omnem actus sui heredi meo reddiderit, liber esto eique, quum liber erit, dari volo viginti et peculium suum. — *Servus a rationibus,* qui domini rationes conficit, *computista.* Fuit inter officia domus Augustæ et privatæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 415. 10., 513. 1. et 588. 2. 3. *et* 4. Sic alia apud *Murat.* 921. 10. IVLIVS CÆS. VERNA A RATION. VOLVPTAT. Sic apud *Don. cl.* 7. *n.* 186. C. STERTINIO ABASCANTO C. LIB. A RATIONE.

II.) Translate ad tria præcipue refertur, a quibus deinde alia multa orta sunt atque usu venerunt, scilicet

A) Ratio ad ea omnia transfertur, quæ ad supputationem quomodocumque pertinent. ¶ 1. Ratio dicitur liber, in quo ratio vel quid simile putatur. *il registro. Cic.* 7. *Verr.* 57. 157. Cedo rationem carceris, quæ diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. ¶ 2. Item est magnitudo, quantitas, numerus. *Cic.* 6. *Att.* 3. *circa med.* Pro ratione pecuniæ liberalius est Brutus tractatus, quam Pompejus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 11. ST. Quid, quod ego fraudavi? LE. Hem istæc ratio maxuma 'st. *questo è il conto più grosso. Id. Truc.* 1. 1. 49. Ea nimia est ratio. *h. e.* vis, numerus. Similiter *Ammian.* 26. 1. *med.* Leo sub magistro equitum numerorum militarium rationes tractans. ¶ 3. Item res, negotium, factum, commercium, societas. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 70. (172). Carpinatius, qui jam cum isto summa consuetudine, præterea re ac ratione conjunctus esset. *Plaut. Amph. prol.* 4. Ut res rationesque vestrorum omnium bene expedire vultis. *Cic.* 4. *Verr.* 77. (188). Hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque post decessionem quidquam cum Carpinatio rationis habuisse. *Id. Quinct.* 4. 15. Annum fere una sunt, quum et de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione atque re Gallicana. *Id. Prov. cons.* 4. 19. At hi non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed et propter rationem Gallici belli provinciam extra ordinem decernebant. et *ibid.* 14. 35. Nec totam Gallici belli rationem, prope jam explicatam, perturbare atque impedire debemus. *Id.* 1. *Off.* 22. 76. Quamquam hæc

quidem res non solum ex domestica est ratione; attingit etiam bellicam etc. *Id.* 17. *Fam.* 6. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillime perspicies. *Id. Mur.* 17. 35. Quod enim fretum - tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos æstus habet ratio comitiorum? *Id.* ad *Cæs. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* De concordia civium agi velle arbitrabar, et ad eam rationem existimabam aptam esse et naturam et personam meam. *per questa faccenda. Id. Rosc. Com.* 14. (41). Quæ ratio tibi cum eo intercesserat? — *b*) Speciatim *meæ, tuæ rationes* etc. mea, tua utilitas, *il mio, il tuo interesse. Cic.* 1. *Fam.* 8. Ego quidem, ut debeo et ut tute mihi præcepisti, et ut me pietas utilitasque cogit, me ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adjungendum putasti. *Id. post red. ad Quir.* 1. 1. Ut, si meas rationes unquam vestræ saluti anteposuissem, sempiternam pœnam sustinerem. ¶ 4. Item supputatio in re morali aut intellectuali, *conto.* — *a*) Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 30. Census sum: juratori recte rationem dedi. *ho reso conto di me. Cæs.* 5. *B. G.* 30. Si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent. *ne domanderanno conto a te.* Sic *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 27. In eo, qui alterum accuset, oportet esse primum integritatem atque innocentiam singularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. *Id.* 3. *Nat. D.* 29. 71. Medea modo et Atreus commemorabantur a nobis, heroicæ personæ, inita subductaque ratione nefaria scelera meditantes. *Curt.* 5. 9. 5. Auspicium et imperium interim alii trade, qui tandem rex appelletur, donec Asia decedat hostis, victor deinde regnum tibi reddat. Hoc autem brevi futurum ratio promittit. *Cic.* 3. *Fam.* 6. *ad fin.* Et, ut habere rationem possis, quo loco me, salva lege Cornelia, convenias, ego in provinciam veni pridie Kalendas Sextiles; iter in Ciliciam facio per Cappadociam; castra movi ab Iconio pridie Kalendas Septembres. Nunc tu ex diebus et ex ratione itineris, si putabis me esse conveniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit et quo die. — *b*) Speciatim. *Ratio constat,* apparet, quid et qua in re expensum sit et quid acceptum. Translate, apparet ratio, in promptu est causa, cur quippiam factum sit. *Plin. Paneg.* 38. Augeo principis munus, quum ostendo, liberalitati ejus inesse rationem. Ambitio enim et jactantia et effusio et quidvis potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat. *Id.* 2. *Ep.* 4. *extr.* Liberalitas ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat; sed temperanda in aliis: in te vero facile ratio constabit, etiamsi modum excesseris. *Justin. præf.* § 5. Quod (*opusculum*) ad te transmisi, ut otii mei apud te ratio constaret. ¶ 5. *Cum Orco rationem habere* apud *Varron.* 1. *R. R.* 4. 3. est periculo mortis sese exponere, quod faciunt agricolæ, qui pestilentem agrum colunt. Verba *Varronis* sunt: Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita. *Colum.* in eamdem sententiam ita loquitur 1. *R. R.* 3. 2. Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed et vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem quæstu certiorem. Itaque *rationem cum Orco ponere* aut *habere* est subjici Orci dominio, et quasi debitorem se ei facere: qui scilicet crebris mortibus incolas ad calculos quodammodo vocet. ¶ 6. Cum verbis *habeo* et *duco* varios habet usus: ductâ plerumque metaphorâ a calculorum rationibus. *Cic.* 7. *Verr.* 39. (101). Quod posteaquam iste cognovit, hanc rationem habere cœpit. Causam sibi dicendam esse etc *Id.* 1. *ad Brut.* 5. *a med.* Existimo, omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. *potersi ammettere è computare tra i concorrenti.* et 2. *Legg.* 7. 15. Sit hoc persuasum civibus, Deos piorum et impiorum habere rationem. *Id. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. a med.* Duxi meam me-cum rationem, quam tibi facile me probaturum arbitrabar. *Id. Rosc. Am.* 44. 128. Non enim laborat de pecunia: non ullius rationem sui commodi ducit. *Id.* 4. *Verr.* 52. 129. Novus astrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret. *Id.* 2. *Orat.* 4. 17. Qui eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet. *non ha riguardo, non fa conto.* Sic 10. *Fam.* 2. *extr.* Peto a te, ut me rationem habere velis et salutis et dignitatis meæ. *Id. Cæl.* 20. 50. Cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe esse videatur? *abbia avuto qualche commercio.* et 4. *Phil.* 6. 14. Majoribus vestris cum eo hoste res erat, qui haberet rempublicam, ærarium, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis et fœderis. *facea caso o stima.* et 2. *Att.* 5. *ad fin.* Cum omnibus Musis rationem habere cogito. *trattare, conversare.* et 3. *Fam.* 5. Animadverti, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres. *mira, premura, riguardo di* etc. Sic sequente part. *ut, Id. Amic.* 24. 89. Et *Id.* 7. *Verr.* 14. 36. Nunc sum designatus ædilis, habeo rationem, quid a populo R. acceperim. *vado pensando, ho in considerazione.*

B) Ratio, si de rebus agitur, est genus, natura, conditio, qualitas etc.; si de hominibus, est via, modus, quem quis solet in agendo sequi. ¶ 1. Est genus, natura, conditio, qualitas. *Cic. Brut.* 75. 261. Splendida et minime veteratoria dicendi ratio. *Id.* 2. *Cat.* 5. (9). Ut ejus diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis. *Id.* 10. *Fam.*-3. Sed quum intelligerem, quid sentires, te arbitrabar videre, quid posses. Nunc alia ratio est. *Varro* 8. *L. L.* 57. *Müll.* Multa sunt, in quibus potius consuetudinem sequimur, quam rationem verborum. ¶ 2. Item sensus, sententia. *Cic.* 1. *Att.* 11. Duabus epistolis tuis perdiligenter in eamdem rationem scriptis. *su questo medesimo proposito.* et 3. *Verr.* 27. (69). Hæc quum omnes sentirent et quum in eam rationem pro suo quisque sensu loqueretur. ¶ 3. Item ordo, dispositio. *Cic.* 2. *Cat.* 6. (13). Quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. ¶ 4. Item habitudo, comparatio. *Cic. Brut.* 13. (49). Et Græciæ quidem oratorum partus atque fontes vides, ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentes. ¶ 5. Item via, modus, quem quis solet in agendo sequi. *Cic.* 6. *Att.* 1. Dissimilitudo meæ rationis offendit hominem. *della mia condotta, del mio modo di governare.* et 3, *Fam.* 8. *a med.* Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur. *Id.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 9. Incumbe toto animo in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuæ fidei populus R. commisit, diligas et omni ratione tueare. *Id.* 12. *Att.* 19. Ineunda nobis ratio est, quemadmodum etc. *Nepos Hann.* 10. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. *Lucret.* 6. 902. pari ratione. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 6. Mala ratione rem facere. *acquistare con male arti.* et *Cic. Quinct.* 17. (54). Dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam devenire. *partito, risoluzione. Id.* 4. *Verr.* 52. (129). Solis et lunæ ratio. *il corso ordinario.*

C) Ratio est mens, animus, consilium, intelligentia, judicium. ¶ 1. Ratio, Gr. νοῦς, λόγος, It. *ragione, lume o uso di ragione,* est mens, animus, consilium, intelligentia, judicium: princeps ac nobilissima animæ facultas, qua disserit seu unum ab alio deducit: a sup. *ratum* verbi *reor,* ut censet *Festus* p. 286. 30. *Müll.* videtur esse ejusdem cum *ratis* significationis, quatenus nexum significat. Una ratione homo a ceteris animantibus secernitur: quum sensiles facultates cum brutis communes habeat, naturales cum plantis. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 4. 11. et 12. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque præsentibus adjungit atque annectit futuras) facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitæ societatem. *Id. ibid.* 28. 101. Duplex est vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμή Græce, quæ hominem huc et illuc rapit: altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet. *Id.* 3. *Nat. D.* 27. 69. Haud scio, an melius fuerit, humano generi motum illum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, non dari. *Id. Senect.* 19. 67. Mens et ratio et consilium in senibus est. *Id.* 1. *Off.* 23. 79. Corpus ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, probibetque contraria. *Id.* 2. *Divinat.* 41. 85. Quibus in rebus (*ut in sortibus*) temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Seneca Ep.* 66. *a med.* Bonum sine ratione nullum est: sequitur autem ratio naturam. Quid est ergo ratio? naturæ imitatio. *Liv.* 28. 28. Atque ego (quamquam nullum scelus rationem habet) tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 2. Quis ignorat, rationem humani consilii vocabulum esse; fortunam deam dearumque præcipuam? templa, fana, delubra passim fortunæ dicata; rationi nec simulacrum, nec aram usquam consecratam? — *b*) Speciatim. *Ratio non est,* non est rationi consentaneum, imprudentis est, stulti est. *Cic.* 2. *Verr.* 9. (24). Minari denique divisoribus, ratio non erat. *Id. Cæcin.* 5. 15. Nullam esse rationem, amittere ejusmodi occasionem. *Colum.* 3. *R. R.* 5. 3. Tenuissimo solo vitiarium facere, minime rationis est. — *c*) *Ratione facere,* prudenter, recte, jure, bene facere. *Cic.* 12. *Att.* 44. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. *Id. Quinct.* 7. (27). Existima, modo et ratione omnia fecisse Nævium. ¶ 2. Ratio est etiam causa, *cagione, ragione, motivo. Cic.* 2. *Herenn.* 18. 28. Ratio est causa, quæ demonstrat verum esse id, quod intendimus, brevi subjectione. *Id.* 2. *Divinat.* 50. 104. Et quidem cur sic opinetur, rationem subjicit. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 1. (1). Si mei consilii causam rationemque cognoverit. *Id.* 2. *Divinat.* 20. (46). Te, quum res videres, rationem causamque non quærere. *Gell.* 15. 9. Missas auctoritates facias etc., sed rationem dic. *Cic. Cæcin.* 33. 96. Deinde nihil rationis affers, quamobrem, si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit. *Id.* 1. *Nat. D.* 27. 76. Non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis, humanas esse formas Deorum. Primum quod etc. Tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. *Id.* 1. *de republ.* 3. His rationibus tam certis tamque illustribus opponuntur ab his, qui contra disputant, primum labores etc. ¶ 3. Apud Rhetores *ratio* est, quæ causam facit, et continet defensionem, hoc modo: Orestes quum confiteatur se occidisse matrem nisi attulerit facti rationem, perverterit defensionem; ergo affert eam: illa enim, inquit, patrem meum occiderat. *Cic.* 1. *Herenn.* 16. 26. Similiter *Id.* 1. *Invent.* 13. 18. iisdem fere verbis. ¶ 4. Item est ordo, modus, *modo, metodo. Cic. Orat.* 33. (116). In omnibus, quæ ratione docentur et via, primum constituendum est, quid quidque sit. Sic *Id.* 1. *Fin.* 9. 29. Constituam, quid et quale sit id, de quo quærimus; ut ratione et via procedat oratio. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 266. quæ res Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque tractari non vult. ¶ 5. Item consilium, propositum, *disegno, intenzione, consiglio. Cic.* 2. *Verr.* 11. (34). Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias: mea, ut ante primos ludos comperendinem. Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium. *Cæs.* 1. *B. C.* 30. Itaque in præsentia Pompeji insequendi rationem omittit: in Hispaniam proficisci constituit. *Tac.* 3. *Ann.* 21. *a med.* Dum ea ratio Barbaro fuit, Romanum impune ludificabatur. ¶ 6. Item quæ-

stio, disputatio, tractatio. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 117. Continet enim totam quæstionem ea ratio, quæ est de natura Deorum, quæ a te secundo libro explicata dilucide. ¶ 7. Item scientia, facultas. *Cic. Arch.* 1. (1). Si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta etc. *Lucret.* 5. 1004. Improba navigii ratio tum cæca jacebat. *l'arte del navigare.* *Colum. R. R. præf.* 3. Rationis musicæ studiosi. ¶ 8. Item doctrina, disciplina. *Cic.* 3. *Off.* 4. 20. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi disciplinæque maxime consentanea. *sistema, principii.* et 1. *Acad. post.* 9. (34). Speusippus et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperant. *Id.* 3. *Fin.* 20. (68). Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, alii nullo modo. Adde *Lucret.* 1. 941. et 3. 14. ¶ 9. Item ratiocinatio, discursus, argumentatio ad verum investigandum, *raziocinio, discorso.* *Cic.* 2. *Orat.* 19. (80). Nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 225. Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. *Cic.* 2. *Divinat.* 10. (25). Concludatur igitur ratio: si enim provideri etc. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 38. 158. ¶ 10. Denique *ratio* metonymice est opus ratione, arte, ingenio factum. *Id.* 3. *Orat.* 50. 195. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quæ sunt in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant.

RĂTĬŌCĬNĀBĬLĬTER, adverb. rationaliter. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 11. *sub fin.* Ratiocinabiliter vereque signavi. *Alii leg.* rationabiliter.

RĂTĬŌCĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (ratiocinor). ¶ 1. Apud architectos ratiocinatio est, quæ res fabricatas solertia ac ratione proportionis demonstrare atque explicare potest. Ita describit *Vitruv.* 1. 1. ¶ 2. Ratiocinatio, It. *discorso, raziocinio,* λογισμός, est principis animæ partis, idest mentis functio, ex singularibus quibusdam universalia inducens communesque rerum summas, ex iisque deinde argumentatione plurima eliciens, de quibus scientia habetur vel opinio. *Cic.* 2. *Invent.* 5. 18. Ratiocinatio autem est diligens et considerata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio. ¶ 3. Accipitur etiam pro syllogismo. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 57. Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. *Capell.* 4. *p.* 126. Est ratiocinatio ex duobus pluribusve concessis ad id, quod non conceditur, necessaria perventio. — *Quintil.* 8. 4. 16. ex quatuor generibus, quibus ait constare amplificationem, unum ponit ratiocinationem, qua scilicet aliud ex alio colligitur, et ut aliud crescat, aliud augetur, et inde ad id, quod extolli volumus, ratione ducitur. Ex gr. objecturus Antonio Cicero merum et vomitum, Tu, inquit (2. *Phil.* 25. 63.) istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate etc. Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime sunt otiosa. Nam respicientes ad hæc possumus æstimare, quantum ille vini exhauserit, quod ferre et coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Hæc *Quintil.* ¶ 4. Ratiocinatio item Græce διαλογισμός, dialogismus, est figura sententiarum, quum quis secum aliquam rem volutans et tamquam cum altero colloquens interrogat et respondet, ut apud *Ter. Eun.* 1. 1. 1. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, quum arcessor ultro? an potius ita me comparem non perpeti meretricum contumelias? Exclusit, revocat. Redeam? non si me obsecret. *Cic.* 4. *Herenn.* 16. 23. Ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscujusque propositionis explanationem. Ea est hujusmodi. Majores nostri, si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? quoniam *etc.* quid ita? quia necesse est *etc.*

RĂTĬŌCĬNĀTĪVUS, a, um, adject. ad ratiocinationem spectans. — *a*) *Quæstio ratiocinativa* seu *status ratiocinativus* est, quum quæritur ex. gr. an, ubi propria lex non est, simili sit utendum. Hæc controversia nomen ratiocinationis accepit, quia ex eo, quod certum est, ratiocinando deducit id, quod incertum est. *Cic.* 1. *Invent.* 13. 17. Genus ratiocinativum, quum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod scriptum non est, invenitur. *Quintil.* 7. 1. 60. Ratiocinativa quæstio. *et ibid.* 8. 3. Hic status ducit ex eo, quod scriptum est, id, quod incertum est: quod quoniam ratiocinatione colligitur, ratiocinativus dicitur. — *b*) *Ratiocinativæ conjunctiones* apud *Diomed.* 1. *p.* 410. *Putsch.* sunt, quibus in ratiocinando utimur, ut *ergo, igitur.*

RĂTĬŌCĬNĀTOR, ōris, m. 3. *quaderniere, computista, ragioniere,* λογοθέτης, λογιστής, subducendæ rationis peritus, a rationibus, calculator.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Att.* 12. Libertum ego habeo, sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem et clientem tuum. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 7. Nec in hoc errat: quippe, ut diligens ratiocinator, calculo posito videt, id genus agricolationis maxime rei familiari conducere. *Balbus de asse* § 12. hos vocat *numerarios ratiocinatores.* *Ulp. Dig.* 14. 4. 5. § 16. Si ego fui tabernæ ratiocinator.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Off.* 18. 59. Ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat: ex quo quantum cuique debeatur, intelligas. Cf. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 3.

RĂTĬŌCĬNĀTUS, a, um. *V.* RATIOCINOR.

RĂTĬŌCĬNĬUM, ii, n. 2. *conto, conteggio,* συλλογισμός, actus ratiocinandi, supputatio, calculi subductio. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 13. Jugeri modus si semper quadraret, expeditissimum esset ejus ratiocinium. *et ibid.* 2. 6. Si disparibus fuerit lateribus, aliter ejus ratiocinium ordinabitur. Adde *Cod. Theod.* 8. 1. 6. et 8., et 9. 16. 2.

RĂTĬŌCĬNOR, āris, ātus sum, ari, 1. (ratio). Part. *Ratiocinans* II. *a.*; *Ratiocinatus* I. *b.* — Ratiocinari est ratiocinium facere, rationem inire, calculos ponere, computare, λογίζομαι, λογοθετέω (It. *fare conti, calcolare, conteggiare;* Fr. *calculer, faire des calculs;* Hisp. *calcular, contar, hacer cómputos;* Germ. *die Rechnung ziehen, aus-oder berechnen, rechnen;* Angl. *to cast up. accounts, account, reckon, calculate, compute.*

I.) Proprie. — *a*) Verbum depon. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 5. In summo apud Græcos honore geometria fuit: at nos metiendi ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum. *Id.* 2. *Invent.* 39. 115. De pecunia ratiocinari, sordidum esse, quum de gratia referenda deliberetur. *Petron. Satyr.* 29. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, denique dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. — *b*) Verbum pass. *Vitruv.* 10. 10. 1. Omnes proportiones eorum organorum ratiocinantur ex proposita sagittæ longitudine. et 10. 15. Omni proportione eorum ratiocinata ex longitudine etc. *calcolata.*

II.) Translate, est aliud ex alio colligere, *argomentare, ragionare.* — *a*) Cum Accus. *Plaut. Stich.* 1. 2. 17. Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor. *Apul.* 1. *Met.* His ego auditis, mores atque parsimoniam ratiocinans Milonis etc. — *b*) Absolute, vel sequente relativo. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 55. Omnia denique, quæ postea vidimus, si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. *Id.* 2. *Verr.* 7. 20. Etenim sic ratiocinabantur, sic inter se et mecum loquebantur, aperte jam ac perspicue, nulla esse judicia. *Id.* 2. *Invent.* 20. 61. Ratiocinari, quid in similibus fieri soleat. *Id.* 2. *Herenn.* 23. 35. Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur. Adde *Quintil.* 7. 1. 61.

RĂTĬŌNĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Rationabilior* 2. ¶ 1. Rationabilis, *ragionevole, razionale,* λογικός, ratione uti qui potest, ratione præditus, rationalis. *Seneca Vit. beat.* 14. Rationabilem sortiris naturam: quæ melius res, quam ratio proponitur? *Quintil.* 5. 11. 35. Nec, si mutis finis voluptas, rationabilibus quoque: immo ex contrario, quia mutis ideo non rationabilibus. *Plerique tamen utroque in loco. rectius leg.* rationalibus. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Anima rationabilis. ¶ 2. Rationi consentaneus, ratione factus, εὔλογος. *Ulp. Dig.* 5. 1. 2. *ante med.* Et hæc sententia vera et rationabilis est. *Pompon. ibid.* 45. 3. 37. Rationabilius esse videtur, stipulationem eis acquiri.

RĂTĬŌNĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. rationis usus, ratio, λόγος, τὸ λογιστικόν. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Rationabilitatem, id est mentis optimam portionem, ait capitis arcem tenere.

RĂTĬŌNĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Rationabilius.* — Rationabiliter, *ragionevolmente,* εὐλόγως, cum ratione. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Hæc una mundo relicta est sapientiæ et prudentiæ propria, ut rationabiliter volveretur. *Hieronym. Ep.* 39. *n.* 5. Ne videreris rationabiliter errare. *Marcell. Empir.* c. 8. *sect.* 6. *p.* 97. ed. *Ald.* Vinum quoque, in quo ruta diu fuerit macerata, rationabiliter infunditur. *V.* RATIOCINABILITER. *Augustin. de Peccat. Merit.* 1. 13. Multo enim rationabilius Adam dicitur imitator diaboli. Sic *Priscian.* 9. *p.* 861. *Putsch.* Unde manifestum est, quod rationabilius hoc secundum primam conjugationem protulit Virgilius. Sic *Id.* 2. *p.* 565. Herodianus ostendit, rationabilius esse sonoriusque in compositis quoque simplicium regulam in ordinandis syllabarum litteris servare.

RĂTĬŌNĀLE, is, n. 3. ornamentum magni sacerdotis apud Judæos. *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 15. Rationale judicii facies opere polymito. Adde *ibid.* sæpius. *Hieronym. Ep. critic.* (*T.* 2. *p.* 581.) *ad Fabiolam.* Græce vocatur λόγιον, nos rationale possumus appellare. - Pannus est brevis ex auro et quatuor textus coloribus, hoc est iisdem quibus et superhumerale.

RĂTĬŌNĀLĬA, ium, n. plur. 3. *V.* voc. seq. I. in fin.

RĂTĬŌNĀLIS, e, adject. ad rationes pecuniarum aliorumque redituum pertinens.

I.) Proprie. *Inscript.* apud *Orell.* 39., quæ pertinet ad ann. p. Chr. n. 193. EXEMPLARIA LITTERARVM RATIONALIVM DOMINORVM N. N. SCRIPTARVM PERTINENTES AD ADRASTVM AVGG. etc. Cod. 10. 19. 6. Rationale officium. *et* 1. 3. 4. Officiales rationales. Hinc — *Rationalis, is,* m. 3. absolute, substantivorum more, est qui rationes pecuniarum aliorumque redituum conficit et perscribit, rationarius, ratiocinator, procurator: cujusmodi mittebantur ab imperatoribus in provincias, fisci ac Cæsarum rationes administraturi: præsertim bona caduca et vacantia fisco vindicaturi, *procuratori, fiscali.* *Lamprid. Alex. Sev.* 45. Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare. *et ibid.* 46. *ad fin.* Rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret. *Capitolin. Gordian.* 7. Quum quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum sæviret, proscribens plurimos, interficiens multos, et sibi ultra procurationem omnia vindicans. *Commodus Imp.* in *epist.* apud *Capitolin. Albin.* 2. Ad procuratores meos litteras misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ: et quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant, quum de ærario volueris imperare. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 101. *n.* 233. P. ÆLIO DIONYSIO P. V. RATIONALI PATRI VETTENIA SABINILLA V. V. Alia apud *Don. cl.* 7. *n.* 179. FELICI CÆS. N. VERN. ADJUTORI RATIONALIUM etc. Adde *Lactant. Mort. persecut.* 7. — *Rationalia, ium,* libri rationum. *Ulp. Dig.* 27. 3. 1. *ante med.*, ubi alii *auctionalia,* alii rectius *actionalia* legunt. *V.* ACTIONALIS. et V. *Aldini, Lap. Ticin. p.* 62., qui statuit rationales fuisse appellatos, qui antea procuratores dicebantur.

II.) Translate. ¶ 1. Est rationis particeps, ratione utens. *Quintil.* 7. 3. 24. Falsa est finitio, si dicas: Equus est animal rationale. Nam est equus animal, sed irrationale. *Seneca Ep.* 113. Animalia rationalia. — Similiter *Id. ibid.* 89. *ante med.* Pars philosophiæ rationalis, *h. e.* dialectice, quæ, ut *Id. ibid.* ait, proprietates verborum exigit, et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa subrepant. *Cels.* 1. *præf.* Disciplina rationalis. *et mox.* Rationalis ars, *h. e.* quæ rationem, non experimenta sequitur. Hinc rationalis medicina, *ibid.* et rationales medici, qui ab-

ditarum et morbos continentium causarum rationes scrutantur, et ex iis curandi modum desumunt. ¶ 2. Item est idem ac ratiocinativus. *Cic.* 2. *Herenn.* 12. 18. Rationalis causa. *h. e.* quæstio ratiocinativa, status ratiocinativus, apud rhetores. *V.* RATIOCINATIVUS 1. Sic *Quintil.* 3. 5. 4. et 3. 6. 54. Rationale quæstionum genus. ¶ 3. Rationales conjunctiones sunt *ita, itaque, enimvero, quia..., propterea, idcirco.* Hæc *Donatus p.* 1763. *Putsch.* Et *Capell.* 3. *p.* 70. De causalibus vero (*conjunctionibus*) et rationalibus quæ *a* terminantur, exceptis *ita* et *quia*, productæ sunt, ut *propterea* et *interea.*

RĂTĬŌNĀLIS, is, m. 3. absolute, substantivorum more. *V.* voc. præced. I.

RĂTĬŌNĀLĬTAS, ātis, f. 3. *uso di ragione,* rationis usus. *Tertull. Anim.* 38. *in fin.* Habet anima immortalitatem, rationalitatem etc.

RĂTĬŌNĀLĬTER, adverb. cum ratione. *Seneca Ep.* 109. *circa med.* Hominem movere rationaliter non potest, nisi homo.

RĂTĬŌNĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

RĂTĬŌNĀRĬUS, a, um, adject. ad rationes pertinens. — *Rationarius, ii,* qui rationes conficit, *computista, ragioniere. Modestin. Dig.* 27. 1. 15. Neque librarios, neque calculatores, quos vulgo rationarios dicimus, habere immunitatem. Hæc in edit. *Torrentini* Græce habentur. *V.* NUMERARIUS. — Hinc

Rationarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est liber in quo rationes et acta continentur, *giornale, registro,* ἐφημερίς. *Sueton. Aug.* 28. Tædio valetudinis, magistratibus ac senatu domum adcitis rationarium imperii tradidit. *Rationarium imperii* hoc loco est, quod nos *quadro statistico* dicimus, quodque *Id. Aug.* 101. appellat breviarium totius imperii: hoc enim Augustus a se scriptum moriens reliquerat, cujus continentiam describit *Id. loc. cit.* et *Tac.* 1. *Ann.* 11.

RATIONATOR, oris, m. 3. *ragionatore,* qui ratione utitur. Vox a Lexico expungenda; legitur enim in *Not. Tir. p.* 69. et in *Inscript.* apud *Orell.* 1169. quæ spuria putatur; sed vide *Steiner. Inscript. Rhen. n.* 705.

RĂTIS, is, f. 3. In Genit. plur. *ratium* dicitur. *Lucan.* 3. 706. Et ratium tenuere fugam. *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. Exercitores ratium. *Auson. Edyll.* 10. 217. Innocuos ratium pulsus pugnasque jocantes Naumachiæ. — *Rates* in recto sing. ponitur a *Val. Probo p.* 1473. *Putsch.*, sed nulla re confirmatur. — Ratione habita etymi, videtur esse pro *ĕrătis,* quod ab ἔρω pro εἴρω *necto,* ut σχεδία a σχέω pro ἔχομαι *adhæreo,* unde σχεδὸν *prope.* Ceterum cf. ἐρέσσω *remigo,* ἐρέτης *remex,* ἐνήρης *remis instructus,* τριήρης *triremis* etc. — Ratis est connexarum trabium compages, quæ per aquam agitur, usum navium præbens: σχεδία (It. *zattera, zatta, fodero;* Fr. *train composé d'un assemblage de poutres, radeau;* Hisp. *balsa de vigas;* Germ. *ein aus zusammengefügten Balken bestehendes Fahrzeug, Floss' Fähre;* Angl. *pieces of timber pinned together; a float, raft*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Paul. Diac. p.* 272. 8. *Müll.* Rates vocantur tigna colligata, quæ per aquam aguntur; quo vocabulo interdum etiam naves significantur. Cf. *Festus p.* 273. 22. *Müll.* et *Isid.* 19. *Orig.* 1. 9. Ceterum *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (206). Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit: antea ratibus navigabatur, inventis in mari Rubro inter insulas a rege Erythra. Reperiuntur, qui Mysos et Trojanos priores excogitasse in Hellesponto putent, quum transirent adversus Thracas. Etiam nunc in Britannico oceano vitiles corio circumsutæ fiunt: in Nilo ex papyro et scirpo et arundine. *Quintil.* 10. 2. 7. Quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quæ lineas circumscriberet. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem navigabilis, præterquam trabibus verius, quam ratibus. *Cic.* 7. *Verr.* 2. 5. Quum aut navibus aut ratibus conarentur accedere. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Missæ in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Transeunt Rhenum navibus ratibusque. *Liv.* 21. 47. Ratibus, quibus junxerat flumen, nondum resolutis. *Varro* 5. *L. L.* 43. *Müll.* Olim paludibus mons (*Aventinus*) erat ab reliquis disclusus, itaque eo ex urbe advehebantur ratibus. *Cic.* 9. *Att.* 12. Mihi epistola affertur a Lepta, circumvallatum esse Pompejum, ratibus etiam exitus portus teneri. *Propert.* 1. 14. 3. Et modo tam celeres mireris currere lintres, Et modo tam tardas funibus ire rates. — *b*) Speciatim de rati nota æris. *V.* voc. seq. — *c*) Item speciatim. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 9. Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis, qui laborent minus, facilius ut nent. — *d*) Item, *omnem ratem servare,* proverb. rem familiarem omnem servare, totum negotium feliciter administrare. *Plaut. Most.* 3. 3. 15. — *e*) Item animadvertenda sunt illa *Plaut. Most.* 3. 2. 51. TR. Hei! SI. Quid est? TR. Me miserum, occidi. SI. Qui? TR. Quia venit navis, nostram vi quæ frangat ratem. et *Bacch.* 4. 6. 27. Bene navis agitatur, pulcre hæc confertur ratis. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans multa adversa reverens, tamquam ratis in mari immenso, nostra vehitur oratio.

II.) Translate a Poetis fere pro navi ponitur, *nave, barca. Pacuv.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 23. *Müll.* Aderant æquore in alto ratibus repentibus. Ubi *Varr.* Ratis dicta navis longa propter remos, quod ii, quum per aquam sublati sunt, dextra et sinistra duas partes (corrige *rates* cum *Scalig.* ad *Fest.* et *Serv.* ad 1. *Æn.* 47.) efficere videntur; ratis enim, unde hoc translatum, illic ubi plures mali aut asseres juncti aqua ducuntur. Hinc naviculæ cum remis ratiariæ dicuntur. *Müllerus* ita legit. Hæc *Varronis* notatio illustratur verbis *Festi p.* 273. 27. *Müll.* docentis, *ratis* nomine significari etiam remos: unde *Accius* in *Neoptolemo*: Atque ego repercutio ratibus mare. *Id. alio loco.* Sed jam propellunt cæruleum rates salum. *Ennii* quoque locus huc pertinere potest apud *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* Cæruleum spumat mare conferta rate pulsum. Aptius tamen hic navem intelliges: quo sensu passim a poetis omnibus usurpatur, ut dictum est: et quidem tam sæpe, ut exempla afferre supervacaneum sit. — *NB. Ratis* est etiam Gallica vox, de qua *Marcell. Empir. c.* 25. *p.* 121. *retro* ed. *Ald.* Herba pteridis, id est filiculæ, quæ ratis Gallice dicitur.

RĂTĪTUS, a, um, adject. a *ratis.* Ratitum quadrantem dictum putant, inquit *Festus p.* 274. 16. *Müll.* (quocum cf. *Paul. Diac. p.* 275. 3. *Müll.*), quod in eo et triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). Nota æris (*h. e. assis*) fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante rates. Non est audiendus *Varro,* qui scribit 5. *L. L.* 44. *Müll. extr.* Merces dicitur a merendo et ære: hinc vecturæ, quas solvebant hi, qui ratibus transibant, quadrans: ab eo Lucilius scripsit, quadrantis ratiti. Verior enim est omnino *Festi* sententia. Ceterum, teste *Eckhel. D. N. V. T.* 5. *p.* 15. falsi sunt etiam *Festus,* et *Plinius;* tam enim in assibus, quam in quadrantibus et trientibus rostrum navis eadem semper forma eademque partium compage est.

RĂTĬUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. a *ratione,* est brevis supputatio, *conticino.*

I.) Proprie. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 1. Beatus videor. Subduxi ratiunculam, quantum æris mihi sit, quantumque alieni siet. Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo. *Id. Capt.* 1. 2. 89. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Ter. Phorm.* 1. 1. 2. Erat ei de ratiuncula jampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum.

II.) Translate est brevis aut levis ratio, *ragioncella, ragioncina,* λογάριον. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. 73. Leves ratiunculæ. et 2. *ibid.* 12. 20. Concludunt ratiunculis Stoici, cur non sit malum. *Id.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Huic incredibili sententiæ ratiunculas suggerit.

RĂTO, adverb. certo, constanter. *Tertull. Anim.* 35. Nulli vitam istam rato fieri. *Id.* 2. *ad Uxor.* 9. Pater rato habet.

RĂTUS, a, um, particip. a v. *reor,* quod *V.* Sed est etiam nomen, unde Sup. *Ratissimus* 3. *d.*; et ¶ 1. Generatim ponitur pro certo, constanti, fixo, stato, *stabile, costante, fisso, determinato. Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Astrorum in omni æternitate ratos immutabilesque cursus. *Id. ibid.* 20. Motus siderum constantes et rati. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 69. Siderum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiunt. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 19. Si nihil fieri potest, nihil accidere, nisi quod ab omni æternitate certum fuerit esse futurum rato tempore. ¶ 2. Speciatim, *rata pars* aut *portio* in distributionibus est certa et determinata pars, proportione servata: verbi gratia post determinatam portionem donativi, quod imperator militibus dare constituit, duplex centurioni, triplex equiti dari mos fuit. Illud duplex aut triplex definiebatur ratione illius determinatæ partis, quæ militi concedebatur, et *duplex* aut *triplex pro rata parte* dicebatur. *Cæs.* 1. *B. C.* 17. *extr.* Militibus agros pollicetur, quaterna in singulos jugera, et pro rata parte centurionibus evocatisque. *a proporzione.* et *Vitruv.* 3. 3. *a med.* Item secundum ratam partem ex altitudine columnarum expediendæ sunt altitudines epistyliorum. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Sonus intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis. *Alii leg.* pro rata parte ratione distinctis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (40). Decimam partem relinqui, si plenæ fuerint alvi: si minus, pro rata portione. — *Pars* interdum omittitur. *Liv.* 45. 40. Pediti in singulos dati centeni (*denarii*), duplex centurioni, triplex equiti: alterum tantum pediti daturum fuisse credunt et pro rata aliis, si etc. Adde *Capitolin. M. Aurel.* 7.; et *JCtos* in *Dig.* frequenter. ¶ 3. Latiori sensu sumitur etiam *ratus* pro firmo, firmato, stabili, robur habente, cui *irritus, vanus* opponitur, *fermo, stabile, che ha il suo valore,* κύριος, νενομισμένος. — *a*) Universim. *Cic. Prov. cons.* 19. 45. Cujus tribunatus si ratus est, nihil est quod irritum ex actis Cæsaris possit esse. *Id.* 5. *Phil.* 7. 21. Quæ quamquam, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt, tamen etc. *Id.* vertens *Homeri* carmina 2. *Divinat.* 30. 63. Scire, ratos ne habeant, an vanos pectoris orsus. *Imp. Nerva* in *edicto* apud *Plin. post ep.* 66. *l.* 10. Beneficia rata et certa. *Cic. Cluent.* 47. 132. Censoriæ subscriptiones fixæ et in perpetuum ratæ. *Id. Cæcin.* 33. 96. Putasne, si populus jusserit, me tuum servum esse, id jussum ratum atque firmum futurum? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 27. Decretum stabile, fixum, ratum esse debet. et *ibid.* 46. 141. Illud certum, ratum, firmum, fixum fuisse vis. *Tac.* 4. *Hist.* 64. Ut amicitia societasque nostra in æternum rata sint. *Virg.* 9. *Æn.* 104. Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris Annuit. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 16. ebrietas spes jubet esse ratas. *Ovid.* 1. *Fast.* 696. Efficiatque ratas utraque Diva preces. *h. e.* exauditas et voti compotes. *Seneca* 4. *Excerpt. controv. præf.* Strictum et asperum et nimis ratum in dicendo judicium. *h. e.* nimis severum, rigidum, immutabile. — *b*) Speciatim. *Ratus homo,* certus, firmus. *Ennius* apud *Festum p.* 274. 2. *Müll.* potitur ratu' Romulu' prædam. *h. e.* certus se vicisse. — *c*) Item. *Ratum habere, ducere, facere,* approbare, confirmare, firmum esse putare, κυροῦν. *Cic. Partit. orat.* 36. 125. Ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere. *Liv.* 27. 17. *ad fin.* Nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, ubi etc. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. Quid habet augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? *subaudi* augurium. — *d*) Item. *Ratum mihi est,* approbo, confirmo. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Attamen ista ipsa, quæ te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata. *Cato* quoque similiter lusit apud *Paul. Diac. p.* 287. 5. *Müll.* Erga rempublicam multa beneficia ratissima atque gratissima. *h. e.* certissima et omnino firma ac per.

petua. Quo pertinet illud *Virg.* 10. *Æn.* 629. atque hæc Turno rata vita maneret. *h. e.* servaretur Turno hæc vita, et a morte vindicaretur. — *e*) Item. *Cavere de rato*, cavere se ratum habiturum. *Paul. Dig.* 3. 4. 6. *a med.*

RAUCA, adverbii more. *V.* RAUCUS in fin.

RAUCA, æ, m. 1. vermis terrenus, qui radices arborum lædit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (130). Olea, ubi quercus effossa sit, male ponitur, quoniam vermes, qui raucæ vocantur, in radice quercus nascuntur et transeunt. Adde *Ulp. Dig.* 19. 2. 15. Utrobique alii pro *raucæ* leg. *erucæ*; quas *Colum. Arbor.* 17. de eadem loquens *vermes* appellat.

RAUCĒ, adverb. *raucamente*, cum raucitate. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 17. 50. Corvus quum accedit ad cibum, strepitu vocis alias aves rauce ciet. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 124. Licet antiquitas habuerit *hic et hæc amnis*; melius tamen est accipere *rauca sonans* pro *rauce*, quam *rauca amnis*.

RAUCĒDO, ĭnis, f. 3. *raucedine*, raucitas. *Isid.* 4. *Orig.* 7. 14. Raucedo est amputatio vocis. Hæc et arteriasis vocatur, eo quod vocem raucam et clausam reddat ab arteriarum injuria.

RAUCESCO, is, ere, n. 3. inchoat. raucus fio. *Isid.* 12. *Orig.* 7. At ubi raucescit (*gruis*), succedit alia.

RAUCĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. ab inusit. *raucidus*, aliquantum raucus. *Hieronym. Ep.* 40. *n.* 2. Volo corniculæ detrahere garrienti: raucidulam se intelligat cornix. *Alii male leg.* rancidulam: vocem enim *raucidulus* confirmat *Thesaur. nov. Latinit.* ed. *Maio p.* 449. Raucidulus, aliquantum raucus.

RAUCĬO, cis, si, sum, cire, n. 4. raucus sum vel fio. Part. *Rausurus* legitur in *Lucil.* apud *Priscian.* 10. *p.* 907. *Putsch.* Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste. *Gloss. vet.* Raucio βραγχιάζω, raucit βραγχιᾷ.

RAUCĬSŎNUS, a, um, adject. βραγχιάζων, sonum raucum habens. *Catull.* 64. 263. Multi raucisonis efflabant cornua bombis. *Lucret.* 5. 1083. Raucisoni cantus.

RAUCĬTAS, ātis, f. 3. (raucus) *fiochezza, raucedine*, βράγχος, obtusio vocis, quæ fit aut nimia siccitate propter clamorem, aut nimio humore ad vocis locum fluente.

I.) Proprie. *Cels.* 2. 1. *a med.* Tussis, destillatio, raucitas. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (104). In tussi, uva, fellis veteri suffusione, hydropicis, raucitatibus. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (53). Allium raucitatem extenuat. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. *sub init.* Eos autem, qui faucium influxione vexantur, quod Græci βράγχος, nos raucitatem vocamus, sequetur pruritus quidam secundum fauces etc. Adde *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 103. ed. *Ald.*

II.) Figurate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). Elephas ore ipso sternutamento similem elidit sonum: per nares autem tubarum raucitati. *Capell.* 8. *p.* 270. Rapiduli sonitus raucitas. *h. e.* stertentis rhonchus.

RAUCO, as, are, n. 1. rauce sono. *V.* RAUCO.

RAUCOR, āris, ari, dep. 1. raucus fio. *Gloss. Cyrill.* Raucor βραγχιῶ.

RAUCUM, adverbii more. *V.* voc. seq. in fin.

RAUCUS, a, um, adject. Comp. *Raucior* est apud *Capell.* 1. *p.* 11. et *Servium* ad *Virg.* 7. *Æn.* 705. — *Raucum* volunt esse a βράγχος *raucitas*: vel a *ravus* addito *c*, ut a *parum*, *parcus*, vel a *ravus ravicus* et contracte *raucus*. *Festus p.* 289. 15. *Müll.* Raucos appellatos esse ait Verrius videri ab ariditate, sive a similitudine quadam spicarum aristæ, in spicis namque flava frumenta, rava appellari idem Verrius docet. — Ceterum raucus dicitur et est qui nimio clamore, vel pituita fauces obsidente, vel alia de causa vocem fuscam, asperam, obtusam, impeditam et compressam habet, βραγχώδης (It. *fioco, roco, affiocato, chioccio, rauco*; Fr. *enroué*; Hisp. *enronquecido, ronco*; Germ. *Zeitweilig*; Angl. *hoarse, harsh, jarring, grating, rough, unpleasant, disagreeable*).

I.) Proprie *Plaut.* 2. 2. 13. Periphanem per omnem urbem sum defessus quærere; Per myropolia et lanienas circumque argentarios. Rogitando sum raucus factus. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 259. Itaque nos raucos sæpe attentissime audiri video: at Æsopum, si paullum irrauserit, explodi. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 62. Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat. *Propert.* 1. 16. 39. Ut me tam longâ raucum patiare querelâ Sollicitas trivio pervigilare moras. *Lucret.* 6. 1189. Sputa per fauces raucas vix edita tussi. *Val. Flacc.* 2. 307. Raucus fremitus. *h. e.* multorum simul confusæ voces. *Ovid.* 2. *Met.* 483. vox iracunda minaxque Plenaque terroris rauco de gutture fertur. *Id.* 6. *ibid.* 377. ranarum vox rauca. *et* 5. *ibid.* 678. picarum rauca garrulitas. *et* 8. *ibid.* 287. *de apro.* Fervida cum rauco latos stridore per armos Spuma fluit. *Id.* 1. *Fast.* 433. rudens rauco Sileni vector asellus. *h. e.* rauco clamore. *Id.* 14. *Met.* 100. raucum stridorem et similis tribuit. *Virg.* 1. *Ecl.* 58. Raucæ palumbes. *et* 2. *ibid.* 13. raucis resonant arbusta cicadis. *Seneca Med.* 733. raucæ strigis exsecta vivæ viscera. — *Servius* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 458. Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. *et* 7. *ibid.* 704. aeriam gurgite ab alto Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem: monet, *raucus* vocem esse τῶν μέσων, sicut *olens, spirans*. His locis significare canorum; alias vocis pessimæ. — *V.* alia sub II. 2.

II.) Figurate. ¶ 1. Tribuitur rebus inanimis, sonum utcumque confusum, impeditum et minime liquidum clarumve edentibus. *Propert.* 3. 2. 41. rauco prætoria classica cornu Flare. *Virg.* 4. *G.* 71. Martius æris rauci canor. *h. e.* tubæ. *Ovid. Ib.* 458. tympana rauca. *Propert.* 3. 15. 36. cymbala. *et ibid.* 8. 23. tibia. *Virg.* 1. *G.* 109. unda cadens raucum per levia murmur Saxa ciens. *Stat.* 2. *Theb.* 40. rauca tonitrua. *et* 5. 291. raucum litus. *h. e.* raucum sonum edens percussu fluctuum. *Horat.* 2. *Od.* 14. 13. Fractisque rauci fluctibus Hadriæ. *Val. Flacc.* 1. 614. venti rauco ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt. *Martial.* 1. 50. bruma Aquilone rauco mugit. *Id.* 7. 31. Raucæ cortis aves. *h. e.* strepentis raucis vocibus anserum, anatum, pavonum, gallinarum. *Juvenal.* 8. 59. Raucus circus. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 50. Raucaque concussæ signa dedere fores. *Propert.* 4. 8. 49. rauci sonuerunt cardine postes. *Virg.* 2. *Æn.* 545. telum rauco ære repulsum. *h. e.* scuto. ¶ 2. Urbane et translate. *Cic.* 9. *Fam.* 2. *a med.* Te vero nolo, nisi ipse rumor jam raucus erit factus, ad Bajas venire. Erit enim nobis honestius, etiam quum hinc (*Roma*) discesserimus, videri venisse in illa loca ploratum potius, quam natatum. *h. e.* nisi ipse Tiberis (qui et *Rumor* seu *Rumo* est appellatus. V. RUMO) paullo procellosior fuerit factus. *h. e.* nisi in deteriorem statum res publica venerit, nolim te ad Bajas venire, ne quis suspicetur, natandi nos potius causa et voluptatis, quam plorandi illuc venisse. *Martial.* 8. 67. Quum modo distulerint raucæ vadimonia chartæ. *h. e.* causidicorum libelli, quibus causas agunt magnis clamoribus, ad ravim usque. Unde et ipsi causidici rauci dicuntur ab *eod.* 4. 8. Sic rauci rogatores, 10. 5. Eadem ratione *Juvenal.* raucam cohortem, 6. 514. vocat Gallos matris Deûm, ob assiduos clamores, quibus ejus signum circumferentes obstrepebant. — Hinc

Raucum et *rauca* adverbii modo. *Ovid.* 3. *Art. am.* 289. Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet. *Virg.* 9. *Æn.* 125. amnis Rauca sonans. *V.* RAUCE. *Lucan.* 5. 217. ut tumidus Boreæ post flamina pontus Rauca gemit.

RAUDUS, *et* Rodus, *et* Rudus, ĕris, n. 3. (rudis) æs, apud veteres. *Festus p.* 265. 4. *Müll.* Rodus vel raudus significat rem rudem et imperfectam. Nam saxum quoque raudus appellant poetæ: ut Accius in Menalippo: Constitit, cognovit, sensit, conlocat sese in locum celsum. Hinc manibus rapere rodus (*al.* roudus) saxeum grande et grave. et in Chrysippo: Neque erat quisquam a telis vacuus, sed, uti cui quid allus obviam fuerat, ferrum alius saxeum raudus (*al.* rodum, *ut sit adjectivum*). Vulgus quidem in usu habuit non modo pro ære imperfecto, ut Lucilius, quum ait: Plumbi pauxillum, rodus (*al.* rodi) linique metaxam: sed etiam pro signato, quia in mancipando quum dicitur, rudusculo libram ferito, asse tangitur libra. Cincius de verbis priscis sic ait: Quemadmodum omnis fere materia non deformata, rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum; sic æs infectum, rudusculum. Apud ædem Apollinis æs conflatum jacuit: id ad raudus appellabant.... In æstimatione censoria æs infectum rudus appellatur. Hæc *Festus. Varro* 5. *L. L.* 163. *Müll.* Æs raudus dictum ex eo in veteribus mancupiis scriptum: rauduseulo libram ferito. *Liv.* 26. 11. Æris acervi, quum rudera milites religione inducti jacerent, post profectionem Hannibalis magni inventi. *Val. Max.* 5. 6. *n.* 3. *in fin.* Olim æra raudera dicebantur. — *NB.* *Rudus, eris*, materia. *V.* suo loco.

RAUDUSCŬLUM, i, n. 2. deminut. a *raudus*. — Scribitur et *roduscululum* et *ruduscululum*. *V.* RUDICULUS. — Rauduscululum ¶ 1. Est parvum æs, sive rude et infectum, sive signatum, ut as: quemadmodum in RAUDUS dictum est. *V.* ibi *Festi* verba; et cf. RAUDUSCULA in ONOM. ¶ 2. In sermone familiari et quasi per jocum, quia vox est perantiqua, sumitur pro parva summa pecuniæ. *Cic.* 7. *Att.* 2. *a med.* De rauduseulo Numeriano multum te amo. *h. e.* de parva pecuniæ summa, quam Numerio debebam, a te soluta. *et* 4. *ibid.* 8. Nam de rauduseulo quod scribis etc.

RAUSŪRUS. *V.* RAUCIO.

RĂVASTELLUS. *V.* GRAVASTELLUS.

RĀVĒ, adverb. rauce. *Gloss. Isid.* Ravit, rave loquitur. *Codd. male* ravie. Sic *Gloss. Pith.* Ravit, rave loquitur. *Codd.* rauce.

RĀVĬDUS, a, um, adject. *di color di tanè*, χάρωψ, χαρωπός, μελανόπυῤῥος, qui est ravo colore. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 9. In gallinaceis maribus status altior quæritur, sublimes cristæ, ravidi vel nigrantes oculi.

RĀVILLÆ a ravis oculis, quemadmodum a cæsiis cæsullæ. *Festus p.* 274. 8. *Müll.* et *Paul. Diac. p.* 275. 6. *Müll.* — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

RĀVĬO, is, ire, n. 4. (ravis) rauca voce loquor. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 33. Nego, et negando, si quid refert, ravio. *h. e.* contenta voce usque ad ravim pernego. Adde *Paul. Diac. p.* 275. 4. *Müll.*

RĀVIS, is, f. 3. *raucedine*, *rántolo*, *fiochezza*, βράγχος, raucitas. *Paul. Diac. p.* 275. 4. *Müll.* Ravim dicebant pro raucitate. Cf. *Festus p.* 274. 29. *Müll.* Ceterum legitur tantummodo Accus. sing. *Plaut. Aulul.* 2. 5. 10. Ubi siquid poscam, ad ravim poscam, prius quam quidquam detur? *idest* clamose adeo, ut vox raucescat. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 164. 19. *Merc.* Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim. Adde *Cæcilium* apud *Festum l. c.* Sic *Apul. Florid. n.* 17. Tragœdi ni quotidie proclament, claritudo arteriis obsolescit. Igitur identidem boando purgant ravim. *h. e.* pituitam, ex qua ravis fit.

RĂVISTELLUS. *V.* GRAVASTELLUS.

RĀVĪTŪDO, ĭnis, f. 3. *raucedine*, ravis. *V.* GRAVITUDO.

RĀVŬLUS, a, um, adject. deminut. ravi, aliquantum ravus, hoc est raucus. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* 2. Dat ravulos choraulas etc.

RĀVUS, a, um, adject. qui est colore mixto ex nigro et fulvo, medio inter flavum et cæsium, *color di tanè*, *lionato scuro*, χαρωπός. *Paul. Diac. p.* 272. 6. *Müll.* Ravi coloris, ravistelli appellantur a Plauto, qui sunt inter flavos et cæsios. *Festus p.* 289. 17. *Müll.* In spicis flava frumenta, rava appellari, ait Verrius.

I.) Proprie. — *a*) De oculis. *Varro* 2. *R. R.* 2. 4. Arietes ravis oculis. *et ibid.* 9. 3. Canes oculis nigrantibus aut ravis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (148). Aliis nigri, aliis ravi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis. — *b*) De aliis rebus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Mare illud quod nunc purpureum videtur, idem huic nostro videbitur: nec tamen assentietur, quia nobismetipsis modo cæruleum videbatur, mane ravum. Ita leg. *Non. p.* 164. 14. *Merc.*, alii *flavum* *Horat.* 3. *Od.* 27. 3. aut ab agro Rava decur.

rens lupa Lanuvino. *Id. Epod.* 16. 33. Credula neo ravos timeant armenta leones.

II.) Translate est raucus, *fioco, roco, βραγχώδης. Paul. Diac. p.* 283. 2. *Müll.* Ravam vocem significat, ait Verrius, raucam et parum liquidam, proxime canum latratum sonantem: unde etiam causidicus pugnaciter loquens, rabula appellabatur. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. in *carm. sub fin.* quum festa dies ciere ravos Cantus cœperit. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

RE

RE, *ἀνά*, una ex iis præpositionibus, quæ per se quidem nihil significant, sed cum aliis verbis conjunctæ multiplicem habent notionem.— *a*) Componitur cum omnibus dictionibus, a quacumque littera incipiant, præter *k* et *r*. Sed cum *a, e, h, i, o, u*, quandoque interponitur *d*, causa euphoniæ, ut in *redamo, redeo, redhibeo, redigo, redoleo, redundo.* Præter *d* conjunctivam quoque vocalem assumit in una tantummodo voce *redivivus.* Apud recentiores vero littera *d* ante vocalem omittitur, ut in *readunatio, reexinanio.* — *b*) In carmine fere corripitur: et ut producatur, jubent grammatici sequentem consonantem geminari, ut *relligio, rettulit, relliquiæ;* aut vocalem, ut in *rejicio.* Alii tamen censent, etiam sine illa geminatione produci posse, quum sit monosyllaba, *Broukus.* ad *Propert.* 4. 8. 44., *Taubman.* ad *Plaut. Pers.* 4. 6. 3., *Pier.* ad 1. *Æn.* 34., *Gifan.* in *Ind. Lucret., Scalig., Heins., Voss.,* quos secutus collegit *Drakemborch.* ad *Sil. It.* 1. 309., quæ magna rei litterariæ nomina satis cuique hac in re fidem faciunt. *V.* RECĬDO, REDUCO, REFERT, REFICIO, REFUGIO, REJĬCIO, REPELLO, et *Voss.* 1. *de Grammat. c.* 22. et 2. *c.* 19. *Cæsell.* apud *Cassiod. de orthogr. p.* 2314. *Putsch.* Re præpositio nonnunquam geminat consonantes, ad quas accedit, quod plerumque apud antiquos est, ut *duco redduco, cado reccido, tuli rettuli* etc. — *c*) Quod ad notionem attinet, quandoque significat retro, ut *reposco,* rem datam retro posco. Quandoque perfectionem, ut *recognosco.* Quandoque reciprocationem, ut *redamo.* Quandoque contra sive adversus, ut *reluctor,* idest *repugno.* Quandoque iterum atque iterum, seu sæpe, ut *reputo.* Quandoque de novo, ut *renovo,* quod est rursus novum facio. Quandoque inde, ut *removeo.* Quandoque reditum ad pristinum statum, ut *repuerasco.* Quandoque valde, ut *redundo.* Quandoque longe, ut *repostus,* idest longe positus. Quandoque contrarietatem suorum simplicium, ut *retego,* quod est tectum denudo, *recludo,* clausum patefacio. Quandoque nihil omnino addit significationi sui simplicis, ut *repræsento.*

RĔA. *V.* REUS.

RĔABSORBĔO legitur a nonnullis apud *Augustin.* 10. *Confess.* 40., ubi alii *resorbeo.*

RĔACCENSUS, a, um, particip. a *reaccendo* pro *redaccendo: riacceso,* rursus accensus. Translate *Hieronym. Ep.* 5. *n.* 1. Quibus lectis ita reaccensus est animus Hierosolymam proficiscendi, ut etc. Alii leg. *redaccensus. V.* REDACCENDO.

RĔĀDOPTO, as, are, a. 1. *riadottare,* rursus adopto. *Modestin. Dig.* 1. 7. 41. Nec is nepos in patris revertitur potestatem, quem avus retinuerit, filio dato in adoptionem, quem readoptavit. *Alii leg.* redadoptavit.

RĔĀDŪNĀTĬO, ōnis, f. 3. *riunimento,* iterata copulatio. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Recorporatio et readunatio ossium. *Alii leg.* redadunatio.

RĔÆDĬFĬCO, as, are, a. 1. *rifabbricare,* rursus ædifico, *ἀνοικοδομέω.*

I.) Proprie. *Liv.* 5. 53. *ad fin.* Hæc scelera, quia piget reædificare, hæc dedecora pati parati estis? *Alii leg.* ædificare. Addunt quidam et locum *Cic.* 6. *Att.* 1. *ad fin.*, sed ibi quoque ædifico plerique omnes leg. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 3. *circa med.* Merito non reædificabat, quæ destruxit. Adde *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 9. Sic *Vulgat. interpr. Matth.* 26. 61. Possum et post triduum reædificare illud (*templum*). Adde *ibid.* sæpius. *Ennod. Vit. S. Epiphan. p.* 387. Reædificandi sumpsit animum.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 2. 3. *ad Sabinian.* Reædificantur omnes, qui faciunt iniqua. Adde *Tertull. Pudic.* 14. et 20.

REAGITO, as, a. 1. iterum agito; et

REAMBVLO, as, n. 1. idem ac redambulo, rursus ambulo: voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 125. et *p.* 146.

RĔAMPLĬO, as, are, a. 1. valde ampliare, augere. *Cyprian. de Laud. Martyr. sub init.* Et majestas nominis reampliatur.

RĔAPSE, adverb. (re *et* eapse) re ipsa, *αὐτόχρημα* (It. *in effetto, in realtà, realmente;* Fr. *en effet, en réalité, réellement, au fond;* Hisp. *realmente, efectivamente, ciertamente;* Germ. *in der That, wirklich;* Angl. *in truth, in very deed, in reality, in fact indeed, in good sooth*). *Festus p.* 278. 2. *Müll.* Reapse est re ipsa. Pacuvius; Si non est ingratum reapse quod feci bene. Rursus *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Id magis Veri similem ajunt: quod usus reapse experiundo edocet. *Plaut. Truc.* 4. 3. 41. De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego. *Cic.* 1. *Divinat.* 37. 81. Objiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt. *Alii leg.* re ipsa. *Id.* 5. *Fin.* 10. 27. Quod idem reapse primum est. *Alii leg.* re ab se. *Id.* 9. *Fam.* 15. Non perinde, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. *Alii leg.* re ipsa. *Seneca Ep.* 108. *a med.* Eosdem libros (*Cicer. de Republ.*) quum grammaticus explicuit, primum, reapse dici ab Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert: nec minus sepse, id est se ipse. Hinc quidem apud *Cic.* 1. *de Republ.* 2. (edente *A. Maio*) legitur *reapse,* et 2. *ibid.* 39. *reabse,* quod eodem recidit: hinc etiam patet criticos in tribus ejusd. *Cic.* locis supra allatis perperam censere aliter legendum. *V.* SEPSE. — *Lucret.* 2. 658. dum ne sit re tamen apse. *τμῆσις.* At *Lachmannus* rectius legit *v.* 639. dum vera re tamen ipse etc. — *NB. Resapsa,* res ipsa. *V.* SAS.

RĔASSŪMO, is, ere, a. 3. *ἀναλαμβάνω,* iterum sumo. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Æstate fluminis nomen arenti alveo deserit, auctumno reassumit. *Alii rectius* resumit.

RĔĀTUS, us, m. 4. (reus) *l'esser reo, la condizione del reo, ἡ τοῦ ἐνόχου κατάστασις.*

I.) Proprie est status rei, sive tempus, quo reus nec absolutus est, nec damnatus, quo tempore non reus modo, sed etiam propinqui et affines non capillos aut barbam tondebant, non candida, sed obsoleta tritaque veste uti solebant. Hæc vox, teste *Quintil.* 8. 3. 34., primum a Messala usurpata fuit, imperante Augusto. *Justin.* 4. 4. 4. Revocato ad reatum Alcibiade, duo prœlia pedestria secunda Niceas et Lamachos faciunt. *idest* ad causam dicendam. *Martial.* 2. 24. Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum. *Modestin. Dig.* 48. 19. 25. Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, *et mox.* Qui longo tempore in reatu agunt.

II.) Translate. ¶ 1. Accipitur pro ipsa culpa, qua quis reus est. *Apul.* 7. *Met.* Male conscientiæ reatum intra me sustinebo, si, quod bonum mihi videtur, dissimulavero. *Prudent. Cathemer.* 11. 103. irritis Plangens reatum fletibus. ¶ 2. Item pro habitu et specie et cultu reorum. *Apul.* 9. *Met.* Repente intra pistrinum mulier, reatu miraque tristitie deformis, apparuit.

RĔAUDĬO, is, ire, a. 4. iterum audire. *Gloss. Placid.* (ed. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 497.). Resultare dicuntur vocum sonitus, id est reaudiri.

RĔBAPTIZĀTĬO, ōnis, f. 3. secundus baptismus. *Augustin. Ep.* 203. Sed illo absente, quum diaconi rebaptizatio recens esse dicitur etc.

RĔBAPTIZĀTOR, ōris, m. 3. *ribattezzante,* qui iterum baptizat. *Augustin. serm.* 46. *de pastor. in Ezech. n.* 37. Abundare audio rebaptizatores in Africa.

RĔBAPTIZO, as, are, a. 1. rursus baptizo. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 1. 6. 2., *Augustin. Ep.* 203. *ad fin.;* et *Hieronym. advers. Lucifer. n.* 23.

REBATUO, is, n. 3. iterum batuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 117.

RĔBELLĀTĬO, ōnis, f. 3. *ribellazione, ribellione, ἀποστασία,* rebellio. *Tac.* 14. *Ann.* 31. Commotis ad rebellationem Trinobantibus. *Alii leg.* rebellionem. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 9. *extern.* Quum Tusculani crebris rebellationibus meruissent, ut etc.

RĔBELLĀTRIX, īcis, f. 3. *ribellatrice,* quæ rebellat. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 47. Teque, rebellatrix, tandem, Germania, magni Triste caput pedibus supposuisse ducis. *Liv.* 40. 35. *ad fin.* Provincia ingenio ferox, rebellatrix.

RĔBELLĀTUS, a, um. *V.* REBELLO.

RĔBELLĬO, ōnis, f. 3. *ribellione, ἀποστασία,* actus rebellandi, defectio, repugnantia. *Cæs.* 4. *B. G.* 38. Legatum in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit. *Sueton. Cal.* 51. Audita rebellione Germaniæ. *Id. Vesp.* 1. Rebellione trium principum et cæde incertum diu et quasi vagum imperium suscepit. *Liv.* 8. 14. Crimen rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum. *Tac.* 11. *Ann.* 19. Semina rebellionis præbere. *et* 3. *ibid.* 40. Rebellionem cœptare. *et* 1. *ibid.* 55. parare. *et* 2. *Hist.* 11. comprimere.

RĔBELLĬO, ōnis, m. 3. *ribelle,* rebellis. *Trebell. Poll. Salonin.* 1. Fuisse et alios rebelliones sub eodem, de quibus dicemus. *Alii leg.* alias. *Faustina in epist. ad M. Antonin.* apud *Vulcat. Gallican. Avid. Cass.* 9. Hortor, ut si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrime persequaris. *Vopisc. Prob.* 9. Ex Libya Carthaginem transiit eamdemque a rebellionibus vindicavit. Adde *Jornand. Get.* 53. *ad fin.* Et *Gloss. Philox.* Rebellio, *ἀποστάτης* et *ἀπόστασις.*

RĔBELLIS, e, adject. (re *et* bellum) qui semel victus et in deditionem acceptus bellum renovat: item qui reipublicæ aut principis sui imperium detrectat, *ἀποστάτης, ἀποστατικός* (It. *ribelle,* Fr. *celui qui recommence la guerre, rebelle, qui se révolte, qui se soulève;* Hisp. *qui se volve à empezar la guerra, rebelde;* Germ. *der d. Krieg erneuert, - wieder aussteht, widerspänstig, ausrührerisch;* Angl. *making war afresh, rebellious, revolting, rebelling*).

I.) Proprie. — *a*) Cum addito nomine. *Virg.* 12. *Æn.* 185. nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent. *Id.* 6. *ibid.* 858. sternet Pœnos Gallumque rebellem. *Curt.* 8. 1. 35. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem et non modo indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. *Ovid.* 15. *Met.* 754. Numidasque rebelles Ciniphiumque Iubam - populo adjecisse Quirini. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 213. opportunam motu strepuisse rebelli Gaudet perfidiam. — *b*) Absolute. *Tac.* 1. *Ann.* 40. Arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebelles auxilium. *et* 2. *ibid.* 26. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes - internis discordiis relinqui.

II.) Translate et urbane. *Ovid. Remed. am.* 246. Inferet arma tibi sæva rebellis Amor. *Stat.* 1. *Theb.* 35. Nec furiis post fata modum, flammasque rebelles Seditione rogi. (V. 12. *ibid.* 429). *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 155. detrectat onus cervice rebelli. *Trebell. Poll. Claud.* 11. Omnes, qui rebelles animos extulerant, conducto exercitu rapit atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico deputandos.

RĔBELLĬUM, ii, n. 2. idem ac rebellio. *Liv.* 42. 21. Et pacatos ad rebellium incitasset. Hanc vocem exhibet etiam *Thesaur. nov. Latinit.* ed. *A. Maio p.* 509. Rebellium, discordia.

RĔBELLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re *et* bellum). Part. *Rebellans* I. et II.; *Rebellatus* et *Rebellaturus* I. — Rebello est idem ac bellum resumo, renovo; descisco, deficio: et proprie di-

citur de iis, qui, aliquando victi et in deditionem recepti, ad arma redeunt, ἀφηνιάζω (It. ribellarsi, ribellare; Fr. reprendre les armes, se révolter, se soulever; Hisp. tomar de nuevo las armas, rebelarse, sublevarse, levantarse; Germ. den Krieg wieder erneuern, wieder austehen; Angl. to wage war again, rebel, revolt, rise up against).

I.) Proprie. *Auct. B. G.* 8. 44. Si diversis in locis plures rebellare cœpissent. *Liv.* 8. 14. In Veliternos, quod toties rebellassent, graviter sævitum. *Id.* 33. 12. *sub fin.* Si elapsus foret, mox gravius rebellaturum. *Justin.* 11. 2. 4. Multas gentes rebellantes compescuit. *Sueton. Aug.* 21. Neque aut crebrius aut perfidiosius rebellantes graviore unquam ultus est pœna. — *Val. Max.* 9. 10. *n.* 1. M. Flavius tr. pleb. ad populum de Tusculanis retulit, quod eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellatos diceret. *Codd. MSS. habent* rebellaturos, *sed manifesto errore.* — Poetice *Ovid.* 13. *Met.* 617. ab illo Memnonides (*aves*) dictæ; quum sol duodena peregit Signa, parentali perituræ Marte rebellant.

II.) Translate et urbane. *Seneca Œdip.* 106. ille dirus callidi monstri cinis in nos rebellat. *Id. Agam.* 137. Fessus quidem et dejectus et pessundatus pudor rebellat. *h. e.* reluctat, et turpi cupidini rursus adversatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 109. (174). Credunt, ea herba rursus sata, rebellare, quæ curaverint, vitia. *h. e.* redire, renasci. *Id.* 26. *ibid.* 1. 3. (3). Ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. *h. e.* morbo tædii pleno rursus erumpente. *Id.* 13. *ibid.* 12. 25. (81). *de charta facienda.* Rebellat sæpe humor incuriose datus primo. *h. e.* resistit et reluctatur, quo minus perscribi possit.

RĒBĬLIS, e, adject. (reor) cogitatus. *Gloss. Philox.* Rebile, οἰητόν.

RĔBĬTO, is, ere, n. 3. *ritornare,* redeo: a *re,* et *beto, is. Plaut. Capt.* 2. 3. 18. Ita convenit inter me atque hunc, Tyndare, ut te æstimatum in Alidem mittam ad patrem: si non rebitas huc, ut viginti minas dem pro te. *et ibid.* 49. Si hinc rebito, faciam, ut etc. Adde *eumd. ibid.* 3. 5. 89.

RĔBŎĀTUS, us, m. 4. reboandi actus. *Capell.* 2. *p.* 46. Multusque præterea palliatorum (*h. e.* philosophorum) populus studiis discrepantibus dissonabat; qui quidem omnes inter Musarum carmina concinentium audiri, licet perstreperent, nullo potuere reboatu. *Kopp.* ex quibusd. Codd. ita legit; at *Grotius* et alii *rabulatu.*

RĔBŎO, as, are, n. 1. (re *et* boo) resono, remugio, boatum reddo, *rimbombare, risonare,* ἀντιβοάω. — *a*) Absolute. *Catull.* 62. 21. Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant. *Virg.* 3. *G.* 223. reboant silvæque et magnus Olympus. *Claudian. VI. cons. Honor.* 615. Assensuque cavæ sublatus in æthera vallis Plebis adoratæ reboat fragor. *Sil. It.* 17. 252. Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare Fulmina. *Val. Flacc.* 3. 634. reboatque superbis Comminus ursa lupis. *Ammian.* 17. 7. *extr.* Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos. — *b*) Cum Accus. *Lucret.* 2. 28. Nec citharæ reboant laqueata aurataque tecta. *Sic legit* Lachmann; *alii* citharis. Rursus *Lucret.* 4. 544. Et reboat vacuum regio cita barbara bombum. *Alii aliter. V.* Lachmann. ad *h. l. Nemesian.* 1. *Ecl.* 72. Silvestris nunc te platanus, Melibœe, susurrat: Te pinus: reboat te quidquid carminis echo Respondet silvæ.

RĔBULLĬO, is, ivi, ire, 4. (re *et* bullio). — Rebullio

A) Neutrorum more est idem atque iterum bullio, ebullio. *Apul.* 9. *Met.* Vinum in omnibus doliis ferventi calore, et prorsus ut igni copioso subdito, rebullire.

B) Active, ebulliendo ejicio. *Apul.* 1. *Met.* Quum ille, impetu teli præsecata gula, vocem, imo stridorem incertum per vulnus effunderet, et spiritum rebulliret. *et* 5. *ibid.* Lucerna fervens oleum rebullivit in ejus humerum.

RĔBURRUS, a, um, adject. idem atque hispidus, ut definitur in *Gloss. Isid.*: fortasse est a *burrus* pro *birrus, h. e.* multum pilosus. *Thesaur. N. Latinit.* ed. ab *A. Majo* in *Class. auct. T.* 8. *p.* 509. Reburrus, hispidus, cujus primi capilli ceteris altius horrescunt. *Augustin. contr. Faust.* 6. 1. Calvum ac reburrum et similis notæ hominem non constituere sacerdotem. Cf. *Vulgat. interpr. Levit.* 13. 41. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

RECALCEO *et* recalcio, as, a. 1. iterum calceo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 129.

RĔCALCĪTRO, as, are, n. 1. Part. *Recalcitrans* II. — Recalcitro, *ricalcitrare,* ἀνζλακτίζω idem quod calcitro: hoc est calcem impingo, calce ferio, repugno, resisto. Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 20. Cui (*Augusto*) male si palpere, recalcitrat undique tutus. *Ammian.* 14. 7. 14. Ut rebelles et majestati recalcitrantes Augustæ. *Id.* 15. 7. 9. Aperte recalcitrans imperatoris arbitrio. Adde *eumd.* 22. 11. 5. et 28. 1. 32.

RĔCALCO, as, are, a. 1. (re *et* calco). Part. *Recalcatus* II., *Recalcandus* I. — Recalcare est rursus calcare, *ricalcare,* παλιμπατέω.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 19. Si velis scrobibus egestam humum recondere et recalcare. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 9. 75. Limen recalcandum patet.

II.) Translate. *Cod. Theod.* 16. 6. 4. In tantum sceleris progressi dicuntur, ut baptisma, mysteriis recalcatis, temeritate noxia iterarent.

RĔCĂLĔFĂCĬO, facis etc. *et*

RĔCĂLĔFACTUS, a, um. *V.* RECALFACIO.

RĔCĂLĔO, les, lŭi, lere, n. 2. Particip. *Recalens* I. et II. — Recaleo, ἀναθέρομαι, rursus vel valde caleo.

I.) Proprie. *Virg.* 12. *Æn.* 35. recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine. *Flor.* 4. 2. *circa med.* Acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere. *Paulin. Nolan. carm.* 8. 397. exstinctæ recalent vestigia flammæ. *Seren. Sammon. c.* 48. *p.* 69. ed. *Ald.* Velleraque infuso recalentia sulphure sanant.

II.) Metaphorice. *Ammian.* 22. 16. 17. Nondumque apud eos penitus exaruit musica, nec harmonica conticuit, et recalet apud quosdam adhuc licet raros consideratio mundani motus et siderum. *Id.* 28. 1. 7. Recalebant in auribus ejus parentis effata. *Auson. Profess.* 7. 15. Nunc quoque in nostris recales medullis, Blande Leonti. *Cassiod.* 3. *Variar.* 6. In auditorii officina ingeniorum flamma recalente.

RĔCĂLESCO, scis, scere, n. 3. Perf. *recalui V.* in voc. præced. — Recalescere est rursus calescere, *riscaldarsi,* ἀναθερμαίνομαι.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Quod nostris quoque corporibus contingit, quum motu atque exercitatione recalescunt. *Prudent. Psychom.* 58. Tene, o venatrix hominum, potuisse resumptis Viribus exstincti capitis recalescere flatu?

II.) Translate. *Ovid. Remed. am.* 629. Quid juvat admonitu tepidam recalescere mentem? *Plin.* 7. *Ep.* 9. Recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque. *h. e.* rursus accendi et intendere animum ad scribendum.

RĔCALFĂCĬO, *per sync. a* rĕcălĕfăcĭo, facis, fēci, factum, făcere, a. 3. Part. *Recalefactus* et Pass. *Recalfio* I. — Recalfacere est rursus calidum facere, *riscaldare,* ἀναθερμαίνω.

I.) Proprie. *Ovid.* 8. *Met.* 444. calidumque prioris Cæde recalfecit consorti sanguine telum. *Scribon. Compos.* 271. Rursus recalfiunt. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. *ante med.* Statim recalefacto corpore.

II.) Translate. *Ovid.* 2. *Art. am.* 445. Fac, timeat de te, tepidamque recalface mentem.

RĔCALFĪO, fis, *V.* voc. præced. I.

RĔCALVASTER, stri, m. 2. *calvo sulla fronte,* ἀναφαλαντίας, qui fronte calvus est, non toto capite, ut dicitur etiam *Levit.* 13. 41. *Seneca Ep.* 66. *circa med.* Ut ex duobus æque justis et prudentibus comatum et crispulum malis, quam recalvastrum.

RĔCALVĀTĬO, ōnis, f. 3. ἀναφαλάντωμα, calvitium sincipitis. *Vulgat. interpr. Levit.* 13. 42. Sin autem in calvitio, sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus.

RĔCALVUS, a, um, adject. idem qui recalvaster. *Plaut. Rud.* 2. 2. 11. Ecquem recalvum ac silonem senem.

RĔCALX, alcis, adject. omn. gen. idem ac recalcitrans. *Commodian. Instruct.* 38. Improbi semper et dura cervice recalces.

RĔCANDENS, entis, particip. a *recandeo,* candens, calidus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 52. (137). Radios in se recandentes discutere. Ita edition. vet. 1470. et 1472., at his antiquior 1469. *Harduin.* et varior., probante *Sillig.*, *in se cadentes* multo rectius.

RĔCANDESCO, descis, *et* recandeo, des, dŭi, n. 3. vel 2. Part. *Recandens V.* in voc. præced. — Recandesco *et* recandeo

I.) Proprie. ¶ 1. Est idem atque candidus rursus fio, *rimbianchirsi,* ἀναλευκαομαι. *Ovid.* 4. *Met.* 529. percussa recanduit unda. *h. e.* candida facta est propter spumam, quam concitatum mare emittere solet. ¶ 2. Est etiam recalescere, denuo candentem, seu ignitum fieri, vel vehementer incalescere. *Id.* 1. *ibid.* 435. Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti Solibus ætheriis altoque recanduit æstu. *Id.* 7. *ibid.* 78. *de Medea.* Et rubuere genæ totoque recanduit ore. *Id. Remed. am.* 734. Flamma recandescet. *Alii leg.* redardescet.

II.) Translate ira recandescere dicitur, quum semel propemodum lenita rursus exasperatur. *Id.* 3. *Met.* 707. et audito clangore recanduit ira.

RĔCĂNO, nis, nere, n. 3. (re *et* cano) ἀναφωνέω. ¶ 1. Est alii cantanti vicissim reciproco cantu respondeo. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (102). *de perdice.* Adeoque vincit libido etiam fetus caritatem, ut illa furtim et in occulto recubans, quum sensit feminam aucupis accedentem ad marem, recanat revocetque et ultro præbeat se libidini. ¶ 2. Item incantationem retorqueo ac dissolvo. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (19). Non pauci etiam credunt serpentes ipsas recanere, et hunc unum illis esse intellectum, contrahique Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. *Alii minus recte leg.* recantari.

RĔCANTĀTUS, a, um, *V.* voc. seq.

RĔCANTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* canto). Part. *Recantatus.* — Recantare est cantando respondere, *ripetere cantando,* παλινῳδέω. *Martial.* 2. 86. Nusquam Græcula quod recantat echo. — *Horat.* 1. *Od.* 16. 25. nunc ego mitibus Mutare quæro tristia, dum mihi Fias recantatis amica Opprobriis animumque reddas. *h. e.* revocatis, laudes aut blanditias pro opprobriis reponendo. — *Ovid. Remed. am.* 259. Nulla recantatas deponent pectora curas. *idest* amores magicis carminibus repressos.

RĔCĂPĬTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (recapitulo) brevis eorum, quæ dicta sunt, per capita recensio, *ricapitolazione,* ἀνακεφαλαίωσις. *Eugen. Tolet. præf.* ad *Dracont.* Sex dierum recapitulationem singulis versiculis, quos olim condidi, denotavi. *Gennad. de vir. illustr.* 98. Quintus liber continet recapitulationem libri quarti. Sic *Cassiod. Instit. div. Litt.* 24. *in lemmate.* Recapitulatio generalis.

RĔCĂPĬTŬLO, as, are, a. 1. Part. *Recapitulans.* — Recapitulo, *ricapitolare,* ἀνακεφαλαιόομαι, breviter, quæ dicta sunt, per capita recenseo. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 17. Ut ita dixerim, sicut verbum illud in Græco sonat, recapitulare, idest ad initium redigere, vel ab initio recensere. Adde *advers. Jud.* 8.; et *Augustin.* 4. *Consens. Evang.* 25. Sic *Commodian.* 41. 19. Recapitulantes scripturas ex eo Judæi.

RĔCĂVĔO, căves, cāvi, cautum, căvere, n. 2. (re *et* caveo) vicissim caveo. *Imppp. Gratian., Valens et Theodos. Cod.* 9. 3. 2. Et in pœnam reciproci stilo trepidante recaverit.

RĔCĂVUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

RĔCĂVUS, a, um, adject. introrsum cavus. *Prudent. Psychom.* 421. Casus agit saxum, medii spiramen ut oris Frangeret, et recavo misceret labra palato. *Id.* 11. περὶ στεφ. 186. recavum speculum. *Paulin. Nolan. carm.* 28. 408. recava laquearia. Hinc

Rĕcăvum, i, n. 2. substantivorum more, quod

introrsus cavum est. *Avien. Phænom. v.* 1279. Recavum maris. τὸ κοῖλον τοῦ ὠκεανοῦ.

RĔCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (re et cedo) Part. *Recedens* I. 1. *a*, II. 1., 3. et 4.; *Recessus* in fin. *Recessurus*. I. 1. *b*. — Recedo est idem atque cessim cedo, ut ait *Plaut. Cas.* 2. 8. 7. *h. e.* retrorsum cedo, secedo, abscedo, me amoveo, me removeo, χάζομαι, ἀναχωρέω, ἀπέρχομαι (It. *camminare o farsi indietro, indietreggiare, ritirarsi, allontanarsi, scostarsi;* Fr. *marcher en arrière, se retirer, reculer, rétrograder, rebrousser chemin;* Hisp. *andar hácia atras, retroceder, retirarse;* Germ. *zurück-treten,- schreiten,- weichen,- gehen,- sich zurückziehen;* Angl. *to retire, withdraw, retreat, recede, give ground, fall back, depart, go from*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum additis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 4. Ego abs te procul recedam. *Id. Rud.* 3. 5. 7. Jube dum recedere istos ambos huc. *Id. Bacch.* 4. 1. 7. Recede hinc dierecte. *Id. Pœn.* 3. 2. 34. Pone nos recede. *Id. Amph.* 1. 1. 84. Nec recedit loco, quin statim rem gerat. *Virg.* 4. *G.* 191. Nec vero a stabulis, pluvia impendente, recedunt Longius. *Id.* 12. *Æn.* 290. Tyrrhenum Aulesten Adverso proterret equo: ruit ille recedens, Et miser oppositis a tergo involvitur aris In caput. *Cic. Rosc. Am.* 38. 112. Cur mihi te offers ac meis commodis officis? recede de medio. *Id.* 8. *Phil.* 7. 21. Non modo illum e Gallia non discessisse, sed ne a Mutina quidem recessisse. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Tertiæ cohortis centuriones ex eo, quo stabant, loco recesserunt. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 151. Tum pete nil aliud, sævo nisi ab hoste recedam. — Et impersonaliter. *Cæs.* 2. *B. C.* 30. Erant qui censerent, de tertia vigilia in castra Corneliana recedendum. *Liv.* 24. 41. Ita ab Illiturgi recessum est. — *b*) Absolute. *Petron. Satyr.* 85. Forte quum in triclinio jaceremus, quia dies solemnis ludum arctaverat, pigritiamque recedendi imposuerat hilaritas longior. *di ritirarsi in camera a dormire*, secedendi in suum quemque cubiculum. *Ovid. Ib.* 239. Jamque recessuræ viridi de stipite factas Admorunt oculis usque sub ora faces. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro discedere, abire, *partire, andarsene*. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Hæc effatu' pater, germana, repente recessit. *Cic.* 2. *Att.* 13. Tu-advola in Formianum; unde nos pridie Non. Mai. recedere cogitamus. *Orellius tamen* τὸ recedere *omittit*. *Ovid.* 9. *Met.* 700. monuit, thalamoque recessit. *Auct. B. G.* 8. 27. Ex eo loco cum copiis recedit. *Nepos. Chabr.* 3. Recedere a conspectu suorum. *Plin. Paneg.* 61. Modo lictores abire jusserant; revocent: modo gratulantes amici recesserant, revertantur. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 13.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., usurpatur de inanimis. *Cic. Planc.* 6. 15. Ut undæ ad alios accedant, ab aliis recedant. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 113. Audebit Verba movere loco, quamvis invita recedant. *Id. Art. P.* 175. Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt. *Plin. Paneg.* 2. *sub init.* Quare abeant ac recedant voces illæ, quas metus exprimebat. *Lucret.* 4. 695. penitus fluere atque recedere rebus odores. *Stat.* 11. *Theb.* 73. quantumque profundæ Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit. ¶ 2. Speciatim navigantibus recedere videntur loca, a quibus ipsi recedunt. *Virg.* 3. *Æn.* 72. Provehimur portu: terræque urbesque recedunt. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 466.; *Val. Flacc.* 2. 8.; *Sil. It.* 3. 157.; *Stat.* 1. *Theb.* 549. ¶ 3. Item speciatim de iis, quæ interiore, reductiore, a nobis remotiore loco sita sunt. *Virg.* 2. *Æn.* 300. secreta parentis Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit. *Catull.* 64. 43. quacumque opulenta recessit Regia. *h. e.* quoscumque recessus et cubicula regia habuit. *Curt.* 4. 1. 1. Maritimam tum oram et pleraque longius etiam a mari recedentia rex ejus insulæ Strato possidebat. — Huc pertinent illa *Plinii* 5. *Hist. nat.* 12. 13. (66). Syria, Palæstina vocatur, qua contingit Arabas: et qua recedit intus, Damascena. *Seneca Consol. ad Marc.* 18. Litora in portum recedentia. et *Plin.* 4. *Hist. nat.* 10. 17. (33). Macedonia ad Epiroticas gentes in solis occasum recedens. et 3. *ibid.* 10. 15. (95). Magna Græcia in tres sinus recedens Ausonii maris. *Id.* 6. *ibid.* 8. 8. (24). Gens Cappadocum longissime Ponticarum omnium introrsus recedens. — Huc pertinent etiam illa *Quintil.* 2. 17. 21. Pictor vi artis suæ efficit, ut quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus. *Plin.* 3. *Ep.* 6. *de signo senis simili.* Pendent lacerti, papillæ jacent, recessit venter. *Justin.* 24. 6. 8. Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et resonantibus inter se rupibus multiplex audiri solet. *Ovid.* 15. *Met.* 311. Admotis Athamanis aquis accendere lignum Narratur, minimos quum Luna recessit in orbes. ¶ 4. De iis, quæ disjunguntur et separantur, *staccarsi, separarsi*. *Cels.* 8. 7. In aliis ossibus ex toto sæpe fragmentum a fragmento recedit. *Lucan.* 8. 674. trunco cervix abscisa recessit. *Ovid. Heroid.* 16. 153. Ante recessisset caput hoc cervice cruenta, Quam tu de thalamis abstraherere meis. *Id.* 2. *Pont.* 8. 65. Nam caput e nostra citius cervice recedet. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 8. 9. (22). Recedentes ab ossibus carnes. *Id.* 19. *ibid.* 5. 23. (67). Melopepones maturitatem adepti, quamquam non pendentes, statim a pediculo recedunt. ¶ 5. Urbane et translate. *Virg.* 4. *Æn.* 704. omnis Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. *h. e.* abiit, evanuit. *Lucan.* 7. 688. spes nunquam implenda recessit. *svanì.* et *Stat.* 3. *Silv.* 5. 55. sic nunquam corde recedit Nata tuo. *mai non ti s'allontana dal cuore.* et *Plin.* 9. *Ep.* 5. A quo vitio tu longe recessisti. *Nepos Alcib.* 8. Recedere a caritate patriæ. *Lucan.* 9. 10. 56. a vera pietate. *Cic.* 3. *Off.* 4. 19. ab officio. *Id. Quinct.* 21. 67. ab usitata consuetudine. *Id. Cæcin.* 20. 58. Ut longius a verbo recedamus, ab æquitate ne tantulum quidem. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. Recedere ab armis. *depor le armi.* et *Auct. B. G.* 8. 40. ab oppugnatione. *desistere.* *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 40. Recedere a vita, *morire.* et *Plaut. Merc. prol.* 73. Postquam recesset vita patrio corpore. *h. e.* pater mortuus esset. *recesset*, syncope pro *recessisset*. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 64. quodcumque recedit Litibus, incumbit studiis. — Passive impersonaliter. *Neratius Dig.* 2. 14. 57. Ab emptione, venditione quin recedi possit, dubium non est. *Paul. ibid.* 20. 6. 10. Si ex venditione recessum fuerit. — Hinc

Recessus, a, um, particip. idem ac recedens, remotus, *ritirato;* unde Comp. *Recessior* apud *Vitruv.* 5. 8. Ampliorem habent orchestram Græci et scænam recessiorem.

RĔCELLĬCLUNÆ, *V.* voc. seq. sub *B*.

RĔCELLO, is, ĕre, 3. a κέλλω *moveo*, est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrorum more, recellere est reclinare, ut *Festus p.* 274. 31. *Müll.* exponit (quocum cf. *Paul. Diac. p.* 275. 11.), reflecti, retro moveri, retrahi, recedere, It. *inchinarsi, muoversi o tirarsi indietro*. *Lucret.* 6. 572. *de terræ motu.* inclinatur enim retroque recellit, Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes. *Liv.* 24. 34. In eas naves, tollenone super muros eminente, ferrea manus firmæ catenæ illigata, quum injecta proræ esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, suspensa prora, navim in puppim statuebat.

B) Active est reclinare, reflectere, retrahere. *Apul.* 6. *Met.* Pavidus et repentina facie conterritus, totum corporis pondus in postremos poplites recello, arduaque cervice sublimiter elevata etc. — *Recellere nates* ἐν τῇ συνουσίᾳ, est apud *eumd.* 10. *Met.* Et ob id *recelliclunas* vel *recelliclunias* dictas ajunt a *Plauto* apud *Fest.*, nescio quo loco, meretrices. Et afferunt quidem *Plauti* locum *Pœn.* 1. 2. 53. An tibi vis inter istas versarier etc.: sed nullum ibi hujus vocis vestigium.

RĔCENS, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

RĔCENS, centis, adject. Abla sing. num. est plerumque *recenti;* sed *recente* legitur apud *Catull.* 63. 7. et *Ovid.* 4. *Fast.* 346. — Gen. plur. num. *recentum* legitur apud *Horat.* 1. *Od.* 10. 2., apud alios vero *recentium*. — Comp. *Recentior* I. 1. *a.* et 2. *a. c.* et 3. *c.*, et II.; Sup. *Recentissimus* I. 1. *a.* et *b.* — Recens τῷ *veteri* opponitur, et est nuper factus, qui nuper accidit, novus, νεαρός (It. *fresco, nuovo, recente;* Fr. *frais, jeune, récent, nouveau, neuf;* Hisp. *fresco, reciente, nuevo;* Germ. *frisch, jung, neu;* Angl. *new, fresh, newly or lately made ordone, recent*).

I.) Proprie. — 1.) Absolute. — *a*) Generatim. *Plaut. Asin.* 1. 3. 26. nequam est (*piscis*), nisi recens. Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias etc. *Varro* 3. *R. R.* 12. 4. *de leporib.* Fit sæpe, quum habent catulos recentes, alios ut in ventre habere reperiantur. *di fresco nati.* *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quod si veteris contumeliæ oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum memoriam deponere posset? *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 39. Aliter ferunt inveterata, aliter recentia. *Id. Mur.* 8. 17. Non modo antiquis illis fortissimis viris, sed his recentibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Recentibus cæspitibus tabernacula constrata. *et* 5. *B. G.* 47. *ad fin.* Hostes recenti victoria efferri sciebat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Apud Regillum, bello Latinorum, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt: et recentiore memoria iidem Persen victum nunciaverunt. *Id.* 8. *Att.* 15. Recentissima tua est epistola calendis data. *Ovid.* 3. *Art. am.* 627. Lac recens. *Id.* 5. *Fast.* 123. Recentes herbæ. *h. e. colte di fresco.* et 4. *ibid.* 346. Recens flos. *Virg.* 1. *Æn.* 421. recentia serta. *Propert.* 4. 6. 7. Recentes aræ. *h. e.* recentibus herbis ac floribus ornatæ. *Ovid. Heroid.* 13. 145. ferens dominæ mandata recentia secum. *Id.* 8. *Met.* 488. et *Seneca Herc. Fur.* 722. Recentes animæ. *h. e.* quæ, modo a corporibus sejunctæ, ad Inferos descenderunt. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 846. — Neutrum *recentissimum* absolute apud *Liv.* 26. 13. Jam e memoria excessit, quo tempore et in qua fortuna Hannibalem vocaverimus ad opprimendos eos (*Romanos*)? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? — *b*) Speciatim. *Recens aqua*, recenter hausta atque adeo frigida. *acqua fresca.* *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 56. Illa recens pota est, nostra tepescit aqua. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 7. Quam recentissimi rigoris aqua infusa. *Lucret.* 2. 319. herbæ gemmantes rore recenti. — *c*) Item fluens, *corrente*, quia semper nova supervenit. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 4. Modus ille aquæ jacentis infra libram maris, non aliter exprimitur, quam si major recentis freti vis incesserit. — *d*) *Recens vinum* est novum, et *veteri* opponitur apud *Scribon. Compos.* 271. Hinc *novum* opponit *veteri* etiam *Cic. Brut.* 83. 287. — *e*) *Recens mustum* appellatur, quod ita servatur, ut dulce semper tamquam recens permaneat. *Colum.* 12. *R. R.* 29. 1. *V.* RECENTARIUS. — *f*) *Recens sanguis*, modo effluens. *Catull.* 63. 7. recente terræ sola sanguine mane maculans. — *g*) *Recens sol*, oriens. *Pers.* 5. 54. Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper. *h. e.* in regione orientali. — *i*) *Recens toga* apud *eumd.* 1. 15. est *nuova.* — *h*) *Recens locus*, ubi quid modo factum est. *Virg.* 9. *Æn.* 455. tepidaque recentem Cæde locum. *Alii leg.* tepidumque recenti Cæde locum, teste *Servio.* — 2.) Cum additis; scilicet — *a*) Recens ab aliqua re. *Varro* 2. *R. R.* 8. 2. Pullum asininum a partu recentem subjiciunt equæ. *Virg.* 6. *Æn.* 450. recens a vulnere Dido. *Cic.* 16. *Att.* 7. *sub init.* Rhegini quidam Roma sane recentes. *giunti di fresco da Roma.* *Id.* 3. *Nat. D.* 5. 11. Tyndaridæ, quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone. *Seneca Ep.* 90. *sub fin.* Non tamen negaverim, fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a Diis recentes. *h. e.* ab illis conditos, non propagatos ab aliis hominibus. *Id. Provid.* 3. Inter multa magnifica Demetrii nostri et hæc vox est, a qua recens sum: sonat adhuc et vibrat in auribus meis. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. *ad fin.* Tu prior lege:

et siquis insit barbarismus, tu, qui a Græcis litteris recentior es, corrige. — *b*) Recens e loco aliquo. *Cic.* 2. *Verr.* 2. 5. Quum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret. *Tac.* 2. *Hist.* 26. Timuisse se, Paullinus ferebat, tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens a castris fessos aggrederetur. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 16. Ficos virides et poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. — *c*) *Recens in dolore*, qui nuper dolere cœpit, et novus in dolore est. *Cic.* 2. *Herenn.* 7. 10. Dolori credi non oportere, quod alius alio recentior sit in dolore etc. *Tac.* 3. *Ann.* 1. *extr.* Comitatum Agrippinæ, longo mœrore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant. — Et omissa præposit. Recens dolore et ira, *Id.* 1. *ibid.* 41, *extr.* — *d*) Cum Ablat. sine ulla præpos. *Virg.* 6. *Æn.* 674. prata recentia rivis. *Val. Flacc.* 6. 415. Hinc Veneris thalamos semperque recentia sertis Tecta petit. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Recens victoria miles et, super insitam pervicaciam, secundis ferox. *Id* 15. *Ann.* 59. Donec manus militum veniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat. *et* 4. *ibid.* 52. Is recens prætura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere etc. *Id.* 3. *Hist.* 19. Cumulos super et recentia cæde vestigia incessere. — 3.) Notandæ sunt et sequentes dicendi rationes. — *a*) *Recenti re*, dum adhuc res aut negotium recens est. *Plaut. Trin.* 4. 3. 8. Recipe te, et recurre petere, re recenti. *Cic.* 3. *Verr.* 53. 139. Mustius dixisset, si viveret: sed pro Mustio, recenti re, de Mustio auditum dixit L. Domitius *et ibid.* 39. 101. Datam quidem esse pecuniam, inter omnes, recenti negotio, facile constabat. — *b*) *In recenti*, in recenti tempore, *di fresco*. *Modestin. Dig.* 48. 19. 25. Non eo modo puniendos eos, qui longo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recenti sententiam recipiunt. *Ulp. ibid.* 42. 6. 15. In recenti addita hereditate. — *c*) *Recentiores*, auctores, scriptores, qui nuper scripserunt, *i moderni*. *Cic.* 2. *Fin.* 26. 82. Attulisti aliud humanius horum recentiorum. *scil.* philosophorum. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 16. 30. (103). Glessariæ, quas Electridas Græci recentiores appellavere. *Id.* 28. *ibid.* 17. 72. (238). Recentiores cinerem ejus ex aqua bibunt.

II.) Translate. *Recens* est viribus integer, quasi qui recenter ad laborem accedit. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. et 7. *ibid.* 25. Integri et recentes defatigatis succedebant. *Id.* 7. *ibid.* 48. *extr.* Spatio pugnæ defatigati non facile recentes atque integros sustinebant. *Auct. B. Afr.* 78. *a med.* Sauciis ac defatigatis integros recentioribusque viribus equites subministrare. *Justin.* 6. 4. 13. Agesilaus restituto prœlio non difficulter recenti et multis expeditionibus indurato milite hostibus victoriam eripuit. *Ovid.* 2. *Met.* 63. (et *Liv.* 38. 25. *sub fin.*) Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enitantur equi. *Liv.* 21. 52. Consul alter prœlio et vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentis animi alter eoque ferocior nullam dilationem patiebatur. *Plin. Paneg.* 23. *a med.* Quæ circumstantium gaudia! quam recens clamor! *h. e.* vigens et fortis et recentibus viribus editus. — Hinc

Recens adverbii ritu, recenter, modo, nuper, *di fresco, poco fa, recentemente, di nuovo*, νέον. *Lucret.* 2. 416. quum scæna croco Cilici perfusa recens est. *Plaut. Cist.* 1. 2. 16. Puerum alicunde ut reperirem sibi recens natum. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 3. *G.* 155. Coria recens detracta. *Virg. loc. cit.* armentaque pasces Sole recens orto, *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 9. Ecce recens dives, parto per vulnera censu, Præfertur nobis sanguine pastus eques. *Liv.* 2. 22. Recens ad Regillum accepta calamitas. *Sueton. Tib.* 1. Romam recens conditam commigravit. *Tac.* 2. *Hist.* 10. Recens censuerant patres, ut etc.

Homonym. Quomodo *recens* a *novo* differat, in ea voce dictum est.

RĔCENSĔO, censes, censŭi, censĭtum *et* censum, censere, a. 2. (re *et* censeo). Præter. *Recensivit* legitur in *Auct. Gromat. p.* 356. *Goes.* et *p.* 348. *Lachmann.* In locis montanis terminos posuimus rotundos, quos Augusteos vocamus pro hac ratione, quod Augustus eos recensivit. Part. *Recensens* II. 3.; *Recensitus* et *Recensus* et *Recensendus* I. — Recensere est recognoscere, summam totius multitudinis per numeros colligere, ἐπιλέγομαι, ἐξαριθμέω (It. *riconoscere, fare la rassegna, contare*; Fr. *passer en revue, parcourir, recenser, reconnaître*; Hisp. *pasar la revista, recorrer, reconocer*; Germ. *ganz durchzählen, durchgehen, durchmustern, untersuchen*; Angl. *to riview, survey, muster, count, enumerate, number, tell over*).

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 681. omnemque suorum Forte recensebat numerum carosque nepotes, Fataque fortunasque virûm moresque manusque. *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Coactis equitum octo millibus et peditum circiter ducentis quadraginta. Hæc in Æduorum finibus recensebantur, numerusque inibatur. *Liv.* 1. 16. Quum ad exercitum recensendum contionem haberet. *Id.* 26. 49. Acceptis nominibus civitatum, recensuit captivos, quot cujusque populi essent. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Tonsuris interesse, et vellera ad numerum pecoris recensere. *et* 11. *ibid.* 1. 21. Vestem servitiorum et ferramenta bis singulis mensibus recensere. *Ovid.* 13. *Met.* 932. Recensere captivos ordine pisces. — Part. *Recensitus* apud *Sueton. Cæs.* 41. Instituit, quotannis in demortuorum locum ex iis, qui recensiti non essent, subsortitio a prætore fieret. *Alii leg.* recensi. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 60. Prisca recensitis evolvite sæcula fastis. Apud *Prudent. Apoth.* 1069. est *recensetus*. Stirpe recenseta numerandus sanguinis heres. Opt. tamen editiones habent *recensita*. — Part. *Recensus* apud *Sueton. Vesp.* 9. Amplissimos ordines supplevit, recenso senatu et equite. *Alii leg.* recensito. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 5. *ante med.* Ordo episcoporum ad originem recensus. — *Sil. It.* 10. 450. Lustrabat campos, et sævæ tristia dextræ Facta recensebat, pertractans vulnera visu, Hannibal. *Ovid.* 3. *Fast.* 575. Signa recensuerat bis sol sua, tertius ibat Annus.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro retractare, emendare, *rivedere, correggere*. *Gell.* 17. 10. Quæ procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur. ¶ 2. Item pro meditari, considerare, examinare. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 20. Fulgentesque plagas rerumque elementa recenses. *Ovid.* 13. *Met.* 481. Troades excipiunt (*Polyxenam mortuam*), deploratosque recensent Priamidas, et quid dederit domus una cruoris. ¶ 3. Item pro narrare, *raccontare*. *Ovid. Heroid.* 9. 105. I nunc, tolle animos et fortia facta recense. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 29. Dinumera fastos, nec parva exempla recense. — Cum Accus. et Infinito. *Curt.* 3. 3. 6. Vetera quoque omina, ut fert sollicitudo, revocaverant; recensebat enim, Dareum in principio imperii vaginam acinacis Persicam jussisse mutari in eam formam, qua Græci uterentur. — Absolute *Plin.* 1. *Ep.* 8. *ad fin.* Quod magnificum referente alio fuisset, ipso, qui gesserat, recensente vanescit.

RĔCENSĬO, ōnis, f. 3. *rassegna, ricognizione, descrizione*, κατάλεξις, ἀπαρίθμησις, actus recensendi, recensus et descriptio cujusvis multitudinis, ut populi in censu copiarum etc. *Cic. Mil.* 27. 73. Ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis, tabulis publicis (*censoriis*) impressam, exstingueret. *Sueton. Cæs.* 41. *ad fin.* Ne qui novi cœtus recensionis causa moveri possent.

RĔCENSĪTĬO, ōnis, f. 3. *annoveramento*, ἀπαρίθμησις, recensio, recensus. *Ulp. Dig.* 10. 4. 3. *ante med.* Recensitione servorum facta.

RĔCENSĪTUS, a, um, et

RĔCENSUS, a, um, particip. *V.* RECENSEO.

RĔCENSUS, us, m. 4. idem ac recensio. *Sueton. Cæs.* 41. Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit. *Tertull. Anim.* 58. Vitæ recensus. Adde *Epit. Livii* 115., ubi alii male leg. *censum*.

RĔCENTĀRĬA, æ, f. 1. *Gloss. Philox.* Recentaria, νεαροφόρος. *h. e.* quæ vinum recentatum fert seu vendit. *V.* vocem seq.

RĔCENTĀRĬUS, ii, m. 2. qui vendit vinum recentatum, *h. e.* nive refrigeratum, de quo ita *Alex. Trallian. l.* 11. *c.* 1. *n.* 17. Τῶν δὲ προπομάτων ἀπεχέσθωσαν ποδαγρικοί. εἰ δὲ ἄρα ἡδέως ἔχοιεν, λαμβανέτωσαν ἢ ῥοσάτου, ἢ ἀψινθάτου, ψυχρίζοντες ὡσαύτως, καθάπερ εἰώθασι ποιεῖν οἱ Ῥωμαῖοι τὸ καλούμενον ῥαικεντάτονε Hujusmodi vinum esse videtur, quod simili voce nunc Itali *razzente* vel *piccante* vocant; minime vero quod *recens mustum* Romani appellaban. (*V.* RECENS sub I. 1. *e.*): quum ex allato *Alex. Tralliani* loco appareat, podagricis non dulcia vina, sed austera, quale est rosatum et absinthites, commendata fuisse. *Inscript.* Christiana, abhinc paucis annis Mediolani reperta, edita vero a *Jo. Labusio* in *Monum. epigraf. Ambros. p.* 35. *n.* 3. B. ☧ M. HIC POSITVS EPOLITVS, QVI VIXIT AN. P. M. LXXXV. M. V. D. XV., FILIVS EIVIVS (*h. e.* ejus) RECENTARIVS DOLENS POSVIT CONTRA VOTVM: DEP. X. KAL. DEC.

RĔCENTĀTUS, a, um, particip. a *recento, rinnovato*, recens factus. *V.* vocem præced.

RĔCENTER, adverb. (Sup. *Recentissime*) *di fresco, ultimamente, poco fa*, νεωστί, nuper, recens. *Pallad.* 1. *R. R.* 26. Turdi recenter capti. *Id.* 5. *ibid.* 4. *ad fin* Recenter lecta poma. *Justin.* 30. 4. 8. Res recentissime gestæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (192). Quam recentissima stercorato solo.

RĔCENTO, as, are, a. 1., *vel*

RĔCENTOR, āris, ari, dep. 1. (recens) est idem ac renovare vel renovari, *rinnovare o rinnovarsi*, ἀνανεόω. *Non. p.* 167. 18. *Merc.* Recentari nove positum pro renovari, quod est Græce ἀνανεοῦσθαι. Cn. Mattius: Jam jam albicascit Phœbus, et recentatur Commune lumen omnibus voluptasque. Citat et *Gellius* 15. 25.

RĔCENTŌRĬCUS, a, um, adject. qui recens excultus est, ut Recentoricus ager Siciliensis, *h. e.* ager publicus populi Romani, in Sicilia apud *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 10. et 2. *ibid.* 21. 57. *Lex agrar.* apud *Auct. Rei agr. p.* 357. Excepto agro recentorico Siciliensi.

RĔCEPTĀBĬLIS, e, adject. qui recipit, *suscettibile*. *Ambros. Ep.* 6. 39. Quum aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile.

RĔCEPTĀCŬLUM, i, n. 2. (recepto) ¶ 1. Generatim est quidquid rem aliquam in se recipit, ἐκδοχεῖον (It. *ricetto, ricettacolo*; Fr. *réservoir, réceptacle, magasin*; Hisp. *receptáculo, almazen, almagazen*; Germ. *Behältniss, Aufenthalsort, Magazin*; Angl. *a receptacle, place to receive or keep things in; a storehouse*). *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 52. Corpus quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Sed quum alvi natura subjecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum. *Liv.* 1. 56. Cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis, sub terram agendum. *Vitruv.* 8. 7. Collocentur in castello tres fistulæ intra receptacula conjuncta; uti quum abundaverit ab extremis, in medium receptaculum (*aqua*) redundet. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 286. LANIA M. F. CELERINA RECEPTACVLVM AQVAE INCHOATVM AB AMARANTHO LIBERTO SVO CONSVMMAVIT. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (100). Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde valentur. *Tac.* 2. *Ann.* 61. Superfluentis Nili receptacula. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 4. Avium receptacula. *et ibid.* 1. 3. Aquatilium animalium receptacula. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. 2. Olei receptaculum. — Cum Dat. *Tac. Germ.* 16. Subterranei specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus. ¶ 2. Specialim idem est quod perfugium, id est locus, in quem quis se recipit, ut a vi aut injuria tutus sit. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Ne suis sint ad detrectandam militiam receptacula. *Cic. Pis.* 5. Receptaculum veterum Catilinæ militum. *ricovero, rifugio*. et *Tac.* 14. *Ann.* 29. Insula incolis valida et receptaculum perfugarum. *Id. Germ.* 46. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Adde *Liv.* 8. 11. Et *Justin.* 2. 4. 30. Receptaculum habuere castra sociorum.

Id. 9. 1. 2. Si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futurum, in potestatem redegisset. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 117. Mors est æternum nihil sentiendi receptaculum. Figurate *Ammian.* 30. 4. 9. Si simultatum levia senserint receptacula.

RĔCEPTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus recipiendi. *Ammian.* 20. 11. Receptatio spiritus. *Alii rectius leg.* reciprocatio.

RĔCEPTĀTŎR, ōris, m. 3. *ricettatore, chi serve di ricetto*, ὑποδέκτης, ἀνάδοχος, qui receptat: et sæpe in malam partem accipitur de iis, qui latrones ac fures eorumque furta, aut hostes receptant et defendunt. *Cic. Mil.* 19. 50. Ille latronum occultator et receptator locus. *Codd. tamen multi* receptor. *Flor.* 3. 10. Rhenus receptator hostium atque defensor. *Ulp. Dig.* 47. 9. 3. Non tantum qui rapuit, verum is quoque, qui recepit, tenetur: quia receptatores non minus delinquunt, quam aggressores. *Torrentin.* habet *receptores.* Adde *Marcian. ibid.* 47. *tit.* 16. *qui est* De receptatoribus, *l.* 1. et *Paul. ibid.* 1. 15. 3., quib. etiam locis *Haloand.* habet *receptores.* *V.* RECEPTOR.

RĔCEPTĬBĬLIS, e, adject. qui recipi potest. *Augustin.* 15. *Trinit.* 13. *ad fin.* Nostra scientia amissibilis est et receptibilis. *Vulgat. interpr. Eccli* 2. 5. In igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis.

RĔCEPTĪCĬUS et receptitius, a, um, adject. ἐξαίρετος, excepticius, quicquid in venditione aut quavis alia alienatione excipimus, et nobis reservamus, ut *recepticius servus*, qui est proprius nuptæ mulieris, quem illa sibi reservavit, quum dotem marito daret; quem vero una cum dote in mariti potestatem dedit, *dotalis* vocatur. Quoties enim mulier in danda viro dote, aliqua ex suis bonis retinet, nec ea ad virum transmittit, recipere ea dicitur. *Cato* apud *Gell.* 17. 6. Ubi irata facta est, servum recepticium sectari, atque flagitare virum jubet (*est qui leg. receptivum*), ubi *Verrius Flacc.* intelligit servum nequam et nulli pretii, qui quum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium receptusque sit: eodemque modo explicat *Festus.* Sed *Gell.* priorem interpretationem defendit: cui adde *Non. p.* 54. 12. *Merc.* — *Dos recepticia* est, quam quis in mortem mulieris a marito stipulatur, ut *Cajus* docet *Digest.* 39. 6. 31. § 2. Adde *Ulp. Regular. tit.* 6. § 5.

RĔCEPTĬO, ōnis, f. 3. *ricetto*, ἔκδεξις, actus recipiendi. *Plaut. Asin.* 5. 2. 70. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum! *h. e.* quare recipis ad te virum meum? Simile est illud *Curc.* 5. 2. 27. Quid istum tibi tactio est? *et Truc.* 2. 2. 3. Quid tibi ad hasce accessio est ædes? *Alcim. Avit. fragm. p.* 188. Cui honorem suum etiam in Bonosiacorum receptione servantes.

RĔCEPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a *recipio*, est sæpe recipere, ὑποδέχομαι, *ricettare, raccettare, dare ricetto.*

I.) Proprie. — *a*) Sæpe in malam partem. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 17. Meum receptas filium ad te. *Tac.* 3. *Ann.* 60. Eodem subsidio obærati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. — *b*) In bonam *receptare se*, se recipere, *ricoverarsi. Ter. Heaut.* 5. 2. 14. Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho, victus, vestitus, quo in tectum te receptes. — *c*) Universim *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 48. *Müll.* Quæ cava corpore cæruleo cortina receptat. *Ita ex conject.* Vahlen. *Virg.* 1. *G.* 336. Frigida Saturni sese quo stella receptet. *h. e.* in quod signum se recipiat. *Id.* 10. *Æn.* 383. hastamque receptat Ossibus hærentem. *h. e.* ad se recipit, divellit, retrahit ex vulnere, *ritira, cava.* Ubi *Servius:* Ideo frequentativo usus est, quia ossibus inhærentem hastam facile avellere minime poterat. Et expressit moram quamdam et molitionem extrahentis. Ergo *receptat* est, frequenti concussione divellit. *Lucret.* 2. 998. quod missum est ex ætheris oris, Id rursum cæli rellatum templa receptant. *Lucan.* 7. 810. placido natura receptat Cuncta sinu, *riceve, accoglie.* Rursus *Lucret.* 3. 505. Tum quasi vacillans primum consurgit et omnes Paulletim redit in sensus, animamque receptat, *h. e.* resumit, recipit, *ripiglia.* — *d*) Usurpatur etiam pro simplici *recipio. Aurel. Vict. Epitom.* 35. Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit.

II.) Figurate, receptare se. *Pers.* 6. 7. hibernatque meum mare, qua latus ingens Dant scopuli, et multa litus se valle receptat. *si ritira e forma un seno.*

RĔCEPTOR, ōris, m. 3. *ricettatore*, idem qui receptator. ¶ 1. In malam partem. *Dig.* 47. 9. 3. Non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recipit, ex causis supra scriptis tenetur, quia receptores non minus delinquunt, quam aggressores. *Tac.* 4. *Ann.* 23. Erat illi prædarum receptor ac socius populandi rex Garamantum. *Ulp. Dig.* 1. 18. 13. Fures conquirere, receptoresque eorum coercere. *Callistrat. ibid.* 47. 14. 3. Receptores abigeorum. *Paul. Sentent. rec.* 5. 3. 4. Receptores aggressorum itemque latronum eadem pœna afficiuntur, qua ipsi latrones. *V.* RECEPTATOR. ¶ 2. In bonam partem est recuperator, *ricuperatore*, ἀναλαμβάνων. *Vopisc. Aurel.* 26. Aurelianus Imp. receptor Orientis. Adde *Eutrop.* 9. 9. ¶ 3. Item in bonam. *Prudent. hymn. Epiph.* 141. Sic stulta Pharaonis mali Edicta quondam fugerat Christi figuram præferens Moses receptor civium. *h. e.* qui suos iterum in populum rationemque coegit ac redemit.

RĔCEPTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

RĔCEPTŌRĬUS, a, um, adject. ad recipiendum aptus, ut Receptorius locus, apud *Tertull. Resurr. carn.* 27. *a med.* — Hinc

Receptorium, *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus, quo se quis recipit. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. Nunciatum est, hora monente, progredi episcopum de receptorio.

RĔCEPTRIX, īcis, f. 3. *ricettatrice*, quæ recipit. — *a*) In malam partem. *Cic.* 6. *Verr.* 8. 17. Tua, inquam, tua Messana, tuorum adjutrix scelerum, libidinum testis, prædarum ac furtorum receptrix. Adde 7. *ibid.* 62. 160. — *b*) In bonam, sive universim. *Apul. de mundo.* Profecto fateantur, hanc esse civilis rationis admirandam temperantiam, quum quidem de plurimis una sit facta et similis sic tota, quum dissimilia membra sint, quum receptrix sit naturarum ad diversa tendentium et fortunarum per varios fines exitusque pergentium. *Ambros. de Vocat. Gent.* 2. 4. In illa arca universi generis animalium receptrice. *Id. in Luc.* 8. 17. Et anima, quæ receptrix salutaris Verbi est.

RĔCEPTUM, i, n. 2. *V.* RECIPIO in fin.

RĔCEPTUS, a, um. *V.* RECIPIO.

RĔCEPTUS, us, m. 4. (recipio) est actus recipiendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Sæpissime in re militari, est actus recipiendi et subducendi se ex aliquo loco, v. gr. e pugna retro cedendo et in castra redeundo, *ritirata*, ἀποστροφή, ἀναχώρησις. *Cic.* 13. *Phil.* 7. 15. Extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signum aut revocationem a bello audire non possumus. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. Cæsar receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem locari jussit. *et ibid.* 69. *a med.* Veriti ne angustiis intercluderentur, quum extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptui consulebant. *et* 1. *ibid.* 46. Inter duas acies perequitans, commodiorem et tutiorem nostris receptum dat. *Id.* 4. *B. G.* 33. Ita se collocant ut si illi a multitudine hostium premantur, e peditum ad suos receptum habeant. *Auct. B. Hisp.* 25. *ad fin.* Nostros equites in receptu adversarii cupidius sunt insecuti. *Stat.* 11. *Theb.* 52. Suadebatque fugam et tutos in castra receptus. *Liv.* 2. 62. Receptui signum dare. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. et *Cic.* 12. *Phil.* 3. *extr.* Receptui canere. *h. e.* tubæ sonitu milites a prælio revocare. ἀνακαλεῖσθαι, *suonare a raccolta, o la ritirata.* ¶ 2. Ipse quoque locus, in quem se quis tuto recipit, *receptus* est. *Pompej.* ad *Domit.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att. a med.* Neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 11. Animadverti, nullum alium receptum Antonium habere, nisi in his partibus. *Virg.* 11. *Æn.* 527. Planities ignota jacet tutique receptus. *Solin.* 7. *ad fin.* Perdices spineis fruticibus ac surculis receptus suos vestiunt. *h. e.* nidos. ¶ 3. Universim, *receptus spiritus* est respiratio, *il tirar il fiato*, apud *Quintil.* 11. 3. 32. Spiritus nec brevis sit, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. ¶ 4. Receptus et recursus maris *Eumenio Paneg. Constant.* 6. *sub fin.* est accessus et recessus. *il flusso e riflusso.*

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 33. A quibus quum cecinit receptui, impellit rursum et incitat etc. *h. e.* quum avocavit mentem a cogitandis molestiis. *Plin.* 3. *Ep.* 1. *ad fin.* Hanc ego vitam voto et cogitatione præsumo, ut primum ratio ætatis receptui canere permiserit. *h. e.* recedere a foro et rebus gerendis. *Ovid.* 1. *Met.* 340. de tuba *Tritonis.* cecinit jussos inflata receptus. *Id.* 4. *Trist.* 9. 31. Hoc quoque, quam volui, plus est: cane, Musa, receptus. *h. e.* cessa, desine, finem fac. Sunt qui his *Ovidii* locis leg. *recessus:* quod minus placet. *Liv.* 4. 57. Si res sineret, libenter se daturum tempus iis fuisse ad receptum nimis pertinacis sententiæ. *da ritirarsi da* etc. — Illa quoque translata sunt: *Cæs.* 1. *B. C.* 1. Habere se quoque ad Cæsaris gratiam et amicitiam receptum. *rifugio, ricovero.* et *Liv.* 3. 2. Si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore. *et* 28. 25. *ad fin.* Tutissimum a malis consiliis receptum.

RĔCERNO, nis, nere, a. 3. iterum cerno. *Cod. Theod.* 15. 1. 38. Recernantur ædificia. *Vox legitur etiam in Not. Tir. p.* 42.

RĔCESSIM, adverb. *rinculando, a ritroso*, recedendo. *Plaut. Cas.* 2. 8. 7. Recessim cedam ad parietem: imitabor nepam. *Id. Amph.* 5. 1. 60. Ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere, Metuens pueris, mihi formidans.

RĔCESSĬO, ōnis, f. 3. idem ac recessus vel recedendi actus. *Vitruv.* 1. 6. *a med.* Ventus inclinationibus et recessionibus varietates mutatione flatus facit.

RĔCESSUS, a, um. *V.* RECEDO in fin.

RĔCESSUS, us, m. 4. (recedo) actus recedendi, abscessus, discessus, ἀναχώρησις, κατάδυσις, ἀπόστασις, ἀπόκινος (*It. recesso, recedimento, ritiramento;* Fr. *action de se retirer, de rebrousser chemin, de s'éloigner;* Hisp. *el acto de retirarse, de apartarse, de retroceder;* Germ. d. *Zurücktreten, Zurückweichen,* d. *Rückgang,* d. *Entfernung, Rückzug, Rückmarsch;* Angl. *retiring, retreating, retreat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte, *h. e.* stricto sensu, est actus recedendi, abscessus, discessus. — *a*) Cum oppos. *accessu* apud *Cic.* 3. *Orat.* 45. 178. Ut luna accessu et recessu suo solis lumen accipiat. *Id.* 2. *Divinat.* 14. 34. Quid de marinis æstibus dicam? quorum accessus et recessus lunæ motu gubernantur. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Bestiis natura dedit accessum ad res salutares, a pestiferis recessum. Cf. *eumd.* sub II. — Ceterum *Cæs.* 5. *B. G.* 42. *a med.* Ut se sub ipso vallo constipaverant, recessum primis ultimi non dabant. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (88). Arabicæ gemmæ excellunt candore circuli prælucido, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu ridente, sed in ipsis umbonibus nitente. *h. e.* neque quum submovendo longius recedit ab oculis, aut quum dejicitur et deprimitur. — *Recessui canere* simile est ac *receptui canere* apud *Trebell. Gallien.* 17. Sæpe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, quum processui et recessui cani juberet. *h. e.* procedebat in publicum, domumque redibat ad sonum tibicinis. ¶ 2. Per metonymiam est locus recedens et a visu remotior. *Ovid.* 10. *Met.* 691. recessus Speluncæ similis. *un ritiro, un luogo ritirato. Id.* 11. *ibid.* 592. longo spelunca recessu. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (121). Chamæleoni oculi in recessu cavo. *Id.* 5. *ibid.* 27. 28. (100). Juxta mare Limyra cum amne: oppida Apyre et Antiphellos: atque in recessu Phellus. *dentro terra.* et 3. *ibid.* 1. 1. (5). Oceanus Europam reces-

sibus crebris excavans. *seni, golfi.* et *ibid.* 11. 16. (99). Sinus Tarentinus appellatur ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito. *Tac. Agric.* 30. Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. *Rutil.* 1. 75. Te, Dea, te celebrat Romanus ubique recessus. *ogni angolo più rimoto. Petron. Satyr.* 89. stipant graves Equi recessus Danai, et in voto latent. *h. e.* latebras, alvum. *Quintil.* 1. 5. 32. Græci κοιλοστομίαν vocant, quum vox quasi in recessu oris auditur. — Item solitudo, secessus, *ritiro, solitudine. Cic.* 12. *Att.* 26. Mihi solitudo et recessus provincia est. — Huc pertinere videtur et illud *Liv.* 5. 6. Nec, sicut æstivas aves, statim auctumno tecta ac recessum circumspicere.

II.) Translate. *Cic.* 9. *Fam.* 14. *ad fin.* Legi contionem tuam: nihil illa sapientius; ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus. *Id.* 3. *Orat.* 99. 101. Habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erat illuminatum, exstare atque eminere videatur. *Id. Marcell.* 7. 22. Quum in animis hominum tantæ latebræ sint et tanti recessus. *nascondigli.* et *Plin.* 3. *Ep.* 3. Vita hominum altos recessus magnasque latebras habet. *Quintil.* 1. 4. 2. Grammatica plus habet in recessu, quam fronte promittat. *Val. Max.* 3. 6. *n.* 1. Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. *h. e.* quo plus quietis et remissionis ab opere capiunt; ductâ metaphorâ ab iis, qui, ut longius saliant, aliquot passus retro cedunt.

RĔCHĂMUS, i, m. 2. *taglia*, trochlea, lignum crassum et in medio fissum excavatumque, in quod orbiculi cum suis axiculis includuntur: videtur esse ab inusit. ῥηχαμὸς pro ῥηγμὸς *scissura*, a ῥήγνυμι *frango;* quia nempe lignum illud scinditur: huc fortasse spectat etiam ipsum Italorum vocabulum *taglia*, et aliud eorumdem *ricâmo*, in quo conficiendo telam vel pannum ita mulieres acu pingunt, ut eosdem scindere videantur; nisi velis hoc ducere a voce hebraica רָקַם *rakam*, quæ *acu pingere* significat. *Vitruv.* 10. 2. Alligatur in summo trochlea, quem etiam nonnulli rechamum dicunt.

RĔCHARMĬDO, as, are, a. 1. Charmidem me esse, nego. Verbum festive fictum a *Plaut. Trin.* 4. 2. 135. *V.* CHARMIDES in ONOM. *Ritschelius* vero legit *decharmido.*

RĔCHĔDIPNA. *V.* TRECHEDIPNA.

RĔCĬDĪVĀTUS, us, m. 4. restitutio, renovatio rei, quæ jam abiit aut cecidit, instauratio. *Tertull. Resurr. carn.* 18. Scripturæ carnis recidivatum pollicentur. Adde *eumd. Anim.* 28.

RĔCĬDĪVUS, a, um, adject. (recido) qui rursus recidit seu recurrit, *che ritorna*, ὑπότροπος. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (104). Quo genere et recidivas (*febres*) frequenter abigi affirmant. *Cels.* 3. 4. *a med.* Hippocrates, si alio die febris desisset, recidivam timere solitus est. *Juvenal.* 6. 363. velut exhausta recidivus pullulet arca Nummus. *Alii rectius* redivivus. *Virg.* 4. *Æn.* 344. Et recidiva manu posuissem Pergama victis. *h. e.* Trojam post suam eversionem rursus ædificassem. *Id.* 10. *ibid.* 58. Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt. Ubi *Servius*: renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus, quæ sectæ repullulant. Ergo illud solum *recidivum* dicitur, quod postea renascitur: unde modo *recidiva* Pergama dixit, quæ renovantur ab his, qui superstites sunt Trojanis periclis. Hæc *Servius*, qui videtur ducere a *cædo*: sed obstat secundæ syllabæ quantitas. Quare alii a *cado* ducunt et interpretantur, quæ bis ceciderc: nam bis Troja eversa fuit, semel ab Hercule, iterum a Græcis. Sed hæc interpretatio minime placet. *Mela* 3. 6. Adeo agri fertiles, ut quum semel sata frumenta sint, subinde recidivis seminibus segetem novantibus, septem minimum messes ferant. Adde *Prudent.* 2. *in Symmach.* 820. *Sil. It.* 1. 106. Gens recidiva Phrygum Cadmeæ stirpis alumnos Fœderibus non æqua premit. *h. e.* Romani. Alii leg. *rediviva*, sed invitis *Heinsio* utroque, *Barth.*, *Gronov.* et aliis. *Auson. Grat. act.* 33. Quæ bona præstas, efficis, ne caduca sint: quæ mala adimis, prospicis, ne possint esse recidiva.

Homonym. Inter *recidiva* et *rediviva* hoc interest, inquit *Charis.* 1. p. 76. *Putsch.*, quod **recidiva** dicuntur, quæ post casum; **rediviva**, quæ post interitum resurgunt.

RĔCĬDO, cĭdis, cĭdi, cāsum, cĭdere, n. 3. (re et cado). Prima syllaba a poetis interdum producitur. *Lucret.* 1. 1063. neque posse e terris in loca cæli Recidere inferiora magis. *V.* sub I. *Propert.* 4. 8. 44. Recidit inque suos mensa supina pedes. *Ovid.* 10. *Met.* 18. In quem recidimus quidquid mortale creamur. Adde *ibid.* 180. et 6. *ibid.* 212. et *Heroid.* 14. 46. et alibi, et *Lucret.* 5. 281. et *Phædr.* 3. 18. *extr.*, quib. omnib. locis alii scribunt *reccidit*, ut *rettulit* (V. *Lachmann. ad Lucret. vol.* 2. *pag.* 303): alii mutant in *decidit*: sed præstantiora MSS. priorem scripturam præferunt, testib. et probantib. magnis viris *Gifan.*, *Heins.*, *Broukus.*, *Dausqu.* etc. *V.* dicta in RE. — Part. *Recidens* I. et II. 1.; *Recasurus* II. 1. et 2. — Recidere est rursus cadere, ἀναπίπτω (It. *ricadere*, Fr. *retomber*; Hisp. *recaer, volver à caer*; Germ. *zurückfallen*; Angl. *to fall back, recoil, relapse, light or fall upon*).

I.) Proprie. — *a*) Cum additis. *Lucret.* 1. 1063. neque posse e terris in loca cæli Recidere inferiora magis, quam corpora nostra Sponte sua possint in cæli templa volare. *Cic.* 2. *Nat. D.* 26. 66. Quia et recidant omnia in terras, et oriantur a terris. *Id.* 1. *Divinat.* 54. 123. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. *Ovid.* 10. *Met.* 180. Recidit (*discus*) in solidam longo post tempore terram. *Liv.* 24. 34. *de navi.* Etiam si recta reciderat. — Absolute *Quintil.* 11. 3. 162. Prolata manus, amictus recidens.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr., ponitur pro cadere, devenire, converti, redigi. *Liv.* 36. 29. Ætolorum prava consilia atque in ipsorum caput semper recidentia. Sic *Curt.* 9. 5. 25. Critobulus (*medicus*) manus admovere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperæ curationis recideret eventus. *Sueton. Aug.* 96. Periculosa et adversa cuncta in illos recasura. *Ovid.* 6. *Met.* 210. diro convicia facto Tantalis adjecit, vosque est postponere natis Ausa suis, et me (quod in ipsam recidat) orbam Dixit. *Liv.* 24. 29. In graviorem morbum recidere. *Cic. Sext.* 69. 146. in eamdem fortunam. *Nepos Alcib.* 7. in invidiam. *Liv.* 24. 32. in antiquam servitutem. *Cic. Rosc. Am.* 29. 79. Omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. *Id.* 4. *Att.* 16. *a med.* Id ego puto, ut multa ejusdem, ad nihil recasurum. *Id. Sull.* 32. 91. Quam cito illa omnia ex lætitia et voluptate ad luctum et lacrimas reciderunt! *Curt.* 9. 7. 23. Quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse videbatur. *Plaut. Men.* 3. 2. 54. Omnes in te istæc recident contumeliæ. *Ter. Hecyr. prol.* 2. 38. Nollte sinere, per vos artem musicam recidere ad paucos. *h. e.* redigi, *ridursi a pochi.* (Adde *Plin.* 5. *Hist. nat.* 2. 1. (17).). *Cæs.* 7. *B. G.* 1. Hunc casum ad ipsos recidere posse, demonstrant. *poter toccare.* et *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Quod nisi fecerimus, omnis impensa in cassum recidat. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse. *Cic. Rosc. Com.* 15. 43. Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro, *dove vada a parare.* et *Liv.* 4. 2. Canulejos igitur Iciliosque consules fore. Ne id Juppiter opt. max. sineret, regiæ majestatis imperium eo recidere. *Id.* 25. 31. Pleraque, quo debuerint, recidisse. *Id.* 30. 42. Ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res. *Cic.* 7. *Verr.* 63. 163. Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus - deligatus in foro virgis cæderetur? Sic *Tac.* 3. *Ann.* 59. Huc recidisse cuncta, ut etc. *Alii leg.* decidisse. et *Juvenal.* 12. 53. tunc adversis urgentibus illuc Recidit, ut malum ferro summitteret, ac se Explicat angustum. *Liv.* 2. 7. Se superstitem gloriæ suæ ad crimen atque invidiam superesse, ex liberatore patriæ ad Aquillios Vitelliosque recidisse. *h. e.* Aquillium aut Vitellium aliquem patriæ proditorem, creditum fuisse. *Cic. Brut.* 91. 316. Contentio nimia vocis reciderat, et quasi referbuerat oratio. *s'era diminuita.* ¶ 2. Pro redire, recurrere, *ritornare. Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 66. (228). Quartanis excrementa felis adalligari jubent, et, ne recidant, non remeveri septeno circuitu. (Hinc *recidive* Italorum). *Cajus* 1. *Institut.* (edente *Goeschenio*) § 127. In patris sui potestatem recasuri non sunt.

RĔCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (re et cædo). Part. *Recisus* I. II. et in fin.; *Recisurus* II.; *Recidendus* I. — Recidere est resecare, abscindere, amputare, ἀποκόπτω (It. *tagliare, recidere, troncare;* Fr. *ôter en coupant, couper, écourter, rogner*; Hisp. *quitar tajando, cortar, troncar, cercenar;* Germ. *wegschneiden, wegkürzen, auch zerschneiden*; Angl. *to cut, cut off or down, pare away, retrench*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergeri, vepres recidi, hortum fodiri. *Ovid.* 13. *Met.* 766. hirsutam falce recidere barbam. *Lucan.* 8. 677. Pompeji diro sacrum caput ense recidis. *Martial.* 1. 32. Quamprimum longas, Phœbe, recide comas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 35. 52. (106). Recidere ungues. *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (160). malleolos ad imum articulum. *Pallad.* 11. *R. R.* 20. mala cydonia in brevissimas particulas. *Id.* 7. *ibid.* 2. mella. *h. e.* castrare alvearia, mella eximere. *Ovid.* 1. *Met.* 190. Immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. *Calpurn.* 2. *Ecl.* 45. novas ut carpere frondes Condiscant primoque recidere gramina morsu. — *Recidi* absolute est idem ac circumcidi. *Juvenc.* 1. 181. Viderat octavam lucem puer (*Jesus*); ecce recidi Ad morem legis, nomenque aptare necesse est. — Ceterum Part. *Recisus* apud *Horat.* 3. *Od.* 6. 40. Fustes recisi. *Virg.* 12. *Æn.* 208. sceptrum imo de stirpe recisum. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 76. Laurus ima stirpe recisa. *Ovid.* 3. *Art. am.* 574. silva montanis jugis. *Id.* 3. *Fast.* 377. ancile ab omni parte. *Id.* 7. *Met.* 676. e silva hastile. et 9. *ibid.* 71. caput. *Plin.* 7. *Ep.* 27. *sub fin.* Recisi capilli. *Flor.* 1. 10. Pons recisus. *Horat.* 2. *Od.* 18. 4. columnas ultima recisas Africa. *Petron. Satyr.* 23. Deliaci manu recisi. *h. e.* exsecti, castrati.

II.) Translate. *Seneca Troad.* 1127. Hi stirpem hostium gaudent recidi. *Horat. Art. P.* 446. versus culpabit duros: incomptis allinet atrum Transverso calamo signum; ambitiosa recidet Ornamenta. *Quintil.* 10. 5. Nimiam loquacitatem recidere. *Horat.* 3. *Od.* 24. 33. Quid tristes querimoniæ, Si non supplicio culpa reciditur? *Id.* 1. *Sat.* 3. 121. quum dicas esse pares res Furta latrociniis, et magnis parva mineris Falce recisurum simili te. *h. e.* puniturum eâdem pœnâ magna et parva scelera. *Tac.* 3. *Ann.* 53. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere aggrediar? *h. e.* resecare, tollere et ad priscos mores reformare. Sic Part. *Recisus* apud *Cic. Prov. cons.* 12. 31. Nationes, quæ numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut etc. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 56. vitiis a stirpe recisis. *Stat.* 12. *Theb.* 309. scissis magnum Dea (*Luna*) nubibus orbem Protulit: expavere umbræ, fulgorque recisus Sideribus. *h. e.* deminutus, ademptus. — Hinc

Recisus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Recisior*, et est brevis. *Callistrat. Dig.* 47. 21. 2. Possunt ad tempus, ut cujusque ætas patietur, relegari: et si junior, in longius; si senior, recisius. *Vellej.* 2. 89. 1. Quæ *fuerit* magnificentia triumphorum ejus, - ne in operis quidem justi materia, nedum hujus tam recisi, digne exprimi potest. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *ante med.* Idem (*Cicero*) pro Cluentio ait se totam causam vetere instituto solum perorasse, et pro C. Cornelio quatriduo egisse: ne dubitare possimus, quæ per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac repurgata in unum librum, grandem quidem, unum tamen, coartasse.

RĔCĬDŬUS, a, um, adject. idem ac recidivus. *Tertull. Pudic.* 16. Ne quidquam de reciduo fruticare permittat (*apostolus*). Cf. *Gloss. Isid.* Recidua, ex ruinis renascentia.

RĔCINCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔCINGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (re *et* cingo). Part. *Recinctus* sub *A.* I. et *B.* — Recingere duo diversa significat; scilicet

A) Est, quod cinctum erat, solvere, revincire, ἀποζωννύω, *slegare, sciogliere, scingere, slacciare.*

I.) Proprie. — *a*) Active. *Ovid.* 1. *Met.* 398. velantque caput, tunicasque recingunt. *Virg.* 4. *Æn.* 518. Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta. *Ovid. Heroid.* 2. 116. zona recincta. *Id.* 1. *Amor.* 5. 9. et 3. *ibid.* 1. 51. tunica. — *b*) Mediorum apud Græcos more. *Ovid.* 4. *Met.* 510. sumptumque recingitur anguem. *h. e.* deponit anguem, quo se antea velut cingulo præcinxerat. Antea enim dixerat *ibid.* 482. tortoque incingitur angue. *Id.* 5. *ibid.* 593. recingor, Molliaque impono salici velamina curvæ, Nudaque mergor aquis. *mi spoglio. Stat.* 1. *Silv.* 4. 75. Recingi ferrum. *deporre la spada.*

II.) Translate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (266). Privatim autem contra urucas (*jubent*) ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis nudis pedibus, recincta.

B) Recingere est etiam cingere, succingere, iterum cingere. *Val. Flacc.* 8. 115. cum veste recincta Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo. — Sic speciatim recingere est militari cingulo iterum cingi. *Ammian.* 26. 4. 3. Tunc et Æquitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum magister sed comes, et Serenianus, olim sacramento digressus, recinctus est, ut Pannonius, sociatusque Valenti domesticorum præfuit scholæ. *Id.* 31. 12. 1. Ducebatque multiplices copias nec contemnendas nec segnes, quippe etiam veteranos iisdem junxerat plurimos, inter quos et honoratiores alii et Trajanus recinctus est, paullo ante magister armorum. *Alii leg.* procinctus.

RECINIATUS. *V.* RICINIATUS.

RECINIUM. *V.* RICINIUM.

RĔCĬNO, nis, nŭi, nere, n. *et* a. 3. (re et cano). Part. *Recinens* 1. — Recinere. ¶ 1. Est iterum aut frequenter canere, aut dicere, ἀναφωνέω, *ricantare, ridire.* — Neutr. *Horat.* 3. *Od.* 27. 1. Impios parræ recinentis omen Ducat. — Act. *Id.* 3. *Od.* 28. 11. Tu curva recines lyra Latonam et celeris spicula Cynthiæ. *Id.* 1. *Ep.* 1. 55. hæc juvenes recinunt dictata, senesque. ¶ 2. Item resono, cantu et voce respondeo, *risuonare*, ut fit in echo. — Act. *Id.* 1. *Od.* 12. 3. cujus recinet jocosa Nomen imago. — Neutr. *Cic. Brut.* 46. 171. Quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius. ¶ 3. Item palinodiam canere, *ritrattarsi, disdirsi, ridirsi. Apul. de Deo Socrat.* Increpitu indignatum Amorem recinendo placasset.

RĔCĬPĔRO etc. *V.* RECUPERO.

RĔCĬPĬE apud Catonem pro recipiam, ut alia ejusmodi complura. *Festus p.* 286. 21. *Müll.*, quocum cf. *Paul. Diac. p.* 287. 4., ubi alii legunt *recipiem.*

RĔCĬPĬO, cĭpis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. (re *et* capio). *Recipie* pro *recipiam V.* voc. præced. — *Recepso* ἀρχαϊκῶς pro *recepero* habet *Catull.* 44. 19. — Part. *Recipiens* sub *A.* I. 5. et II. 2., et sub *B.* II. 1.; *Receptus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Recepturus* sub *A.* I. 2.; *Recipiendus* sub *A.* I. 1. 3. 4. 5. et II. 2., et sub *B.* I. 1. et II. 2. Recipere usurpatur *A*) Stricto, et *B*) Lato sensu.

A) Stricto sensu, *recipere* est rursum capere, rem depositam assumere, ἀναλαμβάνω (It. *ripigliare, riprendere, riavere, rientrare in possesso;* Fr. *rétirer a soi, ramener, faire revenir, reprendre, rentrer en possession de;* Hisp. *retraer, volver à traher, tomar de nuevo;* Germ. *zurücknehmen, - erhalten, - führen, - ziehen;* Angl. *to take again, get back, receive*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 9. 1. Recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt. *Martial.* 3. 4. Tun' magnus, quod das? immo ego, quod recipis. *h. e.* me reddente, iterum accipis. *Cæs.* 3. *B. G.* 8. Si velit suos recipere, obsides sibi remittat. *Cic. Amic.* 8. 26. Ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet. *con lo scambio di buoni offici. Liv.* 2. 15. Non, quin breviter reddi responsum potuerit, non recipi reges; ideo potius delectos patrum ad eum (*Porsenam*) missos etc. *Horat.* 2. *Od.* 7. 27. recepto Dulce mihi furere est amico. Sic *Id.* 4. *ibid.* 2. 47. recepto Cæsare felix. ¶ 2. Speciatim est idem ac recupero, *ricuperare. Cæs.* 2. *B. C.* 32. Duos pulsos exercitus, duas receptas provincias. *ripigliate, ricuperate. Cic. Senect.* 4. 10. Q. Maximus, qui Tarentum recepit. *Sueton. Tib.* 9. Recepit et signa, quæ M. Crasso ademerant Parthi. *Liv.* 3. 63. Ibi suas res Romanus, populationibus agrorum amissas, recipit. *Id.* 3. 3. Præda omnis recepta est. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 66. Sexagesimo anno post libertatem receptam. *ricuperata. Quintil.* 5. 10. 111. Talenta centum credidit et non recepit. *Id. declam.* 264. Num dubium est, quin recepturus suum creditor fuerit? ¶ 3. Item speciatim retraho, reduco, *tirar a sè, o indietro. Virg.* 9. *Æn.* 347. Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit assurgenti, et multa morte recepit. *Cels.* 7. 5. *n.* 2. Sagitta sæpius ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda est. *h. e.* extrahenda. *Virg.* 2. *Æn.* 525. recepit Ad sese et sacra longævum in sede locavit. *h. e.* revocavit, retraxit. ¶ 4. Item est idem ac retraho, reduco, in tutum reduco, atque adeo eripio, libero, *ritirare, sottrarre, liberare. Virg.* 6. *Æn.* 110. Illum ego per flammas et mille sequentia tela Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi. *Cæs.* 7. *B. G.* 12. Centuriones in oppido quum ex significatione Gallorum novi aliquid ab iis iniri consilii intellexissent, gladiis destrictis portas occupaverunt suosque omnes incolumes receperunt. *Id.* 1. *B. C.* 45. Augebantur illis copiæ, atque ex castris cohortes per oppidum crebro submittebantur, ut integri defessis succederent. Hoc idem Cæsar facere cogebatur, ut summissis in eumdem locum cohortibus defessos reciperet. *Liv.* 10. 42. Hæc primo ignorare consul, et intentus recipiendo exercitui esse. — Poetice *Virg.* 1. *Æn.* 182. frugesque receptas Et torrere parant flammis et frangere saxo. *salvate dal naufragio.* ¶ 5. Item speciatim, *recipere se*, eo proficisci, unde aliquando discesseris, redire, reverti, *ritornare.* — *a*) Universim. *Plaut. Pœn.* 4. 1. 5. Attat! e fano recipere video se Syncerastum. *Id. Truc.* 4. 3. 1. Stasime, fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum. *Id. Capt.* 4. 2. 50. hic homo Ad cœnam recipit se ad me. *Id. Pers.* 1. 1. 47. Quidquid erit, recipe te ad me. *Id. Curc.* 2. 1. 10. Tormento non retineri potuit ferreo, Quin reciperet se huc esum ad præsepe suum. *Cic.* 3. *Off.* 10. 45. Vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset etc. *Id.* 4. *Att.* 15. Recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti. *Plancus* ad *Cic.* 10. *Fam.* 15. *sub fin.* Si latro rursus in Italiam se recipere cœperit. *Cic.* 5. *Att.* 20. *circa med.* Ipse me Laodiceam recipiebam. *Id. Brut.* 92. 318. Quum e Sicilia me recepissem. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. *in fin.* Ut per temonem percurrere et in jugo insistere, et inde se in currus citissime recipere consueverint. *Sueton. Aug.* 17. Ab Actio quum Samum in hiberna se recepisset etc. — Poetice *Sil. It.* 6. 618. Sic genitor Divum (*ait*), recipitque ad sidera gressum. — *b*) Pertinet ad rem militarem, *far la ritirata, ritirarsi. Cæs.* 3. *B. C.* 45. *extr.* Si sine maximo detrimento legiones se recepissent inde, quo temere essent progressæ. *Id.* 1. *B. G.* 25. Pedem referre, et, quod mons suberat, eo se recipere cœperunt. *et* 5. *ibid.* 34. *extr.* Rursus se ad signa recipientes insequantur. *et* 2. *ibid.* 19. Quum illi se identidem in silvas ad suos reciperent. *Nepos Hann.* 11. Fuga salutem petiit, quam consecutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset. — *c*) Et omisso *se, te, nos* etc., quæ tamen subintelliguntur *Cæs.* 1. *B. G.* 48. *sub fin.* Si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat celeritas, ut etc. *Plaut. Merc.* 2. 4. 30. Ergo actutum face cum præda recipias. *Id. Bacch.* 2. 3. 60. Quid denique agitis? CHRY. rursum in portum recipimus. Adde *eumd. Rud.* 3. 6. 42. Sic *M. Aurel.* apud *Fronton.* 4. *ad Cæs.* 5. Inde post meridiem domum recepimus.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim recipere est excipere, reservare: quod fit, quum quis, venditis ceteris, sibi quippiam reservat. *Plaut. Trin.* 1. 2. 157. Posticulum hoc recepit, quum ædes vendidit. *si riservò.* et *Cato* apud *Gell.* 17. 6. et *Non.* 54. 16. *Merc.* Mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit. *V.* RECEPTICIUS. *L. Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 55. 226. Dicet, te, quum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium tibi paternum recepisse. *Cic. Topic.* 26. 100. Ut quum ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid etc. — Cum Infin., et cum Dat. *Cato R. R.* 149. Bobus domitis binis, canterio uni, quum emptor pascet, domino pascere recipitur: oleris, asparagis, lignis, aqua, itinere, actu, domini usioni recipitur. *Paulus* apud *Labeon. Dig.* 19. 1. 53. Si cui in ea insula, quam vendidisti, gratis habitationem dederis, et sic receperis: Habitatoribus, aut in quam quisque diem conductum habet; parum caveris, nominatim enim de his recipi oportuit. ¶ 2. Universim, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. I. 1., usurpatur de anima, spiritu et similibus. *Plaut. Epid.* 2. 2. 20. et *Merc.* 3. 4. 16. Recipere anhelitum. *pigliare, raccorre il fiato.* Sic *Ter. Adelph.* 3. 2. 26. animam. *et Liv.* 2. 50. *ad fin.* animum a pavore. Sic 21. 5. *sub fin.* Priusquam ex pavore reciperent animos. *Curt.* 9. 5. 29. Tandem constitit sanguis paullatimque animum recepit, et circumstantes cœpit agnoscere. *Ovid.* 4. *Fast.* 615. Tum demum vultumque Ceres animumque recepit. *Curt.* 4. 12. 17. Tandem compotes sui pariter arma et animos recepere. *Id.* 6. 9. 33. Paullatim recipiens spiritum ac vocem dicturus videbatur. *Id.* 3. 7. 2. Viribus corporis receptis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 104. mente recepta. *Ovid.* 15. *Met.* 534. quam (*vitam*) fortibus herbis Atque ope Pæonia, Dite indignante, recepi etc. *Id.* 3. *ibid.* 384. et totidem, quot dixit, (*ab Echo*) verba recepit. — Similiter *recipere se* apud *Cæs.* 2. *B. G.* 12. Postridie ejus diei Cæsar, priusquam se hostes ex terrore ac fuga reciperent, in fines Suessionum exercitum duxit. *Id.* 3. 4. Non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi facultas dabatur. *Liv.* 10. 28. Insequuta, simul territos hostes vidit, Gallica acies nullum spatium respirandi recipiendique se dedit. et *Cæs.* 4. *B. G.* 34. Hostes constiterunt, nostri ex timore se receperunt. *si rinfrancarono.* et *Cic.* 6. *de republ.* 18. Quæ quum intuerer stupens, ut me recepi, quid? hic, inquam, quis est? etc. *quando ritornai in me stesso.* et *Ovid.* 5. *Met.* 275. et nondum me tota mente recepi. *Varro* 2. *R. R.* 5. 17. Castrare (*vitulos*) non oportet ante bimatum, quod difficulter, si aliter feceris, se recipiunt. *si rianno.* ¶ 3. Hinc est etiam se vertere, reverti, *volgersi. Plaut. Asin.* 2. 1. 7. Ad ingenium vetus versutum te recipis tuum. *Cic. Cœl.* 12. 28. Multos vidi, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse. *Cæs.* 3. *B. C.* 17. Quos ubi Cæsar intellexit nullam spem aut conditionem pacis afferre, ad reliquam cogitationem belli se recepit. et *Plin. Paneg.* 76. Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur, ceterum egressus, statim se recipiebat in principem. *h. e.* redibat ad gravitatem et supercilium principis. *Id. ibid.* 82. A quibus se in tale otium recipit.

B) Recipere est etiam capere, accipere, admittere, *ricevere, accettare, ammettere.*

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — 1.°) Sine addi-

tis, *h. e.* cum Accus. tantum. *Ter. Eun.* 1. 2. 79. Ego excludor, ille recipitur. *Cic.* 3. *Off.* 11. 48. Suadens, ut in urbe manerent, Xersemque reciperent. *Id. Rosc. Com.* 8. 23. Laborem quæstus recepit, quæstum laboris rejecit. *Id. Rosc. Am.* 39. 113. Illum negligere oportet, qui mandarit, non illum qui mandatum receperit. *Id.* 9. *Att.* 2. Recipere honorem ab aliquo. *Plerique alii leg.* accipere. *Id.* 4. *Herenn.* 50. 63. Recipere aliquem splendide. *accogliere e trattare.* Orellius *vero ex multis Codicib. leg.* invitare. *Cæs.* 1. *B. C.* 15. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentissimis animis eum recipiunt exercitumque ejus omnibus rebus juvant. *Id.* 6. *B. G.* 39. Hic vero nulla munitio est, quæ perterritos recipiat. *Id.* 5. *ibid.* 35. Eam partem nudari necesse erat et ab latere aperto tela recipi. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 50. Hinc nos Coccei recipit plenissima villa. *Id.* 2. *Ep.* 1. 258. sed neque parvum Carmen majestas recipit tua, nec etc. *Id.* 1. *ibid.* 3. 17. Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo. *Cic.* 12. *Att.* 37. A te heri duas epistolas recepi. Sic *Plin.* 5. *Ep.* 12. *init.* Recepi litteras tuas, ex quibus cognovi etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 383. dum dat recipitque tabellas. — Sic *auribus accipere* (*V.* infra sub *e*) *Stat.* 4. *Silv.* 1. 9. Preces receptæ. *esaudite.* — Item *Horat.* 1. *Ep.* 10. 36. Imploravit (*equus*) opem hominis frenumque recepit. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). Peneus accipit amnem Orcon, nec recipit. *h. e.* ei non admiscetur. Alter *Plin. Paneg.* 56. Gestum consulatum mirer, an non receptum? *non accettato. Nepos Themist.* 8. Quo majore religione se receptum tueretur. *Propert.* 4. 9. 38. Alciden terra recepta vocat. *h. e.* a monstris liberata, vindicata. — Similiter in re militari est capere, *prendere, soggiogare. Liv.* 44. 32. Anicius Rodra recepta etc. *Id.* 39. 23. Haud magno certamine et Amynandrum Athamania expulerat, et urbes aliquot receperat. *et* 36. 10. Cypæram et Metropolim et iis circumjecta castella recepit. *Cæs.* 1. *B. C.* 16. Recepto Asculo. *Flor.* 3. 9. Cypros recepta sine bello. Adde *eumd.* 4. 2. et *Liv.* 3. 29. Castris hostium receptis. *NB.* Est autem ubique sermo de locis, quæ numquam antea in potestate fuerant. — 2.°) Cum additis, scil. — *a*) Cum Accus. et præpos. *ad. Plaut. Cist.* 3. 9. Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum. *Id. Pseud.* 3. 2. 6. Orcus recipere hunc ad se noluit. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. Quod factum adeo cives Romani comprobaverunt, ut domum ad se quisque hospitio cupidissime reciperet. *Id.* 1. *B. G.* 5. Bojos receptos ad se socios sibi adsciscunt. *ricevuti, accolti. Liv.* 4. 15. *ad fin.* Romulus ab diis ortus, receptus ad deos. *Cf. Inscript.* apud *Cardinali Diplom. imp. p.* 125. PROSENES RECEPTVS AD DEVM. *Cic. Topic.* 5. 25. Recipere aliquem ad epulas. — *b*) Cum Accus. et præpos. *in. Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 2. nullo pacto potest Prius hæc in ædes recipi, quam illam omiserim. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 105. Receptus in penetrale. Rursus *Plaut. Rud.* 3. 3. 34. Te obsecramus, nos in custodiam tuam ut recipias, et tutere. *Cic.* 13. *Fam.* 16. Dignus, quem in fidem et amicitiam meam reciperem. *Id.* ad *Dolabell. post ep.* 14. *l.* 15. *ad Att. a med.* Recipere aliquem in fidem et necessitudinem suam. *Id. Rabir. Post.* 8. 19. Quem ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim. *ammesso. Auct. B. Alex.* 32. Cæsar in fidem receptos consolatus etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Quosque postea in parem juris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt. *Id.* 3. *ibid.* 21. Legatos ad Crassum mittunt, seque in deditionem ut recipiat, petunt. *Id.* 7. *ibid.* 78. Orabant, ut se in servitutem receptos cibo juvarent. *Cic.* 7. *Phil.* 5. 15. Recipere aliquem in ordinem senatorium. *Id. Balb.* 13. 31. in civitatem. *Justin.* 9. 5. 9. aliquam in matrimonium. *Cf. Plin.* 10. *Hist. nat.* 26. 38. (74). Gallinæ Africæ novissime in mensas receptæ. Sic *Id.* 22. *ibid.* 22. 43. (86). Scolymon in cibos recipit Oriens. *h. e.* in cibis passim adhibet. — Absolute. *Cic.* 4. *Cat.* 10. 22. Quod hostes alienigenæ aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant. *h. e.* recepti in fidem, vel, ut alii volunt, in amicitiam. — *c*) Cum Accus. et præpos. *intra. Capitolin. Maximin.* 17. Ardentem igitur iracundia amici intra cubiculum receperunt. — *d*) Cum Ablat. et præpos. *in. Ovid.* 2. *Met.* 529. Receptus in cælo. *Id. Heroid.* 6. 20. In mihi promissi parte recepta tori. *Auct. B. Hisp.* 4. Qui simul in conspectum oppidi se dederunt, in equis recipiuntur. — *e*) Cum Ablat. sine præpos. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 14. Verba aure recepta. *Cæs.* 7. *B. G.* 66. Ne tecto recipiatur. *et ibid.* 20. *extr.* Ne qua civitas suis finibus (*eum*) recipiat, a me provisum est. *Id.* 3. *B. C.* 12. Apolloniates ad Cæsarem legatos mittunt, oppidoque recipiunt. *et* 1. *ibid.* 35. Neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut portubus recipere. *Cic. Balb.* 14. 32. Ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat civitate. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. 90. Capua opportunissimam se præbuit ad exercitus ornandos, et tectis ac sedibus suis recipiendos. *Liv.* 27. 25. *a med.* Eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet. *Phædr.* 1. 18. Vir est hortatus, corpus lecto reciperet. *h. e.* reponeret, decumberet. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 53. tum me cælesti sede receptum Cum fortunatis suspicor esse Deis. *Id. Heroid.* 19. 135; et *Quintil.* 3. 7. 5. Receptus cælo. Similiter *Ovid.* 1. *Met.* 41. Flumina recepta mari. *Horat. Art. P.* 63. sive receptus Terra Neptunus classes aquilonibus arcet. *Seneca Thyest.* 741. Pectore receptus ensis, in tergo exstitit. Et *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. Recipere telum totum corpore. — *f*) Cum Accus. vel Adverbio loci. *Plaut. Most.* 2. 2. 68. Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit. *Cic. Arch.* 3. 5. Luculli eum domum suam receperunt. *Pacuvius* apud *Non. p.* 467. 24. *Merc.* Ubi ea est? quo recepta 'st? *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat portum corporis. *Curt.* 6. 11. 2. Ut purgamenta servorum Philotæ reciperentur eo, unde commilitones expulissent. ¶ 2. Speciatim locum habet in venditionibus et est Italice *ricavare. Cic.* 2. *leg. Agr.* 23. 62. Si qua pecunia ex novis vectigalibus recipiatur. *Varro* 3. *R. R.* 16. 11. Recipere dena millia sestertia ex melle. ¶ 3. Item speciatim in re medica, *recipere hoc et illud* dicuntur medicamenta, quæ ex variis speciebus componuntur. *Scribon. Compos.* 106. Antidotos recipit hæc: stœchados, marrubii, χαμαίδρυος etc. *et mox.* Quæ et ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda et continenda ea. Adde *Compos.* 27. 28. 37. 52. etc. Hinc fortasse ortum habuit illud *Recipe*, quo medicorum filii in perscribendis medicamentis utuntur. ¶ 4. Item, *recipere ferrum*, jubebantur gladiatores victi et jacentes, si missionem non impetrassent, quam amore vitæ petebant. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41. Quis mediocris gladiator ingemuit? - quis, quum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? *Id. Sext.* 37. 80. Num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit? *Seneca Tranquill.* 11. Vives diutius, et morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis, sed animose recipis. Adde *Cic. Rosc. Am.* 12. 33. et 34. et V. *Senec. Ep.* 7. — Hinc *Ovid.* 10. *Met.* 10. *de Eurydice.* Occidit, in talum serpentis dente recepto. Et figurate *Id.* 11. *ibid.* 416. cui protinus intima frigus Ossa receperunt. *et* 5. *Fast.* 403. Virus edax superabat opem: penitusque recepta Ossibus et toto corpore pestis erat. ¶ 5. Item refugium præstare, *ricettare, ricoverare*: ut *recipere servum*, abscondendi causa refugium ei præbere apud se. *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. Et est proprie recipere, abscondendi causa refugium servo præstare vel in suo agro vel in alieno loco ædificiove. *V.* RECEPTOR.

II.) Translate. ¶ 1. Universim usurpatur pro assumere, permittere, pati. *Cic.* 6. *de republ.* 11. Nec inconstantiam virtus recipit, nec varietatem natura patitur. *Id.* 3. *Off.* 33. 119. Qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem - copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas; aspernatur, repellit. *Cæs.* 7. *B. G.* 26. Plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit. *Liv.* 29. 24. Cunctationem res jam non ultra recipit. *Id.* 7. 14. Nec recipiente jam dilationem re. *Vellej.* 2. 130. 3. Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum - de his queri. *Id.* 2. 97. 2. Adolescens tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit. *di quante è capace. Seneca Thyest.* 534. Recipit hoc regnum duos. *h. e.* capit. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 5. Hæc oliva recipit quamcumque volueris condituram. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101). Si recipiatur poetica fabulositas. *se si ammetta, e le si dia fede. Horat. Art. P.* 256. Spondeos stabiles in jura paterna (*iambus*) recepit. *Quintil.* 8. 6. 2. Tropi necessarii atque in usum recepti. — Hinc *receptum* sæpe dicitur, quod est usu receptum, usitatum, in more positum et probatum omnibus. *Festus p.* 289. 13. *Müll.* Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (24). Quin et absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se, receptum est. *si crede comunemente. Tac.* 2. *Ann.* 85. More inter veteres recepto. *Plin.* 5. *Ep.* 21. *sub fin.* et 7. *Ep.* 17. Est omnino iniquum, sed usu receptum. *V.* RECEPTUS in fin. ¶ 2. Speciatim est suscipere, *accettare, intraprendere, imprendere. Cic. Rosc. Am.* 1. 2. Quæ me igitur res impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem? *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 26. Ego in hoc judicio mihi Siculorum causam receptam, populi R. susceptam esse arbitror. Ubi *Ascon.* Suscipitur totum, recipitur pars: suscipitur quod principale est, recipitur quod hinc pendet: suscipitur solum aliquid propter se, recipitur etiam propter aliud. *Ter. Phorm.* 5. 8. 8. Verebamini Ne non id facerem, quod recepissem semel? *Cic.* 7. *Verr.* 71. 183. Receptum officium persolvere. *Forcellino* est promissum, quod eodem recidit. *Sueton. Tit.* 6. Receptâque ad se omnium officiorum cura. — Et generatim. *Liv.* 45. 5. *ad fin.* Qua perpetrata temere cæde, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem, quæ Evandri fuisset. *Cic. Planc.* 2. 6. Non solum hujus dignitatis jactura facienda est, sed etiam largitionis recipienda suspicio est. *Id. Orat.* 10. 35. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quæstionem non potuero, injusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. — Hinc *recipere in se periculum*, periculum præstare. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. Nisi periculum quoque in se artifex receperit. ¶ 3. Sæpe est polliceor, promitto. Est autem quiddam amplius, quam *polliceor*, quia significat rei eventum et periculum in se suscipere, *promettere, assicurare, impegnarsi. Cic.* 5. *Phil.* 18. 51. Promitto, recipio, spondeo, C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit. *Id.* 13. *Att.* 1. De æstate polliceris vel potius recipis. *Id.* 6. *Fam.* 12. *circa med.* Pansa mihi non solum confirmavit, verum etiam recepit, se etc. *Plancus* ad *Cic.* 10. *Fam.* 21. Omnia ei petenti recepi, et ultro pollicitus sum. *Id. ibid.* 7. Omnia me reipublicæ præstitisse, quæ et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Quid sibi is de me recepisset, in memoriam redegit. *Liv.* 40. 35. *a med.* Si neque de fide barbarorum quidquam recipere, aut affirmare nobis potes. *Cic.* 11. *Fam.* 1. *a med.* Pro Cassio et te, si quid me velitis recipere, recipiam. *Id.* 5. *Att.* 17. Mihi diligentissime se, ut annui essemus, defensurum, receperat. *Id.* 2. *Orat.* 24. 101. In quo est illa quidem magna offensio vel negligentiæ, susceptis rebus, vel perfidiæ, receptis. *Liv.* 33. 13. *sub fin.* Si pax non impetrata ab senatu foret, obsides pecuniamque reddi Philippo, receptum est. — Integra locutio est *ad*, vel *in me recipio. Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 74. Tute unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est Nos inimicos profligare posse. PA. Dico et recipio ad me. *Ter. Heaut.* 5. 5. 12. Ad me recipio: faciet. *Solin.* 21. Veri periculum ad me non recipio. *Cic.* 13. *Fam.* 10. *a med.* Separatim promitto, in meque recipio, fore eum tibi et voluptati, et usui. *et ibid.* 17. *ad fin.* Spondeo, in meque recipio, eos

esse Curii mores, ut etc. — *Recipere fidem*, fidem dare, promittere, recipere. *Cic.* 2. *Att.* 22. Sed fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me: hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent etc. Sunt qui aliter leg., sed repugnante *Gronovio* ad *Senec. Ep.* 54. *sub fin.* ¶ 4. *Recipere nomen alicujus*, dicitur prætor, quum ejus accusationem admittit, eumque inter reos numerat. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 94. Pacilius quidam accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle: iste vero et licere, et fieri solere, et se recepturum. *et ibid.* 42. 102. Qui interfuerint, quum nomen absentis reciperetur. *Val. Max.* 3. 7. *n.* 9. Lex Memmia eorum, qui reipublicæ causa abessent, recipi nomina vetabat. — Hinc etiam *Tac.* 2. *Ann.* 74. Hi crimina et accusationem, tamquam adversus receptos jam reos, instruebant. *Id.* 3. *ibid.* 10. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer, servo accusante, aut Julius Densus. — Hinc Part. præter., cujus plurima superius exempla retulimus,

Receptus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Receptior* et Sup. *Receptissimus*; et est usitatus, in more positus et probatus omnibus, *consueto, usato, corrente*, νομιζόμενος (*V.* sub *B.* II. 1.) *Quintil.* 3. 7. 23. Publice recepta persuasio. *Id.* 12. 10. 9. Recepta religio. *Tertull.* 4. *adversus Marcion.* 5. *a med.* Auctoritas receptior. *più accreditata.* et *Solin. præf.* Scriptores receptissimi, et *Ammian.* 18. 4. Qui (*Domitianus*) receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne etc. — Hinc

Receptum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *promessa*, ἀναδεχθέν, pollicitum, promissum. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 79. Promissum et receptum intervertit, ad seque transtulit. *Id.* 7. *Verr.* 53. 139. Satis est factum Siculis, satis officio ac necessitudini, satis promisso nostro ac recepto. *At* Orellius *legit* ac muneri recepto.

RĔCĬPRŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. *reciprocazione, retrocedimento*, παλινδρομία, retrogressus, ejusdem viæ retrograda repetitio, accessus et recessus.

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (29). Observata æstus reciprocatione. *Id.* 11. *ibid.* 24. 28. (83). *de araneorum telis.* Longitudo fili a culmine, ac rursus a terra per illud ipsum velox reciprocatio. *Id.* 8. *ibid.* 50. 76. (201). *de capris.* Solertiam ejus animalis Mucianus visam sibi prodidit in ponte prætenui, duabus obviis e diverso: quum circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluente; alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam. *Circumactus* est conversio corporis redeundi causa: *reciprocatio* est reditio per eamdem viam non converso corpore, sed cessim et in tergum regrediendo. *il tornar indietro a ritroso. Gell.* 14. 1. Errantium siderum reciprocatio. *h. e.* regressio ad priorem locum cæli, unde discesserant.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Reciprocatio talionum. *h. e.* pœna talionis vicissim inflicta. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 19. Animorum reciprocatio. *h. e.* μετεμψύχωσις. ¶ 2. Speciatim, in re grammatica. *Priscian.* 12. *p.* 940. *Putsch.* Illud quoque sciendum, quod *sic* non solum ἑαυτοῦ vel ἑοῦ, sed etiam αὐτοῦ vel οὗ significat, id est non solum tunc refertur ad tertiam personam, quando ipsa in se agit per reciprocationem, id est κατ' ἀντανάκλασιν vel αὐτοπάθειαν, sed etiam etc.

RĔCĬPRŎCĀTUS, a, um. *V.* RECIPROCO.

RĔCĬPRŎCĀTUS, us, m. 4. reciprocatio, *ricambio.* Est *Augustin.* 11. *de Gen. ad litt.* 1. *extr.*

RĔCĬPRŎCĒ, adverb. reciprocando. *Varro* 3. *R. R.* 17. 9. Posteaquam maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproce fluerent. Plerique alii leg. *reciprocæ*, quod improbandum; etenim non piscinæ reciproce fluunt, sed flumina maritima alterni æstus reciprocant. *Priscian. p.* 1142. *Putsch. Si ambulat, movetur.* In hoc non possumus reciproce dicere: *Si movetur, ambulat.* Sic *Auct. Gromat. p.* 112. *Goes.* Quos limites faciet, in his limitibus reciproce terminos lapideos ponito.

RĔCĬPRŎCĬCORNIS, e, adject. στρεψίκερως, cornua habens in se reflexa. *Laberius* apud *Tertull. Pall.* 1. *a med.* arietem vocat reciprocicornem, et lanicutem, et testitrahum.

RECIPROCITAS, atis, f. 3. idem ac reciprocatio. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 52.

RĔCĬPRŎCŌ, adverb. *V.* RECIPROCUS in fin.

RĔCĬPRŎCO, as, (āvi), ātum, are, a. 1. Quod ad vocis etymon attinet, *Varro* 7. *L. L.* 80. *Müll.* Ab recipere *reciprocare* fictum; aut, quod poscere *procare* dictum. *V.* RECIPROCUS init. Part. *Reciprocans*, *Reciprocatus* et *Reciprocandus* sub *A.* I. — Reciprocare

A) Est repetere, in contrariam partem reflectere, remittere, retrogradi, *rivolgere, muovere innanzi e indietro*, ἀντιστρέφω, παλινδρομέω.

I.) Proprie. — *a*) Active *Sil. It.* 15. 226. Quas auget (*undas*) veniens refluusque reciprocat æstus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 24. Quid Chalcidico euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? *Liv.* 21. 58. Quum jam spiritum includeret ventus, nec reciprocare animam sineret. *Ennius* apud *Non. p.* 165. 11. et *p.* 388. 33. *Merc.* Rursus prorsus reciprocat fluctus feram. *h. e.* impellit et repellit. *Gell.* 17. 11. In eam fistulam, per quam spiritus reciprocatur. *h. e.* pulmonibus attrahitur ac remittitur. *Arnob.* 2. 16. Auras accipiunt naribus, et per anhelitum reciprocatas reddunt. Rursus *Gell.* 9. 11. Manu telum reciprocans incedebat. *h. e.* subinde vibrans ac retrahens. *Liv.* 28. 30. Quinqueremem satis credens, deprehensam rapido in freto, in adversum æstum reciprocari non posse. *h. e.* pro arbitrio regi et progredi aut regredi. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 573. Per solis ignes juro, qui nostros dies Reciprocatis administrat circulis. — *b*) Neutrorum more, vel absolute adhibetur pro reverti, redire, *andare e venire. Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (212). Æstus maris accedere et reciprocare, maxime mirum. *et ibid.* 100. (219). Euripus in Eubœa septies die ac nocte reciprocans. *et ibid.* 17. 14. (72). Cur Veneris stella nunquam longius XLVI. partibus, Mercurius XXIII. a sole abscedant: sæpe citra eas ad solem reciprocent. *Id.* 9. *ibid.* 46. 70. (151). Arcens urinantes e reciprocando. — *c*) Et passive. *Id.* 4. *ibid.* 13. 27. (93). Æstus semper e Ponto profluens, nunquam reciprocatur. *h. e.* nunquam Pontum versus redit.

II.) Translate et passive usurpatur interdum pro mutua quadam consequentia a se invicem dependere, quod philosophi dicunt converti vel dici ad convertentiam. *Cic.* 1. *Divinat.* 6. 10. Siquidem ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, dii sint, et, si dii sint, sit divinatio.

B) Veteres usurparunt pro ultro citroque poscere, teste *Festo p.* 274. 25. *Müll.*, quia procare est petere; quod et *Varro* confirmat 7. *L. L.* 80. *Müll. V.* init. Subjicit *Festus* fragmenta duo ex *Pacuvio* et *Plauto*, quæ et valde corrupta sunt, et utcumque legantur, ad poscendi significationem pertinere non possunt. *Pacuvii* verba ita leg. nonnulli: Penitam ratem reciprocare. *Plauti* verba ita legit *Scalig.* ad *Fest.* Quasi tolleno vel pilum Græcum reciproces plana via. *h. e.* eas et redeas; attollaris et deprimaris. Sic *reciprocare serram* apud *Tertull. Cor. Mil.* 3. est impellere et retrahere, in diversum alternis trahere, quod faciunt qui ligna secant. *Omnia hæc* ad super. parag. I. 1. pertinent.

RĔCĬPRŎCUS, a, um, adject. in se rediens: quasi se *recipiens*: vel a *reci*, pro *re*, et *proco. V.* RECIPROCO init. et INCITEGA. *Varro* 7. *L. L.* 80. *Müll.* Apud Attium: Reciproca tendens nervo equino concita Tela. Reciproca est, quum unde quid profectum, redit eo. Hæc *Varro.* Ideo autem *reciproca tela* dixit *Attius*, quia quum aptantur arcui, retrahuntur quantum chorda patitur: dimissa in eam partem redeunt, unde retrahebantur. Cf. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 741. Catejam quidam asserunt teli genus esse tale, quale aclides sunt, quam, in hostem jaculantes lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. ἀντίστροφος, παλίνδρομος (It. *che va e viene, reciproco*; Fr. *qui revient par la même route, rétrograde, qui reflue*; Hisp. *reciproco*; Germ. *auf demselben Wege Zurückkehrend*; Angl. *going backward and forward, reciprocal.*

I.) Proprie et sæpe dicitur de mari accedente ad litus et in se recedente. *Sil. It.* 3. 59. Luna, immissis per cærula bigis, Fertque refertque fretum: sequiturque reciproca Thetys. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (213). Æstus maris paribus intervallis reciproci. *Id.* 9. *ibid.* 57. 83. (176). Reciprocis amnibus siccatum litus. *Id.* 16. *ibid.* 36. 66. (170). Lacus maturius reciprocus. *h. e.* rediens in se, postquam exundavit. *Tac.* 1. *Ann.* 70. At Germanicus legiones, quas navibus vexerat, itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 44. 44. (115). Concavi vallium sinus scindentes inæqualitate ideo resultantem aera: quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit sine fine. *echeggianti*, mutuo resonantes et respondentes. *Id.* loquens de natura culicem formante, 11. *ibid.* 2. 1. (3). Telum vero perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio! *etc.* ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. *h. e.* ut progredi perforando posset, et sanguinem simul ad se trahere. *Hieronym. Ep.* 5. *n.* 1. Nascentes amicitias fœderemus reciprocis epistolis. *h. e.* mutuis, *scambievoli, vicendevoli.* Sic *Auson. Epist.* 7. Cujus rei munus reciprocum in me colendo fastidisti. *Gell.* 20. 1. *a med.* Reciprocæ taliones. *h. e.* quæ mutuo infliguntur. *Id.* 15. 18. Pugnandi reciprocæ vices. *h. e.* modo hac, modo illa acie cedente, et rursus urgente, instar marini æstus reciprocantis. ¶ 2. Speciatim in re grammatica. — *a*) *Reciproca argumenta* non nimis absurde quidam appellaverunt, quæ Græce ἀντιστρέφοντα, h. e. quæ referri contra convertique possunt in eum, a quo dicta sunt. *Gell.* 5. 10. ubi festivum eorum exemplum affert. — *b*) *Reciproca pronomina* apud Grammaticos sunt *sui, sibi, se*, et *suus, a, um*, quorum vis in ipsas personas transit, de quibus est sermo, vel in res ab ipsis possessas. *Priscian.* 12. *p.* 940. *Putsch.* — *c*) *Versus reciproci* sunt, qui si retro legantur, metrum servant, recurrentes, ut ille apud *Virg.* 1. *Æn.* 12. Musa mihi causas memora, quo numine læso. et Nereides freta sic verrentes cærula tranant, Flamine confidens ut Notus Icarium. Alia congerit *Diomed.* 3. *p.* 515. *Putsch. V.* RECURRO; et *Burmann. Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 558, et *T.* 2. *p.* 351. — Hinc

RĔCĬPRŎCŌ, absolute, adverbii more, est idem ac cum repensatione, Ital. *in compenso. Capell.* 9. *p.* 302. Sed illud præ cunctis intimatum velim, quod dotis offerendæ cumulandæque reciproco alias advexit virginis mater puellas. *V. Kopp.* ad *h. l.*

RĔCĪSĀMENTUM, i, n. 2. *ritaglio*, ἀπόκομμα, frustum exiguum, et veluti ramentum a re quapiam recisum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (111) *de ærugine.* Ocissime vero contingit coronario rum recisamentis in acetum additis. *Auct.* incert. *fragm.* apud *A. Maium* in *præf.* ad *Cic. de Republ. p.* LXV. *ed.* 2. Ac duo recisamenta totius pyramidis.

RĔCĪSĬO, ōnis, f. 3. *ricidimento, taglio*, ἀνατομή, actus recidendi. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (21). Omnis rosa recisione atque ustione proficit. *Ulp. Dig.* 28. 5. 35. *ante med.* Si forte Falcidia interveniens recisionem esset legatorum factura. *Alii leg.* rescissionem.

RĔCĪSUS, a, um, particip. *V.* RĔCĪDO.

RĔCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Generatim est actus recitandi, pronunciatio, lectio, *recitamento, recitazione, lettura, recita*, ἀνάγνωσις, ἐπαγγελία. *Cic. Dom.* 9. (22). Recitatio litterarum. *Id. Cluent.* 51. 141. Crassus ita Brutum ultus est, ut eum recitationis suæ pœniteret. *Id.* 2. *Herenn.* 10. 15. Quum hæc erunt considerata, statim nostræ legis expositione, recitatione, collaudatione utemur. *h. e.* enumeratione et allegatione exemplorum et rerum judicatarum ad rem confirmandam. *V.* vocem sequent. 1. ¶ 2. Speciatim de recitatione poematum, historiarum, ora-

tionum. *Plin.* 1. *Ep.* 13. *in fin.* Possum scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus affui, non auditor fuisse, sed creditor. *Id.* 3. *Ep.* 15. Videor jam nunc posse rescribere, esse opus pulcrum: si modo mihi non imposuit recitatio tua, legis enim suavissime et peritissime. *Tac. Dial. de orat.* 10. *sub init.* Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? Adde *eumd. ibid.* 9. et *V.* voc. sequent. 2.

RĔCĪTĀTOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Generatim est qui recitat, *recitatore*, ἀναγνωστής. *Cic. Cluent.* 51. 141. Tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis. *Id.* 2. *Invent.* 47. 139. Neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit. — Proprie sic dicebantur, qui in judicio recitabant libellos, testimonia et alia, quæ allegabantur ab actoribus, ut liquet ex cit. *Cicer.* loco *Cluent.*, quem integrum lege. ¶ 2. Speciatim *recitatores* dicti et poetæ, aut oratores, qui in cœtu amicorum aut publice scripta sua recitabant. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an magna ex parte evolverit librum. V. *eumd.* 3. *Ep.* 18., 5. *Ep.* 17. et 7. *Ep.* 17.; et *Tac. Dial. de orat.* 9., ubi multa de hoc more recitandi habentur: quæ, et alia fere omnia huc pertinentia, collegit *Lipsius centur.* 2. *ad Belg. ep.* 48. *Seneca Ep.* 95. Recitator historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam; et magna parte perlecta: desinam, inquit, si vultis. Acclamatur: recita, recita, ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt. *Horat. Art. P.* 474. Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.

RĔCĪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔCĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* cito, *quod a* cieo). Part. *Recitans* 2.; *Recitatus* 1. et 2.; *Recitaturus* 2.; *Recitandus* 4. — Recitare ¶ 1. Generatim est scripturam vel orationem vel aliud ejusmodi clara voce legere, ut alii audiant et intelligant; et proprie dicitur de iis, qui in causis libellos legunt et testimonia, *recitare, leggere ad alta voce*, ἀναγινώσκω. *Cic.* 4. *Verr.* 8. 23. Quid ego nunc hic Sexti Pompeji Chlori testimonium recitem? *Id.* 10. *Fam.* 12. Cave, putes, ullas litteras unquam graviores, quam tuas, in senatu esse recitatas. *Id. Dom.* 32. 84. Patrem tuum L. Philippus censor avunculum suum præteriit in recitando senatu. *Id.* 5. *Verr.* 10. 26. Da, quæso, scribæ: recitet ex codice. *Id. Cluent.* 48. 135. Quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii patris. *Id. Cæcin.* 19. 54. Testamento si recitatus heres esset pupillus. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (177). Aperto testamento recitatus heres. Rursus *Cic. Planc.* 30. 74. Recitetur oratio, quæ propter rei magnitudinem dicta de scripto est. *si legga*, et *Quint.* 29. 89. Postea recitavi edictum, quod aperte dominum de prædio detrudi vetat. *Sueton. Aug.* 84. Ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. ¶ 2. Speciatim, mos fuit poetis quoque et aliis postea scriptoribus, privatim in amicorum domibus lucubrationes suas legere, antequam ederentur, ut judicium atque censura de iis fieret, vel ostentandi ingenii gratiâ, qua de re *V.* RECITATOR 2. *Plin.* 6. *Ep.* 15. *in fin.* Tam sollicite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 73. Nec recitem quidquam, nisi amicis, idque coactus, Non ubivis, coramve quibuslibet: in medio qui Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 45. Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes. *Juvenal.* 3. 8. mille pericula sævæ Urbis, et Augusto recitantes mense poetas. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 222. Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 57. ut recitata probentur Carmina. ¶ 3. Dicitur etiam de his, qui memoriter pronunciant, *dire a mente, a memoria. Cels.* 3. 18. *circa med. de phreneticis.* Quin etiam recitare, si qua meminerunt, cogendi sunt. *Quintil. declam.* 6. 8. *de muliere cæca.* At ista legem recitat, et in cadaver filii perorat. *Martial.* 9. 84. spectant, qui recitare solent, *h. e.* histriones. ¶ 4. Significat etiam iterum ciere, revocare. *Pelagon. Veterin.* 9. *a med.* Item ad pilos recitandos. *per la rimissione del pelo.*

RĔCLĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. *grido replicato*, ἀναβόησις, repetitus clamor. — *a*) In bonam partem. *Cic.* 4. *Phil.* 2. 5. Præclara et luculenta reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis. *Id. ibid.* 1. 2. dixerat: Nunc multo sum erectior, quod vos quoque, hostem illum esse, tanto consensu tantoque clamore approbavistis. — *b*) Item clamor qui adversandi aut improbandi gratiâ editur. *Apul. De Mag.* Auditis ne reclamationem omnium, qui adsunt? auditis ne mendacii vestri damnationem?

RĔCLĀMĬTO, as, are, n. 1. frequentat. a *reclamo. Cic. Rosc. Am.* 22. 63. Reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura.

RĔCLĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* clamo). Part. *Reclamans* 1. — Reclamare ¶ 1. Stricto sensu est contra clamare, clamore adversari, repugnare, ἀντιβοάω, ἀντιλέγω (It. *contraddire gridando, opporsi colle grida*; Fr. *se récrier contre, s'écrier pour s'opposer, contredire, réclamer contre*; Hisp. *clamar mucho y en alta voz contra, reclamar, oponerse contra*; Germ. *dagegenrufen,-schreien, heftig entgegenrufen, widersprechen*; Angl. *tocry or bawl out against, appose with clamour, deny with a loud voice, gainsay*. Usurpatur cum additis. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 196. In his si paullum modo offensum est, theatra tota reclamant. *Id.* 5. *Phil.* 8. 22. Quum ejus promissis legiones fortissimæ reclamassent. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Quum mihi quidam e judicibus ipsis pro reo gratiosissimo reclamarent. *Cic. Balb.* 5. 12. Una voce omnes, ne is juraret, reclamasse. *Justin.* 24. 2. 10. Reclamante Ptolemæo filio, fraudem subesse etc. *Sueton. Aug.* 37. Reclamantibus cunctis, satis majestatem ejus imminui, quod etc. *Lamprid. Elagab.* 31. Avia sua Varia reclamante, quod omnia perditurus esset. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 62. «Quære peregrinum» vicinia rauca reclamat. — *b*) Absolute. *Liv.* 3. 21. Consules fuere in patrum potestate: tribuni, reclamantibus consulibus, refecti. Sic *ibid.* 27. Reclamantibus frustra tribunis, magni duo exercitus scripti. — *c*) Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Fam.* 2. Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est. Sic *Id. Dom.* 4. 10. Ab universo senatu reclamatum est. — *d*) Cum Nomin. rei. *Lucret.* 1. 623. Cui quoniam ratio reclamat vera negatque Credere posse animum etc. — *e*) *Phædr.* 4. 17. Reclamant omnes, vindicandam injuriam. *h. e.* exclamant: vel iterum clamant, quia *ibid.* fustibus propulerant, et primam illam injuriam vindicaverant. Pro exclamare est etiam in illo *Auson. Edyll.* 15. 19. Juturna reclamat: Quo vitam dedit æternam? Ita *Forcellinus*; nihil tamen obstare videtur, quominus et hæc duo ad superiora referantur. — *f*) Passive. *Quintil.* 12. 1. 14. Nunc de iis dicendum est, quæ mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur. *h. e.* objici, opponi. ¶ 2. Poetice est resonare, *risuonare. Virg.* 3. *G.* 261. et scopulis illisa reclamant Æquora. *Stat.* 3. *Theb.* 120. Fervet iter gemitu, et plangoribus arva reclamant. *Id.* 4. *Silv.* 5. 20. canenti Mutus ager domino reclamat. *fa eco, risponde.* ¶ 3. Interdum est vocare, vel iterum vocare, *chiamare, richiamare. Val. Flacc.* 3. 596. Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat Avia. *Id.* 8. 172. In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant Nomine. ¶ 4. Idem est ac proclamo. *Paul. Dig.* 41. 2. 3. *circa med.* Si ex possessione servitutis in libertatem reclamaverit, et liberale judicium imploraverit. *V.* PROCLAMO.

RĔCLANGO, gis, gere, n. 3. (re *et* clango). Legitur tantum Particip. *Reclangens*, et est contra aut valde clangens, resonans. *Ammian.* 17. 7. 4. Et quoniam acclivitate collium ædes pleræque devehebantur, aliæ super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso.

RĔCLAUDO, dis etc. *et*

RĔCLAUSUS, a, um, partic. *V.* RECLUDO init.

RĔCLĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. declinatio, fuga. *Ambros. de bon. Mort.* c. 3. Nulla requies a perturbationibus, nulla a laboribus reclinatio.

RĔCLĪNĀTŌRĬUM, ĭi, n. 2. *dossiere, spalliera*, ἀνάκλιτον, fulcrum dorsi, seu capitis in lectis et sellis seu cathedris. *Isid.* 19. *Orig.* 26. Fulcra sunt ornamenta lectorum, dicta, quod in iis fulcimur, id est sustinemur, vel quod toros fulciant, sive caput: quæ reclinatoria vulgus appellat. Cf. *Vulgat. interpr. Cantic.* 3. 10. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.

RĔCLĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* RECLINO.

RĔCLĪNIS, e, adject. Est et alia forma *Reclinus* apud *Vopisc. Firm.* 4. Incudem superpositum pectori, constanter aliis tundentibus, pertulit, quum ipse reclinus, ac resupinus, et curvatus in manus penderet potius, quam jaceret. *Alii leg.* reclivus, *sed minus recte.* — *Reclinis* est idem quod reclinatus, innixus, incumbens, *inchinato, appoggiato, mezzo coricato.* — *a*) Absolute. *Ovid.* 10. *Met.* 558. Inque sinu juvenis posita cervice reclinis. *Alii leg.* recumbens, *alii* renidens. *Martial.* 9. 92. Sic in gramine floreo reclinis. *Sil. It.* 5. 469. pervaserat altam in silvam, et priscæ reclinis ab ictibus ulmi Terga tuebatur trunco. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Ille ut erat reclinis, et nescio similis. *Seneca Herc. Œt.* 1643. Æger reclini pectore immugit leo. — Reclinis sellula, *h. e.* It. *poltrona. V.* SELLULA. — *b*) Cum Dat., vel cum Accus. et præp. *super. Val. Flacc.* 4. 535. Reclinis stratis. *Seneca Phœniss.* 499. hastæ. *Id. Hippol.* 385. sedis auratæ toro. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 69. Vulturnus pontis Cæsarei reclinis arcu. *pro* arcui. *Tac.* 14. *Ann.* 5. Aceronia super pedes cubitantis reclinis. *V.* RECLIVIS *ad fin.*

Homonym. Differunt *acclinis* et *reclinis*, si vim vocum spectes: ille est in anteriorem partem flexus et innitens; hic in tergum, vel in latus reflexus.

RĔCLĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* clino, quod in compositis tantum usurpatur). Part. *Reclinatus* I. — Reclinare est reflectere, recurvare, ἀνακλίνω, *inchinare, piegare, appoggiare.*

I.) Proprie. — *a*) Active. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. *extr.* Huc quum se ex consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipsæ concidunt. *Virg.* 12. *Æn.* 130. Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant. *Cic.* in *Arat.* 417. At Cepheus caput atque humeros palmasque reclinat. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (40). Candido ovorum in oculis et pili reclinantur. — *Stat.* 9. *Theb.* 369. Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat Corpora. *h. e.* vertit, invertit, *rivolta*, ut *Forcellinus* interpretatus est. — *b*) Particip. *Reclinatus* mediorum apud Græcos more usurpatur, et est retro inclinatus, jacens cubito innixus, recumbens, reclinis, *mezzo coricato, appoggiato, inchinato*, ἀνακλινθείς. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. *de alcibus.* His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paullulum modo reclinatæ quietem capiunt. *Seneca Ep.* 36. *a med.* Ut pro vallo vigilet, et ne pilo quidem incumbat: quia solet obrepere interim somnus in aliquod adminiculum reclinatis. *Horat.* 2. *Od.* 3. 6. Seu te in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota Falerni. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burm.* Reclinatus in cubitum. Similiter *reclinare* pro *reclinari, jacere* dixit *Venant. Fort. Vit. S. Radeg.* 5. Item, nocturno tempore, quum reclinaret (*regina*) cum principe etc.

II.) Translate. *Seneca Consol. ad Marc.* 2. Octavia Marcellum amisit, cui et avunculus et socer incumbere cœperat, in quem onus imperii reclinare. *Horat. Epod.* 17. 24. Nullum a labore me reclinat otium. *h. e.* levat, et reclinare me sinit.

RĔCLĪNUS, a, um. *V.* RECLINIS init.

RĔCLĪVIS, e, adject. Alia forma RECLIVUS, a, um, legitur apud *Venant. Fortun. Vit. S. Mart.* 3. nave recliva. — Ceterum *reclivis* est retro inclinatus, obliquus, *erto all'indietro*, ἀνά-

κλιτος. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 15. Frumenta omnia maxime lætantur patenti campo et soluto et ad solem reclivi. *Id.* 7. *ibid.* 2. 3. Vehiculi quadrata superficies tabulis munitur, quæ, forinsecus reclives, in summo reddant spatia largiora. Alii utroque loco *reclinis* leg., sed minus apte, quia *reclivis* de locis, *reclinis* de animantibus proprie dicitur: quod discrimen etiam inter *acclivis et acclinis* statuimus. Quare minus recte ii quoque faciunt, qui in locis *Martial.* et *Taciti*, quæ in RECLINIS allata sunt, *reclivis* reponunt.

RĔCLUDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (re *et* claudo). Aliam formam *Reclaudo V.* sub *A.* I.; Particip. *Recludens* sub *A.* II. et *B.* II.; *Reclusus* sub *A.* I. et *B.* I. et II.; *Reclausus* sub *A.* I. — Recludere duo diversa significat, scilicet

A) Est, quod clausum erat, aperire, reserare, ἀνοίγω (It. *aprire, dischiudere*; Fr. *ouvrir*; Hisp. *abrir*; Germ. *etwas, was verschlossen ist, wieder aufschliessen, öffnen, erschliessen, hervorbringen, offenbaren*; Angl. *to open, throw open, unbar, unlock, reclude*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 4. 2. 27. Pergam pultare ostium. Heus, heus Tranio, etiam aperis? *Id. Rud.* 2. 3. 82. Heus, ecquis in villa est? ecquis hoc recludit? ecquis prodit? *Id. Capt.* 4. 4. 10. Cellas refregit omnes reclusitque armarium. *Ovid.* 8. *Met.* 41. æratas hosti recludere portas. *Virg.* 8. *Æn.* 243. Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat. *h. e.* pandat ostendatque. *et* 10. *ibid.* 601. latebras animæ, pectus mucrone recludit. *Ovid.* 7. *Met.* 285. stricto Medea recludit Ense senis jugulum. *Virg.* 1. *Æn.* 362. Auxiliumque viæ, veteres tellure recludit Thesauros. *h. e.* aperit et promit. *et* 4. *ibid.* 646. ensemque recludit. *h. e.* vagina eripit. *V.* mox in *Reclusus. Id.* 2. *G.* 423. tellus quum dente recluditur unco. *h. e.* aratur, aut foditur. *Tac.* 2. *Ann.* 25. Recludere humum, *scavare.* — Sic Particip. *Reclusus* est reseratus, apertus, *aperto*, ἀνεῳχθείς. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 103. reclusa Mane domo vigilare, clienti promere jura. *Petron. Satyr.* 16. Reclusæque subito fores admiserunt intrantem. *Ovid.* 14. *Met.* 776. arcis via reclusa. *Id. Heroid.* 8. 17. Stabulis reclusis armenta rapere. *Val. Flacc.* 4. 231. reclusaque janua leti. *Quintil.* 7. 2. 44. Furtum in loco clauso vel recluso; frequenti vel solo. *Colum.* 6. *R. R.* 38. 2. Suppuratio ferro reclusa linamentis curatur. *Stat.* 2. *Silv.* 4. 32. *de psittaco.* quo, Melior dilecte, recluso, Numquam solus eras. *h. e.* aperta cavea emisso. *Virg.* 4. *Æn.* 63. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta. *sparati.* et 9. *ibid.* 423. simul ense recluso Ibat in Euryalum. *colla spada sguainata.* — Alia forma *reclaudo* apud *Coripp.* 3. *Joann.* 118. Et prædam exhaustis Afris rapiuntque reclaudunt. *Ubi* fortasse legendum est *reclausum*; quod participium legitur apud *eumd. ibid.* 164. tunc ense reclauso Diripit astrictam magno cum pondere pellem.

II.) Translate. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 26. 66. Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo. *Horat.* 3. *Od.* 2. 21. Virtus, recludens immeritis mori Cælum etc. *Id.* 1. *ibid.* 24. 17. Mercurius Non lenis precibus fata recludere. *h. e.* resolvere atque aperire viam, qua vitæ reddamur. *Id.* 1. *Ep.* 5. 16. Quid non ebrietas designat? operta recludit. *scopre, divulga.* et *Virg.* 2. *G.* 174. tibi res antiquæ laudis et artis Ingredior, sanctos ausus recludere fontes. *Tac.* 2. *Hist.* 77. *ad fin.* Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. *Id.* 6. *Ann.* 6. Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus. Sic *Sil. It.* 1. 17. Tantarum causas irarum odiumque perenni Servatum studio, et mandata nepotibus arma Fas aperire mihi, superasque recludere mentes. *h. e.* consilia eorum, maxime Junonis. *Plin.* 6. *Ep.* 31. Quid jucundius, quam principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi maxime recluduntur, inspicere? *si mostrano.*

B) Recludere adhibetur etiam pro claudere, vel seorsum claudere, *chiudere, rinchiudere*, κατακλείω.

I.) Proprie. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 93. Sic ait, et speculum reclusit, imagine rapta. *Justin.* 26. 1. 7. Omnibus rebus exspoliatæ in carcerem recluduntur. *Id.* 1. 9. 16. Nec se ipsam scire, ait, nec ex alia posse cognoscere, quia singulæ separatim recludantur. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 33. Ficus recentes in novo vase fictili, et a se separatas recludunt. *Tertull. Idolol.* 17. *extr.* Neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat. *h. e.* in carcere claudat. *Ammian.* 16. 10. 1. Constantius, tamquam recluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam visere gestiebat.

II.) Translate. *Sedul.* 5. *carm. Pasch.* 390. nebulaque recludens Omnia, sollicitos odit simulator amicos. *Justinian.* 3. *Institut. tit.* 2. *ad fin.* Quum satis absurdum erat, quod cognatis a prætore apertum est, hoc agnatis esse reclusum.

RĔCLŪSĬO, ōnis, f. 3. (recludo *A.*) *apertura*, apertio. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Vicinus oculus non valebit facere reclusionem, conducto inferiore palpebro.

RĔCLŪSUS, a, um. *V.* RECLUDO.

RĔCOCTUS, a, um. *V.* RECOQUO.

RECŒNO, as, are, n. 1. rursus cœno. *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. Illud tamen memorabile, eum, quoad vixit, foris postea non recœnasse. Ita edit. veteres, et *Aldi*: aliæ *cœnasse.*

RĔCŌGĬTĀTĬO. *V.* IRRECOGITATIO.

RĔCŌGĬTĀTUS, us, m. 4. cogitatio. *Tertull. Anim.* 15. Deus recogitatus cordis in populo prævenit. Adde *eumd. Pall.* 6. et *Anim.* 7. *ad fin.*

RĔCŌGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* cogito). Particip. *Recogitans.* — Recogitare est iterum atque iterum cogitare, *ripensare*, ἀναλογίζομαι. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. Sic tu mihi videris in Sardinia de forma Minutiana, et nominibus Pompejanis in otio recogitasse. *Plaut. Capt. prol.* 51. Homunculi quanti sunt! quum recogito etc. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 13. Sæpe mecum retractans ac recogitans, quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris. Adde *Senecam. Vit. beat.* 2.; et *Tertull.* 1. *ad Uxor.* 4. et 1. *advers. Marc.* 5.

RĔCOGNĪTĬO, ōnis, f. 3. (recognosco). ¶ 1. Est repetita agnitio, iterata ex intervallo cognitio, recordatio vel commemoratio, *ricognizione, riconoscimento*, ἀναγνώρισις. *Cic.* 6. *Verr.* 50. 110. Qui tandem istius animus est nunc in recognitione scelerum suorum? *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (109). *de formicis.* Et quoniam ex diverso convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Hic tamen *Plinii* locus ad seq. paragr. pertinere videtur. ¶ 2. Item pro inspectione, *revisione. Colum.* 11. *R. R.* 1. 21. Nam frequens recognitio nec impunitatis spem, nec peccandi locum præbet. *Liv.* 42. 19. Quia per recognitionem Postumii magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat. *Sueton. Claud.* 16. Recognitio equitum. *revista, rassegna, mostra della cavalleria.*

RĔCOGNĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔCOGNOSCO, gnoscis, gnōvi, gnitum, gnoscere, a. 3. (re *et* cognosco). Particip. *Recognoscens* 3., *Recognitus* 4., *Recogniturus* et *Recognoscendus* 3. — Recognosco ¶ 1. Est idem ac rem olim cognitam denuo cognosco, agnosco, iterum intelligo, video, considero, *riconoscere*, ἀναγνωρίζω. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 15. Neque enim mihi videtur hæc multitudo, quæ ad audiendum convenit, cognoscere ex me causam voluisse; sed ea, quæ scit, mecum recognoscere. *Id. Dejot.* 2. 4. Perturbat me, C. Cæsar, etiam illud interdum: quod tamen, quum te penitus recognovi, timere desino. *Brutus* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. *Ovid.* 1. *Fast.* 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Cassius* ad *Cic.* 12. *Fam.* 12. Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. ¶ 2. Item ad memoriam revoco, reminiscor, *richiamare alla memoria, rimembrare. Cic.* 4. *Verr.* 6. 18. Quum istius in quæstura fugam et furtum recognosceret. *Id.* 1. *Cat.* 3. 6. Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministi ne etc.? *et ibid.* 4. 8. Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 57. Se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. *Id.* 3. *Verr.* 12. 32. Quæ qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. ¶ 3. Item inspicere, videre, recensere, *far la revista, riscontrare, esaminare. Justin.* 43. 4. 11. Massilienses portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere. *Colum.* 1. *R. R.* 16. 8. Ergastuli mancipia recognoscere, ut explorent, an diligenter vincta sint. *et paullo post.* Vestem, manicas pedumque tegmina recognoscat. *Id.* 6. *ibid.* 23. 3. Recognosci grex poterit, numerusque censeri. *Id.* 11. *ibid.* 1. 20. Recognoscere instrumentum rusticum, et sæpius inspicere ferramenta. *Justin.* 3. 1. 7. Recogniturus et numerum militum et in armis industriam singulorum. *Sueton. Aug.* 38. Equitum turmas frequenter recognovit. *fece la rassegna.* et *Cal.* 27. Custodiarum seriem recognoscens. *Id. Ner.* 61. *sub fin.* In recognoscendis custodiis. ¶ 4. Speciatim de scriptis est perlegere emendandi et retractandi causa, *rivedere, correggere. Cic. Balb.* 5. 11. Nos Cn. Pompeji decretum, judicium, de consilii sententia pronunciatum recognoscemus? *Plin.* 4. *Ep.* 26. Libellos legere et recognoscere. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 77. 190. Hæc omnia summâ curâ et diligentiâ recognita, et collata, et ab hominibus honestissimis obsignata sunt. — Hinc *descriptum et recognitum*, formula est, qua significatur exemplum cum autographo rite collatum, *copia autenticata. Cajus Dig.* 10. 2. 15. Si quæ sunt cautiones hereditariæ, eas judex curare debet, ut apud eum maneant, qui majore ex parte heres sit: ceteris descriptum et recognitum faciat, cautione interposita, ut, quum res exegerit, ipsæ exhibeantur. *Inscript.* Vesbini Trajani Aug. liberti apud *Gruter.* 214. DESCRIPTVM ET RECOGNITVM FACTVM IN PRONAO ÆDIS MARTIS EX COMMENTARIO QVEM JVSSIT PROFERRI CVPERIVS HOSTILIANVS PER T. RVSTIVM LYSIPONVM SCRIBAM IN QVO SCRIPTVM ERAT ID QVOD INFRA SCRIPTVM etc. — In exemplis militarium diplomatum fere semper legitur, ut apud *Gruter.* 573. 1. Descriptum et recognitum ex tabula ænea, quæ fixa est in ara, *vel* ad aram gentis Juliæ, *vel alibi* etc. — *Recognovit*: sic olim scriba publicus subscribebat, postquam exemplum cum autographo contulerat. In rescripto Antonini Pii apud *Spon. Miscell. antiqu.* p. 352. Rescripsi. Recogn. Undevincesimus. *Rescripsi* est principis subscriptio: sequitur *Recognovit*, nempe *Undevincesimus*, quod est tabellionis nomen, qui Antonini sententiam ex autographis litteris, ipsius permissu, descriptam se recognovisse testatur.

RĔCŌGO, gis, gere, a. 3. rursus cogo. *Paulin. Nolan. carm.* 35. 309. Si dubitas cineres in corpora posse recogi etc.

RĔCOLLECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔCOLLĬGO, ligis, lēgi, lectum, ligere, a. 3. (re *et* colligo). Particip. *Recolligens* II.; *Recollectus* I. — Recolligere est colligere, vel rursus colligere, ἀναλέγομαι (It. *raccogliere, unire insieme, adunare*; Fr. *réunir des choses séparées, rassembler, recueillir*; Hisp. *reunir, volver á unir, juntar de nuevo, recoger*; Germ. *was zerstreut ist wieder zusammenlesen, - sammeln, - nehmen*; Angl. *to gather up again, collect together*).

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 4. Circumire cubilia, ut, quæ nata sunt ova, recolligantur, notenturque quæ quoque die sint edita. *Lucan.* 1. 157. *de fulmine.* Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes. *Seneca sub fin. Apocoloc.* Quumque recollectos auderet mittere talos etc. *Justin.* 42. 3. 8. Recollecta multitudine, quæ, amisso rege, passim vagabatur. *et ibid.* 5. 11. Captivi ex Crassiano exercitu recollecti. *Id.* 33

2. 4. Recollecto gladio, ad socios revertitur. *h. e.* recepto, recuperato. Sic *Val. Flacc.* 6. 254. Recollecta hasta. *et ibid.* 423. Ipse recollectis audax Ariasmenus armis Desilit. Rursus *Justin.* 23. 4. 8. Responso haruspicum admonitus pater, parvulum recolligit. *h. e.* quem ante exposuerat, rursus tollit, et educat. *Plin.* 4. *Ep.* 11. *a med.* Quum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, hæsissetque descendenti stola, vertit se, ac recollegit. *Id.* 9. *ibid.* 13. *ad fin.* Actionem meam utcumque potui, recollegi: addidi multa.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Att.* 5. *a med.* Etiam si cujus animus in te esset offensior, a me recolligi oportere. *h. e.* reconciliari, iterum in amicitiam uniri. *Ovid.* 7. *Met.* 215. Nunc opus est succis, per quos renovata senectus In florem redeat, primosque recolligat annos. *h. e.* recipiat, recuperet. *Id.* 9. *ibid.* 744. Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi: Consiliique inopes et stultos excutis ignes? *h. e.* sanam mentem resumis, et resipiscis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (129). Lac bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant. *h. e.* reficientibus, recuperantibus. *Id.* 23. *ibid.* 7. 63. (122). Siccæ fici recolligenti se a longa valetudine utilissimæ. *a chi si ria.* et 20. *ibid.* 5. 17. (35). Ægri se recolligentes.

RĔCOLLŎCO, as, are, a. 1. rursum colloco. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *a med.* Tum æger lecto recollocandus.

RĔCŌLO, as, are, a. 1. iterum colo. *Scribon. Compos.* 268. Oleum recolare per linteum duplex.

RĔCŎLO, cŏlis, cŏlŭi, cultum, cŏlere, a. 3. (re *et* cŏlo). Part. *Recolens* I. 1.; *Recultus* II. 2.; *Recolendus* II. 1. — Recolere est rursus colere (It. *coltivare di nuovo, ricoltivare;* Fr. *cultiver de nouveau, travailler;* Hisp. *cultiver de nuevo, trabajar;* Germ. *wieder bebauen, wieder bearbeiten;* Angl. *to cultivate or till again*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est, ut diximus, rursus colere. *Ovid.* 5. *Met.* 647. partimque rudi data semina jussit Spargere humo, partim post tempora longa recultæ. *Liv.* 27. 5. Desertam tandem recoli terram, frugiferam ipsis cultoribus, populo R. annonæ subsidium. *Id.* 39. 24. Metalla vetera intermissa recoluit, et nova instituit. *Val. Flacc.* 7. 68. Recolere agros. ¶ 2. Speciatim est rursus habitare, frequentare, revisere. *Phædr.* 1. 18. Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est rursus exercere, resumere, renovare, instaurare. *Plin.* 7. *Ep.* 9. *circa med.* Ut terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur. *Tac.* 3. *Hist.* 7. Galbæ imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli jussit. *et* 1. *ibid.* 77. Recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos, avitis ac paternis sacerdotiis in solatium (*Otho*) recoluit. *h. e.* rursus honoravit. *Plaut. Merc.* 3. 2. 3. Certum est: antiqua recolam, et servibo mihi. *ripiglierò i miei antichi vizi.* et *Val. Flacc.* 2. 395. ecquando natorum tempora, gentem Qui recolant, qui scæptra gerant? *rimettano.* *Tac.* 3. *Ann.* 72. Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit. *rinnovò.* *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 439. 2. *Merc.* Recolere dignitatem suam. *Id.* 1. *Orat.* 1. 2. Ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas interque nos recolendas. *Id. Arch.* 6. 13. Quantum (*temporis*) alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 261. nostris celebrabitur undis Iste dies, semper dapibus recoletur opimis. ¶ 2. Speciatim est meditari, reputare, memoria repetere, *riandare colla memoria, ripensare, rimembrarsi,* ἀναλογίζεσθαι. *Plaut. Trin.* 2. 1. 24. Hæc ego quum ago cum meo animo, et recolo, ubi qui eget, quam pretii sit parvi, apage te, amor: non places. *Cic.* 13. *Phil.* 20. 45. Quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo moriere. *Catull.* 62. 45. Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit, Liquidâque mente vidit etc. *Virg.* 6. *Æn.* 680. Inclusas animas superumque ad lumen ituras Lustrabat studio recolens. *Ovid. Heroid.* 5. 113. Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat. *Ammian.* 25. 8. 13. Ejus iram metuebant et simultates, recolentes quæ assidue (*ille*) pertulerit funera.

RĔCOMMĬNISCOR, mĭnisceris, mentus sum, mĭnisci, dep. 3. (re *et* comminiscor) *inventare, o ritrovar di nuovo,* rursus comminiscor, rursus excogito, cogitando invenio. *Plaut. Trin.* 4. 2. 70. Litteris recomminiscar. C est principium nominis. *h. e.* sectando litterarum vestigia, ipsum nomen inveniam.

RĔCOMMŎNĔO, es, ere, a. 2. (re *et* commoneo). Part. *Recommonens.* — Recommoneo est idem atque iterum commoneo. *Cassiod. Complex. Apocalyps.* 4. Ad quam (*caritatem*) illum redire habita satisfactione recommonet. *Id.* 1. *Timoth.* 4. Iterata eum insinuatione recommonens, ut fidei depositum custodiat.

RĔCOMPENSĀTĬO, ōnis, f. 3. *ricompensa,* reciproca compensatio. *Aldhelm.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 597. Velim, ut hoc sit quædam fessæ menti rata recompensationis portio.

RĔCOMPENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* compenso) compensationem præstare. Legitur Part. *Recompensaturus* apud *Lactant. Placid.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 140). *fab.* 144. Si quidem virtutis successu enitenti recompensaturus (*Meleager*) pellem monstri illius (*apri*) cum capite ipsi (*Atalanti*) dedit in testimonium laudis. Et Part. *Recompensans* apud *Auct. incert. Excerpt. de Constant. Chloro* etc., quæ *Ammiano* subjuncta edi solent, § 49. Zeno itaque recompensans beneficiis Theodoricum etc. Vocem confirmat *Thesaur. novæ Latinit.* ed. *A. Maio p.* 509. Recompensare, reddere. Et *Papir. Ravenn.* (*a.* 551.) apud *Marini Imp. Diplom. n.* 119. *lin.* 39. Promittimus nos, solidos, quos accepimus in pretio, eis recompensare.

RĔCOMPINGO, is, ere, a. 3. *riattaccare, riunire,* rursus compingo, unio. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Recolligi, et recompingi os ad os.

RĔCOMPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (re *et* compono). Part. *Recompositus.* — Recomponere est rursus componere, *riunire, riaggiustare.* *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 68. Pone recompositas in statione comas. *Ulp. Dig.* 34. 2. 26. *sub fin.* Si in hoc sint soluti, ut recomponantur. *Veget.* 3. *Veterin.* 47. 1. Fracturam recompones, et fasciis colligabis. *V.* RECONCILIO 1. *b.*

RĔCOMPŎSĬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

RĔCONCĒDO, is, ere, a. 3. invicem concedo. *Gloss. Cyrill.* Ἀντιπαραχωρῶ, reconcedo.

RĔCONCĬLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Generatim est actus reconciliandi, *riconciliazione, pace,* καταλλαγή. *Cic.* 3. *Cat.* 10. 25. Reconciliatio concordiæ. *Id. Harusp. resp.* 24. 51. Significat se illi amicissimum esse, et reconciliationem esse gratiæ factam. *Id. post red. ad Quir.* 5. 13. Quum provinciarum pactiones, reconciliationes gratiarum sanguine meo sancirentur. *Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ut agat de reconciliatione gratiæ suæ et Pompeji. *Liv.* 27. 35. De reconciliatione etiam gratiæ eorum (*consulum designatorum*) in senatu actum est, principio facto a Q. Fabio Maximo. — Is (*Livius*) magis implacabilis erat: et nihil opus esse reconciliatione, ajebat. Sic *Id.* 40. 46. Quos conjunxit suffragiis suis populus Romanus, hac etiam reconciliatione gratiæ conjungi a nobis sinatis. *Sueton. Cæs.* 73. De reconciliatione agere per amicos. *et Aug.* 17. Antonii societatem reconciliationibus variis male focillatam abrupit tandem. *Id. Ner.* 34. Reconciliationem simulare. *Justin.* 16. 1. 8. Inchoata inter fratres reconciliatio. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos Auctores est absolutio ab excommunicatione. *Alcim. Ep.* 15. Utrique notam excommunicationis indicite, donec a consortio criminali publica pœnitentiæ professione dissuescant, et tum, miserantibus vobis, gratiam reconciliationis accipiant.

RĔCONCĬLĬĀTOR, ōris, m. 3. *riconciliatore,* καταλλακτήρ, pacificator. *Liv.* 35. 45. Phaneas reconciliatore pacis et disceptatore de iis, quæ in controversia cum populo R. essent, utendum potius Antiocho censebat, quam duce belli. *Apul. de Mag.* Si Publicola regum exactor, et Agrippa populi reconciliator etc. *h. e.* Menenius Agrippa, qui, prima secessione plebis a patribus facta, ejus animus flexit, ut est apud *Liv.* 2. 31.

RĔCONCĬLĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔCONCĬLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* concilio). *Reconciliasso* pro *reconciliavero,* et *reconciliassere* V. sub 2. *a.* — Particip. *Reconcilians* 1.; *Reconciliatus* 1. et 2.; *Reconciliandus* 1. — Reconcilio ¶ 1. Stricto sensu est idem atque in gratiam restituo, in concordiam reduco, pacem aut amicitiam rursus concilio et jungo, καταλλάττω, συνοικειόω (It. *rappacificare, riconciliare, rimettere in grazia;* Fr. *ramener, réunir, rapprocher, réconcilier;* Hisp. *reunir, reconciliar, volver a conciliar;* Germ. *wieder zusammenbringen, - vereinigen in Freundschaft;* Angl. *to reconcile, make friendo, restore to favour, conciliate*). Usurpatur cum Accus. *Ennius* apud *Rufinian. de fig. sent. et eloc.* § 37. Pro malefactis Helena redeat, virgo pereat innocens? Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia? *Cic. Prov. cons.* 9. 21. Quibus eum omnibus eadem respublica reconciliavit, quæ alienarat. *et ibid.* 23. Hic me meus in rempublicam animus pristinus ac perennis cum C. Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. *Id.* 6. *Att.* 7. Animum patris sui sorori tuæ reconciliavit. *Id.* 1. *ibid.* 11. Ut egerem cum Luccejo de vestra vetere gratia reconcilianda. *Id. Dom.* 50. 129. Inimici in gratiam reconciliabantur. *Justin.* 7. 5. 2. Per eumdem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. *Id.* 31. 4. 9. Antiochus tam assiduo colloquio reconciliatam ejus (*Hannibalis*) cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum, sicut solebat, referre. *Cic.* 5. *Fam.* 2. Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam imminuta est. *Id.* 1. *ibid.* 2. Videbatur reconciliata nobis voluntas senatus esse. *Nepos Thrasyb.* 3. Reconciliata pax. Sic *Liv.* 42. 46. Reconciliare pacem. *Id.* 2. 32. Nullam profecto, nisi in concordia civium, spem reliquam ducere: eam per æqua, per iniqua, reconciliandam civitati esse. *Id.* 8. 2. Prætor Samnitibus respondit: neque contradici, quin, quoniam ipsos belli culpa sua contracti tædium ceperit, amicitia de integro reconcilietur. *Id.* 8. 36. Reconciliare animos militum imperatori. *Curt.* 6. 10. 11. Dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi. *Sueton. Aug.* 62. Reconciliatus Antonio post primam discordiam. *Tac. Germ.* 22. De reconciliandis invicem animis - plerumque in conviviis consultant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. 58. Reconciliantur apes lacte vel aqua mulsa. *Nepos Milt.* 7. Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset. *h. e.* impellere, ut ad officium rediret. *ridurre ai suoi doveri.* et *Cic.* 2. *Verr.* 1. 2. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum populo R. possetis. *ricuperare.* *Hieronym.* 8. *in Isai.* 26. 5. Reconcilíantes mundum Deo. — ¶ 2. Speciatim, pro reducere, *ridurre, ricondurre.* — *a*) Cum Accus. *Plaut. Capt. prol.* 32. Nihil pretio parsit, filio dum parceret: reconciliare ut facilius posset domum etc. *et* 1. 2. 64. Nam illum confido domum in his diebus me reconciliassere. *h. e.* reconciliaturum seu reducturum esse. Id dixerat *ibid.* 28. Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest. Sic *ibid.* 3. 4. 43. Ego me liberum confido fore, si hujus huc reconciliasso in libertatem filium. pro *reconciliavero,* reduxero. — *b*) Absolute. *Plin.* 6. *Ep.* 5. Qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem, prout hic vel ille diceret, cupiditate audiendi versitabant, et nunc quasi stimularent et accenderent, nunc quasi reconciliarent ac recomponerent, frequentius singulis, ambobus interdum propitium Cæsarem - precabantur. — *c*) Huc referri potest et illud *Varron.* 3. *R. R.* 16. 38. Ut reconciliatæ (*apes*) ad suum quæque opus et domicilium redeant. *h. e.* recreatæ, refectæ, *ricreate, ristorate, rimesse*

Et *Apul. Florid.* 3. Minimum abfui, quin articulum etiam a crure fregerim. Tamen articulus loco concessit, exque eo luxu adhuc fluxus est: et jam dum eum ingenti plaga reconcilio etc. *h. e.* dum articulum in suum locum restituo magno ictu manus incusso.

RĔCONCĬLĬTAS, ātis, f. 3. reconciliatio. *Gloss. Cyrill.* Διαλλαγή φιλίας, reconcilitas. *Ibid.* in præced. lemmate *legitur*: Reconciliatio, concilitas.

RĔCONCINNĀTUS. *V.* PRÆCONCINNATUS.

RĔCONCINNO, as, are, a. 1. *rifare*, ἀνασκευάζω, denuo compono, instauro, reparo, expolio. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 6. Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Diuturni laboris detrimentum solertiâ et virtute militum brevi reconcinnatur. *Plaut. Men.* 2. 3. 72. Pallam illam ad phrygionem ut deferas, ut reconcinnetur. *et ibid.* 3. 3. 3. Huic ut addas auri pondo unciam, jubeasque spinther novum reconcinnarier.

RĔCONCLŪDO, is, ere, a. 3. idem quod concludo, claudo. *Tertull. advers. Prax.* 16. *a med.* Quem isti in Pilati tribunal imponunt, et in monumento Joseph reconcludunt.

RĔCONDĬTĬO, ōnis, f. 3. actus recondendi, h. e. aliquid iterum condendi sive construendi. *Augustin. in Ps.* 58. *serm.* 1. 6. Consilium reconditionis invenit, ut, destructis veteribus apothecis, novas construeret ampliores.

RĔCONDĬTOR, ōris, m. 3. qui recondit. *Augustin. Serm.* 178. 2. Si sordidus est reconditor suorum, ulcerosus est raptor alienorum.

RĔCONDĬTŌRĬUM, ii, n. 2. apotheca. *Isid.* 15. *Orig.* 5. Horrea a Græco, verbum ex verbo, repositoria, vel reconditoria dici possunt.

RĔCONDĬTUM, i, n. 2. *et*

RĔCONDĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔCONDO, dis, dĭdi, dĭtum, dere, a. 3. (re *et* condo). Particip. *Reconditus* I. et in fin.; *Recondendus* I. — Recondere est rursus condere, reponere, seponere, tegere, abscondere, abdere, ἀποτίθεμαι, ἀποταμιεύω (It. *riporre, coprire, chiudere, nascondere*; Fr. *serrer, mettre en réserve, cacher, soustraire aux regards*; Hisp. *poner en reserva, poner à parte, retirar de lo publico à lugar secreto, esconder*; Germ. *zurücklegen, zurücklegend aufbewahren, entfernen, hinwegthun*; Angl. *to lay up, hoard, hide, reserve, shut up*).

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 1. 3. 78. Aliquo reliquias (*ciborum*) recondas. *Horat.* 3. *Od.* 28. 2. prome reconditum, Lyde strenua, Cæcubum. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Gladium cruentatum in vaginam recondidit. *Id. fragm.* apud *Colum.* 12. *R. R. præf.* 2. Necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria (*victum*) compararet; intus, qui tectis recondéret atque custodiret. *Colum.* 12. *R. R.* 53. 2. Oleum eliquato novisque vasis recondito. *et ibid.* 16. 3. Foliis vitigineis uvas contegunt, et ita in amphoras recondunt. *Id.* 7. *ibid.* 9. 8. Plurima glans vel cisternis in aquam, vel fumo tabulatis recondenda est. *Schneider.* mallet *condenda. V.* ibi alia. *Id.* 2. *ibid.* 20. 5. Frumenta in annos recondere. *Virg.* 2. *Æn.* 747. Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penates Commendo sociis, et curva valle recondo. *Ovid.* 1. *Met.* 139. Quasque recondiderat (*humus*), Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes. *et* 11. *ibid.* 649. *de Somno.* et rursus molli languore solutus Depositque caput, stratoque recondidit alto. *et* 12. *ibid.* 482. Cominus aggreditur, laterique recondere duro Luctatur gladium: gladio loca pervia non sunt, *h. e.* infigere, immergere. Sic *Virg.* 10. *Æn.* 387. ensem tumido in pulmone recondit. *Flor.* 1. 13. 11. Sacra in doliis defossa terræ recondere. *Alii leg.* terra. *Ovid.* 4. *Met.* 146. Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos Pyramus erexit, visaque recondidit illa. *chiuse di nuovo.* et 12. *ibid.* 15. Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa, Quas simul, et matrem circum sua damna volantem, Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo. *immerse, cacciò.* *Quintil.* 10. 3. 3. Opes ærario reconditæ, unde ad subitos casus proferantur. *Ovid.* 1. *Met.* 583. Inachus unus abest, imoque reconditus antro Fletibus auget aquas. *et* 4. *ibid.* 339. fruticumque recondita silva Delituit. *Quintil.* 10. 3. 25. *de Demosthene.* Se in locum, ex quo nihil prospici posset, recondebat. — Condere sepulturæ gratiâ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (186). Quum Lepidus mortuus, flammæ vi e rogo ejectus, recondi propter ardorem non potuisset, juxta sarmentis aliis nudus crematus est. — *NB.* Aliquando, ait *Forcellinus*, contraria significatione est promere, effundere. *Propert.* 2. 23. 50. Quum subito Triton ore recondit aquas. Sic duplicem habent et contrariam vim *recludo, retego, retexo.* Alii tamen ita interpretantur, ut Tritonis statua affabre facta modo promeret, modo vero reconderet, seu absorberet aquas in aliquo Urbis fonte. — Pro rursus condere, *h. e.* reædificare *V.* in RECONDUCO.

II.) Translate. *Virg.* 5. *Æn.* 302. Multi præterea, quos fama obscura recondit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 30. Mens alia visa sic arripit, ut his statim utatur: aliqua sic recondit: e quibus memoria oritur. *Seneca Ep.* 8. In hoc me recondidi, et fores clausi, ut prodesse pluribus possim. *mi sono rinchiuso, ritirato.* *Seneca Herc. Œt.* 476. Quidquid arcani apparo, penitus recondas, et fide tacita premas. *h. e.* silentio tegas. *Tac.* 1. *Ann.* 7. *extr.* Verba, vultus (*procerum*) in crimen detorquens, recondebat. *h. e.* alta mente reponebat, suo tempore ulturus. Sic *ibid.* 69. *extr.* Odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret. — Hinc Particip. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Reconditus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Reconditior* II., et est repositus, sepositus, clausus, *riposto, chiuso, nascosto,* ἀπόθετος, κρύφιος.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 10. 23. Quod celari opus erat, habebant sepositum ac reconditum. *et ibid.* 20. 42. Statuerunt, se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. *Id.* 1. *Orat.* 35. 161. Multæ magnificæque res constructæ ac reconditæ. *Catull.* 34. 9. *de Diana.* Montium domina ut fores, Silvarumque virentium Saltuumque reconditorum. *solinghi, ermi, appartati.* et *Cic.* 5. *Verr.* 89. 207. Locus intra oceanum jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo etc. — Hinc *In recondito habere*, clausum in arca habere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (25). Unum anulum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est. — Hinc etiam *Recondita, orum*, n. plur. 2. sunt loca recondita. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Pergami in occultis ac reconditis templi, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Greci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt. *Ita legit* Nipperdeius; *vett. Editt.* in occultis ac remotis templis.

II.) Translate est occultus, abstrusus, tectus, abditus, *astruso, occulto, coperto, secreto, recondito.* — *a*) In bonam partem. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 42. Qui interiores scrutantur et reconditas litteras. *Id. Brut.* 11. 44. Exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque traducere. *Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Narrat sane illa, narrat hæc, sed aliter. Huic pleraque humilia et sordida, et ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt. *Cic.* 11. *Fam.* 21. *in fin.* Si quid erit occultius, et, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litteræ perferantur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 16. Quid Ægyptus? ut occulte latet! ut recondita est! ut furtim tota decemviris traditur! *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 10. A me ea, quæ in promptu erant, dicta sunt: a Lucullo autem reconditiora desidero. *Id. Brut.* 79. 274. M. Calidius non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope singularis fuit: ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. Augustus apud *Sueton.* 86. Reconditorum verborum fœtores. *h. e.* inusitatorum, obsoletorum. — *b*) In malam partem. *Cic. Quint.* 18. 59. Vixit semper inculte atque horride: natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *ritirata e solitaria.* — Hinc

Reconditum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *V.* sub I.

RĔCONDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (re *et* conduco). Part. *Reconductus* 1. et in fin. — Reconducere ¶ 1. Est rursus conducere, *prendere di nuovo a pigione. Ulp. Dig.* 19. 2. 13. *ad fin.* Qui impleto tempore conductionis, remansit in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed etc. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (22). Notum est, ab eodem Charmide (*medico*) unum ægrum ex provincialibus HS. ducentis reconductum. ¶ 2. Est etiam retro conducere, vel aliquid vehendum conducere. *Quintil. declam.* 12. 18. *ad fin.* Classis nostra vecturam facit, et vicinarum civitatum copias reconducit. *h. e.* vehendas conducit. — *NB.* In illo *Festi p.* 277. 3. *Müll.* Reconductæ fecerit: et condere urbem, facere, ædificare, ut Cincius testatur in libro de verbis priscis: *Scalig.* legit *reconduit, refecerit: alii reconderit, refecerit:* ut sit *recondere* rursus condere, et *reconduit* sic dicatur, ut *creduit*.

RĔCONFLO, as, are, a. 1. denuo conflo, ἀναχωνεύω. Translate. *Lucret.* 4. 925. Quippe, ubi nulla latens animai pars remaneret In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis, Unde reconflari sensus per membra repente Posset, ut ex igni cæco consurgere flamma? *h. e.* quasi conflando redaccendi et reviviscere.

RĔCONSIGNO, as, are, a. 1. rursus signo, noto. *Tertull. Resurr. carn.* 52. *in fin.* Ideo et reconsignat imprimens.

RĔCONSTĬTŪO, is, uere, a. 3. iterum constituo. *Gell.* 14. 7. Item triumviros reipublicæ reconstituendæ causâ creatos jus consulendi senatum habuisse. Ita legit *Mart. Hertz.*, alii *constituendæ*; at *Niebuhr. T.* 5. *p.* 60. legendum putat *reconstruendæ*.

RĔCONSTRŪO, is, ere, a. 3. iterum construo. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. *a med.* Quapropter antiqua illac ædificiorum soliditas innovetur, ut sive in thermis, sive in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconstrui. *V.* voc. præced.

RECONSUESCO, scis, vi, scere, n. 3. in contrarium consuesco. Perperam *reconsuevit* legitur a quibusdam in illo *Tertull. Cult. fem.* 9. Gloria autem exaltare, non humiliare consuevit.

RĔCONTRANS, antis, particip. ab inusit. *recontro*, reluctans, recalcitrans. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 8. *ad fin.* Gens (*Ægyptiorum*) rixosa, suis regibus recontrans, in extraneis dejecta.

RĔCONVĂLESCO, scis, scere, n. 3. iterum convalesco. *Ennod.* 1. *carm.* 10. Nigrante tectam pallio Jam terra noctem suscipit, Ut viva dulci funere Reconvalescant corpora.

RĔCŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. (re *et* coquo). Particip. *Recoquens* I. 1; *Recoctus* in omnibus paragr.; *Recoquendus* II. — Recoquere

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est rursus coquere, ἀνέψω (It. *ricuocere*; Fr. *faire recuire*; Hisp. *recocer*; Germ. *wiederkochen*; Angl. *to boil or seeth again*). *Cic. Senect.* 23. 83. *de Medea.* Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit. *Val. Flacc.* 6. 444. *de eadem.* recoquit fessos ætate parentes. *Seneca Ep.* 71. *a med.* Lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi sæpius macerata et recocta, non perbibit. *Martial.* 11. 52. Velabrensi massa recocta foco. *h. e.* caseus, igni primum, deinde fumo coctus, quem Romæ in Velabro cunctis præferendum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (240). laudat. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 38. Vel passum psythiis suis recoctum. *h. e.* valde coctum sole in vite. Fit enim passum ex certo uvarum genere, diutius in vite sole adustarum, ut ait *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). *Seren. Sammon.* 2. Pulegium recoquens clementer. *Id.* 63. *p.* 70. ed. *Ald.* Marrubium si tu recoquas, illoque liquore

Vulnus atrox foveas etc. *Marcell. Empir. c.* 9. *p.* 98. *retro ed. Ald.* Et iterum leni igne recoques, ne efferveat. et *Boeth.* 2. *metr.* 6. Quos Notus sicco violentus æstu Torret, ardentes recoquens arenas. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (84). Candidissima fit cera, post insolationem etiamnum recocta. ¶ 2. Latiore sensu est igne iterum elaborare, liquefacere, torrere etc. *lavorare di nuovo al fuoco. Virg.* 7. *Æn.* 636. recoquunt patrios fornacibus enses. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (23). Carbo quercus in ærariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu protinus emoriens, sæpius recoquitur. Rursus *Virg.* 8. *Æn.* 624. leves ocreas electro auroque recocto. *raffinato. Flor.* 3. 20. 6. E ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt.

II.) Translate. *Quintil.* 12. 6. M. Tullius in Asiam navigavit, seque Apollonio Moloni Rhodi rursus formandum ac velut recoquendum dedit. *Petron. fragm.* apud *Diomed.* 3. *p.* 517. *Putsch.* Anus recocta vino, trementibus labellis. *Catull.* 54. 5. Fuffecio seni recocto. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 55. plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem. Hæc non una ratione explicantur ab interpretibus. *Senem recoctum,* alii callidum intelligunt et vafrum ex longa experientia et usu rerum: alii ebrietati deditum: alii repuerascentem (tamquam a Medæa Æsonem renovatum, de qua *Val. Flacc.* 6. 444. recoquit fessos ætate parentes) atque adeo juvenilibus amoribus deditum: alii denique firma valetudine, et, ut ait *Virg.* 6. *Æn.* 304., cruda viridique senectute. *Scriba recoctus* ab aliis uno aliquo ex dictis modis exponitur: ab aliis ex quinqueviro refectus scriba, *h. e.* qui prius quinquevir fuerit, deinde scriba.

RĔCORDĀBĬLIS, e, adject. *che si può o deve ricordare. Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 14. Memoria multitudine recordabilium distenditur. Adde *Augustin.* 6. *Music.* 6. in *V.* PROGRESSOR.

RĔCORDĀTĬO, ōnis, f. 3., revocatio in memoriam, reminiscentia, memoria, ἀνάμνησις (It. *rimembranza, commemorazione, rammentamento, memoria;* Fr. *ressouvenir, souvenir, mémoire, souvenace, pensée;* Hisp. *recuerdo, recordacion, memoria, pensamiento;* Germ. *d. Rückerinnerung, Erinnerung;* Angl. *a calling to mind, remembrance, recollection, recordation*). Usurpatur — *a*) Cum Genit. rei, cujus reminiscimur. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 228. Qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret. *Id. Brut.* 2. 9. Quorum memoria et recordatio jucunda sane fuit, quum in eam nuper incidissemus. *et Prov. cons.* 18. 9. Ultimi temporis recordatio et proximi memoria. *Id.* 1. *Orat.* 2. 4. Repetenda est mihi veteris cujusdam memoriæ non satis explicata recordatio. *Id. Harusp. resp.* 1. 2. Concidit in curiæ pæne limine, recordatione, credo, Gabinii sui, desiderioque Pisonis. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 57. Habet primum (*animus*) memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium: quam quidem Plato recordationem esse vult vitæ superioris. *Id.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* Suavem habere recordationem alicujus rei. *Id. Senect.* 3. 9. Multorum benefactorum recordatio jucundissima est. *Id.* 5. *Fam.* 12. 4. Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem. — In plur. num. *Id.* 5. *Fam.* 13. *a med.* Dare alicui jucundas recordationes conscientiæ suæ. *Gell.* 17. 2. Eratque hoc sane quam utile exercitium ad conciliandas nobis, ubi venisset usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Fin.* 17. 57. Stulti malorum memoria torquentur: sapientes bona præterita, grata recordatione renovata, delectant. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpsi. — Et in plur. num. *Cic.* 12. *Att.* 18. Recordationes fugio, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt. *Tac.* 4. *Ann.* 38. Illos (*precor*), ut cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur. *Symmach.* 5. *Ep.* 54. Claræ et illustres recordationes viri.

RĔCORDĀTĪVA species verborum apud *Capell.* 3. *p.* 85. est præteritum plusquam perfectum, ut *commeaveram, laniaveram.* Sic *Charis.* 2. *p.* 143. *Putsch.* Præteriti differentiæ sunt quatuor: inchoativæ sive imperfectæ, ut *legebam;* præteritæ, ut *legi;* obliteratæ, ut *legeram;* recordativæ, ut *legerim. Grammat. Vatican.* (ed. *A. Maio*) *p.* 28. *col.* 1. Plusquam perfecta, quæ est et recordativa et exacta species.

RĔCORDĀTUS, a, um. *V.* RECORDOR.

RĔCORDĀTUS, us, m. 4. recordatio, memoria. *Tertull. Resurr. carn.* 4. Hanc et visui et contactui et recordatui tuo ereptam persuadere. Adde *eumd. adverc. Psych.* 5.

RĔCORDO, as, are, a. 1. *V.* voc. seq. init.

RĔCORDOR, āris, ātus sum, ari, dep. a. et n. 1. (re *et* cor, cordis). Activam formam *recordare* habet *Claud. Quadrigarius* apud *Non. p.* 475. 27. *Merc.* Is ubi Darium cognovit, et patria (*al.* patriæ) eum recordavit. *Varro* 6. *L. L.* 46. *Müll.* Recordare rursus in cor revocare. — Hinc Particip. *Recordatus* passive, *ricordato,* memoria retentus. *Sidon.* 9. *Ep.* 3. *circa med.* Animam male sibi consciam, et per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiscentem. — Item Particip. *Recordandus* apud *Cic. Sull.* 9. 26. Si mihi ne ad ea quidem, quæ pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis. — Ceterum Particip. *Recordans* 1. *a. b.* et 2.; *Recordatus* 1. *a. b. c.* e. et 2. — Recordor ¶ 1. Sæpissime ac generatim est idem atque in memoriam revoco, memini, reminiscor, memoria teneo, ἀναμιμνήσκομαι (It. *rammentarsi, rimembrarsi, risouvenirsi, ridursi a memoria, ricordarsi;* Fr. *se ressouvenir, se souvenir, avoir souvenir ou souvenance de;* Hisp. *recordarse, acordarse, hacer memoria;* Germ. *früheres zurückdenken, sich erinnern, eingedenk sein;* Angl. *to call or bring to mind, remember, recollect, bethink one's self*). Usurpatur — *a*) Cum Accus. rei. — Una cum v. *reminisci* legitur apud *Cic. Ligar.* 12. 35. Memoria teneo, qualis tum T. Ligarius quæstor urbanus fuerit erga te. Sed parum est, me hoc meminisse: spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias, - te, aliquid de hujus quæstorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quæstoribus reminiscentem recordari. Sic *Id. Senect.* 21. 78. Pueri ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. — Ceterum *Id.* 3. *Orat.* 22. 82. Quum omnes gradus ætatis recordor tuæ. *Id.* 2. *Fam.* 16. *ad fin.* Recordor desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me. *Id. Arch.* 1. 1. Pueritiæ memoriam recordari ultimam. *Id.* 5. *Fam.* 17. Quum tuam virtutem animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus. *Id. Cluent.* 25. 70. Si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staleni vitam et naturam volueritis. *Id.* 15. *Fam.* 21. *extr.* Tu velim tua in me studia et officia multum tecum recordere. *Id.* 1. *Tusc.* 6. 13. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 145. Quocirca mecum loquor hæc, tacitusque recordor. *Virg.* 8. *Æn.* 154. Ut te, fortissime Teucrum, Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis Et vocem Anchisæ magni, vultumque recordor! *Tac.* 15. *Ann.* 70. Recordatus carmen a se compositum, versus ipsos retulit. *Id. Agric.* 32. Recordabuntur Galli priorem libertatem. *Plin. Paneg.* 42. Grata sunt tamen recordantibus principem illum etc. — Animadvertendum et illud *Virg.* 3. *Æn.* 107. Maximus unde pater, si rite audita recordor, Teucrus Rhœteas primum est advectus in oras. *V. infra* sub *f.* — *b*) Cum Genit. rei. *Cic. Planc.* 28. 69. Numquam illos aspicio, quin per hunc me his conservatum esse meminerim, hujusque meriti in me recorder. *Id. Pis.* 6. 12. Cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. *Id.* 4. *Att.* 17. Navigationem valde timebam, recordans superioris tuæ transmissionis. Singulare est illud *Dict. Cret.* 3. 3. Ac forte quodam tempore recordatus sui. *h. e.* compos mentis factus. — *c*) Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. Hoc mihi jam ante placuisse, potes ex superioribus meis litteris recordari. *Id.* 4. *Cat.* 4. 7. Alter hoc genus pœnæ sæpe in improbos cives in hac re publica esse usurpatum recordatur. *Cæs.* 3. *B. C.* 47. Recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos labore et patientia maximum bellum confecisse. *Ovid.* 13. *Met.* 705. Inde recordati, Teucros a sanguine Teucri Ducere principium, Creten tenuere. *Cic. Orat.* 7. 23. Ego, qui in illo sermone multum tribuerim Latinis, recordor, longe omnibus unum anteferre Demosthenem. — *d*) Cum Ablat. rei et præpos. *de. Cic. Planc.* 42. 104. Istis vestris lacrimis de illis recordor, quas pro me sæpe et multum profudistis. *Id. Sull.* 2. 5. Recordare (*Torquate*) de ceteris, quos adesse huic vides. *et* 1. *Invent.* 55. 108. Ad ipsos, qui audiunt, similem casum convertimus, et petimus, ut de suis liberis, aut parentibus -, nos quum videant, recordentur. *V.* alia superius allata. — *e*) Sequente Relativ. *Cic. Mur.* 34. 72. Recordor, quantum hæ quæstiones punctorum nobis detraxerint. *Id.* 4. *Att.* 16. *a med.* Non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. *Cæs.* 3. *B. C.* 73. Denique recordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes - omnes incolumes essent transportati. — Et seq. partic. *quod. Sueton. Tit.* 8. Recordatus quondam super cænam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam - vocem edidit: Amici, diem perdidi. — *f*) Absolute, per parenthesim. *Cic.* 13. *Att.* 6. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo ejus exemplum; - et ait Tiro te habere oportere: et, ut recordor, una cum illius objurgatoria meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. *Id.* 3. *Legg.* 8. 19. Cujus (*tribuniciæ potestatis*) primum ortum, si recordari volumus, inter arma civium, et occupatis et obsessis urbis locis, procreatum videmus. ¶ 2. Proprie ac stricto sensu est rursus in cor revocare, ut ait *Varro* 6. *L. L.* 46. *Müll.*, h. e. in mente agitare, et cogitando repetere, reputare, cogitare, versare: quod certe memoria fit, *ripensare, rappresentarsi al pensiero.* Quo pertinet non unum ex allatis locis: item illud *Plaut. Most.* 1. 2. 1. Recordatus multum et diu cogitavi etc. *Forcellinus* præterea huc præcipue refert superius allata *Cic.* 5. *Fam.* 17., *Cluent.* 25. 70., 15. *Fam.* 21. *extr.* et *Sull.* 9. 26.; et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 145. — Hac ratione etiam de futuris usurpari potest. *Ovid. Heroid.* 10. 80. non tantum quæ sum passura, recordor, Sed etc. *Justin.* 5. 7. 9. Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem et superbum victoremque hostem proponentes: jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem et miserrimam servitutem recordantes.

RĔCORPŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est σωμάτωσις, σάρκωσις, corporis seu carnis restitutio. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Recorporatio et readunatio ossium. ¶ 2. Alio sensu *Cæl. Aurel.* 1. *Tard. præf.* μετασύγκρισις. *V.* RECORPORO 2.

RĔCORPŎRĀTĪVA Virtus, μετασυγκριτική δύναμις, *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. *a med.* Recorporativa adjutoria, 3. *ibid.* 16. Recorporativæ cucurbitæ, 2. *Tard.* 1. *et ibid.* 7. *a med. V.* vocem seq. 2.

RĔCORPŎRO, as, are, a. 1. (re *et* corporo). ¶ 1. Est idem ac corpus restituo. *Tertull. Anim.* 33. *a med.* Qui laboribus atque servitiis puniendi, in asinos utique et mulos recorporabuntur. *et ibid.* 35. Recorporari animas adseveravit. *Id. Resurr. carn.* 7. Figulo licet argillam temperato ignis afflatu in materiam robustiorem recorporare. ¶ 2. Apud Medicos est exiguos corporis meatus morbo obstructos aperire, et ad naturalem statum reducere: quo fit corporum mixtio et secretio, et Græce dicitur μετασυγκρίνειν. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *in fin.* Desiccandi virtus et recorporandi.

RĔCORRECTĬO, ōnis, f. 3. actus recorrigendi. *Dosith. Art. gramm. p.* 7. *Keil.* Emendatio est recorrectio errorum, qui per scriptum dictionemve fiunt. Cf. *Diomed.* 2. *p.* 426. *Keil.* eadem iisdem verbis docentem.

RĔCORRECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔCORRĬGO, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (re *et* corrigo). Particip. *Recorrigens* et *Recorrectus* II. — Recorrigere est iterum corrigere, *correggere o drizzare di nuovo.*

I.) Proprie. *Hygin. de limit. p.* 177. *Goes.* Hos tamen (*limites*) æque diligenter agere oportet, ne quam et hi recorrigendi moram præstent. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Inter initia malum passum ambulavit (*Bücheler*: malam parram pilavit), sed recorrexit costas illius prima vindemia: vendidit enim vinum, quantum ipse voluit.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 50. *circa med.* Si modo ante incipimus recorrigere animum nostrum, quam indurescat pravitas ejus. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 5. Videamus, ad quam regulam sint recorrecti. *Cassiod. de anim.* 12 *a med.* Peccantes exspectando recorrigens.

RĔCRASTĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. procrastinatio. *Gloss. Cyrill.* Μέλλησις, procrastinatio, recrastinatio, crastinatio, cunctatio.

RĔCRASTĬNO, as, are, n. 1. *differire di giorno in giorno,* ἀναβάλλομαι, procrastino, in crastinum rejicio, differo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (114). Recrastinare minime utile. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 2. Propter quæ recrastinari non debet.

RĔCRĔĀBĬLIS, e, adject. qui recreare potest. *Cassiod.* 11. *Variar.* 14. Ut et animus recreabili delectatione satietur. *Venant. Fortun.* 5. *procem.* Felici propulsa flatu recreabilis opinionis vestræ nostras aures aura demulsit.

RĔCRĔĀTĬO, ōnis, f. 3. *ricreazione,* ἀνάληψις, refectio, refocillatio. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (102). Ab ægritudine recreationi efficax in cibo.

RĔCRĔĀTOR, ōris, m. 3. qui rursus creat. Translate. *Inscript.* apud *Gruter.* 1095. 7., quæ est apud *Orell.* 6. POLLIO JVLIO CLEMENTIANO REDONATORI VIAE POPVLI, OMNIVM MVNERVM RECREATORI etc. *h. e.* qui muneribus omnis generis edendis populum recreavit. *Tertull. Anim.* 43. Somnus recreator corporum, redintegrator virium.

RĔCRĔĀTUS, a, um, particip. *V.* RECREO.

RĔCRĔMENTUM, i, n. 2. φύρμα, σκωρία, retrimentum, sordes, purgamentum, excrementum: a *re et cerno* secerno, purgo: vel a *cresco. Cels.* 6. 8. Illinenda ulcera sunt aut plumbi recremento, aut cerussa. *scoria, feccia.* et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 41. (142). Farrago ex recrementis farris prædensa seritur. *mondiglie, spazzature.* Sic *Prudent. Apotheos.* 65. Det ventilabro lecta quæque ut horreis, Urat recrementum focis. *Gell.* 17. 11. Aridiora recrementa in alvum convenire, humidiora per renes in vesicam. *escrementi.*

RĔCRĔMO, as, are, a. 1. iterum cremo. Particip. *Recremandus* apud *Venant.* 9. *carm.* 2. 114. Nec recremanda (*frumenta*) focis, sed recreanda polis. *Gloss. Cyrill.* Ἐγκαυστόν, recremandum. *et ibid.* Καίομαι, ardeo, conflagro, recremo. *lege* concremor.

RĔCRĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* creo). Particip. *Recreans* et *Recreatus* II. 2.; *Recreandus* I. et II. 2.. — Recreare est denuo creare; quod deperiit, restaurare, ἀνασκευάζω (It. *creare di nuovo, riprodurre, rifare, rinnovare;* Fr. *créer, produire de nouveau;* Hisp. *criar de nuevo, reproducir, producir de nuevo;* Germ. *von Neuem schaffen, wiedererzeugen, wiederherstellen;* Angl. *remake, reproduce, renovate, renew, recover*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 758. Solque suos etiam dimittere languidus ignes Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 46. (155). Præcipua commendatio ejus (*squamæ ferri*) ad omnem callum erodendum, et rasis ossibus carnes recreandas. *Lucret.* 5. 277. Aer Corpora retribuit rebus, recreatque fluentes. *et ibid.* 323. recreari quum recipit res. Jocular iter *Plaut. Men.* 1. 1. 23. Illic homo homines non alit, verum educat recreatque.

II.) Translate. ¶ 1. Est iterum eligere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 10. Etruscorum haruspicum disciplinam, P. Scipione, C. Figulo consulibus, res ipsa probavit: quos quum Ti. Gracchus consul iterum recrearet etc. Plerique rectius leg. *crearet*: nam exploratum est, ann. U. C. DXCI., quo Ti. Gracchus iterum consul fuit, ipsum comitiis consularibus P. Scipionem et C. Figulum in annum sequentem consules creasse, qui antea consulatum numquam inierant. Cl. *Furlanetto* huc retulit illud *Imp. Constantis Cod. Theod.* 4. 12. 1. in editione *Wenekii*; et in *Cod. Justin.* 4. 61. 4. Quo peracto tempore, licitationum jura conductionumque recreari oportet, ac simili modo aliis collocari. ¶ 2. Sæpissime est reficere, restituere, relevare, relaxare, refocillare, ἀνακομίζω, ἀναζωπυρέω, ἀναψύχω: et refertur tum ad corpus, tum ad animum: *ristorare, rimettere, ricreare, dar alleggiamento, confortare.* — *a*) Ad corpus. *Cic. post red. ad Quir.* 1. 4. Bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt. *Id.* 2. *Att.* 23. Quum recreandæ voculæ causa necesse esset mihi ambulare. *Justin.* 9. 1. 6. Captis navibus merci mercium et distractis, anhelantem inopiam paullum recreavit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (63). Ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (32). Urtica in vino pota lassitudines recreat. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. (4). Recreans membra olei liquor, viresque potus vini. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius, facile est ex vulnere recreatus. Sic *Liv.* 29. 18. Recreatus deinde legatus ex vulneribus etc. *Nepos Eumen.* 4. Eumenes Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit etc. *Inscript.* apud *Murat.* 111. 4. M. CORNELIVS OPTATVS ANCIPITI MORBO RECREATVS V. S. L. M. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 83. Sive diem festum rediens advenerit annus, Seu recreare volet tenuatum corpus. Similiter *Id.* 3. *Od.* 20. 13. Fertur et leni recreare vento Sparsum odoratis humerum capillis. *et* 1. *ibid.* 22. 18. Arbor æstiva recreatur aura. *Lucret.* 6. 3. Athenæ Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt. *scil.* arandi et serendi frumenta rationem tradentes: quum glans antea victus esset hominum. — *b*) Ad animum; et jungitur v. *reficio, erigo,* ut apud *Cic. Planc.* 1. 2. Vester, judices, conspectus reficit et recreat mentem meam. *Id. Mil.* 1. 2. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji sapientissimi et justissimi viri consilium. *Id. Manil.* 9. 23. Hunc in illo tempore et fuga Tigranes excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. *Id.* 5. *Verr.* 91. 212. Illam tu provinciam afflictam et perditam erexisti atque recreasti. *Id.* 1. *Att.* 16. 8. Ego recreavi afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans et excitans. *Id.* 12. *ibid.* 14. Quod me ab hoc mœrore recreari vis, facis, ut omnia. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 58. Neque ea plane videt animus, quum tam repente in insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit: sed quum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. *Id. Rosc. Am.* 47. 137. Tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressusque populus Romanus est. *Id.* 7. *Verr.* 61. 160. Ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixit. *Id.* 7. *Att.* 23. Bonorum animi recreati, improbi quasi perculsi. *Sueton. Ner.* 41. Frivolo auspicio mens recreata. *Cic.* 4. *Att.* 10. Sed mehercule a ceteris oblectationibus ut deseror -, sic litteris sustentor et recreor. *Horat.* 3. *Od.* 4. 37. Vos (*Camenæ*) Cæsarem altum Finire quærentem labores Pierio recreatis antro. *et ibid.* 24. 15. Defunctumque laboribus Æquali recreat sorte vicarius. — *Apul.* 5. *Met.* Dum sæpius divini vultus intuetur pulcritudinem, recreatur animi. *hellenismus.* Simile est illud *ejusdem ibid.* Novam nuptam interfectæ virginitatis curant. — *c*) Universim. *Cic.* 6. *Fam.* 10. 5. Ipsa causa ea est, ut jam simul cum republica, quæ in perpetuum jacere non potest, necessario reviviscat atque recreetur. *Id. Prov. cons.* 3. 5. Macedonia consulari exercitu ita vexata est, vix ut se possit diuturna pace recreare. *Id. Quinct.* 1. 4. Ut multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate talium virorum recreetur. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 36. sunt certa piacula, quæ te Ter pure lecto poterunt recreare libello. *Plin. Paneg.* 79. Alius labores - otio et quiete recreasset: hic consularibus curis exsolutus principales resumpsit. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Novella vinea sic intabescit, ut nullis deinceps impensis recreari possit.

RĔCRĔPO, as, are, 1. *risonare,* ἀντηχέω, crepitum reddo, resono. — *a*) Neutr. *Catull.* 63. 29. Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant. — *b*) Cum Accusativo. *Virg. Cir.* 108. Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus. *h. e.* imitatur sonum lyræ a Deo Cyllenio, seu Mercurio, pulsæ.

RĔCRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. (re *et* cresco). Particip. *Recrescens* et *Recretus.* — Recrescere est rursus crescere, *crescere di nuovo,* ἀναφύομαι. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (163). Aliqui (*auctores scribunt*) tum decidere eum (*dentem*) rursusque recrescere facilem decussu. *Id. ibid.* 87. (216). Nec præcisa ossa recrescunt. *Ovid. Heroid.* 2. 5. Luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit. *Liv.* 26. 41. Favete nomini Scipionum, soboli imperatorum, velut accisis recrescenti stirpibus. *Lucret.* 5. 260. Ergo terra tibi libatur, et aucta recrescit. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 560. de *Sampsone.* Licet ille fortis postea receperit Robur recretis crinibus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *ad fin.* Sicut lucernæ flamma marcescens olei multa infusione frustratur, parva autem adjectione atque sumptione recrescit et rursum ardescit; non aliter etc.

RĔCRĒTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

RĔCRISPO, as, are, a. 1. iterum crispo. *Servius* in *Centim. p.* 1826. *Putsch.* Tenera recrispat aura tremulos sinus freti. At *Gaisford. p.* 377. *legit* Tenella crispat.

RĔCRŬCĬFĪGO, is, ere, a. 1. iterum crucifigo. Part. *Recrucifigens* legitur apud *Hieronym. in Ep. ad Galat. c.* 5. Unum verbum compositum in Græco est, ἀνασταυροῦντες, quod nos interpretari possumus recrucifigentes.

RĔCRŪDESCO, descis, dŭi, descere, n. incoat. 3. Particip. *Recrudescens.* — Recrudescere est ad pristinam cruditatem redire, *ritornare crudo,* ἐξαγριαίνομαι. Translate accipitur pro rursus exasperari; et dicitur de morbis, de vulneribus, de pugna et similibus rebus, semper in malam partem, quasi iterum res hujusmodi crudæ fiant, quum renovantur. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 2. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescunt. *Liv.* 10. 19. *ad fin.* Ibi interventu Gellii cohortiumque Sabellarum paullisper recruduit pugna. *s'inaspri, si rinforzò.* et 6. 18. Recrudescente Manliana seditione. *Curt.* 7. 1. 7. Ceterum recruduit soporatus dolor: quippe veteris periculi memoriam præsentis cura renovabat. *Seneca Phœniss.* 231. Inhæret ac recrudescit nefas.

RECTĀ, (rectus, a, um), subintellige *via,* adverbii modo adhibetur, *a dirittura, dirittamente, ritto,* εὐθύ, κατ' εὐθεῖαν. *Phædr.* 3. 19. circumeunti fuerat quod iter longius, Effecit brevius: namque recta per forum Cœpit redire. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 37. Hic quidem ad me recta habet rectam viam. *Cic.* 7. *Verr.* 61. 160. Sibi recta iter esse Romam. *Id.* 6. *Att.* 8. Battonius e navi recta ad me venit domum. *Id.* 3. *Off.* 20. 80. Ceteri quidem alius alio: Marius a subselliis in Rostra recta. *Id.* 1. *Cat.* 9. 26. Quamobrem, ut sæpe jam dixi, proficiscere ac recta perge in exsilium. *Auct. B. Afr.* 8. Ex itinere recta subsidio suis occurrunt. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 71. Tendimus hinc recta Beneventum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (121). Circius Ostiam recta Ligustico mari perferens. — Plene *Plaut. Pseud.* 4. 4. 13. Ite hac, triumphi ad cantharum recta via.

RECTA, æ, f. 1. ὀρθὴ ἐσθής, vestimenti virilis genus. *Festus p.* 277. 8. *Müll.* Rectæ appellantur vestimenta virilia, quæ patres liberis suis conficienda curant ominis causa: ita usurpata (*al.* appellata), quod a stantibus, et in altitudinem texuntur. *Isid.* 19. *Orig.* 22. *a med.*

Recta dicitur vestis, quam sursum versum, stantesque texunt. *Servius* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 14. Arguto tenues percurrit pectine telas: Aut manu percurrit, aut ictu pectinis, ut videmus: aut quia apud majores stantes texebant, ut hodie linteones videmus. Est autem Homeri (*Iliad.* 1. *v.* 31.) qui ait ἱστὸν ἐποιχομένην. *Vopisc. Aurelian.* 46. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, quum ante nonnisi rectas purpureas accepissent. *Salmas.* ad *h. l.* docet, duplicem fuisse texendi modum: alterum quo stantes, et subtemen sursum versum, seu in altitudinem spatha impellentes texebant: alterum, quo sedentes, et pectine deorsum versus et in inferiorem partem subtemen trudentes densabant; quod nunc quoque, stamine circa jugum convoluto, faciunt. Priori modo suspensis ponderibus rectum stamen extendebant: idque fuit tela *recta*, ex qua *rectæ tunicæ* dictæ sunt. De *rectæ tunicæ* texendæ ratione docte disserit *Schneiderus* in *Indice Scriptor. R. R.* in V. *Tela*, quem consulas oportet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (194). Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, prima texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tirones induuntur novæque nuptæ. — *NB.* Ab his *regillæ* per deminutionem dictæ videntur. *Festus p.* 286. 33. *Müll.* Regillis tunicis albis et reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versum a stantibus, pridie nuptiarum diem virgines indutæ, cubitum ibant ominis causa: ut etiam in togis virilibus dandis observari solet. — Adjective. *Plaut. Epid.* 2. 2. 39. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, an impluviatam? Adde *Varron.* apud *Non. p.* 539. 11. *Merc.*

RECTĀGŌNUS, a, um, adject. quatuor angulos rectos habens, *rettagono*. *Auct. Gromat. p.* 246. *Goes.* et *p.* 338. *Lachmann.* Ubi ab alio latere trigonium CCC. ped. numerum pentagonum, id est ab area rerum productus, fient ĪĪĪDCL., id est latus rectagoni ped. ĪĪĪCCC.

RECTANGŬLUS *et* rectiangulus, a, um, adject. ὀρθόγωνος, qui rectos habet angulos. *V.* RHOMBOIDES — Alteram formam *rectiangulus* habet *Boeth. Geometr.* 1. *p.* 1181. Rectiangulum quidem triangulum est, quod habet angulum unum rectum. *Id. de Divis. p.* 644. Triangulorum alia sunt rectiangula, alia acutos habentia tres angulos. *et Geometr.* 1. *p.* 1491. Rhombus vero est, quod æquilaterum quidem est, sed rectiangulum non est. Adde *eumd. ibid.* 1506., 1507. et passim.

RECTĒ, adverb. (rectus) Comp. *Rectius* II. 1. *b.* et 2. *c.* et 3. *b.*; Sup. *Rectissime* I. et II. 1. *b.* et 3. *a.* — Recte est idem ac recta linea, aut via, non oblique, ὀρθῶς (It. *dirittamente*; Fr. *en ligne droite, verticalement ou horizontalement*; Hisp. *en linea recta, verticalmente ó horizontalmente*; Germ. *gerade, in gerader Linie, - Richtung, aufrecht, senkrecht*; Angl. *directly, in a straight line*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 20. Sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur; erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ rectæ, quæ obliquæ ferantur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (24). Satyri quum quadrupedes, tum recte currentes, humana effigie. *h. e.* erecto corpore. *Cato R. R.* 33. Quæ jam in perticam ibit, ejus pampinos teneros alligato leviter corrigitoque, uti recte spectent. — Huc pertinet et illud *Ammian.* 21. 1. 12. Tum fixa sunt somnia et stabilia, quum animantis altius quiescentis ocularis pupilla neutrubi inclinata rectissime cernit. *et* 15. 7. 3. Illuc de industria pergens præfectus ab omni toga apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immitteret et minacem - : difficilis ad pavorem recte tetendit adeo, ut eum obsequentium pars desereret, licet in periculum festinantem abruptum. *Alii aliter leg.* Huc refertur et illud *Apul.* 9. *Met. sub fin.* Hortulanus, inscenso me, concito gradu recte festinat ad civitatem. *Pricæus* et *Elmenhorst.* habent *recta*. *Cic.* 9. *Att.* 4. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος sim. Si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit. *h. e.* in diem febris quartanæ; ea enim tunc laborabat Atticus.

II.) Translate. ¶ 1. Est bene, probe, ratione, *bene, acconciamente, rettamente*, καλῶς, εὖ. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 133. Recte et sapienter facere. *Id. Capt.* 1. 1. 4. Scio absurde dictum hoc derisores dicere: at ego ajo recte. *et* 3. 5. 51. Male id arbitrare factum; at ego ajo recte. *Id. Cas.* 2. 3. 42. Si facias recte aut commode, me sinas curare ancillas, quæ mea est curatio. *Id. Trin.* 1. 2. 146. Hæc sunt, seu recte seu pervorse facta sunt. *Cic. Quinct.* 8. 31. Seu recte seu perperam facere cœperunt. *Id. Pis.* 28. 68. Recte, an secus, nihil ad nos. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 98. Si recte conclusit, teneo: sin vitiose, minam Diogenes reddet. *Id.* 3. *Phil.* 15. 38. D. Brutum, quod Galliam provinciam in senatus potestate retineat, recte atque ordine, exque republica fecisse et facere. *Sall. Jug.* 25. Populum R. neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit. *Cæs.* 7. *B. G.* 80. Neque recte aut turpiter factum celari poterat. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 37. Inter recte factum atque peccatum, officium et contra officium, media locabat quædam; recte facta sola in bonis actionibus ponens; prava, id est peccata, in malis. *Id.* 2. *Divinat.* 17. 40. Epicurus circuitione quadam Deos tollens, recte non dubitat divinationem tollere. *con ragione.* recte facit divinationem tollens, quum Deos circuitione sustulerit. *Plaut. Asin.* 1. 1. 107. Eidem homini, si quid recte curatum velis, mandes. *Id. Capt.* 5. 4. 20. Fecisti edepol et recte et bene. *recte*, ratione: *bene*, utiliter. — *b*) Multa sunt præterea, in quibus promiscue pro *bene* ponitur. *Cic.* 13. *Att.* 17. Tuæ litteræ recte sperare jubent. *Plaut. Most.* 1. 3. 116. Mulier recte olet, ubi nihil olet. *Horat.* 2. *Od.* 10. 1. Rectius vives, Licini, neque altum Semper urgendo, neque etc. *Cic.* 4. *Verr.* 71. 175. Profecto, si recte homines novi, non mentientur. *Id.* 6. *ibid.* 3. 5. Recte admones. *Id.* 3. *Legg.* 5. 12. Rectissime, Quinte, animadvertis. *Petron. Satyr.* 82. Nequaquam recte faciet, qui cito credit. *Ter. Adelph.* 5. 3. 46. Ætate sapimus rectius. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 29. vis vivere recte? quis non? Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis Hoc age deliciis. *Plaut. Amph. prol.* 79. Sat habet favitorum semper, qui recte facit. *Horat. Art. P.* 140. Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte! *Id.* 2. *Sat.* 3. 87. sive ego prave Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi. — *Nec recte*, male. *V.* NEC. ¶ 2. Variis præterea usibus eleganter inservit. — *a*) Nam aliquando est tuto, *con sicurezza*. *Cæs.* 1. *B. C.* 74. De imperatoris fide quærunt, recte ne se illi sint commissuri. *Plaut. Asin.* 2. 4. 85. Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi recte æque putent. *Cic.* 14. *Fam.* 14. Si ille Romam modeste venturus est, recte in præsentia domi esse potestis. *et* 1. *ibid.* 7. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem (*litteras*), non prætermittam. — *b*) Item utiliter, *utilmente, con vantaggio*. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 112. Non horam tecum esse potes, non otia recte Ponere. *Cato R. R.* 44. Olivetum diebus quindecim ante æquinoctium vernum incipito putare. Ex eo die dies quadraginta quinque recte putabis. *Ter. Phorm.* 1. 4. 11. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem. *h. e.* utiliter mihi consuluissem. *Cic.* 5. *Verr.* 98. 227. Recte vendere. — *c*) Item jure, merito, juste, *con ragione, giustamente*. *Cic.* 7. *Verr.* 67. 172. Recte ac merito sociorum innocentium miseria commovebamur. *Horat.* 4. *Od.* 9. 46. rectius occupat Nomen beati, qui etc. *Ter. Andr.* 5. 4. 52. Non recte vinctus est. *Id. ibid.* 4. 4. 27. Recte ego semper fugi has nuptias. — *d*) Item aperte, sincere, sine ambagibus, *schiettamente*. *Phædr.* 4. 12. Utilius homini nihil est, quam recte loqui. *Plaut. Pœn.* 5. 6. 1. Decipitur nemo, qui suis amicis narrat recte res suas. — *e*) Item simpliciter, non figurate, non artificiose. *Quintil.* 8. *prooem.* 8. Nam et quod recte dici potest, circumimus amore verborum; et quod satis dictum est, repetimus; et quod uno verbo patet, pluribus oneramus. *V.* RECTUS II. 8. — *f*) Item caute, diligenter, attente, *con cautela, diligentemente*. *Plaut. Men.* 1. 1. 11. Recte asservare aliquem, ne aufugiat. *Id. Most.* 3. 3. 23. Ego enim cavi recte. *Id. Merc.* 2. 3. 111. Quiesce, inquam: istanc rem ego recte videro. — *g*) Item prospere, feliciter, ex sententia, *prosperamente, felicemente*. *Ennius* apud *Porphyr.* et *Acron.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 2. 37. procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 16. Quum et recte et tempore suo pepererit. *Plaut. Truc.* 2. 6. 35. Quum tu recte provenisti, quumque es aucta liberis, gratulor. *Id. Pers.* 4. 1. 1. Si quam rem accures sobrie ac frugaliter, solet illa recte sub manus succedere. *Id. Aulul.* 2. 2. 41. Quæ res recte vortat mihique tibique. — *h*) Item probe, valde, *bene, molto, assai*; et vim addit, quibus jungitur, Participiis et Adjectivis. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 115. Ille est oneratus recte, et plus justo vehit. *Cato R. R.* 44. Qua locus recte ferax erit. *Plaut. Amph.* 2. 1. 34. Equidem valeo, et salvus sum recte, Amphitruo. Rursus *Cato R. R.* 33. Vineam alligato recte, dum ne nimium constringas. — *i*) Item rite auspicato. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 75. Tabernaculum recte captum. *Id. Harusp. resp.* 23. 48. Augures interrogabant, quæ ita lata essent, recte ne lata essent? illi vitio lata esse dicebant. — *l*) Item sapienter, æquo animo. *Ter. Eun.* 1. 1. 33. Recte ferre molestias. — *m*) Item large, liberaliter. *Plaut. Rud.* 3. 5. 21. Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es. — *n*) Item omnino, prorsus, perfecte. *Varro* 2. *R. R.* 2. 6. Illasce oves sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est. ¶ 3. Speciatim — *a*) Refertur ad bonam valetudinem. *Plaut. Pers.* 1. 2. 26. Visam, quieverint recte, nec ne; num infuerit febris. *Id. Bacch.* 2. 2. 11. PI. vivit. nempe recte valet? CH. Istuc volebam ego ex te percontarier. *Cic.* 1. *Att.* 7. Apud matrem recte est. *et* 14. *ibid.* 16. 4. De Attica pergratum mihi fecisti, quod curasti, ut ante scirem, recte esse, quam non belle fuisse. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 161. Non est cardiacus (Craterum dixisse putato). Hic æger: recte est igitur surgetque? negabit. *Dolabell.* ad *Cic.* 9. *Fam.* 9. Rectissime sunt apud te omnia. *Gell.* 13. 30. Recte sit oculis tuis. — *b*) Et complectitur etiam ceteras res secundas. *Ter. Adelph.* 5. 5. 2. O Syre noster, salve. quid fit? quid agitur? SY. recte. *Cic.* 10. *Fam.* 20. 3. Si recte istic erit. Hinc illa formula *recte ne omnia?* similis illi *satin' salve?* *Quintil.* 6. 3. 84. Cicero, audita falsa Vatinii morte, quum Ovinium libertum ejus interrogasset, recte ne omnia? dicenti, recte; mortuus est? inquit. — Similiter *Plaut. Trin.* 5. 2. 31. Deos volo consilia vostra recte vortere. *Liv.* 3. 2. *extr.* Multas passim manus, quam magnam molem unius exercitus, rectius bella gerere. ¶ 4. Item speciatim, in familiari sermone plebejo — *a*) *Recte* interseritur sine necessitate. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Recte: videbo te in publicum, mus, imo terræ tuber. *et paullo post.* Recte: venies sub dentem. — *b*) In responsionibus est approbantis, laudantis. *Ter. Eun.* 4. 7. 3. THRA. Primum ædes expugnabo. GNA. recte. THRA. virginem eripiam. GNA. probe. — *c*) Quum sine injuria rogantis reticere aut negare aliquid volumus, pro *nihil*, *recte* respondemus. Voce enim *nihil* libenter abstinebant, ominis causa, putantes, si *nihil* dixissent, nihil in posterum sibi boni futurum. *Plaut. Merc.* 2. 3. 33. Unde incedis? quid festinas, gnate mi? CHA. recte, pater. *Ter. Heaut.* 3. 2. 7. Quid tu istic? SY. recte equidem. *Id. Hecyr.* 3. 2. 20. Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? PA. recte, mater. *eh va bene: nulla nulla.* et *Eun.* 2. 3. 49. Rogo, num quid velit. recte, inquit. abeo. Sic *Plaut. Bacch.* 1. 1. 6. Quid in concilio consuluistis? BA. bene. Apud *Ter. Adelph.* perturbatus adolescens utrumque conjungit, 4. 5. 18. ÆSCH. Perii! MI. quid est? ÆSCH. nihil: recte: perge. Huc pertinet et illud *ejusd. Heaut.* 2. 1. 16. Tam

quod dem ei, RECTE est. nam nihil esse mihi, religio est dicere. *h. e.* petenti amicæ respondere hoc unum possum, *recte*, simulans me daturum quæ velit: nam quamvis nihil habeam, religio tamen est mihi dicere *nihil*. — d) *Recte facitis*, formula agendi gratias, apud *Ter. Eun.* 5. 9. 54., teste *Donato*. — *NB. Recte convivari*, h. e. recta cœna. *Sueton. Vesp.* 19. Convivabatur assidue, ac sæpius recte ac dapsile. Plerique alii leg. *recta ac dapsili. V.* RECTUS II. 11.

RECTĪANGŬLUS, a, um. *V.* RECTANGULUS.

RECTĬFĬCO, as, are, a. 1. rectum facere, corrigere. *Cyprian.* de *Singul. Cleric. post med.* Cupidinem domat mentemque rectificat. *Gloss. Cyrill.* Ὀρθοτομῶ, rectificatio (*lege* rectifico), recte tracto. *Alii leg.* rectifacio.

RECTĬLĪNEUS, a, um, adject. *rettilineo*, qui rectis lineis constat. *Boeth.* 2. *Arithm.* 6. *p.* 121. in *lemmate*. De planis rectilineis figuris. *V.* QUADRANGULARIS. Sic *Var. auct. rei agrar. p.* 316. *Goes.* Rectilineæ figuræ sunt, quæ sub rectis lineis continentur.

RECTĬO, ōnis, f. 3. *governo, reggimento*, ἐπιστασία, actus regendi, administratio, gubernatio. *Cic.* 5. *Fin.* 4. 11. Ea quoque est ab iisdem non solum ad privatæ vitæ rationem, sed etiam ad rerumpublicarum rectionem relata. *et* 4. *ibid.* 22. 61. Rerumpublicarum rectiones.

RECTĬTĀTOR, ōris, m. 3. idem ac rector: ab inusit. *rectito. Vet. Poeta* apud *Mar. Victorin. p.* 2551. *Putsch.* Cærul monarcha ponti ratisque rectitator.

RECTĬTŪDO, dĭnis, f. 3. abstracta qualitas, qua res est recta, *dirittezza.*

I.) Proprie. *Aggen. Urbic. in Frontin. p.* 46. *Goes.* Rigor suæ rectitudinis naturalis nomen accepit.

II.) Translate. ¶ 1. Est æquitas, *rettitudine.* V. *Hieronymi loc. cit.* in LATINE. ¶ 2. Item rectus modus. *Cassiod. præf. orthogr. p.* 2276. *Putsch.* Quod ante scribebatur per V et O, per duo VV modo scribere nobilis rectitudo scribendi per vias certissimas investigata esse videtur; ut volnus, nunc vulnus.

RECTO, adverb. *a dirittura*, recta. *Papir. Dig.* 49. 1. 21. Appellationes, quæ recto ad principem factæ sunt. Ita *Torrentin.*, alii *recta. Inscript.* apud *Gruter.* 611. 13. ET INDE RECTO QVAQVE VSQVE AD VIAM PVBLICAM CAMPANAM.

RECTOR, ōris, m. 3. qui regit, gubernator, ἰθυντής, κυβερνήτης (*It. reggitore, governatore, rettore*; Fr. *celui qui dirige, qui régit, guide, maître, chef*; Hisp. *director, guia, amo, dueño, xefe, el que gubierna*; Germ. *d. Lenker, Leiter, Regirer*; Angl. *a ruler, governour, director, rector*).

I.) Proprie, vel stricto sensu. — a) De navium gubernatoribus. *Cic.* 1. *Divinat.* 14. 24. Gubernatores nonne falluntur? An Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, ut etc. *Ovid.* 11. *Met.* 492. Ipse pavet; nec se, qui sit status, ipse fatetur Scire ratis rector; nec quid jubeatve vetetve. *Virg.* 5. *Æn.* 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister. *Ovid.* 6. *Met.* 231. veluti quum præscius imbris Nube fugit visa pendentiaque undique rector Carbasa deducit. — b) De brutorum animalium ductoribus. *Liv.* 21. 28. Congregatis ad ripam elephantis, tradunt, ferocissimum ex iis irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam nantem sequeretur etc. Sic *Id.* 37. 44. Ad quinquaginta millia peditum cæsa hodie dicuntur, equitum tria millia; mille et quadrigenti capti, et quindecim cum rectoribus elephanti. Adde *eumd.* 44. 5; et *Curt.* 9. 14. 16. et 33. Similiter *Ovid.* 2. *Art. am.* 433. Aspice, ut in curru modo det fluitantia rector Lora, modo admissos arte retentet equos. *Sil. It.* 17. 136. Corruit asper equus, confixaque cuspide membra Huc illuc jactans, rectorem prodidit hosti. *Tac. Agric.* 36. *extr.* Exterriti sine rectoribus equi. Adde *Sueton. Tit.* 4. Sic *Plin.* 8. *Ep.* 17. Ibi boves, aratra, rectores. *h. e.* bubulci vel aratores.

II.) Translate, vel latiori sensu, est dominus, moderator: ad rem *Cic.* 2. *Nat. D.* 35. 90. Inesse aliquem non solum habitatorem in hac cælesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem. — a) De Numinibus. *Cic.* 4. *Fin.* 5. 11. Quum cognitum habeas, quod sit summi rectoris ac domini numen, quod consilium, quæ voluntas. *Virg.* 8. *Æn.* 572. At vos, o superi, et divum tu maxime rector Juppiter. *Ovid.* 13. *Met.* 599. Summe deûm rector. *et* 1. *ibid.* 668. Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultra Ferre potest. *et* 9. *ibid.* 498. rector Olympi. *Id.* 1. *ibid.* 331. Mulcet aquas rector pelagi. *et* 11. *ibid.* 207. Non impune feres, rector maris inquit. *Seneca Herc. Fur.* 592. Phœbe lucis alme rector. *Val. Flacc.* 1. 587. neque enim tunc Æolus illis (*ventis*) Rector erat. — Absolute de Neptuno, *Id. ibid.* 674., de Jove, *Id.* 5. *ibid.* 667. — b) De reipubl. moderatoribus. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 211. Reipublicæ rector. *Id.* 5. *de republ.* 3. Noster hic rector (*rei publ.*) studuerit sane juri et legibus cognoscendis. *et* 6. *ibid.* 13. Consilia cœtusque hominum jure sociati civitates appellantur: harum rectores et conservatores etc. *Justin.* 9. 4. 8. Rectorem dare civitati. *Ovid.* 12. *Met.* 364. Dolopum rector. *h. e.* rex. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 74. Thebarum. *Ovid.* 7. *Met.* 481. populorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. 18. Maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus. *Sueton. Aug.* 89. Rectores provinciarum. Adde *eumd. Vesp.* 8. — c) De militum ducibus. *Sueton. Vesp.* 8. Rectores exercituum. *Sil. It.* 6. 593. Maxima curarum, rectorem ponere castris. *Tac.* 2. *Hist.* 36. Dein Flavium Sabinum, consulem designatum, Otho rectorem copiis misit, quibus Macer præfuerat. *Ammian.* 14. 10. 8. Rector scutariorum. *Id.* 15. 4. 10. armaturarum. *Id.* 14. 6. 17. prœliorum. — *Rector decuriarum* Capuæ dicebatur, qui majoris natu auctoritate sententiam primus in curia Capuana dicebat, ejus scrinia servabat, decurias eligebat, apud *Cassiod.* 5. *Variar.* 21. et 22. — d) De pædagogis et juvenum custodibus. *Sueton. Aug.* 48. Rectorem apponere ætate parvulis ac mente lapsis. *Tac.* 13. *Ann.* 2. Burrhus et Seneca rectores imperatoriæ juventæ. *aj, custodi.* et *Justin.* 38. 1. 10. Rectorem filio addere. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Adolescenti nostro in hoc lubrico ætatis, non præceptor modo, sed custos etiam rectorque quærendus est. — e) Eleganter animus hominis *rector* ejus dicitur. *Sall. Jug.* 2. Animus incorruptus æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 24. Animum, cujus imperio et impellimur et revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri etc. *V.* loc. *Colum.* in voce sequent. — Huc referenda sunt et illa *Quintil.* 12. 10. 56. Vultus (*judicis*) sæpe ipse rector est dicentis. *et* 10. 2. 10. Præceptor rector est alienorum ingeniorum ac formator. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (12). Sol nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cælique rector.

RECTRIX, īcis, f. 3. *reggitrice, governatrice*, ἰθύντειρα, quæ regit, gubernatrix. *Seneca Ep.* 85. *a med.* Artes ministræ sunt, sapientia domina rectrixque est. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 9. Videmus hominibus inspiratam, velut aurigam rectricemque membrorum, animam. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (211). Italia rectrix parensque mundi altera.

RECTŪRA, æ, f. 1. ¶ 1. Est rectitudo, *dirittura. Frontin. de colon.* apud *Goes. p.* 131. Ante limites, qui contra Orientem per recturas deducebantur, postea ex omni latere sunt extenuati. *Aggen. Urbic. de controv. agr. p.* 75. Limites recturas suas per qualiacumque loca extendant, hoc est, qua ratio (i. e. *la norma*) dictavit, per devia et montuosa eunt, qua iter nullo modo fieri potest. ¶ 2. Est munus rectoris. *Cassiod.* 5. *Variar.* 21. Sume igitur recturam decuriarum. *V. Rector* II. *c.*

RECTUS, a, um, particip. a v. *rego* (quam voc. *V.*); fere autem est adject., unde Comp. *Rectior* I. *a. d.*, II. 9. et 10.; Sup. *Rectissimus* I. *a.* et II. 2. — Rectus est qui nullam in partem flectitur, directus, non pravus, non obliquus, non curvus, non inflexus, ὀρθός, εὐθύς (It. *ritto, diritto, retto*; Fr. *qui est en ligne droite, droit, direct, horizontal ou vertical*; Hisp. *derecho, recto, directo, en linea directa*; Germ. *gerade, gerichtet, in gerader Richtung, gerade, aufrecht*; Angl. *right, straight, direct, not crooked*).

I.) Proprie. — a) Universim. Cum opposito *curvo* apud *Horat.* 2. *Ep.* 2. 44. curvo dignoscere rectum. *Liv.* 21. 31. Quum jam Alpes peteret, non recta regione iter instituit, sed ad lævam in Tricastinos flexit. *Curt.* 8. 9. 2. India tota ferme spectat orientem, minus in latitudinem, quam recta regione spatiosa. *Plaut. Trin.* 4. 2. 26. Ad nostras ædes hic quidem rectam habet viam. *V.* RECTA adverb. et in hac ipsa paragr. sub *e. Liv.* 21. 31. *sub init.* Adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset, sed etc. *Quintil.* 3. 6. 83. et 12. 2. 27. Rectissima via. Rursus *Plaut. Cist.* 2. 1. 58. Sed quis hinc est, qui recta platea cursum huc contendit suum. Sic *Id. Bacch.* 4. 4. 59. Ex balista si pervortam turrim et propugnacula, Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquum et vetus. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Saxa, quæ rectis lineis suos ordines servant. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 54. Ita jacere talum, ut rectus assistat. *Seneca Hippol.* 1084. Equi recti in pedes jactant onus. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. *extr.* Recto ad Iberum itinere contendunt. *Virg.* 8. *Æn.* 57. Ipse ego te ripis et recto flumine ducam. *Ovid.* 2. *Trist.* 477. recto grassetur limite miles. *Id.* 2. *Met.* 622. Illa quidem recto pugnat se attollere trunco. *rizzarsi in piedi.* et *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burmann.* Cella frigidaria, in qua Trimalchio rectus stabat. *ritto in piè.* et *Lucan.* 8. 820. Ima Pompeji nomen arena Depressum tumulo, quod non legat advena rectus. *stando ritto.* et *Stat.* 5. *Theb.* 664. acerque reducto Affuit Hippomedon rectoque Erymanthius ense. *h. e.* quod ait *Lucan.* 6. 237. recto mucrone gladium tenens. *h. e.* directo in hostem. *Id.* 10. 305. *de Meroe.* æstatem nulla sibi mitigat umbra; Linea tam rectum mundi fert illa Leonem. *h. e.* supra verticem. *tanto perpendicolare.* et *Virg.* 8. *Æn.* 209. *de Caco.* Atque hos (*tauros*) ne qua forent pedibus vestigia rectis, Cauda in speluncam tractos etc. *Martial.* 5. 65. tacita qui fraude solebat Ducere nec rectas Cacus in antra boves. *Ovid.* 3. *Met.* 77. *de angue.* modo immensum spiris facientibus orbem Cingitur: interdum longa trabe rectior exit. — b) *Rectum intestinum*, ἀρχός, in imo ventre situm, nullo flexu aut pæne nullo, in anum exit. *Cels.* 4. 1. *a med.* — c) *Rectum æs* apud *Juvenal* 2. 117. est tuba. *V.* ÆS. — d) *Rectus funis* apud *eumd.* 14. 260. est extentus, *tesa, tirata.* Sic *recta coma* non crispa, *distesa*, apud *Senec. Ep.* 95. *ante med.* Ut eadem sit species capillorum: ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. — e) *In rectum*, recta, recto tramite, *a dirittura. Ovid.* 2. *Met.* 715. iterque Non agit in rectum, sed in orbem curvat. *Lucan.* 7. 337. Vidit ut hostiles in rectum exire catervas Pompejus etc. Sic *Ammian.* 14. 8. 5. Orientis vero limes in longum protentus et rectum etc. — f) *Rectis oculis aspicere*, directa et non obliqua acie, recta in rem aliquam oculos intendere, *mirar dritto, a dirittura, in faccia*, ὀρθοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν. Unde *Ovid.* 2. *Met.* 775. *de Invidia.* macies in corpore toto: Nusquam recta acies. Sic *ibid.* 787. Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens. *Cic. Rabir. Post.* 17. 48. Hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat. *h. e.* non reflexis et respicientibus, ut in exsilium euntes solent, sed directis. Ut aspicere, inquit *Manut.*, hanc urbem præsenti, non respicere liceat absenti. *Lucan.* 9. 638. quem qui recto se lumine vidit, Passa Medusa mori est? *Id. ibid.* 904. *de pullis aquilæ.* Qui potuere pati radios, et lumine recto Sustinuere diem. — Hoc modo aspicere indicium est nihil timentis, confidentis, audacis, interriti animi. *Sueton. Aug.*

16. Ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem. *Seneca Ep.* 104. *a med.* Terribiles visu formæ letumque labosque (*Virg.* 6. *Æn.* 277.): minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit. *Id. Const. Sap.* 5. Adversus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat. *Horat.* 1. *Od.* 3. 17. Quem mortis timuit gradum, Qui rectis (*al.* siccis) oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum etc.? Ita *Bentlej.* qui ad hanc lectionem firmandam affert illud *Stat.* 10. *Theb.* 541. non ora virum, non pectora flectit Imber atrox: rectosque tenent in mœnia vultus. *et Juvenal.* 6. 399. Cumque paludatis ducibus, præsente marito, Ipsa loqui recta facie. Trahit etiam huc, quod ex *Cic. Rabir. Post.* attulimus: alia præterea congerit apte in hanc rem. — *g*) *Recta vestis*, vel *tunica*. *V.* RECTA, æ, loco suo. — *h*) *Rectus sonus*, *recta vox*, quæ nulla modulatione flectitur aut variatur. *Quintil.* 11. 3. 64. et 168. — *i*) *Recta via* Romæ memoratur a *Seneca Apocoloc. a med.* Et inter Tiberim et viam rectam descendit ad inferos. *Martial.* 8. 75. Lingonus a recta Flaminiaque recens. *Ovid.* 6. *Fast.* 191. Quem prospicit extra Appositum rectæ porta Capena viæ. Sed quænam, ubive fuerit, ignoratur, aliis alibi ex conjectura collocantibus. *Gronov.* et *Heins.* ubique *tecta* reponunt, eamque esse volunt, quæ a porta Capena ad Martis ducebat. Alii duas faciunt, *rectam*, et *tectam* diversis locis positas: et *rectam*, quod recta aliquo, sine ullo flexu, ferret; *tectam*, quia lapide strata esset, dictas putant. Sed *tecta* ibi legend. videtur. duplex enim fuit Romæ *via tecta*, quarum una, quæ et *fornicata* appellatur, ad campum Martium ducebat; altera a porta Capena ad Martis. *Tecta* vero *via* dicitur, quæ fornicibus seu porticibus; *strata*, quæ lapide seu silice structa. *V.* FORNICATUS.

II.) Translate latissime patet, et ¶ 1. *Rectus* est bonus aut pulcher. *Propert.* 2. 14. 29. Ut natura dedit, sic omnis recta figura. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 65. si vitiis mediocribus ac mea paucis Mendosa est natura, alioqui recta. *Ter. Andr.* 2. 1. 9. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus. ¶ 2. Universim quidquid secundum rationem aut virtutem est, neque in defectum declinans, neque in excessum, conveniens, decens, æquus. *Cic.* 5. *Fam.* 19. Nihil putare utile esse, nisi quod rectum honestumque sit. *et ibid.* 2. Et maxime conducunt, quæ sunt rectissima. *Lucan.* 4. 815. Recta sequi. *Plin.* 6. *Ep.* 11. Ad recta tendere. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 6. 16. Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant Antehac, dementi sese flexere ruina? *Horat.* 4. *Od.* 9. 34. est animus tibi Rerumque prudens, et secundis Temporibus dubiisque rectus. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. Quid rectum in oratione pravumve judicare. *Id.* 2. *Orat.* 73. 296. Unum te in dicendo mihi videri rectissimum: propriumque esse hoc laudis tuæ, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. *Alii aliter leg.* — Cum Genitivo. *Seneca Vit. beat.* 6. Beatus est judicii rectus. ¶ 3. Est etiam acer, fortis, constans, gravis. *Cic.* 12. *Fam.* 5. 2. Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est et rectus. *Quintil.* 4. 1. 14. Sola rectum quoque judicem inclinat miseratio. *Plin.* 1. *Ep.* 11. Vir rectus et sanctus. ¶ 4. Item qui sine vitio corporis est, sanus, integer, emendatus. *Catull.* 86. 1. Quintia formosa est multis: mihi candida, longa, Recta est. *di bel taglio o statura.* *Horat.* 1. *Sat.* 2. 123. Puella candida rectaque sit. Rursus *Catull.* 10. 20. Non possem octo homines parare rectos. Rectos alii hic intelligunt, procero et erecto corpore, non inflexa cervice aut dorso: similiter *rectam puellam*. Sic *Juvenal.* 3. 26. prima et recta senectus. Apud *Senec. Ep.* 100. *ante med.* *domus recta* est, quæ ornatu quidem caret et luxu divite: nullo tamen vitio deformatur, et decore simplici contenta est, *una buona casa.* Hinc trahitur per translationem illud *Plinii* 9. *Ep.* 26. Dixi de quodam oratore sæculi nostri, recto quidem et sano, sed parum grandi et ornato, ut opinor, apte: nihil peccat, nisi quod nihil peccat. ¶ 5. De eo, qui sana intelligendi judicandique facultate præditus est. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Quotusquisque tam rectus auditor, quem non potius dulcia hæc et sonantia, quam austera et pressa, delectent? *Id.* 4. *Ep.* 7. Recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. ¶ 6. Item idoneus, aptus, commodus. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 8. Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum: nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam. *Seneca Hippol.* 454. Quid te coerces, et necas rectam indolem? ¶ 7. Item simplex, naturalis, non fucatus, non artificiosus. *Cic.* 1. *Off.* 36. 130. Et in utroque genere (*palæstricorum* et *histrionicorum gestuum*) quæ sunt recta et simplicia, laudantur. *Quintil.* 2. 5. 11. Sermo rectus et secundum naturam enunciatus nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quæ utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora miramur. *Id.* 9. 4. 27. Felicissimus sermo est, cui et rectus ordo, et apta junctura, et cum his numerus opportune cadens contingit. *Ter. Heaut.* 4. 3. 28. Ut recta via rem narret ordine omnem. *h. e.* simpliciter, vere, sine ambagibus, *schiettamente.* Dixerat *ibid.* 23. Quin nolo mentiare: aperte ita ut res se habet, narrato. Sic *Phædr.* 4. 12. Utilius homini nihil est, quam recte loqui. ¶ 8. *Recta oratio* figuratæ opponitur. *Quintil.* 9. 2. 79. Si persona obstaret rectæ orationi, decurrebant ad schemata. Sic *recta repetitio*, *Id.* 6. 1. 2. Quæ enumeranda videntur (*in peroratione*) cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriæ judicum diffidentis ¶ 9. *Rectum est*, æquum est, conveniens est, verum est. *Cic.* 1. *Off.* 38. 137. Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, gravitatem retinere, iracundiam repellere. *è di dovere, sta bene.* et 3. *ibid.* 11. 47. Esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere. *Id.* 6. *Att.* 9. 4. Eum sine meis litteris ad te venire, vix rectum erat. Sic Comp. apud *Plin. Paneg.* 90. Ut enim malos principes rectius pulcriusque est ex communibus injuriis odisse quam propriis; ita boni speciosius amentur ob ea quæ generi humano, quam quæ hominibus præstant. ¶ 10. *Rectum* absolute, bonum, honestum, justum, κατόρθωμα. *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 3. Rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, justitiam, fortitudinem, modestiam. *Id. Orat.* 14. 45. Recti pravique partes. *Seneca Ep.* 122. *ad fin.* Simplex recti natura est, multiplex pravi, et quantumvis novas declinationes capit. *Lucan.* 8. 487. sidera terræ Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto. *Ovid.* 7. *Met.* 72. ante oculos rectum pietasque pudorque Constiterant. *Id.* 4. *Fast.* 311.; et *Virg.* 1. *Æn.* 608. mens conscia recti. *Horat. Art. P.* 366. quamvis et voce paterna Fingeris ad rectum. — Sic Comp. apud *eumd.* 2. *Sat.* 7. 25. Aut quia non sentis quod clamas rectius esse, Aut quia non firmus rectum defendis. — In plur. num. *Cic.* 2. *Fin.* 23. 76. Officium, æquitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo Romano. Cf. *eumd.* 1. *Legg.* 11. 31. Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus, insignis est humani generis similitudo. ¶ 11. Speciatim. *Recta cœna* est lauta, integro apparatu instructa, quam ditiores dare solebant clientibus et salutatoribus, ab ovo usque ad mala legitimis ferculis eos benigne excipientes et liberaliter: nam sordidi et maligniores loco integri rectique convivii sportulam præbebant, quæ quamvis cœnæ nomine daretur, non tamen cœnam integram, sed partem cœnæ continebat. *Sueton. Domit.* 7. Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine. *Martial.* 2. 69. En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam. Adde *eumd.* 7. 20. Absolute *Id.* 8. 50. Promissa est nobis sportula, recta data est. *V.* SPORTULA. *Sueton. Aug.* 74. Convivabatur et assidue, nec unquam, nisi recta. *Rectam* hic ideo vocari putant, quia ordine discumbentibus præberetur, quum sportulæ sine ordine ac discrimine promiscue clientibus auferendæ objicerentur. *Juvenal.* 1. 95. nunc sportula primo Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ. *V.* et *Martial.* 3. 7. Hanc intelligit *Seneca*, quum ait *Ep.* 110. *a med.* Non magnam rem facis, quod vivere sine recto apparatu potes, quod non desideras milliarios apros etc. ¶ 12. Item speciatim *rectus casus* a Grammaticis dicitur nominativus, *obliqui* ceteri: quia nulla declinatione inflectitur, vel quia quasi linea perpendicularis est, a qua ceteri, h. e. obliqui, declinant. *Varro* 7. *L. L.* 33., 8. *ibid.* 36., 42. 46. 49. et alibi, 9. *ibid.* 43. *Müll.*; *Quintil.* 1. 4. 13. *et* 5. 61.; *Gell.* 13. 22. etc.; et *Priscian.* 5. *p.* 670. *Putsch.* — Hinc

Rectā, adverb., *et*

Recta, æ, f. 1., *et*

Recto, adverb. *V.* loco suo.

Rectum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, *V.* RECTUS II. 10.

RĔCŬBĀTŌRĬUM, ii, n. 2. id in quo quis recubat, scabellum. *Venant.* 8. *procem.* Vel pedum vestrorum recubatorium faciens.

RĔCŬBĬTUS, us, m. 4. (recumbo). ¶ 1. Est lectus, torus, vel potius locus in triclinari lecto. *Vulgat. interpr. Matth.* 23. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis. ¶ 2. Item actus recumbendi, subsultus ille, quem faciunt corpora in solum durum incidentia. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 72. (116). Baculum ex ea (*aquifolia*) factum in quodvis animal emissum, etiam si citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per se recubitu propius adlabi.

RĔCŬBO, as, are, n. 1. Præter. et Supinum *V.* in *Recumbo.* — Præter. *recubavi* pro *recubui* legitur apud *Isid.* 14. *Orig.* 4. Amplexus est sedem, ubi (*bos*) recubaverat. — Part. *Recubans.* — Recubo est idem ac rursus cubo, et simpliciter cubo, recumbo, decumbo, quiesco, *coricarsi, giacere, riposare*, vel rectius retro cubo, in dorsum cubo. *Cic.* 3. *Orat.* 17. 63. In hortulis suis recubans molliter et delicate. *Tibull.* 1. 1. 63. Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo Prodest? *Colum.* 7. *R. R.* 3. 27. Gregis custos neque longius recedat: nec aut recubet, aut considat. *Plin.* 9. *Ep.* 17. Quum lector inductus est, calceos poscunt, aut non minore cum tædio recubant. *Ovid.* 2. *Art. am.* 342. Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit. *Virg.* 3. *Æn.* 392. sus alba solo recubans. *et* 8. *ibid.* 297. *de Cerbero.* Ossa super recubans antro semesa cruento. *Val. Flacc.* 7. 523. immensis recubantem anfractibus anguem Turbat.

RĔCŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. *ribattere*, ἀνακολάπτω, denuo cudo. *Varro.* Ut hi solent, qui vetera metalla recudunt. Ita *Lexicographi* omnes post *Sipontinum*, quem penes est omnis hujus fragmenti fides.

RĔCŬLA, æ, f. 1. deminut. a *res*, ut *diecula* a *dies*, a *spes specula*, a *nubes nubecula.* ¶ 1. Generatim *recula* est parva aut tenuis res, *cosetta, cosetella, robiccia.* *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 3. *p.* 613. Si quidem imperes pro copia, pro recula. *Apul.* 4. *Met.* Quid oro, fili, paupertinas pannosasque reculas miserrimæ anus donas vicinis divitibus? Alii leg. *resculas*; ut legitur apud *Salvian.* 4. *advers. avar.* 8. *a med.* Ipsa te resculis tuis spolias. ¶ 2. Speciatim *recula* est parvum patrimonium. *Donat.* in *Vit. Virg. init.* Pater Virgilii silvis coemundis et apibus curandis reculam auxit.

RĔCULTUS, a, um. *V.* RECOLO.

RĔCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbĭtum, cumbere, n. 3. (re *et* cubo). Particip. *Recumbens* 1. *a.* — Recumbo ¶ 1. Generatim est idem ac *recubo* (cum quo Præteritum et Supinum communia habet), corpore sternor, jaceo, ἀνάκειμαι (It. *porsi a giacere, coricarsi, giacere*; Fr. *coucher en arrière, s'appuyer en arrière*; Hisp. *acostarse, ponerse en la cama, acostarse hacia atras, apoyarse hacia atras*; Germ. *sich zurück, -rück-wärtelehnen, -legen*; Angl. *to lie or lean upon, lie down, recline, repose*). *Cic.* 1.

Divinat. 27. 57. Eum primo perterritum somnio surrexisse: dein quum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse. *Forcellino* hoc in loco *recumbo* est idem ac rursus cubo, *ricoricarsi, tornare a giacere.* Ceterum — *a)* De hominibus et brutis animalibus. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 287. Quum M. Lepidus, ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset, etc. *Id. Dejot.* 15. 42. Quum in cubiculo recubuisses. *Nepos Dion.* 9. Quum in conclavi recubuisset. *Ovid.* 2. *Fast.* 345. Ascendit (*torum*), spondaque sibi propiore recumbit. *Seneca Troad.* 830. recumbens Montis exesi spatiosus antro. *Id. Œdip.* 728. *de angue.* Supra Chaonias celsior arbores Cœruleum erexit caput, Quum majore sui parte recumberet. — *b)* De rebus inanimis. *Horat.* 1. *Od.* 12. 30. Concidunt venti fugiuntque nubes, et minax - ponto Unda recumbit. *Seneca Thyest.* 589. Mitius stagno pelagus recumbit. *h. e.* jacet, tranquillum est. *Virg.* 1. *G.* 401. nebulæ magis ima petunt campoque recumbunt. *Martial.* 4. 64. Jugera pauca Martialis Longo Janiculi jugo recumbunt. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (209). Vitem liberatam vinculo in terra recumbere. ¶ 2. Speciatim mensæ accumbo, *sedere a tavola. Horat.* 1. *Ep.* 5. 1. Si potes Archiacis conviva recumbere lectis etc. *Phædr.* 4. 24. Rediit hora dicta: recubuit: Splendebat hilare poculis convivium. *Justin.* 43. 1. 4. Saturnalibus passim in conviviis servi cum dominis recumbunt. *Plin.* 4. *Ep.* 22. Cœnabat Nerva cum paucis: Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. *Id.* 9. *Ep.* 23. Recumbebat mecum Fabius Rufus, super eum municeps ipsius. ¶ 3. Est etiam occumbo, cado, corruo. *Ovid.* 7. *Met.* 538. validos miratur arator Inter opus tauros medioque recumbere sulco. *cadere.* Sic *Lucret.* 6. 794. Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Catull.* 17. 4. *de ponte.* Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat. ¶ 4. Item inclinor, innitor, vergo, *piegare, appoggiarsi. Ovid.* 2. *Trist.* 83. Quum cœpit quassata domus subsidere, partes In proclinatas omne recumbit onus. *Virg.* 9. *Æn.* 434. Inque humeros cervix collapsa recumbit. *Id.* 3. *G.* 86. Juba dextro jactata recumbit in armo. *Ovid.* 10. *Met.* 195. Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

RĔCŬPĔRĀTĬO *et* Reciperatio, ōnis, f. 3. *ricuperazione,* ἀνάληψις, actus recuperandi. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 10. *Phil.* 10. (20). Ita præclara est recuperatio libertatis. *Alii leg.* reciperatio. *Justin.* 30. 1. 7. Contentus reciperatione urbium, quas amiserat. — Absolute. *Vulgat. interpr. Eccli.* 11. 12. Est homo marcidus egens recuperatione. *bisognoso di ristoro o d'ajuto.* ¶ 2. Speciatim in juridicis, apud *Festum p.* 274. 21. *Müll.* ex *Gallo Ælio* reciperatio est, quum inter populum, et reges nationesque et civitates peregrina lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque privatas inter se persequantur. *Tab. ænea* apud *Murat.* 582. *a med.* DE EA RE JVS DICVNTO JVDICIA RECVPERATIONES DANDO VTI II EOS (*servos*) RECVPERARE POSSINT.

RĔCŬPĔRĀTĪVUS, a, um, adject. qui recuperari potest, apud *Aggen. Urb. in Frontin. p.* 63. *Goes.* Recuperativus status controversiæ de finibus.

RĔCŬPĔRĀTOR *et* Reciperator, ōris, m. 3. qui recuperat. ¶ 1. Generatim. *Tac.* 2. *Ann.* 62. *sub fin.* Camillus reciperator Urbis. ¶ 2. Speciatim. — *a)* In juridicis: *V. Galli Ælii* verba apud *Festum* allata in *V.* RECUPERATIO 2. — Hinc — *b)* *Recuperatores* (numero tres vel quinque) apud Romanos erant judices, qui ad recuperandas privatas res litigatoribus dabantur. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 36. Postquam prætor recuperatores dedit. *Gell.* 20. 1. Prætores injuriis æstimandis recuperatores se daturos edixerunt. — *c)* In Urbe prætores dabant recuperatores ex omni ordine, in provinciis ex conventu negotiatorum vel e sua cohorte. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 68. Iste recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. *Id. ibid.* 11. 28. De conventu nullum unquam judicem neque recuperatorem dedit. *Omnibus his loc. alii leg.* reciperator. — *d)* Dabantur et ab imperatoribus contentione orta inter milites. *Liv.* 26. 48. Scipio tres recuperatores quum se daturum pronunciasset, qui, cognita causa testibusque auditis, judicarent, uter prior in oppidum transcendisset.

RĔCŬPĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad recuperatores pertinens, ut Judicium recuperatorium, quod per recuperatores exercebatur. *Cic.* 2. *Invent.* 20. 60. Non enim oportet in recuperatorio judicio ejus maleficii, de quo inter sicarios quæritur, fieri præjudicium. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 11. 27.; *Plin.* 3. *Ep.* 20. 9.; et *Sueton. Vesp.* 3. *Alii ubique leg.* reciperatorius, *ut legitur* et in *Inscript.* apud *Henzen.* 6428. *ad fin.*

RĔCŬPĔRĀTUS *et* Reciperatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔCŬPĔRO *et* Recipero, as, āvi, ātum, are, a. 1. Est a *re* et *paro,* inserto *ci,* ut in *Incitega, concipilo, reciprocus.* Postea *ci* in *cu* mutatum est. Utraque tamen scriptio proba: et promiscue reperitur in MSS. et libris fere omnibus locorum, quæ hic afferimus. — *Recuperaro* syncop. pro *recuperavero* sub II. — Particip. *Recuperatus, Recuperaturus* et *Recuperandus* sub I. — Recuperare est rem amissam recipere, rursus acquirere, jacturam reparare, ἀναλαμβάνω, ἀνακομίζομαι (It. *riavere, ricuperare, riguadagnare;* Fr. *récupérer, recouvrer, reprendre, rentrer en possession;* Hisp. *recuperar, recobrar, volver á entrar en posesion;* Germ. *wiedererlangen, - bekommen, - erhalten, - gewinnen;* Angl. *to get again, regain, get back, recover*).

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. *extr.* Veterem belli gloriam libertatemque recuperare. *et ibid.* 15. Quod se celeriter amissa recuperaturos confidebant. *et* 3. *ibid.* 8. Recuperare suos obsides. *Sall. Jug.* 31. pacem. *Cic.* 8. *Att.* 3. rempublicam. *Id.* 13. *Phil.* 5. 11. villam suam ab aliquo. *Justin.* 32. 3. 9. sanitatem. *et* 22. 2. 6. domesticam potentiam. *Tac.* 2. *Hist.* 86. ordinem senatorium. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 16. 41. ab aliquo pecuniam depositam. *Id.* 5. *Verr.* 14. 35. rem suam judicio. *Id. Cæcin.* 3. 9. jus suum aliqua ratione. *Id.* 1. *Att.* 11. voluntatem alicujus. *riguadagnar l'affetto.* et *Tac.* 14. *Ann.* 5. gratiam. Sic *Sueton. Oth.* 1. Quo facto sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit; quam tamen mature reciperavit detecta equitis Rom. fraude etc. *Id. Aug.* 78. Si interruptum somnum reciperare, ut evenit, non posset etc. *Curt.* 3. 6. 16. Primum animus vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recuperavit. *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Consensio fuit pristinæ belli laudis recuperandæ. *Justin.* 18. 7. 5. Non se expugnatum, sed reciperatum patriam venire. — Sic Particip. præterit. *Justin.* 36. 1. 1. Reciparatum regnum. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Reciperatæ cibo somnoque vires. *Cic. Flacc.* 23. 56. Pecunia recuperata. *Id.* 14. *Phil.* 13. 35. respublica. *Festus p.* 274. 17. *Müll.* Fictiles quadrigæ bello reciperatæ.

II.) Translate, recuperare se et, mediorum apud Græcos more, recuperari, *riaversi, refiziarsi, ristorarsi. Varro* 1. *R. R.* 13. 1. Familia ubi versetur, providendum, si fessi opere aut frigore aut calore, ubi commodissime possint se quiete reciperare. *Cic.* 14. *Fam.* 1. Si in vestrum complexum venero, ac si et vos et me ipsum recuperaro. *Nepos Agesil.* 6. *ad fin.* Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit. *h. e.* a transfugio deterruit et retraxit. *Vitruv.* 2. 9. Ex terra recipientes radices arborum in se succum, reciperantur.

RĔCŬPĪO pro valde cupio, est qui tribuit *Plaut. Capt.* 4. 2. 76. Ut recupias facere sumptum. Sed *te cupias* legendum est.

RĔCŪRĀTUS, a, um. *V.* voc. sequent.

RĔCŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* curo). Particip. *Recurans, Recuratus* et *Recurandus.* — Recuro, ἀνακομίζω, iterum vel diligenter curo, magna cura reficio. *Catull.* 44. 13. Hic me gravedo frigida et frequens tussis Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi, Et me recuravi otioque (*al.* ocimoque) et urtica. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (75). *de charta.* Excepit hanc (*amphitheatricam*) Fannii sagax officina, tenuatamque curiosa interpolatione, principalem fecit e plebeja, nomenque ei dedit. Quæ non esset ita recurata, in suo mansit amphitheatrica. *Apul.* 8. *Met.* Placuit paullum conquiescere corporaque diverse laniata sedulo recurare. *Id.* 6. *ibid.* Vulneratis domo relictis et plagas recurantibus. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *med.* Lavacro corpus recurare. *Theod. Priscian.* 1. 6. *p.* 292. *retro ed. Ald.* Quæ (*loca*) si vulnerabuntur, oleo roseo vel adipibus anserinis recuranda erunt.

RĔCURRO, curris, curri *et* cŭcurri, cursum, currere, n. 3. (re *et* curro). Particip. *Recurrens* I. *b. c.,* II. 1. et 2. *b.* — Recurro est idem ac rursus aut retro curro, currendo redeo, ἀνατρέχω (It. *correre di nuovo o indietro, ritornare correndo;* Fr. *courir en arrière, rebrousser chemin;* Hisp. *corer hacia atras, retroceder, volver atras;* Germ. *zurücklaufen, wiederkehren;* Angl. *to run again or back, return running, hasten back*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a)* De hominibus. *Plaut. Trin.* 4. 3. 8. Condalium es oblitus: recipe te, et recurre petere re recenti. *Id. Cist.* 2. 3. 50. Ego ad anum recurro rursum. *Est qui leg.* cursum *pro* rursum. *Ter. Adelph.* 4. 1. 9. Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum. Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio. *Cic.* 2. *Att.* 12. Tamen isti puero, quem ad me statim jussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 99. Et properante gradu recucurrit ad hospita tecti. Rursus *Cic. Mil.* 10. 29. Illi, qui erant cum Clodio, partim recurrere ad rhedam, ut etc. *Id.* 13. *Att.* 47. Equidem Kal. in Tusculanum recurram. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 127. ne vir rure recurrat. — Sic de gallinis. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 6. Unaquæque recurrit eodem, ubi primo peperit. — *b)* De sole, luna, fluminibus, tempore. *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 1. In caput alta suum labentur ab æquore retro Flumina, conversis solque recurret equis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Luna tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo. *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 26. Inque suos fontes versa recurrit aqua. *et Heroid.* 5. 30. Ad fontem Xanthi versa recurret aqua. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 147. Recurrentes anni. *Id.* 4. *Od.* 7. 12. Bruma recurrit iners. — c) De epistola, febri et aliis. *Ovid.* 4. *Pont.* 11. 15. Dum tua perveoit, dum littera nostra recurrens Tot maria ac terras permeat, annus abit. *Gell.* 17. 12. Febris quartis diebus recurrens. *Apul.* 1. *Met.* Ad claustra pessuli recurrunt. Et de calculorum ludo *Ovid.* 3. *Art. am.* 360. Æmulus et cœptum sæpe recurrit iter. ¶ 2. Latiore sensu pro simplici *curro. Martial.* 7. 20. Rectam vocatus quum recurrit ad cœnam.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. *Plin. Paneg.* 38. Cur enim posteris amplior honor, quam majoribus haberetur? curve non retro quoque recurreret æquitas eadem? *Capitolin. Maxim. duob.* 4. Amicum eum donis vicissim recurrentibus approbabant. — Refertur ad memoriam. Ad rem *Horat.* 2. *Sat.* 6. 30. tu pulses omne quod obstat, Ad Mæcenatem memori si mente recurras. *Plin. Paneg.* 88. *in fin.* Ita hæc optimi appellatio numquam memoriæ hominum sine te recurret. *Vellej.* 2. 4. *extr.* Decessit anno ferme quinquagesimo sexto: de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus. — Apud *Quintil.* 5. 9. 2. Signa, quæ in contrarium non recurrunt, sunt *v. gr.* Omnis qui ingreditur, movetur: sed non omnis qui movetur, ingreditur. Ubicumque messis est, ibi satum est: sed non ubicumque satum est, ibi est messis. ¶ 2. Speciatim est in idem incurrere, eodem recidere vel redire. — *a)* Universim. *Cæs.* 2. *B. C.* 16. *extr.* Ad easdem deditionis condiciones recurrunt. *et* 1. *ibid.* 85. Accidisse his, quod plerumque hominum nimia pertinacia atque arrogantia accidere soleat, uti eo recurrant et id

cupidissime petant, quod paulo ante contempserint. *Cic.* 1. *Legg.* 23. 61. Idemque quum cælum, terras, maria - perspexerit, eaque unde generata, quo recurrat, quando, quo modo obitura, - viderit etc. — *b*) Speciatim, versus recurrentes *Sidonio* 8. *Ep.* 11. et 9. *Ep.* 14. sunt qui, metro stante, neque litteris loco motis, ut ab exordio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum. Sic est illud antiquum: *Roma tibi subito motibus ibit amor.* et illud: *Sole medere pede, ede, perede melos.* Hujusmodi sunt undecim versus, qui referuntur *lib.* 6. *c.* 13. *Antholog.*, ubi hoc genus versus καρκίνοι στίχοι ἔμμετροι κατὰ ἀναποδισμὸν dicuntur. Exemplum esto: Ἀθλήσας τόη πολῳ πηδήσας ἦλθα. Et Ἤδη μοι Διὸς ἄρα πηγὴ παρὰ σοὶ Διομήδη. Et Νόμον ὁ καινὸς ἔχε σὸν οἰκονόμον. Et quod inscriptum labro marmoreo legitur apud *Gruter.* 1047. 9. Νίψον ἀνομηματα, μὴ μόναν ὄψιν. Nec non habentur pro recurrentibus, qui, pedum lege servata, etsi non per singulos apices, per singula tamen verba replicantur, ut: *Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen, Tempore consumptum jam cito deficiet.* quod est *Sidonii* citato *l.* 9. et si recurras, ita legitur: *Deficiet cito jam consumptum tempore flumen, Tramite decurrit quod modo præcipiti.* Hujusmodi est et illud *Francisci Philelphi* in Pium II. Pontif. Max. *Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum Scandere te fecit hoc decus eximium.* Disticha his similia septem leguntur *lib.* 6. *Antholog. cap.* 4. et dicuntur ἀντιστρέφοντα; quorum primum est: Τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα φίλον Βρομιοιο, κα᾽ υἱὸν Ἀρκαδος, ἀντ᾽ ἀλκᾶς ἔγραφεν Ὠφελίων. Lege retro: Ὠφελίων ἔγραφεν ἀλκᾶς ἀντ᾽ Ἀρκαδος υἱόν, καὶ Βρομίοιο φίλον Πᾶν᾽ ἐμὲ τὸν τραγόπουν. Item qui retro lecti, in aliud genus carminis exeunt, ut *Omne genus metri tibi pangens, optime Basse.* Contraria via fit Sotadeum: *Basse optime, pangens tibi metri genus omne.* Simile exemplum affert *Quintil.* 9. 4. 90. *V.* RECIPROCUS. ¶ 3. Item speciatim pro confugere, *ricorrere. Quintil.* 4. *procem.* 17. Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam partem oratoriæ artis occupaverunt. *Id.* 1. 6. 13. Ad eam rationem recurrunt, ut etc. *Tac. Dial. de orat.* 9. Si ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te.

RĔCURSĬO, ōnis, f. 3. (recurro). ¶ 1. Generatim est recursus, reditio. *Capell.* 9. *p.* 308. *extr.* Juppiter, Quo gemmata poli volvere sidera Suevit lege rata sacra recursio. *Id.* 1. *p.* 22. Nam nostra ille (*Mercurius*) fides, sermo, benignitas, Ac verus Genius, fida recursio. *Mercurius* enim, jussu Jovis huc illuc recurrit semperque ad eumdem redit. ¶ 2. Speciatim, in re medica, est vomitus, quo scilicet quidquid receptum est, ejicitur. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. Recursio, sive recursus poti liquoris. *et* 2. *ibid.* 14. *sub init.* Acceptorum etiam per vomitum recursio.

RĔCURSĬTANS, antis, particip. ab inusit. *recursito*, sæpe recursans. *Capell.* 1. *p.* 10. Cessim plerumque recursitans.

RĔCURSO, as, are, n. 1. *frequentat. a* recurro, sæpe recurro, ἀνατρέχω, *correre innanzi indietro.*

II.) Proprie. *Plaut. Most.* 3. 1. 54. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram? *Seneca Med.* 385. Talis recursat huc et huc motu effero, Furoris ore signa lymphati gerens. *Lucret.* 2. 106. *de primis corporibus materiæ.* Cetera dissiliunt longo, longeque recursant.

II.) Translate est sæpe redire. — *a*) Universim. *Virg.* 1. *Æn.* 666. Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat. *Id.* 12. *ibid.* 802. Nec te tantus edat tacitam dolor: et mihi curæ Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent. — *b*) Refertur ad memoriam. *Virg.* 4. *Æn.* 3. Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos. *Tac.* 2. *Hist.* 78. Recursabant animo vetera omina. *Eumen. Paneg. Constant.* 18. Recursabat in animos illa paucorum audacia. *Sil. It.* 6. 555. Allia, et infandi Senones, captæque recursat Attonitis arcis facies.

RĔCURSUS, us, m. 4. recurrendi actus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est reditus, qui currendo fit, ἀναδρομή. *Virg.* 5. *Æn.* 583. Inde alios ineunt cursus aliosque recursus. *Ovid. Ib.* 423. per alternos unda labente recursus Subtrahitur presso mollis arena pedi. *flusso e riflusso.* et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 30. (110). Lydia perfusa flexuosi amnis Mæandri recursibus. ¶ 2. Latiori sensu est simpliciter reditus, reversio, *ritorno. Liv.* 26. 42. *extr.* Ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret. *Ovid. Heroid.* 6. 59. dent modo fata recursus. *Id.* 6. *Met.* 449. Cœperat adventus causam, mandata referre Conjugis, et celeres missæ spondere recursus: Ecce venit etc. *h. e.* veloces reditus. *et* 11. *ibid.* 451. sed tibi juro - Ante reversurum, quam luna bis impleat orbem. His ubi promissis spes est admota recursus etc. *Plin. Paneg.* 86. Stetit precatusque est prona maria celeremque - recursum. — Similiter alter *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 40. (95). Ilex, picea, larix nullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittunt. Et concreto, uti ajunt, sensu. *Id.* 36. *ibid.* 13. 19. (85). *de labyrintho.* Itinerum ambages occursusque ac recursus inexplicabiles continet. *h. e.* semitas, per quas itur redituroque. — Recursus in re medica est vomitus. *V.* RECURSIO 2.

II.) Translate. *Cels.* 4. 4. Si fauces cibum et potum capiunt, facilis ad bonam valetudinem recursus est. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. *extr.* Depulsis omnibus, quæ passionis recursum fere sollicitant. *il ritorno della malattia. Val. Max.* 2. 7. *n.* 15. Recursum iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7. 62. 6. Ut post sententiam ab eo, qui de appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad judicem, a quo fuerit provocatum. *ritornare, far ricorso.*

RĔCURVĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔCURVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* curvo). Particip. *Recurvatus.* — Recurvo est idem ac retro curvo, reflecto, *ripiegare, ritorcere, curvare,* ἀναγνάμπτω. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 13. Quum ad scrobis solum radix pervenit, duritia humi coercita recurvatur. *Gell.* 3. 6. Palma adversus pondus resurgit, et sursum nititur recurvaturque. *Stat.* 3. *Theb.* 583. Horrentesque situ gladios in sæva recurvant Vulnera. *Ovid. Heroid.* 4. 79. Sive ferocis equi luctantia colla recurvas. *Id.* 1. *Amor.* 8. 6. *de saga.* Inque caput rapidas arte recurvat aquas. *h. e.* redire cogit. — Sic Particip. præter. pass. apud *Ovid.* 2. *Met.* 246. Quique recurvatis ludit Mæandros in undis. *Cels.* 7. 7. *n.* 4. Hamulus acutus paullum mucrone intus recurvato. *Id.* 8. 1. *ad fin.* Os pectinis rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in feminis. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 1. Sarmentum prætorto capite et recurvato demergere.

RĔCURVUS, a, um, adject. (re *et* curvus) est recurvatus, reflexus, incurvus, *ripiegato, ricurvo,* παλίγγναμπτος, παλίγκλαστος. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Conchæ ad plausum apertæ, ad buccinum recurvæ. *Virg.* 7. *Æn.* 513. cornuque recurvo Tartaream intendit vocem. *h. e.* buccina. *V.* ÆS. *Ovid.* 5. *Fast.* 119. *de capra.* Cornibus aeriis, atque in sua terga recurvis. *et* 6. *ibid.* 240. tegunt parvis æra recurva cibis. *h. e.* hamos. *et* 2. *ibid.* 113. tergo delphina recurvo Se memorant oneri supposuisse novo. *et ibid.* 560. Comat virgineas hasta recurva comas. *V.* CÆLIBARIS. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 230. avis dira rostroque recurvo Turpis. *Ovid.* 8. *Met.* 141. et 15. *ibid.* 693. Recurva puppis. *et* 3. *ibid.* 664. Impediunt hederæ ramos, nexuque recurvo Serpunt. *h. e.* retorto, contorto. *Id.* 2. *Fast.* 251. Corvus inauratum pedibus cratera recurvis Tollit. *h. e.* uncis. *Id. Heroid.* 10. 71. ne victor tecto morerere recurvo. *h. e.* labyrintho. *Ammian.* 14. 2. 5. Multitudo, quæ nata et educata inter editos recurvosque ambitus montium, eos ut loca plana persultat et mollia.

RĔCŪSĀBĬLIS, e, adject. qui recusari potest, aut debet. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 35. *ad fin.* Revelatio recusabilis.

RĔCŪSANS, antis, particip. *V.* RECUSO.

RĔCŪSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus recusandi, *ricusa, rifiuto, scusa,* ἀνάνευσις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 26. Nam hæc ipsa recusatio disputationis disputatio quædam fuit, mihi quidem perjucunda. *Id.* 3. *Cat.* 2. 5. Sine recusatione, ac sine ulla mora negotium susceperunt. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 98. Cæsar - omnes eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere atque arma projicere jussit. Quod ubi sine recusatione fecerunt etc. *Auct. B. G.* 8. *præf. init.* Coactus adsiduis tuis vocibus, Balbe, quum quotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiæ videretur deprecationem habere, rem difficillimam suscepi. ¶ 2. Speciatim in judiciis est reclamandi actus, *protesta, l'atto del protestare contro alcuno. Cic. Cluent.* 53. 148. Si qui apud me te, T. Atti, reum velit facere: clames, te lege pecuniarum repetundarum non teneri. Neque hæc tua recusatio confessio sit captæ pecuniæ; sed laboris, sed periculi non legitimi declinatio. *Id.* 2. *Legg.* 16. 41. Pœna violatæ religionis justam recusationem non habet. ¶ 3. Item speciatim in juridicis est responsio, quam quis *petitioni* facit, ut seipsum purget, *replica giustificativa. Cic.* 1. *Invent.* 5. 7. Judiciale (*genus est*), quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 4. 12. et *Quintil.* 4. 4. 6. Recusatio quoque plures propositiones habet, ut contra petitionem pecuniæ.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Petron. Satyr.* 141. Recusatio stomachi. *h. e.* nausea, fastidium. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 16. *p.* 105. *retro* ed. *Ald.* Salsamentis omnibus nutriantur, acrimoniis, sinapi, aceto et similibus, quæ stomacho hanc ciborum recusationem valeant extergere.

RĔCŪSĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔCŪSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Recusans* I. 1. c. et II.; *Recusatus* I. 1. *a.*; *Recusaturus* I. 1. c. et *d.*; *Recusandus* I. 1. *a.* — Recuso (a *re* et *causa*, ut proprie sit causam afferre, cur aliquid nolis) est idem ac renuo, detrecto, rejicio, repudio, παραιτέομαι, ἀνανεύω (It. *rifiutare, ricusare*; Fr. *ne vouloir pas accepter, écarter, réfuser, ne pas vouloir;* Hisp. *alejar, rehusar, no querer ó no aceptar;* Germ. *etwas einwendend zurückweisen, abweisen, ausschlagen, ablehnen, verweigern, zu thun verweigern, dagegen haben*; Angl. *to refuse, deny, reject, to make a defence or excuse*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Cum Accus. *Cic. Flacc.* 38. 97. Populum R. disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deposco. *Justin.* 13. 2. 11. Ptolemæus recusabat regem Aridæum. *h. e.* nolebat Aridæum regnare. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 16.; et *Horat.* 1. *Sat.* 4. 50. Recusare aliquam uxorem. *h. e.* nolle ducere. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. amicitiam populi R. *Id.* 1. *B. C.* 68. laborem. *Id.* 7. *B. G.* 2. nullum periculum communis salutis causa. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 6. Acclinis falsis animus meliora recusat. *et ibid.* 3. 258. Porrigis irato puero quum poma, recusat. *et* 1. *Ep.* 10. 8. simul ista reliqui, Quæ vos ad cælum fertis rumore secundo, Atque sacerdotis fugitivus liba recuso. *Auct. B. G.* 8. 1. Sors incommodi civitati non recusanda, si etc. *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 27. qui frena coactus Sæpe recusati ceperit imperii. *Liv.* 1. 24. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro. Nihil recusatur. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *de. Cæs.* 1. *B. G.* 44. Iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus pependerint. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 6. Desinemus nos de judiciis transferendis recusare. Adde *eumd.* 3. *Fam.* 7. — *c*) Cum Infinito. *Curt.* 5. 4. 13. Recusaturus ire, qua duces. *Cæs.* 3. *B. G.* 22. Neque adhuc repertus est quisquam, qui mori recusaret. *Horat.* 2. *Ep.*

1. 208. quæ facere ipse recusem. *Justin.* 3. 6. 11. Ut duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent. *Ovid. Heroid.* 5. 83. ut Priamus Nymphæ socer esse recuset. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (16). *de medicina.* Non rem antiqui damnabant, sed artem: maxime vero quæstum esse immani pretio vitæ recusabant. *h. e.* nolebant. *Martial.* 9. 102. Sæpe recusato Parthos duxisse triumphos, Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit. *h. e.* quum sæpe recusasset, vel postquam sæpe recusaverat. — *d*) Sequentibus particulis *ne, quin, quo minus. Cæs.* 3. *B. C.* 82. Ne unus omnes antecederet, recusabant. *Cic.* 3. *Off.* 27. 100. Sententiam ne diceret, recusavit. *Nepos Hannib.* 12. Illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset. — *Plaut. Curc.* 1. 3. 8. Adsum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit. *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Neque recusare, si lacessantur, quin armis contendant. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 7. Non possumus, quin alii a nobis dissentiant, recusare. — *Nepos Epam.* 8. Neque recusavit, quo minus legis pœnam subiret. *Cic.* 1. *Fin.* 3. 7. Nec recusabo, quo minus omnes mea legant. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Neque recusaturos, quo minus etc. — *e*) Absolute. *Cic. Mil.* 36. 100. Non recuso, non abnuo. *Id.* 7. *Verr.* 54. 141. Servilius et recusare, et deprecari, ne iniquis judicibus etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. Neque recusandi, aut deprecandi causa legatos ad Cæsarem mittere audebant. — Sic Particip. *Recusans* absolute est reluctans, invitus, *di mala voglia, renitente,* ut apud *Nepot. Timol.* 3. Quum tantum haberet amorem omnium, ut nullo recusante regnum obtineret. *Ovid.* 2. *Fast.* 387. Jussa recusantes peragunt lacrimosa ministri. *Id.* 4. *Trist.* 2. 35. illo dicunt mactata ministro Sæpe recusanti corpora capta Deo. *Cic. Orat.* 10. 35. Testificor me a te rogatum et recusantem hæc scribere esse ausum. ¶ 2. Latiori sensu, præcipue in juridicis, est in re, qua de quæstio est, reclamare, contra dicere, reclamare, negare, *opporsi, reclamare, protestare, negare. Plaut. Pœn.* 5. 6. 18. Numquid recusas contra me? *Cic. Cæcin.* 28. 81. Tu me ad verbum vocas: non ante venio, quam recusaro. Nego oportere, nego obtineri posse, nego ullam rem esse etc. *et mox* 29. 82. Quoniam satis recusavi, venio jam quo vocas. *Quintil.* 3. 10. 1. Causa omnis, in qua pars altera agentis, altera recusantis est. *V.* RECUSATIO I. 3. *Cels. Dig.* 17. 1. 48. Si quis sub usuris creditam pecuniam fidejussisset et quum reus in judicio conventus recusare vellet, sub usuris creditam esse pecuniam etc. *h. e.* negare. ¶ 3. *Recusare mendacium* apud *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 11. *a med.* est refellere.

II.) Translate. *Virg.* 7. *Æn.* 15. Hinc exaudiri gemitus iræque leonum Vincla recusantum. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 16. More nec indomiti frena recusat equi. *Id.* 8. *Met.* 837. rapax ignis non unquam alimenta recusat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (199). Falsæ gemmæ recusant limæ probationem. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (147). Castanea recusat glaream, rubricam, cretam. *Virg.* 12. *Æn.* 747. tardata sagitta genua impediunt, cursumque recusant. — Et cum Infinito. *Horat. A. P.* 39. et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. *Id.* 2. *Sat.* 7. 108. Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus. *et* 2. *Ep.* 1. 258. nec meus audet Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

RĔCUSSĀBĬLIS, e, adject. qui recutitur. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *ad fin.* Tum permittentibus viribus etiam raptorio machinamento gestetur, ac deinde recussabili sphæra (*utatur*), quam Italicam vocant. *h. e.* κωρύκῳ. *V.* CORYCEUM.

RĔCUSSUS, a, um, particip. *V.* RECUTIO.

RĔCUSSUS, us, m. 4. In sexto casu sing. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 53. 79. (214). *de ibicibus.* In hæc (*cornua*) se librant, ut tormento aliquo rotati, in petras; atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant. *h. e.* repercussu, resiliendo. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Quidquid per virecta Tempe Rapiat unda proluens (*lege* profluens), Hinnientis et recussu quam produxit ungula.

RĔCŪTĬO, cūtis, cussi, cussum, cūtere, a. 3. (re *et* quatio). Part. *Recutiens* et *Recussus.* — Recutio est idem ac retro quatio, excutio, discutio, quatiendo retro impello, concutio, *cacciare indietro scuotendo, scuotere. Val. Flacc.* 5. 167. penitusque recusso Æquore Cyaneas Minyæ timuere relictas. *Virg.* 2. *Æn.* 52. uteroque recusso Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ. *Sidon. carm.* 2. 427. de nocte recussa Excepti rores. *Augustin.* 8. *Confess.* 11. *ante med.* Incutiebat horrorem, sed recutiebat retro, nec avertebat. *Id.* 2. *Doctr. Chr.* 40. *ad fin.* Christi recutiens jugum. *Apul.* 4. et 5. *Met.* Recussus somno.

RĔCŪTĪTUS, a, um, adject., vel particip. ab inusit. *recutire* (re *et* cutis) est exulceratus, et resecta cute sæpe laceratus, *scorticato, pieno di cicatrici.* — *a*) Generatim. *Martial.* 9. 58. Nil est tritius Hedyli lacernis, Non ansæ veterum Corinthiorum, Non ruptæ recutita colla mulæ. — *b*) Speciatim dicitur de iis, quibus præputium præcisum fuit, ut sunt Judæi et Turcæ, quia eo loci cutis quidem utcumque resecta est, glandem tamen non amplius tegit, quum sit illa brevior, *circonciso,* ἀπεψωλημένος, ψωλός. *Id.* 7. 30. Recutiti Judæi. *Pers.* 5. 184. recutitaque sabbata palles. Sunt qui *recutitos* intelligunt eos, qui a Judæis ad Gentes quum defecissent, ut resecto præputio aliqua ratione mederentur, cutem penis rursus adducebant, producebantque arte medica super glandem: de quibus 1. *Machab.* 1. 16. Et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus. *et Paul.* 1. *Cor.* 7. 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. *Cels.* vero 7. 25. producendi præputii rationem tradit. Verum hoc ad *Martial.* et *Persium,* qui de Judæis in sua superstitione manentibus loquuntur, minime pertinet. — Romani recutitos Judæos maxime aversabantur. *Petron. fragm. Tragur.* 68. *Burmann. ad fin.* Duo tamen vitia habet, quæ si non haberet, esset omnium numerorum: recutitus est, et stertit. Nam quod strabonus est, non curo.

RĔDABSOLVO, is, ere, a. 3. idem quod solvo, vel absolvo. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 84. Te redabsolvam, qua advenisti, gratia. *Rectius alii* absolvam.

RĔDACCENDO, is, ere, a. 3. rursus accendo. *Tertull. Anim.* 30. *in fin.* Facilior ante exstingui, quam redaccendi. *Id. Resurr. carn.* 12. Redaccenduntur stellarum radii. *V.* REACCENSUS.

RĔDACTĬO, ōnis, f. 3. redigendi actus, conversio, *riduzione. Boeth.* 2. *Arith.* 29. *p.* 1351. Est proportionalitas collectio proportionum in unumque redactio.

RĔDACTUS, a, um. *V.* REDIGO.

RĔDACTUS, us, m. 4. actus redigendi. Speciatim sumitur pro pecunia ex frugibus venditis redacta. *Scævola Dig.* 7. 1. 58. Sempronio do, lego ex redactu fructuum oloris et porrinæ partem sextam. Sic enim in *Pand. Flor.* et *manuscr. Codd.* legitur. Vulgo est *ex reditu. Id. ibid.* 46. 3. 88. Argentarii universum redactum venditionis solverunt.

RĔDĂDOPTO. *V.* READOPTO.

RĔDĂDŪNĀTĬO. *V.* READUNATIO.

RĔDĂMĀTUS, a, um, particip. *V.* REDAMO.

RĔDAMBŪLO, as, are, n. 1, *ritornare,* ἀναβαδίζω, redeo, revertor. *Plaut. Capt.* 4. 2. 120. Bene ambula et redambula. *V.* REAMBULO.

RĔDAMNO, as, are, a. 1. iterum damno. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 5. *p.* 302. *retro* ed. *Ald.* Aliquando rursum suam sententiam (*melancholici*) redamnantes, vitæ solatio delectantur.

RĔDĂMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Redamatus.* — Redamo, *riamare,* ἀντιφιλέω, contra, vel similiter amo, me amantem amo, in amore respondeo. *Cic. Amic.* 14. 49. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, gloria, ædificio, vestitu; animo autem virtute prædito, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Ex his patet, hoc verbum *Ciceroni* minime probum videri, vel tunc temporis inusitatum fuisse. *Ambros.* in *Luc.* 7. 9. Plurimum diligens, et ideo redamatus plurimum. *et ibid.* 5. 6. Si enim commune sit omnibus pectoribus redamare. *Paulin. Nol.* 11. 43. Ex paribus semper redamandi legibus æqua (*amicitia*).

RĔDĂMŎVĔO, es, ere, a. 2. *Imppp. Valens, Gratian.* et *Valentinian. Cod. Theod.* 8. 5. 35. *in fin.* Ne supra assium numero redamoveatur. *Sed corrige,* Ne supra assignatum numerum rheda moveatur. *Gothofr.* legend. conjicit: *Ne supra duum numerum* etc.

RĔDAMTRŬO. *V.* AMTRUO.

RĔDĂNĪMĀTĬO, ōnis, f. 3. animæ ad corpus restitutio. *Tertull. Resurr. carn.* 38.

RĔDĂNĪMĀTUS, a, um. *V.* voc. sequent.

RĔDĂNĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* animo). Particip. *Redanimatus* et *Redanimandus.* — Redanimare est resuscitare, reviviscare, *rianimare, risuscitare. Tertull. Resurr. carn.* 13. Quia singula nec redanimari, sed reformari existimentur. *et ibid.* 31. Recorporandæ et redanimandæ reliquiæ. *Id. ibid.* 19. Redanimatus et revivificatus Deo.

RĔDĂRĀTOR. *V.* IMPORCITOR.

RĔDARDESCO. *V.* RECANDESCO.

RĔDARGŬO, gŭis, gŭi, gūtum, gŭere, a. 3. (a *re* et *arguo* inserto *d* hiatus vitandi causa, ut in *redamo, redeo, redigo, redoleo, redundo*). — *Rederguisse* 1. *d.*; Particip. *Redarguens* 2. — Redarguo ¶ 1. Est idem atque arguendo refello, falsum esse doceo, revinco, convinco, *riprovare, convincere, riprendere,* ἐξελέγχω. — *a*) Cum Accus. *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Nosque ipsos redargui refellique patiamur. *Id. Tim.* 3. Oratio, quæ neque redargui, neque convinci potest. *Id.* 2. *Orat.* 72. 293. Si nostra facilius probari, quam illa redargui possunt. *Id. Cluent.* 23. 62. Exstat memoria, sunt tabulæ publicæ: redargue me, si mentior. *et Dom.* 9. 21. In hoc inconstantiam redarguo tuam, qui etc. *h. e.* palam ostendo, te esse inconstantem. *Virg.* 11. *Æn.* 687. Advenit qui vestra dies muliebribus armis Verba redargueret. *h. e.* vana et falsa fuisse demonstraret. *Sueton. Aug.* 55. Sparsos de se famosos libellos nec expavit, et magna cura redarguit. *rispose, confutò.* et *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. 88. Improborum prosperitates redarguunt vim omnem Deorum ac potestatem. *h. e.* ostendunt, evincunt, nullam esse. — *b*) Cum Infinito. *Gell.* 15. 9. Audi rationem, falsam quidem sed quam redarguere, falsam esse, tu non queas. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 55. Is Sextilius factum negabat: poterat autem impune; quis enim redargueret? *chi lo potea convincere?* — *d*) *Rederguisse* per e litteram Scipio Africanus Pauli filius dicitur enunciasse, ut idem etiam *pertisum.* Hæc *Festus p.* 273. 7. *Müll.* Est autem pro *redarguisse.* ¶ 2. Est etiam adstringere. *Apul. Herb.* 3. Hierabotane virtute redarguenti, quam stypticam vocant.

RĔDARGŪTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est reprehensio, *riprensione,* ἀπελεγμός. *Vulgat. interpr. Psalm.* 37. 15. Non habens in ore suo redargutiones. *et Act.* 19. 27. Hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire. ¶ 2. Item convictio, *convinzione,* ἔλεγχος. *Boeth. Aristot. elenchor.* 1. *init.* De sophisticis autem redargutionibus et de iis, quæ videntur redargutiones (sunt autem captiosæ ratiocinationes, at non redargutiones) dicamus, oportet. *et ibid.* 1. 8. *p.* 740. Redargutio est syllogismus contradictionis. *h. e.* argumentum quod redarguit. Adde *eumd. p.* 733., 735., 736. et alibi sæpe.

RĔDAUSPĪCO, as, are, a. 1. μετοιωνίζομαι, denuo auspicor, seu auspicium sumo, rursus incipio. *Plaut. Capt.* 3. 5. 108. Exauspicavi ex vinculis, nunc intelligo redauspicandum esse in catenas denuo. *V.* EXAUSPICO.

REDDĪBO. *V.* REDDO init.

REDDĪTĬO, ōnis, f. 3. (reddo). ¶ 1. *Redditio rationis,* subjectio rationis seu causæ. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 7. Redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem Dei. — Huc referri potest et illud *Hieronym.* 2. *Com-*

ment. in c. 18. *Matth.* Quia viderant (*Apostoli*) pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. ¶ 2. Apud Rhetores est ἀπόδοσις, *h. e.* ponitur pro secunda parte comparationis, aut similitudinis, h. e. pro collatione rei, de qua est similitudo; et pro secunda parte periodi, quæ primæ respondet. *Quintil.* 8. 3. 79. et *Auson. Edyll.* 12. *init. V.* APODOSIS.

REDDĬTĪVUS, a, um, adject. *Redditiva pars* in oratione est ipsa redditio, de qua in voce præced. dictum est. *Diomed.* 2. *p.* 432. *Putsch.* Et *redditivas particulas* vocat *Priscian.* 17. *p.* 1052. quæ redditioni inserviunt, ut *talis, ita. Id. de declin. nom. p.* 1510. *Putsch.* Nomina redditiva substantiæ sunt *quis* vel *qui*; qualitatis, sunt *qualis, talis.*

REDDĬTOR, ōris. m. 3. qui reddit. *Augustin. Ep.* 5. *a med.* Debitorum fisci redditores et exactores.

REDDĬTŪRI. *V.* PRÆSTO, as.

REDDĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

REDDO, dis, dĭdi. dĭtum, dere, a. 1. (a *re* et *do*, quasi retro do). *Reddibo* pro *reddam* comicum et antiquum est. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 40. Numquam edepol jejunum est æque atque ego ruri reddibo te. *Id Epid.* 1. 1. 22. Opera reddibitur tibi. Adde *fragm.* apud *Non. p.* 476. 25. et *p.* 508. 8. *Merc.* et apud *Priscian.* 6. *p.* 692. *Putsch.* — Particip. *Reddens* I. *d.* et II. 9.; *Redditus* I. *a.* et *c.*, II. 1., 3., 4., 7. et 10.; *Redditurus* I. *b.* et II. 1.; *Reddendus* II. 6. et 10. — Reddo est idem ac rem acceptam vel ablatam restituo, refero, ἀποδίδωμι (It. *rendere, restituire*; Fr. *rendre, donner en retour, restituer*; Hisp. *volver la cosa prestada, restituir*; Germ. *zurückgeben, wiedergeben, wiedererstatten, zurückerstatten*; Angl. *to give back, render, restore, return*).

I.) Proprie. — *a*) Hujus verbi significationem sequentia illustrant. *Seneca* 7. *Benef.* 19. Reddere est id, quod debeas, ei, cujus est, volenti dare. *Ter. Eun.* 1. 2. 66. Ut virginem suis restituam ac reddam. Ubi *Donat.* Restituimur iis, quibus nos volumus: reddimur iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem, reddimus volentibus. *Liv.* 3. 68. Tribuni vobis amissa reddent ac restituent. Cf. *Cic. Dom.* 28. 75. Salutem redditam sibi ac restitutam accipere. *Seneca* 6. *Benef.* 5. Quum dicimus, beneficium illi reddidi, non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse; sed aliud pro illo: reddere enim est, rem pro re dare. Quid ni? quum omnis solutio non idem reddat, sed tantundem. Nam et pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeravimus pro argenteis aureos etc. *Cic. Sull.* 30. 84. Si quid ab omnibus conceditur, reddo ac remitto. — Respondet verbis *dare, mutuum dare, mutuari, sumere, accipere,* ut apud *Plaut. Men.* 4. 2. 109. Nunc ibo, orabo ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi. Cf. *Cic.* 1. *Off.* 15. 48. sub II. 10. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 83. potes nunc mutuam Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi? *Cic. Fat.* 2. 3. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur (*orator*), et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 118. Ita feci, ut auri quantum vellet, sumeret. Quantum autem libeat reddere, reddat patri. *Cic.* 1. *Off.* 15. 48. Ea quæ utenda acceperis, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 66. Accipe quod numquam reddas mihi. — *b*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 10. 31. Reddere depositum, facere promissum. *Id.* 8. *Att.* 14. 3. Pecuniam Domitio satis grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam. *Cæs.* 6. *B. G.* 15. Pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum numen placari. *et* 1. *ibid.* 35. Obsides, quos haberet ab Æduis, redderet. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 7. Cogebantur Suliani homines, quæ per vim et metum abstulerant, reddere. *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Pro quibus meritis civitatem ejus immunem esse jusserat, jura legesque reddiderat. *Catull.* 42. 4. Et negat mihi vestra redditurum Pugilla. *Horat.* 1. *Od.* 10. 9. Te (*Mercuri*), boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas etc. — *c*) Speciatim de personis. *Cic. post red. in sen.* 1. 1. Qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos; qui dignitatem, qui ordinem, qui denique nosmet ipsos nobis reddidistis. *Virg.* 11. *Æn.* 269. patris redditus oris. *Horat.* 2. *Od.* 2. 17. Redditus Cyri solio Prahates. *Id.* 1. *ibid.* 3. 5. Navis, quæ tibi debitum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem, precor. *Id.* 1. *Sat.* 1. 82. medicum roget, ut te Suscitet ac reddat natis carisque propinquis. *Id.* 1. *Ep.* 14. 1. Villice silvarum et mihi me reddentis agelli etc. *Plin. Paneg.* 60. Quum (*consulatum*) absens gerere non poteras: sed jam urbi votisque publicis redditus etc. Similiter *Id. ibid.* 86. Reddere aliquem otio. *et Justin.* 12. 10. 1. Ex magna desperatione tandem saluti redditus. — *d*) *Reddere se* cum Dativo rei est redire, *ritornarsene. Liv.* 23. 9. *extr.* Hæc quum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abjecit: et, quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit. *Sil. It.* 11. 366. tum reddere sese Festinant epulis, et tristia fronte serenant. *Id.* 4. 119. Clangorem bis terque dedit (*Jovis ales*), rostroque coruscæ Perstringens conum galeæ, se reddidit astris. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 70. quæ bellua ruptis, Quum semel effugit, reddit se prava catenis? — Cum Infinito. *Stat.* 1. *Theb.* 615. sua monstra profundo Reddit habere Jovi.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe sumitur pro dare, tribuere, *dare. Cels. Dig.* 31. 1. 21. et *ibid.* 50. 16. 94. Verbum reddendi, quamquam significatum habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem. *V.* infra § 13. Differunt tamen *dare* ac *reddere*: illud enim universim concedere utcumque, tribuere, donare significat; *reddere* est dare ea, quæ aut debentur iis, quibus dantur, aut ad eos aliquo modo pertinent: quod patebit expendenti scriptorum loca, quæ subjicimus. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 5. Qua me nunc causa extrusisti ex ædibus? EU. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges? *Liv.* 41. 7. *extr.* Rationem redditurus earum rerum etc. *Cic.* 2. *Fam.* 17. Litteras a te mihi stator tuus reddidit Tarsi. *Id.* 9. *Att.* 14. 3. Litteræ mihi ante lucem redditæ sunt. Sic *Id.* 11. *Fam.* 16. Permagni interest, quo tibi tempore epistola reddita sit. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. *a med.* Judicia in privatos reddebat. *Phædr.* 4. 12. Leo inter feras Sancta incorrupta jura reddebat fide. *et* 3. *epil.* Brevitati nostræ præmium ut reddas, peto. *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. Suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo. *Quintil.* 11. 1. 88. Reddere alicui testimonium industriæ. *Virg.* 3. *G.* 491. Nec responsa potest consultus reddere vates. *Albinov.* 1. 218. Et pedes exsequias reddit equesque duci. *Propert.* 3. 5. 37. Reddere corpus humo. *Justin.* 9. 4. 4. sepulturæ. *Ovid. Ib.* 407.; et *Lucret.* 6. 1196. Reddere vitam. *morire.* scilicet tamquam naturæ debitam Unde *Nepos Reg.* 1. *in fin.* Morbo debitum naturæ reddere. Sic *Vellej.* 2. 14. 2. Reddere ultimum spiritum. *et ibid.* 123. 3. animam cælo. *et Ovid.* 2. *Pont.* 11. 7. Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras, Quam etc. *Id.* 3. *Trist.* 3. 35. Reddere lucem. *et Seneca Œdip.* 271. summum diem. ¶ 2. Est etiam reponere, *rimettere. Plaut. Most.* 1. 2. 27. Tempestas venit, confringit tegulas imbricesque: ibi dominus indiligens reddere alias nevolt. ¶ 3. Item emittere, egerere quod infusum est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Aspera arteria excipit animam eam, quæ ducta est spiritu, eamdemque a pulmonibus respirat et reddit. *Ovid. Heroid.* 16. 46. Flammiferam pleno reddere ventre facem. *h. e.* partu edere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 51. (190). Spinam faucibus adhærentem aut reddi, aut delabi. *h. e.* vomitu ejici. *et* 11. *ibid.* 37. 75. (193). Fel redditum alienis colorem aufert. *h. e.* ore rejectum, *vomitato.* Sic *Plin.* alter 4. *Ep.* 19. *ad fin.* Dum nimis imperat voci, sanguinem reddidit. *Cels.* 2. 12. *n.* 2. In eo, cui satis alvus reddit quotidie. *et* 7. 23. Spumans bilis alvo cum rosione redditur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 46. 65. (130). Inter aquaticas aves mergi soliti sunt devorare, quæ ceteræ reddunt. *h. e.* cacant. Eod. sensu *Ovid. Remed. Am.* 437. Reddere obscœna. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (165). *de equis.* Scythæ per bella feminis uti malunt, quoniam urinam, cursu non impedito, reddunt. *Id.* 28. *ibid.* 15. 61. (217). Urina calculum reddere. ¶ 4. Emittere, edere, *mandar fuori,* est etiam in his. *Ovid.* 11. *Met.* 608. Janua, quæ verso stridorem cardine reddit. *Horat. Art. P.* 348. Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens, Poscentique gravem persæpe remittit acutum. *Cf. eumd. ibid.* 158. Reddere qui voces jam scit puer. *Virg.* 3. *Æn.* 40. vox reddita fertur ad aures. *h. e.* emissa. Ubi *Servius*: Pro data: redditur enim quidquid ad nos per alterum transit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 63. (155). Admota auribus lenem sonum reddit. *Id.* 37. *ibid.* 2. 11. (36). Flammam ab electro reddi. ¶ 5. Item referre, seu dicendo vel scribendo persequi, seu narrare ea, de quibus nos acturos polliciti sumus. *Cic. Brut.* 74. (258). Sed perge, Pomponi, de Cæsare, et redde quæ restant. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 8. 79. sed illa Redde age quæ deinceps risisti. *et* 1. *ibid.* 4. 115. sapiens, vitatu quidque petitu Sit melius, causas reddet tibi. *Varro* 3. *R. R.* 17. 38. Tertium actum de pastionibus villaticis postea tibi reddam. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 7. (20). Cetera placita eorum suis reddemus locis. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 67. ¶ 6. Item referre, seu repetere quæ audita sunt, *ripetere, recitare. Horat.* 4. *Od.* 6. 41. Nupta jam dices: ego Dis amicum, Sæculo festas referente luces, Reddidi carmen. *Id.* 1. *Ep.* 18. 13. Ut puerum credas sævo dictata magistro Reddere. *Cic. Brut.* 88. 301. Fuit memoria tanta, ut quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. *Quintil.* 11. 2. 23. Si nomina multa per ordinem audita reddenda sunt. ¶ 7. Item respondere, *rispondere. Ovid.* 6. *Met.* 329. Faunine foret tamen ara, rogabam, Indigenæne Dei; quum talia reddidit hospes. *così rispose.* et 3. *ibid.* 361. *de Echo.* Reddere de multis ut verba novissima posset. *Lucret.* 4. 462. dicta. *et Virg.* 6. *Æn.* 688. datur ora tueri, Nate, tua, et notas audire et reddere voces. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 409. Similiter *Id.* 6. *ibid.* 672. Atque huic responsum paucis ita reddidit heros. *et Liv.* 38. 9. Adversus quæ legati, et quia gravia erant, et quia suorum animos indomitos ac mutabiles noverant, nullo reddito responso, domum regressi sunt. ¶ 8. Item ex una in aliam linguam vertere, *tradurre, voltare. Cic.* 1. *Orat.* 34. 155. Quum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem. *Id. opt. gen. Orat.* 5. 14. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere. *tradurre a parola per parola.* Sic *Horat. Art. P.* 133. Nec verbo verbum curabis reddere fidus Interpres. Adde *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 54. ¶ 9. Item referre, h. e. similem esse, exprimere et quasi instaurare Imaginem alterius, *somigliare, rappresentare. Lucan.* 1. 538. Jam Phœbe toto fratrem quum redderet orbe. *Seneca Herc. Fur.* 1016. natus hic vultus tuos habitusque reddit. *Sil. It.* 2. 635. reddentia formam Ora tuam laceras. *Plin.* 7. *Ep.* 19. *a med.* Illam tantæ feminæ matrem rursus videor amittere, quam hæc, ut reddit ac refert nobis, sic auferet secum. *Virg.* 6. *Æn.* 768. et qui te nomine reddet Silvius Æneas. *Stat.* 2. *Achill.* 189. Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum Reddidit, et similem tandem se vidit in auro etc. — De similitudine stili. *Plin.* 9. *Ep.* 22. In litteris veteres æmulatur, exprimit, reddit. *Stat.* 4. *Silv.* 7. *extr.* Orsa Sallusti brevis, et Timavi Reddis alumnum. *Martial.* 11. 9. *de statua Memoris.* Spirat Apellea redditus arte Memor. — De pictoribus *Petron. Satyr.* 29. Hic quemadmodum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. — De aliis rebus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (177). Odorem croci saporemque reddit. *dà un odore, che sa di zafferano.*

et 35. *ibid.* 6. 27. (46). Purpurissum Indicum reddit flammam excellentis purpuræ. *Id.* 34. *ibid.* 12. 32. (123). Limus imaginem quamdam uvæ reddit. *rappresenta.* — ¶ 10. Item rependere, persolvere. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 15. 48. Duo genera liberalitatis, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus necne, in nostra potestate est; non reddere viro bono non licet. *Sall. Jug.* 110. Arma, viros, pecuniam - sume, utere, et, quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Bene positam vineam numquam non cum magno fenore gratiam reddidisse. *Virg.* 9. *Æn.* 254. tum cetera (*præmia*) reddet Actutum Æneas. — *b*) Speciatim, *reddere vota*, solvere. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 46. Latio reddita vota Jovi. *h. e.* soluta. *Justin.* 10. 10. Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Caute vota reddunto. *Propert.* 2. 15. 19. captare feras, et reddere pinu Cornua. *scil.* tamquam voto debita et Dianæ sacra: unde et absoluta *debita* dicuntur a *Tibull.* 4. 4. 23. quum debita reddet Certatim sanctis lætus uterque focis. — Hinc habet locum in sacris. *Virg.* 2. *G.* 194. Lancibus et pandis fumantia reddimus exta. Ubi *Servius:* Sacerdotum usus verbo: *reddi* enim dicebantur exta, quum probata et elixa aræ superponebantur. *Ovid.* 6. *Fast.* 476. Flavaque Thebanæ reddite liba Deæ. *Horat.* 2. *Od.* 7. 17. Ergo obligatam redde Jovi dapem. *et ibid. v.* 30. reddere victimas Ædemque votivam memento. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 53.; *Tibull.* 1. 3. 34.; et *Stat.* 4. *Theb.* 466. — *c*) Item speciatim *reddere pœnas*, dare, persolvere pœnas justitiæ aut crimini debitas. *Sall. Jug.* 17. Ut ille impietatis in parentem nostrum graves pœnas reddat. ¶ 11. *Reddere* dicitur terra, quæ sementem sparsum messe refundit, *rendere, fruttare.* *Ter. Phorm.* 4. 3. 74. Nunc mecum argentum attuli, fructum quem Lemni uxoris reddunt prædia. *Varro* 3. *R. R.* 2. 17. Agrum enim (*dicebat*) minus dena millia reddere. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 26. Et sata cum multo fenore reddit ager. *Colum.* 2. *R. R.* 17. 2. Pratum etiam in pabulo non minus reddit, quam in fœno. *Id.* 7. *ibid.* 3. 9. Vel exiguus numerus, quum pabulo satiatur, plus domino reddit, quam maximus grex. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 4. Amineæ, ubicumque sint, vinum pulcherrimum reddunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (88). Siligineæ farinæ modius viginti duas libras panis reddit. ¶ 12. Est præterea *reddere*, facere, efficere, rem mutando et sic mutatam alteri exhibendo, *fare, rendere;* et usurpatur de rebus et de hominibus. *Ter. Heaut.* 4. 5. 12. Dictum ac factum reddidi. *h. e.* statim feci. *Id. Adelph.* 5. 3. 63. Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est. *Id. Eun.* 2 3. 24. Reddunt (*puellas*) curatura junceas. *Cic.* 4. *Verr.* 34. 84. Domum ejus exornatam atque instructam reddiderat nudam atque inanem. *Id. Cæcin.* 10. 28. Quum ita vehemens acerque venisset, ut *etc.*, ita eum placidum mollemque reddidi, ut etc., *Id.* 9. *Att.* 17. Tu, quæso, cogita, quid deinde: nam me hebetem molestiæ reddiderunt. *Id. Cluent.* 26. 71. Reddere aliquem iratum alicui. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. *ad fin.* Loca ea tuta ab hostibus reddebat. *Ovid.* 2. *Fast.* 389. Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda Reddidit. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 101. Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum etc. *et* 2. *ibid.* 1. 34. Si meliora dies, ut vina, poemata reddit etc. *et Art. P.* 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi. *Liv.* 6. 20. Ut sciant homines, quæ et quanta decora fœda cupiditas regni non ingrata solum, sed invisa etiam, reddiderit. *Curt.* 6. 4. 19. Idem (*Caspium mare*) alio cæli statu recipit in se fretum, eodemque impetu, quo effusum est, relabens terram naturæ suæ reddit. — Pro facere *Non.* poni ait *p.* 381. 7. *Merc.* illud *Lucilii* 29. Pluteos excutiet, tectaque et testudines reddet. ¶ 13. Pro tribuere, dare, *dare*, usurpando compositum pro simplici. *Lucret.* 2. 63. *et* 141. quæve sit ollis Reddita mobilitas magnum per inane meandi. *et ibid.* 678. multa vides, quibus et color et sapor una Reddita sunt cum odore. *et ibid.* 756. si nulla coloris principiis est Reddita natura. *Plaut. Stich.* 1. 3. 27. Sed generi nostro hæc reddita est benignitas, Nulli negare soleo, si quis esum me vocat. *Virg.* 12. *Æn.* 817. Una superstitio superis quæ reddita Divis. Ubi *Servius*: Hoc est data; nam prosthesis est. *Liv.* 3. 10. Debebatur omnium consensu consuli triumphus: sed dilata res est, tribuno de lege agente. - Cessit ad ultimum majestati consulis tribunus, et destitit. Tum imperatori exercituique honos suus redditus. *Plin. Paneg.* 34. At tu, Cæsar, quam pulcrum spectaculum pro illo nobis exsecrabili reddidisti. — *Reddere nomen alicui*, suum alicui nomen tribuere, suo aliquem proprio vocare nomine. *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 35. Stultitiamque meum crimen debere vocari, Nomina si facto reddere vera velis. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 23. (74). Desertis quoque insulis reddantur nomina.

RĔDEMPTĬO *et* Redemtio, ōnis, f. 3. actus redimendi. Occurrit speciatim tantum, et ¶ 1. Est liberatio a servitute, a vinculis, *riscatto*, ἀπολύτρωσις. *Liv.* 25. 6. *a med.* Quum captivis redemptio negabatur. *Val. Max.* 4. 3. *n.* 1. Aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adjecit. (V. *Liv.* 26. 50.) *Auct. B. Alex.* 56. Quos transmarina militia perterritos ad sacramenti redemptionem vocabat. *h. e.* ad erogationem pecuniæ, qua liberarent se ab obligatione transmarinæ militiæ. ¶ 2. Item est actus aliquid pretio acquirendi. *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Ut primum e provincia rediit, redemptio est hujus judicii facta grandi pecunia. Ubi *Asconius:* Ait Cicero, artifices quosdam corrumpendorum judicum pactos esse cum Verre, et redemisse semel omnem procurationem judicii corrumpendi suo periculo absolutionisque præstandæ. *Cic. Pis.* 36. 87. Quid ego rerum capitalium quæstiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes proferam? *h. e.* emptiones judicii et absolutionis, corruptis pecunia judicibus. ¶ 3. Item est conductio, *appalto*, ἐξώνησις, *V.* REDEMPTOR. 1. *Cic. Prov. cons.* 5. 11. Videtis, non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii pæne afflictos jam atque eversos publicanos. *Ascon.* in *orat. Cic. in toga candid. sub fin.* Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas: quam redemptionem senatori habere licet per legem.

RĔDEMPTĬTO *et* Redemtito, as, āvi, are, a. 1. frequentat. a *redempto*, quod a *redimo*. *Festus p.* 286. 22. *Müll.* Redemptitavere item ut clamitavere. Cato in ea, qua egit de signis et tabulis: Honorem temptavere, ait, malefacta benefactis non redemptitavere. *h. e.* compensavere. Sic *Seneca* 4. *Excercept. controv. præf. in fin.* Redimebat tamen vitia virtutibus.

RĔDEMPTO *vel* Redemto, as, are, a. 1. frequentat. a *redimo*. *Tac.* 3. *Hist.* 34. A propinquis occulte redemtabantur. *Alii leg.* redimebantur. *Gloss. Lat. Gr.* Redempto, λυτροῦμαι.

RĔDEMPTOR *et* Redemtor, ōris, m. 3. qui redimit. ¶ 1. Apud Latinos scriptores occurrit. — *a*) Universim. *Festus p.* 270. 9. *Müll.* Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui, quum quid publice faciendum aut præbendum conduxerant effeceran tque, tum demum pecunias accipiebant: nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt præbendum utendumque. Hæc *Festus*, cujus postrema verba post *At ii*, videntur esse ex epitoma *Pauli*, more suo in pauca redigentis, quæ fusius a *Festo* dicta fuerant. *Redemptor operis* est, qui in se suscipit aliquid faciendum, pacta mercede, lucri causa, *imprenditore, impresario*, ἐργολάβος: v. gr. qui domum faciendam conducit, onera transvehenda, ædificium reficiendum, aut sartum tectum tuendum, et hujusmodi. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 47. Redemptor qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (176). In antiquarum ædium legibus invenitur, ne calce recentiore trima uteretur redemptor. *et ibid.* 2. (6). Redemptor cloacarum. *Vitruv.* 9. 3. Coronam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma appendit redemptori. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 4. (14). Redemptor tutelæ Capitolii. *Cato R. R.* 137. in *lemmate.* Vineam redemptori curandam partiario des. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 72. Festinat calidus mulis gerulisque redemptor. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 96. Hostias nisi ad sacrificium redemptor præbuisset. *Liv.* 34. 9. *sub fin.* Redemptoribus vetitis frumentum parare. *h. e.* qui alendi exercitus curam susceperant. *provveditori, commissarii de' viveri. Sicul. Flacc. de condit. agror. p.* 9. *Goes.* Viæ per redemptores muniuntur. — Similiter in *Inscript.* apud *Henzen.* 7273. Redemptor operis, *et* apud *Orell.* 1523. Redemptor operum Cæsaris et publicorum. In *alia* apud *eumd.* 1713. Redemptor proscænii. In *alia* apud *Henzen.* 5725., quæ pertinet ad annum post Chr. n. 62. Redemptor marmorarius. — *b*) *Redemptor vectigalium*, vel *pontis*, qui a populo vel principe certa pecunia emit vectigalia exigenda, ut ex exactione quæstum faciat, *gabelliere, doganiere. Papinian. Dig.* 50. 5. 8. Fisci vectigalium redemptores. *Labeo ibid.* 19. 2. 60. *ad fin.* Quum pontem transiret, redemptor ejus pontis portorium ab eo exigebat. — *c*) *litium*, seu causarum, qui lites alienas pretio mercatur, et peragendas suscipit suo periculo, quæstus causa. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. Si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 2. 15. 1. *extr.* Calumniarum redemptores. — *d*) *Redemptor ab ærario* videtur esse, qui, certa pecunia proposita, tributa ærario debita exigenda emerat, ut ex ea exactione quæstum faceret. *Inscript.* apud *Donat.* 323. 6. P. Turpilius A. L. Phronimus redemptor ab ær. ¶ 2. Denique redemptor est, qui alium a servitute aut a pœna pretio liberat, *riscattatore, redentore*, λυτρωτής. Ita jure ac vere appellatur JESUS CHRISTUS Deus, Dei filius, qui a peccati servitute et a maledicto legis humanum genus pretio sui sanguinis eripuit. *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 8. *sub fin.* Christus redemptio, idem redemptor ac pretium. *Augustin. Serm.* 130. *n.* 2. *a med.* Venit redemptor, et victus est deceptor.

RĔDEMPTRIX *et* Redemtrix, īcis, f. 3. quæ redimit. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 773. *de lingua Machabæo puero abscindenda.* Prima offeratur in sacramentum necis, Et sit redemptrix prima membrorum omnium. *Coripp.* 4. *Laud. Justin.* 297. ex tribus una E cælo veniens mundi Persona redemptrix.

RĔDEMPTŪRA *et* Redemtura, æ, f. 1. *appalto, affitto*, ἐξώνησις, negotiatio, quæ redimendo seu conducendo fit. *Liv.* 23. 48. *ad fin.* Cohortandos, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicæ, ex qua crevissent, ad tempus commodarent. *Ulp. Dig.* 14. 3. 5. Mercaturis redempturisque faciendis quempiam præponere.

RĔDEMPTUS *et* Redemtus, a, um, particip. *V.* REDIMO.

RĔDĔO, is, ĭi *et raro* īvi, ĭtum, īre, n. 4. (re *et* eo). *Redinunt* pro redeunt est *Canii* apud *Festum p.* 286. 12. *Müll.* R e d i n u n t significat redeunt. *Canius:* Redinunt in patriam. Item *p r o d i n u n t*, *f e r i n u n t* pro prodeunt, feriunt. Cf. *Paul. Diac. p.* 228. 6. *Müll.* — *Redeam* pro *redibo* videtur esse in illo *Plauti Aul.* 2. 3. 6. Curata fac sint, quum a foro redeam domum. — *Redies, et*, pro *redibis, it*, legitur in quodam MS. *Palladii* 7. 7. *in fin.* Tunc ad alvearium rediet. *et Apul.* 6. *Met.* Ad istum cælestium siderum redies chorum. Ceterum *rediet* legitur apud *Vulgat. interpr. Levit.* 25. 10.; et *redient* apud *eumd. Jerem.* 37. 7. *V.* dicta in EO, is, *init.* — Præteritum *redivi* perrarum est. *Lucilius* apud *Non. p.* 384. 25. *Merc.* Si non tamen ad te hoc redivit, hoc carebis commodo. At *Luc. Müll.* rectius legit *redibit.* — Particip. *Rediens* I. *a. b. h.* et II. 1. *i.*; *Rediturus* I. *b. c. d. f. h.* et II. 4. *c.*; *Redeundus* I. *c.* — *Redeuntum* pro *redeuntium* apud *Sil. It.* 6. 571. Jamque ubi conspectu redeuntum visa

propinquo Corpora etc. — Ceterum *redeo* (a *re*, et *eo*, quasi retro eo, inserto *d* ad hiatum vitandum, ut in *redigo, redamo, redoleo, redundo* etc.) est idem ac me recipio, revenio, revertor, ἐπανέρχομαι, ἐπάνειμι (It. *ritornare, tornare, riedere;* Fr. *retourner, revenir;* Hisp. *volver, dar vuelta al lugar de donde se salio, retornar;* Germ. *zurückgehen, -kehren, umkehren;* Angl. *to return, come back or again*).

I.) Proprie. — *a*) Cum addito termino, a quo quis redit, per Ablat. et præpos. *ex, ab*, vel Ablat. sine præpos., vel Adverb. loci. *Plaut. Capt.* 5. 4. 9. herus alter eccum ex Alide rediit. *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Ut primum e provincia rediit. — *Plaut. Merc.* 3. 4. 8. si podagrosis pedibus esset Eutychus, Jam a portu rediisse potuit. *Phædr.* 2. 8. dominus a cœna redit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 36. omnes Gestiet a furno redeuntes scire lacuque. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 6. Appius a Cæsare nondum redierat. *Plin. Paneg.* 20. Iter inde placidum ac modestum et plane a pace redeuntis. — *Plaut. Merc.* 5. 3. 105. Navem conscendo, proficiscor illico, jam sum domi, Jam redii exsilio. *Ter. Eun.* 3. 5. 62. metuo fratrem Ne intus sit: porro autem pater ne rure redierit jam. *et ibid.* 5. 5. 25. Video rure redeuntem senem. *Ovid.* 1. *Met.* 698. redeuntem (Nympham) colle Lyceo Pan videt. *Id.* 6. *Fast.* 785. Æde suburbana rediens. — *Plaut. Trin.* 4. 2. 91. sed ego sum insipientior, Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego sciam atque hic nesciat. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. Eodem, unde redierat, proficiscitur. *Ovid.* 5. *Fast.* 455. Inde domum redeunt sub prima crepuscula mœsti. — *b*) Cum addito tempore, aut redeundi ratione. *Plaut. Trin.* 3. 3. 44. Eum (dicat) reditnrum actutum. *Id. ibid.* 5. 2. 54. Recte tuum patrem rediisse salvum peregre, gaudeo. Sic *Ter. Phorm.* 2. 1. 13. Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet. *Ovid.* 10. *Met.* 674. Inque latus campi, quo tardius illa rediret, Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 97. mature redeat. *Cic.* 13. *Att.* 9. *extr.* Ad quos dies rediturus sum, scribam ad te. *Phædr.* 4. 25. Rediit hora dicta, recubuit. *Propert.* 2. 17. 60. invitis ipse redit pedibus. *Plaut. Trin.* 5. 2. 58. Bene re gesta salvus redeo. *Liv.* 3. 10. Lucretius cum ingenti præda, majore multo gloria rediit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 109. Redeo in senatum rursus. Sic *Ter. Eun.* 4. 2. 6. Redeo rursum, male vero me habens: Ubi ad ipsum veni etc. *Liv.* 44. 27. Retro ad Istrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt. — *c*) Cum addito termino, ad quem quis redit, per Accus. et præpos. *in, ad*, vel Accus. sine præpos., vel Adverb. loci. *Plaut. Epid.* 3. 2. 45. Virtute atque auspicio Epidici cum præda in castra redeo. *Id. Stich.* 4. 1. 2. Ut mihi volupe 'st, Pamphilippe, quia vos in patriam domum Rediisse video, bene gesta re. *Liv.* 4. 29. Quinctius quum, dimisso exercitu, in urbem redisset etc. *Virg.* 3. *G.* 316. Redire in tecta. *Horat.* 1. *Od.* 2. 45. in cælum. Similiter *Liv.* 35. 5. Obstabant duces, hastilibus cædentes terga trepidantium, et redire in ordines cogentes. — *Auct. B. G.* 8. 52. Redire ad exercitum. *Auct. B. Hisp.* 25. *sub fin.* ad castra. *Plaut. Amph.* 2. 2. 32. ad navim. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. ad suos. *Curt.* 6. 6. 25. Et quia longius abesse eum cognoverat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. — Utramque præpos. junxit *Id.* 5. 5. 20. Se certe rediturum ad penates et in patriam, tantoque beneficio regis usurum. — *Cic. Quinct.* 18. 57. Statim ut Romam rediit Quinctius. *Cæs.* 3. *B. C.* 111. Redire domum. *Ovid. Ib.* 376. Intrarunt cæcæ non redeunda (*tecta*) domus. — Poetice *Sil. It.* 13. 703. His læti rediere duces loca amœna piorum. — *Plaut. Rud.* 3. 6. 41. Manete, dum huc ego redeo. *Id. Amph.* 1. 3. 29. Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum est mihi. *Id. Cas.* 3. 5. 60. Gladium ut ponat, et redire me intro ut liceat. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 260. agit ubi secum, eat an non, Quo rediturus erat non arcessitus. — *d*) Absolute. *Cic. Sext.* 59. 126. At vero ille tribunus plebis, qui de me contionem interrogare solebat: Velletne me redire; et quum etc. *Liv.* 5. 51. Et ob eadem hæc, non, si me senatusconsulto populique jussu revocaretis, rediturus umquam fuerim. *Sil. It.* 8. 234. placavimus iras Cælicolum; redeunt Divi. — Cum v. *ire*, ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 7. 55. It, redit et narrat, Vultejum etc. *Ovid.* 2. *Met.* Dum redit itque frequens, in virgine Nonacrina Hæsit. — *e*) *Redire viam*, redire. Formula fuit priscorum ICtorum; *ite viam, redite viam*, apud *Cic. Mur.* 12. 26. Sic etiam *Virg.* 6. *Æn.* 122. Itque reditque viam toties. — *f*) Cum Infinito. *Id. Cir.* 172. Sæpe redit patrios ascendere prodita muros. *Jul. Montan.* apud *Senec. Ep.* 122. *a med.* hirundo Argutis reditura cibos immittere nidis. — *g*) Passive impersonaliter. *Plaut. Rud.* 4. 3. 78. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur, Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 16. *sub fin.* Interea manerent induciæ, dum ab illo rediri posset. *Plaut. Men. prol.* 49. In Epidamnum pedibus redeundum est mihi. *Id. Pers.* 3. 3. *in fin.* Dum stas, reditum oportuit. *Nepos Epam.* 8. Postquam domum reditum est. *Liv.* 8. 11. Quum conversis signis retro in urbem rediretur. — *h*) De inanimis; ut de fluminibus et stellis. *Ovid.* 7. *Met.* 200. amnes In fontes rediere suos. *Id.* 3. *Fast.* 161. Sol in sua signa redit. *Id.* 14. *Met.* 423. Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis Lumina viderunt, inopem somnique cibique, Per juga, per valles, qua fors ducebat, euntem. *et* 10. *ibid.* 479. Perque novem erravit redeuntis cornua Lunæ. *Cic.* 6. *de republ.* 22. Quum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint etc. — De gramine, frondibus etc. *Horat.* 4. *Od.* 7. 1. Diffugere nives, redeunt jam gramina campis Arboribusque comæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 237. arboribus frondes. — Et de aliis. *Ovid. Heroid.* 21. 71. Bis tamen adverso redierunt carbasa vento. *Id.* 7. *Met.* 664. Flabat adhuc Eurus, rediturauqe vela tenebat. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 3. Ut repositus surculus, redeunte in plagam materia, possit adstringi.

II.) Translate. ¶ 1. Universim latissime patet. — *a*) *Redit animus, mens* etc., It. *ritorna il coraggio, la mente. Plaut. Merc.* 3. 2. 32. Animus rediit, si mecum servatur fides. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 12. Istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit. *Val. Flacc.* 3. 468. animi rediere viris. *Ovid.* 14. *Met.* 516. Appulus has (*Nymphas*) illâ pastor regione fugatas Terruit, et primo subitâ formidine movit: Mox, ubi mens rediit et contempsere sequentem etc. *Id.* 3. *Art. am.* 730. Et mens et rediit verus in ora color. *Horat.* 4. *Od.* 8. 13. incisa notis marmora publicis, Per quæ spiritus et vita redit bonis Post mortem ducibus. — *b*) *Redire ad se*, ad sanitatem mentis. *Ter. Adelph.* 5. 3. 8. Tandem reprime iracundiam atque ad te redi. DE. Repressi, redii: mitto maledicta omnia. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 136. Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus Expulit helleboro morbum bilemque meraco, Et redit ad sese, pol etc. Cf. *Lucret.* 4. 1023. et ex somno quasi mentibu' capti Vix ad se redeunt. Sic *Id. ibid. v.* 996. Donec discussis redeant erroribus ad se. — *Redire ad se* dicitur etiam qui mortuus quum videretur, iterum fit compos sui. *Liv.* 1. 41. Sopitum (*ait*) fuisse regem subito ictu: ferrum haud alte in corpus descendisse. Jam ad se rediisse. - Confidere, prope diem ipsum eos visuros. — *c*) *ad se, ad mores suos, ad ingenium*, ad naturam suam: suos mores resumere, sive bonos sive malos. *Cic.* 7. *Att.* 3. 8. Id, quod animum induxerat paullisper, non tenuit, sed cito ad se rediit. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 57. Redit ad se atque ad mores suos. *Ter. Adelph.* 1. 1. 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit. Similiter *Liv.* 2. 22. Nec ita multo post Volscis levatis metu suum rediit ingenium: rursus occultum parant bellum etc. — *d*) *in viam*, ad bonam frugem, resipiscere. *Ter. Andr.* 1. 2. 19. Te oro, Dave, ut redeat jam in viam. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 7. Quod si erratum est, redeamus in viam: optimus est portus pœnitenti mutatio consilii. — *e*) *in gratiam cum aliquo*, reconciliari. *Plaut. Amph.* 5. 2. 12. Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam redi. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 4., *Cic. Prov. cons.* 9. 20.; et *Nepot. Alcib.* 5. Sic *Id. Attic.* 17. Se numquam cum matre in gratiam redisse. *h. e.* numquam cum matre in simultate fuisse, ut opus esset reconciliatione. — Et absolute *Ter. Phorm.* 5. 9. 40. Redeat sane in gratiam: jam supplici satis est mihi. — Huc pertinent et illa *Plaut. Amph.* 3. 3. 7. Sed age, responde: jam vos redistis in concordiam? et *Liv.* 25. 16. Redire in amicitiam alicujus. *Id.* 25. 1. In Bruttiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos desciverant, Cosentini et Thurini in fidem populi Romani redierunt. Et *Sueton. Claud.* 25. Omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent. *Plin.* 8. *Ep.* 11. Vereor ne post gratulationem quoque in metum redeas, atque ita gaudeas periculo liberatam, ut simul quod periclitata sit, perhorrescas. — *f*) *Redire in memoriam*, non est proprie reminisci, sed curare, ut reminiscaris, memoria repetere. *Cic. Quinct.* 18. 57. Discedens in memoriam rediit Quinctius, quo die profectus sit. Ad ephemeridem revertitur. Invenitur dies profectionis prid. cal. Febr. *Ter. Phorm.* 5. 3. 18. DE. Deliras. CH. Non temere dico: redii mecum in memoriam. *Plaut. Capt.* 5. 4. 25. Nunc demum in memoriam redeo, quum mecum cogito, - audisse me etc. *Cic. Senect.* 7. 21. His ipsis (*sepulcris*) legendis in memoriam redeo mortuorum. *Cf. eumd.* 1. *Invent.* 52. 98. — *g*) *Redire animo* dicitur id, cujus recordatio subit. *Plin.* 8. *Ep.* 23. *a med.* Redit animo ille latus clavus, redeunt illa suffragia, illi sermones etc. — *h*) *Res redire* contrarium est *rebus prolatis*. *V.* PROLATUS. *Plaut. Capt.* 1. 1. 17. Prolatis rebus, parasiti invenatici sumus: quando res redierunt, molossici. *V.* INVENATICUS. Adde *Cic. in Senat.* 11. 27., ubi alii aliter leg. — *i*) De iis, quæ stato tempore recurrunt. *Horat.* 3. *Od.* 8. 9. Hic dies anno redeunte festus etc. *et* 2. *Sat.* 2. 83. Sive diem festum rediens advexerit annus. *Virg.* 8. *Æn.* 47. redeuntibus annis. *Martial.* 4. 1. redeuntia sæcula. *Horat.* 3. *Od.* 18. 10. Quum tibi Nonæ redeunt Decembres, Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. *Propert.* 2. 24. 1. Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis. *Virg.* 2. *G.* 401. redit agricolis labor actus in orbem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 66. (228). Redeant febres certo numero dierum. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 7. Tum, exuto justitio, reditum ad munia. — *l*) Generatim de pluribus aliis. *Ovid.* 7. *Met.* 215. Nunc opus est succis, per quos renovata senectus In florem redeat. *Virg.* 3. *G.* 272. vere color redit ossibus. *Val. Flacc.* 4. 673. vires rediere. *Cæs.* 7. *B. G.* 54. Heduos in pristinum statum redisse. et *Liv.* 3. 9. Sic res Romana in antiquum statum rediit. *Horat. carm. sæc.* 57. Jam Fides et Pax et Honos Pudorque Priscus et neglecta redire Virtus Audet. Cf. *Sil. It.* 12. 668. non ultra spondet in ipsos Venturam cæli rabiem, modo patria virtus In dextras redeat. *Horat. Art. P.* 201. Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis. *Liv.* 2. 43. Redibatque non sua sponte plebi mos detrectandi militiam.

¶ 2. Speciatim, in oratione *redire* dicuntur qui post digressionem revertuntur ad propositum. *Ter. Heaut.* 2. 3. 78. Mitte, ad rem redi. *lascia questo, e vieni all'argomento.* et *Adelph.* 2. 1. 36. Illuc, quæso, redi, quo cœpisti. *Sall. Jug.* 4. et 46. *extr.* Nunc ad inceptum redeo. *Nepos Agesil.* 4. Sed illuc redeamus. *Cic.* 7. *Att.* 1. 9. Atque hæc de rebus forensibus. Redeamus domum. *Id.* 3. *Legg.* 8. 18. Sed jam, si placet, de provinciis decedatur, in urbemque redeatur. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 108. Illuc, unde abii, redeo.

¶ 3. Item speciatim, *redire* dicuntur fructus, qui ex fundis aliisque rebus percipiuntur: quia quotannis veniunt. *Plaut. Trin.* 2. 4. 128. Frumenti quum alibi messis maxuma'st, tribus tan-

tis illi (*agro*) minus redit, quam observeris. *Nepos Themist.* 2. Pecunia publica, quæ ex metallis redibat. *et ibid.* 10. Ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant. *Martial.* 4. 37. Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi. *Varro* 1. *R. R.* 44. 1. Ut ex eodem semine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo, ut in Etruria et locis aliquot in Italia: in Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum. Adde *eumd. ibid.* 2. 8. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (86). Justum est e grano Campanæ (*siliginis*), quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis. ¶ 4. Denique *redire* usurpatur pro venire, redigi, recidere. — *a*) Redire dicitur hereditas, quæ ad aliquem pervenit. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 97. Ea ad hos redibat lege hereditas. *toccava, cadeva.* et *Andr.* 4. 5. 4. Ejus morte ea ad me lege redierunt bona. Cf. *Plaut. Cas.* 2. 5. 27. Sed tandem si tu, Juppiter, sis emortuus, Quum ad Deos minores redierit regnum tuum, Quis mihi etc. — *b*) *Redire ad pauca*, ad breviloquentiam, post digressionem rursus orationis compendium facere. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 60. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum. *per ridurre tutto a poche parole, per tagliar corto.* Adde *eumd. Phorm.* 4. 3. 43. — *c*) Pro venire, *venire. Cæs.* 3. *B. C.* 93. Pilis missis ad gladios redierunt. *Auct. B. Afr.* 18. Quum ab hostibus eodem modo pugnaretur, nec comminus ad manus rediretur. *Cic. Rosc. Am.* 44. 128. Hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt. *Sil. It.* 2. 223. tantone cavetur Mors reditura metu? — *d*) Pro redigi, recidere, venire: et usurpatur cum Accus. et præpos. *ad* vel *in*, aut cum Adverbio motus ad locum. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. Etsi opinione trium legionum dejectus, ad duas redierat. *s'era ridotto.* et *Ter. Heaut.* 5. 1. 58. Mihi illæc vero ad rastros res redit. *Id. Heaut.* 2. 3. 118. In eum jam res rediit locum, ut sit necesse. *è ridotta a tal segno, che* etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis in fronte leviter fastigiatus, paullatim ad planitiem redibat. *si riduceva in pianura.* et 6. *ibid.* 11. Quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 4. Γνώμη est illud *Senec. Thyest.* 311. Sæpe in magistrum scelera redierunt sua. — Cum Adverb. *Ter. Heaut.* 5. 2. 27. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam a fame mihi sit? *Id. Phorm.* 1. 4. 24. Si eo meæ fortunæ redeunt, abs te ut distrahar. *Id. Eun.* 1. 2. 78. Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique: Ego excludor, ille recipitur. *vanno a finire.* Adde *eumd. Andr.* 3. 3. 35. — Cum Accus. personæ et præpos. *penes* apud *Plaut. Truc.* 1. 1. 1. Non omnis ætas ad perdiscendum sat est Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis, Neque eam rationem eapse unquam edocet Venus, Quam penes amantum summa summarum redit.

RĔDERGŬISSE. *V.* REDARGUO init.

RĔDHĀLO, as, are, a. 1. (re et halo) sursum halo, exhalo, ἀάζω. *Lucret.* 6. 523. Terraque quum fumans humorem tota redhalat. *Codd.* redralat; *corrector oblongi et impressi cum Lexicis* barbare rehalat; *Wakefieldus monitu Vossii* redhalat. *Hæc* Lachmann. *ad* h. l.

RĔDHĬBĔO, bes, bŭi, bĭtum, bere, a. 2. (re et habeo). Particip. *Redhibens* 2.; *Redhibitus* et *Redhibendus* 1. — Redhibeo ¶ 1. Est idem ac facio, ut venditor rursus habeat, quod habuerat, *far riavere, restituire. Ulp. Dig.* 21. 1. 21. Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerat: et quia id reddendo fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi rehabitio. *Aliqui leg.* quasi redditio. *Festus p.* 270. 15. *Müll.* Redhibitum id proprie dicitur, quod redditum est improbatumque; et qui dedit, idem rursum coactus est habere id, quod ante habuit. *Cic.* 3. *Off.* 23. 91. Dicenda vitia ea, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili. *Plaut. Merc.* 2. 3. 84. Dixit se redhibere, si non placeat. *h. e.* dixit venditor, se recepturum ancillam, restituto pretio, si ea non placeat. *Id. Most.* 3. 2. 113. Si male emptæ forent, nobis istas redhibere haud liceret. *h. e.* si plus æquo pretio emptæ forent, non liceret nobis venditori restituere, pretio recepto. *Gell.* 17. 6. Servus nequam et nulli pretii, qui quum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium receptusque sit. *Inscript.* apud *Murat.* 1048. 4. FVNCTVS LEGATIONE GRATVITA APVD IMP. HADRIANVM ET APVD AMPLISSIMVM ORDINEM DE NAVALIBVS REDHIBENDIS. Adde *Gell.* 4. 2. Ex quibus exemplis patet, hoc verbum duplicem habere significationem: nam si ad emptorem refertur, significat venditorem ad recipiendum cogere; si ad venditorem, significat recipere et quasi retro habere. ¶ 2. Pro exhibere, et reddere simpliciter. *Plaut. Men.* 5. 7. 64. MES. Vasa et argentum tibi referam. Recte est obsignatum in vidulo marsupium cum viatico; id tibi jam huc afferam. ME. Affer strenue. MES. Salvum (*argentum*) tibi item, ut mihi dedisti, redhibebo. *Non.* p. 476. 25. *Merc.* legit *reddibo*, scil. pro *reddam. Tertull. Resurr. carn.* 4. Redhibentibus eam ignibus.

RĔDHĬBĬTĬO, ōnis, f. 3. ἀναγωγή. *V.* vocem præced. 1. *Tertull. Resurr. carn.* 32. Redhibitio carnis et sanguinis. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. ed. *Ald.* — ICtis est actionis nomen, quæ et actio redhibitoria vocatur. Ea vero actio contra eum intentatur, qui quod vitio corruptum commutaverit vendideritve, cogitur restituere pretium, et retro quod tradiderat, accipere. *Quintil.* 8. 3. 14. Aut in mancipii redhibitione sudare. *Gell.* 4. 2. *a med.* Si mulier concipere fetus non posset, sanam non videri et esse in causa redhibitionis. *Paul. Dig.* 21. 1. 60. Redhibitionem facere. — Item actio reddendi id, quod indebite retentum fuerat. *Cassiod.* 1. *Variar.* 19. Præcipimus, ut Hadrianæ civitatis curialium insinuatione suscepta, quicumque Gothorum fiscum detrectat implere, eum ad æquitatem redhibitionis arctetis.

RĔDHĬBĬTŎR, ōris, m. 3. qui redhibet. *Gloss. Philox.* Redhibitor, ἀνάδοχος. *Augustin.* in *Ps.* 58. *serm.* 2. 1. Quam sumus nos devoti redhibitores, tam debetis vos esse avidi exactores.

RĔDHĬBĬTŌRĬUS, a, um, adject. ad redhibendum spectans. *Pompon. Dig.* 21. 1. 48. Si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. *Papinian. ibid.* 54. Actioni redhibitoriæ non est locus, si mancipium etc. *Cajus ibid.* 18. Aut redhibitorio aut æstimatorio judicio agere potest. *V.* REDHIBITIO.

RĔDHĬBĬTUS, a, um. *V.* REDHIBEO.

RĔDHOSTĬO, is, ire, a. 4. *ricompensare*, gratiam refero; nam hostire pro æquare positum est a veteribus, teste *Festo* p. 270. 21. *Müll.* qui *Nævii* et *Accii* allatis verbis id confirmat. *Non.* p. 165. 20. *Merc.* interpretatur, reddere: et affert eumdem *Accii* locum et alium præterea, sed ambo corrupta plane et desperata.

RĔDĪCO, is, ere, a. 3. *ridire*, rursus, aut sæpe dico. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *ante med.* His proferendis confabulatio frequens, his redicendis sollicitus auditus inserviat.

RĔDĬGO, ĭgis, ēgi, actum, ĭgere, a. 3. (re et ago, inserto *d*, ut in REDEO init. dictum est). Particip. *Redactus* II. 1., 2. *b.*, 3. *b. c. d.* et 4.; *Redacturus* II. 3. *b.*; *Redigendus* II. 1., 2. et 3. *b.* — Redigere est rursus, aut retro agere, reducere, ἀνάγω (It. *ricondurre, rimenare;* Fr. *faire revenir, ramener, faire rentrer;* Hisp. *retraer, volver á traer;* Germ. *zurückbringen, zurücktreiben, - führen, - holen;* Angl. *to bring or drive back*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 847. Nec, si materiem nostram collegerit ætas Post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est, Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ etc. *Id.* 5. 403. Disjectosque redegit equos junxitque trementes. *Ovid.* 3. *Fast.* 64. Et redigunt actos in sua rura boves. *et* 4. *ibid.* 511. Filia parva duas redigebat rupe capellas. *Varro* 2. *R. R.* 5. 12. Jam denique tauros in gregem redigo. — Similiter de hominibus est idem ac retro ago, h. e. repello, retro adigo, *cacciare indietro, respingere. Liv.* 21. 9. Oppidani fusum fugatumque hostem in castra redigunt. *Id.* 26. 12. *in fin.* Mulati virgis manibusque præcisis Capuam redigundur. — Item ago, pello, *cacciare. Justin.* 9. 4. 7. Principes civitatis in exsilium redegit. *At* Jcep. *legit* ire coegit.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu, metaphorâ sumptâ a superiore paragr., est retro agere, reducere, *ricondurre, rimenare, far tornare. Cæs.* 1. *B. C.* 76. *extr.* Sic spem præsentis deditionis sustulit mentesque militum convertit et rem ad pristinam belli rationem redegit. Similiter *Sueton. Aug.* 31. Annum a divo Julio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit. *Ter. Phorm.* 2. 3. 36. Ego me nego nosse: tu, qui ais, redige in memoriam. *fammi sovvenire.* Sic *Cic.* 3. *Phil.* 7. 18. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? *Id. Orat.* 3. 10. Quidquid est igitur, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum. *Ter. Phorm.* 5. 7. 73. Redigere aliquos in gratiam. *riconciliare.* et *Plaut. Amph.* 1. 2. 12. Denique Alcumenam Juppiter Rediget antiquam in concordiam conjugis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 154. formidine fustis Ad bene dicendum delectandumque redacti. ¶ 2. Latiore sensu, ratione præcipue habita verbi *agere*, significat colligere, cogere, *raccogliere, radunare, ammassare.* — *a*) Universim. *Ulp. Dig.* 36. 4. 5. *a med.* Heredem colere agros, et fructus redigere. *Id. ibid.* 22. 1. 46. Quod in redigendos fructus impensum est etc. *Pallad.* 10. *R. R.* 8. 1. Ex farragine semen redigere. — *b*) *Redigere pecuniam* est vel a variis debitoribus repetitam colligere, vel ex rebus venditis conficere et ad se recipere, *far danaro, ridurre in danaro. Horat. Epod.* 2. 67. fenerator Alfius, Jam jam futurus rusticus, Omnem redegit idibus pecuniam: Quærit calendis ponere. *Alii leg.* relegit. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 98. Quum omnem pecuniam ex ærario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus coegissetis. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 56. Deinde bona vendit, pecuniam redigit. *Liv.* 5. 16. *a med.* Bona incognita sub hasta veniere, quodque inde redactum, militibus est divisum. *Plaut. Pers.* 2. 5. 23. Atque ego omne argentum tibi actutum redigam. *h. e.* aliquid vendendo conficiam et reddam. *Quintil. declam.* 269. Si vendita esse omnia, si in pecuniam redacta constabit. *Liv.* 10. 46. Id æs redactum ex captivis dicebatur. *ritratto, ricavato.* et *Ulp. Dig.* 42. 5. 27. Pretium ex rebus distractis redactum. ¶ 3. Latissimo sensu, redigo est idem ac vi adduco, impello, adigo, pertraho; vel, aliis verbis, est aliquem aut aliquid in hanc vel illam conditionem, formam, statum pertraho atque muto, *mettere o condurre in tale o tale stato, sotto tale o tale forma, ridurre a, far divenire.* Usurpatur — *a*) Absolute. *Ter. Heaut.* 5. 2. 72. Ut ejus animum, qui nunc luxuria diffluit, retundam et redigam, ut, quo se vertat, nesciat. Cf. *Accius* apud *Non. p.* 174. 11. *Merc.* Argumenta redigunt animum mihi, ut credam etc. — *b*) Sæpe cum Accus. et præpos. *in. Plaut. Aulul.* 2. 1. 46. Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram, Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Ædui a Cæsare in servitutem redacti. *Justin.* 6. 5. 1. Ne in pristinam sortem servitutis redigerentur. *Cæs.* 7. *B. G.* 13. *extr.* Quod, eo oppido recepto, civitatem Biturigum se in potestatem redacturum confidebat. Adde *Nepot. Pelop.* 5. Rursus *Cæs.* 2. *B. G.* 34. Certior factus est omnes eas civitates in ditionem potestatemque populi Romani esse redactas. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 13. Bellicosissimas gentes in ditionem hujus imperii redegerunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 45. Redigere populos in provinciam. *Liv. epit.* 45.; et *Sueton. Aug.* 18. in formam provinciæ. *Vellej.* 2. 44. Capua in formam præfecturæ redacta. *Martian. Dig.* 5. 5. 5. Redigere servos in dominium. *Liv.* 3. 40. Republica in tranquillum redacta. et *ibid.* 9. Pacatam reconciliatamque patribus (*plebem*) de integro in antiqua redigi mala. *Ter. Phorm.* 5. 8. 86. In id redactus sum loci, ut quid agam

cum illo nesciam prorsum. *Horat.* 1. *Od.* 37. 14. Mentemque lymphatam Mareotico Redegit in veros timores. *h. e.* eo perduxit, ut timeret, quæ vere timenda sunt. Cf. *Redigere ad verum* infra sub *c.* *Quintil.* 11. 2. 45. In hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda. *Sueton. Claud.* 16. Splendidum virum Græciæque provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicum erasit, sed in peregrinitatem redegit. *h. e.* Roma ac civitate privatum inter peregrinos recensuit. *lo abbassò.* Contra *Lamprid. Alex. Sev.* 19. *extr.* Idem libertinos numquam in equestrem locum redegit, adserens, seminarium senatorum equestrem locum esse. *lo elevò.* — *Redigere in ordinem* est *ordinare*, ordine disponere. *Cic.* 3. *Herenn.* 9. 16. Dispositio est, per quam quæ invenimus, in ordinem redigimus. — Est etiam idem quod *in ordinem cogere*, de quo *V.* in ORDO. Unde *Quintil.* 1. 4. 3. Veteres grammatici auctores alios in ordinem redegerunt, alios omnino exemerunt numero. *h. e.* inter vulgares, ignobiles indoctosque scriptores enumerarunt. — Demum *redigere in ordinem* est etiam quod vulgo dicimus *richiamare all'ordine, al dovere*, apud *Sueton. Vesp.* 15. Helvidio Prisco, qui et reversum se ex Syria solus privato nomine Vespasianum salutaverat et in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus. — *in numerum*, enumerare cum aliis ejusdem generis. *Quintil.* 10. 1. 53. Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum judices, neminem sui temporis in numerum redegerunt. *h. e.* inter poetas enumerarunt. — *in versum*, efficere, ut sit versus. *Id.* 9. 4. 52. Nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quædam versiculorum genera. — *c)* Cum Accus. et præpos. *ad*. *Plaut. Trin.* 2. 4. 136. Ut ad incitas (*hic*) redactus est! *Ter. Heaut.* 5. 1. 55. Abeat potius, quam per flagitium ad inopiam redigat patrem. *Lucret.* 5. 875.; et *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 7. 11. Redigere aliquid ad interitum. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Hoc prœlio facto et prope ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto etc. *Justin.* 6. 5. 7. Spartani ad summam desperationem rediguntur. *Liv.* 44. 15. Alii responsum tradunt, - Rhodios cum Perseo rege adversus rempublicam (*populi Romani*) occulta consilia inisse: et, si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse. *Id.* 26. 37. *sub fin.* Redigere victoriam ad vanum et irritum. *rendere, ridurre.* Sic *Id.* 28. 31. Spes ad irritum redacta. — *Redigere aliquid ad verum*, considerando atque inspiciendo videre et intelligere quod veri in re est. *Seneca Ep.* 13. *a med.* Nemo resistit sibi, quum cœperit impelli: nec timorem suum redigit ad verum. *Id. Ep.* 45. *a med.* Ecce tibi tota vita mentitur: hanc coargue; hanc ad verum, si acutus es, redige. — *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (136). Redigere sextarios tres succi leni vapore ad crassitudinem mellis. *Martian. Dig.* 48. 6. 1. aliquid ad pœnam legis Juliæ. — *d)* Cum Accus. et præpos. *sub*. *Liv.* 28. 21. Barbaros sub jus ditionemque redigere. *Nepos Miltiad.* 1. *et* 2. Quum incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium. *Id. Timoth.* 2. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit. *Inscript.* apud *Plin.* 3. *Hist. nat.* 20. 24. (136). GENTES ALPINÆ SVB IMPERIVM POPVLI R. REDACTÆ. *Flor.* 1. 9. *extr.* Populus Rom. totam Italiam sub se redegit. — *e)* Cum Adverbiis motus ad locum. *Ter. Eun.* 4. 4. 22. Hem, quæ hæc est fabula? Eo rediges me, ut quid egerim egomet nesciam? *et ibid.* 2. 2. 6. Hem quo redactus sum: omnes noti me atque amici deserunt. *Flor.* 1. 2. *extr.* Eo denique ferocem populum (*Numa*) redegit, ut, quod vi et injuria occupaverat imperium, religione atque justitia gubernaret. — *f)* Cum duplici Accus. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. *avea rese.* et 4. *ibid.* 3. Hos (*Ubios*) Suevi - vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt. ¶ 4. Item latissimo sensu *redigere* est deorsum agere, deminuere, rem aliquam minorem, vel inferiorem, vel deteriorem facere, *ridurre, diminuire, abbassare, degradare.* *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Ex sexcentis ad tres senatores, ex hominum milibus LX vix ad quingentós, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt. *Cic. Marcell.* 4. 10. Familia ad paucos redacta. *Ovid.* 6. *Met.* 199. Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum. *Varro* 1. *R. R.* 1. 10. Hosce ipsos utiliter ad sex libros redegit Diophanes. *restrinse, ridusse.* *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 36. (93). Redigere cicatrices ad planum. *Id.* 30. *ibid.* 13. 39. (113). carnes excrescentes ad æqualitatem. *Id.* 18. *ibid.* 3. 4. (15). farris pretium ad assem. *Sueton. Cæs.* 41. Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis ac senatorii. Adde *eumd. Vesp.* 10. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Redigi ad ultimam maciem. *Lucret.* 1. 790. ad nihilum. Sic *Liv.* 5. 25. Eum (*Camillum*) prædam Vejentanam publicando sacrandoque ad nihilum redegisse.

RĔDĬMĬÆ, ārum, f. plur. 1. pecuniæ pro redimendo captivo datæ. *Gloss. Philox.* Redimiæ, λύτρα. Sic *Gloss. Cyrill.* Λύτρα, redimiæ. *Gloss. Placid.* (ed. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 498). Redimiæ, res quæ redimuntur a prædonibus. Cf. *Gloss. Isid.* Redimiæ, res a prædonibus redemptæ.

RĔDĬMĬCŬLO, as, are, a. 1. redimiculum solvo. *Gloss. Philox.* Redimiculat, ἀναλύει δέσματα.

RĔDĬMĬCŬLUM, i, n. 2. (redimio) κάλλυντρον, ἀνάδεσμη, στρόφιον, ταινία, fascia, tænia, muliebre ornamentum capitis aut colli.

I.) Proprie. *Festus p.* 273. 12. *Müll.* Redimiculum vocant mulieres catellam (*h. e.* catenulam), qua maxime utuntur ornatus causa. *Isid.* 19. *Orig.* 31. Redimicula sunt, quibus mitra adligatur. *Cic.* 5. *Verr.* 33. 76. Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. *Virg.* 9. *Æn.* 616. Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ. *Juvenal.* 2. 84. qui longa domi redimicula sumunt Frontibus, et toto posuere monilia collo. *Ovid.* 4. *Fast.* 135. Aurea marmoreo redimicula solvite collo. *Id.* 10. *Met.* 264. Dat digitis gemmas longoque monilia collo: Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent. *Front. de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) *ad fin.* Pampinos (*vitis*) ita pulcros esse, ut necterentur ex eis Libero thyrsi, corona Sileno, Nymphis Bacchisque redimicula. *h. e.* tæniæ circa collum, pectus brachiaque, ut videre est in vetustis anaglyptis. *Isid. loco sup. cit.* Redimiculum, succinctorium, bracile.

II.) Translate est laqueus, vinculum, nodus, quo quis tenetur, ne abeat longius. *Plaut. Truc.* 2. 4. 41. Ut esset aliquis laqueus et redimiculum, reversionem ut ad me faceret denuo.

RĔDĬMĬO, is, īvi *et sæpius* ii, ītum, īre, a. 4. Ratione habita etymi videtur esse a *re* et δέω *cingo.* — *Redimibat* pro *redimiebat* V. infra sub I. 2. — Particip. *Redimitus* I. et II. — Redimire est cingere, coronare, ornare, ἀναδέω (It. *cingere, circondare, inghirlandare, coronare*; Fr. *ceindre, couronner, orner, entourer, attacher, lier*; Hisp. *ceñir, rodear, coronar, ornar, cercar, atar, ligar*; Germ. *umbinden, umkränzen, umgeben, umwinden, bekränzen*; Angl. *to encircle, encompass, surround, environ, hind round, croun, adorn*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 43. Incendes odores, et sertis redimiri jubebis et rosa. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 16. crinem redimire corymbis. *Lucret.* 5. 1398. caput atque humeros plexis corollis. *Ovid. Heroid.* 9. 63. mitra capillos. *Id.* 1. *Amor.* 11. 25. lauro tabellas. *Martial.* 8. 70. frontem corona. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 25. victrices tabellas lauro. — Similiter Particip. præter. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Accubantes in conviviis, vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti. *Catull.* 64. 193. Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons. *Tibull.* 1. 8. 45. Frons redimita corymbis. — Et cum Accus. Græcorum more. *Id.* 3. 4. 23. redimitus tempora lauro. *Val. Flacc.* 1. 278. vittis. *Ovid.* 6. *Fast.* 483. hedera capillos. *et* 3. *ibid.* 669. mitra. *et* 269. coronis. *et* 4. *ibid.* 661. frontem papavere. *et* 9. *Met.* 3. arundine crines. *Sil. It.* 16. 526. Intonsasque comas viridi (*pubes*) redimita corona. — Absolute. *Flor.* 3. 19. *a med.* Regium in morem frons redimita.

II.) Translate, vel, ut aliis placet, universim est cingere, circumdare. *Sueton. Aug.* 91. Fastigium ædis tintinnabulis redimivit. *Est qui leg.* redimiit. *Auson. epigr.* 94. Punica turgentes redimibat zona papillas. pro *redimiebat*. Sic *Virg.* 10. *Æn.* 538. Infula cui sacra redimibat tempora vitta. — Poetice *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 98. Nec sic innumeros arcu mutante colores Incipiens redimitur hiems. — Similiter Particip. præter. *Cic.* 6. *de republ.* 20. Terra quasi quibusdam redimita et circumdata cingulis. *Catull.* 63. 3. Adiitque opaca silvis redimita loca Deæ. *Seneca Œdip.* 488. Naxos Ægæo redimita ponto. *Catull. loc. cit.* 66. Mihi floridis corollis redimita domus erat. *h. e.* ornata in postibus et januis. *Stat.* 1. *Achill.* 612. Redimitum missile. *h. e.* thyrsus Bacchi. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 29. Jam mea votiva puppis redimita corona etc. Sic *Sil. It.* 11. 484. lauro redimita subibat Optatos puppis portus. *Sueton. Vitell.* 10. Navigiis variarum coronarum genere redimitis.

RĔDĬMĪTUS, us, m. 4. actus redimiendi, coronatio. *Solin.* 33. Plurimis crines intonsi, mitrata capita, redimitu pari *Salmas.* hanc lectionem appellat ineptissimam et falsam. Itaque legit *mitrata capita, pars rasa in cutem barba.*

RĔDĬMO, ĭmis, ēmi, emptum *et* emtum, ĭmere, a. 3. (a *re* et *emo*, inserto *d*, ut in REDEO init. dictum est). Particip. *Redimens* I. 4. *a.* et *b.*; *Redemptus* I. 2., II. 1. et 3.; *Redempturus* I. 3.; *Redimendus* II. 2. — Redimo est idem atque iterum emo, rem alienatam occupatamve recupero, pretio recipio, ὠνέομαι (It. *comperare di nuovo, ricomperare, ricuperare*; Fr. *racheter, racheter une chose vendue*; Hisp. *rescatar, recobrar lo vendido*; Germ. *zurückkaufen*; Angl. *to buy back or again, repurchase, recover, redeem*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est iterum emo, rem alienatam occupatamve recupero, pretio recipio. *Plaut. Trin.* 1. 2. 144. Neque adeo hasce (*ædes*) emi mihi, nec usuræ meæ: Illi redemi rursum; a me argentum dedi. *Cic. Sext.* 30. 66. Quæ regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? *Id.* 13. *Phil.* 5. 10. Pompejo sua domus patebit: eamque non minoris, quam emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeji domum filius. *Id.* 11. *Att.* 13. 4. Frusinatem fundum redimere. *Liv.* 38. 60. *extr.* Quæ necessaria ad cultum erant, redempta ei a proximis cognatis sunt. *Quintil. Declam.* 12. 25. *extr.* Veniit frumentum lucro, redemptum est patrocinio. ¶ 2. Speciatim est liberare a servitute, pretio persoluto, *riscattare, liberare*, ἀπολυτρόω. *Plaut. Asin.* 1. 1. 92. Quid, si forte in insidias devenero? tu redimes me, si hostes interceperint? DE. redimam. *Liv.* 22. 59. Majores quoque acceperamus se a Gallis auro redemisse. *Cic.* 2. *Off.* 18. 63. Redimere e servitute captos. *et ibid.* 16. 56. Suis facultatibus captos a prædonibus redimunt. *Virg.* 9. *Æn.* 213. Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum Mandet humo solita. *Albinov.* 1. 431. Hector redemptus ad ignes. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 63. Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus, Despice. *h. e.* si quis servus suo peculio, quod paullatim genium defraudando comparavit, pretium domino pro libertate solverit. *Ulp. Dig.* 37. 6. 1. *a med.* Redemptus ab hostibus. ¶ 3. Item generatim est liberare a pœna, molestia, periculis, pretio persoluto. *Cic. Sull.* 11. 33. Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi. *Id. Mil.* 32. 87. Pecunia se palam a judicibus redemerat. *Liv.* 9. 4. *extr.* Ite, consules, redimite armis civitatem,

quam auro majores vestri redemerunt. Cf. *eumd.* 34. 5. Jam, urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronæ consensu omnium in publicum contulerunt. *Nepos Dion. sub fin.* Ut eum suo sanguine, si posset, ab Acheronte cuperent redimere. *Petron. fragm. Tragur.* 72. *Burmann. ad fin.* Jamdudum se redemerat a cane: quidquid enim acceperat de cœna, latranti sparserat. *Ovid. Remed. Am.* 229. Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes. *h. e.* a morbo liberes. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 2. (3). Redimere se ab invidia fortunæ. *Tac. Agric.* 6. Redempturus mutuam dissimulationem mali. ¶ 4. Item, est invicem emere, vel etiam simpliciter emere, *comperare, acquistare.* — *a*) In bonam partem. *Plaut. Men.* 4. 2. 109. *et* 4. 3. 4. Orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi: aliam illi redimam meliorem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (162). *de Arabib.* Gentes ditissimæ, ut apud quas maximæ opes Romanorum Parthorumque subsistant, vendentibus quæ e mari aut silvis capiunt, nihil invicem redimentibus. *Forcellinus* huc retulit et illud *Plaut. Merc.* 2. 6. 31. Tuo hero redempta es rursum: ego redemi te. Item illud *Ulp. Dig.* 28. 5. 9. *ad fin.* Servus cum libertate heres institutus, si sit alienatus, juberi adire ab eo potest, cui alienatus est; sed si redemptus sit a testatore, institutio valet. — *Martial.* 6. 60. Et redimunt soli carmina docta coci. *Petron. Satyr.* 76. Statim redemi fundos omnes, qui patroni mei fuerunt. *Sueton. Gramm.* 8. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit. *Id. Claud.* 16. Essedum - sumptuose fabricatum ac venale ad Sigillaria redimi - imperavit. — *b*) In malam partem redemptus est pretio conductus, ut quippiam præstet. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti mancipes. *Petron. Satyr.* 5. Neve plausor in scæna sedeat redemptus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 5. 1. 4. Periniquum est, ut contra paternam voluntatem redempti forsitan tutoris aut curatoris admittatur arbitrium. *h. e.* pretio corrupti. Sic *Impp. Diocles. et Maxim. Cod.* 10. 53. Æmuli corrupti ac redempti. ¶ 5. Denique *redimere* dicitur, qui aliquid certo pretio faciendum aut præbendum suscipit, conducitque lucri causa, ut in REDEMPTOR 1. dictum est: *prendere sopra di sè, o ad affitto, o l'appalto. Vet. Commentar.* apud *Varron* 6. *L. L.* 92. *Müll.* Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Dumnorigem complures annos portoria reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redempta habere. *Cic. Brut.* 22. 85. Societas, quæ picarias de P. Cornelio, L. Nummio censoribus redemisset. *Ulp. Dig.* 7. 8. 12. *sub fin.* Si vestimenta texenda redemerit, vel insulam vel navem fabricandam. — *Redimere litem,* ejus periculum in se suscipere, pacta futuri emolumenti parte, quum obtinueris. *Cic. Rosc. Com.* 12. 35. Societatis, non suas lites redemit, quum fundum a Flavio accepit. Adde *Papinian. Dig.* 17. 1. 7. et *V.* REDEMPTOR 1. *c.*

II.) Translate. ¶ 1. *Redimere aliquid* est pretio sibi comparare, acquirere, *acquistare, comperare. Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 11. 34. Æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium. *Cæs.* 1. *B. G.* 37. Sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariovisti redimere potuisse. Sic *Justin.* 43. 5. 9. Massilienses aurum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemptam pacem cognoverant. Rursus *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *sub fin.* Quorum omnium gratiam atque amicitiam ejus morte redimere posset. *Curt.* 5. 5. 18. Deos offerre patriam, conjuges, liberos et quidquid homines vel vita æstimant, vel morte redimunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 39. *extr.* Largitione redemit militum voluntates. *Sall. Jug.* 31. Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat. *h. e.* dilationem belli pecunia comparabat. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 119. Non vitam liberum, sed mortis celeritatem redimere cogebantur parentes. *et ibid.* Redimere pretio sepeliendi potestatem. *Ovid.* 13. *Met.* 472. neve auro redimat jus triste sepulcri, Sed lacrimis. *Curt.* 5. 9. 3. Gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quidquid servari potest, redimit. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. ¶ 2. *Redimere malum* est arcere, propulsare, aut pretio aut industria. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 4. Nulla est acerbitas, quæ non omnibus impendere videatur: quam quidem ego a republica meis privatis et domesticis incommodis libentissime redemissem. *Id* 7. *Verr.* 44. 117. Metum virgarum navarchus pretio redemit. *Ulp. Dig.* 49. 14. 29. Redimere delatorem. *h. e.* pretio corrumpere, ne deferat. *Ovid.* 3. *Pont. A.* 105. Si mea mors redimenda tua (quod abominor) esset. *Justin.* 7. 5. 1. Alexander bellum ab Illyriis pacta mercede et Philippo fratre dato obside redemit. *et* 6. 1. 6. Indignum ait bella non perfici, sed redimi, hostem pretio, non armis submoveri. *Apul.* 6. *Met.* Canis sævitiem offulâ redimere. ¶ 3. *Redimere culpam, scelus,* luere, pro culpa satisfacere. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 21. Ut sua per nostram redimat perjuria pœnam. *Sall. Cat.* 14. Alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret. *Plin. Paneg.* 28. Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti. Adde *Plancus ad Coss. etc.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. Sic *Seneca* 4. *Excerpt. controv. præf. extr.* Redimebat tamen vitia virtutibus: et plus habebat, quod laudares, quam quod ignosceres. Cf. *Juvenal.* 4. 2. monstrum nulla virtute redemptum A vitiis. *Vellej.* 2. 87. 1. Antonius se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiæ crimina morte redimeret.

RĔDINDŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *redinduo: rivestito,* ut Redindutus carnem, *Tertull. Resurr. carn.* 42. *sub fin.*

RĔDĪNUNT. *V.* REDEO init.

RĔDINTĔGRĀTĬO, ōnis, f. 3. est actus redintegrandi; scil.

I.) Proprie ¶ 1. Est renovatio, *rinnovazione,* ἀνανέωσις, καταλλαγή. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. Instauraticius dies dictus a redintegratione, ut Varroni placet. *V.* INSTAURATICIUS. ¶ 2. Item iteratio, *ripetizione. Cic.* 4. *Herenn.* 28. 38. *de conduplicatione.* Vehementer auditorem commovet ejusdem redintegratio verbi.

II.) Translate. *Arnob.* 7. 42. Sanguis detur ut corpori, et viribus redintegratio subrogetur. *ristoro. et Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 10. Redintegratio membrorum. *h. e.* sanatio a paralysi. Adde *Apul. de mundo.*

RĔDINTĔGRĀTOR, ōris, m. 3. *rinnovatore, ristoratore,* instaurator.

I.) Proprie. *Inscript.* apud *Gruter.* 459. 1. POSTVMIO LAMPADIO REDINTEGRATORI OPERVM PVBLICORVM etc.

II.) Translate. *Tertull. Anim.* 43. *ante med.* Somnus redintegrator virium.

RĔDINTĔGRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔDINTĔGRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (a *re* et *integro,* inserto *d,* ut in REDEO init. dictum est). Legitur et *reintegro. Seneca* 4. *Benef.* 25. Imbribus venas fontium arentes reintegrare, et infuso per occulta nutrimento renovare. *Plerique tamen leg.* redintegrare. — Particip. *Redintegrans* II. *b.; Redintegratus* I. *a. b.* et II. *a.* — Redintegro est idem atque instauro, renovo, integro, innovo, quasi in integrum restituo. Plus est quam *renovo:* nam renovantur, quæ, quum propemodum perierint, reficiuntur: redintegrantur, quæ penitus collapsa, iterum fiunt, ἐπαναvεόω, ἀνασκευάζω (It. *rinnovare, redintegrare;* Fr. *réparer, rétablir, renouveler;* Hisp. *reparar, restablecer, renovar;* Germ. *wieder vollständig machen, wieder ergänzen, wieder herstellen, wieder erneuern;* Angl. *to renew, refresh, begin anew, restore*).

I. Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Herenn.* 30. 47. Enumeratio est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter: ut renovetur, non redintegretur oratio. *Id.* 1. *Invent.* 52. 99. Auditoris memoria redintegrabitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Rursus instare, et prœlium redintegrare cœperunt. Sic *Id.* 2. *ibid.* 23. Redintegrato prœlio. *Papinian. Dig.* 25. 2. 30. Redintegrato matrimonio. — *b*) Speciatim, est etiam repetere, *ripetere. Cic.* 4. *Herenn.* 28. 38. Interpretatio est, quæ non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat alio verbo, quod idem valeat. Cf. *Liv.* 3. 63. Redintegrato clamore, undique omnes connisi hostem avertunt. — *c*) Item supplere. *Cæs.* 7. *B. G.* 31. Ut deminutæ copiæ redintegrarentur, imperat certum numerum militum civitatibus.

II.) Translate. — *a*) Active. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. Redintegratis viribus acrius impugnare cœperunt. *et* 2. *ibid.* 25. *ad fin.* Spe illata militibus ac redintegrato animo. *Liv.* 8. 32. Tunc Papirius redintegrata ira, spoliari magistrum equitum, ac virgas et secures expediri jussit. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Quum semper hostibus spes victoriæ redintegraretur. *Plin. Paneg.* 61. *ad fin.* Renovare gaudium, redintegrare lætitiam. *Varro* 3. *R. R.* 7. 6. *de columbis.* Quod faciunt duabus de causis: una, si fastidiunt, aut inclusæ consenescunt, quo libero aere, quum exierint in agros, redintegrentur. *Tac.* 4. *Ann.* 33. Nam situs gentium, varietates prœliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animos. *ricreano, rallegrano.* — *b*) Neutrorum more. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Rursus pascunt (*oves*) quoad contenebravit: iterum enim tum jucunditas in berba redintegrabit. *si rinnoverà. Id. ibid.* § 10. Ut redintegrantes rursus ad pastum alacriores faciant.

RĔDINVĔNĬO, is, ire, a. 4. rursus invenio, reperio. *Tertull. Anim.* 46. *a med.* Coronam auream Sophocles tragicus somniando redinvenit.

RĔDĬPISCOR, sceris, sci, dep. 3. rem amissam rursus adipiscor, acquiro, assequor. *Plaut. Trin.* 4. 3. 15. Inter eos ne homines condalium te redipisci postulas?

RĔDISCO, is, ere, a. 3. rursus disco. *Venant.* 1. *Vita S. Martin.* 122. gressum meditando rediscens.

RĔDISCUSSĬO, ōnis, f. 3. actus frequenter excutiendi. *Hieronym.* in *Naum* 2. 10.

RĔDĬTĬO, ōnis, f. 3. *ritorno,* ἀναστροφή, actus redeundi, reditus, regressio. — *a*) Cum Adverb. motus ad locum. *Plaut. Most.* 2. 1. 30. Jube abire rursum: quid illi reditio etiam huc fuit? Sic *Ter. Eun.* 4. 4. 4. Quid huc tibi reditio 'st? quid vestis mutatio 'st? — *b*) Cum Accus. Cæs. 1. *B. G.* 5. Ut domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. — *c*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 6. 16. Industriam meam celeritas reditionis declaravit. *Varro* apud *Non. p.* 222. 17. *Merc.* Ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent.

RĔDĬTO, as, are, n. frequentat. s. v. *redeo,* sæpe redeo. *Gloss. Cyrill.* Προσοδεύομαι, redito. *Gloss. Lat. Gr.* Redito, ἐπαναστρέφω. Vocem confirmat *Thesaur. nov. Latinit.* ed. *A. Maio p.* 508. Reditare, sæpius redire.

RĔDĬTUS, us, m. 4. (redeo). *Reddilus* duplici *d* scribitur in *Inscript.* apud. *Gruter.* 408. 1. et 414. 2. et alibi sæpissime. — Reditus est reditio, reversio, ἀναστροφή (It. *ritorno;* Fr. *retour;* Hisp. *vuelta, retorno;* Germ. *d. Rückkehr, Rückkunft;* Angl. *a return*).

I.) Proprie. — ¶ 1. Stricto sensu, et sæpissime de hominibus, usurpatur — *a*) Absolute. *Cic.* 15. *Att.* 5. 3. Noster itus, reditus, incessus. *Id.* 6. *de republ.* 2. Solis anfractus reditusque. *Id. Brut.* 63. 227. Inter profectionem reditumque L. Sullæ. *Cæs.* 4. *B. G.* 30. His superatis, aut reditu interclusis. *Cic.* 1. *Tusc.* 37. 89. Aliquem reditu arcere. *Id.* 9. *Fam.* 13. Reditum alicui conficere. *Cæs.* 6. *B. G.* 29. Ne omnino metum reditus sui barbaris tolleret. *Horat.* 4. *Od.* 5. 3. Maturum reditum pollicitus. *Id.* 1. *Ep.* 3. 36. Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca. *Id. ibid.* 2. 21. Dum sibi (*Ulixes*), dum sociis reditum parat. *Virg.* 2. *Æn.* 17. Votum pro reditu simulant. *Liv.* 2. 15. *extr.* Tarquinius, spe omni reditus incisa, exsulatum - Tusculum abiit. — *b*) Cum Accus. loci aut personæ, et præpos. *in* vel *ad. Auct. B. G.* 8. 24. *extr.* Nul-

lum reditum habere in civitatem. *Catull.* 63. 47. Reditum ferre ad aliquem locum. *h. e.* redire. *et ibid.* 79. In aliquem locum. *Nepos Themist.* 5. Excludi reditu in Asiam. *Cic.* 8. *Phil.* 11. 32. Quempiam prohibere reditu ad aliquem. *Id. Amic.* 4. 13. Animis, quum e corpore excessissent, reditum ad cælum patere. *Alii leg.* in cælum. *Id. Cluent.* 42. 119. Hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset. *Id. Pis.* 3. 7. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut etc. *Id.* 2. *Phil.* 42. 108. Qui vero inde reditus Romam! quæ perturbatio totius urbis! — c) In plur. num. *Horat. Epod.* 16. 35. reditus abscindere dulces. *Ovid.* 11. *Met.* 576. reditusque sibi promittit inanes. *Virg.* 11. *Æn.* 54. Hi nostri reditus exspectatique triumphi? — d) Differt a *reversione:* est enim *reditus* ejus, qui quo intenderat, pervenit, deinde redit; *reversio* ejus, qui ante quam ad metam itineris perveniat, revertitur: item *reditus* est voluntarius, *reversio* coacta et necessaria. *Cic.* 16. *Att.* 7. 5. Quam valde ille reditu, vel potius reversione mea lætatus! (V. 12. *Fam.* 25). Hoc tamen non est perpetuum. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 102. Ut omnium siderum eodem, unde profecta sunt, fiat ad unum tempus reversio. *pro* reditus. *Id.* 2. *Phil.* 30. 76. Qui vero Narbone reditus? et tamen quærebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. *pro* reversio. *Manut.* ¶ 2. Latiore sensu est proventus, fructus, *entrata, rendita,* quia quotannis redit. *Nepos Attic.* 14. *in fin.* Omnis ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 19. Aut populi reditus positam componet ad hastam. *h. e.* vectigalia populi R. publice locabit. (qua de re V. etiam *ibid.* 9. 45.) *Plin.* 2. *Ep.* 4. Sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, reditus, propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 41. Turpe, tori reditu census augere paternos. *h. e.* lucro ex vendita pudicitia. *Id.* 2. *Pont.* 3. 17. At reditus jam quisque suos amat, et sibi quid sit Utile, sollicitis computat articulis. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 214. 1. QVI LOCVS REI PVBLICÆ IN VSV NON EST NEC VLLO REDITV ESSE POTEST. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 2. Pratum nec tempestatibus affligitur, minimique sumptus egens, per omnes annos præbet reditum. *Id.* 3. *ibid.* 2. 3. Vitis eligitur, quæ et in fructu valet et in materia: quod alterum ad reditus coloni, alterum ad diuturnitatem stirpis plurimum confert. *Justin.* 6. 9. 3. In dies festos apparatumque ludorum reditus publicos effundunt. *Plin. Paneg.* 41. Computare imperii reditus.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Att.* 3. 3. Reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine. *Id. Harusp. resp.* 24. 52. Si reditus ei gratiæ patuerit. *Id.* 3. *Orat.* 53. 203. Et ab re degressio; in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit: propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio et reditus ad propositum. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* in ONOM.

Homonym. In quo *reditus* differat a *reversione, V.* sub I. 1. d.

RĔDĪVĬA *et* Reduvia, æ, f. 1. παρονυχία, et παρονυχίς, resolutio et abscessus cutis ad radices unguium, in manibus aut pedibus. *V.* PARONYCHIA. *Festus p.* 270. 17. *Müll.* Rediviam quidam, alii reluvium appellant, quum circa ungues cutis se resolvit: quia luere est solvere. Hæc *Festus,* quocum cf. *Paul. Diac. p.* 271. 11. *Müll.* Ceterum ex voce Græca allata factum est panaricium, et apud nos *panereccio.*

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 8. (40). Sordibus aurium reduvias sanari. *Id.* 30. *ibid.* 12. 37. (111). Reduvias, et quæ in digitis nascuntur pterygia, tollit canini capitis cinis. — b) Proverbium est apud *Cic. Rosc. Am.* 44. 128. Intelligo, me ante tempus hæc scrutari, et propemodum errare, qui quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem. *h. e.* quum rei gravissimæ consulere debeam, ea neglecta, levem persequar et parvi momenti. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 97.-104. — c) Convicium est in malum servum illud *Titinii* apud *Fest. loc. cit.* Lassitudo conservûm, rediviæ flagri. *h. e.* qui toties verberatur, ut conservos lasset, et flagri bubuli cutem tergo attritam in redivias rumpat.

II.) Translate. *Reduvias escarum* vocat *Solin.* 32. *a med.* reliquias ciborum crocodili dentibus adhærentes: et reduvias conchyliorum *Id.* 9. fragmina et testas, quæ affatim mari indito exspuuntur. *Sunt qui leg.* reluvias.

RĔDĪVĬŌSUS *et* Reduviosus, a, um, adject. rediviis plenus. Translate *Lævius* apud *Festum p.* 270. 20. *Müll.* Scabra in legendo rediviosave offendens. *h. e.* aspera aut hiantia.

RĔDĪVĬUS, ĭi, m. 2. κρότων, ricinus, musca canina: fortasse a redeundo, quia sæpius redit. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 6. Et ut redivii, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur. *Meliora exemplaria habent* ricini.

RĔDĪVĪVUS, a, um, adject. *redivivo, rinato, risuscitato,* παλίνζωος, παλίμβιος, qui post interitum revixit, in vitam renovatus. *Festo p.* 273. 4. *Müll.* redivivus est ex vetusto renovatus. Hoc autem dicit, quia structoribus et architectis *rediviva* vocantur lapides et materiæ, quæ ex diruto ædificio ita eximuntur, ut ad aliud struendum utiles sint: Græcis παλίγκτιστος dicitur. *Vitruv.* 7. 1. Rudus si novum erit, ad tres partes una calcis misceatur: si redivivum fuerit, quinque etc. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 147. Utrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integro novam, nullo lapide redivivo, an quatuor illas reponere? *et mox.* 148. Rediviva sibi habeat: quasi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 204. Christus redivivus. *h. e.* qui a mortuis surrexit. *Seren. Sammon.* 4. *p.* 65. *retro* ed. *Ald.* Et juvenem præstant redivivo flore capillum. *Ammian.* 28. 1. 1. Dum apud Persas, ut supra narravimus, perfidia regis motus agitat insperatos, et in eois tractibus bella rediviva consurgunt etc. *Id.* 20. 9. 7. Metuens redivivos barbarorum excursus. *Id.* 26. 6. 17. Petronium, ut prædiximus, divitias violenter augentem omnes eadem mente detestabant, qui sepulta jamdudum negotia et redivivas nebulas debitorum in diversos ordines excitabat. — Apud *Sil. It.* 1. 106. Gens rediviva Phrygum. *h. e.* Romani. *Alii rectius leg.* recidiva. — Translate. *Id.* 10. 257. Umbræne Ausoniæ rediviva in bella retractant Post obitum dextras? Alii hic quoque leg. *recidiva:* quam vocem *V.* et *Coripp.* 1. *Laud. Justin.* 25. Successorque boni, redivivaque gloria Petri Hinc Theodorus adest patria gravitate magister.

RĔDO, ōnis, m. 3. genus piscis. *Auson. Edyll.* 10. 89. Et nullo spinæ nociturus acumine redo. *Ovid.* idem tradit de gobio, marino pisce, *Halieut.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. Sed *Auson.* de fluviatili pisce loquitur, in Mosella degente.

RĔDŎLĔO, es, ŭi, ere, a. et n. 2. (a *re* et *oleo,* inserto *d,* ut in REDEO init. dictum est). Particip. *Redolens* I., II. et in fin. — Redolere est odorem referre; et dicitur tum de bonis odoribus, tum de malis, ἀπόζω (It. *rendere odore, sapere;* Fr. *être odorant, avoir ou repandre une certaine odeur, sentir, exhaler:* Hisp. *ser oliente, haber ó echar un cierto olor, sentir, exhalar;* Germ. *entgegen riechen, e. Geruch verbreiten, - von sich geben;* Angl. *to cast forth a smell or scent; smell strongly, savour*).

I.) Proprie. — a) Activo. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 63. Vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (61). *de apib.* Unguenta redolentes infestant. *Ovid. Remed. am.* 355. Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas. *Martial.* 14. 59. Delicias Nini vos redolete nurus. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 3. Cella bonis odoribus suffienda, ne quem redoleat fœtorem. — b) Neutrorum more. — Abstracte. *Lucret.* 4. 695. Nam penitus fluere atque recedere rebus odores Significat, quoad fracta magis redolere videntur Omnia. *Ovid.* 8. *Met.* 675. in patulis redolentia mala canistris. *Martial.* 13. 18. Fila Tarentini graviter redolentia porri. — Cum Ablat. *Virg.* 1. *Æn.* 440. et 4. *G.* 169. redolentque thymo fragrantia mella. Frustra est *Diomed.* qui 1. *p.* 304. *Putsch.* putat, *thymo* ad *fragrantia* referri, non ad *redolent.* Nam et *oleo* ablativum habet. Sic *Val. Max.* 1. 6. *in fin.* Mons Hymettus thymi flore redolens. *et Val. Flacc.* 4. 15. arcano redolentem nectare rorem.

II.) Translate. — a) Active. *Cic. Brut.* 21. 82. Exiliores orationes et redolentes magis antiquitatem. *Id.* 2. *Orat.* 25. 109. Definitio genere ipso doctrinam redolet exercitationemque pæne puerilem. *Id. Sext.* 10. 24. Ita domus ipsa fumabat, ut multa ejus sermonis indicia redoleret. *Alii leg.* redolerent. *Val. Max.* 6. 2. *n.* 8. Municipalis homo servitutem paternam redolens. *scil.* quia libertini filius. — b) Neutrorum more. *Cic. Brut.* 82. 285. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsæ Athenæ videntur. *Capitolin. Gordian.* 11. Præfectus Urbis, cui nescio quid redoluerat, a conventu se abstinuit. *avea avuto qualche sentore.* — Hinc Part. præs., cujus exempla superius retulimus,

Redolens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Redolentior,* apud *Augustin. de morib. Manich. c.* 16. Nec ad pervertendos sensus redolentius (*vinum*), sed ad vegetandum corpus utilius.

RĔDŎMĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *redomo,* iterum domitus. *Cic. Sull.* 1. 1. Improbi ac perditi cives, redomiti atque victi. *Ita MSS. et edit. primæ; alii leg.* edomiti.

RĔDŌNĀTOR, ōris, m. 3. qui rursus donat. *Inscript. ex ævo Constantini,* apud *Gruter.* 1095. 7., quæ est apud *Orell.* 6. REDONATOR VIAE POPVLI. *h. e.* qui viam publicam a privatis usurpatam populo restituendam curavit.

RĔDŌNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *ridonare, rendere, rimettere,* ἀναδίδωμι, reddo, remitto. *Horat.* 2. *Od.* 7. 3. Quis te redonavit Quiritem Diis patriis Italoque cælo, Pompei? *Id.* 3. *ibid.* 3. 30. protinus et graves Iras, et invisum nepotem, Troja quem peperit sacerdos, Marti redonabo.

RĔDŎPĔRĬO, is, ŭi, ire, a. 4. retegere. *Ambros. de Noe et Arca* 20. Et speciem voluptatis, quæ quodam operimento ceteras tegebat partes, redoperuit ac retexit. *Id. de Nabuth* 1. Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram et, si potes, divitem deprehende: eruderato paullo post tumulum, et, si cognoscis, egentem argue.

RĔDOPTO, as, are, a. 1. rursus opto. *Tertull. Resurr. carn.* 4. *sub fin.* Rursus ulcera et vulnera et febris et mors redoptanda.

RĔDORDĬOR, iris, iri, dep. 4. ἀναπηνίζομαι, resolvo fila jam prius texta. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (54). Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus feminis nostris labor redordiendi fila rursumque texendi. *Id.* 11. *ibid.* 22. 26. (76). Telas redordiri rursusque texere invenit in Ceo mulier Pamphila. Hæc *Plin.* ex *Aristot. Hist. anim. l.* 5. *c.* 19. Τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη. Hinc patet, *redordiri* idem esse atque glomeribus (Itali dicunt *bozzoli*) a bombyce elaboratis fila resolvere, quæ mox fuso subteminis circumvoluta ad vestes texendas adhiberi solent.

RĔDŎRĬOR, iris, iri, dep. 4. renascor. *Gloss. Lat. Gr.* Redorior, ἀνάρχομαι.

RĔDORMĬO, is, ire, n. 4. *dormire di nuovo,* ἀνακοιμάομαι, rursus dormio. *Plin,* 9. *Ep.* 36. Paullum redormio, dein ambulo. *Cels.* 1. 2. Qui parum concoxit, quiescere debet: et, si mane surgendi necessitas fuerit, redormire.

RĔDORMĪTĀTĬO *vel*

RĔDORMĪTĬO, ōnis, f. 3. ἀνακοίμησις, actus redormiendi. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (211). A vino et a cibis proxima atque in redormitione vana esse visa, prope convenit. *Sillig.* ita leg.; *Harduin.* legit *redormitatione.*

RĔDORNO, as, are, a. 1. rursus orno. *Tertull. Resurr. carn.* 12. Redornantur et specula lunæ, quæ menstruus numerus attriverat.

RĔDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (re et duco). Primam producit *Lucret.* 1. 227. Unde animale genus generatim in lumina vitæ Reducit Venus? aut reductum dædala tellus Unde alit? et 4. *ibid.* 992. crebro reducunt naribus auras. *h. e.* ducunt, hauriunt, *respirano*. Adde *eumd.* 5. 1337, quibus locis sunt qui putant scribendum *redduco*: sed *V.* dicta in RE. — Particip. *Reducens* I. 2.° et II. 3.; *Reductus* I. 1.° *a.* et 2.°, et in fin.; *Reducturus* II. 1. 2.°; *Reducendus* I. 2.° *a.* — Reduco est idem atque iterum, aut retro duco, redigo, retraho, ἀνάγω (It. *ricondurre, rimenare, tirare indietro o a sè, ritirare*; Fr. *faire revenir, ramener, retirer*; Hisp. *retraer, volver á traer, retirar*; Germ. *zurückführen, -ziehen, -bringen*; Angl. *to bring or lead back, conduct back*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis et animalibus. — *a)* Generatim. *Liv.* 36. 35. *extr.* Demetrius ad patrem reducendus legatis datus est. *Ter. Phorm.* 1. 2. 36. Puellam sectari, in ludum ducere et reducere. *Petron. Satyr.* 140. *ad fin.* Mercurius qui animas ducere et reducere solet. *h. e.* qui virga, ut ait *Virg.* 4. *Æn.* 242., animas evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit. *Plaut. Capt.* 3. 5. 106. Sequere hac: reducam te ubi fuisti. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. His, uti conquirerent et reducerent, imperavit: reductos in hostium numero habuit. *Id.* 3. *B. C.* 18. Quid mihi, inquit (*Pompejus*), aut vita aut civitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor? cujus rei opinio tolli non poterit, quum in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor. *Horat.* 4. *Od.* 2. 17. Sive quos Elea domum reducit Palma cælestes. Cf. *eumd.* 2. *Ep.* 1. 181. *Plaut. Men.* 5. 4. 19. Reducere aliquem domum. *Cic.* 1. *Acad. (post.)* 1. 1. aliquem ad villam suam. *Id.* 2. *Phil.* 4. 9. aliquem de exsilio. Sic *Id.* 9. *Att.* 14. 2. Reductus de exsilio. *Quintil.* 5. 11. 9. Ab exsilio reducendi. Et absolute *Cic. Rabir. Post.* 17. 47. Possum excitare multos reductos testes liberalitatis tuæ. *Id.* 1. *Fam.* 2. 1. Ut tres legati regem reducerent. *h. e.* in suum regnum restituerent. *Liv.* 2. 15. Legati a Porsena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt. *Nepos Dion.* 6. et *Ter. Hecyr. aliquoties.* Uxorem reducere. *h. e.* post divortium aut discidium revocare. *Sil. It.* 4. 143. Incurrunt acies magnoque fragore per æquor Suspendunt cuncti frenis sublime reductos Cornipedes. — *b)* Speciatim locum habet in re militari. *Cæs.* 4. *B. G.* 38. Legiones, quas ex Britannia reduxerat. et 7. *ibid.* 88. Copias a munitionibus reducunt. et 5. *ibid.* 26. Reducere suos ab oppugnatione. *ritirare.* et 2. *B. G.* 38. *extr.* captivos ad Cæsarem. et 1. *ibid.* 42. copias in castra. *Auct. B. Afr.* 61. exercitum intra munitiones. *Cæs.* 5. *B. G.* 23. exercitum ad mare. *Nepos Agesil.* 3. exercitum Ephesum hiematum. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. copias omnes in Treviros. *Id.* 6. *ibid.* 3. Eo celeriter confecto negotio, rursus in hiberna legiones reduxit. Et absolute *Tac.* 1. *Ann.* 58. *ad fin.* Reducere exercitum. *h. e.* post expeditionem, in hiberna aut domum reportare. — *c)* Item speciatim, *reducere* absolute, domum deducere, *accompagnare a casa*. *Cic. Senect.* 18. 63. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, - assurgi, deduci, reduci, consuli. *Liv.* 4. 24. Deposito suo magistratu, - cum gratulatione ac favore ingenti populi domum est reductus. *Cic. Amic.* 3. 12. Senatu dimisso, (*P. Scipio*) domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis. *Quintil.* 12. 8. 3. Bene comitati per forum reducuntur. *Martial.* 2. 74. Cinctum togatis post et ante Saufellum, Quanta reduci Regulus solet turba etc. — 2.°) De inanimis est retrahere, retro, aut ad se trahere, *tirare indietro, o a sè, ritirare*. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 170. 30. *Merc.* Ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Laqueis falces quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant. et *ibid.* 24. Celeriter factum est, ut alii emptionibus resisterent, alii turres reducerent aggeremque intersciderent. *Virg.* 5. *Æn.* 478. durosque reducta Libravit dextra media inter cornua cæstus. et 12. *ibid.* 306. Ille securi Adversi frontem mediam mentumque reducta Disjicit. *Petron. Satyr.* 89. Laocoon reducta cuspide (h. e. *hasta*) uterum notavit. *Sueton. Vitell.* 17. Reducto coma capite. *Lucret.* 4. 992. crebro reducunt (*equi*) naribus auras. *Ovid.* 6. *Met.* 106. *de Europa tauro vecta.* tactumque vereri Adsilientis aquæ timidasque reducere plantas. et 11. *ibid.* 461. reducunt Ordinibus geminis ad fortia pectora remos. *Petron. Satyr.* 98. Reducere spiritum. *ritenere il fiato.* et *Gell.* 5. 9. gladium. *tirar indietro.* et *Val. Flacc.* 5. 375. passus. *ritirare.* et *Quintil.* 10. 3. 6. brachia in jaculando. *Catull.* 55. 11. sinum. *h. e.* diducere vestes, quibus sinus seu pectus tegitur. Sic *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 86. leviterque reductis Vestibus etc. *Stat.* 11. *Theb.* 494. vitantem aspectus, pudibundaque longe Ora reducentem. — Illa sunt poetica. *Virg.* 1. *Æn.* 147. Collectasque fugat nubes, solemque reducit. *fa ricomparire.* et 11. *ibid.* 913. gurgite Phœbus Ibero Tingit equos, noctemque, die labente, reducit. *Id.* 1. *G.* 249. Aut redit a nobis Aurora diemque reducit. et *Ovid.* 3. *Met.* 150. altera lucem Cum croceis evecta rotis Aurora reducet. *Virg.* 3. *G.* 296. frondosa reducitur æstas. *ritorna.* et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 294. reducere febrem. *far ritornare.* *Id.* 2. *ibid.* 10. 15. informes hiemes reducit Juppiter, idem Submovet. *Id.* 3. *ibid.* 1. 20. Non avium citharæque cantus Somnum reducent.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Metaphorâ sumptâ a super. paragr. I. 1.°, est iterum ducere. *Plaut. Cist.* 2. 3. 17. Ego te reduco et voco ad divitias, ubi Tu locere in luculentam familiam: Unde tibi talenta magna viginti pater Det dotis. *Ter. Andr.* 3. 3. 26. Priusquam harum scelera et lacrumæ confictæ dolis Reducunt animum ægrotum ad misericordiam, Uxorem demus. — Illa etiam urbana sunt et commoda. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Ut Cæsarem et Pompejum, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. *Cic. ad Quirit.* 6. 15. Is me confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduxit. *Id. Rabir. Post.* 8. 19. (et *Ter. Andr.* 5. 4. 45.). Reducere aliquem in gratiam. Sic *Id. Cluent.* 36. 101. Reductus in gratiam. *Id.* 1. *Invent.* 52. 98. aliquid in memoriam. *Plin.* 3. *Ep.* 10. aliquem in memoriam. *farlo risovvenire.* *Quintil.* 6. 1. 46. aliquem ad justitiam. *Id.* 1. 6. 32. aliquem ad veritatem. *Id.* 2. 17. 29. aliquem ad rectam viam. *Tac.* 11. *Ann.* 18. Legiones operum et laboris ignavas, veterem ad morem reducere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 44. Quovis illos tu die reducas. *h. e.* ad bonam frugem revoces. Quod plene *Nepos Datam.* 2. Reducere aliquem ad officium. *ridurlo a fare il suo dovere.* *Tac.* 1. *Ann.* 72. Reducere legem majestatis. *rimettere in piedi, rinnovare.* et *Plin.* 9. *Ep.* 13. *a med.* intermissum morem. Adde *Sueton. Aug.* 38. et *Horat. Epod.* 13. 7. Cetera mitte loqui: deus hæc fortasse benigna Reducet in sedem vice. *Id.* 3. *Od.* 21. 17. Tu (*amphora*) spem reducis mentibus anxiis Viresque. *Sil. It.* 15. 810. Quum vires parco victu somnoque reducunt. *Id.* 4. 768. Urna reducebat miserandos annua casus. *h. e.* humanas hostias quotannis mactandas. — 2.°) Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. I. 2.°, est retrahere. *Virg.* 4. *Æn.* 375. Reducere socios a morte. *sottrarre.* *Quintil.* 12. 5. 3. animum ab iis, quæ facienda sunt. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 65. meque ipse reduco, A contemplatu submoveoque mali. *Lactant.* 5. 2. *a med.* Profitens, se reducturum alios ab errore. ¶ 2. Speciatim ponitur pro contrahere. *Seneca* 1. *Benef.* 14. Nemo hæc ita interpretetur, tamquam reducam liberalitatem, et frenis arctioribus reprimam. *h. e.* contraham. ¶ 3. Item speciatim pro redigere, *ridurre*. *Ovid.* 15. *Met.* 380. *de ursa.* lambendo mater in artus Fingit, et in formam, quantam capit ipsa, reducit. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 90. (112). Polyanthemum cicatrices ad colorem reducit. *Id.* 24. *ibid.* 8. 30. (46). Corpus sensim ad maciem reducentes. *Id.* 30. *ibid.* 13. 39. (113). Excrescentes carnes ad æqualitatem reducunt. *Id.* 22. *ibid.* 22. 32. (72). Jumentorum scabiem ad pilum reducit. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 4. Fasciculos fœniculi fustibus illigatos habeat, quos possit utique ad fundum vasorum demittere, ut quidquid fæcis subsederit, exagitet et in summum reducat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (54). Nullum frumentum (*milio*) ponderosius est, aut quod coquendo magis crescat. LX. pondo panis e modio reducunt, modiumque pultis ex tribus sextariis. *cavano, fanno.* — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla supra retulimus,

Reductus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Reductior* sub II., et

I.) Proprie est remotus, introrsum actus, secretus, *rimoto, ritirato, appartato, solingo*. *Horat. Epod.* 2. 11.; et *Virg.* 6. *Æn.* 703. Reducta vallis. *Id.* 1. *ibid.* 163. (et 4. *G.* 420.) insula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos. *Servius* exponit, replicabiles: intellige intimos recessus ab alto mari remotos, obliquos, flexuosos quasique replicatos.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 9. Virtus est medium vitiorum et utrinque reductum. *Quintil.* 11. 3. 46. Qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt. *più in lontananza, più addentro.* (Sic *Id.* 2. 17. 21. Pictor vi artis suæ efficit, ut quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus). — Reducta, ἀποπροηγμένα, quid sint, *V.* in PRODUCTUS in fin. v. PRODUCO.

RĔDUCTĬO, ōnis, f. 3. *riducimento, il ricondurre*, ἀναγωγή, actus reducendi. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 4. Senatusconsultum nullum exstat, quod reductio regis Alexandrini tibi adempta sit. *h. e.* in suum regnum restitutio. *Vitruv.* 5. 10. *sub fin.* Clypeum aeneum catenis pendeat, per cujus reductiones et demissiones perficietur sudationis temperatura. *h. e.* sublationes, *innalzamenti*.

RĔDUCTO, as, are, a. 1. frequentat. a *reduco*. *Aurel. Vict. Cæsar.* 38. Quum exercitum reductaret.

RĔDUCTUS, a, um, particip. *V.* REDUCO.

RĔDULCĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔDULCĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Redulcerans* I.; *Redulceratus* II. — Redulcero, ἀνελκόω, denuo ulcerosum facio.

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 8. Scabra pars prius aspera testa vel pumice defricata redulceratur. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 13. *ante med.* Lavacra recentium glutinationum atque mollium vulnerum redulcerantia probantur. Adde *eumd. ibid. paullo post.*

II.) Figurate. *Apul.* 5. *Met.* Redulceratus dolor. *inasprito.*

RĔDUNCUS, a, um, adject. ab *uncus*: *ripiegato all' indietro*, ἀνακαμπεῖς, retrorsum inflexus, cui *aduncus* opponitur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (125). *de cornib.* Jamque aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum, aliis adunca, aliis redunca etc. *Harduin.* in MSS. reperit *reunca*. *Ovid.* 12. *Met.* 562. Viribus usus avis (*aquilæ*), pennis rostroque redunco. V. *A. Mai. ad T.* 6. *Class. Auct. p.* 571. *col.* 1., et *V.* OBUNCUS.

RĔDUNDANS, antis, particip. *V.* REDUNDO.

RĔDUNDANTER, adverb. Comp. *Redundantius*. — Redundanter est superflue, abundanter, nimis. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *a med.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme. *Ambros. Ep.* 82. (*al.* 93.) *n.* 27. Pro remedio parcius, non pro deliciis redundantius bibendum.

RĔDUNDANTĬA, æ, f. 1. *soprabbondanza, ridondanza*, πλεονασμός, superfluitas, quod abundat, quod nimium est.

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 6. *ante med.* Aer lenis et crassus, qui perflatus non habet, neque crebras redundantias.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 30. 108. Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundantia multa habet attenuata, quædam etiam paullo hilariora.

RĔDUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. redundantia, περισσία.

I.) Proprie. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). Fastidium in cibis, redundatio stomachi. *sconvolgimento, rigurgitamento.* Sic 11. *ibid.* 37. 55. (149). Nulli sine redundatione stomachi eruitur oculus.

II.) Translate. *Vitruv.* 9. 4. *a med.* Astra nitentia contra mundi cursum, suis itineribus perficiunt circuitum, sed cæli versatione redundationibus referuntur quotidiana temporis circulatione. *h. e.* quasi undis adversis et retro pellentibus.

RĔDUNDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔDUNDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (a *re* et *undo*, inserto *d*, ut in REDEO init. dictum est). Partip. *Redundans* I. *a.*, II. 1. et 2. *a.*, et in fin.; *Redundatus* I. *a.*; *Redundaturus* II. 1. *b.* — Redundo est idem ac superfluo, exundo, superabundo: et proprie dicitur de aquis aut liquoribus, quum adeo augentur, ut se ripis, litoribus, aut vasis non contineant, περισσεύω, ὑπερβλύζω (It. *traboccare, ridondare;* Fr. *déborder, être trop abondant, inonder;* Hisp. *inundar, salir de madre, rebosar;* Germ. *zurückströmen, - fluthen, überfluthen, überströmen, überfliessen;* Angl. *to overflow, run over*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu dicitur de fluidis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Mare conglobatur undique æquabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur. *Id.* 2. *Divinat.* 32. 69. Si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram: si repressus esset, Vejos. *Lucret.* 6. 712. Nilus in æstatem crescit, campisque redundat. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 138. 3. *Merc.* Omnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis advorso æstu maris. *Flor.* 3. 17. *ad fin.* Apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in ora et oculos redundaret. *Cic.* 4. *Tusc.* 10. 24. Quum pituita redundat aut bilis in corpore. *Ovid. Remed. am.* 536. Gutture fac pleno sumpta redundet aqua. Huc referri potest et illud *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 13. Si horrea messis implesset, si vindemia redundasset. — Sic Particip. *Redundatus* apud *Ovid.* 6. *Fast.* 402. Amne redundatis fossa madebat aquis. *h. e.* extra alveum undantibus. Adde *eumd.* 3. *Trist.* 10. 52. — Poetice, et cum Accusativo *Statius* fluvium loquentem inducens 4. *Silv.* 3. 71. Pandis talia faucibus redundat. — *b*) Latiore sensu, vel figurate, de solidis, et est madere, valde madere. *Lucan.* 9. 812. largus manat cruor: ora redundant Et patulæ nares. *Cic.* 3. *Cat.* 10. 24. Omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Sic *Id. pro leg. Manil.* 11. 30. Testis est Africa, quæ, magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. *et* 6. *Verr.* 11. 26. Crux illa, quæ etiam nunc civis R. sanguine redundat. *hyperbole.*

II.) Translate. ¶ 1. Redundare dicuntur quæcumque exuberant, superfluunt, nimia sunt, *sovrabbondare, essere esuberante, essere eccessivo, traboccare:* ad rem *Cic. Brut.* 91. 316. Is (*Molo*) dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret — *a*) Nulla aliorum ratione habita, vel absolute. *Cic. Brut.* 13. 51. Asiatici oratores parum pressi et nimis redundantes. *Quintil.* 10. 1. 62. Stesichorus redundat atque effunditur. *et* 12. 10. 17. Nihil inane aut redundans (*Attici*) ferebant. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 88. Verbis effervescentibus et paullo nimium redundantibus, quod erat ætatis. *Id.* 3. *ibid.* 4. 16. Fuit uterque ~~in~~ suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret. *Id.* 5. *Verr.* 66. 155. Necesse est, quod redundarit de vestro frumentario quæstu, ad illum potissimum defluxisse. *Id. Balb.* 25. 56. Ut aliqui sermones hominum, alienis bonis mœrentium, etiam ad vestras aures permanarent, et in judicio ipso redundarent. *si disseminassero.* — Singulare est illud *Cic. Rabir. Post.* 5. 10. Num denique toto illo judicio Postumi nomen audistis? Non igitur reus ex ea causa, quæ judicata est, redundat Postumus. *h. e.* reus exsistit, apparet. In ea causa damnatus est Gabinius: sed non inde reus fit etiam Postumus, veluti quadam damnationis, ut ita dicam, redundantia perfusus atque obrutus. *Ovid.* 2. *Trist.* 543. Ergo, quæ juveni mihi non nocitura putavi Scripta parum prudens, nunc nocuere seni? Sera redundavit veteris vindicta libelli; Distat et a meriti tempore pœna sui. — *b*) Ratione aliorum habita, *redundare in*, vel *ad aliquem* est recidere, referri, pertinere, tum in bonam, tum in malam partem, *ridondare, ricadere:* ad rem *Cic. Prov. cons.* 12. 31. Nationes eas, quæ numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut etc. *Id.* 1. *Orat.* 1. 3. Hoc tempus objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. *Id. Amic.* 21. 76. Erumpunt sæpe vitia amicorum quum in ipsos amicos, tum in alienos: quorum tamen ad amicos redundet infamia. *Id.* 1. *Cat.* 12. 29. Verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in posteritatem redundaret. *Id. Mur.* 39. 85. Quid fiet, si hæc elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? *Id. Sull.* 9. 27. Si ex hoc tanto beneficio nullum in me periculum redundarit. *Auct. B. Alex.* 60. Et victoris et victi detrimentum ad eumdem Cæsarem esse redundaturum. *Seneca Œdip.* 690. Propinqui munera ad nostros lares sceptri redundant. *Val. Max.* 4. 3. *n.* 13. Nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. *Plin. Paneg.* 62. Beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quam ad similes redundat. *et ibid.* 31. *a med.* Annona Urbis tuis opibus, tua cura usque in Ægyptum redundavit. *Cic. Ligar.* 3. 8. Laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 73. In genus auctoris miseri fortuna redundat. *h. e.* in libros. *Id.* 6. *Fast.* 451. Si scelus est, in me commissi pœna redundet. ¶ 2. Usurpatur et pro abundare simpliciter, *abbondare, esservi in abbondanza.* — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis redundat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Tuus Deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus etc. *non ha un dito di più, ma* etc. *Id.* 3. *Fam.* 10. 5. Quum tu omnibus vel ornamentis vel præsidiis redundares, illi omnia deessent. *Id. Ligar.* 5. 15. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, acerbissimo luctu redundaret ista victoria. *Id. Pis.* 11. 25. Capua optimorum civium multitudine redundat. *Id.* 2. *Orat.* 54. 221. Hæc perpetua contra Scævolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et joco. *Plin. Paneg.* 63. Marcidi somno, hesternaque cœna redundantes. *Tac. dial. de Orat.* 36. Hi clientelis etiam externarum nationum redundabant. *Id.* 2. *Hist.* 32. Hispanias armis redundare. — *b*) Absolute. *Lucilius* apud *Non. p.* 384. 18. *Merc.* Primo redundat aurum ac thesauri patent. *Cic. fragm.* apud *eumd. ibid.* Tum intelligas, quam illud sit necessarium, quod redundat. *Tac.* 2. *Hist.* 93. Miles, plenis castris et redundante multitudine, in porticibus aut delubris et urbe tota vagus. — Hinc Particip. præs., cujus exempla supra retulimus,

Redundans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Redundantior* apud *Tertull.* 2. *Cult. fem.* 9. Amputatio et decussio redundantioris nitoris.

RĔDŬPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. ἐπαναδίπλωσις, figura rhetorica, quum eadem vox in una sententia primum et ultimum locum occupat. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 38. *p.* 497. Aut hircocervus, opinabilis in eo, quod existens, aut homo corruptibilis in eo, quod sensibile; in omnibus enim prædicatis ad extremum reduplicationem ponendam.

RĔDŬPLĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *reduplico, raddoppiato. Tertull. Patient.* 14. *ad fin.* Quæ amiserat, reduplicata possedit.

RĔDŪRESCO, is, ere, n. 3. *indurirsi di nuovo*, iterum duresco. *Vitruv.* 1. 4. Ferrum quum molle et candens est, si refrigeratur tinctum frigida, redurescit.

RĔDŬVĬA, æ, *et*

RĔDŬVĬŌSUS, a, um. *V.* REDIVIA et REDIVISIOSUS.

RĔDUX, dŭcis, adject. omn. gen. (reduco). ¶ 1. Active *redux* est qui reducit. — *a*) Fere dicitur de numinibus. *Ovid. Heroid.* 13. 50. Et sua det reduci vir meus arma Jovi. *Inscript.* apud *Gruter.* 22. 3. TEMPLVM IOVIS REDVCIS. *Martial.* 8. 65. Hic ubi Fortunæ reducis fulgentia late Templa nitent. *Fortunæ reduci* multi lapides nummique inscripti sunt, vota solventium pro felici in patriam reditu ab itinere, exsilio, expeditione militari, (præsertim imperatorum) et hujusmodi. *Claudian. VI. cons. Honor.* 1. Aurea Fortunæ reduci si templa priores Ob reditum vovere ducum etc. *Vet. Inscript.* apud *Græv. Antiq. Rom. T.* 10. *præf.* FORTVNAE REDVCI VIATOR. CONSERVATRICI SACR. SEX. PERCILIVS SEX. FIL. PRISCVS etc. Etiam Neptuno reduci (ob incolumem ex navigatione reditum) votum solvit Q. Manlius Q. F. Pal. Severianus, ut est in alio lapide *ibid.* V. *Inscript.* apud *Orell.* 922., 1776., 3096. etc. — *b*) Raro admodum de hominibus. *Martial.* 10. 70. Nunc consul prætorve tenet, reducesque choreæ. *h. e.* turbæ deducentium, quæ chorearum instar eunt redeuntque; vel rectius, turbæ consulem vel prætorem domum deducentes. — Singulare est illud *Curt.* 9. 6. 9. Eo pervenimus, auspicium atque imperium secuti tuum, unde, nisi te reduce (*Alexander*), nulli ad penates suos iter est. ¶ 2. Passive *redux* est qui ab exsilio aut captivitate, bello, aut peregre profectione incolumis redit aut reductus est, *chi è ritornato sano e salvo*, ὑπόστροφος, παλίντροπος. — *a*) De hominibus. *Plaut. Trin.* 4. 1. 4. Quum suis me ex locis in patriam urbem usque incolumem reducem faciunt. *Cic. Mil.* 37. 103. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur, per quos essem restitutus? *Plaut. Capt. prol.* 43. Fratrem servabit suum, reducemque faciet liberum in patriam ad patrem. *et* 5. 1. 1. Jovi ago gratias, quum te reducem tuo patri reddiderunt. *et ibid.* 11. Tibi hunc reducem in libertatem feci. *Martial.* 9. 8. Redux de gentibus Libycis. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 12. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris, sinam sine munere a me abire? *Liv.* 6. 10. Eos tamen ipsos pravi consilii pœnam habere, nec quemquam ex his reducem esse. *Virg.* 5. *Æn.* 39. Veterum non immemor ille (*Acestes*) parentum Gratatur reduces. *Sil. It.* 11. 378. Heu! Decius, reduci (*Hannibali*) lentas servatus ad iras. *Tac.* 1. *Ann.* 70. *extr.* Nec fides salutis, antequam Cæsarem exercitumque reducem videre. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (48). Captivam Gætuliæ reducem audivi etc. — *b*) De navibus. *Liv.* 21. 50. Classis Romana incolumis, una tantum perforata nave, sed ea quoque ipsa reduce, in portum rediit. et *Ovid. Heroid.* 6. 1. Littora Thessaliæ reduci tetigisse carina Diceris, auratæ vellere dives ovis. — *c*) Item universim *redux* dicitur quicumque undecumque rediit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (13). *de elephant.* Sexto (*die a coitu*) perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen. *Petron. Satyr.* 117. *in fin.* (si modo *Petronii* sunt verba). Ad ingenium redux Eumolpus. *Claudian. de Phœnice*, 40. tunc conscius ævi Defuncti, reducisque parans exordia formæ. *h. e.* mox post rogum redituræ.

RĔEXĬNĀNĬO, is, ire, a. 3. *votare di nuovo. Apic.* 8. 6. *extr.* Reexinanies in cacabum. Adde *eumd.* 4. 2.

RĔEXSPECTO, as, are, a. 1. iterum exspecto. *Vulgat. interpr. Isaj.* 28. 10. Manda, remanda; exspecta, reexspecta.

RĔFĂBRĬCO, as, are, a. 1. *rifabbricare. Diocl. et Maxim. Impp. Cod.* 8. 10. 5. Collapsum balneum refabricare enisus est.

RĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. *V.* REFICIO init.

RĔFACTOR, ōris, m. 3. *V.* REFECTOR.

RĔFACTUS, a, um, particip. *V.* REFICIO init.

RĔFECTĬO, ōnis, f. 3. actus reficiendi seu instaurandi, *rifacimento*, ἐπισκευή.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 9. Ceteraque, si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. *Sueton. Cæs.* 15. Refectio Capitolii. *Vitruv.* 6. 3. Displuviata habent in refectionibus molestiam magnam. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. Refectio viæ publicæ. *Torrentin.* habet *refictio* eodem sensu.

II.) Translate est recreatio, *riposo, ristoro, sollievo, refezione. Quintil.* 10. 3. 26. Tempora ad quietem refectionemque data in acerrimum laborem convertimus. *Plin. Paneg.* 81. Instar refectionis existimas mutationem laboris. *Cels.* 3. 15. *circa med.* Abstinendum in septimum diem dixit: quod ut sustinere aliquis possit; tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit. *avrà forze bastevoli a rimettersi.* et 4. 6. *ad fin.* Si in refectione vero manserit tussis, intermittere oportebit uno die, *h. e.* dum reficitur cibo et potu corpus. *Plin. Paneg.* 15. Posteri visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint. *Plin. alter* 23. *Hist. nat.* 4. 40. (80). Oleum lassitudinum perfrictionumque refectio est. *Id.* 37. *ibid.* 5. 16. (63). *de smaragdis.* Non alia gratior oculorum refectio est: ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. *V.* REFICIO.

RĔFECTOR, ōris, m. 3. *rifacitore*, qui reficit, μεταποιητής. *Sueton. Vesp.* 18. Item colossi refectorem insigni congiario magnaque mercede donavit. *V.* PECTINARIUS et REPOSTOR. — Aliam formam *refactor* habet *Augustin.* in *Johann. tract.* 38. 8. Hominis formator et reformator, creator et recreator, factor et refactor.

RĔFECTŌRĬUS, a, um, adject. qui reficit. *Ambros. Ep.* 1. 3. Epulatoria enim et refectoria quies in Deo, quæ facit animi tranquillitatem.

RĔFECTUS, a, um. *V.* REFICIO.

RĔFECTUS, us, m. 4. *ritratto*, id quod ex aliqua re colligitur.

I.) Proprie. *Scævola Dig.* 36. 1. 78. § 12. Interim ex refectu paupertatis, qui ad vos pervenerit, alatis eum usuris pro quantitate nummorum redactis. *h. e.* ex eo, quod e mea modica hereditate refici poterit. *V.* REFICIO.

II.) Translate est idem ac refectio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (74). Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectui. *h. e.* alimentis. *Harduin.* leg. ex MSS. *fere cibus est. Apul.* 5. *Met.* Psyche instrumentum cœnatorium rata refectui suo commodum, libens accumbit. *V.* REFECTIO II.

RĔFELLO, fellis, felli, fellere, a. 3. Particip. *Refellens* sub *c.*; *Refellendus* sub *b.* — Quum *fello* proprie sit mammam sugo, *refello* est quasi ex ore exspuo, rejicio, respuo: unde translate ponitur pro refutare, redarguere, quæ dicta sunt, falsa esse arguendo ostendere, *confutare, contraddire, ributtare*, ἀντιλέγω, διελέγχω. *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 380. et *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1. 2. 82. rectius ducunt a *re* et *fallo*. Hinc in *Not. Tir. p.* 92. Fallit, fefellit; refellit, refefellit. — *a*) De hominibus. *Accius* apud *Non. p.* 89. 8. *Merc.* Qui potis est refelli (*al.* repelli) quisquam, ubi nullus est caussandi locus? *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Et refelli sine pertinacia, et refellere sine iracundia parati sumus. *Id. ibid.* Nosque ipsos redargui et refelli patiamur. *Id.* 12. *Att.* 5. 3. Sed tu me γεωμετρικῶς refelleras. *Sueton. Aug.* 56. Testem se in judiciis et interrogari, et refelli æquissimo animo patiebatur. *Quintil.* 4. 2. 86. Qui me refellere possint, si mentiar. — *b*) De rebus. *Ter. Phorm.* 1. 2. 82. Quum tu horum nihil refellas, vincam scilicet. *Lucret.* 4. 478. Invenies primis ab sensibus esse creatam Notitiem veri, neque sensus posse refelli. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 51. Num ergo opus est ad hæc refellenda Carneade? *Id.* 1. *Orat.* 20. 90. Et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere. *Id. Ligar.* 5. 16. Refellere et coarguere mendacium alicujus. *Id.* 2. *Divinat.* 47. 99. Ut mihi permirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis (*Chaldæis*), quorum prædicta quotidie videat re et eventis refelli. *Liv. præfat.* Quæ ante conditam condendamve urbem poeticis decora fabulis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. *Virg.* 12. *Æn.* 16. Et solus ferro crimen commune refellam. *Sueton. Ner.* 41. Cetera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam etc. *Quintil.* 5. 7. 36. Aliter oraculorum, aliter aruspicum fides confirmari aut refelli potest. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 2. 9. Scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria jam refellente. *h. e.* quin aliquis memoria tenens, rem aliter evenisse atque ego scribo, mendacii me coarguat. *Quintil.* 5. 10. 65. Divisio et ad probandum valet et ad refellendum. *Sed opt. Codd. leg.* repellendum.

RĔFERCĬO, fercis, fersi, fertum, fercire, a. 4. (re *et* farcio). Particip. *Refertus* in fin. — Refercio est farciendo, inculcando, sine delectu congerendo impleo, repleo, ἀναπληρόω (It. *riempire, rinturare*; Fr. *remplir entièrement, combler, bourrer*; Hisp. *llenar enteramente, colmar, emborrar*; Germ. *vollstopfen, vollfüllen, vollpfropfen, anfüllen, ganz-anfüllen*; Angl. *to fill, stuff, cram*).

I.) Proprie. *Cic. Sext.* 35. 77. Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri. *Plin. Paneg.* 31. *ad fin.* Stupebant agricolæ plena horrea, quæ non ipsi refersissent. *Sil. It.* 5. 265. modo quem fortuna fovendo Congestis opibus donisque refersit opimis. *Avid. Cass.* in *Ep.* apud *Volcat. in ejus vita, in fin.* Ærarium publicum refercire. *Ammian.* 19. 10. 4. Portum naves ingressæ frumentis horrea refserunt.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Nat. D.* 13. 34. Puerilibus fabulis refersit libros. et 2. *ibid.* 24. 63. Hominum vitam superstitione omni referserunt. *Id. Rabir. Post.* 14. 40. Aures refersit istis sermonibus. *Id.* 1. *Orat.* 35. 163. Perfice, ut Crassus hæc, quæ coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. — Hinc Particip. præter. pass.

Refertus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Refertior* et Sup. *Refertissimus* sub I. — *V.* et REFERSUS loco suo. Refertus est confertus, oppletus, repletus, *pieno, zeppo, ripieno*, βεβυσμένος.

I.) Proprie. — *a*) Cum Ablat. rei, qua aliquid refertum est. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Cupæ tæda ac pice refertæ. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 8. cera referta notis. *Cic. pro leg. Manil.* 18. 55. insula divitiis. *et ibid.* 8. 21. Domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta. *Id.* 6. *Verr.* 57. 126. Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas? *et* 2. *Phil.* 27. 62. Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (10). Flumen crocodilis refertum. — *b*) Cum Genitivo personæ vel rei. *Cic. Fontej.* 1. 1. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium R. *Varro* apud *Non. p.* 501. 14. *Merc.* Ipsa Italiæ oppida sunt vastata, quæ prius fuerunt hominum referta. Rursus *Cic. Planc.* 41. 98. Refertam esse Græciam sceleratissimorum hominum. *Id. Rabir. Post.* 8. 20. Mare refertum fore prædonum. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (15). Elephantorum saltus referti. — *c*) Cum præpos. de singulare est illud *Cic.* 1. *Orat.* 19. 86. Quærebat, cur de prooemiis et de epilogis et de hujusmodi nugis referti essent rhetoricorum libri. — *d*) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. Locuples ac referta domus. *Id.* 5. *Verr.* 87. 202. Tum refertius erit ærarium populi R., quam unquam fuit. *Id. Mur.* 9. 20. Asia ista referta, et eadem delicata. *ricca, abbondante.* Sic *Seneca Med.* 485. Referta domus. *Tac.* 2. *Hist.* 56. Ipsique milites, regionum gnari, refertos agros, dites dominos in prædam destinabant.

II.) Translate. — *a*) Cum Ablativo. *Cic.* 5. *Tusc.* 7. 20. Xerxes refertus omnibus præmiis donisque fortunæ. *et ibid.* 31. 86. Vita undique referta bonis. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 15. 1. Litteræ refertæ omni officio, diligentia, suavitate. *Id.* 1. *ibid.* 1. 14. *ad fin.* Theatrum celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum. *Tac. Dial. de orat.* 34. Juvenis imbutus domestica disciplina, refertus honestis studiis. *Cic. Orat.* 41. 5. Invidis referta sunt omnia. — *b*) Cum Genitivo. *Justin.* 2. 14. 6. Castra referta regalis opulentiæ capta. *Gell.* 1. 8. Is librum multæ variæque historiæ refertum composuit. *Ammian.* 31. 16. 1. Occupare statuunt Perinthum, exinde quæque divitiarum referta. — *c*) Absolute. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. Academici et Peripatetici, Platonis ubertate completi, certam quamdam disciplinæ formam composuerunt et eam quidem plenam ac refertam.

RĔFĔRENDĀRĬUS, ii, m. 2. *referendario*, qui supplicum preces ad principem recitat, et mandata principis judicibus insinuat: a *referendo* dictus. *Cassiod.* 6. *Variar.* 17. Quapropter referendarium te electio nostra constituit, sed tu puritatem conscientiæ et veritatem linguæ nostris jussionibus adhibeto. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 21. *ante med.* De referendarii officio *V.* adnotat. ad *Venant.* 1. 7. *carm.* 22.

RĔFĔRENDUS, i, m. 2. (refero) qui extra ordinem referebatur a principe in album curiæ, et senatoria dignitate donabatur. *Cassiod.* 1. *Variar.* 41. Magnificentia tua Fausto decernat attribui, quæ circa referendos curiæ priscus ordo designavit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 33., 4. *ibid.* 25. et 6. *ibid.* 14.

RĔFĔRĬO, is, ire, a. 4. (re *et* ferio) *ripercuotere*, ἀνταπαίω, ἀνταπλήττω, vicissim, aut iterum ferio, repercutio. *Plaut. Asin.* 2. 2. 108. Quæso, æquo animo patitor (*pugno malam si tibi percussero*). LI. Patitor tu item, quum ego te referiam. *Ter. Adelph.* 4. 2. 27. Miseram mulierem et me servolum, Qui referire non audebam, vicit. *Seneca* 2. *Ira* 34. *sub fin.* Percussit te? recede; referiendo enim et occasionem sæpius feriendi dabis et excusationem. *Ovid.* 4. *Met.* 348. quum puro nitidissimus orbe Opposita speculi referitur imagine Phœbus. *Auson. Epist.* 10. 23. Turbida congestis referitur vocibus echo.

RĔFĔRĪVA. *V.* REFRIVA.

RĔFĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, a. anom. (re *et* fero). — *Rettuli, rellatus* an scribendum sit, quum prima producitur, *V.* REFERT init. — Particip. *Referens* I. 1. *a.* et *b.*, et II. 1. *b.*, 6. et 13.; *Relatus* I. 1. *a*, et II. 1., 2., 3., 6., 10., 11. et 12.; *Relaturus* I. 1. *a.*, et II. 1. *c.* et 9. *a.*; *Referendus* II. 2. — Refero est idem ac retro, aut vicissim, aut iterum fero, reporto, reveho, reduco, ἀναφέρω (It. *riportare*; Fr. *remporter, porter, emporter*; Hisp. *volver á llevar, llevar, traer*; Germ. *zurückbringen, -tragen, -führen, -geben, -wohin bringen*; Angl. *to bring or carry back or again*).

I.) Proprie. — ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. *Plaut. Men.* 5. 7. 59. Si possum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum. *Id. Cas.* 2. 1. 1. Obsignate cellas, referte anulum ad me. *Virg.* 1. *Æn.* 394. tibi reduces socios classemque relatam Nuncio. *ricondotta.* et *Plaut. Pœn.* 4. 2. 25. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vasa. *Cic.* 6. *Verr.* 28. 56. Quod quum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. *per riportarselo a casa. Plin.* 6. *Ep.* 28. Jam tuis denunciavi, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. *Plaut. Epid.* 3. 4. 3. Incertus tuum cave ad me retuleris pedem. *guardati bene dal tornare a me senza notizie certe.* et *Ovid. Heroid.* 16. 87. Dixit et ex æquo donis formaque probata Victorem cælo retulit illa pedem. *Id.* 6. *Fast.* 334. errantes fertque refertque pedes. *Cic.* 15. *Att.* 16. Itaque me referunt pedes in Tusculanum. *Phædr.* 2. 1. Feroque viso retulit retro pedem. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 289. Hectoris Æneæque manu victoria Grajum Hæsit, et in decimum vestigia retulit annum. *Sil. It.* 11. 353. Referre in convivia gressum. *Id.* 8. 89. in thalamos cursum. *Virg.* 11. *Æn.* 656. in te ora Latini, In te ocu-

los referunt. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 5. Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est Arte, sed ad madidas gemma relata genas. *Id.* 15. *Met.* 567. digiti ad frontem sæpe relati. *messe le dita e rimesse.* et 3. *Fast.* 563. cineres ter ad ora relatos Pressit. *appressale alla bocca.* — *Referre caput* dicuntur sicarii, qui missi ad cædem faciendam, occisi caput ad eum referunt, qui mandavit. *Sueton. Tib.* 13. Pollicebatur se, si juberet, caput exsulis relaturum. In vet. *Tab. Heracl.* apud *Mazoch. p.* 423. *n.* 48. Quive ob caput civis Romani referundum pecuniam, præmium aliudve quid cepit, ceperit. Sic in illo *Tac.* 14. *Ann.* 57. Relatum caput ejus (*Sullæ*) illusit Nero. et *ibid.* 59. Caput interfecti (*Plauti*) relatum. *relatum caput* est occisi, quod sicarii retulerunt ad Neronem, qui cædem imperaverat. — *Ovid.* 13. *Met.* 121. arma medios mittantur in hostes. Inde jubete peti, et referentem ornate relatis. *Liv.* 5. 23. Referre prædam. *Id. Epit.* 4. opima spolia. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. signa militaria ad Cæsarem ex prœlio. — *Recensere* est apud *Virg.* 6. *Ecl.* 85. Cogere donec oves stabulis numerumque referre Jussit. — *Retro ferre* est apud *Senec. Thyest.* 438. Sic concitatam remige et velo ratem Æstus, resistens remigi et velo, refert. *porta, o spinge indietro.* et *Stat.* 2. *Achill.* 434. Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis. — Retro ferre est etiam in his. *Petron. Satyr.* 89. Parvulas illi manus ad ora referunt. *h. e.* admovent: quod quum fit, retro manus fertur et flectitur. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 58. Manum ad capulum referens. Ceterum *Cæs.* 5. *B. G.* 5. Naves eodem, unde erant profectæ, relatæ. *respinte.* et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 22. (93). Seleucia supra amnem Calycadnum, a mari relata, ubi vocabatur Holmia. *trasferita indietro e lungi dal mare.* — Sic de navigantibus, qui retro feruntur, contra ac destinaverant. *Plaut. Asin.* 1. 3. 6. Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert. *Ovid.* 14. *Met.* 76. quum jam prope litus adessent Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras. *Val. Flacc.* 3. 42. puppis Turbine flectit iter, portuque refertur amico. Adde *Horat.* 1. *Od.* 14. 1.; *Cæs.* 5. *B. G.* 5.; et *Val. Flacc.* 8. 144. — Et pro rejicere, vomere, *récere. Virg.* 9. *Æn.* 349. Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta Vina refert moriens. — *b*) Speciatim, *referre se* est reverti, se recipere. — Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 865. Turni se pestis ob ora Fertque refertque sonans. *Cæs.* 1. *B. C.* 72. Petrejus atque Afranius, oblata facultate, in castra sese referunt. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 114. adsisto divinis; inde domum me Ad porri et ciceris refero laganique catinum. *Cic.* 6. *Att.* 1. 10. Vellem te in tuum veterem gregem retulisses. *Id. Flacc.* 21. 50. Iterum iste Romam se retulit. *tornò. Val. Flacc.* 7. 614. ad socios paullum se retulit heros. *et ibid.* 538. Seque sub extremis in mœnia retulit umbris. *Nepos Hannib.* 11. *sub fin.* Seque ad sua castra nautica retulerunt. *Sil. It.* 4. 52. Scipio Phocaicis sese referebat ab oris. *Id.* 17. 181. Referre se in patriam. Similiter passive *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 119. Sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est. et *Sil. It.* 4. 315. Nunc Itali in tergum versis referuntur habenis. *h. e.* terga vertunt. *et* 7. 623. Bibulus - in terga refertur. — Speciatim in re militari *referre se, referre pedem, gradum* etc. est recipere se, *cedere, ritirarsi, indietreggiare. Cæs.* 2. *B. C.* 8. Turrim parvam fecerant; huc se referebant. *si ritiravano.* et *ibid.* 44. Si premerentur, pedem referre et loco excedere, non turpe existimabant. *Id.* 1. *B. G.* 25. Tandem vulneribus defessi et pedem referre et, quod mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere cœperunt. *Liv.* 1. 14. Quum pedes quoque referret gradum. *Id.* 3. 70. Nuncius deinde et vincentibus Romanis animos auxit, et referentes gradum perculit Æquos. — Et mediorum apud Græcos more. *Id.* 8. 8. A prima acie ad triarios sensim referebantur. ¶ 2. Speciatim est reddere, pecuniam debitam solvere, *restituire, pagare i debiti. Cic.* 1. *Divinat.* 25. 54. Quæstione habita, confessus est, pateramque retulit. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 31. morietur frigore, si non Retuleris pannum: refer et sine vivat ineptus. *Seneca Ep.* 81. *ante med.* Referre est ultro, quod debes, afferre. *et paullo post.* Referre est ad eum, a quo acceperis, ferre. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 29. nam olim quum abiit, argento hæc dies Præstituta est, quoad referret nobis; neque dum retulit. *Id. Epid.* 2. 2. 112. Verum, si plus dederis, referam. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 6. 75. — Huc pertinet et illud *ejusd. Horat.* 2. *Od.* 1. 27. victorum nepotes Retulit inferias Jugurthæ. — *Forcellinus* huc retulit et illud *Sil. It.* 7. 508. Referre ensem vaginæ. *rimettere.*

II.) Translate. ¶ 1. Universim, metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. — *a*) De sonis. *Accius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 29. 94. Saxum illud Lemnium Philocteteo ejulatu, questu, gemitu, fremitibus resonando flebiles voces refert. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Aures duros et quasi corneolos habent introitus multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur aut cornu; et ex tortuosis locis et inclusis soni referuntur ampliores. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 200. nam quæ pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra? *Ovid.* 12. *Met.* 47. *de æde Famæ.* Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit. Similiter de Echo *Id.* 3. *ibid.* 387. — Item pro perferre, ferre. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 14. *sub fin.* Theatrum ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Petron. Satyr.* 89. Qualis silenti nocte remorum sonus Longe refertur, quum premunt classes mare. — *b*) De tempore. *Horat.* 4. *Od.* 13. 13. Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ Nec clari lapides tempora, quæ semel Notis condita fastis Inclusit volucris dies. *Id.* 3. *ibid.* 29. 20. Sole dies referente siccos. Cf. *Virg.* 1. *G.* 458. At si quum referetque diem, condetque relatum, Lucidus orbis erit. Rursus *Horat.* 4. *Od.* 2. 57. ignes Tertium lunæ referentis ortum. *et ibid.* 6. 42. Sæculo festas referente luces. *Virg.* 8. *Æn.* 560. O mihi præteritos referat si Juppiter annos. — *c*) Sæpe est reportare, consequi, *riportare, conseguire,* in utramque partem. *Cic. Rosc. Am.* 38. 110. Pro re certa spem falsam domum retulerunt. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Hic in domum non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem. *Liv.* 4. 17. Referre victoriam. *Justin.* 31. 3. 9. Et in Asia regi sedenti aut victoriam de Romanis, aut æquas pacis condiciones relaturum. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Quo prœlio servati civis decus retulit. *Virg.* 4. *Æn.* 94. Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus, magnum et memorabile nomen. *Cic. Sull.* 22. 63. Pœnam ambitus eam referebat, quæ fuerat nuper superioribus legibus constituta. *At* Orell. *leg.* auferebat. — *d*) Est etiam convertere, *rivoltare, volgere;* qua significatione *referre se* haud raro usurpatur. *Cic. Quinct.* 14. *ad fin.* Quum ad te, C. Aquili, oculos animumque retuli. *Id. Prov. cons.* 16. 38. Si ex illa jactatione populari referunt aspectum in curiam. *Val. Flacc.* 7. 79. Hæsit et ad juvenem pallentia retulit ora. *Cic. Rosc. Am.* 16. 48. Referre animum ad studia. *Id.* 1. *Orat.* 1. 1. ad veritatem. *Ovid.* 3. *Art. am.* 499. Sed libet a parvis animum ad majora referre. *Id. Remed. am.* 559. Ad mala quisque animum referat sua: ponet amorem. *Virg.* 11. *Æn.* 425. Multa dies variique labor mutabilis ævi Retulit in melius. — *Cic.* 5. 5. *de republ.* 3. Uterque se a scientiæ delectatione ad efficiendi utilitatem refert. *Id.* 1. *Fam.* 9. 23. Nam etiam ab orationibus disjungo me fere referoque ad mansuetiores Musas. *et ibid.* 8. 3. Ego is sum, cui vel maxime concedant omnes, ut - vel taceam, vel etiam, id quod mihi maxime lubet, ad nostra me studia referam litterarum. *Id.* 2. *Off.* 1. 4. Referre se ad philosophiam. *ripigliare lo studio della filosofia.* Et 2. *ibid.* 22. 77. Ut eo, unde digressa est, referat se oratio. — *e*) Et pro offerre, vel, rectius, hominum labores rependere, *rendere. Colum.* 3. *R. R.* 8. 9. Fecunditas autem (*columborum et palumborum*), quamvis longe minor sit quam gallinarum, majorem tamen refert quæstum. *Quintil.* 1. 12. 17. Quid studia referant, computaturum. *Seneca Consol. ad Helv.* 10. Multum militia retulit. — *f*) Benignitatis fines introrsus referre. *Seneca* 1. *Benef.* 14. *ad fin.* h. e. retrahere, contrahere, arctare. *restringere.* — Huc pertinere possunt et illa, in quibus referre est prævenire, quasi retro ferendo seu trahendo, *anticipare, prevenire. Festus p.* 289. 21. *Müll.* Referri diem prodictam, idest anteferri, religiosum est, ut ait Veranius: idque exemplo comprobat L. Julii et P. Licinii censorum, qui id fecerint sine ullo decreto augurum: et ob id lustrum parum felix fuerit. *Papinian. Dig.* 4. 8. 33. Arbiter ita sumptus ex compromisso, ut et diem referre possit, hoc quidem facere potest: proferre autem, contradicentibus litigatoribus, non potest. *V.* PRÆFERO. ¶ 2. Speciatim est reddere, *rendere:* ad rem *Ter. Phorm. prol.* 21. Benedictis si certasset, audisset bene: Quod ab illo adlatum est, id sibi relatum putet. *Cic.* 16. *Att.* 3. *extr.* Ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa, referes igitur ei plurimam. *la risaluterai.* Ad hanc reddendi notionem refer et illa, *referre gratiam* aut *gratias, par pari* etc., de quibus *V.* GRATIA et PAR. *Fronto* 1. ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. *ante med.* Et gaudeo, quod ingratum me et referundæ gratiæ imparem facias. — Similiter *Ovid.* 1. *Art. am.* 370. Et puto, non poteris ipsa referre vicem. ¶ 3. Item est iterare, resumere, *ripigliare. Sil. It.* 11. 28. Sed fas id Celtis, fas impia bella referre Bojorum fuerit populis. et 16. 77. Servitio si tam faciles, cur bella refertis? *Virg.* 5. *Æn.* 596. Hunc morem, hos cursus atque hæc certamina primus Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam, Retulit. *h. e.* revocavit, innovavit, quod ante jam fecerat. *Cic.* 3. *Orat.* 20. 75. Nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quæ biduo serius veneram, succensuissem. *Ter. Hecyr. prol.* 1. 7. et *prol.* 2. 21. *et* 30. Comœdiam referre. *Horat. Art. P.* 179. Aut agitur res in scænis, aut acta refertur. *et* 1. *Ep.* 18. 61. Actia pugna Te duce per pueros hostili more refertur. *Cic. Dom.* 29. 78. In hoc genere solum rem judicatam referre posse voluerunt. *h. e.* retractare. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 67. Consuetudo longo intervallo repetita atque relata. *di nuovo introdotta.* ¶ 4. Et exprimere, reddere, imitari, *rassomigliare, rappresentare. Lucret.* 4. 1224. Majorumque refert vultus vocesque comasque. *Ovid.* 13. *Met.* 442. similisque minaci Temporis illius vultum referebat Achilles. *Plin.* 5. *Ep.* 16. *ad fin.* Non minus mores ejus, quam os vultumque referebat. *Id.* 7. *Ep.* 19. *ad fin.* Matrem ejus reddit ac refert nobis. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 15. Quod ex vetere materia nascitur, parentis senium refert. *Tac. Germ.* 43. Burii sermone cultuque Suevos referunt. Adde *Senec. Troad.* 647. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 5. 27. neque amissos colores Lana refert medicata fuco. ¶ 5. Aliquando est recordari, memoria repetere, recolere, *ricordarsi. Ovid.* 15. *Met.* 27. tacitaque recentia mente Visa refert. *et ibid.* 450. Hæc Helenum cecinisse Penatigero Æneæ, Mente memor refero. *Id.* 4. *Trist.* 3. 55. Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre) Et dici memini, juvit et esse meam? *Id.* 2. *Amor.* 8. 17. At quanto, si forte refers, præsentior ipse etc. *et Remed. am.* 299. Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ. Adde *eund.* 1. *Met.* 165. ¶ 6. Sæpe est narrare, renunciare, dicere, *raccontare, riferire, dire. Virg.* 2. *Æn.* 547. referes ergo hæc, et nuncius ibis Pelidæ genitori. *Cic. Dejot.* 9. 25. Mittebat qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. *Cæs.* 1. *B. G.* 47. *ad fin.* His mandavit, ut, quæ diceret Ariovistus, cognoscerent, et ad se referrent. *et* 6. *ibid.* 9. Illi referunt, Suevos omnes ad extremos fines sese recepisse. *Virg.* 2. *G.* 118. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsama? *Id.* 4. *Æn.* 437. talesque miserrima fletus Fertque refertque soror. *Nepos Dion.* 6. Versum illum Homeri retulit, in quo etc. *recitò, portò. Ovid.* 1. *Art. am.* 681. Fabula, nota

quidem, sed non indigna referri. *Id.* 15. *Met.* 298. res horrenda relatu. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. 154. Purgamenta relatu indigna et algis potius annumeranda, quam animalibus. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (1). Quæso, ne nostra legentes, etiam relata fastidio damnent. *le cose riferite o raccontate.* et *Vellej.* 2. 58. 4. Exemplum relatum a Cicerone. *rapportato. Cæs.* 1. *B. G.* 35. His responsis ad Cæsarem relatis. — Cum Accus. et Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 1. Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer. *Justin.* 31. 8. 1. Illiensibus Æneam ceterosque cum eo duces a se profectos, Romanis se ab his procreatos referentibus. Cf. *Cæs.* 6. *B. G.* 9. paullo supra allatum. — Cum Nomin. et Infinito. *Ovid.* 13. *Met.* 141. sed enim, quia retulit Ajax Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor Juppiter est. — Similiter pro deducere *Justin.* 38. 7. 1. Se autem, seu nobilitate illis comparet, clariorem illa colluvie convenarum esse, qui paternos majores suos a Cyro Dareoque referat etc. *Sil. It.* 2. 9. Is (*P. Val. Poplicola*) cultam referens insigni nomine plebem etc. — Et poetice pro canere, laudare. *Tibull.* 1. 4. 59. Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus, Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas. Cf. *Ovid.* 2. *Trist.* 1. 69. Fama Jovis superest: tamen hunc sua facta referri, Et se materiam carminis esse, juvat. *et Sil. It.* 3. 584. Jamque tibi veniet tempus, quo maxima rerum Nobilior sit Roma malis. Hinc nomina nostro Non indigna polo referet labor: hinc tibi Paullus, Hinc Fabius etc. ¶ 7. Et respondere, reponere, opponere, *rispondere. Virg.* 4. *Æn.* 31. Anna refert: O luce etc. *Ovid.* 5. *Met.* 337. Musa refert: Dedimus summam certaminis uni. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 35. *et* 6. *Fast.* 353. Juppiter ad solium superis regale vocatis, Incipe, ait Marti. Protinus ille refert: etc. *Cic. Quinct.* 13. 44. Quid a nobis refertur? Pecuniam petit? negamus deberi. *Id. Cæcin.* 29. 84. Ego enim tibi refero: si non sum ex eo loco dejectus, quo *etc.*; at ex eo sum dejectus etc. *et mox.* Velim, sic existimetis, id me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 387. — Hinc *referre jusjurandum*, delatam ab adversario jurisjurandi condicionem in eum transferre. *Paul. Dig.* 12. 2. 17. 23. *et* 38. et *Ulp. ibid.* 34. — Et contra objicere, regerere. *Ovid.* 1. *Met.* 758. pudet, hæc opprobria nobis Et dici potuisse et non potuisse referri. ¶ 8. In re privata, *referre ad aliquem*, est rem narrare, consulendi causa, deferre, proponere. *Cic.* 16. *Att.* 3. *sub fin.* Quum ei præscriptum esset, ne quid sine Sextii sententia ageret, neque ad illum, neque ad nostrum quemquam retulit. *non ha fatto capo.* Adde *eumd.* 3. *Fam.* 5. *a med.* et *Justin.* 31. 4. 9. Antiochus, tam assiduo colloquio reconciliatam ejus (*Hannibalis*) cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum, sicuti solebat, referre, expertemque totius consilii et veluti hostem proditoremque suum odisse cœpit. Sic referre ad animum. *Phædr.* 3. 19. ¶ 9. In re publica — *a*) *Referre ad aliquem magistratum*, renunciare, *riferire offizialmente o per l' interesse pubblico. Cæs.* 4. *B. G.* 9. Legati hæc se ad suos relaturos dixerunt, et re deliberata post diem tertium ad Cæsarem reversuros. *Id.* 1. *ibid.* 37. Hæc eodem tempore Cæsari mandata referebantur, et legati ab Eduis et Treveris veniebant. *Liv.* 4. 37. Jam non solum, qui ad id missi erant, retulerant, imminere Volscum bellum; sed legati quoque ab Latinis nunciabant etc. *Justin.* 25. 3. 3. Quod ubi negatum legati retulerunt etc. *V.* alia supra § 6. — *b*) *Referre ad senatum*, proponere in senatu rem deliberandam, *produrre, mettere in consulta, dar parte. Senatuscons.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 5. Uti L. Paullus, C. Marcellus coss., quum magistratum inissent, de consularibus provinciis ad senatum referrent: neve quid prius ex a. d. Kal. Mart. ad senatum referrent, neve quid conjunctim de ea re referretur a consulibus. *Cic.* 8. *Phil.* 11. 33. Ut consules de ejus honore primove primo quoque die ad senatum referant. Similiter *Id. Dom.* 53. 136. C. Cassium censorem de signo Concordiæ dedicando ad pontificum collegium retulisse. *et mox.* Eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium prætor retulit. *Nepos Eumen.* 12. De hoc quum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. *Id. Lysand.* 3. Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant. *riportarsi in tutto agli oracoli. Cæs.* 1. *B. C.* 6. In provincias prætores mittuntur, neque exspectant, ut de eorum imperio ad populum referatur. Alii rectius leg. *feratur*; ita enim sæpius dicitur, quum de populo sermo est. ¶ 10. Item describendo transferre, *trascrivere, registrare. Cic. Brut.* 23. 89. Quam orationem Cato in Origines suas retulit. *Id.* 1. *Phil.* 8. 19. Si quid memoriæ causa retulit in libellum. *Id. Flacc.* 9. 20. Falsas rationes inferre et in tabulas quodcumque commodum est, referre. *Id. Sull.* 15. 42. Judicium in tabulas publicas relatum. *trascritto, registrato. Lamprid. Commod.* 12. *a med.* Refertur in litteras, pugnasse illum sub patre etc. *sta scritto.* ¶ 11. *Referre rationes* apud *Cic.* 2. *Verr.* 20. 56. Referre rationes ad ærarium. *presentare, dare i conti*: rationes pecuniæ publicæ acceptæ et expensæ perscriptas afferre ad ærarium et exhibere quæstoribus. Eas enim ex commentariis et ephemeride in codicem describebant et exhibebant. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. *extr.* Relatis ad eum publicis rationibus. *presentati i conti.* — *Referre acceptum. V.* ACCEPTUS. ¶ 12. Item ponere, adscribere. *Lucret.* 2. 998. quod missum est ex ætheris oris, Id rursum cæli relatum in templa receptant. *Cic.* 1. *Nat. D.* 12. 29. Referre aliquem in Deorum numero. *Alii leg.* numerum (ut est apud *Sueton. Cæs.* 88. et *Claud.* 45.). *et ibid.* 13. 34. Terram et cælum refert in Deos. *Id. Rosc. Am.* 10. 27. Ut potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. *Id. Brut.* 62. 223. Eodem Q. Cæpionem referrem, nisi etc. *h. e.* his adnumerarem. *Tac.* 13. *Ann.* 41. *ad fin.* Referre diem aliquem inter festos. *Id.* 4. *ibid.* 57. et 6. *ibid.* 39. causam alicujus rei ad aliquem. *attribuire, ascrivere.* ¶ 13. *Referre*, dirigere, *indirizzare. Cic.* 10. *Phil.* 10. 20. Nos ita a majoribus instituti sumus, ut omnia consilia atque facta ad dignitatem et virtutem referamus. *Id.* 1. *Orat.* 52. 226. Philosophus omnia ad voluptatem corporis doloremque referens. *Id. Dejot.* 2. 7. Tuum est, Cæsar, qui pro multis sæpe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre. *h. e.* respiciendo te ipsum conjecturam de me facere. *Id.* 1. *Legg.* 1. 5. Leges in historia ad veritatem referuntur, in poemate ad delectationem. *Varro* 1. *R. R.* 40. 6. Ita inserere oportet referentem ad fructum, meliori genere ut sit surculus, quam est, quo veniat, arbor. *h. e.* spectantem, rationem habentem. *Tac. Germ.* 34. Sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consuevimus. *h. e.* honori ejus tribuere, ita narrando, tamquam si ab eo actum sit. ¶ 14. Pro pertinere, *appartenere. Plaut. Pers.* 4. 4. 44. Te ex puella prius percontari volo, quæ ad rem referunt. — *NB. Referre opem*, pro ferre, tribuitur *Pacuvio* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 67. et ipsi *Cic.* 3. *Legg.* 19. 43.; sed utrobique dubia est lectio.

REFERSUS pro *refertus* legitur in *Not. Tir. p.* 150., ut alibi *farsus. V.* FARTUS.

RĒFERT, fĕrebat, tŭlit, ferre. — Notationem hujus verbi aliam a *refero* esse multi volunt. illud enim personale a *re* particula indeclinabili, et quæ in carmine semper corripitur: hoc impersonale a *res* vel *rei*, vel *re* ablativo, et *fert* conflari, et semper produci. Unde *Ovid.* 13. *Met.* 268. Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert contra Troasque Jovemque? Alii contra et impersonalia nulla esse docent in re grammatica, et absurdum esse ajunt, ut alia sit origo τοῦ *refero*, alia τοῦ *refert*: et non semper a poetis id servari, ut in *refero* prima corripiatur, in *refert* producatur, quum produxerit *Seren. Sammon.* 374. Sin etiam rutilus refertur pectore sanguis. tametsi alii aliter legunt. Verius esse τὸ *re* in compositis produci posse etiam non geminata consonante sequenti, quum sit anceps, ut in RE et alibi adnotavimus: recentiores autem, quoties *re* in compositis producitur, consonantem sequentem geminare solent — Ceterum *refert* est idem atque interest, ad rem pertinet, utile est, prodest, juvat, διαφέρει, προσήκει, συμφέρει (It. *importa, rileva, giova, appartiene*; Fr. *il est util, avantageux, il importe, il est important, il appartient à*; Hisp. *el es util, ventajoso, el es importante*; Germ. *es trägt hinsichtlich e. Sache bei, es nützt, ist zuträglich, nützlich, es kommt darauf an, geht an, liegt daran*; Angl. *it concerns, imports, profits, is the interest of*). — *a*) *Hoc refert* cum Genitivo pretii, vel aliis additis. *Plaut. Curc.* 4. 3. 23. Quid refert me fecisse regibus, ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit? *Ter. Heaut.* 3. 1. 58. Illud permagni referre arbitror, ut nescientem sentiat te id sibi dare. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 7. Tantum retulerit, ut in transferendis seminibus similem statum cæli locique observemus. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 7. Parvi refert, abs te jus dici diligenter, nisi etc. *Cæs.* apud *eumd.* 14. *Att.* 1. Magni refert, hic quid velit: sed quidquid vult, valde vult. *Cic. Cæl.* 23. 57. At quibus servis? Refert enim magnopere id ipsum. *Id.* 5. *Fam.* 9. Sed quanti id refert? *Id.* 3. *Orat.* 55. 211. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices. *Id.* 2. *Phil.* 12. 29. Quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? *Id.* 2. *Divinat.* 34. 72. Aves pascantur nec ne, quid refert? *et ibid.* 29. 62. Quasi si vero referat, quod fieri potest, quam id sæpe fiat. *et ibid.* 47. 99. Fac, in puero referre, ex qua affectione cæli primum spiritum duxerit. *Virg.* 2. *G.* 104. neque enim numero comprendere refert. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 61. Nec minimum refert, intacta rosaria primus, An sera carpas pæne relicta manu. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 90. Sed, quum ego ista omnia, bona dixero, tantum refert, quam magna dicam; quum expetenda, quam valde. *Id.* 1. *Tusc.* 33. 80. Et ipsi animi, magni refert, quasi in corpore locati sint. *Liv.* 2. 7. Adeone est fundata leviter fides, ut, ubi sim, quam qui sim, magis referat? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 157. Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis? *Sall. Cat.* 52. 16. Sin in tanto omnium metu (*Cæsar*) solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. — Cum Infinito pass. *Virg.* 3. *G.* 548. Præterea nec jam mutari pabula refert. *Sueton. Ner.* 1. Plures e familia cognosci referre arbitror, quo facilius appareat etc. — *b*) Cum *mea, tua, sua, nostra, vestra*; sive sint casus ablativi singulares feminini, sive accusativi plurales neutrius generis: qua de re, *Minerv. Sanct. l.* 3. *c.* 5. et *Voss. l.* 7. *de Grammat. c.* 29. legi possunt. *Sall. Jug.* 119. Faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua retulisse videretur. *Cic.* 5. *Fam.* 20. *circa med.* Non adscripsi id, quod tua nihil referebat. *Ter. Adelph.* 5. 4. 27. Id mea minime refert, qui sum natu maximus. — In illo *ejusd. Phorm.* 5. 3. 17. Quid istuc nostra? CHR. magni. et *Hecyr.* 3. 5. 60. Quid mea? vel *interest* vel *refert* subaudiendum est. — *c*) *Refert hoc ad aliquem, alicui, alicujus* etc. *Plaut. Epid.* 2. 2. 91. Quam ad rem istuc refert? *a che serve?* et *Id. Pers.* 4. 3. 44. Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persæ quid rerum gerant, Aut quid herus tuus? *Varro* 1. *R. R.* 16. 6. Quarto refert etiam ad fructus, quemadmodum vicinus in confinio consitum agrum habeat. — *Quintil.* 9. 4. 44. Plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas. *Tac.* 4. *Ann.* 33. Antiquis scriptoribus rarus obtrectator; nec refert cujusquam Punicas Romanasve acies lætius extuleris. Adde *Sall. Jug.* 111. allatum sub *b.* — *Plaut. Truc.* 2. 4. 40. Sed quid istuc? quoi rei id te assimulare retulit? *Horat.* 1. *Sat.* 1. 49. dic quid referat intra Naturæ fines viventi, jugera centum An mille aret. *Tac.* 15. *Ann.* 65. Quin et verba Flavii vulgabantur: non referre dedecori, si citharœdus demoveretur et tragœdus succederet. — *Juvenal.* 5. 123. nec minimo sane discrimine re-

fert, Quo gestu lepores et quo gallina secetur. — Plin. 18. Hist. nat. 31. 74. (317). Longitudo in his (torulis) refert, non crassitudo, spatiosa melius premunt. Id. 11. ibid. 51. 112. (268). Multum tamen in iis (ranis) refert et locorum natura: mutæ in Macedonia traduntur. — Lucret. 4. 984. Usque adeo magni refert studium atque voluptas, Et quibus in rebus consuerint esse operati Non homines solum, sed vero animalia cuncta. — d) Absolute. Tac. 6. Ann. 2. Cognitis Liviæ flagitiis, - atroces sententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam ejus, et bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur, tamquam referret. come se ciò importasse.

RĔFERTUS, a, um. V. REFERCIO.

RĔFERVĔO, ves, bŭi, vere, n. 2. Part. Refervens sub A. I. et II. — Referveo

A) Est idem atque iterum, aut valde ferveo.

I.) Proprie. Plin. 16. Hist. nat. 11. 22. (55). Item terebinthinam in sartagine referventi. In editione Sillig. legitur in cinere ferventi.

II.) Translate refervens ponitur pro vehementi et atroci. Cic. Rosc. Com. 6. 17. Nonne, ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et exstinguitur?

B) Est etiam refrigescere, fervere desinere. Cic. Brut. 91. 316. Contentio vocis reciderat, et quasi referbuerat oratio. Alii leg. referverat. V. FERVEO.

RĔFERVESCO, is, ere, n. inchoat. 3. iterum aut valde ferveo. Cic. 1. Divinat. 23. 46. Visum Mercurium e patera sanguinem fundere, qui, quum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. V. vocem præced.

RĔFESTĪNO, as, āvi, are, n. 1. Part. Refestinans. — Refestino est idem atque iterum festino. Rufin. apud Hieronym. 3. in Rufin. n. 6. Sed refestinante eo, qui ad te remeabat, malui paucis ad te, quam ad alios, pro tuis maledictis latius scribere. Hunc loquendi modum Hieronym. mox sordidissimæ elocutionis περισσολογίαν vocat. Utitur tamen etiam Paulin. Nolan. Epist. 45. (al. 44.). Qui a tenebris justissime refestinavit ad lucem suam.

RĔFĪBŬLO, as, āvi, are, a. 1. fibulam retexo, seu solvo. Martial. 9. 28. et cujus Refibulavit turgidum faber penem. h. e. fibulam peni inductam solvit.

RĔFĬCIO, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 3. (re et facio). Reficere primâ productâ Lucret. 1. 34. Reficit æterno devinctus vulnere amoris. Alii et ipse Lachmann. rectius leg. Rejicit. V. dicta in RE. — Refacta pro refecta legitur in Inscript. apud Orell. 3115. — Particip. Reficiens II. a.; Refectus I. 2., 3., 4., 5. et II. a. b.; et in fin.; Refecturus I. 2. et 4.; Reficiendus I. 1., 2., 5. et II. a. et b. — Reficio est idem atque iterum facio, restituo, ἐπισκευάζω, ἀναλαμβάνω (It. rifare, rimettere; Fr. faire de nouveau, retablir; Hisp. hacer de nuevo, restablecer; Germ. von Neuem machen, wiederherstellen, in der Stand setzen, vollständig machen, ausbessern; Angl. to make again or anew, repair, rebuild, amend).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, iterum facio, restituo. Nepos Timol. 3. Urbium mœnia disjecta fanaque deleta refecit. Id. Con. 4. extr. Muros dirutos reficiendos curat. Cæs. 2. B. C. 15.; et Sall. Jug. 70. Ea, quæ sunt amissa, reficere instituit. Ulp. Dig. 29. 1. 9. Videtur jure militari refecisse testamentum. ¶ 2. Latiori sensu, generatim est Ital. riparare, ristaurare, acconciare, restauro, renovo. Ulp. Dig. 43. 20. 1. Reficere est, quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. Verbo reficiendi (rivos) tegere, substruere, sarcire, ædificare, item advehere apportareque ea, quæ ad eamdem rem opus essent, continentur. Cic. 3. Verr. 54. 142. Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur: ego me refecturum esse dico. Id. Topic. 3. 15. Si ædes corruerunt vitiumve fecerunt, heres restituere non debet, nec reficere. Nepos Attic. 20. Quum ædes Jovis vetustate prolaberetur, Cæsar eam reficiendam curavit. Cæs. 1. B. C. 34. extr. Muros, classem portasque reficere. Horat. 1. Od. 1. 17. mox reficit rates Quassas. Sic Cæs. 5. B. G. 23. Naves invenit refectas. Id. 1. B. C. 41. Pons refectus. Plin. 11. Hist. nat. 24. 28. (84). de araneo. Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens. Cic. 16. Att. 3. Idem σύνταγμα misi ad te retractatius: et quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum et refectum. — Similiter de igne. Petron. Satyr. 136. Reficere ignem. riaccendere. et Ovid. 3. Fast. 144. vires flamma refecta capit. ¶ 3. Speciatim ponitur et pro supplere, substituere, supplire, sostituire, reclutare, ad explendum numerum. Cæs. 3. B. C. 87. Hæ copiæ, quas videtis, ex delectibus horum annorum sunt refectæ. Sall. 3. Histor. fragm. 77. § 13. ed. Kritz. Deinceps monet in laxiores agros magisque pomarios ut egrediantur, ubi priusquam refecto exercitu adesset Varinius, augeretur numerus lectis viris. Sic Liv. 3. 10. Hernici nunciant, Volscos et Æquos, etsi accisæ res sint, reficere exercitus. Virg. 3. G. 69. de ovibus. Semper erunt, quarum mutari corpora malis. Semper enim refice. — Huc referri potest et illud Liv. 3. 70. Priusquam hostis turbatos ordines reficeret, terga impugnare hostium satius visum est. et illud Nepot. Hann. 1. Paci serviundum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus calamitates belli ferre non posse intelligebat, sed ita, ut statim mente agitaret, si paullum modo res essent refectæ, bellum renovare Romanosque armis persequi. — Reficere tribum apud Cic. Planc. 18. 45. quid sit, V. Interpretes: non una est enim ejus loci et lectio et expositio. Orellius legit conficere. ¶ 4. Item speciatim, aliquando est conficere, colligere, redigere, ricavare. Varro 1. R. R. 24. 3. Hostum vocant, quod ex uno facto olei reficitur. Cic. 6. Parad. 1. 45. Numquam eris dives, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones possis. Liv. 35. 1. extr. Cetera (præda) vendenda quæstori data: quod inde refectum est, militi divisum. Justin. 9. 1. 9. In Scythiam prædandi causa profectus est, more negotiantium impensas belli alio bello refecturus. per cavare le spese d'una guerra da un' altra. et Cels. Dig. 50. 16. 88. Tantum quis pecuniæ relinquit, quantum ex bonis ejus refici potest. et Papinian. Dig. 26. 7. 38. circa med. Pecuniam ex venditionibus Romæ refectam in provinciam trajecit. ricavata. ¶ 5. Item, reficere aliquem consulem, tribunum, est ei magistratum continuare, in sequentem quoque annum creando, confermare. Cic. Amic. 25. 96. Quum ferret legem de tribunis plebis reficiendis. (De hac lege, V. Epit. Livii 59.). Liv. 2. 56. Plebs Voleronem tribunum reficit. Id. 3. 21. In reliquum magistratus continuari, et eosdem tribunos refici, judicare senatum contra rempubl. esse. Seneca Ep. 104. ante med. Refectus consul. h. e. cui consulatus in alterum annum continuatus est. Adde Liv. 3. 21.

II.) Translate est recreare, refovere, ricreare, ristorare, confortare, sollevare; et — a) Refertur ad corpus. Cic. 7. Fam. 26. extr. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam et vires et corpus amisi. Cæs. 7. B. G. 32. Exercitum reficere ex labore atque inopia. Auct. B. G. 8. 1. Quum milites hibernorum quiete a tantis laboribus reficere vellet. Plin. 26. Hist. nat. 11. 68. (109). Reficientibus se ab imbecillitate utilissima radix geranii. Liv. 37. 24. Cibo reficere vires. Sall. Jug. 18. Saucios cum cura reficit. Nepos Eumen. 9. extr. Ad lassitudinem sedandam militum ac reficienda jumenta. Cic. 3. ad Q. fr. 1. Ego ex magnis caloribus in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me refeci. Plin. Paneg. 77. Tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. Cic. 7. Att. 3. extr. Tironis reficiendi spes est in M'. Curio. h. e. sanandi. Seneca Ep. 7. Ex longo morbo refici. Plin. 37. Hist. nat. 5. 17. (66). Reficit aciem oculorum smaragdus. At Sillig. leg. recipit. Id. 31. ibid. 10. 46. 119. Nitrum reficit lassitudines. Id. 32. ibid. 6. 21. (64). Ostrea stomachum unice reficiunt. Martial. 4. 37. Reficere nauseam. Petron. Satyr. 111. a med. Refecta potione ac cibo. refiziata. et Stat. 1. Silv. 4. 112. arte refectus Telephus Æmonia. guarito. et Val. Flacc. 4. 391. Jamque refecta Jovi, paullatim in imagine prisca Ibat agris Io victrix Junonis. h. e. humanæ formæ restituta. Horat. 2. Ep. 2. 136. cognatorum opibus curisque refectus. h. e. sanatus, ad pristinum mentis statum restitutus. — b) Item ad animum. Cic. Planc. 1. 2. Vester, judices, conspectus reficit et recreat mentem meam. Id. Mil. 1. 2. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji consilium. Quintil. 10. 5. 17. Reficere ac reparare. Cic. 6. Verr. 47. 105. Ad ea, quæ dicturus sum, reficite vos, quæso, judices. h. e. a lassitudine audiendi vos recreate et vires ad audiendum resumite. Sall. Cat. 49. Sociorum animos reficere. Sic Liv. 33. 36. Reficere animos militum a terrore. Virg. 11. Æn. 731. reficitque in prœlia pulsos. h. e. cohortando in pugnam restituit. Cic. 12. Att. 14. Omnia nitor, non ad animum, sed ad vultum reficiendum. h. e. ad speciem non dolentis componendum. Liv. 9. 27. sub fin. Conspectu ducis refectus militum animus. rinvigorito. Tac. 6. Ann. 17. in fin. Refecta fides. rimesso il credito. Virg. 12. Æn. 788. armis animisque refecti. Id. 3. G. 235. refectæ vires. Id. ibid. 511. de ægris equis. furiisque refecti Ardebant. h. e. quos vinum infusum refecerat. Ovid. 6. Met. 827. subito collapsa dolore - cecidit, longoque refecta Tempore etc. rinvenuta. — c) Item ad alia. Nepos Agesil. 7. Post Leuctricam pugnam Lacedæmonii se numquam refecerunt. si riebbero, pristinas imperii vires recuperarunt. Varro 1. R. R. 2. 8. Nemo sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt, non posse refici. non poter rifarsi dello speso. et Virg. 3. G. 336. quum frigidus aera vesper Temperat, et saltus reficit jam roscida luna. rinfresca. et Ovid. 3. Fast. 711. Postera quum teneras aurora refecerit herbas. Adde Plin. 2. Hist. nat. 11. 8. (52). — Hinc Particip. præter. pass.

Refectus, a, um, cujus plurima exempla retulimus, adjective quoque occurrit; unde Comp. Refectior apud Capell. 2. p. 36. Ut refectior cælum sublimisque conscendas.

RĔFICTĬO, ōnis, f. 3. idem quod refectio: a refingo. Ulp. Dig. 43. 21. 1. § 7. Purgandi verbum ad eum rivum pertinet, qui refictione indiget: plerumque enim refictione et purgatione rivus indiget. Plerique vero leg. refectione.

RĔFĪGO, gis, xi, xum, gere, a. 3. (re et figo). Particip. Refixus I. — Refigo est idem ac quod fixum erat, avello, revello, evello, ἀποκαθηλόω (It. staccare, sconficcare, schiodare, spiccare; Fr. détacher, déclouer, desceller, arracher, enlever; Hisp. desclavar, arrancar, quitar los clavos, desellar, llevar; Germ. losreissen, abreissen, losmachen, was angeheftet, befestigt war; Angl. to pluck down what is fastened, unfasten unfix, unloose, loosen).

I.) Proprie. Cic. 12. Phil. 5. 12. Figentur rursus eæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis. Horat. 1. Ep. 18. 56. Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit. Val. Max. 1. 6. n. 10. Tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit. Cels. 6. 15. ad fin. Si dolor in gingivis est, moventurque aliqui dentes, refigi eos oportet: nam curationem impediunt. Plin. 35. Hist. nat. 2. 2. (7). Affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refigere liceret. Sil. It. 10. 601. clypeos in bella refigite captos. Seneca Vit. beat. 19. ad fin. Quum refigere se crucibus conentur, in quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adigit. Quintil. Declam. 10. 19. Refigere ferrum. Justin. 9. 7. 11. Refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit. h. e. cruci detractum. Virg. 5. Æn. 360. clipeum Neptuni sacro Danais de poste refixum. et ibid. 527. cælo ceu sæpe refixa Transcurrunt, crinemque volan-

tia sidera ducunt. *Claudian. IV. cons. Honor.* 496. non hasta refixas Vendit opes: avida sector non voce citatur. *h. e.* legitimis dominis proscriptione ereptas.

II.) Translate. ¶ 1. *Refigere leges*, abrogare, tollere, infringere, rescindere, *cassare, abolire, annullare. V.* FIGO. *Cic.* 13. *Phil.* 3. 5. Acta Antonii rescidistis, leges refixistis: per vim et contra auspicia latas decrevistis. *Id.* 12. *Fam.* 1. *ad fin.* Cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? — *Refigere jurgia*, resolvere, tollere, amovere, *levare, togliere. Horat.* 2. *Ep.* 3. 170. Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis Limitibus vicina refigit jurgia. Ita *Bentlej.* ex aliquot MSS. *Lambini.* Alii leg. *refugit.* ¶ 2. Est etiam liberum, solutum aliquid facere. *Curius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 29. Quo facilius - nostra refigere deportareque tuto possimus. *Ita leg.* Orellius: *alii* defigere. — *NB.* Pro figere, aut rursus figere. *Virg.* 4. *G.* 202. aulasque et cerea regna refigunt. Ubi *Servius*: *re* abundat: id est figunt. Alii tamen rectius leg. *refingunt.*

RĔFĬGŪRO, as, are, a. 1. ἀνατυπόω, iterum figuro. *Vulgat. interpr. Sapient.* 19. 6. Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur.

RĔFINGO, gis, gere, a. 3. (re *et* fingo). Particip. *Refingens.* — Refingere est rursus formare, facere, fingere. *Pacuvius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 91. *Müll.* Nulla res neque cicurare, neque mederi potis est, neque refingere. *At* Müllerus *leg.* reficere. *Virg.* 4. *G.* 222. *V.* locum in fine voc. præced. *Apul.* 3. *Met.* Hilari vultu renidens, quantumque poteram, lætiorem me refingens.

RĔFIRMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *refirmo*, firmatus, constitutus. *Sex. Ruf. Breviar.* 14. *sub fin.* Super ripam Tigridis limes est refirmatus.

RĔFIXUS, a, um. *V.* REFIGO.

RĔFLĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Est qui facile efflatur, ut Cibi facile reflabiles. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. *ante med.* ¶ 2. Item, qui, postquam pressus est, iterum tumet. *Zeno Veron. p.* 367. Delicate tumentis ac reflabilis tori plumeo sepulcro superba (*caro*).

RĔFLĀBRI Venti, recurrentes et reciproci, in contrarium scilicet flantes, modo antrorsum, modo retrorsum. *Apul. de Mundo.* Excursores venti habentur, qui directo spirant: reflabri, reciproci, et Cæcias putatur esse.

RĔFLĀGĬTO, as, are, a. 1. ἀναιτίζω, iterum flagito. *Catull.* 42. 6. *et* 10. Persequamur eam et reflagitemus.

RĔFLAMMO, as, are, a. 1. (re *et* flammo) in flammas iterum suscitare. *Non. p.* 440. 24. *Merc.* Inter *exstinguere* et inter *opprimere* interesse Cicero voluit de amicitia: quasi quod exstinguitur, possit reflammari; quod opprimitur, non queat.

RĔFLĀTĬO, ōnis, f. 3. *svaporamento*, evaporatio. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *ante med.* Erit tondendus æger usque ad cutem. Hinc etiam patientes partes levantur, quum ex alto reflatio quædam viarum nuditate permittitur. *Id.* 4. *ibid.* 3. *post init.* Tunc leviter compresso liquore, quo folliculi reflatio fiat, erit tentandum ne clysteris caverna (*h. e.* fistula) fuerit clausa.

RĔFLĀTUS, a, um, particip. *V.* REFLO.

RĔFLĀTUS, us, m. 4. ἀντίπνοια, flatus adversus, idest ventus contrarius.

I.) Proprie. *Cic.* 12. *Att.* 2. Hic rumores, quinquaginta naves delatas in Uticam reflatu hoc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (15). *de orca.* Quorum (*navigiorum*) unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum unda. *h. e.* exspiratione, efflatu.

II.) Translate. *Lactant.* 3. 29. *de Fortuna.* Doceat me, si potest, quæ sit illa vis, qui flatus iste, et qui reflatus. V. *Cic. loc. cit.* in REFLO sub *A.* II.

RĔFLECTO, ctis, xi, xum, ctere, a. 3. (re *et* flecto). Particip. *Reflectens* et *Reflexus* I. — Reflecto usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active est idem ac retro flecto, inflecto, retorqueo, ἀνακάμπτω (It. *ripiegare, torcere, rivoltare;* Fr. *recourber, replier, tourner en arrière, retourner, détourner;* Hisp. *encorvar, volver á plegar, plegar de nuevo, revolver, volver hacia atras, dar vuelta al reves;* Germ. *zurück,- rückwärtsbeugen,- drehen,- wenden, abwenden, umwenden, drehen;* Angl. *to bend or turn back, bend, bow, twist*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 50. 111. (265). Caudam sues intorquent, canum degeneres sub alvum reflectunt. *et ibid.* 37. 78. (199). Venter sanguine carentibus nullus: intestinus enim ab ore incipit, et quibusdam eodem reflectitur, ut sepiæ, polypo. *Val. Flacc.* 5. 455. odere tamen, visusque reflectunt. *Catull.* 45. 10. leviter caput reflectens. *Id.* 64. 112. Inde pedem victor multa cum laude reflexit. *Val. Max.* 7. 4. *n.* 5. Quum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit. *Seneca Thyest.* 428. Reflecte gressum, dum licet, teque eripe. *h. e.* refer pedem, revertere. *Id. Troad.* 46. ferox sæva manu Coma reflectens regium torta caput, Alto nefandum vulneri ferrum abdidit. *Id. Œdip.* 733. Sonuit reflexo classicum cornu, Lituusque adunco stridulos cantus Elisit ære. *Ovid.* 3. *Art. am.* 779.; et *Stat.* 1. *Achill.* 382. Reflexa cervix. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (100). Scarabæus, cui sunt cornicula reflexa. *Id.* 11. *ibid.* 37. 62. (165). Elephanto dentes intus ad mandendum quatuor: præterque eos qui prominent, masculis reflexi, feminis recti atque proni. ἀνασίμους habet *Aristot. Hist. anim. l.* 2. *c.* 11. h. e. sursum reflexos, repandos. *Capitolin. Pertin.* 12. Reflexus capillus. *h. e.* tortus, crispatus. — Et mediorum apud Græcos more. *Virg.* 8. *Æn.* 633. illam (*lupam*) tereti cervice reflexam Mulcere alternos (*pueros*). *h. e.* se reflectentem. *Ovid.* 5. *Met.* 547. *de Ascalapho vertente se in bubonem.* Inque caput crescit, longosque reflectitur ungues.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim pertinet ad lenitatem et misericordiam. *Cic.* 1. *Orat.* 12. 53. Causæ, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur. *Id. Sull.* 16. 46. Nonnumquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco ipse et reflecto. *Virg.* 10. *Æn.* 632. et in melius tua, qui potes, orsa reflectas. *Seneca Agam.* 155. At te reflectat conjugii nomen sacrum. *Ter. Adelph.* 3. 2. 8. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia repressit, neque reflexit. — *Reflectere animum*, vertere, flectere ad advertendum, *rivolger l'animo:* unde nostrum *riflettere. Virg.* 2. *Æn.* 741. Nec prius amissam (*Creusam*) respexi, animumque reflexi, Quam etc. *Mamertin. Grat. act.* 14. Ad Romanam urbem mentem reflexit. *Quintil. Declam.* 245. An si quis nostrum transfugisset, non ipsum modo *etc.*, idem non reflectemus in nos etc.? *non applicheremo a noi: non rivolgeremo a nostro proposito?* ¶ 2. Speciatim apud dialecticos est propositionem convertere. *Capell.* 4. *p.* 128. Secundus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et universali abdicativo universale abdicativum directum, ut est: omne justum honestum, nullum honestum turpe, nullum igitur justum turpe. Si reflectas: nullum igitur turpe justum, efficitur sextus modus. Adde *eumd. ibid. p.* 129.; et *Apul.* 3. *Dogm. Plat.*; et *V.* duas voces seqq.

B) Neutrorum more est retro vergere. *Lucret.* 3. 502. Inde ubi jam morbi reflexit causa, redditque In latebras acer corrupti corporis humor, Tum etc.

RĔFLEXIM, adverb. cui contrarium est directim. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Ex hac conjugatione primi modi fit illativum: si directim, universale, ut Omne igitur honestum utile est: si reflexim, particulare, ut Quoddam igitur utile est honestum. Adde *Capell.* 4. *p.* 128. et 129.

RĔFLEXĬO, ōnis, f. 3. conversio.

I.) Proprie. *Macrob.* 5. *Saturn.* 11. *ante med.* Crebram cervicis reflexionem in Palinuro sidera consulente descripsit.

II.) Translate apud dialecticos. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Verum hoc in simplici conversione, quæ in conclusionum illationibus reflexio nominatur. Adde *Capell.* 4. *p.* 129.

RĔFLEXUS, a, um, particip. *V.* REFLECTO.

RĔFLEXUS, us, m. 4. (reflecto). ¶ 1. Est sinus, recessus, locus reflexus. *Apul. Florid. n.* 6. Prope Oceani reflexus. ¶ 2. Est item regressus, *retrocessione. Cassiod.* 1. *Variar.* 35. Quum solis reflexu australia signa discurrens naturæ ordinem modificat, tumultuosas procellas aeris permixtione resuscitat. *h. e.* quum sol æquinoctium auctumnale regreditur.

RĔFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Reflans* sub *A.* I. et II. et sub *B.* 1.; *Reflatus* sub *B.* 1. et 2.; *Reflandus* sub *B.* 1. — Reflare usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more reflo est idem ac retro flo, contra spiro, ἀντιπνέω, *soffiare contra.*

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Att.* 7. Rhodum volo, inde Athenas, etsi Etesiæ valde reflant. *Id.* 1. *Tusc.* 49. 119. Quo utinam velis passis pervehi liceat! sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen etc. *Ammian.* 19. 10. 1. Maris casus superiores solitis ventorumque procellæ reflantium naves introire portum deterrebant.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Off.* 6. 19. *de Fortuna.* Magnam esse Fortunæ vim in utramque partem, quis ignorat? nam et quum prospero flatu fortunæ utimur, ad exitus pervehimur optatos: et quum reflavit, affligimur. Cf. locum *Lactant.* in v. *Reflatus, us*, II. *Ammian.* 31. 13. 19. Romani aliquoties reflante Fortuna - bellorum iniquitati cesserunt ad tempus.

B) Active. ¶ 1. Est exspirare, emittere. *Lucret.* 4. 935. Interiorem etiam partem spirantibus aer Verberat, hic idem quum ducitur atque reflatur. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* 2. Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. *ad fin.* Detractis capillis partes reflantur, plurima gravatione liberatæ. *h. e.* perspirant et difflantur. — Similiter est efflando spiritum ejicere, et facere ut quod inflatum erat, detumescat, *sgonfiare. Lamprid. Elagab.* 25. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes. Primus denique invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur. Cf. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. Reflata succositas. *svaporata.* et *Id.* 3. *Tard.* 3. Conjicienda etiam inflationis medela, quam Græci empneumatosin vocant: adhibenda denique reflantia, ut est quod appellamus diaspermaton, vel polyarchium, aut etc. Hæc enim valent etiam ventositatem tollere. ¶ 2. Item flando tumefacere, et extollere. *Apul.* 10. *Met.* Quam quidem laciniam curiosulus ventus nunc lasciviens reflabat, ut dimota etc. *Id.* 2. *ibid.* Signum perfecte luculentum, veste reflatum. *Id.* 4. *ibid. in fin.* Psychen mitis aura, vibratis hinc inde laciniis et reflato sinu sensim levatam vehens *etc.*

RĔFLŌRESCO, rescis, rŭi, rescere, n. inchoat. 3. (re *et* floresco). Particip. *Reflorescens* I. et II. — Refloresco est idem ac rursus floreo, *rifiorire*, ἀνανθέω.

I.) Proprie. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 47. (160). Pulegii natura in carnariis reflorescens sæpius dicta est. *Id.* 18. *ibid.* 16. 43. (146). Secatur incipiens florere, et quoties refloruit.

II.) Translate. *Sil. It.* 15. 741. Celsus, ceu prima reflorescente juventa, Ibat consul.

RĔFLŬĀMEN, inis, n. 3. quod refluit, superest. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 29. Parvula grammaticæ lambens refluamina guttæ. *h. e.* sectatus grammaticas quisquilias. *et* 2. *ibid.* 16. Siccavitque suo refluamina fluxa fluento.

RĔFLUCTŬO, as, are, n. 1. retro fluctuo. *Isid.* 13. *Orig.* 20. *de mari reciproco.* Motus, et corpus illud quod refluctuat.

RĔFLŬO, is, ere, n. 3. (re *et* fluo). Particip. *Refluens.* — Refluo est Ital. *scorrere indietro*, ἀναῤῥέω, retro fluo. *Ovid.* 8. *Met.* 162. Non secus ac liquidus Phrygiis Mæandros in arvis Ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque. *Virg.* 9. *Æn.* 31. ceu pingui flumine Nilus Quum refluit campis. *Id.* 4. *G.* 262. Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis. *Id.* 8. *Æn.* 240. Dis-

sultant ripæ refluitque exterritus amnis. *et ibid.* 86. Tybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem Lenit, et tacita refluens ita substitit unda etc. *Grat. Cyneg.* 174. Quid freta si Morinûm, dubio refluentia ponto, Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?

RĔFLŬUS, a, um, adject. παλίρροος, qui refluit, qui retrogrado fertur fluxu.

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 100. (219). Pontus semper extra meat in Propontidem, introrsus in Pontum numquam refluo mari. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 91. et refluo circumsona gurgite Thule. *h. e.* æstuanti et reciproco. *Sil. It.* 5. 624. refiui pugnarunt montibus amnes. *Apul.* 4. *Met.* Proximas oras refiui litoris petii. *h. e.* ad quod mare fluit et refluit. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. Ægrotus frequenti ac reflua saliva ore impleto spuere contendit.

II.) Translate. *Sedul. Carm. Pasch.* 3. *p.* 246. refluas dominorum lambere micas.

RĔFŌCILLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔFŌCILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Refocillatus.* — Refocillo (Ital. *ristorare, confortare*) est idem ac recreo, refoveo, reficio. *Seneca* 3. *Benef.* 9. Efficacibus remediis refocillasse lugentem. *Refocillasse* sync. pro *refocillavisse.* et *Plin.* 3. *Ep.* 14. Ipse paucis diebus ægre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit. *Alii leg.* focillatus. Adde *Ep.* 16. *sub fin.*, ubi eadem varia lectio. Certa est lectio apud *Hieronym. Vit. Malch.* Quibus (*camelis*) adscensis et nova sitarchia, id est annona, refocillati etc. *Illud* id est annona *glossam sapit.*

RĔFŎDĬO, fŏdis, fŏdi, fossum, fŏdere, a. 3. (re *et* fodio). Particip. *Refossus.* — Refodio est idem ac fodiendo eruo, effodio, *scavare,* ἀνορύσσω. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (158). Si ulli essent inferi, jam profecto illos avaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodissent. *Id.* 19. *ibid.* 5. 27. (88). Solum quam altissime refodere. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 28. Summas radices omnes refodiat ac persequatur. *Lucan.* 4. 292. tellure refossa Occultos latices quærunt. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 4. Refossas radices comburere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 16. (74). Orestis corpus oraculi jussu refossum. *disotterrato.*

RĔFORMĀBĬLIS, e, adject. qui reformari potest. *Hieronym. in Ps.* 2. Vas figuli, antequam in testam fuerit obduratum, si dissipetur, reformabile est.

RĔFORMĀTĬO, ōnis, f. 3. *trasformazione,* μεταμόρφωσις, formæ mutatio.

I.) Proprie. *Apul.* 3. *Met.* Nec ullum miseræ reformationis video solatium. *h. e.* qua ex homine in formam asini mutatus sum. *et mox.* Facilior reformationis hujus medela suppeditat. *et* 11. *ibid.* Populi mirantur facilitatem reformationis. *h. e.* qua ex asino in hominem rursus sum restitutus.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 58. *a med.* Quid de istis capiam, quæ modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere ideæ Platonicæ possunt? *riforma de' costumi.*

RĔFORMĀTOR, ōris, m. 3. *riformatore,* ἀναπλαστής, qui reformat, instaurator. *Plin.* 8. *Ep.* 12. Ipsarum litterarum jam senescentium reductor ac reformator. *Augustin.* in *Johann. tract.* 38. 8. Hominis formator et reformator, creator et recreator, factor et refactor. *leg.* refector.

RĔFORMĀTUS, a, um, particip. *V.* REFORMO.

RĔFORMĀTUS, us, m. 4. reformatio. *Tertull. advers. Valentin.* 13. Æonum tutelaris reformatus.

RĔFORMĪDĀTĬO, ōnis, f. 3. *timore,* φόβος, actus reformidandi, timor, metus. *Cic. Partit. orat.* 4. 11. In suasione autem aut spem aut reformidationem deliberantis.

RĔFORMĪDO, as, āvi, are, a. 1. (re *et* formido). Particip. *Reformidans* I. *a.* — Reformido est idem ac valde formido, περιφοβέομαι (It. *temere molto;* Fr. *reculer de crainte devant, craindre, redouter;* Hisp. *temer, tener miedo;* Germ. *vor etwas aus Furcht oder Scheu zurückweichen, etwas fürchten, scheuen;* Angl. *to fear much, dread, stand in awe of, shun or avoid trough fear*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 19. Pacis nomine bellum involutum reformido. *Id.* 3. *Fin.* 2. 7. Vulgi reprehensionem reformidans. *Id.* 5. *Tusc.* 30. 85. Imbecillius horrent dolorem et reformidant. *et* 1. *ibid.* 45. 108. Ita tetra sunt, ut ea fugiat et reformidet oratio. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Reverearis occursum, non reformides. *Id.* 5. *Ep.* 8. Nullius sibi conscius culpæ, posteritatis memoriam non reformidat. *Quintil.* 1. 2. 18. Assuescat jam a tenero non reformidare homines. *et ibid.* 1. 20. Ne amaritudinem studiorum semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. — *b*) Cum Infinito. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 9. Refugit animus eaque dicere reformidat, quæ etc. *Plin. Paneg.* 44. Quis comparari tibi non reformidet? — *c*) Cum *quod* conjunctione causali. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. *ad fin.* Neque se reformidare, quod in senatu Pompejus dixisset, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem tribui. — *d*) Cum Relativo. *Cic. Ligar.* 2. 6. Nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat. — *e*) Absolute. *Id. ibid.* 3. 6. Vide, quam non reformidem: vide etc. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 1. Jam dudum ausculto et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido.

II.) Translate de abstractis et rebus physicis. — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 51. Fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 13. Membra reformidant mollem quoque saucia tactum. *et* 3. *ibid.* 4. 49. reformidant insuetum lumina solem. *Virg.* 2. *G.* 369. *de vitibus.* Ante reformidant ferrum. *Pallad.* 9. *R. R.* 5. Lupinus cretam reformidat. — *b*) Absolute. *Colum.* 4. *R. R.* 9. 1. Quæ putatio non debet secundum articulum fieri, ne reformidet oculus. *patisca,* et *Id. ibid.* 33. 4. At quæ (*castanea*) radicibus exempta et deposita est, biennio reformidat. Adde *eumd. ibid.* 11. 1. et 24. 15.

RĔFORMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* formo). Particip. *Reformatus* I. et II.; *Reformandus* I. — Reformare est formam aliam inducere, vel pristinam reddere, μεταμορφόω.

I.) Proprie. *Ovid.* 11. *Met.* 253. Nec te decipiat centum mentita figuras: Sed preme quidquid erit, dum, quod fuit ante, reformet. *h. e.* formam, quam prius habebat, resumat. *Id.* 9. *ibid.* 399. reformatus primos Iolaus in annos. *Apul.* 11. *Met.* Hunc hodie Deæ numen augustum reformavit ad homines. *h. e.* humanæ formæ restituit. *Id.* 5. *ibid.* Quem temporis modici spatium repentina senecta reformavit. *trasformò.* et 3. *ibid.* Singula monstravit, quæ possunt rursus in facies hominum tales figuras reformare. *Id.* 11. *ibid. sub fin.* In alienam quampiam personam reformatus. *Id.* 7. *ibid.* Ducatum latrones unanimes ei deferunt, vestemque lautiusculam proferunt: sumeret, abjecto centunculo divite. Sic reformatus etc. *h. e.* mutata veste quasi in aliam formam versus. *Capitolin. Pertin.* 9. Reformandis viis pecuniam contulit. *Lactant.* 4. 26. Claudorum pedes ad officium gradiendi reformare. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 2. Hæc enim solas capitis partes in passione constitutas quadam mutatione reformant.

II.) Translate. *Plin. Paneg.* 53. Corruptos depravatosque mores reformare et corrigere. *riformare.* et *Eumen. Paneg. Constant.* 2. Solutam et perditam disciplinam reformare. *Inscript.* apud *Gruter.* 149. 4. IMP. CÆS. DIVI F. AVG. ORBE MARI ET TERRÂ PACATO, TEMPLO JANI CLVSO, ET REP. P. R. OPTIM. LEGIB. SANCTISS. INSTIT. REFORMATA etc. *riformata.* — *Val. Max.* 6. 5. *n.* 2. *extern.* Quum Themistocles ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret. *Apul.* 9. *Met.* Divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti, vel reformari non potest. *h. e.* mutari, inflecti. *Ulp. Dig.* 49. 1. 1. Appellandi usus nonnumquam bene latas sententias in pejus reformat. — Et pro restituere. *Paul. Sentent. recept.* 1. 12. 2. Is, qui ancillam corrupit alienam, aliam reformare cogendus est. Cf. *Cassiod.* 8. *Ep.* 23. Theodahado massas subter annexas præcipimus reformari, ejus feliciter dominio plenissime vindicandas.

RĔFOSSUS, a, um, particip. *V.* REFODIO.

RĔFŌTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔFŎVĔO, fōves, fōvi, fōtum, fŏvere, a. 2. (re *et* foveo). Particip. *Refovens* II.; *Refotus* I. et II.; *Refovendus* II. — Refoveo est idem fere quod foveo, refocillo, recreo, reficio: præsertim si modice calefaciendo fiat, ἀναθάλπω (It. *riscaldare, ristorare, confortare, rimettere in vigore;* Fr. *réchauffer, réconforter, rétablir, ranimer, faire revivre;* Hisp. *recalentar, conforter, avivar, dar nuevo vigor, restablecer;* Germ. *wieder erwärmen,* - *erfrischen,* - *pflegen,* - *erquicken,* - *beleben;* Angl. *to cherish, refresh, restore, revive, comfort, relieve*).

I.) Proprie. *Ovid.* 8. *Met.* 536. Dumque manet corpus, corpus refoventque foventque. *Lucan.* 8. 67. adstrictos refovet complexibus artus. *Ovid. Heroid.* 11. 58. Pressa refovisti pectora nostra tuis. *Curt.* 8. 4. 15. Ipse (*rex*) tum maxime admoto igne refovebat artus. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 3. Omni solo una præsens medicina est, ut stercore adjuves, et absumptas vires hoc velut pabulo refoveas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (99). Anguis, hiberna latebra visu obscurato, marathro herbæ sese affricans, oculos inungit ac refovet. *et paullo sup.* 97. Herba, qua se lacerti, quoties cum serpentibus conseruere pugnam, vulnerati refovent. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 19. Amat putari atque circumfodi, et parco humore inter siccitates sæpe refoveri. *Stat.* 6. *Theb.* 521. Dat vires refovetque Deus. *Sil. It.* 3. 637. Nec refovere datur torpentia membra quiete. *Sueton. Ner.* 27. Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis. *Apul.* 5. *Met.* A lassitudine viæ sedilibus refotæ. *et* 9. *ibid.* Mollitie cubiculi refota lassitudine, vegetus exsurgo.

II.) Translate. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 22. (98). Leni afflatu simulacra refovente. V. *Harduin. Ovid.* 2. *Amor.* 19. 15. *de amanti.* tepidosque refoverat ignes. *h. e.* suscitaverat. *Plin.* 3. *Ep.* 18. Studia prope exstincta refoventur. *Id. Paneg.* 18. Disciplinam castrorum lapsam exstinctamque refovisti. Adde *ibid.* 69. *Vellej.* 1. 15. 1. Post bellum vires refovendæ magis, quam spargendæ. *Curt.* 4. 4. 21. Longa pace cuncta refovente. *Sueton. Cæs.* 35. Dehinc Scipionem ac Jubam reliquias partium in Africa refoventes devicit. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret refoveretque. *Id.* 1. *Hist.* 31. Eos impensiore cura Galba refovebat. *Gell.* 15. 2. *in fin.* Calefacto refotoque animo.

RĔFRACTĀRĬŎLUS, a, um, adject. ἀντιτυπής, deminut. refractarii. *Cic.* 2. *Att.* 1. Fuit mihi commodum, quod in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat civis ille tuus (*Demosthenes*), et quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος videretur; curare, ut meæ quoque essent orationes, quæ consularés nominarentur. *h. e.* contumaci, concertatorio, jurgiorum et rixæ pleno, quum adversario contra dicenti resistitur, ejusque argumentatio contrariis rationibus, clamore, altercatione ac strepitu refringitur. Utitur autem deminutiva voce, quia comparat cum deliberativo dicendi genere, quod multo est gravius et augustius, quum sententia dicitur in senatu, aut ad populum verba fiunt de republica. In hoc enim nulli sunt clamores, nulla altercatio, sed perpetua oratione, gravibus verbis sententiisque res agitur. Itaque præ hoc leve illud et quasi nugatorium est. Hinc *Id. Brut.* 83. 287. Thucydides hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus.

RĔFRACTĀRĬUS, a, um, adject. *ostinato,* ἀντίτυπος, contumax, nimis suæ sententiæ tenax, a *refringendo,* tamquam obstantia refringens nulloque claustro se patiens coerceri. *Seneca Ep.* 73. Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiæ fideliter deditos contumaces esse ac refractarios et contemptores magistratuum. *V.* ENFRACTARIUS.

RĔFRACTĬO, ōnis, f. 3. actus refringendi, *rifrazione*, ἀνάκλασις. *Boeth. de syllogism. categor.* 2. *p.* 595. Syllogismi, qui κατὰ ἀνάκλασιν vocantur, id est per refractionem quamdam conversionemque propositionis, ut est: omne justum bonum est, omnis virtus justa est, quoddam bonum virtus est. Per conversionem refractionemque dicitur, quoniam quod universaliter colligebatur conversum, particulariter collectum est.

RĔFRACTĪVUS, a, um, adject. (refringo) qui a se ipse patitur. *Priscian.* 17. *p.* 1093. *Putsch.* Et Græci quidem composita invenerunt pronomina (id est ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ, ἑαυτοῦ), quibus utuntur, quando eadem persona in sese vel in suam, ut dictum est, possessionem facit aliquid, quæ ἰδιοπαθῆ vel ἀντανάκλαστα vocant, id est sui passa, vel a se patientia, sive refractiva, transitive a corporibus, quæ in se refringuntur. et *ibid. p.* 1098. Quum enim transitiva sunt vel refractiva, licet diversis uti numeris, ut etc.

RĔFRACTUS, a, um, particip. *V.* REFRINGO.

RĔFRACTUS, us, m. 4. idem ac refractio. Hanc vocem habet *Incert. Auct.* in *Analect. gramm. p.* 437.

RĔFRÆNO. *V.* REFRENO.

RĔFRĀGĀTĬO, ōnis, f. 3. *opposizione*, ἀντιμάχησις, repugnantia. *Augustin. Ep.* 177. Si in re facillima curvam refragationem et nodos difficultatis posuissem. *curvam* dicit, et *nodos* memorat respiciens ad *suffraginem* in corpore animalium. *Impp. Valentin. et Val. Cod.* 11. 10. 1. Solidos veterum principum veneratione formatos ita tradi et suscipi ab ementibus et distrahentibus, ut nihil omnino refragationis modo. Adde *Symmach. Ep.* 10. 50.

RĔFRĀGĀTOR, ōris, m. 3. *oppositore, contraddittore, avversario*, ἀντιχειροτονῶν, qui refragatur. *Ascon. initio exposit. orat. in toga cand.* Acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, quum petiit consulatum. *Impp. Honor. et Theod. Constit.* 11. *a Sirmond. edit.* Cui deinceps nullus impune refragator exsistat.

RĔFRĀGĀTUS, a, um, particip. *V.* REFRAGOR.

RĔFRĀGĀTUS, us, m. 4. idem ac refragatio. *Lactant.* ad *Stat.* 4. *Theb.* 468. Hæc signa aut testantur extorum promissus, si bona sint; aut, si contraria, refragatus. *In editionibus perperam legitur* refragantur.

RĔFRĀGĬUM, ĭi, n. 2. idem ac refragatio. *Ambros. in Psalm.* 35. Luctando corona quæritur, non reluctando; studio, non refragio comparando. Cf. *oppositum* suffragium.

RĔFRĀGO, as, are, a. 1. antique pro suffragor, teste *Nonio p.* 408. 9. *Merc.*, apud quem *Sisenn.* Multi populi, plurimæ contiones dictaturam omnibus animis et studiis refragabunt. *Alii leg.* suffragabunt; *Peter.* Suffragaverunt.

RĔFRĀGOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Particip. *Refragatus* II. — Refragor est idem atque adversor, obsto, oppugno, resisto petenti aliquid, cui *suffragor* contrarium est, ἀντιλέγω (It. *opporsi, resistere, contraddire*; Fr. *faire opposition, s'opposer à, combattre*; Hisp. *hacer oposicion, oponerse, resistir, combatir*; Germ. *sich widersetzen, widerstreben*; Angl. *to oppose, resist, vote against, cross, thwart, gainsay*).

I.) Proprie in re publica de iis dicitur, qui candidato vel aliquid petenti adversantur. *Cic. Mur.* 23. 46. Illa lex petitioni tuæ refragata est. *Id.* 11. *Phil.* 9. 20. Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amicissimo videar. Etsi quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? *Liv.* 45. 40. Tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benigne, hac ipsa summa nunciata, acclamassent. *Vellej.* 2. 40. 5. Pars optimatium refragabatur, ne pro missa civitatibus persolverentur.

II.) Translate. *Curt.* 9. 5. 21. Sed ipse, scilicet gloriæ suæ non refragatus, abfuisse se, missum in expeditionem, memoriæ tradidit. *h. e.* non suffragatus, *non secondando. Quintil.* 5. 7. 2. Tacita quædam cogitatio refragatur his omnibus. *Id.* 10. 6. 4. Ut is, cui non refragetur ingenium, acri studio adjutus tantum consequatur, ut etc. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Sunt enim quædam adolescentium auribus danda, præsertim si materia non refragetur. *Plin. alter* 19. *Hist. nat.* 8. 38. 127. Quidam hanc lactucam eunuchion vocant, quoniam hæc maxime refragetur Veneri. *V.* ASTYTIS et EUNUCHION.

RĔFRĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. *raffrenamento*, χολασμός, actus refrenandi. *Seneca* 3. *Ira* 15. Necessaria est ista refrenatio doloris.

RĔFRĒNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔFRĒNO *et* refræno, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* freno). De ratione scribendi *V.* FRENUM. — Particip. *Refrenatus* et *Refrenandus* II. — Refreno est idem ac freno, retraho et sisto, χαλιναγωγῶ (It. *porre il freno, imbrigliare, frenare*; Fr. *retenir par le frein, arrêter*; Hisp. *refrenar, contener, reprimir, detener*; Germ. *mit dem Zügel zurückhalten, - ziehen*; Angl. *to restrain, curb, bridle, ckeck, stay, keep or hold in, repress*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Curt.* 4. 16. 3. Refrenare equos jussi qui vehebantur, agmenque constitit. ¶ 2. Latiori sensu est cursum rei alicujus imminuere, sistere. *Lucret.* 6. 530. Et mora, quæ fluvios passim refrenat euntes. *Ovid. Heroid.* 6. 87. Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit. *Lucret.* 2. 274. Nam tum materiam totius corporis omnem Perspicuum 'st nobis invitis ire rapique, Donec eam refrenavit per membra voluntas.

II.) Translate est cohibere, comprimere, coercere, compescere, retinere, revocare, *raffrenare, trattenere, moderare. Cic.* 2. *Divinat.* 2. 4. Juventus his temporibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. *Lucret.* 1. 849. Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat. *Id.* 4. 1078. Blandaque refrenat morsus admixta voluptas. *Id.* 5. 115. Religione refrenatus ne forte rearis etc. *Quintil.* 8. *proœm.* 27. Cursum dicendi refrenare. *Cic. Cœl.* 31. 76. Magno ingenio adolescentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi sunt. *Id.* 11. *Phil.* 2. 4. Impetum furentis colligavit, progressu arcuit, a reditu refrenavit. *Id.* 5. *Parad.* 1. 33. Refrenare libidines, spernere voluptates, iracundiam tenere, coercere avaritiam. *Horat.* 3. *Od.* 24. 29. indomitam licentiam.

RĔFRĒNUS, a, um, adject. refrenatus, freno retractus. *Inscript.* apud *Henzen.* 7416. λ. (*vol. III. Inscripptt. Orell.*) HASTAM . EMINVS . QVÆ . IACVLAT . REFRENO . EX . EQVO. *Paullo ante* ibid. *hæc leguntur*: TEMPLA QVOQ ISTA VISE . PRECOR . PARVA . MAGNVS . IN . EFFIGIA . SVCCVSSVS . LÆVA . SONIPES . CVI . SVRGIT . IN . AVRAS . ALTERA . DVM . LETVM . LIBRAT . AB . AVRE . MANVS.

RĔFRĔQUENTO, as, āvi, are, a. 1. *Sueton. Aug.* 46. Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se refrequentavit. *h. e.* rursus frequentem reddidit, quum bellis civilibus et proscriptionibus exhausta esset. *Plerique alii rectius leg.* frequentavit.

RĔFRĬCO, frĭcas, frĭcŭi, frĭcātum, frĭcare, a. 1. (re *et* frico). Part. *Refricaturus* sub *A.* I. *b.* — Refricare est verbum *A*) Activum, et *B*) Neutrum.

A) Active est idem ac rursus, vel valde frico, *fregare di nuovo*, ἀναψάω.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 87. Id omne ita facito, et refricato denuo. *Seren. Sammon. c.* 27. *p.* 67. *retro ed. Ald.* Atque olei succo refricat turgentia membra. — *b*) Spectatim de vulneribus, quæ plerumque fricando renovantur, ut apud *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *extr.* Etenim parva (*motus*) adjectione neque ulcera refricantur, et in resumptione virtus corporis excitatur. *Cic.* 12. *Att.* 18. Quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sic *id.* 5. *ibid.* 15. Appii vulnera non refrico, sed apparent, nec occuli possunt. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 4. Refricare obductam reipubl. cicatricem.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a vulneribus (*V.* sub I. *b.*), metaleptice ponitur pro renovare. *Cic. Pis.* 33. 82. Sic tuis sceleribus rei publicæ præterita fata refricabis? *Id. Cœl.* 30. 71. Ut vetus illa fabula refricaretur. *Id.* 5. *Fam.* 17. *a med.* Refricare litteris desiderium ac dolorem. *Id.* 3. *Phil.* 7. 18. memoriam pulcherrimi facti. *Id. Sull.* 6. 19. Quum cædes, quum civium cruor, quum cinis patriæ versari ante oculos, atque animum memoria refricare cœperat. *h. e.* pungere, vellicare. *Ovid. Remed. am.* 729. Admonitu refricatur amor, vulnusque novatum Scinditur. *Apul.* 4. *Met.* Refricare lamentationes. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *a med.* Præcavenda etiam venus: facile autem hæc passio refricatur.

B) Neutrorum more. *Cic.* 10. *Att.* 17. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediat scriptionem meam. *h. e.* molestiam renovat.

RĔFRICTĬO, ōnis, f. 3. perfrictio. *Gloss. Cyrill.* Περίψυξις, refrictio.

RĔFRICTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔFRĪGĔO, frīges, frīgŭi *et* frixi, frictum, frīgere, n. 2. Particip. *Refrictus.* — Refrigere est It. *raffreddarsi*; refrigesco. *Veget.* 3. *Veterin.* 4. *ante med.* Si bos sudans in opere faciendo refriguit. *Marcell. Empir. c.* 36. *p.* 140. ed. *Ald.* Quod (*serpyllum*) oportet tamdiu coqui, quo usque ad olei mensuram liquor omnis veniat. Quum refriguerit, colatur diligenter. *Id. c.* 30. *p.* 132. Ut quum cocta fuerit, ad pondus supra scriptum veniat; et quum refrixerit, tolles etc. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *extr.* Tunc circumtexto linteolis vasculo et parum refricto etc. *e un po' raffreddato. Id.* 1. *Tard.* 4. *n.* 66. Aut strepitum vel clamorem (*ægrotantes*) audierint, aut vehementer refrixerint, vel igneis lavacris usi fuerint. *Scribon. Compos.* 241. Cera et resina liquefiunt; deinde, quum refrixerunt; raduntur.

RĔFRĪGĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Generatim est actus refrigerandi, *rinfrescamento*, ἀνάψυξις. *Cic. Senect.* 14. 46. Et refrigeratio æstate, et vicissim aut sol aut ignis hibernus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 16. Umbras arborum, fonticulorumque amœnitatem vel auræ refrigerationem captare. - In plur. num. *Plin. Valerian.* 1. 14. Ovi album infusum oculis epiphoras curat, et uredines mitigat, et refrigerationes præstat. ¶ 2. Speciatim in morbo est levamen, dolorum cessatio. *Veget.* 5. *Veter.* 56. 1. Terram pedibus tundit dolore cogente; intermissis horis refrigerationem sentit et requiem.

RĔFRĪGĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. *rinfrescativo, refrigerante*, ἀναψυκτικός, qui refrigerat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (151). Semini et foliis cicutæ refrigeratoria vis. *Id.* 22. *ibid.* 25. 70. (145). Lens refrigeratoriæ naturæ. *Pelagon. Veterin.* 28. 12.; et *Veget.* 2. *Veterin.* 29. 2. Potio refrigeratoria. *Veget.* 5. *ibid.* 64. 8. Refrigeratorius pastillus. et *Plin. Valerian.* 3. 14. In palustribus lens nascitur refrigeratoria sine comparatione.

RĔFRĪGĔRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ refrigerat. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (127). Est quidem natura omnibus (*lactucis*) refrigeratrix. Sic *Plin. Valerian.* 4. 4. Non dubitanter coriandro refrigeratrix potestas datur.

RĔFRĪGĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* REFRIGERO.

RĔFRĪGĔRĬUM, ĭi, n. 2. (refrigero) refrigeratio, *refrigerio.*

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Psalm.* 65. 11. Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium.

II.) Translate est solatium, levamen, recreatio. *Salvian.* 3. *Avar.* 11. Dives ille in Euangelio guttam refrigerii impetrare non poterat. Adde *Tertull. Apolog.* 39. *a med.* et *Virg. veland.* 9.; et *Oros.* 5. 15.

RĔFRĪGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* frigus). Part. *Refrigeratus* sub *A.* I. et II. 1. et 2.; *Refrigerandus* sub *A.* II. 1.

A) Active. Refrigerare est rem calidam frigidam facere, frigus alicui rei inducere, ἀναψύχω (It. *raffreddare*; Fr. *refroidir, rafraîchir*; Hisp. *refrigerar, refrescar, resfriar*; Germ. *wieder kalt -, kühl machen, kühlen, abkülen*; Angl. *to cool, chill, make cool or chill, refrigerate*).

I.) Proprie. — 1.°) Generatim. — Cum Ac-

ous. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 23. Refrigerato et exstincto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. *Id. Rosc. Com.* 6. 17. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (40). Neronis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Si mundus est Deus, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. *Cato R. R.* 92. Frumentum refrigeratum condito. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (13) *de unguento.* Ventilatur in coquendo, donec desinat olere: rursus refrigeratum odorem suum capit. *Id.* 22. *ibid.* 21. 28. (56). Refrigeratur panis. *et* 34. *ibid.* 18. 50. (170). Refrigeratum plumbum. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Refrigerato aere vespertino. *rinfrescata.* et *Id.* 1. *ibid.* 57. 3. Granaria sublimia faciunt, quæ non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus refrigerare possit. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 3. Doliola nova in sole siccant: deinde quum ea in umbra refrigeraverunt etc. Sunt qui hoc loco neutrorum more et intransitive usurpari putant. — Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 119. Stella Saturni refrigerat, Martis incendit. *V.* alia infra. — 2.°) Speciatim, de iis, quæ calorem æstumque in corpore minuunt. — Cum Accus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 20. 81. (213). Porcilaca manducata refrigerat intestina. *et ibid.* 3. 8. (17). Colocynthis recentes podagras refrigerat. — Absolute. *Cels.* 2. 27. Refrigerant olera, coriandrum, cucumis etc. *rinfrescano.* et *Varro* apud *Gell.* 13. 30. Vinum novum refrigerare, vetus calefacere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 6. (11). Pepones refrigerant maxime in cibo. *Id.* 23. *ibid.* 1. 27. (54). Aceto summa vis est in refrigerando. — 3.°) Mediorum apud Græcos significatione. *Cic. Senect.* 16. 57. Calescere apricatione vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari. *ricrearsi, rinfrescarsi.*

II.) Translate. ¶ 1. Est vigorem minuere, reprimere, languescere facere. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. Defessa ac refrigerata accusatio. *Id.* 3. *Fam.* 8. Refrigerato jam levissimo sermone provincialium. *Quintil. ep. ad Tryphon.* Refrigerato inventionis amore. *Id.* 5. 7. 26. Testis brevi interlocutione patroni refutandus est, aut aliquo, si continget, urbane dicto refrigerandus. *Vellej.* 2. 83. 2. Plancus refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. *h. e.* frigore imminutæ benevolentiæ et dissolutæ amicitiæ percussus. *V.* FRIGUS. ¶ 2. De iis, qui insulsi, inepti, frigidi sunt in dicendo. *Martial.* 3. 25. Si temperari balneum cupis fervens, Roga, lavetur, rhetorem Sabineum: Neronianas is refrigerat thermas. *Sueton. Vit. Lucani.* Siquidem ægre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, Neronem recessisse. *h. e.* aliorum contemptui exponendi. *Cf. eumd. Claud.* 41. Historiam cum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso. *h. e.* culpa sua commisit, ut frigida, seu minore cum studio audiretur. *V. integr. loc.* et *ejusd. loc. cit.* in paragr. seq. ¶ 3. *Refrigerari alicui* apud *Tertull. ad Scapul.* 4. *a med.* et *Anim.* 51. *sub fin.* est refrigerium seu opem ferre.

B) Neutrorum more.

I.) Proprie. *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115. *ed. Ald.* In unum permisce, et pone, ut conferveat, quod quum refrigeravit, facies pastillos. *Plin. Valerian.* 1. 37. Colligas in ollam, quam mittes in ignem; - tolles eam, et, quum refrigeravit, iterum teres. Sic *Id.* 3. 14. Omnes species reliquas in cacabo resolves et agitabis: quæ quum se miscuerint et refrigeraverint, supermittes etc. *Inscript.* apud *Henzen.* (*Inscript. Orell. vol.* 3.) 7418. M. VLPIVS MAXIMVS EQVES ROMANVS QVI ET LVPERCVS CVCVRRIT VIVS (*h. e.* hujus) LOCI REFRIGERAT. Præcedunt verba: In hoc tumulo jacet corpus exanimis (*sic*), cujus spiritus inter Deos receptus est.

II.) Translate. *Vulgat. vet.* (ed. *A. Maio*) *Genes.* 18. 4. Sumatur aqua, et laventur pedes vestri, et refrigerate sub arborem, et sumam panem, et manducabitis, et postea transietis.

RĔFRĪGESCENTĬA, æ, f. 1. idem quod refrigeratio. *Tertull. Anim.* 43. Sed nec somni refrigescentiam admittam.

RĔFRĪGESCO, gescis, xi, gescere, n. inchoat. 3. Particip. *Refrigescens* II. — Refrigesco est idem atque calore deposito frigidus fio, ἀναψύχομαι (It. *raffreddarsi*; Fr. *se refroidir, se rafraîchir*; Hisp. *refrigerarse, refrescarse, resfriarse*; Germ. *wieder kalt -, kühl werden, abkühlen, sich abkühlen*; Angl. *to grow cold, cool*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 105. Ubi bulliabit vinum, ignem subducito: ubi id vinum refrixerit, in dolium infundito. *Lucret.* 4. 703. Refrigescit enim cunctando plaga per auras. *Ovid.* 12. *Met.* 421. parvo cor vulnere læsum Corpore cum toto, post tela educta, refrixit. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 2. Refrigescere agrum, qui non stercoretur: peruri, si nimium stercoretur. *Aurel. Vict. Epit.* 13. Sudore (*Nerva*) correptus est; quo refrigescente horror corporis nimius initia febri præbuit. *Cels.* 4. 3. Sanguis vel calescit vel refrigescit. *Veget.* 4. *Veterin.* 12. 1. Si bos ex languore aliquo ad maciem deductus est, aut sudans in opere faciendo refrixit. *Ita* Schneid.; *vulgati libri* refriguit.

II.) Translate est languescere, vigorem amittere, remissum fieri, *cessare, raffreddarsi, rallentare il fervore.* — *a*) De rebus et abstractis. *Ter. Adelph.* 2. 2. 24. Ubi illinc rediero, nihil est: refrixerit res. (*Plaut. Pœn.* 4. 2. 92. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur). *Cic. Planc.* 23. 55. Crimen de nummis caluit re recenti: nunc in causa refrixit. *Id.* 5. *Phil.* 11. 30. Teretur interea tempus: belli apparatus refrigescent. *Id.* 9. *Fam.* 10. *extr.* et 15. *ibid.* 17. Unum vereor, ne hasta Cæsaris refrixerit. *Id.* 1. *Att.* 1. Quum Romæ a judiciis forum refrixerit. *Quintil.* 10. 7. 14. Recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnumquam mora stili refrigescunt. *Id.* 4. 3. 2. Dilatis diutius dicendi voluptatibus, oratio refrigescit. *Hieronym.* 6. in *Isaj.* 14. 15. Refrigescens caritas. — *b*) De hominibus. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 3. Memmius - Cæsaris adventu se sperat futurum consulem. Sed mirum in modum jacet. Domitius cum Messala certus esse videbatur. Scaurus refrixerat. Sic *Id.* 4. *Att.* 18. *med.* Corruerat alter, et plane, inquam, jacebat. Memmius autem, dirempta coitione invito Calvino, plane refrixerat.

RĔFRĪGO, is, ere, a. 3. *rifriggere*, idem quod frigo, torreo. *Festus*, cujus verba *V.* in REFRIVA.

RĔFRINGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (re et frango). Particip. *Refringens* I. *a.*; *Refractus* I. *a.* et II.; *Refringendus* II. — Refringo est idem atque effringo, perfringo, ἀνακλάω (It. *rompere, fracassare, spezzare*; Fr. *briser, ouvrir en forçant, enfoncer*; Hisp. *romper, quebrar, destrozar, abrir quebrando*; Germ. *zurück -, wieder brechen, erbrechen, aufbrechen*; Angl. *to break, break open or off*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Virg.* 6. *Æn.* 210. Corripit Æneas extemplo, avidusque refringit (*ramum aureum*). et *Stat.* 4. *Theb.* 139. *de Centauro ruenti.* silvas humeris et utroque refringens Pectore. *Catull.* 63. 86. Refringere virgulta pede. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 60. glæbam et resolvere in pulverem. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 17. (41). Leones, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi. — Sic Particip. *Refractus* apud *Lucret.* 4. 440. Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur Omnia converti. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (76). Ulmorum samara colligenda est, deinde biduo in umbra siccata, serenda, densa in refracto, terra super minutatim cribrata, *h. e.* in terra pastinata, occata et resoluta. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 1. Castanea sabulonem humidum vel refractum tofum non respuit. — *Refringi radius* dicitur, quum veluti repercussus, retro vel oblique flectitur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 59. 60. (150). Radium solis immissum cavæ nubi, repulsa acie in solem refringi. *si rifrange.* — *b*) Præsertim quum aperiendi et aditum sibi parandi causa quippiam rumpitur. *Plaut. Capt.* 4. 4. 10. Cellas refregit omnes reclusitque armarium. *Liv.* 34. 44. *sub fin.* Refringere carcerem. *Ennium* apud *Horat.* 1. *Sat.* 4. 61. et apud *Servium* ad *Virg.* 7. *Æn.* 622.; et *Ovid.* 6. *Met.* 597. portas. *Val. Flacc.* 1. 595. aditus et claustra. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 67. Seu clausam magna Babylona refregerat hasta. *h. e.* expugnaverat.

II.) Translate. *Cic. Mur.* 8. 17. Quum ego claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac non magis nobilitati, quam virtuti pateret. *Horat.* 3. *Od.* 3. 26. nec Priami domus Perjura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit. *h. e.* retundit, imminuit, perdomat, frangit. Sic *Propert.* 3. 2. 44. et Teutonicas Roma refringat opes. *et Nepos Lysand.* 1. Ut Atheniensium impotentem dominationem refringerent. *Liv.* 5. 37. Vim fortunæ ingruentem refringere. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 56. *sub fin.* Disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret. *Plin.* 3. *Ep.* 15. *ad fin.* Confido, me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei illarum delinimentis refringantur. *Id.* 9. *Ep.* 26. Laxandos esse eloquentiæ frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos. *Quintil.* 1. 3. 16. Pudor refringit animum et abjicit. *h. e.* quod ait *Plin.* 4. *Ep.* 7. Recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. — Sic Particip. præter. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *ad fin.* Multi enim largioribus cibis oppressi refracti sunt potius, quam resumpti. *Stat.* 4. *Silv.* 5. 8. Jam Zephyris Aquilo refractus. *h. e.* fractus, repulsus, victus. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Refractis pudoris et reverentiæ claustris. — *Refringere verba* apud *Stat.* 2. *Silv.* 1. 123. est in puerilem blandumque modum formare.

RĔFRĪVA Faba, quæ ex segete domum referebatur ad sacrificium: quasi *referiva*, a *refero*. *Festus* p. 277. 17. *Müll.* Refriva faba dicitur, ut ait Cincius, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocent fruges, ut domum datantes revirtico ad rem divinam faciendam. Ælius dubitat, an ea sit, quæ prolata in segetem domum referatur, an quæ refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, quum puls fabata Diis datur, nominatur refriva. Hæc *Fest.* *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (119). In eadem (*faba*) peculiaris religio. Namque fabam utique e frugibus referre mos est auspicii causa, quæ ideo refriva appellatur. Utroque loco alii *referiva* leg. *Marin. Frat. Arv. p.* 202. ut obscura *Festi* verba *datantes revirtico* aliquantulum illustret, hæc affert ex *Tab. Arv.* 41. *lin.* 27. Duo ad fruges petendas cum publicis discederunt, et reversi dextra dederunt, læva receperunt, deinde ad alterutrum sibi reddiderunt. Ita *revirtico* idem fere esset ac revertendo. At V. *Müllerum* in *Suppl. Annot. p.* 402, qui aliter legendum putat.

RĔFRONDESCO, is, ere, n. inchoat. 3. rursus frondesco. *Sidon. carm.* 22. 46. Sponte refrondescit per brachia roscida palmes.

RĔFRONTO, as, are, a. 1. *Gloss. Isid.* Refrontat, recellit a fronte. *scil.* capillos. V. *Lucani loc. cit.* in REFUGUS.

RĔFŪGA, æ, adject. comm. gen. *fuggitivo*, αὐτόμολος, fugitivus vel fugitiva, qui vel quæ aliorum dominium refugit. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. Refugæ ex opere metalli in metallum damnantur. *Macer ibid.* 49. 16. 13. Ejus fugam, qui, quum in carcere esset, discesserit, in numero desertorum non computandum, quia custodiæ refuga, non desertor militiæ est. Adde *Tertull. Habit. mul.* 5.

RĔFŬGĬO, fŭgis, fūgi, fŭgere, 3. Prima syllaba produci etiam potest. *Lucret.* 3. 69. Refugisse volunt longe, longeque recesse. *V.* dicta in RE. *Hæc* Forcellinus: *at* Lachmann. *leg.* Effugisse volunt longe, longeque remosse. — Particip. *Refugiens* sub *A.* I. *a.* et *c.* et II. 1. 2.; *Refugiendus* sub *B.* II. — Refugere est verbum *A*) Neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrum refugio est idem ac rursus fugio

fuga retrorsum me recipio, fugiendo recedo, ἀποφεύγω (It. *fuggire, rifuggire, ritirarsi;* Fr. *fuir en arrière, reculer en fuyant, s'enfuir, s'echapper, se retirer, s'éloigner;* Hisp. *huir hacia atras, huirse, escaparse, retirarse, alejarse;* Germ. *zurückfliehen, fliehen, zurückweichen;* Angl. *to flee or fly away, flee or run back, recede, retire, retreat*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 95. Qui ex acie refugerant milites, et animo perterriti etc. *Id.* 2. *ibid.* 34. Quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, sed admissis equis ad suos refugerunt. *et* 3. *ibid.* 24. Nostri veterani in portum refugiebant. *Auct. B. G.* 8. 36. Neminem ex cæde refugisse in castra, qui de accepta clade nuncium perferret. *Sueton. Aug.* 16. *a med.* Per devios tramites refugiens. *Cic.* 7. *Verr.* 38. 101. Reliqui Syracusas, classe amissa, refugerant. *Virg.* 7. *Æn.* 500. Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. — *b*) De rebus inanimis. *Ennius* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. Refugit timido sanguen. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Vites a caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. *Curt.* 9. 9. 26. Unde tantum redisset subito mare, quo pridie refugisset, - requirebant. — *c*) De locis, apte dicuntur *refugere,* quæ procul sita sunt, et veluti recedunt. *Virg.* 3. *Æn.* 536. refugitque a litore templum. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 24. (76). Pontus Euxinus longe refugientes occupat terras. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 6. Nam præstat a mari longo potius intervallo, quam brevi (*villas*) refugisse.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe ponitur pro abhorrere, abstinere, *aborrire, astenersi, scansarsi. Virg.* 2. *Æn.* 12. Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 9. Refugit animus, eaque dicere reformidat, quæ etc. *Id.* 12. *Att.* 18. Refugio a te admonendo. *Id.* 2. *Orat.* 3. 10. Sive judicio, sive pudore a dicendo et timiditate ingenua refugisti. *Sueton. Gramm.* 23. Qui eum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, devitare non posset. ¶ 2. Pro confugere, *ricoverarsi fuggendo. Cic. Dejot.* 11. 32. Quum esset productus, et tecum fuisset, refugit ad legatos. *Liv.* 23. 47. *in fin.* Quum refugientem ad urbem Claudius sequeretur. *Petron. Satyr.* 118. Forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, refugerunt.

B) Activum refugere est fugiendo devitare.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et brutis animalibus. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Impetum armati Antiochi ceterorumque tela atque incursus refugit. *Id. Rosc. Com.* 15. 45. Quem ego si ferrem judicem, refugere non deberet. *Horat.* 1. *Od.* 35. 34. Quid nos dura refugimus Ætas? *Virg.* 2. *Æn.* 379. Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit Attollentem iras et cærula colla tumentem. *Id.* 12. *ibid.* 753. *de cervo.* Mille fugit refugitque vias. — *b*) De rebus. *Lucan.* 2. 75. virum mors ipsa refugit. *Ovid.* 1. *Met.* 556. Oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum. Cf. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. 9. Juxta quem Tader fluvius Horci refugit Scipionis rogum. — *c*) Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 5. *ad amnem.* Parvus eras, memini: nec te transire refugi. *nè temei.* et *Horat.* 1. *Od.* 1. 33. nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton. *non isdegna.*

II.) Translate est devitare, recusare, *scansare, ricusare. Asin. Pollio* apud *Cic.* 11. *Fam.* 31. 3. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. *Sunt qui leg.* defugiam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 170. Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis Limitibus vicina refugit jurgia. *Virg.* 7. *Æn.* 618. Abstinuit tactu pater, aversusque refugit Fœda ministeria. *Ovid.* 7. *Met.* 95. Munera porrexit: Minos porrecta refugit. *Id. Heroid.* 14. 50. Castaque mandatum dextra refugit opus. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 7. Hic ager colono est pœnitendus ac tamquam pestilens refugiendus. *Justin.* 38. 7. 10. Justitiæ atque liberalitatis suæ nec ipsos milites quin experiantur testes refugere. *h. e.* recusare. *Quintil.* 9. 4. 31. Refugit teneram delicatamque modulandi voluptatem. *Id.* 4. 2. 43. Sunt hæc vitia refugienda. Adde *eumd.* 4. 5. 6. — *Colum.* 12. *R. R.* 52. 8. Et si qua sunt alia, quæ nunc memoriam meam refugiunt. *mi sfuggono dalla memoria.*

RĔFŬGISCO, is, ere, a. 3. idem ac refugio. *Commodian. Instruct.* 23. Paratus ad epulas et refugiscere præcepta.

RĔFŬGĬUM, ĭi, n. 2. perfugium, locus, ad quem confugimus, καταφυγή, *rifugio, ricovero.*

I.) Proprie. — *a*) Abstracte. *Frontin.* 1. *Strateg.* 11. *extr.* Fabius Maximus veritus, ne qua fiducia navium, ad quas refugium erat, minus constanter pugnaret exercitus, incendi eas - jussit. *Justin.* 11. 4. 9. Portas refugiis profugorum aperuere. — *b*) Concreto, uti ajunt, sensu, h. e. de loco, ad quem quis confugit. *Liv.* 9. 37. Ad castra, ad silvas diversi (*qui fugati erant*) tendebant. Silvæ tutius dedere refugium: nam castra in campis sita eodem die capiuntur. *Justin.* 2. 6. 11. Superfuerunt (*diluvio*), quos refugia montium receperunt. *Frontin.* 1. *Strateg.* 3. *extr.* Subjecit ditioni suæ hostes, quorum refugia nudaverat. *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. Abscondendi causa refugium servo præstare vel in suo agro vel in alieno loco ædificiove. — Speciatim *refugia* sunt loca domus abditiora et penitiora in quæ imminente vi majore vel hostium, vel incendii, se bonaque sua refugiendi hostium impetus, vel incendii causa paterfamilias conjicere solet. Hujusmodi loca aperire et pervia facere usufructuario non licet. *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. *a med.* Vel aditus posticasque vertere, vel refugia aperire.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. *Cic.* 2. *Off.* 8. 26. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus. *Sueton. Tib.* 35. Eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. *Justin.* 14. 2. 8. Eumenes - suppliciter singulos alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellans -, nunc refugia salutis suæ et unica præsidia. ¶ 2. Significat reditionem, et opponitur transfugio apud *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 15. Si lanx nostra pronior et vero gravior, non pigeat, neque pudeat a transfugio refugium facere, et a falsitate sub veritate cedere.

RĔFŬGO, as, are, a. 1. fugare, retrorsum fugare. *Hieronym. Exposit. in Ep. ad Philemon.* Et asserere, a se refugari Spiritum Sanctum, si corpusculi paullisper necessitatibus serviamus.

RĔFŬGUS, a, um, adject. *chi si ritira fuggendo, fuggitivo,* ἀποφεύγων, fugiendo recedens, se fuga subducens. — *a*) Adjective. *Ovid.* 10. *Met.* 42. et *Heroid.* 18. 182. nec Tantalus undam Captavit refugam. *Plin. Paneg.* 30. *a med.* Nilus non placido se mollique lapsu refugum abstulerat. *h. e.* quum post inundationem in alveum suum reflueret. *Lucan.* 1. 410. quum funditur ingens Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert. *Val. Flacc.* 3. 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur. *h. e.* qui statim atque ictum tulit, refugit. *Id.* 4. 41. Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra. *h. e.* quæ, dum ille amplecti conatur, se subtrahit. *Id.* 1. 579. Litore Trinacrio, refugique a parte Pelori. *h. e.* qui procul navigantibus vicinior videtur, quam re vera est: prope autem accedentibus recedere videtur; tam longe in mari apparet. *Lucan.* 10. 132. refugosque gerens a fronte capillos. *h. e.* a fronte reflexos et retrorsum rejectos. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 102. viæ refugæ cornipedum. *h. e.* in contrarium euntes. — *b*) Substantivorum more. *Tac.* 13. *Ann.* 40. Ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur. *Id.* 3. *Hist.* 61. Quidam in castra refugi cuncta formidine implebant.

REFULCIO, is, ire, a. 4. iterum fulcio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 117.

RĔFULGENTĬA, æ, f. 1. splendor, fulgor. *Apul. Florid. n.* 18. Lacunarium refulgentia.

RĔFULGĔO, ges, si, gere, n. 2. (re *et* fulgeo). Particip. *Refulgens* I. — Refulgeo est idem ac fulgorem remitto, resplendeo, ἀπολάμπω (It. *risplendere, brillare;* Fr. *briller, luir, resplendir;* Hisp. *brillar, resplendecer, relucir;* Germ. *zurückglänzen-, strahlen, erglänzen, wiederstrahlen;* Angl. *to reflect a shining brightness, be resplendent, shine bright, glitter*).

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Æn.* 623. quum cærula nubes Solis inardescit radiis longeque refulget. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (135). Nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (92). Carbunculi masculi acrius, feminæ languidius refulgentes. *Virg.* 1. *Æn.* 406. rosea cervice refulsit. *et* 2. *ibid.* 590. et pura per noctem in luce refulsit. *Horat.* 2. *Od.* 12. 27. quorum (*Castorum*) simul alba nautis Stella refulsit etc. *Ovid.* 2. *Art. am.* 721. oculos tremulo fulgore micantes, Ut sol a liquida sæpe refulget aqua. *Liv.* 8. 10. Ubi triarii consurrexerunt integri, refulgentibus armis etc. *Virg.* 9. *Æn.* 373. Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit. *Sil. It.* 9. 189. Strage virum mersus Trebia est, atque ora sepulto Lydia Flaminio premitur, lateque refulgent Ossibus ac nullo sulcantur vomere campi. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 14. Ubi æstas refulserit. *h. e.* apparuerit, advenerit.

II.) Translate. *Propert.* 3. 18. 8. Splendidaque a docto fama refulget avo. *Pers. prol.* 12. si dolosi spes refulserit nummi. *h. e.* spes apparuerit lucri et pecuniæ. *Vellej.* 2. 103. 5. Tum refulsit certa spes liberorum parentibus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 36. (60). Festinans ad lumina artis (*picturæ*), in quibus primus refulsit Apollodorus.

REFULGERAT, abat, are, impers. iterum fulgerat seu fulgurat. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 118.

RĔFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (re *et* fundo, is). Particip. *Refundens* et *Refusus* I. *a.*; *Refusurus* II. 1. — Refundo est idem ac rursus, aut vicissim fundo, regero, ἀναχέω (It. *rifondere, spargere di nuovo;* Fr. *verser, reverser, jeter, laisser s'écouler, faire écouler, épancher, répandre, vider;* Hisp. *reverter, rebosar, derramar, aciar, esparcir;* Germ. *zurückgiessen, - schütten, wiedergiessen, - sich ergiessen lassen;* Angl. *to pour back or again, refund*).

I.) Proprie. — *a*) De liquidis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. (et *Lucan.* 10. 258.). Stellæ aquarum vaporibus aluntur, quibus altæ renovatæque, refundunt eodem, et rursum trahunt indidem. *Ovid.* 11. *Met.* 488. Egerit hic fluctus (*e navi*), æquorque refundit in æquor. *Seneca Hippol.* 1030. Fluctus refundens ore physeter capax. *Lucan.* 2. 617. Portus erat, si non violentos Insula Coros Exciperet saxis, lassasque refunderet undas. *h. e.* repelleret. *Virg.* 7. *Æn.* 590. *de scopulo.* spumea circum Saxa fremunt, laterique illiso refunditur alga. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 101. 104. (223). Luna glaciem refundit. *h. e.* concretam glacie aquam rursus fundit et solvit. *Cels.* 7. 16. Si angustius vulnus est, quam ut intestina commode refundantur, incidendum est. — Sic Particip. præter. pass. *Virg.* 1. *Æn.* 129. Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis. *h. e.* aquas. quæ sunt in imo mari, excitatas et effusas toto æquore. *Id.* 6. *ibid.* 107. tenebrosa palus Acheronte refuso. *Lucan.* 8. 797. *de Pompejo.* situs est, qua terra extrema refuso Pendet in Oceano. *h. e.* in extremo litore, quod mari inundante superfunditur. *Ovid.* 11. *Met.* 657. Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso, Hæc ait. — *b*) Poetice de aliis rebus. *Val. Flacc.* 5. 255. anguis spiris nemus omne refusis Implicuit. *h. e.* effusis, expansis instar aquæ exundantis. *Alii leg.* reflexis. *Lucan.* 8. 105. sic fata, iterumque refusa Conjugis in gremium. *h. e.* se reclinans. Sic *Claudian. Epithal. Honor. præf.* 5. Præ-

þeretque Jovi communia pocula Chiron, Molliter obliqua parte refusus equi. *Sil. It.* 13. 322. Campi in spatium immensum refusi. *h. e.* patentes in morem æquoris.

II). Translate. ¶ 1. Est reddere, restituere, *rendere. Plin. Paneg.* 31. Refudimus Nilo suas copias: recepit frumenta, quæ miserat. *Valerian. Imp.* in *quadam epist.* apud *Trebell. Claud.* 14. Huic dabis loricam unam, quam refundat, cocum, quem refundat, unum mulionem, quem refundat, unum etc. *Ulp. Dig.* 12. 4. 5. *ad fin.* Consequens est, ut dicamus, eum refundere quod accepit. *Id. ibid.* 18. 2. 6. Fructus venditori refundere. *et ibid.* 19. 5. 5. *ad fin.* invicem impensas. *Id. ibid.* 15. 1. 9. *ad fin.* Ut caveat, refusurum se, si quid præstiterit dominus. *di rimborsare.* ¶ 2. Item effundere, profundere. *Claudian. B. Gild.* 162. distantibus idem Inter se vitiis cinctus: quodcumque profunda Traxit avaritia, luxu pejore refundit. ¶ 3. Item respuere, abjicere. *Id.* 1. *in Eutrop.* 91. quum serta refundit Canities. *h. e.* quæ utpote capillis rara male retinere possit serta delabentia. *Est qui legit* refutat. ¶ 4. Item transferre. *Spartian. Hadrian.* 9. *a med.* Quorum quidem necem in Tatiani consilia refundebat. *ascriveva.*

REFUNGOR, gĕris, gi, dep. 3. perfungor. *Gloss. Cyrill.* Ἀπολειτουργῶ, refungor.

RĔFUSCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *refusco,* contra fusco. *Cassiod. Complex. Apocal.* 12. Luna sanguineo oculo refuscata est.

RĔFŪSĒ, adverb. refundendo, regerendo. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 3. Nam semper in plano refusius egesta humus tumidior est, quam gradus soli crudi. *Pontedera* in *Op. post. T.* 2. *p.* 163., probante *Schneidero,* legit ex MS *in plano refusus ex egesta humo tumidior* etc.

RĔFŪSĬO, ōnis, f. 3. actus refundendi.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Saturn.* 21. *in fin.* Aquarius ipsam vim solis ostendit. Unde enim imber caderet in terras, nisi solis calor ad supera traheret humorem, cujus refusio pluvialis est copia?

II.) Translate. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 12. 1. 185. (*a.* 429.). Semel securitatem de refusione munerum emissam ab alio proconsule non liceat refricari. *h. e.* de solutione tributorum.

RĔFŪSŌRĬUS, a, um, adject. *Refusoriæ litteræ* dicuntur a *Sidon.* 9. *Ep.* 10. quibus aliquid remittitur.

RĔFŪSUS, a, um, particip. *V.* REFUNDO.

RĔFŪTĀBĬLIS, e, adject. rejiciendus. *Ambros. in Luc.* 8. 18. Relinquitur autem seminator zizaniorum, ex quibus refutabilis similago conficitur.

RĔFŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. *confutazione,* διάλυσις, ἀνασκευή, actus refutandi, confutatio. *Cic. Topic.* 25. 93. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quæ Græce στάσις dicitur, Latine appellatur status, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. *Quintil.* 4. 3. 15. Refutatio maledictorum. Adde *eumd.* 5. 13. 1. *et* 8.

RĔFŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui refutat. *Arnob.* 1. 32. Refutator incredulus.

RĔFŪTĀTŌRĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq. in fin.

RĔFŪTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad refutandum pertinens. *Imp. Constantin. Cod.* 7. 61. 1. *in fin.* Refutatorias preces offerre. Adde *ibid.* 62. 18. — Hinc

Refutatoria, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt scripta ad refutandum pertinentia. *Symmach.* 1. *Ep.* 31. Lectis gestis ac refutatoriis cohærentibus.

RĔFŪTĀTUS, a, um. *V.* REFUTO.

RĔFŪTĀTUS, us, m. 4. refutatio. In sexto casu sing. *Lucret.* 3. 525. Ancipitique refutatu convincere falsum.

RĔFŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Ratione habita etymi, alii deducunt a *re* et *futo* arguo; alii volunt esse a *refūtus* pro *refusus,* quod a *refundo: V.* CONFUTO. — Particip. *Refutatus* II. 1. et 2.; *Refutaturus* II. 1.; *Refutandus* I. et II. 2. — Refutare est repellere, reprimere, *rintuzzare, ricacciare indietro, reprimere.*

I.) Proprie. *Cic. Prov. cons.* 13. 32. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putaverunt. *stare sulla difensiva, piuttosto che sull'offensiva.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est non admittere, negare, respuere, improbare, *rifiutare, rigettare, disapprovare. Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 4. *G.* 218. Se regibus devovent et post eos vitam refutant. *rifiutano di vivere,* nolunt iis esse superstites. *Cic. Rabir. Post.* 16. 44. Quam bonitatem non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam et augere debetis. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 55. In primisque refutetur ac rejiciatur Philoctetæus ille clamor. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. Si in me impetum facere conabitur, resistam et ejus conatum refutabo. *Crassus* apud *Cic.* 3. *Orat.* 1. 4. Hæc tibi est excidenda lingua; qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Val. Flacc.* 6. 123. ubi jam vires aliæ, notosque refutat Arcus, et inceptus jam lancea temnit heriles. *Solin.* 22. *ante med.* Nummum refutant: dant res et accipiunt. *Capitolin. Antonin.* 5. Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis. *Arnob.* 4. 16. Arrogantiam refutaturus. — Quod est apud *Virg.* 12. *Æn.* 41. ad mortem si te (Fors dicta refutet) Prodiderim etc. dictum est, ut *absit omen, Dii averruncent, omen avertant* et hujusmodi. ¶ 2. Speciatim refuto est idem ac dicendo confuto, refello, redarguo, *confutare, convincere,* ἐξελέγχω. — *a*) Sæpissime cum Accus. *Lucret.* 2. 867. neque id manifesta refutant, Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt. *mostrano che sia falso.* Sic *Id.* 2. 244. nec fingere motus Obliquos videamur et id res vera refutet. *Cic. Vatin.* 1. 1. Nemo te ita refutandum, ut gravem adversarium, arbitrabatur. *Id. pro leg. Manil.* 17. 52. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis, refutata. *Id.* 2. *Orat.* 19. 80. Nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. *Id. Fontej.* 1. 1. Plus laboris consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis. *et ibid.* 16. 35. Sceleratorum perjuria testimoniis ac laudationibus suis refutare. *Id. Harusp. resp.* 13. 8. Refutare maledicta improborum hominum. *Sueton. Aug.* 71. Vitæ castitate infamiam impudicitiæ ex criminibus et maledictis refutare. *Liv.* 2. 52. *sub fin.* Non tribunos modo, sed plebem oratione feroci refutando. *riprendendo, sgridando.* — *b*) Cum Infinito. *Lucret.* 3. 350. si quis corpus sentire refutat etc.

RĒGĀLES, ĭum, m. 3. et

RĒGĀLĬA, ĭum, n. 3. *V.* REGALIS in fin.

RĒGĀLĬŎLUS, i, m. 2. *V.* REGAVIOLUS.

RĒGĀLIS, e, adject. (rex). Comp. *Regalior* et Sup. *Regalissimus* sub *a.* — Regalis est ad regem pertinens, rege dignus, regificus, regius, βασιλικός (It. *da re, reale o regale, regio;* Fr. *de roi, royal;* Hisp. *real, regio;* Germ. *z. Könige gehörig, königlich;* Angl. *of or belonging to a king, like or becoming a king kingly, royal, regal, princely*). — *a*) Generatim. *Nævius* apud *Non. p.* 322. 33. *Merc.* Vos qui regalis corporis custodias agitis, ite etc. *Horat.* 4. *Od.* 9. 16. Regalis cultus. *Seneca Œdip.* 835. Regale genus. *Cic.* 2. *de Rep.* (edente *A. Maio*) 12. *ad fin.* Nostri illi etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quæri oportere. *Id. Harusp. resp.* 25. 54. Regalis potestas. *Virg.* 1. *Æn.* 641. domus regali splendida luxu. *et ibid.* 690. Regalis mensa. *Id.* 7. *ibid.* 75. Regales comæ. *scil.* Laviniæ regis filiæ. *Propert.* 3. 13. 24. Regales manicæ, *h. e.* quæ regalis personæ manus vinciunt. *Val. Flacc.* 1. 820. regalia jussa. *Seneca Med.* 463. Regalis ira. *Liv.* 27. 19. animus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 2. (18). Regale unguentum. *scil.* quo utuntur reges. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (172). Regalis palma. *h. e.* rege digna, excellens, nobilis. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (110). Regalia impendia. *h. e.* magnifica, et qualia reges facere solent. *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Regalis sane et digna Æacidarum gente sententia. *Id. Senect.* 17. 59. Nihil tam regale videri, quam studium agri colendi. *Plaut. Capt.* 4. 2. 45. Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior: tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Majo*) 2. 33. Regalissimum munus. — *b*) Speciatim. *Regale carmen,* quo regum facta canuntur: cujusmodi est tragicum. *Ovid.* 2. *Trist.* 553. Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis. *Id.* 4. *Pont.* 16. 9. Quique dedit Latio carmen regale, Severus. — *c*) *Regalia fulmina,* quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca: quorum significatio regnum civitati minatur. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 49. ex *Cæcina.* — *d*) *Regalia exta,* inquit *Festus p.* 289. 27. *Müll.,* appellantur, quæ potentibus insperatum bonorem pollicentur, privatis et humilioribus hereditates, filio familiæ dominationem. — Hinc

Regales, ĭum, m. 3. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Aliquando dicti sunt regum filii et agnati, *principi reali, o del sangue,* βασιλικοί, ut *Vet. Grammaticus* apud *Putsch. p.* 2205. docet. *Ammian.* 16. 12. 26. Reges numero quinque regalesque decem et optimatum series magna. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 7. 1. 9. Neque regalibus, neque legatis sua milites jumenta suppeditent. ¶ 2. *Regales* etiam fuerunt, qui Formiis ordinem quemdam constituebant; cur vero ita fuerint dicti, omnino incertum. *Inscript.* Formiana abhinc paucis annis effossa, apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3884. L. VARRONIO L. F. PAL. CAPITONI SCRIBAE AEDILIC. ACCENSO VELATO II. VIRO QVINQVEN. CVRATORI AQVARVM PATRONO COLONIAE ORDO REGALIVM QVORVM HONORE CONTENTVS SVA PECVN. POSVIT. L. D. D. D. Ceterum *G. Grossi* in *Bibliot. analit. Napol. ann.* 1814. *April. p.* 57. putat, *Regales* fuisse appellatos incolas alicujus oppidi, quum hodieque locus quidam septem circiter ab urbe Formiis millib. pass. nuncupetur *Regali,* ibique plures veterum ædificiorum reliquiæ inventæ fuerint.

Regalia, ĭum, n. 3. absolute, substantivorum more,

I.) Proprie. ¶ 1. Sunt res rege dignæ. *Cassiod.* 5. *Variar.* 44. Fecimus utrique regalia. ¶ 2. Item palatium regis. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 30. Theodosius deflens ad regalia remeavit. *et* 11. *ibid.* 17. Nec aliter quam monasterium regalia videbantur.

II.) Translate. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 8. Prænoscentes animæ regalia in capite constituta. *h. e.* animæ nobilia, excellentia, magnifica.

RĒGĀLĬUS, adverb. comp. *V.* voc. seq. in fin.

RĒGĀLĬTER, adverb. *regalmente, da re,* βασιλικῶς, regum more, idest — *a*) Splendide, munifice. *Liv.* 42. 51. Sacrificio regaliter confecto. — *b*) Imperiose, superbe, tyrannice, pro imperio. *Ovid.* 2. *Met.* 397. precibusque minas regaliter addit. *Ammian.* 29. 1. 18. Sed inexpiabile illud erat, quod regaliter turgidus (*Valens*), pari eodemque jure, - nocentes innocentesque malignā insectatione - perurgebat. *Id.* 30. 1. 4. Idem Para regaliter vocatus et apud Tarsum Ciliciæ obsequiorum specie custoditus. — Compar. *Regalius* legitur apud *Jul. Valer. Alex. Ort.* 7. Postea vero regalius et competentius initiabatur.

RĔGAMMANS, antis, particip. ab inusit. *regammo,* duplicis gammæ figuram repræsentans, ut *Regammans limes* apud *Aggen. in Frontin. p.* 62. *Goes.* et *Regammans linea* apud *Auct. de limit. p.* 254. *V.* GAMMA et GAMMATUS.

RĒGĀVĬŎLUS, i, m. 2. τροχίλος, πρέσβυς, avis exigua, quæ aliter dicitur rex avium; trochilus. Alii putant esse galgulum, quæ avis Græce dicitur ἴκτερος, a colore. *Sueton. Cæs.* 81. Pridie autem easdem Idus avem regaviolum, cum laureo ramo Pompejanæ curiæ se inferentem, volucres varii generis e proximo nemore prosecutæ, ibidem discerpserunt. *V.* TROCHILUS. Ceterum *recentiores nonnulli leg.* regaliolum.

RĔGĔLĀTĬO, ōnis, f. 3. *didiacciamento,* actus regelandi. *Aggen. in Frontin. p.* 57. *Goes.* Gallia

togata immodicas Alpium nives in mare transmittit, et subitarum regelationum repentinas inundationes patitur. *Id. ibid. p.* 70. Subitarum regelationum repentina inundatione patitur injurias.

RĔGĔLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔGĔLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* gelo). Particip. *Regelatus A.* I. — Regelo

A) Est idem ac gelu resolvo, ἀποκρυσταλλῶ (It. *disghiacciare;* Fr. *faire dégeler, rechauffer;* Hisp. *deshelar;* Germ. *wiederaufthauen, erwärmen;* Angl. *to thaw*).

I.) Proprie. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 8. Ædificii solum matutino regelari ortu poterit. *Id.* 10. *ibid.* 77. Post ubi Riphææ torpentia frigora brumæ Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura. *Martial.* 3. 93. Quum bruma mensem sit tibi per Augustum, Regelare nec te pestilentia possit. *h. e.* quum adeo frigeas, ut ne pestilentia quidem, ardentissimus morbus, liberare te queat a frigore. — Sic Particip. *Regelatus* est gelu solutus, mollitus, tepefactus. *Martial.* 11. 8. Succina virginea quod regelata manu, subaudi *olent.* Sic *Id.* 5. 37. Quod succinorum rapta de manu glæba. Adde *eumd.* 9. 14. Nempe succina manu tractata, odoratiora fiunt. *Alii perperam leg.* relegata: quod quid sit, non facile dixeris. — Absolute. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 7. Itaque dum hæ (*vites*) regelare sinuntur etc. *h. e.* regelare se. At *Schneiderus Pontederam sequutus legit:* dum hæ regelatæ siccantur.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 67. Jam ætas mea contenta est suo frigore: vix media regelatur æstate.

B) Regelare est etiam refrigerare, *rinfrescare. Varro* 1. *R. R.* 57. 3. Granaria sublimia faciunt, quæ non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regelare possit. Quod *Plin.* aliis verbis sic tradit, 18. *Hist. nat.* 30. 73. (302). Alibi suspendunt granaria lignea columnis, et perflari undique malunt atque etiam a fundo.

RĔGĔMO, is, ere, n. 3. ingemo, gemitum reddo. *Stat.* 5. *Theb.* 389. dat operta fragorem Pinus, et abjunctis regemunt tabulata cavernis. *Id.* 8. *ibid.* 17. Tunc regemunt pigrique lacus ustæque paludes.

RĔGENDĀRĬUS, ii, m. 2. qui est a regestis, et scripta regerit, seu in codicem refert. *Cassiod.* 11. *Variar.* 29. Hinc est, quod Charterium regendarii locum feliciter obtinere censemus, ut spe futuri provectus avidius prætorianis possit inhærere laboribus.

RĔGĔNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. nova generatio, ἀναγέννησις, *rigenerazione.*

I.) Proprie. *Augustin.* 20. *Civ. D.* 5. Mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. *Id.* 15. *ibid.* 16. § 3. Terrena civitas generatione tantummodo, cælestis autem regeneratione opus habet, ut noxam generationem evadat. Adde *Vulgat. interpr. Matth.* 19. 28.

II). Translate. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8. § 5. Lavacrum regenerationis. *h. e.* baptismus. Cf. *Vulgat. Interpr. ad Tit.* 3. 5. Rursus *Augustin. loc. cit.* Fons regenerationis. *la fonte battesimale.*

RĔGĔNĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔGĔNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* genero). Particip. *Regeneratus* II. — Regenero est idem atque iterum genero, ἀναγεννάω, *rigenerare, riprodurre.*

I.) Proprie. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 11. 10. (50). Signa quædam nævosque et cicatrices etiam regenerari. *et ibid.* 12. 10. (51). Qui adulterio Æthiopis nata matre, nil a ceteris colore differente, ipse avum regeneravit Æthiopem. *h. e.* avo similis fuit: avi colorem in se retulit. *Id.* 12. *ibid.* 1. 5. (12). Sed ex ea primum in ipsa Creta platani satæ regeneravere vitium. *h. e.* rursus retulere vitium amittendi hieme folia. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 22. 28. (145).

II.) Translate. *Cassiod. Complex.* 1. *Timoth.* 1. Timotheum dicens filium fidei suæ, quem sanctæ Ecclesiæ constat regeneratum. *Isid.* 15. *Orig.* 4. Fons in delubris locus regeneratorum est. *il fonte battesimale.*

RĔGENS, entis. *V.* REGO in fin.

RĔGERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. ἀναβλάστησις, actus regerminandi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 34. (147). Castanea regerminatione cædua vel salice lætior. Adde *eumd.* 19. *ibid.* 7. 36. (122).

RĔGERMĬNO, as, are, n. 1. *germogliare di nuovo,* ἀναβλαστάνω, iterum germino. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (142). Et in Ænaria succisa (*cupressus*) regerminat. *Id.* 19. *ibid.* 7. 36. (122). Caule reciso fere quidem omnia regerminant.

RĔGĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (re *et* gero). Particip. *Regerens* I. 3.; *Regestus* I. 1., 2., 3., 4., 5., et in fin.; *Regerendus* I. 4. — Regero est idem ac retro gero seu porto, refero, ἀνακομίζω (It. *portare indietro, riportare;* Fr. *porter ou placer en arrière;* Hisp. *llevar ó traer ó poner hacia atras;* Germ. *zurücktragen, - bringen, - werfen, - schaffen;* Angl. *to bear or carry bak*).

I.) Proprie ¶ 1. Est, ut diximus, retro gerere seu portare, referre. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (30). In Syracusano agro advena cultor elapidato solo, perdidit fruges luto, donec regessit lapides. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (105). Longe a terra abest navium statio: lintribusque afferuntur onera et regeruntur. *Sillig. et alii leg.* eguntur: *alii aliter. Jabolen. Dig.* 7. 4. 34. *extr.* Si summa terra sublata ex fundo meo et alia regesta esset. Simile est illud *Senecæ Ep.* 15. Quibus ad votum dies est actus, si bene desudaverint, si in locum ejus, quod effluxit, multum potionis altius jejuno gutture regesserunt. *h. e.* ingesserunt, potaverunt. *Ovid.* 11. *Met.* 188. Indiciumque suæ vocis tellure regesta Obruit, et scrobibus tacitus discedit opertis. *h. e.* iterum aggesta humo, quam effoderat. ¶ 2. Est etiam aggero, congero. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 13. In acervum culmos regerant. *Seneca Thyest.* 767. Impositas dapes Transiluit ignis, inque trepidantes focos Bis ter regestus, et pati jussus moram, Invitus ardet. ¶ 3. Item remitto, reddo, *mandare o gettare indietro, rimandare. Tac.* 2. *Hist.* 21. Sive ab oppugnatoribus incensum (*amphitheatrum*), dum faces in obsessos jaculantur; sive ab obsessis, dum regerunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (46). Lunam in coitu non cerni, quoniam haustum omnem lucis aversa illo regerat, unde acceperit. *Id.* 37. *ibid.* 9. 47. (131). Gemma contraria soli regerens candicantes radios. *Seneca Agam.* 223. Et tota captæ fata Dardaniæ domus regesta Danais. *Tertull. Pall.* 1. Habitus quadrangulus, ab utroque laterum regestus. *gettato a dietro sull' una e l' altra parte.* ¶ 4. Item egero, extraho, evello. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 4. Diligentissime refossas omnes radices in summum regeri atque comburi. *Varro* 1. *R. R.* 64. 2. Decoquunt in ahenis, duas partes quoad regerunt. *h. e.* igne expellunt et absumunt. *Sever. Ætn.* 433. Et lapis adcretus regerendis ignibus aptus. *pietra focaja. Colum.* 11. *R. R.* 3. 6. Resolutaque humus, quæ erat auctumno regesta, usque ad mediam sulcorum altitudinem reponitur. V. *Regestum, i,* in fin. ¶ 5. Item transfero, transcribo, *trascrivere:* quod referre sæpius dicimus. *Quintil.* 2. 11. 7. Ex diversis congesta oratio cohærere non potest: similisque est commentariis puerorum, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerunt. *Id.* 3. 6. 59. Sunt enim velut regestæ in hos commentarios, quas adolescens deduxerat, scholæ. V. *Regesta, orum,* in fin.

II.) Translate est rejicere, retorquere. *Seneca Hippol.* 720. Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam Venerem arguamus. *h. e.* vertamus in ipsum. *Plin.* 10. *Ep.* 30. Dum communem culpam hi in illos, illi in hos regerere posse confidunt. *Plin. alter* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (91). Mensarum insania, quas feminæ viris contra margaritas regerunt. *h. e.* objiciunt viris, quando ab his accusantur nimii luxus in margaritis. *Cassius* ad *Cic.* 15. *Fam.* 19. Pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut etc. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 29. Regerere convicia. *Seneca Œdip.* 638. Egit qui in ortus semet, et matri impios Fetus regessit. (De Œdipo loquitur, qui matrem inscius uxorem duxit, et ex ea liberos procreavit). *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus. *h. e.* in caput aliorum recidere, imprecando jubemus. *Quintil.* 11. 1. et *Tac.* 3. *Hist.* 78. Regerere invidiam in eum, qui nos coegit. — Hinc

Regestum, i, n. 2. absolute, substantivorum more (*V.* supra I. 4.), est terra effossa et egesta et in aliquam altitudinem elevata. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 10. Ejusque abunde est gradum effodere tribus pedibus, ut in quatuor consurgat regestum. *Id.* 3. *ibid.* 13. 8. Quum a superiore parte in inferiorem detrahitur humus, vix justum pastinationi præbet regestum.

Regesta, ōrum, n. plur. 3. absolute, substantivorum more (*V.* supra I. 5.), sunt res multæ in unum collectæ, et in tabulas et commentarios relatæ, quæ vulgo corrupte *registra* dicunt, *registri. Vopisc. Prob.* 2. Usus sum etiam regestis scribarum porticus porphyreticæ, actis etiam senatus ac populi. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1131. Hic in regestis est liber cælestibus, Monimenta servans laudis indelebilis. *Papir. Diplom. n.* 82. *col.* 2. *lin.* 7. (pertinet ad n. 489.). Regestum s. d. et loco, quo supra. *h. e.* sub die.

RĔGESTA, ōrum, n. plur. *et*

RĔGESTUM, i, n. 2. *V.* voc. præced. in fin.

RĔGESTUS, a, um. *V.* REGERO.

RĒGĬA, æ, f. 1. proprie adjectiva vox est et *domus* subintelligitur; est enim domus regis, aula, βασιλική, βασίλειον (It. *palazzo reale, reggia;* Fr. *palais d'un roi, château, cour;* Hisp. *palacio, castillo, corte;* Germ. d. *königliche Palast, Schloss, Burg, königsburg;* Angl. *a palace, royal palace*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 52. (et *Cæs.* 3. *B. C.* 112. *a med.*). In regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem. *Ovid.* 6. *Fast.* 264. intonsi regia magna Numæ. *Liv.* 35. 31. Regiam ædificare. *Horat.* 1. *Od.* 37. 25. Ausa (*Cleopatra*) et jacentem visere regiam Vultu sereno. *Id.* 2. *ibid.* 18. 5. neque Attali Ignotus heres regiam occupavi. — *Virg.* 1. *G.* 503. regia cæli. *scil.* quia sedes ac domicilium Jovis. Sic *Id.* 7. *Æn.* 210. Aurea nunc solio stellantis regia cæli (*illum*) Accipit. *Ovid.* 2. *Met.* 1. Regia Solis erat sublimibus alta columnis. *Id.* 4. *ibid.* 438. Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis. *Virg.* 8. *Æn.* 242. *regiam* vocat speluncam Caci latronis. ¶ 2. Specialim, Romæ in sacra via, in quarta regione Urbis, (ut est apud *Ascon. in Milon.* 14.) locus fuit *regiæ* nomine, ita dictus, vel quia ibi sacra a rege sacrificulo fiebant, vel quia in eum sacrorum causa, tamquam in fanum conveniebant, convocati a pontifice max., qui erat regiæ quodammodo dignitatis: quæ duæ causæ apud *Festum p.* 278. 21. *Müll.* leguntur: prior etiam apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 363. Sunt etiam qui putant, hoc ei nomen hæsisse, quod eo loci regia Numæ fuerit: quod tamen minime admittendum est; hæc enim Numæ regia fuit in regione octava Urbis. Ibi Agonalibus aries immolabatur, teste *Varron.* 6. *L. L.* 12. *Müll.* In eam mense Octobri cauda equi, mactati in campo Martio, deferebatur, ut *Festus* tradit *p.* 178. 29. *Müll.* Flaminica quotmensibus nundinarum tempore Jovi ariete faciebat, ut est apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *a med.* Regina sacrorum porcam vel agnam Junoni immolabat. *Id. ibid.* 15. *ad fin.* Denique ibi concilium pontificum haberi solitum, colligimus ex *Plin.* 4. *Ep.* 11., ubi Domitianum reprehendit, quod jure pontificis maximi reliquos pontifices, non in regiam, sed in Albanam villam convocaverat. Ejus mentio est etiam his verbis apud *Cic. Mil.* 14. 37. Nuper quidem, ut scitis, me ad regiam pæne confecit. Adde *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 18. (48).; *Augustum* apud *Sueton. Aug.* 76.; et *Gell.* 4. 6. ubi refert hæc veteris senatusconsulti verba: Quod C. Julius L. F. pontifex nunciavit, in sacrario in regia hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt etc.

II.) Translate. ¶ 1. Regia dicitur tabernacu-

lum, tentorium, ubi militiæ cum exercitu rex tendit. *Liv.* 2. 12. *a med.*; et *Curt.* 9. 5. 30., 6. 2. 9. et 7. 1. 4. ¶ 2. Metonymice, ipsæ regiæ personæ. *Liv.* 24. 22. *ad fin.* Quicumque aut propinquitate aut affinitate aut aliquibus ministeriis regiam contigissent. *Curt.* 6. 6. 2. Patrios mores disciplinamque Macedonum regum salubriter temperatam et civilem habitum velut leviora magnitudine sua ducens (*Alexander*), Persicæ regiæ par Deorum potentiæ fastigium æmulabatur. ¶ 3. Item aulicorum vita et conditio. *Petron. Satyr.* 5. Nec curet alto regiam trucem vultu. ¶ 4. Item urbs, in qua rex degit. *Virg.* 9. *Æn.* 737. dotalis regia Amatæ. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 2. Crœsi regia, Sardes. Adde *Plin.* 5. *Hist. nat.* 2. 1. (19). ¶ 5. Item domus C. Julii Cæsaris, quam invidiose regiam vocat *Cic.* 10. *Att.* 3. Visum te ajunt in regia; nec reprehendo, quippe quum ipse istam reprehensionem non fugerim. ¶ 6. Item stabulum armenti. *Val. Flacc.* 5. 67. Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus Fertur óvans etc. ¶ 7. *Regia theatri*, pars theatri vel potius scænæ nobilior, in modum aulæ regiæ exornata, βασίλειον. *Vitruv.* 5. 7. *ad fin.* Ipsæ scænæ suas habeant rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra ac sinistra hospitalia. *Ascon.* in *fragm. orat. pro Scauro a med.* Quatuor columnæ marmoreæ, quæ nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur. *Sueton. Aug.* 31. Pompeji statuam, contra theatri ejus regiam, marmoreo Jano supposuit. Alii putant ab *Ascon.* et *Sueton.* designari domum magnificam et regiæ similem, theatro adjunctam: quod eorum verbis est profecto conformius. Et fortasse eadem est cum *basilica:* utraque enim vox idem sonat. *V.* BASILICA. Hoc sensu *Stat.* 1. *Silv.* 1. 30. Illic belligeri sublimis regia Pauli. *h. e.* a L. Æmilio Paullo, qui consul fuit ann. U. C. DCCIV., temporibus Ciceronis, de novo exstructa, perfecta ab alio Æmilio ann. U. C. DCCXX. sub Augusto: denique quum incendio pæne corruisset, restituta a M'. Lepido sub Tiberio. *Cic.* 4. *Att.* 16. *ad fin.*; et *Tac.* 3. *Ann.* 72.

RĔGĬBĬLIS, e, adject. qui facile regi potest. *Ammian.* 16. 12. 10. Juventus regibilis et consulta. *Id.* 19. 7. 3. Regibilis acies. *Id.* 27. 10. 9. et 24. 3. 8. miles.

RĒGĬĒ, adverb. *regalmente*, βασιλικῶς, regio more, ut rex solet, vel ut decet regem. *Varro* 1. *R. R.* 2. 10. Regie polita ædificia. *Plaut. Stich.* 2. 2. 53. Advexit lectos eburatos, auratos. GE. accubabo regie. *Cic.* 5. *Verr.* 48. 115. Ut ea, quæ regie seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, prætermittam. *da sovrano e padrone assoluto.*

RĒGĬFĬCĒ, adverb. *regalmente, sontuosamente*, βασιλικῶς, regio apparatu, splendide, sumptuose, regie. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. ex *Ennio*. Vidi ego te, astante ope barbarica, Tectis cælatis, laqueatis, Auro, ebore, instructam regifice. *Sil. It.* 11. 273. Regifice exstructis celebrant convivia mensis.

RĒGĬFĬCUS, a, um, adject. *regale, magnifico, sontuoso*, βασιλικός, regius, magnificus, splendidus. *Virg.* 6. *Æn.* 604. epulæque ante ora paratæ Regifico luxu. *Val. Flacc.* 2. 652. Stant gemmis auroque tori mensæque paratu Regifico.

RĒGĬFŪGĬUM, ĭi, n. 2. — *a*) Est festus dies Romæ in memoriam fugæ Tarquinii Superbi ex Urbe, quum post Lucretiæ mortem a Bruto exactus est, et libertas populo parta. *Ovid.* 2. *Fast.* 685. Nunc dicenda mihi regis fuga, traxit ab illa Sextus ab extremo nomina mense dies. *h. e.* sexto Kal. Mart., qui dies in *Kalendar. Maffeior.* apud *Gruter.* 133. REGIF. notatur. *Auson. Ecl. de fer. R.* 13. Nec regifugium, pulsis ex Urbe tyrannis, Lætum Romanis fas reticere diem. (Hic licenter secunda producitur metri necessitate). *Festus p.* 278. 6. *Müll.* Regifugium dies notatur in Fastis VI. Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit etc. *V. ejusd. loc. cit.* in COMITIO. *V.* infra et FUGALIA. — *b*) Quidam ex loco *Macrobii* mox afferendo perperam putarunt, Tarquinium Kal. Juniis pulsum fuisse, quod ille auctor minime affirmat, sed potius, Junium Brutum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reum sacra fecisse, post debellatos nempe Etruscos, qui ad restituendum Tarquinium contra Romanos exercitum duxerant, et post fugatum e prœlio Tarquinium; atque ita eodem die ipsum Brutum annua consulis jura cepisse. *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. *a med.* Nonnulli putaverunt, Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romæ consul factus est, nominatum, quod hoc mense, id est Kalendis Juniis, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. — *c*) *Regifugium* fuit etiam IX. Kal. Martias, et IX. Kal. Junias, qui dies in *Kalend. Maffejor., Prœnestin.* et *Vatican.* ita notatur: Q. R. C. F., de quibus notis ita *Ovid.* 5. *Fast.* 728. Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis, Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest. *Verr. Flaccus* in *Kalend. Prœnestin.* ad IX. Kal. Martias hæc habet apud *Foggin.* Hunc diem plerique perperam putant Q. R. C. F. appellari, quod eo die ex comitio fugerit rex. Nam neque Tarquinius abiit ex comitio, et alio quoque mense (*scil.* IX. Kal. Junias) eadem sacra fiunt. Ex his patet, eas notas Q. R. C. F. duplici modo jam ab antiquis explicatas fuisse; nempe aut, Quando Rex Comitiavit, Fas: aut Quando Rex Comitio Fugit: atque adeo ignoratum fuisse, hoc esse accipiendum de vetustissimo ritu, ex quo sub regibus ipse rex, postea rex sacrificulus seu sacrorum, e comitio, victima percussa, aufugiebat.

RĔGIGNO, is, ere, a. 3. *rigenerare*, ἀναγεννάω, iterum gigno. *Lucret.* 5. 243. quapropter maxima mundi Quum videam membra ac partes consumpta regigni etc.

RĒGĬI, ōrum, m. plur. 2. *V.* REGIUS in fin.

RĒGILLA. *V.* RECTA, æ.

RĔGĬMEN, ĭnis, n. 3. (rego) rectio, gubernatio, ἐπιστασία, κυβέρνησις (It. *direzione, governo*; Fr. *action de conduire, conduire*; Hisp. *el acto de conduir, guiar, mandar*; Germ. *die Lenkung, Leitung*; Angl. *government, rule, direction, regiment*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et abstracte. *Tac.* 13. *Ann.* 3. *extr.* Cælare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Vocis sermonisque regimen dentes primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ etc. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire. *Vellej.* 2. 85. 2. Regimen classis alicui committere. ¶ 2. Speciatim de navibus. — *a*) Pro gubernaculo navis, *timone*. *Ovid.* 3. *Met.* 593. Addidici regimen, dextra moderante, carinæ Flectere. Sic *Id.* 11. *ibid.* 551. Frangitur in cursu nimbosi turbinis arbos, Frangitur et regimen. — *b*) Pro arte regendi. *Petron. Satyr.* 123. quum magnus inhorruit Auster, Et pulsas evertit aquas, non arma ministris, Non regimen prodest.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim et abstracte. *Lucret.* 3. 95. In quo (*animo*) consilium vitæ regimenque locatum est. *Liv.* 3. 33. Regimen totius magistratus penes Appium erat. *Tac.* 3. *Ann.* 47. Omissa Urbe, unde in omnia regimen. *Id.* 12. *ibid.* 42. Regimen cohortium transferre ad aliquem. *Id.* 1. *Hist.* 84. Vobis (*o milites*) arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestræ regimen relinquite. *Sueton. Aug.* 27. *in fin.* Regimen morum et legum recipere. ¶ 2. Speciatim de civitatis, populi, nationis gubernatione. *Ennius* apud *Festum p.* 278. 5. *Müll.* Primu' senex ratus in regimen bellique peritus. *Tac.* 4. *Ann.* 9. Ad vana et toties irrisa revolutus, de reddenda republica, utque consules, seu quis alius, regimen susciperent. *Id.* 13. *ibid.* 49. Cetera per omnes Imperii partes perinde egregia, quam si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? *Stat.* 11. *Theb.* 658. regimen manu tractare cruentum. *h. e.* tyrannidem exercere. ¶ 3. Pro rectoribus, ut *servitium* pro servis, *imperium* pro imperatoribus. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 9. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata. Cf. *Liv.* 4. 31. A. Cornelius dictatorem Mam. Æmilium dixit: et ipse ab eo magister equitum est dictus. Adeo, simul fortuna civitatis virtute vera eguit, nihil censoria animadversio effecit, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur.

RĔGĬMENTUM, i, n. 2. idem quod regimen. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. 11. 1. Regimentis reipublicæ ad imperatores perpetuo translatis. Adde *Ammian.* 25. 9. 7. et 28. 1. 7. et utrobique in plur. numero: in singulari habet *Festus p.* 278. 4. *Müll.* Regimen, inquit, pro regimento usurpant poetæ.

RĒGĪNA, æ, f. 1. mulier regnum possidens, vel regis uxor, βασίλισσα (It. *regina o reina*; Fr. *reine*; Hisp. *reyna*; Germ. *d. Königin*; Angl. *a queen*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 14. *Att.* 8. *et* 20. et 15. *ibid.* 15. Reginæ fuga mihi non molesta. *h. e.* Cleopatræ: de qua et *Horat.* 1. *Od.* 37. 7. verba facit. *Virg.* 12. *Æn.* 659. Præterea regina, tui fidissima, dextra Occidit ipsa sua. *h. e.* Amata uxor Latini regis. *Id.* 1. *ibid.* 303. in primis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam. *h. e.* Dido. *Justin.* 1. 2. 8. Multa et alia præclara hujus reginæ fuere. *h. e.* Semiramidis. ¶ 2. Latiori sensu, *Bithynica regina* per maximam contumeliam vocatur apud *Sueton. Cæs.* 49. C. Julius Cæsar, quia in Bithynia a rege Nicomede ejus florem ætatis contaminatum fuisse, creditum est. ¶ 3. Item, *reginam sacrorum*, h. e. regis sacrificuli uxorem vel filiam memorant inscripti lapides apud *Gruter.* 1087. 8. et *Fabrett. p.* 484. *n.* 153.; item *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *a med.*; et *Paul. Diac. p.* 113. 19. *Müll. V.* ARCULUM. ¶ 4. Item, hoc nomine appellatur etiam Messalina Claudii Aug. uxor. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (20). Jam vero et adulteria etiam in principum domibus, et Eudemi in Livia Drusi Cæsaris, item Valentis in qua dictum est regina. *h. e.* Messalina, cujus adulterium cum Vectio Valente *Id. ibid.* 5. (8). narraverat.

II.) Translate. ¶ 1. Ut Dii *reges*, sic Deæ *reginæ* dictæ. De Venere, *Horat.* 1. *Od.* 30. 1. et 3. *ibid.* 26. 11.; de Junone, *Virg.* 1. *Æn.* 50., *Cic.* 7. *Verr.* 72. 184., *Liv.* 5. 21., *Plaut. Cist.* 2. 1. 37. et sæpe in *veterib. Inscript.*; de Fortuna, *Inscript.* apud *Gruter.* 78. 7. et 8.; de Iside, *ibid.* 83. 12. *et* 13.; de Calliope, *Horat.* 3. *Od.* 4. 2. Sic regina nemorum est Diana, apud *Senec. Hippol.* 406.; atri regina poli, apud *eumd. Herc. Fur.* 1105. est Proserpina. Siderum regina bicornis, apud *Horat. Carm. sæcul.* 35. est Luna. ¶ 2. Pro regis filia. *Val. Flacc.* 5. 374. *et* 386. *et* 442. et 6. 657. et alibi, Medeam significans. Adde *Stat.* 1. *Achill.* 295. de Deidamia. ¶ 3. Per catachresin ponitur pro domina, divite, nobili. *Plaut. Truc.* 2. 6. 49. Adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas: sed istæ reginæ domi suæ fuere ambæ. *Ter. Eun.* 1. 2. 87. Eunuchum dixti velle te, quia solæ utuntur his reginæ. Hic tamen *Donatus* reginas putat appellari matronas nobiles et opulentas; ita rex pro homine potenti apud *Ter. Phorm.* 2. 2. 24.; sed et clientes patronos divites et potentes vocabant reges. V. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 43. ¶ 4. Et pro principe ac prima in aliquo ordine. *Stat.* 4. *Theb.* 379. Silvestris regina chori. *h. e.* Bacchantium antistes. *Id.* 6. *ibid.* 854. Alpini veluti regina cupressus Verticis. *Id.* 2. *Silv.* 2. 12. Appia longarum teritur regina viarum. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 2. *n.* 84. Via Appia regina. ¶ 5. Transfertur ad ea, quæ magnam vim habent et dominantur in animis hominum. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Tantam vim habet illa, quæ recte a bono poeta dicta est flexanima atque omnium regina rerum oratio. *Id.* 3. *Off.* 6. 28. Justitia omnium est domina et regina virtutum. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos Et genus et formam regina pecunia donat.

RĔGĬO, ōnis, f. 3. (rego) est aliquoversum directio, orbita, linea, *direzione verso un luogo, linea*.

I.) Proprie. — 1.° Generatim. *Lucret.* 2. 259. Declinamus item motus nec tempore certo, Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens. *per una determinata direzione*. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Oppidi murus ab planitie atque initio ascensus recta regione, si nullus amfractus intercederet, MCC. passus aberat. *Cic.* 7. *Verr.* 68. 176. Si quis tantulum de recta regione deflecteret. *Curt.* 8. 9. 2. India tota ferme spectat orientem, minus in latitudinem, quam recta regione spatiosa. *Id.* 7. 7. 3. Scytharum gens haud procul Thracia sita ab oriente ad septentrionem se vertit -. Recta deinde regione Alaunum ultra Istrum jacentem colit. *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Oritur (*Hercinia silva*) ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium. *Virg.* 2. *Æn.* 736. avia cursu Dum sequor, et nota excedo regione viarum. *Curt.* 8. 13. 23. Trajicere amnem cum ceteris copiis in regionem insulæ, de qua ante dictum est, parabat. — 2.° Speciatim, e *regione* — *a*) Est recta, *a dirittura*. *Cic. Fat.* 9. 18. Ut quum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Adde *ibid.* 20. 46. et 1. *Fin.* 6. 19. — *b*) Item, *e regione*, ex adverso, *di rincontro, di rimpetto*, ἀντίον. — Cum Dativo. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu fereque e regione castra castris opponeret. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. et apud *Non. p.* 102. 25. *Merc.* Esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis. — Cum Genit. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. E regione unius eorum pontium in occulto restitit. *et ibid.* 25. Glæbas in ignem e regione turris projiciebat. *et ibid.* 36. Erat e regione oppidi collis. Et omissa præposit. *Liv.* 3. 66. *sub fin.* Ad mœnia ipsa Romæ populabundi regione portæ Exquilinæ accessere. Adde *eumd.* 25. 25. — Absolute *Nepos Miltiad.* 5. Acie e regione instructa. — Translate est e contrario, contra, *per lo contrario*. *Hieronym.* 2. *advers. Jovinian. n.* 7. Arabes et Saraceni camelorum lacte et carnibus vivunt; e regione septentrionales populos si ad esum asinorum camelorumque compellas, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Regio, qua lineam significat, ea ratione pertinet ad augures, qui lituo designantes cæli loca, intra quæ augurium capere volunt, *regiones* vocant. *Varro* 7. *L. L.* 82. *Müll.* In hoc templo faciundo arbores constitui fines apparet, et intra eas regiones, qua oculi conspiciunt. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. et 2. *ibid.* 3. 9. Ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio. *Id.* 2. *Legg.* 8. 21. Cæli fulgura regionibus ratis temperanto. ¶ 2. Ponitur etiam pro fine, limite, termino: præsertim in plur. num. *Cic. Balb.* 28. 64. C. Cæsar abest longissime, atque in iis est nunc locis, quæ regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi R. definiunt. *Id.* 4. *Cat.* 10. 21. Pompeji res gestæ iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. *Id. Arch.* 10. 28. Res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur. *et ibid.* 11. 29. Si animus, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis et copiis, continet. *Plaut. Pœn. prol.* 48. Argumenti nunc regiones, limites, confinia determinabo. ¶ 3. Hinc cæli *regiones* sunt: quarum maximæ ac præcipuæ quatuor, septentrio, meridies, ortus, occasus. *Ovid. Ib.* 38. Atque eadem regio Vesper et Ortus erunt. *Val. Flacc.* 2. 117. *de Fama.* Quam pater omnipotens placidis regionibus arcet Ætheris. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Regio lunæ, quæ tum est aquilonalis, tum australis. *Virg.* 8. *Æn.* 528. cæli in regione serena. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo Vespertina tepet regio. *Liv.* 33. 17. Leucadia nunc insula, et vadoso freto, quod perfossum manu est, ab Acarnania divisa tum peninsula erat, occidentis regione arctis faucibus cohærens Acarnaniæ. Sic *Justin.* 18. 3. 10. Ceteris in orientem spectantibus solus occidentis regionem intuebatur. ¶ 4. Regio est etiam, It. *parte del mondo, paese, tratto di paese*, χώρα, pars terræ magna aut parva, tractus, plaga, locus (a *rego*, ait *Forcellinus*, quia per partes seu provincias terra regitur). — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Terræ maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive etc. *Lentul. ad Coss.* 12. *Fam.* 15. *a med.* Usque Sidam, quæ extrema regio est provinciæ meæ. *Cic. Flacc.* 12. 27. In ejusmodi regione atque provincia, quæ mari cincta est. *Id. Sext.* 30. 66. Quæ regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? — *b*) Dicitur etiam universim de quocumque loco. *Plaut. Cist.* 4. 2. 42. Ecquem vidisti quærere hic, amabo, in hac regione cistellam cum crepundiis? *Virg.* 9. *Æn.* 390. Euryale infelix, qua te regione reliqui? Quave sequar? *Ter. Eun.* 5. 9. 32. Cur ergo in his te conspicor regionibus? *Plaut. Pseud.* 2. 2. 1. Hi loci sunt atque hæ regiones, quæ mihi ab hero sunt demonstratæ. — *c*) In urbe est pars ejus major, quæ in vicos rursus dividitur, ut est apud *Sueton. Aug.* 30., It. *quartiere, sestiere, contrada, rione*, μέρος, κλίμα. Roma olim in quatuor regiones dividebatur, Suburanam, Exquilinam, Collinam et Palatinam: quæ crevere postea usque ad quatuordecim, teste *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (66). et *Tac.* 15. *Ann.* 40., quarum descriptionem habemus a *Sex. Rufo* et *P. Victore*; et præterea accuratiorem aliam apud *Murat. Inscript. p.* 2126. *et seqq.* — Inter officia domus Augustæ fuit etiam *a regionibus*. *Inscript.* apud *Murat.* 895. 4. TI. CLAVDIVS AVG. L. EVPAES A REGIONIB. etc. Adde aliam *ibid.* 5. et 894. 8. Ita appellati videntur curatores regionum urbis Romæ, qui præter præfectum vigilum et ædiles, curam habebant regionum vicorumque, sæpe ex libertis ad id munus electi, ut videre est in vet. *Inscript.* apud *Gruter.* 250. et 251. Nos dicimus *capi di contrada*. — *d*) *Sicul. Flacc. de condit. agr. p.* 1. *Goes.* Regiones dicimus, intra quarum fines singularum coloniarum aut municipiorum magistratibus jus dicendi coercendique est libera potestas. — *e*) *Regiones* dictæ sunt etiam partes, in quas Italia divisa est, quæque Augusto imperante undecim fuerunt. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (46)., 13. 18. (110). et 14. 19. (112). ¶ 5. Et metaphorâ hinc ductâ, *Cic.* 2. *Orat.* 2. 5. Bene dicendi ars non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis sæpta teneatur. *h. e.* materiam. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 78. Tace, dum in regionem astutiarum mearum te induco, ut scias juxta mecum mea consilia. *Cic.* 7. *Verr.* 70. 181. Hæc eadem et nostræ rationis regio et via. *Lucret.* 3. 140. Idque (*consilium*) situm media in regione pectoris hæret.

RĔGĬŌNĀLIS, e, adject. ad regionem pertinens, ut Concilium regionale, apud *Augustin.* 7. *Baptism. contr. Donatist.* 53. h. e. alicujus regionis aut provinciæ: cui opponitur *plenarium*.

RĔGĬŌNĀLĬTER, adverb. regionatim. *Apul. de Mundo.* Quæ tamen illi quum regionaliter videantur esse pestifera etc.

REGIONARIUS, a, um, adject. ad regionem pertinens. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 63.

RĔGĬŌNĀTIM, adverb. κατὰ χώρας, per singulas regiones. *Liv.* 40. 51. *extr.* Mutarunt suffragia, regionatimque generibus hominum causisque et quæstibus, tribus descripserunt. *Id.* 45. 30. Regionatim commercia interrupta. Adde *Sueton. Cæs.* 39.

REGIONOSUS, a, um, adject. qui multis regionibus constat. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 63.

RĒGĬUS, a, um, adject. ad regem aliquo modo pertinens, regalis, βασιλικός (It. *da re, del re, reale, regio*; Fr. *royal, de roi*; Hisp. *real, regio*; Germ. z. *Könige gehörig, königlich*; Angl. *of or like a king, kingly, royal, regal, princely*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 3. Regia potestas. *Id.* 12. *Fam.* 1. Rege interfecto, regios omnes nutus tuemur. *h. e.* Cæsare interfecto, ejus nutus etc. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 116. Ornatu regio esse. *essere vestito da re*, et 6. *de republ.* 1. Apparatu regio accipere aliquem. *Sall. Jug.* 121. Plerumque regiæ voluntates, uti vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi advorsæ. *Ovid.* 13. *Met.* 523. regia virgo. *h. e.* regis filia, vel regii sanguinis. *Val. Max.* 1. 8. *n.* 11. *extern.* Regii interitus. *h. e.* mortes regum. *Liv.* 27. 19. Regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile est. *Id.* 39. 4. Impotens ac prope regia ira. *Flor.* 1. 24. Regius furor. *h. e.* impotens dominandi cupiditas. *Cæs.* 3. *B. C.* 104. præfectus. *et ibid.* 109. exercitus. *et ibid.* 106. Regia majestas. *Sall. Jug.* 79. domus. *palazzo reale*. *Liv.* 35. 32. legatio. *h. e.* legati regis. *Tibull.* 4. 1. 140. regia lympha, Choaspes, *h. e.* ex quo solum flumine reges Parthorum bibunt, ut *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (35). tradit. *Propert.* 3. 2. 8. tropæa. *h. e.* de rege parta. *Ovid.* 4. *Met.* 362. ales. *h. e.* aquila. *Lucan.* 8. 412. Venus. *h. e.* nuptiæ, vel concubitus regis. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (96). auctio. *h. e.* qua bona regis venduntur. — *b*) Speciatim, *atrium regium* apud *Liv.* 26. 27. est atrium templi Vestæ, ita dictum, quia olim eo loci regia Numæ fuerat, ut *Ovid.* 6. *Fast.* 263. docet. — *c*) Item, *regium est, regia res est*, est regis proprium: tum in malam, tum in bonam partem. *Plin. Paneg.* 7. *ad fin.* Superbum istud et regium est, nisi etc. *Ovid.* 6. *Fast.* 595. Regia res scelus est. *Id.* 2. *Pont.* 9. 11. Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis. *Cassiod.* 3. *Variar.* 11. Quid enim tam regium, quam fecisse felicem? — *d*) *Regii, orum*, ministri, aut milites regis. *Nepos Agesil.* 3. Hujus de adventu fama quum ad regios esset perlata.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 9. Vir fortis atque fortunatus, et forma regia. *Horat.* 2. *Od.* 15. 2. Regiæ moles. *h. e.* ædificia ampla, magnifica, sumptuosa. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 3. (5). Regia fama. *h. e.* clara, magnifica, ingens, nobilis. *Sillig.* tamen et alii aliter legunt. — *b*) Speciatim, *morbus regius*, qui et arquatus, et aurugo, *itterizia*. *Horat. Art. P.* 453. Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget. *V.* ARQUATUS. Dicitur *regius*, quia, ut ait *Cels.* 3. 24. *sub fin.*, remedio est adversus eum uti conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, aliis, per quæ mens exhilaretur: quæ quotidianæ regum deliciæ sunt. *Varro* apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 53. (114). regium cognominatum, morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur, qui cibus delicatus est. *Seren. Sammon.* 58. 1033. Regius est vero signatus nomine morbus, Molliter hic quoniam celsa curatur in aula. — *c*) *Regiæ* dicuntur res multæ, quæ in suo genere majores aut præstantiores sunt ceteris. *Catull.* 22. 6. Chartæ regiæ. V. *Orti, Lett. sul papir. Sicilian. p.* 8., ubi *Heronis* loc. cit. Χάρτης λεπτότατος τῶν βασιλικῶν λεγόμενος. *Colum.* 5. *R. R.* 8. 3. Regia olea. *Id. ibid.* 10. 18. et 12. *ibid.* 10. 4. pira. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). Incerta nominis causa est piris regiis, quæ minimo pediculo sessilia. *Id. ibid.* 30. 39. (129). Laurus regia, quæ cœpit Augusta appellari, amplissima et arbore et folio. *Id.* 13. *ibid.* 24. 46. (129). Spina, quæ regia vocatur. *et ibid.* 4. 9. (41). Palmæ regiæ. *h. e.* quæ regibus tantum Persidis servabantur. *et* 15. *ibid.* 3. 4. (15). Magnitudine (*olivæ*) copiam olei non constare, indicio sunt quæ regiæ vocantur, ab aliis majorinæ, ab aliis phauliæ, grandissimæ, alioquin minimo succo. *Id.* 20. *ibid.* 15. 58. (163). Est cumino simillimum, quod Græci vocant ammi: Hippocrates regium appellat, quia efficacius Ægyptio judicavit. *Id.* 25. *ibid.* 5. 19. (44). Eam, quæ est latissimo folio, scopam regiam vocant. *Id.* 18. *ibid.* 26. 64. (235). Stella regia in pectore Leonis. *scil.* quod quibus ea in ortu præest, regiam na-

tivitatem habere videntur. De *hastula regia V.* HASTULA. — Hinc

Regia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. *V.* REGIA loco suo.

Regii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *V.* sub I. d.

RĔGLESCIT, quum dixit Plautus, significat, crescit, hoc versu: Vix supersum dolori, qui in dies (væ misero mihi ac perdito!) reglescit magis magisque. Hæc *Festus p.* 278. 30. *Müll.* Est autem *reglescit* pro *regliscit,* a *re* et *glisco,* cresco. Cf. *Paul. Diac. p.* 279. 5. *Müll.*

RĔGLŪTĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔGLŪTĬNO, as, ātum, are, a. 1. (re et glutino). Particip. *Reglutinatus* sub *A.* II. — Reglutino est idem ac

A) Quod glutinatum erat, dissolvo, *scollare,* ἀποκολλάω.

I.) Proprie. *Catull.* 25. 9. Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte.

II.) Translate *reglutinatus* est vix remotus. *Capell.* 6. *p.* 191. Tandem reglutinatis ab æthræ intervibrantis admiratione luminibus.

B) Reglutinare est etiam iterum glutinare. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 873. Vel amputatum plaga collum dividens Rursus coibit ac reglutinabitur.

RĔGLŪTĬNŌSUS, a, um, adject. κολλώδης, valde glutinosus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 15. (39). Ut sit odoratum, ex dulci acre, reglutinosum, perlucidum. Ita tres edit. vet. anni 1469. 1470. et 1472., sed apparet esse mendum, quia omittunt vocem *acre,* et pro ea *ac reglutinosum* exhibent. *Harduin.* habet *glutinosum,* quod *Sillig.* retinuit.

REGNANS, antis. *V.* REGNO in fin.

REGNĀTOR, ōris, m. 3. *regnatore, re,* βασιλευτής, qui regnat. — *a)* Stricto sensu. *Plaut. Men.* 2. 3. 57. Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia, Ubi rex Agathocles regnator fuit. *Accius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 88.; et *Nævius* apud *Festum p.* 257. 28. *Müll.* Regnator Deûm. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 269. Ipse Deûm tibi me claro demittit Olympo Regnator, cælum et terras qui numine torquet. *et* 2. *ibid.* 557. Regnator Asiæ. *Seneca Hippol.* 945. freti. *h. e.* Neptunus. *Virg.* 2. *Æn.* 779., 4. *ibid.* 269. et 7. *ibid.* 558. regnator Olympi. *h. e.* Juppiter. *Id.* 8. *ibid.* 78. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. *h. e.* Tiberis. — Cum Dat. *Val. Flacc.* 2. 621. Occiduis regnator montibus Atlas. *Auson. Epigr.* 3. Illyricis regnator aquis. *h. e.* Danubius. — *b)* Urbane *Martial.* 10. 61. Quisquis eris nostri post me regnator agelli. *h. e.* possessor. *Id.* 11. 6. Unctis falciferi senis diebus, Regnator quibus imperat fritillus. *h. e.* alea Saturnalibus vulgo passim usurpata. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 5. Regnator lyricæ cohortis, Pindare.

REGNĀTRIX, icis, f. 3. *regnatrice, regnante,* βασιλεύουσα, quæ regnat. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Ti. Nero prima ab infantia eductus in domo regnatrice. *h. e.* familia Augusta, quæ Romæ rerum potiebatur. *Poeta* apud *A. Mai. Nov. Coll. T.* 5. *p.* 170. Dant regnatricem flumina sancta fidem.

REGNĀTUS, a, um. *V.* REGNO.

REGNĬCŎLA, æ, m. et f. 1. habitans in regno. *Augustin.* 20. *advers. Faust.* 7. Eam lucem dicere, ubi Deus Pater habitat cum regnicolis suis.

REGNO, as, āvi, ātum, are, 1. (rex, rego). Particip. *Regnans* sub *A.* I. *a.,* et II. 2., 3. et in fin., et *B.*; *Regnatus* sub *B.*; *Regnaturus* sub *A.* II. 2.; *Regnandus* sub *B.* — Regnare usurpatur *A)* Neutrorum more; et *B)* Passive.

A) Neutrorum more, regno est idem ac regnum possideo, rerum potior, dominor, βασιλεύω (It. *regnare;* Fr. *avoir le pouvoir royal, être roi, régner;* Hisp. *reynar, poseer un reyno, imperar, mandar soberanamente;* Germ. *königliche Gewalt haben, herrschen, regiren;* Angl. *to reign, be king over, rule, govern*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 257. Ubi Pterela rex regnavit. *Cic. pro leg. Manil.* 3. 7. Ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat: et ita regnat, ut se non Ponto occultare velit, sed emergere e patrio regno etc. *Id. Dom.* 8. 20. Quum regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem jure regnantem publicasses. *Nepos Themist.* 9. Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transisse. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 39. et 1. *Fast.* 193. Saturno regnante. *Tac.* 11. *Ann.* 24. Advenæ in nos regnaverunt. *sopra di noi.* et *Liv.* 1. 3. Mansit Silviis omnibus cognomen, qui Albæ regnaverunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). Regnaverat in Colchis Salauces. *Virg.* 3. *Æn.* 295. Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes. *Seneca Herc. Fur.* 68. vacuo volet regnare mundo. *Ovid.* 14. *Met.* 223. Æolon ille refert Tusco regnare profundo. *Horat.* 3. *Od.* 3. 38. qualibet exsules In parte regnanto beati. *et ibid.* 5. 1. Cælo tonantem credidimus Jovem Regnare. *et* 1. *ibid.* 12. 51. tu *(Juppiter)* secundo Cæsare regnes. *Virg.* 1. *G.* 37. Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido. — *b)* Cum Genitivo. *Horat.* 3. *Od.* 30. 11. Et qua pauper aquæ Daunus agrestium Regnavit populorum. *hellenismus.* Isocrates: βασιλεύειν τῆς Ἀσίας. — *c)* Passive impersonaliter. *Virg.* 1. *Æn.* 276. Hic jam tercentum totos regnabitur annos. *Liv.* 1. 17. Ab sua parte non erat regnatum. *et paullo post.* In variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta. *Id. ibid.* 60. Regnatum Romæ ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor. *Sil. It.* 3. 593. Hinc, Cytherea, tuis longo regnabitur ævo.

II.) Translate. ¶ 1. Urbane est summa auctoritate esse, plurimum posse, *comandare a bacchetta, poter tutto, dominare. Cic.* 11. *Fam.* 16. Quum equitum centurias tenes, in queis regnas. *et* 7. *ibid.* 25. Olim quum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observor a familiarissimis Cæsaris. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 8. Quid quæris? vivo et regno, simul ista reliqui, Quæ vos ad cælum fertis. *h. e.* libere vivo, felix beatusque sum, ut vulgo reges videntur. *Plin.* 7. *Ep.* 3. Quousque regnabis? quousque vigilabis, quum voles? dormies, quamdiu voles? etc. ¶ 2. Et sæpe in malam partem pro impotenter et superbe dominari: quia *rex, regnum, regnare* in libera republica voces odiosæ sunt. *Cic.* 4. *Verr.* 54. 136. Timarchidem omnibus oppidis per triennium scitote regnasse. *Id. Mil.* 16. 43. In Clodio non dubitandum, quin se ille, interfecto Milone, regnaturum putaret. *Liv.* 3. 11. *extr.* Exspectate, dum consul aut dictator fiat, quem privatum viribus et audacia regnantem videtis. *Id.* 6. 40. L. illum Sextium et C. Licinium, perpetuos (si diis placet) tribunos, tantum licentiæ novem annis, quibus regnant, sumpsisse, ut etc. ¶ 3. Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Cic. Orat.* 37. 128. Παθητικὸν quo perturbantur animi et concitantur: in quo uno regnat oratio. *Ovid.* 8. *Met.* 827. furit ardor edendi, Perque aridas fauces immensaque viscera regnat. *et* 12. *ibid.* 221. ebrietas geminata libidine regnat. *Seneca Hippol.* 981. Fraus sublimi regnat in aula. *Petron. Satyr.* 14. Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat? *Virg.* 2. *G.* 306. *de igne.* Inde secutus Per ramos victor perque alta cacumina regnat. *Grat. Cyneg.* 462. affectaque corpora mulce, Regnantem excutiens morbum. *Lucret.* 5. 396. humor regnarit in arvis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 74. Zephyrus lascivo regnat per prata meatu. *Stat.* 1. *Theb.* 635. in totum regnaret Sirius annum. *scil.* quia toto anno sævierit pestilentia. Sirius autem sidus noxium habetur. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 22. tacitam Luna regnante per Arcton, Sidereæ cedunt acies. *h. e.* orbe pleno splendente. *Martial.* 10. 19. *extr.* dum furit Lyæus, Quum regnat rosa, quum madent capilli. *h. e.* dum potatur, gestantur coronæ, adhibentur unguenta, in cœnis. — Hinc

Regnans, antis, particip., absolute est qui regnat, regnator. *Tac.* 2. *Ann.* 82. Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia. *a' regnanti.* et *Justin.* 7. 6. 2. Uno ex Amyntæ filiis regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum.

B) Passive legitur tantum apud Poetas et in prosa oratione apud serioris ævi scriptores. *Virg.* 6. *Æn.* 770. si unquam regnandam acceperit Albam. *Tac.* 1. *Hist.* 16. *ad fin.* Ut in ceteris gentibus, quæ regnantur. *che sono sotto il governo d' un re.* et 13. *Ann.* 54. Qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. Adde *eumd. Germ.* 43. Sic Particip. *Regnatus* apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (76). Pandæ, sola Indorum regnata feminis gens. *Horat.* 2. *Od.* 6. 11. Et regnata petam Laconi rura Phalanto. *Virg.* 3. *Æn.* 14. terra acri quondam regnata Lycurgo. *Ovid.* 13. *Met.* 720. regnataque vati Buthrotos Phrygio. *et* 8. *ibid.* 623. Misit in arva suo quondam regnata parenti. Adde *eumd. Heroid.* 10. 69.; et *Sil. It.* 14. 7.

REGNUM, i, n. 2. est possessio regia, principatus, dominatus, βασιλεία (It. *regno, autorità regia;* Fr. *autorité royale, royauté, règne;* Hisp. *autoridad real, dignidad real, reynado, reynamiento;* Germ. *d. königlich Herrschaft, Regirung, d. Königthum;* Angl. *kingdom, regal government; the empire or dominion of a king, sovereignty*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est, ut diximus, possessio regia, principatus, dominatus. *Cic.* 1. *de republ.* 26. Quum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et regnum ejus rei publicæ statum. *Id.* 2. *ibid.* 15. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium et Pythagoræ declarat adventum. *Id. Harusp. resp.* 25. 54. Neque enim alius discordiarum solet esse exitus inter potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. *Id. Senect.* 16. 56. Regnum appetere. *Id. Sull.* 9. 27. occupare. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. obtinere. *et* 5. *ibid.* 6. alicui deferre. *et* 1. *ibid.* 3. conciliare. *Auct. B. Alex.* 36. recuperare. *Cæs.* 5. *B. G.* 52. Regno aliquem expellere. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. multare. *Sall. Jug.* 11. In regnum adoptione pervenire. *et ibid.* 26. Regnum armis tenere. *Id. Cat.* 5. sibi parare. *Nepos Reg.* 1. virtute adipisci. *Plaut. Rud.* 4. 2. 31. magnum instituere. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 4. tutari. *Id. Amph.* 1. 1. 39. stabilire alicui. *Cic.* 7. *Att.* 7. *circa med.* Sub regno esse. *h. e.* sub rege. *Justin.* 39. 4. 3. Igitur Alexander - eam relinquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. *Seneca Herc. fur.* 353. Ars prima regni posse te invidiam pati. ¶ 2. Item locus, regio, in qua rex dominatur. *Nepos Hann.* 12. Hannibalem in Prusiæ regno esse. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. Atuatici, regno ejus finitimi. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 60. Nationes, quæ in eorum regno ac ditione sunt. *Lucan.* 2. 90. Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ. — Similiter *Horat.* 2. *Od.* 19. 21. quum parentis regna per arduum Cohors Gigantum scanderet impia etc. *Id. ibid.* 13. 21. Quam pæne furvæ regna Proserpinæ Et judicantem vidimus Eacum! *Id.* 3. *ibid.* 4. 46. tristia regna. *Virg.* 6. *Æn.* 417. Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat. *et ibid.* 154. lucos Stygios, regna invia vivis. *Ovid.* 4. *Met.* 476. inamabile regnum. *et* 10. *ibid.* 15. Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem Umbrarum dominum. *Sil. It.* 5. 21. Najadum undosa regna. — Poetice *Virg.* 4. *G.* 201. ipsæ *(apes)* regem parvosque Quirites Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.

II.) Translate. ¶ 1. Urbane est summa auctoritas et potentia. *Flor.* 3. 13. Ordinis equestris auctoritas judiciorum regno nitebatur. *scil.* quia soli equites R. judicabant. *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. 65. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. *Id.* 9. *Fam.* 18. Sublatis judiciis, amisso regno forensi. *Ovid.* 14. *Met.* 20. At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro. *se sta qualche virtù e forza.* et *Propert.* 4. 7. 50. Longa mea in libris regna fuere tuis. *h. e.* diu regnavi, et celebrata sum tuis carminibus. ¶ 2. Sæpe movendæ invidiæ causa *regni* vox adhibetur, quæ in libera republica valde est odiosa. *Cic.* 2. *Verr.* Hortensium alloquens, 12. 35. Quoniam hæc te omnis dominatio regnumque judiciorum tantopere delectat.

Ter. Adelph. 2. 1. 21. Quid hoc rei est? regnumne, Æschine, hic tu possides? Adde *Cic.* 1. *Att.* 1., 5. *Verr.* 86. 200. et *Sull.* 7. 21.; et *Liv.* 3. 58. Hinc *crimen regni* est, quum quis in libera republica solus dominari et regnare affectat. *Ovid.* 6. *Fast.* 189. *de Manlio.* Vixit, ut occideret damnatus crimine regni. ¶ 3. De impotentia amoris, nimium in homines imperium exercentis. *Tibull.* 4. 5. 3. Te nascente, novum Parcæ cecinere puellis Servitium, et dederunt regna superba tibi. *Horat.* 4. *Od.* 1. 4. Non sum, qualis eram bonæ Sub regno Cynaræ. *Propert.* 3. 8. 17. ut sit tibi forma perennis: Inque meum semper stent tua regna caput. Adde alia, quæ congessit *Broukus.* ad *Tibull.* 1. 7. 75. ¶ 4. De loco, ubi quis plene dominus est, licet parvus sit. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 41. Id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem. *h. e.* in villa tua Tusculana. *Virg.* 1. *Ecl.* 70. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. *h. e.* meum agellum. *Lucan.* 9. 458. Regna videt pauper Nasamon errantia vento. *h. e.* casas suas. Adde *Martial.* 12. 57.; et *Cic.* 14. *Att.* 16. ¶ 5. *Regnum vini*, arbitrium bibendi in conviviis. *Horat.* 1. *Od.* 4. 18. Nec regna vini sortiere talis. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 15., quamquam aliud ab *Horatio* regnum, aliud a *Tacito* intelligi quidam volunt: ab illo nempe magisterium convivii; ab hoc arbitrium quasi regium imperandi convivis ludicra quædam, risus et lætitiæ causa, præcipue Saturnalibus. — Similiter ponitur pro sacerdotio Dianæ. *Ovid.* 1. *Art. am.* 259. Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ, Partaque per gladios regna nocente manu. Cf. *eumd.* 3. *Fast.* 271. Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces. ¶ 6. Tribuitur et brutis animalibus. *Horat.* 4. *Od.* 4. 2. Cui (*aquilæ*) rex deorum regnum in aves vagas Permisit. Cf. *Pindar. Pyth.* 1. 7. ἀρχὸν οἰωνῶν. et 13. 21. βασιλέα οἰωνῶν. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (47). Imperitant suo generi (*galli*) et regnum in quacumque sunt domo exercent. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 1. Apium reges consortia dedignantur vetustiorum multoque magis imperia: quippe quum rationali generi mortalium, tum magis egentibus consilii mutis animalibus, nulla sit regni societas. ¶ 7. *Regna* pro *regibus*, ut *necessitudines* pro *necessariis*, *servitia* pro *servis* etc. *Stat.* 12. *Theb.* 980. Etsi regna vetant.

RĔGO, rĕgis, rexi, rectum, rĕgere, a. 1. *Reguit* pro *rexit* legitur in *Inscript.* apud *Gervasium, Due Iscriz. Messinesi, p.* 25. OPTIME QVI COHORTIS CENTVRIAM REGVIT. Potest videri esse a *re* et *ago*, vel quasi *recta* aut *recte ago*: ita Forcellinus. Sed recentiores malunt deducere a Græc. ὀρέγω, qua significat *tendo, extendo*; quæ propria vocis significatio apparet in compositis *porrigo, erigo* etc.: cf. German. *recken*, quod idem valet. — Particip. *Regens* I. 1. et in fin.; *Rectus V.* in RECTUS loco suo; *Recturus* II. 1.; *Regendus* I. 1. et 2. et II. 1. — Rego est idem ac rectum teneo, recta duco, dirigo, εὐθύνω (It. *tenere diritto, guidare dirittamente, regolare, reggere*; Fr. *diriger, guider, conduire, mener*; Hisp. *conducir en derechura, dirigir, conducir, regir*; Germ. *leiten, lenken, richten, gerade richten*; Angl. *to keep straight or from going wrong, lead straigh along, guide, manage, direct, regulate, moderate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 903. Et manus una regit (*navem*) quanto vis impete euntem Atque gubernaclum contorquet quo libet unum. *Virg.* 10. *Æn.* 218. Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 12. regere arte ratem. *Propert.* 2. 21. 26. Ursa suo sidere vela regit. *Horat.* 1. *Od.* 3. 1. Sic te diva potens Cypri - Ventorumque regat pater, -, Navis, quæ etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 4. Arte leves currus, arte regendus Amor. *Id.* 4. *Pont.* 12. 24. Regere frena. *Id.* 1. *Fast.* 25. habenas. et 3. *Art. am.* 556. et *ibid.* 474. equos. *Liv.* 35. 11. *a med.* Equi impotentes regendi. *h. e.* qui regantur, παθητικῶς. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 6. *p.* 715. *Putsch.* Regere gregem prope litora. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 23. qui sibi fidit, Dux regit examen. *Virg.* 9. *Æn.* 409. Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras. *Lucan.* 7. 515. nusquam rexere sagittas, Sed petitur solus, qui campis imminet, aer. *h. e.* in neminem direxere, *indirizzarono.* et *ibid.* 350. Ipsi tela regent per viscera Cæsaris. *Propert.* 2. 11. 7. Nec sic incolumem Minois Thesea vidit, Dædaleum lino quum duce rexit iter. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 29. ipsa dolos tecti ambagesque resolvit, Cæca regens filo vestigia. *Quintil.* 1. 1. 27. Pueri scribentis manum manu super imposita regere. *Cic.* 6. *de republ.* 24. Animus est, qui viget, qui sentit, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui præpositus est, quam ut mundum ille princeps Deus. *Virg.* 4. *Æn.* 336. dum spiritus hos reget artus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 13. 3. Mundi motum regere atque tueri. ¶ 2. Speciatim in jure, *regere fines agrorum*, suo cuique agro terminos assignare ordine et dirigere, rectis limitibus agros finire. *Tibull.* 1. 3. 43. fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva, lapis. *Cic. Mur.* 9. 22. Ille (*militaris*) exercitatus est in propagandis finibus: tu (*jurisconsultus*) in regendis. Adde *eumd. Topic.* 10. 43. et 1. *Legg.* 21. 55.; et *Ulp. Paul.* etc. *Dig. tit.* 1. *qui* Finium regundorum *inscribitur.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est moderari, gubernare, imperare, administrare, præesse, *governare, reggere*, διοικεύω, βασιλεύω. *Cic.* 16. *Att.* 2. Omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut etc. *Id. Partit. orat.* 22. 76. Moderari cupiditates, et regere animi motus. *Id.* 10. *Att.* 6. Vellem, suscepisses juvenem regendum: pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. *Id.* 4. *Fam.* 14. Agitur præclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea moderate feramus. *Seneca* 2. *Ira* 15. *extr.* Nemo regere potest, nisi qui et regi. Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρχειν τὸν μὴ ἀρχθέντα. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Mars bella regit. *Manil.* 4. 762. hospitium recturi principis orbem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 115. Regere rempublicam. *Virg.* 1. *Æn.* 344. imperium. *et* 6. *ibid.* 851. imperio populos. *Id.* 1. *ibid.* 157. dictis animos. *Quintil.* 2. 16. 19. senatum consiliis. *Tac.* 3. *Hist.* 57. *a med.* classem molli imperio. *et* 4. *ibid.* 49. legionem. *et* 3. *Ann.* 33. *extr.* exercitum. *et* 1. *ibid.* 48. provinciam severe integreque. *Sueton. Cæs.* 48. disciplinam domesticam diligenter et severe. *Tac.* 6. *Ann.* 50. valetudinem alicujus. *essere medico ordinario.* et *Sueton. Tib.* 68. *in fin.* valetudinem arbitratu suo, sine adjumento consiliove medicorum. *governarsi a suo modo.* ¶ 2. Speciatim pro admonere, docere, corrigere. *Cic. Mur.* 29. 60. Non multa peccas: sed si peccas, te regere possum. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 26. *Cæs.* 3. *B. C.* 57. *a med.* Regere errantem. *Plin.* 10. *Ep.* 30. hæsitantem. *et Ep.* 119. *extr.* dubitationem alicujus. — Hinc

Regens, entis, particip., absolute, substantivorum more, est rex, princeps (V. in II. 1.). *Claudian. IV. cons. Honor.* 298. componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis. *et* 1. *Laud. Stilich.* 168. Scilicet in vulgus manant exempla regentum. *Lucan.* 9. 226. tali compellat voce regentem. *h. e.* ducem exercitus.

RĔGRĂDĀTĬO, ōnis, f. 3. *degradazione*, καταβιβασμός, dejectio de gradu dignitatis. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 8. 5. 2. *extr.* Promotus regradationis humilitate plectetur.

RĔGRĂDĀTUS, a, um, particip. a *regrado: degradato*, in inferiorem gradum dejectus. *Hieronym. advers. Joann. Jerosol. n.* 19. Finge aliquem tribuniciæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia, ad tironis vocabulum devolutum, numquid ex tribuno statim fit tiro? *Solin.* 1. Regradati menses. *h. e.* regredientes, in priorem gradum seu locum restituti. *V.* DEGRADATUS et REGRADO.

RĔGRĂDO, as, a. 1. *V* DEGRADO. Ceterum *Gloss. Cyrill.* Καταβιβάζω, regrado. *h. e.* de gradu dejicio. Et translate *Novell. Theod. tit.* 21. 1. Verberandi regradandive senatores licentiam denegamus.

REGRAVO, as, are, a. 1. iterum gravo. Vox e Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 46.

RĔGRĔDĬOR, grĕderis, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (re *et* gradior). — Active *regredere gradum*, simile ac *currere cursum*, *Enniana* locutio est apud *Non. p.* 166. 22. *Merc.* Quo nunc incerta re atque inorata gradum Regredere conare? Ubi *Nonius*: Regredere, revocare. — Particip. *Regrediens* I. *a.*; *Regressus* I. *a.* et *b.* et II.; *Regressurus* II. — Regredior est idem ac retro gradior, revertor, *ritornare, tornare indietro*, ἐπαναχωρεύω.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Atque ut regredi, quam progredi mallent. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 7. Illuc regredere ab ostio. *Auct. B. Afr.* 50. Ut ejus exercitus neque retro regrediendi, neque ultra procedendi oblata facultate circumventus conciderctur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (118). Regredientibus inde etc. *Liv.* 24. 18. *ante med.* Ex itinere regressi clam in castra. *Vellej.* 2. 56. 1. Regressus in Urbem omnibus ignovit. *Justin.* 20. 4. 4. Inde regressus Cretam contendit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (32). *de Saturni sidere.* Trigesimo anno ad brevissima sedis suæ principia regredi, certum est. — *b*) Speciatim in re militari est retro cedere, *retrocedere*. *Cæs.* 2. *B. G.* 23. Progressi regressos ac resistentes hostes in fugam dederunt. *Id.* 3. *B. C.* 45. Cæsar, quum suos ex omnibus partibus vulnerari videret, recipere se jussit et loco excedere. - Illi (*Pompejani*) autem hoc acrius instabant, neque regredi nostros patiebantur. Adde *Sall. Jug.* 55. *extr.*

II.) Translate. *Sall. Cat.* 4. A quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani - perscribere. *Cic. Fat.* 15. 35. Similiter superiora repetentem regredi infinite licet. *Quintil.* 10. *procem.* 14. Ad formandos animos statuendasque vitæ leges regressi. *Cic.* 2. *Verr.* 42. 109. An in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus est; in illum, quo alius prætor fuit, regredietur? *Plaut. Capt.* 5. 4. 26. Nunc edepol demum in memoriam regredior. *Ulp. Dig.* 48. 5. 27. *a med.* Ne servi timeant, se in reorum potestatem regressuros.

RĔGRĔDO, dis, n. 3. *V.* REGREDIOR init.

RĔGRESSĬO, ōnis, f. 3. *ritorno*, ἀναχώρησις, actus regrediendi, regressus, reversio.

I.) Proprie. *Apul.* 2. *Met.* Metum istum tibi demam maturata regressione. *et* 9. *ibid.* Condicta vespertina regressione. *Fronto Princ. Hist.* (edente iterum *A. Maio*) *ante med.* Principis ad triumphum decedentis haudquaquam secura nec incruenta regressio.

II.) Translate est hoc nomine rhetorica figura, species repetitionis: de qua *Quintil.* 9. 3. 35. Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et dividit. (*Virg.* 2. *Æn.* 435.). Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævi Jam gravior; Pelias et vulnere tardus Ulyssi. ἐπάνοδος dicitur Græce: nostri regressionem vocant. Hæc *Quintil.*

RĔGRESSUS, a, um, particip. *V.* REGREDIOR.

RĔGRESSUS, us, m. 4. idem ac regressio.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantes et ratos. *Ovid.* 2. *Art. am.* 32. Dare regressum alicui. *concedere il ritorno.* — *b*) Speciatim in re militari. *Liv.* 38. 4. *extr.* Deinde, periculosum inceptum ratus, ne qua sentirent Romani, et regressus inde in totum non esset, deterritus ab hoc consilio etc. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 51. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque, per quos exercitui regressus, insedere.

II.) Translate. *Liv.* 24. 26. *sub fin.* Neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira relictus est. *Tac.* 4. *Ann.* 11. Quis enim mediocri prudentia, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad pœnitendum regressu? *h. e.* nullo sibi ad pœnitendum spatio relicto. *Id.* 2. *Hist.* 74. Esse privatis cogitationibus regressum: im-

perium cuplentibus nibil medium inter summa aut præcipitia. *h. e.* locum desistendi ab incepto. *Alii leg.* progressum. *Virg.* 11. *Æn.* 413. Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum. *h. e.* non potest reverti in melius. *Quintil. Declam.* 17. 12. *a med.* Non habent proximorum odia regressum. *h. e.* non exstinguuntur. *Tac.* 12. *Ann.* 10. *extr.* Ideo regum obsides liberos dari, ut si domestici imperii tædeat, sit regressus ad principem patresque. *h. e.* sit recursus, *regresso.* Sic *Pompon. Dig.* 21. 2. 34. Si mancipium contra legem venditionis faciente te, ad libertatem pervenerit, tu videris quasi manumisisse: et ideo nullum adversus venditorem habebis regressum. *Plin. præf. Hist. nat.* 26. Illos pingendi fingendique conditores absoluta opera pendenti titulo inscripsisse, *Apelles faciebat, aut Polycletus,* tamquam inchoata semper arte aut imperfecta: ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 157. seu blanda diu Fortuna regressum Maluit. *h. e.* vertere se, et veluti regredi ad infelicia, quum hactenus prospera fuerit. *Val. Max.* 6. 2. *n.* 1. Consul regressum animoso ejus dicto obtulit. *h. e.* facultatem leniendi aut retractandi audax dictum.

RĒGŬLA, æ, f. a *rego;* et producitur prima, licet in *rego* corripiatur: est autem instrumentum, quo lineæ diriguntur, στάθμη, κανών (It. *regolo, rigarola;* Fr. *équerre, règle;* Hisp. *regla;* Germ. *Richtscheit, Richtstab, Lineal;* Angl. *a rule, square, ruler*).

I.) Proprie. *Cic.* apud *Non. p.* 163. 2. *Merc.* Atqui si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Materiam ad regulam et libellam exigere. *Vitruv.* 7. 3. Longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 11. Nam duas regulas ejus latitudinis, qua pastinator sulcum facturus est, in speciem litteræ X decussavimus. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 4. Hoc quum regula exploraveris æquale etc.

II.) Translate usurpatur *A*) De rebus physicis; et *B*) Morali ratione.

A) De rebus physicis. ¶ 1. Ponitur aliquando pro baculo, quo aliquid rectum tenetur. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 2. Ut inserto capite descendentibus per foramina regulis cervix teneatur. Sic *Cels.* de instrumento ad fracta ossa reponenda idoneo, 8. 10. Ab ea parte, in qua os se inclinat, involutam lana regulam objicit. *Cæs.* 2. *B. C.* 60. Quadratas regulas quatuor patentes digitos defigunt, quæ lateres, qui super musculo struantur, contineant. ¶ 2. Item pro instrumento eumdem usum præbente, quem fiscus, in factura olei: est enim vas exilibus regulis aliquantum inter se dissitis compactum, ut liquor exire possit, quum olivæ prelo subjiciuntur. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 10. Aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscis debebunt sampsæ exprimi. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (5). ¶ 3. Est etiam virga ferrea non rotunda, sed plana. *Vitruv.* 5. 10. Regulæ ferreæ aut arcus fiant, eæque uncinis ferreis ad contignationem suspendantur quam creberrimis. *Stat.* 6. *Theb.* 594. Jam ruit atque æquam submisit regula limen. *h. e.* repagulum ferreum, quo coercentur carceres, cecidit, cavitatem in limine implevit, et reliquo solo æquavit. *V. Inscript.* in PARASTATICUS, ubi regulæ sunt *arpioni di ferro,* quibus statuæ parastaticæ postico zothecarum, ne nutent aut proruant, firmantur. ¶ 4. Herba, quam Græci basiliscam, βασιλίσκην, vocant, a Latinis *regula* dicitur et illis locis nascitur, ubi fuerit serpens basiliscus. *Apul. Herb.* 128.

B) Morali ratione est lex, exemplum, norma, ratio, ad quam quippiam dirigitur, *regola. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 46. 140. Fontem omnium bonorum in corpore esse: hanc normam, hanc regulam, hanc præscriptionem esse naturæ, a qua qui aberraverit, eum numquam, quid in vita sequatur, habiturum. *Id.* 1. *Fin.* 19. 63. Servata illa (quæ quasi delapsa de cælo est ad cognitionem omnium) regula, ad quam omnia judicia rerum dirigentur. *Id. Brut.* 41. 152. Habere regulam, qua vera et falsa judicentur. *et ibid.* 74. Nec utendum pravissima consuetudinis regula. *Id.* 2. *Off.* 17. 59. In his ipsis mediocritatis regula optima est. *Id.* 1. *Legg.* 6. 19. Lex est juris et injuriæ regula. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 117. adsit Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas. *Martial.* 11. 2. regula morum. *Quintil.* 1. 5. 1. emendate loquendi. *Id.* 9. 4. 4. Neque enim locuti sunt ad hanc regulam et diligentiam primi homines. *Paul. Dig.* 22. 6. 9. Regula est, juris ignorantiam cuique nocere, facti non nocere.

RĒGŬLĀRIS, e, adject. ad regulam pertinens. *Æs regulare* dicitur, quod ductile est, et in quamcumque formam malleis trahi potest: Indeque nomen habens, quod in metallis postquam igni excoctum purgatumque est, in angustas oblongasque lineas, regularum similes, duci solet et sic distrahi: quod et ferro fieri videmus, a nostris *righetta* dicto: contra caldarium funditur quidem, sed malleis fragile est. Hæc ex *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (94). Cf. *Isid.* 16. *Orig.* 19. — *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. *n.* 154. Hippocrates vero libro regulari (quem diæteticum vocavit) inquit etc. Sic *Theod. Priscian.* 4. *ad fin. p.* 317. ed. *Ald.* Divisam esse dicimus medicinam in partes quatuor: regularem, quam diætam vocamus etc.

RĒGŬLĀRĬTER, adverb. *regolarmente, secondo la regola,* κανονικῶς. *Ulp. Dig.* 15. 3. 3. Et regulariter dicimus, toties de in rem verso actionem esse etc. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20. *ante med.* Ut liquere possit ratio commenti, prius regulariter pauca dicenda sunt. *Capell.* 9. *p.* 304. Responditque, regulariter etiam matrimonio copulato dotem dicere feminam viro nullis legibus prohiberi. *Augustin.* 2. *Doctr. Christ.* 29. In præterita vestigia regulariter recurrere.

RĒGŬLĀTIM, adverb. regulariter. *Diomed.* 1. *p.* 402. *Putsch.*; et *Veget.* 2. *Veterin.* 41. *extr.*

RĒGŬLO, as, are, a. 1. *regolare,* dirigo, rectum facio. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. Regulantur, sive diriguntur eorum virtutes. *Gloss. Cyrill.* Κανονίζω, regulo. Sic *Onomast. Lat. Gr.* Regulo, κανονίζω.

RĒGŬLUS, i, m. 2. *picciolo re, principe, signore,* βασιλίσκος, parvus rex: deminut. a *rex.*

I.) Proprie. De rege puero usurpat *Liv.* 29. 30. ut videre est *ibid.* 29. *sub fin.* De filio regis *Id.* 45. 14. Sed accipitur universim pro domino regionis aut urbis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 5. (22). Quum senatus regulis Africæ bibliothecas donaret. *Sall. Jug.* 11. Reguli in unum convenere. *Tac.* 2. *Ann.* 80. Auxilia Cilicum, quæ reguli miserant. Adde *Sueton. Cal.* 5.

II.) Translate. ¶ 1. Est nomen regis apum. *Varro* 3. *R. R.* 16. 18. Mellarius animadvertat, ne reguli plures exsistant. ¶ 2. Est etiam nomen aviculæ, de qua *V.* in TROCHILUS. *Auct. carm. Philom.* 43. Regulus atque merops et rubro pectore progne. ¶ 3. Item serpentis, qui Græce βασιλίσκος dicitur. *Hieronym.* 16. *in Isaj. Ep.* 7. *n.* 3. Nos pristina contagione sordentes, quasi reguli et scorpiones, arentia quæque sectamur. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* in ONOM.

RĒGUSTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĒGUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Regustans* et *Regustatus* I.; *Regustandus* II. — Regustare est iterum gustare, *rigustare;* ἀναγεύομαι.

I.) Proprie. *Seneca Provid.* 3. *ad fin.* Quidquid biberint, vomitu remetientur tristes et bilem suam regustantes. *Pers.* 5. 138. regustatum digito terebrare salinum.

II.) Translate. *Cic.* 13. *Att.* 13. Crebro regusto tuas litteras: in his acquiesco. *Id.* 4. *Att.* 17. Vestorio dandi sunt dies, et Latinus Ἀττικισμός regustandus. *Id.* 13. *ibid.* 48. Velim M. Varronis et Lollii mittas laudationem: Lollii utique. Nam illam legi; volo tamen regustare.

RĒGȲRO, as, āvi, are, n. 1. in gyrum redeo, revolvor. *Varro* 1. *R. R.* 57. 3. Quidam granaria sublimia faciunt, quæ non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regyrare possit. *Alii rectius leg.* refrigerare. Translate. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Bellum postremo in Hispaniam regyravit. *Quidam leg.* remigravit.

RĔHĀLO, as, are, a. 1. sursum halo, exhalo, ἀάζω. *Lucret.* 6. 522. Terraque quum fumans humorem tota rehalat. *Recentiores vero leg.* redhalat.

REICĬO. *V.* REJICIO.

REICŬLUS, a, um, adject. *V.* REJICULUS.

RĔINVĪTO, as, are, a. 1. (re *et* invito) vicissim invito, ἀντικαλέω. *Vulgat. interpr. Luc.* 14. 12. Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio.

REJECTĀNĔUS, a, um, adject. ἀποπροηγμένος, qui rejicitur. *Cic.* 4. *Fin.* 26. 71. Illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed, si libet, rejectanea. *Id.* 5. *ibid.* 26. 78. appellat *rejicienda.* et 1. *Acad.* (*post.*) 10. 37. vocat *rejecta. V.* Particip. *Productus* in PRODUCO.

REJECTĀTĬO, ōnis, f. 3. frequens rejectio. *Solin.* 5. *ad fin.* Æterna rejectatione terra terram evomit. *Alii aliter leg.*

REJECTĬO, ōnis, f. 3. actus rejiciendi, *rigettamento, ributtamento,* ἀπωθωσις, ἀπόπεμψις, ἀναγωγή.

I.) Proprie. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 76. (146). et 25. *ibid.* 13. 105. (165.) Rejectio sanguinis. *vomito, lo sputare sangue.* Similiter *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 111. *retro* ed. *Ald.* Ad rejectionem sanguinis ex ore manantis symphyti radix in vino decocta salubriter bibitur. Sic in plur. num. *Pallad.* 3. *R. R.* 31. 2. Rejectiones sanguinis inhibere.

II.) Translate. ¶ 1. Est actus rejiciendi, actus repudiandi et contemnendi. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Ut ea teneat, quæ secundum naturam sunt, pellatque contraria: quæ inventa selectione et item rejectione sequuntur. *Id. Balb.* 12. 29. Si civi Romano licet esse Gaditanum, sive exsilio, sive postliminio, sive rejectione hujus civitatis. ¶ 2. Specialim in jure, rejectio judicum fieri poterat et ab accusatore et ab reo, quum sorte ductis a prætore judicibus alicui causæ publicæ disceptandæ, quosdam eorum uterque vel alternter rejiciebat, tamquam iniquos sibi aut incommodos aliqua re futuros. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur. *Ascon.* ad illud *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt. Posteaquam rejectio judicum facta est etc. — Et absolute. *Id.* 1. *Att.* 16. Rejectio facta est clamoribus maximis, quum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret: reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret. *V.* REJICIO II. 4. *Inscript.* apud *Henzen.* (*Inscrippll. Orell. vol.* 3.) 6428., quæ edictum est imperatoris Cæsaris Augusti de aquæ ductu coloniæ Venafranæ ab ipso, ut videtur, donato: DVM RECIPERATORVM REIECTIO INTER EVM QVI AGET ET EVM QVO CVM AGETVR ITA FIET *ut lege Julia* QVAE DE IVDICIIS PRIVATIS LATA EST LICEBIT OPORTEBIT. ¶ 3. Generatim est repudiatio. *Quintil.* 7. 1. 34. Excutere quidquid dicitur, et velut rejectione facta ad optimum pervenire. *Plin. præf. Hist. nat.* 7. Est quædam publica etiam eruditorum rejectio. ¶ 4. *Rejectio in alium* inter figuras sententiarum enumeratur a *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. quum a se orator quippiam removet et in alium rejicit. V. *Quintil.* 9. 1. 30.

REJECTĪTĬUS, a, um, adject. qui rejicitur. *Gloss. Cyrill.* Ἀποβαλιμαῖος, rejectitius.

REJECTO, as, āvi, are, a. 1. Particip. *Rejectans.* — Rejecto frequentat. a *rejicio* est idem ac sæpe rejicio. *Lucret.* 2. 330. clamoreque montes icti rejectant voces ad sidera mundi. *h. e.* referunt. *Spartian. Antonin.* 12. Quum caseum Alpinum in cœna edisset avidius, nocte rejecta-

vit. *h. e.* evomuit. *Sil. It.* 7. 419. Immanis in antro Conditur abrupto Proteus, ac spumea late Cautibus objectis rejectat cœrula vates. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 1. 3. Cruda (*cydonea*) matura sanguinem rejectantibus prosunt. *Virg.* 5. *Æn.* 470. crassumque cruorem Ore rejectantem. *Alii leg.* ejectantem. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *ad fin.* At si forte (*ægrotantes*) cibum rejectaverint, debilitate stomachi concurrente etc. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. *bis retro ed. Ald.* Sic itaque compresso stomacho, idem domino corpori escas, quas suscepit crudas atque acidas ad superiora rejectat atque evomit impellente fervore.

REJECTUS, a, um. V. REJICIO.

REJECTUS, us, m. 4. rejectio. Pro vomitu afferunt nonnulli lexicographi hæc verba *Celsi:* Et rejectus cibi non erit inutilis, si raro fiat. Agit *Cels.* de vomitu, sed non his verbis, 1. 3. et 2. 13. — *Rejectus navis,* pars puppis posterior recurva et in anteriorem partem rejecta: vel ima carinæ pars rejecta et ab oculis remota. *Hygin.* 3. *Astron.* 36. Habet in puppi ad singula gubernacula, ad primum stellas quinque, ad alterum quatuor, circum carinam quinque et sub rejectu quinque. *Alii aliter leg. aut interpretantur.*

REJĬCIO, jĭcis, jēci, jectum, jĭcere, a. 3. (re et jacio). Si primam corripi opus sit, alterum *i* poetæ exterunt; vel *reicit* faciunt disyllabum, ut *eicit*. *V.* EJICIO *init. Stat.* 4. *Theb.* 574. Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes. Invenitur tamen apud *Virg.* uno *i* scriptum (licet *re* producatur) illud 3. *Ecl.* 96. pascentes a flumine reice capellas, ut *Serv.* et *Pier.* testantur. *V.* quæ dicta sunt in voce RE de quantitate hujus particulæ. *V.* etiam *Voss. l.* 2. *c.* 19. *de Grammat.* fuse de his disputantem. — In Particip. *rejectus* perperam prima syllaba correpta legitur apud *Alcim.* 1. 91. Me celsum virtus habuit, nunc ecce reiectus Pellor. *et* 6. 355. telorum fasce rejecto. — Particip. *Rejiciens* I. *A.* 3. *c.*; *Rejectus* I. *A.* 1., 2., 3., *B.* 3. et 4., et II. 1., 2., 3.; *Rejecturus* II. 2.; *Rejiciendus* II. 1. et *V.* voc. seq. I. — Rejicio

I.) Proprie usurpatur *A*) De rebus physicis; et *B*) De brutis animalibus et hominibus.

A) De rebus physicis. ¶ 1. Stricto sensu rejicio est vicissim jacio, retorqueo. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Cæsari nunciatum est, equites Ariovisti lapides telaque in nostros conjicere *etc.*, se ad suos recepit, suisque imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent. *Lucret.* 4. 571. Vox, solidis adlisa locis, rejecta sonorem Reddit. *Id. ibid.* 283. sed ubi speculum quoque sensimus ipsum, continuo a nobis iterum quæ fertur imago Pervenit, et nostros oculos rejecta revisit. ¶ 2. Item est generatim repellere, *ribattere, rigettare, respingere,* ἀποβάλλομαι, ἀποθέω. — *a*) Sic est abjicere, deponere, *deporre. Lucilius* apud *Varron.* 6. *L. L.* 69. *Müll.* Rejicere tunicam. *Cic. Pis.* 23. 55. Lictores, togulis acceptis, sagula rejecerunt. *Ovid.* 9. *Met.* 32. Rejicere de corpore vestem. *Virg.* 5. *Æn.* 421. duplicem ex humeris rejecit amictum. *Phædr.* 5. 2. rejecta pænula. *Sueton. Aug.* 26. Quum centurio, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum etc. — *b*) Item removere, repellere. *Quintil.* 11. 3. 144. Rejicere a sinistro togam. *et ibid.* 131. Rejecta in humerum toga. *Ter. Heaut.* 2. 3. 49. Capillus passus, circum caput rejectus negligenter. Cf. *Ovid.* 4. *Met.* 473. Tisiphone canos ut erat turbata capillos Movit, et obstantes rejecit ab ore colubras. — *c*) Item est retro jacere. *Virg.* 11. *Æn.* 618. Extemplo turbatæ acies versique Latini Rejiciunt parmas. *h. e.* ad tergum referunt, ut se tegant in fuga. Sic *Galba* ad *Cic.* 10. *Fam.* 30. Rejicere scutum. *gettare dietro le spalle.* et *Quintil.* 11. 3. 146. Sinum togæ in dextrum humerum ab imo rejicere. Huc referri possunt etiam illa *Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. *ante med.* Quum pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis inambularet. *et Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 11. (45). Rejectis post terga manibus. — *d*) Item est propellere, promovere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (112). Ut domus eorum fores extra aperirentur, et janua in publicum rejiceretur. — *e*) Item rursus impellere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (28). Fucus ademptis alis in alveum rejectus, ipsis ceteris adimit. *ricacciato, rimesso.* ¶ 3. Item est amovere, removere. — *a*) Sic generatim. *Ovid.* 9. *Met.* 50. Ter sine prospectu voluit nitentia contra Rejicere Alcides a se mea pectora; quanto Excussit amplexus adductaque brachia solvit. *Seneca Thyest.* 809. rejecto Latus explicuit monte Typhœus. *h. e.* repulso et a se amoto. — *b*) Item avertere. *Virg.* 10. *Æn.* 473. Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis. *h. e.* ab arvis. Similiter *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 66. Rejicere e gremio suo librum. — *c*) Item evomere, unde nostrum *récere* factum est. *Sueton. Aug.* 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit, aut, si excessisset, rejiciebat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 57. (106). Caventur (*apyrina*) æque vomitionibus ac bilem rejicientibus. *Id.* 26. *ibid.* 12. 82. (131). Ore sanguinem rejicere. *Scribon. Compos.* 191. aliquid ab stomacho.

B) De brutis animalibus et hominibus. ¶ 1. Est repellere; item rursus agere. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 17. militis Parasitus modo venerat aurum petere: hinc eum ego meis Dictis malis, his foribus - rejeci hominem. *Virg.* 3. *Ecl.* 96. Tityre, pascentes a flumine reice capellas. *Plaut. Pers.* 2. 5. 18. Boves in bubile rejicere, ne vagentur. *h. e.* rursus agere. Huc referri potest et illud *Liv.* 8. 8. Tertium (*vexillum ducebat*) accensos, minimæ fiduciæ manum: eo et in postremam aciem rejiciebantur. ¶ 2. *Rejicere se,* reclinare, recumbere, *coricarsi:* retro flectendo corpus et supinum collocando. *Petron. Satyr.* 92. Se in grabatum rejecit. *Ter. Andr.* 1. 1. 109. Rejecit se in eum flens quam familiariter. *Lucret.* 1. 33. Rejicere se in gremium alicujus. Et passive *Petron. Satyr.* 103. In cubile rejectus est. *Curt.* 10. 5. 3. Velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit. ¶ 3. Speciatim in re militari est hostem repellere. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. Eos, qui eruptionem fecerant, in oppidum rejiciebant. *Id.* 2. *B. G.* 35. Occisis ad hominum millibus quatuor, reliqui in oppidum rejecti sunt. *et* 1. *ibid.* 24. Ipsi -, rejecto nostro equitatu, - sub primam nostram aciem successerunt. *Cic.* 2. *Fam.* 10. Cassius feliciter ab Antiochia hostem rejecerat. *Virg.* 11. *Æn.* 630. Bis Tusci rejecti armis. *respinti.* ¶ 4. Item speciatim raro de navibus, sæpe de navigantibus dicitur. *Cæs.* 5. *B. G.* 5. Ibi cognoscit LX. naves, quæ in Meldis factæ erant, tempestate rejectas cursum tenere non potuisse atque eodem, unde erant profectæ, revertisse. *et ibid.* 23. Accidit, uti - reliquæ (*naves*) fere omnes rejicerentur. *Cic.* 16. *Att.* 7. Quum a Leucopetra profectus stadia circiter trecenta processissem, rejectus sum Austro vehementi ad eamdem Leucopetram. *Id. Cæcin.* 30. 88. Ut si qui ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus etc. Adde *eumd.* 1. *Phil.* 3. 7. *Vellej.* 1. 1. 2. At rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam rejectus, tres ibi urbes statuit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est respuere, aspernari, repudiare, *rifiutare, rigettare, riprovare, ricusare. Cic.* 1. *Fin.* 2. 4. Qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuvii spernat aut rejiciat. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 55. In primisque refutetur ac rejiciatur Philoctetæus ille clamor. *Id.* 2. *Orat.* 24. 102. Id totum abjudico atque rejicio. *Alii leg.* ejicio. *Id.* 1. *Legg.* 23. 60. Ad bona deligenda et rejicienda contraria. *Plin.* 5. *Ep.* 16. *extr.* Recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat. *Plaut. Asin.* 2. 1. 6. Abs te socordiam omnem rejice, et segnitiem amove. *Horat.* 4. *Od.* 9. 41. bonus atque fidus judex Rejecit alto dona nocentium Vultu. *Auct. B. Alex.* 39. Si conditiones, quas rejecerat, rursus appeteret. *Horat.* 4. *Od.* 8. 16. Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (20). Rejectam (*statuam a Cois*) Gnidii emerunt. — Similiter est avertere, amoliri, arcere, prohibere. *Cic. Rosc. Am.* 53. 153. Hanc proscriptionem nisi a vobis rejicitis atque aspernamini etc. *Plin.* 4. *Ep.* 11. *a med.* Fædumque contactum a casto puroque corpore rejecit. — Item occurrendo repulsare. *Cic. Mur.* 37. 79. Quorum ego ferrum et audaciam rejeci in campo, debilitavi in foro, compressi etiam domi meæ. *Stat.* 6. *Theb.* 769. providus astu Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ictus, Hos cavet. *Vitruv.* 10. 20. *extr.* Ab his rejicientur plagæ balistarum et impetus incendiorum. ¶ 2. Speciatim *rejici* dicuntur, quorum amor spernitur. *Ovid.* 9. *Met.* 512. Ergo ego, quæ fueram non rejectura petentem, Ipsa petam? *et ibid.* 606. Et si rejicerer, potui moritura videri. *Horat.* 3. *Od.* 9. 20. Rejectæque patet janua Lydiæ. ¶ 3. Præterea significat remittere, seu ad alium mittere, *rimettere, mandare. Verr. Flacc.* apud *Gell.* 5. 17. Senatus eam rem ad pontifices rejecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 17. Sic *Liv.* 39. 3. Id Cenomani conquesti Romæ apud senatum rejectique ad consulem. *rimandati, rimessi. Cic.* 9. *Att.* 13. *sub fin.* Sed ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam rejicio. *Id.* 10. *Fam.* 16. *a med.* Hoc animo esse debes, ut nihil huc rejicias, nere in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. *Id.* 1. *Att.* 4. Quum jam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem rejecti sumus. *h. e.* dilati, protracti. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 1. *sub fin.* Habes acta unius diei. Reliqua, ut arbitror, in mensem Januarium rejicientur. *si rimetteranno, si differiranno.* ¶ 4. *Rejicere judices* quid sit, in REJECTIO II. 2. dictum est. *Cic. Planc.* 17. 41. Quum ex centum viginti quinque judicibus, quinque et septuaginta reus rejiceret, quinquaginta referret. Adde *eumd.* 1. *Att.* 16. et 3. *Verr.* 7. 22. — Interdum *judices rejicere* est eligere, per metalepsin consequentis, quia qui aliquos rejicit, is eos, qui reliqui sunt, sumere intelligitur. *Id.* 5. *Verr.* 11. 28. Quid prætor? jubet recuperatores rejicere. Decurias scribamus. Quas decurias? de coborte mea rejicies, inquit. *Ernestius* hic quoque *rejicere* pro *explodere* recte accipit. ¶ 5. *Balb.* ad *Cic. post Ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Credo mihi, Cæsarem maximum beneficium te sibi dedisse judicaturum, si huc te rejicis. *se ti riduci, ti applichi a far questo:* si intendis animum in hanc rem: si adduceris, ut suscipias curam conciliandæ inter Cæsarem et Pompejum concordiæ.

REJĬCŬLUS, a, um, adject. (rejicio). Scribitur et trisyllab. *reiculus.* — Rejiculus.

I.) Proprie est qui rejici meretur, qui ob vitium aliquod ab omnibus spernitur et rejicitur, ut *oves reiculæ,* quæ propter ætatem vel morbum rejiciuntur. *Varro* apud *Non. p.* 168. 4. *Merc.* Ut in grege opilio oves minus idoneas removere solet, quas reiculas appellant. *Id.* 2. *R. R.* 1. 24. *de ovib.* Scire oportet quot feminas habeat, quæ parere possint, quot reiculæ sint alienandæ. *et ibid.* 5. 17. *de vaccis.* Delectus quotannis habendus, et reiculæ rejiciundæ, quod locum occupant earum, quæ ferre possunt fructus. *Auct. Geopon. l.* 17. *c.* 20. rajiculas ita describit: τὰς στείρας, καὶ τὰς ἀσθενεῖς, καὶ τῇ ἡλικίᾳ προβεβηκυίας. *h. e.* steriles, infirmas atque ætate provectas. *Seneca Ep.* 47. *ante med.* Stare ante limen Callisti (*liberti Claudii Aug.*) dominum suum vidi: et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vit.* 7. *a med.* Dispunge ac recense vitæ tuæ dies: videbis paucos admodum, et reiculos apud te resedisse. Hoc in loco *Senecæ* (ut et in allato sub I.) *alii leg.* ridiculus, sed minus recte. *Reiculos dies* videtur designare *Id.* 7. *Quæst. nat.* 32., ubi ait: Quis philosophiam aut ullam liberale respicit studium, nisi quum ludi intercalantur, quum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet?

REINCIPIO, is, ere, a. 3. *ricominciare,* rursus incipio. Vetus Lapis, qui videtur inscriptus sæculo Christi quinto aut sexto, apud *Gruter.* 1161. 5. Quum finierit, a capite reincipe.

RĔINTĔGRO. *V.* REDINTEGRO.

RĔĬTĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. *replica,* ἀνάληψις, actus reiterandi, repetitio. *Quintil.* 11. 2. 35. Quæ exciderunt, retractantur, ut crebra reiteratione firmentur. *Alii leg.* intentione, *alii rectius* iteratione.

RĔĬTĔRO, as, are, a. 1. *replicare, ripetere,* ἀναλαμβάνω, repeto. *Apul.* 8. *Met.* Ferinos rugitus reiterans. *Alii rectius leg.* iterans.

RĔLĀBOR, lāberis, lapsus sum, lābi, dep. 3. (re *et* labor, eris). Particip. *Relabens* I.; *Relapsus* I. et II. — Relabor est idem ac retro, aut rursus labor, refluo, revertor, recido, *scorrere indietro, ritornare, ricadere,* ἀναπίπτω.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 29. 10. quis neget arduis Pronos relabi posse rivos Montibus et Tiberim reverti? *Claudian. Laud. Seren.* 79. Quæque relabentes undas æstumque secutæ In refluos venere palam Nereides amnes. *Ovid.* 3. *Met.* 616. quo non alius conscendere summas Ocior antennas, prensoque rudente relabi. *Id.* 10. *ibid.* 57. *de Orpheo.* Flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est. *Id. Heroid.* 10. 149. Flecte ratem, Theseu, versoque relabere velo. *et* 15. *ibid.* 95. Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros. *Virg.* 10. *Æn.* 307. unda relabens. *Curt.* 6. 4. 10. Eodemque impetu, quo effusum est, relabens (*mare*) terram naturæ suæ reddit. *Ambros. de Cain et Abel.* 1. 2. Non ergo, tamquam relapsus in terram, deprehenditur corporis solutione.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 18. Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor. *Id. Epod.* 17. 17. tunc mens et sonus Relapsus atque notus in vultus honor. *h. e.* amota specie bestiarum, sponte et cito rediit mens, loquendi facultas et oris humani decor.

RĔLAMBO, is, ere, a. 3. rursus lambo. *Sedul.* 4. 243. vomitum quicumque suum canis ore relambit.

RĔLANGUEO, es, ere, n. 2. rursus langueo. Forma est a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 181.

RĔLANGUESCO, guescis, gŭi, guescere, inchoat. n. 3. (re *et* languesco) est idem ac rursus languesco, iterum infirmus fio, in languorem seu morbum recido, *languire di nuovo, indebolirsi, ricadere in malattia,* ἀνασθενέω.

I.) Proprie idem significat ac simplex *languesco* apud *Ovid.* 6. *Met.* 290. trahens hærentia viscere tela, Imposito fratri moribunda relanguit ore. *h. e.* concidit, defecta est viribus.

II.) Translate. — *a*) De rebus physicis. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 8. *ad fin.* Venti etiamsi violentiores flavere, circa medium tamen diem relanguescunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 51. (134). Stella, quæ post totidem menses relanguescat. — *b*) De hominis animo. Aliquando ponitur pro simplici *languesco. Cæs.* 2. *B. G.* 15. Nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos eorumque remitti virtutem existimarent. — Ceterum *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 27. Quum bene pertæsum est, animoque relanguit ardor. *Cic.* 13. *Att.* 41. Quod autem relanguisse se dicit etc. *Liv.* 35. 44. Paci studere Phaneam: sed discutere apparatum belli velle, ut tædio et impetus relanguescat regis, et Romani tempus ad comparandum habeant. *Nonnulli tamen leg.* elanguescat.

RĔLAPSUS, a, um. *V.* RELABOR.

RĔLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus referendi.

I.) Proprie. *Quintil.* 10. 3. 31. Scribitur optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. *col portare e riportare spesso la mano all' inchiostro.* Alii aliter legunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est culpam in alium transferre. — *a*) *Relatio criminis* in rhetoricis est, quum ideo jure factum dicitur, quod alius ante injuria lacessierit, ut *Cic.* 1. *Invent.* 11. 15. definit. *Ulp. Dig.* 48. 1. 5. Constitutionibus observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur. — *b*) *Relatio jurisjurandi* est delati jurisjurandi conditionem in adversarium transferre. *Ulp. Dig.* 12. 2. 34. *extr.* — ¶ 2. Speciatim *relatio gratiæ* est *rendimento di grazie,* apud *Senec.* 5. *Benef.* 11. Beneficium et gratiæ relatio ultro citroque ire debent. Adde *eumd. Ep.* 74. *ante med.* ¶ 3. Item *relatio* est oratio, qua proponitur in curia quippiam a senatoribus disceptandum: quod fere consulum munus erat vel prætorum aut tribunorum, iis absentibus: *il proporre, il portare una parte. Cic. Pis.* 13. 29. Et quis audivit non modo actionem aliquam aut relationem, sed vocem omnino aut querelam tuam? *Liv.* 3. 39. Post relationem Ap. Claudii (*decemviri*) postulavit, ut de republica liceret dicere. *Tac.* 13. *Ann.* 49. Licere patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, expromere, relationemque in ea postulare. *h. e.* postulare, ut consules de ea referant. *et* 5. *ibid.* 4. Monere consules, ne relationem inciperent. *et* 1. *ibid.* 13. Relationi consulum jure tribuniciæ potestatis intercedere. *et* 2. *ibid.* 38. Relationem egredi. *h. e.* aliud censere præter id, quod propositum est. *Liv.* 32. 22. approbare. *Sueton. Cal.* 15. Relationibus consulum auctor fuit, ut adjiceretur: quod bonum felixque sit C. Cæsari sororibusque ejus. Alii hoc loco *relationes* intelligunt renunciationes, quum creatorum consulum nomina renunciantur; quod minime probandum. — Jus unius relationis, tertiæ, quartæ etc. est de una re vel de tribus vel de quatuor vel de quinque, quoties senatus haberetur, referendi. Olim enim imperatoribus jus unius relationis dabatur: postea de pluribus dari cœpit. Scribit *Capitolin. Pertin.* 5. primum omnium Pertinacem ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriæ nomen recepisse, necnon simul etiam imperium proconsulare, necnon jus quartæ relationis. *Capitolin. M. Aurel.* 6. Tribunicia potestate ornatus est atque imperio extra urbem proconsulari, addito jure quintæ relationis. *Lamprid. Alex. Sev.* 1. Ut et patris patriæ nomen et jus proconsulare et tribuniciam potestatem et jus quintæ relationis, deferente senatu, uno die assumeret. Docet *Casaubon.* ad *Sueton. Cæs.* 20. ex *Dione,* Augusto primum a senatu jus unius relationis concessum fuisse. Vespasiano quoque, ut in veteri ænea Tabula habetur (apud *Gruter.* 242.) lege lata (quæ *regia* a nonnullis dicta est) permissum est, ut ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatus consulta per relationem discessionemque facere liceret, uti licuit D. Augusto etc., quamvis consul non esset. Adde *Vopisc. Prob.* 12. *extr.* — Decreta post tres relationes in curia municipiorum et coloniarum facta, ab universo decurionum ordine admittebantur. *Inscript.* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 6. *p.* 239. *ed. Mediol.* Hoc decretum post tres relationes placuit in tabula ærea scribi et proponi in publico, unde de plano recte legi possit. — In *Codice Justin.* titulus LXI. libri VII. inscribitur *De relationibus,* quum scilicet judex aut magistratus in re dubia quippiam refert ad principem consulendi causa. — Similiter de iis, quæ dux exercitus ad imperatorem referebat. *Ammian.* 14. 7. 10. Multa in ejus (*Cæsaris*) moliebatur exitium, addens quædam relationibus supervacua, quas subinde dimittebat ad principem. *et* 28. 1. 10. Maximinus relatione maligna docuit principem etc. — Sic *Id.* 27. 10. 8. Post hæc princeps ulterius tendens, quum prope locum venisset, cui Solicinio nomen est, velut quadam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima barbaros longe conspectos. ¶ 4. Hinc est *il riferire, relazione, racconto,* ἀναφορά, διήγησις, actus referendi, h. e. narrandi, renunciandi. *Justin.* 2. 1. 1. Relatio rerum ab Scythis gestarum. *Quintil.* 4. 1. 13. Nonnumquam contingit relatio meritorum: de quibus verecundius dicendum erit sua, quam aliena laudanti. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. 6. Et de universitate quidem generis humani magna ex parte in relatione gentium diximus. *h. e.* quum gentes et populos in geographicis recenseremus. *Apul.* 3. *Met.* Simplicitatem relationis taciturnitate remuneravi. *Id. de Mundo.* Omnia, quæ ibi gererentur, ille otacustarum relatione discebat. ¶ 5. *Relationem* inter figuras verborum enumerans *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. quid accipi velit, sibi non liquere, ait *Quintil.* 9. 3. 97. Putat *Aquila Romanus* apud *Pithœum p.* 26. significari epanaphoram, quæ *repetitio* est, et *relatum* ab eo appellatur, ut illud *Cic.* 4. *Verr.* 10. 26. Verre calumniatores apponebat: Verres adesse jubebat: Verres cognoscebat: Verres judicabat. *Capperoner.* censet esset ζεῦγμα, scil. quum ad unum verbum plura referuntur: quæ figura ob aliam rationem dicitur contrapositum: de qua *Cic. Partit. orat.* 15. 54. Augent etiam relata verba etc. Exemplum est illud *ejusd.* pro *Cluent.* 6. 6. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. ¶ 6. In logicis *relatio* est respectus. *Paul. Dig.* 1. 1. 11. Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam quum inique decernit: relatione scilicet facta non ad id, quod prætor ita fecit, sed ad illud, quod prætorem facere convenit. Sic *relatio pronominum* apud grammaticos est, quum ea ad aliud referuntur: et ideo *relativa* appellantur. *Priscian.* 17. *p.* 1061. 1063. etc. *Putsch.*

RĔLĀTĪVĒ, adverb. ἀναφορικῶς, *relativamente,* cum respectu ad aliud. *Augustin.* 5. *Trinit.* 71. Vicinus et amicus relative dicuntur. Adde *eumd. ibid.* 11. et 12. Sic *Capell.* 4. *p.* 110. Ipsa autem, quæ sibi dicuntur majora et minora, relative dici manifestum est. *et ibid. p.* 112. Quæritur, utrum aliqua substantia dici possit relative; sed de prima substantia dici non posse relative, nulla quæstio est.

RĔLĀTĪVUS, a, um, adject. *che ha relazione, relativo,* ἀναφορικός, ὁ πρός τι, qui ad alium refertur, qui ad alium pertinet, et (ut *Seneca* loquitur 5. *Benef.* 10.) sic est formatus, ut tota significatio illius discedat a nobis. — *a*) Generatim. *Arnob.* 7. 13. Honos omnis relativi est ad alterum generis. *Augustin.* 5. *Trinit.* 16. Relativa appellatio. *scil.* domini et servi. *Capell.* 4. *p.* 111. Dicuntur relativa tribus modis: aut alicujus, ut filius; aut alicui, ut vicinus; aut ad aliquid ut duplum. — *b*) Speciatim in re grammatica, relativa pronomina, quæ antecedens nomen quodammodo referunt, et velut in memoriam reducunt, ut *qui, qualis, hic, ille* etc. *Priscian.* 17. *p.* 1063. et 1064. *Putsch. V.* RELATIO II. 6. *ad fin.* — *Diomed.* 1. *p.* 389. *Putsch.* Relativa species verbi dicta videtur, quum ad eum sermonem sequentia referuntur; quo dependet sequens. Adde *eumd. ibid. p.* 387.

RĔLĀTOR, ōris, m. 3. qui refert, *relatore, riportatore.* ¶ 1. De eo, qui proponit in senatu quippiam deliberandum. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att. a med.* Incipiam sperare, consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompejum et Cæsarem conjungi posse. ¶ 2. Item, generatim, qui narrat. *Propert.* 3. 4. 5. Omnis enim debet sine vanis esse relator. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 471. Æquiparare valens, illustris uterque relator. *h. e.* historicus; nempe *Sulpicius Sever.* et *Paulinus Petrocor.*, qui ejusdem Martini vitam scripserunt. ¶ 3. *Inscript.* apud *Murat.* 902. 5., quæ est apud *Orell.* 3238. T. FLAVIVS AVG. LIB. FIRMVS NARCISSIANVS RELATOR AVCTIONVM. *h. e.* qui auctiones publicas in tabulas refert, seu qui præconis more nunciat voce auctiones publicas, ut etiam num apud nos fieri solet.

RĔLĀTŌRĬUS, a, um, adject. relationem continens. *Relatoria* absolute dicitur apocha seu securitas iis tradita, qui aliquid retulerunt, ut eisdem pro cautione sit. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13. 5. 8. Navicularios Hispaniarum neque ad extraordinaria teneri officia, neque alicubi retentos mores sustinere, oportet; sed relatorias traditarum specierum intra decem dies a susceptoribus percipere: quumque ad aliquas insulas, portus, litora, stationes accesserint, ostensis relatoriis, nullam prorsus inquietudinem sustinere.

RĔLĀTUS, a, um. *V.* REFERO.

RĔLĀTUS, us, m. 4. ¶ 1. Est relatio quo sensu in ea voce dictum est II. 3. *Tac.* 15. *Ann.* 22. Magno assensu celebrata sententia; non tamen senatus consultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatum. ¶ 2. Item est narratio, renunciatio. In sexto casu sing. *Tac. Germ.* 3. Sunt illis (*Germanis*) hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. *Id.* 1. *Hist.* 30. Neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. *Ammian.* 20. 8. 4. Quamquam eum hæc dudum comperisse opinabatur relatu Decentii olim reversi. Adde *Symmach.* 5. *Ep.* 64. — In plur. num. *Capell.* 4. *p.* 135. Ut honoris pretio cederet inferre relatus. *h. e.* ut honoris gratiâ permitteret regerere ea, quæ etc.

RELAUDO, as, are, a. 1. iterum laudo. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 47.

RĔLĂVO, lăvas, lāvi, lăvare, a. 1. *rilavare*, rursus lavo. *Lucret.* 6. 799. calidis etiam quum te relavaris. *Alii leg.* calidis etiam cunctere lavacris. *et* Lachmann. *rectius* calidis etiam cunctare lavabris. *Priscian. p.* 1296. *Putsch.* Excipiuntur *relavo* et *revivo* quæ in præterito sic exeunt, *relavi*, *revixi*. Sequuntur etiam regulam superiorem. Excipitur *relavo*, quod in præterito perfecto et plus quam perfecto et in uno futuro conjunctivi modi disyllabam *la* longam habet, in ceteris vero temporibus breviatur: *relavi, relaveram, relavero.*

RĔLAXĀTĬO, ōnis, f. 3. *rilassazione, allentamento*, ἀνιχάλασμός, actus relaxandi, remissio.

I.) Proprie. *Theod. Priscian.* 3. 10. Hæc sufficere arbitror principalium passionum constrictionis et relaxationis causis. *Scribon. Compos.* 10. Prodest, quum diu caput dolet, attondere ad cutem, et radere, et diutius siccum ad relaxationem cutis fricare.

II.) Translate. *Cic.* 7. *Fam.* 26. et 2. *Orat.* 5. 22. Otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio. *sollievo, ricreamento.* et 2. *Fin.* 29. 95. Relaxatio doloris. ἄνεσις.

RĔLAXĀTOR, ōris, m. 3. qui relaxat, ut Relaxator fluentium, *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 38.

RĔLAXĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔLAXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* laxo). Particip. *Relaxans* I.; *Relaxatus* II. — Relaxo est idem ac remitto, dissolvo, aperio, ἀναχαλάω (It. *allentare, allargare, rilassare*; Fr. *relâcher, desserrer, détendre, ouvrir*; Hisp. *relaxar, afloxar, soltar, dilatar*; Germ. *wieder weit machen, erweitern, losmachen, öffnen*; Angl. *to loose, unloose, set at large, release, disengange, free, relax*).

I.) Proprie. — Cum opposito *adstringo* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Alvus tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne quod accipit, cogit et confundit. et *ibid.* 55. 138. Reliquiæ cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. — Ceterum *Id. Senect.* 22. 81. Relaxare se vinculis. *Ovid.* 2. *Fast.* 321. tunicarum vincla relaxat, Ut possit vastas exseruisse manus. *Id.* 1. *Amor.* 6. 17. Relaxare claustra. *aprire.* Sic *Seneca Thyest.* 901. fores templi. *Ovid.* 1. *Met.* 281. ora fontibus. *Seneca Agam.* 322. arcum. *Virg.* 1. *G.* 89. plures calor ille vias et cæca relaxat Spiramenta. *et ibid.* 418. Juppiter uvidus austris Densat, erant quæ rara modo, et quæ densa, relaxat. *Sil. It.* 14. 400. diversa relaxans Brachia. *Varro* 1. *R. R.* 27. 1. Glæbæ relaxatæ. *scil.* quum proscissæ sunt et sole percalefactæ.

II.) Translate est remittere, recreare, solvere, levare, *alleggiare, sollevare, divertire, ricreare.* *Cic. Brut.* 5. 21. Relaxa modo paullum animum, aut sane, si potes, libera. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 329. 7. *Merc.* Quæro enim, non quibus intendam animum rebus, sed quibus relaxem ac remittam. *Id.* 2. *Divinat.* 48. 100. Animus somno relaxatus solute movetur et libere. *Id.* 2. *Phil.* 16. 39. Relaxari animo. *Id.* 16. *Att.* 16. et 7. *Fam.* 1. *ad fin.* Si te occupatione ista relaxaris. *Id.* 1. *Legg.* 4. 11. A contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid. *Id.* 10. *Att.* 6. *sub fin.* Pater nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. *Id. Orat.* 52. 176. Relaxare se a nimia necessitate faciendi aliquid. *Petron. fragm. Tragur.* 49. *Burmann. ad fin.* vultum in hilaritatem. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 236. Risus tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat. *Id. carm. de suo consul.* 1. *Divinat.* 13. 22. anxiferas curas requiete relaxas. *Id.* 2. *Fin.* 29. 94. Dolor si longus, levis: dat enim intervalla et relaxat. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 330. Erebi se sponte relaxat Squalor. — *Relaxare mores*, a lege velut eximere et dissolutos reddere. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 153. mores ætas lasciva relaxat.

RĔLAXUS, a, um, adject. πολύχαυνος, laxus, vel valde laxus, solutus, rarus. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 46. Relaxa humo plenioris crassitudinis fiat radix. *At* Gesner. *et* Schneider. *rectius malunt* relaxata.

RĔLECTUS, a, um. *V.* RELĔGO, is.

RĔLĔGĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est Ital. *rilegazione, bando*, ἐξορισμός, genus exsilii, quum quis finibus patriæ exire jubetur. *Cic. Rosc. Am.* 15. 44. Tamen ne hæc attenta vita et rusticana relegatio atque amandatio appellabitur? *Liv.* 3. 10. *ad fin.* Exsilio et relegatione civium ulciscentes tribunos. *Paul.* 5. *Sent.* 4. 17. Relegatio insulæ. *h. e.* in insulam. *V.* RELĒGO I. 2. ¶ 2. Sumitur etiam pro attributione, quæ testamento fit, ut Relegatio dotis, apud *Ulp. Dig.* 33. 4. 1.

RĔLĔGĀTUS, a, um. *V.* RELĒGO.

RĔLĒGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* lēgo). Particip. *Relegans* I. 2.; *Relegatus* I. 1., 2. et II. 1., 3.; *Relegandus* I. 2. — Relegare est amandare, removere, ἀποπέμπω (It. *allontanare, mandar via*; Fr. *éloigner d'un lieu, envoyer dans un lieu, écarter, éloigner, reléguer*; Hisp. *apartar, alejar, desviar, relegar, desterrar*; Germ. *Jemanden von einen Orte weg-, fortschicken, verweifen, entfernen*; Angl. *to remand, remit, refer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Rejecti et relegati longe a ceteris. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. Criminabatur, quod filium ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. *Id. Rosc. Am.* 15. 42. Relegare aliquem in prædia rustica. *Horat.* 3. *Od.* 11. 47. Me vel extremos Numidarum in agros Classe releget. *Virg.* 3. *G.* 212. tauros procul atque in tuta relegant Pascua. *Vellej.* 2. 45. 4. P. Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a republica relegavit. *h. e.* removit. Quod idem dixit *Cic. Dom.* 25. 65. M. Cato, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. *Cic.* vertens *Sophocl.* carmina, 2. *Tusc.* 8. 20. Non sæva terris gens relegata ultimis. *Virg.* 7. *Æn.* 774. At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus, et Nymphæ Ægeriæ nemorique relegat. *h. e.* mandat custodiendum. ¶ 2. Speciatim apud Jctos et in fors *relegare* est exsilii causa amandare, *confinare, rilegare, bandire*, ἐξορίζειν. *Festus p.* 278. 6. *Müll.* Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiæ aut pœnæ causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse, lege senatusve consulto aut edicto magistratus, ut etiam Ælius Gallus indicat. Relegatorum, inquit *Ulp. Dig.* 48. 22. 7., duo sunt genera. Sunt quidam, qui in insulam relegantur (*rilegati, confinati*); et sunt, qui simpliciter, ut provinciis eis interdicatur, non etiam insula assignetur. Et de his sunt verba *Festi* modo allata. Relegati in insulam, teste *eod. ibid.* et *Martian. ibid.* 19. 4., vel ad tempus vel in perpetuum relegantur. Est discrimen inter hos et *deportatos*, quod deportati civitatem Romanam amittunt et jus patrium in liberos et testamenti factionem, et in perpetuum damnati intelliguntur: relegati etiam in perpetuum nullo ex his juribus spoliantur. Ad tempus relegatis neque tota bona, neque pars adimitur: relegatis in perpetuum vel pars bonorum, vel tota bona adimuntur: deportati in vinculis a servis publicis educi solent. — Exsilio puniti a relegatis differunt, quod quum triplex exsilium sit, aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, ut omnium locorum præter certum locum; aut deportatio in insulam, ut *Martian.* tradit *Dig.* 48. 22. 5., relegati primum solummodo, aut secundum ex his pœnæ genus subeunt. *Ovid.* 2. *Trist.* 135. Adde quod edictum quamvis immane minaxque, Attamen in pœnæ nomine lene fuit. Quippe relegatus, non exsul dicor in illo. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 2. 61. et *ibid.* 11. 21. — Ceterum generatim *Cic. Sext.* 12. 29. Consul L. Lamiam in contione relegavit edixitque, ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta. *Sueton. Aug.* 16. *extr.* Supplicem, concessa vita, Circejos in perpetuum relegavit. *Tac.* 3. *Ann.* 17. *extr.* Relegare aliquem in decem annos. *et ibid.* 68. in insulam Gyaron. *Liv.* 25. 6. *a med.* in exsilium. *Sueton. Claud.* 23. Quosdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *ante med.* Hos alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. *et mox.* Propior aliquanto est sententiæ relegantis, quæ absolvit, quam quæ occidit. — Nonnumquam tamen *relegatus* de quocumque exsule dicitur. *Cic.* 2. *Att.* 11. Plane relegatus mihi videor, postea quam in Formiano sum.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1., relegare est longius removere. — *a*) De hominibus. *Curt.* 5. 5. 14. Procul Europa in ultima orientis relegati, - tolerabimus etc. *Id.* 9. 2. 7. Relegatos in ultimum pæne rerum humanarum persequi terminum et eruere arduum videbatur. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 250. Et quos interior nimio plaga sole relegat. *h. e.* a nobis longius removet, mediam Africam incolentes sub zona torrida. — *b*) De locis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (89). Taprobanē extra orbem a natura relegata. — *c*) De abstractis. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 84. Ambitione relegata, te dicere possum, Pollio. *h. e.* seposita. *Lucan.* 6. 324. Relegare bella. *Plin. Paneg.* 47. Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quæ priorum temporum immanitas exsiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret. ¶ 2. Est etiam assignare, attribuere. *Liv.* 28. 42. *a med.* Patere, nos omnia, quæ prospera evenere, tuo consilio assignare, adversa casibus incertis belli et Fortunæ relegare. *Alii leg.* delegare. *Tibull.* 4. 6. 5. Illa quidem ornandi causas tibi, Diva, relegat: Est tamen, occulte cui placuisse velit. *Vellej.* 2. 64. 2. Fortunæ invidiam in auctorem relegabat. *h. e.* transferebat, refundebat. *Quintil.* 7. 4. 13. Interdum culpa in hominem relegatur. *Id.* 6. *procem.* 13. Frustra mala omnia ad crimen Fortunæ relegamus. ¶ 3. Item testamento relinquere, ut *relegare dotem*, apud *Ulp. Dig.* 33. 4. 1. *et* 2. *usumfructum*, apud *Julian. ibid.* 2. 23. — Sic *relegata dos* est testamento relicta. Dicitur autem *relegata* quasi iterum legata, seu restituta: quod fit quum maritus moriens uxori superstiti dotem, quam ipsa attulerat, testamento ei assignat ac reddit. *Alphen. Dig.* 23. 5. 8. *Ulp. ibid.* 33. *tit.* 4. *qui* De dote relegata (*al.* prælegata) inscribitur, 1. *et* 2. etc.

RĔLĔGO, lĕgis, lēgi, lectum, lĕgere, a. 3. (re *et* lego). Particip. *Relegens* I. 1. et II. 1. 2; *Relectus* I. 1. et II. 2. — Relego est iterum colligo, *raccogliere di nuovo*, ἀναλέγομαι.

I.) Proprie. *Ovid.* 8. *Met.* 173. Janua difficilis filo est inventa relecto. *h. e.* rursus collecto, quod labyrinthum ingrediendo explicaverat Theseus. *V.* LEGO, is. *Alii minus recte* relicto *scribunt.* *Horat. Epod.* 2. 69. Omnem relegit Idibus pecuniam. *Alii leg.* redegit. *Val. Flacc.* 6. 237. *de hasta.* docilis relegi docilisque relinqui. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 29. ter relegens cælo, terque ora retexens Luna. *h. e.* colligens plenum orbem.

II.) Figurate. ¶ 1. De locis *relego* est rursus eamdem viam percurro, redeo, revertor. *Virg.* 3. *Æn.* 690. Talia monstrabat relegens errata retrorsum Litora Achæmenides. *h. e.* renavigans,

scorrendo di nuovo. et *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 24. Hellespontiacas illa (*navis*) relegit aquas. *Val. Flacc.* 8. 121. Egressi relegunt campos. *et* 4. 54. relegitque vias et vallibus exit. *Stat.* 1. *Achill.* 23. Culpatum relegebat iter. *Seneca, Agam.* 574. retro spatia relegens. *Claudian. B. Get.* 529. Ut mea converso relegam vestigia cursu. *Prudent. Apotheos.* 1072. Relegere cursum. *Tac.* 2. *Ann.* 54. Relegit Asiam appellitque Colophona. ¶ 2. Translate de scriptis est iterum legere, *rileggere*, ἀναγινώσκω. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 1. Trojani belli scriptorem, maxime Lolli, Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 9. Quæ (*a te dicta in foro,* h. e. *orationes*), quamquam lingua mihi sunt properante per horas Lecta satis multas, pauca fuisse queror. Plura sed hæc feci relegendo sæpe. *Id. Remed. am.* 717. Scripta cave relegas blandæ servata puellæ. Constantes animos scripta relecta movent. *Id.* 1. *Pont.* 5. 15. Quum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno, Me quoque, qui feci, judice digna lini. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. 11. — Ponitur et pro simplici lego, *leggere. Martial.* 4. 29. Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis, Esse puta solum: sic tibi pluris erit. Sic *Forcellinus.* — Apud *Vopisc. Aurelian.* 24. Hæc ego et a gravibus viris comperi et Ulpiæ bibliothecæ libris relegi. *h. e.* sæpe legi. — Huc referri potest illud *Ovid.* 4. *Met.* 568. Jamque malis annisque graves, dum prima retractant Fata domus, releguntque suos sermone labores etc. Cf. *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72. Qui omnia diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi. *V.* RELIGENS loco suo. — Absolute *Quintil.* 11. 2. 23. Deinde relegentes inveniunt, ubi (*verba*) posuerint.

RĔLENTESCO, is, ere, n. 3. inchoat. *rallentarsi*, ἀναγλισχραίνομαι, iterum lentesco, ad lentorem pristinum redeo. Translate *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 76. Neve relentescat sæpe repulsus amor.

RĔLĔO, es, ere, a. 2. iterum deleo. Agnoscitur a *Priscian.* 5. *p.* 664. *Putsch.*, sed sine exemplis veterum scriptorum.

RĔLĔVĀMEN, ĭnis, n. 3. levamen. *Priscian. Perieg.* 440. prægnantibus ista Auxilium confert, facilis relevamine partus.

RĔLĔVĀTĬO, ōnis, f. 3. *sollievo*, levamen oneris.

I.) Proprie. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 13. Simile solet evenire onus grave humero gestantibus, quum illud onus in sinistrum ab dextro humero transtulere; quamquam nihil de pondere deminutum sit, tamen ut oneris translatio videatur etiam relevatio. — Est etiam deminutio. *Theod. Priscian.* 1. 9. Nam et ciborum et potionis continentia, et vomitus vel purgationes, capillorum relevatio, sanguis de naribus provocatio adjuverunt. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. *init.* Sequitur - febris acuta -; pulsus celer, densus, humilis - toto accessionis tempore, aliquando etiam usque ad dimissionem, ut etiamsi fervoris relevatio fuerit quadam circumscriptione collecta, non tamen simili profectu pulsus quoque erigi videatur.

II.) Translate usurpatur a *Salvian. loc. cit.* in AGGRAVATIO.

RĔLĔVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔLĔVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* levo). Particip. *Relevatus* II. 2., 3. et in fin.; *Relevaturus* et *Relevandus* II. 1. — Relevo

I.) Proprie. ¶ 1. Est It. *alzare, sollevare, alzar su*, αναίρω, ἐπαναίρω, ἀνακουφίζω, sursum tollo, elevo, erigo. *Ovid.* 9. *Met.* 318. e terra corpus relevare. *Id.* 3. *Pont.* 3. 11. membra in cubitum. *Lucan.* 8. 267. nec sic mea fata premuntur, Ut nequeam relevare caput. ¶ 2. Item exonero, levem facio, *alleggerire*, ἀποκουφίζω. *Cic.* 1. *Att.* 13. Quotus enim quisque est, qui epistolam paullo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? *Ovid. Remed. am.* 186. suppositas fugiunt examina taxos, Ut relevent dempti vimina torta favi. *Id.* 1. *Amor.* 6. 25. Sic unquam longa relevere catena.

II.) Translate. ¶ 1. Est minuere, levem facere. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 31. Relevare aliquem cura et metu. *Ovid.* 6. *Met.* 354. sitim. *et* 11. *ibid* 129. famem. *Id. Remed. am.* 586. Quæ relevet luctus, turba sodalis abest. *Id.* 3. *Art. am.* 697. Aura, meos releves æstus. *Plin. Paneg.* 19. Ut studium omnium laboremque et tamquam exactor intenderes et tamquam particeps sociusque relevares. *scemassi.* — Refertur ad sumptus et impensas. *Cic. Flacc.* 17. 41. Cujus mors te ex aliqua parte relevavit. edacem enim hospitem amisisti. *ti sollevò in parte della spesa.* At in *Cod. Palimps. Turin.* cujus mors te aliqua re levavit. Ceterum *Sueton. Domit.* 12. Tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumptus, militum numerum deminuere. *et Cæs.* 20. Publicanos remissionem petentes tertia mercedum parte relevavit. *Eumen. Gratiar. act. Constantio Flav. num.* 10. *a med.* Relevaturus censum, definisti numerum. ¶ 2. Est item recreare, reficere, consolari, *sollevare, ristorare, consolare, confortare. Ovid.* 8. *Met.* 639. Membra senex posito jussit relevare sedili. *sollevare dalla stanchezza.* et 1. *Pont.* 3. 17. Non est in medico semper relevetur ut æger. *Id.* 3. *Fast.* 304. Et relevant multo pectora sicca mero. *Cic.* 3. *Att.* 10. *ad fin.* Hæc eo scripsi, ut potius relevares me, quam aut castigatione aut objurgatione dignum putares. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 12. Omnis ab hac cura mens relevata mea est. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Relevata et recreata respublica. *Ulp. Dig.* 17. 2. 63. *a med.* Nec enim æquum est, dolum suum quemquam relevare. ¶ 3. In integrum restituere. *Modestin. Dig.* 4. 4. 29. Quia pupilla videbatur in ceteris litis speciebus relevata fuisse. — Hinc Particip. præter. pass.

Relevatus, a, um, cujus exempla retulimus, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Relevatior* apud *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 20. Paullatim relevatior æger efficitur.

RĔLĬCĪNUS, a, um, adject. ὑποδεδυκώς, ut habetur in *Gloss. Philox.*, qui in occiput refugiente capillamento crispus est: vel a *recello*, quia capilli retro recellunt: vel a *re* et *lacio* traho, unde *relicio* retraho, sicut *allicio* attraho. *V.* LICINUS. *Apul. Florid. n.* 3. Marsyas laudans sese, quod erat et coma relicinus, et barba squallidus, et pectore hirsutus. — *Frons relicina* dicitur, quæ reflexis in verticem capillis nuda apparet, aperta, lata et a capillorum tegumento libera. *Id. ibid. n.* 7. *de Alex. M.* Ut eadem forma viridis juventæ, eadem gratia relicinæ frontis cerneretur. Eamdem frontis gratiam relicinis capillis decoram cernere est in imaginibus Alexandri M. editis et illustratis a *Viscont.* in *Iconogr. Gr. T.* 2. *tab.* 2. *p.* 56.-72. *ed. Mediol.*

RĔLICTĬO, ōnis, f. 3. *abbandonamento*, ἀπόλειψις, actus relinquendi. *Cic.* 17. *Att.* 7. *a med.* Desperatio ac relictio reipublicæ. *Alii leg.* rejectio: *alii* religio. *Id.* 3. *Verr.* 13. 35. Relictio et proditio consulis. *Alii leg.* rejectio. *Vitruv.* 7. 9. Quum ergo hæc emissa erunt, tunc minium, propter argenti vivi relictionem, quas in se naturales habuerat vires, relinquit. *h. e.* quia ab argento vivo separatum est et quasi relictum.

RĔLICTOR, ōris, m. 3. et

RĔLICTRIX, īcis, f. 3. tamquam nomina verbalia a v. *relinquo* agnoscuntur a *Priscian. p.* 1279. *Putsch.*, nullo tamen allato auctoris exemplo.

RĔLICTUS, a, um. *V.* RELINQUO.

RĔLICTUS, us, m. 4. relictio. *Gell.* 3. 1. *a med.* Labor virilis exercendique corporis studium relictui est. *h. e.* negligitur, deseritur.

RĔLĬCŪUS. *V.* RELIQUUS init.

RĔLĪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (re *et* lædo). Part. *Relisus* I. — Relidere est iterum lædere, collidere, oblidere, *percuotere di nuovo, ammaccare.*

I.) Proprie. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 47. Conjiciunt alii fragiles inque ora tabellas Frangunt: relisa fronte lignum dissilit. *Id. Apotheos.* 162. Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis Aspergunt, alapis non vexat palma relisis. *Avien. fab.* 3. Curva retrocedens quum fert vestigia cancer, Hispida saxosis terga relisit aquis.

II.) Translate est vi aliquid exprimere. *Venant. præf. lib.* 1. *a med.* Sola sæpe bombicans barbaros leudos harpa relidebat. *Auson. Epist.* 25. 42. brevius nihil est, nec plenius istis, (*est et non*). Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt. *h. e.* refutant, respuunt, negant.

RĔLĬGĀMEN, ĭnis, n. 3. ligamentum, vinculum. *Prudent. Psychom.* 358. Ut mitra, cæsariem cohibens aurata virilem, Combibat infusum croceo religamine nardum.

RĔLĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. *legamento*, ἀνάδεσις, actus religandi. *Cic. Senect.* 15. 53. Et ipsa natura delectat, adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio et propagatio vitium.

RĔLĬGĀTUS, a, um. *V.* RELIGO.

RĔLĬGENS, entis, particip. Antiquum carmen apud *Gell.* 4. 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas. *h. e.* pium esse oportet et diis addictum, non tamen superstitiosum. *V.* vocem seq.

RĔLĬGĬO, ōnis, f. 3. A poetis *l* geminatur, primæ extendendæ causâ. *Virg., Lucret., Horat.* infra allati, *Ovid.* etc. *V.* tamen dicta in RE. — De notatione hæc habet *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72. Non philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi, ex relegendo (*al.* religendo: *quod idem est*), ut elegantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso. Ita factum est in superstitioso et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis. Hactenus *Cic.*, cujus etymon confirmatur illo *vet. carm.* apud *Gell.* 4. 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas. Ubi *religentem* religiosum significat. Contra acriter insurgit *Lactant.* 4. 28. ineptum asserens esse discrimen ab eo assignatum inter *superstitionem* et *religionem:* verum autem esse, illam falsi cultus esse; hanc veri. Notationem quoque aliam afferens, nempe a *religando:* et nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit; quod et *Servius* facit ad *Virg.* 8. *Æn.* 349. et *Augustin.* 1. *Retractat.* 13. et placuisse videtur *Nigidio* apud *Gell. loc. cit.* Unde *Lucret.* 1. 932. et arctis Relligionum animum nodis exsolvere pergo. et *Tac.* 3. *Ann.* 26. Numa religionibus et divino jure populum devinxit. Nam quod *Massur. Sabin. ibid.* et *Serv. Sulpic.* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 3. a *relinquendo* duci volunt, quia religio propter sanctitatem remota ac seposita a nobis sit, puto arrisurum esse nemini. — Religio est metus divini numinis, ex quo ejus cultus, reverentia et observatio sequitur, pietas, sanctitas. *Servius* ad illud *Virg.* 2. *Æn.* 715. Religione patrum etc. timore: et est reciprocum. Sic *Terent.* (*Heaut.* 2. 1. 16.). Nam, nihil esse mihi, religio est dicere. Item Virgilius contra (7. *Æn.* 60.) multosque metu servata per annos. Connexa enim sunt timor et religio. Hæc *Servius.* Sic *formido, metus, pavor* pro religione ponuntur: quæ *V.* suis loc. θρήσκεια, θεοσέβεια, εὐσέβεια (It. *timore di Dio, religione;* Fr. *religion, sentiment religieux, piété, culte, honneur rendu à Dieu, pratiques religieuses;* Hisp. *religion, sentimento religioso, culto que se da a Dios, piedad;* Germ. *d. Gottesverehrung, Gottesfurcht, d. Gottesdienst;* Angl. *the fear of God; a profound reverence and pious worship of the Supreme Being; religion, devotion, piety*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 22. 66. Religionem eam, quæ in metu et cæremonia deorum est, appellant pietatem. *et ibid.* 53. 161. Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. *Id.* 1. *Nat. D.* 42. 117. Religio deorum cultu pio continetur. Sic *Id.* 2. *ibid.* 3. 8. Religione, id est cultu deorum. *Id. Partit. orat.* 22. 78. Justitia erga deos, reli-

gio dicitur; erga parentes, pietas. *Id.* 2. *Legg.* 11. 26. Tum maxime et pietas et religio versatur in animis, quum rebus divinis operam damus. *Id.* 1. *ibid.* 23. 60. Cultum deorum et puram religionem suscipere. *Id. Balb.* 24. 55. Sacra Cereris summa religione cæremoniaque confice-re. *Id.* 2. *Nat. D.* 3. 10. At vero apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos diis immortalibus capite velato verbis certis pro re publica devoverent. *Virg.* 2. *Æn.* 188. Non populum antiqua sub religione tueri. *Justin.* 1. 10. 3. De se judicium religioni et fortunæ committere. *et ibid.* 9. 6. Erat enim difficile, ut parceret suis, qui cum contemptu religionis grassatus etiam adversus deos fuerat. *Cassiod.* 2. *Variar.* 27. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. — Similiter *Ammian.* 21. 16. 18. Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens etc. *et* 22. 5. 3. Christianorum antistites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat civilius, ut, discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. — *b*) Speciatim ponitur pro peculiari ratione divini cultus, seu pro ritibus ipsis, quibus Deus colitur: vel etiam pro ipsis numinibus. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Illi (*Druides*) rebus divinis intersunt, sacrificia procurant, religiones interpretantur. *Cic.* 1. *Legg.* 15. 43. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos cæremoniæ religionesque tolluntur. *Id. Dom.* 40. 105. Ut non putares deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses. *Id. Fontej.* 9. 20. Ceteræ nationes pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones. *Id. Mil.* 27. 73. Solemnes religiones supplicio alicujus expiare. *Id. Dom.* 48. 125. polluere. *Id.* 6. *Verr.* 35. 78. violare. *Tac.* 16. *Ann.* 22. spernere. *Cic. Dom.* 1. 1. sapienter interpretari. *Tac.* 3. *Ann.* 60. Senatus majorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam-decreta ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve. *Sueton. Tib.* 69. Circa deos ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicæ, plenusque persuasionis cuncta fato agi.

II.) Translate. ¶ 1. Religio ponitur pro metu lædendi deos, quem scrupulum etiam dicimus, *scrupolo:* quo inhibemur quippiam facere — *a*) In sing. num. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Subit tacita religio animos. *Ter. Andr.* 5. 4. 38. Dignus es cum tua religione, odio: nodum in scirpo quæris. *Liv.* 8. 17. Religio deinde incessit, vitio eos creatos. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 15. Ut quæ religio C. Mario non fuerat, quominus C. Glauciam prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur. *Id. Cæcin.* 33. 97. Alicui religionem injicere. *Id.* 10. *Fam.* 12. offerre. *et* 6. *Verr.* 35. 78. afferre. *Plaut. Merc.* 5. 2. 40. objicere. *Liv.* 22. 42. *a med.* incutere animo. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 83. Religione aliquem obstringere. *Id. Cæcin.* 34. 98. solvere. *Liv.* 3. 20. exsolvere. *Id.* 1. 45. *sub fin.* tangi. *Virg.* 8. *Æn.* 349. religio pavidos terrebat agrestes Diva loci. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 70. vis tu Curtis Judæis oppedere? nulla mihi, inquam, Religio est. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Nec eam rem habuit religioni. *nè di ciò si fece alcuno scrupolo.* Contra *Id.* 2. *Nat. D.* 4. 10. Res illa in religionem populo venit. *et Liv.* 26. 11. In religionem ea res apud Pœnos versa est. *h. e.* veriti sunt Pœni, ne diis displiceret. *Ter. Heaut.* 2. 1. 16. Hoc facere religio est. *ho scrupolo, ho paura, non oso. Festus p.* 285. 5. *Müll.* Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi, et in æde Jani, quæ est extra eam, senatum haberi: quod ea egressi sex et trecenti Fabii, apud Cremeram omnes interfecti sunt, quum in æde Jani senatus consultum factum esset, uti proficiscerentur. — *Religio est,* contrario sensu, h. e. religio jubet, diis gratum est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 11. (30). Panacea evulsa, scrobem repleri vario genere frugum, religio est ac terræ piamentum. *Id.* 30. *ibid.* 5. 14. (42). Et obrui tales, religio est. — *b*) In plur. num. *Varro* apud *Non. p.* 379. 11. *Merc.* Non demunt animis curas ac religiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. Ille omnibus primo precibus petere contendit, ut in Gallia relinqueretur, partim, quod insuetus navigandi mare timeret, partim, quod religionibus impediri sese diceret. *et* 6. *ibid.* 37. Plerique novas sibi ex loco religiones fingunt, Cottæque et Titurii calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis etc. ¶ 2. *Religiones* dicuntur ea ipsa, quæ talem metum afferunt. *Cic.* 1. *Phil.* 6. 13. Inexpiabiles religiones in rempublicam inducere. — Hinc ponitur pro culpa, scelere, *colpa, scelleraggine, empietà che ingenera lo scrupolo. Cæs.* 1. *B. C.* 11. Erat iniqua conditio - pollicer.i se in provinciam iturum neque, ante quem diem iturus sit (*Pompejus*), definire, ut, si peracto consulatu Cæsaris non profectus esset, nulla tamen mendacii religione obstrictus videretur. *Liv.* 5. 23. Tandem eo - decursum est, ut, qui se domumque religione exsolvere vellet, quum sibimetipse prædam æstimasset suam, decumæ pretium partis in publicum deferret. *Id.* 45. 5. Liberaret religione templum. *paullo ante dixerat:* de iis, qui incestas manus intulissent intra terminos sacratos templi. ¶ 3. Interdum ponitur pro superstitione, *superstizione. Justin.* 18. 6. 11. Quum peste laborarent, cruenta sacrorum religione et scelere pro remedio usi sunt. *Id.* 22. 6. 1. Sed terrebat eos portenti religio, quod navigantibus (*eis*) sol defecerat. ¶ 4. Præterea *religio* sumitur pro fide ac veracitate, qua utuntur, qui deos verentur et metuunt. *Cic. Flacc.* 4. 10. Videte, quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicant. *Id. Fontej.* 6. 13. Ea, quæ dicuntur a testibus, quanto pudore, quanta fide, quanta religione dicantur. *Id.* 11. *Fam.* 29. Sum admiratus fidem tuam et in consilio dando religionem. *Id. Flacc.* 4. 9. Testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit. *Id. Rosc. Com.* 15. 45. Fides et religio judicis. *Religio judicis* est observantia jurisjurandi, quia judices jurati sententiam ferebant. Unde et *religio jurisjurandi* dicitur, quia cum illo conjuncta est. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Tirones, jurejurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt; qui omnes ad eum perducti contra religionem jurisjurandi crudelissime interficiuntur. *Cic. Fontej.* 9. 20. Religione jurisjurandi ac metu deorum commoveri. Adde *Justin.* 1. 9. 18. ¶ 5. Hinc generatim ponitur pro vitæ innocentia. *Cic. Cæcin.* 10. 28. Splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, exemplar antiquæ religionis, Fidicularius Falcula. *Id. Dejot.* 6. 16. Dejotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitæ defendendum puto. ¶ 6. Item religio est minuta et scrupulosa diligentia et cura, *esattezza. Cic. Brut.* 82. 283. Ejus oratio nimia religione attenuata. *Id. Orat.* 8. 25. Atheniensium semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire et elegans, quorum religioni quum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. *delicatezza.* ¶ 7. Item justa muneris functio, *puntualità. Cic.* 5. *Verr.* 1. 2. Qui sibi hoc sumit, ut corrigat mores aliorum, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? *Id. Sull.* 3. 10. Sin est in me ratio reipublicæ, religio privati officii, studium retinendæ voluntatis bonorum etc. ¶ 8. Item, ratione habita rei, est reverentia, observantia, sanctitas. *Cic. Rosc. Am.* 24. 66. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. *Id.* 2. *Invent.* 1. 1. Zeuxis complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit. *Id.* 6. *Verr.* 35. 78. Quæ (*Diana*) Carthaginiensium victoriâ, loco mutato, religionem tamen non amisit. *Id. Rabir. perduell.* 10. 30. Virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse. ¶ 9. Item, ratione habita rei, *religio* dicitur res ipsa sacra et religiosa. *Cic.* 6. *Verr.* 36. 80. Segestani orant te (*Scipio*) atque obsecrant, ut sibi religionem (*h. e.* simulacrum Dianæ), generi tuo laudem gloriamque restituas, ut, quod ex urbe hostium per P. Africanum recuperarint, id per te ex prædonis domo conservare possint. *Id. Mil.* 31. 85. Religiones mehercule ipsæ, quæ illam belluam cadere viderunt, commosse se videntur, et jus in illo suum retinuisse.

RĔLĪGĬŌSĒ, adverb. Comp. *Religiosius* I. et II. 1. 2.; Sup. *Religiosissime* I. — Religiose

I.) Proprie est cum religione, *religiosamente,* εὐσεβῶς. *Cic.* 2. *Invent.* 1. 1. Templum Junonis, quod religiosissime colebant. *Liv.* 10. 7. Castius eum sacra privata facere et religiosius deos colere, quam se? *Id.* 5. 22. Primo religiose (*signo Junonis*) admoventes manus. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Virgilii natalem religiosius, quam suum, (*Silius Italicus*) celebrabat. *Id. ibid.* 15. Poeticen ipsam religiosissime veneror.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum est sollicite, accurate. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 7. Nihil curiose, nihil religiose administrant. *Id.* 11. *ibid.* 2. 95. Qui religiosius rem rusticam colunt. ¶ 2. Interdum fideliter. *Cic. Cœl.* 22. 55. An gravis, sapiens moderatusque vir religiose testimonium dixisse videatur. *Plin. Paneg.* 65. Nemini religiosius, quod juraverit, custodiendum. ¶ 3. Interdum addubitanter, verecunde. *Cic.* 13. *Fam.* 17. *ad fin.* Qui religiose et sine ambitione commendant. ¶ 4. Interdum caute, aut parce. *Nepos Att.* 15. Quidquid rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri quod præstare non posset.

RĔLĪGĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. *religiosità,* religio; morum innocentia. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Justitia cum religiositate, idest ὁσιότητι copulatur. *Tertull. Apolog.* 25. Religiositatis meritum.

RĔLĪGĬŌSŬLUS, a, um, adject. deminut. religiosi, aliquantisper religiosus. Ita per contemptum vocatur Rufinus ab *Hieronym.* 3. *advers. Rufin. n.* 7. Tibi quasi religiosulus et sanctulus personam humilitatis imponis etc.

RĔLĪGĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Religiosior* I. et II. 2.; Sup. *Religiosissimus* I. et II. 3. 4. — Religiosus est timens Deum, pius, sanctus, religione præditus, εὐσεβής, δεισιδαίμων (It. *timorato di Dio, pio, divoto, santo, religioso;* Fr. *religieux, pieux, qui est plein de sentiments religieux;* Hisp. *religioso, pio, devoto;* Germ. *voll Gottesverherung, voll Gottesfurcht, gottesfürchtig, fromm, religiös;* Angl. *fearing God, pious, devout, holy, religious*).

I.) Proprie — *a*) Generatim. *Festus p.* 289. 15. *Müll.* Religiosi dicuntur, qui faciendarum prætermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent, nec se superstitionibus implicant. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72. allatum in RELIGIO init. *Sall. Cat.* 12. Templa deorum, quæ nostri majores, religiosissimi mortalium, fecere. *Cic. Rosc. Com.* 15. 44. Homines natura sancti et religiosi. *Id.* 6. *Verr.* 4. 7. Homines integri, innocentes, religiosi. *Id.* 2. *Orat.* 43. 184. Mores justi, integri, religiosi. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 98. Religiosiores agricolæ. *Festus p.* 278. 10. *Müll.* Religiosus est non modo deorum sanctitatem magni æstimans, sed etiam officiosus adversus homines. *Fronto de laud. fum. p.* 327. Ut agricola agrum intactum si conserat, laboriosus est; sacerdos si apud fanum desertum et avium sacrificet, religiosus est. — *b*) Speciatim. *Religiosum est,* secundum religionem est, diis gratum est. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 4. (13). Romani sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero etiam saluberrimum. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (23). Et aliqui nomine quoque consalutare, religiosius putant. Similiter adhibetur *religio est.* — *c*) Item speciatim. *Religiosus de Capitolio,* et *a Matre magna* dicitur, qui cultui Jovis Capitolini, et Cereris, quæ Mater Magna appellabatur, addictus erat. *Inscript.* apud *Gruter.* 1088. 2. SEX. ANNIVS CELER RELIGIOSVS DE CAPITOLIO H. S. E. *Alia* apud *eumd.* 308. 5. L. VETTIO SYNTROPHO RELI-

GIOSO A MATRE MAGNA CAPILLATO VETTIA AMOR DE SVO FECIT. *d*) Sequioris Latinitatis tempore *religiosus* is dicebatur, qui clericatum amplectebatur, et *sæculari* opponitur, quod etiamnum apud Italos obtinet. *Salvian.* 3. *Avar.* 5. Dicitis: quid opus est religiosis, æquam accipere cum fratribus patrimonii portionem? *et mox.* Iniquum igitur arbitramini, ut sæcularibus filiis religiosos substantia pares esse faciatis?

II.) Translate. ¶ 1. Religiosus dicitur is, qui deos lædere timet, *scrupoloso, delicato, timorato. Liv.* 31. 9. Civitas religiosa, in principiis maxime novorum bellorum, supplicationibus habitis jam, et obsecratione circa omnia pulvinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum esset, ludos Jovi donumque vovere consulem jussit. *Festus p.* 278. 15. *Müll.* Religiosum esse Gallus Ælius ait, quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat, contra deorum voluntatem videatur facere: quo in genere sunt hæc: in ædem Bonæ Deæ virum introire: adversus mystica legem ad populum ferre: die nefasto apud prætorem lege agere. *Liv.* 2. 5. Quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam segetem fudere in Tiberim. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 6. (34). Nævos in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi. ¶ 2. Aliquando est superstitiosus, *superstizioso.* Antiquum carmen apud *Gell.* 4. 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas. *Nigid. ibid.* Religiosus is appellabatur, qui nimia et superstitiosa religione sese alligaverat: eaque res vitio assignabatur. *Cic.* 2. *Fin.* 7. 22. Reperiemus asotos ita non religiosos, ut edant de patella. Adde *Ter. Heaut.* 4. 1. 36. Huc pertinere videtur illud *Caton.* apud *Festum p.* 286. 28. *Müll.* Ne quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior. ¶ 3. Generatim est fidelis, verax, deorum metu fallere nescius. *Cic. Cæcin.* 10. 26. Huic testi gratias agam, quod et in re misericordem se præbuit, et in testimonio religiosum. *Id.* 4. *Fin.* 22. 60. Quum te, M. Cato, justissimum virum, optimum judicem, religiosissimum testem audiremus. *Quintil.* 4. 1. 9. Judex religiosus. *Cic. Brut.* 11. 44. Te rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. *Petron. Satyr.* 21. Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis. — Huc pertinet et illud *Cic. Orat.* 9. 27. Ad Atticorum aures teretes et religiosas qui se accommodant. *h. e.* quorum semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire et elegans, ut *Id. ibid.* 8. 25. loquitur. ¶ 4. De rebus quum dicitur, significat Deo sacrum, augustum, sanctum, majestatis venerationisque plenum, et quod sine piaculo violari non potest. *sacro, venerabile, sacrosanto. Festus p.* 278. 21. *Müll.* Gallus Ælius inter sacrum et sanctum et religiosum differentias bellissime refert. Sacrum ædificium, consecratum Deo: sanctum murum, qui sit circum oppidum: religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit. Quod sacrum est, idem lege aut instituto majorum sanctum esse putant, ut violari id sine pœna non possit. Idem religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat, adversus deorum voluntatem videatur facere. Hæc *Festus.* V. *Manut. de quæs. per epist. par.* 2. *n.* 10. *Cic. Rabir. perduell.* 2. 7. De locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti etc. *Id. Planc.* 35. 86. Religiosa altaria. *Id.* 3. *Verr.* 43. 94. Herculis templum apud Agrigentinos sanctum et religiosum. *Virg.* 2. *Æn.* 365. perque domos et religiosa deorum Limina. *Flor.* 1. 13. Quidquid religiosissimum in templis erat, partim recondunt, partim avehunt. *Festus p.* 289. 32. *Müll.* Religiosum ac sacrum est, ut templa omnia atque ædes, quæ etiam sacratæ dicuntur. At quod per se religiosum est, non utique sacrum est, ut sepulcra, quod ea non sacra, sed religiosa sunt. *Cels.* apud *Ulp. Dig.* 11. 7. 2. Non totus, qui sepulturæ destinatus est, locus religiosus sit, sed quatenus corpus humatum est. *Cajus* 2. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 6. Religiosum nostra voluntate facimus, mortuum inferentes in locum nostrum, si modo ejus mortui funus ad nos pertineat. Sed in provinciali solo placet plerisque, solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi R. est vel Cæsaris; nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur. Adde *Cic.* 2. *Legg.* 22. 57. ¶ 5. *Religiosi dies,* inquit *Gell.* 4. 9., dicuntur tristi omine infames impeditique: in quibus et res divinas facere, et rem quampiam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum prave et perperam nefastos appellant. Itaque M. Cicero in libro epistolarum nono ad Atticum (*ep.* 5.). Majores, inquit, nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam Urbis captæ, quod hoc malum ex illo. Itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. *Lucil.* apud *Non. p.* 379. 19. *Merc.* Anno vertente dies tetri, miseri ac religiosi. *Festus p.* 278. 12. *Müll.* Dies religiosi, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere: quales sunt sex et triginta atri qui appellantur, et Alliensis, atque ii, quibus mundus patet. Adde *Liv.* 6. 1. *sub fin.; Ovid.* 1. *Fast.* a *v.* 55.; et *Gell.* 5. 17.

RĔLĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* ligo) Particip. *Religatus* sub *A.* I. 1. 2. et II. — Religare duo diversa significat, scilicet

A) Est idem fere quod ligare, connectere, ἀναδέω (It. *legare, attaccare;* Fr. *lier en arrière, attacher, nouer;* Hisp. *ligar, atar, unir, enlazar, anudar;* Germ. *zurückbinden, festbinden, hinterbinden;* Angl. *to tie hard, bind, make fast*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis clavisque religant. *et ibid.* 6. Si quando nostri, facultatem nacti, ferreis injectis manibus navem religaverant, undique suis laborantibus succurrebant. *Horat.* 1. *Od.* 5. 4. Religare comam. et *Tac. Germ.* 38. capillum in vertice. *Lucan.* 2. 670. cæsis innectere vincula silvis, Roboraque immensis late religare catenis. *Id.* 4. 451. religatque catenas Rupis ab Illyricæ scopulis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 39. 131. Religare lactucæ folia. *Ovid.* 14. *Met.* 735. vincula laquei foribus. *scil.* causa suspendii. *Sueton. Vitell.* 16. *extr.* canem pro foribus. *et ibid.* 17. manus post terga. *Flor.* 3. 19. latrones compedibus et catenis. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 5. desectam herbam, et exportare. *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 105. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 1. Janitor (indignum!) dura religate catena. *Id.* 4. *Met.* 671. Quam simul ad duras religatam brachia cautes Vidit etc. *Horat.* 2. *Od.* 11. 23. incomptam Lacænæ More comam religata nodo (*Lyde*). *Virg.* 9. *Æn.* 352. religatos rite videbat Carpere gramen equos. ¶ 2. Speciatim et sæpe ad rem nauticam pertinet. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. Naves ad terram religandi potestas fiebat. *Virg.* 7. *Æn.* 106. Gramineo ripæ religavit ab aggere classem. *Ovid.* 13. *Met.* 439. Litore Threicio classem religarat Atrides. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 18. missæ pastum retinacula mulæ Nauta piger saxo religat. *Cajus Dig.* 1. 8. 5. Riparum usus publicus est jure gentium. Itaque naves ad eas appellere, et funes ex arboribus ibi natis religare, cuilibet liberum est. *Seneca Agam.* 373. dicit, Delon insulam, antea mari errantem, nunc stabilem, religare rates, quum esset assueta sequi: quia naves sibi religatas firmas tenet. — Sic Particip. apud *Ovid.* 14. *Met.* 445. Solvitur herboso religatus ab aggere funis. *et ibid.* 247. religata in litore pinus. *Plin. Paneg.* 82. Navigium religatum revinctumque.

II.) Translate. *Cic. Dom.* 47. 124. Numquid igitur is bona Lentuli religionibus religavit? *Alii leg.* religioni obligavit. *Id.* 3. *Tusc.* 17. 37. Quæ (*prudentia*) si extrinsecus religata pendeat, et non et oriatur a se, et rursus ad se revertatur, et omnia sua complexa, nihil quærat aliunde: non intelligo etc.

B) Significat etiam solvere, *slegare, sciogliere. Lucan.* 7. 860. Nullus ab Emathio religasset litore funem. *Catull.* 64. 173. Indomito nec dira ferens stipendia tauro, Perfidus in Cretam religasset navita funem. *et* 63. 84. Ait hæc minax Cybele, religatque juga manu. Dixerat *ibid.* 76. Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus. *Pallad.* 3. *R. R.* 13. 2. Providendum est omnibus annis vitem resolvi ac religari.

RĔLĪNO, līnis, lēvi, lītum, līnere, a. 3. (re *et* lino) *aprire,* ἀποχρίω, quod oblitum obturatumque erat, aperio. Solebant enim dolia, ne quid vaporis exhalaret, quam accuratissime oblini. Unde quum aperirentur, dicebantur relini, soluta nimirum argilla, qua erant oblita. *Ter. Heaut.* 3. 1. 51. Relevi dolia omnia, omnes serias. *Plaut. Stich.* 5. 4. 38. Nolo ego nos pro summo bibere: nulli relerimus postea. *h. e.* nulli deinceps vinum deprompserimus. Ubi *relerimus* pro *releverimus,* per syncop. (*Diomed.* 1. *p.* 367. *Putsch.* apud. *Ter.* legit *relivi,* quia *lino* facit et *livi*). *Virg.* 4. *G.* 228. mella servata thesauris relinere. *h. e.* e favis eximere.

RĔLINQUO, linquis, līqui, lictum, linquere, a. 3. (re *et* linquo). Particip. *Relinquens* I. 3. et II. 3.; *Relictus* I. 1., 2., 4., 5., II. 1., 3., 4., 5., et in fin.; *Relicturus* II. 1. et 2.; *Relinquendus* I. 1. et 4. — Relinquere est universim linquere, retro linquere, ἀπολείπω, ἀφίημι (It. *lasciare, lasciare indietro;* Fr. *laisser, laisser en arrière;* Hisp. *dexar, voltar;* Germ. *zurücklassen;* Angl. *to leave behind, leave*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim relinquere dicitur is, qui ibi, unde ipse abit, aliquem aut aliquid linquit. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 4. Ipse abiit foras, me reliquit pro atriensi in ædibus. *Cic.* 2. *Fam.* 15. Q. Fratrem si reliquissem, dicerent iniqui, non me plene post annum de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem. *Cæs.* 6. *B. G.* 6. His confirmatis rebus Commium Atrebatem cum equitatu custodis loco in Menapiis relinquit; ipse in Treveros proficiscitur. *Id.* 2. *ibid.* 8. Duabus legionibus in castris relictis, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. *et* 3. *ibid.* 26. Cohortes, quæ præsidio castris relictæ, integræ ab labore erant. *et* 7. *ibid.* 5. Legati, quos Cæsar ad exercitum reliquerat. *et ibid.* 49. Quem minoribus castris præsidio reliquerat. *Id.* 1. *B. C.* 78. Explicitius videbatur Ilerdam reverti, quod ibi paullulum frumenti reliquerant. *Justin.* 11. 5. 3. Reges stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit, segniores ad tutelam regni relinquit. *Ovid.* 13. *Met.* 427. Hectoris in tumulo canum de vertice crinem, Inferias inopes crinem lacrimasque relinquit. *et* 11. *ibid.* 276. Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat, Haud procul a muris sub opaca valle reliquit. — *Relinquere* hoc sensu dicuntur etiam qui discedunt abeuntque. *Lucret.* 5. 626. relinqui Paullatim solem cum posterioribu' signis. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Longius delatus æstu orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. *Ovid.* 7. *Met.* 57. Æoliam Pitanen a læva parte relinquit. *et* 9. *ibid.* 645. Jam Cragon et Lymiren Xanthique reliquerat undas. *et* 1. *Trist* 3. 62. Roma relinquenda est etc. ¶ 2. Specialim *relinquimus* quæ post nos et mortem nostram mansura linquimus. — *a*) Sic ponitur de filiis, nepotibus etc. *Ter. Heaut.* 3. 3. 41. Ea mortua est: reliquit filiam adolescentulam. *Varro* 3. *R. R.* 16. 2. Quum pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus essem relictus. *Nepos Epam.* 2. Pauper jam a majoribus relictus. *Justin.* 7. 2. 5. Argæus moderate administrato regno successorem filium Philippum reliquit. — Hinc *relicta* absolute appellatur vidua, ut etiam nunc apud nostrates vulgo *relicta* dicitur. *Idac. Chron. ad Olymp.* CCCIX. Maximus Romæ Augustus appellatus, qui quum imperator factus relictam Valentiniani sibi duxisset uxorem etc. — *b*) Pertinet sæpe ad ultimas voluntates. *Cic. Rosc. Am.* 7. 20. Fundos decem et tres reliquit, qui etc. *Nepos Arist.* 3. *sub fin.* In tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit. *Ter. Eun.* 1. 2. 40. Qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia. *Cic. Quinct.* 4. 14. Heredem testamento relinquit hunc P. Quinctium. *et ibid.* 15. Quum æris alieni aliquantum esset relictum. *Virg.* 4. *G.* 127. senex cui pauca relicti jugera

ruris erant. *Nepos Cat.* 1. Ibi heredium a patre relictum habebat. *et Att.* 13. Domus ab avunculo hereditate relicta. *Ulp. Dig.* 21. 1. 17. *a med.* Quum se testamento liberum relictum esse audisset. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Ab iis, quæ avocant, abductus et liber et mihi relictus. ¶ 3. Item speciatim et sæpe est dare, concedere, permittere; passivum vero *relinquitur* est idem ac restat, reliquum est, *resta. Cæs.* 7. *B. G.* 34. Equitatus partem illi (*Labieno*) attribuit, partem sibi reliquit. *Id.* 1. *ibid.* 9. Relinquebatur una per Sequanos via: qua, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant. *Id.* 2. *ibid.* 29. Quod (*oppidum*) quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, una ex parte leniter acclivis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur. *Cic. Rosc. Am.* 9. 24. Cui (*Roscio*) de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset. *Id.* 5. *Verr.* 48. 114. Quum multis non modo granum nullum, sed ne paleæ quidem relinquerentur. *Virg.* 5. *Æn.* 320. Proximus huic, longo sed proximus intervallo, Insequitur Salius. Spatio post deinde relicto Tertius Euryalus. *Horat.* 2. *Od.* 15. 1. Jam pauca aratro jugera regiæ Moles relinquent. *Id.* 2. *Sat.* 6. 88. Quum pater ipse domus – Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens. *et* 1. *Ep.* 7. 19. hæc porcis hodie comedenda relinquens. *Ovid.* 6. *Met.* 298. Ultima restabat: quam toto corpore mater, Tota veste tegens, Unam minimamque relinque: De multis minimam posco, clamavit, et unam. *Curt.* 7. 3. 9. Ibi (*in tugurii fastigio*) foramine relicto, superne lumen accipiunt. *Justin.* 5. 7. 3. Nec aliud ditionis Atheniensium præter urbem ipsam reliquit. *Stat.* 11. *Theb.* 566. et ensem, Jam lætus, fratris non frater corde reliquit. *lasciò fitto nel cuore.* ¶ 4. Est etiam hominem aut locum aliquem derelinquere, ab eo discedere atque alio proficisci. *Scipio Afr.* apud *Gell.* 4. 18. Relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc protinus Jovi gratulatum. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Non sine magna spe magnisque præmiis domum propinquosque reliquisse. *Id.* 3. *ibid.* 4. Ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, reliquendi ac sui recipiendi facultas dabatur. *Virg.* 3. *Æn.* 123. Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas. *Horat.* 4. *Od.* 2. 54. Me tener solvet vitulus, relicta Matre qui largis juvenescit herbis. *Id.* 2. *ibid.* 8. 18. Servitus crescit nova, nec priores Impiæ tectum dominæ relinquunt. *Justin.* 19. 3. 6. Prædam relictis a se castris abstulerint. ¶ 5. Sæpe est linquere, quæ non debemus, deserere, destituere, *abbandonare.* — *a*) Universim. *Plaut. Curc.* 1. 3. 58. Jamne ego relinquor? pulcre, Palinure, perii? *Ovid. Heroid.* 10. 129. Relinquere aliquem sola tellure. *h. e.* in locis solis. Sic *Val. Flacc.* 1. 442. celerem Scythica te mœsta relinquet arena. *Nepos Datam.* 6. *a med.* Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant. *h. e.* a quibus transfugerant. — Hinc *relinqui*, non juvari, non defendi. *Id. ibid.* 6. Quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. — *b*) Speciatim de amantibus, aut conjugibus, quum alter alterum deserit. *Plaut. Truc.* 2. 4. 63. Quid me futurum est, quando miles venerit? relictusne abs te vivam? *Ovid. Heroid.* 10. 80. Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor, Sed quæcumque potest ulla relicta pati. *relitta, vedova.* et *Propert.* 1. 6. 8. Et queritur nullos esse, relicta, deos. *et Tibull.* 3. 6. 39. Gnosia Theseæ quondam perjuria linguæ Flevisti ignoto, sola relicta, mari. — Hoc sensu *relinquere* et *deserere* conjunxit *Plaut. Most.* 1. 3. 43. Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum, atque uni modo gessi morem, Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit, Reliquit deseruitque. me Tibi idem futurum crede.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Cic. Brut.* 9. 38. Ut cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus. *Id.* 9. *Att.* 6. Neque me Arpinum hoc tempore abdam: etsi, Ciceroni meo togam puram quum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. *Id.* 4. *Herenn.* 30. 41. Præcisio est, quum, dictis quibusdam, reliquum, quod cœptum est dici, relinquitur inchoatum in audientium judicio. *Id.* 2. *Fam.* 3. Ut testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 96. Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis Præstent, mature redeat repetatque relicta. *Quintil.* 10. 1. 51. Hic omnes et in omni genere eloquentiæ procul a se reliquit. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superior. paragr. 2. — *a*) Generatim. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 1. Qui sic sunt, haud multum heredem juvant, sibi vero hanc laudem relinquunt. *Cic.* 2. *Off.* 16. 55. Pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi. *Id.* 3. *Verr.* 49. 129. In eo loco, in sermone hominum, audaciæ suæ monumentum æternum relinquere. *Id. Dom.* 58. 146. Liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostræ memoriæ relinquemus. *Id.* 1. *de republ.* 22. Quum mihi sit unum opus hoc a parentibus majoribusque meis relictum, procuratio atque administratio reipublicæ etc. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Quæ (*asperæ facetiæ*), ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. — *b*) Speciatim de scriptis. *Cic. Brut.* 19. 75. In Originibus suis scriptum reliquit Cato. *Id.* 2. *Orat.* 46. 194. Quod a Democrito in scriptis relictum esse dicunt. *Ovid.* 13. *Met.* 733. si non omnia vates Ficta reliquerunt. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 22. Quæ de ista consultatione scripta nobis summi ex Græcia sapientissimique homines reliquerunt. *Sueton. Gramm.* 7. Atejus duo tantum volumina de Latino sermone reliquisse eum tradit. *et ibid.* 12. Quem (*librum*) Sylla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superior. paragr. 3. — *a*) Universim. *Ter. Phorm.* 3. 3. 14. Parumne est, quod nobis succenset senex, ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci? Alio sensu *Cic.* 1. *Fam.* 1. Nec precibus nostris, nec admonitionibus relinquit locum. *h. e.* ita sua sponte et prompto animo agit, ut se rogari non sinat. *Cæs.* 1. *B. G.* 5. Nec tribunis plebis extremi juris intercessione retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 6. 17. Ut vobis ne libertatis quidem recuperandæ spes rel... ;uatur. *Cæs.* 7. *B. G.* 42. Hædui nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt. *Cic.* 15. *Fam.* 21. Neque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas fore ut etc. *Liv.* 44. 10. Pœnitentiæ relinquens locum. *Ovid.* 2. *Met.* 184. ita fertur, ut acta Præcipiti pinus Boreâ, cui victa remisit Fræna suus rector, quam dis votisque reliquit. *Sueton. Cæs.* 86. Suspicionem Cæsar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius vivere, neque etc. — Sic passive. *Ter. Andr.* 1. 1. 127. Quis relictus est objurgandi locus? *Cic.* 2. *Fin.* 14. 44. Ita ceterorum sententiis semotis, relinquitur, non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. *Id.* 4. *Fam.* 1. *a med.* Urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptioni et incendiis. *Ovid.* 14. *Met.* 217. Solus, inops, exspes, leto pœnæque relictus. — *Tac.* 1. *Hist.* 68. Ceteros veniæ, vel sævitiæ Vitellii reliquit. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 26. In quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere. — *b*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 52. Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas, Cur etc. *Sil. It.* 3. 708. nullique relinques Altius Ausoniæ penetrare in viscera gentis. Adde *Lucret.* 1. 703.; et *Ovid.* 14. *Met.* 100. — *c*) *Relinquitur* et *relinquitur ut*, reliquum est, restat, *resta, Attic.* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. *a med.* Nihil relinquitur, nisi fuga. *Cic. Flacc.* 34. 85. Relinquitur illud, quod vociferari non destitit, non debuisse, quum prætor esset, suum negotium agere. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Relinquebatur, ut neque longius ab agmine discedi putaretur etc. *restava solo, che* etc. *Cic.* 10. *Att.* 8. Relinquitur ut, si vincimur in Hispania, quiescamus. — *d*) Particip. neutr. *relictum* absolute substantivorum more usurpatur et est reliquum. *Plaut. Merc.* 3. 4. 81. Nam mihi nihil relicti quicquam aliud jam esse intellego. *Ovid. de nuce,* 99. Si fiat rapti, fiat mensura relicti. *Cic. Brut.* 72. 253. Nunc pro relicto est habendum. — *e*) Cum addito prædicamento vel adjectivo, aut cum addito et præpos. *in* aut *sine*. *Cæs.* 4. *B. G.* 37. Morini, quos Cæsar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat. *et* 5. *ibid.* 9. In litore molli atque aperto deligatas ad anchoram (*naves*) relinquebat. *Cic.* 4. *de republ.* 8. Aliquos insepultos relinquere. *Ovid.* 6. *Met.* 34. inceptaque fila relinquit. *et ibid.* 202. deponunt, infectaque sacra relinquunt. *Id. Heroid.* 13. 13. Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit. *Lucret.* 4. 1137. Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit. *Cic. Cæl.* 20. 48. Hic ego jam rem definiam: mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 28. In mediis lacera puppe relinquor aquis. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. Proditionis insimulatus, quod sine imperio tantas copias reliquisset. *Ovid.* 8. *Met.* 277. solas sine ture relictas Præteritæ cessasse ferunt Latoidos aras. ¶ 4. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 4. — *a*) *Relinquere animam*, mori, *lasciar la vita. Ter. Adelph.* 3. 5. 52. Animam relinquam potius, quam illas deseram. *Virg.* 3. *G.* 547. aves alta vitam sub nube relinquunt. Sic *Lucret.* 5. 64.; et *Ovid. Ib.* 339. quem vita reliquit. *Nepos Eumen.* 4. Non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit. *h. e.* defecit, *andò in deliquio.* Sic *relictus animo* est qui defectum animi patitur. *Seneca* 4. *Quæst. Nat.* 13. § 6. Animo relictos stupentesque frigida spargimus, ut ad sensum sui redeant. et *Ovid.* 10. *Met.* 459. fugitque Et color et sanguis, animusque reliquit euntem. — *b*) Similiter *Horat. Epod.* 17. 21. Fugit juventas et verecundus color Reliquit ora pelle amicta lurida. *Virg.* 3. *Æn.* 57. Postquam pavor ossa reliquit etc. *Cic.* 8. *Att.* 6. *sub fin.* Tironem nostrum ab altera (*quartana*) relictum audio. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 290. Frigida si puerum quartana reliquerit etc. *Cic. Rabir. perduell.* 8. 23. Nemo est inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni honestate relictus, qui etc. ¶ 5. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 5. — *a*) *Relictis rebus* aliquid agere, est, omni alio seposito negotio, uni rei operam dare, *lasciata da parte ogni altra cosa. Plaut. Epid.* 4. 2. 35. Ego, relictis rebus, Epidicum operam quærendo dabo. *Ter. Andr.* 2. 5. 1. Herus me, relictis rebus, jussit Pamphilum hodie observare. *Lucret.* 3. 1085. Jam rebus quisque relictis Naturam primum studeat cognoscere rerum. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 51. Atqui vides, quum alias res agamus, quam te inviti (*audiamus*), qui adduci possumus, relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus. *Alii omitt.* omnibus. *Ter. Eun.* 1. 2. 85. Nonne, ubi mihi dixti, cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quæsivi? Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 102. Sic *Plaut. Stich.* 2. 2. 38. Immo res omnes relictas habeo, præ quod tu velis. Sic *Cic.* 2. *Fam.* 14. Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet. Cf. *Plaut. Rud.* 4. 6. 8. Eum rogato, ut relinquat alias res, et huc veniat. — *b*) Generatim. *Cic.* 2. *Acad.* (*pr.*) 3. 7. Neque nos studium exquirendi defatigati relinquimus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 17. Consuetudinem disserendi relinquere. *Id. Cæcin.* 18. 50. Rem et causam communem non relinquere solum, sed etiam prodere. *et ibid.* 36. 103. Jus suum dissolute relinquere. *Liv.* 5. 48. Obsidionem relinquere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 13. Invidiam placare paras virtute relicta? *Id.* 2. *Ep.* 2. 67. Hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis Omnibus officiis. *Id. Art. P.* 165. amata relinquere pernix. — Et cum Infinito. *Lucret.* 6. 653. Quod bene propositum si plane contueare Ac videas plane, mirari multa relinquas. — *c*) Speciatim est omittere, silentio præterire. *Cic.* 5. *Verr.* 44. 106. Audistis hæc, quæ ego nunc omnia prætereo ac relinquo. *Id. Prov. Cons.* 3.

6. Omitto jurisdictionem contra leges, cædes relinquo, libidines prætereo. *Id.* 1. *Fin.* 6. 17. Quum in rerum natura duo quærenda sint, unum, quæ materia sit, ex qua quæque res efficiatur; alterum, quæ vis sit, quæ quodque efficiat: de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. — *d)* Item speciatim in re agraria. *Varro* 1. *R. R.* 44. 3. Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paullo levioribus sationibus serere, *h. e.* intermitti et ab serendo abstineri. — *Relicta loca* sunt, quæ sive locorum iniquitate sive arbitrio conditoris relicta, limites non acceperunt, nec ulli sunt assignata, ut *Frontin. de limit. p.* 42. *Goes.* docet. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 1. 3. Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? Hinc in *Inscript.* apud *Gruter.* 202. *lin.* 11. ASSIGNAVERVNT RELIQVERVNT. V. *Mazoch.*, *Amph.*, *theatr. tit. p.* 38. — Hinc

Relictus, a, um, particip. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Relictissimus* apud *Front. Laud. fum.* (edente iterum *A. Maio*) *a med.* Verum conquiret deos et homines a ceterorum laudibus relictissimos. — Hinc

Relictum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est reliquum. *V.* sub II. 3. *d.*

RĔLĬQUA, adverb. *V.* RELIQUUS in fin.

RĔLĬQUA, ōrum, n. plur. 2. *V.* RELIQUUS. sub I. 1. *c.*, 3. et II. *b.*

RĔLĬQUĀRĬUM, ii, n. 2. reliquatum, quod ex debito reliquum est, *il resto del debito. Gloss. Cyrill.* Ἔλλιμα (*lege* Ἔλλειμμα) reliqua, reliquarium. *et ibid.* Λοιπαδάριον, reliquarium. *et ibid.* Λοιπά, reliqua, reliquarium. *Gloss. Philox.* Reliquarium, ἔκθεσις λοιπάδος.

RĔLĬQUĀTĬO, ōnis, f. 3. *resto di conti,* quod rationibus deductis est reliquum.

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 26. 7. 43. Sed etsi pupillus post pubertatem rationibus a tutore acceptis reliquationem ejus secutus usuras acceptaverit.

II.) Figurate. ¶ 1. Eamdem vocem scite transtulit ad id, quod in ætate residuum est, *Tertull. Anim.* 56. Donec reliquatio compleatur ætatis. *et mox.* Nulla erit reliquatio temporum. ¶ 2. *Reliquatio,* ut videtur, est quod hodie dicitur *depositum* (Fr. *depôt* vel *cadre*) classis in *Inscript.* apud *Henzen.* 6871. C. SVLCIO. L. F. PAP. CAECILIANO. — PRAEPOSITO. RELIQVATIONI. CLASSIS. PRAETORIAE. MISENATIVM. PIAE. VINDICIS. ET. THENSAVRIS. DOMINICIS. ET BASTAGIS. COPIARVM. DEVEHENDAR. etc. *Alia* apud *eumd.* 6872. M. VERECVNDINVS. VERVS. P. P. (*h. e.* Primi Pilaris) PRAEPOSITVS. RELIQVATIONIS CLASS. PRAET. MISENAT

RĔLĬQUĀTOR, ōris, m. 3. *debitore di resti,* qui integrum debitum non solvit, aliquidque adhuc reliqui debet, seu partem æris alieni servat sibi; qui reliqua contraxit. *Scævola Dig.* 46. 3. 102. Quum superioris anni sit reliquator. *Cassiod.* 5. *Variar.* 6. Comperimus, Thomatem nunc decem millia solidorum reliquatorem nostris utilitatibus exstitisse. *Paul. Sent. recept.* 5. 12. *a med.* Reliquatores vectigalium ad iterandam conductionem, antequam superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt. Adde *eumd. ibid.* 7.

RĔLĬQUĀTRIX, īcis, f. 3. quæ integrum debitum non solvit. *Tertull. Anim.* 35. Anima reliquatrix delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem.

RĔLĬQUĀTUS, a, um, particip. *V.* RELIQUOR.

RĔLĬQUIÆ, ārum, f. plur. 1. In carmine ut prima producatur, solet *l* geminari. *Virg.* 1. *Æn.* 30. Troas, relliquias Danaum atque immitis Achillei. Adde *Lucret.*, *Martial.* etc. Sunt tamen qui simplici liquida scribi malunt, quod *re* sit communis. *V.* RE. — In sing. num. *Apul. Apolog. in carm. de dentifricio.* Converritorem pridianæ reliquiæ. *h. e.* eorum, quæ ex hesterna cœna inter dentes hæsere. — In neutr. gen. *Phædr. loc. cit.* ut fruaris reliquiis, Quæ sunt rosuri. *Alii leg.* reliquis: *alii* quas. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 54. At peditatus reliquia erant, si viverent. *Alii aliter legunt.* — Reliquiæ sunt pauca illa quæ ex aliqua re relicta sunt, τὰ λείψανα, τὰ λοιπά (It. *avanzi, avanzo, rimanenze, rimasugli, resto, residuo, reliquie;* Fr. *reste, ce qui reste, debris, reliefs;* Hisp. *resto, resta, restante, residuo, sobra;* Germ. *was von Gegenstande übrig bleibt, d. Uebriggebliebene, d. Ueberreste, Reste, d. Rest;* Angl. *the remains, laevings, relics, orts; the remainder, rest, remnant, or residue of any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 1. 3. 16. Is naves atque omnia perdidit in mari. Hæc bonorum ejus sunt reliquiæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Reliquiæ cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. *Phædr.* 3. 1. Reliquiæ vini. *et* 5. 4. hordei. *Cels.* 3. 4. *ad fin.* febris. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (44). limæ, *limatura. Cæs.* 3. *B. C.* 21. Quod magnis muneribus datis, gladiatoriæ familiæ reliquias habebat. *Sueton. Cal.* 39. Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subjecit et vendidit. *h. e.* gladiatores, qui spectaculis superstites remanserant. *Nepos Themist.* 5. Etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etc. *Liv.* 22. 56. Reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligens. *Auct. B. Alex.* 40. *extr.* Reliquias exercitus dissipati colligere. *Sall. orat. Philippi contra Lepid.* Reliquiæ belli. (Confer *Justini* locum paullo infra cit.). *Id. orat. Macri Licin. ad pleb. a med.* Reliquias exsulum persequi. *Cic.* 4. *Parad.* 1. 27. Reliquiæ conjurationis. *Ter. Adelph.* 3. 3. 90. Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias restare video. *h. e.* hujus generis hominum antiqua virtute ac fide aliquos superesse video. *Virg.* 1. *Æn.* 30. Troas, reliquias Danaum atque immitis Achillei. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 87. *Justin.* 22. 8. 15. Post hæc Pœni ad persequendas belli reliquias duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem æquis conditionibus fecit. — Et concreto, uti ajunt, sensu *Vopisc. Prob.* 13. Cæsis prope quadringentis (*barbarorum*) millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nigrum fluvium et Albam removit. *h. e.* reliquos. ¶ 2. Speciatim *reliquiæ* dicuntur, quæ, cœna peracta, supersunt. *Phædr.* 1. 22. Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis. Adde *Plaut. Curc.* 2. 3. 42.; *Sueton. Galb.* 22.; *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* — Et per lusum *Cic.* ad *Cassium* 12. *Fam.* 4. Vellem Idibus Martiis me ad cœnam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent, et quidem præter ceteros me. *h. e.* vellem me invitasses ad cædem C. Cæsaris: ipse Antonius interfectus fuisset. ¶ 3. Præcipue cineres crematorum cadaverum et ossa reliquiæ sunt, ut *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 539. docet. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Neu reliquias meas siris divexarier. *Seneca Ep.* 92. *in fin.* Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. *Tac.* 2. *Ann.* 75. Ferales reliquias sinu ferre. *et* 3. *ibid.* 4. inferre tumulo. *et* 1. *ibid.* 62. humo tegere. *Sueton. Aug.* 100. *sub fin.* ingere et in Mausoleo condere. *Id. Domit.* 8. *extr.* Ossa et reliquias mari mergere. *Virg.* 5. *Æn.* 47. reliquias et ossa parentis condere terra. *Justin.* 7. 2. 2. Perdicca moriens Argæo filio monstravit locum, quo condi vellet; ibique non sua tantum, sed et succedentium sibi in regnum ossa poni jussit, præfatus, quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum. *Id.* 9. 7. 11. Corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit. ¶ 4. In illo *Senecæ Const. Sap.* 13. Nec medicus reliquias et effusa intueri dedignatur. *reliquias* excrementa alvi, *effusa* vesicæ intellige.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Divinat.* 67. 140. Maximeque reliquiæ rerum earum moventur in animis et agitantur (*per somnum*), de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus. *i resti, le traccie, le impressioni. Lucret.* 6. 824. vis illius æstus Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert. Cf. *eumd.* 3. 656. Rursus *Cic. Sull.* 1. 1. In his pristinæ fortunæ reliquiis miseris et afflictis. *Id. Senect.* 6. 19. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare. *h. e.* quas Africanus major bello Carthaginiensi reliquit, domitis quidem Pœnis, sed non deletis.

RELIQUIARIUM, ii, n. 2. locus in quo reliquiæ ponuntur. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 106.

RĔLĬQUO, as, are, a. 1. *V.* voc. sequent. sub c.

RĔLĬQUOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Active *Reliquare* et Particip. *Reliquatus. V.* sub c. — Reliquor (It. *essere debitore di resti, dover qualche resto di debiti,* λοιπογραφῶ, λοιπάζω) partem debiti non solutam reliqui, reliqua debeo, reliquis obnoxius sum. — *a)* Neutrorum more. *Ulp. Dig.* 50. 4. 6. *circa med.* Eos debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex administratione rei publicæ reliquantur. *Scævola ibid.* 33. 8. 23. Stichus summas, quibus reliquatus erat, tam ex calendario, quam ex variis causis, reddidit. — *b)* Cum Accusativo. *Id. ibid.* 7. 20. Stichus servus prædium unum ex his coluit, et reliquatus est amplam summam. *Paul. ibid.* 26. 7. 45. Debitum quod ex conductione reliquatus est. — *c) Reliquo, as,* activa positione. *Ulp. ibid.* 34. 3. 9. Si quis rationes exigere vetetur, non impeditur reliqua exigere, quæ quis se reliquavit. Ita *Torrent.*; at *Haloand.* habet: *quæ quis ipse reliquavit.* Sensus est: Exigere reliqua, quæ aliquis non soluta reliquit. *Apollinaris* inter opera *Alcim. Ep.* 11. Illico sum reliquati fœnoris recordatus.

RĔLĬQUUM, i, n. 2. absolute, substantivorum more. *V.* in voc. seq. I. 1. *c. d.* et 2., et II. *b. c.*

RĔLĬQUUS, a, um, adject. (relinquo). — Prima syllaba producitur in illo *Plauti Truc. prol.* 15. Sed reliquum dat operam, ne sit reliquum. *et Lucret.* 1. 560. Numquam reliquo reparari tempore posset. Similiter apud *eumd.* 4. 976. Ubi etiam quadrisyllaba vox fit per diæresim: et sunt qui mallent scribi *relicuo.* Sic apud *Phædr.* 3. 4. Inter reliquas merces atque obsonia. *Alii leg.* relicuas: quod tamen necesse non est: uti neque geminari liquidam, quum *re* producitur. *V.* RE. Hæc *Forcellinus.* Ceterum scribitur etiam *relicus, reliqus* et *relicuus:* V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 3. et ad *Sall. fragm.* 3. 77. 2., qui *relicuus* rectam esse scripturam contendit: præterea *Lachmannus* apud *Lucret. locc. citt.* leg. *relicuus.* — Ceterum *reliquus* est qui relictus est, residuus, λοιπός (It. *rimanente, restante, che resta;* Fr. *restant, qui reste;* Hisp. *restante;* Germ. *was zurückbleibt, übrig ist, übrig;* Angl. *remaining, the rest, the residue, the other*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Universim. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 696. *Putsch.* Mense Octobri fecimus, Novembris reliquus erat. *C. Gracchus* apud *Scholiast. Cic. Sull.* 9. Uti aliqua propago generis nostri reliqua esset. *Cic.* 11. *Fam.* 5. Si enim iste provinciam nactus erit, spem reliquam nullam video salutis. Cf. *Ter. Eun.* 2. 2. 9. Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te sit tibi? *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Cæsar certior factus est, tres jam partes copiarum Helvetios id flumen traduxisse, quartam fere partem citra Ararim reliquam esse. *et ibid.* 13. Hoc prælio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat. — *b) Reliquus est,* restat, superest. *Cic.* 13. *Fam.* 39. Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus. *è rimasto.* et 4. *Verr.* 27. 65. Erant mihi oppida complura etiam reliqua, quæ adire vellem. *mi restavano ancora.* et 9. *Fam.* 18. *sub fin.* Potes mulo isto, quem tibi reliquum esse dicis, quum canterium comedisti, Romam pervehi. *che dici solo restarti.* et *Divin. in Q. Cæcil.* 5. 18. Si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit. *se rimane.* — *c)* Et *reliquum, i,* neutr. absolute. *Ter. Heaut.* 1. 2. 19. Quid reliqui est, quin habeat etc.? *Varro* 1. *R. R.* 54. 3. Si quid reliqui habeant. *Sall. in orat. Lepidi* 15. Estne viris reliqui aliud quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? *Cic. Sull.* 31. 89. Quid enim est huic reliqui, quod eum in hac vita teneat? *Id.* 2. *Fin.* 31.

101. Quum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos. *Id. Senect.* 20. 72. Ita fit, ut illud breve vitæ reliquum, nec avide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit. *Nepos Timol.* 3. *a med.* Imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. *Plaut. Cist. in fin.* Nunc quod ad vos spectatores reliquum relinquitur, date plausum extrema in comœdia. — Et in plur. num. *Liv.* 9. 16. Convenit, jam inde per consules reliqua belli perfecta. *Curt.* 7. 5. 27. Ceteris gratiæ actæ, quod ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur. — Sic *reliqua corporis*, reliquiæ. *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. *extr.* Quum Syriam circumgrederetur, anno potentiæ sexto moritur. Corporis reliqua luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt. — d) *Reliquum est*, sequente *ut*, vel conjunctivo sine part. *ut*, vel Infinito, superest, restat, *resta, rimane*. *Cic.* 7. *Fam.* 31. Quod quando uterque nostrum consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos. *Nepos Attic.* 21. Reliquum est, ut egomet mihi consulam. *resta solo che* etc. *Cic.* 9. *Fam.* 9. Reliquum est, ubi nunc est res publica, ibi simus. *et* 15. *ibid.* 21. *ad fin.* Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar. *Sall. orat. Licin. ad pleb.* Nunc hortari modo reliquum est, et ire etc. *Id. orat.* 1. *ad Cæs. in fin.* Reliquum est optare, uti, quæ tibi placuerint, ea dii immortales approbent. — e) *Reliquum habeo*, mihi superest. *Cic.* 9. *Fam.* 15. Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ festivitatis agnoscere. — f) *Reliquum facere*, relinquere, omittere, *lasciare, tralasciare*. *Nepos Attic.* 21. *ad fin.* Nihil reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret. *Cic.* 3. *Fam.* 13. Non solum auctoritate, sed etiam opera, consilio, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisti. *Id.* 3. *Att.* 8. Tum vero hæc cura addita vix mihi vitam reliquam facit. *Id.* 5. *Verr.* 44. 104. Duarum mihi civitatum reliquos feci agros. *h. e.* reliqui, de quibus dicerem. *et ibid.* 48. 115. Quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit. *et ibid.* 55. 128. Quibus aratrum saltem aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. *extr.* Nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. *null' omisero.* et *Tac.* 1. *Ann.* 21. Nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. *Sall. Cat.* 29. *extr.* Quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant. *Id. ibid.* 52. Capta urbe nihil fit reliqui victis. *Liv.* 7. 35. Quum, præter arma et animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit. *Id.* 9. 24. Quos reliquos fortuna ex nocturna cæde ac fuga fecerat. *et* 26. 47. Sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. ¶ 2. Speciatim, *reliquus* aliquando quæ post futura sunt, respicit. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 15. Illud cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare. *Id. Sext.* 34. 73. Spe reliquæ tranquillitatis præsentes fluctus fugisse. *Plaut. Cas.* 5. 1. 3. Numquam ecastor ullo die risi adæque: neque hoc quod reliquum est (*scil.* vitæ) plus risuram opinor. *Nepos Themist.* 2. Non solum præsenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. — *In reliquum*, in futurum, in reliquum tempus. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 7. *in fin.* A te peto, ut, quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. *per l'avvenire.* et *Sall. Jug.* 46. Plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiæ addidit. *Liv.* 36. 10. *in fin.* Appius Larissam, ad confirmandos in reliquum sociorum animos, descendit. Plene *Cæs.* 3. *B. G.* 16. In quos eo gravius Cæsar vindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus jus legatorum conservaretur. *et Cic.* 5. *Verr.* 55. 128. In reliquum tempus ait se vectigalibus prospexisse. ¶ 3. Item speciatim, sæpe *reliquus* ad æs alienum refertur, cujus pars aliqua, subductis rationibus, solvenda relicta est, *residuo di debiti:* tum ex parte debitoris, tum creditoris. *Cic.* ad *Planc. post Ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. *Cato R. R.* 2. *a med.* Putare rationem vinariam, oleariam: quid venierit, quid exactum siet, quid reliquum siet. *Ter. Phorm.* 1. 1. 2. Erat ei de ratiuncula jampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum. — Hinc *reliqua, orum*, ipsa reliqua pars debiti, aut crediti, *resti*. *Cic.* 15. *Att.* 15. Quum ex reliquis, quæ (*Eros*) Nonis April. fecit, abundare debeam, cogor mutuari. *et* 16. *ibid.* 15. *a med.* Quum enim tanta reliqua sint, ne Terentiæ quidem adhuc, quod solvam, expeditum est. *et* 6. *ibid.* 1. *a med.* Reliqua mea Camillus scribit se accepisse. *Id.* 16. *Att.* 6. Nomina mea per deos expedi, exsolve: bella reliqua reliqui. *h. e.* at magna reliqui debitorum nomina, unde creditoribus meis satisfieri abunde possit. In nummo Hadriani Aug. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 478. Reliqua vetera HS. novies mill. abolita. *resti di debiti pubblici.* Hoc idem plenius habet mendosa *Inscript.* apud *Gruter.* 10. 6., emendatior apud *Fea, Framment. de' fast. cons. p.* 111. S. P. Q. R. IMP. CAES. TRAIANO HADRIANO AVG. QVOD PRIMVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS REMITTENDO SESTERTIVM NOVIES MILLIES CENTENA MILLIA N. (*h. e. novecento milioni di sesterzi*) DEBITVM FISCIS NON PRAESENTES TANTVM CIVES SVOS SED ET POSTEROS EORVM PRAESTITIT HAC LIBERALITATE SECVROS. Idem vero confirmat *Spartian. Hadrian.* 7. Hujus liberalitatis exemplum imitatus est Honorius Aug., ut constat ex *Cod. Theod.* 11. 28. 3., aliique ante et post eumdem principes, quos laudat *Gothofred.* ad *loc. cit. leg.* 3. et *Gratian.* ut ex *Auson. Grat. act.* 32. patet. — *Reliqua trahere*, est contrahere, reliquari, æris alieni partem non solutam relinquere, *andar in resto*. *Papinian. Dig.* 40. 7. 34. *ante med.* Ut si reliqua non trahat, liber sit: quod si trahat, ita demum, si obtulerit eam quantitatem, quæ refundi debuit. Adde *Paul. ibid.* 26. 7. 45. — *Reliqua habere*, debere. *Paul. ibid.* 35. 1. 79. — In sing. num. *Id. ibid.* 49. 14. 45. *ad fin.* Nisi forte fidejussores minus idonei sint, et in reliquum non exsolutæ quantitatis accesserint. *Plaut. Cist.* 1. 3. 40. Nunc quod reliquum est, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam.

II.) Translate, *reliqui* sunt reliqua pars, ceteri, alii: est autem qui docet, *ceteri* dici, ubi, qui restant, *singuli* cogitantur; *reliqui* autem, ubi omnes qui supersunt, *in unum* comprehenduntur, singulis cogitatione non discretis. — a) Universim. *Sall. Cat.* 3. *extr.* Ac me, quum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eademque quæ ceteros fama atque invidia vexabat. *Sunt qui leg.* a reliquorum malis moribus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 5. Sunt enim multi, qui omnino Græcas non ament litteras; plures qui philosophiam; reliqui qui, etiamsi hæc non improbent, tamen etc. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Duabus legionibus, quas proxime conscripserat, in castris relictis -, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. *Id.* 4. *ibid.* 4. *extr.* Reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt. *et* 1. *ibid.* 5. Oppida, vicos, reliqua privata ædificia incendunt. *et* 2. *ibid.* 2. Dat negotium Senonibus reliquisque Gallis, ut etc. *et ibid.* 10. *ad fin.* Ad eam sententiam, cum reliquis causis, hæc quoque ratio eos deduxit. *Nepos Themist.* 2. *in fin.* Arcem sacerdotibus tradunt, reliquum oppidum relinquunt. *h. e.* reliquam partem oppidi. *Id. Datam.* 2. Exercitusque reliquus conservatus est. *h. e.* reliqua exercitus pars. *Cic.* 3. *Legg.* 7. 16. Illud habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno. *tutti gli altri:* ceteri, alii. Sic *Justin.* 2. 2. 7. Aurum et argentum perinde aspernantur (*Scythæ*), ac reliqui mortales appetunt. *Cic. Tim.* 11. Ut Oceanum Salaciamque Cæli satu Terræque conceptu generatos memoremus, ex his Phorcyn, Saturnum et Opem, deinceps Jovem atque Junonem, reliquos. Ubi notanda conjunctionis et omissio. Sic *Id.* 2. *Phil.* 12. 30. Constitue Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis esse causam. — b) Speciatim neutr. *reliquum* et *reliqua* absolute. *Plaut. Asin.* 4. 2. 46. PA. Audi reliqua. DI. Loquere, audio. *Id. Pœn.* 3. 4. 7. LY. Age, eamus intro. CO. Te sequor. LY. Age, age, ambula: Ibique reliqua alia fabulabimur. *Cic.* 2. *Fin.* 32. 106. Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens «Desine Roma tuos hostes:» reliquaque præclare. *Quintil.* 9. 4. 124. «Aderat janitor carceris et carnifex prætoris,» reliqua. *Plaut. Pœn. prol.* 118. Ehem! pæne oblitus sum reliquum dicere. *Cic.* 5. *Verr.* 43. 103. Intelligetis omnes agros decumanos per triennium populo Romano ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuisse. — c) *Quod reliquum est, de reliquo*, quod ad reliqua attinet, ceterum, *del rimanente, del resto:* et servit conjungendo sermoni. *Cic.* 13. *Fam.* 73. Quod reliquum est, sic velim existimes etc. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 11. Quod reliquum est, tuum munus tuere. *Cic.* 6. *ibid.* 20. *a med.* De reliquo, ut te sæpe per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te nihil habere etc. *Id.* 1. *Orat.* 22. 100. De reliquo jam nostra culpa fuerit, si etc. *Id.* 16. *Att.* 13. De reliquo quid tibi ego dicam? ardeo studio historiæ. — d) *Reliquum*, de reliquo, ceterum. *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 198. 25. *Merc.* Ad cubituram mage sum exercita: reliquum ad cursuram sum tardiuscula. *Alii aliter leg. V.* CUBITURA. — e) *Et reliqua*, et cetera, *eccetera*. *Vopisc. Firm.* 5. *extr.* Quare sanctissimi Quirites, et reliqua. — Hinc

Relĭquă, adverbialiter, ut *ceterum*, τὰ λοιπά, legitur apud *Capell.* 6. *p.* 190. Reliqua vero versis illitum (*cœlum*) diversitatibus numerorum gnomonumque stilis - renidebat.

RĔLĪSUS, a, um. *V.* RELIDO.

RĔLŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* loco) est idem ac rursus loco suo repono, *ricol-*

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Linguam *locare*.
quoque relocare curabimus. *Id.* 2. *ibid.* 1. *a med.* Sin vero articuli fuerit ejectio, quamquam longi temporis, eum relocamus. *Ita nonnulli legendum putant pro* recolamus, *quod exhibent Edd. etiam Ald.*

II.) Translate est rursus locare, *affittare di nuovo*. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. *a med.* Si in lege operis locandi comprehensum esset, ut si ad diem effectum non esset, alii relocare id liceret; non alias prior conductor ex locato tenebitur, quam si eadem lege relocatum esset: nec ante relocari id potest, quam dies efficiendi præterisset.

RĔLŎQUOR, lŏquĕris, lŏqui, dep. 3. rursus loquor, vel respondeo. *Varro* 6. *L. L.* 57. *Müll.* Dicuntur eloqui et reloqui in fanis Sabinis, e cella dei qui eloquuntur.

RĔLŪCEO, ces, xi, cere, n. 2. Particip. *Relucens* I. — Reluceo est idem ac lucem remitto aut emitto, resplendeo, ἀναλάμπω (It. *rilucere, risplendere*; Fr. *réluire, briller, éclairer*; Hisp. *reluir, relumbrar, resplandecer, brillar*; Germ. *zurückleuten, - scheinen, - strahlen, - schimmern*; Angl. *to shine again, shine greatly, schine bright, glitter*).

I.) Proprie. *Cic. in Arat.* 2. *Nat. D.* 42. 107. Huic non una modo caput ornans stella relucet. *Virg.* 2. *Æn.* 312. Sigea igni freta lata relucent. *Ovid.* 11. *Met.* 617. vestis fulgore reluxit Sacra domus. *Plin. Paneg.* 52. Tota area hinc auro, hinc argento relucebat. *Plin. alter* 9. *Hist. nat.* 27. 43. (82). Piscis lucerna tranquillis noctibus relucet. *Liv.* 22. 17. Ex capite boum relucens flamma. *Virg.* 12. *Æn.* 300. Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit. *Petron. Satyr.* 127. Toto mihi clarius cælo nescio quid relucente. *Gell.* 17. 10. *sub fin.* Favilla ignea et relucens. *Plin.* 8. *Ep.* 8. Fons purus et vitreus, ut numerare jactas stipes et relucentes calculos possis. — Absolute. *Id.* 6. *Ep.* 20. *a med.* Paullum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium fuit.

II.) Translate. *Val. Max.* 9. 15. *n.* 6. Postquam a Sullana violentia Cæsariana æquitas reluxit.

RĔLŪCESCO, is, ere, n. 3. idem ac reluceo. *Capell.* 8. *p.* 294. Alias quum luna in superiore

aut inferiore latitudinis loco fuerit, pleni luminis effigie relucescit.

RĔLUCTANS, antis, particip. *V.* RELUCTOR.

RĔLUCTĀTĬO, ōnis, f. 3. obluctatio. *Cod. Theod.* 12. 1. 179. Si quis de reddendis ac jungendis eligendisve curialibus vocem reluctationis objecerit, quinque librarum auri mulcta feriatur. *Gloss. Placid.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 497. Resultatio, id est reluctatio quæ renititur et contra contendit. Adde locum *Augustini* allatum in *voc.* RENITENTIA; et *V.* ERUCTATIO.

RĔLUCTĀTUS, a, um, particip. *et*

RĔLUCTO, as. *V.* voc. seq.

RĔLUCTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Activa positione *relucto*, *V.* sub *B.* — Particip. *Reluctans* sub *A.* I. et II.; *Reluctatus* sub *A.* II. et *B.* — Reluctor est idem atque obluctor, renisto, obsisto, repugno, ἀντιπαλαίω. ἀντιμάχομαι (It. *essere renitente, resistere, ripugnare;* Fr. *lutter contre, combattre, opposer resistance à, résister, regimber;* Hisp. *luchar contra, resistir, opponerse;* Germ. *dagegen ringen, - kämpfen, - streiten, wiederstreben;* Angl. *to struggle or wrestle against, be repugnant or reluctant, resist*).

A) *Reluctor* depon.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 300. huic geminæ nares, et spiritus oris Multa reluctanti obsuitur. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 12. Pigra reluctanti cessat in hoste manus. *et* 3. *ibid.* 4. 13. Vidi ego nuper equum, contra sua vincla tenacem, Ore reluctanti fulminis ire modo: Constitit, ut primum concessas sensit habenas. *Horat.* 4. *Od.* 4. 11. Reluctantes dracones. *Ovid. Heroid.* 6. 85. Illa reluctantem curru deducere Lunam Nititur. *Tac.* 4. *Ann.* 22. In cubiculo reluctantis et impulsæ vestigia cernebantur. — Cum Infinito. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 353. equites illic poscentia cursum Ora reluctantur pressis sedare lupatis. *h. e.* conantur, ardori equorum obsistendo.

II.) Translate. — *a*) De rebus inanimis. *Quintil.* 9. 4. 7. Inter obstantia saxa fractæ aquæ et reluctantes. *Plin. Paneg.* 81. Certat domitare ventos reluctantes. *Seneca Herc. Œt.* 1728. Refugit ignis, et reluctantur faces et membra vitant. *Plin.* 10. *Ep.* 26. Continuæ navigationi Etesiæ reluctantur. — *b*) De hominis animo et de abstractis. *Quintil.* 1. *procem.* 1. Quum a me postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus. *Vellej.* 2. 102. 4. Diu deinde reluctatus, invitusque revertens in Italiam. Adde *Curt.* 8. 2. 11. *Plin. Paneg.* 60. His tot tantisque rationibus, quamquam multum reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit. *Martial.* 5. 35. et suscitanti Lectio reluctatur.

B) *Relucto* activa positione. *Apul.* 4. *Met.* Jam faucibus ipsis hiantis Cerberi reluctabat. *et* 7. *ibid.* Centunculis male consarcinatis semiamictus, inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabat. Adde *Coripp.* 2. *Johann.* 234. — Sic *Reluctatus* passive. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 42. Pæne reluctatis iterum pugnantia rebus Rupissent elementa fidem.

RĔLŪDO, dis, si, dere, a. 3. (re *et* ludo) contra illudo. *Manil.* 5. 170. sibique ipse reludat. *V.* PILARIUS. *Seneca* 2. *Controv.* 10. *circa med.* Temerarios mariti jocos relusit.

RĔLŪMĬNO, as, are, a. 1. rursus illumino. *Tertull. Apolog.* 21. Quum ille cæcos reluminaret. Adde *eumd. Anim.* 34. et *Paulin. Nolan. ep.* 30. (*al.* 8.) 4. Reluminare quod cæcatum fuerat.

RĔLŪO, is, ere, a. 3. *Festus p.* 281. 28. *Müll.* Reluere, resolvere, repignerare (*riscuotere il pegno, disimpegnare,* quasi rursus luo ac solvo, ut rem oppigneratam redimam). Cæcilius: Ut aurum et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viva ipsa opposuit pignori. — Pro solvere, *slegare,* usurpasse videtur *Afran.* apud *Non. p.* 52. 9. *Merc.* (ubi pro *Afran.* legitur *Licinius Macer*) vel pro lavare. Sed verba ejus obscura sunt aut corrupta.

RELUVIA *et* Reluvium. *V.* REDIVIA.

RELUVIES, ei, f. 5. iterata eluvies. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 134.

RĔMĂCRESCO, crescis, crŭi, crescere, n. 3. *smagrire, estenuarsi,* μινύθω, ἰσχναίνομαι, macer fio, extenuor, macesco. *Sueton. Domit.* 18. Calvitie deformis et obesitate ventris et crurum gracilitate, quæ tamen ei valitudine longa remacruerant.

RĔMĂLĔDĪCO, is, ere, n. 3. *rimaledire,* ἀντιλοιδορέω, vicissim maledico. *Vespasianus* apud *Sueton. Vesp.* 9. *extr.* Pronunciavit, non oportere maledici senatoribus: remaledici civile fasque esse. *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 9. Maledictus (*Christus*) non remaledixit.

RĔMANCĬPĀTUS, a, um. *V.* voc. sequent.

RĔMANCĬPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* mancipo). Particip. *Remancipatus.* — Remancipo est idem atque iterum mancipo, seu redhibeo. *Gloss. Philox.* Emancipat, ἀντιπαραχωρεῖ, ἀντιπαραγράφει. Remancipo, ἀποκαθιστῶ. *Cajus* 1. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 140. Excepto eo, quem pater ea lege mancipio dedit, ut sibi remancipetur: nam quodammodo tunc pater potestatem propriam reservare sibi videtur eo ipso, quod mancipio recipit. *et* § 172. Qui filiam neptemve aut proneptem alteri ea lege mancipio dedit, ut sibi remanciparetur, remancipatamque manumisit etc. *Fragm. jur. civ. antejustin.* (edente *A. Maio*) *p.* 15. Per mancipationem ita (*acquiri*) potest, ut nos proprietatem, quæ illis mancipio data (*est*), deducto usufructu, remancipemus. *Festus p.* 277. 12. *Müll.* Remancipatam Gallus Ælius esse ait, quæ mancipata sit ab eo, cui in manum convenerit.

RĔMANDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* mando, as). Est iterum, aut vicissim mando. *Eutrop.* 2. 13. Pax displicuit: remandatumque Pyrrho a senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 12. *ad fin.* Ferunt quidam hæc eum mandasse Joanni: at ille remandavit: Spero, te ad tuam patriam non redire.

RĔMANDO, dis, di, sum, dere, a. 3. (re *et* mando, is) *ruminare, rimasticare,* ἀναμασσάομαι, rumino, rursus mando. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 73. 93. (200). Pontici mures simili modo remandunt. *Quintil.* 11. 2. 41. Devoret initio tædium illud et scripta et lecta sæpius revolvendi, et quasi eumdem cibum remandendi.

RĔMĂNĔO, mănes, mansi, mansum, mănere, n. 2. (re *et* maneo). Particip. *Remanens* et *Remansurus* sub 2. *a.* ¶ 1. Generatim, *remaneo* est idem ac non abeo, resto, resideo, maneo, διαμένω (It. *restare, rimanere;* Fr. *rester en arrière, s'arrêter, demeurer, séjourner quelque part;* Hisp. *quedar, estarse, hacer mansion en algun lugar;* Germ. *zurückbleiben;* Angl. *to tarry behind, stay, remain, continue, abide*). *Ovid.* 3. *Met.* 477. Quo fugis? o remane, nec me, crudelis, amantem Desere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 48. 148. Ita sermone confecto, Catulus remansit, nos ad naviculas nostras descendimus. *Id.* 6. *Fam.* 3. *a med.* Nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Singula millia ex suis finibus educunt: reliqui domi remanent. *Id.* 1. *B. C.* 33. Pompejus enim - dixerat eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent et qui in castris Cæsaris fuissent. *Id.* 4. *B. G.* 8. Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Gallia remanerent. *Id.* 6. *ibid.* 1. Quoniam ipse ad urbem cum imperio reipublicæ causa remaneret. *Id.* 3. *B. C.* 87. Ex iis, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas. *Id.* 4. *B. G.* 1. Neque longius anno remanere uno in loco, incolendi causa, licet. *et ibid.* 2. Equos eodem remanere vestigio assuefaciunt. *et ibid.* 15. *in fin.* Remanere se apud eum velle, dixerunt. *Horat.* 1. *Od.* 26. 7. impium Lenite clamorem sodales Et cubito remanete presso. *Nepos Epam.* 9. *a med.* Si ferrum, quod in corpore remanserat, extraxisset. ¶ 2. Specialim est idem ac duro, persisto, persevero, supersum, durare, persistere. — *a*) Absolute. *Lucret.* 3. 402. At manet in vita, cui mens animusque remansit. *Sall. Jug.* 31. *ad fin.* Et vobis æterna sollicitudo remanebit, quum intelligatis aut serviundum esse, aut etc. *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. Id nomen (*hostis*) a peregrino recessit, et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit. *Liv.* 9. 1. Bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portavimus. *Sall. Jug.* 26. *in fin.* Si ulla apud vos memoria remanet avi mei. *et ibid.* 62. *a med.* Eum obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore sinat. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 23. in duris remanentem rebus amicum. *Cic. Rosc. Am.* 10. 27. In qua muliere, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. *Id. pro leg. Manil.* 18. 54. Rhodiorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit. *Petron. Satyr.* 109. Ne residua in animis, etiam post jusjurandum, ira remaneret. *Curt.* 10. 7. 15. In eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant. *Seneca Med.* 41. si quid antiqui tibi Remanet vigoris, pelle femineos metus. *Varro* 6. *L. L.* 45. *Müll.* Id quod remansit in mente. *Justin.* 11. 5. 2. Ne qua materia seditionis remaneret. — *b*) Cum Adjectivo ad significandam conditionem, in qua quid remanet. *Cic.* 2. *de republ.* 34. Duobus tribunis plebis per seditionem creatis, ut potentia senatus atque auctoritas minueretur: quæ tamen gravis et magna remanebat, sapientissimis et fortissimis, et annis et consilio, civitatem tuentibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. *sub fin.* Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. *Vellej.* 2. 123. 2. Volens omnia post se salva remanere. *Ovid.* 9. *Met.* 262. Interea, quodcumque fuit populabile flammæ, Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit Herculis effigies.

RĔMĀNO, as, are, n. 1. (re *et* mano) ἀποβρύω, refluo. *Lucret.* 5. 269. et 6. 635. retroque remanat Materies humoris. — Aliquando est repetere, redire. *Ennius* apud *Festum p.* 282. *Müll.* Destituunt rivos, camposque remanant. *Alii leg.* remant, *alii aliter. V.* REMANT.

RĔMANSĬO, ōnis, f. 3. *il rimanere,* διαμονή, actus remanendi. *Cic. Ligar.* 2. 4. Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? multo minus. Adde *eumd.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 5. *a med.*

RĔMANSOR, ōris, m. 3. dicitur de milite, qui longius extra remanet, quam commeatus imperatoris permittat. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 5. *ad fin.* Edictum Germanici Cæsaris militem desertorem faciebat, qui diu abfuisset, ut is inter remansores haberetur. *et ibid.* 5. *ad fin.* Si remansor, aut negligens suorum, aut segnis etc. Ita editiones *Torrentini, Gothofredi* et *Parisina* 1562. Aliæ cum *Haloandr.* habent *emansor,* quam vocem vide suo loco. — *Remansor* etiam dicitur, qui cum venia imperatoris domi remanet, aliis in expeditionem exeuntibus, nihilominus sacramento obstrictus ac stipendia merens: quod virtutis ac naviter præstitæ in bello operæ præmium est. *Inscript.* apud *Murat.* 347. 2. PRO REDITV EORVM AB EXPEDITIONE PARTHICA QVOD VOVERAT ARAM MARMOREAM POSVIT SVA PECVNIA M. AVRELIVS NEPOS REMANSOR. DEDICATA KAL. APRIL. SEVERO ET VICTORINO COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CC.

RĔMANT, repetunt. Ennius libro primo: destituunt rivos, camposque remant. Hæc *Paul. Diac. p.* 283. 7. *Müll.* (*Festus* vero *p.* 282. 33. Remanant, repetent). Videtur autem *remo, as,* esse quasi *remeo,* repeto, redeo. Unde *Lucret.* 3. 69. Refugisse volunt longe, longeque remasse. *syncope pro* remavisse. Sed locus *Festi* et *Ennii* corruptus esse videtur: *Lucretii* certe dubius est; nam alii *remosse* legunt (ut *Lachmann.*) per syncop. pro *removisse;* alii *recesse* pro *recessisse. V.* REMANO *in fin.* Apud *Ennium* est qui legit: (clivis) decedunt, rivos camposque remetant. *Remeto* enim antique, ut *commeto, as.*

RĔMASCŪLĀTUS, a, um, particip. (re *et* masculus) ab inusit. v. *remasculo.* Legitur in *Gloss Isid.* Remasculata, virili virtute resumpta.

REMĔĀBĬLIS, e, adject. qui remeare seu redire solet, aut potest. *Remeabile saxum* dicitur a *Statio*, quod apud Inferos a Sisypho tollitur et provolvitur: 4. *Theb.* 537. quis enim remeabile saxum, Fallentesque lacus, Tityonque alimenta volucrum, Et caligantem longis Ixiona gyris Nesciat? *Prudent. Apotheos.* 1117. Quum moritur Christus, quum flebiliter tumulatur, Me video: e tumulo quum jam remeabilis adstat, Cerno Deum. *Tertull. Resurr. carn.* 1. *a med.* Animam in corpora remeabilem affirmant.

RĔMĔĀCŬLUM, i, n. 2. reditio, reditus, *ritorno. Apul.* 6. *Met. sub init.* Illuminarum Proserpinæ nuptiarum demeacula, et luminosarum filiæ inventionum remeacula.

RĔMĔĀTUS, us, m. 4. *ritorno*, reditus, reditio. *Martian. Dig.* 48. 19. 4. *in fin.* Nemo potest commeatum remeatumve dare exsuli, nisi imperator.

RĔMĔDĬĀBĬLIS, e, adject. *rimediabile*, cui facile remedium inveniri potest. *Seneca Ep.* 95. Minora peccantes et levi cura remediabiles. *Plerique tamen leg.* medicabiles. *Cassiod.* 3. *Variar.* 14. Remediabile bonum est in peccatum accelerata correctio. *Id. de Anim.* 5. Contra adversa vel prospera remediabilis opponitur fortitudo. *Alii leg.* remedialis. *et ibid.* 12. Pœna facta est æterna requies, passio remediabilis, mors fidelium salutis introitus. *Alii leg.* remedialis.

RĔMĔDĬĀLIS, e, adject. ut Remedialis vis, quæ sanitatem seu remedium continet, apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. *in fin. Cassiod.* 10. *Variar.* 29. Desiderium tuum remediali jussione sanamus. *V.* REMEDIABILIS.

RĔMĔDĬĀTĬO, ōnis, f. 3. curatio, sanatio. *Scribon. Compos.* 11. Torpor est signum remediationis. *Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 87. *retro* ed. *Ald.* Plures autem ponendæ sunt torpedines ejusdem generis, quia nonnumquam vix ad duas tresve respondet curatio, idest torpor, quod signum est remediationis.

RĔMĔDĬĀTOR, ōris, m. 3. qui remedium affert. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 8. Remediator valetudinum. *et ibid.* 35. languorum.

RĔMĔDĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔMĔDĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Remediatus*. — Remedio (It. *rimediare*) est idem ac remedium affero, curo, sano. *Scribon. Compos.* 11. Capitis dolorem in perpetuum remediat. *Marcell. Empir. c.* 36. *p.* 139. *retro* ed. *Ald.* Hoc et in præsenti tollit dolorem, et in futurum remediat. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 35. — Passive. *Scribon. præf. a med.* Cibo vinoque apto interdum dato remediari tutius eos existimavit. *Id. Compos.* 18. Viros facilius mulieribus remediari. *Tertull. ad Scapul.* 4. A dæmoniis aut valetudinibus remediati sunt. Adde *eumd. Baptism.* 9.; et *Apul. Herb.* 112. Sic *Scribon. Compos.* 122. *sub fin.* Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum vivere. *h. e.* curatos, sanatos, *curati*.

RĔMĔDĬOR, āris, ari, dep. 1. idem ac remedio. *Apul. Herb.* 2. Herba quinquefolium mire remediatur. *et* 105. Febricitanti mire remediaberis. *Hieronym. Ep.* 68. *n.* 1. *circa med.* Quod crebro medici remediantur.

RĔMĔDĬTOR, āris, ari, dep. 1. *rimeditare*, rursus meditor. *Seneca Ep.* 72. *init.* Quod quæris a me, liquebat mihi, si remeditari possem. *Ita leg.* Lipsius, *alii* si rimeditarer, per se.

RĔMĔDĬUM, ĭi, n. 2. (re *et* medeor) est id, quod medendi causa adhibetur, medicamentum, ἄκος, βοήθημα (It. *rimedio, medicina;* Fr. *remède, médicament, médecine;* Hisp. *remedio, medicamento, medicina;* Germ. *was wieder heilt, d. Heilmittel, Arznei;* Angl. *a medicine, remedy, cure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 1225. *Lachmann.* Extorquebat enim vitam vis morbida membris. Nec ratio remedî communis certa dabatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 126. Pantheras, quæ venenata carne vescerentur, remedium quoddam habere, quo quum essent usæ, non morerentur. *Id.* 13. *Phil.* 11. 25. Qui tuis veneficiis remedia invenit. *Id.* 5. *Tusc.* 26. 74. Illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem. *Justin.* 18. 6. 11. Quum peste laborarent, cruenta sacrorum religione et scelere pro remedio usi sunt. *Cels.* 3. 9. Ægros contrariis remediis sanare. *Id.* 4. 20. *a med.;* et *Colum.* 6. *R. R.* 13. 2. Si purgatio nimia nocet, remedio sunt cucurbitulæ. *Cels.* 4. 6. Remedium est magni et recentis doloris sanguis missus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (59). Remedium alicui adhibere. *et* 30. *ibid.* 6. 17. (51) facere lieni. *Id.* 27. *ibid.* 12. 104. (127). Proserpinaca est eximii adversus scorpiones remedii. *Id.* 36. *ibid.* 20. 38. (147). Hæmatites est præcipui remedii ad jocineris vitia. *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (84). *de phalangii ictu.* In remedio est, si quis ejusdem generis alterum percusso ostendat. *Id.* 12. *ibid.* 17. 39. (78). Tradit odorem (*brati arboris*) esse proximum cedro, fumumque ejus contra ligna alia remedio. *et* 28. *ibid.* 4. 14. (53). Abstinere cibo omni, in præsentissimis remediis habetur. *Id.* 28. *ibid.* 11. 49. (17). Magnum remedium est in luporum capitis cinere. *Id.* 11. *ibid.* 53. 117. (282). Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ. *Ammian.* 16. 5. 8. Si verum est, - Cyrum regem et Simonidem lyricum - ideo valuisse memoria, quod epotis quibusdam remediis id impetrarunt, credendum est etc. *Id.* 19. 12. 14. Nam siqui remedia quartanæ vel doloris alterius collo gestaret etc. *un rimedio magico, un amuleto.* ¶ 2. Speciatim de iis, quæ morbum aut mala quælibet antevertunt, *antidoto, preservativo. Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Mithridati excogitatum quotidie venenum bibere, præsumptis remediis. Adde *Gell.* 17. 16. eadem de re loquentem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97). In quodam genere eorum (*scarabæorum*) cornua prælonga infantium remediis ex cervice suspenduntur. *V.* integrum loc. in SCARABÆUS. — Et cum part. *ut, ne. Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (205). Remedium est (*abortus suum*), ne prima subatione coitus fiat. *Id.* 18. *ibid.* 8. 20. (85). Siligo biennio in triticum transit. Remedium, ut gravissima quæque grana ejus serantur. *Gell.* 15. 1. Si quid posset remedii fore, ut ne tam assidue domus Romæ arderent.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim transfertur ad cujuscumque incommodi provisionem cautionemque. *Ter. Heaut.* 3. 2. 26. SY. Eho quæso laudas, qui heros fallunt? CH. In loco ego vero laudo. SY. Recte sane. CH. Quippe qui magnarum sæpe id remedium ægritudinum' st. *Id. Phorm.* 1. 4. 8. Quod quum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ? *Id. Andr.* 3. 1. 10. Quod remedium nunc huic malo inveniam? Adde *eumd. Phorm.* 4. 3. 11. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Quantum castra protulerant, tanto aberant ab aqua longius: et præsenti malo aliis malis remedia dabantur. *Sall. Cat.* 41. Miseriis suis remedium, mortem exspectant. *Liv. præf. a med.* Donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. *Cic. Cluent.* 9. 27. Oppianicus domo sibi quærendum remedium existimavit ad eam moram, quæ nuptiis afferebatur. *et ibid.* 24. 67. Acrioribus saluti suæ remediis subveniendum putavit. *Id. Sull.* 23. 66. In adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere. *Id.* 7. *Verr.* 10. 26. Ad magnitudinem frigorum et ad tempestatum vim præclarum sibi hoc remedium comparat. *Id.* 5. *ibid.* 56. 129. Numquam perpeterere, ut homines injuriæ tuæ remedium morte ac suspendio quærerent. *Sueton. Aug.* 42. Magna quondam sterilitate ac difficili remedio. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Pompejus corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant. *Quintil.* 1. 2. 6. Facile erat hujus metus remedium. *Plin.* 4. *Ep.* 25. Ubique vitia remediis fortiora. ¶ 2. Speciatim sequioris Latinitatis tempore solemnis est de indulgentiis reliquorum vox remedium, seu quod nos vulgo *arretrato* vocamus. *Salvian.* 4. *Gub. D.* 6. Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data quid aliud egerunt, quam ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent, illis ut demerentur vectigalia, istis ut adderentur nova? *et* 5. *ibid.* 8. Tributarii omnino pauperes non putantur, nisi quum his tributi cumulus imponitur, extra numerum autem tributariorum sunt, quum remedia dividuntur. *Eumen. Gratiar. act. Flav. nom.* 5. *ad fin.* Quo magis clementiæ tuæ gratias agimus, qui remediis sponte concessis fecisti, ut, quod non poteramus jure petere, juste obtinuisse videamur. *et* 7. *ad fin.* Jam enim ad prædicanda remedia ordine numinis tui supervenit oratio. *et* 10. *init.* Et hæc quidem nobis ad summam gratulationem sufficere potuissent, etsi remediorum nostrorum spem distulisses, et quibus nos opibus levaturus esses, dubium reliquisses. Adde *Impp. Arcad. et Honor.* 11. 28. 13. et *Honor. et Theod.* 12. 12. 14. *Cod. Theod.* ¶ 3. Item remedium peccatorum est *remissione de' peccati* apud *Salvian. in Avar.* 2. Diximus de remediis peccatorum, imo potius de spebus remediorum atque solatiis.

RĔMĔLĪGO, ĭnis, f. 3. *indugia*, remora. Translate accipitur tum de pisce, qui naves remoratur, tum de muliere tardius procedente, *indugiatrice. Festus p.* 277. 30. *Müll.* Remeligines et remoræ a remorando dictæ sunt a Plauto in Casina (4. 3. 6.). Nam quid illæc nunc tam diu intus remorantur remeligines? (*h. e.* mulieres illæ, quæ sponsam ad me adducere remorantur). Ab Afranio in Prodito: Remeligo a Laribus missa sum huc, quæ cursum navis cohibeam. Locus *Plauti* in editis sic habet: Nam quid illæc (*sponsa*) nunc tam diu intus remoratur, quasi ob industriam? *Festus* notationem vocis ducit ab ipsa re et significatione: si verba spectes, erit a *re* et *mello* inusit., quod a μέλλω *moror*, unde veteres Latini habent *promellere*. Nempe ut a *remoror* factum est *remora;* ita a *remello* seu *remelo* (quando veteres non geminabant consonas) ortum est *remeligo*, quæ vox tum remoram piscem, tum mulierem remorantem significat. *Gloss. Isid.* Remelicines, remoratrices.

RĔMĔMĬNI, isti, isse, anom. *ricordarsi. Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 1. ex *Isai.* 43. 24. Ne rememineritis priorum.

REMEMORABILIS, e, adject. rursus memorabilis. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 50.

RĔMĔMŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. *rammemorazione*, ἀνάμνησις, iterata recordatio. *Vulgat. interpr. Psalm.* 37. 1. Psalmus David in rememoratione de sabbato. *et* 69. 1. In rememorationem, quod salvum fecit eum Dominus.

RĔMĔMŎRO, as, are, a. 1. rursus commemoro. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 43. ex *Luc.* 24. 6.

RĔMĔMŎROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. recordari. *Vulgat. interpr. ep. ad Hebr.* 10. 32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. *et Psalm.* 77. 35. Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum. *Isid.* 11. *Orig.* 1. Voluit enim eos natura uterum maternum rememorari.

RĔMENSŪRO, as, are, a. 1. *rimisurare*, iterum mensuro. *Auct. de limit. p.* 253. *Goes.* Augustus omnem terram suis temporibus fecit remensurari ac veteranis assignari.

RĔMENSUS, a, um. *V.* REMETIOR.

RĔMĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* meo). Particip. *Remeans* et *Remeaturus* I. — Remeo est idem ac retro meo, redeo, revertor, ἐπανέρχομαι (It. *ritornare;* Fr. *retourner, revenir;* Hisp. *volver, retornar, venir otra vez;* Germ. *zurückkeren, - gehen, - kommen;* Angl. *to go or come back again, return*.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Plaut. Epid.* 5. 1. 55. Remeabo intus, ut accurentur advenientes hospites. *tornerò in casa. et Afran.* apud *Festum p.* 277. 29. *Müll.* Vetuit me sine mercede prorsum remeare in ludum. *tornare a scuola. Virg.* 2. *Æn.* 95. Si patrios unquam remeassem victor ad Argos. *Ovid.* 15. *Met.* 479. Talibus atque aliis instructo pectore dictis In patriam remeasse ferunt. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Germanicus Ægypto remeans. *Id.* 15. *ibid.* 60. Remeare ex Campania. *et* 14. *ibid.* 25. *extr.* in patrias sedes. *et* 3. *ibid.* 21. *a med.* Tacfarinas spargit bellum: ubi instaretur, cedens, ac rursus in

terga remeans. *Liv.* 9. 16. Triste responsum ab consule redditum est, nisi præsidio Samnitium interfecto aut tradito, ne ad se remearent. *Id. ibid.* 3. Quæ ubi sprela sententia est, iterumque, eodem remeante nuncio, consulebatur, censuit etc. *Ovid.* 15. *Met.* 569. domito victor remeabat ab hoste. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *a med.* Mos est remeaturis, decimum quemque captorum necare. — Omissa præposit. *Virg.* 11. *Æn.* 793. patrias remeabo inglorius urbes. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 12. Euboicos fessus remeare penates Auguror. *Ammian.* 17. 13. 33. Militares numeri destinatas remearunt sedes. *Apul.* 7. *Met. pr.* Remeare castra. — *b*) De brutis animalibus. *Varro* 3. *R. R.* 5. 8. Quum coturnices ex Italia trans mare remeant. *Liv.* 24. 3. Cujusque generis greges nocte remeabant ad stabula. *Pallad.* 1. *R. R.* 39. 1. Remeans et commeans examen. — *c*) De rebus physicis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Neque remearet aer. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (129). Ubi remeavere aquæ. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Corrupta stagnantibus (*Tiberis inundatione*) aquis insularum fundamenta, dein, remeante flumine, dilapsa. *Mela* 1. 9. *med.* Intus (*in labyrintho*) innumerabiles viæ, multis ambagibus huc et illuc remeantibus. *Tac.* 12. *Ann.* 69. *ad fin.* Navium quasdam, quæ mari remeabant, circumvenere Barbari.

II.) Translate. *Tibull.* 1. 4. 23. Ah! si tardus eris, errabis: transiet ætas. Quam cito non segnis it remeatque dies! *Horat.* 1. *Sat.* 6. 93. si natura juberet A certis annis ævum remeare peractum etc. *Ammian.* 15. 12. 5. Evectus sum longius; sed remeabo tandem ad cœpta. Sic *Id.* 22. 16. 24. Evectus longius ad ordinem remeabo cœptorum. *Martial.* 1. 16. Gaudia non remeant. *Alii rectius leg.* remanent. *sequitur enim,* sed fugitiva volant.

RĔMERGO, is, ere, a. 3. rursus mergo. *Augustin.* 8. *Confess.* 5. *a med.* Conatus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.

RĔMĒTIO, is, ire, a. 4. *V.* voc. sequent.

RĔMĒTĬOR, mētiris, mensus sum, mētiri, dep. 4. (re *et* metior). *Remetio* pass. *V.* sub I. — Particip. *Remensus* II. 1. et 2.; et Passive sub II. 1. — Remetior est iterum, aut vicissim metior, ἀναμετρέω (It. *rimisurare*; Fr. *rendre en égale mesure*; Hisp. *volver en iguale medida*; Germ. *wieder zu-, zurückmessen*; Angl. *to measure over again*).

I.) Proprie. *Virg.* 5. *Æn.* 25. Si modo rite memor servata remetior astra. *Quintil. declam.* 12. 19. *extr.* Frumentum pecunia remetiri. *h. e.* tantam vim pecuniæ admetiri, quanta est mensura frumenti. *Lucret.* 2. 515. Denique ab ignibus ad gelidas iter usque pruinas Finitum' st retroque pari ratione remensum' st. — *Remetio* passive apud *Vulgat. interpr. Matth.* 7. 2. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

II.) Figurate. ¶ 1. *Remetiri iter,* rursus idem iter facere, eadem via reverti. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 71. 73. (181). Alexandri cursor Philonides ex Sicyone Elin mille et ducenta stadia novem diei confecit horis: indeque quamvis declivi itinere, tertia noctis hora remensus est sæpius. Sic *Curt.* 5. 3. 23. Itaque signo receptui dato, - retro evadere ex angustiis jubet. XXX fuere stadia, quæ remensi sunt. Sic *Stat.* 3. *Theb.* 324. Jamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus Arva gradu, viridisque legit devexa Prosymnæ. — Passive. *Virg.* 2. *Æn.* 181. pelagoque remenso Improvisi aderunt. *h. e.* renavigato. et 3. *ibid.* 144. remenso Hortatur pater ire mari. — Huc pertinet et illud *Senec. Med.* 31. *de sole.* Non redit in ortus, et remetitur diem? ¶ 2. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Invitis ingesta visceribus per os reddunt, et vinum omne vomitu remetiuntur. *h. e.* eamdem vini mensuram evomunt, quam biberunt. Sic *Id. Provid.* 3. *ad fin.* dixit. et *Martial.* 6. 89. Ille fide summa testæ sua vina remensus. *h. e.* eadem mensura velut restituens. ¶ 3. Translate est recognoscere. *Seneca* 3. *Ira* 36. Totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior. *ripasso, esamino.* et *Plin.* 8. *Ep.* 11. Incipit refici, transmissumque discrimen convalescendo remetiri. *riandare col pensiero. Alii leg.* metiri. *Apul.* 1. *et* 2. *Met.* Fabulam tuam illam remetire. *h. e.* repete et renarra.

RĔMĒTO, as. *V.* REMANT.

RĒMEX, igis, m. 3. (*et* potest esse etiam femin., a v. *remus* et *ago*) qui remum agit, ut ait *Isid.* 19. *Orig.* 6., ἐρέτης, κωπηλάτης (It. *rematore, remigante, galeotto, forzato*; Fr. *rameur*; Hisp. *remero*; Germ. d. *Ruderer, Rudernecht, Rudersklave*; Angl. *a rower, waterman*). — *a*) Generatim. *Plaut. Merc.* 4. 2. 4. Sed coquos, quasi in mari solet hortator remiges hortarier, ita hortabatur. Adde *eumd. Pœn.* 5. 5. 35. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 114. Remex ille de classe Coponii prædixit etc. *Id.* 7. *Verr.* 33. 86. Classis inops et infirma, propter dimissionem propugnatorum atque remigum. *Cæs.* 3. *B. C.* 24. *a med.* Quadriremem cum remigibus defensoribusque suis ceperunt. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 76. Nautas remigesque exigere, frumentum imperare. *Id.* 2. *Orat.* 10. 40. Remigem aliquem aut bajulum, nobis oratorem descripseras, inopem quemdam humanitatis atque inurbanum. *et* 1. *ibid.* 33. 153. Ut concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum. *Cass.* ad *Cic.* 12. *Fam.* 13. Delectum remigum habere. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Quod minus exercitatis remigibus minusque peritis gubernatoribus utebantur. *Nepos Dion.* 9. Exercere remiges. *Sueton. Galb.* 12. Classiarii, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat. *Horat. Epod.* 17. 16. Laboriosi remiges Ulixei. *Seneca Herc. Fur.* 557. Uno tot populi remige navigant. *h. e.* vectore, portitore. De Charonte loquitur. — *b*) Sæpe in singulari num. pro remigibus ponitur. *Virg.* 5. *Æn.* 116. Velocem Moestheus agit acri remige pristin. *Ovid. Heroid.* 3. 153. impellere remige classem. *Id.* 5. *Trist.* 14. 44. Vela damus, quamvis remige puppis eat. *et* 1. *ibid.* 10. 4. navis remige carpit iter. *Liv.* 37. 11. Nocte remige a Magnesia arcessito etc. *Curt.* 7. 9. 3. Reliqui, qui post tormenta constiterant, remigem loricam indutum scutorum testudine armati protegebant. *Tac.* 4. *Ann.* 5. Classes duæ valido cum remige.

REMICO, as, are, iterum mico. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir.* p. 110.

RĒMĪGĀTĬO, ōnis, f. 3. εἰρεσία, actus remigandi. *Cic.* 13. *Att.* 21. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim.

RĒMĬGĬUM, ii, n. 2. (remex) proprie est remigatio, εἰρεσία.

I.) Proprie. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 55. Ubi portu eximus, homines remigio sequi. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (174). Isidis portus decem dierum remigio ab oppido distans. *Id.* 9. *ibid.* 3. 2. (6). Vastus sinus duodecim dierum et noctium remigio enavigatus. *Virg.* 8. *Æn.* 94. Olli remigio noctemque diemque fatigant Et longos superant flexus. — *Meo remigio rem gero,* proverb. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 149. Si illis (*servis*) ægre est, mihi quod volupe est, meo remigio rem gero. *h. e.* illis, velint nolint, parendum est, quum mei sint. Nos dicimus, *io sono il padrone: io comando.* Est qui legendum putat: *meo remigio remigo.*

II.) Figurate. ¶ 1. Est remorum supellex et ordo in navi, ipsi remi, *palamento, remeggio, guernimento de' remi. Plaut. Asin.* 1. 3. 5. Remigio veloque, quantum poteris, festina. *Virg.* 1. *G.* 201. qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Claudæ naves raro remigio aut intentis vestibus, et quædam e validioribus tractæ revertere. *Horat.* 1. *Od.* 14. 4. nudum remigio latus Et malus celeri saucius Africo. ¶ 2. Poetæ, ut *alas* pro remis ponunt, ita *remigium* ad alas et volatum transferunt: sunt enim avibus alæ, quod remi navibus. *Lucret.* 6. 743. Remigii oblitæ (*aves*) pennarum vela remittunt. *Virg.* 1. *Æn.* 301. et 6 *ibid.* 19. volat ille per aera magnum Remigio alarum. εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. *V.* vocem seq. et REMUS. *Ovid.* 2. *Art. am.* 45. *de Dœdalo.* Remigium, volucres disponit in ordine pennas. *Avien. Arat.* 640. *de Cycno.* dextro Cephaleida dextram Radens remigio. *Apul.* quoque, quamvis prosæ scriptor, hac metaphora usus est 5. et 6. *Met.* et *de Deo Socrat.*, sed non est imitandus: ipsaque poetis relinquenda. Animadvertendum est illud *Capell.* 2. 27. An Leucothea succederet facem lumenque purpureum, et an Solis remigia vigilarent, sonipesque Phosphori commeretur. *Sunt qui* Solis alas, *et qui* Solis equos *interpretantur.* ¶ 3. Metonymice, ipsi remiges, ut *servitium* servi, *la ciurma. Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Quæ pugna, quæ acies, quod remigium etc.? *Virg.* 3. *Æn.* 471. Remigium supplet, socios simul instruit armis. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 63. remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei. *Liv.* 26. 51. Remigium, classicique milites tranquillo in altum evecti, agilitatem navium experiebantur. Adde *eumd.* 37. 11.

RĒMĪGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĒMĪGO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Particip. *Remigans* et *Remigatus* I. — Remigo est idem ac remos ago, remis navem impello, ἐρέσσω, *vogare, remare.*

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 4. 9. Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere, an, quasi e portu egredientes, paullum remigare? *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Vectoriis gravibusque navigiis non intermisso remigandi labore longarum navium cursum adæquarunt. *Auct. B. Alex.* 46. Celerrime fortissimeque contra illo remigante naves adversæ rostris concurrerunt. *Seneca Ep.* 122. *in fin.* Contra aquam remigantes. — Cum Accusativo. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 178. missamque Pado qui remigat alnum. — Sic Particip. *Remigatus* apud *Capell.* 6. 200. Pars, quæ pergit in Caspium mare, a Macedonum classibus remigata, dum Seleucus et Antiochus regnavissent. In simili loco alias verbis *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 67. (167). Pars tota, vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis.

II.) Figurate. *Aves pennis remigare,* translatio poetica est. *V.* REMIGIUM II. 2. et REMUS. *Quintil.* 8. 6. 18. In illo vero plurimum erroris est, quod ea, quæ poetis permissa sunt, convenire quidam etiam prosæ putant. At ego in agendo nec *pastorem populi* (ποιμένα λαῶν) auctore Homero dixerim: nec *volucres pennis remigare,* licet Virgilius in apibus, ac Dædalo (6. *Æn.* 19.) speciosissime sit usus. Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. *Alii leg.* nec *volucres per aera nare,* nec *pennis remigare.* Ut respiciat illud *Virg.* 4. *G.* 59. *de apib.* Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen.

RĒMĪGRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re *et* migro) rursus migro manendi causa, retro migro, revertor, redeo, ἐπανέρχομαι, *tornare ad abitare.*

I.) Proprie. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Sine metu trans Rhenum in suos vicos remigraverant. *Liv.* 6. 4.; et *Cic.* 9. *Fam.* 18. *a med.* Romam tibi remigrandum est. *et* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Quid Antiocho magis licuit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere? Adde 1. *Tusc.* 49. 118. *Lucret.* 2. 966. Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret. *h. e.* ad justitiam colendam rediret. *Plaut. Epid.* 4. 1. *in fin.* Remigrat animus nunc demum mihi. *h. e.* redit mihi animus. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Vinculis liberata corporeis sapientis anima remigrat ad deos. *Plaut. Pœn. prol.* 47. Ad argumentum nunc volo vicissatim remigrare.

REMILLUM dicitur quasi repandum. *Paul. Diac.* p. 276. 13. *Müll.*, quorum cf. *Fest.* p. 277. 19.

RĒMĬNISCENTĬA, æ, f. 1. *rimembranza, memoria,* ἀνάμνησις, recordatio, memoria. *Tertull. Anim.* 23. *et* 24. *sub fin.* et *Arnob.* 2. 19. et quidem ubique plurali numero. Loquuntur

autem de placito *Platonis*, qui docuit, μαθήσεις esse ἀναμνήσεις, discentias esse reminiscentias, ut *Tertull.* vertit: qua de re disserit et *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 57. et *Senect.* 21. 78.

RĔMĬNĬSCO, is. *V.* voc. seq. init.

RĔMĬNĬSCOR, sceris, sci, dep. 3. — Rufum quemdam rhetorem reprehendit *Auson. epigr.* 48. *et* 49., quod *reminisco* activa positione dixerit. Antiqui tamen etiam hac terminatione protulerunt, teste *Prisciano* 8. *p.* 799. *Putsch.* — Particip. *Reminiscens* 1. — Reminisci proprie est, ut ait *Varro* 6. *L. L.* 44. *Müll.*, ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitare, et cogitando repetere: seu res præteritas et memori mente repostas cogitatione versare. Ex quo fit, ut non sit proprie recordari, sed res præteritas cogitare, unde recordatio sequitur (*V.* EMINISCOR), ἀναμιμνήσκω (It. *riandare col pensiero, ripensare, rammentarsi, ridursi a memoria;* Fr. *rappeler ses souvenirs, repasser dans sa mémoire, se remémorer;* Hisp. *traer á la memoria, recordar;* Germ. *sich etwas ins Gedächtniss zurückrufen, zurückerinnern;* Angl. *to remember, call to mind, recollect*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Jungitur cum v. *recordari* et *recognoscere* apud *Cic. Senect.* 21. 78. Pueri quum artes difficillimas discant, ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. *et* 1. *Tusc.* 24. 57. Docet enim, quemvis qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere (*V.* REMINISCENTIA). — *b*) Cum Genitivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Reminisceretur et veteris incommodi populi R., et pristinæ virtutis Helvetiorum. *Nepos Phoc.* 4. Reminiscentes veteris famæ. *Ovid.* 6. *Met.* 382. Sic ubi nescio quis Lyciâ de gente virorum Retulit exitium; Satyri reminiscitur alter, Quem etc. — *c*) Cum Accusativo. *Accius* apud *Non.* *p.* 499. 32. *Merc.* Heu me miserum, quum hæc recordor, quum illos reminiscor dies. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. *a med.* Ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt. *Virg.* 10. *Æn.* 782. et dulces moriens reminiscitur Argos. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 31. Nam modo vos animo dulces reminiscor amicos. *Cic. Ligar.* 12. 35. Spero etiam te, aliquid de hujus illo quæstorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quæstoribus reminiscentem recordari. — *d*) Cum Infinito. *Lucret.* 2. 89. Et quo jactari magis omnia materiai Corpora pervideas, reminiscere totius imum Nil esse in summa neque habere ubi corpora prima Consistant. *Ovid.* 1. *Met.* 256. Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus, Quo mare etc. *Id.* 7. *ibid.* 292. Æson miratur, et olim Ante quater denos hunc se reminiscitur annos. — *e*) Sequente relativo. *Nepos Datam.* 5. Reminiscens a quanto bello ad quam parvam rem principem ducem misisset. *Liv.* 4. 2. Reminiscerentur, quam majestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis tradituri essent. ¶ 2. Latiori sensu est cogitando invenire, comminisci. *Nepos Alcib.* 2. Ut si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi. *pensando immaginarsi.* Sic *Apul.* de *Mag.* Saltem fingite aliquid, reminiscimini, quid respondeRetis.

REMINISTRO, as, are, a. 1. iterum ministro: *et*

REMINUO, is, ere, a. 1. iterum minuo. Voces a Lexico expungendæ; leguntur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 41. et *p.* 51.

RĒMĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. ¶ 1. Est qui pedibus pro remis utitur. *Auson. epist.* 30. 12. Anates marinas junximus, remipedes. *V.* TREMIPES et CERCERIS. ¶ 2. Item qui remis pro pedibus. *Id. Edyll.* 10. 201. Remipedes certant medio cum flumine lembi. *Id. epist.* 5. 34. Remipedem jubeas protinus ire ratem.

RĔMISCEO, miscES, miscŭi, mixtum et mistum, miscere, a. 2. (re *et* misceo). Particip. *Remixtus* I. et II. — Remiscere est iterum miscere, permiscere, commiscere, *rimescolare, mescolare,* ἀναμίγνυμι.

I.) Proprie. *Seneca Constant. Sap.* 7. Venenum remixtum cibo.

II.) Translate. *Horat. Art. P.* 151. Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium, medio ne discrepet imum. *Id.* 4. *Od.* 15. 30. Lydis remixto carmine tibiis. *Seneca Ep.* 71. *ante med.* Animus aut in meliorem emittitur vitam, aut certe, sine ullo futurus incommodo, naturæ suæ remiscebitur.

RĔMISSA, æ, f. 1. *remissione, perdono,* remissio, ut Remissa peccatorum, *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 18. *ad fin.*; et *Cyprian. Ep.* 59. *sub fin.*

RĔMISSĀRĬUS, a, um, adject. ad remittendum pertinens. *Cato R. R.* 19. *extr.* Vectes longissimos pedum XIIX., secundos pedum XVI., tertios pedum XV., remissarios pedum XII., alteros pedum X., tertios pedum VIII. *Turneb. l.* 7. *Advers. c. pœnult.* Remissarii vectes suntne, quibus remittitur, non intenditur prelum? an vero qui remissioris et minoris longitudinis? Si me roges, hoc verius putem. Ut autem hi remissioris sunt longitudinis, sic etiam remissius premunt minusque adstringunt: unde et nomen.

RĔMISSĒ, adverb. Comp. *Remissius.* — Remisse est idem ac lente, leniter, placide, *lentamente, rimessamente,* ἀνειμένως. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 102. Quam leniter, quam remisse, quam non actuose? *Id. Cœl.* 14. 33. Utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 10. Ut neque remisse neque crudeliter imperet. *Sueton. Claud.* 33. Remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant. *h. e.* per jocum et in remissione animi. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 76. Quum iste nihilo remissius atque etiam multo vehementius instaret quotidie. *Id.* 1. *Orat.* 60. 255. Qui jamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas. *Id.* 6. *Fam.* 13. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius et placatius ferre. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 25. Remissius agere cum subjectis.

RĔMISSĬBĬLIS, e, adject. *remissibile.* ¶ 1. Est qui remitti seu condonari potest. *Tertull. Pudic.* 2. Delicta alia remissibilia, alia irremissibilia. ¶ 2. Item lenis. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *n.* 164. Quæ non sensibili tactu, sed remissibili quadam digestione immoratur.

RĔMISSĬO, ōnis, f. 3. (remitto).

A) Sæpissime est actus remittendi, relaxatio, intermissio: cui opponitur intentio, continuatio, ἄνεσις (It. *allentamento, rilassamento;* Fr. *action de relâcher, de détendre;* Hisp. *accion de relaxar, de soltar;* Germ. *d. Nachlassen, Locker-, Schlaffmachen;* Angl. *a slackening, relaxation, remission*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione aut contractione, ex mœstitia, ex hilaritate facile judicabimus etc. *Gell.* 18. 10. *extr.* Σφυγμὸς est intentio motus, et remissio in corde et in arteria.

II.) Translate. ¶ 1. Universim est intermissio, cessatio, relaxatio, lenitas. — *a*) Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 6. 4.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (168). Asinus remissione laboris fit deterior. Rursus *Varro* 1. *R. R.* 17. 7. Remissio operis. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt; simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. *Id.* 2. *Orat.* 53. 212. Neque est ulla temperatior oratio, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur; remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *circa med.* Ut enim faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum ægerrime reparant; sic et dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissione languescit. — *b*) Speciatim *remissio vocis,* vox non intenta, submissa, *abbassamento. Cic. Brut.* 91. 313. Omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. *Id.* 1. *Orat.* 61. 261. Demosthenes tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum binæ ei contentiones vocis et remissiones continerentur. — *c*) Item *remissio morbi,* deminutio aut intermissio. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Visa est mihi vel loci mutatio vel ipsa fortasse jam senescentis morbi remissio profuisse. *Sueton. Tib.* 74. Remissio febris. *declinazione. Scribon. Compos.* 99. doloris. — *d*) *Remissio usus,* intermissio aut cessatio. *Cic. Amic.* 21. 76. Tales amicitiæ sunt remissione usus eluendæ. — *e*) *Remissio animi,* relaxatio, recreatio, cessatio ab agendo et ludicrorum consectatio, *sollievo, ricreazione. Id.* 2. *Orat.* 6. 22. Ad omnem animi remissionem ludumque descendere. *Id. Cœl.* 17. 39. Quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non convivia delectarent. *Plin. Paneg.* 81. *init.* Instar refectionis existimas mutationem laboris. Quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras etc.? *Tac. Agric.* 9. Tempora curarum remissionumque divisa. *Gell.* 15. 2. *circa med.* Modicæ honestæque inter bibendum remissiones. *h. e.* intervalla. — *f*) Sumitur etiam pro languore animi, abjectione, dissolutione. *Cic.* 5. *Fam.* 2. *a med.* Si humanitas appellanda est, in acerbissima injuria remissio animi ac dissolutio. — *g*) Item pro lenitate. *Id.* 2. *Orat.* 47. 72. Judex tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est contorquendus. *piacevolezza, mitezza, condiscendenza.* ¶ 2. Speciatim — *a*) *Remissio pœnæ,* deminutio. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 13. Quum multo magis sit verendum, ne remissione pœnæ crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur. — *b*) *Remissio pensionis,* deminutio aut condonatio, *diminuzione, ristoro. Colum.* 1. *R. R.* 7. 1. Remissionem colonus petere non audet. *Sueton. Cæs.* 20. Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit. *Tac.* 4. *Ann.* 13. Remissio tributi in triennium. Adde *Plin.* 9. *Ep.* 37. et 10. *Ep.* 24. *a med.* — *c*) *Remissio nunciationis,* apud *Paul. Dig.* 39. 1. 8. est cessatio a novi operis nunciatione, missam eam faciendo et recedendo a probibitione novi operis faciendi. ¶ 3. Item speciatim *remissio justa* est missio justa a militia. *Macrob. Somn. Scip.* 1. 6. *p.* 39. *Bip.* Nonnullarum rerumpublicarum hic mos est, ut post sextam septimanam annorum ad militiam nemo cogatur: in pluribus datur remissio justa post septimanam.

B) Est etiam nova seu iterata missio. *Petron. fragm. Tragur.* 60. *Burmann.* Repente nova ludorum remissio hilaritatem hic refecit.

RĔMISSĪVUS, a, um, adject. ¶ 1. In re medica est remittens, relaxans, remissus, lenis. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *ante med.* Relaxare tumentia rebus congruis ac remissivis. ¶ 2. Apud *Priscian.* 15. *p.* 1021. *Putsch.* adverbia remissiva sunt contraria hortativis, et remissionem quamdam et quasi lenitudinem continent, ut *pedetentim, paullatim, sensim.*

RĔMISSOR, ōris, m. 3. qui remittit. Speciatim est qui peccata dimittit apud *Ambros. in Ps.* 39. Cessavit oblatio pro peccato, quia peccatorum remissor advenerat. Cf. *Inscript.* apud *Gruter. p.* 1167. Moxque (*sic*) vobis tribuet veniam pius ille remissor.

RĔMISSUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (re *et* mitto). Particip. *Remittens* sub *A.* II. 2. *b.* et 3. et *B.*; *Remissus* sub *A.* I. 1. et 2. et 3., II. 1. *a.* et 2. *a. d.* et 3., et in fin.; *Remissurus* sub *A.* I. 1., II. 2. *a.* et 3.; *Remittendus* sub *A.* II. 2. *b.* et *c.* — Remitto est verbum *A*) Activum, et *B*) Neutrum.

A) Activum *remitto* est idem ac rursus, aut retro mitto, ἀναπέμπω (It. *rimandare, mandare indietro, rispedire, rinviare;* Fr. *renvoyer, envoyer en retour, laisser aller;* Hisp. *volver á enviar, enviar de nuevo, enviar de retorno;* Germ. *zurückschicken, zurücksenden, zurückbewegen, zurücklassen, entfernen, wie-*

der von sich lassen; Angl. *to send back, despatch back, remand, return*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Sall. Jug.* 58. Nostri tela (*ab hostibus*) eminus missa, remittere. *Cic.* 7. *Att.* 23. Mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam. *Cæs.* 3. *B. G.* 8. *extr.* Si velit suos recipere, obsides sibi remittat. *Plaut. Epid.* 2. 2. 22. A legione omnes remissi sunt domum. *Auct. B. G.* 8. 55. Cognoscit, legiones ab se remissas, in Italia retentas esse. *Liv.* 9. 1. Res hostium in præda captas, quæ belli jure nostræ videbantur, remisimus. *Justin.* 42. 5. 11. Signaque cum his (*captivis*) militaria Augusto remissa. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). Tarquinius nuncium illum sævum et sanguinarium filio remisit ex hortis. *Cic.* 9. *Att.* 9. Demetrii librum de concordia tibi remisi, et Philotimo dedi. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. *a med.* Ut hostes tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent. *et* 5. *ibid.* 23. Naves, quæ ex continente ad eum remitterentur. *et ibid.* 51. Cæsar Fabium cum legione in sua remittit hiberna. *Ovid.* 13. *Met.* 702. Nec leviora datis Trojani dona remittunt. *Id.* 5. *Met.* 95. Jamque remissurus tractum de corpore telum. *Id. ibid.* 35. teloque ferox inimica remisso Pectora rupisset. *Seneca Hippol.* 581. Dura cautes resistit undis, et lacessentes aquas longe remittit. — In jure, *nuncium* aut *repudium remittere* ponitur pro simplici *mittere*. *V.* NUNCIUS. — Est etiam dimittere, *licenziare, lasciar andare*. *Ulp. Dig.* 48. 5. 25. Semel remissus adulter reduci non potest. Sic *remittere exercitum* apud *Festum p.* 289. 34. *Müll. V.* IMPERO. — Et pro intermittere, *intermettere, intralasciare*. *Val. Flacc.* 5. 276. datus et sociis utrimque cremandis Ille dies, alterque dies, quum, Marte remisso etc. ¶ 2. Speciatim est idem atque emitto, *mandar fuori*: et de iis fere dicitur, quæ, quod accepere, reddunt, ut humus semina accipit, messem remittit. *Virg.* 2. *G.* 218. Et bibit humorem et quum vult, ex se ipsa remittit. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 2. Vasa aenea in coctura æruginem remittunt. *et ibid.* 13. 1. Caseus seri minimum remittit. *et Arbor.* 26. 7. Lactis plurimum remittit ficus. *Marcell. Empir. c.* 25. *p.* 121. ed. *Ald.* Hæc radix – coquitur, donec succum omnem remittat et quasi arida sit. *Grat. Cyneg.* 521. sterilis quodcumque remisit Terra. *h. e.* produxit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Id.* 2. *Sat.* 4. 69. Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 19. e molli sanguis pulmone remissus. *Horat. Art. P.* 349. chorda sonum poscenti gravem persæpe remittit acutum. ¶ 3. Item speciatim remitto est idem ac laxo, retendo, relaxo, *rallentare, allargare, rilassare*: cui contrarium est intendo, adduco. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. *Id. Amic.* 13. 45. Habenas vel adducere, quum velis, vel remittere. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 14. Remittere frena equo. *Petron. Satyr.* 89. *a med.* Nudo remissus Thessali quadrupes jugo. *At* Bücheler. *legit*: Nudo remissus Thessali quadrupes jugi. *Seneca Phœniss.* 61. Remittere manum. *h. e.* a corpore alicujus, quem teneas, removere. *Virg.* 1. *G.* 262. brachia. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (94). Digitum contrahere ac remittere. *Id.* 8. *ibid.* 32. 50. (114). Cervi quum erexere aures, acerrimi auditus; quum remisere, surdi. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 37. Possunt, si jam librum remittunt, inseri oleæ vel emplastrari. *Virg.* 4. *G.* 35. frigore mella Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit. *sciogliе. Seren. Sammon.* 41. 763. sevum bovis igne remittis. — Similiter Particip. *Remissus* est relaxatus, retensus, solutus, *allentato, allargato*: cui opponitur intentus, adductus, rigidus. *Horat.* 3. *Od.* 27. 67. Remissus arcus. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 14. Deque meis manibus lora remissa fluent. *Id.* 5. *Met.* 399. Collecti flores tunicis cecidere remissis. *et* 9. *ibid.* 316. vinclis levor ipsa remissis. *Id. Heroid.* 19. 197. Stamina de digitis cecidere sopore remissis. *Val. Flacc.* 3. 334. vadit sonipes cervice remissa. *Lucret.* 5. 852. Semina quæ possint membris manare remissis. *h. e.* voluptate solutis. Sic *Martial.* 1. 50. Mollesque nympharum lacus, Quibus remissum corpus adstringas. *h. e.* solutum laxatis meatibus cutis. *Seren. Sammon.* 15. 269. unguere prodest Ursino et tauri sevo cerisque remissis. *h. e.* solutis, mollitis, liquefactis. Sic *Pallad.* 1. *R. R.* 41. Ammoniacum remissum. *Ovid.* 4. *Fast.* 126. Vere nitent terræ: vere remissus ager. *h. e.* frigore solutus, glacie liberatus. Cf. *Tibull.* 3. 5. 4. Quum se purpureo vere remittit hiems. *Alii leg.* humus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1., remitto est idem ac reddo, restituo, rejicio, removeo, abjicio. — *a*) Cum Accusativo tantum. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. Imperium se ab Cæsare per proditionem nullum desiderare, quod habere victoria posset –: quin etiam ipsis (*Gallis*) remittere, si sibi magis honorem tribuere, quam ab se salutem accipere videantur. *Cic. Sull.* 30. 84. Non modo nihil assumo, in quo quispiam repugnet, sed etiam si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. *in fin.* Vestrum vobis beneficium remitto: mihi meum restituite nomen. *Plaut. Most.* 3. 2. 110. Ædes alicui remittere. *h. e.* venditori restituere recepto pretio. *Lucret.* 6. 68. Quæ nisi respuis, ex animo longe remittis etc. *Cic. Cluent.* 2. 6. A vobis, judices, postulo, si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus aut æquis remittatis. *h. e.* deponatis, abjiciatis. *Id.* 8. *Phil.* 8. 25. Utramque provinciam, inquit, remitto; exercitum depono; privatus esse non recuso. *et ibid.* 9. 27. Galliam, inquit, togatam remitto, comatam postulo. — Est etiam omittere, vel differre in aliud tempus, *lasciare o differire*. *Ovid. Heroid.* 7. 149. Hoc potius populos in dotem, ambage remissa, Accipe. — *b*) *Remittere ad alium*, ad ejus arbitrium transferre. *Tac.* 3. *Ann.* 10. *extr.* Tiberius integram causam ad senatum remittit. *Quintil.* 11. 1. 76. A quibus appellatum erit, si forte ad eosdem remittemur. ¶ 2. Speciatim, metaphorâ ductâ a superiore paragr. 3., sæpissime est laxare, minus contendere, negligenter agere, molliter, dissolute, languide: cui opponitur acriter incumbere, intento animo agere, diligenter persequi, ductâ metaphorâ ab arcu, *rallentare, andar lento*: et simile est τοῖς cessare, omittere. — *a*) Cum Accusativo. *Ter. Heaut.* 1. 1. 18. Nullum remittis tempus, neque te respicis. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 77. Urgent tamen, et nihil remittunt. *Liv.* 9. 16. *a med.* Ne nihil remissum dicatis, remitto, ne utique dorsum demulceatis, quum ex equis descendetis. *Id.* 30. 3. Nullo tempore hiemis belli opera remittere. *Id.* 35. 5. Partim labore, partim metu remittere ardorem pugnæ. *Id.* 39. 24. Remittere animum a colligendis in pace viribus. *Auct. B. Afr.* 18. Equitibus imperat, ut uno ictu contenderent, neque remitterent, donec hostes repulissent. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. *ad fin.* Contentionem nostri omnem remiserant. *Id.* 6. *B. G.* 13. Remittere diligentiam in perdiscendo. *Cic.* 6. *Verr.* 61. 137. curam animi. *Quintil. declam.* 260. *ante med.* Hæc ego fortius dixi, quia remissurus sum. *Cic.* 8. *Phil.* 6. 19. Cæsar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen propter singularem ejus civitatis gravitatem et fidem quotidie aliquid iracundiæ remittebat. *V.* et *remittere se* et *animum* infra sub *c*. — *b*) *Remittere de*, aut *ex aliqua re*, minuere, detrahere, demere. *Cic.* 5. *Verr.* 35. 82. Remittere alicui de summa. *Id.* 1. *Phil.* 5. 12. Remisisset profecto aliquid de severitate cogendi. *Cæs.* 5. *B. G.* 4. Remittendum de celeritate existimabat. *Tac.* 6. *Ann.* 25. Postquam nihil de sævitia remittebatur etc. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 48. Et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu aliquid esse videare. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Non ex pristina virtute remittendum aliquid putaverunt. *Vellej.* 2. 88. 2. Vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens. *Tac.* 3. *Hist.* 55. Ipse nihil e solito luxu remittens. — *c*) *Remittere se*, dare se remissioni, animi contentionem deponere, recreare se, *divertirsi, sollevarsi*. *Nepos Alcib.* 1. Idem quum tempus posceret, laboriosus, patiens *etc.*; idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus reperiebatur. — *Remittere animum*, eadem sententia. *Liv.* 27. 31. Rege per dies festos licentius, quam inter belli tempora, remittente animum. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 383. 22. *Merc.* Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam. *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Varii canendi soni et incitant languentes, et languefaciunt excitatos, et tum remittunt animos, tum contrahunt. *Gell.* 18. 2. Saturnalia Athenis agitabamus hilare prorsus et modeste, non, ut dicitur, remittentes animum, (nam remittere, inquit Musonius, animum, quasi amittere est) sed demulcentes eum paullulum atque laxantes jucundis honestisque sermonum illectationibus. — *d*) Cum Infinito. *Ter. Andr.* 5. 1. 8. Nam si cogites, remittas me onerare injuriis. *Horat.* 2. *Od.* 11. 1. Quid bellicosus Cantaber et Scythes cogitet, remittas quærere. *Sall. Jug.* 52. Aciem exornat, neque remittit quid ubique hostis ageret, explorare. — *e*) *Remittere se* et *remitti* dicitur morbus qui sedatur et decrescit, item ægrotus et animus qui levatur. *Cels.* 4. 24. *ad fin.* Ubi dolor et inflammatio se remiserunt. *Plin.* 7. *Ep.* 1. Perustus ardentissima febre, tandem remissus. *sollevato*. Sic *Scribon. Compos.* 99. Quum remissi fuerint. *scil.* dolore capitis. *Cels.* 3. 12. Febres, quæ certum habent circuitum, et ex toto remittuntur. Rursus *Plin.* 7. *Ep.* 9. 12. Mirum est ut his opusculis animus intendatur, remittatur. Sic *Id. ibid.* § 9. Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo, sed hoc arguto et brevi. Cf. infra sub *B*. ¶ 3. Item speciatim, frequenter per translationem est concedere, condonare, *rimettere, cedere, permettere, donare*. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 10. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi et condono. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 22. Omnia ista concedam et remittam. *Id. ibid.* 18. 47. et *Planc.* 30. 73. Te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Plancii honorem consumerem. — Et sæpe de iis dicitur, quæ debentur: *rimettere*: cui contrarium est exigere. *Cæs.* 2. *B. C.* 21. Pecunias, quas erant in publicum Varroni cives R. polliciti, remittit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 106. Tibi aut concedendum est ita esse, aut memoriam mihi remittas oportet. *h. e.* concedas mihi, memoriam esse. *Id.* 6. *Verr.* 9. 21. Navem imperare ex fœdere debuisti: remisisti in triennium. *Seneca Herc. Œt.* 900. Vitam cuipiam remittere. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 18. multam. *Liv.* 40. 10. *ad fin.* pœnam. *Justin.* 1. 9. 12. tributa et militiæ vacationem in triennium. *Liv.* 39. 5. inimicitias suas reipublicæ. *Id.* 9. 38. *a med.* simultates suas patriæ. *Tac.* 3. *Ann.* 10. odia sua publicis utilitatibus. Sic *Sall. in orat. Licin. ad pleb. ad fin.* Remittere injuriam. *h. e.* agnoscere, *perdonare*. et *Val. Flacc.* 3. 407. culpam. — Similiter Particip. *Remissus* est concessus, condonatus, in gratiam alicujus omissus. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 1. Quum defensionum laboribus senatoriisque muneribus essem aliquando liberatus, retuli me ad ea studia, quæ retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi. *Ovid.* 2. *Art. am.* 599. En iterum testor: nihil hic, nisi lege remissum, Luditur: in nostris instita nulla jocis. *Justin.* 11. 1. 3. Alii tædio longinquæ militiæ remissam sibi expeditionem gaudebant. *Plin. Paneg.* 36. Nec pœna cuiquam remissa, sed addita est ultio. *rimessa, perdonata*. De iis, quæ ærario aut fisco debentur. *In nummis Galbæ Aug.* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 296. Quadragesima remissa. *et* XXXX. remissæ. *In nummo Nervæ* apud *eumd. ibid. p.* 408. Vehiculatione Italiæ remissa. — *Re-*

mittere, eodem sensu, absolute. *Liv.* 6. 36. Remittentibus tribunis plebis, comitia per interregem sunt habita. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Conclamant patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Tiberius arroganti moderatione. *h. e.* adversari desiit et permisit concessitque. *Quintil. declam.* 2. 1. Solus omnium non remittit sibi, ut etc. *Cf. Ammian.* 14. 11. 11. Siquid per imprudentiam gestum est, remissurus (*frater*), ut mitis et clemens. — Poetice cum Infinito pro permittere. *Ovid.* 11. *Met.* 376. nec res dubitare remittit. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 37. Occulto sævire vetat, prodesse remittit.

B) Neutrorum more, sive absolute *remittere* dicitur quidquid sedatur aut decrescit. *Cic. Brut.* 34. 130. Quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 14. Si remittent quippiam Philumenæ dolores. (Ubi *Donat.* Verbum activum quasi neutrum posuit). *Alii leg.* Philumenam. Simile est illud *Liv.* 40. 33. Ubi primum remiserunt imbres. *cessarono.* Sic *Id.* 2. 34. Volscos, jam moventes arma, pestilentia ingens invasit. Ea clade conterritis hostium animis, ut etiam, ubi ea remisisset, terrore aliquo tenerentur etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Nostri, usi fortunæ beneficio, tamen impetum classis timebant, si forte ventus remisisset. *Vitruv.* 8. 2. Vapor calidus primo non remittit propter levitatem. *Ammian.* 16. 2. 2. Nihil itaque remittentibus curis etc. — Hinc Particip. præter pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Remissus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Remissior* in omnibus paragr., et Sup. *Remississimus* II. 1.; et

I.) Proprie est laxus, solutus. *Cic.* 2. *Tusc.* 23 54. Onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt. *Quintil.* 11. 3. 42. Vox, quo remissior, hoc gravior et plenior. *V.* alia sub *A.* I. 3.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem. — *a*) De rebus est mitigatus, lenis, mitis. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. *extr.* Remissiora frigora. *men rigidi. Id.* 3. *B. C.* 26. Remissior ventus. *meno impetuoso.* Sic *Marcell. Empir. c.* 16. *p.* 107. *retro* ed. *Ald.* Ad eam rem remissior quidem pastillus, sed non contemnendus, accipit hæc etc. *di forza minore.* Similiter, cantus remissus, *lento, piano, di bassa voce. Cic.* 1. *Orat.* 60. 254. Solet Roscius dicere, se, quo plus sibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. — *b*) Sæpissime refertur ad animum, et est lenis, placidus, facilis, mansuetus, tardus ad irascendum, ad comitatem et lætitiam pronus, *placido, mansueto, dolce, mite, moderato. Tac. dial. de Orat.* 11. Quæ quum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus; paravi, inquit etc. *Cic.* 16. *Att.* 15. Si me non improbissime Dolabella tractasset, dubitassem fortasse, utrum remissior essem, an summo jure contenderem. *Id. Cæl.* 6. 13. Cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter vivere. *Plin.* 3. *Ep.* 14. Remissus et mitis. *Seneca Phœniss.* 186. pectus remissum ac placidum. *Liv.* 24. 39. Cædes omnia tenet, nihilo remissiore militum ira, quod turbam inermem cædebant, quam si periculum par et ardor certaminis eos irritaret. *Val. Max.* 8. 10. *n.* 3. Remisso vultu et languida voce et soluto genere orationis uti. *Martial.* 4. 14. Nec torva lege fronte, sed remissa Lascivis madidos jocis libellos. *Sueton. Claud.* 21. Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat. *Id. Aug.* 98. Remississimo ad otium et ad omnem comitatem animo. *Ovid.* 3. *Met.* 318. Jovem diffusum nectare curas Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos Cum Junone jocos. *scherzi piacevoli.* et 2. *Trist.* 547. Ne tamen omne meum credas opus esse remissum: Sæpe dedi nostræ grandia vela rati. *h. e.* leve, jocosum, ludicrum. Sic *Val. Max.* 8. 1. *n.* 13. Remissior materia. — Item quietus, tranquillus, nulla perturbatione commotus. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 193. Quæ si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat: quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? — *c*) Refertur et ad orationem, ponitur que pro leni, minus acri aut vehementi, placidiore. *Cic.* 3. *Fin.* 1. 2. Quamvis in eo sermone non remissi fuimus, tamen hæc acrior est cum Stoicis parata contentio. *Id.* 2. *Orat.* 23. 95. Alia quædam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. *Id. Senect.* 9. 28. Est decorus sermo senis, quietus et remissus. ¶ 2. In malam partem. — *a*) Sæpe transfertur ad animum, et lentum, mollem significat, negligentem, languidum, pigrum, *languido, rimesso, pigro. Horat.* 1. *Ep.* 18. 90. oderunt agilem gnavumque remissi. *Cic. Mur.* 26. 52. Quum te remissiorem in petendo putarent; Catilinam et spe et cupiditate inflammatum viderent. *Nepos Iphicr.* 3. In labore remissus nimis parumque patiens. *Cic. ad Quirit.* 9. 23. In ulciscendo remissior. *Sall. Jug.* 57. Dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. *ad fin.* Remisso ac languido animo esse. *et* 2. *ibid.* 14. Hostes, nostris languentibus atque animo remissis, portis se foras erumpunt. — *b*) De abstractis. *Cic.* 5. *Verr.* 92. 214. Quum esset, ante novum, tritici modius denariis quinque, petiverunt ab eo civitates, ut æstimaret. Remissior aliquanto ejus fuit æstimatio, quam annona. Nam æstimavit denariis III. *la stima fu più bassa del prezzo corrente.* et *Sueton. Tib.* 52. Drusus fluxioris remissiorisque vitæ erat (*quam Germanicus*). *più dissoluta.* — *c*) De rebus physicis. *Remissior carbunculus,* minus ardens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 29. (103). — *Mons Tarpejus remissus,* remissiore cura negligenterque custoditus. *Propert.* 4. 4. 81. Mons erat ascensu dubius festoque remissus.

RĒMĬTUS, a, um, adject. remo, seu gubernaculo instructus, πηδαλιωτός, nam Græce τὸ πηδὸν et remum et gubernaculum significat. *Boeth.* in *Aristot. Categor.* 2. *p.* 162. Sunt quædam naves, quæ remis penitus non utuntur, ut lintres, quas solo subigunt conto. Dicendum est igitur remum remitæ rei esse remum, et remitam rem remo esse remitam. *Id. ibid.* Quoniam remus navis dicitur, et remi navis ut sit, nulla ratione convertitur, si ex remo sit denominatio, statim redit ex more conversio. Dicimus enim remum remitæ rei esse remum, et hoc illi convertitur. Remita enim res remo remita est.

RĒMĪVĂGUS, a, um, adject. qui remis fertur, epitheton navis. *Varro* apud *Non. p.* 533. 8. *Merc.* Nautæ remivagam movent celocem.

REMIXTUS *vel* Remistus, a, um. *V.* REMISCEO.

RĔMŌLĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. Particip. *Remolitus* 1. in fin. ¶ 1. Remolior est idem ac moliendo recedere facio, multa vi loco moveo, *smuovere,* ἀπωθέω. — *a*) Active. *Ovid.* 5. *Met.* 354. *de Typhœo.* Sæpe remoliri luctatur pondera terræ, Oppidaque et magnos evolvere corpore montes. *Stat.* 10. *Theb.* 527. et ferrea sudant Claustra remoliri. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 13. *sub fin.* Proxima quæque remolitur ac jactat. — *b*) Passive. *Colum.* 2. *R. R.* 12. 9. Nihil itaque amplius in iteratione, quam remoliri terra debet æqualiter. *Alii rectius leg.* remolliri. Sic *Remolitus* signific. passiva. *Seneca Herc. Fur.* 503. nullus eripiet Deus Te mihi, nec orbe si remolito queat Ad supera victor numina Alcides vehi. — Quidam huc trahunt etiam locum *Sueton. Aug.* 79., de quo *V.* REMOLLIO sub II. ¶ 2. Item rursus magno conatu moveo, reparo. *Sil. It.* 1. 35. Iterum instaurata capessens Arma remolitur.

RĔMOLLESCO, is, ere, n. inchoat. 3. *mollificarsi, divenir molle,* ἀναμαλάττομαι, mollis fio.

I.) Proprie. *Ovid.* 10. *Met.* 285. ut Hymettia sole Cera remollescit. *Id.* 9. 660. Utve sub adventum spirantis lene Favoni Sole remollescit quæ frigore constitit unda, Sic etc.

II.) Translate sumitur pro delicatiorem fieri, effeminari. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. *in fin.* Quod ea re (*h. e.* vino) ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. — Item pro mitem et placatum fieri. *Ovid.* 1. *Met.* 377. precibus si numina justis Victa remollescunt.

RĔMOLLĬO, is, itum, ire, a. 4. (re *et* mollio). Particip. *Remollitus* I. et II. — Remollio est idem ac mollio, vel rursus, aut valde mollio, *ammollire,* ἀναμαλάττω.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 286. quare male fortibus undis Salmacis enervet, tactosque remolliat artus Adde *Colum.* 2. *R. R.* 12. 9. de quo loco in REMOLIOR I. *Apul. Herb.* 3. *n.* 9. Grana humore remollita. *Marcell. Empir. c.* 32. *p.* 133. *retro* ed. *Ald.* Apostemata ut remolliantur, aut, si mollia fuerint, ut dispargantur, facies medicamentum tale. *Id. c.* 25. *p.* 122. Radices ex integro tritæ cum pane remollito miscentur atque inde cataplasma factum etc.

II.) Translate: *Sueton. Aug.* 79. Eo se inhibitum ac remollitum, quominus, ut destinarat, in transitu Alpium, per simulationem colloquii propius admissus, in præcipitium propelleret. *Quidam leg.* remolitum, *a* remolior, *et explicant* a molimine et conatu revocatum.

RĔMŎNĔO, es, ui, ere, a. 2. iterum ac sæpius admoneo. *Apul.* 5. *Met.* Hic tibi identidem semper cavenda censebam, hic benevole remonebam. *Alii leg.* te monebam.

RĔMŎRA, æ, f. 1. (re *et* mora). ¶ 1. Est mora, tardatio, omne id quod remoratur, *remora, ritardo. Lucilius* apud *Paul. Diac. p.* 276. 8. *Müll.* Quænam vox ex te resonans meo gradu remoram facit? *Plaut. Trin.* 1. 1. 16. Remoram faciunt rei privatæ et publicæ. *Id. Pœn.* 4. 2. 106. Remora si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit. — Est etiam concreto, uti ajunt, sensu id quod remoram facit. *Cels.* 7. 15. Eo plumbea fistula injicienda est vel recurvatis in exteriorem partem labris, vel eamdem circumcingente quadam remora, ne tota intus delabi possit. *ritegno.* ¶ 2. Item pisciculus in mari, Græcis ἐχενηΐς, ita dictus, quod navem, cui annixus fuerit, remoretur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (5). E nostris quidam Latine remoram appellavere eum. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 25. 41. (79). *Silligius* ex Cod. Bamberg. et aliis legit *moram;* at scripturam *remoram* commendant verba *Donati* ad *Ter. Andr.* 4. 4. 18. Hæc et *echeneis* et *remeligo* dicitur. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

RĔMŎRĀMEN, inis, n. 3. remora, retardatio. *Ovid.* 3. *Met.* 566. irritaturque retenta, Et crescit rabies: remoraminaque ipsa nocebant. *Alii leg.* revocamina, *alii* moderamina. At nil mutandum: etenim *Thesaur. N. Latinit.* ab *A. Maio* editus in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 335. Remoramen, mora, vel, ut alii volunt, impedimenta gressuum: unde *Ovid.* remoraminaque ipsa nocebant.

RĔMŎRĀTOR, ōris, m. 3. qui remoratur. *Capell.* 1. *p.* 19. *de Saturno.* Verum sator eorum (*deorum*) gressibus tardus et remorator incedit glaucoque amictu tectus caput.

RĔMŎRĀTRIX, icis, f. 3. quæ remoratur. *Gloss. Cyrill.*

RĔMŎRĀTUS, a, um. *V.* REMOROR.

RĔMORBESCAT, Ennius posuisse videtur pro in morbum recidat. *Festus p.* 277. 23. *Müll.*, quocum cf. *Paul. Diac. p.* 276. 14.

RĔMORDĔO, des, di, sum, dere, a. 2. (re *et* mordeo). Particip. *Remordens* et *Remorsurus* I. — Remordeo est idem ac vicissim mordeo, eum mordeo, a quo morsus sum, *rimordere,* ἀντιδάκνω.

I.) Proprie. *Horat. Epod.* 6. 3. Quin huc inanes, si potes, vertis minas, Et me remorsurum petis? — In re medica. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. *ad fin.* Ii qui passione afficiuntur, acceptis vel transvoratis remordentibus materiis, nullam interiorum mordicationem sentiunt, quod etc. *et ibid. paullo ante.* Eo tempore, quo quædam remordentia transvoraverint ægrotantes. *et ibid.* 13. *ante med.* Dabimus etiam vinum, et magis illud quod non fuerit mordicantis virtutis, hoc est quodam sensu linguam remordentis.

II.) Translate ponitur pro cruciare, sollicitare, *rimordere. Lucret.* 3. 840. Præteritisque ad-

misse anni peccata remordent. *Id.* 4. 1135. Aut quam conscius ipse animus se forte remordet. *Virg.* 4. *Æn.* 261. quando hæc te cura remordet. *Id.* 7. *ibid.* 400. Clamat: Io matres, audite ubi quæque, Latinæ. Si qua piis animis manet infelicis Amatæ Gratia, si juris materni cura remordet, Solvite etc. *h. e.* si vos remordet. *Liv.* 8. 4. Libertatis desiderium remordet animos. *Juvenal.* 2. 34. vitia ultima castigata remordent (*censores suos*).

RĔMŎRES aves in auspicio dicuntur, quæ acturum aliquid remorari compellunt. *Festus p.* 276. 11. *Müll.* — Remum dictum a tarditate, quippe talis naturæ homines ab antiquis Remores dicti. Ita *Aurel. Vict. de orig. gent. R.* 21. *extr.*

RĔMŎRŎR, āris, ātus sum, ari, dep. Particip. *Remorans* sub *A. b.*; *Remoratus* sub *A. c.* et *B*:; *Remoraturus* sub *A. b.*; *Remorandus* sub *A. c.* — Remoror usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active *remoror* est idem ac moram alicui affero, retardo, retineo, ἀναβάλλω, ἐπέχω, *ritardare, soprattenere.* — *a*) Cum Accus. personæ. *Plaut. Cas.* 3. 5. 65. Eo nunc jam, nisi quippiam remorare me. *Ovid.* 13. *Met.* 220. cur non remoratur ituros? *Cic. pro leg. Manil.* 14. 40. Hæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt. *Sall. Jug.* 38. Nox atque præda castrorum hostes, quominus victoria uterentur, remorata sunt. *Cic.* 1. *Cat.* 2. 4. Num unum diem postea L. Saturninum mors ac reipublicæ pœna remorata est? *h. e.* distulit, quin statim corriperet? *Propert.* 1. 19. 17. Quamvis te longæ remorentur fata senectæ. *h. e.* mortem tuam differant ac retardent. *Sall. Jug.* 95. Sulla - animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior, otio luxurioso esse: tamen ab negotiis numquam voluptas remorata est. *scil.* eum; quam vocem inferioris notæ Codices exhibent. — *b*) Cum Accusativo rei. *Ter. Andr.* 4. 3. *in fin.* Manebo, ne quod vestrum remorer commodum. *Cic.* 3. *Att.* 14. Scio te - meas spes solitum esse remorari. *Sall. Jug.* 50. Existumans hostes transvorsis prœliis iter suum remoraturos. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 233. — Absolute. *Ovid.* 6. *Fast.* 772. Et fugiunt, freno non remorante, dies. — *c*) Passive. *Plaut. Pers.* 1. 2. 28. Sed aperiuntur ædes: remorandus est gradus. Sic Particip. *Remoratus* passive, ut videtur, *trattenuto, ritardato,* retardatus. *Ovid.* 10. *Met.* 671. Et rursus pomi jactu remorata secundi Consequitur transitque virum.

B) Neutrum *remorari* ponitur pro morari, *trattenersi, indugiare.* *Plaut. Cas.* 4. 3. 6. Quid illæc nunc tam diu intus remorantur remeligines, quasi ob industriam? (*V.* REMELIGO). *Lucret.* 2. 564. remorari in concilio. *Catull.* 61. 200. sed abit dies: Perge, ne remorare. Non diu remoratus es. Jam venis. *Liv.* 27. 12. Hosti jam undique pulso - ne remorandi quidem causam in Italia fore. *Ovid.* 4. *Met.* 134. retroque pedem tulit *etc.* Sed postquam remorata suos cognovit amores etc. *Lucret.* 6. 717. Et contra fluvium flantes (*etesiæ*) remorantur.

RĔMŌTĒ, adverb. *di lontano,* πόῤῥω, procul. Occurrunt tantum *Compar.* et *Superl.* *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Stellæ aliæ propius a terris, aliæ remotius eadem spatia conficiunt. *Augustin.* 12. *Trinit.* 5. *a med.* Quamvis longe remotissime facta sunt.

RĔMŌTĬO, ōnis, f. 3. *rimovimento,* ἀποκίνησις, actus removendi.

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 26. 10. 4. Remotio tutoris.

II.) Translate. *Remotio criminis* est, inquit *Cic.* 2. *Invent.* 29. 86., quum ejus intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium aut in aliud dimovetur. Id fit bipertito: nam tum causa, tum res ipsa removetur. Causæ remotionis hoc nobis exemplo sit *etc.* Ipsius autem rei fit remotio, quum id quod datur crimini, negat neque ad se, neque ad officium suum reus pertinuisse. *Cic. ibid.* et 30. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Flacc.* 10. ab *A. Maio* editus *in Class. Auct. T.* 2. *p.* 7. Mire hic respondit. Remotionem facturus in auctoritatem senatus, quo decernente puniti sunt Catilinæ socii, amplectitur quoddam votum, quasi potuerit etiam gloriose confiteri auctorem se illius fuisse supplicii: magis enim ex hoc remotioni firmitas acquiretur, si potuerit esse etiam ipsius de se laudanda confessio.

RĔMŌTĪVUS, a, um, adject. qui removetur. Constitutio juridicialis assumptiva per remotionem seu remotiva dicitur, quum objectum crimen in alterum vel in aliud ab eo, qui percellitur, removetur, ut, Legatus intra diem tricesimum proficiscatur: legatus non accepto viatico remansit et reus est. *Jul. Victor Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 4. 6. A destructione remotivæ assumptionis, cur profectus non sit: Utrum ne quod viaticum non acceperit, an ob insidias vel contumaciam vel lædendæ rei publicæ studio? *V. Capell.* 5. *p.* 147.

RĔMŌTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔMŎVĔO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (re *et* moveo). *Remorant* syncop. pro *removerant* et *remosse* pro *removisse* sub I. *b.* et *remorunt* pro *removerunt* sub II. *a.* — Particip. *Removens* I. *a.*; *Remotus* I. *a.*, II. *a.* et in fin.; *Remoturus* et *Removendus* II. *b.* — Removeo est idem ac recedere facio, amoveo, dimoveo, abduco, aufero, ἀποκινέω (*It. tor via, allontanare, scostare, levare, rimovere*; Fr. *éloigner, repousser, écarter*; Hisp. *apartar, alejar, desviar, rempujar, descarriar*; Germ. *zurückbewegen, zurückziehen, b. Seite schaffen, entfernen, weg, - fortschaffen*; Angl. *to remove, withdraw, take away*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute, aut cum Accusativo tantum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 163. Remove, abi, aufer. *Cic.* 7. *Verr.* 31. 82. Remoto atque ablegato viro. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. Remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. *Horat.* 3. *Od.* 6. 28. Luminibus remotis. *Id.* 4. *ibid.* 4. 6. Nimbis remotis. *Id. Art. P.* 161. custode remoto. *Virg.* 1. *Æn.* 220. Mensæ remotæ. *Cic. Balb.* 5. 11. Fuisse - neminem, quin removeret oculos et se totum averteret. *Ovid.* 6. *Met.* 493. cura removente soporem. *h. e.* impediente somnum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 21. (72). Mater quæ infantem removit. *h. e.* a lacte depulit. *slattò, spoppò.* *Cæs.* 1. *B. C.* 48. *a med.* Pecora finitimæ civitates longius removerant. — *b*) Cum Præpos. *Cic.* 1. *Off.* 35. 127. Removere aliquid ab oculis. *h. e.* tegere, occultare. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Cupæ furcis ab opere removentur. *Auct. B. Afr.* 54. Ob eas res ignominiæ causa ab exercitu meo te removeo. *et ibid.* 62. Quum classe se longius a conspectu removisset. *Ovid.* 5. *Met.* 488. Rorantesque comas a fronte removit ad aures. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 71. ubi se a vulgo et scæna in secreta remorant. *syncope pro* removerant. *s'erano ritirati.* (Similiter *remosse* pro *removisse* quidam leg. apud *Lucret.* 3. 69. *V.* REMANT). *Ter. Hecyr. prol.* 2. 11. Remotus injuria adversarium ab studio. *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat. *Id.* 1. *Fam.* 12. Ut removeat præsidia ex his locis, quæ occuparit. *Id.* 2. *Orat.* 76. 309. Ea secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 16. Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi. — *c*) Cum Ablat. sine præpos. *Ovid.* 7. *Met.* 256 Et monet arcanis oculos removere profanos. *Id.* 2. *Pont.* 2. 123. Qui quoniam patriâ toto sumus orbe remoti etc. — *d*) Cum Adverb. *Quintil.* 11. 3. 124. Inde togam removit.

II.) Translate. — *a*) Cum Accus. tantum. *Plaut. Stich.* 2. 1. 37. Approperate, fores facite ut pateant, removete moram. *levate ogn' indugio.* *Sall. Jug.* 85. 45. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. *Cic.* 7. *Fam.* 11. De re severissima tecum, ut soleo, jocor. Remoto joco. tibi hoc amicissimo animo præcipio, ut etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 38. 98. Licet enim jam remota subtilitate disputandi oculis quodammodo contemplari pulcritudinem rerum. *Liv.* 2. 2. Hunc tu, inquit, tua voluntate, L. Tarquini, remove metum. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 31. Ergo desidiæ remove, doctissima, causas. *et* 1. *ibid.* 3. 13. Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit etc. *Al. leg.* animo. *Sil. It.* 11. 175. hi sunt, qui jura dedere Terrore expulso, Sidicinaque bella remorunt. *syncope pro* removerunt. — *b*) Cum Præposit. *Cæs.* 3. *B. C.* 21 Senatus Cælium ab republica removendum censuit. *h. e.* curia et foro prohibendum. *Cic.* 1. *Off.* 20. 69. A negotiis publicis se removere, ad otiumque perfugere. *Id.* 2. *leg. Agr.* 8. 82. Remove te a suspicione alicujus tui commodi. *Id.* 5. *Verr.* 59. 136. Illam suspicionem levare atque a se removere cupiebat. *Id.* 4. *Att.* 8. *a med.* Quid sit, quod se a me removit, si modo removit, ignoro. *h. e.* convictu meo abstinuit, se a me alienavit. *Id. Amic.* 21. 77. Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine se removerat Scipio. *Id.* 2. *ad Q. Fr.* 6. Catonem Lentulus a legibus removit. *h. e.* a legibus ferendis deterruit. *l'ha distolto.* et *Curt.* 7. 2. 38. Libertatem linguæ ab auribus credulis remoturus. *Lucret.* 5. 350. morbis ægrescimus isdem Atque illi, quos a vita natura removit. *ha tolto di vita.* *Ovid.* 11. *Met.* 626. A se Tantalides onus invidiamque removit. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Cic. Orat.* 2. 5. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Ialysi non potuerunt, aut Coæ Veneris pulcritudinem imitari. *h. e.* suas artes deseruerunt. *Ovid.* 3. *Met.* 645. Meque ministerio scelerisque artisque removi. *Sueton. Tib.* 35. *sub fin.* Alium et quæstura removit, quod etc. — *d*) Cum Adverb. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 29. Vim procul hinc remove: non est qui debeat uri. — Hinc Particip. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Remotus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Remotior* I. *a.* et Sup. *Remotissimus* I. *b.* et II. *a. b.*

I.) Proprie de loco dicitur, et est dissitus, longe positus, semotus, *lontano, rimoto,* χωριζόμενος. — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. Indictis inter se principes Galliæ conciliis silvestribus ac remotis locis queruntur de Acconis morte. *Cic.* 7. *Fam.* 20. Remoto, salubri, amœno loco. *Horat.* 2. *Od.* 19. 1. Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem. *et* 4. *ibid.* 14. 47. qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis. *Ovid.* 6. *Fast.* 121. remotius antrum. — Hinc *Remota*, n. plur. 2. absolute pro locis remotis. *Ammian.* 28. 6. 28. Exsiluerunt Erechthius et Aristomenes e latebris, qui quum sibi jussas abscidi linguas didicissent ut prodigas, ad longe remota declinarunt et abdita. — *b*) Cum Ablativo. *Cic.* 5. *Verr.* 37. 85. Parva civitas procul a manibus tuis atque a conspectu remota. *Id.* 8. *Att.* 3. 4. Apulia ab impetu hujus belli remotissima. *Id.* 7. *Verr.* 31. 80. Ab arbitris remotus locus. *Id. Amic.* 27. 104. In quibus (*studiis*) remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus. *Nepos Dion.* 9. Quum a conventu se remotum domi teneret. *Sueton. Tib.* 42. Secreti licentiam nactus et quasi civitatis oculis remotus.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 10. 63. Scientia, quæ est remota a justitia, calliditas est appellanda. *Id.* 2. *leg. Agr.* 12. 31. Quum tu a Tiberii Gracchi æquitate ac pudore longissime remotus sis. *Id. Mur.* 35. 73. Et illa pie fecit et hic a culpa est remotus. *Id.* 6. *Verr.* 19. 40. Ab omni minimi errati suspicione remotissimus. *et* 4. *ibid.* 66. 160. Homines quietissimi, qui maxime ab injuriis nostrorum magistratuum remoti consuerant esse præsidio fœderis. *Id. Orat.* 9. 32. Cujus sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus. *Horat. Art. P.* 383. Liber et ingenuus, præsertim census equestrem Summam nummorum vitioque remotus ab omni. *Quintil.* 2. 4. 2. Fabula non a veritate modo, sed etiam a forma veritatis remota. — *b*) Specialim est alienus, abhorrens. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *a med.* Si

quisquam fuit umquam remotus ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. *Id.* 14. *Att.* 12. *in fin.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. *Colum.* 12. *R. R.* 1. 3. Villica a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima. *h. e.* minime dedita vino, escis etc. — c) Apud Stoicos *remota* sunt προηγμένα. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 52. In vita non ea, quæ primario loco sunt, sed ea, quæ secundum locum obtinent, προηγμένα, id est producta nominentur. Quæ vel cita appellamus (id erit verbum e verbo) vel promota et remota, vel etc. — Hinc

Remota, n. plur. 2. absolute, substantivorum more: *V.* in *Remotus* I. *a.* et II. *c.*

RĔMŪGĬO, is, ivi *et* ii, ire, n. 4. (re *et* mugio). *Remugit* pro *remugiit* metri causa dixit *Capell.* 5. *init.* Interea sonuere tubæ raucusque per æthram Cantus, et ignoto cælum clangore remugit: Turbati expavere Dei. — Particip. *Remugiens* 2. — Remugio ¶ 1. Stricto sensu est It. *rimugghiare, muggire all'incontro*, παραμυκάομαι, mugitu respondeo, contra mugio. *Ovid.* 1. *Met.* 656. *de Io.* alto tantum suspiria prodis Pectore, quodque unum potes, ad mea verba remugis. ¶ 2. Et universim, reboo, resono, *risonare, rimbombare. Stat.* 12. *Theb.* 602. alio si forte remugit Bellatore nemus. *h. e.* alio tauro. *Virg.* 3. *G.* 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. *Id.* 6. *Æn.* 99. Sybilla Horrendas canit ambages, antroque remugit. *Id.* 9. *ibid.* 504. sequitur clamor, cælumque remugit. *Horat.* 3. *Od.* 10. 5. nemus Aquilone remugit. *Id. Epod.* 10. 19. Ionius udo quum remugiens sinus Noto carinam ruperit. *Seneca Thyest.* 675. nemus remugit latratu. *Catull.* 63. 29. Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.

RĔMULCĔO, mulces, mulsi, mulsum, mulcere, a. 2. (re *et* mulceo). Particip. *Remulcens* et *Remulsus* I. — Remulceo est idem ac retro mulceo, reflecto (It. *ripiegare in giù*. Fr. *replier en passant la main sur, en caressant;* Hisp. *volver á plegar;* Germ. *zurückstreicheln,-streichen;* Angl. *turning or bending backwards*).

I.) Proprie. *Virg.* 11. *Æn.* 812. *de lupo.* Conscius audacis facti caudamque remulcens Subjecit pavitantem utero. *h. e.* retrahens inter crura: nam *mulceo* est mulcendo inflectere: ita *Hesiod.* Ἔργ. *v.* 512. Θῆρες δ' φρίσσουσ', οὐρὰς δ' ὑπὸ μέζε' ἔθεντο. Solent autem lupi, sicut et canes et leones etc., quum irati sunt, caudam intendere et erigere; quum resedit ira et successit pavor, remittere ac reflectere. *Apul.* 1. *Met. ante med.* Equi sudorem fronde curiose exfrico, aures remulceo, frenos detraho. *gli stropiccio o gli tiro le orecchie.* Sic *Id.* 9. *ibid.* Jamque et plausus manuum et aurium flexus et ductum capistri placide patiebar. *già placidamente lasciava, che altri mi percotesse colla palma delle mani, mi ripiegasse le orecchie, mi tirasse per la cavezza.* Loquitur hic asinus. *Id. Florid. n.* 3. *de Apolline.* Crines ejus remulsis antiis et promulsis capronis anteventuli et propenduli. *Alii minus recte leg.* præmulsis. *V.* CAPRONÆ. *Id.* 7. *Met.* Alius (*equus*) hinnitu maligno comminatus, remulsis auribus dentiumque candentium renudatis hastis, totum me commorsicat. *Alii perperam leg.* remissis *Cassiod.* 7. *Variar.* 15. *de equis aeneis.* Mirabitur formis equinis signa etiam inesse fervoris. Crispatis enim naribus ac rotundis, constrictis membris, auribus remulsis, credet forsitan cursus appetere, quum se metalla noverit non movere. *h. e.* auribus retro flexis erectisque.

II.) Translate. *Stat.* 8. *Theb.* 93. oro, minas stimulataque corda remulce. *mitiga, placa, accheta. Apul.* 5. *Met.* Quæ cuncta dulcissimis modulis animos audientium remulcebant.

RĔMULCO, as, are, a. 1. *rimurchiare*, ῥυμουλκέω, remulco traho. *Sisenna* apud *Non. p.* 57. 29. *Merc.* Si quæ celeriter solvi poterat, in altum remulcare trahit. *Remulcare trahit* videtur esse glossema: et *Sisenna* scripsisse *remulcat:* alius addidisse explicandi gratia, *trahit:* inde factum *remulcare trahit.* Hæc *Forcellinus. Mercerus* ait: potes scribere *remulcans trahit.* Recentiores plerique legendum putant *in altum remulco retrahit.* At *Nonius ibid.*: Remulcare dictum, quasi molli et leni tractu ad progressum mulcere. Quod confirmat *Thesaur. nov. Latinit.* ed. ab *A. Maio* in *Class. Auct.* 8. *p.* 494. Remulco, as, navem deducere ad litus.

RĔMULCUM, i, n. *vel* Remulcus, i, m. 2. Scribitur et *rymulcus* apud *Ammian.*, quem *V.* sub II. Remulcum est promulcum, funis, quo alligata navis ab alia trahitur: a ῥῦμα *funis*, et ἕλκω *traho*, *V.* HELCIUM. (It. *rimurchio;* Fr. *corde pour hâler, câble pour remorquer;* Hisp. *cuerda amarrada al barco, cable por remolcar;* Germ. *d. Schlepptau, Bugsirtau;* Angl. *a tow-barge, a cable or rope to tow a ship with*).

I.) Proprie. *Isid.* 19. *Orig.* 4. Remulcum, funis, qua deligata navis trahitur vice remi: de quo Valgius: Hic mea me longo succedens prora remulco Lætantem gratis sistit in hospitiis. *Paul. Diac. p.* 279. 1. *Müll.* Remulco, est, quum scaphæ remis navis magna trahitur. *Cæs.* 2. *B. C.* 23. *in fin.* Postquam relictam in litore navem conspexit, hanc remulco abstraxit. *et* 3. *ibid.* 40. Submersamque navim remulco multisque contendens funibus abduxit. *Auct. B. Alex.* 11. *extr.* Naves onerarias Cæsar remulco victricibus suis Alexandriam deducit. *Liv.* 32. 16. Tarde inde ad Maleam, trahendis plerumque remulco navibus, quæ cum commeatu sequebantur, pervenit. Adde *eumd.* 25. 30. *Auson. Edyll.* 10. 41. Et quum per ripas, nusquam cessante remulco, Intendunt collo mularum vincula nautæ.

II.) Figurate. *Remulcus* est etiam parvum navigium, ex quo funis alligatus navem trahit, quemque Itali quoque *rimburchio* et *rimurchio* vocant. *Auson. Epist.* 2. 9. celerisque remulci Culpabam properos adverso flumine cursus. *Paulin. Nolan. Ep.* 49. (*al.* 36.). Victricem ventorum et fluctuum navem ad portum suum, remulco præeunte, duxerunt. — *Rymulcus* apud *Ammian.* 18. 5. 6. Non contis, nec rymulcis, ut ajunt, sed velificatione plena in rem publicam ferebatur. Proverbialiter hoc dictum est. Sed recentiores editt. *remulco.*

RĔMULSUS, a, um, particip. *V.* REMULCEO.

RĔMŬLUS, i, m. 2. deminut. remi, *remetto*, parvus remus, κώπιον. *Turpil.* apud *Non. p.* 533. 16. *Merc.* Remulis sensim celox ab oppido processerat.

RĔMUNCŬLUS. *V.* LENUNCULUS.

RĔMUNDO, as, are, a. 1. *nettare, mondare*, repurgo, sæpius mundo. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 146. 3. ET VT MONIMENTVM REMVNDETVR.

RĔMŪNĔRĀTĬO, onis, f. 3. *ricompensa, guiderdone, rimunerazione*, ἀντίδωρεά, actus remunerandi, vicissitudo beneficii aut officii, mutua gratiæ relatio. *Cic.* 2. *Off.* 20. 69. A quo expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. *Id. Amic.* 14. 49. Nihil est remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. *Id.* 2. *Invent.* 22. 66. Gratia, quæ in memoria et remuneratione officiorum et honoris et amicitiarum observantiam teneat. *Inscript.* apud *Orell.* 1090. RAT. S. R. *h. e.* rationalis sacrarum remunerationum. *Alia* apud *Gruter.* 449. 7. COMES SACRARVM REMVNERATIONVM.

RĔMŪNĔRĀTOR, oris, m. 3. *ricompensatore, rimuneratore*, ἀντιδωρούμενος, qui remuneratur. *Tertull. Apolog.* 36. Deus exactor et remunerator. *Inscript.* apud *Gruter.* 449. 7. quæ est apud *Orell.* 1140. INVICTISSIMI PRINCIPES HONORIVS THEODOSIVS ET CONSTANTIVS CENSORES ET REMVNERATORES VIRTVTVM PETRONIO MAXIMO V. C. PRAEF. VRB. STATVAM MERITORVM PERENNE MONVMENTVM IN FORO VLPIO CONSTITVI IVSSERVNT. *Vulgat. interpr. ep. ad Hebr.* 11. 7. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. *Cassiod.* 10. *Variar.* 16. Ipse remunerator est bonorum omnium Deus.

RĔMŪNĔRO, as, atum, are, a. 1. Particip. *Remuneratus* sub *b.* — Remunero est idem quod remuneror, *ricompensare, rimunerare*, ἀντιδωροῦμαι. — a) Active. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 38. Ut hoc te officio remunerent. *Orellius* remunerentur. *leg. et ait:* quæ forma (*remunerent*) Quinto vix tribui potest. *Petron. Satyr.* 140. Puellæ artificium pari motu remunerabat. *Quintil. declam.* 2. 6. Necesse est sic remuneret, ut faciat heredem. *Papinian. Dig.* 17. 1. 7. Laborem dominus remunerare voluit. *Cic. in Senat.* 12. 30. Quibus officiis T. Annii beneficia remunerabo. *Alii leg.* remunerabor. — Passive. *Tertull. Apolog.* 46. Philosophi facilius statuis et salariis remunerantur, quam ad bestias pronunciantur. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 1. Remuneratus est a mo mutuo. Adde *Minuc. Octav.* 7. Et *Alcim. Avit. Ep.* 75. Ut vos bonis omnibus remuneratos extollat. *Cassiod.* 2. *Variar.* 15. Ama, quæ in te remunerata cognoscis.

RĔMŪNĔROR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (re *et* munus). *Remunero* et *Remuneratus V.* in voc. præced. — Particip. *Remunerans* sub *b.;* *Remuneraturus* et *Remunerandus* sub *a.* — Remuneror (It. *riconoscere, contraccambiare, ricompensare, render la pariglia, rimunerare*, ἀντιδωροῦμαι, ἀνταμείβομαι) est idem ac munus munere compenso, mutuam gratiam refero, beneficium reddo. — a) Cum Accus. personæ. *Varro* 2. *R. R.* 1. 2. Sed hæc ita a nobis accipietis, ut remuneremini nos, ac quæ scitis, proferatis. *Cic.* 8. *Att.* 1. *extr.* Si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. Tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane velim. *Id.* 9. *Fam.* 8. Ut possem te remunerari quam simillimo munere. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *extr.* Si liberam sibi possessionem Galliæ tradidisset, magno se illum præmio remuneraturum. *Plin.* 7. *Ep.* 31. *extr.* Neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio, qui prior cœpit. — In malam partem. *Catull.* 14. 19. Omnia colligam venena, Ac te his suppliciis remunerabor. — b) Cum Accus. rei. *Liv.* 2. 12. Tum Mucius, quasi remunerans meritum, Quandoquidem, inquit, etc. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 5. Solum pinguiter densum impensam coloni laboremque magno fetu remuneratur. — In malam partem. *Gell.* 18. 13. Libet autem dicere, quam facete Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, a quodam dialectico per contumeliam propositum remuneratus sit. — c) Absolute. *Cic.* 2. *Fam.* 6. Nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulandoque illustrare possit. *Id.* 2. *Invent.* 53. 161. Gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur. *Id.* 15. *Fam.* 13. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas; mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem.

RĔMURMŪRO, as, are, n. 1. (re *et* murmuro). It. *rimbombare, risonare*, ἀντιμορμύρω, vicissim murmuro, resono, reboo.

I.) Proprie. — a) Absolute. *Virg.* 10. *Æn.* 291. Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda, Sed mare inoffensum crescenti adlabitur æstu. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 152. pinus radice soluta Deficit et nulli spoliata remurmurat auræ. — Cum Accusat. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 27. certe mea carmina nemo Præter ab his scopulis ventosa remurmurat echo. (Ubi *præter* est *præterquam. V.* PRÆTER). Sic *Virg.* 1. *Ecl.* 5. resonare Amaryllida.

II.) Translate significat de alicujus fama detrahere, *sparlare. Fronto* 2. *ad Amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. *sub init.* Sicut eos qui dicta factaque tua (*in*) administranda provincia maximis laudibus ferunt, lætus ac libens audio; ita si quis quid remurmurat aut deprecatur, multo scrupulosius ausculto.

RĒMUS, i, m. 2. κώπη, ἐρετμός, instrumentum, quo naves aguntur: ab altera voce Græca allata (It. *remo;* Fr. *rame;* Hisp. *remo;* Germ. *d. Ruder;* Angl. *an oar*).

I.) Proprie. — a) Universim. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 153. Intermisso impetu pulsuque remorum

Id. fragm. apud *Non. p.* 162. 30. *Merc.* Maris unda, quum est pulsa remis, purpurascit. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Remis contendit, ut eam partem insulæ caperet. *Auct. B. Hisp.* 40, *sub fin.* Ancoris sublatis, pelagus remis petere. *a forza di remi.* Sic *Horat.* 1. *Od.* 37. 16. ab Italia volantem Remis adurgens. *Val. Flacc.* 2. 77. Certatim remis agitur mare. *Ovid.* 11. *Met.* 461. reducunt Ordinibus geminis ad fortia pectora remos. *Id.* 3. *ibid.* 662. remorum in verbere perstant. *et Heroid.* 3. 65. canescunt æquora remis. *Id.* 4. *Trist.* 5. 19. remis ad opem luctare ferendam. *Id.* 1. *Met.* 294. ducere remos. *Virg.* 4. *Æn.* 594. impellere. *Id.* 8. *ibid.* 689. totum spumare reductis Convulsum remis æquor. *Id.* 3. *ibid.* 207. et 560. insurgere remis. *et* 10. *ibid.* 294. validis incumbere. *Id.* 8. *ibid.* 58. amnem adversum superare. *et* 6. *ibid.* 320. vada verrere. et 3. *ibid.* 668. vertere æquora. *Ovid.* 3. *Met.* 657. impellere properantibus. *Virg.* 2. *G.* 503. sollicitare freta. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 5. movere. *Id.* 5. *Fast.* 644. torquere aquas. *Val. Flacc.* 1. 471. pontum subigere. *Virg.* 10. *Æn.* 195. navim promovere. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. *a med.* incitare. *Cic.* 4. *Tusc.* 5. 9. propellere. *V.* II. 3. *Sil. It.* 1. 568. impellere. *Val. Flacc.* 2. 429. Jam remi tenuere ratem. *Ovid. Heroid.* 13. 101. Remo et velo movere carinam. — *b) Detergere remos. V.* DETERGEO. — *c) Inhibere remos. V.* INHIBEO. — *d)* De remorum ordinibus in navi. *V* DECEMREMIS. — *e)* Dare homines ad remum *Liv.* 34. 6. *a med.*; et *Sueton. Aug.* 16. remiges facere. *Val. Max.* 9. 15. *n.* 3. Remo publicæ triremis affixus est *fu condannato al remo.* — *f)* Ad illud *Virg.* 6. *Æn.* 233. de *Miseno.* suaque arma viro, remumque tubamque: *Servius* adscribit, *remum* dici etiam lorum, quod continet tubam; sed non probat: quum potius interpretandum sit de remo et tuba sepulcro impositis. *V. Heynii* adnotat. ad *loc. cit.*

II.) Figurate. ¶ 1 *Velis remisque et remis velisque* et *remis ventisque*, omni contentione, omni vi. *Cic.* 3. *Tusc.* 11. 25.; *Virg.* 3. *Æn.* 563.; et *Sil. It.* 1. 568. ¶ 2. *Remi corporis*, brachia et pedes, quibus homines natant. *Ovid. Heroid.* 18. 215. — *Remi* de alis avium, quemadmodum alæ de remis navium. *Id.* 5. *Met.* 558. super fluctus alarum insistere remis. *Sil. It.* 12. 97. *de Icaro.* Ipsumque solutis Pennarum remis. *V.* REMIGIUM et ALA. ¶ 3. Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 5. 9. Quærebam, utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paullulum dialecticorum remis propellerem.

REMUTABILIS, e, adject. iterum mutabilis. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 53.

RĔMŪTO, as, are, a. 1. rursus muto. *Tac. Dial. de Orat.* 19. Cum conditione temporum formam quoque orationis esse remutandam. *Pleræque tamen opt. edit. habent* mutandam.

REN. *V.* RENES.

RĒNĀLIS, e, adject. ad renes pertinens, ut Renalis passio. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. *init. V.* NEPHRITIS. *Id. ibid. extr.* Renalibus vitiis laborare. — *Renale, is,* n. 2. absolute. *V.* LUMBARE.

RĔNANCĪOR, iris, dep. 3. rursus prehendo. *Paul. Diac. p.* 276. 16. *Müll.* Renancitur significat reprehenderit. *Cf. Festus p.* 277. 29. *Müll.*

RĔNARRO, as, are, a. 1. *narrare di nuovo,* ἐπάνειμι, rursus narro, narrando repeto. *Virg.* 3. *Æn.* 716. Sic pater Æneas intentis omnibus unus Fata renarraba. Divum. *Stat.* 12. *Theb.* 390. Mutuaque exorsæ Thebas Argosque renarrant. *Ovid.* 5. *Met.* 316. Utque fit, a facto propiore priora renarrant. — Pro simplici narro. *Id. ibid.* 635. citius, quam nunc tibi facta renarro, In laticem mutor.

RĔNASCOR, nascĕris, nātus sum, nasci, dep. 3. (re et nascor). Particip. *Renascens* II.; *Renatus* I. et II. — Renascor est idem ac denuo nascor, iterum exorior, renovor, ἀναγεννάομαι (It. *rinascere, risorgere*; Fr. *renaitre, se reproduire, repousser*; Hisp. *renacer, reproducirse*; Germ. *wieder geboren werden, wieder entstehen, wieder wachsen*; Angl. *to rise or be born again, spring or come up again, grow again, be renewed*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 542. De niloque renata forent quæcumque videmus. Adde *eumd. ibid.* 752. *Cic.* 4. *Att.* 2. *a med.* Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci; sed, ut spero, jam renascuntur. *Ovid.* 15. *Met.* 402. Corpore de patrio parvum phœnica renasci. *Horat. Epod.* 15. 21. Nec te Pythagoræ fallant arcana renati. *Liv.* 26. 31. *extr. loquitur Scipio:* Brevi faciam, ut, quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque et lineamenta corporis; ita ingenii, fidei virtutisque exemplum expressam ad effigiem reddam, ut revixisse aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (42). Phœnix moritur et renascitur ex seipsa. *Virg.* 6. *Æn.* 600. nec fibris requies datur ulla renatis. *Juvenal.* 14. 10. quum septimus annus Transierit, puero nondum omni dente renato. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (168). Renati dentes. *Ammian.* 22. 15. 13. Aliquoties jactæ sementes cum augmento fere septuagesimo renascuntur. *Apul.* 11. *Met.* Ut renatus quodam modo (*Lucius ex asino in hominem reversus*) statim sacrorum obsequio desponderetur.

II.) Figurate. *Liv.* 6. 1. Velut a stirpibus lætius feraciusque renatæ urbis. *Martial.* 6. 4. Tot nascentia templa, tot renata. *Ovid.* 15. *Met.* 273. Sic ubi terreno Lycus (*fluvius*) est epotus hiatu, Exsistit procul hinc alioque renascitur ore. — *Cic.* 1. *Tusc.* 23. Principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit. *Id.* 1. *ad Brut.* 4. Agendum est -, ne semper primi cujusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo pejus. *Id.* 11. *Fam.* 14.; et *Liv.* 9. 12. Renatum bellum. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 59. Renatum ex integro bellum. *Horat. Art. P.* 70. Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. *Id.* 3. *Od.* 3. 61. Trojæ renascens fortuna. — *Renatus* translate qui per mysteria Deo proximus est factus. *rigenerato. Inscript.* apud *Gruter.* 28. 2., quæ est apud *Orell.* 2353. TAVROBOLIO CRIOBOLIOQVE IN AETERNVM RENATVS. *Alia* apud *Henzen.* 6041. QVI ET ARCANIS PERFVSIONIBVS IN AETERNVM RENATVS TAVROBOLIVM CRIOBOLIVMQVE FECIT. — *V.* et RENATO.

RĔNĀTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĔNĀTO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. iterum nato, vel ascendo, *rinuotare. Jornand. Get.* 16. Vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit, metalli pondere gravatum, et longe post emergit: quod certe non erat usitatum, aut vacuum sorberi, aut certe semel voratum, undis respuentibus renatare. *Augustin.* 18. *Civ. D.* 17. Post novem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. *h. e.* rursus natato. *Ita leg. nonnulli; plerique tamen* renato, *ut sit particip. a* reno, *as.*

RĔNĀTUS, a, um. *V.* RENASCOR et RENATO.

RĔNĀVĬGO, as, are, 1. Particip. *Renavigans* sub *a.* — Renavigo, It. *rinavigare, ritornare navigando,* ἀναπλέω, rursus navigo, navigando revertor. — *a)* Neutrorum more. *Cic.* 14. *Att.* 16. Post in hæc Puteolana et Cumana regna renavigare. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Cujus princeps Astura Antium renavigans. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (106). Renavigare ex India. — *b)* Passive. *Seneca Herc. Fur.* 715. Acheron invius renavigari.

RENECO, as, are, a. 1. iterum neco. Vox e Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 122.

RĔNECTO, is, ere, a. 3. (re et necto) *connettere*, connecto, innecto. *Avien. Arat.* 474. Cornipedis simul hunc lux indiscreta renectit.

RĔNEO, es, ere, a. 2. (re et neo) *filare di nuovo,* ἀνακλώθω, rursus neo. *Ovid.* 6. *Fast.* 757. At Clymenus Clothoque dolent: hæc fila reneri etc. *Alii leg.* teneri. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 171. Parcarum fila renebo, Extendamque colos. *Alii leg.* tenebo. *Albinov.* 1. 444. Stant rata non ulla fila renenda manu. *Alii leg.* tenenda. Sed hæ variæ lectiones, quo facilior est *r* in *t* mutatio, eo minus probantur. Apud *Albinov. loc. cit.* fila renenda videntur significare fila seu neta dissolvenda, a *reneo* dissolvo.

RENERVO, as, are, a. 1. nervos iterum addo. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 108.

RĒNES, num, m. plur. 3. De Genit. plur. et Recto sing. *V.* sub 1. *b.* et *c.* — Ratione habita etymi, vox conjungenda videtur cum Gr. φρήν, φρενός, φρένες. — ¶ 1. Renes sunt viscera duo utrinque lumbis inhærentia, sub imis costis, a parte earum rotunda, ab altera vero resima, quæ et venosa sunt et tunicis superconteguntur, ut ait *Cels.* 4. 1. et urinæ secernendæ deserviunt, νεφροί (It. *reni, arnioni e argnoni*; Fr. *les reins*; Hisp. *los riñones*; Germ. *d. Nieren*; Angl. *the reins, Kidneys*). — *a)* Universim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 81. (206). Renes habent omnia quadrupedum, quæ animal generant: ova parientium testudo sola. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. Ab eo cibo quum est secreta bilis, iique humores, qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt. *Plaut. Curc.* 2. 1. 21. Lien necat, renes dolent. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. Laborare ex renibus. *avere mal di reni.* Hujus morbi signa recenset *Cels.* 2. 7., curationem tradit 4. 10. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 163. Quod latus aut renes morbo tententur acuto. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 6. 28. — In illo *Auson. epigr.* 13. Utere rene tuo. *alii leg.* vere. — *b)* In Genit. plur. habet *renum* et *renium.* Illud habet *Plin.* multis in locis et videtur usitatius: hoc *Id.* 21. *Hist. nat.* 29. 103. (175). et 28. *ibid.* 8. 27. (98). bis (probante *Hard.* ex MSS.); et *Scribon. Compos.* 125. *et* 143. — *c)* Rectus singularis est *ren,* pro quo et *rien* dixere, ut *Charis.* 1. *p.* 24. *Putsch.* et *Priscian.* 5. *p.* 645. docent. *Festus p.* 277. 17. *Müll.* Rienes quos nunc vocamus, antiqui nefrundines appellabant, quia Græci νεφροὺς eos vocant. Plautus in Satyrione: Male tibi evenisse video: glaber erat, tamquam rien. *Petron. Satyr.* 35. Structor imposuerat cibum: super Arietem, cicer arietinum: super Taurum, bubulæ frustum: super Geminos, testiculos et rienes. *Gloss. Philox.* Rien, νεφρός. Rienosus, νεφριτικός. *V. Venant. loc. cit.* in CINCTORIUM. ¶ 2. De lumbis *Nemesian. Cyneg.* 112. canis sit cruribus altis, Renibus ampla satis validis, diductaque costas.

RĒNĬCŪLUS, i, m. 2. parvus ren. *Marcell. Empir.* 26. *sub fin.* Reniculorum dolor. *V.* RENUNCULUS.

RĔNĪDENTĬA, æ, f. 1. *riso,* actus renidendi, h. e. ridendi. *Tertull. Anim.* 49. Infantum renidentias animadvertere.

RĔNĪDĔO, es, ere, n. 2. Præteritum est in *Gloss. Philox.* Renidult, ἐμειδίασεν. — Particip. *Renidens* in omnib. paragr. — *Renideo* a re et obsoleto *nideo*, quod fortasse eamdem ac *niteo* habet originem. Est autem vox fere poetica; idem ac niteo, resplendeo, φαιδρύνομαι (It. *risplendere*; Fr. *reluire, luire, briller, rayonner*; Hisp. *relucir, relumbrar, resplandecer, brillar*, Germ. *wieder glänzen, - strahlen, - schimmern, erglänzen*; Angl. *to shine, be bright or resplendent, glitter, glister*).

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Od.* 18. 1. Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar. *et ibid.* 5. 19. Ut pura nocturno renidet Luna mari. *Stat.* 10. *Theb.* 660. et sparsa orichalca renident. *Lucret.* 2. 27. Nec domus argento fulget auroque renidet. *Virg.* 2. *G.* 282. late fluctuat omnis Ære renidenti tellus. *h. e.* armis nitentibus. Similem locum habet *Lucret.* 2. 327. Rursus *Horat. Epod.* 2. 65. Positosque vernas, ditis examen domus, Circum renidentes Lares. *h. e.* in medio atrio focus, circa hunc Lares, circa hos servi. *Petron. Satyr.* 119. *v.* 28. Citrea mensa, greges servorum ostrumque renidens. Huc pertinet etiam illud *Calpurn.* 2. *Ecl.* 81. Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias.

h. e. Chias ficus cortice scisso et hianti, ut quasi renidere videantur: quæ est nota ficus maturæ. *Alii leg.* renitenti: *sed obstat quantitas.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 501. jam sola renidet In Stilichone salus. *h. e.* spes salutis affulget. ¶ 2. Speciatim est lætitia fulgere, lætitia efferri, *raggiare di gioja nel volto.* — a) Absolute. *Ovid.* 2. *Art. am.* 49. Tractabat ceramque puer (*Icarus*) pennasque renidens, Nescius hæc humeris arma parata suis. *Stat.* 4. *Theb.* 786. At puer (*Juppiter*), in gremio vernæ telluris et alto Gramine, nunc faciles sternit procursibus herbas In vultum nitens; caram modo lactis egeno Nutricem clangore ciens iterumque renidens etc. Rursus *Ovid.* 8. *Met.* 195. puer Icarus una Stabat: et, ignarus sua se tractare pericla, Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura, Captabat plumas etc. *Val. Flacc.* 4. 234. Illum Amycus *etc.* Ore renidenti lustrans obit et fremit ausum. *Quintil.* 12. 10. 28. Nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio. — b) Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 6. 11. et adjecisse prædam Torquibus exiguis renidet. ¶ 3. Quia, quæ nitent, lætitiam quamdam præ se ferunt, et hilaritatem conciunt, ideo *renidere* ridere etiam significat vel risum ore præferre, *ridere, sogghignare, far bocca da ridere,* μειδιᾶν. *Catull.* 39. 1. Egnatius, quod candidos habet dentes, Renidet usquequaque. *et ibid.* 15. renidere usquequaque te nollem. Nam risu inepto res ineptior nulla est. *Ovid.* 8 *Met.* 197. Ore renidenti. Sic *Val. Flacc.* 4. 359. renidenti cohibens suspiria vultu. *Seneca Hippol.* 277. *de Cupidine.* Lascivus puer et renidens. Adde *Liv.* 35. 49. — De eo, qui cum stomacho et ficte ridet. *Tac.* 4. *Ann.* 60. Tiberius torvus aut vultu falsum renidens. *Ammian.* 14. 9. 6. Qui ita evisceratus, ut cruciatibus membra deessent, torvum renidens etc. — *NB. Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (88). Candore circuli in dejectu renitente. *Pleriq. omn. leg.* ridente *aut* renidente, quod postremum a *Sillig.* probatur.

RĔNĪDESCO, is, ere, n. 3. ἀναστίλβω. incipio renidere. *Lucret.* 2. 327. totaque circum Ære renidescit tellus.

RĔNĪSUS, us. *V.* RENIXUS.

RĔNĪTENTĬA, æ, f. 1. renitendi actus, *renitenza. Augustin. Serm.* 277. 7. In nullo lassitudo, in nullo ex alia parte renitentia et reluctatio.

RĔNĪTĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (re *et* niteo). Particip. *Renitens.* — Reniteo est idem atque iterum niteo vel simpliciter niteo. *Priscian. Perieg.* 258. Purior et soli renitet nudatus ab undis. *Ambros. de Fide* 2. *præf.* Bona ergo fides cum pulcro operum renitet ornatu. *Id. Ep.* 5. 31. Pastorales casas auro degeneri renitentes.

RENITESCO, is, ere, n. 3. iterum nitesco. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 183.

RĔNĪTOR, niteris, nisus *vel* nixus sum, niti, dep. 3. (re *et* nitor). Particip. *Renitens* II. — Renitor est idem ac contra nitor, obsisto, resisto, *sforzarsi all'incontro, fare resistenza,* ἀντερείδω.

I.) Proprie. *Cels.* 5. 28. *n.* 12. Si molle est, quod ultimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est; si magis id renititur, ad os ventum est. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). Quoniam alter motus alteri renititur. *Id.* 16. *ibid.* 42. 81. (222). Robur et olea curvantur ceduntque ponderi: abies, larix renituntur, nec temere rumpuntur.

II.) Translate. *Liv.* 5. 49. Auferri aurum de medio et Gallos summoveri jubet. Quum illi renitentes pactos dicerent sese, negat etc. *Curt.* 6. 3. 5. Ego vero, milites, ad penates meos, ad parentem sororesque et ceteros cives, vel renitentibus vobis, erumperem. *Mützell. ita leg.; alii* retinentibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (118). Cervi vestigant cavernas (*serpentium*), nariumque spiritu extrahunt renitentes. *h. e.* invitos. *Spartian. Hadrian.* 5. Quum esset admonitus, ut et Bælius Macer præfectus urbis, si renitetur ejus imperio, necaretur etc. Adde *Capitolin. Anton. Phil.* 6.; et *Ammian.* 31. 12. 15.

RĔNIXUS *vel* Renisus, us, m. 4. *resistenza,* actus renitendi. *Cels.* 5. 28. *n.* 12. Cartilago ubi subsit, ipsa sedes docet: perventumque esse ad eam, ex renisu patet. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 16. Infantia sine ullo renisu subjacet carni.

RĔNO, as, āvi, ātum, are, 1. (re *et* no). Particip. *Renatus* sub *b.* — Reno — a) Neutrorum more, *It. ritornare nuotando,* ἀνανήχομαι, iterum no, vel natando redeo. *Albinov.* 1. 432. Nullaque per Stygias umbra renavit aquas. *Horat. Epod.* 16. 25. simul imis saxa renarint Vadis levata. *pro* renaverint, *galleggeranno,* supernataverint. — b) Act. Particip. *Renatus V.* in RENATO in fin.

RĒNO, ōnis. *V.* RHENO.

RĔNŌDĀTUS, a, um. *V.* RENODO.

RĔNŌDIS, e, adject. in nodum convolutus. *Capitolin. Albin.* 13. Fuit statura procerus, capillo renodi et crispo.

RĔNŌDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* nodus). Particip. *Renodans* et *Renodatus.* — Renodo, It. *rannodare,* ἀναδέω, retro in nodum constringo. *Horat. Epod.* 11. 28. Aut teretis pueri longam renodantis comam. *Val. Flacc.* 5. 381. Teque renodatam pharetris ac pace fruentem Ad sua Caucaseæ producunt flumina Nymphæ. *h. e.* capillis retro in nodum constrictis.

RENOMEN, inis, n. 3. *rinomanza,* nomen illustre. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 35.

RĒNORMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RĒNORMO, as, ātum, are, a. 1. (re *et* norma). Particip. *Renormatus.* — Renormo est idem atque iterum ad normam exigo. *Var. auct. de limit. p.* 287. *Goes.* Sed si ultra agrum eum produxeris extra pedes XX. ad hunc unum acutum renormabis pedes XXI., et signum ad perpendiculum pones: deinde in aliis pedibus insequentibus CXX. renormabis similiter pedes XXII., et signum pones. Sic *Renormatus* est iterum ad normam redactus et colonis adtributus. *Frontin. de colon. p.* 104. *Goes.* Ager ejus (*municipii*) limitibus Gracchanis antea fuerat assignatus, postea jussu Cæsaris Augusti limitibus nominis ejus est renormatus. Adde *eumd. ibid. p.* 137.

RĒNOSCO, is, ere, a. 3. agnosco, *riconoscere. Paulin. Nolan. carm.* 15. 342. Ad primos pavefacta sonos vix nota renoscit Alloquia.

RĒNŌSUS, a, um, adject. nephreticus. *Gloss. Cyrill.* Νεφρετικός, renosus. *Gloss. Philox.* Renosus (*sic*), νεφρετικός.

RĔNŎVĀMEN, inis, n. 3. idem ac renovatio. *Ovid.* 8. *Met.* 729. et in hoc renovamine mansit.

RĔNŎVĀTĬO, ōnis, f. 3. *rinnovazione,* ἀνανέωσις, actus renovandi, innovandi, innovatio, instauratio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. A quo rursum renovatio mundi fieret. *Id.* 11. *Fam.* 18. Renovatio timoris. *Id. Brut.* 71. 250. doctrinæ. ¶ 2. Speciatim. *Cic.* 6. *Att.* 1. Confeceram, ut Salaminii solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. *h. e.* cum anatocismo, seu renovatione usurarum in singulos annos non solutarum. *V.* RENOVO et ANATOCISMUS.

II.) Translate. *Liv.* 5. 52. Modo quæ res, post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum auspiciorumque renovatio, adfectæ Vejenti bello reipublicæ remedio fuit? *h. e.* auspiciorum repetitio vel iteratio; nam *ibid.* dixit *c.* 17. Unam expiationem eorum esse, ut tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, et interregnum iniretur.

RĔNŎVĀTĪVUS, a, um, adject. qui renovat. Renovativum fulgur vocatur, quum ex aliquo fulgure functio (*al.* significatio) fieri cœpit, si factum est simile fulgur, quod idem significet. *Festus p.* 289. 18. *Müll.*

RĔNŎVĀTOR, ōris, m. 3. *rinnovatore, ristoratore,* qui instaurat et renovat. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 101. *n.* 232. INSTITVTORI NOVORVM AC RENOVATORI OPERVM PVBLICORVM.

RĔNŎVĀTUS, a, um, particip. *V.* RENOVO.

RĔNŎVELLO, as, are, a. 1. *rinnovellare,* ἀνανεόω, rursum novellum facio. *Colum. Arbor.* 6. Factis sulcis vinea optime sternitur atque ita renovellatur.

RĔNŎVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* novo). Particip. *Renovans, Renovaturus* et *Renovandus* I. 1.; *Renovatus* in omnib. paragr. — Renovo est idem ac novum facio, repeto, instauro, redintegro, innovo (*V.* REDINTEGRO), ἀνανεόω (It. *rinnovare, ripigliare, rifare;* Fr. *renouveler, réparer, rétablir;* Hisp. *hacer como de nuevo una cosa, renovar, reparar, restablecer;* Germ. *wiedererneuern, widerherstellen;* Angl. *to make or build anew, remake, renew*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Vaporibus altæ renovatæque stellæ refundunt etc. *Sil. It.* 7. 639. Qualis ubi Oceani renovatus Lucifer unda Laudatur Veneri. Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 61. Virtutis templum a M. Marcello renovatum. *Id.* 2. *leg. Agr.* 13. 34. Colonias deducere novas, renovare veteres permittitur. *Seneca* 4. *Benef.* 25. Renovare venas fontium infuso per occulta nutrimento. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 5. A trunco surgentes pampinos submovere oportebit, nisi ad renovandam vitem unus atque alter servandus est. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 51. Hanc renovaturus citharam Deus ipse magister. Et absolute *Lucret.* 6. 1074. Purpureusque colos conchyli jungitur uno Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat usquam; Non si Neptuni fluctu renovare operam des. — Sæpissime dicitur de agro et similibus. *Ovid.* 1. *Met.* 110. Nec renovatus ager gravidis canebat aristis. *Id.* 4. *Trist.* 6. 13. Hoc tenuat dentem terram renovantis aratri. *et* 5. *ibid.* 12. 23. Fertilis, assiduo si non renovetur aratro, Nil nisi cum spinis gramen habebit ager. *Tibull.* 3. 3. 5. Aut ut multa mei renovarent jugera tauri, Et magnas messes terra benigna daret. *Martial.* 2. 75. rostris quæ (*tuba*) renovabat humum. — Huc pertinent et illa, in quibus *renovare* est mutare. *Petron. Satyr.* 117. *a med.* Imperamus Eumolpo, ut tabulas testamenti omnibus renovet, *muti.* et *Propert.* 3. 10. 35. Et veteres arcus leto renovasse procorum. — Item illud *Quintil. declam.* 1. 12. Noverca miserum dextera sanguinem tulit et manum subinde renovavit. *h. e.* rursus tinxit sanguine. ¶ 2. Speciatim de fenore. *Cic.* 6. *Att.* 3. Centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. *V.* RENOVATIO I. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 3. *B. G.* 20. *extr.* Nostros disjectos adorti, prœlium renovaverunt. *et ibid.* 2. Renovare bellum. *Cic. Prov. cons.* 8. 19. Instauratæ belli reliquiæ ac renovatæ. *Id.* 12. *Fam.* 28. Renovare societatem. *Liv.* 1. 14. fœdus. *Id.* 34. 31. amicitiam ac societatem. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. cursum. *Ovid.* 2. *Trist.* 209. vulnera. *Tac.* 2. *Ann.* 58. dextras. *V.* DEXTERA. *Id.* 4. *Hist.* 36. veterem iram. *et* 2. *ibid.* 30. seditionem. *Ovid.* 14. *Met.* 465. luctum. *Id.* 11. *ibid.* 472. lacrimas. *Virg.* 2. *Æn.* 3. dolorem. *Curt.* 3. 12. 7. iram doloremque. *Id.* 4. 10. 21. mœrorem. *Plin. Paneg.* 61. *ad fin.* Renovare gaudia, redintegrare lætitiam. *Frontin. Aquæd.* 109. beneficium. *h. e.* de novo tribuere. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 7. studia philosophiæ. *ripigliare.* (Sic *Auct B. G.* 8. 1. consilia belli). *Id.* 1. (*post.*) *Acad.* 3. 11. Hæc inclusa habebam et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. *Id. ad Quirit.* 3. 8. Frater unus erat, qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret. *rinfrescasse.* Adde *Liv.* 22. 61. *sub fin.* Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 17. 57. Bona præterita, grata recordatione renovata, delectant. *Id. Mur.* 7. 16. Memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovare. *Sall. Jug.* 10. In Hispania nomen familiæ renovatum est. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 68. Hæc institui, atque adeo institutum referri ac renovari, moleste ferunt. *Id. Dejot.* 3. 8. Renovare vetus hospitium. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. honores. *Fam.* 18. commendatio [illegible]

10. 21. Quorum sententia illa eadem (*tensæ, curricula* etc.) renovata atque instaurata celebrantur. *Id.* 2. *Verr.* 4. 11. Scelus suum illud pristinum renovavit et instauravit quæstorium. *Virg.* 2. *Æn.* 750. Stat casus renovare omnes Omnemque reverti Per Trojam, et rursus caput objectare periclis. *Liv.* 28. 35. Quod (*robur*) plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventæ faciebat. *Ovid.* 7. *Met.* 215. Nunc opus est succis, per quos renovata senectus In florem redeat. *Tibull.* 4. 1. 113. Centum fecundos Titan renovaverit annos. *Ovid.* 9. *Met.* 423. Venerem quoque cura futuri Tangit et Anchisæ renovare paciscitur annos. — Et seq. part. *ut*, *Liv.* 3. 55. Ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, (cujus rei prope jam memoria aboleverat) relatis quibusdam ex magno intervallo ceremoniis, renovarunt, *subaudi* id. — In oratione ponitur pro repetere, rursus dicere, *ripetere, ridire*. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 10. 24. Hic quoniam video, vos hominis dignitate et contumelia legis esse commotos, renovabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, libertatem funditus tolli. *Id.* 2. *Herenn.* 30. 47. Enumeratio est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter; ut renovetur, non redintegretur, oratio. Cf. *eumd.* 1. *Invent.* 52. 100. ¶ 2. Speciatim. — *a*) *Renovare animum*, recreare, refocillare, reficere, *sollevare, ricreare*. *Cic.* 2. *Invent.* 15. 49. Et auditoris animus aut renovatur ad ea, quæ restant, aut omnibus jam dictis, exsuscitatur. *Liv.* 21. 21. Per totum tempus hiemis quies renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. *Quintil.* 6. 3. 1. Risus animum ab intentione rerum frequenter avertit et aliquando etiam reficit et a satietate vel a fatigatione renovat. *Auct. B. Afr.* 18. Suis ex terrore firmatis, rursusque renovatis animis etc. *ripreso il coraggio*. Huc pertinet illud *Quintil.* 11. 3. 44. Ars porro variandi (*vocem*) quum gratiam præbet ac renovat aures, tum etc. *h. e.* recreat et intentiores reddit ad audiendum. *et* 10. 5. 14. Alitur enim atque enitescit facundia et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. *scil.* domi declamando. *et* 1. 3. 9. Itaque ad discendum virium plus afferunt renovati ac recentes. *scil.* post remissionem. — *b*) *Renovare se*, se reficere, reparare vires suas, denuo se instruere et munire. *Cic. Mur.* 15. 33. Mithridates expulsus regno, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum adjuncto, novis opibus copiisque renovarit.

RĔNŪBO, is, ere, n. 3. *rimaritarsi*, iterum nubo. *Tertull.* 1. *ad Uxor.* 7. Etsi non delinquas renubendo.

RĔNŪDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔNŪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* nudo). Particip. *Renudatus*. — Renudo est idem ac spolio, detego, *spogliare, scoprire*. *Apul.* 8. *Met.* Brachia humero tenus renudata. *et ibid.* Asinus cunctis stramentis renudatus. *Arnob.* 2. 77. Tectum, parietem, januas partesque alias operis renudare, dejicere, affligere. *Capell.* 1. *p.* 15. Septem radiorum coronam renudavit. *h. e.* detexit ostenditque.

RĔNŪDUS, a, um, adject. retro nudus. *Tertull. Virg. Veland.* 17. A fronte quidem protectæ, qua autem proprie caput est, renudæ. *Alii leg.* nudæ.

RĔNŬLUS, i, m. 2. deminut. renis. *Theod. Priscian.* 4. 2. *a med.* Ipsa vesica habet super se duos renulos nervosos, non ad suscipiendam urinam, sed ad respirationem vel vaporationem. *reni succenturiati*.

RĔNŬMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. iterata numeratio. *Cassiod. Instit. lib. litt.* 2. Conclusio, quæ peroratio dicitur, duplicem habet rationem; ponitur enim aut in rebus aut in affectibus rerum repetitio et congregatio, quæ Græce ἀνακεφαλαίωσις, et quibusdam Latinorum renumeratio. *V.* RECAPITULATIO.

RĔNŬMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* numero) est iterum numero, vel simpliciter numero, enumero.

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. Millia sagittarum circiter triginta in castellum conjecta Cæsari renumeraverunt. *Sunt qui leg.* renuntiaverunt, *male*.

II.) Figurate est idem ac reddo, quod ante mihi numeratum fuerat, ut aurum, dotem, *rendere*, ἐπαναριθμέω. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 52. Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 12. Nam hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens. *Apul. de Mag.* Potes, ne sis beneficio obstrictus, omne, ut acceperas, renumerare. *Inscript.* apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 6. *p.* 241. *ed. Mediol.* VT TVM OMNIS SVMMA MVNICIPIBVS TVSCVLANIS CONFESTIM RENVMERARETVR.

RĔNUNCĬĀTĬO *vel* Renuntiatio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus renunciandi, editio, enunciatio, relatio, nunciatio, *relazione, pubblicazione*, ἀπαγγελία. *Cic.* 3. *Verr.* 34. 88. et 5. *ibid.* 39. 88. Cæsio renunciat, se dedisse. Cognoscite renunciationem ex litteris. *Id. Planc.* 6. 14. Renunciatio suffragiorum. *Id. Mur.* 8. 18. consulum aut prætorum. *h. e.* quum post lata suffragia renunciantur nomina eorum, qui creati sunt. Sic *Plin. Paneg.* 77. Tantum ex renunciatione eorum (*consulum*) voluptatis, quantum prius ex destinatione capiebat. *Ulp. Dig.* 11. 6. 1. Interest nostra, ne fallamur in modi renunciatione, si forte vel de finibus contentio sit, vel emptor scire velit vel venditor, cujus modi ager væneat. *h. e.* quum mensor renunciat, cujus mensuræ ager sit. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 5. *n.* 16. SECVNDVM RENVNTIATIONEM MENSORVM PRO AREAE PED. S. N. C. *h. e.* pedatura sestertiorum numum centum. ¶ 2. Item *Ulp. Dig.* 17. 2. 63. *extr.* Voluntate distrahitur societas, renuntiatione, *h. e.* renunciando et profitendo, se nolle amplius socium esse. *la società sciogliesi per volontà, quando i soci vi rinunziano.* Ad illud *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Postquam mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renunciata est tota conductio: *Pseudo-Ascon.* hæc adscribit: Renunciatio dicitur recusatio ejus rei, quæ in pactum et promissionem venerat.

RĔNUNCĬĀTOR *vel* Renuntiator, ōris, m. 3. *relatore, riportatore*, ἀπαγγελτήρ, qui renunciat, refert, denunciat; relator. *Paul. Dig.* 48. 19. 38. Transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renunciatores, aut vivi exuruntur, aut furca suspenduntur. *Tertull. Anim.* 57. *ad fin.* Renuntiator dispositionis infernæ. *Id. Pall.* 4. *extr.* Reverere habitum, erroris tui renunciatorem.

RĔNUNCĬĀTUS *vel* Renuntiatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔNUNCĬO *vel* Renuntio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* nuncio). Particip. *Renuncians* sub *B.*; *Renunciatus* sub *A.* 1. *a.* et 2; *Renunciaturus* sub *A.* 2.; *Renunciandus* sub *B.* — Renuncio duo diversa significat: scilicet

A) Est idem ac nuncium affero, significo, declaro, refero, expono; et proprie adhibetur quum nuncium alicujus rei exspectanti afferimus, ἀναγγέλλω, ἀπαγγέλλω (It. *riferire, riportare, far sapere, annunziare*; Fr. *rapporter, annoncer, dire, exposer*; Hisp. *anunciar, hacer saber, relatar, referir, contar, exponer*; Germ. *zurückberichten, - melden, - anzeigen, zurückverkündigen, Bericht abstatten*; Angl. *to bring or carry word, back, report, declare, announce, intimate, relate, inform*).

¶ 1. Generatim. — *a*) Active. *Sall. Jug.* 98. *a med.* Marius cum Ligure, promissa ejus cognitum ex præsentibus misit: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem renunciavere. *Plaut. Bacch.* 4. 2. 10. Non it: negato esse ituram: abi et renuncia. *Ter. Andr.* 2. 3. 28. Id ego nunc tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens. *Id. Hecyr.* 3. 5. 58. Deliberet renunciet hodie mihi, velit ne, an non. *Id. Andr.* 3. 2. 19. Quasi non tibi renunciata sint hæc sic fore. *Nepos Hannib.* 12. *ad fin.* Imperavit ei, ut propere sibi renunciaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer quum celeriter, quid esset, renunciasset etc. *Plaut.* *Trin.* 4. 2. 153. Ibo ad illum, renunciabo, ut sciat etc. *Id. Men.* 2. 3. 66. Hunc metuebam, ne meæ uxori renunciaret de palla et prandio. *Sueton. Ner.* 47. Misitque circum amicos, et quia nihil a quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 31. 36. (198). Insula renunciata Alexandro regi adeo dives, ut equos incolæ talentis auri permutarent. — *b*) Passive impersonaliter. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. Postquam mihi renunciatum est de obitu Tulliæ. *Plaut. Men.* 5. 9. 68. Postquam ad nos renunciatum est, te et patrem esse mortuum. ¶ 2. Speciatim in re publica et in jure. *Cic.* 5. *Verr.* 31. 73. Acta et imperia tua domum ad senatum suum renunciaverunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Cujus (*Cæsaris*) orationem legati domum referunt, atque ex auctoritate hæc Cæsari renunciant: intelligere se etc. *et ibid.* 10. Acceptis mandatis Roscius a Cæsare Capuam pervenit, ibique consules Pompejumque invenit: postulata Cæsaris renunciat. *Liv.* 34. 44. Id quum P. Licinius pontifex non esse recte factum collegio primum, deinde ex auctoritate collegii Patribus renunciasset etc. *Id.* 29. 3. Hæc dicta legatis renunciataque in concilium. — Similiter *Cic.* 9. *Phil.* 1. 1.; et *Liv.* 39. 33. Renunciare legationem, *h. e.* quæ in legatione acta sunt, referre. — *Renunciare repudium*, sponsalia aut matrimonium dissolvere. *V.* REPUDIUM. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 53. et *Ter. Phorm.* 4. 3. 72. — Pertinet ad comitia et significat prædicare ejus nomen, cui est magistratus datus. *Cic. Planc.* 6. Renunciare suffragia. Ita *Forcellinus*; ipse locum non inveni. *Id. pro leg. Manil.* 1. 1. Ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum. *Vellej.* 2. 92. 4. Juravit, etiam si factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renunciaturum. *Varro* 3. *R. R.* 17. 1. Cœpti sunt a præcone renuntiari, quem quæque tribus fecerint ædilem. Adde *Liv.* 5. 18. *Plin. Paneg.* 92. Renunciati consules. *Id. ibid.* 63. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Eo modo sacerdos Climachias renunciatus est. — Singulare est illud *Quintil.* 12. 11. 10. Sed hi primum renuncient sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quæ velit. *h. e.* secum cogitent et ipsi se quodammodo doceant.

B) Renunciare *alicui*, contrarium nunciare. *Plaut. Stich.* 4. 1. 18. Jube domi cœnam coqui, atque ad illum renunciari. *h. e.* nunciari, te non ire ad cœnam apud illum, cui promiseras. *Seneca* 1. *Clem.* 9. *circa med.* Renunciari extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, imperavit. *h. e.* nunciari, ne ad se venirent: eorum se consilio in præsens non usurum. — Hinc sæpe ponitur pro recusare, rejicere, *rinunziare*: quasi contrario nuncio irritum facere. *Cic.* 4. *Verr.* 36. 89. Iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renunciat: domo ejus emigrat. *Tac.* 2. *Ann.* 70 Renunciare alicui amicitiam. Sic *Liv.* 36. 3. Num prius societas eis et amicitia renuncianda esset, quam bellum indicendum. *et Paul. Dig.* 17. 2. 65. *ante med.* Qui societatem in tempus coiit, ante tempus eam renunciando, socium a se, non se a socio liberat. *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Renunciata est tota conductio. *Id.* 2. *Att.* 1. *a med.* Quid impudentius publicanis renunciantibus? *h. e* conductioni vectigalium reipubl. stare recusantibus. *et* 1. *Orat.* 53. 230. Renunciare Stoicis. *Quintil.* 10. 7. 1. civilibus officiis. *Sueton. Rhet.* 6. foro. *Id. Galb.* 11. vitæ. *Plin. Paneg.* 59. inertiæ. *Tertull.* 1. *ad Uxor.* 1. nuptiis. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 1. *a med.* Desinamus audire istos, qui Campaniæ renunciavere, quique post hunc casum (*terræmotus*) emigravere.

RĔNUNCĬUS *vel* Renuntius, ii, m. 2. qui iterum nunciat. *Plaut. Trin.* 2. 1. 21. Ducitur familia tota, vestiplicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ, cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii, raptores panis et peni. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 3. 7. 1. Taciti nuncii renunciique corrupti.

RĔNUNCŬLUS, i, m. 2. deminut. renis. *Vulgat. interpr. Levit.* 3. 4. Offerent reticulum jecoris cum renunculis. Eadem voce utitur *Id.*

sæpe alias. *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 124. *retro ed. Ald.* Hæc potio per triduum sumpta - et vesicam et renunculos et intestina universis sordibus purgat.

RĔNUNTĬĀTĬO, RĔNUNTĬĀTOR et similia. *V.* RENUNCIĀTĬO, RENUNCIĀTOR etc.

RĔNŬO, nŭis, nŭi, nŭere, a. 3. (re *et* nuo, quod in compositis locum habet). Particip. *Renuens* sub *A.* — Renuo

A) Neutrorum more est idem ac nutu significo mihi non placere, renuto, abnuo, *far cenno di no*, ἀνανεύω. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 49. renuit negitatque Sabellus. *Cic. Rabir. Post.* 13. 36. Superciliis renuentes huic decem millium crimini. *Ovid. Heroid.* 17. 89. Credere me tamen hoc oculo renuente negavi. *Id.* 8. *Met.* 325.; et *Martial.* 2. 11. Facere aliquid renuente Deo. *h. e.* non probante, invito. Adde *Tibull.* 1. 5. 20. Sic *Sil. It.* 10. 47. Quid vanos, inquit, Latio spes unica consul, Incassumque moves, fato renuente, furores? *Tac.* 15. *Ann.* 58. Idem (Fenius) Sobrio Flavio adsistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium cædemque patraret, renuit infregitque impetum jam manum ad capulum referentis.

B) Active est recusare, refugere, *rifiutare. Cic. Cæl.* 11. 27. Qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumpserit *Horat.* 2. *Ep.* 2. 63. renuis quod tu, jubet alter. *Sabin.* 1. 27. Nec laudem Danai tanto renuere labori. *negarono.*

RĔNŪTO, as, are, n. 1. frequentat. a *renuo. Lucret.* 4. 599. vox per flexa foramina rerum Incolumis transire potest, simulacra renutant. *h. e.* transire non possunt, recusant, renituntur, nequeunt. *Id.* 3. 350. si quis, corpus sentire, renutat. *h. e.* non admittit, negat. *Alii et ipse* Lachmann. *leg.* refutat. *Prudent. Hamartig.* 774. Ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat; Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas.

RĔNŪTRĬO, is, ire, a. 4. rursus nutrio. *Paulin. Nolan. Ep.* 23. 9. Quem ex rusticanis receptum domi renutrimus.

RĔNŪTUS, us, m. 4. ἀνάνευσις, actus renuendi. *Plin.* 1. *Ep.* 7. Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum. *Nutu*, idest assensu, dum promitto non agere adversus Gallum: *renutu*, dum nolo adesse Gallo adversus Bæticos, quem tu me defendere in judicio rogas. Hic vero alluditur ad illud *Homeri Iliad. l.* 16. *v.* 250. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.

REONERO, as, are, a. 1. iterum onero. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 131.

RĔOR, rēris, rătus sum, rēri, dep. 2. Particip. *Ratus.* — Reor est idem ac computo; atque hinc puto, opinor, existimo, censeo, arbitror, νομίζω, οἴμαι, ἡγέομαι (It. *stimare, credere, pensare*; Fr. *croire, penser, être d'avis*; Hisp. *creer, pensar, estimar, reputar*; Germ. *rechnen, berechnen, daher glauben, meinen*; Angl. *to suppose, judge, think, imagine, deem believe*). *Quintil.* 8. 3. 26. dicit, *reor* esse verbum horridum, fortasse ob repetitionem caninæ litteræ. *Cic.* 3. *Orat.* 38. 153. docet esse poeticum, sed tamen ex his unum, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio sæpe videri solet. — Non est autem in omnibus æque modis, temporibus ac personis usitatum: et usurpatur aut cum Infinito, aut absolute. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 69. Non equidem insector, delendave carmina Livi Esse reor. *Petron. Satyr.* 122. *a med.* Ut reor, haud impune. *Propert.* 3. 2. 38. Ut reor a facie, Calliopea fuit. *Virg.* 12. *Æn.* 188. Ut potius reor. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. Eorum autem, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur. Cur? Nam, reor, non ullis, si vita longior daretur, posset esse jucundior. *Virg.* 6. *Æn.* 96. via prima salutis, Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 9. Rerin' ter in anno tu has tonsitari? *h. e.* reris ne? *Virg.* 7. *Æn.* 437. Non, ut rere, meas effugit nuncius aures. *Stat.* 11. *Theb.* 59. nec se tanta in certamina retur Sufficere. *Plaut. Asin. in fin.*; et *Cic.* 2. *Off.* 9. 32. Remur impetrari posse. *Arnob.* 4. 27. Omnis superorum gens, quam esse vos remini. *Plaut. Amph.* 3. 3. 20. Qui me Amphitruonem rentur esse. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 82. Quem natura rebar ita dicere. (*Id. ibid.* 38. 153. *rebar* dicit esse poeticum, ut modo diximus). *Virg.* 10. *Æn.* 608. Ut rebare. *Cic.* 7. *Att.* 3. *a med.* Non rebatur oppidum esse Piræea. *Liv.* 31. 39. Ut ipse rebatur. *Plaut. Amph.* 5. 1. 43. Ædes ruere rebamur tuas. *Cic.* 3. *Nat. D.* 6. 15. Rebantur enim fore, ut etc. *Seneca Herc. Fur.* 303. Tum restitutas fratribus rebor meis animas. *Justin.* 20. 2. 14. Obtentoque, ut rebantur, quod petebant. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 28. Sese a me derideri rebitur. *Id. Most.* 1. 3. 2. Unde me melius rear esse defæcatam. *Cæcil.* apud *Gell.* 7. 17. *in fin.* Ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare. *Auson. VII. Sapient. init.* Ignoscenda istæc, an cognoscenda rearis. *Lucret.* 6. 250. per totum concrescunt aera nubes, Undique uti tenebras omnes Acherunta reamur Liquisse etc. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 34. Ut mihi rem esse reantur. *Accius* apud *Non. p.* 356. 18. *Merc.* Opinione factum est, quanto minus stirpem educabant, tanto ut reremur magis eos esse. *Cic. Harusp. resp.* 23. 49. Tum vero est ratus se posse. At *Orell.* Tum vero elatus spe, posse se etc. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 21. Uxorem, quam numquam est ratus posthac se habiturum, reddo. *Sall. Cat.* 58. Consul optimum factu ratus noctem, quæ instabat, antecapere. *stimando, giudicando, tenendo per ben fatto.* et *Nepos Alcib.* 4. Utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem. *Id. Attic.* 2. Idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis. *Virg.* 2. *Æn.* 25. Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas. *Plaut. Asin.* 5. 2. 11. Ego illum antehac hominem semper sum frugi ratus. *Id. Amph.* 3. 3. 9. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus. *h. e.* ratus sum te dixisse. *Id. Rud.* 2. 4. 32. Jam illud mali plus nobis vivit, quam ratæ. *h. e.* quam ratæ sumus. — Usurpant præterea *Liv.* 40. 5. *extr.*, *Plin. uterque*, *Tibull.*, *Lucan.*, *Martial.* et sæpissime *Ovid.*, sed fere in prima persona Præsent. Indicat., aut quo modo allata exempla præferunt: in aliis modis non facile sine auctore adhibuerim. — Hinc Particip.

Ratus, a, um, adjective quoque usurpatur. *V.* RATUS loco suo.

REORNO, as, are, a. 1. iterum orno: *et*

REPACISCOR, sceris, sci, dep. 3. iterum paciscor. Voces a Lexico expungendæ; leguntur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 56. *et p.* 71.

RĔPĀGES, um, f. plur. 3. *Festus p.* 281. 12. *Müll.* Repagula, quæ poetæ interdum repages appellant. Cf. *Paul. Diac. p.* 280. 2.

RĔPĀGŬLA, ōrum, n. plur. 2. (in sing. num. *Ammian.* sub II.) vectis, qui ostii valvis contra vim opponitur: a *re* et *pango*. Adhibetur fere in plur. num. *Festus p.* 281. 10. *Müll.* Repagula sunt, ut Verrius ait, quæ patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrario quæ oppanguntur. *Alii legi mallent:* ut ex contrario (*h. e.* extrinsecus) quoque oppandantur, μοχλός, κλεῖθρον (It. *stanga da chiuder l'uscio, nottola, chiavistello*; Fr. *verrou d'une porte*; Hisp. *cerojo, pestillo*; Germ. *Thürriegel*; Angl. *a bar or bolt to fasten a door*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225). Firmissima in rectum abies. Eadem valvarum repagulis et ad quæcumque libeat intestina opera aptissima. *Harduin.* in MSS. suis *paginis* legit. *Plaut. Cist. a.* 3. *v.* 18. Occludite ædes pessulis, repagulis. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 74. In templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt. *Id.* 6. *Verr.* 43. 94. Convulsis repagulis effractisque valvis etc. *Apul.* 1. *Met.* Fores ad pristinum statum resurgunt, cardines ad foramina resident, postes ad repagula redeunt, ad claustra pessuli recurrunt. *Ovid.* 5. *Met.* 120. Raptaque de dextro robusta repagula poste Ossibus illidit mediæ cervicis. ¶ 2. Latiore sensu sunt obices, quibus armenta coercentur. *sbarra. Ovid.* 2. *Met.* 155. Solis equi hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant. Quæ postquam Tethys repulit etc. *Lucan.* 1. 295. laxare repagula. *Sil. It.* 16. 317. prolato sonuere repagula signo.

II.) Translate est quodvis obstaculum, frenum, impedimentum. *Cic.* 7. *Verr.* 15. 39. Repagula juris, pudoris et officii perfringere. *Vet. Poeta* apud *eumd.* 3. *Nat. D.* 26. 66. Ille mihi hodie tradidit repagula, Quibus ego iram omnem recludam. *Ammian.* 16. 12. 38. Igitur quum equites nihil præter fugæ circumspectantes præsidia vidisset longius Cæsar, concito equo eos velut repagulum quoddam cohibuit.

RĔPANDĬROSTRUS, a, um, adject. rostrum habens repandum, ut pisces multi, præsertim majores ut delphines, item anates. *Quintil.* 1. 5. 67. Ex præpositione et duobus vocabulis durе videtur struxisse Pacuvius Nerei: repandirostrum incurvicervicum pecus. *V. Lucilii loc. cit.* in RĔPANDUS.

RĔPANDO, is, ere, a. 3. (re *et* pando) *aprire, spalancare*, ἀνοίγω, aperio, pando. *Apul.* 4. et 9. *Met.* Clave subtracta, fores januæ repandit.

RĔPANDUS, a, um, adject. *ripiegato all'insù*, ἀνάσιμος, ἀνακυρτος, retrorsum pandus, h. e. pandus simul et latus, sed retro et sursum reflexus, recurvus, qualia sunt dorsa et ora delphinum. Nam de his *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (23). Pro voce gemitus humano similis, dorsum repandum, rostrum simum. *et Ovid.* 3. *Met.* 680. truncoque repandus in undas Corpore desiluit; falcata novissima cauda est. *et Lucil.* apud *Non. p.* 159. 1. *Merc.* Lascivire pecus jussit rostrique repandum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (140). Pectorosa cervicis repandæ ostentatio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 82. Juno Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 48. Repanda crura Socratis. — Hinc repandirostrum pecus Nerei, apud *Pacuv. V.* REPANDIROSTRUS. Adde *Apul. fragm.* cit. in voc. PANDUS.

RĔPANGO, is, ere, a. 3. *piantare, seminare*, idem quod pango, sero, apud *Colum.* 5. *R. R.* 10. 14. et *Arbor.* 22. 3. Ibique semen ferulæ repangito.

RĔPĂRĀBĬLIS, e, adject. *ricuperabile, reparabile*, ἀνασκευαστός, qui reparari potest. *Ovid. Heroid.* 5. 103. nulla reparabilis arte Læsa pudicitia est: deperit illa semel. *Id.* 1. *Met.* 379. Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri Arte sit. *Seneca Brevit. vit.* 6. *a med.* Nec velocissimæ omnium rei (*vitæ*) moram facitis, sed abire, ut rem supervacuam ac reparabilem, sinitis. *Auson. Edyll.* 18. 6. Phœnix, reparabilis ales. *Val. Flacc.* 6. 562. nulla cælum reparabile gaza. *h. e.* lux et vita nulla pecunia reparabilis. *Pers.* 1. 102. Euion ingeminat: reparabilis adsonat echo. *h. e.* quæ facile voces reparat ac repetit. *Ammian.* 27. 10. 5. Reparabilis gentis motus timebantur infidi. *et* 31. 7. 12. Barbari, ut reparabiles semper et celeres, sinistrum cornu perrumpunt.

RĔPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. *rifacimento, rinnovazione, riparazione*, ἀνασκευή, actus reparandi, renovatio, instauratio. *Inscript.* apud *Gruter.* 177. 7., quæ est apud *Orell.* 1147., quæ pertinet ad a. post Chr. n. circiter 443. THERMAE LONGA INCVRIA ET - FERALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER ADFLICTAE, ITA VT - DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS ADFERRENT. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 124. Mors hæc reparatio vitæ est. Tribuunt et *Sall. Jug.* 34., sed rectius ibi leg. *paratio.* Et *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. *c.* 13. Si vero interceptis viribus plena fuerit desperatio, odores vel thymiamata his propter reparationem adhibebimus.

RĔPĂRĀTOR, ōris, m. 3. *ristoratore, riparatore*, ἀνασκευαστής, qui reparat, refector. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 11. immensi reparator maximus ævi. *h. e.* Janus, qui novos annos inchoat. *Inscript.* apud *Murat.* 260. 1. REPARATORI ORBIS SVI D. N. FLAVIO VALERIO CONSTANTINO P. F. I. AVG. etc. *V.* IMPORCITOR. *Alia* apud *Orell.* 1103. re-

PARATORES ORBIS ÂDQVE VRBIVM RESTITVTORES D. D. N. N. FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. SEMPER AVG. ET IVLIANVS etc.

RĔPĀRĀTUS, a, um, particip. *V.* REPARO.

RĔPARCO, cis, si, cere, n. 3. *non risparmiare,* non parco. *Plaut. Truc.* 2. 4. 25. Utinam a principio rei item parsissem meæ, ut nunc reparco saviis. *Lucret.* 1. 667. Scilicet ex nulla facere id si parte reparcent. *Fronto ad L. Ver. Imp.* 6. Fac, oro te et obsecro, domine, quod tuo egregio ingenio decet, temperes et reparcas, et modificeris desideriis omnibus etc. *Symmach.* 1. *Ep.* 33. Istius muneris operam non reparcam.

RĔPĂRĬO. *V.* REPATRIO.

RĔPĂRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* paro). Quidam putant, primam syllabam produci posse, propter ea, quæ in RE dicta sunt. Itaque legunt apud *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 260. Œbaliæ qui reparat arva Galesus. *Alii leg.* temperat. — Particip. *Reparans* II. 1.; *Reparatus* I. 1. *a. b. c.* et 2. et II. 1.; *Reparaturus;* II. 1.; *Reparandus* I. 1. *b.* — Reparo est idem ac rursus paro, recupero, iterum acquiro, atque adeo reficio, renovo, ἀνασκευάζω (It. *ricuperare, rimettere, riacquistare, rifare, riparare;* Fr. *préparer de nouveau, rétablir, renouveler, recommencer;* Hisp. *prepar de nuevo, restablecer, renovar, volver á empezar;* Germ. *wieder von Neuem bereiten, wiederherstellen;* Angl. *to get again, recove, repair, retrieve*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Est rursus parare, recuperare, iterum acquirere. *Cic.* 5. *Verr.* 86. 199. Arator id perdere videbatur, quod alio prætore, eodem ex agro reparare posset. *Plin.* 6. *Ep.* 8. Reparare quod amiseris, gravius est. *et* 3. Ager, decrescente reditu, etiam pretium minuit, quod, te curante, reparabit. *Id.* 4. *Ep.* 9. Faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum ægerrime reparant. *Ovid.* 1. *Met.* 11. Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe. Cf. *Petron. fragm. p.* 677. *Burmann.* Iunæque senectus Et reparatus honos. — *b)* Est etiam reficere, renovare, *rifare, riparare. Horat.* 3. *Od.* 3. 60. Tecta velint reparare Trojæ. *Plin.* 10. *Ep.* 75. Ut ædificia, quæ sunt vetustate sublapsa, reparentur in melius. *Laurea Tull.* apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Reparare villam sub cultu potiore. *Auct. B. Alex.* 12. *a med.* Non tamen reparandæ classis cogitationem deposuerunt. *rimettere in piedi.* Sic *Liv.* 30. 7. Reparare exercitum. *et Justin.* 20. 5. 10. *et* 26. 2. 11. Exercitu reparato. *Curt.* 4. 9. 11. Vix fecerunt fidem, tot millibus cæsis majores copias esse reparatas. *Tac.* 3. *Ann.* 73. Reparare auxilia. *h. e.* auxiliares copias rursus adsciscere. *et Lucan.* 1. 104. novas vires. *h. e.* rursus sibi comparare. — *c)* Et de novo creare, producere. *Lucret.* 3. 964. Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas Semper, et ex aliis aliud reparare necesse est. *Ovid.* 15. *Met.* 252. rerumque novatrix Ex aliis alias reparat natura figuras. *Seneca Œdip.* 650. Solum reparat herbas. *Martial.* 9. 102. *de Hercule.* Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram. *h. e.* nova capita, recisis aliis, emittendo. Cf. *Lucan.* 4. 635. Desectam timuit (*Alcides*) reparatis anguibus Hydram. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 111. (138). Trichomanes illitum cohibet capillos defluentes: aut si effluxerint, reparat. ¶ 2. Speciatim est rursus emere, quod faciunt mercatores, qui, merce divendita, aliam comparant, ἀνταγοράζειν, *ricomperare, rimettere,* nam et parare pro emere ponitur. *Horat.* 1. *Od.* 31. 12. Vina Syra reparata merce. *h. e.* empta ex pecunia, quæ redacta est ex merce Syra divendita: vel potius commutata cum merce Syra. *Alfen. Dig.* 15. 3. 16. Quum boves non essent idonei, jusserat eos vænire, et his nummis, qui recepti essent, alios reparari. *Scævola ibid.* 45. 1. 122. Si intra diem suprascriptam non reparasset merces. *Inscript.* apud *Donat.* 39. 5. SILVANO SACRVM. C. VICIRIVS RVFVS V. S. QVOD LICTIT IVBIANOS REPARARE PENATES QVODQVE TIBI VOVI FVSVI DE MARMORE SIGNVM.

II.) Translate. ¶ 1. Est renovare, instaurare. *Liv.* 3. 37. Id modo plebes agitabat, quonam modo tribuniciam potestatem, rem intermissam, repararent. *Curt.* 5. 7. 2. Hoste et æmulo regni reparante tum maxime bellum. *et Justin.* 22. 3. 10. Majori mole bellum reparaturus. *Id.* 3. 6. 1. Reparare prœlium. *Curt.* 5. 1. 8. Ferro geri bella, non auro; viris, non urbium tectis: omnia sequi armatos. Sic majores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. *Quintil.* 10. 1. 75. Timogenes intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. *Vopisc. Car.* 3. Respublica per Augustum reparata, si reparata dici potest libertate deposita. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2., ponitur pro rursus emere, iterum acquirere. *Curt.* 6. 6. 11. Ille non ignarus, et principes amicorum et exercitum graviter offendi, gratiam liberalitate donisque reparare tentabat. In illo *Horat.* 1. *Od.* 37. 23. nec latentes Classe cita reparavit oras: *reparare* alii sumunt pro munire, portus, arces et mœnia, quæ lapsa erant, celeriter classe omnia loca obeundo, reficere et firmare: alii pro mutare, alias nempe terras et magis abditas pro Ægypto, quæ infirma erat et tota patebat hosti, quærere: alii alia comminiscuntur. *Bentlej.*, ut se expediat, *penetravit* ex conjectura substituit. Ceterum, ait cl. *Furlanetto* in *Append.*, ex comparatione hujus loci cum *Inscript.* allata sub I. 1. liquet, hæc ita esse interpretanda: Nec ut mortem effugeret, occultiora, quibus lateret, loca cita classe parare, hoc est assequi, iterum studuit. ¶ 3. Item est reficere, recreare, *ristorare. Ovid.* 4. *Met.* 215. *de ambrosia.* et fessa diurnis Membra ministeriis nutrit reparatque labori. *Id. Heroid.* 4. 90. *de requie.* Hæc reparat vires, fessaque membra novat. *Plin. Paneg.* 77. *a med.* Tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. *Liv.* 44. 38. Hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositis suis quisque ordinibus. *Quintil.* 10. 1. 27. Velut attrita quotidiano usu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia (*lectione poetarum*) reparantur.

RĔPARTŬRĬENS, entis, particip. ab inusit. *reparturio,* iterum parturiens seu pariens. *Alcim.* 6. 71. Teque reparturiens melius, quam corporis alvo.

RĔPASCO, is, ere, a. 3. pasco, aut iterum pasco. *Paulin. Nolan. Ep.* 41. (*al.* 31.) 1. *ad fin.* Impendia, quibus possim divitem pauper repascere. *Id. carm.* 21. Ut pullus aquilæ dicitur repascere Cura parentes mutua.

RĔPASTĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. βωλοστροφία, actus repastinandi.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. 53. Quid agri fossiones repastinationesque proferam? *Colum.* 2. *R. R.* 2. Junci et graminis pernicies repastinatio est.

II.) Translate est coercitio et amputatio inutilium, apud *Tertull. Exhort. castit.* 6.

RĔPASTĬNĀTUM, i, n. 2. *V.* REPASTINO I. 1.

RĔPASTĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq

RĔPASTĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* pastino). Particip. *Repastinans* et *Repastinandus* I. 2.; *Repastinatus* I. 1. — Repastino est idem atque iterum pastino, refodio, βωλοστροφέω, μεταστρέφω (It. *tornar a zappare, rinfrescare;* Fr. *donner une seconde façon à la terre, biner;* Hisp. *binar, dar secunda reja á las tierras;* Germ. *d. Boden wieder umgraben, - umhacken;* Angl. *to dig again, dig or delve anew*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est iterum pastinare, refodere. — *a)* Active et absolute. *Varro* 1. *R. R.* 18. 8. Si altius repastinaverimus, aut minus, quam alii. Adde *eund. ibid.* 37. 4.; et *Colum.* 3. *R. R.* 15. 1. — *b)* Passive. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (61). Baccæ lauri in sulco repastinato palmi altitudine, vicenæ fere acervatim seruntur. — Hinc *Repastinatum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 1. Repastinatæ dictæ fuere vineæ veteres, quæ refodiebantur: nunc antiquitatis imprudens consuetudo quidquid emoti soli vineis præparetur, repastinatum vocat. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (139). Si caulem in repastinato seras. *et* 48. (163). Hipposelinum et repastinato seritur. — Impersonaliter. *Colum.* 4. *R. R.* 32. 3. Cultus arundinetis primo triennio non alius est, quam ceteris: quum deinde consenuit, repastinandum est. ¶ 2. Et universim pastino fodere, terram pastino emovere, purgare, *zappare. Festus p.* 281. 16. *Müll.* Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cujus natura mutatur fodiendo, quum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus vel pecoribus herba vel hominibus satione. Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam obstinui, agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis. Afranius in Repudiato: Repastinasse ætatem tu senex fugis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (84). Cn. Terentium scribam, agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam etc.

II.) Translate. *Repastinare ungues* apud *Tertull. Pœnit.* 11. est a sordibus ibi collectis purgare: *Et,* repastinare usum divitiarum, *Id. Cult. fem. circa med.* h. e. coercere et veluti purgare: *Et,* repastinare vitis modo vitam ætate renovata, *Id. Anim.* 50. *ad fin.* h. e. instaurare et renovare: *Et,* commissionem injuriæ, metu vicis statim occursuræ, repastinare, *Id.* 2. *advers. Marcion.* 18. h. e. infodere, obruere (ut vites pastino solent), sepelire, reprimere. Omnes hæ metaphoræ duriores sunt et suo auctori relinquendæ.

RĔPĂTRĬO, as, are, n. 1. *ripatriare,* in patriam redeo. *Solin.* 27. *ante med.* Quum multi captivorum, aliquot leonibus obvii, intacti repatriaverint. *Id.* 33. Hoc Arabiæ sat est: hinc ad Pelusium repatriemus. *h. e.* redeamus. *Salmas.* mallet *ad Pelusium vela repariemus,* h. e. æquatis velis et secundo vento Pelusium renavigemus. *Repariare vela,* esse ait paria et æqua vela facere, quod fit, quum secundus ventus est. *Cassiod.* 3. *Variar.* 18. Ad Romanum repatriavit imperium.

RĔPAUSĀTĬO, ōnis, f. 3. *riposo,* idem fere ac pausatio. *Cassiod. Instit. lib. litt.* 1. Positura sive distinctio est moderatæ pronunciationis apta repausatio.

RĔPAUSO, as, are, n. 1. (re *et* pauso) requiescere, pausam facere, *riposare. Theod. Priscian. lib.* 4. *p.* 317. ed. *Ald.* In locis refrigeratis bene olentibus repausandi locum accipiant.

RĔPECTO, pectis, pexi, pexum, pectere, n. 3. (re *et* pecto). Particip. *Repexus.* — *Repectere* quidam legunt apud *Stat.* 6. *Theb.* 418. Colla toris crinita tument, stantesque repectit Aura jubas. Ubi *Vet. Scholiast.* exponit dispergit, dissolvit, pexas comptasque jubas turbat. *Alii leg.* reflectit. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 222. *de Tiberino.* frons hispida manat Imbribus; in liquidos fontes se barba repectit. *h. e.* aquæ ex barba profluunt, quando illa pectine discriminatur. — Particip. *Repexus* est, It. *pettinato,* διεκτενισμένος, iterum, aut probe pexus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 153. Et neglecta decet multas coma, sæpe jacere Hesternam credas; illa repexa modo est. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 3. crinemque repexi Blandius elato surgant temone jugales. *et* 240. tum flava repexo Gallia crine ferox. *h. e.* Gallia comata.

RĔPĔDĀBĬLIS, e, adject. qui repedat vel cedit retro. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 266. Extimuit fugitiva virum repedabilis arbor, Et ruitura procul suspendit in aera lapsum.

RĔPĔDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔPĔDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re *et* pes). Particip. *Repedatus.* — Repedo (It. *ritirare il piede, ritirarsi, tornare indietro, rinculare,* ἀναποδίζω) est idem ac pedem retraho, retro cedo, recedo, revertor. *Festus p.* 281. 16. *et Paul. Diac. p.* 280. 4. *Müll.* Repedare, recedere. *Lucilius* apud *Non. p.* 165. 13. *Merc.* Redisse ac repedasse, ut Roma vitet Gladiatoribus. *et ibid.* Romam

repedabam numero. *Ammian.* 24. 7. sub *fin.* Ad signa repedavit ocius miles. Adde *Juvenc. A.* 402. — Cum Accusat. *Pacuv.* apud *Festum* Paulum repeda, gnate, a vestibulo gradum. Nisi dic s illud *gradum* esse casum communem spatii: *ritirati un passo.* Et *Veget.* 1. *Milit.* 27. Ita ut ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, et recursu quodam impetus repedarent. *V.* adnotat. ibid. — *Capell.* 9. p 312. Si prius ingratæ mortalitatis commoda repedata recenseam. *h. e. retrocedendo. Alii leg.* repudiata, *Codd.* repediata.

RĔPELLO, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (re *et* pello). Quotiescumque prima in præteritis a poetis producitur, volunt Grammatici, duplici *p* scribi, *reppulit:* sed non est necesse, ut in RE et REFERT jam diximus. — Particip. *Repellens* I. *a.*; *Repulsus* I. *a.*, *d.*, *f.*, II. 1.° et 2.°, et in fin.; *Repellendus* II. 2.° — Repello est idem atque accedentem aut irruentem retro pello, rejicio, depello, prohibeo, propello, propulso, amoveo, ἀνωθέω, ἀνακρούω, ἀποσείω (It. *ributtare, respingere, tenere lontano, scacciare;* Fr. *repousser, écarter, éloigner, rejeter, refouler;* Hisp. *rempujar, rechazar, hacer lugar, alejar, desviar, apartar;* Germ. *zurücktreiben, - stoßen, - drängen, vertreiben;* Angl. *to drive or beat back, repel, drive or turn away, keep off).*

I.) Proprie. — *a*) Generatim. — De hominibus, et sæpe in re militari. *Cic. Cæcin.* 12. 33. Homines inermes armis, viris, terrore periculoque mortis repellere, fugare, avertere. *Id. in Senat.* 7. 17. Tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis repulisti. *Id. Dom.* 21. 54. Homines audaces ab ejus templi aditu atque ascensu repulisti. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 18. Hinc eum ego meis dictis malis his foribus repuli. *Auct. B. Afr.* 6. Quum ab equitibus in oppidum repellerentur. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Sæpius si perrumpere possent, conati, operis munitione et militum concursu et telis repulsi, hoc conatu destiterunt. *Id.* 1. *B. C.* 16. Celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt. *Id.* 3. *B. G.* 28. Nostri celeriter arma ceperunt eosque in silvas repulerunt. *Liv.* 2. 11. Porsena, primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis etc. *Id.* 25. 41. Marcellus, quum Hannibalem subnisum victoria Cannensi ab Nola repulisset etc. *Ovid.* 6. *Fast.* 393. hoste repulso Candida Pistori ponitur ara Jovi. *Martial.* 3. 46. In turbam incideris: cunctos umbone repellet. — De rebus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (72). Zoroastri cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 484. sic ille minacem Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens etc. *Virg.* 2. *Æn.* 544. telumque imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus ære repulsum. *Auct. B. Alex.* 20. Navigia hostium lapidibus ac fundis a mole repellebant. — *b*) Speciatim pro removere, *scostare, allontanare. Auct. B. Alex.* 20. Scalas rapere, et naves a terra repellere, ne hostes potirentur. — *c*) *Repellere repagula* apud *Ovid.* 2. *Met.* 157. est removere, tollere et aditum aperire. — *d*) *Æra repulsa* apud *Tibull.* 1. 3. 23. et *ibid.* 9. 22. sunt ærea sistra et crepitacula pulsata. Cf. *Ovid.* 3. *Met.* 533. ærane tantum Ære repulsa valent? et adunco tibia cornu? — *e*) Item evertere, proturbare. *Ovid.* 6. *Met.* 661. Thracius ingenti mensas clamore repellit. *et* 9. *ibid.* 164. Victa malis, patientia postquam repulit aras etc. — *f*) In illo *Ovid.* 2. *Met.* 786. *de Minerva.* haud plura locuta Fugit, et impressa tellurem repulit hasta: significatur motus volatum inchoantis, et impressa terræ hasta nisu se in aera tollentis: terra enim quodammodo repellitur, dum corpus ab ea celeriter resilit. Simile est illud *Virg.* 4. *G.* 232. Taygete simul os terris ostendit honestum Plias, et Oceani spretos pede repulit amnes. Huc pertinent etiam illa *Ovid.* 6. *Met.* 710. Quum subito juvenis pedibus tellure repulsa Arduus in nubes abiit. *et* 6. *ibid.* 511. At simul imposita est pictæ Philomela carinæ, Admotumque fretum remis tellusque repulsa est: Vicimus, exclamat; necum mea dona feruntur.

II.) Translate usurpatur. — 1.° De hominibus. — *a*) Generatim. *Cic. Orat.* 11. 36. Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus. *et* 1. *Orat.* 11. 46. Repellere oratorem a gubernaculis civitatum. *Id. Balb.* 14. 32. aliquem a cognitione legum. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 55 aliquem ab impediendo et lædendo. *Cæs.* 5. *B. G.* 42. Ab hac spe repulsi Nervii etc. *Sall. Jug.* 102. 13. Repulsus ab amicitia. *Phædr.* 1. 1. Repulsus ille veritatis viribus. *h. e.* refutatus, convictus. — *b*) Speciatim *repulsus* dicitur de eo, qui in petitione repulsam tulit. *Cic. Harusp. resp.* 26. 56. Ne deterioribus repulsisque honos augeatur. *Sall. Jug.* 110. 8. Si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis. *Liv.* 39. 32. Competitores habebat patricios L. Æmilium, Q. Fabium *etc.* veteres candidatos, et ab repulsis eo magis debitum, quia primo negatus erat, honorem repetentes. - Plebeji quoque gratiosi homines petebant, L. Porcius, Q. Terentius Culleo, Cn. Bæbius Tamphilus: et hi repulsi, in spem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Sic *Cic.* 1. *Cat.* 10. 27. Repellere aliquem a consulatu. Cf. *eumd. Planc.* 21. 51. et *V.* REPULSA. — *c*) In re amatoria. *Propert.* 2. 3. 2. Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas. *Ovid.* 13. *Met.* 735. Repulsi proci. Cf. *eumd.* 1. *Amor.* 8. 76. Neve relentescat sæpe repulsus amor. *Id.* 3. *ibid.* 11. 9. foribus tam sæpe (*ego*) repulsus. — *d*) Repellere aliquam ad meretricium quæstum, apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 43. est compellere, impellere, adigere. — 2.°) De abstractis. *Cic.* 1. *Fin.* 9. 30. Omne animal dolorem aspernari et, quantum possit, a se repellere. *Id. Mil.* 28. 77. Repellere furores Clodii a cervicibus civium. *Id. Mur.* 14. 30. ab aliquo belli pericula. *Id.* 1. *Off.* 38. 137. contumeliam. *h. e.* contumelia abstinere. Sic *ibid.* iracundiam repellere. At *Orellius* leg. pellere. *Id. Sext.* 17. 39. Ne quis vim vi repulsam reprehenderet. *Tac.* 2. *Hist.* 4. *ad fin.* segnitiam. *h. e.* abjicere. *Virg.* 4. *Æn.* 214. alicujus connubia. *h. e.* recusare. *Ovid.* 14. *Met.* 377. preces. *h. e.* rejicere. *Id.* 3. *Art. am.* 491. fraus est concessa, repellere fraudem. *Id.* 5. *Met.* 777. facinus. *h. e.* prohibere. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Tegumenta ad defendendos ictus ac repellendos. *Ovid.* 3. *Met.* 63. serpens squamis defensus et atræ Duritia pellis, validos cute repulit ictus. *et* 10. *ibid.* 165. repellit Ver hiemem. — Aliquando est expellere, tollere. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 5. Capri vel arietis petulci sævitiam pastores hac astutia repellunt. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus.

Repulsus, a, um, adjective quoque usurpatur, hinc *repulsior* est *Catonis* apud *Festum* p. 286. 29. *Müll.* Nec quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior. Cf. *Paul. Diac.* p. 287. 6. *Müll.*

RĔPENDO, dis, di, sum, dere, a. 3. (re *et* pendo). Particip. *Rependens* II. 1. *a.* et 2.; *Repensus* I. 2.; *Repensurus* II. 1. *b.*; *Rependendus* I. 2. — Rependo generatim est idem ac contra, aut vicissim pendo, æquo pondere reddo, ἀντισταθμίζω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, ut diximus, est vicissim pendere, æquo pondere pendere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (54). Ecce altiles spectantur asparagi: et Ravenna ternos libris rependit. *h. e.* adeo magnos alit, ut terni libræ pondo sint. *Al.* ternis. — *Rependere pensum*, est eodem pondere lanam netam reddere, quo, ut neretur, data est. *Ovid. Heroid.* 9. 77. *de Alcide.* Crassaque robusto deducis pollice fila, Æquaque formosæ pensa rependis heræ. *Propert.* 4. 7. 37. Et graviora rependit iniquis pensa quasillis Garrula de facie si qua locuta mea est. ¶ 2. Speciatim *rependere* dicuntur emptores, qui pro merce justam pecuniam solvunt: hæc enim olim, ante pecuniam signatam, appendebatur, non numerabatur, ut in ÆS et alibi dictum est. Re postea mutata, nihilominus mansit loquendi modus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (129). Æthiopico magneti palma datur, pondusque argento rependitur. *si compera a peso d'argento.* et 12. *ibid.* 25. 54. (117). *de balsamo.* Quum duplo rependebatur argentum. *h. e.* quum pro uno balsami pondere, v. gr. libra, duo argenti pondera, binæ libræ solvebantur. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 269. Septumulejus, cui pro C. Gracchi capite aurum erat repensum. *h. e.* tantum auri pondus datum fuerat, quantum erat pondus capitis. Sic *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (48). *de eod.* Quum auro rependendum caput ejus abscisum tulerit. Adde *Val. Max.* 9. 4. *n.* 3. Similiter *Horat.* 3. *Od.* 5. 25. Auro repensus scilicet acrior Miles redibit? *riscattato con denari.* — Huc referri potest et illud *Stat.* 4. *Theb.* 763. Dircæos tibi, Diva, greges, numerumque rependam Plebis, et hic magna lucus signabitur ara. *h. e.* pro numero exercitus victimas tibi immolabo; quot fuerint milites, tot erunt hostiæ.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Est pensare, compensare, paria facere, *compensare, ricompensare,* ἀντιμετρέω. *Ovid. Heroid.* 15. 31. Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formæ damna rependo meæ. *Id.* 5. *Met.* 15. hac vitam servatæ dote rependis? *Virg.* 1. *Æn.* 242. Hoc equidem occasum Trojæ tristesque ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens. *Quintil. declam.* 9. 2. *ad fin.* Ut porrectos egenti cibos mea fame rependat. *Gell.* 1. 3. *a med.* Rependitur et compensatur damnum delibatæ honestatis majore alia gravioreque in adjuvando amico honestate. Huc referri potest et illud *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 80. Vanescat culpa culpa repensa tua. *pareggiata, compensata. Alii leg.* repulsa, *alii* repressa. — In deteriorem partem, malum pro malo inferre, par damnum afferre. *Stat.* 8. *Theb.* 666. peremptos Ulcisci socios, mœstamque rependere noctem. *Val. Flacc.* 6. 4. magnoque rependere luctu Regis pacta. et *ibid.* 744. culpam hanc magno terrore rependat. — *b*) Est etiam persolvere, reddere, vicissim tribuere, *dare in ricompensa, pagare. Propert.* 4. 11. 100. Dum pretium vitæ grata rependit humus. *Ovid.* 2. *Met.* 694. neu gratia facto Nulla rependatur, nitidam cape præmia vaccam. *Sil. It.* 17. 577. patresque docet Carthaginis altæ Magna repensuros, nec se leviora daturum. *Stat.* 9. *Theb.* 50. Hasne tibi grates, hæc præmia digna rependo? *Propert.* 4. 4. 55. raptæ ne sint impune Sabinæ, Me rape, et alterna lege rependo vices. *Virg.* 2. *Æn.* 160. Tu modo promissis maneas, servataque serves, Troja, fidem. si vera feram, si magna rependam. *h. e.* præstabo. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 154. Quas tibi devoti juvenes pro patre renato, Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant? *h. e.* vota faciant pro te. — *Rependere pœnas,* dare, luere, ἀντιτίειν. *Seneca Œdip.* 1030. Numquam rependam sceleribus pœnas pares. ¶ 2. Speciatim est expendere, examinare. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 227. Diis proximus ille, Quem ratio, non ira movet: qui facta rependens, Consilio punire potest.

RĔPENS, entis, particip. ab inusit. *repo;* quod ducunt a ῥέπω *vergo,* quia quo quid vergit, eo statim inclinatur, ut in lance pondus, ut ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ in momento oculi, *in un batter d'occhio.* Est autem subitus, repentinus, inopinatus, improvisus, αἰφνίδιος (It. *repentino, improvviso, repente;* Fr. *subit, soudain, imprévu;* Hisp. *subito, improviso, repentino;* Germ. *plötzlich, unvermuthet;* Angl. *sudden, hasty, unexpected, unlooked fur, coming, unawares*).

I.) Proprie. — *a*) In sexto casu sing. *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 52. Hostium repens adventus magis aliquanto conturbat, quam exspectatus. *Id. ibid.* 14. 29. vertens carmina *Euripidis.* Ne me imparatum cura laceraret repens. *Liv.* 1. 14. Tumultus repens ex agris in urbem illatus. *Id.* 10. 7. *circa med.* Si quod repens bellum oriatur. *Id.* 33. 2. *a med.* Quantum Attali repens casus coegit. *Sil. It.* 3. 220. repensque Castra quatit clamor. *Virg.* 12. *Æn.* 313. quove ista repens discordia surgit? *Stat.* 7. *Theb.* 360. vocisque repens singultus apertum Intercepit iter. *Seneca*

Med. 971. Quid repens affert sonus? — *b*) Extra rectum casum singularem rari est usus. *Lucret.* 5. 400. Phaethonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis. *Liv.* 6. 41. Fama repentis belli Gallici allata. *Alii leg.* repens. *Sil. It.* 15. 604. fraudes latuere repentum Armorum. *Alii leg.* recentum.

II.) Translate idem fere est quod recens, sed apud solum, quod sciam, *Tac.* 6. *Ann.* 7. Quid repens, aut vetustate obscurum. *et* 11. *ibid.* 24. Non repens, sed priori populo factitatum est. *et* 15. *ibid.* 68. Accesserat repens causa. *et* 4. *Hist.* 25. Quum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit. — Hinc

Repens, adverbii ritu, velut *recens*, ut videtur. *Ovid.* 1. *Fast.* 95. Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus Bina repens oculis obtulit ora meis. *Alii leg.* repente, *invito* Heinsio *et aliis.*

RĔPENS, adverb. *V.* voc. præced. in fin.

RĔPENSĀTĬO, ōnis, *f.* 3. actus repensandi, retributio. *Salvian.* 4. *in avar.* 3. Coguntur omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores.

RĔPENSĀTRIX, īcis, f. 3. quæ repensat. *Capell.* 9. *p.* 304.

RĔPENSĬO, ōnis, f. 3. *compenso*, compensatio. *Ennod.* 9. *Ep.* 30. Hæc quidem cælesti præponatur pro hac repensione suffragio.

RĔPENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a *rependo: compensare, ricompensare*, idem quod rependo, vel sæpe rependo, compenso, paria facio. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 15. Id tamen incommodum repensant uvarum multitudine. *Vellej.* 2. 12. 5. Hac victoria videtur Marius bona malis repensasse. *h. e.* tot bona attulisse reipublicæ, quot mala intulerat. *Seneca* 2. *Ira* 32. Non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita injurias injuriis. *Vellej.* 2. 21. 4. Cujus interitus voluptas amissorum - civium pæne damno repensata est. *il piacere fu pareggiato* etc. *Tertull. Idolol.* 8. *circa med.* Minor merces frequentiore actu repensatur.

RĔPENSOR, ōris, m. 3. *compensatore*, qui pro alio aliud rependit seu tribuit. *Ennod.* 9. *Ep.* 29. Quia magnis obnoxius vix ad pauca sufficio, providi post Dei misericordiam gratiæ vestræ repensorem: nam frater vester domnus Faustus, dum debere se beneficium, quod mihi tribuistis, eloquitur, ab imbecillis cervicibus gravis oneris sarcinas amolitur.

RĔPENSUS, a, um, particip. *V.* REPENDO.

RĔPENTĀLĪTER, adverb. repente. *Fulgent.* 5. *Mythol.* 2. Melius est doceri, quam ex necessitate veniente repentaliter perterreri. *Recentiores plerique omnes leg.* repentinaliter.

RĔPENTĔ, adverb. subito, repentino; a *repens*, subitus, ἐξαίφνης (It. *all'improvviso, repentinamente, repentemente, repente, subitamente*; Fr. *soudainement, soudain, tout à coup*; Hisp. *repentinamente, subitamente, de subito, de repente*; Germ. *plötzlich, unvermuthet*; Angl. *suddenly, on a sudden, unawares, unexpectedly*). *Cic.* 1. *Off.* 33. 120. Amicitias, quæ minus delectent, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente præcidere. *Plaut. Cas.* 2. 5. 26. Repente emori. *Id. Pseud.* 1. 1. 37. Repente exortus sum, repentino occidi. *Ter. Adelph.* 5. 9. 24. Quæ res tam repente mores mutavit tuos? *Cic.* 2. *Phil.* 27. 66. Persona de mimo, modo egens, repente dives. *Id.* 4. *Fam.* 4. *circa med.* Repente præter spem dixit, se senatui roganti non negaturum. *Id.* 2. *Verr.* 6. 17. Ecce autem repente, his diebus paucis etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 11. *sub fin.* Novam et repente collectam auctoritatem tenere. *Virg.* 2. *Æn.* 465. ea (*turris*) lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit. *Liv.* 22. 17. Quo repente (*boum*) discursu - omnia circum virgulta ardere. *Curt.* 7. 3. 16. Illi, numquam ante in terris suis advena viso, quum armatos repente conspicerent, exanimati metu etc. *Suelon. Gramm.* 18. Dimissâ repente scholâ. — Sic est statim, *subito, tosto*. *Virg.* 2. *Æn.* 379. Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit. *Id.* 5. *ibid.* 315. signoque repente Corripiunt spatia audito. — Item perbrevi tempore, *in brevissimo tempo*. *Id.* 3. *G.* 471. nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota æstiva repente, Spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem. — Per pleonasmum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 21. Ita abripuit repente sese subito. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Hostes repente celeriterque procurrerunt. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 57. Sed repente e vestigio, ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo, factus est verres. *Virg.* 1. *Æn.* 598. cunctisque repente Improvisus ait. — *Derepente*, *V.* suo loco. — Comp. *Repentius* et Sup. *Repentissime* agnoscit *Charis. p.* 89. *Putsch.*, nullius tamen allata scriptoris auctoritate.

RĔPENTĬA. *V.* REPETENTIA.

REPENTIM, adverb. *V* REPENTINE.

RĔPENTĪNĀLĪTER, adverb. *V.* REPENTALITER.

RĔPENTĪNE, adverb. idem quod repentino, repente. *Lactant.* 1. 11. *a med.* Solemus eos, quorum virtutem miramur, aut qui repentine advenerint, de cælo cecidisse, dicere. *Alii leg.* repentino. *Gloss. Cyrill.* Ἄρνω, repente, repentim, repentine.

RĔPENTĪNO, adverb. *repentinamente, all'improvviso, subitanamente*, idem ac repente. *Cic. Quinct.* 4. 14. Moritur in Gallia Quinctius, quum adesset Nævius, et moritur repentino. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 37. Quasi solstitialis herba, paullisper fui. repente exortus sum, repentino occidi. *Afranius* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Ut sint repentino apparandæ nuptiæ.

RĔPENTĪNUS, a, um, adject. (repens). Comp. *Repentinior.* — Repentinus est subitus, improvisus, inopinatus, repens, αἰφνίδιος (It. *improvviso, repentino, subitaneo*; Fr. *soudain, subit, imprevu*; Hisp. *repentino, subito, subitaneo, improviso*; Germ. *unvermuthet, plötzlich*; Angl. *unlooked for, unexpected, sudden, coming unawares*). *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 45. Sentit omnia repentina et nec opinata esse graviora. *Id.* 2. *leg. Agr.* 22. 60. Unde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? *Id.* 2. *Orat.* 55. 225. Quæ fuit illa! quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! *Id.* 2. *Divinat.* 35. 74. Propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda subito conciderat. *Liv.* 41. 10. Repentinus et tumultuarius exercitus. *Cæs.* 5. *B. G.* 38. Ut nonnulli milites repentino equitum adventu intercipperentur. *et* 3. *ibid.* 3. Quum tantum repentini periculi præter opinionem accidisset. *Ter. Andr.* 5. 4. 35. Mirando hoc tanto, tam repentino bono. *Ovid.* 5. *Met.* 5. Inque repentinos convivia versa tumultus. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Agrippina de genere veneni consultavit: ne repentino et præcipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. *Id.* 6. *ibid.* 49. Iisdem diebus Sext. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (180). In primis miraculo sunt atque frequentia mortes repentinæ (hoc est summa vitæ felicitas), quas esse naturales docebimus. *Apul. de Mundo.* Nimbus quanto repentinior est, tanto vehementior. — *Repentinus homo*, novus, qui subito in hominum cognitionem, famam commendationemque pervenit. *Cic. Brut.* 69. 242. C. et L. Cæpasii fratres, ignoti homines et repentini, quæstores celeriter facti sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi. *Cf. Liv.* 1. 34. Roma est ad id potissimum visa. In novo populo, ubi omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum forti ac strenuo viro. — *Repentina* absolute sunt dicta ex tempore apud *Apul. Florid.* 23. *sub init.* Scripta enim pensiculatis et examinatis: repentina autem noscitis simul et ignoscitis; nec injuria. — *De repentino* absolute est *Apul. Florid.* 16. *sub init.* Quid igitur de repentino ab hoc splendidissimo conspectu vestro distulerim, exemplum ejus rei paullo secus simillimum memorabo. *et ibid.* 23. Eum (*Aristippum*) quidam tyrannus interrogavit, quid illi philosophiæ studium - profuisset? Aristippus respondit: Ut cum omnibus, inquit, hominibus secure et intrepide fabularer. Verbo subito sumpta est sententia, quia de repentino oborta est. Hinc REPENTINO, subaudi *tempore*, adverb., quod *V.* loco suo. — *NB.* De cognomine Rom. *V.* ONOM.

REPERCELLO, cellis, culi *et* culsi, cellere, a. 3. iterum percello. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 117.

RĔPERCUSSĬBĪLIS, e, adject. qui repercutere, vel repercuti potest. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *n.* 45., item 3. *ibid.* 6. *ad fin.*, ubi *alii aliter leg.*

RĔPERCUSSĬO, ōnis, f. 3. *ribattimento, ripercussione, riverbero, riflesso*, ἀντιτυπία, ἀνάκλασις, actus repercutiendi. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 19. Quidam nullos esse cometas existimant, sed species illorum per repercussionem vicinorum siderum, aut per conjunctionem cohærentium reddi. *Plin. Valer.* 5. 8. *p.* 208. ed. *Ald.* Dabis vinum, quod nihil habeat repercussionis, aut stypticum, aut aliquam austeritatem, ne, quum bibitur, caput petat.

RĔPERCUSSUS, a, um, particip. *V.* REPERCUTIO.

RĔPERCUSSUS, us, m. 4. repercussio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *de flabello.* Æquali motu aeris accommodato. Densantur enim corpora aeris motu percussa, atque plurimus sudor non solum cedentis aeris, verum etiam irruentis repercussu abstinetur. Sic *Id.* 1. *Tard.* 1. Adhibenda etiam articulorum levis fricatio, cum capitis fomento ex oleo frigido atque viridi, vel succo quoque admixto, qui sine repercussu valeat adstringere. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Teporem solis infusi repercussu cryptoporticus auget. *riflesso.* et *Plin. alter* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (35). Mons adusto similis, aut solis repercussu accenso. *riverbero.* et *Flor.* 3. 3. *a med.* Ut ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere cælum videretur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (55). Causas hujus incrementi (*Nili*) varias prodidere; sed maxime probabiles, Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum. *ribattimento.* et 37. *ibid.* 2. 8. (22). Sunt qui maxime in iis (*murrhinis*) laudent extremitates et quosdam colorum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. *Tac. Germ.* 3. Affectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. *rimbombo.* et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 2. 2. (6). *de silva Hercynia.* Constat, attolli colles occursantium inter se radicum repercussu. *h. e.* occursu, dum propter magnitudinem ac densitatem arborum radices invicem occurrentes, progredi in rectum nequeunt, sed regredi coguntur. Simili ratione verbum *reverbero* adhibetur a *Colum.* Sic *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 15. Lapis subter vel testa ponenda est, ut (*nux sata*) radicem non simplicet, sed repercussa respergat.

RĔPERCŬTĬO, cūtis, cussi, cussum, cūtere, a. 3. (re *et* percutio). Particip. *Repercussus* I. — Repercutio est idem ac percutientem vicissim percutio, referio, reverbero, reflecto, ἀντιπαίω, ἀντιπλήττω (It. *ripercuotere, ribattere, riflettere, riverberare*; Fr. *répercuter, réverbérer, réfléchir*; Hisp. *repercutir, reverberar, reflectir*; Germ. *zurückschlagen, zurückweisen, -treiben, abweisen*; Angl. *to strike or beat back, reflect, reverberate, repercuss*).

I.) Proprie. *Plin.* 4. *Ep.* 30. *ad fin.* Ut flumina, quæ in mare deferuntur, adversantibus ventis obvioque æstu retorquentur; ita est aliquid, quod hujus fontis excursum repercutiat. *ributti, rispinga.* — Sic Particip. *Repercussus* apud *Val. Max.* 1. 8. *n.* 11. *extern.* Remigem sentinam haurientem, quum e navi fluctus abjecisset, altero latere repercussum fluctus contrarius in navem retulit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (152). Medulla (*vitis*) ante se tendit, longitudinem impellens, quamdiu nodi pervia patet fistula: quum vero concreti ademere transitum, repercussa erumpit. *Id.* 33. *ibid.* 9. 45. (128). *de speculo.* Natura mira est imagines reddendi; quod repercusso aere atque

venit. *Tac.* 4. *Ann.* 51. *a med.* Montis anfractu repercussæ voces. *Liv.* 21. 33. *ante med.* Clamores dissoni, quos nemora repercussæque valles augebant. *Virg.* 8. *Æn.* 22. Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aenis, Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ, Omnia pervolitat late loca. *Ovid.* 2. *Met.* 109. positæque ex ordine gemmæ Clara repercusso reddebant lumina Phœbo. *et* 3. *ibid.* 434. Illa repercussæ, quam cernis, imaginis umbra est. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 15. Nux repercussa. *V.* REPERCUSSUS, us, in fin.

II.) Translate. *Quintil.* 6. 3. 23. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus. *h. e.* retorquemus in eos, qui intulerunt. *et* § 78. Repercutiendi multa sunt genera: venustissimum, quod etiam similitudine aliqua adjuvatur, ut Trachalus dicenti Suellio, Si hoc ita est, is in exsilium; Si non est ita, redis, inquit. *et* § 46. Nihil, quod in lacessendo dici potest, non etiam in repercutiendo. *Plin. præf. Hist. nat.* (31). Dicto repercutere aliquem. *Id.* 28. *ibid.* 4. 7. (35). Exspuendo fascinationes repercutimus. *h. e.* discutimus, amolimur. *Ammian.* 15. 4. 9. Egressique repente Scutarii, quum objectu turmarum hostilium repercussi stetissent etc. Sic *Id.* 16. 11. 4. Inter utriusque exercitus castra occulta transgressi (*barbari*) invasere Lugdunum incautam, eamque populatam vi subita concremassent, ni clausis aditibus repercussi quidquid extra oppidum potuit inveniri vastassent.

RĔPĔRĪO, pĕris, pĕri, pertum, pĕrire, a. 4. (re *et* pario. *Priscian.* 8. 86. *Keil.* Pario reperio; veteres enim et pario quarta conjugatione declinabant). Præteritum duplici *pp* scribi solet, quum in carmine prima producitur. *Propert.* 2. 24. 27. Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas! *Catull.* 79. 4. Si tria notorum suavia reppererit. *Priscian.* 10. *p.* 905. *Putsch.* vult semper *p* duplicari, sive in prosa oratione, sive in carmine: alii contra numquam. *V.* dicta in RE. — *Reperibo* in futuro pro *reperiam* in 4. conjugat. non est insolens. *Plaut. Epid.* 1. 2. 48. Quid de illa fiet fidicina? EPID. aliqua reperibitur. *Cæcilius* apud *Non. p.* 508. 16. *Merc.* Quum morti remedium reperibit nemo. Adde *Pompon.* apud *eumd. ibid.* — *Reperirier* παραγωγή pro *reperiri* legitur apud *Plaut. Truc.* 4. 1. 1.; et *Lucret.* 4. 480. — Supin. *Repertu* apud *Boeth. de rhet. cognat.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 317. Vixque est etiam, ut auditu animadverti queat, nedum sit facile repertu. — Particip. *Reperiens* II. 3. *a.*; *Repertus* I., II. 1., 2. *a.*, 3. *a. d.* et in fin.; *Reperturus* I.; *Reperiendus* I. et II. 3. *a.* — Reperio est idem atque invenio (discrimen vero inter *reperio* et *invenio* in fine hujus verbi posuimus) εὑρίσκω (It. *trovare, ritrovare*; Fr. *retrouver, trouver, rencontrer*; Hisp. *hallar, encontrar, topar*; Germ. *wieder herbeischaffen, suchend wiederfinden, ausfinden, finden, antreffen*; Angl. *to find, find out, discover*).

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 3. 3. 138. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo. *Id. Rud.* 4. 2. 20. Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi. *Id. Pœn.* 3. 3. 2. Convivas volo reperire nobis commodos, qui una sient. *Ter. Andr.* 4. 5. 11. *et* 5. 6. 5. Mea Glycerium suos parentes reperit. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 28. Reperiam multos, vel innumerabiles potius, non tam curiosos, nec tam molestos, quam vos estis. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. *extr.* Magnus ibi numerus pecoris repertus. *Virg.* 6. *Æn.* 610. Aut qui divitiis soli incubuere repertis. *Horat.* 1. *Od.* 15. 27. ecce furit te reperire atrox Tydides. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 1. 119. *Ovid.* 1. *Met.* 654. tu non inventa repertâ Luctus eras levior. *V.* INVENIO. *Id.* 3. *Fast.* 846. Furta reperta. *Sueton. Rhet.* 1. *extr.* Illustres professores, et quorum memoria aliqua exstet, non temere alii reperientur, quam de quibus tradam. *Curt.* 10. 5. 22. Qui, mortuo Dareo, ipsas tueretur, reperisse: qui post Alexandrum respiceret, non reperturas. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Probat rem senatus de mittendis legatis; sed, qui mitterentur, non reperiebantur maximeque timoris causa pro se quisque id munus legationis recusabat. *Plaut. Truc.* 4. 1. 1. Neque gnatus est, neque proginetur, neque potest reperirier.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a super. paragr., de abstractis. *Plaut. Pseud.* 4. 4. 9. Occasionem reperisti, verbero, Ubi percunteris me insidiis hostilibus. *Id. Stich.* 1. 3. 20. Egelasimo nomen mihi indidit parvo pater: - Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi. *Ter. Heaut.* 1. 1. 60. Simul rem et belli gloriam armis reperi. *ho acquistato*, acquisivi, peperi. *Cic. Cœl.* 19. 44. At vero in M. Cœlio nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum. *Id. Brut.* 95. 325. Si quærimus, cur *etc.*, causas reperiemus verissimas duas. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Quum ei rei nullum reperiretur auxilium, fuga salutem petere contenderunt. *Ovid.* 8. *Met.* 332. Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur Signa pedum, cupiuntque suum reperire periclum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (60). Cujus hoc invento quove casu repertum? — Et cum Relativo. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 6. Ac mihi quidem explicandæ philosophiæ causam attulit gravis casus civitatis, quum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam, nec nihil agere poteram, nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agere, reperiebam. ¶ 2. Speciatim et latiori sensu ponitur pro deprehendere, cognoscere. — *a*) Cum addito attributo. *Plaut. Capt.* 3. 4. 92. Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin etc. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 3. PAM. Deus sum, si hoc ita st. PAR. Verum reperies. *et ibid.* 1. 1. 1. Quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores. — Similiter passive. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 11. Multi more isto vivunt, quos quum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis. *Cic. Brut.* 31. 118. Omnes Stoici prudentissimi in disserendo sunt: iidem, traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiuntur. *Id. Flacc.* 38. 94. Hoc vel maxime moliuntur, ut vestræ sententiæ optimo cuique infestissimæ atque inimicissimæ reperiantur. *Virg.* 6. *Æn.* 343. namque mihi fallax haud ante repertus, Hoc uno responso animum delusit Apollo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (50). Apud Homerum regius senex agrum suis manibus lætificans reperitur. — *b*) Cum Relativo. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Vocatis ad se undique mercatoribus neque quanta esset insulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, - reperire poterat. — *c*) Cum Infinito juncto *v. cognoscere* apud *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Quibus in locis sit Cæsar, ex captivis quærunt: profectum longius reperiunt omnemque exercitum discessisse cognoscunt. Ceterum *Id.* 1. *ibid.* 18. Eadem secreto ab aliis quærit; reperit esse vera. *et ibid.* 40. Hos, si quærerent, reperire posse Ariovistum - desperantes jam de pugna et dispersos subito adortum - vicisse. — *d*) Absolute. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 3. (12). Clipeos dicare primus instituit, ut reperio, Appius Claudius. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro comminisci, excogitare, *trovar fuori, inventare.* — *a*) Cum Accus. *Plaut. Capt. in fin.* Hujusmodi paucas poetæ reperiunt comœdias, ubi boni meliores fiunt. *Id. Epid.* 2. 2. 71. Reperire aliquid callidi consilii. *Ter. Heaut.* 3. 2. 22. Aliquid reperiret, fingeret fallacias etc. *Id. Phorm.* 1. 4. 1. Reperire aliquod consilium. *Id. Andr.* 4. 1. 56. aliquod melius. *Id. Eun.* 3. 3. 6. Ubi veni, causam, ut ibi manerem, reperit. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Disciplinam in Britannia reperta atque inde in Galliam translata. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 6. Zeno nihil novi reperiens, sed emendans superiores. *Id.* 5. *Verr.* 46. 110. Quapropter - mihimet ineunda ratio et via reperienda est, qua ad Apronii quæstum - possim pervenire. *Horat. Art. P.* 405. ludusque repertus. *Ovid.* 8. *Met.* 246. et serræ reperit usum. *Phædr. præf.* 1. Æsopus auctor quam materiam reperit, ego polivi versibus. *Quintil.* 2. 17. 9. Medicina ex observatione salubrium reperta est. — *b*) Cum Infinito. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (79). Indi gemmas adulterare invenerunt. *Id.* 10. *ibid.* 22. 27. (52). Condire reperit. — *c*) Sequente partic. *ut. Lamprid. Elagab.* 11. Ferunt multi ab ipso primum repertum, ut in vindemiarum festivo multa in dominos jocularia et audientibus dominis dicerentur. Cf. *Ammian.* 17. 8. 2. Multa mente versans et varia, id tandem reperit solum, ut anni maturitate non exspectata barbaris occurreret insperatus. — *d*) Cum addito fine vel usu, per Accus. cum præpos. vel per Dat. *Tac. Agric.* 19. Frumenti et tributorum exactionem æqualitate munerum mollire, circumcisis, quæ, in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. *Quintil.* 2. 10. 4. In quarum exercitationem reperta est declamatio. *Id.* 4. 3. 2. Postquam agere causas non ad utilitatem patronorum repertum est. *et* 8. 3. 72. Ad inferendam rebus lucem translatio reperta est. *Id.* 8. 6. 19. Permovendis animis - plerumque translatio reperta est. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Repertus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Repertissimus* apud *Apul. de Mag.* Per me licet fuerit repertissimum. — Hinc

Repertum, i, res inventa, excogitata, *ritrovato, invenzione*, εὕρημα. In plur. num. *Lucret.* 1. 732. exponunt præclara reperta. Adde *eumd.* 6. 7. et 5. 2. Sic *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 15. cuncta hæc non fœdere certo Naturæ, sed lege valent hominumque repertis.

RĔPĔRĪTO, as, are, a. 1. frequentat. a *reperio.* Quidam legunt apud *Varron.* 1. *R. R.* 1. 7. Indicabo, a quibus scriptoribus reperites. *Alii* reperias, *alii* repetas. *Alii* reperito *volunt esse pro* reparito *frequentat. a* reparo.

RĔPERTĪCĬUS. *V.* REPTICIUS.

RĔPERTĬO, ōnis, f. 3. idem atque inventio. *Mythogr.*, qui *Lactantius Placidus* videtur esse, ab *A. Maio* editus in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 94. *fab.* 28. Nihil aliud in vita sua, nisi huic repertioni Endymion studuit.

RĔPERTOR, ōris, m. 3. *trovatore, inventore*, εὑρετής, qui reperit, inventor. *Sallust.* in *epist. Mithrid. ad Arsac.* Callidi et repertores perfidiæ. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 44. Quique repertorem torruit arte sua. *h. e.* Perillum. *Virg.* 7. *Æn.* 772. Repertor medicinæ. *h. e.* Æsculapius. *Id.* 12. *ibid.* 829. hominum rerumque. *h. e.* Jupiter. *Ovid. Remed. am.* 76. carminis et medicæ opis. *h. e.* Phœbus. *Varro* 1. *R. R.* 2. 19.; et *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 11. vitis. *h. e.* Bacchus: qui ab *eod.* 3. *Fast.* 762. etiam mellis reperto dicitur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 31 (121). Hippopotamus repertor detrahendi sanguinis. *Ovid. Ib.* 523. pugnacis iambi. *h. e.* Archilochus. *Quintil.* 2. 16. 9. Repertores legum. *i primi legislatori.* et *Tac.* 4. *Ann.* 71. flagitii. *Lucret.* 3. 105. doctrinarum atque leporum. *Apul. Florid. n.* 23. Aristippus Cyrenaicæ sectæ repertor. *h. e.* auctor, caput. *Horat. Art. P.* 278. personæ pallæque repertor honestæ Æschylus.

RĔPERTŌRĬUM, ii, n. 2. *inventario, repertorio*, ἀπογραφή, index, sive commentarius particulatim rerum recensitarum descriptionem continens. *Ulp. Dig.* 26. 7. 6. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inventarium appellatur, dolo fecisse videtur.

RĔPERTRIX, icis, f. 3. *inventrice, trovatrice*, quæ reperit, inventrix. *Apul. de Mag.* Paupertas omnium artium repertrix.

RĔPERTUM, i, n. 2. *V.* REPERIO in fin.

RĔPERTUS, a, um, particip. *V.* REPERIO.

RĔPERTUS, us, m. 4. *ritrovamento*, εὕρεσις, inventio. In sexto casu sing.

I.) Proprie. *Apul.* 11. *Met.* Ceres repertu lætata filiæ.

II.) Translate. *Apul.* 11. *Met.* Imago solerti repertu, etiam ipsa novitate reverenda. *Id. Florid. n.* 3. Ars ista repertu novo commodum oriebatur.

RĔPĔTENTĬA, æ, f. 1. *reminiscenza*, ἀνάμνησις, memoria, facultas memoriæ, qua res præteritas repetimus et reminiscimur. *Arnob.* 2. 26. Multo facilius credere, discere illam (*animam*) quod nesciat, quam oblitam quod paullo ante sciebat et opposita corporis amitti repetentiam priorum. *et ibid.* 28. Quod rebus ingressis priorum repetentiam detrahit, et intra se gesta irrecorda-

bili debet oblitteratione deperdere. *Lucret.* 3. 863. Interrupta semel quum sit repetentia nostra. *Al.*, inter quos *Lachmann.*, *leg.* retinentia, hoc est vinculum, quo retinetur anima unita corpori. *Alii* repentia, h. e. tacitus et sensim progrediens vitæ cursus. V. *Lachmann.* ad *h. l.*

RĔPĔTĪCĬUS. *V.* REPTICIUS.

RĔPĔTĪTĬO, ōnis, f. 3.

I.) Proprie. ¶ 1. Est iterata petitio seu postulatio, ut res mea ad me redeat. *Apul. de Mag.* Sola trecenta millia nummum scripta, eorumque repetitionem filiis Pudentillæ pacto datam. *Ulp. Dig.* 50. 17. 41. In re obscura melius est favere repetitioni, quam etc. *Id. ibid.* 3. 6. 3. Repetitionem habere. *h.* e. facultatem et jus repetendi. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1231. Quod vis aquæ abstulerit, repetitionem non habebit.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores est figura verborum, qua continenter ab uno atque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur, hoc modo: Vobis istud attribuendum est, vobis gratia est habenda, vobis res ista erit honori. Hæc *Cic.* 4. *Herenn.* 13. 19. Adde *Quintil.* 9. 3. 32., ubi pro exemplo ponit illud *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Nihil ne nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ etc. *et Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. ¶ 2. Item est actus repetendi, iteratio, *ripetizione, replica,* ἀπαίτησις, ἐπανάληψις. *Quintil.* 6. 1. 1. Rerum repetitio et congregatio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις. *Id.* 9. 1. 24. Frequentior ejusdem nominis repetitio. *Gell.* 13. 24. *ante med.* Repetitio instauratioque ejusdem rei sub alio nomine. *Ulp. Dig.* 30. 1. 19. Legata inutiliter data Papinianus putat confirmari per repetitionem postea forte in codicillis factam. *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 130. *retro* ed. *Ald.* Partem unam cum ovo jejuno colico dabis: alteram tertio die similiter facies. Mire ac sine repetitione emendabis coli dolorem. ¶ 3. Item renovatio. *Ammian.* 25. 9. 11. Memoriæ nos veteres docent, in extremis casibus icta cum dedecore fœdera, postquam partes verbis juravere conceptis, repetitione bellorum illico dissoluta.

RĔPĔTĪTOR, ōris, m. 3. *ripetitore,* ἀπαιτητής, qui repetit et rem suam sibi dari postulat. *Ovid. Heroid.* 8. 19. Sit socer exemplo nuptæ repetitor ademptæ.

RĔPĔTĪTUS, a, um, particip. *V.* REPETO.

RĔPĔTĪTUS, us, m. 4. *ritorno,* actus repetendi, accessus. *Non. p.* 64. 16. *Merc.* Pedato positum pro repetitu vel accessu, quasi per pedem, sicut nunc vulgo dicitur tertio pedato.

RĔPĔTO, tis, tīvi *vel* tĭi, tītum, tere, a. 3. (re *et* peto). Particip. *Repetens* sub *A.* I. 3. *b.*, II. 2. *a. b.*, 4. *a.* et sub *D.* II. 1. *a.*; *Repetitus* sub *A.* I. 1., 2., 3. *b.*, II. 1., 2. *a. b.*, 3. et sub *B.* I. 1.; *Repetiturus* sub *A.* I. 3. *b.*; *Repetendus* sub *A.* II. 2. *a. b.* et sub *B.* I. 3. et II. 1. *b.* — Repetere

A) Est iterum aliquoversus vel in aliquem tendere, denuo ire vel se jacere in aliquem, denuo aggredi, redire, reverti, *dirigersi di nuovo verso qualche luogo o persona, andare o lanciarsi di nuovo contro qualcheduno, aggredire o assalire di nuovo, ritornare.* Hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Est referire, repercutere, *ripercuotere.* — *a*) Cum Accus. *Liv.* 4. 19. Assurgentem ibi regem umbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide ad terram affixit. *Seneca* 3. *Ira* 27. Num quis satis constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat et canem morsu? *Ovid.* 4. *Met.* 734. Ter quater exegit repetita per ilia ferrum. — Huc referri potest et illud *Sueton. Claud.* 44. *sub fin.* Repetere aliquem toxico, *h. e.* post primum venenum, quod non processerit, aliud ei propinare. — *b*) Absolute. *Quintil.* 5. 13. 54. *de gladiatoribus.* Ut bis cavere, bis repetere oportuerit. Cf. *Sueton. Cal.* 58. Jacentem contractisque membris clamitantem se vivere ceteri vulneribus triginta confecerunt; nam signum erat omnium: Repete. ¶ 2. *Repetere reum,* iterum in jus vocare et accusare, *accusare di nuovo. Sueton. Aug.* 32. Diuturnorum reorum nomina abolevit, conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret. *Id. Domit.* 8. *a med.* Corneliam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit. *riaccusata.* Adde *Paul. Dig.* 48. 2. 3. *et ibid.* 16. 10. Sic repetere crimen *Ulp. ibid.* 7. ¶ 3. Repetere est etiam redire, reverti. — *a*) *Repetere aliquem,* reverti iterum ad aliquem. *Ovid. Heroid.* 3. 143. Qua (*spe*) si destituor, repetam fratresque virumque. *Horat.* 3. *Od.* 20. 6. Ibit insignem repetens Nearchum. — *b*) *Repetere locum,* reverti, redire, *ritornare. Liv.* 31. 21. Galli, omissa præda, castra repetivere. *Id.* 3. 63. Locum, ex quo cesserant, repetunt. *Id.* 22. 18. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Geronium pervenit. *et* 25. 27. Ne classis Punica Africam repeteret. *Horat.* 3. *Od.* 14. 3. Cæsar Hispana repetit penates Victor ab ora. *et ibid.* 27. 9. Antequam stantes repetat paludes avis etc. *Virg.* 7. *Ecl.* 39. Quum primum pasti repetent præsepia tauri. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 41. Inde domum repetes toto comitante senatu. *Id. Heroid.* 18. 123. Invitus repeto patriam. quis credere posset? *Tac.* 15. *Ann.* 17. Syriam repetiturus. *Justin.* 32. 3. 7. Inde per eadem vestigia, quo venerant, antiquam patriam repetivere. *Martial.* 12. 18. Me multos repetita post decembres Accepit mea Bilbilis. *h. e.* quam repetii ac revisi. — Cum Accus. et præposit. *Liv.* 25. 27. *sub fin.* Missis nunciis, qui onerarias retro in Africam repetere juberent. *Virg. Cul.* 103. Et jam compellente vagæ pastore capellæ Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ. (*Scaliger mallet* repebant). *Grat. Cyneg.* 245. Intacto repetens prima ad vestigia gyro. Simile esse videtur *visere ad aliquem* apud *Plaut.*, *Ter.*, *Lucret.* Alii putant esse ellipsin, ut integra locutio sit, *repetere* seu *resumere viam ferentem ad vada* aut *vestigia.* — *Liv.* 5. 51. *Camillus loquitur.* Quid enim repetimus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si etc. *h. e.* patriam. ¶ 4. Figurate, *repetere* dicuntur et morbi, quum redeunt et rursus corpora aggrediuntur. *Cels.* 2. 1. *ante med.* et 4. 14. Morbi repetunt. *Id.* 3. 22. Febricula repetit. *Id.* 4. 4. *n.* 5. *circa med.* Quum vomitus repetiit. Sic *Scribon. Compos.* 56. Si repetierit, aut permanserit nihilominus aliquis dolor etc. Adde *eumd. Compos.* 122.; et *Marcell. Empir. c.* 29. p. 129. *retro* ed. *Ald.* — Et cum Accus. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *a med.* Hæc passio vel alia quæque similis nequitia parvo impulsu repetit corpus, quod proxime dimisisse videbatur.

II.) Translate. ¶ 1. Est revocare, *richiamare, far venire. Cic. Dom.* 57. 144. Vos, qui maxime me repetistis atque revocastis. *Ter. Andr.* 1. 5. 14. Repudiatus repetor. *Plaut. Truc.* 4. 3. 72. Filium istinc tuum te melius est repetere. *Virg.* 7. *Æn.* 240. hinc Dardanus ortus, Huc repetit. *Cic. Brut.* 16. 63. Lysias est Atticus, quoniam Athenis est et natus et mortuus: quamquam Timæus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. *Liv.* 21. 28. Ita primis expositis, alii deinde (*elephanti*) repetiti ac trajecti sunt. *Sueton. Aug.* 16. Trajecto in Siciliam exercitu, quum partem reliquam copiarum continenti repeteret, oppressus etc. *Id. Cal.* 52. *extr.* Gestavit Alexandri M. thoracem repetitum e conditorio ejus. *mandato a prendere.* ¶ 2. Sæpe *repetere* est resumere, interruptam rem iterum sumere, *riassumere, ripigliare.* — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 51. Prætermissa repetimus, inchoata persequimur. *Id. Fat.* 2. 4. Longo intervallo hæc studia repetens. Sic *Sueton. Gramm.* 9. Functusque militia, studia repetiit, quæ jam inde a puero non leviter attigerat. *Petron. Satyr.* 21. Lassitudine abjecta, cœnatoria repetimus. *Ovid.* 3. *Met.* 151. Propositum repetamus opus. *Id.* 3. *Art. am.* 747. Sed repetamus iter. *Virg.* 2. *Æn.* 178. Omina ni repetant Argis. *Lucan.* 3. 520. emeritas repetunt navalibus alnos. *h. e.* deducunt e navalibus, ut rursus utantur. *Cic.* 2. *Verr.* 6. 17. Ecce autem repente eadem illa vetera consilia pecunia majore repetuntur. *Plin.* 9. *Ep.* 33. *ad fin.* Solita ministeria repetere. *Tac.* 3. *Ann.* 6. *extr.* solemnia. *Sueton. Claud.* 21. Spectacula ex antiquitate repetita. *tolti, presi, rinnovati. Colum.* 11. *R. R.* 2. 6. Ab Idib. Januar. quidquid ex auctumno putationis superfuit, repetendum est. *si dee ripigliare e compire.* Sic *Arbor.* 10. Quam partem vineæ non deputaveris, circa calend. Februar. repetito. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 2. Quum tumor pastini nondum repetita soliditate subsedit. *h. e.* nondum resumpta. *Ovid.* 9. *Met.* 422. repetitum Mulciber ævum Poscit Erichthonio. *età raddoppiata, rinnovata. Id.* 12. *ibid.* 287. novat repetitum stipite vulnus. *Id.* 8. *ibid.* 768. inque virum convertit ab arbore ferrum Detruncatque caput, repetitaque robora cædit. *Id.* 6. *ibid.* 20. repetitaque longo Vellera mollibat nebulas æquantia tractu. *h. e.* sæpius tractata digitis. — *b*) Speciatim est iterare, *replicare, ripetere, ridire;* et sæpe de oratione et verbis usurpatur. *Colum.* 4. *R. R.* 28. 1. Pampinationem repetere. *Liv.* 5. 17. Ut auspicia de integro repeterentur. Sic *Id.* 8. 32. Illud interrogo, quum me incertis auspiciis profectum ab domo scirem, utrum mihi turbatis religionibus respublica in discrimen committenda fuerit, an auspicia repetenda, ne quod dubiis Diis agerem? *Id.* 10. 36. Tum alii alios hortari, ut repeterent pugnam. *Justin.* 12. 2. 13. Sed Bruttii Lucanique quum auxilia a finitimis contraxissent, acrius bellum repetivere. — De oratione et verbis cum Accus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 7. 17. Quamobrem, Vellei, nisi molestum est, repete quæ cœperas. Repetam vero, inquit. *Quintil.* 1. 1. 31. Repetere aliquid et inculcare. *Flor.* 2. 7. *in fin.* Iterum iterumque præconem repetere illam vocem jubebant. *Seneca* 6. *Benef.* 35. Si repeti vero quod dixi. *Ovid.* 13. *Met.* 739. Talibus alloquitur, repetens suspiria dictis. *Horat. Art. P.* 365. Hæc placuit semel: hæc decies repetita placebit. *Quintil.* 11. 2. 39. Ad verbum repetita reddantur. *Capell.* 5. *p.* 167. Vitium maximum est, non vitare cujuscumque litteræ assiduitatem in odium repetitam ut (*Virg.* 5. *Æn.* 866.): Tunc rauca assiduo longe sale saxa sonabant. *h. e.* ad nauseam usque iteratam. — Cum Infinito. *Lucret.* 1. 418. Sed nunc ut repetam cœptum pertexere dictis etc. *Id.* 6. 936. Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res Commemorare. *Quintil.* 6. 3. 101. Repetam necesse est, infinitas esse species. *et ibid.* § 46. Repetendum est mihi, non omnes eos (*locos*) oratoribus convenire. ¶ 3. Ponitur pro exordiri, incipere, retrorsum initia petere, quum de re aliqua est dicendum. *Virg.* 7. *Æn.* 371. Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres. *Cic.* 1. *Legg.* 6. 18. Alte et a capite repetere. *cominciare, ripigliare, prender la cosa da' suoi principii.* et *ibid.* 20. Visne, ipsius juris ortum a fonte repetamus? *Id.* 1. *Orat.* 20. 91. Neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace nescio quo, et Tisia. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 116. Repetunt ab Erechtheo Codrum, qui etc. *cominciando da Eretteo, dicono di Codro, che etc. Id.* 1. *Invent.* 49. 91. Quippiam longius repetere, quam res postulat. *Id.* 1. *Fin.* 20. 65. Fabulas ab ultima antiquitate repetere. *Id.* 6. *Fam.* 16. initia amicitiæ ex parentibus. His affinia sunt illa *ejusd.* 2. *Divinat.* 47. 98. L. Tarutius urbis nostræ diem natalem repetebat ab iis Parilibus, quibus etc. *h. e.* ducebat. *et* 5. *Tusc.* 12. 34. Hujus sententiæ gravitas a Platonis auctoritate repetatur. *h. e.* ducatur, hauriatur, sumatur. *Id. Sext.* 13. 31. (et 3. *Orat.* 24. 91.). Ne quis miretur, quid hæc mea oratio tam longa ac tam alte repetita velit. *Id. Orat.* 3. 11. Video hanc primam ingressionem meam non ex oratoriis disputationibus ductam, sed e media philosophia repetitam. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 22. 67 Hæc majorum consuetudo longo intervallo repetita ac relata. *Ulp. Dig.* 39. 2. 15. *a med.* Repetita igitur die promittendum erit. *h. e.* die seu tempore retro atque in præteritum tracto: quod nos diciamus *un' antidata.* Ita *Budæus.* Sic *Paul. ibid.* 22. 4. 3. Repetita

quidem die cautionem interponi non debuisse. ¶ 4. Hinc pertinet etiam ad memoriam, richiamare alla memoria, riandare, rammentarsi, nam reminisci est, ut ait Varro 6. L. L. 44., Müll. quum ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur et cogitando repetuntur. — a) Repetere aliquid memoria, animo, vel repetere memoriam: ut Scipio Afric. apud Gell. 4. 18. Memoria repeto, diem esse hodiernum etc. Cic. 1. Orat. 1. 1. Cogitanti mihi et memoria vetera repetenti etc. Virg. 12. Æn. 439. et te animo repetentem exempla tuorum etc. Cic. 6. Verr. 47. 105. et Dejot. 7. 20. Alicujus rei memoriam repetere. — b) Absolute. Cic. 1. ad Q. Fr. 2. 2. a med. Si omnium mearum epistolarum præcepta repetes, intelliges etc. se ti farai sovvenire. et Virg. 7. Æn. 122. genitor mihi talia namque (Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit. Sall. Cat. 5. ad fin. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta majorum domi militiæque, quomodo etc. Ovid. 1. Trist. 3. 3. Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui, Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis. — c) Cum Infinito. Plin. 7. Ep. 6. ad fin. Non facile me repeto tantum consecutum assensum agendo, quantum tunc non agendo. Sueton. Gramm. 4. Me quidem adolescentulo, repeto, quemdam alternis diebus declamare, alternis disputare solitum. Cf. Virg. 3. Æn. 184. Nunc repeto hæc generi (Cassandram) portendere debita nostro, Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

B) Repetere est etiam iterum aut bis petere.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) De re quacumque. Cæs. 5. B. G. 49. Cicero Gallum ab eodem Verticone repetit, qui litteras ad Cæsarem deferat. Virg. 1. G. 39. Nec repetita sequi curat Proserpina matrem. — b) Sæpius est It. domandare il suo, ἀπαιτέω, quod meum est, peto, quod mihi debetur, reposco: quasi retro ad me redire peto. Plaut. Trin. 5. 2. 7. Quod datum utendum est, id repetundi copia est, quando velis. Horat. 1. Ep. 3. 18. si forte suas repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. Cic. Arch. 8. 19. Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt. Id. Planc. 42. 101. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? Id. Divin. in Q. Cæcil. 5. 18. Ereptas pecunias civili actione et privato jure repetere. Ter. Eun. 4. 6. 11. Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii. Plaut. Bacch. 4. 6. 7. Navigo in Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum. Cic. Dom. 55. 141. Respublica ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me seque repetebat. ¶ 2. Speciatim in re bellica de rebus ab hoste captis vel ereptis. Varro 5. L. L. 86. Müll. Feciales mittebant, antequam bellum conciperetur, qui res repeterent. V. CLARIGO; et Cic. 1. Off. 11. 36.; Liv. 1. 32. et 4. 30. — Hinc Justin. 6. 6. 7. Itaque armato instructoque exercitu Arcades adhibitis in auxilium Thebanis amissa bello repetunt. ¶ 3. Item speciatim in jure. Cic. Mur. 2. 3. In iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit. Hinc REPETUNDÆ, quam voc. V. loco suo.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. B. 1. — a) Speciatim. Repetere pœnas ab aliquo est fargli pagare il fio, esigere, ut debitas pœnas luat, pœnas petere, expetere, exigere. Cic. Rosc. Am. 24. 67. Furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetunt. Adde eumd. 7. Verr. 63. 163. Cf. Justin. 2. 9. 21. Cecidit et Hippias tyrannus Atheniensis, auctor et concitor ejus belli, dis patriæ ultoribus pœnas repetentibus. — b) Et generatim. Cic. 10. Phil. 10. 20. Ne mors quidem in repetenda libertate fugienda. h. e. recuperanda. Id. Flacc. 42. 106. Meam fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriæ spoponderim, dignitatem. Sall. Jug. 96. Beneficia properantius, quam æs mutuum (Sullæ), reddere; ipse ab nullo repetere. et ibid. 85. Nobilitas - omnes honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Liv. 1. 47. Tarquinius admonere (senatores) paterni beneficii, ac pro eo gratiam repetere. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a superiore paragr. B. 2. Sall. in orat. M. Licini tr. pl. ad plebem § 17. Neque ego vos ultum injurias hortor, magis ut requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens jure gentium res repeto, et si pertinaciter retinebunt, non arma, neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum præbeatis, censebo. h. e. jura nobis erepta ut nobis restituantur, postulo. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. B. 3. Ennius apud Gell. 20. 10. Non ex jure manum consertum, sed magi' ferro Rem repetunt regnumque petunt, vadunt solida vi.

RĔPĔTUNDÆ, ārum, f. plur. 1. res, quæ repetuntur, seu quarum restitutio poscitur. Crimen repetundarum fuit crimen magistratus, qui in provinciam cum potestate missus pecuniam in usum privatum a provincialibus accepisset. Nomine pecuniæ intelliguntur non solum nummi, sed etiam omnia, quibus divitiæ constant, ut vasa pretiosa, statuæ, picturæ, vestes, frumentum, navigia etc. Ceterum lege Julia hoc crimine etiam magistratus urbani accusabantur, siqui in aliqua curatione pecunias cepissent; item judices, si pecunias cepissent ob judicandum etc. Repetundarum causa, inquit Ascon. in Cic. 3. Verr. 23., ita se habebat, ut si convictus reus esset atque damnatus, pecuniam redderet æstimata lite, hoc est in pretium redactis omnibus furtis: quam summam, proscriptis ejus bonis, sectores curabant. Quod vero ad vocem attinet, participium seu gerundium est, sub quo pecuniarum vel rerum intelligere oportet. Est autem repetundarum more antiquo pro repetendarum. — a) Absolute. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 8. 2. Pilius de repetundis eum postulavit. et ibid. § 3. Sic nunc neque absolutus neque damnatus Servilius de repetundis Pilio tradetur. Quintil. 4. 2. 15. Repetundarum insimulari. Sueton. Cæs. 43. convinci. Tac. 4. Ann. 19. criminibus hærere. Id. 3. ibid. 38. Postulare aliquem repetundis. Vellej. 2. 13. 2. Interrogari lege repetundarum. Adde Plin. 2. Ep. 11. — b) Cicero fere addit pecuniæ, ut Cluent. 53. Lege pecuniarum repetundarum non teneri. et Brut. 27. 106. L. Piso legem primus de pecuniis repetundis tulit. (V. dicta in CALPURNIUS, a, um). Et rursus Id. Cluent. 37. 104. Repetere rationem ab aliquo de pecuniis repetundis. Adde eumd. 2. Off. 21. 75., Divin. in Q. Cæcil. 4. 11., Rabir. Post. 4. 9. et alibi. Sic Sall. Cat. 18. Catilina pecuniarum repetundarum reus. et Tac. 1. Ann. 74. De pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

RĔPEXUS, a, um, particip. V. REPECTO.

RĔPĬGER, gra, grum, adject. valde piger. V. Repigratus in fin. v. REPIGRO.

RĔPIGNĔRO et Repignoro, as, are, a. 1. riscuotere il pegno, disimpegnare, pignus recipio, soluto pretio. Ulp. Dig. 13. 6. 5. a med. Rem tibi dedi, ut creditori tuo pignori dares: dedisti: non repigneras, ut mihi reddas. Festus p. 281. 28. Müll. Reluere, solvere, repignerare. Cf. Paul. Diac. p. 280. 6.

RĔPĬGRĀTUS, a, um. V. voc. sequent.

RĔPĬGRO, as, (āvi), ātum, are, a. 1. (re et piger). Particip. Repigratus et in fin. — Repigrare est retardare, ritardare. Apul. 8. Met. Quum et ipso lumine dirarum bestiarum repigratur impetus. Id. 1. ibid. Obsepto utero et repigrato fetu. Capell. 1. p. 13. Ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, somnolento repente marcore torperet. Zeno Veron. p. 421. Suos ut (sol) repigret cursus. — Hinc Particip. præter pass., cujus exempla retulimus,

Repigratus, a, um, adjective quoque usurpatur, apud Capell. 1. p. 13. Ne totis noctibus repigratior paullulum simularet anomalum. Alii minus recte legunt repigritior; at Kopp. ex Cod. Vossian. mavult repigrior.

RĔPINGO, is, ere, a. 3. rursus pingo. Venant. 1. Vit. S. Martin. 172. Stat rubor inde genis: oculos pupilla repingit. Id. ibid. 246. Jussit abire procul, digitis crucis arma repingens.

REPLANO, as, are, a. 1. iterum planum facio. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in Not. Tir. p. 79.

RĔPLAUDO, dis, dere, a. 3. (re et plaudo) referio, percutio. Particip. Replaudens apud Apul. 1. Met. Dextra sæviente frontem replaudens. et 6. ibid. Equestri celeritate, quadrupedi cursu solum replaudens.

RĔPLĔO, ples, plēvi, plētum, plere, a. 2. (re et inusit. pleo). Replesti syncop. pro replevisti. V. sub B. I. Sic replerat pro repleverat apud Lucret. 6. 1272. sub B. II. — Particip. Replens sub B. II.; Repletus sub B. I. II. et in fin.; Repleturus et Replendus sub A. I. — Repleo

A) Ratione habita præpos. re, est idem ac rursus impleo, denuo compleo, suppleo, ἀναμεστόω, ἀναπληρόω (It. riempire, empire; Fr. emplir de nouveau, remplir, compléter, parfaire; Hisp. llenar de nuevo, rellenar, completar; Germ. wieder an - oder vollfüllen, wieder vollmachen, vollzählig machen; Angl. to fill, fill up, replenish).

I.) Proprie. Plin. Paneg. 55. Ut qui exhaustum ærarium non sis innocentium bonis repleturus. Cic. Prov. cons. 2. 4. Replere exhaustas domos. Virg. 2. G. 235. scrobes terra. Ovid. 4. Fast. 823. Fossa repletur humo plenæque imponitur aræ. Propert. 2. 1. 69. replere dolia. Liv. 24. 43. Iis populandis militem suum repleturum se (dixit). avrebbe dato a' suoi corpi d'esercito il numero dovuto. Sic Plin. Paneg. 28. Ex his (ingenuis) castra, ex his tribus replebuntur. Ovid. 7. Met. 287. replet (corpus) succis. Plin. 34. Hist. nat. 15. 46. (155). His adjicitur, quum sunt repurganda vulnera, aut replenda, ceratum. h. e. vulneribus caro inducenda. Sic Id. 20. ibid. 23, 99. (263). Replere alopecias. Adde eumd. 23. ibid. 7. 63. (124). — Mediorum apud Græcos more. Ovid. 8. Met. 679. Interea, quoties haustum cratera repleri Sponte sua per seque vident succrescere vina, Attoniti novitate pavent.

II.) Translate pro supplere, supplire. Ovid. Heroid. 10. 37. quod voci deerat, plangore replebam. Ulp. Dig. 42. 1. 4. ad fin. Tempore legitimo repletur ex lege, quod sententiæ judicis deest. — Sic replere est reficere, recreare. Stat. 4. Theb. 759. tu refugas vires et pectora bello Exanimata reple.

B) Nulla ratione habita præpos. re, repleo est idem atque impleo, compleo, et videtur plus aliquid significare quam hæc.

I.) Proprie. Ovid. 4. Fast. 432. Replere sinum floribus. Martial. 7. 20. lagenam vino. Ovid. 12. Met. 155. corpora tosta carne. Petron. Satyr. 96. et 111. extr. avide se cibo. Phædr. 2. 4. se esca et prolem suam. Cæs. 7. B. G. 56. extr. frumento et pecore exercitum. Ovid. 7. Met. 334. sanguine venas. Lucret. 6. 1272. delubra replerat Corporibus mors exanimis. Liv. 9. 40. Jam strage hominum armorumque insignium campi repleri. Justin. 13. 7. 7. Virginem a deo repletam quatuor pueros peperisse. ingravidata. Sic Pallad. 4. R. R. 13. replere equas. ingravidare. Ovid. 3. Fast. 121. Annus erat, decimum quum luna repleverat orbem. Lucret. 5. 813. femina quæque Quum peperit, dulci repletur lacte. Id. 2. 535. replere numerum. Manil. 2. 719. summa repletur. h. e. absolvitur, completur. Ulp. Dig. 40. 1. 4. a med. Pretium redemptionis replere. h. e. totum pretium numerare. — De Nili incremento Lucret. 6. 717. aquilones contra fluvium flantes remorantur, et undas Cogentes sursus replent coguntque manere. h. e. retro impellentes inflant et extollunt ac pleniores reddunt. — In illo Stat. 3. Silv. 91. Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa Tecta Dicarchææ pariter juvenemque replesti Parthenopen? replesti est exornasti, ditasti.

II.) Translate. Plaut. Rud. 4. 6. 22. Replere

verbis aures alicujus. *Virg.* 2. *Æn.* 679. gemitu tectum omne. *Seneca Hippol.* 1171. Dædalea vasto claustra mugitu replens. *Lucret.* 5. 992. Et nemora ac montes gemitu silvasque replebat. *Justin.* 11. 3. 11. Fabulas, quibus omnes scænas repleverant. *Vellej.* 2. 100. 2. Spectaculis animos oculosque populi Romani replere. *et ibid.* 103. 1. incredibili lætitia patriam. *Sueton. Aug.* 89. Augustus eruditione varia repletus. — Et mediorum apud Græcos more. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 191. Dum hæc, quæ dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique, repleri justa juris civilis scientia. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Repletus, a, um, adjective quoque usurpatur, et est impletus, plenus, ἀναπληρωθείς, *riempito, ripieno, pieno.*

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cic. pro leg. Manil.* 15. 44. Referto foro, repletis omnibus templis. *Virg.* 5. *Æn.* 806. Millia multa daret (*Achilles*) leto, gemerentque repleti Amnes. *Sueton. Cal.* 3. Gracilitas crurum paullatim repleta assidua equi vectatione post cibum. *ingrassata, ingrossata. Sil. It.* 6. 160. serpens repletus, *h. e.* cibo. *che ha mangiato a crepapancia.* — *b*) Cum Ablat. *C. Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. Amphoras argento repletas domum reportaverunt. *Lucret.* 2. 806. Cauda pavonis larga luce repleta. *Ovid.* 9. *Met.* 87. cornu pomis et odoro flore repletum. *Seneca Agam.* 1006. Repletum ratibus eversis mare. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 10. 21. (38). Insula repleta silvis. *Claudian. Fescenn.* 16. repletus epulis. — *c*) Cum Genit. *Liv.* 6. 25. Vidit repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum et mulierum huc atque illuc euntium. V. *Drakenborch.* ad *h. l.*

II.) Translate. *Lucret.* 5. 40. terra trepido terrore repleta. *V.* TERROR. *Liv.* 25. 26. Adsidentes curantesque eadem vi morbi repletos (*ægri*) secum traherent. *Capitolin. Macrin.* 3. Vates, quæ Deo repleta solebat vera canere. (*V.* PLENUS). *Lucret.* 2. 1170. antiquum genus pietate repletum. *Petron. fragm. Tragur.* 30. *Burmann.* Repleti voluptatibus. *Lucan.* 3. 242. vita. *h. e.* qui cursum vitæ impleverunt: qui estis diu vixerunt.

RĔPLĒTĬO, ōnis, *f.* 3. adimpletio, complementum. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 28. 4. *a med.* et *ibid.* 7. 2. 15. *a med.*

RĔPLĒTĪVUS, a, um, adject. completivus. *Priscian.* 16. *p.* 1022. *Putsch. Tandem* non solum pro adverbio temporali, sed etiam pro conjunctione repletiva invenitur, ut Cicero (1. *Cat.* 1. 1.): Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? *et* 18. *p.* 1169. Γάρ conjunctio causalis invenitur et repletiva et confirmativa apud Græcos, quomodo et apud Latinos. Adde *Charis.* 2. *p.* 200. *Putsch.*

RĔPLĒTUS, a, um. *V.* REPLEO.

RĔPLEXUS, a, um, particip. ab inusit. *replecto*, reflexus, replicatus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 1. 3. (7). Semen autem esse ad speciem scorpionum, cauda replexa, sed candida. *Fortasse legendum est* reflexa: *et sane* Sillig. *legit* scorpionum caudæ reflexum, sed candidum.

RĔPLĬCĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Est dignus qui repetatur aut iteretur, *degno d'essere ripetuto. Venant.* 7. *carm.* 8. 33. O nomen mihi dulce, Lupi, replicabile semper! ¶ 2. Alio sensu usurpat *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 165. *V. Reductus* in *V.* REDUCO.

RĔPLĬCĀTĬO, ōnis, *f.* 3. (replico). ¶ 1. Est conversio, *rivoluzione*, ἀνάπτυξις. *Cic.* 1. *Nat. D.* 13. 33. Ut replicatione quadam mundi motum regat. ¶ 2. Est et *replicatio* vox JCtis frequens, ad eas allegationes pertinens, quæ intentionem sustentant adversus exceptionis iniquitatem: inde dicta, quod implicatam et tectam exceptionis iniquitatem replicet atque patefaciat. *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 14. Alia allegatione opus est adjuvandi actoris gratia, quæ replicatio vocatur, quia per eam replicatur atque resolvitur jus exceptionis. *Julian. Dig.* 44. 2. 24. Adversus exceptionem, *si non ejus sit res*, replicatione hac adjuvabitur, *at si res judicata non sit*. Ad de *Cajum ibid.* 27. 10. 7. ¶ 3. *Replicatio numeri* apud *Capell.* 7. *p.* 250. contraria est multiplicationi, et est ejus explicatio et veluti revolutio, quum numerus, qui duplicatus erat et compositus, simplex fit atque adeo minor, nam *replicare* aliquando explicare et revolvere significat. Græci multiplicatos numeros πολλαπλασίους, replicatos ὑποπλασίους appellant, ut *Id. ibid.* docet, *et mox*. Multiplicationis ratio est senioni ad ternionem, contra replicationis ternioni ad senionem. ¶ 4. Est etiam figura dictionis, eadem atque anadiplosis. *Capell.* 5. *p.* 175. Anadiplosis est replicatio optima, quum ea, quæ in priore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur, ut est illud Terentii (2. *Phorm.* 3. 5.): Negat hanc sibi cognatam Demipho; hanc Demipho negat esse cognatam. Sic *Aquila Rom.* § 32. ed. *Ruhnken.* Anadiplosis, replicatio. ¶ 5. Est etiam idem atque iteratio. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Campi præliorum replicatione monstrabiles.

RĔPLĬCĀTŪRA, æ, *f.* 1. Videtur esse Italorum *rimendatura*, ita appellata a filo, quod pluries replicatur, ut scissæ vestis partes rursus adhæreant; seu potius est idem ac replum, h. e. *costura* Italorum, vel *orlatura* nostratium. *V.* SUBSUTURA. *Edict. Dioclet. p.* 21. Sarcinatori in veste subtili replicaturæ X sex.

RĔPLĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔPLĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et plico). Perfectum *replicavit* legitur apud *Vulgat. interpr. Num.* 27. 23. et *Jos.* 8. 35.; et *replicasse* apud *Ammian.* 17. 5. 4. — *Replictus* pro *Replicatus*, vel potius *Replicitus* inus., per syncop. est *Stat.* 4. *Silv.* 9. 29. non replictæ Bulborum tunicæ. — Particip. *Replicans* I. et II. 1.; *Replicatus* I. et II. 5.; *Replicandus* I. — Replico est idem ac retro vel in contrariam partem plico, complico, contraho, flecto, recurvo, πτύσσω (It. *ripiegare, piegare indietro o nella parte opposta, torcere, incurvare*; Fr. *fléchir en arrière, en sens contraire, plier, courber, replier, recourber*; Hisp. *plegar hacia atras, y al contrario, corvar, torcer, encorvar*; Germ. *zurückfalten, zurückrollen, - beugen*; Angl. *to bend or turn back, bend, twist, curve, contract*).

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (181). Taurus stat ira gliscente, alternos pedes replicans spargensque in alvum arenam. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (107). *de insitione.* Calamus ne luxetur, dum deprimitur; neve cortex replicetur in rugas. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (98). Replicans, ut extra fiat, membranæ quod fuerit intus. *Cato R. R.* 41. Surculos in terram demittito replicatoque ad vitis caput. *Quintil.* 11. 3. 81. Labra et porriguntur male et adstringuntur et diducuntur et velut quodam fastidio replicantur et pendent. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (80). Vitulus genu premitur, replicata cervice. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (102). Conchæ vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. *Id.* 11. *ibid.* 37. 73. (190). Victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra. *V.* similem locum *Sueton. Aug.* 95., doctamque ibidem *Baumgarten-Crusii* adnotationem. Rursus *Plin.* 35. *ibid.* 15. 51. (180). Bitumen incommodos oculorum pilos replicat. *h. e.* in contrarium plicat et flectit, ne oculos pungant. Sic *Id.* 24. *ibid.* 6. 22. (36). Palpebras lentiscina resina commodissime replicat. (*Harduin.* exponit, replet et pilis ornat. *Dioscor.* de eadem re ita loquitur *l.* 1. *c.* 91. Ἐν τε ἀνακολλήσει τριχῶν ἁρμόζει τῶν ἐν βλεφάροις. *et c.* 90. ἀνακολλᾷ δὲ τὰς τρίχας ἐν ὀφθαλμοῖς). Et *Id. ibid.* 7. 28. (43). Masticho lentisci replicandis palpebris et ad extendendam vitam adhibetur. *Seren. Sammon.* 54. 986. Sin autem subito replicantur corpora morbo. *h. e.* curvantur, contrahuntur. — *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 3. *circa med.* Ab omni lævitate acies radios suos replicat. *h. e.* reflectit. *et* 2. *ibid.* 10. *a med.* Radii solis replicantur. — De volumine est etiam recludere atque adeo aperire. *Arnob.* 4. 29. Possumus omnes istos, nobis quos inducitis atque appellatis Deos, homines fuisse monstrare vel Euhemero replicato vel Nicagora vel Leonte vel auctoribus aliis mille, qui etc. Sic *Ammian.* 20. 9. 6. Principi progresso in campum cum multitudine armata - e tribunali, ut emineret altius, superstanti, scripta jubetur offerre. Replicatoque volumine edicti, quod missum est, et legi ab exordio cœpto etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est explicare, evolvere. *Cic.* 1. *Divinat.* 56. 127. Non enim illa, quæ futura sunt, subito existunt; sed est, quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. *Id. Sull.* 9. 27. Si quæris, qui sint Romæ regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies. *Id.* 3. *Legg.* 14. 31. Licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse. — Huc pertinet et illud *Senecæ* de Chrysippo 1. *Benef.* 4. Cujus acumen (*ingenii*) nimis tenue retunditur et in se sæpe replicatur ¶ 2. Speciatim. *Replicare vestigium suum* apud *Apul.* 3. *Met.* est iterare, repetere, eadem redeundo, qua venerit. ¶ 3. Item speciatim est versare animo, repetere, renarrare. *Apul.* 4. *Met* et 3. *ibid. sub init.* Hæc identidem mecum replicabam. *Pacat. Paneg. Theodos.* 3. Sed parcam replicare causas, et placatum vulgus offendere. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 3. Incisos tumuli titulos et singula quæris Nomina: difficile est ut replicare queam. *Hieronym. Ep.* 129. *n.* 2. *extr.* Quæ idcirco non replico, ne sensum legentis videar obtundere et memoriæ illius diffidere. *non recito, non apporto.* ¶ 4. Item, in jure est replicationem facere (*V.* REPLICATIO 2.). *Dig.* 2. 14. 35. ¶ 5. *Replico* est etiam contrarium verb. *multiplico. Capell.* 7. *p.* 251. Procedere quoque ultra multiplicatio potest, per eosdemque rursus gradus idem numerus replicatus. Sic *replicatus numerus* apud *eumd. V.* REPLICATIO 3.

RĔPLICTUS, a, um. *V.* voc. præced. init.

REPLŌRO, as, are, a, 1. iterum ploro. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 191.

RĔPLUM, i, n. 2. vox, quæ legitur apud *Vitruv.* 4. 6., ubi de ostiis verba facit, in qua explicanda valde sudant interpretes, nec inter eos convenit. *Baldus* in *Lexic. Vitruv.* putat, replum dici partem excavatam et profundam in valvis januæ, quæ media est inter scapos et tympanum; conaturque rem illustrare exhibita figura, *fascia. Turneb. l.* 11. *Adversar. c.* 4. fassus, se hujus vim verbi assequi non posse, *peplum* legendum putavit, ut significaret operimentum quoddam in modum vestimenti undantis et replicati: idque confirmare conatus est alio *Vitruvii* loco 10. 17., ubi ait: Cheloni replum, quod est operimentum. Alii alias excogitavere interpretationes, quas collegit *Id. Bald. loc. cit.* Alii fortasse rectius putant, esse regulam illam ligneam, quæ mobilis aliquando ita imponitur extremæ latitudini valvarum, ut, quum clausæ fuerint, intersitam earumdem rimam operiat: eadem vero si immobilis fuerit, pagmentum a *Vitruv.* 4. 6. *ad fin.*, Italice *battente*, dicitur. Hinc in *Gloss. Isid.* Replum, vestis muliebris. *h. e.* pars vestis, quam nostrates vulgo *doppione*, Itali *solino* vocant. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

RĔPLUMBĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔPLUMBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et plumbum). Particip. *Replumbatus.* — Replumbo, *spiombare, staccare*, ἀναμολυβδόω, quod plumbo ferruminatum erat, dissolvo, a plumbo separo: et generatim quamvis ferruminationem dissolvo. *Ulp. Dig.* 34. 2. 19. § 3. Celsus quærit: si centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut sic appendantur: et Proculus et Celsus ajunt, exempto plumbo appendi debere; nam et emptoribus replumbatæ assignantur. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *a med.* Saxa velut igni fervescunt, argentum replumbatur, signorum coagmenta solvuntur. *Paul. Dig. loc. cit.* 32. Aurea emblemata, quæ in absidibus argenteis essent, et replumbari possent.

RĔPLUMIS, e, adject. qui rursus plumas emittit. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 857. *de aquilis.* Donec replumi ves'iantur corpore.

RĔPLŬO, is, ere, n. 3. (re *et* pluo) rursus aut vicissim aut contra pluo. *Musa* apud *Senec.* 5. *Controv. præf. circa med.* Quis ferret hominem de siphonibus dicentem, cælo repluunt?

RĒPO, pis, psi, ptum, pere, n. 3. Particip. *Repens* I. *a.*, II. 1. *b. f.* et 2. — Repo, a voce Græca ἕρπω (a qua et *serpo*), per metathesin, est idem atque corpus trahens ambulo, humi hærens incedo, serpo. Proprium est animalium carentium pedibus, aut pedes admodum breves habentium, ut sunt vermes, cochleæ, formicæ (It. *strascinarsi per terra, strisciare;* Fr. *ramper, se traîner, se glisser;* Hisp. *anastrar per la tierra, anastrarse;* Germ. *schleichen, kriechen;* Angl. *to creep or crawl as serpents*).

I.) Proprie. — *a*) De animalibus, quæ supra dicta sunt. *Lucret.* 3. 388. Nec repentis itum cujusvis cumque animantis Sentimus. *Sall. Jug.* 93. Animadvertit inter saxa repentes cochleas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 20. 37. (73). Murænæ in sicco quoque repunt. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (136). Millepeda multis pedibus arcuatim repens. *Id.* 37. *ibid.* 11. 72. (187). Repens formica. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 29. Forte per angustam tenuis nitedula rimam Repserat in cumeram frumenti. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (20). Elephas pedibus confossus repsit genibus in catervas. *Id.* 11. *ibid.* 37. 77. (197) Pyrrho regi, quo die periit, præcisa hostiarum capita repsisse. — *b*) Item de hominibus, quum manibus ac pedibus simul humi procedunt, *andare carpone. Nepos Hann.* 3. *ad fin.* Effecitque, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 17. 20. (44). Verna carus Pericli, quum is in arce templum ædificaret repsissetque super altitudinem fastigii et inde cecidisset etc. *Stat.* 9. *Theb.* 427. ad hunc certe repsit Tirynthius amnem. *h. e.* puer Hercules ad hunc fluvium reptavit. *Quintil.* 1. 2. 6. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? *h. e.* Infans deliciis omnibus innutritus est. — Sic de equitibus, qui in equos non insiliunt, sed repunt. *V.* SUBLIMITUS.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur — *a*) De iter facientibus, qui in rheda sedentes, quæ humilis est, a jumentis trahuntur. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 25. Millia tum pransi tria repimus. — *b*) De nantibus. *Arnob.* 1. 36. Indigetes illi, qui flumen repunt, et in alveis Numici cum ranis et pisciculis degunt. — *c*) De ratibus. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 23. *Müll.* ratibus repentibus æquore in alto. — *d*) De turribus ligneis ambulatilibus. *Lucan.* 3. 457. hæ nullo fixerunt robore terram, Sed per iter longum causa repsere latenti. — *e*) De iis, quæ tacite et occulte subeunt et fallunt. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 59. ubi quondam conscia culpæ Lemnia repserunt deprenso vincula furto. *h. e.* rete tenuissimum, quo Vulcanus Venerem Martemque deprehendit. — *f*) De plantis earumque radicibus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (70). Cucurbitæ humi repunt. *et* 22. *ibid.* 22. 39. (82). Olus silvestre in terra repens. *Colum. Arbor.* 4. 5. Spatium autem radicibus, qua repant, lapides præbent. *et ibid.* 16. 4. Paucas viti gemmas relinquito, ne, antequam invaluerit, in altitudinem repat. — *g*) Item de aquis, quæ vix fluunt. *Id.* 1. 5. Deterior aqua palustris, quæ pigro lapsu repit. — ¶ 2. Apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. 250. sermones repentes per humum. *h. e.* humili stilo, *in basso stile.* ¶ 3. Sumitur etiam pro lente ire, ambulare, *andar passo passo. Ennius* apud *Serv.* ad 3. *G.* 76. *de gruib.* Perque fabam repunt et mollia crura reponunt. *Virg. Cul.* 104. capellæ Ima susurrantis repebant ad vada nymphæ. Ita legit *Scalig.* Alii aliter. Græci quoque ἕρπειν pro ire, incedere usurpant.

RĔPŎLĬO, is, ire, a. 3. (re *et* polio) rursus polio. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 5. Pura frumenta si in annos reconduntur, repurgari debent: sin protinus usui destinantur, nihil attinet repoliri. *h. e.* repurgari.

RĔPONDĔRO, as, avi, are, a. 1. (re *et* pondero) rependo, repono, quasi contra seu vicissim pondero. *Sidon.* 1. *Ep.* 4. *sub fin.* Reminiscaris, velle me tibi studii hujusce vicissitudinem reponderare. *Id.* 5. *Ep.* 1. Reponderatur tibi ex hoc consummatissima gloria. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 15. Solam tibi pro falsitate veritatem haud pari vicissitudine reponderavi.

RĔPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (re *et* pono). Perfectum *Reposivi* est *Plaut. Asin.* 3. 1. 16. — Particip. *Repostus* per syncop. pro *repositus* legitur apud *Lucret.* 1. 35. et 3. 346.; *Virg.* 1. *Æn.* 30., 6. *ibid.* 59., 11. *ibid.* 149. et 3. *ibid.* 364.; *Horat. Epod.* 9. 1.; *Sil. It.* 7. 507., et alios. — Particip. *Reponens* I. 6.; *Repositus* I. 1. *a. b. c.*, 3., 6., II. 5. et in fin.; *Reponendus* I. 2. *b.* et 4. — Repono generatim est idem atque iterum aut rursus pono, ἀνατίθημι (It. *riporre, rimettere;* Fr. *remettre, rétablir;* Hisp. *remeter, volver á meter, restablecer;* Germ. *zurücklegen, - stellen, - setzen;* Angl. *to place again, put or set again, replace*).

I.) Proprie. ¶ 1. Ratione præcipue habita præpositionis *re*, — *a*) Repono est aliquid in eodem loco, in quo antea fuerat, iterum pono, *ricollocare, rimettere. Cic. Sext.* 27. 58. Insigne regium, quod ille de suo capite abjecerat, reposuit et regnare jussit. *Virg.* 7. *Æn.* 134. et vina reponite mensis. *Id.* 3. *ibid.* 231. arisque reponimus ignem. *Cels.* 8. 10. *n.* 1. *a med.* Reponere ossa in suas sedes. *Id.* 8. 10. *n.* 1. Indicium ossis repositi est dolor sublatus. *rimesso a suo luogo. Virg.* 2. *G.* 230. alteque jubebis In solido puteum demitti, omnemque repones Rursus humum. *Martial.* 2. 37. Ullus si pudor est, repone cœnam. *h. e.* rursus appone et mensæ restitue cibos, quos e mensa sustulisti. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 39. Languidus in cubitum se jam conviva reponet. *V.* CUBITUS. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 4. Ut meminisset atque adnotaret, quid et quando et cui dedisset: et quum recepisset, ut quidque suo loco reponeret. *Quintil.* 8. *procem.* 22. Ungues polire, et capillum reponere. *h. e.* disjectum refingere. *Id.* 5. 7. 11. Si quid testes titubaverint, opportuna interrogatione velut in gradum reponantur. *Id.* 11. 3. 149. Togam, si decidat, reponere. *Id.* 2. 4. 29. Necesse est bis, quum eadem judiciis pluribus dicunt, fastidium moveant, velut frigidi et repositi cibi. — *b*) Item restituo, in pristino statu pono. *Virg.* 1. *Æn.* 257. sic nos in sceptra reponis? *Sil. It.* 10. 487. Certabat pulsos per bella reponere reges. *Val. Flacc.* 6. 742. Reponere aliquem solio. *Petron. Satyr.* 110. Repositum in pristinum decorem puerum gaudebam. — *c*) Item reparo, reædifico, reficio. *Tac.* 1. *Ann.* 63. *extr.* Ruptos vetustate pontes reponere. *Virg.* 5. *Æn.* 752. Ipsi transtra novant flammisque ambesa reponunt Robora. *Sil. It.* 1. 558. molemque reponunt. *Tac.* 3. *Hist.* 34. *in fin.* Reposita fora templaque munificentiâ municipum. — *d*) Item reddo, restituo, *restituire, rendere. Plaut. Pers.* 1. 1. 37. Ut mihi des nummos, quos continuo tibi reponam in hoc triduo. *Virg.* 2. *G.* 201. Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet. *Seneca* 4. *Benef.* 32. *extr.* Quid cuique debeam, scio. Aliis post longam diem repono, aliis in antecessum. *Plin.* 8. *Ep.* 2. Quum reputarem, quosdam ex debito aliquantum, quosdam aliquid, quosdam nihil reposuisse. *avere dato a conto di debito.* et *Horat.* 1. *Ep.* 7. 39. donata reponere. — *Reponere pontum,* procellosum, tumidum et vento sublatum deprimere et planum tranquillumque reddere. *Val. Flacc.* 1. 651. Hæc ait, et pontum pater (*Neptunus*) et turbata reponit Litora. *Ponere freta* eadem ratione dixit *Horat.* 1. *Od.* 3. 16. ¶ 2. Item est replico, retro flecto, *ripiegare, piegare indietro.* — *a*) Speciatim *reponere crura* est sublata crura et pedes demittere et in terra rursus ponere: quod sæpe fit, quum lente ambulamus, sæpissime, quum properamus, aut currimus. *Ennius* apud *Serv.* ad 3. *G.* 75. *de gruib.* Perque fabam repunt, et mollia crura reponunt. *Virg. ibid.* Continuo pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur, et mollia crura reponit. — *b*) Generatim. *Lucret.* 1. 35. tereti cervice reposta. Sic *Quintil.* 4. 2. 39. Hic potissimum et vocem flectunt et cervicem reponunt et brachium in latus jactant. *Id.* 11. 3. 99. Interim quartus (*digitus*) oblique reponitur. ¶ 3. Item ad tempus recondo servandi causa, *mettere da parte, riporre. Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 156. Nec tempestive demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est. *Virg.* 4. *Æn.* 402. formicæ farris acervum populant tectoque reponunt. *Quintil.* 10. 4. 2. Optimum est emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur. *Id.* 11. 2. 9. Scriptis reponere aliquid. *Colum.* 12. *R. R.* 11. 1. *et* 46. 7. poma in vetustatem. *Quintil.* 2. 16. 16. alimenta in hiemem. *Virg.* 3. *G.* 403. caseum parvo sale contingunt hiemique reponunt. *Horat. Epod.* 9. 1. Repostum Cæcubum ad festas dapes. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Arma omnia reposita et contecta. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (137). Ricini mori sanguinem sistunt adalligati: ad hoc servantur repositi. *Quintil.* 2. 7. 4. Repositus thesaurus. — Poetice. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 47. Repono Infelix lacrimas, et tristia carmina servo. — Absolute. *Seneca* 4. *Benef.* 20. Multa ex reposito acquisitoque perdenda sunt. — Sic de mortuis. *Virg.* 6. *Æn.* 654. quæ cura (*vivis*) nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. *h. e.* sepultos. *Propert.* 1. 17. 11. An poteris siccis mea fata reponere ocellis? *h. e.* cineres et ossa mea componere et humo condere. ¶ 4. Item alterius rei loco pono, *porre in vece, sostituire. Cic.* 7. *Fam.* 18. Non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. *Seneca Phœniss.* 121. dira ne sedel vacet, Monstrum repone majus. *Quintil.* 11. 2. 49. Invitus perdit quisque id, quod elegerat, verbum: nec facile reponit aliud, dum id, quod scripserat, quærit. *Brutus* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *ante med.* Qui se in ejus locum reponi pateretur. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 2. Submovenda pedamenta, quæ justo breviora sunt, eorumque in vicem idonea reponenda. ¶ 5. Item depono, *deporre. Ovid.* 4. *Met.* 10. Telasque calathosque infectaque pensa reponunt, Turaque dant. *Plaut. Asin.* 3. 1. 16. Si reposivi remum sola ego in casteria. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Grues in tergo prævolantium colla et capita reponunt. *Val. Flacc.* 4. 279. respirant ambo paullumque reponunt Brachia. *h. e.* demittunt. *Catull.* 31. 8. Quum mens onus reponit ac peregrino Labore fessi venimus ad Larem nostrum. *Virg.* 11. *Æn.* 149. feretro Pallanta reposto Procumbit super atque hæret. *Id.* 5. *ibid.* 619. faciemque Deæ vestemque (*Iris*) reponit. Fit Beroe. *Ovid.* 12. *Met.* 556. cui posse figuras Sumere quas vellet, rursusque reponere sumptas Neptunus dederat. — Apud *Virg.* 2. *G.* 416. Jam vinctæ vites, jam falcem arbusta reponunt. *h. e.* putata sunt et falcem non amplius requirunt. — Proprie *deponit*, qui resumpturus non est: *reponit*, qui contra. *Quintil. Declam.* 3. 9. Quid faciet? deponet arma, an reponet? ¶ 6. Sæpe ponitur pro simplici pono sive colloco, *mettere, collocare, riporre. Horat.* 1. *Od.* 9. 5. Dissolve frigus, ligna super foco Large reponens. *et ibid.* 10. 17. Tu pias lætis animas reponis Sedibus. *Val. Flacc.* 3. 339. hunc Adlevat Æsonides celsoque reponit in ostro. *Ovid.* 15. *Met.* 407. nidum Ante fores sacras Hyperionis æde reponit. *Colum.* 12. *R. R.* 16. 2. Quum uvæ modice aruerint in vasa nova sicco loco reponito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (205). Totus mergus abscinditur, reponiturque altius in terram. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Duo signa virginali habitu, quæ manibus sublatis sacra quædam reposita in capitibus sustinebant. *h. e.* canephoræ. *Seneca Hippol.* 1230. Saxum his cervicibus repositum durabo graves fessas manus. *Liv.* 26. 15. Reponere litteras in gremio. *Colum. Arbor.* 4. 2. Reponere vineas agro repastinato. *Schneider. leg.* ponere. *et ibid.* 15. 4. offas in crates.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a su-

per. paragr. 1. est rem in eodem loco, in quo antea fuerat, iterum ponere. *Horat.* 3 *Od.* 5. 30. Nec vera virtus, quum semel excidit, Curat reponi deterioribus. *Quintil.* 11. 2. 19. Etiam excidentes unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. *Tac.* 14. *Ann.* 61. Mutataque, quæ per seditionem verterant, et Poppææ honos repositus est. ¶ 2. Item metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1., est iterum inducere, repetere. *Horat. Art. P.* 190. Fabula, quæ posci vult et spectata reponi. *h. e.* iterum induci et agi. *et ibid.* 120. Homereum si forte reponis Achillem. *h. e.* si iterum scribis de Achille, de quo olim Homerus. *Pers.* 6. 65. neu dicta repone paterna. *h. e.* ne ingeras sæpiusque repetas. ¶ 3. Item metaphorâ ductâ a super. paragr. 1., est respondeo, rependo, *rispondere*, quasi vicissim ponere, par pari referre. *Cic.* 1. *Fam.* 9. Peto a te, ut id a me in hoc reo non requiras, ne tibi ego idem reponam, quum veneris. *Juvenal.* 1. 1. Semper ego auditor tantum? numquamne reponam? — *Reponere injuriam, scelus,* injuriam pro injuria rependere, scelus pro scelere. *Seneca* 2. *Ira* 28. Cogitemus, alios non facere injuriam, sed reponere. *Seneca alter Thyest.* 1052. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus, non ubi reponas. ¶ 4. Item metaphorâ ductâ a super. paragr. 1., est restituere, pensare. *Sil. It.* 5. 532. Jam castris Mago relictis, Jam Libyæ ductor properantia signa citato Raptabant cursu, et cessata reponere avebant Tempora cæde virum ac multo pensare cruore. *h. e.* restituere tanto majore strage. ¶ 5. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 3., est ad tempus recondere servandi causa. *Virg.* 1. *Æn.* 26. Manet alta mente repostum Judicium Paridis spretæque injuria formæ. *Tac. Agric.* 39. *in fin.* Optimum in præsentia statuit, reponere odium. *h. e.* occultare, celare. *Quintil.* 8. *proœm.* 29. Sed opus est studio præcedente et acquisita facultate et quasi reposita. *Val. Flacc.* 2. 286. Navis Thetidi Glaucoque reposta. *h. e.* reposita post longum usum et consecrata. Simile est illud *Virg.* 5. *Æn.* 484. hic victor cæstus artemque repono. Mos enim fuit arma et instrumenta artis postibus alicujus Dei suspendere et sacrare post desitam artem et exactam militiam. V. *Virg.* 1. *Æn.* 252. et 7. *Ecl.* 24., *Horat.* 3. *Od.* 26. 3. et 1. *Ep.* 1. 5. ¶ 6. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 4., est alterius rei loco ponere. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 52. At vero præclarum diem illis reposuisti, Verres, ut agerent. ¶ 7. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 5., est deponere. *Reponere fugam,* cessare a cursu, apud *Stat.* 6. *Theb.* 591. nunc ignea tollunt Crura, brevemque fugam necopino fine reponunt. — Et *Manil.* 2. 649. Sumere iam et reponere. ¶ 8. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 6., est simpliciter ponere sive collocare. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Stellas in Deorum numero reponere. *et* 1. *ibid.* 15. 38. Homines jam morte deletos reponere in Deos. *Antonius* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att. a med.* aliquem in suis. *Cic.* 2. *Orat.* 48. 198. Si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. *Id. Sull.* 33. 92. In judicum humanitate causam totam reponere. *Id.* 9. *Fam.* 14. *sub fin.* Intelligere debes, in te repositam esse rempublicam. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *circa med.* in re aliqua omnem fiduciam. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. spem omnem in virtute. *Liv.* 1. 49. In caritate civium nihil spei reponens. *Id.* 27. 45. In illorum armis dextrisque suam liberûmque suorum salutem ac libertatem repositam esse. *Tac. Germ.* 30. Plus reponere in duce, quam in exercitu. *Val. Flacc.* 5. 391. In te animos, sed et omnia nostra repono. *Virg.* 3. *Ecl.* 54. Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas. *h. e.* immittas, infigas. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Hoc sit negotium tuum, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. *h. e.* insumatur, occupetur, collocetur. — Hinc Participium præter pass., cujus exempla retulimus, *Repositus, a, um,* adjective quoque usurpatur, et est retro positus, remotus, reductus, sepositus, dissitus, *rimoto, posto addentro, appartato, riposto. Virg.* 6. *Æn.* 59. penitusque repostas Massylum gentes. *Id.* 3. *ibid.* 364. Italiam petere, et terras tentare repostas. *Apul.* 4. *Met.* Convalles lacunosæ cavæque nimium, spinetis exaggeratæ et quaquaversus repositæ.

RĔPORRĬGO, is, ere, a. 3. rursus porrigo. *Petron. fragm. Tragur.* 51. *Burmann.* Phialam reporrigere.

RĔPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus reportandi. *Augustin. de gest. Pelag.* 5. Et ab inimicis victoriarum reportatio.

RĔPORTĀTUS, a, um. *V.* voc. sequent.

RĔPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* porto). Particip. *Reportans, Reportatus* et *Reportandus* I. 2. — Reporto est retro porto, revebo, refero, ἀνακομίζω (It. *portare indietro, riportare;* Fr. *porter en arrière, retirer;* Hisp. *llevar hacia atras, retirar;* Germ. *zurücktragen, - bringen;* Angl. *to bring or carry back, carry again*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 5. *B. G.* 23. Quod nonnullæ deperierant naves, duobus commeatibus exercitum reportare constituit. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Legiones classe, ut advexerat, reportat. *Cic.* 4. *Att.* 17. *ad fin.* Exercitum Britannia reportabant. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. Illi (*milites*) orant atque obsecrant, ut in Siciliam reportentur. *C. Gracchus* apud *Gell.* 15. 12. *extr.* Alii vini amphoras quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportaverunt. *Virg.* 1. *G.* 274. lapidemque revertens Incisum, aut atræ massam picis urbe reportat. *Cic.* 6. *Verr.* 28. 64. Statuerunt id (*candelabrum*) secum in Syriam reportare. *Tac.* 14. *Ann.* 12. Lolliæ Paulinæ cineres reportari permisit. — *Reportare se,* se referre, recipere se, reverti, *ritornare. Auct. B. Hisp.* 4. Lusitani, bene magna manu comparata ad Didium se reportant. *Apul.* 1. *Met.* Lautusque ad hospitium Milonis ac deinc cubiculo me reporto. — Huc pertinet et illud *Virg.* 11. *Æn.* 764. Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat. — Pro reducere *Catull.* 46. 10. Longe quos simul a domo profectos Diversos variæ viæ reportant. ¶ 2. Speciatim de victore dicitur, et est referre, hoc est colligere, consequi, obtinere, et quasi domum secum ferre, *riportare, conseguire. Cic. pro leg. Manil.* 3. 8. Ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. *Id.* 3. *Legg.* 8. 18. Nihil enim, præter laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Ex proconsulatu Asiæ gloriam reportaverat. Sic *Id. Paneg.* 16. Imperatore veram ac solidam gloriam reportante. *Flor.* 1. 1. *a med.* Spolia opima de rege Feretrio Jovi manibus suis reportavit. *Plin. præf. Hist. nat.* (30). Qui imperator triumphum reportavit. *Apul.* 11. *Met.* Curiositatis improsperæ sinistrum præmium reportasti. — Similiter *Cic. post redit. in senat.* 11. 28. Non reducti sumus in patriam, ut nonnulli cives, sed equis insignibus et curru aurato reportati. *come in trionfo.* et 2. *leg. Agr.* 23. 61. Nam si est æquum, prædam ac manubias suas imperatores, non in monumenta deorum immortalium - conferre, sed ad decemviros, tamquam ad dominos, reportare etc. *Orellius tamen leg.* deportare.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est referre. *Cic.* 7. *Verr.* 49. 128. Unicum hic miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat. Non ex litibus æstimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. *Horat. Carm. sæc.* 74. Spem bonam certamque domum reporto. *Justin.* 11. 14. 12. Data potestate redeundi agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 13. O longum memoranda dies! quæ mente reporto Gaudia! ¶ 2. Speciatim est renuncio, refero, *riferire, portare in risposta, riportare. Virg.* 2. *Æn.* 114. Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus; isque adytis hæc tristia dicta reportat. *Id.* 7. *ibid.* 284. Talibus Æneadæ donis dictisque Latini Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant. *Id.* 11. *ibid.* 511. Æneas, ut fama fidem missique reportant Exploratores, equitum levia improbus arma Præmisit etc. *h. e.* ut fama et missi exploratores fidem faciunt. Et cum Infinito. *Id.* 7. *ibid.* 166. longævi regis ad aures Nuncius ingentes ignota in veste reportat Advenisse viros. *Propert.* 3. 4. 37. Et mea cum multis lacrimis mandata reporta. *Apul. de Mag.* Reportat ad socerum haud mollia. *Ovid.* 3. *Met.* 369. *de Echo.* Ingeminat voces, auditaque verba reportat.

RĔPOSCO, scis, scere, a. 3. (re *et* posco). Particip. *Reposcens* 2. — Reposco ¶ 1. Est rursus posco, repeto: et de iis dicitur, quæ nostra fuerunt, vel aliqua ratione nobis debentur, ἀπαιτέω, (It. *ridomandare, ripetere;* Fr. *redemander, réclamer, demander en retour;* Hisp. *volver á pedir, reclamar, domandar de retorno;* Germ. *zurückfordern, wiederfordern, fordern, einfordern;* Angl. *to demande back, ask again walh is one's own, claim*). *Ter. Adelph.* 1. 2. 51. Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti. *Plaut. Trin.* 3. 2. *in fin.* Cui talentum mutuum dedi, reposcam. *Id. Aulul.* 4. 10. 33. Aulam auri te reposco, quam tu confessus mihi te abstulisse. *Virg.* 7. *Æn.* 606. Parthosque reposcere signa. *Val. Flacc.* 7. 650. Haud jam mendacem promissa reposcere regem Dignatur. *Stat.* 11. *Theb.* 570. I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam. *Cic.* 6. *Verr.* 51. 113. Ut ad Verrem adirent, et eum simulacrum Cereris reposcerent. *Id. post redit. in Senat.* 4. 10. Quorum alter a me Catilinam amatorem suum, alter Cethegum consobrinum reposcebat. *Virg.* 11. *Æn.* 240. Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit Ordine cuncta suo. *Martial.* 8. 38. Reposcere vicem. *h. e.* ut par pari referatur. *chiedere ricompensa.* et *Plin.* 1. *Ep.* 13. *in fin.* Ut in ceteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. *Id.* 7. *Ep.* 12. *extr.* Negabis ullius pretii esse libellum, cujus pretium reposceris. ¶ 2. Universim pro exigere, repetere, postulare, *dimandare, esigere. Catull.* 50. 20. Ne pœnas Nemesis reposcat a te. *Virg.* 2. *Æn.* 139. Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent Effugia. et 12. *ibid.* 573. Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis. *Propert.* 2. 1. 81. Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 27. (et 5. *Verr.* 1. 1.). Nihil est quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Hi sapient, et, si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent. *Liv.* 39. 37. *circa med.* Vos rationem reposcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Sic *Quintil.* 6. 3. 10. Quum rationem facti reposcerentur. *Est tamen qui leg.* reposceret. *Ovid.* 13. *Met.* 234. trepidos cives exhortor in hostem, Amissamque mea virtutem voce reposco. *Lucret.* 6. 920. Quo magis attentas aures animumque reposco. *Tac.* 3. *Ann.* 13. Quid dicturi reposcentibus aut prospera aut adversa?

RĔPOSCO, ōnis, m. 3. qui, quod sibi debeat putat, acriter reposcit, flagitator molestus et assiduus. *Ammian.* 22. 16. 23. Homines Ægyptii ad singulos motus excandescentes, controversi et reposcones acerrimi.

RĔPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus reponendi, et recondendi. *Pallad.* 1. *R. R.* 32. Repositiones fœni, ligni, cannarum nihil refert, in qua parte fiant, dummodo siccæ sint. *Nips.* inter *Gromat. vet. p.* 286. *Lachmann.* in *lemmate.* Limitis repositio. Adde *eumd. ibid. p.* 288. et *V. Rudorffii* adnotat. *p.* 341. *n.* 276. ¶ 2. Item locus, in quo res aliqua reponitur, *ripostiglio.* V. *Inscript.* in SUBSCALARIS.

RĔPŎSĬTĬŌNĀLIS, e, adject. qui repositus est, vel reponi potest. *Repositionales limites* leguntur apud *Boeth. demonstr. art. Geometr. p.* 409. ed. a *Rudorff.* inter *Gromat. vet.*

RĔPŎSĬTŌRĬUM *et per syncop.* Rĕpostōrĭum, ii, n. 2. (repono). ¶ 1. Est instrumentum, puta orbis, aut discus major, in quo vasa escaria in mensa imponuntur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49.

(140). Vasa argentea et in mensas repositoriis imponimus. *et ibid.* 52. (146). Cornelius Nepos tradit - repositoriis argentum addi sua memoria cœptum; Fenestella, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu, ait et testudinea tum in usum venisse (V. 9. *ibid.* 11. 13. (39). ante se autem paullo lignea, rotunda, solida, nec multo majora, quam mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata et compacta, aut acere operta, aut citro cœpisse: mox additum argentum in angulos lineasque per commissuras. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (26). Bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur. *Id.* 18. *ibid.* 35. 90. (365). In cibis mensisque nostris vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis relinquentia diras tempestates prænunciant. *V.* INCITEGA; et adde *Petron. Satyr.* 35. et 60. ¶ 2. Idem est ac sepulcrum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 95. His igitur omnibus mando repositorium corpori meo fieri auri magnorum talentorum sex. ¶ 3. *Repostorium* per syncopen: accipitur etiam pro loco secretiore in ædibus, ubi pretiosiora quæque reponuntur. *Capitolin. M. Aurel.* 17. Vendidit gemmas etiam, quas multas in repostorio sanctiore Hadriani repererat. — Sic generatim *Acro* ad *Horat.* 1. *Sat.* 1. 50. *Granaria,* horrea, in quibus frumenta reponuntur, repositoria.

RĔPŎSĬTUS *et per syncop.* Rĕpostus, a, um, particip. *V.* REPONO.

RĔPOSTOR, ōris, m. 3. *ristoratore, restitutore,* qui reponit, h. e. reficit, restitutor, restaurator, reparator, refector. *Ovid.* 2. *Fast.* 63. *de Augusto.* Templorum positor, templorum sancte repostor. *Alii leg.* refector.

RĔPOSTŌRĬUM. *V.* REPOSITORIUM 3.

RĔPOSTUS *pro* Repositus. *V.* REPONO.

RĔPŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. iterata potatio. *Varro* 6. *L. L.* 84. *Müll., qui tamen legit* repotia. *V. ibid.* adnotat.

RĔPŌTĬA, ōrum, n. plur. 2. (re *et* potare). ¶ 1. Stricto sensu, *repotia,* τά ἐπαύλια, sunt, quum postridie nuptias apud novum maritum cœnatur: quia quasi reficitur potatio. Ita *Festus* p. 281. 3. *Müll.* Aliis est septimus a nuptiis dies, quo nova nupta solebat redire ad parentes suos, ut est apud *Acron.* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 2. 60. Ille repotia, natales aliosve dierum Festos albatus celebret. *Gell.* 2. 24. *sub fin.* Lege Julia profestis diebus CC. finiuntur (*in sumptum cœnæ*), calendis, idibus, nonis et aliis quibusdam festivis CCC., nuptiis autem et repotiis HS mille. *Auson. sub fin. epist.* 9. Natalis si forte fuit solemnis amico Conjugioque dapes aut sacra repotia patrum. *h. e.* quæ in liberorum baptismate celebrantur. ¶ 2. Generatim. *Apul. de Mag.* Quid sit diei, vides. Dico, Crassum jamdudum ebrium stertere, aut secundo lavacro, ad repotia cœnæ obeunda, vinolentum sudorem in balneo desudare. *h. e.* ad repetendam potationem. *Id. de Mundo.* Hic ad convivii repotia vespertinus comissator adventat.

RĔPŌTĬĀLIS, e, adject. ad repotia pertinens. *Pacuv.* apud *Festum p.* 281. 4. *Müll.* ex lectione *Scalig.* Ab eo depulsum mamma pædagogandum accipit repotialis liber. *h. e.* puer natus statim post nuptias, ipsis repotiis. *V.* Interpretes *Festi,* inter quos *Müllerus* legendum putat *repotiali lacte.*

RĔPRÆSENTĀNĔUS, a, um, adject. idem quod præsentaneus, præsens. *Tertull. Apolog.* 28. Repræsentaneæ potestatis respectu aliquid agere.

RĔPRÆSENTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus repræsentandi, *rappresentazione, il far vedere, il mettere sotto gli occhi,* ὑποτύπωσις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est actus repræsentandi, et rem quasi præsentem atque ob oculos ponendi. *Quintil.* 8. 3. 61. Plus est evidentia, vel, ut alii dicunt, repræsentatio, quam perspicuitas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (12). Orca, infesta balænis bellua, cujus imago nulla repræsentatione exprimi possit alia, quam carnis immensæ dentibus truculentæ. *Gell.* 10. 3. *circa med.* Sed enim Cicero præclare, quum diutina repræsentatione non *cæsus est,* sed *cædebatur,* inquit, (7. *Verr.* 62. 162), *virgis in medio foro Messanæ civis Romanus. Tertull. advers. Prax.* 24. Pater visibilis fit in filio ex virtutibus, non ex repræsentatione personæ. ¶ 2. Speciatim. *Repræsentatione emere,* præsenti solutione seu pecunia, *a soldo contante, a soldo vivo. Cic.* 12. *Att.* 31. Si Faberianum venderem, explicare vel repræsentatione non dubitarem de Silianis, si modo adduceretur, ut venderet. *Id.* 13. *ibid.* 29. *sub fin.* Dolabellæ nomen jam expeditum videtur, ut etiam repræsentatione confidam. *Marcell. Dig.* 35. 1. 35. Repræsentatio fideicommissi. *h. e.* præsens solutio.

II.) Translate est figura, exemplum, imago. *Val. Max.* 5. 10. *n.* 2. Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio.

RĔPRÆSENTĀTOR, ōris, m. 3. qui repræsentat, *chi rappresenta. Tertull. advers. Prax.* 24. *circa med.* Filius repræsentator patris.

RĔPRÆSENTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. sequentem.

RĔPRÆSENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* præsens). Particip. *Repræsentans* I. 2. et II. 2.; *Repræsentatus* I. 1. *a.* et 2.; *Repræsentaturus* et *Repræsentandus* II. 2. — Repræsento est idem ac præsentem esse facio, ob oculos pono, in conspectu pono, refero, exhibeo, υποτυπόω (It. *far vedere presente, porre sotto gli occhi, rappresentare;* Fr. *rendre présent, mettre devant les yeux, représenter, reproduire;* Hisp. *hacer presente, representar, reproducir;* Germ. *wieder vergegenwärtigen, gegenwärtig vorführen, - darstellen;* Angl. *to represent, exhibit as present, lay before one*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 6. Scopulos per stagni spatia disponere, et quantum comminisci valet hominis ingenium, repræsentare faciem veri maris. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154). Crocallis gemma cerasum repræsentat. *pare, è simile a una ciriegia.* et *ibid.* 58. (159). Encardia cordis speciem repræsentat. *et ibid.* 8. 33. (122). Callaides viliores constantius colorem repræsentant. *h. e.* exhibent ac servant. Sic *Colum.* 12. *R. R.* 49. 8. Hæc maxime nota (*conditurœ*) etiam post annum repræsentat viridem saporem olivarum. *Cic. Sext.* 11. 26. Erat senatus in æde Concordiæ, quod ipsum templum repræsentabat memoriam consulatus mei. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 12. si quis vultu torvo ferus et pede nudo Exiguæque togæ simulet textore Catonem, Virtutemne repræsentet moresque Catonis? *Apul. Florid. n.* 9. Effingere et repræsentare virtutes alicujus. *h. e.* moribus exprimere, referre, imitari. *Id. de Mag.* similitudinem alicujus rei. *Plin.* 4. *Ep.* 19. affectum patris. *mostrare un amor da padre.* In quodam SC. apud *eumd.* 8. *Ep.* 6. Quum senatui populoque R. liberalitatis gratior repræsentari nulla materia possit, quam si etc. *presentarsi, offerirsi. Id.* 9. *Ep.* 28. Nuncias, multa te nunc dictare, nunc scribere, quibus nos tibi repræsentes. *h. e.* nos, qui absumus, velut præsentes tibi facias. *Plin. alter* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (65). Repræsentata veritas. *Val. Max.* 7. 5. *init.* Campi repræsentata conditio. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 24. (89). Charmadas quidam in Græcia, quæ quis exigeret volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentavit. *recitò a mente.* statim memoriter, quid illa continerent, recitavit. — *b*) *Repræsentare* dicuntur pictores et statuarii, qui similes imagines faciunt, *ritrarre, rappresentare al naturale. Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (88). Niceratus repræsentavit Alcibiadem lampadumque accensu matrem ejus sacrificantem. Adde *Val. Max.* 8. 11. *n.* 3. *et* 5. *extern.* — *c*) Item oratores graphice quippiam describentes. *Id.* 2. 7. *n.* 6. — *d*) *Repræsentare* se, præsentem se sistere, adesse, *farsi vedere, presentarsi. Colum.* 11. *R. R.* 1. 26. (et 1. *ibid.* 8. 11.). Curabit villicus, ut justa reddantur: istaque non ægre consequetur, si semper se repræsentaverit. *Apul.* 10. *Met.* Ut iste repræsentatus est judicio. *s' è presentato, è comparso.* Adde *Ulp. Dig.* 48. 5. 15. *ante med.* ¶ 2. Speciatim in emptionibus et solutionibus significat pecunia præsenti rem transigere. *comperare col soldo alla mano, pagare senza ritardo. V.* REPRÆSENTATIO I. 2. *Cic.* 12. *Att.* 25. Reliquæ pecuniæ vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio vel ab aliquo, qui Faberio debet, repræsentabimus (Adde *ibid.* 29). *Sueton. Aug.* 101. Legavit populo Romano quadringenties, cohortibus urbanis quingenos, legionariis tricenos nummos: quam summam repræsentari jussit: nam et confiscatam semper repositamque habuerat. *h. e.* statim post mortem suam solvi. *Id. Claud.* 18. Positis ante se cum pecunia fiscis, ad subveniendum hortatus est, repræsentans pro opera dignam cuique mercedem. *dando sul fatto* etc. *Cic.* 16. *Fam.* 14. *in fin.* Dies promissorum adest: quem etiam repræsentabo, si adveneris. *h. e.* statim atque adveneris, præstabo: quamvis dies promissorum tunc, quum advenies, fortasse impletus non erit. Loquitur autem de manumissione, quam Tironi suo ante diem certam promiserat: quamque eidem præstitisse comperimus ex epistola Quinti fratris ejus 15. *Fam.* 16. *Marcell. Dig.* 35. 1. 35. *a med.* Repræsentare fideicommissum. *h. e.* ante diem finitam, in præsenti ac statim solvere. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. Repræsentatam pecuniam consumere. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 5020. IN VIA DVCENTE HERDONIAS TRIA MILIA PASSVVM EX D. D. REPRAESENTATA PECVNIA STRAVIT.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1., *repræsentare vicem,* præstare. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 45. (160). Butyrum per se prodest contra venena: nam si oleum non sit, vicem ejus repræsentat. *Id.* 18. *ibid.* 14. 36. (134). Lupinum adeo non eget fimo, ut optimi vicem repræsentet. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2., *repræsentare aliquid,* statim et in præsentia præstare quod differri poterat, *far subito. Seneca Ep.* 95. *init.* Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repræsentem. *Frontin. Aquæd.* 119. Ut æstimet, quæ repræsentanda, quæ differenda sint. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. *ad fin.* Se, quod in longiorem diem collaturus esset, repræsentaturum, et proxima nocte castra moturum. *Auct. B. Alex.* 70. Respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si quæ polliceretur, repræsentaturus esset. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 7. (10). Thespiarum fons conceptus mulieribus repræsentat. *h. e.* statim fecunditatem affert. *Cic.* 5. *Fam.* 16. *ad fin.* Neque debemus exspectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. *h. e.* statim adhibere. *Id.* 2. *Phil.* 46. 118. Corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest. *h. e.* statim dari. *Id.* 16. *Att.* 2. *circa med.* Mihi videntur istorum animi incendi etiam ad repræsentandam improbitatem suam. *h. e.* in præsenti declarandam, effundendam, exsatiandam. *Curt.* 10. 1. 39. Cœperat esse præceps ad repræsentanda supplicia. h. e. statim irroganda. *Id.* 6. 11. 33. Repræsentare consilium. h. e. maturare. *Quintil.* 10. 7. 2. judicia. *Phædr.* 3. 10. in se pœnam facinoris. Sic *Sueton. Claud.* 34. Tormenta quæstionum pœnasque parricidarum repræsentabat exigebatque. *h. e.* statim sumebat, nulla post sententiam dilatione interposita. *Id. Vitell.* 10. *a med.* Verbera et plagas, sæpe vulnera, nonnunquam necem repræsentantes adversantibus. *h. e.* statim inferentes. Huc referri potest et illud *Cœl. Aurelian.* 2. *Acut.* 37. *a med.* Hæc enim imposita constringunt fluida atque laxata corpora, et stomachi vigorem repræsentant. *h. e.* brevi restituunt.

RĔPRÆSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem fere quod præsto, do, exhibeo, solvo. *Paul. Dig.* 19. 1. 47. L. Titius accepta pecunia ad materias vendendas sub pœna certa, ita ut si non integras repræstaverit etc. *Ulp. ibid.* 36. 1. 22. Decrevisse divum Marcum, fideicommissum eis repræstandum. Ita *Torrentini* editio et alior. Apud *Haloandr.* et alios *præstiterit* et *repræsentandum.*

RĔPRĔHENDO, hendis, hendi, hensum, hendere, a. 3. (re *et* prehendo). *Reprendo* et *He-*

prensus syncop. fere poeticum est. *Ovid. Heroid.* 11. 53. Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo. *Lucilius* apud *Non. p.* 427. 31. *Merc.* Calpurni sævam legem Pisoni' reprendi: Eduxique etc. *Lucret.* 4. 497. Nec porro poterunt sensus reprendere sese. *V.* alia exempla in I. et II. 1. et 2. *a. d.* — Particip. *Reprehendens* II. 2. *a. e.*; *Reprehensus* I. et II. 1., 2. *a.*; *Reprehensurus* II. 2. *a.*; *Reprehendendus* II. *a. c.* — Reprehendo est retro prehendo, prehendendo retraho: et proprie est euntem vel fugientem capere, sistere et retrahere, ἀναλαμβάνω, ἀντιλαμβάνω (It. *prendere e tirare indietro, fermare, ritenere prendendo;* Fr. *retenir en saisissant, retenir, arrêter, saisir;* Hisp. *retener agarrando, detener, arrestar, agarrar, asir;* Germ. *ergreifend zurückhalten, fassen, festhalten, rückwärtsziehen, wiederer greifen;* Angl. *to catch again, lay hold of, seize, publ back*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 59. et *Trin.* 3. 1. 22. Ut illæ, here quæ pallio me reprehenderunt. *Id. Most.* 4. 1. 5. Servi fugiunt: sed si reprehensi sunt, faciunt etc. *Liv.* 34. 14. *a med.* Adeo turbati erant equites peditesque, ut quosdam consul manu ipse reprehenderit, et adversos in hostem verterit. *Phædr.* 5. 8. Quem si occuparis, teneas: elapsum semel Non ipse possit Juppiter reprendere. *Sueton. Cal.* 45. Obsides quosdam clam præmissos, cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos, in catenis reduxit. *Curt.* 4. 14. 2. Reprehensi ex fuga Persæ. *Ovid.* 15. *Met.* 525. de *Hippolyto.* nervos in stirpe teneri, Membra rapi partim, partim reprensa relinqui. *ritenute.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est retinere, revocare, reprimere. *Cic.* 4. *Acad. p.* 45. (2. *pr.*) 139. Labor eo, ut assentiar Epicuro: revocat virtus, vel potius reprehendit manu. *Ter. Adelph.* 4. 4. 13. Sensi illico id illas suspicari: sed me reprehendi tamen, ne quid de fratre garrulæ illi dicerem. *h. e.* me reprehendi. *mi sono trattenuto. Alii leg.* repressi. *Lucret.* 6. 568. vis nulla refrenet Res, neque ab exitio possit reprendere euntem. Sic pro retinere aliquid ne elabatur, aut dissolvatur, *Lucret.* 3. 598. et omnes Extremum cupiunt vires (*Lachmann.* vitæ) reprendere vinclum. *Id.* 3. 858. Nec memori tamen id quimus reprendere mente. *Propert.* 3. 17. 9. Cursum alicujus reprehendere. *fermare, ritenere.* — Et iterum prehendo, resumo, *ripigliare. Ter. Adelph. prol.* 12. Pernoscite, furtumne factum existimetis, an locum reprehensum, qui præteritus negligentia est. ¶ 2. Speciatim et sæpe est increpo, arguo, castigo verbis, accuso, *biasimare, ripigliare, riprendere:* nam etiam verbis ab agendo retrahimus. — *a*) Cum Accusat., vel sequente *quod. Nepos Datam.* 5. Reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit. *Cic. Planc.* 35. 86. Meum discessum, quem sæpe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccusare voluisti. *Id.* 7. *Verr.* 18. 46. Non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Reprehendere temeritatem cupiditatemque militum. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 9. Non satis est reprehendisse peccantem, si non doceas recti viam. γνώμη. *Ter. Adelph.* 5. 9. 36. Consuiltis parum hæc reprehendere, et corrigere me. *Sueton. Vesp.* 23. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus esset. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 11. Nonnullos hanc intelligentiam reprehensuros arbitror. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 67. si Egregio inspersos reprendas corpore nævos. *Id.* 1. *ibid.* 10. 55. Quum de se loquitur, non ut majore reprensis. *Plin.* 8. *Ep.* 10. *a med.* Tanto melius de viro merita, quanto magis est reprehensa, quod nupsit. — Similiter usurpatur de scriptis, quæ minus proba videntur, *criticare,* notare. *Sueton. Gramm.* 10. Asinius Pollio Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Plurimum autem refert reprehendenda annotes, an insignia. Adde *Cic. Orat.* 8. 26. — *b*) *Reprehendere aliquem in aliqua re,* ut *Cic.* 5. *Verr.* 2. 4. Ita postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. *Id.* 6. *Att.* 2. 3. Græcos in eo reprehendit, quod mare tam secuti sunt. *Id. Partit. orat.* 37. 129. Se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur. — *c*) *Reprehendere aliquem de aliqua re,* vel *aliqua re,* ut *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 28. Tum Xenophanes - de ipsa mente item reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem vehementius. *Quintil.* 12. 10. 43. Non erit hac calumnia reprehendendus. *Id.* 1. 5. 33. Sunt proprii quidam et inevitabiles soni, quibus nonnumquam nationes reprehendimus. — *d*) *Reprehendere aliquid in aliquo,* ut *Cic. Planc.* 36. 89. Tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Quæ in eo (*fratre*) reprehendat, ostendit. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 52. Tu nihil in magno doctus reprendis Homero? — *e*) Absolute, ut *Cic. Amic.* 16. 59. Ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum. *Id. Planc.* 31. 75. Ei quidem, qui pro uno laboravit, et ipsum id non obtinuerit, dici *Quousque,* irridentis magis est, quam reprehendentis. ¶ 3. Item speciatim est confuto, præcipue apud Rhetores. *Cic. Partit. orat.* 12. 44. et 1. *Invent.* 42., 44., 45., 46. etc. *V.* REPREHENSIO II.

RĔPRĔHENSĬBĬLIS, e, adject. *riprensibile,* reprehensione dignus. *Salvian.* 4. *Gubern. D.* 14. Ebrietas reprehensibilis. *Rufin.* 2. *Invectiv. in Hieronym. n.* 30. Quæ tibi videbantur reprehensibilia, in medium proferre debueras. Adde *Vulg. interp. Gal.* 2. 11. — Comp. *Reprehensibilior* apud *Ambros. in Ps.* 118. *Serm.* 3. Ut - in quo laudabilis fore crederĕtur, ibi reprehensibilior judicaretur.

RĔPRĔHENSĬBĬLĬTER, adverb. *riprensibilmente,* vituperabiliter. *Alcim. Ep.* 9. Ne videatur facultas in eo sacerdotalis officii reprehensibiliter minorata.

RĔPRĔHENSĬO, ōnis, f. 3.

I.) Proprie est actus prehendendi, sistendi et retro trahendi, retractio. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 100. Concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta vel poesis vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna. *h. e.* si non sistat se quodammodo et continuata suavitate retrahat. *Lambin. leg.* respiratione.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe est increpatio, vituperatio, *accusa, riprensione, disapprovazione, ripiglio,* ἐπιτίμησις, ἐπίπληξις. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 25. Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpæ reprehensionem et stultitiæ vituperationem relinquere. *Plancus* ad *Cic.* 10. *Fam.* 23. A reprehensione temeritatis absum. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 1. Ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. *Id. Orat.* 1. 1. Doctorum reprehensionem vereri. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 8. (49). Magna reprehensione aliquid facere. *Tac.* 1. *Hist.* 49. Sine reprehensione quippiam agere. *Sueton. Ner.* 19. *sub fin.* Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna, in unum contuli. *Quintil.* 5. 7. 1. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. *Id.* 8. 5. 34. Aliquis intra reprehensionem nitor. et 11. 3. 165. Mollior nonnumquam cum reprehensione diversæ partis imitatio. ¶ 2. Passive est peccatum, error, seu quidquid reprehensione dignum est. *Quintil.* 3. 11. 22. Ut ipsa ejus reprehensio laude aliqua non indigna sit. Huc pertinere videtur et illud *Plin.* 3. *Ep.* 7. Erat, (*Silius Italicus*) φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem. ¶ 3. Apud Rhetores *reprehensio* est idem quod confutatio, quum argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur, ut ait *Cic.* 1. *Invent.* 42. 78. Adde *ibid.* 14. 19. et *Partit. orat.* 9. 33. et 12. 44. ¶ 4. Recensetur etiam ab *eod.* 3. *Orat.* 54. 207. inter figuras verborum, quum orator corrigit seipsum, quasi reprehendens, ut *Id.* ait *Orat.* 39. 135. Græce est ἐπανόρθωσις, ἐπιδιόρθωσις. *Id. Rabir. Post.* 5. 10. Numquis testis Postumum appellavit? Testis autem? Num accusator? etc.

RĔPRĔHENSO, as, are, a. 1. frequentat. a *reprehendo,* ἐπαναλαμβάνω. *Liv.* 2. 10. Reprehensans singulos, obsistens obtestansque Deum et hominum fidem. *h. e.* retinens et retro trahens.

RĔPRĔHENSOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Est Ital. *riprensore,* μῶμος, qui reprehendit. *Cic. opt. gen. orat.* 6. 18. Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 6. 20. *Ovid. Heroid.* 17. 219. Delicti fies idem reprehensor et auctor. ¶ 2. Sumitur etiam pro emendatore et correctore. *Cic. Planc.* 3. 8. Ut reprehensores essent comitiorum.

RĔPRĔHENSUS, a, um, particip. *V.* REPREHENDO.

RĔPRENDO, dis, etc. *et*

RĔPRENSUS, a, um.. *V.* REPREHENDO.

RĔPRESSE, adverb. *con riguardo, ristrettamente. Gell.* 12. 11. Si sciant homines, nihil diutius posse celari, repressius pudentiusque peccabitur. *Alii leg.* suppressius, *eodem sensu. Ammian.* 29. 2. 12. Nec tamen post hæc tam pœnitenda repressius actum est vel pudenter.

RĔPRESSĬO, ōnis, f. 3. *repressione,* coercitio. *Inscript.* apud *Murat.* 1412. 13. Cum quo vixit ann. XXV. sine repressione. Ita fortasse insculptum fuit vel marmorarii negligentia, vel vitio sæculi pro *reprensione.*

RĔPRESSOR, ōris, m. 3. κατασταλτής, qui reprimit. *Cic. Sext.* 69. 144. Exstinctor domestici latrocinii, repressor cædis quotidianæ. *Eutrop.* 10. 16. Julianus imperator tributorum, quatenus fieri posset, repressor. *h. e.* tributa minuens, nova non indicens.

RĔPRESSUS, a, um, particip. *V.* voc. sequent.

RĔPRĬMO, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (re *et* premo). Particip. *Reprimens* I. *b.*; *Repressus* I. *a. c. d.* et II. *a. b.*; *Reprimendus* I. *c.* — Reprimo est coerceo, cohibeo, inhibeo, compesco, ἀναστέλλω, καταστέλλω (It. *raffrenare, rattenere, reprimere, fermare;* Fr. *faire reculer en pressant, retenir, arrêter, empêcher d'avancer, refouler;* Hisp. *detener, reprimir, contener, refrenar, impedir de pasar adelante;* Germ. *zurückdrängen, aufhalten, zurückhalten, hemmen, einschränken;* Angl. *to repress, check, restrain, curb, keep within bounds, confine, stop, hinder*).

I.) Proprie. — *a*) Dicitur præcipue de torrente vel amne. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 69. Si lacus Albanus redundasset, Romam perituram; si repressus esset, Vejos. *Stat.* 5. *Theb.* 522. arentesque lacus fontesque repressi. *fermati, seccati. Flor.* 1. 1. 3. Reprimere amnem. et *Cic.* 6. *de republ.* 3. fletum. — *b*) Illa ad rem medicam pertinent, quum vis morbi sistitur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (182). Reprimere vulvas procidentes. *Id.* 27. *ibid.* 5. 15. (32). abundantiam sanguinis. *Id.* 20. *ibid.* 9. 36. (95). parotidas. *et* 31. *ibid.* 9. 45. (103). pusulas. *et* 20. *ibid.* 13. 51. (142). sudorem. *et* 34. *ibid.* 18. 50. (166). cicatrices. *scil.* ne deformitatem inducant: vel complanare. *Cels.* 2. 12. *a med.* alvum. quod *ibid.* supprimere, dixerat. *Id.* 6. 10. Medicamenta reprimentia. *et ibid.* 16. Si sine morbo id intumuit, primum reprimentibus experimentum fiat. — *c*) De aliis rebus physicis. *Cic. Brut.* 4. 16. Sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit. *h. e.* enectus. *Plaut. Cas.* 2. 8. 16. ego vix reprimo labra, quin etc. *Virg.* 2. *Æn.* 378. retroque pedem cum voce repressi. *Id.* 12. *ibid.* 939. Reprimere dextram. *trattenere il braccio.* Sic *Stat.* 11. *Theb.* 309. atque ensem, quem jam dabat ira, repressi. *Claudian. carm. de piis fratr.* 31. tanta virtute repressas Enceladi fauces obriguisse reor. *chiuse. Val. Flacc.* 6. 278. voxque repressa gelu. *Sueton. Cal.* 9. Repressum ac retentum vehiculum. *fermato. Tac.* 15. *Ann.* 43. Aqua privatorum licentia intercepta, subsidia reprimendis ignibus quisque haberet. — *d*) Raro de personis. *Novius* apud *Non. p.* 316. 6. *Merc.* Nunc res me ipsa reprimit; sæpe hac eadem sum grassatus via. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. His rebus comparatis, re-

presso jam Luctario et remoto etc. et *Cic.* 11. *Att.* 15. *ad fin.* Et cetera, quæ, fletu reprimor, ne scribam.

II.) Translate. — *a*) De abstractis. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 13. Impetus hostium repressi ac retardati. *Accius* apud *Non. p.* 495. 20. *Merc.* Reprime parumper vim citatum quadrupedum. *Cic.* 10. *Att.* 19. Dubitabat nostrum nemo, quin Cæsar itinera repressisset: volare dicitur, *h. e.* a celeritate se cohibuisset. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Reprimere fugam hostium. et 3. *B. C.* 93. cursum. *fermarsi a mezzo il corso. Cic.* 1. *Fin.* 1. 2. Difficilem quamdam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest. *Id.* 2. *ad Brut.* 7. Quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. *Id. Sext.* 55. 117. Vix homines odium suum a corpore ejus impuro represserunt. *Id.* 4. *Att.* 16. *sub fin.* Reprimere susceptam objurgationem. *h. e.* abrumpere, omittere. *Id.* 4. *Verr.* 22. 53. consuetudinem peccandi. *et ibid.* 26. 64. conatus alicujus. *Id. Sext.* 44. 95. furorem exsultantem alicujus. *Id. Harusp. resp.* 1. 1. alicujus impudentiam. *Id. Cæl.* 30. 71. Flagitii memoriam, non exstinctam illam quidem, sed repressam vetustate. *Id.* 1. *Cat.* 12. 30. Reipublicæ pestem paullisper reprimere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 8. iracundiam, atque ad se redire. *Ovid.* 9. *Met.* 163. solita gemitum virtute repressit. *Sueton. Cal.* 6. Sævitia repressa. — Cum Infinito. *Ennius* apud *Festum p.* 178. 17. *Müll.* Aut occasus ubi, tempusve audere repressit. Sed *audere* pro substantivo est. V. *Lachmann.* ad *Lucret.* 4. 244. — *b*) De personis. *Ter. Adelph.* 3. 2. 8. neque illum misericordia repressit. *Cic. Sext.* 69. 144. Sed me repente, judices, de fortissimorum et clarissimorum civium dignitate et gloria dicentem, et plura etiam dicere parantem, horum adspectus in ipso cursu orationis repressit. *Justin.* 1. 6. 15. Hac repressi castigatione, in prœlium redeunt. *Plin. Paneg.* 83. Reprimere se ac revocare ab omni contagione vitiorum. — *Reprimere se* est *trattenersi, raffrenarsi,* se continere. *Cic.* 2. *Legg.* 17. 44. Reprimam jam me, et non insequar longius. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 39. Reprimam jam me, ne ægre quidquam ex me audiat. Adde *eumd. Heaut.* 1. 2. 25. — Et mediorum apud Græcos more *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 58. Vix reprimor, quin te manere jubeam.

REPROBABILIS, e, adject. qui reprobari debet, Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 32.

RĔPRŌBĀTĬO, ōnis, f. 3. *riprovazione,* improbatio, rejectio, abolitio. *Tertull. Apolog.* 13. Nec electio sine reprobatione. Adde *eumd.* 4. *advers. Marcion.* 35. *ad fin.*; et *Vulgat. interpr. ep. ad Hebr.* 7. 18.

RĔPRŌBĀTRIX, īcis, f. 3. *riprovatrice,* quæ reprobat, *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 36. Disciplina reprobatrix superbiæ.

RĔPRŌBĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔPRŌBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* probo). Particip. *Reprobatus.* — Reprobo est idem atque improbo, rejicio, *disapprovare, rigettare, rifiutare, riprovare,* ἀποδοκιμάζω. *Scævola Dig.* 48. 4. 4. *extr.* Qui statuas imperatorum reprobatas conflaverit. *Paul.* 5. *Sentent.* 25. Reprobare monetam. Adde *Vulgat. interpr. Job* 5. 17., *Eccli.* 20. 22., 1. *Petr.* 2. 4. et alibi sæpe. — Apud *Cic.* 1. *Fin.* 7. 23. Quod ipsa natura adsciscat et reprobet, id est voluptatem et dolorem. *Jo. Nic. Madvig. legit:* Quod ipsa natura adsciscat et probet, id est, voluptatem et dolorem. Et apud *Quintil.* 6. *procem.* 3. Quem ultra esse usum mei, diis reprobantibus, credam? idem *Madvig.* ad *loc. cit.* ex *Ambros.* 1. *legit* diis repugnantibus.

RĔPRŌBUS, a, um, adject. *Reproba pecunia,* adulterina, improba, *moneta falsa. Ulp. Dig.* 13. 7. 24. Reprobos nummos creditori solvere. *et mox.* Reproba pecunia non liberat solventem.

RĔPRŌMISSĬO, ōnis, f. 3. *ripromissione,* ἐγγύησις, actus repromittendi. *Cic. Rosc. Com.* 18. 56. Siquidem sine cautione et repromissione, nihilominus id Fannius societati debebat. Adde *eumd. ibid.* 13. 39.

RĔPRŌMISSOR, ōris, m. 3. ἔγγυος, *mallevadore,* qui repromittit. *Vulgat. interpr. Eccli.* 29. 21. Repromissorem fugit peccator et immundus. Bona repromissoris sibi adscribit peccator. Adde *Ambros. de Fide* 4. 11. § 154.

RĔPRŌMISSUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔPRŌMITTO, mittis, mīsi, missum, mittere, a. 3. (re *et* promitto). Particip. *Repromittens* I. et II. 2.; *Repromissus* I. — Repromitto est vicissim promitto, stipulanti promitto, poscenti spondeo, *promettere vicendevolmente, obbligarsi,* ἀναδέχομαι.

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 2. 4. 47. Argentum tamen mihi si vis denumerare, repromittam istoc nomine solutam rem futuram. *Cic. Rosc. Com.* 13. 37. Repromittis tu abhinc triennium Roscio: quid? recita istam restipulationem clarius. *Id. Brut.* 5. 18. Non mehercule tibi repromittere istuc quidem ausus sim. *Justin.* 22. 2. 5. Hamilcarem exorat, ut inter se et Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sui repromittens. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2. Petiit quod illi in sinistris manibus gerebant: quibus dolose repromissis etc. — Cum Infinito et addita conditione. *Plaut. Curc.* 5. 3. 67. PH. Quamobrem istuc? TH. quia ille ita repromisit mihi, Si quisquam hanc liberali asseruisset manu, Sine controversia omne argentum reddere. et *Sueton. Claud.* 20. Fucinum aggressus est, non minus compendii spe, quam gloriæ, quum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur.

II.) Translate. ¶ 1. Adhibetur pro simplici promitto, polliceor, *promettere. Cic. post red. ad Quirit.* 10. 24. In referenda gratia hoc vobis repromitto semperque præstabo etc. *Plin.* 4. *Ep.* 27. Ad hunc gustum totum librum repromitto. Adde *Sueton. Tib.* 17. ¶ 2. Specialim est iterum promitto. *Sueton. Oth.* 4. Qui quum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens.

RĔPRŎPĬTĬO, as, are, a. 1. (re *et* propitio) iterum propitium reddo, idem fere ac propitio. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 17. Quod irreligiosi dicamur in Cæsares, usque imagines eorum repropitiando, neque Genios dejerando, hostes populi nuncupamur. *Vulgat. interpr. ep. ad Hebr.* 2. 17. Ut repropitiaret delicta populi. et *Levit.* 19. 22. Orabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus coram Domino, et repropitiabitur ei dimittetur que peccatum.

REPTĀBUNDUS, a, um, adject. multum reptans. *Seneca Vit. beat.* 18. *a med.* Hoc me non impediet, quo minus virtutem adorem, et ex intervallo ingenti reptabundus sequar. *carpone e strascinandomi.* et *ibid.* 12. Effusus in voluptates, reptabundus semper atque ebrius.

REPTANS, antis, particip. *V.* REPTO.

REPTĀTĬO, ōnis, f. 3. *lo strascinarsi, l' andare carpone,* ἕρψις, actus reptandi, reptatus. *Quintil.* 1. 12. 10. Ut corpora infantium nec casus tam graviter affligit, nec illa per manus et genua reptatio etc.

REPTĀTUS, a, um, particip. *V.* REPTO.

REPTĀTUS, us, m. 4. ἑρπυσμός, reptatio. In sexto casu sing. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate, peritia domini amplo discursu atria media complentes. V. *Sillig.* ad h. l. *Tertull. de Anim.* 10. *a med.* Limaces incedunt spumante reptatu.

REPTĬBĬLIS, e, adject. qui repere potest, reptilis. *Boeth.* in *Topic. Cicer.* 3. *p.* 805. Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet, ad rationale scilicet atque irrationale, ad mortale etiam atque immortale, ad ambulabile, reptibile, volatile, natabile, et est eorum omnium, quæ sub his differentiis sita sunt, genus.

REPTĬCĬUS, a, um, adject. qui reptando ingressus est. *Pseudo-Sall. declam. in Cic.* 1. Ita in hoc ordine M. Tullius moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi, Scipionis Africani, non repticius, accitus ac paullo ante insitus huic urbi civis. *Alii leg.* reperticius, *alii* repeticius.

REPTĪLE, is, n. 2. V. voc. sequent. in fin.

REPTĪLIS, e, adject. *rettile,* ἑρπετός, omne animal repens. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Ipsæ tuum mihi videntur adventum reptiles cochleæ cum domibus nativis antecessuræ. — Hinc

Reptile, is, n. 2. absolute, substantivorum more, est animal repens. *Vulgat. interpr. Genes.* 1. 20. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. et *ibid.* 24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Adde *eumd.* alibi sæpe.

REPTO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. Particip. *Reptans* sub *A.* I. et II. *a. b.*; *Reptatus* sub *B.* — Repto est frequentat. a *repo,* et ejusdem significationis atque usus. *V.* REPO. ἑρπύζω (It. *strascinarsi per terra, andare carpone;* Fr. *ramper, se traîner;* Hisp. *arrastrar per la tierra, arrastrarse;* Germ. *kriechen, schleichen;* Angl. *to creep along, crawl over, advance creepingly*).

A) Neutrum *reptare*

I.) Proprie est frequenter repere; et usurpatur — *a*) De brutis animalibus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 50. (95). Cetera in undis natant: locustæ reptantium modo fluitant. *Claudian. II. cons. Stilich.* 172. anguis reptavit placido tractu. *Gell.* 10. 12. Chamæleon humi reptans. *Claudian.* de equo 2. *in Eutrop.* 441. qui pondere postquam Decidit implicitus limo, cunctantia pronus Per vada reptabat cœno subnixa tenaci. — *b*) De hominibus et præcipue de pueris. *Seneca Herc. Fur.* 216. gemina cristati caput angues ferebant ora: quos contra obvius Reptavit infans. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 93. reptavit parvus in isto Sæpe sinu. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 260. At te nascentem gremio mox prima recepit Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro Reptasti. *Id.* 1. *Achill.* 476. *de Achille puero.* quis enim Æmoniis sub vallibus alter Creverit, effossa reptans nive.

II.) Translate. — *a*) De hominibus et brutis animalibus lente incedentibus. *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 3. 3. Major pars populi aridi reptant fame. *h. e.* adeo languent fame, ut stare nequeant et repant. ὑπερβολή. Cf. *Ammian.* 19. 8. 8. Per æstum arida siti reptantes aquam diu quæritando profundum bene vidimus puteum. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 4. tacitum silvas inter reptare salubres. *passeggiare.* et *Lucret.* 2. 317. in colli tondentes pabula læta Lanigeræ reptant pecudes. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 24.; et *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 316. — *b*) De plantis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (69). Cucumeres reptantibus flagellis scandentes parietum aspera in tectum usque. Huc referri potest et illud *Ammian.* 15. 10. 4. Pleraque vehicula vastis funibus illigata pone cohibente virorum vel boum nisu valido vix gressu reptante paullo tutius devolvuntur.

B) Activâ formâ *repto* nusquam legitur; sed passive usurpatur Particip. *Reptatus* et est reptando percursus, *scorso coll' ire a carpone o strascinandosi,* ἑρπυσθείς. *Stat.* 5. *Theb.* 581. Et Nemees reptatus ager. *scil.* ab angue. *Claudian. IV. cons. Honor.* 133. Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti. *Id.* 2. *in Rufin.* 180. teneroque amnis reptatus Achilli. *Pacat. Paneg. Theodos.* 4. *extr.* Geminis Delos reptata numinibus.

REPTUS, i, m. 2. vestis genus, de quo ita *Isid.* 19. *Orig.* 23. *ante med.* Rhenones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant, quos vulgo reptos vocant, eo quod longitudo villorum quasi reptat.

RĔPŪBESCO, is, ere, n. 3. (re *et* pubesco) *ringiovanire,* ἀνηβάω, rursus pubesco. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 4. Non ergo est exiguarum frugum causa terræ vetustas, si modò, quum semel invasit senectus, regressum non habet, nec revirescere aut repubescere potest.

RĔPŪDĬĀTĬO, ōnis, f. 3. *ributtamento, rifiuto,* ἀποπομπή, actus repudiandi, rejectio. *Cic.*

12. *Att.* 51. *a med.* Epistola, nisi plane iis intelliges placere, mittenda non est. Id autem utrum illi sentiant, anne simulent, tu intelliges. Mihi simulatio pro repudiatione fuerit. *Id. Mur.* 4. 9. Fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam coarguit. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 6. 42. 26. Repudiatio fideicommissi.

RĔPŪDĬĀTOR, ōris, m. 3. qui repudiat et rejicit. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 14. Marcionita repudiator creatoris.

RĔPŪDĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔPŪDĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Vocis etymon *V.* in REPUDIUM init. — Particip. *Repudiatus* I. 1. 2. et II. *a. b.*; *Repudiaturus* I. 1.; *Repudiandus* II. *a. b.* — Repudio est respuo, rejicio, repello, aspernor, ἀποπέμπω, ἀποβάλλω (It. *rigettare, rifiutare, ripudiare;* Fr *rejeter, refuser, répudier;* Hisp. *volver á arrojar, rehusar, recusar, repudiar;* Germ. *zurückweisen, nicht annehmen, verwerfen, verstossen;* Angl. *to reject, refuse, cast off, disown, divorce, repudiate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu adhibetur in re nuptiali, quum aut uxorem sponsamve quis dimittit, aut uxor sponsave virum vel sponsum. *Plaut. Truc.* 4. 1. 8. Si repudiatur miles, mulier mecum perit. *Ter. Andr.* 1. 5. 14. Repudiatus repetor. *Sueton. Cal.* 25. Orestillam ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit. *Id. Cæs.* 21. Repudiatus prior sponsus. *Id. ibid.* 74. *in fin.* Interrogatus, cur repudiasset uxorem, quoniam, inquit etc. *Id. Claud.* 26. Priorem sponsam virginem adhuc repudiavit. *Id. Tib.* 35. Quam (*uxorem*) se numquam repudiaturum, ante juraverat. *Quintil.* 7. 8. 2. Venefica secubanti amatorium dedit: eumdem repudiavit. ¶ 2. Latiori sensu apud JCtos de hereditate usurpatur, et est rejicere et nolle ad se pertinere. *Terent. Dig.* 37. 14. 21. *extr.* Liberti filius heres institutus, si bona repudiaverit, patronum non excludit. *Modestin. ibid.* 32. 1. 35. *ante med.* Repudiare fideicommissum. *Papinian. ibid.* 79. *sub fin.* hereditatem. *Paul. ibid.* 33. 5. 10. a se legatum. Sic *Martian. ibid.* 20. 6. 8. *a med.* Repudiatum legatum.

II.) Translate et sæpe universim ponitur pro respuere, rejicere. — *a*) De hominibus. *Plaut. Merc.* 5. 2. 30. Repudia istos comites. *Cic. Senect.* 16. 55. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati sunt. *Id. Mur.* 5. 11. A parente repudiatus videretur. *Id.* 8. *Phil.* 8. 23. Cui (*senatui populoque Rom.*) qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est totus repudiandus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 24. (104). Repudiat advenam inhospitalis duritia. — *b*) De rebus et abstractis. *Varro* 9. *L. L.* 111. *Müll.* Sic enim omnes repudiandum erit artes. *Plaut. Trin.* 2. 3. 11. Repudiare beneficium. *Id. Rud.* 3. 6. 47. hospitium. *Plin. Paneg.* 55. amplissimos honores. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. fortunam et duces. *Cic. Quint.* 14. 46. conditionem æquissimam. *Id.* 1. *Off.* 25. 89. Iracundia omnibus in rebus repudianda est. *Id. Orat.* 8. 25. Quod genus dicendi Athenienses funditus repudiaverunt. *Ter. Andr.* 4. 3. 18. Repudio quod consilium primum intenderam. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 3. Neque vero esse mirandum, si quum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. *Id. Cluent.* 70. 201. Cujus vota et preces a vestris mentibus repudiare debetis. *Id. Orat.* 3. 13. Eloquentia forensis spreta a philosophis et repudiata. *Id.* 9. *Phil.* 6. 15. Repudiata et rejecta legatio. *Quintil.* 12. 1. 16. Repudiatus vigintiviratus. *Id.* 1. 5. 71. Si recepta sunt (*nova verba*), modicam laudem afferunt; repudiata etiam in jocos exeunt. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 7 Majorem trima (*ovem*) dente minacem sterilem repudiabis.

RĔPŪDĬŌSUS, a, um, adject. qui repudiari meretur. *Plaut. Pers.* 3. 1. 56. Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias. *h. e.* ut nemo velit me habere uxorem propter hanc famam.

RĔPŪDĬUM, ii, n. 2. ἀποπομπή (It. *ripudio, rifiuto;* Fr. *refus d'un parti, répudiation, séparation, divorce;* Hisp. *deseche, repudiacion, separacion, divorcio;* Germ. *d. Trennung, Auflösung;* Angl. *the breaking off of a marriage-contract*) est — *a*) Rejectio uxoris aut sponsæ a viro aut sponso facta: vel viri aut sponsi ab uxore aut sponsa: a *pudor,* quia, ut est apud *Festum p.* 281. 12. *Müll.*, repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam. Accius: Repudio ejecta ab Argis: jam dudum exsulo. *Modestin. Dig.* 50. 16. 101. Divortium inter virum et uxorem fieri dicitur: repudium vero sponsæ remitti videtur, quod et in uxoris personam non absurde cadit. *Paulus ibid.* 191 Inter divortium et repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest: non recte autem sponsa divertisse dicitur, quando divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eunt, qui discedunt. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 53. Is me nunc renunciare repudium jussit tibi. EVCL. repudium, rebus paratis atque exornatis nuptiis? (Adde *Ter. Phorm.* 4. 3. 72.). *Id. ibid.* 69.; et *Lucilius* apud *Non. p.* 383. 20. *Merc.* Cohibet domi mœstus se, Albinus repudium quod filiæ remisit. *Marcell. Dig.* 24. 3. 38. Mævia denuo repudium sponsalibus misit. — Formula repudiandorum sponsaliorum hæc fere fuit: *Conditione tua non utor;* ut est apud *Cajum Dig.* 24. 2. 2. — *b*) *Repudium* pro divortio, h. e. diremptione matrimonii, *divorzio. Val. Max.* 2. 1. *n.* 4. Repudium inter uxorem et virum, a condita Urbe usque ad vigesimum et quingentesimum annum, nullum intercessit. (*V.* tamen *Gell.* 4. 3.). *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (122). M. Lepidus Apulejæ uxoris caritate post repudium obiit *Sueton. Tib.* 11. *a med.* Repudium uxori remittere. *Tac.* 3. *Ann.* 22. dicere. *Tertull. Apolog.* 6. *circa med.* scribere. *Justin.* 11. 11. 5. Uxorem repudio dimittere. — Formula fuit: *Res tuas tibi habeto. V.* DIVORTIUM.

RĔPŪĔRASCO, is, ere, n. incboat. 3. (re *et* puerasco) rursus puer fio, ad puerilem ætatem redeo, *rimbambire,* ἀνανηπιοῦμαι.

I.) Proprie. *Cic Senect.* 23. 83. Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam (*al.* repuerescam, *in MSS.* repueriscam), et in cunis vagiam.

II.) Translate est puerilia studia resumo, instar pueri desipio. *Plaut. Merc.* 2. 2. 24. Senex quum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit: ajunt solere eum rursum repuerascere. Hinc proverb. δὶς παῖδες οἱ γέροντες, ὀρθῷ τῷ λόγῳ. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 22. Lælium fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos *etc.*, conchas et umbilicos ad Cajetam legere consuesse. — Apud *Varron. Sat. Menipp.* 44. alii leg. *repuerascunt;* alii *repuellascunt* pro *puellascunt.* h. e. effeminantur.

RĔPUGNANS, antis, particip. *V.* REPUGNO.

RĔPUGNANTER, adv. *con repugnanza, di mal grado, ripugnantemente,* ἄκοντι, repugnando, invite. *Cic. Amic.* 25. 91. Monere et moneri proprium est veræ amicitiæ: et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter. Adde *Ammian.* 20. 8. 4.

RĔPUGNANTĬA, æ, f. 1. *repugnanza, resistenza, contrasto, contrarietà,* ἐναντίωσις, actus repugnandi, contentio, pugna. — *a*) Concreto, uti ajunt, sensu. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 45. (78). Natura hanc dedit repugnantiam (*h. e.* cuspidem) apibus, sicut contra serpentes Psyllis Marsisque inter homines. — *b*) Abstracte. *Cic.* 2. *Phil.* 8. 19. Qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis. *Id.* 3. *Off.* 7. 33. Panætius – induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (106). Concordia naturæ ac repugnantia.

RĔPUGNĀTĬO, ōnis, f. 3. repugnantia, obstaculum. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* 586. ed. *Oudendorp.* Ubi repugnationes istæ nocivæ erunt, Infelicitas dicitur. *Gloss. Labb.* repugnatio, ἀντιμάχησις.

RĔPUGNĀTOR, ōris, m. 3. impugnator. *Ambros. de Paradis.* 8. § 38. Conticescant igitur repugnatores isti Veteris testamenti. *Cyprian. de singul. Cleric. ante med.* Et pro altera persona contra Satanam repugnator.

RĔPUGNĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad repugnandum aptus. *Vitruv.* 10. 22. *a med.* In repugnatoriis rebus non tantum machinæ, sed etiam maxime consilia sunt comparanda. *nella difensiva.*

RĔPUGNAX. *V.* PERPUGNAX.

RĔPUGNO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re *et* pugno). Particip. *Repugnans* I. et II. 1. *b. d.* 2. et in fin.; *Repugnandus* II. 1. *a. e.* — Repugno est contra pugno, pugnando resisto, ἀντιμάχομαι, ἐναντιοῦμαι (It. *combattere contro, resistere combattendo;* Fr. *lutter, résister, opposer de la résistance à;* Hisp. *luchar, resistir, oponerse;* Germ. *dagegen – wieder etwas kämpfen, widerstreiten, widerstand leisten;* Angl. *to fight against, make a resistance*).

I.) Proprie in re militari. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare. *Id.* 7. *ibid.* 42 repugnantes diem noctemque obsident. *Cic.* 5. *Verr.* 35. 91. Quum ipsi neque repugnare neque mari effugere ullo modo possent. *Pompej. ad Domit.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ut non pugnet, sed suis locis repugnet, hærebit. *stia sulla difesa. Sall. Jug.* 47. Pauca oppida, repugnantibus Numidis, capit: plura deserta igni corrumpit. *Id. fragm.* apud *Donat. ad Ter. Phorm.* 1. 2. 48. Non repugnantibus modo sed ne deditis quidem. *Nepos Epam.* 9. Neque prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. *Liv.* 29. 33. Duæ turmæ hæsere: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta et confixa est. *Justin.* 12. 7. 6. Quum ad Nysan urbem venisset, oppidanis non repugnantibus – parci jussit.

II.) Translate. ¶ 1. Repugnare universim est quacumque ratione resistere, obniti, adversari, obstare, reluctari, *ripugnare, opporsi, esser contrario.* — *a*) Sæpe cum Dativo. *Cic. Rabir. perduell.* 5. *circa med.* Quum ego omnibus dictis atque factis repugnarim et restiterim crudelitati. *Id.* 4. *Fin.* 7. 17. Magnitudo animi, qua posset repugnari obsistique fortunæ. *Id.* 3. *Tusc.* 11. 25. His perturbationibus – omnibus viribus atque opibus repugnandum est. *Plin.* 7. *Ep.* 14. Patiaris, me in hoc uno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleo. *Id.* 8. *Ep.* 6. Repugnare voluntati principis. *Seneca Med.* 294. precibus. *Ovid.* 10. *Met.* 319. amori. *Marcell. Empir.* c. 33. *p.* 133. ed. *Ald.* Medicamentum dolori repugnat. — *b*) Cum præpos. *Cic. Rosc. Com.* 17. 51. Resistere et repugnare contra veritatem non audet. *Quintil.* 8. *procem.* Circa quæ si is, qui instituetur, non repugnaverit, pronum ad cetera habiturus est cursum. *Id.* 1. 5. 65. Interdum repugnantibus (*Spalding.* dum ne pugnantibus) inter se duabus (*præpositionibus*) quale est imperterritus. — *c*) Cum Infinito, aut cum Conjunct. et partic. *ne, quominus. Lucret.* 4. 1081. Quod fieri contra coram natura repugnat. *Ovid. Heroid.* 17. 137. Ferrea, crede mihi, non sum: sed amare repugno Illum, quem fieri vix puto posse meum. *Id. ibid.* 20. 121. Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat. Sic *Colum.* 7. *R. R.* 10. 7. Quod si locorum situs repugnat, ne ita fieri possit etc., *ubi alii leg.* ut ita fieri possit. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 256. Neque repugnabo, quominus – omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur. — *d*) Absolute. *Pacuvius* in *Scæn. Rom. Poes. fragm.* 215. ed. *Ribbeck.* Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum. *Cic.* 1. *Fam.* 2. 2. Consules neque concedebant, neque valde repugnabant. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 2. *Acad.* 11. Quæ tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. *Id.* 2. *Fin.* 28. 90. Hæc bene dicuntur: nec ego repugno. *Id.* 1. *ibid.* 19. 62. Sed possunt hæc quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 127. Si qua repugnarat nimium nimiumque negarat etc. *Vellej.* 2. 89. *a med.* Quum sæpe obnitens repugnasset. Adde 2. 58. 2. *Martial.* 9. 12. Nomen nobile, molle, delicatum Versu dicere non rudi

volebam, Sed tu syllaba contumax repugnas. *me lo impedisci.* et *Vopisc. Prob.* 22. Intelligo hunc virum aut parem (*aliis Romanis ducibus*) fuisse, aut, si non repugnat invidia furiosa, meliorem. — *e*) Passive, *repugnari aliquid*, oppugnari, impugnari. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 16. *sub fin.* Et a vobis diversitas defendenda est, sicuti et a nobis repugnanda. ¶ 2. Speciatim *repugnare* dicuntur, quæ contraria sunt et cohærere non possunt; quidquid enim repugnat, id ejusmodi est, ut una simul esse non possit. *Cic.* 3. *Tusc.* 29. 72. Sed hæc inter se quam repugnent, plerique non vident. *Id. Top.* 4. 21. Repugnat enim recte accipere, et invitum reddere. *Id.* 5. *Fin.* 26. 77. Nam illud vehementer repugnat, eumdem et beatum esse et multis malis oppressum. *Id.* 4. *ibid.* 28. 78. Quid enim tam repugnans quam eumdem dicere etc. *Id. Amic.* 25. 92. Simulatio amicitiæ repugnat maxime. Cf. *Quintil.* 1. 5. 65. — Hinc Particip. præs., cujus exempla retulimus,

Repugnans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Repugnantior* 2. — ¶ 1. Repugnans est contra pugnans, resistens, adversans, reluctans (*V.* sub II. 2.), *ripugnante, resistente*, ἀντιστάμενος, ἐναντίος. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Tantam vim habet oratio, ut non modo inclinantem erigere aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem capere possit. *Id.* 1. *Off.* 31. 110. Nihil decet invita, ut ajunt, Minerva: id est adversante et repugnante natura. Adde *ibid.* 19. 78. *Hirt.* 8. *B. G.* 22. Invitis principibus, resistente senatu, bonis omnibus repugnantibus, bellum concitare. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 14. (30). Duritia nucis rostro cornicis repugnans. *Id.* 36. *ibid.* 17. 28. (133). Ulcera curationi repugnantia. ¶ 2. *Repugnantia* apud rhetores sunt, quæ simul cohærere non possunt, ut verum falso. *Lactant. Ira D.* 9. Quo quid repugnantius dici possit, non video. ¶ 3. Hinc *locus a repugnantibus*, qui etiam *a contrariis* dicitur, unde sumere licet argumenta. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 170. et *Top.* 4. 19. et 12. 53. Exemplum esto illud *Rosc. Com.* 6. 19. Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eumdem et læderes, et laudares et virum optimum, et hominem improbissimum esse diceres: eumdem tu et honoris causâ appellabas et virum primarium esse dicebas, et socium fraudasse arguebas.

RĔPULLESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔPULLESCO, is, ere, n. 3. Particip. *Repullescens.* — Repullesco est *rigermogliare, ripullulare*, ἀναβλαστάνω, repullulare incipio, regermino, renascor. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 5. Plurimarum stirpium natura sic se commodat, ut juxta cicatricem novellis frondibus repullescant. *Alii leg.* repullulescant, *alii* repullulascant. *et ibid.* 24. 4. Præstat ex vulnere sobolem repullescentem vellere, quam nodosam et scabram plagam relinquere.

RĔPULLŬLASCO, is, *et*

RĔPULLŬLESCO, is. *V.* voc. præced.

RĔPULLŬLO, as, āvi, are, n. 1. (re *et* pullulo) *rigermogliare*, ἀναβλαστάνω, regermino.

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (46). Larix ustis radicibus non repullulat, picea repullulat. *et ibid.* 44. 90. (241). Vites aquaticæ senescunt quidem velociter, sed e radicibus repullulant laurûs et mali et punicæ.

II.) Translate. *Augustin. in Psalm.* 49. 11. Tandem aliquando repullulastis pro me sapere. Repullulastis ut arboribus dicit, quæ sterilitate exaruerant quadam. Adde *eumd. de catech. rud.* 19.

RĔPULSA, æ, f. 1. (repello, repulsus) est rejectio, repudiatio; et præcipue usurpatur in petitione honorum, ἀποδοκιμασία, ἀποτύχημα (It. *ripulsa, negativa*; Fr. *refus, refus qu'eprouve un candidat, mauvais succés, échec d'un candidat*; Hisp. *denegacion*; Germ. *d. Zurückweisung, d. Fehlbitte*; Angl. *a repulse, denial, refusal*).

I.) Proprie. *Cic. Planc.* 21. 51. Appium Claudium sine repulsa factum esse consulem. *et mox.* Avus tibi ædiliciam prædicaret repulsam. *et mox.* Duabus ædilitatis acceptis repulsis. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 54. A populo repulsam ferre. *Id.* 2. *Off.* 17. 58. Mamerco prætermissio ædilitatis consulatus repulsam attulit. *et* 1. *ibid.* 39. 138. Non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem. *Id. Pis.* 1. 2. Omnes magistratus sine repulsa assequi. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 54. C. Lælii unum consulatum fuisse, et eum quidem cum repulsa. *Id. Planc.* 21. 52. Quid ego ædilicias repulsas colligo? *Sall. Cat.* 20. Nobis reliquere pericula repulsas, judicia egestatem. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 43. Turpis repulsa. et 3. *Od.* 2. 17. sordida. *Claudian. cons. Honor.* 6. 351. tristis. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 1. Repulsa notatus. et *n.* 4. afflatus. et *n.* 5. sugillatus.

II.) Translate, de petitione aliarum rerum. *Nepos Pausan.* 2. Si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum. *Ovid.* 2. *Met.* 97. Eque tot ac tantis cæli terræque marisque Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam. (Adde 3. *ibid.* 289.) *et* 12. *ibid.* 199. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ. *Id.* 5. *Art. am.* 580. Miscenda est lætis rara repulsa jocis. *Propert.* 3. 12. 26. longæ nulla repulsa moræ. *h. e.* nulla repulsa diu differtur sed statim venit. *Phædr.* 1. 3. Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas. *rifiuto, rigettamento.* et *Seneca* 2. *Ira* 6. In tristitiam omnis ira, vel post pœnitentiam vel post repulsam, revolvitur. *h. e.* postquam repulsa est, ne ultionem perageret.

RĔPULSANS, antis, particip. *V.* REPULSO.

RĔPULSĬO, ōnis, f. 3. refutatio, rejectio. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 112. Communi repulsione arguendos Erasistratum et Asclepiadem arbitramur, quod non viderint etc. *Isid.* 5. *Orig.* 4. Violentiæ per vim repulsio. *Pompej. gramm. p.* 266. ed. *Lindemann.* Deinde alia illorum repulsio, quæ repellunt istum modum. Adde *Augustin.* 4. *contra Crescon.* 7.

RĔPULSO, as, are, a. frequentat. a *repello*, 1. (re *et* pulso). Particip. *Repulsans* I. et II., *ribattere, ripercuotere, rigettare*, sæpe repellere.

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 579. ita colles collibus ipsis Verba repulsantes iterabant dicta referre. *Ambros. in Ps.* 118. *serm.* 22. Civitas eloquiis cælestibus magis quam corporis voluptatibus hostiles impetus repulsare consueta.

II.) Translate. *Lucret.* 4. 913. retroque Vere repulsanti discedas pectore dicta. *h. e.* refutanti, aspernanti.

RĔPULSOR, ōris, m. 3. qui repellit, qui rejicit.

I.) Proprie. *Ambros. in Ps.* 118. *serm.* 3. Similiter etiam textrini præpositum, repulsorem negligentium, ut substituat diligentes.

II.) Translate. *Ambros. in Ps.* 118. *serm.* 5. Tamen quasi Deum repulsorem peccati esse cupiebat.

RĔPULSŌRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

RĔPULSŌRĬUS, a, um, adject. ad repellendum aptus. *Ammian.* 24. 4. 7. Surena a cohortibus nostris repulsoriis cum paucorum exitio habitus frustra discessit. — Hinc

Repulsorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est id quod repellit, quod pollet vi repellendi; et translate est munimen apud *Cyprian. de singul. Cleric. post med.* Rationabile simul et certum recognoscant, quod accepimus ab eodem Paulo apostolo, repulsorium.

RĔPULSUS, a, um, particip. *V.* REPELLO.

RĔPULSUS, us, m. 4. (repello) *ripercotimento*, ἀπόκρουσις, repercussio, repulsio. *Cic. in Arat.* 1. *Divin.* 7. *extr.* Densus stridor cum celso e vertice montis Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (164). Vipera impresso dentium repulsu virus fundit in morsus. *h. e.* repercussu et collisione dentium inferiorum cum superioribus. *Id.* 8. *ibid.* 43. 68. (169). Asini varia somno visa concipiunt, ictu pedum crebro, qui nisi per inane emicuerit, repulsu durioris materiæ clauditatem illico affert. *Lucret.* 4. 106. assiduo crebroque repulsu Rejectæ (*effigiæ*) reddunt speculorum ex æquore visum. *riverbero.* et *Claudian. B. Gild.* 433. an Mauri fremitus raucosque repulsus Umbonum, et vestros passuri comminus enses?

RĔPŪMĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. expolitio velut pumice facta, levigatio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). *de remediis arborum.* Vitium extenuatio et domitura palmitum, gemmarum, si frigus retorridas hirtasque fecerit, repumicatio et quædam politura. *h. e.* decussio et abrasio gemmarum frigore perstrictarum et inutilium, relictis iis, quæ spem fructus habent.

RĔPUNCTOR, ōris, m. 3. *puntatore* Itali vulgo, Galli nunc *piqueur* vocant, qui nempe in aliquo collegio, quoties quis collegarum a collegialibus conventionibus abfuerit, nomen ejusdem in albo descriptum puncto notat, ut is conventicio, seu sportula, quæ eo die ex privatorum legatis distribuenda inter præsentes est, privetur; vero autem simile est, fuisse eamdem sportulam, quæ ad absentes pertinebat, in arcam collegii repositam, ideoque in ea tabula, quæ collegarum nomina continebat, absentium nomina puncto notata. Constat enim ex plurimis inscriptionibus ac præsertim ex duabus apud *Visc. Mon. Gab. p.* 82. et 105. et ex iis, quæ attulit *Marin. Frat. Arv. p.* 400., hujusmodi distributiones, seu sportulas factas semper fuisse statim ac palam inter præsentes. Hinc etiam in *Gloss. Isid.* Dispunctores, qui dona militibus erogant. *h. e.* qui, dum militibus donativum imperator distribuebat, eorum nomina in albo descripta dispungebant. *Inscript.* apud *Murat.* 1067. 4. Q. ALBINIO OVF. SECUNDINO Q. F. Q. NEP. Q. PRON. MESTRIO AEBVTIO TVLLIANO EQ. R. EQ. P. ACCENS. VEL. FLAM. DIVI MAGN. ANTONINI (*h. e.* Caracallæ. *V.* MAGNUS 3.) II. VIR. I. D. M. P. (*h. e.* duumviri juri dicundo municipii Placentini) CVR. R. P. PARMENS. (*h. e.* curatori reipublicæ Parmensium) REPVNCTORI SPLENDID. COLLEGIORVM FABRVM ET CENTONARIORVM C. A. A. F. M. (*h. e.* coloniæ Æliæ Augustæ Felicis Mediolanensis) COLLEGIA s. s. (*h. e.* suprascripta) PATRONO. Alia apud *Donat. T.* 1. *p.* 555. M. ATVSIO M. F. OVF. GLYCERO EQ. R. II. VIR. I. D. M. P. PONT. QVAEST. AER., PATRONO ET REPVNCTORI COLL. AER. COL. M. (*h. e.* collegii ærariorum coloniæ Mediolanensis) etc.

RĔPUNGO, is, ere, a. 3. (re *et* pungo). De præterito hæc habet *Priscian.* 10. *p.* 894. *Putsch.* Repungo repupugi et repunxi, ut Capro videtur, quum ei, qui nos pupugit, talionem, id est vicem a nobis redditam ostendimus, repupugi dicimus; quando vero de ratione vel calendario loquimur, repunxi dicimus. Item *repunxi* legitur in *Not. Tir. p.* 131. — Repungo est iterum pungo, vicissim pungo, ἀντιστίζω. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 19. In quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere.

RĔPURGANS, antis, partic. *V.* REPURGO.

RĔPURGĀTĬO, ōnis, f. 3. purificatio. *Gloss. Cyrill.* Κάθαρσις, repurgatio, purgatio.

RĔPURGĀTUS, a, um, particip. *V.* REPURGO.

RĔPURGĬUM, ii, n. 2. *nettamento*, ἀποκάθαρσις, purgatio, expurgatio. *Imp. Constantin. Cod. Justin.* 11. 42. 1. et *Cod. Theod.* 15. 2. 1. Repurgium formarum (*aquæductuum*) facere. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 8. Hic Georgius volens oratorium fabricare, repurgium faciebat: quod dum fieret, inventum est illic adytum in multa profunditate instructum, in quo paganorum mysteria celebrabantur. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 3.

RĔPURGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* purgo). Particip. *Repurgans* I.; *Repurgatus* I. et II.; *Repurgandus* I. — Repurgo est purgo, perpurgo, expurgo, ἀποκαθαίρω (It. *ripurgare, nettare*; Fr. *nettoyer de nouveau, nettoyer*; Hisp. *limpiar de nuevo, limpiar*; Germ. *wieder reinigen, - saübern*; Angl. *to make clean, cleanse carefully or thoroughly, purge, purify*).

I). Proprie. *Liv.* 44. 4. *sub fin.* Per invia transgressus, præmissis qui repurgarent iter. *Ovid.* 5. *Met.* 285. victoque Aquilonibus Austro, Fusca repurgato fugiebant nubila cælo. *Id.* 125. de nuce. Repurgare humum saxis. *Seneca Ep.* 66. *a med.* Serenitas cæli non recipit majorem adhuc claritatem in sincerissimum nitorem repurgata. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (90). Os primum assultim repurgans, mox dentes etc. *Id.* 23. *ibid.* 4. 38. (78). Cauliculi ex oleastro nomas repurgant, carbunculos rumpunt. *Id.* 34. *ibid.* 15. 46. (155.). Repurganda vulnera aut replenda. *Sueton.*

Aug. 30. Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit. *Curt.* 6. 6. 26. Ac primo repurgari jubet quidquid ingredi possent. *Id.* 4. 1. 21. Hortum, steriles herbas eligens, repurgabat. *Sicul. Flacc. de condit. agr.* 11. *Goes.* Si saxuosus sit ager, repurgatur, et ex congestione maceriæ fiunt. *Id. ibid. p.* 12. Maceriæ aut repurgandi agri, aut finem præstandi causa fiunt. Rursus *Sueton. Tib.* 8. Curam administravit - repurgandorum tota Italia ergastulorum. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 1. Frumenta, si in annos reconduntur, repurgari debent.

II.) Translate est purgando extrahere. *Ovid.* 14. *Met.* 603. Quidquid in Ænea fuerat mortale, repurgat. *Flor.* 4. 12. *ante med.* Repurgare aurum venis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (217). Fetus (*cuniculorum*) ventri exsectos, non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent. *h. e.* non extractis. *Plin. alter* 1. *Ep.* 20. *ante med.* Quæ per plures dies latius dixit, postea recisa ac repurgata in unum librum coartavit.

RĔPŪTANS, antis, particip. *V.* REPUTO.

RĔPŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. reputandi actus, ἀναλογισμός.

I.) Proprie est actus computandi et imputandi alicui. *Marcell. Dig.* 46. 3. 48. Quæro, an ea, quæ ex re mariti perceperit, in dotem ei reputari debeant. Marcellus respondit, reputationem ejus, quod proponeretur, non iniquam videri. *Cajus ibid.* 10. 2. 19. Quæ consequetur, si aut reputationes inter heredes fecerit, aut curaverit cautiones interponi. *Ulp. ibid.* 27. 2. 2. officio judicis congruit, reputationes tutoris non improbas admittere, ut puta si dicat, impendisse in alimenta pupilli aut disciplinas. *Paulin. Nol.* 28. 501. *al.* 553. Quota portio namque tuorum est erga nos operum reputatio muneris hujus?

II.) Translate est actus reputandi et quasi rationem putandi, consideratio, cogitatio, æstimatio, *considerazione, pensamento. Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Ipsa materia accedit intus ad reputationem naturæ parientis et noxia. *Id.* 7. *ibid.* 46. 47. (151). Subeunt in hac reputatione Delphica oracula. *h. e.* in hac enumeratione calamitatum Augusti. *Id.* 10. *ibid.* 37. 54. (111). Columbarum volatus in reputationem ceterarum quoque volucrum nos impellit. *h. e.* ad percensendos varios volandi modos in ceteris avibus. *Id.* 25. *ibid.* 3. 7. (23). Qua quidem in reputatione misereri sortis humanæ subit. *h. e.* in recogitandis et recensendis multiplicibus morborum humanorum generibus. *Tac.* 2. *Hist.* 38. *extr.* Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit. *Gell.* 12. 5. *circa med.* Et utendi consilii reputatio et honestatis utilitatisque veræ contemplatio.

RĔPŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* REPUTO.

RĔPŪTESCO, is, ere, n. 3. inchoat. a *puteo*, iterum, aut valde putesco. *Tertull. Anim.* 32. Ne aliqua sepulturæ conditione putesceret.

RĔPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* puto). Particip. *Reputans* I. et II.; *Reputatus* I. *a.*; *Reputaturus* I. *b.* — Reputo est rationem ineo, computo, ἀναλογίζομαι (*It. mettere in conto, computare; Fr. mettre en ligne de compte, compter, imputer, tenir compte; Hisp. contar, suputar, computar; Germ. berechnen, wiederberechnen, überrechnen, d. Ueberschlag machen; Angl. to think and think again, consider, weigh over, revolve in one's mind. reflect upon*).

I.) Proprie. — *a*) *Reputare aliquid* est computare. *Cic.* 4. *de republ.* 15. 25. Ex hoc die - superiores solis defectiones reputatæ sunt usque ad illam, quæ etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (167). Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent: non senectæ in pœnam vivacis. *Tac.* 2. *Hist.* 50. Et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse. *Ulp. Dig.* 27. 3. 1. *circa med.* Item sumptus litis tutor reputabit et viatica. *Paul. ibid.* 3. 5. 33. Reputabant heredes aviæ alimenta præstita nepoti. — *b*) *Reputo aliquid alicui* est computationem ineundo imputo, attribuo. *Papinian. Dig.* 11. 7. 17. Si nondum pater dotem recuperavit, vir solus convenietur (*ut in funus uxoris conferat*), reputaturus patri quod eo nomine præstiterit.

II.) Translate et frequenter est cogito, considero, quasi rationem puto alicujus rei, *pensare e ripensare, considerare*, ἀναλογίζομαι. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4. 2. 4. *putare* esse rerum præsentium, *reputare* præteritarum. Sed hoc discrimen nullum puto. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 5. Magis quam id reputo, tam magis uror. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46 119. Quem copulatio rerum quem non movet, hunc horum nihil unquam reputavisse, certo scio. *Id. Dejot.* 13. 38. Hæc ille reputans, et dies et noctes cogitans, non modo tibi non succenset, verum etc. *Tac.* 2. *Hist.* 16. Reputare infirmitatem suam. *et ibid.* 74. Vespasianus modo in spem erectus aliquando adversa reputabat. *Seneca Agam.* 23. Reputamus omnes, quos ob infandas manus Quæsitor urna Gnossius versat reos; Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis. — *b*) Cum additis *mecum, tecum, secum, cum animo*, ut apud *Ter. Andr.* 2. 6. 11. Etenim ipsus secum recta reputavit via. *ha fatto bene i suoi conti, ha pensato bene.* et *Id. Eun.* 3. 5. 44. Dum hæc mecum reputo, arcessitur interea virgo. *Cic. post redit. in Senat.* 12. 32. Multa mecum ipse reputavi. *Nepos Alcib.* 4. Multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia. *Sall. Jug.* 13. In otio facinus suum cum animo reputans, timere populum R. etc. *et ibid.* 87. *a med.* Quæso, reputate cum animis vestris, num etc. — *c*) Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 5. *Fam.* 17. *ad fin.* Quum tibi nihil merito accidisse reputabis. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Hæc si quotidie fecisse te reputes, inania videntur. *Sueton. Aug.* 28. Reputans se privatum non sine periculo fore. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 8. — *d*) Sequente relativo. *Plaut. Trin.* 3. 2. 48. Te moneo hoc etiam atque etiam, ut reputes, quid facere expetas. *Lucret.* 3. 724. nec reputas, cur milia multa animarum Conveniant unde una recesserit. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 6. Tamen non reputans, quid ille vellet etc. *Sall. Jug.* 4. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum, et quales viri id assequi nequiverint, profecto existimabunt etc. *Id. ibid.* 70. Proinde reputaret cum animo suo, præmia an cruciatum mallet. *Sueton. Cæs.* 31. Reputans quantum moliretur. *Id. ibid.* 28. Attonitis jam omnibus et, quorsum illa tenderent, reputantibus, M. Claudius Marcellus *etc.* Adverte et illud *Ammian.* 16. 5. 1. Sumptuarias leges reparavit Sylla dictator reputans ex prædictis Democriti, quod ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponit. — *e*) Absolute. *Tac.* 4. *Hist.* 17. Secretis sermonibus admonebat, - vere reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. *Fronto de Eloq. p.* 148. Apud te ipsum reputa.

RĔQUĬĒO, quies, quĭere, n. 2. (re *et* quieo) idem quod quieo, requiesco. *Inscript. Dalmat.* in MSS. apud cl. *Furlanetto* n. 90. NON REQVIEBIT IN PACE SI QVIS VOLVERIT SEPVLCRVM VIOLARE DIP (*corrige* DAB dabit) FISCO ARGENTI LIB.

RĔQUĬES, ētis et ĭēi, f. 3. et 5. (re *et* quies). Occurrit *recuie* in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 408. *n.* 331. — Requies est cessatio a labore, laxamentum, quies, ἀνάπαυσις (*It. riposo, posa, requie; Fr. cessation, repos, récréation, trêve; Hisp. cesacion, intermision al trabajo, reposo, descanso, quietud, recreacion; Germ. d. Ruhe, Rast, Erquickung, Linderung; Angl. rest, repose, quiet, ease, refreshment, relaxation, respite, intermission*). — 1.°) Generatim. — *a*) Sæpe cum Genetivo. *Cic.* 1. *Orat.* 52. 224. Philosophorum libros reservet sibi ad hujuscemodi Tusculani requiem atque otium. *Id.* 2. *Off.* 2. 6. Requies curarum. *Lucret.* 4. 227. nec requies inter datur ulla fluendi. *Id.* 6. 1177. Nec requies erat ulla mali. *Virg.* 5. *Æn.* 458. Nec mora nec requies. *Tibull.* 1. 8. 41. Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert. *Ovid.* 2. *Art. am.* 490. requies doloris feri. *Colum.* 12. *R. R. præf. a med.* Ad requiem forensium exercitationum. *Val. Flacc.* 5. 602. Nec requies, quin Martem diem noctemque fatiget. Adde *Martial.* 4. 25. — *b*) Cum Dativo. *Virg.* 4. *Æn.* 423. tempus inane peto - requiem spatiumque furori. *Ovid.* 3. *Met.* 618. et qui requiemque modumque Voce dabat remis. *Id.* 7. *ibid.* 817. Aurum exspectabam: requies erat illa labori. *Lucejus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Nunc requietem quærit magnis occupationibus. *Liv.* 9. 17. Varietatibus distinguendo opere et legentibus deverticula amœna et requiem animo meo quærerem. *Vulgat. interpr. Deut.* 28. 65. Neque erit requies vestigio pedis tui. *Sed in quibusdam ex his locc. Dativus a verbis pendet.* — *c*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Vulgat. interpr. Exod.* 5. 5. Videtis quod turba succreverit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? — *d*) De loco vel re, in quo v. in qua erit quies. *Virg.* 3. *Æn* 393. et 8. *ibid.* 45. Alba solo recubans, albi circum ubera nati. Hic laus urbis erit, requies ea certa laborum. — 2.°) Speciatim. — *a*) Genetivus *requietis* apud *Cic.* 1. *Att.* 18. Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola consumitur. *Id.* 1. *Fin.* 15. 49. Ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos. — Genetivum *requiei* agnoscit *Priscian.* 6. *p.* 704. *Putsch.* et 7. *p.* 781. *sub fin.* et *Valer. Prob.* in *Cathol. p.* 1460; sed apud scriptores ego nondum legi, inquit Forcellinus; habet tamen *Vulgat. interpr. Eccli.* 36. 15. Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ. Pro eo *requie* dixit *Sall. fragm.* apud *Priscian. cit. p.* 781. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum. *Auson. Edyll.* 4. 4. Sed requie studiique vices rata tempora servant. Addit *Priscianus* vetustissimos etiam *requies* dixisse in eodem casu. *V.* DIES. — *b*) Accus. *requietem* apud *Cic.* 5. *Fin.* 19. *in fin.* et *fragm.* apud *Charis.* 1. *p.* 52. *Putsch.* Si requietem natura non quæreret. *Id.* 2. *Legg.* 1. 2. Ad requietem animi. Adde *eumd. Senect.* 15. 52. — Accus. *requiem* apud *Sall.* in *orat. M. Licinii* § 17. Neque ego vos ultum injurias hortor, magis ut requiem cupiatis, *al.* capiatis. *Cic. Arch.* 6. Tantum temporis, quantum ad animi et corporis requiem conceditur. *Curt.* 9. 6. 3. Placuit is locus et ad suam et ad militum requiem. *Plin. Paneg.* 13. Requiem corpori dare. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Taliaque ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur. *V.* alia sub 1.° — *c*) Vocat. *requies* apud *Lucret.* 6. 93. Currenti spatium præmonstra, callida musa Calliope, requies hominumque divûmque voluptas. — *d*) Ablat. *requiete* apud *Cic. de suo cons.* 1. *Divin.* 13. Tu tamen anxiferas curas requiete relaxa. — Ablat. *requie* apud *Ovid. Heroid.* 4. 89. Quod caret alterna requie, durabile non est. *Liv.* 22. 9. Præda et populationibus magis quam otio aut requie gaudentibus. Adde *Ovid. loc. cit.* sub 1.°; et *Vulgat. interpr. Job* 30. 27. et *Eccle.* 4. 6.

RĔQUĬESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔQUĬESCO, quiescis, quiēvi, quiētum, quiescere, 3. (re *et* quiesco). Per syncopen *requiêrunt* legitur apud *Stat.* 12. *Theb.* 511.; *requiêrit* apud *Varron.* 1. *R. R.* 44. 2.; *requiêrant* apud *Catull.* 84. 7.; *requiesset* apud *eumd.* 64. 176.; *requiesse* apud *Liv.* 26. 22.; *requevit* leg. apud *De-Rossi Inscript. Chr. t.* 1. *n.* 161. — Particip. *Requiescens* sub *A.* I. 1. *a.*; *Requietus* sub *B.* et in fin.; *Requieturus* sub *A.* II. — Requiesco est verbum *A*) Neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrorum more *requiesco* est idem atque a labore cesso, quietem ago, conquiesco, ἀναπαύομαι, ἡσυχάζω (*It. riposarsi, prendere riposo; Fr. prendre du repos, se reposer, reposer; Hisp. dar intermision á la fatiga, reposarse, descansar; Germ. ruhen, ausruhen, sich erholen; Angl. to rest, lie at ease, repose, be at rest, take rest*) et construitur sæpe cum Ablativo et præpos. *ab* vel *ex.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. *ad fin.* Puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paullisper, ut in ejus sella requiesceret. *Id.* 6. *Verr.* 61. 137. Quum diutius in negotio

curaque fueram, ut requiescerem curamque animi remitterem, ad Carpinatii præclaras tabulas revertebar. *Id.* 3. *Off.* 1. 2. Africanus requiescens a rei publicæ pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando. *Id. Rosc. Am.* 34. 97. Quæ necessitas eum tanta premebat, ut id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret? *Cæs.* 5. *B. C.* 98. Ex castris sibi legiones alias occurrere, et eas, quas secum duxerat, invicem requiescere atque in castra reverti jussit. *Virg.* 7. *Ecl.* 10. Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra. *Tibull.* 1. 1. 37. satis est, requiescere tecto si licet. *Ovid.* 10. *Met.* 556. libet hac requiescere tecum, Et requievit, humo. *Id.* 4. *Pont.* 5. 27. Quum tamen a turba rerum requieverit horam, Ad vos mansuetas porriget ille (*Cæsar*) manus. — De quiescentibus in lecto. *Propert.* 1. 8. 33. angusto requiescere lecto. Sic *Catull.* 68. 5. molli requiescere somno In lecto. — *b*) De rebus physicis, et de abstractis. *Varro* 1. *R. R.* 44. 2. Quæ (*terra*) interdum requierit. *Ovid.* 14. *Met.* 665. juncta vitis requiescit in ulmo. *Propert.* 1. 16. 15. Ille meos numquam patitur requiescere postes. *Quintil.* 1. 12. 4. Et stilus lectione requiescit, et ipsius lectionis tædium vicibus levatur. *Virg.* 1. *G.* 82. Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva. *h. e.* variatis segetibus. *Catull.* 84. 7. Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures. *Tibull.* 1. 2. 4. infelix dum requiescit amor. *V.* integrum loc. *Liv.* 26. 22. Vixdum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili. *Stat.* 12. *Theb.* 514. Vix ubi sedatis requierunt pectora curis etc. Rursus *Ovid.* 4. *Met.* 660. et omne Cum tot sideribus cælum requievit in illo. *h. e.* in monte Atlante. ¶ 2. Speciatim, de mortuis *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat portum corporis, Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis. *Al. leg.* a malis. *Martial.* 1. 94. Fabricio junctus fido requiescit Aquinus. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* C. Pompejus Trimalchio Mæcenatianus hic requiescit. Adde *Martial.* 6. 18. *Inscript.* apud *Orell.* 962. quæ pertinet ad an. post Chr. n. CCXXXV. REQVIESCIT IN PACE DO*mini*. — Hinc eo utimur, quum bene precamur mortuis. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 67. Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna. Et in nummo Constantii Chlori jam consecrati apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 474. REQVIES OPTIMOR. MERIT.

II.) Translate, refertur ad animum. *Sall. Cat.* 4. Ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit. *Cic. Cœl.* 32. 79. Qui hoc unico filio nititur, in hujus spe requiescit. *Ennius fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 886. *Putsch.* Nisi eorum exitio non requieturam. *Cic.* 1. *Att.* 18. 2. Atque hi domesticarum sollicitudinum aculei et scrupuli non sunt permolesti, sed tamen insident et urgent et nullius amantis consilio aut sermone requiescunt.

B) Active *requiesco* est quiescere aut cessare facio, sisto, quietum reddo. *Virg.* 8. *Ecl.* 4. Et mutata suos requierunt flumina cursus. *Calvus* apud *Servium ibid.* Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus. *Virg. Cir.* 232. Tempore, quo fessas mortalia pectora curas, Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus. *Propert.* 2. 25. 75. Quamvis ille suam lassus requiescat avenam. Alii leg. *sua avena,* invitis *Scalig.* et *Brouchus. Sall. fragm.* apud *Servium loc. cit.* Paullulum requietis militibus. Huc trahi potest et illud *Propert.* 2. 18. 25. Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos. *h. e.* jusserat a nocturno cursu cessare. Potest etiam sic exponi: in gratiam Alcmenæ duas noctes requieverat. — Hinc Particip. præter. pass.

Requietus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Compar. *Requietior* 1.; et ¶ 1. Est qui requievit, qui ab opere cessavit, *quieto,* riposato, ἀναπεπαυμένος. *Liv.* 44. 38. Nihilne interest, utrum militem requietum, integrum in aciem educas, an longo itinere fatigatum et onere fessum hosti objicias? *Seneca Tranquill.* 15. *a med.* Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti surgent. *Ovid.* 2. *Art. am.* 351. Da requiem. requietus ager bona credita reddit. *Colum.* 2. *R. R.* 1. *a med.* terra requietior et junior. *Frontin. Strateg.* 1. 6. 3. Fatigatos ipse, requietis et ordinatis suis, aggressus fudit. ¶ 2. Dicitur de iis, quæ recentia non sunt. *Colum.* 7. *R. R.* 8. *init.* Caseus lacte fieri debet sincero et quam recentissimo. nam requietum vel mixtum celeriter acorem contrahit. *Id.* 8. *ibid.* 5. 4. *de ovis.* Aptissima sunt ad excludendum recentissima quæque. possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne vetustiora sint, quam dierum decem.

Homonym. Qua ratione differant inter se *requiescere* et *cessare,* videsis in fin. v. CESSO 2.

RĔQUĬĒTĬO, ōnis, f. 1. *riposo,* requies. ¶ 1. Generatim. *Jovinian.* apud *Hieronym.* 2. *in eumd. n.* 18. Omnis Hebræus septimo requietionis anno absque personarum discretione dimittitur, et in jubilæo aniversa cunctis debita relaxantur. *Vulgat. interpr. Lev.* 16. 31. Sabbatum requietionis est et affligetis animas vestras religione perpetua. ¶ 2. Speciatim est pausatio mortuorum in sepulcro. *Inscript.* quæ pertinet ad an. a Chr. n. CLV. apud *Gruter.* 607. 1. et *Murat.* 572. A QVO DIDICI CAVSAS EREQVITIONIS (*ita legitur in lapide pro* et requietionis) ET RELIGIONIS. Alia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 266. TEMPORALIS REQVETIO (*sed lege* requietio). — Per metonymiam est sedes, locus requietionis. *Porphyr.* in *Horat.* 1. *Ep.* 17. 37. Bene *sedit;* quo verbo significat segnitiem, unde et requitio. *pro* requietio (ut *Codd.* sed *Pauly* lacunam signavit).

RĔQUĬĒTŌRĬUM, ii, n. 2. sepulcrum. *Inscript.* apud *Gruter.* 1030. 8. Q. FONTEIVS CELER VI. VIR AVGVST. SIBI ET CONIVGI CARISS. REQVIETORIVM FECIT. Adde alias apud *eumd.* 954. 1. et apud *Murat.* 1460. 7.

RĔQUĬĒTUS, a, um, particip. *V.* REQUIESCO.

RĔQUĪRENS, entis, particip. *V.* REQUIRO.

RĔQUĪRĬTO, as, are, a. 1. frequentat. a requiro. *Plaut. Most.* 4. 3. 11. Quid tu otiosus res novas requiritas?

RĔQUĪRO, ris, sīvi et sĭi, situm, rere, a. 3. (re et quæro). Particip. *Requirens* I. 2. *a.* et II.; *Requisitus* I. 1. et 2. et in fin.; *Requirendus* I. 1. et 2. — Requiro est idem fere quod quæro, diligenter quæro, rursus aut sæpius quæro. *Nonius p.* 434. 12. *Merc. Quærere* et *requirere* hoc differunt, quod *requirere* est diu quærere. Afranius Fratriis: Proin tu, quum quæram, ne requiram te, vide, ἀναζητέω (It. *cercare, ricercare;* Fr. *se remettre en quête de, chercher, rechercher, demander après;* Hisp. *buscar, rebuscar, inquirir;* Germ. *wieder nach etwas suchen, wieder und wieder suchen, – forschen, – fragen, – aufsuchen;* Angl. *to seek again, look for, seek after, search for, seek*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 3. 5. 1. Rebus aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi: Mnesilochum ut requiram atque ut eum mecum ad te adducam simul. — Ibo, et visam huc ad eum, si forte est domi. *Id. Cist.* 4. 2. 58. PH. Quid quæritas? HA. vestigium hic requiro, qua aufugit quædam nescio quo mihi. *Id. Epid.* 3. 4. 56. Ego illam jam requiram, ubi ubi est. *Sall. Cat.* 40. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli. *Cic.* 3. *Fin.* 3. 10. Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? *Virg.* 6. *Æn.* 366. portusque require Velinos. *Ovid.* 4. *Met.* 129. Juvenemque oculis animoque requirit. *Id.* 1. *Fast.* 211. Creverunt et opes et opum furiosa cupido; Et, quum possideant plurima, plura volunt Quærere ut absumant, absumpta requirere certant. *Curt.* 4. 7. 11. Haud secus quam profundum æquor ingressi terram oculis requirebant. *Val. Max.* 9. 11. *n.* 1. Repentinæ moræ causam requisiit. *Quintil.* 5. 10. 121. Quæ priores invenerunt, nobis non sunt requirenda. *Sueton. Cal.* 24. *sub fin.* Chirographa omnium requisita divulgare. *Gell.* 15. 22. Postea (*cerva*) requisita, periisse credita est. *Vulgat. interpr. Act.* 12. 19. Herodes quum requisisset eum (*Petrum*) et non invenisset. ¶ 2. Speciatim pro sciscitari, percontari, interrogare, *interrogare, dimandare, ricercare.* — *a*) Cum Accusativo, aut cum Accus. rei et Ablat. personæ cum præpos. *ab, ex;* aut cum Ablat. rei vel personæ, et præp. *de. Lucret.* 1. 640. graves inter Grajos, qui vera requirunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. Requirere rationes rerum. *Id.* 6. *Fam.* 1. 6. Hæc eo scripsi quod mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti narravit te interdum sollicitum solere esse vehementius. *Id.* 1. *ibid.* 9. 19. Facilia sunt ea, quæ a me de Vatinio et de Crasso requiris. *Id.* 2. *de republ.* 38. Quoniam nihil ex te hi requirunt. *Nepos Att.* 20. Nullus dies intercessit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret. *Virg.* 1. *Æn.* 221. Amissos longo socios sermone requirunt. *Ovid. Heroid.* 6. 31. tua facta requirere cœpi. *Justin.* 1. 6. 3. Hujus requisita origine, ut in Persis genitum audivit etc. *Quintil.* 11. 2. 7. Quædam requisita se occultant. *Cassiod. Inst. præf. p.* 509. *t.* II. *ed. Garet.* Quemdam senem et simplicem de obscurissimo loco scripturæ fuisse requisitum. — *b*) Sæpe cum Relativo. *Cic. Dom.* 2. 3. Primum illud a te requiro, quæ te tanta pœna vexet, ut etc. *Id. Cœl.* 28. 67. Ex quibus requiram, quonam modo latuerint. *Id. Quinct.* 29. 88. Illud quoque requisivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit. *Id.* 1. *Nat. D.* 22. 60. Quum Hiero requireret, cur ita faceret. *Ovid.* 2. *Art. am.* 663. Nec quotus annus eat, nec quo sit nata, require, Consule. *Varro* 1. *R. R.* 17. 3. Uno eorum e noviciis requisito, quid factitarent. — Similiter pro inquirere, inspicere, animadvertere, *ricercare, osservare, attendere. Cajus Dig.* 28. 1. 4. Requiremus, an secundum regulas juris testatus sit. *V.* et *Pompon.* loc. sequent. — Passive impersonaliter. *Pompon. Dig.* 45. 3. 39. Qua actione fructuarius recuperare possit a domino proprietatis, requirendum est. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 22. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, quum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. — *c*) Absolute. *Ovid.* 4. *Met.* 679. Pande requirenti nomen terræque tuumque, Et cur vincla geras. ¶ 3. Item pro observare, custodire, diligenter servare, implere. *Vulgat. interpr. Psalm.* 104. 45. Dedit illis regiones gentium - ut custodiant justificationes ejus et legem ejus requirant — Et pro curam habere, curare. *Id. Psalm.* 141. 5. Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam. — Item requirendo aut inquirendo, i. e. cogitando et meditando, invenire. *Id. Eccli.* 44. 5. In peritia (*alii leg.* in pueritia *sed minus recte*) sua requirentes modos musicos. ¶ 4. Item pro poscere, petere, velle, quærere. — *a*) Requirere aliquid, ut apud *Nepot. Thrasyb. sub fin.* Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque etc. *Cic.* 7. *Verr.* 67. 172. Omnes cives R. vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt. *Id.* 5. *Tusc.* 8. *a med.* Qui beatus est, non intelligo, quid requirat, ut sit beatior. *Id.* 1. *Fin.* 18. *extr.* Virtus nixa hoc honesto nullam requirit voluptatem. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. Magnam res diligentiam requirebat - in singulis militibus conservandis. *Tibull.* 1. 1. 37. Non ego divitias patrum fructusque requiro, Quos etc. — *b*) *Requiritur,* opus est, necesse est. *Cic. pro leg. Manil.* 22. 64. Atque in hoc bello Asiatico non solum militaris illa virtus, sed aliæ quoque virtutes animi multæ et magnæ requiruntur. *Quintil.* 10. 1. 23. Aliquæ (*orationes*) ad cognoscendam litium rationem recte requiruntur. *Colum.* 1. *R. R.* 7. *init.* Præcipua cura domini requiritur, quum in ceteris rebus, tum maxime in hominibus.

II.) Translate. *Requirere* dicuntur qui quod vellent, abesse sentiunt, queruntur et desiderant. *Cic. Parad.* 1. 1. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla et commutabilia pecuniæ membra (*alii leg.* munera), verbo bona putaverunt appellanda. *Id.* 6. *Fam.* 6. *init.* Vereor, ne litterarum a me officium requiras. *Cic.*

Senect. 10. 33. Isto bono utare, dum adsit: quum absit, ne requiras, nisi forte adolescentes pueritiam, paullum ætate progressi adolescentiam debeant requirere. *Id. Mil.* 1. *init.* Hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori desiderant, et pristinum morem judiciorum requirunt. *Id.* 5. *Fin.* 20. 57. Voluptatem requirentes. *Ovid.* 7. *Met.* 515. multos tamen inde requiro, Quos quondam vidi vestra prius urbe receptus. — Hinc a Particip. præter. pass.

Requisita, orum, absolute, substantivorum more. *Quintil.* 8. *proœm. ad fin.* Ad requisita respondere. *Sall. fragm.* apud *eumd.* 8. 6. 59. et *Spartian. Caracall.* 6. *a med.* Ad requisita naturæ. *h. e.* ad ventrem, aut vesicam exonerandam. Sic *Ammian.* 23. 6. 79. Nec stando mingens, nec ad requisita naturæ secedens facile visitur Persa; ita observantius hæc aliaque pudenda declinant. Adde *Augustin. de ord.* 1. 8.

RĔQUĪSĪTA, ōrum. *V.* REQUIRO in fin.

RĔQUĪSĪTĒ, adverb. requirendo. *Asper. Jun. p.* 1735. *Putsch.* Præpositiones junguntur adverbiis sic: composite, requisite, disjecte, constricte.

RĔQUĪSĪTĬO, ōnis, f. 3. (requiro). ¶ 1. Est inquisitio, indagatio. *Gell.* 18. 2. Historiæ antiquioris requisitio. ¶ 2. Item quæstio, interrogatio, percontatio. *Inscript.* apud *Orell.* 4370. A QVO DIDICI CAVSAS REQVISITIONIS SET ET RELIGIONIS.

RĔQUĪSĪTUS, a, um, particip. *V.* REQUIRO.

RĔRŎGO, as, are, a. 1. iterum rogo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 76. Alcumena, unum rogare te volo. ALC. quidvis roga, reroga. *Alii leg.* quid vis rogare? roga: *alii rectius* quidvis roga.

RES, rĕi, f. 5. Quod ad quantitatem attinet, Genetivus *rei* primam corripit, ut *spei, fidei. Horat.* 3. *Od.* 16. 25. Contemptæ dominus splendidior rei. Adde *Charis.* 1. *p.* 26. *Putsch.* et *Priscian.* 8. *sub fin. p.* 780. Aliquando producit. *Lucret.* 6. 918. Ipsius rei rationem reddere possis. *et* 393. Et potius nullæ sibi turpis consciu' rei. (At *Lachmann.* legit: Et potius nulla sibi turpi conscius in re.) Adde 1. 688., 2. 112. et alibi. Quidam volunt his locis scribi *reji* (ut *eji,* de quo *V.* in *Is*) ut sit ratio producendi. Monosyllabum est in illo *ejusd.* 3. 918. aliæ, cujus desiderium insideat rei. *et* 4. 885. Id quod providet, illius rei constat imago (nisi malis *illius* seu *illiu* dactylum esse et *rei* produci, ut supra). *Vet. Poeta* apud *Lactant.* 6. 6. Virtus, quærendæ finem rei scire modumque. — Res est id quod est, actio, opus, factum. Vox est usus prope immensi ad omnia significanda, quæ fieri, dici, aut cogitari possunt; in cujus notatione assignanda valde laborant etymologi. V. *Voss.* in Etymol. Ceterum conjungi potest cum sanscr. *ras,* h. e. id quod habetur, quod possidetur, opes, facultates. Gr. est πρᾶγμα, ἔργον (It. *cosa, faccenda, fatto;* Fr. *chose, objet, être, affaire, cas, évènement, circonstance, position;* Hisp. *cosa, objeto, el ser, negocio, caso, suceso, acaecimiento, circunstancia, situacion;* Germ. *Sache, Gegenstand, Wesen, Ding, Begebenheit, Angelegenheit, Umstand, Handlung, Verrichtung, Lage, That;* Angl. *a thing, affair, matter, concern, fact, deed*). ¶ 1. Generatim. *Gramm. latin.* XLII. f. 98. in *Anecd. Helv.* ed. *Hagen.* Quid interest inter corpus et rem? Omne corpus potest res esse – sed non omnis res corpus est. *Priscian. p.* 1236. 28. *Putsch.* Quamvis quidam grammatici incorporalia soleant res dicere; tamen vera ratione omnia, quæ sunt sive corporalia sive incorporalia, πράγματα res possunt nominari. *Id. p.* 2082. 1. *Putsch.* Res sunt, quæ animi ratione percipimus. Intellectus, quibus res ipsas addiscimus. Voces, quibus res intellectas proferimus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. *ad fin.* Earum rerum, quæ numquam fuerunt, nec esse potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimeræ, præsto est imago. *et* 15. 39. Communis rerum natura universa atque omnia continens. *Id.* 2. *Fin.* 28. 90. Negat, tenuissimo victu minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. *Catull.* 39. 16. Nam risu inepto res ineptior nulla est. *Plaut. Men.* 5. 2. 60. MEN. Quisquis es, senex, summum Jovem Deosque detestor. SE. qua de re, aut cujus rei rerum omnium? *Ter. Adelph.* 2. 1. 21. Quid hoc rei est? *che cosa è questa?* quid hoc est? *Plaut. Men.* 5. 2. 14. Propemodum jam scio, quid siet rei. *che cosa sia,* quid sit. *Sall. Jug.* 105. Rem, uti erat, quietam nunciant. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 19. Quid velit et possit rerum concordia discors. *Id.* 2. *ibid.* 1. 125. parvis quoque rebus magna juravi. *Id. ibid.* 2. 30. loco – Summe munito et multarum divite rerum. *Id. Art. P.* 56. quum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit et nova rerum Nomina protulerit. *Id.* 1. *Ep.* 1. 19. Et mihi res, non me rebus subjungere conor. *fo ciò che mi aggrada, non ciò che mi è imposto.* et 1. *Sat.* 1. 14. ne te morer, audi Quo rem deducam. *Virg.* 6. *Æn.* 272. et rebus nox abstulit atra colorem. *Id.* 2. *G.* 490. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Rursus *Horat.* 1. *Ep.* 6. 1. Nil admirari prope res est una, Numici, Solaque, quæ possit facere et servare beatum. *Id.* 1. *Sat.* 5. 8. venit vilissima rerum Hic aqua. *Cæs.* 6. *B. G.* 32. Explorata re quæstione captivorum. *Novius* apud *Non. p.* 500. 16. *Merc.* Quod res vis hunc privari pulcras, quas uti solet. Rursus *Sall. Jug.* 78. Syrtes, quibus nomen ex re inditum. *Lucret.* 6. 424. Presteras Graii quos ab re nominitarunt. Sic *Liv.* 4. 8. Censores ab re appellati. *et* 37. 18. Ab re nomen habet. *Cic. pro leg. Manil.* 17. 51. Omissis auctoritatibus. ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem. *Id. Senect.* 6. 17. Non viribus, aut velocitatibus (*al.* velocitate), aut celeritate corporum (*al.* corporis) res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia. *Id.* 1. *Off.* 22. 74. Quum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas. *Id.* 1. *Orat.* 17. *a med.* Videamus ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat. *Id.* 2. *Att.* 21. *ad fin.* Quum comitia in mensem Octobr. distulisset, quod solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Cæsar etc. *et ibid.* 22. Nunc se res sic habet: volitat, furit, nihil habet certi. *Id.* 13. *Fam.* 8. 2. Res autem est hæc. *il negozio, il fatto è questo.* et *Amic.* 13. 44. Ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit. *se fara bisogno.* et 15. *Fam.* 11. *init.* Res ipsa loquitur. *il fatto parla da sè.* et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. Res militaris. *l'arte e 'l mestier della guerra.* et 7. *Verr.* 17. 43. Res navalis. *et* 4. *ibid.* 12. 31. Res judiciaria. *la giudicatura.* et 8. *Att.* 1. 2. Res frumentaria. *i viveri.* et *Senect.* 15. *sub fin.* Res rusticæ. *et Quinct.* 3. 12. Res pecuaria et rustica. *Cato R. R.* 5. Res divina. *il sacrifizio.* et *Ter. Andr.* 5. 1. 10. Res uxoria. *il matrimonio.* et *Lucret.* 2. 173. et *Ovid. Remed. am.* 431. Res Veneris. συνουσία. quæ *Cic. Senect.* 14. 47. res Venereæ. *Plaut. Amph.* 2. 2. 1. Res voluptatum. *h. e.* voluptates. χρῆμα ἡδονῶν. *Phædr.* 4. 7. Res cibi. *h. e.* cibus. χρῆμα τροφῆς. Sic apud Græcos χρῆμα νυκτὸς nox. χρῆμα γυναικὸς femina. ἔργα δαιτὸς convivium etc. — Res humanæ sæpe dicuntur quum sermo est de earumdem mutabilitate. *Cic.* 4. *Parad.* 1. *init.* Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus sæptus, vincetur? *Sall. Jug.* 14. At ego infelix, in tanta mala præcipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo. *et ibid.* 38. Tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum tenet, tamen se memorem humanarum rerum, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub jugum missurum. *et ibid.* 104. Pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quæ fluxæ et mobiles semper in adversa mutantur. Adde *Liv.* 37. 35. Et absolute *Horat.* 1. *Ep.* 16. 79. mors ultima linea rerum est. *la morte è l'ultima linea o confine dell'umana carriera, o l'ultima pennellata del quadro delle umane vicende.* — Et de mundo. *Ter. Andr.* 5. 4. 7. Tune impune hæc facias? tune hic homines adulescentulos Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis? *Ovid.* 15. *Met.* 736. Jamque caput rerum Romanam intraverat urbem. *Id.* 2. *ibid.* 258. Hesperiosque omnes, Rhenum Rhodanumque Padumque, Cuique fuit rerum promissa potentia Tybris. *et* 5. *ibid.* 446. Hanc (*urbem Romam*) alii proceres per sæcula longa potentem, Sed dominam rerum de sanguine natus Juli Efficiet. *Virg.* 1. *Æn.* 282. mecumque (*Juno*) fovebit Romanos rerum dominos gentemque togatam. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 76. Nihil malo, quam has res relinquere. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 20. Quum Deo nihil præstantius esset. *Justin.* 1. 1. 1. Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat. *Id.* 2. 1. 6. Ægyptiis prædicantibus, initio rerum – Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut etc. *Sil. It.* 6. 593. Maxima curarum, rectorem ponere castris, Cui Latium et moles rerum quassata recumbat, Spectante occasum patria. — Interdum vim addit Superlativo. *Ovid.* 8. *Met.* 49. Si, quæ te peperit, talis, pulcherrime rerum, Qualis es ipse, fuit, merito Deus arsit in illa. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 4. quid agis, dulcissime rerum? *Ovid. Heroid.* 4. 125. O utinam nocitura tibi, pulcherrima rerum, In medio nisu viscera rupta forent! Adde *eumd. Art. am.* 213. *et* 13. *Met.* 508. modo maxima rerum Tot - generis natisque potens nuribusque viroque, Nunc trahor exsul, inops etc. ¶ 2. Speciatim est factum, *il fatto, l'effetto. Sall. Cat.* 21. Tantum modo incepto opus est: cetera res expediet. *Ovid.* 3. *Met.* 349. Vana diu visa est vox auguris: exitus illam, Resque probat. *Liv.* 2. 65. Conclamant se ituros: clamoremque res est secuta. *Plancius* ad *Cic.* 10. *Fam.* 11. *ante med.* Et me, si, quem esse voluisti, eum exitu rebusque cognoscis, defende ac suscipe. ¶ 3. Similiter interdum est eventus, exitus, effectus. *Marcell.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 11. *extr.* Ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. *Cic. Orat.* 30. *a med.* Adulescens non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudatus. *Id. Cluent.* 16. *a med.* Servus non incallidus, sed, ut ipsa res declaravit, frugi atque integer. *Ter. Eun.* 3. 2. 15. Perpulcra, credo, dona, haud nostris similia. PAR. res indicabit. *Ovid. Heroid.* 20. 99. Omina re careant. ¶ 4. Item speciatim facta, res gestæ, acta, *fatti, azioni, imprese, geste. Sall. Cat.* 3. Haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum. *Liv. init. Hist.* A primordio Urbis res populi R. perscribere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 83. 85. (199). *et ibid.* 103. 106. (232). Sicut in rebus Neronis retulimus. *nella vita, nella storia.* — Differunt tamen inter se *factum* et *res gesta,* uti dictum est in fin. v. FACIO. ¶ 5. Experientia, *esperienza, pratica, uso. Cic.* 6. *Fam.* 14. Et res eum quotidie, et dies, et opinio hominum, et etiam sua natura mitiorem facit. *Ter. Adelph.* 5. 4. 2. Res, ætas, usus semper aliquid apportat novi. ¶ 6. Pertinet ad veritatem significandam. *Plaut. Trin.* 2. 4. 89. Rem fabulare. *tu dici il vero: tu dici la cosa come sta.* et *Ter. Eun.* 5. 5. 9. Te arbitrari quod res est, velim. *com' è la verità. Id. Andr.* 1. 2. 28. Aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es. *avendo detto schietto il tuo sentimento.* Adde *Nepot. Paus.* 3. *extr.* coll. *Sall. Jug.* 33. *ad fin.* et *Vulgat. interpr. Jud.* 16. 17. ¶ 7. Aliquando opponitur verbis, dictis. *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 2. *contra Acad.* 11. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Id.* 1. *Orat.* 5. 17. Est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. *ad fin.* Peripatetici et Academici nominibus differentes, re congruentes. Sic Græci λόγῳ ἔργῳ. *Matius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 28. Te rogo, ut rem potiorem oratione ducas. *Cic. Rosc. Am.* 15. *a med.* Vides, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa atque a veritate. *Id.* 2. *Fin.* 16. *a med.* Ut in omnibus factis re, non teste, moveamur. *Id. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. *sub fin.* Ut majora omnia re, quam fama viderentur. *Sall. Hist.* 2. 96. ed. *Dietsch.* Res plus valet quam verba. *Quintil.* 1. 10. 23. Quo minus adjuvat ser-

mo, rerum inventione pugnandum est. *Id.* 12. 11. 36. Pulcritudinem rerum claritas orationis illuminat. *Id.* 11. 1. 90. Verborum moderatione detrahi solet, si qua est rei invidia. *Id.* 10. 1. 61. Beatissima rerum verborumque copia. *Julian. Dig.* 1. 3. 32. Quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? Rursus *Cic.* 5. *Att.* 5. Non modo res omnes sed etiam rumores cognoscamus. *Id.* 3. *Nat. D.* 21. 53. Qui hos deos non re, sed opinione esse dicunt. *Id. Rosc. Am.* 42. *a med.* Eum tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. *Id. Quinct.* 2. 7. Habet adversarium Quinctius verbo Sex. Nævium, re vera hujusce ætatis homines disertissimos. *Ter. Heaut.* 4. 1. 23. Simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare. *Id. Adelph.* 4. 7. 15. Si non ipsa re tibi istuc dolet, simulare certe est hominis. *Id. Eun.* 4. 6. 3. illius ferre possum magnifica verba, verba dum sint: verum si ad rem conferentur, vapulabit. *se le parole verranno a' fatti. Ovid.* 3. *Amor.* 3. 23. Aut sine re nomen Deus est frustraque timetur, Aut etc. *Liv.* 39. 35. Per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis injiciendum. ¶ 8. Interdum est etiam causa. *Plaut. Amph. prol.* 113. hæc ob eam rem nox est facta longior. *Lucret.* 1. 172. Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni. *Cato R. R.* 158. *extr.* Ea re tot res sunt, uti bene dejicias. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 34. *ad fin.* Illud ea re a se esse concessum, quod etc. *Pomponius* apud *Non.* p. 479. 7. *Merc.* Non esuribis diutius, quo re roga. *Nepos Miltiad.* 4. *ad fin.* Id si factum esset, et civibus animum accessurum – et hostes eadem re fore tardiores. *h. e.* eadem de causa, ideo. ¶ 9. Item finis. *Plaut. Asin.* 3. 2. 43, LI. Nimis vellem habere perticam. LE. cui rei? LI. qui verberarem asinos. *a che fine? perchè?* et *Cist.* 1. 3. 36. Ei rei nunc suam operam servus dat, si possit illam invenire. *a questo fine, per questo.* Adde *eumd. Pœn.* 2. 3. 3. ¶ 10. Item lis, causa, contentio forensis, *lite, causa, giudizio. Festus p.* 282. 8. *Müll.* Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum. *Cic.* 4. *Verr.* 48. 118. De rebus ab isto cognitis judicatisque, et de judiciis datis dicere desistamus. *Id. Mur.* 12. *extr.* Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum; judicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret. *Varro* 7. *L. L.* 93. 5. *Müll.* Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis; ideo in actionibus videmus dici: Quam rem sive mi litem (*Codd.* militem) dicere oportet. *Liv.* 1. 32. *a med.* ex *vet. formula.* Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus etc. *Ulp. Dig.* 42. 1. 1. Res judicata dicitur, quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accipit: quod vel condemnatione, vel absolutione contingit. *Id. ibid.* 43. 29. 3. *ante med.* Alias differri oportere rem in tempus pubertatis, alius repræsentari. *Cajus ibid.* 3. 3. 12. Tractu temporis futurum, ut res pereat. ¶ 11. Item modus, ratio. *Cic.* 6. *Fam.* 9. Mihi necesse est ejus salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri. *Plaut. Rud.* 4. 3. 87. reperi rem, quomodo do. ¶ 12. Item argumentum, ratio, *argomento, ragione, prova. Cic. initio Parad.* 4. Ego vero te non stultum, ut sæpe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum rebus addicam necessariis. *Quintil.* 5. 8. 1. Res ad faciendam fidem appositæ. Adde *Apul. Met.* 10. ¶ 13. *Res*, et *res familiaris*, pecunia, facultates, census, bona, opes, patrimonium, *facoltà, roba, averi, sostanza* (?). *Publil. Syr. fragm.* 613. ed. *Ribbeck.* Spes inopem, res avarum, mors miserum levat. *Plaut. Amphitr. prol. v.* 4. res rationesque vestrorum omnium Bene expedire voltis. ubi res sunt negotia, seu corpora, ut pecunia, merces, penus; rationes vero sunt nomina, et quæ in codicem accepti et expensi referuntur. Sic *Id. Pseud.* 2. 2. 31. res rationesque heri Ballionis curo. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 253. *n.* 44. CVM QVA VIXIT BENE ET INTEGRE ET IN RE SVA POSITA EST. *h. e.* in fundo suo. Adde et *Cic. Quinct.* 4. 15. et 9. *Fam.* 13. *a med.* Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. *Id.* 2. *Cat.* 5. 10. Res eorum jam pridem, fides deficere nuper cœpit. *Id.* 9. *Att.* 7. *a med.* Sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec res privatæ possunt nec res publica sustinere. *Id.* 2. *Off.* 21. 73. Non esse in civitate duo millia hominum, qui rem habeant. *Id. Rabir. Post.* 14. 38. Rem bonis et honestis rationibus augere. *Ter. Adelph.* 2. 2. 12. Numquam rem facies. *h. e.* divitias comparabis, lucrum facies. *Id. Eun.* 2. 2. 26. Coqui, piscatores, aucupes, quibus et re salva et perdita profueram. *Id. Heaut.* 1. 1. 34. Aut consolando, aut consilio, aut re juvero. et *Plaut. Pseud.* 1. 1. 17. Juvabo aut re, aut opera, aut consilio bono. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 8. Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est. *Id.* 1. *Ep.* 20. 20. Me libertino natum patre et in tenui re. *Juvenal.* 3. 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. Rursus *Horat.* 2. *Sat.* 5. 12. Rès ubi magna nitet, domino sene. *Id.* 1. *ibid.* 4. 110. Rem patriam perdere. *Cic.* 6. *Parad.* 2. 46. Rem honeste quærere mercaturis faciendis. *Id.* 11. *Fam.* 21. 2. Rem comedere. et 4. *ibid.* 7. *ad fin.* Rem familiarem dissipare. et *post red. in Senat.* 5. 11. Rem conficere. *eod. sensu.* ¶ 14. Dicitur et de publicis opibus, copia, bonis, viribus civitatis, regni, populi eorumque statu, conditione. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. Unus homo (*Fabius Maximus*) nobis cunctando restituit rem. *Virg.* 3. *Æn.* 1. res Asiæ Priamique evertere gentem. et 1. *ibid.* 456. afflictis confidere rebus. *Sall. Hist.* 1. 8. *Dietsch.* Res romana plurumum imperio valuit. *Liv.* 1. 28. *ad fin.* Ut animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti. *Id.* 6. 40. *ad fin.* Parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt. *Id.* 21. 16. Neque hostem acriorem secum congressum, nec rem Romanam tam desidem unquam fuisse atque imbellem. *Tac.* 1. *Hist.* 29. Incruenta Urbs, et res sine discordia translatæ. *h. e.* imperium et summa rerum ab uno translata in alium. *Justin.* 8. 6. 3. Compositis ordinatisque Macedoniæ rebus. *Nepos Attic.* 9. *ad fin.* Potiri rerum. *V.* POTIOR. ¶ 15. *Res publica. V.* RESPUBLICA. ¶ 16. Item de statu et conditione seu qualitate fortunæ. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre. *le disgrazie e le prosperità.* Similiter dicuntur *res salvæ, integræ, bonæ, prosperæ, contractæ, periculosæ, arctæ, perturbatæ, eversæ, afflictæ, exiles* etc. In sing. num. *Sall. Cat.* 21. Nobis domi inopia, foris æs alienum: mala res, spes multo asperior. *cattivo stato.* et 22. Quibus neque res, neque spes bona ulla. — Et de statu rei. *Liv.* 6. 16. Haud procul seditione res erat. *Id.* 2. 56. Res ad bellum spectabat, ad interregnum rediit. ¶ 17. *His rebus*, in hoc rerum statu: *incertis rebus*, quum res sunt incertæ: *malis, miseris, afflictis rebus*, quum res sunt adversæ: *bonis, florentibus rebus*, quum belle omnia fluunt, et ex sententia. *Cic. Flacc.* 5. *a med.* Vehementem accusatorem nacti sumus, judices, et inimicum in omni genere odiosum ac molestum: quem spero, his rebus, fore magno usui et amicis et reipublicæ. Alii *his rebus* intelligunt hac vehementia, odio, molestia: alii aliter leg. *Plaut. Rud.* 3. 3. 12. Neque est melius morte in malis rebus, miseris. *Nepos Con.* 2. Rebus autem afflictis – non quæsivit ubi ipse tuto viveret sed etc. *Virg.* 6. *Æn.* 196. dubiis ne defice rebus. *Cic.* 4. *Fam.* 9. *ante med.* An eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset? Sic *Publil. Syr. fragm.* 259. ed. *Ribbeck.* In dubiis rebus plurimi est audacia. *Cic.* 12. *Fam.* 2. *ad fin.* Habes auctores consilii publici, qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset: quid censes perditis? *Plaut. Trin.* 2. 4. 45. Bonis tuis rebus meas res irrides malas. *Cic.* 4. *Fam.* 1. et 7. *ibid.* 30. *ad fin.* Bis enim est a me judicio capitis, rebus salvis, defensus. *h. e.* libera republica. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Quod eo consilio, florentissimis rebus, domos suas reliquissent, ut etc. *Ter. Phorm.* 5. 3. 8. Ex his prædiis talenta argenti bina, rebus vilioribus multo, capiebat. ¶ 18. *Rebus prolatis. V.* PROFERO. ¶ 19. *Res redeunt. V.* REDEO. ¶ 20. *Alias res agere. V.* AGO. ¶ 21. *Re recenti. V.* RECENS. ¶ 22. *In malam rem*, in calamitatem, in exitium, in malam crucem, *in malora* (?). *Ter. Andr.* 2. 1. 17. Abin 'hinc in malam rem cum suspicione isthac, scelus? *Id. Phorm.* 5. 7. 37. I in malam rem hinc cum isthac magnificentia. ¶ 23. *Res tuas tibi habe*, formula divortii faciendi. *V.* DIVORTIUM. Similis est illa *Res tuas scius tolle*, in dirimenda societate, contubernio, amicitia, apud *Petron. Satyr.* 79. *extr.* ¶ 24. *Res*, res militaris. *Sil. It.* 15. 149. comites rerum bellique ministri. Hinc *res gerere. V.* GERO. *Auct. B. Afr.* 33. Quum animadvertisset, præsidium ibi esse, non ausus periculo suo rem facere etc. *tentar cos' alcuna.* ¶ 25. Negotium, consuetudo, congressus, commercium, *negozio, contratto, affare, pratica, commercio. Cic. Cluent.* 13. *ad fin.* Itaque rem cum Oppianico transigit: pecuniam ab eo accipit, causam relinquit. *Ter. Adelph.* 4. 7. 17. Res composita est: fiunt nuptiæ. *Id. ibid.* 2. 1. 23. Quid tibi rei mecum 'st? *Che ho io che far teco? Cic. Rosc. Am.* 30. 84. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris. *teco la voglio.* et 9. *Fam.* 20. 2. Proinde te para: cum homine edaci tibi res est. *hai a fare con un mangione.* et *Sext.* 16. 37. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto. *Ter. Eun.* 1. 2. 39. et 57. Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite, abii huc. Adde *Plaut. Bacch.* 3. 6. 35. et *Merc.* 3. 1. 35. et 37. Uterque autem locus turpem consuetudinem significat. συνουσιάζειν. — Similiter *res acta* apud *Pallad. carm. de insit.* 30. ed. *Wernsdorf.* Si velocis equæ pigro miscetur asello Ardor, ut in sterilem res cadat acta gradum. *h. e.* admissura asini ad equam, qua fit ut proles inde nata sterilis sit, nec amplius generare possit. ¶ 26. Refertur ad utilitatem, commodum, usum. *Cic. Cluent.* 69. 196. Summa est hominis in communem municipii rem diligentia, in singulos municipes benignitas. *Ter. Phorm.* 2. 4. 9. Ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias. *Id. Andr.* 3. 3. 14. Si in rem est utrique, ut fiant (*nuptiæ*), accessi jube. *Sall. Jug.* 33. *extr.* Id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est. *h. e.* utiliter, *con frutto.* Adde *eumd. Cat.* 20. *init.* Sic *Ter. Phorm.* 3. 2. 40. Non pudet vanitatis? DO. non, dum ob rem. *Cic. Rosc. Am.* 30. *a med.* Si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset. *Id.* 3. *Fam.* 44. Tanta mihi cum eo necessitudo est, ut, si mea res esset, non magis laborarem. *se fosse mio interesse.* et *Ter. Heaut.* 2. 3. 113. Quasi istic minor mea res agatur, quam tua. ¶ 27. *Alicui rei esse*, esse aliquantum frugi, utilem, idoneum esse ad aliquid, *esser da qualche cosa. Ter. Adelph.* 3. 3. 3. Si illum potest, qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam abducere. *est qui leg.* alicujus. *Plaut. Stich.* 5. 4. 38. Nolo ego nos pro summo bibere: nulli rei erimus postea. Alii aliter leg. *Gell.* 13. 30. Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei. *Id.* 9. 2. Erraticum esse hominem, dicere, et nulli rei. *Id.* 14. 2. *ante med.* Illum hominem esse non bonæ rei, vitaque turpi ac sordida. ¶ 28. *E*, seu *ex re esse*, in rem esse, lucro, commodo esse; *re*, cum fructu. *Ter. Phorm.* 5. 7. 76. Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho. *Cic.* 5. *Att.* 8. *extr.* Statues, ut ex fide, fama reque mea videbitur. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 102. et 104. Ex tua re non est, ut ego emoriar. *non ti torna a conto.* Et omissa præposit. *Id. Capt.* 2. 2. 46. Hæc tu eadem si confiteri vis, tua re feceris. *in tuo vantaggio.* ¶ 29. *Pro re*, ut res fert, ut res patitur. *Sall. Jug.* 54. Dein ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere. *Lucret.* 6. 1279. Quisque suum pro re compostum mœstus humabat. *h. e.* pro facultatibus. ¶ 30. *Pro re et re nata*, pro eventu rei, et occasione, pro tali rerum statu. *Cic.* 7. *Att.* 8. Animadverteram,

posse pro re nata, te non incommode ad me in Albanum venire. et 14. ibid. 6. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. *Ter. Adelph.* 3. 1. 8. E re nata me[illegible] haud potuit quam factum est. Ubi [illegible]. Sic proprie dicimus de iis, quæ contra voluntatem nostram acciderunt. *Apul.* 4. *Met.* E re nata consilium capere. et 9. *ibid.* E re nata fallaciosa mulier temerarium tollens cachinnum, magnum, inquit, etc. Huc pertinet illud *Plauti Truc. a.* 5. *v.* 70. Ut rem natam video, hoc accipiundum est, quod datur. Adde *eumd. Bacch.* 2. 2. 40. ¶ 31. *Ab re* significat — *a*) ab eventu. *Liv.* 1. 17. Id ab re interregnum appellatum. — *b*) sine causa, sine ratione, præter propositum. *Plaut. Capt.* 2. 2. 88. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. *Sueton. Aug.* 94. Non ab re fuerit subtexere quæ evenerint. *Gell.* 18. 14. Hæc notare non abs re visum est. Ita *Gronov.*, alii *ab re.* — *c*) in damnum, in jacturam. *Plaut. Asin.* 1. 3. 71. Si papillam (*meretricis*) pertractavit haud est ab re aucupis. *h. e.* non est aucupi, *h. e.* lenæ, damnosum. *Id. Trin.* 2. 1. 11. *de Amore.* Ab re consulit blandiloquentulus, harpago, mendax. — *d*) In illo *Ter. Adelph.* 5. 3. 44. At enim metuas, ne ab re sint omissiores paullo: *ab re* est, quod ad rem familiarem attinet, seu, ut ait *Donatus*, a patrimonio. *rispetto alla roba, al tener di conto.* ¶ 32. Interdum *res* relativi pronominis vicem gerit, vel cum eo juncta redundat. *Varro* 2. *R. R.* 2. 6. Emptor stipulatur prisca formula sic: Illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse etc. *Plaut. Capt.* 2. 2. 13. Sunt ex to quæ solo scitari volo, quarum rerum te falsiloquum mihi esse nolo. — Similiter redundat cum pron. *quid*, et partic. *ita. Catull.* 28. 3. Verrani optime, tuque, mi Fabulle, quid rerum geritis? *Vulgat. interpr. Judith* 6. 10. Percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum reliquissent. *Tertull. adv. Val.* 14. Dum ita rerum habet. — Item cum Particip., seu Adject. *Horat. Art. P.* 47. Judiciis monstrare recentibus abdita rerum. — Item cum Superl., sed vim addit, ut supra diximus paragr. 1. in fin. ¶ 33. Est aliquando loco pronominis *is* vel *idem. Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Quos alii μελισσοτροφεῖα appellant, eamdem rem quidam mellaria. *Id.* 7. *L. L.* 44. *Müll.* Altissimum in urbe quod est, ea res tutissima tutulus vocatur. At *Müllerus* aliter omnino legit. — Hic alia exempla, præter allata, seu dictiones pro vario hujus vocis usu cum Verbis transit., servato litterarum ordine, subteximus. *Sall. Hist. fragm.* 3. 61. *Dietsch.* rem absolvere. *Cæs.* 3. *B. G.* administrare. *Sall. Jug.* 103. aggredi. *et ibid.* 27. agitare. *trattare. et Cat.* 41. aperire. *Ter. Eun.* 4. 2. 3. aliam ex alia cogitare. *Cic.* 5. *Att.* 5. cognoscere. *Sall. Cat.* 26. comparare. *Id. Jug.* 43. componere. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 54. in pauca conferre. *compendiare. Sall. Cat.* 46. conficere, *compiere, eseguire, fare. Id. Cat.* 52. considerare. *Plaut. Capt.* 2. 3. 93. constabilire. *Id. Cist.* 1. 1. 99. consulere. *Sall. Hist. fragm.* 2. 96. *Dietsch.* consumere. *dilapidare. Id. Jug.* 79. conturbare. *Id. ibid.* corrumpere. *guastar l'affare. Id. ibid.* 83. curare. *Cic.* 7. *Att.* 3. 5. deducere. *Cæs.* 4. *B. G.* 9. deliberare. *Sall. Jug.* 95. dicere. *trattare. Ulp. Dig.* 43. 30. 3. differre. *Poeta* apud *Charis.* p. 252. dilapidare. *Titinius* apud *Non.* p. 511. 26. disperdere. *Turpilius* apud *eumd.* p. 333. 14. dispoliare. *Quintil.* 10. 1. 4. disponere. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. ducere. *stimare. Varro Sat. Menipp.* 8. 1. *Oehler.* scriptione duplicare. *fingere di avere e far registrare nel censo il doppio di quel che si possiede. Sall. Hist. fragm.* 4. 61. *Dietsch.* eripere. *Nepos Eum.* 9. expedire. *Id. Pelop.* 1. explicare. *Sall. Jug.* 53. explorare. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 64. exponere. *Sall. Jug.* 70. exsequi. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 65. facere. *far roba. Cato R. R.* 5. 3. divinam facere. *sacrificare. Liv.* 22. 3. ferre. *portar via. Cic. Amic.* 6. 22. adversas ferre. *sopportare. Horat.* 2. *Sat.* 3. 19. frangere. *rovinare le facoltà. Plaut. Pseud.* 1. 2. 61. et *Nepos Dion.* 8. gerere. *fare, eseguire. Cic. Senect.* 7. 22. gerere. *fare i suoi interessi. Cic.* 5. *Att.* 20. *ante med.* et *Nepos Hamilc.* 3. *de re bellica.* gerere. *amministrare, compiere. Cic.* 5. *Fin.* 19. 52. gerere. *far grandi imprese, aver grandi maneggi. Quintil.* 10. 1. 4. invenire. *trovare la materia, i concetti. Cic.* 2. *Fin.* 16. 54. judicare. *Quintil.* 8. 6. 75. minuere. *Sall. Jug.* 18. mutare. *far de' cambi. Afranius* apud *Non.* p. 81. 16. narrare. *Sall. Hist. fragm.* 1. 90. *Dietsch.* notare. *Nepos Eum.* 6. occupare. *occupare l'impero. Horat. Art. P.* 310. ostendere. *Id.* 2. *Sat.* 4. 11. peragere. *trattare. Cæcilius* apud *Non.* p. 127. 19. perdere. *Nepos Dion.* 5. perducere. *Titinius* apud *Non.* p. 306. 29. procurare. *Plaut. Capt.* 1. 1. 10. proferre. *sospendere, o differire gli affari nel tempo del feriato. Quintil.* 6. 3. 15. proponere. *Liv.* 23. 20. relaxare. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. relinquere. *Plaut. Rud.* 4. 3. 87. reperire. *Sall. Hist. fragm.* 3. 61. *Dietsch.* repetere. *h. e.* jura erepta ut restituantur, postulare, metaphorâ sumptâ a fetialibus, qui antequam populus R. bellum faceret, mittebantur *ad res repetendas* (cf. *Liv.* 1. 32.). *Tac. Agric.* 39. 4. reponere. *h. e.* differre. *Liv.* 1 17. sociare. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 8. struere. *Titinius* apud *Priscian.* p. 629. 4. studere. *Cic. Orat.* 2. 24. suscipere. *Pomponius* apud *Non.* p. 516. 18. tractare. *Cic. Brut.* 41. 152. in partes tribuere. *distribuire, dividere.*

RĔSĂCRO. *V.* RESECRO.

RĔSÆVĬO, is, ire, n. 4. (re et sævio) *incrudelire di nuovo*, iterum sævio. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 103. Quæque quiescebat, ne mota resæviat, ira, Et pœnæ tu sis altera causa, cave.

RĔSĂLŪTANS, antis, particip. *V.* RESALUTO.

RĔSĂLŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. *risalutazione*, actus resalutandi. *Sueton. Ner.* 37. *sub fin.* Neque quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.

RĔSĂLŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĂLŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et saluto). Particip. *Resalutans, Resalutatus* et *Resalutaturus.* — Resaluto est salutantem saluto, *risalutare*, ἀντασπάζομαι, ἀντιπροσαγορεύομαι. *Cic.* 2. *Phil.* 42. *a med.* Descenderant, ut istum salutarent: tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum. *Martial.* 5. 21. Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum Ante salutabat rhetor Apollonius. Nunc utrumque suo resalutat nomine. et 57. Quum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere: Sæpe etiam servum sic resaluto meum. *h. e.* resalutando appello. *Id.* 10. 70. Nunc resalutantes video nocturnus amicos. *Seneca Tranquill.* 12. Salutaturi aliquem non resalutaturum. *Petron. Satyr.* 44. Quam benignus resalutare, nomina omnium reddere, tamquam unus de nobis. Adde *Lucilium* apud *Charis.* 2. p. 190.

RĔSALVĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSALVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et salvo) iterum salvo. *Hieronym. Ep.* 98. 21. *extr.* Resalvare animam suam. *Augustin.* 18. *Civ. D.* 31. Apparet quippe id esse completum, quum resalvati ex monte Sion, id est ex Judæa credentes in Christum etc.

RĔSĀNĔO, nes, nŭi, nere, n. 2. et

RĔSĀNESCO, is, ere, n. 3. inchoat. *risanarsi, guarire*, iterum sanus fio. Translate. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 9. Nunc timor omnis abest, animique resanuit error. *Lactant.* 5. 2. *circa med.* Ut susceptis deorum cultibus resanescant.

RĔSĀNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *risanare*, iterum sano.

I.) Proprie. *Capell.* 3. 224. ed. *Kopp.* Dicebat nigello quodam pulvere illato per cannulas eadem (*vitia linguarum*) resanari. *Id.* 9. 926. Phreneticos symphoniâ resanavi.

II.) Translate. *Lactant.* 4. 20. 1. Ne adduceret in pœnitentiam atque impios resanaret. *Id.* 5. 22. 23. Omnes qui resanati fuerint, adhæreant religioni.

RĔSAPSĂ, res ipsa, ut reapse, re ipsa. *V.* SAS.

RĔSARCĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. sarcimen. *Gloss. Cyrill.* Ὑπογραφή, plicatura, resarcinatio.

RĔSARCĬO, sarcis, sarsi, sartum, sarcire, a. 4. (re et sarcio). Præter. *resarcierit* legitur in *Justinian. Inst.* 4. 8. 3. — Particip. *Resarturus* I. et II.; *Resarciendus* II. — Resarcio est idem ac sarcio, reficio, reconcinno, ἀναρράπτω (It. *rattoppare, ricucire, rappezzare, racconciare*; Fr. *réparer, raccommoder*; Hisp. *reparar, remendar, poner las cosas en orden*; Germ. *wieder flicken, – ausbessern, – zurecht machen*; Angl. *to patch, mend, repair, refit*).

I.) Proprie. *Ter. Adelph.* 1. 2. 40. Fores effregit? restituentur. discidit vestem? resarcietur. ubi *Donatus. Re* abundat. *Liv.* 45. 28. Graviter increpuisse traditur C. Sulpicium, – quod adeo indulsisset militibus, ut nudari tegulis muros urbis ad tegenda tabernacula sua pateretur: referrique tegulas et resarciri tecta jussit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 32. (143). Perticas ex salice cædi justum est quarto fere anno. Et eæ autem senescentium propagine resarciunt locum. *h. e.* rursus implent, suppleot. At *Sillig.* senescentium locum præsarciunt. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Fracta juga vitium considerare et resarcire.

II.) Translate est compensare, *ricompensare, risarcire. Cic.* 1. *Fam.* 9. *ab init.* In meis damnis ex auctoritate senatus resarciendis. *Alii leg.* sarciendis. *Sueton. Claud.* 6. Damnum (*domus incensæ*) liberalitate sua resarturum pollicens. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *ad fin.* Ut jacturam capitis amissi restituat, et quæstum resarciat.

RĔSARRĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSARRĬO, is, ire, a. 4. *tornare a zappare*, ἀνασκάλλω, rursum sarrio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (4.) Quum hieme prægelida captæ segetes essent, reseverunt, resarrientes campos mense Martio, uberrimasque messes habuerunt.

RESCINDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESCINDO, scindis, scĭdi, scissum, scindere, a. 3. (re et scindo). Particip. *Rescindens* I. 1.; *Rescissus* in omn. paragr.; *Rescindendus* I. 1. — Rescindo est idem ac scindo, cædo, confringo, dissolvo, labefacto, ἀνασχίζω, ἀναρρήγνυω (It. *tagliare, rompere, squarciare*; Fr. *déchirer de nouveau, briser, séparer, couper*; Hisp. *desgarrar de nuevo, rasgar, despedazar, romper, quebrar, separar, cortar*; Germ. *wieder ab-los-zerreissen*; Angl. *to cut, cut off, cut or break down, destroy, tear up or off, rend in pieces*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Tibull.* 1. 11. 61. Sit satis, e membris tenuem rescindere vestem. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 95. 22. *Merc.* Pluteos rescindit, munitiones demolitur. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Pontes rescindendos curaverat. et *ibid.* 86. *extr.* Falcibus vallum ac loricam rescindunt. *Flor.* 2. 15. In usum novæ classis tecta domusque resciderunt. *disfecero.* Et *Propert.* 3. 6. 8. Fac mea rescisso pectora nuda sinu. *Virg.* 12. *Æn.* 389. Ense secent lato vulnus, telique latebras Rescindant penitus. *Id.* 1. *G.* 280. Et conjuratos cælum rescindere fratres. Sic 6. *Æn.* 583. manibus rescindere cælum Aggressi. *Lucan.* 4. 328. Rescissoque nocent suspiria dura palato. *h. e.* siti exasperato, ulcerato. *Seneca* 5. *Controv.* 34. *a med.* Cadaverum artus rescindere, ut nervorum articulorumque positio cognosci possit. *far la notomia.* Et *Colum.* 2. *R. R.* 14. *init.* Et quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat atque obruat. et *ibid.* 4. *ad fin.* Modo in elatiora, modo in depressiora clivi obliquum agi sulcum oportebit, ut in utramque partem rescindamus. *h. e.* vomera proscindamus, *rompiamo, ariamo. Id.* 4. *ibid.* 29. *ante med.* Rescissa vitis. *h. e.* cæsa et fissa. *Alii leg.* recisa. *Sueton. Cal.* 3. Germanicus lenis adeo et innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti etc. *Justin.* 14. 1. 5. Rescissurosque se ferro decreta Macedonum affirmarent. — Poetice. *Claudian. B. Get.* 586. Vulneribus pars nulla vacat: rescissaque contis Gloria fœdati splendet jactantior oris. *h. e.* rescissa et vulnerata facie vulneribus in prœlio acceptis: unde gloria et militaris honestaque jactantia nascitur. μετωνυμία. ¶ 2. Speciatim *rescindere vulnus* est, quod ait *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 41. retractando

rumpere, refricare. *h. e.* renovare memorando. *Flor.* 3. 23. Ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 63. Ergo quicumque es, rescindere vulnera noli. *Est qui leg.* crimina. Sic *Plin.* 7. *Ep.* 19. *sub fin.*; et *Seneca Phœniss.* 164. Rescissa vulnera. — Similiter *Virg.* 3. *G.* 453. ferro rescindere summum Ulceris os. *Colum.* 6. *R. R.* 11. *init.* suppurationem ferro. et *ibid.* 30. 5. venam, quæ sub oculo est. *Quintil. Declam.* 10. 2. Rescissa orbitas. *h. e.* refricata et renovata tamquam vulnus. Sic *rescindere cæcitatem* apud *Quintil. Declam.* 6. 19. *extr.* est ex oculis cæcis et obstructis vi lacrimas exprimere, et ita obductam quasi cicatricem rescindere. — Huc pertinet et illud *Ovid.* 12. *Met.* 542. quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis rescindere luctus? — *Rescindere vias* apud *Lucret.* 2. 406. est obstantia tollendo aperire, munire, patefacere. Alii leg. *restringere*. Similiter *Cic.* 2. *leg. Agr.* 1. *sub fin.* Et eum locum, quem nobilitas præsidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce, rescidistis virtutique in posterum patere voluistis. Apud *Senec. Phœniss.* 226. *rescindere vias aurium* est lacerare, confringere meatus et organa aurium, per quæ sonus hauritur.

II.) Translate est abrogare, abolere, tollere, irritum esse jubere, *annullare, cassare, togliere. Ter. Phorm.* 2. 4. 15. Mihi non videtur quod sit factum legibus, Rescindi posse. *Cic.* 13. *Phil.* 3. 5. Acta Antonii rescidistis, leges refixistis. Sic *Plin.* 10. *Ep.* 64. Acta alicujus rescissa. et *Sueton. Cæs.* 82. Acta rescindere. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 26. 63. Ut omnes istius injurias rescinderet et irritas faceret. *Id.* 6. *Att.* 1. *sub init.* Rescindere constituta ab alio. *Id. Prov. cons.* 5. 10. pactiones. *Id. Sull.* 22. 63. res judicatas. *Id. Dom.* 15. *a med.* quæ contra auspicia acta sunt. *Vellej.* 2. 90. 3. fœdus turpe. *Cic.* 3. *Verr.* 43. *sub fin.* voluntates mortuorum. *tagliare i testamenti.* et 4. *ibid.* 57. *ante med.* totam triennii præturam. *Scævola Dig.* 2. 15. 3. Rescissum testamentum. *Seneca* 3. *Benef.* 13. Beneficium suum ipse insequenti injuria rescidit. *distrusse, guastò.* et *Inscript.* apud *Orell.* 775. SI ORDO RESCIDISSET DECRETVM SVVM MVTASSETVE CONDICIONEM TVM etc. — *Rescindere sacrilegium* apud *Val. Max.* 1. 1. *n.* 2. est destruere, expiare. — Huc pertinent et illa *Horat.* 1. *Ep.* 3. 31. an male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur? *il mal rannodato legame dell'amore non istà e di nuovo si spezza?* et *Petron. Sat.* 114. *a med.* Veritus, ne inter initia coeuntis gratiæ recentem cicatricem rescinderet. — Apud *Sueton. Tib.* 34. Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scænicorum rescissis. *h. e.* diminutis. Alii rectius *recisis*. Sic in illo *ejusd. Cal.* 55. Mirmillonum armaturas recidit. *rectius quam* rescidit.

RESCĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESCĬO, is, ivi *et* ii, itum, ire, a. 4. *et*

RESCISCO, is, ere, a. 3. (re *et* scio, -scisco). Particip. *Resciens* sub *b*; *Rescilurus* sub *a*. — Rescio et rescisco est idem atque intelligo, cognosco, μανθάνω, γινώσκω, *risapere, venire a sapere*; et fere usurpatur, quum aliquid ex alio, aut aliquid de industria celatum, aut inopinatum, insperatum, nobisque molestum cognoscimus. *Gell.* 2. 19. Aliter dictum esse *rescivi*, aut *rescire* apud eos, qui diligenter locuti sunt, nondum invenimus, quam super his rebus, quæ aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve usuvenerint. Deinde *Nævii*, *Quadrigarii* et *Catonis* locos subjicit: pro quibus a me habe — *a*) Præter. apud *Ter. Hecyr.* 4. 1. 4. Quod si rescierit, peperisse eam, id qua causa clam me habuisse dicam? *Id Adelph.* 5. 3. 5. Hem tibi! rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet. *Nepos Datam.* 2. *a med.* Mater, quid ageretur, rescilt, filiumque monuit. *Cic.* 3. *Off.* 23. *a med.* Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: quum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 23. 9. Quod quum David rescisset. *Ter. Adelph.* 1. 1. 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit. *Nepos Eumen.* 8. *ad fin.* Intelligebat, prius adversarios rescituros de suo adventu, quam etc. — *b*) Extra præter. fere in usu est *rescisco* pro *rescio*. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 26. Placet non fieri hoc itidem, ut in comœdiis, omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere, sciunt: quos non autem æquum est scire, neque resciscent, neque scient. *nè da altri n'avranno notizia, nè per sè stessi potranno saperlo.* et *Id. Adelph.* 4. 2. 7. Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia. *Plaut. Merc.* 5. 4. 44. Nihil opus est resciscat. EVT. quid istac? non resciscet: ne time. *Liv.* 29. 14. Occultantibus id patribus, ne resciscerent Carthaginienses. *Alii leg.* rescirent. Sed *Hygin. Fab.* 164. Quod pater resciens. et *Commodian. Apul.* 12. Quid ibi rescirem.

Homonym. In quo differant *rescire* aut *resciscere*, et *scire*, ex iis, quæ supra attulimus, præcipue ex illo *Ter. Hecyr.* 5. 2. 2., facile intelligitur.

RESCISĬO, *et*

RESCISSĬO, ōnis, *f.* 3. *taglio*, actus rescindendi. Translate. *Callistrat. Dig.* 50. 9. 5. Si ad publicam utilitatem respiciat rescissio prioris decreti. *Ulp. ibid.* 37. 4. 3. *ante med.* Rescissio emancipationis. *Id. ibid.* 43. 23. 11. *sub fin.* emptionis. *Tertull. Resurr. carn.* 57. *a med.* mortis. *h. e.* deletio, oblitteratio per resurrectionem. *Augustin. contra Crescon.* 2. 8. Sacramentorum violatio atque rescissio.

RESCISSŌRĬUS, a, um, adject. ad rescissionem pertinens. *Ulp. Dig.* 4. 6. 28. *ad fin.* Rescissoria actio. *Cels. ibid.* 39. 5. 21. Habeo adversus debitorem meum rescissoriam in id, quod supra legis modum promisit.

RESCISSUS, a, um particip. *V.* RESCINDO.

RESCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (re *et* scribo). Particip. *Rescriptus* in omn. paragr.; *Rescripturus* sub *B.* 1.; *Rescribendus* sub *A.* 2. *a.* — Rescribo

A) Est idem ac vicissim scribo, scripto respondeo, ἀντιγράφω (It. *rispondere in iscritto, rescrivere*; Fr. *récrire, répondre par ecrit*; Hisp. *volver á escribir*; Germ. *zurück schreiben, schriftlich erwiedern*; Angl. *to write back, answer by writing, write word back*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Stricto sensu. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Pompejus rescripserat, sese rem in summum periculum deducturum non esse. *Cic.* 13. *Att.* 23. Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi: nunc respondeo vespertinis. et 4. *ibid.* 16. Ad eam epistolam rescribam. et 7. *ibid.* 17. *a med.* Rescripsi ad Trebatium, quam illud hoc tempore esset difficile. et 8. *ibid.* 1. Pompejo statim rescripsi, non me quærere, ubi etc. et 5. *ibid.* 12. *a med.* Cui rei fugerat me rescribere. *Id* 1. *Fam.* 9. *sub init.* Rescribam tibi ad ea, quæ quæris. *Horat.* 1. *Ep.* 5. *in fin.* Tu, quotus esse velis, rescribe. — *b*) Latiore sensu est e contrario scribere, seu contra ea, quæ scripta sunt. *Quintil.* 10. 5. *ad fin.* Melius hoc, quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Sextius contra Ciceronis orationem habitam pro eodem. *Sueton. Gramm.* 19. Cujus etiam libro de Orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque ejus. Adde *eumd. Cal.* 53. Sic *Cic.* 12. *Att.* 21. Legi Bruti epistolam sane non prudenter rescriptam ad ea, quæ requisieras. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 34. *a med. Senec.* 5. *Controv. præf. a med.* et *Sueton. Aug.* 86. — *c*) Et pro scribere, perscribere, *scrivere*. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. Morem hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis, et carmina. *h. e.* scriptos et notatos suis sonis, ut a musicis fit. *Est qui leg.* descriptos. ¶ 2. Speciatim *rescribere* — *a*) dicitur princeps, quum per litteras respondet consulentibus de jure alicujus rei. *Sueton. Aug.* 45. Quod inter spectandum, epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret. *Papir. Dig.* 18. 1. 71. Imperatores Antoninus et Verus Augusti Sextio Vero in hæc verba rescripserunt. *Ulp. ibid.* 36. 4. 1. *ad fin.* Divus Pius ad Æmilium Equestrem rescripsit, non debere etc. *Id. ibid.* 1. 16. 4. *ad fin.* Imperator Antoninus ad desideria Asianorum rescripsit, proconsuli necessitatem impositam etc. — Hinc *rescriptum* absolute, scriptum quo imperantes consulentibus se respondent. *rescritto, risposta. Plin.* ad *Trajan.* 10. *Ep.* 2. Ex rescripto intelligo, hoc te ei præstitisse etc. *Tac.* 6. *Ann.* 9. Precatusque per codicillos, immiti rescripto venas resolvit. *Ulp. Dig.* 49. 1. 1. Quæsitum est, an adversus rescriptum principis provocari possit. *V.* ANNOTATIO. — *Rescriptum* dicitur etiam de privatorum litteris, quibus alicui respondetur. *M. Aurel.* ad *Fronton.* inter *epist.* 5. ad *M. Cæs.* 36. *in fin.* Vale, mi jucundissime magister. Rescripto nihil opus est. *h. e.* de re respondeas. *Sueton. Aug.* 85. Multa varii generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitavit. sicut *Rescripta Bruto de Catone*. h. e. contra Brutum scripta, quibus respondebat iis, quæ Brutus de Catone Uticensi in vituperium, ut veri simile est, Julii Augustique scripserat. — *Rescribere litteras* pro respondere litteris alterius habet *Fronto* ad *M. Cæs.* 1. 2. Eas quidem litteras, quas ad priorem epistolam tuam jam rescripseram, dimisi ad te. — *b*) Etiam JCti *rescribere* aliquando dicuntur: quamvis eorum proprium sit *respondere* aut *scribere*. Hinc *Labeo rescripsit*, *Scævola*, *Julianus rescripsit*, habes apud *Pompon Dig.* 40. 7. 29. *a med.* et *ibid.* 4. 46. et *Ulp. ibid.* 47. 2. 53. *a med.* etc. ¶ 3. Item speciatim *rescribere pecuniam* dicitur trapezita, qui datam sibi ab aliquo pecuniam fenori, eidem aliquando restituit: quia tum in danda, tum in recuperanda pecunia scriptura intervenit. *Ter. Phorm.* 5. 7. 28. Transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursum jube rescribi. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 422. Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis. *transcribi*, inquit, tradi. Sermo autem hic tractus est de pecunia. nam scribi est dari. Horatius (2. *Sat.* 3. 69.) Scribe decem Nerio. *rescribi*, reddi. Horatius (*ibid.* 75.) dictantis quod tu numquam rescribere possis. Terentius (*loc. cit.*) illud mihi argentum, etc. Hæc *Servius*. *Auson. epist.* 5. 23. Ergo aut prædictos jam nunc rescribe Darios etc. Aut alios a me totidem dabo. ¶ 4. Item in re militari *rescribere milites* est de uno in alium militiæ ordinem transferre. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. *in fin.* Cæsarem pollicitum, cohortis prætoriæ loco decimam legionem habiturum: ad equum rescribere.

B) Est etiam rursus scribere, *scrivere di nuovo.* ¶ 1. Generatim. *Sueton. Cæs.* 56. Asinius parum diligenter compositos (*commentarios*) putat, existimatque rescripturum et correcturum fuisse. *Plin.* 5. *Ep.* 8. Potes simul et rescribere actiones, et componere historiam. *h. e.* retractare: quod paullo supra dixerat. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 9. Et 8. *ibid.* 21. *extr.* Hæc vel emendata postea, vel deteriora facta, quasi nova rursus et rescripta cognosces. ¶ 2. Speciatim *rescribere milites* est dimissos rursus per delectum milites facere. *Liv.* 9. 10. Rescriptæ ex eodem milite novæ legiones.

Homonym. Differunt inter se *rescribere* et *respondere* ex eo quod, ut vidimus, *rescribo* est proprie *scriptis respondeo*, quum contra *respondeo* latius pateat, et proprie dicatur de præsente, *rescribo* vero de absente. *Seneca Ep.* 67. Sic afficior animo tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. At vide RESPONDEO 3.

RESCRIPTĬO, ōnis, f. 3. *rescritto*, idem quod rescriptum. *Julian. Dig.* 1. 18. 8. Hac rescriptione non imponi necessitatem proconsuli. *Callistrat. ibid.* 9. Quoties princeps ad præsides provinciarum remittit negotia per rescriptiones.

RESCRIPTUM, i, n. 2. *V.* RESCRIBO sub *A.* 2. *a.*

RESCRIPTUS, a, um, particip. *V.* RESCRIBO.

RESCŬLA. *V.* RECULA.

RESCULPO, pis, psi, pere, a. 3. (re et sculpo) iterum sculpo, refingo. Translate. *Prudent. præf. Psychom.* 50. Hæc ad figuram prænotata est linea, Quam nostra recto vita resculpat pede. *Tertull. advers. Psych.* 5. Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen. *h. e.* renovaverat. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Flacc.* 2. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 6.). Ut memoriam videlicet eorum resculperet, qui cum Lentulo in carcere pœnas dederant. Et ad *Cic.* in *P. Clod.* et *Cur. ibid. p.* 204. Resculpit infamiam illius incesti, quod fecisse in operto Bonæ Deæ videbatur, quo viris ingredi non liceret.

RĔSĔCĀBĬLIS, e, adject. qui resecari debet. *Cassiod.* 2. *Variar.* 41. Semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus.

RĔSĔCĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac resectio. Translate. *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 22. Non interficientes Vandali mulieres impudicas, ne, dum peccata auferre cuperent, ipsi in peccatorum resecatione peccarent.

RĔSĔCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĔCO, sĕcas, sĕcŭi, sectum et sĕcatum, sĕcare, a. 1. (re et seco). Particip. *Resectus* I.; *Resecatus* I. et in fin.; *Resecandus* II. — Reseco est idem quod *seco*, rescindo, amputo, ἀποτέμνω (*It. tagliar via, risecare; Fr. couper, tailler, rogner, retrancher en coupant; Hisp. cortar, tajar, cercenar, dividir acortando; Germ. wieder losschneiden, wieder abschneiden; Angl. to cut, cut off or out, cut or pare away*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 46. 96. Aut quorum linguæ sic inhærent, ut loqui non possent, hæ scalpello resectæ liberarentur? *Id. Pis.* 19. 43. Quem Carthaginienses resectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 58. Barba resecta mihi bisve semelve fuit. *Id.* 2. *Fast.* 520. Primitias Cereri farra resecta dabant. *Virg.* 2. *G.* 78. enodes trunci resecantur. *Ovid.* 8. *Met.* 649. Servatoque diu resecat de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis. et 11. *ibid.* 182. longos ferro resecare capillos. *Seneca Agam.* 974. collum. *decollare. Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (107). Gethyum sæpius resecatur, ut porrum. *Colum.* 5. *R. R.* 9. *a med.* Arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris etc. *Id.* 6. *ibid.* 12. 3. Extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. *sin sul vivo.* — *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 11. *in fin.* Sicut ægra corpora, resecata aliqua sui parte, sanantur.

II.) Translate est excidere, tollere: ac de iis fere dicitur, quæ vel superflua sunt, vel noxia: ductâ a medicis metaphorâ, qui quæ sunt corrupta in vulneribus, ferro purgant. *Cic.* 4. *Tusc.* 20. *ad fin.* Nimia resecari oportere, naturalia relinqui. *Id.* 1. *Att.* 18. *ante med.* Nactus locum resecandæ libidinis et coercendæ juventutis. *Juvenal.* 8. 166. Quædam cum primâ resecantur crimina barbâ. *Cic.* 2. *Cat.* 5. *sub fin.* Quæ sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere. *Id. Amic.* 5. 18. Neque id ad vivum reseco, ut illi, qui hæc subtilius disserunt. *h. e.* stricto, restricte, presse de solis sapientibus hoc intelligi volo. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Liber crevit, dum ornare patriam gaudemus: tu tamen hæc ipsa, quantum ratio exegerit, reseca. *taglia, accorcia, cancella.* Et *Horat.* 1. *Od.* 11. 6. et spatio brevi spem longam reseces. *tronca.* — Hinc Particip. præter.

Resecatus, a, um, adject., et transl. est severus, unde Comp. *Resecatior* apud *Apul. Florid. n.* 23. Sic enim ferme assolet apud prudentes viros esse in operibus judicatio resecatior, in rebus subitariis venia prolixior. *Alii leg.* resecratior, *alii rectius* restrictior.

RĔSĔCRO et Resacro, as, āvi, are, a. 1. (re et sacro). ¶ 1. Est iterum obsecro. *Plaut. Aulul.* 4. 7. 4. Nunc te obsecro resecroque, mater, quod dudum obsecraveram: fac mentionem cum avunculo, mater mea. *Id. Pers.* 1. 1. 49. Obsecro resecroque te, operam da hanc mihi fidelem. *h. e.* obsecro te et valde rursusque obsecro. ¶ 2. Est etiam ἀντιβολέω, contrarias preces facere, solvere religione. Nam *obsecro* et *resecro* opponuntur. Utique (ait *Festus p.* 281. 25. *Müll.* quocum cf. *Paul. Diac. p.* 280. 12.) quum reus populum comitiis oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, jubebat magistratus eum resecrare. Nempe qui *obsecrat*, votis suis quasi vincit; qui *resecrat*, obsecratione ac devotione liberat et solvit. Quod si reus resecrare nollet, tunc in ejus caput vinum per sacerdotum servos infundebatur, ut in eum omnis religio contracta verteret, et magistratus libere in eum animadvertere posset. *Nepos Alcib.* 6. *in fin.* Iidem illi Eumolpidæ sacerdotes resecrare sunt coacti, qui eum devoverant. *Alii leg.* resacrare. V. *Frontonis loc. cit.* in OBSECRO. Cf. *Ammian.* 24. 6. 16. Quibus (*ominosis signis*) visis exclamavit indignatus acriter Julianus, Jovemque testatus est, nulla Martii jam sacra facturum: nec resecravit celeri morte præreptus. V. *Vales.* in hunc locum, et *Müllerum* in *Supplem. annot.* ad *Festum p.* 404.

RĔSECTĬO, ōnis, f. 3. *taglio*, ἀνατομή, actus resecandi. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 4. Resectio vitis. et *ibid.* 24. *a med.* Deveram resectionem facere post gemmam. *Id. ibid.* 32. 4. Resectio arundineti cæca est, quia non apparet in terra, quid aut tollendum sit aut relinquendum. Adde et *de Arbor.* 6. *V.* RESECATIO.

RĔSECTUS, a, um, particip. *V.* RESECO.

RĔSĔCŪTUS, a, um, particip. *V.* RESEQUOR.

RĔSĔDA, æ, f. 1. genus herbæ: a *resedo*, quia morbos sedaret. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 106. (131). Circa Ariminum nota est herba, quam resedam vocant. Discutit collectiones inflammationesque omnes. Qui curant ea, addunt hæc verba: *Reseda morbos reseda. Scis ne, scis ne, quis hic pullos egerit? Radices nec caput nec pedes habeant.* Hæc ter dicunt, totiesque despuunt.

RĔSĒDO, as, are, a. 1. sedo, cessare facio. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 106. (131). *V.* voc. præced.

RĔSEGMEN, inis, n. 3. (reseco) *tagliatura, ritaglio*, ἀπόκομμα, quod resecatur, ut Resegmen unguium, quod ex unguibus amputatur. In plural. num. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Omnia persecuti usque ad resegmina unguium. *Id.* 13. *ibid.* 12. 23. (77). Longitudo papyri, quæ potuit esse, resegminibus amputatis. *i briciolini, i tritoli.*

RĔSĒMĬNO, as, are, a. 1. (re et semino) rursus semino. *Ovid.* 15. *Met.* 392. *de phœnice.* Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet, ales.

RĔSĔQUOR, sĕquĕris, sĕcūtus et sĕquūtus sum, sĕqui, dep. 3. (re et sequor). Particip. *Resecutus.* — Resequor est idem ac post loquendo sequor, *rispondere, soggiungere.* Occurrit tantum Perf. et Particip. præterit. *Ovid.* 8. *Met.* 863. Se quæri gaudens, sic est resecuta rogantem. *Id.* 6. *ibid.* 36. Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis. *Id.* 13. *ibid.* 749. Nereis his contra resecuta Crateide natam: Acis erat etc. *Auson. ep.* 25. 68. *de Echo.* Solatur nostres Echo resecuta querelas. Sic *Id. epigramm.* 99. 3. gemitum (*Echo*) resecuta querelis.

RĔSĔQUŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

RĔSĔRĀBĬLIS, e, adject. ad reserandum aptus. *Cassiod.* in *Psalm.* 1. Nunc claves psalmorum reserabiles apponamus, ut Regis nostri palatia introire mereamur.

RĔSĔRANS, antis, particip. *V.* RESERO.

RĔSĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. apertio. Translate *Ennod. Dict.* 14. *ad fin.* Sic te, impurissime hominum, adversus nos intimorum reserratione munivimus.

RĔSĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* RESERO.

RĔSĔRĀTUS, us, m. 4. actus reserandi. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. In voluminis ipsius operisque reseratu.

RĔSĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et sero, as). Particip. *Reserans* II. 2.; *Reseratus* I.; *Reserandus* I. et II. 1. — Resero est idem atque aperio, recludo: a *sera*, quia, serâ remotâ, valvæ patefiunt, ut *Non. p.* 41. 10. *Merc.*, *Festus p.* 282. 27. *Müll.* et fortasse etiam *Varro* 7. *L. L.* 108. *extr. Müll.* docent, ἀνοίγω (*It. aprire, disserrare; Fr. ouvrir; Hisp. abrir; Germ. ausschliessen, öffnen; Angl. to unlock, unbar, unbolt, set or throw open, open*).

I.) Proprie. *Ovid.* 10. *Met.* 384. Surgit anus, reseratque fores. *Tibull.* 1. 2. 31. Non labor hic lædit, reseret modo Delia postes. *Ovid.* 4. *Met.* 761. reseratis aurea valvis Atria tota patent. *Id.* 2. *Fast.* 455. et sex reserata diebus Carceris Æolii janua lata patet. *Virg.* 7. *Æn.* 613. reserat stridentia limina consul. *Id.* 12. *ibid.* 584. Urbem alii reserare jubent et pandere portas. et 8. *ibid.* 243. penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat Pallida. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (49). Domos claudere, aut reserare. *Ovid.* 3. *Art. am.* 577. portas reseravimus hosti. *Seneca Agam.* 718. Reserare fauces. et *Octav.* 367. pectora alicujus ferro. *Ovid.* 6. *Met.* reserato pectore, diras Egerere inde dapes. *Liv.* 40. 8. *ad fin.* Dicite palam, quidquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Reseratæ aures sunt, quæ postbac secretis alterius ab altero criminibus claudentur. *Cic.* 7. *Phil.* 1. 2. Ut reserare nos exteris gentibus Italiam juberet. *Paul.* 5. *Sentent. tit.* 25. Reserare signum. *dissigillare.* — Similiter de plagis et ulceribus. *Colum.* 6. *R. R.* 34. *init.* Suppuratio ferramento reseratur. et 7. *ibid.* 5. 10. Ulceris os reserandum est. — Huc pertinet et illud *Lucret.* 1. 11. Et reserata viget genitabilis aura Favoni.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 15. *sub fin.* Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus. *Plin. Paneg.* 66. *ad fin.* Obsæpta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus. et *ibid.* 58. Aperire annum, reserare fastos. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 23. Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum etc. *Val. Flacc.* 1. 655. Emicuit reserata dies. *h. e.* orta. *Boeth. cons. phil.* 1. *metr.* 3. *v.* 8. Reserare clausum diem. *Auson. Mosell.* 12. Olympum. *Dict.* 1. 22. Instar æstivi temporis reseratum est cælum. *Apul. de Mund.* 22. Rursus placatis omnibus amœna lætitia mundi reseratur. *Ammian.* 21. 6. 6. Et quia Persarum rege ob difficultatem hiberni temporis ægre contruso, reserato cæli temperie validior impetus timebatur etc. *Id.* 14. 10. 1. Cæli reserata tepore. ¶ 2. Specialim est secreta et incognita patefacere. *Ovid.* 15. *Met.* 145. et augustæ reserabo oracula mentis. *scoprirò, manifesterò.* Sic *Val. Flacc.* 2. 437. Minyas terris adytisque sacerdos Excipit hospitibus reserans secreta, Thyotes. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 17. Tuto apud te omnia animi operta reserabo. *Petron. fragm.* 680. *Burmann.* Reserare commissa. *rivelare il secreto.* et *Sil. It.* 7. 436. Incipit ambiguus vates reseratque futura.

RĔSĔRO, sĕris, sēvi, sĕrere, a. 3. (re et sero, is) *riseminare, ripiantare*, ἀναφυτεύω, rursus semino, seu rursus planto. *Varro* 5. *L. L.* 39. 6. *Müll.* Restibilis ager, qui restituitur, ac reseritur quotquotannis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (4). Nam quum hieme prægelida captæ segetes essent, reseverunt, resarrientes campos mense Martio. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 3. Melius ex vicino pertica (*castaneæ*) declinata propagatur, quam exempta reseritur. *Id.* 3. *ibid.* 11. 2. Reserere vineta.

RĔSERVANS, antis, particip. *V.* RESERVO.

RĔSERVĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et servo). Particip. *Reservans* sub *c.*; *Reservatus* sub *a.* et *c.*; *Reservandus* sub *a.* et *e.* — Reservo est idem atque ab aliis servo, in aliud tempus servo, sive ad bonum, sive ad malum, ἀποτίθημι, διαφυλάττω (*It. riserbare, conservare, salvare; Fr. conserver, garder, mettre en réserve, réserver; Hisp. conservar, ahorrar, guardar, reservar; Germ. zurücklegend

aufbewahren, zurückbehalten, aufsparen; Angl. to reserve, keep, retain, preserve). Usurpatur — a) Cum Accus. et præpos. *ad*. *Cæs.* 1. *B. C.* 36. Frumentum in publicum conferunt: reliquos commeatus ad obsidionem urbis, si accidat, reservant. *et ibid.* 2. Reservare et retinere legiones ad periculum alicujus. *Cic.* 1. *Orat.* 52. 224. Philosophorum autem libros reservet sibi ad Tusculani requiem atque otium. *Id. Rosc. Am.* 29. *extr.* Si quid est, quod ad testes reservet, ibi nos quoque paratiores inveniet, quam putabat. *Cæs.* 3. *B. G.* 5. *extr.* Placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei eventum experiri. *Cic. Cæcin.* 10. 28. Testis exspectatus, et ad extremum reservatus. *Id. fragm. in toga cand.* apud *Ascon.* O miser, qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum. *Id.* 4. *Cat.* 9. 18. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum. *Inscript.* optimæ notæ apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 139. AD DESIDERIVM LVCTVMQVE RESERVATVS VIDEOR. *Cic. Fontej.* 15. 32. Nonne et hominem ipsum ad dubia reipublicæ tempora reservandum putatis? *Id. Sext.* 22. 50. Atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem et ad reipublicæ statum reservavit. *Alii aliter leg.* et *Virg.* 4. *Æn.* 368. Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo? — b) Cum Accus. et præpos. *in*. *Cato R. R.* 29. Stercus sic dividito: partem dimidiam in segetem, partem quartam circum oleas, alteram quartam partem in pratum reservato. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. *extr.* De se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur. *Cic. Prov. cons.* 20. 47. Ego, si essent inimicitiæ mihi cum C. Cæsare, tamen hoc tempore reipublicæ consulere, inimicitias in aliud tempus reservare deberem. *Id. Cœl.* 24. 59. Dii præsentis fraudis pœnas in diem reservant. *Liv.* 7. 7. Immunes quoque operum militarium erant, ut, in unum pugnæ laborem reservati, plus sibi, quam pro virili parte, admittendum scirent. — c) Cum Dativo. *Lucret.* 1. 607. Comedit natura reservans semina rebus. *Virg.* 8. *Æn.* 575. Incolumem Pallanta mihi si fata reservant. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. *a med.* Hanc causam idcirco judicibus prætermissam esse arbitrantur, quod ipsis sit reservata. *Liv.* 3. 51. Melioribus meis vestrisque rebus reservate, inquit, ista de me judicia. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 8. Cetera præsenti sermoni reserventur; hoc tamen non queo differre. *si riserbino a quando ci abboccheremo.* et *Ovid.* 13. *Met.* 168. Nate dea, dixi, tibi se peritura reservant Pergama. *Stat.* 8. *Theb.* 120. si quando nefanda Huc aderit conjux, illi funesta reserva Supplicia. *Quintil.* 11. 1. 10. *de Socrate.* Et quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se judiciis reservavit. *Virg.* 5. *Æn.* 625. O gens infelix! cui te exitio Fortuna reservat? *Martial.* 8. 40. *ad Priap.* Furaces moneo manus repellas, Et silvam Domini focis reserves. *h. e.* serves, custodias. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 13. Fere omnem sobolem pastioni reservare suburbanæ. *Id.* 9. *ibid.* 15. 10. Examini progenerando reservari. *Id.* 12. *ibid.* 50. 2. Reservetur maturo fructui pars oliveti. — d) Cum Adverbio finem significante. *Cic. Sext.* 13. 29. Quid hoc homine facias? Aut quo civem importunum, aut potius hostem tam sceleratum reserves? — e) Cum Accus. tantum pro servare, conservare. *Cic.* 5. *Fam.* 4. *extr.* Vide, ne, quum velis revocare tempus omnium reservandorum, quum qui servetur, non erit, non possis. *Cels.* 2. 8. *ante med.* Ut etiam gravida mulier non solum conservari possit, sed etiam partum reservare. *Ovid.* 7. *Met.* 656. parcumque genus, patiensque laborum, Quæsitique tenax, et qui quæsita reservent. *Cæs.* 7. *B. C.* 89. Reservatis Hæduis atque Arvernis, si per eos civitates reciperare posset, ex reliquis captivis toti exercitui capita singula prædæ nomine distribuit. *Tac.* 4. *Hist.* 42. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii. *Sueton. Cæs.* 26. Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reservandosque mandabat. *Cyprian. Ep. ad Donat.* Innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur. *è salva.*

RĔSES, ĭdis, adject. omn. gen. qui non movetur: a *resideo*, ut *deses* a *desideo*: cf. *Charisium p.* 70. 9. ed. *Keil.*

I.) Proprie. *Claudian. epigr.* 36. Insula, quæ resides fluctus mitescere cogit. *h. e.* quietos, tranquillos. *Varro* 3. *R. R.* 17. *a med.* Residem aquam, et locis pestilentibus habitarent pisces ejus. *stagnante.* *Id.* 2. *ibid.* 11. 3. Casei quum molles sunt, magis alibiles, in corpore non resides. *h. e.* in stomacho non remanentes, sed concoqui faciles. *Liv.* 2. 32. Timere patres residem in Urbe plebem, incerti, manere eam, an abire, mallent. *h. e.* quæ, quum milites per secessionem abiissent, eos non sequebatur. *Varro Sat. Menipp. reliq.* 64. 2. ed. *Oehler.* Resides lingulacæ, nunc murmurantes dicunt etc.

II.) Translate dicitur de animo, et pigrum, otiosum, desidem, inertem significat, *pigro, ozioso*, σχολαῖος: cf. *Festum p.* 281. 18. *Müll.* Ceterum *Liv.* 6. 23. Cunctatorem ex acerrimo bellatore factum: et qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere. *Virg.* 1. *Æn.* 725. vivo tentat prævertere amore Jampridem resides animos desuetaque corda. *et* 6. *ibid.* 814. residesque movebit Tullus in arma viros. *Ovid.* 14. *Met.* 463. resides et desuetudine tardi. *Claudian. præf. B. Get.* 1. Resides anni. *h. e.* in otio acti. *et præf.* 2. *Rapt. Pros.* 15. *de Orpheo.* Et resides levi modulatus pectine nervos. *h. e.* quos diu non pulsaverat. *Phædr.* 5. 1. Resides et sequentes otium. *Val. Flacc.* 8. 220. Solvere in hoc tandem resides dux litore curas. *h. e.* residem facientes. *Heins.* mallet *residens.* h. e. residens hoc litore.

RĔSEX, sĕcis, m. 3. *saettolo, ritaglio*, in vitibus, quid sit, disces ex locis, quæ subjicio. *Colum.* 4. *R. R.* 21. 3. Novellis palmis semper vitis renovetur: quæ si satis excreverint, jugo superponantur: sin aliqua earum vel perfracta, vel parum procera fuerit locumque idoneum obtinebit, unde vitis anno sequenti renovari debeat, in pollicem tondeatur: quem quidam custodem, alii resecem, nonnulli præsidiarium appellant, id est sarmentum gemmarum duarum vel trium: ex quo quum processere fructiferæ materiæ, quidquid est supra vetusti brachii, amputatur: et ita ex novello palmite vitis pullulascit. *et* 3. *ibid.* 10. *a med.* Confiteor, pampinarios quoque, quum e duro prorepserint, tempore anni sequentis acquirere fecunditatem et ideo in resecem submitti. *et* 5. *ibid.* 5. *circa med.* Pro materiis longioribus pollices quaternum aut quinum gemmarum relinquuntur: pro custodibus autem bigemmes reseces fiunt. Loquitur hic *Colum.* de putatione, quæ adhibetur viti componendæ in brachia, docetque quid differat a putatione vitis jugatæ. Est autem *resex* a *resecando* dictus, quia palmes resecatur in cacumine et ad longitudinem pollicis truncatur.

RĔSĪBĬLANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĪBĬLO, as, are, n. 1. (re et sibilo) rursus seu multum sibilo. Particip. *Resibilans* apud *Sidon. carm.* 9. 83. *de Gigantum turba.* Mox contra tonitrus resibilante Audebat superos ciere planta. *h. e.* planta anguina, nam Gigantibus angues pro cruribus inerant.

RĔSICCO, as, are, n. 1. iterum siccesco. *Plin. Valer.* 1. 10. Et quum resiccaverint hæc omnia etc.

RĔSĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĪDĔO, sĭdes, sēdi, sessum, sĭdere, n. 2. (re et sedeo). Particip. *Residens* I. *a. b.* et II. 1. *a.* — Resideo est sedeo, consideo, subsisto, quiesco, καθίζομαι, ἀνακαθίζω, ἀπόκειμαι (It. *porsi a sedere, fermarsi*; Fr. *rester assis, rester, s'arrêter, séjourner*; Hisp. *quedarse, estarse, cesar de andar, quedar*; Germ. *irgend wo sitzen bleiben, sitzend verweilen, bleiben, zurückbleiben, sitzen bleiben, sitzen*; Angl. *to sit down, rest, sit still*).

I.) Proprie. — a) Usurpatur sæpe cum Ablativo et præpos. *in*, vel sine præpos., vel absolute. *Lucret.* 3. 398. Nam sine mente animoque nequit residere per artus Temporis exiguam partem pars ulla animai. *Cic.* 3. *Fin.* 2. *extr.* Sed resideamus, inquit, si placet: itaque fecimus. *Ovid.* 3. *Fast.* 749. pandi tergo residebat aselli. *Id.* 3. *Art. am.* 696. Lassus in hac juvenis sæpe resedit humo. *Id.* 3. *Fast.* 15. Fessa resedit humo. *Id.* 7. *Met.* 102. medio rex ipse resedit Agmine purpureus. *Virg.* 1. *Æn.* 510. solioque alte subnixa resedit. et 5. *ibid.* 180. Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit. *Id.* 8. *ibid.* 503. Etrusca resedit Hoc acies campo, monitis exterrita divum. *si è fermata.* Sic *Cic. Mil.* 19. 51. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret? *Id.* 1. *Cat.* 5. 12. Residebit in republica reliqua conjuratorum manus. *Phædr.* 1. 13. Corvus alta arbore residens. *Sil. It.* 12. 499. an, resideas vicini vertice montis, Exscindi ante oculos patiar socialia tecta? *et* 14. 401. residentis puppe magistri. *Ovid.* 6. *Met.* 301. Dumque rogat, pro qua rogat, occidit: orba resedit Exanimes inter natos natasque virumque. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 55. (132). Similiterque (*mures Alpini*) resident in clunis. *Alii leg.* residunt. — b) Cum Accus. vel cum Dat. *Apul.* 8. *Met.* Mulier, quæ meum dorsum residebat etc. et 10. *ibid.* Jussus præco pronunciat: Patres in curiam convenirent. Quibus protinus dignitatis jure consueta loca residentibus etc. *Id.* 3. *ibid.* Juvenis tonstrinæ residens. *et* 7. *ibid.* Asello spicas hordeaceas gerenti residens. — c) Apud sequioris ævi scriptores de judicibus dicitur. *Spartian. Hadrian.* 13. Multa in Athenienses contulit et pro agonotheta resedit. *Ammian.* 26. 10. 10. Ubi vero consiliis impiis jura quidem prætenduntur et leges, et Catonianæ vel Cassianæ sententiæ fuco perliti resident judices etc. *et* 14. 9. 3. Dic funestis interrogationibus præstituto imaginarius judex equitum resedit magister - et adsistebant hinc inde notarii. *Cassiod.* 3. *Variar.* 38. Præsenti auctoritate delegamus, ut in Avenione, in qua resides, nulla fieri violentia patiaris. *h. e.* quod Itali quoque nunc dicunt *risedere.*

II.) Improprie, et sæpe cum Ablat. et præpos. *in, ex, de*, vel absolute. ¶ 1. Per metonymiam est cessare, otiosum esse. — a) Neutrorum more. *Petron. Sat.* 112. *a med.* At miles circumscriptus, dum residet etc. *Plaut. Capt.* 3. 1. 8. Itaque venter gutturque resident esuriales ferias. *h. e.* cessant ab edendo et bibendo, quasique servant ferias esuritioni dicatas. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 40. (140). Quum exprimere vellet Athamantis furorem, Learcho filio præcipitato, residentem pœnitentia. *h. e.* præ pœnitentia sedentem et feriantem. *Alii leg.* residentis pœnitentiam. *h. e.* quum exprimere vellet furorem, simulque pœnitentiam feriantis et nihil agentis. *Alii aliter leg.* — b) Passive. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55. Nec vero tam denicales, quæ a nece appellatæ sunt, quia residentur (*alii* qua resident mortui (*Orell.* et *Vahl.* mortuis), quam ceterorum cælestium quieti dies, feriæ nominarentur etc. *h. e.* sedendo aguntur feriæ mortuorum ¶ 2. Translate est remanere, perdurare, hærere, *restare, rimanere*; item inesse, vigere. *Plaut. Truc. prol.* 7. En mehercule in vobis resident mores pristini. *Cic. Dejot.* 3. 8. Ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. *Id.* 1. *Tusc.* 43. *extr.* In corpore autem perspicuum est, elapso animo, nullum residere sensum. *Id.* 1. *Att.* 17. Hujus incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare quam scribere. *Id.* 1. *Cat.* 13. 31. Si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, periculum residebit in venis atque in visceribus reipublicæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Quorum in consilio pristinæ residere virtutis memoria videtur. *Cic.* 5. *Fam.* 7. 2. Quibus (*meis officiis*) si quando non mutue respondetur, apud me plus officii residere facillime patior. *Id.* 5. *Fam.* 5. *extr.* Abs te hoc petam, ut, si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio osten-

das. *Id.* 1. *ep. ad Brut.* 1. *post init.* Ista vero imbecillitas et desperatio, cujus culpa non magis in te residet, quam in omnibus aliis etc. *Id. Dom.* 23. 61. Horum tectis ac sedibus residere aliquid bellum semper videtur. *Liv.* 40. 7. Quin comissatum, inquit, ad fratrem imus? et iram ejus, si qua ex certamine residet, simplicitate et hilaritate nostra lenimus? *Vulgat. interpr. Exod.* 34. 25. Neque residebit mane de victima solemnitatis Phase. *Plin.* 4. *Ep.* 22. *extr.* Viennensium vitia intra ipsos resident, nostra late vagantur. *Alii leg.* residunt. *Cic.* 12. *Fam.* 3. *sub fin.* Etiam nunc residet spes in virtute tua. *h. e.* inest, viget. Sic *Senect.* 17. *sub fin.* Quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. *h. e.* inerat, vigebat. ¶ 3. Est etiam sedari, subsidere, desinere; item inclinari, descendere: hoc autem et illo sensu cum *resido* confunditur, cum quo commune habet præteritum. *V.* RESIDO.

RĔSĪDĬA, æ, f. 1. desidia. *Plaut. Merc. prol.* 29. Hæret etiam aviditas, residia, injuria. *Plerique tamen rectius leg.* desidia.

RĔSĪDO, sīdis, sēdi, sessum, sīdere, n. 3. est idem fere quod *resideo*, a quo et præterita mutuatur, licet *sido sidi* habeat: sed vide loc. *Cic.* sub II. 1. init.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Virg.* 8. *Æn.* 467. Congressi jungunt dextras, mediisque residunt Ædibus. *Sil. It.* 16. 245. Sceptrigero cum rege pari sub honore residunt. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 39. 55. (114). Primum (*Sillig.* plurumum) volant (*aves*) quæ apodes, quia carent usu pedum. Cetera genera residunt, et insistunt. — *b*) Latiore sensu est idem ac remaneo, *rimanere, fermarsi. Virg.* 5. *Æn.* 702. Siculisne resideret arvis, Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras. — *c*) Speciatim residere retro, *arretrarsi, rinculare*, demittendo se recedere. *Virg.* 9. *Æn.* 539. Dum se glomerant, retroque residunt In partem, quæ peste caret.

II.) Improprie. ¶ 1. De rebus physicis sæpe est se demittere, subsidere, descendere, *abbassarsi, calare. Cic. Pis.* 33. 82. Si montes resedissent (*al.* residissent), amnes exaruissent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (198). *de terræ motu.* Quum intumescit adsurgens, alternoque motu residit. *Alii leg.* residet. *Id.* 28. *ibid.* 13. 57. (201). Residere lienem ægri vitiatum, liberarique e morbo dicitur. *restringersi, sgonfiarsi.* et 5. *ibid.* 9. 10. (57). Nilus incipit crescere Cancrum sole transeunte, et residit (*al.* residet) in Virgine. *Virg.* 2. *Æn.* 479. qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant. *Ovid.* 9. *Met.* 94. Discedunt juvenes: neque enim dum flumina pacem Et placidos habeant lapsus, motæque residant, Opperiuntur aquæ. *Horat.* 2. *Od.* 20. 9. Jam jam residunt cruribus asperæ Pelles. *h. e.* arcte adhærescunt, abscedente pulpa, quæ in humanis cruribus esse solet, *la cute, divenuta aspra pelle, si restringe e s'attacca agli stinchi.* — Sic residere dicitur quidquid fæculenti, aut spissi in liquoribus in fundo vasis subsidit. *deporre, far posatura o fondigliuolo. Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (67). Arenæ lavantur, atque ex eo, quod resedit, conjectura capitur. ¶ 2. De animo, et interdum de rebus, est sedari, subsidere, desinere, *cessare, calmarsi, mitigarsi. Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Quum tumor animo (*al.* animi) resedisset. *Liv.* 2. 29. Quum iræ resedissent. *Id.* 35. 38. Postquam resedit terror. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. Marcelli impetus resederunt, non inertia sed consilio. *Cæs.* 7. *B. G.* 64. *sub fin.* Quorum mentes nondum a superiore bello resedisse sperabat. *Liv.* 10. 28. Ita persuasum erat duci, et Samnites et Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit; longiore certamine sensim residere Samnitium animos, Gallorum etiam corpora etc. *Virg.* 6. *Æn.* 407. tumida ex ira tum corda residunt. *h. e.* placantur. *Id.* 9. *ibid.* 642. Jure omnia bella Gente sub Assaraci fato ventura resident. *h. e.* sedabuntur. *Horat.* 3. *Od.* 3. 29. Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit. *Plin.* 5. *Ep.* 17. *de recitante elegos suos.* Apte enim et varie nunc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, severis jucunda mutabat. *Virg.* 7. *Æn.* 27. Quum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus. Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 373. Sed propera, ne vela cadant auræque residant. *ubi* auræ pro ira. *Plin.* 6. *Ep.* 16. 12. Sarcinas contulerat in naves, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 27. Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat. *h. e.* hexametro incipiat, in pentametro se demittat.

RESIDUITAS, atis, f. 3. omissio residui in debito solvendo. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim solummodo in *Not. Tir. p.* 78.

RĔSĬDŬUM, i, n. 2. et *Residua, ōrum*, n. pl. 2. absolute, substantivorum more. *V.* voc. seq. sub *A.* 1. et 2.

RĔSĬDŬUS, a, um, adject. a *resideo*, ut *assiduus* ab *assideo*, duo diversa significat: videlicet

A) *Residuus* est qui residet, hoc est remanet, superest, reliquus est, λοιπός, ὑπόλοιπος (It. *rimanente, restante;* Fr. *qui reste en arrière, qui est de reste;* Hisp. *lo que sobra ó queda;* Germ. *was übrig oder zurückbleibt, übrig;* Angl. *remaining, which is left*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 97. 226. Quid enim potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores, isto prætore, per summam injuriam ignominiamque pervenerit? *Liv.* 29. 37. *circa med.* Residua et vetus simultas. *Plancius ad Cic.* 10. *Fam.* 11. *a med.* Cupio mehercules, nullam residuam sollicitudinem esse. *Justin.* 27. 2. 2. Nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus et spiritum, et paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. *Auct. B. Afr.* 44. Navis una ab residua classe quum erravisset, a Virgilio excepta est. *Sueton. Aug.* 73. Instrumenti ejus et supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ sint. *et ibid.* 3. Fugitivos, residuam Spartaci et Catilinæ manum, delevit. *Id. Ner.* 13. Bellum residuum. *Tac.* 11. *Ann.* 23. Residui nobilium. *Sueton. Galb.* 7. Residuum cibariorum vendere. *Id. Aug.* 73. Residua diurni actus conficere. *et Cal.* 15. *ad fin.* Criminum si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. *Quintil. declam.* 9. 23. Infelicissimus senex, confectus cladibus et tantum pœnæ suæ residuus. *h. e.* superstes tantum ad pœnas, ut *Id.* 6. *Institut. prooem. a med.* loquitur. ¶ 2. Speciatim *residua pecunia* est non quæ ex integra summa debiti reliqua est, et solvenda remanet, ut apud nos *i residui, i resti;* sed quæcumque summa sive ex toto, sive ex parte residet apud aliquem, et ab eo retinetur; idque — *a*) præcipue de pecunia publica intelligendum est. *Paul. Dig.* 48. *tit.* 13. *qui* ad legem Juliam peculatus, et de sacrilegiis, et residuis inscribitur, 2. Lege Julia de residuis tenetur, qui publicam pecuniam, delegatam in usum aliquem, retinuit, neque in eum consumpsit. *et Martian. ibid.* 4. Lege Julia tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa pecunia publica resedit. *Paul. ibid.* 9. *a med.* Cum eo, qui quum provincia abiret, pecuniam, quæ penes se esset, ad ærarium professus retinuerit, non esse residuæ pecuniæ actionem, quia eam privatus fisco debebat. *et mox.* Sed eam quoque lex Julia residuorum post annum residuam esse jussit. *h. e.* intra annum habetur, qui pecuniam retinuit, tamquam privatus debitor; post annum fit reus lege Julia de residuis. *reo d'intacco di cassa. et Cic.* 2. *leg. Agr.* 22. *a med.* Quantæ cujusque manubiæ fuerint, quid relatum, quid residuum sit. *Liv.* 33. 48. Omnibus residuis pecuniis exactis, tributo privatis remisso. *Sueton. Aug. in fin.* Residua vectigaliorum. *h. e.* pecuniæ, quæ apud publicanos vectigalium conductores erant, et reipublicæ solvi aliquando debebant. — *b*) De pecunia privatorum. *Ulp. Dig.* 26. 7. 6. *a med.* Residuarum summarum pupillares usuras pendi oportet. *h. e.* pecuniæ pupilli a tutoribus retentæ. *Papinian. ibid.* 27. 7. 7. Placuit inter eos, qui solvendo essent, actionem residui dividi. — *Curator residuorum* in *Inscript.* apud *Gruter.* 178. 3. sub M. Aurelio, et fortasse etiam in alia apud *eumd.* 184. 4. fuit, qui præerat exactionibus pecuniæ fisco vel ærario debitæ, et ultra concessum a publicanis aliisve retentæ. Ceterum hæc perperam omnino; nam in priore *Inscript.* mendose quidem legitur *Statio Juliano curatore resi. rejecit*, quum eadem apud *Murat.* 485. 9. multo rectius habeat s. I. C. REFECIT ET PERFECIT. In altera autem, quam affert et *Smetius* 11. 17. verba AED. CVR. RES. ita ex ejusd. Indice nominum propriorum est interpretanda: *ædilis curulis restituit.*

B) *Residuus* est etiam reses, deses, ignavus. *Accius* apud *Festum p.* 281. 19. *Müll.* Cf. *Paul. Diac. p.* 280. 11. *Müll.* Reses ignavus, quia residet. *Placidi Gloss. p.* 497. ed. *A. Mai.* Residuus quasi tardus.

RĔSIGNĀCŬLUM, i, n. 2. contrarium signaculo. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 10. *ex Ezech.* 28. 12. Tu es resignaculum similitudinis: qui scilicet integritatem imaginis et similitudinis resignaveris. *Vulgat.* habet *signaculum.* V. *Hieronym.* 9. *in Ezech.* 28.

RĔSIGNĀTRIX, icis, f. 3. quæ resignat et aperit. *Tertull. Habit. mul.* 1. *de Hera.* Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix.

RĔSIGNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSIGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et signo). Particip. *Resignatus* sub *A.* I. et *B.* I.

A) Resigno est idem ac, signo amoto, aperio, resolvo, ἀνασφραγίζω (It. *dissigillare, dissugellare, aprire;* Fr. *desceller, rompre le cachet, ouvrir;* Hisp. *desellar, quitar el sello, abrir;* Germ. *entsiegeln, öffnen;* Angl. *to unseal, break open a seal, open what is sealed, open*).

I.) Proprie. *Plaut. Trin.* 3. 3. 65. Resignatæ litteræ et inspectæ. Sic *Cic.* 11. *Att.* 9. *a med.* Resignare litteras. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 9. opella forensis Adducit febres et testamenta resignat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (89). Fabius Pictor scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam. *Sil. It.* 17. 425. irrumpit mole ruinæ Ausonius globus, et perjuria Graja resignat. *h. e.* operit, laxat, disjicit phalangem Macedonum perjurorum. — In illo *Virg.* 4. *Æn.* 244. Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat. dissentiunt interpretes, quid resignare significet: multi aperire, quod mortuorum oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium ritu, sacrum est: ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, et cælo non ostendi nefas. *Servius* ad *Virg. loc. cit.* Claudere, perturbare, auferre: claudere, inquam, non adductis manu palpebris operire oculos, sed, opinor, confecta corruptaque eorum acie, usum videndi adimere. Fortasse etiam *resignare* est solvere et resolvere eo sensu, quo *Virg.* 12. *Æn.* 951. Illi solvuntur frigore membra. et *Ovid. Ib.* 148. Sive manu facta morte solutus ero. et 1. *Met.* 227. Jugulum mucrone resolvit. Sane quod dicimus *resignare litteras* etiam *solvere* et *resolvere* recte et latine dici potest. Itaque hac ratione *resignare morte lumina* erit ita corrumpere ac dissolvere oculos, exsiccatis eorum humoribus, et labefacta structura, ut pervidere amplius nequeant. Cf. et *Virg.* 5. 856.

II.) Translate. ¶ 1. Est labefactare, abrogare, dissolvere. *Cic. Arch.* 5. 9. Quum Appii tabulæ negligentius asservatæ dicerentur: Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset. *avendo levato ogni autorità e fede alle scritture:* ducta translatione ex eo, quod quippiam, dum clausum est, sincerum habetur: si aperiatur cuilibet, ob asservandi negligentiam, corrumpi aut adulterari potest. *Flor.* 4. 7. *sub fin.* Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (ita enim pariter superesse bello convenerat), ipse quoque uni comitum confodiendum præbuit latus. *per non mancare al patto. et Sil. It.* 4. 788. I, pacta resigna Per cunctos jurata deos! *h. e.* irrita fac, rumpe. *et Lactant.* 7. 22. *ad*

fin. Eos, qui resurrexerint, nec mori jam ulterius fas, ut beatam possint agere vitam, quorum mors resignata est. *h. e.* dissoluta et infracta. — Sic pro violare. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 90. *de Mercurio.* Traditur exstinctas sumptæ moderamine virgæ In lucem revocasse animas, Cocytia lethi Jura resignasse, sursum revolantibus umbris. *h. e.* quum sit jus mortis et inferorum, ut nemo inde remeet, dicitur Mercurius hoc jus violasse, aperiendo mortuis viam redeundi ad vitam. ¶ 2. Item explicare, revelare, patefacere, *spiegare, dire, riferire.* nam et hoc est aperire. *Ovid.* 6. *Fast.* 535. Nunc ait, o vates, venientia fata resigna, Qua licet. *Pers.* 5. 28. totumque hoc verba resignent, Quod latet arcana, non enarrabile, fibra. *Martial.* 9. 36. Verba ducis Daci Cattis mandata resignas.

B) *Resignare* ponebant pro *rescribere*, ut *Festus* docet *p.* 281. 31. *Müll.* Cf. *Paul. Diac.* p. 280. 7.

I.) Proprie. Resignatum æs dicitur militi, quum ob delictum aliquod jussu tribuni militum, ne ei stipendium detur, in tabulas refertur, inquit *Festus p.* 285. 21. *Müll.* quocum cf. *Paul. Diac. p.* 284. 7. nam *resignare*, ut *Idem* docet, antiqui ponebant pro rescribere, *h. e.* rursus scribere. Itaque æs, quod in tabulis ascriptum fuerat, ut militibus in stipendium daretur, id si aliquando, ne amplius daretur, rescriptum esset, resignatum æs dicebatur: et miles, cui adimebatur, *ære dirutus.* V. *Dirutus* in DIRUO.

RĔSĬLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĬLĬO, silis, silŭi *et* silii, (sultum) silire, n. 4. (re *et* salio). Perfect. *resiliit* V. sub I. *b.* et *resilierit* sub II. 3. — Particip. *Resiliens* sub I. *b.* et II. 1. — Resilire est iterum salire, atque adeo saliendo recedere, refugere, *saltare di nuovo, saltare indietro ed anche fuggire, scostarsi, ritirarsi.*

I.) Proprie. — *a)* Est iterum salire. *Ovid.* 6. *Met.* 373. *de ranis.* Sæpe super ripam stagni considere, sæpe In gelidos resilire lacus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 19. 35. (71). Exit in terram in Indiæ fluminibus certum genus piscium, ac deinde resilit. *Flor.* 3. 6. *de piratis.* Sub ipso hostis recessu, impatientes soli, in aquas resiluerunt. *Quintil.* 11. 3. 128. Quidam et resiliunt, quod est plane ridiculum. — *b)* Hinc est etiam recedere, refugere. *Claudius Quadrigarius* apud *Priscian.* 10. *p.* 906. *Putsch.* Artorius Taureæ dextrum humerum sauciat, atque ita resiliit. *Lucret.* 4. 688. ad sua quemque Pabula ducit, et a tetro resilire veneno Cogit. *Liv.* 30. 33. *ad fin.* Resilientes enim ad manipulos velites, quum viam elephantis, ne obtererentur, fecissent etc. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (195). Non potest petris avelli polypus, idem, cunila admota, ab odore protinus resilit.

II.) Improprie. ¶ 1. Est in contrarium salire vel potius in contrarium repelli, saliendo magno impetu recedere, *rimbalzare, risaltare. Lucret.* 4. 344. Propterea quia, de speculi qua parte recedas, Continuo nequeunt illinc simulacra reverti; Omnia quandoquidem cogit natura referri Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus. *Ovid.* 12. *Met.* 479. Nudaque Phyllei juvenis ferit ora sarissa. Non secus hæc resilit, quam tecti a culmine grando. *Seneca Herc. Œt.* 153. In nudo gladius corpore frangitur, Et saxum resilit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (142). Ab ictu resilit ignis. *Id.* 11. *ibid.* 15. 15. (39). *de melle.* Abrumpi statim et resilire guttas, vilitatis indicium habetur. *Id.* 2. *ibid.* 38. 38. (103). Radii infracti resiliunt. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (126). Cornua cochleis semper bina et ut prætendantur, ac resiliant. *e presto si ritirino, e rientrino in sè. Vitruv.* 5. 8. Locus, in quo leniter applicet se vox, neque repulsa resiliens incertas auribus referat significationes. Huc pertinet et illud *Flor.* 4. 12. Nec dum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. — Et sine motu. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (97). *de Tauro monte.* Mediam distrahens Asiam, nisi opprimenti terras occurrerent maria. Resilit ergo a septentrione. *h. e.* se flectit. ¶ 2. *Re...re* etiam dicuntur, quæ residunt, subsidunt, restringuntur, decrescunt, contrahuntur. *Ovid.* 3. *Met.* 677. In spatium resilire manus breve vidit, et illas Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 40. 95. (234). *de porcellis.* Suam quisque (*mammam*) novit in fetu, eaque alitur, nec alia. detracto illa alumno suo sterilescit illico, ac resilit. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (31). *de urtica.* Uvas in ore, procidentesque vulvas tactu resilire cogit. ¶ 3. Translate. *Cic. Rosc. Am.* 29. 79. Scopulum offendis ejusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. *h. e.* ab hoc esse crimen remotum, alienum, huic non hærere, non convenire. *Quintil.* 12. 10. *a med.* Instandum iis, quæ placere intellexeris: resiliendum ab iis, quæ non recipientur. *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Quod si resilierit (*puer*), destinavi illum artificii docere, aut tonstrinum aut præconem aut certe causidicum. *Ulp. Dig.* 18. 2. 9. Ut liceret emptori resilire, meliore conditione allata. *ritirarsi dal contratto.*

RĔSĬLĪTĀRE, sæpe resilire. *Paul.* ex *Festo;* ubi alii leg. *resillare*, alii *resultare*, alii *residiare.*

RĔSIMPLĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *resimplico*, reduplicatus: a *re* et *simplico. Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 20. Alii linteolum aqua tingentes partibus resimplicatum apponunt.

RĔSĪMUS, a, um, adject. (re et simus) — *a)* Stricto sensu dicitur de naribus depressis, extremitate rursum reflexa, *rincagnato*, ἀνάσιμος. *Ovid.* 14. *Met.* 95. *de simia.* naresque a fronte resimas. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 3. Boves naribus resimis patulisque, cervice longa et torosa. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 39. (95). Hippopotamus rostro resimo, cauda et dentibus aprorum aduncis. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. Canis labris subnigris, neque resimis superioribus, neque pendulis subtus. *rilevate.* — *b)* Transfertur ad alia. *Cels.* 8. 3. *a med.* Lamina aenea firma, paullulum resima. *h. e.* recurva, reflexa. *ripiegata.* et 4. 1. *ante med.* Renes, qui lumbis sub imis costis inhærent, a parte earum resimi, ab altera rotundi. *Id.* 7. 26. *n.* 2. Incidi cutis plaga laxata debet *etc.*, deinde ea parte, qua resima plaga est, *etc.*, *h. e.* recurva, retusa. Ita edidit *Targa* ex *Morgagno ep.* 7. *in Cels.* et ex MSS., quum antea omnes editiones haberent *qua strictior ima plaga est.*

RĒSĪNA, æ, f. 1. ῥητίνη (It. *ragia, gomma, resina*; Fr. *résine, gomme*; Hisp. *resina*; Germ. *Harz, Gummi*; Angl. *resin or rosin*) humor tenax ex arboribus sponte sua defluens: a voce Græca allata, quæ a ῥέω *fluo.* Duplex est, sicca, et liquida: illa e pinu et picea fit, hæc e terebintho, larice, lentisco, cupresso etc. Ex ea cocta fit pix. V. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. et 24. *ibid.* 6. 22., ubi plura de ea, deque variis ejus in medicina usibus. Præcipue autem utebantur evellendis pilis e corpore: item vinis condiendis. *Capitolin. Pertin.* 8. Vasa Samnitica calfactandæ resinæ ac pici devellendis hominibus ac levigandis. *Martial.* 12. 32. Nec plena turpi matris olla resina, Summanianæ qua pilantur uxores. (Adde *eumd.* 3. 74. *et* 77.) *Tertull. Pall.* 4. Apud hirtos et hirsutos tam rapax resina, tam furax volsella. *Cato R. R.* 23. Resinam si indes, in culleum musti pondo tria bene comminuito; indito in fiscellam, et facito uti in dolio musti pendeat: eam quassato crebro, uti resina condeliquescat. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 108. Resinæ cadialis, hoc est dicaminis illinimentum vel dropacis. *h. e.* resinæ liquidæ, quam vocat cadialem, quod cadis advehebatur. — Metaphorice. *Vulgat. interpr. Jerem.* 51. 8. Tollite resinam ad dolorem ejus (*Babylonis*). *h. e.* in vulnerum medicamentum. et *ibid.* 8. 22.

RĒSĪNĀCĔUS, a, um, adject. *ragioso*, ῥητινώδης, resinam referens. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 59. (99). Rosmarinum, cui et caulis, et semen resinaceum.

RĒSĪNĀLIS, e, adject. resinaceus, resinosus. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. 178. Strobilus, quod in semet habeat resinale etc. Adde *ibid.* 14. 207.

RĒSĪNĀRĬA, æ, f. 1. quæ resinam vendit, seu quæ resina utitur ad pilos e mulierum corporibus evellendos. V. RESINA. *Inscript.* quam in *Mus. Vatic.* vidit *B. Borghesius.* IVLIAE AGE LB RESIN..IAE QVAE VIX. AN. LXXX. IVLIA IRENE PATRONAE B. M. F. ET SIBI ET SVIS POSTERISQ. EORVM. *V.* PICATRIX.

RĒSĪNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *resino*, adjectivorum more, *unto con ragia*, resina illitus. *Juvenal.* 8. 114. quid resinata juventus, Cruraque totius facient tibi levia gentis? *h. e.* mollis, effeminata, et pilos corporis resina illita evellens. — Resinatum vinum, ῥητινίτης οἶνος resina conditum: quam rationem docet *Cato* in RESINA allatus. *Martial.* 3. 77. Resinata bibis vina, Falerna fugis. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (46). Novicium resinatum nulli conducit, capitis dolorem et vertigines facit: ab hoc dicta crapula est. Adde *Cels.* 2. 24.

RĒSĪNŌSUS, a, um, adject. Sup. *Resinosissimus.* — Resinosus, *ragioso*, ῥητινώδης, resinam ferens, resinâ abundans, resinam referens. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 3. Medicamina vino adjicere, quæ sint aut liquida, aut resinosa. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 30. (48). Ladanum odoratum, molle, viride, resinosum. *Id.* 24. *ibid.* 11. 60. (101). Cachrys si fricetur, resinosa est. *Id.* 13. *ibid.* 6. 12. (54). Resinosus lentor. *Id.* 27. *ibid.* 4. 10. (26). odor. *Id.* 24. *ibid.* 7. 23. (37). et 15. *ibid.* 7. 7. (31). Bruttia pix pinguissima et resinosissima.

RĒSĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* resina. *Arnob.* 7. *p.* 233. Si hoc honorantur numina, nec indigne sustinent Panchaicas sibi ardere resinulas. *h. e.* turis grana, tus enim resinæ genus quoddam est.

RĔSĬPĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĬPĬO, pis, pīi *et* pīi *et* pŭi, pere, 3. (re *et* sapio). Particip. *Resipiens* I. et II. 1. — Resipio est idem ac saporem habeo, refero, sapio, χυμὸν ἔχω (It. *aver sapore*; Fr. *avoir la saveur, le goût de*; Hisp. *haber sabor*; Germ. *nach etwas schmecken, e. Nachgeschmack haben nach etwas*; Angl. *to taste, savour or smack of*).

I.) Proprie, dicitur de sapore, et referri potest etiam ad odorem. *Varro* 1. *R. R.* 54. 3. Seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. (*V.* FERRUM) *Colum.* 12. *R. R.* 48. 2. Hoc jure macerentur, donec quam minimum amaritudinis resipiant. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Uva picem resipiens. *Id.* 31. *ibid.* 3. 22. (37). Est etiamnum vitium (*aquæ*), non fœtidæ modo, verum omnino quidquam resipientis, jucundum sit illud licet gratumque. et 28. *ibid.* 9. 35. (134). Quo magis virus (*accus.*) resipit butyrum, hoc præstantius judicatur.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 17. 46. Epicurus non aptissimus ad jocandum, minimeque resipiens (*al.* respiciens) patriam. *non sapeva piaggiare e perciò nulla teneva de' suoi compatrioti.* et *Gell.* 3. 3. *a med.* Non tamen dubium est, quin istæ (*fabulæ*), quæ scriptæ a Plauto non videntur, veterum poetarum fuerint, et ab eo retractatæ et expolitæ sint, ac propterea resipiant dictum Plautinum. *h. e.* stilo Plauti similes sint, Plautinam locutionem redoleant. *Auson. præf. monosyll. Edyll.* 12. Laboravi, ut quantum ejus posset apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent. *h. e.* aliquem elegantiæ saporem haberent. ¶ 2. Sæpe transfertur ad moralia, et est ad priorem mentis statum, vel ad meliorem mentem redire, resipiscere. *tornare in sè, o in cervello, ripigliare il senno, ravvedersi*, ἀναφρονῶ. Adhibetur fere in præteritis: in aliis temporibus *resipisco* locum habet: refertur que tum ad corpus, tum ad animum. *Sueton. Ner.* 42. Postquam Hispanias descivisse cognovit, collapsus animo male fracto, diu, et sine voce, et prope intermortuus jacuit. Utque resipivit, veste

discissa, capite converberato, actum de se pronunciavit. *Alii leg.* resipuit: *alii* resipiit. *Cic.* 4. *Att.* 5. Vix aliquando, te auctore, resipivi. *Alii leg.* resipui. et *Sext.* 38. 80. resipisset (*ex Codd. melior.*). *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 35. Jam resipisti? *Ter. Heaut.* 4. 8. 1. Nunc me fortunatissimum factum puto esse, quale, quum te intelligo resipisse. Ita cum aliis *Priscianus* 10. p. 879. *Putsch.* Alii *resipiscere*. et *Afranius* apud *Priscian. ibid.* Equidem nunc resipui, postquam pectus est lætitia onustum.

RĔSĪPISCENTĬA, æ, f. 1. *ravvedimento, penitenza,* μετάνοια, actus resipiscendi, pœnitentia. *Lactant.* 6. 24. Is, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit: ideoque Græci melius et significantius μετάνοιαν dicunt: quam nos possumus resipiscentiam dicere.

RĔSĪPISCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSĪPISCO, scis, scere, n. 3. inchoat. a *resipio.* Perf. *Resipivi*, -*pii* et-*pui* *V.* in RESIPIO. Particip. *Resipiscens* I.— Resipisco est idem ac resipere incipio, a deliquio animi me recipio, ad pristinum sensuum statum redeo, ἀναφρονέω (It. *tornare in sè, o in cervello, ricuperare i sentimenti;* Fr. *reprendre ses sens, revenir à soi, se remettre;* Hisp. *volver en sì, recobrar el uso de los sentidos;* Germ. *wieder zur Besinnung kommen, wieder zu sich kommen, sich erholen;* Angl. *to come to one's self again, recover one's senses, revive*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 22. Animo male factum est huic repente miseræ *etc.* afferto aquam, quæso, dum resipiscit. *Sueton. Tib.* 73. Quum extractum sibi deficienti annulum, mox resipiscens requisisset. *Petron. Sat.* 138. *sub fin.* Et resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ.

II.) Translate ad animum, et significat ad bonam mentem redire, rectius sentire incipere, ad frugem bonam reverti quasique ab insipientia, seu insania convalescere, *ravvedersi. Liv.* 36. 22. Ut tunc saltem, experti regiam vanitatem, resipiscerent. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 24. (84). Tradunt, lymphatos sanguinis talpæ aspersu resipiscere. *Propert.* 3. 23. 17. Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu. *Tac.* 4. *Hist.* 67. *sub fin.* Resipiscere paullatim civitates, fasque et fœdera respicere. *Sueton. Aug.* 48. Rectorem apponere solitus ætate parvis ac mente lapsis, donec adulescerent, aut resipiscerent. *Ter. Andr.* 4. 2. 15. Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo. CHA. resipisco. *ripiglio animo, respiro.* et *Vulgat. interpr. ep.* 2. *ad Tim.* 2. 26. Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

RĔSISTENS, entis, particip. *V.* RESISTO.

RĔSISTENTĬA, æ, f. 1. repugnantia. *Augustin. de peccat. merit.* 2. 22. Exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum.

RĔSISTO, sistis, stiti, sistere, n. 3. (re *et* sisto). Particip. *Resistens* sub *A.* I. et II. et sub *B.* I. et II. *a.* — Resisto

A) Est idem ac maneo non ultra progrediens, gradum sisto, resto, consisto, ἐφίσταμαι (It. *fermarsi, fermare il passo;* Fr. *s'arrêter, rester en arrière, rester;* Hisp. *quedarse, cesar de andar, pararse;* Germ. *zurückbleibend sich hinstellen, irgendwo stehen bleiben, bleiben, Halt machen, Stand halten, stille stehen, zurückbleiben;* Angl. *to stand still, halt, stop, stay, stop short, pause*).

I.) Proprie. *Ter. Andr.* 2. 2. 7. Dave, ades, resiste. *Id. Eun.* 2. 3. 45. Heus, heus, tibi dico, Chærea, inquit: restitit. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. E regione unius eorum pontium cum duabus legionibus in occulto restitit. *Val. Flacc.* 3. 100. Restitit ille gradu, seseque a lumine ferri Sustinuit. *Cic.* 2. *Att.* 24. 2. Vettius primo negabat se unquam cum Curione restitisse. *ch'egli non si fermò mai a parlare con Curione.* Alii leg. *constitisse*; alii aliter. *Cæs.* 2. *B. C.* 35. Ubi ille sæpius appellatus aspexit ac restitit et, quis esset aut quid vellet, quæsivit, etc. *et* 1. *ibid.* 25. Inopia navium ibi restitit. *Cic.* 4. *Fin.* 18. 50. Deinde reliqui gradus: sed ego in hoc resisto. *Phædr.* 1. 12. Ad fontem cervus quum bibisset, restitit. *Liv.* 36. 13. *extr.* Bæbius restitit ad Pellinæum oppugnandum. *Tac.* 2. *Hist.* 87. Vitellius ad omnes municipiorum amœnitates resistens, gravi urbem agmine petebat. *Liv.* 2. 59. Turpi fuga petit castra; nec ante restitit, quam etc. *Id.* 9. 29. P. Decius graviter æger Romæ restiterat. *Ovid.* 1. *Met.* 502. fugit ocior aurâ Illa (*Nympha*) levis; neque ad hæc revocantis verba resistit. *Id.* 4. *Trist.* 2. 53. Ipse sono plausuque simul fremituque canentum Quadrijugos cernes sæpe resistere equos. *Id.* 2. *Art. am.* 704. Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.

II.) Translate. *Seneca* 1. *Quæst. nat. præf. a med.* Sidus nusquam resistens, sed æqualiter citum. *Colum.* 6. *R. R.* 7. *a med.* Si neque ventris restiterit citata proluvies, neque intestinorum dolor. *Ovid. Heroid.* 13. 121. verba resistunt. *h. e.* sermo intermittitur. *Quintil.* 11. 2. *ad fin.* Interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio. *Virg.* 4. *Æn.* 76. Incipit effari, mediaque in voce resistit. *Seneca Med.* 744. Rota resistat membra Torquens: tangat Ixion humum. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 80. Vita beata, virtutibus omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores limenque carceris. — Huc referri potest et illud *Plaut. Trin.* 4. 4. 18. Hic meo hero amicus solus firmus resistit. *h. e.* permanet, *persiste.*

B) Resisto est etiam idem ac non cedo, repugno, obsisto, *resistere, fare resistenza, star saldo contro,* ἀνθίσταμαι; et usurpatur cum Dativo, vel Accus. et præpos. *contra, adversus, ad, ante,* vel sequente Conjunct. et partic. *ne, quin, quominus, quo secius,* vel absolute.

I.) Proprie. — 1°.) In re militari. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. Quum legiones aliæ alia in parte hostibus resisterent etc. *Id.* 1. *B. C.* 55. Scienter in duas partes sese distribuunt, alii ut prædæ præsidio sint, alii ut venientibus resistant atque eos propellant. *Nepos Hannib.* 5. Quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit. *Cæs.* 4. *B. G.* 14. Qui celeriter arma capere potuerunt, paullisper nostris restiterunt. *Nepos Pelop.* 1. *ad fin.* Existimabant, eos esse solos, qui adversus resistere auderent. *Cæs.* 4. *B. G.* 12. *sub fin.* Ipse equo vulnerato dejectus, quoad potuit, fortissime restitit. *Id.* 7. *ibid.* 62. Quum primi ordines hostium transfixi telis concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant. *Nepos Hannib.* 5. Hac pugna pugnata, Romam profectus est, nullo resistente. Rursus *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Quod Germanorum consuetudo hæc sit a majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere neque deprecari. *Sall. Jug.* 51. Ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare. *Cæs.* 2. *B. C.* 34. Nihil de resistendo cogitabat. *Curt.* 7. 4. 4. Inter quas (*latebras*) deprehensus hostis ne fugæ quidem, nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. *Vulgat. interpr. Eccli.* 46. 4. Quis ante illum (*Jesum Nave*) sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. A nostris eadem ratione, qua pridie, resistitur. *Id.* 1. *ibid.* 37. Cæsar maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti sese conjunxisset, minus facile resisti posset. — 2.°) Generatim. *Cic.* 2. *Att.* 1. *a med.* Restitit, et pervicit Cato. *tenne saldo, si oppose.* et *Nepos Attic.* 3. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit. *Cic. de Harusp. resp.* 34. 50. Ne a republica reipublicæ pestis removeretur, restiterunt. Adde *Liv.* 23. 7. *Seneca nat. quæst.* 2. 9. Non aquam sibi resistere, quominus mergantur. *Cic. Rosc. Com.* 17. *a med.* Resistere et repugnare contra veritatem non audet. *Sueton. Tib.* 25. Obfirmato cuipiam resistere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Resistere libidini. *Id.* 5. *Fam.* 17. fortiter dolori ac fortunæ. *Seneca Hippol.* 891. precibus. *Sall. Cat.* 35. factioni inimicorum. *Id. Jug.* 41. Lucullus et Annius, Tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur. *Cic.* 7. *Verr.* 1. *init.* Resistere defensioni alicujus. *h. e.* respondere, eamque refellere. *Id. Inv.* 57. 170. Necessitudinem, cui nulla vi resisti potest, quo ea secius id, quod facere potest, perficiat. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Hac in utramque partem disputatione habita, quum a Cotta acriter resisteretur. *Sall. Jug.* 67. Neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse. *Liv.* 3. 11. Legi resistebatur. *Dict.* 2. 12. Neque amplius resisti jam apud eos poterat, quin etc. Adde *Cic. Amic.* 11. 41. et *fragm.* apud *Priscian.* 15. p. 1014. *Putsch.*

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Virg.* 3. *G.* 502. aret Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (68). Fimo circum aggeratæ radices frigori resistunt. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (3). *de cloacis Romæ.* Aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus: et tamen obnixa firmitas resistit. *Id. ibid.* 22. 49. (169). Silex vehementer igni resistens. *Id.* 37. *ibid.* 7. 30. (104). Gemmæ, quæ scalpturæ contumaciter resistunt. *Id.* 17. *ibid.* 13. 21. (96). Rubi defigunt rursus in terram capita, iterumque nascuntur ex sese, repleturi omnia, ni resistat cultura. *Id.* 29. *ibid.* 4. 22. (72). Nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere. *Varro* 1. *R. R.* 13. 2. Plaustra ac ceterum instrumentum sub dio adversus tempestatem nocentem non resistunt. *non si conservano.* et *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ad fin.* Fundamenta præstructa valenter resistent contra ea, quæ postmodum superposita incumbent. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Is (*campus*) medius inter Visurgim et colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. *Lucret.* 5. 206. Quod super est arvi, tamen id natura sua vi Sentibus obducat, ni vis humana resistat. Vitri causa valido consueta bidenti Ingemere et terram pressis proscindere aratris. *Cæs.* 3. *B.G.* 19. *extr.* Mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum (*Gallorum*) est. — *b*) Speciatim de medicamentis, quæ morbos propellunt, nec sinunt accedere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 13. 15. (33). Semen urticæ potum in sapa resistit stomachi inflationibus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 57. (157). Dionysias (*gemma*) ebrietati resistere putatur. *Id.* 36. *ibid.* 19. 31. (139). Amiantus veneficiis resistit omnibus. *Id.* 30. *ibid.* 11. 28. (93). Morbo regio resistunt sordes aurium. *Id.* 29. *ibid.* 4. 17. (64). Resistere febribus. *Id.* 23. *ibid.* 8. 80. (152). serpentium venenis. — Et passive impersonaliter. *Id.* 26. *ibid.* 13. 86. (138). Phthiriasi resistitur uvæ taminiæ succo.

C) Resisto interdum est idem ac resurgo, *rialzarsi. Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. o gnata (*h. e. Ilia*) tibi sunt ante ferendæ Ærumnæ, post ex fluvio fortuna resistet. Sunt qui huc referunt et illud *Cic. Mur.* 39. 84. In discrimen extremum venimus; nihil est jam unde nos reficiamus, aut ubi lapsi resistamus. *o dove risollevarci dalla nostra caduta.* At *Forcellino* hoc loco *resistamus* est insistamus, pedem sistamus.

H o m o n y m. Inter verba *resistere* et *restare* id videtur interesse, quod *resto* sit proprium ejus, qui perstat, perseverat, manet in gradu vel loco, gradu vel loco non dejicitur; at *resisto* sit ejus, qui alios a se vi repellere conatur. *Liv.* 4. 58. et 23. 45. Nunc paucis plures vix r e s t a t i s. Sed *Id.* 3. 13. Vi contra vim r e s i s t u n t. *et Id.* 34. 15. Ut qua minima vi r e s i s t i t u r. ubi *Drachenborch.* conjicit *vi restatur*: rectius tamen *vi resistatur.* Similiter plus, quam *resistere*, est *obsistere*, quod et aggrediendi vel invadendi vim habet. *Liv.* 21. 41. Nec est alius ab tergo exercitus, qui hosti o b s i s t a t. *et Cic.* 3. *Tusc.* 29. 71. Natura premit atque instat, nec r e s i s t i potest. - Hæc qui disputant, hoc student efficere, naturæ o b s i s t i nullo modo posse.

RĔSŎLĬDĀTUS, a, um, particip. ab inus. *resolido*: refocillatus, solatio recreatus. *Alcim. Ep.* 33. Resolidatam, Christo propitio, familiam meam ab eo, quem misissem, inveniendam esse firmavit.

RĔSŎLŪBĬLIS, e, adject. qui resolvi potest, solubilis. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 157. resolubile corpus Revocas, Deus, atque reformas. *Id.*

Apoth. 581. jacet illud nobile templum. Cur jacet? artificis quia dextra solubilis illud Cæmentum struxit resolubile, jure solutum est. *Sidon. Carm.* 23. 190. nulli resolubiles calori nives. *Ambros. in Psalm.* 118. *serm.* 13. Homines luti corruptione resolubiles.

RĔSŎLŪTĒ, adverb. solute, effuse, libere. Occurrit Compar. *Resolutius* apud *Tertull.* 1. *ad Nation.* 19. Quo resolutius decachinnetis.

RĔSŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. *scioglimento*, ἀνάλυσις, actus resolvendi.

I.) Proprie. *Gell.* 17. 9. *a med.* Resolutio lori. *Cels.* 2. 6. ventris. *soluzione, soccorrenza, menagione.* et *ibid.* 1. *a med.* nervorum, quam Græci παράλυσιν nominant. *paralisia.* et 6. 6. *n.* 36. oculorum, quam παράλυσιν Græci nominant. *Id.* 4. 5. *circa med.* Vulgatissimum pessimumque stomachi vitium est resolutio, idest quum cibi non tenax est. *Marcell. Empir. c.* 7. *sect.* 2. *p.* 92. *retro.* Resolutio vel compositio medicaminis talis est. *Sergius p.* 1831. *Putsch.* Resolutio, ut si pro spondeo proceleusmaticus ponatur. - Solvuntur enim duæ longæ in quatuor breves. (Adde *Pompejum p.* 121. 24. ed *Keil.*) *Vulgat. interpr. ep.* 2. *ad Tim.* 4. 6. Tempus resolutionis meæ instat. *h. e.* mortis.

II.) Translate. *Ulp. Dig.* 41. 2. 13. Redhibitio, venditionis resolutio est. *h. e.* rescissio, abrogatio, *disfacimento.* et *Gell.* 18. 2. *a med.* Resolutio sophismatis. *h. e.* declaratio, *la soluzione.*

RĔSŎLŪTŌRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

RĔSŎLŪTŌRĬUS, a, um, adject. ἀναλυτικός, qui resolvit. *Boeth.* in *Porphyr. dialog.* 1. *p.* 4. Scribit itaque Aristoteles primos (*libros*) resolutorios, quos Græci ἀναλυτικοὺς vocant, qui legendi essent, antequam aliquid dialecticæ vel apodicticæ artis attingerent. — Hinc

Resolutoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ars resolvendi. *Boeth. de differ. topic.* 1. *p.* 857. Omnis ratio disserendi, quam logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas distribuitur partes, unam inveniendi, alteram judicandi. Et ea quidem pars, quæ judicium purgat atque instruit, ab illis analytice vocata, a nobis potest resolutoria nuncupari.

RĔSŎLŪTUS, a, um, particip. *V.* RESOLVO.

RĔSOLVENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSOLVO, solvis, solvi, sŏlutum, solvere, a. 3. (re et solvo). Particip. *Resolvens* I. 1.; *Resolutus* I. et II., et in fin.; *Resoluturus* II. 3.; *Resolvendus* I. et II. 2. — Resolvo est idem fere quod solvo, dissolvo, a vinculis libero, aperio, dilabi facio, ἀναλύω (It. *slegare, sciogliere, aprire, dissipare;* Fr. *délier, dénouer, déborder, ouvrir, dissiper;* Hisp. *desliar, desligar, deslazar, desanudar, desvendar, abrir, disipar;* Germ. *Gebundenes, Festgemachtes Festes von einander lösen, auflösen, lösen, losmachen, öffnen;* Angl. *to unloose, untie*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Est idem fere quod solvo, dissolvo, a vinculis libero. *Colum.* 1. *R. R.* 8. *a med.* Villicus, quem ipse sua sponte vinxerit, antequam sciat dominus, non resolvat. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Resolvere vulnus. *sfasciare la piaga. Ovid.* 3. *Art. am.* 272. vinclis crura resolve suis. *Id.* 1. *Met.* 382. cinctasque resolvite vestes. *Id.* 4. *Fast.* 180. Ter jungat Titan, terque resolvat equos. *Cels.* 7. 4. *n.* 4. Tertio quoque die nodus resolvendus est. *Sil. It.* 6. 280. longoque resolvens Aggere se ripæ. — Et Particip. *Resolutus* apud *Sil. It.* resoluta vincla. *Tibull.* 1. 3. 31. et *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 39. puella resoluta capillos. *Id.* 3. *Fast.* 257. resoluto crine precari. *Lucan.* 8. 787. ossa resoluta nervis. *Ovid.* 4. *Met.* 737. virgo resoluta catenis. et 11. *ibid.* 516. cadunt largi resolutis nubibus imbres. *Seneca Octav.* 317. Navis resoluto robore labens, Pressa dehiscit, sorbetque mare. *sfasciata.* — 2°.) Item aperio, *aprire. Tac.* 6. *Ann.* 48. Resolvere venas. *Liv.* 26. 15. *a med.* litteras. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 47. (109). Fiber, hominis parte comprehensa, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsus resolvit. *apre e rallenta. Ovid.* 2. *Met.* 282. fauces hæc ipsa in verba resolvo. et 13. *ibid.* 226. exspectatoque resolvit Ora sono. (Adde *Virg.* 4. *G.* 452. et 3. *Æn.* 457.) et 1. *ibid.* 227. et 6. *ibid.* 643. Jugulum ferro resolvere. quod *Juvenal.* 4. 110. aperire, dixit. *Val. Flacc.* 1. 655. Emicuit reserata dies, cælumque resolvit Arcus. *h. e.* aperuit, patefecit, fugatis nubibus. — Et Particip. *Resolutus* apud *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Olivæ resolutis corticulis emolliri debebunt. *h. e.* ruptis apertisque per primam pressuram. — 3°.) Item dissolvo, dilabi facio, tenuo, *disfare, dissipare, sciogliere, liquefare. Virg.* 1. *G.* 44. Zephyro putris se glæba resolvit. *Ovid.* 14. *Met.* 400. nebulas ventis ac sole resolvi. et 3. *Trist.* 10. 13. Nix jacet, et jactam nec sol, pluviæque resolvunt. *Virg.* 8. *Æn.* 591. Lucifer extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Aceti asperitas in tabem margaritas resolvit. *Lucret.* 6. 966. Ignis enim liquidum facit æs aurumque resolvit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Omnis glæba in vineis refringitur, et resolvitur in pulverem. *Sil. It.* 5. 553. Resolvere muros ariete. *h. e.* diruere. — Et Particip. *Resolutus* apud *Claudian. epigr.* 7. Gemma resoluta gelu. *sciolta dal ghiaccio.* Sic *Sueton. Domit.* 6. Resolutus repente Rhenus. et *Lucan.* 1. 219. madidis Euri resolutæ flatibus Alpes *h. e.* nives in Alpibus liquefactæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 41. (149). Resolutæ igni ceræ. *strutte.* — Huc pertinent et illa, in quibus resolutus est diductus, separatus, divisus, dissolutus. *Vellej.* 2. 123. *extr.* Augustus in sua resolutus initia, animam cælestem cælo reddidit. *Virg.* 4. *G.* 225. Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri Omnia. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 4. et 11. *ibid.* 3. 5. Terra resoluta. *h. e.* aratro aut ligone fossa et subacta, *lavorata.* Sic *Pallad.* 1. *R. R.* 5. *ad fin.* Pinguis ac resolutus ager. *terra grassa e sfarinacciola*: qui facile subigitur Rursus *Colum.* 10. *R. R. v.* 7. Pinguis ager putres glæbas resolutaque terga Qui gerit. — 4.° Item partior, divido *Ovid.* 8. *Met.* 587. Continuam diduxit humum, partesque resolvit In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis. — Resolvere nummos apud *Lamprid. Alex. Sev.* 39. *sub fin.* est rursus solvere, et conflare, ut novæ formæ pecunia cudatur. — Resolvere vocabulum Græcum in voces latinas ratione etymologica falsa, *Gell.* 1. 18. v. g. *lepus* in *levis* et *pes.* — *Resolvi stomachum* quid sit apud *Cels.* 4. 5. *V.* in RESOLUTIO. ¶ 2. Speciatim de iis, quæ corporis membris relaxandis inserviunt, et est mollio, enervo, effemino, languidum reddo, remissiorem facio. *Virg.* 6. *Æn.* 422. de *Cerbero.* atque immania terga resolvit Fusus humi. *Seneca Octav.* 717. Resolvi somno. Sic *Ovid.* 7. *Met.* 328. Jamque neci similis, resoluto corpore regem Et cum rege suo custodes somnus habebat. et 9. *ibid.* 468. placidâ resoluta quiete Sæpe videt, quod amat. *Propert.* 2. 25. 42. ad molles membra resolve choros. *Curt.* 6. 8. 21. Illum sive securitate animi, sive fatigatione resolutum somnus oppresserat. et 9. 5. 10. Quo vulnere afflictus-remisit arma, moribundo similis, adeoque resolutus, ut ne ad evellendum quidem telum sufficeret dextera. *Ovid.* 2. *Art. am.* 683. Voluptas resolvit corpus. Cf. *Sil. It.* 14. 680. mens resoluta in gaudia. *h. e.* sepositis curis effusa. *Seneca Ep.* 36. Felicitas alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit et totos resolvit. — Et Particip. *Resolutus* apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 793. ex imis resoluta medullis Femina. et 9. *Met.* 483. totis resoluta medullis. *h. e.* præ voluptate diffluens. *Id.* 1. *Fast.* 371. Brachia somno resoluta. *Val. Flacc.* 2. 535. fluctus defertur bellua in imos, Jam totis resoluta vadis, *scil.* quia clava ab Hercule icta et occisa. Sic *Seneca Œdip.* 139. sub ictu ponderis resoluta cervix. — Huc referri possunt et illa *Pallad.* 3. *R. R.* 29. *ad fin.* Laser ex aqua ad sapæ pinguedinem resolutum. *h. e.* mollitum, subactum. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (68). Frumento in potum resoluto. ¶ 3. Item speciatim, interdum, ponitur pro solvere in re pecuniaria, et æris alieni, *pagare,* contare. *Cato R. R.* 144. et 149. Si quid emptor, aut pastores, aut pecus emptoris domino damno dederit, boni viri arbitratu resolvat. *Plaut. Asin.* 2. 4. 26. Ecquis pro vectura olivi resolvit? *Id. Epid.* 1. 2. 38. Huic opus est quadraginta minis, danistæ quas resolvat. *Id. Men.* 5. 5. 30. Perdormisco, si resolvi argentum, cui debeo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. — 1.°) Universim. *Virg.* 1. *G.* 302. Invitat genialis hiems, curasque resolvit. *dissipa.* et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 15. (24). Styracis potu modico tristitiam animi resolvi. *Tibull.* 1. 10. 83. fallaci resolutus amore Tibullus. *sciolto, svincolato.* et *Lucan.* 2. 145. Tunc data libertas odiis, resolutaque legum Frenis ira ruit. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 233. pavor, resoluto corde, quievit. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. *a med.* Quæ res intra triduum totius sævitiæ iram resolvet. *Sil. It.* 7. 153. Discinxit ratione dolos, fraudesque resolvit. *dissipò, svento.* Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 29. Dædalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit, Cæca regens filo vestigia. — 2.°) Est etiam violo, perrumpo. *Id.* 4. *ibid.* 27. Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo. — 3.°) Item libero, levo, absolvo, *liberare, assolvere, sollevare. Horat.* 1. *Od.* 28. 34. Teque piacula nulla resolvent. *Sil. It.* 17. 205. de *Hannib.* cuncti præstare videntur, Quod sponte abscedat Superi, tandemque resolvat Ausoniam. — 4.°) Item dirimo, finio. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 103. Nil agit exemplum, quod litem lite resolvit. *Val. Flacc.* 4. 43. Quum sopor, et vano spes mœsta resolvitur actu. — 5.°) Item refello, *sciogliere gli argomenti, rispondere. Quintil.* 5. 13. 12. Si resolvere ex parte diversa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum adversariorum argumentis conferemus. — 6.°) Item explico, expono. *Lucret.* 5. 770. Quod superest, quoniam magni per cærula mundi Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi *etc.* Nunc redeo *etc.* — 7.°) *Resolvere amphiboliam, ambiguitatem,* apud *Quintil.* 7. 9. *ad fin.* et 12. 2. *ante med.*, est tollere, declarare. — 8.°) Item rescindo, tollo. *Cajus Dig.* 21. 2. 57. *in fin.* Resolvere stipulationem. *disfare. Pompon. ibid.* 46. 3. 107. obligationem. *Paul. ibid.* 41. 5. 2. *ante med.* conventionem. *Julian. ibid.* 23. 3. 44. promissionem. *Ulp. ibid.* 18. 2. 2. emptionem. Sic *Id. ibid.* 12. 6. 23. Transactio resoluta. — 9.°) Item aboleo. *Tac.* 4. *Hist.* 65. Vectigal, et onera commerciorum resolvimus. ¶ 2. Speciatim, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., est idem ac laxo, remitto, *allentare. Val. Flacc.* 4. 703. Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor, sed etc. *Tac.* 1. *Hist.* 51. Resolvere disciplinam militarem. *Quintil.* 8. *procem. ante med.* Argumentandi et afficiendi locos, et quibus generibus concitari, placari, resolvi judices oportet, adjecimus. *h. e.* ad hilaritatem excitari, ab intenta audiendi cura tantisper solvendo. Sic *Id.* 4. 2. *ante med.* Ficta narratio introduci solet vel ad concitandos judices, vel ad resolvendos aliqua urbanitate. *Alii leg.* solvendos. ¶ 3. Item speciatim, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3., est solvere, *pagare. Plaut. Amph.* 2. 2. 71. Non tu scis, Bacchæ bacchanti si velis adversarier, Ex insana insaniorem facies, feriet, sæpius: Si obsequare, una resolvas plaga. *h. e.* si cedis et obsequeris, una plaga ipsi satis facies. *Cic.* 14. *Phil.* 14. 38. Quumque virtus legionum digna clarissimis imperatoribus extiterit, senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ex summo studio, republica recuperata, resoluturum. *Ita legit* Orellius *ex optim. Codd.*; *alii* soluturum. — Hinc Particip. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Resolutus, a, um, adjectivorum etiam more usurpatur, unde Comp. *Rĕsolutior,* et est enervatus, effeminatus, languore affectus, diffluens, *snervato, illanguidito, spossato, infiacchito. Colum. R. R. præf. circa med.* Juvenum corpora fluxa et resoluta. *Martial.* 10. 98. minister Idæo resolutior cinædo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (137). In equis aures indicia animi præferunt,

marcidæ fessis, micantes pavidis, subrectæ furentibus, resolutæ ægris. Cf. *Sil. It.* 11. 305. Tyrio resoluta in gaudia cœtu Converso. *h. e.* immodica, effusa. — Et in bonam partem *Val. Max.* 8. 7. Quo vacuum, promptius esset et resolutius os. *Alii rectius leg.* solutius. Cf. *Cic. Brut.* 70. 245.

RĔSŌNA, æ, f. 1. *V.* RESONUS, a, um, in fin.

RĔSŌNĀBĬLIS, e, adject. *risonante*, qui resonat, aut resonare potest. *Ovid.* 3. *Met.* 357. Vocalis Nymphæ, quæ nec reticere loquenti, Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo. Adde *Auson. epigr.* 99. itidem de Echo loquentem.

RĔSŌNANS, antis, particip. *V.* RESONO.

RĔSŌNANTĬA, æ, f. 1. *rimbombo, risonanza*, ἀντήχησις, actus resonandi, vocis aut sonitus redditio. *Vitruv.* 5. 3. *a med. de theatro.* Ita in voce, quum offensio nulla priorem interpellaverit, non disturbat secundam, nec insequentes, sed omnes sine resonantia perveniunt ad imorum et summorum aures.

RĔSŌNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod resonantia. *Cassiod. in Psalm.* 150. 4. Tympanorum est-tensi corii sonora resultatio, quod musici disciplinabili mensura percutientes geminata resonatione modulantur.

RĔSŌNO, as, āvi et ŭi, are, 1. (re et sono). Particip. *Resonans* sub *A.* I. et *B.* I. et II. — Olim dicebant *resono, is*, ut *sono, is. Accius* apud *Priscian.* 9. p. 863. *Putsch.* Sed valvæ resonunt regiæ. *Id.* apud *Non.* p. 504. 30. *Merc.* Clamore et gemitu templum resonit cælitum. *Pacuvius* apud eumd. p. 505. 1. *Merc.* Hymenæum fremunt æquales: aura (*al.* aula) resonit crepitu musico. *Ennius* p. 123. 1. *Müll.* Tum pariter euhoe resonit euhan euhius. *Id.* apud *Priscian. loc. cit.* Tunc clupei resonunt, et ferri stridit acumen. *alii leg.* resonant. Perf. *Resonavi* habet *Manil. loc. infra cit.* (Adde *Hieronym. Ep.* 117. 1.); *Resonuisse* est *Porphyr.* in *Horat.* 1. *Od.* 20. 5. Quem (*Vaticanum montem*) resonuisse simul cum ripis Tiberis plausu populi dicit. — Resono est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Cum Accusativo usurpatur.

A) Resono, verbum neutrum, est idem ac sonum reddo, sonui respondeo, ἀντηχέω (It. *rimbombare, risonare*; Fr. *retentir, résonner, renvoyer un son*; Hisp. *retumbar, resonar*; Germ. *wiedertönen, wiederschallen*; Angl. *to sound again, resound, ring again*).

I.) Proprie. — 1.°) Absolute. — *a*) Generatim. *Lucilius* p. 84. 52. *Müll.* Quænam vox ex tete resonans meo gradu remoram facit? *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. *ad fin.* Theatrum natura ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Catull.* 11. 13. Litus ut longe resonante Eoa Tunditur unda. *Phædr.* 4. 24. Magno apparatu læta resonabat domus. *Virg.* 7. *Ecl.* 13. eque sacra resonant examina quercu. *Manil.* 5. 566. Aura per extremas resonavit flebile rupes. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 96. Quum venenum obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret. *Ovid.* 4. *Met.* 333. resonant æra auxiliaria Lunæ. et 8. *ibid.* 320. Ex humero pendens resonabat eburnea lævo Telorum custos. *Seneca Thyest.* 584. Ne superfusis violetur undis Ignis æternis resonans caminis. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 55. Non, mihi centenis resonant si vocibus ora, Acta Probi narrare queam. *Justin.* 24. 6. 8. Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et resonantibus inter se rupibus multiplex audiri ampliorque, quam editur, resonare solet. — *b*) Speciatim dicitur de echo, quæ voces et sonum repercutit ac reddit, *echeggiare*. *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Μελιττῶνας facere oportet, potissimum ubi non resonent imagines. *Vitruv.* 5. 8. *ad fin.* Sunt nonnulli loci naturaliter impedientes vocis motus, uti dissonantes, qui Græce dicuntur κατηχοῦντες: circumsonantes, qui apud eos nominantur περιηχοῦντες: item resonantes, qui dicuntur ἀντηχοῦντες: consonantesque, quos appellant συνηχοῦντες. *et mox.* Resonantes sunt, in quibus quum in solido tactu vox percussa resiliat, imagines exprimendo, novissimos casus duplices faciunt auditu. *V.* RESONABILIS. — 2°.) Cum Ablat. sine præpos., et raro admodum cum Ablat. et præpos. *ab*, et est persono, sonitu plenus sum. *Virg.* 2. *G.* 328. Avia tum resonant avibus virgulta canoris. et 2. *Ecl.* 13. Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. *Id.* 3. *Æn.* 432. Scyllam, et cæruleis canibus resonantia saxa. et 12. *ibid.* 607. resonant late clangoribus ædes. *Horat.* 3. *Od.* 11. 3. Tuque testudo resonare septem Callida nervis. *Ovid.* 3. *Met.* 231. resonat latratibus æther. *Id.* 12. *ibid.* 214. Festaque confusâ resonabat regia turbâ, Ecce canunt Hymenæon. et *ibid.* 668. resonant spectacula plausu. — *Ammian.* 16. 12. 37. Cælumque exsultantium cadentiumque resonabat a vocibus magnis. — 3°.) Cum Dativo. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 76. Suave locus voci resonat conclusus. — 4°.) Singulare est illud *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 149. Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 46. 171. In vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius. *Quintil.* 11. 3. 30. In quo (*ore*) nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonat. — Cum Dativo, metaphorâ ab echo sumptâ, *Cic.* 3. *Tusc.* 2. 3. Gloria virtuti resonat, tamquam imago.

B) Cum Accusativo.

I.) Proprie. Ad rem *Propert.* 1. 18. 31. resonant mihi Cynthia silvæ. *h. e.* me sæpe Cynthiam in silvis appellante, respondent silvæ, idemque nomen repetunt. — *a*) Generatim. *Virg.* 1. *Ecl.* 7. Formosam resonare doces Amaryllida silvas. *Claudian. Epit. Pallad. et Celer.* 23. omnisque maritum Palladium resonabat ager. *Val. Flacc.* 4. 18. *de Hercule.* Ille graves oculos et Hylan resonantia semper Ora ferens. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 40. Singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes Umbræ cum Sagana resonarent triste et acutum. — *b*) De locis, resono est resonare facio: qua ratione etiam *persono* adhibetur. *Virg.* 7. *Æn.* 11. Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu. Sic *Sil. It.* 14. 28. Hic Phœbo digna et Musis venerabere vatum Ora excellentum, sacras qui carmine silvas, Quique Syracosiâ resonant Helicona Camenâ. — Item de locis est persono. *Virg.* 3. *G.* 338. Litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi. *h. e.* litora personant voce alcyonis etc. — *c*) Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. *a med.* Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu. *h. e.* sonus fidium augetur et redditur. Sunt tamen qui ita accipiant, ut sensus sit *sonus resonatur*

II.) Translate pro dicere legitur apud *Ammian.* 17. 11. 1. Hæc et his congruentia plurima æque ut tintinnabula principi resonantes.

RĔSŎNUS, a, um, adject. *risonante, rimbombante, sonoro*, ἀντηχῶν, προσηχής, sonum reddens, resonans, sonorus. *Ovid.* 3. *Met.* 495. *de Narcisso.* quotiesque puer miserabilis, eheu, dixerat, hæc resonis iterabat vocibus, eheu. *Lucan.* 7. 480. Excepit resonis clamorem vallibus Hæmus. *Val. Flacc.* 1. 618. conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus. *Solin. fragm. Pont.* 22. Vos quoque qui resono colitis cava Tempea cœtu. *h. e.* aquarum, quæ æstu illatæ antra cava, quæ hic *cava Tempea* vocantur, flagellant. *Sil. It.* 3. 285. Et resonæ silvis ulularunt flebile ripæ. Adde *eumd.* 3. 348. — Hinc

Resona, æ, f. 1., substantivorum more, resonantia. *Gloss. gr. lat.* Ἠχώ, resona. et

Resonus, i, m. 2., substantivorum more, resonantia. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 105. Ventris inflatio vel exstantia, et pro corporis motu liquoris conlisi sonitus vel ad concussum palmæ resonus tamquam semipleni utris. et 4. *ibid.* 5. 82. Si palma fuerint partes pulsatæ, ut tympani resonum fingunt.

RĔSŌNUS, i, m. 2. *V.* RESONUS, a, um, in fin.

RĔSŌPĬO, is, ire, a. 4. (re et sopio) idem quod sopio. *Fulgent. Contin. Virg.* p. m. 956. *Staver.* pro simplici *sopio*. Tricerberum mellitis resopit offulis.

RĔSORBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSORBĔO, bes, bere, a. 2. (re et sorbeo). Particip. *Resorbens* sub *a.* — Resorbere est iterum sorbere, quod quis evomuit, ἀναῤῥοφέω (It. *risorbire, riassorbire*; Fr. *avaler de nouveau, ravaler*; Hisp. *volver á tragar lo que se salia de la garganta*; Germ. *wieder verschlucken, einschlürfen, einschlucken*; Angl. *to suck or draw back, swallow again, resorb*). — *a*) Generatim. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). Hamo devorato, omnia interanea evomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent. *Id.* 18. *ibid.* 35. 87. (362). Corvi singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos præsagiunt; si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. *Plin. alter* 6. *Ep.* 20. Mare in se resorberi, et tremore terræ quasi repelli videbamus. *Tac. Agric.* 10. *extr.* Mare litore tenus accrescere, aut resorberi. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. *Virg.* 11. *Æn.* 627. *de ponto.* Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens Saxa fugit, *Ovid. Heroid.* 12. 125. Quæque vomit totidem fluctus, totidemque resorbet. Adde *Lucret.* 6. 1055.; et cf. *Horat.* 2. *Od.* 7. 15. te rursus in bellum resorbens Unda fretis tulit æstuosis. — *b*) Speciatim *resorbere fletum* est fletum comprimere, continere et erumpentem veluti introrsus agere. *Sil. It.* 12. 594. respectantque suos, fletumque resorbent. *Seneca Œt.* 1285. Fletum virtus sæpe resorbet. *Stat.* 5. *Theb.* 654. Fortior illa malis: lacrimasque insana resorbet Ira patris.

RESPARGO, is, et

RESPARSUS, a, um, particip. *V.* RESPERGO sub init.

RESPECTANS, antis, particip. *V.* RESPECTO.

RESPECTĬO, ōnis, f. 3. inspectio, ἐπισκοπή. *Vulgat. interpr. Sapient.* 3. 13. Quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *h. e.* in ultimo judicio, quum animarum sanctarum gesta expendentur.

RESPECTO, as, āvi, ātum, are, 1. frequentat. a *respicio*. Particip. *Respectans* I. et II.; *Respectandus* II. 1. — Respecto est idem ac sæpe retro aspicio, respicio, oculos reflecto, ἀποβλέπω, παπταίνω (It. *guardare spesso addietro, voltarsi a guardare*; Fr. *regarder derrière soi, regarder autour de soi, avoir les yeux sur*; Hisp. *mirar detras, mirar al redro*; Germ. *eifrig sehen, zurücksehen, -schauen-blicken auf etwas, sich umsehen*; Angl. *to look back often, look round or behind*).

I.) Proprie — 1.°) Neutrorum more. *Plaut. Cas.* 5. 2. 13. et *Men.* 1. 2. 51. Ne te uxor sequatur, respectas identidem. *Ter. Adelph.* 2. 1. 3. Quid respectas? nihil pericli est. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Satura* 2. quid te ita contuo lacerato corpore, Miser, aut qui te sic tractavere nobis respectantibus? *Liv.* 3. 48. Respectans ad tribunal, tuum, inquit, etc. *Id.* 8. 39. Dictator, ubi respectantes hostium antesignanos turbataque signa vidit, tum adhortari milites etc. *Sil. It.* 12. 729. Respectans abit, et castris avulsa moveri Signa jubet ductor. Adde *Virg.* 11. *Æn.* 630.; et *Quintil.* 12. 3. 2. Huc referri potest et illud *Lucret.* 5. 374. Haud igitur leti præclusa est janua cælo, Sed patet, immani et vasto respectat hiatu. *h. e.* quasi videtur exspectare, dum cælum ruat, et pereat. *sta aspettando con la vasta sua bocca.* — 2.°) Active. *Liv.* 4. 18. Dictatore arcem Romanam respectante. *Vellej.* 2. 107. 2. Sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est. *Tac. Agric.* 37. Alius alium respectantes. *Stat.* 8. *Theb.* 376. non me ullius domus anxia culpet, Respectentque truces obliquo lumine matres. Adde *Sil. It.* 12. 594.

II.) Translate. — 1.°) Neutrorum more. *Cic. Sext.* 5. *extr.* Hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. *Lucret.*

5. 975. taciti respectabant somnoque sepulti, Dum rosea face sol inferret lumina cælo. *Varro* 3. *R. R.* 16. 30. Apes respectantes, dum conveniant. — 2.°) Active est curam habere, curæ esse: quod qui faciunt, solent, et quidem sæpe, respicere. *Virg.* 1. *Æn.* 607. siqua pios respectant numina. *Catull.* 11. 21. Nec meum respectet, ut ante, amorem. Alii hic interpretantur *exspectat.* Nam et exspectantium est sæpe respicere, ut in illo *Lucretii* 5. 973. Sed taciti respectabant, somnoque sepulti, Dum etc. et 6. 1232. Funera respectans. *Cic. Planc.* 18. 45. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne par ab iis munus in sua petitione respectent. *Eumen. Grat. act. Flav. nom.* 12. Remissis reliquis nihil est quod respectandum timendumque sit, quod aliquid virium venturis pensitationibus necet

RESPECTUS, a, um, particip. *V.* RESPICIO.

RESPECTUS, us, m. 4. est actus respiciendi, conversio oculorum retrorsum, ἀπόβλεμμα, ἐπιστροφή (It. *sguardo all' indietro;* Fr. *action de regarder derrière soi, regard jeté en arrière;* Hisp. *el acto de mirar detras;* Germ. *d. Rückblick;* Angl. *a looking back*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 68. Conscensionem in naves cum fuga, fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore. *Id.* 2. *ad Brut.* 1. *sub fin.* Meus quidem animus in aciem est, neque respectum ullum quærit, nisi me utilitas civitatis forte converterit. *nè cerca di rivolgersi altrove.* et *Liv.* 32. 12. *a med.* Rex primo effuse, ac sine respectu fugit: dein substitit etc. (*h. e.* quod *Xenoph. Symp. c.* 4. *n.* 50: φεύγειν ἀμεταστρεπτί). *Id.* 8. 38. *a med.* In suo quisque gradu obnixi, urgentes scutis, sine respiratione ac respectu pugnabant.

II.) Translate. ¶ 1. Respectus dicitur locus, quo, si opus sit, respicere et confugere possumus, *rifugio, scampo.* *Cic.* 10. *Phil.* 4. *sub fin.* Qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum, et præsidium firmissimum adimit reipublicæ. (Adde 11. *ibid.* 11. 26.; qui locus varie a variis legitur: et a *Grævio* corruptus putatur et insanabilis, quem tamen *Orellius* sanissimum dicit.) *Liv.* 9. 23. *a med.* Castra habeant, repetantque, quibus operæ est trahere bellum: nos omnium rerum respectum, præterquam victoriæ, nobis abscindamus. *Id.* 21. 44. *a med.* Illis timidis et ignavis licet esse, qui respectum habent, quos suus ager, sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. *Est qui leg.* receptum. *Id.* 42. 46. Quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus. ¶ 2. Item ratio, qua ad quippiam agendum vel non agendum movemur. *rispetto, riguardo, considerazione, conto, stima,* λόγος. *Cic.* 5. *Phil.* 18. 49. Itaque quum respectum ad senatum et ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Ita *Forcellinus;* recentiores vero plerique hunc locum ad paragraph. proxime superiorem referentes aliter interpretantur. *Martial.* 8. 18. Sed tibi tantus inest veteris respectus amici, Carior ut mea sit, quam tua fama tibi. *Liv.* 39. 28. *extr.* Si aliquis respectus est mei, ut socii atque amici regis, deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis. *Id.* 29. 9. Sine respectu non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum faciunt. *Seneca* 6. *Benef.* 13. Non enim exigo, ut sine sui respectu mihi consulat. *senza riguardo al suo proprio interesse.* et *Val. Max.* 3. 7. *n.* 3. Majorem ejus auctoritatis, quam suorum alimentorum respectum egerunt. *Seneca* 4. *Benef.* 32. In illius respectum iste populo præsideat. *in considerazione, in grazia.* Sic *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 99. Et voluisse mori, et moriendo ponere sensus: Respectuque tamen non posuisse mei. et 4. *Pont.* 9. 99. Illi me, quia velle vident, discedere malunt: Respectu cupiunt hic tamen esse sui. — Proverbium est a Græcis sumptum, apud *Sueton. Ner.* 20. Occultæ musicæ nullus est respectus. Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος. *h. e.* nulla ratio habetur, nullo in honore est, nihili fit. — Hinc est consideratio, cogitatio, intuitus, *considerazione.* *Phædr.* 5. 4. Hujus respectu fabulæ deterritus, Periculosum semper vitavi lucrum. *Seneca* 2. *Ira* 28. *ad fin.* Faciet nos moderatiores respectus nostri; si consuluerimus nos, numquid et ipsi tale commisimus. *l'entrare in noi stessi, il dare un' occhiata a noi stessi.* et *Val. Max.* 2. 1. *init.* Operæ est cognosci, hujusce vitæ quænam fuerint elementa, ut eorum quoque respectus præsentibus aliquid moribus prosit. *Justin.* 11. 9. 2. Movebat hæc multitudo hostium respectu paucitatis suæ Alexandrum. *considerando, veggendo.* et *Vulgat. interpr. Psalm.* 72. 3. Non est respectus morti eorum. ¶ 3. Est etiam ἐπισκοπή, inspectio, inquisitio. *Commod. præf.* 2. Respectumque bonum, quum venerit sæculi meta. *h. e.* postrema inquisitio, ultimum judicium. *V.* RESPECTIO.

RESPERGO, ĭnis, f. 3. respersio. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 503. Marmora tabenti respergine tincta lavare.

RESPERGO, et respargo, gis, si, sum, gere, a. 3. (re *et* spargo). *Respargit* habet *Accius p.* 187. 8. *ed. Ribbeck.* Pelagus respargit reflat. Alii leg. *respergit.* Sic *Resparsus* hab. *Festus p.* 262. 15. *Müll.* Resparsum vinum apud antiquos significat vinum rogo inspersum, quod in sacris novendialibus vino mortui sepulcrum spargebatur. quæ sacra fiebant die nono. Alii leg. *respersum.* — Particip. *Respersus* I. et II.; et *Resparsus* loc. supra cit. — Respergo est idem atque aspergo, re aliqua liquida perfundo, ῥαντίζω (It. *spargere, aspergere, sprazzare;* Fr. *couvrir d' un liquide qui rejaillit, arroser, mouiller, éclabousser, tacher;* Hisp. *regar, rociar, mojar, salpicar, manchar, ensuciar;* Germ. *übersprengen, besprützen, bestreuen;* Angl. *to sprinkle, besprinkle, wet, bedew*).

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Verr.* 38. 100. Quum prætoris nequissimi inertissimique oculos prædonum remi respergerent. *Id. Rosc. Am.* 24. *sub fin.* Respersæ manus fraterno sanguine. *Liv.* 1. 13. Ne se sanguine nefando soceri generique respergerent. *Id.* 21. 63. Vitulus jam citus - multos circumstantes cruore respersit. *Catull.* 64. 230. Adnuit ut tauri respergas sanguine dextram. *Id.* 64. 181. fraterna cæde respersus. *Ovid.* 14. *Met.* 603. Numicius suis Quidquid in Ænea fuerat mortale, repurgat, Et respergit aquis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 12. 14. (88). Numæ regis Postumia lex est: Vino rogum ne respergito. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (308). Lentem aceto respergere. *Id.* 31. *ibid.* 6. 33, (65). Ptyade aspide respersi. *h. e.* aspersi venenata saliva aspidis. *Ammian.* 22. 8. 5. Mene circumfluis spatiis Propontidos respergit ex eoo latere Cyzicum et Dindyma. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 5. Villa fluctu respergitur. *Stat.* 8. *Theb.* 8. respersus pulvere campi. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (84). Phalangium rufo capite, reliqua parte corporis nigra, albis incursantibus respersum guttis. (*Sillig.* incursantibus respersum *om.*) Sic absolute *Vulgat. interpr. Genes.* 31. 12. Vide masculos varios, maculosos, respersos. *h. e.* punctis refertos, punctis, quasi grandine, notatos. *Seneca Herc. Œt.* 722. nulla nube respersus jubar Laxabat ardens fervidus Titan diem. *Seneca alter* 3. *Ira* 6. Per frequentia loca properanti necesse est alicubi respergi. *h. e.* inquinari. *Lucret.* 2. 143. Quum primum aurora respergit lumine terras.

II.) Translate. ¶ 1. Est retro spargere, retro flectere in varias partes. *Pallad.* 2. 15. *a med.* Lapis subter, vel testa ponenda est, ut *nux sata* radicem non simplicet, sed repercussa respergat. ¶ 2. Metaphorā ductā a super. paragr. I. *Quintil. declam.* 18. 3. Cujus mentem nulla libidinum respersit infamia. *Tac.* 1. *Hist.* 48. Servili deinceps probro respersus est tamquam scyphum aureum furatus.

RESPERSĬO, ōnis, f. 3. *spargimento,* ῥαντισμός, actus respergendi. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 48. Habes et respersionem pigmentorum. *Id.* 2. *Legg.* 24. 60. Ne sumptuosa respersio, ne longæ coronæ etc. *h. e.* infusio unguentorum et vini in rogum.

RESPERSUS, a, um, particip. *V.* RESPERGO.

RESPERSUS, us, m. 4. respersio. In sexto casu sing. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (163). Feras urinæ hyænæ respersu recreari. *At* Sillig. *legit* urina adspersa. *Id.* 10. *ibid.* 3. 3. (10). Respersu pinnarum hostem obcæcantes.

RESPĬCIENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESPĬCIO, spicis, spexi, spectum, spĭcere, a. 3. (re *et obsol.* specio). *Respexim, is, it,* pro *respexerim,* antiquum est, et comicum. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 19. Si respexis, donicum ego te jussero. *Id. Most.* 2. 2. 90. Cave, respexis. Adde *Rud.* 3. 3. 16. — Particip. *Respiciens* I. et II. 1. et 2. *a.; Respectus* I. 2. et II. 1. *a.; Respiciendus* I. 2. — Respicio est idem ac retro aut post me aspicio, ἀποβλέπω, ἀφοράω (It. *guardare indietro;* Fr. *regarder par derrière, se tourner par regarder;* Hisp. *mirar detras, volver por mirar;* Germ. *zurücksehen - blicken nach etwas, sich umsehen;* Angl. *to look back*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Nonius p.* 442. 30. *Merc.* Respicere, quasi retro aspicere. Varro Manio: Sedens altus alieno sumtu, neque post respiciens, neque ante prospiciens. — 1.°) Neutrorum more. — *a*) Cum Accus. et præpos. *ad,* vel, raro admodum, *in,* aut cum Adverbio motus ad locum. *Plaut. Capt.* 4. 2. 55. et *Cas.* 3. 5. 10. Respice ad me. *Ter. Andr.* 2. 5. 6. Quasi de improviso respice ad eum. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 69. Noctu ad oppidum respicientes videbatis etc. *Ovid.* 11. *Met.* 545. et, quum desideret unam (*Halcyonem*), Gaudet abesse tamen. Patriæ quoque vellet ad oras Respicere inque domum supremos vertere vultus. *Quintil.* 11. 2. 45. Ad libellum respicere. *Plaut. Trin.* 4. 3. 61. Sed respice ad me huc. *Apul.* 2. *Met.* Hæc dicens, in me respexit, et risit. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 30. Potin 'ut semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias? Adde *eumd. Truc.* 1. 2. 20. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 49. Tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse. *Id.* 5. *Tusc.* 2. *sub fin.* Tam longe retro respicere non possunt. *Liv.* 21. 22. Pavidum primo, nusquam circumspicientem aut respicientem, secutum. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Prædandi causa egressi, quum respexissent, et hostes in nostris castris versari vidissent, etc. *Virg.* 6. *Æn.* 548. Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra Mœnia lata videt. *Seneca Ep.* 73. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. *h. e.* non respicit eos, qui inferiore honoris gradu post se positi sunt. — 2.°) Active. *Plaut. Stich.* 2. 2. 7. Respice me. *Cæs.* 3. *B. C.* 91. Simul respiciens Cæsarem, Faciam, inquit, etc. et 2. *ibid.* 39. Proximaque respiciens signa, Videtisne, inquit, milites etc. *Virg.* 5. *Æn.* 167. Cum clamore Gyas revocabat: et ecce Cloanthum Respicit instantem a tergo. *Ovid.* 2. *Met.* 189. Et modo, quos illi fato contingere non est, Prospicit (*Phaethon*) occasus; interdum respicit ortus. et 3. *ibid.* 22. respiciens comites sua terga sequentes. *Liv.* 30. 20. Mœstum abisse ferunt Hannibalem hostium terra excedentem; respexisse sæpe Italiæ litora etc. ¶ 2. Latiore sensu pro simplici *aspicio.* *Cic. Cluent.* 61. 170. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo respicere (*al.* adspicere) vellet. *degnarlo di un' occhiata.* et *Val. Flacc.* 6. 561. tandem dulces jam cassus in auras Respicit. *Lucan.* 4. 57. Sidera respiciens. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 38. Quantum quisque feret, respiciendus erit. *Virg.* 5. *Æn.* 665. Incensas perfert naves Eumelus, et ipsi Respiciunt atram in nimbo volitare favillam. *Apul.* 10. *Met.* Pocillatore respecto.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad animum, et — 1.°) Neutrorum more ponitur pro spectare, pertinere, *appartenere,* quemadmodum et nos vulgo dicimus *riguardare.* *Cæs.* 3. *B. C.* 5. *extr.* Toti officio maritimo M. Bibulus præpositus cuncta administrabat. Ad hunc summa imperii respiciebat. *Quintil. declam.* 1. 14. Ad te suspicio magis respicit. *Ulp. Dig.* 18. 6. 4. Debet dici, emptionem manere, periculum autem ad ven-

ditorem respicere. — 2.°) Active. — *a*) Speciatim significat res præteritas mente percurrere, quod est quasi retro aspicere. *Cic. Arch.* 1. *init.* Quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis. Sic *Lucret.* 3. 854. Nam equum respicias immensi temporis omne Præteritum spatium, tum etc. — *b*) Generatim est animadvertere, considerare. *Horat. Art. P.* 317. Respicere exemplar vitæ morumque jubebo Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces. *Id.* 1. *Ep.* 1. 105. De te pendentis, te respicientis amici. *h. e.* qui a te, Mæcenas, pendet, et tua jussa ac voluntatem respicit. *Liv.* 4. 46. Subsidia, quæ respicerent in re trepida, præparata erant ab tribuno militum. *Apul.* 9. *Met.* Ni, respecto communi periculo, vix eum ab impetu furioso cohibuissem. *h. e.* nisi ego considerans commune nostrum periculum etc. Adde *eumd.* 9. *ibid. Publil. Syr. fragm.* 344. ed. *Ribbeck.* Metum respicere non solet quicquid jurat. — Et cum Relativo. *Lucret.* 5. 1446. Propterea quid sit prius actum, respicere ætas Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat. *Val. Flacc.* 6. 661. Respiciens, an vera soror. *h. e.* attente intuens et considerans. ¶ 2. Item est considerare, intueri, aspicere juvandi causa, favere, curam habere, prospicere. — *a*) De diis. *Ter. Phorm.* 5. 3. 34. Dii nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum filio tuo. *ci guardano di buon occhio, hanno cura di noi.* Sic *Plaut. Rud.* 5. 2. 29. Dii homines respiciunt. *Cic.* 7. *Att.* 1. 2. Videre mihi videor tantam dimicationem, nisi idem deus, qui nos Parthico bello liberavit, respexerit rempublicam. et 1. *ibid.* 16. 6. Reipublicæ statum - nisi qui nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus. *Horat.* 1. *Od.* 2. 36. Sive neglectum genus et nepotes Respicis etc. Huc pertinet et illud *Virg.* 5. *Æn.* 687. Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum Trojanos, si quid pietas antiqua labores Respicit humanos, da etc. *h. e.* si vetus clementia tua, etc. (cf. *Cassiod. Compl. Act. Apost.* 20. Tunc superna pietate respectis) Item illud *Justin.* 14. 4. 10. At vos, ait, devota capita, respiciant dii perjuriorum vindices. Contra *Plaut. Bacch.* 4. 3. 24. Tace: aliquis nos deus respiciet. *Id. Capt.* 4. 2. 54. Respice. ERG. fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc me jubes. — Hinc *Fortuna respiciens*, h. e. favens, opem ferens; cujus nempe simulacrum ita reflexo est capite, ut respicere videatur. *Cic.* 2. *Legg.* 11. 28. indicat Fortunæ respicientis fanum Romæ fuisse: nomenque ex ea vico inditum in regione decima, docet *vet. Monum.* apud *Gruter.* 250. Apud *eumd.* 79. 1. et 1072. 6. et apud *Murat.* 84. 5., 350. 1. et 1042. 2. et apud *Orell.* 1766. sunt inscript., in quibus *Fortunæ respicienti* quippiam sacratur. V. *Heynium* ad *Virg.* 1. *Ecl.* 28. — *b*) De hominibus. *Ter. Andr.* 5. 6. 11. Me in tuis respice. *abbi cura, ricordati.* et *Adelph.* 5. 8. 9. Nec qui eam respiciat, quisquam est. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. Lentulus consul senatui reique publicæ se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententiam dicere velint; sin Cæsarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur, se sibi consilium capturum, neque Senatus auctoritati obtemperaturum. — Singulare est illud *Tac.* 4. *Hist.* 4. Mox deos respexere; restitui placuit Capitolium. *h. e.* de diis cogitarunt. — *c*) De rebus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 87. Respice ætatem tuam. *abbi riguardo alla tua età.* *Cic.* 5. *Verr.* 55. 127. Saltem commoda populi Romani respicite, si sociis fidelissimis prospicere non laboratis. *Lucret.* 4. 1158. fœdo afflictantur amore, Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe. *Cic. Planc.* 38. 91. Sine ullo reipublicæ detrimento, respicio etiam aliquando salutem tum meam, tum meorum. *Publil. Syr. fragm.* 580. ed. *Ribbeck.* Respicere nil consuevit iracundia. *non bada a nulla, non ha riguardo a checchessia.* — *d*) *Respicere se est* sui respectum seu rationem habere, *riguardare sè stesso, aver riguardo a sè stesso.* *Plaut. Pseud.* 2. 2. 18. Non soles respicere te, quum dicas injusto alteri? (cf. *eumd. Truc.* 1. 2. 58. Qui alterum incusat probri, quum ipsum se intueri oportet.) *Ter. Heaut.* 1. 1. 18. Nullum remittis tempus, neque te respicis. *e non hai riguardo a te stesso.* Sic *Cic.* 2. *Fin.* 24. 79. Si jacturæ rei familiaris erunt faciendæ, labores suscipiendi, adeundum vitæ periculum: ne tum quidem te respicies? — *e*) Et neutrorum more, cum Accus. et præpos. *ad.* *Quintil.* 9. 4. 36. Modice respexerunt ad hanc partem. *Id.* 9. 2. 68. Ad utilitatem Ligarii respicit. ¶ 3. Interdum est idem ac perspicio, intelligo. *Plaut. Curc.* 1. 2. 68. Respicio, nihili meam vos gratiam facere. *veggo, m' accorgo.*

RESPĪRĀBĬLIS, e, adject. ἀνάπνευστος, *respirabile*, qui respirari potest. *Boeth. Aristot. Topic.* 5. 4. *p.* 701. Qui posuerit aeris proprium respirabile, de aere verum est, de toto autem non dicitur, non enim erit universus aer respirabilis, non erit utique aeris proprium respirabile.

RESPĪRĀCŬLUM, i, n. 2. *respiro.* *Claud. Mamert.* 2. *Stat. Anim.* 12. Redactæ paullulum respiraculo vires.

RESPĪRĀMEN, mĭnis, n. 3. ἀνάπνευμα, halitus, seu meatus spiritus. *Ovid.* 2. *Met.* 828. Vitalesque vias, et respiramina clausit. et 12. *ibid.* 142. Elidunt fauces, et respiramen iterque Eripiunt animæ.

RESPĪRĀMENTUM, i, n. 2. *sollievo, ristoro,* solatium, laxamentum. *Augustin. Serm.* 144. de *Temp. in fin.* Solatium meum et respiramentum periculorum meorum nullum est, nisi bona vita vestra. *Id.* 7. *Confess.* 7. *ad fin.* Et nusquam erat laxamentum et respiramentum.

RESPĪRANS, antis, particip. *V.* RESPIRO.

RESPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus respirandi (cui respondet, vel contraria est *aspiratio*), attractio aeris in pulmones per asperam arteriam, simulque ejus emissio e pulmonibus, quia sibi invicem aspiratio et respiratio succedunt, ἀνάπνευσις; (It. *respiro, respirazione, rifiatamento*; Fr. *action d'exhaler, respiration;* Hisp. *respiracion;* Germ. *d. Ausathmen, Athemhelen;* Angl. *a breathing or fetching breath, respiration*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 6. Neque erat anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Quis enim sine respiratione somno locus? *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. 167. Respiratio parva atque anhela et insustentabilis. *Id.* 2. *ibid.* 21. 126. calida et odoris tetri. *Id. ibid.* 3. 16. tardior ac major, cum quodam gemitu. *Id. ibid.* 1. 2. humanior. *Id. ibid.* 3. 17. Respiratio crassescit ita ut exstincta videatur. *h. e.* fit tarda et alta. *Id. ibid.* 22. *sub fin.* Difficultas respirationis minuitur, accedente animi quadam securitate. *Id. ibid.* 36. *sub fin.* Recte sudantibus pulsus erectior, respiratio facilior ac levior efficitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est exhalatio, evaporatio, *esalazione, svaporamento.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Aer multo calore admixtus est, ipse enim oritur ex respiratione aquarum - earum enim quasi vapor quidam aer habendus est. ¶ 2. Item pausa, intervallum in loquendo, interspiratio, interpunctio, *pausa, respiro.* *Cic. Orat.* 16. *a med.* Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: distincta alios et interpuncta intervalla, moræ respirationesque delectant. *Quintil.* 7. 9. 1. Amphiboliæ divisio respiratione et mora constat: *statuam*, deinde *auream hastam*, vel *statuam auream*, deinde *hastam*. *Liv.* 8. 38. In suo quisque gradu obnixi, urgentes scutis, sine respiratione ac respectu pugnabant. *Ammian.* 14. 6. 19. Quum peregrini - pellerentur ab urbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione extrusis, etc.

RESPĪRĀTUS, us, m. 4. respiratio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 136. Pulmones tum se contrahunt adspirantes, tum respiratu dilatant. Alii leg. *spiritu*, plures *respiritu*, eodem sensu. *Apul.* 4. *Met.* Parvis respiratui circa nares et oculos datis foraminibus.

RESPĪRĬTUS, us, m. 4. *V.* in voc. præced.

RESPĪRĬUM, ii, n. 2. respiratio. *Gloss. lat. gr.* respirium, ἀναπνοή.

RESPĪRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re *et* spiro). Particip. *Respirans* II. 1. *a.*: — Respiro est idem atque aerem in pulmones per asperam arteriam attraho, spiritum duco, anhelo: quasi retro spiro, aut spirando retraho: et sumitur etiam pro *aspiro*; h. e. aerem exspiro ex pulmonibus, ut in RESPIRATIO diximus: quasi iterum spiro, ἀναπνέω (It. *respirare, rifiatare, tirare il fiato;* Fr. *respirer, attirer et repousser l'air par l'action de la respiration, exhaler;* Hisp. *respirar, despodir el aliento;* Germ. *zurück -, entgegen - blasen, - wehen, hauchen u. aushauchen;* Angl. *to breathe, take or draw breath, fetch breath, respire*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Fin.* 23. *ad fin.* Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam jam aquam appropinquant, sed nihilo magis respirare posse, quam eos qui sunt in profundo? *Plaut. Pers.* 3. 3. 12. Sine respirare me, tibi ut respondeam. *Juvenal.* 14. 26. quæ numquam maternos dicere mœchos Tam cito, nec tanto poterit conterere cursu, Ut non ter decies respiret. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. *de strenuo potore.* Optima fide non respirasse in hauriendo, neque exspuisse. Græci ἀπνευστὶ πίνειν dicunt. — Cum Accusat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Quum aspera arteria ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu, eamdemque a pulmonibus respiret et reddat.

II.) Translate. ¶ 1. *Respirare* dicuntur, qui labore, morbo, negotiorum mole paullisper intermittendo levantur, recreantur. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Att.* 24. *extr.* Respiraro, si te videro. *Id. Rosc. Am.* 8. 22. Quum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit. *Id.* 6. *Fam.* 2. Si armis positis civitas respiraverit. *Id.* 1. *Fin.* 16. 53. Improbitas, cujus in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere. *Liv.* 18. 28. Spatium respirandi dare. *Val. Flacc.* 7. 648. Siculo respirat in æquore Cyclops. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (26). Arbor quoque ipsa gaudet assiduo levata onere, similis respiranti. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* Quo animi respirant ac reficiuntur. Adde *eumd.* 9. 2. 26. — Passive impersonaliter. *Liv.* 29. 4. Nuncius tandem venit, Lælium, non Scipionem, *etc.* Ita respiratum est. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *ab.* *Cic. Cluent.* 70. *ad fin.* (et *Harusp. resp.* 23. 48.) Spe vestræ æquitatis erigere animum, et paullum respirare a metu cœpit. *Liv.* 22. 18. *in fin.* Haud parvam rem esse, ab toties victore hoste vinci desisse et ab continuis cladibus respirasse. *Alii aliter leg.* *Quintil.* 1. 8. *circa med.* Quum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. ¶ 2. Pro intermittere, sistere se, cessare. *Cic. Quinct.* 16. *ad fin.* Si hæc tecum duo verba fecisset, quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paullulum. *Id.* 8. *Phil.* 7. 20. Ne punctum quidem temporis oppugnatio respiravit. *Lucret.* 6. 568. Quod nisi respirant venti, vis nulla refrenet Res. *h. e.* flare cessant. ¶ 3. Ponitur et pro exhalare, *esalare.* *Stat.* 2. *Silv.* 2. 77. inde malignum Aera respirat pelago circumflua Nesis, et *ibid.* 4. 35. Et tenues Arabum respirant germine plumæ. *h. e.* halant. spirant. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 74. prospice, ne tibi forte Tinnula tam fragili respiret fistula buxo, Quam resonare solet, si quando laudat Alexin. *h. e.* exspiret, et sonum emittat.

RESPLENDENS, entis, particip. *V.* RESPLENDEO.

RESPLENDENTĬA, æ, f. 1. splendor. *Augustin. Ep.* 55. *ad Macedon. a med.* Luculentis ingeniis non deest resplendentia veritatis.

RESPLENDĔO, es, ŭi, ere, n. 2. (re *et* splendeo). Particip. *Resplendens* I. — Resplendeo est splendorem remitto, refulgeo, ἐκλάμπω, *risplendere, brillare.*

I.) Proprie. *Virg.* 12. *Æn.* 741. fulva resplendent fragmina arena. *scil.* ensis fracti. *Seneca Agam.* 543. Omne resplendet fretum. *scil.* jactis fulminibus. *Sil. It.* 12. 732. Et tremula infuso resplendent cærula Phœbo. Adde *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 446. et *Alcim. Homil. fragm.* 3.

Sic *Vulgat. interpr. Eccli.* 43. 9. de *luna.* Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriose. et 1. *Machab.* 6. 39. Et ut refulsit sol in clipeos aureos et æreos, resplenduerunt montes ab eis. — Pro simplici *splendeo. Manil.* 5. 719. Quæ (*sidera*) neque per cunctas noctes, neque tempore in omni Resplendent alto cæli summota profundo. *Vulgat. interpr. Matth.* 17. 2. Resplenduit facies ejus sicut sol. — Addunt et *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Resplendeat his vestis, argentum, etc., sed alii rectius *respondeat.*

II.) Translate. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 16. Narrem justitiam? resplendet gloria Martis. *Ambros.* 3. *Offic.* 17. Cura honestatis inter eversæ patriæ cineres et favillas in affectibus piis resplenduit et refulsit.

RESPLENDESCO, is, n. 3. iterum splendesco, et

RESPLENDOR, oris, m. 3. iteratus splendor, sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim solummodo in *Not. Tir. p* 56.

RESPONDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESPONDEO, spondes, spondi, sponsum, spondere, 2. (re et spondeo). Aliquando est tertiæ conjugationis in quibusdam modis, aut temporibus: quod in verbis secundæ sæpe usuvenit. *Manil.* 5. 737. Sic etiam magno quædam respondere mundo. *Bentlej.* rectius leg. *Sic etiam in magno quædam respublica mundo est.* et *Martial.* 3. 4. Si, quando veniet? dicet, responde: poeta Exierat, veniet, quum citharædus erit. Alii rectius leg. *Si quando veniet, tu respondeto: poeta* etc. *Ital. interpr. fragm.* 1. *Reg.* 12. 3. Respondite contra me coram Domino et coram Christo ejus. De præterito perf. hæc habet *Caper p.* 103. ed. *Keil.* Respondidi nihil est: respondi dic Ciceroni. — Particip. *Respondens* 3. *b.* 9. et 12.; *Responsus* 3. *a.*, 10. et in fin.; *Responsurus* 10. et 12.; *Respondendus* 6. — ¶ 1. Respondeo, ratione habita etymi, est idem ac vicissim spondeo, repromitto, *promettere vicendevolmente*, ἐπαγγέλομαι. *Plaut. Capt.* 4. 2. 118. ERG. Sponden' tu istud? HE. spondeo. ERG. At ego tuum tibi advenisse filium, respondeo. *Plautus* tamen hic jocari videtur. Addunt quidam *Propert.* 4. 8. 88. Respondi, et toto solvimus arma toro. Sed aliter leg. *Heins.* et *Broukus.* Retinet *Passerat.* et conatur explicare: nihil tamen affirmat. — Pro simplici *spondeo* videtur poni a *Papinian. Dig.* 50. 1. 17. *extr.* Fidejussores, qui salvam rem publicam fore responderunt. ¶ 2. Item respondere est par pari referre, *corrispondere. Plaut. Pers.* 2. 2. 41. Par pari respondes dicto. *h. e.* totidem verbis, quot compellaris. *Ter. Phorm.* 1. 4. 35. Istuc serva, et verbum verbo, par pari ut respondeas. *Cic.* 6. *Att.* 1. 22. Habes ad omnia, non, ut postulasti χρύσεα χαλκείων, sed paria paribus respondimus. — Passive *Atticus* apud *Cic.* 16. *Att.* 7. 6. Provide, si cui quid debetur, ut sit unde par pari respondeatur. Cf. *Cic.* 15. *Fam.* 21. *a med.* Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus possem, amore certe respondebo. ¶ 3. Generatim et sæpissime respondere est vicissim dicere, interroganti satisfacere, ad voluntatem rogantis loqui. veteribus enim *spondeo* erat dico, loquor, teste *Festo p.* 349. 34. *Müll.*, ἀποκρίνομαι, ἀντιφωνέω (It. *rispondere;* Fr. *répondre, faire une réponse, repliquer;* Hisp. *responder, satisfacer, dar solucion á alguna duda;* Germ. *antworten, beantworten, Worten,-redend entgegnen, erwiedern;* Angl. *to answer, reply, respond*). Respondere proprie est ore loqui, non scripto. Unde *Seneca Ep.* 67. Si quando interveniunt epistolæ tuæ, tecum esse mihi videor, et sic afficior animo, tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. *Cic.* tamen 6. *Att.* 2. Respondebo primum postremæ tuæ paginæ. *et mox.* Respondi postremæ tuæ paginæ prima mea. Ceterum — *a*) Proprie usurpatur vel absolute, vel *respondere aliquid alicui, ad, adversus, contra aliquem* etc. *Plaut. Rud.* 3. 5. 33. Si appellabit quampiam, vos respondetote istinc istarum vicem. *Id. Pseud.* 4. 2. 12. Responde, quod rogo. *Id. Merc.* 2. 1. 73. Qui, malum, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo? *Ter. Phorm.* 4. 4. 3. Verbero, aliud mihi respondes ac rogo. *Id. Andr.* 2. 2. 8. Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? *Id. Phorm.* 2. 1. 50. Ubi tute verbum non respondeas. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 39. Adiit ad nos: salutat: respondemus, *risalutiamo. Horat.* 1. *Sat.* 9. 62. unde venis? et quo tendis? rogat et respondet. *et ibid.* 6. 60. quod eram, narro; respondes, ut tuus est mos, Pauca. *Cic. Amic.* 1. 5. Ab his (*C. Fannio et Q. Mucio*) sermo oritur, respondet Lælius. *Id. Brut.* 32. 122. Nobis vero (*placet*), inquit Atticus, vel pro Bruto etiam respondeam. *Ter. Andr. prol.* 6. Non qui argumentum narret, sed qui malivoli Veteris poetæ maledictis respondeat. *Quintil.* 4. 4. 1. Cui opinioni respondimus. et 2. 17. 32. Respondebo propositis. *Plin. Paneg.* 79. Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ariovistus ad postulata Cæsaris pauca respondit. *et* 4. *ibid.* 8. Ad hæc, quæ visum est, Cæsar respondit. *Liv.* 3. 4. Introducti a consulibus ad senatum ita responderunt ad interrogata, ut etc. *Id.* 30. 31. Adversus hæc imperator Romanus in hanc fere sententiam respondit. *Id.* 8. 32. Adversus quæ singula quum respondere haud facile esset, etc. *Id.* 35. 50. Nec absurde adversus utrosque respondisse visus est, et facile erat orationem apud faventes æquis auribus accipi. *Cic. Harusp. resp.* 8. 17. Potestne quisquam vir in rebus magnis cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? *Quintil.* 5. 7. 24. Contra illa, quæ supra diximus, simili ratione responderi locis communibus. *Sueton. Tib.* 61. Precanti quidam pœnæ maturitatem respondit: Nondum tecum in gratiam redii. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 62. quid multa? «benigne» Respondet. — Cum Accus. et Infinito. *Plaut. Amph.* 1. 1. 59. Responderet, bello se et suos tutari posse. *Sall. Jug.* 11. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit. *Cic. Ligar.* 8. 23. Si responderit Tubero, Africam - tibi patrem suum traditurum fuisse, non dubitabo etc. *Justin.* 37. 4. 5. Mithridates - superbo responso hereditarium patri suo regnum obvenisse respondit. — Cum Relativo. *Liv.* 8. 32. Quin tu respondes, vetuerimne, te quidquam rei, me absente, agere? vetuerimne, signa cum hostibus conferre? - Ad hæc, quæ interrogatus es, responde. — Passive impers. *Sall. Jug.* 112. Romæ legatis Bocchi amicitiam petentibus hoc modo respondetur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 57. Postquam mihi responsum est, abeo ab illo mœstus ad forum. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 2. Philosophiæ vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo etc. — Et passive person. *Sall. Jug.* 117. Sulla respondit, pauca se coram Aspare locuturum, cetera occulte: simul edocet, quæ sibi responderentur. Cf. *Cic. Mur.* 13. 28. Quæ consuluntur, minimo periculo respondentur. *scil.* a JCtis. — Particip. *Responsus* apud *Ter. Heaut.* 4. 8. 18. Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chremes? *Cic. Amic.* 2. 6. Multa ejus (*Catonis*) et in senatu et in foro vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur. — Supin. *Responsu* apud *Cic. Cluent.* 59. 164. Habetis, judices, quæ in totam vitam de moribus Cluentii, annos octo meditati accusatores collegerunt. Quam levia, genere ipso! quam falsa, re! quam brevia, responsu! — *b*) Translate. *Cic. Arch.* 8. 19. Saxa et solitudines voci respondent; bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur. *Virg.* 10. *Ecl.* 8. Non canimus surdis: respondent omnia silvæ. *Ovid.* 11. *Met.* 52. flebile lingua Murmurat exanimis; respondent flebile ripæ. *Stat.* 2. *Achill.* 174. Aut teretes thyrsos, aut respondentia (*aliæ*) tentant Tympana. *h. e.* quæ pulsata facile sonum reddunt. *Calpurn.* 6. *Ecl.* 65. sub exeso raucum mihi pumice lymphæ Respondent et obest arguti glarea rivi. *Id.* 8. *Ecl.* 74. reboat te, quicquid carminis Echo: Respondent silvæ. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 24. Jam vero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis silvestribus. *si opporranno a Catilina fortificatosi su colli e selve.* ¶ 4. Specialim *respondere criminibus, accusatori, argumentis,* dictis refellere, solvere. *Cic.* 2. *Phil.* 43. *sub fin.* Respondebisne ad hæc, aut omnino hiscere audebis? *Id. Planc.* 2. 4. Hæc mihi sunt tractanda tum denique, quum respondero criminibus. *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. Videat, quid de illis respondeat, quos domi suæ reservavit. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 7. 19. Neque hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ respondeam. ¶ 5. Item *respondere* dicuntur oracula, et haruspices. *Sueton. Aug.* 94. Velitris tacta de cælo parte muri, responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum. Adde *eumd. ibid.* 97. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Pater ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius fore. Sic *Sall. Cat.* 47. Quem (*annum*) sæpe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore. *Justin.* 1. 4. 3. Consulti harioli ex eadem filia nepotem ei futurum, - regnique ei amissionem portendi responderunt. *V.* RESPONSUM 2. ¶ 6. Item JCti consulentibus de jure, *consigliare. V.* RESPONSUM 3. *Cic. Brut.* 30. 113. Rutilius magnum munus de jure respondendi sustinebat. *Id.* 2. *Legg.* 12. 29. Facultas respondendi juris. *Id.* 1. *Orat.* 45. 198. Ut in respondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio valerent. *Id.* 1. *Legg.* 4. 12. Si te ad jus respondendum dedisses. *Id. Planc.* 25. *a med.* Quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de jure respondisse dicat. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 23. Seu linguam causis acuis, seu civica jura Respondere paras. ¶ 7. Item qui vocati adsunt, *comparire. Horat.* 1. *Sat.* 9. 36. et casu tunc respondere vadatus Debebat: quod ni fecisset, perdere litem. *Varro* apud *Gell.* 11. 1. M. Terentius quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico. *Liv.* 7. 4. Virgis cæsi, qui ad nomina non respondissent. *scil.* in delectu habendo. *Val. Max.* 6. 3. *n.* 4. Consul, quum delectum subito edicere coactus esset, et juniorum nemo respondisset. *Arr. Menand. Dig.* 49. 16. 4. *a med.* Qui ad delectum non respondebant, ut proditores libertatis in servitutem redigebantur. *Ulp. ibid.* 49. 1. 14. *a med.* Respondere nomine possessoris absentis. *h. e.* comparere in judicio et defendere. *Id. ibid.* 3. 3. 35. per procuratorem. ¶ 8. Item qui satisfaciunt, qui, quod optamus, volumus, sperare jubent, præstant. *Cic.* 2. *Fam.* 1. *a med.* In omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondit. *Id.* 16. *Att.* 2. 2. Quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. *Seneca Ep.* 87. Respondere nominibus. *pagare i debiti. Cels.* 2. 6. *ad fin.* Conjecturæ ratio talis est, ut quum sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat. *Sueton. Cæs.* 46. Villam a fundamentis inchoatam magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse. *Seneca Ep.* 47. *sub fin.* Quidquid non ex voluntate respondit, iram provocat. *Liv.* 28. 6. *a med.* Haudquaquam ad spem eventus respondit. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. *sub fin.* Ager spissus labore quidem maximo, tamen ad vota respondet. *Virg.* 1. *G.* 47. seges votis respondet avari Agricolæ. — Passive impersonaliter. *Cic.* 5. *Fam.* 7. Si quando officiis non mutue respondetur. *Vellej.* 2. 103. *extr.* Ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius. ¶ 9. Et quæ conveniunt, consentiunt, quadrant. *Cic. Orat.* 12. 38. Ut verba verbis, quasi dimensa et paria, respondeant. *Virg.* 1. *Æn.* 589. dictis respondent cetera matris. *Cic.* 2. *Fam.* 15. Nam ea, quæ speras *etc.*, scio, cui epistolæ tuæ respondeant. *Vitruv.* 7. 3. Deformentur directiones arenati, uti longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172). ¶ 10. Universim usurpatur de rebus inanimis, quæ, quod volumus, aut quod naturâ solent, efficiunt. *Frontin. Aquæd.* 10. Dies, quo primum aqua Virgo responderit, V. Id. Jun. invenitur. *h. e.* destinatis in Urbe locis fluxerit. *Cels.* 4. 4. *n.* 5. Feminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet

Id. præf. a med. Medicus aliquid oportet inveniat, quod non ubique fortasse, sed sæpius tamen etiam respondeat. *h. e.* remedium, quod juvet. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Multis jam diebus venter mihi non respondit. *Seneca Ep.* 23. *circa med.* Metella opulentissima assidue plenius responsura fodienti. *Colum.* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Gemella vitis major, nisi præpingui solo, non respondet. *et ibid.* 3. 4. Frumenta quando cum quarto responderint, vix meminisse possumus. ¶ 11. De iis, quæ stato tempore redeunt. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 16. Quartana ad horam venit, podagra ad tempus respondet. ¶ 12. Item quæ similia sunt, referunt, imitantur, æquant. *Varro* 2. *R. R.* 5. *circa med. de bobus.* Ut mares seminis boni sint, quorum et forma est spectanda, et qui ex his orti sunt, ut respondeant ad parentum speciem. *Cic.* 3. *Fin.* 2. *a med.* Hoc proprium tuum munus est, ut ita erudiatur, ut et patri, et Cæpioni nostro, et tibi tam propinquo respondeat. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 3. Nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Græcorum gloriæ responderunt. *uguagliarono.* et 2. *Fam.* 5. Tua virtus opinioni hominum respondet. *corrisponde.* et *Ovid.* 4. *Fast.* 641. fructu non respondente labori. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 48. arma Cæsaris Augusti non responsura lacertis. *Cic. Harusp. resp.* 23. *sub fin.* Velle se in Carinis ædificare alteram porticum, quæ Palatio responderet. *h. e.*, ut ait *Manut.*, eversa Pompeji domo, ædificare porticum similem illi, quam, domo mea eversa, ædificaverat in Palatio. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (93). Caput polypi dolii magnitudine, dentes magnitudini respondentes. *proporzionati.* et *Vellej.* 2. 129. 2. Respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini. *corrispondendo, pareggiando.* ¶ 13. Item est pertinere, *appartenere. Ulp. Dig.* 50. 1. 30. Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicæ vicus ille respondet. ¶ 14. Item contra, aut e regione situm esse, respicere. *Virg.* 6. *Æn.* 23. Contra elata mari respondet Gnossia tellus. — Hinc Particip. perf. pass.

Responsum, i, n. 2. substantivorum more. *V.* RESPONSUM.

RESPONDO, is. *V.* voc. præced.

RESPONSĀLIS, is, m. 2. apocrisiarius. *Justinian. Novell.* 37. (39.). Ecclesiæ responsalis. *V.* RESPONSUS, us, in fin.

RESPONSĀTĪVUS, a, um, adject. qui invicem respondet. *Isid.* 2. *Orig.* 21. Aliæ (*sententiæ*) responsativæ, ut *illinc, istinc.* Alii leg. *responsivæ.*

RESPONSĬO, ōnis, f. 3. *risposta,* ἀπόκρισις, actus respondendi, responsum. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Most.* 3. 1. 62. Molestus si sum, reddite argentum: - abiero. Responsiones omnes hoc verbo eripite. *Gell.* 12. 12. Si objectum sit turpe aliquid, quod negari non queat, responsione joculari eludas. *Cic. Balb.* 16. 36. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, *comiter esse communiter.* h. e. indigna quæ refelleretur. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores — *a*) Est figura sententiarum, qua aliud interroganti aliud respondetur. *Quintil.* 9. 2. 12. Est aliqua etiam in respondendo figura, quum aliud interroganti ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, et innocens, inquit: tum declinandi, quod est frequentissimum: quæro, an occideris hominem: respondetur, latronem: an fundum occupaveris: respondetur meum. — *b*) Item qua orator se ipsum interrogat, sibique ipse respondet: quæ et *subjectio* dici potest. *Cic. Orat.* 40. 137. Ut interrogando urgeat, ut rursus, quasi ad interrogata, sibi ipse respondeat. — Hanc idem *Cic.* 3. *Orat.* 54. *a med.* enumerat inter figuras verborum, ubi ait: Et interruptum, et imago, et sibi ipsi responsio. Sed videtur hic *dialogismum* designare. ¶ 3. Est etiam congruentia, convenientia, *corrispondenza. Capell.* 9. *p.* 731. *Kopp,* Conveniens aptaque responsio inter ὑποφρύγιον et ὑπολύδιον.

RESPONSĪTO, as, āvi, are, 1. frequentat. a *responso,* ἀνταποκρίνομαι. Speciatim dicebatur de JCtis et de pontificibus, qui de jure civili et de cæremoniis consulti responsa edebant. *Cic.* 1. *Legg.* 4. 14. Summos fuisse in civitate nostra viros, qui jus civile interpretari populo, et responsitare soliti sint. *dare consulti.* Adde *eumd.* 5. *de republ.* 3. et *Gell.* 13. 10. Consulentibus de jure publice responsitavit. Adde et *Ulp. Dig.* 3. 1. 1.

RESPONSĪVĒ, adverb. respondendo, per responsionem. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 1. 56. 148. A capite, quod est *At enim,* interrogative pronunciandum est, et contra responsive: *Omnes rejecti sunt.*

RESPONSĪVUS, a, um, adject. responsionem continens. *Priscian. p.* 54. 2. *Keil.* Verba imperativa et responsiva, - ut si dicam «quid est summum bonum in vita?» et respondeat quis «honestas». Adde *Rufin. de fig. sent.* 19. et *Isid.* 2. *Orig.* 21., de quo *V.* RESPONSATIVUS.

RESPONSO, as, are, a. 1. frequentat. a *respondeo,* est respondeo, aut vehementer respondeo. I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Plaut. Merc.* 4. 2. 56. Numquis servorum deliquit? num ancillæ aut servi tibi responsant? *ti sogliono rispondere con arroganza?* — *b*) Latiore sensu pro simplici *respondeo. Plaut. Cist.* 2. 1. 31. Non remissura es mihi illam? MEL. pro me responsa tibi. *Id. Most.* 2. 1. 56. Neu quisquam responset, quando hasce ædes pultabit senex. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 1. 17.

II.) Translate. ¶ 1. Est sonum reddere, *echeggiare. Virg.* 12. *Æn.* 756. exoritur clamor, ripæque lacusque Responsant circa. *Val. Flacc.* 4. 286. Avia responsant gemitu juga. Adde *eumd.* 3. 597. et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 162. ¶ 2. Sumitur et pro repugnare, adversari, *contrastare, resistere, opporsi. Horat.* 2. *Sat.* 7. 85. Responsare cupidinibus, contemnere honores. *et ibid.* 103. tibi ingens Virtus atque animus cœnis responsat opimis. et 1. *Ep.* 1. 68. qui, fortunæ te responsare superbæ Liberum et erectum hortatur. *Id.* 2. *Sat.* 4. 18. Ne gallina malum responset dura palato. *h. e.* reluctetur palato et dentibus ob duritiam.

RESPONSOR, ōris, m. 3. qui respondet. *Plaut. Rud.* 1. 4. 6. Neque eam usquam invenio, neque quo eam, neque qua quæram, consultum est: neque quem rogitem responsorem, quemquam interea invenio. *h. e.* qui mihi respondeat de illa sciscitanti. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 40. vir bonus est quis? Qui consulta patrum, qui leges juraque servat: Quo multæ magnæque secantur judice lites: Quo responsore, et quo causæ teste tenentur. *h. e.* jurisperito respondente jus consulentibus. *Bentlej.* cum aliis legit *quo res sponsore:* quod videtur ad totam sententiam aptius.

RESPONSŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

RESPONSŌRĬUS, a, um, adject. ad responsionem pertinens. *Isid.* 6. *Orig.* 19. Inter responsorios (*cantus*) et antiphonas hoc differt quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori. — Hinc

Responsorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Sumitur pro responso. *Jul. Vict. Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 26. *p.* 122. *ad fin.* Audire sermocinantem rationis est, primum ut attente audias, ne, dum res alias agas, quum responsorio opus est, aliud respondeas. ¶ 2. Est item vox ecclesiastica, eorum nempe propria, qui in choro psallunt, *responsorio. Isid.* 6. *Orig.* 19. Responsoria Itali tradiderunt, quod inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente, id alter respondeat. *Ambros.* 3. *Hexaem.* 5. 23. Responsoria psalmorum.

RESPONSUM, i, n. 2. responsio, ἀπόκρισις (It. *risposta;* Fr. *réponse;* Hisp. *respuesta;* Germ. *d. Antwort;* Angl. *answer, response*). ¶ 1. Generatim. *Ter. Phorm. prol.* 17. Is sibi responsum hoc habeat. *abbia questo in risposta.* et *Cic.* 7. *Att.* 17. *ad fin.* Sed hæc paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur. *scil.* per litteras. *Id.* 7. *Verr.* 16. 40. Responsum dare alicui de re aliqua. *Id. Planc.* 14. 34. reddere. *Id.* 1. *Cat.* 8. 19. ferre ab aliquo et 1. *Orat.* 56. *a med.* auferre. et 7. *Att.* 17. Scire te oportet, quæ L. Cæsar responsa referat a Pompejo. *Hirt.* 8. *B. G.* 23. Legati responsa ad suos referunt. *Quintil.* 5. 7. *circa med.* Responsum elicere. *Justin.* 12. 2. 8. accipere. *Tac. German.* 8. negligere. *Pacuvius* apud *Non. p.* 111. 8. *Merc.* explanare. *Liv.* 9. 38. Sine responso legatos dimisit. *Propert.* 1. 20. 46. Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas: Cui procul Alcides iterat responsa. *h. e.* audito sonitu cadentis in aquas respondet iterum iterumque vocando. ¶ 2. Speciatim dicitur de oraculo, aut responsione haruspicis. *Ter. Andr.* 4. 2. 15. Non Apollinis magis verum, quam hoc, responsum est. *Cic.* 3. *Cat.* 4. 9. Ex fatis Sibyllinis, haruspicumque responsis. *Virg.* 7. *Æn.* 85. Hinc Italæ gentes - In dubiis responsa petunt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 82. *Nepos Pausan. in fin.* Inde dei delphici responso erutus. *Tac.* 2. *Ann.* 54. Sacerdos edit responsa versibus. et 13. *ibid.* 24. Urbem princeps lustravit e responso haruspicum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (134). Brutus tellurem osculatus ex responso. *Sil. It.* 1. 120. poscens responsa sacerdos. ¶ 3. Item de sententiis et opinionibus eorum, quibus permissum erat de jure respondere, ut ait *Justinian.* 1. *Institut. tit.* 2. *a med.* Nam quum veteres leges regiæ et XII. Tabularum et in sententiis et in verbis obscurissimæ essent, et in pluribus deficerent, constitutum est, ut essent qui ea publice interpretarentur; quorum responsiones consulentibus datas responsa prudentum vocaverunt. Multi doctissimi viri, quorum nomina in Digestorum libris leguntur, utilissimum hoc civibus munus Romæ exercuerunt: iique libri his ipsis eorum responsis referti sunt. V. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2., ubi veteres juris peritos recenset. *Cic. Mur.* 13. *sub fin.* Vestra responsa atque decreta evertuntur sæpe dicendo. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 27. 116. Et *Id. ibid.* 56. 239. Audivi accessisse ad Crassum consulendi causa quemdam rusticanum: qui quum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset, etc.

RESPONSUS, a, um, particip. *V.* RESPONDEO.

RESPONSUS, us, m. 4. ¶ 1. Est responsio. *Cajus Dig.* 44. 7. 1. *a med.* Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione et responsu. Ita *Torrentin.* Alii leg. *responsione.* Cf. *Cic. Cluent.* 59. 164. *V.* RESPONDEO 3. ¶ 2. Item convenientia, congruentia, consensus. *Vitruv.* 1. 2. Scænographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus. *et mox.* Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus, ex partibusque separatis, ad universæ figuræ speciem, ratæ partis responsus. *Id* 3. 1. Sacrarum ædium membra, ad universam totius magnitudinis summam, convenientissimum debent habere commensuum responsum, *corrispondenza, proporzione,* ἀναλογίαν. Adde *Manil.* 3. 71., ubi alii aliter leg. ¶ 3. *Ad responsum,* et, ut alii volunt, conjunctis vocibus, *adresponsum* dicitur is, qui deputatus est a magistro militum, ut responsum, id est ministerium exhibeat militibus, ipso magistro absente. ἀποκρισιάριος. *Imp. Anast. Cod.* 12. 36. 18. *V.* RESPONSALIS.

RESPŪBLĬCA et Res publica, reipublicæ, f. 1. De declinatione et compositione hæc habet *Priscianus* 5. *p.* 180. *Keil.* Si duo sint nominativi, ex utraque parte declinatur compositum ut «respublica reipublicæ». *et ibid. p.* 177. Composita (dictio) per se ex diversis componatur dictionibus separatim intelligendis sub uno accentu et unam rem suppositam [id est significandam] accipiat, ut est «respublica». Una est enim res supposita, duæ vero voces diversæ sub uno accentu prolatæ. Ceterum num *respublica* conjunctim, an disjunctim *res publica* scribendum sit, disputat *Maius* ad *Cic. de republ.* 3., et exemplis hac super re allatis probat, duas esse voces. Rectius itaque veteres duplex, quam recentiores unicum fecisse vocabulum, vero simile est. *V.* dicta in PROMAGISTER et PROMAGISTRATUS. — Respublica ¶ 1. Est res communis et pu-

blica civium una viventium, τὸ κοινόν, δημόσιον (It. *comune, repubblica, stato*; Fr. *la chose publique, république, état*; Hisp. *republica, estado*; Germ. d. *Gemeinwesen, Staatswesen, Staat*; Angl. *a commonwealth, state, republic, the public weal*). *Cic. fragm.* 3. *de republ.* apud *Augustin.* 19. *Civ. D.* 21. Respublica est res populi. populus autem non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus juris consensu, et utilitatis communione sociatus. *Plaut. Pers.* 1. 2. 23. Sed summe ego stultus, qui rem curo publicam, ubi sunt magistratus, quos curare oporteat? ¶ 2. Item reipublicæ gubernandæ ratio, et quæ rempublicam constituunt, uti sunt, *Cic. Sext.* 46., religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciæ, socii, imperii laus, res militaris, ærarium; præterea actio vel negotium, quod quocümque modo ad rempublicam spectet: reipublicæ autem genera sunt quatuor: *regnum* seu *monarchia*, μοναρχία, in quâ unus tantum dominatur: *oligarchia*, ὀλιγαρχία, in qua pauci: *aristocratia*, ἀριστοκρατία, in qua optimates: *democratia*, δημοκρατία, in qua populus universus ex patribus et plebe mixtus, qualis fuit Romana post reges exactos, usque ad C. Julium Cæsarem, qui rursus in monarchiam seu singulare imperium rempublicam convertit. — Promiscua sunt, quæ subjicimus exempla. *Cic. Rosc. Am.* 1. *a med.* et 1. *Verr.* 12. 33. Ad rempublicam accedere. *Id.* 1. *Off.* 25. 89. Reipublicæ præesse. *et ibid.* 85. Corpus reipublicæ curare. *Id.* 2. *Att.* 22. Rempublicam attingere. *Sall. Cat.* 52. capessere. *Cic.* 1. *Off.* 25. 87. administrare. *Id.* 1. *Invent.* 3. 4. gerere. *Sall. Cat.* 38. agitare. *Id. Jug.* 41. dilacerare. *et ibid.* 31. vastare. *Plin. Paneg.* 61. in summum discrimen adducere. *Id. ibid.* 6. concutere. *Id. ibid.* 5. opprimere. *Cic.* 1. *Fin.* 13. *a med.* labefactare. *Id. prov. consul.* 1. 13. (Cf. *Gruter. inscript. p.* 280. 2.) et 4. *Herenn.* 28. 38. radicitus evertere. *Vellej.* 2. 4. 4. occupare. *h. e.* imperium reipublicæ arripere. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. 6. tueri. *Id.* 1. *Verr.* 2. 4. defendere. *Id. Rosc. Am.* 49. 141. recuperare. *Id.* 2. *Orat.* 30. 132. servare. *Id.* 5. *Fam.* 2. conservare. *Nepos Dion.* 6. *a med.* bene gerere. *Liv.* 1. 35. augere. *Cic.* 3. *Phil.* 2. 5. nullam habere. *Id.* 2. *ibid.* 3. 6. Reliquias reipublicæ dissipare. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. Temere de republica loqui. *Liv.* 5. 7. Tribuni plebis velut ab se victæ reipublicæ insultarent. *Cic.* 10. *Fam.* 5. 2. De republica bene mereri. *Quintil.* 6. 3. 68. Reipublicæ causâ elaborare. *Id.* 11. 1. 85. A republica summoveri. *Id.* 8. 6. 15. Reipublicæ vomicas persecare. *Commod.* apud *Spart. Pesc.* 4. 4. Rempublicam recusare. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Quum tantam rempublicam agier arbitrarer. *negozio pubblico sì importante. Cic.* 11. *Fam.* 13. Bonam spem de summa republica vos habere volumus. *h. e.* de libertate publica. Sic *Id.* 10. *ibid.* 3. Unus est per tot annos republica devexata cursus reipublicæ bene gerendæ ad gloriam. *Id.* 3. *Phil.* 9. 24. Quum de republica relaturus fuisset –, fecit senatusconsultum de supplicatione. *Id.* 13. *Fam.* 68. Si ad me de republica, id est de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. *Id.* 2. *Verr.* 55. 138. Respublica administrari non poterat. *h. e.* exactio et solutio tributi. *Id. Pis.* 32. 79. Cæsarem non eadem de republica sensisse, quæ me scio. Item *Id.* 1. *Verr.* 14. 37. Quod de republica sensit. *h. e.* de partibus, quas quis in republica sequitur, utrum videlicet popularis sit, an cum optimatibus faciat. *Liv.* 8. 4. *extr.* et *ibid.* 23. et *ibid.* 32. *extr.* Hoc est e republica. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. Omnem rempublicam senatui populoque R. permittere. *il maneggio, l'amministrazione, il comando.* et *Nepos Cat.* 3. Reipublicæ peritus. *politico, repubblicista, statista.* et *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. In rebus publicis versari. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 27. Proditiones rerum publicarum. *C. Gracchus* apud *Fest. p.* 286. *Müll.* Eæ nationes per avaritiam atque stultitiam res publicas suas amiserunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 2. *a med.* A Platone didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eæ tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. *mutazioni di stato.* et 1. *Fam.* 8. *a med.* Commutata tota ratio est senatus, judiciorum, rei totius publicæ. *di tutto il governo.* et 3. *Legg.* 16. *a med.* Utinam isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses. *h. e.* Romæ quam Arpini. — De formula *Videant Consules, Prætores etc., ne quid respublica detrimenti capiat* vel *accipiat*, vide quæ dicta sunt in fin. v. DETRIMENTUM. — Aliquando ad unam rem bellicam et militare imperium refertur, quia ibi maxime res agitur publica. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 62. Tanta in eo (*Cn. Pompejo*) reipublicæ bene gerendæ spes constituebatur. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 11. et *prov. consul.* 6. 14. et *Sall. Jug.* 100. *Liv.* 2. 64. Et in Volscis respublica egregie gesta, tum ducis, tum militum operâ. Adde *eumd.* 8. 31. *Plaut. Amph.* 1. 1. 42. Ut gesserit rempublicam ductu, imperio atque auspicio suo. *et* 1. 3. 26. Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam. Adde *Liv.* quamplurimis in locis, quæ congessit *Drakenborch.* ad 2. 64., in quib. *rempublicam gerere* de re militari dicitur, contra *Sigon.*, qui in eorum multis τὸ *publicum* expungit. Sic *administrare rempublicam* eodem sensu dicitur ab eod. *Liv.* 6. 6. et 40. 35. *sub fin.* — Respublicas non modo municipiorum, sed etiam coloniarum et collegiorum et corporum fuisse docet *Orellius p.* 230. *Inscript.* apud *eumd.* 4068. HOC AMPLIVS ARK. REIP. COLLEGII *etc.* et apud *Henzen.* 7101. L. ALFIO *etc.* CVRAT. REIP. COL. CASINATIVM.

Homonym. De differentia inter *rempublicam, civitatem* et *populum* vide quæ supra dicta sunt in paragr. 1. et in fine v. CIVITAS.

RESPŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESPŬO, spŭis, spŭi, spŭere, a. 3. (re *et* spuo). Particip. *Respuens* I. et in fin. — Respuo est idem ac spuendo rejicio, exspuo: item simpliciter rejicio, repello, expello, non admitto, ἀποπτύω (It. *sputar fuori, ributtare, rigettare*; Fr. *recracher, rejeter de la bouche, rendre, vomir*; Hisp. *rechazar, rendir, vomitar*; Germ. *zurückspeien, ausspeien, auswerfen, ausstossen, austreiben, ab, – zurückstossen*; Angl. *to spit out, reject, repel*).

I.) Proprie. *Stat.* 8. *Theb.* 543. Saucius extremo donec cum sanguine frenos Respuit. *scil.* equus saucius. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 24. Reliquiæ cibi, quas natura respuerit. *Id.* 2. *Orat.* 25. *a med.* Gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit! *Quintil.* 1. 2. *ad fin.* Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt. *Scribon. Compos.* 104. Varios liquores ex stomacho respuere. — Improprie. *Vitruv.* 7. 4. Tegulæ curiosius picentur, ut ab se respuant liquorem. Adde *Lucret.* 6. 1052. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (231). Duo fontes juxta fluunt, alter omnia respuens, alter absorbens. *Pallad.* 1. *R. R.* 33. Limus, quem fluvii incrementa respuerint. *Ovid. Ib.* 170. Respuet invisum justa cadaver humus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (72). Materia respuens secures. *Id.* 8. *ibid.* 21. 30. (74). Tauri silvestris tergori duritia silicis, omne respuens vulnus. *h. e.* invulnerabilis. *Id.* 7. *ibid.* 15. 13. (63). Mola, caro informis, inanima, ferri ictum et aciem respuens. *Id.* 33. *ibid.* 9. 45. (128). Speculum aerem repercussum respuit, aut excipit. *h. e.* remittit. Sic *Seneca Ep.* 53. *in fin.* Philosophia quædam tela defatigat, et velut levia laxo sinu eludit: quædam discutit, et in eum usque, qui miserat, respuit. et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 15. (18). Fons exsilit tanta vi, ut sine mora pondus impactum respuat. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 146. caput inde Pachyni Respuit Jonias prætentis rupibus iras.

II.) Translate est repudiare, aspernari, nolle, *rifiutare, non volere, aver dell'avversione, disapprovare. Cic. Cœl.* 15. *sub fin.* Illum habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit. *Id. Fat. sub fin.* Quum id dicat, quod omnium mentes aspernantur ac respuunt. *Id. Cœcin.* 19. *extr.* Hominum prudentium consilium et auctoritas respuit hanc defensionem, et pro nihilo putat. *Liv.* 2. 41. *ad fin.* Munera ejus in animis hominum respuebantur. *Lucret.* 6. 67. Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis, diis indigna putando, etc. *Val. Flacc.* 5. 322. sin vero preces et dicta superbus Respuerit, jam nunc animos firmate repulsæ. *Ovid. Remed. am.* 123. Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte Respuit atque odio verba monentis habet. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Non respuit conditionem Cæsar. *Cic. Partit. orat.* 5. 15. Auditorum aures moderantur oratori, et quod respuunt, immutandum est. *Id. Pis.* 20. 45. Nemo bonus est, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur. *che voglia vedervi, sentirvi,* etc. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 42. poetæ, quos et præsens, et postera respuet ætas. *Gell.* 6. 16. *extr.* Maledicere alicui et respuere, et recusare, et detestari. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (10). Hoc sapientissimi cujusque respuit fides. *lo rigetta come falso.* et *Colum.* 6. *R. R.* 2. *a med.* Respuere imperium. *h. e.* detrectare, nolle obedire. *Cic.* 7. *Att.* 26. Cæsaris interdicta, *si te secundo lumine hic offendero*, respuuntur. *h. e.* contemnuntur. — Cum Infinito, aut cum Conjunct. et partic. *ut. Boeth. Consol. phil.* 1. *metr.* 5. Hominum solos respuis actus Merito rector cohibere modo. *et ibid.* 2. *pros.* 6. *circa med.* Natura respuit, ut contraria quæque jungantur. — Hinc Particip. præs., cujus exempla retulimus,

Respuens, entis, adject. h. e. cum Genetivo, more substantivi, apud *Gell.* 6. 15. Communium vocum respuens nimis ac fastidiens.

RESTAGNANS, antis, particip. *V.* RESTAGNO.

RESTAGNĀTĬO, ōnis, f. 3. *ristagno, inondazione*, πλημμύρα, actus restagnandi, inundatio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (168). Palus Mæotica, sive Oceani sinus est, sive angusto discreti situ restagnatio. *Id.* 6. *ibid.* 28. 32. (146). Ubi restagnatio Euphratis cum Tigri confluit. — Translate. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (176). Ne restagnatio intempestiva alvi obstrepat. *h. e.* redundatio et rejectio cibi e stomacho per fauces in os.

RESTAGNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RESTAGNO, as, (āvi), ātum, are, n. 1. (re *et* stagno). Particip. *Restagnans* et *Restagnatus* I. — Restagnare dicuntur aquæ, quum fluere desinentes in morem stagni redundant, λιμνάζω, πλημμύρω (It. *ristagnare*; Fr. *déborder, inonder*; Hisp. *inundar, salir de madre*; Germ. *überfliessen, übertreten, austreten*; Angl. *to run over, overflow, stagnate, restagnate*).

I.) Proprie. *Liv.* 44. 46. Cingunt (*urbem*) paludes inexsuperabilis altitudinis æstate et hieme, quas restagnantes faciunt lacus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (34). Puteos haud difficile inveniunt, ibi restagnantibus Mauretaniæ aquis. *Ovid.* 2. *Met.* 382. Quam restagnantis fecit maris unda paludem. *Lucan.* 4. 88. Impulsaque gurgite multo Castra labant: alto restagnant flumina vallo. *Sil. It.* 8. 382. Qua Saturæ nebulosa palus restagnat. *Seneca Œdip.* 545. Tristis restagnat humor. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 3. Violentia restagnantis undæ. — Huc referri potest et illud *Cassiod.* 2. *Variar.* 32. Quantum spatii restagnatis incursibus paludestris illuvies occupavit.

II.) Translate de locis, quæ stagnantibus aquis inundantur. *Cæs.* 2. *B. C.* 24. *extr.* Longe lateque is locus restagnat. *Sil. It.* 4. 752. restagnant arva palude.

RESTANS, antis, particip. *V.* RESTO.

RESTAURĀTĬO, ōnis, f. 3. *rinnovazione*, ἀνασκευή, renovatio, instauratio, refectio. *Julian. Dig.* 23. 5. 7. Si fundum Titio reddiderit sine restauratione servitutis. *Ulp. ibid.* 4. 4. 7. *extr.* Constat, omnis ætatis hominibus restaurationem eremodicii præstari.

RESTAURĀTOR, ōris, m. 3. *rinnovatore, ristoratore*, ἐπισκευαστής, renovator, instaurator, refector. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 164. *n.* 297. DOMITIVS SECVNDVS CVRAT. ET RESTAVRATOR FRATRIB. SVIS. Alia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 582. RESTAVRATOR THERMARVM HIEMALIVM. Adde *Corp. inscript.* 8. 898. et *ibid.* 896.

RESTAURĀTRIX, *trīcis*, f. 3. *rinnovatrice, ristoratrice*, quæ renovat, quæ restaurat. *Augustin. Serm.* 30. Hæc est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum.

RESTAURĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RESTAURO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Quod ad etymon spectat, videtur esse, ut *instauro*, a v. *sto*, et conjungendum cum v. sanskr. *sthâ*, sto, unde *sthâvara*, stans, rectus (cf. σταυρός, σταυρόω) ita ut sit proprie *facio iterum stare, restituo*. — Particip. *Restauratus* I.; *Restauraturus* II.; *Restaurandus* I. — Restauro igitur est idem atque instauro, reficio, restituo, renovo, ἀποσκευάζω (It. *rifare, ristaurare, rinnovare*; Fr. *rétablir, réparer, rebâtir, restaurer, refaire*; Hisp. *restablecer, reedificar, restaurar*; Germ. *wiederherstellen, erneuen*; Angl. *to renew, repair, rebuild, recruit, restore*).

I.) Proprie. *Tac.* 3. *Ann.* 72. Pompeji theatrum igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret. *et* 4. *ibid.* 43. Edem Veneris vetustate delapsam restaurari postulavere. *Ulp. Dig.* 7. 4. 10. *a med.* Navis dissoluta, et iisdem tabulis restaurata. *Id.* 43. 20. 1. Quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 10. 44. Ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum sumptus dabuntur de ratione regis.

II.) Translate. *Ulp. Dig.* 48. 5. 4. *in fin.* Restaurare accusationem. *h. e.* rursus instituere. *Modestin. ibid.* 4. 4. 29. litem. *Ulp. ibid.* 42. 9. 14. *et Tryphonin. ibid.* 9. 4. 37. actionem furti. *Papinian. ibid.* 19. 5. 9. veterem obligationem. *Justin.* 20. 5. 6. Auxiliis auctus bellum velut ex integro restaurat. *et* 31. 3. 8. Promittens, hac manu non minus bellum quam gesserit, Italiæ restauraturum. Adde 2. 10. *et* 3. 5. Ubique autem alii *instaurat* et *instauraturum* legunt, sed minus recte, ut ait *Drakenborch.* ad *Liv.* 27. 21.

RESTERNO, sternis, stravi, stratum, sternere, a. 3. iterum sterno. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir.* p. 90.

RESTERTO, is, ere, n. 3. (re *et* sterto) iterum, aut valde sterto. *Pelagon. Veterin.* 12. *ante med.* Toto corpore concidit, naribus reddit humida, et aquam multam bibit, tussit duriter et restertit.

RESTIĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui restes facit. *Fronto* apud *Putsch.* p. 2201. Restiarius, qui (*restes*) facit: restio, qui vendit. At meo judicio, inquit *A. Popma* (*De differ. verb.* ad h. v.), non recte. Nam *restiarius* est, ut lintearius, qui restes vendit, ex eaque re quæstum facit; *restio* est, ut linteo, pellio, qui restes intorquet et nectit. Alter Græcis dicitur σχοινοπώλης, alter σχοινοπλόκος sive καλωστρόφος, ut Plutarchus in Augusto dixit. Sed *V.* RESTICULARIUS et RESTIO. *Inscript.* abhinc paucis annis Anxani reperta et nuper edita a *Jo. Cam. Rossi.* L. AELIO ET M. SERVILIO COS. (*h. e.* an. a Chr. n. III.) PATRONO L. FLAV. FORO COLLEG. FF. (*h. e.* fabrum) RESTIARIORVM MVNICIPII ANXANI F. PROB. D. D.

RESTĬBĬLĬO, is, ire, a. 4. (re *et* stabilio) iterum stabilio, restituo, restauro, instauro. *Pacuvius* apud *Fest.* in *Sas.* Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.

RESTĬBĬLE, is, n. 3. *V.* voc. seq.

RESTĬBĬLIS, e, adject. (re *et* stabilis) in re rustica est qui quotannis seritur, *che ogni anno si torna a fare*, παλίμβλαστος, παλιμφυής.

I.) Proprie. — *a*) *Restibilis ager* ita definitur a *Varron.* 5. *L. L.* 39. 5. *Müll.* Ager restibilis, qui restituitur, ac reseritur quotquotannis: contra qui intermittitur, a novando novalis. *Id.* 1. *R. R.* 44. 2. Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis, an in vervacto, quæ interdum requierit. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 4. Phaselus terræ mandabitur, vel in vervacto (*Schneid.* veterclo), vel melius pingui et restibili agro. — *Restibilis ager* definitur a *Festo* p. 281. *Müll.*, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato: quod ne fiat, solent, qui prædia locant, excipere. In *Gloss. Philox.* Ἀγρὸς δὶς τοῦ ἔτους ἠροτριωμένος. Idem fere dicit *Festus*, quod *Varro.* Ager enim, qui biennio continuo seritur, illo biennio restibilis est: qui vero quotannis, multo magis. Illud solum interest, quod eum sic dicit *Festus*, qui seritur farreo spico, hoc est semine spicam et aristam ferente: *Varro* autem quolibet semine. — *b*) *Restibilis seges*, est quæ regerminat, quasi cujus fecunditas in sequentem quoque annum restat; hinc alii hujus vocis etymon, scil. a *restando*, ducunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (162). Ubertas tamen tanta est, ut sequente anno sponte restibilis fiat seges. — *c*) *Restibile vinetum*, quod singulis annis repastinatur. *Colum.* 3. *R. R.* 18. *init.* Repastinatæ dictæ fuere vineæ. nam si necessitas facere cogit, prius quidquid est residuæ vitis exstirpari debet, etc. Sic *Cato* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (164). Hordeum serendum in novali et in arvo, quod restibile possit fieri. *V.* infra sub *f.* — *d*) *Restibilis platanus*, quæ vigorem suum recuperat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 57. (133). Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitæque reddita. — *e*) *Restibilis locus* legitur apud *Caton. R. R.* 35. 2. Hordeum, qui locus novus erit, aut qui restibilis fieri poterit, serito. *et mox.* Qui locus restibilis crassitudine fieri poterit. — *f*) Hinc *restibile*, *is*, absolute, substantivorum more, est locus restibilis apud *Colum.* 2. *R. R.* 10. 6. Sin autem proximæ messis occupandum erit restibile, etc.

II.) Translate. *Restibilis fecunditas* est continua, et non intermissa. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (248). Conceptum leporum utero exemptum his, quæ parere desierint, restibilem fecunditatem afferre putant.

RESTĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* restis, *picciola resta, funicella*, σχοινίον, parva restis, funiculus. *Cato R. R.* 110. Testam calfacito in igni bene: ubi calebit, eam picato, resticula alligato, testam demittito in dolium infimum leniter. *Varro* 1. *R. R.* 41. *ad fin.* Resticulas per ficos, quas edimus, maturas perserunt, et eas, quum inaruerunt, complicant, ac, quo volunt, mittunt. Quidam *Codd.* fortasse rectius habent: *per resticulam ficos.* et *Cic. fragm. orat.* pro *Scaur.* (edente *A. Peyron.*) p. 76. Sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret. *Ammian.* 14. 7. *a med.* Hirsutis resticulis cruribus ejus innexis, divaricatum adusque prætorium traxere. Adde *Apul. Apolog. circa med.*

RESTĬCŬLĀRIS. *V.* voc. seq.

RESTĬCŬLĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui resticulas facit. *Gloss. Labb.* σχοινοπλόκος, resticularius, restio. *Alii leg.* resticularis.

RESTĬCŬLUM. *V.* voc. seq.

RESTĬCŬLUS, i, m. *et* Resticulum, i, n. 2. resticula. *Hieronym. in Job.* 40. *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. Si amphora ex resticulo suspensa decidisset. ubi *Torrentin.* et *Mommsen.* hab. *reticulo.* *Ambros. in Ps.* 118. *serm.* 15. Coccinum resticulum.

RESTIGO, as, are, a. 1. iterum instigo. Vox a lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir.* p. 90.

RESTILLO, as, āvi, are, 1. (re *et* stillo).

A) Neutrum *restillo* est idem ac stillando et fluendo redeo. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 287. ad proprium restillet vena metallum.

B) Active et translato sensu usus est elegantissime *Cic.* 9. *Att.* 7. Litteræ tuæ mihi quiddam quasi animatæ restillarunt; recreatum enim me non queo dicere. *Alii leg.* instillarunt; *alii* stillarunt.

RESTINCTĬO, ōnis, f. 3. *estinzione*, ἀπόσβεσις, actus restinguendi. *Cic.* 2. *Fin.* 3. *a med.* Illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est.

RESTINCTUS, a, um, *et*

RESTINGUENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESTINGUO, stinguis, stinxi, stinctum, stinguere, a. 3. (re *et* stinguo). Particip. *Restinguens* I.; *Restinctus* I. et II.; *Restincturus* I. — Restinguo est idem atque exstinguo, ἀποσβέννυμι (It. *estinguere, smorzare, spegnere*; Fr. *éteindre de nouveau, éteindre*; Hisp. *apagar, matar*; Germ. *wiederauslöschen, auslöschen, verlöschen, losen, stillen*; Angl. *to exstinguish, quench, put out, restinguish*).

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 4. 1. 15. Nimis lepide ei rei dant operam, ne cœnet senex. Aulas pervortunt, ignem restinguunt aqua. *Cic. Mur.* 25. *extr.* Respondit si quod esset incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum. *Id. Rosc. Am.* 6. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. *Id. Topic.* 12. 52. Restinctus ignis. *Plin.* 20. *Hist. nat. præf. init.* Ignes aquis restinguentibus. Et absolute *Liv.* 1. 39. Puero dormienti - caput arsisse ferunt. - Et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, etc. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 24., et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 76. Ceterum *Ovid. Remed. am. sub fin.* Nutritur vento, vento restinguitur ignis. *Lucret.* 5. 121. præclarum cæli restinguere solem. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. aggerem. *h. e.* ignem, qui aggerem comprenderat. Sic *Hirt.* 8. *B. G.* 43. Nostri opera flammâ comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 27. (46). Lucerna restincta. *Id.* 36. *ibid.* 27. 68. (201). Carbo restinctus. *Virg.* 5. *Æn.* 698. vapor omnis. *Id.* 2. *ibid.* 686. sanctos restinguere fontibus ignes. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 55. (150). Bronte gemma putant restingui fulmine ictum. *h. e.* refrigerari. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (150). Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur. *h. e.* quum ignita fuerint, refrigerari oleo. *temperarsi.* et 33. *ibid.* 3. 20. (65). Æs accensum restinguitur sale, aceto, alumine. *Id.* 36. *Hist. nat.* 24. 58. (181). Restinguere calcem. *bagnare.* et 34. *ibid.* 10. 22. (104). exustum lapidem vino Chio. — Sic pro tollere, delere, comprimere. *Cic.* 2. *Fin.* 3. *a med.*; et *Virg.* 5. *Ecl.* 47. Sitim restinguere. *Horat.* 2. *Od.* 11. 18. Restinguet ardentis Falerni Pocula prætereunte lympha. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (223)., 28. *ibid.* 10. 45. (158)., et 29. *ibid.* 4. 23. (75). Restinguere venena. *Id.* 32. *ibid.* 5. 20. (58). veneficium. *Id.* 24. *ibid.* 8. 29. (45). ictus scorpionum.

II.) Translate. *Cic. Rabir. Post.* 6. 13. Restinguere odium. *Id.* 1. *Fin.* 13. 43. omnium cupiditatum ardorem. *Id. Sext.* 21. 47. Animos hominum sensusque morte restingui. *Id.* 1. *Orat.* 51. 219. Eorum mentes, qui audiunt, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere. *Ter. Eun.* 1. 1. 22. Hæc verba (*irarum plena*) una mehercle falsa lacrimula Restinguet. *Id. Phorm.* 5. 7. 81. Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo, ut ne restinguas, lacrimis si exstillaveris. Cf. *Plaut. Trin.* 3. 2. 49. Si istuc, ut conare, facis indicium, tuum incendes genus. Tum igitur tibi aqua erit cupido, genus qui restinguas tuum. *Liv.* 28. 42. Velut ad commune restinguendum incendium concurrent. *Cic.* 1. *de republ.* 1. Non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent. *Id.* 11. *Fam.* 12. Non modo non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. *Id. Orat.* 8. 27. Restincta animorum incendia. *et* 1. *Divinat.* 30. *ad fin.* Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. cives, ferte opem et restinguite. *Plin.* 2. *Ep.* 11. Favor et misericordia acres et vehementes primos impetus habent, paullatim consilio et ratione, quasi restincta, considunt. *Cic. Orat.* 1. *extr.* Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. *Id.* 13. *Att.* 10. Cui quidem quamprimum agendum puto, præsertim si statuit. sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. *Sil. It.* 16. 618. Quo Martem aut quo signa trahis? restinguere primum est Ardentem Italiam. *h. e.* incendium, quo quasi aduritur, idest propulsare summum periculum, in quo versatur. *Id.* 13. 576. rabies restinguitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 17. (62). Cimices in potu datos haustas sanguisugas ab animalibus restinguere. *h. e.* necare. *Id.* 28. *ibid.* 19. 77. (252). Equi spuma illita, priusquam primum na-

scantur pili, restinguuntur. *Id.* 26. *ibid.* 10. 63. (98). Vim Veneris restinguit aqua mulsa. *Id.* 26. *ibid.* 1. 5. (8). Morbus celeriter restinctus. *Id.* 32. *ibid.* 10. 40. (119). Ignes sacros restinguunt ranarum ventres impositi. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (99). Restinguere nauseam silvestris lactucæ succo.

RESTĬO, ōnis, m. 3. (restis) *funaiuolo, funaio*, σχοινοπώλης aut σχοινοπλόκος, qui restes vendit, aut facit, funarius. *Fronto loc. cit.* in RESTIARIUS. *Sueton. Aug.* 2. *extr.* M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat restionem, avum argentarium. — *Restionem* inscripsit Laberius unum e mimis suis, teste *Gell.* 10. 17. et 16. 7. — *Plaut. Most.* 4. 2. 1. Illi erunt bucædæ multo potius, quam ego sim restio. *h. e.* ut mihi ad restim res redeat. jocus in verbis. Ita *Forcellinus:* at cl. *Furlanetto* in *Append.*: Restio est etiam, qui reste cæditur; et allatum *Plauti* locum his verbis interpretatus est: Multo potius erit, si illi bubulis coriis cædantur, quam ego cædar reste.

RESTĬPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. ἀντεπερώτησις, actus restipulandi. *Cic. Rosc. Com.* 13. 38. Quis est hujus restipulationis scriptor, testis, arbiter? Adde *Caj. instit.* 4. *p.* 759. *Goes.*

RESTĬPŬLOR, āris, ari, dep. 1. (re et stipulor) ἀντεπερωτάω, cum eo certo, a quo sponsione sum provocatus; idest vicissim stipulor, et mutuam sponsionem exigo. *Cic. Rosc. Com.* 13. 38. Quid hic porro nunc restipulatur, quod jam pridem ipse exegit? *Val. Max.* 2. 8. *n.* 2. Valerius sponsione Lutatium provocavit, non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa, nec dubitavit restipulari Lutatius. *Apul. de Mag. sub fin.* An ut eam dotem filiis suis magis restipularetur, quam penes me sineret? *h. e.* mihi quidem promitteret, se viva, sed, se mortua, me obligaret, ut filiis suis, quos ex priori marito susceperat, restituerem. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 182. 42. *Müll.*

RESTIS, is, f. 3. In quarto et sexto casu singulari duplicem positionem habet *restim* et *restem*, *resti* et *reste*, ut *ignis, puppis, turris* et alia multa, quæ *Priscian.* 7. *p.* 756. et 759. *Putsch.* enumerat. Quod vero ad notationem pertinet, *V.* Etymologos. — Restis est idem ac funis: nisi quod hic de crassioribus etiam dicitur, illa fere de tenuioribus, σχοῖνος, ἀγχόνη, ἐλλεδανός (It. *fune, corda, cordicella;* Fr. *corde;* Hisp. *cuerda, soga;* Germ. *d. Seil, Tau, Strick;* Angl. *a halter or cord, a rope or cable*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 22. *init.* Quæ nasci in fundo, ac fieri a domesticis potuerunt, eorum ne quid ematur, ut quæ fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes. *et ibid.* 23. *a med.* Serere cannabim, linum, juncum, spartum, unde lineas, restes, funes facias. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *sub init.* Farina aqua conspersa illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuslibet aliis restibus. Rursus *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. Jugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, restes, vites. *h. e.* quum vitis brachia in jugum alligantur restibus. *Inscript.* apud *Gruter.* 715. 10. *in fin.* ATIMETO LIB. CVIVS DOLO FILIAM AMISI RESTEM ET CLAVOM VNDE SIBI COLLVM ALLIGET. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 86. PS. Sed quid de drachma facere vir? CA. restim volo Mihi emere. PS. quamobrem? CA. qui me faciam pensilem. Certum est mihi ante tenebras persequi tenebras. *Id. Pers.* 5. 2. 34. Restim tu mihi cape crassam, ac suspende te. *Id. ibid.* 2. 4. 11. Cædĕre tu hodie restibus. *Lucilius* apud *Non.* 2. 868. Graballi restibu' tenti. *Juvenal.* 10. 58. descendunt statuæ, restemque sequuntur. *Plaut. Rud.* 4. 3. 97. Paullisper remitte restem, dum concedo et consulo. *h. e.* rudentem. *Juvenal.* 3. 126. Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus. *h. e.* ubi non fune, sed manu aqua hauritur. *Id.* 14. 272. *de schœnobate.* ancipiti figens vestigia planta, Victum illa mercede parat, brumamque, famemque Illa reste cavet. et *Marcell. Empir.* c. 29. *p.* 130. *init.* De reste ventrem circumcinxeris, de qua quis laqueo vitam finierit. — *b*) Specialim, *restim ducere* (κόρδακα ἕλκειν dixit *Aristoph.* in *Nub. v.* 540) dicuntur in saltationibus pueri et puellæ choros agentes manu velut reste conserti. Hujusmodi choros describit *Homer. Iliad.* 18. 594. Ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες. *Liv.* 27. 37. *sub fin.* Per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. *Ter. Adelph.* 4. 7. 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. *menerai la ridda.* Ibi *Donatus:* Lusus est natus ab eo fune, quo introductus equus durius in Trojam est, quum nexis manibus fune chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur: sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes, *restim ducere* existimari: et id maxime convenire ad exagitandam importunitatem senis, velut pueros imitantis. *V.* quinque puellas ita saltantes apud *Visc. Monum. Borghes. p.* 188. *tab.* XXV. — *c*) *Ad restim res rediit*, proverb., h. e. adeo perditæ sunt res, ut de suspendio cogitandum sit. *Ter. Phorm.* 4. 4. 4. Opera tua ad restim mihi quidem res rediit planissume. *sono a termine che mi bisognerà impiccarmi a dirittura.* *Cæcilius* apud *Non.* 3. 64. Ad restim res rediit. immo collus, non res. nam ille argentum habet. Huc pertinet illud *Martial.* 4. 70. Nil Ammiano præter aridam restem Moriens reliquit ultimis pater ceris. *h. e.* laqueum, quo se suspenderet. V. *Inscript. cit.* sub *a.* — *d*) *Colubra restem non parit*, aliud proverbium, h. e. non sunt dissimiles parentum filii. *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.*

RESTĬTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

RESTĬTO, as, are, n. 1. frequentat. a *resto.* — Particip. *Restitans* I. — Restito ¶ 1. Est idem ac sæpe, aut subinde resto, subsisto, ire recuso, remoror, *fermarsi, arrestarsi*, ἐφίσταμαι. *Ennius* apud *Non. p.* 147. 10. *Merc.* Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obgannuint. *Ter. Eun.* 4. 4. 1. Exi foras, sceleste! at etiam restitas, fugitive? *Plaut. Capt.* 3. 2. 2. ubi quisque vident, eunt obviam, Gratulanturque eam rem. ita me miserum restitando, retinendoque lassum reddiderunt. *Liv.* 30. 31. *a med.* Restitantem ac tergiversantem attrahere. *Id.* 7. 39. *ad fin.* Imperium atque honorem, aut, ubi restitaret, mortem, ni sequeretur, denunciantes. *Al. leg.* restaret. Adde *eumd.* 10. 19.; et V. *Drakenborch.* ad *Liv.* 6. 7. § 2. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50). *de leone.* Quamlibet magna canum et venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit. ¶ 2. Est etiam resistere, repugnare. *Ennius* apud *Rufinian. de fig. sent. et eloc.* § 11. *p.* 205. *Ruhnk.* Menelaus me objurgat? id meis rebus regimen restitat. *Al. leg.* restat.

RESTĬTOR, oris, m. 3. qui restat. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 91.

RESTĬTRIX, trīcis, f. 3. quæ restat, et in eodem loco remanet. *Plaut. Truc.* 4. 2. 5. Ego interim hic restitrix his præsidebo.

RESTĬTŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RESTĬTŬO, tŭis, tŭi, tūtum, tŭere, a. 3. (re et statuo). Particip. *Restituens* sub *B.* II. *a.*; *Restitutus* fere in omn. paragr.; *Restituturus* sub *B.* I. *a.* et II. *b.*; *Restituendus* sub *B.* I. et II. *b.* et *c.* — Restituo

A) Generatim est idem ac rursus statuo, rursus colloco, reficio, restauro, instauro, et universim in pristino loco aut statu repono, ἐπανορθόω, ἀνασκευάζω (It. *riporre o piantar di nuovo, rifare, rifabbricare, rimettere;* Fr. *replacer, remettre à sa première place, ou remettre en état, rétablir;* Hisp. *remeter, volver á meter las cosas donde estaban, restablecer;* Germ. *wiedersetzen, an d. frühere Stelle wiedersetzen, od. wieder in Stand setzen, wiederherstellen;* Angl. *to put or set up again, replace*).

I.) Proprie. — *a*) Est rursus statuo, rursus colloco, repono. *Virg.* 2. *G.* 270. Ut quo quæque (*arbor*) modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi, Restituant. *Cic.* 12. *Fam.* 25. Ut statua, quam turbo dejecerat, restitueretur. — *b*) Item reficio, restauro, instauro. *Cic. Topic.* 3. *a med.* Si ædes eæ corruerunt, vitiumque fecerunt, quarum usufructus legatus est, heres restituere non debet, nec reficere, non magis quam servum restituere, si is, cujus usufructus legatus est, deperisset. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Ipsos oppida vicosque, quos incenderant, restituere jussit. *Nepos Timoth.* 4. Muros ex hostium præda patriæ restituere. (Reperitur etiam pro exstruere, ædificare, *fabbricare*, apud *eumd. Themist.* 6. Idemque muros Atheniensium restituit præcipuo periculo suo. Ita *Forcellinus;* at sunt qui hunc locum sic interpretantur: *muros a Persis, tempore Darii, dirutos refecit*, instauravit, aut iterum exstruxit) *Vellej.* 2. 45. 3. Domus a Clodio disjecta, a senatu restituta. *Ter. Adelph.* 1. 2. 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (4). Senescunt prata: restituique debent faba in his sata, vel rapis, vel milio. *Inscript.* apud *Orell.* 3278. APODYTERIVM AD NOVITATEM R. *h. e.* restitutum. *rifabbricato in guisa da farlo creder nuovo.* Sic *inscript.* apud *eumd.* 3297. PRAETORIVM IN RVINAM COLLAPSVM AD NOVAM FACIEM RESTITVTVM. — *c*) Et universim in pristino loco aut statu repono. *Ovid.* 3. *Fast.* 16. turbatas restituitque comas. *Sall. Jug.* 51. Metellus ordines (*militum*) restituit. Sic *Liv.* 5. 18. *a med.* Aciem restituere. *h. e.* exercitum inclinantem ad fugam turbatosque ordines rursus colligere et in hostem dirigere. et *Sueton. Cæs.* 62. Inclinatam aciem solus sæpe restituit obsistens fugientibus retinensque singulos. — Huc pertinent et illa, in quibus restituere est corrigere, emendare, sanare. *Cic.* 2. *Divinat.* 46. 96. Illudne dubium est, quin multi, quum ita nati essent, ut quædam contra naturam depravata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, aut arte, aut medicina? *Cels.* 8. 20. Luxatum femur ex toto restituere. *h. e.* ita ut rursus ne excidat. *Sueton. Vesp.* 7. Restituere oculos. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 50. (89). Chelidonia hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum. Cf. *id.* 36. *ibid.* 21. 40. (152). Vertigines sedat, mentes commotas restituit. *et* 14. *ibid.* 18. 22. (118). Vina in apothecis Canis ortu mutantur quædam, posteaque restituuntur sibi. *ritornano.* *Id.* 8. *ibid.* 22. 34. (80). Homines in lupos verti rursumque restitui sibi. *rimettersi nella loro forma.* et 32. *ibid.* 10. 40. (119). Hæc curatio etiam pilos restituit. *fa rinascere.* Sic *Varro* 3. *R. R.* 16. *extr.* Quæ apes sic concaluerunt, restituunt se, reviviscunt, *si rianno, si rimettono.* Similiter *restituere aliquem a limine mortis* apud *Catull.* 68. 4. est *sottrarre, ritrarre, richiamare.* Sic *Sall. Orat.* 2. *in Cæs. de republ. ordin. sub fin.* Urbem prope jam ab occasu restituere. Et *Ovid.* 3. *Pont.* 6. 35. Adde quod exstinctos sub aqua, vel Marte, vel igni, Nulla potest iterum restituisse dies.

II.) Translate. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 4. 10. et 2. *Att.* 19., *Virg.* 6. *Æn.* 846., *Ovid.* 2. *Fast.* 242., *Liv.* 30. 26., et *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Unus homo nobis cunctando restituit rem. *rimise in piedi.* Adde *Liv.* 2. 12. Sic *Ter. Andr.* 3. 5. 13. Tu rem impeditam et perditam restituas? *tu potrai rimediare ad un negozio così imbrogliato e rovinato?* *Liv.* 6. 22. Rem temeritate ejus prolapsam restituit. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Adventu Cæsaris facta commutatione rerum, obsidibus Hæduis redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per Cæsarem comparatis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 14. Quæ post restitutam tribuniciam potestatem nemo attigit. *Liv.* 4. 38. *sub fin.* Restituitur omnibus locis pugna. *et* 6. 8. Imperator conspectu suo prœlium restituit. Cf. *Justin.* 35. 1. 10. Restituere bellum. *Sil. It.* 9. 4. 88. fusos — acri Restituit pugnæ. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. *sub fin.* Ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituit. *Val. Flacc.* 2. 69. Cereris tum munere fessas Restituunt vires, et parco corpora Baccho. *Varro* 1. *R. R.* 17. 7. Consolando eorum (*servorum*) restituat voluntatem ac benevolentiam in dominum. *Liv.* 35. 27. Quoniam satis et suorum a pudore maritimæ ignominiæ restituti animi et hostium conterriti essent, statuit etc. et *Plaut. Trin.* 1. 2. 79. Quid tu adolescentem, quem esse corruptum vides, qui tuæ mandatus est fidei et fidu-

ciæ, quin tu eum restituis? quin ad frugem corrigis? *rimetti sulla buona strada?*

B) Speciatim est reddere, reponere, referre, *restituire.*

I.) Proprie. — Absolute, vel cum Dativo, aut Accus. et præpos. *ad, in.* — *a*) Universim. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 120. MI. Paterna oportet reddi filio bona. Æquum est habere hunc bona, quæ possedit pater. HA. Haud postulo aliter: restituentur omnia. Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit. *Ter. Eun.* 1. 2. 67. Virginem cupio abducere, ut suis restituam ac reddam. *Liv.* 3. 68. Tribuni vobis amissa reddent ac restituent. *Cæs.* 3. *B. C.* 60. *in fin.* Quam maximas pecunias mutuati, perinde ac satisfacere et fraudata restituere vellent. *Id.* 2. *ibid.* 21. Bona restituit iis, quos etc. *Liv.* 2. 13. De agro Vejentibus restituendo impetratum. *Hor.* 4. *Od.* 15. 6. Et signa nostro restituit Jovi Direpta Parthorum superbis Postibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. *ad fin.* Hospitem ereptum e manibus hostium, sibi restitutum videbat. — *Restituere aliquem natalibus suis* apud *Ulp., Marcell., Scævolam,* cett. *toto tit.* 11. *lib.* 40. *Dig.* quid sit, *V.* in NATALIS. *Liv.* 24. 47. Arpi sine clade restituti ad Romanos. *Id.* 2. 13. *et* 40. Deos precantur, ut sospites brevi in patriam ad parentes restituant. Cf. *Cic. Dom.* 27. 71. Ad administrandam civitatem restitutus. *Cic.* 2. *Verr.* 4. Restituere provinciam in antiquum statum. *Id.* 10. *Fam.* 27. Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est. *Id. Cæcin.* 13. 36. Restituere aliquem in ædes suas. *Id.* 2. *Att.* 23. aliquem in locum, ex quo decidit. — *b*) Speciatim est idem atque ab exsilio in patriam reduco, *richiamar dal bando. Nepos Arist.* 1. *extr.* Sexto fere anno, postquam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. *Cic. Mil.* 14. 36. Quæ fuisset igitur causa restituendi mei, nisi ei fuisset injusta ejiciendi? *Id.* 2. *Phil.* 23. 56. Restituebat multos calamitosos. In his patrui nulla mentio. *Id. Dom.* 32. *a med.* Amplissimis omnium judiciis restitutus. *richiamato dal bando.* Sic *Sueton. Claud.* 12. Neminem exsulum nisi ex senatus auctoritate restituit. — *c*) Item speciatim ponitur pro reddere, h. e. producere, ferre. *Pallad.* 7. *R. R.* 5. *init.* Ramus punici poterit intra fictile vasculum claudi, ut ad ejus magnitudinem poma restituat. — *d*) Item pro præstare. *Ulp. Dig.* 5. 1. 67. Qui se dicit suis nummis redemptum esse, si hoc probaverit, exinde liber erit, ex quo redemptus est: quia constitutio non liberum pronunciari præcipit, sed restitui ei libertatem jubet. — *e*) Et pro dare, tradere. *Paul. ibid.* 11. 4. 14. *a med.* An cogi debet dominus restituere servum, et pretium servi accipere? *Ulp. ibid.* 19. 1. 13. *a med.* Quod ex operis servus præstitit venditori, emptori restituendum. Hinc *restituere* dicitur heres fiduciarius, seu fideicommissarius, cui hereditas ex testamento obvenit cum pacto, ut certo post tempore alteri tradat. Exempla passim occurrunt in *Digestis,* præsertim 36. *tit.* 1. Junguntur autem *reddere restituere* in illo *Scævolæ Dig.* 36. 1. 78. *ante med.* Fidei vestræ mando C. Sei et Lucia Titia, uti post obitum vestrum reddatis restituatis Titio et Sempronio semissem patrimonii et portionis ejus, quam vobis dedi. — *f*) In jure restituere est idem atque injurias rescindere et irritas facere, atque res et personas in pristino statu reponere, *riparare una ingiustizia, rimettere alcuno ne' suoi diritti ingiustamente lesi.* Hinc — *g*) Est verbum solemne prætoris, quo in interdictis utebatur, quæ *restitutoria* vocantur: et significat in eo statu rem ponere, quo antea fuit, sive faciendum sit aliquid, sive omittendum, sive reddere quippiam necesse sit, sive non, sive ædificare, sive destruere. *Cic. Cæcin.* 13. 36. Prætor interea tanta de re tacebit? qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam jubet etc. In *Edicto prætoris* apud *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. *a med.* Quod in via publica itinereve publico factum, immissum habes, quo ea via, idve iter deterius sit, fiat; restituas. *Id. ibid. ad fin.* Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit: quod fit, sive quis tollat id quod factum est, sive reponat, quod sublatum est. Adde *ibid.* 11. 1. *ad fin.* et 12. 1. *sub fin.* et *ibid.* 22. 1. *extr.* et *ibid.* 23. 1. et *ibid.* 25. 2., quibus locis similia edicta proponuntur. — *h*) Similiter *Cic.* 3. *Verr.* 26. 63. Fecerat hæc egregie primo adventu Metellus, ut omnes istius (*Verris*) injurias, quas modo posset, rescinderet et irritas faceret. Heraclium restitui jusserat; non restituebatur. — Epicrates quidem continuo est restitutus. Alia judicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panhormi restituta sunt. *Id. Dom.* 4. *a med.* In meam pristinam dignitatem restitutus. Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 22. Ut tribunos plebis in ea re ex civitate expulsos in suam dignitatem restitueres. *Nepos Timol.* 1. Restituere aliquid in pristinum. *Ter. Phorm.* 2. 4. 11. aliquid in integrum.

II.) Translate. — *a*) Cum Dativo. *Cic. Corn. fragm.* 19. *p.* 450. *Orell.* Ut anno XVI. post reges exactos recederent, leges sacratas ipsi sibi restituerunt. *Id. Dom.* 28. *ad fin.* Me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (51). Capitis ulcera manantia sanitati restituens. *Liv.* 25. 18. Restituere alicui animum. *rimettere il coraggio.* et *Cic. Rosc. Am.* 22. 61. Quæ quoniam te fefellerunt, Eruci *etc.* restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam. *h. e.* iterum age nobiscum callide et astute, ut solebas, quando adhuc oscitanter et remisse egisti. *Tac. Agric.* 15. Britanniam unius prœlii fortuna veteri patientiæ restituit. *rimise all'antica obbedienza.* — *Restituere se* est reconciliare apud *Catull.* 107. 5. Restituis cupido atque insperanti ipsa refers te. Sic *id.* 36. 2. mea puella Vovit, si sibi restitutus essem, etc. *h. e.* animo reconciliatus. Cf. *Liv.* 23. 7. Ut, interfecto Punico præsidio, restituerent se Romanis. *si unissero nuovamente ai Romani.* — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in. Plaut. Merc.* 5. 2. 4. Ne pave: restituam jam ego te in gaudia. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 11. Restituere aliquem rursus in gratiam. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. fratrem in antiquum locum gratiæ atque honoris. *Liv.* 28. 39. aliquem ex servitute in libertatem. *Id.* 31. 31. *extr.* Vobis restituendi vos in amicitiam pietatemque nostram fortuna oblata est. *Id.* 26. 24. Et Acarnanas, quos ægre ferrent Ætoli a corpore suo diremptos, restituturum se in antiquam formulam jurisque ac ditionis eorum. — *c*) Absolute. *Horat.* 4. *Od.* 7. 21. Quum semel occideris, et de te splendida Minos Fecerit arbitria, Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas. Sic *Ovid.* 11. *Met.* 134. Mite deûm numen Bacchus peccasse fatentem (*Midam*) Restituit. *Publil. Syr.* 520. ed. *Ribbeck.* Quam fama semel oppressit, vix restituitur. Apud *Q. Cic. Petit. cons.* 5. *ad fin.* Ut intelligant, nullum se unquam aliud tempus habituros restituendæ gratiæ. Alii *rectius leg.* referendæ.

H o m o n y m. Hoc differunt inter se *reddere* et *restituere,* quod reddere est acceptum et ablatum vel abductum retro dare; *restituere* vero est amissa et alienata aut immutata ad priorem dominum atque statum pristinum reducere. *Ter. Eun.* 1. 2. 66. Præterea ut suis r e s t i t u a m ac r e d d a m. *h. e.* ut virginem servam in libertatem restituam et abductam reddam. *Liv.* 3. 68. Tribuni vobis amissa r e d d e n t ac r e s t i t u e n t. *Gell.* 3. 8. Captivosque omnes, quos tunc habuerint, r e s t i t u i s s e et r e d d i d i s s e. Sed hoc discrimen non usquequaque servatur.

RESTĪTŪTĬO, ōnis, f. 3. est

A) Generatim, actus restituendi, instauratio, refèctio, *ἀποκατάστασις, il rimettere.*

I.) Proprie. *Sueton. Aug.* 57. Pecuniam conferre in restitutionem domus incendio absumptæ. *Id. Tib.* 47. Restitutio Pompejani theatri. *Id. Vesp.* 8. Ipse Capitolii restitutionem aggressus. *Justin.* 2. 14. 2. Restitutio urbis in majus. *Inscript.* apud *Gruter.* 1067. 4. MINERVAE MEMORI TVLLIA SVPERIANA RESTITVTIONE FACTA SIBI CAPILLORVM. *Sueton. Tit.* 8. Bona oppressorum in Vesuvio, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatium attribuit. *a migliorarne le tristi condizioni.*

II.) Translate. *Sueton. Ner.* 4. Spondere alicui pristinæ fortunæ restitutionem. *Val. Max.* 4. 1. *n.* 4. *extern.* Victoria insignis restitutione libertatis. *Arnob.* 6. *p.* 196. Luna semper in motu est, et ter denas facies in restitutione accipit menstrua. Cf. *Vulgat. interpr. Act.* 3. 21. Quem (*Jesum Chr.*) oportet quidem cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.

B) Speciatim. — *a*) Universim est redditio, *restituzione. Cajus Dig.* 50. 16. 22. Plus est in restitutione, quam in exhibitione. nam exhibere est præsentiam corporis præbere: restituere est etiam possessorem facere fructusque reddere. *Ulp. ibid.* 36. 1. 1. *circa med.* et *ibid.* 6. Restitutionem facere. — *b*) Speciatim in jure est actus in priorem locum aut statum reponendi, reparatio. *Sueton. Oth.* 2. Damnatum repetundis consularem virum, priusquam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitavit in Senatum ad agendas gratias introducere. Adde *Cic.* 2. *leg. Agr.* 4. 10. Rursus *Cic. Pis.* 15. *a med.* Nemini est triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta. *h. e.* revocatio ab exsilio. Adde *Quintil.* 7. 1. 42.

RESTĪTŪTOR, ōris, m. 3. qui restituit.

I.) Proprie. *Liv.* 4. 20. Augustus Cæsar templorum omnium conditor, aut restitutor. *rifabbricatore, riparatore.* Cf. *inscript.* apud *Orell.* 1103.

II.) Translate. *Cic. Mil.* 15. 39. P. Lentulus ultor sceleris illius, propugnator Senatus, restitutor salutis meæ. *Eumen. Grat. act. ad Constantin.* 4. Restitutor reipublicæ. *Vopisc. Aurel.* 9. Me (*Aurelianus*) liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor. Adde *Quintil.* 7. 1. 43. et *inscript.* apud *Orell.* 1071. et 1084.

RESTĪTŪTŌRĬE, adverb. *et*

RESTĪTŪTŌRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

RESTĪTŪTŌRĬUS, a, um, adject. ad restituendum pertinens, ut Restitutorium interdictum, *Ulp. Dig.* 43. 1. 1. judicium, *Cajus ibid.* 3. 3. 46. Restitutoria actio. *Julian. ibid.* 2. 10. 3. § 1. — Et absolute *Restitutorium, ii,* substantivorum more, apud *Ulp. ibid.* 27. 6. 7. Sumptus, quos facturus est actor restitutorio agendo. *h. e.* judicio restitutorio. Est qui leg. *restitutorie. V.* RESTITUO *B.* I. *g.*

RESTĪTŪTRIX, trīcis, f. 3. *restitutrice,* quæ restituit. *Apul. Trismeg. sub init.* Terra sola in se ipsa consistens, omnium est receptrix, omniumque generum, quæ accipit, restitutrix.

RESTĪTŪTUS, a, um, particip. *V.* RESTITUO; et cognom. *V.* in ONOM.

RESTO, stas, stĭti *et* stāvi, stare, n. 1, (re *et* sto). Perf. *Restavi* est *Augustin. Serm.* 112.; *Restaverit* est *Propert.* 2. 23. 53. — Particip. *Restans* 2. et 3. — *Resto* fere usurpatur in præterito *restiti,* quod commune habet cum *resisto;* et ¶ 1. Est idem ac subsisto, remaneo, resideo, restito, remoror, *ἐφίσταμαι* (It. *fermarsi, restare, rimanere*; Fr. *rester en arrière, s'arrêter, rester*; Hisp. *quedarse, cesar de andar, quedar, estarse*; Germ. *zurückbleiben, zurück stehen bleiben, still stehen*; Angl. *to stand still, stay, stand, stop, remain*). *Pacuvius* apud *Non. p.* 77. 25. *Merc.* Si resto, pergit, ut eam; jam si ire conor, prohibet betere. *Cic.* 4. *Cat.* 2. 4. Tenentur ii, qui ad Urbis incendium, ad vestram omnium cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ restiterunt. *Liv.* 26. 3. Quum effuse omnes fugerent, se quoque turba ablatum, quid autem solum se restantem prodesse reipublicæ potuisse? — *Restat* pro distat (*resistit* legendum conjicit *Goth.*, ut apud *Non. p.* 378. 27. *Merc. Gell.* 1. 22. sed non recte. *Müll.*) ait (*Verrius*) Ennium ponere, quum is dicat, Impetus haut longe mediis regionibu' restat. Hæc *Festus p.* 285. 1. *Müll.* Sed *restat* est restitat, et retro manet. *si ferma e resta indietro*: ex quo fit, ut ab aliis progredientibus magno intervallo distet. — Et figurate *Propert.* 2. 25. 18. amor Restat, et immeritas sustinet aure minas. *sta saldo,* firmus manet. ¶ 2. Item adversor, re-

luctor, obnitor, repugno, resisto, *resistere, star saldo, far resistenza. Ter. Heaut.* 5. 3. 7. In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? *Propert.* 3. 6. 31. Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector. *Ennius* apud *Fest.* in *Sibinam.* Illurii restant sicis sibinisque fodantes. *Sil. It.* 6. 124. tuus ille parens decora alta paravit Restando adversis. *Ovid.* 2. *Fast.* 749. Postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 520. *Müll.* Et Diponem validam urbem multos dies restantem pugnando vicit. *Ovid.* 3. *Met.* 626. Is mihi dum resto, juvenili guttura pugno Rupit. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 411. *Sil. It.* 10. 25. Nunc in restantes mucronem comminus urget, Nunc trepidos ac terga mala formidine versos Assequitur telis. Adde *Lucret.* 1. 111.; item multa *Livii* loca apud *Drakenborch.* ad 4. 58., in quibus alii aut *restito*, aut *resisto* legunt. — Passive impersonaliter. *Liv.* 34. 15. Ut qua minima vi restatur, ea parte irrumpat. Alii leg. *resistitur*, vel *resistatur*. — De rebus, *restare* dicuntur, quæ firma manent, et non cedunt. *Lucret.* 2. 449. Duri robora ferri, Æraque, quæ claustris restantia vociferantur. Sic *Sil. It.* 7. 129. impasta truces ululatus turba luporum Exercet, morsuque quatit restantia claustra. (*Id.* 13. 108. quateretque morantia claustra.) *Tac.* 3. *Ann.* 46. Restantibus laminis adversum pila et gladios. ¶ 3. Est etiam superesse, reliquum esse, *restare. Ter. Adelph.* 3. 3. 90. Quam gaudeo! ubi etiam hujus generis reliquias Restare video, vivere etiam nunc lubet. *Cic. Marcell.* 9. 27. Hæc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus. *Id. Senect.* 14. 46. Ego vero conviviis delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum. *Id.* 3. *Off.* 2. *a med.* Qui e divisione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. *Virg.* 4. *Æn.* 324. hoc solum nomen de conjuge restat. *Ovid.* 6. *Fast.* 795. Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis. *Id.* 3. *Amor.* 9. 59. Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen et umbra Restat. *Virg.* 1. *Æn.* 679. Dona ferens pelago et flammis restantia Trojæ. *Id.* 2. *ibid.* 70. quid jam misero mihi denique restat? *Cic.* 3. *Cat.* 10. *extr.* Quum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitæ cædi restitisset. *fosse sopravanzato da un' infinita strage.* et *id. Sull.* 26. *sub fin.* Studia amicorum, quæ ei sola in malis restiterunt. *Ovid.* 3. *Met.* 687. De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat) Restabam solus. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 28. Omnes composui. Felices! nunc ego resto; Confice. *Pers.* 3. 97. jam pridem hunc sepeli: tu restas. — Sequente *ut. Cic. Quinct.* 9. *a med.* Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, ut te in jus adducerent. *Id.* 2. *Nat. D.* 16. *ad fin.* Restat igitur, ut motus astrorum sit voluntarius. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 20. Quod quum ita esse invenero, quid restat nisi porro ut fiam miser? *Horat.* 1. *Ep.* 1. 27. Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis. — Cum Infinito. *Ter. Phorm.* 1. 2. 35. Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere. *Lucret.* 5. 227. Cui tantum in vita restat transire malorum. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 27. Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus. *Ovid.* 1. *Met.* 700. restabat verba referre. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 40. Restat Bactra novis, restat Babylona tributis Frenari. — Pleonasmus est in his, non tamen vitiosus. *Virg.* 11. *Æn.* 160. vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor. *Plaut. Cist.* 1. 3. 40. Nunc quod reliquum restat, volo persolvere. Sic *Ter. Hecyr.* 4. 1. 11. Ne mea præsentia obstet, nec causa ulla restet reliqua Quin tua Philumena ad te redeat. *Liv.* 10. 16. Unam sibi spem reliquam in Etruscis restare. ¶ 4. Quum de futuro tempore agitur, est imminere, manere aliquem. *Cic.* 5. *Verr.* 89. 208. Placet (*vobis*) socios sic tractari, quod restat, ut per hæc tempora tractatos videtis? *che siano trattati per l'avvenire.* — *Restat hoc mihi*, manet me, inquit *Servius* ad illud *Virg.* 7. *Æn.* 270. generos externis adfore ab oris, Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum Nomen in astra ferant.

RESTRICTE, adverb. Comp. *Restrictius* et Sup. *Restrictissime* 1. — Restricte ¶ 1. Est stricte, arcte, anguste, *ristrettamente*, στενῶς, συνοχηδόν. *Cic.* 2. *Fin.* 13. *a med.* Parce et restricte facere aliquid. *Nazar. Paneg. Constant.* 15. Qui refrenandis cupiditatibus restricte contenteque vixerunt. *Augustin.* 3. *Doctr. Chr.* 12. Rebus prætereuntibus restrictius uti. *Plin.* 5. *Ep.* 8, *sub fin.* Tum si laudaveris, parcus; si culpaveris, nimius fuisse dicaris: quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris. ¶ 2. Item est accurate, severe, *esattamente, rigorosamente. Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Sed ego cetera non tam restricte præfinio. *Id. Amic.* 16. 58. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Divitior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit.

RESTRICTIM, adverb. idem ac restricte. *Afranius* apud *Non. p.* 516. 8. *Merc.* Eaque firme sedere melius consultoribus Quam restrictim cogitata atque omnibus rationibus. *h. e.* multum diuque, subtiliter.

RESTRICTĬO, ōnis, *f.* 3. *restrizione*, actus restringendi. *Augustin. Mor. Eccl. Cathol.* 31. *a med.* Necessario victui redundat plurimum ex operibus manuum et epularum restrictione. *ristringimento, parsimonia, frugalità.* Adde *Chalcid. Tim.* 3. — Apud medicos est alvi duritia, *stitichezza. Plin. Val.* 5. 42. Omne legumen, quod restrictionem facit. Cf. *Seren. Sammon.* 28. 519.

RESTRICTUS, a, um, particip. *V.* RESTRINGO.

RESTRĬGO, as, are, n. 1. iterum strigo, interquiesco. *Seneca Ep.* 31. *ante med.* Surge et restriga, et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. *Alii rectius leg.* inspira.

RESTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (re et stringo). Particip. *Restrictus A.* 1. et *B.* et in fin. — Restringo duo diversa significat; scilicet

A) Est idem quod stringo, adstringo, constringo, arcte religo, presse revincio, ἀνασπέλλω (It. *stringere, legare strettamente;* Fr. *serrer étroitement, attacher fortement, resserrer*, Hisp. *legar estrechamente, atar ó enlazar fuertemente, restringir;* Germ. *straff od. fest zurückziehen, zuziehen, einziehen, zubinden, festbinden;* Angl. *to bind hard or tight, tiefast*).

I.) Proprie sæpissime occurrit Particip. præter. pass. *Horat.* 3. *Od.* 5. 35. Qui lora restrictis lacertis Sensit iners. *Catull.* 64. 296. Prometheus silici restrictus membra catena. *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burmann.* Restrictis manibus anulos de pavimento conabantur Tollere. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (16). Restrictis ad terga manibus. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Vinculum fasciæ in modum laquei ad arcum sellæ restrictum. — Ceterum *id.* 14. *ibid.* 64. Puella restringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur. *Apul. Florid. n.* 17. Quid si manus manicis restringantur, pedes pedicis coarctentur? *Quintil.* 11. 3. *a med.* Lævam restringere, prolata longius dextra, est odiosum. *h. e.* retrahere. *Stat.* 6. *Theb.* 814. tunc vix ambo conatibus ambas Restringunt cohibentque manus. *h. e.* corripiunt, retinent, impediunt, ne feriant. — Huc referri potest et illud *Tertull. Apolog.* 20. *a med.* Cæcos reluminare, leprosos purgare, paralyticos restringere. *rassodare*, resolutos artus quasi revincire et firmare.

II.) Translate est coercere, *restringere. Seneca* 1. *Benef.* 4. Ne liberalitatem hæc ipsa observatio restringat, dum temperat. et *Plin.* 1. *Ep.* 8. *circa med.* Quum omnes homines ad custodiam pecuniæ natura restrinxerit. *Id.* 6. *ibid.* 19. Restringere sumptus candidatorum. *Id.* 5. *ibid.* 19. *extr.* Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 6. Iratos incensosque ad ulciscendos animos restringere *trattenere. Tac.* 16. *Ann.* 16. Patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum et mœstitia restringunt. *Apul. de Mundo.* Quanto improvisior nimbi præcipitatio est, tanto breviore casu restringitur. *h. e.* contrahitur, et parum durat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 97. (154). Myrrhis phalangiorum morsus restringit. *h. e.* coercet, ne altius descendant, et latius serpant. Adde 23. *ibid.* 7. 63. (119). *At* Sillig. *utrobique leg.* restinguere. *Augustin. Serm.* 43. Terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, ut restringerent carnis lasciviam. *h. e.* cohiberent.

B) Est etiam laxare, diducere, solvere, aperire, *allargare, aprire, sciogliere. Plaut. Capt.* 3. 1. 25. Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier. Saltem si non arriderent, dentes ut restringerent. *Lucret.* 2. 406. Proptereaque solere vias restringere nostris Sensibus, introituque suo perrumpere corpus. *Alii leg.* rescindere. *Ovid.* 12. *Met.* 542. quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis restringere luctus? *h. e.* renovare, quasi rursus aperto vulnere, quod coierat. Alii leg. *rescindere.* Quidam addunt ex *Apul. Met.* hæc verba, quæ ego nondum reperi: Jumentum restrinxit abireque liberum stabulo sivit. — Similiter Particip. *Restrictus* est laxatus, diductus, ut *reseratus* est apertus, *retectus* detectus. *Apul. Apolog. in carm.* Misi, ut petisti, mundicinas dentium *etc.* Ne qua visatur tetra labes sordium, Restrictis forte si labellis riseris. *Quintil. declam.* 12. 27. Restrictis labris morsus abrupimus. — Hinc Particip. prætet. pass., cujus exempla retulimus,

Restrictus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Restrictior* I. et II.; et Sup. *Restrictissimus* II.

I.) Proprie est strictus, adstrictus, *stretto, ristretto*, ἀνασταλθείς. *Sueton. Domit.* 18. Pulcher ac decens toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat. *Id. Aug.* 73. Togæ neque restrictæ, neque fusæ. *Seren. Sammon.* 28. 519. Restricta alvus. *stitico.*

II.) Translate ¶ 1. Est angustus, definitus, *ristretto, limitato. Plin.* 9. *Ep.* 19. *ad fin.* An restrictius arbitraris, per orbem terrarum legendum dare, duraturam memoriam suam, quam uno in loco duobus versiculis signare quod feceris? ¶ 2. Item parcus, avarus, tenax. *Cic.* 10. *Att.* 11. An existimas illum in isto genere (*solvendi*) lentulum aut restrictum? *Id.* 2. *Off.* 18. 62. In his qui se adjuvari volent, restricti omnino esse nullo modo debemus. *Id.* 3. *Fam.* 8. *ad fin.* Quum natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior. *Id. Planc.* 22. 54. Restrictum et tenacem esse. ¶ 3. Item severus, rigidus. *Tac.* 15. *Ann.* 48. *extr.* Summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt. *Apul. Florid. n.* 23. Judicatio restrictior. *Spartian. Carac.* 2. Gressus vero pueritiam-restrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus est. *Ammian.* 23. 6. 78. Immane quantum (*hi populi*) restricti et cauti, ut inter hostiles hortos gradientes non numquam et vineta, nec cupiant aliquid nec contingant. *Ambros.* 1. *Off.* 3. Sermo restrictior. *Arnob.* 7. *p.* 135. Restrictiores in numero deorum. *Cod. Justin.* 1. 17. § 10. Restrictissimis regulis.

RESTRUCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RESTRŬO, strŭis, struxi, structum, struere, a. 3. (re et struo). Particip. *Restructus* I. — Restruo est idem atque iterum exstruo, restituo.

I.) Proprie. *Tertull.* 1. ad *Nation.* 10. *ante med.* Varro commemorat, statuas dejectas non nisi per vim popularium restructas. *Id. Apolog* 6. *sub fin.* Licet Serapidi aras restruxeritis.

II.) Translate. *Tertull. Resurr. carn.* 31. Ita et Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat.

RESŪDANS, antis, particip. *V.* RESUDO.

RESŪDĀTĬO, ōnis, f. 3. exsudatio, sudoris aut liquidi emissio. *Cæl. Aurel. signif.* 79. Quot sunt differentiæ sanguinis fluoris? tres: eruptio, vulneratio, resudatio.

RĔSŪDO, as, are, 1. (re et sudo). Particip. Resudans — Resudo

A) Neutrum verbum, est idem atque exsudo, trasudare. Curt. 5. 1. 12. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. Id. 7. 10. 3. Quum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore.

B) Active est liquidum aliquid emittere. Prudent. Apoth. 787. crudus conviva resudat Congeriem ventris. Id. 10. Cathemer. 405. Morbus pestifer Sua tunc tormenta resudans Luet inter vincula mille.

RĔSULCANS, antis, particip. V. voc. seq.

RĔSULCO, as, are, a. 1. (re et sulco) risolcare, rursus sulco. Venant. 3. Vit. S. Martin. 162. dumosa novalia purgans, Proscindens, iterans bis terque quaterque resulcans. Prudent. 5. περὶ στεφ. 141. Præsicca rursus vulnera, dum se cicatrix colligit, Manus resulcans diruet. h. e. iterum radens, deglubens, aperiens.

RĔSULTANS, antis, particip. V. RESULTO.

RĔSULTĀTIO, ōnis, f. 3. actus resultandi.

I.) Proprie. Cassiod. 2. Variar. 40. a med. Concavæ citharæ blanda resultatio. Adde Augustin. Ep. 109. ubi resultatio et manatio opponuntur. Ambros. 3. Hexaem. 5. § 11. Quam grata et consona resultatio. Id. in Psalm. præf. § 9. Clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio.

II.) Translate. Cassiod. 2. Variar. 24. Non decet inde signum resultationis exire, unde exemplum potuit exsultationis effulgere. h. e. non decet vos, senatores, tributa recusare, qui exemplo aliis esse debetis.

RĔSULTĀTOR, ōris, m. 3. qui resultat, seu adversatur. Cassiod. in Psalm. 9. 27. In ore habebit amaritudinem, quando resultatoribus suis pœnam mortis indicet. Cf. 5. Hist. Eccl. 11. in voc. seq.

RĔSULTO, as, ātum, are, 1. frequentat. a resilio. — Particip. Resultans in omnibus paragr.; Resultaturus I. 1. — Resulto est idem ac retro salto, resilio, reflector, ἀναπηδάω (It. risaltare; Fr. sauter en arrière, rebondir, rejaillir; Hisp. saltar hácia arriba, rebotar, recudir, resaltar; Germ. zurückspringen, -prallen; Angl. to leap back, rebound).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Virg. 10. Æn. 330. tela partim galea clipeoque resultant Irrita. Sic Sil. It. 2. 244. arma fragore Icta gravi raucum gemuere, alteque resultant Ære illisa cavo nodosæ pondera clavæ. Petron. Sat. 89. Unda resultat scissa. Lucret. 2. 96. de corporib. Sed magis assiduo varioque exercita motu, Partim intervallis magnis conflicta resultant. Seneca Hippol. 1093. illisum caput scopulis resultat. Sidon. 8. Ep. 12. a med. Hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus te exspectat. Quintil. 12. 2. 11. Aqua objectu lapillorum resultans. Plin. 2. Hist. nat. 44. 44. (115). Concavi vallium sinus scindunt inæqualiter resultantem aerem. h. e. aerem, ex quo Echo. ¶ 2. Speciatim resultare dicuntur loca, quæ sonum reddunt, sive quia sono percussa resilire videntur quodammodo, et contremere, sive quia sono ipso resiliente resonant ac respondent, echeggiare, risonare, rimbombare. — 1.°) Stricto sensu, seu proprie de sono. Virg. 4. G. 50. ubi concava pulsu Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago. Plin. 11. Hist. nat. 19. 21. (65). Inimica est apibus echo resultanti sono. Id. 2. ibid. 80. 82. (193). Murmur grassans in angusto, idem raucum in recurvis, resultans in duris. Huc referri potest et illud Ammian. 31. 1. 2. Post multa enim, quæ vates auguresque prædixere veridice, resultabant canes ululantibus lupis. — 2.°) Latiore sensu, seu figurate de locis. Virg. 5. Æn. 150. et 8. ibid. 305. pulsati colles clamore resultant. Tac. 1. Ann. 65. Quum barbari læto cantu, aut truci sonore subjecta vallium ac resultantes saltus complerent. Plin. Paneg. 73. Resultantia vocibus tecta. Stat. 2. Theb. 714. oranti nox, et juga longa resultant. Adde Martial. 9. 70., et Claudian. 3. Rapt. Pros. 389. — Similiter Ammian. 20. 11. 21. Jamque resultantibus armis et tubis uno parique ardore hinc indeque pugnabatur. Adde eumd. 19. 6. 10. — Et cum Accusativo. Apul. 5. Met. Saxa cautesque parilem sonum resultarent. Calpurn. Ecl. 4. 5. Carmina jam dudum, non quæ nemorale resultant. Capell. 1. p. 2. Nec liquet, Hymenæo prælibante, disposita (carmina) nuptias resultare.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora ducta a super. paragr. 1. Quintil. 9. 4. 66. Ne brevium (syllabarum) contextu (verba) resultent ac sonum reddant pæne puerilium crepitaculorum. saltellino. Sic pronunciatio resultans, varia, inconstans crebra mutatione vocis, non æquabilis aut moderata. Quintil. 11. 3. 183. et 9. 4. 83. de rhythmo. Et illud, ubi opus est velocitate, tardum et segne; et hoc ubi pondus exigitur, præceps ac resultans. ¶ 2. Est etiam aptari, accommodari. Plin. 8. Ep. 4. Nonnullus et in illo labor, ut barbara et fera nomina - Græcis versibus non resultent. non si adattino alla misura, non possano aver luogo nel verso. ¶ 3. Item significat adversari, obsistere alicui. Cassiod. 5. Hist. Eccl. 11. Judæi tentabant resultare Romanis. Adde eumd. 11. ibid. 4. et Imppp Gratian. Valentin. et Theodos. Aug. Cod. Theod. 12. 89.

RĔSUM, ees, efŭi, eesse, anom. (re et sum) revera, reapse sum. Cic. Scaur. 8. (edente A. Maio in Class. Auct. T. 2. p. 294.) Num igitur in his criminibus resit etiam aliqua suspicio? Henrichius putat legendum residet etiam, quod amplexus est et Peyronius; Maius vero scribit residet jam: at nihil esse immutandum ex sequentibus apparet. Cic. (ex Cod. palimps. ab A. Maio edito in Class. auct. T. 2. p. 434.) 2. Verr. 58. Non opinor, reesset dubium quin eum, quum id planum fieret, condemnari necesse esset. Pro reesset editiones habent esset. Virg. Maron. gramm., qui, ut conjicit A. Maius sæculo sexto vixit, in Epit. 10. (edente eod. Maio in Class. auct. T. 5. p. 142.) Multa verba sunt, quæ personis deficere videntur. Siquidem verbum invenimus, quod prima caret persona, rees, reest; nam resum, resumus Latinus sermo non profert: sensus autem hujus verbi hic est, reesse, hoc est in munitione multo tempore residere, Gratiano dicente: Campari, multis in arce reerant annis. Not. Tir. p. 7. Præfuit, interfuit, refuit. Hucusque cl. Furlanetto in Append.

RĔSŪMENS, entis, particip. V. voc. seq.

RĔSŪMO, sūmis, sumpsi, sumptum, sūmere, a. 3. (re et sumo). Particip. Resumens II.; Resumptus I. et II.; Resumpturus I.; Resumendus II. — Resumo est iterum sumo, ἀναλαμβάνω (It. ripigliare, riprendere, riassumere; Fr. reprendre, ressaisir, retrouver, recouvrer; Hisp. volver á tomar, tomar de nuevo, recobrar; Germ. zurück-wiedernehmen, wiedererhalten, wiederannehemen; Angl. to take up again, take again, resume).

I.) Proprie. Ennius apud Varron. 5. L. L. 64. Müll. de Terra. Hæc enim terris gentes omnes peperit et resumit denuo. h. e. recipit. Ovid. 9. Met. 523. culpatque, probatque tabellas, Inque vicem sumptas ponit, positasque resumit. Id. 4. ibid. 664. Resumptæ pennæ. Plin. Paneg. 61. a med. Modo prætextas exuerant: resumant. Quintil. 10. 1. 20. et 4. Librum perlectum resumere in manus ex integro. Plin. 7. Ep. 9. extr. Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex his scribis? Tac. 4. Hist. 76. Resumpturus arma, si metus abscesserit. Sueton. Ner. 24. Quum elapsum baculum cito resumpsisset, etc.

II.) Translate. Ovid. 9. Met. 192. nec profuit Hydræ Crescere per damnum, geminasque resumere vires. et Justin. 20. 5. init. Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes. Plin. Paneg. 66. Universos adhortatus es resumere libertatem. et ibid. 79. Consularibus curis exsolutus, principales resumpsit. Justin. 6. 4. init. Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, et Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Claudian. 2. in Rufin. 141. redit in rabiem, scelerumque immane resumit Ingenium. Stat. 6. Theb. 11. Resumere gemitus. Sueton. Ner. 41. nomen. Id. Aug. 78. somnum. Id. Vitell. 15. animum. Seneca Herc. Œt. 25. animam. risuscitare. Vulgat. interpr. Judith 13. 30. spiritum. rinvenire. Plin. 2. Ep. 18. Beneficio tuo in scholam redeo, et illam dulcissimam ætatem quasi resumo: sedeo inter juvenes, ut solebam, etc. Tac. 8. Hist. 67. Resumpta militia. et 5. ibid. 8. dominatio per arma. Id. 4. ibid. 37. sacramentum. Id. 12. Ann. 15. Resumere hostilia. Id. 2. Hist. 41. pugnam. Id. 3. Ann. 6. voluptates. — Resumere ægrotum apud Cœl. Aurel. 2. Acut. 1. 3. et 3. Tard. 7. 91. est reficere, refocillare, recreare. Sic eidem Cœl. Aurel. 2. Acut. 18. resumptus æger est cibo refectus, refocillatus.

RĔSUMPTIO, ōnis, f. 3. actus resumendi. ¶ 1. Est figura rhetorica, quæ dicitur etiam epanalepsis, seu sententiæ repetitio. Jul. Rufinian. de schem. lex. 5. p. 66. ¶ 2. In re medica est recreatio, refectio. Cœl. Aurel. 2. Acut. 27. ad fin. Erit implenda resumptio usque ad perfectionem desideratam. Adde eumd. 4. Tard. 3. 44.

RĔSUMPTĪVUS, a, um, adject. ad resumendum, seu recreandum et refocillandum pertinens. Cœl. Aurel. 4. Tard. 3. a med. Resumptiva virtus. Id. ibid. 3. ante med. odoramentum. Id. 2. ibid. 1. a med. cyclus.

RĔSUMPTŌRĬUS, a, um, adject. resumptivus, ut Resumptoria adjutoria, Cœl. Aurel. 3. Acut. 8. ad fin.

RĔSUMPTUS, a, um, particip. V. RESUMO.

RĔSŬO, sŭis, sūtum, sŭere, a. 3. (re et suo) scucire, sdrucire, dissuo. Sueton. Aug. 94. Sumenti virilem togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte, ad pedes decidit. h. e. vel suturis resolutis, vel nodis, aut fibulis, quibus in humeris jungebatur, dissuta et divisa. — Est etiam in Not. Tir. p. 136. Suit, exsuit, resuit. quod Forcellinus interpr. iterum suo; sed huic interpretationi Quicherat. non adstipulatur.

RĔSŪPĪNĀTUS, a, um, particip. V. RESUPINO.

RĔSŪPĪNĀTUS, us, m. 4. supinatio. Plin. 9. Hist. nat. 20 36. (72). Resupinatus dexter soleis est, passeri lævus. Alii leg. resupinatis.

RĔSŪPĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et supino). Particip. Resupinatus I.; Resupinandus I. — Resupino est idem ac retro supino, retro et sursum reflecto, ita colloco aut verto, ut supinus sit, aut jaceat, ὑπτιόω (It. rivoltare all'insù; Fr. tirer en arrière, faire pencher en arrière, renverser, jeter à la renverse, étendre sur le dos; Hisp. echar ú extender hácia atras ú de espaldas; Germ. zurückbeugen, -wenden, -drehen; Angl. to turn or raise upwards, lay one on his back).

I.) Proprie. Ter. Phorm. 5. 6. 23. Puer ad me adcurrit, Mida, Pone apprehendit, alio, resupinat: respicio. mi tira rivescio, mi fa rivoltare indietro. Liv. 4. 19. Assurgentem ibi regem umbone resupinat. fa cader riverso. et Stat. 9. Theb. 311. Te quoque sublimi trasnantem flumina curru, Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademptis Dorica cuspis equis. Plin. 24. Hist. nat. 17. 102. (162). Hac herba admota, leones resupinati cum hiatu laxo. Cels. 7. 16. Resupinandus autem homo est, etc. Juvenal. 8. 175. Et resupinati cessantia tympana Galli. h. e. qui præ ebrietate, vel desidia, aut mollitie resupinus jacet. Cels. 7. 14. Resupinatum corpus. Seneca Ep. 123. post med. Qui per pronum eunt, resupinant corpora: qui in arduum, incumbunt. piegano all'indietro. et Quintil. 11. 3. ante med. Nares plana manu resupinare, indecorum est. Plin. 10. Hist. nat. 34. 52. (105). Proprium turturum colla non resupinare, quum bibunt. et ibid. 46. 63. (129). Bibunt aves, quibus longa colla, intermittentes, et capite resupinato velut infundentes sibi. Id. 9. ibid. 30. 48. (91). Polypus si invertatur, elanguescit vis, exporrigunt enim se resupinati. — Obscœnam sententiam habet illud Juvenal. 3. 112. aviam resupinat amici. Qui aulam legunt, non facile defendunt. — Pro evertere, prosternere retro im-

pellendo, *riversare*. *Propert.* 4. 8. 51. Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas. — *Resupinatus* universim est etiam retrorsum pandus, reflexus, recurvus. *Cels.* 8. 1. *a med.* Os coxarum ab exteriore parte gibbum, ad spinam resupinatum. *Vitruv.* 3. *sub fin.* Quo longior visus lineæ in superiorem partem procedit, resupinatam facit ejus speciem.

II.) Translate. *Accius* apud *Non. p.* 165. 4. *Merc.* Quid agis? perturbas rem omnem ac resupinas soror. *h. e.* pervertis. *Seneca* 2. *Benef.* 13. Libet interrogare, quid tantopere te resupinet. *h. e.* superbum faciat, caput attollendo et pectus projiciendo. *andar tronfio, o pettoruto.* Alii leg. *supinet.*

RĔSŬPĪNUS, a, um, adject. (re *et* supinus) idem ac supinus, id est ita procumbens, ut pars corporis anterior sursum, posterior deorsum spectet, ὕπτιος (It. *supino con la faccia insù;* Fr. *penché en arrière, qui se renverse, renversé, couché sur le dos, couché*; Hisp. *echado hácia atras, de espaldas*; Germ. *zurückgebogen, rückwärts gebeugt,-gekrümmt, hingestreckt*; Angl. *lying on one's back or with the face upwards, turning or looking upwards, supine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (23). Sciapodæ in majore æstu humi jacentes resupini, umbra se pedum protegunt. *Id.* 9. *ibid.* 8. 7. (20). Delphini resupini atque conversi. *Quintil.* 10. 3. *ante med.* Si non resupini spectantesque tectum exspectaverimus, quid obveniat. *Ovid. Heroid.* 16. 255. Et modo cantabam veteres resupinus amores. *h. e.* molliter in tergum projectus. *Virg.* 1. *Æn.* 480. Fertur equis, curruque hæret resupinus inani, Lora tenens tamen. *Ovid.* 13. *Met.* 86. Comminus ingenti resupinum pondere fudi. *et* 15. *ibid.* 520. Et retro lentas tendo resupinus habenas. *et* 2. *ibid.* 267. Corpora phocarum summo resupina profundo Exanimata jacent. *Martial.* 9. 44. spectat resupino sidera vultu. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* Si cornibus illigetur jugum, boves retractis et resupinis capitibus excruciantur. *Ovid.* 1. *Met.* 730. Resupinum collum. *et* 12. *ibid.* 138. pectus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (93). caput. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. *de Tarquinii somnio.* Exin prostratum terra, graviter saucium, Resupinum in cælum contueri. ubi minus recte *Orellius* cum aliis post Resupinum interpunxit. Adde *Lucret.* 1. 38. ¶ 2. Latiore sensu dicitur et de aliis rebus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (23). *de lilio.* Paullatim se laxans effigie calathi, resupinis per ambitum labris tenuique filo et semine. *Id.* 19. *ibid.* 4. 20. (60). Hortum areis distingui, easque resupinis pulvinorum toris. *Id.* 18. *ibid.* 18. 48. (171). Culter futuris sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. *Stat.* 4. *Theb.* 237. auget resupina maniplos Elis. *h. e.* colle acclivi et supino sita.

II.) Translate. ¶ 1. Est mollis, effeminatus. *Quintil.* 5. 12. *a med.* Licet hanc eloquentiam libidinosam resupina voluptate auditoria probent. *Id.* 11. 3. *ad fin.* Nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt: *saxa atque solitudines voci respondent* (*Cic. Arch.* 8. 19.). ¶ 2. Item negligens, oscitans, secors. *Paul. Dig.* 22. 3. 25. Qui solvit, numquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet. *Venulejus ibid.* 43. 23. 4. Quia non opinionem ejus, et resupinam existimationem sequi oportet. ¶ 3. Item superbus, elatus, magnifice incedens, *tronfio, pettoruto. Ovid.* 6. *Met.* 275. *de Niobe.* Et mediam tulerat gressus resupina per urbem, Invidiosa suis: at nunc miseranda vel hosti. *Seneca Ep.* 80. *a med.* Illa qui in scæna elatus incedit, et hæc resupinus dicit.

RĔSURGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔSURGO, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (re *et* surgo). Particip. *Resurgens* I. et II., et, littera *n* extrita, *Resurges*, quod legitur in nummis Vespasian. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 327. ut *insultas* pro *insultans* apud *Enn. fragm.* p. 123. *Müll.*, aliaque hujusmodi passim in Inscriptt. et MSS.); *Resurrecturus* II. — Resurgo est idem atque iterum surgo, in pristinum statum redeo, ἀνάσταμαι (It. *rialzarsi, risorgere, rimettersi*; Fr. *se relever, reparaître*; Hisp. *volverse á levantar*; Germ. *sich wieder erheben, sich wieder aufrichten, sich wieder zeigen, wieder aufstehen*; Angl. *to rise again, be renewed, recover*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 25. Nunciet huc aliquis dominam venisse, resurgam. *balzerò di letto, guarirò. Id.* 5. *Met.* 349. Nititur ille quidem (*Typhœus, cui Sicilia ingesta est*), pugnatque resurgere sæpe. Sic *Horat.* 2. *Od.* 17. 14. Nec, si resurgat, centimanus Gigas, divellet (*me*) unquam. *Tac.* 3. *Ann.* 46. Jacentes nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. *Apul.* 9. *Met.* Ut primum humi supinatus est, - comminabatur, si resurrexisset, sese concisurum eum machæra sua. *Id.* 5. *ibid. init.* Jamque sufficienti recreata somno, placido resurgit animo. — Pro reviviscere, post mortem ad vitam redire, *ritornare in vita, risuscitare. Lactant.* 4. 19. *Tertull.* sæpe, *Claudian.* (si modo is auctor est) *epigr.* 49. *de mirac. Christi*, *Augustin.*, *Hieronym.* etc. — *b*) De rebus. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 9. Herbæ resurgentes. *Tac.* 2. *Hist.* 78. Arbor repente prociderat, ac postera die, eodem vestigio resurgens etc. Adde *Sueton. Vesp.* 5. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 28. Obruta de mediis cymba resurget aquis. *et* 7. *Met.* 81. favilla Crescit, et in veteres vires agitata resurgit. *et* 2. *ibid.* 453. Orbe resurgebant lunaria cornua nono. *spuntavano dall' orizzonte.* et 8. *ibid.* 11. Sexta resurgebant orientis cornua Phœbes. *Vellej.* 1. 7. 3. Vix crediderim tam mature tantam urbem (*Capuam*) crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse. *Gell.* 17. 11. Claustra mobilia conniventia vicissim et resurgentia.

II.) Translate. *Virg.* 4. *Æn.* 531. rursusque resurgens Sævit amor. *Propert.* 4. 1. 71. Dicam, Troja, cades, et Troja Roma resurges. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 523. Victa tamen vinces eversaque Troja resurges. *et Horat.* 3. *Od.* 3. 65. Ter si resurgat murus aeneus Auctore Phœbo etc. *Liv.* 24. 45. Posteaquam res Romana, contra spem votaque ejus, velut resurgeret. *Justin.* 37. 1 *sub fin.* Quum eum summi imperatores ita vicerint, ut major clariorque in restaurando bello resurgeret. *Tac.* 3. *Hist.* 2. Legiones deceptæ magis, quam victæ, resurgere in ultionem properant. *Vellej.* 2. 88. 3. Novi ac resurrecturi belli civilis initium. — Pro reviviscere secundum spiritum, seu amissam Dei gratiam recuperare. *Vulgat. interpr. epist. ad Col.* 2. 12. Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei.

RĔSURRECTĬO, ōnis, f. 3. (resurgo) *rialzamento, risorgimento,* actus resurgendi. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 105. Resurrectio liquoris. — Fere dicitur de reditu in vitam. *Tertull. Resurr. carn.* 1., *Lactant.* 4. 19., *Sulp. Sev.* 2. *Chron.* 33. *Vulgat. interpr. Luc.* 23. 35. ex mortuis. *Id.* 2. *Mach.* 7. 14. ad vitam. Absolute *id. Psalm.* 65. 1.

RĔSUSCĬPĬO, is, ere, a. 3. (re et suscipio) iterum suscipio. *Arat.* 2. 589. Qui per tua munera semper Quod reddamus, agis, denique resuscipis usum.

RĔSUSCĬTANS, antis, particip. *V.* RESUSCITO.

RĔSUSCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Actus resuscitandi, ad vitam restitutio. *Tertull. Resurr. carn.* 30. ¶ 2. Actus resurgendi, resurrectio. *Mar. Victorin.* in *epist. ad Eph.* 1. 22.

RĔSUSCĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui resuscitat, qui vitæ restituit. *Tertull. Resurr. carn.* 12. *a med.* Nec dubites Deum carnis resuscitatorem quem omnium noris restitutorem. Adde *Patient.* 15.

RĔSUSCĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔSUSCĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* suscito). Particip. *Resuscitans* I.; *Resuscitatus* I. et II.; *Resuscitandus* I. — Resuscito est idem ac resurgere facio, iterum suscito, excito, ἀνεγείρω (It. *risuscitare*; Fr. *réveiller, faire revivre*; Hisp. *resucitar*; Germ. *wieder er - oder auf - erwecken*; Angl. *to rouse again, revive, resuscitate*).

I.) Proprie est revocare ad vitam. *Prudent.* 6. περὶ στεφ. 136. relliquias resuscitandas, Et mox cum Domino simul futuras. Adde *Tertull. Resurr. carn.* 38. *Vulgat. interpr. Act.* 13. 33. Hanc (*repromissionem*) Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum. *Alcim. Ep.* 28. *ante med.* Thomas apostolus quum in resuscitati mediatoris corpore fixuras clavorum digito palpante tentasset, etc.

II.) Translate. *Ovid.* 8. *Met.* 474. inque vicem ponit, positamque resuscitat iram. Adde 14. *ibid.* 495. *Paul. Dig.* 34. 4. 27. Si rursus in servitutem inciderit, non tamen legatum ejus resuscitabitur. *Sidon. Paneg.* 23. 416. Miscet cuncta fragor resuscitatus. *Vulgat. interpr. epist.* 1. *ad Tim.* 1. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei. Apud *Quintil.* 4. 4. 9. *sunt qui leg.* velut quodam tactu resuscitatus.

RĔSŪTUS, a, um, particip. *V.* RESUO.

RĔSUXŌRĬA. *V.* UXORIUS.

RĔTÆ, ārum, f. plur. 1. arbores, quæ ex ripis fluminum eminent, aut virgulta, quæ in alveis eorum exstant: dictæ a *retibus*, quod prætereuntes naves retineant instar retium, et quasi irretiant. *Gavius* apud *Gell.* 11. 17.

RĔTĀLĬO, as, are, a. 1. (re *et* talio, ōnis) æquo jure compenso, talionis lege ago. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Quod per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet.

RĔTANGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTANGO, gis, gere, a. 3. (re *et* tango) iterum aut sæpe tango. Occurrit tantum Particip. *Retangens* apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. 156. Detergemus faciem quoque, spongia aqua frigida expressa retangentes. *h. e.* sæpe contingentes.

RĔTARDANS, antis, particip. *V.* RETARDO.

RĔTARDĀTĬO, ōnis, f. 3. *ritardamento, ritardo,* ἀναβολή, μέλλησις, commoratio, mora. *Cic.* 5. *Phil.* 11. *ad fin.* Unde est adhuc bellum tractum, nisi ex retardatione et mora? *Vitruv.* 9. 4. *ante med.* Mercurii et Veneris stellæ circum solis radios, solem ipsum, uti centrum, itineribus coronantes, regressus retrorsum et retardationes faciunt.

RĔTARDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔTARDO, as, āvi, ātum, are, a. *et raro* n. 1. (re *et* tardo). Particip. *Retardans* sub *B.* II.; *Retardatus* sub *A.* I. et *B.* II. — Retardo

A) Est idem ac remoror, detineo, moram affero, ἀνέχω (It. *ritardare*; Fr. *retarder, arrêter, retenir*; Hisp. *retardar*; Germ. *verzögern, zurückhalten, aufhalten*; Angl. *to stop, delay, hinder, impede, retard*).

I.) Proprie. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 11. Quem nisi in via caducæ hereditates retardassent, etc. *Auct. B. Afr.* 66. Quo facto perterrito Labieno ac retardato etc. *Virg.* 3. *G.* 253. Non scopuli rupesque cavæ atque objecta retardant Flumina (*equos*). *Ovid.* 3. *Met.* 82. instantiaque ora retardat Cuspide prætenta. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Boves fortiter retinere ac retardare. *Sueton. Oth.* 8. Inundationibus Tiberis retardatus. *Id. Galb.* 20. Itinere devio per ignorantiam locorum retardatus. Adde *Nepot. Epam.* 9. *Horat.* 2. *Od.* 8. 23. tua ne retardet Aura maritos. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (156). Thymum prodest mulierum mensibus retardatis. — Absolute. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 40. Eæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt.

II.) Translate est reprimere, continere. *Cic. pro leg. Manil.* 5. *ad fin.* Impetus hostium reprimere ac retardare. Sic *Auct. B. Afr.* 68. Cæsar animadvertit copias hostium his legionibus occurrere suppetias. Quæ res ejus impetum retardavit. *Cic. Vatin.* 1. 2. Ut loquacitatem istam tuam paucissimis interrogationibus irretitam retardarem. *Id. pro leg. Manil.* 9. 22. Ut mœror patrius celeritatem persequendi retardaret. *Id.* 2. *Verr.* 6. 17. Quum iste (*Verres*) atque istius amici - sermones hujscemodi dissipassent, quo animos testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum etc. *Id. Sext.* 31. 67. Excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consue-

tudinem reipublicæ bene gerendæ, *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 21. Sed vereor, ne te mea fortuna retardet, Postque meos casus sit tibi pectus iners. *non ti rallenti l'estro poetico.* et *Nazar. Paneg. Constant.* 36. Velox virtus ætatis mora non retardata. — Et cum additis. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 22. Illum in persequendi studio mœror, has lætitia retardavit. *Id.* 5. *Fam.* 17. Retardare aliquem a scribendo. *Sueton. Cæs.* 59. Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus unquam, vel retardatus. — Et cum partic. *quominus* apud *Plin. Paneg.* 22. Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret. — Absolute. *Cic. Senect.* 16. *a med.* Ad agrum fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Cf. *Sueton. Cæs.* 34. Et quamquam obsidione Massiliæ, quæ sibi ex itinere portas clauserat, summaque frumentariæ rei penuria retardante, brevi tamen (*Cæsar*) omnia subegit.

B) Neutrum *retardare* est idem ac retro manere, *essere in ritardo, restare indietro. Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. In quo cursu (*stella Saturni*) multa mirabiliter efficiens, tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitescendo. — Eodem sensu, mediorum apud Græcos more, usurpavit *Cic. ibid.* 40. 103. Motus (*stellarum*) tum incitantur tum retardantur.

RĔTĀRĬUS. *V.* CRETARIUS.

RĔTAXO, as, are, a. 1. (re *et* taxo) *riprendere*, ἐγκαλέω, taxo, aut vicissim taxo. *Sueton. Vesp.* 13. Licinium Mucianum numquam nisi clam, et hactenus retaxare sustinuit, ut etc.

RĒTE, is, n. *sæpius quam* Retis, is, m. et f. 3. — 1.°) Quod ad casus attinet — *a*) Rectus casus *retis* agnoscitur a *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* — *b*) Accus. *retem* est *Plaut. Rud.* 4. 3. 45. et *Varron.* 3. *R. R.* 5. — *c*) Ablat. *rete* est *Plaut. Rud.* 4. 2. 9. et 4. 3. 81., *Varron.* 3. *R. R.* 5. 8. et 5. *L. L.* 130. *Müll., Colum.* 8. *R. R.* 5. 8., et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (81).; alia vero et Ablat. *reti* V. infra sub I. ad fin. — *d*) Genetivus plur. est *retium*, non *retum*, quoniam, ut ait Plinius Sermonis dubii libro sexto, genetivus numquam pauciores syllabas habet quam nominativus, *Charis.* 1. *p.* 115. *Putsch.* et *Caper de verb. dub. p.* 2250. — 2.°) Quod pertinet ad genus — *a*) Femin. gen. legitur *rete cannabina* apud *Varron.* 3. *R. R.* 5. 11., et *retes meas* apud *Charis.* 1. *p.* 20. (*V.* infra sub I.) et *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* — *b*) De masc. gen. dubitat *Charis.* 1. *p.* 45. et *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* — Olim usurpatum fuit *Retia, æ,* f. 1. et *Retium, ii,* n. 2. *V.* loco suo. — 3.°) Quod ad vocis notationem spectat, *Curtius* et alii, inter recentiores etymologos, putant *rete* deductum a *sero*, necto, texo, ut sit pro *srete;* at *Döderlein.* cum ἐρητύω, detineo, impedio, conjungit. *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* a raritudine dictum censet, si probare hoc sanus quisquam potest. — Ceterum *rete* est instrumentum, quo aves, feræ, pisces capiuntur, plaga, laqueus, δίκτυον, σαγήνη (It. *rete*; Fr. *rets, filet*; Hisp. *red*; Germ. *d. Netz;* Angl. *a net, toil, gin, a nare or trap*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Accius* apud *Non. p.* 534. 2. *Merc.* Eo extenta retia ut proveherem, et statuerem. *Varro* 3. *R. R.* 11. 3. Idque septum totum rete grandibus maculis integitur. *Id. Sat. Menipp. p.* 185. ed. *Oehler.* Dedit Diana rete nexile. (Cf. *Ovid.* 2. *Met.* 499. Nexilibusque plagis silvas Erymanthidas ambit) *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Araneolæ quasi rete texunt, ut, si quid inhæserit, conficiant. *Plaut. Rud.* 4. 3. 45. Ubi demisi retem atque hamum, quidquid hæsit, extraho. *Varro* 3. *R. R.* 5. 14. Intra retem aves sunt omne genus. *et mox.* Quibus cibus objicitur sub retem. *et loc. supra cit.* Porticus tecta sit rete cannabina. *Plaut. Rud.* 4. 3. 5. Non vides referre me uvidum retem sine squamoso pecu? Ita enim *Priscian.* 7. *p.* 759. *Putsch.* legit. (*vulg.* rete). *Virg.* 1. *G.* 307. retia ponere cervis. *Ovid. Heroid.* 5. 19. Retia sæpe comes maculis distincta tetendi. *Id.* 13. *Met.* 922. ducebam ducentia retia pisces. *Id. Halieut.* 27. laxata foramina retis. *Nemesian. Cyneg.* 229. Nec non et casses iidem (*servi*) venatibus aptos Atque plagas, longoque meantia retia tractu Addiscant raris semper contexere nodis. *Tibull.* 4. 3. 12. Ipsa ego per montes retia torta feram. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (29). Retia prætendere. *et ibid.* (30.) pandere. *et ibid.* (31). circumdare. et 16. *ibid.* 1. 1. (4). prætexere piscibus. *Plaut. Truc.* 1. 1. 16. rete jacĕre. *Sueton. de clar. rhet.* 1. trahere. *et mox.* extrahere. *Charis.* 1. *p.* 20. Retes, δίκτυον. nam et in consuetudine dicimus: *in retes meas incidisti.* — *b*) In Ablat. habet *rete* et *reti. Ovid.* 5. *Fast.* 371. pro Libycis claudantur rete leænis. *et Halieut.* 22. Clausus rete lupus. *Plaut. Rud.* 4. 4. 27. Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius est, quam meum? *Id. Truc.* 1. 1. 17. pisces reti impedire. — *c*) Retia et linum Arachne puella Lyda (de qua fabulam narrat *Ovid.* 6. *Met. init.*) invenisse dicitur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. *ante med.*

II.) Translate. *Lucret.* 4. 1146. Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur, (*Lachmann.* jaciamur) Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis Exire. *Propert.* 2. 25. 70. Tendis iners docto retia nota mihi. *Lucilius* apud *Priscian.* 10. *p.* 903. *Putsch.* Nectere alicui retia. *Plaut. Pers.* 1. 2. 22. Qui albo rete aliena oppugnant bona. *h. e.* legum et juris specioso prætextu. *Ovid.* 2. *Art. am.* 189. fallentia retia.

Homonym. *Rete* latius patet quam *cassis* et *plaga*; illud enim tum piscando tum venando inservit, hæc potius ad venationem pertinent. Ceterum, quomodo differant *rete* et *plaga*, vide in PLAGA *B.* I.

RĔTECTĬO, ōnis, f. 3. detectio. *Gloss. Cyrill.* Ἀποκάλυψις retectio, revelatio.

RĔTECTUS, a, um, *et*

RĔTĔGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. (re *et* tego). Particip. *Retegens* sub *A.* I.; *Retectus* sub *A.* I. — Retego

A) Est idem ac detego, denudo, aperio, revelo, ἀνακαλύπτω (It. *scoprire, aprire*; Fr. *découvrir, devoiler, mettre à nu, ouvrir*; Hisp. *descubrir, destapar*; Germ. *wieder aufdecken, entblössen, öffnen*; Angl. *to uncover, bare, lay open*).

I.) Proprie. *Petron. Sat.* 17. Retexit superbum pallio caput. *Lucan.* 8. 669. Ac retegit sacros scisso velamine vultus. *Id.* 9. 768. Fugit rupta cutis, pallentiaque ora retexit. *Stat.* 3. *Theb.* 174. Tum ferro retegunt silvas, collisque propinqui Annosum truncant apicem. *Ovid.* 5. *Met.* 356. et rex pavet ipse silentum, Ne pateat, latoque solum retegatur hiatu. *Seneca Herc. Fur.* 54. Ereboque capto potitur, et retegit Stygα. *Juvenal.* 6. 277. Retegere scrinia. *Cic.* 4. *Att.* 7. thecam nummariam. *Ovid.* 8. *Met.* 1. Lucifer retegens diem. *Virg.* 4. *Æn.* 119. et 5. *ibid.* 65. ubi Titan radiis retexerit orbem. *Id.* 9. *ibid.* 461. Jam sole infuso, jam rebus luce retectis. *Sil. It.* 6. 3. primique novo Phaethonte retecti Seres, lanigeris repetebant vellera lucis. *Virg.* 12. *Æn.* 374. hunc lata retectum Lancea consequitur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (78). Ire per media arva, retectis vestibus. Alii rectius *rejectis* leg. *Propert.* 4. 9. 26. nullis sacra retecta viris. *Pers.* 3. 101. dentes crepuere retecti. *Lucan.* 9. 830. retectus ensis. *spada sguainata.* — Apud *Sueton. Aug.* 78. Post cibum meridianum, ita ut vestitus calceatusque erat, retectis pedibus paullisper conquiescebat. Nonnulli interpretantur *tectis, contectis*, alii rectius *apertis*, seu stragula non tectis, ut meridiantes solebant.

II.) Translate. *Virg.* 1. *Æn.* 360. cæcumque domus scelus omne retexit. *Lucan.* 7. 787. clara dies Pharsalica damna retexit. *Ovid.* 13. *Met.* 336. responsa deûm, Trojanaque fata retexi. *Horat.* 3. *Od.* 21. 15. Retegere arcanum consilium. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 215. insidias. *Tac.* 15. *Ann.* 74. occulta conjurationis.

B) Est etiam iterum tegere, *ricoprire. Pallad.* 12. *R. R.* 7. *ante med.* Circa imum truncum cortex recidatur, et quum inde modicus humor effluxerit, argilla vel paleato luto plaga retegatur. Huc trahunt nonnulli *Sueton. Aug.* 78., sed vide, quæ supra diximus I. in fin. et *Vulgat. interpr. Eccli.* 46. 16. Terram retexit anima tua. est enim Græce ἐπεκάλυψεν; sed *Vulgat.* videtur legisse ἀπεκάλυψεν, h. e. aperuit, patefecit.

RĒTEJĀCŬLUM, i. n. 2. *sorta di rete da pescare, giacchio, ritrecine,* genus retis piscatorii, dictum a *jaciendo:* quod et *funda* appellatur, Græce βόλος, a βάλλω jacio. Differt a *verriculo*, quod non jacitur, sed verritur, h. e. trahitur. Hoc autem super aquam late et longe jacitur spargiturque, et quando abiit pessum, adducitur. Unde *jaculatorem* de piscatore *Plaut.* dixit. *V.* JACULATOR. *Id. Asin.* 1. 1. 87. Venari retejaculo in medio mari. Alii leg. *retiaculo*, quod habetur etiam apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 141. *V.* FUNDA. Sane duæ voces sunt: unde et divisim usurpantur a *Plauto Truc.* 1. 1. 14. In piscinam rete qui jaculum parat. Ita *Forcellinus.* Verum recentiores tenent, has voces solummodo divisim usurpari. *Hermann.* et *Ritschel.* leg. *Asin. l. c.* Reti autem jaculo venari; *Fleckeisen.* et venari autem reticulo.

RĔTEMPĔRO, as, are, a. 1. (re *et* tempero) idem ac tempero. *Theod. Priscian.* 2. 21. Caulium folia, pro cataplasmatibus adhibita, veluti commotionis vaporem retemperant. Adde *Cassiod. in Psalm.* 41. 2.

RĔTEMPTO, as. *V.* RETENTO.

RĔTENDO, tendis, tendi, tensum *et* tentum, tendere, a. 3. (re *et* tendo). Particip. *Retensus* et *Retentus* sub *A.* I. — Retendo

A) Est idem ac, quod tensum erat, laxo, remitto, ἀνίημι (It. *rallentare*; Fr. *détendre, relâcher, débander*; Hisp. *soltar, delaxar*; Germ. *v. d. Spannung zurücklassen, losspannen, nachlassen*; Angl. *to unbend, slacken*).

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Met.* 419. Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit Arcus. *Id.* 3. *ibid.* 165. *de Diana.* Nympharum tradidit uni Armigeræ jaculum pharetramque arcusque retentos. *Phædr.* 3. 14. Arcum retensum posuit in media via. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 30. Et sontes operit pharetras, arcumque retendit Parthus.

II.) Translate. *Quintil.* 1. 3. *ante med.* Ea quoque, quæ sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete retenduntur. Alii perperam leg. *retinentur;* præcedit enim *remissio.*

B) Est etiam verbum castrense; nam milites in retentura, quæ retro, seu post prætorium est, positi, dicuntur retendere. *Hygin. Gromat. p.* 15. *col.* 1. Erunt itaque lateribus cohortes sedecim, prætendent et retendent. *Id. p.* 9. *col.* 1. Retendunt cohortes equitatæ milliariæ, vel quingenariæ. *h. e.* tendunt in retentura.

RĔTENSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

RĔTENTĀCŬLUM, i, n. 2. vinculum, quo quis retinetur. *Venant. Vit. S. Menard.* 12. Iis, quos iniqua ferrei ponderis retentacula, gressibus negatis, adstrinxerant, ad templi oraculum summus antistes venienti præstitit facultatem.

RĔTENTANS, antis, particip. *V.* RETENTO.

RĔTENTĀTOR, ōris, m. 3. *detentore, ritenitore,* διακάτοχος, qui retentat, h. e. retinet, detentor. *Cassiod.* 2. *Variar.* 10. Quidquid a retentatoribus constiterit possideri, sine ulla facias dilatione restitui. Adde *Ennod.* 1. *Ep.* 7.

RĔTENTĀTRIX, icis, f. 3. *ritenitrice*, quæ retentat, seu retinet. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *circa med. de cibor. digestione.* Secundæ hoc cura virtutis est, quam Græci, quia retentatrix est, vocant καταδεκτικήν.

RĔTENTĀTUS, a, um, particip. *V.* RETENTO.

RĔTENTĬO, ōnis, f. 3. (retineo) est

I.) Proprie retinendi actus, cohibitio, *ritenimento*, ἐποχή, ἐπίσχεσις. *Cic.* 13. *Att.* 21. Retentio aurigæ.

II.) Figurate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. *a med.* Retentio assensionis h. e. Academicorum. ἐποχή. ¶ 2. Speciatim in re medica est dysuria, quam nostrates vulgo *ritenzione*

d'*urina* dicunt. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* Item Apollonius Memphites alium dixit fieri hydropem cum retentione, ut, si quid biberit, sine dilatione tamquam per fistulam transiens egeratur. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 10. 68. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 317. ¶ 3. Item est conservandi actus, conservatio. *Lactant.* 6. 10. *sub fin.* Retentio societatis. *h. e.* conservatio. *Pseudo-Ascon. in Cic.* 3. *Verr.* 2. Rejectio judicum et retentio. *Vitruv.* 9. 4. *circa med.* Retentiones facere. ¶ 4. Item jus aliquid retinendi et conservandi. *Cic.* 13. *Att.* 23. 3. Retentio pecuniæ. *ritenuta sopra una somma che deesi pagare.* et *Papinian. Dig.* 31. 1. 79. Retentionem dotis virum habere placuit. — *Retentio delicti*, cui opponitur *remissio*, est apud *Tertull. adv. Marcion.* 4. 28. Cf. *Vulgat. interpr. Jo.* 20. 23.

RĔTENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* tento). Particip. *Retentans* sub *B.*; *Retentatus* sub *B.*; *Retentaturus* sub *A.* I.; *Retentandus* sub *A.* II. — Retento duo diversa significat; scilicet

A) *Retento*, frequentat. a *retineo*, idem fere significat, ἐπέχειν (It. *ritenere, trattenere*; Fr. *retenir fortement, arrêter, contenir*; Hisp. *retener fuertemente, contener, detener*; Germ. *fest zurückhalten, festhalten*; Angl. *to hold back, keep back, stop, hold or keep in, retain, detain*).

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 3. 3. 1. Cur me retentas? PHI. quia tui amans abeuntis egeo. *Liv.* 10. 5. Quo magis festinantes videt dictator, eo impensius retentat agmen, ac sensim incedere jubet. *Tac.* 5. *Hist.* 21. Sed, ubi Cerialis cum delecta militum manu subvenit, versâ fortunâ, præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis etc. *Ovid.* 2. *Art. am.* 433. in curru modo dat fluitantia rector Lora, modo admissos arte retentat equos. *Id.* 2. *Amor.* 9. 30. Retentare frena. *Seneca Œdip.* 1054. quisquis exilem jacens Animam retentat. *tiene l'anima co' denti.* et *Lucan.* 3. 585. dum pugnat ab alta Puppe Catus, Grajumque audax aplustre retentat. *h. e.* manu corripit, et retinere conatur. *et ibid.* 636. mensus foret ille profundo, Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant. *h. e.* retinent, ne mergatur. *Nemesian.* 3. *Ecl.* 58. Satyri Nymphas Jam jamque elapsas hic crine, hic veste retentat. *Lucan.* 4. 723. Ipse cava regni vires in valle retentat. *h. e.* retinet, seu detinet exercitum in valle insidiarum causa, nec in apertum contra hostes educit. *Cic.* 4. *Herenn.* 49. *a med.* Iste qui tamquam cochlea abscondens retentat se tacitus. *h. e.* domi se continet. *Lucret.* 2. 726. quæ non animalia solum Corpora sejungunt, sed terras ac mare totum Secernunt, cælumque a terris omne retentant. *h. e.* distinent, distare faciunt, retinentque, ne cælum cum terra confundatur. Adde *Claudian. cons. Mall. Theod.* 203. *Imp. Major. Novell.* 8. § 7. Sibi ad usumfructum sex residuas uncias retentaturus.

II.) Translate. ¶ 1. Est reprimere. *Val. Flacc.* 3. 97. Retentare iras. ¶ 2. Item conservare. *Cic. Carm. de suo consul.* 1. *Divin.* 11. cælum terramque petessit, Quæ penitus sensus hominum vitasque retentant. *h. e.* continent, conservant. *Impp. Valentin.* et *Valens* in *fragm. Cod. Theod.* (a *Peyronio* editis) 5. 14. 4. Eligat unusquisque quem velit (*fundum*), eumque perpetuo jure suscipiat, palatiis tantum in rei privatæ sollicitudine retentandis.

B) *Retento*, vel *retempto*, frequentat. a *retendo*, est iterum tento, seu experior, retracto, resumo, ἀναπειράω (It. *ritentare*; Fr. *essayer de nouveau, tenter une seconde foi, revenir sur*; Hisp. *tentar de nuevo, ensayar á otra vez*; Germ. *wieder, – von Neuem versuchen*; Angl. *to try or attempt again, reattempt*). *Ovid.* 14. *Met.* 382. Retentatis precibus. *Seneca Ep.* 72. *init.* Quod quæris a me, liquebat mihi, si meditari possem: sed diu non retentavi memoriam meam. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 51. si demens studium fatale retentem. *Id.* 5. *Met.* 117. Retentare fila lyræ et 11. *ibid.* 792. viam leti. *Lucan.* 2. 514. arma. *Ovid.* 1. *Met.* 745. metuitque loqui, ne more juvencæ Mugiat: et timide verba intermissa retentat. *h. e.* iterum conatur proferre. *Seneca Brevit. vit.* 10. Nec audent ea retentare, quorum vitia retractando patescunt. *ritoccare, riandare.* — Spes vane me retentat, *Val. Flacc.* 5. 679., h. e. movet, sollicitat, impellit. — *Retentare vota* apud *Val. Flacc.* 5. 173. est iterum suscipere. — Et cum Infinito. *Ovid.* 9. *Met.* 208. retentans totas infringere vestes.

RĔTENTOR, ōris, m. 3. qui retinet. *Apul. Florid. n.* 6. Dracones lubrico volumine elephantos indepti revinciunt, ut illis expedire gressum nequeuntibus, necesse sit ultionem a ruina molis suæ petere, ac retentores suos toto corpore oblidere. Adde *Augustin. Serm.* 206. *Gloss. lat. p.* 381. ed. *Löwe.* Demorator, i. e. retentor, litigator, firmator.

RĔTENTŌRĬUS, a, um, adject. ad retinendum pertinens. *Cassiod. de anim.* 6. Virtus animæ retentoria, assumpta retinens, donec ex his utilis decoctio procuretur.

RĔTENTŪRA, æ, f. 1. pars castrorum tertia et postrema, a via quintana ad tergum eorumdem: a *retro* et *tentura*. *Hygin. Gromat. p.* 7. Quantum autem ad retenturam pertinet, via, quæ est super prætorium, per cujus rigorem utraque parte, quum major exercitus est, hoc est, quinque legiones et supra, pedatura cohorti primæ dari solet, accipere debet latitudinem pedum quadraginta. Adde *eumd. p.* 7.

RĔTENTUS, a, um, particip. *V.* RETINEO.

RĔTENTUS, us, m. 4. actus retinendi, tenacitas. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 438. *de manu Rufini abscissa.* vivosque imitata retentus Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

RĔTERGĔO, terges, tersi, tergere, a. 2. (re *et* tergeo). Occurrit *Retergĕre* in *Not. Tir. p.* 80. — Retergeo est idem atque abstergeo, extergeo. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 207. Reterget vulnera. *Ammian.* 29. 6. 11. Retersit obrutas ruderibus fossas.

RĔTĔRO, tĕris, trītum, tĕrere, a. 3. ἀνατρίβω, rursus, seu multum tero, purgo, excerno, frico. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 5. Pura deinde frumenta, si in annos reconduntur, reteri debent. *Plerique alii leg.* repurgari. *Seneca Ep.* 47. retritis pilis. — *Retritum rutabulum*, h. e. rutabulum detritum seu valde tritum, habet *Nævius* apud *Fest. p.* 262. 10. *Müll. V.* RUTABULUM.

RĔTEXENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTEXO, xis, xŭi *et* xi, xtum, xere, a. 3. (re *et* texo). Perf. *retexit* pro *retexuit* est *Manil.* 4. 214. — Particip. *Retexens* sub *A.* I. et II., et *B.* II.; *Retextus* sub *A.* I.; *Retexendus* sub *A.* II. — Retexo duo diversa significat; scilicet

A) Est idem ac, quod textum erat, dissuo, solvo, ἀναλύω (It. *disfare il tessuto, stessere*; Fr. *défaire un tissu, détisser, défaire*; Hisp. *deshacer á desatar un texido, una tela*; Germ. *wieder aufmachen, – auflösen, – auftrennen e. Gewebe*; Angl. *to unweave, untwist, untwine, unwind, unravel*).

I.) Proprie. *Penelopes telam retexere* proverbio dicuntur, qui magno vel labore, vel sumptu rem quampiam conficiunt, quam postea destruunt. Tractum a Penelope Ulyssis uxore, quæ pacta cum procis pudicitiæ suæ insidiantibus, ut tantisper exspectarent, donec telam, quam tum forte habebat præ manibus, detexeret, quidquid interdiu texebat, noctu retexebat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. *ad fin.* Quid quod illa ars, quasi Penelopæ telam retexens, tollit ad extremum superiora? *Stat.* 3. *Silv.* 5. 8. mille procos intacta fugares, Non intertextas commenta retexere telas, Sed sine fraude palam. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 30. Tardaque nocturno tela retexta dolo.

II.) Translate est dissolvere, destruere, revocare, irritum facere, *disfare, distruggere, mutare.* *Lucret.* 1. 528. Hæc (*corpora solida*) neque dissolvi plagis extrinsecus icta Possunt, nec porro penitus penetrata retexi. *Id.* 5. 265. *de aquis.* in summaque fit ut nil humor abundet, Partim quod validi verrentes æquora venti Diminuunt radiisque retexens ætherius sol, Partim etc. — Sic *retexit orbem luna*, quum decrescit. *Ovid.* 7. *Met.* 531. Luna quater plenum tenuata . .exuit orbem. — Hinc illa *Cic.* 2. *Orat.* 38. 158. Reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et potius detexta, prope retexantur. *Matius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 28. *a med.* An quod adolescens præstiti, quum etiam errare cum excusatione possem, id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? *Cic. ibid.* 14. *ad fin.* Novi timores retexunt superiora. *Id.* 4. *Verr.* 26. 63. Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam istius præturam retexere videretur. *rovesciare.* et 2. *Phil.* 13. 32. Itaque jam retexo orationem meam. *mi disdico.* et 5. *Fin.* 28. 84. Audeo dicere, inquit. non potest, nisi retexueris illa. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 29. Rursus amor patriæ, ratione potentior omni, Quod tua texuerunt scripta, retexit opus. Adde *Remed. am.* 12. et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 2. scriptorum quæque retexens *h. e.* ad incudem revocans, relegens, corrigens. *rivedendo, correggendo.* At *Forcellinus* hunc *Horatii* locum ad paragr. proxime sequentem sub II. retulit. *Manil.* 4. 214. Qui leges potius posuit, quam jura retexit. *Apul. de Mag.* Ordine eorum vestigia persequor, et singillatim apprehendens, omnem calumniæ textum retexo *h. e.* accusationis artificium dissolvo. *Seneca Ep.* 94. *ad fin.* Omnia ista exempla retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum.

B) Est etiam iterum texere, *ritessere.*

I.) Proprie. Orpheus ad Plutonem et Persephonem, apud *Ovid.* 10. *Met.* 31. Eurydices, oro, properata retexite fila.

II.) Translate est repetere, iterare, renovare. *Virg.* 12. *Æn.* 763. Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt. *Ovid.* 15. *Met.* 249. Inde retro redeunt: idemque retexitur ordo. *Claudian. VI. cons. Honor.* 130. Latio discedere jussus Hostis, et immensi revolutus culmine fati, Turpe retexit iter. — Sic pro recensere, evolvere, narrare. *Claudian. B. Gild.* 325. Talia dum longo secum sermone retexunt. *Auson. Edyll.* 10. 298. Qui potis innumeros cultusque, habitusque retexens, Pandere tectonicas per singula prædia formas? *Id. præf. Perioch. Iliad.* Breviter, et in epitomæ speciem belli Troici causam originis, apparatusque retexuimus. *Apul.* 9. *Met.* Oro, mater, ordine mihi singula retexe.

RĔTEXTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

RĔTĬA, æ, f. 1., idem ac rete. *Plaut. Rud.* 4. 1. 9. Nunc et operam ludos facit et retiam. Ita legit *Priscian.* 7. *p.* 759., alii *retia.* et *Ammian.* 16. 2. 12. Ipsa oppida ut circumdata retiis busta declinant (nisi *retiis* a *retium* deducere mavis). *Itala Matth.* 4. 18. et 20. apud *Mai. Nov. Coll.* t. 3. *p.* 257. Simonem et Andream mittentes retiam. *et ibid. p.* 258. Reficientes retias suas.

RĔTĬĀCŬLUM, i, n. 2. est ¶ 1. Rete, retejaculum. *Vulgat. interpr. Psalm.* 140. 10. Cadent in retiaculo ejus peccatores. Adde *Augustin. in Ps.* 30. *enarrat.* 2. *n.* 10. Hanc vocem legunt nonnulli apud *Plaut. Asin.* 1. 1. 87. *V.* RETEJACULUM. ¶ 2. Dicitur et de re quacumque in modum retis confecta. *Vulgat. interpr. Exod.* 38. 5. Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi (*h. e.* craticulæ aeneæ) summitates. Adde *eumd. Jerem.* 32. 23., et 3. *Reg.* 7. 17. Septena versuum retiacula in capitello uno et septem retiacula in capitello altero. *h. e.* vittæ, fasciæ.

RĔTĬĀLIS, e, adject. ad rete pertinens. *Non. p.* 378. 2. *Merc.* Plagæ, maculæ retiales.

RĔTĬĀRĬUS, ĭi, m. 2. δικτυοφόρος, qui fert rete. Hoc nomine speciatim dicebatur alter ex gladiatoribus in arena depugnantibus. Fuit enim genus gladiatorii certaminis, in quo duo pugnabant, quorum alter *retiarius* vocabatur, quod tunicatus fuscinam et rete gestaret, quo adversarium involveret, et implicatum caperet: alter appellabatur *Gallus* a Gallicæ armaturæ genere, et *mirmillo*, fortasse a mormyre pisce, quia armatus erat scuto et falce et galea, in cujus vertice conspiciebatur hujus piscis effigies, et *sequutor*, quia in primo congressu perinde ac retiarium fugiens, vel fugam simulans, arte ictum ejus evitabat, et si frustra rete jecisset, infesta falce sequebatur. Retiarii figuram habes apud *Gor. Inscript. Etr.*

T. 3. *p.* 99. et apud *Marin. Frat. Arv. p.* 165. Hoc genus pugnæ institutum videtur a Pittaco, uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter finium controversias, quæ erant inter Atticos et Mitylenæos, rete occulto allato impedivit Phrynonem, ut *Strabo l.* 13. narrat. *Isid.* contra 18. *Orig.* 54. et 55. putat, hoc certamine pugnam Vulcani et Neptuni, h. e. duorum elementorum ignis et aquæ, repræsentatam antiquitus fuisse; *sequutor* enim Vulcanum, *retiarius* fuscina armatus Neptunum repræsentabat. A retiario autem pugnante adversus mirmillonem cantabatur: *Non te peto, piscem peto: quid me fugis, Galle?* Ita *Festus p.* 285. 10. *Müll.* V. *Lipsium l.* 2. *Saturn. c.* 8. et *Labusium* in *Monum. Bresc. p.* 81. et seqq. *Sueton. Cal.* 30. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem sequutoribus succubuerant: quum occidi juberentur, unus resumpta fuscina omnes victores interemit. *Quintil.* 6. 3. *circa med.* Pedo de mirmillone, qui retiarium consequebatur, nec feriebat, *Vivum*, inquit, *capere vult.* Hinc *Juvenal.* 8. 202. movet ecce tridentem (*retiarius*), Postquam librata pendentia retia dextra Nequicquam effudit etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 6. et *Donat.* 244. 3. IANTINO RETIARIO PVGNARVM V. INGENVA POSVIT CONIVGI KARO etc. et apud *Orell.* 2566. FELICIANVS RET. TIR. (*h. e.* retiarius tiro). Adde *Val. Max.* 1. 7. *n.* 8. — *Contra retiarium ferula*, proverbium in eos, qui infirmo præsidio contra maxime instructum pugnant. *Martial.* 2. *præf.* denique videas, an te delectet contra retiarium ferula. — Subdubitare videtur *Jo. Casp. Orellius*, num hoc nomine intelligendus sit qui retia facit et vendit, in *Inscript. n.* 4273. D. M. S. CASIVS VICTORINVS RETIARIVS AN. XXXV. H. S. E. S. T. T. L. ANTONIA SEVERA F. C. Ceterum *Gloss. Cyrill.* Δικτυοπλόκος, retiarius. et in *Bullet. Archeol. Napol. a. V. p.* 114. Mercatores retiarii.

RĒTĬĀTUS, a, um, adject. *fatto a rete:* dicitur de fenestra in *Itala Judic.* 5. 28. *et Ezech.* 41. 16., et est cancellatus, clathratus. *V.* RETICULATUS in fin.

RĔTĪCENS, entis, particip. *V.* RETICEO.

RĔTĪCENTER, adverb. tacendo. *Cic.* 10. *Att.* 6. Fiat in Hispania quidlibet, et tamen reticenter. *Alii rectius leg.* retice, *alii* respice.

RĔTĪCENTĬA, æ, f. 1. *il tacere, silenzio,* ἀποσιώπησις, silentium, taciturnitas: et præcipue quum non dicitur, quod dici debet. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Merc.* 5. 2. 52. Quid taces? dic. enicas me miserum tua reticentia. *Cic.* 14. *Phil.* 12. *a med.* Vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. *Id.* 3. *Off.* 16. 65. A jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta, *h. e.* quum vitium mercis a venditore reticetur. *Id.* 1. *ibid.* 41. 146. Ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, - ex ceteris similibus facile judicabimus etc. ¶ 2. Speciatim est figura rhetorica sententiarum apud *Cic.* 3. *Orat.* 53. *ad fin.*, et *Quintil.* 9. 2. *circa med. V.* APOSIOPESIS.

RĔTĬCĔO, ces, cŭi, cere, 2. (re *et* taceo). Particip. *Reticens* sub *A.*; *Reticendus* sub *B.* — Reticeo est idem ac taceo, conticeo, tacendo occulto, ἀποσιωπάω (*It. tacere; Fr. taire, se taire, garder le silence; Hisp. callar, enmudecer; Germ. stillschweigen; Ang. to hold one's peace, be silent, say nothing, conceal, keep secrete*); est autem verbum *A*) Neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrum *reticere* est aliquid, quod scias, retinere, neque eloqui, interroganti aut lacessenti non respondere (V. *Drakenborch.* ad *Liv.* 23. 12.); et occurrit 1.°) De hominibus. — *a*) Sine additis. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 232. Hic quum Sulpicius reticuisset, Quod vero, inquit Crassus, etc. *Id. Harusp. resp.* 28. 61. Facile, tacentibus ceteris, reticuissem; sed hæc oratio etc. *Ter. Heaut.* 1. 1. 32. Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me, ut sciam: Ne retice, ne verere, crede inquam mihi. *Sall. Jug.* 85. *med.* Sed in maximo vestro beneficio quum (*illi*) omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. *Lucan.* 6. 812. Tu fatum ne quære tuum; cognoscere Parcæ, Me reticente, dabunt. — *b*) Cum Ablat. rei et præpos. *de. Cic.* 3. *Verr.* 53. 139. De Chelidone reticuit, quoad potuit; alio responsio derivavit. *Id.* 6. *ibid.* 7. 15. Ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis injuriis reticeat. *Tac.* 1. *Ann.* 67. Quæ domi cara, quæ in castris honesta, memorat: reticuit de adversis. — *c*) Cum Dativo personæ. *Liv.* 23. 12. Tacuissem hodie, patres conscripti, ne quid, minus lætum quod esset vobis, loquerer. Nunc interroganti senatori, pœnitentne –, si reticeam, superbus videar. Adde *eumd.* 3. 40. et *Ovid.* 3. *Met.* 357. Vocalis Nymphæ, quæ nec reticere loquenti, Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo. *Tac.* 14. *Ann.* 49. Vitellius optimum quemque jurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. — 2.°) De brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (83). *de lusciniis.* Audit discipula intentione magna, et reddit: vicibusque reticent. — 3.°) Poetice et urbane. *Claudian. IV. cons. Honor.* 223. Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur, arcus. *Id.* 2. *in Rufin.* 43. reticet, pastore fugato, Pelion.

B) Active est silentio celare, nullo modo manifestare, dissimulare. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Men.* 5. 9. 47. Respondebo: nihil reticebo, quod sciam. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. *sub fin.* Nihil nec temere dicere, nec astute reticere debeo. *Sall. Cat.* 24. Neque reticere quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare, quicquam pensi habebat. *Ovid. Heroid.* 19. 63. Multaque præterea, linguæ reticenda modestæ etc. *Propert.* 1. 10. 13. vestros didici reticere dolores. *Justin.* 1. 7. 15. Matrimonii reticenda publicare. — *b*) Absolute. *Cic. Cluent.* 1. 1. Itaque mihi certum est, hanc eamdem distributionem invidiæ et criminum sic in defensione servare, ut omnes intelligant, nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo.

RETICESCO, is, ere, n. 3. idem ac reticeo. Vox a lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 90.

RĔTĬCŬLA, æ, f. 1. idem ac reticulum. *Ars anonym.* in *Anecd. Helv. p.* 70. *Hagen.* Rete, reticula. Adde *ibid. p.* 96. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 178. At hujus generis nomen improbat *Charis.* 1. *p.* 45. *Putsch.* Nemo tam obstinatæ impudentiæ est, ut dicat feminino genere hæc reticula, hujus reticulæ.

RĔTĬCŬLĀTIM, adverb. in modum reticuli. *Pelagon. Veterin.* 16. *a med.* Si nihil posuerit, necessitate cogente urito reticulatim: usta curato, ut supra. *Veget.* 2. *Veterin.* 41. *extr.* Si tardius confirmabitur, ures reticulatim, et solemniter usta curabis. Ita ex *Codd.* edidit *Schneiderus;* minus recte *Gesnerus* sic: Si tardius confirmabit vires, regulatim et solemniter etc.

RĔTĬCŬLĀTUS, a, um, adject. *fatto a rete,* δικτυόθετος, δικτυωτός, instar retis factus, multis foraminibus rete imitans, cancellatus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Conchæ distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim divisa, imbricatim nudata, cancellatim reticulata. — *Reticulata structura* parietum est, quum lapidei cunei sibi invicem superpositi et in latus jacentes ita parietem convestiunt, ut eorum capita foris exstantia retis figuram referant; quod quidem struendi genus, postremis rei publicæ temporibus et imperii R. ætate ineunte, in Italia plurimum invaluit. *Vitruv.* 2. 8. *init.* Structurarum genera sunt: reticulatum, quo nunc omnes utuntur, et antiquum, quod incertum dicitur. Ex his venustius est reticulatum, sed ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habet cubicula et coagmenta. Incerta vero cæmenta alia super alia sedentia, inter seque implicata, non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, præstant structuram. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172). Reticulata structura, qua frequentissime Romæ struunt, rimis opportuna est. — *Reticulata fenestra,* minutis clathris in retis modum munita, *grata. Varro* 3. *R. R.* 7. 3. Fenestræ Punicanæ, aut latiores reticulatæ, utrinque ut locus omnis sit illustris, neve quæ serpens, aliudve quod animal introire queat.

RĔTĬCŬLUM, i, n. *et* Reticulus, i, m. 2. *deminut. a* rete *vel* retis. — De genere hæc ait *Non. p.* 221. 30. *Merc.* Reticulum genere masculino: Fenestella Annal. Fascem pectoralis reticulus. Neutro: Claudius primo: Prius hisce aucteribus inde reticula galearia. ubi *Peter.* adnotat: priusque ductoribus indit reticula ex *Lipsii* lectione. Ceterum masc. genere usi sunt *Varro, Petron., Plin.* et *Trebell. Poll.* locis infra cit. — *Reticulum*, vel *reticulus* — 1.°) Generatim est parvum rete, vel rete solito angustioribus maculis contextum, *reticella,* δικτύδιον. *Varro* 3. *R. R.* 5. *a med.* Inter columnas exteriores reticuli e nervis sunt, ut perspici in silva possit, neque avis eas transire. — 2.°) Speciatim — *a*) *Reticulum aeneum* apud *Festum* in *Secespita*, est rete ex ære, quo sacraria in templis olim sæpiebantur: apud Italos *graticciata,* apud nostrates *ramata, reata.* — *b*) Item sacculus in modum rètis contextus, ad varios usus, *sacchetto, sacchetta. Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 37. (70). Demissæ reticulis in mare concavæ e cera pilæ, dulcem intra se colligunt humorem. *Colum.* 12. *R. R.* 53. 1. Aromata leviter confracta in reticulum junceum aut lineum adjici, et ita cum saxi ponderculo in olei partem demitti. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 27. Reticulum ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. *cunziera.* — *c*) Præcipue reponendis ad iter cibariis, *gerla o tasca, carniere. Horat.* 1. *Sat.* 1. 47. ut si Reticulum panis venales inter onusto Forte vehas humero. *Juvenal.* 12. 60. Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenæ etc. — *d*) Sacculus est etiam in illo *Ovid.* 3. *Art. am.* 361. Reticuloque pilæ leves fundantur aperto: Nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est. Describit *Ovid.* varios lusus puellis aptos, inter quos illum, quo multæ pilæ in reticulum, h. e. sacculum conjectæ effunduntur acervatim, deinde ita singulæ tolluntur, ut, dum una manu capitur, ceteræ minime moveantur. Nihil huc facit ludus pilæ, virorum proprius, quo reticulis manubriatis pila datur ac remittitur. *racchetta, lacchetta.* V. integrum *Ovidii* locum. — *e*) Item fascia, vel pileolus in modum retis, a mulieribus præcipue usurpatus capillis continendis, κεκρύφαλος, *rete, reticella, cuffia.* Solebant sumptuosiores feminæ has auro et gemmis ornare. *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* Quod capillum contineret, dictum a rete reticulum. *Id.* apud *Non. p.* 538. 14. et *p.* 542. 12. *Merc.* Suspendit Laribus marinas mollis pilas, reticula, ac strophia. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Ultimo et periscelides resolvit, et reticulum aureum, quem ex obrizo esse dicebat. *Capitolin. Maximin. jun.* 1. *extr.* Reticulum de prasinis undecim. *h. e.* ornatum gemmis undecim prasinis, cujusmodi sunt smaragdi. *V.* PRASINUS. Adde *Fenestell.* et *Claud. Quadrigar.* apud *Nonium l. c.* et *Fest.* in *Regillis*, et *Lamprid. Alex. Sev.* 41. et *Elagab.* 11. *ad fin.*, quo loco de viris loquitur effeminate viventibus, et molli ac muliebri cultu utentibus. Sic *Juvenal.* 2. 96. Reticulumque comis ornatum ingentibus implet. — *f*) Quod ait *Plin.* de opificibus turis, 12. *Hist. nat.* 14. 32. (59). Signantur iis subligaria, persona adjicitur capiti densusque reticulus: intelligit sudarium aliudve tegmen, velut calvaticam, ad operiendos oculos, ne, ubi reponatur tus, videant. — *g*) Item pannus reticulato opere textus. *Spartian. Æl. Ver.* 5. Lectum eminentibus quatuor anaclitericis fecerat, minuto reticulo undique inclusum, *h. e.* conopeo, *cortinaggio, zanzariera.* — *h*) Reticulum jecoris apud *Vulgat. interpr. Exod.* 29. 13. — Gallienus imperator campagos *reticulos* appellabat, teste *Trebell. Poll. Gallien.* 16.

RĔTĬCŬLUS, i m. 2. *V.* voc. præced.

RĔTĪCUS, a, um, adject. ad rete pertinens. *Augustin.* 18. *de Civit. D.* 18. Annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur retica, quoniam ad retis deportatur. V. RETICULUM *c.*

RĔTĬFEX, ficis, m. 3. qui rete facit. *Alcim. Homiliar. fragm.* 3. Sic quondam carcer retificis Petri pretiosiorum ligaminum radio illustrante resplenduit. *h. e.* piscatoris.

RĔTĬMESCO, is, ere, n. 3. reformido. *Gloss. Cyrill.* Ἀποδειλιῶ, retimesco.

RĔTĬNĂCŬLUM, i, n. 2. (retineo). *Retinaclum* per syncop. est *Prudent.* 2. *in Symmach.* 147. — Retinaculum (quod in plurali fere numero usurpatur) est id quo aliquid firmatur, et retinetur, vinculum, nexus, ἔχμα (It. *ritegno, fermaglio;* Fr. *corde, cordage, attache;* Hisp. *cuerda, cordage, atadura;* Germ. *Band, Seil;* Angl. *any thing with which another thing is stayed or held back, a stay, holdfast, tie*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 63. et 135. Lorea retinacula in plostrum, longa pedes viginti sex. *tirelle. Vitruv.* 10. 5. Tignum quod erigitur, et distinetur retinaculis quadrifariam. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 18. missæ pastum retinacula mulæ Nauta piger saxo religat. *la cavezza.* et *Ovid.* 14. *Met.* 547. Stuppea perrumpit Phrygiæ retinacula classis. et 15. *ibid.* 696. Torta coronatæ solvunt retinacula navi. *funi, ansiera,* σχοινίον, ἐπίγειον. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Buculos retinaculis continere. *Virg.* 1. *G.* 513. frustra retinacula tendens Fertur equis auriga. *le briglie.* et 265. Amerina parant lentæ retinacula vitis. *vimini, vinchi, vincigli.*

II.) Translate. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Ut jam securus liberque moriturus, multa illa vitæ retinacula abrupit. *Apul.* 11. *Met.* Abruptis ardentissimi desiderii retinaculis. *Auson. Epist.* 8. 1. Tandem eluctati retinacula blanda morarum, Burdigalæ molles liquimus illecebras. *Ammian.* 14. 6. 5. Leges fundamenta libertatis et retinacula sempiterna. *Id.* 30. 9. 2. Hanc ob causam tamquam retinaculis petulantiam frenarat aulæ regalis. Adde *eumd. ibid.* 4. 4. *Id.* 28. 1. 15. Novo furore, sine retinaculis, imis summa miscente.

RĔTĬNAX, ācis, adject. omn. gen., retinendi vim habens. *Symmach.* 1. *Ep.* 41. (*cl.* 47). Non illius cæli aut soli illecebram retinax advenarum lotos arbor æquaverit.

RĔTĬNENS, entis, particip. *V.* RETINEO.

RĔTĬNENTĬA, æ, f. 1. conservatio. *Lucret.* 3. 675. Omnis ut actorum exciderit retinentia rerum. *h. e.* recordatio, *retentiva;* et *ibid.* 851. retinentia nostri. *V.* REPETENTIA.

RĔTĬNĔO, tines, tinui, tentum, tĭnere, a. 2. (re *et* teneo). *Retenetur* pro *retinetur* in *Inscript. Chr.* apud *De-Rossi T.* 1. *n.* 212. Perf. *retinerit* per syncop. est *Lucil. Sat.* 29. 85.; at *Codd.* habent *retineres.* — Particip. *Retinens* sub *A.* I. 1.° et *B.* I. et in fin.; *Retentus* in omn. paragr.; *Retenturus* sub *A.* II.; *Retinendus* sub *A.* I. 1.° et *B.* II. — Retineo

A) Ratione præcipue habita particulæ *re,* est idem ac teneo, ne abeat, ne elabatur, retro teneo, κατέχω (It. *tenere indietro, ritenere, fermare, trattenere, rattenere;* Fr. *retenir, empêcher d'avancer ou de tomber;* Hisp. *retener, detener, impedir de adelantar ú de caer;* Germ. *nicht fortlassen, festhalten, zurückhalten, aufhalten;* Angl. *to hold or keep back or in, stop, detain*).

I.) Proprie. — 1.°) Ponitur pro simplici teneo, *tenere. Cic.* 6. *Verr.* 34. 74. Sinistra manu retinebat arcum: dextra facem præferebat. *Plaut. Epid.* 4. 1. 32. Cedo manum. MUL. accipe. ærumnosam mulierem retines. Adde *eumd. Capt.* 2. 3. 82. et *Propert.* 2. 22. 5. — 2.°) Generatim est idem ac teneo, ne abeat, ne elabatur, retro teneo. — *a*) De hominibus. *Plaut. Stich.* 2. 2. 11. Jube me omittere hos, qui retinent. *Id. Epid.* 1. 1. 61. Adsta: abire hinc non sinam. THES. quid nunc me retines? *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Concilium dimittit, Liscum retinet. *Plaut. Curc.* 2. 3. 30. (et *Ter. Heaut.* 2. 4. 23.) Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt: retine, retine me, obsecro. *sostienmi.* et *Propert.* 2. 7. 67. Quid si longinquos retineret miles ad Indos? *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Levius casura pila sperabat in loco retentis militibus, quam si ipsi immissis telis occucurrissent. et *ibid.* 102. Biduum tempestate retentus. *Plin.* 10. *Ep.* 28. Contrariis ventis retentus aliquanto tardius, quam speraveram, Bithyniam intravi. *Cic. Planc.* 41. 101. In Asiam me ire - non est passus: vi me, inquam, Plancius, et complexu suo retinuit. *Id.* 13. *Att.* 14. Quare, nisi jam profecti sunt, retinebis homines. *Id. ibid.* 33. Varro venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset. *h. e.* ad cœnam vocandus. *Ovid. Heroid.* 18. 97. Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem, Ne fieret prima pes tuus udus aqua. *Id. Remed. am.* 213. Tu tamen i, quamvis firmus retinebere vinclis. *Liv.* 34. 10. Retentus ibi longo et gravi morbo. — Cum partic. *quin. Plaut. Curc.* 2. 1. 12. Tormento non retineri potuit ferreo, quin reciperet se huc esum ad præsæpim suam. Sic *Cæs.* 2. *B. C.* 13. Ægre tunc sunt retenti (milites), quin oppidum irrumperent. — Et absolute. *Ter. Phorm.* 5. 8. 88. DE. In jus eamus. PH. In jus? huc siquid lubet. DE. Assequere, retine, dum ego huc servos evoco. CH. Enim nequeo solus: adcurre. *Sall. Jug.* 79. Solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere. *Virg.* 5. *Æn.* 669. acer (*Ascanius*) equo turbata petivit Castra: nec exanimes possunt retinere magistri. Cf. *Ovid. Heroid.* 13. 3. Aulide te fama est vento retinente morari. — *b*) De brutis animalibus et de rebus. *Ovid.* 6. *Fast.* 741. Solliciti terrentur equi, frustraque retenti, Per scopulos dominum, duraque saxa trahunt. *Albinov.* 1. 117. plenior unda Effluit, exigua si qua retenta mora. *Ovid.* 5. *Fast.* 580. Persequitur Partha signa retenta manu. *Lucret.* 1. 495. manu retinentes pocula. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Injecta manu ferrea et retenta utraque nave diversi pugnabant. *Martial.* 5. 79. Sudor madida veste retentus. et 12. 32. Sarcinæ retentæ pensione pro bima. *trattenute in pegno.* et *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Humiles et retentæ manu arbusculæ. *h. e.* manu et arte coercitæ, ne crescant. — *c*) Notandum illud *Nepot. Epam.* 10. Quamdiu facta est cædes civium, domi se retinuit *h. e.* continuit, tenuit. Cf. *Paul. Dig.* 11. 4. 4. Fugitivos retinere in custodiam. — Sic pro habere, possidere, tenere, occupare. *Lucret.* 4. 414. terrarum millia multa, Quæ variæ retinent gentes et sæcla ferarum.

II.) Translate est cohibere, coercere, reprimere. *Ter. Adelph.* 1. 1. 32. Pudore et liberalitate liberos retinere, satius esse credo, quam metu. *Cic. Rosc. Am.* 25. Retinere aliquem in officio. Sic *Sueton. Galb.* 10. *ad fin.* Alarum altera ægre retenta in officio *Liv.* 25. 40. Retinere in fide animos sociorum. *Ovid.* 1. *Met.* 649. Nec retinet lacrimas. Sic *id.* 2. *Amor.* 18. 7. lacrimis vix illa retentis, Me miseram! dixit etc. *et* 9. *Met.* 575. Vixque manus retinet trepidantis ab ore ministri. *Id. Heroid.* 11. 82. Torpuerat gelido lingua retenta metu. *Id.* 10. *Met.* 474. verba dolore retenta. *Id.* 4. *Fast.* 461. Sic dea, nec retinet gemitus. *Id.* 3. *Met.* 566. Acrior admonitu est: irritaturque retenta, Et crescit rabies. *Spartian. Hadrian.* 10. Labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis et officiis et impendiis. *Liv.* 32. 8. Nec Attali auxilia retenturos ultra quam regi commodum esset. *Ovid.* 14. *Met.* 338. silvas et saxa movere, Et mulcere feras, et flumina longa morari Ore suo volucresque vagas retinere solebat. Cf. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 5. Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. h. e. *trattiene, diletta.* Similiter *id. ibid.* § 4. Quæ (*varietas*) vehementer animos hominum in legendo - retinere possit. *Id.* 1. *Legg.* 19. 52. Videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit: atque ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius nisi me retinuissem. — Opponitur τῷ *remitto* apud *Vulgat. interpr. Jo.* 20. 23.

B) Ratione habita præcipue verbi, sæpe est, quod habemus, servare et custodire, *conservare, ritenere, mantenere.*

I.) Proprie. *Cato* ad *Cic.* 15. *Fam.* 5. Potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum retentam atque conservatam esse. *Cæs.* 7. *B. G.* 21. In eo, si id oppidum retinuissent, summam victoriæ constare intelligebant *Curt.* 4. 1. 30. Spem retinendi Ægyptum non amiserunt. *et* 6. 5. 21. Barbari, desperato, regionem, quam occupaverant, posse retineri, gentem suam dedidere. *Catull.* 64. 8. Diva, retinens in summis urbibus arces. *h. e.* Minerva, quæ ideo a Græcis πολιοῦχος dicitur *V.* POLIAS in ONOM. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. Quem ego hominem, si ejus fidei diffisus essem, judicem non retinuissem. *Id. Quinct.* 18. 59. Id egit, ut amicos observantia, rem parsimonia retineret. *Horat* 1. *Sat.* 1. 89. Retinere et servare aliquem amicum. *Plin.* 10. *Ep.* 40. In publicis officiis retinere damnatos non satis honestum putabam. *Id. Paneg.* 83. Multis dedecori fuit aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Verr.* 14. *a med.* (et *Cæs.* 1. *B. C.* 5.) Retinere jus suum contra aliquem. *Id. Amic.* 24. 88. fidem in amicitia. *Id.* 3. *Off.* 29. 105. Regulus retinendi officii causâ cruciatum subiit voluntarium. *Id.* 3. *Fin.* 18. *a med.* Retineri in vita. *Plaut. Rud. prol.* 29. Qui ætatem agitis cum pietate et fide, retinete porro, post factum ut lætemini. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. Hortatur, ut pristinam virtutem retineat. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 2. Qui mos quum a posterioribus esset retentus, etc. *Id.* 2. *Divinat.* 35. *extr.* Jus augurum divinationis opinione principio constitutum, postea reipublicæ causâ conservatum ac retentum *Id.* 1. *Tusc.* 1. *init.* Retuli me ad ea studia quæ retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi. *et* 5. *ibid.* 30. 84. Sunt autem hæ de finibus, ut opinor, retentæ defensæque sententiæ. *Val. Max.* 2. 8. *n.* 1. Disciplina militaris acriter retenta. *Cic.* 2. *Off.* 12. 42. Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est. *Id.* 1. *Att.* 13. 2. Retinere dignitatem in republica. *Id. Amic.* 19. 70. caritatem in aliquem. et *ibid.* 24. 88. veritatem et fidem in amicitia. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. *ad fin.* gratiam alicujus. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Ludendi etiam est quidam modus retinendus. *et ibid.* 28. 137. Etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, gravitatem retinere, iracundiam pellere. *Sall. Cat.* 61. Ferociam animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. *Ovid. Nuc.* 52. Retinere nativum decus. *Tac.* 3. *Hist.* 84. Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quæ acerrimus quisque, ut novissimam spem, retinebat. *Id. Agric.* 4. Retinuit, quod est difficillimum, ex sapientia modum. *Id.* 6. *Ann.* 37. Monet illos, obsequium in regem, reverentiam in nos - retinerent. *Sueton. Gramm.* 4. Posteriores quoque existimo - vel retinuisse vel instituisse et ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam. — Et sequente partic. *ne. Cic.* 2. *de republ.* 32. 56. Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum approbavisset auctoritas. — Similiter *Cic.* 3. *Legg.* 12. *in fin.* Gratissimam memoriam retinet consulatus tui. *Nepos Attic.* 11. *sub fin.* Immortali memoria præcepta retinebat beneficia. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 70. garrulus idem est, Nec retinent patulæ commissa fideliter aures. — Hinc pro meminisse. *Gell.* 17. 9 *a med.* Virum quempiam illustrem (sive ille Hasdrubal, sive quis alius est, non retineo) epistolam hoc modo abscondisse. Et cum Infinito. *Ulp. Dig.* 35. 1. 90. Retineo me dixisse, deficere eos a petitione fideicommissi. — Hinc Particip. præs., cujus exempla retulimus,

Retinens, entis, adjectivorum more usurpatur, unde Sup. *Retinentissimus;* et est conservans, tenax, *osservante, tenace,* κατέχων. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. *ad fin.* Fert enim graviter homo et mei observantissimus, et sui juris dignitatisque retinens. *Id. Planc.* 23. 55. Optimus vir, nimium retinens equestris juris et libertatis videtur. *Tac.* 2. *Ann.* 38. *in fin.* Avitæ nobilitatis, etiam inter angustias fortunæ, retinens. *Id.* 5. *ibid.* 11. Nisi lacesseretur, retinens modestiæ. *et* 16. *ibid.* 5. Antiqui moris retinentes. *Id.* 6. *ibid.* 42. Cl-

vitas (*h. e.* Seleucienses) potens, sæpta muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. *Gell.* 10. 20. *sub fin.* Sallustius quoque proprietatum in verbis retinentissimus.

RĔTINGO, is, ere, a. 3. iterum tingo. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 73. Nec in otia pacis Permissum laxare animos, ferrumque retingi. *h. e.* sanguine imbui. *Alii leg.* recingi. *Pallad.* 13. *R. R.* 9. Vinum myrtite retingemus. *h. e.* conditura imbuemus, qua colorem aliquantum mutabit. *At* Schneiderus *leg.* myrtitem tingemus. — Item *retingo, is, tigi,* a tango, idem quod tango. *Cato R. R.* 160. Ubi coierint, et altera alteram retigerit. *Alii leg.* tetigerit.

RĔTINNIO, is, ire, n. 4. (re et tinnio) rursus seu valde tinnio. *Varro* 2. *R. R.* 2. *præf.* 2. Si non multis verbis retinniat Græcis. *h. e.* resonet. *Ita* Gesnerus *pro vulg.* retineant. *Cic. Brut.* 46. 171. Illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quoddam et resonat urbanius. *Ita leg.* Schneiderus. *at hanc lectionem* Orellius *improbat et leg.* recinit, *alii* retinuit. *Cassiod. in Psalm.* 117. *extr.* Isti in fine eadem retinniunt, quæ in capite sonuerunt.

RĔTIŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* rete, parvum rete. *Apul.* 8. *Met.* Aper calcata retiola transabiit. — Pro reticulo, quo capilli continentur. *Augustin. Ep.* 109. (*al.* 211.) *n.* 10. Ne sint vobis tam tenera capitum tegmina, ut retiola subter appareant. Adde *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 138.

RĔTIS. *V.* RETE.

RĔTĬTUS. *V.* RETUS.

RĔTĬUM, ii, n. 2. idem ac rete. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 8. 207. Galerus est humero impositus gladiatoris, quo citius sparsum funem, vel jactatum retium colligat. *Gloss. Philox.* Retium, δίκτυον. Cf. *Ammian.* 16. 2. 12. *V.* RETIA.

RĔTO, as, are, a. 1. rete purgo alveum fluminis. *V.* RETE. In *edicto prætoris* apud *Gell.* 11. 17. Qui flumina retanda publice redempta habent etc. *V.* LUCRINUS in ONOM.

RĔTOLLO, is, ere, a. 3. (re et tollo) *ritogliere,* aufero. *Coripp.* 2. *Johann.* 329. partosque triumphos De nostris manibus, missa pietate, retollunt. *Id.* 4. *ibid.* 1154. Solomonis signa retollunt Prisca viri.

RĔTONDĔO, des, sum, dere, a. 2. (re et tondeo) idem ac tondeo, vel rursus tondeo. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 26. At hæc (*securis*) retonsa est. *Plerique alii rectius leg.* retunsa. — Particip. *Retonsus,* h. e. rursus tonsus, *ritosato,* legitur apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (161). *de segetibus.* Retonsarum vero etiam semel omnino certum est granum longius fieri.

RĔTŎNO, as, are, n. 1. (re et tono) *tonare a vicenda,* ἀναβροντάω, contra tono, resono. *Catull.* 63. 82. Face, cuncta mugienti fremitu loca retonent.

RĔTONSUS, a, um, particip. *V.* RETONDEO.

RĔTOR. *V.* RHETOR.

RĔTORPESCO, is, ere, n. 3. (re et torpesco) obtorpesco. *Tertull. advers. Gnost.* 1. *a med.* Pristini sensus retorpescunt.

RĔTORQUENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTORQUĔO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (re et torqueo). Particip. *Retorquens* I.; *Retortus* I. et II. — Retorqueo est idem ac retro torqueo, reflecto, ἀντιστρέφω (It. *ritorcere, rivolgere, ripiegare*; Fr. *diriger en arrière, tourner, retourner*; Hisp. *volver atras, revolver, dar vuelta al reves*; Germ. *zurückdrehen, -wenden, -kehren, umwenden, umdrehen, zurückbeugen, -schleudern, schleudern, krümmen*; Angl. *to writhe or twist back, bend back, turn or cast back*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Stricto sensu. *Cic.* 2. *Cat.* 1. *in fin.* Retorquet oculos sæpe ad hanc urbem. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 695. vetito temerat sacraria probro. Sacra (*h. e.* simulacra deorum) retorserunt oculos. *Id.* 3. *ibid.* 68. *de angue vulnerato.* Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit. et 11. *ibid.* 163. sacer ora retorsit Tmolus ad os Phœbi. *Id. Heroid.* 9. 66. *de Mæandro.* Qui lassas in se sæpe retorquet aquas. *Stat.* 9. *Theb.* 802. ferri lumine diro Turbatus sonipes sese, dominumque retorsit In latus. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 83. Quicumque Argolica de classe Capharea fugit, Semper ab Euboicis vela retorquet aquis. *Virg.* 12. *Æn.* 485. aversos cursus Juturna retorsit. *Horat.* 3. *Od.* 5. 21. vidi ego civium Retorta tergo brachia libero. *Plin. Paneg.* 34. *a med.* Intueri delatorum supina ora retortasque cervices. *Colum.* 4. *R. R.* 26. *ad fin.* Meminerit alligator, ne retorqueat sarmentum, sed tantum inflexum devinciat. *Quintil. declam.* 8. 8. *extr.* Omnium oculos in se retorquere. *h. e.* convertere. — Et Mediorum apud Græcos more. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Ubi paullatim retorqueri agmen ad dextram conspexerunt. — *b*) Latiore sensu *retortus* est retro actus, retro pulsus, repulsus. *Horat.* 1. *Od.* 2. 13. Vidimus flavum Tiberim, retortis Litore Etrusco violenter undis Ire etc. *Seneca Hippol.* 676. Ac versa retro sidera obliquos agant retorta cursus. — Similiter *retorquere aliquem,* repellere, retro agere, *ributtare, spingere indietro. Horat.* 2. *Od.* 19. 21. *de Baccho.* Tu, quum parentis regna per arduum Cohors Gigantum scanderet impia, Rhœtum retorsisti leonis Unguibus horribilique mala. *Quintil. declam.* 16. 18. Tibi imputes, quod me retorsisti. *h. e.* retraxisti. — *c*) Item *retortus* est contortus, flexuosus. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 2. Specus alios simplices et rectos, alios in cochleam retortos. *Claudian. cons. Prob.* et *Olybr.* 86. Colla nec ornatu patitur mollire retorto. *h. e.* torque. *Martial.* 6. 39. Hic qui retorto crine Maurus incedit. *crespo, ricciuto, inanellato.* et *Virg.* 12. *Æn.* 400. ille retorto Pæonium in morem senior succinctus amictu. *h. e.* circa corpus obvoluto. Cf. *eumd.* 8. *ibid.* 460. Demissa ab læva pantheræ terga retorquens. Ubi *Servius:* A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens et in dextram revocans, se amiciebat. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 10. Refert Josephus (*Antiq. Hebr. l.* 3. *c.* 8. ἐκ βύσσου κλωστῆς) hæc feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solere contexi. ¶ 2. Speciatim *retorquere viam,* redire viam, eamdem viam rursus inire. *Claudian. de Phœnice,* 27. ubi mille vias longinqua retorserit æstas.

II.) Translate. *Virg.* 12. *Æn.* 841. Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit. *h. e.* ab ira et tristitia revocavit, et alio flexit. *Seneca* 3. *Benef.* 3. *a med.* Nemo nostrum novit nisi id tempus quod quum maxime transit: ad præterita rari animum retorquent. *Justin.* 34. 4. 2. Hortati sunt, ut crudelitate patris provocatus occupet insidias, et in auctorem retorqueat scelus. *Ulp. Dig.* 38. 2. 14. *circa med.* Si ab eo petitus retorsit in eum crimina. *Apul. Florid. n.* 18. Discipulus biceps illud argumentum retorsit. *h. e.* convertit in adversarium. *Fronto de Eloqu.* 1. Sermones gibberosi, retorti. — Singulare est illud *Diomed.* 2. *p.* 423. *Putsch.* Syllabæ, ut ait Varro, aliæ sunt asperæ, aliæ lenes, proceræ aliæ, aliæ retortæ *etc.* Retortæ sunt, quæ mutam habent extremam, ut *hic, hæc, hoc.*

RĔTORRESCO, is, ere, n. inchoat. 3. *divenir secco, inaridire,* καταξηραίνομαι, retorridus fio, aresco. *Colum.* 3. *R. R.* 3. *ante med.* Sata non ita enutriunt, ut ante convalescant ac prosiliant, quam retorrescant. Adde *eumd. ibid.* 5. *init.* et 17. *sub fin.*

RĔTORRĬDĔ, adverb. κατεξηρασμένως, aride. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (33). Terram amaram sive macram, siquis probare velit, demonstrant atræ herbæ: frigidam autem retorride nata.

RĔTORRĬDUS, a, um, adject. est valde torridus, nimio sole aut frigore ustus, ambusto similis, exsuccus, corrugatus, aridus, siccus: et fere de plantis dicitur, κατάξηρος (It. *seccato, secco, inaridito, riarso*; Fr. *desséché, sec, ridé, rabougri*; Hisp. *desecado, seco, arrugado, desmedrado*; Germ. *verdorrt, dürr*; Angl. *shrivelled or wrincled with too much heat, parched, dried up with heat, burnt up*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 9. *ad fin.* Prata retorrida et muscosa. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 2. (et 4. *ibid.* 5. *extr.*) Nimia siccitas destituit plantas naturali alimento, aut in totum necat, aut scabras et retorridas facit. *Id.* 11. *ibid.* 2. *a med.* Oleæ cacuminibus retorridæ frondis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (121). Myrtus retorrida ac squalida. *Id.* 17. *ibid.* 26. 39. (246). Si frigus gemmas retorridas hirtasque fecerit. *Id. ibid.* 22. 35. (11). Fructus retorridus et nodosus. *Seneca Ep.* 12. Nodosi et retorridi rami. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 97. (122). Herba spinis retorrida, lanugine spissa.

II.) Translate. *Phædr.* 4. 1. *de murib.* Aliquot secutis, venit et retorridus, Qui sæpe laqueos et muscipula effugerat. *h. e.* annis obsitus, macilentus, enectus, pelle corrugata et arida: atque adeo callidus, astutus. *Gell.* 15. 30. Qui ab alio genere vitæ detriti jam et retorridi, ad litterarum disciplinas serius adeunt. *Capitolin. Maxim.* 6. Vultu gravissimus, et retorridus. *h. e.* tristis, corrugata fronte, severus. *Alii leg.* verecundus. *Lamprid. Alex. Sev.* 59. Gallicanæ mentes, ut sese habent duræ ac retorridæ, et sæpe imperatoribus graves, severitatem hominis nimiam non tulerunt. *h. e.* asperæ, difficiles, intractabiles, inflexibiles, ut sunt arentes arborum rami. Ita *Salmas.* Alii leg. *retrorsæ,* aut *retrogradæ.*

RĔTORTUS, a, um, particip. *V.* RETORQUEO.

RĔTOSTUS, a, um, particip. ab inusit. *retorreo:* iterum aut valde tostus. *biscottato,* παλίνοπτος. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (48). Thebaidis palmæ fructus in cados conditur cum sui ardoris anima: ni ita fiat, celeriter exspirat, marcescitque non retostus furnis.

RĔTRACTANS, antis, particip. *V.* RETRACTO.

RĔTRACTĀTĬO *vel* Retrectatio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus retractandi, h. e. opinionem revocandi, *ritrattazione,* ἀναμεταχείρισις. *Cic.* 5. *Tusc.* 29. 82. Ut sine retractatione libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos. *Id.* 13. *Att.* 25. Conficies, et quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. *Id.* 14. *Phil.* 14. *sub fin.* Quum sine ulla retractatione pro patria vitam profuderint. *h. e.* detrectatione, recusatione. Omnibus his loc. alii leg. *retrectatio.* — *Retractationes* inscripsit *Augustinus* libros duos, in quibus multa retractat et corrigit, quæ in aliis operibus scripserat. ¶ 2. Item detrectatio, actus ejus, qui parere recusat. *Liv.* 6. 28. Juniores Romani ad edictum sine retractatione convenere. *Alii leg.* detrectatione; *alii aliter.* V. *Drakenborch.* ad h. l., et ad *Liv.* 3. 49. § 2.; et cf. voc. seq. ¶ 3. Apud Rhetores est repetitio ejusdem vocis alia significatione acceptæ. *Jul. Rufin. de schem. lex.* 14.

RĔTRACTĀTOR, ōris, m. 3. qui detrectat, et recusat aliquid facere. *Tertull. Jejun.* 15. Retractator officii. *Alii leg.* detrectator. Absolute *Spartian. Get.* 4. Fuit moribus asperis, retractator, gulosus, cupidus etc. Ita *Salmas.* ex MSS. Alii *tractator.* — Est qui retractat, *h. e.* repetit vel ad examen revocat, apud *Isid.* 10. *Orig.* 235.

RĔTRACTĀTUS *vel* Retrectatus, a, um, particip. *V.* RETRACTO.

RĔTRACTĀTUS, us, m. 4. retractatio. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. *sub fin.* Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis. *h. e.* etiam si eorum doctrinæ non retractentur, et ad examen non revocentur. *Id. Præscript.* 7. Eædem materiæ apud hæreticos et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. *Id. Apolog.* 4. Dure definitis dicendo, non licet esse vos: et hoc sine ullo retractatu humaniore præscribitis. *senza alcuna remissione.*

RĔTRACTĬO, ōnis, f. 3. actus retrahendi.

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 6. 65. Raptus posterganeus, quem opisthotonon Græci vocant, est involuntaria colli retractio, ob nimiam stricturam sive tumorem. — In gradibus scalarum retractio est spatium et latitudo, qua gradus superior ab inferiore retrahitur, ut pedi scandentium locum præbeat insistendi, *il piano dello scaglione. Vitruv.* 3. 3. Retractiones graduum nec minus quam sesquipedales, nec plus quam bipedales faciendæ videntur.

II.) Translate. ¶ 1. Est revocatio. *Boeth. in Porphyr. Dial.* 1. Est autem hic amor sapientiæ intelligentis animi ab illa pura sapientia illuminatio, et quodam modo ad se ipsam retractio atque advocatio. ¶ 2. Figurate est contractio, deminutio, detractio, subtractio. *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. Modo auctio, modo retractio dierum proveniebat. *Boeth. Arithm.* 1. 18. Quoad unitas ultima vicem retractionis impediat. ¶ 3. Item recusatio. *Arnob.* 5. *p.* 162. Tam gerere illa morem sine ulla retractione debuerat. *h. e.* non retrahendo se, non recedendo.

RĔTRACTO *vel* retrecto, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Retractans* sub *A.* II. et *B.*; *Retractatus* sub *A.* II. et in fin.; *Retractandus* sub *A.* et *B.* — Retracto

A) A *re* et *tracto* est idem atque iterum tracto, contingo, refrico (It *rimaneggiare, ritoccare;* Fr. *reprendre, traiter de nouveau;* Hisp. *volver á tomar, tomar otra vez, tratar de nuevo, emprender de nuevo;* Germ. *v. Neuem od. wieder angreifen,-behandeln,-vornehmen;* Angl. *to handle again, touch again*).

I.) Proprie. *Virg.* 10. *Æn.* 396. Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 41. (et 3. *ibid.* 11. 19.) Neve retractando nondum coeuntia rumpam Vulnera. *Id.* 10. *Met.* 288. rursusque manu sua vota retractat. *et ibid.* 370. furiosaque vota retractat. *Virg.* 7. *Æn.* 693. desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat. *ripiglia,* resumit. Adde *Liv.* 2. 30. Tutius visum est defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma. — Sic est renovo, reficio, *ripulire, rifare,* apud *Colum.* 4. *R. R.* 26. *init.* Pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandæ.

II.) Translate ad mentem animumque refertur, et — *a*) Est idem ac rursus inspicio, recognosco, memoria repeto, iterum commemoro, *rivedere, riconoscere, riandare,* ἀναλογίζομαι. *Colum.* 1. *R. R.* 4. *init.* Ager prima inspectione neque vitia, neque virtutes abditas ostendit, quæ mox retractantibus facilius apparent. *Id. præf. ante med.* Sæpe mecum retractans atque recogitans, quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris. *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72. et *Ovid.* 4. *Met.* 568. Retractare et relegere aliquid. Rursus *Cic. Mur.* 26. 54. Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus, - locus a me rectractandus. *Horat.* 2. *Od.* 1. 38. Retractare munera Ceæ neniæ. *h. e.* θρήνους, seu lugubres cantus, post Simonidem iterum conari et imitando exprimere. *Seneca Ep.* 46. *sub fin.* De libro tuo plura scribam, quum illum retractavero. *Varro* 8. *L. L.* 2. *Müll.* Quod quum de copia verborum scribam, erit retractandum. *Quintil.* 2. 4. 13. Quoties eamdem materiam rursus a me retractatam scribere de integro, juberem. *Alii leg.* tractatam. *Sueton. Aug.* 34. Leges retractavit, et quasdam ex integro sanxit. *Ovid.* 7. *Met.* 714. mecumque Deæ memorata retracto. *Sueton. Gramm.* 2. Carmina poetarum diligentius retractare. *Plin.* 8. *Ep.* 21. *sub fin.* Leges librum sed retractatum. *Eumen. orat. pro restaur. schol.* 6. Me jussit disciplinam artis oratoriæ retractare. *h. e.* resumere, iterum profiteri. *Cic.* 8. *Att.* 9. *ad fin.* Sed hæc omittamus. augemus enim dolorem retractando. *Seneca* 1. *Controv. præf. circa med.* Retractare memoriam carissimi sodalis. — *b*) Item reviso, relego, recenseo emendandi gratia. *Plin.* 5. *Ep.* 8. *circa med.* Egi magnas et graves causas. has destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc, quod reliquum est, studii addidero, mecum pariter intercidat. Adde 4. *Ep.* 9. *extr.* et 9. *Ep.* 10. et 40. Sic *Gell.* 3. 3. *ad fin.* Fabulæ a Plauto retractatæ atque expolitæ sunt. *et* 17. 10. Retractare et corrigere aliquid. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Retractatus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur, et est recognitus, recensitus, *riveduto;* unde Comp. *Retractatius* apud *Cic.* 16. *Att.* 3. Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, et quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum et refectum.

B) Quum est frequentativum a *retraho* — *a*) Absolute significat retrahere se, recusare, reluctari, detrectare, *ricusare, fare il ritroso:* atque hac notione etiam *retrecto* scribitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 76. Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis, sive properabis. *h. e.* cunctaberis, invitusque progredieris. *Alii leg.* retardabis. *Liv.* 3. 52. Secuta exercitum plebs, nullo, qui per ætatem ire posset, retractante. *et* 37. 18. *a med.* Eumene summæ rei discrimen haud dubie retractante. *Alii utrobique leg.* detrectante. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Retractans juvencus et calcitrosus. *h. e.* qui non potest facile duci, quo volumus, sed retractat ac renuit. *Alii leg.* retrectans. *Sall. in orat. Philippi contra Lepid.* Vos mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis, quam defenditis. *h. e.* recusantes quidquam agere propter verba et carmina vatum. *Virg.* 12. *Æn.* 889. Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas? — *b*) Cum Accusativo significat revocare, reprobare, omittere, quasi se retrahendo, *ritrattare, rivocare,* ἀνατίθεμαι. *Virg.* 12. *Æn.* 11. nihil est quod dicta retractent Ignavi Æneadæ, nec quæ pepigere, recusent. *Trajan. ad Plin.* 10. *Ep.* 112. Ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum temporis largitiones retractari, atque in irritum vindicari non oportet. — Item reprehendere, improbare, *riprendere, criticare. Gell.* 14. 3. Retractandi levandique ejus operis gratia.

RĔTRACTUS, a, um, particip. *V.* RETRAHO.

RĔTRACTUS, us, m. 4. actus retrahendi, retractio. *Tertull. advers. Gnost.* 1. Bellicam machinam retractu tela vegetantem. Adde *Isid. de nat. rer.* 40. 4.

RĔTRĀDO, dis, dere, a. 3. (re *et* trado) *restituire,* reddo, restituo. *Ulp. Dig.* 4. 2. 9. *a med.* Ut si per vim res tradita sit, retradatur. *Modestin. ibid.* 24. 2. 58. Reddendus est a marito servus uxori, ea conditione, ut, quum jussu ejus adierit, rursum marito retradatur. Adde *Pompon. ibid.* 19. 1. 6.

RĔTRĂHENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (re *et* traho). Particip. *Retrahens* sub *A.* II. *a.*; *Retractus* sub *A.* I. et II. et *B.* II. et in fin.; *Retracturus* sub *A.* II. *g.* et *B.* II. — Retraho

A) Est idem ac retro, vel in contrariam partem traho, ἀνέλκω (It. *tirare indietro, ritirare;* Fr. *tirer en arrière, retirer, reprendre, rappeler;* Hisp. *tirar atras, traer atras;* Germ. *zurückziehen,-holen,-rufen;* Angl. *to draw or pull back, draw the contrary way, withdraw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Accius p.* 143. 2. *Ribbeck.* Quum striderat retracta rursus inferis. *Cic. Cæl.* 26. *ad fin.* Licinius quum jam manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxit. *Plaut. Rud.* 4. 3. 8. Quid tu, malum, nam me retrahis? *Virg.* 5. *Æn.* 709. quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. *et* 10. *ibid.* 307. retrahitque pedem simul unda relabens. *Cic.* 2. *Fin.* 17. *ad fin.* Scipio Hannibalem in Africam retraxit. *Sisenna Hist. p.* 279. *Peter.* Si quæ celeriter solvi poterat, in altum remulco retrahit. *Ovid.* 3. *Met.* 87. se retrahebat ab ictu, Læsaque colla dabat retro. *Auct. B. Hisp.* 6. Retrahere aliquem a via. Sic *Apul.* 4. *Met.* Paululum a via retractum in vallem proximam præcipitant. *Cels.* 1. 1. Interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere. *Liv.* 32. 38. Pecuniæ imperatæ ingentes. Qui non cunctanter contulere, sine contumelia et laceratione corporum sunt dimissi: quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servilem modum lacerati atque extorti. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 26. (59). Mugilem longa linea ad branchias religata emissum in mare, eademque linea retractum feminæ secuntur ad littus. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* Plus queunt pecudes collo et pectore conari, quam cornibus: atque hoc modo tota mole corporis nituntur: at illo retractis et resupinis capitibus excruciantur. — Et mediorum apu. Græcos more. *Lucret.* 2. 155. Quapropter simu inter se (*corpuscula*) retrahuntur. ¶ 2. Speciatim *retrahi* dicuntur, qui in fuga capti, eodem, unde aufugerant, reducuntur. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. *a med.* Partem equitatus ad eum insequendum mittit, retrahique imperat. *Liv.* 25. 7. Missi qui sequerentur, ab Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. *Justin.* 38. 9. 6. Fugientem Phraates, equitum celeritate per compendiosos tramites occupatum, retrahit. — Sic Particip. *Retractus* sæpe de eo dicitur, qui inter fugiendum captus reducitur eo, unde fugerat. *Cic.* 6. *Phil.* 4. 10. Atque ita mœstus rediit, ut retractus, non reversus videretur. *Sall. Cat.* 40. *et* 49. Quem retractum ex itinere parens necari jussit. *Id. ibid.* 48. *extr.* et *Sueton. Aug.* 17. *sub fin.* Quem retractum ex fuga supplicio affecit. *Tac.* 4. *Ann.* 29. Cessit urbe, ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur. — Jlocaliter *Ter. Heaut.* 4. 2. 11. Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen. *rimenerò a bottega.*

II.) Translate latissime patet, et est — *a*) Avoco, revoco, abduco, abstraho. *Cic. Sext.* 15. 34. Quum duos consules a republica provinciarum fœdere retraxisset. *Pseudo-Cic. in Sall.* 3. Atque ipsa republica manu retrahente me. *Ter. Phorm. prol.* 1. Postquam poetă vetus poetam non potest retrahere ab studio, et transdere hominem in otium. *Vulgat. interpr. Joel.* 2. 10. A facie ejus (*Dei*) contremuit terra, moti sunt cæli: sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. *h. e.* abstulerunt, densissimis pulveris voluminibus lucem impedientibus. — *b*) Item eripio, vindico. *Nepos Epam.* 8. *a med.* Uno prœlio Thebas ab interitu retraxit. *Augustus in ep. apud Sueton.* 71. Ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis præter spem paullatim retractus est. — *c*) Item repono, restituo. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 41. Qui damnati ad pœnam erant, non modo ea liberati sunt, sed in conditionem proborum ministrorum retrahuntur. — *d*) Item converto, in contrarium traho. *Cic. Partit. orat.* 39. 137. Deinde genus ejusmodi calliditatis et calumniæ retrahatur in odium judicis, cum quadam invidiosa querela. — Huc referri potest et illud *Tac.* 16. *Ann.* 1. Nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. *h. e.* somnium pro re certa habuit. ubi *Forcellino* τὸ retraxit est pro simplici traxit. — *e*) *Retrahere se,* se subducere, *ritirarsi. Horat.* 1. *Ep.* 18. 58. Ac ne te retrahas, et inexcusabilis absis. *Catull.* 30. 9. Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia ventos irrita ferre sinis. *h. e.* a fide et promissis discedis. — *f*) *Retrahere verba,* supprimere, sermonem abrumpere, aliquo, cui non fidis, superveniente. *Seneca Ep.* 3. *a med.* Quid est ergo, quare ulla verba coram amico meo retraham? quid est, quare me coram illo non putem solum? — *g*) *Retrahere vires* ingenii, retinere, reprimere, non omnes exserere. *Seneca Ep.* 79. *ante med.* Modestia tanta in te est, ut videaris mihi retracturus ingenii tui vires, si vincendi periculum sit. tanta tibi priorum reverentia est. — *h*) *Retrahere noctes,* ad brevitatem reducere, contrahere, *accorciare. Manil.* 2. 253 *de Capricorno.* brumalem servans per sidera sortem, Quo retrahit ductas summa ad fastigia noctes. Cf. *Sueton. Cæs.* 41. Ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit. *ridusse, restrinse.*

B) Retraho est etiam idem ac rursus traho.

I.) Proprie. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Postero die quum ad eosdem cruciatus retraheretur etc. *Id.* 3. *ibid.* 38. Cæsar Antistium Veterem absolutum adulterii, increpitis judicibus, ad dicendam majestatis causam retraxit. *et* 4. *Hist.* 70. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt.

II.) Translate. *Tac.* 4. *Hist.* 46. Pollicitus, si præsidium daretur, iturum in Batavos, et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum. *Id.* 13. *ibid.* 23. *extr.* Tabulæ exustæ sunt, quibus obliterata ærarii nomina retrahebat. *h. e.* exigendi causa rescribebat, et quodammodo reviviscere faciebat. *Varro* 5. *L. L.* 5. *Müll.* Quare illa (*verba*) quæ jam majoribus nostris ademit oblivio fugitiva, secuta sedulitas

Mucii et Bruti retrahere nequit. *h. e.* in usum reducere. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Retractus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Retractior;* et est reductus, remotus, *ritirato, rimoto, lontano. Liv.* 34. 9. Græcum oppidum in mare expositum: Hispanis retractior a mari murus erat. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Hujus atrii a læva retractius paullo cubiculum est amplum. *Liv.* 36. 21. Creusa, Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum. *Seneca* 1. *Controv.* 6. Retracti introrsus oculi. *h. e.* introrsum conditi, ut *id.* ait *ibid.* 1. *ante med.*

RĔTRANSĔO, is, ire, 4. iterum transeo. — *a*) Neutrorum more. *Augustin.* 10. *Confess.* 30. Quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo? — *b*) Active. *Innocent. de cas. litter. p.* 312. 14. *Rudorff.* Casa retransit et limitem sextaneum ante se. *Gromat. vet. p.* 335. 23. *R.* Ipsum rivum limes transit et retransit.

RĔTRANSĬTĬO, ōnis, f. 3. iterata transitio. Translate apud *Priscian.* 17. *p.* 1086. et 1092. *Putsch.* ubi loquitur de pronomine *sui, sibi, se.*

RĔTRANSĬTĪVĒ, adverb. per retransitionem. *Priscian.* 17. p. 941. *Putsch.* Quum ipsa (*tertia persona*) agit et sic alia in ipsam, id est quum retransitive dicitur.

RĔTRANSĬTĪVUS, a, um, adject. ad retransitionem pertinens. *Priscian.* 18. *p.* 1086. *Putsch.* Retransitivum (*pronomen*), in quo necesse est prius personæ tertiæ significationem voce aliqua fieri, ad quam genitivus vel reliqui casus referantur. Adde 13. *p.* 968.

RĔTRANSMĔO, as, are, a. 1. iterum transmeo. *Jornand. Get.* 20. Gothi Hellesponticum fretum retransmeant.

RĔTRANSMITTO, is, ere, a. 3. iterum transmitto, idem ac retranseo. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 103. Bactris ipse profectus retransmittit protinus Caucasum. *V.* TRANSMITTO.

RĔTRĀRĬUS, a, um, adject. retro versus, apud *Augustin. Serm.* 105.

RĔTRECTO. *V.* RETRACTO.

RĔTRĬBŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTRĬBŬO, būis, būi, būtum, būere, a. 3. (re *et* tribuo). Particip. *Retribuens* II.; *Retributus* I. — Retribuo

I.) Proprie. — *a*) Est idem ac reddo, restituo, quasi retro tribuo, *restituire, rendere,* ἀνταποδίδωμι. *Liv.* 2. 41. *a med.* Jubet, pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. *Paulin. Nolan. carm.* 32. 513. Cur aliena tenes? qua spe linquenda retentas Nec retributa suis, nec potienda tibi? — *b*) Item vicissim tribuo. *Lucret.* 5. 276. Semper enim quodcumque fluit de rebus, id omne Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra Corpora retribuat rebus, recreetque fluentes, Omnia jam resoluta forent, et in aera versa. — *c*) Item assigno, adscribo, attribuo. *Cic. Rosc. Com.* 15. 44. Nihil mihi detraham, quum illis exactæ ætatis severissime fructum, quem meruerunt, retribuam.

II.) Translate. *Lactant.* 6. 18. Iis, qui sibi nocent, vicem retribuere. *Vulgat. interpr. Psalm.* 7. 4. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. *Id. Psalm.* 54. 22. Deus extendit manum suam in retribuendo. — In illo *Plin.* 10. *Ep.* 86. Keil. *leg.* pertribuerunt.

RĔTRĬBŪTĬO, ōnis, f. 3. *retribuzione, ricompensa,* ἀντιδωρεά, ἀνταπόδοσις, remuneratio. *Tertull. Apolog.* 18. Deus judicaturus est cultores suos in vitæ æternæ retributionem. *Sidon.* 4. *Ep.* 11. *ante med.* Merita sua spe futuræ retributionis celare studuit. — In malam partem. *Lactant.* 6. 18. *a med.* Voluit (*Tullius*) hominem canino more vivere, ut remordeat lacessitus. Quæ retributio contumeliæ quam perniciosa sit, etc.

RĔTRĬBŪTOR, ōris, m. 3. *retributore,* qui retribuit, et compensat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 29. *a med.* et 5. *ibid.* 16.

RĔTRĬBŪTUS, a, um, particip. *V.* RETRIBUO.

RĔTRĪCES, um, f. plur. 3. Retricibus quum ait Cato in ea, quam scripsit, quum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum et tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam et Asinariam usque ad Latinam. Hæc *Festus p.* 282. 18. *Müll. Retrices* itaque sunt rivi aquæ: fortasse a ῥεῖθρον vel ῥέεθρον *fluentum, rivus,* ut ait *Martinius.*

RETRICO, as, are, a. 1. iterum trico. *h. e.* tricis involvo. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 150.

RĔTRĪMENTUM, i, n. 2. (retero) *feccia,* ἀπόκριμα, cujuslibet rei excrementum. *Varro* 1. *R. R.* 64. Amurca quum ex olea est expressa, qui est humor aquatilis, ac retrimentum conditum in vas fictile. *Alii leg.* recrimentum. *Cels.* 5. 15. et 19. *n.* 26. Plumbi retrimentum σκωρίαν μολύβδου Græci vocant. — In animalibus quoque excrementa omnia *retrimenta* vocantur, *escrementi,* ἀφοδεύματα. *Varro* apud *Non. p.* 217. 23. *Merc.* Retrimenta cibi, qua exierint per posticum, evallefeci. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. In ventre fit prima digestio, cujus fex retrimenta sunt, quæ per intestina labuntur. *Id. ibid.* 15. *ad fin.* Urina est retrimentum potus.

RĔTRĬOR, us, ōris, adject. compar. a *retro,* posterior. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 11. 138. Pygargus, fera est specie cervi, quæ retriores partes albas habet: ideo et pygargus dictus est, quia Græce nates πυγὴ dicuntur. *V.* PYGARGUS.

RĔTRĪTŪRO, as, are, a. 1. idem quod trituro, vel iterum trituro. *Augustin. ep.* 255. *ad Macrob.* 3.

RĔTRĪTUS, a, um, particip. *V.* RETERO.

RĔTRO, partic. (re *et suffix.* ter): est autem *A*) Adverbium, et *B*) Præpositio.

A) Adverbium, est idem atque a tergo, post, in eam partem, quæ a tergo est, et quum statui, tum motui inservit, ὀπίσω, ὄπισθεν (It. *di dietro, indietro, addietro;* Fr. *par derrière, derrière, de derrière;* Hisp. *detras;* Germ. *rückwärts, hinterwärts, hinter, hinten, nach hinten;* Angl. *behind, on the back side, back, backwards*).

I.) Proprie. — *a*) Quum statui tum motui inservit. *Pacuvius p.* 119. 3. *Ribbeck.* Rapide retro citroque percito æstu præcipitem ratem Reciprocare. *Alii leg.* ultro citroque. *Ter. Heaut.* 5. 1. 29. Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro. *Cœlius* ad *Cic.* 8. *Fam.* 15. *a med.* Item mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 49. Præcepit, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. *Horat.* 1. *Od.* 35. 25. meretrix retro Perjura cedit. *si ritira.* et 2. *ibid.* 11. 5. fugit retro Levis juventas et decor. *Ovid.* 4. *Met.* 134. retro ferre pedem. et 3. *ibid.* 10. flectere ora. et 1. *ibid.* 529. Et levis impexos retro dabat aura capillos. *Liv.* 30. 10. *ad fin.* Retro inhibere navem. *Virg.* 5. *Æn.* 428. Abducere retro longe capita ardua ab ictu. *Id.* 9. *ibid.* 392. simul et vestigia retro Observata legit. *et* 4. *ibid.* 489. Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro. *et* 3. *ibid.* 686. certum est dare lintea retro. *h. e.* retro navigare. *et* 4. *G.* 495. en iterum crudelia retro Fata vocant. *h. e.* revocant. *Lucret.* 6. 381. Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra. *h. e.* a dextera ad sinistram scribentem, ut Etrusci, Arabes, Hebræi. — *b*) Cum præpos. *de, a. Vulgat. interpr. Bar.* 6. 5. Visa turba de retro et ab ante etc. *Inscript.* apud *Murat.* 480. 7. ANTE PORTAM PED. XII. A RETRO P. XV. Alia apud *Gud.* 299. 4. IN FR. P. VIII. A RET. P. V. Adde aliam *ibid.* 197. 1. Alia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 635. ANTE ET A RETRO. — *c*) Amat pleonasmum. *Cic.* 5. *Tusc.* 2. *sub fin.* Tam longe retro respicere non possunt. *Auct. B. Afr.* 50. Retro regredi. *Phædr.* 2. 1. et *Virg.* 9. *Æn.* 798. referre pedem. *Id. ibid.* 794., *Ovid.* 15. *Met.* 249. et *Liv.* 24. 20. redire. *Id. ibid.* 40. Navibus Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim refertur ad tempus præteritum. *Cic.* 1. *de republ.* 37. 5. Ergo his annis quadringentis Romæ rex erat? L. Et superbus quidem. S. Quid supra? L. Justissimus; et deinceps retro usque ad Romulum, qui ab hoc tempore anno sexcentesimo rex erat. *Horat.* 3. *Od.* 29. 43. cras vel atra Nubes polum Pater occupato: non tamen irritum Quodcumque retro est, efficiet. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 116. Cujus legis vim si retro quoque velimus custodire, multa necesse est perturbari. *h. e.* in iis, quæ jam acta sunt. *Id. ibid. Ep.* 120. Obsonia eorum certaminum retro non debentur. *h. e.* pro tempore præterito. *Apul. de deo Socrat.* Existimet naturas prorsus ac retro æviternas. *h. e.* ante et post. *Inscript.* apud *Gruter.* 281. 4. MAGNO INVICTO AC SVPER OMNES RETRO PRINCIPES FORTISSIMO IMP. CAES. M. AVRELIO MAXIMIANO PIO FELICI etc. Adde *Pacat. Paneg. Theod.* 1. *Id. ibid.* 22. *a med.* Persis ipsa, reipublicæ nostræ retro æmula. *ne' tempi andati.* Adde *Plin.* 10. *Ep.* 119., *Stat.* 1. *Silv.* 4. 68. et *Capitolin. Pertin.* 9. — Et cum Genetivo temporis *V. Inscript.* in SUPERATRIX. ¶ 2. Generatim ad alias rationes refertur. *Virg.* 10. *Æn.* 6. Cælicolæ magni, quia nam sententia vobis Versa retro? *h. e.* mutata, in contrarium versa. *Seneca* 1. *Controv. proœm.* Nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit. *h. e.* collapsa sit, et a pristino nitore recesserit. *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 87. Honestatem sic complectitur, ut omnia, quæ sine ea sint, longe et retro ponenda censeat. *longe,* a se removendo: *retro,* postbabendo. *Lucret.* 1. 943. retroque Vulgus abhorret ab hac. *h. e.* refugit, et aversatur. *Seneca Ep.* 122. *in fin.* Infamiam petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro vivunt. *al contrario degli altri.* — Sic pro viceversa, contra. *African. Dig.* 46. 1. 21. Si hic servus manumissus fidejussorem dederit, deinde fidejussori suo heres exsistat, durare causam fidejussionis etc. Retro quoque si fidejussor servo manumisso heres exstiterit, eadem adversus eum stipulatio manet. Adde *Cajum ibid.* 7. 7. 4. — Huc pertinet et illud *Marcell. Dig.* 46. 3. 67. Aliquot nummos accipiendo ab eo, eique retro dando. *h. e.* reddendo, vicissim dando. *et mox.* Ut quum decem acceperit, eadem ei retro reddat.

B) Præpositio cum Accusat., et est post, pone. *Apul.* 6. *Met.* Conveniat retro metas Murtias. *Vulgat. interpr. Is.* 57. 8. Retro postem posuisti memoriale tuum. Adde *eumd. Marc.* 8. 33. et *Chalcid. Tim.* 239.

RĔTRŎACTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔTRŎĀGO, ăgis, ēgi, actum, ăgere, a. 3. Particip. *Retroactus* II. — Retroago est idem ac retrorsum ago, ἀποστρέφω (It. *tirare indietro;* Fr. *ramener en arrière;* Hisp. *volver ú pujar atras;* Germ. *zurücktreiben,-führen, wenden;* Angl. *to drive or throw back, turn back*).

I.) Proprie. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Capillos a fronte contra naturam retroagere, ut sit horror ille terribilis. *Mela* 2. 1. 1. Retroagere vasta flumina.

II.) Translate. *Seneca* 1. *Ira* 16. *ante med.* Iram sæpe misericordia retroegit. *h. e.* mature propositum et quasi cursum coegit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (145). Quos non honores currusque illa sua violentia fortuna retroegit, per mediam Urbem censore tracto in Capitolium illud, in quo triumphans ipse ne captivos quidem sic traxerat? *Quintil.* 9. 4. *a med.* Dactylum retroactum appellari constat anapæston. *Id.* 1. 1. *a med.* Ut quum satis litteras affixisse pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu videntur, retroagant rursus, donec litteras facie norint, non ordine. *Id.* 2. 4. *ante med.* Retroagere expositionem, et a media in utramque partem discurrere. et 12. 2. *ante med.* ordinem. *h. e.* invertere, ab ultimis incipiendo.

RĔTRŎCĒDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔTRŎCĒDO, cēdis, cessi, cēdere, n. 3. Particip. *Retrocedens.* — Retrocedo est retrorsum cedo, retro gradior, *camminare indietro, retrocedere. Ammian.* 16. 12. 1. Extrema metuentem Cæsarem arbitrati retrocessisse etc. *Id.* 31. 10. 5. Retrocedere coacti. *Id.* 29. 1. 3. Opera

consulto retrocedentes, ne ferro violarent adversorum quemquam primi. *Liv.* 8. 8. *circa med.* Pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant. *Avian. fab.* 3. 1. Curva retrocedens quum fert vestigia cancer. *Curt.* 7. 4. 4. Occurrisse enim in Ciliciæ angustissimis faucibus, quum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturæ situ invia.

RĔTRŎCESSĬO, ōnis, f. 3. retrocedendi actus, retrocessus. *Augustin. Quant. anim.* 22. Repercussio minoris (*lapidis*) et retrocessio fiat necesse est.

RĔTRŎCESSUS, us, m. 4. *il tornare indietro*, ἀναχώρησις, regressio. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Illis septem motus, processus et retrocessus, dexterioris ac sinistri etc.

RĔTRŎCĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *retrocieo*, reflexus, recurvus. *Lucret.* 4. 548. (542). Nec simili penetrant aures primordia forma, Quum tuba depresso graviter sub murmure mugit, Aut reboant raucum retrocita cornua bombum. *At Lachmannus rectius legit*: Et reboat raucum regio cita barbara bombum.

RĔTRŎDO, as, are, a. 1. retro do. *Marcell. Dig.* 46. 3. 67.

RĔTRŎDŪCO, is, ere, a. 3. *condurre indietro*, ἀνάγω, retrorsum duco, reduco. *Vitruv.* 10. 6. *in fin.* Non poterat via recta ducere, sed exibat in unam vel alteram partem: ita necesse erat rursus retroducere. *Martian. Dig.* 34. 5. 16. Quædam sunt, in quibus res dubia est, sed ex postfacto retroducitur, et apparet, quid actum sit.

RĔTRŎĔO, is, ire, n. 4. *andare indietro*, ὑπερωέω, retrorsum eo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (70). Progreditur radii violentia, et retroire cogit vapor repercussus. Sic Particip. *Retroiens* apud *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 21. Deficiente materia, retroiens ipse descendit. Ceterum *V.* RETRO et EO, is.

RĔTRŎFLECTO, ctis, xi, xum, ctere, a. 3. *piegare indietro*, ἀνακάμπτω, retrorsum flecto, reflecto. *Petron. Sat.* 126. Frons minima, et quæ radices capillorum retroflexerat. Sic Particip. *Retroflexus* apud *Apul.* 3. *Met.* Manibus ambabus capillo abreptum ac retroflexum affligere lapide gestit. Ceterum *V.* RETRO et FLECTO.

RĔTRŎFLEXUS, a, um, part. *V.* voc. præced.

RĔTRŎGRĂDĀTĬO, ōnis, f. 3. retrocessus. *Capell.* 8. *ad fin.* Retrogradatione sua viciniæ solis admotus. *Cassiod. de astronom.* Retrogradatio stellarum est, quam Græci ἀναποδισμὸν vocant, in quo stella, dum motum suum agat, simul et retrorsum moveri videtur.

RĔTRŎGRĂDĬENS, entis, partic. *V.* voc. seq.

RĔTRŎGRĂDĬOR, grădĕris, (gressus sum) grădi, dep. 3. Particip. *Retrogradiens* et *Retrogressus.* — Retrogredior est retrorsum gradior, retroeo. *camminare indietro*, ἀναχάζω, *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16. (40). Labrum ei (*achli*) superius prægrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. *Ammian.* 20. 11. 15. Arietis ferream frontem laciniis retinuere longissimis, ne retrogradiens resumeret vires. — Habet locum in motibus planetarum, quum moveri videntur contra Signorum ordinem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 12. (61). Ab his terminis retrogradiuntur ad solem. et *ibid.* 17. 14. (76). Mox ab altitudine descendit, retroque graditur ab occasu vespertino usque ad exortum matutinum. tmesis. *Capell.* 8. *p.* 298. *de stella Veneris.* Tunc etiam quum retrograditur, ultra anni circulum tardior collustrat orbem. *Id.* 1. *p.* 19. Ipse Juppiter paullulum retrogressus sub immensi nitoris lumine caligavit.

RĔTRŎGRĂDIS, e, adject. retrogradus. *Apul.* 4. *Met.* Sensim retrogradi gradu domum facesso. Ita leg. *Forcellinus*; at *Ruhnkenius* sensim retrogradi (*alii* retrograda) fuga domo facesso.

RĔTRŎGRĂDO, as, are, n. 1. retrogradior. *Capell.* 8. *in fin.* Solis radius eas retrogradare facit.

RĔTRŎGRĂDUS, a, um, adject. *retrogrado*, qui retrograditur, ὀπισθοπορος. — *a*) Speciatim de planetis recedentibus, ut in RETROGRADIOR dictum est. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 25. *a med.* Utrum emergeret Juppiter, an occideret, an retrogradus esset, (nam hoc illi nomen imposuere cedenti) ante paucos annos didicimus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 15. (77). Mercurii sidus retrogradum in Tauro, et Geminis non fieri. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *a med.* Super tetragono Saturnus retrogradus. — *b*) Generatim. *Retrogradum carmen* apud *Augustin.* 17. *Civ. D.* 15. (ubi alii leg. *grande*) est reciprocum, seu recurrens.

RĔTRŎGRESSUS, a, um, particip. *V.* RETROGRADIOR.

RĔTRŎGRESSUS, us, m. 4. retrocessus. *Macrob.* 3. *Saturn.* 17. *a med.* Quum sol in signo Cancri æstivum solstitium facit, et inde retrogressum agit ad deminutionem dierum. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 20. Retrogressus cum saltibus. (Hoc genus exercitationis *Galen. l.* 2. ἐκπλεθρίζειν vocat.)

RĔTRŎĬENS, euntis, particip. *V.* RETROEO.

RĔTRŎLĔGO, is, ere, a. 3. retrorsum lego. *Quintil. declam.* 6. 7. Curva litora retrolego. *h. e.* retro navigo.

RĔTRŎPENDŬLUS. *V.* ANTEPENDULUS.

RĔTRŎPŌSĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *retropono. Acron.* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 3. 299. Respicere ignoto discet pendentia tergo. id est, retroposito. Ita *Forcellinus*: at *Pauly* reposito.

RĔTRŎREDDO, is, ere, a. 3. retro reddo. *Marcell. Dig.* 46. 3. 67.

RĔTRORSUM et Retrorsus, adverb., quasi *retroversum*, ut *antrorsum*, quasi *anteversum*, est idem ac retro, εἰς τοὐπίσω, ὀπίσω (It. *indietro, all'indietro*; Fr. *en arrière, à reculons, dans une direction retrograde*; Hisp. *hácia atras, al reves*; Germ. *rückwärts, zurück, umgekehrt*; Angl. *backward, backwards, back*).

I.) Proprie, tum motui tum statui inservit. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 74. me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Id.* 1. *Od.* 34. 3. retrorsum vela dare. *Id.* 4. *ibid.* 8. 16. Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ. *Val. Flacc.* 3. 268. dare versa retrorsum Terga metu. *Lucan.* 9. 652. ipsique retrorsum Effusi faciem vitabant Gorgonos angues. *Sil. It.* 11. 511. *de Aufido.* Mox fluctus ferit Hadriacos, magnoque fragore Cedentem impellit retrorsus in æquora pontum. — Pleonasmus est in illo *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (99). Cancri in pavore etiam retrorsum pari velocitate redeunt. *At* Sillig. *leg.* retrorsi. *V.* RETRO.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim adhibetur ad designandum tempus præteritum. *Ulp. Dig.* 15. 1. 32. *ad fin.* Retrorsum ad id tempus conventionem reducere emptoris, quo venditor conventus sit. *h. e.* in tempus præteritum. Sic *ibid.* 15. 5. 18. Retrorsum se actio refert. ¶ 2. Generatim ad alias rationes transfertur, et idem est ac reciproce, modo prorsus contrario, *reciprocamente, in modo contrario, in senso inverso. Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 84. Ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere æther: deinde retrorsum vicissim ex æthere aer etc. *retrocedendo. Quintil.* 5. 9. 6. Quædam argumenta et retrorsus idem valent, ut vivere hominem, qui spirat: et spirare, qui vivit. *reciprocamente.* et *Flor.* 4. 12. *ante med.* Sumpserant bellum adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint: Cherusci equos, Suevi aurum et argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum. victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque præda divisit et vendidit. *tutto successe al contrario.* et *African. Dig.* 44. 3. 6. Hunc perinde haberi ac si retrorsum homo mihi vænisset. *h. e.* si homo a me venditus, rursus ad me emptione redisset.

RĔTRORSUS, adverb. *V.* voc. præced.

RĔTRORSUS, a, um, adject. Comp. *Retrorsior.* — Retrorsus est retro versus, *volto all'indietro.*

I.) Proprie. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 9. 59. (93). Atque ita retrorsa manu ter dicat. *h. e.* retrorsum adducta. *Apul.* 2. *Met.* Denique sæpe retrorsa respiciens substitit. Ita *Pricæus*; at alii leg. *retrorsus*. Adjectivum videtur esse etiam in illo *ejusd.* 6. *Met.* Iter retrorsum porrigens.

II.) Translate ad præteritum tempus refertur, et *retrorsior* est antiquior: a *retro* et *retrorsum*, quum ρ.o ante ponitur. *Tertull. Apolog.* 19. Extremissimi eorum non retrorsiores deprehenduntur vestris sapientibus legiferis et historicis. Alii leg. *retrosiores* eodem sensu, a *retro*, vel legendum *retriores*. *V.* RETRIOR.

RĔTRŌSĬOR. *V.* in voc. præced.

RĔTROSPĬCIENS, entis, particip. ab inusit. *retrospicio*, retro aspiciens. *Vitruv.* 9. 4. Lunæ orientis orbem sol retrospiciens. Ita *Forcellinus*; at *Schneiderus* retrospiciens *uncis inclusit*.

RĔTRŌSUM, adverb. pro retrorsum. *Vel. Long.* p. 79. 6. *Keil.* Dossum per duo s quam per r dorsum quidam ut lenius enuntiaverunt. ac tota r littera sublata est in eo quod est rusum et retrosum. Ita in quibusdam Codd. leg. *Horat.* 1. *Od.* 34. 3. et 1. *Ep.* 18. 88. *Keller.*

RĔTRŌVERSIM et

RĔTRŌVERSO et

RĔTRŌVERSUM et

RĔTRŌVERSUS, adverb. *all' indietro*, recessim, retrorsum. *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 145. 14. *Merc.* Retroversum cedam, imitabor nepam. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Colonia retroversus crescit, tamquam coda vituli. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 7. Radii corporum repercussu retroversim cedentes. *Isid.* 19. *Orig.* 4. Opisphora funes qui cornibus antennæ dextra sinistraque tenduntur, et retroverso.

RĔTRŌVERSUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔTRŌVERTO, tis, ti, sum, tere, a. 3. Particip. *Retroversus* I. et II. — Retroverto est idem ac retrorsum verto, vel converto.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 655. Ipse retroversus squalentia prodidit ora. *Terentian. de metr.* p. 2435. *Putsch.* Quos (*jambos*) in trochæos retrovertit creticus. *Cf. Virg.* 4. *Æn.* 489.

II.) Translate. *Lactant.* 1. 16. *sub fin.* Argumentum retroversum idem valet.

RĔTRŪDO, trūdis, trūsi, trūsum, trūdere, a. 3. Perf. *Retrusit* legitur in *Not. Tir.* p. 131. — Particip. *Retrusus* in fin. et *Retrudendus.* — Retrudo est idem ac retro trudo, *spingere indietro*, ἀνωθέω. *Plaut. Epid.* 2. 2. 63. Cœpi rursum versum ad illas pauxillatim accedere, quasi retruderet hominum me vis invitum. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 1. 5. 1. In metallum retrudendus. *Sulpic. Sev. vit. S. Martin.* 3. Retrudi ergo in custodiam jubetur. — Hinc particip præter. pass.

Retrusus, a, um, adjectivorum more usurpatur, et est idem ac retro trusus, a conspectu remotus: jungitur autem cum *abditus*.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 7. Simulacra deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris, ab isto retrusa atque abdita.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 19. *ad fin.* Hæc sunt in media philosophia retrusa atque abdita. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. *ad fin.* Frons est animi janua: quæ si significat voluntatem abditam esse ac retrusam, etc.

RĔTUNDO, tundis, tŭdi, tūsum et tunsum, tundere, a. 3. (re et tundo). Perf. *rettudi* est *Phædr.* 4. 23.; sed *V.* quæ dicta sunt in RE. — Particip. *Retusus* et *Retunsus* in fin.; *Retundendus* II. — Retundo est idem ac repercutio, repello, hebeto cuspidem aut aciem cujuspiam rei, ἀμβλύνω (It. *ribattere, spuntare, rintuzzare*; Fr. *enlever quelque chose d'affilé, de tranchant, émousser*; Hisp. *embotar, engrosar los filos y puntas de los armas y otros instrumentos*; Germ. *etw. Scharfes od. e. Spitze abstossen, stumpf machen, abstumpfen*; Angl. *to blunt, dull, turn the edge of any thing, retund*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Cat.* 1. *a med.* Gladios in rempublicam destrictos retudimus. *Id. Sull.* 30. 83. Cujus nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim. Adde *Horat.* 1. *Od.* 35. 39. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (3). Tilia citissime ascias retundit. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 12. Quid juvat in nudis hamata retundere tela Ossibus? *Lucan.* 6. 160. confringite tela Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.

II.) Translate. *Cic. Cluent.* 44. 123. Censorii sti-

li mucronem multis remediis majores nostri retuderunt. *Quintil.* 10. 5. *a med.* Mucro ingenii quotidiana pugna retunditur. *Atticus* apud *Cic.* 16. *Att.* 15. *ante med.* In præsentia belle iste puer retundit Antonium. *Lentulus* ad *Cic.* 12. *Fam.* 14. *ante med.* Alicujus improbitatem retundere. *Prudent.* 6. *Cathemer.* 94. iram. *Phædr.* 4. 23. superbiam. *Ter. Heaut.* 5. 1. 72. animum, qui luxuria et lascivia diffluit. *Cœlius* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. sermones. *Liv.* 33. 31. *a med.* linguas Ætolorum. *far tacere.* et *Plin.* 3. *Ep.* 15. Hebetare et retundere aculeos judicii. *Lucan.* 5. 601. Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit. *ribatte, ributta. Nazar. Paneg. Constantin.* 5. Nec intuentem iniquus fulgor retundit. *Hieronym. Ep.* 14. *n.* 3. *extr.* Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro. — Hinc Particip. præter. pass.

Retusus, et *Retunsus*, *a*, *um*, adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Retusior* II. 1.

I.) Proprie. ¶ 1. Est idem atque obtusus, ἀμβλυνθείς, *rintuzzato, ottuso.* — *a*) *Retunsus* legitur apud *Plaut. Pseud.* 1. 2. 26. Securis retunsa. *Virg.* 2. *G.* 301. neu ferro læde retunso Semina. *Pier.* testatur ita legi in exemplarib. antiquiorib. Alii et recentiores plerique omnes *retuso.* V. infra sub II. et OBTUNSUS. — *b*) *Retusus* legitur apud *Ovid.* 12. *Met.* 496. Tela retusa cadunt: manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Cæneus Elateius ictu. *Colum.* 4. *R. R.* 94. *ad fin.* Retusum et crassum ferramentum. *Petron. Sat.* 94. *in fin.* Rudis novacula, et in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret. *Lucret.* 5. 1273. Tum fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (200). Tanta differentia est (*gemmarum*), ut aliæ ferro scalpi non possint, aliæ non nisi retuso. h. e. *col bottone*, quod Galli nunc dicunt *bouterolle*. Sillig. *leg.* retunso. ¶ 2. Est etiam repercussus, *ripercosso. Plaut. Pseud.* 1. 2. 26. Servi plagis retunsi. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 135. *de Hyacintho.* te fronte retusa Delius luget.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1., est hebes, minime acutus aut perspicax. *Plaut. Pseud.* 4. 4. 8. Quam diu mihi cor retunsum est oppugnando pectore! Cf. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 47. adeone retusi Quisquam cordis erit, dubitet qui etc.? *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 4. Acumen omni pistillo retusius. *V.* PISTILLUM. *Sil. It.* 16. 21. rebusque retusis. *h. e.* fractis, occisis. *Id.* 8. 319. et, belli fervore retuso, Laxa fides sociûm est. ¶ 2. De luce repercussa et reddita. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 22. Haud secus ac, tacitam Luna regnante per Arcton, Sidereæ cedunt acies, quum fratre retuso Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis. *Alii leg.* retruso; *al.* recusso. — De luce subobscura, fusca et languida. *Id. IV. cons. Honor.* 183. Visa etiam medio, populis mirantibus, audax Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes.

RĔTUNSŎNUS, a, um, adject. qui sonum reddit retusum. *Paul. Diac. de laud. Herici* apud *Durandi delle ant. città* etc. *p.* 33. *v.* 95. Lanceæ summo Retunsonæ jaculo.

RĔTUNSUS, a, um, partic. *V.* RETUNDO in fin.

RETURBO, as, are, a. 1. iterum turbo. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 82.

RĔTŪRO, as, are, a. 1. (re et *inusit.* turo: cf. OBTURO) aperio, resero. *Arnob.* 1. *p.* 52. Ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas returare. *At* Orellius *leg.* reserare; *alii* reclusare. — *Varro* apud *Non. p.* 167. 5. et 357. 2. *Merc.* Pueri obscenis verbis novæ nuptæ aures returant. Quo loco ad veterum respexit consuetudinem, qui simul ac virgo nupta detulisset prætextam ad Fortunam Virginalem, pueris permittebant, ut coram ea obscena verba proferrent: ante vero Veneris vocabulis acerbæ virginis aures imbuere non licebat. *Returo* igitur est hic translate obturare, aures imbuere, implere; at *Forcellinus* pro *aperio* usurpatum censuit.

RĔTUS, a, um, pro retitus: ab inusit. *retio*, irretitus, apud *Priscian. p.* 534. 6. *Keil.*

RĔTŪSUS, a, um, partic. *V.* RETUNDO in fin.

REU et

REUBARBĂRUM, i, n. 2. *V.* RHEU.

REULCERO, as, are, a. 1. iterum ulcero. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 180.

REUMA *etc. V.* RHEUMA *etc.*

RĔŪMĔNE, es, f. 1. genus spumæ ex argento, apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (108). *At* Sillig. *leg.* peumene.

RĔUNCTOR, ōris, m. 3. *sottocerusico*, is cujus ministerio utuntur medici, qui iatralepticen profitentur; quem Patavini nostri per jocum appellant *scalda e peta*, quoniam ejus frequens officium est cataplasmata et cerota ab iatraleptis præscripta calefacere et imponere. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Prodicus instituens quam vocant iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum, ac mediastinis vectigal invenit.

REUNGO, is, unxi, unctum, ungere, a. 3. iterum ungo. Vox a Lexico expungenda; legitur enim solummodo in *Not. Tir. p.* 180.

REUPONTĬCUM, i, n. 2. *V.* RHEU.

RĔUS, i, m. 2. et Rea, æ, f. 1. De Vocativo sing. hæc habet *Ars anon. Bern. p.* 100. *Hagen.* Veteres dicebant o deus, reus, pius pro o dee, ree, pie. Quod vero ad etymon spectat, hanc vocem alii ducunt a *res*, alii cum *reor*, aut cum Græc. χρέος conjungunt. — Ceterum reus est vox juris propria; et

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, litigator, et quidem uterque litigator olim hoc nomine appellatus fuit. *Cic.* 2. *Orat.* 43. 183. Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. sic enim olim loquebantur. *Id. ibid.* 79. 321. Sed quum erit utendum principio (quod plerumque erit) aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res est) quæ significant etc. *Festus p.* 273. 16. *Müll.* Reus nunc dicitur, qui causam dicit: et item qui quid promisit, spondit ve ac debet. At Gallus Ælius libro secundo significationum verborum, quæ ad jus pertinent, ait: Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est. Hæc *Festus*, qui, lege *XII. Tabul.* allata, statim addit: illic uterque, actor reusque, in judicio rei vocantur. ¶ 2. Item a JCtis reus dicitur interdum, qui aliquam rem præstare tenetur. *Festus p.* 273. 15. *Müll.* Reus stipulando est idem, qui stipulatur: reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid pro altero promisit. *Paul. Diac. p.* 272. 1. *Müll.* Reus dictus est a re, quam promisit ac debet. *Modestin. Dig.* 45. 2. 1. Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi habetur. *Julian. ibid.* 46. 3. 34. *ad fin.* Quoties reus satisdandi reo satisaccipiendi heres exstitit. *African. ibid.* 16. 1. 17. *a med.* Reus pecuniæ. *Ulp. ibid.* 24. 3. 22. dotis. *Id. ibid.* 19. 2. 13. *a med.* locationis. ¶ 3. Latiore sensu et sæpius, reus est quicumque in judicium adducitur sive quippiam admiserit, sive non: cui opponitur *accusator*, *petitor* et *actor*. Dictus est etiam *unde petitur*, (*V.* UNDE) ὑπόδικος, ἔνοχος, ὑπαίτιος (It. *reo o rea, un prevenuto, un accusato*; Fr. *celui qu'on accuse d'une chose, un prévenu, un accusé*; Hisp. *el accusado*; Germ. *e. Sache beschuldigt, angeklagt, der od. die Angeklagte, Schuldige, Verklagte*; Angl. *a person accused or impeached, a culprit, criminal, defendant; a female culprit or defendant*). Usurpatur absolute, h. e. sine addito crimine, aut addito crimine per Genetivum, vel per Ablativum et præpos. de. *Cic. Rosc. Com.* 14. 42. Venerat, ut opinor, hæc res in judicium. certe. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flavius. Quis judex? Cluvius. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 50. Vobis autem tanta inopia rerum est, ut mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos a columna Mænia vestri ordinis reos reperiatis? *Id.* 13. *Fam.* 54. Ut operam des, ut socrus adolescentis rea ne fiat. *Id.* 2. *Verr.* 2. 5. Semel ait se in vita pertimuisse, tum quum primum reus a me factus sit. Ubi *Ascon.* Quid est reum fieri, nisi apud prætorem legibus interrogari? Quum enim in jus ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo: ajo, te Siculos spoliasse. Si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo: si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. *Val. Max.* 6. 8. *init.* M. Antonius, avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. et *id.* 8. 1. *n.* 7. Flavius a C. Valerio ædile apud populum reus actus. *h. e.* accusatus. nam *reum agere* est proprie accusare et actionem prosequi. *Liv.* 4. 42. et *Plin.* 3. *Ep.* 9. *ad fin.* Peragere reum. *V.* PERAGO. *Id.* 7. *Ep.* 33. Postulare aliquem reum impietatis. *V.* POSTULO. *Quintil.* 12. 7. 3. Accusatoriam vitam vivere, et ad deferendos reos præmio duci, proximum latrocinio est. *V.* DEFERO. *Cic.* 7. *Verr.* 42. 109. Absentem aliquem referre in reos. *Id.* 4. *ibid.* 40. *ad fin.* Eximere aliquem ex reis. *Quintil.* 12. 1. *sub fin.* Defendere manifesti peculatus reum: *Ovid.* 15. *Met.* 41. Reos damnare aut absolvere culpæ. *Cic. Sext.* 15. *ad fin.* Quum equester ordo reus a consulibus citaretur. *Id. Mil.* 13. *in fin.* Reus Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. *h. e.* Milone accusante. *Id. Sext.* 35. 75. Sextius, qui est de vi reus. *Id. Vatin.* 17. Est enim reus uterque ob eamdem causam et eodem crimine. *Vellej.* 2. 45. 1. Reus incesti actus P. Clodius. *Quintil.* 4. 2. 30. Cynicum apud censores reum de moribus facere. *Ovid.* 15. *Met.* 36. Spretarumque agitur legum reus. *Sueton. Vesp.* 16. Reis tam innoxiis, quam nocentibus absolutiones venditare.

II.) Translate. ¶ 1. Extra forum et lites, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., reus est qui aliquid promisit vel spopondit, atque ideo debet. *Virg.* 5. *Æn.* 236. taurum constituam ante aras voti reus. Ubi *Servius*: voti reus, debitor: unde vota solventes dicimus absolutos. Inde est, (5. *Ecl.* 80.) damnabis tu quoque votis. et *Macrob.* 3. *Saturn.* 2. Hæc vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat: damnatus autem, qui promissa vota non solvit. *Liv.* 25. 30. *circa med.* Quo intentius custodiæ serventur, opportuna loca dividenda præfectis esse, ut suæ quisque partis tutandæ reus sit. *h. e.* ut si quid adversi acciderit, ei, qui tutari debuit, imputetur. ¶ 2. Item extra forum et lites, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3., reus dicitur is, in quo alicujus facti culpa residere putatur. ad rem *Plaut. Trin.* 2. 1. 4. Nec satis cogitatum est, - amorin' me, an rei obsequi potius par siet. - Utramque rem simul exputem: judex sim reusque ad eam rem. Sic *Cic. Mil.* 19. 50. Tota denique rea citaretur Etruria. et *Sext.* 15. 35. Quum equester ordo reus a consulibus citaretur. *Liv.* 6. 24. *a med.* Orare, ut se reum fortunæ ejus diei, crimine eximerent. *h. e.* in quo residebat culpa adversi prœlii ejus diei. *Id.* 24. 22. Utrum quod satis libertati foret, contenti nece tyranni essent, an, quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent, alienæ culpæ rei trucidarentur. *Id.* 9. 8. Sp. Postumius tamquam reus qua infelicis belli, qua ignominiosæ pacis. *Martial.* 10. 70. Reum esse desidiæ. *Ovid. Heroid.* 14. 120. Quid fiet sonti, quum rea laudis agar? *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (22). Fortuna - una accusatur, una agitur rea. ¶ 3. Est etiam idem ac funestus, infensus: Itali nunc *rio* vocant. *Manil.* 4. 477. Scorpius in prima reus est. et *ibid.* 5. 35. Ille (*Leo*) patri natisque reus, quas ceperis ipse, Non legabis opes, censumque immerget in ipso.

RĔVĂLESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔVĂLESCO, lescis, lŭi, lescere, n. inchoat. 3. Particip. *Revalescens* I. et II. — Revalesco est idem atque ex morbo convalesco, *risanarsi, riaversi, rimettersi*, ἀναρρώννυμαι.

I.) Proprie. *Ovid. Heroid.* 21. 231. Ne tamen

ignores, ope quâ revalescere possim etc. Gell. 16. 13. Quod in eorum finibus ex capitali morbo revaluisset. Apul. 6. Met. Sed Cupido jam cicatrice solidâ revalescens etc. Auson. Gratiar. act. 34. Revalescentibus gratularis.

II.) Translate. Tac. 2. Hist. 54. Causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quæ negligebantur, revalescerent. Id. 14. Ann. 27. Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. Apul. 10. Met. Revalescens rursus astutia. Fronto ep. ad Ver. 6. Iterum respiravi et revalui.

RĔVĀNESCO, nescis, nŭi, nescere, n. 3. ἀναφανίζομαι, iterum evanesco, et in nihilum redigor. Ovid. 2. Amor. 9. 27. animique revanuit ardor. Alii leg. relanguit, resanuit, evanuit.

RĔVECTANS, antis, particip. V. voc. seq.

RĔVECTO, as, are, a. 1. frequentat. a reveho, reporto. Passive apud Jul. Valer. res gest. Alex. M. 3. 42. Revectari ad Macedoniam corpus meum dii permitterent. — Particip. Revectans legitur in Prodr. Corp. Glossar. ed. Löwe. p. 419.

RĔVECTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

RĔVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (re et veho). Particip. Revectus — Reveho est idem ac rursus aut retro veho, refero, reporto: et dicitur de iis, quæ navi, aut curru, aut jumento reportamus, ἀνακομίζω (It. riportare; Fr. ramener en transportant, rapporter; Hisp. retraer transportando; Germ. zurückbringen, -fahren, -tragen; Angl. to carry or bring back).

I.) Proprie. — a) Generatim. Plaut. Bacch. 1. 1. 9. Revehere aliquem domum. Cic. 6. Verr. 35. 77. Quum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta victoriam populi R. reditu suo nunciasset. Horat. 2. Od. 18. 34. nec satelles Orci (h. e. Charon) Callidum Promethea Revexit auro captus. Liv. 1. 35. a med. Præda inde majore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius, quam priores reges, fecit. Id. 2. 47. Consul revectus in castra. Adde Vellej. 2. 24. 3. et Ovid. 13. Met. 401. Vela dat, ut referat, Tirynthia tela, sagittas: Quæ postquam ad Grajos, domino comitante, revexit etc. Plin. 12. Hist. nat. 17. 40. (80). Ex Syria revehunt styracem. et ibid. 19. 42. (88). Contra revehunt vitrea et ahena, vestes etc. — b) Mediorum apud Græcos more, revehi dicuntur, qui equo, curru, aut navi redeunt. Liv. 3. 70. Conficerent equos virosque, ne quis reveheretur inde ad prœlium. Horat. 2. Sat. 5. 4. Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates Aspicere? Martial. 6. 58. Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes. Ovid. 2. Art. am. 138. Hac ego sum raptis parte revectus equis. Plin. 7. Hist. nat. 26. 27. (96). Eques R. curru triumphali revectus est. — c) Pro simplici vehere. Val. Flacc. 1. 98. Jam stare ratem, remisque superbam Poscere quos revehat.

II.) Translate. Cic. Brut. 63. 225. Sed ad paullo superiorem ætatem revecti sumus. h. e. revertimur sermone ad superiorem ætatem. Plin. 8. Ep. 24. a med. Onerat te quæsturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam revexisti. Tac. Agric. 23. Clota et Bodotria (fluvii), diversi maris æstibus per immensum revectæ. h. e. contrarii maris æstibus repulsæ.

RĔVĔLANS, antis, particip. V. REVELO.

RĔVĔLĀTĬO, ōnis, f. 3. scoprimento, ἀποκάλυψις, actus revelandi et detegendi, detectio.

I.) Proprie. Arnob. 5. p. 182. Revelatio pudendorum.

II.) Translate est manifestatio arcani, rivelazione. Tertull. 5. advers. Marcion. 4. Qui filii sui revelationem disposuit. Adde Augustin. 9. Confess. 10. et Vulgat. interpr. passim.

RĔVĔLĀTOR, ōris, m. 3. svelatore, rivelatore, ἀποκαλύπτων, qui revelat. Tertull. 4. advers. Marcion. 25. Nec revelator ipse erit, qui absconditor non fuit. — Not. Tir. p. 154. Revelat, revelator.

RĔVĔLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ἀποκαλυπτικός, ad revelandum, seu manifestandum pertinens. Tertull. Anim. 47. Somnia revelatoria.

RĔVĔLĀTUS, a, um, particip. V. REVELO.

RĔVELLENS, entis, particip. V. voc. seq.

RĔVELLO, vellis, velli (et raro vulsi), vulsum et volsum, vellere, a. 3. (re et vello). Alterum præteritum revulsi apud Ovid. Heroid. 6. 104. Aurea Phryxeæ terga revulsit ovis. et 8. Met. 584. A silvis silvas, et ab arvis arva revulsi. Ita, præter alios, Pierius ad illud 4. Æn. 427. cineres manesque revelli. ubi in oblongo codice Vaticano revulsi legi testatur. Servius negat revulsi recte dici. Grammatici velli et vulsi simplici vello passim tribuunt. Ceterum revelli et certius et usitatius est. — Particip. Revellens I. a.; Revulsus et Revolsus I. a.; Revellendus I. a. — Revello est idem atque avello, refigo, aufero, ἀνασπάω, ἀποσπάω (It. svellere, estirpare, staccare, cavare a forza; Fr. détacher, arracher, séparer, ôter de force; Hisp. desatar, arrancar, quintar con violencia, separar; Germ. wieder wer-, los-, abreissen, -trennen; Angl. to pull or tear away, pull or tear off, pull up, tear up). Usurpatur vero absolute, vel cum Ablativo sine præpos., aut cum præpos. ab, ex, de.

I.) Proprie. — a) Generatim. Cic. 6. Verr. 11. a med. Nec prius illam crucem, quæ fixa est ad portum urbemque vestram, revellistis. Horat. 2. Od. 18. 23. Quid, quod usque proximos Revellis agri terminos etc.? Colum. 2. R. R. 3. init. Boves quum ab opere disjunxerit, substrictos confricet, manibusque comprimat dorsum et pellem revellat, nec patiatur corpori adhærere. Virg. 9. Æn. 561. simul arripit ipsum Pendentem, et magna muri cum parte revellit. et 12. ibid. 787. telumque alta ab radice revellit. Ovid. 4. Pont. 13. 7. ut chartæ titulum de fronte revellas. Id. 12. Met. 356. solidoque revellere dumo Annosam pinum magno molimine tentat. et ibid. 300. duroque sudem vix osse revellit. Id. Remed. am. 87. Arborem tellure revellere. Val. Flacc. 5. 8. flens arma revellit Idmonis e celsa Mopsus rate. Sil. It. 4. 181. Idem, sanguinea Venuli cervice revellens, Sternit præcipitem etc. Cic. Pis. 11. a med. Revellere tela de corpore alicujus. Quintil. declam. 10. 15. sidera mundo. Apul. de Mag. Instrumenta Magis attribuis-non fundo revellenda, sed etc. h. e. non revellenda ex teneris frontibus pullorum. — Et Particip. Revulsus vel Revolsus apud Cic. 4. Verr. 46. Cujus de meritis fuit aenea tabula fixa in curia etc., quæ tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me reportata est. Virg. 8. Æn. 691. pelago credas innare revolsas Cycladas. Id. 4. G. 523. caput a cervice revolsum. et 4. Æn. 515. equi de fronte revolsus, Et matri præreptus amor. Ovid. 2. Met. 316. Illic frena jacent, illic temone revulsus Axis. et 13. ibid. 882. partemque e monte revulsam Mittit. et 5. ibid. 39. ferrum ex osse revulsum. Lucan. 1. 482. patriaque a sede revulsos Pone sequi. Seneca Œdip. 978. lacerum caput Largum revulsis sanguinem venis vomit. Plin. 28. Hist. nat. 4. 9. (41). Revolsus cruci. Alii leg. a cruce. — b) Revellere signa militare est, quum signis sublatis exercitus alio ducitur. Lucan. 7. 77. et Sil. It. 12. 733. — c) Pro eruere, evertere, subruere. Virg. 4. Æn. 427. Nec patris Anchisæ cineres, manesque revelli. Ovid. 3. Amor. 10. 13. de Cerere. Prima jugo tauros supponere colla coegit, Et veterem curvo dente revellit humum. — d) Item eripere, auferre. Ovid. 6. Fast. 515. Injiciuntque manus, puerumque revellere tentant. — e) Item effringere, vi reserare. Cic. 6. Verr. 23. ad fin. et Liv. 5. 21. a med. Pars claustra portarum revellunt. Lucan. 3. 115. Ut videt ingenti Saturnia templa revelli Mole.

II.) Translate. Cic. Cæcin. 25. 70. Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit judiciorum. h. e. dissolvit. Id. 5. Att. 20. 1. Perillustres fuimus, honorificisque verbis omnes injurias revellimus superiores. h. e. sustulimus, ex omnium memoria delevimus. Id. 13. Phil. 12. 26. Consulatum alicujus ex omni monumentorum memoria revellere. Virg. 4. Æn. 545. et quos Sidonia vix urbe revelli, Rursus agam pelago? staccai. et Stat. 3. Theb. 375. Revelli natis, thalamo, patria. Ovid. 4. Met. 152. quique a me morte revelli Heu! sola poteras, poteris nec morte revelli. h. e. separari. Seneca Ep. 95. circa med. Ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio. si cavò di capo. Sic Pers. 5. 91. ira cadat naso rugosaque sanna, Dum veteres avias tibi de pulmone revello. Stat. 3. Silv. 2. 57. Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit. Claudian. 2. in Rufin. 207. Si juvat imperium penitus de stirpe revelli. Nazar. Paneg. Constant. 3. Etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes.

RĔVĒLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et velo). Particip. Revelans et Revelatus I. et II.; Revelandus II. — Revelare est idem ac, velamine ablato, detegere, aperire, nudare, denudare, ἀποκαλύπτω (It. scoprire, snudare, svelare; Fr. dévoiler, decouvrir: Hisp. quitar el velo, descubrir; Germ. enthüllen, entblössen; Angl. to unveil, uncover, bare).

I.) Proprie. Ovid. Heroid. 11. 73. Eripit infantem, mentitaque sacra revelat. Id. 6. Fast. 619. Ore revelato qua primum luce patebit Servius etc. Arnob. 7. p. 221. Via decedere, assurgere, caput revelare. Tac. Germ. 31. Super sanguinem et spolia revelant frontem. h. e. capillis spoliant. Sueton. Galb. 7. extr. Ut jumentum ad lacum duceretur capite involuto, atque ibidem revelato. Flor. 4. 2. a med. de Caton. Utic. Stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. Apul. 10. Met. Carpenta partim contecta, partim revelata. Vulgat. interpr. Deut. 27. 20. Revelat operimentum.

II.) Translate. — a) Generatim. Auson. Perioch. 21. Odyss. Ulyxes Eumæo, quis sit, revelat. Tertull. Apolog. 7. ad fin. Tempus omnia revelat. et advers. Hermog. 28. Si hoc a Deo revelatum est. rivelato. Hieronym. 15. in Isaj. 56. 2. Justitia et salus Domini, quæ prope est, et cunctis gentibus revelanda. Apul. 9. Met. Detectæ ac revelatæ fraudes. Vulgat. interpr. Dan. 2. 47. Deus vester revelans mysteria. et epist. 2. ad Cor. 3. 14 Velamen non revelatum. — b) Pro declarare, explicare. Cæl. Aurel. 1. Acut. 1. 2. Ut, siqua forte a Græcis obscure dicta sunt, revelentur. — c) Revelare aurem vel auriculam est clam admonere, secreto nunciare, apud Vulgat. interpr. 1. Reg. 9. 15. et ibid. 20. 13.

RĔVENDO, vendis, vendĭdi, vendere, a. 3. rivendere, iterum vendo, ἀναπιπράσκω. Ulp. Dig. 38. 2. 37. Quoties pater ejus donum, munus, operas liberto revendiderit.

RĔVĒNĔO, is, ĭi, ire, n. 4. rivendersi, rursus veneo. Nerat. Dig. 18. 3. 5. Si fundus revenisset.

RĔVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, n. 4. (re et venio) rursus venio, redeo, reverto, ἐπανέρχομαι (It. ritornare; Fr. revenir, retourner; Hisp. retornar, volver; Germ. zurückkommen, heimkehren; Angl. to come back, return).

I.) Proprie. Plaut. Merc. 5. 3. 4. Quæso, si senex revenerit, ne me indicetis. Cic. 1. Orat. 38. ad fin. et ibid. 40. Quum miles domum revenisset. Plaut. Trin. 1. 2. 110. Si ille huc salvus revenit. Tac. 2. Ann. 24. extr. Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant. et 4. ibid. 74. extr. Revenere in urbem trepidi. Apul. 9. Met. Larem reveni meum. Id. de Mag. Postquam Alexandriâ revenerit, domum suam rectâ contendisse.

II.) Translate. Plaut. Stich. 3. 5. 8. Cum eo reveni ex inimicitia in gratiam. Id. Bacch. 4. 2. 24. In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid consilii dem meo sodali, nesciam. — Passive impersonaliter. Plaut. Amph. 3. 2. 61. Si reventum in gratiam est.

RĔVENTĬLO, as, are, a. 1. (re et ventilo) iterum ventilo. Translate Claud. Mamert. 1. Stat. an. 24. Istiusmodi illusiones in memoria patitur anima, ex qua nihil phantasiarum reventilare ac proferre possit, nisi easdem e formis corporum per corporeos sensus hausisset.

RĔVENTO, as, are, n. 1. reverto, aut sæpe reverto. Lucret. 3. 1074. Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille, Esse domi quum pertæsum est, subitoque reventat. At Lachmannus leg. revertit.

RĔVENTUS, us, m. 4. ritorno, reditus. Sue-

vius apud Macrob. 2. Saturn. 14. ad fin. suo post inde reventu Hoc genus arboris in prælatis finibu' Grajis Disseruere.

RĔVĔRĀ et Re vera, adverb. *in fatti, effettivamente, per verità, in realtà, in sostanza*, ὄντως, τῇ ἀληθείᾳ, re ipsa, reapse. Cic. Balb. 3. 7. Cujus igitur crimen est? revera nullius: actione accusatoris ejus unius, qui donavit. Id. 3. Fam. 5. Et re vera, confirmata amicitia et perspecta fide, commemoratio officiorum supervacua est. Id. 1. ibid. 4. Qui nunc populi nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio etc. Id. Quinct. 17. sub fin. Hæc ille si verbis non potest, re quidem vera palam loquitur. Adde Nepot. Eumen. 1.

RĔVERBĔRANS, antis, part. V. REVERBERO.

RĔVERBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. reverberandi actus. Translate occurrit, et est objurgatio apud Cassiod. Complex. Act. Apost. 17. Qui tali reverberatione convictus petebat labiis pro se orari.

RĔVERBĔRĀTUS, a, um, part. V. voc. seq.

RĔVERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et verbero). Particip. Reverberans II.; Reverberatus I. et II. — Reverbero est idem ac repercutio, repello, ἀνωθέω, *percotendo risospingere*.

I.) Proprie. Seneca 1. Controv. 3. a med. Sic veneficiis corpus induruit, ut saxa reverberaret. Colum. 3. R. R. 13. circa med. Ut mota æqualiter humus novelli seminis radicibus molliter cedat, ne incrementa duritia sua reverberet. (V. REPERCUSSUS, us in fin.) Apul. de deo Socrat. Corpora splendida et tenuia usque adeo, ut radios nostri tuoris et raritate transmittant, et splendore reverberent. Vet. Scholiast. ad Lucan. 1. 242. Pila reverberata, mutilata in acie. Adde Ammian. 24. 4. 28. et Curt. 8. 9. 7.

II.) Translate. Seneca 2. Clem. 5. a med. Sapiens omnem fortunæ iram reverberabit, et ante se franget. Ammian. 22. 15. 7. Vi reverberante ventorum. Claud. Mamert. 1. Stat. an. 27. Reverberata utique affectuum disparilitate anima tua, ab ejus (amici) anima quodammodo resiliret.

RĔVĔRĔCUNDĬTER, adverb. reverenter. Ennius apud Priscian. 15. p. 1010. Putsch.; et Pomponius apud Non. p. 516. 25. Merc.

RĔVĔRENDUS, a, um, particip. a revereor, quod adjectivorum more usurpatur, unde Sup. Reverendissimus, et est timorem ac reverentiam incutiens, *venerabile, venerando, reverendo*, αἰδέσιμος. Ovid. Ib. 75. Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum. Juvenal. 6. 513. Reverenda facies. Spartian. Sev. 19. Reverendus vultu, canorus voce. Ammian. 26. 1. 2. Ut in quadam ad Cornelium Nepotem epistula Tullius quoque testis reverendus affirmat. Id. 23. 5. 10. Quorum (philosophorum) reverenda tunc erat auctoritas. Claudian. VI. cons. Honor. 588. de Victoria. quæ divite pompa Patricii reverenda fovet sacraria cœtus. Gell. 9. 14. sub fin. et 18. 5. sub fin. Reverendæ vetustatis liber. Oros. 7. 37. Reverendissimi dies. et Impp. Honor. et Theodos. Cod. 1. 55. 8. Reverendissimi episcopi. V. voc. seq.

RĔVĔRENS, entis, particip a revereor (V. REVEREOR), adjectivorum etiam more, absolute vel cum Genetivo, usurpatur, unde Comp. Reverentior sub a et c.; Sup. Reverentissimus sub a. et d.; est autem — a) Active is, qui veretur et observat, *rispettoso, riverente*. Ovid. 1. Met. 232. Non illo melior quisquam, nec amantior æqui Vir fuit, aut illa reverentior ulla deorum. Alii leg. metuentior. Apul. 8. Met. Puella parentum suorum reverens. Tac. Germ. 34. extr. Sanctius ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire. Plin. Paneg. 69. Quis reverentior senatus candidatus, quam tu? Id. 6. Ep. 17. in fin. Quis uno te reverentior hujus operis, quis benignior æstimator? (supra dixerat: omnes, qui aliquid in studiis faciunt, venerari etiam mirarique soleo.) Id. 8. Ep. 21. a med. Illud modestius, et fortasse reverentius, sed hoc simplicius et amantius. Id. 10. Ep. 18. Integer, probus, industrius atque inter ista reverentissimus mei. Tac. 1. Hist. 17. Sermo Pisonis erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus. Massur. Sabin. apud Gell. 4. 20. sub fin. Responsum parum reverens. — Poetice. Propert. 2. 23. 29. Nec tu virginibus (Musis) reverentia moveris ora, h. e. pudibunda, verecunda ora seu vultus conturbaveris, et ruborem expresseris. — b) Passive, qui reverentiam incutit, *venerando, reverendo*. Flor. 4. 12. extr. Sanctius ac reverentius visum est nomen Augusti. Inscript. apud Henzen. 6910. ACILIO GLABRIONI SIBIDIO PATRI REVERENTISSIMO (sic) ANICIVS ACILIVS GLABRIO FAVSTVS etc. Sic apud Cassiod. 7. Variar. 24. et alibi reverentissimus legitur pro reverendissimus. V. DESIDERANS.

RĔVĔRENTER, adverb. Comp. Reverentius et Sup. Reverentissime. — Reverenter est cum timore et observantia, *con timore e rispetto, riverentemente, rispettosamente*, εὐλαβῶς. Plin. 3. Ep. 21. Adire reverenter aliquem. Id. 7. Ep. 31. a med. Reverenter et fideliter amicos colere. et 10. Ep. 32. Gabius Bassus et reverentissime et officiosissime venit ad me. Tac. 2. Hist. 27. Copiæ reverentius et æqualius duci parebant. Sueton. Ner. 23. ad fin. Judices reverentissime alloqui. Id. Aug. 93. Veteres cæremonias reverentissime colere. Auson. Epigramm. 8. Fortunam reverenter habe, quicumque repente Dives ab exili progrediere loco. Ammian. 22. 7. 3. Effuso cursu, a vestibulo longe progressus exosculatum (philosophum) susceptumque reverenter secum (in curiam) induxit.

RĔVĔRENTĬA, æ, f. 1. (revereor) — 1.°) Active est pudor ac metus cum observantia conjunctus, αἰδώς, εὐλάβεια (It. *rispetto, timore, soggezione, riverenza*; Fr. *crainte respectueuse, respect, révérence, déférence, égard, considération*; Hisp. *temor, miedo reverencial, respeto, obsequio, atencion, reverencia, consideracion*; Germ. *aus Achtung, bisweilen aus Furcht entspringende Scheu, Achtung, Ehrfurcht, Rücksicht*; Angl. *respect, regard, fear, reverence, awe, submission*). — a) Generatim. Cic. 1. Off. 28. 99. Adhibenda est igitur quædam reverentia adversus homines, et optimi cujusque, et reliquorum. nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Quintil. 11. 1. ante med. Videas rixatores quosdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri. et ibid. a med. Oblivisci reverentiæ, quæ parentibus debetur. Juvenal. 2. 110. Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ. et 5. 71. dextram cohibere memento. Salva sit artoptæ reverentia. Id. 14. 177. quæ reverentia legum, Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari? Martial. 11. 5. Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui. Plin. 8. Ep. 5. et 10. Ep. 11. Reverentiam præstare alicui. Id. 4. Ep. 17. habere. Tac. 1. Hist. 55. exuere. Id. ibid. 12. sacramenti rumpere. Id. 6. Ann. 37. in fin. retinere in aliquem. Id. Germ. 29. Protulit magnitudo populi R. ultra Rhenum imperii reverentiam. Curt. 8. 8. 8. Obsequio mitigantur imperia: ubi vero reverentia excessit animis, vi opus est. — b) Est etiam erga minores reverentia, quum cavemus, ne qua ratione lædantur. Juvenal. 14. 47. Maxima debetur puero reverentia. Plin. 7. Ep. 24. Quod mihi non amore ejus (nepotis) magis facere, quam reverentia videbatur. Martial. 9. 80. Tam placide mentes, tanta est reverentia nostri. — c) Est etiam respectus et cura. Quintil. declam. 5. 13. Quum fratri, præter ejusdem nominis par ac simile consortium, reverentia quoque languoris accesserit. Similiter Vulgat. interpr. Sap. 12. 18. Cum magna reverentia disponis nos. h. e. cum magna attentione et moderatione. — d) Item pudor, verecundia. Id. Psalm. 34. 26. Induantur confusione et reverentia. Adde Eccli. 41. 19. et epist. 1. ad Cor. 15. 34. — e) Item modus. Propert. 3. 11. 13. Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi. Ovid. 9. Met. 555. Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ, Aut timor impedient. — f) Item metus, fuga, cunctatio. Colum. 11. R. R. 1. ante med. Nisi magnitudo rei pepererit reverentiam vel discendi, vel profitendi pæne immensam scientiam. — g) Item æstimatio, ratio, *stima*. Plin. 4. Ep. 28. Ibi studiorum summa reverentia, summus amor studiosorum. — 2.°) Passive, seu metonymice, videri potest persona ipsa reverentiâ digna. Plin. Paneg. extr. Ego reverentiæ vestræ sic semper inserviam, ut non me ut consulem, sed ut candidatum consulatus putem. Similiter Vulcat. Gall. 4. 6. Reverentia Romani imperii. h. e. magnitudo, majestas. Vopisc. Prob. 12. 8. patris patriæ. Capit. Macrin. 7. 7. sacrati nominis. — 3.°) Apud Ovid. 5. Fast. 23. Reverentia est Dea, mater Majestatis ex Honore.

RĔVĔRĔOR, vĕreris, vĕrĭtus sum, vĕreri, dep. 2. (re et vereor). Antiqui etiam revereo dixerunt, teste Prisciano 8. p. 799. Putsch. — Particip. Reverens 1.° b. et V. suo loco; Reveritus et Reveriturus 1.°; Reverendus V. supra loco suo. — Revereor est idem ac vereor et colo, observo simul et metuo, αἰσχύνομαι (It. *temere, rispettare, avere riguardo o soggezione, riverire*; Fr. *craindre, appréhender, craindre par respect, révérer, vénérer*; Hisp. *temer, tener miedo, reverenciar, respetar, venerar*; Germ. *aus Scheu zurücktreten vor etwas, verheren, scheuen, achten, Ehrfurcht haben, auch fürchten*; Angl. *to fear, stand in awe of, respect, honour, regard, reverence, revere*). — 1.°) Deponent. — a) Cum Accus. personæ. Plaut. Epid. 2. 1. 5. Revereor filium Cic. 2. Invent. 22. 66. Observantia, per quam ætate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur, et colimus. Alii leg. veremur, alii veneramur. Tac. Dial. de orat. 36. Hos (oratores) ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant. Gell. 11. 11. Nigidium Cicero summe reveritus. Plin. 5. Ep. 15. Quum eum sequerer, ut magistrum, ut parentem revererer. Curt. 7. 8. 29. Qui non reverentur homines, fallunt deos. Inscript. Romæ reperta, edita vero an. 1840. in Bullett. di corrisp. archeol. p. 139. NE TANGITO O MORTALIS REVERERE MANES DEOS. — b) Sæpius cum Accus. rei. Cic. 2. Orat. 28. Dicam enim non reverens assentandi suspicionem. Id. 1. Tusc. 30. a med. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa reverens, tamquam in rate, in mari immenso, nostra vehetur oratio. Alii leg. revertens. V. REVERTO. Lucret. 2. 51. fulgorem reverentur ab auro. Rursus Cic. 2. Att. 19. ex Ter. Phorm. 2. 1. 3. Mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum: nec meum imperium: age mitto imperium: non simultatem meam revereri saltem? Id. Hecyr. 3. 1. 10. Adventum tuum ambas scio reverituras. Cic. 4. Herenn. 17. 24. Difficile est virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. *avere stima e venerazione*. et Colum. 2. R. R. 1. 2. Illustrium scriptorum auctoritatem revereri. Plaut. Mil. glor. 4. 4. 34. Te ita volo assimulare, quasi ejus opulentitatem reverearis. h. e. admireris, suspicias, teque multo inferiorem ducas. Plin. Paneg. 76. ad fin. Revereri numinum monitus. Curt. 3. 13. 17. Unus e consciis ejus, credo, regis vicem etiam in illa sorte reveritus etc. Id. 6. 2. 8. Fortunam regia stirpe genitæ et tam celebre numen reveritus, non dimitti modo captivem, sed etiam etc. — Et pro parcere. Plin. 10. Hist nat. 51. 72. (141) de histrione. Ne quæstus quidem suos reveritus illos optimos et voce meritos: — c) Cum Genetivo. Afranius apud Non. p. 496. 27. Merc. Si non verear, nemo vereatur tui. — d) Sequente partic. quominus. Ter. Hecyr. 4. 3. 7. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam: ne revereatur, minus jam quo redeat domum. pro quominus jam. — e) Absolute, pro erubescere. Vulgat. interpr. Psalm. 39. 15. Confundantur et revereantur. Adde Eccli. 41. 19. — 2.°) Passive impersonaliter, et cum patrio casu. Varro apud Non. p. 497. 1. Merc. Non te tui saltem pudet, si nihil mei revereatur? Adde Pacuv. ibid. 31.

RĔVERGO, is, ere, n. 3. (re et vergo) *rivolgersi*. Translate Claud. Mamert. ad Sidon. 4. Ep. 2. Quin illud in aliorum commoda revergat, h. e. redundet, *tornì, ridondi*.

RĔVĔRĬTUS, a, um, particip. V. REVEREOR.

RĔVERRO, is, ere, a. 3. (re et verro) contrarium significat τῷ verro, in illo Plauti Stich. 2. 2. 64. Reverram hercle hoc, quod converri modo. h. e. dispergam, amittam, quod modo collegi et comparavi. V. supra v. 51. Alii leg. revorram.

RĔVERSĀTUS, a, um, particip. V. REVERSO.

RĔVERSIM, adverb. vicissim. Mar. Victorin. 2. advers. Arium 11.

RĔVERSĬO, ōnis, f. 3. actus revertendi, regressio, il tornare indietro, ritorno, ἀναστροφή. Quomodo a reditu differat, in ea voce dictum est.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. Plaut. Truc. 2. 4. 42. et Varro apud Non. p. 222. 19. Merc. Reversionem facere ad aliquem. et ibid. p. 245 14 Merc. Cæsar reversionem fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant, relinqueret. Cic. 1. Phil. 1. init. Exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meæ. Adde eumd. 16. Att. 7. 5. ¶ 2. Latiore sensu de rebus. Cic. 3. Nat. D. 10. 24. Tertianas febres et quartanas divinas esse dicendum est, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? Apul. de Mundo. Cæli spatium sol annua reversione collustrat. Id. 1. Dogm. Plat. Planetarum reversiones, ortus, obitus. Cæl. Aurel. 1. Tard. 1. 19. Frequens reversio vehiculi.

II.) Translate reversio, h. e. inversio, est figura verborum apud Quintil. 8. 6 a med. V. ANASTROPHE. — Item apud rhetores reversio est quod Græcis ἐπιστροφή. Jul. Rufinian. de schem. lex. 18. et etiam quod Græcis ἐπάνοδος. Id. ibid. 21.

RĔVERSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re et verso). Particip. Reversatus 2. — Reverso est ¶ 1. Iterum verso, rivoltare. Augustin. 6. Confess 16. extr. Versa et reversa in tergum et in latera. ¶ 2. Item retroverto, rivoltolare. Vulgat. interpr. Os. 7. 8. Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. Sunt qui τὸ reversatur a depon. reversor deducunt. Plin. Valer. 1 21. Reversata prius palpebra. Isid. 20. Orig 2. Subcinericius panis est cinere coctus et reversatus. V. FOCACIUS.

RĔVERSOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. riversarsi, vertor Veget. 3. Veterin. 11. V. voc. præced.

RĔVERSUS, a, um, particip. V. REVERTO.

RĔVERSUS, us, m. 4. idem ac reversio. Mar. Victorin. 3. p. 2562. Putsch. Qualis (versus) apud Virgilium reperitur: Musa, mihi caussas memora quo numine læso. æque enim et in reversu lectionis suæ heroum custodit metrum; sic: Læso numine quo memora caussas mihi Musa.

RĔVERTENS, entis, particip. V. REVERTO.

RĔVERTĬCŬLUM, i, n. 2. reversio. Apul. 3. Met. et Florid. n. 18. Siderum obliqua curricula, solis annua reverticula.

RĔVERTO (antique Revorto), vertis, verti, versum, vertere, a. 3. (re et verto). Particip. Revertens I. 1.°; Reversus I. 2.° et II. b.; Reversurus I. 1.° et II. b. — Reverto proprie est idem atque iterum verto, rivoltare, ἀναστρέφω; et translate resolvo, reputo. Cic. 1. Tusc. 30. a med. Dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa revertens. At alii, inter quos Orell., leg. reverens. — Ceterum fere ponitur pro regredi, redire, revenire: quasi retro vertere se (It. ritornare, tornare indietro; Fr. retourner, revenir, retrousser chemin; Hisp. volver, retornar, desandar; Germ. zurückkehren, umkehren, sich zurückwenden, - umwenden; Angl. to turn back or over).

I.) Proprie. — 1.°) Forma activa Reverto, absolute. — a) Sæpissime de personis. Cic. 3. Tusc. 15. 31. Hic est enim ille vultus semper idem; quem dicitur Xanthippe prædicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo, et revertentem. Lucret. 3. 1074. Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille, Esse domi, quem pertæsum est, subitoque revertit. Alii reventat. Pomponius apud Non. p. 476. 2. Merc. Cœnam quæritat: si eum nemo vocat, revortit mœstus ad menam miseri. Cæs. 7. B. G. 5. a med. Paucos dies ibi morati, domum revertunt. Id. 2. ibid. 14. Divitiacus post discessum Gallorum ad eum reverterat. Id. 4 ibid. 4. Tridui viam progressi rursus reverterunt. Plaut. Men. 2. 1. 31. Nisi domum revorteris. Cic. 1. Divinat. 15. 27. Persæpe revertit ex itinere, quum jam progressus esset multorum dierum viam. Id. 3. Fam. 10. Ut vidit tua interesse, Epheso Laodiceam revertit. Cæs. 7. B. G. 66. Majoribus enim copiis reversuros. Virg. 1. G. 274. lapidemque revertens Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat. et 4. ibid. 133. seraque revertens Nocte domum etc. — b) De rebus. Lucret. 5. 658. Sol sub terras revertens. Adde eumd. ibid. 616. et Cæs. 5. B. G. 5. Ibi cognoscit LX. naves - tempestate rejectas cursum tenere non potuisse, atque eodem, unde erant profectæ, revertisse. — 2.°) Sæpius usurpatur in voce passiva Revertor, deponentium more, præsertim in indicativis. — a) De personis. Ter. Heaut. 1. 1. 16. et 70. Domum revertor mœstus. Id. Adelph. 4. 1. 9. Prius nox oppressisset, quam huc reverti posset iterum. Id. Eun. 2. 1. 13. Aut jam revertere, aut mox etc Plaut. Pseud. 1. 2. 30. Quum ego a foro revertor. Cic. Mur. 41. 89. At habet magnum dolorem, unde cum honore decesseris, eodem cum ignominia reverti. Cæs. 6. B. G. 33. Labienum Treboniumque hortatur, - ad eum diem revertantur. Sall. Jug. 58. extr. Metellus, infecto negotio, - in castra cum exercitu revortitur. Ovid. Heroid. 1. 80. Neve revertendi liber abesse velis. Id. 5. Met. 585. Lassa revertebar (memini) Stymphalide silva. Nepos Themist. 5. Qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est. Phædr. 4. 17. Mirati, sibi legatos non revertier. paragoge. — Sic Particip. Reversus apud Cæs. 6. B. G. 41. Reversus ille, judicavit etc. Justin. 13 5. 2. Reversus ab India. Id. 21. 6. 7. in patriam. et 16. 4. 9. exsilio. Plin. 7. Ep. 19. sub fin. Ego solatium relegatarum, ego ultor reversarum. — b) De rebus. Lucret. 2. 129. Multa videbis enim - Commutare viam retroque repulsa reverti. Horat. 1. Od. 29. 10. quis neget, arduis Pronos relabi posse rivos Montibus, et Tiberim reverti?

II.) Translate. — a) Speciatim de oratione, in voce passiva. Varro 1. R. R. 1. 4. Scribam tibi tres libros, ad quos revertare. Cic. 1. Divinat. 23. 47. Discedo parumper a somniis, ad quæ mox revertar. Id. 2. Fin 32. Ut ad propositum revertamur. Formula post digressionem. Sic Nepos Dion. 4. extr. Sed illuc revertor. Cic. Cæl. 3. 6. Ut ad me revertar. h. e. de me dicere aggrediar. Cf. Plaut. Cas. prol. 79. Revortor ad illam puellam expositiciam, Quam etc. Animadvertendum et illud Cic. Fat. 4. 7. Sed Posidonium, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus. ad Chrysippi laqueos revertamur. Curt. 6. 10. 11. Ad verum crimen revertendum mihi est. Localiter Plaut Pœn. prol. 79. Revortor rursus denuo Carthaginem. — b) Generatim. — In voce activa. Cic. 9. Fam. 24. 2. Nisi ad superiorem consuetudinem revertisses. Sall. Cat. 37. extr. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat. Ovid. 1. Art. am. 340. Pœna reversura est in caput ista tuum. — In voce passiva. Ovid. 3. Trist. 7. 9. Et tamen ad Musas, quamvis nocuere, reverti. Lucret. 2. 959. Reverti ad vitam. Cæs. 1. B. G. 42. ad sanitatem. Scævola Dig. 34. 4. 30. Si putaveris eam ad bonam vitæ consuetudinem reversam. Liv. 8. 35. et Petron. Sat. 87. Reverti in gratiam cum aliquo. Horat. Art. P. 390. nescit vox missa reverti. Pallad. 11. R. R. 20. In melle decoques, donec ad mensuram mediam revertatur. h. e. redigatur. Cic. 2. Invent. 56. 168. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur. h. e. redundat, refertur. Pompon. Dig. 1. 6. et 7. Reverti ad aliquem, et adversus aliquem. h. e. regressum habere. — Cum Dativo. Rutil. Lup. 2. 4. Non arbitratus es igitur, rursus eum reversurum officio.

RĔVERTOR. V. voc. præced.

RĔVESTĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, a. 4. (re et vestio). Particip. Revestitus. — Revestio est idem ac rursus vestio, rivestire. Translate. Tertull. 5. carm. advers. Marcion. 129. Et jam despectum victor sua luce revestit. (Quicherat. ait Forcellinum carmen Pseudo-Tertulliani hic laudasse, cujus auctoritas fere nulla sit.) Id. Resurr. carn. 42. sub fin. Revestitos voluit intelligi eadem substantia, qua fuerant spoliati. Dracont. 1. Hexaem. 629. Pampinus uviferæ vitis sarmenta revestit.

RĔVESTĪTUS, a, um, particip. V. voc. præced.

RĔVĪBRĀTĬO, ōnis, f. 3. riverbero, lucis repercussio. Hygin. 4. Astron. 14. circa med. Lunam solis lumine accepto, lucere revibratione.

RĔVĪBRĀTUS, us, m. 4. idem ac revibratio. Capell. 2. p. 27. Revibratu corporis mensis apposito irrorati liquoris allinebat unguentum. h. e. ex fulgore lunæ. revibratus enim mensis est, quum luna iterum incrementa accipit, et a sole illuminatur.

RĔVĪBRO, as, āvi, are, 1. (re et vibro) repercutio, riverberare, ripercuotere. — a) Active. Capell. 2. p. 41. Globosum corpus instar speculi prænitentis fulgoris radios revibrare. — b) Neutrorum more. Id. 8. p. 273. Ipsa extimi cæli contextio lucis fulgoribus revibravit.

RĔVICTĬO, ōnis, f. 3. actus revincendi, refutatio Apul. 3. dogm. Plat. Utriusvis harum propositionum revictio confirmat alteram: non tamen et utriusvis confirmatio revincit alteram.

RĔVICTUS, a, um, particip. V. REVINCO.

RĔVĪDĔO, es, ere, a. 2. (re et video), rivedere, rursus video. Cassiod. Complex. Act. Apost. 51. Se dicens vale facto discedere, nec eorum aspectus ultra revidere. — Plaut. Truc. 2. 2. 65. Nunc ad heram revidebo. h. e. rursus ad heram accedam. V. REVISO.

RĔVĪGESCO, gescis, gui, gescere, n. inchoat. 3. rursus vigere incipio. Juvenc. 2. 204. Hunc similem sancti flatus revigescere certum est. Cic. 1. Tusc. 16. in fin. Multaque sæcula post revigult Pythagoreorum nomen. Ita leg. Non. p. 500. 33. Merc. Alii sic viguit: quod est longe rectius.

RĔVĪLESCO, is, ui, ere, n. 3. Revilui legitur solummodo in Not. Tir. p. 66. — Revilesco est idem ac vilis fio, evilesco, divenir vile. Seneca Tranquill. 15. circa med Nec virtuti periculum est, ne admota oculis revilescat.

RĔVĪMENTUM, i, n. 2. frangia, lacinia, fimbria: est ab inusit. rebito, quod ex bito, vel a revio, quod a vio, as, quia totam vestem ambit. Hinc Gloss. Isid. Revidare (lege reviare), reverti, redire, repedare. Gloss. Philox. Rebio (pro revio), παραστρέφω. et Rebitare (lege reviare), περικάμψαι. et Revimentum, παραστροφή. Recentiores etymologi potius ab inusit. revieo, revincio, hanc vocem deducunt. (Cf. Fronton. loc. mox sequent.) Fronto Laud. fumi etc. (edente iterum A. Maio) sub init. Sed contra istic laborandum, ne quid inconcinnum, vel hiulcum (in oratione) relinquatur; quin omnia, ut in tenui veste, oris detexta, et revimentis sint vincta. Id. aliis verbis eadem fere dixit ibid. paullo post. Eam culpam ita devitabimus, si divisa generatim argumenta nectemus, non sparsa, nec sine discrimine aggerata, ut quæ per suturam feruntur, sed ut præcedens sententia in sequentem laciniam aliquam porrigat, et oram prætendat.

RĔVINCENS, entis, particip. V. REVINCO.

RĔVINCĬBĬLIS, e, adject. che si può convincere, qui revinci potest. Tertull. Resurr. carn. sub fin. Materiæ iisdem litteris revincibiles.

RĔVINCĬENS, entis, particip. V. voc. seq.

RĔVINCĬO, vincis, vinxi, vinctum, vincire, a. 4. (re et vincio). Particip. Revinciens sub A. II.; Revinctus sub A. I. et II. — Revincio

A) Sæpissime est idem quod vincio, vel ante vincio, alligo, ἀναδέω (It. legare; Fr. lier, enchaîner; Hisp. ligar, encadenar; Germ. zurück-, hinter -, umbinden; Angl. to tie, bind fast).

I.) Proprie. Cæs. 7. B. G. 23. Trabes revinciuntur introrsus, et multo aggere vestiuntur. Virg. 3. Æn. 76. de Delo. Quam pius Arcitenens, oras et littora circum Errantem, Gyaro celsa Myconeque revinxit. Propert. 3. 12. 11. latus ense

revincit. *Apul. Florid.* 6. Dracones (*elephantos*) lubrico volumine indepti revinciunt. Sic Particip. *Revinctus* apud *Lucret.* 5. 554. terra Partibus aeriis mundi, cæloque revincta. *Virg.* 2. *Æn.* 57. juvenis manus post terga revinctus. *Ovid.* 10. *Met.* 379. zona de poste revincta. *et* 11. *ibid.* 212. quam dura ad saxa revinctam Vindicat Alcides. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Ancoræ pro funibus ferreis catenis revinctæ. *et* 7. *ibid.* 73. Stipites ab infimo revincti, ne revelli possent. *Plin. Paneg.* 82. Religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod trahebatur. *Martial.* 6. 41. lana fauces et colla revinctus. *cinto.* et *Varro Atacin.* apud *Charis.* 1. *p.* 70. *Putsch.* Cujus ut aspexit torta caput angue revinctum. *Virg.* 4. *Æn.* 459. templum Velleribus niveis et festa fronde revinctum.

II.) Translate. *Ennius p.* 4. *Vahlen.* somno leni placidoque revinctus. *Catull.* 61. 33. Mentem amore revinciens. *Claudian. B. Gild.* 47. urbesque revinxi Legibus. *Id. nupt. Honor.* et *Mar.* 36. Qui sibi te generum fraterna prole revinxit. *Val. Flacc.* 6. 418. implicitos miseraque in veste revinctos Confodiunt. *Id.* 4. 708. (*Symplegadum scopulos*) Imperio fixos Jovis, æternumque revinctos. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 168. Latices in glaciem revincti. *h. e.* gelu adstricti.

B) Raro significat solvere, *slegare. Colum.* 1. *R. R.* 8. *a med.* Num villicus aut alligaverit quempiam, domino nesciente, aut revinxerit.

RĔVINCO, vincis, vīci, victum, vincere, a. 3. (re et vinco). Particip. *Revincens* II.; *Revictus* I. et II.; *Revincendus* I. — Revincere est idem quod vincere, aut iterum vincere, *vincere, rivincere.*

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 410. Inde cedunt vires (*ignis*) aliqua ratione revictæ. *Id.* 1. 592. nam si primordia rerum Commutari aliqua possent ratione revicta, Incertum quoque jam constet quid possit oriri. *Horat.* 4. *Od.* 4. 23. diu Lateque victrices catervæ Consiliis juvenis revictæ. *Bentlej.* leg. *repressæ.* et *Apul.* 8. *Met.* Simulanter revicta Charite. *h. e.* fingens se victam. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. *ad fin.* Ratio revincendæ passionis.

II.) Translate est manifesto probare rem ita esse, coarguere, convincere, *vincere con argomenti manifesti, convincere*, ἐξελέγχω. *Lucret.* 4. 487. An poterunt oculos aures reprehendere, an aures Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris? An confutabunt nares, oculive revincent? *Cic. Arch.* 6. 11. Quære argumenta, si qua potes. numquam enim hic neque suo, neque amicorum judicio revincetur. *Liv.* 6. 26. *ad fin.* Crimina revicta rebus, verbis confutare nihil attinet. Sic 40. 16. Ut omnibus appareret, noctis proximæ crimen facile revictum. *Tac.* 15. *Ann.* 73. Cœpta, adulta et revicta conjuratio. *scoperta e convinta.* et *Gell.* 6. 2. *ad fin.* Homines in culpa et in maleficio revicti. *convinti.* et *Lactant.* 4. 15. *ad fin.* His testimoniis revicti solent confugere etc. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. *a med.* Si in mendacio revincatur. *Apul. Apolog. a med.* O pulcra argumenta et aperte crimen revincentia!

RĔVINCTUS, a, um, particip. *V.* REVINCIO.

RĔVĪRENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔVĪREO, es, ŭi, ere, n. 2. (re et vireo) *riverdeggiare,* reviresco. Particip. *Revirens* I.

I.) Proprie. *Albinov.* 2. 113. Redditur arboribus florens revirentibus ætas.

II.) Translate est renovari, renasci. *Cic.* 4. *Herenn.* 34. 45. Aliquando reipublicæ rationes, quas malitia nocentum exaruerant, virtute optimatium reviruere. *Alii* revirescunt, *vel* revirescent.

RĔVĪRESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔVĪRESCO, is, ere, n. inchoat. 3. Particip. *Revirescens* II. — Reviresco est idem atque iterum viridis fio, ad pristinam viriditatem revertor, ἀναθάλλω (It. *riverdeggiare, rinverdire;* Fr. *reverdir;* Hisp. *reverdecer;* Germ. *wieder grün werden, wieder grünen;* Angl. *to become or grow green again*).

I.) Proprie. *Tac.* 13. *Ann.* 58. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio -, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus reviresceret. *Ovid.* 2. *Met.* 408. læsasque jubet revirescere silvas.

II.) Translate sumitur pro reviviscere, renasci, renovari. *Cic. Prov. cons.* 14. 34. Impolitæ vero res et acerbæ, si erunt relictæ, quamquam sunt abscissæ, tamen efferent se aliquando, et ad renovandum bellum revirescent. *Ovid.* 7. *Met.* 304. Spes est virginibus Pelia subjecta creatis, Arte suum parili revirescere posse parentem. *ringiovanire.* Adde *eumd.* 9. *ibid.* 430. *Val. Max.* 4. 8. *n.* 4. Omne præclari facti decus crebra memoria in se ipso revirescit. *Sil. It.* 8. 228. promissæ revirescens pignore laudis. *h. e.* gaudens et animum resumens. *Curt.* 10. 9. 5. Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. *Tac.* 3. *Hist.* 7. Decorum pro causa ratus, si placere Galbæ principatus et partes revirescere crederentur. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 4. Senectus nec revirescere, nec repubescere potest. Adde *Sil. It.* 15. 134.; *Flor. in fin. proœmii,* et *Cic.* 7. *Phil.* 1. 1. ubi alii leg. *reviviscere.*

RĔVĪRĬDESCO, is, ere, n. 3. idem fere ac reviresco. *Gloss. Cod. Voss.* Reviridescit, revirescit. Legitur et in *Not. Tir. p.* 9.

RĔVĪRĬDO, as, are, a. 1. revirescere facio. *Vulgat. interpr.* 4. (apocr.) *Esdr.* 5. 36. Revirida mihi aridos flores.

RĔVIRTĪCO. *V.* REFRIVA ad fin.

RĔVISCĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. viscerum reparatio. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Ita oportebit ossium quoque credi revisceratione m et respirationem.

RĔVĪSENS, entis, particip. *V.* REVISO.

RĔVĪSĬO, ōnis, f. 3. *il rivedere,* actus revidendi. *Claud. Mamert.* ad *Sidon.* 4. *ep.* 2. Revisionis potestas multis modis intercluditur.

RĔVĪSĬTO, as, are, a. 1. frequentat. a *reviso,* sæpe reviso. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (13). Nundinis urbem revisitabant.

RĔVĪSO, vīsis, vīsum, vīsere, 3. Particip. *Revisens* et *Revisurus* 2.° — Reviso est iterum viso, redeo ut videam, redeo ad videndum, ἀνεπισκέπτομαι (It. *ritornare a vedere, visitare;* Fr. *regarder, inspecter, venir pour visiter;* Hisp. *mirar, observar, venir par visitar;* Germ. *auf etwas zurücksehen, nachsehen, wieder besuchen;* Angl. *to return or come again to see, come back to see, revisit*). Usurpatur — 1.°) Absolute, vel neutrorum more. *Plaut. Truc.* 2. 4. 79. ut quando otium Tibi sit, ad me revisas. Sic *Gell.* 13. 30. Quum valebo ab oculis, revise ad me. *Lucret.* 2. 360. et crebra revisit Ad stabulum. *Ter. Eun.* 5. 4. 1. Reviso, quidnam Chærea hic rerum gerat. *Id. Andr.* 2. 4. 1. Reviso, quid agant aut quid captent consilî. — Et de inanimis. *Lucret.* 4. 1117. Inde redit rabies eadem et furor ille revisit. — 2.°) Active, vel cum Accusativo. *Accius p.* 179. 6. *Ribbeck.* de *Eurysace.* Super Oceani stagna alta patris Terrarum anfracta revisam. *Cic.* 1. *Att.* 14. Revise nos aliquando. *Id. Quinct.* 6. 23. Hic quum rem Gallicanam cuperet revisere. *Liv.* 7. 39. Revisere domos. *Virg.* 1. *Æn.* 419. sedes suas. *et* 2. *ibid.* 669. instaurata prœlia. *h. e.* rursus pugnare. *Horat.* 1. *Od.* 31. 14. æquor Atlanticum. *Catull.* 64. 377. Non illum nutrix orienti luce revisens. *Colum.* 12. *R. R. proœm. a med.* Nec villici magna erat opera, quam ipsi domini quotidie negotia sua reviserent atque administrarent. *Apul.* 11. *Met.* Rectâ, patrium larem revisurus meum, contendo. — Et de inanimis. *Lucret.* 4. 393. Quandoquidem longos obitus (*sidera*) exorta revisunt. *Virg.* 11. *Æn.* 426. multos alterna revisens Lusit, et in solido rursus fortuna locavit. Sic *id.* 3. *ibid.* 318. aut quæ (*te*) digna satis fortuna revisit?

RĔVĪVĔFĀCĬO, is, ere, a. 3. reviviscere facio. *Mar. Victorin.* 1. *advers. Arium* 26.

RĔVĪVĬFĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *revivifico,* ad vitam revocatus. *Tertull. Resurr. carn.* 19.

RĔVĪVISCENS, entis, particip. *V.* REVIVISCO.

RĔVĪVISCENTĬA, æ, f. 1. actus reviviscendi. *Mar. Victorin.* 1. *advers. Arium* 58.

RĔVĪVISCO, is, ere, n. 3. *Revivesco* legit *Orell.* apud *Cic.* 6. *Fam.* 10. 5. — Secundam syllabam licenter corripit *Juvenc.* 2. 204. Hunc similem sancti flatu reviviscere certum est. — Particip. *Reviviscens* I. et II. — Revivisco est idem atque ad vitam redeo, renascor, ἀναβιόω (It. *risuscitare, rinascere, tornare in vita;* Fr. *revivre, renaître, ressusciter;* Hisp. *revivir, renacer, resucitar;* Germ. *wieder lebendig werden, wieder aufleben, - aufstehen;* Angl. *to recover life, come to life again, revive*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 16. *extr.* Reviviscunt apes. *Cic.* 5. *Parad.* 2. 38. Reviviscat M.' Curius, aut eorum aliquis, quorum etc. *Brutus* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *ante med.* Ne patri quidem meo concesserim, si reviviscat, ut etc. *Colum.* 4. *R. R.* 5. Gramina nisi manu eliguntur et in summum rejiciuntur, reviviscunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 33. (96). Nullis eorum (*insectorum*) pennæ reviviscunt avulsæ. *At* Sillig. *leg.* revivescunt. *Id.* 9. *ibid.* 37. 61. (132). Reviviscentes conchæ.

II). Translate. *Cic. Har. resp.* 23. 48. Respirare vos a metu cædis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit. *Id.* 6. *Fam.* 10. 5. Causa ea est, ut jam simul cum republica, quæ in perpetuum jacere non potest, necessario reviviscat atque recreetur. Sic 4. *ibid.* 4. *a med.* Ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicæ. *Id.* 5. *Att.* 16. *ad fin.* Adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia, clementia. *M. Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 18. 38. Quo facilius reviviscat Pompejanorum causa toties jugulata. *Petron. Sat.* 91. *extr.* Reviviscens amicitia. *Paulin. Nolan. carm.* 15. 306. Ergo reviviscens notissima comminus ora.

RĔVĪVO, vīvis, vixi, victum, vīvere, n. 3. (re et vivo). Particip. *Revicturus* I. — Revivo est idem ac rursus vivo, renascor, *tornare in vita, rivivere.*

I.) Proprie. *Cic. Mil.* 29. 79. Si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit, etc. *Id. Pis.* 27. *extr.* Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat. *Seneca Med.* 476. Secare membra non revicturi senis. *Paulin. Nolan. carm.* 35. 563. Quumque omnes, in qua vixerunt, carne revivent.

II.) Translate. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Civitates suis legibus et judiciis usæ, αὐτονομίαν adeptæ revixerunt. *Id.* 7. *Verr.* 61. *sub fin.* Quum ex metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 9. Et jam deficiens sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso vena redire mero. Adde *eumd.* 4. *Trist.* 5. 3. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (52). Cessavit deinde ars, ac rursus Olympiade CLV. revixit.

RĔVŎCĀBĬLIS, e, adject. qui potest revocari. *Ovid.* 6. *Met.* 264. quum jam revocabile telum Non fuit. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 488. revocabile damnum. *h. e.* reparabile. *Val. Flacc.* 6. 461. et non revocabilis unquam Cessit ab ore pudor. *Albinov.* 1. 427. Supprime jam lacrimas. non est revocabilis istis, Quem semel umbrifera navita lintre tulit. *h. e.* ad vitam revocari non potest. *Seneca Herc. Fur.* 559. Parcarumque colos non revocabiles. Adde *Propert.* 4. 7. 51. ubi alii leg. *revolubile.*

RĔVŎCĀMEN, ĭnis, n. 3. idem ac revocatio. *Ovid.* 1. *Fast.* 561. Accipio revocamen, ait. *et* 2. *Met.* 596. tibi, ait, revocamina, corvus, Sint, precor, ista malo. *h. e.* hæc dicta, quibus me dehortari conaris a referendo alterius crimine. *V.* REMORAMEN.

RĔVŎCANS, antis, particip. *V.* REVOCO.

RĔVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus revocandi, *richiamo, ritorno,* ἀνάκλησις.

I.) Proprie. *Cic.* 13. *Phil.* 7. *a med.* Receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus. *Ulp. Dig.* 5. 1. 2. *ante med.* Celsus huic domum revocationem dandam ait. *h. e.* jus et facultatem revocandi domum, seu ad patrium forum. *V.* DOMUS. *Vitruv.* 9. 4. *ad fin. de luna.* Revocationes a sole. — Alio sensu *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 50. Protagoras primo vomitum probat, tum revocationes. *h. e.* humoris stagnantis derivationes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. *a med.* Avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est figura, videlicet cor-

rectio, *la correzione di una parola.* Sic *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Nam et geminatio verborum habet interdum vim, - et ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, et revocatio verbi. Adde *Quintil.* 9. 1. 33.

RĔVŎCĀTOR, ōris, m. 3. *richiamatore,* qui revocat. *Quintil. declam.* 10. 19. Magus revocator animarum. *h. e.* revocans ad vitam.

RĔVŎCĀTŌRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. sequ. in fin.

RĔVŎCĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad revocandum, seu extrahendum pertinens, ut Emplastrum revocatorium, *Theod. Priscian.* 2. 32. – Hinc *Revocatoria, œ,* f. 1. absolute, substantivorum more, est epistola, seu diploma principis, quo absentem ad se revocat. *Imp. Anastas. Cod.* 12. 1. 18.

RĔVŎCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (re *et* voco). Particip. *Revocans* sub *A.* II. 3. et 5.; *Revocatus* fere in omn. paragr.; *Revocaturus* sub *A.* II. 4., *B.* et *C.*; *Revocandus* sub *A.* II. 1. 5. et 6. — Revoco tria significat.

A) Est idem ac retro voco, abeuntem vocando retraho, reduco, ἀνακαλέω (It. *chiamare indietro, richiamare;* Fr. *rappeler, dire de revenir;* Hisp. *volver á llamar;* Germ. *zurückrufen;* Angl. *to call back, recall*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Men.* 1. 2. 5. Quoties foras ire volo, me retines, revocas. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 264. Exclusit: revocat. redeam? non si me obsecret. Adde *Ter. Eun.* 1. 1. 4. et *Horat.* 1. *Sat.* 6. 61. abeo, et revocas nono post menso. *Cic.* 10. *Fam.* 1. Et afui proficiscens in Græciam: et posteaquam de meo cursu reipublicæ sum voce revocatus, etc. *Id.* 2. *Divinat.* 8. 20. Dejotarum, familiarem nostrum, ex itinere aquila revocavit. *Id.* 3. *leg. Agr.* 1. 1. Quo provocati a me venire noluerunt, revocati saltem revertantur. *Curt.* 6. 11. 19. Rursusque illo revocante tortores, tempus petere cœpit, etc. *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 23. Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ, Et revocant niveos Solis euntis equos. *Id.* 1. *Met.* 334. Revocare fluctus et flumina. *h. e.* regredi et refluere jubere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (26). ferculum, aut mensam. *far riporre.* ¶ 2. Specialim, in republica revocari dicuntur, qui ab exsilio, a provincia, a fuga etc. redire jubentur. *Cic. Dom.* 57. 144. Qui maxime me repetistis atque revocastis. *h. e.* ab exsilio. *Liv.* 5. 46. Camillus comitiis curiatis revocatus de exsilio. Adde *eumd. ibid.* 51. Sic *domum revocare. V.* DOMUS. *Cic. Prov. cons.* 6. 13. Iidem vos, anno superiore, hos eosdem revocabatis, quum in provincias jam pervenissent. *et ibid.* 14. 35. Nec imperatorem, incensum ad rempublicam bene gerendam, revocare debemus, nec etc. *Plin. Paneg.* 6. Olim duces magni a peregrinis externisque bellis ad opem patriæ ferendam revocari solebant. *et ibid.* 87. Dignus es, Cæsar, - qui semper invenias et quos ex otio revoces, et quos otio reddas. *Justin.* 5. 1. 2. Alcibiades revocatus a bello ad judicium. ¶ 3. Item speciatim in re militari. *Sall. Cat.* 9. In bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, bello excesserant, quam qui etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Insequentes nostros, ne longius prosequerentur, Sulla revocavit. *Id.* 5. *B. G.* 11. Cæsar legiones equitatumque revocari atque in itinere resistere jubet. *et* 2. *ibid.* 20. Signum tuba dandum, ab opere revocandi militas. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 82. *Liv.* 25. 14. Jam et consul, mutato consilio, ab revocando ad incitandos hortandosque versus milites. Cf. *Cic.* 1. *de republ.* 2. *extr.* Neque ea signa audiamus, quæ receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui jam processerint. ¶ 4. Item, in recitationibus *revocare* est jubere, ut qui legit, repetat, *far ripetere. Plin.* 3. *Ep.* 5. *a med.* Memini quemdam ex amicis, quum lector quædam perperam pronunciasset, revocasse, et repeti coegisse: huic avunculum meum dixisse: Intellexeras nempe? quum ille annuisset, Cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. *Cic. Sext.* 58. 123. Nominatim sum appellatus in Bruto: *Tullius qui libertatem civibus stabiliverat.* millies revocatum est. Adde *Arch.* 8. 18. Sic *Liv.* 7. 2. Livius (*Andronicus*) quum sæpius revocatus vocem obtudisset, etc. *Id.* 33. 32. Revocatus præco, - iterum pronunciavit eadem. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 1. 223., et *Val. Max.* 6. 2. *n.* 9. ¶ 5. Item, *revocare aliquem a morte,* h. e. liberare. *Virg.* 5. *Æn.* 476. Et qua servetis revocatum a morte Dareta.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1., res ipsæ revocari dicuntur, quæ rursus aliqua vertuntur, aut retro aguntur. *Ovid. Heroid.* 16. 231. Multaque ne videam, versa cervice recumbo: Sed revocas oculos protinus ipsa meos. *h. e.* facis ut rursus convertam in te. *Id.* 4. *Met.* 247. gelidos artus in vivum revocare calorem. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 78. Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles. *h. e.* gestat complicatas ante pectus. *Virg.* 9. *Æn.* 125. revocatque pedem Tiberinus ab alto. *si ritira.* Sic 6. 128. revocare gradum. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 17. lente revocatus ruminat herbas. *h. e.* a stomacho ad os retractas. *Seneca Agam.* 296. Revocare frena. *h. e.* adducere et equos retrahere. *Id. Thyest.* 685. Post terga juvenum nobiles revocat manus. *h. e.* reducit et religat. *Id. Œdip.* 416. Spargere effusos sine lege crines: Rursus adducto revocare nodo. *Colum.* 2. *R. R.* 10. *ante med.* Proscindemus terram, proscissamque in liram revocabimus. *h. e.* proscissione dissipatam, in liram componemus. *Sil. It.* 14. 166. ferrumque manu revocavit. *Id.* 16. 343. Verbera dimitte, et revoca moderatus habenas. — Sic *revocare vitem.* h. e. nimis se effundentem putatione compescere. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 88. Facilius, ut in vitibus, revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt. ¶ 2. Est etiam resumo, recipio. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. Studia longo intervallo intermissa revocavi. *Id.* 7. *Fam.* 26. *extr.* Vires et corpus amisi: sed si morbum depulero, facile illa revocabo. *Virg.* 1. *Æn.* 218. Tum victu revocant vires. *et ibid.* 206. revocate animos, mœstumque timorem Mittite. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (3). ex *Catone.* Prætermissa frustra revocari. *h. e.* quæ suo tempore in agri cultione facta non sunt, frustra repeti et resumi, quia, ut *id.* ait *R. R.* 5. *a med.* res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies. Cf. *Liv.* 44. 40. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam ejus, partim verentibus nequidquam offendere in eo, quod, utcumque prætermissum, revocari non posset. *Cic. Marcell.* 8. 23. Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, quæ jacere sentis -: constituenda judicia, revocanda fides. — *b*) Ad vim reducendi pertinent illa *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 53. (113). Mulsum appetendi quoque revocat aviditatem cibi. *Id.* 2. *ibid.* 101. 104. (223). Luna somno sopitis torporem contractum in caput revocat. — *c*) Item est renovo, instauro. *Val. Max.* 6. 2. *n.* 8. Obducta jam vetustis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera impune revocare licuit. *Virg.* 1. *Æn.* 239. Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri. *h. e.* retracto a deletione, a qua non procul aberat, renovato. *Sil. It.* 13. 123. humenti fluvio revocare colorem. *Id.* 4. 15. revocantque nova fornace bipennes. Alii leg. *recoquuntque.* Priore autem loco *renovare.* hæc enim duo *revoco* et *renovo,* ob facilem mutationem, sæpe confudere librarii apud *Ovid., Propert., Senec.* etc., ut præter alios monet *Drakenborch.* ad *Sil. It.* 14. 112. et ad *Liv.* 3. 51. — *d*) Item sumo, duco. *Virg.* 4. *G.* 281. si quem proles (*apum*) subito defecerit omnis, Nec genus unde novæ stirpis revocetur, habebit. — *e*) Item repono. *Id.* 3. *Æn.* 451. Nec revocare situs (*foliorum*), aut jungere carmina curat. — *f*) Item reparo, reddo. *Seneca Hippol.* 291. senibusque fessis Rursus exstinctos revocat calores. *Id. Herc. Œt.* 1578. comam silvis revocabit æstas. — *g*) Item in usum reduco. *Horat.* 4. *Od.* 15. 12. Et veteres revocavit artes. *Juvenal.* 2. 30. qui tunc leges revocabat amaras. *Sueton. Claud.* 22. Quædam exoleta revocavit, aut etiam nova instituit. *Tac* 1. *Ann.* 20. *extr.* Veterem duramque militiam revocabat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 4. 11. Homo sane in ista philosophia, quæ nunc prope dimissa, revocatur, probatus et nobilis. — *h*) *Revocare se ad se,* se colligere, *rientrare in sè stesso. Cic. Acad.* 4. (2. *pr.*) 16. 51. Quis enim quum sibi fingit aliquid, et cogitatione depingit, non, simul ac se ipse commovit, atque ad se revocavit, sentit, quid intersit inter perspicua et inania? *et ibid.* 17. 52. Ne vinolenti quidem, quæ faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, hæsitant, revocant se interdum, iisque, quæ videntur, imbecillius assentiuntur. — *i*) *Revocare memoriam,* quasi vocare iterum, ut officio suo fungatur, *rinnovare, richiamare. Seneca* 5. *Benef.* 25. *extr.* Memoria ad referendam gratiam admonitione revocanda est. *et* 7. *ibid.* 25. Submissis et familiaribus verbis (*beneficii*) memoriam revocare. *Liv.* 3. 51. Non minore motu animorum Siccii cædis memoria revocata. His quoque locis *renovare* alii. V. *Drakenborch. loc. cit.* — Dicitur etiam *revocare aliquem in memoriam. Petron. Sat.* 10. *ante med.* et *Justin.* 7. 1. 8. Rursus revocatus in memoriam rei alicujus. Adde *Justin.* 1. 5. 3. Similiter *Sil. It.* 12. 81. dignos jam vosmet reddite vestra, Quam trahitis, fama, et revocate in pectora Cannas. *h. e.* excitate in animis vestris eam virtutem, quam in prœlio Cannensi Romanos fregistis. Absolute *Virg.* 7. *Æn.* 40. et primæ revocabo exordia pugnæ. *riferirò.* ¶ 3. Est etiam retraho, abduco, avoco, removeo, *ritirare, distornare.* — *a*) Cum præpos. *Cic.* 3. *Att.* 15. *circa med.* Revocare aliquem a turpissimo consilio. *Id. Cluent.* 5. *a med.* a cupiditate. *Id.* 3. *Cat.* 5. a scelere. *Ovid.* 2. *Trist.* 557. animum ab ira. *Id.* 2. *Amor.* 18. 11. ingenium sumptis revocatur ab armis. *h. e.* a bellis canendis. — *b*) Sine præpos. *Virg.* 4. *G.* 88. ubi ductores (*apum*) acie revocaveris ambo. *h. e.* ab acie. *Tac. Agric.* 18. Cujus (*insulæ*) possessione revocatum rebellione totius Britanniæ supra memoravi. *h. e.* a qua occupanda revocatum etc. Cf. *eumd.* 2. *Ann.* 5. *Cic. Sull.* 16. 46. Nonnumquam animum, incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco et reflecto. — *c*) Cum infinito. *Propert.* 1. 16. 11. Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ Turpior et sæcli vivere luxuriæ. *h. e.* non retrahitur, ut parcat, etc. et desistat a vita luxuriosa. — Item abstraho. *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 38. Revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere. *At* Sillig. *leg.* sevocare. ¶ 4. Item adduco, devoco. *Cic. Cluent.* 49. 136. Quum tribunus plebis, populo concitato, rem pæne ad manus revocasset. *Id. Cæcin.* 27. 76. Populi R. causa, civitatis jus, bona, fortunæ possessionesque in dubium incertumque revocabuntur. *Id. post red. in Senat.* 9. *a med.* Qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exsilio ad salutem revocavit. *Id. Brut.* 3. 11. Vestris litteris recreatus, me ad pristina studia revocavi. *Id. Amic.* 16. *a med.* Omnia ad suam potentiam revocans. *Petron. Sat.* 111. *a med.* Exulceratas mentes ad sanitatem revocare. *Cic. Rosc. Am.* 39. 113. In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati judiciique infamiam revocatur. *Id.* 5. *Verr.* 91. 213. An me ad M. Antonii æstimationem frumenti exactionemque pecuniæ revocaturus es? *h. e.* dices, Verrem imitatum fuisse M. Antonium in æstimatione frumenti? *Id.* dixerat *ibid.* 90. 210. Quo me igitur, aut ad quæ exempla revocas? *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Medicinam revocavit in lucem Hippocrates. *Cato R. R.* 2. Ad rationem operum operarumque villicum revoca. — *Revocare se ad aliquid,* rursus se comparare. *Cic. Brut.* 94. 323. Itaque quum jam pæne evanuisset Hortensius, et ego consul factus essem, revocare se ad industriam cœpit. *Id.* 3. *Orat.* 30. 119. Nunc ad reliqua progrediar, neque ad meum munus pensumque revocabo. — *Revocare præmia coronarum* apud *Sueton. Ner.* 32. est repetere præmia pecuniarum, quæ ob delatas sibi coronas in publicis certaminibus scænicis et circensibus dederat Nero judicibus eorumdem certaminum. Cf. *eumd. ibid.* 24. ¶ 5. Item refero, reduco. *Cic.* 3. *Off.* 21. *a med.* Quum ad veritatem cœpi revocare rationem. *Id. Fin.* 13. *sub fin.* Ad scientiam omnia revocans. *Id. Dom.* 5. 15. Nonnulli illam rem ad illam rationem conjecturamque revocabant, quod etc.

Id. Flacc. 12. 28. Quum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, (*majores nostri*) tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. *Id.* 1. *Off.* 33. 119. Spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent: in qua deliberatione ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum. ¶ 6. Item retracto, *ritrattare; rivocare. Seneca* 4. *Benef.* 39. Fuit tanti non revocare promissum suum. *Ovid.* 9. *Met.* 617. Nam primum (si facta mihi revocare liceret) Non cœpisse fuit. *h. e.* infecta reddere. *Tac.* 13. *Ann.* 26. Actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adversus male meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur. Adde *Sueton. Vesp.* 8. et *Ulp. Dig.* 48. 19. 1. *in fin.* Præses provinciæ pecuniariam sententiam suam revocare non potest. *h. e.* rescindere. — *Revocatus* est etiam cognom. R., de quo *V.* ONOM.

B) Est rursus voco, *chiamar di nuovo. Petron. Sat.* 23. Refectum igitur est convivium, et rursus Quartilla ad bibendum revocavit. *rursus revocare* pleonasmus non inusitatus, ut *retro regredi, rursus rescribere,* etc. Alii tamen leg. *provocavit.* Cf. *Rutil. Lup.* 2. 7. bibendo revocat. *ubi alii leg.* provocat. *Sueton. Claud.* 32. Convivæ, qui pridie scyphum aureum subripuisse existimabatur, revocato in diem posterum calicem fictilem apposuit. *Liv.* 45. 36. Tribuni-revocaturos se easdem tribus renunciarunt.

C) Revoco est etiam mutuo et per vices voco. ἀντικαλέω. *Varro* apud *Non. p.* 167. 14. *Merc.* Qui nos provocare, advocare quum audeant, nos illos revocare timemus? *Cic. Rosc. Am.* 18. *extr.* Domum suam istum non fere quisquam vocabat (*ad cœnam*): nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset. Adde *Phædr.* 1. 26. et *Lactant.* 6, 12.

RĔVŎLANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

RĔVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (re et volo). Particip. *Revolans* II. — Revolo est retro volo, volando redeo, ἀναπέτομαι (*It. volare indietro; Fr. revenir en volant; Hisp. revolar, volver volando; Germ. zurückfliegen; Angl. to fly back*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. *ad fin.* Grues in tergo prævolantium colla et capita reponunt. quod quia ipse dux facere non potest, revolat, ut ipse quoque quiescat. *Virg.* 1. *G.* 361. Quum medio celeres revolant ex æquore mergi, Clamoremque ferunt ad litora. *Varro* 3. *R. R.* 5. 7. Turdi quotannis in Italiam trans mare advolant circiter æquinoctium auctumnale, et eodem revolant ad æquinoctium vernum. *Colum.* 9. *R. R.* 12. *init.* Apis ut nulla intro revolet. *Ovid.* 9. *Met.* 741. Ipse licet revolet ceratis Dædalus alis.

II.) Translate est celeriter redeo. *Ovid.* 7. *Met.* 684. fortunaque missum (*telum*) Non regit, et revolat, nullo referente, cruentum. *Manil.* 2. 193. Quum sol æquoreis revolans decurrit in astris. *Vellej.* 2. 120. 1. *et* 123. 2. Ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturius.

RĔVOLSĬO *et*

RĔVOLSUS. *V.* REVULSIO et REVŬLSUS.

RĔVŎLŪBĬLIS, e, adject. *che si può rivolgere,* ἑλικός, ἐπίτροχος, qui revolvi potest, volubilis. *Ovid. Ib.* 193. Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis. *Propert.* 4. 7. 51. Juro ego fatorum nulli revolubile stamen. *Auson. Eclogar. de nominib. sept. dier.* 12. revolubilis orbita. *Sil. It.* 11. 472. Bistonius vates — flxit revolubile saxum. *Id.* 15. 237. pelagi revolubilis unda.

RĔVŎLŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (*ab inusit.* revoluto) iterata volutatio. *Cassiod. Complex. in* 2. *Petr.* 7.

RĔVŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. *rivoluzione,* conversio. De Pythagorica animarum migratione *Augustin.* 22. *Civ. D.* 12. *extr.* Ut post multas lisdem per diversa corpora revolutiones aliquando tamen eam, sicut Porphyrius, finire miserias etc. Adde 12. *Trinit.* 24. et *Capell.* 9. *p.* 312. Sidereæ revolutionis excursus.

RĔVŎLŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RĔVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (re et volvo). Particip. *Revolvens* I. 1. 3. et II. 5. et 6.; *Revolutus* fere in omn. paragr.; *Revolvendus* II. 1. — Revolvo est idem quod volvo, retro, aut rursus volvo, convolvo, circumvolvo, ἀνακυλίω, ἀναστρέφω (*It. rivolgere, rivoltare, volgere sossopra; Fr. rouler en arrière, faire retrograder, faire remonter en roulant, refouler; Hisp. volver á volver, volver atras, hacer retrogradar volvendo; Germ. zurückwälzen-, rollen, wickeln; Angl. to roll back, roll again, roll*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, revolvere est retro, aut rursus volvere. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 42. Torvu'Draco serpit subter supraque revolvens Sese, conficiensque sinus e corpore flexos. *Virg.* 11. *Æn.* 6. 25. *de mari.* Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam: Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens Saxa, fugit. *et* 10. *ibid.* 660. rumpit Saturnia funem, Avulsamque rapit revoluta per æquora navem. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 1. Pelagus agitatum ventis assidue renovatur, nec concalescere potest, quoniam gelidum ab imo fluctum revolvit in partem superiorem. *Seneca Agam.* 488. Vento resistit æstus, et ventus retro æstum revolvit. *Tac.* 5. *Hist.* 14. Addiderat obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis adjacentibus superfunderetur. *h. e.* refluens. *Claudian. in Rufin.* 1. 132. Revoluta Tethys. *Petron. Sat.* 134. trepidusque furentes Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe. *h. e.* retro verso. ¶ 2. Specialim, mediorum apud Græcos more, *revolvi* est recidere, relabi. *Virg.* 4. *Æn.* 690. Ter sese attollens, cubitoque adnixa levavit, Ter revoluta toro est. *Ovid.* 10. *Met.* 63. *de Eurydice.* revolutaque rursus eodem est. *Virg.* 5. *Æn.* 336. Ille autem spissa jacuit revolutus arena. *Id.* 11. *ibid.* 671. Suffosso revolutus equo. *Sil. It.* 7. 140. revolutus oberrat Mæandrus. *Seneca Œdip.* 238. maternos iterum revolutus in ortus. ¶ 3. Item *revolvi,* aut *revolvere se,* dicuntur sidera, anni, tempus, quia certos habent cursus, et velut orbes volvuntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (217). Centesima revolvente se luna. *Virg.* 10. *Æn.* 256. interea revoluta ruebat, Matura jam luce, dies. *Ovid.* 4. *Fast.* 29. Principiumque sui generis, revolutaque quærens Sæcula. *passati, andati.* et *Claudian. de Phœnice* 104. te sæcula teste Cuncta revolvuntur. ¶ 4. Est etiam evolvere, explicare. *Liv.* 34. 5. *circa med.* Tuas adversus te Origines revolvam. *h. e.* librum Catonis de Originibus. *Plin.* 5. *Ep.* 5. Revolvere librum ad extremum. — Hinc Particip. *revolutus,* contrarium τῷ *convolutus,* est evolutus, explicatus, *svolto. Gell.* 17. 9. *circa med.* Id lorum, litteris jam perscriptis, revolutum ex surculo, imperatori commenti illius conscio mittebant. *Virg.* 9. *Æn.* 476. Excussi manibus radii, revolutaque pensa. *h. e.* incomposita et evoluta cecidere. *Seneca Œdip.* 985. Servatque suæ decreta colus Lachesis, dura revoluta manu. *decreta colus revoluta,* h. e. colus decreto seu fato stamine spoliata. ὑπαλλαγή. *Petron. Sat.* 136. *circa med.* Anseres revolutam, passimque per totum effusam pavimentum collegerant fabam. *h. e.* evolutam et folliculis spoliatam. Alii leg. *resolutam.* — ¶ 5. *Revolvere fila* est, postquam fuso evolveris, rursus circa illum convolvere. *Seneca Herc. Fur.* 181. Duræ peragunt pensa Sorores, Nec sua retro fila revolvunt. *Stat.* 7. *Theb.* 774. immites scis nulla revolvere Parcas Stamina.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 10. *Æn.* 61. iterumque revolvere casus Da, pater, Iliacos Teucris. *h. e.* subire iterum, experiri, pati. *Quintil.* 12. 10. 34. Summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit. *Claudian. VI. cons. Honor.* 131. immensi revolutus culmine fati. *h. e.* deturbatus, dejectus. *Apul. Apolog. post med.* Ad pestes istas oratio revolvenda. *h. e.* deflectenda. ¶ 2. Specialim, mediorum apud Græcos more, *revolvi* est redire, recidere, relabi. — *a*) Cum præpos. *ad* vel *in. Cic.* 2. *Orat.* 31. 135. Omnia ad communes rerum et generum summas revolventur. *Id. Acad.* 4. (2. *pr.*) 48. 148. Ad patris revolvor sententiam. *h. e.* accedo. *Id.* 1. *de republ.* 24. 38. ad illa elementa. *Tac.* 11. *Ann.* 34. ad memoriam conjugii. *Id.* 4. *ibid.* 9. Revolutus ad vana et toties irrisa de reddenda republica etc. *h. e.* dicendo quum rediisset. *et* 16. *ibid.* 18. ad vitia. *Liv.* 4. 12. ad dispensationem inopiæ. *rivoltosi. Curt.* 7. 7. 8. rursus ad superstitionem. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 69. in eamdem vitam te revolutum denuo video esse. *Virg.* 6. *Æn.* 448. Juvenis quondam, nunc femina Cæneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram. *Ovid.* 10. *Met.* 335. quid in ista revolvor? Spes interdictæ discedite. *Seneca Thyest.* 418. Modo fortis fui, et lætus: nunc contra in metus revolvor. *Sil. It.* 14. 174. dignumque iterum in pejora revolvi. *Curt.* 4. 10. 31. Animus in sollicitudinem suspicionemque revolutus est. *Justin.* 30. 1. *a med.* Revolutus in luxuriam. *Seneca* 2. *Ira* 6. Iracundiæ tristitia comes est, et in hanc omnis ira revolvitur. *Val. Max.* 7. 2. *n.* 3. *extern.* Revolvi in eumdem somnum. — *b*) Cum adverb. *Cic.* 2. *Divinat.* 5. 13. Primum eodem revolveris. *h. e.* eadem dicis, quæ prius: in eamdem sententiam relaberis. *Liv.* 5. 11. Eo revolvi rem, ut aut patricii, aut patriciorum assectæ habendi tribuni plebis sint. *Cels.* 7. 26. 2. Cum majore periculo eodem revolvuntur. ¶ 3. Metaleptice est lego, *leggere,* ea ratione, qua in EVOLVO dictum est. *Martial.* 6. 64. has nugas Non dedignatur bis terve revolvere Cæsar. Adde *eumd.* 11. 1. — Et rursus, iterum lego. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 223. Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati. *Tertull.* 1. *ad nation.* 10. Relegere et revolvere testimonia temporum. *h. e.* legendo repetere. ¶ 4. Est enarro, evolvo. *Virg.* 2. *Æn.* 101. Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo? *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 35. quid facta revolvam, Militiamque patris? ¶ 5. Metaphorice sumitur pro recogitare, secum iterum mente versare. *Ovid.* 4. *Fast.* 667. Numa visa revolvit. *Lucan.* 8. 316. cuncta revolvens Vitæ fata meæ. *Seneca Œdip.* 764. Curas revolvit animus, et repetit metus. *Tac.* 3. *Ann.* 18. Quanto plura recentium, seu veterum revolvo. *Id.* 4. *ibid.* 21. Animus revolvens iras. *Id. Agric.* 46. Ut omnia dicta factaque ejus secum revolvant. ¶ 6. *Revolvere iter* est remetiri, iterum percurrere. *Virg.* 9. *Æn.* 391. rursus perplexum iter omne revolvens Fallacis silvæ.

RĔVŎMENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĔVŎMO, vŏmis, vŏmŭi, vŏmere, a. 3. (re et vomo) Particip. *Revomens* I. et II. — Revomo est idem quod vomo, evomo, *vomitare,* ἀνεμέω.

I.) Proprie. *Virg.* 5. *Æn.* 181. Illum - et risere natantem, Et salsos rident revomentem pectore fluctus. *Seneca Thyest.* 581. rapax haustum mare revomit Charybdis. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 731. et *Sil. It.* 2. 308. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 92. (197). Dracones avibus devoratis solidis, contentione plumam excitam revomunt. *Sil. It.* 10. 326. At miseri fluctant revomentes æquora nautæ. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 10. Aliqui etiam revomunt accepta nulla corruptione mutata. Adde *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115. et *Seren. Sammon. c.* 21. *p.* 67.

II.) Translate. *Lucret.* 2. 196. Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabesque Respuat humor aquæ? nam quo magis ursimus alte Directa, et magna vi multi pressimus ægre, Tam cupide sursum revomit magis atque remittit. *h. e.* repellit, rejicit. Alii minus recte leg. *removet,* ut *Lachmann.* Sic *Lucan.* 6. 24. illisum scopulis revomentibus æquor. *Alii leg.* scopulisque vomentibus. *Flor.* 2. 10. *extr.* Sic cum sanguine et spiritu male partam revomuere victoriam.

RĔVŎRO, as, are, a. 1. apud *Lucret.* 4. 544. Et revorat raucum regio cita barbara bombum. At rectius *Creech.* et *Lachmann.* leg. *reboat.*

RĔVORSUS *et*

RĔVORTO. *V.* REVERTO.

RĔVULSĬO *et* Revolsio, ōnis, f. 3. (revello) *staccamento,* ἀπόσπασμα, actus revellendi, evulsio. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (80). Sed ratio deprehendit vitium, unius schedæ revulsionem plures infestante paginas.

RĔVULSUS, a, um particip. *V.* REVELLO.

REX, rēgis, m. 3. Genetivus sing. *rege* legitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6363.; et plur. *regerum* est *Gellii* apud *Charis.* 1. *p.* 55. *Putsch.* — Rex, a v. *rego*, ut *lex* a v. *lego*, est qui habet summum imperium alicujus regionis, aut populi, aut urbis, βασιλεύς, ἄναξ (It. *re, sovrano*; Fr. *chef de l'état, roi, souverain, monarque*; Hisp. *rey*; Germ. *Leiter e. Staates, König*; Angl. *a king, sovereign, monarch*). Est autem nomen *A*) Substantivum; et *B*) Adjectivum.

A) Substantivum.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Stricto sensu. *Cic.* 1. *de republ.* 26. 42. Omnis res publica, quæ populi res est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium aut uni tribuendum est, aut delectis quibusdam - quum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum ejus rei publicæ statum. *Id.* 3. *Fin.* 22. *a med.* Rectius appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. *Id. Sext.* 26. *sub fin.* Rex sedens cum purpura et sceptro, et illis insignibus regiis. *Lucret.* 3. 1041. multi reges, rerumque potentes Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt. *Sall. Cat.* 2. Initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant. *Seneca Benef.* 7. Omnia rex imperio possidet. *Ovid. Heroid.* 17. 166. An nescis longas regibus esse manus? *Claudian. IV. cons. Honor.* 298. componitur orbis Regis ad exemplum. *Publil. Syr. p.* 372. 87. *Ribbeck.* Rex universos, singulos servus timet. *Sall. Cat.* 9. Regibus boni quam mali suspectiores sunt. *Horat.* 3. *Od.* 1. 6. Reges in ipsos imperium est Jovis. Cf. *Sueton. Cæs.* 6. Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. *Seneca Med.* 195. æquum atque iniquum regis imperium feras. *Fronto* ad *L. Ver. imp.* 1. *p.* 183. Regum pueris in utero matris summa jam potestas destinata est: opstetricis manu imperium adipiscuntur. *Cic.* 2. *de republ.* 12. 23. Regem declarare. *Id. ibid.* deligere. *Id. ibid.* 13. 25. sibi adsciscere. *Id. ibid.* 17. 31. creare. *Id. ibid.* 18. 33. constituere. *Cæs.* 1. *B. G.* 35. et 41.; *Cic.* 5. *Att.* 17., *Sall. Jug.* 65. et *Liv.* 30. 17. appellare. *Plin.* 2. *Ep.* 7. in regnum inducere. *Nævius* apud *Fest. p.* 270. 20. *Müll.* Vejens regem salutans jubet Albanum Amulium. *Virg.* 1. *Æn.* 548. Rex erat Æneas nobis, quo justior alter Nec pietate fuit, nec bello major et armis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 14. *de Agam. et Achill.* Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. *h. e.* ut in Græcos ex discordia inter Achillem et Agamemnonem orta, ita in populos ex regum erroribus ac vitiis mala fluunt. *Vulgat. interpr. Psalm.* 59. 9. Juda rex meus. *h. e.* ex tribu Juda regnabit semper posteritas regia. — Usurpatur ἠθικῶς ab *Ovid.* 12. *Met.* 30. Rex patrem vicit. *et* 13. *ibid.* 187. atque in rege tamen pater est. — 2.°) Latiore sensu. — *a*) *Rex* dicebatur summus magistratus Lacedæmoniorum; eratque talis nomine magis, quam imperio: bini autem simul et perpetui erant, ut apud *Nepot. Agesil.* 1.; item Carthagine, ut Romæ consules, bini et annui suffetes erant, qui tamen ab *eod. Hannib.* 7. appellantur reges. — *b*) Etiam regum liberi et affines *reges* dicuntur. *Cæs.* 3. *B. C.* 107. Controversias regum ad populum R. pertinere existimans. *et ibid.* 109. Controversias regum componere. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 61. Reges Syriæ, regis Antiochi filios pueros, scitis Romæ nuper fuisse. Sic *Virg.* 9. *Æn.* 223. vocat regem Julum Æneæ filium. *Val. Flacc.* 1. 174. Acastum filium Peliæ. Adde *Stat.* 1. *Achill.* 156. et *Manil.* 2. 2. Similiter *reginæ* dicuntur regum filiæ. *V.* REGINA. ¶ 2. Speciatim, per excellentiam, βασιλεύς dicebatur a Græcis rex Persarum: quorum imitatione *Ter. Heaut.* 1. 1. 65. In Asiam ad regem militatum abiit. Adde *Eun.* 3. 1. 7. et 11. Idem dicebatur etiam *rex regum*, ut est apud *Sueton. Cal.* 5., quia reges aliquot habebat instar satellitum sibi ministrantes.

II.) Translate. — 1.°) Dicitur de diis. *Accius p.* 151. 7. *Ribbeck.* deûm supremus rex. *Virg.* 2. *Æn.* 648. divûm pater atque hominum rex, *h. e.* Juppiter, qui rex deorum, 12. *ibid.* 851., appellatur. Adde *Plaut. Capt.* 3. 4. 89. *Ovid.* 10. *Met.* 606. rex aquarum. *h. e.* Neptunus. *Seneca Herc. Fur.* 833. tertiæ sortis. *h. e.* Pluto: qui dicitur *ibid.* 560. qui rex populis pluribus imperat. Rursus *Ovid.* 7. *Met.* 229. *de Plutone.* Rex umbrarum silentum. *et Virg.* 6. *Æn.* 106. infernus. *et* 6. *ibid.* 252. Stygius. *Martial.* 12. 62. Antiqui rex magne poli, mundique prioris. *h. e.* Saturne. — *Rex artis* dicitur Vulcanus in nummo Claudii Gothici apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 473., quem *Plutarch. Comp. aqu. et ign.* vocat ἀρχηγὸν τῶν τεχνῶν, ducem artium, *Homerus* sæpe κλυτοτέχνην, arte celebrem, appellat. — 2.°) De hominibus. — *a*) Romæ ab initio, uti traditur, reges imperitarunt, per annos fere CCXLV. Quorum septimus, qui Tarquinius Superbus fuit, propter suam impotentiam et Sexti filii libidinem, a L. Junio Bruto privatus imperio, exsul vitam finivit. V. *Liv. l.* 1. *et* 2.; *Flor. l.* 1.; *Ovid.* 2. *Fast.* a *v.* 685. et *Sex. Aurel. Vict. Vir. illustr. init.* Postea creatis consulibus, adeo regis nomen exosum fuit Romanis, ut eo ad invidiam conflandam potentissimis civium uterentur; qua de re etiam in REGNO et REGNUM dictum est. Hinc *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 15., ut in agrariæ legis auctores odium populi concitet, vocat eos reges ærarii, vectigalium, provinciarum omnium etc. V. *eumd.* 3. *Off.* 21.; *Sueton. Cæs.* 79. *et* 80. et *Liv.* 4. a *c.* 13. ubi de Sp. Mælio, *et* 6. 20. ubi de M. Manlio narrat. — *b*) *Rex causarum* dicitur ab *Ascon.* in *argum. Divin. Verr.* Hortensius, qui in foro ob eloquentiam aliquando regnavit. — *c*) Item *rex sacrorum*, et *rex sacrificulus*, aut *sacrificus*, sacerdos apud Romanos, qui publica quædam sacra, olim per reges factitata, obibat. Retentum est in eo *regis* nomen religionis causa, ut ea sacra rite peragi, atque etiamnum a rege fieri dici posset, quamvis reges in perpetuum essent expulsi. Subjecerunt tamen pontifici maximo, ne regiam et supremam auctoritatem in sacris habere videretur. *Cic. Harusp. resp.* 6. *sub fin.*; *Liv.* 2. 2. et 6. 40. *ad fin.* et 40. 42.; *Festus* in *Sacrificulus p.* 318. *Müll.*, *Varro* 5. *L. L.* 4. et *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 15. *Tertull.* 1. *uxor.* 7. Regem sæculi (*h. e.* regem sacrificulum) pontificem maximum rursus nubere nefas est. — Item *rex Nemorensis* apud *Sueton. Cal.* 35., ubi alii leg. *Nemeressis*, al. *Nemoresis*, h. e. sacerdos Dianæ, quem et *regis* nomine appellatum significat *Ovid.* 3. *Fast.* 271. et *Lucan.* 3. *Pharsal.* 86.: cf. et *Strabon. l.* 5.; barbarico enim Scytharum more institutum erat, ut qui victimam, quam fugitivus quidam vir gladium tenens et undique circumspectans tuebatur, mactasset, is sacerdos Dianæ fieret, et rex appellaretur (V. *Babelon.* ad h. l.). — *d*) Item curator, rector, moderator, inspector, *ajo, maestro, direttore. Horat.* 1. *Od.* 36. 7. memor Actæ non alio rege puertiæ. (Cf. παιδῶναξ.) Alii tamen interpretantur de eo, qui inter ludentes sorte rex eligitur, ut est apud *eumd.* 1. *Ep.* 1. 59. et *Justin.* 1. 5. 1.; sed minus recte. — *e*) Item magister convivii, qui et Græce βασιλεύς: hinc, quæ *Cic. Senect.* 14. 46. magisteria, hæc *Horat.* 1. *Od.* 4. 18. regna vini appellat. (Cf. et *Tac.* 13. *Ann.* 15.) *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. Rex mensæ. Adde *Prudent.* 9. *Cathemer.* 30. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. Rex convivii. — *f*) Universim divites, potentes, felices *reges* dicuntur, quia tales esse reges vulgo creditur. *Plaut Pœn* 3. 3. 58. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero. *Seneca Thyest.* 911. o me cælitum excelsissimum, Regumque regem! *Horat.* 1. *Ep.* 1. 106. Ad summam sapiens uno minor est Jove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum. *Id.* 1. *ibid.* 59. rex eris, ajunt, Si recte facies. — *g*) Hinc assecilis, clientibus, salutatoribus, parasitis patroni sui, domini, et amici potentiores *reges* sunt. *Plaut. Stich.* 3. 2. 1. Confido me meum obtenturum regem ridiculis meis. *Colum.* 1. *præf. ante med.* An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis. *Martial.* 2. 18. Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis, et *mox.* Qui rex est, regem, Maxime, non habeat. Adde *Juvenal.* 1. 136. et 5. 14., *Stat.* 3. *Silv.* 2. 92. et *Ter. Phorm.* 2. 2. 24., ubi parasitus loquitur. — 3.°) De brutis animalibus. *Phædr.* 4. 12. Quum se ferarum regem fecisset leo. *Stat.* 5. *Theb.* 333. Rex armenti. *h. e.* taurus. De rege apum *Virg.* 4. *G.* a *v.* 88. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (203). Rex avium. *V.* TROCHILUS. — 4.°) De rebus inanimis. *Virg.* 1. *G.* 482. Fluviorum rex Eridanus. *et* 2. *ibid.* 98. firmissima vina, Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanæus. Cf. BALSAMUM init. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

B) Adjectivorum more, est regnator ac dominus. *Virg.* 1. *Æn.* 25. Hinc populum late regem, belloque superbum Venturum excidio Libyæ.

RH

RH. De hac scriptione animadvertimus, litteram *h* subjungi consonanti *r* (quæ respondet Græcæ ῥ), idque ut valentius sonet dictio. quamquam ante *Ciceronis* tempora, *Orat.* 48. 160., solis vocalibus addebatur aspiratio, non autem consonantibus. Hinc *Cassiod. p.* 2285. 35. *Putsch.* inquit: *H* sicut in quæstione est, littera sit, necne; sic numquam dubitandum est, secundo loco a quacumque consonante poni debere. quod solus Varro dubitat. - sed Varronem præterit, consonante ideo secundo loco *h* recipere, quod non possit ante aspirationem nisi vocales habere; itaque et ante et post *h* littera cuicumque tali adjungatur, non sonabit. Et *p.* 2286. 31. Varroni placet *r* litteram, si primo loco ponatur, non aspirari. lector enim ipse, inquit, intelligere debet, *Rodum* tametsi *h* non habet, Rhodum esse, *retorem* rhetorem. sed eadem observatio non necessaria est in *r* littera. sunt enim verba primo loco *r* litteram habentia non minus Latina quam Græca itaque merito auferemus aut amovebimus aspirationem a *Roma, regina, rapa, Rodus.* Hæc *Cassiod.* In vet. Latinis Inscriptionibus pro littera H est signum ˫, quæ est forma spiritus lenis Græcorum; quod fortasse ideo factum, quia Latini sæpe Græcam aspirationem tollebant, hic vero leni potius, quam aspero spiritu utebantur. Videsis dicta in litt. H et R, et *Fabrett. Inscript. p.* 195.

RHA *vel* Ra. *V.* RHACOMA, RHEUPONTICUM et in ONOM.

RHABDOS, i, f. 2. ῥάβδος, virga. In meteoris rabdos est ad virgæ rigorem per longum colorata nubecula, ut ait *Apul. de Mundo.*

RHĂBO *vel* Rabo, ōnis, f. 3. est ¶ 1. Arrhabo vel arrabo, per aphæresin. *V.* ARRHABO et RABO. ¶ 2. Genus mensuræ apud *Augustin. Ep.* 102. Modii et rabones, urnæ et amphoræ.

RHACINUS *vel* Racinus, i, m. 2. piscis pulli coloris, memoratus ab *Ovid. Halieut.* 104., ut testatur *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (152), si modo ea lectio sana est. ubi alii leg. *Erythinus*, qui *rubeus* dicitur *ibid.*, et creditur esse idem ac rubellio. *fravolino.*

RHACŌMA, æ, f. 1. Legitur et *rhecoma* vel *recoma*, et etiam divise *rheu cyma* a *Voss.* ad *Melam* 3. 5. *p.* 802. — Rhacoma est herbæ species, eadem quæ rha, seu radix Pontica. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 105. (128). Rhacoma affertur ex his, quæ supra Pontum sunt, regionibus. Radix costo nigro similis, minor et rufior paullo, sine odore, calfaciens gustu et astringens etc.

RHĂDĪNE, es, f. 1. ῥαδινή, gracilis, tenuis (vox Græca ἀπὸ τοῦ ῥᾷον δινεῖσθαι), de puella tabida, tussi et macie confecta, ab amatore dicitur apud *Lucret.* 4. 1160. quom vivere non quit Præ macie, rhadine vero est. Ita *Lachmann.*; at *Creech.* leg. Græce ῥαδινή.

RHĂGĂDES, um, f. plur. 3. *et*

RHĂGĂDĪA *vel* Ragadia, ōrum, n. plur. 2. *et*

RHĂGĂDĪUM, ii, n. 2. *et*

RHĂGAS, ădis, f. 3. ῥαγάδες, ῥαγάδια, *crepature*, fissuræ, scissuræ in labiis, ano, pedibus etc. *V.* INTERDIGITIA. Vox Græca a ῥήσσω, frango. *Cels.* 6. 18. *n.* 7. In ano sæpe, et quidem pluribus locis, cutis scinditur: ῥαγάδια Græci vocant. *Id.* 7. 30. *fissa ani* appellat. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 44. (87). Myrteum oleum attrita sanat, et furfures, et rhagadas. *Id.* 24. *ibid.* 7. 23. (39). Pix rhagadas sedis, et pedum, panosque emendat. *Id.* 23. *ibid.* 7. 23. (129). Caprifici cinis ex melle rhagadia sedat. *Id.* 28. *ibid.* 6. 18. (66). Urina exesis, ambustis, sedis vitiis, rhagadiis illinitur. *V.* FISSUS. — Sing. *rhagadium* est *Veget.* 3. *Veterin.* 51. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 312.; et sing. *rhagas* est *Augustin. Ep.* 38.

RHĂGĬON, ĭi, n. 2. ῥάγιον, parvus acinus apud Græcos. Hinc et genus aranei. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (86). Vocatur et rhagion acino nigro similis, ore minimo sub alvo, pedibus brevissimis tamquam imperfectis.

RHAGŬLÆ *vel* Ragulæ, ārum, f. plur. 1. capita ossium humeri. *Veget.* 6. *Veterin.* 1. 1. In armis prioribus sunt ragulæ duæ. ab armis usque ad brachiola duo. Adde *ibid.* 2. 2. At *Schneiderus* leg. utrobique *regulæ*, ut ossa recta et longa dicere videatur.

RHAMNOS *et* Rhamnus, i, f. 2. ῥάμνος, *ranno*, genus rubi albi. Latine *rhamnus* apud *Isid.* 17. *Orig.* 7. est sentis ursina. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 76. (124). Inter genera ruborum rhamnos appellatur a Græcis, candidior et fruticosior. Is floret, ramos spargens rectis aculeis, non, ut ceteri, aduncis, foliis majoribus. Adde *Veget.* 5. *Veterin.* 74. *Vulgat. interpr. Psalm.* 57. 10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sic in ira absorbet eos. *h. e.* citius, quam spinæ in rhamnum excrescant, ira Dei eos, cetera valentes, delebit.

RHAPĒĬON, ĭi, n. 2. ῥαπήϊον, herba eadem quæ leontopetalon. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 72. (96). ubi alii leg. *raphunidion*, alii *pardalion*, ut *Sillig.*

RHĂPHĂNĪDĬON, ĭi, n. 2. *V.* voc. præced.

RHĂPHĂNUS. *V.* RAPHANUS.

RHĂPISMA, ătis, n. 3. ῥάπισμα, alapa, vel potius ictus virga aut baculo inflictus: a ῥαπίζω, virgis cædo, quod a ῥαπίς, virga. *Imp. Justinian. Cod.* 8. 49. 6. Inspeximus in emancipationibus vanam observationem custodiri, et venditiones in liberas personas, et circumductiones inextricabiles, et injuriosa rapismata.

RHAPONTĬCUM. *V.* RHEU.

RHAPSŌDĬA *vel* Rapsodia, æ, f. 1. ῥαψῳδία, contextura carminum, præsertim heroicorum, liber versuum: a ῥάπτω, consuo, et ᾠδή, carmen. Hoc nomine appellata sunt carmina Homeri, quia, quum ante dissipata essent disjectaque, a Pisistrato, ut *Cic.* 3. *Orat.* 34. 137. scribit, vel potius a filio ejus Hipparcho, ut Plato tradit, in libros, seu rhapsodias digesta sint. *Nepos Dion.* 6. Et versum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia. *h. e.* secundo libro seu cantu Iliadis (quam, titulo omisso, laudat: hanc enim Odysseæ præferri nemini fuit unquam obscurum) *v.* 205. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. *Diomed. p.* 484. 12. *Keil.* hæc habet: Rapsodia dicitur Græce ποιήσεως μέρος, aliqua particula discreta atque divulsa: dicta παρὰ τὸ ῥάπτειν, quod versus in unum volumen velut consuantur et comprehendantur, vel quod olim partes Homerici carminis in theatralibus circulis cum baculo, id est virga, pronuntiabant qui ab eodem Homero dicti Homeristæ.

RHECOMA. *V.* RHACOMA.

RHECTÆ, ārum, m. plur. 1. ῥῆκται, motus terræ, quorum impulsu tellus dissilit: a ῥήγνυμι, frango. *Apul. de Mundo.*

RHĒDA, æ, f. 1. Scribitur et *reda* vel *ræda*, in MSS. et editis libris non unis, et etiam *reta* apud *Isid. loc. infra cit.* — Rheda (cf. ἐριδία) est vehiculum quatuor rotarum, teste *Isid.* 20. *Orig.* 12., gestandis hominibus et sarcinis idoneum, *sedia da viaggio, carretta, carrozza,* ἀπήνη, ζεῦγος, ὄχημα, τετράκυκλον. Vox est Gallica, ut *Quintil.* 1. 5. 68. docet: figuram rhedæ aliquam exhibet *Ginzrot., Wagen. und Fahrwerke Tab.* 20. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8. 5. 8. Statuimus rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta. *Varro* apud *Non. p.* 167. 25. *Merc.* Si tuam heri rhedam non habuissem, varices haberem. *Cæs.* 1. *B. G.* 51. Omnem aciem suam rhedis et carris circumdederunt. *Cic. Mil.* 20. 54. Quum alter veheretur in rheda pænulatus, una sederet uxor. *Id.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, et rheda equis juncta, et lectica, et familia magna. *Id. Mil.* 10. 29. Quum hic de rheda desiluisset, etc. *Sueton. Cæs.* 57. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria rheda. *Cic.* 5. *Att.* 7. Hanc epistolam dictavi sedens in rheda. *Helvius Cinna* apud *Gell.* 19. 13. *extr.* At nunc me Geniana per salicta, Binis rheda rapit citata nanis. *Martial.* 10. 13. Quum cathedralicios portet tibi rheda ministros. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 42. Rheda tollo aliquem. *h. e.* mecum in rheda sedere jubeo. *Varro* apud *Non. p.* 451. 16. *Merc.* Medeam advectam per aera in rheda anguibus. *Nonius* vult improprie pro curru duarum rotarum. — *Capsus rhedæ* quid sit, *V.* in CAPSUS.

RHĒDĀRĬUS *vel* Redarius, a, um, adject. ad rhedam pertinens. *Varro* 3. *R. R.* 17. 7. Ex equili educere rhedarios mulos. — Hinc

Rhedarius, ĭi, m. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Rector rhedæ, auriga, *cocchiere, carrozziere, carrettajo,* ζευγηλάτης. *Cic. Mil.* 10. *a med.* Adversi rhedarium occidunt. ¶ 2. Item qui rhedam facit, *carradore,* ζευγοποιός. *Capitolin. Max.* et *Balb.* 5. Maximo pater fuit, ut nonnulli dicunt, faber ferrarius, ut alii, rhedarius vehicularius fabricator. *h. e.* artifex ejus generis vehiculorum, quæ rhedæ dicuntur. *V.* MULIO.

RHĒDĀRĬUS, ĭi. *V.* voc. præced.

RHĒNO *vel* Reno, ōnis, m. 3. *pelliccia,* διφθέρα, vestis pellicea, Gallorum Germanorumque propria, ab humeris dependens usque ad umbilicum, et Sardorum mastrucæ similis. *V.* MASTRUCA. Alii putant, hanc vocem derivandam a ῥήν, ηνός, ovis, unde et ῥῆνιξ, ικος, ovium pellis; alii a ῥινός, pellis. Videtur plerisque fuisse pellis illius quadrupedis ex cervorum genere, qui caloris impatientissimus eodem nomine fuit appellatus, quique a *Cæs.* 6. *B. G.* 26. bos cervi figura, a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 34. 52. (123), tarandus (*Sillig.* tarandrus), a recentioribus Gallis *renne*, a Germanis *rennthier* (a *rennen*, citato cursu ferri, et *thier*, animal), ab Italis vulgo *rangifero* dicitur. Sane in ipsa olim Germania indigenæ videntur fuisse rhenones. nunc vero in septentrionalibus tantum ejusdem regionibus degunt, quoniam, excisis silvis, et excultis agris, longe clementius Germaniæ cælum sit, quam illa fuerit ætate. Paullo aliter eosdem describit *Isid.* 19. *Orig.* 23. Rhenones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant, quos vulgo reptos vocant: de quibus Sallustius: Germani intectum rhenonibus corpus tegunt. Dicti autem rhenones a Rheno Germaniæ flumine, ubi iis frequenter utuntur. Hæc *Isid.* At *Servius* ad illud *Virg.* 3. *G.* 382. Gens effrena virum Rhiphæo traditur Euro, Et pecudum fulvis velatur corpora setis: Rhenonibus; nam, ut Sallustius in historiis fragm. incert. Vestes de pellibus rhenones vocantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. *extr.* Germani pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Adde *Sidon.* 4. *Ep.* 20. Meminit etiam *Varro* 5. *L. L.* 167. *Müll. V.* TARANDUS. Porro hac veste effícti homines Germani prostant in columna Antonini, et etiam nonnulli ex Romanorum exercitu in columna Trajani.

RHĒTOR, ŏris, m. 3. Scribitur et *retor*. *V. Inscript.* apud *Orell.* 2538. et *Cassiod. p.* 2286. 31. *Putsch.* — Genetivus Græcæ positionis *rhetoros* est *Priscian.* 2. 43.; accus. sing. *rhetora* est *Martial. loc. infra cit.* et *Fronton. de Eloqu. ep.* 3., et plur. *rhetoras* est *Martial.* 5. 56. et *Tac. Dial. de orat.* 30. — *Rhetores*, nominativus plur., et *rhetoras*, accusat. plur., brevem habent ultimam syllabam, Græcorum more, apud *Rufin. de compos. et metr. p.* 346. et 348. *Capper.*, ut *Arcades* apud *Virg.* 7. *Ecl.* 4. — Rhetor, a ῥέω, dico, eloquor ¶ 1. Est qui rhetoricam, seu artem oratoriam docet, *maestro di retorica,* ῥήτωρ. Differt ab *eloquente*, ab *oratore*, a *declamatore*, a *sophista*, quod *rhetor* sit, qui rhetoricam profitetur, seu qui docet vel scribit præcepta de bene dicendo: *eloquens*, qui excellit facultate vel virtute bene dicendi: *orator*, qui in judiciis, contionibus et senatu causas agit: *declamator*, qui aut docendi alios, aut exercendi se gratia fictas causas agit, ut in veris postea causis possit orare: *sophista*, qui artificiosas orationis delicias affectat. *Cic.* 1. *Orat.* 18. *in fin.* Eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere. *Id.* 2. *Phil.* 39. *extr.* Quasi rhetor ille te disertum facere potuisset. *Martial.* 2. 64. Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis. *Apul. Apolog. ante med.* Rhetori jurganti, an philosopho objurganti? — *Rhetor eloquii* habet *Inscript.* apud *Henzen.* 5606. ¶ 2. Aliquando ponitur pro oratore. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 77. Quasi vero perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Adde 2. *Orat.* 3. 10. et *Nepot. Epamin.* 6.

RHĒTŎRĬCA. *V.* RHETORICUS.

RHĒTŎRĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* RHETORICOR.

RHĒTŎRĬCĒ, adverb. ῥητορικῶς, rhetorum more, perpetua oratione, oratorie, copiose, ornate. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 17. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis, quam dialectice, disputare? *Id. Brut.* 11. 43. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt.

RHĒTŎRĬCĒ, es, *et*

RHĒTŎRĬCI, ōrum. *V.* RHETORICUS.

RHĒTŎRĬCO, as, āvi, are, n. *et* Rhetoricor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. ῥητορεύω, rhetorum more loquor. — Forma *Rhetorico* est apud veteres. *Novius* apud *Non. p.* 476. 6. *Merc.* Age nunc, quando rhetoricasti (*pro* rhetoricavisti), responde quod te rogo. *Rhetoricor* est apud *Tertull. Resurr. carn.* 5. Ita nos rhetoricari provocant hæretici. et *Hieronym. advers. Helvid. n.* 22. Rhetoricati sumus, et in morem declamatorum paullulum lusimus.

RHĒTŎRĬCOR. *V.* voc. præced.

RHĒTŎRĬCŌTĔROS, a, um, adject. ῥητορικώτερος, magis rhetor, compar. more Græcorum. *Cic.* 3. *Orat.* 43. ex *Lucilio.* Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

RHĒTŎRĬCUS, a, um, adject. ῥητορικός, *appartenente alla rettorica*, ad rhetoricam pertinens. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 10. Nec vero te rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam. *Id.* 4. *Fin.* 3. 7. Scripsit artem rhetoricam Cleanthes. *Id.* 1. *Orat.* 19. *a med.* Rhetorici doctores. *Id.* 1. *Orat.* 29. 133. Nostro more aliquando, non rhetorico, loquemur. *Quintil.* 5. 10. 3. Rhetoricus syllogismus. *Gell.* 17. 5. sophista. *Id.* 17. 5. artifex. et 12. 12. disciplina. — Hinc

Rhetoricus, i, et *Rhetorici*, *ōrum*, m. 2. absolute (subaudi *liber*, vel *libri*). *Quintil.* 3. 5. *a med.* Sicut et Ciceronis quoque Rhetorico primo manifestum est. *Id.* 3. 1. *de Cicerone.* Nisi et Rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret. *h. e.* libros de Inventione. V. *Cic.* 1. *Orat.* 2. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Rhetorica, *æ*, et *Rhetorice*, *es*, f. 1. absolute (subaudi *ars*), ῥητορική, *rettorica*, est ars vel doctrina bene dicendi. *Quintil.* 2. 15. *ad fin.* Huic ejus substantiæ maxime convenit finitio, rhetoricen esse bene dicendi scientiam. *Id.* 5. 10. 54. Rhetorica est recte inveniendi, et disponendi, et eloquendi cum firma memoria et cum dignitate actionis scientia. *Id.* 2. 17. 3. Rhetorica maximum ac pulcherrimum opus. *Id.* 2. 1. 9. Rhetorices institutio. *Id.* 2. 14. 1. Rhetoricen in Latinum transferentes tum oratoriam, tum oratoricem nominaverunt. *Id.* 2. 1. 3. Rhetoricen exercere. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 17. Omnem vim loquendi in duas tributam esse partes; rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similem esse. *et mox.* Dicam,

si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non illa nostra forensi, quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem. *Quintil.* 2. 15. 10. Opus, quod de Rhetorice inscribitur.

Rhetorica, ōrum, n. plur. 2. absolute, sunt res rhetoricæ, studium aut cognitio rhetoricæ. *Ennius p.* 84. 9. *Müll.* alii denique rhetorica tongent. *h. e.* noscunt. *V.* TONGEO. et *Cic. Fat.* 2. 4. Mihi rhetorica vestra satis nota sunt.

RHĒTŎRISCUS, i, m. 2. *deminut.* rhetoris. *Gell.* 17. 20. Heus, inquit, tu rhetorisce, (sic enim me in principio recens in diatribam acceptum appellitabat) vides ne, inquit, etc.?

RHĒTŎRISSO, as, are, n. 1. ῥητορίζω, rhetorice loquor. *Pomponius* apud *Non. p.* 166. 1. *Merc.* Dolasti uxorem, nunc quapropter me cupis Concidere? etiam rhetorissas? *h. e.* blateras?

RHĒTRA, æ, f. 1. ῥήτρα, dictio, oraculum, lex: a ῥέω, dico. Hoc nomine appellatæ sunt leges Lycurgi a Lacedæmoniis. *Ammian.* 16. 5. 1. Tamquam adstrictus sumptuariis legibus viveret, quas ex rhetris Lycurgi, et axonibus Romam translatas, et senescentes paullatim, reparavit Sulla dictator.

RHEU. *V.* voc. seq.

RHEUBARBĂRUM *vel* Reubarbarum, i, n. 2. idem ac Rhaponticum *vel* Rheuponticum *vel* Reuponticum. Scribitur et divise *Rheu barbarum*, *Rheu ponticum*. — Rheubarbarum est nobilis radix, de qua *V.* RHA in ONOM., et *Ammian.* 22. 8. 28., *reobarbaro, rabarbaro. Isid.* 17. *Orig.* 9. Rheubarbarum sive rheuponticum, illud quod trans Danubium in solo barbarico, istud quod circa Pontum colligitur; nominatum. Rheu autem dictum quod sit radix: rheubarbarum ergo quasi radix barbara, rheuponticum quasi radix pontica. *Rheuponticum* legitur etiam apud *Plin. Valer.* 2. 14. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 314.

RHEUMA *vel* Reuma, ătis, n. 3. Occurrit etiam Rheuma, æ, f. 1. apud *Isid.* 4. *Orig.* 7. — Rheuma, ῥεῦμα, est

I.) Proprie. ¶ 1. Æstus maris, fluxus, fluxio, *flusso e riflusso. Veget.* 5. *Milit.* 12. Certis horis, diebus pariter ac noctibus, æstu quodam, quod rheuma vocant, ultro citroque pelagus procurrit, et, more torrentium fluminum, nunc exundat in terras, nunc refluit in altitudinem suam. Adde *Ambros.* 5. *Hexaem.* 10. ¶ 2. Item morbus oculorum, quum nempe humorem prætor naturam emittunt, hinc *Seneca Ep.* 64. Hoc (*collyrio*) asperitas oculorum conlevatur; hoc palpebrarum crassitudo tenuatur; hoc vis subita, et humor avertitur; hoc acuitur visus. *Inscript.* apud *Viscont. Op. var. T.* 3. *p.* 326. *edit. Mediol.* IVNII TAVRI CROCOD. PACCIAN. AD CICAT. ET REVM. *h. e.* crocodes Paccianum ad cicatrices et rheumata. *Theod. Priscian.* 1. 10. *ante med.* Si his adhibitis, rheuma (*oculorum*) cum dolore perseverarit, phlebotomandi sunt. *V.* RHEUMATIZO.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Hieronym. Ep.* 122. *n.* 1. *a med.* In terra deserta a vitiis, et invia adversariis potestatibus, et absque humore et rheumate ullius libidinis commorarer.

RHEUMĂTĬCI, ōrum. *V.* voc. seq.

RHEUMĂTĬCUS *vel* Reumaticus, a, um, adject. ῥευματικός, *catarroso*, qui rheumatismo seu fluxione laborat. — Hinc

Rheumatici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (142). Aut tritas clysteribus infundendas orthopnoicis, aut rheumaticis. Adde *Marcell. Empir.* 15.

RHEUMĂTISMA, ătis, n. 3. *et*

RHEUMĂTISMUS *vel* Reumatismus, i, m. 2. ῥευματισμός, *flussione, catarro*, fluxus, eruptio. *Æmil. Mac. de papavere.* Vocalis venæ bene rheumatismata siccat. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 146. Levis humoris fluor, quem Græci rheumatismum vocant. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (46). Decoquunt in cibo contra fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant. *Id.* 23. *ibid.* 2. 32. (66). Fæx aceti stomachum, interanea, ventrem illita adjuvat: sistit earum partium rheumatismos. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (144). Rheumatismos cohibere. *Id.* 25. *ibid.* 8. 49. (88). sanare. *Id.* 27. *ibid.* 12. 88. (111). Rheumatismis mederi. *Id.* 24. *ibid.* 3. 3. (7). resistere. *Id.* 25. *ibid.* 13. 109. (174). Rheumatismo laborare. *Id.* 23. *ibid.* 1. 23. (43). Si venter, aut interanea rheumatismum sentiant. Adde *Theod. Priscian.* 3. 7. et alibi. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27.

RHEUMĀTIZANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

RHEUMĀTIZO *vel* Reumatizo, as, āvi, are, n. 1. Particip. *Rheumatizans.* — Reumatizo est fluxione vel gravedine infestor, ῥευματίζομαι. *Theod. Priscian.* 1. 10. *ante med.* Si oculi rheumatizaverint, iis vini et carnium parcitas indicenda est. *et mox.* Sitire etenim omnibus rheumatizantibus satis prodest. *V.* RHEUMA. Adde *Plin. Valer.* 1. 32. et *Marcell. Empir.* 20. *Id.* 7. *s.* 2. Si humore capitis reumatizantis oculi gravabuntur etc.

RHEUPONTĬCUM, i, n. 2. *V.* RHEUBARBARUM.

RHEXĬA, æ, f. 1. herba ita appellata, quia fissum asini labium repræsentat: a ῥῆξις, fissio. *V.* ONOCHILES.

RHĪGŎLETRON, i, n. 2. rigoris exitium: a ῥῖγος, rigor, et ὄλεθρος, exitium. Ita vocatur aqua calida, in qua ægroti merguntur post perfrictionem. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *ante med.* Tunc etiam in aqua calida, quam rhigoletron (*alii leg.* rhigoliton, *aut etiam* pygolithon) vocant, deponendi sunt ægrotantes, ne percussu frigoris nervositas afficiatur.

RHĪNA, æ, f. 1. *rina, squatina*, ῥίνη, piscis marinus ex genere squalorum, qui Latine squatus seu squatina dicitur, cujus meminit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. *a med.* ubi *Sillig.* leg. Græca positione *rhine.* Ita vero appellatur a ῥίνη, quæ vox limam significat, quia, ut ait *Isid.* 12. *Orig.* 6., sit squamis acutis, unde et ejus cute lignum politur. Eadem etiam nunc utuntur nostri fabri lignarii, ac præsertim intestinarii; et *pelle di pesce* vulgo vocant.

RHĪNENCHȲTES, æ, m. 1. *et* Rhinenchytos, i, m. 2. ῥινεγχύτης, specillum, seu instrumentum quo quid in nares infunditur: a ῥίν, nares, et ἐγχέω, infundo. *Scribon. Compos.* 7. Per nares ergo purgatur caput iis rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. 82. Alii nari ederæ succum infundentes ex ferramento, quod rhinenchyton vocant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. 42. Alii tamen *loc. adl.* leg. *rhinengytes*, aut *rhinengytos.*

RHĪNENCHȲTOS. *V.* voc. præced.

RHĪNĬON, ii, n. 2. ῥίνιον, collyrium ita dictum ab exterendis callis et cicatricibus: a ῥινέω, limo. Ejus compositionem docet *Cels.* 6. 6. *n.* 30.

RHĪNŎCĔROS *vel* Rinoceros, rōtis, m. 3. *Rhinocerus* est *Lucil.* apud *Priscian.* 6. 26. (at *Lucil.* 3. *Sat.* 9. *Rhinoceros* legit *Müller.*). *Rhinocerota*, accusat. sing. Græcæ positionis, est *Martial.* 14. 52. et *Rhinocerotas*, accus. plur. Gr. pos., *Curt.* 8. 9. (31) 16. Etiam *Rhinoceron* legitur apud *Eucher. p.* 292. Rhinoceron, fera terribilis, gemina in naribus gestans cornua. — Vox Græca est, ex ῥίν, ῥινός, nasus, et κέρας, cornu. — Rhinoceros, ῥινόκερως, *rinoceronte*,

I.) Proprie. ¶ 1. Est animal quadrupes simile elephanto, nisi quod cornu habet ex nare prominens. *Solin.* 43. *sub init.* dicit illud cornu repandum esse, idest recurvum, sed attritum cautibus in mucronem excitari, et rhinocerotem pugnare cum elephantis. *Pausanias l.* 9. c. 21. affirmat, rhinocerotem duo habere cornua, alterum insigni magnitudine ex naribus exstans, alterum, quod superne erumpit, exiguum quidem, sed validissimum: quod colligitur etiam ex *Martial. Spectac.* 22.: nunc vero exploratum est, Africanum rhinocerotem (qui et sola appellatur) duo, Asiaticum vero unicum habere cornu. ¶ 2. Rhinocerotem quidam esse ajunt bovem Ægyptium, ut ait *Festus p.* 270. 8. *Müll.*, pro quo alii Æthiopicum tradunt, ut *Pausanias loc. cit. Plin.* 8. *Hist. nat.* 20. 29. (71). Iisdem ludis et rhinoceros, unius in nare cornus, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephanto cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus. Hæc *Plin.* De pugna ejus cum tauro est epigramma *Martialis Spectac.* 9. et 14. 53. et cum uro seu urso *Spectac.* 22. — *Dion* 51. 22. ait, rhinocerotem Romæ primo visum fuisse an. 725. At errat *Dion*, nam *Plin. loc. adl.* narrat, Pompeii Magni ludis adfuisse, non vero ante, nam *Solin. loc. adl.* ait, ante ludos Cnei Pompeii rhinocerota Romana spectacula nescivisse.

II.) Translate. ¶ 1. *Rhinocerotem* metaphorice appellat *Lucilius* apud *Non. p.* 25. 29. *Merc.* eum, qui bronchus est, *h. e.* ore producto et dentibus prominentibus. ¶ 2. Proverbium est *nasum rhinocerotis habere* apud *Martial.* 1. 4. *scil.* acerrimum esse in deprehendendis aliorum vitiis, irridendis, insectandis. hoc enim per nasum Latini significant (*V.* NASUS), et rhinocerotis nasus, seu cornu longissimum est. ¶ 3. Synecdoche est in illo *Juvenal.* 7. 130. magno cum rhinocerote lavari. *h. e.* ingenti gutto ex cornu rhinocerotis. *et Martial.* 14. 52. cujus lemma, *Guttus corneus.* Gestavit modo fronte me juvencus: Verum rhinocerota me putabis. Adde *ibid.* 53.

RHĪNŎCĔRŌTĬCUS, a, um, adject. ad rhinocerotem pertinens. *Sidon. carm.* 9. 339. Sed nec turgida contumeliosi Lectoris nimium verebor ora, Si tamquam gravior severiorque, Rugato Cato tertius labello, Narem rhinoceroticam minetur. *h. e.* irrisionem, reprehensionem: respicitque ad locum *Martial.*, de quo in voce præced.

RINOCHĬA, æ, f. 1. genus herbæ. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 37. (59). Alterum genus (*catanances*) quidam anchusam vocant, alii rinochiam. *Alii leg.* rinocliam; at *Sillig.* onocliam.

RHĪNŎCŌRAX, ăcis, f. 3. genus corvi, a rostri fortasse longitudine sic nuncupatum: a ῥίς, nasus, et κόραξ, corvus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 34. Tum rhinocoraces insecutæ, sed eæ sane neque ad homines sæviebant, neque ignes temere advolabant.

RHIZA, æ, f. 1. ῥίζα: h. e. radix, unde ¶ 1. *Thia rhiza* dicitur herba betonica. *Auct. de Betonica*, qui libellus *Apuleio* adscribitur. *Alii leg.* thyariza. ¶ 2. *Althæa riza* dicitur hibiscum. *Apul. Herb.* 38., ubi alii leg. *ororiza.*

RHIZĬAS, æ, m. 1. ῥιζίας ὀπός, succus e radice laserpitii profluens. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (43). Succus duobus modis capiebatur, e radice, atque caule. Et hæc duo erant nomina, rhizias, atque caulias, vilior ille, ac putrescens.

RHIZŌTŎMOS, i, f. 2. ῥιζοτόμος, herba, species iridis subrufæ, apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 19. (41). *V.* IRIS.

RHIZŌTŎMŪMĔNA, ōrum, n. plur. 2. τὰ ῥιζοτομούμενα, vox Græca: a ῥίζα, radix, et τέμνω, seco, significat ea, quæ pertinent ad medicinam ex sectis herbarum radicibus. *Plin. loc. cit. In* OPHIACA.

RHO *vel* RO nomen litteræ R apud Græcos, ῥῶ. *Cic.* 2. *Divinat.* 46. 96. Demosthenem scribit Phalereus cum rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret. *Auson. epigr.* 128. Quid, imperite, rho putas ibi scriptum, Ubi locari iota convenit longum?

RHŎAS. *V.* RHŒAS.

RHŎDĬNUS, a *et* e, um, adject. ῥόδινος, *di rosa*, rosaceus: a ῥόδον, rosa, ut Rhodinum unguentum, *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (5). oleum, *Id.* 15. *ibid.* 7. 7. (30). — Simplicissima rhodini unguenti mixtura diu fuit, additis omphacio, flore rosæ, crocino, cinnabari, calamo, melle, junco, salis flore, aut anchusa, vino. *Id. loc. cit.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RHŎDĪTIS, idis, f. 3. ῥοδῖτις, gemma sic dicta a colore roseo. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (191).

RHŎDŎDAPHNE, es, f. 1. ῥοδοδάφνη, frutex florem habens similem rosæ, folium indeciduum simile lauri foliis: a ῥόδον, rosa, et δάφνη, laurus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 20. 33. (79). et 24. *ibid.* 11. 53. (90), *Pallad.* 1. *R. R.* 35., *Virg. Cul.* 401. et *Prudent. Hamartig.* 234. *V.* voc. seq.

RHŎDŎDENDROS, i, m. *et* Rhododendron, i, n. 2. ῥοδόδενδρος, *oleandro*, frutex folio similis amygdalæ, sed majore pinguioreque, semine patenti, qui et nerion, et rhododaphne dicitur: a ῥόδον, rosa, et δένδρον, arbor, quasi rosa arborescens. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 53. (90). Rhododendros ne nomen quidem apud nos invenit Latinum, rhododaphnen vocant, aut nerium. Mirum, folia ejus quadrupedum venenum esse, homini vero contra serpentes præsidium, ruta addita e vino pota. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 20. 33. (79). et 21. *ibid.* 13. 45. (77).

RHŎDŎMEL, mellis, n. 3. *et*

RHŎDŎMĔLI, n. indeclin. Forma *Rhodomel* est apud *Theod. Priscian.* 1. 15. *init.* et *Plin. Valer.* 5. 4. et *Rhodomelum* apud *Isid.* 20. *Orig.* 3. — Rhodomeli, ῥοδόμελι, est mel rosa conditum, vel mixtum. *Pallad.* 6. *R. R.* 16.

RHŎDŎMĔLUM, i, n. 2. *V.* voc. præced.

RHODŌRA, æ, f. 1. nomen herbæ Gallicum. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 112. (172). Juxta rumbotinum viduam vite nascitur herba, quam Galli rhodoram vocant. Caulem habet virgæ ficulneæ modo geniculatum, folia urticæ in medio exalbida, eadem procedente tempore tota rubentia, florem argenteum.

RHŒAS *vel* Rhoas, ădis, f. 3. ῥοιάς. Tertium genus papaveris sativi, erucæ simile, cubitali altitudine, flore rufo, sponte nascens in arvis, maxime cum hordeo, Latini erraticum dicunt, Græci ῥοιάδα, (*Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 53. (169). et 20. *ibid.* 19. 77. (204). Latina positione in accusativo *rhœam*: ubi alii leg. *rhoam*) quia floris folia protinus decidua sunt: a ῥέω, fluo. *Plin. ibid.*

RHŎĬCUS, a, um, adject. ad rhum pertinens. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 54. (92). Medici rhoicis (*foliis*) utuntur ad contusa etc.

RHŎĪTES, æ, m. 1. ῥοΐτης, vinum ex malis Punicis expressum: a ῥοιά, malum Punicum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (3).

RHOMBŎĪDES, is, f. 3. *romboide*, ῥομβοειδής, figura rhombo similis. *Frontin. Expos. formar. p.* 36. *Goes.* Quarta (*figura*), quæ nec æquilatera, nec rectangula est, sed adversa latera et oppositos angulos æquales habet, et appellatur rhomboides. Adde *Capell.* 6. *p.* 230.

RHOMBOS, Rhombus *et* Rumbus, i, m. 2. ῥόμβος: a ῥέμβω, circumago.

I.) Proprie et speciatim ita primo dictus est fusus, in quem fila mulieres glomerant, cujus, quum plenus est, decrescente versus utrumque extremum crassitie, verticalis ejusdem sectio per axem instituta exhibet eam figuram, quæ rhombus a mathematicis dicitur. *V.* infra 2. Jam usum illum domesticum feminarum appellatio fusi frequentior obscuravit, sed superest aenei rhombi mentio in sacris Rheæ, seu Matris magnæ Phrygiæ apud Græcos, nempe apud *Scholiast.* ad *Apollon. Argon. l.* 1. *v.* 1139. Ῥόμβος, τροχίσκος, ὃν στρέφουσι ἱμᾶσι τύπτοντες. — Item a similitudine ita appellari putant nonnulli muliebre instrumentum, quod circumagendo lana netur, *filatojo:* et fortasse est, quod nostrates vulgo *carlo* et *corletto* vocant. Sunt qui huc trahunt locum *Gloss. Philox.* Girgillus, ῥέμβος. Sed ibi quoque de instrumento hauritorio mentio habetur. *V.* GIRGILLUS. Hinc ¶ 1. Sæpe rhombus memoratur apud Græcos et Latinos auctores in rebus magicis et incantationibus, ut *vertigo* et *turbo*, quæ fere idem sunt. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 7. Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid valeat virus amantis equæ. *Propert.* 2. 21. 35. Deficiunt magico torti sub carmine rhombi. *Martial.* 9. 30. Thessalico Lunam deducere rhombo. *Id.* 12. 57. Quum secta Colcho Luna vapulat rhombo. *V.* alia in STAMINEUS. ¶ 2. *Rhombus* dicitur etiam figura mathematica, quadrilatera, angulis oppositis æqualibus, sed iis, qui ad latus sunt, obtusis; qui versus extrema, acuti. *Capell.* 6. *p.* 230. Tertia figura æquilatera est, non tamen directiangula, et dicitur ῥόμβος. *Frontin. Expos. formar. p.* 36. *Goes.* Tertia æquilatera est, sed recios non continet angulos, et dicitur rhombus.

II.) Translate, a simili figura factum est quoque nomen pisci marino e genere planorum, laudatissimo in cibis, præcipue circa Ravennam, ut *Plin.* 9. *Hist. nat.* 54. 79. (169) docet. Græce etiam ψῆττα dicitur, laudaturque ab *Horat.* 2. *Sat.* 2. 95. et *ibid.* 8. 30., *Juvenal.* 2. 2. et 4. 39. et *Martial.* 13. 81. et alibi.

RHOMPHÆA *vel* Romphæa, f. 1. *Rumpia* positione latina legitur apud *Gell.* 10. 25. et *Val. Flacc. loc. infra cit.* Est autem a ῥέμβω, circumago: hoc enim facere solent romphæa pugnantes, ut qui anceps sit gladius. *V. Isid.* 18. *Orig.* 6. — Ceterum rhomphæa apud *Gell. loc. cit.* dicitur genus teli esse Thracæ nationis, positumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annali quartodecimo. Alii volunt esse gladium ex utraque parte acutum, qualis est quam vulgo *spatam* vocant, *Isid. loc. cit.*, alii vero hastam. *V.* FRAMEA. *Liv.* 31. 39. *a med.* Thracas quoque rhomphææ, ingentis et ipsæ longitudinis, inter objectos undique ramos impediebant. *Ascon. argum. Milonianæ.* Humerum ejus Birrhia rhomphæa trajecit. *Claudian. epigr.* 27. Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas. *Val. Flacc.* 6. 98. Æquaque nec ferro brevior, nec rumpia ligno. Quidam leg. *romphœa*, extrita priore adspiratione et præpositiva diphthongi. *Vulgat. interpr. Eccli.* 21. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas. *et ibid.* 26. 27. Deus paravit eum ad rhomphæam. *h. e.* ad grave supplicium.

RHOMPHÆĀLIS, e, adject. ad rhomphæam pertinens. *Prudent.* sine diphthongo scribit corripiendi causa 7. *Cathemer.* 93. Dextram perarmat rhompheali incendio.

RHONCHĪSŎNUS *vel* Ronchisonus, a, um, adject. qui rhonchos sonat. Translate ponitur pro derisore. *Sidon. carm.* 3. 8. Nec nos rhonchisono rhinocerote notat.

RHONCHISSO *vel* Ronchisso, as, are, n. 1. *russare*, sterto, ῥέγχω. *Plaut.* Cyathissat, dum cœnat; dum dormit, rhonchissat. Ita est in Calepini, et aliorum Lexicis: sed nos, inquit *Forcellinus*, locum *Plauti* invenire non potuimus. Ceterum hæc vox in recentioribus optimisque Lexicis omittitur. Legitur tantum in *Onomast. lat. gr.* Rhonchisso, ῥέγχω.

RHONCHO *vel* Roncho, as, are, n. 1. idem ac rhonchisso. *Sidon.* 1. *Ep.* 6. Si relinquare inter bubsequas rusticanos, subulcosque rhoncantes.

RHONCHUS *vel* Ronchus, i, m. 2. ῥόγχος, *il russare*, sonus, quem stertentes edunt: a ῥέγχω, sterto.

I.) Proprie. *Martial.* 3. 82. Nos accubamus, et silentium rhonchis Præstare jussi, nutibus propinamus.

II.) Translate. ¶ 1. Est sonus ranæ tacite coaxantis. *Apul.* 1. *Met.* Cauponem vicinum deformavit in ranam: et nunc senex ille dolium innatans vini sui, adventores pristinos in fæces submissus officiosis rhonchis raucus appellat. ¶ 2. Item irrisio, atque idem est ac sanna. *Martial.* 1. 4. Majores nusquam rhonchi: juvenesque senesque, Et pueri nasum rhinocerotis habent. *et* 4. 87. Nec rhonchos metues malignorum.

RHŎPĂLĬCUS *et* Rhopalius, a, um, adject. ut Rhopalicus vel Rhopalius versus, de quo hæc habet *Mar. Plot. Sacerd.* 3. *p.* 505. 27. *Keil.* Rhopalicus versus, a monosyllabo verbo incipiens, gradatim crescit, et ῥόπαλον, id est Herculis clavam, imitatur ab angusto et tenui in latitudinem desinens, ut ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον (*Hom.* 3. 182.): latinum non repperi, sed potui illum Virgilii versum verba commutans sine sensus læsione formare: *quarum quæ forma pulcherrima Deiopea*, ut sit sic: *quæ quarum facie pulcherrima Deiopea.* et *Servius* in *Centim. p.* 1826. *Putsch.* Rhopalicus versus est, quum verba, ut sequuntur, per syllabas crescunt, ut est hoc: *Rem tibi concessi, doctissime, dulcisonorem.* Ceterum *Ausonii Orat. cons.* est tota ex vers. rhopalicis, quæ incipit: *Spes deus æternæ stationis conciliator.*

RHŎPĂLĬUS. *V.* voc. præced.

RHŎPĂLON, i, n. 2. ῥόπαλον, herba Nymphæa, inde dicta quod radicem habet clavæ similem, nam ῥόπαλον clavam significat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 37. (75)., *Apul. Herb.* 67.

RHŎTĂCISMUS *vel* Rotacismus, i, m. 2. ῥωτακισμός, vitium sermonis, quum *r* littera nimium sæpe repetitur. *Mar. Pl. Sacerd. p.* 454. 25. *Keil.* Huic vitio (*myotacismo*) similes sunt nattacismi, rotacismi et omnino. ubi tamen *Keilius* legendum putat *labdacismi et iotacismi.*

RHUS, rhŏis, m. *et* f. 3. In accusativo *rhun* Græca positione, et *rhum* Latina facit *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 79. (129). Pari mensura ejus, quod rhun Syriacon vocant. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (50). Una mensura ejus, quod rhum diximus. Aliam formam *Ros, roris*, *V.* infra. — Rhus, ῥοῦς, ῥοός, ὁ, ἡ, est herba, et frutex quidam, *sommacco:* de quo *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 54. (91). Nec rhus Latinum nomen habet, quum in usum plurimis modis veniat. Nam et herba est silvestris, foliis myrti, cauliculis brevibus, quæ tineas pellit: et frutex coriarius appellatur, subrutilus, cubitalis, crassitudine digitali, cujus aridis foliis, ut malicorio, coria perficiuntur. *Id. ibid.* 55. (93). Rhus, qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis. Vim habet adstringendi refrigerandique: aspergitur pro sale obsoniis: alvos solvit, omnesque carnes cum silphio suaviores facit. *Id.* 13. *ibid.* 6. 13. (55). Etiam rhus Syriæ mascula fert, sterili femina, folio ulmi paullo longiore et piloso, foliorum inter se semper contrariis pediculis, gracili brevique ramo. Pelles candidæ conficiuntur iis. Semen lenti simile, cum uva rubescit. quod vocatur rhus, medicamentis necessarium. Hactenus *Plinius.* et *Cels.* 6. 11. *a med.* Rhus, quem Syriacum vocant. *V.* EXEDUM. Quidam leg. *ros.* Ubi autem legimus apud *Scribon. Compos.* 111. Rhus Syriaci coquuntur sextarii duo. Eruditi corrigunt *rhois Syriaci.* et apud *Colum.* 9. *R. R.* 13. Uva passa cum rore Syriaco: *rhoe Syriaco.* et 12. *ibid.* 41. *sub fin.* Tres heminæ roris Syriaci: *rhois Syriaci.* Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 15., *Marcell. Empir.* 27. et *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 51. Alii tamen putant, nihil esse mutandum, quod non sit librariorum error, sed depravatio Græcæ vocis olim in Latinam consuetudinem invecta.

RHŪSĔLĪNON *et* Rhosolinon, i, n. 2. ῥουσέλινον, apium rusticum, herba scelerata. *Apul. Herb.* 8.

RHŸPĂRŎGRAPHŬS *vel*, *Græca positione*, Rhyparographos, i, m. 2. Ita cognominatus est quidam Pyrrhicus, aut Piræicus pictor, quod tonstrinas sutrinasque pinxit, et asellos, et obsonia, ac similia, apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (112): est autem a ῥυπαρός, sordidus, et γράφω, pingo. Cujus generis pictura, ut videtur, apud Romanos plurimi habebatur: cf. *Plin. loc. adl.*, et est, maxime apud exteros, recentiori ætate exculta, *pittura fiamminga.*

RHŸPŌDES, is, adject. neutr. ῥυπῶδες, subaudi ἔμπλαστρον, genus emplastri, cujus compositionem tradit *Cels.* 5. 19. *n.* 15., a similitudine sordium appellatum. ῥύπος enim sordes significat. Apud *eumd. Cels.* alicubi Latinis litteris scribitur, ut 6. 18. *n.* 7. Tetrapharmacum, aut rhypodes rosa diluendum est.

RHYSIS, is, f. 3. ῥύσις, fluxus, fluor. *Mar. Victorin.* 1. *Art. gramm.* 8. *V.* RHYTHMUS *init.*

RHYTHMĬCA, æ, *et*

RHYTHMĬCE, es, *et*

RHYTHMĬCI, ōrum. *V.* voc. seq.

RHYTHMĬCUS, a, um, adject. ῥυθμικός, ad rhythmum pertinens. *Diomed. p.* 494. 25. *Keil.* Versus incipientes a synaliphe ratione rhythmica facta. *Capell.* 2. *p.* 30. Et reboare tua tullimus quæ carmina cura Melo favente rhythmico. et *ibid.* Regula rhythmica. *Mar. Victorin.* 1. *Art. gramm.* 8. *p.* 39. *Keil.* Rhythmica modulatio. — Hinc

Rhythmici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur qui curiose numerum in oratione consectantur, diligentissime singula verba et particulas expendentes, et ad certam soni rationem ac regulam exigentes: quod musicorum potius, quam oratorum munus est. *Cic.* 3. *Orat.* 49. *a med.* Neque tamen hoc tanti la-

noris est, quanti videtur: nec sunt hæc rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda. *Quintil.* 9. 4. *circa med.* Quis dubitet, unum sensum, et unius spiritus esse? (*Cic. Cluent.* 1.) *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes:* tamen et duo prima verba, et tria proxima, et deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent spiritum sustinentes: sicut apud rhythmicos æstimantur hæ particulæ, prout sunt graves, acres, lentæ, celeres, etc.

Rhythmica, æ, et *Rhythmice, es,* f. 1. absolute, substantivorum more (subaudi *ars*), est ars supputandi numeros, arithmetice. *Capell.* 9. *p.* 327. Rhythmice est ars omnis in numeris, quæ numeros quosdam propriæ conversionis accipiat. Adde *Cassiod. de music. p.* 587. *Garet.* et *Isid.* 3. *Orig.* 17. et 18.

RHYTHMIZŎMĔNON, i, n. 2. ῥυθμιζόμενον, id quod ad numeros, vel rhythmum redigitur: est particip. a ῥυθμίζω, ad numeros redigo. *Capell.* 9. *p.* 326. Interest tamen inter rhythmum et rhythmizomenon: quippe, rhythmizomenon est materia numerorum.

RHYTHMŎĪDES, is, adject. omn. gen. ῥυθμοειδής, similis rhythmo, vel numeris. *Capell.* 9. *p.* 327. Verba, quæ rhythmoides, id est similia numeris judicantur.

RHYTHMŎPŒĪA, æ, f. 1. ῥυθμοποιία, modulatio. *Capell.* 9. *p.* 335. Tropi in rhythmopœia tres sunt, quos systalticos dicimus.

RHYTHMŬLUS, i, m. 2. *deminut.* rhythmi. *Diomed.* 3. *p.* 474. *Putsch.* Musici viri ociori melo intenti, ex rotæ situ et volubili modo, rhythmulum ejus (*pedis trochæi*) et tonum designant.

RHYTHMUS, i, m. 2. ῥυθμός, vox ducta a them. ῥυ, unde ῥέω, fluo, ut docet *Curtius, Grundzüge d. Gr. Etym. n.* 517. et est apud *Mar. Victorin.* 1. *Art. gramm.* 8. *p.* 42. *Keil.* Rhythmus, ut volet, protrahit tempora, ita ut breve tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat; unde et rhythmus, id est a rhysi et fluore quodam, nuncupatur. — Ceterum rhythmus est modus certa dimensione, et proportione constans, concinnitas, harmonia, congruentia ex plurium rerum apte decurrentium, aut inter se compositarum ordine et motu nascens, *consonanza, proporzione, numero.* Hinc ¶ 1. Speciatim *rhythmus venarum* apud *Vitruv.* 1. 1. *ad fin.* est pulsus earum per certa intervalla distinctus, ex quibus modus et numerus quidam efficitur. ¶ 2. Similiter *rhythmus* dici potest certus motus pedum in iis, qui ad tibiam saltant. Sed præcipue locum habet in musica, et a *Capella,* 9. *p.* 326, definitur, diversorum modorum ordinata connexio, tempori pro ratione modulationis inserviens, per id quod aut efferenda vox fuerit, aut premenda, et qui nos a licentia modulationis ad artem disciplinamque constringat. *Gell.* 16. 18. Κανονικὴ longitudines et altitudines vocis emetitur. longior mensura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλος. ¶ 3. Item in oratione, in qua, ut *Quintiliani* verbis utar, 9. 4. 45., omnis structura, ac dimensio, et copula vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut metro, idest dimensione quadam. Quod etiamsi constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant: metra etiam ordine: ideoque alterum (*h. e.* rhythmus) esse quantitatis videtur, alterum (*h. e.* metrum) qualitatis. Addit mox alia discrimina, quod in *rhythmis* non servatur ordo, modo sit eadem quantitas: idem enim rhythmus est in anapæsto *superant,* quod in dactylo *conterit:* in *metris* certa ordinis lex est, quam si violes, metri ratio tollitur: item quod *rhythmis* libera sunt spatia, in *metris* finita: item quod *metrum* in verbis modo, *rhythmus* etiam in corporis motu est, etc. *Varro* apud *Diomed.* 3. *p.* 512. *Putsch.* dicit, inter rhythmum et metrum id interesse, quod inter materiam et regulam. Disserit de rhythmo etiam ipse *Diomed.* 2. *p.* 464. *Putsch.*; *Mar. Victorin. loc. cit.*; *Aud. Excerpt. p.* 331. *Keil.* *V.* quæ diximus in v. NUMERUS. — De versu, non ad metrum, sed ad rhythmum composito, *verso ad orecchio,* loquitur *Quintil. loc. cit.* Poema nemo dubitaverit imperito quodam initio fusum et aurium mensura et similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum. et *Victorin. de Metr. p.* 206. *Keil.* Rhythmus quid est? Verborum modulata compositio non metrica ratione, sed numerosa scansione ad judicium aurium examinata, ut puta veluti sunt cantica poetarum vulgarium. *V.* SATURNIUS. — Hinc, voce latina depravata, orta est lex Italici carminis *rima,* quæ si spectetur in mensura ipsius versus, certis syllabis et certo temporum intervallo constantis, idem est cum rhythmo Latinorum: si in fine, ubi ὁμοιοτέλευτα, hoc est similiter desinentia, ponuntur, alia prorsus res est, et a Latinis non usurpata. *V.* LEONINUS in ONOM.

RHŸTĬUM, ii, n. 2. ῥύτιον, poculi genus infra angustum, supra latum, et curvum in modum cornus, *deminut.* a ῥυτόν, quod inter pocula numerat *Athenæus l.* 10. *c.* 13. et *l.* 11. *c.* 5. et est a ῥύω pro ῥέω, fluo, nam ex parte angusta per foramen fluit liquor in ora bibentium. *V. Mus. Borbon. T.* 1. *tav.* XXIII. Hinc *Martial.* 2. 35. Quum sint crura tibi, simulant quæ cornua Lunæ; In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

RI

RIBORASTA, æ, f. 1. genus herbæ, apud *Apul. Herb.* 36. ubi alii aliter leg.

RĪCA, æ, f. 1. Hanc vocem ducit *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* a *ritu,* quia in sacrificiis præcipue *rica* utebantur Romani; sed etymologi recentiores, hac notatione rejecta, thema hujus vocis cum Sanskr. *rik,* extendo, dilato, conjungunt. — Ceterum *rica* est — *a*) In ritu sacro, palliolum, flameum, seu tegumentum capitis, quo Flaminicæ sacrificaturæ utebantur, καλύπτρη: unde *ricinium,* et *ricinum.* *Festus p.* 289. 19. *Müll.* Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicæ pro palliolo mitrave utebantur, ut (Verrius) existimat. Titius (*leg.* Titinius) autem ait, quod ex lana fiat succida alba vestimentum dici ricam idque esse triplex, quod conficiant virgines ingenuæ, patrimæ, matrimæ, quod confectum lavetur aqua perenni et tingendo fiat cæruleum. Hæc *Festus.* Etiam *Varro loc. cit.* rica velari docet caput feminarum, sacrificium quum faciunt. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 15. Flaminica Dialis venenato operitur, et in rica surculum de arbore felici habet. *h. e.* in tutulo, quod est ornamentum ac tegumentum capitis. — *b*) Extra ritum sacrum. *Plaut. Epid.* 2. 2. 48. Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova: — Supparum, aut subminiam, ricam, basilicum etc. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* de quodam Euclide, qui mutata veste itabat ad Socratem, 6. 10. Euclides, quum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput rica velatus, e domo sua Megaris ad Socratem commeabat. *Cæs. German.* in *Arat.* 121. de *Astræa.* ore Velato, tristesque genas abscondita rica. *Alii leg.* vitta. Adde *Seren.* et *Nov.* apud *Non. p.* 539. 18. *Merc.* et *Lucil.* apud *eumd. ibid.* 22. qui quidem *Nonius* interpretatur *sudarium:* sed et sudarium velando capiti nonnumquam adhibetur.

RĪCĪNĬĀTUS et Reciniatus, a, um, adject. ricinio indutus. *Arnob.* 6. *p.* 209. Riciniatus Juppiter. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 279. PVERI RICINIATI. V. *Festi loc. cit.* in voc. sequenti, ubi *Müller.* pro *riciniati* leg. *reciniati.*

RĪCĪNĬUM, Recinium, ii, n. et Ricinus, i, m. 2. — 1.°) Quod ad quantitatem attinet, *Forcellinus* pænultimam thematis syllabam facit brevem; verum ad *Lucil.* apud *Non.* 14. 16. Ricini et aurati, ricæ, atque oraria mitræ, addit: *Voss.* leg. *Ricini aurati* etc., ut duæ priores syllabæ producantur: quas et recentiores philologi productas volunt. at *ibi* Mercerius *leg.* Hyodyti. et Müllerus *leg.* Chirodyti aurati, ricæ, thoracia, mitræ. — 2.°) Quod ad etymon spectat, hæc habet *Varro* 5. *L. L.* 132. *Müll.* Ricinium, id quod eo utebantur duplici: ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab rejiciendo ricinium dictum. Rectius tamen ducas a *rica,* cujus est deminutivum. — 3.°) Alia forma *Ricinus* legitur apud *Lucil.*, *Varron.* et *Serv. loc. cit.* — Ricinium est igitur pallioli quadrati genus, quo duplicato tum viri, tum præsertim mulieres humeros et capita tegebant, vel in suorum luctu et exsequiis, vel in scænicis fabulis actitandis, vel etiam in sacrificiis peragendis. (V. *A. Rich* in h. v.) *Festus p.* 274. 32. *Müll.* Ricinium omne vestimentum quadratum. Ii, qui XII. Tab. interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo, unde riciniati mimi planipedes. *Id.* in *Orchestra:* Orchestra locus in scæna, quo antea, qui nunc planipedes appellantur, non admittebantur histriones, nisi tantum interim dum fabulæ explicarentur, quæ sine ipsis explicari non poterant: ricinia autem portabant, quo nequiori (*Godofr.* æquiori, *alii* nobiliori) habitu prodirent, atque ut inde nomen ducerent. Ita leg. *Forcellinus;* at *Müllerus* pro *ricinia* habet *soccos.* et *Non. p.* 542. 1. *Merc.* Ricinium, quod nunc mafurtium (*alii* mavortium) dicitur, palliolum femineum breve. Varro ταφῇ Μενίππου: Nihilo magis dicere mulicbre, quam de muliebri ricinio pallium simplex. Idem de vita populi R. l. 1. Et quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, quum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt. *Varro* apud *Non. p.* 549. 32. *Merc.* Ut dum supra terram essent ricinis (*Forcellinus* riciniis) lugerent, funere ipso, ut pullis pallis amictæ. *Cic.* 2. *Legg.* 23. *a med.* Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis, et vinculis purpuræ, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem. at *Halm.* et *Vahlen.* leg. *reciniis.* et *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 286. Togas autem etiam feminas habuisse, cycladum et ricini usus ostendit. Ricinus autem dicitur ab eo, quod post tergum rejicitur: quod vulgo mavorte dicunt. *Isid.* 19. *Orig.* 25. Eadem stola et ricinium Latino nomine appellata, eo quod dimidia ejus pars retro ejicitur, quod vulgo mavortem dicunt: vocatum autem dicunt mavortem, quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis et potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est: inde et super caput mulieris est. (Cf. ἐξουσία in *epist.* 1. *ad Cor.* 11. 10. et βασιλεία apud *Diod.* 1. 47.) — *NB.* Mafurtium seu mavortium *Nonii,* mavorte *Servii,* et mavors *Isidori* sunt voces minus Latinæ, quæ tamen idem significant, scilicet operimentum muliebre capitis, quod plurali numero effert *Glossar. Isid.* Mavortes, operimentum capitum mulierum. *V.* LÆNA. At *Bianchi Marm. Cremon. p.* 179. putat fuisse pallium talare *Tab.* XXIV., ubi ricinium repræsentatum exhibet.

RĪCĪNŌSUS, a, um, adject. qui ricinos habet. *Gloss. Cyrill.* Φθειράριος, ἐπὶ ἀλόγου ζώου, ricinosus.

RĪCĪNUS, a, um, adject. ad ricam aut ricinium pertinens. *Varro Sat. Menipp. p.* 197. 5. *Oehl.* Alia emit mitram ricinam aut mitram Melitensem. *h. e.* in modum ricinii, ut *Forcellinus,* aut rica vel ricinio instructam, ut *Oehlerus* interpretatur.

RĪCĪNUS, i, m. 2. *V.* RICINIUM.

RĪCĬNUS, i, m. 2. *zecca,* κρότων. ¶ 1. Est animal æstivi temporis, omnium fœdissimum, infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens: unum animalium, cui cibi non sit exitus: dehiscitque nimia satietate, alimento ipso moriens. Numquam hoc in jumentis (h. e. mulis, asinis) gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando; in ovibus et in capris hoc solum. Ita, tacito nomine, a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 34. 40. (116) et 30. *ibid.* 10. 24. (82). describitur. *Id.* 22. *ibid.* 18. 21. (47). Chamæleonis nigri succo

ricinos canum necant. *Varro* 2. *R. R.* 9. *ad fin. de canib.* Nucibus Græcis in aqua tritis perungunt aures, quod muscæ, et ricini, et pulices soleant eas exulcerare. *Colum.* 6. *R. R.* 2. *ante med. de bub.* Sub femina manum subjicere, ut ricini, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 13., et *Caton. R. R.* 96. *Seren. Sammon.* 36. 699. purgabitur ulcus Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit ante. — Tineas appellat *Nemesian. Cyneg.* 209. Auribus (*canum*) et tineas candenti pellere cultro. a ricinis namque aures canum exulcerari ait *Varro* loc. adl. — *In alio peduclum vides, in te ricinum non vides* proverb., de quo *V.* in PEDICELLUS. ¶ 2. Est etiam nomen fruticis, ad magnitudinem parvæ ficus assurgentis, folio platani, sed majore, læviore et nigriore, ramis et caudice arundinum modo concavis, semine uvarum aspero, quod purgatum figuram ricini animalis repræsentat, Græc. κρότων, et κίκι, *ricino. Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (25). *V.* CICI et CROTON. ¶ 3. Præterea ricinos appellant Græci poma imperfecta mori arboris. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (137), ubi alii leg. *cytinos*.

RICOTĬA, æ, f. 1. medicamenti genus. *Theod. Priscian.* 1. 5. Aliud medicamentum. Olei rosei vel myrtei unciam mittes in mortarium plumbeum. Accipies etiam pistillum ejusdem metalli, et teris quamdiu oleum pinguescat et nigrefiat. Item in aliud mortarium cujuslibet metalli mittes spumæ argenti libram unam, tantumdem ex cerussa, et eorum pulverem combures cum oleo supradicto. Ex hoc omnes acoras, ubi fuerint, linimento curabis. Hoc medicamentum et in papulis et in pudendis ragadiis, vel condylomatibus etiam prodest. Apud aliquos hoc medicamenti genus ricotia appellatur.

RICTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* ringor, *digrignare spesso*, rictum sæpe aperio, dentes ostendendo, et turbatam vocem emittendo, quod irritata canis facere solet. *Spartian. Get.* 5. Familiare illi fuit has quæstiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, ursi sæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, etc.

RICTUM, i, n. 2. *bocca*, idem ac rictus. *Lucret.* 5. 1064. Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes. *Id.* 6. 1195. inhorrebat rictum, frons tenta manebat. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. *de Herculis statua.* Usque eo, judices, ut rictum ejus, ac mentum paullo sit attritius. Ita *Non.* legit *p.* 221. 20. *Merc.*, alii *rictus*.

RICTUS, us, m. 4. ῥύγχος, χάνος, a priore Græca voce adlata, vel potius a sup. verbi *ringor*, est hiatus oris, unde verba et vox exit, et tota illa pars circa ipsum hiatum, quæ in homine ridente et in bestiis os aperientibus lineis quibusdam terminatur, ut maxime sunt labia, *bocca aperta*.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Varro Sat. Menipp. p.* 185. *Oehl.* Rictus parvissimus, ut refrenato risu roseo! *Quintil.* 1. 11. 9. Ne immodicus hiatus rictum distendat. *Id. declam.* 10. 11. *in fin.* Illos oculos, illam gratissimam faciem, et rictus oris expressos, etc. *Sueton. Claud.* 30. Risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 7. risu diducere rictum. *Apul. Florid.* 23. Toto rictu hiavit. *Juvenal.* 10. 230. ad conspectum cœnæ diducere rictum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 283. Sint modici rictus, sint parvæ utrinque lacunæ. *Id.* 11. *Met.* 126. *de Mida.* Fusile per rictus aurum fluitare videres. *Font.* 4. *ad M. Cæs* (*edente iterum A. Maio*) *ep.* 12. *a med.* Quum interim numquam tua imago (*picta in pergulis, tabernis, protectis, vestibulis*, etc.) tam dissimilis ad oculos meos in itinere accidit, ut non ex ore meo excusserit rictum osculi et somnum (*lege* sonum). *Ciceronis* locum *V.* in voce præced., et adde *Lucan.* 6. 757., *Titin., Pompon., Lucil.* et *Varron.* apud *Non. p.* 456. 2. *Merc.* et poetam *Gellii æqualem* apud *eumd.* 19. 11. et *Flor.* 3. 11. *extr.* — Poetice *Sil. It.* 1. 207. *de Atlante.* Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu. — *b*) De feris. *Ovid.* 6. *Met.* 378. *de ranis.* Ipsaque dilatant patulos convicia rictus. *et* 11. *ibid.* 59. In lapidem rictus serpentis apertos Congelat. *et ibid.* 367. rictus lupi fulmineos. *et* 14. *ibid.* 65. rictus Cerberei. *et* 4. *ibid.* 98. Cæde leæna boum spumantes oblita rictus. Adde *Sil. It.* 2. 157., *Martial.* 1. 105. et *Lucan.* 9. 845.

II.) Improprie. ¶ 1. De plantis. *Solin.* 4. 4. Diducit rictu ora. ¶ 2. De apertura oculorum. *Lucan.* 6. 757. distento lumina rictu Nudantur. *Seneca Herc. Œt.* 1274. Rictus meos infregit et lacrimam extulit. Adde *eumd. ibid.* 1168.

RĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ricæ. *Isid.* 19. *Orig.* 31. Ricula est mitra virginalis capitis. *Turpilius* apud *Non. p.* 539. 25. et *p.* 549. 10. *Merc.* Interea adspexit virginem, injecta in caput ostrina indutam ricula.

RĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĪDĔO, rides, risi, risum, ridere, 2. *Rideor* deponentis forma. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* Bellum pomum, qui rideatur alios. et 61. Quid enim mihi aufert, qui ridetur? *Ne imiteris.* Olim *rido, is*, dictum fuit, ut *strido, fervo, olo* etc. *Diomed.* 1. *p.* 378. *V.* IRRIDEO. Sic *ridit* legunt nonnulli in illo *Lucret.* 3. 21. large diffuso lumine ridit. *At* Lachmannus *leg.* rident. — Ratione habita etymi, *rideo* conjungi potest cum forma Bæot. κριδδέμεν pro κρίζειν h. e. γελᾶν. — Particip. *Ridens* sub *A*. I. et II.; *Risus* sub *B*. 1.; *Risurus* sub *A*. I. 1.; *Ridendus* sub *B*. 1. et in fin. — Est autem *A*) Neutrum; et *B*) cum Accusativo usurpatur.

A) Neutrum *rideo* est idem ac risum edo, jocor, arrideo, risu blandior, γελάω (It. *ridere, sorridere, scherzare*; Fr. *rire, rire amicalement, plaisanter, sourire*; Hisp. *reir, alegrar, soureirse*; Germ. *lachen, freundlich lachen, lächeln, scherzen*; Angl. *to laug, to joke, jest*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cas.* 5. 1. 4. Numquam ullo die risi adæque Neque plus risuram opinor. *Id. Asin.* 5. 1. 13. rideo ARG. Em adspecta: rideo. DEM. utinam male qui mihi volunt, sic rideant. *Cic.* 5. *Fin.* 30. *ad fin.* M. Crassum semel ait in vita risisse Lucilius. *Id.* 5. *Verr.* 25. 62. Ridere convivæ, cachinnari (*rectius* cachinnare) ipse Apronius. *Id.* 7. *Fam.* 25. Ne si istum habuerimus, rideamus γέλωτα Σαρδόνιον (alii σαρδάνιον). *ridere con danno proprio, o ridere per forza. Id.* 5. *Fam.* 4. Jocerne tecum per litteras? civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. h. e. jocari, *scherzare. Catull.* 42. 9. Ridentem catuli ore Gallicani. *V.* GALLICANUS. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 24. ridentem dicere verum Quid vetat? *Id.* 2. *Sat.* 3. 70. malis ridentem alienis. *ridendo sgangheratamente.* et *Porphyr.* in *Horat.* 2. *Sat.* 3. 72. Non ex animo ridere. — De diis. *Ennius p.* 67. 1. *Vahl.* Juppiter hic risit. *Horat.* 3. *Od.* 29. 31. Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus, Ridetque, si mortalis ultra Fas trepidat. *Sil. It.* 7. 467. nitente Adfulsit vultu ridens Venus. — *Rideo, inquit Galba canterio*, proverbium est quod Sinnius Capito ita interpretatur, si qui principio rei alicujus inchoatæ deficiunt animo. Sulpicius Galba, quum in provinciam exiens, ad portam ipsam canterium suum animadvertisset cecidisse: Rideo (inquit), canteri, te jam lassum esse, quum tam longum iter iturus, vix id sis ingressus. Hæc *Festus p.* 282. 10. *Müll.* — Passive impersonaliter. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 83. Ridetur fictis rerum. *trovato pretesti di buffonate fingevano ridere di quelle.* Huc nonnulli trahunt illud *ejusd.* 1. *Sat.* 7. 22. ¶ 2. Speciatim *Ridere alicui* aut *ad aliquem* est arridere, risu blandiri. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 8. Hanc meam fero auri, si mihi rides: spice. *Virg.* 4. *Ecl.* 62. cui non risere parentes Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est. *h. e.* infans, cui parentes, ejus risu blanditiisque provocati, non arrisere, neque mensæ admissus est ab Hercule, neque lecto ab Junone. Unde mos erat, inquit *Servius*, nobilibus pueris editis, in atrio domus Junoni lectum, Herculi mensam ponere. *Quintil.* 9. 3. *sub init.* legit *qui*, et ita interpretatur: Ex illis qui non risere, hunc non dignatus Deus, nec Dea dignata. Additque, esse figuram, qua plurali numero singularis subjungitur: *qui non risere . . . hunc.* Porro *ridere parentes* hac ratione est arridere ad parentes, et, ut ait *Virg. ibid.*, risu cognoscere matrem. *Pierius* testatur, se in omnibus Codicib. vidisse *cui*, in aliquibus *quoi*: ideoque *Quintiliani* lectio et interpretatio jure meritoque repudianda videtur *Heynio* ad *Virg. loc. cit.* et *Spaldingio* ad *Quintil. loc. cit.*, quib. adde *O. Ribbeck. Catull.* 61. 219. parvulus dulce rideat ad patrem. — Absolute et cum adject. neutr. gener. pro Adverb. *Horat.* 3. *Od.* 27. 67. Perfidum ridens Venus. *sorridendo, sogghignando malignamente.* Cf. *Catull.* 61. 219. *Petron. p.* 175. 1. ed. *Bücheler.* Illa risit tam blandum ut etc.

II.) Translate. ¶ 1. Est prosperum esse, favere, arridere. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 27. Dum juvat et vultu ridet Fortuna sereno. ¶ 2. Item nitere, pulcrum, amœnum esse; hinc et placere. *Horat.* 4. *Od.* 11. 6. Ridet argento domus. *Lucret.* 4. 1118. et pulcra in pedibus Sicyonia rident. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 70. Oraque ridenti lanugine vestiat ætas. *Virg. Cir.* 103. Purpureis late ridentia litora conchis. *Catull.* 64. 284. Queis (*floribus*) permulsa domus jucundo risit odore. *Ovid.* 15. *Met.* 204. florumque coloribus almus Ridet ager. *Virg.* 4. *Ecl.* 20. Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. *Lucret.* 5. 1394. tempestas ridebat. *h. e.* serena erat et tepida. *et* 1003. ridentibus undis. *h. e.* tranquillis ac leniter crispantibus. Sic *Ennius p.* 67. 1. *Vahl.* Juppiter hic risit tempestatesque serenæ Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis. *Horat.* 2. *Od.* 6. 13. Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet. *h. e.* amœnitate, et fertilitate placet. Sic *Petron. Sat.* 5. sive armigeræ rident Tritonidis arces, Seu Lacedæmonio tellus habitata colono, Sirenumque domus. *h. e.* seu placent Athenæ, seu Tarentum, seu Neapolis. ¶ 3. Item irridere. *Horat.* 4. *Od.* 1. 18. quandoque potentior Largis muneribus riserit æmuli.

B) Cum Accusativo. ¶ 1. Universim est de persona, aut re aliqua ridere, deridere, *ridersi. Ter. Adelph.* 4. 1. 9. Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia. *mi rido di costui. Cic. Harusp. resp.* 5. 8. Sua contio risit hominem. *Id. ibid.* 4. *extr.* Quum riseritis impudentiam hominis. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 13. 1. Risi nivem atram. *Id.* 14. *Att.* 14. Joca tua de hæresi Vestoriana et de phetriorum more Puteolano risisse me satis. *Cœl. ad Cic.* 8. *Fam.* 14. *ad fin.* Curre per deos, et quam primum hæc risum veni. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 54. Non ridet versus Enni gravitate minores. *Ovid.* 3. *Met.* 657. Ridere lacrimas. *Quintil.* 2. 11. 1. diligentiam. *et* 8. 3. 19. poetam. — Poetice cum Infinito. *Stat.* 10. *Theb.* 646. sic Lydia conjux Amphitryoniaden exutum horrentia terga Perdere Sidonios humeris ridebat amictus, Et turbare colus, et tympana rumpere dextra. — Passive. *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 15. His ego si vitiis ausim corrumpere nomen, Ridear, et merito pectus habere neger. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 22. Persius exponit causam: ridetur ab omni conventu. sed vide quæ supra diximus ad h. l. *Id.* 1. *Ep.* 1. 9. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus. *Juvenal.* 10. 124. ridenda poemata malo, Quam etc. *Martial.* 1. 54. Inter Ledæos ridetur corvus olores. *Cic.* 3. *de republ.* 28. 31. Pyrrhi ridetur largitas a consule. *Quintil.* 4. 1. 6. Ridendi vero qui etc. *Valer. Max.* 8. 8. *n.* 1. *extern.* Socrates cum parvis filiolis ludens ab Alcibiade risus est. — *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.* Satius est rideri, quam derideri. *Rideri* est hoc loco risum movere jocis et aliis scurrilibus: *derideri*, contemni. *è meglio far ridere, che dar da ridere.* ¶ 2. Speciatim *ridere vitia*, rem ludicram vitia putare, et solum risu digna, non vindicta. *Tac. Germ.* 19. Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 633. Juppiter ex alto perjuria ridet amantum. Adde *Tibull.* 3. 6. 49. ¶ 3. Item *ridere aliquem*, arridere alicui. *Plaut. Capt.* 3. 1. 20. Quasi muti silent, neque me rident. — Hinc particip. pass

Ridendus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur, et est dignus risu, ridiculus. *Augustin. in Psalm.* 80. Falsa ridendaque simulacra. Adde *Petron. Sat.* 80. — Neutr. plur., absolute, *Ridenda, ōrum*, apud *Auson. Edyll. præf.*

Homonym. *Ridere* et *cachinnare*, ut *risus* et *cachinnus* seu *cachinnatio*, in eo differunt, quod *ridere* est simpliciter et generatim risum edere, eique opponitur *flere* aut *ingemere*; at *cachinnare* est effuse atque immoderate et cum strepitu ridere, eique fere opponitur *plorare*. *Nonius p.* 463. 13. *Merc.* Cachinnare non risu tantum sed et de sono vehementiore vetustas dici voluit. Accius Finidis: Simul et circum magno sonantibus Excita saxis sæva sonando Crepitu clangente cachinnant. *Cic.* 4. *Tusc.* 31. 66. Si ridere concessum sit, vituperatur tamen cachinnatio. *Id.* 5. *Verr.* 25. 62. Ridere convivæ; cachinnare ipse Apronius, nisi forte existimatis, eum in vino et luxu non risisse, qui nunc in periculo atque exitio suo risum tenere non possit. Cf. *eumd.* 3. *Herenn.* 14. 25. Sin erit sermo in jocatione, leniter tremebunda voce cum parva significatione risus sine ulla suspicione nimiæ cachinnationis leviter oportebit a sermone serio torquere ad liberalem jocum vocem. *Ovid.* 3. *Art. am.* 287. Est quæ perverso distorqueat ora cachinno; Quum risu læta est altera, flere putes. Sic *Horat. Art. P.* 101. Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus. — Item *ridere* aliud est a v. *ringi*; nam, ut *Schol. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Ep.* 2. 128. Prætulerim scriptor delirus inersque videri, Quam sapere et ringi: «*Ringi*, ait, est ficto risu lætitiam simulare; at *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 27. Ille ringitur, tu rideas»: «*Ringi* est stomachari tacitum; est enim translatio a canibus latraturis».

RĪDĪBUNDUS, a, um, adject. *ridente*, μειδιῶν, ridens, abunde ridens. *Cato* apud *Fest. p.* 154. 1. *coll. Paul. Diac. p.* 155. 2. *Müll.* Ridibundum magistratum, pauculos homines, mediocriculum exercitum obvium duci. *Plaut. Epid.* 3. 3. 32. Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit simul. Adde *Gell.* 11. 15.

RIDICA, æ, f. 1. Primam syllabam corripit, secundam producit *Atta*. Robustearum fascias ridicarum. Ita *Jul. Scalig.*, quem penes sit fides. Ceterum *Döderlein*. conjungit hac vocem cum ῥάδιξ, et secundam syllabam longam ponit. — Ridica, *steccone, palanca*, χάραξ, ἄγρεμον, est genus pedamenti sustinendis vitibus, ex talea crassa, non integra, sed fissa, ita ut ex una fiant plures. Itaque differt a palo, qui integer est et rotundus, ridica fissa et angulosa. *V.* PEDAMENTUM. *Varro* 1. *R. R.* 26. Diligenter observant, ut ridica vitis ab septentrione versus tegatur: et si cupressos vivas pro ridicis inferunt, alternos ordines imponunt. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 1. Vineæ stabiliendæ melior est ridica palo: neque ea quælibet. nam est præcipua cuneis fissa olea, quercus, suber. *et ibid.* 33. *sub fin.* Castanearum taleæ propius stirpem recisæ quadrifidas plerumque, ac deinde secundæ taleæ ejusdem arboris bifidas ridicas subministrant: quod genus fissilis adminiculi manet diutius, quam teres palus. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (10). et *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 404. *n.* 306.

RIDICĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

RIDICO, as, atum, are, a. 1. ridicis sæpio. *Gloss. Cyrill.* Χαρακῶ, vallo, sæpio, ridico. — Particip. *Ridicatus*, ridicis instructus, adjectivorum more usurpatum, *Orell.* apud *Cic. loc. cit.* in VIRIDICATUS legendum putat, ita ut ibi *silva ridicata* sit silva, cujus arbores singulæ suis ridicis sunt fultæ.

RIDICŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ridicæ, paxillus, parva ridica. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 3. Quum (*fullo*) os aqua implevit, et vestimenta ridiculis diducta leviter aspergit. *V.* TENDICULA.

RĪDĬCŬLĀRĬA, ōrum. *V.* RIDICULARIUS.

RĪDĬCŬLĀRIS, is, m. 3. *buffone*, ridiculus, apud *Isid.* 8. *Orig.* 7. Veteres (comici) qui et joco ridiculares extiterunt.

RĪDĬCŬLĀRĬUS, a, um, adject. *buffonesco*, καταγέλαστος, risum excitans. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. In verbis rusticanis, et jocularibus ac ridiculariis. — Hinc

Ridicularia, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, *ridicolosaggini*, facetiæ, res ridiculæ. *Plaut. Asin.* 2. 2. 64. Mitte ridicularia. Adde *eumd. Truc.* 3. 2. 16. *Cato* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Ridicularia fundere.

Ridicularius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more. *Gell.* 4. 20. Qui jurabat, cavillator, et canalicola, et nimis ridicularius fuit. *buffone.*

RĪDĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

RĪDĬCŬLĒ, adverb. *ridevolmente, ridicolosamente*, καταγελάστως, cum risu. — *a*) In bonam partem. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. Non modo acute, sed etiam ridicule ac facete. *Id.* 2. *ibid.* 71. 289. Naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis risus movetur. *Plaut. Trin.* 4. 2. 60. Novistin' hominem? sy. ridicule rogitas, quocum una cibum capere soleo. *Phædr.* 3. 4. Ridicule magis hoc dictum, quam vere æstimo. — *b*) In malam partem. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. Homo ridicule insanus.

RĪDĬCŬLŌSUS, a, um, adject. Comp. *Ridiculosior* et Sup. *Ridiculosissimus*. — Ridiculosus est idem ac ridiculus, *ridicolo*, quamquam *Hieronym.* 3. *advers. Rufin. n.* 12. *init.* ridiculosum a ridiculo distinguit, ubi ait: Non ridiculosa ut scribis, sed ridicula mihi forte res accidit. *h. e.* non risu digna, sed contemptu. Ceterum *Arnob.* 5. *p.* 175. Ridiculosa negotia defendere. *Boeth. Aristot. topic.* 3. 2. *p.* 682. Considerandum autem, si et in ridiculosioribus principii sit simile, ut simia homini quam equo. *Plaut. Stich.* 2. 2. 64. Advexit secum parasitos ridiculosissimos. *Alii leg.* ridiculissimos.

RĪDĬCŬLUM, i. *V.* voc. seq.

RĪDĬCŬLUS, a, um, adject. Sup. *Ridiculissimus* 1.° — Ridiculus est risum movens, risu dignus, ridendus, ridiculosus, γελοῖος, καταγέλαστος (It. *ridicolo, ridevole, ridicoloso*; Fr. *qui fait rire, qui provoque le rire, plaisant, drôle, amusant, comique*; Hisp. *lo que mueve á risa, ridiculo, placentero*; Germ. *lächerlich, scherzhaft, spasshaft, possierlich*; Angl. *merry, jocose, worthy to be laughed at, exciting laughter, ridiculous, laughable*). Usurpatur autem — 1.°) In bonam partem. — *a*) De hominibus. *Plaut. Men.* 2. 2. 43. Solet jocari sæpe mecum illo modo: quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest. *h. e.* facetus, urbanus. *Id. Stich.* 2. 2. 58. Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus. *Ter. Andr.* 2. 2. 34. Ridiculum caput! *h. e.* o homo ridicule. *Cic.* 1. *Att.* 13. *ante med.* Facie magis, quam facetiis ridiculus. *Id.* 3. *Verr.* 46. 121. Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. — *b*) De brutis animantibus. *Horat. Art. P.* 139. Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus. Proverbium de iis qui magna verbis pollicentur, re autem parva gerunt. Sic apud Græcos *Athen. Deipn.* 14. 7. ὤδινεν ὄρος· Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο· τὸ δ' ἔτεκεν μῦν. Cf. *Phædr.* 4. 22. et *V.* PARTURIO. — *c*) De rebus. *Plaut. Asin. prol.* 13. Inest lepos lususque in hac comœdia: ridicula res est. *Id. Capt.* 3. 1. 22. Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus. *Catull.* 56. 1. O rem ridiculam, Cato, et jocosam! *Quintil.* 6. 3. 26. Ridiculi vultus gestusque. *Id.* 10. 1. 117. Ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est. — Poetice cum Infinito. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 24. Ridiculus totas simul absorbere placentas. — Absolute *ridiculum*, vel *ridiculum est*, ridicula res est. *Ter. Andr.* 3. 1. 16. Hui, tam cito? ridiculum! postquam ante ostium me audivit stare, approperat. Adde *ibid.* 4. 2. 29. *Id. Heaut.* 2. 3. 112. Ridiculum est, te istuc me admonere. Adde *eumd. Eun.* 3. 1. 62. et *Phorm.* 5. 7. 8. — 2.°) In malam partem. *Lucret.* 2. 47. Quod si ridicula hæc ludibriaque esse videmus. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148. insania. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 238. poema. *Juvenal.* 11. 55. pudor. *Quintil.* 2. 10. 6. themata. *Id.* 6. 3. 71. Stulta per se sunt ridicula. *Fest. p.* 282. 5. *Müll.* Ridiculus proprie dicitur qui in rebus turpibus ridetur. et *Juvenal.* 3. 152. Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod homines ridiculos facit. — Absolute *ridiculum est*. *Cic. Arch.* 4. *a med.* Est ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere: quærere, quæ habere non possumus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 18. 59. putare. *Quintil.* 5. 13. 7. de confessis præcipere. — Hinc

Ridiculus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est parasitus, quia potissimum ejus artificium est, ad captandas cœnas, tum risum dictis captare, tum se ridendum, et contumeliis incessendum præbere, *buffone, scroccone*. *Plaut. Capt.* 3. 1. 10. *et* 17. Ita juventus jam ridiculos, inopesque ab se segregat. *Id. Stich.* 4. 2. 54. Vides, ridiculos nihili fieri.

Ridiculum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res, aut dictum ridiculum. *Plaut. Stich.* 3. 2. 1. Confido, me meum obtenturum regem ridiculis meis. *Id. Amph.* 3. 2. 35. Joco illa dixeram dudum tibi ridiculi causa. *Cic.* 1. *Off.* 37. *a med.* Quum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, maledice contumelioseque dicitur. *per ridere, in burla*. — *Ridiculo*, et *pro ridiculo esse* habet *Ter. Heaut.* 5. 1. 79. Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat. *mi tiene pel suo buffone, e pel suo spasso.* et *Eun.* 5. 7. 3. Mihi solæ ridiculo fuit. *a me sola diè spasso.*

RĪDĬCŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

RĪDO, is. *V.* RIDEO.

RĪEN. *V.* RENES.

RĪĒNŌSUS, a, um, adject. laborans ex renibus. *Gloss. Philox.* Rienosus, νεφριτικός.

RĬGANS, antis, particip. *V.* RIGO.

RĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. *adacquamento, innaffiamento*, δεῦμα, actus rigandi, irrigatio. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Sin autem sicco loco seri debuerint, quo rigationem ministrari non expediat, etc. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. *ante med.* Si in arena sit, rigationibus adjuvetur.

RĬGĀTOR, ōris, m. 3. *inacquatore*, ὁ δεύων, irrigator, qui irrigat.

I.) Proprie. *Dracont.* 1. *Hexaem.* 552. Ipse (*Deus*) rigator erat, sator, altor, messor, arator.

II.) Translate. *Tertull. advers. Valentin.* 15. *extr.* O fletum rigatorem!

RĬGĀTUS, a, um, particip. *V.* RIGO.

RĬGĀTUS, us, m. 4. irrigatio.

I.) Proprie. *Ambros. in Luc.* 8. Quæ (aqua) rigatum superfusa ad commodum subministrat.

II.) Translate. *Venant.* 8. *Carm.* 26. 3. Me vestro arentem madefecit opima (*pagina*) rigatu. *Ambros. in Luc.* 6. Panis exundat, et naturæ solidioris rigatus exuberat. Adde *eumd. de Isaac* 1.

RĬGĔFĂCĬO, facis, feci, facere, a. 3. rigidum ex frigore facio, seu reddo. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. *n.* 23. Hos consul et adortus temere, et secutus, jejunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigefecit. *Alii leg.* rigere fecit.

RĬGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RĬGĔO, ges, gŭi, gere, n. 2. Primam syllabam licenter producit *Ennod.* 1. *Carm.* 1. 11. Quidquid plana calent, quidquid sublimia rigent Frigoribus passum dic sine lege poli. — Particip. *Rigens* I. *a.* et in fin. — Rigere, a ῥιγέω seu ῥιγόω (ῥῖγος) quod idem significat (cf. *frigeo*, Gr. φρίσσω et φρῖκος), est durum fieri, præcipue frigore, gelu; frigore corripi, algere (It. *intirizzire, indurarsi dal freddo*; Fr. *être roide, dur, engourdi, se dourcir, particulièrement de froid*; Hisp. *ser duro, tieso, ser entorpecido, especialmente de frio*; Germ. *starren, starr od. steif sein, eigentlich v. Kälte, Frost*; Angl. *to be very cold or chill, be frozen, be stiff or benumbed with cold*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu dicitur de frigore. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. *a med.* Partes terræ incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore. *Liv.* 21. 54. Egressis rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentia esset. *Horat.* 4. *Od.* 12. 3. Jam nec prata rigent nec fluvii strepunt Hiberna nive turgidi. *Tibull.* 4. 1. 156. *de aqua*. Sed durata riget densam in glaciemque nivemque. *Martial.* 7. 95. riget horridus december. *Sil. It.* 12. 7. Dum Rhipæa ri-

gent Aquilonis flamina. Adde *eumd.* 6. 170. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Cryptoporticus subterraneæ similis, æstate incluso frigore riget. *è fresco.* et *Seneca* 2. *Ira* 3. Oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, extrema riguerunt. *Justin.* 2. 1. 15. Ut nulla magis rigeat frigoribus. *Lucan.* 2. 25. membra premit fugiente rigentia vita. et 4. 291. sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis. — *b*) Latiore sensu, de eo qui durus est, rigidus, erectus et inflexibilis, ut sunt quæ frigore constringuntur. *Virg.* 5. *Æn.* 404. de *cæstib.* tantorum ingentia septem Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant. *Ovid.* 11. *Met.* 121. *de Mida.* sive ille suâ Cerealia dextrâ Munera contigerat, Cerealia dona rigebant. *h. e.* indurabantur in aurum. *Id.* 3. *ibid.* 100. gelidoque comæ terrore rigebant. *s' arricciavano.* erectæ eo duræ stabant. *Id.* 1. *Amor.* 6. 28. Roboribus duris janua fulta riget. *h. e.* immota manet, et limini valide hæret. *et* 4. *Met.* 554. sensit riguisse lacertos. *h. e.* versos esse in lapidem. Sic *Seneca Herc. Œt.* 390. Riget superba Tantalis luctu parens. *h. e.* Niobe in saxum versa est. *Id. Agam.* 714. versi retro Torquentur oculi: rursus immites rigent. *h. e.* duri fiunt, nec circumaguntur. *Id. Med.* 853. Vultus citatus ira riget. *h. e.* obdurescit, et obstinat contra pietatem aut misericordiam. Sic *Herc. Œt.* 167. Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges Hoc vultu riguit? *Ovid.* 8. *Met.* 284. *de apro.* igne micant oculi, riget ardua cervix. *h. e.* rectitudinem ac robur habet: cui contrarium est apud *eumd.* 3. *Amor.* 7. 66. *et* 67. et *Horat. Epod.* 8. 16. *languet*, remissa est. *Sil. It.* 4. 155. Auro virgatæ vestes, manicæque rigebant ex auro. *V. Rigens* in fin.

II.) Translate. ¶ 1. Rigere dicuntur, quæ stantia et erecta horrorem incutiunt. *Ennius p.* 111. *Vahlen.* Arma rigent, horrescunt tela. *Ovid.* 2. *Art. am.* 116. Et riget amissa spina relicta rosa. *Id.* 13. *Met.* 690. sine frondibus arbos Nuda riget. *Id.* 11. *ibid.* 150. late riget arduus alto Tmolus in adscensu. ¶ 2. Obsceno sensu est idem atque arrigo. *Auct. Priap.* 72. Tota nocte (*canis*) mihi litat rigendo. *V.* ARRIGO. ¶ 3. Rigere est etiam torpere, languere, inertem esse. *Horat. Epod.* 8. 17. Illiterati num minus nervi rigent? *Martial.* 5. 31. Sed feritas immota riget. — Hinc Particip. præs.

Rigens, entis, adjectivorum more fere usurpatur; unde Sup. *Rigentissimus* I.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est gelu constrictus, frigore induratus, rigidus. *Liv.* 21. 32. *circa med.* Animalia inanimaque omnia rigentia gelu. *Tibull.* 4. 1. 165. Pars terræ rigens. *la zona fredda.* et *Solin.* 15. *a med.* Pars mundi ipsis prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. *Martial.* 14. 117. aquam potare rigentem De nive. *Id.* 1. 50. Avidam rigens Dircenna placabit sitim. *fresca. Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 125. nunc triste rigentem Danubium calcabat eques. *Petron. Sat.* 122. tellus glacie concreta rigens, hiemisque, pruinis. et 132. Rigens bruma. — Neutr. pl., *Rigentia, um*, absolute, apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (167). Classe circumvecta Scythicam ad plagam, et humore nimio rigentia. — *b*) Latiore sensu, inflexibilis, durus, ut ea, quæ gelu induruere, *duro, inflessibile. Virg.* 8. *Æn.* 621. loricam ex ære rigentem. *h. e.* rectam, duram, non facile flexilem. Sic 11. *ibid.* 72. vestes auroque ostroque rigentes. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 339. rigentia profert Dona, graves auro trabeas. *et cons. Prob. et Olybr.* Rigentes tunicæ. *Seneca Thyest.* 634. Si metu corpus rigens remittet artus. *h. e.* metu, quasi gelu, constrictum et induratum. *et Herc. Œt.* 578. Coma rigens Herculis. *h. e.* hirta, erecta. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (49). Rigentes oculi. *immobili.* et *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Caput prædurum ac rigens. *Id.* 2. 13. *ante med. de statua.* Adversa facies, et demissa brachia, et juncti pedes, et a summis ad ima rigens opus. *ritto e duro.*

II.) Translate. ¶ 1. Poetice. *Seneca Herc. Œt.* 1432. rigenti cernitur Trachin jugo. *h. e.* saxoso, aspero, duro contra cultum agricolarum. et *ibid.* 135. Ad Trachina vocor, saxa rigentia, Et dumeta jugis horrida torridis. ¶ 2. Figurate. *Ovid. Heroid.* 5. 72. Et secui madidas ungue rigente genas. *Seneca Hippol.* 413. Animum rigentem tristis Hippolyti doma. *h. e.* frigentem et obduratum contra amorem. *Id. Thyest.* 304. Vir rigens tot malis. *h. e.* cujus animus tot malis induruit. ¶ 3. In illo *Optat. Ar. Pyth.* 16. rigente limite. *rigens* est *rectus.* Cf. RIGOR.

RĬGESCO, gescis, gŭi, gescere, n. 3. *inchoat. a* rigeo. — Rigesco

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est frigore rigere incipio, frigore corripior et adstringor. *Virg.* 3. *G.* 363. vestesque rigescunt Indutæ, cæduntque securibus humida vina. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). Rigescunt aquæ in grandines. — Jlocaliter *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. 4. Si Parthi nos nihil calfaciunt, nos hic frigore rigescimus. — *b*) Latiore sensu, adstringor ac durus fio. *Ovid.* 2. *Met.* 364. stillataque sole rigescunt De ramis electra novis. *et* 9. *ibid.* 357. materna rigescere sensit Ubera. *h. e.* durescere in lignum. *et* 14. *ibid.* 564. rigescere puppim Cautibus Alcinoi, saxumque increscere ligno. *Id.* 1. *Fast.* 97. metu riguisse capillos.

II.) Translate. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 113, numquam corrupta rigescent Sæcula? *h. e.* virilem severitatem induent?

RĬGĬDA, æ, f. 1. *V.* RIGIDUS I. in fin.

RĬGĬDĒ, adverb. Comp. *Rigidius* II. — Rigide est dure, solide, *duramente, solidamente,* ἀστεμφέως.

I.) Proprie. *Vitruv.* 2. 3. *ante med.* Tectorio inducto rigideque obsolidato.

II.) Translate. ¶ 1. Est intente, et rectâ lineâ, *a dirittura. Seneca* 2. *Benef.* 17. *a med.* Rigide et excusse pilam mittere. ¶ 2. Item aspere, severe, *rigorosamente, severamente,* ἀτρέπτως. *Ovid.* 2. *Trist.* 251. Ecquid ab hac omnes rigide submovimus Arte? *Val. Max.* 9. 7. *extr.* Dissolutam disciplinam præfractius et rigidius adstringere conatus.

RĬGĬDĬTAS, ātis, f. 3. *durezza, fermezza,* σκληρότης, ἀκαμψία, rigor, durities, soliditas, firmitas, quæ non flectitur. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Populus, salix, tilia, vitex parum terreni habentes, egregiam habere videntur in usu rigiditatem.

RĬGĬDO, as, are, a. 1. rigidum et durum facio. *Seneca Ep.* 71. *a med.* Virtus recta est; flexuram non recipit: rigidari quidem, amplius intendi non potest. *Alii rectius leg.* rigida est.

RĬGĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut.* rigidi, *rigidetto. Hadrian. Aug.* in *carm.* apud *Spartian. Hadrian.* 25. Animula, vagula, blandula, Quæ nunc abibis in loca Pallidula, rigidula, nudula. *Alii minus recte leg.* rigida.

RĬGĬDUS, a, um, adject. (rigeo). Comp. *Rigidior* I. et Sup. *Rigidissimus* II. — Rigidus est rigens, præcipue frigoris rigore correptus, durus præ frigore, gelidus, ῥίγιος (It. *indurito, irrigidito dal freddo, intirizzito, rigido*; Fr. *roide, dur, tendu, particulièrement roide de froid, gelé, glacé*; Hisp. *sa, tieso, envarado, duro, entorpecido particularmente de frio, helado*; Germ. *starr, steif, unbiegsam, hart, v. Kälte erstarrend*; Angl. *stiff with cold, frozen, chill*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est frigore correptus, durus, gelidus. *Lucret.* 2. 520. Hinc flammis, illinc rigidis insessa pruinis. *et* 1. 355. rigidum permanat frigus ad ossa. *Virg.* 3. *G.* 316. Tellurem Borea rigidam spirante moveri. *Seneca Med.* 715. Rigida bruma. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 48. Nec poterit rigidas findere remus aquas. *Auson. epist.* 12. 6. Erramus gelido-τρομεροί rigidique poetæ. *intirizziti.* — *b*) Latiore sensu est rectus, erectus, arrectus, stans: item durus, inflexibilis, firmus, ut sunt ea, quæ frigore adstringuntur, *ritto e duro, inflessibile, fermo,* ἀμάλακτος, ἄκαμπτος. *Virg.* 6. *Ecl.* 28. tum rigidas motare cacumina quercus. *Ovid.* 3. *Fast.* 529. Rigidæ columnæ. *Id. Heroid.* 5. 53. rigido pendentia lintea malo. *Id.* 10. *Met.* 425. albaque toto Vertice canities rigidis stetit hirta capillis. *et* 9. *ibid.* 225. *et* 613. Rigidæ silices. *Id. ibid.* 85. Rigidum cornu. *Id. Remed. am.* 19. ferrum. *Id.* 2. *Amor.* 6. 4. Et rigido teneras ungue notare genas. *Id.* 3. *Met.* 118. et *Virg.* 12. *Æn.* 304. Rigidus ensis. *Id.* 10. *ibid.* 346. Rigida hasta. *Sueton. Tib.* 68. Incedebat cervice rigida et obstipa. Adde *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 14. *Cic. Brut.* 18. 70. Canachi signa rigidiora, Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi. *V.* RIGOR. *Quintil.* 11. 3. 160. Stare vel rigidum, vel supinum, vel incurvum. *et ibid.* 82. Cervix recta, non rigida, aut supina. — In re turpi *Catull.* 56. 7. *Ovid.* 1. *Fast.* 391. *Petron. Sat.* 134. et *Martial.* 6. 49., 9. 48. et 11. 16. Hinc *rigidus deus*, Priapus. *Auct. Priap.* 46. et *Ovid.* 1. *Fast.* 361.; et *rigida, æ,* absolute, est *mentula tenta. V.* PROTELUM.

II.) Translate. — *a*) Refertur ad animum severum, constantem, recti tenacem, *rigoroso, severo, rigido. Liv.* 39. 40. *ad fin. de Catone.* Vir invicti cupiditatibus animi, et rigidæ innocentiæ. *Lucan.* 2. 389. *de altero Catone.* Justitiæ cultor, rigidi servator honesti. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 17. Virtutis veræ custos rigidusque satelles. *Ovid.* 2. *Art. am.* 664. Rigidus censor. *Id. Remed. am.* 762. Rigidi mores. *Id.* 4. *Fast.* 310. senes. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *a med.* Sententiam Macri, ut rigidam duramque, reprehendunt. — *b*) Est etiam durus patiensque laboris, asperam vitam ducens. *Ovid.* 14. *Met.* 797; et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 25. Rigidi Sabini. *Id.* 3. *Od.* 24. 11. Getæ. *Martial.* 7. 70. Rigidus fossor. — *c*) Item immitis, crudelis, ferus, *fiero, crudele. Ovid.* 5. *Trist.* 1. 45. pœnæ modo parte levata, Barbariem, rigidos effugiamque Getas. *Martial.* 10. 65. Rigidus leo. *Ovid.* 8. *Met.* 20. Mars. *et* 1. *Fast.* 124. Rigidæ feræ. — *d*) Item durus, rudis, nihil valens percipere, tamquam caudex, stipes, lapis. *Arnob.* 5. *p.* 164. O Abdera, esse tu fatua, et stoliditatis rigidissimæ judicaris. — *e*) *Rigidæ* dicuntur apud *Mar. Victorin. art. gramm. p.* 7. 11. *Keil.* litteræ b d g q, quia nullam earum h ad recipiendam adspirationem flectat.

RĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Particip. *Rigans* I. 2.; *Rigatus* I.; *Rigaturus* I. et II. — Rigare, quod alii ducunt a v. βρέχω, humecto, alii a v. ῥήσσω, tingo, unde ῥῆγος, alii a v. *rivus* et *ago*, est aquam vel aliud simile derivare et diducere in agrum, in aliquem locum rivos deducere.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est igitur aquam vel aliud simile variis ductibus derivare, ut faciunt, qui prata rigant. In *Vet. oraculo* apud *Liv.* 5. 16. *ad fin.* Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas. emissam per agros rigabis, dissipatamque rivis exstingues. Simile est illud *Curt.* 8. 9. 10. Erymanthus crebris flexibus subinde curvatus, ab accolis rigantibus carpitur. *agros* tamen hic possis subintelligere. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (182). *de corde.* Ex hoc fonte duæ venæ per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. *h. e.* diffundunt. — *b*) Latiore, seu prægnanti, ut ajunt, sensu, est irrigo, terram aquâ deductâ madefacio, humorem induco fertilitatis causa, madefacio, humecto, *adacquare, irrigare, innaffiare, bagnare,* ἀρδεύω. *Liv.* 1. 21. Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (230). Fluvius Astaces rigat campos. *At* Sillig. *leg.* irrigat. *Id.* 6. *ibid.* 27. 31. (130). Euphrate accolæ agros rigantes. *Id.* 17. *ibid.* 26. 40. (249). Desiderant maxime rigari arbores, quæ assuevere. *Colum.* 5. *R. R.* 6. *ante med.* Seminaria conspergi potius, quam rigari debent. *Id.* 11. *ibid.* 3. *ante med.* Nihil ingruente æstate obrui debet nisi semen apii, si tamen rigaturus es. *Horat.* 3. *Od.* 3. 48. Qua tumidus rigat arva Nilus. *Ovid.* 5. *Fast.* 210. hortus liquidæ fonte rigatur aquæ. *Propert.* 3. 1. 52. operosa rigat Marcius antra liquor. *Tibull.* 4. 1. 146. Quaque Istrus Tanaisque Getas rigat. *Lucret.* 6. 612. Imbres qui maria ac terras sparguntque, rigantque. *Id.* 4. 1023. humore saccato. (*h. e.* lotio) rigare vestem stragulam. *Lucan.* 4. 326. nulloque humore rigatus Aeris alternos angustat pulmo meatus.

II.) Translate. *Cic. 4. Herenn.* 6. 9. Isti quum se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 25. Adjice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis. *Propert.* 3. 2. 51. Calliope Ora Philetea nostra rigavit aqua. *Cic. carm. de suo cons.* 1. *Divinat.* 12. 20. quæ parvos Mavortis sèmine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. — Illa sunt poetarum: Imber rigans genas, *Ovid.* 1. *Art. am.* 532. rigare fletibus ora, 11. *Met.* 419. lacrimis vultum, *Virg.* 9. *Æn.* 251. lacrimis ora, *Ovid.* 2. *Pont.* 11. 9. oculos uberi fletu, *Seneca Med.* 388. effuso genas fletu, *Troad.* 4. 10. arma lacrimis, *Lucan.* 4. 180. vultus atque ora lacrimis, *Sil. It.* 6. 294. Sic *Seneca Hippol.* 990. Rigatque mœstis lugubrem vultum genis. — Commodum est illud *Lucret.* 4. 200. et 5. 294., ubi dicitur lux solis mare ac terras cælumque rigare. *h. e.* perfundere, complere. *et Furii Antiatis* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *a med.* mitemque rigat per pectora somnum. (Sic *Virg.* 1. *Æn.* 695. *V.* IRRIGO.) *Prudent.* 6. *Cathemer.* 27. Quies pectus feriatum placat rigante somno.

RĬGOR, ōris, m. 3. (rigeo). Legitur *Rigora* apud *Innocent. Cas. litter. p.* 362. 14. et *p.* 366. 3. *Rudorff.*, at legendum videtur *Rigoris.* — Rigor est rigiditas, durities, speciatim ex frigore, vis et asperitas frigoris, frigidus horror, ῥῖγος (It. *rigidezza, durezza, rigor di freddo, freddezza*; Fr. *roideur, particulièrment causé par le froid, dureté, solidité*; Hisp. *dureza, envaramiento, endurecimiento á causa de frio*; Germ. *d. starre Wesen, d. Unbiegsamkeit, Härte, Steifheit, eigentlich v. Kälte u. Erstarrung*; Angl. *stiffness arising from cold, vehement cold, chillness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, vis et asperitas frigoris. *Lucret.* 6. 367. Prima caloris enim pars, et postrema rigoris, Tempus id est vernum. *Id.* 5. 639. Brumales usque ad flexus, gelidumque rigorem. *et ibid.* 745. bruma nives affert, pigrumque rigorem. *Ovid.* 14. *Met.* 794. Rigor Alpinus. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Auster - immenso nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior. Sunt tamen qui h. l. non de frigore sed de vehementia septentrionis rectius interpretantur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (1). Rigor cœli et soli. *Id.* 11. *ibid.* 28. 34. (98). et *Justin.* 2. 1. *a med.* hiemis. *Id.* 11. 8. 4. In præfrigidam undam se projecit: tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusa voce, etc. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 8. Surculi rigore vitiantur. *h. e.* frigore. *Alii aliter leg. Id.* 9. *ibid.* 14. *ante med.* Æstuantes apes refrigerare oportet, quam recentissimi rigoris aqua infusa. *freschezza. et Apul. de Mundo ante med.* Glaciem dicimus humorem sereno rigore concretum. ¶ 2. Latiore sensu. — 1.°) Generatim rigor est quævis durities firma et inflexibilis, qualis est in iis, quæ frigore congelant, *durezza inflessibile. Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (126). Quid lapidis rigore pigrius? *Virg.* 1. *G.* 143. Rigor ferri. *Lucret.* 1. 492. Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu. — 2.°) Speciatim. — *a*) In corporibus rigor est, quum membrum durescit torpetque velut gelu adstrictum, et sensum amittit, et corrumpitur. *Cels.* 2. 7. *ante med.* Si tumores super ulcera subito esse desierunt, vel distentio nervorum, vel rigor timeri potest. Adde *ibid.* 1. *ante med. et* 10. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 81. (130). Alceæ radix rigores excalfacit. *Id.* 35. *ibid.* 6. 27. (46). In medicina Indicum rigores et impetus sedat. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (4). Nitrum infunditur rigori corporum. — Alias est distentio nervorum. *Cels.* 4. 3. Cervicis morbus is, qui quodam rigore nervorum modo caput scapulis, modo mentum pectori adnectit, modo rectam et immobilem cervicem intendit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 52. (192). Cervicum rigores perfricantur bubulo sevo. *Id.* 32. *ibid.* 8. 28. (89). Rigorem cervicis mollire. — *b*) In arboribus rigor est spissa firmitas in ligno rectitudinem servans, et resistens ponderi sine flexu, aut pandatione. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Abies rigore naturali contenta non cito flectitur ab onere, sed directa permanet in contignatione. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (210). Rigorem fortissime servat ulmus, ob id cardinibus crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur. *Colum.* 4. *R. R.* 16. *ad fin.* Statuminibus firmiora juga sunt alliganda: eaque vel saligneis perticis, vel compluribus quasi fasciculis arundinum connectuntur, ut rigorem habeant, nec pandentur onere fructuum. *et* 9. *ibid.* 14. *ante med.* Si quid ablui non potest (*in alvis apum*), pinnis aquilæ, vel etiam cujuslibet vastæ alitis, quæ rigorem habent, emundari. *che hanno durezza e nervo.*

II.) Translate est constans tenor alicujus rei; hinc ¶ 1. Rigor aquæ fluentis est rectus tenor, et naturalis cursus ejus, quo in medio alveo fluit, sive rectus sit, sive inflexus, *il filo dell'acqua. Ulp. Dig.* 43. 12. 1. § 5. 5. Flumen naturalem rigorem cursus sui tenens. Sic *stillicidii rigor* apud *Scævol. ibid.* 8. 2. 41. est rectus fluxus, quo naturaliter defluit. ¶ 2. Item in re agraria *rigor* est rectus processus, seu tractus εὐθυωρία: ducta appellatione a rigore aquæ in flumine. *Frontin. Exposit. formar. p.* 38. *Goes.* Extremitas est quousque unicuique possidendi jus concessum est. Extremitatum genera sunt duo: unum quod per rigores observatur: alterum quod per flexus. Rigor est quidquid inter duo signa velut in modum lineæ rectum perspicitur. Flexus, qui secundum locorum naturam curvantur. *Aggen. de limit. ibid. p.* 46. *extr.* Limes est quodcumque in agro opera manuum factum est ad observationem finium. Rigor vero suæ rectitudinis naturalis nomen accepit. *Siculus Flacc. p.* 5. Aliquando petras recurrentes in finibus notatas invenimus, et quasdam, si perseveret rigor, rectas notas habentes: in versuris vero gammas. *Auct. de limit. p.* 296. Si ordines olivarum sibi in transverso occurrerint, hic est rigor finalis. Adde *Frontin. de colon. p.* 120. et *Inscript.* adl. in HYPAMPELUS. ¶ 3. Item rectitudo situs alicujus rei. *Apul. de Mundo circa med.* Palmatiæ appellantur. quorum pavitatione illa quæ trepidant, sine inclinationis periculo nutant, quum directi tamen rigoris statum retineant. *h. e.* servent rigidam rectitudinem sui situs. ¶ 4. Item rigor est tenor constans, et nulla re flexibilis, severitas, constantia, *severità, rigore, costanza,* et dicitur tum de personis tum de rebus. *Modestin. Dig.* 49. 1. 19. Si expressim sententia contra juris rigorem data sit. *Tac.* 1. *Hist.* 18. *extr.* Nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui jam pares non sumus. *et ibid.* 83. *a med.* Rigor disciplinæ militaris. *Id.* 6. *Ann.* 50. animi. *Quintil. declam.* 19. 8. Quis non novit taciturnitatis meæ rigorem? quis ignorat, qua cuncta soleam ferre patientia? *Seneca Hippol.* 686. Hoc meus meruit rigor? *h. e.* constanter aversus ab amore animus. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 32. — Differt a constantia, quæ virtus est, et flecti aliquando patitur: rigor flecti nescit, ob id vitium. *Seneca* 1. *Ira* 16. *ante med.* Cn. Piso vir a multis integer, sed pravus, et cui placebat pro constantia rigor. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (78). Socratem ferunt eodem semper visum vultu, nec aut hilaro magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quemdam torvitatemque naturæ duram et inflexibilem, affectusque humanos adimit. *Quintil. declam.* 17. 19. *a med.* Pertinacissimus rigor. ¶ 5. Item rigor dicitur de rudi, agresti, inculto. *Ovid. Heroid.* 4. 77. Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli, Et levis egregio pulvis in ore decet. ¶ 6. Hinc in picturis quoque locum habet. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 35. (58). Polygnotus plurimum picturæ primus contulit: siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. *durezza.* Sic *Quintil.* 9. 3. *sub fin.* Et oratio habeat rectam quamdam velut faciem, quæ ut stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea, quam natura dedit, specie continenda est. ¶ 7. *Rigor accentus,* in Latina lingua dicitur a *Quintil.* 12. 10. 33. pæne continuatus accentuum quasi tenor ac modus: quia nullum in ea verbum in acutam aut circumflexam syllabam desinit: quum in lingua Græca id sæpissime fiat: adeoque sit ea, quo magis varia, ita jucundior.

RĬGŌRĀTUS, a um, particip. *V.* voc. seq.

RĬGŌRO, as, ātum, are, a. 1. *rassodare, rendere stabile e diritto,* firmare, roborare, fulcire, ut rigor seu rectitudo habeatur. Occurrit tantum Particip. *Rigoratus,* apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (26). Traduces alligantur una conciliati, virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiant. *h. e.* quod dicit *Colum.* 5. *R. R.* 7. *sub fin.* Si tradux traducem non contingit, media virga inter eas deligetur.

RĬGŌRŌSUS, a, um, adject. *rigido,* rectus, severus, rigidus. *Seneca Ep.* 11. Opus est aliquo rigoroso, ad quem mores nostri se ipsi erigant. Videtur tamen, ut recte ait *Forcellinus,* illud *rigoroso* irrepsisse. nam in plerisque optimis editionibus deest.

RĬGŬUM, i. *V.* voc. seq.

RĬGŬUS, a, um, adject. Usurpatur *A*) Active, et *B*) Passive.

A) Active. *Riguus* dicitur de aqua, quæ rivis diducta rigat, *che innaffia e bagna,* ἀρδῶν. *Virg.* 2. *G.* 485. Rura mihi, et rigui placeant in vallibus amnes. — Hinc

Riguum, i, n. et *Riguus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, ipsa aqua irrigans. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (247). Ficus arbor ipsa riguis alitur, pomum vero ejus marcescit. *et ibid.* 40. Rigua æstivis vaporibus utilia, hieme inimica, auctumno varia. *et ibid.* 41. *Sillig.* Riguus pro sarculo est. Etiam hic *Harduinus* putat legend. *riguum.*

B) Passive. *Riguus* est qui rigatur, irriguus, *adacquató, innaffiato, bagnato,* ἀρδόμενος.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 17. *de prato.* Ejus animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (6). Mons opacus, nemorosus, et scatebris fontium riguus. *Id.* 16. *ibid.* 17. 29. (72). Italia ulmos siccanas præfert, quæ non sint riguæ. *Ovid. Remed. am.* 193. riguis plantam deponere in hortis.

II.) Translate. *Solin.* 2. *a med.* Boa captat primo greges bubulos: et quæ plurimo lacte rigua bos est, ejus se uberibus innectit. *h. e.* abundans. per catachresin. — Hinc

Riguum, i, n. 2. absolute est locus aquis irrigatus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 57. 83. (175). Circa Babylonis rigua. *Id.* 19. *ibid.* 5. 24. (69). Cucurbitæ amant rigua ac fimum.

RĬGŬUS, i. *V.* voc. præced.

RĪMA, æ, f. 1. Est a ῥηγ them. v. ῥήγνυμι, scindo, frango, pro *rigma*; unde et *ringor, rictus, rixa,* aliaque derivata, quæ vide suis locis. (Cf. ἐρέχθω.) V. *Paul. Diac. p.* 291. 2. *Müll.* — Rima est fissura, speciatim in tabulis male junctis, hiatus tenuis in pariete et aliis rebus, foramen, σχίσμα, ῥαγάς, ῥῆγμα (It. *fessura, crepatura, pertugio*; Fr. *fente, fissure, crevasse*; Hisp. *hendedura, resquebradura, grieta ó quiebra de alguna cosa*; Germ. *d. Ritze, Spalte, d. Riss, Leck*; Angl. *a fissure, cleft, chink, cranny, crack, rift*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 29. Forte per angustam tenuis nitedula rimam Repserat in cumeram frumenti. *Propert.* 1. 16. 27. O utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas dominæ vertat in auriculas! *Plin.* 10. *Ep.* 48. Theatrum ingentibus rimis descendit et hiat. *Plin. alter* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (103). Ne hiscat nimium rima, laxeque capiat, aut ne parum. *Id.* 16. *ibid.* 40. 78. (212). Rimam fissuramque non capit sponte cedrus, cupressus, olea, buxum. *Apul.* 4. *Met.* Juncturæ rimam, licet gracilem, setæ circumfluentis densitate sæpimus. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 2. Perdensam humum facillime perrumpi et præbere rimas. *Virg.* 1. *Æn.* 126. laxis laterum compagibus omnes (*naves*) Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt. *Ovid.* 2. *Met.* 260. Dissilit omne solum penetratque in Tartara rimis Lumen. *et* 14. *ibid.* 303. setæque cadunt bifidosque relinquit Rima pedes. — *Agere, ducere* et *facere rimas,* rimis scindi. *Cic.* 14. *Att.* 9. Tabernæ mihi duæ corruerunt reliquæque rimas agunt. *fanno pelo.* et *Ovid. de nuce* 67. maturas fisso nova cortice rimas Nux agit. *Id.* 4. *Met.* 65. Fissus erat tenui rima, quam duxe-

rat olim; Quam fleret paries domui communis utrique. ¶ 2. Speciatim *rimæ* in corpore sunt fissuræ in labris, manibus, pedibus, sede, etc. *crepature*, ῥαγάδες. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 15. 61. (216). Taurinum fel rimas perducit ad cicatricem. *Id.* 27. *ibid.* 9. 47. (71). Dipsacos sanat rimas sedis. ¶ 3. Item rima etiam dicitur pudendum muliebre, cunnus. *Juvenal.* 3. 97.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 2. *Trist.* 85. Cunctaque Fortuna rimam faciente, dehiscunt. *h. e.* casum minante. — *Explere rimas* est implere, farcire quod vacuum est. *Cic. Orat.* 69. *sub fin.* Neque inferciens verba, quasi rimas expleat; nec minutos numeros sequens. — *Non cito ruinâ opprimitur qui rimam timet*, sententia apud *Publil. Syr. p.* 341. 9. *Ribbeck.* de eo, qui caute se gerit, seu periculum præcavet. ¶ 2. Speciatim. — *a*) *Rimam aliquam reperire* dicitur de tergiversatoribus, qui nulla in causa tot fidei vinculis adstringi possunt, quin aliqua elabantur. *trovar modo d'uscir d'impaccio, uscire per qualche gretola.* duciturque a muribus muscipulo inclusis, qui adeo rimantur cuncta, ut tandem evadant. *Plut. Curc.* 4. 2. 23. Rogitationes plurimas propter vos (*trapezitas*) populus scivit, quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam. Simile est illud *Propert.* 4. 1. 146. persuasæ fallere rima sat est. — *b*) Jlocaliter *plenus rimarum*, qui nihil celare potest eorum, quæ illi creduntur, tamquam vas aquarium rimosum. *Ter. Eun.* 1. 2. 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. *son bucato come un vaglio; sono come un paniere: verso da tutte le parti. V.* RIMOSUS. — *c*) Poetice *ignea rima* de fulgure, quod per cœlum ita discurrit, quasi lumen per tenuem rimam exiens. *Virg.* 8. *Æn.* 391. tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (112). Esse tonitrua impactorum ignium plagas: ideoque protinus coruscare ignes nubium rimas.

RĪMĀBUNDUS, a, um, adject. studiose perscrutans, contemplans. *Apul.* 2. *Met.* Dum hæc identidem rimabundus eximie delector. Adde *eumd. de deo Socrat.* 2. et *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.*

RĪMĀTRIX, icis, f. 3. quæ diligenter rimatur. Dicitur de quodam serpentum genere in *Thesaur. Nov. Latin. p.* 508. ed. *A. Mai.* Cf. *Virg.* 1. *G.* 384.

RĪMANS, antis, particip. *V.* RIMOR.

RĪMĀTIM, adverb. *per le fessure*, per rimas. *Capell.* 2. *p.* 27. Quam quum rimatim ab ostio speculabunda cognosceret, etc.

RĪMĀTOR, ōris, m. 3. *investigatore*, qui diligenter rimatur. *Arnob.* 5. *p.* 161. Varro ille Romanus multiformibus eminens disciplinis, et in vetustatis indagatione rimator. *Cassiod.* 3. *Variar.* 6. Hæc rimator morum noster sensus inspexit. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 10.

RĪMĀTUS, a, um, particip. *et*

RĪMO, as. *V.* voc. seq.

RĪMOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (rima). *Rimo*, formâ activâ, idem ac rimor, *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* inter verba latina recenset. *Vet. Poeta* apud *Fest.* in *Ruspari*. Ut latebras ruspans rimarem optimas. *Alii leg.* rimer maritimas (*Ita corrig.* Müllerus *p.* 265. 27.). *Accius* apud *Non. p.* 382. 10. *Merc.* Aut stagnorum humorem, rimarem loca. Ita leg. *Voss.* et *Ribbeck.* ad *fragm. Pacuvii*. Alii *rimarer*. — Particip. *Rimans* II. 1.; *Rimatus* II. 1.; *Rimandus* II. 1. — Rimor est idem ac findo, rimas seu sulcos duco, *fendere, solcare.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 3. *G.* 534. Ergo ægre rastris terram rimantur. ¶ 2. Speciatim *rimari locum*, subruere quærendi causa. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Tabernacula ducis, ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur. *Virg.* 1. *G.* 384. volucres rimantur prata Caystri. Ubi *Servius.* Pascuntur in pratis cibum per terræ rimas requirentes. Nam *rimari* tractum est a porcis, qui glandes rimantur de rimis terrarum. *Id.* 6. *Æn.* 597. rostroque immanis vultur obunco Viscera rimatur epulis.

II.) Translate est exploro, diligenter quæro, perscrutor, quasi rimas omnes persequor inveniendi causa, ut est apud *Festum p.* 277. 15. *Müll.* ¶ 1. Generatim. — *a*) cum Accus. personæ vel rei. *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 130. Id quoque rimatur, quantum potest, Posidonius. *Varro* apud *Non. p.* 382. 11. *Merc.* et *Stat.* 11. *Theb.* 526. Oculis cæli rimari plagas. *Apul.* 8. *Met.* Fera, quem primum insiliat, cunctabunda rimatur. Adde *eumd.* 2. *Met. Virg.* 11. *Æn.* 748. partes rimatur apertas, Qua vulnus letale ferat. *Ovid. Halieut.* 77. elatis rimantur naribus auras. *Gell.* 7. 2. Multa in Cæsellio reprehendendo etiam per calumnias rimabantur. *Quintil. declam.* 3. 18. Rimari occasionem criminum. *Tac.* 6. *Ann.* 3. *a med.* Omnium secreta rimans. *Id.* 4. *Hist.* 11. Rimandis offensis sagax. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 40. Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi. Adde *eumd. Laud. Seren.* 236. — Passive. *Sidon.* 7. *Ep.* 2. *a med.* Diligenter, quæ ad socrum pertinuerant, rimatis. — Metonymia est in illo *Apul.* 3. *Met.* Rimatus frondosum fustem cunctis vastiorem, non prius me miserum tundere desiit, quam etc. — *b*) Absolute. *Virg.* 7. *Æn.* 507. quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit. ¶ 2. Speciatim *rimari exta* est, in extispicina, explorare seu inspicere auspicii causa. *Juvenal.* 6. 551. Armenius vel Commagenus haruspex, Pectora pullorum rimabitur, exta catelli. et *Apul. Apolog. ante med.* An hariolis licet jocinera rimari, philosopho contemplari non licebit?

RĪMŌSUS, a, um, adject. Comp. *Rimosior.* — Rimosus est rimis abundans, *pieno di fessure*, ῥωγαλέος.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 414. Rimosa cymba. et 4. *G.* 45. cubilia. *Propert.* 2. 13. 72. Rimosæ fores. *Juvenal.* 3. 270. Rimosa vasa. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *sub fin.* Ædificium fissum et rimosum. *Vitruv. p.* 169. 2. et 56. 25. *Ros.* Rimosa tectoria. *Cassiod.* 11. *Variar.* 10. *ante med.* Rimosum dolium. *Gell.* 17. 11. Potum defluere ad pulmonem et demanare per eum, quia sit rimosior.

II.) Figurate *rimosa auris*, quæ quasi rimarum plena, non retinet, neque celat, quæ audivit. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 46. Et quæ rimosa bene deponuntur in aure. *V.* RIMA II. 2.

RĪMŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* rima, *picciola fessura*, tenuis rima. *Cels.* 8. 4. Ne parvulæ rimulæ fallant. *Alii leg.* rimæ. *Lactant. Opif. D.* 8. *a med.* Exiguæ cavernarum rimulæ. Adde *Boeth. Consol. phil.* 4. *pros.* 4. *ad fin.* et *Augustin. in Psalm.* 66.

RINCTUS, a, um, *et*

RINGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RINGOR, ringĕris, rictus et rinctus sum, ringi, dep. 3. Præter. *rinxi* ab inus. *ringo* habet *Gloss.* apud *Mai.* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 504. Supinum *rictum* agnoscitur e *Priscian.* 10. *p.* 895. *Putsch.* Particip. *rinctus* exhibet *Gloss. Gr. Lat.* Ἀγανακτῶ, excandesco, indignor, rinctus sum. — Derivatur autem hæc vox a Gr. ῥύγχος, rostrum, unde *rictus. V.* RIMA init. — Particip. *Ringens* II. 2. — Ringor est os aperio et dentes ostendo, nares corrugo, et hirrio: quod fit a canibus aliisque bestiis, quum irascuntur, σέσηρα (It. *digrignare i denti, ringhiare;* Fr. *ouvrir la bouche, grincer les dents;* Hisp. *abrir la boca, cruxir los dientes de rabia;* Germ. *d. Mund weit aufsperren, d. Zähne fletschen;* Angl. *to grin or show the teeth like a dog, to gnar or gnarl, to wry the mouth*).

I.) Proprie. *Pomponius* apud *Non. p.* 517. 30. *Merc.* Fit desubito hilarus, tristis saltat, ridens ringitur.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de plantis, quæ frigore adstrictæ corrugantur, et cortice finduntur. *Varro* 1. *R. R.* 45. 3. Radices tectæ terræ tepore propagantur, supra terram aere frigidiore ringuntur. *At* Schneiderus *leg.* cinguntur; *alii aliter.* ¶ 2. Est etiam stomachari, indignari, *sdegnarsi, arrabbiare. Ter. Phorm.* 2. 2. 27. Quum ille cura et sumptu absumitur, dum tibi sit quod placeat: ille ringitur, tu rideas. Ubi *Donat.* ringi est stomachari tacitum. est enim translatio a canibus latratoris. *Seneca Ep.* 104. *ante med.* Ringeris quoties aliquem in fastis amplius legeris. *Sidon. carm.* 23. 86. Ignavis timidis, et improbatis Multum ringitur otiosa virtus. *Alii leg.* fingitur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 126. Prætulerim scriptor delirus inersque videri, Dum mea delectent mala me, vel denique fallant, Quam sapere et ringi. *rodersi dentro.* et *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Me non facias ringentem, amasiuncula.

RĪNŎCĔROS. *V.* RHINOCEROS.

RĪPA, æ, f. 1. Quod attinet ad hujusce vocis etymon, sunt qui v. *ripa* cum Græco ῥιπή, a ῥέπω, ἐρείπω, conjungunt, et ajunt proprie significare locum declivem, præcipitem, *precipizio, balza, scesa.* — Ceterum *ripa* est extremitas terræ, quæ aqua alluitur, et proprie dicitur de flumine, ut *litus* de mari; nam hoc depressum est, declive atque humile: ripa altior fere, et præruptior. *V. locc. Ovid.* 1. *Met.* 42.; *Melæ* 3. 9. et *alia infra cit.* I. Græce est ὄχθη (It. *riva, riviera;* Fr. *rive, rive d'un fleuve, bord ou rivage d'un fleuve;* Hisp. *ribera, orilla, riba;* Germ. *d. steile Rand, d. Ufer eines Gewässers, Flusses od. Baches;* Angl. *the bank of a river*).

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 43. 12. 1. § 5. Ripa recte definitur id quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens. *Ovid.* 1. *Met.* 42. de *fluminibus.* In mare perveniunt partim, campoque recepta Liberioris aquæ pro ripis litora pulsant. Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 53. et 55. *Vitruv.* 2. 9. Circa ripam fluminis Padi et litore maris Hadriatici. *et Melam* 3. 9. Vasta omnia vastis præcisa montibus, ripæ potius sunt quam litora. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 17. Vos mihi amnes estis: vestra ripa vos sequar. *Lucret.* 5. 257. ripas radentis flumina rodunt. *Ovid.* 2. *Fast.* 222. Riparum clausas margine finit aquas. *Virg.* 7. *Æn.* 106. Laomedontia pubes Gramineo ripæ religavit ab aggere classem. *Ovid.* 6. *Fast.* 519. Appulerat ripæ vaccas Œtæus Iberas. *Id.* 2. *Amor.* 17. 31. Sed neque diversi ripa labuntur eadem, etc. *h. e.* eodem alveo fluunt. *Id.* 3. *ibid.* 6. 11. Ulterior nostro ripa premenda pedi. *la riva di là.* et *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Menapii ad utramque ripam fluminis ædificia vicosque habebant. *Ovid.* 1. *Fast.* 505. in dextram tendens sua brachia ripam. *h. e.* quæ adverso flumine naviganti erat ad dexteram. Ceterum *dextra ripa* est ea, quæ secundo flumine spectantibus dextera est. Hinc de Tiberi Urbem inundante *Horat.* 1. *Od.* 2. 18. vagus et sinistra Labitur ripa. *Virg.* 3. *G.* 144. viridissima gramine ripa. *Stat.* 6. *Theb.* 174. Ripæ arundineæ. *Ovid.* 5. *Met.* 591. declives. *Plin.* 9. *Ep.* 39. abruptissimæ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 23. Ripa umbrosa. *Tac. German.* 41. Non in ripa commercium. *h. e.* non tenue commercium, quippe non ultra angustum ripæ spatium extentum. *Quintil.* 12. 2. 11. Vis amnium major est altis ripis. *et ibid.* 10. 61. Amnis qui ripas sibi faciat. — Hinc *curator alvei et riparum* in *Inscript.* apud *Orell.* 3210. et PROCVRATOR PORTVS VTRIVSQVE RIPAE TIBERIS in *Inscript.* apud *Murat.* 514. 1. et *Orell.* 3178. et PRAEFECTVS RIPAE apud *Orell.* 3234. et *Henzen.* 6943., de quibus in v. CURATOR etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Aliquando pro litore ponitur. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ante med.* Villa semper mare recte conspicit, quum pulsatur, et fluctu respergitur: numquam ex ripa, sed paullum submota a litore. — Sic *litus* pro ripa. *Virg.* 7. *Æn.* 797. et 8. *ibid.* 83. ¶ 2. Pro lato tractu. *Tac. German.* 28. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt. *Id. ibid.* 29. Ita sede finibusque in sua ripa mente animoque nobiscum agunt. *h. e.* in patria terra. ¶ 3. *Ripa* de fretis, quæ quum angusta sint, fluminis potius, quam maris similia sunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (50). Thynni dextra ripa intrant, exeunt læva. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant. ¶ 4. Hyperbolice, ac localiter *Plaut. Stich.* 2. 1. 6. Ripis superat mihi atque abundat pectus lætitia meum.

Homonym. Quomodo inter se differant *ripa, litus* et *ora*, dictum est etiam in v. LITUS.

RĪPĀRENSIS et

RĪPĀRĬENSIS, e, adject. a *ripa*. Riparienses milites dicebantur, qui in ripis fluminum, præsertim Danubii, seu Istri, ubi termini imperii R. erant, stationem habebant ad hostium incursiones prohibendas. *Vopisc. Aurelian.* 38. Septem millibus ripariensium interemptis. Adde *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 7. 1. 18., ubi legitur *riparenses*.

RĪPĀRĬŎLUS, a, um. adject. *deminut.* riparii. *Marcell. Empir.* 15. *ante med.* Pullus hirundinis silvestris, vel melius si ripariolæ; certe etiam domesticæ assus, vel elixus comestus anginam velocissime certissimeque sanat. *V.* voc. seq.

RĪPĀRĬUS, a, um, adject. in ripis habitans. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 12. (33). *de hirundinib.* Multo tamen efficacissimi (*contra anginas*) ripariarum pulli: ita vocant in riparum cavis nidificantes. *V.* DREPANIS. — Hinc

Riparius, *ĭi*, m. 2. absolute, substantivorum more, riparum custos. *Gloss. Philox.* Ὀχθοφύλαξ, riparius.

RĪPĀRĬUS, ĭi. *V.* voc. præced.

RĪPENSIS, e, adject. juxta ripam positus, ut Ripensis Dacia, quæ Danubii ripam spectat, apud *Ammian.* 26. 7. *a med.*, cui opponitur mediterranea apud *eumd. ibid.* 6. — *Ripenses milites* apud *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 7. 20. 4. Iidem sunt ac riparienses: hinc *Ripensis militia* apud *Imppp. Valentinian. Valent.* et *Gratian. ibid.* 22. 8.

RĪPŬLA, -æ, f. 1. *deminut. a* ripa, exigua ripa, *riperella*, ὀχθίδιον. *Cic.* 15. *Att.* 16. Tamen hæc τοπογραφία ripulæ videtur habitura celerem satietatem.

RISCUS, i, m. 2. ῥίσκος, *cesta, o cassa da cose donnesche, forziere o scrigno*, cista, aut arca reponendis vestibus aliisque mulierum ornamentis, ut est apud *Polluc. l.* 10. *c.* 31. *n.* 137. Sic *Gloss. Philox.* Riscus, κιβωτὸς μεγάλη, λάρναξ. h. e. cista, arca, capsa magna, loculus. *Donatus* ad *Ter.* Riscus, cista pelle contecta: nomen Phrygium. — Etiam ligneos esse riscos ostendunt illa *Hieronymi* 4. *in Ezech.* 15. 1. *de lignis silvarum.* Succisa plurimam præbent utilitatem: attenuantur in scuta, raduntur in hastilia, cludunt foribus, continent armariis, risco, loculis. — Riscos *Nonius p.* 165. 8. *Merc.* interpretatur loca in parietibus angusta, quæ Itali dicerent *armadi cavati nel muro*: et fortasse intelligit κιβωτοὺς θυριδωτάς, arcas fenestratas, quæ memorantur a *Polluce loc. adl.* — Videtur itaque esse nomen generis: ceterum magis placet prior interpretatio. Hinc illud *Ter. Eun.* 4. 6. 15. Cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis. CH. ubi sita'st? THA. in risco. quod alii interpr. *nel vano del muro* (Forteguerri), vel *nella finestrella del muro* (Fabrini); alii vero rectius *nel paniere* (Cesari). *Ulp. Dig.* 34. 2. 26. riscum mundo muliebri contineri ait, et cum lavatione conjungit. *V.* LAVATIO.

RĪSĬBĬLIS, e, adject. (rideo). — Risibilis

I.) Active, ad ridendum aptus, qui ridere potest et solet. *Capell.* 4. *p.* 123. Quemadmodum omnis homo risibilis est, ita omne risibile homo est. *Id. ibid. p.* 101. Dum hominem risibile animal diximus, eo a ceterorum animantium generalitate discreverimus. Adde *Cledon. art. rhet.* 591. et *Boeth. in Cic. Top. l.* 5.

II.) Passive, risu dignus, ridiculus, deridendus. *Cassiod.* 11. *Hist. Eccl.* 13. Judæi consueta quædam risibilia celebrantes. ubi videtur *risibilia* absolute, substantivorum more, usurpasse.

RĪSĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. facultas ridendi. *Boeth. in Porphyr.* 3. *p.* 97. Per se quippe proprium est hominis, quod ei omni et soli et semper adest, ut risibilitas.

RĪSĬLŎQUĬUM, ĭi, n. 2. sermo cum risu. *Tertull. Pœnit.* 10.

RĪSĬO, ōnis, f. 3. *risata*, idem ac risus. *Plaut. Stich.* 5. 2. 10. Quot ego voluptates fero, quot risiones, quot jocos! (*Fleckeisen.* leg. *rissiones*).

RĪSĬTO, as, are, n. 1. frequentat. a *rideo*, sæpe rideo. *Nævius* apud *Non. p.* 209. 29. *Merc.* Ineunt, irruunt, cachinnos, joca, dicta risitantis. *Alii leg.* risitant, *alii* missitantes.

RĪSŎR, ōris, m. 3. (rideo) *chi ride*, καταγελαστής, qui ridet. — Risor usurpatur — *a*) In malam partem, et est scurra, irrisor. *Horat. Art. P.* 235. Verum ita risores, ita commendare dicaces Conveniet Satyros. *Firmic.* 5. *Mathes.* 2. Risores mulierum. — *b*) In bonam partem dicitur de eo, qui sine irrisione ingenue ridet. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 99. *n.* 222. M. ALFEDIVS L. F. MARCELLVS INGENIO BELLVS CANTOR RISOR AETATVLA PRIMA HEIC REQVIEVIT.

RĪSŌRĬUS, a, um, adject. est

I.) Active, qui ridet, qui ridere solet. *Augustin. ad fratr. erem. serm.* 16. Serena facie, risorio ore.

II.) Passive, qui risu dignus est. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 17. Urbicarius mimologus præstare visus est ex parte quidem veros honores, sed risorios et citius fugitivos. Adde *Cassiod. in Psalm.* 82.

RĪSUS, a, um, particip. *V.* RIDEO.

RĪSUS, us, m. 4. (rideo) actus ridendi, γέλως (It. *riso, risata*; Fr. *rire, ris, risée*; Hisp. *reir, risa, risada*; Germ. *d. Lachen, Gelächter*; Angl. *a laughing, laughter*).

I.) Proprie. — 1.°) In bonam partem. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 235. Quid sit risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus, et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. *Quintil.* 6. 3. 7. Neque ab ullo satis explicari puto, unde risus, qui non solum facto aliquo dictove, sed interdum quodam etiam corporis tactu lacessitur. *Id. ibid.* 105. Risus erunt, quicumque hæc faciat orator. *Varro Sat. Menipp. p.* 181. 29. *Oehler.* Refrenato risu roseo. *Virg.* 4. *Ecl.* 60. Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem. *Horat.* 2. *Od.* 16. 26. Lætus in præsens animus, quod ultra est Oderit curare, et amara lento Temperet risu. *Id.* 1. *Od.* 9. 21. Risus gratus proditor puellæ. *Seneca Ep.* 52. Improbum risus, insanum vultus animusque demonstrat. *Capell.* 4. *p.* 100. Proprium est, quod et eidem formæ et ita semper accidit, ut unamquamque rem ab omnium communione discriminet, ut in homine risus. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 35. Cum risu tacito, aut cum cachinno. *Vulgat. interpr. Prov.* 14. 13. risus et dolor. et *id. Jac.* 4. 9. risus et luctus. — 2.°) In malam partem est derisus, ludibrium. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 7. Per jocum deos irridens: qui risus classe devicta multas ipsi (*Claudio*) lacrimas, magnam populo R. cladem attulit. — Alias locutiones hic promiscue subjicimus. *Cic.* 6. *Att.* 3. *a med.* In quo tamen ille mihi risum magis, quam stomachum movere solet. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. Miros risus edere. *et mox.* Pæne ille timore, ego risu corrui. *Ovid. Heroid.* 17. 161. et *Horat.* 2. *Sat.* 8. 63. Risum compescere. *Plaut. Asin.* 3. 2. 36. ægre continere. *Horat. Art. P.* 381. tollere. *alzare* et 1. *Sat.* 4. 83. et *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 17. captare. *cercare di far ridere. Nepos Hannib.* 11. concitare. *vulg.* excitare. *Quintil.* 6. 3. 26. conciliare. *Justin.* 21. 5. 6. præbere. *rendersi ridicolo.* et eodem sensu *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. risum de se tradere posteris. *Plaut. Mil.* 4. 2. 81. Nequeo risu me admoderarier. *Ter. Eun.* 3. 1. 42. Risu omnes, qui aderant, emortri. *Ovid.* 3. *Art. am.* 285. contendere ilia. *Petron. Sat.* 24. ilia sua dissolvere. *et ibid.* 20. *sub fin.* non indecenti commovere latera. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 84. populum quatere. *Justin.* 44. 2. 4. exsultare. *Afranius* apud *Non. p.* 503. 14. *Merc.* rumpi. *Petron. Sat.* 10. In risum diffundi. *et ibid.* 18. effundi. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 9. aliquid vertere. *Quintil.* 1. 2. 7. Risu aliquid excipere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* In eam tabulam magni risus consequebantur. *Virg.* 2. *G.* 386. risu soluto ludere. *Nepos Epam.* 8. *extr.* Hæc quum dixisset, risus omnium cum hilaritate est coortus. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 73. Quum repente a te præclara illa tabula prolata: qui risus hominum de te erat! *Id.* 6. *Verr.* 12. 27. Risus populi, atque admurmuratio omnium facta est. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 9. Post repulsam vero risus facit. *h. e.* movet: ridendi de se causas præbet. Eodem sensu *Horat.* 2. *Sat.* 5. 57. Captatorque dabit risus Nasica Corano. *Liv.* 6. 34. *a med.* Minor Fabia risui sorori fuit.

II.) Translate. — *a*) Metonymia est in illo *Ovid.* 1. *Fast.* 438. Ille est risus omnibus. *h. e.* causa et occasio risus. — *b*) *Risus* fuit deus apud Thessalos. *Apul.* 3. *Met.* Nam lusus iste, quem publice gratissimo deo Risui per annua reverticula solemniter celebramus, semper commenti novitate florescit. Iste deus auctorem suum propitius ubique comitabitur amanter, nec unquam patietur, ut ex animo doleas, sed frontem tuam serena venustate lætabit assidue.

RĪTĒ, adverb. (ritus). Forma *rite* substantive usurpatur pro ablativo *ritu*, ut *nocte* et *noctu*, *die* et *diu* dicimus. *Stat.* 11. *Theb.* 284. regni Hostia, nate, jaces, ceu mutus, et e grege sanguis: Hei mihi! primitiis armorum, et rite nefasto Libatus, jussusque mori. — Rite, *secondo i riti e le cerimonie, secondo il costume*, εὐαγέως, προσηκόντως, secundum morem et comprobatam consuetudinem, ex more atque instituto, bene, recte: et primo locum habet in sacris, quæ rite fieri dicuntur, quum servatur in iis consuetudo recepta et mos majorum. Ritus enim est mos comprobatus in administrandis sacrificiis, ut ait *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 289. 12. *Müll.* Nihil autem, inquit *Priscian.* 15. *p.* 1011. *Putsch.* traditur ritibus, nisi quod rectum esse credatur. Utrumque legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 137. RIVS (*Varilii Sannæ*) ARBITR. RITE RECTE DE FINIBVS CVM VELIENS. ACTVM LIMITIBVS CONSTITVTIS. — Rite itaque dicitur ¶ 1. Stricto sensu, quod aliis est proprie, de sacris. *Accius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 88. *init.* Rite perfectis sacris. *At* Müllerus *leg.* recte. et *Colum.* 10. *R. R.* 419. sacris jam rite solutis. *Cic. carm. de suo consul.* 1. *Divinat.* 13. 21. Rite divos colere. *Id. Dom.* 52. *a med.* Si postem tremebunda manu tetigit, nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perfecit. *Horat.* 4. *Od.* 6. 37. Rite Latonæ puerum canentes. et *ibid.* 15. 28. Rite deos prius apprecati. *Ovid.* 1. *Fast.* 609. augusta vocantur Templa, sacerdotum rite dicata manu. *Virg.* 7. *Æn.* 5. At pius exsequiis Æneas rite solutis, etc. et *ibid.* 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes. ¶ 2. Latiore sensu, quod aliis est translate, de iis omnibus, quæ ex more fiunt, *secondo il costume o l'usanza. Lucret.* 1. 495. manu retinentes pocula rite. *come si suole*: ut fit. *Virg.* 9. *Æn.* 352. religatos rite videbat Carpere gramen equos. *Horat.* 3. *Od.* 24. 10. Scythæ campestres, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 47. in curru, Cæsar, victore veheris purpureus populi rite per ora tui. *Cic.* 1. *Herenn.* 13. *a med.* Testamentum ipso præsente conscribunt: testes rite adfuerunt. *colle solite formalità.* et *Quintil.* 2. 4. 35. Non rite creatus tribunus. ¶ 3. Item, quæ recte, ordine, bene fiunt, *nella debita maniera, bene, rettamente. Festus p.* 273. 3. *Müll.* Ritus est mos, vel consuetudo. rite autem bene ac recte significat. *Ennius* apud *Non. p.* 214. 11. *Merc.* Ni metus ulla tenet, rite in virtute quiescunt. *At cl.* Vahlen. *leg.* freti. *Afranius* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Idque ut rite intelligas te facere. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 53. Hic rite productus est patri: in mare it, rem familiarem curat, custodit domum. *è stato ben allevato.* et *Ovid. Heroid.* 7. 107. spem rite dare. *con fondamento, con ragione*, recte, et merito. *Id.* 3. *Met.* 263. si maxima Juno Rite vocor. *Cic.* 2. *Fin.* 12. 37. Divinarum humanarumque rerum scientia, quæ potest appellari rite sapientia. *con verità.* et *Virg.* 5. *Æn.* 25. Si modo rite memor servata remetior astra. *ben ricordevole.* et 4. *ibid.* 555. rebus jam rite paratis. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 3. Matrimonium rite contractum. *h. e.* legitime. ¶ 4. Poetice usurpatur pro feliciter, prospere, *felicemente. Plaut. Pœn.* 5. 1. 17. deos deasque veneror, ut quod de mea re huc veni, rite venerim. *Virg.* 10. *Æn.* 254. tu rite propinques Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo.

et 3. *ibid.* 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. *Horat. Carm. sæcul.* 13. Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres.

RĬTO, as, are, a. 1. Legitur apud *Priscian.* p. 67. 20. *Keil.* Adverbia vel primitiva – vel derivativa sunt, ut peragro, peregre; punio, impune; abundo, abunde; rito (unde irrito), rite. *et* p. 71. 14. A rito verbo, rite, pro recte.

RĪTŬĀLIS, e, adject. *cerimoniale, rituale,* νόμιμος, ad ritus pertinens. Rituales libri, θεσμοθετικὰ βιβλία, libri de ritibus sacris. *Festus* p. 285. 25. *Müll.* Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quo modo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque ejusmodi ad bellum ac pacem pertinentia. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quod Etruscorum declarant et haruspicini, et fulgurales, et rituales libri, nostri etiam augurales. *Hic tamen* Orellius *et alii leg.* tonitruales. — Absolute *Ammian.* 17. 7. 10. In ritualibus et pontificiis obtemperantibus sacerdotiis cavetur, ne etc.

RĪTŬĀLĬTER, adverb. *conforme ai riti, con le solite cerimonie,* rite, servatis cæremoniis ac ritibus. *Ammian.* 29. 1. *a med.* Mensula imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ritualiter consecrata.

RĪTUS, us, m. 4. *Rituis* in genetivo, ut *senatuis, fructuis, graduis,* antiquum est. *Varro* apud *Non.* p. 494. 30. *Merc.* Domi rituis nostri, qui per dium Fidium jurare vult, prodire solet in compluvium. *V.* FRUCTUS. et *rite* in ablativo. *V.* RITE. — Quod ad notationem attinet, alii hanc vocem deducunt a them. Sanskr. *ra,* ordinare, in ordinem digerere, computare, unde et *reor, ratio, ratus;* alii vero a Græc. ῥύω pro ῥέω, fluo, ita ut sit It. *corso, andamento. Lanz. Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 822. putat, hanc vocem derivatam fuisse ab Etrusco *eritu,* quod legitur in *Tab. Eugub.,* quodque idem significat ac ἱερατεῖον, ministerium sacrum. — Ceterum *ritus* est mos et approbata consuetudo: et præcipue in sacrificiis administrandis, ut ex *Festo* p. 289. 12. *Müll.* docet *Paulus Diac.,* et *Servius* ad illud *Virg.* 12. *Æn.* 836. morem ritusque sacrorum Adjiciam. *Servius* addit esse morem sacrorum externum et adscitum, qui quum receptus est, *mos* dicitur, θεσμός (It. *cerimonia, rito, costume;* Fr. *rit, cérémonie, coutume religieuse, coutume;* Hisp. *rito, ceremonia establecida per la iglesia, costumbre;* Germ. *d. hergebrachte Weise in der Religionsübung, d. religiöse Gebrauch, Religionsgebrauch, d. Ceremonie, d. Ritus, d. Gebrauch;* Angl. *a rite, ceremony, custom, use*). Dicitur itaque ¶ 1. Stricto sensu, quod aliis est proprie, de sacris. *Varro* 7. *L. L.* 80. *init. Müll.* Quod est in versu (Pacuvii) *Alcyonis ritu,* id est ejus instituto, ut quom aruspex præcipit, ut suo quisque ritu sacrificium faciat, et nos dicimus XII. viros Græco ritu sacra, non Romano facere. *Cic.* 2. *Legg.* 16. 40. Ut de ritibus patriis colantur optimi. *Id.* 3. *Nat. D.* 20. 51. Tempestates populi R. ritibus consecratæ. *Liv.* 1. 7. Sacra Albano ritu facit. *Tac.* 2. *Ann.* 85. *extr.* Cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. *h. e.* sacra et religionem Ægyptiorum et Judæorum. *Sueton. Tit.* 5. De more rituque priscæ religionis. *Ovid.* 3. *Fast.* 291. Ritum piandi prodere. *et* 5. *ibid.* 421. Ritus erit veteris, nocturna Lemuria, sacri. *Id.* 10. *Met.* 398. magico lustrabere ritu. *et* 15. *ibid.* 483. Sacrificos docuit ritus. ¶ 2. Latiore sensu, quod aliis est translate, — *a*) De alio quocumque more et consuetudine, *costume, usanza. Ovid.* 15. *Met.* 93. ritusque referre Cyclopum. *imitare, praticare le usanze. Sil. It.* 15. 40. Ni fugis hos ritus, Virtus te sæva jubebit Per medias volitare acies. *h. e.* hunc morem Romanis usitatum bella gerendi. *Liv.* 24. 3. Moribus ritibusque efferatioribus, quam ulli barbari, immo quam immanes belluæ vivunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (6). Neque enim ritus moresque nunc tractamus, innumeros, ac totidem pæne, quot sunt hominum cœtus. *Id.* 3. *ibid.* 5. 6. (39). Italia numine deorum electa, quæ sparsa congregaret imperia, ritusque molliret. *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. (23). *de apib.* Favi aliquando duorum generum, quum duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus. *Gell.* 14. 2. Legitimi ritus. *le usanze, la pratica dei foro. Horat.* 3. *Od.* 1. 45. Cur invidendis postibus, et novo Sublime ritu moliar atrium? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (46). Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. — *b*) Hinc *Ritus nuptiarum* sunt leges de matrimoniis ineundis. De his est *tit.* 2. *lib.* 23. *Digest.* — *c*) Frequentem habet in ablativo usum, et significat more, modo, instar, *all'usanza, a foggia, a guisa, a maniera. Cic.* 2. *Phil.* 25. *a med.* Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. *Id. Amic.* 9. *a med.* Qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt. *Liv.* 3. 68. mulierum ritu. *Ammian.* 14. 6. 18. sepulcrorum. *Id. ibid.* 10. 6. grandinis. *Horat:* 2. *Sat.* 3. 268. tempestatis. *Quintil.* 8. 3. 81. ferarum. Sic *Hieronym. Ep.* 8. Rudes illi Italiæ homines, quos cascos Ennius appellat, ritu ferino victum quærebant. *Justin.* 27. 2. *a med.* Non hominis, sed accipitris ritu in alienis rapiendis, etc. *Plaut. Men.* 2. 3. 44. Hæc mulier cantherino ritu adstans somniat. *Petron. Sat.* 102. Statuarum ritu patiemur pannos et vincula. *Horat.* 3. *Od.* 29. 32. quod adest, memento Componere æquus: cetera fluminis Ritu feruntur. *Gell.* 18. 13. Ritu aleatorio. *a guisa di chi giuoca. et Lucret.* 6. 1152. tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu. *h. e.* quo modo.

Homonym. Iis, quæ dicta sunt de *more* (*V.* MOS in fin.), hæc addimus de *ritu,* ut utriusque vocis discrimen appareat. Sane *ritus* tum habet aliquid in rerum natura positum, quod patet ex loc. *Cic. Amic.* 9. 32. Qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt. et *Justin.* 27. 2. 8. Non hominis sed accipitris ritu. (*Supra dixerat:* latronis more) et aliis hujuscemodi bene multis; tum præcipue ad res sacras refertur, ut vidimus. *Plin. loc. supra adl.* Neque enim ritus moresque tractamus innumeros. *Virg.* 12. *Æn.* 836. Sermonem – mores ritusque sacrorum. Adde *Sueton. Tib.* 5. *et al.* — Differt etiam *ritus* ab *instituto* iisdem de causis. *Tac. German.* 27. Nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, expediam. *instituta* civilia ac bellica; *ritus* circa religiones vel superstitiones. Cf. *eumd. ibid.* 45.

RĪVĀLĪCĬUS, a, um, adject. ad rivales pertinens, ut Rivalicia lex, quæ lata fuit rogante populum Ser. Sulpicio Ser. F. Rufo, de iis, qui ab eodem rivo aquam ducunt. *Fest.* in *Sifus.*

RĪVĀLIS, e, adject. (rivus) *di rivo, d'acqua corrente,* ad rivum, seu ad aquam fluentem pertinens. *Colum.* 8. *R. R.* 15. *a med. de anatib.* Aquatilibus cibis datur cammarus, et rivalis allecula, vel si qua sunt incrementi parvi fluviorum animalia. *h. e.* in rivis degens. — Hinc

Rivalis, is, m. 3. absolute, substantivorum more. — Rivales

I.) Proprie dicuntur, qui in agris rivum habent communem, ὁμόρρειθροι: et propter eum sæpe contendunt. *Ulp. Dig.* 43. 19. 1. *a med.* Si inter rivales, id est qui per eumdem rivum aquam ducunt, sit contentio de aquæ usu. *Gell.* 14. 1. Negotium alicujus, quod ei forte de aquæductu cum rivalibus, aut de communi pariete cum vicino apud judicem est.

II.) Translate, qui ejusdem mulieris amore tenentur, *rivali, concorrenti in amore,* ἀντεράσται, ἀντίζηλοι. — *a*) De hominibus. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 5, 8. 42. Rivales dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis, quæ sitientes quum ex eodem rivulo haustum petunt, in prœlium contra se invicem concitantur. *Nævius* p. 13. 6. *Ribbeck.* Rivalis, salve. *Plaut. Stich.* 3. 1. 30. Eadem est amica ambobus: rivales sumus. *Ter. Eun.* 2. 3. 62. Miles Thraso Phædriæ rivalis, ubi *Nonius* p. 32. 23. *Merc.* Rivales dicti sunt, quasi in unum amorem derivantes. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 60. Me tibi rivalem si juvat esse, veta. *Id.* 2. *Art. am.* 539. Rivalem patienter habe. *Id. Remed. am.* 791. Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas, etc. *Sueton. Oth.* 3. Poppæam adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo. *Catull.* 57. 9. Rivales socii puellularum. — *b*) De bestiis. *Apul.* 7. *Met. de equis.* Mares rivalem summo furentes persecuntur odio. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 4. Aries rivalem violentissime persequitur. — *Amare sine rivali* dicuntur, qui stulte ea amant, quæ nemo alius, utpote minimi pretii: ductum ab amantibus puellam deformem. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 8. *a med.* O dii, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali! *Horat. Art. P.* 444. Quin sine rivali teque, et tua solus amares. — Singulare est illud *Varron. Sat. Menipp.* p. 204. 5. *Oehler.* Noster Atticus, rivalis homo, an Atticum rivalem dixit *Varro,* quia et ille erat rerum Romanarum auctor diligentissimus? Cf. *Cic.* 12. *Att.* 5.

RĪVĀLIS, is. *V.* voc. præced.

RĪVĀLĬTAS, ātis, f. 3. Translate usurpatur, et est æmulatio inter amantes, qui eamdem mulierem, vel quæ eumdem virum amant, *rivalità,* ἀντιζηλία. *Publil. Syr.* p. 354. 9. *Ribbeck.* Rivalitatem non amat victoria. *Cic.* 4. *Tusc.* 26. 56. Obtrectare vero alteri aut illa vitiosa æmulatione, quæ rivalitati similis est. *Apul.* 10. *Met.* Cujus (*fortunæ*) instinctu domum juvenis protinus se direxit sæva rivalitas. Et illico hæc eadem uxor cœpit puellam, velut æmulam tori, primo suspicari, dehinc detestari, dehinc crudelissimis laqueis mortis insidiari.

RĪVĀRĬA, æ, f. 1. quæ est rivalis in amore. *Gloss. Lat. Gr.* Rivaria, ζῆλη.

RĪVĀTIM, adverb. per rivos, vel in morem rivi. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *ad fin.* Rivatim aquæ de Ponto fluunt.

RĪVĬFĪNĀLIS, e, adject. objectu rivi fines agrorum faciens, ut Tractus rivifinalis, *Sicul. Flacc. de cond. agror.* apud *Goes.* p. 12., nisi sint duæ voces separatim legendæ. Cf. RIVUS.

RĪVĪNUS, i, m. 2. idem ac rivalis. *Auct. argum. Asin. Plaut.* Rivinus amens ob præreptam mulierem. *Alii leg.* rivalis. *Gloss. Philox.* Rivinus, ἀντίζηλος.

RĪVO, as, are, a. 1. derivo. *Paulin. Nolan. carm.* 28. 614. Condita perductos rivaret in atria fontes.

RĪVŌRUM, i, n. 2. idem ac rivus. Usurpatur tantummodo in plurali. *M. Baro de geometr.* p. 235. *Goes.* Tria rivora significat. *et* p. 237. Tria rivora discindit. *et* p. 238. Duo rivora currunt.

RĪVŌSUS, a, um, adject. qui rivos habet. *Gloss. Cyrill.* Ῥιθρώδης (*leg.* Ῥειθρώδης), rivosus.

RĪVŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* rivus, *rivoletto, rivolo,* parvus rivus.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 5. 11. Rivulus tenuis. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 160. Almonis usque pervenitis rivulum. *Apul.* 4. *Met.* Rivulus quidam serpens leniter. *et ibid.* Fons rivulis pluribus dispersus. *Vulgat. interpr. Cantic.* 5. 12. Rivuli aquarum. *Id. Job* 20. 17. Rivuli fluminum. — Similiter de canali, aut fistula. *Apul.* 11. *Met.* Ejus (*urnulæ*) orificium non altiuscule levatum in canalem porrectum longo rivulo prominebat. *Cels.* 7. 4. *n.* 1. Si flexus reperiuntur, hi quoque ferro persequendi sunt: idemque faciendum, si plures se quasi rivuli ostendunt.

II.) Translate. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Maio*) 19. 34. Influxit enim non tenuis quidam e Græcia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. *Id. Cœl.* 8. *a med.* Quæram denique, a quo iste fonte senator emanet. nam si ipse orietur et sese, fortasse commovebor: sin autem, ut rivulus arcessitus et ductus ab ipso capite *etc.,* lætabor. *Id.* 2. *Orat.* 27. 117. Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre.

RĪVUM, i, n. et

RĪVUS, i, m. 2. *Rivum, i,* n. habet *Gloss. Gr. Lat.* Ῥεῖθρον, rivum, rivus, alveum, alveus.

— De hujus vocis origine hæc habet *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 20. *qui est* De rivis, 1. Rivus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat. cui nomen est ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. *Festus p.* 273. 29. *Müll.* Rivus vulgo appellatur tenuis fluor aquæ, non spe consilioque (*Müllerus* corrig. *specu incilive*) factus, verum naturali suo impetu. sed et ii rivi dicuntur, qui manu facti sunt, sive super terram fossa, sive super (*Müllerus* subter) specu, cujus vocabuli origo ex Græco pendet. — Rivus igitur est aqua fluens, a fonte vel flumine deducta, ῥύαξ, ὀχετός (It. *rigagno, rigagnolo, rio o rivo;* Fr. *petit cours d'eau, ruisseau;* Hisp. *arroyo, riochuelo, canal;* Germ. *das Gerinne;* Angl. *a brook, stream of water, rivulet, rill*).

I.) Proprie. — *a*) De rivis manufactis, ut vult *Festus* loc. cit. *Cic. Top.* 8. 33. Partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. *Ovid. Remed. am.* 445. Grandia per multos tenuantur flumina rivos. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 21. aqua per pronum trepidat cum murmure rivum. *Virg.* 3. *Ecl.* 111. Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt. *Id.* 1. *G.* 269. rivos deducere nulla Relligio vetat. *Ovid. Remed. am.* 194. rivos ducere lenis aquæ. *Colum.* 10. *R. R.* 48. jussi declivi tramite rivi. *Virg.* 4. *Æn.* 120. potis gaudent intyba rivis. *Id.* 5. *Ecl.* 47. Rivus aquæ saliens. *Inscript.* apud *Murat.* 441. 5. IVSSV IMP. CAESARIS AVGVSTI CIRCA EVM RIVOM QVI AQVAE DVCENDAE CAVSA FACTVS EST OCTONOS PED. AGER DEXTRA SINISTRAQVE VACVVS RELICTVS EST. — Similiter de canali aut fistula, per quam aqua defluit. *Nerat. Dig.* 7. 1. 61. Usufructuarius novum rivum parietibus non potest imponere. — *Rivus finalis* apud Gromaticos est, qui ad agrorum fines pertinet, seu quo limites agrorum constituuntur. *Aug. Cæs. et Ner. col.* 1. *p.* 217. 10. *Rudorff.*; et *Faust. et Valer. de ration. limit. reg. p.* 365. 16. *R.*, et *Boeth. demonstr. art. geometr. p.* 401. 14. *R.* — *b*) De rivis non manufactis, seu de aquis naturaliter decurrentibus, quando tantæ non sunt, ut amnes dici possint. *Catull.* 68. 57. Qualis in aerii pellucens vertice montis Rivus, muscoso prosilit e lapide. *Virg.* 4. *G.* 20. tenuis fugiens per gramina rivus. *Ovid.* 8. *Met.* 334. Concava vallis erat, qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquæ. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 56. (88). Silaus nascitur glareosis et perennibus rivis. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 29. rivus, si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato. *h. e.* rivus, qui crescit, et fit torrens, si pluvia decidit. *Virg.* 3. *Æn.* 350. arentem Xanthi cognomine rivum. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Ut minore cum periculo vallem rivumque transiret. — *E rivo flumen facere,* rem minimam nimis amplificare, *far d'una mosca un elefante, o d'una pulce un cavallo.* Habet *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 21. Ingenioque meo vena quod paupere manat, Plaudis, et e rivo flumina magna facis.

II.) Translate dicitur de quoque humore fluente. *Virg.* 1. *G.* 132. rivis currentia vina. *Id.* 5. *Æn.* 200. sudor fluit undique rivis. *et* 11. *ibid.* 668. Sanguinis ille vomens rivos cadit. *Lucret.* 5. 1255. argenti rivus et auri. *miniere. Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 110. (237). Rivi ignium. *Horat.* 2. *Od.* 19. 10. Vinique fontem, lactis et uberes Cantare rivos. *Ovid.* 6. *Met.* 655. et humectas lacrimarum gramina rivo. *h. e.* magna vi lacrimarum. — Figurate. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 9. ut te Confestim liquidus Fortunæ rivus inauret. *h. e.* divitiis affluentibus te locupletet. *Lactant. Opif. D.* 20. *in fin.* Tenuis ih nobis facundiæ rivus est.

RIXA, æ, f. 1. Sunt qui hanc vocem derivatam putant a Gr. ἐρίζω, contendo; at vide, quæ init. v. RIMA diximus. — Rixa est contentio, quæ plerumque manu peragitur, pugna levior inter duos, ἔρις (It. *riotta, rissa, contesa;* Fr. *lutte, rixe, contestation;* Hisp. *riña, pendencia;* Germ. *d. Hader, Zank;* Angl. *bickering, mauling, strife, riot*).

I.) Proprie. — 1.°) Stricto sensu. *Cic.* 4. *Verr.* 66. 148. Ecce autem nova turba atque rixa. *Tac. Germ.* 22. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ, raro conviciis, sæpius cæde et vulneribus transiguntur, *Petron. Sat.* 96, *sub fin.* Manus a rixa continere. *Horat.* 1. *Od.* 13. 9. seu tibi candidos Turparunt humeros immodicæ mero Rixæ. *Juvenal.* 3. 288. miseræ cognosce prooemia rixæ: Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum. *Horat.* 1. *Od.* 27. 4. Rixæ sanguineæ. *et* 3. *ibid.* 14. 26. protervæ. *et ibid.* 27. 70. Rixa calida. — 2.°) Latiore sensu, dicitur de dissidio ac pugna inter plures. — *a*) De hominibus. *Liv.* 2. 18. Concursu hominum rixa ac prope prœlium fuit. *et ibid.* 29. Intercursu patrum rixa sedata est. *Tac.* 1. *Hist.* 64. Jurgio primum, mox rixa inter Batavos et legionarios prope in prœlium exarsere. *Horat.* 1. *Od.* 18. 8. Centaurea cum Lapithis rixa super mero Debellata. *Catull.* 40. 4. Rixam vecordem excitare. *Vellej.* 1. 2. 2. Rixam ciere. *et* 2. 47. *ad fin.* contrahere. *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burmann.* facere. *Quintil.* 6. 4. 13. Ire in rixam. — *b*) De beluis. *Ovid. Ib.* 174. de tuo fiet Insatiabilibus corpore rixa lupis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (58). *de apib.* Rixa in convehendis floribus exorta. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 4. Rixam fucorum et apium sæpius committi videris. — 3.°) Dicitur et de Venerea amantium colluctatione. *Propert.* 2. 12. 10. Quantaque sublato lumine rixa fuit! *Catull.* 66. 13. Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ. *V.* PRŒLIUM et PUGNA.

II.) Translate est quæcumque contentio. *Cic.* 9. *Fam.* 22. Academiæ nostræ magna cum Zenone rixa est. *Martial.* 1. 37. Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus. *Flor.* 3. 10. Major cum Oceano, quam cum ipsis navibus, rixa. *contrasto.* — Vetus dictum est, *a lasso rixam quæri,* inquit *Seneca* 3. *Ira* 10., quia labore fessi proniores ad iracundiam sunt. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. *Rixa* et *jurgium* ita differunt, ut hoc verbis, illa manu peragatur; unde sanguineæ rixæ apud *Horat.* 1. *Od.* 27. 4. et *Tac.* 1. *Hist.* 64. Jurgia primum: mox rixa. Constat tamen ex Cicerone *rixam* verbis quoque fieri, *loc. supra cit.* Academiæ nostræ magna cum Zenone rixa est. — Multum etiam inter se distant *rixa* et *turba,* quum hæc sit multitudinis turbatio, commotio seu concursus, vel concertatio, illa vero duorum, ut *Labeo* docet apud *Ulp. Dig.* 47. 8. 4., aut sit verborum velitatio. *Cic. loc. supra cit.* Ecce autem nova turba atque rixa. Præterea *rixam* et *pugnam* hoc differre ait *Fronto p.* 2202. 41. *Putsch.*, quod *rixa* sine armis est, et habet defensionem: *pugna* legem habet vel naturalem vel moralem. palæstrans enim vel exhibet virtutem, vel armis per sua vitæ pericula dimicat. Cf. *Tac. Dial. de orat.* 26.

RIXANS, antis, particip. *V.* RIXOR.

RIXĀTOR, ōris, m. 3. *rissante, rissoso,* qui rixatur. *Firmic.* 5. *Mathes.* 8. Homines erunt mali, litigiosi, rixatores, contentiosi. *Quintil.* 11. 1. 29. Videas rixatores quosdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri. Tribuunt etiam *Horatio* 1. *Ep.* 18. 15. pro *rixatur.* Alter rixator de lana sæpe caprina Propugnat. quam *unicam* et *veram* lectionem dicit *C. Fea.*

RIXĀTŌRĬUS, a, um, adject. *rissoso,* idem ac jurgiosus. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 12. Accipe aliud rixatorium jam hoc et jurgiosum.

RIXĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RIXO, as, are, n. 1. *et*

RIXOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (rixa). Forma *Rixo,* idem quod *rixor,* apud veteres. *Varro* apud *Non. p.* 477. 22. *Merc.* Illic viros hortari ut rixarent, præclari philosophi. *et ibid.* Dormit alius, nimirum vigilant, clamant, calent, rixant. *Forcellinus* addit *eumd. ibid.* Ne familiæ rixent cum vicinis. *at* Mercerius *leg.* rixentur. *Porphyr.* ad *Horat.* 3. *Od.* 21. 8. Per vinum quidam rixant in convivio. — Particip. *Rixans* I. et II.; *Rixatus* I. et II. — Rixor est idem ac rixam facio, contendo, ἐρίζω, νεικέω (It. *far rissa, rissare;* Fr. *se quereller, quereller, contester, avoir une rixe;* Hisp. *reñir, contender, contestar, pleytar;* Germ. *zanken, streiten, hadern, streiten bis zur Erbitterung, ja bis zu Thätlichkeiten, sich in den Haaren liegen;* Angl. *to buffet, maul, bicker, brawl, quarrel, scold, jangle, dispute*), et usurpatur cum additis, aut absolute.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1283. multo cum sanguine sæpe rixantes. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 240. Quum essent cum eo de amicula rixatus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 15. Alter rixatur de lana sæpe caprina. *V.* CAPRINUS. Alii leg. *rixator. V.* RIXATOR. et *Tac. Dial. de orat.* 26. Non pugnat, sed rixatur (orator). *Quintil.* 6. 4. 9. *et* 11. 3. 172. rixantis modo.

II.) Translate. *Varro* 1. *R. R.* 47. Herbæ dum teneræ sunt, vellendæ. prius enim aridæ (*Schneid.* corrig. *validæ*) factæ rixantur, et celerius rumpuntur, quam secantur. *resistono. Seneca Ep.* 56. *ante med.* Dum inter se non rixentur cupiditas et timor. *Martial.* 9. 28. sonas grandibus minax verbis, Et cum theatro sæculoque rixaris. *h. e.* inveheris, declamas, indignaris, *Plin.* 16. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Rami arborum inter se rixantes. *h. e.* crescentes unus contra alterum, seque invicem implicantes luctantium more. *Quintil.* 9. 4. 37. Consonantes, quæ sunt asperiores, in commissura verborum rixantur. *Capell.* 8. *p.* 273. His me saturaque mea alterna diutule objurgatione rixatis.

RIXŌSUS, a, um, adject. *rissoso,* ἐριστικός, contentiosus, pugnax, proclivis ad ineundum certamen. *Colum.* 8. *R. R.* 2. Non rixosarum avium lanistæ. *V.* LANISTA.

RIXŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* rixa, parva rixa. *Inscript.* apud *Henzen.* 6187. SI SVM DIGNVS ADHVC FAVORE VESTRO SI POST PRAEMIA RIXVLASQUE NOSTRAS VT TIRO AC RVDIS IN QVIETE *vivam.*

RO

RŎBĒUS. *V.* ROBIUS.

RŌBĪGĀLĬA, ĭum. *V.* voc. seq.

RŌBĪGĀLIS *et* Rubigalis, e, adject. (robigo *vel* rubigo). De hujus vocis scriptione et quantitate *V.* ROBIGO init. — Robigalis est ad robiginem pertinens; ceterum usurpatur tantummodo

Robigalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, et est dies festus in honorem Robiginis deæ, seu Robigi dei, cui sacra fiebant, ut rubiginem a segetibus averteret. Instituta fuere a Numa anno regni sui undecimo, ad Græcorum, ut videtur, exemplar. Etenim Rhodii, teste *Strabone l.* 13. *p.* 912., Apollini Ἐρυθιβίῳ, *h. e.* Soli robiginem, ἐρυθίβην, frugibus averruncanti templum dicaverant. Celebrabantur autem VII. Kal. Majas, idest die XXV. Aprilis, quia tunc fere segetes rubigo infestat. *Varro* 1. *R. R.* 1. et 6. *L. L.* 16. *Müll.*, *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29 69. (2) et *Paul.* ex *Festo p.* 267. 1. *Müll. Kalendar. Prænestin.* apud *Foggin.* Feriæ Robigo via Claudia ad milliarium V., ne robigo frumentis noceat, sacrificium et ludi cursoribus majoribus minoribusq. fiunt. — Sacra hæc ove et cane fiebant, quorum exta cum ture et vino offerebantur. *Ovid.* 4. *Fast.* 908. *et* 935. et *Colum.* 10. *R. R.* 342. *V.* ROBIGO et ROBIGUS in ONOM. — Hujusmodi festum diu celebratum fuisse constat etiam post Christianam religionem a Constantino M. promulgatam, cui deinceps suffectæ sunt *litaniæ majores,* quæ etiamnum eodem die in Ecclesia Catholica celebrantur.

RŌBĪGĪNO *et* Rubigino, as, are, n. 1. (robigo) *arrugginire,* robiginem contraho, ἰόομαι. *Apul. Florid. n.* 17. Gladius usu splendescit, situ robiginat. *Alii leg.* robiginatur.

RŌBĪGĬNŌSUS *et* Rubiginosus, a, um, adject. — Robiginosus est idem ac robigine plenus, *rugginoso,* ἰώδης.

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 1. 3. 77. Robiginosam strigilem, ampullam rubidam (*vendo*). *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 230. Gladio dimicandum, sed interest robiginoso, an splen-

dido. Hic tamen legitur *robignoso* per syncop. — Cum addito Ablat. *Apul. de deo Socrat.* Telum sanguine rubiginosum.

II.) Translate. *Martial.* 5. 28. *de obtrectatore.* Rubiginosis cuncta dentibus rodit.

RŌBĪGO et Rubigo, gĭnis, f. 3. (robus *vel* robius). — 1.°) Ad scriptionem quod attinet, *Pierius* ad *loc. Virg. citata,* in antiquis plerisque codicib. primam syllabam per *o* scribi testatur. Non desunt alii, qui per *u*. Præfert *Broukus.* ad *Propert.* 2. 19. 55., item *Manut.* in *Orthogr.* priorem scriptionem, quæ antiquorum est: alteram *Dausquius,* quæ videtur frequentiore posteriorum usu confirmari. — 2.°) Ratione habita quantitatis, prima syllaba a *Virg., Ovid., Colum.* allatis, itemque a *Sil. It., Juvenale, Propert.* producitur: corripitur a *Prudent. Psychom.* 105. Condere vaginæ gladium, ne tecta robigo, etc. et *Venant.* 2. *Carm.* 13. 7. Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba. Addunt quidam et *Martial.* 2. 51. nimiaque rubigine captus Adlatras nomen quod tibi cumque datur. Sed plerique alii leg. *ærugine.* Item *Ovid.* 8. *Met.* 803. Labra incana situ, scabraque rubigine dentes. Sed alii tollunt *que:* alii leg. *scabri rubigine dentes,* vel *scabræ rubigine fauces.* — Robigo tria significat; scilicet

A) Robigo est vitium metallorum, quo atrum ruborem contrahunt, et exeduntur: in ferro dictum speciali nomine *ferrugo,* in ære *ærugo,* ἐρυσίβη, ἰός (It. *ruggine;* Fr. *rouille d'un métal, rouille;* Hisp. *orin, herrumbre;* Germ. *d. fehlerhafte rothe Ansatz am Metall, Rost;* Angl. *rust*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu dicitur de metallis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). Æs ac ferrum rubigo protinus corripit. *At* Sillig. *leg. ubiq.* robigo. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (62). *de auro.* Super cetera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus. *Id.* 34. *ibid.* 9. 21. (99). Æra extersa rubiginem celerius trahunt, quam neglecta. *et ibid.* 15. 43. (150). Ferrum a rubigine vindicatur cerussa et gypso, et pice liquida. *et mox.* Ferreos anulos rubigine infestari. *Id.* 17. *ibid.* 4. 3. (27). Terra ferro rubiginem obducit. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (143). Celerius rubiginem sentire. *Virg.* 1. *G.* 495. Exesa inveniet scabra robigine pila. *et* 2. *ibid.* 220. salsa lædit robigine ferrum. *Propert.* 2. 19. 55. scabra teritur robigine mucro. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 71. Roditur ut scabra positum rubigine ferrum. — *b*) Latiore sensu, per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 18. 30. (136). Sunt lapides molares, qui vetustate rubiginem trahunt. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (20). *de glandib. arborum.* Distant inter se, quod aliis subest tunica rubigine scabra, aliis protinus candidum corpus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 515. Linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 76. Fragilis rubigo. *h. e.* putredo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ ex ferro, quod robiginem contrahit, quum diu in usu esse desiit. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 21. Ingenium longa rubigine læsum Torpet. *Val. Max.* 2. 9. *n.* 5. Abrogamus istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. *Seneca Ep.* 95. *circa med.* Hebetibus et obtusis aut mala consuetudine obsessis diu rubigo animorum effricanda est. *Ovid.* 8. *Met.* 803. de *Fame.* scabræ rubigine fauces. *scil.* per quas diu cibus non descendit. *V.* init. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 175. infectus longi rubigine ruris. *h. e.* longo situ, et otio, quo ruri degebam, remotus a rebus gerendis. ¶ 2. Speciatim *rubiginem peccatorum* appellat *Prudent.* 7. *Cathemer.* 205. vitia animi, peccata et sordes, quibus estur et inquinatur. Similiter *Seneca Ep.* 7. *a med.* Malignus comes, quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit. *Martial. præf. lib.* 12. Accessit his municipalium robigo dentium, et judicii loco livor.

B) Robigo sæpe dicitur morbus satorum: de quo *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (3). Plerique dixere, rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio. *Id. ibid.* 10. 20. (3). Siligo semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat. *et ibid.* 17. 44. (2). Cæleste frugum vinearumque malum nullo minus noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu convallibusque, ac perflatum non habentibus: e diverso carent ea ventosa et excelsa. *Ovid.* quoque rori, et soli attribuit, 4. *Fast.* 917. Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres; Nec sic marmoreo pallet adusta gelu; Quantum si culmos Titan incalfacit udos. At *Colum. Arbor.* 13., *Pallad.* 1. *R. R.* 35. et *Servius* ad 1. *G.* 131. malæ nebulæ causam assignant: quod et rustici Patavini nunc faciunt, qui ideo vocant *nibia:* quæ vox a *nebula* facta est. Italis est *golpe, melume, ruggine,* Gallis *nielle. Varro* 6. *L. L.* 16. *Müll.* Ne rubigo occupet segetes. *Virg. loc. cit.* Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos Esset robigo. *Colum.* 2. *R. R.* 12. (11). 5. Segetes rubigine infestantur. *et* 10. *ibid.* 342. mala rubigo virides ne torreat herbas.

C) Addit *Servius loc. cit.* robiginem esse, ut Varro dicit, vitium obscenæ libidinis, quod ulcus vocatur: idque nasci abundantia et superfluitate humoris, et a Græcis σατυρίασιν vocari. — *NB.* De Robigine dea *V.* ROBIGO in ONOM.

RŌBĬUS et Robeus, a, um, adject. *rosso carico, o scuro,* idem quod rubeus, rufus. *Inscript.* apud *Gruter.* 61. 3. VT PRAETOR LITATVRVM SE SCIAT VOLCANALIBVS OMNIBVS ANNIS VITVLO ROBIO ET VERRE. *Alii leg.* robeo. *Voss.* in *Etymol.* in *V. Ruber,* et *Scalig. in not.* ad *Varron.* 2. *R. R.* 5. *p.* 244. Legitur *robius* etiam apud *Colum.* 6. *R. R.* 1. 3. *Schneid.,* ubi de coloribus boum loquitur, et 8. *ibid.* 2. 8. *Schn.,* ubi de gallinarum, in quibusdam MSS., nam alii passim habent *rubeus.* (Alii ad 6. 1. *rubius;* alii ad 8. 2. leg. *probus.*) *V.* ROBUS. *Marcell. Empir.* 27. *p.* 126. *retro init.* Rhun marinum sive rhun orientalem, quod est minutum robium simile lenticulæ, quantum tribus digitis prendere potueris, mittes in mortarium etc. *V.* RHUS.

RŌBOR. *V.* ROBUR init.

RŌBŎRĀRĬUM, ĭi, n. 2. δρύφρακτον, vivarium, sæptum, villa, quæ inclusa habet animalia: a v. *robur,* idest a tabulis roboreis, quibus vivaria sæpta erant, antequam mœnibus cingerentur. *Scipio African.* apud *Gell.* 2. 20.

RŌBŎRASCO, is, ere, n. 3. (roboro) robur acquiro. *Nævius* apud *Non. p.* 116. 26. *Merc. de puero pubescente.* Cujus vox gallulascit, cujus jam ramus roborascit. *V.* RAMUS.

RŌBŎRĀTUS, a, um, particip. *V.* ROBORO.

RŌBŎRĒTUM, i, n. 2. locus roboribus consitus. *Gloss. Gr. Lat.* Δρυμὼν ὁ τόπος, quercetum, roboretum.

RŌBŎRĔUS, a, um, adject. *di rovere,* δρύϊνος, qui est ex roboris materia, robustus. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 1. Stabula roboreis axibus constrata. *Id.* 11. *ibid.* 2. 13. Roborea materies. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (113). ligna. *Pallad.* 1. *R. R.* 21. 2. planeæ. *Ovid.* 5. *Fast.* 622. virgo simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet. *Hygin. de limitib. agr. p.* 112. 12. *Rudorff.* Roboreus limes. *et de gener. controv. p.* 127. 4. terminus.

RŌBŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (robur). Particip. *Roboratus* sub *A* et *B.*; *Roborandus* sub *A. a.* — Roboro duo significat; scilicet

A) Roboro est robur et vires addo, firmo, reficio, κραταιόω (It. *rinforzare, fortificare;* Fr. *fortifier, donner des forces à, consolider, affermir;* Hisp. *fortificar, dar vigor y fuerzas, endurecer, afirmar;* Germ. *kernfest machen, stärken, kräftigen, haltbarmachen;* Angl. *to strenghten, invigorate, fortify*). Occurrit — *a*) De rebus physicis. *Lucret.* 4. 1032. adulta ætas quum primum roborat artus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (92). Hirundines nidos luto construunt, stramento roborant. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (11). Pampinos adjugatæ vitis detergere, usque quo placeat roborari eam. *Id.* 18. *ibid.* 28. 67. (4). Quum spica deflorescere cœpit, atque roborari. *Colum.* 6. *R. R.* 27. *a med.* Equus roborandus est largo cibo. *Vulgat. interpr. Exod.* 1. 7. Quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis impleverunt terram. — *b*) De moralibus et abstractis. *Cic.* 1. *Off.* 31. 112. Catoni quum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset. *Horat.* 4. *Od.* 4. 33. Doctrina sed vim promovet insitam, Rectique cultus pectora roborant. *h. e.* efficit animum fortem. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 55. (93). Mordacitas urticæ non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata. *Apul.* 5. *Met.* Procedente consuetudine et affectione roborata. *Boeth. in Porphyr.* 1. Et tamen, scientia roboratus, quid quæri jure possit, agnosceret. *h. e.* fretus. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Roboratus, a, um, etiam absolute, adjectivorum more, occurrit; unde Comp. *Roboratior. Tertull. Anim.* 25. Roboratior exitus.

B) Roboro est etiam robore, seu tetano afficio, corripio. *V.* ROBUR. Occurrit tantummodo Particip. *Roboratus* apud *Pelagon. Veterin.* 19. Si equus vulneratus, si marmoratus, si roboratus etc.

RŌBŎRŌSUS, a, um, adject. qui robore, seu tetano laborat, tetanicus. *Veget.* 3. *Veterin.* 24. Quæ potio roborosos tetanicos, et opisthotonicos salubriter curat. *Id. ibid.* Roborosa passio dicitur, quæ animal rigidum facit ad similitudinem ligni. *V.* ROBUR sub *C.*

ROBRUS. *V.* RUBER.

RŌBUR (Robor), ŏris, n. 3. Olim *robus* et *robos* dixere pro *robur,* ut *labos, honos* pro *labor, honor. Cato R. R.* 17. Robus, materies item pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam, semper tempestiva est. Forma *robor* est apud *Charis. p.* 32. 12. et *p.* 548. 16. *Keil.* et *Priscian. de accent.* 24. *p.* 524. 2. *Keil.;* et a *Lachmann.* legitur apud *Lucret.* 2. 1131. Inde minutatim vires et robor adultum Frangit. *Gloss. Cyrill.* Ἰσχύς, valentia, virtus, robor. — *Festus p.* 264. 10. *Müll.* hanc vocem ducit a *robus,* ruber, rufus, quia roboris materia plurimas venas ejus coloris habet; alii vero cum themate ῥο, unde ῥώννυμι, ῥώμη, conjungunt. — Robur tria præcipue significat; scilicet

A) Dicitur de lignis duris et validis, præsertim de lignis quernis.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 3. Robur querceum vel subereum. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Naves totæ factæ ex robore. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. *ad fin.* Sapiens non est e saxo sculptus, aut e robore dolatus. *Id.* 2. *Divinat.* 41. 86. Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? *Virg.* 4. *Æn.* 441. Annoso validam robore quercum eruere. *Id.* 12. *ibid.* 783. Discludere morsus roboris. *h. e.* oleastri, quem supra dixerat *v.* 766. Adde 2. *G.* 305., 3. *ibid.* 420. et alibi sæpe. Huc pertinent et illa *ibid.* 332. Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos. *h. e.* vetustæ duritiæ et firmitatis. *Ovid.* 1. *Met.* 303. agitata robora pulsant. *Id.* 3. *ibid.* 92. fixa est pariter cum robore cervix. — Massyla robora *Statio* 3. *Silv.* 3. 94. sunt arbores citri, ex quibus pretiosæ mensæ fiebant. *V.* CITRUS. Hæc eadem vocat *id.* 4. *ibid.* 2. 39. robora Maurorum. *Id.* 5. *Theb.* 287. curvum robur. *h. e.* cymba ex codice cavato. ¶ 2. Speciatim est genus quercus durissimo ligno et in aquis incorruptibili, *rovere o rovero, quercia,* δρῦς ἀγρία. Multa de ea *Plin.* 16. *Hist. nat. c.* 6. 7. 8., item *ibid.* 38. 73. *extr.,* ubi totam ejus materiam osseam esse: *et ibid.* 40. 76. (3), ubi tantam ei esse duritiam scribit, ut terebrari nisi madefactum non queat, et ne sic quidem adactus avelli clavus: *et ibid.* 79., ubi marina aqua corrumpi. Sed profecto plures sunt, non una species quercuum, quæ hoc nomine appellantur. *Gell.* 10. 12. Caput et collum chamæleontis si uratur ligno, quod appellatur robur, imbres et tonitrus fieri derepente. — *Robore natus,* agrestis, durus, inhumanus, ferreus, *Stat.* 4. *Theb.* 339. vos autem hunc ire sinetis, Arcades? o saxis nimirum et robore nati!

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen robur

est res aliqua ex robore. — a) Generatim. Sil. It. 2. 244. et 267. robur letale. h. e. hasta. Sic Virg. 10. Æn. 479. ferro præfixum robur acuto. h. e. hastile ferrea cuspide armatum. Martial. 9. 44. Cujus (Herculis) læva calet robore. h. e. clava. (Adde Stat. 2. Silv. 1. 35.) Virg. 1. Æn. 230. sacrum robur. h. e. equus ligneus. Apud eumd. 1. G. 162. et Val. Flacc. 7. 555. grave robur aratri est ipsum aratrum e robore. Cic. Mur. 35. ad fin. Lacedæmonii quotidianis epulis in robore accumbunt. h. e. in sedili e robore vel alio quocumque ligno duro. — b) Speciatim. Festus loc. cit. Robus in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur. (Cf. Plaut. Curc. 5. 3. 14.) h. e. carcer inferior, la segreta sotterranea d'una prigione. Liv. 38. 59. sub fin. Ut in carcerem inter fures nocturnos vir clarissimus includatur, et in robore et tenebris exspiret. Id. 34. 44. extr. inferiorem carcerem appellat, et Sall. Cat. 55. Tullianum: ac describit. Calpurn. Flacc. declam. 4. Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, etc. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt. Alii leg. robur Tullianumque. Lucan. 2. 125, Sæva tribunicio maduerunt robora tabo. Apul. Apolog. O subtilitas digna carcere et robore! h. e. vinculis et morte, quia in robore supplicium de reis sumebatur. Tac. 4. Ann. 29. Robur, et saxum, aut parricidarum pœnas minitari. Adde Lucret. 3. 1031., ubi quidam designari putant equuleum, in quo insidentes, vel porrecti rei torquebantur. Quod scribit Val. Max. 6. 3. n. 1. in fin. familiares Gracchorum de robore præcipitatos fuisse, negotium facessit interpretibus. neque enim præcipitari poterant, qui de carcere in robur, imum carceris locum, supplicii causa demittebantur. Itaque aut locum ipso robore depressiorem ibi fuisse putandum est: quod sane non constat; aut Valerium robur cum saxo Tarpejo confudisse; aut in robore pro in robur dixisse; aut denique locum esse corruptum. Clara erat sententia, si dixisset in robur. ¶ 2. Item dicitur de duritia aut firmitate, aut facultate et viribus aliarum rerum, et quidem — 1.°) De rebus physicis. — a) Generatim. Lucret. 1. 889. fruges robore quum saxi franguntur. Virg. 7. Æn. 609. Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri Robora. (Adde Lucret. 2. 449.) Liv. 37. 30. Robore navium et virtute militum Romani longe regios præstabant. Virg. 2. G. 177. Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique, Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis. — b) Speciatim ac sæpe de viribus corporis, robustezza, fortezza, lena, forza, vigore, fermezza, ῥώμη. Hanc notionem ex eo descendere putat Festus, quia homines valentes boni coloris esse solent, et ad rubeum, qualis in venis roboris est, accedentis. Alii tamen, ut Voss. in Etymol. et recentiores, volunt hanc esse primam et propriam vim hujus vocis, et inde transferri ad arborem. Virg. 2. Æn. 638. quibus integer ævi Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires. Id. 8. ibid. 518. Arcadas huic equites bis centum, robora pubis Lecta dabo. h. e. fortissimos juvenes. Sic Val. Flacc. 2. 644. Quum tales intrasse duces, tot robora cerno. Id. 1. 561. robur Herculeum. h. e. ipse Hercules fortissimus. — 2.°) De moralibus, præsertim de viribus animi: et universim ponitur pro vi, virtute, firmitate. — a) Abstracto, ut ajunt, sensu. Cic. Rosc. Am. 51. 149. Qui si jam satis ætatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. (Hunc tamen locum alii interpretantur de viribus corporis.) Id. pro leg. Manil. 4. 10. Altera pars, quæ multo plus firmamenti ac roboris habebat. Id. 5. Fin. 5. 12. Dummodo plus in virtute teneamus firmitatis et roboris. Id. 6. Fam. 1. 3. Quantum in cujusque animo roboris est, atque nervorum. Id. Font. 8. 16. Illi habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent. Id. 2. leg. Agr. 35. a med. Quibus illi rebus elati et inflati, si paullum assumpserint vetustatis ac roboris, non continebuntur. Id. 1. Off. 5. 14. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. Id. Mil. 37. 101. Vir quodam incredibili animi robore. Quintil. 6. prœm. a med. Robur contra dolores ac metus. Ovid. 5. Trist. 12. 11. Des licet hic valido pectus mihi robore fultum, etc. Fracta cadet tantæ sapientia mole ruinæ. Martial. 1. 40. magnæ subnixus robore mentis. Seneca Phœniss. 78. Magno robore ærumnas doma. Alter Seneca Ep. 10. a med. Verba plena roboris. — b) Concreto, ut dicitur, sensu. — a) Generatim. Cic. Orat. 10. 34. Versaris in optimorum civium vel flore vel robore. Id. Cluent. 56. 153. C. Flavius Pusio, Cn. Titinius, C. Mæcenas, illa robora populi R. Flor. 2. 17. Celtiberos, id est robur Hispaniæ. Colum. 10. R. R. 326. pallentia robora betæ. h. e. ejus caules duriusculi et aliquid roboris habentes. Alii tamen leg. tubera. — β) Speciatim de militibus. Cic. 6. Att. 5. a med. Auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. hæc enim sunt nostra robora. Asin. Poll. apud Cic. 10. Fam. 33. Et robur et suboles militum periit. Liv. 5. 39. Placuit juventutem militarem senatusque robur in arcem concedere. Id. 27. 14. Id roboris in omni exercitu erat. Id. 30. 2. Quod roboris ea provincia habuerat. Id. 33. 4. Robur omne virium. Adde eumd. 28. 14. et 39. 30. Virg. 8. Æn. 518. robora pubis. Liv. 24. 46. centurionum. Tac. 1. Ann. 24. Germanorum. Id. 4. Hist. 33. extr. Cæsorum eo die in partibus nostris major numerus et imbellior: e Germanis ipsa robora. i più valorosi. et Flor. 3. 5. Priusquam inter se gentium robora coirent.

B) Dicitur robus, antiquâ formâ, genus tritici, a colore, vel a Græco ὄροβος, ervi genere rubeo, vel potius a comparatione arboris sic dictum, quia tritici hujus robustissimum omnium et durissimum granum: nunc Italis grano duro, aut etiam grano rosso o robo appellatur. Colum. 2. R. R. 6. 1. Tritici genera quamplura cognovimus. verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam et pondere et nitore præstat.

C) Robur est morbus jumentorum, quo nervi rigent et in robur obdurescunt, tetanus, τέτανος, irrigidimento de' nervi apud Veget. 3. Veterin. 24. ab init. et Pelagon. Veterin. 23. V. ROBORO et ROBOROSUS.

RŌBURNĔUS, a, um, adject. di quercia o rovere, δρύϊνος, qui est e robore, quernus. Colum. 9. R. R. 1. a med. Feræ pecudes in vivariis ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent. h. e. glandibus, quibus vescuntur.

RŌBUS, ruber, rufus, flavus, ξανθός. Festus p. 264. 10. Müll. Robum rubro colore et quasi rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est. Unde et materia, quæ plurimas venas ejus coloris habet, dicta est robur. Hinc et homines valentes, et boni coloris, robusti. Servius ad illud Virg. 6. Ecl. 22. Sanguineis frontem moris, etc. Multi hoc dictum putant, quod robus color deorum sit: unde et triumphantes facie miniata, et in Capitolio Juppiter in quadriga miniata. Alii leg. rubeus. Gell. 4. 6. Si quid succidaneis opus erat, robus accederet: h. e. vitulus robius. Alii perperam leg. robigus. — NB. De cognom. R. V. ONOM.

RŌBUS, ŏris, n. 3. V. ROBUR.

RŌBUSTĀRĬUS, ii, m. 2. artifex, qui in robusta materia opus facit. Inscript. apud Don. cl. 2. n. 27. CORPVS ROBVSTARIORVM. Hanc eamd. habet Murat. 519. 2., ubi aliter legit, et contendit minus Latinam robustariorum vocem esse.

RŌBUSTĒ, adverb. Comp. Robustius, et Sup. Robustissime. — Robuste est fortiter, firme, valide. Augustin. 8. Confess. 11. Ne revalesceret iterum, et me robustius alligaret. Nazar. Paneg. ad Constantin. 17. Fecunda malis suis natio ita raptim adolevit, robusteque recreata est. Cassiod. 12. Variar. 21. Fide publica robustissime reparatur quidquid a privatis amittitur.

RŌBUSTĔUS, a, um, adject. di rovere, δρύϊνος, qui est e robore, roburneus, robustus. Vitruv. 2. 1. Scandulæ robusteæ. Id. 3. 3. et 5. 12. a med. Robustei pali. Addunt et Varron. 1. R. R. 38. extr., ubi constans lectio non est. Schneid. leg. robustus.

RŌBUSTUS, a, um, adject. (robur). Comp. Robustior II. 1. et 2; et Sup. Robustissimus II. 1. — Robustus

I.) Proprie, qui ex quocumque duro ligno, et speciatim ex robore est factus, roburneus, quernus. Cato R. R. 18. Eo capitulum robustum indito. et ibid. Stipites robustas facito. Varro 1. R. R. 38. extr. et Colum. 2. 15. Robusta materia. Plin. 11. Hist. nat. 37. 55. a med. Robusti caudices. Ovid. 5. Met. 120. Robusta repagula. Plaut. Curc. 5. 2. 14. Robustus carcer. h. e. locus robustis axibus munitus. V. ROBUR. Horat. 2. Ep. 2. 74. Tristia robustis luctantur funera plaustris. Id. 3. Od. 16. 2. Robustæ fores. — De robusto codice V. in v. CODEX.

II.) Translate est durus, rigidus, valens, firmus, vigorem ac robur habens, duro, saldo, forte, robusto. — 1.°) De physicis. — a) Generatim. Plin. 11. Hist. nat. 37. 45. (125). Cornua aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum. Id. 17. ibid. 22. 35. (175). Tertius vineæ annus palmitem velocem robustumque emittit. Id. 36. ibid. 22. 48. (167). Albi lapides, nec contra humores et auram maris robusti. Colum. præf. a med. Robustissimum solum. h. e. cui imperari assidua cultura potest, et quod feracissimum est. — b) Speciatim robustus cibus est valens, h. e. in quo multum alimenti inest, ut Cels. 2, 18. ab init. explicat. Id. ibid. Ex feris quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. Plin. 18. Hist. nat. 17. 46. (166). Colles robustius, sed minus, reddunt triticum. Adde ibid. 30. 72. (298). — c) Item de viribus corporis. Nepos Alcib. 2. Postquam robustior est factus. Sueton. Tib. 68. Corpore amplo atque robusto esse. Cic. 2. leg. Agr. 31. Homines robusti, et valentes, et audaces. Justin. 25. 4. 6. Exercitus partem robustissimam amisit. Ovid. Heroid. 9. 77. de Hercule. Crassaque robusto deducis pollice fila. Plin. 7. Hist. nat. 16. 17. (76). Robusta vox. Nepos Hannib. 10. Quum videret, regem domesticis rebus minus esse robustum. h. e. minus instructum militaribus copiis. Id. Alcib. 2. Robustior factus. h. e. adultior. Paul. Diac. ex Fest. p. 264. 11. Müll. de robore. Hinc et homines valentes et boni coloris robusti. — Plur. absolute. Seneca 3. Ira 5. Promiscue (pestilentia) imbecilla robustaque invadit. Vulgat. interpr. Exod. 15. 15. Robustos Moab obtinuit tremor. Plin. 27. Hist. nat. 4. 10. (27). Robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. — Figurate. Ovid. 15. Met. 207. Transit in æstatem post ver robustior annus. — 2.°) De moralibus et abstractis. Cic. 2. Phil. 25. a med. Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus. et 5. Phil. 11. extr. Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. Id. 1. Off. 20. 67. Ea, quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil a statu naturæ discedas, robusti animi est magnæque constantiæ. Id. 4. Tusc. 23. 51. Robusta et stabilis fortitudo. Id. Planc. 8. extr. Solidam, et robustam, et assiduam frequentiam præbuerunt. Pers. 5. 5. robustum carmen. h. e. grandiloquum, tragicum, magni ponderis. Val. Max. 4. 7. n. 2. Robusta constantis amicitiæ exempla.

RODARUM, i, n. 2. species herbæ (Spiræa ulmaria L.) apud Plin. 24. Hist. nat. 19. 112. (172). Juxta hanc (rumpotinum) viduam vite nascitur herba, quam Galli rodarum vocant. Ita Sillig.; alii leg. rhodoram.

RŌDENS, entis, partic. V. voc. seq.

RŌDO, rōdis, rōsi, rōsum, rōdere, a. 3. Hanc vocem Forcellinus deducit a verbo Gr. τρώγω, edo, rodo; et Döderlein. conjungit cum βεβρώθειν (Hom. Il. l. IV. v. 35.), quod est rodere, terere dentibus, unde et rudus, res tritæ: verum simplicius derivatam putamus a them. Sanskr. rad ejusdem cum v. rado et rodo significationis. — Particip. Rodens, et Rosus I. a. et B.; Rosurus I. a. — Rodo est idem ac dentibus quippiam erado, τρώγω (It. rosicchiare; rodere; Fr. ronger, rogner avec les dents; Hisp. roer con los dientes; Germ. nagen, benagen; Angl. to gnaw).

I.) Proprie. — *a*) De feris. *Phædr.* 1. 22. laboras, ut fruaris reliquiis, Quas sunt rosuri mures. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 10. Rosus tineis, situque putris. *Ovid.* 1. *Fast.* 357. Rode, caper, vitem. *Martial.* 3. 24. Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras Hircus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (37). Corvi aratoris vestigia ipsa rodentes. *h. e.* rostro tundentes cibi exquirendi gratia. — *b*) De hominibus. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 40. Cum servis tu urbana diaria rodere mavis. *h. e.* durum servorum cibum, et panem vix morsus admittentem, qualis urbanis dabatur servis, fatigato dente mandere. *Id.* 1. *Sat.* 10. 70. In versu faciendo Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues. (Cf. *Pers.* 1. 106.) *Id. Epod.* 5. 47. Irresectum sæva dente livido Canidia rodens pollicem. *Petron. fragm.* apud *Vet. Scholiast.* ad *Horat. Epod. loc. cit.* Pollice usque ad periculum roso. *Martial.* 7. 19. Roso tepenti spondylos sinu condit. — Absolute *Vulgat. interpr. Job* 30. 3. Qui rodebant in solitudine.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro exedere, *corrodere, logorare, consumare. Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 48. (166). Tophus tectorii calce roditur. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (185). Vis liquidi aluminis adstringere, indurare, rodere. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 71. Ferrum rubigine roditur. ¶ 2. Item eradere, abradere. *Lucret.* 5. 257. ripas radentia flumina rodunt. *et ibid.* 258. quodcumque alit, auget, Roditur. *h. e.* deminuitur. *Lachmann.* leg. *redditur.* ¶ 3. Figurate dicitur de obtrectatoribus et maledicis. *Cic. Balb.* 26. 57. More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 81. absentem rodere amicum. *et ibid.* 6. 46. Quem rodunt omnes libertino patre natum. *Martial.* 5. 28. Rubiginosis cuncta dentibus rodit. *Id.* 13. 2. quid dentem dente juvabit rodere? *h. e.* carpere eum, qui pari est mordacitate. *V.* PELLIS. — Singulare est illud *Pers.* 3. 81. Murmura quum secum, et rabiosa silentia rodunt. h. e. versant, et quasi dentibus rodunt verba, secum obmurmurantes.

RŌDUS et RŌDUSCŬLUM. *V.* RAUDUS, RUDUS et RAUDUSCULUM.

RŎGA, æ, f. 1. res rogata, eleemosyna. *Gloss. Isid.* Addit *Quicherat.* et *Gloss. Pith.* et *Thes. Nov. Latinit. p.* 495. et 506. ed. *Mai.*

RŎGĀLIS, e, adject. ad rogum spectans. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 41. Te ne, sacer vates, flammæ rapuere rogales? *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *ante med.* Sordidior et deformior est cadavere rogali.

RŎGĀMEN, ĭnis, n. 3. rogatio. *Gloss. Gr. Lat.* Δέημα, rogamen.

RŎGĀMENTUM, i, n. 2. (rogo) *interrogazione, quistione, proposizione. Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Rogamentum proponere. *Id. de habit. doctr.* Est una quæ pronuntiabilis appellatur, absolutam sententiam comprehendens, sola ex omnibus veritati, aut falsitati obnoxia. quam vocat Sergius effatum, Varro proloquium, Cicero enuntiatum, Græci protasin, tum axioma: ego verbum e verbo tum protensionem tum rogamentum.

RŎGANS, antis, particip. *V.* ROGO.

RŎGĀRĬUS, ii, n. 2. qui rogum accendit, et curat. *Gloss. Gr. Lat.* Νεκροκαύστης, rogarius.

RŎGĀTĀRĬUS, a, um, et

RŎGĀTĀRĬUS, ii. *V.* voc. seq.

RŎGĀTĪCĬUS, a, um, adject. qui ab alio rogatus fuit. *Fronto ad Ver. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 1. *a med.* Nerva facta sua in senatu verbis rogaticiis commendavit. *h. e.* oratione ab aliquo scriptore a se rogato mutuata. In *Codicis* margine antiqua manu scriptum est *rogatariis* pro *rogaticiis.* — Hinc

Rogatarius, ii, m. 2. absolute. *Gloss. Isid.* Rogatarius, petitor. et apud *Marin. Pap. Dipl. n.* 90. *l.* 10. rogatarius est idem ac receptor seu notarius, quia qui instrumentum aliquod facturus erat, eum rogabat, ut illud subscriberet.

RŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus rogandi, aut interrogandi, *domanda, quesito, interrogazione* ἐρώτησις, ἐρώτημα: et usurpatur — 1.°) Active. *Cic.* 1. *Invent.* 32. 54. Plerumque aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. — 2.°) Passive — *a*) Est interrogatio, figura sententiarum apud Rhetores. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. Et rogatio atque huic finitima quasi percontatio. *V.* PERCUNCTATIO et PERCUNCTOR. Adde *Quintil.* 9. 1. 21. — *b*) Hoc nomine appellatur etiam lex, antequam perferatur, quia in ea ferenda rogabatur populus illis verbis: *velitis, jubeatis, uti* etc., (integram formulam habes apud *Gell.* 5. 19.) post quæ ferebat ille suffragium: quo si responderetur, *uti rogas*, lex erat: quæ quum perscriberetur, hæc in principio verba apponebantur: *consul populum jure rogavit, populusque jure scivit.* Deinde vero quum per leges tabellarias factum est, ut suffragia scripta ferrentur, tum tabellæ diribebantur, ubi inscriptæ erant litteræ *U. R.* h. e. (*volo* vel *jubeo*) *uti rogas. V.* ROGO. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 77. Et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cujus is condemnatus est rogatione, P. Scævolam. — *c*) Aliqui rogationem accipiunt pro privilegio, et a lege differre ajunt, quod lex universalis sit, rogatio particularis. *Festus p.* 266. 2. *Müll.* Rogatio est, quum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat: et de una pluribusve rebus, de quibus non omnibus, sanciatur. nam quod in omnes homines, resve populus scivit, lex appellatur. Itaque Gallus Ælius ait: Inter legem et rogationem hoc interest. rogatio est genus legis; quæ lex, non continuo ea rogatio est. rogatio non potest non esse lex, si modo justis comitiis rogata est. Hæc *Festus.* Sed hæc differentia non observatur; nam, ut ait *Gell.* 10. 20., sive lex, sive privilegium, sive plebiscitum sit, sine rogatione ad populum perferri non potest, et utrumque confuso et indistincto vocabulo rogatio dicitur. *Cic. Brut.* 33. 127. *de C. Galba.* Rogatione Manilia (*Sillig.* Mamilia), Jugurthinæ conjurationis invidia oppressus est. *et mox* 34. 128. Invidiosa lege Manilia C. Galbam Gracchani judices sustulerunt. *Id. ibid.* 23. 89. Rogationem in Ser. Galbam privilegii similem ferente T. Libone trib. plebis. *Id. Sext.* 10. *extr.* Promulgare rogationem de re aliqua. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. *ad fin.* Rogationem perferre. *Id.* 1. *Att.* 14. *a med.* accipere. *h. e.* approbare. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. ad populum ferre. — *d*) Dicitur interdum *rogatio*, etiam postquam perlata est. *Lælius Felix* apud *Gell.* 15. 27. Quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius eam legem tulit, ut eo jure, quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Quid salubrius visum est rogatione illa Stolonis jugerum de numero præfinito? ¶ 2. Petitio, postulatio, preces, δέησις. — 1.°) Generatim. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. *ad fin.* Ego Curtium non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo. *Val. Max.* 6. 4. *n.* 4. Quum amici cujusdam injustæ rogationi resisteret. — 2.°) Speciatim — *a*) *Rogatio* dicitur etiam prensatio in comitiis, *broglio. Cic. Planc.* 10. 25. Rogatio ipsa semper est gratiosissima, quæ est officio necessitudinis conjuncta maxime. Neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus. *Id. paullo ante.* Appellavi populum, tribubus submisi me, et supplicavi; ultro pollicentes rogavi. — *b*) Item *Rogationes*, Italis quoque nunc *rogazioni*, appellatæ fuerunt triduanæ supplicationes, quæ segetum lustrationibus per Fratres Arvales triduo Romæ habitis suffectæ videntur, et tribus diebus JESU CHRISTI *Ascensionem* præcedentibus celebrari in Italia sunt cœptæ a Lazaro Mediolanensi archiepiscopo ann. CCCCXLI., et *minores* dein dictæ, ut ab iis distinguerentur, quas Gregorius I. Pont. Max. instituit (Cf. *Paul. Diac. de gest. Longob. l.* 3. *c.* 25.), mox autem invectæ etiam a Mamerto Viennensi in Gallia episcopo, ut constat ex *Sidon.* 5. *Ep.* 14. Quidquid illud est, quod vel otio vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, rogationum contemplatione revocabere. Quarum nobis solemnitatem primus Mamertus pater et pontifex invenit, instituit, invexit. Erant quidem prius vagæ, tepentes infrequentesque, et, ut sic dixerim, oscitabundæ supplicationes, quæ sæpe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ; in his autem jejunatur, oratur, psallitur, fletur. *Id.* 7. *Ep.* 1. *ad Mamertum.* Solo invectarum te auctore rogationum palpamur auxilio: quibus inchoandis instituendisque populus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certe non impari cœpit initiari. Ex his patet, *Sidonium* Augustonemeti, nunc *Clermont*, episcopum illas rogationes, Mamerto auctore, adoptasse; quas postea Leo III. Pont. Max., ann. DCCCI., Romæ celebrari jussit, unde per universam Catholicam Ecclesiam propagatæ sunt. Ceterum de *Rogationibus* vel suo tempore celebratis est mentio apud *Augustin. Serm.* 173. *de Temp.*

RŎGĀTĬŌNĀLIS, e, adject. ad rogationes pertinens. *Alcim. Homiliar. fragm. sub init.* Rogationalis observantia.

RŎGĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. ¶ 1. Est brevis rogatio, seu interrogatio, breve argumentum, interrogatiuncula. *V.* INTERROGATIO. *Cic.* 1. *Fin.* 11. *a med.* Chrysippus in hac est rogatiuncula delectatus: Num quidnam manus tua, etc.? ¶ 2. Item parva rogatio, seu lex. *Cic. Dom.* 20. 51. Eaque te ex una rogatiuncula fecisse.

RŎGĀTŎR, ōris, m. 3. ¶ 1. Est qui rogat, aut interrogat. — 1.°) Speciatim — *a*) Dicitur de eo, qui in lege ferenda rogat populum, aut legem proponit vel fert. *V.* ROGATIO et ROGO. *Lucilius* apud *Non. p.* 383. 14. *Merc.* Consilium patriæ, legumque oriundus rogator. — *b*) In comitiis ita dicebatur, qui iis præerat, et tribus de aliqua re rogabat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 10. Haruspices responderunt, non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus: itane vero? ego non justus, qui et consul rogavi, et augur, et auspicato? — *c*) Item qui nomen ejus, de quo comitia fiebant, renunciabat, et centuriam suffragium rogabat. Locum habuit primo, quum suffragia voce ferebantur; retentus est etiam post inductum tabellarum usum. *secretario dello scrutinio. Cic.* 2. *Divinat.* 35. *a med.* et 1. *ibid.* 17. *extr.* Quum haruspices Ti. Gracchus, propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem fuisse dixerunt. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset. is enim erat mortuus. *Id. in Senat.* 11. 28. Quando illa dignitate rogatores, diribitores custodesque vidistis? Adde *Pis.* 15. *ad fin.*, ubi de eadem re loquitur, h. e. de se ab exsilio revocando. (Cf. *Inscript. Orell.* 4109). — 2.°) Generatim. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Quamquam hæc epistola non suasoris est, sed rogatoris. ¶ 2. Item qui petit, qui postulat vel orat, αἰτητής. — Speciatim usurpatur, et est — *a*) Stipem petens, mendicus, *mendicante*, ἐπαίτης. *Martial.* 10. 5. Interque raucos ultimus rogatores Oret caninas panis improbi buccas. *Id.* 4. 30. Bajanos sedet ad lacus rogator. — *b*) Inter ministros scænæ etiam *rogatorem* fuisse, colligitur ex *Inscript.* apud *Murat.* 660. 3. et *Orell.* 2640. M. VIPSANIVS NARCISSVS ROGATOR AB SCAENA. Putatur autem fuisse is, qui vestes hinc inde rogando conquirebat, ad varios scænæ atque histrionum usus: et huc pertinere illud *Horat.* 1. *Ep.* 6. 40. chlamydes Lucullus, ut ajunt, Si posset centum scænæ præbere, rogatus, Qui possum tot? ait. tamen et quæram, et quot habebo, Mittam. post paullo scribit, sibi millia quinque Esse domi chlamydum: partem, vel tolleret omnes. Alia est *Inscript.* apud *eumd. Murat.* 898. 5., quæ vel eodem refertur: EROS AVG. L. ROGATOR LIVIA LESBIA., vel rogatorem comitiorum significat. Tres alias *Inscript.* affert *Ficoronius de person. scenic. c.* 56. (unde hæc sumpta sunt), in quibus *rogator* legitur.

RŎGĀTŪRA, æ, f. 1. rogatio, salutatio. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀσπασμός, rogatura.

RŎGĀTUS, a, um, particip. *V.* ROGO.

RŎGĀTUS, us, m. 4. *richiesta, preghiera*, δέησις, rogatio. *Cic.* 1. *Att.* 9. *extr.* Chilius te rogat, et ego ejus rogatu. *Id.* 1. *Nat. D.* 6. *ad*

fin. Quum ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem. *Id. Flacc.* 4. 10. Numquam nobis ad rogatum respondent. Adde *Amic.* 1. *a med.*, et 7. *Fam.* 1. *a med.*, et 13. *ibid.* 36., et *Nepot. Epamin.* 4.

RŎGĬTANS, antis, particip. *V.* ROGITO.

RŎGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus rogitandi. *Plaut. Curc.* 4. 2. 23. Rogitationes publicas propter vos populus scivit. *h. e.* leges rogavit.

RŎGĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RŎGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a *rogo*. Particip. *Rogitans* 1. *b.* et *c.*; *Rogitatus* 1. *b.* et 2. *b.* — Rogito ¶ 1. Est idem ac sæpe rogo, quæro, sciscitor, *dimandare spesso, interrogare.* — *a*) Absolute. *Ter. Eun.* 3. 5. 5. Neminem ne intervenire nunc mihi, qui rogitando obtundat, enecet? *Id. Andr.* 1. 1. 56. Observabam illorum servulos venientes aut abeuntes: rogitabam, heus, puer, etc. *Plaut. Epid.* 2. 2. 16. Rogitando sum raucus factus. — *b*) Cum Accusativo. *Virg.* 1. *Æn.* 750. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. — Passive *Cic. nov. fragm. orat. pro Scauro* ed. ab *A. Maio p.* 11. Consensio late facta compromisso Sardorum et conjuratione rogitata. — *c*) Cum regimine *Liv.* 5. 40. Muliebris fletus nunc hos nunc illos sequentium rogitantiumque, cui se fato darent. ¶ 2. Adhibetur etiam pro simplici *rogo*, sine ulla frequentiæ significatione, et est — *a*) Interrogo, quæro, absolute aut cum regimine. *Plaut. Cas.* 3. 3. 8. Rogitare oportet prius. et percontarier. *Id. Merc.* 3. 4. 48. Requireres, rogitares, quis esset, aut unde esset. *Id. Aul.* 2. 8. 3. Venio ad macellum, rogito pisces: indicant caros. *h. e.* quæro, quanti væneant pisces. *Ter. Adelph.* 4. 1. 11. Rogitavit me, ubi fuerim. *Id. Heaut.* 5. 1. 70. Illum rogitato, quamobrem id faciam. *Plaut. Curc.* 5. 2. 3. Rogita, unde istunc habeat annulum. — *Rogitas?* frequentissima apud comicos formula, in eum, qui aut scit, aut scire debet, et tamen rogat. *Ter. Eun.* 4. 4. 8. Ubi est? PHÆ. rogitas? non vides? *Id. Heaut.* 4. 1. 18. Perii! quid ego feci? CHRE. rogitas? Adde *Plaut. Aulul.* 2. 5. 13. *et* 4. 4. 7. etc. Sic *id. ibid.* 6. Verberabilissime, etiam rogitas? Adde 3. 2. 10. *et* 23. etc. — *b*) Item precor, peto. *Ter. Eun.* 2. 2. 35. Sed ego cesso ad Thaidem hanc deducere, et rogitare, ad cœnam ut veniat? *At* Fleckeisen. *leg.* rogare. *Sall. Cat.* 31. Mulieres adflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere, rogitare. — Particip. neutr. gen. absolute *Ennius p.* 128. 8. *Vahlen.* Præter rogitatum si querare. *ubi* Müller. *leg.* præter rogitatum sile!

RŎGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Rogassit, rogassint* antique pro *rogaverit, rogaverint*; et *rogaro* syncop. pro *rogavero* apud *Cic. loc. infr. cit.*; item *rogarier* pro *rogari* apud *Cic. Cæcin.* 33. 95. — Ratione habita etymi, deducitur hæc vox a them. Sanskr. *arg* et Græc. ὀργ, unde ὀρέγω, porrigo, tendo, pervenio ad aliquid, appeto. — Particip. *Rogans* II. 1. et 2.; *Rogatus* fere in omn. paragr.; *Rogaturus* II. 1. 1.° *b.*; *Rogandus* II. 1. 2.° *d.* — Rogo est igitur, universim, tendo ad aliquid, eo ad aliquid assequendum vel obtinendum, aut capiendum. Cf. PETO.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 3. 73. Aquam hinc de proximo rogabo. *andrò a pigliar acqua. Cic.* 4. *Herenn.* 6. 9. Non ut si quis purpuram aut aliud quippiam vendens dicat, Sume a me; sed hujus exemplum aliunde rogabo, tibique ostendam. Si merces ipsi qui venditant, aliunde exemplum quæritent etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Est quæro, percontor, sciscitor, sciendi causa interrogo, peto. — 1.°) Generatim. — *a*) Cum Accusativo personæ. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 15. te rogo. *Ter. Andr.* 4. 4. 10. quem igitur rogem? *Cic.* 5. *Fam.* 27. Stoicos roga. — *b*) Cum Accusativo rei. *Ter. Andr.* 4. 4. 24. DA. Cujum puerum hic apposuisti? dic mihi. MY. Tu nescis? DA. mitte id quod scio: dic quod rogo. *Plaut. Asin.* 3. 2. 32. hoc quod rogo, responde. Adde *Curc.* 2. 1. 30. *Ovid.* 1. *Art. am.* 223. Omnia responde: nec tantum si qua rogabit. *Sueton. Cæs.* 82. Quasi aliquid rogaturus propius accessit. *Id. Most.* 2. 1. 131. dicisne hoc, quod te rogo? Cf. *Cic. Flacc.* 4. 10. — *c*) Cum Accus. personæ et rei. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 24. quin tu id me rogas? *Id. Epid.* 1. 1. 49. haud istuc te rogo. *Cic.* 5. *Fam.* 27. Quid me istud rogas? *Plaut. Amph.* 2. 2. 76. Alcumena, unum rogare te volo. *Phædr.* 4. 18. Rogare aliquem causam alicujus rei. — Passive *Ovid. Heroid.* 1. 60. multa rogatus abit. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *de. Plaut. Pers.* 4. 4. 90. Jam de istoc rogare omitte. non vides nolle eloqui? *Cic. Vatin.* 4. *extr.* Tum responderet ad ea, quæ de te ipso rogaro. *Id.* 6. *Verr.* 8. 17. Rogatus de cybea, tenetis memoria, quid responderit. — *e*) Sequente relativo. — α) Cum interrogatione obliqua. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 383. 9. *Merc.* Roga ipsum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim. *Ter. Eun.* 2. 3. 49. Rogo, numquid velit. *Id. Andr.* 1. 1. 96. Quæ sit, rogo. *Plaut. Curc.* 2. 3. 83. Rogant me servi, quo eam? *Varro* 8. *L. L.* 33. *Müll.* Rogant, cur malimus habere lectos ex ebore etc. *Cic.* 6. *Verr.* 12. 27. Rogavi, pervenissentne Agrigentum: dixit, pervenisse. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 11. quid verum atque decens, curo et rogo. *Martial.* 4. 90. Rure morans quid agam, respondeo pauca rogatus. — β) Cum interrog. directa. *Ter. Eun.* 3. 3. 5. Roget quis: quid tibi eum ea? *dirà alcuno:* dicet aliquis. — *f*) Absolute. *Plaut. Merc.* 3. 1. 17. roganti respondebo. *Ter. Phorm.* 4. 4. 3. Eho! verbero! aliud mihi respondes ac rogo? — *Rogas?* et *etiam rogas?* est increpantis eum, qui de re interrogat, quam scit, aut scire debet. *Ter. Andr.* 1. 1. 134. SI. Quem ego credo—obnixe omnia Facturum, mihi ut incommodet. SO. quapropter? SI rogas? Mala mens, malus animus. *et* 4. 4. 23. quid vis? DA. an etiam rogas? Adde *Eun.* 2. 3. 34. et *Phorm.* 5. 7. 22. et alibi, et *Plaut.* plurimis in locis. *v. gr. Amph.* 2. 1. 21. Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me? — *Rogas?* sine increpatione, *vuoi tu saperlo? Cic. Mil.* 22. 59. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 17. quid negotii sit, rogas? Pumex non æque est aridus atque hic est senex. *Id. Bacch.* 4. 9. 56. Quod te misi, ecquid egisti? CHRY. rogas? congredere. — *Si roges*, si quæris. *Ovid.* 13. *Met.* 823. Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint. — 2.°) Speciatim — *a*) *Rogare* dicitur, qui stipulatur. interrogat enim alterum, utrum dare, aut facere quippiam velit. *Ulp. Dig.* 2. 14. 7. *a med.* In novissima parte pactorum ita solet inseri: Rogavit Titius: respondit Mævius. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 112. *et* 4. 6. 8. Roga me viginti minas: Roga, obsecro hercle. gestio promittere. *Id. Bacch.* 4. 8. 37. Tu aurum rogato. — *b*) *Rogare aliquem sententiam*, interrogare, quæ sit alicujus aliqua de re sententia, *dimandare il parere:* et locum habet præcipue in senatu: ordo autem rogandi sententias, inquit *Gell.* 4. 10., varius fuit; alias enim primus rogabatur qui a censoribus princeps in Senatu lectus fuerat, alias, qui designati consules erant: quidam e consulibus studio aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant: observatum tamen est quum extra ordinem fieret, nequis quemquam ex alio, quam ex consulari loco, sententiam primum rogaret. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. *a med.* Racilius de privatis me primum sententiam rogavit. *Id.* 1. *Att.* 13. Scito, me non esse rogatum sententiam. et *Atejus Capito* apud *Gell.* 4. 10. Senator sententiam rogatus. *Sall. Cat.* 50. *extr.* Cæsar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, hujuscemodi verba locutus est. Absolute *Cic.* 4. *Fam.* 4. Quum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, ego rogatus mutavi meum consilium. — *c*) *Rogare legem, rogare populum, plebem, aliquid*, aut *rogare* absolute, est ferre legem, *portare una legge, proporre al popolo una legge. V.* ROGATIO, ubi etiam de formula *uti rogas* dictum est. *Festus p.* 282. 28. *Merc.* Rogat, est consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat. unde nos quoque in consuetudine habemus pro petere, et orare. Cato in dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur: ait: hoc potius agam, quod hic rogat. *Vetus formula initio legum perscribendarum*, apud *Frontin. Aquæd.* 129. et *Cic.* 1. *Phil.* 10. 26. Consules populum jure rogaverunt populusque jure scivit. *Id.* 2. *ibid.* 29. 72. Ego leges perniciosas rogavi. Adde *eumd.* 3. *de republ.* 10. 17. *Id.* 3. *Legg.* 3. *ad fin.* Quod tribuni plebem rogassint, ratum esto. Cf. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. Penes consules summum jus uti esset lege rogatum est. *Cic. Flacc.* 13. 30. Nonne eo ipso tempore, quum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum et inferum sestertium ter et quadragies rogabamus? (*Sillig.* leg. *erogabamus*) h. e. legem ferebamus, qua lege illa pecuniæ summa in classem, ad mare superum inferumque tuendum, impenderetur. Sic *Sall. Jug.* 76. *sub fin.* Populus a tribuno plebis rogatus, quem vellet cum Jugurtha bellum gerere, frequens Marium jussit. *et Plaut. Curc.* 4. 2. 23. Rogitationes plurimas propter vos populus scivit, quas vos rogatas rumpitis. *et Cic. Sext.* 24. Puncto temporis eodem mihi reique publicæ pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est. *Quintil.* 2. 4. 40. Quæ non in perpetuum rogentur. *Liv.* 10. 8. Ego hanc legem, uti rogas, jubendam censeo. *Id.* 4. 2. Nunc rogavi, ut populus consules creet. *Cic.* 2. *de republ.* 17. *init.* Mortuo rege Pompilio, Tullum Hostilium populus regem, interrege rogante, comitiis curiatis creavit. — *d*) *Rogare magistratum*, creare, seu interrogare populum, velitne, ac jubeat aliquem in magistratu esse. *Liv.* 3. 65. Ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 33. Comitia consulibus rogandis habuit. *Id.* 9. *Att.* 9. *a med.* Majus imperium a minore rogari, non est jus: prætores quum ita rogentur, ut etc. *Id.* 3. *Legg.* 4. 10. Tribunis, quos sibi plebes rogassit, jus est cum patribus agendi. Adde *Liv.* 6. 42. *extr.* — *e*) *Rogare milites sacramento* est milites facere, et citatos sacramento obligare, ad sacramentum vocare. *Id.* 35. 2. C. Flaminius vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. Milites, quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogavisset, ad signa convenire jubet. *Quintil.* 12. 2. 20. Qui velut sacramento rogati, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. Adde *Liv.* 34. 26. — *f*) *Rogare testes* in Jure dicitur de iis, qui certiores facti, qua de re testes futuri sint, interrogantur, an velint adesse, necne, quique idcirco dicuntur *testes rogati*, παρακληθέντες μάρτυρες. *Ulp. Dig.* 28. 1. 21. *a med.* In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat; alterius rei causa forte rogatos ad testandum non esse idoneos placet. *Pompon. ibid.* 22. 5. 11. Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. Sic *Plin.* 1. *Ep.* 9. Ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit. ¶ 2. Item *rogare* est precibus petere, orare, quærere, *pregare, dimandare pregando*, δέομαι: quia preces fere per quamdam interrogationem et postulationem concipiuntur: et finitima sunt rogare sciendi causa, et habendi: et præterea qui preces adhibet, sciscitatur animum ejus, a quo quippiam exspectat. — 1.°) Generatim. — *a*) Cum Accusativo personæ et rei. *Plaut. Pers.* 1. 1. 40. Quod tu me rogas. *Cic.* 13. *Fam.* 43. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. *Horat.* 2. *Od.* 16. 1. Rogare otium divos. *Seneca Ep.* 10. nihil deum. *Martial.* 4. 77. divitias deos. — *b*) Cum Accusativo personæ et cum Ablativo rei et præp. *de. Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Taurum de aqua per fundum ejus ducenda rogabo — Absolute sine Accus. *Id.* 4. *Fam.* 4. Dixit se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. — *c*) Cum Accusat. personæ vel rei tantum. *Nepos Thrasib. sub fin.* Nolite, rogo vos, mihi dare, quod multi invident. *Sall. Jug.* 77. Romam miserant amicitiam societatemque rogatum. *Quintil.* 10. 1. 50. Priami rogantis Achillem preces. — Passive. *Cic.* 1. *B. G.* 44. Transisse se Rhenum non sua sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 20. Sæpe time insidias, sæpe rogata nega. *Id.* 1. *Art. am.*

345. quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ. *Id.* 4. *Fast.* 150. Fortuna hoc, parvo ture rogata, facit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 97. causâque meâ permulta rogatus Fecit. *et* 2. *ibid.* 4. 88. per amicitiam divosque rogatus. Rursus *Ovid. Ib.* 643. Pauca quidem, fateor; sed dii dent plura rogatis. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Rogare auxilium. *Cic.* 2. *Phil.* 30. 76. consulatum. *Id. Amic.* 12. 40. Neque rogemus res turpes nec faciamus rogati. — *d*) Cum Accus. rei, et cum Ablat. personæ et præp. *ab. Sall. Jug.* 64. Marius ab Metello petundi gratia missionem rogat. *Plaut. Trin.* 3. 3. 29. Interim Ab amico aliunde argentum roges. — *e*) Cum Ablat. et præpos. *pro. Sueton. Aug.* 13. Patrem et filium pro vita rogantes jussit, etc. *Lactant. de mort. persecut.* 17. Ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur. *Petron. Sat.* 39. Servus, pro quo rogaveramus. — *f*) Cum Conjunctivo et partic. *ut* vel *ne,* aut cum Conjunct. tantum. *Cic.* 3. *Verr.* 49. 72. Rogat et orat Dolabellam, ut de sua provinciá decedat. Sic 13. *Fam.* 66. *extr.* Etiam atque etiam te rogo atque oro, ut etc. *Plaut. Men.* 5. 9. 92. rogo – mihi ut præconium detis. *et Stich.* 1. 3. 93. Rogare jussit – mecum ut ires ad se domum. *et Cæs.* 1. *B. G.* 7. Rogare, ut ejus voluntate id sibi facere liceat. *Lucan.* 4. 735. Rogatus, ut metuat. *Sueton. Ner.* 22. *sub fin.* Rogatus, ut cantaret. *Ovid.* 4. *Met.* 154. Hoc tamen amborum verbis estote rogati, Ut etc. — *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Rogat, finem orandi faciat. *Marcell. Dig.* 36. 1. 44. *ante med.* In ejusmodi quæstione rogo, respondeas, an etc. *Quintil.* 6. 3. 88. Rogo, des mihi surculum. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 4. Sed tantum, tentes dissimulare, rogat. — *Ter. Adelph.* 5. 5. 1. Heus Demea, rogat te frater, ne abeas longius. *Cic.* 13. *Fam.* 1. Rogo, ne quid invitus mea causa facias. *Propert.* 3. 12. 4. ne faceres, Galla multa rogante tua. — *g*) Sequente Infinito. *Catull.* 35. 10. roget (*eum*) morari. *Justin.* 1. 4. 9. Summis precibus roget sibi perferri ostendique puerum. *Gell.* 2. 29. *a med.* Cognati et affines operam quam dare rogati sunt, supersedent. — *h*) Absolute. *Cic. Planc.* 10. 25. Neque ego sic rogabam, ut petere viderer. *Quintil.* 11. 3. 63. In blandiendo, rogando lenis et summissa vox. *Ovid. Heroid.* 20. 33. En iterum scribo, mittoque rogantia verba. *Id.* 1. *Art. am.* 442. Flectitur iratus voce rogante Deus. *Id.* 6. *Fast.* 70. Blandior, et partes pæne rogantis ago. — 2.°) Speciatim. — *a*) Rogare est utendum petere, aut etiam arcessere. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 18. Quæ utenda vasa semper vicini rogant, fures venisse, atque abstulisse dicito. *Sempron. Asellio* apud *Gell.* 13. 21. *extr.* Crepidarium cultellum rogavit a crepidario sutore. *Jabolen. Dig.* 18. 6. 16. Servi emptor, si eum conductum rogavit, donec pretium solverit, etc. *Ulp. ibid.* 22. 1. 21. Rogare fidejussores. *h. e.* precibus arcessere: *trovare, far venire.* Hoc sensu *Lamprid. Elagab.* 4. Ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari jussit. *fè invitare. et Alex. Sev.* 48. Quum quidam senator rebellare voluisset, ad Palatium eum rogavit, eique gratias egit, quod curam reipubl. reciperet. *lo pregò, lo fè venire.* Adde *eumd. Elagab.* 28., *Plin.* 1. *Ep.* 9. et *Justin.* 43. 3. 10. — *b*) Est etiam in comitiis aliorum suffragia prensando petere. *V.* ROGATIO. — *c*) *Precario rogare* apud *Cic.* 7. *Verr.* 23. 59. dicitur is, qui ab eo aliquid petit, a quo nihil postulare jure potest, sed spem obtinendi in solis precibus ponit. Non enim precario, sed jure suo rogat, qui vel ex conventione, et pacto, vel ex fœdere quippiam petit: v. gr. Romanus magistratus a civitatibus sociorum. — *Malo emere, quam rogare,* proverb. apud *eumd.* 6. *ibid.* 6. *extr.* de iis, qui ægre ad preces descendunt, maluntque vel magno quippiam emere, quam rogando se submittere. Molestum enim verbum est, ut ait *Seneca* 2. *Benef.* 2., onerosum, et demisso vultu dicendum, rogo. Posset etiam usurpari, quum res vilissimo pretio emuntur: quia tunc maxime præstat emere, quam precario habere. — *Rogatus* nom. pr. *V.* in ONOM.

Homonym. *Rogare* minus est, *orare* plus: hinc *Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. 3. *Rogare* ut hominem, *orare* ut deos. Sic *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 3. 4. 26. Plus facit obsecrans, quam orans; plus vero *orans,* quam *rogans.* Distinguit etiam *Cic.* inter *petere* et *rogare,* 2. *Phil.* 30. 76. Qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares: is per municipia coloniasque Galliæ, a qua nos tum, quum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus etc. *Cellar.* ad hunc loc. *Petitur,* tamquam in præmium virtutis, *rogatur* precario et gratia concedi. Quamquam *Cic.* ipse *petere* et *rogare* pro synonymis ponere videtur, 2. *Fam.* 6. Grave est homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petat, exigere magis quam rogare, et in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur.

RŎGUM, i, n. *et*

RŎGUS, i, m. 2. *Rogum* neutr. gen. est *Afran.* apud *Non. p.* 221. 23. *Merc.* Pulcre hoc incendi rogum. — Deducenda videtur hæc vox ab eodem them. ac *rogo,* vel *regō,* unde *erigo, arrigo,* et conjungenda cum Sanskr. *rgus,* rectus, erectus. — Rogus est strues lignorum, in qua imposita cadavera cremantur pyra (*V.* PYRA.), πυρά (It. *pira, rogo;* Fr. *bûcher funèbre;* Hisp. *hoguera;* Germ. *Scheiterhaufen;* Angl. *a funeral pile, funeral pyre*).

I.) Proprie. *Sueton. reliq. p.* 318. 20. *Roth.* Pyra sacrificiis, rogus defunctis. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85. Metellum multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum imposuerunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 35. 84. In suo lectulo mortuus, in rogum illatus est. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (34). Eutychis a viginti liberis rogo illata. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 47. Ad mortem proficiscens, quum ascenderet in rogum ardentem, etc. *Id.* 3. *Fin.* 22. *extr.* et *Liv.* 25. 17. Rogum exstruere. Adde *Gran. Licinian. fragm.* 7. *Pertz. Lex XII. Tab.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. Rogum ascia ne polito. et eadem apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 12. 14. (88). vino ne respargito. (Sed cf. *Virg.* 6. *Æn.* 227. et *Stat.* 2. *Silv.* 92.) *Id.* 8. *ibid.* 40. 61. (143). accendere. *Id.* 7. *ibid.* 44. 45. (146). Portari in rogum. *et ibid.* 52. 53. (173). Aviola consularis in rogo revixit: et quoniam subveniri non potuerat, prævalente flamma, vivus crematus est. *Id. ibid.* C. Ælium Tuberonem a rogo relatum plerique tradunt. Adde 26. *ibid.* 3. 8. (15). *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 28. Diffugiunt avidos carmina sola rogos. *h. e.* mortem.

II.) Metonymice *rogus* est idem ac sepulcrum. *Propert.* 4. 11. 8. Obserat herbosos lurida porta rogos. *Inscript.* apud *Don. cl.* 5. *n.* 189. HIC COLLEGIO SVO CENTONARIORUM LEGAVIT HS CC, EX CVIVS REDITV QVOTANNIS DIE PARENTALIVM NE MINVS HOMINES XII. AD ROGVM SVVM VESCERENTUR.

RŌMĀNĒ, adverb. Romano more. *Gell.* 13. 21. Hæc, me audiente, Castricius Romane et severe dixit. *h. e.* graviter, et ut Romanum civem decet.

RŌMĀNĬTAS, ātis, f. 3. mores et instituta Romanorum. *Tertull. Pall.* 4.

ROMPHÆA. *V.* RHOMPHÆA.

ROMPHUS. *V.* RUMPUS.

RONCHĬSŎNUS, a, um, adject. qui stertendo sonum edit, qui stertit. *Sidon.* 3. *Carm.* 8.

RONCHUS. *V.* RHONCHUS.

RONCĪNĬUS. *V.* RUNCINIUS.

ROPĬO, ōnis, f. 3. fortasse idem ac mullus barbatus. *Mar. Plot.* (*M. Claud.*) *Sacerd.* 1. *art. gramm. p.* 462. 2. *Keil.* Ropio est aut minium aut piscis robeus, aut penis; unde apud *Catull.* 37. 10. Frontem tabernæ scorpionibus scribam. *ubi alii leg.* ropionibus, *alii vero* sopionibus.

RŌRĀLIS, e, adject. rorans, roratus, in modum roris sparsus. *Ovid.* 3. *Fast.* 728. Virgaque rorales aurea misit aquas. Plerique alii leg. *roratas:* quidam *rorantes.*

RŌRANS, antis, particip. *V.* RORO.

RŌRĀRĬĪ, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

RŌRĀRĬUS, a, um, adject. ad rorarium seu rorarios pertinens. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 267. 2. *Müll.* Rorarium vinum, quod rorariis dabatur. — Hinc

Rorarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more. apud *Lucil. p.* 30. 9. *Müll.* Quinque hastæ, aureolo cinctu rorariu' veles. *et p.* 55. 5. *Müll.* Pone paludatos stabat rorariu' velox. — Usurpatur fere plur. num.

Rorarii, ōrum, m. 2. iidem ac velites, expediti, idest milites levis armaturæ, qui, antequam acies congrederentur, fundis et lapidibus pugnæ præludebant: ita dicti a *rore,* vel a *rorando,* quia sicut ros pluviam præcedit, ita hi aciem præcedebant, et pugnabant, antequam justum et verum prœlium inciperetur. *Varro* 7. *L. L.* 58. *Müll.* Rorarii dicti ab rore, qui bellum committebant ante: ideo quod ante rorat, quam pluit. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 264. 8. *Müll.* Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi prœlium committebant, quod, ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi, ante gravem armaturam quod prodibant, rorarii dicti. *Nonius p.* 552. 31. *Merc.* Rorarii appellabantur milites, qui antequam congressæ essent acies, primo non multis jaculis inibant prœlium, tractum quod ante maximas pluvias cælum rorare incipiat. *Plaut.* apud. *Varron. loc. cit.* Ubi rorarii estis? en sunt. Ubi sunt accensi? ecce. At *Liv.* 8. 8. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum. eo et in postremam aciem rejiciebantur. *et ibid.* 9. *sub fin.* Nam et rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus. Ex his itaque *Livii* locis apparet, *rorarios* non ante hastatos aut principes, sed post triarios in acie locum habuisse: procurrisse autem, ubi res posceret, et ad committendam pugnam, et ad opem laborantibus opportune ferendam. Ita *Forcellinus.* Hinc videtur pugnæ præludendi officium proprie fuisse ferentariorum, qui, ut ait *Veget.* 1. *Milit.* 20., præcipue in cornibus locabantur, et e quibus pugnandi sumebatur exordium. quum rorarii medium inter triarios et accensos locum tenerent, et scutis defensi, a ferentariis, qui missilibus tantum armis erant instructi, distinguerentur.

RŌRĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

RŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. roris casus, *il cader della rugiada,* ψεκασμός.

I.) Proprie. *Apul.* 9. *Met.* Assiduis pluviis nocturnisque rorationibus, sub dio, et intecto conclusus stabulo, continuo discruciabar frigore.

II.) Translate. ¶ 1. Est morbus vitium, quoties uva deflorescente ros frigidior acinos infestat, nunc enim hi decidunt. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (6). Siderationis genus est in his deflorescentibus roratio. *Id.* 18. *ibid.* 29. 69. (3) docet, ad hunc morbum averruncandum instituta fuisse Floralia, IV. cal. Maji. ¶ 2. Item decidens guttatim aqua in horologio aquatili. *Cassiod.* 1. *Variar.* 45. Prædicabilis indefecta roratio.

RŌRĀTUS, a, um, particip. *V.* RORO.

RŌRESCO, is, ere, n. inchoat. 3. roris instar diffluere incipio. *Ovid.* 15. *Met.* 245. resolutaque tellus In liquidas rorescit aquas. *Alii leg.* rarescit. *at* rorescit *defendit* Lemaire.

RŌRĬDUS, a, um, adject. (ros) roscidus, humidus, aquis madens. *Propert.* 4. 4. 45. Tu cave spinosi rorida terga jugi. *Id.* 2. 23. 28. Rorida muscosis antra tenere jugis. *Alii leg. utroque loco* roscida, *vel* rosida. *Apul.* 4. *Met.* An ignoras, hoc genus bestiæ locos consitos, et specus roridos, et colles frigidos semper incubare?

RŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. rorem ferens, *rugiadoso,* δροσοβόλος, δροσοφόρος. *Lucret.* 6. 864. roriferis terram nox obruit umbris. *Seneca Hippol.* 10. qua prata jacent, quæ rorifera mulcens aura Zephyrus vernas evocat herbas. *Stat.* 1. *Theb.* 337. Titanis late mundo subvecta silenti Rorifera gelidum tenuaverat aera biga.

RŌRĬFLŬUS, a, um, adject. rore fluens. *Sisebut.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 327. *Burmann.* Quin mage pernices aquilas vis pigra elephantum Præcurret, volucremque pigens testudo molossum, quam nos rorifluam sectemur carmine lunam. *h. e.* quæ rorem in terras demittit. De *Sisebuto* hujus carminis auctore *V.* in LEGICREPA.

RŌRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. rorem gerens, rorifer. *Fulgent.* 1. *Mythol. de nocte.* Cærula rorigeris pigrescere jusserat alis.

RŎRO, as, āvi, ātum, are, 1. (ros). Prima persona præsentis vix est in usu, inquit *Diomed.* 1. *p.* 375. *Putsch.* — Particip. *Rorans* sub *A.* I. *a.* et II. et *B.* II.; *Roratus* sub *B.* I. et II. — Rorare est verbum *A*) Neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrum *rorare* est rorem, vel tenuem pluviam roris instar fundere.

I.) Proprie adhibetur — *a*) Personaliter. *Ovid.* 3. *Fast.* 403. quum rorare Tithonia conjux Cœperit. *Id.* 13. *Met.* 622. dat lacrimas et toto rorat in orbe. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (74). Periculum eo tantum die est, si roraverit quantulumcumque imbrem. — Item Particip. præs. *Rorans* apud *Stat.* 2. *Theb.* 136. Impulerat cælo gelidas Aurora tenebras, Rorantes excussa comas. *Manil.* 2. 53. Integra quæramus rorantes prata per herbas. — *b*) Sæpius impersonaliter, ut *pluit, tonat. Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Idib. Octobris, et sequenti biduo interdum tempestas, nonnumquam rorat. *Sueton. Aug.* 92. Si ingrediente se longinquam profectionem, forte rorasset. *Varro* 7. *L. L.* 58. *Müll.* Rorarii dicti a rore, qui bellum committebant ante: ideo quod ante rorat, quam pluit. *h. e.* minutæ guttulæ cadunt. *piovigginа.* — Adde *Fest. Paul. Diac.* ex *p.* 264. 8. *Müll.* (*V.* RORARII) et *Varron.* apud *Non. p.* 553. 6. *Merc.*

II.) Improprie dicitur de quocumque humore in modum roris destillante: et de quacumque re, humore quolibet aspersa, eumque roris instar demittente, *gocciolare a guisa di rugiada*, δροσίζω, ψεκάζω. *Virg.* 8. *Æn.* 644. Raptabatque viri mendacis viscera Tullus Per silvam: et sparsi rorabant sanguine vepres. *Propert.* 4. 1. 123. Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo. *Ovid.* 3. *Met.* 683. *de delphinis.* Undique dant saltus, multaque aspergine rorant. et 1. *ibid.* 266. *de Noto.* Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis, Fronte sedent nebulæ, rorant pennæque sinusque. *Sil. It.* 4. 447. rorantia (*sanguine*) consulis ora. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 383. Rorabant querceta favis. *Val. Flacc.* 5. 415. densæque sequuntur Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes. *Apul.* 5. *Met.* Pollicem nixu fortiore pupugit altius, ut per summam cutem roraverit parvulæ sanguinis rosci guttæ. — Hinc Particip. *Rorans*, idem ac madens et manans, stillans, roscidus, *stillante, colante, gocciolante, molle.* Usurpatur autem — *a*) Adjecto casu. *Ovid.* 3. *Met.* 177. rorantia fontibus antra. *Stat.* 5. *Theb.* 406. cana rorans aspergine ponti Tyndarides. *Virg. Cul.* 75. rorantes lacte capellæ. *Quintil. declam.* 4. 8. Rorantia hostili cruore arma. *Lucan.* 7. 163. Romana signa rorantia fletu. *Sil. It.* 7. 180. irriguis citus extulit hortis Rorantes humore dapes. *h. e.* olera recentia: vel potius, ut ait *Virg.* 8. *Ecl.* 37. roscida mala. *Colum.* 10. *R. R.* 267. Antraque Castaliis semper rorantia guttis. *Martial.* 7. 37. Exprimeret quoties rorantem frigore nasum. *Apul.* 2. *Met.* Venus cinnama fragrans, et balsama rorans. *accusativus Græcus.* — *b*) Absolute. *Virg.* 3. *Æn.* 567. Per spumam illisam, et rorantia vidimus astra. *Ovid.* 4. *Fast.* 141. Litore siccabat rorantes nuda capillos. *Lucan.* 2. 123. Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Imposuit. *h. e.* caput abscissum, venis sanguine manantibus. *Manil.* 5. 482. rorans juvenis. *h. e.* Ganymedes, qui in cælum translatus, est ibi signum Aquarii.

B) Activum

1.°) *Rorare* est rore vel tenui pluvia perfundere seu madefacere, irrorare, spargere, *irrugiadare, bagnare di rugiada, bagnare, spargere*, δροσίζω.

I.) Proprie. *Ovid.* 3. *Fast.* 357. Mollis erat tellus rorata mane pruina. Alii leg. *rorataque*, ut ad *tellus* referatur. *Id.* 4. *Met.* 478. Læta redit Juno: quam cælum intrare parantem Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris. Adde 4. *Fast.* 728. *Auct. Pervigil. Ven.* 20. Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus.

II.) Improprie. *Lucret.* 3. 470. lacrimis rorantes ora genasque. *Sil. It.* 10. 263. Quum videt in scopulo rorantem saxa cruore, Torvoque obtutu labentem in Tartara Paulum. *Ovid. Heroid.* 15. 97. Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis. *Manil.* 5. 563. Extulit et liquido Nereis ab æquore vultum, Et casus miserata tuos roravit et undas. *h. e.* lacrimis aspersit. — Eleganter *Cic. Senect.* 14. 46. Me vero et magisteria delectant, et pocula, sicut in Symposio Xenophontis, minuta atque rorantia. *il bere poco e spesso.* Hic *rorantia* active sumitur, *h. e.* leviter et paullatim madefacientia, quia locus *Xenophontis* sic habet, *in Sympos. c.* 2. *sub fin.*: Ἢ δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν, οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' etc. — Hinc translate *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. Exercebo Disarium nostrum, si tamen minutis illis suis, et rorantibus responsionibus satisfaciet consulenti. Apud *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 36. Saxaque roratis erubuisse rosis. (*Alii leg.* jactatis.) *h. e.* manu a populo sparsis. alii *roratis* proprie accipiunt pro *rore aspersis et recentibus.*

2.°) *Rorare* est rore marino condire, ut Roratum vinum, quod legitur in lemmate cod. Vindob. *Colum.* 12. *R. R.* 36., teste *Schneidero* in *Ind. Scriptor. R. R.*

RŌRŬLENTUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

RŌRŬLENTUS, a, um, adject. *rugiadoso, guazzoso*, δροσόεις, ἑρσήεις, rore plenus, roscidus, pruinosus. *Cato R. R.* 37. Caveto, ne quam materiam doles, neu cædas, neu tangas, si potes, nisi siccam, neu gelidam, neu rorulentam. *Accius* apud *Non. p.* 395. 24. *Merc.* Ut rorulentas terras ferro fidas proscindant. *Colum.* 12. *R. R.* 38. *a med.* Ne baccæ rorulentæ legantur, cavendum. *Id.* 5. *ibid.* 6. *circa med.* Rorulentæ vites. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (315). Rorulenta uva. *Id.* 12. *ibid.* 17. 37. (74). Pastibus matutinis, quum eat rorulenta Cypros. — Hinc

Rorulentum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est terra irrorata, rore plena. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (330). Quum æstate pasces, in occidentem specta ante meridiem, post meridiem in orientem; aliter noxium, sicut hieme et vere in rorulentum ducere.

ROS, rōris, m. 3. a voce Græca δρόσος, littera δ extrita; cf. Sanskr. *dru*, fluere, stillare; vel, ut addit *Forcellinus*, a πρώξ, πρωκός, gutta, stillicidium: huic tamen notationi præcipue obstare videtur finalis littera thematis Græc. κ, cum *s* vel *r* them. Latin. non facile permutanda, neque extenenda; vel potius a Sanskr. *varshas*, pluere, unde *rasas*, sucus, aqua: cf. Græc. ἔρση. — Ceterum ros duo diversa significat; scil.

A) Ros est humor cælo defluens noctu, quum sudum est, et omnis aura quiescit, vel humor, quem, ut ait *Colum.* 12. *R. R.* 15. 1. noctibus remittit humus: qui si gelu concrescat, est pruina, δρόσος, ἔρση, ψεκάς (It. *rugiada, guazza*; Fr. *rosée*; Hisp. *rocio, rociada*; Germ. *der Thau*; Angl. *dew*).

I.) Proprie. — *a*) Singul. num. *Plaut. Capt.* 1. 1. 13. *de cochleis.* Suo sibi suco vivunt, ros si non cadit. Sic *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (3). Quum ros cecidisset. *Lucret.* 2. 319. herbæ gemmantes rore recenti. *Virg.* 8. *Ecl.* 15. (et 3. *G.* 326.) Quum ros in tenera pecori gratissimus herba est. *Ovid.* 3. *Fast.* 880. ubi — Canuerint herbæ rore recente. et 1. *ibid.* 312. Sparsaque cælesti rore madebit humus. *Id.* 1. *Amor.* 6. 55. vitreoque madentia rore Tempora noctis eunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (315). Uvam ne legito prius quam ros a sole discutiatur. *Id.* 20. *ibid.* 18. 76. (198). Quum ros in papavere exaruerit. — *b*) Plur. num. *Cic.* in *Arat.* 1. *Divin.* 8. *extr.* Quum primum gelidos rores aurora remittit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (5). Neque in nube, neque in flatu cadunt rores. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (5). Scabies gignitur roribus lentis. nam si rariores fuere, etc. *Id.* 16. *ibid.* 26. 46. (109). Punica roribus nimiis, et pruinis florem amittit. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 3. Quod inter aquam et rores interest. *Augustin.* 16. *Civit. D.* 32. *de Isaac.* De rore cæli, hoc est de verborum pluvia divinorum.

II.) Improprie. ¶ 1. Poetice dicitur de aqua. *Lucret.* 1. 769. ignis terræque coire Corpus, et aerias auras, roremque liquoris. et *ibid.* 496. infuso lympharum rore superne. *Id.* 4. 439. quæcumque supra rorem salis edita pars est Remorum, recta est, *etc.* Quæ demersa liquorem obeunt, refracta videntur. *Propert.* 2. 20. 1. Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina Ionio lassas ducere rore manus. *Ovid.* 4. *Fast.* 778. vivo prolue rore manus. *h. e.* flumine vivo, ut ait *Virg.* 2. *Æn.* 719. Sic *Horat.* 3. *Od.* 4. 61. Qui rore puro Castaliæ lavit Crines solutos. *Id.* 3. *ibid.* 3. 56. Rores pluvii. *h. e.* imbres. *Petron. Sat.* 131. amnis querulo versabat rore lapillos. ¶ 2. Magis proprie *Virg.* 6. *Æn.* 229. ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi. et 5. *ibid.* 854. Lethæo rore madens ramus. Adde *Martial.* 9. 19. ¶ 3. Item de lacrimis, quæ roris instar defluunt. *Horat. Art. P.* 429. super his etiam stillabit amicis Ex oculis rorem. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 190. Heu quoties præsaga mali violavit oborto Rore genas! *Ovid.* 14. *Met.* 708. madidæ lacrimarum rore coronæ. *Seneca Hippol.* 381. Lacrimæ cadunt per ora, et assiduo genæ rore irrigantur. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 1. 35. ¶ 4. Item de aliis liquoribus. *Cic. de suo consul.* 1. *Divinat.* 12. 22. parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. *Ovid.* 11. *Met.* 57. sparsos stillanti rore capillos. *h. e.* cruore. *Stat.* 2. *Theb.* 673. ardentiaque ora cruentis Roribus. *h. e.* aspergine cruoris. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (126). Minores purpuras cum testa vivas frangunt, ita demum rorem eum exspuentes. *h. e.* saniem, quæ color est purpuræ. *Martial.* 4. 59. Quæ (*vipera*) dum miratur pingui se rore teneri, etc. *h. e.* succino. *Ovid. Heroid.* 15. 76. Non Arabo noster rore capillus olet. *h. e.* myrrha. Sic *Tibull.* 3. 4. 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma. *h. e.* malobathro, aut nardo, aut balsamo. ¶ 5. Usurpatur et de virili semine. *Apul.* Ἀνεχόμ. 20. Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus. — *Rores obsceni ex virgine* esse menstrua videntur apud *Seren. Sammon. c.* 12. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

B) *Ros marinus* et *ros marinum*, poetice *ros maris*, aut *ros* absolute, est herba, vel frutex, de quo *V.* in ROSMARINUS. *Ovid.* 12. *Met.* 410. Ut modo rore maris, modo se violave, rosave Implicet. *Id.* 3. *Art. am.* 690. Ros maris, et lauri, nigraque myrtus olent. *Horat.* 3. *Od.* 23. 15. Parvos coronantem marino Rore deos, fragilique myrto. *Virg.* 2. *G.* 213. clivosi glarea ruris Vix humiles apibus casia roremque ministrat. — De rore Syriaco *V.* in RHUS.

RŎSA, æ, f. 1. Scribitur et *rhosa* quod *V.* in *Edict. Dioclet. infra cit. Auct. de dub. nomin. p.* 589. 13. *Keil. Rosum* dixerunt quidam singulariter, *rosa* pluraliter, quasi generis neutri. sed nunc *rosa* singulariter et pluraliter *rosas*, ut Sidonius; rosa sutilis coronet. et alibi: hibernæ rubuere rosæ. sed generis feminini est. — Rosa, a voce Græca ῥόδον, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 103. *Müll.*, est flos pulcherrimus, odoratissimus, e spina nascens.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (14). Rosa nascitur spina verius, quam frutice: in rubo quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis angusti. Germinat omnis primo inclusa granoso cortice: quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paullatim rubescens dehiscit, ac sese pandit in calyces, medio sui stantes complexa luteos apices. Usus ejus in coronis prope minimus est; oleo maceratur: præterea in unguenta transit: emplastris atque collyriis inseritur mordaci subtilitate. Genera ejus nostri fecere celeberrima, Prænestinam, et Campanam: addidere alii Milesiam, cui sit ardentissimus colos, non excedenti duodena folia: proximam ei Trachiniam minus rubentem: mox Alabandicam, viliorem albicantibus foliis: vilissimam vero plurimis, sed minutissimis, spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, lævore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, quum sit genus ejus, quam centifoliam vocant, etc. Hæc *Plin.* loc. cit., ubi et alia multa de rosarum satione, proventu, etc. *Id. ibid.* 18. 73. (121). Et rosa adstringit, refrigerat. Usus ejus (*in medicina*) dividitur

in folia, et flores, et capita. Foliorum partes quæ candidæ, ungues vocantur: in flore aliud est semen, aliud capillus: in capite aliud cortex, aliud calyx. — Novissimam inter vernos flores esse, scribit *id.* 21. *ibid.* 11. 38. (64). Hinc reprehendit residem Verrem *Cic.* 7. *Verr.* 10. *sub fin.*, quod veris initium non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat; sed quum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur. — Usus rosæ in coronis, quibus utebantur præcipue in conviviis, et potationibus: item in unguentis, quæ divulgata maxime, ut ait *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (9), eorumque mixturam *ibid.* tradit, et in RHODINUS a nobis posita est. V. *Propert.* 3. 3. 44. et 4. 6. 72., *Ovid.* 5. *Fast.* 344. et *Martial.* 5. 64., 7. 89. et 9. 94. etc. Huc pertinent illa *Cic.* 2. *Fin.* 20. 65. M. Regulum clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium. *et* 5. *Tusc.* 25. *in fin.* M. Omnes sapientes confiteri beatos esse, necesse est. A. Etiamne in cruciatu atque tormentis? M. An tu me in viola putabas et in rosa dicere? — Rosis ornabant mensas et lectos, farciebant pulvinos odoris causa. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 27. et *Horat.* 1. *Od.* 5. 1. — Rosis item mortuos spargebant, sternebant sepulcra. *Virg.* 6. *Æn.* 885., *Propert.* 1. 17. 22. *V.* ROSALIS. — Flos est Veneri sacer, propter odorem et pulcritudinem: hinc *Æmil. Macer de rosa.* Dici flos florum nobis rosa jure videtur, Quæ specie cunctos præcedat odoreque flores. Fabulantur etiam, olim candidam fuisse, traxisse autem purpureum colorem ex sanguine Deæ, cujus pedem in horto deambulantis spina forte pupugerat, ut ejus est apud *Auson.* 6. *Edyll.* 76. *et* 92. Addunt et causam, quia sicut rosa brevi viget, ita et forma corporis, et juventæ flos, et Venerea voluptas. Nam, ut ait *Auson. Edyll.* 14. 39. Una dies aperit, conficit una dies. *et ibid.* 43. Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum. V. *totum* Edyllium, ubi et rosa describitur, et ejus brevitas explicatur. *Lucret.* 2. 627. ninguntque rosarum Floribus. *Horat.* 2. *Od.* 3. 13. Huc vina et unguenta, et nimium breves Flores amœnæ ferræ jube rosæ, et 3. *ibid.* 29. 2. lene merum cum flore rosarum. *Virg. Cop.* 14. Sertaque purpurea lutea mixta rosa. Hinc *Vulgat. interpr. Sap.* 2. 8. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. — *b*) Collectivorum more. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 27. Pulvinus rosa factus. *Id.* 3. *Tusc.* 18. 43. Sertis redimiri jubebis et rosa. *h. e.* sertis roseis. *endiadys. Id.* 2. *Fin.* 20. 65. In rosa potare. *Ovid.* 5. *Fast.* 336. Et latet injectâ splendida mensa rosâ. *Horat.* 1. *Od.* 5. 1. multâ in rosa. *Seneca Ep.* 51. Fluitantem toto lacu rosa. *et* 122. Hieme concupiscunt rosam. — *Vivere in rosa*, in deliciis et voluptatibus. *Martial.* 8. 77. *ad Liberum.* Liber in æterna vivere digne rosa. Sic *Seneca Ep.* 36. *a med.* Nemo discit, ut si necesse fuerit, æquo animo in rosa jaceat. — Γνώμη est in illo *Hieronym. vit. Hilarion.* 2. Rosa, ut dicitur, de spinis floruit. Cf. *Ammian.* 16. 7. 4. Inter vepres rosæ nascuntur. — *c*) Est vox blandientis amatoris. *Plaut. Asin.* 3. 3. 74. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas. *Id. Men.* 1. 3. 9. Quid hoc est? induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, rosa. Adde *Bacch.* 1. 1. 50. — *d*) De formoso hæc dicuntur. *Pers.* 2. 37. Hunc optent generum rex et regina: puellæ Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, rosa fiat. *Claudian. Laud. Seren.* 90. quamcumque per herbam Reptares, fluxere rosæ. ¶ 2. Speciatim *rosa Græca* vel *Græcula* est genus rosæ nec odore nec specie probabilis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (18) et 26. *ibid.* 7. 27. (42). *Gloss. Cyrill.* Λυχνίς, rosa Græca. et *Philox.* Rosa Græca, λυχνίς ἡ ῥοδοδάφνη. *V.* LYCHNIS. — Item rosa *flava*, *luteola*, etc., de quibus V. *Plin.*, *Colum.*, *Pallad.* et alios rei herbariæ scriptores.

II.) Improprie. — *a*) *Rosa* est unguentum, vel oleum rosaceum., de quo *Gell.* 14. 6. Scriptum erat, quapropter (Homerus) rosam non novit, oleum ex rosa novit. *Cels.* 8. 3. Instillare paullulum rosæ, vel lactis, quo magis lubrico scalprum circumagatur. *et ibid.* 4. *a med.* Si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida. Adde 6. 18. *n.* 8. — *b*) Ipse frutex, unde rosa nascitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 41. 63. (153). Radix silvestris rosæ, quæ cynorrhodos appellatur. *Id.* 18. *ibid.* 26. 64. (236). Terram ad rosarum et vineæ satum vertere bipalio. — *c*) *Rosa canina*, genus herbæ apud *Veget.* 5. *Veterin.* 84. *V.* CYNORRHODA. — *d*) Est etiam *rosa alba*, ex cujus vermiculis nasci cantharides, *Plin.* tradit 29. *Hist. nat.* 4. 30. (94). *et* 11. *ibid.* 35. 41. (118). — *e*) Item mali species, nomine deducto a colore, quod Itali nunc *mela rosa*, aut conjunctim *melarosa*, aut absolute *rosa* vocant. *Edict. Dioclet.* p. 18. Mala minora N. quadraginta ✳ quattuor. Rhosæ N. centum ✳ octo. Adde *Apic.* 4. — *f*) Metonymice dicitur de roseo colore; hinc etiam labra formosi oris, et pulcro in vultu pudor rosæ comparantur. *Ovid.* 2. *Met.* 113. Ecce vigil rutilo patefecit ab ortu Purpureas Aurora fores et plena rosarum Atria. *Martial.* 4. 42. Pæstanis rubeant æmula labra rosis. Sic *Claudian. Nupt. Honor.* 265. non labra rosæ, non colla pruinæ, Non crines æquant violæ, non lumina flammæ. *Anacreon od.* 28. Γράφε ῥίνα καὶ παρειάς Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας. et *Virg.* 12. *Æn.* 68. mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa, talis virgo dabat ore colores. et *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 34. Conscia purpureus venit in ora pudor, Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ. Cf. *Enn.* apud *Non.* p. 483. 2. *Merc.* Sic mulier erubuit, ceu lacte et purpura mixta. Adde *Propert.* 2. 2. 22. *V.* ROSETUM. — *g*) Item mensis Majus, rosarum tempus. *Inscript.* apud *Gruter.* 753. 4. *in fin.* OLEVM ET PROPINATIONEM PER ROSAM PRAEBEANT. Hinc *rosales escæ. V.* ROSALIS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RŎSĂCĔUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

RŎSĂCĔUS, a, um, adject. ῥόδινος, *rosato*, qui est ex rosa. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 6. (8). Rosacea corona. *Id.* 24. *ibid.* 13. 73. (119). Rosaceum ceratum. *Id.* 15. *ibid.* 7. 7. (30). E junco fit juncinum oleum, quod est rosaceo simillimum. *Marcell. Empir.* 8. *ad fin.* Rosaceum collyrium. — Hinc

Rosaceum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more (subaudi *oleum*). *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (71). Oculum rosaceo inungere. *Id.* 22. *ibid.* 24. 50. (108). Mel auribus instillatur cum rosaceo. Adde *Marcell. Empir.* 1. *p.* 88.

RŎSĀCĪNUS, a, um, adject. rosaceus. *Pelagon. Veterin.* 6. 10. et 33.

RŎSĀLĬA, ĭum. *V.* voc. seq. in fin.

RŎSĀLIS, e, adject. ῥόδινος, ad rosam pertinens, seu qui ex rosis fit. Habet hanc vocem vetus Inscriptio optimæ notæ (apud *Murat.* 867. 8. et *Orell.* 4419.) in pariete templi S. Eulaliæ in pago hujusce nominis inter Acelum et Bassanum sito (vulgo *Santilaria*), quam, apud *Forcellinum* et *Furlanettum* aliqua ex parte mancam, a viro docto accuratissime ex archetypo exscriptam edimus. D. M. C. VETTONIVS FABIA MAXIMVS VETERANVS EX MILITIA REVERSVS VIVOS IPSE SIBI FECIT INQVE MEMORIAM SVI ET COLENDE SEPVLTVRE ROSIS ET ESCIS PAGANIS MISQVILENSibus HS N. DCCC. DEDIT EX CVIVS SVMME REDITV ROSAM NE MINVS EX HS N. XVI. POSVISSE VELLINT ET RELICVVM QVOT EST EX VSVRIS ESCAS ROSALES ET VINDEMIALES OMNIBVS ANNIS PONI SIBI VOLVIT ET LOCO VTI IVSSIT. *Escæ* autem *rosales* sunt, quæ una cum rosis, et *vindemiales*, quæ tempore vindemiæ in sepulcro C. Vettonii quotannis ponendæ ex illius jussu erant a Misquilensibus. *h. e.* incolis olim pagi Misquilis (vulgo *Musile*), qui fuit haud ita pridem vicus pagi S. Eulaliæ, ubi lapis est repertus, ut erudite docet *L. Guerra*, *Descrizione di un' Urna cineraria disotterrata nel pago di Musile, territorio d'Asolo*). Morem inferendi rosas cum cibis mense Majo in sepulcra alii quoque memorant veteres lapides, videlicet apud *Gruter.* 237. 5. VT QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT ET IBI EPVLENTVR. *et* 435. 2. VT SVPERSTES ROSIS S. (*h. e.* sepulcrum) IACENTIS QVOTAN. KAL. IVN. EXORNET HICQVE EPVLENTVR. *et* 444. 6. PECVNIAM DEDIT LEGAVITQVE AD SOLEMNIA CIBI ET ROSARVM. *et* 636. 12. CVRATORES SVBSTITVAM QVI VESCANTVR EX HORVM HORTORVM REDITV NATALI MEO ET PRAEBEANT ROSAM IN PERPETVVM. Alios satis sit judicasse, ut apud *eumd.* 449. 5., 460. 3., 636. 12., 744. 1., 753. 4., 803. 8. (*Orell.* 4415.) et 1021. 4. (*Orell.* 4418.) Huc pertinet illud *Tibulli* 2. 4. 48. Annua constructo serta dabit tumulo. — Hinc

Rosalia, *ĭum*, n. 3. absolute, substantivorum more, sunt solemnia rosarum seu dies, quo rosæ in sepulcra ferebantur. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 146. 3. ITEM DEDIT COLL. NAVT. ARILIC. HS. XII. N. VT EX EIVS SVM. REDITV ROSAL. ET PARENT. IVSTO F. ET IVSTAE VXORI ET SIBI OMN. AN. IN PERPETVOM PROCVR. Alia apud *Gruter.* 1031. 5. et *Gor. Inscr. Etrur. T.* 2. *p.* 25. EX CVIVS. REDITV PARENTAL. ET ROSAR. (*lege* ROSAL.) QVOT ANN. AD SEPVLCRVM SVVM CELEBRENT. Alia apud *Fabrett. p.* 147. *n.* 182. et *Gruter.* 772. 7. VT EX VSVRIS EORVM PROFVSiones EI TAM PARENT. TAM ROS. QVODANNIS CELEBRENT. — *Rosalium* porro dies non idem ubique fuit; nam ex *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. fuit V. ID. MAI. *h. e.* die XI. Maji; ex alia in ROSATIO adlata XII. KAL. IVN. *h. e.* die XXI. Maji; ex alia apud *Henzen.* 6085. V. K. IVLIAS. *h. e.* die XXVII. Junii; ex *Kalendar. Constantii* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 55. X. Kal. Jun. (*h. e.* die XXIII. Maji) macellus rosas sumat; ex alia *Inscript.* apud *Gruter.* 435. 2. supra adlata KAL. JUN.: quemadmodum *dies violaris*, seu *violæ* ex eadem *Inscript.* apud *Fabrett.* modo adl. fuit XI. KAL: APR. *h. e.* die XXII. Martii. *V.* VIOLARIS.

RŎSANS, antis, particip. ab inusit. *roso, as*, roseus sum. V. *Sisebuti loc. cit.* in ROTO.

RŎSĀRĬA, ōrum, *et*

RŎSĀRĬUM, ĭi. *V.* voc. seq.

RŎSĀRĬUS, a, um, adject. ῥόδινος, *di rosa*, ad rosam pertinens, rosaceus, rosalis. *Sueton. Ner.* 27. *extr.* Indicebat et familiaribus cœnas: quorum uni mellita quadragies HS constitit, alteri plus aliquanto absorptio rosaria. *Alii eod. sensu leg.* rosacea. *Apul.* 3. *Met.* In alterum diem auxilio rosario Lucius denuo futurus. *et* 4. *ibid.* Rosarium venenum. — *Rubus rosarius* apud *Marcell. Empir.* 26. *p.* 124. — Hinc

Rosarium, *ĭi*, n. 2. absolute, substantivorum more, locus rosis consitus, rosetum, *rosajo*, *roseto*, ῥοδών, ῥοδωνιά. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Rosarium serotinum perfossum et cultum habere, jam tempus est. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (2). Eodem hoc tempore hortorum rosariorumque cura est. *Virg.* 4. *G.* 119. biferique rosaria Pæsti. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 23. Litora quot conchas, et amœna rosaria flores, etc. *Martial.* 5. 37. Fragravit ore, quod rosarium Pæsti. Adde *Propert.* 4. 5. 59.

Rosaria, *ōrum*, n. 2. absolute, substantivorum more, dicitur dies festus, qui alibi et rosalia appellatur, ut in *Gloss. Cyrill.* Ῥοδισμός, rosalia. *Inscript.* ad Capuæ amphitheatrum abhinc paucis annis reperta, quæque spectat ad ann. Chr. CCCLXXVII., atque a *Fr. M. Avellino* adlata et illustrata in *Opusc. T.* 3. *p.* 216. III. IDVS MAII ROSARIA AMPLIAE AFRAE. *h. e.* ex testamento Ampliæ Afræ instituta, quæ utrum ad funebrem, an ad sacram solemnitatem pertineat, adhuc ambigitur. Hinc statui potest, etiam in *Inscript.* apud *Gruter.* 1031. 5. et in v. ROSALIS cit., non *rosalia*, sed *rosaria* itidem legendum esse.

RŎSĀTĬO, ōnis, f. 3. *spargimento di rose*, rosarum sparsio, ῥοδισμός. *Inscript.* apud *Zaccar. Ann. lett. d'Italia T.* 1. *P.* 2. *p.* 208. et *Marin. Frat. Arv. p.* 639. ITA VT EX REDITV EIVS INSVLAE QVODANNIS DIE NATALIS SVI ET ROSATIONIS ET VIOLAE ET PARENTALIBVS MEMORIAM SVI SACRIFICIIS QVATER IN ANNVM FACTIS CELEBRENT. *etc.* Alia, quæ extra portam Labicanam prope aquæductus Claudii Imperat. in vinea *Hieronym. de Lazaris* Romæ inventa, et accurate descripta fuit a *Jo. Zaratino Castellinio* (*Inscript.* apud *Henzen.* 7321.), ex cujus schedis hæc habentur. ITEM XII. K. IVNIAS DIE ROSATIONIS ITEM III. N. IANVARIAS DIE NATALI MEO, *etc. V.* aliam apud *Murat.* 529. 4. Mos hic spargendi rosas super de-

functorum sepulcra pluribus adductis Inscriptionibus illustrat idem *Marin. ibid. p.* 562. *V.* ROSALIS.

RŎSĀTUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

RŎSĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *roso, as:* rosaceus, rosa conditus, *rosato,* ῥόδιος. *Seren. Sammon.* 34. 637. Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato. Adde *Æmil. Macr.* c. 60. *de Maurella p.* 243. *retro.* — Hinc

Rosatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Vinum rosa conditum, ῥοδίτης οἶνος. *Pallad.* 3. *R. R.* 32. *et* 11. *ibid.* 15. et *Lamprid. Elagab.* 19. Fiebat autem hoc modo, ut *Pallad.* tradit 6. *ibid.* 16.: quinque libras rosæ pridie purgatæ in vini veteris decem sextarios mergebant, et post triginta dies decem despumati mellis libras adjiciebant, et utebantur. Elagabalus pineas attritas admiscere solitus est, quo esset odoratius. *Lamprid. loc. adl.* V. *Eucherii loc.* in LASER. ¶ 2. Edule rosâ compositum, aut conditum, apud *Apic.* 1.

ROSCĬDUS, a, um, adject. Legitur etiam *rosidus* in multis libris, apud *Colum. cit.* 5. *R. R.* 6. et 4. *ibid.* 30. *ad fin., Pallad.* 3. *R. R.* 13., *Catull.* 61. 24. *Lachm.* et *Ovid.* 2. *Fast.* 314. etc.: est enim a *ros*, unde et *rōseus. V.* ROSEUS in ONOM. — Roscidus est idem ac rore perfusus, rorulentus, rore abundans, *rugiadoso, guazzoso,* δροσώδης, ἐρσήεις.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 2. *circa med.* Prima luce exeunt pastum, propterea quod tunc herba roscida meridianam, quæ est aridior, jucunditate præstat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (38). Testudines roscido, ut creditur, humore viventes. *h. e.* rore. *Virg.* 8. *Ecl.* 37. Roscida mala legere. *et* 4. *ibid.* 30. Et duræ quercus sudabunt roscida mella. *h. e.* purissimo rore confecta. (V. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. *et ibid.* 12. 12.) *Ovid.* 3. *Art. am.* 180. Roscida luciferos quum Dea jungit equos. *h. e.* Aurora. Sic *Seneca Thyest.* 816. genitrix primæ roscida lucis. *et Med.* 100. sic nitidum jubar Pastor luce nova roscidus aspicit. *h. e.* rore perfusus tempore auroræ. *Virg.* 3. *G.* 337. saltus reficit jam roscida Luna. *Id.* 4. *Æn.* 700. roscida Iris. *Ovid.* 2. *Fast.* 314. Hesperus et fusco roscidus ibat equo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 62. 62. (153). et 18. *ibid.* 28. 67. (4). Roscidæ noctes. *Id. ibid.* 17. 44. (2). Rubigo frequentissima in roscido tractu convallibusque. *h. e.* ubi rores plurimi cadunt: qualia sunt loca ventis minime obnoxia. Sic *Colum.* 5. *R. R.* 6. *ante med.* In solo roscido et nebuloso. *Varro* 3. *R. R.* 14. 2. Locus (*cochleis*) is melior, quem et non coquit sol, et tangit ros. quod si naturalis non est, manu facere oportet roscidum: qui fit, si eduxeris fistulam, et in eam mamillas imposueris tenues, quæ eructent aquam, ita ut in aliquem lapidem incidat ac late dissipetur. — Absolute neutr. gen. *Apul.* 1. *Met.* Roscida cæspitum.

II.) Improprie. — *a*) *Roscidus locus,* humectus, madens, irriguus, *acquoso, umido. Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 62. (187). Libanotis locis putribus et macris ac roscidis seritur. Sic *Propert.* 2. 23. 28. et *Ovid.* 2. *Fast.* 33. Roscida antra. *Virg.* 7. *Æn.* 683. rivis Hernica saxa. *Martial.* 4. 18. templa. — *b*) *Roscidus sudor,* et *roscida sudatio,* h. e. sudor colliquativus, apud *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. 145. *et* 2. *Tard.* 2. 15.

RŎSĒTUM, i, n. 2.

I.) Proprie. ¶ 1. Est locus rosis consitus, ῥοδών, *roseto, rosajo,* idem ac rosarium. *V.* ROSARIUS. Sunt tamen qui putant *rosetum* ita differre a *rosario,* ut illud natura, hoc sit manu et arte factum: ceterum sequentia exempla id non probant: etenim pro ipsa planta, deinde pro flore, tum translate pro papilla usurpatur. *Varro* 1. *R. R.* 35. *Schneid.* Quod jam egit radicem, rosetum conciditur radicitus in virgulas palmares, et obruitur. *Virg.* 5. *Ecl.* 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ, Puniceis humilis quantum saliunca rosetis. ¶ 2. Dicitur etiam de flore. *Claudian. Nupt. Honor.* 8. Subitisque se rosetis Vestiat Alpinus apex. *Auct. Epithal. Laur. et Mariæ* 32. Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 58. Tunc ne purpurei lædat te spina roseti. *Id. ibid.* 79. comtum decet ire rosetis. *h. e.* rosis consertis. *Pallad.* 12. *R. R.* 11. Quamvis mense Februario sint conserenda rosaria, tamen locis calidis hoc etiam mense poterimus roseta instituere. Alii rectius *roseta* omittunt, ut et interpres Italus Veronæ ann. 1810. editus. — *Rosetum* est etiam titulus poematii in *Append. Virgiliana* ed. ab *O. Ribbeck.,* de cujus auctore viri critici disputant.

II.) Translate dicitur — *a*) De rubicundis mamillarum papillis. *Capell.* 7. *p.* 236. Furtis modo (*Voluptas*) adlubescat, Et clam roseta parvæ Liliaque det papillæ. *h. e.* modo sinat me clam tractare roseas candidarum mamillarum papillas. *V.* ROSA II. — *b*) Metonymice de rubicundo colore ætheris ante auroram. *Id.* 2. *p.* 47. Ni rosetis purpuraret culmina Aurora. Adde *eumd. ibid. p.* 28.

RŎSĔUS, a, um, adject. ῥόδινος, rosaceus, rosalis.

I.) Proprie. *Seneca Med.* 70. Præcingens roseo tempora vinculo. *h. e.* corona e rosis. *Virg. Cop.* 32. Et gravidum roseo necte caput strophio. *Claudian. de Magnete* 29. Rosei flores. *h. e.* rosæ. *Id.* 3. *Rapt. Pros.* 85. Roseæ convalles. *h. e.* rosis consitæ: vel universim floreæ, floridæ. Sic *id. Laud. Seren.* 72. et roseis formosus Duria ripis. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 200. Palmulæ nucales oleo roseo aspersæ.

II.) Metonymice est ¶ 1. Rosæ colorem habens, *di color di rosa, vermiglio,* ῥόδιος, ῥοδόεις. *Fronto de differ. voc. p.* 2191. 24. *Putsch.* Roseum per se (*h. e.* quod rosarum qualitates habet): rosaceum mixtum (*h. e.* ex rosis confectum). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 23. 94. (166) *et* 29. *ibid.* 4. 17. (64). Roseus pannus. *Sillig.* leg. utrob. *russeus. Id.* 37. *ibid.* 9. 40. (123). Refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (15). Hic (*acini uvæ*) purpureo lucent colore, illic fulgent roseo. *Id.* 25. *ibid.* 6. 26. (62). Mithridatiæ herbæ caulis sustinens roseum florem. *Nemesian.* 3. 59. Roseum mustum. *Catull.* 64. 49. Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco. ¶ 2. Hinc Poetæ *roseas* dicunt partes corporis, in quibus est coloris suavitas, *h. e.* niveus candor cum rubore sanguinis, qui color est pulcritudinis ac venustatis proprius, *incarnato, incarnatino, scarnatino.* Unde *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit: niveo lucet in ore rubor. *Virg.* 1. *Æn.* 406. *de Venere.* avertens rosea cervice refulsit. *et* 2. *ibid.* 593. *de ead.* roseoque hæc insuper addidit ore. (Sic *Sil. It.* 7. 448.) *Id.* 12. *ibid.* 606. Roseæ genæ. *Martial.* 8. 56. Rosea labra. *Claudian. Nupt. Honor.* 19. roseo pectebat pollice crines. *Catull.* 55. 12. Roseæ papillæ. *Val. Flacc.* 8. 257. rosea radiante juventa. *Id.* 8. 30. Roseus honor. *h. e.* venustas admiratione et honore digna. *V.* HONOR. *Martial.* 7. 80. ephebus. *h. e.* formosus. *et* 12. 64. Rosei ministri. *Apul.* 3. *Met.* Aurora roseum quatiens lacertum cælum inequitabat. Sic *Capell.* 9. *n.* 306. Aurora exoriens roseis spectabit ocellis. — Item res alias, in quibus is color, aut similis apparet. *Ovid.* 3. *Art. am.* 84. Rosea dea. *h. e.* Aurora. Sic 4. *Fast.* 714. Memnonis in roseis lutea mater equis. *Propert.* 3. 23. 7. Roseus Eous. *Val. Flacc.* 6. 527. roseis it Lucifer alis. *Lucret.* 5. 609. rosea sol alte lampade lucens. *Id. ibid.* 974. Dum rosea face sol inferret lumina cælo. Adde *Martial.* 12. 60. *Virg.* 11. *Æn.* 913. roseus Phœbus. *Val. Flacc.* 4. 77. Velocem roseis demittit nubibus Irim. *Id.* 3. 538. roseis Bacchus habenis. *scil.* quia etiam vinum *roseum* dicitur a *Nemesian.* 3. 59. et ab *Isid.* 20. *Orig.* 3

RŎSĬDUS. *V.* ROSCIDUS.

ROSĪNUS, a, um, adject. De hac voce hæc habet *Löwe* in *Prodr. Corp. Gloss. Lat. p.* 81. In lingua vulgari censendum est exstitisse *rosina* vocabulum (a *ros, rosis* [*roris*], ut videtur, derivatum) *umorem* fere significans, ad quod redeunt adjectiva *rosinalis* (brumalia: rosinalis, pluvia) et *rosinosus* (rosinosus annus) atque, si fides habenda est cod. *Bern.* 178. *f.* 20. *gloss.* brumosus: rossinus (cf. *Ampl. p.* 278. 55. brumaria: rosina, pluvia) —, etiam *rosinus.* — Ceterum *rosina* herba legitur apud *Veget.* 6. *Veterin.* 13. 4. *Schneid.*

RŌSĬO, ōnis, f. 3. *corrosione, rodimento, rosione,* τρῶξις, actus rodendi. *Cels.* 7. 23. Spumans bilis alvo cum rosione redditur. *con bruciore. Id.* 5. 28. *n.* 17. Alterum genus (*impetiginis*) pejus est, squamulæ ex summa cute decidunt, rosio major. *maggiore è il prurito. Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (128). Infunditur lac contra rosiones a medicamentis factas. *et mox.* Ad rosiones intestinorum bubulum utilius. *Id.* 20. *ibid.* 14. 54. (153). Pulejum stomachi rosiones sistit. *Id.* 23. *ibid.* 1. 23. (43). Rosiones præcordiorum.

ROSMĂRĪNUM, i, n. 2. et

ROSMĂRĪNUS, i, m. 2. *ramerino, rosmarino,* genus fruticis. Duplex est — *a*) *Rosmarinum* vel *ros marinum* (Cachrys Libanotis *L.*), de quo *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 59. (99). Est et rosmarinum. Duo genera ejus: alterum sterile, alterum cui et caulis, et semen resinaceum, quod cachrys vocatur. *Apul. Herb.* 79. Libanotis alia est coronalis a Sorano appellata, quam Latini rosmarinum appellant, tenues nutriens virgas, in quibus folia longa, tenuia, viridia: alia est fructifera, folia habens fœniculi similia, sed aspera, et terræ prostrata, et boni odoris, thyrso cubitali, *etc.* radice turis odorem simulante. Nascitur in locis maritimis (ob id *marinus ros* dicta) et hortis. Antequam tus sciretur, hac herba homines deos placabant. — *b*) *Rosmarinus* vel *ros marinus* (Rosmarinus officinalis *L.*). *Colum.* 9. *R. R.* 4. 2. Ut rosmarinus, et utraque cytisus. *Pallad.* 1. *R. R.* 27. In fruticibus sint rosæ, lilia, rosmarinus, hederæ. Adde *Horat.* 3. *Od.* 23. 15. et *Plin. loc. cit.* et 19. *Hist. nat.* 12. 62. (187). *V.* ROS.

RŌSOR, ōris, m. 3. *roditore,* qui rodit. *Ambros. Serm.* 81. Mures horreorum rosores.

ROSTELLUM, i, n. 2. *deminut.* a rostrum, *beccuccio, pippio,* parvum rostrum, ῥυγχίον. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *a med.* Animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint, et auscultetur, si pipiant. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (99). Muris rostellum auriculasque summas roseo panno adalligari jubent. *grugnino.*

ROSTRA, ōrum. *V.* ROSTRUM.

ROSTRĀLIS, e, adject. a rostris. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Dignum poema, quod apicibus perennandum auratis juste tabula rostralis acciperet, aut etiam Capitolina. *h. e.* dignum, quod in æs incisum pro Rostris, vel in Capitolio inter publicorum monumentorum tabulas collocetur.

ROSTRANS, antis, *et*

ROSTRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

ROSTRO, as, atum, are, a. 1. Particip. *Rostrans* et *Rostratus* in fin. — Rostrare est rostro inquirere, rimari. *Gloss. Lat. Gr.* Rostrat, ἐκζητεῖ. — Hinc Particip.

Rostrans, antis, adjectivorum more usurpatur, et est rostrum impingens, rostro penetrans. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). *Sillig.* In collibus transverso tantum monte aratur, sed modo in superiora, modo in inferiora, rostrante vomere. *Harduin.* suspicatur, *rostrato* esse legendum, h. e. vomere simplici rostro instructo, non aurito, quali in planis utebantur, teste *Pallad.* 1. *R. R.* 43.

Rostratus, a, um, adjectivorum more, idem ac rostro instructus; est autem proprie de animalibus, sed transfertur ad alia, et dicitur — *a*) *Rostratus vectis,* genus vomeris e vecte præfixum ferreum rostrum habente. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (171). — *b*) *Rostratæ falces,* quæ in modum rostri curvatam et continuam aciem habent. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 3. Sunt metendi genera complura. multi falcibus vericulatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis medium culmum secant. *Schneid.* ad h. l.: Gesneri Index interpr.: quæ continuam habent aciem. Male! Ipse enim noster *l.* 4. *c.* 25, in falce vinitoria rostrum partem aduncam interpr. Sunt igitur *rostratæ* aduncæ, *denticulatæ* rectæ. — *c*) *Rostratæ naves,* rostrum in prora habentes, χαλκέμβολοι νῆες. *V.* ROSTRUM. Porro hæ naves de more in prima acie collocabantur, et erant

mucro belli. (V. *Liv.* 30. 10.) *Cic.* 2. *Invent.* 32. 98. Ut si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. *Auct. B. Afr.* 23. Cum naviculis cujusquemodi generis triginta, inibi paucis rostratis, profectus, etc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 49. (90). Concha acatii modo carinata, inflexa puppe, prora rostrata. *Id.* 10. *ibid.* 23. 32. (63). Olores liburnicarum modo rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent. — Hinc *rostratæ* absolute sunt naves rostratæ. *Symmach.* 2. *orat.* in *Valentin.* (edente iterum *A. Maio*) 3. Scit bicornis iste (*Rhenus*) vicinis succumbendum esse rostratis. *et mox* 21. Habent sua quodammodo castra rostratæ. Hinc — d) *Rostrata corona* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 3. (7) et 22. *ibid.* 3. 4. (6) eadem erat, quæ *navalis* et *classica*, aurea, et exiguis quibusdam veluti rostris navium insignita, ut est apud *Gell.* 5. 6., qua donabatur is, qui navali prœlio primus in hostium navem insiluisset: vel generatim qui vicisset navali certamine. Duos hac donatos fuisse, refert *Plin. cit.* 16. *ibid.* 4. 3. (7).: primum M. Terentium Varronem, dante Magno Pompejo, ob devictos piratas; quod narrat etiam *Festus* in *fragm.* in *Navali:* secundum M. Agrippam, tribuente Augusto ob similem causam. At contra est, inquit cl. *Furlanett.* in *App. II.*, quod habet *Vellej.* 2. 81. 2. Insigne coronæ classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Siculo Agrippa singulari virtute meruit. Id ipsum confirmant *Liv. Epit.* 129., *Seneca* 3. *Benef.* 32. et *Dion* 49. 14. Ceterum ex hujus postremi *loc. cit.* apparet, in hoc ab aliis Agrippam differre, quod quum alii victores simplici tantum corona laurea, ille aurea semper et rostris ornata uteretur, quoties in publicum processisset. De hoc *Virg.* 8. *Æn.* 683. cui belli insigne superbum, Tempora navali fulgent rostrata corona. — e) *Rostrata columna* apud *Sueton. Galb.* 23. rostris navium exornata, qualis videtur in nummis Cæsarum apud *Patin.* in *Sueton.*, posita est in foro post devictos navali primum prœlio Carthaginienses a C. Duilio Cos., qui primus ob id navalem triumphum egit de Pœnis, ut est apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 11. (20), *Flor.* 2. 2. et *Epit. Liv.* 17. Adde *Sil. It.* 6. 663., et hodie Romæ in Capitolio asservatur. (V. *A. Rich.*) In ea longa Inscriptio fuit de illa victoria aliisque rebus ab Duilio gestis. Est autem fere omnium Latinæ linguæ monumentorum antiquissimum: ex quo videre licet, ut ait *Forcellinus*, quæ illius ætatis (id est anni CCCCXCIV. ab U. C.) loquendi ratio et scribendi fuerit: quare in ea describenda, supplenda, explicanda laborarunt viri docti, et præcipue *P. Ciacconius*, qui singulari libello illustravit. *V.* litteram *D.* At recentioribus videtur hæc Inscriptio posteriorem ætatem redolere, et ad Claudii imperatoris tempora commode posse referri. (Cf. *Ritschel.*, *Inscript. quæ fertur col. rostr. Duellianæ; Mommsen.*, *C. Inscript. Lat.*, et *Teuffel.*, *Geschichte d. röm. Literatur.*) Ejus fragmentum est in collectione *Gruteri* p. 404. *n.* 1. — *Servius* ad illud *Virg.* 3. *G.* 29. navali surgentes ære columnas: Augustus, inquit, victor totius Ægypti multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quatuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ: quas hodieque conspicimus. Nam rostratas C. Duilius Cos. posuit, victis Pœnis navali certamine: e quibus unam in Rostris, alteram ante Circum videmus a parte januarum. Hæc *Servius.*

ROSTRUM, i, n. 2. Est a *rodo*, ut *rastrum* a *rado*, est os, quo animalia cibum capiunt, rictus, ῥύγχος (It. *becco, grugno, muso ;* Fr. *bouche, bec, museau, gueule des animaux ;* Hisp. *pico, rostro ;* Germ. *e. Nagewerkzeug;* Angl. *the beak, bill, or nib of a bird, the smout of a fish or beast*).

I.) Proprie dicitur — 1.°) Stricto sensu de bestiis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. *a med.* Aves cruribus rigidis, procero corneoque rostro. *et* 2. *ibid.* 47. *ad fin.* Animalia cibum partim oris hiatu capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. *Id.* 1. *Divinat.* 13. *ad fin.* Sus rostro si humi A litteram impresserit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). Cervorum rostra. *et ibid.* 25. 39. (95). Hippopotamus rostro resimo. *Id.* 9. *ibid.* 8. 7. (20). Rostrum delphini simum. *et ibid.* 10. 12. (37). Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti. *Lucan.* 4. 441. nec creditur ulli Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et præda nescit latrare reperta. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 44. (157). Rostrum lupi. *Id.* 10. *ibid.* 3. 4. (14). superius aquilæ. *Id.* 28. *ibid.* 8. 25. (90). inferius leonis. *Varro* 2. *R. R.* 3. 2. Capræ sub rostra duas ut mammulas pensiles habent. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (21). Rostrum apum. *Varro Menipp. p.* 213. *Oehl.* buxea anatum. *Ofil. Serg. v.* 7. *Wernsd.* acutum pulicis. *Juvent. de Philom. v.* 29. *W.* ciconiæ. *Incert. Epit. Il. v.* 4. *W.* Latrantumque dedit rostris volucrumque. *Nemesian. de Aucup.* 27. *W. de scolopace.* rostri mucro. — 2.°) Latiore sensu de hominibus, sed fere in sermone familiari et per contemptum. *Varro Menipp. p.* 150. *Oehl.* Manius rostrum sub rostra adfert. *Plaut. Men.* 1. 1. 11. Quem tu asservare recte, ne aufugiat, voles, esca atque potione vinciri decet: apud mensam plenam homini rostrum deliges. *Lucilius* apud *Non. p.* 455. 15. *Merc.* Ne designati rostrum prætori', pedesque Spectes. *Id. ibid.* Arripio et rostrum, labeasque etc. *Varro ibid.* Itaque videas barbato rostro illum commentari, et unumquodque verbum statera auraria pendere. *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann. a med.* Ut celerius rostrum barbatum haberem, labra de lucerna ungebam. *Ulp. Dig.* 19. 1. 17. *sub fin.* Rostrum personæ. *la boccaccia d'un mascherone.* — Hinc proverbium apud *Fronton.* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. *sub init.* Causa moræ fuit, quod quum rescribere instituissem, quædam menti meæ se offerebant non supino, ut dicitur, rostro scribenda. *h. e.* vultu negligenti.

II.) Translate ob similitudinem dicitur de aliis rebus. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 4. *R. R.* 25. Falcis vinitoriæ pars, quæ adunca est, rostrum appellatur. Eo vinitor utitur, quum incavare quid debet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (172). Vomer exigua cuspide in rostro. *h. e.* in anteriore parte. *Id.* 28. *ibid.* 11. 46. (163). Fungi lucernarum, ac fuligo, quæ est in rostris earum. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (144). Ad densandas incudes, malleorumve rostra. *h. e.* qua parte mallei tundunt. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (94). Insulam ne laceret amnis, muniunt opere, palea et stramento rostrum ejus firmantes. *h. e.* partem ejus in angustum procurrentem contra flumen. ¶ 2. Speciatim *rostrum navis* est trabs ærea, (hinc *æratæ* vocantur *Horat.* 2. *Od.* 16. 21.) interdum ferrea, prominentior ex proræ parte inferiore, rostri modo, unde, si navis remigio agitaretur in hostilem navem, hæc perforari poterat et deprimi: *sperone o sprone,* ἔμβολον: quam primus addidisse navibus dicitur Pisæus Tyrrhenus, ut *Plinius* refert 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Id mos erat ære ferroque præfigere ad ictus in prœliis. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Neque enim his nostræ (*naves*) rostro nocere poterant: tanta in eis erat firmitudo. Adde *ibid.* 14. *Liv.* 37. 30. Regiæ naves neque ipsæ ferire rostro hostem poterant, et obliquas se ipsæ ad ictus præbebant. *et ibid. ad fin.* Rhodia quum rostro percussisset Sidoniam navem. *et ibid.* 24. Rostro concurrere cum hostium navi. *Ovid.* 4. *Met.* 705. velut navis præfixo concita rostro Sulcat aquas. *Seneca Ep.* 76. Navis, cui argenteum, aut aureum rostrum est. — Plur. num. *Auct. B. Alex.* 46. Naves adversæ rostris concurrunt adeo vehementer, ut navis Octaviana, rostro discusso, ligno contineretur. *Auct. B. Afr.* 4. Naves rostris perforatæ merguntur. *Virg.* 5. *Æn.* 143. totumque dehiscit Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor. Adde *Sil. It.* 6. 358. ¶ 3. Hinc metonymice — a) *Rostrum* est pars navis anterior. *Virg.* 10. *Æn.* 157. Æneia puppis Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones. *Id. ibid.* 301. rostra tenent siccum. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (171). — b) *Rostra, ōrum,* n. plur., suggestus, et locus circa positus, ante curiam Hostiliam. quas enim primum hostiles naves Romani bello Latino ab Antiatibus cepere, L. Furio Camillo, C. Mœnio Coss., *h. e.* an. U. C. CCCCXVI., earum rostris, in victoriæ monumentum, eam partem fori exornari placuit, teste *Varron.* 5. *L. L.* 155. *Müll.*, ubi suggestus erat, seu pulpitum, cujus figuram exhibet nummus G. Lolliæ apud *Morel. Num. Fam. R.;* quo contiones ad populum habebantur, ut *Liv.* 8. 14. *extr.* et *Flor.* 1. 11. narrant. Fuerunt autem olim ad comitium, prope juncta curiæ, ut ait *Ascon.* in *Milonian.* 5., postea a Jul. Cæsare translata sunt in alium locum ejusdem fori, ante ædem D. Julii: et hæc nova, illa vetera dicta. *Liv.* 8. 3. Deduci eum de rostris jussit. Nam in iis privatus, nisi a magistratu in contionem productus, consistere non poterat. *Cic. Cluent.* 40. 111. Rem a subselliis ad rostra detulit. *Id. Pis.* 3. 7. Ita a me est consulatus peractus ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderim. *Id. Vatin.* 11. 26. Quum Vettius perorasset, descendissetque de rostris. *Liv.* 30. 17. Prætor, contione advocata, cum C. Lælio in rostra ascendit. *sulla ringhiera, in aringa.* et 34. 54. Consul ex auctoritate patrum in rostra ascendit. et edixit, ut etc. *Id.* 27. 50. *sub fin.* Vociferantes, ut in rostris prius, quam in senatu, litteræ recitarentur. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Consul contionari conantem de rostris deduxit. *Sueton. Claud.* 12. *extr.* Plures a magistratibus in rostra producti. *Plin. Paneg.* 65. Procedere in rostra. *Varro* 5. *L. L.* 9. *circa med.* Comitia edicere e rostris. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* In Lepido reprehendimur, cui quum statuam in rostris statuissemus, iidem illam evertimus. *Vellej.* 2. 19. 1. Sulpicii caput erectum et ostentatum pro rostris. *h. e.* in suggestu. *et ibid.* 56. *extr.* Cæsar sedens pro rostris. *Sueton. Aug.* 100. *ad fin.* Bifariam laudatus est, pro æde D. Julii a Tiberio, et pro rostris sub veteribus a Druso. *Alii delent* τὸ sub. *Id. Ner.* 13. Curuli residens apud rostra triumphantis habitu. — c) Poetice *rostra* pro foro. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 50. Frigidus a rostris manat per compita rumor. Adde *Senec. Const. sap.* 1. — d) Item pro populo in comitiis et contionibus congregato. *Lucan.* 8. 685. Campum et rostra movere. *Id.* 1. 275. Tenere rostra. *h. e.* dominari in contionibus. *Id.* 7. 65. Rostra forumque optare. *h. e.* pacem.

RŎSŬLA, æ, f. 1. *deminut.* rosæ, *rosetta,* parva rosa. *Dracont.* 1. *Hexaem.* 165. Qui rosulis stellare nemus, vel floribus agros Imperat. *Arevalus* leg. *roseis. Id.* tamen 2. *ibid.* 441. Et rosulas proferret hiems. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

RŎSŬLENTUS, a, um, adiect. ¶ 1. Est rosis abundans. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 199. Floribus ut rosulenta putes Prata rubescere multimodis. ¶ 2. Metonymice, roseus. *Capell.* 1. *p.* 19. Rosulenti splendoris gratia totam aulæ curiam illuminavit.

RŌSŪRA, æ, f. 1. idem ac rosio. *Plin. Valer.* 2. 28. Qui sanguinem faciunt cum conatione vel rosura. *et ibid.* Ad omnes dolores et rosuras ventris. Cf. *Marcell. Empir.* 28. *ante med.*

RŌSUS, a, um, particip. *V.* RODO.

RŌSUS, us, m. 4. idem ac rosio. *Marcell. Empir.* 28. *ante med.* Ad ventris rosus remedium sic.

RŎTA, æ, f. 1. *Roda* leg. a *Schneidero* apud *Varron.* 3. *R. R.* 5. 15. Axis, qui pro mensa sustinet rodam radiatam. — Rota, fortasse a ῥοθέω, impetu feror: cf. v. Sanskr. *rathas,* et Germ. *rad* a *reiten,* movere, quas recentiores philologi conjungunt cum v. *rates,* et *remus* (V. *Döderlein.*, *Lat. Synon. v.* 7.; *Curt.*, *Grundzüge d. Griech. Etym. p.* 492., *Vanicek.*, *Gr.-Lat. Etym. Wört. p.* 50., *Eichhoff.*, *Diction. etym. etc.* ad h. v.), est instrumentum versatile rotundum, orbis, quo, v. gr., circumacto currus procedit: ejus partes sunt *modiolus, radii, absides, canthus* seu *orbis:* τροχός (It. *ruota ;* Fr. *roue ;* Hisp. *rueda, ruedecilla, rodete, rodezno ;* Germ. *Rad ;* Angl. *a wheel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Capt.* 2. 3. 9. Pro rota me uti licet: vel ego huc, vel illuc vortar, quo imperabitis. *Lucret.* 6. 551. Ferratos utrimque rotarum succutit orbes. *Plin.* 8.

Hist. nat. 16. 19. (52). Orbes rotarum circumacti. *Id.* 16. *ibid.* 43. 84. (229). Rotarum axibus fraxinus utilis. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (141). Adipe verrino axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur. *Ovid.* 2. *Met.* 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curvatura rotæ. *et* 317. Rotarum radii. *Varro* 3. *R. R.* 5. 15. Rota radiata. *Virg.* 2. *Æn*, 235. pedibusque (*equi lignei*) rotarum Subjiciunt lapsus. *h. e.* rotas. *Ovid.* 2. *Met.* 133. Rotarum vestigia. *h. e.* orbitæ. *Id.* 2. *Pont.* 7. 44. curvis Appia trita rotis. *Id. ibid.* 194. Celeres rotæ. *et* 178. rapidæ. *Id.* 2. *Pont.* 10. 34. Esseda nos agili sive tulere rota. *et* 1. *ibid.* 8. 68. Appia ferventi ducit in arva rota. *Horat.* 1. *Od.* 1. 5. metaque fervidis Evitata rotis. *Propert.* 4. 8. 18. Effusæ per saxa rotæ. *Cato R. R.* 11. 3. Rota aquaria. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (97). Rotæ, quas aqua versat obiter. *Id.* 19. *ibid.* 5. 23. (64). Pensiles hortos rotis in solem promovere. ¶ 2. Speciatim dicitur de rota figuli. *Plaut. Epid.* 3. 2. 35. Versutior es, quam rota figularis. γιγγλύμου πολυστροφώτερος. *Horat. Art. P.* 21. amphora cœpit Institui: currente rota cur urceus exit? Sic *Vulgat. interpr. Jer.* 18. 3. *Tibull.* 2. 3. 48. Rota Cumana. *Seneca Ep.* 90. Anacharsis invenit rotam figuli, cujus circuitu vasa formantur. *Petron. de antiq. vict.* 5. *Wernsd.* nova terræ Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu. Adde *Augustin.* 5. *Civ. D.* 3. ¶ 3. Item *rota* est genus supplicii apud Græcos, quo sontes distento corpore, et inter rotæ radios implicato suspensi torquebantur. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 24. Theophrastus putatur dicere, in rotam beatam vitam non ascendere. *Apul.* 3. *Met.* Nec mora, quum ritu Græciensi ignis, et rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. *Seneca Herc. Œt.* 1011. Membra præbere rotæ. — Talis esse fingitur pœna Ixionis apud Inferos. *Tibull.* 1. 3. 73. Illic Junonem tentare Ixionis ausi Versantur celeri noxia membra rota. *Seneca Herc. Fur.* 750. Rapitur volucri tortus Ixion rota. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 335. Non rota suspensum præceps Ixiona torquet. *Virg.* 4. *G.* 484. Atque Ixionii vento rota constitit orbis. *Id.* 6. *Æn.* 616. Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum Districti pendent. *Lamprid. Elagab.* 24. Parasitos ad rotam aquariam ligabat, et cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat: eosque Ixionios amicos vocavit.

II.) Improprie. ¶ 1. *Rota* dicitur a veterinariis machina quædam, ad quam alligabantur jumenta eorumque armi luxati in locum suum restituebantur. *Pelagon. Veterin.* 4. 2. et *Veget.* 3. *Veterin.* 45. 7. Si ejecerit (*armum*), ex more ad rotam armum reponito. *se sarà spallato, secondo il costume la spalla alla ruota.* ¶ 2. Item cylindrus ad propellendum. *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 7. Subjectis rotis naves ad proximum portum trajecit. Sic *Tac.* 4. *Hist.* 23. Docebant struere materias in modum pontis, mox subjectis rotis propellere. Adde *Vitruv.* 10. 13. ¶ 3. Item trochus lusorius. *Vulgat. interpr. Psalm.* 82. 14. Pone illos ut rotam. *h. e.* circumagantur a Deo, ut a puero trochus. Cf. *Martial.* 14. 168. Inducenda rota est: — Iste trochus pueris. *et ibid.* 169. ¶ 4. Per synecdochen, poetice, est — *a*) Pro curru, *carro, cocchio. Virg.* 12. *Æn.* 671. eque rotis magnam prospexit ad urbem. *Id.* 3. *G.* 114. Rotis insistere. At *Rich.* sensu proprio interpr., ex more veterum pedibus stantium supra rotas currus. *star ritto sulle ruote. Val. Flacc.* 1. 678. de *Neptuno.* ubicumque rotis horrendus equisque Stas, pater. *Ovid.* 2. *Art. am.* 230. Si rota defuerit, tu pede carpe viam. *et* 3. *ibid.* 468. nec admissis excutiare rotis. *Id.* 2. *Met.* 312. Rotis expelli. *Propert.* 4. 10. 42. Nobilis e tectis fundere gæsa rotis. *h. e.* ex essedo, aut covino. *Id.* 1. 2. 20. Avecta externis Hippodamia rotis. Adde *Ovid.* 2. *Art. am.* 8. Huc trahunt nonnulli illud *Vulgat. interpr. Psalm.* 76. 19. Vox tonitrui tui in rota. At *Augustin. ad h. l.* Orbis terrarum est rota. — *b*) Item pro ferro, quo rotæ vinciuntur, apud *Quintil.* 1. 5. 12. — ¶ 5. In illo *Propert.* 3. 4. 26. Staminea rhombi ducitur illa rota: *rota* est ipse rhombus, vel rhombi versatio et cursus. ¶ 6. *Rota solis* est ipsum solis corpus, discus, orbis, rotundus globus. *Lucret.* 5. 433. Hic neque tum solis rota cerni lumine largo Altivolans poterat. Adde *ibid.* 565. Sic *Ennius* apud *Isid.* 18. *Orig.* 36. *extr.* et *Val. Flacc.* 3. 559. Inde patefecit radiis rota candida cælum. *Seneca Herc. Œt.* 1022. Testor nitentis flammeam Phœbi rotam. — *Luciferi rota* eodem modo intelligenda videtur. neque enim Lucifero currus tribui solet, sed equus, ut est apud *Isid. loc. cit.* et *Ovid.* 15. *Met.* 189. quumque albo Lucifer exit Clarus equo. *Tibull.* 1. 10. 62. Dum rota Luciferi provocet orta diem. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 337. *de eod.* Festinamque rotam solito properantior urget. — In illo *Senec. Herc. Œt.* 1439. Phœbique tritam flammea zonam rota: *rota* currus Phœbi omnino significatur. At in *Thyest.* 796. Nondum Hesperiæ flexura rotæ Jubet emeritos solvere currus. *h. e.* flexus et inclinatio cæli ad occidentem. ¶ 7. Est etiam gyrus, seu circuitus. *Val. Flacc.* 5. 413. rapit ipse (*sol*) nitentes Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo. Pone rota breviore soror, densæque secuntur Pliades: *rota brevior* est brevior et angustior gyrus, quem suo curru Luna percurrit. Sic in illo *Propert.* 2. 19. 65. prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit ante rota. *h. e.* septimus circuitus curru circensi. nam septies obeundus erat circus victoriam appetenti, ut *Varro* docet apud *Gell.* 3. 10. *sub fin.* et *Ovid. Halieut.* 68. ¶ 8. Hinc *rota anni* circularis cursus anni se circumagentis. *Seneca Herc. Fur.* 179. volucrique die Rota præcipitis vertitur anni. ¶ 9. *Rota nativitatis,* totus vitæ cursus, apud *Vulgat. interpr. Jac.* 3. 6. ¶ 10. In monumentis sepulcr. *rota* indicat celeritatem, seu fugam temporis. V. *Bullett. di corr. arch. a.* 1845. *p.* 131. ¶ 11. Figurate. — *a*) Refertur ad varietatem instabilitatemque Fortunæ, quæ rotæ insistere dicitur. *Cic. Pis.* 10. 22. In quo ne tum quidem, quum illam suum saltatorium versaret orbem, Fortunæ rotam pertimescebat. *Tibull.* 1. 6. 33. At tu, qui potior nunc es, mea furta timeto. Versatur celeri Fors levis orbe rotæ. *Auct. Eleg. de Fortun. viciss.* 82. *Wernsdorf.* Tuta nec in solido rerum Fortuna favore est: Quum minime credas, impulit illa rotam. Cf. *Claudian. Get.* 631. Dea ingemuit flexitque rotam. — *b*) Item ad amorem. *Plaut. Cist.* 2. 1. 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota miser. *Propert.* 2. 7. 32. Vinceris, aut vincis. hæc in amore rota est. — *c*) Commode etiam ad elegiacum carmen. *Ovid.* 1. *Art. am.* 264. imparibus vecta Thalia rotis. *et* 3. *Pont.* 4. 85. Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi Pondera disparibus non potuere rotis. ¶ 12. Est etiam animal, et quidem — *a*) Ob similitudinem, belua marina, quaternis radiis distincta, modiolum ejus oculis duobus utrinque claudentibus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 4. 3. (8). et 32. *ibid.* 11. 53. (144). — *b*) Capra ignoti generis. *Varro* 2. *R. R.* 1. 5. Ut in Samothrace greges caprarum, quas Latine *rotas* appellant. *Schneiderus* putat scribendum *strepsicerotas* pro *Latine rotas.*

RŎTĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Qui rotari, et in gyrum agi potest, *girevole. Ammian.* 23. 4. 2. Validi juvenes versant agiliter rotabilem flexum. *Augustin. Genes.* 5. 23. Rotabilis motus. ¶ 2. Item qui rotis et rhedis percurri potest. *Inscript.*, si modo legitima est, apud *Gruter.* 149. 1. c. IVLIVS CAESAR VIAM INVIAM SOLERTIA SUA ET IMPENDIO ROTAB. REDD. V. *Marin. Frat. Arv. p.* 697. *col.* 1. *n.* 128. et præsertim *Asquini, d. Forogiulio de' Carni p.* 54.

RŎTĀBŬLUM. *V.* RUTABULUM.

RŎTĀBUNDUS, a, um, adject. qui in gyrum volvitur. *Chalcid. Tim.* 15. Qui semper ultra procedere gestiens, ejusdem atque immutabilis naturæ coercitione intra objectum ejus rotabundus teneretur.

RŎTACISMUS. *V.* RHOTACISMUS.

RŎTĀLIS, e, adject. qui rotas habet. *Capitol. Macrin.* 12. *a med.* Rotale carpentum. *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 13. Impulsa rotali machina aquam producere.

RŎTANS, antis, particip. *V.* ROTO.

RŎTĀRIS, e, et

RŎTĀRĬUS, a, um, adject. ad rotas, seu omne genus vehiculorum pertinens in *Inscript. Afric.* apud *Renier.* 2300. et 2301., *ubi alii pro rotari leg.* rotarii, *ita ut sit* rotarium, ii.

RŎTĀTĬLIS, e, adject. qui in gyrum agitur. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. *ante med.* Inter rotatiles catastropharum gyros. *Prudent. præf.* περὶ στεφ. 8. Sacramus et rotatiles trochæos.

RŎTĀTIM, adverb. *in giro, in ruota, in circolo,* κύκλῳ, in modum rotæ, in orbem. *Apul.* 10. *Met.* Puelli puellæque saltantes pyrrhicham decoros ambitus inerrabant, nunc in orbem rotatim flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, etc. — Apud *Diomed.* 3. *p.* 474. *Putsch.* rotatim et volubiliter dicere est per trochæos loqui. Trochæus autem est ἀπὸ τοῦ τρέχειν, unde et τροχός, rota.

RŎTĀTĬO, ōnis, f. 3. *il girare,* κυκλοφορία, in gyrum versatio, circumductio.

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 8. *sub init.* Nec sine porrecto rotationis versationes onerum possunt facere levationes. *et in fin.* Rotatio circini. Adde *Apul. Apolog. circa med.*

II.) Translate. *Capell.* 8. *p.* 287. Diei noctisque rotatio.

RŎTĀTOR, ōris, m. 3. qui rotat, et in gyrum agit. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 7. Et tu Bassaridum rotator Euan. *Cassiod.* 7. *Variar.* 5. Camerarum rotator. *h. e.* qui cameras in forniels speciem ædificat. *V.* GYPSOPLASTES.

RŎTĀTUS, a, um, particip. *V.* ROTO.

RŎTĀTUS, us, m. 4. rotatio, circumvolutio. *Stat.* 2. *Achill.* 416. didici, quo Pæones arma rotatu, Quo Macetæ sua gæsa citent. *Auson. Edyll.* 10. 362. Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu. *Prosp. Aquit. ad Uxor.* 5. *Wernsd.* Celeri vides rotatu Rapidos dies meare. Cf. *Senec. Herc. Fur.* 178. et adde *Calcid. Tim.* 36.

RŎTELLA, æ, f. 1. *deminut. a* rota, parva rota. *Augustin. in Psalm.* 76. Brevis rotella orbiculus appellatur. Adde *Isid.* 14. *Orig.* 2.

RŎTO, as, āvi, ātum, are, 1. (rota). Particip. *Rotans* sub *A.* I. et *B.*; *Rotatus* sub *A.* I. et II. — Roto est verbum *A*) Activum, et *B*) Neutrum.

A) Activum, *roto* est rotæ more verso, circumago, volvo, in orbem verto, torqueo, κυκλόω, περιελίσσω, σφενδονάω, τροχίζω, (It. *girare attorno, far rotare, roteare;* Fr. *mouvoir circulairement, faire tourner ou rouler;* Hisp. *hacer volver, hacer mover circularmente, rodar;* Germ. *w. e. Rad od. kreisförmig herumdrehen, schleudern, schwingen;* Angl. *to tourn a thing round like a wheel, whirl round, swing*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 201. *de ventis.* rotantque cavis flammam fornacibus intus. *Virg.* 9. *Æn.* 441. ac rotat ensem fulmineum. *Val. Flacc.* 6. 551. clipeumque rotans. *Ovid.* 4. *Met.* 515. et parva Learchum Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras More rotat fundæ. *Horat.* 4. *Od.* 11. 11. Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. *Val. Flacc.* 4. 235. Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes. *h. e.* torquet in gyrum oculos. *Id.* 1. 20. *de vate Deo pleno.* vittamque comamque per auras Surgentem, laurusque rotat. (Similem locum habes apud *Lucan.* 5. 172.) *Id.* 4. 656. Unda laborantes præceps rotat. *Ovid.* 2. *Art. am.* 373. Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira, Fulmineo rabidos quum rotat ore canes. *Lucan.* 6. 222. Ursa se rotat in vulnus. *Auct. Paneg. ad Pison.* 53. et nunc cervice rotata, Incipit effusos in gyrum carpere cursus. *Quintil. declam.* 17. 16. Rotatos per abrupta mollis jactus explicuit. *Id.* 11. 3. *ante med.* Jactare caput, et comas excutientem rotare, fanaticum est. *Apul.* 8. *Met.* Crines pendulos rotantes in circulum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (51). Correptum aliquem, rotatumque sternere. *et ibid.* 53. 79. (214). Ut rotati tormento aliquo. *Id.* 2. *ibid.* 3. 3. (6). Moles rotata vertigine assidua. *Claudian. IV. cons.*

Honor. 329. Rotare saxa. *h. e.* jacere, *lanciare*, ductum a funda. Sic *Stat.* 9. *Theb.* 801. in ora loquentis Telum immane rotat. *Lucan.* 8. 673. caput ense rotare. *h. e.* desectum provolvere. *Manil.* 1. 281. Orbis sidereus æthertos rotat cursus. *h. e.* agit in orbem. *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 10. Rotare fusum. — *Rotari*, mediorum apud Græcos more, in gyrum verti, circumagi, *andare in giro, muoversi in giro*. *Ovid.* 12. *Met.* 296. Ignis rotatus. *Id.* 2. *ibid.* 74. poterisne rotatis Obvius ire polis? *et* 9. *ibid.* 221. Rotatæ nives. *Manil.* 1. 595. His eadem est via, quæ mundo, pariterque rotantur Inclines. *girano. Stat.* 1. *Achill.* 56. scopulosaque cete Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur. *rotando nuotano. Prudent.* 10. περὶ στεφ. 537. Cadet rotati solis in terram globus.

II.) Figurate. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 35. Sic ordinem fati rerum æterna series rotat. — *Sermo rotatus* est oratio brevis, expedita et volubilis. *Juvenal.* 6. 448. aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema.

B) Neutrorum more, absolute. *Lucret.* 1. 294. *de ventis.* res Corripiunt rapideque rotanti turbine portant. *Virg.* 10. *Æn.* 362. qua saxa rotantia late Impulerat torrens. Ubi *Servius*: ut Eleusinæ matris volventia plaustra (1. *G.* 163.): Rotantia ergo, quæ rotantur. *Sisebut.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 330. *Burmann. de defectu lunæ.* tum sidere casso Pallescit teres umbra rotæ, dum transeat axem Aggerei velox tumuli, speculoque rotanti Fraternas reparet per cælum libera flammas. *Alii minus recte leg.* speculoque rosanti. *V.* ROSANS. — *Rotare* dicuntur pavones, quum caudam explicantes se circumagunt. *Colum.* 8. *R. R.* 11. *circa med.* Signa sunt exstimulatæ libidinis, quum semetipsum veluti mirantem gemmantibus pinnis protegit: idque quum facit, rotare dicitur. *Alii leg.* rotari.

RŎTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* rota, *rotella, rotelletta, rotellina*, τροχίσκος, parva rota. *Plaut. Pers.* 3. 3. 38. Citius abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (172). Ut duas aratro adderent rotulas. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Possunt etiam vasis majoribus rotulæ subjici, quo minore labore producantur. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 2. 44. Super pendenti rotulæ, quam Græci τροχιλίον appellant.

RŎTŬLUS, i, m. 2. (rotula) *rotolo*, cylindrus.

I.) Proprie. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 50. Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis, Et coit in rotulum, tereti qua lubricus axe Impositos subita vertigine falleret ungues, Excuteretque feras. *Alii perperam pro rotulum legunt rotulam, vel rutilum, vel rutulum.* V. *Salmas.* ad *Hist. Aug. scriptores p.* 436. *Lips. de amphit. c.* 12. Sane *rotulum* Salmasii facile admittit scriptura codicum; *rotulæ* minus respondet, quod sequitur, *lubricus*, ut ait *Wernsdorf., Poet. Lat. Min. T.* 1. *p.* 169.

II.) Translate ita appellatur pes trochæus. *Diomed.* 3. *p.* 474. *Putsch.* Trochæus dictus ἀπὸ τοῦ τρέχειν: ajunt, hunc trochæum Auruncos rotulum nuncupasse, nimirum simili ratione, qua Græci a rota invitati, vel diversa appellatione persuasi, etc.

RŎTUNDA, æ, f. 1. *V.* ROTUNDUS.

RŎTUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. *ritondamento*, στρογγύλωσις, actus rotundandi, rotunditas. *Vitruv.* 1. 6. *ad fin.* Diducto circino circumagatur linea rotundationis. Adde 3. 1. et 10. 11.

RŎTUNDĀTUS, a, um, particip. *V.* ROTUNDO.

RŎTUNDĒ, adverb. Sup. *Rotundissime.* — Rotunde, *ritondamente*. στρογγύλως, cum rotunditate.

I.) Proprie. *Colum. 4. Arbor.* 5. *ante med.* Ut in orbem quam rotundissime formetur. Ita *Schneiderus* optime edidit ex *cod. Sangermanensi*, quum antea *Gesnerus* haberet *rectissime*.

II.) Translate est concinne, collecte, ut ait *Non. p.* 164. 1. *Merc.*, vel eleganter, composite, ut alii: nam, ut rotundum sit aliquid, arte opus est, et diligentia. *Cic.* 4. *Fin.* 3. *ad fin.* Ista ipsa, quæ tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte ac rotunde, quippe: habes enim a rhetoribus. Supra dixerat *polite apteque.*

RŎTUNDĬFŎLĬUS, a, um, adject. rotunda habens folia, ut Herbæ rotundifoliæ, *Apul. Herb.* 71.

RŎTUNDĬTAS, ātis, f. 3. *ritondezza, rotondità*, στρογγυλότης, qualitas figuræ rotundæ, circulus, gyrus, circuitus.

I.) Proprie. — *a)* Abstracto sensu. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (190). Gemma rotunditatis absolutæ. *Id.* 16. *ibid.* 23. 35. (86). Populo albæ folia in juventa circinatæ rotunditatis sunt: vetustiora in angulos exeunt. *Id.* 19. *ibid.* 5. 25. (76). Rapum rotunditate brevi notabile. *Id.* 11. *ibid.* 18. 19. (59). Apes optimæ breves, variæque, et in rotunditatem compactiles. *Id.* 22. *ibid.* 22. 33. (74). Olus maritimum esse dixerunt salsum et inde nomen foliis in rotunditatem longis. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (130). Rapa in rotunditatem globantur. Adde *Apul.* 9. *Met.* et *Augustin.* 12. *Civ. D.* 26. *Cassiod.* 2. *Variar.* 42. *ante med.* Prolixa rotunditas. h. e. *figura elittica.* loquitur enim de forma amphitheatri. — *b)* Concreto, ut ajunt, sensu. *Capell.* 2. *p.* 36. Quamdam globosam animatamque rotunditatem sumit, ac virgini porrigit hauriendam. *h. e.* ovum sorbile.

II.) Translate. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. Aures nostras gratia linguæ captivas tenet, et verborum rotunditati assentire cogimur, circumventi volubilitate sermonis. *Sidon.* 1. *Ep.* 1. Symmachi rotunditatem, C. Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis insequi.

RŎTUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (rotundus). Particip. *Rotundatus* I. et II. — Rotundo est idem ac rotundum facio. στρογγυλόω (It. *far rotondo, ritondare*; Fr. *former en rond, arrondir*; Hisp. *redondear*; Germ. *rund machen, abrunden*; Angl. *to round, make round*).

I.) Proprie. *Cic. Univ.* 10. Quumque similem universitatis efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit. *Vitruv.* 10. 11. Rotundare tignum ad circinum. *Mela* 1. 18. *ad fin.* Flamma cogit se ac rotundat, et fit ingens globus. *Vellej.* 2. 59. *in fin.* Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter rotundatusque in colorem arcus conspectus est. *Apul.* 11. *Met.* Vasculum in modum papillæ rotundatum. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 65. Rotundata frusta dare bibenda. *h. e.* in pastillos formata. Adde *Marcell. Empir.* 35. *p.* 138. — *Rotundari*, mediorum apud Græcos more. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 66. (106). Omnes herbæ quum folium primum emittant, mox in caulem rotundentur etc. *tondeggino.*

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 34. Mille talenta rotundentur. *si faccia il numero tondo di mille talenti. V.* CORROTUNDO. *Sidon.* 8. *Ep.* 4. Citos iambos, elegos acutos, ac rotundatos hendecasyllabos elucubrare. *h. e.* polite et affabre compositos.

RŎTUNDŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* rotunda, parvum emplastrum, vel placenta rotunda. *Apul. Herb.* 13. His bene commixtis facies exinde velut rotundulam, etc., τροχίσκον. *V.* TURUNDULA.

RŎTUNDUS, a, um, adject. (rota). Scribitur et *rutundus* apud *Gell.* 11. 13. *Hertz.* et *Spartian. Hadrian.* 16. 4. *Peter.* et etiam *Varron.* 1. *R. R.* 51. *et* 3. *ibid.* 12. *Polit.* Adde *Fest. loc. cit.* — Comp. *Rotundior*, et Sup. *Rotundissimus.* — Rotundus est circuli figuram habens, globosus, στρογγύλος, τροχόεις (It. *tondo, rotondo*; Fr. *rond*; Hisp. *redondo*; Germ. *rund, scheibenrund*; Angl. *round, circular, globular, globose, spherical, rotund*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Somn. Scip.* 1. Stellæ globosæ et rotundæ. *Id. Univ.* 6. Mundum Deus ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Stellarum rotundi ambitus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 140. ora rotunda. *facce o visi tondi.* et *Cic.* 5. *Tusc.* 14. *extr.* Medius mundi locus, qui est idem infimus in rotundo. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 91. (142). Radix nigra in latitudinem rotunda. *Horat. Epod.* 8. 13. Nec sita marita, quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet. *Cels.* 8. 4. *ad fin.* Capita feminum rotundiora, quam humerorum sunt, quum illa ex ceteris rotundissima sint. — Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius rex Romanorum consecrasse videtur, quod eamdem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pilæ forma esse: ut sui simili templo dea coleretur. *Festus p.* 262. 26. *Müll.* V. *Ovid.* 6. *Fast.* a *v.* 263. ¶ 2. Speciatim *rotunda vestis* esse videtur, quæ æqualiter ambit, et undique clausa est, unoque injectu totum tegit corpus: qualem fuisse Romanorum togam, *Ferrar. l.* 1. *de re vestiar. priorib. capitib.* ostendit. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Ipsam togam rotundam esse, et apte cæsam velim. Vult *Quintil.* togam esse rotundam, quia illa erat togæ forma maxime decens. Fortasse autem hoc significat, ut sit toga æqualiter ab omni parte fluxa, et undanti ambitu composita. Sunt enim qui inter quadratas vestes eam reponunt: qua de re legendi *Ferrar., Sigon. de judic., Salmas. in not. ad Tertull. de Pall., Ruben., Manut. de quæstionib. per epist.*, etc. *V.* QUADRATUS. — *Rotundo* maxime contrarium est *quadratum*. Hinc proverbio dicitur *mutare quadrata rotundis* apud *Horat.* 1. *Ep.* 1. 100. qui *vitæ disconvenit ordine toto*, modo *ædificat*, modo *diruit*, sibique ipse contrarius est.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 85. *de sapiente.* contemnere honores Fortis; et in se ipso totus; teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per leve morari. (Ita distinguit *Bentlej.*, probante *C. Fea*; nam alii: et in se ipso totus teres atque rotundus.) Respicit *Horat.* rotundam figuram, quæ, ut ait *Cic. Univ.* 6., nihil asperitatis habet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum: ita vir sapiens adeo æqualiter est compositus, et undique perfectus, ut nulla ei labes vitii adhærescat. *Auson. Edyll.* 16. 4. *de eod.* mundi instar habens, teres atque rotundus, Externæ ne quid labis per levia sidat. ¶ 2. Speciatim refertur ad dictionem periodicam, et ad eloquentiam. *Cic. Brut.* 78. *a med.* Erat verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio. *h. e.* apta, concinna, polita, æquabilis: unde orationis volubilitas exsistit. *Id. Orat.* 13. 40. Quum Thucydides videretur Socrati præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus, primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. *Gell.* 16. 1. Ἐνθυμημάτιον vere atque luculente dictum, verbisque est brevibus et rotundis vinctum. *et* 17. 20. Videsne ἐνθύμημα crebrum, et coruscum, et convexum, brevibusque et rotundis numeris cum quadam æquabili circumactione devinctum? *Id.* 11. 13. Cursus, et sonus rotundæ volubilisque sententiæ. *periodica.* et 1. 4. Crispum sane agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum. *Horat. Art. P.* 323. Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui. *h. e.* copiose, polite, perfecte, suaviter. — Aliter accipiendum est illud *Quintil.* 8. 5. *a med.* Soluta oratio et e singulis non membris, sed frustis collata, structura caret: quum illa rotunda, et undique circumcisa insistere invicem nequeant. *h. e.* verba, quæ simul componi nequeunt, et alterum alteri inhærere, et quadrare, velut si quis murum ex rotundis saxis construeret. Adde *eumd.* 3. 4. 16. — Hinc

Rotunda, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, massa rotunda. *Scribon. Compos.* 201. *extr.* Atque ita emplastrum manibus subigetur, et redactum in rotundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur. *Rectius legend. videtur* turundas. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

RU

RŬBĔA, æ. *V.* RUBEUS in fin.

RŬBĒDO, inis, f. 3. *rossezza*, ἐρύθημα, color rubeus. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. *ante med.* Leo significat colorem croceum, atque ad rubedinem declinantem.

RŬBĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. Particip. *Rubefactus.* — Rubefacio est rubere vel rubentem facio, rubro colore tingo. *Ovid.* 8. *Met.* 382. Fixa sub aure feri summum destringit arundo Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas. *Id.* 12. *ibid.* 382. Cornua vara boum multo rubefacta cruore. *Sil. It.* 16. 136. Aurora obscuri tergebat nubila cæli, Visque Atlantiadum rubefecerat ora sororum.

RŬBĔFACTUS, a, um, particip. *V.* voc. præc.

RŬBELLĬĀNUS, a, um, adject. ut Vitis rubelliana, dicta a colore rubello, apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Sed earum quoque feracior est minor *(vitis Nomentana)*, cujus et folium parcius scinditur, et materia non ita rubet, ut Amineis: a quo colore rubellianæ nuncupantur.

RŬBELLĬO, ōnis, m. 3. piscis prægrandi capite, ex genere mullorum: a *rubellus*, quod deminutum a *ruber*. Ita vero a colore dici, argumento est, quod similiter Græcis vocetur ἐρυθῖνος, ab ἐρυθρός, ruber. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 49. (138). Mullus in vino necatus, vel piscis rubellio, iis, qui inde biberint, tædium vini affert. Adde *Apic.* 10. 7. *V.* ERYTHINUS.

RŬBELLŬLUS, a, um, adject. *deminut.* rubelli. *Capell.* 5. *p.* 187. *in carm.* Umbilicus *(voluminis)* rubellulus. *V.* RUBRICA. — In illo *Veget.* 5. *Veterin.* 74. *cit.* in NUBELLULUS fortasse legendum est *rubellulus.*

RŬBELLUS, a, um, adject. *deminut.* rubri, *rossetto*, ὑπέρυθρος, subrubeus, qui modice et dilute rubet. *Martial.* 1. 104. Et Vejentani bibitur fæx crassa rubelli. (Adde *Pers.* 5. 147.) *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (23). Proxima dignitas Nomentanis *(vitibus)*, rubente materia, quapropter quidam rubellas appellavere vineas. *V.* RUBELLIANA. *Capell.* 8. *p.* 271. Depile rubellumque calvitium. Adde *Theod. Prisc.* 4. et *Marcell. Empir.* 29. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RŬBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RŬBĔO, bes, bŭi, bere, n. 2. (ruber). Particip. *Rubens* I. et II. et in fin. — Rubeo est ruber, seu rubeus sum, ἐρυθραίνομαι (It. *esser rosso, rosseggiare*; Fr. *être rouge, rougir*; Hisp. *roxear, bermejar*; Germ. *roth sein*; Angl. *to be red, redden*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1164. ulceribus quasi inustis omne rubere Corpus, ut est, per membra sacer quum diditur ignis. *Virg.* 2. *G.* 430. Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis. *Juvenal.* 6. 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis. *Seneca Herc. Fur.* 135. Asperea die dumeta rubent. *h. e.* luce perfusa. *Catull.* 3. 17. meæ puellæ Flendo turgiduli rubent ocelli. *Horat.* 2. *Od.* 11. 19. neque uno rubens Luna nitet vultu. *Ovid.* 11. *Met.* 19. tum denique saxa Non exaudili rubuerunt sanguine vatis. et 3. *ibid.* 483. *de pomis.* quæ candida parte, Parte rubent. et 3. *Art. am.* 170. bis Tyrio murice lana rubet. *Tibull.* 2. 2. 16. Eoi qua maris unda rubet. *V.* vocem seq. *Pallad. de insit.* 92. Mespilus rubet. *Quintil.* 5. 9. 16. Si vento rubet luna, signum venti est rubor.

II.) Translate, est erubescere, *arrossire, vergognarsi. Cic.* 15. *Att.* 4. *a med.* Rubeo, mihi crede: sed jam scripseram: delere nolui. *Id.* 4. *Verr.* 76. *a med.* Hærere homo, versari, rubere. *Ovid.* 7. *Met.* 78. Et rubuere genæ, totoque recanduit ore. *Ita leg.* Forcellinus *et* Klotz.; *at rectius* erubuere. *Juvenal.* 1. 166. rubet auditor, cui frigida mens est Criminibus. *Tibull.* 3. 4. 31. Ut juveni primum virgo deducta marito Inficitur teneras ore rubente genas. *Martial.* 5. 2. Quem Germanicus ore non rubenti Coram Cecropia legat puella. *h. e.* Domitianus coram Minerva. Adde *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 327. ubi pro *rubenti* alii leg. *verendo.* Adde *Senec. Ep.* 11. — Hinc Particip. præs.

Rubens, entis, adjectivorum etiam more usurpatur, unde Comp. *Rubentior*, et est rubeus, *rosseggiante, rosso. Virg.* 1. *G.* 234. Semper sole rubens, et torrida semper ab igni. *Ovid.* 5. *Fast.* 511. Vina rubentia. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (89). Superficies locustarum maris crustis rubentior. *Virg.* 3. *Ecl.* 63. suave rubens hyacinthus. et 4. *ibid.* 29. Rubens uva. *Id.* 1. *G.* 251. Vesper. et 2. *ibid.* 319. ver. *Horat.* 1. *Od.* 2. 2. *de Jove.* rubente Dextera sacras jaculatus arces. *h. e.* igne et fulmine armata. *Catull.* 20. 7. Rubens arista sole fervido. *biondeggiante. Ovid.* 12. *Met.* 277. Rubens ferrum igne. *rovente.* et 6. *ibid.* 222. Tyrio rubentia fuco Terga. et 4. *ibid.* 481. Palla rubens cruore. et 10. *ibid.* 101. pomoque onerata rubenti Arbutus. *Lucan.* 8. 34. amnis Emathia clade rubens. *Claudian. Epith. Pallad. et Celer.* 116. tum vere rubentes Desuper invertunt calathos. *h. e.* purpureis floribus plenos. *Id. Laud. Seren.* 7. flores veris honore rubentes. *Id.* 1. *in Rufin.* 102. stagna rubentis Aurea Pactoli. *Hieronym. Ep.* 22. 16. Rubentibus buccis cutis farta distenditur. *h. e.* ex vino.

RŬBER, bra, brum, adject. Forma *rubrus* pro *ruber* est *Solin.* 40. *de chamæleone.* Colores duo sunt, quos fingere non valet, rubrus et candidus. et *Isid.* 19. *Orig.* 10. Lapides in structuris apti, albus, rubrus et reliqui. — Hæc autem vox duci potest a them. Sanskr. *rudh*, unde *rudhiras*, et Græc. ἐρευθ, unde ἐρεύθω et ἐρυθρός, mutato θ in *f*, et *b*, ut in θήρ, *fera*, videre est. Item *Voss.* esse censet a voce Græca allata κατ' ἀφαίρεσιν. — Ruber, unde Comp. *Rubrior* 1. et Sup. *Ruberrimus* 1., est colorem habens sanguinis, aut ignis, aut ostri, aut croci, aut prope accedentem ad horum aliquem, rubens, rufus, russus, rubidus: de quibus disputat *Gell.* 2. 26., ἐρυθρός (It. *rosso*; Fr. *rouge*; Hisp. *roxo*; Germ. *roth*; Angl. *red*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (86). Sal ruber Memphi, rufus est circa Oxum. *at* Sillig. *leg.* rubet. (*Isid.* hæc describens 16. *Orig.* 2. *ante med. Sal*, inquit, *Memphiticus rufus est.* De eo, qui est circa Oxum, tacet.) *Ennius p.* 63. 2. *Vahlen.* rubra æthra. *Lucret.* 4. 404. rubrum tremulis jubar ignibus. *Id. ibid.* 1051. hostem ruber occupat humor. *Horat. Epod.* 17. 51. panni cruore rubri. *Id.* 3. *Od.* 13. 7. Rivos rubro sanguine inficere. *Ovid.* 11. *Met.* 368. lupus rubra suffusus lumina flamma. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 39. rubra Canicula. *accesa. Propert.* 3. 14. 16. Quos Aurora suis rubra colorat equis. *Martial.* 8. 56. Thestylis et rubras messibus uste genas. *Id.* 12. 54. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus. *Id.* 5. 8. Phasis purpureis ruber lacernis. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 22. Tincta gerens rubro punica rostra croco. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 102. Rubro cocco tincta vestis. *Ovid.* 1. *Fast.* 415. At ruber hortorum deus et tutela, Priapus. *Tibull.* 1. 1. 21. Pomosisque ruber custos ponatur in hortis *(Priapus)*. *Martial.* 9. 91. Frontem sutilibus ruber coronis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (180). Colorem illico mutant rubriore pilo. *Cels.* 5. 18. *n.* 31. Nitrum quam ruberrimum. *Virg.* 3. *G.* 359. sol Oceani rubro lavit æquore currum. *h. e.* qui accedente ad occasum sole rubescit. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. 114. Donec plurimum rubrior sanguis excludatur, vel ex rubro ac limpido lividus. ¶ 2. Specialim. — *a) Rubrum mare* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 97., *Propert.* 3. 11. 6., *Tibull.* 2. 4. 30., *Nepot. Hannib.* 2., *Liv.* 42. 52., *Melam* 3. 8. et *Plin. var. in loc.*: poetice *rubra æquora* apud *Propert.* 1. 14. 12., et absolute *rubrum* apud *Flor.* 3. 5., est quod Persicum et Arabicum sinum complectitur. *V.* ERYTHRÆUS in ONOM. *Claudian. Laud. Seren.* 3. solitam consurgere gemmis, Et rubro radiare mari. *h. e.* fulgere margaritis. *Sil. It.* 12. 231. Lucet in aure lapis rubris advectus ab undis. — *b)* Quas *breves Rubras* memorat *Martial.* 4. 64., fuit locus Etruriæ in Vejentano agro, via Flaminia, circa Cremeram: qui et *Saxa rubra* appellatus est. *Liv.* 2. 49. et *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Hinc apud *Vitruv.* 2. 7. *rubræ lapicidinæ* circa Urbem memorantur. — *c) Rubræ leges* apud *Juvenal.* quid sint, *V.* in RUBRICA.

RŬBESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

RŬBESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a rubeo. Particip. *Rubescens.* — Rubesco est rubere incipio, rubeus fio, *farsi rosso*, ἐρυθραίνω. *Virg.* 12. *Æn.* 77. Puniceis invecta rotis Aurora rubescit. (*Forcellinus* affert hunc loc. in v. RUBEO, et minus recte leg. *rubebit.*) *Id.* 8. *ibid.* 695. arva nova Neptunia cæde rubescunt. *Id.* 7. *ibid.* 25. Jamque rubescebat radiis mare. et 3. *ibid.* 521. Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis. *Ovid.* 6. *Fast.* 727. Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt. *h. e.* sole ingrediente accenduntur. *Claudian. de magnete*, 4. rubescentes ferali crine cometæ. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 187. Mavortia signa rubescunt Floribus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 54. (176). Coquitur *(cerussa)* in patinis, miscetur que rudiculis, donec rubescat. *Id.* 11. *ibid.* 37. 63. *extr.* Ceteris senecta dentes rubescunt, equo tantum candidiores fiunt. *Id.* 21. *ibid.* 4. 10. (14). Rosa rubescens. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (35). Vina rubescentia. *Sillig. leg. rufescentia.*

RŬBĔTA, æ, f. 1. *et* Rana rubeta (rubus), *sorta di rana velenosa, rospo*, φρῦνος, genus ranæ venenatæ, fere in rubis degentis: unde et nomen. Idem est ac bufo. Vim multam habet in veneficiis ad dementandos homines, et occidendos. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (50). Sunt quæ in vepribus tantum vivunt, ob id rubetarum nomine, quas Græci phrynos vocant: grandissimæ cunctarum, geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum. *Id.* 8. *ibid.* 31. 48. (110). Ranæ rubetæ, quarum et in humore vita. *Juvenal.* 6. 659. res agitur tenui pulmone rubetæ. *Propert.* 3. 4. 27. Illum turgentis ranæ portenta rubetæ, Et lecta ex sectis anguibus ossa trahunt. Adde *Plin. Valer.* 3. 14. — Mira, quæ de his tradunt magi, referuntur e *Plin. cit.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. *V.* et *Æmil. Macr. c.* 1. *de Artemisia p.* 223. *retro.*

RŬBĒTUM, i, n. 2. (rubus) *roveto*, βατών, locus, in quo rubi copiose proveniunt, vel ipsa ruborum copia: fere in plur. num. usurpatur. *Ovid.* 1. *Met.* 105. in duris hærentia mora rubetis. Adde 4. *Fast.* 509. et *Calpurn.* 3. *Ecl.* 5. *Maxim. Eleg.* 47. Dulcius in solitis cantat philomela rubetis.

RŬBĔUS, a, um, adject. ¶ 1. Est idem quod robius, robus, rufus, flavus. *Varro* 2. *R. R.* 5. *ante med.* Vaccæ colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, etc. *Colum.* 6. *R. R.* 1. *extr.* Boves colore rubeo, vel fusco. *Pallad.* 4. *R. R.* 14. *a med.* Asinus murini maxime coloris, aut rubei. *V.* ROBIUS. ¶ 2. Est etiam pertinens ad rubum, ex rubo. *Virg.* 1. *G.* 266. Nunc facilis rubeâ texatur fiscina virgâ. *Servius* ad hunc loc.: idest ea virga, quæ apud Rubos Italiæ oppidum (in Apulia, prope Canusium: de quo *Horat.* 1. *Sat.* 5. 94. Inde Rubos fessi pervenimus. *V.* RUBASTINUS) plurima nascitur: an a *rubo*, cujus meminit *Virg.* 3. *Ecl.* 89. ferat et rubus asper amomum. Hæc *Servius.* Sunt tamen etiam virgæ coloris rubei, aut sanguinei, quarum meminit *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30., 19. *ibid.* 10. 58. et 24. *ibid.* 10. 43. Has *Virgilium* potius significare quispiam putet, quam spinosas virgas e rubo, quæ texendis fiscinis ineptæ quidem videntur; sed iis etiam veteres usos fuisse ad ligandas vites, constat ex *Colum.* 4. *R. R.* 31. et *Plin.* 16. *ibid.* 37. 69. (176). — Hinc

Rubea, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, genus morbi apud *Plin. Valer.* 3. 35.

RŬBĬA, æ, f. 1. *robbia*, ἐρυθρόδανον, ἐρευθόδανον, herba radicem habens rubram, tingendis lanis et coriis idoneam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 17. (47). In primis rubia, tingendis lanis et coriis necessaria, etc. *Id.* 24. *ibid.* 11. 56. (94). Alia est erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos rubiam, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur. *Seren. Sammon.* 37. 707. conveniet rubiam quoque ducere potu. Adde *eumd.* 58. 1035., *Vitruv.* 7. 14. et *Marcell. Empir.* 25.

RŬBĬBUNDUS, a, um, adject. idem ac rubicundus, apud *Priscian. p.* 137. 24. *Keil.* Rubicundus, ne sit absonum, si rubibundus dicamus.

RŬBĬCO, as, are, n. 1. idem ac rubeo. *Venant.* 8. *Carm.* 12. 11. Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit, Coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet. Adde *eumd.* 2. *Vit. S. M*...

RŬBĪCUNDŬLUS, a, um, adject. *deminut.* rubicundi, *vermigliuzzo*, subrubeus. *Juvenal.* 6. 425. tandem illa venit rubicundula, totum Œnophorum sitiens.

RŪBĪCUNDUS, a, um, adject. Comp. *Rubicundior.* — Rubicundus est rubore plenus, abunde rubeus, *rubicondo, rosseggiante*, ἐρυθραῖος. *Priscian. loc. cit.* in v. RUBIBUNDUS. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 79. (347) *de luna.* Si rubicunda, ventos portendere creditur. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 11. Habitus cometæ rubicundior. *Virg.* 1. *G.* 297. Rubicunda Ceres. *h. e.* flava. *Ovid.* 6. *Fast.* 319. rubicunde Priape. *Id. Medic. fac.* 13. (et *Martial.* 6. 64.) matrona premens altum rubicunda cubile. *h. e.* perusta solibus, ut ait *Horat. Epod.* 2. 41., de Sabinis enim sermo est. *abbronzata.* Sic *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 257. Et calido rubicunda die sic Africa fatur. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 120. Rufus quidam, subniger, magno capite, ore rubicundo. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 8. Rubicunda cornus. *Martial.* 14. 114. testa. *Varro* 1. *R. R.* 9. *a med.* Sabulo rubicundior.

RŪBĪDUS, a, um, adject. *Rubidus* apud *Plaut. loc. cit.*, si sana est lectio, primam habet longam. — Rubidus, *rosso oscuro, rossiccio, rossigno*, ὑπέρυθρος, subruber, subrufus. *Gell.* 2. 26. Fulvus, et flavus, et rubidus, et phœniceus, et rutilus, et luteus, et spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum, quasique incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes *et mox.* Rubidus est rufus atrior, et nigrore multo inustus. *Sueton. Vitell.* 17. Erat in eo facies rubida plerumque ex vinolentia. *Festus p.* 262. 31. *Müll.* Rubidus panis appellatur parum coctus, *h. e.* cito coctus, rubefactus. Plautus in Casina (2. 5. 1.): In furnum condito, atque ibi torreto me pro pane rubido. Quidam leg. apud *Paul. Diac.* iterum coctus: quod ad *Plauti* sententiam aptius convenire videtur. *Isid.* 20. *Orig.* 2. Panis rubidus, recoctus et rubefactus. Rursus *Paul. Diac.*: Scorteæ ampullæ, rugosæ, rubidæ dici solent. *Plaut. Stich.* 1. 3. 78. Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam. Adde *Cœl. Sympos. ænigm. de strigili*, 1.

RŪBĪGO, inis, f. 3. Quod ad scriptionem attinet, dicendum esse docet *Probus app. p.* 199. 5. *Keil.* robigo, non rubigo. (Cf. *Brambach. Neugestaltung d. Lat. Orthogr.*) Sed *V.* ROBIGO cum derivatis.

RŬBOR, ōris, m. 3. rubedo, color rubeus, ἐρυθρότης (It. *rossezza, rosso*; Fr. *rougeur*; Hisp. *bermejura*; Germ. *d. Röthe*; Angl. *redness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Gell.* 2. 26. Sed quum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocum, has singulas rufi varietates Latina oratio singulis propriisque vocabulis non demonstrat, omniaque ista significat una ruboris appellatione, quum tamen ex ipsis rebus vocabula mutuetur, et igneum aliquid dicat, et flammeum, et sanguineum, et croceum, et ostrinum, et aureum. *Agroet. p.* 2269. 23. *Putsch.* Rubor, coloris est: robur, virtutis: robor, arboris. ¶ 2. Speciatim. — *a*) De tinctura rubea. *Cic. Orat.* 23. *sub fin.* Fucati medicamenta candoris et ruboris omnia repellantur. *Virg.* 3. *G.* 306. quamvis Milesia magno Vellera mutentur Tyrios incocta rubores. *h. e.* colorem purpuræ. *Seneca Herc. Œt.* 663. Sidonio mollis aheno Repetita bibit lana rubores. *Apul.* 11. *Met.* Multicolor bysso tenui pertexta, nunc albo candore lucida, nunc roseo rubore flammida. et *Accius p.* 193. 5. *Ribbeck.* rubore fulgens flammeo. — *b*) De colore rubeo, qui suffuso sanguine in vultu, aut in aliis corporis partibus apparet, *rossore. Ovid.* 3. *Amor.* 3. 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit: niveo lucet in ore rubor. *Lucan.* 5. 214. rubor igneus inficit ora. *Virg.* 12. *Æn.* 66. *de Lavinia.* Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 38. 91. (224). Alius est iræ rubor, et alius verecundiæ. *Id.* 28. *ibid.* 17. 69. (233). Rubori cum prurigine illinitur equi spuma. *h. e.* suffuso sanguini sub cute. *Plaut. Capt.* 5. 2. 9. At ego faciam, ut pudeat, nam in ruborem te totum dabo. *h. e.* loris cædam. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 40. Rubor cutis ex sinapi faciendus, quem Græci φοινιγμόν appellant. — *c*) Item de colore rubeo in aliis rebus. *Val. Flacc.* 8. 58. Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit Sidus? *Id.* 6. 27. Aureus effulsit campis rubor. Adde *Quintil.* 5. 9. 16. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 29. (56). Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. *Id.* 22. *ibid.* 23. 47. (96). Fungi, qui rubent callo, minus diluto rubore, quam boleti. *Pallad. de insit.* 76. *de punic. mal.* picta rubore placent.

II.) Metonymice est pudor, *rossore, erubescenza, vergogna, verecondia*, αἰσχύνη: cujus signum est in vultu rubor. — *a*) Absolute. *Publil. Syr. p.* 354. 10. *Ribbeck.* Ruborem amico excutere amicum est perdere. *Cic.* 2. *Orat.* 59. *extr.* Præstet orator ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine et rerum obscenitate vitanda. *Id.* 4. *Herenn.* 10. 14. Rubores alicui elicere. *far arrossire. Liv.* 30. 15. Masinissæ hæc audienti non rubor solus suffusus, sed lacrimæ etiam obortæ. *Martial.* 1. 53. Ruborem cuipiam imponere. *Alii leg.* pudorem. *Tac.* 13. *Ann.* 15. inferre. *et* 4. *Hist.* 7. afferre. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Ingens ista reputantem subit etiam antiquitatis rubor. *h. e.* redeo in memoriam, quantus fuerit majorum pudor et parcimonia in sumptibus. *Sueton. Domit.* 18. Vultu modesto, ruborisque pleno. *Ovid. Heroid.* 20. 201. matri licet omnia narres: Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent. *Id.* 5 *Fast.* 69. Dicere verba digna rubore. *h. e.* turpia, et erubescenda. *Tac.* 1. *Hist.* 30. Rubor ac dedecus. *Id.* 4. *ibid.* 62. Rubor et infamia. *Juvenal.* 13. 241. quando recepit Ejectum semel attrita de fronte ruborem. *Martial.* 7. 12. Et mihi de nullo fama rubore placet. *h. e.* non placet mihi famam parare ruborem aliis inferendo. *Apul.* 2. *Met.* In rubore suffusus rejecto capite restiti. — Figuratè. *Colum. de cult. hort.* 260. ingenuo confusa rubore Virgineas adaperta genas rosa præbet honores. Cf. *Pervig. Vener.* 25. Adde *Cœl. Sympos. ænigm. de viola*, 3. — *b*) Sequente Infinito. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 21. Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori. *Alii leg.* pudori. *Id.* 3. *Art. am.* 167. Nec rubor est emisse palam. *nè si vergognano di.* et *Val. Max.* 4. 4. *n.* 5. Nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito agrestem stivam aratri repetere. — *c*) Sequente Genetivo. *Id.* 1. 1. *n.* 15. Magnus cælestibus injectus rubor, ulterius adversus eam sæviendi. — *d*) Sequente partic. *quod. Tac.* 14. *Ann.* 55. *extr.* Rubori mihi est, quod præcipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. *mi vergogno che.*

RŬBŌRĀTUS, a, um, particip. ab inus. *rubero*, et est ad ruborem pertinens, rubore affectus, pudendus. Legitur tantum Comp. *Ruboratior* apud *Tertull. de anim.* 25.

RŬBRANS, antis, particip. ab inusit. *rubro*, rubrum reddens. *Alcim.* 5. *Carm.* 525. Junxerat interea, ponto qua Magdalus instat, Hebræus populus rubranti castra profundo. *h. e.* mari Rubro.

RŬBRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *rubro*, rubefactus. *Alcim. Ep.* 12. Columba inusitato colore rubrata. In *Ep.* 11. eadem dicitur *inusitato colore rubra columba.*

RŬBRĪCA, æ, f. 1. *V.* RUBRICUS.

RŬBRĪCĀTUS, a, um, particip. *V.* RUBRICO.

RŬBRĪCĒTA. *V.* RUBRICUS.

RŬBRĪCO, as, atum, are, a. 1. (rubricus). Pænultimam syllabam licenter corripit *Venant. loc. cit.* — Particip. *Rubricatus.* — Rubrico est rubrica tingo. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin. ad fin.* Addite martyribus, queis (*lege* quos) rubricat unda cruoris. *Auct. Priap.* 74. Rubricatus matinus. Adde *Augustin. in Exod.* 2. *qu.* 177., *Marcell. Empir.* 34. et *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 5. etc. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 86.

RŬBRĪCŌSUS, a, um, adject. Rubricosus ager, locus, *Cato R. R.* 34. et 35. et rubricosum solum, *Colum. A. R. R.* 33. 1. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (163). est rubri coloris, aut ad rubrum accedentis, et *rubrica* dicitur.

RŬBRĪCUS, a, um, adject. (ruber) idem ac rubricatus. *Gloss. Cyrill.* Πυῤῥός, russeus, rubricus, rufus. Legitur et in *Not. Tir. p.* 82. Rubor, rubricus. *et p.* 128. Rubeus, rubricus, rubricosus. — Hinc

Rubrica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, duo diversa significat; scil.

A) Est terra rubri coloris, πηλὸς ῥουσιώδης, συνωπίς, μίλτος, *sorta di terra rossa, sinopia, rubrica*, qua et pictores utuntur. Quum enim colores partim fiant, partim nascantur, rubrica ex his est, ut *Plin.* docet 35. *Hist. nat.* 6. 14. (33). Est autem multiplicis generis, Sinopica, Ægyptia, Balearica, Africana, Lemnia, Cappadox, ut *id. ibid. n.* 35. et *Vitruv.* 7. 7. tradunt.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Colum. Arbor.* 20. Priusquam arbusculas transferas, rubricâ, vel alia qualibet re signato, ut iisdem ventis, quibus ante steterunt, constituas eas. *Pers.* 1. 65. scit tendere versum, Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno. *h. e.* lineam rubrica tinctam, ut solent materiarii. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (190). Homines atri coloris tota corpora rubrica illinunt. *Cic.* 3. *Herenn.* 22. *ad fin.* Rubrica delibutus. *imbellettato.* et *Plaut. Truc.* 2. 2. 39. Buccas rubrica, creta omne corpus intinxti mihi. *Cod. palimps.* rubricacreta: *Palat.* rubrice ceta *vel* rubriceta: at *Scholiast. ad h. l.* Rubrica: rosea tinctione. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 37. (135). Diphryges fit ex lapide pyrite cremato in caminis, donec excoquatur in rubricam. *h. e.* in rubrum colorem. — *b*) Latiore sensu *rubrica* dicitur quævis terra coloris ad rubrum accedentis. *Vitruv.* 2. 3. Faciendi sunt lateres ex terra albida, cretosa, sive de rubrica. *Colum.* 3. *R. R.* 11. *extr.* Gravis est rubrica et ad comprehendendum radicibus iniqua; sed alit eadem vitem, quum tenuit: verum est in opere difficilior, quod neque humentem fodere possis, quod sit glutinosissima; nec nimium siccam, quia ultra modum prædura. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (135). Lupinum ex densiore terra rubricam maxime amat. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 10.

II.) Metonymice est inscriptio vel titulus earum rerum, quæ in legibus infra scriptis continentur: quia olim rubrica legum tituli et capita librorum notabantur, distinctionis et ornatus gratiâ, et ut facilius apparerent. Hinc *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 7. Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. *et Martial.* 3. 2. Et cocco rubeat superbus index. *Pers.* 5. 89. Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas, Excepto si quid Masuri rubrica vetavit? *Quintil.* 12. 3. *sub fin.* Alii se ad album, ac rubricas transtulerunt, et formularii, vel, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt. ubi τὸ *rubricas* oppon. τῷ *album.* et *Paul. Dig.* 43. 2. 2. *sub fin.* Recuperandæ possessionis causâ proponuntur interdicta sub rubrica, Unde vi. Huc pertinet illud *Juvenal.* 14. 101. accipe ceras, Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras Majorum leges.

B) Est etiam tunica ignei coloris apud *Charis. p.* 296. 16. *Keil.* Induo puerum rubricam et rubrica.

RŬBRUS. *V.* RUBER.

RŪBUM. *V.* voc. seq.

RŪBUS, i, m. 2. (rubeo, ruber). Feminino genere *Prudent.* 5. *Cathemer.* 31. Moyses nempe Deum spinifera in rubo Vidit conspicuo lumine flammeum. Adde *Apotheos.* 123. et *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 14.; et neutro, ut videtur, genere, si analogiam sequaris, *Rubum, i*, apud *Propert. loc. cit.* — Rubus

I.) Proprie. ¶ 1. Est *rovo, rogo*, βατός, frutex spinosus caule et folio, passim in dumetis nascens et saxis, florem candidum, et mora ferens ante maturitatem rubentia; unde fortasse nomen: cujus alterum genus cynosbatos dictus, florem habet rosæ similem: tertium genus Idæum vocant Græci a loco: quoniam in Ida non aliud nascitur: tenuius quam cetera, minoribusque spinis, et minus aduncis. Hæc *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 71. (180)., qui *ibid.* 21. 33. (80). scribit, alicui generi folia non cadere: *et* 17. *ibid.* 13. 21. (96). curvari rubos gracilitate, et simul proceritate nimia, deligere rursus in terram capita, iterumque nasci ex se, repleturos omnia, ni resistat cultura:

ita pessimam et exsecrandam rem propaginem tamen docuisse, ac viviradicem. *Id.* 24. *ibid.* 13. 73. (117). *et ibid.* 14. 74. 75. et 76. varias et valde utiles eorum vires in medicina persequitur. *Virg.* 3. *G.* 315. Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos. *Id.* 3. *Ecl.* 89. ferat et rubus asper amomum. *Ovid. de nuce* 113. At rubus et sentes tantummodo lædere natæ. *Id. Medic. fac.* 4. mordaces interiere rubi. *Id.* 4. *Pont.* 4. 4. Mixta fere duris utilis herba rubis. *Propert.* 4. 4. 26. hirsutis brachia secta rubis. *Tibull.* 4. 3. 10. hamatis crura notare rubis. *Quintil.* 12. 1. 7. In terra sentibus ac rubis occupata. — *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. 107. Agrestis celsæ coma, quam rubum vocant. ¶ 2. Dicitur de moris rubi. *Propert.* 3. 11. 28. Et dare puniceis plena canistra rubis. Adde *Calpurn.* 4. *Ecl.* 31.

II.) Figurate. *Tertull. Pall.* 2. Eradicato cacto et rubo subdolæ familiaritatis.

RUCLĀTUS, a, um. Legitur apud *Marcell. Empir. c.* 22. *p.* 118. Cochleare plenum, vel rasum id est ruclatum. Fortasse per syncop. ab inus. *runculatus*, si tamen lectio vera est. Cf. *securiclatus*.

RUCTA, æ, f. 1. idem ac rumen. *Gloss. Isid.* Ructa, vel frumen in homine, vel rumen in bestia: pars gutturis gurgulioni proxima. *V.* RUMA.

RUCTĀBUNDUS, a, um, adject. ructans aut ructuosus. *Seneca* 12. *Vit. beat.* 3. Ructabundus semper atque ebrius.

RUCTĀMEN, inis, n. 3. ructus. *Prudent. Hamartig.* 467. Carnis et immodicæ spurco ructamine crudos.

RUCTANS, antis, particip. *V.* RUCTO.

RUCTĀTĬO, ōnis, f. 3. ructus. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. 57. Cum tormento et ructatione, inflatione cogente. *Id.* 3. *Acut.* 20. 194. Ructatio fumosa. *Id.* 5. *Tard.* 10. 98. tetra. *et ibid.* acida. *Ennod.* 7. *Ep.* 21. Ecce inter ructationes Lyæo debitas, qualia Silenus alter, verba componit. Adde *Marcell. Empir.* 20.

RUCTĀTRIX, trīcis, f. 3. quæ ructat: et quæ ructum movet. *Martial.* 10. 48. Nec deest ructatrix menta, nec herba salax.

RUCTĀTUS, a, um, particip. *V.* RUCTO.

RUCTĀTUS, us, m. 4. ructus. *Augustin.* 5. *contra Faust.* 10. Ut vestris ructatibus cito purgentur. Adde 20. *ibid.* 13.

RUCTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. et Ructor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. De hac forma *Paul. Diac. ex Festo p.* 263. 2. *Müll.* Ructare, non ructari dicendum est. Flaccus: Videres alios ructare ac respuere pulcherrima superbia. Cicero tamen ructaretur dixit. *Caper p.* 93. 10. *Keil.* Ructo dicendum, quamvis quidam veteres ructor dixerint. Adde *Macrob. p.* 628. 18. *K.* et *Porphyr.* in *Horat. Art. P.* 457. ubi tamen *Pauly.* leg. *eructat.* De notatione vero hujusce vocis *V.* ERUCTO. — Particip. *Ructans* sub *A.* et *B.* II.; *Ructatus* sub *B.* I. et II. — Ructo duo significat; scil.

A) Est ructum emitto, ἐρεύγω (It. *ruttare*; Fr. *roter*; Hisp. *regoldar*; Germ. *rülpsen*; Angl. *to belch, rift, eruct*); et usurpatur — *a*) Cum Accusativo. *Varro* 3. *R. R.* 2. 3. Cujus aves hospitales etiam nunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 68. (176). Tragoriganum efficacissimum stomacho acida ructanti. *Juvenal.* 6. 10. glandem ructante marito. *Martial.* 9. 49. Ructare aprum. *Cels.* 1. 2. crudum. — *b*) Absolute. *Lucilius* apud *Perott.* in *Cornucop.* Ructantur juvenes, et sputis omnia fœdant. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 9. Pergin' ructare in os mihi? *Juvenal.* 3. 107. Si bene ructavit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (80). Ut in Antonia Drusi numquam exspuisse, in Pomponio consulari poeta numquam ructasse. *Cic.* 2. *Phil.* 25. *sub fin.* Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens etc.

B) Est etiam prægnanti, ut ajunt, sensu ructando emitto, emitto, ejicio, *mandar fuori.*

I.) Proprie. *Sil. It.* 2. 686. patuloque redundat Gutture ructatus large cruor. Adde *eumd.* 15. 432.

II.) Translate: sed metaphora est humilis et plebeja. *Pallad.* 8. *R. R.* 8. *ad fin.* Si terra vaporata humidum fumum nebulosumque ructaverit, aquas inesse cognosces. *h. e.* exhalare. *Horat. Art. P.* 457. dum sublimes versus ructatur. *Sidon.* 23. *Carm.* 252. Qui supra satrapas sedet tyrannus, Ructans semideûm propinquitates. *h. e.* jactans, in ore habens. *Id.* 4. *Ep.* 17. Potor Mosellæ Tiberim ructas. *Tertull. testim. anim.* 1. Quæ academiis et porticibus Atticis pasta sapientiam ructas. *Prudent. Apotheos.* 93. Protulit imperium patrio ructata profundo. *Licent. ad Augustin.* 28. abdita jussit Ubertate animi longe ructare fluenta.

RUCTOR, āris. *V.* voc. præced.

RUCTŬĀTĬO, ōnis, f. 3. ructatio. *Cœl. Aurel. de signif.* 63. et *Augustin. Serm.* 150.

RUCTŬO, as, āvi, are, a. 1. ructo. *Augustin. Serm.* 135. *de Temp. a med.* Bibentes unicum Verbum, unde impleti ructuant laudes. Adde *Solin.* 1. 74.

RUCTŬŌSUS, a, um, adject. ἐρευματώδης, plenus ructibus. *M. Cœlius* apud *Quintil.* 4. 2. *sub fin.* Totis præcordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare.

RUCTUS, us, m. 4. ἐρυγή, *rutto*, cibi et potus in stomacho male concocti ventosa per os exspiratio, crudi stomachi sonitus, quem edere solent, qui plus æquo onerarunt ventriculum.

I.) Proprie. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *in fin.* Stoici crepitus ajunt æque liberos, ac ructus esse oportere. *Martial.* 1. 88. Extremo ructus quum venit a barathro. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Ructa gravis herba. *h. e.* quæ manducata ructus movet fœtidi oris. *Lucilius* apud *Non. p.* 164. 33. *Merc.* exhalas acidos de pectore ructus. *Cels.* 4. 5. *sub fin.* Si coacuit intus cibus, aut computruit: quorum utrumlibet ructus ostendit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 47. (74). Peucedani succus ructus gignit. *Id.* 20. *ibid.* 18. 74. (196). Anethum ructus movet. *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (135). Smyrnion sudores ciet, et ructus. *Id.* 22. *ibid.* 23. 48. (100). Silphion inflationes facit, et ructus. *Id.* 20. *ibid.* 12. 48. (122). Ructum dissolvere. *et ibid.* 17. 66. (174). Piperitis utilis ructibus.

II.) Translate. *Cyprian. Ep.* 62. *n.* 2. Nec patitur pro arbitrio, et ructu suo vivere. *gusto, dettame, arbitrio.*

RŪDĔRĀTUS. *V.* voc. seq.

RŪDECTUS, a, um, adject. (rudus) est adjunctum terræ ruderibus plenæ, macræ, siccæ. *Cato R. R.* 34. Ager rubricosus, et terra pulla, materina, rudecta, arenosa. *et ibid.* 35. Lentim in rudecto et rubricoso loco, qui herbosus non siet, serito. (*Plin.* hæc sic reddit 18. *Hist. nat.* 17. 46. (164). Lentem seri in frutectoso et rubricoso, qui non sit herbidus.) *Id. ibid.* 131. Ea loca primum arato, quæ rudecta arenosaque erunt. (*Plin.* 18. *ibid.* 26. 65. (243). Arare incipiat macra arenosaque. Ipse *Cato R. R.* 50. Loca primum arato, quæ siccissima erunt.) Alii leg. *rudeata*, quidam *rudeta*, eod. sensu, quæ varietas est etiam in duobus prioribus locis modo adlatis.

RŪDENS, entis, 3.

A) Nomen substantivum, gener. masculin.; at femin. quoque habet, ut apud *Plaut. Rud.* 4. 3. 1. Mane, dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico. — Ablat. sing. est *rudente*, raro *rudenti*, ut apud *Vitruv.* 10. 2.; Genet. plur. *rudentium* pro *rudentum* habet *Vitruv.* 10. 19. *a med.* et *Prudent.* 2. *advers. Symmach. præf.* — *Cincius* apud *Fest. p.* 265. 16. *Müll.* videtur *Forcellino* hanc vocem ducere a rudis: at *Fest. ibid.* 24. potius ducit a rudendo. Inquit enim: Rudentes restes nauticæ, et asini quum voces mittunt. *Nonius* vero *p.* 51. 16. *Merc.* Rudentes ea caussa sapientissimi dictos volunt, quod funes, quum vento verberantur, rudere existimentur; atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putant. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 91. Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum. — Ceterum *rudens* est funis nauticus, præsertim quo antenna et velum tenditur, *fune da nave, sartiame, scotte, imbrogli, sarte*, κάλως, πρότονος, ἐπίτονος, καρχήσιοι.

I.) Proprie. — 1.°) Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 56. 127. Explicatio rudentis. *Pacuvius* apud *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. *de oborta tempestate.* Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus. Sic *Horat. Epod.* 10. 5. Niger rudentes Eurus, inverso mari, Tractosque remos differat. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 19. contenti stridunt Aquilone rudentes. *Id.* 3. *Met.* 616. quo non alius conscendere summas Ocior antennas, prensoque rudente relabi. *Catull.* 64. 235. Candidaque intorti sustollant vela rudentes. — *Excutere, laxare, immittere, expedire rudentes* est vela facientium. *Virg.* 3. *Æn.* 267. excussosque jubet laxare rudentes. *et ibid.* 682. Præcipites metus acer agit quocumque rudentes Excutere, et ventis intendere vela secundis. *Id.* 10. *ibid.* 229. velis immitte rudentes. *Lucan.* 5. 426. Quum pariter solvere rates, totosque rudentes Laxavere sinus. *Claudian. B. Gild.* 480. arripiunt naves, ipsique (*milites*) rudentes Expediunt. — *b*) Speciatim *Rudens* est titulus comœdiæ Plautinæ, in qua piscator inducitur captum in mari vidulum rudente trahens. — 2.°) Latiore sensu, adhibetur etiam extra rem nauticam, ad quemcumque funem significandum. *Vitruv.* enim usurpat de funibus catapultæ et balistæ, 10. 17. *extr.* et *ibid.* 18.

II.) Translate. — *a*) Per synecdochen dicitur de navi, aut velis, aut navigatione. *Val. Flacc.* 1. 627. illicitas temerare rudentibus undas. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. Qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset: non sane optabilis quidem ista, inquit, rudentibus apta fortuna. *h. e.* quasi alligata rudentibus, et ab incerto maris statu pendens. — *b*) Figurate. *Vulgat. interpr.* 2. *Pet.* 2. 4. *de angelis.* Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.

B) Particip. præs. *V.* RUDO.

RŪDENTĬSĪBĪLUS, i, m. 2. stridor funium nauticorum. *Pacuvius* apud *Varron.* 4. *L. L.* 1. *a med.* *V.* ejusd. locum in RUDENS, ubi *Cœlius* videtur duriusculam veteris poetæ compositam vocem mitigasse. Ita *Forcellinus*: at *Müllerus* in *Varron. loc. cit.* (5. 7.) et *Ribbeckius* in *Pacuv. fragm. p.* 119. 6. leg. divise *rudentum sibilus.*

RŪDĔRĀRĬUS, a, um, adject. ad rudera spectans, ut Ruderarium cribrum, idest cribri genus majus ex membrana minutis foraminibus pertusa, quo rudus, et arena, et calx cribrantur. *Apul.* 8. *Met.* Quem ad finem cantherium isti vænui subjiciemus, et vetulum, et colore deformem, nec quidquam amplius, quam ruderarium cribrum?

RŪDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (rudero). ¶ 1. Abstractorum more, est actus ruderandi, h. e. sternendi rudere pavimenta, *il fare un battuto, un pavimento, uno strato, o spazzo*, ψήφωσις. Differt a statuminatione, quia statuminatio fit lapidibus, et cæmentis libralibus, et manualibus, sine calce et arena; ruderatio vero statumini superinducitur cum calce et arena, aut rudere novo, aut redivivo, idest ex vetere ædificio sumpto, non nuper effosso, quod constat e cæmento, ad differentiam nuclei, qui est e testa contusa, et tertio loco inducitur. *Vitruv.* 7. 1. Primumque incipiam de ruderatione, quæ principia tenet expolitionum. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, est ruderis seu pavimenti massa. *Vitruv.* 5. 12. Locus ruderatione seu structura compleatur.

RŪDĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

RŪDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (rudus). Particip. *Ruderatus.* — Rudero est rudus induco in pavimentis, solum rudere sterno, *fare un battuto o strato*, ψηφόω. *Vitruv.* 7. 1. Si plano pede erit ruderandum, quæratur solum, etc. *et mox.* Tunc insuper statuminetur, ne minori saxo, quam quod possit manum implere: statuminibus inductis, ruderetur. Ita *Forcellinus*: at *Schneiderus* utrobique aliter legit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (20). Rosa seri nec pinguibus vult, nec argillosis locis, nec riguis, contenta rudis: proprieque ruderatum agrum amat. *h. e.* in quo rudera, veterumque ædificiorum fragmina plurima sunt.

RŪDESCŎLUM (Rudesculum), i, n. 2. deminut. rudentis, parvus funis. *Gloss. Gr. Lat.* Σχοινίον: funis, restis, rudescolum.

RŬDĬĀRĬUS, ĭi, m. 2. ¶ 1. Est gladiator rude donatus. *V.* RUDIS, is. *Sueton. Tib.* 7. Munus gladiatorium in memoriam patris dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium. *Inscript.* apud *Orell.* 2584. *V.* in RUDIS, is. ¶ 2. *Cincius* apud *Fest.* in *Rodus*, vocat *rudiarios* qui saga nova poliunt: nempe a *rudis* adject.

RŬDĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* rudis, virga, est spatha, ligula, instrumentum, quo agitantur ea, quæ coquuntur, *spatola, mestola,* κύκηθρον, σπάθη. *Cato R. R.* 95. Amurcæ in vas abenum indito congios duos: postea igni leni coquito: rudicula agitato crebro, usque adeo dum fiat tam crassum, quam mel. *Colum.* 12. *R. R.* 46. *a med.* Defrutum confundito in ollam, taleolas inulæ adjicito, ac rudicula lignea peragitato. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 54. (176). Coquitur in patinis, misceturque rudiculis, donec rubescat.

RUDICŬLUS, i, m. 2. vas quoddam. sic enim vocatur a *Paul. Diac.* apud *Fest. p.* 217. 14. *Müll.* Persillum vocant sacerdotes rudiculum picatum, quo unguine Flamen Portunalis arma Quirini unguet. Alii leg. *rudusculum*, et intelligunt vas ex cavo informi saxo, quia *rudus* saxum impolitum est. (Cf. *Epit. Vitruv.*, quæ tribuitur *Pallad.*, 307. 3. *Nohl.*, ubi *rudis* est vas fictile. *Haupt.* libelli auctorem M. Cetium Faventinum nuperrime reperit.)

RŬDĪMENTUM, i, n. 2. ¶ 1. Est primum principium artis, aut disciplinæ cujuslibet: a *rudis*, quia res omnes initio rudes sunt, et qui ad artem quamlibet accedit, rudis est, *primo principio di qualche professione, noviziato, rudimento,* προπαιδεία. *Quintil.* 2. 5. 1. Prima rhetorices rudimenta tractamus. *Vellej.* 2. 129. 2. Imbutus rudimentis militiæ. Adde *Sueton. Tib.* 8. et *Curt.* 5. 1. 43. *Stat.* 1. *Achill.* 478. Cruda rudimenta, et teneros formaverit annos. — *Rudimentum ponere, deponere,* rudem esse desinere, incipere fieri instructiorem et politiorem, *uscir di noviziato, dirozzarsi. Liv.* 31. 11. *ad fin.* Verminam rudimentum adolescentiæ, bello lacessentem Romanos, posuisse. *Justin.* 7. 5. 3. Prima pueritiæ rudimenta in urbe severitatis antiquæ deposuit. *Id.* 9. 1. *sub fin.* Sub militia patris tirocinii rudimenta deponere. Adde *Sueton. Ner.* 22. — *Rudimentum temporis* apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. 50. est rudioris sæculi ignorantia. ¶ 2. Hinc est primum specimen, periculum, experimentum. *Petron. Sat.* 83. Vidi Protogenis rudimenta, quum ipsius naturæ veritate certantia. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (24). Est flos non dissimilis lilio in herba, quam convolvolum vocant, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiscentis. *imparaticcio.* et *Gell.* 12. 1. *circa med. de lacte matris.* Ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præsto est. *Ovid. Heroid.* 5. 97. Turpe rudimentum, patriæ præponere raptam. *brutto saggio, disonesto principio.* et *Quintil.* 2. 1. *circa med.* Suasoriæ, quæ sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi. *Liv.* 1. 3. Rudimentum primum puerilis regni. *i primi anni.* et *Virg.* 11. *Æn.* 157. Dura rudimenta belli. *Apul. Apolog.* Virgo affert ad maritum pulcritudinis gratiam, floris rudimentum. *h. e.* primitias virginitatis delibandas. *Id.* 6. *Met.* Thalami rudimentum. *et* 7. *ibid.* Veneris rudimentum. *h. e.* primus virginis cum marito concubitus, quum nempe amori rudi litare novi conjuges solent.

RŬDIS, e, adject. *Rude* in ablativo sing. habet *Inscript.* apud *Murat.* 347. 1. MOENIA DE RVDE COEPTA SOLO. Ducitur autem ab eodem themate ac Lat. *rudis*, virga, *ramus, radius,* et Græc. ῥάδαμνος, h. e. a Sanskr. *rudh*, cresco, germino. — Comp. *Rudior* non habet, quod sciam, exempla: non tamen improbaverim. Sup. *Rudissimus* tribuitur *Ammian.* 26. 6. 8. Inexorabilis et crudelis, et in rabido corde rudissimus. sed alii leg. *durissimus,* alii *crudissimus.* — Rudis est incultus, impolitus, inelaboratus, non levigatus, inornatus, imperfectus, αὐτόσκευος, ἀνέργαστος (It. *non lavorato, incolto, rozzo, grossolano, ruvido, rude*; Fr. *qui n'est pas travaillé, brut, sauvage, rude;* Hisp. *rudo, da, tosco, sin pulidez;* Germ. *unbearbeitet, ungebildet, kunstlos, roh, grob, wild;* Angl. *unwrought, uncultivated, unpolished, rude, rough, rugged*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est incultus, impolitus, inornatus, imperfectus. *Cincius* apud *Fest.* in *Rodus.* Omnis fere materia non deformata, rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum. *Virg.* 2. *G.* 211. At rudis enituit impulso vomere campus. *Varro* 1. *R. R.* 44. 2. Multum interest, in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit. *Colum.* 3. *R. R.* 11. Rudem potius eligendum agrum, quam ubi fuerit seges. *Virg.* 9. *Æn.* 743. ille rudem nobis et cortice crudo Intorquet summis adnixus viribus hastam. *Petron. Sat.* 114. Rudis atque infecta materies. *Ovid.* 1. *Met.* 7. chaos, rudis indigestaque moles. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (270). Rudis parietum circumjectus. *h. e.* parietum tectorio non politorum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 227. Cur mihi nota tuo causa est candoris in ore? Claude forem thalami. quid rude prodis opus? *h. e.* opus fucandi oris, quum adhuc imperfectum est. *Id.* 6. *Met.* 19. Rudis lana. *Id.* 4. *Fast.* 659. vestis. *Id.* 8. *Met.* 640. Textum rude. *et* 1. *ibid.* 406. Signa rudia. *statue abbozzate.* et *Quintil.* 9. 4. *ante med.* saxa. *non lavorati.* et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (46). Succinum advehi rude, polirique adipe suis. *Id.* 33. *ibid.* 3. 13. (43). Servius rex primus signavit æs: antea rudi usos Romæ, Timæus tradit. *V.* GRAVIS. *Seneca Hippol.* 320. Dare legem rudibus capillis. *scarmigliati*, incomptis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 113. Rudis simplicitas. *h. e.* inornata. *Martial.* 2. 90. fons vivus, et herba rudis. *h. e.* sua sponte nascens, nulla arte exculta aut disposita, ut fit in hortis deliciarum causa institutis. *Id.* 10. 48. Prototomi rudes. *h. e.* vel nulla, vel simplici conditura in cibum parati. — Absolute *Quintil.* 2. 12. 8. Detrahit doctrina aliquid, ut lima rudibus. — Ex his apparet *rudia* dici, quæ talia sunt, qualia natura edidit, nihilque illis adhuc adjectum est. Hujusmodi sunt *lana, herba, hasta, campus rudis, æs rude* etc. ¶ 2. Sic *rudia* dicuntur etiam quæ recentia sunt, nova, integra. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 26. *de purpurisso.* Præcipuum est primum, fervente abeno rudibus medicamentis inebriatum. *colore, o tintura vergine,* sanie purpuræ, quæ nondum quidquam aliud tinxit. *Petron. Sat.* 94. *sub fin.* Rudis novacula, et retusa. *h. e.* nova, cote nondum asperata, et quæ nullam adhuc barbam desecuit. *Claudian. VI. cons. Honor.* 541. lunamque rudem madefecerat Auster. *h. e.* novam. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 80. Rudes lacrimæ. *h. e.* quæ funduntur a teneris juvenibus tum primum amore implicitis. *Lucan.* 3. 193. et *Apul.* 11. *Met.* Rudem dedicantes carinam. *h. e.* novam, et mare nondum expertam. *Nemesian. Cyneg.* 19. Rudes sulci. *h. e.* primi, recens facti. *Id. ibid.* 33. pinnæ. *h. e.* novæ, primæ, inexpertæ. — *Rudis agna* apud *Martial.* 9. 72. est tenella, recens a matre. τέρεν πρόβατον. Sic *rudis filia,* parvula, infans, 7. 95. ¶ 3. Aliquando *rudis* est durus, non mollitus. *Martial.* 13. 68. Turget adhuc viridi quum rudis uva mero. *immatura.*

II.) Translate. ¶ 1. Sumptâ metaphorâ a superior. paragr. 1. — 1.°) De rebus est impolitus, inelaboratus, imperfectus, incultus, incomptus, impar. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 60. Placet consilium. MIL. imo etiam ubi expolivero, Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude est. *Cic. Brut.* 85. 294. Forma ingenii admodum impolita et plane rudis. *Id.* 1. *Orat.* 2. 5. Quæ pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 66. rude et Græcis intactum carmen. *Id. Art. P.* 410. ingenium. *Ovid.* 1. *Art. am.* 111. modus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (284). Rudis fuit priscorum vita, et sine litteris. *Tac.* 4. *Ann.* 8. Rudis ætas. *Quintil.* 12. 11. *a med.* et *Val. Max.* 5. 3. *init.* Rude sæculum. *h. e.* sine litteris. *Tac.* 13. *Ann.* 16., *Quintil.* 1. 1. 5. et *Seneca Thyest.* 317. Rudes anni. *h. e.* Infantiæ et pueritiæ. *Quintil.* 3. 1. 7. Quæ rudia atque imperfecta adhuc erant. *Id.* 11. 3. 32. Rudis vox. *et* 12. 10. 3. primordia. *Pallad. de insit.* 6. libelli, Sed pura tantum rusticitate rudes. *Hygin. Gromat. p.* 203. *Rudorff.* Rudis ager. *Sil. It.* 14. 501. Puero rudis pugna. *h. e.* cui puer nondum par erat. — 2.°) De personis, imperitus, ignarus, indoctus, *rozzo, ineducato, ignorante, inesperto,* ἀπαίδευτος, ἀμαθής. — *a*) Absolute. *Fest. p.* 265. 23. *Müll.* Hominem imperitum rudem dicimus. *Cic. Sext.* 21. 47. Tam eram rudis? *Id.* 3. *Nat. D.* 3. 7. Rudem me et integrum discipulum accipe. *Horat.* 3. *Od.* 24. 54. nescit equo rudis Hærere ingenuus puer. *Plin.* 8. *Ep* 14. Rudis et imperitus. *Quintil.* 11. 3. 76. Plane rudis aut stultus. Adde 8. 3. 36. — *b*) Cum Genetivo. *Cic. Flacc.* 7. 16. Imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique. *Id. Balb.* 20. 47. Non imperitus fœderis, non rudis exemplorum. *Id.* 4. *Verr.* 6. *a med.* Provinciæ rudis ac tiro. *Id. ibid.* 2. 35. Rudis harum rerum. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. Græcarum litterarum. *Id. Acad.* (1. *post.*) 2. rei militaris. *Horat.* 3. *Od.* 2. 9. agminum. *Id.* 2. *Ep.* 2. 47. civilis belli. *Ovid.* 7. *Met.* 213. somni. *Id.* 4. *Fast.* 336. operum conjugiique. *Liv.* 1. 7. artium. *Tac.* 1. *Ann.* 3. bonarum artium. *Id. ibid.* 29. dicendi. *et* 12. *ibid.* 51. facinorum. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 24. 48. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse. *Ovid. Heroid.* 11. 48. Et rudis ad partus, et nova miles eram. *Id.* 3. *Pont.* 7. 18. Ad mala jampridem non sumus ulla rudes. *Justin.* 1. 1. 5. Rudes adhuc ad resistendum populos. *Curt.* 6. 21. 9. Rudis natio ad voluptates. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *in. Cic. Marcell.* 7. *a med.* Quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, qui etc.? *Id.* 1. *Orat.* 50. *extr.* Orator nulla in re tiro ac rudis, nec peregrinus atque hospes in agendo esse debet. *et ibid.* 58. *a med.* In communi vita nec hebetem esse, nec rudem. *Id.* 1. *Fin.* 2. 5. Rudis omnino in nostris poetis. *Id.* 4. *Fam.* 1. in causa. *Id.* 1. *de republ.* 8. in disserendo. *Id.* 1. *Orat.* 10. 40. in jure civili. *Propert.* 2. 25. 82. Sive in amore rudis, sive peritus erit. Adde *Quintil.* 10. 1. 66. — Cum Ablativo sine præpos. *Stat.* 6. *Theb.* 437. Ennius ingenio maximus, arte rudis. *Vellej.* 2. 73. 1. Adolescens studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus. — *e*) Cum Infinito. *Sil. It.* 6. 90. nec ferre rudis medicamina. *et* 8. 260. debilis arte Belligera, Martemque rudis versare. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Catull.* 64. 11. rudis Amphitrite. *h. e.* mare nondum navibus tentatum. *Seneca Troad.* 217. Rudem cruore regio dextram imbuit. *h. e.* quæ sanguinem nondum feriendo hauserat. *Martial.* 1. 67. Secreta quære carmina, et rudes curas. *h. e.* quæ nondum vulgatæ sunt, neque expertæ judicium vulgi. *Propert.* 3. 13. 5. Rudes animi. *h. e.* nondum amorem experti. ¶ 3. Item *rudis* est molestus, incommodus, noxius. *Martial.* 6. 42. fontes Aponi rudes puellis. *scil.* quia in his viri recreantur, si mulier descendat, incenditur, inquit *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. *circa med.* ¶ 4. Item agrestis, rusticus. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Sit vox non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 111. rudem præbente modum tibicine Tusco.

RŬDIS, is, f. 3. Ablativ. sing. sæpius *rude,* aliquando *rudi,* ut apud *Capitolin. Opell. Macr.* 4. — Rudis (*V.* voc. præced. init.) est

I.) Proprie. ¶ 1. Ligula, seu spatha, idest virga lignea, qua res agitantur, et miscentur, ut fit in iis, quæ coquuntur, *mestola. Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (170). Uritur in patinis per laminas minutas cum sulphure, versatum rudibus ferreis, aut ferulaceis. *Cato R. R.* 79. Coquito, versatoque crebre duabus rudibus. ¶ 2. Virga impolita, qualis erat, qua gladiatores olim, quum ipsis permitteretur a gladiatorio munere cessare, a prætore donabantur, et publica alebantur pecunia. *Rudis* autem a *missione* differebat, quia hæc victo, illa victori tribuebatur. *V.* MISSIO. *Cic.* 2. *Phil.* 29. *extr.* Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? *Charis.* 1. *p.* 115. *Putsch.* Rudis, sive

scipio, quem lanista liberandis gladiatoribus gerit. *Martial. Spect.* 29. Misit utrique (*gladiatori*) rudes et palmas Cæsar utrique. — Hujusmodi rudibus ipsi gladiatores, quum ad artem discendam exercebantur, pugnabant. *Sueton. Cal.* 32. Myrmillonem e ludo rudibus secum batuentem, et sponte prostratum confodit ferrea sica. *Auct. ep. ad Octavium prope fin.* Veteres vulneribus, et ætate confectos gladiatores ad rudem compellere. *h. e.* ad resumendam professionem cogere. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 22. Tutaque deposito poscitur ense rudis. *Id.* 3. *Art. am.* 515. Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis, Spicula de pharetra prompsit acuta suâ. *Liv.* 26. 51. Rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt, præpilatisque missilibus jaculati sunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 333. 4. DECORATO RETIARIO QVI PEREMIT CAERVLVM ET PEREMPTVS DECIDIT. AMBOS EXSTINXIT RVDIS VTROSQVE PROTEGIT ROGVS. — Hinc *prima rudis*, vel *summa rudis*, seu conjunctim *summarudis*, vocabatur primus lanista, seu gladiatorum doctor, et *secunda rudis*, qui secundo loco id muneris obibat. (Cf. *primus palus, primopilus, primicerius* etc.) *Inscript.* apud *Murat.* 613. 3. (*Orell.* 2584.) D. M. ET MEMORIAE AETERNAE HYLATIS DYMACHAERO (*lege* dimachæro) SIVE ASSIDARIO (*lege* essedario) P. VII. RV. I. (*h. e.* pugnarum septem rudi primæ: *alii* rudiario invicto) ERMAIS CONIVGI *etc.* Adde *Inscript.* apud *Henzen.* 6189. Alia apud *Don. cl.* 11. *n.* 12. et *Murat.* 1259. 4. (*Orell.* 2575.) CORNELIO EVGENIANO SVMMARVDI ET CORNELIAE RVFINAE PARENTIB. DVLCISSIMIS FILIA FECIT. Alia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 682. Q. TITIO LATRICO SECVNDAE RVDI CAESARVM FECIT NYMPHIDIA QVARTINA VXOR BENE MERENTI. Adde aliam apud *Murat.* 617. 1. (*Orell.* 2575.) in qua pro *secunda audis* legendum *secunda rudis*, ut invicte probat *Marinius loc. cit.* V. *Gruter.* 57. 8.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. paragr. 2., accipitur pro libertate, et optato rei cujusvis fine: et *rudem dare*, seu *donare* est a quovis munere dimittere: *rudem mereri*, est mereri missionem, vel cessationem a labore, vel officio: *rude donari*, vel *rudem accipere*, quocumque onere liberari, a munere quovis in otium restitui, vel ob ætatem, vel ob imbecillitatem, etc. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 2. Spectatum satis, et donatum jam rude quæris, Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo. *Martial.* 3. 36. Ut nondum credas me meruisse rudem. *Juvenal.* 7. 171. Ergo sibi dabit ipse rudem. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 28. Me quoque donari jam rude tempus erat.

RŪDĬTAS, ātis, f. 3. *ignoranza, rozzezza*, ἀμαθία, ignorantia, imperitia. *Apul. Florid. n.* 20. Litteratoris ruditatem eximere.

RŪDĪTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

RŪDĪTUS, us, m. 4. *ragghio o raglio*, ὀγκηθμός, vox asini. *Apul.* 8. *Met.* Audito ruditu meo. In *Gloss. Philox.* est *ruditum*, *i*, neutr. gen.

RŪDO, is, ivi, ere, n. 3. Prima syllaba fere corripitur, aliquando producitur. — Particip. *Rudens* I. et II. — Rudo, quæ vox a them. Sanskr. *rud*, gemere, ululare, ducenda videtur (cf. ῥοθέω, strepo), est clamorem edo, et dicitur de feris. specialim vero de asino, ὀγκάομαι (It. *ragghiare o ragliare*; Fr. *braire, hurler*; Hisp. *rebuznar*; Germ. *yaen, brüllen*; Angl. *to bray like an ass*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est vox asini. *Ovid.* 6. *Fast.* 342. Intempestivo quum rudit ille sono. *Id.* 1. *ibid.* 433. Ecce rudens rauco Sileni vector asellus. *Id.* 3. *Art. am.* 290. Ut rudit ad scabrum turpis asella molam. *Pers.* 3. 9. Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas. *Apul.* 7. *Met.* Porrectis auribus, proflatisque naribus, rudivi fortiter. *Auct. carm. Philom.* 55. tardus rudit, oncat asellus. — *b*) Lato sensu, exprimit etiam vocem inconditam aliorum animalium. *Virg.* 7. *Æn.* 16. *de leonib.* sæva sub nocte rudentum. *Id.* 3. *G.* 374. *de cervis.* graviterque rudentes Cædunt. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 298. Conveniant ursi, magna quos mole rudentes, etc.

II.) Translate. — *a*) De incondita voce hominum. *Virg.* 8. *Æn.* 248. *de Caco.* Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Hæc, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit, Concursans veluti ancarius, clareque quiritans. — *b*) De rebus. *Virg.* 3. *Æn.* 561. primusque rudentem Contorsit lævas proram Palinurus ad undas.

RŪDOR, ōris, m. 3. ruditus, clamor inconditus, mugitus, stridor, murmur. *Apul. de Mundo.* Mycetias vocatur tetri rudoris inquietudo terrena. *Id. Florid. n.* 17. Vox hominis et tuba rudore torvior, et lyra concentu variatior.

RŬDUS, dĕris, n. 3. Scribitur etiam *Rodus* et *Raudus. Catull.* 63. 5. *Haupt.* et *Lachmann.* Devolsit ile acuto sibi rodere silicis. et *Fest. loc. cit.* in RAUDUS. — Rudus, ut *Fest. ibid.* docet, est generatim res rudis et imperfecta; specialim vero ¶ 1. Rudis lapis, saxum, sive humus, aut potius horum fragmenta, vel saxa, humus congesticia; hinc — *a*) *Rudus vetus*, seu *rudus*, quod Græci vocant ἐρείπιον, et nostri *rovinaccio*, Itali vero *calcinaccio*, fragmina minuta laterum, vel lapidum, et duratæ calcis ex ædificiis prolapsis. quarum rerum aliquis usus est et in novis exstruendis. *Tac.* 15. *Ann.* 43. Ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat: utique naves, quæ frumentum Tiberi subvectassent, onustæ rudere decurrerent. *Sueton. Aug.* 30. Alveum Tiberis laxavit, et perpurgavit, completum olim ruderibus, et ædificiorum prolapsionibus coartatum. *Id. Vesp.* 8. *ad fin.* Restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit. *Inscript.* apud *Orell.* 2. EGESTIS RVDERIBVS SIMVLACRA CONSTITVIT etc. — *b*) *Rudus novum*, vel *rudus*, glarea, aut lateres, vel saxa contusa: quæ calce admixta usum habent præcipue in pavimentis: unde *rudero*, et *ruderatio*. Hinc illa *rudus inducere, injicere, solidare, densare, fistucare, subigere, fricare* etc. apud *Caton. R. R.* 18., *Vitruv.* 7. 1., *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). et 63. (188)., *Pallad.* 1. *R. R.* 9. et 6. *ibid.* 11. Cf. *Non. p.* 18. 17. *Merc.* — *c*) Hinc *rudus* est ipsum pavimentum ex glarea, aut saxis contusis admixta calce solidatum. Pavimentum vero dicitur, quum ex lapide quadrato, aut lateribus integris stratum est. illud dicitur Ital. *un battuto, un terrazzo:* hoc *selciato, lastrico. Isid.* 16. *Orig.* 3. Rudus artifices appellant lapides contusos, et calci admixtos, quos in pavimentis faciendis superfundunt, unde et rudera dicuntur. *Auct. B. Alex.* 1. Alexandriæ ædificia tecta sunt rudere, aut pavimentis. *Auct. B. Hisp.* 8. Omnia loca rudere, non tegulis, tegnntur. *V.* PAVIMENTUM. — *d*) Alia est ruderis ratio in illo *Colum.* 10. *R. R.* 81. Rudere tum pingui, solido vel stercore aselli, Armentive fimo saturet jejunia terræ. In *Gloss. Philox.* rudus dicitur βῶλος, χῶμα, quæ voces glæbam, aut terram significant. Itaque *Colum.* videtur *pingue rudus* intelligere pinguem terram, probe maceratam et fermentatam, qua hodieque ad stercorandos hortos utuntur, et nostrates vocant *terruzzo.* — *Purgare rudera* Latinum est, illud contra *rejicere rudera* ab antiquis esse negat *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 238. *ed. Pat.*, ac notas illas *R. R.*, quas plerique *ruderibus rejectis* interpretari solent apud *Gruter.* 198. 2. 3. 4. et alibi, legendas esse ait per hæc verba *recta regione*, quæ omnibus litteris perscripta apud *eumd. Gruter.* exhibentur *p.* 200. *n.* 3., quæque rei omnino conveniunt, de qua in cippis riparum Tiberis agitur. Hanc eamdem sententiam amplexus est, et plurimis comprobat exemplis *Marinius Frat. Arv. p.* 617. Idem sentiunt *Orell.* et *Henzen.* ¶ 2. Æs infectum, æs rude, aliquando et signatum, v. gr. asses, ut in ea voce dictum est. *V.* RAUDUS. *Prudent. Apotheos.* 792. sculptor ab æris Rudere decoctam consuescit fingere massam. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 163. *Müll.*, *Val. Max.* 5. 6. *n.* 3. et *Liv.* 26. 11. *cit.* in RAUDUS, ubi *jacere rudera* videtur eo sensu dictum, quo *id.* 3. 18. *extr.* In consulis domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur. et *Sueton. Aug.* 57. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto stipem jaciebant. Cf. *Lucil. p.* 16. 44. *Müller.* Plumbi pauxillum rudus linique metaxam.

RŬDUSCŬLA et

RŬDUSCŬLUM. *V.* RAUDUSCULUM.

RŬENS, entis, particip. *V.* RUO.

RŪFĀTUS, a, um, particip. *V.* RUFO.

RŪFESCO, is, ere, n. 3. *divenire rosso*, πυῤῥίζομαι, rufus fio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 42. (80). Grues senectute nigrescunt, merula ex nigra rufescit. *Id.* 28. *ibid.* 12. 53. (194). Butyrum cum melle decoctum, donec rufescat. *V.* RUBESCO in fin.

RŪFĬUS. *V.* CHAMA.

RŪFO, as, are, a. 1. Particip. *Rufatus.* — Rufo est rufum facio, *fare rossò*, πυῤῥόω. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 32. (67). Tunc (*fæx aceti*) addito lentiscino oleo illita, una nocte rufat capillum. *Id.* 15. *ibid.* 22. 24. (87). Rufatur capillus primum prodeuntibus nucleis. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 4. 46. (91). *Gloss. Vatic.* in *Class. Auct. T. VI. p.* 509. ed. *A. Mai.* Rufatus sanguine, cruentatus.

RŪFŬLUS, a, um, adject. *rossigno, rossiccio, rossetto*, deminut. rufi. *Plaut. Asin.* 2. 3. 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 94. (147). Mandragora foliis hirsutis, radicibus binis rufulis, nigris foris, intus albis, etc. *Alii leg.* foliis; *Sillig.* rufulis *omittit.* — Hinc

Rufuli, vel *Rutuli*, *orum*, m. plur. 2., absolute, unus genus tribunorum militum, ita dictum a Rutilio Rufo, qui de eorum jure legem tulit. Tribuni enim militum dividebantur in Rufulos, et Comitiatos. *Ascon.* in *Cic.* 1. *Verr.* 10. Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur. Hi in exercitu creari solent. Alii sunt Comitiati, qui Romæ comitiis designantur. *Fest. p.* 261. 29. *Müll.* Rufuli tribuni militum appellabantur, quos consul faciebat, non populus: de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerat, qua eis cavebatur multis modis, (sic enim elevaverant eos, ut præponderabant hi qui populi suffragiis creabantur), Rufi a cognomine Rutilii ac post Rufuli appellati sunt. *Liv.* 7. 5. *sub fin.* Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est secundum in sex locis tenuit.

RŪFUS, a, um, adject. (rubeus, *b* in *f* mutato.) Contra sanam orthographiam est, geminata littera *f*, *ruffus* scribere. — Comp. *Rufior.* — Rufus est ruber. *rosso, rossigno; lionato, biondo*, πυῤῥός, ξανθός. Docet *Gell.* 2. 26. nomen esse generale cujuscumque rubri coloris: et idem significare, quod russus, et ruber: cujus species sunt fulvus, flavus, rubidus, rutilus, phœniceus, etc. Itaque usurpatur de omnibus rubri coloris gradibus, et præcipue de eo, qui non plane rubet, sed ad flavum nonnihil declinat: vel qui ita flavus est, ut ad ruborem accedat. Rufus autem dicitur — 1.°) De inanimis. *Cels.* 2. 8. Sputum mixtum rufo quodam sanguine. *Martial.* 14. 129., cujus lemma *Rufæ Canusinæ:* Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis: Et placet hic pueris, militibusque color. *rosso.* et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (86). Sal ruber Memphi, rufus est circa Oxum. *rossigno.* et 17. *ibid.* 24. 37. (3). Sorbus arbor infestatur vermiculis rufis et pilosis. *et* 32. *ibid.* 6. 21. (60). Ostrea rufa Hispaniæ, fusca Illyrico, nigra Circejis. *Id.* 18. *ibid.* 9. 20. (86). Campana siligo rufior, at Pisana candidior. *Id.* 16. *ibid.* 14. 25. (65). In tilia mas et femina differunt: nam materies mari dura rufiorque. — 2.°) De animantibus, et quidem — *a*) Quum dicitur de hominibus, refertur ad colorem capillorum. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 120. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger, Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum Magnis pedibus. Creditur a nonnullis *Plautus* his notis se ipse descripsisse. — *b*) Hic color in cute puellarum improbatur, ut videre est apud *Ter. Heaut.* 5. 5. 17. et *Martial.* 2. 33., 6. 39., et 12. 32.; candida enim membra, coma vero rufa seu flava laudantur sæpissime apud poetas Græcos et Latinos, ut pluribus ostendit *Ug. Foscolo* in *Chioma di Berenice p.* 205-213.

— *c)* Ab hoc facta sunt *Ruforum, Rufiorum, Rufinorum, Rufillorum* et *Rufionum* cognomina non una in familia apud Romanos. *Quintil.* 1. 4. *a med.* Scrutabitur origines nominum, ut quæ ex habitu corporis Cicerones, Rufos Longosque fecerunt. De his *V.* ONOM. — *d)* De brutis. *Vitruv.* 8. 3. *a med.* Quoniam in campis Trojanis proxime flumen armenta rufa, et pecora leucophæa nascuntur, ideo id flumen Ilienses Xanthum appellavisse dicuntur.

RŪGA, æ, f. 1. Vocis etymon a Sanskr. *varg*, ut videtur, quod est verto, torqueo, unde *vruga*, et, per aphæresin, *ruga* (cf. Græc. ῥυτίς): plicatura in cute contracta, aspera et inæquali, ut in senibus videre est, ῥυτίς (It. *ruga, grinza, crespa; Fr. ride; Hisp. arruga, ruga; Germ. d. Runzel, Falte d. Haut; Angl. wrinkle, furrow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Apul. Apolog. p.* 427. *Oudend.* Relicto aratro mirarere tot in facie tua sulcos rugarum. *h. e.* partium in cute, porcæ instar, existantium. *Horat.* 4. *Od.* 13. 11. te rugæ Turpant, et capitis nives. *Id. Epod.* 8. 4. rugis vetus Frontem senectus exarat. *Virg.* 7. *Æn.* 416. in vultus sese transformat aniles, Et frontem rugis arat. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 2. Jamque meos vultus ruga senilis arat. *et* 3. *Trist.* 7. 34. Rugaque in antiqua fronte senilis erit. *Id.* 3. *Met.* 276. Sulcavitque cutem rugis. *Petron. Sat.* 23. *extr.* Inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare. *Propert.* 2. 14. 8. Et faceret scissas languida ruga genas. *Tibull.* 2. 2. 19. tarda senectus Inducit rugas. *Hieronym. ad Nepotian.* 1. Cano capite et arata rugis fronte. ¶ 2. Speciatim dicitur. — *a)* De ætate provecta. *Horat.* 2. *Od.* 14. 1. fugaces Labuntur anni, nec pietas moram Rugis, et instanti senectæ Afferet. *Cic. Senect.* 18. 62. Non cani non rugæ repente auctoritatem arripere possunt. — *b)* Item de tristitia et mœrore. *Varro* 1. *R. R.* 2. *ad fin.* Hujusce pedes solent dolere et in fronte contrahere rugas. *Ovid.* 1. *Art. am.* 240. Tunc dolor et curæ rugaque tristis abit. *Juvenal.* 13. 215. densissima ruga Cogitur in frontem. *Id.* 14. 325. Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum etc. — *c)* Item de severitate et rigidis moribus. *Cic. in Senat.* 7. Populum R. non consilio, neque eloquentia, sed rugis supercilioque decepit. *Propert.* 2. 24. 23. numquam vitæ fallet me ruga severæ. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 33. Quum bene vir traxit vultum, rugasque coegit. *Plin.* 9. *Ep.* 17. Vis tu remittere aliquid ex rugis?

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, a similitudine rugarum senilium usurpatur et in aliis rebus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Cornua erecta, rugarumque ambitu contorta strepsicerotis. *Id.* 15. *ibid.* 16. 18. (59). Aquilonis afflatus poma deturpans rugis. *et ibid.* 13. 12. (43). Pruna siccata in rugas. *Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (26). Candidum piper tostum solibus colore rugisque mutatur. *Id.* 9. *ibid.* 35. 54. (109). Margaritæ flavescunt senecta, rugisque torpescunt. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (107). Cortex arboris replicatur in rugas. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (30). Artare aliquid in rugas. *Juvenal.* 14. 2. Nitidis rebus maculam et rugam figere. *h. e.* res bonas corrumpere, ut rugæ in vultu pulcritudinem oris corrumpunt. *Pers.* 6. 79. Jam decies redit in rugas. ¶ 2. Speciatim. — *a)* In vestibus *rugæ* sunt parvulæ plicaturæ, contra grandes cavitates inter rugas *sinus* dicuntur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (57). Cimon articulis membra distinxit, venas protulit, præterque in veste et rugas et sinus invenit. *Petron. Sat.* 102. Vestes quoque diutius vinctas ruga consumit. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Hortensius togam corpori sic applicabat, et rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, et sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret. Adde *Tertull. Pall.* 5. *sub init.* — *b)* Item dicitur de spiris cochlearum, περικόχλιον. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (317). Mali (*torcularis*) rugis per cochleas bullantibus. *V.* BULLO. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RŪGĀTĬO, ōnis, f. 3. ῥυτίδωσις, *corrugazione, increspatio*. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 3. Sequente etiam rugatione cum adductione partium vel extensione. *et mox.* Quippe quum frigescere et quadam rugatione crispari corpora, commune contrariis passionibus esse videtur.

RŪGĀTUS, a, um, particip. *V.* RUGO.

RUGĔO, ruges, ruxi, rugere, n. 2. Legitur apud *Diomed. p.* 367. 11. *Keil.* Quinta forma est quæ extrema syllaba in xi litteras cadit, ut frigeo frixi, mulgeo mulxi, rugeo ruxi.

RŪGĬENS, entis, particip. *V.* RUGIO.

RŪGĬNŌSUS, a, um, adject. rugosus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 86. Cutis veluti ruginosa, vel sulcata pannositas, quam Græci ῥάκωσιν vocant.

RŪGĬO, is, ivi vel ii, ire, n. 4. Præter. perf. *rugierunt* apud *Vulgat. interpr. Jerem.* 2 15. — Particip. *Rugiens* I. et II. — Rugio est leonum, quum vocem emittunt, factum a sono ut *mugire, gannire*, multaque alia: cf. Græc. βρυχάομαι (It. *ruggire o rugghiare; Fr. rougir; Hisp. rugir, bramar; Germ. brüllen; Angl. to roar*).

I.) Proprie. — *a)* Stricto sensu de leonibus. *Spartian. Get.* 5. Agni balant, porcelli grunniunt, ursi sæviunt, leones rugiunt. *Auct. carm. Philom.* 49. Tigrides indomitæ rancant, rugiuntque leones. *Vulgat. interpr. Psalm.* 21. 14. Sicut leo rapiens et rugiens. *et ibid.* 103. 21. Catuli leonum rugientes ut rapiant. — *b)* Latiore sensu, de aliis beluis. *Ammian.* 27. 3. 1. Asinus tribunali escenso audiebatur destinatius rugiens. *Sueton. fragm. p.* 248. 2. *Reifferscheid.* Leonum est fremere vel rugire, cervorum rugire.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 6. Vix milio et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram. *V.* voc. seq. et MURMURO. *Vulgat. interpr. Psalm.* 37. 9. Rugiebam a gemitu cordis mei.

RŪGĪTUS, us, m. 4. vox leonis, βρυχηθμός (It. *ruggito, rugghio; Fr. rugissement; Hisp. rugido, bramido; Germ. d. Brüllen; Angl. roar, roaring*).

I.) Proprie. *Vopisc. Prob.* 19. Centum leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant. *Jul. Valer.* 1. 9. Rugitus leoninus. *Solin.* 15. 7. Canes terrificis latratibus ultra rugitus insanientes. Adde *Hieronym. vit. S. Hilar.* 6.

II.) Translate. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 18. et 4. *ibid.* 7. 92. Interiorum rugitus, quem Græci βορβορυγμόν vocant. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 11. Intestinorum rugitus, et inanitas ventris. Adde *Vulgat. interpr. Iob* 3. 24.

RŪGO, as, āvi, ātum, are, 1. Forma *Rugor, aris, ari* apud *Eutych. p.* 2177. 16. *Putsch.* — Particip. *Rugatus* sub *A)* I. et II. — Rugo usurpatur *A)* Transitive; et *B)* Neutrorum more.

A) Transitivum *rugo* est in rugas contraho, ῥυτιδόω.

I.) Proprie. *Hieronym. Ep.* 50. *n.* 2. Si rugasset frontem, jactasset manum, barbam tornasset. *Propert.* 1. 10. 23. rugata fronte negare. *Maximian.* 1. *Eleg.* 226. rugato creditur ore loqui.

II.) Translate. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (102). de concharum testis. Levibus, rugatis, denticulatis, striatis. *Optat.* 6. 10. Tunica, quæ nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur.

B) Neutrorum more, est in rugas contrahor, ῥυτιδόομαι. Translate. *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 18. 12. Quid est hoc? rugat pallium. amictus non sum commode. *Id. Cas.* 2. 3. 30. Vide palliolum ut rugat. Observat autem *Gell. ibid.*, id quoque habitum esse in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: additque præter hoc alia tum ejusdem *Plauti*, tum aliorum exempla.

RŪGOR. *V.* voc. præc.

RŪGŌSĬTAS, ātis, f. 3. rugarum multitudo, rugæ. *Tertull. Patient.* 15. Si et effigiem ejus comprehendamus, vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta.

RŪGŌSUS, a, um, adject. Comp. *Rugosior* est rugis plenus, *aggrinzato, grinzo, increspato, rugoso*, ῥυτιδώδης.

I.) Proprie. *Horat. Epod.* 9. 14. Fert vallum et arma miles, et spadonibus Servire rugosis potest! *Id.* 1. *Ep.* 18. 105. rugosus frigore pagus. *Tibull.* 3. 5. 25. Quum mea rugosa pallebunt ora senecta. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 112. Rugosæ genæ. *Martial.* 3. 93. Rugosiorem quum geras stola frontem. *Pers.* 5. 91. Rugosa sanna. *scil.* quia in sanna os et nares corrugantur. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 110. sulcisque genarum Corruerat passa facies rugosior uva.

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 5. 28. Populi rugosus cortex. *Pers.* 5. 55. Rugosum piper. *Martial.* 13. 29. Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ. *Id.* 4. 89. Nec rugosarum vimen breve Picenarum. *V.* PICENUS in ONOM. *Colum.* 11. *R. R.* 43. *ante med.* Rugosa acina. *Imppp. Theodos., Arcad.* et *Honor. Cod.* 11. 40. 4. Si qua pictura rugosis sinibus agitatorem offerat in publicis porticibus, illico revellatur. Hujusmodi porro agitatoris figuram videre est apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 3. *tab.* 31.

RŬĪDUS, a, um, adject. *ruvido, aspro*, non levigatus, impolitus, asper. *Ruidum pilum* opponitur *præferrato* in pistura farris. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (97). Etruria spicam farris tosti pisente (*lege* pisit) pilo præferrato *etc.* Major pars Italiæ ruido utitur pilo. *ruidus* quibusdam dictus videtur a *ruendo*, h. e. cadendo, quia crebro casu pilum frumenta pisat, et decorticet. Qui leg. *ruvidus*, contra vet. lib. faciunt, et MSS. Ita leg. et *Silligius*; alii vero cum *Cod. Paris.* et *Vatic.* leg. *nudo pilo.*

RŬĪNA, æ, f. 3. (ruo) est

I.) Proprie. ¶ 1. Impetus et incursus cujuspiam personæ aut rei in aliquid irruentis, εἰσβολή, ἐπιβολή. *Virg.* 11. *Æn.* 613. Connixi incurrunt hastis, primique ruinam Dant sonitu ingenti. *Martial.* 7. 19. *de Argo navi*, Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ Frangere. *Val. Flacc.* 4. 694. fugit ipse novissimus ictus Tiphys, et e mediis sequitur freta rapta ruinis. ¶ 2. Casus, lapsus, *caduta, rovina*, πτῶσις, κατάπτωσις. — *a)* Generatim. *Lucret.* 5. 1329. Permixtas dabant equitum peditumque ruinas. *Id.* 6. 156. ruina Grandinis in magnis sonitum dat nubibus alte. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 54. aulæa ruinas In patinam fecere. *Virg.* 2. *Æn.* 631. ornus traxit jugis avulsa ruinam. Adde 9. *ibid.* 712. *Propert.* 2. 25. 4. Capanei magno grata ruina Jovi. *h. e.* quum ictus fulmine de muro Thebarum cecidit. *Martial.* 13. 25. Ruina nucum. *Liv.* 44. 5. Jumentorum sarcinarumque. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *a med.* Aquarum ruinis partes in passione constitutæ subjiciendæ, quas Græci κατακλυσμούς appellant; plurimum enim earum percussiones corporum faciunt mutationem. *h. e.* stillicidio. — *b)* Speciatim de casu ædificiorum. *Cæs.* 3. *B. C.* 11. Turris repentina ruina commoti. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 353. Scopas ruina conclavis oppressus cum suis interiit. *Virg.* 2. *Æn.* 310. Deiphobi dedit ampla ruinam Vulcano superante domus. *Horat.* 2. *Od.* 19. 14. tectaque Penthei Disjecta non leni ruina. *Seneca* 1. *Ira* 16. *a med.* In ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis crevere. *Id.* 7. *Benef.* 31. Neminem ad excitandas domos ruina deterruit. *Id.* 1. *Clement.* 26. Multos occidere incendii ac ruinæ potentia est. Adde *Tranquill. anim.* 11. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Effulserunt inter ruinam ignes. *Justin.* 5. 7. 10. Ruinam urbis et incendia recordantes. Adde *Sueton. Oth.* 8. *Inscript.* apud *Orell.* 3448. STATVAM EX RVINA TEMPLI VEXATAM SVA IMPENSA REFECIT. — In plurali num. *Plaut. Epid.* 1. 1. 77. tantæ impendent in te ruinæ. *Lucret.* 2. 1145. mœnia mundi Expugnata dabunt labem putresque ruinas. *Horat.* 1. *Od.* 37. 6. dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat. *Vellej.* 2. 35. 4. Ruinæ incendiaque urbis. *h. e.* maxima et multifaria ruina. Adde *Auct. B. Alex.* 24. 3.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. ¶ 1. Est error, lapsus moralis. *Cic.* 5. *Fin.* 28. 83. Jam ruinas videres. In virtute enim sola et in ipso honesto est bonum positum. *Lucret.* 1. 740. Principiis tamen in rerum fecere ruinas, Et graviter magni magno cecidere ibi casu. *h. e.* graviter lapsi sunt, et a veritate longe aberrarunt.

Adde *Augustin.* 14. *Civ. D.* 13. ¶ 2. Calamitas, perturbatio, dejectio, pernicies, excidium, interitus, mors, *discadimento, perdita, disgrazia, malanno, morte. Cic.* 1. *Cat.* 6. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties. *Auct. Eleg. de Fortun.* 117. *Wernsd.* Venit ubi ad summum, non progressura ruina est. *Sall. Cat.* 32. *extr.* Quoniam quidem circumventus ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam. *h. e.* excidio reipublicæ. Adde *Cic. Mur.* 25. *extr.* et *Cluent.* 35. 96. *Liv.* 26. 41. In hac ruina rerum stetit una virtus populi. *Id.* 21. 10. *a med.* Sagunti ruinæ (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident. *Vellej.* 2. 91. *in fin.* Ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri. *Ovid.* 8. *Met.* 498. Spemque patris, regnique trahat, patriæque ruinam. *Id.* 1. *Pont.* 4. 5. Nec, si me subito videas, agnoscere possis: Ætatis facta est tanta ruina meæ. Sic *Heroid.* 12. 32. Illa fuit mentis prima ruina meæ. et *Licent. carm. ad Aug.* 15. *Wernsd.* Sic jacui nutans, ut talem omnino ruinam etc. *h. e.* perturbationem et dejectionem mentis. Cf. *Val. Cat.* 182. cordis fecere rapinam. *Maximian.* 1. *Eleg.* 277. *Wernsd.* certam perferre ruinam. *h. e.* mortem. *Sil. It.* 8. 244. Sævit jam rostris Varro, ingentique ruinæ Festinans aperire locum, fata admovet Urbi. *Horat.* 2. *Od.* 17. 8. Illa dies utramque Ducet ruinam. *h. e.* mihi quoque una tecum afferet interitum. *Virg.* 4. *G.* 249. generis lapsi sarcire ruinas. *h. e.* apum excidium. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (245). Prodigium in nostro ævo Neronis principis ruina factum. *Tac.* 4. *Hist.* 6. Ruina soceri in exsilium pulsus. *Vulgat. interpr. Is.* 3. 6. Ruina hæc sub manu tua. *h. e.* collabenti reipublicæ manum admove, ne concidat. — Hinc pro strage, cæde, et clade exercitus ponitur et ab *Horat.* 4. *Od.* 14. 18. Devota morti pectora liberæ Quantis fatigaret ruinis. et a *Val. Flacc.* 3. 206. nox alta cadentum ingentes duplicat sonitus, augetque ruinas. et a *Liv.* 42. 66. *sub fin.* Ibi vero clamor jubentium referre signa, ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit. et a *Sil. It.* 4. 710. parat imperio Saturnia fesso Ductorem, dignumque virum veniente ruina. *h. e.* insigni clade. ¶ 3. Metonymice *ruina* est illud ipsum, quod ruit, et dicitur — *a*) De rebus. *Horat.* 3. *Od.* 3. 7. Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. *Ovid.* 15. *Met.* 424. Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas Ostendit. *Liv.* 42. 3. Obstringere religione populum R., ruinis templorum templa ædificantem. *Id. ibid.* 63. Ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, mœnia capi possent. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (74). Flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere. *Lucil. Jun. Ætn.* 463. truncæque ruinæ Provolvunt. *h. e.* fragmenta ruentium rupium. — Hinc *ruina cœli*, quidquid e cælo ruit, et præcipue fulmina ac tonitrua, quibus ipsum ruere cælum videtur: simulque fragor talium rerum comes. *Virg.* 1. *Æn.* 133. Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina. *Sil. It.* 1. 251. *de Hannib.* vertice nudo Excipere insanos imbres, cælique ruinas. *Val. Flacc.* 8. 334. Crebra ruina poli cælestia limina laxat. Cf. *Sympos. Ænigm.* 9. 1. *de pluvia.* longa delapsa ruina. — *b*) De personis. *Cic. Prov. cons.* 6. 13. Pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, imperii maculas teneretis? Adde *eumd. Sext.* 51. 109.

RŪĪNŌSUS, a, um, adject.

I.) Proprie est qui casum minatur, collabens, *rovinoso, cadente,* ἐρείψιμος. *Cic.* 3. *Off.* 13. 54. Ædes male materiatæ, ruinosæ. *Seneca* 3. *Ira* 35. *extr.* Parietes exesi, ruinosi, inæquales.

II.) Translate. ¶ 1. Est qui ruinam minatur. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 16. Quædam sibi placendi altitudo ruinosa. *Ambros. Ep.* 28. Tenebris et parietinis quibusdam animæ ruinosus. ¶ 2. Item qui cecidit, *rovinato. Ovid. Heroid.* 1. 55. Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris Ossa: ruinosas occulit herba domos. ¶ 3. Item damnosus, perniciosus. *Cassiod. de anim.* 4. Ruinosa præsumptio. — *Ruinosa, orum,* plur. n., idem ac ruinæ, apud *Vulgat. interpr. Ezech.* 23. 24. et 27., et 36. 10. et 33.

RULLA. *V.* RALLUM.

RULLUS, a, um, adject. *deminut.* ab inusit. *rurus,* rusticus, et ὑποκοριστικῶς *rullus,* pro *rurulus,* ut *pullus* a *purus,* pro *purulus,* rusticellus, ut docet *Voss.* in *Etymol.*, nonnulli leg. apud *Plaut. Mostell.* 1. 1. 39. *Gloss. Labb.* Rulla, χορική, ἀγροῖκος, et rullus, mendicus, ἀγύρτης. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RŪMA, æ, f. 1. et Rumis, is, f. et Rumen *vel* Rumin, inis, n. 3. Ablat. sing. *rumi* est *Varron. loc. cit.* et Accus. *rumim* est *Plin. loc. cit.* — Ruma, a ῥύω sive ἐρύω, traho, vel potius a ῥέω (Skr. *sru*), fluo ¶ 1. Est mamma, *mammella,* θηλή, apud veteres. *Varro* apud *Non. p.* 167. 30. *Merc.* Hisce Manibus lacte fit, non vino, Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam, id est prisco vocabulo mammam: a quo subrumi etiam nunc dicuntur agni. *Id.* 2. *R. R.* 1. *a med.* Agni appellantur subrumi, id est sub mamma. antiquo enim vocabulo mamma rumis, ut opinor. *et ibid.* 11. 5. Mammæ enim rumis, sive rumæ (*Scalig.* rumin; *Pontedera* rumus), ut ante dicebant, a rumi. *Festus* in *Ruminalis.* Mamma autem rumis dicitur: unde et rustici appellant hædos subrumos, qui adhuc sub mammis habentur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (77). Sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen: ita vocabant mammam. *Sillig.* leg. *rumim.* ¶ 2. Est præterea *ruma,* et *rumen* cavus gutturis locus, et ipsum guttur, *gola. Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 271. 6. *Müll.* Rumen est pars colli, qua esca devoratur: unde rumare dicebant, quod nunc ruminare. At *Nonius p.* 18. 13. *Merc.* Rumen dicitur locus in ventre, quo cibus sumitur, et unde redditur: unde et ruminare dicitur. *Festus* in *Subrumari.* Agni rumine trahunt lacte sugentes. *Servius* ad illud *Virg.* 6. *Ecl.* 54. pallentes ruminat herbas: Ruminatio dicta est a ruma, eminente gutturis parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. *Arnob.* 7. *p.* 230. Rumæ, quæ sunt prima in gurgulionibus capita, qua dejicere cibos, et referre natura est ruminatoribus sæculis. *Alii perperam leg.* ærumnæ. *Pomponius* apud *Non. p.* 18. 16. *Merc.* Ego rumorem parvifacio, dum sit, rumen qui impleam. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. 58. Ex utraque parte gutturis, quam Græci ἀνθερεῶνα vocant, nos rumam. *et* 2. *ibid.* 7. 107. Anthereoni, hoc est thuraci, vel gutturis circulo, quam rumam vocamus. *et* 5. *ibid.* 10. 103. Vomicarum eruptiones aliquæ ad pulmonem, sive arteriam majorem, vel rumam, quam Græci βρόγχον appellant. Adde *Tertull. Resurr. carn.* 4. et *Isid.* 11. *Orig.* 1. *ante med. V.* RUCTA. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RUMBŌTĪNUS. *V.* RUMPOTINUS.

RUMBUS, rombus et rhombus, i, m. 2. figura quadrilatera, de qua *V.* RHOMBUS. *Gromat. collon.* 1. *p.* 250. *Rudorff.* Rumbus ampligoneus.

RŪMEN, inis. *V.* RUMA.

RŪMENTUM, i, n. 2. Rumentum in auguralibus significare videtur interruptio abruptiove, dum verba ancillibus movendis præit, si interim avis canerit, tum æque atque auspicio, augurio rumentum estod. Hæc *Festus p.* 270. 30. *Müll.* Ut a *moveo* est *movi, movimentum, momentum,* ita a *rumpo* fit *rupi, rupimentum, rumentum.* Illa *dum verba* etc. desumpta videntur a *Festo* ex libris auguralibus. *Paul. Diac. p.* 271. 7. *Müll.* hæc omnia ita contraxit: Rumentum, abruptio.

RŪMEX, mĭcis, m. 3. Reperitur etiam in genere fem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (18). Ceras ex omnium arborum, satorumque floribus confingunt, excepta rumice, et chenopode. Sed subintelligi potest *arbore* vel *herba.* Adde *Plaut. Pseud.* 3. 2. 26. — Rumex ¶ 1. Est lapathi silvestris genus, *romice,* λάπαθον, ad strumas cum axungia efficacissimum, *Plinio* teste 20. *Hist. nat.* 21. 85. (231). Adde 19. *ibid.* 12. 60. (184). *Auct. Moret.* 73. Fecundusque rumex, malvæque, inulæque virebant. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Rumicis silvatici radicem luna decrescente collige, et tecum habeto nitidissime, quamdiu eam tecum habueris, non lippies. ¶ 2. Teli genus, simile spari Gallici, ut ait *Festus p.* 270. 16. *Müll. Lucilius* apud *eumd. loc. cit.* Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro. Adde *Gell.* 10. 25.

RUMICA, æ, f. 1. nomen coccygis, seu cuculi. *Gloss. Lat. Gr.* Rumica, κόκκυξ.

RŪMĬFĔRO. *V.* voc. seq.

RŪMĬFĬCO, as, are, a. 1. (rumor *et* facio) *divolgare, predicare,* divulgo, prædico, rumoribus fero. *Plaut. Amph.* 2. 2. 46. Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam. Ita MSS. omnia, et lib. vet. Unus *Nonius p.* 166. 33. *Merc.* rumiferant.

RŪMĬGĔRANS, antis, particip. *V.* RUMIGERO.

RŪMĬGĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. λογοποιΐα, divulgatio. *Lamprid. Elagab.* 10. Infami rumigeratione pascuntur.

RŪMĬGĔRO, as, are, n. *et* Rumigeror, āris, ari, dep. 1. (rumor *et* gero). Particip. *Rumigerans.* — Rumigero est idem ac rumito, divulgo. *Fest. p.* 270. 19. *Müll.* Rumitant significat rumigerant, ut Nævius: Simul alius aliunde rumitant inter se. ubi *Paul. Diac. p.* 271. 8. *M.* Rumitant rumigerantur. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. orat. de ære al. Milon.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 222.) 2. *n.* 7. Rumigerantium sermones rettulit, qui *etc.*

RŪMĬGĔROR. *V.* voc. præced.

RŪMĬGĔRŬLUS, a, um, adject. διαθρυλλῶν, qui rumores aucupatur, et gerit, et aliquid divulgat, *spia. Ammian.* 14. 1. 2. Per clandestinos, versutosque rumigerulos. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 10. Me malignum, suspiciosum, et rumigerulum clamitas. *Id. Ep.* 50. *n.* 1. Monachus rumigerulus, rabula, vafer.

RŪMĬGO, as, are, a. 1. (rumor *et* ago) *biasciare, biascicare,* nostrates vulgo *rumegare* dicunt, idem ac rumino *Apul.* 4. *Met. de Asino.* Jam fere tertium qualum (*panis*) rumigabam. *Voss.* legit *rumitabam,* eodem sensu. Sed nihil mutandum: nam apud *Gargil. de cur. boum ante med.* Bos si non rumigat, etc. *Fragm. VIII.* ab *A. Maio* edit. in *Script. Vet. N. Collect. T.* 3. *P.* 3. *p.* 243. Rumigantia animalia comedenda esse, lex præcepit. Ceterum *Caper p.* 2246. *Putsch.* Rumigat nihil est, sed Ruminat et Rumino.

RŪMIN, mĭnis, n. 3. *V.* RUMA.

RŪMĪNĀLIS, e, adject. qui ruminat, ut Ruminales hostiæ, eorum animalium, quorum proprium est ruminare. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Coruncanus ruminales hostias, donec bidentes fierent, puras negavit. — *NB.* RUMINALIS ficus, et poetice RUMINA ficus, *V.* in ONOM.

RŪMĪNANS, antis, particip. *V.* RUMINO.

RŪMĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. *rugumazione,* μηρυκισμός, actus ruminandi: a *rumino,* quod a *ruma,* qua notat cavum gutturis locum.

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (201). Quibus neque dentes utrinque, neque ruminatio. Adde *Serv.* ad 6. *Ecl.* 54. *Novatian. de cib. Jud.* 2. Quæ animalia ruminatione ruminant.

II.) Translate. ¶ 1. Est replicatio, *ripiegamento. Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (94). Ceteræ (*castaneæ*) suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis intra nucleos quoque ruminatione. Ita *Harduin.* et *Sillig.* ex omnib. MSS. Quidam leg. *ferruminatione.* ¶ 2. Item iteratio, reditus. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (191). Si saucias vites recenti medicina mordeat quædam hiemis ruminatio. ¶ 3. Item consideratio, seu rei cujuspiam in memoriam revocatio. *Cic.* 2. *Att.* 12. Ubi sunt, qui ajunt ζώσης φωνῆς? Quanto magis vidi ex tuis litteris, quam ex illius sermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publii, de lituis Βοώπιδος, etc. *h. e.* de commentatione et meditatione Cæsaris, et aliorum de republica suo arbitrio administranda. Ita *Corradus.* De occultis consiliis, quæ Cæsar, Pompejus, Crassus quotidiana ruminatione contra rempublicam inirent. *Manutius. Augustin. Hom.* 35. *circa fin.* Ruminatio pertinet ad eos, qui cogitant postea quod audierint, et tenuerint.

RŪMĪNĀTOR, ōris, m. 3. qui ruminat. *Arnob.* 7. *p.* 230., cujus verba *V.* in RUMA 2.

RŪMĪNO, as, (avi, ātum) are, a. et Ruminor, aris, ātus sum, ari, dep. 1. (rumen). Particip. *Ruminans* I. 2.° — Rumino vel ruminor est devoratum cibum rursus a rumine, seu gula, ad os revoco, et iterum mando, conficio, remando, μηρύκω, ἀναμηρυκάομαι (It. *rugumare, ruminare*; Fr. *ruminer*; Hisp. *rumiar*; Germ. *wiederkäuen*; Angl. *to chew the cud, chew over again, ruminate*); et proprium est eorum animalium, quæ in superiore oris parte primores dentes non habent, ut boum, ovium, cervorum, Ponticorum murium, scari piscis etc., ut est apud *Plin. loc. cit.*

I.) Proprie. — 1.°) Cum Accusativo. *Virg.* 6. *Ecl.* 54. *de bove.* Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 17. Dum jacet, et lente revocatas ruminat herbas. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 340. Armentum reduces dum gutture ruminat escas. *Ovid. Halieut.* 119. *de scaro.* epastas solus qui ruminat herbas. *Alcim. Ep.* 77. Bibendo cibos, pocula ruminando. — 2.°) Absolute, neutrorum more. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (161). Continui (*dentes*) aut utraque parte ori sunt, ut equo, aut superiore primores non sunt, ut bubus, ovibus omnibusque, quæ ruminant. *Id.* 10. *ibid.* 47. 66. (131). *de onocrotalo.* Perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis more refert. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 17. 29. (62). *de scaro. Colum.* 6. *R. R.* 6. 1. *de bove.* et *Vulgat. interpr. Levit.* 11. 5. et 6. *de chœrogryllo et lepore. Augustin. Hom.* 35. *circa fin.* Quid facit pecus quando ruminat? Illud quod fuerat in ventre repositum, revocat ad os.

II.) Figurate. ¶ 1. Est in memoriam revocare, recensere, retractare: et adhibetur fere *ruminor, aris,* deponentis forma. *Varro* apud *Non. p.* 166. 27. *Merc.* Non modo absens quicquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. *Livius ibid.* Nemo hæc voster ruminabitur mulieri. Rursus *Varro* apud *eumd. p.* 480. 23. *Merc.* Erras, inquit, Marce: accusare nos ruminaris antiquitates. *Id. ibid.* Odysseam Homeri ruminari incipis. *Gell.* 19. 7. Figuras habitusque verborum nove aut insigniter dictorum in Læviano illo carmine ruminabamur. — *Rumino, as,* forma activa. *Symmach.* 3. *Ep.* 13. *extr.* Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata componis, fallitur doctis cogitationibus sensus laboris. *et Ep.* 96. Cujus edulio saturati ruminamus quotidie verba. *Augustin. in psalm.* 36. *serm.* 3. Qui autem est non oblitus, cogitat, et cogitando ruminat, ruminando delectatur. ¶ 2. Item gustare. *Augustin.* 6. *Confess.* 3. Quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret.

RŪMĪNOR. *V.* voc. præced.

RUMINUM, i, n. 2. genus vestimenti subtus habens purpuram, ut est in *Gloss. Lat. Gr.* Ruminum, ἱμάτιον κάτω ἔχον πορφύραν.

RŪMIS. *V.* RUMA.

RŪMĪTO, as, are, a. 1. rumigero. *Nævius* apud *Fest. loc. cit.* in RUMIGERO. — *Rumito* pro *rumigo V.* in RUMIGO.

RŪMO, as, are, a. 1. rumino. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 271. 6. *Müll.* Rumen est pars colli, qua esca devoratur, unde rumare dicebatur, quod nunc ruminare.

RŪMOR, ōris, m. 3. Vox, fortasse a sono rei motæ orta, conjungi potest cum them. Sanskr. *ru,* mugire, strepere, syllabâ suffixâ, ut in *clamor,* nisi mavis eam deducere a them. Skr. *sru* et Gr. ῥυ, fluere, ita ut dicatur de actu, vel sonitu rerum fluentium. — Rumor itaque est murmur, strepitus, ψόφος (It. *rumore, mormorio, strepito*; Fr. *bruit, murmure, rumeur*; Hisp. *ruido, mormureo, rumor*; Germ. *Geräusch*; Angl. *a rumour, flying, bruit, hersay*). ¶ 1. Universim. — *a*) De inanimis. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. Solvere impera secundo rumore, adversa[illegible] avi. *Virg.* 8. *Æn.* 90. Ergo iter inceptum celerant rumore secundo. *Forcellinus,* etsi hos locos ita interpretatur, ut *rumor* sit sermo omnium approbans, acclamatio, applausus; tamen inquit: In allato *Virg.* et *vet. Poetæ* loco quidam putant, *rumorem* poni pro fluxu aquæ, ut sit a ῥύμα pro ῥεῦμα: *Servius* vero in *Virg.* censet posse legi *rumone*: de quo *V.* RUMO, onis, et RAUCUS. Recte *Heyne.* ad h. l. *Rumor* dictum est olim, teste *Donat.,* de murmure aquæ carina et remis percussæ, adeoque omnino de motu aquæ. *Auson. Edyll.* 10. 22. amœna fluenta Subterlabentis tacito rumore Mosellæ. — *b*) De animantibus. *Claudian. nupt. Honor. et Mar.* 159. variis vectæ Nereides ibant, Audito rumore, feris. *Apul.* 3. *Met.* Trepido rumore viciniæ conclamantis latrones fugit territus. – Hinc sæpe *rumore secundo* pro *clamore secundo,* h. e. favente. *V.* dicta in *a. Virg.* 10. *Æn.* 266. *de gruibus.* æthera tranant Cum sonitu, fugiuntque Notos rumore secundo. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 9. Quæ vos ad cælum fertis rumore secundo. Adde *Tac.* 3. *Annal.* 29., *Fenestell.* et *Ennius* apud. *Non. p.* 385. 17. *Merc.* ¶ 2. Speciatim, aut prægnanti, ut ajunt, sensu. — *a*) Est vox, sive sermo in populo de recenti re dispersus, in bonum vel in malum, sine certo auctore: qua re differt a *fama,* ut in ea voce dictum est, *sentore, voce, fama, romore,* φήμη, φῆμις. — α) Absolute. *Sall. Jug.* 22. Is rumor clemens erat. *V.* CLEMENS. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. Si quis quid de republica a finitimis rumore, aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat. *Id.* 4. *ibid.* 5. His rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *ante med.* Tertio die inducta cognitio est, multis sermonibus, et vario rumore jactata. *Cic.* 2. *Fam.* 8. Rumor multa perfert. *Cæs.* 1. *B. C.* 53. multa fingit. *Cic. Dejot.* 9. 25. Rumores excipere et referre. *Id.* 14. *Phil.* 4. 10. et *Liv.* 7. 38. *sub fin.* dissipare. *Ter. Heaut. prol.* 16. et *Nepos Dion. sub fin.* differre. *Virg.* 12. *Æn.* 228. serere. *Cic. Mur.* 21. *ad fin.* Rumor serpit. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 50. manat per compita. *Virg.* 7. *Æn.* 144. diditur per agmina. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 347. volitat per oppida. *Tac.* 3. *Ann.* 9. (et *Sall. Cat.* 30.) Res vulgi rumoribus exagitata. *Id. ibid.* 76. Testamentum ejus multo apud vulgum rumore fuit. *diede molto da dire.* et *Ter. Phorm.* 5. 7. 18. Qui erit rumor populi, si id feceris? *che non dirassi?* et *Tac.* 2. *Ann.* 77. Relinquendum rumoribus tempus, quo senescant. et 4. *ibid.* 10. Non omiserim eorum temporum rumorem validum adeo, ut nondum exolescat. *Cæs.* 4. *B. G.* 5. Incertis rumoribus servire. *dar fede.* et *Tac.* 5. *Ann.* 10. Rumor acer magis, quam diuturnus. *Id.* 1. *Hist.* 34. vagus et incertus. *Cic.* 2. *Herenn.* 8. 12. falsus. et *ibid.* verus. et *ibid.* probabilis. *Catull.* 5. 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis. *le dicerie.* *Prosp. Aquit. Epigr.* 95. Non pateant faciles sævis rumoribus aures: Quæ nescire juvat, credere non libeat. *Vulgat. interpr. Marc.* 1. 28. Processit rumor statim in omnem regionem. — Hinc *rumore primo,* dixit *Sall. fragm.* apud *Charis.* 2. *p.* 192. *Putsch.* ubi *Asper,* Non est, inquit, nomen, sed adverbium: *tosto che si sente dire: al primo sentore.* Sic *Tac.* 2. *Ann.* 77. An festinamus appellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinæ ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? — β) Cum Genetivo. *Tac.* 3. *Hist.* 45. Ea discordia, et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos. *Sueton. Cæs.* 2. Non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ. *Id. Aug.* 70. Auxit cœnæ rumorem penuria ac fames. — γ) Cum Ablat. et præpos. *de, super. Cæs.* 7. *B. G.* 59. De Æduorum defectione rumores afferebantur. *Id.* 1. *B. C.* 60. Exstinctis rumoribus de auxiliis legionum. *Cic.* 12. *Fam.* 9. Nihil perfertur ad nos præter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. *Id. Dejot.* 9. 25. Graves de te rumores sparsi. Adde *Liv.* 28. 24. *Tac.* 11. *Ann.* 23. Multus ea super re variusque rumor. — δ) Cum Infinito. *Plaut. Cas. prol.* 11. populi rumorem intelleximus Studiose expetere Plautinas fabulas. *Ter. Hecyr. prol.* 31. Rumor venit, datum iri gladiatores. *Cic.* 16. *Att.* 5. Rumoris nescio quid afflaverat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse. *Nepos Dion.* 10. Rumore dilato, Dioni vim allatam. *Auct. B. Alex.* 25. Quum rumores exsisterent, magna Cæsari præsidia adduci. *Tac.* 6. *Ann.* 23. *sub fin.* et 15. *ibid.* 15. *extr.* Rumor incedebat fore, ut etc. *Id.* 15. *ibid.* 39. Pervaserat rumor, inisse eum domesticam scænam. Adde *eumd. Agric.* 43. *Curt.* 7. 2. 15. Rumor percrebuit, regem protinus redire statuisse. — Hinc *rumor est,* dicitur, fertur, *corre voce, vien detto. Ter. Andr.* 1. 2. 14. Meum gnatum rumor est amare. *Cic.* 1. *Fam.* 8. *sub fin.* Rem te valde bene gessisse, rumor erat. — ε) Cum partic. relativa. *Tac.* 6. *Ann.* 36. Subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus. *Id.* 15. *ibid.* 73. Crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros insontes ob invidiam aut metum restinxisset. *Vulgat. interpr.* 2. *Macc.* 5. 5. Quum falsus rumor exiisset, tamquam vita excessisset Antiochus. — Apud Rhetores *rumor* est genus probationis. *Quintil.* 5. 1. 2. Ex illo priore genere (*h. e.* probationem, quas ἀτέχνους id est inartificiales vocaverant) sunt præjudicia, rumores, tormenta, tabulæ, jusjurandum, testes. Adde *Cic.* 2. *Herenn.* 8. et *Planc.* 23. et *Capell.* 5. *p.* 184. — *b*) Fama, opinio. *Publil. Syr. p.* 329. 3. *Ribb.* Honestus rumor alterum est patrimonium. *Id. p.* 326. 6. *R.* Rumor bonus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 125. rumore malo flagrare. *h. e.* male audire. *Liv.* 27. 20. *a med.* Marcellus adverso rumore esse. *Tac.* 15. *Ann.* 48. Claro apud vulgum rumore esse. Figurate *Martial.* 10. 3. Procul a libellis nigra sit meis fama, Quos Rumor alba gemmeus vehit penna. — In bonam partem. *Plaut. Trin.* 3. 2. 14. nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam. *Cic. Cluent.* 47. 131. Rumorem quemdam et plausum popularem esse quæsitum. *Tac.* 2. *Hist.* 91. Omnem infimæ plebis rumorem affectavit. — In malam partem, et est obtrectatio, reprehensio, calumnia. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 385. 3. *Merc.* Ad hæc rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. et *Pomponius* apud *eumd. p.* 18. 15. *Merc.* Rumorem parvifacio. *Curt.* 10. 31. 18. Hæc eorum, quos rumor asperserat, mox potentia exstinxit, *h. e.* suspicione aut infamia criminis. Cf. *Cic. Cæl.* 10. 23. — Ambiguum habet turpemque sensum apud *Martial.* 2. 72., 3. 73. 80. et 87. tamquam sit a *ruma*: unde et *irrumo,* etc. — *c*) Singulare est illud *Gromat. vet. p.* 366. *Rudorff.* Exponantur leges secundum artis geometricæ ad pertinentes lectiones secundum loci rumorem, quod interpretatur, secundum loci observationem.

Homonym. *V.* in v. FAMA.

RUMPENS, entis, particip. *V.* RUMPO.

RUMPHUS. *V.* RUMPUS.

RUMPĬA, æ, f. 1. *V.* RHOMPHÆA.

RUMPĬA, ✻, m. 1. sutor. *Gloss. Lat. Gr.* Rumpia: ῥαπεύς.

RUMPISSA, æ, f. 1. (rumpia) spina alba, *biancospino,* apud *Gargil. de cur. boum.*

RUMPO, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. *Rupit,* et *rupsit,* pro *ruperit,* ἀρχαϊκῶς. *Lex XII. Tab.* apud *Fest.* in *Talionis.* Si membrum rupsit (*Müllerus* rupit), ni cum eo pacit, talio esto. *Lucilius* apud *Non. p.* 382. 31. *Merc.* Ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit, si se rupit. *h. e.* etiam si rogando et clamando se ruperit. *Rumpier,* paragoge pro *rumpi,* est *Afran.* apud *Non. p.* 392. 20. *Merc.* Ego misera risu clandestino rumpier. *Alii tamen leg. rumperer.* — *Rumptus* pro *ruptus* in MSS. Codd. dicit esse *Ritschel.* ad *Plaut.* proleg., unde *dirumptum* pro *diruptum* in *Bacch.* 4. 2. 21. — Particip. *Rumpens* I. 2. *a*; *Ruptus* fere in omn. paragr.; *Rupturus* I. 1. *d*; *Rumpendus* I. 1. *m.* — Rumpo, quod *Curtius, Grundzüge d. Gr. Etym. p.* 267. conjungi posse putat cum them. Sanskr. *lup,* et *lump,* scindere, nam litteræ *l* et *r* facile permutantur, est idem ac frango, abrumpo, discindo, dissolvo, ῥήγνυμι (It. *spezzare, rompere, stracciare*; Fr. *rompre, casser, briser, déchirer, séparer de force, fendre*; Hisp. *romper, quebrar, desgarrar, rasgar, despedazar*; Germ. *brechen, zerbrechen, zerreissen, zertheilen, gewaltsam trennen od. öffnen, zersprengen*; Angl. *to breack, burst, tear, rend, rive*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Gene-

ratim. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. *sub fin.* Rumpere vincula carceris. *Lucret.* 6. 430. Incita vis venti rumpit nubem. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 9. Rumpere obstantia claustra. *et ibid.* 10. 20. aqua tendit rumpere plumbum. *Id. Epod.* 10. 20. Ventus rumpit carinam. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 32. Ruperat et duram vomer aduncus humum. *Id.* 3. *Art. am.* 707. tenues a pectore vestes Rumpere. *Id. Heroid.* 3. 15. *et ibid.* 5. 141. ungue capillos. *Id.* 3. *Amor.* 11. 3. catenas. *Phædr.* 3. 14. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris. *Virg.* 4. *G.* 135. quum tristis hiems etiamnum frigore saxa Rumperet. *Id.* 3. *Æn.* 639. fugite, atque ab litore funem Rumpite. *Plin. Hist. nat.* 20. *proœm.* Rumpit adamantem sanguis hircinus. Rursum *Virg.* 9. *Æn.* 431. viribus ensis adactus Transabiit costas, et candida pectora rupit. *Ovid.* 6. *Met.* 251. sagitta rumpit præcordia. *Liv* 7. 9. pontem. *Quintil.* 12. 8. 13. linum. *Flor.* 4. 2. vallum. *Curt.* 3. 2. 18. Gladio ruptis omnibus loris. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 70. Ruptæ catenæ. *Virg.* 2. *G.* 480. obices. *Tac.* 1. *Ann.* 63. vetustate pontes. *Petron. Sat.* 111. crines. *lacerati, svelti.* et *Val. Flacc.* 2. 37. rupto sonuit sacer æquor Titan. *h. e.* perrupto, intrato. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 16. (73). Ruptus mons terræ motu. — Mediorum apud Græcos more. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (167). Tofi aspergine, et gelu, pruinisque rumpuntur in testas. Speciatim de cælo, quum tonat ac fulgurat. *Sil. It.* 1. 184. quænam subitis horrescit turbida nimbis Tempestas, ruptoque polo micat igneus æther? *Id.* 3. 196. Congeminat sonitus rupti violentia cæli. Adde 8. 653. et 17. 252. Sic 6. 607. utramque per æthera volvens Abrupto fregit cælo super agmina nubem. — *b*) Speciatim rumpere, *far crepare. Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (30). *de bupresti.* Bovem ita inflammat, ut rumpat. *Id.* 20. *ibid.* 22. 89. (244). Marrubium tepefactum rumpere vomicas promittens. *Martial.* 1. 50. Leporemque forti callidum rumpes equo. *h. e.* adeo fatigabis, ut rumpatur. — *c*) Item implendo adeo distendere, ut rumpere videatur. *Virg.* 1. *G.* 49. Illius immensæ ruperunt horrea messes. *Colum.* 10. *R. R.* 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 27. Cernere jam videor rumpi penetralia turba. — *d*) Hinc *Rumpere se* et *Rumpi* est *crepare. Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (45) *de caryotis.* Rumpit se pomi ipsius etiam in sua matre, ebrietas, calcatis similis. *Virg.* 8. *Ecl.* 71. Frigidus jam pratis cantando rumpitur anguis. *et* 7. *ibid.* 26. invidia rumpantur ut ilia Codro. *Plaut. Capt. prol.* 14. Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum. *h. e.* dirupturus. (Simile est illud *ejusd. Merc.* 1. 2. 27. Tua causa rupi ramices: iamdudum sputo sanguinem.) *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Inflatas rumpi vesiculas. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. (Licentia audacium) antea rumpebar. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 136. Miser rumperis (irâ). *Propert.* 1. 8. 27. rumpantur iniqui. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 319. non, si te ruperis, par eris. *Lucilius* apud *Non. p.* 88. 11. *Merc.* Tu Lucilium credis contenturum, quum me ruperim, summa omnia fecerim. *son mezzo crepato.* — Huc pertinet illud *Lucret.* 3. 298. *de leonib.* Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes. *h. e.* adeo graviter fremunt, ut pectus rumpere videantur. Similis hyperbole est in his. *Virg.* 2. *G.* 238. Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ. *Juvenal.* 1. 13. assiduo ruptæ lectore columnæ. *Afranius* apud *Non. loc. supra cit.* Ego misera risu clandestino rumpier. — Sequente Infinito. *Seneca Marc.* 22. Non rumperetur supra cineres Cn. Pompei constitui Sejanum? — *e*) Item debilitare, corrumpere, *guastare. Afranius* apud *Non. p.* 124. 6. *Merc.* Offendit, rumpit, icit poculo. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 710. *Putsch.* Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. Plerique hæc ex lege XII. Tab. Catonem protulisse rati sunt. at vero constat illis diversas pœnas sanctas esse membro fracto et ossi rupto. Ita *Peter.* in h. l. *Lex Aquilia* apud *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. Si quis alteri damnum faxit, quidve usserit, fregerit, ruperit injuria. *Ulp. ibid. ante med.* Inquit lex, ruperit: quod verbum fere omnes veteres intellexerunt, corruperit. *et paullo post.* Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis, vel loris, vel pugnis ceciderit, vel telo, vel quo alio sciderit alicui corpus, vel tumorem fecerit. *V.* ibi reliqua. *Alfen. ibid.* 19. 2. 30. Qui mulas ad certum pondus oneris, locarat, quum majore onere conductor eas rupisset, etc. *Id. ibid.* 47. 10. 9. Servus præsidi offerendus est, qui eum flagris rumpat. *Val. Flacc.* 5. 341. rumpere lumina fletu. Quod *Ovid.* dixit 1. *Art. am.* 129. lacrimis corrumpere oculos. — *f*) Item lacerando interimere, *sbranare. Ovid. Ib.* 505. Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper. *Frango* quoque hac ratione usurpatur. — *g*) Item abscindere, *tagliare. Ovid.* 12. *Met.* 249. candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. — *h*) Item de membris est scindere, frangere; hinc *Rupta* in membris sunt scissa et fracta, Græce ῥήγματα, ex casu vel ictu. *Cels.* 4. 4. *n.* 5. Vel exesa parte aliqua sanguinem exire, vel rupta, vel ore alicujus venæ patefacto. Primam διάβρωσιν, secundam ῥηγμοχασμόν, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 48. (173., 176). Si sint rupta aliqua in auribus, vel caprinum (*medetur*) cum lacte mulierum. *et ibid.* 14. 58. (210). Femiuum hædi cinis rupta intestina sarcit. *Id.* 27. *ibid.* 4. 6. (21). *de alcea.* Usus radicis ex vino dysentericis, et ruptis, convulsis. *Id.* 32. *ibid.* 9. 32. (103). Rupta, convulsa cancri fluviatiles sanant. *Id.* 26. *ibid.* 13. 85. (137). Ruptis convulsisque, ex alto dejectis centaurium majus. Uti *Dioscorid.* habet ῥήγμασι, σπάσμασι etc. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 92. (160). Abrotoni semen nervis utile, tussi, orthopnœæ, convulsis, ruptis. *Id.* 22. *ibid.* 17. 20. (43). Herba urceolaris contra ulcera, rupta lapsusque. Adde alibi sæpissime, quæ loca indicare nimis longum est. Utrum autem *rupta* apud eumdem aliquando herniam significent, non affirmaverim. Apud *Martial.* certe distinguuntur, 10. 56. Enterocelarum fertur Podalirius Hermes: Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est? Ruptos hic intellige, nimia lassitudine defatigatos et pæne confectos. *crepati da stanchezza.* (Simili sententia *Phædr.* 1. 24. *de rana.* dum vult validius Inflare sese, rupto jacuit corpore. *et* 20. 5. *de canib.* Aquam cœpere bibere, sed rupti prius Periere, quam etc.) Cf. *Marcell. Empir.* 17. *sub fin.* Ex eo medicamento dabis ruptum et infirmum stomachum habenti. — *i*) Item *rumpi* dicitur animal, quod ex labore vehementissime defatigatur, apud *Veget.* 3. *Veterin.* 1. *a med.* Nimiam lassitudinem sequitur ægritudo: et omne animal est debile, si rumpitur. Adde 1. *ibid.* 41. 42. et 43. — *l*) Hinc etiam *rumpere* membra libidinibus. *Propert.* 2. 13. 14. et rumpere latus, *Auct. Priap.* 83. *in fin.* et *Martial.* 11. 104. et rumpere ilia, *Catull.* 11. 20. pertinent ad enervandas vires τῇ συνουσίᾳ. Sic *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 29. quem Veneris certamina rumpunt. — *m*) Est etiam irrumpere, perrumpere, penetrare. *Virg.* 12. *Æn.* 683. rapido cursu media agmina rumpit. *apre, sbaraglia.* et *Propert.* 3. 9. 64. Admisso cursu Decius prœlia rupit equo. *Liv.* 6. 13. Rumpere ordines. *Id.* 26. 5. mediam aciem. *Justin.* 1. 6. 11. Pugnantibus acies rumpenda. *Val. Flacc.* 1. 463. *de Lynceo.* possit qui rumpere terras, et Styga transmisso tacitam deprendere visu. *penetrare coll' occhio. Sil. It.* 11. 135. Hannibal rupit Alpes. *h. e.* per Alpes viam sibi fecit, ruptis aceto saxis. *Juvenal.* 10. 153. Diducit scopulos, et montem rumpit aceto. (Adde *Liv.* 21. 37.) *Pallad.* 4. *R. R.* 1. Quum germen ruperit, et aliquod ceperit incrementum. *h. e.* corticem perruperit, et exierit. — *n*) Hinc disjicere, diffringere, laxare, vi aperire. *Virg.* 1. *G.* 473. Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam. *Id.* 3. *Æn.* 391. tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. et 7. *ibid.* 569. ruptoque ingens Acheronte vorago Pestiferas aperit fauces. — *o*) Item dissolvere, destruere in illo *Stat.* 9. *Theb.* 173. Eumenis ex oculis rejecta cærula parma Fugit, et innumeri galeam rupere cerastæ. *h. e.* galeam, quam habere in capite visa fuerat, exsistentes subito cerastæ destruxere, quod est uno verbo, galea in cerastas dissoluta et versa est. ¶ 2. Prægnanti, ut ajunt, sensu apud Poetas — *a*) Rumpere est rumpendo aperire, aperire; hinc *Rumpere viam, iter, cursum,* celeriter prosequi, impetu ire obstantia quæque perrumpendo. *Sil. It.* 5. 616. Dissiliens tellus, nec parvos rumpit hiatus. *h. e.* aperit. *Virg.* 2. *Æn.* 494. Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant. *Val. Flacc.* 1. 2. Fatidicamque ratem Scythici quæ Phasidis oras Ausa sequi, mediosque inter juga concita cursus Rumpere. *Sil. It.* 8. 568. Disjecit postes, rupitque in prœlia cursum. *Id.* 4. 106. Si reserare viam, atque ad regem rumpere ferro Detur iter. *et* 15. 782. rumpit Per medios Nero sævus iter. *Stat.* 8. *Theb.* 468. turbataque agmina Grajûm, Igne viam rumpens. *Virg.* 10. *Æn.* 372. Rumpere ferro viam per hostes. — *b*) Item rumpo est exire, vel erumpere facio. — *α*) Generatim. *Ovid.* 5. *Met.* 257. fons, Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit. *h. e.* rupta humo elicere. — *β*) Speciatim dicitur de voce; hinc *Rumpere vocem,* quasi invitum erumpere in vocem et verba: vel potius rumpere. h. e. aperire viam vocis. Notant eruditi dixisse etiam Demosthenem ῥῆξαι φωνήν, et in *epigram.* esse ῥῆξαι δάκρυα, erumpere in lacrimas: eademque ratione, absolute, *Paul. ad Galat.* 4. 27. ῥῆξον καὶ βόησον. Ita *Forcellinus.* Ceterum *Schenkel.* addit ῥήγνυμι φωνήν ex *Herodoto,* ῥ. αὐδήν ex *Euripide,* ῥ. κλαυθμόν ex *Plutarcho.* (Cf. ῥ. δακρύων νάματα apud *Sophocl.* et V. *Passow., Handwörterbuch d. Griech. Sprache.*) *Virg.* 2. *Æn.* 377. Composito rumpit vocem, et me destinat aræ. *et* 11. *ibid.* 377. Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces. *Sil. It.* 8. 301. invitus vocem hanc e pectore rumpam. *Ovid.* 10. *Met.* 147. hoc vocem carmine rupit: Ab Jove Musa parens, etc. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 553. Tantos illa suo rumpebat pectore questus. *et Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 249. et questus ad nubila rumpit inanes. *Sil. It.* 4. 458. gemitumque ad sidera rupit. *Grat. Cyneg.* 188. illa metus convicia rupit. *Coripp.* 7. *Johann.* 547. morientis lingua loquelam Rumpere non potuit. — *Rumpi,* mediorum apud Græcos more, vel *Rumpere se,* usurpatur sæpe pro erumpere magna vi, *uscire dirottamente. Virg.* 11. *Æn.* 548. tantus se nubibus imber Ruperat. *Id.* 1. *G.* 445. *Ribbeck.* ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpent radii. *h. e.* quasi ruptis nubibus exibunt. *Alii leg.* erumpent. *V.* ERUMPO. *Id.* 3. *ibid.* 428. omnes rumpuntur fontibus. *Auct. Ætn.* 1. ruptique cavis fornacibus ignes. *h. e.* erumpentes. — Hinc *ruptus turbo,* magna vi ac celeritate se rumpens. *h. e.* se proripiens, discurrens. *Virg.* 2. *Æn.* 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt. *Petron. Sat.* 123. nec rupto turbine venti Deerant. *Auct. Ætn.* 53. Densa per attonitas rumpuntur fulmina nubes. *Alii leg.* funduntur.

II.) Translate. ¶ 1. Rumpere est dissolvere, violare, irritum reddere. *Sil. It.* 6. 500. (et 7. 35). Si stat rumpere vitam, In patria moriamur. *Lucret.* 2. 254. Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 3. 35. indigni fraternum rumpere fœdus. *et Cic. Balb.* 5. *extr.* Fœdera negligere, violare, rumpere. Adde *Liv.* 9. 1. et 21. 10. *Virg.* 4. *G.* 213. *Liv.* 9. 40. *Flor.* 1. 16. et *Sabin. Ep.* 2. 96. Rumpere fidem. *Sil. It.* 1. 11. pacem. *Plaut. Curc.* 4. 2. 24. rogationes rogatas. *Lucan.* 4. 175. leges. *Liv.* 4. 17. jus gentium. *Horat.* 4. *E.* 15. 22. edicta. *Seneca Thyest.* 179. fas omne. *Id. Herc. Fur.* 79. imperium Jovis. *Ovid.* 15. *Met.* 789. superi Ferrea non possunt veterum decreta sororum Rumpere. *Virg.* 6. *Æn.* 883. fata aspera. *Tac.* 1. *Ann.* 42. hostium jus et sacra legationis et fas gentium. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 241. testamentum. *cassare, annullare.* Sic *ibid.* 38. 173. Testamentum ruptorum aut ratorum jura. *Horat.* 1. *Od.* 15. 7. Rumpere nuptias. *Tac.* 11. *Ann.* 30. tabulas nuptiales. *Virg.* 4. *Æn.* 292. amores. *Liv.* 1. 42. fati

necessitatem humanis consiliis. *Id.* 28. 27. sacramenti religionem. *Id. ibid.* 33. societatem fidei et amicitiæ per scelus. *Tac.* 1. *Hist.* 12. reverentiam sacramenti. *Id.* 2. *ibid.* 63. custodiam. *Vellej.* 2. 48. *sub fin.* Condiciones pacis disdutere ac rumpere. *et ibid.* 110. Fortuna rumpit proposita hominum. *rompe i disegni.* et *Sueton. Tib.* 24. Rumpere patientiam. *perdere. Id. Galb.* 16. obsequium. — Singulare est illud *Stat.* 2. *Silv.* 13. rumpat dolor iste deos. *h. e.* deorum invidiam contemnat vel fortiter ferat. *Alii tamen leg.* dele. ¶ 2. Poetice est abrumpere, interrumpere, *interrompere. Virg.* 8. *Æn.* 110. audax quos rumpere Pallas Sacra vetat. *Id.* 7. *ibid.* 458. Olli somnum ingens rumpit pavor. *Seneca Troad.* 785. Rumpe jam fletus, parens. *h. e.* omitte flere. *Tibull.* 2. 3. 19. O quoties ausæ, caneret quum valle sub alta, Rumpere mugitu carmina docta boves! *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 88. et *Horat.* 3. *Od.* 27. 5. Rumpere iter inceptum. *Id. Epod.* 13. 15. reditum alicui. *h. e.* intercludere. *Virg.* 6. *Æn.* 814. otia patriæ. *Ovid.* 1. *Art. am.* 539. Excidit illa metu, rupitque novissima verba. *Id. Remed. am.* 598. singultu verba dolentis. ¶ 3. Item separare, avellere. *Val. Flacc.* 5. 132. amplexus fessi rupere supremos. ¶ 4. *Rumpere silentium*, loqui. *Virg.* 10. *Æn.* 64., *Val. Flacc.* 3. 509. et *Horat. Epod.* 5. 85. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 208. Juppiter hoc iterum sermone silentia rupit. Adde *Sil. It.* 5. 13. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 74. Rumpere taciturnitatem. ¶ 5. *Rumpere moras*, tollere, auferre, *togliere ogn' indugio*, quasi perrumpere ea, quæ morantur, et obstant, *Virg.* 9. *Æn.* 13., *Val. Flacc.* 1. 306., *Plin.* 5. *Ep.* 11., *Lucan.* 1. 264., *Martial.* 2. 64. etc. Rumpere moram, *Ovid.* 15. *Met.* 583., ubi alii leg. *moras.* ¶ 6. *Rumpere frontem*, verecundiam amittere. *Maximian. Eleg.* 3. 23. At postquam teneram rupit verecundia frontem. *h. e.* verecundia, rupto omni pudore, de fronte profugit. Cf. *Ovid. Heroid.* 4. 155. Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit. et *Pers.* 5. 104. exclamat periisse Frontem de rebus. ¶ 7. *Rumpi*, et *Rumpi invidia*, angi, ægerrime ferre, discruciari, *crepar di rabbia, d' invidia. Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. Ut his malis reipubl. licentiaque audacium, qua ante rumpebar, nunc ne movear quidem. *Propert.* 1. 8. 17. Hic erit, hic jurata manet. rumpantur iniqui. *Ovid. Heroid.* 16. 221. Rumpor, et invideo, quum etc. *Martial.* 9. 98. Rumpatur, quisquis rumpitur invidia. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 15. Rupit Iarbitan Timagenis æmula lingua. *h. e.* dirupit, *fece crepare. V.* DIRUMPO.

RUMPŌTĬNĒTUM, i, n. 2. *alberelo funajuolo*, locus arboribus rumpotinis consitus. *Colum.* 5. *R. R.* 7. 2. Fere ita constitutum rumpotinetum animadverti, ut ad octo pedes locis siccis et clivosis, ad duodecim locis planis et uliginosis tabulata disponantur. Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (211).

RUMPŌTĪNUS, a, um, adject. *Rumpotinum* dicitur arbustum e rumpis, vel in quo rumpi vitium traducuntur. *h. e.* traduces. *Rumpotinæ arbores*, quæ rumpis sustinendis inserviunt. *V.* voc. seq. *Colum.* 5. *R. R.* 7. 1. Est et alterum genus arbusti Gallici, quod vocatur rumpotinum. Id desiderat arborem humilem, nec frondosam. Cui rei maxime videtur idonea opulus, corpus, et carpinus, et ornus, nonnumquam et salix sed in locis aquosis. Potest etiam ulmus sic disponi, ut adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem quindecim pedum excedat. *et mox.* Arboribus rumpotinis si frumentum inseritur, in utramque partem viginti pedum spatia interveniunt: at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in alteram viginti relinquuntur. — Hinc

Rumpotinus, i, f. 2. absolute, substantivorum more. Speciatim *Rumpotinus* vocatur et alio nomine populus, arbor Italiæ, Padum transgressis, cujus tabulata in orbem patula vites replent, puroque perductæ dracone in palmam ejus, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Hæc *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (12), ubi *Sillig.* et alii leg. alio nomine *opulus* propter ea, quæ modo ex *Colum.* adlata sunt. *Harduin.* tamen defendit *populus* libris omnibus, etiam MSS. — Hanc ipsam arborem, sive *populus*, sive *opulus*, designat *Plin.* 24. *ibid.* 19. 112. (172). Rumpotinum arborem demonstravimus inter arbusta. Alii hic et *loc.* prius *cit.* leg. *rumbotinus.*

RUMPUS *et* Rumphus, i, m. 2. tradux vitium, quem nostrates rustici *tirella* vocant. *Döderlein.* in *Latein. Syn. u. Etym. v.* 6. *p.* 310. deducit a ῥώψ, πός, virgultum; at *Pontedera* in *Antiqu. Græc. et Lat. p.* 529. a ῥομφεύς, lorum, quia arbusta sustinendis vitibus posita per traduces hinc inde demissas inter se connectuntur; quod culturæ genus *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (174). funetum vocat. *Varro* 1. *R. R.* 8. 4. Pedamentum fere quatuor generum: unum robustum, quod e quercu, et vocatur ridica: alterum palus e pertica: tertium, quod horum inopiæ subsidio misit arundinetum: quartum est pedamentum nativum ejus generis. ubi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea sit: quos traduces quidam rumpos appellant. Cf. *eumd. ibid. n.* 2. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (166). et *loc. cit.*

RŪMUSCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* rumor, parvus rumor, θρυλλίδιον. *Cic. Cluent.* 38. 105. Qui imperitorum hominum rumusculos aucupati tum illum absolverunt. *Id.* 3. *Legg.* 16. 35. L. Cassius dissidens a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione (*alii leg.* populares, *alii* popularis auræ) aucupans. *Aucupari rumusculos* est aliorum de se opinionem, etiam infimorum, consectari: sollicitum esse, quid de se dicant et opinentur homines, ineundæ gratiæ causâ: undecumque famam venari. Cf. *eumd. Pis.* 24. 57. Inanem aucupari rumorem et omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari. *Hieronym. Ep.* 58. Rumusculos et gloriolas et palpantes adulatores quasi hostes fuge. *Id. Ep.* 105. Animus laudem atque rumusculos et gloriolam populi requirens. *Augustin. Ep.* 66. Quid imperitorum de ingenio tuo rumusculi jactitent.

RŪNA, æ, f. 1. *Rhuna* cum adspiratione quas habet *Cod. Vat.*; in *Calar.* sicuti et in *Van.* edit. *Rana* pro *Runa* mendose legitur. — Runa, fortasse a v. Sanskr. *dru* et *drun*, unde *druna*, quibus inest percutiendi et occidendi significatio, est genus teli simile pilo.

I.) Proprie *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 263. 1. *Müll.* Runa genus teli significat. Ennius: Runata recedit, id est pilata. ubi alii leg. *prœliata*, at vetusto errore, inquit *Müllerus. Gloss. Isid.* Runa, pilum; runata pilata. *Cic.* 3. *Legg.* 9. 20. C. Gracchus runis et sicis iis, quas ipse se projecisse in forum dixit, nonne omnem reip. statum permutavit? *Alii leg.* ruinis. *V.* EMISSICIUS.

II.) Translate hoc nomine vocatæ sunt a priscis Danis litteræ ligneis et oblongis bacillis inscriptæ, unde apud eosdem *runica scriptura* locum habuit. *Venant.* 7. *Carm.* 18. 19. Barbara fraxineis pingatur runa tabellis, Quodque papyrus agit, virgula plana facit. Plura habet ad h. v. *Brow.*; at *Scipio Maff.*, *Verona illustr.* contendit ex *Salmas. de Hellen.*, et *Joh. P. Ludewig.*, *Introd. ad monet. Græc.* easdem esse litteras Runicas ac Græc. et Lat. Certe hic a *Venant.* distinguuntur; *runas* enim *barbaras* appellat.

RŪNĀTUS, a, um, ab inusit. *runo*, runa instructus. *V.* in *voc. præced.*

RUNCA, æ, f. 1. pro runcina, vel potius pro ferramento ad runcandum apto, a quibusdam firmatur *Festi* testimonio: item *Colum.* 2. *R. R.* 12. 6. et 7. in libris optimis, probante *Pontedera*; at utrobique *runcatio* leg. *Schneiderus.*

RUNCANS, antis, particip. *V.* RUNCO.

RUNCĀTĬO, ōnis, f. 3. *arroncamento*, βοτανισμός, actus runcandi.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 18. Frequentem exigunt sarritionem et runcationem, ut herbis liberentur. *Id. ibid.* 12. 9. Subjungenda est sarritioni runcatio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (185). Runcatio, quum seges in articulo est, evulsis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit a cæspite.

II.) Translate. Metonymice ipsæ herbæ inutiles, quæ runcando evelluntur. *Colum.* 2. *R. R.* 12. 6. Faba manibus ducta secernitur a cetera runcatione.

RUNCĀTOR, ōris, m. 3. *arroncatore*, βοτανιστής, qui runcat. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 19. Quæque præteriero, intelligi oportebit, nullam operam postulare runcatoris. Adde 12. *ibid.* 13. 1.

RUNCHOS pro Ronchos apud *Veget.* 5. *Veterin.* 45. 1. *V.* RONCHOS.

RUNCĪNA, æ, f. 1. ῥυγκάνη, ῥυκάνη. ¶ 1. Instrumentum, quo ligna aspera levigantur, *pialla*, plana. *Varro* 6. *L. L.* 96. *Müll.* Runcinare a runcina, cujus origo Græca ῥυκάνη. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225). Firmissima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, et ad intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe sese volvens ad incitatos runcinarum raptus. *Arnob.* 6. *p.* 200. Simulacra ista, quæ vos terrent, runcinarum levigata de planis. ¶ 2. Similiter instrumentum, quo sculptores lignarii ligna sculpunt seu excavant, *sponderuola. Tertull. Apolog.* 12. In deos vestros (*ligneos*) per omnia membra validius incumbunt asciæ, et runcinæ, et scobinæ. Cf. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 8. et *Vulgat. interpr. Is.* 44. 13. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

RUNCĪNĪUS *vel* Roncinius, a, um, adject. runcina expolitus. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 2. 3. Ferularum (*amygdalum*) alio modo scribit (*Columella*): nam hoc tantum præstare amygdalis ferulas, ut illas faciant roncinias. Ita *Cod.* pro *runcinias, h. e.* molles, et putamine fragili, quales erant Tarentinæ. Ceterum *A. Maius*, qui in *Class. Auct. T.* I. *p.* 387. 413. recudenda curavit *Gargilii* fragmenta, pro *roncinias* edidit *Tarentinas*, et hæc *ibid. p.* 406. adnotat: *Tab.* Neap. *roncinias*: ego videbar mihi legere in *Cod.* Tarentinas, indubitanterque edebam *Tarentinas*; ut in re simili locuntur *Plinius*, *Columella*, atque *Palladius.* Ita cl. *Furlanettus.*

RUNCĪNO, as, are, a. 1. *piallare*, ῥυκανίζω, runcina abrado, polio. Agnoscitur a *Varrone*, ut est in RUNCINA, et *Arnob.* 5. *p.* 177. Ramum præsecans dolat, runcinat, levigat. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 23. *a med.* — Jaculariter *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 61. ego illum probe oneratum runcinabo. *Alii tamen leg.* hue ascibo, *vel* admovebo.

RUNCĪO, is, ire, a. 4. idem ac runco. *Gloss. Gr. Lat.* Ῥυκανίζω, runcio.

RUNCO, as, are, a. 1. (runca). Particip. *Runcans* II.; *Runcaturus* et *Runcandus* I. — Runcare est rubos et sentes aliosque frutices noxios ferramento exstirpare, et herbas inutiles ex adultis segetibus manu evellere, (qua de re *P. Victor. l.* 36. *c.* 8. *var. lection.* fuse disputat.) nam *sarrire* est idem facere, non manu sed ferramento, id est sarculo: *arroncare, estirpare l' erbe inutili*, βοτανίζω.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergari, vepres recidi, pratum purgari, spinas runcari. *Varro* 1. *R. R.* 30. Inter vernum æquinoctium, et Vergiliarum exortum hæc fieri: segetes runcari, boves terram proscindere, salicem cædi, etc. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Per hos dies runcandæ segetes sunt, fœnisiciæ instituendæ. *Id.* 5. *ibid.* 3. *ante med.* Qui runcaturi sunt, medias partes arearum facile manu contingant. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (184). Siliginem, far, triticum, semen, hordeum occato, sarrito, runcato, quibus dictum erit diebus. *Id. ibid.* 18. 47. (169). Postea pauci runcant: quod botanismon (βοτανισμός) vocant. *Isid.* 20. *Orig.* 14. Runcones a runcando dicti.

II.) Translate. ¶ 1. Est vellere, depilare. *Pers.* 4. 35. penemque, arcanaque lumbi Runcantem etc. ¶ 2. Metere. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 8. *a med. de frumentis.* Quum runcantur, id est a terra auferuntur, etc.

RUNCO, ōnis. m. 3. *roncone, ronca*, ferramentum rusticum, incurvum, longo manubrio, quo vepres vel stirpes secantur a ῥύγχος, rostrum. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Vangas, runcones, quibus vepreta persequimur. *Isid.* 20. *Orig.* 14. Runcones, quibus vepres secantur, a runcando dicti.

RŬO, rŭis, rŭi, rŭtum *et* rŭĭtum, rŭere, 3. Supinum *ruitum* ex futuro *ruiturus* firmatur; sed et *rutum* dici posse, ostendunt *ruta cæsa, rutabulum*, et composita *erutus, prorutus, dirutus* etc. Sic *Priscian.* 10. *p.* 505. *Keil.* Excipitur rutum vel ruitum quod *u* corripuit, vel quod *i* servavit; nam secundum futuri participium, id est ruiturus, debet ruitum esse, secundum præteritum vero debet rutum dici pænultimâ correptâ. At de quantitate pænultimæ quid dicat *Varro* V. in RUTA CÆSA. *Gramm.* in *Anecd. Helv. p.* LXVIII. ed. *Hagen.* Dat ruitum ruo sive rutum. — Particip. *Ruens* fere in omn. paragr.; *Rutus* sub *B.* I. 1. 2.°; *Ruiturus* sub *A.* I. 2. *a.* — Ruere, quod a ῥυ- et ῥέ-ω, fluo, derivatur, est idem ac præcipitem currere, cursu præcipitem ferri, ardenter ac festinanter ire, audaci impetu agi, advolare, ἀΐσσω, ἐπισεύομαι (It. *correre precipitosamente, andar con impeto;* Fr. *courir, se jeter sur, s'élancer en avant;* Hisp. *corer, caminar moviendose con impetuosa y suma velocidad, abalanzarse;* Germ. *rennen, stürzen, stürmen, eilen;* Angl. *to rush or run headlong, rush furiously, ruin, throw down*) et usurpatur *A*) Intransitive, et *B*) Transitive.

A) Intransitive, quod commune est prosæ scriptoribus.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim, tum de personis, tum de rebus. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 20. At illum (*Pompejum*) ruere nunciant, et jam jamque adesse. *Id.* 1. *Fin.* 10. 34. Id ne feræ quidem faciunt, ut ita ruant atque turbentur, ut etc. — *b*) Sæpius cum additis. *Virg.* 10. *Æn.* 811. Quo moriture ruis, majoraque viribus audes? *et* 9. *ibid.* 438. At Nisus ruit in medios, solumque per omnes Volscentem petit. *Sil. It.* 6. 319. Laxabat ferro campum, ac per iniqua ruebat. *Tac.* 16. *Ann.* 32. Simul in amplexum occurrentis filiæ ruebat, nisi lictores obstitissent. *Id.* 2. *Hist.* 68. Ruebat ad convivium miles mortem Verginii exposcens. *Quintil.* 2. 12. 2. Gladiator qui in rixam ruit. — 2.°) Speciatim de his, qui certatim, seu magno numero affluunt, aut pugnandi causa irruunt, *correre, concorrere a gara, o in folla, o a frotte, avventarsi.* — *a*) Cum addito loco, quo vel qua quis ruit. *Virg.* 8. *Æn.* 648. Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant. *Id.* 12. *ibid.* 526. Æneas Turnusque ruunt per prœlia. *Tac.* 5. *Hist.* 22. Quærunt arma, ruunt per vias. *Liv.* 3. 3. Legiones adesse hostium, et infesto agmine ruere ad urbem. *Id.* 24. 16. Inde terga data, ruuntque fugientes in castra. *Id.* 26. 44. Ruere in vulnera ac tela. *Virg.* 6. *Æn.* 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat. *Tac.* 1. *Hist.* 45. Ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus. *Curt.* 7. 9. 12. Ruere in hostem. *Id.* 8. 14. 6. in medium discrimen. *Flor.* 2. 18. *a med.* Ut destinata morte in prœlium ruerent. *Id.* 4. 2. Rex infesto in Cappadociam agmine ruebat. — *b*) Cum addito loco, a quo quis ruit. *Liv.* 27. 41. *ad fin.* Eques pedesque certatim portis ruere. — *c*) Absolute. *Tac. Agric.* 37. Inermes ultro ruere ac se morti offerre. *Id.* 5. *Hist.* 78. Legio sustinuit ruentes, mox impulit. *h. e.* irruentes. *Flor.* 2. 18. Pari violentia ruentem ulterius hostem. *Curt.* 4. 56. 3. Ruebant laxatis habenis aurigæ. *Tac.* 6. *Ann.* 35. Sarmatæ, omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent. — 3.°) Item effundi, emitti. *Virg.* 6. *Æn.* 44. Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ. — 4.°) Item cum impetu, vel celeriter fluere. *Virg.* 4. *Æn.* 164. ruunt de montibus amnes. *Ovid.* 1. *Met.* 285. flumina per campos. *Tac.* 5. *Hist.* 19. in Galliam Rhenus. — 5.°) Item adventare. *Virg.* 2. *Æn.* 250. Vertitur interea cælum, et ruit Oceano nox. *h. e.* celeriter venit, et ideo ruit, quia mare altius terra. *Id.* 10. *ibid.* 256. interea revoluta ruebat, Matura jam luce, dies, noctemque fugarat. — Contra *sol ruit* apud *Val. Flacc.* 1. 274. est occidit, ruit in mare. Sic *Virg.* 1. *G.* 313. Quum ruit imbriferum ver. *h. e.* in finem vergit. — ¶ 2. Prægnanti, ut ajunt, sensu est cum impetu et celeriter cadere, concidere, corruere, in præceps ferri, *cadere, precipitare, rovinare,* πίπτω, καραῤῥέομαι, et dicitur tum de rebus, tum de personis. — *a*) Generatim, cum vel sine additis. *Cic. pro leg. Man.* 7. *ad fin.* Ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefacta motu concidant. *Ovid.* 4. *Met.* 459. Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum. *Lucan.* 7. 403. stat tectis putris avitis In nullos ruitura domus. *Virg.* 2. *Æn.* 290. Hostis habet muros: ruit alto a culmine Troja. *Lucret.* 4. 403. omnia tecta. *Id.* 5. 96. moles et machina mundi. *Id. ibid.* 307. altæ turres. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 104. templa deûm. *Id. ibid.* 8. 71. aulæa. *Id.* 2. *Ep.* 1. 47. acervus. *Val. Flacc.* 7. 287. strictumque ruebat in ensem. *Seneca Herc. Œt.* 349. Ruere super aliquem. *Id. Herc. Fur.* 1046. ad terram. *Id. Thyest.* 728. in pronum. *Plaut. Curc.* 5. 2. 47. Spectacula ibi ruunt. *Id. Most.* 1. 2. 36. parietes. *Id. Truc.* 2. 2. 50. lateres veteres. *Liv.* 21. 11. murus latius quam cæderetur. — *Sall. fragm.* apud *Donat.* ad *Ter. Adelph.* 3. 2. 2. in flumine. *pro* in flumen. At *Kritz.* interpretatur *ruere*, ut sit *vi procedere, magno impetu grassari.* et *Martial.* 1. 89. Accipe non Phario nutantia pondera saxo, Quæ cineri vanus dat ruitura labor. *h. e.* sepulcra sumptuosa in cineres ibi reconditorum corporum jam collapsura. — *b*) Speciatim, de iis qui moriendo cadunt. *Virg.* 10. *Æn.* 756. cædebant pariter, pariterque ruebant Victores victique. *Sall. fragm. p.* 177. *Kritz.* Ruuntque pars magna suismet aut proxumorum telis. *Val. Flacc.* 7. 641. cuncta jacebant Agmina, nec quisquam primus ruit. — *c*) *Ruere cælum* dicitur (ut et *rumpi*), quum vel tonat, vel fulgurat, vel immodici imbres cadunt. *Lucret.* 1. 1105. Neve ruant cæli tonitralia templa superne. *Virg.* 1. *G.* 324. ruit arduus æther, Et pluvia ingenti sata læta, boumque labores Diluit. *Id.* 8. *Æn.* 524. improviso vibratus ab æthere fulgor Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente. Sic *id.* 5. *ibid.* turbidus imber aquâ. *Seneca Hippol.* 674. omnis impulsus ruat Æther, et atris nubibus condat diem. *Val. Flacc.* 1. 664. Juppiter ruens contra Athon, aut Rhodopen. *Liv.* 40. 58. Ruit cælum in se. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 3. Adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates. Adde *Val. Flacc.* 1. 616. et 1. 663. et *Martial.* 3. 100. — *Quid si cælum ruat?* τί, εἰ οὐρανὸς ἐκπέσοι; proverb. apud *Ter. Heaut.* 4. 3. 41. in eos, qui omnia timent, et vano metu ab agendo deterrentur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. — 1.°) Generatim. — *a*) Universim. *Cic. Marcell.* 5. *a med.* Ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens ad interitum ruere voluntarium. *Liv.* 3. 53. Crudelitatis odio in crudelitatem ruitis. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Ad seditiones et discordias, et ad extremum, bella civilia ruebant. *Id. ibid.* 78. Ruere in exitium. *Id.* 1. *Ann.* 7. At Romæ ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes. *Horat. Epod.* 7. 1. Quo, quo, scelesti, ruitis? *Virg.* 10. *Æn.* 811. Quo moriture ruis, majoraque viribus audes? — Ruere in pejus, *andar di male in peggio. Virg.* 1. *G.* 200. sic omnia fatis In pejus ruere, et retro sublapsa referri. — *b*) Passive impersonaliter. *Liv.* 8. 24. Ut ferme fugiendo in media fata ruitur. — *c*) Cum Infinito. *Propert.* 4. 1. 73. Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti? *Lucan.* 7. 751. Scire ruunt, quanta fuerint mercede nocentes. *h. e.* nosse festinant. *Stat.* 7. *Theb.* 177. novercales ruimus ditare Mycenas. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 386. animare ad crimina taxos Torva Megæra ruit. — 2.°) Speciatim ponitur pro temere et sine consilio agere, cæco impetu ferri, nimio festinandi studio ire præcipitem, mentis quodam furore rapi, transversum agi, labi, errare. *Ter. Heaut.* 2. 3. 128. Heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas. *Cic. Dom.* 55. 141. Non potuit ullo modo non in agendo ruere, ac sæpe peccare. *Id. Sext.* 64. 133. Quum quotidie rueret. *Id.* 3. *Off.* 13. 55. Emptorem pati ruere, et per errorem in maximam fraudem incurrere. *Id.* 2. *Fin.* 6. 18. Ruit in dicendo. *Id.* 7. *Att.* 7. *ad fin.* Ego bonos viros sequar, etiamsi ruent. Adde 2. *ibid.* 14. 1. *Liv.* 3. 11. Accusator pati reum ruere. *Tac.* 1. *Hist.* 56. Non compescere ruentes. *Quintil.* 2. 20. 2. Multus video, qua vel impudentia, vel fames duxit, ruentes. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Lucret.* 4. 507. ratio ruat omnis, vita quoque ipsa Concidat extemplo. *Cic.* 7. *Verr.* 6. 12. Quæ quum accidunt, nemo est quin intelligat, ruere illam rem publicam. *Quintil.* 5. 12. 3. Si negat, hic causæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. *Sil. It.* 15. 736. fortuna ruebat Sidonia. *Horat.* 1. *Od.* 2. 25. Quem vocet divûm populus ruentis Imperi rebus?

B) Transitive, quod usum habet fere poeticum.

I.) Proprie. ¶ 1. Ruo, significatu a priore intransitivi notione ducto, est egero, cum impetu emitto et impello; hinc, sæpius, eruo, effodio, cavare. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 71. 91. (196). Alia (*animalia*) dentibus prædantur, alia unguibus, alia rostri aduncitate carpunt, alia latitudine ruunt, alia acumine excavant. *Sillig.* leg. *eruunt.* — *b*) Cum addito Accusativo. *Virg.* 2. *G.* 308. *de igne.* Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad cælum picea crassus caligine nubem. *Lucret.* 6. 726. mare permotum ventis ruit intus arenam. *Virg.* 1. *Æn.* 88. Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt. *et* 11. *ibid.* 211. Mœrentes altum cinerem, et confusa ruebant Ossa focis. *h. e.* de cineribus eruebant, *pro* legebant, vel celeriter colligebant. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 5. 21. unde Divitias ærisque ruam, dic augur, acervos. *h. e.* eruam, colligam, comparem, inveniam. *et Lucilius* apud *Non. p.* 380. 8. *Merc.* ruis hoc et colligis omnia furtim. *Virg.* 1. *Æn.* 35. spumas salis ære ruebant. *h. e.* secabant, ut terra *ruitur* sulco facto, *scil.* eruitur. *solcavano.* — 2.°) Speciatim, particip. *Rutus;* unde neutr. plur., absolute, *ruta cæsa*, vel *ruta et cæsa* apud JCtos, unicum, quod sciam, hujus participii exemplum. *V.* RUTA CÆSA. ¶ 2. Ruo, significatu a posteriore intransitivi notione ducto, (quem primum, ut propriam hujus verbi vim, *Forcellinus* posuit) — *a*) Generatim est sterno, everto, dejicio, deruo, diruo, *gettar giù, abbattere, rovinare, rovesciare,* καθαιρέω. *Ter. Adelph.* 3. 2. 21. Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem. Ubi *Donat.* Ruere est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. *Ovid.* 12. *Met.* 134. Cadentique sequens instat, turbatque, ruitque. *Plaut. Trin.* 4. 1. 17. Procella infensa frangere malum, ruere antennas, scindere vela. *Val. Flacc.* 3. 102. ad amnem Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem. *Virg.* 9. *Æn.* 516. Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque. *Lucret.* 5. 1324. Ruere aliquem ad terram. *Virg.* 5. *Æn.* 695. ruit æthere toto Turbidus imber aquam. — *b*) Speciatim, de navibus, est affligo, mergo. *Lucret.* 1. 272. venti vis Ingentesque ruit naves et nubila differt. Similiter *ibid.* 280. — *c*) Item deruendo complano. *Virg.* 1. *G.* 105. cumulosque ruit male pinguis arenæ. Hinc *Scalig.* in *Conjectan.* ad *Varron.* putat *ruere* esse, modio cumulum adæquare: unde *rutrum*, et *rutellum*. Non tamen satis probat; et, quæ affert Plauti verba, invenire non potui. Ita *Forcell.* — *d*) *Ruere se*, celeriter se demittere. *Apul. Florid. n.* 2. *ad fin. de aquila.* Et quærit, quorsus potissimum in prædam superne sese ruat, fulminis vice. Sic *Ter. Eun.* 3. 5. 51. foras simul omnes proruunt se

II.) Translate, metaphorâ ductâ a paragr. super. 2. *Cic.* 2. *Att.* 15. Seu ruet, seu eriget rempublicam. — Hinc Particip. præs., cujus exempl. retulimus,

Ruens, entis, etiam adjectivorum more usurpatur, ut Ædificia ruentia, et sunt, quæ nostrates *fabbriche rovinose* vocant. SCtum ann. a Chr. n. LVI. sub Nerone, apud *Reines. cl.* 7. *n.* 12. *p.* 477. (*Orell.* 3115) EAQVE AEDIFICIA LONGA VETVSTATE DILABERENTVR, NEQVE REFACTA VSVI ESSENT FVTVRA QVIA NEQVE HABITARET IN IIS QVISQVAM, NEC VELLET IN DESERTA CRVENTIA (*corrige* ac ruentia) COMMIGRARE etc. Huc spectare vi-

detur locus *Imp. Alex. Sev. Cod.* 8. 10. 2. Negotiandi causa ædificia demoliri et marmora detrahere, edicto divi Vespasiani et SCto vetitum est. — Hinc

Ruentia, um, absolute, sunt adversa, et opponuntur *prosperis*, apud *Tac.* 3. *Hist.* 64. Ipse Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum.

RŬPA, æ, f. 1. idem videtur esse ac rupes. *Apul.* 6. *Met.* ubi alii aliter leg. *Gloss. Isid.* Rupa ex utraque parte acuta. *h. e.* locus abruptus. — *NB.* De nomine propr. R. *V.* ONOM.

RŪPES, is, f. 3. Legitur et *Rups* in *Gloss. Gr. Lat.* κρημνός, rups. Porro videtur esse a *rumpo*, pro quo veteres *rupo* dixerint, ut *frago* pro *frango*. (Cf. ῥέπω.) — Rupes ¶ 1. Generatim est prærupta et inaccessa terræ, aut montis pars, *balza, pendice, roccia, rupe,* ἀρείπνη, ῥωγάς. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Oppidum egregie natura munitum, quod omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque habebat. *Horat.* 3. *Od.* 27. 61. Sive te rupes, et acuta leto Saxa delectant. *Id.* 1. *Ep.* 20. 15. Qui male parentem in rupes protrusit asellum. *h. e.* in præcipitium. *lo capitombolò giù. Ovid.* 1. *Pont.* 8. 51. pendentes rupe capellas Pascere. *Id.* 3. *Art. am.* 105. Sed non Caucasea doceo de rupe puellas. *Id.* 2. *Fast.* 209. Libyca de rupe leones Invadunt sparsos lata per arva greges. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. Ex magnis rupibus nactus planitiem. *Liv.* 21. 37. Inter saxa rupesque. *Id.* 32. 4. Saxo undique abscisso rupibus imposita est. *Ovid.* 5. *Fast.* 293. Ardua rupes. *Virg.* 4. *G.* 508. aeria. *Id.* 3. *Æn.* 245. præcelsa. *Val. Flacc.* 4. 599. nubifera. *Sil. It.* 7. 468. frondosa. *Virg.* 6. *Ecl.* 29. Parnassia. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 507. dubio tibi pendula rupes Immineat lapsu. *Justin.* 24. 6. 8. Personantibus et respondentibus inter se rupibus. *Vulgat. interpr. Bar.* 5. 7. Rupes perennis. et *Job* 39. 28. inaccessa. ¶ 2. Speciatim dicitur de scopulo. *Stat.* 1. *Achill.* 198. Undisonæ rupes. *Virg.* 10. *Æn.* 693. velut rupes, vastum quæ prodit in æquor Obvia ventorum furiis expostaque ponto etc. *Val. Flacc.* 4. 637. Cyaneæ rupes. et 8. 108. in medio rupes latet horrida ponto. *scoglio sott'acqua.* et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 425. Sic ruit in rupes amisso pisce sodali Belua. *Lucan.* 5. 513. primisque invenit in undis Rupibus exesis hærentem fune carinam. *legata ad uno scoglio.* ¶ 3. Item de antro. *Virg.* 3. *Æn.* 443. quæ (*Sibylla*) rupe sub ima Fata canit. *h. e.* in antro. *Claudian. IV. cons. Honor.* 146. Cumanaque rursus Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ. *Virg.* 3. *G.* 253. Cavæ rupes.

RŪPĒUS, a, um, adject. ad rupem pertinens. *Ambros. in Luc.* 2. Ædificatio Ecclesiæ, quæ non rupeis saxis, sed vivis lapidibus exstructa etc.

RŪPEX, picis, adject. omn. gen. (rupes). Primam habet brevem, ut patet ex *Lucil. loc. cit.*; quamquam aliis aliter visum est, qui v. *rŭpex* a *rūpes* deduxerunt. — Rupex est saxeus, rupeus, durus.

I.) Proprie. *Salvian. Gub. D.* 1. 9. Adde legem divino ore resonantem, incisas digito Dei litteras, rupices paginas, saxeum volumen.

II.) Translate est durus, rusticus, hebes, et dicitur de hominibus, a *rupis* duritie, ut *Festus* docet in *Petrones.* nam et *petro* eamdem significationem habet. *Gell.* 13. 9. Sed enim veteres nostri non usque eo rupices et agrestes fuerunt, ut stellas hyadas idcirco suculas nominarent, quod ὕες Latine sues dicantur. *Tertull. Pall.* 4. Ille (*Achilles*) apud rupicem, et silvicolam, et monstrum eruditorem scrupea schola eruditus. *h. e.* apud Chironem centaurum. *Id. Apolog.* 21. *sub fin.* Rupices et feros homines ad humanitatem temperare. — Hinc

Rupex, picis, m. 3. absolute, substantivorum more, est homo durus, rusticus, hebes. *Tertull. Anim.* 6. *ad fin.* Tot ac tantæ animæ rupicum et barbarorum, quibus alimenta sapientiæ desunt. *Lucil.* apud *Fest.* in *Squarrosus.* Varonum ac rupicum squarrosa, incondita rostra. Sunt tamen qui in verbis *Lucilii* avem intelligunt, quæ et χαράδριος dicitur et in rupibus fere degit.

RŪPĬCĂPRA, æ, f. 1. *camozza,* ἀγρία αἴξ, capra silvestris, quasi rupium capra. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Rupicapris in dorsum adunca cornua, damis in adversum. *Id.* 8. *ibid.* 53. 79. (214). Capræ in plurimas similitudines transfigurantur: sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ. *Id.* 28. *ibid.* 17. 67. (231). Rupicapræ sevi cyatho, et lactis pari mensura deploratum phthisicum convaluisse, certus auctor affirmat.

RUPĪCO, ōnis, m. 3. idem ac rupex, qua est homo durus, rusticus, hebes. *Apul. Florid. n.* 7. *extr.* Quis ex rupiconibus, bajulis, tabernariis tam infans est, ut si pallium accipere velit, disertius maledicat? MS. hab. *rupicoribus.*

RUPĪNA, æ, f. 1. idem quod rupes, aut locus rupibus ac petris horridus. *Apul. Florid. n.* 11. Qui herediolum sterile, et agrum scruposum, meras rupinas et senticeta miseri colunt. *Id.* 7. *Met.* Provolutos in proximas rupinas præcipites dedere. et 6. *ibid.* Vides istas rupinas proximas, præacutas in his præminentes silices.

RUPITĬAS, in XII. significat, damnum dederis. Ita *Festus p.* 265. 3. *Müll.* Critici legunt: *Rupit* (alii *rupsit*) *damnum dederit.* Dacerius, *rupit id,* sed idem, coll. *Fest. p.* 322. 14., intellexit fuisse in XII. tabulis: *rupitias... sarcito.* Interpositum erat: *qui faxit,* vel simile quid: cf. *Dirksen.,* de *XII. tabb. p.* 529. et *Zell. Legg. XII. tabb. p.* 42. Ita *Müllerus.*

RUPS. *V.* RUPES.

RUPTIM, adverb. (rumpo) sine ordine, præpostere, confuse. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. His de causis aguntur omnia ruptim atque turbate. Alii rectius leg. *raptim.*

RUPTĬO, ōnis, f. 3. *frattura, rottura,* ῥυγή, actus rumpendi, fractio. — *a*) Active. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *a med.* Aquilia eas ruptiones, quæ damna dant, persequitur. — *b*) Passive. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. 109. Ruptio venulæ. *Marcell. Empir.* 8. tunicularum oculi. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. *ad fin.*

RUPTOR, ōris, m. 3. *rompitore,* ῥήκτης, qui rumpit.

I.) Proprie. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Ruptor vesicarum.

II.) Translate est violator. *Liv.* 4. 19. Hiccine est ruptor fœderis humani, violatorque gentium juris? *Id.* 8. 39. *ad fin.* Ruptor induciarum. *Tac.* 2. *Ann.* 13. Perfidi et ruptores pacis. Adde *Flor.* 1. 3. *ad fin.*

RUPTŪRA, æ, f. 1. *rottura,* ruptio. *Gell.* 20. 1. *a med.* Neque rumpi membrum facile possit ad alterius rupturæ, ut ais tu, æquilibrium. *Veget.* 5. *Veterin.* 64. 11. Si tussis ex ruptura, vel vulsione provenerit, anagallicum primum tundes.

RUPTUS, a, um, particip. *V.* RUMPO

RŪRĀLIS, e, adject. ad rus pertinens, rurestris, *da villa, villereccio,* ἄγροικος. *Ammian.* 30. 2. *ad fin.* Negotiis se ruralibus dedit. *Firmic.* 8. *Mathes.* 11. Erit ruralibus officiis semper applicatus. *Macrob.* 5. *Saturnal.* 2. Theocritum fecit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum. *Nemesian.* 1. *Ecl.* 65. Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo. *Id.* 2. *ibid.* 65. *pastoralem* vocat. *Cæs.* quoque usus creditur, 3. *B. G.* 14. Falces præacutæ, insertæ affixæque longuriis, non absimili forma ruralium falcium. Ita legit etiam Græcus Interpres, qui vertit οὔτε πάνυ τὴν ὄψιν διαφέροντα τῶν γεωργικῶν δρεπάνων. Alii tamen rectius *muralium.* Cf. *Veget.* 4. *Milit.* 14.

RŪRĀLĬTER, adverb. per rura, non oppidatim. *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. Quod spectaculum postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificiis, ruraliter ostentavit Italiæ.

RŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (ruro) res rusticæ. *Apul. Apolog.* Nec diis rurationis, qui eum pascunt, primitias impartit. *h. e.* agricolis diis, ut eos *Tibull.* 1. 1. 14. vocat. *Id. Florid. n.* 15. Ruratio omnis in sarculo, et surculo. *h. e.* in plantando, et purgando seu sarriendo. Cf. *Colum.* 5. *R. R.* 9.

RŪRESCO, is, ere, n. 3. rusticus, silvestris fio. *Ennius* apud *Charis.* 1. *p.* 105. *Putsch.* Rurescant frundes. Alii leg. *rarescant,* quod est veri similius. Ita *Forcellinus.* At *Keil.* et *Müll.* leg. *russescunt.*

RŪRESTRIS, e, adject. ad rus pertinens, rusticus, ruralis, agrestis, *villereccio,* ἄγριος, ἄγροικος, γεωργικός. *Apul.* 8. *Met.* Rurestria arva. *Id.* 4. *ibid.* Minime rurestri vocabulo vulgus indoctum rosas laureas appellat. *Capell.* 9. *p.* 307. Rurestris Faunum tibia decuit. *Paul. Dig.* 32. 1. 97. Muliones propter opus rurestre testator destinatos habebat.

RŪRĬCŎLA, æ, adject. omn. gen. (rus et colo). Genet. plur. *ruricolûm* est *Calpurn. loc. cit.* in fin. pro *ruricolarum,* qui genet. legitur in *Itin. Alex.* 48. (ubi *Volkmann.* leg. *ruricularum*). — Ruricola — *a*) Est qui rus colit, agricola, *coltivator di campagne,* γεωργός. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 53. Ruricolæ Cereri, teneroque assurgite Baccho. *Id.* 1. *Trist.* 10. 26. Et te ruricola, Lampsace, tuta deo. *h. e.* Priapo. *Id.* 1. *Fast.* 384. et 5. *Met.* 479. Boves ruricolæ. *Id.* 4. *Trist.* 6. 1. Aratrum ruricola. *Lucan.* 7. 859. ruricolis feriuntur dentibus ossa. *h. e.* rastris. — *b*) Est etiam qui ruri habitat, rusticus, *contadino, villano,* ἀγροῖκος. *Ovid.* 6. *Met.* 392. ruricolæ silvarum numina Fauni. Adde *Calpurn.* 8. *Ecl.* 14. *Apul.* 6. *Met.* Formicula parva atque ruricola. — Hinc

Ruricola, æ, m. 1. absolute, substantivorum more, idem quod agricola. *Ovid.* 2. *Fast.* 628. Et quæ ruricolis semina tosta dedit. *h. e.* Ino, quæ ut sterilitatem et famem induceret, iniit cum pluribus consilium, ut fruges, in sementem quas darent, torrerent, ne nascerentur, ut *Hygin. fab.* 2. et *Ovid.* 6. *Fast.* a *v.* 553. narrant. *Colum.* 10. *R. R.* 337. Hæc ne ruricolæ paterentur monstra, salutis Ipsa novas artes varia experientia rerum, — ususque magister Tradidit agricolis. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 52. ruricolûm discernere lites.

RŪRĬCŎLĀRIS, e, adject. ad ruricolas pertinens. *Venant. Vita S. Martin.* 325. Obstant inculti cultores ruricolares.

RŪRĬGĔNA, æ, adject. omn. gen. ruri genitus, rusticus, *nato in villa, contadino.* Usurpatur absolute, substantivorum more. *Ovid.* 7. *Met.* 764. et exitio multi pecorumque suoque Rurigenæ pavere feram.

RŪRO, as, are, n. et

RŪROR, āris, ari, dep. 1. (rus) *villeggiare,* ἀγραυλέω, rei rusticæ operam do, ruri dego, rusticor. *Plaut. Capt.* 1. 1. 14. Parasiti rebus prolatis latent In occulto, miseri victitant succo suo, Dum ruri rurant homines, quos ligurriant. *Varro* apud *Non. p.* 164. 23. *Merc.* Dum in agro studiosius ruror.

RURSUM et

RURSUS, adverb. Veteres, ut *susum* pro *sursum,* ita *rusum* pro *rursum* dixere. *Vel. Long. p.* 79. 5. *Keil.* Tota *r* littera sublata est in eo quod est rusum et retrorsum. Hinc deo *Rusori* sacra faciebant, quod rursus cuncta eodem revolvuntur. *Varro* apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 23. *extr. V.* RUSOR in ONOM. *Ritschelius* leg. *russum* pro *rusum* ad *Plaut. Trin.* 1. 2. 145. Sic et dossum, ut ait *Vel. Long. loc. cit.,* per duo s quam per r dorsum quidam ut lenius enuntiaverunt. — Rursum, seu rursus, per syncop. a *revorsus,* seu *reversus,* est retro, retrorsum, retroversum, *in dietro,* ὀπίσω, cui opponitur *prorsum* seu *prorsus,* ante.

I.) Proprie. — *a*) Cum oppos. *prorsum,* et est *innanzi e indietro. Ter. Hecyr.* 3. 1. 35. Trepidari sentio et cursari rursum prorsum. Ubi *Donatus: Rursum* proprie retro, *prorsum* ante significat: et est proverbiale, ut dicimus *sursum deorsum, intro foras, hac illac,* et similia, Græci ἄνω κάτω. *Ennius* apud *Non. p.* 384. 33. *Merc.* Rursus prorsus reciprocat fluctus feram. *Ribbeck.* rusus prosus. *Varro* apud *Non. p.* 384. 32. *Merc.* Mortales multi rursus ac prorsus meant. — *b*) Cum oppos. *sursum,* et est *in alto e abbasso. Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 14. Non tu scis, quum ex alto puteo sursum ad summam escenderis, maximum periculum inde esse, a summo ne rursum cadas? — *c*) Cum oppos. *introrsus,* et est *dentro e fuori. Vitruv.* 10. 13. *circa med.* Regulæ oleo subactæ, ut faciliter impellantur, et rursus introrsus reducantur. — *d*) Cum addito *versum,* vel

sine additis, *indietro*. *Plaut. Epid.* 2. 2. 63. Cœpi rursum versum ad illas pauxillatim accedere, quasi retruderet hominum me vis invitam. *Non. p.* 384. 30. *Merc.* Rursus, retro. Virg. in Georg. Rursus cura patrum cadere. At *Forcellinus* rectius interpretatur *contra, vice versa*.

II.) Translate. ¶ 1. Respondet Græc. αὖ, αὖθις, et — a) Est contra, vice versa, invicem. — α) Sine additis. *Plaut. Amph.* 3. 2. 59. redeunt rursum in gratiam. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 178. accipe a me rursum rationem doli. *Id. Pœn.* 5. 2. 40. Saluta hunc rursus meis verbis. *Ter. Eun.* 1. 1. 16. Bellum, pax rursum. *Id. ibid.* 2. 2. 20. Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. *Cæs.* 5. *B. G.* 5. Huic rursus circumvento fert subsidium. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 47. et 88. *Sall. Cat.* 53. Postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus magnitudine sua imperatorum vitia sustentabat. Adde *eumd. Jug.* 69. *Cic. Brut.* 12. 47. Rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere: *Id.* 1. *Orat.* 24. 110. Vehementer se assentire Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent: neque rursum eam totam, sicuti plerique philosophi facerent, repudiaret. *Id. Amic.* 16. 59. Necesse erit cupere et optare, rursum autem recte factis angi. *Id.* 4. *Tusc.* 31. 65. Alia ratione malevolus, alia amator, alia rursum anxius, alia timidus corrigendus. *Id.* 3. *Fin.* 10. 34. Neque in bonis numerata, neque in malis. (Cf. *Goerenz.* ad h. l.) *Horat.* 1. *Sat.* 3. 75. æquum est, Peccatis veniam poscentem reddere rursus. *alla sua volta*. *Id.* 1. *Ep.* 2. 17. Rursus quid virtus et quid sapientia possit etc. *Tac. Agric.* 29. Casum neque ambitiose, neque per lamenta rursus et mœrorem muliebriter tulit. *Id.* 1. *Ann.* 80. Neque eminentes virtutes sectabatur, et rursus vitia oderat. Adde 1. *Hist.* 1. *Curt.* 3. 21. 21. Rursus occurrebat, majora periculis præmia esse. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 13. et *Val. Flacc.* 3. 645. — β) Cum addito *retro, contra, invicem*. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent. *Cic.* 5. *Fin.* 28. 83. Vide rursus retro. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 28. at tibi contra Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi. — b) Sæpe est denuo, iterum, *di nuovo, un' altra volta*, et adhibetur ubi eadem res ab eadem persona, et etiam ubi ab alia fit. — α) Sine additis. *Plaut.* 2. 6. 55. Feri malam tu illi rursum. *Id. Cist.* 4. 2. 88. obloquere rursum, perge porro dicere. *Id. Men.* 40. 2. 61. hem rursum nugas agis. *Ter. Eun.* 4. 4. 40. Dic dum hoc rursum. *Id. Phorm.* 5. 4. 8. Te suam (*causam*) rogavit rursum ut ageres. *Cic. Mur.* 7. 15. Facis, ut rursus plebes in Aventinum sevocanda esse videatur. *Varro* 5. *L. L.* 40. *Müll.* In agris quotquot annis rursus facienda eadem, ut rursus capias fructum. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. *sub fin.* Rursus instare et prœlium redintegrare. *Id.* 2. *ibid.* 24. Rursus aliam in partem fugam petebant. Adde 1. *B. C.* 83. *Sall. Cat.* 18. Ea re cognita rursus, in Nonas Februarias consilium cædis transtulerat. Ita *Klotz.*; at *Kritzius* revocavit interpunctionem Gruterianæ editionis, commate post *cognita* posito, quod inde a *Cortio* omnes etiam *Gerlachius* et *Herzogius* post *rursus* habent, non satis considerato, ut videtur, usu loquendi. (*V.* sub c.) *Lucret.* 1. 215. uti quicque in sua corpora rursum Dissolvat natura. *Virg.* 2. *Æn.* 655. Rursus in arma feror. *Tac. Germ.* 18. Digna reddat, quæ nurus accipiant rursus, quæ ad nepotes referantur. *h. e.* a sua parte, et ipsæ. — β) Cum *denuo* jungit *Plaut. Cas. prol.* 32. Diphilus hanc Græce scripsit: post id rursus denuo Latine Plautus. Adde *Pœn. prol.* 79. et *Auct. B. Hisp.* 35. Sic in *Nov. Test.* πάλιν ἄνωθεν (*Paul. Gal.* 4. 9.) et πάλιν ἐκ δευτέρου (*Matth.* 26. 42.). — γ) Item redundat (eleganter tamen) etiam in his: *Cæs.* 4. *B. G.* 4. *a med.* Triduo viam progressi, rursum reverterunt. *et* 6. *ibid.* 3. Rursus legiones in hiberna reduxit. et 3. *B. C.* 93. Rursus renovato cursu. *et Nep. Alcib.* 6. Sacerdotes rursus resacrare sunt coacti. Sic *rursus revocare, recipere, repetere, redire, referre* etc. apud *Varron.*, *Plaut.*, *Terent.*, *Sueton.*, *Claudian.* etc. Similiter et *retro* usurpatur. Cf. etiam *Ter. Adelph.* 4. 1. 9. et *Liv.* 21. 20. et 32. ¶ 2. Hinc est etiam alio deinceps tempore. *Sueton. vit. Horat.* Et rursus: Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire. ¶ 3. Dicitur etiam pro *modo—modo*, omissâ primo loco particulâ. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Prœlium tota nocte varium, anceps, atrox: his, rursus illis, exitiabile.

Homonym. Hoc interest inter *rursus* et *iterum*, quod *rursus* repetit nullo ordinis vel numeri respectu; *iterum* communiter designat in ordine vel numero secundum locum ejusdem vel æqualis rei, primam rei agendæ repetitionem, qua duplex appareat eadem res, ita ut illud τὸ πάλιν vel αὖθις, hoc τὸ δευτέρως vel δεύτερον, Lat. *secundo* (*Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. *coll. Plat. Legg.* 12.), respondeat. *Sueton. Aug.* 76. Verba ipsius ex epistolis sunt: nos in essedo panem et palmulas gustavimus. Et iterum: Dum lectica *etc.* Et rursus: Ne Judæus quidem etc. — *Rursus* differt etiam a *denuo*; nam, si alteram, quæ secunda est, vicem ab alia quacumque vice, quæ multiplex esse potest, singulari notione Latini distinguunt, illudque per *iterum*, hoc per *rursus* designant, utramque hanc rationem particula *denuo* complectitur. In *denuo* proprie consideratur res, quæ esse desiit, sed renovatur (ut ex ipso vocis etymo, *de* et *novo*, liquet), in *iterum* tempus, quo eadem res secunda vice apparet, in *rursus* reversio et repetitio rei; quamquam hæc plerumque usu confunduntur. Item *denuo*, et etiam *ex* vel *de integro*, differt a *rursus* majore vi. *Plaut. Men.* 5. 2. 115. Ecce Apollo denuo. *h. e.* qui jam antea sæpius jusserat, rursus jubet. *Cic.* 1. *Verr.* 14. 37. Recita denuo. *h. e.* perge rursus recitare. non enim intelligitur: iterum recita. *Liv.* 5. 5. Relinquendane hæc censetis, ut ad æstatem rursus novas de integro his instituendis exsudetur labor? *Plin.* 9. *Ep.* 35. Indicavimus Senatui didicisse nos publicam causam rursusque debere ex integro discere. (V. *Hand. Tursell.* v. 2. p. 278. et *Döderl.* v. 1. p. 184.)

RUS, rūris, n. 3. — 1.°) Quod ad scriptionem pertinet, *ruse* pro *rure* dixerunt veteres, teste *Varron.* 6. *L. L.* 3. ubi alia multa hujus generis ponit. — 2.°) Quod attinet ad formam. — a) In Ablat. sing. *ruri* et *rure* dicitur. *Brutus* apud *Cic. Cluent.* 51. Forte evenit, ut ruri in Privernate essemus. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. Quod filium ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 10. Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum. — Est tamen in usu discrimen, quia si adjectivum jungitur, *rure* dices, non ruri. nam hoc adverbii vim habet, ut *vesperi, peregri*, item *noctu, diu*, illud est c. ablativus nominis. Ita *Forcellinus*: at recentiores philologi *ruri* casum localem vocant, qui terminatione *i* a ceteris in sermone Sanskr. omnino distinguitur ac tum Latinis, tum Græcis usurpatur, ut videre est in v. οἴκοι, χαμαί etc. *domi, humi* etc., atque adeo in adverb. loci *hic, ibi, ubi* etc., quamquam pro genetivo et ablat. apud Latinos, et pro dativo apud Græcos est habitus et cum iis permutatus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 60. nugaris rure paterno. *Ovid.* 6. *Fast.* 671. Rure dapes parat ille suo. *Ter. Eun.* 5. 6. 1. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi. — Similiter si verbum adhibeas motus de loco. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 115. Rure huc advenit. *Id. Eun.* 3. 3. 63. Ne pater rure redierit. Hinc *Cledon.* p. 21. 27. *Keil.* Sic et rus vado, rure venio, ruri sum. Adde 5. 5. 25., *Plaut. Merc.* 4. 5. 5. et *Truc.* 3. 2. 26. et *Cic.* 5. *Fam.* 20. *extr.* Sic *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 40. rure frui, non *ruri*. Neque tamen hoc est perpetuum. nam apud *Plaut.* legitur in optim. lib. *Truc.* 3. 2. 1. Ruri filium non rediisse. *et ibid.* 25. Si ruri veniet. Adde *Most.* 5. 1. 28. — Cum verbis status *ruri* dixere semper *Plaut.* ac *Terent.* Unde *rure esse* negat *Festus* recte dici. (*V.* quæ modo de casu locali diximus.) Nihilominus *Horat.* 1. *Ep.* 14. 1. pollicitus me rure futurum. *Ovid.* 2. *Art. am.* 229. Rure erit, et dicet, venias etc. *Liv.* 38. 53. *a med.* Morientem rure, eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt. Præterea *Charis.* 1. p. 115. *Putsch.* adfert loca, *Varron.*, *Titinii*, atque etiam *Terent. Adelph.* (4. 2. 3., ubi tamen lectio variat) qui *rure esse* dixerunt. — b) In plur. numero præter *rura* nullum alium casum habet in usu. *Charis.* 1. p. 72. *et* 97. *Putsch.* Quidam tamen leg. apud *Plin.* 5. *Ep.* 18. Frueris mari, fontibus, ruribus, agro. Sed reponunt alii, ut *Keil.*, viridibus, alii aliud. Etiam *Probus* p. 194. 30. *Keil.*, ponit *rus* inter nomina generis neutri, quæ in plurali aptota esse reperiuntur. — 3.°) Ratione habita etymi, derivari potest a Sanskr. *karsh*, unde *crus*, et per aphæresin *rus*, ut *lamentum* pro *clamentum*; vel a Gr. ἀρόω, et Lat. *aro*, unde ἄρουρα, *arura*, et *arva*, h. e. ager cultus, satus, et per aphæresin *rura*, ut factum esse docet et *Servius* ad 1. *Æn.* 434. Sic ab ἀμέλγω, mulgeo. At inepte *Varro* 5. *L. L.* 40. *Müll.* Quod in agris quotquot annis rursum facienda eadem, ut rursus capias fructus, appellata rura. — Ceterum *rus* est locus extra urbem, ubi sunt agri sive culti sive inculti, silvæ, pascua et villæ, et *urbi* opponitur. (Cf. *loc. Cic. infra cit.*)

I.) Proprie. — 1.°) Universim. *Servius* ad illud 2. *G.* 412. laudato ingentia rura, Exiguum colito: *rura* ait a majoribus dictos agros incultos, idest silvas et pascua, (quo sensu *Virg.* 4. *Æn.* 527. aspera dumis Rura. *et Lucret.* 5. 1247. Pandere agros pingues et pascua reddere rura.) *agrum* vero, qui colebatur. Postea de agro culto et de quocumque prædio rustico cum villa, secessus et fructus causa parato usurpatum est. *Cic.* 1. *Off.* 1. 1. Urbe relicta, rura peragrantes, sæpe soli sumus. *Id. Rosc. am.* 46. 133. Habet animi relaxandi causa rus amœnum et suburbanum, plura præterea prædia. *Cels. Med.* 1. 1. Sanum oportet - modo ruri esse, modo in urbe sæpiusque in agro. *Tibull.* 2. 3. 1. Rura meam, Cornute, tenent, villæque puellam. *Horat.* 3. *Od.* 18. 2. Aprica rura. *Id.* 1. *Ep.* 15. 9. frigida. *Virg.* 1. *Æn.* 430. florea. *Ovid.* 13. *Met.* 719. felicibus obsita pomis. *Horat. Epod.* 2. 3. paterna bobus exercere. *Seneca Troad.* 10. 21. centum Rura qui scindunt opulenta bubus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (36). Coli rura ab ergastulis, pessimum est. *Virg.* 1. *G.* 156. ruris opaci Falce premes umbras. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 6. ego laudo ruris amœni Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque. *Id.* 1. *Od.* 1. 16. laudat otium et rura. *h. e.* otium ruris, *pace campestre*. et 2. *ibid.* 6. 12. regnata - Rura Phalanto. *contrada, paese*. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 4. et 6. *ibid.* 793. — 2.°) Speciatim. — a) *Ruri*, et etiam *rure* sine præpos. cum verbis status. *Ter. Phorm.* 2. 3. 16. ruri fere se continebat. *Id. Adelph.* 1. 1. 20. agere vitam. *Cic. Rosc. Am.* 18. 51. vivere. *et ibid.* 52. esse. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. habitare. — Cum et sine præpos., si adjectivum jungitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (11). In Veliterno rure mirati. *Horat.* 1. *Ep.* 18, 60. nugaris rure paterno. — b) *Rus* sine præpos. cum verbis motus ad, vel in locum. *Turpil.* apud *Non.* p. 186. 9. *Merc.* Hic villicor ante urbem: nunc rus eo. *Plaut. Capt.* 1. 1. 10. quum rus homines eunt. *Ter. Eun.* 2. 1. 10. Ego rus ibo, atque ibi manebo. *Id. Hecyr.* 1. 2. 100. Senex rus abdidit se. — Cum præpos., si adjectivum jungitur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (83). Omnia hæc in Albense rus e Syria intulit L. Vitellius. — c) *Rure*, et etiam *ruri*, sine præpos. cum verbis motus de loco. *Plaut. Merc.* 3. 3. 25. cras si rure redierit. Alia exempla *V.* initio posita sub 2.° a.

II.) Translate rustici incomptique mores, sermo ineruditus, incultus, *rus* dicitur. *Catull.* 22. 14. Idem infaceto est infacetior rure. *et* 36. 19. Pleni ruris et inficetiarum annales. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 157. sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius, et grave virus Munditiæ pepulere: sed in longum tamen ævum Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.

Homonym. Quomodo inter se differant *rus* et *ager*, videsis in fin. v. AGER.

RUSCĀRIUS. *V.* RUSTARIUS.

RUSCĔUS. *V.* RUSSEUS.

RUSCO, ōnis, m. 3. quoddam insecti genus, ut putant. *Gargil. de cur. boum a med.* Jumentum ruscones si habebit, allium cum axungia conteres, et dabis. *Gloss. Philox.* Rusco, χοίαγρος, κώφαγρος (*sic*).

RUSCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* rus, *villetta*, parvum rus, agellus. *Gell.* 19. 9. Cœnam dabat amicis suis sub urbe in rusculo.

RUSCUM, i, n. *et*

RUSCUS, i, f. 2. *pungitopo, brusco, spruneggio*, nostratibus vulgo *rusco*, ὀξυμυρσίνη, genus myrti silvestris per colles nascens, foliis acutis, ex quo fiunt ruri scopæ, ut est apud *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 83. (166). Ejus cauliculi incipientes, asparagorum more, usum habent in cibo sumpti, teste *eod.* 21. *ibid.* 15. 50. (86), (et *Colum.* 12. *R. R.* 7. et *Edict. Dioclet. p.* 16. Rusci fascis habens N. sexaginta ✕ quattuor) qui *ibid.* 27. 100. utilitates ejus in medicina recenset. *Colum.* 10. *R. R.* 373. Jam tamni sponte virescunt, Et scilla, hirsuta sepes nunc horrida rusco Prodit. *Alii leg.* Et stilo thyrsuta seges nunc horrida, etc. (*V.* THYRSUTUS) *Festus p.* 262. 21. *Müll.* Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paullo herba, et exilius virgultis fruticibusque, non dissimile junco. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 4. duris ego perdita ruscis Jam dudum, et nullis dubitavi crura rubetis Scindere. *Apul. Herb.* 88. sæpius *eruscum* memorat, ubi tamen *ruscus* scribend. est.

RUSMĀRĪNA, (Rhosmarina) æ, f. 1. herba a rore marino dicta, est in *lib. de Betonica*, qui tribuitur *Apul.* Romani betonicam, aliqui serratam, nonnulli rusmarinam appellaverunt.

RUSPANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

RUSPĪNO, as, are, a. 1, frico. *Gloss. Lat. Gr.* Ruspinat, χειροτριβεῖ. *h. e.* manu fricat.

RUSPO, as, are, a. *et*

RUSPOR, āris, ari, dep. 1. Activa forma, apud *Tertull. loc. cit.* in RUSTO. Vocis autem etymon obscurum est: cf. Germ. *räuspern*, expurgare. — Particip. *Ruspans.* — Ruspari est idem ac scrutari, ut *Nonius loc. cit.* exponit, sive crebro quærere, ut *Festus loc. cit.* interpretatur, *cercare, indagare*, ἐξερευνάω. *Accius* apud *Non. p.* 166. 18. *Merc.* Jube nunc attentare, jube nunc animo ruspari Phrygas. *Id. ibid.* Vagent ruspantes silvas, sectantes feras. *Vet. Poeta* apud *Fest. p.* 265. 25. *Müll.* Ego ibo, ut latebras ruspans rimer. *Apul. Apolog. post med.* Si cocto (*pisci*) ventrem ruspare, hepatia suffoderem. *Gloss. Isid.* Ruspantur, perquirunt anxie.

RUSSĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *russo.* ¶ 1. Est russo colore tinctus. *Tertull. Cor. mil.* 1. Nunc sanguine suo russatus, spe calceatus. ¶ 2. Russo colore indutus. Hinc *russata* (etiam *ryssata*) dicebatur una e factionibus aurigarum in Circo, quia russatis vestibus utebatur; quatuor enim erant, alba, russata, prasina, veneta. *V.* FACTIO. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (186). Invenitur in actis, Felice russato auriga elato, in rogum ejus unum e faventibus jecisse sese. At *Sillig.* rectius leg. *russei* (subaud. *coloris* vel *panni*). *Inscript.* apud *Reines. cl.* 5. *n.* 63. AGITATOR FACTIONIS RVSSATAE. Adde alias *Gruter.* 96. 4. et 337., item 338. 3. 4, et 5. et 339. 1. et *Orell.* 3021. *Marin. Frat. Arv. p.* 257. CONDITOR GREGIS RVSSATAE. *V.* GREX.

RUSSEŎLUS, a, um, adject. *deminut. a* russeus *alquanto rosseggiante*, aliquantum russeus. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 130. Luserat e minio russeolam saniem.

RUSSESCO, is, ere, n. 3. russeus fio. *Ennius p.* 33. 268. *Müll.* Russescunt frundes. *Alii leg.* rurescunt. *V.* RURESCO.

RUSSĔUS, a, um, adject. russus, rubeus, rufus. *Charis.* 1. *p.* 72. *Keil.* Russeum grammatici non magis dicendum putant quam albeum aut prasineum, sed russum, ut album prasinum. *Cato* apud *Fest.* in *Ruscum.* Russeæ fasciæ. *At* Peter. *leg.* rusceæ. *Lucret.* 4. 73. Et volgo faciunt id lutea, russea vela, Et ferrugina cum magnis intenta theatris, etc. *Alii leg.* russaque. *Petron. Sat.* 27. Russea tunica. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. *ante med. de equis.* Colores hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus, murteus, cervinus, gilbus, etc. Adde *Plin. loc. cit.* in RUSSATUS. — *Russea factio*, russata. *Inscript.* apud *Sirmond.* in *not. ad Sidon.* 23. *Carm.* 323. M. AVRELIVS MOLLICIVS TATIANVS VICIT PALMAS N. CXXV. SIC: IN RVSSEO N. LXXXVIII. IN PRASINO N. XXIII. IN VENETO N. V. IN ALBO N. VIII. *V.* FACTIO.

RUSSŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* russus, russeolus, subrufus. *Capitolin. Albin.* 5. *ad fin.* Quum pueri ejus familiæ russulis fasciolis illigarentur. *Valerian. Imp.* in *ep.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Huic igitur dari jubebis, (quoniam mediocris fortunæ est) ut ejus dignitas incrementis juvetur, tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata, etc. *Alii leg.* rufulas.

RUSSUS, a, um, adject. *rosso*, rufus, rubens. *Ennius p.* 95. 53. *Müll.* Gallique favent faucibu' russis. *Varro Sat. Menipp. p.* 129. *Oehl.* Russa acie emicant. *Catull. carm.* 39. 18. Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam. *Valerian. Imp.* in *ep.* apud *Trebell. Claud.* 14. Tunicas russas militares annuas. *Id.* apud *Vopisc. Aurelian.* 13. Tunicas ducales russas quatuor. Adde *Gell.* 2. 26. ubi tamen *Hertz.* leg. *rusus.*

RUSTĀRĪUS, a, um, adject. rustis exscindendis aptus, ut *Rustariæ falces* apud *Caton. R. R.* 11. *ad fin.* et *Varron.* 1. *R. R.* 22. *ad fin.* sunt falces, quibus rubus seu rustum passim per incultos agros proserpens exscinditur, quasque *Pallad.* 1. *R. R.* 43. runcones, Itali vero *ronconi* vocant. Alii minus recte leg. *ruscariæ*, alii pejus *rusticariæ*. *V.* RUSTO et RUSTUM. At *Varron. loc. cit.* ruscarius *Schneideriana* retinuit.

RUSTĬCA, æ, f. 1. *V.* RUSTICUS.

RUSTĬCANS, antis, particip. *V.* RUSTICOR in fin.

RUSTĬCĀNUS, a, um, adject. *da villa, contadinesco*, ἄγροικος, ad rus et rusticos pertinens, agrestis, rusticus. *Rusticanus homo* qui ruri degit, et rusticam vitam agit: cui *urbanus* opponitur. *Cic.* 8. *Att.* 13. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani. *Id.* 3. *Verr.* 48. *ad fin.* Homines rusticani ex municipiis. *Id.* 2. *Tusc.* 22. *a med.* C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir. *Id. Rosc. Am.* 15. *ad fin.* Attenta vita, et rusticana. *Id.* 3. *Orat.* 11. Illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. *Fronto Ep. ad Cæs.* 4. 3. *p.* 95. (ed. *A. Maio*) In verbis rusticanis et jocularibus et ridiculariis. *Jul. Capitol. vit. Max.* 14. Rusticana plebs. *Hieronym. Ep.* 52. tugurium. — Hinc

Rusticanus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, idem quod rusticus, rusticanus homo. *Apul.* 5. *Met.* Ego sum rusticanus et upilio. *Id.* 8. *ibid.* De summis tectis ac de proximo colle rusticani illa saxa super nos raptim devolvunt. *Eumen. Grat. Act.* ad *Constant.* 6. Rusticani in ære alieno vacillantes. Adde *Eutrop.* 9. 20.

Homonym. Qui differat *rusticanus* a *rustico*, docet *Isid.* 1. *Differ.* 488. Rusticus operarius dici potest, rusticanus paterfamilias.

RUSTĬCĀNUS, i. *V.* voc. præc.

RUSTĬCĀRĬUS. *V.* RUSTARIUS.

RUSTĬCĀTIM, adverb. idem ac rustice. *Pompon.* apud *Non. p.* 166. 31. *Merc.* Ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

RUSTĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus rusticandi, *villeggiatura*, ἀγραυλία. *Cic. Amic.* 27. *a med.* Neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationesque communes. ¶ 2. Est etiam labor, et cura rei rusticæ. *Colum.* 6. *R. R. proœm.* In rusticatione antiquissima est ratio pascendi. Adde 11. *ibid.* 1. et *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. 165.

RUSTĬCĀTUS, us, m. 4. idem ac rusticatio. *Cic.* 12. *Att.* 1. Ut dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat in rusticatu. *At* Orellius *cum aliis leg. rectius* garriat: sin rusticatur.

RUSTĬCĒ, adverb. Comp. *Rusticius.* — Rustice est rusticorum more, *da contadino, contadinescamente*, ἀγροίκως.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 45. Sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et æquabiliter, et leniter. *Gell.* 13. 6. Quod nunc barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum, et cum eo vitio loquentes rustice loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis, Rusticus fit sermo, inquit, si adspires perperam.

II.) Translate, est duriter, inurbane, imperite, absurde. *Cic.* 3. *Off.* 9. *ad fin.* Urgent rustice sane. negant enim posse. *Id.* 12. *Att.* 36. *ad fin.* Brutum objurgato, quod in Cumano esse noluerit. cogitanti enim mihi, nihil tam videtur potuisse facere rustice. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 30. rideri possit, eo quod Rusticius tonso toga defluit, et male laxus In pede calceus hæret. quod *Porphyrion. p.* 115. 32. *Pauly.* interpretatur *imperitius.* Commode tamen sensu proprio vertas: rusticorum more, *alla contadinesca, alla villesca.*

RUSTĬCELLUS, a, um, adject. *deminut. a* rusticus, aliquantum rusticus. *Varro* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (83). Rusticellus Hercules appellatus, mulum suum tollebat Fusius. At cl. *Furlanettus* in sua *Append. II.* ait delendam esse hanc vocem ejusdemque interpretationem, quum apud *Plin. loc. cit.* non *rusticellus* sed *Rusticelius* legendum, quod sit nomen gentilicium. *Silligius* tamen leg. *rusticellus*, nulla adl. var. lect. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RUSTĬCĬTAS, ātis, f. 3. (rusticus).

I.) Proprie est ars ruralis, vel res rustica, opus rusticum, *economia rurale, o lavoro, opera rurale. Pallad. Insit.* 11. Est nostræ studium non condemnabile Musæ, Urbanum fari rusticitatis opus.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice, rustici homines. *Pallad.* 1. *R. R.* 31. Piscina madefaciat virgas: coria et lupinos, et si qua rusticitas consuevit infundere. *Imppp. Valentin., Valens*, et *Gratian. Cod.* 1. 55. 3. Ut innocens et quieta rusticitas in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem. ¶ 2. Est agreste quiddam, durum, impolitum, quod in rusticis hominibus apparet, *rustichezza, rusticaggine, selvatichezza*, ἀγροικία, ἀγρότης. — *a*) In bonam partem. *Plin.* 1. *Ep.* 14. Brixia multum adhuc verecundiæ, frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquæ retinet. *h. e.* simplicitatis, justitiæ, diligentiæ, gravitatis. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 14. Dum mea rusticitas, si non valet arte polita Carminis, at certe valeat pietate probari. Adde *Pallad. Insit.* 6. — *b*) In malam sumitur pro vitio urbanitati contrario, quod est in imperitia ac negligentia et fuga elegantiæ et cultus erga se, et erga alios, et in rudi duritia tum in sermone, tum in moribus. *V.* URBANITAS. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Nam et imperitia, et rusticitas, et rigor, et deformitas afferunt interim frigus. *Id.* 11. 3. 10. Pronunciatio vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. *et paullo ante.* Qui verborum, atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero (3. *Orat.* 11. 42.) fecisse, imitationem antiquitatis affectant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 9. (26). M. Agrippa, vir rusticitati propior, quam deliciis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 127. cultus adest: nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis. *Id. Heroid.* 20. 59. Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes. *et ibid.* 17. 186. Rusticitatem excutere. *Martial.* 7. 58. Quære aliquem Curios semper, Fabiosque loquentem, Hirsutum, et dura rusticitate trucem. Adde *Sueton. Cæs.* 53. ¶ 3. Item nimis timida et inepta verecundia. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 43. casta est, quam nemo rogavit. Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat. *Id.* 1. *Art. am.* 672. rusticitas, non pudor ille fuit. Adde *Senec.* 2. *Benef.* 3. *V.* RUSTICUS. ¶ 4. Denique ruditas, et ignorantia, quæ in rusticis esse solet. *Prudent.* 1. *Symmach.* 79. Rusticitas indomitorum stulta virûm. *Callistrat. Dig.* 49. 14. 2. *extr.* Si ea persona sit, quæ ignorare propter rusticitatem jus suum possit. Adde *Paul. ibid.* 2. 6. 2.

RUSTĬCŎLA, æ, adject. omn. gen. (rus et colo)

idem ac ruricola. *Prudent.* 1. *Symmach.* 107. suetus Rusticolas vexare lupas. — Hinc

Rusticola, æ, m. 1. absolute, substantivorum more, idem quod homo rusticus, ruricola. *Venant.* 5. *Carm.* 107. Res sacra rusticolas, urbanos excitat omnes. *Alii leg.* ruricolas.

RUSTĬCOR, āris, ari, dep. 1. (rusticus). Particip. *Rusticans* in fin. — Rusticor

I.) Proprie. ¶ 1. Est ruri dego, ruri vitam ago, *villeggiare,* ἀγραυλέω. *Cic. Arch.* 7. *sub fin.* Hæc studia pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Id.* 1. *Legg.* 3. *a med.* Si qui dies ad rusticandum dati sunt. *Id.* 2. *Orat.* 6. 22. Rusticari cum aliquo. ¶ 2. Item rei rusticæ operam do, agros colo. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *ante med.* Sed hæc ejus temporis sunt, quo Ischomachus negabat quemquam rusticari nescire. *Id.* 12. *ibid.* 3. Foris rusticari, *h. e.* extra domum, seu villam. Adde *Apul. Apolog. ante med.* et *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *circa med.*

II.) Translate est rudi stilo et rustice loquor. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Cui Varrones, Terentius, Plinii compositi, in præsentiarum rusticabantur. — Hinc Particip. præs.

Rusticans, antis, absolutè, substantivorum more, usurpatur. *Aurel. Vict. Epit.* 41.

H o m o n y m. *Rurare seu rurari,* et *rusticari,* a nonnullis confunduntur. *Rurare* est ruri agere, et opus facere, seu rus colere, sicut arare, arvum colere. *Varro* apud *Non. loc. cit.* in RURO. Dum in agro studiosius r u r o r. *h. e.* agrum colo. Sed aliud plane quid notat *rusticari,* quod et Scipio Gentilis monuit: significat nimirum ruri agere, degere sine labore rustico. Ita *Popma.* Hoc tamen discrimen perpetuum non est, ut ex loc. cit. *Colum.* aliorumque satis liquet.

RUSTĬCŬLA, æ. *V.* voc. seq.

RUSTĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* rusticus, *rustichetto,* aliquantum rusticus. Translate. *Martial.* 10. 19. Nec doctum satis, et parum severum, Sed non rusticulum nimis libellum Facundo mea Plinio Thalia, I, perfer. *h. e.* non omnino rudi et rustico stilo conscriptum. *Auson. Edyll.* 7. *carm.* 3. Bissula nomen teneræ rusticulum puellæ, Horridulum non solitis, sed domino venustum. *duretto.* — Hinc

Rusticula, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, gallina rusticula. *V.* in voce sequenti. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Ambulant aliquæ, ut cornices: saliunt aliæ, ut passeres, merulæ: currunt, ut perdices, rusticulæ. *Martial.* 13. 76., cujus lemma *Rusticula:* Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est? Carior est perdix: sic sapit illa magis. *Alii leg.* Rustica sum perdix.

Rusticulus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, *contadinello, villanello. Cic. Sext.* 38. 82. Sensit rusticulus incautus suum sanguinem quæri. Adde *Arnob.* 7. 39.

RUSTĬCUS, a, um, adject. (rus). Comp. *Rusticior* I. 2. et II. 2. — Rusticus est ad rus et agros pertinens, agrestis, villaticus, cui *urbanus* opponitur, *villereccio, contadinesco, rusticano, rustico,* ἀγροῖκος.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 2. *R. R. procem.* Nostri majores præponebant rusticos Romanos urbanis. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. Duæ vitæ hominum, rustica et urbana. *Cic.* 1. *Orat.* 58. *a med.* Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Id. Rosc. Am.* 15. 42. Rustica prædia. *Ter. Heaut.* 1. 1. 90. opus. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* hortus. *h. e.* in usum rusticorum. *Horat.* 3. *Od.* 23. 2. Phidyle. *Id.* 2. *Sat.* 6. 80. mus. *Id.* 2. *Ep.* 1. 146. opprobria versibus alternis. *Ovid.* 8. *Met.* 191. fistula. *Id.* 2. *Fast.* 645. colona. *Id.* 6. *ibid.* 534. sedulitas. *Phædr.* 4. 4. instrumentum. *Juvenal.* 14. 24. carcer. *h. e.* ergastulum. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 27. *a med.* In rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere. *et mox.* Vita hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parcimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est. *Id.* 3. *Orat.* 11. 42. Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur. *Id. Rosc. Am.* 49. 143. Putat homo imperitus morum, agricola, et rusticus, ista omnia more, lege, jure gentium facta. *Varro Sat. Menipp. p.* 176. 12. *Oehl.* Homines rustici in vindemia incondita cantant, sarcinatrices in machinis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 47. (160). Grato menta menses odore percurrit in rusticis dapibus. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (93). Rusticæ et agrestes hirundines. *Ovid. Heroid.* 4. 132. Rustica Saturno regna tenente. *h. e.* aureo sæculo, quum homines ruri agebant, nondum conditis urbibus. *Id.* 1. *Met.* 192. rustica numina, Nymphæ. *Apul.* 5. *Met.* deus rusticus. *h. e.* Pan. *Colum.* 1. *R. R. procem. a med.* Prolatare rem rusticam. *h. e.* agros, et eorum colendorum artem. ¶ 2. Specialim. — *a*) *Rustica gallina,* genus gallinæ silvestris, facie similis, non his villaticis nostris, inquit *Varro* 3. *R. R.* 9. *a med.,* sed Africanis, aspectu ac facie incontaminata. *Colum.* 8. *R. R.* 2. Cohortalis est avis, quæ vulgo per omnes fere villas conspicitur: rustica, quæ non dissimilis villaticæ, per aucupem decipitur: eaque plurima est in insula, quam in Ligustico mari sitam nautæ Gallinariam vocitaverunt. *V.* RUSTICULUS. — *b*) *Rustica Vinalia,* dies festus, de quo *V.* VINALIA. — *c*) *Rusticus sermo,* quo utuntur rustici homines. *Gell.* 2. 21. *a med.* Triones rustico certo vocabulo boves appellatos scribunt. *Id.* 17. 2. *a med. Sermonari* rusticius videtur, sed rectius: *sermocinari* crebrius est, sed corruptius. — *d*) Antiqui *rusticum sermonem* dicebant, qui nunc *barbarus.* V. locum *Gellii* in RUSTICE.

II.) Translate. ¶ 1. In malam partem. — *a*) Est incultus, imperitus, rudis, agrestis, durus, *grossolano, incolto, rozzo, selvatico. Virg.* 3. *Ecl.* 84. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam. *Plaut. Pers.* 2. 1. 2. Nimis me quidem pro barda, et pro rustica reor habitam. *Quintil.* 1. 11. *a med.* Gestus, manusque formantur, ut recta sint brachia, ne indoctæ, rusticæve manus, ne status indecorus. *Cic.* 10. *Phil.* 10. *sub fin.* Homines rustici et agrestes. *Martial.* 4. 55. Hæc tam rustica, delicate lector, Rides nomina? *Virg.* 2. *Ecl.* 56. Rusticus es, Corydon. *h. e.* stultus. *Ovid.* 3. *Fast.* 463. quem flebam rustica, dixit, Utiliter nobis perfidus ille fuit. *sciocca.* et *Heroid.* 16. 219. Pœnitet hospitii, quum, me spectante, lacertos Imposuit collo rusticus iste tuo. Infra *v.* 305. vocat hominem sine pectore, et qui ignorat dotes formæ uxoris suæ. *Curt.* 6. 11. 4. Ludibrio ei fuerunt rustici homines, Phrygæque et Paphlagones appellati. — *b*) Item asper, molestus, *aspro, villano. Ovid.* 14. *Met.* 522. Addidit obscenis convicia rustica dictis. *Id.* 3. *Amor.* 6. 88. quid cœptum, rustice, rumpis iter? — *c*) Item nimis verecundus, insulse, inepte timidus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 607. Colloquio jam tempus adest, fuge rustice longe Hinc pudor: audaces Forsque, Venusque juvant. *Cic.* 5. *Fam.* 6. subrusticum pudorem dixit. Rursus *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 13. Sive procax aliqua est; capior, quia rustica non est. *V.* RUSTICITAS. — *d*) Et qui amoris vim non sentit, aut repellit. *Id.* 3. *ibid.* 10. 17. de *Cerere.* Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces, Rustica, nec viduum pectus amoris habet. — *e*) Habet locum in conviciis. *Plaut. Most.* 1. 1. 38. Oboluisti allium, germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. *Phædr.* 4. 23. Laboro nihil, atque optimis rebus fruor. Quid horum simile tibi contigit, rustica? ¶ 2. Interdum in bonam partem sumitur pro simplici, puro, non fucato. *Martial.* 10. 72. Per quem de Stygia domo reducta est Siccis rustica veritas capillis. *Seneca Ep.* 88. *a med.* Magno impendio laudatio hæc constat: O hominem litteratum! simus hoc titulo rusticiore contenti. O virum bonum! — Hinc

Rustica, æ, f. 1., substantivorum more ¶ 1. Est quæ ruri degit, *donna di villa, villana, contadina. Ovid.* 5. *Met.* 583. rustica dote Corporis erubui. Adde *Martial.* 13. 17. Rustica sim, an perdix etc. Sed *V.* RUSTICULUS. ¶ 2. *Rustica* est etiam res rustica, apud *Veget. Veterin. præf.* Licet proxima ætate et Pelagonio non defuerit, et Columellæ abundaverit dicendi facultas: verum alter eorum quum rusticæ præcepta conscriberet, curas animalium levi admonitione perstrinxit; alter, omissis signis causisque morborum, tam magnæ rei fundamenta neglexit.

Rusticus, i, m. 2. substantivorum more, *contadino, villano, forese,* homo ruri degens, et in opere rustico occupatus, ἀγρώτης. *Ovid.* 1. *Fast.* 665. Rusticus emeritum palo suspendat aratrum. *Id.* 2. *Pont.* 5. 61. Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem - amat. Adde *eumd.* 2. *Met.* 699. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 42. Rusticus exspectat dum defluat amnis. *Id.* 1. *ibid.* 7. 83. ex nitido fit rusticus. *di persona civile si fa contadino. Plaut. Capt.* 3. 5. 5. semper occant priusquam sarriunt rustici. Cf. *Most.* 5. 1. 28. *Id. Merc.* 4. 3. 15. urbani fiunt rustici. *Cic. Orat.* 24. 81. Sermo omnis non modo urbanorum, sed etiam rusticorum. *Id.* 2. *Fin.* 24. Omnes urbani, rustici. Adde *Quintil.* 6. 2. 17. et *Apul.* 7. *Met.*

H o m o n y m. Quid sit discriminis inter *rusticum* et *agrestem,* vide in fin. v. AGRESTIS.

RUSTĪCUS, i. *V.* voc. præced.

RUSTO, as, are, a. 1. rustis aliquid emundo. *Tertull. Pall.* 2. Itaque *(gens humana)* colere omnia, si demum intelligis alibi stipantem, alibi deserentem, runcare atque rustare instituit, ut inde, velut ex surculis et propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur. *Alii minus recte leg.* ruspare.

RUSTUM, i, n. 2. idem ac rubus: videtur esse per syncopen a *rubustum,* quod a *rubus. Festus:* Rustum est rubus. *Virg.* 7. *Ecl.* 42. Horridior rusto, projecta vilior alga. *Id.* 2. *G.* 413. nec non etiam aspera rusti Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo Cæditur. Ubi *Servius:* Rustum virgultum est, unde vites ligantur. Apud *Virg. loc. cit.* utrobique, et apud *Serv.* alii perperam leg. *rusco, rusci,* et *ruscum.* V. *Pontedera Op. post. T.* 1. *p.* 275.

RŪSUM et RUSSUM. *V.* RURSUM.

RŪSUS. *V.* RUSSUS.

RŪTA, æ, f. 1. ῥύτα, vel ῥυτή, olim, et etiam πήγανον dicta, herba hortensis, *ruta.*

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 103. *Müll.* Quæ in hortis nascuntur, alia peregrinis vocabulis, ut Græcis ocimum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant. Sic *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142) ait, eam emundare sanguinem oculis suffusum, et Venerem cohibere, unde eidem nomen est datum πήγανον a πήγνυμι, cohibeo; ut contra eruca eamdem excitare creditur. Hinc *Ovid. Remed. am.* 801. Utilius sumas acuentes lumina rutas, Et quidquid Veneri corpora nostra negat. et *Auct. Priap.* 52. *p.* 189. *Wernsd.* tollat erucas Mentamque olentem cum salubribus rutis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 45. (156). et *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* ejus serendæ rationem tradunt. Duplex est: sativa et silvestris. Utriusque vires in medicina fuse persequitur *Plin. loc. cit.* et 20. *ibid.* 13. 51. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (105) ait, ex ea condiri vinum, quod *rutatum* ipse appellat. 19. *ibid.* 8. 45. (156) manipulis binis conditis in cadum musti etc. — Condiendis cibis multum usum habet. *Martial.* 11. 52. tenui major cordyla lacerto, Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant. *et ibid.* 31. Ut condat *(cucurbitas)* vario vafer sapore In rutæ folium capellianæ. — Hinc *in rutæ folium conjicere aliquem,* proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 37. *extr.* et 58. *Burmann.,* in quo explicando varie conantur eruditi. Eos consule apud *Burmannum.* Alia de ruta *V.* in *Apul. Herb.* 100. et 116.

II.) Translate. *Cic.* 16. *Fam.* 23. *extr.* Cras exspecto Leptam, etenim ad cujus rutam pulejo mihi tui sermonis utendum est. *V.* PULEJUM.

RŪTA CÆSA *vel* Ruta et cæsa, neutr. plur. 2. absolute. Si *Varroni* credimus, 9. *L. L.* 104. *Müll.,* primam syllabam in *ruta* ita dicimus, ut u producamus. Fortasse, quia contractum est a *ruita:* at in compositis *erutus, dirutus* etc. brevis est. — Ruta cæsa, a *ruo* et *cædo,* dicitur supellex omnis, quæ loco moveri possit et quæ vel ruitur, vel etiam cæditur; quæ avulsa et separata ab ædibus vel fundo venali, excipi sibique

retineri a venditore possit, eique opponuntur *fixa*. *Festus p.* 262. 15. *Müll.* Ruta cæsa dicuntur, quæ venditor possessionis sui usus gratia concidit ruendoque extraxit. *Ulp. Dig.* 19. 1. 17. Si ruta et cæsa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt, arena, creta et similia: cæsa esse, ut arbores cæsas, carbones et his similia. *Q. Mucius ibid.* 50. 16. 241. In rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur. *Cic. Top.* 26. 100. Ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam a te desiderata erant, sum complexus: fecique quod sæpe liberales venditores solent, ut quum ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debebamus, ornamenta quædam volnimus non debita accedere. *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 55. 226. Cui rei studere dices? an juri civili? est paternum. Sed dicet, te quum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium paternum recepisse.

RŪTĀBRI, ferramenta ad terram eruendam. *Varro* 4. *L. L.* 31. Rastri, quibus dentalibus penitus eradunt terram atque eruunt: a quo et rutabri dicti. Ita *Forcell.*; at *Müllerus* leg. *a quo rutu rastri dicti.*

RŪTĀBŬLUM *vel* Rotabulum, i, n. 2. (ruo). I.) Proprie. ¶ 1. Est instrumentum, quo rustici in proruendo igne, panis coquendi gratia, utuntur, ut *Fest.* definit, *strumento da sbraciare il fuoco, palletta*, ἐνοκάλλης. *Novius* apud *Fest. p.* 262. 11. *Müll.* Quid ego facerem? otiosus rodebam rutabulum. Adde *Caton. R. R.* 10. *et* 11. et *Sueton. Aug.* 75., ubi inter instrumenta villæ una cum forcipe enumerant. ¶ 2. Sumitur et pro rudicula, *mestola. Colum.* 12. *R. R.* 20. *circa med.* Jubebis rutabulo ligneo agitari quod decoxeris. *et ibid.* 23. Rutabulo ligneo permiscere. ¶ 3. Instrumentum ad proruenda stercora, ut est apud *Isid.* 20. *Orig.* 8. II.) Translate est τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικόν. *Nævius* apud *Fest. p.* 262. 15. *Müll.* Senile retritum rutabulum.

RŪTĀCEUS, a, um, adject. Forma *rutacius* apud *Cœl. Aurel. loc. cit.* — Rutaceus est ex ruta factus, ut Rutaceum oleum, *Marcell. Empir.* 29., *Plin. Valer.* 2. 28. et *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 104. clyster, *Marcell. Empir.* 26. herba.

RŪTĀCĬUS. *V.* voc. præced.

RŪTĀRĬUS, a, um, adject. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 10. *n.* L. IN MONIMENTO PALANGARIORVM IN AGRO PONTIANO QVOD EST VIA AVRELIA IN CLIVO RVTARIO. *h. e.* ubi multa ruta, seu rudera sunt. Ibi enim multæ olim ædiculæ fuerunt, temporum injuria prolapsæ.

RŪTĀTUS, a, um, adject. πηγανωτός, ex ruta factus, ruta conditus, seu medicatus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 45. (156). Invenio, mustum rutatum populo datum. *Martial.* 10. 48. Secta coronabunt rutatos ova lacertos. *h. e.* ruta conditos, vel involutos. *Pelagon. Veterin.* 2. *ante med.* Perungendus est equus oleo primum rutato.

RŬTELLUM, i, n. 2. *deminut. a* rutrum, parvum rutrum. *Lucil.* apud *Non. p.* 18. 22. *Merc.* Frumentarius est, modium secum, atque rutellum Una affert. *h. e.* baculum ad æquandum modii cumulum, hostorium. *rasiera.*

RŪTĬCA, æ, f. 1. Legitur in *Gloss. Gr. Lat.* Κάμαξ, rutica, pertica.

RŬTĬLANS, antis, *et*

RŬTĬLĀTUS, a, um, particip. *V.* RUTILO.

RŬTĬLESCO, is, ere, n. incboat. 3. rutilus fio, flavesco, *farsi biondo*, ξανθίζομαι. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (217). Lepores in Alpibus candidi, quibus hibernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse, certe liquescente ea rutilescunt annis omnibus. *Capell.* 2. *p.* 31. Fulgura rutilescunt.

RŬTĬLIS, e. *V.* RUTILUS.

RŬTĬLIUS, a, um, adject. rufus, rutilus. *Festus* in *Rutilium:* Rutilium, rufum significat, cujus coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt, unde traxerunt nomen *Rutilius*, ut indicat frequenter Afranius. *Sunt qui leg.* rutilum, ut et *Müllerus* et etiam *Neukirkch., Fab. Tog. p.* 273., ubi inquit: Rutilum viris doctis debetur. Ceterum usurpatur ut nomen proprium; hinc Rutiliorum familia, de qua *V.* RUTILIUS in ONOM.

RŬTĬLO, as, āvi, ātum, are, 1. (rutilus). Particip. *Rutilans* sub *B.*; *Rutilatus* sub *A*; *Rutilandus* sub *A.* — Rutilo usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active *rutilo* est rutilum facio, *far biondo, dare il color dell'oro, arrossare*, ξανθίζω, ἐρυθραίνω. *Liv.* 38. 17. Procera corpora, promissæ et rutilatæ comæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 51. (191). Sapo, Galliarum inventum rutilandis capillis, fit ex sebo et cinere. *Tac.* 4. *Hist.* 61. Propexus rutilatusque crinis. *Val. Max.* 2. 1. *n.* 5. Capillos cinere rutilare. *Sueton. Cal.* 47. Rutilare et submittere comam. *Lucan.* 9. 810. omnia membra Emisere simul rutilatum sanguine virus. *Alii leg.* rutilum pro. *Capell.* 1. *p.* 20. Pallium coccineum sed auro plurimo rutilatum. *h. e.* cui intextum erat aurum. — Sunt qui putant *rutilare crinem* esse crispare, *arricciare.* Afferunt illud *Senec. Herc. Fur.* 948. de leone. et rutilat jubam Cervice jactans. Sed alii leg. *et rutila jubam Cervice jactat.*

B) Neutrorum more est splendescere, nitere in modum auri, aut cujuslibet rei flavæ ac nitentis, rubere. *Accius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 83. *Müll.* Jamque auroram rutilare procul Cerno. Ipse *Varro* mox: Rutilare est a colore auri. aurei enim rutili. *Virg.* 8. *Æn.* 529. Arma inter nubem cæli in regione serena Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare. Adde *Sil. It.* 1. 477. *Val. Flacc.* 5. 251. Tu quoque sacrata rutilant cui vellera quercu, Excubias, Gradive, tene. *Apul. Apolog. p.* 417. *Oudend.* v. *Platon.* Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος sic vertit: Lucifer ante meus rutilans mortalibus Aster. *Stat.* 11. *Theb.* 513. It præceps sonipes (*saucius*) strictæ contemptor habenæ, Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro. *la terra rosseggiante di sangue. Vulgat. interpr. Matth.* 16. 3. Vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum: Et manè: Hodie tempestas; rutilat enim triste cælum. *h. e.* rubet, πυῤῥάζει. Sic etiam vertit Syrus et Arabicus. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. et *Virg.* 1. *G.* 438-460. — Hinc Particip. præs., cujus exempl. retulimus,

Rutilans, antis, occurrit etiam adjectivorum more, unde Comp. *Rutilantior*, et est rutilus. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 38. rutilantes crinibus alæ. *h. e.* auxilia Germanorum, quibus flava coma. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Visæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, etc. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (53). Rutilans color. *Nazar. Paneg. Constantin.* 35. Rutilantes auro columnæ. *Venant.* 8. *Carm.* 7. 351. Vellere candidior niveo, rutilantior auro.

RŬTĬLUGNIS, e, adject., fortasse a *rutilus*, et *ignis. Augustin. Serm.* 151. *n.* 1. *Mai.*

RŬTĬLUS, a, um, adject. Sunt qui *rutilis* legunt apud *Colum.* 8. *R. R.* 2.; at *Schneid.* cum aliis plerisque *rutilus.* Et sane bis deinde eodem capite hanc positionem adhibuit: ut veri simile non sit alteram illam inusitatam probasse. — Rutilus, ab eodem them. ac ruber (cf. Germ. *roth*) ¶ 1. Est rufus, russus, ruber, flavus ad rubrum accedens, aureus, fulvus. De his appellationibus rufi coloris disputat *Gell.* 2. 26.; sed quum singulis propriam definitionem assignet, de rutilo nihil dicit. Usurpatur autem de colore auri, ignis, et sanguinis, et flavæ comæ, sive sit quæ apud nos *pelo rosso*, sive *capello biondo.* Hinc a *Varrone* 7. *L. L.* 83. *Müll.* aurora dicitur rutilare, quod ab igni solis tum aureo aer aurescat: aurei enim rutili: et inde etiam mulieres valde rufæ, rutilæ dictæ. *Val. Flacc.* 8. 114. Rutila pellis. *h. e.* aureum vellus Phrixi. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 197. laxet rutilos tibi Lydia fontes. *h. e.* Pactolum auriferum. *Lucan.* 9. 364. rutilum metallum. *h. e.* aurum. *Cic. Somn. Scip.* 4. Hominum generis salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis. *Virg.* 1. *G.* 454. et 8. *Æn.* 430. Rutilus ignis. *Val. Flacc.* 7. 647. Rutilum fulmen. *Ovid.* 12. *Met.* 294. Rutilæ flammæ. *Val. Flacc.* 5. 451. palla rutilis correpta venenis. *h. e.* incendia portantibus. *Ovid.* 5. *Met.* 83. rutilum vomit ille cruorem. *Colum.* 8. *R. R.* 2. *circa med.* Gallinæ rectis rutilisque cristulis. *et mox.* Gallinaceis maribus paleæ ex rutilo albicantes. *Servius* ad 8. *Æn.* 64. Cato in originibus: Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere unguitabant, ut rutilus esset. *V.* RUTILO. *Ovid.* 2. *Met.* 635. et 6. *ibid.* 715. Rutili capilli. *Tac. Agric.* 11. et *Germ.* 4. Rutilæ Caledoniam habitantium comæ. *Sil. It.* 16. 472. comam rutilus, sed cum fulgore nivali Corporis. *Plaut. Merc.* 2. 2. 34. Tun' capite cano amas, senex nequissime? DE. Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum est, amo. (*Rufum crinem* eodem sensu dixit *Seneca* 3. *Ira* 26. de Germanis loquens: *flavam cæsariem* de iisdem *Juvenal.* 13. 164. et *auricomum Batavum* habet *Sil. It.* 3. 608.) *Sueton. Ner.* 1. E nigro rutilum, ærique adsimilem capillum reddere. *et mox.* Rutila barba esse. *Catull.* 63. 83. Rutila juba leonis. *Festus p.* 285. 31. *Müll.* Rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore, immolantur canario sacrificio pro frugibus. *Colum.* 8. *R. R.* 2. Gallina Africana rutilam galeam et cristam in capite gerit. *Alii* rutilem. *V.* init. ¶ 2. Aliquando *rutilus* est splendens, niteus, nitidus, *risplendente, rilucente, terso. Val. Flacc.* 4. 620. Rutilus thorax. *Claudian.* 2. *Stilich.* 341. columnæ. *Prudent. Hamartig.* 927. corona. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

RŪTĪNUS, a, um, adject. ad rutam pertinens. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 100. Rutinum oleum.

RŬTRUM, i, n. 2. Derivatur a supino *ruitum*, verbi *ruo*, ut *aratrum* ab *aratum. Varro* 5. *L. L.* 134. *Müll.* Rutrum ruitrum a ruendo. (*Forcell.* leg. *rutrum, ut ruitum, a ruendo.*)

I.) Proprie. ¶ 1. Est instrumentum rusticum præferratum ad aliquid eruendum, *zappa*, σκαπάνη, σκαφεῖον, κρώπιον. *Cato R. R.* 10. et 11. Rutra quinque, rastros quadridentes duos. *Fest. p.* 262. 21. *Müll.* Rutrum tenentis juvenis est effigies in Capitolio, ephebi more Græcorum arenam ruentis exercitationis gratia. quod signum Pompejus Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiæ Romam deportavit. *Varro* apud *Non. p.* 18. 22. *Merc.* Rutro caput displanat. *Ovid.* 4. *Fast.* 843. *de Remo.* Nec mora, transiluit. rutro Celer occupat ausum. *Claudian.* 3. *Stilich.* 91. quis Gallica rutra? Quis meminit Latio Senonum servisse ligones? *Alii leg.* rura. ¶ 2. Item instrumentum, quo permiscetur calx, et subigitur, quæ et *ascia* et *marra* dicitur. *Vitruv.* 7. 3. *a med.* Ita materies temperetur, uti, quum subigitur, non hæreat ad rutrum, sed purum ferrum e mortario liberetur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (177). Experimentum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohæreat. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Huc pertinent illa *Caton. R. R.* 37. Partem de nucleis succernito, et in lacum conjicito: eo aquam addito, permisceto rutro bene. *et ibid.* 128. Terram cretosam sumito, eo amurcam infundito, paleas indito: sinito quatriduum fracescat. ubi bene fracuerit, rutro concidito. ubi conciderís, delutato. *Id.* 10. et 11. rutra. *ubi alii leg.* rastra. ¶ 3. Addit *Scalig.* ad *Varron.* dici *rutrum* etiam hostorium, quo modii cumulus æquatur. *V.* RUTELLUM.

II.) Figurate. *Pompon.* apud *Non. p.* 18. 22. *Merc.* Sarculum hinc illo profectus, illinc redisti rutrum. *h. e.* retro res tuæ ierunt, haud aliter ac si ager, qui jam sarculo sarriendus erat, talis evadat, qualis prius fuit, quum rutro vertendus erat. Prius enim rutro vertitur ager, deinde seritur, occatur, sarritur.

RŪTŪBA, æ, f. 1. perturbatio, teste *Non. p.* 167. 9. *Merc.* Videtur esse a supino *rutum* verbi *ruo*, quamvis prior ejus syllaba longa sit, quæ in compositis corripitur, ut in RUTA CÆSA adnotavimus. *Varro ibid.* Ergo tum Romæ parce pureque pudentes Vivere; cum patria nunc sumus in rutuba. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

RŪTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* ruta, parva ruta.

Cic. 9. *Fam.* 22. Ruta, et menta, recte utrumque dicitur: volo mentam pusillam ita appellare, at rutulam; non licet. Huc alludit *Hieronym.* 13. in *Is.* 47. 2. Stoici disputant, non posse nos, ut dicimus a ruta rutulam, sic ὑποκοριστικὸν mentæ facere.

RŪTŬLUS, i. *V.* ROTULUS.

RŪTUNDUS. *V.* ROTUNDUS.

RŪTUS, a, um, particip. *V.* RUO.

RŪTUS, us, m. 4. (ruo) actus eruendi. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Rastri, quibus dentatis penitus eradunt terram atque eruunt, a quo rutu rastri dicti. *Alii aliter leg.* (*V.* RUTABRI.); at cf. quæ supra dixerat *ibid.* Ab rasu rastelli dicti.

RŬVĬDUS. *V.* RUIDUS.

RY

RŸMULCUM, i, n. 2. Ita etiam scribitur pro *remulcum;* deducitur enim a Gr. ῥυμουλκεῖν, h. e. ῥυμὸν v. ῥῦμα ἕλκω, temonem v. funem traho. Ceterum *V.* REMULCUM.

RYSSĀTUS. *V.* RUSSATUS.

RYTHMUS etc. *V.* RHYTHMUS etc.

S

S est *A*) Littera, et *B*) Nota.

A) S littera — *a*) Consonans semivocalis respondet litteræ σ et spiritui aspero Græcorum, et Sanskr. *s*, *š*, *ç*, etc. Sibilum autem quemdam sono exprimit; unde *Messala* apud *Capell.* 3. p. 55. non litteram, sed sibilum esse dixit. — *b*) Præponitur ac subjicitur omnibus vocalibus, et, ex consonantibus, *c*, *p*, *q*, et *t*, et in quibusdam peregrinis vocibus etiam *m* et *ph*, ut in *scabies, scio, scribo, spero, squalor, sto, strenuus; Smyrna, smaragdus, smegma, sphæra.* — c) Postponitur consonantibus *b*, *p* (cujus loco Claudius Cæsar antisigma scribi voluit, sed frustra. V. *Priscian.* p. 558. 1. *Putsch.*) et *r*, ut in *scrobs, psalmus, princeps, pars, sors.* — *d*) Omittitur, aut additur post *x*, in compositis, etymologiæ causa, ut in *eximius, exemplum, existimo,* et *exsero, exspectatus, exsul, exsolvo.* — e) Geminatur in medio vocum, quemadmodum ceteræ, ut *fessus, pessum, ossa.* — Ciceronis temporibus, inquit *Quintil.* 1. 7. 20., paullumque infra, fere quoties media vocalium longarum, vel subjecta longis esset, geminabatur, ut *caussæ, cassus, divissiones:* quo modo et ipsum, et Virgilium quoque scripisse, manus eorum docent. Atqui paullum superiores etiam illud, quod nos gemina *s* dicimus *jussi*, una dixerunt *jusi*. Hæc *Quintil.* — Olim duplex *s* usurpatum fuit pro *z*, ut in *crotalisso, malacisso* pro *crotalizo, malacizo.* — *f*) Mutatur in *x* post litteram gutturalem, ut *coxi* a *coquo*, *axis* ab *ago*, *faxo* a *facio*, *extasis*, quamquam et *ecstasis* dicitur. — *g*) Item mutatur in *r* in medio vocum, ut *Valerius, Furius, Papirius, ara, dari,* et alia apud *Varron.* 7. *L. L.* 26. 27. *Müll.*, pro *Valesius, Fusius, Papisius, asa, dasi* etc., quod olim dicebant, teste *Cic.* 9. *Fam.* 21., *Quintil.* 1. 4. 13., *Macrob.* 3. *Saturn.* 2., *Serv.* in 4. *Æn.* 219., *Vel. Long.* p. 2230. *Putsch.*, *Ter. Scaur.* p. 2252. *Putsch.*, *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. et *Fest.* in *Aureliam*, et in *Dasi:* et in fine, ut *arbor, honor, labor, vapor* etc., olim *arbos, honos, labos, vapos:* (cf. *Agroec.* p. 2269. 16. et p. 2272. 10. *Putsch.*) quæ hodieque interdum in usu sunt, præsertim in carmine. *V.* litter. R. Ita *Forcell.* Non tamen credibile est, litteram *r* a primitiva *s* fere derivatam fuisse; hinc si ponas *mose* pro *more*, hoc, non illud, primitivum esse debet, quum vera hujusce vocis radix sit *mor;* quod si in recto est *mos*, id factum est, quia littera *s* huic efficiendo casui inservit. Ceterum patet in quibusdam vocibus *r* in locum litteræ *s* suffectam fuisse, ut in *quæso* et *quæro*, in (*genus*) *generis* pro *genesis*, *amare* pro *amasai* (antiq. cf. Græcam positionem σαι), *dirimere* pro *disimere* etc. — *h*) Ponitur — α) Pro litter. *d*, *t*, et raro *b*, ut in v. *cessi* pro *cedsi*, *passus* pro *patsus*, *jussi* pro *jubsi:* at *divisi* pro *dividsi*, et *casus* pro *cadsus*, quamquam legitur etiam *divissi* et *cassus*. *V.* quæ supra diximus. — β) Pro littera *r* in *dossum* pro *dorsum*, et *russum* pro *rursum*. V. RURSUM. — γ) Pro spiritu aspero in vocibus a Græco sermone derivatis, ut *sex* ab ἕξ, *super* ab ὑπέρ, *socer* ab ἑκυρός, *somnus* ab ὕπνος etc. (Cf. Sanskr. *šaš, svapnas, çvaçuras.*) Adeo autem cognatio est huic litteræ cum aspiratione, quod pro ea in quibusdam dictionibus solebant Bœoti, pro *s*, *h* scribere *Muha* pro *Musa* dicentes. Ita *Priscian.* p. 557. 46. *Putsch.* — *i*) Permutatur cum aliis litteris, ut videre est in *Clausus* et *Claudius*, *tensus* et *tentus*, item *pultare* et *pulsare*, *mertare* et *mersare*, *laxus* et *lassus*, *axis* et *assis*, *Sextius* et *Sestius*, *obstrinserit* et *obstrinxerit* etc. — *l*) Additur aliquando vocibus a Græca lingua derivatis, ut in *sculpo* a γλύφω. — *m*) Eamdem in fine dictionis elidebant. *Cic. Orat.* 48. *a med.* Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant postremæ duæ litteræ, quæ sunt in *optumus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetæ novi, ita enim loquebamur: *qui est omnibu' princeps*, non *omnibus princeps: et vita illa dignu' locoque*, non *dignus*. Hæc *Cic.* Plura dabit hac de re exempla *Gell.* 12. 4. ex *Ennio*. Sed et in aliis positionibus id factitabant, ut notat *Quintil.* 9. 4. *ante med.*, tristioris soni vitandi causa. Sic *Ennius* apud *Fest.* in *Genas*, et in *Sultis*. Pandite, sulti', genas, et corde relinquite somnum. *Id.* apud *eumd.* in *Sas.* Virgine' nam sibi quisque domi Romanus habet sas. *Lucil.* p. 131. 5. *Müll.* Sublatus pudor omni', licentia, fenu' refertur. — *n*) In compositis eliditur, ut in *dimitto, dirumpo* etc. pro *dismitto, disrumpo* etc.

B) Nota. In notis S. est *suus, sui, sibi* etc. *sacrum, semis, secutor, servus, Sextus* prænomen, *sextarius, senatus, Sergius, stipendia* etc.; S. C. senatusconsultum; S. F. sacris faciundis; S. H. signum hoc; S. I. Sol invictus; S. P. sua pecunia, vel subpræfectus, vel servus publicus; S. S. senatus sententia; S. V. sacra urbs, vel spectatus vir; S. A. D. sub ascia dedicavit; S. C. A. senatusconsulti auctoritas; S. L. M. solvit libens merito; S. M. V. sacra moneta urbis; S. P. P. suâ pecuniâ posuit; S. S. P. suis sumptibus posuit; S. P. P. S. sacris publicis præsto sunt; S. T. T. L. sit tibi terra levis, vel S. V. T. L. sit vobis terra levis; S. V. S. L. M. susceptum votum solvit libens merito: et alia, quæ in litteratis lapidibus occurrunt. — Est etiam nota silentii. *V.* SILEO.

SA

SĂ pro *sua*. *V.* SUUS.

SABACTHĀNI, שבקתני *shevaqthani*, vox Syro-Chaldaica, idem ac *deseruisti me*, composita ex verbo Chald. שבק *shevaq*, deseruit, et pronomine. *Vulgat. interpr. Matth.* 27. 46. Eli, Eli, lamma sabacthani: hoc est Deus meus, Deus meus, ad quid dereliquisti me. Sumptum est ex *Psalm.* 22. 1. pro Hebr. עזבתני *gnazavthani*, quod etiam thargum illa voce reddit.

SĂBĀDĬA, ōrum. *V.* SABAZIA.

SĂBAĬA *vel* Sabaja, æ, f. 1. et Sabajum, i, n. 2. Videtur esse ab Hebr. סבא *sava*, potavit: unde etiam *zabajon* vulgo apud nostrates. — Sabaia, vel sabajum est cerevisia, potio quædam ex hordeo, vel frumento aqua macerato. *Ammian.* 26. 8. de *Valente Aug.* Injuriose compellabatur ut sabaiarius. Est autem sabaia ex hordeo, vel frumento in liquorem conversis paupertinus in Illyrico potus. *Hieronym.* 7. *in Is.* 19. 10. Notandum, quod שכר (*seker* h. e. sicera) LXX. ζῦθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, et vulgo in Dalmatiæ Pannoniæque provinciis gentili barbarorum sermone appellatur sabajum. Hoc maxime utuntur Ægyptii.

SĂBAJĀRĬUS *vel* Sabariarius, ii, m. 2. qui sabaiam conficit, vel potat. V. *Ammiani loc. adl.* in voce præced.

SĂBAJUM. *V.* SABAIA.

SĂBĀNUM *vel* Savanum, i, n. 2. σάβανον, σαβάνιον, vox peregrina, et, si *Isidoro* 19. *Orig.* 26. *a med.* credimus, Græca; si aliis, Hispanica, ut est apud *Jo: Rhod. de acia, c.* 14. — Sabanum est linteum, pannus ad tergendum, aut fricandum, aut tegendum involvendumve, *pezza, tovagliuolo*. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. Nunc mella conficimus, congestis in mundissimum sabanum favis, ac diligenter expressis. *Apic.* 6. 2. Quum cocta fuerit, sabano calido involves gruem. *Veget.* 3. *Veterin.* 47. *ad fin.* Animal exercetur, dum sudet: post sabanis validioribus abstergetur. *Pelagon. Veterin.* 17. *a med.* Ægrum exercemus usque ad sudorem, sudorem sabanis detergentes diligenter. *Marcell. Empir.* 26. *a med.* Melius erit, si hanc potionem post balineum, in sabanis adhuc constitutus, acceperit. *h. e.* in linteis, quibus loti involvuntur exsiccandi causa, antequam vestes resumant. *Hieronym. Reg. S. Pachom.* 81. Excepto sabano longiore, quod collo humerisque circumdat. Ita nunc utuntur sabano Turcæ, qui Venetiis degunt, quodque nos vulgo *scial*, et Galli *châle* vocant.

SĂBĀOTH, n. indecl. gen. fem. et num. plur. apud Hebræos, a sing. צבא *tzava*, exercitus. — Sabaoth est igitur exercitus, militiæ, virtutes, צבאות *tzevaod*, σαβαώθ. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 7. Hic est, quem Sabaoth Deum vocamus. *Id. Apotheos.* 901. Est impossibile spectare profunda Sabaoth. *h. e.* Dei exercituum, vel Dei potentis. Priore loco pænultimam corripit, posteriore producit. Adde *Tertull. advers. Jud.* 13., et *Vulgat. interpr. Jerem.* 11. 20. et *Paul. Rom.* 9. 29. ex *Is.* 1. 9. ubi angelorum exercitus intellige.

SABATĒNUM, i, n. 2. idem ac diabathrum. *Plin. Valerian.* 2. 17. *sub init.* Tundes omnia veteri sabateno calefacto.

SĂBATH, indecl., nomen Syro-Chaldaicum mensis undecimi a novilunio Februarii ad novilunium Martii, ut putant recentiores, ab Hebr. שבט *shevat*, Græc. σαβάτ *Vulgat. interpr. Zach.* 1. 7. et 1. *Macch.* 16. 14.

SĂBAZĬA, Sabadia, Savadia *vel* Sebadia, ōrum, n. plur. 2. sacra in honorem Bacchi, a σαβάζειν, bacchari, unde *Sabazius* cognomen Bacchi tertii, et etiam Jovis. (*V.* SABAZIUS in ONOM.) *Sabazia*, vel, ut est apud *Arnob.* 5. p. 170., *Sabadia sacra*, vel etiam *Savadia sacra*, ut est in *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 7.: in quibus aureus coluber, ut verbis utar *Arnobii*, in sinum dimittebatur consecratis, et eximebatur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Idque ob fabulam a Phrygibus confictam, quam *idem* narrat, qua dicitur Juppiter sub specie tauri ipsam matrem Cererem temerasse, et Liberam seu Proserpinam genuisse: hanc quoque sub forma draconis incesta contrectasse, et taurum genuisse: (h. e. Liberum specie tauri) unde Tarentinus notusque senarius: Taurus draconem genuit, et taurum draco. Sunt qui *Sabazia* leg. apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 58., at *Orell.* leg. *Cabiria*. *Inscript.* apud *Orell.* 2357. L. LVCCEIO SACERDOTI SEBADIORVM.

SABBĂTA, ōrum. *V.* SABBATUM.

SABBĂTĀRĬI. *V.* voc. seq.

SABBĂTĀRĬUS, a, um, adject. ad sabbatum pertinens. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *a med.* De luxu autem illo Sabbatario narrationi meæ supersedendum est. *h. e.* qui in conviviis paullo largior est sabbatis, seu diebus festis, quam profestis. — Hinc *Sabbatarii, ōrum*, m. plur. 2. absolute, sunt

Ipsi Judæi, qui sabbata servant. *Martial.* 4. 4. Jejunia Sabbatariorum. Alii leg. *Sabbatariarum* gen. fem.

SABBĂTHUM. *V.* SABBATUM.

SABBĂTISMUS, i, m. 2. σαββατισμός, sabbati observatio. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 30. *ad fin.* Iste sabbatismus evidentius apparebit, quoniam septimus invenitur. Adde *Hieronym. Ep.* 140. *n.* 8.

SABBĂTIZO, as, are, a. 1. sabbatum colo, servo. *Tertull. advers. Jud.* 2. *ad fin.* et *Vulgat. interpr. Exod.* 16. 30. *Id. Levit.* 25. 2. Sabbatizes sabbatum Domini.

SABBĂTUM, i, *et* Sabbata, ōrum, n. 2. Sunt qui scribunt *Sabbathum* Hebraicis litteris inhærentes: Græci nullam adspirationem admittunt. — Sabbatum, Hebr. שבת *shabbad*, requies, κατάπαυσις, σάββατον, septimus quisque dies uniuscujusque hebdomadæ, apud Hebræos, quem Ethnici Saturni diem nominaverunt: a שבת *shavad*, requievit: quasi dies quietis. Nam hoc die Judæi ab omni opere feriantur, Deum, mundi architectum, imitati, quem sacræ Litteræ tradunt, confecta sex diebus mundi universi machina, eaque exornata, septima die quievisse, idest a novis rebus creandis cessavisse (*Genes.* 2. 2-3.). ¶ 1. Universim. — 1.°) Stricto sensu. — *a*) Sing. num. *Vulgat. interpr. Exod.* 20. 3. Memento, ut diem sabbati sanctifices. - Sex enim diebus fecit Dominus cælum, et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. *Augustin. Ep.* 36. Sicut quidam jejunantes sabbatum observant. — *b*) Plur. num. *Justin.* 36. 2. 14. Moyses septimum diem more gentis sabbata appellatum in omne ævum jejunio sacravit. At falso scribit, Moysem instituisse, ut sabbatum in omne ævum jejunio sacraretur. Hanc quidem opinionem habebant Romani: et fortasse aliquando, gliscente Judæorum superstitione, vera fuit. Ceterum ab initio sabbatis quies operum, non ciborum abstinentia, a Deo indicta est. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 76. Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi. *Juvenal.* 14. 96. Quidam sortiti metuentem sabbata patrem Nil præter nubes, et cæli numen adorant. *Petron. fragm. p.* 686. *Burmann.* Et non jejuna sabbata lege premet. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. *Vulgat. interpr. Is.* 21. 23. Erit Nabuchodonosor sabbatorum otium imitans, *h. e.* otiosus instar Hebræorum diem sabbati colentium. Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 416. Culta Palæstino septima festa viro. — 2.°) Latiore sensu *sabbatum* accipitur pro tota hebdomada. *Vulgat. interpr. Luc.* 18. 12. Jejuno bis in sabbato. Hinc *una* vel *prima, secunda, tertia sabbati* pro prima, secunda, tertia die hebdomadæ apud *eumd. Matth.* 28. 1., *Marc.* 16. 2. et alibi. ¶ 2. Speciatim. — 1.°) Stricto sensu. — *a*) *Sabbatum secundo-primum*, σάββατον δευτερόπρωτον, apud *Vulgat. interpr. Luc.* 6. 1. videtur esse sabbatum primum a die secundo Paschatis, qui maxime festivus erat, et ex quo septem sabbata numerabantur usque ad Pentecosten; aliis vero aliter (V. *D. Magri., Voc. Eccl., F. Ackermann., Arch. bibl.*, et *J. Perin., N. T. Græce cum Lect. var. et Lexic. Græc.-Lat.*). *Eust.* in *Vit. Eutych. n.* 95. diem dominicum a Christianorum festo paschali proximum appellat δευτεροπρώτην κυριακήν. — *b*) *Sabbati iter* apud *eumd. Act.* 1. 12. est viæ spatium, quod emetiri iter facientibus die sabbati licet, h. e. ex Thalmudistarum præceptis via bis mille ulnarum, teste *Epiphanio Hær.* 66. 82. — 2.°) Latiore sensu. — *a*) *Sabbatum terræ* apud *eumd. Levit.* 25. 4. est annus sabbaticus, h. e. septimus, qui annus requietionis terræ erat, ut *ibid.* dicitur. — *b*) *Tricesima sabbata* apud *Horat.* 1. *Sat.* 9. 69. primus dies cujusque mensis, seu neomenia, vel magnum sabbatum paschale, quod tricesimum erat, incipiendo annum a m. Septembri. V. *Acron.* ad *Horat. loc. adl.* — *c*) *Sabbata* interdum sunt quæcumque Judæorum festa. *Juvenal.* 6. 158. Observant ubi festa mero pede sabbata reges. Sunt qui h. l. *sabbata* adjectivum faciunt. (Cf. *Juvenc.* 2. 572.) *Pers.* 5. 184. recutitaque sabbata palles. *Ovid. Remed. am.* 219. Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur Sabbata. *Vulgat. interpr. Levit.* 23. 32. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.

SABBURRA. *V.* SABURRA.

SĂBELLA, æ, f. 1. idem ac sabina. *Gloss. Gr. Lat.* Σαβινη, Sabella.

SĂBĪNA *vel* Savina, æ, f. 1. *savina*, βραθυ, herba seu frutex duorum generum: altera tamarici similis folio, altera cupresso. quare quidam Creticam cupressum dixerunt. Seritur propagine, et avulsione. Folia ei numquam decidunt. Hæc ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 20. 33. (79), 17. *ibid.* 13. 21. (98), et 24. *ibid.* 11. 61. et 62. ubi et ejus utilitates recenset: et præcipue quod a multis in suffitus pro ture assumitur. Hinc *Virg. Cul.* 403. Herbaque turis opes priscis imitata Sabina. *Alii leg.* Sabinis. *Ovid.* 1. *Fast.* 343. Tura nec Euphrates, nec miserat India costum, Nec fuerant rubri cognita fila croci. Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis. Adde 4. *ibid.* 741. et *Propert.* 4. 3. 58. *Apul. Herb.* 86. Græci nerion dicunt, alii arathy, alii baryton: Itali herbam sabinam atque savinam.

SĂBĪNĒ, adverb. Sabinorum more, vel linguâ *Varro* 5. *L. L.* 32. *Müll.* Cyprum Sabine bonum. *V.* CYPRIUS in ONOM.

SABLO *et*

SABLUM. *V.* SABULO.

SĂBŪCUS. *V.* SAMBUCUS.

SĂBŬLA, æ. *V.* SABULO init.

SĂBŬLĒTUM, i, n. 2. locus, in quo sabulum abundat, ψαμαθών. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 41. (64). Crocodilion nascitur in sabuletis.

SĂBŬLO, ōnis, m. 3. et Sabulum, i, n. 2. Scribitur et *sablo* apud *Venant.* 9. *Carm.* 15. 5., et *sablum* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. *cit.* (170): cf. Fr. *sable, sablon.* Fortasse etiam *Sabula, æ,* quippe *Vitruv.* 2. 3. et *Plin. loc. cit.* duplex distinguunt sabuli genus, masculum, qui dicitur sabulo, et feminam, cujus terminatio ignoratur; probabiliter itaque fuit sabula, quo cognomine utitur L. Cossutius in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. *p.* 197. *V.* ONOM. — Sabulo, et sabulum, pro *psabulum*, ut videtur, a Gr. ψάμμος, diversa significat.

A) *Sabulo*, vel *Sabulum*, diversa positione sed eodem significatu ¶ 1. Est terra arenæ similis, seu arena terræ, aut limo mixta. nam arena tenuis est, minuta et infecunda: sabulo crassior, humidior, et gignendis quibusdam seminibus utilis, *rena mista di terra, sabbioncello, sabbionella, sabbia, sabbione. Varro* 1. *R. R.* 9. In terra, quæ est mixta, quum sint dissimili vi ac potestate partes permultæ, in queis lapis, marmor, rudus, arena, sabulo, argilla, rubrica, creta, glarea, carbunculus. *Colum.* 4. *R. R.* 33. *de castanea.* Pullam terram, et resolutam desiderat; sabulonem humidum, vel refractum tofum non respuit. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. 1. In terris quærenda fecunditas: ne macer sabulo sine admistione terreni. — Duplex est, ut diximus, masculus et femina: hæc soluta et mollis: ille densior, et durus. Itaque ex sabulone masculo duci possunt lateres pro ædificiis, ut *Vitruv.* et *Plin. loc. supra cit.* docent. — Tria ejus genera enumerat *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (25) a colorum discrimine, album, nigrum, rubrum. *Colum.* 3. *R. R.* 11. *ad fin.* Jejunus sabulo inimicissimus est viti. *et mox.* Nigrum tamen et rutilum sabulonem, qui sit humidæ terræ permixtus, probaverunt antiqui. *Varro* 1. *R. R.* 9. *a med.* In sabulosa terra refert, sabulo albus sit, an rubicundus: quod subalbus ad serendos surculos alienus, contra rubicundior appositus. *Plin. cit.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (25). Sabulum album in Ticinensi infecundum est. *Id.* 31. *ibid.* 3. 28. (48). Sabulum exiles limosasque (*aquas*) promittit. Sic *Pallad.* 9. *R. R.* 8. Sabulo solutus exiles (*venas creabit*), insuaves, limosas. *Vitruv.* 8. 1. *ante med.* Sabulone masculo, arenaque, et carbunculo certiores et stabiliores sunt aquarum copiæ, eæque sunt bono sapore. ¶ 2. *Sabulum* pro arena. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Spisse calcatis carbonibus pavimentum inducitur, sabulo, calce ac favilla mixtis. *Curt.* 7. 4. *a med.* Magnam partem terræ sterilis arenæ tenent *etc.*; quum vero venti spirant, quidquid sabuli in campis jacet, converrunt. *Id.* 4. 7. 7. Cum sabulo tenacissimo luctari. *Id. ibid.* 6. 9. desidente morari. *Id. ibid.* 7. 11. acto obrui.

B)-*Sabulum*, et *Sabulo*, diversa positione et diverso significatu. ¶ 1. *Sabulum* est instrumentum musicum, vel plectrum, quo pulsatur. *Apul. Florid. n.* 15. Dextera psallentis gestu suo sabulum citharæ admovet. Ita *Scalig.* in *Conject. Varron.* At *Oudendorp.* cum aliis rectius leg. *pulsabulum.* V. PULSABULUM. ¶ 2. *Sabulo*, qui instrumentum musicum pulsat: aliis est ridiculus, *buffone. Macrob.* 2. *Saturn.* 1. *circa med.* Hæc nobis sit litterata lætitia, et docta cavillatio, vicem planipedis et sabulonis impudica et prætextata verba jacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata. Alii, ut *Mommsen.*, leg. *subulonis*, alii vero *fabulonis.*

C) *Sabulo*, num. plur., usurpatur pro calculis. *Marcell. Empir.* 26. *ante med.* Confectio conditi nephritici, quod facit ad calculos, vel sabulones ejiciendos.

SĂBŬLŌSUS, a, um, adject. ψαμμώδης, *sabbionoso*, sabulo abundans. *Varro* 1. *R. R.* 9. 5. Sabulosa terra. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (28). *Vitruv.* 2. 3. Sabulosum lutum. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 23. arva. *Id.* 2. *ibid.* 15. 4. loca. *Id.* 6. *ibid.* 23. 1. stabula. *Marcell. Empir.* 26. *init.* arena. — Hinc

Sabulosa, ōrum, n. plur. 2. absolute, loca sabulosa. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 29. 103. (175). Herba sabulosis apricis nascens. At *Forcell.* et *Klotz.* non *sabulosis* sed *apricis* absolute accipere videntur.

SĂBŬLUM. *V.* SABULO.

SĂBŪRA *et*

SĂBURRA, æ, f. 1. Utraque scribendi ratio, et simplici et geminato *r*, probabilis est. *Saburra* magis placet *Dausquio*, et *Prisciano* 2. *p.* 567. *Putsch.*, qui tamen *Sabburra*, litterâ *b* geminatâ, scribendum esse docet. *Sabura*, prima syllaba longa, et secunda brevi, est etiam nomen propr. (*V.* ONOM.) apud *Lucan.* 4. 722. et *Sil. It.* 15. 441. — Saburra, a *sabulo*, est idem ac sabulum, et quidquid in sentinam navis certa mensura congeritur, ne instabilis sit, et ventorum vi evertatur, *savorra*, ἕρμα, ἕρμασμα. *Liv.* 37. 14. *ad fin.* Onerarias ducere multa sabura gravatas. *Virg.* 4. *G.* 194. *de apib.* et sæpe lapillos (Ut cymbæ instabiles, fluctu jactante, saburram) Tollunt: his sese per inania nubila librant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (202). Qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est: centum viginti millia modium lentis pro saburra ei fuere. *Id.* 10. *ibid.* 23. 30. (60) *de gruib.* Certum est, pontum transvolaturas saburra stabiliri: quum medium transierint, abjici lapillos e pedibus; quum attigerint continentem, e guttare arenam.

SĂBURRĀLIS, e, adject. saburra constans. *Vitruv.* 9. 9. *circa med.* Sacoma saburrale. *contrappeso fatto di sabbia.*

SĂBURRANS, antis, particip. *V.* SABURRO.

SĂBURRĀRĬUS, ii, m. 2. *facchino*, qui saburræ navibus importandæ, rursusque extrahendæ destinatus est. *Inscript.* apud *Donat.* 458. 5. (*Orell.* 4116.) IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO AVG. CORPVS SABVRRARIORVM S. P. P. (*h. e.* suâ pecuniâ posuit).

SĂBURRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĂBURRO, as, (āvi) ātum, are, a. 1. Particip. *Saburrans* et *Saburratus* II. — Saburro

I.) Proprie est saburra onero et stabilio adversus vim ventorum, ἑρματίζω. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (361). Echini affigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt. — Mediorum apud Græcos more. *Solin.* 10. Grues volaturæ arenam devorant, sublatisque lapillis ad moderatam gravitatem suburrantur.

II.) Translate. ¶ 1. Est saturare, opplere; hinc *saburratus* est saturus, plenus, oppletus. *Plaut. Cist.* 1. 2. 2. Quæ ubi saburratæ sumus, largiloquæ extemplo sumus. *rimpinzate bene, diventiamo tosto cicalone.* Adde *Arnob.* 5. 12. ¶ 2. Exhalare, fundere. *Venant. Misc.* 5. 1. p. 178. *Migne.* Paradisiaci horti odoramenta saburrans.

SACAL, n. indeclin. idem quod electrum linguâ Ægyptiorum, qui *sical* vocant quoddam succi, vel gummi genus (*I. Rossi. Etym. Ægypt.* p. 185.). *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (36). Electrum in Ægypto nasci simili modo, et vocari sacal.

SACCĀRĬA, æ. *V.* voc. seq.

SACCĀRĬUS, a, um, adject. ad saccos pertinens. *Saccaria navis* apud *Quintil.* 8. 2. *circa med.* a *saccis* certe dicta videtur, eaque frumentorum aliarumque rerum saccis vehendis apta fuisse, ut putat *Cæl. Rhodig. l.* 25. *c.* 20., sed quid reapse significet, obscurum est. Ipse enim *Quintil.* ut rem obscuram posuit, et iis solum notam, qui artem quampiam profitentur. — Hinc

Saccaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. *Saccariam facere,* est saccariam artem exercere, saccos portare. *Apul.* 1. *Met.* In eam (*mulierem*) contuli operulas etiam, quas adhuc vegetus saccariam faciens merebam. Alii minus recte leg. *sagariam.*

Saccarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more — *a*) Est, qui saccos portat. *Paul. Dig.* 18. 1. 40. *ad fin.* Si quid ex eo, quod de sacco saccarii cecidisset, natum esset. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4176. IVLIVS VICTOR CVPARIVS ET SACCARIVS. At *Quicherat.* putat, hic agi de eo, qui saccos conficit. — *b*) Est etiam, qui saccos, vel cribra conficit. *Gloss. Cyrill.* Σακκοπλόκος, saccarius. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7276. A. VETTIVM AED. SACCARI ROG. Pompeiis. *Bull. Nap. N. S.* 1853. p. 150.

SACCĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

SACCĀTUM, i, n. 2. *et*

SACCĀTUS, a, um, particip. *V.* SACCO.

SACCELLĀRĬUS. *V.* SACELLARIUS.

SACCELLĀTĬO, ōnis, f. 3. saccellorum impositio, ad ægrum membrum fovendum. *Veget.* 2. *Veterin.* 11. Saccellationibus caput vaporare. *Id.* 3. *ibid.* 24. *circa med.* Saccellationem ex furfuribus imponere.

SACCELLO, as, are, a. 1. saccellum, seu cataplasma imponere. *Plin. Valerian.* 2. 18. *post med.* Hederæ folia in aceto decoques, et ipso aceto furfures, et fervefacies, et saccellabis.

SACCELLUM, i, n. *et*

SACCELLUS, i, m. 2. Scribitur et *sacellus* apud *Coripp.* 3. *Johann.* 369. et 4. *ibid.* 334. et *Dracont. Laud. Just.* 4. 334. — Saccellus, *deminut. a* sacculus, est ¶ 1. Sacculus, *sacchetto, borsa,* βαλάντιον. *Petron. Sat.* 140. *sub fin.* Sonantes ære saccellos mittere. ¶ 2. Cataplasma, emplastrum, fomentum. *Veget.* 2. *Veterin.* 52. Super renes, et dorsum saccellos calidos ex furfure plenos imponere. *Cels.* 4. 4. *circa med.* Salem calidis cum saccellis superponere. Adde *Ascon.* in 1. *Verr.* 8., *Commodian. Instr.* 9. 3. *Theod. Priscian.* 1. 14. et *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. 76. — Neutr. gen. *Plin. Valerian.* 2. 18. Saccellum ad splenis dolorem.

SACCĒUS, a, um, adject. e sacco confectus. *h. e.* vili et crasso panno, aut cilicio. *Hieronym. Vit. Hilar. n.* 44. Tunica saccea. *Id. Ep.* 22. *n.* 27. Vestis pulla, cingulum sacceum. *Saccinea* quidam leg. priore loco, quod est contra analogiam, et optimos quosque libros. Adde *Arnob. in Psalm.* 64.

SACCHĂRUM *et* Saccharon, i, n. 2. Legitur et *succarum* apud *Veget.* 5. *Veterin.* 22. 4. — Saccharum, vox Orientalis, Græce σάκχαρ, σάκχαρι, σάκχαρον, est genus mellis, quod Persæ atque Arabes colligunt ex arundinibus. *canna zuccherina e materia dolce indi raccolta. Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 17. (32). Saccharon et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum usum. Hæc *Plin.* De eadem re, tacito nomine (quod Arabicum est) *Lucan.* 3. 237. Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos. *Seneca Ep.* 84. Ajunt, inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cæli, aut ipsius arundinis humor dulcis et pinguior gignat. — Ex his colligunt *Voss.* in *Etymol.*, *Salmas.*, *Harduin.* etc., aliud esse a saccharo nostrum *zucchero,* (cujus historiam habet *Jo. Beckmannus* in *Comment. Soc. R. Gotting. T.* 5.) quod ex arundinibus non colligitur, sed exprimitur, et igni coquitur, non statim collectum sumitur: et non in medicina solum, sed in cibis pæne omnibus usum habet. V. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 58. et *ibid.* adnot.

SACCĬA, æ, f. 1. saccus. *Gloss. Cyrill.* Σάκκος, saccia, saccus. Cf. BISACCIUM.

SACCĬBUCCIS, e, adject. φυσίγναθος, qui buccam magnam habet, velut sacci, bucculentus. *Arnob.* 3. p. 108. Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum tubulatione saccibucces.

SACCĪNĔUS. *V.* SACCEUS.

SACCĪNUS, a, um, adject. e sacco confectus, cilicinus. *Vulgat. interpr. Zach.* 13. 4. Nec operientur pallio saccino, ut mentiantur.

SACCĬPĒRĬO, ōnis, m. 3. et

SACCĬPĒRĬUM, ii, n. 2. (saccus *et* pera) σακκοπήρα, major crumena, et minoris marsupii receptaculum. *Plaut. Rud.* 2. 6. 64. Meum marsupium, quod plenum argenti fuit in sacciperio. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 531. 15. *Merc.*, ubi *in sacciperione* pro *in sacciperio* legitur.

SACCO, as, (avi) ātum, are, a. 1. Particip. *Saccatus.* — Sacco, est per saccum vel linteum transmitto, percolo, liquo, *passare per una pezza, filtrare, colare,* σακκίζω.

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 34. (104). Stibium tritum in aqua triplici linteo saccant, fæcemque abjiciunt. *Id.* 29. *ibid.* 2. 10. (35). Frigida aqua lavatur, et in linteo saccatur. *Seneca Ep.* 86. Saccata aqua. *Martial.* 2. 40. Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi. *siccentur* legunt quidam, sed minus recte. Huc pertinet illud *ejusd.* 12. 60. Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco. *et Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (138). Sacco frangere vires vini. *V.* CASTRO.

II.) Translate. *Lucret.* 4. 1028. Totius humorem saccatum corpori' fundunt. *h. e.* urinam. Cf. *Seren. Samm.* 6. 77. — Hinc

Saccatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. *Isid.* 20. *Orig.* 3. *Saccatum* liquor est aquæ fæci vini admixtus et sacco expressus.

II.) Translate. *Arnob.* 2. 69. Degerent inter stercoris hos utres et saccati obscenissimas serias. *h. e.* urinæ. *Alii leg.* saccati humoris.

SACCOMEL, mellis, n. 3. cataplasma ex melle. *Theod. Priscian.* 4. 311. Confectio saccomellis.

SACCOMORUM, i, n. 2. genus est arboris, quam dictam Pomponius ait ex fico atque moro, quod ficus ea sit et morus, unde nomen per moron et ficum deductum est. Ita *Fest.* p. 317. 34. *Müll.*

SACCOPATHNA, æ, f. 1. σακκοπάθνιον, saccus longus et angustus. *Edict. Diocl.* 11. 8.

SACCOPHŎRUS, i, m. 1. σακκοφόρος, saccum ferens, sacco indutus, nomen cujusdam sectæ hæreticorum. *Cod. Theod.* 16. 5. 11.

SACCŪLĀRĬUS, ii, m. 2. a sacculo, quo pecunia continetur, significat peculatorem, qui publicam pecuniam avertit, ῥᾳδιουργός. *Ascon.* in *orat. Cic. contra C. Anton. et Catil. circa med.* Equester ordo pro Cinnanis partibus steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo saccularii erant appellati. *Ulp. Dig.* 47. 11. 7. Saccularii, qui vetitas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt, plus quam fures puniendi sunt. Adde *ibid.* 18. 1. Sunt autem *vetitæ artes magicæ,* ut exponit *Cujac. tit.* 10. *Observat.* 27.

SACCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* saccus. Legitur et *saculus* in *Inscript. Helv.* 51. apud *Mommsen.* (V. *Orell.* 246.) Cf. SACELLUS. — Sacculus, σάκκιον, μαρσύπιον, βαλάντιον, est parvus saccus. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 9. *Met. a med.* Promittit ei, de prædiis suis sese daturum et frumenti et olivi aliquid, *etc.* Sacculo et utribus vaculo secum apportatis, etc. ¶ 2. Specialim est parvus saccus, in quo pecunia reponitur, *borsa. Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 52. (137). Fulmine aurum, et æs, et argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis. *Catull.* 13. 7. nam tui Catulli Plenus sacculus est aranearum. *h. e.* pecunia omnino caret, *è asciutta.* et *Juvenal.* 14. 138. pleno turget quum sacculus ore, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit. *Id.* 11. 26. Ignorat, quantum ferrata distet ab arca Sacculus. *h. e.* parva nummorum summa, quæ sacculo contineri potest, a magna vi pecuniæ, quæ in arca servatur: vel pars patrimonii a toto censu. *Martial.* 5. 40. Excussi loculosque sacculumque. Adde *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. *a med.* et *Paul. ibid.* 29. etc.

SACCUS, i, m. 2. Vox hæc communis pluribus linguis videtur aliis ducenda ab Hebr. שק *saq,* quod est saccus, cilicium; aliis vero a them. Indo-Europ. *sak,* vel *sag,* quod est firmare, claudere, unde Græc. σάκος, proprie operculum, hinc scutum oblongum tantaque magnitudine, ut totum corpus tegat (*Ebeling., Lex. Hom.*): cf. Lat. *sagum.* — Ceterum *saccus* est vas ex tela, vel corio, vel alia materia, σάκκος vel σάκος (It. *sacco;* Fr. *sac, sachet, besace;* Hisp. *saco, talego;* Germ. *Sack;* Angl. *a large sack or bag*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Verr.* 38. 95. Quum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret. *Alii leg.* sagos. *Phædr.* 2. 7. Mulus ferebat tumentes multo saccos hordeo. *Colum.* 9. *R. R.* 15. *ad fin. de melle liquando.* Saligneus qualus, vel tenui vimine rarius contextus saccus, inversæ metæ similis, qualis est quo vinum liquatur, obscuro loco suspenditur. *Id.* 12. *ibid.* 17. Ficus recentes in junceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (102). Sal in saccis aqua ferventi madefactus. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (134). Adeps saccatus lineis saccis. *Veget.* 3. *Veterin.* 58. *extr.* Corpus animalis multorum perfricatur manibus: saccis cooperiunt, ut sudet. ¶ 2. Specialim. — *a*) *Saccus vinarius,* quo vinum transmittitur, ut defæcetur, asperitatem exuat, suavius et blandius fiat, minusque capiti noceat, *feltro per colare, colatoio. Plin.* 24. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Nitrosæ, aut amaræ aquæ, polenta addita mitigantur: qua de causa et in saccos vinarios additur polenta. *Id.* 19. *ibid.* 4. 19. (53). Inveterari vina, saccisque castrari. *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (138). et 23. *ibid.* 1. 24. (45). Vini vires sacco frangere. *Martial.* 12. 60. Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco. — *b*) *Saccus nivarius,* quo nive repleto transmissa aqua refrigeratur. *Id.* 14. 104., cujus lemma *Saccus nivarius.* Attenuare nives norunt et lintea nostra. Frigidior colo non salit unda tuo. — *c*) Sæpe *saccus* est, quo reponitur pecunia, marsupium, crumena, sacculus, *borsa. Horat.* 2. *Sat.* 3. 148. mensam poni jubet, atque Effundi saccos nummorum. *Id.* 1. *ibid.* 1. 70. congestis undique saccis Indormis inhians. *Martial.* 10. 74. Quum Scorpus (*auriga*) una quindecim graves hora Ferventis auri victor afferat saccos. — *d*) In illo *Plauti Capt.* 1. 1. 22. Vel ire extra portam Trigeminam ad saccum licet: *ad saccum ire* est ad crumenam mendicantium, et stipem in ea colligentium ire (*h. e.* mendicare). Ita *Lambin.;* alii leg. *ad sacculum* eod. sensu.

II.) Metonymice *saccus* dicitur vestis crassiore filo contexta, qua præcipue utebantur in Ægypto monachi in pœnitentiæ signum, sine manicis, et presse corpori adhærens, vel etiam vestis seu cilicium e pilis contextum, quo veteres in luctu indui solebant. *Hieronym. Ep.* 44. Saccus orationis signum atque jejunii est. *Augustin. Enarrat.* 2. *in Psalm.* 29. *ad fin.* Saccus de capris conficitur et hædis. *Paulin. Nolan.* 35. *Carm.* 451. gravis hirto tegmine saccus. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 3. 31. Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exsequias Abner. *Id. Jon.* 3. 8. Operiantur saccis

homines et jumenta. *Id. Psalm.* 29. 12. Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. *Id. Eccli.* 25. 24. Vultum suum quasi saccum ostendit. *h. e.* os squalidum, triste, rugosum præbet, ut cilicium videatur. — Habes vestis, quæ saccus dicitur, descriptionem apud *Cassiod. loc. cit.* in GROSSUS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĂCELLĀRĬUS *vel* Saccellarius, ii, m. 2. (sacellus *vel* saccellus) fisci custos, procurator, βαλαντιοφύλαξ. *Gloss. Labb.* (Cf. *Gregor.* 4. *Ep.* 34.).

SĂCELLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SĂCELLUS, a, um, adject. *deminut. a* sacer, apud *Priscian. p.* 111. 11. *Keil.* Adde *Auct. art. anonym. Bern. p.* 96. 4. *Hagen.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

Sacellum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. Merito *Gell. loc. cit.* C. Trebatium reprehendit. quod compositum putet a *sacer* et *cella.* est enim simplex, et a *sacer*, ut vidimus, deminutum, ut a *macer macellus, tener tenellus, pulcher pulchellus* etc. — Sacellum, ναΐδιον, locus parvus Deo sacratus cum ara, ut *C. Trebat.* apud *Gell.* 6. 12. definit. *Fest. p.* 218. 33. *Müll.* Sacella dicuntur loca diis sacrata sine tecto. Qui locus consideratione dignus est. Inde enim discimus, sacellum esse, quod Græci dicunt περίβολον, hoc est consæptum, nempe locum sacrum tantummodo clausum muro. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 104. Exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa. *Id.* 2. *leg. Agr.* 14. 36. Sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, etc. *Nepos Them.* 6. Atheniensium muros ex sacellis sepulcrisque constitisse. *supra dixerat:* neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive profanus, et undique quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. *Juvenal.* 13. 232. pecudem spondere sacello Balantem, et Laribus cristam promittere galli Non audent. *Propert.* 4. 3. 57. Flore sacella tego, verbenis compita velo. *Ovid.* 1. *Fast.* 275. Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello. *Virg.* 4. *G.* 9. Novimus et qui te, – Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello. Adde *Plin.* 8. *Ep.* 8. *coll. Propert.* 3. 19. 13., *Liv.* 1. 55. et *Tac.* 3. *Hist.* 74. *Venant.* 3. *Vit. s. Martin.* 203. Non templa exspectat, nec claustra dicata sacelli. *oratorio o cappella.*

SĂCĔLLUS, i. *V.* SACCELLUS.

SĂCĒNA, *et per syncop.* Scena, æ, f. 1. Fortasse scribendum *Secena,* ut sit a secando dicta. *V.* SCENA. — Sacena est dolabra. *Fest. p.* 318. 15. *Müll.* Scena ab aliis; a quibusdam sacena appellatur, dolabra pontificalis.

SĂCER, a, um, adject. Olim *sacris, e,* dictum est. *Festus p.* 318. 7. *Müll.* Sacrem porcum dici ait Verrius, ubi jam a partu habetur purus, a qua re appellatum esse sacrum dicit. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Porci puri ad sacrificium, ut immolentur, olim appellati sacres. quos appellat Plautus, quum ait: Quanti sunt porci sacres? *et ibid.* 4. *a med.* Porci, qui a partu decimo die habentur puri, (*Harduinus* ex hoc loco *Plinii* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo, bovis trigesimo: *Varronis* locum corrigendum putat.) ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum. Adde *Plaut. Men.* 2. 2. 16. et *Rud.* 4. 6. 4. — Ratione habita etymi, *sacer* deducitur a them. Sanskr. *jag,* venerari, adorare, sacrare, unde Græc. ἅγιος, ἁγνός. Quidam vero putant esse vocem Tuscam. — Comp. *Sacrior* non habetur, ut et *Varro* 7. *R. R.* 39. et usus docet; Sup. *Sacerrimus* II. 1. et 2. — Sacer est ad deos pertinens, religiosus, consecratus, sacratus, sanctus, cui opponitur *profanus:* ἱερός (It. *consacrato, santo, sacro;* Fr. *consacré à la divinité, voué, dédié à un dieu, sacré, saint;* Hisp. *sacro, sagrado;* Germ. *einem Gott geheiligt, gewidmet, heilig;* Angl. *consecrated, holy, sacred, divine*).

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Gallus Ælius* apud *Fest. p.* 318. 20. *Müll.* ait, sacrum esse quocumque modo atque instituto civitatis consecratum sit, sive ædis, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quid aliud, quod diis dedicatum atque consecratum sit. Quod autem privati suæ religionis causa aliquid earum rerum Deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum. At si qua privata sacra suscepta sunt, quæ ex instituto pontificum stato die, aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari tamquam sacrificium. Ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur sacer esse. Hæc *Festus. Cic.* 3. *Legg.* 13. *in fin.* Signa sacra et religiosa. *Nepos Them.* 6. Sive sacer (*locus*), sive profanus, sive privatus, sive publicus. *Quintil.* 5. 10. 38, Locus sacer, an profanus. Cf. *Claudian. cons. Honor.* 4. 238. et *Sall. Cat.* 11. *Virg.* 5. *Æn.* 761. sacer lucus. *Ovid.* 7. *Met.* 100. arvum Martis. *Id.* 2. *ibid.* 264. fontes. *Cic.* 13. *Fam.* 11. ædes. *Horat.* 2. *Od.* 13. 29. silentium. *h. e.* pium, religiosum, venerationis plenum. *Id.* 4. *ibid.* 9. 28. vates. *et ibid.* 15. 25. Profestæ et sacræ luces. *Apul.* 11. *Met.* comitatus. *processione. Grat. Cyneg.* 403. Sacræ conchæ. *h. e.* Veneri dicatæ. *Propert.* 3. 3. 11. sacræ fatalia lumina Vestæ. *et ibid.* 14. 11. Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes. *h. e.* qui se Veneri dicarunt, et in ejus tutela sunt. *Virg.* 7. *Æn.* 60. laurus Sacra comam, multosque metu servata per annos. *Horat. Epod.* 2. 43. Sacrum focum lignis exstruere. *h. e.* sacratum Laribus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 22. nunc viridi membra sub arbuto Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ. Cf. *Senec. Ep.* 41. Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet; coluntur aquarum calentium fontes. Adde *Virg.* 4. 319. — De *Judicibus sacrarum cognitionum* V. COGNITIO in fin. — Poetice dicitur de diis. *Propert.* 3. 22. 3. *Bähr.* sacra Cybelle. *Id.* 3. 4. 11. Vesta. (Cf. *Liv.* 3. 19. Ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi dii neque sacri, neque sancti sunt.) — Neutr. plur. absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 54. miscebis sacra profanis. *farai d'ogni erba fascio,* et *Sall. Cat.* 11. Sacra profanaque omnia polluere. — *b*) Cum Dativo. *Ovid.* 10. *Met.* 109. sacer Nymphis Carthæa tenentibus arva Ingens cervus erat. *Id.* 2. *Fast.* 52. mensis Qui sacer est imis Manibus. *Virg.* 6. *Æn.* 484. sacrum Cereri Polypœten. *Id. ibid.* 137. ramus Junoni infernæ dictus sacer. *Id.* 12. *ibid.* 766. Fauno oleaster. *Id.* 11. *ibid.* 768. Cybelæ Chloreus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (11). Æsculus Jovi sacra. *Inscript.* apud *Orell.* 4457. SACRVM DEANAE ET MEMORIAE AELIAE PROCVLAE. et apud *eumd.* 4551. etc. Cf. 2499. In *Inscript.* apud *eumd.* 2499. SACRVM POMPEIA SEX. etc. subaud. *Deo;* quod quidem singulare est. — *c*) Raro cum Genetivo. *Cic.* 3. *Verr.* 18. *a med.* Illa insula eorum deorum sacra putatur. *h. e.* iis diis sacrata. *Ascon. ibid.* Elegit *sacra* dicere, quam, quod in consuetudine est, *sacrata.* — 2.°) Specialim. — *a*) *Sacrum est,* res sacra est. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (150). Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium ritu sacrum est. — *b*) *In sacro esse,* sacrum haberi. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (118). Prisco ritu fabacia suæ religionis diis in sacro est. — *c*) *Sacram vitem* appellat *Ennius* apud *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.,* et *Horat.* 1. *Od.* 18. 1., quia vini multus usus in sacrificiis: et quia Baccho monstrante coli cœpit, eique sacrata est. — *d*) *Sacra urbs,* est Roma, apud *Rutil.* 1. *Itiner.* 417., et *Cœs. Taurin. Fortun.* 12. *Wernsd.,* et *Inscript.* apud *Orell.* 52. — *e*) *Sacra via* in urbe Roma, in ejus regione quarta, incipiebat ab amphitheatro, et per vicinos hortos juxta Basilicam Constantinianam et forum Cæsaris in Capitolium tendebat. Quidam, ut ait *Paul. Diac.* in *Fest. p.* 290. 11. *Müll.,* appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum ac Tatium. Cujus rei signa stabant *Servii* tempore, Romulo a parte Palatii, Tatio a Rostris veniente, ut ipse docet ad 8. *Æn.* 641. Alii putant, eod. *Festo* teste *loc. cit.* et *Varron.* 5. *L. L.* 47. *Müll.,* sic dictam, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium (*lege* in Capitolium *pro* idulium) sacrorum conficiendorum causa. Eadem *sacer clivus* dicitur ab *Horat.* 4. *Od.* 2. 35. et a *Martial.* 1. 71. et 4. 79., et *via a sacris* ab *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 28. Hæc est a sacris quæ via nomen habet. Sunt quidam qui scribunt *sacravia. V.* SACRAVIENSIS. — *f*) *Sacer mons,* appellatur trans Anienem paullo ultra tertium milliarium: quod eum plebes, quum secessisset a patribus, creatis tribunis plebis, qui sibi essent auxilio, discedentes Jovi consecraverunt. *Fest. p.* 318. 20. *Müll. Liv.* 2. 32. et *Cic. Brut.* 14. 54. — *g*) *Sacrum ver. V.* in VER. ¶ 2. In malam partem, interdum *sacer* est detestabilis, exsecrandus. *Festus p.* 318. 11. *Müll.* Sacratæ leges sunt, quibus sanctum est, qui quid adversus eas fecerit, sacer alicui deorum sit cum familia pecuniaque. *et mox.* Homo sacer is est, quem populus judicabit ob maleficium: neque fas est eum immolari: sed qui occidit, parricidii non damnatur. nam lege tribunicia prima cavetur: *Si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Ex quo quivis homo malus atque improbus, sacer appellari solet. Hæc *Festus.* Ratio sic appellandi est, quia Diti patri, vel Jovi, vel alii deo consecratus per populi judicium fuerat. Mos enim erat, ut quos vellent impune occidi, eorum corpora alicui deo, præcipue vero Inferis devoverent. Quem morem *Servius* ad 3. *Æn.* 57. tractum ait a Gallis. quoties enim Massilienses pestilentia laborarent, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Postea verbenis et vestibus sacris ornatus circumducebatur per totam urbem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis: et sic præcipitabatur. (Alii leg. *projiciebatur:* alii *prosiciebatur.*) Hoc autem in Petronio (*Sat.* 141.) lectum est. Hæc *Servius.* Simile quiddam habes apud *Sueton. Cal.* 27. *V.* PHARMACUS. Causam, cur sacrum istum hominem jus fuerit occidi, quum res sacras alioquin violare sit nefas, (unde *Tibull.* 1. 2. 27. Quisquis amore tenetur, eat tutusque, sacerque Qua libet: insidias non timuisse decet.) offert *Macrob.* 3. *Saturn.* 7. *ad fin.,* quia veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum erat: animas vero sacratorum hominum diis debitas existimabant; et sic quam primum ad eos mittendas arbitrabantur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 181. uter ædilis fueritve Vestrum prætor, is intestabilis et sacer esto. *sia maledetto. Liv.* 3. 55. Ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem. — *a*) *Sacer* est sacratus, dicatus, destinatus. Absolute neutr. gen. in *Inscript.* apud *Orell.* 4551. SACRVM QVIETI CORPORIS PETRONIAE etc. *h. e.* locus sacer. — *b*) *Sacer* dicitur etiam de iis, quæ admirabilia et divina quodammodo sunt. *Martial.* 5. 69. *de Cicerone.* Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ? *Id.* 8. 56. Ingenium sacri miraris abesse Maronis. *Colum. de cult. hort.* 219. Sacra orgia naturæ movere. — Adulatio et imperatoribus tribuit. *Martial.* 7. 99. Namque solent sacra Cæsaris aure frui. *et* 6. 76. Ille sacri lateris custos, etc. *Frontin.* 1. *Controv. p.* 8. *Rudorff.* Sacra præceptione firmatus. *h. e.* imperatoria. Hinc illa frequentissima in utroque Codice Justiniano, et Theodosiano, *sacra domus, sacræ largitiones, sacra scrinia, sacer comitatus, vice sacra cognoscere* etc. — Hujus adulationis initia Tiberii temporibus fuere, qui, ut narrat *Sueton. Tib.* 27., eum reprehendit, qui *sacras* ejus *occupationes* dixerat. *V.* et *Tac.* 2. *Ann.* 87. — *c*) *Sacer* est etiam sanctus. *Venant.* 2. *Vit. s. Martin.* 304. Hic sacer (*Martinus*) intrepidus, nolens responsa referre, Despicit. — *d*) Item colendus, sancte observandus, venerandus. *Ovid. Heroid.* 9. 159. Deprecor hoc unum per jura sacerrima lecti. *Pallad. de insit.* 36. Sacraque priscorum verba labore sequar. — *e*) *Sacra* etiam vulgus appellat, quæ majora sunt, inquit *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 60., inde tragicus poeta *sacram noctem,* hoc est magnam, appellavit: qua

ratione *os sacrum*, ἱερὸν ὀστέον anatomici appellarunt illud, quod imum ventrem sustinet, et *os coxarum* dicitur a *Cels.* 8. 1. *a med.* ¶ 2. In malam partem — *a*) *Sacer* est detestabilis, exsecrandus, maleficus, scelestus, noxius, ut ὅσιος apud Græcos. — α) De animantibus. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 13. Ego sum malus, ego sum sacer, scelestus. *Id. Most.* 4. 2. 67. servus est sacerrimus. *Id. Pœn. prol.* 89. Vendit has – homini, si leno est homo, Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo. *Afranius* apud *Non. p.* 397. 22. *Merc.* O sacrum scurram et malum! *Turpilius ibid.* Etiamne irrides, pessime et sacerrime. *Virg.* 11. *Æn.* 271. Quem facile accipiter saxo sacer ales ab alto Consequitur pennis sublimem in nube columbam. Ubi *Servius*: *Sacer* ideo, quia Marti consecratus accipiter; aut quia avibus exsecrabilis; aut, quod verius est, Græcum nomen expressit, nam ἱέραξ dicitur. *Stat.* 10. *Theb.* 804. Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti? *Virg.* 3. *Æn.* 56. quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? *Catull.* 71. 1. Sacer alarum hircus. — β) Tribuitur et rebus inanimis, quæ malæ, et noxiæ. *Id.* 9. *ibid.* 109. ratibus sacras depellere tædas. *Alii leg.* sacris. *et* 6. *ibid.* 573. horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ. *Catull.* 14. 12. Dii magni, horribilem et sacrum libellum! *Stat.* 2. *Theb.* 297. Sacrum aurum. *Turpilius* apud *Non. loc. cit.* Sacerrimum domicilium. *Horat. Epod.* 7. 19. Ut immerentis fluxit in terram Remi Sacer nepotibus cruor. *h. e.* qui civilium dissordiarum ac bellorum causa fuit. — *b*) Similiter *sacrum* dicitur quidquid religione, aut opinione horrendum, aut alioquin terribile atque reconditum obscurumque est: præsertim si a diis venire credatur. *Val. Flacc.* 1. 789. sacer effera raptet Corda pavor. *et* 4. 185. Arma sacra metu. *et* 6. 165. sacro freta veneno Medea. *et* 8. 25. Nemoris sacra nox. — *c*) *Sacer ignis* apud *Virg.* 3. *G.* 566. eadem ratione dicitur. *V.* IGNIS. — *d*) *Sacer morbus*, epilepsia. *V.* MORBUS. — *e*) Item *sacer*, vetitus, *proibito*, ὅσιος. *Imp. Justinian. Cod.* 3. 43. 3. *a med.* Non enim solum bella ordinamus, sed et res sacras ludicras. *h. e.* alearum usus. — Huc pertinere potest, quod *sacros fluctus* dixit *Val. Flacc.* 1. 632. mare nondum tentatum navibus, quasi dii vetuerint ab hominibus navigari, et sacrum sibi reserveverint. Cf. *Senec.* 1. *Suas.* 4. Sacer Oceanus. Eadem ratione *Sil. It.* 3. 501. *sacros fines*, et 4. 70. *sacra rupes* dixit, Alpes significans ante Hannibalem numquam transitas. Cf. *Colum. de cult. hort.* 218. — Hinc

Sacra, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est rescriptum, vel decretum imperatoris. *Augustin. advers. Donat.* 31. Illi multorum imperatorum sacras: nos sola portamus evangelia.

Sacrum, i, et sæpius *Sacra, ōrum*, n. 2. absolute, substantivorum more, res divina, res sacra, quidquid ad religionem spectat, omne quod nomine deorum habetur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Sacrum sacrove commendatum qui clepserit, rapseritque, parricida esto. *Næv. fragm.* 6. *p.* 158. *Müll.* Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur. *Horat. Epod.* 17. 57. sacrum liberi Cupidinis. *Id.* 3. *Od.* 3. 52. omne sacrum rapiente dextra. *Id.* 1. *Sat.* 1. 71. tamquam parcere sacris Cogeris. *Id. Art. P.* 224. functusque sacris. At Doering. *interpretatur* res, negotium grave. *Tac. Agric.* 11. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasiones. *sacra*, externus deorum cultus; *superstitiones*, dogmata de rebus divinis. *Cic.* 14. *Dom.* 38. Rex sacrorum. *V.* REX. et absolute *Inscript.* apud *Orell.* 1712. et 2308. SACRORVM. subaud. *magister* vel *minister*. ¶ 2. Speciatim. — *a*) Sæpe sumitur pro sacrificio. *Cic. Harusp. resp.* 15. 33. Ac te sacra illa tua facientem videre. *Virg.* 3. *Æn.* 19. Sacra Dionææ matri, divisque ferebam etc. *Ovid.* 12. *Met.* 33. inter Officium turbamque sacri, vocesque precantum. *Tac.* 2. *Hist.* 70. *extr.* Instaurabat sacrum diis loci. *Ambros. in ep. ad Rom.* Sacra coracina. *h. e.* in honorem corvorum. *Propert.* 4. 9. 48. Junoni sacrum facere. Adde *Sueton. Ner.* 34. *Inscript.* apud *Orell.* 1656. SEX. FABIVS etc. DE PECVNIA SVA LARIBVS SACR. DEDERE. *Sacrum dare* rarissima est formula (V. *Gruter.* 4. 12.). *Prudent.* 12. περὶ στεφ. Trans Tiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos: Mox huc recurrit, duplicatque vota. *celebra due volte la Messa.* — *b*) Pro templo, sacrario. *Pers.* 2. 69. in sacro quid facit aurum *Liv.* 26. 30. Sacra fracta ac spoliata deûm delubra. *Alii rectius leg.* et refracta. — *c*) *Stata sacra* dicuntur, quæ stato et certo tempore singulis annis recurrunt, diversa ab illis, quæ *indicta* vocantur, quæ nimirum in alia tempora rejici possunt, vel etiam penitus omitti. *Ovid.* 1. *Fast.* 660. Quid a Fastis non stata sacra petis? — *d*) *Sacra nuptialia* et *jugalia* dicuntur sacrificia et solemnitates nuptiarum, *Quintil.* 1. 7. 28. *Ovid.* 7. *Met.* 700. Cf. *eumd. Heroid.* 21. 155. socialia sacra parantur. *h. e.* nuptialia. — *e*) *Sacra sacrilega* sunt cærimoniæ paganorum *Sidon.* 3. *Ep.* 12. *in carm.* Primus de numero patrum suorum Sacris sacrilegis renunciavit. — *Inter sacrum saxumque stare* seu *poni*, proverbialis locutio pro in summo periculo esse, sumpta ex priscis fœderis feriendi cærimoniis, in quibus fetialis porcum silice lapide percussurus, saxum illud manu tenens verba fœderis pronunciabat, quibus dictis porcum feriebat. *Plaut. Capt.* 3. 4. 84. Nunc ego omnino occidi: nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam, scio. *sono tra l'uscio e il muro.* et *Apul.* 16. *Met.* Quod ait vetus proverbium, inter sacrum ac saxum positus cruciabar. — *f*) *Sacra* etiam erant privata gentis, vel familiæ alicujus. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Sacra privata. *Id. ibid.* 19. 48. Ne morte patris familias sacrorum memoria occideret. *Id. Orat.* 42. 144. Si quibus verbis sacrorum alienatio fiat. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Sacrum familiare. *Liv.* 5. 52. An gentilicia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra in pace deseri placet. *Id.* 4. 2. Ut qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit. *h. e.* cujus familiæ, aut gentis. Habebant enim Romani sacra quædam privata, quæ una cum bonis ad heredes transibant. *V.* COEMPTIONALIS. — Hinc *sine sacris hereditas* proverb. apud *Fest.*, quod dici solet, quum aliquid obvenerit sine ulla incommoda appendice: quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata: relictusque heres sic pecuniæ, etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare esset necessarium. Hæc *Festus*. Hinc parasitus apud *Plaut. Capt.* 4. 1. 7. Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies. Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam. Nos Itali simili sensu dicimus *carne senza osso* et *rosa senza spina*. — Alias locutiones seu exempla hic subteximus promiscue. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. Neve ulla vitiorum sacra solemnia obeunto. *Id.* 6. *Verr.* 39. 84. Qui sacris anniversariis apud eos coleretur. Cf. 1. *Att.* 18. *Virg.* 1. *G.* 338. annua magnæ Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis. Adde *eumd.* 8. *Æn.* 173. *Id.* 4. *ibid.* 638. sacra Jovi Stygio perficere. *Ovid.* 5. *Fast.* 444. de more peragere. *Id.* 12. *Met.* 11. parare. *Id.* 3. *ibid.* 581. frequentare. *Nepos Themist.* 2. *extr.* Sacerdotibus procuranda tradere. *Colum.* 10. *R. R.* 419. rite solvere. *Cic.* 2. *republ.* 7. communicare. *Liv.* 31. 44. instituere. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 107. commoveri. *V.* COMMOVEO. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 21. initiari. *V.* INITIO. *Flor.* 1. 13. 16. solemne conficere. *Liv.* 41. 12. cremare. *Phædr.* 4. 11. accendere. *h. e.* victimam, aut ignem. *Stat.* 10. *Theb.* 392. commune dare. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 110. contingere. *Ovid.* 2. *Met.* 713. portare canistris. *Virg.* 2. *Æn.* 239. canere. *Id.* 8. *ibid.* 172. annua celebrare. *Id.* 4. *ibid.* 50. litare. Adde *Stat.* 3. *Silv.* 213. *Auct. B. Alex.* 32. proferre. *Liv.* 26. 30. profanare. *Nepos Alcib.* 4. violare. *Tac.* 1. *Ann.* 42. Sacra legationis et fas gentium rumpere. (Adde *Virg.* 8. *Æn.* 111.) *Id. ibid.* 54. Sacra Sabinorum retinere. *Id.* 13. *ibid.* 17. Intra mensæ sacra. *Cic. Dom.* 14. 36. Sacrorum religio. *Lucan.* 1. 611. non gratum sacrum. *Horat. Epod.* 5. 52. sacra arcana. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 436. *Id. Heroid.* 2. 42. mystica. *Id.* 13. *Met.* 544. fera. *Id.* 10. *ibid.* 227. nefanda. *Stat.* 3. *Silv.* 137. crudelia. *Sil. It.* 3. 140. horrida. *Id.* 7. 382. veneranda. *Stat.* 1. *Achil.* 370. casta. *Id.* 3. *Silv.* 139. fortia. *h. e.* certamina ludicra in honorem Herculis. *Festus p.* 157. 6. *Müll.* municipalia. *V.* MUNICIPALIS. *Varro* 6. *L. L.* 28. *Müll.* nonalia. *V.* NONALIS. *Fest. p.* 237. 7. *Müll.* peregrina. *V.* PEREGRINUS. *Id. p.* 253. 13. *Müll.* popularia. *V.* POPULARIS. *Liv.* 1. 31. novendiale. *V.* NOVENDIALIS.

II.) Translate. ¶ 1. Poetæ *sacra* vocant carmina sua, et versificandi facultatem et vim divinam, quam habere se jactant. (Ita *Plat.* in *Jon.* ἱερόν τι ὁ ποιητής. V. *Cic. Arch.* 8. 18.) *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 19. At mihi jam puero cælestia sacra placebant, Inque suum furtim Musa trahebat opus. *Pers. prol.* 7. Ad sacra vatum carmen affero nostrum. *Martial.* 7. 63. Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus. ¶ 2. Interdum *sacra* dicuntur recondita artium, aut scientiarum præcepta, mysteria. *Quintil.* 5. 14. *a med.* Peregisse mihi videor sacra tradentium artes. *Tac. Dial. de orat.* 11. Sacra studiorum profanare. *Ovid.* 7. *Met.* 709. Sacra tori coitusque novos referre. — *Aliter hæc sacra non constant*, proverb. apud *Auson. in fin. Edyll.* 13., seu *centonis nuptialis*, quo uti possumus, quum quippiam male facimus, aut dicimus, sed quod loco aut rei conveniat, aut necessarium sit.

Homonym. Inter *sacrum*, *religiosum* et *sanctum* discrimen est, quod videsis in v. RELIGIOSUS.

SĂCERDA, æ, f. 1. sacerdotissa. *Inscript.* apud *Henzen.* 7417. β. SALLVSTIA VICTORIA SACERDA MAGNA V. A. XCV. Adde *Renier. Inscript.* 744.

SĂCERDOS, ōtis, m. et f. 3. Genet. plur. est etiam *sacerdotium* pro *sacerdotum* in *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 26., quam vide in PRINCEPS, ubi pro *sacerdotum* legend. *sacerdotium*. et *Orell.* 1942. 2432. SACERDOTIVM TITIALIVM FLAVIALIVM. Cf. *Marin. Atti fr. Arv.* 1. *p.* 209. et *Iscriz. Alb. p.* 72. — Ratione habita etymi, ducitur a *sacer* et *do*, quasi *sacrorum dator*: cf. Gr. δότης, dator, et *sacrum dare*, quod legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 1656. *Varro* 5. *L. L.* 83. *Müll.* Sacerdotes universi a sacris dicti. — Sacerdos est Deo dicatus ad rem divinam faciendam, minister sacrorum, flamen, antistes: item augur, ἱερεύς, ἱέρεια (It. *sacerdote, sacerdotessa*; Fr. *prêtre, prêtresse*; Hisp. *sacerdote, sacerdotisa*; Germ. e. *Priester, Priesterin*; Angl. *a priest or priestess*), et usurpatur *A*) Substantive, et *B*) Adjective.

A) Substantive.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Masc. gen. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. Sacerdotum duo genera sunto: unum, quod præsit cæremoniis et sacris: alterum, quod interpretetur fatidicorum et vatum effata incognita, quum senatus populusque adsciverit. *Id. Dom.* 1. 1. Si ullo tempore magna causa sacerdotum populi R. judicio ac potestate versata est etc. *Id.* 4. *Verr.* 52. 128. Sacerdos maximus. *Liv.* 5. 40. publici. *Virg.* 6. *Æn.* 661. casti. *Claudian. cons. Honor.* 6. 326. doctus. *Sueton. Dom.* 4. Dialis. *Id. Galb.* 9. Jovis. *Virg.* 3. *Æn.* 80. Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos. Adde 5. *ibid.* 760. *Cic. Brut.* 33. 127. In collegio sacerdotum esse. *Tac. Germ.* 43. Apud Nahanarvalos antiquæ religionis lucus ostenditur: præsidet sacerdos muliebri ornatu. *Id. ibid.* 7. Apud Germaniæ populos neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum velut Deo imperante. Adde *ibid.* 11. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. *h. e.* augures. Adde 4. *Ep.* 8. *Sueton. Claud.* 22. In cooptandis per collegia sacerdotibus. *Seneca* 8. *Exc. contr.* 2. Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vitanda est. *Vulgat. interpr. Eccli.* 7. 31. de sacerd. *Hebr.* Sacerdotes

illius sanctifica - et bonorifica. *Id.* 4. *Reg.* 22. 4. Sacerdos magnus. *Augustin.* 3. *Quæst. in Lev.* 28. summus. *Id. Matth.* 2. 4. Principes sacerdotum. *h. e.* familiarum, seu classium sacerdotalium. *Venant.* 1. *Carm.* 1. 5. *de sacerd. Christ.* apostolica præfulgens mente sacerdos. *Augustin. sermo ad Fr.* 36. Sacerdotes vos estis patroni et rectores terræ, Angelorum et paradisi cives, Prophetarum filii, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores. — *b*) Fem. gen. *Cic. Balb.* 24. 55. Sacra Cereris per Græcas semper curata sunt sacerdotes. *Id. Font.* 17. 37. Prospicite, ne ille ignis æternus, *etc.* sacerdotis vestræ lacrimis exstinctus esse dicatur. *Id. ibid.* 16. 37. Fonteja sacerdos. *Ovid.* 5. *Fast.* 573. et *Sall. Cat.* 15. Vestæ. et *Gell.* 1. 12. Vestalis. *Plaut. Rud.* 2. 4. 17. Veneris. et *id. ibid.* 2. 3. 20. Veneria. *Virg.* 6. *Æn.* 35. Phœbi Triviæque. *h. e.* Sibylla. *Horat.* 3. *Od.* 3. 32. Troica. *h. e.* Ilia. *Virg.* 6. *Æn.* 544. magna. *Id. ibid.* 321. longæva. *Id.* 1. *ibid.* 273. regina. *h. e.* Rhea Silvia. *Stat.* 2. *Theb.* 21. furiata. *Inscript.* apud *Orell.* 2195. CARSONIAE LVCILLAE SACERDoti DIVI TITI FLAVI. et 2198. CAECILIAE PROCVLae SACERDoti XV. VIRALI. Adde 2186. etc. ¶ 2. Speciatim *sacerdos* — *a*) Est pontifex maximus. *Vulgat. interpr. Num.* 13. 51. — *b*) Item episcopus. *Sulpic. Sever.* 2. *Chron.* 31. 4.

II.) Improprie. — 1.°) In bonam partem — *a*) Dicitur etiam de laicis. *Vulgat. interpr. Apoc.* 5. 10. Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. Adde *ibid.* 1. 6. et *Cyprian. de unct. chrism.* — *b*) De poetis. *Ovid.* 3. *Am.* 8. 23. Musarum purus Phœbique sacerdos. Sic *Horat.* 3. *Od.* 1. 3. carmina non prius Audita Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto. *Propert.* 3. 1. 3. Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Grajos orgia ferre choros. Cf. *Sacrum* II. in SACER. — 2.°) In malam partem. *Cic. Sext.* 30. 66. *de Clodio.* Illi populari sacerdoti comparabatur. et *ibid.* 17. 39. Mihi res erat cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote. *Id.* 2. *Att.* 4. Iste sacerdos Bonæ Deæ. *Id.* 2. *Phil.* 43. 110. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui. Adde *Quintil.* 5. 10. 104. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

B) Adjective. *Virg.* 1. *Æn.* 277. donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem. *Vellej.* 2. 124. *extr.* Mihi fratrique meo, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus convenit. In his tamen *sacerdos* per epexegesin additum *Klotzius* putat.

SĂCERDŌTA, æ, f. 1. *sacerdotessa*, ἱέρεια, mulier, quæ sacerdotio fungitur. *Inscript.* apud *Orell.* 2184. SILVIAE I. (*h. e.* Julii) FILIae MATERNINAE SACERDOTAE.

SĂCERDŌTĀLIS, e, adject. Scribitur etiam *sacerdotialis* in *Inscript.* apud *Murat.* 161. 4. *infra cit.* — Sacerdotalis est ad sacerdotem pertinens, *sacerdotale*, ἱερατικός. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Sacerdotales ludi. *h. e.* qui edebantur a sacerdotibus, inito honore, ut ab Augusto in pontificatu maximo, ut est apud *Sueton. Aug.* 44. *ad fin. Macrob.* 3. *Saturn.* 5. Eximii vocabulum non poeticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen. *h. e.* a sacerdotibus, honoris causa, usurpatum. *Paulin. Nol.* 14. *Carm.* 237. Casta, sacerdotale genus, ventura propago. *Lamprid. Comm.* 12. Sacerdotalia collegia. *Ammian.* 15. 7. 9. sedes. *h. e.* episcopalis. Cf. SACERDOS I. 1.° *a.* in fin. *Tertull. advers. Jud.* 5. lex. *Ambros.* 1. *Off.* 18. judicium. *Inscript.* in *Annal. dell' Istitut. archeol. a.* 1842. *p.* 152. VALERIVS MAXIMVS SACERD. ORNAM. (*h. e.* sacerdotalibus ornamentis) HONORATVS. — De sacerdotalibus prærogativis V. *Gothofr.* in *Par. l.* 16. *tit.* 10. *Cod. Theod.* — Hinc

Sacerdotalis vel *Sacerdotialis, is,* m. 3. absolute, seu etiam *Sacerdotalis vir,* dictus est cadentis Latinitatis tempore

I.) Proprie. ¶ 1. Is, qui provinciæ alicujus sacerdos primarius erat; quum flamen diceretur, qui alicujus tantum civitatis sacris præerat. His sacerdotalibus post Christianæ religionis promulgationem, quum nempe Ethnicorum sacrificia, et deorum simulacra e templis esset sublata, nihil aliud reliqui concessum ab imperatoribus Christianis est, quam ut ludos propriis sumptibus publice ederent; hinc ann. a Chr. n. CCCC. civitates Africæ proconsularis legatum ad Honorium Aug. miserunt rogantes, ut familias singulas iterati hujus sacerdotii, seu ludorum curationis, quæ annua erat, incommodis liberaret, quod ex lege *Impp. Honor.* et *Arcad. Cod. Theod.* 12. 1. 166. constat. Iidem *Impp. ibid.* 145. Sacerdotales Carthagini restitui, ibique arbitratu suo agere (*ludos*) cum favorabili editione placuit. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 16. 10. 20. Sacerdotales paganæ superstitionis competenti coercitione subjacere præcipimus, etc. *Tertull. Spectac.* 11. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis ministris? *Ammian.* 28. 6. *ante med.* Occisis decurionibus multis, inter quos Rusticianus sacerdotalis, et Nicasius edilebat ædilis. *Inscript.* apud *Gruter.* 20. 3. P. CEIONIVS D. C. POB. SACERDOTAL. VE. *h. e.* decurio coloniæ Pœtoviensis, sacerdotalis, vir egregius. Alia apud *eumd.* 325. 12. TI. CL. HONORATIANVS CASTRENSIS MORINI IN CIVITATE SVA SACERDOTALIS. Alia apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4981. C. PATERNIVS POSTVMINVS DEC. C. TAVNENSIVM VIR SACERDOTALIS PRAGMATICVS. — Hi provinciarum sacerdotales dicuntur *quasi pontifices;* singularum vero civitatum flamines appellantur *sacerdotes maximi* apud *Lactant. Mort. persecut.* 36., unde etiam discimus, eos a Maximino Daza institutos fuisse. ¶ 2. *Sacerdotalis* etiam dicitur, qui sacerdotio provinciæ jam functus fuit. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 12. 5. 2. Sacerdotales, et flamines perpetuos, atque etiam duumvirales ab annonarum præposituris inferioribusque muneribus immunes esse præcipimus. *Inscript.* apud *Orell. loc. cit. n.* 1408. MASCLINIO MATERNO DEC. C. A. (*h. e.* decurioni coloniæ Agrippinæ) AEDILICIO DVVMVIRALI CVRATORICIO SACERDOTALI ET EX COMITIBVS MASCLINIVS LEO PATRI BENEMERIT. FECIT DECENTIO CAES. ET PAVLO COS. *h. e.* anno a Chr. n. CCCLII. ¶ 3. In *Inscript.* apud *Murat.* 161. 4. (*Orell.* 2409.) ... PVBLICI SACERDOTIALIS CINERIBVS LOCVS. AVONIA APHRODISIA CONIVGI BENEMERENTI FECIT. *Lupius* in *Epitaph. Sever. p.* 3. et in *Dissert. T.* 2. *p.* 93. existimat, hunc Lalum fuisse publicum, *h. e.* servum sacerdotum, nempe augurum, qui præcipue ita appellabantur; *sacerdotialis* vero esse vocem ex sacerdotio derivatam, quo nomine collegium sacerdotum intelligatur, ut *servitium* numerum aliquem servorum, et *satellitium* satellitum multitudinem significat. At *Marinius Frat. Arv. p.* 213. putat, *sacerdotialis* hic significare illum, qui sacerdos antea fuerit, postea esse desierit, et *Lali* positum pro *L. Ali*, et *Publici* esse illius viri cognomen. Viderint eruditi, quid amplectendum; ego vero a *Lupio* standum arbitror. Ita cl. *Furlanettus.*

II.) Improprie, *Sacerdotalis vir* est etiam, qui, quasi sacerdos esset, caste et sobrie vivit. *Sidon.* 4. *Ep.* 9. *in fin.* Plus ego admiror sacerdotalem virum, quam sacerdotem.

SĂCERDŌTĀLĬTER, adverb. more sacerdotis. *Prosp. de vit. contempl.* 1. 25. Sed quidquid sibi sacerdotaliter viventibus atque docentibus honoris impenditur.

SĂCERDŌTĬĀLIS. *V.* voc. præced.

SĂCERDŌTISSA, æ, f. 1. *sacerdotessa*, ἱέρεια, mulier, quæ sacerdotio fungitur. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 15. Eædem ferme cæremoniæ sunt, quas flaminicas sacerdotissas Diales seorsum ajunt observitare. Ita legitur in quibusdam editionibus: in aliis vero, iisque emendatioribus τὸ *sacerdotissas* deest. Adde *Schol. Lucan.* 7. 778. Affertur etiam a quibusdam lexicographis *Inscript.* apud *Gruter.* 325. 10., in qua *sacerdotissæ perpetuæ* legunt, sed *ibid.* legend. *sacerdotis perpetuæ.* In *Inscript.* mendosa apud *Murat.* 164. 5., emendata apud *Aldini, Lap. Ticin. p.* 18. PETILIA Q. F. SABINA SACERDOS MINERVAE V. S. L. M. sunt qui *sacerdotissa* ponunt. *Aldini* vero putat legend. *sacerdotialis.*

SĂCERDŌTĬUM, ii, n. 2. (sacerdos)

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstracte est sacerdotis dignitas et officium, ἱερωσύνη, ἱεράτευμα (It. *sacerdozio;* Fr. *sacerdoce, ministère sacerdotal, dignité sacerdotale;* Hisp. *sacerdocio;* Germ. *des Priesterthum, Priesteramt, die Priesterwürde;* Angl. *priesthood*). — α) Sing. num. *Cic. Dom.* 53. 136. Quum Licinia Virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio prædita, T. Flaminino, Q. Metello Coss. aram, et ædiculam, et pulvinar sub saxo dedicasset. *Id. ibid.* 52. 135. Sacerdotium inire. *Id. ibid.* 14. 37. In sacerdotium venire. *Id.* 2. *Leg. agr.* 7. 18. Sacerdotia mandare. *Id.* 4. *Verr.* 51. 127. Ita Jovis sacerdotium amplissimum Theomnasto datur. *Id.* 2. *Leg. agr.* 7. 18. Amplitudo sacerdotii. *Liv.* 9. 29. familiare sacerdotium. *Auct. B. G.* 8. 50. Sacerdotii petitio. *Vellej.* 2. 59. 3. Pontificatus sacerdotio puerum honoravit. *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 4. Sacerdotio fungi. *Id.* 2. *Macch.* 2. 29. a sacerdotio amoveri. *Id.* 1. *Esdr.* 2. 62. de sacerdotio ejici. *Id.* 2. *Macch.* 2. 17. Summum sacerdotium. *Tac.* 11. *Ann.* 11. Sacerdotium quindecimvirale. *V.* QUINDECIMVIRALIS. — β) Plur. num. *Cæs.* 3. *B. C.* 12. De sacerdotiis contendere. *Cic. Dom.* 40. 105. Publicis sacerdotiis præesse. *Id.* 2. *Leg. agr.* 7. 18. Hoc idem de ceteris sacerdotiis Domitius tulit. *Sall. Jug.* 31. Sacerdotia ostentare. *Liv.* 30. 26. Duo sacerdotia habere. — De sacerdotiorum cooptationibus prius a populo factis, deinde a senatu, mox per codicillos ab imperatoribus *V. Borghesi, Mem. dell' Istitut, arch. t.* 1. *p.* 272-275. Alia de sacerdotiis Romanorum V. *ibid. t.* 1. *p.* 255-325. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu, est idem ac sacerdotes, seu cœtus et collegium sacerdotum. *Ammian.* 17. 7. 10. In ritualibus et pontificiis obtemperantibus sacerdotiis cavetur, ne alio deo pro alio nominato piacula committantur. ¶ 2. Speciatim accipitur interdum pro auguratu. *Plin.* 4. *Ep.* 8. Gratularis mihi, quod acceperim auguratum. jure gratularis, primum quod gravissimi principis judicium in minoribus etiam rebus consequi, pulcrum est: deinde quod sacerdotium ipsum quum priscum et religiosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi. ¶ 3. Significat etiam sacerdotis proventum, nam apud Gentiles sacerdotia fuerunt, qualia nos minus Latino in hac significatione vocabulo *beneficia* appellamus. Sacerdotiorum autem duo fuerunt genera, unum quod sacris esset addictum locis, quæ reipublicæ, aut principum, aut pontificum collegii collationis essent: alterum. quod ædis, aut sacelli juris esset a patre familias ea ratione erecti dedicatique, ut et sacrorum cura, et fructuum ipsius sacerdotii perceptio ad solam gentem familiamque suam perpetuis successionibus devolveretur. *Liv.* 9. 29. *ad med.* Gens Potitia, cujus ad aram Herculis familiare sacerdotium erat. *Id.* 30. 26. *ad fin.* In ejus locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpitius Galba inauguratus. *Tac.* 1. *Hist.* 77. Recens ab exsilio reversos adolescentes avitis et paternis sacerdotiis in solatium recoluit. Nam sacerdotia senioribus tantum, et quidem anno ætatis præfinito concedebantur. *Seneca* 3. *Ira* 31. § 2. A me numerari voluit annum? (*h. e.* consulem fecit), sed deest (*annus*) ad sacerdotium: cooptatus in collegium sum? sed cur in unum?

II.) Improprie. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr* 2. 5. et 9. (Cf. *Exod.* 19. 6.). Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

SĂCERDŌTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sacerdos, vel sacerdota, minor seu parva sacerdos. *Varro* 5. *L. L.* 130. *Müll.* Dictum capital a capite, quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere. *Fest. in Flaminia.* Flaminia dicebatur sacerdotula, quæ flaminicæ Diali præministrabat. *Veranius* apud *eumd.* in *Oletum.* Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum.

SĂCERDUS, i, m. 2. sacerdos. *Inscript.* apud *Gruter.* 34. 5.

SĂCERSANCTUS, a, um, adject. sacrosanctus. *Tertull. Cor. mil.* 13. *sub fin.* Quam sacersanctus, quamque honestus ac mundus sit habitus iste etc.

SĂCŌMA, ătis, n. 3. σήκωμα, *peso, contrappeso, romano,* æquipondium, quod in altera stateræ parte opponitur ad æquilibrium alicujus rei faciendum. *Vitruv.* 9. 3. Auream coronam votivam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma appendit redemptori. Is ad tempus opus manufactum subtiliter regi approbavit, et ad sacoma pondus coronæ visus est præstitisse. *h. e.* eodem pondere aurum elaboratum reddidit, quo infectum acceperat. *Id. ibid.* 9. sacoma saburrale vocat pondus appensum horologio. *contrappeso.*

SĂCŌMĀRĬUM, ĭi. *V.* voc. seq. in fin.

SĂCŌMĀRĬUS, a, um, adject. qui sacomati inservit, seu quo utimur ad mensurandam vasorum capacitatem. *Hieronym.* in *Jon.* 4. 6. Quidam Cantherius dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quo pro cucurbita hederam transtulerim: timuit videlicet, ne, si pro cucurbitis hederæ nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet, non haberet. Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo sacomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare; e quibus et ille sibi non suum nomen assumpsit. In editionibus perperam legitur *saucomarias,* quod verbum nibili est: nam hic *Hieronymus* alludere videtur ad vascula illa cucurbitina, quibus caupones utuntur ad vinum perpotantibus subministrandum, in quorum fundo olim, ut interdum etiamnum, Sanctorum vel Apostolorum imagines repræsentantur. V. *Inscript. Fabrett. p.* 593. — Hinc

Sacomarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, publicum sacoma, seu ponderatio, vel locus, quo collegium sacomariorum coire solebat. *Inscript.* apud *Henzen.* 7194. CALPVRNIVS IVNCTVS SACOMARIO.

Sacomarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, *pesatore,* ponderator, seu potius sacomatum confector et exactor. *Inscript.* apud *Murat.* 979. 4. (*Orell.* 4274.) STLACCIVS A. L. MARIO MENSOR IDEM SACOMARIVS. Adde aliam apud *Fabrett. p.* 731. *n.* 450., et apud *Gor. Inscr. Etr. T.* 1. *p.* 308. *n.* 50.

SĂCŌMĀRĬUS, ĭi. *V.* voc. præced. in fin.

SACONDĪOS *et* Socondios, *Græca positione,* ĭi, m. 2. apud Indos est genus amethysti colore ad hyacinthum descendentis: quem colorem illi sacon vocant, gemmam socondion. Dilutior sagapenos vocatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122) ubi *Sillig.* leg. *socon.*

SĂCŌPĒNĬUM, ĭi, *et* Sagapenum *vel* Sagapinum, i, n. 2. σαγάπηνον, succus herbæ ferulaceæ, et ipse frutex, unde manat: de quo *V.* et in SAGAPENUM. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 52. (167). Sacopenium et ipsum in hortis quidem nascitur, sed medicinæ tantum *Id.* 20. *ibid.* 18. 75. (197). Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur. Illud enim hammoniaci lacrimæ simile, sagapenum vocatur. Prodest laterum et pectoris doloribus, convulsis, tussibus vetustis etc.

SACOS *et* Socos, m. 2. *V.* SACONDIOS.

SĂCRĀBĬLĬTER, adverb. in modum sacrum. *Theod. Priscian.* 2. 2. *de epilepticis.* Tunc omnium musculorum vel nervorum spasmis et saltibus confringuntur, et vocis articulatæ quadam confusione sonus magis et ululatus excluduntur ore et naribus, et sacrabiliter spumant. *h. e.* more eorum, qui morbo comitiali seu sacro corripiuntur. *V.* MORBUS.

SĂCRĀMENTĀLIS, e, adject. pertinens ad sacramentum. *Cassiod.* in *Psalm.* 8. 11. Hunc esse ex his primum psalmum, qui se repetitione versuum sacramentali iteratione congeminat.

SĂCRĀMENTĀRĬUM, ĭi, n. 2. rituale, quo continetur ordo ministrandorum sacramentorum. V. *Gennadii loc. adl.* in HYMNARIUM.

SĂCRĀMENTUM, i, n. 2. Est a *sacro, as,* unde *sacramen, sacramentum,* ut a *levo, levamen, levamentum* etc., et tria præcipue significat.

A) Sacramentum ¶ 1. Priscis Latinis fuit pecunia, quam litigantes in loco sacro, vel apud pontificem deponebant, *deposito, pegno.* Qua de re ita *Varro* 5. *L. L.* 180. *Müll.* Ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, et qui infitiabatur, de aliis rebus utrique quingenos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assum. Qui judicio vicerat, suum sacramentum e sacro auferebat: victi ad ærarium redibat. Instituta autem res est etiam propter inopiam ærarii, auctore *Varrone,* ut id inde aliquem reditum haberet. Differt vero *sacramentum* a *sponsione* in eo, quod in sponsione non deponitur pecunia, sed tantum promittitur. *Festus p.* 344. 33. *Müll.* Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum, inter eos, qui judicio inter se contenderent. Qua de re lege L. Papirii, tribuni plebis, sanctum est his verbis: Quicumque prætor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tresviros capitales (alii *monetales*) populum rogato, hique tresviri capitales, quicumque posthac facti erunt, sacramenta exigunto, judicantoque, eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, judicare esseque oportet. Pergit *Festus ibid.* Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod, et propter ærarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus divinis. *Ascon.* in 3. *Verr.* 9. Quum in rem aliquam agerent litigatores, et pœna se sacramenti peterent etc. ¶ 2. Ex hoc more litigantium deponendi pecuniam, ne calumniatores impune discederent, factum est, ut *sacramentum* pro causa, vel controversia usurparetur, seu pro litis genere simili sponsionis. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei, vindicarentque ornati homines in dicendo, et graves, quibuscum tibi justo sacramento contendere non liceret. *Id. Cæcin.* 33. 97. Quum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, et Cotta decemviris religionem injecisset, non posse sacramentum nostrum justum judicari etc. *Id. Mil.* 27. 74. Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat. *Id. Dom.* 29. *ad fin.* Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent.

B) Sacramentum sæpe est jusjurandum, quod sacrum maxime habetur: item id, quod jurejurando affirmatur aut fit, et obligatio jurejurando contracta, *giuramento, sacramento,* ὅρκος, ὁρκωμόσιον.

I.) Proprie. — *a*) Præcipue dicitur de eo, quo se milites nomina dantes reipublicæ strenuam et fidelem operam daturos, et militarem disciplinam servaturos pollicentur. *Liv.* 22. 38. discrimen tradit inter sacramentum, et jusjurandum militare: illud fuisse jurationem ab ipsis militibus inter se sua voluntate factam: hoc legitimam jurisjurandi adactionem singulorum militum coram tribunis suis. quam rem tangit etiam *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. Distinguit etiam *Servius* ad 8. *Æn.* 1. inter sacramentum, et conjurationem. Sacramentum vocat legitimam militiam eorum, qui singuli jurabant pro republica se esse facturos; nec discedebant, nisi completis stipendiis: conjurationem, quum subito ad vexilla vocati, ut fiebat in tumultu, simul omnes jurabant. Formulam sive jurisjurandi, sive sacramenti ex *Cincio* recitat *Gell.* 16. 4. Erudite admodum his de rebus, et fuse disputat *Schelius in not. ad Polyb. c.* 1. *de sacram. T.* 10. *Antiquit. Rom. Grævii p.* 1172. Porro varii sunt in hac voce loquendi modi. *Cic.* 1. *Off.* 11. *a med.* Cato ad Pompilium scripsit, ut si (*filium*) pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento, quia, priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. *ad fin.* Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubet. *et ibid.* 86. *extr.* Ne quis invitus sacramentum dicere cogatur. (Sic *Liv.* 4. 53. *sub init.* Nemo invitus sacramento diceret. et *Plin.* 10. *Ep.* 38. Ut jam dixerant sacramento militari.) *Id.* 6. *B. G.* 1. Ut quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogavisset, ad signa convenire juberet. *Id.* 2. *B. C.* 32. *a med.* Ut eo neglecto sacramento, quo nunc tenemini, respiciatis illud, quod deditione ducis sublatum est. *Val. Max.* 5. 2. *n.* 2. Juventus ultro nomina sua militari sacramento obtulit. *Sueton. Ner.* 44. Citare tribus ad sacramentum. *Liv.* 4. 5. et *Tac.* 3. *Hist.* 58. *et* 1. *Ann.* 37. Sacramento milites adigere. *Id. ibid.* 42. et *Sueton. Aug.* 24. Imperatoris sacramentum detrectare. *Id. Galb.* 10. *ad fin.* mutare. *Tac.* 3. *Hist.* 42. exuere. *et* 4. *ibid.* 21. accipere. *et* 16. *Ann.* 13. *sub fin.* Ætate fessos sacramento solvere. *et* 2. *ibid.* 81. Ante idus Julias Syria omnis in eodem sacramento fuit. *h. e.* una cum exercitu in Vespasiani verba juravit. *Liv.* 28. 27. Sacramenti religionem rumpere. *Sil. It.* 10. 448. Obstringunt animas patriæ, dictataque jurant Sacramenta deis. — *b*) Extra rem militarem. *Festus p.* 344. 17. *Müll.* Sacramento dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita actum est: unde quis sacramento dicitur interrogari, quia jusjurandum interponitur. *Petron. Sat.* 117. In verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari etc. *et ibid.* 80. Sacramentum amicitiæ delere. *Horat.* 2. *Od.* 17. 9. non ego perfidum Dixi sacramentum. *Plin.* 10. *Ep.* 97. de *Christianis.* Se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committerent. *Apul.* 3. *Met. sub init.* Priusquam iste elaberetur ad gravissimum judicii vestri sacramentum, eum curavi producere. *h. e.* fidem ac religionem jurisjurandi, qua vos judices tenemini de criminibus reorum judicare.

II.) Translate. — *a*) Metonymice, qua est militiæ obligatio jurejurando contracta, ponitur pro militia, stipendiis, *servizio militare, gaggio.* *Tac.* 1. *Hist.* 5. Miles urbanus longo Cæsarum sacramento imbutus. *h. e.* qui diu sub Cæsaribus militaverat. *Juvenal.* 16. 35. Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus Sacramentorum. *h. e.* militiæ. — *Arnob.* respicit ad sacramentum militare, quum inquit 2. *p.* 45. Malunt exheredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, et salutaris militiæ sacramenta deponere. — *b*) Item, extra rem militarem, pro obligatione, vinculo, fœdere. *Petron. Sat.* 80. Sacramentum amicitiæ deleri. *Apul.* 3. *Met.* Si quod inesset mutis animalibus tacitum ac naturale sacramentum. *h. e.* consensio, conspiratio, societas, qualis est inter milites ejusdem sacramenti. *Capell.* 2. *p.* 28. Sacramenta nuptialia. *Auct. ep. Did. ad Æn.* 27. *Wernsd.* Lecti sacramenta.

C) Sacris et ecclesiasticis scriptoribus est mysterium, res sacra, signum sensibile rei sacræ latentis.

I.) Proprie. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 5. Sacramentum sacrum signum est. *Hieronym. Ep. ad Heliod.* 1. In sacramenti verba jurasti. Cf. *Lactant.* 7. 24. *Tertull. adv. Marcion.* 3. Sacramentum baptismalis. *Id. Martyr.* 3. Vocati sumus ad militiam Dei, quum in sacramenti verba respondimus. *Paulin. Nolan.* 25. *Carm.* 117. Castifico socias pia sacramenta lavacro. Adde *Prudent. Apotheos.* 355. *Vulgat. interpr. Ephes.* 5. 32. Sacramentum hoc magnum est. *h. e.* mysterium. ¶ 5. Pro ipso verbo Dei ponit *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 18. Nolite verba, quum sacramentum meum Erit canendum, providenter quærere. ¶ 6. Pro sacrificio. *Vulgat. interpr. Sap.* 12. 5. Devoratores sanguinis à me diu sacramento tuo perdere voluisti.

II.) Translate, qua est mysterium, pro re arcana, secreta. *Vulgat. interpr. Tob.* 12. 7. Sacramentum regis abscondere bonum; opera autem Dei revelare honorificum est. *Id. Apoc.* 17. 7. Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ, quæ portat eam.

SĂCRĀRĬA, æ, f. 1. *sagrestana,* sacrarii custos. *Inscript.* apud *Hier. Asquin. Pago degli Arusnati p.* 6. SALVIAE SACRARIAE XYSTVS CONSERVS (ita pro *conservus*) DE SVO DAT.

SĂCRĀRĬŬM, ii, n. 2. duo diversa significat. *A*) Sacrarium

I.) Proprie. ¶ 1. Est locus, in quo res sacræ ponuntur, *sagrestia, sacrario*, ἱερατεῖον, ἱεροφυλάκιον. *Ulp. Dig.* 1. 8. 9. Notandum est, aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus est locus consecratus: sacrarium est locus, in quo res sacræ ponuntur: quod etiam in ædificio privato esse potest: et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. *Servius* ad 12. *Æn.* 199. Sacrarium proprie locus est in templo, in quo sacra reponuntur: sicut donarium est, ubi ponuntur oblata. Apud *Ovid.* 10. *Met.* a *v.* 691. hujusmodi sacrarii descriptio habetur. Sæpiebatur secespita, h. e. repagulo, seu reticulo aeneo, in quo tubi relinquebantur, per quos sacra manibus tangere licebat, ut docet *Fest.* in *Secespita. Liv.* 7. 20. Cære sacrarium populi R. *Ovid.* 10. *Met.* 695. Hunc init (*recessum Hippomenes*), et vetito temerat sacraria probro. *Sueton. Vesp.* 5. Tensam Jovis e sacrario in domum deducere. *Isid. in reg.* c. 8. Custos sacrarii. ¶ 2. Ponitur etiam pro sacello locoque sacrato, *oratorio, cappella*, sive publicus sit, sive in privatorum ædibus constitutus. *Cic. Mil.* 31. 86. Ante ipsum sacrarium Bonæ Deæ, quod est in fundo T. Sextii Galli, primum illud vulnus accepit. *Prudent.* 5. *Cathem.* 140. Exstructoque agimus liba sacrario. *Sueton. Aug.* 5. Natus est regione Palatii, ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto post quam excessit, constitutum. *Cic.* 13. *Fam.* 2. C. Aviano Euandro, qui habitat in tuo sacrario, multum utor. *h. e.* in ea parte ædium tuarum, in qua sacrarium habes. Adde 6. *Verr.* 2. — Hinc *servus ab sacrario* est inter officia domus Augustæ in *Inscript.* apud *Murat.* 893. 6. et 909. 8. ¶ 3. Item pro interiore et sanctiore parte templi, ut adytum; et pro ipso templo. *Martial.* 7. 73. Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ. *Inscript.* apud *Orell.* 1359. FEDIMVS CONDITOR SACRARI VENERIS. et 2051. D. S. I. M. (*h. e.* deo Soli invicto Mithræ) AVGVSTI ET CAESARES SACRARIVM RESTITVERVNT. *Virg. Cir.* 154. Non umquam violata manu (*tua esse*) sacraria divæ. *h. e.* te penetrale ingressam numquam res sacras manu contrectasse. *Nepos Themist.* 8. Se in sacrarium, quod summa colebatur cæremonia, conjecit. Morem enim Græcorum fuisse apparet, ut nec foco, tamquam asylo, extrahere, nec ab ara nec a principis statua rapere liceret. ¶ 4. Hinc *sacraria* dicuntur etiam interiores silvarum recessus, diis agrestibus sacri. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 15. Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni. Cf. *Propert.* 3. 13. 47. et *Grat. Cyneg.* 484. et 534. ¶ 5. In illo *Apul.* 11. *Met.* Permixtus agmini religioso procedens comitabat sacrarium. *sacrarium est pompa sacrorum.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 2., seu 3. sumptâ. *Cic.* 1. *Cat.* 9. *sub fin.* Aquilam illam argenteam, cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, scirem esse præmissam. Adde 2. *ibid.* 6. *ad fin. Seneca* 7. *Quæst. nat.* 31. Arcana naturæ non promiscue, nec omnibus patent: reducta et in interiore sacrario clausa sunt. *Virg.* 12. *Æn.* 199. Juro Vimque deûm infernam, et duri sacraria Ditis. *Stat.* 3. *Theb.* 246. de cœlo. Arcem hanc æternam, mentis sacraria nostræ. *Propert.* 3. 23. 19. Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria condo. *Claudian. IV. consul. Honor.* 599. quæ (Victoria) divite pompa Patricii reverenda fovet sacraria cœtus. *Auson. Grat. act.* 1. In sacrario imperialis oraculi. *h. e.* cubili vel recessu, *stanza, gabinetto. Val. Max.* 6. 5. *n.* 4. Cottam in tribunatu, quasi in aliquo sacrario latentem, tribunicia inde justitia extraxit. *Symmach. Laud. in Valentinian.* (edente iterum *A. Maio*) 2. 22. Nusquam majus silentium, quam in sacrariis litterarum. *h. e.* inrhetorum scholis. ¶ 2. Metonymice pro cultu sacro, cærimoniis. *Propert.* 3. 13. 47. At nunc desertis cessant sacraria lucis. Cf. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 500.

B) Sacrarium est signum cæleste, situm ad australem plagam sub cauda Scorpii prope circulum antarcticum: quod aliis nominibus *Ara, Turibulum* et *Lar* appellatur. *V.* in ARA.

SĂCRĀRĬUS, ii, m. 2. sacrarii custos, *sagrestano, custode*, ἱεροφύλαξ. *Inscript.* apud *Gruter.* 308. 1. (*Orell.* 1304.) Q. TVLLIVS Q. F. PONTIFEX SACRARIVS IVNONIS QVIRITIS. Adde 1088. 9. et aliam apud *Murat.* 963. 3. *Marin. Frat. Arv. p.* 294. de allata vocis interpretatione subdubitat: quid vero de eadem voce ita sentiat, nihil protulit. Ceterum hanc interpretationem confirmat *Inscript. a.* 1822. effossa ad Falerios, nunc *Civita Castellana*, quæ ad tempora Trajani Aug. pertinet, et legitur apud *Kellermann. Vig. Rom. laterc. p.* 68. *n.* 253. C. NVMMIVS HOR... PONTIF. SACR. IVN. CV... (*h. e.* sacrarius Junonis Curitis, *scil.* Quiritis.) *V.* CURIS.

SĂCRĀTĒ, adverb. ¶ 1. Est sancte, religiose, *religiosamente. Augustin. Ep.* 22. *sub fin.* Aliud bene, aliud sacrate vivere. ¶ 2. Mystice. *Id.* 2. *doct. Christ.* 16. An magis sacrate accipiendus sit numerus.

SĂCRĀTĬO, ōnis, f. 3. consecratio, *consecrazione*, ἁγίερωσις. *Macrob.* ad illud *Virg.* 10. *Æn.* 419. Injecere manum Parcæ, telisque sacrarunt Euandri, 3. *Saturn.* 7. *a med.* Ex manus injectione pæne mancipium designavit: et sacrationis vocabulo observantiam divini juris implevit. *Fest.* in *Sacramento.* Sacramento dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita actum est.

SĂCRĀTOR, ōris, m. 3. qui sacrat, ut Sacrator justitiæ, *Augustin. Ep.* 140. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

SĂCRĀTUS, a, um, particip. *V.* SACRO.

SĂCRĀVĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SĂCRĀVĬENSIS, is, 3. incola regionis sacræ viæ in urbe Roma. *V.* SACER. *Festus* in *October.* De capite (*equi Octobris*) non levis contentio solebat esse inter Saburanenses et Sacravienses. Ipsa enim Sacra via etiam Sacravia dicebatur, duabus simul conflatis vocibus, ut est apud *Diomed.* 2. *p.* 401. *Putsch.* et *Charis.* 1. *p.* 6. Et ita esse volunt quidam in illo *Varron.* 1. *R. R.* 2. *ante med.* Summa sacravia, ubi poma veneunt. Et in *Inscript.* apud *Gruter.* 638. 7. M. CAEDICIVS IVCVNDVS AVRIFEX DE SACRAVIA. et 1033. 1. AEMILIA AVCTA DE SACRAV.

SĂCRES PORCI. *V.* SACER.

SĂCRĬCŎLA, æ, m. et f. 1. (sacer et colo) sacra colens, sacra faciens, ἱεροποιός. *Tac.* 3. *Hist.* 74. Domitianus apud æditum occultatus solertia liberti, lineo amictu turbæ sacricolarum immixtus. *h. e.* sacerdotum Isidis seu Isiacorum, quos *Sueton. Domit.* 1. rem eamdem narrans *sacrificulos* appellat. *V.* locum ejusd. in SACRIFICULUS. *Apul. Florid. n.* 18. *ad fin.* Sum enim non ignotus illius sacricola, nec recens cultor, nec ingratus antistes. *Macrob.* 5. *Saturn.* 19. Ad sacricolarum sagarumque carmina et devotiones fugiens. *Solin.* 1. *post init.* Quum visceratione sacricolis daret. *h. e.* omnibus, qui sacrum illud colentes sacrificio interfuerant. *Ammian.* 22. 14. Victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis. Tribuunt aliqui et *Cic.* 6. *Verr.* 50. *a med.* Urbs illa non urbs videtur, sed fanum Cereris esse: habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes sacricolæ, atque antistites Cereris esse videantur. Plerique alii leg. *accolæ.* — Per appositionem *Prudent. præf.* 1. *advers. Symmach.* 47. reges sacricolæ. *h. e.* sacrifici.

SĂCRĬFĔR, fĕra, fĕrum, adject. (sacer et fero) sacra ferens, ἱεροφόρος. *Ovid.* 4. *Fast.* 251. Quum Trojam Æneas Italos portaret in agros, Est dea (*Cybele*) sacriferas pæne secuta rates.

SĂCRĬFĬCĀLIS et Sacrificialis, e, adject. ad sacrificos et sacrificia pertinens, ἱερουργικός. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam plebem per lictores proturbat. *Apul.* 9. *Met. init.* Triclinium, in quo dominus ædium sacrificales epulas cum sacerdotibus deæ cœnitabat *Vopisc. Prob.* 5. Sacrificalis patera. *Tertull. advers. Hæret.* 40. ministeria et instrumenta. *Frontin.* 2. *de controv. agr. p.* 43. *Rudorff.* terminus. et *ibid.* palus. et *Gromat. colon.* 1. *p.* 240. ara.

SĂCRĬFĬCANS, antis, particip. *V.* SACRIFICO.

SĂCRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. *sacrificazione*, ἱερουργία, θυσία, actus et ratio sacrificandi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. In ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio, et sacrificatio extrema est.

SĂCRĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui sacrificat, θύτης. *Tertull. Spectac.* 8. *sub fin.* Si Serapeum sacrificator, et adorator intravero.

SĂCRĬFĬCĀTRIX, trīcis, f. 3. quæ sacrificat. *Inscript.* apud *Donat.* 33. 9. *de Venere.* PACATRIX (*alii leg.* ORATRIX) SERVATRIX AMATRIX SACRIFICATRIX. V. *Ignarr. de phratriis p.* 117.

SĂCRĬFĬCĀTUS, a, um, part. *V.* SACRIFICO.

SĂCRĬFĬCĀTUS, us, m. 4. sacrificatio. *Apul.* 7. *Met.* Nullum uspiam pecus sacrificatui, ac ne vinum quidem potatui habemus.

SĂCRĬFĬCĬĀLIS. *V.* SACRIFICALIS.

SĂCRĬFĬCĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* sacrificus, *sacrificulus. Varro* 6. *L. L.* 31. *Müll.* Quando rex comitiavit, fas, is dictus ab eo quod eo die rex sacrificiolus itat ad comitium. *V.* SACRIFICULUS.

SĂCRĬFĬCĬUM, ii, n. 2. (sacrifico) est res divina, sacrum, ἱερουργία, θυσία (It. *sacrifizio*; Fr. *sacrifice*; Hisp. *sacrificio*; Germ. *das Opfer*; Angl. *a sacrifice*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 73. Pontifices veteres tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti. *Id. Brut.* 14. *a med.* Sacrificium cum læna facere. *Id. Harusp. resp.* 6. *a med.* Scelere violare sacrificium, quod fit pro salute populi R. *Id.* 1. *Tusc.* 47. 113. Ad solemne et statum sacrificium curru vehi jus esset. *Liv.* 1. 28 Sacrificium lustrale parare. *Id.* 44. 37. rite perpetrare. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo, bovis trigesimo. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 57. Sacrifici genus est (sic instituere priores), Advena virgineo cæsus ut ense cadat. *Frontin.* 2. *Controv. agr. p.* 43. 5. *Rudorff.* Sacrificium abuti. *h. e.* igni consumere. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 5. Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum est. *Inscript.* apud *Orell.* 4588. OMNIBVS ANNIS SACRIficium INSTITVIT. Alii leg. *sacrum*; at cf. 4107. 4373. 4374. 4379. etc. *Vulgat. interpr. Exod.* 29. 33. Sacrificium placabile. *Id. Levit.* 6. 20. sempiternum. *Id. Dan.* 8. 12. juge. *Id. ibid.* 14. 19. pro peccato. *h. e.* pro eo quod prudenter ac scienter committitur; quum *pro delicto* sit pro eo quod ignoranter fit. Alii tamen aliter interpr. V. *Ackermann. op. cit. Id. Num.* 7. 17. pacificorum. *h. e.* pro pace et salute obtenta, vel obtinenda. *Id. ibid.* 5. 15. zelotypiæ. *Id.* 4. *Reg.* 16. 15. vespertinum. *Id. Num.* 28. 8. et *Levit.* 2. 4. offerre. *Id. Judic.* 6. 18. portare. *Id.* 1. *Par.* 16. 29. tollere. *Id. Psalm.* 4. 6. sacrificare etc. — *b*) In plur. num. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Sacrificia publica ac privata procurare. *Id. ibid.* 16. publice habere. *Id. ibid.* 12. Interdicere sacrificiis. *Id. ibid.* 21. studere. *Cic.* 6. *Verr.* 57. *extr.* Sacrificiis anniversariis Deum colere. *Id.* 5. *Phil.* 9. 24. Neque sacrificiis solemnibus factis, neque votis nuncupatis profugit. *Liv.* 36. 1. Ea omnia sacrificia læta fuerunt. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 12. Sacrificiis publicis aptati. *Id.* 12. *ibid.* 18. *ante med.* Sacrificia Libero Liberæque quam sanctissime castissimeque facienda. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *Peter.* (Romulum) communicato regno cum Tito Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adjecisse commemorant. — Rex sacrificiorum *V.* in REX.

II.) Translate. — *a*) Metonymice. *Schol.* in *Juvenal.* 12. 14. Sacrificia occidere. *Vulgat. interpr. Ezech.* 46. 20. coquere. *Id. Psalm.* 105. 28. comedere. — *b*) *Sacrificium laudis* apud *Vulgat. interpr. Psalm.* 49. 15. est cultus et laus Deo tributa, piæ mentis adoratio. Cf. *eumd. Os.* 11. 3.

SĂCRĬFĬCO et Sacrufico, as, āvi, ātum, āre,

1. (sacrum *et* facio). *Olim deponentis forma* Sacrificor, āris, ātus sum, ari. *Varro* apud *Non. p.* 480. 2. *Merc.* Viri nuptis sacrificabantur in cubiculo viduæ. Adde alia duo loca *ejusd. ibid.* et 2. *R. R.* 8. *Gell.* 18. 12. Hinc Particip. *sacrificatus*, qui sacrificavit. quod negat *Varro* 9. *L. L.* 105. *Müll.* recte dici: ut et *sacrificandus*. Nihilominus apud *Cyprian. Ep.* 52. dicuntur *sacrificati*, qui, Christianam religionem professi, metu persecutorum, diis sacrificaverant. — Particip. *Sacrificans* sub *A.* I. *a.* et *b.*; *Sacrificatus* sub *A.* I. *c.* et *B.* I. *b.*; *Sacrificaturus* sub *A.* I. *a.* — Sacrifico est sacrum facio diis quippiam offerendo, aut victimam cædendo rem divinam facio, θύω (It. *sacrificare;* Fr. *sacrifier, offrir un sacrifice;* Hisp. *sacrificar;* Germ. *e. Opfer bereiten, bringen, opfern;* Angl. *to sacrifice, offer or perform sacrifice*); usurpatur autem

A) Neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 107. Noctu sacrificatum ire. Adde *eumd. Rud.* 4. 7. 37. et *Mil. glor.* 3. 1. 117. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. Principem in sacrificando Janum esse voluerunt. *Liv.* 25. 1. Mulierum turba erat nec sacrificantium, nec precantium patrio more. Adde *eumd.* 44. 14. *Nepos Hannib.* 2. Ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat. *Sueton. Aug.* 14. Circa Perusinum murum sacrificans. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 105. 109. (235). Sacrificatura ad aras accesserat. — *Sacrifico* et *sacrificium facio* differre videntur in *Inscript.* apud *Fabrett.* 7. 29. IN EO MON. ITV (sc. monumento ita) ACTU AMBI*tu* INLATOS MORTUOS MORTU*ave* INFERRE CORON*are* SACRIFI*care* SACRIFI*cium* FAC*ere* EI. — *b*) Cum Dativo. *Enn. p.* 41. 278. *Vahl.* Pœni suos soliti dis sacrificare puellos. *Plaut. Most.* 1. 3. 4. Si summo Jovi vivo argento sacrufi-cassem. *Id. Epid.* 2. 1. 7. Uxoris quoties sepulcrum vides, sacruficas illico Orco hostiis. *Id. Amph.* 4. 2. 14. MERC. Sacrufico ego tibi. AMPH. qui? MERC. quia enim te macto infortunio. *h. e.* diis sacra facio, quæ tibi malum inferant: in tuum cruciatum victimas cædo. *Ovid.* 3. *Fast.* 850. Admonet et forti sacrificare deæ. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 407. Sciendum sacrificantes diis omnibus caput celare consuetos, excepto Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Eadem tradit *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. — *c*) Cum Accus. et præpos. *ad. Plin.* 7. *Hist. nat.* 47. 48. (152). Ad eum jussisse sacrificare, quod et vivo factitatum et mortuo. *Sillig.* rectius leg. *sacrificari.* — *d*) Passive impersonaliter. *Liv.* 27. 10. A matronis sacrificatum (est). *Plin.* 2. *Hist. nat.* 5. 9. (65). Diva Angerona, cui sacrificatur a. d. XII. cal. Januar. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (25). Emortuo carbone sacrificatur. Adde 7. *ibid. loc. supra cit.* — *e*) Deponentis formâ *V.* exempla init. adlata.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Psalm.* 53. 6. Voluntarie sacrificabo tibi. *h.* e. sacrificia cordis et voluntatis, vel laudis. Alii tamen *h. l.* proprie interpretantur.

B) Transitive.

I.) Proprie. — *a*) Formâ activâ. *Varro* 5. *L. L.* 26. *Müll.* In sacrificando deis hoc poculo magistratus dat deo vinum. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 3. Quive ullum turis granum sacrificaverit. *Fest.* in *Sacrima.* Mustum sacrificare Libero. *Ovid.* 4. *Fast.* 414. ignavam sacrificate suem. *Plaut. Stich.* 1. 3. 97. Quot agnis fecerat? CRO. illa quidem nullum sacrificavit. *Liv.* 45. 1. Sacrificare lustra Apollini. *Id.* 41. 18. pecora. — *b*) Formâ passiva. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 39. (151). Ætitæ lapides gravidis adalligati mulieribus vel quadripedibus pelliculis sacrificatorum animalium continent partus.

II.) Translate. In *suppos. Plaut. Amph. scœna quæ incipit:* Tun' me mactes, in *fin.* et *alia quæ incipit:* Quis tam vasto, v. 17. *sacrificare aliquem* est malo afficere, mactare infortunio, vel etiam cædere, occidere. *Vulgat. interpr. Psalm.* 106. 22. Sacrificent sacrificium laudis.

Homonym. Inter *sacrificare* et *litare*, ut ait *Nonius p.* 424. 17. *Merc.*, hoc interest: *sacrificare* est veniam petere: *litare* est propitiare et votum impetrare Virg. Æn. 4. Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis, id est impetratis. Plautus in Pœnulo: Si hercle istuc umquam factum est, tum me Jupiter Faciat, ut semper sacrificem, neque umquam litem. Ita *Nonius.* Et *Lactant.* ad *Stat.* 10. *Theb.* 610. *Sacrificare* est hostias immolare, *litare* vero post immolationem hostiarum impetrare quod postules. *V.* LITO init.

SĂCRĬFĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sacrificus, sacerdos vilis et vanæ superstitionis, ut ipsa deminutiva vox indicat, ἱεροποιός. *Liv.* 25. 1. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes. Cf. 4. 30. *Sueton. Domit.* 1. Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis latuit. V. *Taciti loc. adl.* in SACRICOLA. — Rex sacrificulus (Cf. SACRIFICIOLUS.), rex sacrorum. *Festus p.* 318. 29. *Müll.* Sacrificulus rex appellatur, qui ea sacra, quæ facere reges sueverant, facit: primus memoratur post reges exactos Sulpicius Cornutus. (*V.* REX.) et Vates sacrificulus *Liv.* 35. 48. ubi alii aliter leg.

SĂCRĬFĬCUS, a, um, adject. (sacrifico) ¶ 1. Est sacra faciens, ἱεροποιός. *Ovid.* 6. *Fast.* 803. Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco. *h. e.* qui sacrorum potissimum curam habuit, ut est apud *Liv.* 1. 32. Idem epitheton Numæ tribuit *Lucan.* 9. 478. ob eamdem rationem. V. *Liv.* 1. 19. ¶ 2. Item ad sacrificia pertinens, sacerdotalis. *Ovid.* 13. *Met.* 590. Dies sacrifici. *h. e.* festi, et in quibus sacrificia fiunt. *et* 15. *ibid.* 483. Docere aliquem ritus sacrificos. *et* 12. *ibid.* 249. qui candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. *Sil. It.* 3. 27. Vestis sacrifica. *Seneca Agam.* 584. tibia. *Id. Med.* 38. preces. *Val. Flacc.* 8. 243. aræ. Adde 4. 110., ubi *sacrificum jugum* dicit montem, in quo Amycus mactabat homines, sacrificium Neptuno patri. *Ovid.* 1. *Fast.* 129. modo namque Patulcius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor. *h. e.* lingua sacerdotum. *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 199. *Burmann.* de *Mucio Scœvola.* Sacrifico propriam concremat igne manum. *h. e.* igne ad sacrificium parato. — Hinc

Sacrificus, i, m. 3. absolute, per appositionem, ut Rex sacrificus (Cf. SACRIFICULUS.), rex sacrorum. *V.* REX. *Liv.* 40. 42. *circa med.* De rege sacrifico, sufficiendo in locum Dolabellæ, contentio fuit. (Huc commode traxeris *locc. init. cit.* ex *Ovid.*, *Liv.* et *Lucan.*)

SĂCRĬLĔGĒ, adverb. (sacrilegus) *sacrilegamente,* ἱεροσύλως, impie. *Tertull. Apolog.* 12. Contumeliosissime, et in ipso opere sacrilege.

SĂCRĬLĔGĬUM, ii, n. 2. (sacrilegus) ¶ 1. Stricto sensu est furtum rei sacræ, aut ex sacro, ut *Quintil.* 7. 3. 10. definit, ἱεροσυλία (It. *furto sacrilego, sacrilegio;* Fr. *pillage d'un temple, vol dans un temple, sacrilège;* Hisp. *hurto sacrilego, sacrilegio;* Germ. *d. Tempelraub;* Angl. *the crime of stealing or robbing sacred things, sacrilege*). *Quintil. loc. adl.* Rem sacram de templo surripere sacrilegium est. *et* 5. 10. 39. Privatam pecuniam sustulisti: verum quia de templo, non furtum sed sacrilegium est. *Capell.* 5. *p.* 146. Objectus: pocula templi e sacerdotis domo furatus es, sacrilegium fecisti; repellitur: pocula quidem abstuli, sed quia de domo, non de templo, furtum, non sacrilegium nuncupandum. *Phædr.* 4. 10. Fur onustus sacrilegio. *Liv.* 42. 3. Sacrilegium prohibere. *h. e.* ne tegulæ de Junonis æde tollerentur. *Quintil.* 5. 10. 39. facere. *Id.* 4. 2. 8. admittere. *Id.* 5. 14. 11. *et Justin.* 32. 2. 1. committere. *et* 1. 9. 8. perpetrare. *et* 8. 1. *extr.* Sacrilegii pœnas luere sanguine. *Liv.* 4. 20. Prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Cæsarem subtrahere testem. *Curt.* 4. 3. 23. Sacrilegium verius quam sacrum fecisse. *Sueton. Cæs.* 54. Rapinis ac sacrilegiis et onera bellorum ac munerum sustinuit impendia. ¶ 2. Latiore sensu est quævis religionum violatio. *Nepos Alcib.* 6. *a med.* Damnare aliquem sacrilegii. *h. e.* quod sacra Cereris violaverit. *Seneca Vit. beat.* 27. Quum in cælum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. *Flor.* 2. 17. *a med.* Non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit. *Apul. Trismeg.* 41. Hoc enim sacrilegis (*h. e.* sacrilegiis) simile. *Alii leg.* sacrilegi. *Augustin.* 2. *contra Donat.* 96. Crimen schismatis, a quo immanissimo sacrilegio nemo vestrum se potest dicere immunem. et *Inscript.* apud *Orell.* 2633. TERRENVM SACRATVM IN QVO CONDITA EST FODERE NOLI NE SACRILEGIVM COMMITTAS.

SĂCRĬLĔGO, as, are, n. 1. sacrilegium perpetro. *Gloss. Gr. Lat.* Ἱεροσυλῶ, sacrilego.

SĂCRĬLĔGUS, a, um, adject. (sacrum *et* lego) Sup. *Sacrilegissimus* — Sacrilegus ¶ 1. Stricto sensu est qui sacra legit, *h. e.* furatur (Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 117. Qui nocturnus sacra divûm legerit.), θεοσύλης, ἱερόσυλος (It. *sacrilego;* Fr. *qui vole des objets sacrés, sacrilège;* Hisp. *sacrilego;* Germ. *tempelräuberisch;* Angl. *guilty of stealing sacred things, sacrilegious*). *Liv.* 29. 18. Ausi sunt sacrilegas admovere manus intactis illis thesauris. ¶ 2. Latiore sensu, quicumque sacrorum violator, vel generatim impius, scelestus. *Tibull.* 3. 55. 11. sacrilegos templis admovimus ignes. *Ovid.* 14. *Met.* 539. Irrita sacrilega jactas incendia dextra. *h. e.* in naves sacras Matris Idææ. *Id. Remed. am.* 367. Sacrilegæ linguæ. *h. e.* eorum, qui pio Æneæ maledixere. *Id.* 3. *Fast.* 700. manus. *h. e.* eorum, qui occiderunt C. Cæsarem. Sic *manus sacrilegæ* apud *eumd.* 1. *Amor.* 7. 28. sunt quæ dominam verberarunt. *Martial.* 9. 71. Sacrilegum strueret cum Catilina nefas. *h. e.* conjurationem pararet in patriam. *et ibid.* 86. Sacrilegi furores. *h. e.* ejus, qui movit bellum civile: qua de re *Sueton. Domit.* 6., ubi de L. Antonio Saturnino. *et Sall. Cat.* 14. Parricidæ sacrilegi. Rursus *Martial.* 4. 30. Hami sacrilegi. *h. e.* qui piscibus sacris injiciuntur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 435. sacrilegas meretricum ut prosequar artes. *Plaut. Rud.* 3. 4. 1. hominum sacrilegissume. *Val. Max.* 8. 11. *n.* 4. *extern.* Sacrilega cupiditas. *voglia bestiale.* — Hinc

Sacrilega, æ, f. 1. et *Sacrilegus, i,* m. 2. absolute. ¶ 1. Stricto sensu, sacrorum fur. *Ter. Eun.* 5. 1. 13. quid ais, sacrilega? Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 41. *Cic.* 2. *Legg.* 16. 40. Sacrilego pœna est: neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. *Seneca* 2. *Ira* 28. *a med.* Homicidæ tyrannus irascitur, et punit furta sacrilegus. *Quintil.* 9. 4. 23. Cavendum ne fortiori subjungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur. *Cic.* 3. *Verr.* 3. 9. Non sacrilegus, sed hostis sacrorum. *Nepos Ages.* 4. Mirari se non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus (deorum) nocuissent. ¶ 2. Latiore sensu, sacrorum violator, impius, scelestus. — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 129. parricida, sacrilege. *Ter. Eun.* 5. 3. 13. hunc perterrebo sacrilegum. *Id. ibid.* 5. 3. 2. qui referam illi sacrilego gratiam, Qui hunc supposuit nobis. *Ovid.* 8. *Met.* 816. protinus intrat Sacrilegi thalamus (*Fames*). Adde *eumd. ibid.* 793., *Juvenal.* 13. 150. et *Sall. Cat.* 14. — *b*) Cum Genetivo. *Ammian.* 19. 4. 6. Sacrilegus violati templi. *Imp. Constantin. Cod.* 9. 9. 30. Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet. *h. e.* adulteros.

SĂCRĬMA appellabant, inquit *Paul. Diac. p.* 319. 1. *Müll.*, mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis, et vasis, et ipso vino conservandis; sicut præmetium de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri. Cf. *Fest. p.* 318. 23. *Müll. Gloss. Philox.* Sacrima, ἀπαρχὴ γλεύκους. *Id. Fest.* in *fragm.* Sacrificium, quod pro uvis primis fieret, appellabatur ab antiquis sacrima. Est autem, ut Ælius Stilo, et Cloatius dicunt, mustum inditum in amphoram Liberalibus (Meditrinalibus *Müll.*), sacrificii causa, pro uvis et vino, quæ quasi sacra sunt, quum Libero fit; ut præmetium, quum Cereri.

SĂCRĬMENSIS, is, m. 3. (sacer *et* mensis) festum ineuntis mensis. *Gloss. Cyrill.* Ἱερομηνία, sacrimensis.

SĂCRĬMŌNĬUM, ii, n. 2. idem ac sacerdotium *Gloss. Lat. Gr.* Sacrimonium, ἱερωσύνη.

SĂCRIS, e. *V.* SACER.

SACRĬUM, vox Scythica succinum significans. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (40). Alii aliter leg.

SĂCRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sacer). Quod ad scriptionem attinet, *Mar. Victorin. p.* 10. 6. *Keil.* hæc habet: Sacratum debet scribi, non secratum: sacratum autem in compositione consecratum facit. et *Priscian. p.* 438. 19. sacro consecro. At *V.* CONSECRO init. — Particip. *Sacratus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Sacrandus* I. 1. 1.° *a.* et II. 1. *a.* — Sacro est diis dedico, vel consecro, sacrum reddo, ἱερόω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) In bonam partem. — *a*) Absolute. *Virg.* 5. *Æn.* 48. divinique ossa parentis Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras. *et* 4. *ibid.* 200. Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem. *Id.* 6. *ibid.* 73. sacrare viros. *h. e.* sacerdotes facere: et loquitur de quindecimviris libris Sibyllinis inspiciendis. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Ne quis agrum consecrato: auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. *Curt.* 3. 3. 16. Inter hæc auream aquilam pinnis extendenti similem sacraverant. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 23. (81). In quo (templo) Helena sacravit calicem ex electro. *Virg.* 12. *Æn.* 213. tum rite sacratas In flammam jugulant pecudes. *Id.* 2. *ibid.* 165. Sacratum templum. *Ovid.* 15. *Met.* 55. humus. *Id.* 4. *Pont.* 14. 55. Tempora sacrata mea sunt velata corona. — *b*) Cum Dativo personæ, cui aliquid sacratur. *Virg.* 7. *Æn.* 62. sacrare taurum Phœbo. *Ovid.* 3. *Art. am.* 389. Visite laurifero sacrata palatia Phœbo. *Martial.* 9. 17. Pergameo posuit dona sacrata deo. *Sueton. Tib.* 53. Capitolino Jovi domum ex auro sacrare. *Id. Vespas.* 5. Quercus sacrata Marti. — Hinc *sacrata* etiam dicebatur mulier, quæ honori alicujus numinis dedicabatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 309. 3. FABIAE ACONIAE C, F. VXORI VETTII PRAETEXTATI V. C, PRAEF. ET CONSVLIS DESIGNATI SACRATAE APVD ELEVSINAM DEO BACCHO CERERI ET CORAE. — Ita etiam vocatæ sunt apud Christianos virgines Deo devotæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 1055. 2. VIRGO SACRATA DEO MANLIA DAEDALIA. Adde *Orell.* 2361. *Ammian.* 18. 10. *ad fin.* Sapor Parthorum rex inventas quoque virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas, et religioni servire solito more, nullo vetante, præcepit. — Et absolute *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 301. Corals sacratas virgines. — 2.°) In malam partem. *Liv.* 2. 8. Sacrare cum bonis caput ejus, qui regni occupandi consilia inisset. *V.* SACER. *Id.* 10. 38. Sacrare caput Jovi. ¶ 2. Speciatim *sacrare aliquem* est inter deos referre, deum facere. *Vellej.* 2. 126. 1. Sacravit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione: non appellavit sed fecit deum. *Spartian. Sever.* 7. Funus censorium Pertinacis imagini duxit, eumque inter divos sacravit, addito flamine etc. *Cf. Lamprid. Alex. Sev.* 7. et *Virg.* 12. *Æn.* 141. *V.* infra. ¶ 3. Item *sacrare votum*, dedicare templum diis, quod quis voverat. *Virg.* 8. *Æn.* 714. At Cæsar triplici invectus Romana triumpho Mœnia, dis Italis votum immortale sacravit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. — *a*) In bonam partem. *Virg.* 12. *Æn.* 140. hunc illi rex ætheris altus honorem Juppiter erepta pro virginitate sacravit. *h. e.* dedit, attribuit, proprium dicavit, quemadmodum dantur diis, quæ consecrantur. Possis etiam hypallagen hic agnoscere, videlicet, hoc honore Juppiter eam sacravit, *h. e.* sacram, deam facit. *Ovid.* 2. *Trist.* 552. Et tibi sacratum sors mea rupit opus. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 22. Quod patriæ vocis studiis nobisque sacrasti. *Martial.* 1. 117. Hoc nemus æterno cinerum sacravit honore Fænius. *h. e.* extructo sepulcro religiosum fecit. *Liv.* 8. 6. Haud frustra te patrem deûm hominumque hac sede sacravimus. *h. e.* sacrum colendumque fecimus. *Ovid.* 15. *Met.* 16. Sacrata Vesta. *Liv.* 38. 33. Sacrare fœdus. *h. e.* per sacra et jusjurandum sancire. *Seneca* 3. *Benef.* 11. Parentum condicionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli. *assicurare, guarentire.* et *Cic. Balb.* 15. 33. Sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione et consecratione legis, aut pœnæ, quum caput ejus, qui contra facit, consecratur. — Hinc *sacratæ leges* sunt, quibus sanctum est, ut qui adversus eas fecerit, sacer alicui deo sit cum familia et pecunia. Ita *Festus.* Hujusmodi fuerunt, quas scivit plebs jurata in monte sacro, quum secessisset a patribus, ut narrat *Liv.* 2. 33., ut plebi sui magistratus sacrosancti essent, quibus auxilii latio adversus consules esset: neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Aliæ etiam fuere, ne de capite civis R. nisi centuriatis comitiis agi posset: ne privilegia irrogari liceret. Hujusmodi fuit etiam lex militaris; ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: lata ob secessionem militum, dictatore M. Valerio Corvo, ut *Liv.* 7. 41. refert. Etiam alii populi suas leges sacratas habuere, ut Volsci et Æqui, apud *eumd.* 4. 26. Ligures, 36. 38. et Samnites, apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (43), de quibus *Liv.* 10. 38. legendus est. *Cic. Sext.* 7. 16. Tetra, immanisque bellua constricta legum sacratarum catenis. *Id. Dom.* 17. 43. Vetant leges sacratæ, vetant XII. Tabulæ, leges privatis hominibus irrogari. id est enim privilegium. Adde 3. *Off.* 31. 111. et *fragm. pro C. Cornel. majest. reo* apud *Ascon.* et ipsum *Ascon. ibid.* et *Liv.* 2. 54. *sub fin.* — Lata significatione *sacratæ* dicuntur quæcumque leges sanctiores et graviores. *Virg.* 2. *Æn.* 457. Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura. *Gell.* 12. 4. Pro antiquis sacratisque amicitiæ legibus. — *b*) In malam partem. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 49. Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit. *h. e.* e vivis sustulit, et ad Manes misit, qui sacri sunt. *Virg.* 10. *Æn.* 419. Injecere manum Parcæ, telisque sacrarunt Euandri. *h. e.* destinarunt tamquam sacrum hominem, et diis mactandum. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Horat.* 1. *Od.* 26. 11. Hunc Lesbio sacrare plectro Teque tuasque decet sorores. *consacrare all'immortalità.* et *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 64, avum - Sacrarunt aliqua carmina parte tuum. *Liv.* 39. 40. Vivit eloquentia ejus (Catonis) sacrata scriptis omnis generis. — Hinc Particip. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Sacratus, a, um, adjective quoque occurrit. Comp. *Sacratior;* Sup. *Sacratissimus.* — Sacratus est sacer, sanctus, venerandus, inviolatus. *Virg.* 2. *Æn.* 157. sacrata jura Grajorum. et *Ovid.* 10. *Met.* 321. parentum. *Id.* 1. *Fast.* 640. sacrata manus *Id.* 2. *ibid.* 60. dux. *Virg.* 2. *Æn.* 165. templum. *et* 3. *ibid.* 371. caput. *Sall. hist. fragm. p.* 184. *Kritz.* corpora. *h. e.* hominum diis sacrorum, sacerdotum. *Liv.* 9. 4. milites. *Capitol. Gord.* 14. nomen. *Tibull.* 1. 5. 42. dare sacratis oscula liminibus. *Macrob.* 3. *Saturn.* 7. *ad fin.* Animas sacratorum hominum diis debitas æstimabant. *h. e.* sacrorum. *V.* in SACER. *Martial.* 4. 1. Cæsaris alma dies, et luce sacratior illa, Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem. *Sil. It.* 8. 228. numen nullum sacratius. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 95. (249) Nihil habent Druidæ visco et arbore, in qua gignatur, sacratius. *Id.* 3. *ibid.* 4. 24. (82). Numen gentibus illis sacratissimum. *Id.* 37. *ibid.* 10. 60. (167). Inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas Hammonis cornu. *Ammian.* 27. 3 3. Sacratissima urbs. *h. e.* Roma. *Trebell. Poll. trig. tyr.* 32 feminæ. *Spartian. Sever.* 23. simulacrum. *h. e.* Fortuna. *Cajus Dig.* 38. 17. 9. Sacratissimi principis nostri oratione cavetur. *Mamertin. Paneg. ad Maximian.* 1. et *Genethl.* 6. Sacratissime imperator. *Sidon.* 7. *Ep.* 6. Sacratissimi pontifices.

SĂCRŎSANCTUS, a, um, adject. pro *sacrisanctus*, ut monet *Döderlein. op. cit. v.* 6. *p.* 312. Tmesis est in illo *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (143). Sacroque sanctus. — Sacrosanctus, *sacrosanto*, ἐκτεθεισαμένος, inviolabilis, intactus, ab omni injuria tutus: a *sacer*, et *sanctus*, quia sancitum esset, ut sacer haberetur, qui violasset, quod sancitum erat. Sacrosanctum aliquid fiebat tum religione, tum lege: religione quidem, quia certis ad hoc cæremoniis opus erat: lege autem, quia hac sanciebatur, ut sacer esset, qui sacrum violasset, sive nocuisset, cui hac lege cautum erat. Sanciebatur autem vel a sola plebe, vel a patriciis et plebe simul. Nec sanciebatur, nisi intercedente juramento, quemadmodum *Festus* docet. Erat autem juramentum tale, legem se perpetuo observaturos, addebaturque exsecratio, ut qui legi parerent, ita deos superos inferosque propitios haberent; qui non parerent, infestos.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Balb.* 14. 33. Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompejo a Gellio, et a Lentulo Coss. lata est, in qua aliquid sacrosanctum videretur? Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsque sanxisset. Adde *ibid.* 32. ¶ 2. Speciatim apud Romanos tribuni plebis inprimis sacrosancti fuere, idest eos nemo lædere poterat sine capitali piaculo. *Fest. p.* 318. 1. *Müll.* Sacrosanctum dicitur, quod jurejurando interposito est institutum; si quis id violasset, ut morte pœnas penderet: cujus generis sunt tribuni plebis ædilesque ejusdem ordinis: quod adfirmat M. Cato in ea, quam scripsit, ædiles plebis sacrosanctos esse. *Liv.* 3. 55. Et quum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur (cujus rei prope jam memoria aboleverat) relatis quibusdam ex magno intervallo cæremoniis, renovarunt, et quum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris, Liberis Liberæque venum iret. Hac lege juris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum, qui eorum cuipiam nocuerit, sacrum sanciri. (*V.* SACER.) Hæc *Livius. Id.* 9. 9. Dedetis et istos sacrosanctos, quum primum magistratu abierint. *Plinius* ipsos tribunos *sacrosanctos* dicit *loc. cit.* Quum resistendi, sacroque sanctum repellendi jus non esset. Ex his habemus, *sacrosanctum* dici duplici ratione, tum eum, qui tribunum, ædilem etc. violaverit, ut est apud *Livium;* tum ipsum tribunum, ædilem etc., ut est apud *Plinium,* per quamdam metonymiam. *Cf. Cic. fragm. or. pro Sull.* 20. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 355. Ille mihi recitavit legem antiquam de legib sacratis, quæ jubent impune occidi eum, qui tribunum plebis pulsaverit.

II.) Translate *sacrosanctum* dicitur quidquid violari nefas est. *Cic.* 2. *Cat.* 8. 18. Sacrosanctæ possessiones. *Tac.* 4. *Ann.* 30. Ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat. *Plin.* 7. *Ep.* 11. Corelliam diligo, ut sororem Corellii Rufi, cujus mihi memoria sacrosancta est. *Val. Max.* 5. 3. *in fin.* Œdipodis ossa honore aræ decorata, quasi sacrosancta colis. *Apul.* 5. *Met.* Sacrosancta imago. *Id.* 11. *ibid.* civitas. *h. e.* Roma. *Id. ibid.* collegium. *h. e.* sacerdotum Pastophorûm. Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 10.

SĂCRŬFĬCO, as. *V.* SACRIFICO.

SĂCRUM, i. *V.* SACER.

SĂCŬLUS, i. *V.* SACCULUS.

SÆCLUM, i. *V.* SÆCULUM.

SÆCŬLĀRIS, e, adject. Sunt qui scribunt *Secularis. V.* SÆCULUM. — Sæcularis

I.) Proprie est ad sæculum pertinens, qua certum annorum spatium significat. Hinc speciatim *Ludi sæculares,* qui a Romanis centesimo quoque anno celebrabantur pro incolumitate populi et reipublicæ. *Festus p.* 329. 1. *Müll.* Sæculares ludi Tarquinii Superbi regis in agro facti sunt, ex quo eum Marti consecravit P. Valerius Poplicola Cos., quod populus R. in loco eo antea sacra fecerat et aram quoque diti ac Proserpinæ consecraverat, in extremo Martio Campo, quod Terentum (al. *Terentium*) appellatur, demissam infra terram pedes fere viginti (V. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 5.), in qua pro malis avertendis populus R. sacra facere solitus erat. Centesimo secundo et nonagesimo anno abhinc ii ludi instaurati sunt Popillio Lænate consule, quum populus R. hostiis furvis est operatus tribus diebus totidemque noctibus. Ac deinde institutum est, centum post annos ut denuo fierent ii ludi, unde sæculares appellati, quod centum annorum spa-

tium sæculi habetur. Hæc *Festus*. Originem et causam horum ludorum ad miraculum refert *Val. Max. loc. cit.*, quod ibi fuse persequitur. Quod vero centesimo quoque anno fierent, præter *Festum* docet *Censorin. de die nat.* 17. adlatis fragmentis *Varronis* et *Livii*. Alii tamen apud *eumd. ibid.*, scilicet Commentarii quindecimvirorum, et D. Augusti edicta, ostendunt, post centesimum decimum annum esse factos: unde *Horat. Carm. sæcul.* 21. Certus undenos decies per annos Orbis ut cantus referatque ludos, Ter die claro, totiensque grata Nocte frequentes. Quare *Censorin.* rem incertam esse ait, sicut incertum est, quot annorum spatio sæculum definiretur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. *sub fin.* Minus miror, Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque sæcularibus ludis saltasse, et D. Augusti, et quos Claudius Cæsar consulatu suo quarto fecit, quando sexaginta tres non amplius anni interfuere. *Sueton. Claud.* 21. Fecit et sæculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos. Quare vox præconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: quum superessent adhuc qui spectaverant, et quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Hæc *Sueton.* Ceterum quo anno fuerint celebrati, et quot fuerint ludi sæculares, *V.* apud *Cavedoni Sagg. di Medagl. p.* 190. — Hinc *Sæculare carmen*, quod sæcularibus ludis cani consuevit a selectis pueris et puellis: quale habemus ab *Horatio* compositum post *Epod.*

II.) Metonymice, *sæcularis* est ad sæculum pertinens, qua significat mundum, vel hominum vitam, mores, disciplinam; usurpatur autem hoc sensu ab Ecclesiasticis scriptoribus, et est ¶ 1. Profanus, mundanus, ethnicus. *Sedul. init. conc. post ep.* 9. *l.* 7. Historia sæcularis. *Tertull. Exhort. ad castit.* 13. *sub fin.* Feminæ quædam sæculares. *h. e.* Dido et Lucretia. *et ibid. init.* Sæcularia exempla. *Sedul. ep. ad Macedon.* studia. *Vulgat. interpr. Hebr.* 9. 1. Sanctum sæculare. *h. e.* terrenum, κοσμικόν. Rursus *Tertull. Cor. mil.* 7. Litteræ sæculares. — Neutr. plur. absolute. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 6. 3. Quanto magis (judicabimus) sæcularia. *h. e.* res sæculares, terrenas. Adde *Commodian. loc. cit.* in v. SÆCULUM init. ¶ 2. Item qui nullo clericali ordine est insignitus, quique etiam num ab Italis *secolare* dicitur, et presbytero, seu monacho opponitur. *Hieronym. Ep.* 60. *n.* 11. Sint ditiores monachi, quam sæculares: suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. ¶ 3. *Ante tempora sæcularia* apud *Vulgat. interpr.* 2. *Tim.* 1. 9. est idem quod ante sæcula, vel ante mundi creationem, ab æterno.

SÆCŬLĀRĬTER, adverb. *secolarescamente*, in morem sæculi. *Cyprian.* 3. *Testimon.* 36. Mulierem ornari sæculariter non debere. Adde *Augustin. Ep.* 25.

SÆCŬLĀRĬUS, a, um, adject. idem ac sæcularis. *Alcim. Ep.* 1. *ante med.* Genus hoc nominis etiam in sæculariis auctoribus invenietis. At *Quicherat.* de vocabulo dubitat, etsi duplex sæpe est in talibus declinatio; miratur autem quod *sæcularius* non alibi reperiatur. *Georger.* laudat *Eustath.* 3. *Hexaem.* 3. ubi *sæcularius* absolute occurrit.

SÆCŬLUM, *et poetice per syncop.* Sæclum, i, n. 2. Sunt qui scrib. *seculum* sine diphthongo, quos probant *Jun.* ad *Tertull. Pall.* 1. et *Dausqu.* in *Orthogr.* tum ex notatione, quod sit, non quidem a *sene*, ut vult *Varro*, sed vel a *sequor*, vel a *seco*, unde *secius* et *sexus*. tum quod quidam Græci scriptores σέκουλα scripserint. Sed multo graviora sunt argumenta diphthongum asserentium, nummi multorum Cæsarum, veteres Lapides apud *Gruter.*, *Spon.* et *Orell.*, veteres libri et *Virgil. Carpensis* apud *Manut.*, *Cellar.* et *Pier.* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 46., quos non sequi religio est, et *Commodian.* 22., cujus lemma est *hebetudo sæculi:* hæc enim lectio confirmatur ex initialibus litteris cujusque ex quindecim versibus, quæ acrostichidis more duas illas voces repræsentant. Adde 43. et 57. *Id.* tamen malus prosodiæ auctor, et scriptor barbarus parum sibi constans hæc habet 69. Redditur in culpa pastor secularia servans. V. etiam *Brambach.*, *d. Neugestalt. d. Lat. Orthogr.* — Sæculum, quod ab eodem them. ducitur, unde ἀεί, αἰών, *ævum*, vel probabilius a them. *sa* (V. *Bücheler.*, de *Art. voc. Lucret. p.* 57.), unde Græc. σάω, et Lat. *sero*, *semen* etc., fere eadem ratione ac *periculum* a *perio*, *obstaculum* ab *obsto*, aliaque id genus,

I.) Proprie est natio, genus, ac soboles, γένος, γενεά, et dicitur tam de hominibus quam de brutis animantibus. (Cf. *Hom. Il.* 6. 146. οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.) — *a*) In sing. num. *Lucret.* 4. 1220. Et muliebre oritur patrio de semine sæclum. *et* 2. 1077. cujusque sient sæcli. — *b*) Sæpius in plur. num. *Id.* 5. 864. Lanigeræque simul pecudes et bucera sæcla. *et* 3. 754. fera sæcla ferarum. *et* 2. 502. sæcla pavonum. *et* 5. 1083. cornicum sæcla vetusta. *et* 1. 467. *et* 5. 340. sæcla hominum. *et* 6. 722. et 1107. Nigra virûm, percoctaque sæcla calore. *et* 3. 630. scriptorum sæcla priorum. *h. e.* antiqui scriptores. *Id.* 1. 202. Multaque vivendo vitalia vincere sæcla. *molti animali.* et *ibid.* 1090. *et* 5. 789. et 986. e terra vesci mortalia sæcla. *et* 1. 20. et 2. 173. Propagare sæcla. *et* 5. 850. Ut propagando possint procudere sæcla.

II.) Translate *sæculum* est ¶ 1. Spatium temporis, quo una generatio vivit, ætas humana. *Cic.* 6. *republ.* 22. 24. Quum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint —, tum ille vere vertens annus appellari potest; in quo vix dicere audeo, quum multa sæcula hominum teneantur. *Liv.* 9. 18. Quum ex hac parte (*h. e.* in populo R.) sæcula plura numerentur, quam ex illa (*h. e.* in Alexandro M.) anni, plus in tam longo spatio, quam in ætate tredecim annorum fortuna variaverit. *Hieronym. de vit. Cler.* 4. Quorum (Socratis et Epicuri) ætates non annis sed sæculis scimus esse disjunctas. Cf. *Censorin. de die natal.* et *Serv.* ad *Virg. locc. infra cit.* ¶ 2. Sæculum est etiam (idque tenent cum *Forcell.* plerique primo ac proprie hac voce significari) longum annorum spatium, quod quidam apud *Serv.* ad 8. *Æn.* 508. et ad 4. *Ecl.* 5. definiunt esse triginta annorum: (quod *Plin.* de Druidibus tradit 16. *Hist. nat.* 44. 95. (250) alii centum ac decem: alii mille: *Varro* 6. *L. L.* 11. *Müll.* et *Festus* centum: et dictum esse ait *Varro* a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. *Censorin. de die nat.* 17. duplex sæculum facit, naturale et civile: illud dicit esse spatium vitæ humanæ longissimum, partu et morte definitum: quare qui annos triginta sæculum putarunt, multum errasse videri. Quot autem anni longissimum humanæ vitæ spatium constituant, statui non posse: in libris ritualibus Etruscorum scriptum esse, initia sic poni sæculorum: quo die urbes constituerentur, de his qui eo die nati essent, eum qui diutissime vixisset, die mortis suæ primi sæculi modulum finire: eoque die qui essent reliqui in civitate, de his rursum ejus mortem, qui longissimam ætatem egisset, finem esse sæculi secundi. Hæc *Censorin.* Ex his vulgatior est *Varronis* sententia centum annos sæculo tribuentis. Porro *sæculum*, qua id significat, Græce αἰών (It. *secolo*; Fr. *siècle*; Hisp. *siglo*; Germ. *Iahrhundert*; Angl. *secle*), usurpatur — *a*) Stricto sensu, seu definite. *Cic.* 2. *Orat.* 37. 154. Quo etiam major vir Numa habendus est, quum illam sapientiam constituendæ civitatis duobus prope sæculis ante cognovit, quam eam Græci natam esse senserunt. *Plaut.* secundum eos, qui mille annorum sæculum faciunt, *Mil. glor.* 4. 2. 87. Quin mille annorum perpetuo vivunt, ab sæculo ad sæclum. *Horat.* 4. *Od.* 6. 42. Sæculo festas referente luces. *Curt.* 4. 16. 10. Propemodum sæculi res in unum illum diem fortuna cumulavit. *h. e.* casus tam varios ac multos, qui alias integro sæculo sufficerent. — *b*) Latiore sensu, seu indefinite ponitur pro quovis longo tempore. *Virg.* 8. *Æn.* 508. Sed mihi tarda gelu, sæclisque effeta senectus Invidet imperium. *Cic.* 11. *Fam.* 14. *a med.* Victoria nunciata, in multa sæcula videbamus rempublicam liberatam. *Id.* 4. *Acad.* 5. *a med.* Nihilne tot sæculis, summis ingeniis, maximis studiis, explicatum putamus? *Virg.* 2. *G.* 295. multa virûm sæcula. *molte età.* et *Plin. Paneg.* 55. Ibit in sæcula, fuisse principem, cui florenti et incolumi numquam nisi modici honores decernerentur. *passerà alla posterità.* et *Sil. It.* 12. 312. factoque in sæcula ituro Lætantur tribuisse locum. *Lucan.* 10. 533. potuit discrimine nullo Cæsaris una dies in famam et sæcula mitti. *Val. Flacc.* 1. 98. jam stare ratem, remisque superbam Poscere, quos revehat, rebusque in sæcula tollat. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 54. Hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum immemorem fore. *et* 4. *ibid.* 1. *ad fin.* Nihil ex omnium sæculorum memoria tale cognovi. *Id.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Nihil immutat sempiternis sæculorum ætatibus. *Virg.* 1. *Æn.* 449. et 6. *ibid.* 235. et 12. *ibid.* 826. per sæcula. *h. e.* per multas ætates, longo tempore. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. Cui placet curas agere sæculorum. *h. e.* posteri temporis. — *In sæculum*, *in sæculum sæculi*, in perpetuum, per omnem vitam, vel etiam in æternum, seu totam æternitatem; *in sæcula sæculorum*, in æternum, apud *Vulg. interpr.* passim. ¶ 3. Hinc metonymice accipitur — 1.°) De ipsis hominibus, de ætate, qua homines vivunt, deque eorum vita, moribus. *Plaut. Trin.* 2. 2. 6. novi hoc sæculum, moribus quibus siet. *Ter. Adelph.* 3. 3. 6. hocine sæclum! o scelera! *Cic.* 2. *republ.* 10. 18. In id sæculum Romuli cecidit ætas. *Id. ibid.* Di ex hominibus facti minus eruditis hominum sæculis fuerunt. *Stat.* 11. *Theb.* 691. interea longum cessante magistro (*Charonte*) Crescat opus, totisque exspectent sæcula ripis. *h. e.* animæ defunctorum transvehendæ. Adde *Claudian. Rapt. Proserp.* 311. *Horat.* 3. *Od.* 6. 17. Fecunda culpæ sæcula. *Id.* 1. *ibid.* 2. 6. grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ. Jocolariter. *Ter. Eun.* 2. 2. 15. Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius. *al tempo d'una volta.* et *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 36. Nec sæculorum reliquorum judicium pertimescere. *Virg.* 1. *Æn.* 295. Aspera tum positis mitescent sæcula bellis, *et* 1. *G.* 468. Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem. *Seneca* 1. *Benef.* 10. Ne in nostro sæculo culpa subsidat. *Id. Brevit. vit.* 12. Ingenioso in hoc unum sæculo. Adde *eumd. Tranquill.* 2. *Quintil.* 10. 1. 92. Dicent hæc plenius futura sæcula. *Id.* 11. 1. 13. Perpetua sæculorum admiratione celebrantur. *Id.* 12. 11. 23. Cato rudi sæculo litteras Græcas didicit. *Tac. Agric.* 3. Primo statim beatissimi sæculi ortu. (Cf. *Vellej.* 2. 13. 2.) *Id. Germ.* 19. Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur. *costume del secolo, moda.* Sic *Albinov.* 1. 45. Quid (*prodest*) tenuisse animum contra sua sæcula rectum. *h. e.* contra vitia hominum sui temporis. Adde *Martial.* 9. 28. Hinc dictum est *sæculum aureum*, *argenteum*, *aeneum*, *ferreum* a moribus hominum, qui tum vixere, ut in ÆTAS dictum est. V. *Ovid.* 1. *Met.* a v. 90. *et* 15. *ibid.* 261. *Virg.* 6. *Æn.* 793. aurea condet Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva Saturno quondam. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 446. Hic habitant vario faciem distincta metallo Sæcula certa locis: illic glomerantur aena, Hic ferrata rigent, illic argentea candent. *Lamprid. Elagab.* 35. His jungendi sunt Diocletianus aurei parens sæculi, et Maximianus, ut vulgo dicitur, ferrei. — 2.°) Christianis scriptoribus *sæculum* est — *a*) Generatim mundus, et vita hæc mortalis, *mondo*, *secolo*, *vita mortale.* *Prudent.* 5. *Cathemer.* 109. Fessus ille vocat per freta sæculi. *et* 2. περὶ στεφ. 583. Et servientem corpori Absolve vinclis sæculi. *Paulin. Nolan. ep.* 23. *n.* 33. *ad fin.* Si hoc sæculum noctem putes, quod conversione gentium serenatum est. *Sedul.* 4. 291. caduca vagi contemnens culmina sæcli. Adde *Hieronym.* et *Augustin.* plurimis in locis. — *b*) Speciatim, gentilium seu ethnicorum vita ac disciplina. *Tertull. Exhort. ad castit.* 13. *init.* Videmus etiam sæculi exempla, quæ

sæpe nobis in testimonio posita sunt. *Alii leg.* sæcularia. *V.* SÆCULARIS.

SÆPĀRĬUS *et* Sēparius, ĭi, m. 2. qui facit, seu struit sæpes. *Inscript.* apud *Pratill. via Apul. p.* 160.

SÆPĔ, adverb. Comp. *Sæpius; Sup. Sæpissime.* — Sæpe, quod ab eodem them. ac *sæpes*, vel potius ab ἀεί seu ἀέ (Cf. *Boeckh.* ad *Pynd. Pyth.* 19. 92.), adjectâ partic. πε, derivatur, est frequenter, crebro, πολλάκις (It. *spesso, sovente, frequentemente, spesse volte;* Fr. *souvent, fréquemment, plus d'une fois, à plusieurs reprises;* Hisp. *á menudo, muchas veces;* Germ. *oft, häufig, wiederholentlich, mehrmals;* Angl. *often, oftentimes, oft, many times, frequently*) et ¶ 1. Positiv. occurrit — 1.°) Absolute. *Plaut. Cist.* 1. 1. 52. multis damno et mihi lucro sæpe eris. *Id. Stich.* 1. 3. 13. audivi sæpe hoc vulgo dicier. *Sall. Jug.* 107. Sæpe ante paucis strenuis adversum multitudinem bene pugnatum. *Id. ibid.* 112. Sæpe antea cum imperatoribus R. pacem conventam frustra fuisse. *Lucret.* 6. 489. si parvo tempore sæpe tam magnis nimbis tempestas et tenebræ coperiunt maria. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. *sub fin.* Sæpe clamitans, liberum se esse. *Cic. Quinct.* 1. 3. M. Junius in hac causa multum et sæpe versatus. *Id.* 1. *Invent.* 1. 1. Sæpe et multum hoc mecum cogitavi. *Id. Quinct.* 31. 96. Quorum sæpe et diu ad pedes jacuit stratus. *Id.* 3. *Herenn.* 8. *a med.* Si separatim hæc causa minus sæpe tractatur. *Quintil.* 2. 3. 3. Numquam auctoritate, vetustate plerumque defenditur, sæpe etiam ratione quadam. *Tac. Agric.* 9. Agricola gravis, intentus, severus, et sæpe misericors. *h. e.* haud raro. — 2.°) Cum additis. — *a*) Ornatûs causa cum ablat. *numero*, divise aut conjunctim, immo a multis tamquam una dictio pronunciatur et scribitur. *Cic. Senect.* 2. 4. Sæpe numero admirari soleo. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Sæpe numero ab senatu appellatos in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri. Adde *Sall. Cat.* 52., et *Cic. Rosc. Am.* 24. 67. *et* 1. *Orat.* 1. 1. *et* 16. *Fam.* 21. etc. *Lucret.* 6. 413. At sæpe est numero factum, fierique necesse est. *tmesis.* — *b*) Bene sæpe, *molto spesso*, est *Enn.* apud *Gell.* 12. 4.; nimium sæpe, est *Cic. loc. infra cit.* — *c*) *Sæpeque*, et sæpe. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. *ad fin.* — 3.°) Cum oppositis *interdum, nonnumquam, raro. Cic.* 2. *Fin.* 13. 41. Quod vos interdum, vel potius nimium sæpe dicit. *Id. Orat.* 66. 221. Quamquam utrumque nonnumquam, vel potius sæpe accidit, Cf. 3. *Nat. D.* 27. *a med.* — 4.°) Repetitur bis, atque adeo pluries, cum aliis adverb. *Liv.* 23. 15. Sæpe vi, sæpe sollicitandis principibus etc. *Horat.* 1. *Od.* 8. 11. sæpe disco, Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito? Adde *eumd.* 1. *Ep.* 19. 19. Sæpe - sæpe - sæpe - sæpe *Cic. Amic.* 10. 33, sæpe - sæpe - modo - modo *Horat.* 1. *Sat.* 3. 9., modo - sæpe - modo - interdum *id. ibid.* 10. 11., sæpe - modo *id.* 2. *ibid.* 7. 8. — 5.°) Interdum majorem vim, seu frequentiam notat. *Plaut. Most.* 1. 2. 27. illud sæpe fit. *Ter. Heaut.* 4. 1. 53. Non licet hominem esse sæpe ita ut vult. Cf. *Eun.* 5. 2. 34. *Id. Hecyr.* 3. 1. 28. sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est. *Avien. Descr. orb.* 665. Exsulis et toto raptati sæpe profundo. *h. e.* diu, vel assidue. Adde 542. — Speciatim cum v. *soleo. Cic. Senect. loc. cit.* et *Quintil.* 2. 4. 19. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 109. — 6.°) Rarius contra videtur esse idem atque *aliquotiens, interdum, quandoque. Virg.* 2. *Æn.* 103. Sæpe fugam Danai Troja voluere relicta Moliri. *Id.* 8. *ibid.* 353. Arcades ipsum Credunt se vidisse Jovem, quum sæpe nigrantem Ægida concuteret. *Id.* 10. *ibid.* 723. Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans (Suadet enim vesana fames) si forte fugacem Conspexit capream etc. ¶ 2. Comp. *Sæpius.* — 1.°) Relative, seu definite — *a*) Cum Ablat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (189). Sæpius justo. *più del dovere.* — *b*) Cum partic. *quam. Martial.* 4. 29. Sæpius in libro memoratur Persius uno, Quam levis in tota Marsus Amazonide. *Sall. Cat.* 9. In bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quam qui signa relinquere ausi erant. — *c*) Cum nom., vel adverb. temporis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). Oleum sæpius die capulandum. *più volte al dì.* et 7. *ibid.* 15. 13. (66). Sæpius mense. *Cic.* 3. *Off.* 17. 69. Quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius. *Id.* 13. *Fam.* 42. *extr.* Iterum sæpiusque te rogo. *Id. Font.* 8. 16. Pecuniam semel atque iterum, ac sæpius invitissimi dare coacti sunt. *Id.* 2. *Invent.* 4. *ad fin.* Comitem illum suum inclamavit semel et sæpius. — 2.°) Absolute, seu indefinite. *Virg.* 2. *Æn.* 455. qua se, dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat. *Charis.* 4. *p.* 240. *Putsch.* hunc locum solœcismis accenset, quum relativum, h. e. comparativum pro absoluto ponitur: sed usitatissimum est omnibus scriptoribus. — 3.°) Cum ablat. *numero. Gell.* 3. 16. Sæpius numero decimo mense. — 4.°) Sunt qui *sæpius* interpr. *tantum* apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. 199. Frigidamus, ut non sæpius - virtute constrictiva, verum etiam frigido tactu (spongiæ) fluorem constringant. ¶ 3. Sup. *Sæpissime.* — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Phil.* 14. 34. De quo tamen audisti multa ex me sæpissime. *Id. Amic.* 8. 26. Sæpissime solere. — *b*) Cum additis. *Id. ibid.* 16. 59. Optare ut quam sæpissime peccet amicus. *Sall. Jug.* 63. Fortunam quam sæpissime experiri. — *c*) Cum oppositis. *Id.* 3. *Nat. D.* 27. *a med.* Vinum ægrotis prodest raro, nocet sæpissime.

Homonym. *Sæpe* differt a *crebro* ob majorem vim, ita ut *sæpe* majorem frequentiam, quam *crebro*, significet. *Cic. Cæl.* 24. *med.* Crebro Catulum, sæpe me, sæpissime rempublicam nominabat. Cf. *eumd. Orat.* 66. 221.

SÆPĔFĀTUS, a, um, particip. sæpe fatus. *Paul. Diac. vit. Greg. M.* Sæpefata mulier plurimum in sacra religione ac fide proficiens.

SÆPĔNŬMĔRO. *V.* SÆPE.

SÆPĔNŬMĔRUS, a, um, adject. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 33. Sæpe, sæpenumerus.

SÆPES *et* Sēpes, is, f. 3. Sed et *Sæps* dici potest. *Ciceronem* testem dat *Auson. Edyll.* 12. *in Grammaticomast.* 11. Bucolico sæpes dixit Maro: cur Cicero sæps? Sed quo loco *Cic.* usurparit, ignotum est. *Val. Flacc.* 5. 536. pavidos te, inquit, nunc rere magistros, Et stolidum petiisse pecus: non pascua, nec sæps Hic tibi. *Alii aliter leg.* — Scribitur et *Sepes*, de qua scriptione, et etiam de notatione vocis *V.* SÆPIO. — Sæpes est sæptum ex lignis, ramis arborum, aut spinis consitis, quo clauduntur agri, aut horti, φραγμός, φράγμα (It. *siepe, fratta;* Fr. *haie;* Hisp. *maleza;* Germ. *e. Zann, Verzäunung, Gehege;* Angl. *a hedge, fence*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Varro* 1. *R. R.* 14. 2. Secunda sæpes est ex agresti ligno, sed non vivit. *Colum.* 11. *R. R.* 3. Vetustissimi auctores vivam sæpem structili prætulerunt. *Virg.* 1. *Ecl.* 54. Hinc, tibi quæ semper vicino ab limite sæpes Hyblæis apibus florem depasta salicti. *la siepe che segna il confine del podere. Id.* 1. *G.* 270. segeti prætendere sæpem. *Ovid. Heroid.* 20. 144. Ad sæpem alterius quis tibi fecit iter? *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (101). Casam sæpis munimento cingere. *Claudian. nupt. Honor. et Mar.* 56. campum aurea sæpes Circuit. — *b*) In plur. num. *Colum.* 10. *R. R.* 27. Sæpibus hirtis humum claudere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. *sub fin. ex poeta.* Ea, quæ Lemni Nocturno aditu occulta coluntur Silvestribus sæpibus densa. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. Densissimæ sæpes. *Virg.* 2. *G.* 371. Texendæ sæpes etiam, et pecus omne tenendum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 562. Cingenda est altis sæpibus ista seges. *Id.* 1. *Met.* 493. Ut facibus sæpes ardent, quas forte viator Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.

II.) Metonymice. — *a*) Generatim est quodlibet sæptum, claustrum, *luogo chiuso.* Hinc *Pacuvius* apud *Non.* 179. 15. *Merc.* Nam te in tenebrica sæpe lacerabo fame Clausum. *h. e.* in tenebricoso carcere. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 81. Sic si quem nondum portarum sæpe receptum Barbarus in campis reperit hostis, agit. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. *ex poeta.* Stridor adaugescit scopulorum sæpe repulsus. — *b*) Speciatim dicitur de ovili. *Val. Flacc. loc. adl.* non pascua, nec sæps Hic tibi.

SÆPĬA *et* Sēpia, æ, f. 1. σηπία, *seppia*, genus marini piscis atrum humorem (quod *atramentum* dicitur a *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 127.) vomens, quo aquam circa se adeo infuscat, ut ea se celet, et piscatoris manus effugiat, ut ait *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 45. (84).

I.) Proprie. *Ovid. Halieut.* 18. Sæpia tarda fugæ, tenui quum forte sub unda Deprensa est, Jam jamque manus timet illa rapaces, Inficiens æquor nigrum vomit illa cruorem, Avertitque vias, oculos frustrata sequentes. *Plaut. Rud.* 3. 2. 45. Jube oculos elidere, itidem ut sæpiis faciunt coqui. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 7. Facit idem trita sæpiæ testa, et per fistulam ter die oculo inspirata. Adde *Cic. et Plin. locc. adl.*

II.) Metonymice pro atramento scriptorio. *Pers.* 3. 12. Tum quæritur, crassus calamo quod pendeat humor: Nigra quod infusa vanescat sæpia lympha. *Vet. Scholiast.* sæpiam pro atramento a colore posuit. quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum. *Auson. Ep.* 4. 76. Notasque furvæ sæpiæ. *h. e.* litteras.

SÆPĬCŬLA *et* Sēpicula, æ, f. 1. *deminut. a* sæpes, *piccola siepe*, parva sæpes. *Apul.* 8. *Met.* Dum forte passerem incantantem sæpiculæ consectatur arripere.

SÆPĬCŬLĒ, adverb. *deminut. a* sæpe, idem ac sæpiuscule, *alquanto spesso*, aut potius *assai di frequente*, *Plaut. Cas.* 3. 5. 59. Sæpicule peccas. *un po' troppo spesso fai dei marroni.* Sed *Priscian. p.* 104. 11. *Keil.* leg. *sæpiuscule* a comp. *sæpius*, ut *celeriuscule, plusculum* et similia. *Apul.* 1. *Met.* Lacrimæ sæpicule de gaudio prodeunt. *Id.* 2. *ibid.* Sæpicule nomen inter tuos frequentatum educatores. Adde 5. *ibid.* et alibi.

SÆPĪMEN *et* Sēpimen, mĭnis, n. 3. idem quod sæpimentum. *Apul. Florid. n.* 1. *sub init.* Colliculus sæpimine consecratus.

SÆPĪMENTUM *et* Sēpimentum, i, n. 2. (sæpio) *serraglia o serraglio, siepaglia, steccato, clausura*, φράγμα, id, quo aliquid sæpitur et clauditur, sæptum, sæpes. *Varro* 1. *R. R.* 14. Tutandi causa fundi tutelarum genera quatuor: unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile. Primum naturale sæpimentum vivæ sæpis, quod obseri solet virgultis aut spinis; secunda sæpes est ex agresti ligno; tertium militare sæpimentum est fossa et terreus agger; quartum fabrile sæpimentum est maceria. *Cic.* 1. *Legg.* 24. 62. Atque hæc omnia, quasi sæpimento aliquo, vallabit disserendi ratione.

SÆPĪO *et* Sēpio, is, sæpsi *et raro* sæpivi, sæptum, sæpire, a. 4. (sæpes). — 1.°) Quod ad scriptionem attinet, qui diphthongum abjiciunt, *Voss., Heins. Erythræus*, alii, partim notatione nituntur, quod *sæpes* sit a σηκός, stabulum, ovile: partim codice *Virgil.* Mediceo, in quo 7. *Æn.* 600. *sepsit se tectis:* et 9. *ibid.* 551. *septa corona* scriptum est. Sed in eod. cod. plura sunt loca, in quibus æ apparet, 1. *Ecl.* 54. *sæpes:* 1. *Æn.* 415. *aere sæpsit*, v. 443. *sæptus nebula*, v. 510. *sæpta armis.* His adde *Cenotaph. Pisan.* Augusti ævo scriptum, et infra citatum, *sæpiatur: Inscript.* apud *Gruter.* 61. 5. *aream sæpiendam:* et 864. *saxo sæptum.* Quare *Dausq., Cellar., Noris., Pier.* diphthongum retinent. Ita *Forcell.*, qui, quamvis *sepio* primo loco ponat, recte ita concludit: neutram scriptionem damnabis: secundam, h. e. sæpio, præferes. Sane præter ea, quæ in medium sunt adlata, animadvertendum est, Romanos ex Æolibus multa habere, et, ut *scænam* et *scæptrum* ab Æolico σκαινή et σκαῖπτρον frequentissime usurparunt, ita et a σαῖκος pro σῆκος *sæptum*. V. SCÆNA. Huc adde recentiores philologos et lexicographos, inter quos recensendi sunt *Fleckeisen., Brambach., Georger.*, al., qui diphthongo primas dederunt. — *Sæpissent* loco τοῦ *sæpsissent* legitur apud *Liv.* 44. 39., edente *Drakenborg.* Ex hoc loco *Vossius* laudat

sæpiissent, et ex *Hieronymo* profert *sæpivi*. Sane *Vulgat. interpr. Is.* 5. 2. Sæpivit eam, et lapides elegit ex ea (vinea). — 2.°) Ratione habita etymi, videtur hæc vox derivata a Sanskr. *sag* vel *sak*, implere, stipare, obstruere, unde Gr. σηκός, sæptum, litterâ gutturali in labialem mutatâ, ut in *Epona, lupus*, al. factum est. — Particip. *Sæptus*. — Sæpio est claudo, vallo, munio, circumdo custodiæ causa, *siepare, circondare, munire, chiudere*, φράττω, περιβάλλομαι.

I.) Proprie. ¶ 1. Speciatim est vallo, munio. — *a*) Absolute. *Colum.* 2. *R. R.* 22. Pontifices negant, segetem feriis sæpiri debere. *Liv.* 2. 11. Sæpire vias. *Curt.* 6. 5. *ante med.* Juga montium præaltæ silvæ, rupesque inviæ sæpiunt. *Cic.* 2. *republ.* 17. 31. Fecit et sæpsit (*Tullus*) de manubiis comitium et curiam. *fortificò con le spoglie de' nemici.* — *b*) Cum Ablativo. In *Cenotaph. Pisano L. Cæs.* LOCVS STIPITIBVS ROBVSTIS SAEPIATVR. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *circa med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi, sex castellis castrisque maximis sæpsi. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit et sæpsit. *Nepos Dion.* 9. Domum custodibus sæpsit. *Id. Themist.* 7. urbem muris. Rursus *Cic.* 3. *Phil.* 9. 20. Sæpire oppidum operibus, munitionibus, castris. *Id. Sext.* 42. 91. urbes mœnibus. *Id.* 1. *republ.* 26. 41. locis manuque (eadem). *Liv.* 9. 11. legiones luco. *Id.* 25. 25. castra tectis parietum pro muro. *Virg.* 7. *Æn.* 599. nec plura locutus Sæpsit se tectis, rerumque reliquit habenas. *si chiuse nelle sue stanze.* et *Sueton. Aug.* 65. *sub fin.* Agrippam in dies amentiorem in insulam transportavit, sæpsitque insuper custodiâ militum. *Curt.* 9. 4. *sub fin.* Perpetua lorica obducta transitum sæpserat. *Id.* 8. 8. 20. fauces regionis valido munimento. *Vellej.* 2. 51. 1. mare præsidiis classium. ¶ 2. Generatim est cingo, circumdo, claudo. — *a*) Cum Ablativo. *Ennius* apud *Non. p.* 537. 27. *Merc.* Sæpire squalidâ stolâ. *Lucret.* 5. 1249. Nam fovea atque igni prius est venarier ortum, Quam sæpire plagis saltum. *et ibid.* 470. tum se levis ac diffusilis æther Corpore concreto circumdatus undique flexit: Et late diffusus in omnes undique partes, Omnia sic avido complexu cetera sæpsit. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Sæptum undique et vestitum vepribus sepulcrum. *Virg.* 1. *Æn.* 415. At Venus obscuro gradientes aere sæpsit. *cinse e coprì. Id.* 9. *ibid.* 551. Ut fera, quæ densa venantum sæpta corona, Contra tela furit. — *b*) Absolute. *Plaut. Curc.* 1. 1. 36. Sæpire fundum. *Cic.* 5. *Phil.* 4. 9. omnes fori aditus. *Val. Flacc.* 6. 346. leonem in arto.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 31. *a med.* Inventa componere: tum ea denique vestire atque ornare oratione: post memoria sæpire. *h. e.* complecti, continere. *Id.* 2. *ibid.* 34. *sub fin.* Hoc totum est, nosse regiones, intra quas venere, et pervestiges, quod quæras. ubi eum locum omnem cogitatione sæpseris, nihil te effugiet. μεταφορὰ a venatoribus. *Id.* 3. *Att.* 23. Nulla est lex, quæ non ipsa se sæpiat difficultate abrogationis. *Id.* 12. *Phil.* 10. 25. Sæpire legibus et judiciorum metu. *Id.* 1. *republ.* 44. 68. præsidiis. *Id.* 16. *Fam.* 23. 2. philosophiæ præsidiis. *Liv.* 3. 44. Omnia pudore sæpta. *Tac. Germ.* 19. Sæpta pudicitia agunt. *Plin. Paneg.* 49. Sæptus caritate. *Gell.* 1. 15. Petulantiæ verborum coercendæ vallum esse oppositum dentium, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sæpiatur. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 39. Quandoquidem iste circumvestit dictis, sæpit sedulo. *h. e.* tegit, occultat. — Figurate *Afranius* apud *Non. p.* 41. 4. *Merc.* Perii! lacrumæ linguam sæpiunt. *h. e.* impediunt. — Hinc Particip. præter pass.

Sæptum et *Septum*, *i*, n. 2. substantivorum more. ¶ 1. Generatim est locus munitus, et quocumque sæpimento vallatus et clausus, cujusmodi sunt stabula, ovilia, vivaria etc., *serraglio, steccato, barricata, chiusura, recinto*, φράγμα. *Cic.* 5. *Phil.* 4. 9. Omnes fori aditus ita sæpti sunt, ut, nisi sæptis revulsis, introiri in forum nullo modo possit. *Id.* 13. *ibid.* 3. 5. Quibus enim sæptis tam immanes belluas continebimus? *Id. Sext.* 37. 79. Tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis sæptorum et fustibus. *Varro* 1. *R. R.* 14. 1. Sæpta, quæ tutandi causa fundi fiunt. *Id.* 3. *ibid.* 12. 3. Sæpta e maceriis ita esse oportere in leporario, ut tectorio tecta sint. *Virg.* 1. *Ecl.* 34. Quamvis multa meis exiret victima sæptis. *Colum.* 6. *R. R.* 23. Ut ad sonum buccinæ pecus sæpta repetere consuescat. *Id.* 8. *ibid.* 17. *ante med.* Animadvertimus intra sæpta pelagios greges. *h. e.* in piscinis. *Lucret.* 1. 489. et *Virg.* 4. *G.* 159. sæpta domorum. *h. e.* domus. *Nemesian. Cyneg.* 308. Sæptum lini. *h. e.* retium indago. Hinc ¶ 2. Speciatim — 1.°) In plur. num. — *a*) *Sæpta* Romæ loca duo in Campo Martio olim tabulatis cincta et clausa (V. *B. Crus.* ad *Sueton. Aug.* 43.), in modum stabuli (unde et *Ovilia* dicta), in quorum altero populus R. stabat comitiorum tempore, antequam ad suffragium vocaretur: in altero magistratus, qui comitiis præerat, ejusque ministri, præcones et alii. Distinguebantur pontibus, per quos populus transibat, ut in PONS dictum est. *Ovid.* 1. *Fast.* 53. Est quoque, quo populum jus est includere Sæptis. *h. e.* dies comitialis. *Cic.* 4. *Att.* 16. *ad fin.* In Campo Martio Sæpta tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi. *Lucan.* 7. 306. Sæptorumque nefas et clausi prœlia Campi. *V.* OVILE. — In Sæptis mercatores negotiabantur, venalesque omne genus merces prostabant. *Martial.* 9. 60. In Sæptis Mamurra diu multumque vagatus, Hic ubi Roma suas aurea vexat opes. V. *totum epigr.*, ubi recenset varia rerum venalium genera, quæ ibi proponebantur. — *b*) *Sæpta* item sunt obices et claustra, quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ compellendæve ex flumine causa: sive ea lignea sint, sive lapidea, sive ex alia qualibet materia, ad continendam transmittendamque aquam excogitata. *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 20. *qui est* De rivis, *l.* 1. *cateratte.* — 2.°) In sing. num. — *a*) *Sæptum transversum* a medicis dicitur membrana valida in ventre, a præcordiis uterum diducens, a superiore parte non solum intestina, sed jecur quoque, lienemque discernens, *pannicolo, settotraverso, diaframma*, διάφραγμα. *Cels.* 1. *præf.* et 4. 1. et 7. 4. — *b*) *Sæptum clausum* seu *clusum* est quod introeuntibus aditum negat, quale fuisse videtur illud, quo templum Bonæ Deæ claudebatur. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 3. *n.* 9. (*Orell.* 1515.) VOTO SVSCEPTO BONAE DEAE ASTRAPTON CAESARIS VILIC. AEDICVLAM ARAM SAEPTVM CLVSVM VETVSTATE DILAPSA RESTITVIT.

SÆPĬŎLA et Sēpiola, æ, f. 1. *deminut. a sæpia*, parva sæpia. *Plaut. Cas.* 2. 8. 57. Emito sæpiolas, lepades, lolliguncula, hordeias.

SÆPĬŎTĬCUS et Sēpioticus, a, um, adject. qui est ex sæpiæ suco. — Hinc

Sepioticum, vel Græca positione *Sepioticon*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est atramentum, et translate ipsa scriptura. *Fulgent. Mythol. præf.* Redde quod sæpioticon debes, et quidquid libet Niliacis exarare papyris. *V.* SÆPIA.

SÆPIS, e, adject. inusit. (sæpe) idem ac frequens, unde Comp. *Sæpior* apud *Priscian. p.* 1016. *Putsch.* qui oblitus sui, *sæpior* ab antiquis dictum fuisse, scribit. et Sup. *Sæpissimus* est *Caton. Nep.* apud *Priscian. p.* 602. *Putsch.* Propter diem atque fenus sæpissimam discordiam fuisse.

SÆPĬUSCŬLĒ. *V.* SÆPICULE.

SÆPS, is, f. 3. *V.* SÆPES.

SÆPTA et Septa, ōrum. *V.* SÆPTUM.

SÆPTĀTUS et Septatus, a, um, *ab inusit.* sæpto, sæptus, clausus, apud *Capell.* 2. *p.* 208.

SÆPTĬO et Septio, ōnis, f. 3. actus sæpiendi, sæpimentum, seu locus sæptus. *Vitruv.* 5. 12. *a med.* Locus, qui in ea sæptione finitus fuerit. et *mox.* Inter sæptiones fundamenta fodiantur. Adde 6. 11. *ante med. Vopisc. Aurelian.* 22. Sæptio Urbis. *h. e.* partes Urbi additæ. *Id.* enim *ibid.* 21. narrat, Aurelianum muros urbis Romæ dilatasse

SÆPTUM et Septum, i, n. 2. *V.* SÆPIO in fin.

SÆPTŬŌSĒ et Septuose adverb. (sæptum). Metaphorice occurrit, et est idem quod obscure, confuse. *Liv. Andr.* apud *Non. p.* 170. 17. *Merc.* Ita sæptuose dictio abs te datur, Quod consecutura sapiens ægre contulit. At *Ribbeck.* legit *Pacuv. trag.* 5.: Ita sæptuosa dictione abs te datur, Quod conjectura sapiens etc.

SÆPTŬŌSUS, a, um. *V.* voc. præc.

SÆPTUS et Septus, a, um, particip. *V.* SÆPIO.

SÆPTUS et Septus, us, m. 4. idem ac sæptum. *Itin. Alex.* 46.

SÆTA et Seta, æ, f. 1. Cum diphthongo invenitur in plerisque omnibus MS. optimæ notæ. — Ratione habita etymi, cl. *Furlanettus* hanc vocem ducit a σαίω, vel σείω, quatio; at *Döderlein.* conjungit cum χαίτη, pilus, mutatâ litterâ χ in *s*, ut in *silex* a χάλιξ. — Sæta est pilus crassior, durior rigidiorque, quales sues habent, et equi, et boves etc.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de brutis animantibus. *Plaut. Cas.* 5. 2. 49. Ita, quasi sætis, labra mihi compungit barba. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. *de Damocle.* Fulgentem gladium, e lacunari sæta equina appensum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. *Ovid.* 8. *Met.* 428. *de apro.* rigidis horrentia sætis Terga. *Id. Halieut.* 59. *de apro pisce.* sætis iram denunciat hirtis. *Colum.* 7. *R. R.* 9. Grex suum densæ et nigræ sætæ. *Virg.* 7. *Æn.* 666. tegumen torquens immane leonis Terribili impexum sæta. *et ibid.* 790. vacca sætis obsita. et 8. *ibid.* 266. *de Caco.* villosaque sætis Pectora Semiferi. *Id.* 3. *G.* 311. barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci, sætasque comantes Usum in castrorum, et miseris velamina nautis. *Val. Flacc.* 6. 71. *de cerva.* sætis fulgens et cornibus aureis. *Claudian. de histrice*, 6. mentitæ cornua sætæ Summa fronte rigent. — *b*) Latiore sensu de hominibus, et dicitur de pilis crassioribus in corpore humano. *Ovid.* 13. *Met.* 850. Barba viros, hirtæque decent in corpore sætæ. Adde *Juvenal.* 2. 11. et *Martial.* 6. 56.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de arboribus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (41). Omnibus his generibus folia brevi sæta et crassiore duraque ceu cupressis. *h. e.* acumine. ¶ 2. Metonymice. — *a*) De linea, qua captantur per hamum pisces. *Martial.* 1. 56. Et piscem tremula salientem ducere sæta. Adde 10. 30. et *Ovid. Halieut.* 34. — *b*) De penicillo e sætis. *Vitruv.* 7. 9. *circa med.* Ceram Punicam igni liquefactam, paullo oleo temperatam, parieti sæta inducere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Parieti siccato cera Punica cum oleo liquefacta candens sætis inducatur.

SÆTĬGER et Sētiger, gĕra, gĕrum, adject. (sæta et gero) χαιτοφόρος, qui sætas gerit. *Virg.* 12. *Æn.* 170. Sætigeræ fetum suis, intonsamque bidentem Attulit. *Paulin. Nolan. ep.* 40. (*al.* 36.) *n.* 12. Vestis sætigera. *h. e.* ex vellere caprino, melote. — Hinc

Sætiger, *geri*, m. 2. absolute, est aper. *Ovid.* 8. *Met.* 376. nisi sætiger inter opacas Nec jaculis, isset, nec equo loca pervia, silvas. Adde *Martial.* 13. 93.

SÆTŌSUS et Sētosus, a, um, adject. χαιτήεις, *setoloso, setolato*, sætis plenus, villosus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (181). Tauri terra fronte, auribus sætosis. *Cels.* 2. 8. Corpus, quod maxime lati pectoris atque sætosi est. *peloso.* Sic *Virg. Mor.* 99. Sætosa inguina. *Id.* 7. *Ecl.* 29. Sætosus aper. *Propert.* 4. 1. 25. Verbera pellitus sætosa movebat arator. *h. e.* scuticis ex caprina pelle villosis.

SÆTŬLA et Sētula, æ, f. 1. *deminut. a sæta*, *setoletta, setolina*, parva sæta. *Arnob.* 7. *p.* 226. Solas immolare diis lanas, vulsasque ex hostiis sætulas.

SÆVĒ, adverb. (sævus) Comp. *Sævius*; Sup. *Sævissime.* — Sæve est sæviter, crudeliter, nimium severe. *Sueton. Tib.* 59. Multa sæve et atrociter factitavit. *Flor.* 3. 7. Adeo sæve in captivos consulebatur, ut etc. *Lucan.* 7. 171. Impia tam sæve gesturus bella litasti. *Id.* 8. 492. tacere omnia sæve Non impune licet. γνώμη. *Plin.*

30. Hist. nat. 2. 5. de Nerone. Sævius nos replevit umbris. Ovid. 3. Art. am. 504. Lumina Gorgoneo sævius igne micant. h. e. iratius. Colum. 11. R. R. 1. ante med. Quidam imperitandi parum prudentes, aut sævius, aut lenius agendo, rem domini corrumpunt. ubi sævius opp. τῷ lenius. con troppo rigore. et 1. 4. ad fin. Sunt loca, quæ tepent hieme, sed æstate sævissime candent. nel modo più intollerabile. et Sueton. Claud. 2. Aliquem sævissime coercere.

SÆVIDICTUM, i, n. 2. parole aspre, bravata, sævum dictum. Ter. Phorm. 1. 4. 36. Ne te suis iratus sævidictis protelet. Alii rectius leg. sævidicis dictis.

SÆVIDICUS, a, um. V. voc. præced.

SÆVIENS, entis, particip. V. voc. seq.

SÆVIO, vis, vii, vitum, vire, n. 4. (sævus). Imperf. sævibat pro sæviebat apud Lucret. loc. cit.; Fut. sævibo pro sæviam est Mar. Vict. de fratr. Machab. 20. p. 443. Fabric.; Perf. sævit pro sæviit habet Ovid. loc. loc., et Vulc. Gall. Avid. Cass. 7. 5. Peter (at Jordan. hab. sæviit). — Particip. Sæviens I. et II. 1. 2.° et 3.°; Sæviturus II. 1. 1.° — Sævio est furo exagitor, rabie feror, violenter ago.

I.) Proprie dicitur de bestiis, quum irascuntur, efferantur, furunt, et in morsus ruunt. Lucret. 5. 1075. Inter equas ubi equus sævit calcaribus ictus Amoris. Phædr. 3. 2. de panthera. Et cuncta vastans sævit irato impetu. Ovid. 11. Met. 369. lupus sævit rabieque fameque. Val. Flacc. 6. 613. stabulis qualis leo sævit opimis Luxurians, spargitque famem. Virg. 3. G. 434. anguis sævit agris. Id. 5. Æn. 257. sævit canum latratus in auras. Gell. 7. 1. a med. Canes in alios sævientes, et 9. 11. a med. Corvus, ubi satis sævierat etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De hominibus. — a) In malam partem, et est sævus sum in aliquem, crudeliter ago, furo, infierire, incrudelire. — α) Absolute. Virg. 1. Æn. 149. sævitque animis ignobile vulgus. Id. 8. ibid. 700. in certamine Mavors. Sall. Cat. 10. Fortuna sævire, ac miscere omnia cœpit. Quintil. 1. 1. 8. Imperiosi atque interim sævientes (pædagogi). — β) Cum Accus. et præp. in. Liv. 3. 45. a med. Sævite in tergum, et in cervices nostras: pudicitia saltem in tuto sit. Justin. 12. 5. 2. Hostili odio sævire in suos. Sueton. Aug. 13. In captivum non sine verborum contumelia sæviit. Liv. 28. 34. a med. Neque se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, sæviturum. Ulp. Dig. 29. 5. 1. circa med. Sævire in se. h. e. sibi manus inferre. Tac. 3. Ann. 31. extr. in pecuniam et famam multorum damnationibus et hastis. Juvenal. 13. 180. flagellis in aliquem. Vellej. 2. 85. 3. In disertores sævire debuerat. h. e. animadvertere, vel punire. — γ) Cum Dativo. Ovid. Heroid. 4. 148. Qui mihi nunc sævit, sic tibi parcat Amor. Adde Tibull. 1. 5. 46. — δ) Cum Accus. communi. Plaut. Epid. 5. 1. 51. Memento, si quid sæviunt senes, suppetias mihi ferre. — ε) Cum Infinito. Ovid. 1. Met. 200. Quum manus impia sævit Sanguine Cæsarei Romanum exstinguere nomen. sævit pro sæviit. — ζ) Passive impersonaliter. Justin. 39. 3. a med. A nullo unquam majorum suorum in feminas sævitum. Tac. 1. Ann. 49. Intellecto, in quos sæviretur. Vellej. 2. 120. ad fin. Quum in captivos sæviretur a Germanis. — Leniter sævire simile ac lente festinare. Plaut. Bacch. 3. 3. 4. Leniter qui sæviunt, sapiunt magis. h. e. qui iram compescunt, et severitate parce utuntur. — b) In bonam partem est fortiter facere, strenue se gerere. Martial. Spectac. 6. Belliger invictis quod Mars tibi sævit in armis, Non satis est, Cæsar: sævit et ipsa Venus. — 2.°) De rebus inanimis, ut mari, ventis, hieme, morbis etc., quum maxime vim suam produnt, et veluti furunt. Sall. Jug. 80. Ubi mare magnum esse, et sævire ventis cœpit. Lucret. 1. 276. sævitque minaci murmure pontus. et 5. 1001. mare sævibat fluctibus. Cæs. 3. B. G. 13. sub fin. Quum sævire ventus cœpisset. Horat. 4. Od. 14. 27. de Aufido. Quum sævit, horrendamque cultis Diluviem minitatur agris. Seneca Hippol. 766. sævit solstitio medius dies. Claudian. 2. Laud. Stilich. 459. immodico nec frigore sæviat Ursa. Id. VI. cons. Honor. 241. annique vapore Sæviat aucta lues. Id. B. Gild. 515. pestifer aer Sævit. Horat. Epod. 3. 5. Quid hoc veneni sævit in præcordiis? Gell. 12. 5. ante med. Morbus sæviens. Seren. Sammon. 18. 322. At male digestis si crapula sæviet escis. Val. Flacc. 4. 454. de Harpyiis. Diripiunt, verruntque dapes, fœdataque turbant Pocula: sævit odor. Sic ibid. 493. Flagrat acerbus odor. et ibid. 499. Sævit utrinque fames. — 3.°) Similiter dicitur de immodicis animi affectibus. Virg. 7. Æn. 461. Sævit amor ferri, et scelerata insania belli. Propert. 2. 7. 24. dolor. Horat. 1. Od. 25. 15. libido circa jecur. Ovid. 14. Met. 193. ira. Gell. 4. 11. ad fin. Orationem alicujus aut demissam jacentemque erigere, aut ferocientem sævientemque cohibere. — Passive impersonaliter. Tac. 4. Ann. 20. Sævitum tamen in bona. Curt. 8. 10. 6. in tecta. ¶ 2. Speciatim adhibetur ad exprimendum ursorum rugitum, aut etiam immodicum sonum vel strepitum quemcumque Anthol. Lat. T. p. 424. Burmann. Sus grunnit, bos mugit, equus hinnit, asinus rudit, ursus sævit, elephas barrit, corvus crocit, merulus frindit, turdus truculat, anser sclingit etc. Virg. 7. Æn. 17. Sætigerique sues, atque in præsepibus ursi Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum. Sil. It. 4. 95. ac simul acer Vincentum lituos hinnitus sævit equorum Id. 13. 600. sævit stridoribus arbor. h. e. valde strepit. Est qui legit nutat, sed minus recte.

SÆVIS, e, adject. idem ac sævus. Ammian. 15. 9. 6. Sævium tyrannorum. Translate. Id. 29. 5. 48. Suppliciorum sævium repertorem. At Gardthausen. leg. sævum. Est etiam qui Tac. Agric. 2. legit sævia; sed minus recte.

SÆVITANS, antis, particip. V. SÆVITO.

SÆVITAS, ātis, f. 3. (sævus) idem ac sævitia. Prudent. 10. περὶ στεφ. 483. Quum sæpe morbos major armet sævitas. Firmic. 5. Mathes. 5. Sævitate aliquem deterrere. Apul. 9. Met. En indignæ rei sævitatem. Alii legunt scævitatem, h. e. adversam fortunam, a σκαιός, sinister, adversus. Gell. præf. a med. Quo sit quorumdam male doctorum hominum sævitas, et invidentia irritatior. Hic quoque alii reponunt scævitas, h. e. sinistra et perversa voluntas.

SÆVITER, adverb. sæve. Enn. p. 115. 1. Vahl. Sæviter fortunam ferro cernunt de victoria. Id. p. 135. 3. Sæviter suspitionem ferre falsam futtilum est. Plaut. Pseud. 5. 2. 3. Magis cogito, sæviter blanditerne alloquar. bruscamente. et Trin. 4. 3. 53. Quid si egomet te velle nolo? CHAR. ab nimium, Stasime, sæviter! un po' troppo crudo. Adde eumd. Pœn. 1. 2. 122. et Acc. apud Non. p. 511. 3. Merc.

SÆVITIA, æ, f. 1. (sævus) est furor, rabies, impetus.

I.) Proprie dicitur de bestiis. V. SÆVIO. Plin. 8. Hist. nat. 40. 61. (146). Impetus canum et sævitia mitigatur ab homine considente humi. Quintil. 1. 1. 1. Ad sævitiam feræ gignuntur.

II.) Translate. — a) De hominibus, et est asperitas, crudelitas, immanitas, sommo rigore, crudeltà, fierezza, barbarie, spietatezza, ἀπήνεια, ὠμότης. Ejus instrumenta in homines Seneca Ep. 14. enumerat. Id. Clem. 25. Sævitia excedit fines, primum solitos, deinde humanos. Cic. 2. Off. 7. 24. Iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. Id. Partit. 4. 11. Orator sibi proponet delectationem in exornatione: in judicio aut sævitiam, aut clementiam judicis: in suasione aut spem, aut reformidationem deliberantis. ubi sævitia oppon. clementiæ. Tac. 11. Ann. 13. Quantum sævitia glisceret. Id. 6. ibid. 19. Italiam luxuria sævitiaque (hominum) afflictavisset. Id. 13. ibid. 30. Quidam ad sævitiam trahebant. Sueton. Cal. 27. Sævitia ingenii. Sall. Jug. 7. et Tac. 1. Ann. 67. hostium. h. e. impetus. Id. 11. ibid. 13. creditorum. Id. 2. ibid. 24. oratorum. Id. 6. ibid. 31. Superbiam in suos, sævitiam in populares sumpsit. Plin. 2. Ep. 11. Immanitas, et sævitia. Sall. Cat. 34. feneratorum. Justin. 21. 2. 2. Sævitia grassari. et ibid. ad fin. Sævitiam exercere. Sueton. Cal. 6. extr. reprimere. Petron. Sat. 94. Paullulum intepescente sævitia. Plin. 29. Hist. nat. 1. 6. (13). de Archagatho medico. A sævitia secandi urendique transiit nomen in carnificem. Propert. 1. 1. 10. Sævitiam duræ contudit Iasidos. h. e. asperitatem et duritiam animi amorem aversantis. — In plur. num. Sall. fragm. apud Augustin. 2. Civ. D. 18. Quibus sævitiis, et maxime fenoris onere oppressa plebs etc. — b) De immodicis affectibus. Colum. 6. R. R. 37. de asino admissario. Amoris sævitiam labore temperare. la rabbiosa libidine. — c) De rebus inanimis. Curt. 8. 4. circa med. Jam cæli mitescente sævitia. Ammian. 17. 1. 10. Sævitia aeris. Sall. Jug. 41. et Plin. 19. Hist. nat. 8. 51. (166). hiemis. rigore, furore. Id. 9. ibid. 31. 51. (100). et Vellej. 1. 2. extr. maris. tempesta, furia. Ovid. Heroid. 19. 23. ubi sævitiæ paullum gravis unda remisit. Plin. 3. Hist. nat. 8. 14. (87). In eo freto est scopulus Scylla: item Charybdis mare vorticosum: ambo clara sævitia. Sueton. Cal. 32. Sævitia dictorum factorumque. Sall. Cat. 57. belli. Id. Jug. 37. temporis. Pacuv. p. 133. 8. Ribbeck. Salaciæ. Curt 8. 4. 13. cæli mitescens. — d) Sævitia annonæ, rigoroso prezzo dei viveri, caritas, difficultas, pretium immodicum, et pauperes quasi sæve torquens Tac. 2. Ann. 87. Sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium.

SÆVITIES, ēi, f. 5. sævitia. Tac. 11. Ann. 10. extr. Per sævitiem et luxum adegit Parthos. Alii rectius leg. sævitiam. Apul. 6. Met. Canis sævitiem offula redimere. et ibid. Socrus sævitiem exsecrata. Adde Jul. Valer. 3. 20. Alii ubiq. leg. sævitia, sed minus recte. Hinc temere Freund. hanc vocem a lexico suo exclusit.

SÆVITO, as, are, n. 1. frequentat. a sævio, sæpe, aut valde sævio. Ammian. 15. 10. 2. Plebe jam sævitante immanius. At Gardthausen. leg. sæviente.

SÆVITUDO, dinis, f. 3. idem ac sævitia. Plaut. fragm. apud Non. p. 172. 32. Merc. Vincla, virgæ, molæ, sævitudo mala fit pejor. Adde Jul. Valer. 1. 9. et 3. 16.

SÆVUM, i, n. 2. V. SEBUM.

SÆVUS, a, um, adject. Comp. Sævior; Sup. Sævissimus. — Sævus est furens, rabidus, violentus, fortasse a Sanskr. savja et Græc. σκαιός, unde Lat. scævus. (Cf. Tac. 2. Ann. 5.)

I.) Proprie dicitur de bestiis. V. SÆVIO. Lucret. 5. 1314. leones cæde calentes Turbabant sævi turmas. Id. 5. 862. sæva sæcla ferarum. Ovid. 4. Met. 102. Virg. 3. G. 246. leæna sævior. Propert. 4. 4. 40. canes. Id. 3. 14. 16. sæva canum rabies. Apul. 8. Met. sæviores canes. Tibull. 1. 5. 54. lupi. Id. 1. 10. 6. feræ. Horat. 1. Od. 22. 23. beluæ. Plin. 11. Hist. nat. 37. 64. (170). Reliqua animalia, quæ serratos (dentes) habent, sævissima dentibus. Sillig. leg. sævissime dentiunt.

II.) Translate. — 1.°) De hominibus. — a) In malam partem, et est severus, rigidus, asper, durus, immitis, ferus, crudelis, inhumanus, rigoroso, severo, insensibile, crudele, fiero, barbaro, ἀπηνής, ὠμός, χαλεπός. — α) Absolute. Ter. Adelph. 5. 4. 12. Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax, duxi uxorem. Id. Phorm. 5. 1. 17. Conclusam hic habeo uxorem sævam. h. e. rabidam, iracundam, molestam. Plaut. Bacch. 4. 5. 3. Truculentus atque sævus senex. Ovid. 12. Met. 219. sævorum sævissimo Centaurorum. Virg. 2. G. 128. Pocula si quando sævæ infecere novercæ. Tibull. 1. 11. 65. Sed manibus qui sævus erit, etc. h. e. qui tam ferus erit, ut puellam suam verberet. Id. 1. 9. 62. Sæva puella. h. e. amoris inimica, et precibus amantium dura. Plaut. Amph. 1. 3. 43. Ex amore hic admodum quam sævus est. h. e. iracundus. Tibull. 1. 2. 5. posita est nostræ custodia sæva puellæ. h. e. arta, severa, impenetrabilis. et ibid. 5. 13. ne possent sæva nocere Somnia. h. e. tristia, ominosa et noxia. Quidam hic mallent scæva. Horat.

Epod. 12. 13. Sæva verba. *aspre e pungenti.* — β) Cum Dativo. *Tac.* 11. *Ann.* 5. Sævus accusandis reis Suillius. — γ) Cum Ablat., vel Accus., et præpos. *in.* *Ovid.* 4. *Met.* 547. nimium in pellice sævæ deæ. *Liv.* 34. 32. Tyrannus sævissimus et violentissimus in suos. — δ) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 30. Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus. *Sil. It.* 11. 7. Sævior ante alios iras servasse repostas Atque odium renovare ferox. — b) Item potens, terribilis. *Virg.* 1. *Æn.* 142. Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem, Sed mihi sorte datum. *Tibull.* 1. 1. 22. Terreat ut sæva falce Priapus aves. — c) In bonam partem, aliquando est acer, fortis, strenuus, bellicosus. *Virg.* 1. *Æn.* 103. Sævus ubi Æacidæ telis jacet Hector. *et* 12. *ibid.* 107. maternis sævus in armis Æneas acuit Martem, et se suscitat ira. *Horat.* 3. *Od.* 16. 16. Sævi duces. — Item magnus, si *Servio* credimus ad 1. *Æn.* 8. ita interpretanti illud *Ennii:* Induta fuit sæva stola. Adjicit huc et illud *Virg.* modo adlatum. Fatetur tamen et *fortem* intelligi posse. — 2.°) De affectibus vehementioribus, unde homines turbari gravius, aut sævire solent. *Propert.* 1. 18. 14. Sæva ira. *Virg.* 1. *Æn.* 29. Sævi dolores. *Id.* 12. *ibid.* 406. Sævus horror. *Id.* 8. *Ecl.* 47. amor. *Propert.* 1. 7. 81. metus. *Id.* 3. 14. 8. Sævior fletus. *h. e.* amarior, et crudelior. *et* 1. 17. 9. Sævæ querelæ. *h. e.* diræ et imprecationes. — Neutr. pl. absolute. *Tac.* 4. *Ann.* 67. Objectu montis, quo sæva ventorum arcentur. pro *sævi venti.* Adde *Sall. Jug.* 14. — 3.°) De rebus inanimis. — a) Universim. *Tibull.* 4. 1. 144. Sævæ mensæ. *h. e.* in quibus humanæ carnes comeduntur. *Propert.* 1. 1. 27. Sævi ignes. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 69. *sævi ignes* sunt fulmina. *Virg.* 9. *Æn.* 604. Sævum gelu. *et* 12. *ibid.* 890. Sæva arma. *et* 5. *ibid.* 270. Sævus scopulus. *Seneca* 1. *Clem.* 17. animadversio. *Stat.* 2. *Theb.* 85. odor vini. *h. e.* quod ad sævitiam homines impellit. *Tac.* 3. *Hist.* 83. Sæva ac deformis urbe tota facies. *sæva* propter cædes: *deformis* propter popinas, scorta et luxum. *Lucil.* apud *Non. p.* 388. 15. *Merc.* Sævum et durum bellum. *Martial.* 4. 55. metallum. *h. e.* ferrum. *Id.* 5. 76. Sæva toxica. *Id.* 9. 28. volsellæ. *h. e.* quæ cum dolore pilos vellunt. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Gravia et sæva damna inferre. *et ibid.* 5. Quæ sibi belligeranti sæva, vel prospera evenissent. *h. e.* adversa. *Hic etiam mallet aliquis* scæva. *Id.* 1. *ibid.* 6. Multa sine dubio sævaque-questus (πολλὰ καὶ δεινά.). *Auct. Symp. p.* 567. *Wernsd.* sævis metuendus in armis. *Sil. It.* 1. 463. sæva luce coruscum Scintillat sidus. *h. e.* infausta, ominosa, perniciosa. — *Sævi joci* apud *Horat.* 1. *Od.* 33. 10. sunt ejus, qui jocatur simul, et lædit. — b) Speciatim et sæpe dicitur de ventis et mari. *Enn. p.* 150. 2. *Vahl.* Neptunus sævus undis asperis pausam dedit. *Id. p.* 81. 1. turbine sævo. *Cic.* 5. *Att.* 12. Inde Gyarum venimus sævo vento, non adverso. *h. e.* vehementi. *Val. Flacc.* 7. 52. Sæva hiems. *h. e.* hibernum tempus, quo mare turbatum esse solet, atque adeo clausum navigantibus, exceptis piratis et avaris, ut est apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. *extr.* et *Plaut. Mil.* 2. 5. 4. Sævi fluctus. *Lucil.* apud *Non. p.* 388. 17. *Merc.* et *Tac. Agric.* 22. Sævæ tempestates. (Cf. *Senec. Ep.* 23.) *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad 1. *Æn.* 620. Mare sævum. *h. e.* importuosum. *Virg.* 7. *ibid.* 719. sævus Orion. *h. e.* procellas inducens. *Justin.* 4. 1. de *freto Siculo.* Torrens fretum non solum citato impetu, verum etiam sævo, *h. e.* naufragia afferente. Sic *Propert.* 3. 17. 8. Sæva Malea. *et* 1. 17. 6. sævas increpat aura minas. — Hinc

Sævum, adverbii vice pro sæve. *Stat.* 3. *Theb.* 589. incurvi sævum rubuere ligones. *Sil. It.* 1. 398. Cui sævum arridens. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 387. sævumque frementes.

Homonym. *Sævus* et *atrox* ita differre videntur, ut hoc personæ agentis faciem, aut etiam rei naturam vel modum; illud vero personæ affectus vel sensa animi, aut vim respiciat. *Liv.* 39. 43. Facinus sævum atque atrox. et *Plin. Paneg.* 53. Atrocissima effigies sævissimi domini. Cf. *Sueton. Tib.* 59. Multa Tiberius sæve et atrociter factitavit.

SAFFIRINUS. *V.* SAPPHIRINUS.

SĂGA, æ, f. 1. idem ac sagum. *Ennius* apud *Charis.* 1. 81.

SĀGA, æ, f. 1. *V.* SAGUS, a, um.

SĂGĀCĬTAS, ātis, f. 3. (sagax)

I.) Proprie. — a) Stricto sensu, est acuta vis odorandi, præsertim in canibus. *Cic.* 2. *Nat.* 2. *D.* 63. *a med.* Canum tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in nando. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (92). Polypus sæpes transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, nisi canum sagacitate. *Apul. Apolog. post med.* Vincit idem sagacitate odorandi canes et vulturios. — b) Latius patet, et dici potest etiam de aliis sensibus. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum, hæc omnia æstimatorem desiderant.

II.) Translate refertur ad animum, et significat solertiam, acumen, calliditatem, *avvedutezza, sagacità, penetrazione,* ἀγχίνοια. — a) Generatim. *Cic.* 3. *Verr.* 41. 105. Utrum admonitus, an tentatus, an, qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice pervenerit ad hanc improbitatem, nescio. *Id.* 6. *ibid.* 12. *extr.* Tuam tantam fuisse sagacitatem, ut etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (57). Hipparchi sagacitate compertum est, lunæ defectum aliquando quinto mense a priore fieri. *Nepos Alcib.* 5. Erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 3. Quod temporis angustiæ negabant, sagacitate consilii assecutus est. *Firmic. Math.* 5. Vigili sagacitate occulta facinora perquirere. — b) Speciatim, de venatoribus. *Plin. Paneg.* 81. Ut domitas feras mentita sagacitate colligerent.

SĂGĀCĬTER, adverb. (sagax) Comp. *Sagacius;* Sup. *Sagacissime.* — Sagaciter est cum sagacitate.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 69. 88. (191). Vultures sagacius odorantur. *Id.* 11. *ibid.* 37. 50. (137) Delphines nec olfactus vestigia habent, quum olfaciant sagacissime. *Colum.* 7. *R. R.* 12. *circa med.* Canes villatici satis pulcre funguntur officio, si et advenientem sagaciter odorantur. *h. e.* callide, astute.

II.) Translate, refertur ad animum prudentem, peritum, vafrum, acutum in investigando, præsentiendo, *sagacemente, avvedutamente, furbescamente,* ἀγχινόως, callide. *Cic.* 1. *Orat.* 51. *in fin.* Acuto homine nobis opus est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives cogitent, sentiant etc. *et* 2. *ibid.* 44. *a med.* Omni mente in ea cogitatione versor, ut odorer quam sagacissime possim, quid sentiant judices, quid existiment, quid exspectent. *Horat. Epod.* 12. 4. Namque sagacius unus odoror. *Liv.* 27. 28. Ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem. *Quintil.* 2. 8. 4. Quum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso genere dicendi, cujus acri maxime gaudeat. *Sueton. Tib.* 57. Sagaciter perspicere naturam alicujus. *Plin.* 10. *Ep.* 69. *sub fin.* Sagacius conquirere et explorare. *Gell.* 16. 12. Curiose et sagaciter conquirere.

SAGADA. *V.* SAGDA.

SĂGĀNA, æ, f. 1. Prima syllaba brevis est, licet longa sit in saga, unde derivatur, *strega,* idem quod saga, ut *Priscian.* docet 4. *p.* 622. *Putsch.* — Hinc apud *Horat. Epod.* 5. 27. et 1. *Sat.* 8. 25. 41. et 48. nomen proprium est mulieris veneficæ. *V.* ONOM.

SAGAPĒNOS. *V.* SACONDIOS.

SĂGĂPĒNUM, i, n. 2. Scribitur et *Sagapinum* et *Sacopenium.* — Sagapenum, σαγάπηνον, *serapino, sagapeno,* succus herbæ ferulaceæ: de quo *V.* in SACOPENIUM. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (40). Laser Cyrenaicum adulteratur gummi, sagapeno, aut faba fracta. *Id.* 12. *ibid.* 25. 56. (126). Galbanum adulteratur faba, aut sagapeno. *Sillig.* utrobiq. leg. *sacopenio.* Adde *Theod. Priscian.* 19. *p.* 295. et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *extr.*

SĂGĂPĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. præc.

SĂGĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SĂGĀRĬUS, a, um, adject. ad sagum pertinens. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. Quidam sagariam communionem inierunt. *h. e.* sagorum conficiendorum et vendendorum. *Id. ibid.* 14. 4. 5. *a med.* Duas negotiationes exercere, puta sagariam, et lintea-riam. *Inscript.* apud *Gruter.* 650. 2. NEGOTIATOR IDEM MERCATOR SAGARIVS. Alia apud *Fabrett. p.* 265. *n.* 105. MILES COH. VII. VIGILUM SAGARIVS. *scil.* qui ejus cohortis militum sagos custodiebat. Alia apud *Orell.* 4251. NEGOTIATOR SAGARIVS. Adde *Schol. Juvenal.* 6. 591. ed. *Cramer.* — Hinc

Sagaria, æ, f. 1. absolute, sagorum mercatura, aut ars. *Apul.* 1. *Met.* Sagariam facere. *Alii rectius leg.* saccariam.

Sagarius, ii, m. 2. absolute, sagorum negotiator, aut artifex. *Inscript.* apud *Gruter.* 650. 1. C. TERENTIO C. L. PAMPHILO SAGARIO. Alia apud *Don. cl.* 9. *n.* 18. M. AVSTRONIVS M. F. PAL. NICEPHORVS OB HON. Q. Q. COLLEG. SAGARIOR. ROMANOR. Q. EX S. C. COIRE LICET etc. Alia apud *Gruter.* 650. 6. (*Orell.* 4275.) P. VETTIVS GEMELLVS SAGARIVS ROMANENSIS. *h. e.* qui saga conficit Romano more. *alla maniera de' Romani.*

SĂGĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

SĂGĀTĬO, ōnis, f. 3. jactatio alicujus per sagum facta. *V.* SAGUM.

SĂGĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sago,* sago vestitus. ¶ 1. Generatim. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 538. 27. *Merc.* Descendi ad forum togatus, quum reliqui consulares sagati vellent descendere. *Id. Font.* 11. 23. Galli sagati, et braccati. *Martial.* 6. 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit: Vis, te purpureum, Marce, sagatus amem? ¶ 2. Speciatim *sagati cuculli,* ex ea materia qua saga fiunt, confecti. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *a med.* Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate, id est munitam diligenter a frigoribus et imbribus: quæ utraque prohibentur optime pellibus manicatis, et sagatis cucullis. *Id.* 1. *ibid.* 8. *ante med.* eadem fere verba habet: nisi quod *cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis.* sunt qui leg. hic *sagis* et *cucullis:* item qui utroque loco *sagis cucullatis.* ¶ 3. *Sagatus gallus gallinaceus.* V. *Afranii loc. adl.* in TAXEA. ¶ 4. *Sagata silva* in *Tab. alim. Vellej.* apud *De Lama p.* 43. esse illi videtur, quæ constat ex arboribus ita densis ramis foliisque præditis, ut saga quædam circa truncos repræsententur.

SĂGAX, gācis, adject. omn. gen. Prima syllaba brevis est, quamvis vox derivetur a *sagio,* cujus prima producitur. — Comp. *Sagacior;* Sup. *Sagacissimus.* — Sagax

I.) Proprie. — a) Stricto sensu dicitur is, qui acutis est naribus in odorando, ut canes venatici, *di fino odorato,* εὔριν, ῥινηλάτης. *Enn. p.* 44. 5. *Müll.* Invictus canis atque sagax et naribu' fretus. *Id. ibid.* 3. Ac veluti quando vinclis venatica velox Apta canis, si forte ea nare sagaci Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute. *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 65. Sagire, sentire acute est: ex quo sagæ anus, et sagaces dicti canes. *Plaut. Curc.* 1. 2. 17. de *anu bibaci.* Canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax nasum habet. *Ovid. Remed. Am.* 201. Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci. *Seneca Hippol.* 39. Nunc demissi nare sagaci Captent auras, lustraque presso Quærant rostro. *Ovid. Halieut.* 76. Venandique sagax virtus, viresque sequendi. *Id.* 11. *Met.* 599. Sollicitive canes, canibusque sagacior anser. *h. e.* aurium sensu præstantior. (V. *Liv.* 5. 47.) *Sil. It.* 3. 296. Umber nare sagax. — b) Latius patet, et dicitur de eo, qui alio quovis sensu pollet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 55. (132). Murium palatus in gustu sagacissimus.

II.) Translate. — 1.°) Refertur ad animum, et est perspicax, acutus, solers, callidus, prudens, peritus, *sagace, accorto, avveduto, scaltro,* ἀγχίνοος. — a) Absolute. *Fest.* v. *Sagaces.* Sagaces appellantur multi ac solertis acuminis. Afranius in Brundisina: Quis tam sagaci corde, atque ingenio unico? *Cic.* 2. *Fin.* 14. 45. Homines hoc a bestiis plurimum differunt, quod

rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem, et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam, sagacem. *Id.* 5. *Tusc.* 23. *ad fin.* Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? *Lucret.* 1. 368. Sagaci ratione quærere aliquid. *Sueton. Claud.* 15. Modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac præceps. *Martial.* 12. 88. Excogitavit homo sagax et astutus, Ne etc. *Justin.* 38. 4. *a med.* Sagaciora ingenia. *Horat.* 4. *Od.* 4. 75. curæque sagaces Expediunt per acuta belli. — *b*) Cum Genetivo. *Id. Art. P.* 218. Utiliumque sagax rerum, et divina futuri. *Colum.* 1. *præf. a med.* Rerum naturæ sagacissimus. *h. e.* peritissimus. Sic *Justin.* 36. 2. 8. Sagacissimus prodigiorum. *Sil. It.* 3. 345. Fibrarum, et pennæ, divinarumque sagacem Flammarum. — *c*) Cum Accus. gerundivi, et præpos. *ad*. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 19. Homo ad custodiendum diligentissimus, ad suspicandum sagacissimus. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 23. Nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad hæc pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. — *d*) Cum Ablat. gerundivi. *Tac.* 4. *Hist.* 11. Civitas rimandis offensis sagax. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 12. (53). Magorum solertia occultandis fraudibus sagax. — *e*) Cum Ablat. et præpos. *in*. *Justin.* 1. 9. *a med* Vir in conjecturis sagacissimus. — *f*) Cum Infinito. *Ovid.* 5. *Met.* 146. Aethionque sagax quondam ventura videre. — 2.°) Dicitur et de rebus inanimis. *Plin. Valer.* 2. 17. *sub init.* Sagacem lapidem accendes, et in aqua calida extingues, et ante quam dormitum vadat, dabis ei bibere per triduum, et sanabitur.

SAGDA, *et* Sagada, æ, f. 1. Vox, ut videtur, Orientalium: est autem gemma porracei coloris. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181). Sagdam Chaldæi adhærescentem navibus inveniunt, prasini coloris.

SĂGĒNA, æ, f. 1. Quidam scribunt *sagina*. — Sagena, σαγήνη, *rete da pescare*, retis piscatorii genus. *Hesychius*: Σαγήνη, πλέγμα τὶ ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύων. Sagena, contextus ex calamis ad capturam piscium. Italis est *nassa*. In *Gloss. Philox.* et ab *Ulp. Dig.* 47. 10. 13. *a med.* exponitur *everriculum*.

I.) Proprie. *Manil.* 5. 678. Excipitur vasta circumvallata sagena. *Vulgat. interpr. Matth.* 13. 47. Sagena missa in mare. Adde *eumd. Job* 40. 26. etc.

II.) Translate. *Id. Hab.* 1. 16. Immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo. *h. e.* potentiæ suæ, suoque consilio. (Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 773). Alii metonymice accipiunt pro pisce. *h. e.* Dagon. V. *Cornel. A-Lap.* in *h. l.*

SĂGĒNĬCUM, i, n. 2. (sagena) genus retis captandis piscibus, qui Italice *frutti di mare* appellantur. *Edict. Diocl.* 5. 11.

SĂGĒNON, i, n. 2. opalus Indicus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 46. (130). Hæc laudatissima est in Indis, apud quos sagenon nuncupatur. *At* Sillig. *leg.* sangenon.

SĂGĪNA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, derivatur a σαγήνη, quæ vox a σάττω, impleo, cujus them. σαγ, unde aor. 2. ἔσαγον. — Sagina est cibus, quo quis pinguis fit, σιτεία (It. *cibo da ingrassare*; Fr. *ce qui sert à engraisser, nourriture, aliments, pâture*; Hisp. *cebo, pasto de ganado, alimento para cebar, engrasar.*; Germ. d. *Mast, Mästung, Fütterung bis zu Fettigkeit*; Angl. *meat with which any animal is crammed or fatted*), et occurrit

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Colum.* 8. *R. R.* 14. *sub fin.* Facilis est anserum sagina. nam præter polentam, et pollinem ter die, nihil sane aliud dari necesse est. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 10. *Id. ibid.* 17. *a med.* Everriculo in litus educere vivam saginam. *h. e.* pisciculos minutos majoribus piscina inclusis in cibum præbendos. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 56. 82. (174). Cochlearum saginam commentus est sapa et farre aliisque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent. — *b*) In plur. num. *Fronto fer. Als.* 3. Altilia veterum saginarum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Metonymice est ipsa pinguedo ex copia cibi, *grassezza*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (140). Gallinæ ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in cervice pingui cute. *Colum.* 6. *R. R.* 27. Ut admissarius sagina hilaris pluribus feminis sufficiat. *Justin.* 21. 2. 1. In segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria contraxit. *Id.* 38. 8. *a med.* Erat sagina ventris non homini, sed belluæ similis. *Auson. Ephemer.* 1. 5. tibi causa somni Multa quod potas, nimiaque tendis Mole saginam. *h. e.* pinguem aqualiculum. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 40. *Apul.* 4. *Met.* Ursa, quæ ceteris sagina corporis prævalebat. — *b*) Item ipsum animal sagina pinguefactum. *Plaut. Most.* 1. 1. 61. bibite, pergræcamini, Este, effercite vos, saginam cædite. — *c*) Item saginarium, seu locus, in quo animalia saginantur, *stia, cortile*. *Id. ibid.* 1. 3. 78. dies noctesque estur Bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet. sagina plane est. *sagina* hic potest esse etiam saginatio, aut helluatio. *Id. Trin.* 3. 2. 96. Aut aliquem ad regem in saginam herus se conjecit meus. *in saginam* potest significare etiam, ut fiat miles, aut gladiator. nam gladiatores largo cibo alebantur, ut infra dicetur. Et hoc verius est. — *d*) Per synecdochen ponitur pro quovis cibo. *Cic. Flacc.* 7. *ad fin.* Nuper epulati, paullo ante omni largitione saturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. *Juvenal.* 4. 67. propera stomachum laxare saginis. *Nemesian. Cyneg.* 166. tunc consuetam minuisse saginam Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus. *Auct. Sympos.* 54. 3. *Wernsd. de hamo.* Morti præmitto saginam. *Id. ibid.* 36. 2. virides exspecto saginas. *h. e.* glandes quernas. *Veget.* 2. *Veterin.* 45. Postea firmioribus cibis ad saginam pristinam revocandus. *Justin.* 44. 4. *a med.* Tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (14). Orca, dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa etc. *Sueton. Cal.* 27. Quum ad saginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit. ¶ 2. Specialim *gladiatoria sagina*, cibi valentiores, quibus gladiatores alebantur. *Tac.* 2. *Hist.* 88. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut gladiatoriam saginam, dividebat. *Propert.* 4. 8. 25. Qui dabit immundæ venalia fata saginæ. Simile quippiam habet *Seneca Ep.* 15. *sub init.* — Hinc metaphorice *Quintil.* 10. 5. *a med.* Forensibus certaminibus exercitatos, et quasi militantes, reficit ac reparat hæc velut sagina dicendi. *h. e.* jucunda ubertas et copia.

SĂGĪNANS, antis, particip. *V.* SAGINO.

SĂGĪNĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SĂGĪNĀRĬUS, a, um, adject. qui saginatur. Attamen probe non usurpatur nisi, absolute substantivorum more,

Saginarium, ii, n. 2. σιτιστήριον, locus, in quo animalia saginantur. *Varro* 3. *R. R.* 10. *sub fin. de anserib.* Ad saginandum eligunt pullos quatuor serve menses qui sunt nati: eos includunt in saginario, ibique polentam et pollinem aqua madefacta dant cibum.

SĂGĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. *ingrassamento*, σίτευσις, actus saginandi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (207). *de suib.* Pinguescunt LX. diebus, sed magis tridui inedia saginatione orsa. *Tertull. Pall.* 4. Lutea unctio, et pulverea volutatio, et arida saginatio. *h. e.* sagina ex cibis assis.

SĂGĪNĀTOR, ōris, m. 3. *ingrassatore di se stesso*, qui sagina pinguefactus est. *Tertull. Jejun.* 17. *extr.* Saginator Christianus ursis et leonibus forte, quam Deo, erit necessarius. Alii leg. *saginatior*. *Gloss. Cyrill.* Σιτευτὴς βοῶν, saginator.

SĂGĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĂGĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sagina) Particip. *Saginans* I. 2.; *Saginatus* I. et II. et in fin.; *Saginaturus* I. 2.; *Saginandus* I. 1. — Sagino est sagina alo, pinguefacio, farcio, λαρινεύω, σιτεύω (It. *ingrassare*; Fr. *engraisser, rendre gras*; Hisp. *engrasar*; Germ. *mästen, fett machen, vollfüttern*; Angl. *to fatten, stuff, cram, pomper*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 2. *R. R.* 1. 20. Boves ad sacrificia publica saginati. *Id.* 3. *ibid.* 7. 9. Qui solent saginare pullos columbinos, quo pluris vendant, secludunt eos, quum jam pluma sunt tecti, deinde manducato candido farciunt pane. *Colum.* 6. *R. R.* 27. *a med.* Equus roborandus est largo cibo, et hordeo ervoque saginandus *Liv.* 36. 17. Velut saginatus nuptialibus cœnis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (50). Sues ex palmulis saginantur. *Id.* 16. *ibid.* 6. 7. (18). Fagi glans glires saginat. *Id.* 8. *ibid.* 36. 54. (129). Ursi somno saginati. ¶ 2. Latiore sensu est pascere, alere, satiare. *Id.* 9. *ibid.* 35. 58. (119). Quum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis. *Id.* 33. *ibid.* 10. 47. (136). Ptolemæum mille convivas, totidem aureis potoriis mutantem vasa cum ferculis saginasse. *Quintil.* 12. 6. *a med.* Catuli ferarum molliore præda saginantur. *Apul.* 4. *Met.* Nos pulpis ejus (*ursæ*) valenter saginantes. *Id* 5. *ibid.* Nec diu blandis alimoniarum obsequiis te saginatorum omnes affirmant.

II.) Translate. *Cic. Sext* 36. 78. Qui ab illo pestifero ac perdito cive jampridem reipublicæ sanguine saginantur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (54). Caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat. *h. e.* altili asparago. *Colum.* 2. *R. R.* 1. *a med* Terra multorum annorum frondibus et herbis velut saginata largioribus pabulis. *concimata*. et *Tac.* 4. *Hist.* 42. *circa med.* Ex funere reipublicæ raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus. *arricchito*. — Hinc Particip præter., cujus exempla retulimus,

Saginatus, a, um, adjectivorum more usurpatur, unde Comp. *Saginatior*. *Hieronym. Ep. ad Damas.* Cruore et victimis pascitur, et novissime saginatiore quadam hostia, ipsius hominis morte saturatur. *Tertull. Jejun.* 17. *extr.* Saginatior Christianus ursis et leonibus. *Alii leg.* saginator. *V.* SAGINATOR.

SĀGĬO, is, ire, a. 4. *sentire, presentire*, ῥινηλατέω, odorari, acute sentire, indagare, quam vocem *Döderlein.* conjungit cum Gr. ἠχεῖν, et Lat. *ajo, adagio, azare*, unde et *saga* (cf. *vates*). *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 65. Sagire, sentire acute est ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt: et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur præsagire, id est futura ante sentire.

SĂGITELLA, æ, f. 1. scalpellum. *Veget.* 1. *Veterin.* 11. 13. Inter nares jumenta sagittella secabis. At *Schneid.* rectius leg. *scalpello*.

SĂGITTA, æ, f. 1. *Săgĭta* legitur apud *Plaut. Aulul.* 2. 8. 26. et *Pers.* 1. 1. 25. V. *Fleckeisen. Krit. Misc.* p. 39 — Sagitta, quam vocem *Döderlein.* confert cum ἑκάτη, ab ἕκω, b. e. ἵημι, mitto, jacio, est jaculum, quod arcu emittitur ex calamo vel ligno leviore, cui ferreum acutum spiculum, sæpe hamatum, præfigitur; et a posteriore parte pennæ, aut quippiam simile infigitur, ut recta provolet, τόξευμα, βέλος, ἰός, οἰστός (It. *freccia, strale, quadrello, bolzone, saetta*; Fr. *flèche*; Hisp. *saeta*; Germ. *d. Pfeil*; Angl. *an arrow, shaft*).

I.) Proprie. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). Arcum et sagittam invenit Scythes Jovis filius: alii sagittas Persen Persei filium invenisse dicunt. *Id.* 11. *ibid.* 53. 115. (279). Scythæ sagittas tingunt viperina sanie, et humano sanguine, irremediabile id scelus mortem illico affert levi tactu. *Id.* 16. *ibid.* 36. 65. (161). Nullus sagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononiensi amne, cui et plurima inest medulla, pondusque volucre, et contra flatus quoque pervicax libra. *Tac. Germ.* 46. Sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. (De *Fennis* loquitur.) *Plaut. Aulul.* 2. 8. 25. Confige sagittis fures thesaurarios. *Virg.* 10. *Æn.* 131. nervo aptare sagittas. *Ovid.* 8. *Met.* 380. celerem Tegeæa sagittam Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu. et 11. *ibid.* 324. curvavit cornu, nervoque sagittam Impulit, et meritam trajecit arundine linguam. *Horat.* 1. *Od.* 29. 9. Sagittas arcu tendere. *Ovid. Heroid.* 16. 362. Figitur in jusso nostra sagitta loco. *Cic.* 6. *Verr.* 34. *de Diana.*

Sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Sagittis aliquem configere. *Justin.* 7. 6. *sub fin.* In prætereuntem de muris sagitta jacta dextrum oculum regis effodit. *Id.* 12. 9. *sub fin.* Sagitta sub mamma trajectus. *Seneca Herc. Œt.* 1469. Sagittis ictus vitam exspuit. *Val. Flacc.* 6. 698. Sagittas spargere. *Virg.* 9. *Æn.* 590. celeres intendere. *et* 11. *ibid.* 590. *et* 858. pharetra depromere. *et* 12. *ibid.* 858. nervo per nubem impellere. *Tibull.* 4. 1. 90. jacere. *Claudian. IV. cons. Honor.* 529. arte dirigere. *Virg.* 4. *Æn.* 69. conjicere. *Marcell. Empir.* 7. *ad fin.* protrahere. *Virg.* 9. *Æn.* 632. Effugit horrendum stridens adducta sagitta. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 63. Pars cadit hamatis misere confixa sagittis. Nam volucri ferro tinctile virus inest. — Jungitur sæpe cum *jaculo,* ut apud *Virg.* 10. *Æn.* 248. Ocior et jaculo, et ventos æquante sagitta. *et* 9. *ibid.* 572. Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta. Adde 10. *ibid.* 754., 5. *ibid.* 68. et 9. *ibid.* 178., *Cic.* 1. *Tusc.* 42. *sub fin.* et *Lucan.* 6. 212. Differunt autem, quia *jaculum* latius patet, et de iis etiam missilibus dicitur, quæ manu jaciuntur. — Sæpe sagittæ Cupidini tribuuntur a poetis: quia, ut ait *Serv.* ad 1. *Æn.* 667., amorem et libidinem sequitur punctura pœnitentiæ: vel quia, ut ipse, incertæ velocesque sunt. *Ovid. Remed. am.* 157. Vince Cupidineas pariter, Parthasque sagittas. *Horat.* 2. *Od.* 8. 15. ferus et Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta. *Lucret.* 4. 1272. Sagittæ Veneris. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 3. Non metuo, ne læsa fides, aut pectore in isto Alter amor. nullis in te datur ire sagittis. *Plaut. Pers.* 1. 1. 25. Sagitta Cupido cor meum transfixit. — Sagittæ Herculis felle Hydræ imbutæ, et ab eo in Œta Philoctetæ commendatæ, fatum Trojæ fuere. Responsum enim fuerat, Trojam sine his numquam expugnatum iri. His ergo a Philocteta acceptis occisus est Paris, et Troja eversa. *Serv.* ad 3. *Æn.* 402., et *Ovid.* 3. *Met.* 334.

II.) Translate. — *a*) Dicitur de scalpello, quo venæ aperiuntur detrahendo sanguini, *lancetta.* *Veget.* 1. *Veterin.* 25. *a med.* Hæ venæ sagitta percutiantur. *et ibid.* 43. Sagittam injicies, ut non solum cutem, verum etiam peritonæum ipsum aperias. *V.* ACUTATUS. — *b*) *Sagitta* apud rusticos est summa et tenuior malleoli pars. *Colum.* 3. *R. R.* 17. Sagittam rustici vocant novissimam partem surculi, sive quia longius recessit a matre, et quasi emicuit atque prosiluit: sive quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit. *et ibid.* 10. *sub fin.* Si sagittam, id est superiorem partem malleoli, vituperandam censebant, quum esset eadem pars surculi frugiferi etc. *Plin.* sic appellat malleolum, quum intortus fuerit. Ejus verba sunt 17. *Hist. nat.* 21. 35. (156). Sagittæ vocantur, quum intorti panguntur: iidem quum recisi nec intorti, trigemmes. *et mox.* Quidam seri vetant nisi eos, qui floruerint, surculos. Sagittas serere minus utile, quoniam in transferendo facile rumpitur, quod intortum fuerit. *Colum.* intorquendi malleoli rationem improbat 3. *R. R.* 18. — *c*) Est etiam herba in genere ulvarum, quam recentiores *sagittalem* vocant, et *linguam serpentis,* Græci *pistanam.* *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 68. (111). — *d*) In fabulis est signum cæleste spiculum habens ad pedes Equi, alteram partem ad humeros Ophiuchi. Occidit ortu Virginis, oritur cum Scorpione. Habet omnino stellas quatuor, unam in principio materiæ, alteram in medio, duas reliquas in eo loco, quo ferrum solet affigi. Hac ferunt Herculem occidisse aquilam, seu vulturem, qui Promethei jecur rodebat. Alii tradunt, ea Cyclopas interfecisse, qui fulmen Jovi fecerant, quo Æsculapius ictus est. Hæc ex *Hygin.* 2. *Astron.* 15. et 3. *ibid.* 14. Hinc *Plin.* 17. *ibid.* 18. 30. (131). Laurum seri ab occasu Aquilæ ad occasum Sagittæ. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 21. VIII. cal. Martii Sagitta crepusculo incipit oriri. *Capell.* 8. *p.* 279. Per Sagittæ ultimam partem ad octavam Capricorni partem circulus revocatur. — *e*) Pro fulgure, vel fulmine. *Vulgat. interpr. Psalm.* 77. 19. Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitrui tui in rota. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĂGITTANS, antis, particip. *V.* SAGITTO.

SĂGITTĀRĬUS, a, um, adject. *da saetta, saettevole,* τοξικός, ad sagittas pertinens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (166). Sagittarius calamus. *h. e.* aptus ad sagittas faciendas. *Dict. Cret.* 4. 19. Philocteta Alexandrum lacessit sagittario certamine. *Inscript.* apud *Spon. misc. p.* 256. SAGITTARIVS DOCTOR. — Hinc

Sagittarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est

I.) Proprie. — *a*) Sagittarum faber, *saettiere,* βελοποιός. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6. Sagittarii, ærarii, bractearii. — *b*) Item miles sagittis pugnans, *arciere, saettatore,* τοξότης. *Cæs.* multis in loc., *Sall. Jug.* 46., *Cic.* 15. *Fam.* 4., *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (101), et *Curt.* sæpe. Erant hi in militia tum pedites, *fanti armati alla leggiera:* tum equites, *cavalleggieri:* utrique levis armaturæ. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 29. *n.* 129. CN. MVNATIVS M. F. PAL. AVRELIVS BASSVS PRAEF. COH. III. SAGITTARIORVM. Alia apud *Murat.* 954. 4. T. FLAVIVS EXPEDITVS DOCTOR SAGITTARIORVM. Hinc *fabrica Concordiensis sagittaria,* de qua vide in FABRICA. — In sing. num., per appositionem, collectivum usurpat *Tac.* 2. *Ann.* 16. Auxiliares Galli in fronte, post quos pedites sagittarii: exin legiones, et levis armatura cum equite sagittario.

II.) Translate. — *a*) Dicitur insidiator, qui ex occulto sagittas infert. *Cic. Sext.* 64. 133. Neque putavi de uno sagittario me queri convenire. *Vet. Scholiast.* ab *A. Maio* editus in *Class. auct. T.* 2. *p.* 157. De ipso Vatinio scilicet, quem sagittarium, quasi levi armatura subnixum, hic appellat: qui timendus non videretur, quum majora essent alia in exercitu C. Cæsaris, quæ magis Cicero timere deberet. — *b*) *Sagittarius* a *Cic. Arat.* 181. et *Auson. Ecl. de Signis. cælestib.* 8. *et alibi* dictus *Arcitenens,* est unum ex duodecim Signis Zodiaci inter Scorpionem et Capricornum, stellis quindecim constans secundum *Hyginum.* Dicitur esse Croton, seu Crotus, Panis et Euphemes Musarum nutricis filius, qui una cum Musis educatus, et præstans poeta evasit, et venandi equitandique peritus: ob quæ merita in cælum Musarum precibus translatus est. Pingitur Centauri forma propter equorum studium: cauda satyri ad indicandam ejus cum Musis familiaritatem, quæ non minus eo sunt delectatæ, quam Liber satyris, arcumque tenens sagittantis habitu, propter venationem. Alii censent esse Chironem: ut *Seneca Thyest.* 861., sed hic est potius sidus Centauri, in Australi parte siti. *V.* CENTAURUS. *Hygin. fab.* 124., 2. *Astron.* 27. et 3. *ibid.* 26. Hinc *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 29. (97). Quum sol Sagittarium transit. Adde *Hygin. Astron.* 2. 57. *et Fab.* 124. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 36. (215).

SĂGITTĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SĂGITTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus sagittandi. *Italá Is.* 13. 18. apud *Tychon. De sept. reg.* 4. *p.* 45. *Migne.*

SĂGITTĀTOR, ōris, m. 3. *saettatore,* qui sagittas mittit. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 2. *p.* 44. Fortasse quidam velox est, et idem etiam corpore validus est, idem etiam sagittator.

SĂGITTĀTUS, a, um, particip. *V.* SAGITTO.

SĂGITTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sagitta *et* fero) est ¶ 1. Sagittas ferens, οἰστοφόρος. *Ovid.* 1. *Met.* 468. (et *Stat.* 1. *Achill.* 416.) Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra. *Sagittifera pecus* apud *Claudian. de hystrice* 48. est hystrix, spinis, tamquam sagittis, armata. ¶ 2. Item sagittandi peritus. *Virg.* 8. *Æn.* 725. Sagittiferi Geloni. *Catull.* 11. 6. Parthi. *Apul.* 11. *Met.* Cretes. — Hinc

Sagittifer, feri, m. 2. absolute, est idem ac *Sagittarius,* signum cæleste. *Manil.* 2. 266. Æstas a Geminis, Auctumnus Virgine surgit, Bruma Sagittifero, Ver Piscibus incipit esse. Adde *ibid.* 500. *et* 560. et *Anthol. Lat.* 616. 5. et 623. 5. *Ries.*

SĂGITTĬFER, fĕri, m. 2. *V.* voc. præced.

SĂGITTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (sagitta *et* gero) sagittifer. Usurpatur *Sagittiger, geri,* absolute, et est idem ac Sagittarius. *Avien. Arat.* 482. Ora Sagittigeri. *h. e.* Sagittarii, sideris.

SĂGITTĬGER, gĕri, m. 2. *V.* voc. præced.

SĂGITTĬPŎTENS, entis, adject. omn. gen. (sagitta *et* potens) βελοκράτωρ, sagittarius. Absolute de *Sagittario* sidere. *Cic. Arat.* 73. Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem. *Auson. Eclog.* 16. 11. Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris. Adde *Anthol. Lat.* 642. 11. et 1028. 9. *Ries.*

SĂGITTO, as, (āvi) ātum, are, 1. (sagitta) Particip. *Sagittans* sub *A*; et *Sagittatus* sub *B* I. et II. — Sagitto est sagittas ex arcu emitto, sagittas jaculor, τοξεύω (It. *saettare;* Fr. *lancer, décocher des flèches, darder;* Hisp. *arrojar saetas, saetar;* Germ. *Pfeile abschiessen, mit Pfeilen schiessen, - treffen;* Angl. *to shoot forth arrows*), et usurpatur

A) Neutrorum more. *Justin.* 41. 2. 5. Hos equitare, et sagittare magna industria docent. *Curt.* 7. 5. *extr.* Sagittandi celebris usus. *Solin.* 19. *a med.* Cervi obvios se præbent sagittantibus.

B) Transitive.

I.) Proprie. *Albric. c.* 5. Apollinem sagittabat. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. *a med.* In bello quemdam sagittatum, penetrato pulmone, convaluisse.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 2. 1. 16. Saviis sagittatis percussus. *h. e.* instar sagittæ animum ferientibus: et respicit ad sagittas Cupidinis. *V.* SAGITTA. At recentiores leg. *ejus saviis perculsus est.* *Vulgat. interpr. Psalm.* 63. 5. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Subito sagittabunt eum. *h. e.* maledicis venenatisque sermonibus, et calumniis incessent.

SĂGITTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sagitta, *saettuzza,* parva sagitta. *Apul.* 10. *Met.* Illos puellos diceres tu Cupidines. nam et pinnulis, et sagittulis, et habitu cetero formæ præclare congruebant. *V.* PINNULA.

SAGMA, mătis, n. 3., *et* Sagma, æ, f. 1. *Isid.* 20. *Orig.* 16. femininum facit, Græci neutrum, ut et *Vulgat. interpr. Levit. loc. cit. V.* SCHEMA. et *Edict. Diocl.* 11. — Sagma, σάγμα, a σάττω, onero, onus impono ¶ 1. Clitellæ, quibus onera a jumentis portanda imponuntur, *basto, soma.* *Veget.* 2. *Veterin.* 59. Exceptis his, qui deputati sunt Circo, reliquum mulorum, equorum asinorumque genus sub sellis, aut sagmis solo tergo præstat officium. ¶ 2. Ephippium, seu equitantis sella, stratum equi. *Vulgat. interpr. Levit.* 15. 9. Sagma, super quo sederit, immundum erit. — De *sagmate,* quod fuerit theca scuti, V. *Stat.* 9. *Theb.* 730. ed. *J. Veenhusen.* in *adnott.*

Homonym. *Sagma* et *sella* differunt; nam *sagma* proprie est quod jumentis onera bajulantibus imponitur; *sella* equorum est aliorumve animalium, quibus quis vehitur. *Veget. loc. supra cit.* Reliquum mulorum, equorum asinorumque genus sub sellis aut sagmis solo tergo præstat officium. *Id. ibid.* Sagmarum, vel sellarum mensura conveniens et apta qualitas debet adhiberi. *V.* SELLA.

SAGMĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SAGMĀRĬUS, a, um, adject. σαγμάριος, *da basto, somajo,* ad sagma pertinens, clitellarius. *Isid.* 20. *Orig.* 16. Sagmarius caballus, mula. — Hinc

Sagmarium, ii, n. 2. absolute, est ipsum onus, quod sagmati imponitur. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 417.

Sagmarius, ii, m. 2. absolute ¶ 1. Qui sagma gerit. *Lamprid. Elagab.* 4. *a med.* Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, quæ pilento, quæ equo, quæ sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari etc. At *Forcell.* aliiq. leg. *quæ equo sagmario.* et *Aurelian. Imp.* in *ep.* apud *Vopisc. Aurelian.* 7. Miles equum et sagmarium suum defricet: equus enim est militem portans, sagmarius (sive equus, sive mulus,

sive asinus) ejus sarcinas. At *Forcell.* aliiq. leg. *equum sagmarium.* ¶ 2. Qui sagma, seu clitellas, et ephippia conficit. *Gloss. Cyrill.* Σαγματοποιός, sagmarius. *Sunt qui male leg.* saginator.

SAGMĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

SAGMEN, minis, n. 3. Ratione habita etymi, recentiores hanc vocem etymologi ducunt ab eod. them., unde *sacer* et *sancio.* — Sagmen est verbena, seu herba pura; sed usus vocis fuit apud Latinos in sacris tantummodo, et in legationibus. *Martian. Dig.* 1. 8. 8. Sanctum dictum est a sagminibus. Sunt enim sagmina quædam herbæ, quas legati populi R. ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ea, quæ vocantur κηρύκεια, ferunt. Similiter *sanctum* a *sagmine* ducit *Festus,* cujus verba sunt: Sagmina vocantur verbenæ, id est herbæ puræ, quia ex loco sancto arcebantur (forte *arcessebantur: at Hutsch.* apud *Müller.* ad *Fest. p.* 320. conjecit legendum *arce dantur* ex *Liv.* 30. 43. ubi *sagmina* dic. herbæ genus ab arce sumptum) a consule prætoreve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum bellumque indicendum: vel ab sanciendo, id est confirmando. Nævius: Jus sacratum Jovis jurandum sagmine. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Auctores imperii R. immensum quiddam et hinc (*h. e.* ex herbis) sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, et in sacris legationibusque verbenæ. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper e legatis, quum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Quod ait *in remediis publicis,* intellige in expiationibus et lustrationibus. *Liv.* 1. 24. Fetialis regem Tullum ita rogavit: Jubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente rege, sagmina, inquit, te, rex, posco. rex ait, pura tollit...

SAGMO, as, are, a. 1. sagma, seu onus impono, onero. *Gloss. Lat. Gr.* Sagmat, σάσσει ὄνον.

SĂGŎCHLĂMYS, *et* Sagoclamys, mȳdis, f. 3. σαγοχλαμύς, genus vestis militaris, et sagi et chlamydis formam referens. sagum enim erat Romana vestis, chlamys Græcorum: utraque suam formam habebat: quæ mixtæ in eadem veste sagochlamydem faciebant. Hujusmodi fuere palliolatæ tunicæ. Quid vero a sago distaret chlamys, haud facile dictu est. *Valerian. Imp.* in *ep.* apud *Trebell. Claud.* 14. Huic dabis sagochlamydes aureas duas, fibulas argenteas inauratas duas. V. *Salmas. ibid.*

SAGRĂBA, æ, f. 1. alluvio. *Gromat. vet. p.* 306. 8. *Rudorff.* Et sagrabam, quam appellat adluvionem.

SĂGŪLĀRIS, e, *et* Sagularius, a, um, adject. ad sagulum pertinens. *Via sagularis* pluries memoratur ab *Hygin. de castr. met.*, quæ ita videtur appellata, quia secus eamdem in castris milites sagula sua deponere solebant. V. *Schelium* ad *eumd. p.* 28. et 322. — Hinc absolute *id. Hygin. p.* 5. *col.* 2. Viæ vicinariæ ideo dantur, percurrentes proximam sagularem, ut ad eruptionem exercitus expediti progredi possint.

SĂGŪLĀRĬUS, a, um. *V.* voc. præced.

SĂGŪLĀTUS, a, um, particip. a verbo *sagulo* inusit., *vestito di sajo,* sagulo indutus, sagatus. *Sueton. Vitell.* 11. Urbem introiit paludatus, ferroque succinctus, sagulatis comitibus ac detectis commilitonum armis. — Hinc

Sagulati, ōrum, m. 2. plur. absolute, h. e. milites, quibus oppon. *prætextati,* h. e. cives, apud *Flor. Virg. orat. an poet.*

SĂGŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* sagum, *sajo, sajone,* ζεῖρα, χλαμύς, ἐπιθωρακίδιον, idem fere significans ac sagum: — *a*) Est sagum gregariorum militum proprium. *Cic. Pis.* 23. 55. Togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, et catervam imperatori suo novam præbuerunt. *Virg.* 8. *Æn.* 660. *de Gallis Capitolium obsidentib.* Virgatis lucent sagulis. *Liv.* 7. 34. *extr. de P. Decio trib. mil.* Sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu dictis, ne, ducem circumire, hostes notarent. — *b*) Dicitur etiam de sago imperatorio. *Sil. It.* 4. 518. humeroque refulget Sanguineï patrium saguli decus. *Id.* 17. 527. atque humeris imponit honorem Fulgentis saguli. *Liv.* 30. 17. *ad fin.* Munera regi decreverunt sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, etc. *Id.* 27. 19. *extr.* Puero tunicam lato clavo, cum Hispano sagulo et aurea fibula, donat. — *c*) Sagulis pro velis instructas lintres memorat *Tac.* 5. *Hist.* 23. *V.* SAGUM.

SĂGUM n. *et* Sagus, i, m. 2. *et* Saga, æ, f. 1. Masculino genere præter *Varron.* infra adlatum usurpavit *Enn.* apud *Non. p.* 223. 30. *Merc.* tergum igitur sagu' pinguis opertat. *et Afran.* apud *Charis.* 1. *p.* 81. *Putsch.* Quod quadrati sunt sagi. *et Cic.* ipse 3. *Verr.* 38. 95. Quum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, sagos imperaret. At plerique omnes leg. *saccos.* Etiam feminino genere usurpatum reperitur, unde *sagas cæruleas* ex *Enn.* affert *Charis. loc. cit.* — Sagum, vox, ut videtur, Celtica, (cf. v. σάκος, saccus) est vestimentum militare, apertum, et fibula connexum, villosum, longius tunica, ex crassiore lana confectum, quod reliquis vestibus superinduitur.

I.) Proprie dicitur — *a*) De veste militari. *Cæs.* 1. *B. C.* 75. *sub fin.* Repentino periculo exterriti sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt. *Ammian.* 18. 6. 13. Porrecto extentius brachio, et summitatibus sagi contortis elatius adesse hostes signo solito demonstrabam. Sagum enim militare elatum et contortum impetus hostilis signum fuit. Adde *eumd.* 19. 5. 5. — Etiam duces exercitus saga habebant, et tribuni militum, et centuriones: sed ex nobiliore materia. Exempla habes in SAGULUM, et confirmat *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 538. 22. *Merc.* — Hinc *saga sumere, ad saga ire, in sagis esse.* Erat enim sagum belli index, ut toga pacis: et non solum milites, sed etiam populus in urbe, exceptis consularibus, (ut colligitur ex *Cicer. fragm.* apud *Non. p.* 538. 22. *Merc.*, et *Phil. locc. cit.*) saga sumere solebant, majore aliquo tumultu exorto. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Tumultum decerni, justitium edici, saga sumi dico oportere. *Id.* 8. *Phil.* 11. 32. Quamquam hoc honore (*consulatus*) usi togati esse solent, quum est in sagis civitas; statui tamen a vobis ceterisque civibus, in tanta perturbatione reipubl. non differre vestitu. *Id.* 14. *ibid.* 1. 1. Propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum, censerem. Adde *Epit. Liv.* 72. *et* 73. *et Vellej.* 2. 16. 4. Quibus omnibus locis de tumultu Italico sermo est. — *b*) Extra militiam, de veste agrestium et pauperiorum. *Colum.* 1. *R. R.* 8. in cultu familiæ rusticæ *saga* ponit. *V.* SAGATUS. *Ulp.* quoque *Dig.* 34. 2. 24. *in fin.* inter ea, quæ ad familiam vestiendam parata sunt. — Apertum fuisse, illud probat quod eo expanso homines per ludibrium in sublime jactabant: cujus generis ludibrii mentio est in *Gloss. Philox.* Sagatio, παλμός, (quamquam male hic a *Philoxeno* sagatio vocatur παλμός, quum potius sit cordis pulsatio, quam *Aristænetus* 1. *Ep.* 12. vocat τὸ πήδημα τῆς καρδίας) quodque Galli *berne,* Itali *berta* dicunt hinc propterea factum nostratium *dar la berta* et *berteggiare. Sueton. Oth.* 2. Ferebatur vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum, ac potulentum corripere, ac distento sago in sublime jactare. *Martial.* 1. 4. Ibis ab excusso missus in astra sago. *Ulp. Coll. Mosaic. et Rom. leg. tit.* 1. § 11. Cognovi, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum sago jactatur, culpa Marii Euaristi ita male acceptus fuerit, ut post diem quintum moreretur. *Tac.* vero 5. *Hist.* 23. memorat lintres sagulis versicoloribus pro velis instructas. *V.* SAGULUM. — De fibula. *Varro* apud *Non. p.* 223. 31. et *p.* 538. 20. *Merc.* Quum neque aptam mollis (*Ald.* et *Popma* leg. *mollibus* contra Codd. auctoritatem) humeris fibulam sagus ferret. *Tac. Germ.* 17. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. (*Kritzius* ad *h. l.*: sagum indefinite intelliges vestimenti genus sago Romano quodammodo comparandum: Germanice dixeris *Kittel.*) Adde *Liv.* 30. 17. *ad fin.* Non omnia saga fibulam habuisse, ostendit *Claud. Imp.* in *ep.* apud *Trebell.* in *XXX. Tyrann.* 10. Duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, quum ipse miserim de nostris. — De crassiore lana, et villo *Martial.* 6. 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit. Vis, te purpureum, Marce, sagatus amem? *Id.* 14. 159., cujus lemma *Tomentum Lingonicum.* Vellera Lingonicis accipe rasa sagis. — Gallicum, et Hispanicum sagum inter se, et a Romano diversa fuisse, multis probat *Ferrar. de re vestiar.* et ex illo *Taciti* 2. *Hist.* 20. Ornatum Cæcinæ municipia Italiæ, et coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo, bracas, barbarum tegmen, indutus togatos alloqueretur. *h.* e. Gallico sagulo, quod virgatum *Virgilio* 8. *Æn.* 660.; si enim Romana forma fuisset, non offendisset. — Sagi figuram videre est in *Mus. Mant.* ab *Labusio* edit. *T.* 2. *tav.* 9. *V.* et CHLĂMYS. — *c*) In illo *Vulgat. interpr. Exod.* 26. 7. Facies et saga cilicina, *saga* sunt vela, velamina, cortinæ.

II.) Metonymice — *a*) *Sagum* dicitur etiam lana ipsa, ex qua saga texuntur. *Varro* 4. *L. L.* 35. (5. 167. *Müll.*) Posteaquam transierunt ad culcitas, quod in ea sagum, aut tomentum aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta. Ita *Forcell.*; at *Müll.* cum *Turnebo* leg. *in eas acus.* — *b*) Et ipse pannus ita dici videtur, ex quo sagum fit. *Veget.* 4. *Milit.* 6. Saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum. *Veget. alter* 1. *Veterin.* 42. *circa med.* Jumentum loco calido statues, ac sagis cooperies diligenter. Adde 2. *ibid.* 59.

SĀGUS, a, um, adject. (sagio) ¶ 1. Qui acute sentit, præsagus, *presago.* (*V.* SAGIO.) *Stat.* 8. *Theb.* 204. Ipse nihil certum sagis clangoribus æther Præcinet. *Id.* 1. *Achill.* 519. Nunc sagas effatur aves, nunc dira sororum Licia. Adde *Prudent. Apotheos.* 366. ¶ 2. Item magicus, veneficus. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 170. 1. (*Orell.* 2486.) ERIPVIT ME SAGA MANVS CRVDELIS VBIQVE QVVM MANET IN TERRIS ET NOCET ARTE SVA. *Apul.* 2. *Met.* Sagæ mulieres ora mortuorum passim demorsicant. — Hinc

Saga, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Sagax et versuta mulier, quæ multa scire vult: et speciatim venefica, quæ malis artibus ac potissimum pravis superstitionibus boni aliquid, aut mali cuipiam conciliat, *strega, maga, ammaliatrice, maliarda,* φαρμακεύτρια. *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 1. Sagire, sentire acute est; ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt: et sagaces dicti canes. *Fest.* in *Sagaces.* Saga dicitur mulier perita sacrorum. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 29. Sagave punicea defixit nomina cera, Et medium tenues in jecur egit acus. *Horat.* 1. *Od.* 27. 21. Quæ saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis, quis poterit Deus? *Tibull.* 1. 2. 41. Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax Pollicita est magico saga ministerio. *Colum.* 1. *R. R.* 8. Haruspices sagasque, quæ utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit. Adde *eumd.* 11. 1. *a med.* et *Martial.* 7. 54. et 11. 50. et *Apul. Apolog. ante med.* ¶ 2. Et quia hujusmodi aniculæ conciliandis amoribus sæpe adhibentur, *saga* pro lena ponitur, *ruffiana. Non. p.* 22. 33. *Merc.* Sagæ mulieres dicuntur feminæ ad libidinem virorum indagatrices: unde et sagaces canes dicuntur ferarum vel animalium quæsitores. *Lucil. ibid.* Ætatem et faciem, ut saga et bona conciliatrix. *Turpil. ibid.* Non ego hoc per sagam pretio conductam, ut vulgo solent. *Tibull.* 1. 6. 23. sagæ præcepta rapacis Desere.

SĂGUS, i, m. 2. *V.* SAGUM init.

SAJO, ōnis, m. 3. Scribitur et *Sajus.* V. *loc. infra cit.* — Cadentis Latinitatis tempore ita dicti sunt ministri judicum, et magistratuum, ex lictorum et exactorum genere, a sajo vel sago, veste eorum propria, quam Itali nunc *sajo* et *sajotto* vocant. V. *Ducang. Glossar. med. et*

inf. Latinit. in V. *Sajones.* Hi etiam *taxeotæ* videntur fuisse appellati, quam vocem vide suo loco. *Cassiod.* 4. *Variar.* 47. Nullum sajonum discursus facere patiaris, sed ad causam, quam directus fuerit, uno tantum itinere permittatur accedere, vel redire. *Id.* 12. *ibid.* 8. universis sajonibus, qui sunt cancellariis deputati, sub nomine præfecti prætorio, quid iisdem in munerum suorum exercitatione peragendum sit, præcipit. *et id.* 7. *ibid.* 42. ubi *sajus* scribitur, ut et 8. *ibid.* 24.

SAJUS. *V.* voc. præced.

SAL, sălis, m. et n. 3. in sing. num., at in plur. mascul. tantum. Olim *sale, is,* n. dictum est. *Varro* apud *Non. p.* 223. 17. *Merc.* Sale sordidum. *et Ennius* apud *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum. — Ablativus sing. *sali* est *Veran.* apud *Fest. p.* 158. 30. *Müll.;* Dativus plur. *salis* est *Fabian.* apud *Charis.* 1. *p.* 82. *Putsch.* Hærescunt infusis salis. In *Fragm. Bob. de nom.* § 25. *p.* 560. 31. *Keil.* invenitur etiam *salis* in Nomin. sing. — Sal, a Græca voce ἅλς, ἁλός per metathesin, ut ait *Forcell.,* vel potius adjectâ litterâ *s* pro spiritu aspero (*V.* litt. S), est mixtum quiddam ex aqua marina et terra, quo in cibis condiendis et a putredine servandis utimur (It. *sale;* Fr. *sel;* Hisp. *sal;* Germ. *d. Salz;* Angl. *salt*).

I.) Proprie. — 1.°) In sing. num. — *a*) Mascul. gen. *Cato R. R.* 88. Salem candidum sic facito. *Plaut. Merc.* 12. 92. Salem in aquam indere. *Sall. fragm.* apud *Charis.* 1. *p.* 82. *Putsch.* et apud *Priscian.* 5. *p.* 644. Neque salem, neque alia irritamenta gulæ quærebant. *Varro* 1. *R. R.* 7. *a med.* Ubi salem nec fossicium, nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur. *Colum.* 6. *R. R.* 17. Sive album in oculo bovis est, montanus sal, Hispanus vel Ammoniacus, vel etiam Cappadocus minute tritus et immixtus melli vitium extenuat. *Apic.* 8. 6. Asperges salem purum. Rursum *Cato* apud *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* Ex sale, qui apud Chartaginienses fit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 40. (83). Quicumque ligno confit, sal niger est. *Id. ibid.* 7. 41. (85). Salsissimus sal qui siccissimus, suavissimus omnium Tarentinus, atque candidissimus. *Vitruv.* 8. 3. Lacus ita salsi, ut habeant insuper se salem congelatum. — *b*) Neutr. gen. *Varro* apud *Charis.* 5. *p.* 644. *Putsch.* Nunc vides, in conviviis poni et sal et mel. *Cato R. R.* 88. Sal populare. *sale comune.* et *Colum.* 12. *R. R.* 53. *ad fin.* In seriam substernitur sal coctum, sed modice infractum. — Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Sus quid habet, præter escam? cui quidem ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. *Lucret.* 1. 326. Nec mare quæ impendent, vesco sale saxa peresa Quid quoque amittant in tempore cernere possis. *Virg.* 3. *G.* 403. caseum parco sale contingere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 14. Concha salis puri. *Vitruv.* 8. 3. Sal foditur. *et ibid.* Salis fodinæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (21). Sale aliquid aspergere. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 14. Convenit recorporationi etiam solis (*leg.* salis) igniti vaporatio. *Id. ibid.* Saccellum implere sale torrido. *Id.* 4. *ibid.* 2. 16. Cum salis flore, quem Græci ἁλὸς ἄνθος vocant. *Apic.* 1. 27. Salis fricti lib. 1. *Id.* 7. 10. Salis grana infringis. — 2.°) In plur. num. *Varro* 2. *R. R.* 11. Quin aspergi solent sales: melior fossilis, quam marinus. *Colum.* 7. *R. R.* 4. *sub fin.* Cælestis aqua sub dio salibus durata. *Pallad.* 6. *R. R.* 9. Vitia casei sunt, si sales nimios accipiat, etc. *Id.* 12. *ibid.* 19. Si sordet oleum, frictos et adhuc calentes sales injici jubent. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 286. — De variis generibus et usu salis hæc loca subdimus. *Fabian.* apud *Charis.* 1. *p.* 82. *Putsch.* Sal aut facticius est, aut nativus: hic aut marinus, aut fossilis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (73). Sal omnis aut fit, aut gignitur: utrumque pluribus modis, sed causa gemina, coacto humore, aut siccato. Siccatur in lacu Tarentino æstivis solibus, totumque stagnum in salem abit. Omnis talis sal minutus, atque non glæba est. *et mox.* Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis. Hic omnis rore densatur. (At pro *hic omnis* (scil. *spuma*) *rore densatur* legendum *hic omnis sole densatur,* ut monet *Pontedera, Antiquit. Gr.* et *Lat. p.* 613. ex *Isid.* 16. *Orig.* 2. § 3. qui eadem fere *Plinii* verba refert, et pro *rore densatur* habet *sole decocta.* Corrigendus itaque est error amanuensium, minime vero ipsius *Plinii,* qui idcirco a recentioribus Gallis interpretibus erroris ibidem arguitur. Hinc *Manil.* 5. 686. tum demum suscipit undas Area, tum posito per solem humore nitescit. Ita cl. *Furlanettus*) *et paullo post.* Sunt et montes nativi salis, ut in Indis Oromenus, in quo lapicidinarum modo cæditur renascens. Effoditur et e terra in Cappadocia. (*V.* CAPPADOCUS in ONOM.) Item per Africæ sitientia usque ad Ammonis oraculum. (*V.* AMMONIACUS.) *et ibid. a med.* Facticii varia genera: vulgaris plurimusque in salinis, mari affuso, non sine aquæ dulcis riguis, sed imbre maxime juvante, ac super omnia sole multo, non aliter inarescens. Galliæ Germaniæque ardentibus lignis aquam salsam infundunt, etc. (V. loc. *Varron.* supra adlatum ex 1. *R. R.* 7.) Hæc *Plin.*, qui *ibid.* 40. pergit docere, quomodo, et a quibus fiat ex cinere quercus, ex arundine et junco, ex muria salsamentorum etc., variosque ejus colores refert, atque utilitates in medicina. — Varro, inquit *id. ibid.* 41. *sub fin.*, etiam pulmentarii vice sale usos veteres, auctor est: et salem cum pane esitasse eos, proverbio apparet. Hinc *Horat.* 2. *Sat.* 2. 17. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet. *h. e.* tenuis et simplex cibus, qualis veterum fuit, sine ullis ferculorum deliciis. Porro quod proverb. *Plin.* tangit, videtur esse illud *Cic. Amic.* 19. 67. Verum illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. *h. e.* diu multumque amicos eodem victu et consuetudine uti oportere. — Huc pertinet *salem delingere,* cibo et victu uti. *Plaut. Pers.* 3. 3. 25. Nisi me hæc (*lingua*) defendet, numquam delinget salem. *Id. Curc.* 4. 4. 6. Hic hodie apud me numquam delinges salem. *h. e.* cœnabis: et simul respicitur ad tenuam victum priscorum. Sic *Pers.* 5. 138. regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis. ἁλίαν τρυπᾶν. — Item *salem comedere,* alimoniam et salarium accipere, apud *Vulgat. interpr.* 1. *Esdr.* 4. 14. — Hinc olim sal honoribus militaribus interponebatur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa salem in Sabinos portari convenerat. Ancus Marcius rex salis modios sex mille in congiarium dedit populo, et salinas primus instituit. *Plin. cit.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. — *Salibus præfectus* dicitur is, qui commilitonibus suis salis distribuendi curam habebat, in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 676. *n.* 27. (*Orell.* 3511.) I. O. M. CONSERVATORI TEATINIVS VITALIS MIL. LEG. XXX. V. V. (*h. e.* valentis victricis) SALIB. PRAEF. PRO SE ET SVIS V. S. L. M. (*h. e.* votum solvit libens merito) VI. KAL. MAIAS LVPO ET MAXIMO COS. (*scil.* ann. a Chr. n. CCXXXII.)

II.) Translate. ¶ 1. A similitudine dicitur de vitio gemmarum, aut crystalli, quum parva veluti salis grana nitorem corrumpunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. *de jaspidib.* Vitium est et brevis in iis nitor, et longe splendens, et sal. *et ibid.* 6. 22. (82). Vitia opali, si sal interveniat, aut scabritia, aut puncta oculis occursantia. *et ibid.* 2. 8. (22). In murrhinis translucere quidquam, aut pallere, vitium est: item sales (h. e. *parti cristalline*), verrucæque (h. e. *quasi piccole mammelle*) non eminentes. *et ibid.* 10. (27). Infestantur crystalla scabro ferrumine, maculosa nube, item sale appellato. ¶ 2. Metonymice est mare, *il mare. Virg.* 10. *Æn.* 214. campos salis ære secabant. *et* 1. *ibid.* 177. Et sale tabentes artus in litore ponunt. *et* 5. *ibid.* 848. salis placidi vultum fluctusque quietos. *et* 866. rauca assiduo longe sale saxa sonabant. *et* 6. *ibid.* 697. Stant sale Tyrrheno classes. *et* 3. *ibid.* 385. salis Ausonii æquor. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 70. Æquorei scopulos ut cavat unda salis. *Val. Flacc.* 4. 721. flumineo sic agmine frangit amari Vim salis. *h. e.* fluminum influxu maris salsitudinem minuit. Sic *Lucan.* 10. 257. Æquoreosque sales longo mitescere tractu. ¶ 3. Metaphorice. — *a*) Dictum, lepos, urbanitas, facetiæ, jocus, propter acrem sensum, et quia est veluti condimentum sermonis, et quasi sapidam facit orationem, ut sal est condimentum ciborum, *detto leggiadro, grazioso, motto, arguzia, grazia, facezia; o detto frizzante, piccante, mordace, canzonatorio, satira:* et fere masculino genere. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (88). Sal adeo necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. nam ita sales appellantur: omnisque vitæ lepos, et summa hilaritas laborumque requies non alio magis vocabulo constat. *Afran.* apud *Priscian.* 5. *p.* 659. *Putsch.* Quidquid loquitur, sal merum est. *Plin.* 3. *Ep.* 21. *de Martiali.* Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet, et fellis. *Cic. Brut.* 34. 128. P. Scipio omnes sale facetiisque superabat. *Id.* 2. *Orat.* 23. *ad fin.* Cæsar inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quemdam et salem est consecutus. *Id.* 1. *Att.* 13. Litteræ humanitatis sparsæ sale. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 55. In quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (117). Plurimæ argutiæ facetissimi salis. — *Id.* 18. *ibid.* 26. 66. (249). Petulantiæ sales. *Seneca Vit. beat.* 27. *circa med.* Tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit. *Id. Tranquill.* 4. Quidam urbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. *Ovid.* 2. *Trist.* 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi: Nulla venenato littera mixta joco est. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 60. Bioneis sermonibus et sale nigro delectari. *h. e.* mordaci dicacitate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 29. 74. Salem istum in irridendis nobis nolite consumere. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 3. Lucilius sale multo Urbem defricuit. — *Id. Art. P.* 270. At nostri proavi Plautinos et numeros, et Laudavere sales: nimium patienter utrumque. — *b*) Item sapientia, calliditas, acumen. *Ter. Eun.* 3. 1. 9. Labore alieno magnam partem gloriam verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem: quod est in te. *quod* ad totam sententiam refertur, ut et *Servius* docet ad 1. *Æn.* 39. — *c*) Item venustas, elegantia, decor, etiam in rebus corporeis. *Nepos Attic.* 13. Ipsum tectum antiquitus constitutum, plus salis, quam sumptus habebat. *più di buon gusto, che etc. Catull.* 86. 3. nulla venustas, Nulla in tam magno est corpore mica salis. — *d*) Item naturalis acrimonia, et siccitas, ariditas, ex qua fames et sitis oritur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 93. (198). Nullum interit fame, aut siti venenatum. nam neque calor his, neque sanguis, neque sudor, quæ aviditatem naturali sale augent. — *e*) Item firmitas, stabilitas. *Vulgat. interpr. Num.* 18. 19. Pactum salis. *h. e.* stabile, perpetuum: Hebraica locutio inde orta, quod sal corpora incorrupta servat.

SĂLĂCACCĂBĬA, ōrum, n. plur. 2. ἁλακακκάβια, cibi saliti, in ollis cocti: ab ἅλας, sal, et κακκάβη, olla, cacabus. *Apic.* 4. 1.

SĂLĀCĬA, æ, f. 1. (sal) aqua. *Fest. p.* 326. 16. *Müll.* Salacia dicta est, quod s a l u m c i e t; antiquitus autem eo vocabulo poetæ pro aqua ipsa usi sunt. Sed *V.* SALACIA in ONOM.

SĂLĀCĬTAS, ātis, f. 3. (salax) *libidine, prurito* in Venerem. — *a*) De brutis animantibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 36. 52. (107). Columbæ et turturæ octonis annis vivunt: contra passeri minimum vitæ, cui salacitas par. *et ibid.* 59. 79. (162). Corrumpitur salacitate fecunditas. Adde 9. *ibid.* 17. 26. (59). — *b*) De hominibus. *Tertull. Jejun.* 1. *de psychicis.* Per edacitatem salacitas transit.

SĂLĂCO, *et* Salacon, ōnis, m. 3. σαλάκων, *Hesychio,* et *Suidæ* is dicitur, qui totidem fere litteris ἀλαζών vocatur, idest arrogans, jactabundus. Quidam derivant a quodam viro nomine Salacone, qui, quum pauper esset, se divitem simulabat: est vero a σαλάσσω, jacto. *Cic.* 7. *Fam.*

24. Cognosti ineam causam, et istius salaconis iniquitatem. *Id.* 16. *ibid.* 18. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat. Sic olitorem ipsum commovebis. Salaco nequissimus HS (I) dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. *V.* PARHEDRUS.

SĂLĂMANDRA, æ, f. 1. σαλάμανδρα, salamandra, animal lacerti figura, stellatum, numquam, nisi magnis imbribus, proveniens, et serenitate deficiens. Huic tantus rigor, ut ignem tactu restinguat, non alio modo, quam glacies. Ejusdem sanie, quæ lactea ore vomitur, quacumque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat. Nihil ex se gignit. Inter omnia venenata ejus scelus maximum est. Cetera enim singulos feriunt: salamandra populos pariter necare improvidos potest, nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, et eos, qui ederint, necat frigida vi, nihil aconito distans. Quin immo si contacto ab ea ligno vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est: vel si in puteum cadat. Tamen talis ac tanti veneni a quibusdam animalium, ut subus, manditur. Hæc ex *Plin.* 10. *Hist. nat. c.* 67. *et* 68. et 29. *ibid.* 4. 23. (74). *Scribon.* 187. Salamandra, quibus data est, lingua exasperatur, corpus invalidum fit: præter hoc torpet rigoribus quibusdam, et livoribus quasi maculis variatur. Inter venena enumeratur etiam a *Martian. Dig.* 48. 3. Quod vero tradit *Plin.* de pilorum defluvio, confirmatur illo *Martial.* 2. 66. Hoc (*caput*) salamandra notet, vel sæva novacula nudet etc. *et Petron. Sat.* 107. *extr.* Quæ salamandra supercilia tua excussit? cui deo crinem vovisti? *et Seren. Sammon.* 8. 107. Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis, Eximium capitis tactu dejecit honorem. V. etiam *Cassiod.* 3. *Variar.* 47. ubi eadem describitur.

SALAMBO, onis, m. 3. genus monstri ignotum. *Gloss.* apud *Salmas.* in *Prodr. Gloss. Lat.* ed. *Löwe. p.* 30. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂLĂPITTA, æ, f. 1. Hanc vocem alii cum Gr. σαλαΐζεσθαι, quod est idem ac κόπτεσθαι; alii vero cum σαλπίζειν et voce *salpicta* conjungunt, immo unum idemque putant. *V.* SALPICTA. — Salapitta est alapa, *guanciata, schiaffo*, ῥάπισμα. *Arnob.* 7. *p.* 239. Delectantur dii stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. *h. e.* alapis histrionum, quibus os præbebant ad risum movendum. quod discimus ex *Martial.* 5. 61. O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini: Te successurum credo ego Panniculo. *et* 2. 72. Os tibi percisum, quantum non ipse Latinus Vilia Panniculi percutit ora sono. Similiter *Tertull. Spectac.* 23. Placebit et illo, qui faciem suam contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat. Adde *Juvenal.* 8. 192.

SĂLĂPŪTĬUM, *et* Salaputtium, ii, n. 2. Multas viri docti varias lectiones in hac voce commenti sunt, *salopygium, solopygium, salicippium, salapittium, solopachium* etc., quibus immorari singulis, tædium est. — Salaputium est idem ac salax mentula: a *salax* et *putus*, h. e. πόσθη, vel deminut. πόσθιον, extrito *s*. Sic per obscenum jocum dicitur homo brevis staturæ: quemadmodum purissimum penem vocabat Horatium, et lepidissimum homuncionem Augustus, ut *Sueton. Vit. Horatii* narrat. *V.* POTUS, i, PUTILLUS et PRÆPUTIUM. *Catull.* 53. 5. *de Licin. Calvo.* Dii magni, salaputium disertum! *Seneca* 3. *Controv.* 19. *a med. de eod.* Imponi se supra cippum jussit (erat enim parvulus statura: propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum.) et juravit, etc.

SĂLAR, ăris, m. 3. genus piscis (*cf. salmo*), de quo *Auson. Edyll.* 10. 88. Purpureisque salar stellatus tergora guttis. *et ibid.* 128, Teque inter species geminas, neutrumque et utrumque, Qui necdum salmo, nec jam salar, ambiguusque Amborum medio Fario, intercepte sub ævo. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Ut nocturnis per lacum excursibus rapacissimi salares in consanguineas agantur insidias. *V.* FARIO.

SĂLĀRĬA, æ, f. 1. *V.* SALARIUS, a, um.

SĂLĀRĬĀNUS, a, um, adject. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (94). laudat Salarianam castaneam, ut puram et planam. Fortasse nomen habet a Salaria via, qua sal ex Sabinis Romam afferebatur.

SĂLĀRĬĀRĬUS, ii, m. 2. *salariato*, cui salarium solvitur. *Ulp. Dig.* 17. 1. 10. § 9. Si procurator ad vecturas suas, dum excurrit in prædia, sumptum fecit, puto hos quoque sumptus reputare eum oportere, nisi si salariarius fuit, et hoc convenit, ut sumptus de suo faceret ad hæc itinera, hoc est, de salario. *Inscript.* mendosa apud *Murat.* 1046. 5., emendatior apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3507. M. VLPIO C. F. SPORO MEDICO ALAE. INDIANAE ET TERTIAE ASTVRVM ET SALARIARIO CIVITATIS SPLENDIDISSIMAE FERENTINENSIVM etc. *medico salariato*. Alia apud *Donat.* 275. 4. M. APICIO T. F. CAM. TRIONI (*corrige* Tironi) F. P. LEG. XXII. PRIMIG. P. V. PRAEF. LEG. XIII. GEM. 7. LEG. XV. APOLLIN. EVOC. A COMMENT. CVST. OPTIONI EVOC. SALAR etc. *h. e.* evocato salariariorum, seu stipendiariorum. Alia apud *Orell.* 4074. CORPVS CORARIORVM MAGNARIORVM SALAIARIORVM (lege *salariariorum*: at alii leg. in lapide *solaiariorum* pro *soleariorum*, ut adnotat *Furlanettus*).

SĂLĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĂLĀRĬUS, a, um, adject. ἁλώδης, *di sale*, ad sal pertinens. *Liv.* 29. 37. Vectigal etiam novum ex salaria annona constituerunt. — Hinc

Salaria, æ, f. 1. absolute, subaud. *via*, quæ etiam exprimitur, ut in sequentibus videre est. *Salaria*, vel *Salaria via*, Roma in Sabinos ferebat: ita dicta, quod illa sal ad eos portari conveverat: quæ sunt verba *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (89). *V.* SAL. *Festus*: Salaria via incipit a porta, quæ nunc Collina a colle Quirinali dicitur. Salaria autem propterea appellabatur, quod impetratum fuerat, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari. *Liv.* 7. 9. Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. *Martial.* 4. 64. Illic Flaminiæ, Salariæque Gestator patet, essedo tacente. Adde *Cic.* 3. *Nat. D.* 5. 11.

Salarium, ii, n. 2. absolute, stipendium, merces, annona, *provvisione, stipendio, salario, mercede*, μισθοφορία, ὀψώνιον: proprie est annona salis, quæ olim dabatur militibus; quamquam *Döderlein. op. cit. v.* 6. *p.* 514. aliud hujus vocis etymon proponit, quod videsis.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (89). Sal honoribus etiam, militiæque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate. *Id.* 34. *ibid.* 3. 6. (11). Nec pudet tribunorum militarium salariis candelabrum emere. *h. e.* tanti emere, quantum salarii nomine in annum dari solet tribuno mil. *Juvenal.* 3. 132. alter enim, quantum in legione tribuni Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ. — *b*) Latiore sensu usurpatur de rerum generibus, quæ militibus honoris causa dabantur. *Valerian. Aug.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* *Goth.* 14. Claudio trib. leg. III. Martiæ salarium de nostro privato ærario dabis annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, etc. *Id.* in *epist.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Probo dabis in salario diurno bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, olei per biduum sextarium unum, vini veteris diurnos sextarios decem, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice significat unius anni militiam, ut et stipendium. (*V.* STIPENDIUM.) *et* 4. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 133. *n.* 104. M. SABVRIVS LIGVS FAL. ALBINTIMILII EVOC. AVG. SAL. VI. *h. e.* qui salarium per sex annos perceperat. Alia apud *eumd. p.* 700. *n.* 217. AVR. IVLIANVS EVOK. EX BENEFICIARIO SALARIORVM VIIII. CHOR. III. Alia apud *Orell.* 3464. SALAR. CVRAT. (*h. e.* salarii curator). ¶ 2. Inde traductum ad significandam quamlibet erogationem, annonam, aut mercedem, in quacumque specie. *Sueton. Ner.* 10. Senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, et quibusdam quingena constituit. *Seneca Ep.* 97. Dati judicibus nummi sunt: et quod hac pactione turpius est, stupra insuper matronarum salarii loco exacta sunt. *Tac. Agric.* 42. Salarium proconsulari solitum offerri, Agricolæ Domitianus non dedit. *Martial.* 3. 7. Regis superbi sportulæ recesserunt. Nihil stropharum est: jam salarium dandum est. *h. e.* cœna recta. *Sueton. Tib.* 46. Pecuniæ parcus ac tenax, comites expeditionum numquam salario, cibariis tantum sustentavit. *Eumen. Restaur. schol.* 11. Salarium me liberalissimi principes in sexcenis millibus nummum accipere jusserunt. *Scævola Dig.* 44. 7. 61. Salarium alicui constituere. *Id. ibid.* 34. 1. 16. medico præstare. *Ulp. ibid.* 50. 9. 4. alicui decernere. *Id. ibid.* 2. 15. 8. *a med.* Salarium annuum cuipiam, vel usumfructum relinquere.

Salarius, ii, m. 2. absolute, qui salsamenta vendit, *pizzicagnolo*, ταριχοπώλης. *Martial.* 4. 87. *ad libr. suum.* ad salariorum Curras scrinia protinus licebit, Inversa pueris arande charta. Adde 1. 42. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 294. (*Orell.* 1092.) DIVO CONSTANTINO AVGVSTO CORPVS SALARIORVM POSVERVNT.

SĂLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

SĂLAX, ācis, adject. omn. gen. Comp. *Salacior*; Sup. *Salacissimus.* — Salax, *lussurioso*, ἀφροδισιαστικός, propensus in Venerem, turpi libidine pruriens, cupidus, incontinens, videtur esse a *sale*, quia humore salso incitatur libido: unde Venus orta mari dicitur: vel a salio, ὀχεύω.

I.) Proprie. — *a*) De animantibus brutis. *Ovid.* 4. *Fast.* 771. Sitque salax aries, conceptaque semina conjux Reddat: et in stabulo multa sit agna meo. *Varro* 3. *R. R.* 9. Salaces galli. *Colum.* 7. *R. R.* 9. Suum quam salacissimos oportet esse mares. *Lactant. Opif. D.* 14. *a med.* Salaciora animalia plus jecoris habuissent. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 45. Salax cauda. Adde *Marcell. Emp.* 33. 133. *retro.* — *b*) De hominibus, immo et de diis ipsis usurpatur. Hinc *salax Deus* est Priapus. *Auct. Priap.* 35. Quum sacrum fieret Deo salaci. Ironice *Lactant.* 1. 16. *a med.* Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere?

II.) Translate, per metonymiam, de iis dicitur, quæ turpem libidinem provocant. *Ovid. Remed. am.* 799. Nec minus erucas aptum vitare salaces. *Martial.* 3. 75. Salaces bulbi. Apud *eumd.* 10. 48. et *Ovid.* 2 *Art. am.* 422. *herba salax* est eruca, quam stimulandæ Veneri aptissimam esse, docet *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 44. (154) et 20. *ibid.* 13. 49. (126).

SĂLE, is, n. 3. *V.* SAL init.

SĂLĔBRA, æ, f. 1. *sassi, o altro, che rende la strada difficile*, ἐκρηγμα, locus asper, et transitu difficilis, scrupi, spinæ, et hujusmodi, quibus via difficilis est: a *salio*, quia salire necesse est evadere volenti. Adhibetur fere in plurali num.

I.) Proprie. *Propert.* 3. 14. 15. Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 52. Qui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres. *Colum.* 9. *R. R.* 8. Si necesse habuerimus longinquis itineribus apes advehere, curabimus, ne salebris sollicitentur. *Martial.* 9. 58. Nec quæ Flaminiam secant salebræ.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Val. Max.* 9. 12. *n.* 6. *extern.* Urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægravavit. *Id.* 6. 9. *n.* 5. *extern.* Semel dumtaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum. ¶ 2. Speciatim, sæpe refertur ad orationem. *Cic. Orat.* 12. *sub fin.* Herodotus sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit: Thucydides incitatior fertur. *Id.* 2. *Fin.* 10. 30. Hic si definire, vel dividere didicisset; si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret, numquam in tantas salebras incidisset. *et* 5. *ibid.* 28. *ante med.* Proclivius currit oratio: venit ad extremum: hæret in salebra. cupit enim dicere etc. *Martial.* 11. 90. Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt, Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt. *Capell.* 9. *p.* 301. scruposis, fateor, lassata salebris insuetis lædor mœstificata modis.

SĂLĒBRĀTIM, adverb. *V.* voc. seq.

SĂLĒBRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *salebro:* salebris plenus, salebrosus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Fluvius salebratis saxorum obicibus affractus, spumoso canescit impulsu. Alii leg. *salebratim.* h. e. quasiper salebras.

SĂLĒBRĬTAS, ătis, f. 3. iter salebrosum, viæ difficultas. *Apul.* 6. *Met.* Sagum immani magnitudine procerum, et inaccessa salebritate lubricum.

SĂLĒBRŌSUS, a, um, adject. Sup. *Salebrosissimus* II. — Salebrosus est salebris plenus, lapidosus, scruposus, asper, difficilis, *sassoso, difficile da camminare, aspro,* ἀνώμαλος, τραχύς. I.) Proprie. *Apul.* 8. *Met.* Sed et saxa gerebat, quæ salebrosa semita largiter subministrabat. *et* 7. *ibid.* Mihi furfures apponebat incretos ac sordidos, multoque lapide salebrosos.

II.) Translate. *Quintil.* 11. 2. *a med.* Inde interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio, et qui dicit, ediscenti similis. *h. e.* quibusdam veluti salebris remorans impetum actoris, ut salebræ retardant progressum ambulantis. *Martial.* 11. 2. Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctram. *h. e.* difficilem, asperum, et in cujus lectione sæpius resistendum sit. *Sidon. epist. præfixa carm.* 14. Omissa epithalamii teneritudine, per asperrimas philosophiæ, et salebrosissimas regulas stilum traxi.

SALGĀMA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SALGAMUM.

SALGĂMĀRĬUS, ĭi, m. 2. ἀλμευτής, qui salgama vendit, vel conficit. *Colum.* 12. *R. R.* 54. Deinde, sicut consueverunt salgamarii, decussatim ferramento lunato incidito. — *Salgamarius* inscriptus fuit liber cujusdam C. Matii, in quo de salgamis condiendis agebatur. *Id. ibid.* 44.

SALGĂMENTĀRĬUS, ĭi, m. 2. idem ac salgamarius. *Salvian.* 4. *advers. avar.* 7. Si mutuum a te quippiam propola, aut salgamentarius postularet, redditurum eum non diffideres, quæ dedisses. Alii rectius leg. *salsamentarius.*

SALGĂMUM, i, *et sæpius* Salgama, ōrum, n. 2. Videtur vox esse corrupta ex Gr. ἄλμας, ἄδος, muria. ¶ 1. In sing. num. *salgamum, i,* quidquid militibus ab eorum hospitibus præbetur. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 4. 1. Ne quis comitum, vel tribunorum, aut præpositorum, aut militum, salgami gratia, culcitras, lignum, oleum a suis extorqueat hospitibus. *Cod. Theod.* 7. 9. *in lemmate.* De salgamo. *Id.* 7. 9. 3. Salgami aliquid postulet. ¶ 2. In plur. num. *salgama, orum,* quæcumque conditanea ad victum in vasis servantur, interdum sicca, sæpe cum liquamine et jure, ut mala, pira, fici, uva, rapæ etc. *Colum.* 12. *R. R.* 4. Post hoc præceptum locum, et vasa idonea salgamis præparari jubent. *Id.* 10. *ibid.* 117. Tempore non alio vili quoque salgama merce, Capparis, et tristes inulæ ferulæque minores Plantantur. *Id.* 12. *ibid.* 9. Sæpe suffundere jus debebit, nec pati sitire salgama. Adde *ibid.* 4. *a med.*

SĂLĬĀRIS, e, adject. (salio) duo diversa significat.

A) Saliaris est ad saltum pertinens, saliens. *Fest. p.* 320. 6. *Müll.* Critolaus (ait) Saonem ex Samothrace, cum Ænea, deos Penates qui Lavinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos Salios. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 95. 96. (209). Saliares insulæ. *supra dixerat:* quædam insulæ semper fluctuant.

B) Saliaris est etiam ad Salios pertinens. *V.* SALIUS. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. *circa med.* Saliaria sacra. *Seneca Ep.* 15. Cursus, et cum aliquo pondere manus motæ, et saltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, ut ita dicam, Saliaris, aut, ut contumeliosius dicam, fullonius. ¶ 2. Speciatim — *a*) *Saliare carmen,* quod canebatur a Saliis sacerdotibus, præsertim in honorem Martis, quod tribuitur Numæ a *Varron.* 7. *L. L.* 3. *Müll.* ubi ait: Verborum poeticorum si Pompili regnum fons in carminibus Saliorum etc. Hinc *Horat.* 2. *Ep.* 1. 86. Jam Saliare Numæ carmen, qui laudat. *h. e.* quod Numa Saliis canendum proposuit in movendis ancilibus, priscis et ignotis verbis refertum. Unde *Quintil.* 1. 6. *ad fin.* Et Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta. Horum carminum aliquot fragmenta collegit *Egger. Lat. serm. vet. rell. p.* 72. Cf. etiam *Bergk. de carm. Sal.,* et *Corssen. Origg. poes. Rom.,* et *V.* AXAMENTA. — *b*) *Saliares epulæ,* lautæ et opiparæ, quales erant Saliorum. *Fest. loc. supra cit.* Saliis per omnes dies, ubicumque manent, quia amplæ ponuntur cœnæ, siquæ aliæ magnæ sunt, Saliares appellantur. *Horat.* 1. *Od.* 37. 2. nunc Saliaribus Ornare pulvinar deorum Tempus erat dapibus, sodales. Cf. *Cic.* 5. *Att.* 9. Quum epulati essemus Saliarem in modum. *Apul.* 4. *Met.* Saliares se cœnasse cœnas crederet. *et* 7. *ibid.* Vobis epulas Saliares comparaturus. *et* 9. *ibid.* At pudica uxor statim cœnas Saliares comparat.

SĂLĬĀTUS, us, m. 4. dignitas, seu officium Saliorum. *Cic. fragm. orat. pro Scaur.* 5. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 307. Appius autem hoc majorem contentionem fore putabat, quod illum in pontificatus petitione, in Saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. *Capitolin. M. Aurel.* 4. In Saliatu omen accepit imperii.

SĂLĬBĀRĬUM. *V.* SALIVARIUS.

SĂLĬCASTRUM, i, n. 2. (salix) genus labruscæ in salictis nascens, ἄμπελος ἀγρία. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 15. (20). Est labruscæ similis, sed in salictis nascens, ideo distinguitur nomine, quum eosdem usus habeat, et salicastrum vocatur.

SĂLĬCĒTUM. *V.* SALICTETUM.

SĂLĬCTĀRĬUS, a, um, adject qui in salictis et sæpibus provenit, ut *Lupus salictarius* apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 50. (86) herba est de sponte nascentibus, et in cibis usum habentibus, verius tamen oblectamentum, quam cibus. Officinæ, inquit *Harduin.,* lupulum passim vocant, et Galli *du houblon,* nostrates vulgo *bruscandolo,* Itali *luppolo.* — Hinc

Salictarius, ii, m. 2. absolute, qui salictum curat, et ex eo materiam salignam viti pedandæ jugandæque parat. *Cato R. R.* 11. 1., ubi sunt, qui vocem hanc omittunt, ut omisit etiam *Varro* 1. *R. R.* 18., qui *Catonis* locum eumdem retulit.

SĂLĬCTĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

SĂLĬCTĒTUM, i, n. 2. idem quod salictum. *Ulp. Dig.* 47. 7. 3. Idem de salicteto dicendum est. Alii leg. *salicto,* ut est apud *Haloandr.,* sed *Torrentin.* habet *salicteto;* vitiose tamen: rectius leg. *saliceto.*

SĂLĬCTOR, ōris, m. 3. (salio) saltator. *Anthol. Lat.* 793. 54. *Ries. V.* SALITOR.

SĂLĬCTUM, i, n. 2. syncop. *a* salicetum, locus salicibus consitus, et ipsi salices. *Cato R. R.* 1. *sub fin.* Vinea est prima: secundo loco hortus irriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum etc. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 14. *a med.* Accedet eo mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas, etc. *Plaut. Aulul.* 4. 6. 9. Lucus crebro salicto oppletus. *Liv.* 29. 17. Quum forte inter salicta innata ripis laterent hostes. *Virg.* 2. *G.* 13. glauca canentia fronde salicta. *Ovid.* 11. *Met.* 363. Juncta palus huic est, densis obsessa salictis. *Colum.* 10. *R. R.* 332. Glauca salicta. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Per amœna salicta. *Virg.* 1. *Ecl.* 55. sæpes Hyblæis apibus florem depasta salicti. *h. e.* iulum flori similem, qui emittitur a salice sterili: cui insidentes apes sucum hauriunt operi suo idoneum. — Quod *Servius* ad *loc. cit. Virgilii,* et *Cincius* apud *Festum* in *Salicem,* dicunt esse virgulti genus, de humili ac tenui salice loquuntur, ex quo vimina fiunt. *V.* SALIX.

SĂLĬENS, entis, particip. *V.* SALIO, saltum edo.

SĂLĪFŌDĪNA, æ, f. 1. (sal et fodio) ἁλωπήγιον, *miniera di sale, salina,* locus, ubi nativus sal effoditur: et differt a *salina,* in qua arte fit. *Vitruv.* 8. 3. *ante med.* Fontes, et flumina, et lacus, qui per salifodinas percurrentes, necessario salsi perficiuntur. *Est qui leg.* salsifodina.

SĂLĬGĬNĔUS. *V.* in voc. seq.

SĂLIGNĔUS, a, um, adject. idem ac salignus. *Ulp. Dig.* 47. 7. 3. Si quis saligneas virgas, instituendi salicti causa defixerit. Est qui le *saligineas.* quod minus probum videtur. *Colum.* 6. *R. R.* 2. Saligna clava. *Id.* 9. *ibid.* 15. *ad fin.* Saligneus qualus.

SĂLIGNĬĀNUS, a, um, adject. ita appellatur optimorum malorum genus. *Edict. Diocl. p.* 17. Mala optima Mattiana, sive Saligniana N. X. X. quattuor.

SĂLIGNUS, a, um, adject. (salix) *di salice,* ἰτέϊνος, qui est ex salice. *Colum.* 7. *R. R.* 1. Salignæ perticæ. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 21. cerebrosus prosilit unus, Ac mulæ, nautæque caput, lumbosque saligno Fuste dolat. *Ovid.* 2. *Fast.* 363. Verubus transsuta salignis Exta parant. *Id.* 8. *Met.* 659. Salignus lectus. *Virg.* 7. *Æn.* 632. flectuntque salignas Umbonum crates. *h. e.* scuta e viminibus. *Petron. Sat.* 135. Saligna crates. *h. e.* canistrum. *Cato R. R.* 2. Columellam ferream cuneis salignis circumfigi oportet bene.

SĂLĬÆ, ārum, *et*

SĂLĬI, ōrum. *V.* SALIUS.

SĂLILLUM, i, n. 2. *deminut. a* salinum, *salieretta,* parvum salinum. *Catull.* 23. 19. purior salillo. — *Plaut. Trin.* 2. 4. 90. *salillum animæ* vocat ipsam animam ac spiritum, quo vivit corpus, et a putredine, quasi sale conditum, defenditur. *At rectius leg.* scintillula animæ.

SĂLĪNĂCĬDUS. *V.* SALMACIDUS.

SĂLĪNÆ, ārum, f. plur. 1. (salinus, a, um) Negant *Varro* 8. *L. L.* 48. *Müll.,* et *Charis.* 1. *p.* 20. *Putsch.* in singulari numero usurpari. — Salinæ locus est, in quo sal paratur, ἁλοπήγια, ἁλικαί. *V.* SALIFODINA ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 132. Salinæ ab ora maritima remotissimæ. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (81). Sal facticius plurimus in salinis, mari adfuso, non sine aquæ dulcis riguis, sed imbre maxime juvante, ac super omnia sole multo: non aliter inarescens. *et ibid.* 41. (89). Ancus Marcius salinas primus instituit. *Colum.* 10. *R. R.* 135. Quæ dulcis Pompeja palus vicina salinis Herculeis. *h. e.* quæ sunt prope Pompejos, Campaniæ urbem, ubi Herculis petra fuit, ut recte interpretatur *Rosin. Dissert. isagog. p.* 30. *V.* HERCULEUS in ONOM. — Ludit in ambiguo *Cicero,* jocos et sales intelligens in illo 7. *Fam.* 32. Parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur. ¶ 2. Speciatim, seu κατ' ἐξοχήν, *Salinæ,* locus in urbe ad portam Trigeminam, *Frontin. Aquæd.* 5., *Liv.* 24. 47. *sub fin.* et *Solin.* 1. 8.; itemque ad Ostiam, *Liv.* 5. 45., *sub fin.,* de quibus *id.* 1. 33. In ora Tiberis Ostia urbs condita, salinæ circa factæ. *et* 7. 19. Depopulatum agrum circa Romanas salinas. — Fuit etiam vallis Salinarum in Palæstina ad Mare mortuum, seu Asphaltiten. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 8. 13.

SĂLĪNĀRĬUS, a, um, adject. ad salinas, vel ad sal pertinens, ut Areæ salinariæ, apud *Vitruv.* 8. 3. *circa med.*

SĂLĪNĀTOR, ōris, m. 3. (salinus, *vel* salino) qui in salinis versatur, qui sal conficit, aut vendit. ¶ 1. Generatim. *Ennius* apud *Serv.* ad 4. *Æn.* 244. Salinatores ærarii. *h. e.* qui pro sale conficiendo et vendendo vectigal ærario pendunt. *Arnob.* 2. *p.* 70. Salinatores, unguentarii, aurifices, aucupes. *Inscript.* apud *Gruter.* 1096. 4. L. LEPIDIO L. F. AN. PROCVLO MIL. LEG. V. MACEDON. etc. SALINATORES CIVITATIS MENAPIORVM OB MERITA EIVS. ¶ 2. Speciatim *Salinator,* titulus mimi Laberiani. *Gell.* 3. 12. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

SĂLĪNĬENSIS, is, m. 3. qui in salinis operatur, salinator. *Inscript.* Pompejana apud *Rosin. Dissert. isagog. p.* 30. M. CERRINIVM AEDILEM SALINIENSES ROGANT. V. *Colum. loc. cit.* in SALINÆ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂLĪNUM, i, n. 2. (salinus, a, um) Etiam *Salinus, i,* mascul. gen., dixit *Varro* apud *Non. p.* 546. 14. *Merc.* Dicuntur enim patellæ, salini, acetabula, catini, patenæ. — Salinum, ἁλοδοχεῖον, *saliera,* vas, in quo sal reponitur, tum ad mensæ usum, tum ad sacras oblationes. *Plaut. Pers.* 2. 3. 14. Triparci homines, qui salinum servo obsignant cum sale

Alii leg. allium, *alii* alliatum. *Pers.* 3. 25. Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum: Quid metuas? *Stat.* 1. *Silv.* 4. 130. sed sæpe deis hos inter honores Cæspes, et exiguo placuerunt farra salino. *Liv.* 26. 36. Ut senatores salinum patellamque deorum causa habere possint. *Val. Max.* 4. 4. *n.* 3. In C. Fabricii et Q. Æmilii Papi domibus argentum fuisse confitear oportet, uterque enim patellam deorum, et salinum habuit. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (153). Fabricius imperatores plusquam pateram et salinum ex argento habere vetabat. *Arnob.* 2. *p.* 91. Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris deorum. *Horat.* 2. *Od.* 16. 13. Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum. *h. e.* supellex, et res familiaris a patre relicta, diligenter et parce servatur, et administratur, quamvis tenuis sit. *Pers.* 5. 138. regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis. *h. e.* modico victu contentus eris, et parco veterum more, panem cum sale cœnabis, si plus ac religiosus esse cupis. *V.* SAL. — Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni, ait (*Cincius*, vel *Verrius*) cum patella, quia nihil aliud sit sal, quam aqua. *Festus.* — Salinum cum sale in mensa ponere, figulis religioni habetur: quod quondam in Exquilina regione figulo, quum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus somno esset oppressus cum convivis suis; præteriens quidam petulans, ostio patente, ex mensa salinum conjecit in fornacem: atque ita incendio excitato, figulus cum suis concrematus est. *Idem.*

SĂLĪNUS, a, um, adject., unde SALINUM et SALINÆ absolute, quas voces vide suo loco.

SĂLĬO, sălis, sălīvi, et sălĭi, sălītum, (salsum) sălire, c. 4. (sal) Sunt qui ubique *sallio* scribunt, liquida geminata, quod improbare non ausim: quamvis a *sal, salis,* unde fit *salio*, nulla geminatio oriatur. *Salere* aut *sallere* pro *salire* unde et *salsus*, veteres dixisse *Diomedes* 1. *p.* 371. *Putsch.* idoneis exemplis demonstrat. Sic *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 10. Parte consumpta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem salerent. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 110. *Müll.*, al. — Particip. *Salitus* (et *Salsus*); *Saliturus*, et *Salsurus*; *Saliendus*. — Salio est salem aspergo, sale condio, ἁλίζω (It. *insalare, salare*; Fr. *saler, soupoudrer*; Hisp. *salar*; Germ. *salzen*; Angl. *to season with salt, salt, powder, pick*). *Varro* 1. *R. R.* 2. *sub fin.* Qua ratione oporteat pernas salire. *Cato R. R.* 23. Oleæ caducæ salliantur. *Cels.* 2. 18. Pisces, qui solidi salliuntur. *Sisenn.* apud *Priscian.* 10. *sub fin.* Piscium saliendorum causa. *Nov. ibid.* Saliturus istæc est, mittam salem. *Mumm. ibid.* istæc cum multo sale Salsurus. *Priscian. ibid.* Præteriti participium sallitus, et salsus. At hujus nullum adfert exemplum. *Colum.* 6. *R. R.* 32. Salitus thynnus. *Pallad.* 11. *R. R.* 10. Salita oliva. *Fabian.* apud *Diomed.* 1. *p.* 372. *Putsch.* caro. *Cornel. Sever.* apud *Priscian.* 10. *sub fin.* Saliti pumiliones. Adde *eumd.* apud *Diomed. loc. cit.* Adde *Marcell. Emp.* 26. 123. et 14. 104. *retro. Vulgat. interpr. Tob.* 6. 6. Cetera salierunt. *Id. Ezech.* 16. 4. Sale salita. *h. e.* fricata. — Hinc

Salsus, a, um, adjectivorum more, unde Comp. *Salsior* I. 1: et II. 2. *a.*; Sup. *Salsissimus* I. 1. et II. 2. *b.* — Salsus est salis gustum habens, sale aspersus, salitus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Salsum mare. *Plaut. Trin.* 4. 1. 2. fluctus. *Ter. Adelph.* 3. 3. 71. Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st. *Lucret.* 4. 222. Humor salsi saporis. *Id.* 5. 482. salsus gurges. *Virg.* 2. *G.* 238. terra salsa. *Id.* 5. *Æn.* 158. longa sulcant vada salsa carinis. *Id.* 2. *ibid.* 132. mihi sacra parari, Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ. *h. e.* far cum sale, quod *mola salsa* dicitur. Sic *salsa farra* apud *Ovid.* 3. *Fast.* 284. *V.* MOLA. *Colum.* 12. *R. R.* 57. Caseus recens, aut salsus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 50. (82). Folia salsa gustu. *Id.* 36. *ibid.* 17. 28. (132). Assius lapis gustu salsus. *Id.* 31. *ibid.* 7. 41. (85). Salsissimus sal, qui siccissimus. *Id.* 7. *ibid.* 6. 5. (42). Salsioribus cibis uti. *Auct. B. Alex.* 6. Aqua salsior. ¶ 2. Speciatim *salsæ* dicuntur etiam lacrimæ, sudor et sanguis, re enim vera tales sunt. Et de sudore quidem *Aristot. sect.* 2. προβλημ. *quæst.* 3. causam quærit. *Accius* apud *Non. p.* 503. 29. *Merc.* Salsis cruorem guttis lacrimarum lavit. (Adde *Lucret.* 1. 918.) *Virg.* 2. *Æn.* 173. salsusque per artus Sudor iit. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Neque miseræ lavere lacrimæ salsum sanguinem. ¶ 3. Item *salsa* dicitur rubigo, qua ferrum absumitur, tum quia gustu salso est, tum quia aquæ salsæ more rodit. *Virg.* 2. *G.* 220. Nec scabie, et salsa lædit rubigine ferrum.

II.) Translate. ¶ 1. Est sapidus, sapore præditus, *saporito, gustoso*. *Plaut. Cas.* 2. 3. 6. Neque salsum, neque suave esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur. ¶ 2. Hinc percommode refertur ad sermonem urbanum, lepidum, facetum, argutum, et dictis tamquam salibus aspersum conditumque, unde risus movetur, aut mordetur aliquis et pungitur, *faceto, grazioso, acuto, frizzante, mordace*, σκωπτικός, γελοῖος. — *a*) De rebus. *Quintil.* 6. 3. 19. Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus. natura non utique hoc est: quamquam et ridicula oporteat esse salsa. nam et Cicero nunc, quod salsum sit, ait esse Atticorum. *et mox.* Salsum igitur erit, quod non erit insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio, et velut palatum excitat: quod et a tædio defendit orationem. *Cic. Orat.* 26. *a med.* Quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est: e quibus tamen non omnes faceti. *Id.* 16. *Att.* 12. Negotia salsa. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 28. salso multoque fluenti (*sermone*) regerit convicia. Rursus *Cic.* 9. *Fam.* 15. Salsiores, quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. *Martial.* 3. 12. Res salsa est, bene olere et esurire. — Neutr. plur. absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 217. Inveni ridicula et salsa multa Græcorum. nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et præter ceteros Attici excellunt. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (49). — *b*) De hominibus. *Cic.* 2. *Orat.* 56. 228. Homo facetus atque salsus. *et ibid.* 63. 255. Addito ambiguo, altero genere ridiculi fuit salsissimum. (*At* Orell. *leg.* salsissimum.) *Horat.* 1. *Sat.* 9. 65. male salsus. *maligno, tristanzuolo. Catull.* 14. 16. Non hoc tibi, salse, sic abibit. *h. e.* ingeniose ad fraudem mihi faciendam. *Augustin.* 2. *de Genes. contra Manich.* 23. *extr.* Latine salsi dicuntur, qui jocari amant. — Commode ludit in ambiguo *Plaut. Rud.* 2. 6. 33. *de eo qui naufragium fecit.* Bonam est quod habeas gratiam merito mihi, qui te ex in sulso salsum feci mea opera. *h. e.* in causa fui, ut fracta navi maderes salsis fluctibus. *Id. ibid.* 2. 1. 12. *de piscatore.* Neque quicquam captum est piscium: salsi lautique pure domum redimus clanculum: dormimus incœnati. *Cic. fragm. pro Scaur.* 4. edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 291. Quare quæ potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis, aut amoris esse suspicio?

Salsum, i, n. 2. absolute, idem ac salsamentum. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 39. Dandæ etiam rapæ madidatæ, atque salsum ex aceto et oleo conditum.

SĂLĬO, sălis, sălīvi, et sălĭi, et sălŭi, saltum, sălire, 4. — *a*) Quod ad scriptionem attinet, *salui* in præterito pro *salii* veteres dixere, non solum in compositis *adsilui, prosilui* etc. sed et in simplici. *Diomed.* 1. *p.* 370. *Putsch. Salio* perfectum suavius enunciari videtur *salii*, quam *salivi*: sed plerique veteres *salui* dixerunt. *Virg.* 2. *G.* 384. Mollibus in pratis unctos saluere per utres. *Priscian.* quoque 10. *p.* 906. *Putsch.* testatur se in quibusdam codicibus *saluere* invenisse. *Serv.* ad illud 3. *Æn.* 416. Dissiluisse ferunt: hinc apparet, inquit, bene dictum, *unctos saluere per utres*. Est enim positio *salio, salis, salui*. At in cod. *Romano* et *Mediceo* legitur *saliere*. Illud quoque *Ovidii* a multis cum *Priscian. loc. cit.* sic legitur, 4. *Fast.* 805. Per flammas saluisse pecus, saluisse coloni. — *Salibit* pro *salivit*, ut videtur, habet *Itala Jo.* 21. 7. — *Salturus* ponit *Priscian.* 11. *p.* 929. *Putsch.*, nullo tamen exemplo adlato. — *Saliendus* pro *saliens*, de aqua, legitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 7068. AQVAM SALIENDAM C. — *b*) Ratione habita etymi, *salio* est ab ἅλλομαι, adjecta littera *s* pro spiritu aspero Græcorum, et mutato λ in *i*, ut in ἄλλος, unde Lat. *alius*. — Particip. *Saliens* sub *A* I. 1. 1.° *a.* et 2.°, II. 1. *a.* et sub *B*, et in fin. — Salio est saltum edo, salto, πηδάω, ἅλλομαι (It. *saltare, balzare*; Fr. *sauter, bondir*; Hisp. *saltar, brincar*; Germ. *springen, hüpfen*; Angl. *to leap, jump, dance, hop, skip, bound*), et occurrit *A*) Intransitive, et *B*) Transitive.

A) Intransitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est saltum edo, salto. — 1.°) De hominibus. — *a*) Cum additis. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 6. *sub fin.* Saliam in puteum præcipites. *Ovid. Ib.* 558. Inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (90). Ex rupe in mare salientes. Rursus *Ovid. Ib.* 597. Trinacrii salias super ora gigantis. *Liv.* 2. 39. Obsæptis itineribus, super vallum saliunt. *Virg. loc. supra cit.* unctos saluere (*al.* saliere) per utres. *Horat.* 2. *Od.* 18. 26. ultra limites clientium salis avarus. *Liv.* 2. 24. Salire de muro, præcipitarique. *Plaut. Trin.* 2. 1. 30. Qui in amorem præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. *h. e.* de saxo. — *b*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 24. Hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercere. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 8. Metuo, ne in malum cruciatum insiliamus. PALÆ. tu sali solus. nam ego istam insulturam nihil moror. *V.* CRUCISALUS. *Horat. Art. P.* 430. saliet, tundet pede terram. *Id.* 1. *Ep.* 14. 26. cujus (*tibicinæ*) Ad strepitum salias terræ gravis. — 2.°) De brutis animantibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Aves vario meatu feruntur, et in terra, et in aere. ambulant aliquæ, ut cornices: saliunt aliæ ut passeres, merulæ: currunt ut perdices, rusticulæ. Cf. *Propert.* 4. 5. 52. et *Flor.* 3. 10. *Ovid.* 6. *Met.* 381. saliunt in gurgite ranæ. *Id.* 3. *ibid.* 587. calamo salientes ducere pisces. Similiter *Martial.* 1. 56. Et piscem tremula salientem ducere seta. *Cato* 2. *Orig.* 16. Capræ fere, quæ saliunt e saxo pedes sexagenos. *Phædr.* 4. 2. Fame coacta vulpis alta in vinea Uvam appetebat summis saliens viribus. ¶ 2. Speciatim *salire* est emicare, celeriter emergere, prosilire, exsilire, *saltar fuori*. *Claudian. præf. ad III. cons. Honor.* 3. excusso saliit cum tegmine proles. *h. e.* pullus aquilæ natus est rupto putamine.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. *Virg.* 1. *G.* 449. Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando. *Ovid.* 14. *Met.* 543. Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi. *Id.* 4. *Fast.* 409. Farra Deæ, micæque licet, salientis honorem Detis. *h. e.* salis, qui in ignem conjectus et salit, et crepitat. Adde *Horat.* 3. *Od.* 23. 20. Sic *Tibull.* 3. 4. 10. Farre pio placant, et saliente sale. *Cato R. R.* 154. Ut in culleum de dolio vinum salire possit. — Hinc Particip. *saliens* dicitur de aqua in rivis, quia, lapillis cursum interrumpentibus, salit potius quam defluat: item in fistulis, et tubis, ob impetum scaturiendi, aut quia in altum salit, ut in fontibus arte factis videre est. *Virg.* 5. *Ecl.* 47. Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo. *Ovid. Remed. am.* 632. Et multam saliens incitat unda sitim. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ad fin.* Hæc amœnitas deficitur aqua salienti, sed puteos, ac potius fontes habet. sunt enim in summo. *acqua corrente*. et *Sueton. Aug.* 82. Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua cubabat. Adde *Frontin. Aquæd.* 9. *extr.* et 11. etc. — *b*) Metaphorâ ex super. paragr. 2. ductâ. *Lucret.* 1. 187. E terraque exorta repente arbusta salirent. *Ulp. Dig.* 19. 1. 17. Personæ, e quarum rostris aqua salire solet. *Varro* 1. *R. R.* 13. Cohortes interius compluvium habeant lacum, ubi aqua saliat. *h. e.* decurrat, defluat. ¶ 2. Speciatim *salire*

pro palpitare, micare, subsilire, *battere, palpitare, tremolare*, πάλλω, πάλλομαι. *Ovid.* 10. *Met.* 289. saliunt tentatæ pollice venæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (148). Gutta in ovo salit, palpitatque. *Seneca Herc. Œt.* 708. Stat terror animis, et cor attonitum salit. πάλλει ἡ καρδία. *Pers.* 3. 109. visa est si forte pecunia, sive Candida vicini subrisit molle puella; Cor tibi rite salit? *Plaut. Pseud.* 1. 1. 104. Id futurum, unde unde dicam nescio: nisi quia futurum est: ita supercilium salit. *V.* SALISATOR. Similiter *Horat.* 2. *Sat.* 6. 34. aliena negotia centum Per caput et circa saliunt latus.

B) Transitive *salire* dicitur in brutis de mare ἐν τῇ συνουσίᾳ, *montare* apud Italos. *Varro* 2. *R. R.* 7. *a med.* Quum equus matrem ut saliret, adduci non posset. *Nonius p.* 105. 12. *Merc.* Varro lege Mœnia: Nemo est tam neglegens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equilam. — Absolute. *Varro* 2. *R. R.* 4. *ante med.* Verres octo mensium incipit salire. Addo 3. *ibid.* 6. *et* 10. *Lucret.* 4. 1193. Venerem salientum læta (*natura*) retractat. pro *salientium. Calpurn.* 5. *Buc.* 23. Lascivumque pecus salientes accipit hircos. — Et passive. *Varro* 2. *R. R.* 2. *a med. de ovib.* Neque pati oportet, minores, quam bimas, saliri. *Ovid.* 2. *Art. am.* 485. Læta salitur ovis. — Hinc

Saliens, tis, et fere in plur. num. *Salientes, um*, m. 3. absolute, dicuntur fontes, et ipsi tubi, ac fistulæ, ex quibus aqua salit, et alio ducitur, quasque nos dicimus *doccioni, sifoni, canne, cannoni*: σωλῆνες. *Cic.* 3. *Q. fr.* 1. 2. Affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus additis. *Ulp. Dig.* 19. 1. 15. Labra, salientes, fistulæ quoque, quæ salientibus junguntur, quamvis longe excurrant extra ædificium, ædium sunt. *Vitruv.* 8. 7. In medio ponentur fistulæ in omnes lacus, et salientes. *et ibid.* 3. *ante med.* Ex hujusmodi locis et fontibus et in asty, et ad ortum Piræeum ducti sunt salientes, quibus bibit nemo, etc. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (121). Agrippa lacus septingentos fecit, præterea salientes centum quinque, castella centum triginta. Adde *Frontin. Aquæd.* 9. 11. 87. 103. 104. etc. — In sing. num. *Cœlius* apud *Auct. de dub. nom. p.* 590. 21. *Keil.* Saliens perpetuus.

Homonym. Differentiam inter *salio*, et *salto* vide sis in hac voce.

SĂLĬPŎTENS, entis, m. 3. (salum *et* potens) qui salo seu mari præest, maris dominator: tribuitur Neptuno. *Plaut. Trin.* 4. 1. 4. Salipotenti et multipotenti Jovis fratri ætherei, Neptuno, Lætus lubens laudes agó gratas. ἁλὸς κρατοῦντι. (Cf. *Horat.* 1. *Od.* 3. 1., al.) At *Gronov.* et *Vallaur.* cum *Forcell.* leg. *salsipotenti.*

SĂLĪSĀTĬO, *et* Salissatio, ōnis, f. 3. *ab inusit.* saliso, *vel* salisso, *frequentat.* a salio, (cf. σαλάω et σαλάσσω, quatio, concutio) qua *palpitare* significat. — Salisatio est igitur palpitatio, παλμός. *Marcell. Empir.* 21. *in fin.* Cordis pulsus, sive salisatio. *Gloss. Philox.* Salisatio, παλμός.

SĂLĪSĀTOR, et Salissator, oris, m. 3. *ab inus.* saliso, παλμοσκόπος. Salisatores, inquit *Isid.* 8. *Orig.* 9. *ad fin*, vocati sunt, qui, dum eis membrorum quæcumque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significare prædicunt. *Muret. l.* 9. *var. lect. c.* 6. legit *salitores.* Huc pertinet illud *Theocr. Edyll.* 3. *v.* 37. Ἄλλεται ὀφθαλμός μεν ὁ δέξιος. ἀρά γ' ἰδησῶ Αὐτάν; *et Plaut. Pseud.* 1. 1. 105. ita supercilium salit. *et Asin.* 2. 2. 49. Ergo mirabar, quod dudum scapulæ gestibant mihi.

SĂLĪSUBSŬLUS, *et* Salisubsilus, i, m. 2. idem ac Salius subsiliens. *Catull.* 17. 5. Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat, In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto. *h. e.* in quo etiam Salii salientes subsilientesque securi sacra sua peragant. *Muretus* locum firmat auctoritate *Pacuvii* in *Armorum judicio.* Pro imperio sic Salisubsulus nostro excubet. *h. e.* Mars, qui in prœliis hac illac salit subsilitque, imperium nostrum tueatur. Hunc autem *Pacuvii* versum primus ante *Muretum* attulit *Guarinus* ad *Catulli loc. cit.*, cujus fidei acquiescendum esse videtur. Alii apud *Catull.* leg. *Salii ipsulis*, et *Pacuvii* versum spurium putant. *Ipsulas* vero, sive *ipsillas*, dicunt esse lamellas in sacris adhibitas, specie virorum et mulierum. *V.* IPSULLICES. Ita *Forcell.* At *Lachmann.* leg. *Salisubsili*, quamquam *u* et *i* facile permutantur: cod. vero *Laurentianus* habet *sali subscili.* (V. *F. Hand Quæst. Catull. p.* 7.)

SĂLĪTĬO, ōnis, f. 3. actus saliendi: ut salitio equorum, *il saltare a cavallo*, apud *Veget.* 1. *Milit.* 18.

SĂLĪTO, as, are, n. 1. *intens.*, seu *frequentat.* a salio, valde, aut sæpe salio, salto. *Varro* 5. *L. L.* 85. *Müll.* Salii a salitando, quod facere in comitio in sacris quotannis et solent, et debent. *Alii leg.* saltando.

SĂLĪTOR, ōris, m. 3. (salio) ¶ 1. In *Gloss. Philox.* est ταριχευτής, *h. e.* salsamentarius. Quidam leg. apud *Cic.* 4. *Att.* 17. *ad fin.* Litteras datas salitoribus Britanniæ. Sed plerique omnes, *datas a litoribus Britanniæ.* ¶ 2. Saltator. *Prob. de nom. p.* 212. 30. *Keil.* Salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. nam salire tamquam sarcire farcire, ex quibus sartor, non sarcinator etc. *Anthol. Lat.* 794. 54. *Ries.* Salitores novi. Alii leg. *salictores.*

SĂLĪTŪRA, æ, f. 1. *insalamento*, ἅλισις, conditura ex sale. *Colum.* 12. *R. R.* 21. Post salituram musti.

SĂLĪTUS, a, um, particip. *V.* SALIO, salem aspergo.

SĂLĬUNCA, æ, f. 1. herba, de qua *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 20. (43). Saliunca folio quidem subbrevi, et quod necti non possit, radici numerosæ cohæret, herba verius, quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque cæspes sui generis. Pannonia hanc gignit, et Norici Alpiumque aprica: urbium, Eporedia: tantæ suavitatis, ut metallum esse cœperit. Vestibus interponi eam gratissimum. Hæc *Plin.* Eamdem ac nardum silvestrem *Scribon. Compos.* 195. et spicam Celticam, *ibid.* 258. facit. *Virg.* 5. *Ecl.* 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ, Puniceis humilis quantum saliunca rosetis. Ubi *Servius:* herba quam *Orci tunicam* vulgo vocant. Recentiores botanici putant eamdem esse ac *nardum Celticam* (Valerianam Celticam *L.*). *V.* NARDUS.

SĂLĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* saliunca, parva saliunca. *Gloss. Cyrill.* Ἀγριόροδον, saliuncula. *et ibid.* Ἀνεμώνη, vaccinium, saliuncula. Adde *Ital. Is.* 55. 13., *Hieronym.* in *Is.* 15. 55., *Inscript. Wilm.* 2754. et *Not. Tir. p.* 170.

SĂLĬUS, a, um, adject. (salio) ad Salios pertinens. *Fest. p.* 329. 18. *Müll.* Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quæ ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatas, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum. Potuit tamen *virgines* per epexegesin addi. *Horat.* 4. *Od.* 1. 28. pede candido In morem Salium ter quatient humum. *et* 1. *ibid.* 36. 12. Neu morem in Salium sit requies pedum. Utrobique autem *Salium* potest etiam accipi pro *Saliorum.* — Hinc

Saliæ, arum, f. plur. 1. absolute, subaud. *epulæ*, vel *cenæ*, apud *Apul.* 4. *Met.* Cf. *Fest. p.* 329. 9. *Müll.*

Salii, orum, m. plur. 2. absolute. Σάλιοι, sacerdotes Martis apud Romanos, qui ancilia custodiebant, et certo tempore ea gestantes, saltantesque per Urbem discurrebant. *Varro* 5. *L. L.* 85. *Müll.* Salii a salitando, quod facere in Comitio in sacris quotannis et solent, et debent. *Festus:* Salios a saliendo, id est saltando, dictos esse, quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait, Arcada quemdam fuisse nomine Salium, quem Æneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. (Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 347. *et* 10. *ibid.* 753.) At Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Ænea, deos Penates qui Lavinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos Salios: quibus per omnes dies, ubicumque manent, quia amplæ ponuntur cœnæ, siquæ aliæ magnæ sunt, Saliares appellantur. Hæc *Fest. Virg.* 8. *Æn.* 663. Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos, Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cælo Extuderat. *Cic.* 3. *Orat.* 51. 197. Non neglecta, ut mihi videtur, a Numa rege doctissimo majoribusque nostris, ut epularum solemnium fides ac tibiæ, Saliorumque versus indicant. — Instituti sunt a Numa Pompilio. Origo hæc fuit. Quum Ægeriæ Nymphæ hortatu Numa Picum et Faunum de ratione piandi fulminis consuluisset, illique Jovem cælo elicuissent, eamque rem Numa a Jove precatus esset, ille pollicitus est, se crastino die, exorto sole, Romani imperii diuturnitatis certa pignora daturum. Igitur Numa contionem advocavit, Jovis promissum enarravit, postero die adesse jussit. Ubi sequens dies illuxit, populusque universus affuit ad regiam, Numa prodiit, sub dio in solio acerno sedit, et, exorto sole, Jovem veneratus est precatusque, ut promissum munus exhiberet. Tunc sine nubibus cælum ter tonuit, terque fulguravit, tandemque scutum ab omni parte recisum delapsum est, quod Romani ancile appellavere. Sed quoniam sors imperii in illo scuto posita erat, ne forte hostes illud surripere possent, Mamurium inclitum ea tempestate fabrum ad se accivit, negotiumque dedit complura hujus similia effingendi. Quod opus quum ille exquisitissima absolvisset arte, scutum cæleste cum ceteris Numa misceri jussit, quod deinceps internosci non potuit. Optionem deinde rex artifici obtulit, quicquid vellet, a se postulandi. Mamurius non pecuniam, sed gloriam pro mercede petiit. Quum enim Numa illis diebus carmina quædam composuisset, quæ Salii per Urbem discurrentes in honorem Martis canerent, Mamurius petiit, ut nomen suum a Saliis in fine quorumlibet carminum recitaretur. Id, annuente Numa, per multa tempora observatum est. *Ovid.* 3. *Fast. a v.* 259. — Numa juvenes elegit in Salios ex ordine patricio, qui forma et virtute ceteris excellerent, numero duodecim: (*Lyd. Laurent. de mens.* 4. 2. *p.* 56. Δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸς τοῦ Νουμᾶ τοὺς καλουμένους Σαλίους ὁρισθῆναι φασὶν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν. *et mox.* ταυτῇ δωδεκάβωμον εἶναι τὸν αὐτοῦ ναὸν κατὰ τὸν τῶν μηνῶν ἀριθμόν.) qui Palatini dicti sunt, quique in Palatio sedem habebant, ut affirmat *Dionys. Halic. l.* 2. *c.* 70. Illis alios duodecim, Collinos et Quirinales appellatos, mox adjecit Tullus Hostilius ob votum quod voverat, ut *id. Dionys. l.* 3. *c.* 32. ait, in bello contra Sabinos; ut *Liv.* 1. 20. *et* 27., in prœlio contra Fidenates et Vejentes, quum, Romanis in aciem eductis, Albani a Romanis, duce Metio Fuffetio, defecere. (V. *Pauly, Real-Encycl.* VI. 1.) Hos Pavorios etiam et Pallorios dixere, ut *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 285. tradit. Eo igitur hujus ordinis sacerdotium numero crevit, ut ad collegium redactum fuerit. Qui præerat Saliis, magister Saliorum (ut est apud *Val. Max.* 1. 1. *n.* 9.) dicebatur: alius erat præsul appellatus, qui aliis præsultabat in cærimoniis publicis; alius vates, qui Saliares versus ante alios præcinebat. *Capitolin. M. Aurel.* 4. Fuit in eo sacerdotio (*Saliorum*) et præsul, et vates, et magister. *Inscript.* apud *Gruter.* 173. 5. MANSIONES SALIORVM PALATINORVM. Alia apud *Murat.* 173. 8. Q. POMPEIO Q. F. QVIR. SENECIONI SALIO COLLINO, etc. — *Salii Palatini* vocati etiam sunt *sacerdotes domus Aug. Palatinæ* in *Inscript.* apud *Gruter.* 302. 2. V. *Bullett. archeol. an.* 1842. *p.* 13. *et seqq.*, ubi præclara multa attulit *B. Borghesius.* — In sacris illis, quæ Salii celebrabant, tunicis pictis induti erant, et aeneis balteis supra tunicas cincti, ornatique prætextis, quæ subtegminis punicei fibulis astrictæ erant, et trabeæ vocabantur: gestabant in pectore aeneum tegmen, in capite pileos rotundos, et in altum fastigiatos, quos Romani apices appellabant: gladio accincti erant, manu dextra lanceam, aut virgam, aut aliquid hujusmodi tenebant: collo ancile ferebant, ibant per Urbem canentes carmina, laudantesque Martem armorum præsidem cum tripudiis solemnique saltu, et in fine omnium carminum suorum Mamu-

rium appellabant. *Lucan.* 1. 603. Et Salius læto portans ancilia collo. *et* 9. 477. quæ læta juventus Patricia cervice movet. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 2. 130. — *Salii* etiam extra urbem fuere. *Inscript.* apud *Gruter.* 318. 2. et *Orell.* 2247. L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO SALIVS ALBĀNVS IDEM MAG. SALIORVM. — *Salios* etiam Herculi sacros fuisse Tibure, constat ex *Virg.* 8. *Æn.* 285., et ex *Inscript. Tiburtina* apud *Orell.* 2249. C. TERENTIVS VALENS IIII. VIR AEDIL. POT. PRAEF. Q. Q. SAL. (h. e. *Salium*) PRAEF. RIVI SVPERN. PATRONO MVNICIPES. V. *Murat. p.* 173. In *Gloss. Philox.* axamenta (quæ sunt carmina Saliaria) dicuntur στίχοι ἐπὶ Ͽυσιῶν Ἡρακλέους. Præterea *Octav. Hersennius* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. in libro, qui inscribebatur de sacris Saliaribus Tiburtium, et *Antonius Nipho ibid.* docuere, Salios Herculi datos fuisse. Hoc autem ideo, quia, ut ait *Macrob.*, is Deus apud Pontifices idem, qui Mars habetur: quod et *Varron.* auctoritas confirmat in *Sat. Menip.*, quæ inscribitur Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς. Chaldæi quoque stellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant. Adde *Serv.* ad *Virg. loc. cit.*, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (34), *Hygin. Astron.* 1. *ad fin. V.* etiam *Hartung. Relig. d. Römer t.* 2. *p.* 22. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂLĪVA, æ, f. 1. σίαλον, σιαλίς, humor in ore animalis, sputum (*It. saliva, scialiva, sputo, bava*; Fr. *salive*; Hisp. *saliva*; Germ. *d. Speichel*; Angl. *saliva, spittle*): est a Græca voce adlata, et sæpius in sing. num. usurpatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De brutis animantibus. *Colum.* 6. *R. R.* 9. Signa bovis febricitantis manantes lacrimæ, oculi compressi, fluidum salivis os etc. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 53. (193). Tussim sanat saliva equi triduo pota. — *b*) De hominibus. *Lucret.* 4. 1101. Affigunt avide corpus, junguntque salivas Oris. *et ibid.* 639. ut serpens, hominis quæ tacta salivis Disperit. *Juvenal.* 6. 621. *de Claud. Imp.* (quem in ira rictu spumanti fuisse, scribit *Sueton.* 30.) tremulum caput, et longa manantia labra saliva. *Catull.* 23. 15. A te sudor abest, abest saliva Mucusque, et mala pituita nasi. *h. e.* numquam exspuis. *Id.* 99. 10. Spurca saliva. *et* 77. 8. et *Seneca* 3. *Ira* 38. *extr.* pinguis. *sputo grosso.* *Veget.* 2. *Veterin.* 22. jejuna. *Tertull. Jejun.* 6. virgo. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. 15. frequens ac reflua. *Id. ibid.* exusta. *h. e.* tenax, viscosa. *Id. ibid.* crassior et indigesta. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (37). Salivam in manu ingerere. *sputarsi in mano.* et 27. *ibid.* 6. 24. (41). ciere. *et* 37. *ibid.* 10. 59. (162). facere. Hinc *id.* 7. *ibid.* 2. 2. (13). et 28. *ibid.* 4. 7. (35). et *ibid.* 7. 22. (76). jejunæ salivæ hominis contra serpentes, fascinationes, invidiam, comitialem morbum furunculos, lichenas, lippitudines etc. miram vim prædicat. *Pers.* 2. 31. cunis Exemit puerum, frontemque atque uda labella Infami digito, et lustralibus ante salivis Expiat. Cf. *Sueton. Vitell.* 2. ¶ 2. Speciatim, *arcana saliva* est veneficium, in quo saga spurcam salivam suam inspuit, vel amatorium poculum infecit. *Propert* 4. 7. 45. Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de quibusdam certorum animalium humoribus salivæ similibus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (136). Cochlearum saliva illita infantium oculis. *Id.* 32. *ibid.* 6. 21. (60). Ostrea spissa, nec saliva sua lubrica. *Id.* 9. *ibid.* 36. 60. (128). Purpuræ diebus quinquagenis vivunt saliva sua. *Id.* 11. *ibid.* 37. 54. *extr.* Oculos natura composuit callosis in extimo tunicis, quas subinde purificant lacrimationum salivis. *et ibid.* 12. 12. *de melle.* Sive ille est cæli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris sucus. ¶ 2. Metonymice saliva est gustus, sapor, *gusto, sapore. Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (40). Sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique ætas gratissima, hoc est media. *Propert.* 4. 8. 38. Et Metymnæi Graja saliva meri. *Pers.* 6. 24. turdorum nosse salivam. *Petron. fragm. Tragur.* 48. *Burmann.* Quidquid ad salivam facit, in suburbano nascitur. *h. e.* omne vinum, quod sapore gratum est, et gustui jucundum: *dà nel gusto.* ¶ 3. Item generatim appetitus, cupiditas alicujus rei. *Seneca Ep.* 79. *ante med.* Aut ego te non novi, aut Ætna tibi salivam movet. *h. e.* valde cupis Ætnam cognoscere ac describere. Ital. *far venir l' acqua, o l' acquolina in bocca, eccitare o stuzzicar l'appetito.* Sic *saliva Mercurialis* apud *Pers.* 5. 112. est cupiditas lucri. Huc trahit *Klotz.* illud *Petron. fragm. Tragur. supra adl.* ¶ 4. *Omnia una saliva continuare* apud *Hieronym. advers. Jo. Hierosol. n.* 10. est uno impetu, aut spiritu, protinus. protelo, ita ut ne semel quidem spuatur.

SĂLĪVĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

SĂLĪVĀRĬUS, a, um, adject. σιαλώδης, *salivale*, ad salivam pertinens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (160). Mituli, et pectines sponte naturæ in arenosis proveniunt: quæ durioris testæ sunt, ut murices, purpuræ, salivario lentore. *h. e.* humore instar salivæ, sed viscoso. — Hinc

Salivarium, ii, n. 2. absolute, pars freni intra ora. *Edict. Dioclet.* 19. 5. ubi *vulg.* salibarium.

SĂLĪVĀTĬO, ōnis, f. 3. (salivo) σιαλισμός, *salivazione*, salivæ fluxus. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. 7. Sequitur autem eos, qui jam passione tentantur, salivatio plurima, *etc.*

SĂLĪVĀTUM, i, n. 2. (salivo) ποτόν, πόμα, προπότισμα, medicamentum liquidum, vel solidum in quibusdam animalium morbis a mulomedicis adhiberi solitum. Dictum ex eo, quod primo nimiæ salivæ compescendæ institutum sit: vel quia salivam, *h. e.* cibi appetentiam, restituat. Sunt tamen, qui *salviatum* ubique reponunt, quasi prima ejus compositio ex salvia fuerit; invitis tamen optimis Codicib. *Colum.* 6. *R. R.* 25. Lupini semicrudi conteruntur, et offæ salivati more faucibus ingeruntur. et *ibid.* 9. Coctos brassicæ coliculos triginta ex oleo et garo salivati more febricitanti bovi demitti. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 76. (101). Ex hac herba in tres modios salivati additur, quantum in unam sagittam addi solet (h. e. *quantum addi solet ad unam sagittam veneno inficiendam*); ita offa demittitur boum faucibus in morbis. *Pallad.* 5. *R. R.* 7. Vitulis tostum molitumque milium cum lacte misceatur, salivati more præbendum. — Cum Genetivo. *Colum.* 6. *R. R.* 10. Recens tussis (*boum*) optime salivato farinæ hordeaceæ discutitur. *beverone.*

SĂLĪVO, as, are, a. 1. Particip. *Salivandus* 2. — Salivo, σιαλίζω, *sputare*, salivam emitto. Translate. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (125). Purpuræ congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. ¶ 2. Speciatim, curo eo medicamento, quod *salivatum* dicitur: quia etiam ciendæ salivæ vim habet. *Colum.* 6. *R. R.* 5. Panacis et eryngii radices fœniculi seminibus miscendæ, et cum defruti ac moliti tritici farina, candenti aqua conspergendæ: eoque medicamento salivandum ægrotum pecus. *et ibid.* 24. *a med.* Fetæ vaccæ cytisus viridis præbetur, vel tenero olere commixto torrido molitoque milio, et per unam noctem lacte macerato salivatur. *et ibid.* 37. *a med.* Admissarius equus desecto viridi pabulo, et largo hordeo firmandus, nonnumquam etiam salivandus erit.

SĂLĪVŌSUS, a, um, adject.

I.) Proprie, saliva abundans, *salivoso. Virg. Catal.* 5. 29. *Ribbeck.* Quibus (*dapibus*) repletus ut salivosis labris Obesam ad uxorem redis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 2. 12. Ægrotans salivosus. *Apul. Apolog.* Salivosa labia. *bavose.*

II.) Translate, salivæ similis, viscosus, *salivale, mucillagginoso. Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (181). Humor cerasis (*in cortice*) gummosus, ulmis salivosus, lentus ac pinguis malis.

SĂLIX, ĭcis, f. 3. genus plantæ, quam ridicule, inquit *Fest.*, interpretatur dictam, quod ea celeritate crescat ut *salire* videatur: quod et *Serv.* facit ad *Virg.* 1. *Ecl.* 55.; sed potius duxerim a Græca ἑλίσσω, torqueo, flecto, unde ἑλίκη, salix tortilis; hujus enim ramis tortilibus texuntur calathi. — Salix, ἰτέα (It. *salice, salce, salcio*; Fr. *saule*; Hisp. *salce*; Germ. *d. Weide, d. Weidenbaum*; Angl. *a willow or sallow, a withy, osier*).

I.) Proprie est genus plantæ plurimi usus in cultu vinearum, sive grandior sit, et perticalis, sive humilior, seu viminalis: quæ duo genera ponit *Colum.* 4. *R. R.* 30. *et* 31. *Verrius*, vel *Cincius* apud *Fest.* salicem esse ait virgulti genus, non arboris: quod verum est, si de viminali, humili, et tenues virgas ferente loquatur: quamquam et hanc inter arbores ponit *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (267). ubi ait esse *humillimam arborum.* — Quæ Græca dicitur a *Varrone* 1. *R. R.* 24. *extr.* et a *Catone R. R.* 6., viminalis est, et flavi coloris. *Gloss. Philox.* Salix Græca, ἄγνος, δένδρον (Gall. *agnus-castus*). — Amerina ejusdem est usus, gracili virga, et rutila: eademque et Sabina vocatur. *Virg.* 1. *G.* 265. Atque Amerina parant lentæ retinacula viti. Adde *Colum. loc. cit.* — Est et Gallica obsoleti purpurei, et tenuissimi viminis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (174). Salicis plura genera. namque et in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas, pariuntque balteo corticis vincula: et aliæ virgas sequacis ad vincturas lentitiæ. Aliæ prætenues viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores corbibus, ac plurimæ agricolarum supellectili: candidiores, ablato cortice lenique tractatu, vilioribus vasis, quam ut e corio fiant: atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimæ. Cædua salici fertilitas, densior tonsura, *etc.* nullius quippe tutior est reditus, minorisve impendii, aut tempestatum securior. Hæc ex *Plin.*, qui 24. *ibid.* 9. 37. varios enumerat ejus usus in medicina. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (110). Mira vitium natura saporem alienum in se trahendi, qualem et salicum redolent Patavinorum in palustribus vindemiæ. *Virg.* 3. *G.* 175. Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem etc. *Id.* 3. *Ecl.* 83. lenta salix. *Pallad. de insit.* 161. fluminea. *Ovid.* 10. *Met.* 96. Amnicolæ salices. *Lucret.* 2. 361. teneræ. *Virg.* 4. *G.* 182. glaucæ. *et* 2. *ibid.* 446. fecundæ viminibus. *Id.* 1. *Ecl.* 79. amaræ. *Lucan.* 4. 131. cana salix madefacto vimine parvam Texitur in puppim: cæsoque inducta juvenco, Vectoris patiens, tumidum superenatat amnem. *Paul. Dig.* 33. 1. 12. Salicis mundæ annua librarum singula millia. *h. e.* a foliis, aut etiam a cortice purgatæ.

II.) Translate, per synecdochen, ut *ferrum* pro *ense*, sic et *salix* ponitur pro virga ad cædendum, *bacchetta, verga. Prudent.* 10 περὶ στεφ. 703. Impacta quoties corpus attigerat salix, Tenui rubebant sanguine uda vimina.

SALLĪO, is, *et*

SALLĪTUS, a, um, *et*

SALLO. *V.* SALIO, salem aspergo.

SALLUSTĬĀNĒ, *et* Salustiane, adverb. more Sallustii. *Priscian. p.* 1022. *Putsch. V.* SALLUSTIUS in ONOM.

SALLUSTĬĀNUS, *et* Salustianus, a, um, adject. ad Sallustium pertinens. *V.* hanc voc. in ONOM. Hinc *Sallustianum æs* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 2. (3). in Centronum Alpino tractu, dictum est a Sallustio Crispo, Augusti amico, Historici nepote ex sorore, et in nomen adscito (ut ait *Tac.* 3. *Ann.* 30.: cf. et 1. *ibid.* 6.), qui ejus metalli dominus fuit, unde effodiebatur. *Horat.* ad eum scripsit *od.* 2. *l.* 2.

SALMĂCĬDUS, a, um, adject. Est a Græca voce ἅλμη, aqua maris, et aceo. *Gloss. Philox.* Salmacidum, ἁλμυρόν, Salmacidus, ἁλμυρός, ἁλώδης. — Salmacidus, *salmastro*, salsus simul et acidus. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 22. (36). Nitrosas aquas, atque salmacidas in desertis Rubrum mare petentes, addita polenta, utiles intra duas horas faciunt. *Flor.* 4. 10. *a med.* Non minor ex aqua postea, quam ab hostibus clades: infesta primum siti regio: tum quibusdam salmacidis fluviis infestior. *Plin. Valer.* 5. 41. *ad fin.* Ipsum vero balneum ex dulci aqua fiat, non ex salmacida. At *Reines. l.* 3. *var. lect. c.* 4. *a med.* et *Salmas.* in *Solin.* 5. omnibus adlatis locis *salinacidus* legi volunt. Utra ex his vocibus præferenda sit, viderint alii. — *NB.* De nom. propr. *V.* SALMACIS in ONOM.

SALMĂCĬUS, a, um, adject. idem ac salmacidus. *Gloss. Lat. Græc.* Salmacia aqua, ἁλμυρὸν ὕδωρ.

SALMENTUM, i, n. 2. idem ac salsamentum. *Caper p.* 101. 8. *Keil.* Salmenta proferre non limeas, quia Latinum est. Adde *Charis. p.* 265. 16., *Julian. exc. ex comm. Donat. p.* 324. 10. et *p.* 327. 15. et *Consent. p.* 392. 10. *Keil.*, et *Gloss. Isid.*

SALMO, ōnis, m. 3. *salamone, sermone,* genus piscis marini, qui etiam fluvios subit semelque gustata aqua dulci vix unquam in mare regreditur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 32. (68). In Aquitania salmo fluviatilis marinis omnibus præfertur. *Auson. Edyll.* 10. 97. Nec te puniceo rutilantem viscere, Salmo, Transierim, latæ cujus vaga verbera caudæ Gurgite de medio summas referuntur in undas, Occultus placido quum proditur æquore pulsus. Tu loricato squamosus pectore, frontem Lubricus, et dubiæ facturus fercula cœnæ, Tempora longarum fers incorrupte morarum, Præsignis maculis capitis: cui prodiga nutat Alvus, opimatoque fluens abdomine venter. *V.* SALAR. Adde *Gargil. Mart. de medic.* 62.

SAL NITRUM. *V.* NITRUM.

SĂLO. *V.* SALIO, salem aspergo.

SĂLŎPȲGĬUM, ii, n. 2. motacilla: a σάλος, motus, et πυγή, nates: quemadmodum etiam dicta est σεισοπυγίς, a σείω, moveo, et πυγή. Usus creditur *Catullus Ep.* 50., et ita Calvum oratorem appellasse, hoc versu, Dii magni, salopygium dicertum! Sic vero Calvus dictus sit, quia motacillæ instar in dicendo subsiliret. Placuit hæc lectio *Salmasio,* qui pro se adducit, quod in veteribus *Catulli,* ac *Senecæ* membranis *salopygium* legatur. Alii aliter legunt, ut dictum est in SALAPUTIUM.

SĂLOR, ōris, m. 3. color sali, seu maris, qui medius fere est inter viridem, et cæruleum, et communis vitro et mari. *Capell.* 1. *p.* 8. Urna perlucentis vitri salore renidebat. At rectius legend. *salo,* vel *hyalo:* (*V.* SALUM.) immo ex iis, quæ attulit *Kopp.* ad *Capell. loc. cit.*, vox rejicienda.

SALPA, æ, f. 1. σάλπη, *sarpa,* genus piscis marini, litoralis, squamosi, solitarii, aureis lineis interstincti. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 32. (68). Circa Ebusum salpa, obscenus alibi, et qui nusquam percoqui possit, nisi ferula verberatus. *Obscenum* vocat fortasse, quia stercore vescitur. *Ovid. Halieut.* 121. merito vilissima salpa.

SALPICTA, *sive* Salpincta, *sive* Salpinctes, *sive* Salpista, æ, m. 1. Est a Græcis, quibus dicitur σαλπιγκτής, a σαλπίγγω, vel σαλπιστής, a σαλπίζω, buccino, tuba cano. *V.* SALPINX. — Salpicta est igitur tubicen, *trombetta. Vopisc. Carin.* 19. Exhibuit et centum salpistas uno crepitu concinentes. *Firmic.* 8. *Mathes.* 21. Salpictas reddet, sed qui in bello confossi moriantur. *Stewechius* similiter interpretatur illud *Arnobii* 7. *p.* 239. Delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis, salpictarum sonitu etc. Alii metonymice hic accipiunt pro alapa, *sonora guanciata.* Cf. *Gloss.* Salapitta, ῥάπισμα. *V.* SALAPITTA.

SALPINX, pingis, f. 3. σάλπιγξ. *V.* voc. præced. init. — Salpinx est tuba, buccina, *tromba. Servius in centimetro,* in exemplum Sotadici metri affert hunc versiculum, *p.* 1824. *Putsch.* Salpinx cane, tempus fugit: intendito laborem. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 173. Salpinx, salpinctes, hierosalpinctes.

SALPISTA, æ, m. 1. *V.* SALPICTA.

SALPŪGA, æ, f. 1. genus formicæ venenatæ. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 29. (92). Est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia: solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica. *Sillig.* solipugas. *Lucan.* 9. 837. Quis calcare tuas metuat, salpuga, latebras? Alii leg. *solpuga,* alii aliter. *V.* SOLIPUGA.

SALSĀMEN, minis, n. 3. (salso) idem quod salsamentum. *Arnob.* 7. *p.* 230. Carnem strebulam, et pulpamenta, salsamina denique, quæ commixtio quadrinis copulata de frugibus. *Gloss. Labb.* Salsamen, ταρίχιον.

SALSĀMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad salsamenta pertinens, *da salume,* ταριχηρός. *Colum.* 3. *R. R.* 10. *a med.* Vasa olearia, et salsamentaria. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (308). Salsamentarii cadi. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (140). Salsamentaria testa. *Inscript.* apud *Donat.* 315. 10. TI. CLAVDIVS DOCIMVS NEGOTIANS SALSAMENTARIUS. — Hinc

Salsamentarius, ii, m. 2. absolute, qui salsamenta facit, aut vendit, *pizzicagnolo,* ταριχευτής, ταριχοπώλης. *Cic.* 4. *Herenn.* 54. 67. Ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. *Sueton. Vit. Horatii.* Horatius Flaccus, patre, ut creditum est, salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem? etc. Idem habet *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Adde *Salvian.* 4. *advers. avar.* 7., ubi tamen *Halm.* leg. *salgamarius.* et *Gloss. Labb.* Salsamentarius, ταριχοπώλης.

SALSĀMENTĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SALSĀMENTUM, i, n. 2. (salso) ¶ 1. Piscis sale, aut muria conditus sibi gratia, ad diuturnum usum, *pesce salato, salume, salsume,* τάριχος. Quia enim obsonia Latinis fere pisces erant, ea si salterentur, *salsamenta* dicta. Fere in plur. num. usurpatur. *Ter. Adelph.* 3. 3. 27. Salsamenta hæc fac macerentur pulcre. *fa che a questi salumi si levi il sale.* et *Varro* 3. *R. R.* 17. Hortensius salsamenta in eas piscinas empticia conjiciebat, quum mare turbaret, ut per tempestatem suis piscibus e macello cetariorum, uti e mari, obsonium præberet. *Colum.* 12. *R. R.* 53. *in fin.* Ea caro (*suilla*) semper conservatur, et tamquam salsamentum in muria sua permanet. *Id.* 8. *ibid.* 17. *a med.* Salsamentorum purgamenta, quæ cetariorum officinis everruntur. *Gell.* 2. 24. *circa med.* Carnis aridæ et salsamenti certa pondera in singulos dies constituit. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 26. (80). Salsamentorum spinæ. *et ibid.* 9. 34. (106). Salsamenta coracini. *et ibid.* 2. 9. (18). Pisces ita salsos esse, ut possint salsamenta existimari, circa Cephaleniam, et Paron. Adde *ibid.* 5. 17. Et rursus *ibid.* 2. 9. (19). Salsamenta reficere. *h. e.* iterum sale condire. ¶ 2. Item ipsa muria. *Cic.* 2. *Divinat.* 57. 117. De vino, aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate.

SALSĀRE, is, n. 3. est *Acronis* ad *Horat.* 2. *Sat.* 8. 86. Mazonomon genus lancis est, in qua portantur escæ, veluti grande salsare. Hanc lancem *Vet. Scholiast. Cruquii* interpretatur *magnam scutelam.*

SALSĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SALSĀRĬUS, a, um, adject. (salso) ut *negotians salsarius* in *Inscript. Gruter.* 647. 1., est salsamentorum negotiator. *V.* MALACITANUS. — Hinc

Salsarium, ii, n. 2. absolute, vas in quo salsamentum reponitur, *salsiera. Apic.* 9.

SALSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus salsandi. *Gloss. Cyrill.* Ταρίχευσις, salsatio.

SALSĀTUS, a, um, particip. *V.* SALSO.

SALSĒ, adverb. (salsus) Comp. *Salsius;* Sup. *Salsissime.* — Salse est cum sale, aut salsitudine, *con sale:* et translate, *con grazia, con acutezza, facetamente,* σκωπτικῶς, κομψῶς, urbane, facete, cum dicti mordacitate. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 275. Valde hæc ridentur, quæ, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur. *Quintil.* 6. 3. 13. Salse dicere in aliquem. *et mox.* Nihil ex iis, quæ dicuntur salsa, dicitur salsius. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 51. *ad fin.* Salsissime dicere aliquid.

SALSĒDO, dinis, f. 3. salsus sapor, salsitudo, ἅλμη (It. *salsezza, salsedine;* Fr. *salure;* Hisp. *salsedumbre;* Germ. d. *Salzigkeit,* d. *salzige Geschmack;* Angl. *saltness*). *Pallad.* 11. *R. R.* 14. Ut aqua marina salsedine careat. *Rufin. comm. in Amos* 1. 5. Salsedo amara.

SALSĪCĬUM, ii, n. 2. *V.* in voc. seq.

SALSĪCĬUS, *et* Salsitius, a, um, adject. salsus, sale conditus, seu confectus. *Acro* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 4. 60. perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus (*stomachus*) refici; quin omnia malit, Quæcumque immundis fervent illata popinis. *hæc habet:* Ita reficitur per has res, id est pernas atque hillas, convivæ stomachus, ut non omnia malit, quæ venduntur in popinis immundis. Hilla dicuntur salsa intestina hirci. Positum deminutive hæc hilla. Quidam in deminutione neutri generis esse dicunt, alii etiam farta salsicia (*Pauly* salsitia) *salsiccia.* At cl. *Furlanet.* in *App.* Salsicium ponit absolute, substantivorum more, ut genus farciminis idem quod insicium.

SALSĬFLŪUS, a, um, adject. (salsus et fluo) qui salsus fluit. *Paul. Diac. de cons. Herici v.* 56. apud *Durandi dell' ant. città di Pedona* etc. *p.* 33. Paludes Mæotides, Ponti coarctat quas unda salsiflui, Dalmatiarum, quibus obstat terminus.

SALSĬFŌDĪNA. *V.* SALIFODINA.

SALSĪLĀGO, ginis, f. 3. idem ac salsugo, ἅλμη. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 32. (92). Ciceris natura est gigni cum salsilagine. *h. e.* cum insita salsitudine. *V.* SALSUGO.

SALSĬPŎTENS. *V.* SALIPOTENS.

SALSĬPŎTIS, is, adject. idem quod salsipotens. *Anthol. Lat.* 21. 2. *Ries.*

SALSĬTAS, ātis, f. 3. salsitudo.

I.) Proprie. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 29. Hujus fluminis liquor ad potum hominis adversus, amaritudine nimia cum salsitate. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 113.

II.) Translate. *Augustin. in Psalm.* 73. Irrigare salsitatem gentium. *Hieronym. advers. Lucif.* 14. Gratulor interim tibi, quia animo bono a salsitate Sardorum ad totius orbis te saporem contulisti. *Alii minus recte leg.* falsitate. V. *Salsus* in SALIO.

SALSĬTĬUS. *V.* SALSICIUS.

SALSĬTŪDO, dinis, f. 3. humor saporem salis referens. *Vitruv.* 1. 4. *ad fin.* Bestiæ natando inconsueta salsitudine necantur. Adde *Augustin. Serm. app.* 295. — In plur. num. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (154). *de pulejo.* Salsitudines corporis, si cum vino tradatur, minuit.

SALSĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a comp.* salsius, aliquantisper salsus. *Augustin.* 8. *Confess.* 3. Et ebriosi salsiuscula quædam comedunt.

SALSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (salsus) Particip. *Salsatus.* — Salso est salsamento condio, sallio. *Gloss. Cyrill.* Ταριχεύω, salso. *Augustin. Ep.* 108. Nec ulla aqua pavimenta salsavisti. *Gloss. Cyrill.* Τεταριχευμένος, salsatus.

SALSŪGO, ginis, f. 3. ἅλς, ἁλμυρίς, ἅλμη, salsedo, *salsedine, salsuggine.*

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 4. *de arena marina.* Parietes, quum in his tectoria facta fuerint, remittentes salsuginem, ea dissolvunt. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (176). Uliginosa loca, et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius. *Vulgat. interpr. Job* 39. 6., et *Jerem.* 17. 6., et *Psalm.* 106. 34. Terra salsuginis. *et Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (183). Alumen, quod intelligitur salsugo terræ.

II.) Metonymice. ¶ 1. Aqua salsa. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26 (85). Salsugine amaritudo (*raphanorum*) eximitur. Adde *Solin.* 30. 8. ¶ 2. Humor qui in areis salinarum sub salis crusta liquidus remanet, neque in salem concrescit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (92). Præter hæc etiam num appellatur in salinis salsugo, ab aliis salsilago. tota liquida; marina aqua salsior, si distans.

SALSŪRA, æ, f. 1. salitura, salsamentum, *insalamento, salume,* τὸ ἁλμῶδες.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 21. Salsura suillæ carnis. *insalamento. Id.* 8. *ibid.* 17. *a med.* Nulla æque, quam prædictæ salsuræ pabula, commode dantur. *pesce marinato. Varro* 2. *R. R.* 4. *a med.* Corpus suis, quod in salsura fuit.

II). Translate. *Plaut. Stich.* 1. 2. 33. PA. Salve, mi pater. ANT. et vos ambæ. Illico agite, abscedite. DI. Osculum.... ANT. Sat est osculi mihi vostri. PI. qui, pater? ANT. quia ita meæ animæ salsura evenit. *h. e.* halitu vestro, o filiæ, bono et sano jam evenit osculis vestris salsura quædam et condimentum senili animæ meæ. *Fulgent. Myth.* 1. *præf.* Ordior fabulam, quam nuper Attica saporante salsura, nocturna præsule lucerna, commentus sum. *h. e.* salibus, dicacitate.

SALSUS, a, um. *V.* SALIO, salem aspergo.

SALTĀBUNDUS, a, um, adject. (salto) saltitans. *Gell.* 20. 3. Saltabundi canebant, quæ nunc stantes canunt.

SALTANS, antis, particip. *V.* SALTO.

SALTĀRIS. *V.* SALTUARIS.

SALTĀTIM. *V.* SALTUATIM.

SALTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus saltandi, et gesticulandi quippiam canendo, aut recitando, ut expressius id, ac planius significetur (*V.* SALTO.), ὄρχησις, χόρευσις, σκίρτησις (It. *ballo, danza;* Fr. *danse;* Hisp. *danza, baile;* Germ. d. *Tanzen,* d. *Tanz;* Angl. *a dancing, dance*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 62. *extr.* Sex. Titius, homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. ¶ 2. Speciatim. saltatio militaris, quam Lacedæmonios, tamquam ad bella utilem, habuisse inter exercitationes accepimus, inquit *Quintil.* 1. 11. *sub fin.* *V.* PYRRHICHA. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (157). *de equis.* Docilitas tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moveri solitus inveniatur. (Cf. *Sil. It.* 3. 347.) Pergit *Quintil. loc. cit.* Neque id veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio: et illa in tertio Ciceronis de Oratore libro verba Crassi (*c.* 59), quibus præcepit, ut orator utatur laterum inclinatione forti ac virili, non a scæna, et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palæstra: cujus etiam disciplinæ usus in nostram usque ætatem sine reprehensione descendit. Hæc *Quintil.* ¶ 3. Hinc *saltatio bellicrepa*, genus saltationis Romanæ militaris, a Romulo institutæ in memoriam raptus Sabinarum mulierum, de qua V. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 35. 3. *Müll.* ¶ 4. Alia fuit saltatio Saliorum, de qua *V.* in SALIUS. ¶ 5. Saltatio voluptuosa, olim quidem honesta et ab honestis appetita, ut *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. docet: mox paullatim corrupta, mollis, soluta, quæ etiam in conviviis adhibebatur, deliciarum et libidinis causa, post multum cibum et pocula. *Scipio African.* apud *Macrob. loc. cit.* Vidi puerum bullatum cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset. *Cic. Mur.* 6. 13. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in convivio moderato, tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. *Plaut. Stich.* 5. 2. 11. Pro dii immortales, quot ego voluptates fero! quot risiones, quot jocos, quot savia, saltationes, blanditias, prothymias! ¶ 6. Pantomimorum saltatio, quæ adeo paullatim artificiosa evasit, ut ea sola, sine voce, fabulas in scæna illi repræsentarent. *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. *sub fin.* et *Sueton. Tit.* 7. *a med.* *V.* SALTO. — Porro saltationis scænicæ genera tria enumerantur: emmelia, cordax, sicinnis; emmelia tragœdiæ convenit, cordax comœdiæ, sicinnis satyræ. V. *Lucian. de saltat. c.* 22. et 26. ¶ 7. *Saltatio* fuit etiam singulare quoddam ludi genus apud Germanos. *Tac. Germ.* 24. Genus spectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt.

SALTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* saltatio, parva saltatio. *Vopisc. Aurelian.* 6. Adeo ut pueri saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent. *h. e.* componerent cantilenas quasdam, quas saltando canerent.

SALTĀTOR, ōris, m. 3. qui saltat voluptatis et deliciarum causa: mollis artifex et probrosus, ὀρχηστής (It. *ballatore, danzatore, ballerino;* Fr. *danseur, sauteur;* Hisp. *danzador, bailador;* Germ. d. *Tänzer;* Angl. *a dancer, vaulter*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Mur.* 6. 13. Saltatorem appellat L. Murenam Cato. maledictum est, si vere objicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris. Adde *Dejot.* 10. 28. et 1. *Off.* 42. 150. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. ¶ 2. Speciatim pantomimi sic dicti, variis gesticulationibus fabulas, sine verbis, exprimentes. *Quintil.* 6. 3. *a med.* Finitione usus est Augustus, de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, quum eorum alterum saltatorem dixit, alterum interpellatorem. *Id.* 1. 12. *a med.* Non comœdum in pronunciando, nec saltatorem in gestu facio. *Id.* 11. 3. *circa med.* Abesse plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis, quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paullo gravioribus facere moris fuit, *V.* SALTO. — In *Inscript.* apud *Murat.* 975. 4. P. RVSTICELLIVS SALTATOR. At *Orellio* videtur cognomen R. potius esse, quam appellativum.

SALTĀTŌRĬĒ, adverb. saltando. *Apul.* 10. *Met.* Mercurius saltatorie procurrens.

SALTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad saltandum pertinens, *da ballo,* ὀρχηστικός. *Cic. Pis.* 10. 22. Quum collegæ tui domus cantu et cymbalis personaret, quumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, quum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat. Sic *Arnob.* 2. *p.* 73. Ut incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret et cantaret, orbes saltatorios verteret. *Orbem saltatorium versare,* est in orbem se saltando convertere, inquit *Manut.* et alii. Sunt etiam qui putant, in quodam saltationis genere fuisse rotundam aliquam machinam, quam saltantes impellerent versarentque. Neque absurde aliquis cymbalum intelligat, de quo *Cic. ibid.* 9. *Scip. African.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Quum ductus sum in ludum saltatorium. *alla scuola di ballo.*

SALTĀTRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* saltatrix, *ballerina,* parva saltatrix. *Gell.* 1. 5. *extr.* Dionysiamque eum notissimæ saltatriculæ nomine appellaret.

SALTĀTRIX, tricis, f. 3. Genet. plur. *saltatricum* apud *Ammian.* 14. 6. 19. et *Vulgat. interpr. Eccli.* 9. 4. — Saltatrix, *ballerina,* ὀρχήστρια, quæ saltat. *Cic. Pis.* 8. 18. Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, senatum reipublicæ occasum atque interitum lugere vetuisti. *h. e.* cum A. Gabinio, qui nudus in convivio saltaverat; cur vero dicatur ipse tonsa saltatrix, *V.* in TONSUS. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (68). Otus imitatrix avis, ac parasita, et quodam genere saltatrix. Adde *Ambros. de Cain et Abel.* 1. 4. *Paulin. Nolan. carm.* 14. 120. Impia saltatrix, filia digna patre. V. *Prudent. Psychom.* 380.

SALTĀTUS, a, um, particip. *V.* SALTO.

SALTĀTUS, us, m. 4. idem ac saltatio. *Liv.* 1. 20. Per Urbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit. *Ovid.* 14. *Met.* 637. Satyri saltatibus apta juventus. Adde *Senec. Troad.* 783.

SALTEM, adverb. — *a*) Quod ad scriptionem attinet, *saltim* sæpissime legi in MSS. testantur eruditi: sed *saltem* magis videtur usu receptum. Quod *Priscian.* 15. *p.* 1015. *Putsch.* inter adverbia in *im* recenset, his verbis: a statu statim, a raptu raptim, a saltu saltim et saltuatim, a cursu cursim, etc., videtur *saltim* accipere pro *saltitando.* — *b*) Ratione habita etymi, obscura est vocis notatio, ut est apud *Gell.* 12. 14. Neque enim probare se posse dicit, quod quidam putarunt, *saltem* dictum esse per defectionem, pro *si aliter non potest,* quia tot verba in paucissimas litteras cludere, improbæ cujusdam est subtilitatis. Neque quod aliis visum est, *saltem* dictum videri, *u* littera media extrita, pro *salutem,* quia quum alia quædam petita, et non impetrata sunt, tunc soleamus, quasi extremum aliquid petituri, quod negari minime debeat, dicere, hoc saltem fieri aut dari oportere, tamquam salutem postremo petentes, quam impetrari certe sit æquissimum. Sed hoc, inquit, nimis esse videtur commenticium. *Donat.* tamen ad *Ter. Andr.* 2. 1. 13. et *Adelph.* 2. 2. 41., et *Serv.* ad 4. *Æn.* 327. posteriorem hanc notationem probavere, *saltem* scilicet natum esse a captivis, qui nihil aliud, præter *salutem,* a victore petunt: quasi dicant: sublatis omnibus, salutem concede. Ita *Forcell.* At alii recentiores, licet hanc vocem a them. *sal,* unde *salvus* (*salus*) et *solus,* totus, integer, derivent; nihilominus *tim* seu *tem* meram esse docent terminationem, ut in v. *viritim* a *vir,* ita ut *saltim,* seu *saltem* sit fere idem quod integra, aut salva rei parte aliqua vel minima. — Ceterum saltem est minimum, at certo, tamen, τὸ ἔσχατον, ἀλλά γε, ἀλλά, κἄν, γοῦν (It. *almeno, per lo meno;* Fr. *au moins, du moins, pour le moins;* Hisp. *á lo menos;* Germ. *im Ganzen wenigstens, zum wenigsten;* Angl. *at least, at the least, at all events*), et usurpatur — 1.°) Affirmative. — *a*) Cum oppositis. *Plaut. Truc.* 4. 4. 2. Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium. *Id. Merc.* 3. 4. 52. CH. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis. EV. Nemo ajebat scire. CH. at saltem hominis faciem exquireres. *Id. Pœn.* 3. 1. 41. Attrepidate saltem: nam vos approperare haud postulo. *Ter. Andr.* 3. 2. 14. tam aperte—? Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim. Cf. *Phorm.* 2. 1. 3. et *Andr.* 2. 1. 13. *Cic.* 9. *Fam.* 8. Utinam quietis temporibus atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis hæc inter nos studia exercere possemus. *Id.* 9. *Att.* 6. *a med.* Obsecro te, eripe hunc dolorem, aut minue saltem. Cf. *Rosc. Am.* 19. 54. Vere nihil potes dicere: finge aliquid saltem commode. — Interrogative. *Plaut. Amph.* 1. 1. 282. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? — *b*) Sine oppositis. *Plaut. Rud.* 1. 3. 29. Nec loci gnara sum, nec diu hic fui. Saltem aliquem velim, qui mihi viam monstret. *Cic.* 8. *Att.* 12. Nunc saltem ad illos calculos revertamur. *Id.* 12. *Fam.* 33. Antehac quidem sperare saltem licebat; nunc etiam id ereptum est. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 44. saltem tenet hoc nos. *Quintil.* 1. 4. 7. At grammatici saltem omnes descendent. Rursus *Plaut. Rud.* 2. 6. 68. Saltem si mihi mulierculæ essent salvæ: spes aliquæ forent. *Id. Rud.* 4. 4. 146. triduum hoc saltem. *Id. Pseud.* 1. 3. 87. Ut opperiare hos sex dies saltem modo. — *c*) Cum partic. *vix.* *Quintil.* 6. 4. 15. Illud vix saltem præcipiendum videtur, ne turbidus et clamosus sit altercator. *h. e.* certe. — 2.°) Cum partic. negativis, et est *ne – quidem.* *Liv.* 5. 38. Tribuni, non deorum saltem, si non hominum, memores. *Quintil.* 1. 1. 24. Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video. *Id.* 12. 11. 11. Ut ipsum iter neque imperium, neque saltem durum putant. *Id.* 6. 5. 1. Ne a sententiis quidem ac verbis saltem singulis separari. *h. e.* certe. *Plin. Paneg.* 82. Non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti poterat. *Id. ibid.* Nec deformitate ista saltem flumina carebant. *Apul.* 7. *Met.* Nec mihi statuta saltem cibaria præstabantur. Rursus *Quintil.* 10. 2. 15. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut sic dixerim, cutem. *Forcellinus* ad *h. l.*: Pro solum, tantummodo affertur illud *Quintil.* 10. 2. *circa med.* Nec vero saltem etc. Addunt alii loca *Plauti Capt.* 3. 1. 25., *Curc.* 4. 2. 21. et *Pœn.* 3. 1. 41. etc. item *Terentii, Velleji, Liv., Virgil., Ovid.* etc. Sed viri docti *Cellar.* in *Cur. poster.* et *Vorst. de Latin. mer. susp. c.* 18. ad priorem notionem, *minimum,* reducunt omnia, et quidem recte, contra *Borrich.* in *Vindic. Latin.* et *Pareum* in *Lex. Plaut.* etc. Quin et locus modo allatus ex *Quintil.* eodem reduci debet, ita ut sit sensus: Si non omnibus, at iis certe, qui satis judicii habuerunt ad evitanda vitia, non debet sufficere etc. Ita *Forcell.*

SALTĬCUS, a, um, adject. qui saltare solet. *Tertull. advers. Gnost.* 3. *de Joanne Baptista.* Contumeliosa cæde truncatur, in puellæ salticæ lucar.

SALTIM, adverb. ¶ 1. Saltem. *Auson. epist.* 7. 23. Numerare saltim more vulgi ut noveris. ¶ 2. Saltando. *Gloss. Labb.* Saltim, πηδητικῶς. *Priscian.* 15. *p.* 1015. A saltu saltim, et saltuatim. *V.* SALTEM.

SALTĪTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SALTĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* salto. Particip. *Saltitans.* — Saltito est sæpe salto, *saltellare, ballare,* σκαίρω. *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. *sub fin.* Appius Claudius, vir triumphalis, qui Salius usque ad senectutem fuit, pro gloria obtinuit, quod inter collegas optime saltitabat. *Arnob.* 2. *p.* 73. Saltitare et cantare. *Quintil.* 4. 9. *prope fin.* Quotidie magis lascivimus, syntonorum modis saltitantes. *Alii leg.* salutantes; *alii aliter.*

SALTO, as, āvi, ātum, are, 1. *frequentat. a* salio. Particip. *Saltans* sub *A.* I. *a.* et *B.*; *Saltatus*, *Saltaturus* et *Saltandus* sub *B.* — Salto dicitur de iis, qui lasciviæ causa, artificiosis saltibus et gesticulationibus ad sonum tibiæ moventur, brachia, pedes et corpus varie jactando, crotalis etiam et cymbalis interdum adhibitis, ut ex *Cic. Pis.* 9. et 10. colligitur, χορεύω, ὀρχέομαι (It. *ballare, danzare;* Fr. *danser;* Hisp. *danzar, bailar;* Germ. *tanzen;* Angl. *to dance*), et usurpatur *A*) Intransitive; et *B*) Transitive.

A) Intransitive.

I.) Proprie. — *a*) Forma activa. *Scip. Afric.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Vidi puerum bullatum cum crotalis saltare. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 83. Negarem, posse histrionem satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset. *Id. Dejot.* 9. 26. Dejotarum vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. *Id. Mur.* 6. 13. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Elephanti quosdam inconditos motus edidere, saltantium modo. *Inscript.* apud *Orell.* 2605. *de ludione.* SALTAVIT CANTAVIT ET PLACVIT PRO IOCIS QVIBVS CVNCTOS OBLECTABAT. — Præcipuum saltandi artificium erat in jactatione brachiorum, et gesticulatione manuum, ut ostendunt illa *Ovidii* 1. *Art. am.* 595. Si vox est, canta: si mollia brachia, salta. *Id.* 3. *ibid.* 349. Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam, Ut moveat posito brachia jussa mero? *et* 2. *ibid.* 305. Brachia saltantis, vocem mirare canentis. *Id. Remed. am.* 333. Exige quod cantet, si qua est sine voce puella: Fac saltet, nescit si qua movere manus. *V.* BRACHIUM et MANUS. — Hinc in scænam maxime saltatio inducta, in qua primum pantomimi agentem histrionem saltatoria gesticulatione sequebantur, gestu significantes, quod ille voce et verbis exprimebat: unde et *saltatores* dicti. Cui arti tanta aliquando fiducia accessit, ut Roscius, celebris histrio, non dubitaret cum Cicerone contendere, utrum ille sæpius eamdem sententiam variis gestibus efficeret, an hic per eloquentiæ copiam sermone diverso pronunciaret: quæ sunt verba *Macrobii* 2. *Saturn.* 10. *a med.* Quo pertinet illud, quod de se narrat *Plin.* 9. *Ep.* 34. statuisse, quum male versus legeret, libertum suum recitantem inducere. Ipse, inquit, quid, illo legente, interim faciam? sedeam defixus, et mutus, et similis otioso; an ut quidam, quæ pronunciabit, murmure, oculis, manu prosequar? Sed puto, me non minus male saltare, quam legere. Hactenus *Plin.* Postea crescente artificio, soli pantomimi, sine ulla voce aut verbis, adeo expresse gestus moderari cœperunt, ut totam fabulam agerent, et intelligendam percipiendamque spectatoribus exhiberent, ut in PANTOMIMUS dictum est. V. *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Hinc *saltare fabulam*, solo gestu agere, sub litt. *B* exemplis declaratum est. — *Salva res est, dum saltat senex*, proverbium, quod quare parasiti Apollinis in scæna dictitent, causam *Verrius* apud *Fest. p.* 326. 33. *Müll.* reddidit, quod C. Sulpicio, C. Fulvio Coss. M. Calpurnio Pisone prætore Urbis faciente ludos, subito ad arma exierint, nunciato adventu hostium, victoresque in theatrum redierint, solliciti, ne intermissi religionem afferrent, instaurandique essent: inventum esse ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret. Itaque gaudio non interruptæ religionis editam vocem nunc quoque celebrari. Reprehendit *Verrium* ipse *Festus*, ejusque hac in re inconstantiam accusat, quod alibi referat *Sinnii Capitonis* verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio et Fulvio Coss. factos dicit ex libris Sibyllinis, et vaticinio Marcii vatis institutos: (V. *Liv.* 25. 12. et 27. 23.) nec nominatur ullus Pomponius, ridiculeque de ipsa appellatione parasitorum Apollinis hic causam reddit, quum in eo præteriisset. ait enim ita appellari, quod C. Volumnius, qui ad tibicinem saltarit, secundarum partium fuerit: qui fere omnibus mimis parasitus inducatur. Hæc *Festus.* Paullo aliter *Serv.* ad 3. *Æn.* 279. Sciendum moris fuisse, ut, piaculo commisso, ludi celebrarentur. nam quum Romani iracundia Matris deûm laborarent, et eam nec sacrificiis, nec ludis placare possent; quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit: quæ sola causa fuit placationis. Unde et natum proverbium est: Omnia secunda: saltat senex. — *Saltare* apud veteres religiosa res fuit: ita docet *Serv.* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 73. et hæc, inquit, ratio est, quod nullam majores nostri partem corporis esse voluerunt, quæ non sentiret religionem. Hinc etiam Salii originem habuerunt. — Saltare lasciviæ et deliciarum causa, alienum erat a Romanis moribus, ut ait *Nepos præf.* et *Epam.* 1. Olim tamen moderato artificio, et honesta de causa id facere (ut in sacris Saliorum) probatum fuit: et pueri ingenui, et senatorum filii in ludum saltatorium commeabant; et matronæ non inhonestum ducebant saltandi artem addiscere. quid enim ait Sallustius? *Cat.* 26.) Psallere, saltare elegantius, quam necesse est probæ. Adeo et ipse Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime scierit. Hæc *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Hinc Scipio triumphale illud et militare corpus aliquando movit ad numeros, ut ait *Seneca Tranquill.* 13. *a med.* — *b*) Passive impersonaliter. *Quintil.* 2. 17. 10. Cantatur et saltatur per omnes gentes. *Serv.* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 73. Ut in religionibus saltaretur, hæc ratio est, etc.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 67. *sub fin.* Numerosam comprehensionem perverse fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum pæne Demosthenem, saltat, incidens particulas. *h. e.* procedit oratione, non numeris periodicis, quasi cursu quodam, sed brevibus incisis, et velut saliendo. *Apul.* 10. *Met.* Nunc acre comminantibus gestire populis, et nonnumquam saltare solis oculis. *Anthol. Lat.* 617. *Ries.* Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.

B) Transitive. — *a*) Forma activa. *Vellej.* 2. 83. 2 Quum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio. *Ovid.* 1. *Art. am.* 501. Et plaudas aliquam mimo saltante puellam: Et faveas illi, quisquis agatur amans. *Sueton. Cal.* 57. Pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus. *Id. Ner.* 54. Voverat, se saltaturum Virgilii Turnum. *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Saltabat Hylas Œdipodem: et Pylades hac voce securitatem saltantis castigavit: σὺ βλέπεις. *Scip. Afric.* apud *Macrob. loc. supra cit.* Quam saltationem impudicus servulus honesté saltare non posset. *Apul. Apolog.* Săltandis fabulis. — *b*) Passive. *Arnob.* 4. p. 151. Saltatur Venus, saltatur et magna Mater. *Ovid. Remed. am.* 755. Illic (*in theatris*) assidue ficti saltantur amantes. *Id.* 5. *Trist.* 7. 25. Carmina quod pleno saltari nostra theatro, Versibus et plaudi scribis, amice, meis. *Id* 2. *ibid.* 519. Saltata poemata.

Homonym. Differt *salto* a *salio.* nam *salio* est transcendo, et supero saltu, *salto* est motus compositos pedibus edo: illud est alacritatis, hoc elegantiæ. *Varro* 2. *R. R.* 3. 3. Capræ feræ sunt, quæ saliunt e saxo pedes plus sexagenos. Quamquam poetæ interdum *salio* pro *salto* usurpant. *Propert.* 4. 5. 51. Cælati medio quum sallere foro. Ita *Popma.* — Item *salto* a *tripudio* differt, quod *salto* omne genus saltationis continet, *tripudio* proprie est ter pede in saltando, quantum per artem licet, terram percutere. *Cf. Horat.* 1. *Od.* 37. 1. et 3. *ibid.* 18. 15. Hinc *saltatum* et *tripudium* sejungit *Liv.* 1. 20. Salios ancilia ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit. — Sic etiam *saltationem* inter et *saltum* distinguit *Scalig. Poet.* 1. 64. *Salire* est moveri in sublime vel tamquam medium, vel tamquam metam. Ejus frequentativum est *salitare*, unde concisum *saltare.* Græca origo verbi ἄλλεσθαι, quod motum rudem, at certis legibus compositum ὄρχησιν vocavere. Latini rudem illum veterem *saltum*, hunc *saltationem* quum adpellassent, non habuere verbum separatum sicut Græci.

SALTOR, ōris, m. 3. idem ac saltator. *Quintil.* 6. 3. 65. Augustus eorum (pantomimorum) alterum saltorem dixit, alterum interpellatorem. *Alii tamen leg.* saltatorem. *Cf. Val. Prob. Excerpt. de nom. p.* 212. 30. *Keil.* Salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. alioquin ratio analogiæ pro altero etc.

SALTRĪA, æ, f. 1. saltatio, seu ars saltandi. *Schol. Juvenal.* 2. 92. Saltria vocatur turpis exsilitio, quam agebant Baptæ.

SALTRIX, tricis, f. 3. idem ac saltatrix. *Vulgat. interpr. Eccli.* 9. 4. Ne respicias mulierem multivolam. Cum saltrice ne adsiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficaciis (*al.* facetis) illius. *Alii rectius leg.* saltatrice.

SALTŬĀRIS, e, adject. qui saltat. *Saltuares insulæ*, sunt insulæ parvæ, de quibus *Plin.* 2. *Hist. nat.* 95. 96. (209). Sunt et in Nymphæo parvæ, Saltuares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. Alii leg. *saltares*, alii rectius *saliares.*

SALTŬĀRĬUS, ĭi, m. 2. (saltus) *guardaboschi*, nostrates vulgo *saltaro*, ἀλσοκόμος, proprie est custos saltus, seu silvæ pascuæ: sed dicitur et de custode cujuscumque fundi, agri, ruris. *Pompon. Dig.* 7. 8. 16. Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, fundum, vel ædes per saltuarium, vel insularium custodire poterit. *Id. ibid.* 33. 7. 15. Mulier villæ custos in fundo, qui cum instrumento legatus est, continebitur, sicuti saltuarius. par enim ratio est. nam desiderant tam villæ, quam agri custodiam. *Petron. fragm. Tragur.* 53. *Burmann.* Testamenta saltuariorum. *African. Dig.* 32. 1. 58. *sub fin.* Saltuarius tuendi et custodiendi fundi magis, quam colendi paratus est. *Inscript.* apud *Orell.* 1599. s. AVG. s. (*h. e.* Silvano Augusto sacrum) C. INGENVVIVS HELIVS SALTVARIUS VIRTVTIS. *h. e.* custos saltus, qui ad Virtutis ædem pertinet.

SALTŬĀTIM, adverb. *a saltu*, πηδηματικῶς, per saltus.

I.) Proprie. *Priscian.* 15. *p.* 1015. *Putsch.* A statu statim, a raptu raptim, a saltu saltim et saltuatim. *Ammian.* 29. 1. 31. Saltuatim incidere singulis litteris. *Gell.* 9. 4. *a med.* Homines, qui monomeri appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes vivacissimæ pernicitatis. *Alii leg.* saltatim.

II.) Translate. *Saltuatim scribere*, est non scribere rem suo ordine, sed ut sese offert, hoc est digredi. *Sisenn. fragm.* apud *Gell.* 12. 15. et *Non. p.* 168. 11. *Merc.* Ne vellicatim, ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus. *Ammian.* 26. 5. 15. Dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus. *Sidon.* 3. *Ep.* 3. Dum novum scribendi morem gradatim appeto, et veterem saltuatim dedisco.

SALTŬENSIS, e, adject. ad saltum, seu nemus pascuum pertinens. *Fundi saltuenses*, in *Cod.* 11. 61. in lemmate, et *ibid. leg.* 13. et *tit.* 62. item in lemmate, sunt pastioni deputata nemora. *Saltuenses coloni*, *ibid.* 63. 1. sunt saltibus et prædiis colendis addicti.

SALTŬŌSUS, a, um, adject. *pieno di boschi, boscato*, πολύκνημος, plenus saltibus seu silvis. *Sall. Jug.* 58. Illa sese in loca saltuosa, et natura munita receperat. *Nepos Datam.* 4. Saltuosa regio castellisque munita. *Liv.* 27. 12. Aperta erat regio, sine ullis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 7. 7. (19). Solitudines saltuosis convallibus asperæ. *Tac.* 6. *Ann.* 34. Iberi saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insuevere.

SALTUS, us, m. 4. Olim secundæ declinationis fuit. *Accius* apud *Non. loc. cit.* sub *B.* in salti faucibus. Sic *senati, exerciti, sumpti* etc. dixere. — Saltus duo diversa significat.

A) Saltus, a *salio*, est actus saliendi, seu celeriter scandendi, aut currendi, aut movendi, ἅλμα, πήδημα (It. *salto;* Fr. *saut;* Hisp. *salto, brinco;* Germ. *d. Springen, d. Sprung;* Angl. *a leaping, leap*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 15. *ante med.* Saltus, vel ille, qui corpus in altum levat: vel ille, qui in longum mittit: vel ille,

ut ita dicam, Saliaris, aut, ut contumeliosius dicam, fullonius. Cic. Senect. 6. a med. Nec enim excursione, nec saltu utebatur, sed consilio, ratione, sententia. Lucret. 5. 559. saltu tollere corpus. Virg. 6. Æn. 515. Quum fatalis equus (ligneus) saltu super ardua venit Pergama. h. e. velociter ascendit. Id. 3 G. 141. saltu superare viam – et acri Carpere prata fuga. Claudian. III. cons. Honor. 47. Saltu vincere valles et concava. h. e. celerrimo cursu. Plin. 9. Hist. nat. 8. 9. (32). Saltu evadere. Rursus Virg. 2. Æn. 565. corpora saltu Ad terram misere. Id. 9. ibid. 815. præceps saltu sese omnibus armis In fluvium dedit. et ibid. 553. saltu supra venabula fertur. et 12. ibid. 287. corpora saltu Subjiciunt in equos. et ibid. 326. saltu Emicat in currum. et 8. ibid. 257. seque ipse per ignem Præcipiti injecit saltu. et 12. ibid. 681. Ovid. 1. Fast. 507. Saltum dare. spiccare. et Ib. 287. Dare saltus de summo monte. precipitare. et 2. Met. 314. facere. Id. 3. ibid. 599. Saltus leves. Stat. 6. Theb. 569. volucres. Id. 1. Achill. 178. rapidus. Lucret. 5. 559. pernix. Phædr. 3. 2. velox. Plin. 7. Hist. nat. 2. 2. a med. Homines miræ pernicitatis ad saltum. Cœl. Aurel. 2. Acut. 22. 165. de pulsu. Celeritate coactus, implicatis saltibus, ordinibus careat et modo. Id. ibid. 10. 69. Saltus latenter commovens musculos. h. e. cordis palpitatio. Id. 3. ibid. 5. 50. Saltus errans. h. e. motus vagus. Similiter 2. ibid. 3. 18. Saltus inferioris labii. ¶ 2. Speciatim dicitur de saltatione ludicra, ballo. Ovid. 14. Met. 520. Nymphæ Ad numerum motis pedibus duxere choreas. Improbat has pastor saltuque imitatus agresti, etc. Juvenal. 8. 225. de Nerone. Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu. h. e. histrionio. ¶ 3. Item de exercitio militari. Sall. fragm. apud Veget. 1. Milit. 9. extr. Pompejus cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. V. Lipsium de Milit. Rom. 5. 14. et Nieupoort. de Rit. Rom. 5. 5. 8.

II.) Translate. Ammian. 22. 4. 3. Ab egestate infima ad saltum sublati divitiarum ingentium.

B) Saltus, a Gr. ἄλτις, ἄλσος, quod est ab ἀλθέω, et ἀλδαίνω, augeo, nutrio, derivatur (cf. Germ. Wald), favente Forcellino, qui ait minus placere ab eo deduci, quod in illo pecora saliant, ut ipsi significare videtur Varro his verbis, 5. L. L. 36. Müll. Quos agros non colebant propter silvas, aut id genus, ubi pecus posset pasci et possidebant, ab usu suo saltus nominarunt. hæc etiam Græci νομάς, nostri nemora. Festus p. 302. 20. Müll. Saltum Gallus Ælius lib. 2. significationum, quæ ad jus pertinent, ita definit: Saltus est, ubi silvæ et pastiones sunt: quarum causa casæ quoque. Si qua particula in eo saltu pastorum, aut custodum causa aratur, ea res non peremit nomen saltui: non magis quam fundi, qui est in agro culto, et ejus causa habet ædificium, si qua particula in eo habet silvam. — Saltus est locus clivosus et pascuus, nemus, bosco da pascolo, selva, ἄλσος, νομή. — Aliquando a silva in usu loquendi, et a nemore distinguitur. Cæs. 6. B. G. 54. sub fin. Ille latebris ac silvis, aut saltibus se eripiebat. Virg. 2. G. 40. et 4. ibid. 53. Dryadum saltus, silvasque sequamur. Id. 4. Æn. 72. silvas saltusque peragrat. Catull. 34. 10. Diana domina Silvarumque virentium, Saltuumque reconditorum. Virg. 10. Ecl. 9. Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ Naides? et 6. ibid. 56. nemorum jam claudite saltus. h. e. aditus ad silvas, angustos fere et asperos. (V. Heyne ad h. l., et cf. 11. Æn. 904.) Aliquando vero cum iis confunditur. Justin. 44. 4. circa med. Montes saltusque peragravit. Virg. 2. G. 391. vallesque cavæ, saltusque profundi. et ibid. 471. saltus et lustra ferarum. Id. 1. G. 140. magnos canibus circumdare saltus. (Cf. Claudian. 2. Rufin. 376.) Id. 4. Æn. 121. saltusque indagine cingunt. Sic Pyrenæi saltus, Cæs. 1. B. C. 37. h. e. silvæ montium Pyrenæorum. Plin. 5. Hist. nat. 1. 1. (9). Saltus pleni feris. et ibid. 4. 4. (26). repleti ferarum multitudine. Id. 4. ibid. 7. 12. (25). Thebis Bœotiis datur saltus Cithæron. h. e. mons cum silva. Id. 3. ibid. 1. 3. (9). Saltus Tugiensis. Ovid. 1. Trist. 10. 21. Saltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti. h. e. brevis silva, atque adeo brevis tractus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Virg. 3. G. 143. Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum Flumina. Ulp. Dig. 19. 2. 19. Si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur. Accius apud Non. p. 486. 1. Merc. Hic Menalippum intra trajectus nemorum, in salti faucibus. Scævola Dig. 19. 1. 52. Conductor saltus, in quo fundus est. Modestin. ibid. 3. 5. 26. Major frater in saltu communi habente habitationes paternas, ampla ædificia ædificaverat. Cæs. 7. B. G. 19. Omnia vada ac saltus ejus paludis certis custodiis obtinebant. Varro 2. R. R. 3. 6. Saltus silvestres. Virg. loc. cit. profundi. Maximian. Eleg. 23. densi. Curt. 3. 10. 2. vasti. Id. ibid. 11. 19. occulti. — Æstivi saltus, in quibus æstate, hiberni, in quibus hieme pascuntur pecora. Justin. 8. 5., Paul. Dig. 41. 2. 3. circa med. et Papinian. ibid. 44. extr. — Uno in saltu apros duos capere, proverb. apud Plaut. Cas. 2. 8. 40., de quo V. in FIDELIA. ¶ 2. Speciatim sumitur pro possessione, fundo, prædio, præsertim in quo pascua multa sint, possessione, fondo, podere. Cic. Quinct. 6. extr. Quinctius contra jus de saltu agroque communi, vi detruditur. Id. dixerat ibid. 3. 12. pecuaria res ampla et rustica, sane bene culta et fructuosa. Juvenal. 7. 188. unde igitur tot Quintilianus habet saltus? Adde Catull. 114. 6. et 115. 4. ¶ 3. Item pro certo possessionis modo. Varro 1. R. R. 10. extr. Hæ quatuor centuriæ conjunctæ, ut sint in utramque partem binæ, appellantur in agris divisis viritim publice saltus.

II.) Translate. ¶ 1. Jlocaliter saltum dixit Plaut. τὸ αἰδοῖον θηλυκόν, Cas. 5. 2. 42. et Curc. 1. 1. 56. Simili ratione arvum, et hortum, et agrum, et fundum vocant Lucret. 4. 1100., Virg. 3. G. 136., Martial. 7. 102. et Plaut. Asin. 5. 2. 24. et Mil. glor. 2. 2. 39. ¶ 2. Saltus damni apud Plaut. Men. 5. 6. extr. est locus, ubi plurimum damni inest, quasi silva malis feris plena. ¶ 3. Dicitur et de aliis rebus. Sic montes mali apud eumd. Epid. 1. 1. 78. et mali mœroris mons in Most. 2. 1. 5. Vulgat. interpr Is. 10. 18. Gloria saltus ejus. h. e. exercitus. Id. Jer. 21. extr. Succendam ignem in saltu. h. e. in urbe Jerusalem.

Homonym. Differt saltus a silva, quod hæc, ut ait Popma, est nomen generis, habetque arbores incæduas pariter et cæduas; ille dicitur locus seclusus, nec viatori pervius, ubi pascuntur armenta, feræque versantur. Catull. loc. cit. Diana domina Silvarumque virentium, Saltuumque reconditorum. — Aliquando silva est pars saltus; ut saltus est pars silvæ, aut nemoris. Lactant. Phœn. 76. et 68. Secretosque petit diversa per avia lucos Hic ubi per saltus silva remota jacet. Enn. apud Schol. Horat. 1. Ep. 13. 10. Silvarum saltus, latebras lamasque lutosas. Virg. loc. cit. nemorum jam claudite saltus. Aliquando vero nihil differunt. — Ceterum videsis, quæ supra diximus. (Cf. LUCUS in fin., et Döderl. op. cit. v. 2. p. 93.).

SĂLŪBER, bris, bre, et Salubris, bre, adiect. (salus) Quod ad quantitatem attinet, salubris, ut involucrum, lavacrum (Prudent. c. Symmach. 1. præf. 54., Venant. miscell. 5. 5. p. 189., Petron. Antig. Mey. 185. 8.), per ætatem extremam imperii R. correptam habet syllabam pænultimam. Ita Müller. — Comp. Salubrior sub A. I. a. et II. et sub B. I.; Sup. Saluberrimus sub A. I. a. et II. — Saluber σωτήριος, οὔλιος, ὑγιεινός (It. salutevole, salubre, sano; Fr. utile au bien-être, a la santé, salutaire, salubre, sain; Hisp. saludable, salubre; Germ. Wohlsein schaffend, heilbringend, gesund, heilsam; Angl. healthful, promoting health, wohlesome, salubrious) adhibetur

A) Active, et est conferens ad bonam valetudinem, salutaris, sanitatem afferens.

I.) Proprie. — a) Absolute. Cic. 1. Divinat. 57. 130. Conjecturam capere, salubrisne an pestilens annus futurus sit. Cæs. 3. B. C. 2. Saluberrimæ regiones. Ovid. Remed. am. 704. Utque facis, cœptis, Phœbe saluber, ades. Varro 1. R. R. 2. 4. (Terræ pars) quæ salubrior, illa fructuosior Id. ibid. Spectare, utrum saluber locus esset, an non. et ibid. 4. Utilissimus is ager, qui salubrior est. Ovid. 2. Amor. 16. 2. irriguis ora salubris aquis. Plin. 5. Ep. 6. a med. Triclinium saluberrimum. Colum. 1. R. R. 2. Salubre cælum. Cic. 1. Divinat. 29. 61. cultus et victus. Id. 9. Fam. 12. Bajæ. Horat. 1. Sat. 8. 14. Esquiliæ. Id. Carm. sæc. 31. aquæ. Id. 1. Sat. 7. 24. stellæ. Propert. 3. 22. 16. lympha. Petron. Priap. 52. rutæ. Lucan. 1. 661. sidus. Virg. 3. G. 530. somni. Id. 1. G. 262. fluvius. Plin. 21. Hist. nat. 14. 48. (82). Hac decocta fieri saluberrimum acetum. Ovid. 6. Fast. 753. Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit. Jolulariter Plaut. Cist. 3. 13. O salute mea salus salubrior. — b) Cum Dativo. Colum. 12. R. R. 27. extr. Vinum suave, firmum, corpori salubre. Horat. Epod. 2. 58. gravi Malvæ salubres corpori. — c) Cum Accusat. et præpos. ad, contra. Cato R. R. 156. Lotium ad omnes res salubre est. Plin. 37. Hist. nat. 10. 61. (170). Icterias existimatur salubris contra regios morbos.

II.) Translate est utilis, salutaris. — a) Absolute. Cic. 8. Att. 12. a med. Salubria consilia. Horat. Art. P. 198. Salubris justitia. Petron. Sat. 140. Salubribus præceptis juvenes instruere. Gell. 5. 1. Quæ dicuntur, utilia ac salubria sunt. Id. 6. 10. Bona ac salubria exempla. Plin. 2. Ep. 11. Factum severitate exempli salubre. Sueton. Aug. 42. Ut salubrem magis, quam ambitiosum principem scires. h. e. moderantem beneficia sua, et utilitatem magis reipublicæ spectantem, quam famam liberalitatis, et gloriam. — b) Cum Dativo. Cic. Dom. 7. 16. Dixi sententiam reipublicæ saluberrimam. Liv. 2. 3. Leges, res salubrior meliorque inopi, quam potenti. Plin. 3. Hist. nat. 4. 5. (31). Saluberrima Romano imperio Alpium juga. Quintil. 3. 1. 5. Liber salubrior studiis, quam dulcior. — Salubre pretium est Italorum prezzo basso, confacevole, conveniente, modicum. Colum. 7. R. R. 3. a med. Cicercula sumptuosior est, quam ut suburbanis regionibus salubri pretio possit præberi. Martial. 10. 104. Jucundos mihi, nec laboriosos Secessus pretio paret salubri. V. SALUBRITER.

B) Passive, et est sanus, valens, sano, ὑγιής.

I.) Proprie. Liv. 3. 8. Defuncta morbis corpora salubriora esse incipere. Sall. Jug. 20. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum. Adde Martial. 10. 47. et Tac. 5. Hist. 6.

II.) Translate. Cic. Orat. 26. a med. Quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est. At Forcell. interpr.: quod causæ prodest, et eloquentiæ ostentatione caret. Grat. Cyneg. 120. Tela modi salubris. Forcell. interpr.: magnitudinis mediocris, atque adeo habiliora et utiliora venantibus.

Homonym. De differentia inter v. saluber et v. salutaris hæc habet Fronto de differ. p. 528. 14. Keil. Salubre ad locum refertur et ad cibum, salutare consilium est. Ita salubre non nocet, salutare prodest. Ceterum saluber dicitur fere de rebus physicis, salutaris potius de moralibus. Cato apud Plin. 18. Hist. nat. 5. 6. (28). Nihil salutare est, nisi quod toto anno salubre. Cf. Cic. Mur. 13. 29. V. Orellium ad Mil. 25. p. 112. — Ita etiam differt v. saluber a v. sanus, quum dicatur saluber, qui affert sanitatem, sanus vero, qui sanitatem percipit ac tenet. Seneca 4. Quæst. nat. 13. Quamdiu sanus, et salubris cibi capax stomachus est. — Sic sanitas distat a salubritate. Translate Cic. Brut. 13. 51. Orell. Ut eloquentia - omnem illam salubritatem Atticæ dictionis, et quasi sanitatem perderet. — Denique salus dicitur de eo, qui salvus est, seu vita fruitur; sanitas de bono statu salutis; salubritas de qualitate rei salutem, seu sanitatem afferentis; valetudo de statu bono, aut malo. Cic. Mur. loc. cit. A vobis (ju-

reconsultis) salubritas quædam; ab iis, qui dicunt, salus ipsa petitur. V. voc. seq. et Ernest. n. 21. 172.

SĂLŪBRĬTAS, ātis, f. 3. (saluber) ὑγίεια (It. *salubrità, buon' aria;* Fr. *état, qualité salubre, salubrité;* Hisp. *salubridad;* Germ. *d. heilsame, gesunde Beschaffenheit, Gesundheit, Heilsamkeit;* Angl. *wholesomeness, salubrity*).

A) Active, est qualitas rei bonam valetudinem afferentis

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Ex habitu atque ex colore extorum tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipi. *Id.* 2. *Legg.* 1. *a med.* Loci amœnitas et salubritas. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Salubritas aquarum. *Plin.* 8. *Ep.* 1. *extr.* et *Plin.* alter 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). cæli. *Id. ibid.* nemorum. *Id.* 5. *ibid.* 16. 15. (72). Calidus fons medicæ salubritatis. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (64). Vina Surrentina convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque. — *b*) In plur. num. *Vitruv.* 5. 3. Ut in primo de salubritatibus in mœnium collocationibus est scriptum.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 13. 51. *Orell.* Ut semel e Piræeo eloquentia evecta est, ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis, et quasi sanitatem, perderet. *Id.* dixerat *ibid.* 9. 36. Sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit. *Id. Mur.* 13. *ad fin.* A vobis *(jureconsultis)* salubritas quædam; ab iis, qui dicunt, salus ipsa petitur. *h. e.* ea quæ conducere possunt ad causas defendendas; ab oratoribus vero ipsa defensio.

B) Passive, est sanitas, saluber status, *sanità.* — *a*) In sing. num. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Salubritas corporum. *Colum.* 6. *R. R.* 4. Hæc remedia salubritatem faciunt. *Curt.* 3. 6. 16. Ut medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit. — *b*) In plur. num. *Gell.* 2. 1. *extr.* Parcendi moderandique rationibus dicitur salubritates corporis retinuisse. *h. e.* incolumitatem, *la sanità.* et *Censorin.* 18. 7. Quod in eo (anno) dicunt morbos salubritatesque circumire.

Homonym. Quomodo differant *salus, salubritas, sanitas* et *valetudo,* vide in SALUBER.

SĂLŪBRĬTER, adverb. (saluber) Comp. *Salubrius;* Sup. *Saluberrime.* — Salubriter est cum salubritate, conducenter ad bonam valetudinem, *con salubrità, salutevolmente,* ὑγιεινῶς.

I.) Proprie. *Colum.* 1. *R. R.* 8. *circa med.* Ut et panis diligenter confiat, et reliqua salubriter apparentur. *Id.* 2. *ibid.* 9. *a med.* Hordeum hexasticum hominem salubrius pascit, quam malum triticum. *Cic. Senect.* 16. *ad fin.* Ubi enim potest illa ætas umbris aquisve refrigerari salubrius? *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 6. (24). Velis forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent. *Id.* 22. *ibid.* 12. 14. (29). Hæc bilem detrahit obolo ponderis, saluberrime cum mulso. *Gell.* 3. 10. *circa med.* Ante mensem septimum neque masculus, neque femina salubriter ac secundum naturam nasci potest. *sicchè sia sano, e campi.*

II.) Translate. ¶ 1. Est utiliter, commode, *giovevolmente, utilmente. Liv.* 3. 62. Et trahi bellum salubriter, et mature perfici potest. *Vellej.* 2. 89. *a med.* Leges emendatæ utiliter, latæ salubriter. *Gell.* 6. 2. *circa med.* Salubriter utiliterque fingere aliquid. *Id.* 2. 29. Res salubriter ac prospicienter animadversæ. *Curt.* 4. 7. 29. Vere et salubriter æstimanti fidem. ¶ 2. Et parva impensa, modico pretio, *con poca spesa, a buon mercato. Plin.* 6. *Ep.* 30. Villa est quidem vetustate vexata: tamen quæ sunt pretiosiora, aut integra manent, aut levissime læsa sunt. Attendimus ergo, ut quam saluberrime reficiantur. *Id.* 1. *Ep.* 24. *extr.* Si prædiolum istud tam salubriter emerit, ut pœnitentiæ locum non relinquat. *V.* SALUBER.

SALUBROSUS, a, um, adject. idem fere ac saluber. Vox a lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 125. Saluber, salubre, saluberrime, salubrosum.

SĂLUM, i, n. 2. Masculino gen. *Enn.* apud *Non. p.* 223. 24. *Merc.* undantem salum. — In plur. num. caret exemplis. — Salum, ab ἅλς, vel potius a σάλος (ἅλλομαι),

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, est motus, agitatio seu jactatio maris. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Tirones multitudine navium perterriti, et salo nauseaque confecti se dediderunt. Idem Græci per v. σάλος significant. ¶ 2. Latiore sensu — 1.°) Accipitur pro lato apertoque mari, alto mari, contra littus, aut portum. — *a*) In accusat. *Cic. Cæcin.* 30. *extr.* Siqui ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus, optaret, ut quum esset a patria dejectus, eo restitueretur; hoc, opinor, optaret, ut a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat. — *b*) In ablat. *Auct. B. Afr.* 46. Quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiæ causa in salo esse jusserat. *Nepos Themist.* 8. *sub fin.* Diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Adde *Liv.* 29. 14. *a med.* et 37. 10. 13. et 16. — 2.°) Fere apud poetas pro mari. *Virg.* 1. *Æn.* 541. Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit. *h. e.* omni vi maris, seu aquarum. *et* 2. *ibid.* 209. Fit sonitus spumante salo. *Val. Flacc.* 1. 68. volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum. *et ibid.* 703. telisque salum, facibusque coruscat. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 24. Currit in immensum panda carina salum. *Propert.* 1. 6. 2. Ægeum salum. *et ibid.* 15. 12. Calypso injusto multa locuta salo est. *et* 3. 11. 6. Salum rubrum. *Seneca Herc. Œt.* 731. Ionium. *Id. Hippol.* 332. altum. *Catull.* 63. 16. rapidum. *Curt.* 9. 9. 20. profundum. *Solin.* 52. *de serpentib.* Idque ipsum palam est, non qualibet magnitudine evenire, ut per tantam sali latitudinem ad loca permeent destinata. *Varro Sat. Menipp. p.* 229. 3. *Oehl.* Nec multinummus piscis ex salo captus.

II.) Improprie. — *a*) Dicitur de unda fluminis. *Stat.* 10. *Theb.* 864. Amnis ut incumbens longævi robora pontis Assiduis oppugnat aquis. Jam saxa fatiscunt, Emotæque trabes: tanto violentior ille (Sævit enim majore salo) quassatque, trahitque Molem ægram. *h. e.* impetu, seu vi aquarum. — *b*) De colore maris. *Capell.* 1. *p.* 8. Urna perlucentis vitri salo renidebat. *et mox.* Urna sali resplendentis. Utrobique legendum videtur *hyalo* et *hyali.* V. SALOS et HYALUS. At *Kopp.* nihil mutandum censet. — *c*) Metaphorice. *Cic.* 3. *Tusc.* 28. 67. *ex Euripide.* Si — tristis illuxisset dies, Nec tam ærumnoso navigavissem salo, Esset dolendi causa. *Apul.* 4. *Met.* Quum in isto cogitationis salo fluctuarem. *Id.* 9. *ibid.* Miro mentis salo et cogitationum dissensione. *Augustin.* 9. *Civ. D.* 6. Ipsa mens eorum salo perturbationum fluctuat.

SĂLUS, ūtis, f. 3. (salvus). Dativ. *salutei* pro *saluti* in *Inscript.* apud *Orell.* 3036. — Salus est incolumitas, sanitas, vita, status, dignitas, quies, bonum; cui opponitur exitium, pernicies, morbus, mors, seu nex, σωτηρία (It. *salvezza, salute, salvamento, vita, sanità;* Fr. *bien-être, santé, salut;* Hisp. *salud, sanidad;* Germ. *d. unversehrte Zustand, Wohlbefinden, Gesundheit;* Angl. *safety, health, life, peace of mind, ease*).

I.) Proprie. — 1.°) Generatim. — *a*) Universim. — α) Qua opponitur exitio, perniciei, neci. *Plaut. Asin.* 3. 3. 127. Qcid est olim homini salute melius? Joculariter *Cist.* 8. 13. O salute mea salus salubrior. Cf. *Cas.* 4. 3. 3. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 35. Fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. *Id. fragm.* apud *Ammian.* 30. 8. 7. Multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini unquam fuit. *Id.* 2. *Fin.* 35. 118. Opem indigentibus salutemque ferre. *Id. Dom.* 28. *a med.* Alicui lucem salutemque reddere ac restituere. *Id.* 10. *Fam.* 29. Meum studium erga salutem et incolumitatem tuam. *Id.* 1. *Q. fr.* 1. 9. *ad fin.* Alicujus commodis consulere, et utilitati salutique servire. *Id.* 1. *Orat.* 8. 32. Salutem dare. *Id.* 3. *Att.* 19. Ad salutem proficisci. *Id. Mil.* 23. 63. Salutem alicui adferre. *Id.* 4. *Verr.* 6. 16. Fortunarum suarum salutem in istius damnatione consistere. *Sall Cat.* 58. in fuga salutem sperare. *Id. Jug.* 77. In summo periculo salutem esse. *Id. ibid.* 39. Salutem quærere. *Tac. Agric.* 16. Salutem pacisci. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 14. 45. facere. *Nepos Dion.* 9. Navem triremem armatis ornat, ut haberet, quo fugeret, ad salutem. *a salvamento.* et *Hannib.* 11. *a med.* Fuga salutem petere. *salvarsi con la fuga. Cic. Harusp. resp.* 16. 34. Salutis spes. *Tac.* 12. *Ann.* 23. augurium. *Cic. Mil.* 15. 39. restitutor. *Lactant. Benefic.* 8. alma salutis imago. *h. e.* salutis spiritualis æternæ. — In plur. num. apud *Vulgat. interpr. Is.* 26. 18. — Adhibetur *salus* in blanditiis. *Plaut. Cas.* 4. 3. 3. Quid agis, mea salus? *Id. Pœn.* 1. 2. 153. Mea salus, meum savium, meum mel, meum cor. *et ibid.* 176. Hujus colostra, hujus salus amœna, hujus festivitas. Adde 1. 3. 12. — β) Qua opponitur morbo et morti. *Varro* 1. *R. R.* 2. 27. Terra pestem teneto, salus hic maneto. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, quæsoque, ut duis bonam salutem valetudinemque mihi, domo familiæque nostræ. *Cic. Harusp. resp.* 16. *extr.* Qui medicis suis non ad salutem, sed ad necem utitur. *Id. ad Quirit.* 6. 15. An dubitarem, quin is me confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? *Ter. Andr.* 3. 2. 2. quæ assolent Signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Id. Adelph.* 4. 1. 3. Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit, velim, ut hoc triduo prorsum e lecto nequeat surgere. *senza scapito della sua sanità. Nepos Att.* 21. Auxerim dolores sine spe salutis. *Ovid. Heroid.* 20. 179. Potiri firma salute. *Apul.* 9. *Met.* Salutem alicui imprecari. — *b*) *Saluti esse,* salutare esse, salutem afferre. *Plaut. Merc.* 1. 2. 32. saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo. *Nepos Themist.* 2. Id quantæ saluti fuerit universæ Græciæ, bello cognitum est Persico. *Sall. Jug.* 33. Sociis esse saluti. Adde *Cic.* 2. *Orat.* 49. 200., *Cæs.* 5. *B. G.* 43. *extr.* et 7. *ibid.* 50. *extr.* et *Curt.* 4. 4. 5. — *c*) In sexto casu. *Plaut. Men.* 1. 2. 25. Averti prædam ab hostibus, nostrum salute sociûm. *h. e.* salvis sociis nostris. *Id. Rud.* 4. 2. 1. Neptuno ago gratias, quum me ex suis pulcre ornatum expedivit templis reducem, salute horiæ. *h. e.* salva et incolumi horia. Sic *Bacch.* 4. 9. *sub fin.* Ut ovans præda onustus incederem, salute nostra, atque urbe capta. *Id. Merc.* 4. 5. 8. Jam mater rure rediit? responde mihi. SY. sua quidem salute ac familiæ maxima. *Cato R. R.* 4. *in fin.* Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, etc. si ædificabis, adjuvabunt: si quid (bona salute) usus venerit, benigne defendent. εὐφημισμός. cui simile est, *quod dii omen avertant;* et nos: *che Dio ci guardi.* — 2.°) Specialim interdum *salus* est remedium, perfugium. *Virg.* 2. *Æn.* 354. Una salus victis nullam sperare salutem. *Plaut. Cas.* 5. 3. 14. Nam salus nulla est scapulis, si domum redeo. — 3.°) Item sæpissime votum, seu precatio, qua aliquem sanum salvumque esse optamus, *saluto:* unde *salutare, salutator,* etc. *Cic.* 4. *Att.* 10. *extr.* Pompejus in Cumanum Parilibus venit. misit ad me statim, qui salutem nunciaret. *mi recasse un suo saluto.* et 7. *Fam.* 14. Salutem enim verbis tuis mihi nunciaret. et 16. *Att.* 3. *extr.* Atticam cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa. *Id.* 6. *ibid.* 1. *ad fin.* Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes. *Plaut. Epid.* 1. 2. 23. Advenientem peregre herum suum salva impertit salute servus Epidicus. *Id. Ps.* 4. 2. 47. militaris disciplina est, Ballio: Manu salutem mittunt. *Id. ibid.* 13. an non prius salutas? SY. nulla est mihi salus dataria. *V.* DATARIUS. *Cic.* 2. *Att.* 12. *extr.* Terentia impertit tibi multam salutem. et *Lucilius* apud *Non.* 7. 34. *Merc.* Impertit salutem plurimam et plenissimam. *Liv.* 3. 26. *a med.* Salute data invicem, redditaque. *Id.* 7. 5. Mox introductus, salute accepta redditaque, ait, etc. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 13. Jam timeo nostram

cuiquam mandare salutem. *mandare un saluto.* — Hinc *salutem dicere* in principiis epistolarum. Et verbum aliquando omittitur, ut *Cicero Attico S.* Sic 5. *Tusc.* 32. 90. Anacharsis Hannoni salutem. *Id.* 13. *Att.* 22. *in fin.* Illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem (*misisse*): at tu et illi, et Piliæ plurimam. *dic,* vel *nuncia.* — Veteres, ut etiam num vulgares homines apud nostrates, solebant magnum poculum potanti salutem adprecari. *Apul.* 10. *Met.* Satis genialiter grandissimum illum calicem uno haustu perhausi. Clamor exsurgit consona voce cunctorum salute me prosequentium. *Xiphilin.* ex *Dione l.* 72. *c.* 18. Καὶ Κόμμοδος ἔπιεν ἀμυστί. ἐφ' ᾧ καὶ ὁ δῆμος, καὶ ἡμεῖς παραχρῆμα πάντες, τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ἐξεβοήσαμεν, Ζήσειας. h. e. *Viva.* Cf. *Venantii loc. cit.* in BOMBICUM. — 4.°) Salus dea est habita, Æsculapii filia: templumque habuit in summo Quirinali, quod C. Junius Bubulcus censor locavit dedicavitque anno U. C. CCCCXLVII., quum consul bello Samnitium vovisset: (V. *Labus. Mon. scop. in Cartur. p.* 8. et *Visc. Op. var. T.* 3. *p.* 345.) pinxit autem, suum operi nomen inscribens, C. Fabius Pictor. Sub Claudio principe incendio consumptum est. *Liv.* 9. 43. *extr.*, *Val. Max.* 8. 14. *n.* 6., *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 7. (19). Hinc *Cic. Font.* 6. 11. Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. *Ter. Adelph.* 4. 7. *in fin.* Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam. *Plaut. Most.* 2. 1. 4. Nec Salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest. Adde *Capt.* 3. 3. 14. Sic *Cist.* 4. 2. 76. At vos Salus servassit. V. *Varron.* 5. *L. L.* 74. *Müll.* — 5.°) Augurium Salutis, οἰώνισμα Σωτηρίας, fuit solemne quoddam augurii genus, quo deorum voluntatem explorabant, concederentne illis, ut pro populo salutem peterent: quasi nefas esset eam petere a diis sine eorum venia. Ad hoc eligebatur dies quotannis, quo die nulla unquam reip. domi forisve calamitas evenisset, ut docet *Dio l.* 37. *c.* 24. Intermissum aliquando fuit, sed revocatum ab Augusto primum, ut est apud *Sueton.* 31., deinde a Claudio, ut apud *Tac.* 12. *Ann.* 23. Meminit et *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. paragr. 3.° *Cic.* 7. *Fam.* 33. Ego vero multam salutem et foro dicam et curiæ, vivamque tecum multum. ubi *salutem dicere* est vale dicere, deserere, ab aliqua re recedere, *dare l'addio.*

SĂLUSTĬĀNĒ. *V.* SALLUSTIANE.

SĂLUSTĬĀNUS, a, um. *V.* SALLUSTIANUS.

SĂLŪTĀBUNDUS, a, um, (saluto) multum salutans, aut potius salutanti similis. Cum Accusativo. *Capell.* 7. *p.* 237. Septingentos decem et septem numeros Jovem salutabunda subrexit. Cf. *Liv.* 25. 13. et *Apul.* 11. *Met.*

SĂLŪTANS, antis, particip. *V.* SALUTO.

SĂLŪTĀRE, is, n. 3. *V.* voc. seq. in fin.

SĂLŪTĀRIS, e, adject. (salus) Comp. *Salutarior* I. 1.° *b.* — Salutaris est salutem, vitam, sanitatem afferens, saluber, *salutevole, salutifero, salutare, salubre,* σωτήριος; cui opponitur nocens, mortifer, perniciosus. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De iis, sive personis, sive rebus, quæ incolumitatem, salutem, utilitatem afferunt. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 12. 34. Natura bestiis dedit accessum ad res salutares, a pestiferis recessum. *Id.* 27. *ibid.* 10. Salutaris et vitalis calor. *Id.* 6. *Fam.* 6. Salutare consilium. *Id.* 1. *ad Brut.* 2. severitas. *Id. Mil.* 8. 20. Civis tam beneficus et salutaris. *Sueton. Tib.* 29. Bonus et salutaris princeps. *Liv.* 24. 28. Habere orationem salutarem. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *extr.* Portus vel maxime salutaris. Rursus *Cic.* 9. *Att.* 7. Sic habeto, salutares te mihi litteras misisse. *che mi han data la vita.* Dixerat *paullo sup.* quæ mihi quiddam quasi animulæ restillarunt. *Vopisc.* 4. 4. Quod bonum faustum salutareque sit. *Inscript.* apud *Henzen.* 6086. QVOD FAVSTVM FELIX SALVTAREQVE SIT. — *Salutaria,* absolute in plur. num. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 13. Pro salutaribus mortifera conscribere. — *Salutaria ibere,* saluti amicorum potare, *far brindisi.* *Apul.* 2. *Met. prope fin.* Compotores vino madidi rursum cachinnum integrant: dumque bibere salutaria postulant, etc. *V.* SALUTARIUS. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 9. *ad fin.* Mundo nihil est pulcrius, nihil nobis salutarius. *Id. Senect.* 16. 56. Hominum generi universo cultura agrorum est salutaris. *Id.* 14. *Fam.* 17. Nihil præclarius actum unquam, nihil reip. salutarius. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 26. Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad.* *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. Stella Jovis ad ortus puerorum salutaris est. — 2.°) De iis, quæ sanitatem afferunt, seu morbos arcent, aut pelluot. — *a*) Absolute. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 92. (148). Radix in pestilentia salutaris est in cibis. *Horat. Carm. sæc.* 63. Qui salutari levat arte fessos. *h. e.* medicina. *Ovid. Remed. am.* 45. Terra salutares herbas, eademque nocentes Nutrit. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Medios inter fluctus exsistit aliquid valetudini salutare. *Id.* 21. *ibid.* 19. 77. (132). Radicem decoctam bibere, spasticis, aversis *etc.* salutare est. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad, contra.* *Id.* 24. *ibid.* 9. 42. (71). Ad dentium dolorem decoctum eorum salutare est. *Id.* 25. *ibid.* 3. 6. (20). Brittanica non nervis modo, et oris malis salutaris, sed contra anginas quoque, et contra serpentes. ¶ 2. Speciatim *digitus salutaris* est index. vel quia illo ori admoto silentium indicitur: res maxime salutaris; vel quia illo et pollice contractis salutem precabantur. *Sueton. Aug.* 80. Dextræ quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut etc. *Capell.* 1. *p.* 22. Quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentium commonebat. ¶ 3. *Littera salutaris,* A, quæ absolutionis nota erat: ut C tristis, quæ condemnationis. *Cic. Mil.* 6. *ad fin.* Nec vobis tam salutarem hanc in judicando litteram, quam illam tristem dedisset. ¶ 4. *Salutaris porta,* inquit *Fest.*, Romæ appellata est ab æde Salutis, quod ei proxima fuit: vel ob salutationes, quia ad eam prætor salutaretur is, qui in provinciam pro prætore, aut pro consule exibat. Adde in *Prœtor.* quamquam hoc posterius incertum est ob lacunam in verbis *Festi.* *Nibby, Mura di Roma p.* 143. probat, hanc portam fuisse ad radices collis Quirinalis inter portas Sanqualem, et Piacularem. ¶ 5. Similiter *Salutaris collis,* qui fuit unus ex quatuor apicibus collis Quirinalis, apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.* ab eadem Salutis æde cognomen habuit. ¶ 6. *Legio Salutaris* in *Inscript.* apud *Orell.* 2908., quæ sublestæ fidei est. ¶ 7. *Collegium salutare Dianæ et Antinoi,* et absolute *collegium salutare* fuit appellatum illud, quod, unde defuncti sepelirentur, curabat. Constabat autem fere ex servis, seu ex libertis et tenuioribus condicionis hominibus. Ejus institutio facta est ann. a Chr. n. CXXXIII. in honorem Dianæ, quæ et Hecate et Libitina dicebatur, et Antinoi, amasii Hadriani Aug., qui ann. CXXIX. in Egypto pro ejusdem incolumitate voluntariam mortem obierat. Quisquis porro in hoc collegium intrare volebat, capitularii nomine sestertios nummos centum, et vini boni amphoram, item in menses singulos asses quinque conferre, et semel in mense in collegium coire debebat. Hujusmodi autem collegii mentio est in *Inscript.*, quæ pluribus capitibus constat, reperta Lanuvii, nunc *Civita-Lavinia,* ann. 1816., edita vero est in *Atti dell'Accadem. Rom. di archeol. T.* 2. *p.* 462., ibique a *Nic. Ratti* illustrata. Idem collegium memoratur etiam in *Inscript.* Conimbrigensi in Lusitania apud *Bertol. Antiqu. d'Aquileja p.* 199. *n.* 228. D. M. M. IVLIO SERANO IN ITINERE VR. (*sc.* urbano) DEFVNCTO ET SEPULTO COELIA ROMVLA MATER FILIO PIISSIMO ET COLLEGIVM SALVTARE D. D. — Hinc

Salutaris m., et *salutare, is,* n. 3. absolute, σωτήριον, perfugium, salus, aut salvator. *Lactant.* 4. 12. Qui (Jesus) Latine dicitur salutaris, sive salvator. *Vulgat. interpr. Ps.* 61. 3. Deus meus et salutaris meus. *Id.* 95. 2. Annunciate de die in diem salutare ejus. et *alibi passim.* Adde *Tertull. Resurr. carn.* 59. *Vulgat. interpr. Ps.* 67. 20. Deus salutarium nostrorum. *h. e.* salutis, aut salvatoris nostri. — Est etiam cognomen Jovis apud *Cic.* 3. *Fin.* 20. 66. — *Salutares,* in plur. num., h. e. qui salvant, dicuntur Castor et Pollux apud *Schol. Cæs. Germ. Arat.* 146. *p.* 390. 9. *Eyss.* — *Salutaria,* h. e. soteria, quidam leg. apud *Tertull. Apolog.* 1. 6., alii *salaria.* V. SALUTARIUS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĂLŪTĀRĬTER, adverb. (salutaris) *salutevolmente, giovevolmente,* σωτηρίως, utiliter ad salutem. — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 2. *ad fin.* Tum ea arma sumpta sunt, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 24. De militum commodis fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ causa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari volui a senatu, sed primum quod ita meritos judicabam; deinde quod conjunctiores reipubl. esse volebam. *Id. ibid.* 23. Copias prope in adspectum Lepidi adduxi, eo consilio, ut vel celeriter accedere, vel salutariter recipere me possem. *h. e.* exercitu salvo et incolumi. — *b*) Cum Dativo. *Val. Max.* 5. 2. *n.* 3. Quinque consulatus salutariter reipublicæ administrati.

SĂLŪTĀRĬUS, a, um, adject. salutaris. *Tertull. Apolog.* 46. Plerique philosophi in principes latrant, sustinentibus vobis, et facilius statuis et salutariis remunerantur, quam ad bestias pronunciantur. *h. e.* muneribus et donis. Alii leg. *salariis.* Huc adducendus videtur locus *Apul.* 2. *Met.* in SALUTARIS adlatus. — Legitur et in *Not. Tir. p.* 105. Salus, salutarius.

SĂLŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus salutandi, consalutatio, ἀσπασμα (It. *saluto, salutazione;* Fr. *salutation, salut;* Hisp. *salutacion;* Germ. *d. Begrüssen, d. Begrüssung;* Angl. *a saluting, greeting, salutation*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Pis.* 40. 96. Quis te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? *Tac.* 4. *Ann.* 60. Alius occursum ejus vitare: quidam, salutatione reddita, statim averti. *Liv.* 1. 1. *sub fin.* Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. Accepta ac reddita salutatione, consederunt. *Curt.* 10. 8. 23. Mutua salutatione facta. *Vitruv.* 4. 5. In conspectu salutationes facere. *Cic. Brut.* 3. 13. An mihi potuit esse aut gravior ulla salutatio. ¶ 2. Speciatim est visitatio, quæ fit salutandi causâ, obsequium. *V.* SALUTO. — *a*) De salutatione privatorum. *Cic.* 7. *Fam.* 28. Dare se salutationi amicorum. *h. e.* præbere se amicis salutantibus: amicos convenientes et salutantes admittere: et alios adire, et salutare. *Id.* 9. *ibid.* 20. *a med.* Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed hos tristes; et hos lætos, victores. Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo. *Id.* 2. *ad Brut.* 4. Hoc paullulum exaravi ipsa in turba matutinæ salutationis. *Seneca Brevit. vit.* 14. *a med.* Per diversas domos salutationem meritoriam circumferre. *h. e.* sportulæ, aut gratiæ captandæ causâ. Unde *mercenarium salutatorem* vocat *Colum.* 1. *R. R. præf. ante med.* — *b*) De salutatione principum. *Gell.* 4. 1. *et* 20. 1. In vestibulo ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo, opperientes salutationem Cæsaris constiterant. *h. e.* ut admitterentur, et salutarent Cæsarem. *Sueton. Vesp.* 4. Prohibere aliquem non contubernio modo, sed etiam publica salutatione. *h. e.* ne adeat cum aliis salutandi causa. *Id. Aug.* 53. Promiscuis salutationibus admittebat et plebem. — *c*) De salutatione deorum in templis stantium, aut sedentium. *Seneca Ep.* 95. Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur. Sic *Apul.* 11. *Met.* Deæ perfectis salutationibus matutinis. *Id.* 9. *ibid.* Inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. *Vitruv.* 4. 5. Si circum vias publicas erunt ædificia deorum, ita constituantur, uti prætereuntes possint respicere, et in conspectu salutationes facere. — *d*) De salutatione a mortuis reddita iis, qui eorum sepulcra prætergrediuntur, V. *Cavedoni Marm. Nov. p.* 235.

SĂLŪTĀTĪVUS, a, um, adject. ad salutationem

pertinens. Gloss. in Anecd. Helvet. p. 243. Hag. Vocativus (casus) vocatur et salutativus, quia per illum salutamus, ut o Ænea salve.

SĂLŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui salutat, salutatore, προςήγορος. ¶ 1. Generatim. Stat. 2. Silv. 4. 29. de psittaco. Ille salutator regum, nomenque locutus Cæsareum. ¶ 2. Speciatim, qui visitat salutandi, obsequendi, gratiæ captandæ causa, chi corteggia. erant enim multi Romæ, qui vel officii ergo, vel spe lucri, potentium amicorum ædes mane obibant salutandi gratia. Q. Cic. Petit. cons. 9. Hujus autem rei (assectationis) tres partes sunt, una salutatorum, quum domum veniunt; altera deductorum, tertia assectatorum. Colum. 1. R. R. præf. ante med. An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis? Martial. 10. 74. quamdiu salutator, Anteambulones et togatulos inter, Centum merebor plumbeos die toto? Id. 1. 71. qualiacumque leguntur ista, salutator scribere non potuit. Adde Sueton. Claud. 35. et Juvenal. 5. 15.

SĂLŪTĀTŌRĪUM, ii, n. 2. V. voc. seq.

SĂLŪTĀTŌRĪUS, a, um, adject. ad salutandum, vel ad salutatorem pertinens, προςαγορευτικός, ¶ 1. Generatim. Plin. 15. Hist. nat. 11. 10. (38). Omnia jam et virorum salutatoriis cubilibus inclusa. h. e. cubiculis, in quibus clientes dominum salutabant. camere d'udienza. et Seneca Const. Sap. 14. Salutatorium publicum exercere. Alii leg. salutationum. V. PUBLICUS. ¶ 2. Speciatim salutatorius casus, vocativus, quia eo salutamus. Priscian. 5. p. 671. Putsch. Vocativus salutatorius etiam vocatur, ut o Ænea, et salve, Ænea. Cf. SALUTATIVUS. — Hinc

Salutatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, locus, quo salutandi causâ convenitur, camera o sala di ricevimento, d'udienza. Cassiod. 9. Hist. Eccl. 30. Theodosius veniens ad antistitem, et inveniens eum in salutatorio residentem, supplicabat, ut ejus vincula resolveret.

SĂLŪTĀTRIX, tricis, f. 3. salutatrice, quæ salutat. ¶ 1. Generatim. Martial. 7. 87. Pica salutatrix si tibi, Lause, placet. Id. 9. 100. Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas, Charta salutatrix si modo vera refert. lettera, biglietto di saluto, o di visita. ¶ 2. Speciatim, quæ obsequii causâ salutat, che corteggia. Juvenal. 5. 20. sollicitus, ne Tota salutatrix jam turba peregerit orbem. V. SALUTATOR.

SĂLŪTĀTUS, a, um, particip. V. SALUTO.

SĂLŪTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (salus et fero) ¶ 1. Salutem ferens, salutaris, saluber, salutevole, salutifero, σωτήριος. Ovid. 2. Met. 642. totique salutifer orbi Cresce, puer, dixit. Id. Heroid. 21. 174. Salutiferam opem dare. Stat. 1. Achill. 117. Herbæ salutiferæ. Id. 3. Silv. 4. 25. salutifero mitis deus (h. e. Æsculapius) incubat angui. Martial. 5. 1. Salutiferæ aquæ. Licent. ad Aug. 146. Wernsd. sermo. Inscript. apud Murat. 65. 5. HERCVLI SALVTIFERO etc. Apul. 4. Met. Nunc maxime funditus perii, nunc spei salutiferæ renunciavi. Adde Æmil. Macr. c. 36. p. 237. retro. ¶ 2. Item qui salutationem fert. Alcim. 4. 225. Ille salutiferis primum mulcere timentem Aggrediens verbis cæli mandata ferebat.

SĂLŪTĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. salvator. Tertull. Resurr. carn. 47. et Car. Chr. 14.

SĂLŪTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (salus et gero) ¶ 1. Salutifer, qui salutem gerit. Auson. Edyll. 8. 25. vos comminus ite Stella salutigeri Jovis, et Cythereie Vesper. Prudent. 11. περὶ στεφ. 235. salutigeros feret hic venerantibus ortus. ¶ 2. Item qui salutationem fert. Auson. Epist. 25. 4. Fausta salutigeris adscribens orsa libellis. h. e. epistolis. — Hinc

Salutiger, geri, m. 2. absolute, est qui salutem gerit, vel nunciat, salutigerulus Apul. loquens de iis, quos δαίμονας Græci vocant, de Deo Socrat. Inter terricolas cælicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes, et salutigeri. V. voc. seq.

SĂLŪTĬGĔRŬLUS, a, um, adject. (salus et gerulus) salutem gerens, seu nuncians. Puer salutigerulus, servus heræ nomine huic et illi salutem, et jussa perferens, et referens, che porta i saluti e le ambasciate, valletto, paggio, messaggiero, ἐπισκέπτης, ut habetur in Gloss. Philox. ab ἐπισκέπτομαι, viso, visito. Plaut. Aulul. 3. 5. 26. mihi quidem æquum est purpuram atque aurum dari, Ancillas, mulos, muliones, pedisequos, Salutigerulos pueros, etc. V. voc. præced.

SĂLŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (salus) Particip. Salutans sub B. 1. a. et 2.; Salutatus sub B. 1. b. et 4.; Salutaturus sub B. 1. b. et 2. — Saluto duo diversa significat.

A) Saluto est servo, quasi salutem do. Plin. 17. Hist. nat. 22. 35. (177). Sequenti anno palmites salutentur. Alii tamen leg. serventur; alii salventur; alii aliter. V. SALVO.

B) Saluto est salutem dico, salvere jubeo, salutem mitto, ἀσπάζομαι (It. salutare, dare il buon dì, far riverenza; Fr. saluer; Hisp. saludar; Germ. Wohl wünschen, begrüssen, grüssen; Angl. to salute, greet). ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Augustin. serm. 42. Qui salutat, salutem dicit. Plaut. Asin. 1. 3. 69. Salutare bene. Adde Ter. Adelph. 3. 3. 93. Cic. 13. Phil. 2. extr. benigne. Seneca Tranquill. 2. Salutanti mutuam salutationem reddere. Plin. 28. Hist. nat. 2. 5. (23). Cur sternutamentis salutamus? h. e. salutem adprecamur; noi: diciamo Dio ti salvi, o t'aiuti. — b) Active cum accusat., aut passive. Plaut. Amph. 2. 2. 44. Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam. Id. ibid. 84. quos postquam salutavi. Cic. Planc. 14. 33. Quum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, quid agis, Grani? Id. 7. Fam. 29. Tironem saluta nostris verbis. saluta a nome nostro. Adde Ovid. 1. Trist. 1. 15. Cic. 4. Att. 11. Dionysius te, omnesque vos salutat. Plaut. Aulul. 2. 2. 8. Illic homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius. Cic. Cæl. 16. extr. Mulierem paullo liberius salutare. Virg. 3. Æn. 524. Italiam læto socii clamore salutant. Ovid. 2. Pont. 7. 1. Esse salutatum vult te mea littera primum A male pacatis, Attice, missa Getis. Martial. 9. 55. Inde salutatus picæ respondet arator. — Militibus mos erat salutandi manu, vel ense. Lucan. 4. 173. motoque salutant Ense suos. Cf. Plaut. Pœn. loc. cit. in SALUS. — Salutare nomine, nomen alicujus dicere in salutando. Cic. 2. Phil. 24. 58. Aperta lectica mima portabatur, quam homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo, et mimico nomine, sed Volumniam salutabant. At Orell. consalutabant. Sic Juvenal. 10. 161. dominum regemque salutat. et Tac. 12. Ann. 41. a med. Obvii inter se, Nero Britannicum nomine, ille Domitium, salutavere. et Horat. Art. P. 87. Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor? h. e. appellor poeta, dum me obvii salutant. et Curt. 6. 11. 23. Jovis filium se salutari jussit rex. — Hinc salutare imperatorem, apud milites est creare, declarare, dicere. Tac. 2. Hist. 80. Pauci milites solito adsistentes ordine, ut legatum salutaturi, imperatorem salutavere. Adde 2. Ann. 18. Verbo appellandi utitur Cic. 9. Fam. 10. et 5. Att. 20. ¶ 2. Speciatim est adire, convenire, visere, visitare, far visita, ἐπισκέπτεσθαι. Sall. Cat. 28. Salutatum introire. Cic. 14. Att. 20. extr. Eram continuo Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorii, naviculâ. et 13. ibid. 9. Venit paullo post Curtius, salutandi causa: sed mansit invitus. Adde 6. ibid. 2. — Officii, aut sportulæ causa potentiores ditioresque salutari a clientibus et humilioribus, mos erat, eorum ædes mane obeundo, et in vestibulis diu exspectando, superbos aditus regum, durasque fores colendo, ut ait Seneca Herc. Fur. 164., maxime vero sub Augustis, ad gratiam captandam, et obsequium testandum. Cic. Senect. 18. 63. Hæc ipsa sunt honorabilia, salutari, appeti, decedi etc. Virg. 2. G. 461. ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit ædibus undam. Juvenal. 3. 184. quid das, ut Cossum aliquando salutes? Tac. dial. de Orat. 29. a med. Colligunt discipulos non ingenii experimento, sed ambitione salutantium, et illecebris adulationis. Id. 2. Hist. 92. Ambitu, comitatu, et immensis salutantium agminibus contendunt. Plin. 7. Ep. 3. Saluta paullisper, quo sit tibi jucundius salutari. Adde 3. Ep. 7. et Senec. 6. Benef. 34. et V. SALUTATIO et SALUTATOR. — De loco, in quo stabant salutaturi. Gell. 16. 5. Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus et viam medius esset. In eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant. Hæc Gell. ¶ 3. Salutare plebem dicitur de ambitiosis hominibus, qui propter honores prehensabant plebem, etiam nomenclatore adhibito. Sall. Jug. 4., Cic. Petit. cons. 8. et Liv. 23. 4. ¶ 4. Salutare deos est venerari, adorare, precari. Cic. Rosc. Am. 20. 56. Quum deos salutatum aliqui venerint. Plaut. Curc. 1. 1. 69. Quo me vortam, nescio. PA. si deos salutas, dextrovorsum censeo. Ter. Phorm. 2. 1. 81. Ego deos Penates hinc salutatum domum devertar. Ovid. Heroid. 21. 91. Superis, quibus insula sacra est, Flava salutatis tura, merumque damus. h. e. adoratis. Adde eumd. 2. Pont. 8. 15., Caton. R. R. 2., Stat. 4. Silv. 2. 60., Sil. It. 4. 215., Liv. 38. 51. a med. et Martial. 12. 78., qui, precibus Jovem salutare, dixit. ¶ 5. Hoc verbo proprie utimur in advenientes, et quum accedimus: aliquando et in abeuntes, et quum recedimus, pro valedicere. Plaut. Mil. glor. 4. 8. 29. Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo. Stat. 4. Theb. 29. stant in rupe tamen, fugientia carbasa visu Dulce sequi, etc. Stant tamen, et notam puppem de rupe salutant.

SALVĀMENTUM, i, n. 2. salvatio, salus. Venant. Alb. 9. Ut beata unius actio generale fieret salvamentum.

SALVANS, antis, particip. V. SALVO.

SALVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus salvandi, salus. Boeth. de duab. nat. p. 953., et Vulgat. interpr. Is. 37. 32. et alibi. — In plur. num. Id. Ps. 27. 8.

SALVĀTOR, ōris, m. 3. (salvo). Vox est a probatis scriptoribus non usurpata, quia nec salvo, as, in usu erat. Cic. enim 4. Verr. 63. 154. Latinam non esse significat, dum ait: Itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum soter, qui salutem dedit. Sic Tac. ad eamdem Græcam vocem respiciens, 15. Ann. 71. Milichus præmiis ditatus, conservatoris sibi nomen Græco ejus rei vocabulo assumpsit. Capell. 5. p. 166. Auribus temperandum, et insolentia fugienda, quam vitans Cicero, soterem salvatorem noluit nominare, etc. Abstinuit etiam Plin. 22. Hist. nat. 5. 5. (9). et 34. ibid. 8. 19. (67)., item Val. Max. 5. 4. in fin., qui servator usurparunt: et Apul. 7. et 9. Met. et Apolog., qui sospitator dicere maluit. Frustra itaque sunt qui ex quibusdam MSS. nullius ponderis Ovidio tribuunt 4. Pont. 15. 41., quum boni libri omnes habeant servatorem. V. SOTER. — Postea adhiberi cœpit a Christianis scriptoribus Tertull. 3. advers. Marcion. 18., Lactant. 4. 12., Juvenc. 3. 192., Prudent. 1. περὶ στεφ. 115., Sedul. 2. 155., Paulin. Nol. carm. 32. 423., Augustin., Hieronym., Auson. Ephemer. in oratione, 81. etc. Merito igitur docti viri permulti (quos inter Baronius ad Martyrol. R. V. Cal. Decembr.) eos reprehendunt, qui, quum de Jesu Christo agitur, servatorem potius, quam salvatorem, vano metu, ne in Latinam linguam peccent, appellare maluerint. — Salvator et Servator, utpote Græcæ voci Σωτήρ et Hebr. Jesus respondentia vocabula, quomodo inter se differant, docet Balth. Meisneerus Disp. VI. Christolog. Sac. § XI. et Jacobus Pontanus in Atticis Bellariis Synt. X. Ita Hekelius. — Ceterum salvator est qui salvat, servator, conservator, sospitator, salvatore, σωτήρ. ¶ 1. Generatim. Inscript. apud Gruter. 19. 5. IOVI CVSTODI QVIRINO SALVATORI. Vulgat. interpr. Judic. 3. 9. et 15. Suscitavit eis salvatorem. Id. 2. Esdr. 9. 27. Dedisti eis salvatores. Adde Capell. aliorum-

que locc. supra cit. ¶ 2. Speciatim et κατ' ἐξοχὴν dicitur de Christo, qui, ut apud *Vulgat. interp.* 1. *Tim.* 4. 10., est salvator omnium hominum, quique ideo vocatus est Jesus (*V.* hanc vocem in ONOM.): ipse enim, ut apud *eumd. Matth.* 1. 21., salvum facturus erat populum suum a peccatis eorum. Præclare *Augustin. serm.* 299. *sect.* 6. Christus Jesus, id est Christus salvator. hoc est enim Latine Jesus. Nec quærant grammatici, quam sit Latinum, sed Christiani, quam verum. Salus enim Latinum nomen est. salvare, et salvator non fuerunt hæc Latina, antequam veniret Salvator. quando ad Latinos venit, et hæc Latina fecit. *Id.* 13. *Trin.* 10. *sub fin.* Qui Hebraice Jesus, Græce σωτήρ, nostra autem locutione salvator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat: sicut potuit, quando voluit. *Auson. loc. cit.* Christe-Salvator, Deus ac Dominus, mens, gloria, Verbum, Filius ex vero verus, de lumine lumen, Æterno cum Patre manens, in sæcula regnans. *Prudent.* 1. *advers. Symmach. præf.* 80. Salvator generis Romulei. Cf. et περὶ στεφ. 1. 115. *Sever. Buc.* 112. *Wernsd.* Sic vero Deus hoc nomine præpotens Salvator vocitatus est. veniam das pereuntibus.

SALVĀTRIX, trīcis, f. 3. *salvatrice*, quæ salvat. *Prosper. Aquit.* 39. 3. Salvatrix autem cunctorum gratia Christi.

SALVĀTUS, a, um, particip. *V.* SALVO.

SALVĒ est *A*) Adverbium, et *B*) Verbum.

A) Salve, adverb. *con salute*, integre, recte, commode, ut interpretatur *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 5. 5. 8. Hem quid est? quid trepidas? satin salve? dic mihi. *Sall. fragm.* apud *Donat. ibid.* Inde ortus sermo, percontantibus utrinque, satin salve? quam grati ducibus suis: quantis familiaribus copiis augerentur. *Plaut. Trin.* 5. 2. 53. Satin salve? dic mihi. His omnibus locis adverbium esse ait *Donat.*, producta *e* littera. — *Charis.* 3. *p.* 225. *Putsch.* et *Diomed.* 1. *p.* 340. a *salveo* ducunt. Habet, inquiunt, hoc verbum (*salveo*) et adverbium, quum dicimus, satin salve, salve est domi. Sed propius est vero, ut sit a *salvus*, ut a *rectus recte*, et sexcenta alia. — *Liv.* 1. 58. *a med.* Quærenti viro, satin salve? minime, inquit, quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? (Adde 6 34., 10. 18. et 40. 8.) *Plaut. Stich.* 1. 1. 9. PI. Multa volo tecum loqui de re viri. PA. salvene, amabo? PI. spero quidem, et volo. *Id. Men.* 5. 2. 26. Salven advenio? salven arcessi jubes? quid tu tristis es? — Porro ellipsis est in his: et plena oratio esset, *satisne salve agis, agitis, agitur, agens.* Unde *Apul.* 1. *Met. in fin.* Quam salve agit Demeas noster? et *Apolog.* Interroga, puer ubi sit, et quam salve agat. Simile est illud, *rectene omnia?* de quo *V.* in RECTE. Sunt tamen qui pro *satin salve* scribi malint *satin salvæ*, subintelligendo *res sunt*; nos: *c'è nulla di guasto?* quod plene dicit *Liv.* 3. 26. *a med.* Rogitans, satin salva essent omnia. Quam litem næ ego sim demens, si dirimere nitar, magnis utrinque criticis, pro sua quoque sententia, acerrime depugnantibus; pro *salve* enim *Donato, G. Fabric., Acidal., Brisson., Taubm., Voss., Perizon., Cort. in Sallust.* etc., pro *salvæ* autem *Sanctio, Sciop., Vineto, Gronov.*, aliis. Ita *Forcell.* Ad *Sall. fragm.* supra cit. hæc adnotat cl. *Kritzius*: Quamquam concedi debet, veteres dixisse *satin salvæ?* sc. *sunt res*, et *satin salva sunt omnia?*; tamen etiam *satin salve?* optime se habet. Item quamvis *agere* fortasse suppleri possit; tamen, quum formula ex consuetudine vulgaris vitæ repetita sit, simplicius videtur tantummodo *est* suppleri, quod subjecti indefiniti vim habens idem valet ac *res est*, ita ut *esse*, abjecta copulæ vi, significet *aliquo statu esse*; sic dicitur *recte est, bene est*, et similia. Ceterum viderint eruditi.

B) Salve, pers. 2. imperativi v. *salveo*, *V.* in voce seq.

SALVĔO, es, ere, n. 2. (salvus) Verbum defectivum, cujus præter futur. *salvebis*, imperat. *salve, salveto, salvete*, et infinit. *salvere*, cetera Latina consuetudine exsulant. Nam quod *Plaut. Truc.* 2. 2. 4. dixit, *non salveo*, irridenter posuit pro persona rustici, inquit *Val. Prob.* in *Cathol. p.* 1486. *Putsch.* — Salveo idem est ac salvus sum, bene me habeo, sanus sum. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Curc.* 1. 2. 26. Salve. egon salva sim, quæ siti sicca sum? *Id. Truc.* 2. 2. 4. Salve. ST. satis mihi est tuæ salutis: nihil moror non salveo. ¶ 2. Speciatim tum de personis vivis atque mortuis, tum de rebus. — *a*) Est salutantis, et quidem utimur *salve* et *salvete*, quum advenientes salutamus, *ti saluto, buon giorno, Dio ti salvi*, χαῖρε, ὑγίαινε: quemadmodum *vale* dicimus abeuntibus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 5. Philocomasium, salve. PHI. et tu salve. *Id. Trin.* 3. 2. 39. O salvete, affines mei. *Catull.* 31. 12. Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude. *Plaut. Rud.* 2. 4. 3. Salve adolescens. SCE. et tu multum salveto, adolescentula. et 1. 5. 5. Jubemus te salvere, mater. PALAE. salvete, puellæ. *Id. Most.* 3. 1. 41. Salvere jubeo te, Misargyrides, bene. *Id. Trin.* 2. 4. 34. Jubet te salvere plurimum. *Id. Men.* 5. 9. 17. Tu herus es: tu servum quære. salveto tu: tu vale. *Enn. Fab. p.* 107. *Müll.* Loca salvete infera. *Id. ibid. p.* 118. Salvete, o pia pignora. *Auson. epist.* 16. *in carm. init.* Et dic hero, meo atque tuo, Ave, atque salve plurimum. *Hieronym. Ep.* 118. *n.* 1. Frater tuus Antonius in ipso jam profectionis articulo, quum mihi præsentiam sui tarde dedisset, et cito abstulisset, atque in puncto temporis, salve pariter, valeque dixisset. — In matutina salutatione *salve* dicebant, *vale* in vespertina. *Sueton. Galb.* 4. *extr.* Veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere, sibi singuli dicerent. — In ironia. *Plaut. Rud.* 2. 2. 5. Salvete, fures maritimi, famelica hominum natio: quid agitis? ut peritis? *Id. Asin.* 2. 2. 31. Gymnasium flagri, salveto. *Id. Curc.* 2. 1. 19. O scelerum caput, salveto. *Catull.* 43. 1. Salve nec minimo puella naso. — Sternuentes salvere jubemus. *Petron. Sat.* 98. Giton ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet. *V.* STERNUTAMENTUM. — Etiam mortuos sic salutabant, quasi dimittentes. *Virg.* 11. *Æn.* 97. salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale. (Adde *Stat.* 3. *Silv.* 3. 208.) *Varro fragm.* apud *Serv. ibid.* Ideo mortuis, salve, et vale dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos numquam visuri. — *b*) Est etiam adorantis, et invocantis. *Virg.* 2. *G.* 173. Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus. *Id.* 8. *Æn.* 301. Salve, vera Jovis proles, decus addite divis: Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. *Liv.* 1. 16. Deum Deo natum, regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (117) *ad Cicer.* Salve, primus omnium parens patriæ appellate, etc. ¶ 3. Item est salutem dicere, nunciare, mittere absenti, jubere salvum esse. *Cic.* 16. *Fam.* 9. *extr.* Medico de te scripsi diligentissime. vale, salve. *Id.* 4. *Att.* 14. *extr.* Dionysium velim salvere jubeas. *et* 6. *ibid.* 2. *extr.* Salvebis a meo Cicerone.

SALVĬA, æ, f. 1. (salvus) *salvia*, ἐλελίσφακον, (*Salvia officinalis* Lin.) herba, de qua *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 71. (147). Nostri, qui nunc sunt, herbarii elelisphacon Græce, Latine salviam vocant, mentæ similem, canam odoratam. *Id.* 26. *ibid.* 6. 17. (31). Altera (*tussilago*) a quibusdam salvia appellatur, similis verbasco. Conteritur ea, et colata calefit, atque ita ad tussim laterisque dolores bibitur. — Nomina et virtutes salviæ *V.* etiam apud *Apul. Herb. c.* 202. et *Æmil. Mac. p.* 234. *retro.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SALVĬĀTUM. *V.* SALIVATUM.

SALVĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. salvatio. *Gloss. Cyrill.* Σωτηρία, salvificatio, incolumitas, salus.

SALVĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. salvator. *Tertull. Pudic.* 2., ubi alii leg. *salutificator.*

SALVĬFĬCO, as, are, a. 1. (salvificus) *salvare*, salutem do. *Sedul.* 5. 7. Pater ista memet ab hora Salvifica. Adde *Vulgat. interpr. Jo.* 12. 47.

SALVĬFĬCUS, a um, adject. (salvus *et* facio) salutem afferens. *Alcim. ad Soror.* 380. salvificum appellat corpus Christi sepultum. *Claud. Mar. Victor. Comment.* 3. Salvificis purgatum iri et lustralibus undis.

SALVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (salvus) Particip. *Salvans* 2. *a., c.*; *Salvatus* et *Salvaturus* 2. *a.* = Salvo ¶ 1. Sanum facio, sano, *sanare. Gloss. Philox.* Sālvo, σώζω. *et* Σώζω, salvo, sano. *Gargil. Medic.* 22. Salvare aliquem. ¶ 2. Servo, libero, *salvare, liberare.* — *a*) Active cum accus., aut passive. *Cic. Pis.* 31. *sub fin.* Posse me iterum rempublicam salvare, si cessissem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (177). Sequenti anno palmites salventur, pro viribus matris, singuli, aut gemini. Locum *Ciceronis* ita leg. *Faern.* in MSS. suis: sed et ipse, et alii fere omnes critici damnant, et *servare* reponunt ex melioribus libris. In *Plinio* vero *Harduinus* ita emendavit, quum *salutentur* invenisset, et *submittantur* ab aliis reponeretur. Ita *Forcell.* At *Sillig.* leg. *attollentur.* V. *ejusd.* adnot. ad *h. l.*, ubi inter alias varias lect. ponit etiam *serventur. Quintil.* 12. 10. 44. Salvant personarum discrimen. Sic habent opt. MSS., sed vulg. *servant.* et *Veget.* 3. *Veterin.* 23. 3. Hac ratione salvantur animalia. *Lactant. Ira D.* 5. *ante med.* Laudabile videtur prodesse potius, quam nocere; salvare, quam perdere. *Hieronym. Ep.* 20. *n.* 4. Quod ille, qui repromittebatur de genere David, veniret salvaturus Israel. *Augustin. Serm.* 125. Salvatur unitas, salvatur unus. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 6. *p.* 526. Si aliquis nescit, nunc habens rationem, et salvatus est. *Vulgat. interpr. Is.* 60. 16. Ego Dominus salvans te. *Id. Judic.* 5. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi. — *b*) Cum dativo. *Id. Ps.* 97. 1. Salvavit sibi dextera ejus. *Augustin.* ad h. l. *Sibi*, inquit, id est, propter se tantum, gloriæ suæ causa; sed aliis, quibus Græca favent, *sibi* pro *se* aut *eum* accipiunt. Ita *Weitenauer.* Adde *Is.* 63. 5. — *c*) Absolute. *Id. Is.* 63. 1. Propugnator sum ad salvandum. *et* 45. 21. Salvans non est præter me. *h. e.* salvator.

SALVUS, a, um, adject. Ratione habita etymi philologi recentiores ducunt a them. ὀλ, unde ὅλος, totus, integer, et adjecta litt. *s* pro spiritu Græcorum aspero, *sol*, unde *salvus*: cf. Gr. σάος. — Salvus idem est ac vivus et sanus, incolumis, integer, conservatus, σῶος (It. *salvo, vivo e sano, sano e salvo, intiero, intatto*; Fr. *conservé, sain et sauf, sauvé, qui est en bon état, intact, bien portant*; Hisp. *salvo, sano, entero*; Germ. *bewahrt, gerettet, erhalten, wohlerhalten, gesund*; Angl. *safe, safe and sound, well, in good health*). ¶ 1. Universim. — *a*) De animantibus. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, pastores pecuaque salva servassis. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Illum debilem factum lecticula in curiam esse delatum: quumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. *Id.* 6. *Fam.* 22. Oro, te ut nobis salvum conserves. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 18. Gaudeo venisse salvum. salvan' Philumena est? *sta ella bene?* et 3. 5. 7. Bene factum, te advenisse salvum atque validum. *et ibid.* 14. Illum vivum et salvum vellem. *Cæs.* 1. *B. C.* 72. Civibus salvis atque incolumibus rem obtinere malebat. *Cic.* 7. *Verr.* 58. *sub fin.* Quem non ille summo cum studio salvum incolumemque servavit? *Plaut. Epid.* 4. 1. 36. Domi meæ eccam filiam salvam et sanam. *Id. Trin.* 4. 3. 69. Dii me salvum et servatum volunt. *Id. Capt.* 4. 2. 93. Tuum modo in portu Philopolemum vivum, salvum et sospitem vidi. *Id. Stich.* 3. 1. 1. Quum bene re gesta salvus convortor domum. *Id. Amph.* 2. 2. 88. Equidem sana sum, et deos quæso, ut salva pariam filium. *Id. Rud.* 4. 4. 5. Salvum aliquem sistere. *Cic leg. Manil.* 18. 55. præstare. *Propert.* 2. 7. 41. Penelope poterat bis denos salva per annos Vivere. *h. e.* pudica, et a procis intacta. *Alcim.* 3. 410. Omnes salvos fieri cupis atque beatos. *h. e.* liberos ab inferis, a pœna æterna. — *Salvum se, venire, reverti, redire*, formulæ in *Inscriptt*

v. *Orell.* — *Salvus sanus* in *Inscript.* apud *Orell.* 2143., et *sanus salvus* apud *eumd.* 4360. — *b*) De inanimis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 14. Salvum signum est. *il sigillo è intatto. Id. Trin.* 2. 4. 192. ager urbis salvus est. *Id. Pœn.* 5. 2. 122. Restituentur omnia: suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit. *Id. Asin.* 2. 4. 56. Da, quæso, argentum, ac ne formida: salvum hercle erit. *sarà sicuro, sarà ben dato. Id. Pseud.* 4. 6. 6. Minæ viginti sanæ ac salvæ sunt tibi. *Cic. Divin. Verr. sub fin.* Ut hæc retinere incolumia ac salva possimus. *Id.* 12. *Fam.* 23. *a med.* Nullam partem sanæ et salvæ reipubl. gustare potuisti. *Liv.* 1. 58. *a med.* Quid enim salvi est mulieri, amissâ pudicitiâ? *Tac. Germ.* 23. Salva utriusque temporis ratio est. *h. e.* utrique suum tribuitur. — *c*) Commodos habet usus in ablativo tum de personis, tum de rebus. *Quintil.* 11. 2. *a med.* Nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt. *essendo vivi e sani* etc. *Id.* 4. 2. 75. Salva causæ ratione. *Ter. Eun.* 2. 2. 27. Quibus et re sálva, et perdita profueram. *h. e.* et quum rem haberem, de meo impendens: et re familiari absumpta, de alieno. *Propert.* 4. 3. 72. Subscribam: salvo grata puella viro. *Cic.* 1. *Fam.* 2. *sub fin.* Hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo, aut salvis auspiciis, aut salvis legibus, aut denique sine vi possit. *et* 4. *ibid.* 1. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos. *h. e.* quum salvus erat reipublicæ status, qui nunc concidit civili bello. *Id. Rosc. Am.* 1. *sub fin.* Ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur. *senza mancar al dovere.* et *ibid.* 34. 95. Cupio tibi aliqua ex parte (quod salva fide possim) parcere. *salva la mia puntualità: vel senza pregiudizio della mia puntualità.* et *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. *a med.* Si purpura infecta sit, vel lana (*deposita sit*), pondus adjiciendum: salvo eo, ut si de quantitate ponderis incertum est, juranti succurratur. Sic, salvo ordine, *Stat.* 5. *Silv.* 1. 181. salva conscientia, *Seneca* 4. *Quæst. nat. præf. a med.* salvo jure amicitiæ, *Cic.* 13. *Fam.* 77. ¶ 2. Speciatim. *Salvus sum,* et *salva res est,* formulæ prædicantis, bene secum agi, res belle procedere, rem esse in tuto. *Ter. Andr.* 5. 6. 9. Salvus sum, si hæc vera sunt. *sono a cavallo: son felice: sono in salvamento.* et *Eun.* 5. 1. 18. Tace, obsecro: salvæ sumus: habemus hominem ipsum. *Plaut. Asin.* 2. 2. 54. Si istam firmitudinem animi obtines, salvi sumus. *Ter. Adelph.* 4. 5. 9. Erubuit: salva res est. *va bene.* Id mutuatum ex *Menandro* apud *Stob. tit.* 31. Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναι μοι δοκεῖ. Sic *Plaut. Epid.* 1. 2. 21. Salva res est: bene promittit. Adde *Capt.* 2. 2. 34. et *Ter. Eun.* 2. 2. 37. — Huc pertinet illud *salva res est, dum saltat senex.* de quo *V.* in SALTO. ¶ 3. *Salvus sis* est salutantis, *il ciel ti salvi! buon giorno! ben venuto!* salve, χαῖρε, ὑγίαινε. *Ter. Adelph.* 5. 6. 2. Sed eccum Demeam. salvus sies. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 52. Salvus sis, Mnesiloche: salvum te advenire gaudeo. Adde 3. 6. 7. et *Ter. Andr.* 4. 5. 7. et 5. 4. 3. ¶ 4. *Satin salvæ? V.* SALVE, adv.

SAM, est ¶ 1. *Suam* apud veteres. *Paul. Diac. p.* 47. 3. *Müll.* Callim (*al.* calim) antiqui dicebant pro clam, ut nis pro nobis, sam pro suam, im pro eum. ¶ 2. Item *eam. Ennius* apud *Fest.* in *Sas.* Nec quisquam sophiam, sapientia quæ perhibetur, In somnis vidit priu', quam sam discere cœpit. *V.* SAS et SOS.

SAMANNARĬON, ōnis, m. 3. vox, ut cuipiam videtur, originis Syræ, et eum denotans, qui colores vendit. *Inscript.* Ostiæ reperta, in *Giorn. Arcad. T.* 38. *p.* 359. L. OSTENSIO HILARO SAMANNARIONI QUI VIXIT ANN. VI. M. VIII. CONVARISIA VICTORINA ALUMNO BENE MERENTI FECIT. Num puero annorum septem nondum impletorum mercatura aliqua conveniat, viderint eruditi.

SAMĂRA. *V.* SAMERA.

SĂMARDĂCUS, i, m. 2. Hanc vocem alii deducunt ab Hebr. שׁמר דק *shomer daq,* observans rem minutam; alii vero ab Græc. ἁμαρταίνω, erro. — Samardacus 1). Proprie, Afris est morio, impostor, *buffone, furbo, ciurmadore, cingano,* σαμάρδακος. *Augustin.* 3. *contra Acad.* 15. Ille autem casu planus erat, de iis, quos samardacos jam vulgus vocat. *Alii leg.* sarmadacos. (*V.* SARMADACUS) *Vet. Scholiast. Cruq.* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 113. Fallacem Circum *etc.* Fallacem dixit propter samardacos et sortilegos mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant, et imperitos sortibus et nugis fallebant. His similia habet *Chrysostom. in Epist. ad Ephes. homil.* 18.

II.) Translate vocatur terminus quidam agrarius, quasi errare faciens, vel in errorem inducens. *Auct. de termin. p.* 305. 22. *Rudorff.* Terminus si bifurcus fuerit, samardacus dicitur, trifinium facit. Alii leg. *samartiacus. V.* voc. seq.

SĂMARTĬA, æ, f. 1. ἁμαρτία, error. Ita vocatur terminus, qui trifinium demonstrat; quia prætereuntes facile in errorem inducit, ita ut nesciant, ad quos dominos ii fines pertineant: est autem ab allata voce Græca ἁμαρτία, error, assumptâ litterâ *s* ob aspirationem, ut Latini solent in *serpyllum* et *serpo,* ab ἕρπυλλον et ἕρπω. *Auct. de limit. p.* 266. *Goes.* Terminus, si tres petras circa se habuerit, trifinium demonstrat. Talis terminus, nomine bifurcium, samartia vocatur. Hinc derivatur *samartiacus,* in errorem inducens, ut apud *eumd. ibid. p.* 303. *Goes.,* et corrigendæ voces *samardacus* et *sarmadacus,* quæ nihili sunt, et ubique scribendum *samartiacus* in *locc. ibid. cit. Augustini, Chrysostomi* et *vet. Scholiast. Horatii.* Hucusque cl. *Furlanetto* in *Append.* At *Rudorff.* ex recensione *C. Lachmanni* ed. *samardacus* loc. apud *Gromat.* supra cit.

SĂMARTĬĂCUS, a, um, adject. *V.* SAMARDACUS et SAMARTIA.

SAMBŪÇA, æ, f. 1. Est vox Chaldaica סבכא *sabbeca* (insertâ litterâ *m* pro altera *b,* ut solent Græci et Latini in vocabulis orientalibus. *V.* MAMPHULA), quæ opus implexum et reticulatum significat. — Sambuca, σαμβύκη, *sambuca,* instrumentum musicum, fortasse illud, quod vulgari vocabulo vocatur harpa. V. *Porphyr. loc.* infra *cit.* Sed *Athen. l.* 14. *p.* 633. *Casaub.* ait sambucam quatuor fidibus tensum instrumentum, usitatum Parthis et Troglodytis. *Paul. Diac. p.* 324. 7. *Müll.* sambucam organi genus esse scribit, a quo sambycistriæ dicantur, quo nomine et *Liv.* 39. 6. utitur, easque per Asiaticam luxuriam in Latium introductas esse ait.

I.) Proprie. *Porphyr. in Ptolem. Harmon.* Sambuca triangulum instrumentum est, quod ex inæqualibus longitudine, sicut et crassitudine, nervis efficitur. *Vitruv.* 6. 1. Animadvertemus ex eo esse schema trigoni mundo, uti organi, quam σαμβύκην Græci dicunt. *Scip. Afric.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Docentur (*puellæ puerique*) præstigias inhonestas: cum cinædulis, et sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum: discunt cantare, quæ majores nostri probro duci voluerunt. *Pers.* 5. 95. Sambucam citius caloni aptaveris alto. *h. e.* citius calonem procerum, et stultum, atque ideo musicæ imperitum, sambucam pulsare docueris: citius asinum fidibus canendis aptum reddideris. Adde *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 5.

II.) Translate. ¶ 1. Pro sambucistria, ut videtur. *Spartian. Hadrian.* 26. In convivio tragœdias, comœdias, Atellanas, sambucas, lectores, poetas pro re semper exhibuit. *Plaut. Stich.* 2. 2. 57. Sambucas advexit secum. *Alii leg.* sambucinas. *V.* SAMBUCINA. ¶ 2. Est et genus machinæ militaris, *ponte levatojo. Paul. Diac. loc. cit.* Sambuca organi genus, a quo sambycistriæ dicuntur. Machina quoque, qua urbs expugnatur, similiter vocatur. Nam ut in organo chordæ, sic in machina funes intenduntur. Hæc *Paul.* Erat autem hujusmodi machina pons quidam ligneus qui funibus circa tensis e navibus, aut turri lignea erectus conscendendis hostium muris viam præbebat. *Veget.* 4. *Milit.* 21. et *Vitruv.* 10. 22. *V.* PONS, et *Lips. l.* 1. *Poliorcet. dial.* 6.

SAMBŪCĀTUS, a, um, adject. sambuco confectus, aut conditus. *Theod. Priscian. diæt.* 12.

SAMBŪCĔUS, a, um, adject. *di sambuco, sambuchino,* ἄκτινος, qui est e sambuco. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 14. (57). Canes vivi in furca sambucea arbore fixi. *Alii leg.* sabucea. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 10. L. Junius Brutus baculo sambuceo aurum infusum Deo donum tulit. *Liv.* 1. 56. *a med.* hoc idem narrans, corneum baculum fuisse dicit.

SAMBŪCĪNA, æ, f. 1. (sambuca *et* cano) quæ sambuca canit, sicut fidicina, quæ fidibus. *Plaut. Stich.* 2. 2. 57. fidicinas, tibicinas, Sambucinas advexit secum forma eximia. In quibusdam editionibus est *sambucas* eod. sensu. *V.* SAMBUCA.

SAMBŪCISTRĬA, *et* Sambycistria, æ, f. 1. σαμβυκίστρια, mulier sambuca canens, quæ et sambucina dicitur. *Fest. p.* 325. 32. *Müll.* Sambuca organi genus, a quo sambycistriæ dicuntur. *Alii* sambicistriæ; *al.* sambucistriæ. *Liv.* 39. 6. Tunc psaltriæ sambucistriæque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.

SAMBŪCISTRĬO: saltator. *Gloss. Isid.*

SAMBŪCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SAMBŪCUS, et Sabucus, m. et f., Sambucum, et Sabucum, i, n. 2. De altera scriptione *V.* infra. ¶ 1. Sambucus — 1.°) Masc. gen. est, qui sambucam pulsat, ut sambuca eadem est ac sambucina et sambucistria. *Capell.* 9. *p.* 313. Psaltas, chordacistas, sambucos, hydraulas per totum orbem ad commodum humanæ utilitatis inveni. — 2.°) Fem. gen., *sambucus,* et etiam *sabucus,* ut apud *Seren. Sammon. loc.* infra *cit.,* quam scriptionem reprehendit *Johan. Rhod.* ad loc. *Scribon. Compos.* 160., ubi notat poeticâ licentiâ exteri *m,* et a prosæ scriptoribus non admittendâ. Est autem arbor fungosi generis, multa medulla, racemos ferens acinis nigris et parvis, humoris lenti, inficiendo maxime capillo: qui et ipsi aqua decocti manduntur. Raro visitur in montibus. Firmissima est contra humorem ad pedamenta: taleis seritur, ut populus: habetque varios in medicina usus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (74). et *ibid.* 37. 71. (180) et 17. *ibid.* 20. 34. *extr.* et 24. *ibid.* 8. 35. (51.) Sambucus habet alterum genus magis silvestre, quod Græci chamæacten, alii helion vocant multo brevius. *Dioscor.* 4. 172. Χαμαιάκτη καλεῖται, οἱ δὲ ἕλειος ἀκτῆ. *Seren. Sammon.* 7. 100. et 19. 337. Ungitur et sucis, dederit quos parva sabucus. *h. e.* chamæacte. *et* 27. 503. et 28. 528. teneræ radix decocta sabuci. *et* 32. 587. Prodest ex parvis acinos potare sabucis. *et* 4. ubi de capillo tingendo, 50. vel tristia poma sabuci. ¶ 2. Sambucum, aut sabucum, neut. gen., fructum significat apud *Scribon. Compos.* 160.

SAMBȲCISTRĬA. *V.* SAMBUCISTRIA.

SAMBYX, *h. e.* sambuca, legitur apud *Mar. Victorin. p.* 2462. *Putsch.* Clari in studiis viri, qui aliquid de orthographia scripserunt, omnes fere ajunt, inter m et n litteras mediam vocem, quæ non abhorreat ab utraque littera, sed neutram proprie exprimat, tam nobis deesse quam Græcis, quum illi s a m b y x scribant, nec m exprimere nec n.

SĀMECH n. indeclin. nomen Hebraicum ejus litteræ, a qua ipsa hæc vox incipit, סמך, h. e. ס=*s,* quæque est Hebraici alphabeti decimaquinta. *Ambros.* in *Psalm.* 118. *Serm.* 15. *init.* Incipit samech littera decimaquinta.

SĀMENTUM, i, n. 2. pellicula cum lana in apice flaminum: videtur esse a σᾶμα Dorice pro σῆμα, signum; eo enim flamines a ceteris sacerdotibus distinguebantur. *V.* APEX. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 4. In porta Anagniæ quum eximus, ibi scriptum erat bifariam: Flamen, sume samentum. Rogavi aliquem ex popularibus, quid illud verbum esset? ait lingua Hernica pelliculam de hostia, quam in apicem suum flamen, quum in urbem introeat, imponit. Ad *Fest. p.* 320. ex conjectura *Mülleri* samentum idem fortasse ac sagmen.

SAMĔRA, et Samara, æ, f. 1. πτελέας σπέρμα, semen ulmi. *Colum.* 5. *R. R.* 6. Atineam ulmum Tremellius Scrofa non ferre sameram, quod est semen ejus arboris, falso est opinatus. *Plin.* 16.

Hist. nat. 17. 29. (72). Alineæ non ferunt samaram, ita vocatur ulmi semen. Quidam leg. *samara*, ut sit accusat. plur. a *samarum*, n. *Id.* 17. *ibid.* 11. 15. (76). Ulmorum prius, quam folio vestiantur, samara colligenda est circa Martias calendas, quum flavescere incipit.

SĂMĬA, æ, f. 1. genus placentæ, sic dictæ a Samo insula, ubi optimæ fiebant in sacrificiis Junonis. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 5. *a med.* Placentas et samias cogere.

SĂMĬĀRĬUS, ii, m. 2. *arrotino*, qui Samia cote arma et ferramenta acuit, et ad nitorem fricat. *Gloss. Philox.* Ἀκονητής, samiarius, cotiarius, acutiator, samiator. *Turneb. Advers. l.* 2. c. 21. affert ex *Inscript.* apud *Gruter.* 874. 5. hæc verba: SAMIARIIS DORYPHORON. Sed in ejusdem inscriptionis initio *Jo. Chr. Amadutius*, ut per litteras testatus est *B. Borghesius*, se legisse affirmavit: C. IVLIVS CANDIDVS LIB. SAMIARIS QVINTIANI SALVTEM., in fine autem: SAMIARIS DORYPHORION. Ex his patet, Doryphorionem fuisse unum ex libertis Samiaris Quintiani, ideoque *Samiaris* tam initio, quam in fine illius inscriptionis esse nomen proprium viri, non artis. Ceterum, quum apud *Cic.* 11. *Phil.* 2. *et* 3. cujusdam Samiarii in Asia exsulis et carnificis mentio sit, videtur, in adlata inscriptione utrobique non *Samiaris*, sed *Samiarii* insculptum fuisse.

SĂMĬĀTOR, ōris, m. 3. (samio) idem ac Samiarius: quam vocem vide supra. *Edict. Dioclet. p.* 20. Samiatori in spatha ex usu ✠ viginti quinque, in casside ex usu ✠ vigintiquinque, in securi ✠ sex, in bipenni ✠ octo.

SĂMĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĂMĬO, as, (avi) ātum, are, a. 1. (Samius) Particip. *Samiatus.* — Samio est Samia cote exaspero, polio et tergo: nam Samium lapidem poliendo auro utilem laudat *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 40. (152). Hinc *Aurelian. Imp.* in *ep.* apud *Vopisc. Aurelian.* 7. Arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia. Ubi *Salmas.* merito *Nonium* reprehendit, qui *p.* 398. 30. *Merc.* ideo docet *samiatum* significare exasperatum, et *samiare* acuere, quia *Samius* acutum significat. *Veget.* 2 *Milit.* 14. Samiare loricas vel catafractas.

SĂMĬŎLUS, a, um, adject. *deminut. a* Samius. *Plaut. Stich.* 5. 4. 12. Batiolis bibunt, nos nostro Samiolo poterio. *h. e.* parvo poculo fictili.

SĂMĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SĂMĬUS, a, um, adject. ad Samum insulam pertinens. *V.* hanc voc. in ONOM. — Hinc ¶ 1. *Samius lapis*, poliendo auro utilis, laudatur a *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 40. (152). ¶ 2. *Samia terra* duplex, collyrium, et aster, varios habet usus in medicina. *Id.* 35. *ibid.* 16. 53. (191). Adde 28. *ibid.* 12. 53. (194). *et ibid.* 19. 77. (248). et 31. *ibid.* 10. 46. (117). ¶ 3. *Samia creta* fictilibus valde idonea, Samiis vasis nomen dedit: quæ et *Samia* absolute dicta sunt: quamvis e Samia creta non essent. *Lucil.* apud *Non.* p. 398. 25. *Merc.* Et non pauper uti Samio curtoque catino. *Cic. fragm. ibid.* Quam simpuvia pontificum diis grata sint, Samiæque capedines. *Tibull.* 2. 6. 29. At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ. *Cic.* 4. *Herenn.* 51. *a med.* Argentum quoque vult? utatur licet. nos Samiis delectabimur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (160). Samia etiamnum in esculentis laudantur. *Plaut. Men.* 1. 2. 65. Placide pulta. PE. metuis, credo, ne fores Samiæ sint. Similem jocum habet *Bacch.* 2. 2. 22. *Auson. epigr.* 8. Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea regem, Atque abacum Samio sæpe onerasse luto. ¶ 4. *Samiæ testæ* fragmento amputari tuto membrum aliquod credebant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. *sub fin.* Samia testa Matris deûm sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputare, nec aliter citra perniciem, M Cœlio credamus, qui linguam sic amputandam objecit gravi probro. *Lucil.* apud *Non. loc. cit.* Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo Præcidit caulem, testesque una amputat ambo. Sic *Juvenal.* 6. 513. Mollia qui rupta secuit genitalia testa. Adde *Martial.* 3. 81. Ex his male docuit *Non. loc. sup. cit.* *Samium* acutum significare: et merito reprehenditur a *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 7. (*V.* SAMIO.) — Hinc *Samium, ii*, n. 2. absolute. *V.* supra ad § 3.

SAMNIS, itis, m. et f. 3. qui est ex Samnio. *V.* hanc voc. in ONOM. — *Samnites* quoque fuere gladiatorum genus, cui hoc nomen, non quia natione essent Samnites, sed quia armatura eorum talis esset, qualis Samnitum: iidem et hoplomachi dicebantur. *Liv.* 9. 40. *ad fin.* Campani ab superbia, et odio Samnitium, gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt. Vide de iis *Lips. in Saturnalib. l.* 2. c. 11. Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. *extr.* et *Lucil.* apud *Cic.* 3. *Orat.* 23. 86.

SĂMŎLUS, i, f. 2. herbæ nomen, aliis eadem ac *Samolus Valerandi* (Lin.); aliis, quæ in officinis *Anemone Pulsatilla* (Lin.), seu rectius *Veronica Beccabunga* (Lin.) *V.* cl. *Fée op. cit.*, ab aliquibus etiam *Samiolo*, dicitur, fortasse ab Hebr. שמאל *shemol*, vel *shamol*, sinistra; quia superstitioso ritu sinistra manu colligebatur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 63. (104). Iidem (*Druidæ*) samolum herbam nominavere nascentem in humidis: et hanc sinistra manu legi a jejunis contra morbos suum boumque, nec respicere legentem.

SĂMŎTHRĂCĬUS, a, um, adject. ad Samothraciam pertinens. *V.* hanc voc. in ONOM. — Hinc *Samothracia ferrea* apud *Lucret.* 6. 1042. sunt annuli ferrei, qui in Samothracia primum fieri cœpti sunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (23). Nec non et servitia jam ferrum (*annuli*) auro cingunt: alia per sese mero auro decorant: cujus licentiæ origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat. *Isid.* 19. *Orig.* 32. Samothracius annulus aureus est quidem, sed capitulo ferreo a loco ita vocatus.

SAMPSA, *vel* Samsa, *vel* Sansa, æ, f. 1. *sansa*, olivarum caro mola suspensa leviter comminuta, et ossibus liberata, quæ deinde exprimitur, oleumque fundit, aut aridis quibusdam herbis seminibusve condita in usum cibi condimentive reponitur. Ejus conficiendæ rationem *Colum.* 12. *R. R.* toto c. 49. tradit. *Id. ibid.* 51. 2. Olea injicitur quam mundissimis molis suspensis, ne nucleus frangatur: et quum est in sampsam redacta, tunc sal coctus tritusque manu permiscetur cum ceteris aridis condimentis. Adde *ibid.* 52. *circa med.*, ubi quidam sampsam pro ossiculo, seu nucleo olivæ accipiunt: sed non satis probant.

SAMPSŪCHĪNUS, *et* Samsucinus, a, um, adject. σαμψύχινος, qui est ex sampsucho. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 22. 93. (163). Fit ex eo oleum, quod sampsuchinum vocatur, aut amaracinum. Adde *Teod. Priscian.* 2. 4. et alibi sæpe, et *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 101.

SAMPSŪCHUM, n., *et*

SAMPSŪCHUS, i, m. 2. Scribitur et *sampsucus*. — Sampsuchum, σάμψυχον, *maggiorana*, *persa*, *sansugo*, herba, quæ aliter amaracus (*Origanum Majorana* Lin.). *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 35. (61). Amaracum Diocles medicus, et Sicula gens appellavere, quod Ægyptus et Syria sampsuchum, etc. *Id. ibid.* 22. 93. (163). Sampsuchum, sive amaracum, in Cypro laudatissimum et odoratissimum, scorpionibus adversatur ex aceto et sale illitum. — In plur. num. *Colum.* 10. *R. R.* 171. Nataque jam veniant hilari sampsucha Canopo. *V.* AMARACUS. — Forma *sampsuchus* apud *Marcell. Empir.* c. 36. *p.* 141. *retro.*

SAMPSŪCUS. *V.* voc. præced.

SĀNĀBĬLIS, e, adject. (sano) Comp. *Sanabilior.* — Sanabilis

A) Passive est qui sanari potest, *sanabile*, ἰάσιμος. — *a*) De physicis. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 59. Vulneris id genus est, quod quum sanabile non sit, etc. *Cels.* 2. 8. *ante med.* Quisquis dolor deorsum tendit, sanabilior est. — *b*) De moralibus. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. *a med.* Ii sunt constituti, quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen. *Seneca Ep.* 108. Qui ad philosophorum scholas venit, aut sanior domum redeat, aut sanabilior.

B) Active est salutaris, saluber utilis, vel sanando aptus, et dicitur tum de physicis tum de moralibus. *Augustin. serm.* 18. Ista pœnitentia cruciabilis, non sanabilis. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. 123. Erit sanabilius ergo, ut etc. *Vulgat. interpr. Sap.* 1. 14. Sanabiles (Deus) fecit nationes orbis terrarum. *h. e.* rebus a se conditis salubritatem impertiit.

SĀNANS, antis, particip. *V.* SANO.

SĀNĀTĬO, ōnis, f. 3. valetudinis restitutio, sanitas, salus, ἴασις (It. *guarigione*; Fr. *guérison*; Hisp. *recobro de la salud, curacion*; Germ. *d. Heilung*; Angl. *a healing, curing, health, sanation*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. Quum ad corporum sanationem multum ipsa corpora, et natura valeant. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 314. *retro.* Ulceri imponito usque ad sanationem. *Id.* 2. 8. Sanatio plena. Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. 83.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 35. Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est. et *ibid.* 28. 60. Sanatio certa et propria. *Augustin. op. imperf. contra Julian.* 6. Sanatio nostræ naturæ. Adde *Tertull. de fug.* 3.

SĀNĀTĪVĒ, adverb. (sanativus) salubriter, ὑγιεινῶς. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 678. Casus, ut juste et fortiter, et sanative, habituative, et quæcumque eodem modo dicuntur.

SĀNĀTĪVUS, a, um, adject. (sano) *sanativo*, saluber, ὑγιεινός. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 678. Similiter effectiva et conservativa conjugata sunt illi, cujus sunt effectiva, ut sanativa sanitatis etc. — In neutr. gen., absolute. *Id. ibid. p.* 708. Si medicinam (dixit) disciplinam sanativorum animali et homini.

SĀNĀTOR, ōris, m. 3. qui sanat, *sanatore*, θεραπευτής. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 294. Quum tantum positi sanator adesset Spiritus. Adde *eumd. carm.* 27. 272., *Augustin. in Psalm.* 36. *serm.* 2. et *Hieronym. in Job* 34.

SĀNĀTUS, a, um, particip. *V.* SANO.

SĀNĂVĪVĀRĬA porta dicebatur in amphitheatro opposita Libitinensi, ex qua exibant gladiatores, aut bestiarii, aut rei ad bestias damnati, quibus a populo misericordia motus parceretur, aut etiam victores. *Act. Ss. mart. Felicit.* etc. apud *Ruinart. n.* 10. Cœpi ire cum gloria ad portam sanavivariam. *V.* LIBITINENSIS in ONOM. At *Mazoch. Amphith. Camp. p.* 171. *col.* 1. subdubitat, num pro *sanavivaria* legendum sit *sandapilaria*, ideoque eamdem esse ac Libitinensem, per quam sandapilæ cum mortuorum cadaveribus efferrentur. Ita etiam judicat *Labus Fast. della Chiesa T.* 3. *p.* 217.

SANCAPTIS. *V.* Saucaptis.

SANCHROMĂTON, *et* Sancromaton, i, n. 2. dracontea, genus herbæ. *Apul. Herb.* 14.

SANCĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SANCĬO, sancis, sanxi, *olim* sancivi, *aut* sancii, sancitum, *et* sanctum, sancire, a. 4. Alterum præteritum antiquum est. *Pompon.* apud *Diomed.* 1. *p.* 368. *Putsch.* et apud *Priscian.* 10. *p.* 904. Sancierat jus utile civitati. Adde *sancivit* apud *Lamprid. Alex.* 15. — Ratione habita etymi, *Servius loc.* infra *cit.* scribit, *sancire* proprie esse sanctum aliquid, id est consecratum facere, fuso sanguine hostiæ: et dictum *sanctum*, quasi sanguine consecratum. Alii ducunt a th. Sansk. *jag*, venerari, sacrare, alii vero a *sak*, vel *sag*, stabilire, firmare, statuere, insertâ litterâ *n*, ut in *jungo*, *pango* etc.; hinc etiam Græc. ἀγ, unde ἅγιος, sanctus, Lat. *sacer*. — Particip. *Sanciens* I. 1.° *b.*; *Sanctus* et *Sancitus* in omn. paragr. et in fine; *Sanciendus* II. — Sancio, pro diversa notatione, est aliquid ritu sacro, seu religioso decerno, constituo, aut simpliciter decerno, constituo, scisco (It. *decretare, ordinare, stabilire, stanziare*; Fr. *établir, décréter, ordonner*; Hisp. *decretar*; Germ. *festsetzen, feststellen, verordenen*; Angl. *to decree, ordain, appoint, establish, order*) et proprium est eorum qui leges ferunt, et legum.

I.) Proprie. — 1.°) Est decernere, constituere, sciscere. — *a*) Cum accusat., aut passive. *Sancire legem*, sciscere, statuere, *far una legge*. *Cic. Planc.* 18. 44. Noli putare, legibus istis, quas senatus de ambitu sancire voluerit, id esse actum,

ut suffragatio tolleretur. Id. Dom. 30. ad fin. Majores de civitate et libertate ea jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum labefactare possit. Quintil. 2. 13. 6. Neque enim rogationibus plebisve scitis sancta sunt ista præcepta. Cic. Amic. 12. 40. Hæc igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Horat. 1. Sat. 3. 67. in nosmet legem sancimus iniquam. Liv. 10. 9. Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. Alii leg. sancitam; alii factam. Id. 3. 55. Legem sanciendo. Horat. 2. Ep. 1. 24. tabulas, quas bis quinque viri sanxerunt. Cic. 3. republ. 11. 18. Sanxisset jura nobis. Auson. Griph. 61. Wernsd. Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ. Similiter Sueton. Claud. 11. Omnium factorum dictorumque veniam et oblivionem in perpetuum sanxit. Cic. Rosc. Am. 25. 70. Quum solo de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat. Id. Balb. 14. 33. Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebesque sanxisset. Id. 4. Verr. 50. 123. Agrigentini de senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent: in quibus et eadem illa sancta sunt, et hoc amplius etc. Plaut. Trin. 4. 3. 26. Ambitio jam more sancta est, libera est a legibus. *sancita dall'usanza, divenuta di moda.* et Sil. It. 11. 592. opibus sancite modum. — Hinc *sancire pœnam*, lege pœnam statuere, *imporre*. Stat. 3. Theb. 244. ni me veterum pœnas sancire malorum Gentibus, et diros sinitis punire nepotes. Tac. 1. Ann. 6. Sancire exsilium alicujus senatusconsulto. — b) Cum ablat. lege, edicto etc., et accus., aut ablat. rei, quæ sancitur, et præpos. de., aut conjunctivo et partic. ut, ne. Cic. Harusp. resp. 14. extr. Hoc si minus civili jure perscriptum est, lege tamen naturæ, communi jure gentium sancitum est, ut etc. Id. 3. Off. 16. 65. De jure prædiorum sanctum apud nos non est jure civili. Id. Flacc. 28. 67. Flaccus sanxit edicto, ne aurum ex Asia exportari liceret. Sic Liv. 30. 19. Ne Servilio fraudi esset, quod tribunus pl. fuisset, contra quam legibus sanctum erat. Alii leg. sancitum; alii factum. Plin. 15. Hist. nat. 19. 21. (82). Cato cibaria ruris operariis, justa ceu lege sanciens. *prescrivendo.* et Justin. 3. 2. ad fin. de Lycurgo. Nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documentu daret. Similiter Cic. 10. Att. 1. ante med. Solonis legem negligant, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset. *ordinò pena la vita.* — c) Absolute. — α) Sequente Conjunctivo. Cic. 2. Fin. 31. circa med. Tam diligenter cavet et sancit, ut heredes sui etc. Id. 3. Leg. agr. 2. 8. Lex sanxit, ne etc. Id. 1. ad Brut. 5. a med. Nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Tac. 6. Ann. 16. Primo XII. tabulis sanctum, ne etc. Lucret. 1. 588. Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat. — β) Seq. Infinito. Sueton. Claud. 25. Omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit. Cf. Ammian. 16. 12. — 2.°) Sæpe est firmare, confirmare, et quasi sanctum, vel sacrum facere, *stabilire, confermare, ratificare.* Cic. 3. Leg. agr. 1. ad fin. Genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari atque sanciri. Id. 10. Phil. 8. 17. Quæ Cæsar egit, ea rata esse non curat, de quibus confirmandis et sanciendis legem comitiis centuriatis ex auctoritate nostra laturus est. Id. 4. Att. 21. Antonium circumire veteranos, ut acta Cæsaris sancirent. Cæs. 7. B. G. 2. Et quoniam obsidibus cavere inter se non possent, ne res efferatur, ut jurejurando et fide sanciatur, petunt. Cic. 1. Fin. 10. a med. Filium morte multavit, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam. Id. in Senat. 4. 8. Ut, me conservato, vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret. Id. ad Quirit. 5. 13. Quum omnia cum omnibus fœdera sanguine meo sancirentur. Tac. 12. Ann. 65. Sancire pacta. Claudian. B. Get. 573. hæc mundo pacem victoria sancit Gell. 20. 1. ad fin. Eam capitis pœnam sanciendæ fidei gratia horrificam reddiderunt. Sil. It. 1. 304. verba ocius acer Intorto sancit jaculo, figitque per arma Stantem pro muro. Virg. 12. Æn. 200. Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit. Ubi Servius: confirmat, sancta esse facit: quia quum fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur. Nepos Attic. 19. extr. Quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. Cic. 13. Phil. 5. 12. Utrum igitur augurem populus R. libentius sanciet, Pompejum an Antonium? Propert. 4. 9. 73. de Hercule. quoniam manibus purgatum sanxerat orbem, Sic Sancum Tatii composuere Cures. h. e. firmaverat, pacaverat. Id. ibid. 19. ite boves, Arvaque mugitu sancite boaria longo. h. e. firmate his locis nomen fori boarii. V. BOARIUS. Stat. 3. Silv. 3. in fin. Sancire alicui carmina. h. e. perpetua dicare, ut ait Virg. 1. Æn. 77. Rursus Stat. 11. Theb. 344. Non ego te contra Stygiis feralia sanxi Vota deis. — 3.°) Singulare est illud Tertull. advers. Psych. Nam et Johel exclamavit, sancite jejunium. ubi *sancire* est pro *sanctificare*.

II.) Translate. *Sancire scelus*, pœna inflicta punire, *punire*. Cic. 2. Legg. 9. ad fin. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. et 3. ibid. 20. 46. Noxiæ pœna par esto, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia sanciatur. Id. Planc. 19. 47. Noli maleficium putare esse gratiam: noli observantiam sancire pœna. Id. 3. Off. 13. 55. Qui est aliud, erranti viam non monstrare, (quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est) si hoc non est, etc.? Orell. leg. sanctum est. Cf. eumd. 10. Att. 1. ante med. Gell. 16. 4. in lemmate. In quæ verba conceptum fuerit jusjurandum de furtis militaribus sanciendis. Ipse Gell. 20. 1. a med. Injurias factas quinque et viginti assibus sanxerunt. h. e. XXV. assium mulcta vindicarunt. — Hinc Particip. præter., cujus exempla retulimus,

Sanctus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Sanctior*; Sup. *Sanctissimus*. — Sanctus — 1°) Dicitur de iis rebus, quæ sanctione seu lege firmata sunt et munita, ne quis aut invadere, aut violare possit, et est inviolabilis, venerandus, sacer, incorruptus. — a) Universim. Ulp. Dig. 1. 8. 9. Proprie dicimus sancta, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut sunt leges, quia sanctione quadam subnixæ sunt. quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum. Cic. Rabir. perduell. 4. 11. Castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus civium R., integrum jus libertatis defendo servari oportere. Id. 3. Legg. 3. ad fin. Tribuni sancti sunto. Nepos Pelop. 5. Legationis jure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset. h. e. Inviolabile. Tac. Germ. 8. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant. h. e. venerabile. Gromat. p. 359. 16. Rudorff. Quoniam sanctior est, id est justior videtur, maritimus limes frequentius solet etc. Nepos Attic. 3. Aliquot (statuas) ipsi et Phidiæ locis sanctissimis posuerunt. Virg. 12. Æn. 648. Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ Descendam. Ubi Servius, et Macrob. 3. Saturn. 3. Sancta, hoc est incorrupta. neque enim sacro aut religioso anima Turni tenebatur. Hinc *sancta* quæcumque inviolate, integre, religiose servari oportet. Enn. apud Cic. 1. Off. 8. 26. Nulla sancta societas, Nec fides regni est. Liv. 8. 37. Nec induciarum sancta fides fuit. Cic. Quinct. 6. a med. Nullum est officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. Id. Rosc. Am. 38. 109. Nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit, et imminuerit. Id. Quinct. 1. sub fin. Si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur, nihil est jam sanctum, neque sincerum in civitate. Id. Arch. 8. a med. Sit igitur, judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Id. 12. Att. 19. in fin. Me quidem id multo magis movet, quod mihi est et sanctius, et antiquius. Nepos Timoth. in fin. Sanctiora jura patriæ, quam hospitii. Val. Flacc. 5. 499. Sed me nude fides, sanctique potentia justi Huc tulit. Tac. Germ. 34. Sanctius ac reverentius visum de actis deorum credere, quam scire. Adde Sall. 3. Hist. 67. 17. Dietsch. — Neutr. gen., absolute. Liv. 21. 4. Nihil veri, nihil sancti. Id. 23. 22. a med. Si quid unquam arcani, sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviscendum. Sall. Jug. 41. Nihil pensi, neque sancti habere. — b) De ærario sanctiore. V. ÆRARIUM. — c) Etiam muri civitatis, et portæ *sanctæ* dicuntur a Cajo Dig. 1. 8. 1. et ab Hermogeniano ibid. 43. 6. 2., quia legibus cautum est, v. gr., ne cui ascendere, aut diruere, aut inhabitare liceat. — d) *Sanctus dies*, sancte colendus, celebrandus. Horat. 4. Od. 11. 17. dies Jure solemnis mihi sanctiorque Pæne natali proprio. Sulpicia inter carmina Tibulli 4. 5. 1. Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus, Atque inter festos semper habendus erit. — e) Illa etiam, quæ sacra sunt, ut ædes deorum; vel religiosa, ut sepulcra, *sancta* dicuntur: quia aut lege, aut instituto majorum sancitum est, ut ne quapiam re violentur. V. RELIGIOSUS. Hinc Trebat. apud Macrob. loc. cit. Sanctum est interdum idem, quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, hoc est nec sacrum, nec religiosum. Virg. sanctum pro sacro posuit (ut Macrob. ibid. adscribit) in illo 2. Æn. 686. et sanctos restinguere fontibus ignes. scil. quia divinitus immissi. et 6. ibid. 65. tuque, o sanctissima vates, Præscia venturi. scil. quia Deo plena, et sacerdos. Sic 11. ibid. 785. sancti custos Soractis Apollo. et 3. ibid. 406. Sancti ignes. h. e. quibus crematur victima. Tibull. 1. 5. 18. Somnia ter sancta deveneranda mola. Cic. Univ. 9. init. Lucifer deinde et sancta Mercurii stella cursum habent solis celeritati parem. Vertit Cic. verba Platon. in Tim. Ἑωσφόρον, καὶ τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον (πλανήτην) ἔθηκεν etc. Itaque *sanctam* sacram Mercurio intelligit. nam ἱερός τινος est *sacer alicui*. — 2.°) Dicitur eodem sensu etiam de diis, et de rebus, quæ ad eos pertinent. Virg. 3. Æn. 543. numina sancta precamur Palladis armisonæ. et 4. ibid. 576. sequimur te, sancte deorum Quisquis es. Lucil. apud Non. p. 427. 13. Merc. Sanctissima Erinnys. Virg. 8. Æn. 131. sancta oracula divûm. Ovid. 14. Met. 536. Sancta deûm genetrix. et 3. ibid. 733. Sanctæ aræ. Gell. 1. 21. Sanctissimum jusjurandum. — Multæ sunt Inscriptt. apud Gruter., ut 46. 7., 48. 1. 2. et 11., 49. 1. et 1070. 6., item apud Reines. cl. 1. n. 64. etc., Gudium et Murat., in quibus Hercules *sanctus*, et *sanctissimus* cognominatur. Sic Propert. 4. 9. 71. Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno. Sancte, velis libro dexter inesse meo. V. SANCUS in ONOM. — *Sanctos* dixere etiam imperatores R. tamquam diis proximos, immo tamquam deos. Sic appellat Vespasianum, addito patris nomine, Val. Flacc. 1. 11., et Augustum Ovid. 2. Fast. 126. Sic *Imperator sanctissimus, Domina sanctissima*, titulus honorarius Impp. sequiori ætate. V. Dirksen, Man. Jur. Civ. — Item Manes. V. dicta in SANCTITAS. Virg. 5. Æn. 80. Salve, sancte parens, iterum: salvete recepti Nequidquam cineres. Cic. 14. Phil. 12. 33. Actum igitur præclare vobiscum, fortissimi dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites. Adde Val. Flacc. 6. 288. et Tibull. 2. 7. 23. — *Sancti* apud Christianos scriptores ii dicuntur, qui cælesti gloria donati et altarium honoribus ex decreto Ecclesiæ aucti publico obsequio ac veneratione a fidelibus coluntur, cælites, cælicolæ, beati; cujus vocis loco sunt qui minus recte utantur v. *divus*. (V. Th. Vallauri de voce divus opusc. var.) Prudent. 2. περὶ στεφ. 549. Sic, sancte Laurenti, tuam Nos passionem quærimus. Juvenc. 4. 268. Huc veniant sancti: jamdudum debita sumant Dona Patris. Adde Alcim. 2. 37. et Paulin. Nolan. ad Aus. 310. — 3.°) De hominibus, et etiam de rebus ad eos pertinentibus; et est — a) Integer, bonus, probatis moribus, innocens, justus, atque adeo dignus qui observetur ab omnibus, violetur a nemine, *santo*, ὅσιος, ἅγιος. Cic. Rosc.

Com. 15. 44. V ni ordine senatores, ætate grandes natu, natur a sancti et religiosi. *Tac. Germ.* 7. Sanctissimi t estes. *h. e.* incorrupti. *Cf. Cic. Rosc. Com.* 15. 43. Sanctissima testimonia virorum optimorum. *I d.* 7. *Verr.* 19. 49. Vir in publicis religionibus fœderum sanctus et diligens. *Id. Flacc.* 29. *a med.* Homines frugalissimi, sanctissimi. *Sall. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Veteres et sancti viri. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 229. Quum esset ille vir exemplum innocentiæ, quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior. *Virg.* 1. *Æn.* 430. Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum. *h. e.* ex probatis et sanctis viris constantem: atque adeo venerabilem. Unde et *sanctissimus ordo* dicitur, ut *Servius* monet. *Liv.* 30. 16. Ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes. id erat sanctius apud illos consilium. *Val. Max.* 2. 2. *n.* 8. Sanctas manus habere. *h. e.* integras ab avaritia, et accipiendis muneribus. *Gell.* 2. 29. *sub fin.* Sanctiores libri philosophorum. *et* 1. 2. *a med.* Sanctissimæ disciplinæ (*Stoicorum*) nomen ementiri. *Quintil.* 10. 1. *a med.* Inveni, qui Calvum præferrent omnibus: inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. sed est et sancta, et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque. *h. e.* pura, integra, incorrupta. *Gell.* eodem sensu dixit 19. 8. Castissimus sermo. *et* 17. 2. Caste pureque lingua Latina uti. — *b*) Sæpe ad castitatem refertur. *Horat.* 1. *Od.* 2. 27. Virgines sanctæ. *Virg.* 11. *Æn.* 158. sanctissima conjux. *Phædr.* 3. 10. Sancta uxor. Supra *v.* 14. castam mulierem dixerat. Adde *Val. Flacc.* 2. 345. Sic *Tibull.* 1. 3. 83. sanctique pudoris Assideat custos sedula semper anus. *Quintil.* 1. 2. 5. Sanctissimus præceptor. — *Cic.* 3. *Fin.* 20. *a med.* Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. *Alii leg.* castos. *Juvenal.* 10. 298. Sancti mores.

Sanctum, *i*, et plur. *Sancta*, *ōrum*, n. 2. absolute, dicitur de loco sancto, sanctuario, vel templo *Pers.* 2. 69. in sancto quid facit aurum? *Vulgat. interpr. Ps.* 59. 8. et 107. 8. Deus locutus est in sancto suo. et *Hebr.* 9. 1. Sanctum sæculare. *V.* SÆCULARIS. *et Ps.* 150. 1. Laudate Dominum in sanctis ejus. — *Sanctum*, et *Sancta sanctorum*, dicitur pars intima, adytus tabernaculi vel templi, ab *eod. Exod.* 26. 34., *Num.* 4. 19. et alibi passim.

Sanctus, *i*, m. 2. absolute. *Vulgat. interpr. Marc.* 1. 24. et *Luc.* 4. 34. Sanctus Dei. *h. e.* Christus, qui et *Sanctus sanctorum* dic. ab *eod. Dan.* 9. 24. — *Sancti*, absolute, omnes Christiani apud *eumd.* passim appellantur. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SANCĪTUS, a, um, partic. *V.* voc. præced.

SANCROMĂTON. *V.* SANCHROMATON.

SANCTĒ, adverb. (sanctus) Comp. *Sanctius*; Sup. *Sanctissime*. — Sancte est ¶ 1. Religiose, auguste, pie, secundum ea, quæ sancita sunt legibus, institutis et ritibus, *religiosamente, piamente, santamente*, ἁγίως, εὐσεβῶς. *Cic.* 3. *Nat. D.* 21. 53. Auguste sancteque venerari deos. *et* 1. *ibid.* 20. *sub fin.* Pie sancteque colere Deum. *Id. Rosc. Com.* 2. *a med.* Adversaria sunt menstrua, tabulæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ servantur sancte. *Plaut. Rud.* 4. 7. 8. Isto pauper es, quum nimis sancte pius. *Id. Cist.* 2. 3. 27. et *Capt.* 4. 2. 112. et *Ter. Hecyr.* 2. 2. 26. Sancte jurare alicui. *Nepos Tim.* 4. Sacellum sanctissime colebat. *Quintil.* 1. 2. 4. Corrumpi mores in scholis putant: sed domi quoque. et sunt multa ejus rei exempla, tam læsæ hercle, quam conservatæ sanctissime utrobique opinionis. *Val. Max.* 8. 15. *n.* 6. Q. Scævola Asiam tam sancte et tam fortiter obtinuit, ut etc. *h. e.* abstinenter, moderate. *Plin. Paneg.* 87. Vos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fovete sancte judicium ejus, quod de vobis habet. *h. e.* diligenter, accurate, *scrupolosamente*. et *Martial.* 8. 1. laurigeros domini, liber, intrature Penates Disce verecundo sanctius ore loqui. *Cic.* 1. *Q. fr.* 2. 4. Te numquam ulla in re dignum reprehensione putassem, quum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. *Id.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Meque ea, quæ tibi promitto, sanctissime esse observaturum, diligentissimeque esse facturum. ¶ 2. Ad castitatem refertur. *Val. Max.* 2. 1. *n.* 5. Nulli tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter et videre sancte, et aspici, mutuo pudore custodiebantur. *Quintil. declam.* 3. 14. *sub fin.* Plura pæne moribus, quam viribus vicimus, quum captivæ quoque sancte habebantur. Adde *Curt.* 3. 12. *a med.* et *Lactant.* 6. 24. *a med.* Sic *Quintil.* 8. 3. *circa med.* Ductare exercitus, et patrare bellum, apud Sallustium (*V.* DUCTO) dicta sancte, et antique, ridentur a nobis, si diis placet. ¶ 3. Est etiam inviolate. *Liv.* 24. 18. Nusquam eas (*pecunias*) tutius sanctiusque deponere credentes, quam in publica fide.

SANCTESCO, is, ere, n. 3. sanctus sum, vel fio. *Accius* apud *Non.* p. 143. 22. *Merc.* Oculo noxitudo oblitteretur Pelopidarum, ac per nos sanctescat genus.

SANCTICIA, æ, f. 1. idem fere ac sanctitas. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 92., ubi tamen *Kopp.* legendum putat *sancticolæ*.

SANCTĬFĬCANS, antis, particip. *V.* SANCTIFICO.

SANCTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (sanctifico) *santificazione*, ἁγίασμα, actus sanctificandi. *Tertull. Exhort. ad castit.* 1. et *Sidon.* 8. *Ep.* 14.

SANCTĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. *santificatore*, qui sanctificat. *Tertull. in Prax.* 2. et *Augustin.* 10. *Confess.* 34. *a med.*

SANCTĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* SANCTIFICO.

SANCTĬFĬCĬUM, ĭi, n. 2. (sanctificus) sanctificatio, vel sanctificationis locus. *Tertull. Resurr. carn.* 47. ex *S. Paulo ad Rom.* 6. 19. et *Vulgat. interpr. Ps.* 77. 69.

SANCTĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sanctus et facio). Particip. *Sanctificans*; *Sanctificatus*; *Sanctificandus*. — Sanctifico est sanctum facio, consecro, divinis honoribus prosequor. *Tertull. Orat.* 3., *Prudent. Hymn. ante cib.* 15. *Id.* 3. *Cathemer.* 15. Omnia sanctificante fide. *Vulgat. interpr. Genes.* 2. 3. (Deus) benedixit diei septimo, et sanctificavit illum. *Id. Apoc.* 22. 11. Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. *Id.* 1. *Cor.* 7. 14. Sanctificatus est enim vir fidelis per mulierem fidelem. *Id.* 2. *Esdr.* 13. 22. Sanctificanda dies sabbati. — In illo *Vulgat. interpr. Deut.* 22. 9. Ne quæ nascentur in vinea, sanctificentur. *sanctificare* est inquinare, polluere, dictum per antiphrasin: reddit autem Hebr. *qadash*, unum ex iis, quæ sunt contrariæ significationis. — *Sanctificata*, *ōrum*, neutr. plur., absolute. *Id. Levit.* 22. 16. Quum sanctificata comederint.

SANCTĬFĬCUS, a, um, adject. sanctificans. *Juvenc.* 1. *præf. in fin.* Ergo age sanctificus adsit mihi carminis auctor Spiritus.

SANCTĬLŎQUUS, a, um, adject. (sanctus et loquor) qui sancte loquitur, ut Lucas sanctiloquus, *Prudent. Apotheos.* 1070. Sanctiloqui libri, *Arator.* 2. *Act. Apost.* 730. Sanctiloquus propheta, *Paulin. Nolan. carm.* 23. 228.

SANCTĬMŌNĬA, æ, f. 1. (sanctus) ¶ 1. Sanctitas, *santimonia*, ἁγιότης. *Cic. Rabir. perduell.* 10. *ad fin.* Viri sapientissimi ac fortissimi cives, qui mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse. *h. e.* deorum numero adscripti esse, et digni, qui religiose et sancte, tamquam dii, colantur. *Id.* 4. *Herenn.* 33. 44. Sanctimonia nuptiarum. ¶ 2. Ad castitatem refertur. *Cic. Quinct.* 17. *a med.* Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? viderint, inquit, ista officia viri boni. *et ibid.* 30. 93. Habere domum clausam pudori et sanctimoniæ. *Tac.* 3. *Ann.* 69. *extr.* Torquata, priscæ sanctimoniæ virgo.

SANCTĬMŌNĬĀLIS, e, adject. sanctimoniæ studiosus. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 3. 56. Sanctimonialem vitam vivere. *Impp. Valent.* et *Marcian. ibid.* 2. 13. Sanctimonialis mulier. — Hinc

Sanctimonialis, *is*, f. 3. absolute, est mulier sanctimoniæ, et Dei cultui addicta, *monaca*. *Augustin. Epist.* 169. Sanctimonialis formam suscipere. *Id.* 2. *Retract.* 22. Ut nonnullas etiam sanctimoniales dejecisse in nuptias diceretur. Adde 1. *Civ. D.* 16. *init. Imp. Majorian. Novell.* 6. § 1. Sanctimonialis puella non ante honorato capitis velamine consecretur, quam quadraginta annos ætatis emensa fuerit. — Hæ *virgines sacratæ* etiam dicuntur. *V.* SACRO.

SANCTĬMŌNĬĀLĬTER, adverb. cum sanctimonia, ut sanctimonialem decet, sancte. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 3. 56. Reliquum vitæ tempus sanctimonialiter degere.

SANCTĬMŌNĬUM, ĭi, n. 2. ¶ 1. Est idem ac sanctimonia, sanctitas. *Augustin. in Psalm.* 99. ¶ 2. Etiam martyrium. *Cyprian. Ep.* 21. et 75.

SANCTĬO, ōnis, f. 3. (sancio) ¶ 1. Generatim est actus sanciendi, rogatio, lex: proprie ut quidam sentiunt, lex illa, vel pars legis, quæ pœnam irrogat; quod non semper verum est: *decreto, costituzione, sanzione, statuto, legge*, νομοθέτημα. *Cic. Balb.* 14. 33. Sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione et consecratione legis, aut pœnæ, quum caput ejus, qui contra facit, consecratur. *Id.* 6. *Verr.* 66. *sub fin.* Nisi vehementius homini minatus essem, nisi legum sanctionem pœnamque recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset. *Id.* 2. *Herenn.* 10. 15. Plus valet sanctio permissione. *h. e.* lex quæ cogit, quam quæ permittit. *Liv.* 4. 51. Ægerrime plebs ferebat, jacere tamdiu irritas sanctiones, quæ de suis commodis ferrentur, quum interim de sanguine ac supplicio suo latam legem confestim exerceri. *Papinian. Dig.* 48. 19. 41. Sanctio legum, quæ certam pœnam irrogat iis, qui etc. *Cod.* 1. 2. 10. Sanctio pragmatica. ¶ 2. Speciatim, in fœdere est clausula, articulus. *Cic. Balb.* 16. 36. Ille populus in superiori condicione causaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur.

SANCTĬTAS, ātis, f. 3. (sanctus) qualitas illa, qua res venerabiles et inviolabiles sunt, ἁγιότης, ὁσιότης (It. *santità*; Fr. *inviolabilité, caractère sacré, auguste, sainteté*; Hisp. *inviolabilidad, santidad*; Germ. d. *Unverletzlichkeit, Unantastbarkeit, Heiligkeit, Ehrwürdigkeit*; Angl. *sacredness, sanctity, sanctitude*). ¶ 1. In sing. num. — 1.°) Generatim. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad 4. *G.* 211. Se regibus devovent, et post eos vitam refutant: adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis. *Cæs.* apud *Sueton. Cæs.* 6. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. *Tac.* 3. *Ann.* 62. *sub fin.* Qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eamdem sanctitatem tribuerant. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Ipsam foris sanctitatem ludorum talarium licentia solvere. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 4. 9. Religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est. — 2.°) Speciatim — *a*) Est scientia colendorum deorum, ut est apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. *in fin.*, sicut [illegible]tas est justitia adversum deos. *Id. ibid.* 2. 3. Quæ potest esse pietas, quæ sanctitas, quæ religio? Hæc enim omnia pure ac caste tribuenda deorum numini sunt. Adde 2. *Off.* 3. *a med.* — *b*) Et colendorum Manium. Hinc *Top.* 23. *in fin.* Æquitas tripartita dicitur esse: una ad Superos, altera ad Manes, tertia ad homines pertinere. Prima, pietas: secunda, sanctitas: tertia, justitia aut æquitas nominatur. et 2. *Legg.* 9. *in fin.* Manium jura sancta sunto: hos leto datos divos habento. et *Amic.* 4. 13. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt. — *c*) In hominibus est probitas, innocentia morum, integritas, sanctimonia. *Id.* 4. *Fam.* 3. *ante med.* Omnes sic existimant, quasi lumen aliquod, exstinctis ceteris, elucere sanctitatem, et prudentiam, et dignitatem tuam. *Plin. Paneg.* 3. *extr.* Deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lætari. *Nepos Lysand.* 4. Ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset. *h. e.* integritate, et abstinentia a crudelitate et avaritia. — *d*) Est præ-

cipue abstinentia a rebus venereis, castitas, *castità*. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Dolorem pedum abstinentia, sanctitate, quoad viridis ætas, vicit, et fregit. *Tac.* 14. *Ann.* 60. Plures (*ancillæ*) perstitere sanctitatem dominæ tueri. *Flor.* 6. 2. *a med.* Ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros puellasque præcipuæ pulcritudinis Barbaris restituerit. Adde *Plin.* 4. *Ep.* 11. *a med.* Huc pertinet illud *Cic. Cœl.* 13. *a med.* Petulanter facimus, si matremfamilias, secus quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. *et Liv.* 34. 6. *ante med.* Nobis quoque verendum sit, ne cum ea (*lege*) pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus. *et Vellej.* 2. 29. 3. *de Cn. Pomp.* Vir innocentia eximius, sanctitate præcipuus. *et Quintil.* 2. 2. 3. Ut teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat. — *e*) *Sanctitas tua, vestra*, reverens appellatio, seu titulus Episcoporum, apud *Augustin. Ep.* 249. et *Hieronym. Ep.* 62. Cf. *Cassiod.* 3. *Variar.* 37. et *V.* BEATITUDO. ¶ 2. In plur. num. *Cic. in Senat.* 14. 34. Mecum deorum et hominum sanctitates omnes et religiones abfuerunt. Adde 2. *Nat. D.* 2. 5. *Arnob.* 6. *p.* 199. Sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis. *h. e.* cærimoniis et honoribus.

SANCTĬTŪDO, ĭnis, f. 3. idem ac sanctitas: excepto quod minoris est usus. — *a*) In sing. num. *Gell.* 13. 3. Nihil quicquam interest, suavitudo dicas, an suavitas; sanctitudo, an sanctitas. *Accius* apud *Non. p.* 173. 33. *Merc.* Alia hic sanctitudo est, aliud et nomen, et numen Jovis. *et Pomponius p.* 174. 5. Miseram terrent me omnia, maris scopuli, sonitus, solitudo, sanctitudo Apollinis. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 17. 2. *a med.* Tanta sanctitudo fani, ut numquam quisquam violare sit ausus. Ubi *Gell.* Sanctitas quoque, et sanctimonia non minus Latine dicuntur: sed nescio quid majoris dignitatis est verbum, sanctitudo. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 174. 7. *Merc.* Sanctitudo sepulturæ. *Afranius ibid.* Tuam majestatem, et nominis matronæ sanctitudinem. *Apul. de deo Socrat.* 3. Profana philosophiæ turba, vana sanctitudinis. *Capitolin. Ver.* 8. Sanctitudo morum. *h. e.* integritas. — *b*) In plur. num. *Accius* apud *Non. p.* 174. 2. *Merc.* Cælitum sanctitudines.

SANCTOR, ōris, m. 3. (sancio) *legislatore*, νομοθέτης, qui aliquam legem sancit. *Tac.* 3. *Ann.* 26. *in fin.* Sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.

SANCTŬĀRĬUM, ĭi, n. 2. (sanctus) ¶ 1. Est sacrarium, sacer locus, *santuario*, ἁγιαστήριον. *Aggen. de limit. p.* 61. *Goes.* Extra sanctuarium, profanum dictum est. *Ambros. Ep.* 41. Porta sanctuarii. *Vulgat. interpr. Exod.* 15. 17. et alibi sæpe, tum in sing., tum in plur. num. ¶ 2. Dicitur etiam de aliis rebus, ut de tabulis, aut libris, in quibus sancta referuntur. Hinc sanctuarium principis, idest libri, et commentarii secretiores principis, vel locus ipse, et tabularium, in quo hujusmodi libri repositi asservantur. — *a*) In sing. num. *Sicul. Flacc. de limit. p.* 16. *Goes.* Quod siquis contradicat, sanctuarium Cæsaris respici solet. Omnium enim agrorum et divisorum, et assignatorum formas, sed et divisionem commentarius, et principatus in sanctuario habet. Qualescumque enim formæ fuerint, si ambigatur de earum fide, ad sanctuarium principis revertendum erit. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 92. 4. (*Orell.* 2388). EPITHYMETO AVG. L. EX COLLEG. SANCTVAR. POSVER. — *b*) In plur. num. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 77. (149). In sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti.

SANCTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* sanctus, qua bonum, innocentem, justum significat; aliquantisper sanctus. Ita per contemptum appellat Rufinum *Hieronym.* 3. *in Rufin. n.* 7. Tibi quasi religiosulus et sanctulus personam humilitatis imponis, etc.

SANCTUS, a, um, particip. *V.* SANCIO.

SANDĂLA, *et* Sandula. *V.* SCANDALA.

SANDĂLĬĀRIS, e, adject. sandaliarius. *Inscript.* apud *Gruter.* 621. 3. D. M. M. AFRANII HELIODORI MAGISTRI VICI SANDALIARIS.

SANDĂLĬĀRĬUS, a, um, adject. ad sandalia pertinens. Vicus Sandaliarius Romæ in regione quarta, vel nomen dedit, vel acceptum retulit Apollini Sandaliario, cujus ibi fuit signum cum sandaliis. *Sueton. Aug.* 57. Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, et Jovem Tragœdum. *Inscript.* apud *Gruter.* 79. 5. CN. POMPEIVS CN. L. NICEPHOR. MAG. VICI SANDALIARII REG. IIII. *Gell.* 18. 4. In Sandaliario forte apud librarios fuimus. — Hinc *Sandaliarius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui sandalia conficit, vel vendit. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiq. p.* 114. GENIO VIARVM L. LVTATIVS L. L. PACCIVS SANDALIARIVS S. P. D.

SANDĂLĬĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præced.

SANDĂLĬGĔRŬLA, æ, f. 1. (sandalium *et* gero) ancilla sandalia heræ gerens et subministrans. *Plaut. Trin.* 2. 1. 22. Vestispicæ, flabelliferæ, sandaligerulæ.

SANDĂLIS, ĭdis, f. 3. σανδαλίς, genus palmæ fructum ferens soleæ, aut sandalii similem. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (43). Quarta auctoritas sandalidum, a similitudine appellatarum.

SANDĂLĬUM, ĭi, n. 2. Quod ad quantitatem attinet, sunt qui doceant, secundam syllabam semper brevem esse, et vel male produci, vel aliter esse legendum apud *Albinov.* 2. 65. Argentata tuos etiam sandalia talos Vinxerunt certe: nec, puto, Bacche, negas. — Sandalium, σανδάλιον, *sandalo, pianella, pantofola*, genus calceamenti muliebris altioris, elegantis, interdum etiam aurei, ansulis post talos adstricti. *Turpilius* apud *Non. p.* 427. 28. *Merc.* Sandalio innixa digitis primoribus. *Ter. Eun.* 5. 8. 4. Utinam tibi commitigari videam sandalio caput. Simile est illud *Pers.* 5. 169. solea puer objurgabere rubra. *et Juvenal.* 6. 611. Et solea pulsare nates. — In *Inscript.* apud *Murat.* 929. 1. habetur verania serva a sandaliis. Adde aliam apud *Gud.* 199. 1., unde patet fuisse inter officia domus augustæ. In alia *ibid.* legitur 200. 5. LIVIAE ALOPE LIVIAE AVG. SER. A CVR. SANDAL. *Augustin.* 3. *advers. Julian. Pelag.* 5. Sandalia muliercularum.

SANDĂPĪLA, æ, f. 1. Quod ad etymon pertinet, vox potest conjungi cum σανίς, ίδος, tabula, assis, et *sepelio*, quam vocem *V.* — Sandapila est loculus ligneus, in quo non nobilium, sed plebejorum et damnatorum cadavera efferebantur, ut *Fulgent. de prisc. serm. n.* 1. interpretatur, *cataletto, bara*, νεκροφορεῖον. Vilem arcam *Horat.* 1. *Sat.* 8. 9., Orcinianam spondam *Martial.* 10. 5. appellat. *Id.* 8. 75. tollitur alte Grandis in angusta sarcina sandapila. *Sueton. Domit.* 17. *ad fin.* Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum. *Juvenal.* 8. 175. Inter carnifices, et fabros sandapilarum. Adde *Martial.* 2. 81. et 9. 3.

SANDĂPĪLĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui sandapilam fert, vespillo, *beccamorti*, νεκροθάπτης. *Sidon.* 2. *Ep.* 8. Vespillonum sandapilariorumque ministeria.

SANDĂPĪLO, ōnis, m. 2. idem ac sandapilarius. *Gloss. Lat. Gr.* Sandapilo, νεκροθάπτης.

SANDĂRĂCA, Sandereca, *et* Sandaracha, æ, f. 1. σανδαράκη, et σανδαράχη ¶ 1. Est genus coloris rubri, duplicis speciei, fossilis, et facticii. Fossilis invenitur in aurariis et argentariis metallis, eo melior, quo magis rufa, quoque magis virus redolens, ac pura friabilisque: habetque varios usus in medicina, quos recenset *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 56. qui 35. *ibid.* 6. 22. ex *Juba* tradit, nasci etiam in Topazo insula rubri maris. Facticia (quam adulterinam *ibid.* vocat) fit ex cerussa in fornace cocta: cujus color debet esse flammeus, pretiumque habet in libras asses quinos. *Vitruv.* 7. 12. Cerussa quum in fornace coquitur, mutato colore ad ignis incendium, efficitur sandaraca. Id autem, incendio facto, ex casu didicerunt homines: et ea multo meliorem usum præstat, quam quæ de metallis per se nata foditur. Hæc *Vitruv.* et *Marcell. Empir.* 16. *p.* 109. Sandaraca quoque cum resina terebinthina ex ovo sorbili sumpta tussim remediat. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 51. — De sandaraca pallidi coloris auripigmento simili, vulgo Massicot, seu *ossido giallo di piombo*, V. *Alois. Rossi* in *Bibliot. Ital. T.* 2. *p.* 174. Apud *Fest.* dicitur esse genus coloris, quod Græci sandycem appellant. *V.* SANDYX. ¶ 2. Est etiam nomen cujusdam suci, quo apes vescuntur ante confectum mel. *V.* ERYTHACE.

SANDĂRĂCĀTUS, *et* Sandarachatus, a, um, adject. σανδαρακωτός, cui sandaraca admixta est. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (177). Item lentes tollit cum squamis æris, aceto sandaracato.

SANDĂRĂCĔUS, a, um, adject. idem ac sandaracinus. *Labeo* apud *Fulgent. de prisco serm. n.* 4. Fibræ jocinoris sandaracei coloris dum fuerint. *V.* MANALES.

SANDĂRĂCĪNUS, Sanderacinus, *et* Sandarachinus, a, um, adject. σανδαράχινος, colorem sandaracæ habens. *Næv.* apud *Fest.* Merula sandaracino ore. *h. e.* luteo. Hunc enim colorem habet rostrum merulæ. Nempe sandaraca quidem rubet ipsa, sed luteo colore tingit.

SANDĂRĒSOS, *et* Sandaresus, i, f. 2. gemma in India nascens, loco ejusdem nominis: item in Arabia meridionali, colore igneo aureis intus guttis interstincto. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (100). Cognata est et sandaresos, quam aliqui garamantitem vocant. – In translucido ignis fulget *etc.* Sillig. *leg.* sandastros. *Isid.* 16. *Orig.* 14. habet *sandasirus*. et *Plin. loc. cit.* 102. Affert aliquando errorem similitudo nominis sandaresi (*al.* sandasei): Nicander sandaserion vocat, alii sandaseron, quidam vero hanc sandastron, illam sandaresum, in India nascentem illam quoque et loci nomen custodientem, mali colore aut olei viridis.

SANDASEL, et

SANDASEROS, *vel* SANDASIRUS, *et*

SANDASTROS. *V.* in voc. præced.

SANDICĪNUS, a, um, *et*

SANDIX. *V.* SANDYX.

SANDRISĪTAS vocant nonnulli sandastros apud *Plin. loc. cit.* in SANDARESOS.

SANDYCĪNUS, a, um. *V.* voc. seq.

SANDYX, dycis, m. et f. 3. Pænultimam in obliquis corripuit *Gratius*; sed produxit *Propertius loc.* infra *cit.* — Sandyx, σάνδιξ, vel potius σάνδυξ ¶ 1. Est genus herbæ rubeæ, cujus radices infantes quum coxerint, tabularum ceras ex eis tingunt, unde et sandines et sandices vestes dicuntur: ita *Schol. Bern.* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 45.: fortasse *Lichen roccella* (Lin.). *Grat. Cyneg.* 86. Interdum Libyco fucantur sandyce pinnæ. *Vopisc. Aurelian.* 29. Dicitur sandyx Indica talem purpuram facere. ¶ 2. Item genus rubri coloris facticii, et quod inter viliora enumerat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (30), scil. cum ochra cerussa usta, sandaraca, Syrico atramento. *et ibid.* 23. (40), docet si sandaraca torreatur, æqua parte rubrica admixta, sandycem fieri: quamquam animadverto, inquit, Virgilium existimasse herbam id esse illo versu (4. *Ecl.* 45.): Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. Pretium in libras dimidium ejus, quod sandaracæ. nec sunt alii duo colores majoris ponderis. At, quod scribit *Plin.* h. l., Virgilium existimasse esse herbam, non ita intelligendum est, quod agni sandyce pasti sint, sed quod pascentes lanam induturi sint colore sandycis, sive ea sit planta, sive pigmentum. *Servius* herbam esse docet, ex qua, inquit, sandycinus tingitur color. *Hesych.* utrumque significare docet his verbis: Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος. ἢ φάρμακον ἰατρικόν. Quod vero *Virgil.* herbæ colorem intellexerit, illud præcipue argumento est, quod pigmentis utuntur pictores, numquam vero lanæ infectores, sed plantarum sucis, ut adnotavit *Salmas.* ad illud *Vopisci Aurelian. loc. cit.* Plura de sandyce *id.* in *Solin. p. m.* 1152. V. etiam *Paulet, Flore d. Virg.*, et *Bubani, Flor. Virg.* Tamen *Heynius* ad *Virg. loc. cit.* ita rem explicat, ut *sandyx* hic usurpetur pro colore sandycis. Rursus *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 26. (45).

Fingentes sandyce sublita, mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt. *Propert.* 2, 19. 81. Illaque plebejo, vel sit sandycis amictu. *h. e.* veste induta sit, cujus color est lanæ albæ nativus, ad fuscum accedens, et pauperiorum; vel sandyce tinctus, qui est color rufus, puniceus, purpureus, coccinus, et ditiorum. Adde *Marcell. Empir. carm.* 30. *f.* 141. ¶ 3. Hinc est etiam genus pigmenti, *specie di faltibello, o belletto. Auson. Epigr. de Bissula* 6. Sandyx et cerussa, alias simulate puellae: Temperiem hanc vultus nescit manus.

SĀNĒ, adverb. (sanus) Comp. *Sanius.*

I.) Proprie est saniter, more eorum, qui corpore et mente sani sunt, *sanamente*, ὑγιῶς. *Plaut. Curc.* 1. 3. 20. Bonum est, pauxillum amare sane: insane, non bonum est. *Id. Amph.* 1. 1. 292. Sana sapio, et sentio, *Horat.* 2. *Od.* 7. 27. non ego sanius Bacchabor Edonis. *Seneca* 5. *Controv.* 34. *ad fin.* Haterius dixit sanius. *Supra dixerat:* Dorion furiose dixit. — *Sane sarteque* audire, videreque apud *Fest.* in *Sarte*, locutio ex Auguralibus sumpta, *h. e.* integre, et more eorum, qui sani sunt, et sensu aurium et oculorum bene valent.

II.) Translate, et sæpissime est affirmandi particula. ¶ 1. Certe, quidem, profecto, vere, *certamente, per verità, di vero*, μέντοι. — 1.°) Generatim. *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Agellus non sane major jugero uno. *Plaut. Curc.* 1. 3. 15. sane haud quicquam est magis quod cupiam. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 3. 23. *Cic.* 14. *Att.* 7. Alia quædam sane pessima. *Id.* 3. *Fam.* 5. *extr.* Sane vellem, potuisset obsequi voluntati tuæ. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 5. sane murteta relinqui. Adde 2. *ibid.* 2. 34. *Phædr.* 4. 23. Est sane gloriosus convictus deûm. *Quintil.* 4. 2. 130. Hoc sane frequentissimum est. — 2.°) Speciatim. — *a*) In concessionibus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 32. *sub fin.* Hæc si vobis non probamus, sint falsa sane: invidiosa certe non sunt. *Id. Sext.* 54. 115. Sit hoc sane leve *Id. Prov. cons.* 7. 16. Sed fruatur sane hoc solatio. Adde *Sall. Cat.* 55. et *Tac. Germ.* 30. — *b*) In responsionibus. *Ter. Eun.* 2. 3. 69. Estne, ut fertur, forma? PAR. sane. *perfettamente. Id. ibid.* 1. 2. 9. quid taces? sane quia vero hæ mihi patent semper fores. *Varro* 1. *R. R.* 2. Vultu interea, vetus proverbium usurpemus? sane, inquit Agrius. *Cic. Part. or.* 5. 15. Non sane. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 206. Dicit adhuc aliquid? Nihil sane. — *c*) Cum aliis particulis affirmantibus. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 8. Sane quidem hercule: et est ista recta docendi via. *Ter. Andr.* 1. 4. 2. Sane pol illa temulenta est mulier. — *d*) Cum imperativis. *Ter. Heaut.* 3. 3. 26. SY. Abi deambulatum. CLI. deambulatum? quo? SY. Vah, quasi desit locus! Abi sane istac, istorsum, quovis. *va in ogni modo: sì, vattene.* et 4. 7. 4. Quid stas, lapis? quin accipis? CLI. cedo sane. *via, dà qua: sì dammi.* et *Adelph.* 4. 2. 48. I sane. — *e*) Cum conjunctivis. *Sall. Jug.* 31. Sed sane fuerit regni paratio. *Id. Cat.* 52. Sint sane, quoniam ita mores se habent, liberales. Adde *Cic. Amic.* 5. 18. et *Sext.* 54. 115. — *f*) Servit ironiæ. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 9. quam sane magni referat. *Phædr.* 3. 12. Beneficium magnum sane natali dedit, Ut exspectarem lanium in horas singulas. *Nero* apud *Sueton.* 33. Sane legem Juliam timeo. — *Sane quam*, certe multum, valde quidem, admodum quam. *Cic.* 2. *Legg.* 10. 23. Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi. *Id.* 2. *Q. fr.* 6. *a med.* Nam quod de Pompejo Caninius agit, sane quam refrixit. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 13. *a med.* Sane quam sum gavisus. *Sulpic.* ad *eumd.* 4. *ibid.* 5. Sane quam, pro eo ac debui, graviter molesteque tuli. ¶ 2. Est etiam valde, omnino, admodum: quam notionem agnoscit quoque *Priscian.* 15. *p.* 1011. *Putsch.* (Cf. *Peter. Exc. VII.* ad *Cic. Brut. p.* 289 *et seqq.*); sed quæ affert, et alia hujusmodi exempla, ait *Forcell.* ad primam notionem, certe, vere, reduci posse. *Ter. Eun.* 5. 5. 11. recte sane interrogasti. Adde *eumd. Phorm.* 5. 8. 10. *Id. Adelph.* 4. 2. 42. Sane bene. *Id. Hecyr.* 1. 2. 103. Bene sane. *Cic. Quinct.* 3. *a med.* Erat ei pecunia res ampla et rustica, sane bene culta. *Plaut. Pers.* 3. 3. 42. Sapienter sane. *Id. Most.* 3. 2. 73. Nam sibi laudasse hasce ait architectonem nescio quem, esse ædificatas has sane bene. *Charis.* 2. *p.* 194. adducit in hanc sententiam illud *Cic.* 4. *Verr.* 17. 42. Interea sane perturbatus et ipse, et amici, et consiliarii ejus etc. *Id.* 2. *Orat.* 66. 264. Res sane difficilis.

SĀNESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (*ab inusit.* saneo) sanus fio, convalesco, *guarire, risanarsi*, ὑγιάζομαι. ¶ 1. Fere dicitur de ulceribus et vulneribus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (214). Diu dolent talia ulcera, et difficile sanescunt. Adde *Cels.* 3. 21. *ab init. Id.* 8. 4. *ante med.* Nec tamen magno negotio cutis sanescit. *Id.* 2. 10. *ad fin.* Arteria incisa neque coit, neque sanescit. *Id.* 5. 28. *extr.* Exulceratio digitorum sanescendo in unum eos jungit. *Colum.* 6. *R. R.* 7. *in fin.* Vulnera facta igne dum sanescunt, etc. *Seren. Sammon. c.* 14. *p.* 66. *retro.* Sanescunt dentes. *Id.* pluries hac voce utitur. ¶ 2. De toto corpore ægrotantis. *Cels.* 2. 8. *a med.* In morbo comitiali, si simul totum corpus afficitur, cujuscumque is ætatis est, vix sanescit. *Id.* 3. 18. *ante med.* Insanientes sub somno sanescunt.

SANGĒNON, i, n. 2. gemma, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 46. (136). Hæc (pæderos) laudatissima est in Indis, apud quos sangenon vocatur. *V.* PÆDEROS.

SANGI. *V.* TRAHA.

SANGUĀLIS. *V.* SANQUALIS.

SANGUEN, guinis, n. 3. *V.* SANGUIS.

SANGUĬBĬBUS, a, um, adject. (sanguis *et* bibo) sanguinarius. *Gloss.* in *Prodr. gloss. p.* 410. ed. *Loewe.*

SANGUĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sanguis, *sanguinaccio*, αἱμάτιον. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (209). Utuntur ad utrumque vitium et sanguine hædi in cibum formato, quem sanguiculum vocant.

SANGUĬLENTUS, a, um, adject. *sanguigno*, sanguinolentus, sanguineus. *Scribon. Compos.* 182. Oculi sanguilenti. *et* 143. Sanguilentam urinam facere. — Neutr. plur. absolute, ut *Sanguilenta rejicere*, apud *eumd.* 186. Fortasse ubique τό *sanguinolentus* legendum.

SANGUĬNĀLIS, e, adject. ad sanguinem pertinens. *Cels.* 2. 33., 3. 22. *ad fin.*, 5. 1. et 6. 7. *n.* 3, et *Colum.* 6. *R. R.* 12. *sub fin.* Herba sanguinalis. *h. e.* sanguinaria, Græcis πολύγονος. *V.* SANGUINARIUS.

SANGUĬNANS, antis, particip. *V.* SANGUINO.

SANGUĬNĀRĬUS, a, um, adject. *di sangue*, ad sanguinem pertinens.

I.) Proprie. Herba sanguinaria, *sanguinella, sanguinaria*, Græce πολύγονος, et πολυγόνατος, a frequentia geniculorum, non attollitur a terra, foliis rutæ, semine graminis, sucus ejus infusus naribus supprimit sanguinem: et potus cum vino cujuslibet partis profluvium, excreationesque cruentas inhibet. Hæc *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). Adde *Theod. Priscian. p.* 313. *retro.* et *Colum.* 7. *R. R.* 5. *ad fin.*, ubi tradit, gravem esse ejus perniciem, si ea ovis pasta sit. toto enim ventre distendi contrahique, et spumam quamdam tenuem tetri odoris exspuere.

II.) Translate. *Sanguinarius* dicitur, qui sanguine et cædibus gaudet, crudelis, trux, *sanguinario, crudele*, αἱματοχαρής, φόνιος. *Cic.* 7. *Att.* 2. Hæc sanguinaria juventus inimicissima est. *Plin.* 4. *Ep.* 22. *a med.* De hujus nequitia, sanguinariisque sententiis loquebantur. *Sueton. Claud.* 34. Sævum, et sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. *Justin.* 29. 3. 3. Cruenta et sanguinaria inter se bella gerere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 53. (170). Tarquinius Superbus legatis a filio missis, decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facili ambage reddidit.

SANGUĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (sanguino) sanguinis eruptio. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. *ante med. de dysenter.* Ultimo egestionis tempore ulcerum tactu sanguinatio fit. *Id.* 2. *ibid.* 4. *ad fin.* Gingivarum sanguinatio.

SANGUĬNĀTUS, a, um, part. *V.* SANGUINO.

SANGUĬNĔUS, a, um, adject. qui est ex sanguine, et qui habet sanguinem, sanguinolentus, cruentus, αἱματώδης (It. *di sangue, sanguigno, insanguinato, sanguinoso*; Fr. *de sang, composé de sang, sanglant, ensanglanté*; Hisp. *sanguino, sangriento, manchado con sangre*; Germ. *aus Blut bestehend, blutig*; Angl. *of blood, bloody, sanguineous*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 60. Lapideus aut sanguineus imber. *Ovid.* 14. *Met.* 408. Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis. *Seneca Œdip.* 368. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. et 83. Sanguineus pulmo. *Seneca Agam.* 760. Sanguinea verbera. *Ovid.* 13. *Met.* 85. cædes. *Id.* 3. *Trist.* 9. 30. Sanguineum caput. *grondante sangue.* Sic *Val. Flacc.* 3. 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur. *Stat.* 8. *Theb.* 436. Hasta sanguinea. *insanguinata.* et *Ovid. Heroid.* 16. 334. Cæsaque sanguineam victima planget humum. *Id.* 1. *Met.* 143. *de bello.* Sanguineaque manu crepitantia concutit arma. *Val. Flacc.* 5. 308. et 3. 134. Sanguineum bellum. *Horat.* 1. *Od.* 27. 4. Sanguineæ rixæ. *Stat.* 10. *Theb.* 173. Sanguinei crines, *tinti, intrisi di sangue.* Cf. *Augustin.* 2. *Civ. D.* 23. Sanguinea Marii felicitas.

II.) Translate. ¶ 1. Sanguineus dicitur de eo, qui habet colorem sanguinis, *rosso, purpureo, vermiglio. Ovid.* 2. *Amor.* 1. 23. Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ. *Virg.* 2. *Æn.* 207. Sanguineæ jubæ. *Sil. It.* 4. 519. Sanguineum sagulum. *h. e.* purpureum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). Colores vini quatuor, albus, fulvus, sanguineus, niger. *Id.* 21. *ibid.* 16. 56. (95). Herba sanguineum sucum fundit. et 25. *ibid.* 6. 32. (69). mittit. *Id.* 37. *ibid.* 10. 60. (165). Heliotropium gemma, sanguineis venis distincta. — dejecta in vas aquæ fulgorem solis accendit sanguineo repercussu. *Id.* 13. *ibid.* 18. 30. (74)., et 19. *ibid.* 10. 58. (180), et 24. *ibid.* 10. 43. (73). et *Modestin. Dig.* 48. 9. 9. sanguineum fruticem, et sanguineam virgam appellant genus plantæ corticeam habentis colore sanguineo, *sanguine*, θηλυκράνεια. *Colum. de cult. hort.* 402. Sanguineus cruor. *h. e.* sucus sanguini colore simillimus. ¶ 2. Est etiam sanguinis et cædis cupidus, sanguinarius, *sanguinario. Ovid. Remed. am.* 153. Mars sanguineus. *Sil. It.* 1. 40. vir. *h. e.* Hannibal.

SANGUĬNO, as, āvi, ātum, are, 1. (sanguis). Particip. *Sanguinans* sub *A.* I. et II. et *B.* II.; *Sanguinatus* sub *B.* I. 1. — Sanguino usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more, sanguino est sanguine mano, *sanguinare, scorrer sangue*, αἱμοῤῥέω.

I.) Proprie. *Quintil. declam.* 10. 8. Tum repetitis sanguinavere planctibus jam convalescentes lacerti. *Id. ibid.* 9. *ad fin.* et *ibid.* 18. Sanguinantes lacertos porrigere. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 20. *a med.* Lex a contactu feminæ sanguinantis submovet. *h. e.* cui menses fluunt. *Solin. fragm.* in *Anthol. Lat. T* 2. *p.* 384. *Burmann.* Venus alma fove, quæ semine cæli, Parturiente salo, divini germinis æstu, Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis, Nasceris e pelago.

II.) Translate. *Tac. Dial. de orat.* 12. Nam lucrosæ hujus et sanguinantis (*al.* sanguinariæ) eloquentiæ usus, recens, et malis moribus natus. *h. e.* quæ pecuniis ex clientum marsupio elicitis abundat, et quasi sanguine manat; vel potius eloquentia sanguinans est delatorum, qui innocentium sanguine et pernicie delectantur, qualis fuit Eprii Marcelli, qui Thraseam Pætum accusavit, de quo *id.* 16. *Ann.* 22. et 33.

B) Active.

I.) Proprie. *Sanguinare aliquem* ¶ 1. Generatim est aliquem sanguine conspergere, alicujus sanguinem fundere. *Porphyr.* ad *Horat. Epod.* 17. 51. Puerperio sanguinati panni. *Vulgat. interpr. Eccli.* 42. 5. Sanguinare latus servo pessimo. ¶ 2. Speciatim est sanguinem emittere, *salassare. Pelagon. Veterin.* 3. Febrientem equum, utilissimum est sanguinare. *et* 26. *sub init.* Postea

sane quum jam eruperit scabies, sanguinabis eum juxta genua.

II.) Translate, sanguineo colore inficere. Apul. 5. Met. Serpens veneno noxio colla sanguinans. Cf. SANIES II. At Forcell. proprie interpretatur, ut sit sanguine, seu sanie veneni collum tumidum habens.

SANGUĬNŎLENTĬA, æ, f. 1. (sanguinolentus) sanguinis suffusio. Cæl. Aurel. 1. Acut. 1. 10. Sanguinolentia oculorum, vel capitis gravedo. Cf. voc. seq.

SANGUĬNŎLENTUS, a, um, adject. (sanguis) Sanguinulentus habet Scribon. Compos. 182. et Claud. Quadrigar. apud Gell. loc. cit. p. 208. Peter. — Sanguinolentus est sanguine plenus, aut manans, sanguineus, cruentus, *sanguinoso, insanguinato, sanguinolento*, αἱματώδης.

I.) Proprie. Claud. Quadrigar. apud Gell. 9. 13. ad fin. Caput præcidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. Ovid. 1. Art. am. 414. de Allia. Vulneribus Latii (al. latiis) sanguinolenta fuit. Id. Heroid. 3. 50. Sanguinolenta pectora, et 6. ibid. 46. Erinnys. Tibull. 2. 7. 21. ab excelsa præceps delapsa fenestra Venit ad infernos sanguinolenta lacus. Varro apud Non. p. 465. 33. Merc. Seditiones sanguinolentæ. Cæl. Aurel. 1. Acut. 3. 36. et 1. ibid. 8. 55. et 1. Tard. 5. 152. Sanguinolenti oculi. Adde Marcell. Empir. 8. et Firmic. Mathes. 4. 12. Rursum Cæl. Aurel. 2. Tard. 11. 134. Vicina loca quoque sanguinolenta apparebunt. et Ovid. Heroid. 7. 7. Sanguinolenta conjugis imago. Id. 1. Amor. 336. nece natorum sanguinolenta parens. Seneca Ep. 66. Sanguinolenti ex acie redeuntes. — Neutr. sing. *sanguinolentum*, adverbialiter, apud Marcell. Empir. n. 16. p. 109.

II.) Translate. Ovid. 1. Amor. 12. 12. Sanguinolentus color. Cic. 4. Herenn. 39. 51. Inimici sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti, insultabunt in horum miserias. Ovid. Ib. 3. Nullaque, quæ possit scriptis, tot millibus, exstat Littera Nasonis sanguinolenta, legi. h. e. quæ aliquem dictis læserit. Seneca 7. Benef. 10. a med. Quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, et venale tempus, et sanguinolentæ centesimæ? h. e. usuræ, pecuniam et quasi sanguinem et vitam miserorum exhaurientes.

SANGUĬNŌSUS, a, um, adject. (sanguis) *sanguigno*, sanguine abundans. Cæl. Aurel. 3. Acut. 4. 30. Sanguinosi phlebotomandi.

SANGUINTĪNUS, a, um, adject. (sanguis) idem ac sanguineus. Consent. Ars p. 398. 5. Keil. Alii plerumque sanguintinos pro sanguineis quasi ad vituperationem proferunt: peccant hi non in regula, non in prolatione, sed in historia.

SANGUIS, m., et apud veteres Sanguen, guinis, n. 3. — 1.°) Quod ad quantitatem spectat — a) Cæsuræ beneficio secunda syllaba producitur. Tibull. 1. 7. 72. Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus. Virg. 10. Æn. 487. Una eademque via sanguis animusque sequuntur. Ovid. 6. Fast. 488. Educet. at sanguis ille sororis erat. Lucan. 2. 338. Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi. et 7. 635. sanguis ibi fluxit Achæus. (Adde 10. 128.) Val. Flacc. 3. 234. et jussa sanguis exuberet ulna. Sil. It. 10. 23. Et color, et sanguis, et tela minora periclo. Adde Lucret. 4. 1043. et alios, quos viri docti Broukus. ad Tibull., Oudendorp. ad Lucan. et Drakemborch. ad Sil. It. jam congessere: qui idem factum adnotarunt in *pulvis* a Virgil., et in *cinis* ab Albinov., etc. — b) Extra cæsuram. Seneca Med. 775. Vectoris istic perfidi sanguis inest. Sic Horat. 1. Od. 15. 35. uret Achaicus Ignis Iliacas domos. Ita Forcell.; sed alii rectius leg. Pergameas domos. — 2.°) Quod ad formam attinet — a) *Sanguen*, neutr. gen., est Caton. apud Gell. 3. 7. Quum ægre spirantem, quod sanguen defluxerat, cognovere, etc. Sic Enn. apud Non. p. 224. 8. Merc. Pergunt lavere sanguen sanguine. Id. apud Cic. 5. Fin. 11. 31. et 3. Orat. 58. 218. et in Hortens. apud Priscian. 6. p. 708. Putsch. Quis est enim, aut quotusquisque, cui mors quum appropinquet, non, ut ait Ennius, refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu? Lucret. 1. 836. et 859. Visceribus viscus gigni, sanguenque creari, etc. Enn. apud Priscian. loc. cit. et Lactant. 1. 15. in fin. O pater, o genitor, o sanguen diis oriundum! Adde Accium, et Varron. apud Non. loc. cit., Petron. fragm. Tragur. 59. Burmann. et Arnob. 1. p. 36. Sunt qui tribuant etiam Statio 4. Theb. 464. Exceptum pateris prælibat sanguen, et omnes, etc. At alii leg. *sanguinem*. V. Cuper. in Harpocr. p. 90. — b) Genet. sing. est etiam sanguis. Cæl. Aurel. 2. Tard. 11. 128. et Paulin. Nolan. 21. 376. — c) Accus. sing. masc. etiam sanguem. Inscript. Frat. Arv. n. 41. lin. 22. apud Marin. ET PORCILIAS PIACVLARES EPVLATI SVNT ET SANGVEM. Adde Calendar. Constantinian. ad IX. Cal. April. et Inscript. apud Orell. 2271. et 5074. — d) Ablat. sing. *sangui* apud Enn. Fab. 7. p. 105. Müll. — 3.°) Ratione habita etymi, videtur posse derivari a th. *sak* vel *sag*, insertâ litterâ *n*, cui inest significatio stillandi, fluendi. (Cf. UNGO et V. A. Vaniček, Gr.-Lat. Etym. p. 992.) nam *sanguinem* dici a *sanciendo* ex eo quia sanciat corpus, i. e. confirmet, ut est in adnot. ad Comment. Einsidl. in Donat. etc. (ed. Hage in Anecd. etc. p. 241), neutiquam probaverim. — Sanguis est humor in corpore animalis, per venas in omnia membra diffusus, αἷμα (It. *sangue*; Fr. *sang*; Hisp. *sangre*; Germ. d. *Blut*; Angl. *blood*).

I.) Proprie. — 1.°) In sing. num. — a) Generatim. Cic. 2. Nat. D. 55. a med. Ventriculus cordis, in quem sanguis a jecore per venam cavam influit: eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Id. 6. Att. 1. et Cels. 2. 10. a med. et Petron. Sat. 90. Sanguinem mittere ex brachio, in temporibus, a capite. *cavare*. Sic Enn. loc. cit. Animam misso sangui tepido tullii efflantes vomunt. Plin. 20. Hist. nat. 4. 13. (27). Sanguinem excreare. et 32. ibid. 10. 42. (122). extrahere. Colum. 6. R. R. 14. detrahere. Veget. 1. Veterin. 25. 2. demere. Id. 3. ibid. 43. 1. trahere de cervice. Plin. 25. Hist. nat. 5. 23. (56). emittere venis. Gell. 10. 8. demittere. Sic Fronto ad L. Ver. imp. 6. Post abstinentiam tridui, et sanguinem satis strenue et prompte demissum. *dopo un' abbondante e pronta cavata di sangue*. Cels. 2. 10. a med. Sanguinem supprimere. Id. 8. 4. ante med. et Plin. 22. Hist. nat. 25. 71. (147). cohibere. Id. 20. ibid. 7. 25. (59). et 28. ibid. 18. 73. (239). et 32. ibid. 10. 42. (121). sistere. Justin. 1. 8. 14. et Seneca Thyest. 103. sitire. Cic. 2. Phil. 29. 71. gustare, vel potius exsorbere. Id. Quinct. 11. 39. eripere. Liv. 7. 24. haurire, aut dare. Adde Vulgat. interpr. Levit. 8. 15. Id. ibid. 16. 18. sumere. Id. ibid. 17. 10. comedere. Id. Num. 23. 24. bibere. Id. 3. Reg. 21. 19. lambere. Justin. 1. 8. 13. Sanguine satiare. Nepos Epam. 10. cruentare. Sall. Jug. 101. inficere. Id. ibid. oblinere. Id. 1. Hist. 22. Dietsch. fœdare. Cic. 1. Divinat. 23. 46. Sanguinem fundere. Virg. 3. Æn. 30. Sanguis gelidus coit. Id. 3. ibid. 259. deriguit. Id. 5. ibid. 396. hebet. Id. 2. G. 484. circa præcordia obstiterit. Id. 3. ibid. 508. ater it naribus. Id. 12. Æn. 905. concrevit. Liv. 2. 30. extr. Plus ibi sanguinis, promiscua omnium generum cæde, quam in ipsâ dimicatione, factum. Adde 35. 51. Cic. Mil. 37. 101. Vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinis effudistis. Plaut. Most. 2. 2. 76. Guttam haud habeo sanguinis. h. e. præ metu refugit mihi sanguis. *non m' è rimaso sangue addosso*. et Varro Sat. Menip. p. 191. Oehl. Sanguinis fontium laceas aperis, teque vita levas ferreo ensi? Id. ibid. p. 111. Ensis sanguine imbutus nigro. Cæl. Aurel. 2. Tard. 11. 129. Sanguinis fluor. et ibid. Parvus atque flavus sanguis ferri. Id. ibid. 130. Sanguis plurimus, tenuis, et spumosus. Id. 2. Acut. 29. 156. subtilis. Vulgat. interpr. Eccli. 33. 31. In sanguine animæ comparasti illum (servum). h. e. pretio, quod sudore et laboribus partum est, vel cum præsenti vitæ periculo. Alii aliter interpretantur. Id. 2. Mach. 14. 18. Sanguine judicium facere. h. e. prælio decernere. — Caro et sanguis apud eumd. Matth. 16. 17. est idem quod homo, homo errori obnoxius, vel opponitur spiritui et rationi. Adde 1. Cor. 15. 50. et Gal. 1. 16. — b) Specialim dicitur de sanguine hostiæ, et hostia, quæ Deo immolatur. Horat. 1. Od. 36. 1. Et ture et fidibus juvat Placare et vituli sanguine debito Custodes Numidæ deos. Cf. Virg. 2. Æn. 116., et 3. ibid. 67. etc. et Vulgat. interpr. passim. — Humano sanguine olim jurabatur in scelus. Stat. 5. Theb. 162. dulce nefas in sanguine vivo Conjurant. Sall. Cat. 22. Fuere qui dicerent, Catilinam, quum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Adde Flor. 4. 1. Cf. Dion. 37. et Varron. 5. L. L. 122. Müll. — De *die sanguinis* V. in BELLONARII. — 2.°) In plur. num. Priscian. 5. p. 175. Keil. negat posse usurpari; inquit enim: pluraliter non utimur, quia auctoritas deficit, cui si collibuisset, quomodo *sanguines* dicere nihil impediret. Sed Vulgat. interpr. 2. Reg. 16. 7. et Ps. 25. 9. Vir sanguinum. h. e. sanguinarius. Cf. Cassiodor. in Psalm. 15. 4. et Jo. 1. 13.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur sæpe de genere, stirpe, affinitate, *discendenza, schiatta, sangue*. — a) Abstractorum more. Cic. Rosc. Am. 24. 66. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. Id. in Senat. 7. 15. Cognatio materna Transalpini sanguinis. Horat. 3. Od. 27. 65. nisi herile mavis Carpere pensum Regius sanguis. Virg. 1. Æn. 23. progeniem Trojano a sanguine duci. et 4. ibid. 230. genus alto a sanguine Teucri. Ovid. Heroid. 3. 28. Ille gradu propior sanguinis. Stat. 5. Silv. 3. 116. Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus. Cic. 2. Invent. 53. a med. et Sall. Jug. 10. Sanguine conjunctus. Quintil. 8. 3. a med. Cohærere alicui sanguine. Propert. 1. 15. 16. Sanguinis vincula rumpere. Plin. 7. Ep. 24. Sanguine aliquem attingere. Tac. 2. Ann. 71. et 3. ibid. 12. Propinquus sanguis. Flor. 3. 1. ad fin. Bocchus jure sanguinis Jugurtham vindicans. — b) Concreto, uti ajunt, sensu, est soboles, proles, filius. Horat. carm. sæc. 50. claris Anchisæ Venerisque sanguis. Id. 2. Od. 20. 6. non ego pauperum Sanguis parentum. Cf. eumd. 4. ibid. 2. 14. Enn. Ann. reliq. p. 19. Vahl. O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum! Ovid. 5. Met. 512. Sanguine meo. Stat. 3. Theb. 559. Sanguis aureus. (V. Drakemborg. ad Sil. It. 10. 170.) Virg. 6. Æn. 836. Projice tela manu, sanguis meus. Tibull. loc. cit. Quicquid agat, sanguis est tamen illa tuus. ¶ 2. Metonymice cædem et mortem significat. Virg. 2. Æn. 366. dare sanguine pœnas. Ovid. 13. Met. 149. pater fraterni sanguinis insons. Lucan. 8. 9. Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse. Petron. Sat. 120. Julius ingratam perfudit sanguine Romam. Liv. 23. 8. extr. Sanguine Hannibalis sanciam Romanum fœdus. Sall. Jug. 24. Ut sanguinem meum quam omnia malit. Id. ibid. 31. Quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur. Cic. 15. Fam. 15. Odium civilis sanguinis. Liv. 2. 64. Pugnatum plurimo sanguine. Cf. Curt. 3. 11. 5. Tum vero multum sanguinis fusum est. h. e. multi vulnerati et occisi. ¶ 3. Per catachresin a Poetis dicitur de aliis humoribus. Manil. 5. 212. Et viridis nemori sanguis decedit, et herbis. Nemesian. 2. Ecl. 50. Pallas amat turgentes sanguine baccas. h. e. oleum. ¶ 4. Dicitur de colore sanguineo. Calpurn. 1. Ecl. 81. ardenti scintillat sanguine lampas. h. e. lumine sanguineo. ¶ 5. Figurate est vigor, vires, spiritus, audacia, *spirito, forza, vigore, nerbo*. Plaut. Bacch. 1. 2. 44. Magistron' quemquam discipulum minitarier? nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis. valens afflictet me vacivom virium. Vellej. 2. 9. 3. Ennii adeo quidem, ut illis limæ, in hoc pæne plus videatur fuisse sanguinis. Cf. Quintil. 12. 2. 12. Stat. 2. Theb. 561. saxum ingens toto sanguine nixus Sustinet. Virg. 2. Æn. 638. vos o, quibus integer ævi

Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires. *Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. Adde *Sall.* 1. *Hist.* 45. 25. *Kritz.* ¶ 6. Item dicitur de pecunia. *Cic.* 5. *Verr.* 36. 83. Quæ quum de populi R. victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxisset ærarii, Tertiæ mimæ condonavit. *Id.* 6. *Att.* 1. Appius quum ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuerit, detraxerit. ¶ 7. Refertur et ad orationem. *Cic. Brut.* 9. 36. Sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *et Orat.* 23. 76. In orationis subtilitate etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen sucum aliquem oportet, ut etiam si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine. Adde *Brut.* 82. 283.

Homonym. Quid *sanguis* a *cruore* differat, in CRUOR dictum est.

SANGUĪSŬGA, æ, f. 1. (sanguis et sugo) Scribitur et *sanguisugia.* V. *Acron.* ad *Horat. Art. P.* 476. — Sanguisuga est idem quod hirudo, vermis aquatilis sanguinem sugens, *mignatta, sanguisuga,* βδέλλα.

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (29). Elephanti cruciatum in potu maximum sentiunt hausta hirudine, quam sanguisugam vulgo cœpisse appellari adverto. *Id.* 32. *ibid.* 10. 42. (122). Diversus hirudinum, quas sanguisugas vocant, ad extrahendum sanguinem usus est. *Cels.* 5. 27. *n.* 16. Si sanguisuga epota est, acetum sale bibendum est. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 4. Extinguuntur cimices incensis sanguisugis. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 18., *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 21. et *Marcell. Empir.* 16. *extr.*

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Prov.* 30. 15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: affer, affer. *h. e.* insatiabilis cupiditatis, seu concupiscentiæ.

SĀNĬĀRĬUM, ii, n. 2. (sanies) locus, ubi ponebantur gladiatores vulneribus, seu plagis affecti, *specie di lazzaretto. Curios. urb. Rom. reg.* II. V. *Preller, d. Reg. d. Stadt Rom.* 122.

SĀNĬES, ēi, f. 5. Excepto recto, quarto et sexto casu singularis numeri, nullum præterea habet usum, nam plurali carere, docent etiam *Charis.* 1. *p.* 19. et *Diomed.* 1. *p.* 314. *Putsch.* Ita *Forcell.* Sed genet. plur. *sanierum* invenitur apud *Cœl. Aurel. de sign. diæt. pass.* 97. *et* 98. — Sanies, quæ vox ab eodem them. ac sanguis oriri nonnullis videtur, est sanguis corruptus, necdum ad puris albedinem crassitudinemque coactus, ἰχώρ (It. *marcia, sangue corrotto, sanie; Fr. sang corrompu, sanie;* Hisp. *podre;* Germ. *d. krankhafte, eitrige, verdorbene Blut;* Angl. *corrupt matter issuing from a sore, putrid blood*).

I). Proprie. *Cels.* 5. 26. *n.* 20. Ex vulneribus ulceribusque exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus notus est. Sanies est tenuior hoc, varie crassa, et glutinosa, et colorata. Pus crassissimum albidissimumque, glutinosius et sanguine et sanie. Exit autem sanguis e vulnere recenti, aut jam sanescente: sanies est inter utrumque tempus: pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante. Rursus et sanies, et pus quasdam species Græcis nominibus distinctas habent. est enim quædam sanies, quæ vel ἰχώρ, vel μελίκηρα, nominatur: est pus, quod ἐλαιῶδες appellatur. Ἰχώρ tenuis, subalbibus, ex malo ulcere exit: μελίκηρα crassior est, glutinosior et subalbida, mellique albo subsimilis, etc. Hæc *Cels. Cato R. R.* 157. Cancer ater, is olet et saniem spurcam mittit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. *et Pis.* 19. 43. Saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro. *Virg.* 3. *Æn.* 487. sanie taboque fluentes. *Lucan.* 6. 548. nigramque per artus Stillantis tabi saniem. *et* 9. 783. corpus sanie stillasse perustum. *Seneca Œdip.* 140. Nec cruor ferrum maculavit: atra Turpis e plaga sanies profusa est. *Virg.* 3. *Æn.* 632. *de Polyphemo.* saniem eructans, ac frusta cruento Per somnum commixta mero. *Ovid.* 7. *Met.* 338. saniem conjecto emittite ferro. *Lucan.* 3. 657. eliso ventre, per ora Ejectat saniem permixtus viscere sanguis. *Propert.* 2. 23. 18. Vulnera et ad saniem nunc colere mea. *Alii* rectius *leg.* ad sanum. *Tac.* 4. *Ann.* 49. Pollui cuncta sanie, odore, contactu. *scil.* cæsorum militum. *Gell.* 5. 14. *a med.* Conceptam saniem vulnere intimo exprimere. *Seneca Ep.* 95. Antiqui nesciebant saniem emittere. *Stat.* 12. *Theb.* 569. Putris sanies. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 212. crassa. *V.* RAMEX.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, aliquando cum pure confunditur, et de corrupto omni humore ponitur. aut corrupto simili, licet non cruento. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (50). Sanie si manant aures. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (138). Sanies aranei. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (124). Spongiæ saniem emittunt. *Id.* 15. *ibid.* 3. 3. (9). Olivæ constant nucleo, oleo, carne, amurca. sanies hæc est ejus amara. (Adde *Colum.* 1. *R. R.* 6. *in fin.*) *Manil.* 5. 671. Hinc sanies pretiosa fluit, etc. *h. e.* garum. *V.* MURIA. *Plin.* 33. *Hist. nat. procem. a med. de auro.* Parum erat unam vitæ invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies. *h. e.* chrysocolla. ¶ 2. Speciatim, a Poetis pro veneno ponitur noxiorum animalium. *Ovid.* 4. *Met.* 493. colubræ Sibila dant, saniemque vomunt. *Horat.* 3. *Od.* 11. 19. *de Cerbero.* Spiritus teter, saniesque manat Ore trilingui. *Sil. It.* 6. 276. serpens Tabificam exspirat saniem. *et ibid.* 878. Viperea sanies. *et* 12. 10. anguis saniem sublatis faucibus efflat. *Lucan.* 4. 321. in fluvios saniem tabemque ferarum Infundas. *Id.* 6. 457. Sanies veneni. *Virg.* 2. *Æn.* 221. Perfusus sanie vittas, atroque veneno. ἂν διὰ δυο. ¶ 3. Item dicitur de cruore tritæ purpuræ lanis tingendis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (134). Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. *Id.* 35. *ibid.* 6. 26. (44). Quoties id factum est, levatur bonitas (*coloris*) pro numero, dilutiore sanie.

Homonym. *Sanies* ita differre a *tabo,* ut hoc de vivo, illud de mortuo dicatur, docet *Serv.* ad *loc.* supra *cit.* Sed vel una *Celsi* auctoritate refellitur. Ipse *Virgilius,* ut ait *Popma,* hanc differentiam explodit, quum de mortuis dicat 3. *G.* 480. Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum, Corripuitque lacus, infecit pabula tabo. Adde *Sueton. Vitell.* 10. et *Tac.* 2. *Hist.* 70. Verius ergo est, *saniem* esse atrum et corruptum sanguinem, *tabum* esse liquorem putridum, cujus appellatione interdum continetur omne id, quod ex putrescentibus defluit. Unde dixit *Virg.* 3. *Æn.* 28. Huic atro liquuntur sanguine guttæ: Et terram tabo maculant. Adde *Lucan. loc. cit. Ennius* apud *Cic. loc. cit.* Saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro. Cf. *Auct. de differ. voc. p.* 220. 16. *Putsch.*

SĀNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sanus *et* fero) salutifer. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 218. quæ te quoque dextra potentem Sanifera virtute dedit.

SĀNĬŌSUS, a, um, adject. (sanies) sanie et impuro sanguine conspersus, *marcio,* ἰχωρώδης. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (66). Invalidi, aut non vitales partus eduntur, aut saniosi, ut auctor est Nigidius. *Augustin. serm.* 8. Saniosa ulcera. Adde *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. 84., et *Theod. Priscian.* 1. 7.

SĀNĬTAS, ātis, f. 3. (sanus) incolumitas, salus, bona valetudo, status corporis actiones omnes suas probe obeuntis, ὑγίεια (It. *sanità; Fr. santé;* Hisp. *sanidad; Germ. d. Gesundheit;* Angl. *soundness of body, health*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 13. 30. Corporis temperatio, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas est: sic animi dicitur, quum ejus judicia opinionesque concordant: eaque est animi virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse. alii obtemperantem temperantiæ præceptis, et eam subsequentem, nec habentem ullam speciem suam: sed sive hoc, sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quædam animi sanitas, quæ in insipientem etiam cadat, quum curatione medicorum conturbatio mentis aufertur. *Cels.* 8. 8. *in fin.* Donec sanitate ossis dolor finiatur. *Id. ibid.* 2. Reddere sanitatem veram. *Plaut. Merc.* 4. 1. 12. Apollo, quæso te, ut des pacem propitius, Salutem et sanitatem nostræ familiæ. (Adde *Plin. Paneg.* 22.) *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Sanitas pecoris, res multiplex ac necessaria. *Id. ibid.* 5. *circa med.* Lanii, qui ad cultrum bovem emunt, et qui ad altaria, bostiæ sanitatem non solent stipulari. *Tac.* 1. *Ann.* 68. *extr.* Vim, sanitatem, copias cuncta in victoria habere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (56). Allium tussim sanat, fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituat. *et ibid.* Capitis ulcera manantia sanitati restituens. *Id.* 11. *ibid.* 18. 20. (64). *de apib.* Hilaritate et nitore sanitas æstimatur. *Gell.* 18. 1. Corporis integritas sanitasque, et honestus modus formæ etc. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 38. *extr.* Sanitas debetur medico. *Phædr.* 5. 7. Ad sanitatem venit curatio. *Justin.* 20. 2. *a med.* Sanitatem recuperare peste sedata. *et* 11. 8. *extr.* recipere. Adde *Augustin.* 19. *Civ. D.* 4., ubi *sanitati* opp. *imbecillitas.*, et *Chalcid. Tim.* 185. *extr.*, ubi *sanitati* opp. *exitium.*, et *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 217. Sanitas exteriorum ulcerum. *h. e.* consolidatio. *Id.* 1. *ibid.* 4. 113. Liquida sanitas.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim et sæpe refertur ad animum, et significat bonam mentem, rectum consilium, recte sentiendi vim, rationem, *mente sana, buon giudizio, buon senso, ragione, cervello,* σωφροσύνη. *Cic.* 3. *Tusc.* 4. *extr.* Sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit. *Id.* 4. *ibid.* 10. 23. Quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi ægrotationesque nascuntur; sic pravarum opinionum conturbatio, et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum, morbisque perturbat. *Id. Pis.* 20. 46. Sua quemque fraus, suum scelus de sanitate ac mente deturbat. *Id.* 4. *Verr.* 40. 98. Ne tum quidem te potuit, si non pietatis, at salutis tuæ ratio ad officium sanitatemque reducere. *Id.* 12. *Fam.* 8. Lepidus hostis a senatu judicatus, ceterique, qui una cum illo a republica defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante cal. Septembr. potestas facta est. *Id. Sull.* 5. *sub fin.* Convertit se aliquando ad timorem, numquam ad sanitatem. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Cæsar Ariovistum ad sanitatem reverti arbitrabatur. *Petron. Sat.* 111. Exulceratas mentes ad sanitatem revocare. *Hirt.* 8. *B. G.* 22. perducere. *Phædr.* 3. *epil. extr.* Dum sanitas constabit, pulcre meminero. *sinchè avrò il mio buon giudizio.* et *Plin.* 6. *Ep.* 15. Est omnino Priscus dubiæ sanitatis. *Seneca Hippol.* 249. Pars sanitatis, velle sanari fuit. ¶ 2. Speciatim ad orationem puram, pressam, non redundantem, quæ probatis et incorruptis verbis sanisque sententiis constat, *purità di stile, parlare di buon gusto. Cic. opt. gen. Orat.* 3. 8. Eos imitemur, si possumus: sin minus, illos potius qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum), quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. *Id. Brut.* 13. 51. Ut semel e Piræeo eloquentia evecta est, omnem illam salubritatem Atticæ dictionis, quasi sanitatem, perdidit. *et ibid.* 82. 284. Insulsitatem et insolentiam, tamquam insaniam quamdam orationis, odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. *et ibid.* 80. *ad fin.* Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. *Tac. dial. de Orat.* 25. Omnes eamdem sanitatem eloquentiæ ferunt. *V.* SANUS. — *Sanitas metri* apud *Macrob.* 5. *Saturn.* 17. *extr.* est quum versus nulla in syllaba contra prosodiæ leges peccat. — *Sanitas victoriæ* apud *Tac.* 2. *Hist.* 28. est integritas, perfectio, *vittoria compiuta.*

SĀNĬTER, adverb. (sanus) more sani hominis, sive ad corpus referas, sive ad animum, *sanamente. Afran.* apud *Non. p.* 515. 22. *Merc.* Adesto: assentio te amare, me adorare saniter.

SANNA, æ, f. 1. Notationem etymologi ab Hebræis usque deducunt; vox itaque derivari potest ab Hebr. שן *shen,* dens, unde שנינה *shenina,*

dicterium: nos Itali dicimus *zanna, sanna*, dentem magnum, vel dentem incurvum e quorumdam animalium ore exstantem; recentiores vero alii derivant a Sansk. *svan*, sono, alii a σαίνω, quatio, caudam moveo. — Sanna est ¶ 1. Distortio vultus, quæ fit diductis labiis, ore biante, corrugata facie et ostentatione dentium. *Juvenal.* 6. 306. I nunc, et dubita, qua sorbeat aera sanna Maura. ¶ 2. Hinc irridendi genus est, quod eo habitu oris fit, *dileggiamento, sberleffo*, μῶκος, χλεύη. *Pers.* 1. 61. Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ. (In præcedentib. tres alias irrisionum species enumerat: O Jane, a tergo quem etc.) *Id.* 5. 91. Disce: sed ira cadat naso, rugosaque sanna, Dum veteres avias tibi de pulmone revello. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SANNĀTOR, ōris, m. 3. (sanno) qui sannat, idem ac sannio. *Gloss. Philox.* Gannator (*corrige* Sannator), χλευαστής.

SANNĬO, ōnis, m. 3. (sanna) *buffone, zanni*, μωρός, χλευαστής, scurra, qui omnibus modis risum movere nititur, qui soluto risu et contortis corporis totius partibus quempiam irridet, moresque aliorum tam inepto gestu exprimit, ut, quum alios irrideat, ipse omnibus sit ridiculus. *Cic.* 9. *Fam.* 16. *extr.* Salis enim satis est, sannionum parum. *Id.* 2. *Orat.* 61. *in fin.* Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum. Apud *Ter. Eun.* 4. 7. 10. nomen est servi: *et Adelph.* 1. 2. 2. lenonis. Adde *Ammian.* 14. 6. 16.

SANNO, as, are, et

SANNOR, āris, ari, n. 1. (sanna) χλευάζω, μυκτηρίζω, idem ac subsanno. *Gloss. Philox.* Gannat (*corrige* Sannat), χλευάζει. Adde *Dosith. p.* 61. 3. *Keil.* et *V.* SUBSANNO.

SĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sanus) Particip. *Sanans* I.; *Sanatus* I. et II.; *Sanaturus* et *Sanandus* II. — Sano est idem ac sanum facio, curo, medeor, morbum depello, sanitati restituo, ὑγιάζω (It. *guarire, risanare, sanare*; Fr. *guérir, rendre la santé*; Hisp. *curar, sanar*; Germ. *gesund machen, heilen, curiren*; Angl. *to heal, cure, restore to health*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 28. 70. Gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare medici non potuerant. *Id.* 4. *Tusc.* 37. *extr.* Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur. *Id.* 5. *Fam.* 16. et *Propert.* 2. 2. 59. Sanare dolorem. *Nepos Attic.* 21. Quod ad sanandum me pertineret. *Propert.* 2. 1. 61. Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 21. Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas, Sanabit nulla vulnera cordis ope. (Adde *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 36. (114). *Id. Remed. Am.* 527. Corpora vix ferro quædam sanantur acuto. *Id. ibid.* 113. Post tamen hic multos sanatus creditur annos. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (55). Alium tumores suspectos sanat. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (81). Ad hunc sanandum (*odorem*) urunt styracem in pellibus hircinis. *per togliere, o correggere. Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (56). Sanare morbum comitialem. *Id. ibid.* tussim. *Vulgat. interpr. Matth.* 4. 2. Sanans omnem languorem et omnem infirmitatem.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 17. Quæ sanari poterunt, quacumque ratione sanabo. *Id.* 13. *Att.* 12. Valde me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra: eædem tamen me sanaverunt. *Id. Mil.* 25. 68. Omnes tibi reipublicæ partes ægras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas. *Id.* 7. *Verr.* 46. 121. Qui te existimares avaritiæ vulnera crudelitatis remediis posse sanare, *Id. Sull.* 9. *sub fin.* Voluntates consceleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Reliqua, quæ ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat. *Tibull.* 2. 3. 13. et *Propert.* 1. 10. 17. Sanare curas. *Hirt.* 8. *B. G.* 38. timentes animos consulatione. *Vellej.* 2. 3. *a med.* discordiam. *h. e.* sedare, discordes animos ad sanitatem revocando. Sic *Liv.* 2. 34. Sanata discordia. *Cæs.* 7. *B. G.* 29. Factum imprudentia Biturigum, uti hoc incommodum reciperetur: id tamen se celeriter majoribus commodis sanaturum. *Seneca Herc. Fur.* 1261. nemo polluto queat Animo mederi: morte sanandum est scelus. *h. e.* expiandum. Rursum *Cic.* 1. *Q. fr.* 2. 2. Quem denique, præter Tuscenium, cujus causa sanari non potest, non mitigavi? *h. e.* melior fieri, et defendi. *Gell.* 2. 12. *ad fin.* Adversarios sanatos magis cupiunt, quam perditos. *Val. Max.* 6. 7. *n.* 1. *extern.* Unius orationis saluberrima medicina sanatus.

SANQUĀLIS, e, adject. (Sancus) Legitur et *Sangualis.* — Sanqualis ¶ 1. Appellatur avis quæ in commentariis ossifraga dicitur, quia in Sanci dei tutela est, inquit *Festus.* Meminit et *Liv.* 41. 13. *V.* IMMISSULUS. ¶ 2. *Sanqualis porta* appellata est ab avi sanquali: ideoque eodem est nomine, quo avis ipsa appellatur. *Festus.* Addit *Paulus*, proximam fuisse ædibus Anci. At *Müllerus* cum aliis leg. *ædibus Sanci.* Nunc in via, quæ a fonte, qui vocatur *Trevi*, ducit ad forum, quod *Monte Cavallo* dicitur, h. e. *Via della Dataria.* (V. *Becker, Handb. d. r. Alth.*)

SANSA. *V.* SAMPSA.

SANTERNA, æ, f. 1. chrysocolla agglutinando auro temperata. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 29. (93). Chrysocolla temperatur Cypria ærugine, et pueri impubis urina, addito nitro: teritur Cyprio ære in Cypriis mortariis: santernam vocant. Adde 34. *ibid.* 12. 28. (116).

SANTŎNĬCUS *vel* Santonicus, a, um, adject. ad Santones pertinens. *V.* hanc vocem in ONOM. — Santonicus speciatim dicitur de absinthio. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (45). Absinthii genera sunt plura. Santonicum appellatur a Galliæ civitate, Ponticum a Ponto, etc. *Martial.* 9. 96. Santonicam (*al.* Sardoam) virgam appellat. *Scribon. Compos.* 141. Santonica herba. *santonico.* — *Pulvis santonicus* apud *Veget.* 6. *Veterin.* 10. 2. qui et absolute usurpat 2. *ibid.* 16. 2. Cf. *eumd. ibid.* 5.

SĀNUS, a, um, adject. Comp. *Sanior*; Sup. *Sanissimus.* — Sanus, a Gr. σάος,

I.) Proprie. ¶ 1. Passive est salvus, bona valetudine utens, firmus, integer, liber a morbo, ὑγιής (It. *sano*; Fr. *sain, en bon état, bien portant*; Hisp. *sano*; Germ. *heil, wohl, gesund*; Angl. *sound, in health, well, sane*). — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 37. Sanun es? *pro* sanusne. Sic *Curc.* 5. 2. 54. Sanan es, Quæ isti committas? *pro* sanane. et *Pseud.* 4. 7. 33. Sanin estis? *pro* sanine. *Id. Truc.* 2. 2. 5. Ægrotare malim, quam esse tua salute sanior. *Cato R. R.* 157. Hæc omnia ulcera purgabit, sanaque faciet sine dolore. *Varro* 2. *R. R.* 1. 13. Sanum pecus. *Cic.* 3. *Off.* 24. 92. Sanum fieri medicamento. *Id.* 2. *Phil.* 39. fin. Sanum facere aliquem. At *Orell.* sanare. *Cels.* 1. 1. Sanus homo, qui et bene valet, et suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque introalipta egere. — *Cic. Sext.* 45. 97. Qui integri sunt, et sani. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 21. Neu, si te populus sanum recteque valentem Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi Dissimules. *Gell.* 18. 10. Opera tua sistas hunc nobis sanum atque validum quam citissime. *Plaut. Merc.* 5. 2. 48. Tuam amicam sanam et salvam vidi. *Cels.* 7. 4. *n.* 4. Interim licet negotia agere, ambulare, lavare, cibum capere, perinde atque sanissimo. — Absolute. *Propert.* 3. 23. 18. Vulneraque ad sanum nunc coiere mea. *h. e.* ad sanitatem venerunt: id quod apud *Phædr.* 5. 7. Ad sanitatem venit curatio. *Alii* minus recte *leg.* ad saniem. — *Sani* plur. num., item absolute, apud *Augustin.* in *Psalm.* 38. et *Vulgat. interpr. Marc.* 2. 17. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *ex. Cato R. R.* 157. *circa med.* Citissime sanus fiet ex eo morbo. *Propert.* 2. 9. 12. Nec quisquam ex illo (*Amoris*) vulnere sanus abit. — 2.°) Speciatim *sanus* etiam dicitur, qui integris est membris, et ab omni vitio liber, licet fortasse morbo aliquo laboret. Unde quidam JCti apud *Gell.* 4. 2. quærebant, num sanus esset is, cui dens deesset, et qui non longe videret, et mulier sterilis. ¶ 2. Active pro salubri. *Lucan.* 2. 829. et quidquid nare sagaci Aera non sanum, motumque cadavere sentit. *aria malsana, infetta.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 12. *Fam.* 23. Nullam partem sanæ et salvæ reipublicæ gustare potuisti. *Plaut. Merc.* 1. 2. 61. Salva est navis: armamenta salva et sana sunt. ¶ 2. Speciatim, et sæpe refertur ad animum, et significat mentis compotem, ratione et recto judicio præditum, ab omni ægritudinis perturbatione liberum, *saggio, assennato, prudente, sano di mente*, σώφρων: cui opponitur furens, larvatus, cerritus, insanus, amens, præceps. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Eos sanos intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit. qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est. *Martial.* 6. 84. Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus. Hunc tu si sanum credis, Avite, furis. *Plaut. Men.* 5. 2. 66. Sanun es, qui istuc exoptas? *Id. Amph.* 5. 1. 31. Hæc sola sanam mentem gestat. *Tiber.* apud *Sueton. Tib.* 67. Quamdiu sanæ mentis fuisset. *Cic.* 3. *Off.* 25. *a med.* Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens. *Plaut. Amph.* 3. 2. 23. Nam certo si sis sanus, aut sapias satis, cum ea sermonem non habeas. et 2. 2. 98. Equidem ecastor sana et salva sum. *Val. Max.* 9. 13. *n.* 3. Sanæ rationis modum expugnare. *Id.* 8. 9. *n.* 1. Ad meliora et saniora consilia revocare aliquem. *Ulp. Dig.* 27. 10. 1 Quamdiu, prodigus sanos mores receperit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Quisquam sanissimus tam certa putat quæ videt, quam is putabat, quæ videbat, quam is putabat, quæ videbantur? *Vellej.* 2. 25. 2. Confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo. *Virg.* 8. *Ecl.* 66. Conjugis ut magicis sanos avertere sacris Experiar sensus. *h. e.* animum ab amore liberum. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. *ad fin.* Nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitratus, qui præsentis imperium neglexisset. *Plaut. Men.* 2. 2. 24. Pro sano loqueris, quum me appellas nomine. Adde 5. 5. 42. et *Liv.* 39. 49. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *ab*, et est liber, immunis, remotus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 129. ego sanus ab illis, Perniciem quæcumque ferunt, mediocribus et quis Ignoscas, vitiis teneor. — *c*) Cum Genet. rei, quam quis sanam habet. *Plaut. Trin.* 2. 2. 53. Satin tu sanus mentis, aut animi tui, qui conditionem hanc repudies? — *Male sanus*, insanus. *Cic.* 9. *Att.* 15, *sub fin.* Ego illum male sanum semper putavi. *Virg.* 4. *Æn.* 8. Male sana Dido. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 3. Male sani poetæ, ἐνθουσιάζοντες. ¶ 3. Hinc metaphorice ad fluminis cursum non præcipitem, sed lenem placidumque retulit *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 235. eadem clementia sani Gurgitis immensum deducit in ostia Gangen. ¶ 4. Item sæpe ad orationem refertur. Sanus enim orator dicitur, et sanum dicendi genus, in quo nihil est absurdum in sententiis aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum: in verbis nihil inquinatum, nihil abjectum, nihil non aptum, nihil durum, aut longe petitum: absunt tamen vires, concitatio, et impetus eloquentiæ: ut in corpore si sit quidem sanitas, desint autem vires, lacerti, sanguis. Lege *Cic. Brut.* 55. 79. et 80. et *opt. gen. Orat.* 3., ubi hoc totum describitur, et explicatur. *Id. cit.* c. 55. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum. et *cit.* c. 3. Sani et sicci oratores. *Id. Brut.* 13. 51. Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia: sed parum pressi et nimis redundantes: Rhodii saniores et Atticorum similiores. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Orator rectus quidem et sanus, sed parum grandis et ornatus. *Petron. Sat.* 2. Ne carmen quidem sani coloris enituit.

SĂPA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Germ. *Saft*, sucus, a *saufen*, humectare. — Sapa, *mosto cotto*, ἕψημα, σίραιον, mustum decoctum usque ad dimidium, h. e. ut e quatuor v. gr. heminis duæ igne absumantur, duæ remaneant, uti docet *Varro* apud *Non. p.* 551. 23. *Merc.* Sapam appellabant, quod de mu-

sto ad mediam partem decoxerant. At *Plin.* vocat *sapam* mustum usque ad tertiam partem decoctum: *defrutum* usque ad dimidiam. Ejus verba sunt 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). Siræum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant, ingenii, non naturæ opus est, musto usque ad tertiam partem decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus. Adde 23. *ibid.* 2. 30. (62), ubi ejus vires in medicina recenset, præsertim contra noxia animalia, et *Pallad.* 11. *R. R.* 18. — *Colum.* ita de sapa loquitur 12. *R. R.* 19., ut cum defruto confundat, et sive tertia, sive quarta, sive dimidia pars musti decocta sit, hoc nomine complectatur. — Usus sapæ et defruti fuit præcipue vinis condiendis. *Colum. loc. cit.* — *a)* In sing. num. præter *loc. cit.* *Varro* apud *Non. p.* 551. 17. *Merc.* Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum, aut passum. *Ovid.* 4. *Fast.* 780. Lac niveum potes, purpureamque sapam *Martial.* 7. 53. Et Laletanæ nigra lagena sapæ. — *b)* In plur. num., *musta ad sapas decoquere* apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 24. (121) est sapam facere.

SAPĒNŎS, i, f. 2. gemma ex genere amethystorum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122). Alterum *(amethystorum)* genus descendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi sacon vocant, talemque gemmam sacondion. Dilutior eadem et sapenos vocatur. *Alii leg.* sapinos.

SĂPERDA, æ, m. 1. σαπέρδης

I.) Proprie, *Festo* est genus vilissimi piscis. *Hesych.* et piscis, qui et coracinus dicitur, et salsamenti vilioris apud Ponticos nomen esse docet. Unde *Pers.* 5. 134. Et quid agam? rogitas? saperdas advehe Ponto, Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa.

II.) Translate *saperda* est sapiens, inquit *Fest.*, et elegans, ut addit *Non. p.* 176. 21. *Merc. Varro* apud *utrumque* Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdæ, quum simus σαπροί. *h. e.* putidi. Ita *Forcell.*, at *Madvig.* ad h. l.: Nonius, aut is, quem sequitur, Varronis verba male interpunxit et intellexit. Varro enim sic conjungi voluerat. saperdæ quum simus σαπροί, ut saperdæ σαπροί insipidi et nullius pretii intelligantur. (Cf. *Athen.* 8. 339. σύνεστι σαπέρδαις δυσὶν. h. e. duobus homuncionibus ineptis). Ita *Madvig.*, cui suffragatur *Oehler.* Enimvero saperda piscis quum vel recens captus vilissimus sit, quanto magis postquam putrefactus est. Ceterum *Gloss. Philox.* Saperda, κομψός. *h. e.* festivus, elegans.

SAPHO, indecl. idem ac chamælæa herba. *Apul Herb.* 25. *p.* 214.

SĂPHON, ōnis, m. 3. *Isid.* 19. *Orig.* 4. Saphon, funis nauticus in prora positus: de quo Cæcilius: Venerio cursu veni, prolato pede usque ad saphonem. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SAPHTHO, indecl. nomen Ægyptium herbæ hyoscyami. *Apul. Herb.* 4. *p.* 212.

SĂPĬDĒ, adverb. (sapidus) Sup. *Sapidissime.* — Sapide, grato sapore, *saporitamente,* εὐχύλως. *Apul.* 8. *Met. in fin.* Femur in protrimentis sapidissime percoctum.

SĂPĬDŬLUS, a, um, adject. (sapidus) aliquantisper sapidus. Translate. *Mar. Merc. Nestor. serm.* 12. 6. Ut eorum contiones etiam elegantes et sapidulas superemus.

SĂPĬDUS, a, um, adject. (sapio) Comp. *Sapidior;* Sup. *Sapidissimus.* — Sapidus est gratum saporem habens, εὔχυλος (It. *saporoso, saporito, gustoso;* Fr. *sapide, qui a du goût, savoureux;* Hisp. *sabroso;* Germ. *schmackhaft;* Angl. *well-relished, savoury, tasted, sapid*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 4. 4. 80. Nata est *(puella)* in calido loco (*h. e.* in culina), ubi rerum omnium bonarum copia est sapidissima. Ita addidit *Bothe* pro *sæpissime. Apul.* 2. *Met.* Tucetum perquam sapidissimum. *et* 10. *ibid.* Coquus qui sapidissimis intrimentis sucuum pulmenta condita vapore mollibat. *Apic.* 6. 6. Avem sapidiorem facere.

II.) Translate. *Alcim.* 6. 458. sapidæ raptim properate puellæ. *h. e.* virgines prudentes, ex *Matth.* 25. 2. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂPĬENS, entis, particip. *V.* SAPIO.

SĂPĬENTER, adverb. (sapiens) Comp. *Sapientius;* Sup. *Sapientissime.* — Sapienter translate tantum adhibetur, et ¶ 1. Est scite, docte, cordate, prudenter, *saputamente, avvedutamente, saviamente, sapientemente,* σοφῶς: cui opponitur insipienter, stulte, temere. *Plaut. Pers.* 3. 1. 47. Sapienter potius facias, quam stulte. *Id. Aulul.* 2. 5. 3. Sapienter factum est consilio bono. *Id. Curc.* 4. 3. 15. Facis sapientius. *Id. Pœn.* 1. 1. 1. Sæpe res multas tibi mandavi Dubias, egenas, inopiosas consilii: quas tu sapienter, docte, et cordate, et cate Mihi reddidisti opiparas opera tua. *Id. Mil. glor.* 3. 3. 34. Lepide et sapienter, commode et facete res parata est *Id. Epid.* 3. 3. 23. Docte et sapienter dicere. *Id. Amph.* 1. 1. 133. Recte et sapienter facere. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 89. et *Justin.* 2. 15. *sub fin.* Sapienter consulere. *Id. Pœn. prol.* 7. Qui edistis, multo fecistis sapientius. *Id. Truc.* 4. 3. 53. Insipienter factum sapienter ferre. *Ter. Adelph.* 5. 8. 30. Bene et sapienter dixti dudum. *Id. Eun.* 3. 1. 26. Pulcre mehercle dictum, et sapienter. *Id. Andr.* 1. 1. 40. Sapienter vitam instituere. *Cic.* 1. *Fam.* 7. *circa med.* Si cecidisset, ut volumus omnes te, et sapienter et fortiter, sin aliquid esset offensum, eosdem illos et cupide et temere fecisse dicturos. *Id.* 4. *Phil.* 2. *ad fin.* Non solum id animose et fortiter, sed considerate etiam sapienterque fecerunt. *Id. Dom.* 1. 1. Sapienter interpretari religiones. *Nepos Epam.* 3. temporibus uti. Sic *Horat.* 4. *Od.* 9. 48. muneribus uti. *Gell.* 19. 12. Minus sapienter, et parum viriliter dolorem ferre. Rursus *Cic.* 2. *Fam.* 7. Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit te ipso. *Id. Brut.* 42. 155. Servius sapientissime fecit. ¶ 2. Est etiam animose, generose, simul et prudenter. *Ovid. Heroid.* 21. 57. Hostem sapienter amare. Cf. *Plaut. Truc. loc. cit.* ¶ 3. Item, in malam partem, callide. *Vulgat. interpr. Exod.* 1. 10. Sapienter opprimamus eum.

SĂPĬENTĬA, æ, f. 1. (sapiens) gustus, sapor, *gusto, sapore.*

I.) Proprie. *Cæl. Sympos. ænigm.* 83. *de perna.* Una mihi soror est, plures licet esse putentur. De fumo facies, sapientia de mare nata est. *h. e.* sapor salsus est: quod enim sapit perna, de sale habet. Videtur ad hanc notionem respexisse *Ter. Adelph.* 3. 4. 60. Conservis ad istunc præcipio modum: Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum: illud recte: iterum sic memento. sedulo moneo, quæ possum, pro mea sapientia. Ubi *Donatus:* Διασυρτικῶς sapientia dixit: quia condimentum gustu ac sapore temperant coci.

II.) Translate, et fere dicitur de animo ¶ 1. Generatim significat sanam mentem, recte sentiendi vim, sanum de rebus judicium, quibus homo sui compos est, cognoscit, advertit, intelligit; et opponitur delirio, amentiæ, furori. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (170). Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori. *sapendolo, accorgendosi, essendo in buoni sentimenti.* et *ibid.* 51. 52. (171). Jam signa letalia in furoris morbo risum, sapientiæ vero ægritudine fimbriarum curam, et stragulæ vestis plicaturas. Ita *Harduin.* nam alii aut lectione, aut interpretatione mire variant. ¶ 2. Speciatim dicitur de cognitione, peritia, sagacitate, prudentia, rerum expetendarum et fugiendarum scientia, *sapere, senno, giudizio, accortezza, saviezza, prudenza,* φρόνησις: et opponitur stultitiæ, temeritati, inscitiæ. *Ter. Phorm.* 2. 1. 17. Incredibile est, quantum herum anteeo sapientia. Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit. *Nepos Attic.* 20. *a med.* Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat. *Cic. Marcell.* 2. *extr.* Numquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. *Nepos Timoth.* 3. Homines usu et sapientia præstantes. *Justin.* 18. 3. *a med.* Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia præstarent: malitiaque servos, non sapientia vincere. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 81. Herus meus non habet plus sapientiæ, quam lapis. *Id. Capt.* 2. 3. 53. Emisisti e vinclis tuum herum tua sapientia. *Id. Merc.* 3. 1. 7. Facere certum est pro copia et sapientia, quæ te velle arbitrabor. *per quanto s' estendono le mie facoltà e 'l mio sapere.* et *Stich.* 1. 2. 62. Quanta mea sapientia est. *per quanto io so.* et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 41. sapientia prima Stultitiâ caruisse. *Id.* 3. *Od.* 28. 4. munitæ adhibe vim sapientiæ. — Oxymoron. *Id.* 1. *ibid.* 34. 2. Insaniens sapientia. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 1. 20. ¶ 3. Item de temperatione quadam lenitatis et prudentiæ: quia sapientis est, in rebus humanis æquum se potius, quam rigidum præbere. *Cic. Marcell.* 6. 18. Videntur mihi dii immortales, vel placati jam, vel satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 36. Si parem sapientiam hic habet, ac formam, per amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet. Adde *Cic. Dejot.* 2. 4. ¶ 4. Item de peritia in una aliqua scientia. — *a)* Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 33. *sub fin.* Istam oscitantem et dormitantem sapientiam, Scævolarum et ceterorum beatorum otio concedamus. *h. e.* juris prudentiam. — *b)* Cum Genetivo. *Id.* 2. *Orat.* 37. 154. Sapientiam illam constituendæ civitatis cognovit. ¶ 5. Prægnanti, ut ajunt, sensu, sæpe est cognitio et scientia omnium divinarum humanarumque rerum, quam vitæ integritas et morum sanctitas consequitur, *sapienza, filosofia, santità,* σοφία. — *a)* In sing. num. *Cic.* 1. *Off.* 43. 153. Princeps omnium virtutum est illa sapientia, quam σοφίαν vocant. prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν, aliam quamdam intelligimus: quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum, in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Adde 2. *ibid.* 2. 5. et 5. *Tusc.* 3. 7. etc. *Ennius Ann.* 227. Nec quisquam Sophiam, sapientia quæ perhibetur, in somnis vidit. *Afran.* apud *Gell.* 13. 8. Usus me genuit, mater peperit Memoria: Sophiam vocant me Graji, vos sapientiam. *Plaut. Capt.* 2. 2. 25. Ad sapientiam hujus nimium nugator fuit. *Cic.* 4. *Fin.* 7. 17. Sapientia hominis custos et procuratrix. *Id.* 1. *Legg.* 22. 58. Mater omnium bonarum artium sapientia est. *Tac.* 14. *Ann.* 56. Sapientiæ studia. *Id.* 14. *ibid.* 16. doctores. *i filosofi. Id. Agric.* 4. Julius Græcinus senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus. *Seneca Vit. beat.* 3. A natura non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. *Id. Ep.* 20 Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle. licet illam exceptiunculam non adjicias, ut rectum sit quod velis, non potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum. *et Ep.* 89. Dicam, inter sapientiam et philosophiam quid intersit. sapientia perfectum bonum est mentis humanæ philosophia sapientiæ amor est et affectatio. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 7. Sapientiæ fontibus orti. *h. e.* philosophi. *Curt.* 7. 8. 10. Sapientiam capere. — *b)* In plur num. *Cic.* vertens *Epicuri* verba, 2. *Tusc.* 18. *ad fin.* Qui si virtutes ebullire nolent, et sapientias, nihil aliud dicent, nisi etc.

SĂPĬENTĬĀLIS, e, adject. (sapientia) ad sapientiam pertinens. *Tertull. Anim.* 15. Summus in anima gradus vitalis et sapientialis

SĂPĬENTĬFĬCO as, are, a. 1. (sapiens et facio) sapientem facere. *Vulgat. Ital. interpr. Ps.* 145. 8.

SĂPĬENTĬPŎTENS, entis, adject. (sapientia et potens) qui sapientia multum valet, ut *bellipotens,* qui plurimum potest bello. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 116. Postremo quamquam semper fuit, ut apud Ennium est, stolidum genus Æacidarum, Bellipotentes; tamen hanc versus amphiboliam intelligere potuisset.

SĂPĬNĔUS *vel* Sappineus *vel* Sappinius, a, um, adject. qui est ex sapino. *Colum.* 12. *R. R.* 5. *in fin.* Sapineæ nuces. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 10. 9. (36). Tertium genus *(pinearum nucum)* sap-

piniæ, e picea sativa, nucleorum cute verius, quam putamine, adeo molli, ut simul mandatur. — A *Vitruv.* 2. 9. sapinea vocatur pars abietis ima, de qua *V.* in SAPINUS.

SAPĪNOS. *V.* SAPENOS.

SĀPĪNUS *vel* Sappinus, i, f. 2. De vocis notatione *V.* SAPPIUM. — Sapinus non est, ut ait *Forcellinus*, genus arboris, sed nomen materiei quarumdam arborum cæsarum, ut docet *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (61), ubi tamen *Sillig.* leg. *sappium*, præsertim vero abietis. In hac enim quæ pars a terra fuit, enodis et liquida, fluvio macerata, decorticata et in quatuor partes secundum venarum cursum diffissa, *sapinus* et *sapinea materia* vocatur, ut *id. ibid.* 39. 76. (196). et *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* diserte tradunt, quemadmodum ejusdem abietis superior pars, nodosa duriorque, fusterna dicitur. — Sunt tamen loca non una, quibus hac voce genus unum arboris significari videtur. Nam *Gloss. Philox.* Sappinus, πεύκη. *Item* Sapinus, πίτυς. *Cato R. R.* 31. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 75. (193). Prelume sapino atra potissimum facito. Apud *Caton.* quidam leg. e *carpino.* (Sic et *Schneiderus:* hanc autem carpinum monet *Pontedera* a materiariis Venetis *sappino* vocari.) *Varro* 1. *R. R.* 6. Quædam in montanis proliziora nascuntur ac firmiora, propter frigus, ut abietes ac sappini. Sed hæc, et alia si qua sunt, ad priorem significationem trahi possunt per synecdochen. Πεύκη enim et πίτυς, sapinus dicuntur, quia ex his sapinus fit. Atra sapinus apud *Catonem* facile intelligitur abies in sapinum redacta. *Varro* abietes et sappinos distinxit, fusternam fortasse et sapinum intelligens. *Servius* profecto ad *Virg.* 2. *G.* 68. Abietis species apta navibus, quam sapinum vulgo vocant. Hæc tamen non ego obstinate defenderim. Hucusque *Forcellinus.* At recentiores philologi *sapinum* arborem a *sapino* arboris parte seu materia omnino distinguunt. V. *Klotz* ad h. v. Cf. etiam *Colum.* 12. *R. R.* 5. 2. Galli hodierni vocant *sapin* abietem, et *sapine* assem, seu trabem ex eadem arbore. *V.* SAPPIUM.

SĂPĬO, săpis, săpīvi *et* săpĭi *et* săpŭi, săpĕre, n. 3. *Sapivi* est *Nov.* apud *Priscian. p.* 879. et apud *Non. p.* 508. 21. *Merc.*, et *sapisti* habet *Martial.* 9. 6., et *sapisset* usurpat *Plaut. Rud.* 4. 1. 8., ubi *Priscian.* leg. *sapuisset:* quod et *Probus* et *Charis.* probant 3. *p.* 218. *Putsch.* Item *sapuisse* apud *Cassiod.* 10. *Variar.* 14. et 2. *Hist. eccles.* 11. *ante med., Prosper Aquit. epigr.* 67. 7. et *Alcim.* 4. 469. Forma *sapui* locum habet præcipue in compositis *desipui, resipui* etc. *Sapitum,* supinum est in *lib. Turicens. p.* LXVIII. 7. *Hage.*, sed nullo adlato exemplo. — Ratione habita etymi, recentiores vocem conjungunt cum Græc. ὀπός, et Germ. *Saft*, sucus, unde σοφός; alii cum σαφής; alii cum σαίπω; alii vero cum Copt. *sbo*, docere, vel *sabo*, scire, discere. — Particip. *Sapiens* in fin. — Sapio est saporem habeo, χυλὸν ἔχω (It. *aver sapore, o gusto;* Fr. *être sapide, avoir de goût;* Hisp. *haber sabor;* Germ. *schmecken, schmackhaft sein, - haben;* Angl. *to have a taste or relish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est saporem habeo. — *a)* Absolute. *Cato R. R.* 66. Nam si utetur, oleum male sapiet. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 104. Certe scio occisam sæpe sapere plus multo suem, quum manducatur. *Colum.* 7. *R. R.* 8. Fici ramulis glaciatus caseus jucundissime sapit. *Juvenal.* 11. 120. At nunc divitibus cenandi nulla voluptas: Nil rhombus, nil dama sapit. — *b)* Cum Accusativo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (18). Mella herbam eam sapiunt. *sanno di quell'erba.* et *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. Tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eo die captum piscem, qui, ut ajunt, saperet ipsum mare. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.*, et *Phædr.* 3. 4. — Non tamen, ut ait *Asper* 50. 2. *Keil.*, dici potest *sapior;* est enim neutrale. ¶ 2. Item saporem percipio, *sentire il sapore, gustare. Cic.* 2. *Fin.* 8. *circa med.* Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus.

II.) Translate. ¶ 1. Per catachresin transfertur ad odores, *aver odore,* olere, redolere, et cum Accusativo occurrit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (38). et 13. *ibid.* 3. 4. (21). Cicero, meliora, inquit, unguenta sunt, quæ terram, quam quæ crocum sapiunt: hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto. illa erit optima *(terra)* quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille, qui quæritur, etc. *sanno di terra.* et *Plaut. Pseud.* 2. 4. 47. Quid sapit? CHA. hircum ab alis. — Et metaphorice. *Pers.* 1. 11. Quum sapimus patruos. *h. e.* referimus, similes sumus, imitamur. ¶ 2. Sæpissime refertur ad animum, et significat intelligere, sapientia præditum esse, quid agendum fugiendumve sit, scire, bonam mentem et rectum rerum judicium habere, quid e re sua cuique sit, dignoscere, peritum esse, *sapere, intendere, aver giudizio, senno, uso di ragione, esser avveduto, saggio, conoscere, intendersene.* — *a)* Absolute. *Enn. Trag.* 310. *Vahl.* Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequicquam sapit. *Ter. Adelph.* 3. 4. 22. (*al.* 3. 3. 32.) Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est, Videre, sed illa etiam quæ futura sunt, Prospicere. *Nævius* apud *Priscian.* 10. *p.* 879. *Putsch.* et apud *Non. loc. cit.* Ego plus sapivi, qui fullonem compressi. *Ter. Heaut.* 2. 3. 81. (*al.* 2. 2. 81.) Vis amare, vis potiri, vis, quod des illi, effici: Tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis: Si quidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere. *Id. Eun.* 4. 4. 53. Tu pol, si sapis, quod scis, nescis. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 66. Ut lassus veni de via, Me volo curare. PSEUD. sane sapis, et consilium placet. *Id. Rud.* 4. 1. 8. Pol magis sapisset, si dormivisset domi. *Id. Bacch.* 4. 4. 12. Versipellem frugi convenit esse hominem, cui pectus sapit. *Cic.* 14. *Fam.* 1. Qui quum primum sapere cœpit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. *Id.* 2. *Off.* 14. 48. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam et sapere plusquam ceteros arbitramur. *Id. Divin. Verr.* 17. 55. Causam inimicitiarum cognoscite ex me. nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam proferet. *Id. Quinct.* 4. 16. Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret. *Propert.* 4. 6. 83. si quid sapis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 141. sapere est abjectis utile nugis. *Id.* 1. *ibid.* 2. 40. sapere aude. *Id. Art. P.* 456. timent fugiuntque poetam, Qui sapiunt. *Martial.* 9. 6. Nubere vis Prisco, non miror, Paula: sapisti. Ducere te non vult Priscus: et ille sapit. *Lactant.* 3. 16. *circa med.* Sed sapiendum est, et quidem mature. — *b)* Cum Accusativo. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 81. Recte ego rem meam sapio. *Id. Most.* 5. 1. 45. nullam rem sapis. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. de hariolis. Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. *Cic.* 7. *Fam.* 28. Quamquam quis, qui aliquid sapiat, nunc esse beatus potest? *Id.* 14. *Att.* 5. Ista quidem conjuratio facile opprimeretur, si recte saperet Antonius. *Plin.* 3. *Ep.* 6. Emi Corinthium signum, modicum quidem, sed festivum et expressum, quantum ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio. *men intendo.* — *Sero sapiunt Phryges,* proverbium natum a Trojanis, qui decimo denique anno velle cœperant Helenam, quæque cum ea erant rapta, reddere Achivis. Ita *Fest. p.* 343. 11. *Müll.* Cf. *Cic.* 7. *Fam.* 16. — *c) Sapere ad aliquid,* sapere in aliqua re, quum de re quapiam agitur. *Plaut. Truc.* 4. 4. 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam. *Id. Pers.* 1. 3. 27. Sapis multum ad Genium. *Ter. Adelph.* 5. 3. 46. Ad omnia alia ætate sapimus rectius. — Hinc Particip. præs.

Sapiens, entis, cujus Ablat. sing. *sapienti* et *sapiente,* et Genet. plur. *sapientium* et *sapientum* (V. *locc. cit.*): occurrit autem *A)* Adjective, et *B)* Substantivorum more; sed translata tantum significatione.

A) Adjective, unde Comp. *Sapientior,* et Superl. *Sapientissimus.* — Sapiens ¶ 1. Generatim est doctus, peritus, prudens, mente et consilio præditus, bene sanus: cui opponitur stultus, φρόνιμος, σοφός, *saputo, dotto, prudente, savio, o saggio, avveduto, accorto.* — 1.°) Absolute. — *a)* De hominibus. *Cic.* 1. *Off.* 5. 16. Qui maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit; quique acutissime et celerrime potest videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. *Id. Cluent.* 31. 84. Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit ipsi, veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. *Id.* 10. *Phil.* 8. *a med.* Quis aut sapientior ad conjecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior? *Plaut. Stich.* 1. 2. 66. Quæ tibi mulier videtur multo sapientissima. *Id. Rud.* 2. 3. 29. Aleator sapiens. *Sall. Cat.* 11. Sapiens nemo pecuniam concupivit. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 22. Vir bonus et sapiens. *Id.* 1. *Od.* 7. 17. sic tu sapiens finire memento Tristitiam. *Id.* 2. *Ep.* 1. 18. populus sapiens justusque in uno. *Id.* 2. *Sat.* 3. 265. servus non paullo sapientior. *Colum.* 12. *R. R.* 59. 5. Nec tamen canis natura dedit cunctarum rerum prudentiam. nam etiam quicumque sunt habiti mortalium sapientissimi, multa scisse dicuntur, non omnia. — *b)* De belluis. *Plaut. Truc.* 4. 4. 15. Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia, Ætatem qui uni cubili numquam committit suam: Quia, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 38. 90. (221). Animalium fortiora, quibus sanguis crassior; sapientiora, quibus tenuior. *Cœl. Sympos. ænigm.* 34. Sapiens fera. *h. e* vulpes. — *c)* De rebus inanimis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 62. sera et sapientior ætas. *Plaut. Pers.* 4. 5. 1. Edepol dedisti operam allaudabilem, probam et sapientem et sobriam. *Cic.* 8. *Att.* 12. Nihil prætermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem. *Id.* 3. *Legg.* 7. *extr.* Sapiens juris temperatio. *C. Carbo* apud *eumd. Orat.* 33. *a med.* dictum. *Val. Max.* 7. 2. *n.* 4. factum. *Ovid.* 13. *Met.* 433. consilium. *Nepos Timoth.* 4. Moderata et sapiens vita. *Gell.* 1. 15. Homerus vir sapienti facundia præditus. — *Sapientissima arborum,* dicta est morus, quia novissima urbanarum germinat, nec nisi exacto frigore. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (102). — 2.°) Cum Genetivo. *Gell.* 13. 8. Qui sapiens esse rerum humanarum vult, non libris solis opus etc. ¶ 2. Speciatim, et præcipue *sapiens* dicitur, qui humanarum divinarumque rerum scientia pollet, et ad ea vitam suam moresque ita instituit, ut integrum se a vitiis pravisque affectibus præstet, et animum virtutibus moralibus exornet. De quo multa *Cic.* in scriptis philosophicis, et *Seneca* passim. — Septem fuere in Græcia viri, consensu omnium *Sapientes* appellati: Thales Milesius, Solon Atheniensis vel Salaminius, Chilon Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius. (Alii tamen alia nomina tradunt. V. *Platon. dial. Protagor. c.* 28. Cf. *Zeller, Philos. d. Gr.* et *Ueberweg, Grundriss d. Gesch. d. Phil. d. Alterth.*) Horum γνῶμαι fuere, Thaletis ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, Solonis ὅρα τέλος μακροῦ βίου, Chilonis γνῶθι σεαυτόν, Pittaci γίγνωσκε καιρόν, Biantis οἱ πλεῖστοι κακοί, Cleobuli ἄριστον μέτρον, Periandri μελέτη τὸ πᾶν. quæ omnia fuse varieque extulit *Auson.* in *Ludo VII. Sapient.* ubi in Thalete nominis originem tradit, quæ talis fuit. Quidam Milesii jactum retis emerant a piscatoribus: extracto rete, inventus est cum piscibus tripus aureus. Suum esse ajebant Milesii, quod illum omnem jactum pecunia emissent: sibi vindicabant piscatores, quod solam piscium capturam pepigissent. Dirimendæ liti, quæ usque ad arma exarserat, aditum est Apollinis oraculum, cujus responsum fuit, sapientissimo illius ætatis tripodem deberi. Omnium consensu ad Thaletem delatus est, a quo ad Biantem remissus, tamquam se sapientiorem: hic eadem de causa Pittaco obtulit: ab hoc ad alios, quos nominavimus, transmissus, donec ad Thaletem redi-

ret: qui demum statuit Apollini dicandum, soli vere sapienti et sapientiæ largitori. Admirata Græcia illorum virorum magnitudinem animi, cos et esse et vocari debere sapientes judicavit. Adde *Val. Max.* 4. 1. *n.* 7., ubi paucis mutatis eadem narrat. — Post hos fuit Pythagoras, dignus et ille quidem eo nomine, sed qui se maluit philosophum appellari, idest amatorem sapientiæ, quam sapientem, ut est apud *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 9. Apud Romanos sapientes dicti sunt L. Atilius JCtus, M. Cato, C. Lælius, item C. Fabricius, M'. Curius, Ti. Coruncanius, ut *id. Amic.* 2. 6. *et* 5. 18. tradit.

B) Substantivorum more ¶ 1. Significatione in super. paragr. 1. adlata. *Plaut. Rud.* 4. 7. 19. Semper cavere hoc sapientes nequissimum est. *Id.* 2. 4. 15. Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit. *a chi sa.* et *Pers.* 4. 7. 19. (et *Ter. Phorm.* 3. 3. 8.) Dictum sapienti sat est. *a buon intenditor poche parole. Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 23. Sapientumne (*causa*) an stultorum? *Id. Sext.* 10. 23. Sapientes omnia sua causa facere. *Sall. Cat.* 11. Secundæ res sapientium animos fatigant. *Id.* 1. *Hist. fragm.* 48. *Dietsch.* Quæ pessumi et stultissimi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. *Horat.* 3. *Od.* 21. 14. sapientium curas retegis Lyæo. *Id.* 1. *Ep.* 4. 5. quidquid dignum sapiente bonoque est. ¶ 2. Significatione in super. paragr. 2. adlata. *Lucret.* 2. 8. Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere Edita doctrina sapientum templa serena. *Nepos Thrasyb.* 4. Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus. *Tac. Agric.* 46. Ut sapientibus placet. *h. e.* philosophis. *Cic.* 3. *Off.* 4. 16. Nemo enim horum (*sapientum*) sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi: nec ii, qui sapientes habiti sunt, M. Cato et C. Lælius, sapientes fuerunt: ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant, speciemque sapientum. Hinc proverbii loco ab *Horat.* 2. *Sat.* 3. 296. *sapientum octavus* ridicule vocatur L. Stertinius, Stoicus philosophaster, ut *Juvenal.* 2. 40. Tertius e cælo cecidit Cato. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

SAPLUTUS. *V.* ZAPLUTUS.

SĀPO, ōnis, m. 3. Etymon vocis videtur inesse Celtico *sap*, pinguis, glutinosus, unguinosus. *V.* SAPPIUM: cf. Germ. *seife*, et Angl. *soap.* — Sapo est smegmatis genus, *sapone. Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 51. (191). Strumis prodest et sapo: Galliarum hoc inventum rutilandis capillis. fit ex sebo et cinere: optimus fagino (*cinere*), et caprino (*sebo*), duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris, quam feminis. *Seren. Sammon.* 11. 157. Horrebit si livor atrox, aut nigra cicatrix, Attrito sapone genas purgare memento. *Martial.* 14, 26. cui lemma *Sapo.* Caustica Teutonicos accendit spuma capillos, Captivis poteris cultior esse comis. Eamdem rem designat, aut ejusdem generis, *ibid.* 27. Si mutare paras longævos cana capillos, Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas. *Mattiacum* Germaniæ oppidum. *et Seren. Sammon.* 4. 55. Ad rutilam speciem nigros flavescere crines Unguento cineris etc. — *Sapo Gallicus* apud *Marcell. Empir.* 19. 113.

SĀPŌNĀRĬUS, ii, m. 2. (sapo) qui saponem conficit, *saponajo. Plin. Valerian.* 3. 14. *ante med.* Recipe lixiviæ, qua utuntur saponarii, libram unam, uncias quatuor. *Pap. n.* 117. 6. (*a.* 541.) apud *Mar. Pap. dipl.* Isacius saponarius emptor.

SĀPŌNĀTUM, i, n. 2. (sapo) spuma ex sapone aqua macerato, *saponata. Theod. Priscian.* 1. 10. Post etiam saponato lavare linimenta conveniet.

SĀPOR, ōris, m. 3. (sapio). Dictum volunt ab ὀπός Æolico pro ὀπός, sucus, quia sapor in suco et humore maxime sentitur. *V.* SAPIO. — Sapor est gustus, qualitas illa rerum, quæ gustu percipitur, χυλός, χυμός (It. *gusto, savore, sapore;* Fr. *saveur, goût;* Hisp. *sabor;* Germ. d. *Geschmack;* Angl. *a taste, savour, relish, smack*).

I.) Proprie. — *a*) In plur. num. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. *extr.* Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini et in palato. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 36. exacta tenui ratione saporum. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). — *b*) In sing. num. sæpius. *Cic. Cæl.* 27. *in fin.* Qui non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 27. 32. (106). Quæ sunt communia et pomis omnibusque sucis, saporum genera tredecim reperiuntur: dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. Præter hæc, tria sunt genera mirabili maxime natura. unum, in quo plures pariter sentiuntur sapores, ut vinis: alterum, in quo sit et alienus quidem, et sed et suus quidam et peculiaris, ut in lacte. siquidem inest ei, quod tamen jure dici dulce et pingue et suave non posset, obtinente lenitate, quæ ipsa succedit in saporis vicem. Nullus hic aquis, ne sucus quidem, ut tamen eo ipso fiat aliquis, ac suum genus faciat. *et mox.* Mirum tria naturæ præcipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine suco, aquas, aera, ignes. *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (209) *de sue.* Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, quum ceteris singuli. *Id.* 15. *ibid.* 15. 16. (55). Pira acidulo sapore jucunda. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 13. Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum. *Virg.* 4. *G.* 277. *de amello.* Asper in ore sapor. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 100. 104. (222). Asper sapor maris. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (21). Sapor asperrimus. *et* 20. *ibid.* 11. 44. (113). acer et fervidus. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. et 4. *ibid.* 10. *a med.* argutus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. (129). horridus. *Id.* 26. *ibid.* 8. 50. (83). odoratus et jucundus. *et* 15. *ibid.* 14. 15. (50). gratissimus. *Id. ibid.* 16. *init.* blandus. *Rutil.* 1. *Itiner.* 253. mollis. *Virg.* 2. *G.* 126. tardus. *h. e.* qui vix percipitur. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 12. Poma sapore tristi. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *a med.* Ficus saporis obtusi. *Apul.* 1. *Met.* Caseus sciti saporis. *Colum.* 3. *R. R.* 7. 2. Sapor pretiosus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Oleum sapore præstantissimum. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (79). Hammoniacus sal ingratus sapore, sed medicinæ utilis. *Id.* 26. *ibid.* 10. 63. (97). Erythraicon sapore subdulce. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (124). Ut odor vino contingat, et saporis quædam acumina. *Flor. de qual. vit.* 4. *Wernsd.* Asperum saporem ducere. *Æmil. Macer de eruca.* Gratum præstare saporem.

II.) Translate. — *a*) Metonymice est res ipsa saporem habens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 29. (63). Admovit sibi gula sapores, piscibus satis, et novum incolam mari dedit. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. (4) Tot sapores annui sponte venientes, et mensæ secundæ. (*Odor* quoque sic usurpatur. *V.* hanc voc.) *Virg.* 4. *G.* 62. hic tu jussos asperge sapores, Trita melisphylla, et cerinthæ ignobile gramen. Adde *ibid.* 267. — *b*) Item est ipsa facultas percipiendorum saporum, quæ in ore est. *Lucret.* 2. 509. Namque aliis aliud retro quoque tetrius es et Naribus, auribus, atque oculis orisque sapori. — *c*) Per catachresin ad odorem, et etiam ad ceteros sensus refertur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 39. (117). Gravitati saporis occurritur tectis naribus unguento. *Id.* 23. *ibid.* 4. 45. (88). Oleum caryinum iners, et gravi sapore. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 2. *G.* 246. Quinque genera saporum sunt: visus, auditus, odoratus, tactus, gustus. — *d*) Metaphorice dicitur de oratione et de aliis rebus. *Cic. Brut.* 46. *ad fin.* Tincam multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo. *h. e.* salibus, urbanitate, facetiis. *Petron. Sat.* 3. Quoniam sermonem habes non publici saporis. *h. e.* non vulgaris, sed cultioris eloquentiæ. Adde *ibid.* 5. et *V.* PUBLICUS. *Cic. in Senat.* 6. 14. Homo sine sensu, sine sapore, elinguis, tardus. *h. e.* fatuus, insulsus, stultus. *Arnob.* 3. *p.* 108. Quisquamne est hominum rationis alicujus sapore contactus, qui pilos et lanugines credat in deorum corporibus nasci? *che abbia fior di senno.* Adde *Ennod. epigr.* 15. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĀPŌRANS, antis, *et*

SĀPŌRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĀPŌRO, as, ātum, are, a. 1. (sapor) Particip. *Saporans* II.; et *Saporatus* I. et in fin. — Saporo est saporem alicui rei tribuo, *rendere saporito.*

I.) Proprie. *Dracont.* 1. *Hexaem.* 165. Qui rosulis stellare nemus, vel floribus agros Imperat, auctumni qui dulcia poma saporat. *Tertull. Spectac.* 27. Condita pulmenta, et bene saporata, et plurimum dulcia. *Virg.* 6. *Æn.* 420. Melle saporatam, et medicatis frugibus offam Objicit. Ubi tamen codd. ms. Vatic., Medic., Palat. et Rom. habent *soporatam.* et *Petron. fragm. p.* 675. *Burmann.* Mille saporatam medicatis frugibus offam. At rectius leg. *soporatam.*

II.) Translate. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Ordior fabulam, quam nuper Attica saporante salsura etc. — Hinc

Saporatus, a, um, adject. quoque occurrit; unde Comp. *Saporatior:* et est idem ac saporus, sapore imbutus, conditus. *Ammian.* 31. 2. 21. Ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis. *Arnob.* 5. *p.* 164. Saporatior sanguis. At alii rectius leg. *soporatior.*

SĀPŌRUS, a, um, adject. (sapor) sapore grato imbutus, sapidus, saporatus, *saporito,* γευστός.

I.) Proprie. *Lactant.* 3. 16. *ad fin.* Postquam, inquit (*Pers.* 6. 38.), sapere urbi Cum pipere et palmis venit: tamquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta. *Prudent. Hamartig.* 751. Saporum saxum. *Jul. Valerian.* 3. 33. mala.

II.) Translate. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 94. Nihil est dulcius ac magis saporum, quam vatis pia præcinentis orsa.

SAPPA, æ, f. 1. *zappa,* instrumentum rurale. *Gloss. Isid.* Sappa, quasi sarculum.

SAPPHĬCUS, a, um, adject. Σαπφικός, a Sappho. *V.* ONOM. — Hinc *Sapphicum metrum* et *Sapphicus versus,* de cujus origine et diverso genere V. *Diomed. loc. cit., Mar. Victorin. p.* 25 59. *Putsch., Bedam p.* 2377., *Terent. Maur. p.* 967., *Sidon.* 9. *Ep.* 16., al. Speciminis causâ stropham afferimus ex iis, quæ habentur, paucis hujusce poetriæ carminum reliquiis, apud *Dionys. Halic. de Compos. Verb. c.* 23. Ποικιλόθρον', ἀθάνατ' Ἀφροδίτα Παῖ Διός, δολοπλόκα, λίσσομαί σε;-Μή μ' ἄσαισι, μηδ' ἀνίαισι δαμνα-Πότνια, θῦμον. Unde patet Sapphicum esse versum hendecasyllabum, vel trimetrum catalecticum. Porro apud Latinos Sapphici hendecasyllabi exemplum est illud *Horatii* 1. *Od.* 2. 1. Jam satis terris nivis atque diræ. V. *Diomed.* 3. *p.* 508. *Putsch.* Alia sunt genera carminum, quæ Sapphica dicuntur, ut illud trochaicum: Splendet aurum, gemma fulget, forma sed placet. Item: Faune Nympharum metus et voluptas: Et illud choriambicum: Dulcisonæ Pierides versifico favete. Et illud Ionicum: Sonat alta trabe fixus tibi nidus. *Servius* in *Centimetro, p.* 1819. *Putsch.* et *sequentib. Auson. Ephemer.* 21. Fors et hæc somnum tibi cantilena Sapphico suadet modulata versu. *Venant.* 9. *Carm.* 6. Sapphica metra.

SAPPHĪRĀTUS *vel* Sappiratus, a, um, adject. (sapphirus). Secundam syllabam *Sidon. loc. cit.* corripit; sed licentia est non imitanda. — Sapphiratus est sapphiris ornatus, σαπφειρωτός. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. *in carm.* Ac sub versicoloribus figuris Vernans herbida crusta, sapphiratos Flectit per prasinum vitrum lapillos.

SAPPHĪRĪNUS *vel* Sappirinus *vel etiam* Saffirinus, a, um, adject. (sapphirus) σαπφείρινος, qui est ex sapphiro, aut ad sapphirum pertinet, ut Lapis sapphirinus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 38. (119). Inest ei aliquando et aureus pulvis, non qualis in sapphirinis. *Dig.* 39. 4. 16. Sapphirinus lapis. Adde *Alcim.* 4. 731. et *Vulgat. interpr. Exod.* 24. 10. *Hieronym. in Is.* 15. 54. *v.* 11. et 12. Sapphirina fundamenta. *Jul. Valerian.* 1. 3. horoscopus. *Iornand. Get.* 3. Hi (*Scandinavii*) quoque sunt, qui in usus Romanorum sapphirinas pelles, commercio interveniente, per alias innumeras gentes transmittunt, famosi pellium decora nigredine. *V.* MURINUS.

SAPPHĪRUS *vel* Saphirus *vel* Sappirus, i, f. 2. σάπφειρος: cf. Hebr. ספר *shaphar,* pulcrum esse. — Mascul. gen. est apud *Isid.* 16. *Orig.* 9. —

Quod ad quantitatem attinet, secundam syllabam licenter corripuit *Venant.* 6. *Carm.* 2. 86. Sapphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, iaspis, Cedant cuncta. Cf. *Sidon. loc. cit.* in SAPPHIRATUS. — Sapphirus, *zaffiro, lapislazzolo,* (et *venturina orientale* apud *Coripp.* 286.) gemmæ nomen, de qua *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 39. (119-120). In sapphiris aurum punctis collucet cæruleis. Sapphirorum, quæ cum purpura, optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ: præterea inutiles scalpturæ, intervenientibus crystallinis centris. Quæ sunt ex iis cyanei coloris, mares existimantur. Adde *Tertull. advers. Marcion.* 2. et *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 18. *Avien. Descript. orb.* 1304. quærere pulcræ Sapphiri latebras, et præduros adamantas.

SAPPĪNĔUS. *V.* SAPINEUS.

SAPPINĬA Tribus, in Umbria. Scribitur et *Sapinia:* quæ scriptura probatur etiam a *Morgagno Epist. Æmil.* 14. *sect.* 5., et a recentioribus; censent enim fuisse eum tractum, qui Sapi fluvio alluitur. *Liv.* 31. 2. C. Oppium cum hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit. Adde 33. 37. Ex hoc autem loquendi modo satis constat, non esse unam ex XXXV. tribubus R., sed locum in ea provincia sic appellatum.

SAPPĪNUS. *V.* SAPINUS.

SAPPĪRĀTUS. *V.* SAPPHIRATUS.

SAPPĪRĪNUS. *V.* SAPPHIRINUS.

SAPPĪRUS. *V.* SAPPHIRUS.

SAPPĬUM *vel* Sapium, ii, n. 2. Origo vocis videtur esse a Celtico *sap,* pinguis, glutinosus, unguinosus. *V.* SAPO. — Sappium est picea, feritatis paullum mitigatæ satu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. *extr.,* ubi alii aliter leg.: fortasse locus est corruptus. *V.* cl. *Fée* ad h. l. et v. SAPINUS.

SĂPRŎPHĂGO, is, ere, n. 3. putridis cibis vescor: a σαπρός, putris, et φάγω, comedo. Translate et obsceno sensu de cunnilingo usurpat *Martial.* 3. 77. ut quid enim, Bætice, saprophagis? Quædam editiones scribunt Græce σαπροφαγεῖς: est enim Græca vox.

SĂPROS *vel* Saprus, a, um, adject. σαπρός, Græce putridum significat. Hinc apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 34. (132). Sapros caseus dicitur, qui cum sale et sorbis siccis e vino tritus potusque medetur cœliacis.

SAPSĂ, ipsa, et non alia, apud veteres: quasi *se ipsa:* a Sanskr. *sa,* pron. 3. pers., *hic, is,* h. e. *i-psa* vel *ea-psa,* seu *ea-pse.* Hinc *Festus p.* 325. 17. *Müll.* Sas Verrius putat significare eas. *Enn.* apud *eumd. ibid.* Quo res sapsa loco sese ostentatque jubetque. *Pacuv. ibid.* Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.

SAR, m. genus piscis, Phœnicum linguâ. *Isid.* 12. *Orig.* 6. Quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, a pisce quodam, qui illic abundat, quem lingua sua sar appellant.

SĂRĂBĀLA *vel* Saraballa, ōrum, n. plur. 2. et Saraballæ, ārum, f. plur. 1. Est etiam *Saraballum, i,* n. sing. 2., de quo vide infra. — Sarabala, ἀναξυρίδες, eadem quæ sarabara: est a Chald. סרבאל *sarbela,* bracæ, quod a סרבל *sarbel,* texit. *Hieronym. Ep.* 1. *n.* 9. ex *Daniel.* 3. 94. Circa quorum saraballa, sanctamque cæsariem innoxium lusit incendium. *V* voc. seq. Forma *saraballæ,* fem. plur., est *Augustin. de Magistr.* 33. — Etiam *saraballum* invenitur apud *Commodian.* 10. 1. Mercurius vester fiat cum saraballo depictus, Et galeam aut pileum pinnatus, cetera nudus. At *Schulzius* in *Lex. Hebr. Chald. T.* 2. *p.* 1197. putat, saraballum, a *Commodiano* memoratum, non bracas, sed chlamydem seu pallium significare; enimvero Mercurius sæpissime in antiquis monumentis visitur cum chlamyde retro rejecta, cetera nudus.

SĀRĂBĀRA, æ, f. 1. *et* Sarabara, ōrum, n. plur. 2. vestis Persicæ genus fluxum et sinuosum, ut *Isid.* 19. *Orig.* 23. describit. Est autem eadem, quæ Latine bracæ. *Publius* apud *eumd. ibid.* Ut quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt? *Hieronym.* ad *Daniel.* 3. 21. Pro bracis, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila et Theodotio *saraballa* dixerunt. Lingua autem Chaldæorum *saraballa* vocantur bracæ eorum, quibus crura teguntur et tibiæ. *Tertull. Pall.* 4. *de Alex. M.* Vicerat Medicam gentem, et victus est Medica veste; triumphalem cataphracten amolitus, in captiva sarabara decessit. *Id. Resurr. carn.* 58. Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras, nec sarabara læserunt. *Alii leg.* sarabaras. Ex his patet, *sarabala* rectius, quam *sarabara* scribi; eamque vestem fuisse, quæ et crura et femora tegit, quamque ita definit *Tac.* 2. *Hist.* 20. Bracas, tegmen barbarum.

SARAPA, æ, f. 1. nomen avis vulgo ardeæ. *Sch. Bern.* ad *Virg.* 1. *G.* 364. Alii rectius leg. *sarpa.* V. hanc voc.

SĀRAPIS, is, f. 3. *Hesych.* Σάραπις, πορφυροῦς χιτὼν μεσόλευκος. h. e. Persica tunica candidos habens clavos. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 33. Deglupta mæna, sarapis, semicinctium. Alii aliter leg. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SARCASMOS *vel* Sarcasmus, i, m. 2. σαρκασμός, species allegoriæ, qua acriter irridemus aliquem: plena odio atque hostilis irrisio, per amaram ironiam, jocus amarulentus. Græca vox a σαρκάζω, carnes detrabo, ut fit a canibus morsu lacerantibus: quia hujusmodi irrisio valde mordet, et quasi lacerat: nostrates vulgo *levar la pelle* dicunt. *Quintil.* 8. 6. *a med., Charis.* 4. *p.* 247. *Putsch., Diomed.* 2. *p.* 458. Tale est illud *Virg.* 12. *Æn.* 359. En agros, et quam bello, Trojane, petisti Hesperiam, metire jacens. *et* 10. *ibid.* 557. Istic nunc, metuende, jace. Adde *Sall.* 1. *Hist. fragm.* 35. *Kritz.* A *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. dici videtur *illusio.* V. — Alio modo describit *Rufinian. de fig. sent.* nempe quum fœdiora significamus, non sine dicacitate concinna: ut in illo *Virg.* 3. *Ecl.* 8. Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis, etc. *et Cic. Dom.* 18. 47. Sexte noster, bona venia quoniam jam dialecticus es, et hoc quoque liguris. *et Cæl.* 13. *sub fin.* Nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro.

SARCĬA. *V.* SARCOMA.

SARCĪMEN, mĭnis, n. 3. (sarcio) *cucitura, rappezzatura,* ῥαφή, sutura. *Apul.* 4. *Met.* Tunc tenui sarcimine summas oras ejus (*corii ursini*) adæquamus, et juncturæ rimam, licet gracilem sætæ circumfluentis densitate sæpimus.

SARCĬNA, æ, f. 1. involucrum, fascis rerum utensilium, quem quis humeris portare potest, v. gr. in itinere: a *sarcio* (cf. σαργάνη, vinculum, vimineum opus, canistrum); porro in militia est quidquid pro se quisque portat miles, et oppon. *impedimento,* quod pro toto exercitu est, τὰ σκεύη, τὸ φορτίον, φάκελλος (It. *fardello, fagotto, bagaglio, carico, soma, salmeria;* Fr. *bagage, paquet;* Hisp. *bagage, paquete, carga;* Germ. d. *zusammengeschnürte Bündel, Bürde, Last;* Angl. *a bundle, burden, load fardel, pack*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Fronto de differ. voc. p.* 2197. *Putsch.* Onus vehiculorum et majus est: sarcina hominum. *Plaut. Trin.* 2. 4. 194. Actum est de collo meo: gestandus peregre clipeus, galea, sarcina. et 3. 2. 93. Sarcinam constringere, et clipeum ad dorsum accommodare. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 6. gravis sarcina chartæ. *Propert.* 4. 3. 43. Romanis utinam patuissent castra puellis! Essem militiæ sarcina fida tuæ. *Petron. Sat.* 117. *a med.* Precati deos viam ingredimur: sed Corax, detrectator ministerii, posita frequentius sarcina, maledicebat properantibus affirmabatque, se aut projecturum sarcinas, aut cum onere fugiturum. — *b*) In plur. num. *Sall. Jug* 97. Priusquam exercitus aut instrui aut sarcinas colligere quivit, equites in nostros incurrunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Legionem sub sarcinis adoriri. *Auct. B. Afr.* 75. Existimabat, milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. *Cæs.* 3. *B. G.* 76. Magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta. *Liv.* 10. 20. Arma in sarcinis deligata. *Id.* 40. 3. Sarcinis jumentisque coactis etc. *Tac.* 1. *Ann.* 23. Sarcinæ fugientum direptæ *et ibid.* 20. Sarcinis gravare aliquem. ¶ 2. Specialim dicitur etiam de oneribus, quæ jumentis, aut plaustris vehuntur. *Phædr.* 2. 7. Muli gravati sarcinis ibant duo. *et* 3. 20. Asinus bajulans sarcinas. *Auct. B. Afr.* 75. Lixarum mercatorumque, qui plostris merces portabant, interceptis sarcinis. Hinc sarcinaria jumenta. *V.* SARCINARIUS. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. ¶ 3. Item de rebus domi cistis arcave compositis, *mobili. Martial.* 2. 11. Salva est et uxor sarcinæque servique. *et ibid.* 68. Totis pilea sarcinis redemi. *Quintil. declam.* 12. 13. Ubi universas familias fames extinxit, inanes domus situm ducunt, jacent, relictæ sine herede sarcinæ.

II.) Translate. *Phædr.* 3. 15. portat onus ignotum certis mensibus: Novissime prolapsam effundit sarcinam. *h. e* fetum partum. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 224. Ismenos, qui matri sarcina quondam Prima suæ fuerat. *Id. Heroid.* 4. 23. Sic male vixque subit primos rude pectus amores: Sarcinaque hæc animo non sedet apta meo. *Id.* 3. *Pont.* 7. 13. Hæc quoque, Naso, feres: etenim pejora tulisti. Jam tibi sentiri sarcina nulla potest. *h. e.* molestia, calamitas. *et* 1. *ibid.* 2. 101. publica sarcina rerum. *il peso del governo.* et *Plaut. Most.* 2. 1. 82. hinc speculabor procul, Unde advenienti sarcinam imponam seni. *h. e.* curam, molestiam, negotium facessam. *Varro* 1. *R. R.* 1. Annus octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita. *far fardello, far fagotto. Ammian.* 17. 12. 11. Condicionum sarcina compensare inimica facta. *Apul. Doctr. Plat.* 1. *extr.* Valetudo obteritur pabuli sarcina immodice invecta.

SARCĬNĀLIS, e, adject. (sarcina) ad sarcinam pertinens, ut Sarcinalia jumenta, *bestie da carico,* apud *Ammian.* 15. 6. 55. et 29. 5. 3.

SARCĬNĀRĬUS, a, um, adject. (sarcina) ad sarcinas pertinens, σκευοφορικός, ut Sarcinarium jumentum, quo sarcinæ vehuntur. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. *extr.* Illi omnia sarcinaria jumenta interfici jubent. — Cf. Σαρκινάριαι βάρκαι, naviculæ ad transfretandum *Jo. Lyd. de magistr. R.* 14. h. e. onerariæ, a *sarcina;* ait enim: Σάρκινα κατ' αὐτοὺς τὸ ἄχθος καλεῖται. — Hinc

Sarcinarius, ii, m. 2. absolute, qui sarcinas jumento vehendas curat, *mulattiere,* apud *Porphyrion.* ad *Horat.* 2. *Ep.* 2. 72.

SARCĬNĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SARCĬNĀTOR, ōris, m. 3. (sarcina) duo diversa significat, prout est ¶ 1. *Sarcinator,* a *sarcio,* scil. sartor, qui resarcit ac reparat, et speciatim qui suit, et vestes reficit, *sartore, risarcitore,* σκευαστήρ. *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 13. Sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, quum e diverso conjungunt et adstruunt. *Lucil.* apud *Non. p.* 175. 33. *Merc.* Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 41. Petunt fullones, sarcinatores petunt. *Paul. Dig.* 47. 2. 82. Fullo, vel sarcinator, qui polienda et sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur. Adde *Charis. p.* 94. 21. *Keil.* et *Inscript.* apud *Orell.* 7274. ¶ 2. *Sarcinator,* a *sarcina,* bajulus. *Beda p.* 2345. *Putsch.* Sartrix, vel sertrix, quæ sarcit: sarcinator qui (*al. leg.* sarcinatrix, quæ) sarcinas servat. Ita enim habet et *Fronto de differ. vocab. p.* 2192. Adde *Albin. p.* 309. 28. *Keil.* et *Gloss. Cyrill.* Σκευοφόρος, vasifer, sarcinator.

SARCĬNĀTRIX, trīcis, f. 3. duo diversa significat. ¶ 1. *Sarcinatrix,* a *sarcio,* mulier, quæ vestes suit, et reficit, *sartora,* ῥάπτρια. *Varro* apud *Non. p.* 56. 25. *Merc.* Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatrices in machinis. *h. e.* dum in machinis venales prostant. *V.* MACHINA. *Cajus Dig.* 15. 1. 27. Maxime siqua sarcinatrix, aut textrix erit, aut aliquod artificium vulgare exerceat. — Fuit inter officia domus Augustæ. Probatur quinque *Inscript.* apud *Gruter.* 580., quarum una *n.* 2. IVLIA IVCVNDA. AVG. L. SARCINATRIX A MVNDO MVLIEBRI. Adde apud *Murat.* 896. 5. et *Orell.* 645. et apud *Henzen.* 7275. *Gloss. Labb.* Sarcinatrix ἠπήτρια, ἀκέστρια. ¶ 2. *Sarcinatrix,* a *sarcina. Non. loc. cit.* Sarcinatrices non, ut quidam volunt, sarcitrices, quasi a sarciendo: sed magis a sarcinis; quod plurimum vestium sumant. Idem confirmare videntur

Not. Tir. p. 131. Sarcina, sarcinula, sarcinatrix. Adde *Fronton. loc. cit.* in SARCINATOR.

SARCĬNĀTUS, a, um, particip. ab inus. *sarcino*, σκευοφορῶν, sarcinis onustus. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 19. Viden, homines sarcinatos consequi? Adde *Paulin. Nolan. carm.* 21. 941.

SARCĬNŌSUS, a, um, adject. (sarcina) Comp. *Sarcinosior.* — Sarcinosus est ponderosus, *pesante. Apul.* 8. *Met.* Lupi vastis corporibus sarcinosi. *Auct. Priap.* 80. Non es poeta sarcinosior nostro. *h. e.* majore inguinum pondere præditus. *Alii rectius leg.* fascinosior. *V.* FASCINOSUS.

SARCĬNŬLA, æ, f. 1. (sarcina) *deminut. a sarcina, fardelletto, fagottino, battuffoletto*, σκευάριον, parva sarcina. — *a*) In sing. num. *Gell.* 19. 1. *a med.* Ex sarcinula sua librum protulit. Item *Augustin.* 9. *Civ. D.* 4. De sarcinula sua proferre Stoici Epicteti librum. *Apul.* 1. *Met.* Sarcinulam sumere. — *b*) In plur. num. *Catull.* 28. 1. Pisonis comites, cohors inanis, Aptis sarcinulis et expeditis. *Petron. Sat.* 99. Itaque, quod bene eveniat, expedite sarcinulas, et sequimini me. *Plin.* 4. *Ep.* 1. Sarcinulas alligare. *quod est iter facturi.* et *Juvenal.* 3. 160. Quis gener hic placuit censu minor, atque puellæ Sarcinulis impar? *h. e.* dote et opibus. *Id.* 6. 145. Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi. *h. e.* res tuas tibi habe, *fa fardello, e vattene.*

SARCĬO, sarcis, sarsi, sartum, sarcire, a. 4. *Valer. Prob.* in *Cathol. p.* 1482, *Putsch.* præteritum *sarcivi* pro *sarsi* agnoscit, sed nullo scriptoris testimonio confirmat. — Ratione habita etymi, alii conjungunt cum Sanskr. *sarva*, omnis, integer (Cf. *Fest. loc. cit.*); alii cum Gr. ῥάπτω, suo, per metathesin; alii cum ἀρκέω, adjuvo, unde *sartus* pro *sarctus*, ἀρκετός. — Particip. *Sarciens* I. 1.; *Sartus* in omn. paragr. et in fin.; *Sarciendus* II. — Sarcio est integrum facio, h. e. quæ rupta sunt, quassa, scissa, reficio, restituo, reparo, resarcio, ῥάπτω, ἀνασκευάζω (It. *cucire, rappezzare, rattoppare, racconciare, rifare*; Fr. *raccommoder, ravauder, rapiécer*; Hisp. *remendar, poner remendios, zucir*; Germ. *etw. Beschädigtes ausbessern, zurechtmachen, wiederherstellen, flicken*; Angl. *to botch, mend, patch, piece, repair*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Festus* in *Sarte*: Sarte in auguralibus pro integre ponitur: sane sarteque audire videreque. Ob quam causam opera publica, quæ locantur, ut integra præstentur, sarta tecta vocantur, etenim sarcire est integrum facere. Hæc *Festus*, quæ *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* repetit ab eo sumpta. *Cato R. R.* 2. Funes veteres sarciri, novosque fieri: centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire. *et ibid.* 23. *et* 31. Face, uti corbulæ sarciantur. *et ibid.* 39. Si dolia bene sarseris, aut bene alligaveris. *Varro* 6. *L. L.* 64. *Müll.* In vestimento sartum, quod comprehensum. *Juvenal.* 3. 254. Scinduntur tunicæ sartæ. *Martial.* 11. 33. de bibula sarta palude teges. *et* 1. 104. Calceus est sarta terque quaterque cute. *Colum.* 4. *R. R.* 18. *in fin.* Vindemiatores pedamenta sarcientes. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 64. (236). Dolia quassa sarcire. *Id.* 37. *ibid.* 2. 10. (29). Fragmenta crystalli sarciri nullo modo queunt. *Id.* 18. *ibid.* 26. 63. Seminaria fieri, et vetera sarciri. *ripiantarsi, rimettersi.* et *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Rimas et lacunas cisternarum, et piscinas, vel puteos sarcire. ¶ 2. Speciatim, in re medica. *Id.* 28. *ibid.* 14. 58. Feminum hædi cinis rupta intestina sarcire mire traditur. *et ibid.* 16. 62. Perniones ursinus adeps, rimasque pedum omnes sarcit. *unisce, rammargina, chiude.* et *Scribon. Compos.* 206. Sartum vulnus. — *Sarcire tegere* formula, de ædificiis, in *Inscript.* apud *Orell.* 2488. unde locutio *sarta tecta.* V. infra.

II.) Translate est compensare damnum, remedium afferre, reponere in priorem statum, *risarcire, rifare, rimettere, compensare. Liv.* 9. 23. *a med.* Damna vestra, milites, omnium qui defecerunt, populorum præda sarcientur. *Cæs.* 3. *B. C.* 68. Cupiens ejus diei detrimentum sarcire. *et ibid.* 83. *sub fin.* Dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum virtute sarciretur. *et ibid.* 74. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ. *Festus:* Sarcito in XII. Servius Sulpicius ait significare, damnum solvito, præstato. *Cic.* 9. *Phil.* 4. 8. Nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo injuriam fecimus, sarciamus. *Id.* 3. *Fam.* 1. Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, crebritate et magnitudine officiorum meorum sarciam. *Virg.* 4. *G.* 249. generis (*apum*) lapsas sarcire ruinas. Adde *Claudian. Consul. IV. Honor.* 460. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 31. an male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur? *amicizia mai rappattumata.* — Hinc Particip. præter., cujus exempla retulimus,

Sartus, a, um, adjectivorum more occurrit, et conjungitur cum *tectus* per particulam *et*, ita ut integra locutio sit *sarta et tecta*: nam in illo *Cic.* 3. *Verr.* 51. *extr.* Chelidon etiam in his sartis tectis dominata est: *Ascon.* legit *sartis tectisque*, et subjungit: Addidit *que*, ut esset plenum dictum. Ceterum fere locutio est *sarta tecta*, h. e. integra et incorrupta, ita conservata, ut si quid corruptum sit, reparetur, reficiatur: et dicitur de ædificiis et de operibus publicis, *fabbriche tenute in buon essere, in buono stato:* nostrates vulgo dicunt *in concio e in colmo.*

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Festus loc. cit.* Opera publica quæ locantur, ut integra præstentur, sarta tecta vocantur. et *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* Dicimus *sarta tecta* locare, conducere, tradere, exigere, præstare, tueri, habere. *Cic.* 3. *Verr.* 50. 130. Quum consules ædes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere; factum est senatusconsultum, quibus de sartis tectis cognitum non esset, uti prætores cognoscerent. Ubi *Ascon.* Harum rerum cura propria censoribus datur, id est sartorum tectorum exigendorum. Verum hæc tueri et procurare, cum ceteris tum publicis, tum privatis operibus, ædilium cura est annua. *Liv.* 42. 3. Censor, cui sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda more majorum traditum est. *Madvigius* tamen (*Emend. Liv. p.* 619.) corrigit *locare tuenda.* nam quum sarta tecta, ut ille ait, sensim prorsus pro ipsis ædificiis, quæ tuenda erant, ut sarta tectaque essent, acciperentur, et l o c a r e s a r t a t e c t a non minus quam l o c a r e æ d e m s a c r a m dicebatur et e x i g e r e. *Cic. loc. cit.* Quæsivit, quis ædem Castoris sartam tectam deberet tradere. *et mox.* Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis sartum tectum integrumque esset, tamen etc. *African. Dig.* 7. 8. 18. Si domus usus legatus sit sine fructu, communis refectio est in sartis tectis tam heredis, quam usuarii. *Ulp. ibid.* 1. 7. Fructuarium reficere ædes per arbitrum cogi; hactenus tamen, ut sarta tecta habeat: si qua tamen vetustate corruissent, neutiquam cogi reficere. *Id. ibid.* 1. 46. 7. Ædes sacras, et opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta tecta sint. — *b*) Cum Genetivo *Cic.* 13. *Fam.* 11. Sarta tecta ædium sacrarum locorumque communium tueri.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 2. 2. 36. Sarta tecta tua præcepta usque habui mea modestia. *Cic.* 13. *Fam.* 50. Hoc mihi da, ut M'. Curium sartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves.

SARCĬON, ii, n. 2. σαρκίον, caruncula: ita dixere vitium in smaragdis, quasi quamdam gemmæ carnem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (73).

SARCĬTECTOR, ōris, m. 3. (sarcio et tectum) qui tectum sarcit. *Isid.* 19. *Orig.* 19. Sarcitector dictus, quod ea multis hinc inde conjunctis tabulis unum tecti sarciat corpus. *Gloss. ejusd.* Sarcitector, qui tecta resarcit.

SARCĪTIS, itidis, f. 3. σαρκῖτις, nomen gemmæ bubulam carnem referentis: a σάρξ, σαρκός, caro. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181).

SARCĪTOR, ōris, m. 3. (sarcio) qui sarcit, et reficit, sartor. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 753. *n.* 601. M. PVPIVS M. L. VRBANVS SARCITOR SIBI ET CLARAE CONLIBERTAE ET LAVRENTINAE F. T. F. I. *Prob. app. p.* 202. 29. *Keil.* Inter sartorem et sarcitorem hoc interest, quod sartorem agrum sarrientem significat; sarcitorem autem vestem sarcientem demonstrat. Sed *V.* SARTOR.

SARCĪTRIX, tricis, f. 3. (sarcio) quæ sarcit, sarcinatrix. *V. Nonii loc. cit.* in SARCINATRIX.

SARCŎCĒLE, es, *Græca positione*, *et* Sarcocela, æ, f. 1. σαρκοκήλη, hernia carnosa. *Theod. Priscian.* 1. 26. Hoc herniarum et perseverantiam percurabit, et hydrocelas, et sarcocelas et enterocelas similiter. Adde *Marcell. Empir.* 36. 139. *Cels.* 7. 18. *extr.* Græce usurpat.

SARCŎCOLLA, æ, f. 1. σαρκοκόλλα, genus arboris, et ejus lacrima in Perside: a σάρξ, caro, et κόλλα, glutinum, quia vulnera glutinat. *V.* ARGEMONIA. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 20. (67). Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor) gummi utilissimum pictoribus ac medicis, simile pollini turis, et ideo candidum, quam rufum, melius. *Id.* 24. *ibid.* 14. 78. (127). Sunt, qui et sarcocollam spinæ lacrimam putent, pollini turis similem, cum quadam acrimonia dulcem.

SARCŎFĂGO *et*

SARCŎFĂGUS. *V.* SARCOPHAGO et SARCOPHAGUS.

SARCŌMA, ătis, n. 3. σάρκωμα, est superfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora saginantur: Græci enim carnem σάρκα vocant. *Isid.* 4. *Orig.* 7. Alii leg. *sarcia*, alii rectius *polysarcia:* Græce enim πολυσαρκία hujusmodi corporis vitium appellatur.

SARCŎPHĂGO, as, are, a. 1. in sarcophago condo. Translate *Venant.* in *epist. præm. carm.* 6. *l.* 5. *sub init.* Intra me quodammodo meipsum silentio sarcophagante sepeliens.

SARCŎPHĂGUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SARCŎPHĂGUS, a, um, adject. Scribitur et *sarcofagus. Inscript.* apud *Orell.* 194. MEMMIA CASSIANA SARCOFAGO CONDIDIT. Alia apud *eumd.* 4432. Adde *Gromat. p.* 361. 29. *Rudorff.* et V. *Auct. quæst. gramm. p.* 183. 4. *Keil.* qui etiam ait hanc vocem frequenter in antepænultima a quibusdam acui, sed suavius esse acui pænultimam. — Sarcophagus, σαρκοφάγος, qui carnem comedit, consumit, causticus: a σάρξ, caro, et φαγεῖν, comedere. ¶ 1. Generatim. *Inscript.* apud *Tòchon, Cachets des oculist. p.* 47. IVNII TAVRI CROCODES SARCOPHAGVM AD ASPRITVDINEM. ¶ 2. Speciatim dicitur de lapidis, seu marmoris genere, in quo corpora defunctorum condita cito ad ossa rediguntur, nec modo caro, sed etiam ossa ipsa intra quadragesimum diem absumuntur, exceptis dentibus. Ut plurimum erat lapis Assius, qui sic vocabatur, quia effoderetur in Asia regione Troadis, vel Mysiæ, nempe circa Assum urbem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 96. 98. (210). At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: sarcophagus vocatur. *Id.* 36. *ibid.* 17. 27. (131). In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. — Hinc

Sarcophagus, m. et *Sarcophagum*, *i*, n. 2. absolute, per synecdochen, pro sepulcro poni consuevit, præsertim eo, in quo cadaver integrum sine rogo conditur, *sepolcro:* cujus rei exempla habes in *Inscript.* apud *Gruter.* 688. 10. et 689. 8. et 692. 10., et de Alexandro M. *Curt.* 10. *extr.* narrat. *Juvenal.* 10. 171. *de eod. Alex.* Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem, Sarcophago contentus erit. *Scævola Dig.* 34. 1. 18. *sub fin.* Ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent. In *Inscript.* apud *Gruter.* 697. 1. Fictili sarcophago. *et mox.* Marmoreo sarcophago corpora commendare et colligere. *h. e.* fictili sarcophago ad tempus, marmoreo in perpetuum. Adde *Prudent.* 3. *Cathemer.* 203. et *Augustin. serm.* 102. — Plur. num. gen. neutr. in *Inscript.* apud *Don. cl.* 7. *n.* 38. ubi v. *marmor* subaudiri potest. — De sarcophagis defunctorum docte disserit *Viscont.* in *Præf. T.* 5. *Museo Pio-Clem.*

SARCŎPHĂGUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SARCOPTES, æ, m. 1. σαρκόπτης, titulus est libri secundi *Apicii*, in quo agit de carnium se-

ctione, deque incisarum carnium condimentis, a σάρξ, σαρκός, caro, et κόπτω, cædo.

SARCŌSIS, is, f. 3. σάρκωσις, morbus veterinorum, quo, quum biberint, inflantur, et sufflant. *Veget.* 3. *Veterin.* 26.

SARCTE. *V.* SARTE.

SARCŬLA, æ, f. 1. idem ac sarculum. *Gloss. Gr. Lat.* Σκαλίς, sarcula, sarculum.

SARCŬLĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SARCŬLĀRĬUS, a, um, adject. (sarculum) ad sarculum pertinens: hinc

Sarcularia, æ, f. 1. absolute, titulus comœdiæ L. Pomponii Bononiensis, cujus meminit *Non.* p. 13. 1. *Merc.* Pomponius Sarcularia: Alter amat, potat, prodigit, patrem suppilat semper.

SARCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (sarculo) *sarchiamento,* σκάλισις, actus sarculandi, saritio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (184). Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat teporibus vernis. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. Caulis gaudet stercore et sarculatione.

SARCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SARCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sarculum) Particip. *Sarculatus.* — Sarculo est sarculo fodio, sario, *sarchiare,* σκαλλω. *Pallad.* 2. *R. R.* 9. Serenis diebus sunt sarculanda frumenta. *et mox.* Si siccas segetes sarculaveris. *Id.* 11. *ibid.* 11. Sinapi sarculari debet assidue, ut respergatur pulvere, quo fovetur. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 264. Nata in hortis sarculatis.

SARCŬLUM, n. *sæpius quam* Sarculus, i, m. 2. (sario) *sarchio, sarchiello,* σκαλίς, σκαλιστήριον, ferramentum rusticum, quo terra leviter foditur, saritur et ab inutilibus herbis purgatur. I.) Proprie. *Sarculos simplices,* et *bicornes* memorat *Pallad.* 1. *R. R.* 43. A marra et ligone differt, quia his levius terram ferit. (Unde montanæ gentes sarculis arant, ut est apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178), quia lapidum crebritas alte infigere vetat vomerem aut ligonem.) Cum his tamen confundit *Horat. loc. infra cit. Cato R. R.* 155. Quum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet. *Colum.* 10. *R. R.* 91. Tunc quoque trita solo splendentia sarcula sumat. *Id.* 2. *ibid.* 11. *ad fin.* Minimis aratris proscindunt, atque ita jaciunt semina, et sarculis adobruunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (241). Fabam levi sarculo purgare verius quam fodere. *et ibid.* 7. 18. (80). Hordeum sarculo seri dicunt sapientes agricolæ: propterea celerrime redit. *Sillig.* sacculo. *Id.* 19. *ibid.* 6. 33. (109). Sarculo leviter convelluntur radices. *Id.* 17. *ibid.* 26. 41. (250). Riguus pro sarculo est. *h. e.* rivus circa vites deductus, herbas necans, sarculi vicem præstat. — Joculariter *Pompon. com.* 90. Sarculum hinc illo profectus es, illim redisti rutrum. II.) Translate. — *a*) Per synecdochen, omne rustici ferramenti genus. Ita *Forcellinus* intelligit *Horat.* 1. *Od.* 1. 11. Illum — Gaudentem patrios findere sarculo Agros Attalicis condicionibus Numquam dimoveas. At sunt, qui *sarculum* hic proprie accipiant, ut per id significet *Horat.* agros viliores, ubi sarculum pro vomere adhibeatur. — *b*) Metaphorice. *Ennod.* 4. *Ep.* 2. Festina, linguam lectionis sarculo purgando.

SARCŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SARDA *et* Sardia æ, f. 1. duo diversa significat. ¶ 1. Est piscis, eadem ac sardinia, ex genere pelamidum, cujus multus usus in salsamentis. Est enim pelamis longa, ex Oceano veniens, ut *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151) docet. *Id. ibid.* 5. 17. (46). Contra presteris morsum sarda prodest. *Edict. Diocl.* 5. 12. Sardæ, sive sardinæ. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. et *Plin. Valerian.* 1. 37. *Apic.* 9. 10. Sarda farsilis. — Jlocaliter ludit in hac voce *Cic. pro Scaur.* 4. (edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 291.) Quare quæ potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio? Loquitur autem hic de muliere Sarda. ¶ 2. Est etiam gemma scalpturæ utilissima, primum Sardibus reperta, sed laudatissima circa Babyloniam, quum lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in saxo cordis modo. Invenitur etiam compluribus aliis locis in Paro, in Asso, circa Ægyptum et Leucada Epiri (et in Sardinia, *Kirchero* teste), nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 31. Quidam putant, a nostris dici *corniola.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

SARDĂCHĀTES, æ, m. 1. σαρδαχάτης, species achatæ similitudinem cum sarda gemma habentis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139). *At Sillig. leg.* smaragdachates.

SARDĂNĀPĀLĬCUS et Sardanapallicus, a, um, adject. pertinens ad Sardanapalum, Assyriorum regem corruptissimæ vitæ, et libidinum deliciarumque affluentis: de quo *V.* ONOM. *Sidon.* 2. *Ep.* 13. *a med.* Sardanapalicum in morem prandere.

SARDĬA, æ f. 1. *V.* SARDA.

SARDĬĀNUS, a, um, adject. Σαρδιανός, ad Sardes urbem Lydiæ pertinens: quam voc. *V.* in ONOM. Hinc Sardiani balani, *h. e.* castaneæ, quæ Sardibus provenere primum: ideo apud Græcos ita appellantur, ut docet *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (93). *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 67. Glans, quam Sardianam vocant.

SARDĪNA et

SARDĪNĬA, æ, f. 1. *sardella,* θρίσσα, genus piscis, a Sardinia insula. *Colum.* 3. *R. R.* 17. *a med.* Tabentes haleculas, et salibus exesam chalcidem putremque sardiniam. Alii leg. *sardinam.*

SARDĪNĬĀNUS, a, um, adject. ad Sardiniam, vel ad Sardes pertinens. Hinc *Sardiniani tapetes* apud *Non. p.* 542. 13. *Merc.* Varro Hercule Socratico: In omnibus bonis quotidianis: cubo in Sardinianis tapetibus. Alii aliter leg.

SARDĪNUS lapis, fortasse idem ac Sarda gemma. *Vulgat. interpr. Apoc.* 4. 3. Et qui sedebat, similis erat adspectu lapidis jaspidis et sardini.

SARDISMOS, i, m 2. figura rhetorica, fortasse a Sardibus dicta, apud *Cassiod.* in *Ps.* 59.

SARDĬUS, ii, m. 2., absolute, et Sardius lapis gemma dicta, ut ait *Isid.* 16. *Orig.* 8., eo quod primum reperta sit a Sardibus: hæc rubrum habet colorem, marmoribus præstans: sed inter gemmas vilissima. Fortasse eadem est ac Sarda *Plinii.* V. SARDA et SARDINUS. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 10., *Hieronym.* in *Is.* 15. 54. v. 11. et 12., et *Vulgat. interpr. Exod.* 39. 10.

SARDO, as, are, 1. intelligere significat. Nævius: quod Bruti nec satis sardare queunt. Ita *Festus p.* 322. 24. *Müll.* Conjicit *Dacerius* dictum a Sardis, qui etiam habebantur versipelles. (Cf. ὀρθεῖν, et *absurdus.*) At *Varro* 7. *L. L.* 108. Multa apud poetas reliqua esse verba, quorum origines possint dici, non dubito, ut apud Nævium in bello Punico: nec satis sarrare, ab serare dictum, id est aperire. Ita leg. *Müllerus.*

SARDŎNĬCUS, a, um, et

SARDŎNĬUS, a, um, adject. Σαρδώνιος, qui est ex Sardinia ins., quæ Græce Sardo et Sardon vocatur. *V.* ONOM. — Hinc ¶ 1. *Sardonia herba,* quæ et Sardoa. *Solin* et *Plin. locc.* infra *cit.* ¶ 2. *Sardonius risus,* Σαρδώνιος γέλως, qui simulate et cum stomacho fit, risus fictus, amarulentus: ita dictus a Sardoa herba in Sardinia, qua vescentes risus similitudine cum spasmo moriuntur. *Solin.* 4. Herba Sardonia si edulio fuerit nescientibus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut qui mortem oppetunt, facie ridentium intereant. Eadem *Servius* tradit ad illud *Virg.* 7. *Ecl.* 41. Sardois videar tibi amarior herbis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 45. (116). Apiastrum in confessa damnatione est venenatum in Sardinia. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Videris mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus γέλωτα Σαρδώνιον. Alii risum Sardonium ridere in hoc Ciceronis loco interpretantur, præsentis et qualiscumque delectationis causa perniciem sibi arcessere, sive in ea re esse hilarem, quæ paullo post magnum malum est allatura. Sed vide, ut ait cl. *Vahlen.* ad *Sall.* 2. *Hist.* 2., mirificum originationis errorem. Græci enim, Sardinia nondum cognita, talem risum dixere γέλωτα σαρδάνιον (Cf. *Homer. Od.* 20. 301., ad quem loc. *Schol.* ed. *Buttmann. p.* 257. ἄμεινον δὲ τὸν ἐπὶ καταμωκήσει προςποίητον γέλωτα παρὰ τὸ σεσηρέναι, ὅ ἐστιν ἀνοίγειν τὰ χείλη. Qua vocis origine ignorata, Latini malluum risum ad similitudinem effectus *Sardoniæ herbæ* sibi bene cognitæ dixerunt *Sardonium.* ¶ 3. *Sardonicus cæspes,* de quo *V.* in SARDOUS.

SARDŎNY̆CHA, æ, f. 1. idem ac sardonyx. *Venant.* 8. *carm.* 7. 19. Limina sardonychæ variato lumine florent. *nisi tamen legend.* sardonychis. Cf. *eumd.* 8. *ibid.* 6. 228.

SARDŎNY̆CHĀTUS, a, um, adject. σαρδονυχωτός, sardonyche ornatus. *Martial.* 2. 29. Cujus et hinc lucet sardonychata manus.

SARDŎNY̆CHUS, i, m. 2. idem ac sardonyx. *Juvenal.* 13. 139. Arguit ipsorum quos littera, gemmaque Princeps Sardonychus. Alii leg. *sardonyches.* — *Sardonychus lapis* apud *Vulgat. interpr. Job* 28. 16.

SARDŎNYX, ōnychis, m. et f. 3. σαρδόνυξ, *sardonico, corniola,* genus gemmæ: a *sarda,* quæ notat gemmam coloris rubei a Sardis primum repertam, et *onyx,* gemma, cujus est color subcandidus, unguis humani similitudine, quia utriusque colorem obtinet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (86). Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sarda (*legend.* ex onychis candore et sarda: ita enim apud *Isid. loc. infra cit.*), hoc est velut carnibus ungue hominis imposito, et utrinque translucido. Tales esse Indicas tradunt. *et mox.* Arabicæ excellunt candore circuli prælucido, atque non gracili, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu residente, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimo colore. (Hanc gemmam Itali nunc vocant *niccolo.*) *Gloss. p.* 123. in *Prodr. Gloss. Loewe.* Sardonyx habet colorem sanguinis. *Juvenal.* 6. 380. densi radiant testudine tota Sardonyches. *Pers.* 1. 16. Et natalicia tandem cum sardonyche albus. *Martial.* 6. 41. Sardonycha verum, lineisque ter cinctum. *et ibid.* 28. Indos sardonychas, Scythas smaragdos. Adde *Venant.* 8. *carm.* 6. 228. *Isid.* 16. *Orig.* 8. Sardonyx, ex onychis candore et sarda, constat tribus coloribus: subterius nigro, medio candido, superius mineo. — *V.* alia de sardonyche apud *Plin. loc. cit.,* et de ejusdem usu in medicina apud *Pelagon. Veterin. c.* 9. *p.* 18. § 2.

SARDŌUS, a, um, adject. Σαρδῷος, ad Sardiniam pertinens, quæ Græce Σαρδώ dicitur: hanc voc. *V.* in ONOM. — Hinc ¶ 1. *Sardoa herba,* apiastrum, quod venenatum in Sardinia est, ut *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 45. (116) tradit. *V.* SARDONICUS, et cf. *Virg.* 7. *Ecl.* 41. ¶ 2. *Sardous cæspes,* glæba metallica, quæ in Sardinia in argentum excoquitur. Nam Sardinia solum argenti dives est, ut *Solin.* 4. scribit. *Rutil.* 1. *Itiner.* 354. Nec quæ Sardoo cæspite massa fluit. *Alii leg.* Sardonico.

SARGŬLUS, i, m. 2. (sargus) *deminut. a* sargus, parvus sargus. *Gloss. Cyrill.* Σάργος, ἰχθύς, sargulus.

SARGUS, i, m. 2. piscis genus, ut ait *Festus p.* 322. 20. *Müll.,* qui in Ægyptio mari fere nascitur. (*Sparus Sargus* Linn.) *Lucilius* apud *Fest. loc. cit.* Quem præclarus helops, quem Ægypto sargu' movebit. Scribit *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (65), esse assiduum comitem ejus generis mullorum, quod luterium appellatur, et cœnum fodiente eo, excitatum pabulum devorare. Quum autem nulli in nostro mari passim inveniantur, falli videntur *Harduino Festus* et *Lucil.,* qui sargum Ægyptium esse putant: nisi forte volunt in Ægypto præcipuum esse. *Enn.* apud *Apul. Apolog.* Brundusii Sargus bonus est: hunc, magnus erit si, Sume. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (162) sargos ait bis parere, vere et auctumno.

SARI, n. indecl. σάρι, genus junci in locis palustribus nascens, cujus meminit *Theophr. Hist. plant. l.* 4. *c.* 9. et his verbis *Plin.* 13. *Hist. nat.* 23. 45. (128). Fruticosi est generis et sari, circa Nilum nascens, duorum ferme cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri, similique manditur modo: radice ferrariis officinis præcipua, carbonis usu, propter duritiam. *At Sillig. leg.* sariphа. (*V.* de sari etiam *Macri* in *Accad. Pont. T.* 3. *p.* 293. et *Rosenmüller.* ad *Exod.* 2. 3.) — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĀRĬO et Sarrio, is, ivi et ii et ui, itum,

rire, a. 4. Quod ad scriptionem attinet, in optimis codd. MSS., in Editt. recentioribus et Inscriptt. unum tantummodo *r* invenitur. V. *Fleckeisen., N. Jahrbb. für Phil.* 60. 262. et 97. 212. — Ratione autem habita etymi, alii vocem conjungunt cum Germ. *scharren*, radere; alii cum σαίρειν, verrere; alii cum *sarpere*, putare: cf. etiam Gr. σκαλίζω et Lat. *scalpo*. — Particip. *Saritus* et *Sariendus*. — Sario, βοτανίζω, σκαλίζω, est sarculo, videlicet herbas inutiles inter segetem succrescentes sarculo evello et purgo, segetes leviter scalpendo a noxiis herbis sarculo purgo: et differt a *runcare*, quia hoc fit manu, sarire ferramento: item ab *occare*, quia hoc est grandes terræ glæbas contundere, ut pulvere semina jacta cooperiantur, *sarire* est herbas inutiles inter segetem succrescentes sarculo evellere. Deinde *occare* postremum est in agro colendo, *sarire* est primum post enatas fruges. Fit enim, quum seges est in herba. Prius porro rustici terram vertunt, hinc serunt, inde occant, tum sariunt. *Plaut. Capt.* 3. 5. 5. Nam semper occant prius, quam sariunt, rustici. *Varro* 1. *R. R.* 29. Prata purgari, salicta seri, segetes sariri. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (184). Hordeum occato, sarito, runcato, quibus dictum erit, diebus. *Id. ibid.* Qui sariet, caveat, ne frumenti radices effodiat. *Cato R. R.* 161. Ne ante sarueris, quam asparagus natus erit, ne in sariendo radices lædas. *Alii leg.* sarieris. *Martial.* 3. 93. *ad fin.* Sarire saxum. *h. e.* inutiliter laborare, operam perdere. *Alii rectius leg.* futuere. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ab init.* Fabam sarivisse nimium teneram, non expedit. *Id.* 2. *ibid.* 11. Ligneis rastris locus sariendus, et identidem runcandus est. *Inscript.* apud *Orell. p.* 380. TVTEL. NEPTVNI SEGETES SARIVNTVR. Rursus *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (158). Fabam ter saritam modium fractæ e modio solidæ reddere. Hoc ita explicat *Colum.* 2. *R. R.* 12. *a med.* Comperimus, fabæ fresæ et expurgatæ modium pæne tam plenum esse, quam integræ. *Id. ibid. sub fin.* Seges serius sarita corrumpitur. *Alii leg.* sarta.

Homonym. Quomodo differant *sarire*, *runcare* et *occare*, supra dictum est.

SARIPHA, æ, f. 1. genus plantæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 23. 45. (128). Frutectosi est generis et saripha circa Nilum nascens. Alii aliter leg. *V.* SARI.

SĀRĪSA *rectius quam* Sarissa, æ, f. 1. σάρισα et σάρισσα, *sorta d'asta, picca, lancia*, hasta prælonga, qua Macedones in bello utebantur. *Fest.*

I.) Proprie. *Liv.* 9. 19. Arma clipeus sarissæque illis: Romano scutum et pilum. *Id.* 38. 7. *sub fin.* Prælongæ hastæ, quas sarisas vocant, ad summovendos hostes eminebant. *Stat.* 8. *Theb.* 269. Fraxineas vibrant Macetum de more sarisas. Adde 37. 42., *Curt.* 7. 4. *ad fin.* et 9. 7. *a med.* et *Ovid.* 12. *Met.* 466.

II.) Translate, per metonymiam, in illo *Lucani* 8. 298. Primi Pellæas arcu fregere sarisas, *h. e.* Macedones. Sic 10. 47. Eoi propius timuere sarisas, Quam nunc pila timent, populi. *h. e.* Macedonum, quam Romanorum arma.

SARISAZONIUM *et* Sarissazonium, ii, n. 2. zona, ex qua suspenditur sarisa, ut pharetrazonium, ex qua pharetra. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 126. *ubi legend.* sarissa, sarissazonium *pro* sareza, sarezonium.

SĀRĪSŎPHŎRUS *et* Sarissophorus, i, m. 2. σαρισοφόρος, sarisam portans, eaque in prœlio utens, ut olim Macedones. *Liv.* 36. 18. Levis armaturæ partem ante vallum locavit, tum Macedonum robur, quos sarisophoros appellabant. Adde *Curt.* 4. 15.

SĀRISSA, SARISSAZONIUM et SĀRISSŎPHŎRUS. *V.* SARISA, SARISAZONIUM et SARISOPHORUS.

SĀRĪTIO *et* Sarritio, ōnis, f. 3. (saritus) *sarchiamento, sarchiatura*, σκάλισις, σκαλισμός, actus sariendi, sarculatio. *Colum.* 2. *R. R.* 12. Peracta sementi, sequens cura est saritionis. *et mox.* Simul ac primum saritionem pati queant segetes. *et deinde.* Plana saritione terram permovere. *Id.* 11. *ibid.* 2. *ab init.* Adorei et tritici tempestiva saritio est, quum enata frumenta quatuor fibrarum esse cœperunt. *V. Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 21.

Homonym. Quid *saritio* a *runcatione* et *occatione* differat, *V.* in RUNCO et SARIO.

SĀRĪTOR *et* Sarritor *et per syncop.* Sartor (*V.* SARTOR), ōris, m. 3. ¶ 1. Est qui sarit, sartor, *sarchiatore*, σκαλευς. *Colum.* 2. *R. R.* 13. Tritici modii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris unam, saritoris duas. ¶ 2. Item occator. *Varro* 1. *R. R.* 29. Id genus prædii per saritores occare solent, si quæ in porcis relictæ grandiores sunt glæbæ. *V.* IMPORCITOR. ¶ 3. Est etiam deus. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 21. Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen, sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem, Occatorem, Saritorem etc.

SĀRĪTŌRĬUS *et* Sarritorius, a, um, adject. (saritor) ad sariendum pertinens. *Colum.* 2. *R. R.* 13. Hordei modii quinque operas tres exigunt, occatoriam unam, saritoriam unam etc.

SĀRĪTŪRA *et* Sarritura, æ, f. 1. idem ac saritio. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Saritura quoque frumentorum iteratur egregie.

SĀRĪTUS *et* Sarritus, a, um, particip. *V.* SARIO.

SARMĂDĂCUS, i, m. 2. *impostore*, planus. Est qui putet, vocem esse compositam ex *Sarmata* et *Dacus*, quasi ita appellaretur is, qui ex hisce profectus provinciis erronum instar ubique discurreret, incautum quemque decepturus. *Augustin.* 3. *contra Acad.* 15. Ille autem casu planus erat, de iis, quos sarmadacos jam vulgus vocat. *Alii rectius leg.* samardacos; quam vocem *V.* suo loco.

SARMĂTĬCĒ, adverb. Σαυροματικῶς, more Sarmatarum. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 58. Jam didici Getice Sarmaticeque loqui.

SARMEN, mĭnis, n. 3. idem ac sarmentum. *Plaut. Most.* 5. 2. 65. Jam jubebo ignem et sarmen, carnufex, circumdari.

SARMENTĀRĬUS. *V.* voc. seq.

SARMENTĪCĬUS, a, um, adject. (sarmentum) qui est ex sarmentis, κληματινός. *Colum.* 6. *R. R.* Vulnera sarmenticio cinere cum argenti spuma linenda sunt. — *Sarmenticii* olim et *Semaxii* dicti sunt Christiani, teste *Tertull.*, qui et causam hujus appellationis affert *Apolog.* 50. Licet nunc sarmenticios, et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. Alii leg. *sarmentarii*, et *semiaxii*.

SARMENTŌSUS, a, um, adject. (sarmentum) idem ac sarmentis abundans, *sermentoso*, κληματώδης. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 90. (140). Psyllion radice tenui, supervacua, sarmentosum, fabæ granis in cacuminibus.

SARMENTUM, i, n. 2. (sarpo) virga, ramus tenuis supervacuus, a vite abscissus vel abscindendus, et igni accendendo aptus, *sermento, potatura, ramo verde o secco tagliato*, κλῆμα, φρύγανον. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de vite. *Festus p.* 323. 10. *Müll.* Sarpta vinea putata, id est pura facta. virgulæ enim relictæ impedimenta vitibus solent esse, quæ ideo abscinduntur. inde etiam sarmenta scriptores dici putant. sarpere enim antiqui pro purgare dicebant. *Cic. Senect.* 15. 52. Vitem serpentem multiplici lapsu, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. *Colum.* 5. *R. R.* 5. *a med.* Inutilia sarmenta decidere. *Liv.* 22. 16. *ad fin.* Faces, fascesque virgarum, atque arida sarmenta præligantur cornibus boum. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 69. Ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere cœperunt. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. *extr.* Sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas compleant, ad castra pergunt. *Sil. It.* 7. 314. Sarmentique leves fronti religare maniplos. συνεκδοχῇ pro *sarmentorum*. — *Latum sarmentum* in vite est, quod ex binis plerumque, sed proximis oculis, quum geminus coles sit, per medullam coalescit, ideo non teres, sed compressum et late expansum gignitur, quousque separetur: nonnumquam ex unius gemma, sed parvi animantis vulnere protruditur. *Colum.* 4. *R. R.* 24. Sarmenta lata, vetera, male nata, contorta, deorsum spectantia recidito. *et Pallad.* 3. *R. R.* 12. Auferenda sunt lata, intorta, debilia, malis locis nata sarmenta. ¶ 2. Item de palmite, pampino, flagello viti adhærente, *tralcio*. *Cic. Senect.* 15. 53. Existit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur. *Varro* 1. *R. R.* 31. Pampinare est ex sarmento coles, qui nati sunt, decerpere. *Colum.* 3. *R. R.* 10. Numerus uvarum, qui conspicitur in productissimo sarmento. ¶ 3. Videtur dici etiam de pediculis, ex quibus acini uvarum pendent. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 8. (13). Sarmenta earum, in quibus acini fuere, adstringendi vim habent. ¶ 3. Latiore sensu dicitur de virgis aliarum plantarum. *Plin.* 12. *ibid.* 25. 54. (118). *de balsamo.* Et sarmenta quoque in merce sunt. *Id.* 22. *ibid.* 25. 72. (150). Ciceris folia et sarmenta decocta. *Solin.* 33. *ante med.* Arabes sarmentis myrrhæ ignes fovent.

SARNA, æ, f. 1. scabies. *Isid.* 4. *Orig.* 8. Hanc (scabiem) vulgus sarnam appellat.

SARPA, æ, f. 1. idem quod ardea. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 364. *c. Gud.* — Ad *Pallad.* 1. *R. R.* 42. 2. per serram fieri non potest. *Gesner.* lectionem *per sarpam* præferebat.

SARPĪO. *V.* voc. seq.

SARPO, sarpis, sarpsi, sarptum, sarpere, a. 3. *Sarpio* pro *sarpo* legitur apud *Fest. loc. infra cit.*, ubi tamen alii aliter leg. — Particip. *Sarptus*. — Sarpo (quam vocem cf. cum σαίρω, verro, purgo, vel potius cum ἅρπη, falx, et *carpo*) est puto, purgo, *potare*, nostrates rustici vulgo *serpire* et *serpire* dicunt. *Festus p.* 322. 10. *Müll.* Sarpta vinea putata, id est pura facta. sarpere enim antiqui pro purgare dicebant. (Adde *Paul. Diac. p.* 323. 1.) *et p.* 348. 3. Sarpiuntur vineæ, id est putantur, ut in XII.: Quandoque sarpta, donec dempta erunt. *Alii leg.* sarpuntur. *Gloss. Labb.* Sarpo, κλαδεύω ἀμπέλους. *Charis. p.* 245. 21. *Keil.* Sarpo, sarpsi. Adde *Priscian. p.* 531. 22. *Keil.*

SARPTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SARRA. *V.* SERRA.

SARRĀCĬUS. *V.* SARRALIA.

SARRĀCŬLUM (*vel* Serraculum) *et per syncop.* Sarraclum, i, n. 2. (sarracum) *deminut. a* sarracum, parvum sarracum, plaustrum. *Ammian.* 31. 2. *a med. de Alanis hamaxobiis.* Quum ad graminea venerint, in orbiculatam figuram locatis sarraclis, ferino ritu vescuntur. Alii leg. *sarracis*. Paullo supra *plaustra* dixerat. In *Not. Tir. p.* 182. Epirhedium, serraculum.

SARRĀCUM, i, n. 2. Invenitur et *serracum* apud *Sidon.* 4. *Ep.* 18. Nulla serraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahantur. — Sarracum, *carro, carretta*, currus, plaustrum, vehiculum portandis oneribus idoneum, ἅμαξα. *Vitruv.* 10. 1. *ad fin.* Portationes fructuum non essent, nisi plaustrorum, aut sarracorum per terram, navicularum per aquam inventæ essent machinationes. *Sisenn.* apud *Non. p.* 195. 28. *Merc.* Impedimentum collocant omne, construunt carros, et sarraca crebra disponunt. *Cic. fragm. in Pis.* apud *Quintil.* 8. 3. *ante med.* Quum tibi tota cognatio in sarraco advehatur. Ubi *Quintil.* notat, sordidum hoc nomen esse, sed *Ciceronem* ideo usurpasse, ut contemptum hominis augeret, quem destructum volebat. *Juvenal.* 3. 254. modo longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt: nutant alte, populoque minantur. *Capitolin. M. Aurel.* 13. Tanta pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque. *Juvenal.* 5. 22. illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ. *h. e.* plaustrum signum cœleste.

SARRĀLĬA, æ, f. 1. (sarra *vel* serra) genus lactucæ silvestris. *Isid.* 17. *Orig.* 10. Lactuca agrestis, quam sarraliam nominamus, eo quod dorsum ejus in modum serræ est. Hæc, scriptura haud scio an rectiore, inquit *Paucker*, dicitur *sarracia* in *Dynam.* 2. 52., ut sit adject. *sarrācius, a, um.*

SARRĀNUS, a, um, adject. ad Sarram, seu Tyrum, pertinens. V. SARRA et SARRANUS in ONOM. — Hinc ¶ 1. *Sarranæ tibiæ* ita dictæ putantur, quia fuerint Tyriorum inventum, sicut *Phrygiæ* Phrygiorum. In Inscriptione *Adelphor. Terentii:* Modos fecit Flaccus Claudi tibiis Sarranis. *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 618. biforem dat tibia cantum: Tibiæ, inquit, aut Sarranæ dicuntur, quæ sunt pares, et æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ et impares sunt, et inæquales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum dissimilemque. non enim sunt pari modulatione compositæ. ut enim ait Varro, Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Hæc *Servius:* de quibus fuse disputat *Manut. de quæsit. per epist. cl.* 3. *ep.* 4. Sunt qui leg. *Serranæ*, et a *serra* dictas putant, quasi acuto sono, et stridorem serræ, quum acuitur, imitante. Sed hoc minus placet. ¶ 2. Sæpe refertur ad purpuram. *Virg.* 2. *G.* 506. Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro. *Juvenal.* 10. 38. et pictæ Sarrana ferentem Ex humeris aulæa togæ. *Sil. It.* 15. 205. Sarrano murice fulgens. *Sidon. carm.* 2. 5. humerosque ex more priorum Includat Sarrana chlamys. *Colum.* 10. *R. R.* 287. Jam rosa mitescit Sarrano clarior ostro. *Id.* 9. *ibid.* 4. *a med.* Sarranæ violæ. *h. e.* coloris purpurei.

SARRĪO, SARRITIO et cetera derivata. V. SARIO, SARITIO etc.

SARSOR, ōris, m. 3. qui marmora versicoloria committit, *mosaicista*. *Act. Cirt. Num.* cit. *Sirmond.* Dum ventum est ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque.

SARSŌRĬUS et Sarsurius, a, um, adject. (sarsor) qui pertinet ad sarsuram. *Sarsorium opus* apud *Ennod.* 2. *Epigr.* 91. in lemmate vocatur, quod marmoribus versicoloribus constat, et musivum dicitur. V. *Sirmondi* adnot. ad *loc. cit.* — *Sarsoria* absolute (*subaud.* ars) in *Cod. Bern. p.* 49. 14. *Hag.*

SARSŪRA. V. ASSURA.

SARTĀGO, ginis, f. 3. *padella*, τήγανον, vas culinarium, in quo cibi friguntur: vel aliud quippiam liquefit, aut torretur: quasi ἄρτου τήγανον.

I.) Proprie. *Juvenal.* 10. 63. ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ. *h. e.* ex ærea Sejani statua. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (15). Resinam terebinthinam in sartagine referventi coquere. Adde *Augustin. serm.* 273.

II.) Translate. *Pers.* 1. 79. Hos pueris monitus patres infundere lippos Quum videas, quæris ne, unde hæc sartago loquendi Venerit in linguas? *questo miscuglio*, mixtura vocum probatarum et damnatarum in oratione: quasi varii generis ciborum minutorum, qui frigi solent, et confundi in sartagine, *v. gr.* panis τηγανίου, farina, adipe, melle, sesamo, caseo confecti, inquit *Casaubon.* Vel respicit ad stridorem ingratum rerum, quæ friguntur. Sed prior translatio magis placet.

SARTĀTECTA et Sarta tecta. V. SARTUS, SARCIO et TECTUS.

SARTĒ et Sarete, adverb. (sartus) idem quod integre. *Paul. Diac. p.* 323. 3. *Müll.* et *Charis. p.* 220. 29. *Keil.* V. SARTUS.

SARTĬO, ōnis, f. 3. syncop. pro *saritio*, sæpe legitur in MSS. *Colum.* v. gr. 2. *R. R.* 12. *sub fin.* Subjungenda deinde est sartioni runcatio. et 11. 2. *ibid.* quem locum in SARITIO retulimus. Sic *sartor* pro *saritor:* et *sartura* pro *saritura:* et *sartus* pro *saritus.*

SARTOR, ōris, m. 3. duo diversa significat, prout deducitur, ut ait *Non. p.* 7. 28. *Merc.*, a *sarciendo*, aut a *sariendo*, h. e. tam eum, qui sarcit, quam qui sarit.

A) Sartor, a *sarcio*, est qui sarcit, vel resarcit, sarcinator, *ripezzatore*, *risarcitore*, *sartore*. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8. Sartoris arte se pascere. *Optat.* 3. *p.* 64. Displicet tibi sartor, qui scissuram dum sanat, vulnerat. et *ibid.* Qui fecit, ut sartor peccare potuisset. Adde *Pompej. comment. p.* 149. 10. *Keil.* *Inscript. Afric.* apud *Renier.* 2118. SARTOR ARENARIVS MAGISTER FILIAE DVLCISSIMAE POSVIT. *h. e.* qui sarcit domos. *Non. loc. cit.* affert locum ex *Varrone*, in quo videtur *sartor* esse pro eo qui resarcit.

B) Sartor, a *sario*, pro *saritor*, est qui sarit, *sarchiatore*.

I.) Proprie. *Prob. app. p.* 202. 29. *Keil.* Inter sartorem et sarcitorem hoc interest, quod sartorem agrum sarientem significat: sarcitorem autem vestem sarcientem demonstrat. Adde *Non. loc. cit.*

II.) Translate. *Plaut. Capt.* 3. 5. 3. Sator sartorque scelerum, et messor maxume. TYN. Non occatorem dicere audebas prius? nam semper occant prius, quam sariunt, rustici.

SARTRIX, trīcis, f. 3. Etiam *sertrix* apud *Bedam de orthogr. p.* 288. 29. *Keil.* — Sartrix est, quæ sarcit, *sartora*. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 9. 100. Sartrix etiam quædam quum chlamydem, scissam rabidis morsibus, sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, et lingua pannorum suturas lamberet adsuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem venisse memoratur. Adde *Albin. p.* 309. 28. *Keil.*, *Bedam p.* 288. 29. et *Fronton. de diff. voc. p.* 520. 15. V. SARCINATOR.

SARTŪRA, æ, f. 1. ¶ 1. Est idem ac saritura, per syncopen. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 27. 67. (254). Sartura nocere et vineæ et segeti existimatur. ¶ 2. Est etiam idem ac sarcimen, reparatio, refectio: a *sarcio*. *Colum.* 4. *R. R.* 26. Jugo, si non erit opus nova sartura, recentia vincula inserantur. *Seneca Vit. beat.* 25. Tomentum per sarturas veteris lintei effluens. Alii leg. *suturas*.

SARTUS, a, um, particip. V. SARCIO et SARRIO, SARTIO.

SAS, vox, ut aliæ hujusmodi, quæ deduci potest a Sanskr. *sa*, is, hic: cf. σήμερον, hoc die, et *sic*, hoc modo. V. SAPSA. *Fest. p.* 325. 17. *Müll.* Sas Verrius putat significare eas, teste Ennio, qui dicat in libro primo: Virgines (al. *Virgine'*) nam sibi quisque domi Romanus habet sas. quum suas magis videatur significare: sicuti ejusdem libro septimo fatendum est eam significari, quum ait: Nec quisquam sophiam, sapientia quæ perhibetur. In somnis vidit priu', quam sam discere cœpit. Ita *Festus*. — Simile est *sum* pro *eum:* quo usus est *Ennius l.* 1. At te non ut sum summam servare decet rem. et *l.* 2. Ad sese sum qui dederat in luminis oras. *Fest.* in *Sum.*

SAT, vox, seu forma, unde *satis* et *satur*, deducta, ut videtur, a Græc. ἄση, satietas, vel ἄδην, abunde, satis, quæ sunt ab ἄω, satio; aut apocope pro *satis*, ut *Forcellinus* putat. V. SATIS. — Sat idem est ac satis, *abbastanza*, et usurpatur

A) Adjectivorum more. — 1.°) Universim. *Plaut. Pers.* 1. 1. 26. Quasi Titani cum diis belligerem, quibus sat esse non queam? *h. e.* par esse, et resistere. *Id. Rud.* 3. 6. 28. Hic verbum sat est. *Ter. Eun.* 4. 5. 3. sat erit officium. *Virg.* 11. *Æn.* 366. sat funera vidimus. *Cic. Senect.* 14. 48. Tantum quantum sat est. — 2.°) Substantivorum more cum Genetivo. *Plaut. Amph. prol.* 79. Sat habet favitorum semper. *Id. Stich.* 1. 2. 34. Sat est osculi mihi vestri. *Id. Rud.* 2. 7. 25. litium. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 39. signi. *Cic.* 2. *Fin.* 23. 61. testium. *Propert.* 1. 17. 10. Sat tibi sit pœnæ nox et iniqua vada. — 3.°) *Sat est, sat habeo.* — *a*) Sequente Infinito. *Ter. Phorm.* 5. 2. 3. Nonne id sat erat accipere ab illa injuriam? *Virg.* 7. *Ecl.* 34. Exspectare sat est. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 70. *Ovid. Heroid.* 12. 75. Perdere posse sat est. *Quintil.* 5. 10. 100. Quas neque generatim tradere sat est. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 6. Sat erit dari. et 12. *ibid.* 23. 3. Sat erit picis sex scrupula miscere. *Vet. Poet.* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. Non sat habuit conjugem illexe in stuprum. *non si contentò.* — *b*) Sequente Conjunct. cum partic. *ut. Sil. It.* 17. 613. mihi satque superque (est), Ut me Dardaniæ matres atque Itala tellus, Dum vivam, exspectent. — 4.°) *Sat superque*, satis superque, affatim, plusquam satis. *Sil. It. loc. cit.*

B) Adverbialiter. — *a*) Cum Verbis. *Accius p.* 168. *Ribbeck.* neque sat fingi neque dici potest Pro magnitate. *Virg.* 3. *Ecl.* 111. sat prata biberunt. *Vetus Poet.* apud *Gell.* 12. 6. non sat scio. — *b*) Cum Adjectivis. *Horat.* 2. *Od.* 19. 26. non sat idoneus pugnæ. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. *Liv.* 6. 18. Sat plenum. *Publil. Syr.* 624. *p.* 357. *Ribbeck.* Sat magna usura est pro beneficio memoria. — *c*) Cum Adverbiis. *Plaut. Capt.* 4. 2. 12. Qui sat diu vixisse se arbitrabitur. Adde *Cic.* 15. *Att.* 3. *extr.*

SĂTA, ōrum, n. plur. 2. V. SATUS, a, um.

SĂTACCEPTUS et

SĂTACCĬPĬO. V. SATISACCIPIO.

SĂTĂGENS, entis, particip. V. SATAGO.

SĂTĂGĔUS et Satagius, a, um, adject. (sat et ago) satagens et nimis diligens, qui satagit. *Seneca Ep.* 98. *circa med.* Ut istos satageos, ac sibi modestos describam tibi.

SĂTĂGĬTO, as, are, n. 1. (sat et agito) idem ac satago. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 23. Nunc agitas sat tute tuarum rerum. *h. e.* exerceris, laboras, sollicitus es, habes quid cogites, et exercearis, et crucieris. *tmesis.* Alii tamen leg. *satagitas*. et *Ter. Heaut.* 2. 1. 11. Magis nunc me amicæ dicta stimulant: da mihi, atque affer mihi. Cui quid respondeam, nihil habeo: nec me quisquam est miserior. Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagitat, attamen habet pudicæ et bene etc. eductam, ignaram artis meretriciæ. *ha pur troppo i suoi grattacapi, ha da pensare assai a' casi suoi.* Ita leg. *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* pro *satagit*, *tamen*, et quidem rectius; hanc porro lectionem in textum receperunt *Bothe*, *Bentley* aliique recentiores: at *Forcell.* locum *Terentii* attulit in *Satago*, quamquam ipse aliter legendum censere videtur.

SĂTĂGĬUS. V. SATAGEUS.

SĂTĂGO, ăgis, ăgere, n. 3. (sat et ago) Particip. *Satagens* 1. *a.* et 2. *a* et *e.* — Satago ¶ 1. Est sedulo ago, *far con diligenza, con premura, fare assai*, et occurrit absolute, aut cum accusat. communi, aut genetivo. — *a*) In bonam partem. *Plaut. Asin.* 2. 4. 43. Prius quam (*pecuniam*) credidi, vix anno exegi: nunc satagit. *Petron. Sat.* 137. Interea hæc satagens, infra manus meas camellam vini posuit etc. — *b*) In malam partem. *Gell.* 1. 17. Xantippe, Socratis uxor, morosa admodum fuisse fertur: irarumque et molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat. Alii leg. *scatebat*. ¶ 2. Sæpius est sat habeo quod agam, intente et sollicite ago, trepido, exercitus sum, angor re quapiam, rei difficultate torqueor, *ho che fare, ho da pensare, sono occupato, ho del travaglio*, πολυπραγμονέω, διαπονέομαι, ἀγωνιῶ, quamquam hæc notio valde affinis priori est. — *a*) Absolute. *Quintil.* 6. 3. 54. *circa med.* Venuste Domitius Afer Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, non agere dixit, sed satagere. Adde *eumd.* 11. 3. *a med.* *Auct. B. Afr.* 78. *a med.* Postquam equites vim hostium sustinere non poterant, Cæsar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter occurrerent. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann. a med.* Curris, stupes, satagis, tamquam mus in matella. *Arnob.* 5. *p.* 170. Juppiter satagit ivactus metu. *Vulgat. interpr. Mich.* 4. 10. Dole et satage. — *b*) Cum Genetivo *Ter. Heaut.* 2. 1. 11. is quoque suarum rerum satagit. (Sed de hac lectione V. dicta in voce præced.) — *c*) Cum Dativo *Commodian. Apol.* 1007. Quisque sibi satagit, sed nihil proficiet illi. — *d*) Cum Accus. et præpos. *circa*. *Vulgat. interpr. Luc.* 10. 40. Satagebat circa frequens ministerium. — *e*) Cum Ablat. et præpos. *de*. *Gell.* 9. 11. Instruebantur acies a consulibus, de vi ac multitudine hostium satagentibus. Alii leg. divise *sat agentibus*. uti et *satis ago* hoc sensu dicitur. V. SATISAGO. — *f*) Cum Conjunctivo et partic. *ut, ut ne*. *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 1. 10. Fratres, magis satagite, ut etc. *Pacuv. trag.* 72. Semper satagere, ut ne in amore animum occupes. — *g*) Cum Infinito. *Commodian. Apol.* 604. Provenire satagit vir. *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 3. 14. Satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.

SATAN, indeclin., et Satanas, æ, m. 1. Quod ad quantitatem attinet, prima syllaba in *Satan*, et prima ac secunda in *Satanas*, producendæ es-

sent ex eo quod Hebraice vocalibus longis notantur; sed usu ut plurimum corripiuntur. — Satan vel Satanas est ab Hebr. שָׂטָן *satan*, adversatus est: duplici forma, Hebr. prima, altera Chald., et significat proprie adversarium ¶ 1. Stricto sensu dicitur de diabolo, bonorum omnium hoste, *Satana*, *Satanasso*, Σατᾶν et Σατανᾶς. *Tertull. Apolog.* 22. Satanas princeps hujus mali generis. *Vulgat. interpr. Apoc.* 20. 2. Serpens antiquus, qui est diabolus et satanas. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quolibet adversario, hoste. *Id.* 2. *Reg.* 19. 22. Cur efficimini mihi hodie in satan? *Id. Matth.* 16. 23. *de Petro.* Vade retro, satana. *h. e.* qui operi tam utili ac necessario humanæ salutis adversaris.

SATANĀRĬA, æ, f. 1. herba, quæ et peucedanos dicitur. *Apul. Herb.* 94.

SATANAS, æ, m. 1. *V.* SATAN.

SĂTĀRĬUS. *V.* SATORIUS.

SĂTELLES, ĭtis, com. gen. 3. *Satelles, is*, licenter declinatur, et prior syllaba producitur a *Commodian.* 53. 14. Suscipit, et proprium satellem dedicat esse. — Etymologi hanc vocem conjungunt alii cum ἑταῖρος, socius, seu comes, adjecto *s* pro spiritu aspero, et mutato, ut fit, ρ in *l*; alii cum στέλλειν, mittere; alii denique cum Germ. *sith*, cui inest sequendi, seu comitandi significatio. — Quicquid sit de etymo, satelles est miles mercede conductus, qui custodiæ causa a regis latere non discedit, stipator, corpore-custos, latro, δορυφόρος, σωματοφύλαξ. (It. *guardacorpo, guardia, custode;* Fr. *garde du corps, garde d'un grande personnage, satellite;* Hisp. *guardia de corps, guardia de principe, satelite, alguacil;* Germ. *d. dienende, od. beschützende Begleiter eines Vornehmen, bes. eines Fürsten; e. Trabant;* Angl. *a lifeguard, lifeguardman, soldier who guarded the person of the prince*).

I.) Proprie. *Sall. Jug.* 69. Contumeliosum fore, si equites R. satellites Numidæ traderentur. *Nepos Pausan.* 3. Apparatu regio utebatur, veste Medica: satellites Medi et Ægyptii sequebantur. *Liv.* 2. 12. *circa med.* Quum comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis. *Ovid.* 14. *Met.* 354. ne posset adire, Cursus equi fecit, circumfususque satelles. *Curt.* 10. 7. 14. Novi regis satelles sequitur. *Id.* 6. 7. 29. Dymnus occursu satellitum inhibitus perfertur in regiam. Adde *Justin.* 13. 3. 1. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (53). *de rege apum.* Circa eum satellites quidam, lictoresque, assidui custodes auctoritatis.

II.) Translate. — 1.°) In bonam partem. — *a*) Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 17. Virtutis veræ custos rigidusque satelles. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 26. Hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites attribuit ac nuncios. *Plaut. Trin.* 4. 1. 14. Satellites Neptuni. *h. e.* turbines, venti, procellæ, fluctus. — *b*) Specialim. *Horat.* 2. *Od.* 18. 34. nec satelles Orci Callidum Promethea Revexit auro captus. *h. e.* Charon. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 106. et vertens *Æschyli* carmen 2. *Tusc.* 10. 24. Pennata Jovis satelles. *h. e.* aquila. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 65. 10. *Merc.* Prævius Auroræ, Solis Noctisque satelles. *h. e.* Phosphorus. *Auson. Griph.* 26. *Wernsd. de gallo gallinaceo.* ter clara instantis Eoi Signa canit serus depreneo Marte satelles. *Scaliger* minus recte de castrensi buccinatore interpretatur. *V.* adnot. ad h. l. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4. Mercurialis et Venerius orbis pari ambitu comitati solem viæ ejus famulatu satellites obsequuntur. *Cic. ibid.* hos *comites* vocat. Hinc nostri temporis astronomi *satellites* appellant quinque planetas, qui circa Jovis orbem, et octo, qui circa Saturni sphæram volvuntur. — 2.°) In malam partem, Romanis namque odiosum erat regis nomen, et omnium, quæ regem circumstant; ideo sæpe *satelles* de malo ministro dicitur mali civis, et nimiæ potentiæ, *sgherro, cagnotto, bravo. Sall. orat. Lepidi contra Sull.* Satellites quidem ejus homines maxumi nominis, dominationis in vos servitium suum mercedem dant. *Cic.* 2. *Leg. agr.* 13. 32. Stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis. *Id. Quinct.* 25. *extr.* Administri et satellites Sex. Nævii Roma trans Alpes in Sebusianos biduo veniunt. *Id. Prov. cons.* 3. *a med.* Quos putavit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. *Id.* 1. *Cat.* 3. 7. C. Manlium, audaciæ satellitem atque administrum tuæ. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus.

SĂTELLĪTĬUM *et* Satellicium, ĭi, n. 2. (satelles) satellitum cohors et officium, auxilii et defensionis causâ, *compagnia, o difesa ed ajuto di guardacorpi.*

I.) Proprie. *Jul. Valer.* 1. 17. Pausanias repente, satellitio stipatus, strictis gladiis theatrum irruit, Philippumque vulnere prævenit.

II.) Translate. *Augustin.* 3. *Doctr. Chr.* 18. Cupiditas dominans, et ipsarum quoque Scripturarum, quibus evertenda est, satellitium quærens. Adde *eumd. Ep.* 118. et 2. *contra litt. Petil.* 209. *Itin. Alex.* 31. In ejus satellicium confluere.

SATFĂCĬO, făcis, făcĕre, n. 3. (sat et facio) idem ac satisfacio. *Laber.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Cur, quum vigebam membris præviridantibus, Satfacere populo, et tali quum poteram viro, Non flexibilem me concurvasti ut carperes?

SĂTĬĀBĬLIS, e, adject. (satio) ¶ 1. Active, qui satiat, aut satiare potest. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 123. Non aliter inutiles atque satiabiles sunt incensiones, sive fumigationes etc. Adde *Augustin. serm.* 100. ¶ 1. Passive, qui satiari potest. *Victor.* 2. *Genes.* 372. nullis satiabilis unquam Amnibus Oceanus. — Est etiam in *Not. Tir. p.* 33. Satiabilis, insatiabilis, exsatiabilis, inexsatiabilis.

SĂTĬĀBĬLĬTER, adverb. (satiabilis) satiabili modo. *Rufin.* ex *Clem. ep.* 3. *a med.*

SĂTĬANS, antis, particip. *V.* SATIO.

SĂTĬANTER, adverb. (satians) satiate, *a sazietà. Apul.* 7. *Met.* Equi pasti satianter ac diu saginati.

SĂTĬAS, ātis, f. 3. idem quod satietas *per syncopen, sed rarior forma.* ¶ 1. Objective, ut ajunt, est abundantia, *sazietà, abbondanza*, κόρος. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 100. Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Jovi. *Lucret.* 5. 1389. Hæc animos olim mulcebant atque juvabant Cum satiate cibi. et 2. 1036. fessus satiate videndi. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 172. 12. *Merc.* Frumentique ex inopia gravi satias facta. *Accius* apud *Non. ibid.* Quorum crudelitatem numquam ulla explet satias sanguinis. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *circa med.* Cur qui avidius vorant, facilius satias capit, quam qui eadem quietius ederint. — *Ad satiatem*, abunde, affatim, satiate, *a sazietà. Lucret.* 5. 40. ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit. ¶ 2. Subjective est tædium, nausea, odium, *sazievolezza, nausea, tedio, noja;* quæ ex satietate oriri solent. *Ter. Eun.* 5. 6. 1. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi. Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. Ubi satias cœpit fieri, commuto locum. *Id. Hecyr.* 4. 2. 18. Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum. satias jam tenet Studiorum istorum. *Lucil.* apud *Non. loc. cit.* Quid mihi proderit, quam satias jam omnium rerum tenet? *Liv.* 30. 3. Si forte eum satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. *Id.* 25. 23. Satias vini. *Sil. It.* 4. 110. Nec finis satiasve, novi sed sanguinis ardor Gliscere. *Alii leg.* satiesve.

SĂTĬĀTĒ, adverb. (satiatus) Sup. *Satiatissime.* — Satiate est ad satietatem, copiose, affatim, *a sazietà, abbondantemente, in copia,* κατακόρως. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Populus, salix, tilia, vitex ignis et aeris habendo satiate, atque humoris temperate, egregiam habere videntur in usu rigiditatem. *Alii leg.* satietatem. *Tertull. Anim.* 46. *a med.* Cetera Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissime exhibebit. *Arnob.* 6. *sub init.* Ut eadem rursus satiateque dicantur. *Augustin.* 4. *de Music.* 14. *a med.* Quod satiatissime sentis, quum singula repetis.

SĂTĬĀTUS, a, um, particip. *V.* SATIO.

SĂTĬES, ēi, f. 5. (satis) satias, satietas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). Fico arida saginatis suibus, ac satie, necatis repente mulsi potu dato. Ita *Harduin.* et *Sillig.* Alii aliter. *Juvenc.* 1. 637. Proveniet tamen his saties potusque cibique. — *Ad satiem*, affatim, abunde, satiate. *Id.* 3. 316. populusque repletur Ad satiem dapibus. *V.* SATIAS.

SĂTĬĔTAS, ātis, f. 3. (satius).

I.) Proprie. ¶ 1. Objective, ut ajunt, est copia, abundantia, multitudo. — *a*) In sing. num. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 6. neque eis ulla ornandi satis satietas est. *Ammian.* 23. 6. 64. Satietas frugum. Adde *Vitruv.* 2. 9. ubi alii aliter leg. *V.* SATIATE. — *Ad satietatem*, affatim, abunde, satiate. *Curt.* 4. 10. 15. Ad satietatem copia commeatuum instructus. — *b*) In plur. num. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Quercus terrenis principiorum satietatibus abundans. *h. e.* copiâ qualitatum terræ; vel copiose participans qualitates terræ. ¶ 2. Subjective est saturitas, *sazietà, ripienezza*, κόρος. — *a*) Abstractorum more. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 26. 40, (96). Hippopotamus assidue satietate obesus exit in litus, etc. *Id.* 11. *ibid.* 34. 40. (116). Unum animalium, cui cibi non sit exitus: dehiscitque nimia satietate. — *Ad satietatem*, et plenius *usque ad satietatem*, affatim, abunde, et donec satiatus sis, *a sazietà, insino a saziarsene*, ἄχρι κόρου. *Sueton. Domit.* 21. Prandere ad satietatem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (148). Medica dari jumentis non ad satietatem debet. *Id.* 34. *ibid.* 17. 49. (165). Laxatis spiramentis, ad satietatem infusus aer. *Petron. Sat.* 131. *extr.* Re quapiam usque ad satietatem frui. *Plaut. Cist.* 1. 1. 72. Amor amarum ad satietatem usque oggerit. — *Citra satietatem* contrarium. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 57. (106). Punica mala alvum sistunt, et stomachum, dumtaxat pauca, citraque satietatem. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu dicitur de stercore animalium. *Solin.* 2. *a med.* Lupi, quos cervarios dicimus, quamvis post longa jejunia repertas ægre carnes mandere cœperint, ubi quid casu respiciunt, obliviscuntur; et immemores præsentis copiæ, eunt quæsitum quam reliquerant, satietatem.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2., est fastidium, tædium, quod ex cibi, vel rei alius cujuspiam nimio usu nobis ingignitur, *sazievolezza, rincrescimento, noja, fastidio, stucchevolezza:* cui opponitur desiderium, aviditas. *Cic.* 2. *Fam.* 11. Mirum me desiderium tenet urbis, satietas autem provinciæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 38. (77). Tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Cibi satietas et fastidium subamara aliqua re relevatur. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *circa med.* Ne si longius esset extracta cognitio, satietate et tædio quodam justitia cognoscentium severitasque languesceret. *Quintil.* 9. 4. *ad fin.* Id quum manifesta affectatione, tum etiam similitudine tædium ac satietatem creat. *Cic.* 4. *Herenn.* 27. *extr.* Rarius utemur ea, ne satietatem pariat. *Id. Mur.* 9. *a med.* Ista nostra assiduitas, nescis, quantum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. *Id.* 3. *Orat.* 25. 98. Quænam causa sit, cur ea quæ specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. *Id. Orat.* 52. 174. Dicitur Isocrates numeros secutus cum jucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati. *Id.* 1. *Invent.* 41. 76. Variare orationem magnopere oportebit. nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. *Sall. Jug.* 36. *a med.* Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet. *Nepos Pelop.* 1. Medebor quum satietati tum ignorantiæ lectorum. *Plaut. Amph.* 1. 2. 10. Satietatem capere alicujus rei. *h. e.* de re quapiam sumere usque ad satietatem. Sic *Ter. Phorm.* 5. 5. 6. Sumere satietatem amoris. *prendersene una satolla.* Rursus *Cic.* 15. *Att.* 16. Hæc ῥωπογραφία ripulæ videtur habitura celerem satietatem. et 2. *ibid.* 5. Cupio Alexandriam visere, et simul ab hac hominum satietate nostri discedere, et cum aliquo desiderio reverti. *h. e.* ab his hominibus, quos satietas mei cepit. *Id.* 5. *Verr.* 43. *a med.* Fugere satietatem judicum. *Id.* 4. *Herenn.* 11. *extr.* Satietatem varietate vitare. *Plin.* 8. *Ep.*

5. *in fin.* Satietas doloris. *h. e.* quum dolor veluti satiatus est diuturnitate sæviendi. — *b*) In plur. num. *Cic. Amic.* 19. 67. Non enim amicitiarum debent esse, sicut aliarum rerum, satietates.

SĂTIN, idem ac satisne. *V.* SATIS.

SĂTĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sat, satis) Particip. *Satians* I. *a.* et II. 2.; *Satiatus* in omn. paragr.; *Satiaturus* II. 2. — Satio est saturo, pasco, expleo, χορέω (It. *satollare, sbramare, saziare*; Fr. *rassasier, satisfaire la faim, la soif, assouvir*; Hisp. *saciar, hartar, llenar la panza*; Germ. *m. Speise z. Genüge anfüllen, sättigen, satt machen*; Angl. *to satiate, satisfy, overfill, sate, glut*).

I.) Proprie refertur ad appetitum cibi et potus. — *a*) Cum Accus. tantum ejus, qui satiatur. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 25. Veniebat ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturæ. *Ovid.* 11. *Met.* 371. Diram famem satiare. *Martial.* 6. 35. sitim. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. *de orca.* Satiansque se per complures dies etc. *Colum.* 8. *R. R.* 9. *a med.* Satiat semodius cibi in diebus singulis vicenos et centenos turtures. — Passive absolute. *Lucret.* 2. 320. satiati agni ludunt blandeque coniscant. — *b*) Cum Accus. ejus, qui satiatur, et Ablat. rei, qua quis satiatur, sine præpos. aut cum præp. *de*; vel passive. *Vulgat. interpr. Ps.* 147. 11. Adipe frumenti satiat te. *Ovid.* 3. *Met.* 140. vosque canes satiatæ sanguine herili. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (92). Vultur satiatus humano cadavere. *Vulgat. interpr. Ps.* 103. 13. De fructu operum tuorum satiabitur terra. *h. e.* homines. Alii aliter interpr. Adde *Auct. quæst. gram.* p. 173. 11. *Hag.*

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim refertur ad appetitionem animi, sive in bonam, sive in malam partem, *contentare, sfogare.* — *a*) Cum Accus. tantum ejus, qui satiatur. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Satiare libidines. *Id.* 3. *Fin.* 2. *a med.* Erat in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat. *Id.* 6. *Verr.* 28. 65. Ait se velle illud (*candelabrum*) etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum. *Catull.* 64. 147. Libido mentis satiata. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 19. Satiare iram. *Id.* 9. *Met.* 178. cor. *Petron. Sat.* 97. *sub fin.* iracundiam. *Sil. It.* 11. 601. iras. *Id.* 1. 150. furores. *Capitol. Max.* 10. Se satiare non potuit. *h. e.* satiari. — *b*) Cum Accus. ejus, qui satiatur, et Ablat. vel rarius Genet. rei, qua quis satiatur; vel passive. *Cic. Dom.* 22. *extr.* Ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui. *Id.* 1. *Q. fr.* 3. *ante med.* Crudelitas nondum est nostra calamitate satiata. *Liv.* 8. 20. Suppliciis satiati nocentium. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Cruore hostium satiari. *Horat.* 1. *Od.* 2. 37. heu nimis longo satiate ludo. *Propert.* 2. 12. 23. Satiare oculos amore. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 34. lumina longo visu. *Seneca Troad.* 762. avidos dolores amplexu. *Id. Agam.* 519. quisquis es nondum malis Satiate tantis Cælitum, tandem tuum Numen serena. *Lucan.* 7. 803. Ira nondum satiata cædibus. Adde *Sil. It.* 4. 735. *Liv.* 2. 65. *init.* Romanus integer satiatusque somno, productus in aciem, fessum stando et vigiliis Volscum primo impetu perculit. *Ovid.* 7. *Met.* 808. quum satiata ferinæ Dextera cædis erat, repetebam frigus et umbras. *Sil. It.* 4. 436. quassatque per auras Titanum bello satiatam sanguinis hastam. *Id.* 16. 603. satiatus et ævi Et decoris ¶ 2. Est etiam fastidium, tædium creare, *annojare, infastidire. Cic.* 3. *Orat.* 50. 193. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis etc. *Seneca Consol. ad Helv.* 16. *a med.* Neminem satiatura garrulitas. *Tac.* 1. *Ann.* 75. Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsistebat in cornu tribunalis. *Id. Agric.* 39. Domitianus secreto suo satiatus. *Id.* 3. *Hist.* 66. senex prosperis adversisque. *Tibull.* 2. 1. 51. Agricola satiatus aratro. *Alii leg.* lassatus. — Absolute. *Cic. Orat.* 63. 215. Primum enim numerus agnoscitur, deinde satiat, postea, cognita facilitate, contemnitur. *Quintil.* 9. 3. 5. Figuræ, ut novitate excitant, ita copia satiant. *Apul.* 5. *Met.* Fœtu satiante, postremus partus effudit. ¶ 3. In illo *Cyprian.* 1. *Ep. ad Mag.* Satiat adhuc in evangelio suo Dominus. *satio* videtur esse confirmo, stabilio. Sic apud *eumd. serm. de eleemos.* Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione satientur. ¶ 4. Generatim idem est quod abundare, vel replere, aliqua re large, abunde uti. — *a*) Absolute. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Observatum est, prout in Mauritania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere. *h. e.* abundaverint, et terras repleverint. — *b*) Cum Accus. ejus, qui satiatur, et Ablat. rei, qua quis satiatur, sine præpos. aut cum præp. *ex, de. Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (148). Satiari stercore, crebro purgari, caveri, ne cum herbis evellatur asparagus. *h. e.* large stercorari. Sic *Colum.* 2. *R. R.* 10. *sub fin.* Solum subactum largoque stercore satiatum. *Ovid.* 4. *Met.* 758. largis satiantur odoribus ignes. *h. e.* multo ture sparguntur. *Martial.* 8. 36. satiari lumine Phœbi. *h. e.* plene illustrari. *Seneca Œdip.* 632. pluvio æthere satiata tellus. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 153. Robora Dalmatico lucent satiata metallo, *h. e.* trabes auro large oblitæ et ornatæ. *Petron. Sat.* 135. paries pàlea satiatus inani Fortuitoque luto. *h. e.* densatus, repletus lutoque oblitus, cujusmodi fuisse casas apud priscos *Vitruv.* 2. 1. scribit. *Veget.* 1. *Veterin.* 47. Oleo manum perunges, et ipsum anum jumenti oleo satiabis. *Id.* 2. *ibid.* 48. 6. Ex aceto et oleo loca satiare. *Vulgat. interpr. Ezech.* 23. 22. De quibus (*amatoribus*) satiata est anima tua. — Sic *satiari lana* dicitur, quum inficitur, si abunde colorem imbibat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (135). Tyrius pelagio primum satiatur, immatura viridique cortina: mox permutatur in buccino.

H o m o n y m. In eo differunt *satiare* et *explere*, quod hoc significat plenum esse, illud supra modum et abundantiam, ita ut plus sit quam explere. Ita *Non. p.* 424. 25. *Merc. Lucret.* 3. 1017. animi ingratam naturam pascere semper, Atque e x p l e r e bonis rebus, s a t i a r e que numquam. *Cic. Parad.* 1. 2. Neque enim e x p l e t u r unquam, nec s a t i a t u r cupiditatis sitis. *Id. Partit.* 27. 96. E x p l e r e cupiditates, s a t i a r e odium. Cf. tamen *Cic. Senect.* 14. 47. Cupidis voluptatum odiosum et molestum est fortasse carere: s a t i a t i s vero et e x p l e t i s jucundius est carere, quàm frui.

SĂTĬO, ōnis, f. 3. (sero, satus) actus serendi, *seminagione, seminatura, piantagione,* σπορά. — *a*) In sing. num. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. In jugero agri Leontini medimnum fere tritici seritur, perpetua atque æquabili satione. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Vetus est agricolarum proverbium, Maturam sationem sæpe decipere solere, seram numquam, quin mala sit. *Id.* 3. *ibid.* 14. Sationis (*vitium*) duo genera malleoli, vel viviradicis. *Virg.* 2. *G.* 319. Optima vinetis satio est, quum vere rubenti Candida venit avis. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *ante med.* Sationem peragere. Adde *Liv.* 32. 34. — *b*) In plur. num. idem ac sata, *seminati. Cic.* 5. *Verr.* 15. 38. Ut aratores jugera sationum suarum profiterentur.

H o m o n y m. Differt *satio* a *semente*, quæ proprie est seminis sparsio: *satio* omnem culturam, quæ in serendo fit, significat. *Colum.* 2. *R. R.* 4. *ante med.* Limosa arva non sunt habilia s e m e n t i, aut occationi, aut s a t i o n i. (At in optimis Codd. legitur *sartioni* pro *sationi*, quod postremum *Schneiderus* in textum admisit.) — Idem omnino videtur in illo *Pallad.* 12. *R. R.* 1. Novembri mense triticum seremus, et far s a t i o n e legitima ac s e m e n t e solemni.

SĂTĬŌNĀLIS, e, adject. (satio) qui sationi idoneus est. *Isid.* 15. *Orig.* 13. Arvus ager, id est sationalis.

SĂTĬOR. *V.* SATIS.

SĂTĪRA *vel etiam* Satyra, *olim* Satura, æ, f. 1. *Scaliger* ad *l.* 5. *Manilii*, et *Casaubonus l. de satyra*, scribere jubent *satira*, vel more antiquo *satura.* Qui *satyra* scribunt, eo id faciunt, quia hoc carminis genus a Satyris habere nomen arbitrantur, idque ob dicacitatem, quæ et *Cæs. Scaligeri* sententia est *l.* 1. *Rei poeticæ c.* 12. Aliqui causam afferunt, quod in hoc genere carminis res ridiculæ pudendæque scribuntur, quemadmodum proferri a Satyris solebant, vel quod in antiqua satyra introducebantur satyrorum personæ, aut si quæ erant ridiculæ similes Satyris. Qui *satura* malunt, ea re adducuntur, quia genus hoc poesis dictum censent ob carminis varietatem, et propter copiam rerum, quæ ibi tractantur. Ut magis liqueat, utra sententia sit potior, distinguendum fortasse est inter satyram *Lucilii, Horatii, Persii*, et satyram *Ennii* et *Varronis.* Prior ita dicta videtur a satyrica poesi; nam huic erat similis ob maledicentiam. At satyra *Ennii* ac *Varronis* ex eo nomen accepit, quod multa metra et res pariter misceret. Quod ex *Diomed.* 3. *p.* 482. *Putsch.* cognoscere est. *V.* SATUR in fin. Quare posteriorem hanc *saturam* vel *satiram*, alteram illam *satyram* appellari placet iis, quos adduximus, *Casaubono* et *Scalig.* Verum, utcumque se res habeat, non esse a communi scribendi per *y* consuetudine recedendum, pluribus ostendit *Daniel Heins. l.* 1. *de satyra Horat.*, quum utrumque, quod diximus, carminis genus commode possit a Satyris deduci. Hucusque *Forcellinus.* Verum *L. Müller, Schütz, König* aliique plurimi philologi recentiores docent id carminis et genus et nomen, non a Græcis esse profectum, sed Romanorum proprium fuisse (Cf. *Quintil.* 10. 1. 93., *Diomed.* 3. *p.* 483. *Putsch.* et *Horat.* 1. *Sat.* 10. 66.) et scriptionem per *u* vel per *i* vocabuli etymo solam respondere, ita ut sit *satura* vel *satira* a *satur*, subaud. *lanx* vel *res.* V. SATUR in fin. (Cf. *Diomed. loc. cit., Isid.* 8. *Orig.* 9., *Acron.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 1., *Paul. Diac. p.* 315. 7. *Müll.*, al.) — Ceterum satira est genus carminis, in quo multa metra ac res pariter miscentur: item carmen maledicum et ad carpenda vitia compositum. Duo enim satirarum genera fuisse constat, alterum, quod carminum et rerum varietate constabat: alterum apertam hominum reprehensionem continens et acrem vitiorum objurgationem. At, secundum ipsum nominis etymon, numquam satiræ defuisse varietatem, nunc eruditi viri defendunt. Satira enim, uti ajunt, fuit initio carmen extemporale, inconditum variumque, præcipue in Liberalibus usurpatum, quum, messe condita, agricolæ saturi hujusmodi versibus dicteria et probra sibi invicem ingerebant (Cf. *Virg.* 2. *G.* 386., *Horat.* 2. *Ep.* 1. 145. et *Tibull.* 2. 1. 51.): dein scænicum et excultius per Livium Andronicum; in quo autem verba, cantus et saltatio commixta rep untur: mox per Ennium extra scænam tractari cœpit versuum argumentorumque varietate insigne, et per T. Varronem prosa ac versa oratione: postremo per Lucilium, quem secuti sunt Horatius, Persius, al., hominum vitia hac nova satiræ forma metris rebusque varia castigantem. (Cf. *Juvenal.* 1. 85. et *Isid.* 5. *Orig.* 16.) Non est tamen infitiandum, quæstionem de satiræ origine et natura difficilem esse et acriter vexatam, adeo ut *Teuffel* dicere non dubitaverit: Ueber die Satura ist alles dunkel und unsicher (*Gesch. d. röm. Liter.* Cf. *Van Heusde, Studia critica in Luc.*). *Quintil. loc. cit.* Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius. *Id. ibid.* Alterum illud etiam prius satiræ genus, sed non sola carminum varietate mixtum, condidit T. Varro. *Diomed. loc. cit.* Satira dicitur carmen apud Romanos, non quidem apud Græcos. *Alii leg.* nunc quidem apud Græcos; *alii* apud Græcos *omitt.*, ut *Keil. Horat.* 2. *Sat.* 1. 1. Sunt quibus in satira videor nimis acer. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 103. Liventem satiram nigra rubigine turba. — *Satura* et *Satura jocabunda* occurrit, κατὰ προσωποποιΐαν, apud *Capell.* 6. *p.* 189. et 9. *p.* 336.

SĂTĬRĬCĒ *et* Satyrice *et* Saturice, adverb. (satiricus) satirico modo, per satiram, satirico sermone. *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 8. 72. Hic autem satirice significat escarum ministerium. *Porphyr.* ad *eumd.* 1. *Ep.* 15. 1. *Pauly.* Scribit satirice de Bajarum luxuria. ubi *Meyer* satyrice, *Hautal* saturice.

SĂTĬRĬCON. *V.* voc. seq. in fin.

SĂTĬRĬCUS *et* Satyricus, a, um, adject. (satira) ad satiram pertinens. *Lactant.* 2. 4. Flaccus, ut satirici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *a med.* In materia satirica sollicitus et mordax, in tragica sævus et flebilis. *Fulgent. Myth.* 1. *procem.* 2. Satiricus lepos. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. versus. *Schol. Juvenal.* leges. — Hinc

Satiricus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est satirarum scriptor. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. et 4. *ibid.* 1. — *Satiricon,* satira, inscribitur *Petronii* liber.

SĂTĬRĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SĂTĬRŎGRĂPHUS *et* Satyrographus, i, m. 2. satirarum scriptor. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. *ante med.* Ut satirographum te aut exsecrantur, aut reformidant.

SĂTIS idem ac sat, addita terminatione nominis adjectivi, quare, non modo adverbialiter, sed, ut ait *Priscian.* 15. *p.* 1015. *Pusch.*, etiam loco nominis positivi accipitur: itaque etiam comparationem recipit; quod quidem videre est in *potis,* cui forma accedit. — Satis igitur usurpatur *A)* Adjectivorum more, et *B)* Adverbialiter, qua ratione multo sæpius occurrit.

A) Adjectivorum more *satis* idem est ac sufficiens, æquus, par, ἱκανός (It. *sufficiente, bastante;* Fr. *suffisant;* Hisp. *suficiente, bastante;* Germ. *hinlänglich, zureichend, genügend;* Angl. *sufficient, enough*). Comp. *Satior.* ¶ 1. Positiv. *satis* — *a*) Universim. *Lucil.* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Cui, si conjuret populus, vix totu' satis sit. *Titin.* apud *Non. p.* 81. 13. *Merc.* Libram ajebant satis esse ambobus farris intritæ. *Lucret.* 1. 241. Tactus enim leti satis esset causa profecto. *Id. ibid.* 402. animo satis hæc vestigia parva sagaci. *Ter. Eun.* 4. 7. 40. Satis hoc tibi est. *Id. Andr.* 4. 2. 22. Dies mihi hic ut sit satis, vereor. *Plaut. Capt.* 1. 1. 9. Semel fugiendi si data esset occasio, satis est. *Virg.* 7. *Æn.* 470. Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque. *Cic.* 1. *Herenn. init.* Etsi negotiis familiaribus impediti, vix satis otium studio suppeditare possumus. *Ulp. Dig.* 5. 40. 45. *a med.* Pecuniarium fideicommissum, si divisum fuerit, satis injuriam facit libertati. Ita *Torrentin.* Alii leg. *sane.* et *Ovid.* 3. *Met.* 149. Fortunamque dies habuit satis. *Cic. Orat.* 22. Eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. *Id.* 9. *Fam.* 14. Sum enim avidior, plus quam satis est, gloriæ. *Nepos Epam.* 4. *sub fin.* Abstinentiæ erit hoc satis testimonium. — *b*) Cum Genetivo. *Plaut. Truc.* 2. 2. 4. Satis mihi est tuæ salutis. *Ter. Phorm.* 2. 3. 89. satis jam verborum est. *Id. Andr.* 1. 1. 111. Nec satis ad objurgandum causæ. *Cic.* 4. *Verr.* 1. 2. Ut ad dicendum temporis satis habere possim. *Liv.* 32. 21. *a med.* Satis exemplorum nobis alienæ clades præbent. *Quintil.* 7. 4. 18. Si videatur satis pœnarum dedisse. — *Satis superque,* plus quam satis, eodem modo adhibetur. *Liv.* 3. 67. Satis superque vitæ erat. *Cic. Amic.* 13. 45. *Klotz.* Satis superque esse sibi suarum cuique rerum. Cf. *Horat. Epod.* 17. 19. et *Liv.* 2. 42. — Item *satis ac nimium* sæpe junguntur. *Rutil.* 1. *de fig. sent.* 1. Nobis si nihil accidit mali, satis ac nimium boni videtur. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 1121. et *Stat.* 1. *Silv.* 2. 169. — *c*) Cum Dativo. *Cic. Brut.* 35. *sub fin.* Dicebant de republica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis. *Liv.* 3. 53. Quibus non fuit satis consules spondere. *Quinct.* 2. 4. 9. Si oratori satis esset docere. — *Satis superque,* plus quam satis, eodem modo usurpatur. *Sall. Jug.* 75. Tanta repente cælo missa vis aquæ dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. — *d*) Cum Accus. et præp. *ad. Liv.* 2. 49. Fabii satis erant ad præsidium tutandum. *Cajus Dig.* 38. 1. 19. Ut satis tempus ad quæstum faciendum habent. Ita *Torrentin.*, alii *satis temporis.* — *e*) Cum Verbis, ut satis sum, puto, credo etc. — *α*) Sequente Infinito. *Lucret.* 2. 934. Huic satis illud erit planum facere. *Cic. Amic.* 26. 98. Satis erat respondere. *Horat. Art. P.* 99. non satis pulcra esse poemata. *Id.* 1. *Sat.* 2. 60. personam satis est evitare. *Virg.* 6. *Æn.* 487. Nec vidisse semel satis est. *Quintil.* 2. 4. 9. Dum satis putant vitio carere. *Id.* 2. 1. 2. Non satis credunt excepisse, quæ rejicta erant. — Sic *satis habeo,* contentus sum, sufficit mihi, *mi basta, mi contento. Cic.* 5. *Fam.* 2. *circa med.* Satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Adde *Rosc. Am.* 52. 150. *Sall. Jug.* 31. Satis habebatis animam retinere. nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? *Nepos Hannib.* 10. *sub fin.* A ceteris tantum satis habeant se defendere. — *β*) Cum Accusativo communi. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 12. Quando id, quod sat erat, satis habere noluit, ego pausam feci. *Nepos Epam.* 4. Nec vero id satis habuit, sed, etc. *nè si contentò di questo. Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Atque hoc non solum in te satis habebit, sed, etc. — *γ*) Cum particula *si, quod. Horat.* 1. *Sat.* 4. 116. mi satis est, si Traditum ab antiquis morem servare possum. *Nepos Timol.* 2. Carthaginienses satis habere coegit, si liceret Africam obtinere. *li costrinse a contentarsi* etc. *Liv.* 40. 39. Senatus censuit satis habendum, quod prætor jusjurandum polliceretur. — *Satis superque habeo* apud *Cic. Rosc. Com.* 4. 11. Confitetur plus se petere, quam debeatur: sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. ¶ 2. Comp. *satior,* et sæpius *satius,* h. e. melior, melius, utilius, præstantius. — *a*) Absolute. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (36). Erit igitur hæc terra optima et operi satior. At *Harduin.* et *Sillig.* et operi, et satis; *alii aliter leg.* — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Cist.* 4. 1. 10. Satius est mihi quovis exitio interire. *Id. Trin.* 2. 2. 30. Nimio satius est, ut opus est, te ita esse, quam ut animo lubet. *Ter. Heaut.* 5. 2. 16. Satius est quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem. *Id. Andr.* 2. 1. 7. Ah quanto satius est, te id operam dare, quam etc.! *Lucret.* 5. 1127. Ut satius multo jam sit parere quietum, Quam regere imperio res velle, et regna tenere. *Cic.* 4. *Att.* 36. Non igitur satius esset devenire. *Id. Rosc. Am.* 52. 150. Inter feras satius est ætatem agere. *Nepos Pelop.* 1. Satius ducebant eos obsideri, quam liberari. *Id. Pausan.* 5. Satius putaverunt in urbe eum comprehendi. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 26. (52). Et quis satius censeat, absinthite vino utendum potius, quam absinthio ipso? — In illo *Plauti Truc. a.* 5. *v.* 36. Nihil φλυαρεῖν satius est, miles. si te amari postulas, Auro, haud ferro deterrere potes, ne amet Stratophanes. *satius est* significat opus est, aut prodest, aut necesse est, amissa significatione comparativi. *non occorre che tu faccia delle bravate a credenza.* — *c*) Cum Conjunctivo et partic. *ut. Lactant.* 6. 20. 25. Satius est, ut se ab uxoris congressione contineat. *Nov. com.* 16. (Ut) meam penum componam, satius est.

B) Adverbialiter, qua ratione multo sæpius usurpatur, *satis* est quantum sufficit, aut opus est, ἅλις, ἱκανῶς (It. *a bastanza, a sufficienza, bastantemente, sufficientemente;* Fr. *assez, suffisament;* Hisp. *harto, bastantemente, sobradamente;* Germ. *genug,* z. *Genüge, genugsam, hinreichend;* Angl. *sufficiently, well enough*): huc, ut ait *Forcell.*, reduci possunt multa ex modo adlatis scriptorum locis. — Comp. *Satius.* ¶ 1. Positiv. *satis.* — 1.°) Quantum sufficit, aut opus est, *a bastanza.* — *a*) Cum Verbis. *Plaut. Amph.* 5. 1. 45. quando satis deluseris. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 3. Ego istuc satis scio. *Id. Eun.* 3. 4. 9. Nequeo satis mirari. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 19. 63. Non enim satis intelligebam. *Id.* 7. *Verr.* 46. *sub fin.* Plusquam satis est, doleo. *Id.* 4. *Herenn.* 43. Quid est quod a me satis ei persolvi possit? *Ter. Eun.* 1. 2. 5. Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 53. Satis ludere. *Id.* 1. *Od.* 13. 13. audire. *Id.* 3. *ibid.* 16. 3. munire. *Id.* 3. *ibid.* 15. 7. placere. Adde *Liv.* 26. 51. *Id.* 36. 35. Satis constat. *Id.* 21. 8. creditur. *Plin. procem.* Non est satis æstimare, natura parens melior homini, an tristior noverca fuerit. *non si può abbastanza discernere,* non licet satis æstimare. — *Satis caveo, exigo, offero, peto,* Jurisconsultorum sunt, et ad fidejubendum pertinent. *Paul. Dig.* 7. 1. 60. Satisque ei a possessore cavendum est, quod non sit prohibiturus. *h. e.* satisdando, per fidejussorem. Ita *Torrentin.* Alii leg. *dandum. Id. ibid.* 26. 7. 45. *ad fin.* Pupillo a magistratibus tutor datus est: a quo magistratus satis exegerunt, rem salvam fore. h. e. fidejussorem exegerunt, *richiesero la sicurtà.* Sic *Scævola ibid.* 36. 3. 18. Satis a Sejo patre meo exigi veto. *Ulp. ibid.* 43. 23. 3. *ad fin.* Si modo satis offerat, et defendere paratus sit. h. e. fidejussorem exhibeat. Sic *Martian. ibid.* 48. 17. 1. *sub fin.* Si provinciæ præsidem adierit, et satis obtulerit. Adde *Ulp. ibid.* 26. 10. 5. *Id. ibid.* 36. 4. 3. Si is, a quo satis petitur, offerat cognitionem, dicendum est, cessare satisdationem. h. e. fidejussor petitur. Sic *Papinian. ibid.* 35. 1. 70. Ita ne satis fideicommissi petatur, neve ratio exigatur. *h. e.* nomine fideicommissi. — His adde *satis accipio, satis do. V.* SATISACCIPIO, SATISDO. — *Satis ago,* idem ac satago. *Plaut. Merc.* 2. 1. 3. Ego nocte hac, quæ præteriit, proxima egi satis, et fui homo exercitus. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Jam apud vallum nostri satis agebant. *Apul.* 8. *Met.* Villæ coloni multitudinem nostram latrones rati, satis agentes rerum suarum eximieque trepidi etc. *Gell.* 3. 8. Quum Pyrrhus rex in Italia esset, et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent Romani etc. *Id.* 19. 1. Complorantibus nostris omnibus atque in sentina satis agentibus. — Et impersonaliter *Cic.* 4. *Att.* 15. *ad fin.* Tribus habet Pomptinam, Velinam, Mæciam: pugnatur acriter: agitur tamen satis. — *Satis superque,* abunde, affatim, *piucchè bastantemente. Horat. Epod.* 1. 31. Satis superque me benignitas tua ditavit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. 2. Satis superque dictum est. — *De hoc satis,* ellipsis, h. e. dictum est. *Cic.* 6. *Att.* 9. Quare de hoc satis. *Nepos Alcib.* 11. *extr.* Sed satis de hoc: reliquos ordiamur. — *b*) Cum Adjectivis. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 62. Dummodo morata recte veniat, dotata est satis. *Ter. Andr.* 5. 1. 1. Satis jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Ne pabuli quidem satis magna copia est. *Cic. Rabir. Post.* 16. *extr.* Satis multa hominibus non iniquis hæc esse debent: nimis etiam multa vobis, quos æquissimos esse confidimus. Adde *eumd. Mil.* 34. 92. *Virg.* 2. *Æn.* 375. Responsa non dabantur satis fida. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 43. satis inter villa fortis. — *c*) Cum Adverbiis. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Neque, sinistra impedita, satis commode pugnare poterant. *Nepos Thrasyb.* 4. Quum non satis diligenter in castris agerentur vigiliæ. — *d*) Cum particula interrog. *ne,* quacum conjungi potest, *satisne?* et extrita utriusque littera finali, *satin?* et fere in sermone familiari. *Enn.* apud *Gell.* 18. 2. *extr.* Satin vates verant ætate in agunda? *Plaut. Trin.* 4. 3. 64. Satin ego oculis plane video? estne ipsus, an non est? *Ter. Andr.* 4. 4. 10. Satin sanus es, qui me id rogites? *et* 4. 5. 9. Quid vos? quo pacto hic? satin recte? *Cic.* 1. *Nat. D.* 41. 114. Satin est id ad illam abundantem bonis beatissimam vitam? — Aliquando interrogat, et affirmandi vim habet, ut *nonne. Plaut. Epid.* 5. 2. 1. Satin ille homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos habet? *Id. Rud.* 4. 5. 3. Satin si cui homini Dei esse benefactum volunt, aliquo illud pacto obtingit optatum piis? *h. e.* nonne? vel nonne perspicuum est obtingere? — *Satin ut* similem vim habet. *Plaut. Mil.* 4. 3. 40. Pro Juppiter! Satin ut commoditas usquequaque me adjuvat! *Id. Merc.* 2. 4. 12. CHA. Qui scis, esse amicam illam meam? EVTY. tute heri ipsus mihi narrasti. CHA. Satin ut oblitus fui, tibi me narravisse? EVTY. haud mirum factum est. — *Satin salve?* V. SALVE. — Apud *Ter. locis cit.* quidam leg. *sati ne.* — 2.°) Interdum ἐπιτατικόν est, h. e. augendi vim habet, vehementer, valde, abunde. *Plaut. Amph.* 2. 2. 208. Satis audacter. *Id. Pœn.* 1. 2. 73. Pro herili et nostro quæstu satis bene ornatæ sumus. *Ter. Heaut.* 1. 1. 19. Hæc non voluptati tibi esse,

satis certo scio. *Id. Andr.* 1. 1. 104. Ad flammam accessit imprudentius, satis cum periculo. *Cic.* 3. *Off.* 8. *sub fin.* Satis nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste esse faciendum. *Horat.* 1. *Od.* 13. 13. Non, si me satis audias, Speres perpetuum. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Planities erat magna, et in ea tumulus terreus satis grandis. *Nepos Epam.* 5. Vir satis exercitatus in dicendo. *Ulp. Dig.* 29. 2. 70. Hoc enim satis impium esset. *Id. ibid.* 43. 23. 7. *circa med.* Magna et satis necessaria causa. Rursus *Plaut. Pers.* 4. 4. 53. Satis recte. *Sall. Jug.* 62. sæpe. *Liv.* 34. 13. admodum. *Ammian.* 16. 12. 54. prosperrime. Adde alia quæ congessit *Broukus.* ad illud *Tibulli* 2. 6. 53. Tunc tibi, lena, precor diras. satis anxia vivas. — 3.°) Interdum minuendi. *Satis bene* est non omnino bene, sed mediocriter. *satis bonus* non plane bonus, sed probabilis. *Cic.* 2. *Off.* 25. 89. A Catone quum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere. quid secundum? satis bene pascere. quid tertium? male pascere. (*Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (30). et *Colum.* 6. *R. R. præf.*, hoc ipsum Catonis dictum referentes, pro *satis bene* habent *mediocriter.*) *mediocremente.* et 3. *Orat.* 22. *a med.* Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo. *se anche mediocre, tollerabile.* et 2. *Att.* 19. *a med.* Videor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimum. *Ter. Heaut.* 3. 2. 12. Meretrix hæc est forma luculenta. CHRE. sic satis. *così, così.* et *Seren. Sammon. p.* 67. *retro.* Quodque satis melius verbis dicemus Horati. *h. e.* aliquanto. Similiter *Cic.* 3. *Off.* 14. *init.* Nec infacetus et satis litteratus. Cf. *Nepot. Cim.* 2. Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem. *Justin.* 2. 1. 1. Quæ res satis amplæ magnificæque fuerunt. *Id.* 2. 13. 6. Satis multi. — 4.°) Pro intente, ut *satis agere.* V. in SATAGO. ¶ 2. Compar. *satius*, idem ac potius *Varro.* 1. *R. R.* 2. *ad fin.* Ego, quod magis pertineat ad Fundanii valetudinem, satius dicam. Sed hanc lectionem (cui adde *Propert.* 2. 34. 31.) falsam putat *Lachmann.* ad *Propert. p.* 224. V. *Haupt. opusc.* 2. 419.

SĀTĬSACCEPTĬO, ōnis, *f.* 3. (satis et acceptio) *accettazione della sicurtà o del mallevadore*, ἱκανοληψία, actus satisaccipiendi. *Pompon. Dig.* 45. 1. 5. Satisacceptio est stipulatio, quæ ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, id est qui idem promittant.

SĀTĬSACCĬPĬO *vel* Satacciplo, *et rectius divise* Satis *vel* Sat accipio, cipis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. Particip. *Satacceptus* II. — Satisaccipio est accepto fidejussore mihi caveo, fidejussorem a debitore oblatum admitto, *accettare la sicurtà, la pieggeria, ricevere il mallevadore*, ἱκανὸν λαμβάνω. cui *satisdo* respondet.

I.) Proprie. — 1.°) Active. *Pompon. Dig.* 45. 1. 5. Satisacceptio est stipulatio, quæ ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, id est qui idem promittant. Satis autem accipere dictum est eodem modo, quo satisfacere. nam quia id, quo quis contentus erat, ei prestabatur, satisfieri dictum est: et similiter quia tales, quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur, ut verbis obligarentur, satisaccipi dictum est. *Cic. Quinct* 13. *a med.* Pecuniam petit. negamus deberi judicium fiat statim: non recusamus. Numquid præterea? si veretur, ut res, judicio facto, parata sit judicatum solvi satisaccipiat: quibus verbis a me satisaccipiet, iisdem ipse quod peto, satis det *et mox.* Immo, inquit, abs te satis accipiam ego autem tibi non satisdabo. *V.* JUDICATUS. *Ulp. Dig.* 46. 1 33. Si eum hominem. pro quo satis de lite acceperam, Titius heredem reliquerit, etc. *Plaut. Stich.* 4 1. 4. Satis abs te accipiam, nisi videam, mihi te amicum esse, Antipho: nunc qui te amicum mihi experior esse, creditur tibi. *Cic.* 5. *Verr.* 45. 115. Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret in hereditatem, aut, pro præde litis vindiciarum quum satis accepisset, sponsionem faceret. Ubi *Ascon.* Aut peteret, ut possessor esset, aut acciperet ab adversario satis pro præde litis vindiciarum, et ipse sponsionem faceret. *Ulp. Dig.* 36. 4. 5. *ad fin.* Nomine legati satis accipere ab herede. Et *nomine* omisso, *Paul. ibid.* 3. 15. *et* 17 Si ab herede instituto legatorum satis acceperit legatarius — 2.°) Passive. *Cato R. R.* 2. *a med.* Quæ satis accipiunda sunt, satis accipiantur. *h. e.* quæ sub fidejussore accipienda sunt.

II.) Translate *satacceptus* est compertus, certus, quasi datis acceptisque fidejussoribus. *Plaut. Most.* 1. 3. 90. Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum. *et ibid.* 67. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum. *se tieni per sicuro.*

SĀTĬSDĀTĬO, ōnis, *f.* 3. ¶ 1 Actus satisdandi, hoc est fidejussores offerendi, *sicurtà, assicurazione, malleveria, pieggeria*, ἱκανοδοσία. *Cajus Dig.* 2. 8. 1. Satisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus, ita satisdare dicimur adversario nostro, quum pro eo, quod a nobis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus, datis fidejussoribus. *Ulp. ibid.* 4. 6. 28. Si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fidejussorum satisdatione. *Id. ibid.* 46. 5. 1. Stipulationum prætoriarum quædam sunt, quæ satisdationem exigunt, quædam quæ nudam repromissionem. *Papinian. ibid.* 7. Prætoriæ satisdationes personas desiderant pro se intervenientium; neque pignoribus quis, neque pecuniæ vel auri vel argenti depositione in vicem satisdationis fungitur. *Ulp. ibid.* 35. 3. 3. *in fin.* interponere. *Id. ibid.* 26. 2. 17. offerre. *et mox.* implere. *et in fin* contumeliam satisdationis subire. *Id. ibid.* 2. 8. 7 Satisdationem præstare. *Paul ibid.* 4. 8. 32. *a med.* dare. *Ulp. ibid.* 26. 4 5. alicui remittere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (30). Satisdatio capitalis. *h. e.* qua non fidejussor offertur, sed vita ipsa ejus, qui quippiam præstandum suscepit. ¶ 2. Satisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur, qua contentus fuit is, cui satisdatio debebatur, ut *Ulp* docet *Dig.* 50 16. 61. Hinc apud *Cic.* hoc sensu satisdationem intelligendam esse, contendit *Grævius*, quum ait 5. *Att.* 1. De satisdando vero te rogo, quoad eris Romæ, tu ut satisdes: et sunt aliquot satisdationes secundum mancipium, in his et Memmianorum prædiorum vel Atilianorum. Nam quum primitus, inquit *Grævius*, in mancipationibus fidejussio interponeretur, quæ satisdatio secundum mancipium appellabatur; et deinceps exolevisset hæc fidejussio, introducta in locum ipsius nova repromissione, vetus formula mansit quidem, sed mutata veteri significatione: et *satisdatio secundum mancipium* nihil aliud nunc significat, quam repromissionem pro re mancipi. ¶ 3. Pro satisfactione. *Martian. Dig* 46. 3. 49 Solutionis quidem verbum non proficiet, sed satisdationis sufficit.

SĀTĬSDĀTŌ *et* Satis dato, (satisdo) adverbii more dictum, ut *testato*, datis fidejussoribus, *con dar pieggeria. Ulp. Dig.* 5. 1. 2 *ad fin.* Cavere nuda cautione, aut satisdato. *et ibid.* 2. 11. 4. *ad fin.* Quæritur, si quis, quum judicio sistendi causa satisdare non deberet, satisdato promiserit, an fidejussoribus ejus exceptio detur. *Id. ibid.* 40. 5. 4. *ante med.* Ergo cavendum est idonee. quid est idonee? satisdato utique, aut pignoribus datis. *Pompon. ibid.* 35. 2. 31. *in fin.* Satisdato cautum debet esse ei, a quo pecunia proficsetur. *Martian ibid.* 49 17. 18. *in fin.* Satisdato filium in solidum, non peculio tenus defendere debebit. — Eamdem sententiam habere videtur illud *Cic.* 16. *Att.* 6. *ad fin* Hoc, quod satisdato debeo, peto a te, ut ante provideas planeque expedias, et solutum relinquas. *et ibid.* 15. *ante med.* Sed et illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores ejus non dissolvere. *Gronov.* tamen priore loco *satisdato debere* eum putat non qui fidejussores dedit, sed qui ipse fidejussor pro alio fuit. *Ernestius* vero, qui facta pro alio idonea cautione, se soluturum spopondit.

SĀTĬSDĀTŌR, ōris, *m.* 3. (satisdatus) *mallevadore*, fidejussor. *Ascon.* in 3. *Verr.* 45. Prædes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est. *Sidon.* 4. *Ep.* 24. *sub fin.* Curatori necdum satisdator inventus est.

SĀTĬSDĀTUM, i, *n.* 2. *et*

SĀTĬSDĀTUS, a, um, particip. *V* voc. seq.

SĀTĬSDO *et* Satis do, das, dĕdi, dătum, dăre, a. 1. Particip. *Satisdatus; Satisdaturus; Satisdandus.* — Satisdo est fidejussore dato creditori caveo, *dar pieggeria, sicurtà*, ἱκανὸν δίδωμι: cui respondet *satisaccipio. V.* SATISDATIO. *Cic. Quinct.* 13. *a med.* Quibus a me verbis satis accipiet, iisdem ipse quod peto satis det. *Id. Rosc. Com.* 12. *a med.* Quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? *Paul. Dig.* 46. 6. 1. Quum, pupillo rem salvam fore, satisdatum est. *Ulp. ibid.* 2. 8. 7. *sub fin.* Si satisdatum pro re mobili non sit. *Id. ibid.* 36. 4. 1. Ante aditam hereditatem satisdandum de legatis est. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 146. Qui redemerit, satisdet damni infecti, ei, qui a vetere redemptore acceperit. *h. e.* nomine damni infecti. *Val. Max* 4. 1 *n.* 8. Quum Scipio judicatæ pecuniæ satisdare non posset. *Ulp. Dig.* 36. 4. 5. *ad fin.* Si legatarius fideicommissi satis non det *Id. ibid.* 43 14. 1. *a med.* Dabitur autem satis vicinis, sed et his qui trans flumen possidebunt. *Cic.* 4 *Verr.* 24. *extr.* Debebat Epicrates nullum nummum nemini. amici, si quis quid peteret judicio, secum agi passuros, judicatum solvi satisdaturos esse dicebant. *V.* JUDICATUS. *Id.* 13. *Fam.* 28. Rogo, ut si quid tibi satisdandum erit, amplius eo mine non peti, cures ut satisdetur fide mea. — Hinc Particip. præter. pass. cujus exempla retulimus,

Satisdatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, occurrit, et est idem ac satisdatio. *Ulp. Dig.* 43. 3. 1. *ad fin* Quod ait prætor: nisi satisdatum sit accipere debemus. si perseveret satisdatum. *V.* SATISDATO.

SĀTĬSFĂCĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SĀTĬSFĂCĬO *et* Satis facio, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. Olim *satisfacior* dictum est. V. *Varronis loc. cit.* — Particip. *Satisfaciens* 1. *a*; *Satisfactus* fere in omn. paragr.; *Satisfacturus* 1 *a.* et 2. — Satisfacio est tantum facio, quantum satis est, officium totum præsto, impleo, πληροφορέω (It. *fare il suo dovere, soddisfare, appagare, contentare*; Fr. *satisfaire, contenter, s'acquitter de, remplir*; Hisp. *satisfacer, contentar, acquietar*; Germ. *Genüge thun od. leisten, sicher stellen, befriedigen*; Angl. *give satisfaction, satisfy*). ¶ 1 Generatim. — *a*) Cum Dativo. *Cajus Dig* 1 Satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus *Cic* 14 *Phil.* 9. *extr.* Quum aut morte, aut victoria se satisfacturum reipublicæ spopondisset. *Nepos Att.* 21. Quibus quoniam, ut spero satisfeci. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Quæ ratio docet, universo jugero satisfacere modios stercoris MCCCCXL *Cic. Balb.* 1. 2. Me omnibus, qui amici fuerint saluti meæ, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at prædicanda et habenda certe satis esse facturum. *Id.* 7. *Verr.* 53. 139. Satis est factum Siculis, e tis officio ac necessitudini. satis promisso nostro ac recepto. *Plin.* 35. *Hist. nat* 10 36. (102). Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, quum reliqua omni parte sibi ipse satis fecisset. 5. *Att.* 18. *extr.* Sunt negotia lenta et inania: faciam tamen satis tibi quidem, cui difficilius est, quam ipsi. sed certe satisfaciam utrique. *Id. Top. sub fin* Ad id autem, quod te velle senseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuæ. *Id. Divin. Verr.* 14. *extr.* Causæ et officio suo satisfacere. *Id. Cluent.* 10. 29. naturæ et legibus. *morire, e andar in bando.* et *Orat.* 41 140. et 2. *Att.* 4. alicui quippiam petenti *Ulp. Dig.* 36. 4. 5. *a med.* voluntati defuncti. *Scævola ibid.* 1. 77. *extr.* condicioni. *Cic. Rabir. Post.* 17. 45. Ut omnium vel suspicioni, vel malevolentiæ, vel crudelitati satisfiat. *Id.* 14. *Fam.* 7. Deo pie et caste. *h. e.* Deum pie et caste colere. *et* 13. *ibid.* 16. *ad fin.* Satisfacere immortalitati laudum tuarum cupit. *h. e.* ita scribere de rebus tuis, ut scriptis suis æquet immortalitatem laudum tuarum. *Senec. Ep.* 87. *ante med.* Virtus, quam satisfacere

beatæ vitæ contendimus. *h. e.* satis esse ad beatam vitam. — *Varro* apud *Priscian.* 8. *p.* 789. *Putsch.* Si mehercule purgant, et deorum cura non satisfacitur reipublicæ. — Obsceno sensu. *Petron. Sat.* 75. Satisfacere dominæ. Adde *eumd. ibid.* 57. — *Satis superque facere* apud *Cic.* 1. *Orat.* 47. 204. Satis superque abs te videtur istorum studiis esse factum. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *in. Cic.* 1. *Legg.* 2. 5. Potes tu profecto satisfacere in ea (historia). *Id. Orat.* 37. 170. in jure civili. Adde 16. *Att.* 5. 2. — *c*) Cum Infinito. *Nepos Att.* 21. Satisfeci me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret. — *d*) Absolute. *Cic.* 1. *Fin.* 5. 15. Quamobrem tandem, inquit, non satisfacit? Adde *Quintil.* 4. 5. 18. ¶ 2. Speciatim, sæpe refertur ad dissolutionem æris alieni, *pagare, soddisfare, acquietare, far tacere. Cic.* 1. *Q. fr.* 3. *a med.* Video quid sceleris admiserim, quum de visceribus tuis, et filii tui satisfacturus sis, quibus debes: ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. *Cæs.* 3. *B. C.* 60. *extr.* Maximas pecunias mutuati, perinde ac satisfacere, et fraudata restituere vellent. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 12. Ut si mihi in pecunia minus satisfecisset etc. *Cic. Flacc.* 20. 47. Pecunia petitur ab Hermippo: Hermippus ab Heraclide petit: ipse tamen Fusiis satisfacit absentibus, et fidem suam liberat. *Ulp. Dig.* 40. 1. 4. *ante med.* Quæri poterit, si emptor festinavit, et pretium numeravit, an postea ei satisfacto, servus constitutione uti possit. — Cum Accusativo *Cato* 149. Donicum pecuniam satisfecerit, aut delegarit. — Non tamen idem sunt semper *satisfacere* et *solvere.* V. in fin. ¶ 3. Item pro satisdare, et occurrit cum Genetivo. *Jabolen. Dig.* 33. 2. 30. Cui ususfructus legatus esset, donec ei totius dotis satisfieret: quum ei heres pro sua parte satisdedisset, quamvis reliqui satis non darent; tamen etc. At *Forcellinus* subintelligendum esse ait *totius dotis nomine.* ¶ 4. Etiam pro purgare se de injuria illata, verbis excusare, deprecari, veniam petere culpam fatendo, *dar soddisfazione, confessare il fallo e chieder perdono.* Formulæ satisfaciendi sunt apud *Ter. Adelph.* 2. 1. 11. Nollem factum: Jusjurandum dabitur, te esse indignum injuria hac. et apud *Plaut. Amph.* 3. 2. 50. Arbitratu tuo jusjurandum dabo, me meam pudicam esse uxorem arbitrarier. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 31. *a med.* In qua civitate legatus populi R. violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici solere. Ubi *Ascon.* Satisfacere est tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. *Cæs.* 5. *B. G.* 52. Missis ad Cæsarem satisfaciundi causa legatis. *Sueton. Claud.* 38. Ostiensibus graviter correptis, repente, tantum non satisfacientis modo, veniam dedit. — *b*) Cum Genetivo. *Cornific.* 4. *Rhet.* 37. Injuriarum satisfecisti L. Labeoni. — *c*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Phil.* 20. 49. Acceperam jam ante Cæsaris litteras, ut mihi satisfieri paterer a te. *et mox.* Prædicabas, te non existimare, nisi Clodium interfecisses, unquam mihi pro tuis in me injuriis satis esse facturum. *Seneca* 2. *Ira* 21. *a med.* Non resistet offensis puer, cui nihil unquam negatum est, cui de pædagogo satisfactum est. *h. e.* quod a pædagogo se læsum dixerat. *Ovid. Remed. am.* 697. qui dicit multa puellæ Probra, satisfieri postulat ille sibi. Adde *Sueton. Cæs.* 73. et *Tib.* 27., *Senec.* 2. *Ira* 32. et *Tac.* 3. *Ann.* 26. Hinc acute *Martial.* 12. 79. Nil in te scripsi, Bithynice: credere non vis, Et jurare jubes: malo satisfacere. *h. e.* fateri scripsisse, et veniam petere. — *d*) Cum Ablat. et præpos. *de. Cæs.* 5. *B. G.* 1. Sese paratos esse demonstrant omnibus rationibus de injuriis satisfacere. ¶ 5. Item *satisfacere alicui,* dare pœnas alicui, quem læseris. *Martial.* 12. 14. Sæpe satisfecit prædæ venator, et acri Decidit excussus, nec rediturus equo. ¶ 6. Item pro sacrum facere. *Cato R. R.* 141. Neque satis factum est, *h. e.* litatum.

Homonym. Sæpius differunt *satisfacere* et *solvere;* nam *solvit,* qui creditori pecuniam omnem numerat: *satisfacit,* qui quocumque modo creditorem placat, *v. gr.* cautione, satisdatione, pignore, partis debiti solutione, etc. V. *Schard. Lex. Jurid. Ulp. Dig.* 13. 7. 9. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum. Vet. *Tabula aen.* apud *Murat.* 582. *a med.* Si eam pecuniam non solverit, neque satis fecerit. *Modestin. Dig.* 40. 4. 41. Stichus servus meus heredi meo mille nummos si solverit, satisve fecerit, liber esto. *Pompon. ibid.* 18. 1. 19. Quod vendidi, et tradidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum. *Jabolen. ibid.* 40. 7. 39. Stichus liber esto, quando æs alienum meum solutum, creditoribusve meis satisfactum erit.

SĂTISFACTĬO, ōnis, f. 3. (satisfactus) ¶ 1. Actus satisfaciendi creditori *Paul. Dig.* 46. 3. 52. Satisfactio pro solutione est. *V.* voc. præced. 2. ¶ 2. Item satisfaciendi ei, quem læsimus. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. *extr.* Cæsar Ubiorum satisfactionem accepit. *scusa, discolpa.* et *Cic.* 7. *Fam.* 13. Hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis. *Sall. Cat.* 35. Quam ob rem defensionem in novo consilio non statui parare, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi. *Petron. Sat.* 107. Flectite ergo mentes satisfactione lenitas. *Ulp. Dig.* 47. 10. 17. Qui accepit satisfactionem, injuriam suam remisit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. *de columbis.* Tum plenum querela guttur, sævique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio. *Quintil.* 11. 1. 76. Satisfactio culpæ. Adde *Tac. Germ.* 21. *V.* voc. præced. 4. et 5.

SĂTISFACTĬŌNĀLIS, e, adject. (satisfactio) ad satisfactionem pertinens. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 23. *ad fin.* Quam veniam Symmachus meruisset, apologeticum, id est satisfactionalem librum in Theodosio conscripsit imperatore.

SĂTISFACTUS, a, um, particip. *V.* SATISFACIO.

SĂTĬUS. *V.* SATIS.

SĂTĪVA, ōrum. n. plur. 2. *V.* voc. seq.

SĂTĪVUS, a, um, adject. (sero, satus) qui seritur et colitur: cui contrarius est qui sponte et sine cultu provenit, agrestis, silvestris, ἥμερος (It. *che si semina e coltiva, sativo, domestico;* Fr. *semé, planté, qui vient de semis, cultivé;* Hisp. *sembrado;* Germ. *was gesät, gepflanztwird, v. zahmen, geflegten Gewächsen;* Angl. *that is or may be sown, that may be set or planted, sative, domestic*). *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (22). Sativa corna. *Id.* 24. *ibid.* 13. 73. (120). Sativa morus. *Varro* apud *Gell.* 17. 3. Græci naves suebant cannabo et stuppa, ceterisque sativis rebus. — *Sativum tempus,* sationi aptum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 40. (132). Nostri betæ genera faciunt, vernum et auctumnale, a temporibus sativis, quamquam et Junio seritur. Ita Edit. vet. 1469. 1470. et 1472. et aliæ. *Harduin.* cum *Sillig.* et aliis edidit *a temporibus satus.* — Hinc

Sativa, orum, n. plur. 2. absolute. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 60. (184). Quæ sunt silvestria, eadem in sativis sicciora intelliguntur et acriora.

SĂTO, as, āvi, are, n. 1. *frequentat. vel intens. a* sero, diligenter sero, aut sationem curo. *Augustin. serm.* 199.

SĂTOR, ōris, m. 3. (sero, satus) qui plantat, et colit, φυτευτής (It. *piantatore, coltivatore;* Fr. *semeur, planteur;* Hisp. *sembrador;* Germ. *d. Säer, Pflanzer;* Angl. *a sower, planter or setter*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 45. Ita esse docent silvestria, ad quæ sator non accessit. *Colum.* 3. *R. R.* 15. Sator vitis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 1. (3). oleæ. *Cic.* 23. *Nat. D.* 34. 86. Omnium rerum, quæ natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus.

II.) Translate. *Cic.* vertens *Sophocl.* 2. *Tusc.* 9. 21. tuque cælestum sator, Jace, obsecro, in me vim coruscam fulminis. *h. e.* Juppiter genitor, creator: qui dicitur a *Virg.* 11. *Æn.* 725. hominum sator atque deorum: a *Silio It.* 4. 432. rerum sator: et 9. 306. sator ævi: a *Phædro* 3. 17. Deorum genitor, atque hominum sator. *Seneca Herc. Fur.* 357. verus Alcidæ sator. *padre.* Janus designatus in illo *Martial.* 10. 28. Annorum nitidique sator pulcherrime mundi. *Liv.* 21. 6. Sator litis. *seminatore, autore.* et *Sil. It.* 8. 260. Idem ut turbarum sator, atque accendere solers Invidiam. *Plaut. Capt.* 3. 5. 3. Sator sartorque scelerum, et messor maxime. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. *de puerulis filiis ejus.* Deos precor, sit salvus sator, salva sint sata, salva seges sit, quæ tam similes procreat. *h. e.* salvus sit pater, salvi sint filii, salva sit eorumdem mater.

SĂTŌRĬUS, a, um, adject. (sator) *da seminare,* ad serendum pertinens. *Colum.* 2. *R. R,* 9. *ante med.* Pelle hyænæ satoriam trimodiam vestiunt. Adde 12. 50. *ante med.* Sic *satoria quala* apud *Caton. R. R.* 11. *Schneid.,* ubi alii leg. *sataria.*

SĂTRĂPA. *V.* SATRAPES.

SĂTRĂPĒA. *V.* SATRAPIA.

SĂTRĂPES et Satrapa, æ, m. 1. et Satrapes, is, et Satraps, ăpis, m. 3. Genetivus sing. *Satrapis* apud *Nepot. loc. cit.* a *Satrapes* est, ut *Orestis, Timarchidis* pro *Orestæ, Timarchidæ,* et alia multa de quib. *Priscian.* 6. *p.* 705. *Putsch.* Potest esse etiam a recto *Satraps;* ceteros casus utriusque numeri. *V.* in *locc. cit.* — Ratione habita etymi, est a Persic. *kshatra–pavan,* vel contract. *kshatra–pa,* regni tutor. — Satrapa, σατράπης, præfectum, prætorem, præsidem provinciæ sub rege Persarum significat, *satrapa, governatore di provincia appresso i Persiani.* Prætorem vocat *Cic.* 5. *Fin.* 30. *extr.,* præfectum *Justin.* 5. 1. *a med.* et *Nepos Datam.* 2. *sub. fin.* Hi opulentissimi habebantur, et quasi reguli. — *a*) In sing. num. *Nepos Pausan.* 1. Mardonius Satrapes regius. *Ter. Heaut.* 3. 1. 43. Satrapa si siet amator, numquam sufferre ejus sumptus queat. *At* Forcellinus *leg.* satrapes. *Sidon. carm.* 2. 78. Quisque sedet sub rege satraps. et *Alcim.* 6. 392. Ornati cum fraude satraps etc. *Nepos Lysandr.* 4. Factum Pharnabazi satrapis regii. *Curt.* 5. 3. 16. satrapæ. *Nepos Con.* 2. satrapem. *Curt.* 6. 4. 25. et 6. 6. 10. satrapen. *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 18. 24. satrapam. *Curt.* 7. 3. 1. satrape. — *b*) In plur. num. *Nepos Datam.* 3. Optima veste, quam satrapæ regii gerere consueverant. Adde *eumd. Ages.* 2. et *Ammian.* 23. 6. 14. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (119). Oppidum, satraparum regia appellatum. Adde *Curt.* 6. 6. 20. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 6. 5. et 29. 6. satrapis. *Apul. de Mundo.* satrapes. *Al.* satrapæ. *Jul. Valer.* 2. 21. satrapibus. *Sidon. carm.* 9. 50. Præfectos satrapasque perculisse. Adde *eumd.* 8. 3. et *Jul. Valer.* 2. 23.

SĂTRĂPĪA *sæpius quam* Satrapēa, æ, f. 1. σατραπεία, νομός, provincia satrapis. *Curt.* 5. 1. *sub fin.* Mazæum transfugam satrapea Babyloniæ donat. Adde *ibid.* 2. *a med.* et *ibid.* 3. etc. *Ubique alii leg.* Satrapia. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (78). Adjiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas etc. Adde *ibid.* 21. 23. (79) et *ibid.* 23. 25. *init.*

SĂTRAPS. *V.* SATRAPES.

SĂTULLO, as, are, a. 1. (satullus) *satollare,* idem ac saturo. *Varro* apud *Non. p.* 171. 15. *Marc.* Neque coquam carnes, quibus satullem corpora ac famem ventris.

SĂTULLUS, a, um, adject. (satur) *satollo,* idem ac satur. *Varro* 2. *R. R.* 2. *a med.* Ut agni satulli fiant lacte. Alii leg. *saturi.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SATUM, i, n. 2. σάτον, genus mensuræ aridorum, sesquimodius (Cf. *Jos. Antiqu.* 9. 4. 5. ἰσχύει δὲ τὸ σάτον μόδιον καὶ ἥμισυ ἰταλικόν): a voce Chald. סאתא *sata,* mensura. *Vulgat. interpr. Matth.* 13. 33. et *Luc.* 13. 21.

SĂTUR, tŭra, tŭrum, adject. (satis) *Saturus,* forma plena, pro *satur,* est in *Prodr. Gloss. Lat. p.* 410. *Loewe.* — Comp. *Saturior.* — Satur, cibo plenus, satiatus, ἔμπλεος, κορεσθείς (It. *sazio, satollo, pieno;* Fr. *qui a pris suffisamment de nourriture, rassasié;* Hisp. *saciado;* Germ. *m. Speise zur Genüge, vollauf versehen, satt, gesättigt;* Angl. *full, full of food, well-fed, sated, stuffed, crammed*).

I.) Proprie. — a) Absolute. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 2. Sed tu quum satura atque ebria eris, puer ut sit satur, facito. *Virg.* 10. *Ecl.* 75. Saturæ capellæ. *Quintil.* 11. 3. 27. Crudum aut saturum declamare neminem. *V.* CRUDUS. *Varro* 1. *R. R. præf.* Qui nobis frumentum advehat, qui saturi fiamus. — *Ire, quo saturi solent*, pro ire cacatum, honestis verbis dixit *Plaut. Curc.* 2. 3. 83. Adde *Martial.* 12. 78., ubi *satur* est, qui cacare cupit. — b) Cum Genetivo. *Ter. Adelph.* 5. 1. 3. Intus sum omnium rerum satur. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 35. Satur altilium. *Colum.* 7. *R. R.* 4. Agnus saturior lactis. — c) Cum Ablativo. *Pers.* 6. 71. Satur anseris extis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (90). cibo piscium.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. — 1.°) Generatim *satur*, satiatus qualibet re, *sazio*. *Lucret.* 3. 973. Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante, Quam satur ac plenus possis discedere rerum. *Cic.* 5. *Verr.* 42. *extr.* Ut aliquando ex eorum agris expleti atque saturi, cum hoc cumulo quæstus decederent. *Catull.* 48. 4. Saturum cor. *Plaut. Pœn. prol.* 8. Qui non edistis, saturi fite fabulis. *fatevi una satolla di favole.* — 2.°) Speciatim pinguis, *grasso, ingrassato*. *Martial.* 11. 52. Et cortis saturas, atque paludis aves. — 3.°) Item sumitur interdum pro fecundo, abundanti. *Virg.* 2. *G.* 197. Saltus, et saturi petito longinqua Tarenti. *Pers.* 1. 71. Nec rus saturum laudare. *villa ricca di messi.* Cf. *Virg.* 4. *G.* 335. *Sever. Ætn.* 12. Saturæ messes. *Alii leg.* sacræ. *Colum.* 10. *R. R.* 43. Satur auctumnus. *Virg.* 3. *G.* 314. Satura præsæpia. *h. e.* plena pabuli. — 4.°) *Satur color* est plenus, vehemens, *color carico*, cui *dilutus* opponitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 61. (170). Ion apud Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet. *Virg.* 4. *G.* 335. hyali saturo fucata (*vellera*) colore. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 5. *ad fin.* Purpuram, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat. Sic in illo *ejusd.* 13. *ibid.* 2. Debent hæ nubes, quæ hoc præstant, densæ esse, leves, splendidæ, plane naturæ solis. pro *naturæ solis* legend. *saturæ solis* putat *Madvigius* (*Advers. crit. v.* 2. *p.* 435); non enim Latine dici ait *esse naturæ solis*, nec posse nubibus solis naturam tribui; ita ut eodem sensu accipiendum sit ac *satura purpura* apud *eumd. loc. cit.*, et *color satur* apud *Plin. loc. cit.* (Germ. *sonnengesaettigt*). — *Saturæ vestes ostro Tyrio* apud *Senec. Thyest.* 955. sunt purpureo colore multo imbutæ, large infectæ, dibaphæ. ¶ 2. Metaphorice. *Varro Sat. Menipp. p.* 122. *Oehl.* Et ceteri scholastici, saturis auribus scholica dape *etc.* Alii aliter leg. *Cic. Orat.* 36. 123. Nec satura jejune dicet, nec grandia minute, nec item contra. *Sensus est:* Siquæ res sunt plenæ, et quæ magna dicendi copia explicari possunt, non eas jejune et exiliter tractabit etc. — *Saturum gestum*, hoc est varium, plenum, perfectum. *Manil.* 5. 474. *de pantomimis.* Externis tamen aptus erit nunc voce poetis, Nunc saturo gestu. — Hinc

Satura, æ, f. 1. *subaud.* lanx, absolute, substantivorum more: est enim satura, lanx variis frugum, pomorum vel similium generibus referta, plena.

I.) Proprie. *Acron* in *Horat.* 1. *Sat.* 1. Lanx plena diversis frugibus in templum Cereris infertur, quæ saturæ nomine appellatur. *Diomed.* 3. *p.* 483. *Putsch.* Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur, et a copia, et a saturitate rei satura vocabatur. Cujus generis lancium et Virgilius in Georgicis meminit, quum hoc modo dicit (2. 194.): Lancibus et pandis fumantia reddimus exta. Et (*ibid.* 394.): Lancesque et liba feremus.

II.) Translate. ¶ 1. Ab hac lance cœpit etiam dici satura, genus farciminis multis rebus refertum. *V.* verba *Festi* infra cit. Constabat autem uva passa, polenta et nucleis pineis ex mulso conspersis. quibus alii addunt et de malo Punico grana. *Varro ibid.* ¶ 2. Satura item est lex, quæ uno rogatu multa simul complectitur; unde locutio *per saturam:* de cujus origine *V.* infra. *Fest. p.* 314. 25. *Müll.* Satura et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex multis aliis legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur: Neve per saturam abrogato, aut derogato. T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Ti. Gracchum. Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est. Et C. Lælius in ea, quam pro se dixit: Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Hæc *Festus.* et *Gloss. Philox.* Satura, νόμος πολλὰ περιέχων. *Festi* tamen sententia hac in re eruditis non placet. nam quum legimus *per saturam aliquid facere*, non videtur significari lex aliqua, sed *per saturam* idem est ac confuse, nullo ordine aut distinctione, ducta translatione ab ea lance, quam diximus (Gall. *pêle mêle*). Porro, quæ ex *C. Lælio* affert *Festus*, sunt *Sallustii Jug.* 29., ubi multi Codd., sed in iis nulli optimæ notæ, hab. *per saturam legem.* V. *Kritz.* ad h. l. et *Casaubon.* in libro *de Rom. Sat.* II. 4. Fortasse verba *Lælii* e scriptis *Festi* exciderunt. *Imp. Justinian. præf. ad Dig. ad Antecessor. ab init.* Hoc opus legentibus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim, et quasi per saturam collectum, utili inutilibus mixto. Eadem ratione commodius explicari videntur exempla a *Festo* allata. *Lucil.* apud *Diomed. loc. cit.* Per saturam ædilem factum qui legibu' solvat. *Per saturam* latæ legis exemplum esto: Velitis jubeatis, cum Jugurtha pacem componi, fœdus feriri, elephantos tradi, item perfugas omnes etc. *Lactant.* 1. 21. *ante med.* Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert, Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare. *Ammian.* 16. 6. 3. Tamquam per saturam subito cubiculariis suffragantibus. *Cod. Just.* 7. 6. 1. Imperfecta Latinorum libertas incertis vestigiis titubat et quasi per saturam inducta adhuc remanet. *Charis. p.* 194. 21. *Keil.* Pandecten vocant, nam omnia in se capit quasi collata per saturam concessa sibi rerum varia potestate. *Eumen. grat. act.* 11. Separata igitur utraque dicam; neque enim quasi per saturam confundenda sunt tanta beneficia. Ceterum *V.* CÆCILIUS et DIDIUS in ONOM. ¶ 3. Denique sumitur pro genere carminis, in quo multa metra multæque res miscentur, quodque dein in scænam translatum conferri potest cum Ital. *farsa*, Germ. *Mischspiel.* *Paul. Diac.* ex *Festo.* Satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum, et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur. *Liv.* 7. 2. (Histriones) non sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem jaciebant, sed impletas modis saturas descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. *Val. Max.* 2. 4. A saturis primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. — Hinc, ut *Forcellinus* ait ad h. v., *Petronii Satyra* vel *Satyricon* a nonnullis ita appellatum videtur, quia prosa oratione et versibus constat; idem etiam dicendum de *Martiani Capellæ Satyrico*, de quo ipse auctor in fine operis ita eloquentem inducit Harmoniam: Tandem senilem, Martiane, fabulam, Miscella lusit quam lucernis famine Satyra (*aliis leg.* Satura) Pelasgo, dum docere nititur Artes creagris vix amicas Atticis, Sic in novena decidit volumina. — De satura R., præter veteres, scripserunt erudite *Schnitzlerus, Scheibeus, Petermannus, Vallaurius, Linguitius, Rasius* aliique recentiores. *V.* SATIRA, de cuius origine et indole ibi plura dicuntur. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂTŬRA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SĂTŬRĀBĬLIS, e, adject. (saturo) qui saturari potest. *Gloss. Gr. Lat.* Χορταστικός, saturabilis.

SĂTŬRĀMEN, minis, n. 3. (saturo) idem ac saturatio, saturitas. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 194. inopum saturamine pasci.

SĂTŬRANTER, adverb. (saturans) Comp. *Saturantius.* — Saturanter est ad saturitatem. *Fulgent. Contin. Virg. ante med.* Saturanter hæc in libro Physiologo, quem nuper edidimus, omnem arithmeticæ artis digessimus rationem. *Id.* 3. *Mythol.* 6. Sed quia hæc saturantius Apulejus pæne duorum continentia librorum tantam falsitatum congeriem enarraverit.

SĂTŬRĀTIM, adverb. (saturo) ad saturitatem. *Gloss. Gr. Lat.* Καταχόρως, saturatim.

SĂTŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. (saturo) actus saturandi, *satollamento*, χόρτασις. *Augustin. Tract.* 24. *in Joann.* Saturatio quinque millium hominum de quinque panibus.

SĂTŬRĀTOR, ōris, m. 3. (saturo) qui saturat. *Augustin. Ep.* 120. *n.* 25. De qua saturator ipse dicit *etc.* Alii aliter leg.

SĂTŬRĀTUS, a, um, particip. *V.* SATURO.

SĂTŬREJA, æ, f. 1. et Saturejum, i, n. 2., quod in plur. num. occurrit apud *Ovid.* et *Martial. loc. cit.* — Satureja, *santoreggia*, θύμβρα, herba hortensis, quæ et *cunila* dicitur, condimentis ciborum idonea (*Satureja Thymbra* Lin.). *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 50. (165). Græci thymbram vocant, quæ sit cunila: hæc apud nos habet vocabulum et aliud, satureja dicta. *Colum.* 9. *R. R.* 4. Nostras cunila, quam saturejam rustici vocant. *et* 10. *ibid.* 233. Et satureja thymi referens, tymbræque saporem. ubi, ut ait cl. *Fée*, fortasse distinguit hortensem seu sativam (saturejam) a silvestri (thymbra): quam *Virg.* 4. *G.* 31. vocat *graviter spirans.* Sed V. *Bubani, Flora Virg. Id.* 11. *ibid.* 3. *ad fin.* Satureja et viridis esui est jucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 24. — Veneris incitatricem herbam esse, colligunt ex *Ovid.* 2. *Art. am.* 415. Sunt qui præcipiant herbas, satureja, nocentes. *et Martial.* 3. 75. Improba nec prosunt jam satureja tibi. Alii leg. *satyrea*, h. e. satyrion, quia neque *Plin.*, neque *Colum.* eam vim saturejæ, aut cunilæ tribuunt.

SĂTŬREJĀNUS, a, um, adject. *Saturejanus caballus* dicitur ab *Horat.* 1. *Sat.* 6. 59. qui in Saturejano agro totius Apuliæ fertilissimo altus fuit, ideoque generosus. Ita *Acron.* Huc facit, quod *Serv.* ad 2. *G.* 197. et 4. *ibid.* 335. oppidum Saturium vel Saturejum ponit juxta Tarentum: quæ regio est Apuliæ Peucetiæ contermina. Alii tamen ducunt a palude Saturæ ubi essent prata, in quibus equorum magni greges alerentur. *V.* ONOM.

SĂTŬREJUM, i, n. 2. *V.* SATUREJA. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĂTŬRĬCE. *V.* SATIRICE.

SĂTŬRĬO, ōnis, m. 3. nomen comœdiæ Plautinæ amissæ apud *Fest.* in *Catulinam, Nequitum, Rienes* et *Succenturiare:* quibus locis aliquod ex ea fragmentum refert. *Varro* apud *Gell.* 3. 3. *ad fin.* tradit, scriptam a *Plauto* fuisse in pistrino. Apud *eumd. Plaut. Pers.* nomen est parasiti: qui ita loquitur *ibid.* 1. 3. 21. O Saturio opportune advenisti mihi! SATVR. Mendacium edepol dicis nam Esurio venio, non advenio Saturio. Ceterum hanc inter ἀντιλεγόμενα ponit *Ritschel.* in *Parerg.* Cf. *Gell. ibid.* V. *Teuffel. op. cit.*

SĂTŬRISCUS. *V.* SATYRISCUS.

SĂTŬRĬTAS, ātis, f. 3. (satur) satietas, *sazietà, satollanza*, κόρος, πλησμονή.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Capt.* 4. 1. 4. Offers mihi penum, potationes, saturitatem, gaudium. *Aurel. Vict. Epit.* 45. *sub fin.* Quod intemperantia cibi et saturitate, qua artus diffuderat, accidisse, plures retulere. *ripienezza.* et *Plaut. Rud.* 3. 4. 53. Quid causæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem? ¶ 2. Speciatim et jculariter apud *Plaut.* dea est parasitorum. Ita enim parasitus loquitur, *Capt.* 4. 2. 97. ita me amabit sancta Saturitas, Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim dicitur de colore saturo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 64. (138). de *conchylio.* Sic gignitur laudatus ille pallor saturitate fraudata. ¶ 2. Generatim de abundantia et copia. — a) Abstractorum more. *Cic. Senect.* 16. 56. Neque solum officio, quod hominum generi cultura agrorum est salutaris; sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum pertinent. Adde *Vulgat. interpr. Eccle.* 5. 11. — b) Concreto, ut ajunt, sensu, puta de excrementis. *Plin.* 10. *Hist. nat.*

33. 49. (92). Hirundines notabili munditia egerunt excrementa pullorum, adultioresque circumagi docent, et foris saturitatem emittere.

SĀTURNĀLĬA, ĭum, n. plur. 3. *V.* SATURNALIS.

SĀTURNĀLĬCĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĀTURNĀLĬCĬUS, a, um, adject. (Saturnalis) ad Saturnalia pertinens. *Martial.* 10. 17. Saturnalicio Macrum fraudare tributo Frustra, Musa, cupis. *h. e.* munusculo, quod Saturnalibus mitti solebat. *Id.* 5. 30. et 7. 91. Saturnaliciæ nuces. *Id.* 11. 15. Saturnalicii versus. *Id.* 5. 19. Saturnaliciæ ligulam misisse selibræ. *h. e.* ligulam argenteam selibræ pondo. *Id.* 14. 182. *de sigillo fictili.* Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus: Saturnalicio lusit et ipse luto. *h. e.* quod Saturnalibus pro munere esset. — Hinc

Saturnalicia, ōrum, n. plur. 2. absolute, h. e. dona. *Spartian. Hadrian.* 17. 3. Saturnalicia et sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit, et ipse ab his libenter accepit, et alia invicem dedit.

SĀTURNĀLIS, e, adject. (Saturnus) ad Saturnalia pertinens, ut Saturnale festum, *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. *a med.* — Hinc

Saturnalia, ĭum, n. plur. 3. absolute. Pluraliter declinatur, quia unoquoque anno fiebant: ita *Comment. in Don. art. p.* 241. 33. *Hagen.* — In Genetivo *Saturnaliorum* rectius dici, quam *Saturnalium*, *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. monet; nam sic omnes fere scriptores locuti sunt, quamquam ex grammaticorum regula *Saturnalium* dicendum videatur. Itaque refert scriptores *Sallust.*, *Masur. Sabin.*, *Verrium Flacc.*, *Jul. Modest.*, etc., qui *Bacchanaliorum*, *Vinaliorum*, *Saturnaliorum*, *Agonaliorum* dixere. Claudit *Macrob.* certum esse, licito *Saturnalium* et *Saturnaliorum* dici, quum alterum regula, alterum etsi sola, sed multorum defendat auctoritas. — Saturnalia, Κρόνια, festa unius, seu trium, seu quinque, seu septem dierum, in honorem Saturni. A. Sempronio Atratino M. Minucio Augurino Coss. ædes Saturno dedicata, Saturnalia institutus festus dies. *h. e.* U. C ann. CCLVII. Hoc autem festum in Attica primum ortum fuisse, monet *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. *ad fin. Joh. Malala chron. VII. p.* 179. *Dind.* ὁ Ῥῶμος ἐπενόησε τὰ λεγόμενα Βρουμάλια. et *mox.* καὶ κατέσχε τὸ ἔθος τῶν Βρουμαλίων ἐν τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ ἕως τῆς νῦν. Alii aliis Saturnaliorum originem adsignant, Romulo præter hos nemo, inquit *Peter.* ad *h. l.* Celebrabantur mense decembri unico primum die, nempe XIV. K. Jan., testibus *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. et 11. et *Liv.* 2. 21. *et* 22. 1. *Porc. Latro in Catilin.* 17. Saturnalibus proxime futuris adoriri placuit; quo die civitas omnis feriata publico edicto conferre se in montem Aventinum ac rusticari quodammodo solita est. Postea in triduum propagata festivitas, ex adjectis prius a Julio Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti; a XVI. igitur cœpta in XIV. K. Jan. desierunt, quo solo die fieri ante consueverant. Tandem a Caligula quintus Saturnalibus est additus dies, quem Juvenalem appellarunt (*Sueton. Cal.* 17. et *Dio l.* 59. *c.* 6.): quod in desuetudinem quum abiisset, a Claudio iterum instauratum est (*Id. l.* 60. *c.* 25.). Sed Sigillariorum adjecta celebritas, ut ait *Macrob. ibid.* 10. *ad fin.*, in septem dies discursum publicum et lætitiam religionis extendit. Hinc *Martial.* 14. 72. Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ, Saturni septem venerat ante dies. Porro erant dies illi pleni lætitiæ. His continuæ epulæ et comissationes erant; munera ultro citroque mitti remittique solebant Romani iis diebus synthesin, quod genus vestis brevis erat, sumebant, servisque discumbentibus inserviebant. Saturni enim ævo omnia communia fuere, nec, quid servitus esset, notum fuit. V. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7., *Liv.* 2. 21., *Stat.* 1. *Silv.* 6. et *J. Lipsium l.* 1. *Saturn. c.* 2. — De Saturnalibus multa habet *Lucian.* in *Cronosolone.*

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Att.* 20. Saturnalibus mane se mihi Pindenissæ dediderunt. *Macrob.* 1. *Saturn.* 2. Solstitialis dies, qui Saturnaliorum festa consecutus est. *Petron. Sat.* 58. Io Saturnalia, rogo, mensis December est! Adde *Caton. R. R.* 57. — *Secundis, tertiis Saturnalibus* pro secundo et tertio die Saturnaliorum. *Cic.* 13. *Att.* 52. Sed quum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset. *Id. ibid.* Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam, nec quemquam admisit. — *Ex Saturnalibus primis in Saturnalia secunda* idem est ex die Saturnaliorum unius anni ad diem eorumdem anni insequentis. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n* 32. 35. et 36. EX SATVRNALIBVS PRIMIS IN SATVRNALIA SECVNDA MAGISTRVM ANNVM FECERVNT. V. *eumd. ibid. p.* 275. et PRIMUS.

II.) Translate. *Martial.* 5. 84. Scis certe, puto, vestra jam venire Saturnalia, Martias Calendas. h. e. ferias matronales. Cf. *Sueton. Vesp.* 19., *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. et *Juvenal.* 9. 53. — *Non semper erunt Saturnalia,* proverbium, quo significatur, non semper prosperis rebus uti licere. *Seneca Apocoloc. a med.* Quum vidisset fortunas suas deplorantes causidicos, accedit, et ait: dicebam vobis, Non semper erunt Saturnalia. — *Saturnalia,* titulus septem librorum, quos scripsit *Th. Macrobius.*

SĀTURNĬGĔNA, æ, m. 1. (Saturnus et gigno) Saturni filius. *Auson. Edyll.* 15. 22. Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat Incusare Jovem. *Sidon. carm.* 9. 131. Venatu, fidibus, palæstra et herbis Sub Saturnigena sene institutus. *scil.* Achilles sub Chirone centauro, Saturni filio.

SĀTURNĬUS, a, um, adject. (Saturnus) ad Saturnum pertinens. Hinc ¶ 1. *Saturnius numerus seu versus,* vel *Saturnium metrum,* genus rudioris carminis, inconditi et impoliti, quo priscis temporibus et sub Saturno utebantur. *Festus* in *Saturno.* Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur: quibus et a Nævio bellum Punicum scriptum est, et a multis aliis plura composita sunt. *Ascon.* in 2. *Verr.* 10. Antiquum Nævii est: Fato Metelli Romæ fiunt consules. Cui tunc Metellus iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: Dabunt malum Metelli Nævio poetæ. V. *Terentian. de metr. p.* 2439. *Putsch.* et INCONDITUS. Hucusque *Forcellinus.* Ceterum de versu Saturnio, (quam vocem Grammatici vett. a *Sāturno,* vel a *Sāturnia* urbe derivant, V. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 138. *Keil.*, *Terentian. p.* 399. et *Fortunatian. p.* 293.: minus recte a *sătura* ducit *Mommsenius.* Cf. *Corssen, Aussprache* etc. I. *p.* 417.) qui et Faunius dicitur (*Mar. Victorin. loc. cit.*), alii alia scripserunt, nec satis adhuc constat inter viros doctos. Sunt qui putent ab initio ad rhythmum modo compositum, ut *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 381. (*V.* RHYTHMUS) et nuperrime *Westphal* (*Allgemeine Griech. metr. V.* 2.), qui formulam, seu carmen: Mars pater te precor - Quæsoque uti sies volens propitius etc. ex *Caton. R. R.* 141. affert: dein vero certis mensuræ legibus adstrictum dicant, statuantque quattuor Saturnii formas: primam, antiquiorem rudioremque, de qua loquatur *Horatius* 2. *Ep.* 1. 157. sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius.; alteram ex versiculis brevibus rhythmicam ac definito syllabarum numero conflatam, quam videre sit in inscriptione L. Scipionis: Hoc unum plurimi - Consentiunt Romæ - Bonorum optimum - Fuisse virum - Lucium Scipionem etc.; tertiam longiorem ac magis metricam, ut Summas opes qui regum regias refregit.; postremam a Nævio inductam, in qua Saturnius versus constet dimetro jambico catalectico, ut Adest celer phaselus., cui additus sit ithyphallicus, ut Et Nævio poetæ - sic ferunt Metellos Quum sæpe luderentur - esse comminatos Dabunt malum Metelli - Nævio poetæ. (V. *Serv. de cent. metr. p.* 466. 5. *Keil*) quamquam recentioribus philologis videtur trimeter trochaicus cum anacrusi. At semper ad quantitatum leges exactum, non rhythmica modulatione temperatum esse, affirmat *L. Müllerus* in *Quæst. Næv.* adversus *Kellerum.* — De Saturnio versu V. *Santenium* ad *Terentian. p.* 350., *Bardetti, de' primi abit. d' Italia; Galvani, delle genti e favelle loro in Italia; L. Müller, Metrik* etc.; *Ritschel., opusc. phil.; Düntzer et Lersch, Havet, Pfau,* alii. ¶ 2. Dicitur *Saturnius* et de aliis rebus. *Cic. Somn. Scip.* 4. Stella, quam in terris Saturniam nominant. *Claudian. III. cons. Honor.* 168. Algenti qua zona riget Saturnia tractu. *h. e.* circulus stellæ Saturni, quæ frigida dicitur a *Virg.* 2. *G.* 336., quia altissima, et a sole maxime distans. Hinc *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 178. Saturnia stagna. *h. e.* maria Septentrionalia. *Id.* 3. *Rapt. Pros.* 20. otia. *h. e.* pax aurei sæculi sub Saturno. *Virg.* 4. *Ecl.* 6. regna. *h. e.* ætas aurea sub Saturno. *Ovid. de nuce.* 63. falx. *h. e.* quæ est insigne Saturni, qui culturæ agrorum præsidere videtur, ut ait *Festus. Lucan.* 3. 115. templa. *h. e.* ædes Saturni Romæ, ubi ærarium. *Pers.* 2. 59. Aurum vasa Numæ, Saturniaque impulit æra. *h. e.* paupertatem sæculi aurei sub Saturno, quo tempore nullus fuit auri usus, sed æris tantummodo. *Festus.* Saturnia, Italia: et mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabantur, quod in tutela Saturni esse existimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in imo clivo incolebant: ubi ara dicata ei deo etc. *Varro* 5. *L. L.* 42. *Müll.* Tarpejum antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, et ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam, etc. Alia *V.* in ONOM. ad hanc voc.

SĀTURNUS, i, m. 2. *Saturno,* Κρόνος, de quo *V.* plura in ONOM. — Hinc ¶ 1. *Saturni hostia* dicitur miser et infelix, qui ultimum supplicium exspectat, quasi Saturno mactandus. *Plaut.* in *Suppos. Amph. scæna, quæ incipit* Tun' me mactes? *v.* 2. ¶ 2. *Saturni dies* apud *Tibull.* 1. 3. 18. est Sabbatum, quod erat religiosum non solum Judæis, sed superstitiosis etiam apud Romanos, metuentibus illo die quidquam aggredi, præsertim iter longiusculum. Testem habemus *Ovid. Remed. am.* 219. et 1. *Art. am.* 415., item *Horat.* 1. *Sat.* 9. 69., *Pers.* 5. 184., *Juvenal.* 14. 96. et *Tac.* 5. *Hist.* 4. *V.* DIES. ¶ 3. Saturnus item unus est ex planetis, seu stellis errantibus. Cursum suum undetriginta annis et sex fere mensibus conficit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Nam ea, quæ Saturni stella dicitur, Φαίνωνque a Græcis nominatur, quæ a terra abest plurimum, triginta fere annis cursum suum conficit. In quo cursu multa mirabiliter efficiens tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sempiternis sæculorum ætatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Hæc *Cic.*

SĂTŬRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (satur) Part. *Saturatus* sub *A.* I. et II. 1. et in fin.; *Saturandus* sub *A.* I. — Saturo idem ac saturum reddo, pasco, satio, expleo, κορέω (It. *satollare, sfamare, contentare;* Fr. *rassasier, repaître, nourrir;* Hisp. *saciar, repastar, comer;* Germ. *satt machen, sättigen;* Angl. *to satiate, sate, glut, satisfy, cram*).

A) Activo.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Mammas appetunt, earumque ubertate saturantur. *Claudian. de phœnice,* 13. Epulis saturare famem. *Juvenal.* 14. 166. saturabat glæbula talis Patrem ipsum turbamque casæ. *h. e.* alebat. *Hieronym. Ep.* 21. *n.* 35. Ipse es ejus carne saturandus. *Virg.* 8. *Æn.* 213. Jam stabulis saturata moveret Amphitryoniades armenta. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (36). Testudines pastum egressæ avideque saturatæ. *Ovid* 10. *Met.* 541. armenti saturatos cæde leones. *Id.* 2. *Amor.* 16. 25. submersis ratibus saturata Charybdis. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 248. Rosa saturata vernis roribus. *Martial.* 3. 60. Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino. *et* 13. 24. Cecropio saturata cydonia melle. *ben inzuppate.* et *Ovid.* 11. *Met.* 166. et *Martial.* 8. 48. saturatæ murice vestes. *ben tinte, caricate di colore.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a)* De hominibus. *Cic.* 2. *Phil.* 24. 59. Versatus in bello est; saturavit se sanguine civium. *Id. Vatin.*

3. 6. Quum crudelitatem vestram odiumque diuturnum, quod in bonos jam inveteratum habebatis, saturare cuperetis. *Id. Dom.* 17. 44. Explevi animos invidorum, placavi odia improborum, saturavi etiam perfidiam et scelus proditorum. *Justin.* 12. 12. 6. Orant, suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. *Catull.* 68. 83. Saturare amorem. *Seneca Thyest.* 393. Me dulcis saturet quies. *h. e.* satiet, plene recreet. *Cic. Planc.* 8. *a med.* Homines saturati honoribus. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. Pars animi, quæ mentis et consilii est, saturata bonarum cogitationum epulis. *Catull.* 64. 220. cui languida nondum Lumina sunt gnati cara saturata figura. *sazi di mirare.* — Part. *Saturatus* cum accus., Græcorum more, *Virg.* 5. *Æn.* 608. Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem Juno. — *b*) De rebus, et est impleo. *Sever. Ætn.* 266. Saturare horrea. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *a med.* Querneo cinere murium aditus saturare. *Id.* 2. 13. Valles, quas fluminum saturabit aggestio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 99. 102. (221). Lunæ sidus terras saturat. accedensque corpora implet, abscedens inanit. *Virg.* 1. *G.* 80. Nec saturare fimo pingui pudeat sola. *h. e.* large stercorare. *Martial.* 8. 28. Qua saturat Calabris culta Galesus aquis. *h. e.* large irrigat. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 82. capillum multo Paphie saturabat amomo. *h. e.* plene imbuebat. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 208. Et picturatæ saturantur murice vestes. *Vitruv.* 10. 11. *ad fin.* Tunc eæ tabulæ pice saturantur, et laminis ferreis colligantur, ut ab aquæ vi ne dissolvantur. ¶ 2. Speciatim est nauseam, fastidium, tædium creo. *Plaut. Stich.* 1. 1. 18. Hæ res vitæ me, soror, saturant: hæ mihi dividiæ et senio sunt. Ubi notandus genetivus casus.

B) Neutrorum more. *Lucil. Ætn.* 264. *Wernsd.* Horrea uti saturent, tumeant et dolia musto Plenaque desecto surgant fœnilia campo. Cf. *Virg.* 3. *G.* 214. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Saturatus, a, um, adjectivorum more occurrit; unde Comp. *Saturatior* apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 22. (46). Saturatior color.

SĂTUS, a, um, particip. *V.* SERO.

SĂTUS, us, m. 4. (sero) actus serendi, seminatio, plantatio, *seminagione, piantagione,* σπορά.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 5. Satui semen dederit nemini. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 68. Herbam autem asperam, credo, avium congestu, non humano satu. *Id. Senect.* 15. 52. Quid ego vitium ortus, satus, incrementa commemorem? ¶ 2. Speciatim sumitur pro generatione. *Cic.* 1. *Off.* 32. *ad fin.* Hoc Herculi Jovis satu edito potuit fortasse contingere. *Id.* 1. *Divinat.* 42. 93. Ob eamdem causam multa inusitata partim e cœlo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam hominum, pecudumque conceptu et satu. *Id.* 5. *Fin.* 23. A primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur. *Accius* apud *Non. p.* 174. 14. *Merc.* Profecto haudquaquam est ortus mediocri satu. *h. e.* genere, sanguine.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 13. Philosophia extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos: eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.

SĂTȲRA, æ, f. 1. *V.* SATIRA et SATYRUS.

SĂTȲRĬĂSIS, is, f. 3. σατυρίασις, inguinum morbus, quum nimia tentigine virile membrum arrigitur; ita dictus vel a satyrio herba, quæ vim excitandæ libidinis habet, vel a Satyrorum salacitate, vel quia iidem ea corporis parte maxime erecta passim visuntur insculpti in antiquis anaglyptis. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 175. *et seq.*, et *Theod. Priscian.* 2. 11.

SĂTȲRĬCĒ. *V.* SATIRICE.

SĂTȲRĬCŌS, adverb. (satyricus) Græca positione, σατυρικῶς, satyrice. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 18. 19.

SĂTȲRĬCUS, a, um, adject. (satyrus).

I.) Proprie. ¶ 1. Est ad satyrum pertinens, *da satiro,* σατυρικός. *Vitruv.* 5. 8. Genera sunt scænarum tria: unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum ornatus sunt inter se dissimiles, quod tragicæ deformantur columnis, fastigiis *etc.*, comicæ ædificiorum privatorum habent speciem *etc.*, satyricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus reliquisque agrestibus rebus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). *de hortis.* Quam rem comitata est et religio quædam: hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes, dicari videmus in remedio satyrica signa: quamquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto. *h. e.* signa satyrorum similia, tentis veretris, cujusmodi finguntur in satyris et Priapis. *V.* SATYRUS. ¶ 2. *Satyricus,* ad satyram pertinens. *Acron* ad *Horat. Art. P.* 216. Satyricæ fabulæ. *Augustin.* 5. *Civ. D.* 26. Satyrica vel mimica levitas. Ceterum *V.* SATIRICUS.

II.) Translate. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. *sub init.* Satyrica, vel ἐντατικά vocant medicamenta, quæ sunt acria atque incentiva et nervis improba.

SĂTȲRĬON, ii, n. 2. σατύριον ¶ 1. Herbæ genus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 62. (96). Concitatricem vim habet satyrion. Duo ejus genera: una longioribus foliis, quam oleæ, caule quattuor digitorum, flore purpureo, radice gemina ad formam hominis testium, alternis annis intumescente ea ac residente. Altera satyrios orchis cognominatur, et femina esse creditur: distinguitur internodiis et ramosiore frutice: nascitur fere juxta mare. *et ibid.* 63. (97). Græci satyrion foliis lilii rubri minoribus, et tribus non amplius e terra exeuntibus tradunt, caule levi, cubitali, nudo, radice gemina, cujus inferior pars et major mares gignat, superior ac minor feminas. Et aliud genus satyrii erythraicon appellant, semine viticis majore, levi, duræ radicis, cortice rubro, intus album includi sapore subdulce: fere in montuosis inveniri: Venerem, etiam si omnino manu teneatur radix, stimulari: adeo si bibatur in vino austero. Adde *Theod. Prisc.* 2. 11. et *Apul. Herb. c.* 15. ¶ 2. De suco hujus herbæ dicitur apud *Petron. Sat.* 8. *extr.* Adeo ubique omnes mihi videbantur satyrion bibisse.

SĂTȲRĬOS. *V.* in voc. præced.

SĂTȲRISCUS, i, m. 2. (satyrus) σατυρίσκος, *satirello, satiretto,* parvus satyrus. *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 39. Somniavit se peperisse satyriscum. *Baiter* saturiscum.

SĂTȲRŎGRĂPHUS. *V.* SATIROGRAPHUS.

SĂTȲRŌMA, ătis, n. 3. σατύρωμα inusit., Satyrorum lusus. *Helpid. Rust. carm. de Christo* 45. Hinc etiam nostro nugata est schema dolori, Garrula mendosis fingens satyromata Musis, Falleret ut trepidos cantatrix pagina questus.

SĂTȲRUS, i, m. 2. *et* Satyra, æ, f. 1.

A) Satyrus, σάτυρος, ferum animal ex genere simiarum, a σάθη dictum, ut *Domitius* ex *Macrob.* putat, quod Satyri libidinosi sint.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. *a med.* Sunt et satyri Subsolanis Indorum montibus pernicissimum animal, quum quadrupedes, tum recte currentes, humana effigie: propter velocitatem, nisi senes aut ægri, non capiuntur. *Id.* 8. *ibid.* 54. 80. (216). *de simiis.* Efferatior cynocephalis natura, sicut satyris. *Alii leg.* sicut mitissima satyris. *Id.* 5. *ibid.* 8. 8. (46). Satyris præter figuram, nihil moris humani. *Id.* 10. *ibid.* 72. 93. (199). Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum et satyrorum genus, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit: et quod formicis in annum solemne est, his in dies vel horas. *Solin.* 27. *sub fin.* Sunt et (*simiæ*) quas vocant satyros, facie admodum grata, gesticulatis motibus inquietæ. ¶ 2. Speciatim apud poetas satyri sunt bipedes, superiore parte homines, inferiore feras, villosos, caprinis pedibus, petulantes, lascivos, salacissimos, Bacchi comites, Nymphis infestos etc. *Horat.* 2. *Od.* 19. 4. et aures Capripedum Satyrorum acutas. *Ovid.* 1. *Met.* 193. sunt mihi semidei, Fauni Satyrique. *Id.* 14. *ibid.* 637. Satyri saltatibus apta juventus. *Id. Heroid.* 5. 135. Me Satyri celeres (silvis ego tecta latebam) Quæsierunt rapido, turba proterva, pede. *Id.* 1. *Art. am.* 542. Ecce leves Satyri, prævia turba dei. *et* 3. *ibid.* 157. Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euoe, Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos. *Calpurn.* 2. *Ecl.* 13. Satyri bicornes. *Id.* 10. *ibid.* 26. procaces. ¶ 3. Satyrus *Phryx* apud *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 42. est Marsyas. ¶ 4. In illo *Pers.* 5. 123. Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli: *Satyrus* dicitur Bathyllus, quia pedibus valde agilis erat, et saltatu celer instar Satyri. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

II.) Metonymice, genus dramatis apud Græcos: unde *Satyrorum scriptor* apud *Horat. Art. P.* 235. est qui drama satyricum scribit, minime vero, ut quidam falso putarunt, qui satyras componit iis similes, quas ipse elegantissimas posteris legendas reliquit. Adde *eumd. ibid.* 226. et 233.

B) *Satyra* est femina satyri, *satiressa. Lucret.* 4. 1162. Simula, Silena et Satyra est. *h. e.* puella, quæ simis est naribus, vocatur ab amatore suo Silena et Satyra; nam Sileni ac Satyri simi sunt.

SAUCAPTIS, ptidis, f. 3. nomen fictum aromatis, apud *Plaut. Pseud.* 3. 2. 43. Alii leg. *sancaptis.*

SAUCĬANS, antis, particip. *V.* SAUCIO.

SAUCĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (saucio) actus sauciandi, vulneratio, *ferita,* τραῦμα, τρῶσις. *Cic. Cæcin.* 15. *a med.* Et sauciatio quæretur, quum fugam factam esse constabit.

SAUCĬĀTUS, a, um, particip. *V.* SAUCIO.

SAUCĬĔTAS, ātis, f. 3. (saucius) idem ac sauciatio, seu læsio, mala affectio, h. e. *indisposizione. Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *a med.* Neque gravedo aut singultus vel quæpiam saucietas ægrum sequi videbitur.

SAUCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (saucius) Part. *Saucians* II.; *Sauciatus* I. 1. *a.*; *Sauciandus* I. 1. *b.* — Saucio est vulnus infligo, ferio, cædo, verberando rumpo, consaucio, τραυματίζω (It. *ferire, impiagare*; Fr. *blesser, léser*; Hisp. *herir, golpear, extreñir violentamente*; Germ. *verwunden, verletzen*; Angl. *to wound, hurt, cut, gash*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De animantibus. *Plaut. Rud.* 3. 4. 53. Quid causæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem? *Auct. B. Alex.* 52. *extr.* Jacentem sauciat levibus plagis. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 398. 8. *Merc.* Ut Metellus ictu tragulæ sauciaretur. *Cic. Vatin.* 5. *extr.* Omnia mea tela sic in te conjicientur, ut nemo per tuum latus sauciétur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 708. indignas sauciat ungue genas. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *a med.* Sive quis sauciatus in opere noxam ceperit. — *b*) De inanimis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (198). Cave, radices ne saucies. *h. e.* cædas. *Colum.* 4. *R. R.* 22. *a med.* Sauciandа ferro est atque exulceranda vitis in ea parte, qua pampinum studemus elicere. *h. e.* cædenda. Adde 4. *ibid.* 4. 2. *Ovid. Remed. am.* 172. Sauciet ut duram vomer aduncus humum. *h. e.* fodiat. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* ¶ 2. Speciatim, per extenuationis figuram, est occidere. *Cic.* 14. *Att.* 22. Meus discipulus valde amat illum, quem Brutus noster sauciavit. *h. e.* interfecit: et loquitur de Cæsare.

II.) Translate. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 30. Facta et famam sauciant. *et* 2. 2. 35. Mihi cor odio sauciat *h. e.* mihi est odiosus, mihi stomachum movet. *Enn.* apud *Fulgent. de prisco serm.* n. 19. Hæc anus sauciavit se flore Liberi. *V.* SAUCIUS. *Apul.* 8. *Met.* Linguæ sauciantis susurros improbos inurgere. *Seren. Sammon. c.* 12. Dolor sauciat aures.

SAUCĬŎLUM, i, n. 2. vocatur atrium in urbe Carthagine a sontium supplicio, quod ibidem sumebatur. V. *Morcell. Afr. Chr. t.* 2. *p.* 151.

SAUCĬUS, a, um, adject. Hanc vocem conjungunt cum Lat. *seco,* cædo, excido, aut cum Germ. *siech,* morbo affectus. — Saucius est vulneratus, (quamquam aliquid hic ab illo differre videtur *Vavassor., Antibarb. p.* 585) τρωθείς, τραυματίας (It. *ferito, impiagato, offeso*; Fr. *blessé, lésé*; Hisp. *herido*; Germ. *verwundet, verletz*; Angl. *wounded, hurt, cut*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De animantibus. — *a*) Universim. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. me graviter saucium. *Varro* apud *Non. p.* 398. 13. *Merc.* Multis civibus ex utraque parte sauciis etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 36. Illum

cum Cotta saucio communicat. *Virg.* 2. *Æn.* 223. fugit quum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervice securim. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 18. Brachia direpta saucia fecit acu. — *Saucius*, absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 75. Sauciorum et ægrorum habita ratione. *Justin.* 27. 3. 2. Saucii ex congressione. — *b*) Cum accus., Græcorum more. *Tibull.* 1. 6. 49. sat saucia pectus. *Virg.* 12. *Æn.* 651. Saces adversa sagitta saucius ora. *Id.* 12. *ibid.* 5. *de leone.* Saucius ille gravi venantum vulnere pectus. *Propert.* 2. 8. 22. saucius ense latus. Adde *Quintil.* 9. 3. 17. — 2.°) De sensu carentibus. *Horat.* 1. *Od.* 14. 5. Et malus celeri saucius Africo, Antemnæque gemunt. *Claudian.* *VI. cons. Honor.* 138. triremis antemnis saucia fractis. Alii aliter legunt. (V. *Keller.*, *Epileg. zu Hor.* t. 1. p. 59.) *Id. Epithal. Pallad. et Celer.* 122. Cortex angue saucius. *Propert.* 1. 16. 5. Janua nocturnis potorum saucia rixis. *Ovid.* 2. *Met.* 808. Liquitur ut glacies incerto saucia sole. *et* 10. *ibid.* 372. Trabs saucia securi. *Id.* 1. *ibid.* 102. nec ullis Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 101. stridunt Zephyri cursuque rotarum Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis. *squarciate.* et *de Apono.* 24. saucia saxa. *spezzati.* et *IV. cons. Honor.* 425. quo saucia vento Decolor iratos attollat Cynthia vultus, *rosseggiante, sanguigna*, tamquam si vulnerata esset. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 4. 84. Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi. *porporina.* ¶ 2. Speciatim dicitur, qui se percussit flore Liberi (ut *Plaut. Cas.* 3. 5. 16. loquitur), ebrius, *ubbriaco. Justin.* 24. 8. 1. Galli hesterno mero saucii. *Martial.* 4. 66. Incaluit quoties saucia vena mero. Adde 3. 68. et *Justin.* 1. 8. *a med.* *V.* SAUCIO, as. ¶ 3. De ægrotante, *ammalato. Propert.* 2. 21. 33. Nunc utcumque potes, fato gere saucia morem. *Apul.* 4. *Met.* Alvus lubrico fluxu saucia. *et Apolog.* Diutino situ viscerum saucia mulier. *Belua male saucia* apud *Sil. It.* 15. 789. est fame laborans.

II.) Translate, sæpe refertur ad animum. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Stat.* 1. *Theb.* 248. Juno saucia dictis. *toccata sul vivo, punta.* et *Prudent.* 9. *Cathemer.* 90. Saucius dolore multo. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 455. vitam sola formidine saucius efflat. *Cic.* 1. *Att.* 17. Subesse nescio quid opinionis incommodæ, sauciumque ejus animum, et insedisse quasdam odiosas suspiciones. — *b*) Cum genet., Græcorum more. *Apul.* 2. *Met.* Mihi fatigationis hesternæ etiam nunc saucio da veniam, maturius concedam cubitum. *Id.* 4. *ibid.* Psyche ægra corporis, animi saucia. *Auson. Profess.* 5. 15. clientes famæ et salutis saucii. *h. e.* periclitantes. — *c*) Cum accus., Græcorum more. *Sil. It.* 6. 8. Funesti rumore mali jam saucius aures. ¶ 2. Speciatim dicitur de eo, quem pupugere tela Cupidinis. *ferito d'amore. Plaut. Pers.* 1. 1. 24. Edepol palles. TO. saucius factus sum: in Veneris prœlio sagitta Cupido cor meum transfixit. *Virg.* 4. *Æn.* 1. At regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. et *Cic. Cæl.* 8. 18. Medea animo ægra, amore sævo saucia. *Ovid. Heroid.* 5. 151. Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas Fertur: et a nostro saucius igne fuit. Adde *Tibull.* 2. 5. 109. ¶ 3. *Saucia*, item fuit appellata una ex triginta urbis Romæ curiis, cujus mentio est apud *Liv.* 9. 38 *ad fin.* Triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis et Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. Alii leg. *Faucia*, ut allusio sit ad Fauces Caudinas, sed præstat lectio *Saucia*, quæ triste omen habuit a sauciis in prœlio militibus. *V.* PRINCIPIUM.

SAUCŌMĀRĬUS. *V.* SACOMARIUS.

SAUCUNCŬLUS, i, m. 2. sanguiculus, *sanguinaccio, migliaccio*, cibi genus ex sanguine porcino factum: quam voc. contractam e *savilunculo* putabat *Heinsius.* V. LUCUNCULUS. *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* Habuimus in primo porcum poculo coronatum, et circa sauconculum, et gigeria optime facta. Alii leg. *lucunculum*; Büchelerus *savunculum*: at in *Cod. Tragur.* legitur *saucunculum.*

SAUMĀRĬUS *et* Saugmarius, ii, m. 2. idem ac sagmarius: Gallice *sommier. Venant. vit. S. German. init.* Anna matrona duorum saumariorum cum pane dirigit onera. Adde *Gloss.* in *Class. auct.* ed. ab *A. Maio T.* 6. *p.* 513.

SAURA, æ, f. 1. σαύρα, lacerta. *Isid.* 12. *Orig.* 4. et *Apul. Apolog.* 30. *extr.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SAUREX, ricis, m. 3. pro *sorex*, ut *caudex* pro *codex*, Latine dicitur, si *Servio* est fides ad *Virg.* 2. *G.* 30. *V.* SAURIX.

SAURĪON, ii, n. 2. σαύριον, ita appellant Athenienses semen papaveris, quia acrimonia sua mordet, velut lacerta, quæ illis σαῦρα. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 54. (171).

SAURĪTIS, is, f. 3. σαυρῖτις, gemma, quæ in ventre viridis lacerti (qui Græce σαῦρος) arundine dissecti inveniri traditur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181).

SAURIX *et* Sōrix, ricis, m. 3. Pænultimam genetivi alii ponunt brevem, ut *Klotz.*, alii longam, ut *Döderlein.*, qui hanc vocem cum Gr. οὔραξ conjungit. — Saurix est avis, tributa Saturno ab auguribus, ex noctuarum genere, tempestatis nuncia. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 1470. *Putsch.* Cf. SAUREX.

SAUROCTŎNOS, i, m. 2. σαυροκτόνος, lacertæ interfector: a σαῦρος, lacerta, et κτείνω, interficio. Ita cognominatur Apollo, quem Praxiteles ex ære nudum finxit, dum puber adhuc Admeti greges pasceret, arboris trunco sinistra innixum, et lacertæ per eumdem reptanti insidias sagitta struentem. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (70). Praxiteles fecit et puberem Apollinem subrepenti lacertæ comminus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant. Hinc *Martial.* 14. 172. cujus lemma est *Sauroctonos Corinthius.* Ad te reptanti, puer insidiose, lacertæ Parce: cupit digitis illa perire tuis. V. *Mon. Borgh. p.* 134. *tav.* 21., et *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *tab.* 13. *p.* 75. *edit. Mediol.*, qui marmoream ejusdem Sauroctoni statuam exhibet ære incisam, docteque illustrat.

SAURUS *et* Sauros, i, m. 2. nomen piscis, qui alias et lacertus dicitur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 8. 28. (89). *V.* LACERTUS. *Cassiod.* 11. *Variar. a med.* Sic et sauri, argutum piscium genus, a velocitate nominati, etc. *V.* integrum locum in NEXUOSUS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SAVADĪA. *V.* SABAZIA.

SĀVĀNUM. *V.* SABANUM.

SĀVĬĀTĬO, SĀVĬĀTUS, SĀVILLUM, SĀVĬO, SĀVĬŎLUM, SĀVĬOR, SĀVĬUM *et* SĀVĬUNCŬLUM. *V.* SUAVIATIO, SUAVIATUS, SUAVILLUM, SUAVIO, SUAVIOLUM, SUAVIOR, SUAVIUM et SUAVIUNCULUM.

SAVUNCŬLUS. *V.* SAUCUNCULUS.

SAXĀLIS. *V.* SAXIALIS.

SAXĀNUS, i, m. 2. epith. Herculis, qui ideo *Saxanus* dictus videtur, ut et *Lapidarius* in *Inscript.* Niciensi apud *Zaccar. Excurs. per Ital. p.* 53., quod quum ex Hispania Galliam ingrederetur, ab Albione et Bergione, Neptuni filiis (*V.* ALBION et BERGION in ONOM.) inde prohibitus, quumque tela ei defecissent, ab invocato Jove adjutus imbre lapidum fertur. Id ex *Mela* 2. 5. *Inscript.* Tiburé reperta, ubi Hercules in primis colebatur (*V.* TIBUR in ONOM.), apud *Gruter.* 49. 3. HERCVLI SAXANO SACRVM SER. SVLPICIVS TROPHIMVS AEDEM ZOTHECAM CVLINAM PECVNIA SVA A SOLO RESTITVIT IDEMQVE DEDICAVIT K. DECEMBR. L. TVRPILIO DEXTRO M. MAECIO RVFO COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXXV. Sunt porro duæ aliæ *Inscript.* apud *Murat.* 12. 5. et 65. 6., in quibus Hercules eodem cognomine appellatur.

SAXĀTĬLĬA, ium, n. plur. 3. *V.* voc. seq.

SAXĀTĬLIS, e, adject. (saxum) ¶ 1. Est qui saxa incolit, *che sta fra i sassi, sassajuolo*, πετραῖος. *Colum.* 8. *R. R.* 16. *ad fin.* Saxosum mare nominis sui pisces nutrit, qui scilicet, quod in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt, ut merulæ turdique, nec minus melanuri. *Cels.* 2. 18. *de piscib.* Leviores sunt lupi mullique: et post hos omnes saxatiles. *Varro* 3. *R. R.* 7. Columbarum duo genera: unum agreste, ut alii dicunt saxatile, quod habetur in turribus ac columinibus villæ, etc. ¶ 2. Item qui e saxis constat. *Solin.* 10. *de gruib.* Quum medium Ponti alveum adventasse se sciunt, scrupulorum sarcina pedes liberant. Ita nautæ prodiderunt, compluti sæpe ex illo casu imbre saxatili. *h. e.* saxis depluentibus. ¶ 3. *Piscatus saxatilis*, qui fit inter saxa. *Plaut. Rud.* 2. 1. 10. Piscatum hamatilem et saxatilem aggredimur. *h. e.* hamo pisces captamus, qui in aqua degunt, et manibus eos, qui saxis adhærent et scopulis. — Hinc

Saxatilis, is, m. 3. absolute appellatur piscis quidam. *Ovid. Halieut.* 110. Tum viridis squamis, parvo saxatilis ore.

Saxatilia, ium, n. plur. 3. absolute, saxatiles pisces. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (94). et 9. *ibid.* 15. 20. (52).

SAXĀTĬLĬS, is, m. 3. *V.* voc. præced.

SAXĒTĀNUS, a, um, adject. videtur esse idem quod saxatilis. *Martial.* 7. 78. Quum saxetani ponatur cauda lacerti. Alii tamen leg. *Sexitani*, ab oppido in Bætica Hispaniæ provincia. *V.* SEXITANUS in ONOM.

SAXĒTUM, i, n. 2. (saxum) locus saxosus, salebrosus, *luogo sassoso*, τραχών. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. *ad fin.* Quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret?

SAXĔUS, a, um, adject. (saxum) qui e saxo est, *di sasso*, λίθινος.

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 697. per saxea septa Non penetrat. *Ovid.* 14. *Met.* 73. Saxeus scopulus. *Od. Heroid.* 10. 128. tecta. *h. e.* marmorea. *Catull.* 64. 61. effigies. *h. e.* signum e marmore. *Lucan.* 4. 15. Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu. *et ibid.* 157. Attollunt campo geminæ juga saxea rupes. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (10). Saxea crepido. *Stat.* 10. *Theb.* 879. tectique trementis Saxea frena labant. *h. e.* compages lapidum, quibus ædificium colligatur. *Ovid.* 5. *Met.* 509. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces. Hunc loc. *Forcellinus* in translatis posuit. *Sueton. Ner.* 38. Saxeus murus. *h. e.* marmoreus.

II.) Translate. ¶ 1. Est durus, valde durus. — *a*) De rebus sensu carentibus. *Apul.* 6. *Met.* Saxea frons. *h. e.* prædura, qualis in arietibus. Sic 10. et 11. *ibid.* Saxei dentes. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. 81. Saxea duritiés jecoris. — *b*) De animantibus. *Plin.* 2. *Ep.* 3. Quem tu nisi concupiscis cognoscere, saxeus ferreusque es. *Stat.* eod. sensu dixit 4. *Theb.* 339. vos autem hunc ire sinetis, Arcades? O saxis nimirum et robore nati. ¶ 2. In illo *Stat.* 1. *Silv.* 3. 20. Anien *saxeus* est qui per alveum defluit lapideo opere instructum.

SAXĬĀLIS, e, adject. (saxum) saxeus, *di sasso. Frontin. de colon. p.* 132. *Goes.* Termini lapidei alii saxiales, alii molares. At *saxales* omnino legendum videtur.

SAXĬCŎLA, æ, adject. omn. gen. (saxum *et* colo) qui saxa, sive idola colit. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 167. Nola Saxicolis polluta diu cultoribus.

SAXĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (saxum *et* fero) saxa ferens. *Val. Flacc.* 5. 608. saxiferæ surgat quibus imber habenæ. *h. e.* fundæ, qua lapides jaciuntur.

SAXĬFĬCUS, a, um, adject. (saxum *et* facio) qui saxa facit, *h. e.* in saxa vertit. *Ovid. Ib.* 555. Saxificæ videas infelix ora Medusæ. *Id.* 5. *Met.* 217. Saxifici Medusæ vultus. *Seneca Herc. Fur.* 901. Belligera Pallas, cujus in læva ciet Ægis feroces ore saxifico minas. Adde *Lucan.* 9. 670. et *Sil. It.* 10. 178.

SAXĬFRĀGA *et* Saxifragia. *V.* voc. seq.

SAXĬFRĀGUS, a, um, adject. (saxum *et* frango) saxa frangens, *spezzasassi. Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 105. Mare saxifragis undis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (64). *de herba adianto.* Calculos e corpore mire pellit frangitque, utique nigrum. qua de causa potius, quam quod in saxis nasceretur, a nostris saxifragum appellatum crediderim. — Hinc

Saxifraga et *Saxifragia*, æ, f. 1. absolute, herba eadem, quæ Italice nunc *sassifraga* et *sassifragia* vulgo dicitur (*Saxifraga crassifolia* Lin.). *Saxifraga* apud *Seren. Sammon.* 32. 602. et *Apul. Herb.* 67. (*Calcifraga* apud *Scribon.* 150.) et *Saxifragia* apud *Plin. Valer.* 2. 36., et etiam *Saxifrica* apud *eumd.* 2. 37. et 38. *Benedict. Medicin.* 19. apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 5. *p.* 397. Saxifricam tollunt petro nec nonque selino. An potius hæc *Tragopogon porrifolium* Lin., Italice *sassefrica*? (In *loc. Seren. Sammon.* est etiam *sarxeiphagon*. quid? an *saxaphagon*?)

SAXĬFRĬCA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SAXĬGĔNUS, a, um, adject (saxum et gigno) e saxo natus. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 7. Incussu silicis lumina nos tamen Monstras saxigeno semine quærere. *h. e.* scintillas excitare terendo saxa saxis. *V.* SAXUM.

SAXĬPERĬUM, ii, n. 2. idem ac sacciperium. *Fulgent. serm.* 74. Ille tendebat arcum, iste (David) parabat saxiperium. Cf. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 17. 40.

SAXĬTAS, ātis, f. 3. (saxum) saxi natura. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 49. Duritia aut saxitas. *Id. ibid.* 8. 109. Difficiles ajunt curatione hydropes, qui ex saxitate magis, quam ex duritia fuerint facti. Hic *saxitas*, ut et *saxositas*, esse videtur *saxea durities*. Sic 3. *Tard.* 4. *sub init.* Saxitas, quam scirrhosin vocant.

SAXŌSĬTAS, ātis, f. 3. (saxosus) idem ac saxitas, apud *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. 82. Durities sive saxositas. *V.* voc. præced.

SAXŌSUS, a, um, adject.(saxum) Apud *Gromat. vet.* ed. *Rudorff.* legitur passim *saxuosus*. Sic dicitur *montosus* et *montuosus*: *monstrosus* et *monstruosus*. — Saxosus est saxis abundans, *sassoso*, πετρώδης.

I.) Proprie. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ante med.* Ficus loca aprica, calculosa, glareosa, interdum et saxosa amat. *Sil. It.* 12. 372. *de Sardinia.* Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso Exercet scopulis late freta. *h. e.* scopuloso *Propert.* 4. 5. 20. Saxosa via. *Virg.* 5. *Ecl.* 84. valles. *Id.* 2. *G.* 111. montes.

II.) Translate. Absolute *Virg.* 4. *G.* 370. Saxosumque sonans Hypanis. *h. e.* edens sonitum aquæ inter saxa decurrentis. Ita legit *Servius*: *al.* saxosusque. *h. e.* inter saxa defluens. Est autem Hypanis Ponti fluvius. Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (84). Euphrates saxosus et violentus. Apud *eumd.* 15. *ibid.* 7. 7. (24). chamelæa est frutex saxosus. *h. e.* nascens in petrosis, ut de eadem dicit 24. *ibid.* 15. 82. (133). *Veget.* 3. *Veterin.* 13. 4. Solet in locis saxosis et commissuralibus fistulam fieri. *h. e.* ossuosis, ut leg. *Schneiderus.* — Hinc

Saxosa, ōrum, n. plur. 2. absolute, loca saxosa, apud *Quintil.* 5. 10. 21. et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 29. 103. (175).

SAXŬLUM, i, n. 2. (saxum) *deminut. a* saxum, *sassetto*, exiguum saxum. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 196. Ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.

SAXUM, i, n. 2. *Saxe*, in vocativ. sing., pro *saxum*, habetur in *Inscript.* apud *Orell.* 2982. NVNC RECIPE ME SAXE LIBENS TECVM CVRA SOLVTVS ERO. Adde *Henzen.* 6406. — Vox fortasse a *seco* derivanda, ita ut saxum sit aliquid sectum: a *Döderlein.* vero conjungitur cum ψεχάς, seu ψακάς a ψαίω vel ψάω, comminuo. — Saxum est lapis, petra, silex, λίθος, πέτρα, a quibus, si quid differt, in LAPIS et PETRA dictum est (It. *sasso, pietra*; Fr. *pierre brute, rocher, roche*; Hisp. *piedra, guijarro, peña*; Germ. *rohes Felsstück, roher Felsblock, e. grosser stein*; Angl. *a stone, rock*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Cæcin.* 21. 60. Saxa jacere. *Phædr.* 3. 2. Onerare aliquem saxis. *caricar di sassate.* et *ibid.* Saxo aliquem petere. *Sall. Jug.* 57 Saxa volvere in proximos. *Ovid.* 2. *Fast.* 367. mittere. *et* 1. *ibid.* 570. Saxis rem gerere. *Virg.* 1 *Æn.* 154. volant faces et saxa. *Id.* 8. *ibid.* 226. Saxum dejicere. *Id.* 10. *ibid.* 381. vellere. *Id.* 12. *ibid.* 904. movere. *Quintil.* 12. 1. 27. Faces et saxa jaculari. *Curt.* 7. 11. 15. Saxa jacere. *Id.* 8. 2. 24. provolvere. *Id.* 4. 14. 13. devolvere. *Id.* 8. 10. 30. Moles saxorum dejicere. *Stat.* 10. *Theb.* 528. Saxa mœnibus rotare. *Sil. It.* 13. 610. Saxa subigere. *Id.* 7. 623. intorquere. *Liv.* 9. 35. ingerere. *Propert.* 4. 5. 75. Saxis cedere. *Enn.* apud *Serv.* ad 1. *Æn.* 416. Cuipiam cerebrum saxo comminuere. *Ovid.* 4. *Fast.* 237. Acuto saxo laniare corpus. *et ibid.* 795. cum saxis pastores saxa terebant, Scintillam subito prosiluisse ferunt. *Propert.* 3. 1. 43. Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem Sponte sua in muri membra coisse ferunt. *Ovid. Heroid.* 10. 49. Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi: Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui. *Id.* 6. *Met.* 573. Structa rigent solido stabulorum mœnia saxo. *Id.* 12. *ibid.* 341. revulsum Saxum e monte. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 6. Saxum naturale vel manu constratum. *Maximian.* 1. *Eleg.* 273. veniens consumit saxa vetustas. ¶ 2. Speciatim dicitur de marmore, *marmo*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 31. 100. Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus. *Ovid.* 5. *Fast.* 137. At canis ante pedes saxo fabricatus eodem Stabat. *Horat.* 4. *Od.* 7. Hic saxo, liquidis ille coloribus Solers nunc hominem ponere, nunc deum. ¶ 3. *Saxum silex*, silex, *selce, ciottolo*. *Vitruv.* 8. 1. *ante med.* Sub radicibus montium et in saxis silicibus uberiores aquæ sunt et affluentiores. ¶ 4. *Saxum quadratum*, genus silicis, quo ædificia et viæ construebantur, *tufo litoide*, apud *Liv.* 6. 4. et 10. 23. V. *Brocchi, suolo di Roma.* ¶ 5. Sæpissime dicitur de rupe, caute, scopulo, *monte nudo d'erba, rupe, scoglio*. *Virg.* 2. *Æn.* 307. stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor. *Sil. It.* 11. 217. Cui patuere Alpes, saxa impellentia cælum, Atque uni calcata deo. *h. e.* Herculi. *Horat. Epod.* 17. 55. Neptunus saxa alta tundit salo. *Ennius* apud *Cic. Pis.* 19. 43. Naufragio expulsus, saxis fixus asperis. *Ovid.* 7. *Met.* 376. alto Desiluit saxo. *Virg.* 2. *G.* 156. Tot congesta manu præruptis oppida saxis. *Seneca Herc. Œt.* 135. Ad Trachina vocor, saxa rigentia, Et dumeta jugis horrida torridis. *Propert.* 2. 13. 3. Saxum Ceraunum. *et* 3. 9. 45. Tarpejum. *Cic. Dom.* 53. 136. Quum Licinia Vestalis aram et ædiculam sub saxo sacro dedicasset. *h. e.* sub rupe montis Aventini, sacra dicta, quia fuit in ea templum Bonæ Deæ. *Ovid.* 5. *Fast.* 149. Est moles nativa: loco res nomina fecit: Appellant Saxum; pars bona montis ea est. ¶ 6. Etiam Tarpejus mons sæpe *Saxum* absolute dicitur. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 39. Dejicere e Saxo cives. *Tac.* 2. *Ann.* 32. Quorum e numero L. Pituanius Saxo dejectus est. *et* 4. *ibid.* 29. Robur, et Saxum, aut parricidarum pœnas minitantes. *Cic.* 14. *Att.* 16. Quis enim audeat, proposita cruce, aut Saxo? *Modestin. Dig.* 48. 19. 25. De Saxo præcipitare. *Lucret.* 3. 1030. Carcer, et horribilis de Saxo jactu' deorsum. Huc trahi potest illud *Plauti Trin.* 2. 1. 30. Qui in amorem præcipitavit, pejus perit, quam si in Saxo saliat. *et Silii It.* 3. 327. *de Cantabris.* Mirus amor populo, quum pigra incanuit ætas, Imbelles jamdudum annos pervertere Saxo. ¶ 7. Item Capitolium. *Sil. It.* 1. 541. Superis habitabile saxum. ¶ 8. *Saxa rubra.* V. RUBER.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Saxum volvere* est assiduo arduoque labore atque inutili laborare: ductum a fabula Sisyphi apud Inferos. *Ter. Eun. sub fin.* Satis diu hoc jam saxum volvo. *abbastanza oggimai ho io sudato attorno a questo ceppo.* *V.* SISYPHUS in ONOM. — *Inter sacrum et saxum*, proverb. in magnis angustiis, atque ubi utrinque grave periculum instat. *V.* SACRUM. ¶ 2. Metonymice *saxum* pro muro. *Ovid.* 3. *Fast.* 431. Romulus ut saxo lucum circumdedit alto, Cuilibet, huc, inquit, confuge: tutus eris. ¶ 3. Item *saxa*, in plur., loca saxosa. *Virg.* 2. *G.* 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Martial.* 3. 82. Ligurumque nobis saxa quum ministrentur, Vel cocta fumis musta Massilitanis etc. *h. e.* vina tenuia in saxosis Ligurum nata. — In illo *Horat.* 3. *Od.* 16. 10. perrumpere amat saxa. *saxa* sunt rupes et arces ibi exstructæ. ¶ 4. Item *saxum* pro insula. *Avien. descript. orb. v.* 606. Nunc ut quæque vago surrexerit insula ponto Ordine quo steterint pelago circumflua saxa. *et v.* 666. Plurima præterea consurgunt gurgite saxa. Adde *v.* 691. ¶ 5. Inter genera cretæ Cimoliæ unum est, quod vocant *saxum*: cujus proprietas est, quod crescit in macerando. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (196). ¶ 6. Figurate. — *a*) De homine duro, inhumano, quem dicimus saxo duriorem esse. *Ovid.* 14. *Met.* 713. — *b*) De stolido, hebeti. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 23. Nullum est hoc stolidius saxum. Cf. *Ter. loc. cit.*

SAXŬŌSUS. *V.* SAXOSUS.

SC

SC', nota in *Inscript.* apud *Orell.* 2351. ALTENIO MAG. P. SC. *scil.* magistro publico *sacrorum*, aut *sacerdotum*.

SCĂBELLUM *et* Scabillum, i, n. 2. *deminut. a* scamnum. Etiam *scabellus*, *i*, m. apud *Isid.* 20. *Orig.* 11. Hinc et scabelli, qui lectis parvis vel sellis ob ascensum apponuntur. *Id. ibid.* Tripodes scabelli sunt habentes tres pedes. Hic alii habent *scammelli*; et sic *Lindem.* Scribitur et *scapillum*, ut docet *Scaurus p.* 2252. 33. *Putsch.* — Scabellum est parvum scamnum, in quod, ut docet *Varro loc. cit.*, una scansione adscenditur, et inservit tum ascendenti, tum etiam sedenti, cujus pedes sustinet, *scabello, sgabello, banchetta, predella*, ὑποπόδιον, θρᾶνος.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 168. *Müll.* Qua simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum; in altiorem, scamnum. *Quintil.* 1. 4. *ante med.* Quare discat puer, quid in litteris proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur, cur ex scamno fiat scabellum, etc. *Cato R. R.* 10. Scamnum in cubiculo unum, scabilla tria, sellas quattuor. *Vulgat. interpr. Jac.* 2. 3. Sede sub scabello pedum meorum. *Id.* 1. *Par.* 28. 2. Scabellum Dei. *h. e.* arca fœderis.

II.) Translate, refertur per similitudinem ad instrumentum musicum, quod a tibicine in scæna pede pulsabatur, dum manu et ore tibiam inflaret: simile parvo suppedaneo ligneo concavo, quod lignea itidem solea aut ferrea pedi indita percutiebatur, ut vult *Salmas.*, vel ligneæ sculponeæ altiori et fissæ, quæ agitatione et ictu pedis strepebat, ut est in figura apud *Montfauconium*, *Ruben. de re vest. l.* 2. *c. ult.* et *Spon. Miscell. c.* 21. (Cf. *Mus. Pio-Clem. V. t.* c, et *Mus. Capitol. III.* 36.) certisque ictuum intervallis non ingratum strepitum, semper tamen eumdem, et sine ulla variatione, edebat. *Cic. Cœl.* 27. *extr.* Mimi ergo est jam exitus, non fabulæ, in quo quum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulæum tollitur. *Sueton. Cal.* 54. Repente magno tibiarum et scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. *con gran rumore di pifferi e di predelle*, ut ait vet. Interpres Italus. *Augustin.* 3. *de Musica init.* Velut quum symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriunt, certis quidem numeris, et his, qui sibi cum aurium voluptate junguntur, sed tamen tenore perpetuo: ita ut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, et unde rursus ad caput redeatur. *Arnob.* 2. *p.* 73. Numerosos iterare scabillorum concrepationibus sonores.

SCĂBELLUS. *V.* voc. præced.

SCĂBER, bra, brum, adject. (scabo). Etiam *scabrus* pro *scaber* hab. *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* ed. *Loewe p.* 317. — Comp. *Scabrior.* — Scaber est inæqualis et asper, λεπρός, τραχύς: cui opponitur *levis*, λεῖος (It. *ruvido, aspro, scabro*; Fr. *rude, raboteux, âpre, inégal*; Hisp. *ru-*

do, tosco, sin pulidez; Germ. *rauh, schäbig;* Angl. *rough, rugged, uneven, scabrous*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 2. *G.* 214. et *Ovid. Heroid.* 15. 141. Antra scabro pendentia topho. *Id.* 3. *Art. am.* 290. Ut rudis ad scabram turpis sella molam. et *ibid.* 276. Cui digiti pingues, et scaber unguis erunt. (Adde *Cels.* 6. 19.) *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (58). Folia hordeo scabra sunt, ceteris levia. *Id.* 16. *ibid.* 31. 55. (126). Cortex aliis levis, ut malo, fico: idem scaber robori, palmæ. *Vet. Poet.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Pectus illuvie scabrum. *Ovid.* 4. *Fast.* 921. Scabræ manus. *Sueton Aug.* 79. dentes. *Plin.* 8. *Ep.* 15 Chartæ scabræ vel bibulæ. *Virg.* 4. *G.* 495. Exesa inveniet scabra robigine pila. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 34 (67). Arbor myrrhæ similis junipero, scabrior tantum spinisque horrida. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (96). et *ibid.* 9. 46. (130). Scabra gemma. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (114). Arboris genus scabro aspectu, incurvum, fruticosum; trachy appellant. ¶ 2. Speciatim *scaber* est scabiosus, *rognoso*, ψωρώδης: quia scabies cutem scabram facit. *Cato R. R.* 96. Oves ne scabræ fiant, amurcam condito, etc Adde *Colum.* 4. *R. R.* 8 et 7. *ibid.* 3. *Cf. Theophr.* II. *P.* 5. 22. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 87. (239). Sinapi inungere scabras genas.

II.) Translate. *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. *sub fin.* Nemo ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum scabri nobis videntur. ille enim stilus Enniani sæculi auribus solus placebat. *h. e.* incompti, duri, insuaves. *Quintil. declam.* 13. 4. Quo non penetras livor improba? quidve scabræ malignitati clausum est? Hinc

Scabrum, i, n. 2. absolute, scabrities. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (28) Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro, ferrugine, maculosa nube, etc. *Harduin.* et *Sillig.* leg. ex MSS. *scabro ferumine* *Cæl. Aurel.* 5. *Tard* 4. 60 *de vesica.* Ψωριάσεις, quam scabiem vel scabrum appellant.

SCĂBĬA *V.* SCABIES

SCĂBĬĀLIS, e, adject (scabies) ad scabiem pertinens, seu qui scabiei medetur. *Pelagon. Veterin.* 25. *ante med.* Compositio caustici: picis duræ libra, resinæ frictæ, resinæ scabialis libra, etc. Sed videtur legendum *cavealis*. *V* hanc voc.

SCĂBĬDUS, a, um, adject. (scabies) scabiosus.

I.) Proprie. *Marcell. Empir.* 8. Scabidæ palpebræ. *Id.* 19. impetigo. *Seren Sammon.* 6 80. corpus.

II.) Translate. *Tertull Anim.* 38. Scabida concupiscentia. *h. e.* mala prurigine infecta

SCĂBĬES, ei, f. 5. (scabo). Etiam *scabia, æ,* 1. in *Gloss. Cyrill.* Ψώρα, scabia, scabies. *Id. Philox.* Scabia (*male* Scavia), ψώρα. — In Genetivo *scabie* pro *scabiei* olim dictum est *V.* DIES. — Scabies est asperitas et inæqualitas superficiei, *asprezza, ruvidezza, scabrosità*

I.) Proprie. ¶ 1 Generatim. *Virg.* 2 *G* 220. Nec scabie, et salsa lædit robigine ferrum *Juvenal.* 5. 153. Tu scabie frueris mali quod in aggere rodit, Qui tegitur parma et galea *Apul.* 9. *Met* Scabiem vetustam cariosæ testæ occipit exsculpere. ¶ 2. Speciatim est asperitas cutis cum pruritu, ψώρα (It. *scabbia, rogna, stizza;* Fr. *gale, lèpre, escarre;* Hisp *sarna, roña;* Germ. *Krätze, Räude, Schorf;* Angl *scabbiness, leprosy*). *Cels.* 5. 28. *n.* 16. Scabies est durities cutis rubicunda, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam sicciores. Exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens. *Virg.* 3. *G.* 441. Turpis oves tentat scabies *Juvenal.* 2. 79. grex totus in agris Unius scabie cadit et porrigine porci. *Seneca Vit. beat.* 27. *ad fin.* Quem fœda scabies depascitur. *Nemesian. Cyneg.* 202. Scabies sordida *Colum.* 7 *R. R* 5. Oves infestantur scabie. *Justin* 36. 2. 12. Scabiem et vitiliginem pati *Cels. loc. cit* Scabie laborare *Plin.* 28. *Hist. nat.* 18 73. (244). Canum scabies sanatur bubulo sanguine recenti. *Id* 23. *ibid.* 7. 63. (117). Palpebrarum scabiem emendat fici sucus lacteus. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (105). Scabiem pecorum sal tollit. *Id* 30. *ibid* 14. 45. (131). Scabiem sedare. *Id.* 22. *ibid* 22. 41. (84). lenire. *Id.* 32. *ibid.* 10. 51. (140). et *Colum.* 6. *R. R.* 13. extenuare. ¶ 3. In plantis est morbus corticis, quum aspera scabritie corrugatur, ex imbre aut rore putrescente. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 36. (223). et 19. *ibid.* 10. 57. (176). et 31. *ibid.* 3. 21. (33). ¶ 4. *Scabies*, ut dea, a Romanis culta est. *Prudent. Hamartig.* 220. Per furor illorum, quos tradit fama, dicatis Consecrasse deas, Febrim Scabiemque sacellis.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Legg.* 17. *extr.* Voluptatis blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernimus satis. *allettamento,* illecebra: quia scabies pruritum excitat, et scabendi cupiditatem: ipsum autem scabere dulcedinem quamdam habet. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 14. Quum tu inter scabiem tantam et contagia lucri Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures *prurito e voglia di avere.* et *Martial.* 5. 60. Nos hac a scabie tenemus ungues. *h. e.* libidine maledicendi. Adde 6. 37. et 11. 7., quibus locis ponitur scabies pro turpis voluptatis prurigine. *Auson. Symm.* 15. Hunc locum de ternario numero nostra illa poetica scabies cœpit exscalpere etc.

SCĂBĪLE, is, n. 3. idem ac scabellum seu scabillum. *Cato R. R.* 10. Scamnum in cubiculo unum, scabilia tria, sellas quattuor. Alii leg. *scabilla* multo rectius.

SCĂBILLĀRĬUS, ii, m. 2. (scabillum) qui scabilla facit in usu tibicinum et scenæ, vel potius qui scabillis pulsandis operam dant: idem dicitur et scamillarius, κρουπεζοφόρος, ποδοψόφος. *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 42. DECVRIAE IIII. SCABILLAR. VETERES A SCAENA. Alia apud *Fabrett.* p. 603. *n.* 40. OPERAE VER. SCABILLAR. Alia apud *Orell.* 4117. OPPIO PRIMO FIL. COL. SCA. *h. e.* collegium scabillariorum. Adde aliam apud *eumd* 2643. et tres alias apud *Murat.* 529. 1. 2. 3. *V.* SCAMILLARII. Porro figuram Fauni scabillarii habes delineatam apud *Gor. Mus. Flor. T.* 3. *p.* 59., qui dextro pede scabillum, et ambabus manibus cymbala pulsat; et apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 5 *tab. C.* figuram Bacchæ, quæ sedens dextro itidem pede scabillum pulsat, et binas tibias, unam rectam, alteram curvam, ore admotas, inflat. — De scabillis V. *Calliachii syntagma de ludis scæn. p.* 82.-89.

SCĂBILLUM. *V.* SCABELLUM.

SCĂBĬO, as, avi, are, n. 1. (scabies) scabie laboro, *divenir rognoso*, ψωριάω. *Pelagon. Veterin.* 26 *init.* Pecus quum scabiaverit, non statim curari debet, ne res periculose præveniatur, et in morbum se convertat.

SCĂBĬŎLA, æ, f. 1. (scabies) *deminut. a* scabies *Augustin.* 4. *oper imperf. contra Julian.* n. 13. Salvos eos facit non a peccatis, sed a scabiolis.

SCĂBĬŌSUS, a, um, adject. (scabies) asper, inæqualis, rugosus, scaber, *ruvido, aspro*, τραχύς. ¶ 1 Generatim. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (22). Coralium probatissimum quam maxime rubens, nec scabiosum, aut lapideum. *Pers.* 5. 74. Scabiosum far. *h. e.* vetustum, putre, a curculionibus exesum ¶ 2. Speciatim *scabiosus* est scabie laborans, ψωρώδης (It. *rognoso, scabbioso;* Fr. *galeux, lépreux;* Hisp. *sarnoso, roñoso;* Germ. *räudig, krätzig;* Angl. *scabby, covered with scobs*). *Pers.* 2. 13. namque est scabiosus, et acri Bile tumet. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Si pauloribus diebus glans detur, per ver scabiosi boves fiunt *Plin* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (37). Œsypum utile erosis et duris genis, angulis scabiosis et lacrimantibus. *Apul.* 9. *Met.* Muli senes, totum corium veterna atque scabiosa macie exasperati. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut* 18 177. et *Marcell. Empir.* 6 *p.* 91.

SCĂBĪTŪDO, dinis, f. 3. (scabo) scabies, vel scabiosa prurigo.

I.) Proprie, in *Class. Auct.* ed. ab *A. Maio T.* 8. *p* 560.

II.) Translate. *Petron. Sat.* 99. Omnem scabitudinem animo delere sine cicatrice. Alii leg. *scabritudinem.*

SCĂBO, scăbis, scābi, scăbere, a. 3. Infinit. *scabere* apud *Menippeum Varronem* in *Catamito:* ita *Eutych. p.* 2168. *Putsch.*, qui, præter hunc et subjunct., nullum alium modum apud aliquem se cognovisse fatetur; quamquam ex subjectis exemplis aliter dicendum est. — Ratione habita etymi, conferenda vox cum Gr. σκάπτω, fodio, excavo. — Scabo est rado, abrado, leviter perstringo, frico, scalpo, *raschiare*, κνάομαι.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 71. 91. (196). Pedibus tellurem scabere non cessant. *Id.* 18. *ibid.* 26. 64 (236). Dolia quassa sarcire, ipsorumque laminas scabendo purgare. *raschiando.* ¶ 2. Speciatim dicitur de cute, quam quis fricat ad pruritum sedandum, *grattare.* *Lucil.* apud *Non.* p. 472. 6. *Merc.* et *Horat.* 1. *Sat.* 10. 70. et in versu faciendo Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues. *Lucil.* apud *Priscian.* 10. *p.* 884. *Putsch.* Scaberat ut porcus contritis arbore costis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 48. 108. (260). Solidipedes in infantia scabunt aures posterioribus pedibus. *Id.* 10 *ibid.* 74. 93. (204). Asinus spinetis se scabendi causa atterens. *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (99). Anguis si squamæ obtorpuere, spinis juniperi se scabit. *et ibid.* 25. 37. (90). et 11. *ibid.* 37. 77. (198). Scabendi dulcedo.

II.) Translate. *Mutuum scabere* dicitur de duobus, qui mutuo se laudant, sumptum ex proverbio *mutuum muli scabunt,* quod *V.* in MULUS. *Symmach.* 1 *Ep.* 31. Si plura de te prædicem, videbor mutuum scabere, et magis imitator tui alloquii, quam probator. *Ennod.* 1. *Ep.* 10. Dum in præconiis mutuum videmur scabere.

SCĂBRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *scabro*, scaber factus. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *sub fin.* Vitis laniata et scabrata *h. e.*, ut idem *Colum.* explicat, quando obtuso atque hebeti ferramento et asperis et inæqualibus plagis in præcidendo laniatur et perfringitur

SCĂBRĒ, adverb. (scaber) cum scabritie, aspere. *Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 544. Scabre, ruginose (*leg.* æruginose).

SCĂBRĒDO, inis, f. 3. idem ac scabrities. *Apul. Herb.* 75. Ad caliginem oculorum, et scabredinem. *Hieronym. Vit. Hilarion. ab init.* Videns totum corpus impetigine et pumicea quadam scabredine contrahi. *Coripp.* 4. *Laud. Justin.* 48. et tractæ strident scabredine serræ.

SCĂBRĔO, es, ere, n. 2. Etiam *scapreo* leg. apud *Enn. loc. cit.* — Scabreo est scaber sum, scabie laboro.

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non.* p. 169. 21. *Merc.* Scrupeo investitæ saxo atque ostreis squamæ scabrent. Ita leg. *Bothe* et *Ribbeck.*, alii *scaprent.* V. voc. sequent.

II.) Translate. *Pacuvius* apud *Non.* p. 152. 29. Quæ desiderio alumnum (pro *alumnorum*), pœnitudine, Squales scabresque (*al.* scapres) inculta vastitudine. Ita *Merc.* leg. cum *Turneb.* *l.* 15. *Adversar. c.* 15. et *l.* 29. *c.* 20. Alii leg. *squale scabreque, et inculta* etc.

SCĂBRES, ei, f. 5. (scaber) Etiam *scapres* legitur a quibusdam *Cf.* voc. præced. — Scabres est idem ac scabritia. *Varro* apud *Non.* p. 168. 20. et *p.* 125. 32 *Merc.* Ager derelinqueretur ac periret squale scabreque, illuvie ac vastitudine. *Virg Cir.* 249. quam te tam tristibus illis Sordibus, et scabre patiar tabescere tali. Ita emendat *Scaliger.* V. SCORIA. *Apul. Florid. n.* 15. *sub fin.* Infandi morbi putredine in serpentium scabrem solutum religiose humavit. Alii leg. *scabiem.* V. voc. præced.

SCĂBRĬDUS, a, um, adject. (scaber) scaber. *Venant.* 2 *carm* 13. 1. Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba. *h. e.* aspera, insuavia, rudia.

SCĂBRĬTĬA, æ, f. 1. et Scabrities, ei, f. 5. (scaber) Scribitur et *scabricia.* — Scabritia est asperitas, inæqualitas, τραχύτης (It. *ruvidezza, asprezza;* Fr. *aspérité, rugosité, inégalité;* Hisp. *escabrosidad, groseria, inegualdad;* Germ. *Räude, Rauheit;* Angl. *roughness, unevenness, scabredity*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Scabritia chartæ levigatur dente conchave. *Id.* 21. *ibid.* 4. 10. (13). Scabritia corticis. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (100). Scabrities linguæ. *Id.* 23. *ibid.* 9. 41. (148). Ut ferramentorum scabritie

pollatur vehementius, quam lima. *et* 34. *ibid.* 13. 34. (131). Spodos digitis scabritiem exterit. *Id.* 34. *ibid.* 10. 23. (105). Oculorum scabritiem extenuare. *Inscript.* apud Tôchon, *Cachet des ocul. p.* 70. Q. IVNII TAVRI STACT. AD SCABRITIEM ET CLARIT. (V. *Orell. inscript.* 4234.) — In plur. num. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (139). Unguium scabritias emendare. *Id.* 27. *ibid.* 12. 105. (130). Arteriæ scabritias sanare. *Inscript.* apud Tôchon, *Cachet. des ocul. p.* 68. c. LVCII ALEXANDRI AD CALIGINES ET SCABRITIAS OMNES. ¶ 2. Speciatim dicitur de scabie, *rogna*, φώρα, quæ scabritiem cuti inducit. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *ante med.* Potest etiam scabritiem tollere sucus viridis cicutæ.

SCĂBRĪTŪDO, ĭnis, f. 3. Idem ac scabrities. *Plin. Valerian.* 1. 18. Ad caligines oculorum et ad scabritudines. Adde *Marcell. Empir. p.* 279. *V.* SCABITUDO.

SCĂBRO, ōnis, m. 3. (scaber) ¶ 1. Is, qui scabritie fœdatus est. Speciatim dicitur de eo, qui illuvie laborat, dentesque ideo scabros et gingivas putridas habet. *Ulp. Dig.* 21. 1. 12. *ad fin.* Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, scabronem; hoc enim ex illuvie oris accidere solet. Ita leg. *Voss.* in *Etymol.* et *Cujac. l.* 11. *Observat. c.* 10.; neque enim *strabonem* (quod in vulgatis habetur) aut male olere, aut oris vitium esse, sed oculorum. ¶ 2. Vitiose pro *crabro* in *Gloss. Cyrill.* Κάνθαρος, scarabæus, scabro.

SCĂBRŌSUS, a, um, adject. (scabres) Sup. *Scabrosissimus.* — Scabrosus est idem qui scaber.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 85. (233). Hippolapathi radices privatim ungues scabrosos detrahunt. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *scabros:* et sane recte, quum alibi semper ita *Plin.* loquatur. *Prudent. Psychom.* 106. scabrosa sorde. — Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 181. Scaber, scabrosus.

II.) Translate. *Optat.* 5. 9. Si invenies catechumenum scabrosissimis moribus. *Venant. præf. ad fin.* Scabrosi operis ignorantiam confitens, *h. e.* inconditi.

SCĂBRUM. *V.* SCABER in fin.

SCÆNA *et* Scēna, æ, f. 1. — 1.°) Quod ad scriptionem attinet, multi scribunt *scæna,* auctoresque habent Pandectas Florentinas, plurimos lapides (inter quos Cenotaphium Pisanum C. Cæsaris Augusti ævo inscriptum) et doctissimos viros *Varron., Priscian.* 1. *p.* 561. *Putsch.* et alios apud *Dausq.* Sine diphthongo malunt *Jul. Scalig., Manut., Cellar.* alii: et ex antiquis *Accius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 96. *Müll.* His adstipulatur ratio, quia Græce est σκηνή: item veteres libri a *Manutio* visi, et unus et alter litteratus lapis apud *Reines. cl.* 2. *n.* 30. *et* 89. Prior scribendi ratio consuetudine nititur illorum temporum, altera ratione: idemque dic de voce *sceptrum,* quod ratione sine diphthongo σκῆπτρον; consuetudine tunc obtinente *scæptrum* scriptum fuit. *Varro loc. cit.* neutrum reprehendit; utramlibet ergo sequi possumus. At Romani, qui ex Æolibus multa habent, *scænam* etiam, et *scæptrum,* et *sæptum* ab Æolico σκαινή, σκαῖπτρον, σαῖκος, usurparunt frequentissime. Ita *Forcellinus.* Recentiores vero plerique omnes optim. MSS. et Inscriptt. secuti priorem scriptionem præferendam censent. V. *Lachmann. Lucret. p.* 217. et seq., *Wagner, Orthogr. Vergil. p.* 470. et *Freund. Cic Mil. p.* 29. Sane olim et *scaina* scriptum est. V. *Inscript. Henzen.* 6594. — 2.°) Quod spectat ad flexionem, invenitur *scænai* pro *scænæ* apud *Lucretium* 4. 77. *V.* voc. seq. — 3.°) Ratione habita etymi, est a Græca voce σκηνή, quæ tabernaculum, tentorium significat: hæc autem ἀπὸ τῆς σκιᾶς, umbra, ut docet *Servius* ad illud *Virg.* 1 *Æn.* 168. tum silvis scæna coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra. Cf. et *Cassiod. loc.* infra *cit.* — Scæna proprie est umbraculum, camera ex arborum ramis ac frondibus, sive a natura, sive ab arte sit, *frascato, coperto fatto di rami e frasche,* σκηνή. Sub hujusmodi umbraculis Attica juventus, quum adhuc dispersa per agros habitaret, carmina quædam incondita decantare solebat, fabulasque suo more agere: postea in urbem redacta scænam eo secum transtulit, in qua, vel frondibus vel ex tabulis compacta, histriones agendis fabulis exercebantur. Ab Attici. ad Romanos et res et nomen transiit: diciturque *scæna* pars theatri proxima proscænio, illo superior, in qua histriones et mimi ludicrum populo spectaculum præbent. Paullo latius definit *Labeo* apud *Ulp. Dig.* 3. 2. 2. *sub fin.* Ait prætor, Qui in scænam prodierit. Scæna est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat, moveaturque, spectaculum sui præbiturus, posita sit, in publico privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittat. (It. *scena;* Fr. *scène, théâtre;* Hisp. *escena, teatro;* Germ. *d. Bühne, d. Theaters, Scene, Schaubühne;* Angl. *the stage, scene*).

I.) Proprie. *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. Frons theatri scæna dicitur ab umbra luci densissima, ubi a pastoribus, inchoante verno, diversis sonis carmina cantabant. *Vitruv.* 5. 7. *ad fin.* Ipsæ scænæ suas habeant rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra ac sinistra hospitalia. Secundum ea spatia tres sint species ornationis, quæ, quum aut fabularum mutationes sunt futuræ, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur mutentque speciem ornationis in fronte. *Id. ibid.* 8. Genera sunt scænarum tria, tragicum, comicum, satyricum. *V.* SATYRICUS. Alia ratione dividitur scæna in versilem, aut ductilem. *Servius* ad illud *Virg.* 3. *G.* 24. Vel scæna ut versis discedat frontibus: Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturæ faciem ostendebat: Ductilis tunc, quum, tractis tabulatis hac atque illac, species picturæ nudabatur interior. *Virg.* 1. *Æn.* 431. hic alta theatris Fundamenta locant alii, immanesque columnas Rupibus excidunt, scænis decora alta futuris. *h. e* scænis tragicis. *Id.* 4. *ibid.* 471. Aut Agamemnonius scænis agitatus Orestes. *h. e.* celebratus in tragœdiis *Plin* 4. *Ep.* 25. Ludibria scæna et pulpito digna. *h. e.* quæ histriones decent. *Gell.* 17. 21. *sub fin.* Plautus poeta in scæna floruit. *scil.* fabulis scribundis, quæ in scæna agerentur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 69. Nec vero scæna solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pæne majoribus. *Id. ibid.* 59. Laterum inflexio fortis ac virilis, non ab scæna et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palæstra. *Id.* 3. *Orat.* 57. *a med.* Soleo mirari eorum impudentiam, qui agunt in scæna gestum, spectante Roscio. *Sall. fragm. Hist. p.* 39. *Dietsch.* Scænis ad ostentationem histrionum fabricatis. *Nepos præf.* Nulla Lacedæmoni tam nobilis est vidua, quæ non ad scænam eat mercede conducta. *Sil. It.* 11. 428. Scænarum artes. *h. e.* mimi. — *Produci in scænam* dicebantur histriones mimive, quum ab eo, qui ludos edebat, pretio, auctoritate aut gratia adducebantur, ut in scænam ad agendum prodirent: *reduci,* quum postquam sui spectaculum aliquamdiu præbuerant, aliquanto intervallo reverti jubebantur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. *a med.* Galeria Copiola reducta est in scænam C. Poppæo, Q. Sulpicio Coss. annum centesimum quartum agens, quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio ædili pleb. ante annos nonaginta unum. — Scænam ædilibus prætoribusque præbendam censores locavisse narrat *Liv.* 41. 27., *h. e.* censores scænam faciendam locavisse, quæ inserviret ædilibus et prætoribus scænicos ludos facientibus. Scæna in theatris non semper eadem, sed alia aliis temporibus, et alio ornatu ac materia fuit. Marmoream in ima parte, mediam vitream, summam e tabulis inauratis fecit M. Scaurus: admirabili pictura ornatam Claudius Pulcher: argenteam C. Antonius: ex ebore Q. Catulus etc., ut est apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 16. (53)., 35. *ibid.* 4. 7. (23). et 36. *ibid.* 15. 24. (114). et *Val. Max.* 2. 4. *n.* 6., quia, crescentibus opibus, religionem quoque ludorum secuta luxuria est. Censores. de quibus loquimur, ex pecunia publica scænam faciendam curarunt, quæ digna esset populo R., ut levarent onus sumptuum ædilibus et prætoribus nondum per ea tempora tam locupletibus, ut publicæ magnificentiæ sufficerent.

II.) Translate. ¶ 1. Est apparatus, species, ostentatio cujuspiam rei, quæ in oculis omnium geritur. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 11. *a med.* Scæna rei totius hæc: Pompejus tamquam Cæsarem non impugnet etc. *Petron. Sat.* 117. Et ne quid scænæ deesset, quotiescumque aliquem nostrum vocare tentasset, alium pro alio vocaret. *Tac.* 14. *Ann.* 7. *ad fin.* Scænam criminis parare. *Apul.* 4. *Met.* Specta scænam meæ calamitatis. *Id.* 8. *ibid.* Omnem scænam sceleris illuminat. *et ibid.* Scæna feralium nuptiarum. — Hinc *Sueton. Cal.* 15. Nec minore scæna Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, et inde Romam Tiberi subvectus (*matris fratrisque cineres*), per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit. *h. e.* nec minore apparatu ac pompa. — *Afferre aliquid in scænam,* proverb. apud *Cic.* 3. *Orat.* 40. 162. quasi in theatrum et notitiam omnium ferre, *mettere in campo.* — *Servire scænæ,* proverb. in eos, quorum vita et actiones in omnium oculis fiunt. *Cic.* 1. *ad Brut.* 9. Ac mihi tum officio solum erat et naturæ, tibi nunc populo et scænæ, ut dicitur, serviendum est. *agli occhi di tutti.* Contrarium est illud *Horat.* 2. *Sat.* 1. 71. Quin ubi se a vulgo et scæna in secreta remorant, etc. *h. e.* a turba et publico se subduxerant ¶ 2. Est etiam idem ac locus, ubi spectatores sedent. *Cic. Harusp. resp.* 12. 25. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam omne servitium, permissu magistratus, liberatum, in alteram scænam immissum, alteri præpositum etc.? *Petron. Sat.* 5. neve plausor in scænam Sedeat redemptus, histrioniæ addictus.

SCÆNĀLIS *et* Scēnalis, e, adject. (scæna) idem ac scænicus. *Lucret.* 4. 77. et omnem scænalem speciem patrum matrumque deorumque Inficiunt. *h. e.* colorant omnem ornatum, et cultum scænæ. *Plerique omnes leg.* scænai. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat.* T. 2. *p.* 48. *Burmann.* Scænales frondes detexunt hinc geminam umbram.

SCÆNĀRĬUM *et* Scēnarium. *V.* voc. seq.

SCÆNĀRĬUS *et* Scēnarius, a, um, adject. (scæna) scænicus. *Ammian.* 28. 4. *ad fin.* Scænarii artifices. *Inscript.* apud *Murat.* 948. 4. P. CORNELIVS P. L. PHILOXVSVS PICTOR SCAENARIVS. Alia apud *eumd.* 970. 2. M. PETRONIVS M. F. SCAENARIVS. *scil.* scænarius hic cognomen est, sed ab arte scænica derivatum, ut *ibid.* adnotat Muratorius. *V.* ONOM. — Hinc

Scænarium et *Scenarium,* ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus, in quo scæna constituitur, *palco scenario o scenico. Inscript.* opt. notæ apud *Marin. Frat. Arv. p.* 527. (*Orell.* 2600.) L. ATEIVS M. F. CAPITO DVOMVIR QVINQ. CVRIAM TABVLARIVM SCAENARIVM SVBSELLARIVM LOCO PRIVATO DE SVA PECVNIA FACIVNDA COERAVIT.

SCÆNĀTĬCUS *et* Scēnaticus, a, um, adject. (scæna) scænicus. *Varro* apud *Non. p.* 176. 19. *Merc.* Ut comici, cinædici, scænatici.

SCÆNĀTĬLIS *et* Scēnatilis, e, adject. (scæna) scænicus. *Varro* apud *Non. p.* 176. 18. *Merc.* Si te pigeat hic modi scænatilis.

SCÆNĬCA *et* Scēnica, æ, f. 1. *V.* SCÆNICUS.

SCÆNĬCĒ *et* Scēnice, adverb. (scænicus) σκηνικῶς, *scenicamente,* more scænæ. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Facere aliquid scænice.

SCÆNĬCŎLA, æ, f. 1. *Scænicolas* meretrices in scænam productas dixit *Plautus* apud *Fest.,* ut quidem Govartius ibi legendum censet. Ita *Buchner.* Sed *V.* SCHŒNICULA.

SCÆNĬCUS *et* Scēnicus, a, um, adject. (scæna) σκηνικός, ad scænam pertinens, comicus, histrionalis, theatralis, *da scena, teatrale, comico.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Arch.* 5. 10. Artifices scænici. *Id.* 3. *Orat.* 8. 30. Res forenses scænica prope venustate tractare. *Ovid.* 2. *Trist.* 514. Scænica adulteria. *h. e.* quæ per fabulas in scænis enarrantur. *Quintil.* 6. 1. *ante med.* Scænici actores. *Id.* 11. 3. *ante med.* Scænica modulatio. *Id.* 6. 3. *ante med.* Dicacitas scurrilis et scænica. *Sueton. Ner.* 53. Scænicæ co-

ronæ. *h. e.* quæ dantur vincentibus in scæna. *Id. Aug.* 43. Scænicæ et gladiatoriæ operæ. *Id. Ner.* 44. Scænica organa. *h. e.* instrumenta musica, quibus in scæna utebantur, ut tibiæ, scabella etc. *Inscript.* apud *Orell.* 2646. VESTIVM SCAENIC. ET GLADIAT. *h. e.* scænicarum et gladiatoriarum. quam tamen *Orell.* suspectam habet. et apud *Schiass. Guida al Mus. Bol. p.* 127. HERMIPPO AVG. LIB. PROCVRATORI SCAENICO *etc.* ¶ 2. Speciatim *scænici ludi* sunt, qui in theatro fiunt, ad differentiam aliorum, qui alibi, ut in Circo etc. Hujusmodi erant fabulæ, mimi, exodia, saltationes ad tibicinis modos et alia, quæ in scæna exhibebantur. Horum originem et causas et progressus tradit *Liv.* 7. 2. Aliquando extra theatrum eos Augustus fecit, vicatim a pluribus scænis, ut apud *Sueton. Aug.* 43. legitur. *Liv.* 31. 4. Ludi Romani scænici eo anno magnifice apparateque facti. *Id.* 34. 54. Megalesia ludos scænicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. *h. e.* Megalesia, quæ jam ante celebrabantur, primi per ludos scænicos celebrarunt. *Sueton. Cal.* 18. Scænicos ludos et assidue et varii generis ac multifariam fecit: quosdam et nocturnos, accensis tota urbe luminibus.

II.) Translate *scænicus* est imaginarius, fictus: nam scænici actores ejusmodi personam sumunt et repræsentant, quam cito, peracta fabula, sunt deposituri. *Flor.* 2. 14. Populus R. invictus a veris regibus; ab illo imaginario et scænico rege superatur. *de scena:* de Andrisco loquitur, qui se Philippum mentitus Macedoniæ regnum invaserat. — Hinc

Scænica et *Scenica, æ, f.* 1. absolute pro scænica muliere. *Imp. Constantin. Cod.* 5. 27. 1. Si ex ancilla, vel ancillæ filia; vel liberta, vel libertæ filia; vel scænica, vel scænicæ filia susceptos filios in numero legitimorum habere voluerint.

Scænicus et *Scenicus, i, m.* 2. absolute est histrio, actor, *commediante. Cic.* 1. *Off.* 31. *a med.* Ne scænici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. *Sueton. Ner.* 42. *extr.* Cuidam scænico placenti nuncium misit, abuti eum occupationibus suis. *Id. Tib.* 34. Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scænicorum recisis. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 59., ubi Nero per contumeliam *scænicus* dicitur. — *Scænici Asiaticiani*, quorum dux erat Asiaticus nescio quis, in *Inscript.* apud *Orell.* 2642.; et *Scænici Latini* apud *eumd.* 2619., et *Scænicorum adlecti* apud *eumd.* 2625. et *Scænicorum collegium* apud *eumd.* 4916.

SCÆNĪCUS et Scēnicus, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SCÆNĪFACTOR et Scēnifactor, ōris, m. 3. (scæna *et* facio) σκηνοποιός, qui scænas seu tentoria facit. *Arat. de act. Apost.* 2. 514. nam scænifactor uterque Pollebant operis studiis et dogmate legis.

SCÆNŎFACTŌRĪUS et Scēnofactorius, a, um, adject. (scæna *et* facio) qui ad artem faciendorum tabernaculorum pertinet. *Vulgat. interpr. Act.* 18. 3. Erant scænofactoriæ artis.

SCÆNŎGRĂPHĪA et Scēnographia. *V.* SCIAGRĂPHIA.

SCÆNŎPĒGĪA, æ, f. 1., Scænopegia *et* Scēnopegia, ōrum, n. plur. 2. σκηνοπηγία, h. e. tabernaculi, seu tabernaculorum compactio, a σκηνή, tabernaculum, et πήγνυμι, pango (*Arist. Hist. an.* 9. 7. ἡ τῆς χελιδόνος σκηνοπηγία): apud Hebræos festum tabernaculorum, חג הסכות *hhag hassukoth*, quod quotannis ab iis celebrabatur inde a XV. die Tisri per septem dies, tum ut memoria recoleretur temporis, quo majores in deserto Arabiæ peregrinantes tentoria sibi fixerant (*Lev.* 23. 40.), tum ut peractam messem ac vindemiam dies festi sequerentur (*Deut.* 16. 13.): de hoc festo V. *Neh.* 8. 16. et *Lev. loc. cit.* et cf. *Ackermann. op. cit. Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 10. 21. In die solemni scænopegiæ. *et* 2. *ibid.* 2. 9. Frequentate dies scænopegiæ. *et Jo.* 7. 2. Dies festus Judæorum scænopegia.

SCÆŌMA, ătis, n. 3. σκαίωμα, curvitas. Translate est infortunium, seu cadaver hominis. *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 351. Scæa porta dicta est non a pugnis ante se factis scævis, id est malis (nam et ante sic dicta est): nec ab itinere ingressis scævo, id est sinistro; quod ingressi non recto, sed sinistro sunt itinere: sed a cadavere Laomedontis, hoc est scæomate, quod in ejus fuerit superliminio. Ceterum ex interpretationibus secunda videtur amplectenda, quæ confirmatur etiam loco *Polybii l.* 5. *c.* 59., in quo σκαίωμα est aditus obliquus et tortuosus.

SCÆPTRĬFER et Sceptrifer, fĕra, fĕrum, adject. (scæptrum *et* fero) qui scæptrum fert, scæptriger, *portascettro, scettrato,* σκηπτροφόρος. *Ovid.* 6. *Fast.* 480. Scæptrifera manus. *Stat.* 11. *Theb.* 636. Ensem scæptriferi spolium lacrimabile Laji. *Seneca Med.* 59. Scæptriferi Tonantes. *h. e.* Juppiter et Juno. *Sil. It.* 17. 142. Scæptriferæ palmæ. *Capell.* 9. *p.* 309. Diadema scæptriferum.

SCÆPTRĬGER et Sceptriger, gĕra, gĕrum, adject. (scæptrum *et* gero) qui scæptrum gerit, scæptrifer. *Sil. It.* 16. 245. Scæptrigero cum rege pari sub honore residunt. Adde *Augustin. contra Faust.* 15. *Auct. Epit. Iliad.* 8. Scæptriger Atrides, et bello clarus Achilles.

SCÆPTRUM et Sceptrum, i, n. 2. De scribendi ratione *Varro* 7. *L. L.* 96. *Müll.* In pluribus verbis a ante e alii ponunt, alii non; ut quod partim dicunt sceptrum, partim scæptrum. *V.* dicta in SCÆNA init.: ceterum optimi libri manuscripti et editi habent *sceptrum* sine diphthongo. — Scæptrum, σκῆπτρον, virga, baculus, hasta, scipio: a σκήπτομαι, innitor, incumbo: et speciatim scipio, quo utuntur reges (It. *bastone, verga, scettro;* Fr. *bâton, sceptre, bâton royal;* Hisp. *cetro;* Germ. d. *Scepter Königsstab;* Angl. *rod, sceptre*).

I.) Proprie. *Virg.* 12. *Æn.* 208. Scæptrum hoc in silvis imo de stirpe recisum Matre caret, posuitque comas et brachia ferro. *Justin.* 43. 3. 3. Per ea adhuc tempora (*sub Romulo*) reges hastas pro diademate habebant, quas Græci scæptra dixere. *Cic. Sext.* 26. 57. Rex sedens cum purpura et scæptro, et illis insignibus regiis. *Nepos Eum.* 7. Statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum scæptro et diademate jussit poni. *Sueton. Aug.* 94. *ante med.* Cum fulmine et scæptro exuviisque Jovis. *Ovid.* 7. *Met.* 103. rex scæptro insignis eburno. *et ibid.* 506. Æacus, in capulo scæptri nitente sinistra, Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenæ. *Id.* 3 *Amor.* 1. 13. Scæptrum regale. *Id.* 2. *Met.* 847. Gravitas scæptri. *Stat.* 1. *Theb.* 34. Scæptrum exitiale. — Plur. pro sing. apud *Cic.* 1. *Divinat.* 12. 21. Juppiter excelsa clarabat scæptra columna. *Ovid.* 3. *Met.* 265. gemmantia dextra Scæptra tenet. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 173. et *Ovid.* 11. *Met.* 560. — *Scæptrum Augusti* apud *Sueton. Galb.* 1., non est scæptrum regale, quia illis temporibus a regiis insignibus maxime abhorrebant, regiam licet potestatem affectarent: sed hasta imperatoria, vel scipio eburneus cum aquila, qualem triumphantes gestabant, etiam stante republ., et consules sub imperatoribus (*V.* SCIPIO) et in triumphalibus statuis affingebatur, *il baston di comando. Juvenal.* 10. 43. Da nunc et volucrem, scæptro quæ surgit eburno. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 205. Ut scæptrum gessere manu. — Scæptra, et personas histrionum (h. e. quibus utebantur agentes regem) unionibus ornabat Nero, teste *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. 17.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est regnum, *regno. Virg.* 1. *Æn.* 257. sic nos in scæptra reponis? *et* 10. *ibid.* 852. pulsus solio scæptrisque paternis. *Id.* 9. *ibid.* 9. Scæptra Palatini sedemque petit Euandri. *Ovid.* 4. *Fast.* 197. optime regum A nato scæptris excutiere tuis. *Poeta* apud *Quintil.* 9. 4. 140. En impero Argis, scæptra mihi liquit Pelops. *Accius* apud *Non. p.* 110. 12. *Merc.* Scæptra flaccent. *Virg.* 1. *Æn.* 78. tu scæptra Jovemque Concilias. *Id.* 9. *ibid.* 9. Scæptra petere. *Id.* 9. *ibid.* 267. Scæptris potiri. Adde *Lucret.* 3. 1038. *Ovid. Heroid.* 16. 175. Scæptra Asiæ tenere. *Id.* 6. *Met.* 667. Scæptra loci capere. *Sil. It.* 1. 44. Scæptra fundare. *Maximian.* 5. *Eleg.* 125. *de conjugio.* Cedunt imperiis maxima scæptra tuis. — In sing. num. *Accius* apud *Non. p.* 481. 30. *Merc.* Scæptrum potiretur. *Stat.* 11. *Theb.* 649. Scæptrum transferre alio. *Ovid.* 15. *Met.* 585. Scæptrum perenne. ¶ 2. In illo *ejusd.* 2. *Amor.* 18. 13. Scæptra tamen sumpsi: curaque tragœdia nostra Crevit: *scæptra sumere* est regum gesta, quæ tragici carminis materia sunt, versibus persequi. Hinc apud *eumd.* 3. *ibid.* 1. 13. fingitur Tragœdia læva manu scæptrum regale tenens. *et ibid.* 63. Altera me scæptro decoras, altoque cothurno. ¶ 3. *Scæptra pædagogorum* jocul ariter apud *Martial.* 10. 62. sunt ferulæ tristes, quibus pueri verberantur. *V.* FERULA. ¶ 4. In illo *Vulgat. interpr. Num.* 18. 2. Sed et fratres tuos de tribu Levi, et scæptrum patris tui sume tecum. *scæptrum* est tribus; nam apud Hebræos vox שבט *shevet* et scæptrum, et tribum significat. Cf. *eumd. Gen.* 49. 10. ¶ 5. Item membrum virile apud *Auct. Priap.* 25. Scæptrum, quod pathicæ petunt puellæ. ¶ 6. *Scæptrum* est etiam nomen aspalathi arboris. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 24. 52. (110).

SCÆPTŪCHUS et Sceptuchus, i, m. 2. σκηπτοῦχος, scæptrum tenens, rex, σκῆπτρον ἔχων. *Tac.* 6. *Ann.* 33. Pharasmanes adjungere Albanos, accipere Sarmatas: quorum scæptuchi, utrinque donis acceptis, more gentico diversa induere.

SCÆVA, æ, 1. σκαιός, duo diversa significat, prout est gen. masculini, aut feminini.

A) Scæva, m. gen., est sævus, seu qui sinistra manu utitur pro dextera, *mancino. Ulp. Dig.* 21. 1. 12. Sciendum est scævam non esse morbosum vel vitiosum, præter quam si imbecillitate dexteræ validius sinistra utatur; sed hunc non scævam, sed mancum esse dicimus. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

B) Scæva, f. gen., est augurium: a scævis auguriis, idest sinistris. *Varro* 7. *L. L.* 97. *Müll.* Obscænum ab eo, quod puerulis turpicula res in collo quædam suspenditur, nequid obsit, bonæ scævæ causa scævola appellata. Ea dicta ab scæva, id est sinistra, quod quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur comitia aliudve quid, sinistima, sinistra quæ nunc sunt. Id a Græco est, quod hi sinistram vocant σκαιάν. Quare, quod dixi, obscænum omen est omen turpe. *Fest.* Scævam vulgus quidem et in bona et in mala re vocat, quum ajunt bonam, et malam scævam. At scriptores in mala ponere consueverunt, ut apud Græcos invenitur positum pro sinistro. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 39. Bene ego ab hoc prædatus ibo: novi: bona scæva est mihi. *Id. Cas.* 5. 4. 4. Hac ibo: caninam scævam spero meliorem fore. Ubi per *caninam scævam* aut occursum canis intelligit, qui inauspicatus habebatur, aut latratum; ut sententia sit, minus hunc gravem fore, quam latratum ac rixas uxoris. *Bothe* vero putat, his verbis mulieres innui, quæ propter crebra litigia canes vocantur, ut apud *eumd. Plaut. ibid.* 2. 5. 12. *V.* et CANIS. Stalino igitur senex a servo Chalino male verbis acceptus pedem refert, et mulieres, inquit, adibo, quas mihi meliora portendere arbitror.

SCÆVĪTAS, ātis, f. 3. (scævus) ¶ 1. Est prava natura, perversitas, malitia, *perversità, malignità,* σκαιότης. *Gell.* 6. 2. *a med.* Ingenia aspera et inscita et rudia, etiamsi nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, sua tamen scævitate et voluntario impetu in assidua delicta ruunt. ¶ 2. Infortunium, calamitas, infelicitas. *Apul.* 4. *Met.* Præclarus ille conatus Fortunæ meæ scævitatem anteire non potuit. Apud *eumd.* 8. *ibid.* Indignæ rei scævitas. h. e. infortunium, infelicitas, tamquam malo omine res indigna evenerit. Sic *id.* 3. *ibid.* Quod tuum factum scævitas consecuta in meum convertit exitium. *strana disgrazia, malignità di destino.* V. SÆVITAS.

SCÆVŎLUS, a, um, adject. (scævus) *deminut. a* scævus. *Varro* 7. *L. L.* 97. *Müll.* Obscænum ab eo, quod puerulis turpicula res in collo quædam suspenditur, nequid obsit, bonæ scævæ causa scævola appellata. *Alii leg.* Scævola, ut sit cognomen. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCÆVUS, a, um, adject. σκαιός; unde Sup. *Scævissimus*. — Scævus est sinister.

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 8. Scæva itinera portarum.

II.) Translate, tam in bonam, quam in malam partem sumitur, ut Scæva auspicia. *V.* verba *Varron.* et *Festi* in *Scæva*, æ, f. Plerumque tamen in malam partem sumitur, ut *Fest. ibid.* monet, et est ¶ 1. Ineptus, stultus, noxius, pravus, contrarius. *Gell.* 12. 13. Scævus profecto et cæcus animi forem. *h. e.* stolidus, stultus. *Sall. orat. Lepidi contra Sull.* Quæ cuncta scævus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet. *h. e.* Romulo dissimillimus, perversus (nam Romulus urbis conditor, iste eversor): vel malo reipublicæ natus. Ita legit *Serv.* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 13. Alii, ut editores ex Vatic. 2., scripserunt *sævus*, quasi Romulus ob sævitiam famosus fuerit; quam opinionem *Gerlach. v.* 3. *p.* 55. satis perverse tuetur, ut ait *Kritzius* ad h. l. *Paulin. Nolan. carm.* 11. 44. Scæva fabula. *Apul.* 4. *Met. p.* 620. *Oud.* Femina scæva, sæva, virosa, ebriosa, pervicax, pertinax. ¶ 2. Infelix, calamitosus, miser, ærumnosus. *Apul.* 10. *Met.* Scævum præsagium portendere. *Id.* 2. *ibid.* Fortunam scævam an sævam verius dixerim. *Id.* 10. *ibid.* Scæva rivalitas. *Id.* 4. *ibid.* Scævissimo somnio cumulatur (*al.* redintegratur) infortunium meum.

SCĂFA, æ, f. 1. *V.* SCAPHA.

SCĂFISTĔRĬUM, ii, n. 2. *V.* SCAPHISTERIUM.

SCĂLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SCĀLÆ, ārum, f. plur. 1. Notant grammatici *Varro* 9. *L. L.* 63. et 68. *Müll.*, *Charis. l.* 1., *Diomed. l.* 1., *Donat.*, *Phocas* etc. semper plurali num. usurpari: *et Quintil.* 1. 5. 16. vitiosum esse ait, si quis *scala* et *scopa* dicat. Reperiuntur tamen et in singulari. V. *locc. cit.* — Ratione habita etymi, vox est a *scando*, ut *ala* ab *ago*, ut *mala* a *mando* etc. — Scalæ, machina pluribus gradibus constans, qua utimur ad ascendendum in superiora, κλίμαξ (It. *scala, scalea*; Fr. *escalier, echelle*; Hisp. *escalera, escalon*; Germ. *Treppe, Stiege, Leiter*; Angl. *a ladder, stair, greeze*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In plur. num. *Sympos. ænigm.* 77. *Wernsd.*, cujus lemma *scalæ*. Ad cælum tendimus alta petentes Concordi fabrica, quas unus continet ordo, Ut simul hærentes per nos (*scalas*) scandatur ad auras. *Sall. Jug.* 6. Murum modo suffodere, modo scalis aggredi. *et ibid.* 64. *ad fin.* Et jam scalis egressi milites prope summa ceperant. *et mox.* Ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ, qui supersteterant, afflicti sunt. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Scalis tectum scanditur. *Ennius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. Romani scalis summa nituntur opum vi. *Cæs.* 1. *B. C.* 28. Milites positis scalis muros ascendunt. *et ibid.* 63. *a med.* Scalas admovere. *appoggiare.* et *Tac.* 4. *Hist.* 29. apponere. *Id.* 2. *Ann.* 81. erigere. *et* 4. *ibid.* 51. inferre propugnaculis. *et* 15. *ibid.* 4. promovere. *et* 12. *ibid.* 17. Scalis evadere. *Curt.* 4. 2. 9. Manibus applicare. *Ovid.* 14. *Met.* 650. Induerat scalas: lecturum poma putares. *V.* INDUO. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 37. (124). Scalarum lapsu exanimatus est. *Id. ibid.* 20. 19. (83). Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. *su per le scale.* *Veget.* 4. *de Capaneo.* Qui scalis in obsidione urbium utuntur, frequenter periculum sustinent exemplo Capanei, a quo primum scalarum propugnatio (*leg.* oppugnatio) perhibetur inventa. — In navibus. *Virg.* 10. *Æn.* 653. Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi Expositis stabat scalis et ponte parato. Adde *Liv.* 26. 43. *A. Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. Quemadmodum scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares; sic tot malis *etc.* — In ædibus plures erant gradus lignei vel lapidei parietibus infixi atque immobiles, ad superiorem contignationem ferentes: de quorum ratione *Vitruv.* 9. 2. disserit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 15. In scalis latuit metuens pendentis habenæ. *Cic. Mil.* 15. *a med.* Quum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset. *in un sottoscala.* Ita interpret. *Forcellinus*; sed V. *Rich.* ad h. v., et cf. paragr. 3. *Id.* 2. *Phil.* 9. 21. Nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ conjecisset. *Martial.* 1. 118. Et scalis habito tribus, sed altis. *h. e.* in tertia ædium contignatione, ubi habitare solebant pauperiores. *in soffitta.* V. CŒNACULUM. — *b*) In sing. num. *Cels.* 8. 15. *circa med.* Sic brachium deligatum super scalæ gallinariæ gradum trajicitur. *scala da mano.* V. GALLINARIUS. *Cajus Dig.* 46. 2. 56. *ad fin.* Qui scalam commodaverit ad ascendendum. *Sulp. Sever. vit. S. Martin.* 19. Confragosi scalæ gradus. *Inscript.* apud *Orell.* 3093. SCALA MEDIANA. Adde *Isid.* 7. *Orig.* 8., *Hieronym. Ep.* 3. et *Vulgat. interpr. Gen.* 28. 12. et 13. ¶ 2. Speciatim *scalæ Gemoniæ.* V. GEMONIUS. ¶ 3 *Græcæ scalæ* sunt, quæ ab utroque latere tabulis clauduntur, ne adspectum ad partem aliquam corporis admittant. Hinc flaminicæ Diales prohibebantur scalas ascendere, quæ ultra tres gradus extollerentur, nisi ex iis essent, quæ Græcæ appellantur, ut ex *Massurio Sabino* tradit *Gell.* 10. 15. et plenius *Serv.* ad 4. *Æn.* 646. ¶ 4. Scalæ *Caci*, vel *Cacii*, videntur fuisse in angulo occidentali montis Palatini, qui Forum boarium respicit et Velabrum, ante quas in infimo gradu atrium, quod item *Caci*, vel *Cacii*, dicitur. V. *Diod.* 4. 21. *Solin.* 2. 18. Silva, quæ est ad supercilium scalarum Caci, habet terminum, ubi tugurium fuit Faustuli. ¶ 5. Scala *Jacobi*, de qua V. *Augustin. in fer. quadrag. serm.* 1. ¶ 6. *Scalæ*, genus poculorum. *Isid.* 20. *Orig.* 5. 5. Calices, calathi et scalæ, poculorum genera, antea ex ligno facta, inde et vocata. Græci enim omne lignum κᾶλον dicebant. — De *scala* in antiquis artis monumentis V. *Annali dell' Istit. Archeol. an.* 1869. *p.* 309. et SISTRUM.

II.) Translate. ¶ 1. *Scalæ*, in plur. num., per synecdochen, sunt ipsi gradus, *scalini, gradini.* *Martial.* 7. 20. Hæc per ducentas quum domum tulit scalas, etc. ¶ 2. *Scala*, in sing. num., est figura rhetorica, eadem quæ gradatio, *gradazione*, apud Græcos item κλίμαξ. *Aquil. Rom. de fig. sent.* § 40. Cf. *Augustin.* 4. *Confess.* 7.

SCĀLĀRE, is, n. 3. *V.* voc. sequ.

SCĀLĀRIS, e, adject. (scalæ) ad scalas pertinens. *Vitruv.* 10. 13. Regulæ scalari forma compactæ. — Hinc

Scalare, is, n. 3. absolute, idem ac scalarium. — *a*) In sing. num. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 7. *n.* 16. (*Orell.* 4570.) HOC SCALARE APPLICITVM HVIC SEPVLCRO. *et mox.* PRO PODISMO STRVCTIONIS SCALARIS QVOD EST VIA OSTIENSI PARTE LAEVA INTER MILL. I. ET II. — *b*) In plur. num. *Vitruv.* 5. 6. *sub fin.* Cunei autem, qui sunt in imo, et dirigunt scalaria, erunt numero septem. *V.* voc. seq.

SCĀLĀRĬUM, ii, n. 2. (scalaris) scalaria dicuntur viæ in amphitheatro, per quas gradibus in cuneos ascenditur. *Gloss. Gr. Lat.* Κλιμακεῖον, hoc scalarium. *Vitruv.* 5. 6. *Inscript. funebr.* apud *Murat.* 1752. 2. . . . . . HOC LOCO VSQVE AD SCALARIA OLLAE NVMERO LXVIII. Hæc tamen duo postrema loca a *Forcellino* adlata commode possunt referri ad vocem præced.

SCĀLĀRĬUS, ii, m. 2. (scalæ) qui scalas facit. *Inscript.* apud *Orell.* 4071.

SCĀLĒNUS, a, um, adject. σκαληνός, inæqualis. Dicitur de triangulo, cujus omnia latera sunt inter se inæqualia. *Auson. Edyll.* 13. Isoscele, vel isopleura, orthogonia quoque, vel scalena. *V.* ORTHOGONIUS. Adde *Gromat. termin. diagr. p.* 341. 10.

SCALMĀTUS, a, um, adject. corruptus, fœdatus, morbidus. *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 4. Fœnum hordeumque scalmatum. *Gesnerus* interpretatur de hordeo, quem equus scalmatus attigerit et fœdaverit. *scalmanato, o affetto dal mal dell'anca.* Sed rectius cum *Schneidero* legendum est *corruptum.*

SCALMUS, i, m. 2. σκαλμός, *scarmo*, lignum, cui remus intra navim alligatur, ut firmius impellat: a σκάλλω. fodio; id enim excavatum est ad remum excipiendum (It. *scarmo, scalmo*; Fr. *tolet ou toulet, touletière*; Hisp. *escalamo*; Germ. *d. Pflock, d. Hölzchen, worin sich d. Ruder bewegt, Ruderpflock*; Angl. *oar-peg, oar-pin, a round piece of wood, called a thoul*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 8. *a med.* Etiam remi circa scalmos strophis religati, quum manibus impelluntur et reducuntur, extremis progredientibus a centro, palmis maris undis spumantibus, impulsu vehementi protrudunt porrectam navem.

II.) Translate occurrit ¶ 1. Pro cymba. *Cic.* 3. *Off.* 14. *a med.* Venit ipse mature: scalmum nullum videt. ¶ 2. Pro remo. *Id.* 1. *Orat.* 38. 174. Tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit. *una barca da due remi.* Adde *eumd.* 16. *Att.* 3. *Vellej.* 2. 43. 1. Cæsar quattuor scalmorum navem ingressus effusissimum Adriatici maris trajecit sinum.

SCALFORUS. *V.* SCALPRUS.

SCAMĀRUS, i, m. 2. grassator, apud *Jornand. de reb. Geth.* 58.

SCALPELLO, as, are, a. 1. (scalpellum) *scarpellare*, scalpello reseco. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. Totum simul ungulæ solum in circuitu scalpelletur, et circumgyrabis. Editio *Schneideri* habet: in circuitu scalpello circumscribes. *Marcell. Empir. p.* 295. *retro.* Dentem, si circa eum gingiva suppurabit, scalpellabis. *Gloss. Philox.* Scalpellat, κατασχίζει, κατακνίζει. Adde *Galen.* ad *Glauc.* 2. 5. et 21.

SCALPELLUM, i, n. *deminut. a* scalprum, *et* scalpellus, i, m. 2. *deminut. a* scalper ¶ 1. Est parvum scalprum, quo utuntur chirurgi aperiendæ venæ, secandis carnibus etc. σμιλίον, φλεβοτόμον (It. *coltellino, lancetta*; Fr. *scalpel, lancette, bistouri*; Hisp. *lanceta*; Germ. *d. chirurgische Messer, d. Lanzette, d. Scalpell*; Angl. *lancet, a lancet, scalpel, little knife*). *Cic. Sext.* 65. 135. Non est ea medicina, quum sanæ parti corporis scalpellum adhibetur. *Cels.* 2. 10. *a med.* Si nervum scalpellus attigit, sequetur nervorum distentio. *et mox.* Si timide scalpellus dimittitur, summam cutem lacerat, neque venam incidit. *Colum.* 6. *R. R.* 32. Scalpello usque ad vivum resecare et amputare scabiem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 28. (110). Corii crocodili cinis ex aceto illitus his partibus, quas secari opus sit, sensum omnem scalpelli aufert. *del taglio.* et *Seneca* 2. *Ira* 27. *a med.* Quorum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum et abstinentia et alia, quæ profutura sunt. ¶ 2. Cultellus librarius, *temperino.* *Vulgat. interpr. Jerem.* 36. 23. Quum legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ.

SCALPELLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SCALPENS, entis, particip. *V.* SCALPO.

SCALPER, ri, m. 2. *V.* SCALPRUM.

SCALPO, scalpis, scalpsi, scalptum, scalpere, a. 3. Videtur *Forcellino* esse a σκάλλω, fodio. *Varro* enim inquit 6. *L. L.* 96. *Müll.* Quæ a Græca lingua putant Latina, ut *scalpere* a σκαλεῦσαι (σκαλεύω est a σκάλλω); *sternere* a στρωννύειν; *lingere* a λιχμᾶσθαι etc.; aliis vero ducendum videtur a γλάφω, incido, ut *sculpo* a γλύφω. — Part. *Scalpens* I. 3. et II. 3.; *Scalptus* I. 2. — Scalpo est cædo, incido, fodio, γλάφω, κνάω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta manus est admotione digitorum. — *b*) Cum Accusat. rei, quæ scalpitur. *Horat.* 3. *Od.* 11. 51. et nostri memorem sepulcro Scalpe querelam. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (15). Et ipsum Phidiam tradunt scalpsisse marmora. *Sillig.* sculpsisse. et 36. *ibid.* 11. 40. (128). Euphranor Isthmius marmora ac scyphos scalpsit. *Id.* 37. *ibid.* 10. 65. (177). Scalpere gemmas. et *ibid.* 1. 4. (8). aliquem in gemma. *Id.* 13. *ibid.* 7. 14. (56). Picus perquam fecundo proventu, scalpendo tantum ferreis un-

guibus. — Part. *scalptus*. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 22. Quid scalptum infabre, quod fusum durius esset. *Alii leg.* sculptum. *Vitruv.* 2. 7. *a med.* Flores, et acanthi eleganter scalpti. *Tertull.* *Pœnit.* 6. Qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter etiam. ¶ 2. Speciatim scalpo est leviter fodio. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 26. Scalpere terram unguibus. *Pallad.* 10. *R. R.* 10. Si prata vetera muscus obduxerit, abradendus est, et scalptis eisdem locis fœni spargenda sunt semina. *h. e.* abrasis, sarculatis, saritis, leviter fossis. ¶ 3. Item scabo, frico, *grattare, fregare.* *Juvenal.* 9. 133. Qui digito scalpunt uno caput. (V. *Senec. Ep.* 52. *a med.*) *Colum.* 7. *R. R.* 5. *ante med. de scabie.* Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut arbori adfricant. *Sueton. Domit.* 16. Exulceratam verrucam vehementius scalpere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 68. (147). Pisces attritu petræ scalpentes pruritum. *Id.* 30. *ibid.* 4. 9. (27). Penna vulturis si scalpantur dentes, acidum halitum faciunt. *Id.* 28. *ibid.* 6. 15. (57). Palmam alterna manu scalpere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Pers.* 1. 20. Quum carmina lumbum Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu. *h. e.* titillantur. ¶ 2. Hinc speciatim *scalpere cadaver* apud *Martial.* 3. 93. est cunnum vetulæ fodere. ¶ 3. *Scalpere nates* est virgis cædere. *Pompon.* apud *Non.* p. 516. 25. *Merc.* Virginem præteriens vidit duos sensum in ludo verecunditer non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates. *Bothe* legendum putat: Præteriens vidi Dorsennum in ludo inverecunditer etc. *Scalpentem* vero *nates* hic posses etiam interpretari stuprantem.

SCALPRĀTUS, a, um, adject. (scalprum) κολαπτηροειδής, ad similitudinem scalpri formatus, ut Scalpratum ferramentum, quo opus est ad castrandos apum alveos. *Colum.* 9. *R. R.* 15. *a med.*

SCALPRUM, i, n. *et* scalper, ri, m. 2. (scalpo). Etiam *scalprus, i,* occurrit apud *Isid.* 19. *Orig.* 19. 13. Scalprus dictum, quod scalpturis et foraminibus sit aptus, quasi scalforus. — Scalprum est ferramentum, quo aliquid inciditur. Varii hoc artifices utuntur, sutores, lapicidæ, agricolæ, chirurgi etc., σμίλη, κολαπτήρ. ¶ 1. Generatim. *Comment. Sedul. in Eutych.* in *Anecd. Helv.* p. 19. 22. *Hag.* Notandum, quod quasdam litteras aut syllabas in quibusdam derivationibus natura vel detrahit vel addit: detrahit quidem ut ab invideo invidus; addit vero ut scalprum pro scalpum. ¶ 2. Speciatim dicitur de scalpro sutorum, *coltello, falcetto da calzolajo.* *Horat.* 2. *Sat.* 3. 106. Si scalpra et formas non sutor (*emat*), nautica vela Aversus mercaturis, delirus et amens Undique dicatur. ¶ 3. Item lapicidarum, *scarpello.* *Liv.* 27. 49. Elephanti ab ipsis rectoribus interfecti. fabrile scalprum cum malleo habebant: id, ubi sævire belluæ cœperant, magister inter aures positum quanto maximo poterat ictu adigebat. ¶ 4. Item agricolarum, *falciuola, falcino.* *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (119). Cato oleam ficumque sic inseri jussit: cortices scalpro excidi quattuor digitorum longitudine. *Colum.* 4. *R. R.* 25. scalprum vocat eam partem falcis vinitoriæ, quæ a flexu procurrit: qua utuntur, quum allevare quid volunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. *ante med.* Vermes si plures circa arborem sunt, æreo scalpro semel rasi etc. ¶ 5. Item chirurgorum, *lancetta,* pro quo scalpellum sæpius usurpatur. *Cels.* 8. 4. Scalpro deradere. *et ibid. circa med.* Ad manum scalprumque venire. *et ibid.* Scalpro plano excidere. *Marcell. Empir.* c. 12. p. 101. Scalprum medicinale recidit dentem, qua cavatus est. *Cels.* 8. 3. Tunc excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id quod inter utrumque medium est, excidit. *et ibid.* 4. *a med.* Scalper ad rimam agendus. *V.* SCALPELLUM. ¶ 6. Item de cultello, quo cæditur calamus scribendi causa, *temperatojo, temperino.* *Tac.* 5. *Ann.* 8. P. Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit. *Sueton. Vitell.* 2. Scalpro librario venas sibi incidit.

SCALPRUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

SCALPTOR, ōris, m. 3. (scalpo) qui scalpit, *incisore, scultore,* κολάπτης. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 3. *Ep.* 10. Difficile, sed tamen ut scalptorem, ut pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis quid exprimere, quid emendare deberet. ¶ 2. Speciatim dicitur de scalptore gemmarum et marmorum. *Plin.* alter 37. *Hist. nat.* 4. 15. (60). Expetuntur (*adamantes*) a scalptoribus, ferroque includuntur. Adde *eumd.* 36. *ibid.* 6. 5. (44)., ubi *Sillig.* leg. sculptoribus. et 20. *ibid.* 13. 51. (134). et *Vellej.* 1. 17. 4. ¶ 3. Item de scalptore vasculorum. *Inscript.* apud *Orell.* 4276. CRITONIA Q. L. PHILENIA POPA DE INSVLA Q. CRITONI I. L. DASSI SCALPTORIS V-CLARI SIBI SVISQVE POSTER. EOR. ubi *vclari* non *viri clarissimi*, ut in *Inscript.* apud *eumd.* 2457. explicavit *Murat.* 948. 9., sed *vascularii* legend. An hic opificium latet scalptoris vascularii, qui varias imagines vasculis insculpsit? quærit *Orell.*: ita profecto interpretatur *Marin. Iscriz.* n. 16. p. 110. *in not.* ¶ 4. *Scalptor* etiam dictus is, qui ad cudendos nummos parabat formas aeneas, h. e. *le matrici di bronzo per coniar le monete,* χαράγματα, τυπωτήρια. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 109. P. AELIVS FELIX QVI ET NOVELLIVS AVG. LIB. ATIVTOR PRAEPOS. (*h. e.* adjutor præpositi) SCALPTORVM SACRAE MONETAE FECIT SIBI *etc.* Hinc *Imppp. Gratian., Valentin.* et *Theodos. Cod.* 12. 34. 7. Scalptores et ceteri aurifices centenarii. *V.* VASCULARIUS. — De scalptoribus monetariis, qui quandoque in nummis nomina sua ponebant, consule *Letronne, Lettre sur les graveurs des monnaies grecques.* ¶ 5. *Morcell.* in quadam sua *Inscript.* in *Oper. epigraph.* T. 4. p. 108. *edit. Pat.* vocat *scalptores lineares ære cœlando,* quos nunc Itali *incisori in rame* dicunt.

SCALPTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SCALPTŌRĬUS, a, um, adject. (scalptor) ad scalpendum pertinens. Absolute *scalptorium* est instrumentum instar manus ad scalpendas scapulas prurientes. *Martial.* 14. 83., cujus lemma *Scalptorium.* Defendet manus hæc scapulas, mordente molesto Pulice, vel si quid pulice sordidius.

SCALPTŪRA, æ, f. 1. (scalpo) scalpendi actio, *scoltura,* γλυφή.

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 30. (104). Omnia autem hæc genera scalpturæ contumaciter resistunt. *Sueton. Galb.* 10. Scalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimens. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 43. PIACVLVM FACTVM OB FERRI INLATIONEM SCRIPTVRAE ET SCALPTVRAE MARMORIS CAVSA. — In plur. num. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 63. (174). Gemmæ, quæ ad ectypas scalpturas aptantur. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 19. 13.

II.) Metonymice res ipsæ scalptura formatæ. *Vitruv.* 4. 1. Zophori scalpturis ornati.

SCALPTŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *scalpturo,* variis scalpturis ornatus, ut Scalpturatum pavimentum, variis lapidibus et varie scalptis elaboratum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 61. (185). Romæ scalpturatum, in Jovis Capitolini æde primum factum est post tertium Punicum bellum initum. *Sillig.* ex opt. *Cod. Bamberg.* legend. monet *scutulatum* pro *scalpturatum.*

SCALPTŪRĪGO *et*

SCALPTŪRĪO. *V.* in SCALPURIGO et SCALPURIO.

SCALPTUS, a, um, particip. *V.* SCALPO.

SCALPŪRĪGO *et* scalpurrigo, ginis, f. 3. (scalpurio) titillatio et voluptas, quæ in cute pruriente scalpenda nascitur. *Solin.* 32. *circa med.* Trochilos avis os belluæ (*crocodili*) paullatim scalpit, et sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in usque fauces facit. *Alii minus recte leg.* scalpturigine.

SCALPŪRĪO *et* scalpurrio, is, ire, a. 4. *desiderat.* a scalpo: *raspare,* κνάω, κνήθω, κνίζω, idem quod scalpo: et speciatim dicitur de gallinis, quum terram frequentibus ictibus percutiunt ad quærendum cibum. *Plaut. Aulul.* 3. 4. 8. *Wagner.* Ubi erat hæc defossa, occepit ibi gallus gallinaceus scalpturire unguibus. Alii cum *Forcellino* leg. *scalpturire* eodem sensu. Cf. *Non.* p. 171. 32. *Merc.*

SCAMBUS, a, um, adject. σκαμβός, qui pravis et varis est cruribus, vatia, valgus (It. *chi ha le gambe storte, strambo;* Fr. *cagneux;* Hisp. *estevado;* Germ. *krummbeinig;* Angl. *bowlegged, with shambling legs*). *Sueton. Oth.* 12. Fuisse traditur et modicæ staturæ et male pedatus scambusque. *Gloss. Philox.* Σκαμβός, scaurus, valgus, curvus.

SCĂMELLUM, scamillum *et* scamnellum, i, n. 2. *deminut.* a scamnum, parvum scamnum. *V.* SCAMILLUS. *Priscian.* 3. p. 615. *Putsch.* Neutra in *num* desinentia geminant in deminutione *l* ante *um*; et e habent in pænultima, nisi sit pænultima primitivi naturaliter longa, ut bonum bellum, geminum gemellum, scamnum scamellum. (*Keil.* leg. *scamnellum*) *Apul.* tamen *fragm.* apud *eumd. ibid.* Verum infirma scamillorum, obice fultæ fores. Hic *Putschius* male edidit *scammellorum.* *Paulin. Nolan. fragm.* apud *A. Maium* T. 3. p. 371. Si terra tuorum Scamnellum merito creditur esse pedum. *V.* SCABELLUM. — Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 163. Scamnum, scamellum, scabillum.

SCĂMILLĀRĬUS, ii, m. 2. (scamillus) qui scamillis pulsandis operam dat in scæna, idem ac scabillarius. In plur. num. *Inscript.* apud *Gruter.* 467. 7. DECVRIAE IIII. SCAMILLLARIORVM OPERAE VETERES A SCAENA. *V.* SCABILLARIUS.

SCĂMILLUS, i, m. 2. *deminut.* a scamnum, ut *mamilla* a *mamma,* parvum scamnum, aut gradus, *picciol gradino.* In plur. num. *scamilli impares* apud *Vitruv.* 5. 3. et 5. 9. videntur esse quidam veluti parvi gradus in stylobatis columnarum, qui veluti parvas scalas unus post alium decrescendo efficiunt, *gradini ne' piedestalli delle colonne,* vel *piedestalli risaltati.* V. de his opusculum *Bernardini Baldi,* in quo rem totam satis implicatam variis conjecturis et figuris illustrare conatur: de qua tamen re adhuc sub judice lis est. *Klotz* et *Freund* reddunt «*ungleiche Erhöhungen, Ansätze an den Kapitällern*». Alii leg. *scabelli;* al. *scabilli.*

SCAMMA, ătis, n. 3. σκάμμα, spatium in arena, seu stadio, linea vel fossa conclusum, extra quod certantibus progredi non licet: a σκάπτω, fodio: quia locus cavatus est, et depressus. Aliis tamen est ipsa fossa, seu sulcus, quo illud spatium concluditur; hinc *Gloss. Philox.* Σκάμμα, fossum. V. *Petr. Faber Agonist.* l. II. c. 1. et 7.

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ad fin.* Deambulatio in arenæ spatio, et quod appellant scamma.

II.) Translate. ¶ 1. Est arena, in qua certamen fit. *Hieronym. advers. Joann. Jerosolym.* n. 16. Cur tu, omissis super quibus pugna est, de scammate et loco certaminis egrediens, in peregrinis et longe alienis disputationibus immoraris? *Paulin. Epist.* 2. (*al.* 24.) *ad Sever. ad fin.* Noli interim, dum in scammate sumus, alta pro nobis sapere, aut loqui. ¶ 2. Item ipsum certamen. *Tertull. ad Martyr.* 3. *a med.* Epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit.

SCAMMŌNĒA. *V.* SCAMMONIA.

SCAMMŌNEUM. *V.* SCAMMONIUM.

SCAMMŌNĬA *et* scamonia, æ, f. 1. Etiam *scammonea* dicitur a *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 22. (54). *ubi tamen* Sillig. *leg.* scammonium. — Scammonia, σκαμμωνία et σκαμωνία, *scammonéa,* herba ab radice ramosa, pinguibus foliis, triangulis, albis, radice crassa, madida, nauseosa (*Convolvulus Scammonia* Lin.). Nascitur pingui et albo solo: radix circa Canis ortum excavatur, ut in ipsa confluat sucus (quod scammonium dicitur), qui sole siccatus digeritur in pastillos, habetque varios in medicina usus: ipsa quoque herba, ejusque radix ischiadicis prodest, et panis etc. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 38. (59)., ubi *Sillig.* scammonium. *et ibid.* 58. (91). *et ibid.* 9. 93. (60). *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. 189. Utuntur purgativis medicaminibus ex papavere vel helleboro, aut diagridis, quod Græci scammoniam vocant. Adde *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16.

SCAMMŌNĪTES, æ, m. 1. σκαμμωνίτης (οἶνος), vinum facticium ex scammonio, seu scammoniæ suco. Plin. 14. Hist. nat. 16. 19. (109).

SCAMMŌNĬUM, ii, n. 2. Etiam scammoneum apud Caton. R. R. 157. a med. — Scammonium est sucus scamoniæ. Cato loc. cit., et Plin. loc. cit. in SCAMMONIA, quam voc. V.

SCAMNĀRĬUS, ii, m. 2. (scamnum) fortasse idem qui arcarius, apud Renier. Inscript. Afric. 63. et 70.

SCAMNĀTUS Ager. V. STRIGATUS et SCAMNUM.

SCAMNELLUM. V. SCAMELLUM.

SCAMNŬLUM, i, n. 2. (scamnum) deminut. a scamnum, parvum scamnum. Agnoscitur a Diomed. 1. p. 312. Putsch.

SCAMNUM, i, n. 2. Quod ad etymon attinet, vox conjungi potest cum v. scapus aut scipio, a Gr. σκήπτω, fulcio, sustento, unde σκῆπτρον, seu Dor. σκᾶπτρον, scipio; vel, secundum Döderlein., cum scabo, a σκάπτω, unde et scabellum. Cf. Quintil. 1. 4. 12. Verum Anecd. Helvet. in Comment. in Donat. p. 235. 1. Hagen. Scamnum dicitur a scandendo, quod altioribus lectis apponebatur et de scamno in lectum ascendebatur. — Scamnum est gradus ligneus, qui lecto apponitur scandendi causa: aut fulciendorum pedum, dum sedemus, βάθρον, ὑποπόδιον (It. gradino da salire, banchina, predella; Fr. banc, marchepied, escabeau; Hisp. escabelo, tarima; Germ. d. Tritt, Schemel, d. Bank; Angl. bench, stool, footstool).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. Varro 4. L. L. 168. Müll. Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem, scamnum. Ovid. 2. Art. am. 211. Nec dubita tereti scamnum producere lecto: Et tenero soleam deme, vel adde pedi. Id. 1. ibid. 162. Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem. nempe sedenti in Circo. — b) Latiore sensu, subsellium, sedile, θρᾶνος, panca, sedile, scanno: a similitudine. Ovid. 6. Fast. 305. Ante focos olim longis considere scamnis Mos erat. Cels. 2. 15. Gestationum lenissima est navi vel in portu, vel in flumine; vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo; vehementior in alto mari navi. Martial. 5. 41. Sedere in scamnis equitum. Inscript. apud Orell. 164. ORDO DECREVIT STATVAM ET SCAMNA MARMOREA ET ARBAM MARMOR.

II.) Translate. ¶ 1. Ducta similitudine a posteriore superioris paragr. significatione, scamna in arboribus sunt rami crassiores in longitudinem diffusi, et sedilium usum præbentes. Plin. 12. Hist. nat. 1. 5. (11). Cujus princeps in Veliterno rure miratus unius platani tabulata, laxeque ramorum trabibus scamna patula, et in ea epulatus, quindecim convivarum ac ministerii capace triclinio. Id. 17. ibid. 21. 35. (159). Scamna inæqualia. Id. ibid. 23. 35. (201). Ulmus detruncata a medio in ramorum scamna digeritur. et ibid. (208). Palmites primo anno imis ingerantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandant. ¶ 2. In agris scamnum dicitur glæba terræ grandior non proscissa. Colum. 2. R. R. 2. a med. Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare, sed ita, necubi crudum solum et immotum relinquat: quod agricolæ scamnum vocant. Id. Arbor. 12. Aratrum scamna facit. Plin. 18. Hist. nat. 19. 49. (179). Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur. ¶ 3. Item spatium terræ ligone non fossæ, inter duas scrobes. Colum. 3. R. R. 13. Quæ faciunt in eadem linea, intermissis totidem pedum scamnis, donec peragant ordinem. ¶ 4. Præterea scamnum vocant agrimensores agrum latitudine præcellentem: sicut strigam, longitudine. Hinc illa: ager per strigas et scamna divisus. Et: Ager per centurias et scamna assignatus etc. Var. auct. rei agrar. p. 46. 125. 198. Goes. V. Guarini Illustraz. della Camp. Tauracina p. 98. ¶ 5. Figurate scamna regni, solium et jus regni. Enn. apud Cic. 1. Divinat. 48. extr. et Gell. 6. 6. Conspicit inde sibei data Romulus esse priora Auspicio, regni stabilitaque scamna solumque.

SCANDĂLA, æ, f. 1. V. SCANDULA.

SCANDĂLISTA, æ, m. 1. Vox a scandalo conficta, quæ legitur apud Augustin. 2. contra Crescon. 1. Qui (Donatus) altare contra altare in eadem civitate primus erexit, magnum scandalum factum est: ita fortassis a Donato Donatistas, ut ab scandalo scandalistes voluit appellare.

SCANDĂLIZĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

SCANDĂLIZO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (scandalum) Part. Scandalizatus. — Scandalizo, σκανδαλίζω, scandalum alicui præbeo, aliquem offendo. Translate. Vulgat. interpr. Malach. 2. 8. Scandalizastis plurimos in Jerusalem. Id. Marc. 9. 42. Si scandalizaverit te manus etc. et alibi passim. Tertull. 5. advers. Marcion. 18. sub fin. Angeli scandalizati in filias hominum. Adde eumd. Virg. veland. 3. et Cor. mil. 14.

SCANDĂLŌSUS, a, um, adject. (scandalum) in quo scandalum est, scandaloso. Gloss. Isid. Aborris (Abborris), scandalosus.

SCANDĂLUM, i, n. 2. σκάνδαλον, scandalo, Græce significat offendiculum, quod in via ponitur, ut pedem in illud impingendo cadamus.

I.) Proprie. Prudent. præf. Apotheos. 47. Lapis-Signum caventi, non caventi scandalum: Hunc sternit, illum dirigit.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro ruina, pernicie. Vulgat. interpr. Eccli. 27. 26. In verbis tuis dabit scandalum. Id. Rom. 9. 33. Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali. ¶ 2. Item pro suasione, seu inductione alicujus ad peccandum. Vulgat. interpr. Rom. 14. 13. Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Adde Tertull. Virg. veland. 3., advers. Jud. 14. et 3. advers. Marcion. 1. etc., Augustin. 2. contra Crescon. 1. et Sulpic. Sever. Epist. 1.

SCANDENS, entis, particip. V. SCANDO.

SCANDĬĀNUS, a, um, adject. Scandiana mala inter varia malorum genera recensent et laudant Colum. 5. R. R. 10. ad fin. et Plin. 15. Hist. nat. 14. 15. (50)., item Varro 1. R. R. 19. et Cels. 4. 19. a med. Tradit Plin. ibid. nomen traxisse a quodam Scandio, sicut Manliana a Manlio, Matiana a Matio etc. Quare non audiendi, qui ducunt a Scandia, insula Oceani Septentrionalis (apud Plin. 4. ibid. 16. 30. (104)., unde advecta fuerint. V. ONOM.

SCANDIX, dīcis, f. 3. σκάνδιξ, genus oleris vulgaris apud Ægyptios, alio nomine tragopogon (τραγοπώγων, h. e. barba hirci), foliis croco simillimis, longa et dulci radice (Scandix Cærefolium Lin. At cl. Fea, op. cit. v. 3. p. 131., hæc habet: Nous ne voyons pas de raison suffisante pour reconnaître, avec Sprengel et ses prédécesseurs, le cerfeuil dans le scandix des Grecs et des Romains. Le Σκάνδιξ est une ombellifère, à laquelle nous rattachons la concordance synonymique Scandix, Plin. l. 22. c. 35.; Pecten Veneris, ejusd. l. 24.; Scandix Pecten Veneris Lin. Pline a nommé au l. 21. c. 52. le scandix, que d'autres appellent tragopogon; mais il y a évidemment erreur soit du propre de notre au eur, soit de ses copistes). V. Plin. 21. Hist. nat. 15. 52. (89)., qui ejus varios usus in medicina recenset, 22. ibid. 22. 38. (80).

SCANDO, scandis, scandi, scansum, scandere, 3. Vox ducenda videtur a th. Sanskr. skand, unde skandâmi, salio, ascendo, et etiam cado, labor. — Part. Scandens sub B. I. 1.° b. et II. et in fin.; Scandendus sub A. I. 2.° — Scando est in altum repo, feror, evehor, ascendo, conscendo, ἀναβαίνω (It. andare in su, rampicarsi, montare, ascendere; Fr. monter, grimper, gravir, escalader; Hisp. trepar, escalar, subir; Germ. steigen, emporsteigen; Angl. to climb, mount, clamber, get up, ascend). Usurpatur autem A) Transitive, et B) Intransitive.

A) Transitive.

I.) Proprie. — 1.°) Forma activa. — a) De animantibus. Accius apud Non. p. 337. 27. Merc. Scandit oras. Cic. Senect. 6. 17. Quum alii malos scandant, alii per foros cursent. Cæs. 5. B. G. 49. Alii vallum manu scandere, alii fossas complere. Liv. 3. 68. Scandere arcem. Id. 5. 21. muros. Val. Flacc. 8. 4. quascumque per undas Ferre fugam, quacumque cupit jam scandere puppim. Propert. 3. 20. 24. Scandere viam. h. e. viam acclivem carpere. Id. 4. 4. 90. cubile. Lucan. 9. 599. Capitolia curru. Virg. 2. Æn. 401. equum. Tac. 3. Hist. 28. testudinem. — b) De inanimis. Id. 2. ibid. 237. scandit fatalis machina muros Feta armis. — 2.°) Forma passiva. Plin. 14. Hist. nat. 1. 2. (9). Scanditur scalis tectum. Propert. 3. 16. 24. Scandenda est torvi publica cymba senis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Lucret. 2. 1121. Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ. avanzare in età. et Horat. 2. Od. 16. 21. Scandit æratas vitiosa naves Cura. ¶ 2. Speciatim est inire, salire inscendere, coitus causa. Plaut. Pseud. 1. 1. 21. Ut opinor, quærunt litteræ hæ sibi liberos: alia aliam scandit. ¶ 3. Scandere versus apud grammaticos est per suos pedes metiri. Diomed. l. 3., Priscian. l. 1. et 2. etc. Hinc ironice Claudian. epigr. 29. in podagrum. Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas? Scandere qui nescis, versiculos laceras. — Hinc pro divido. V. Isid. 17. Orig. 3. 11.

B) Intransitive.

I.) Proprie. — 1.°) Forma activa. — a) Absolute. Lucret. 3. 651. Nec cecidisse alius dextram quum scandit, et instat. Pacuv. apud Non. p. 467. 15. Merc. Incipio ferrum tentans scandere. Plin. 13. Hist. nat. 4. 7. (29). Palmæ faciles se ad scandendum Orientis populis præbent. — b) Cum præpos. in, ad, per, super. Liv. 3. 67. extr. Scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submovit. Ovid. 1. Fast. 298. Inque domos superas scandere cura fuit. Plin. 10. Hist. nat. 10. 20. (40). Scandentes in subreptum felium modo. Quintil. 11. 3. ante med. Demosthenes scandens in adversum continuabat plurimos versus. Phædr. 2. 4. feles Ad nidum scandit. Tac. 3. Hist. 71. Scandere per conjuncta ædificia. Id. ibid. 28. super testudinem. — 2.°) Passive impersonaliter. Vitruv. 10. 1. Ut sine periculo scandatur ad apparatus spectationem.

II.) Translate. Plin. 15. Hist. nat. 14. 14. (29). In tecta jam silvæ scandunt. Id. 31. ibid. 1. 1. (2). Scandunt aquæ in sublime. Id. 18. ibid. 28. 68. (264). Sol scandens ad Aquilonem. Id. 14. ibid. 1. 3. (10). Vites per ramos populorum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes. — Metaphorice. Horat. 3. Od. 1. 38. timor et minæ scandunt eodem. Tac. 4. Hist. 8. a med. Suadere Prisco, ne scanderet supra principem, ne Vespasianum præceptis coerceret. Auct. Paneg. ad Pison. 33. Scande super titulos et avitæ laudis honores, Armorumque decus præcede forensibus actis. Ammian. 17. 13. 28. per licentiam in majus. — Hinc Part. præsens, cujus exempla retulimus,

Scandens, entis, adjective quoque occurrit, et est excelsus, altus, se attollens. Propert. 4. 1. 65. Scandentes si quis cernet de vallibus arces. et ibid. 125. Scandentisque arcis consurgit vertice murus.

Homonym. Inter se differre videntur scandere, et composita ascendere, escendere, conscendere, inscendere; siquidem scando est manibus pedibusque sursum repo, vel reptando ascendo. Cic. loc. cit. Quum alii malos scandant. Adde loc. cit. Cæs. et Plin. 14. Hist. nat. 1. 3. Cetera sic distinguit Döderlein. (op. cit. v. 4. p. 60.): Alta ascenduntur, ut montes; eminentia vel defensa escenduntur, ut rostra vel vallum; naves conscenduntur; currus inscenduntur. Exempla videsis apud Cic. Mil. 35. 97. et 2. Q. fr. 2. 4.; Sueton. Cæs. 58.; Tac. 15. Ann. 59. etc. Aliquando tamen promiscue usurpantur.

SCANDŬLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, derivatur a scandendo; sunt tamen, qui putant non a scandendo, sed a scindendo oriri, et scindula scribi jubent: quod præter alios placet Stewechio ad Veget. 2. Milit. 23. Hinc Isid. 19. Orig. 19. 7. Scindulæ dictæ eo quod scindantur. id est dividantur. Ceterum Oudendorpius ad Apul. 3. Met. p. 204. existimat, scandula hoc sensu

esse vocem minus Latinam; in vocabulis vero *scindula, scindularis, scindularius*, cadente Latinitate, irrepsisse *a* pro *i* ob librariorum oscitantiam ex vulgari tunc loquendi modo. Hinc *Papias:* Scindulæ, quod scindantur, scandulæ vulgo. — Scandula duo diversa significat. ¶ 1. Est assula, tabella, tenuis lamina ex ligno fissili ad varios usus, præsertim ad tecta domorum: a *scandendo*, ut diximus, quia in tectis ita disponuntur scandulæ, ut alia aliam scandat, *assicella, scandola*, σχίδαξ, σχίδιον, καλυμμάτιον. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 15. (36). Scandulæ e robore aptissimæ, mox e glandiferis aliis fagoque. Scandula contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque bellum, annis CCCCLXX, Cornelius Nepos auctor est. *Pallad.* 1. *R. R.* 11. Ad æstatis temperandum calorem porticus furcis, asseribus et fronde formari debent, quæ vel scandulis, vel tegulis tegentur. *Ita leg.* Schneid.; *alii* scindulis. *Vitruv.* 2. 1. Ædificia constituere scandulis robusteis, aut stramentis. *Colum.* 8. *R. R.* 3. *a med.* Ab coborte forinsecus fenestellis scandulæ injungantur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (42). Materies piceæ ad fissiles scandulas cupasque et pauca alia secamenta. *Hirt.* 8. *B. G.* 42. Oppidani cupas sevo, pice, scandulis complent, eas ardentes in opera provolvunt. Adde *Inscript.* apud *Henzen.* 6587. ¶ 2. Est etiam speltæ seu hordei genus, quod Itali nunc *scandella* vocant, quodque distichum et Galaticum appellat *Colum.* 2. *R. R.* 9. *ad fin.* De eodem ita *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 11. (62). Galliæ quoque suum genus farris dedere: quod illic bracen vocant, apud nos scandulam, nitidissimi grani. Sic *scandulam* pro *sandalam*, quod postremum habent *Plinii* editiones, legendum videtur; at *Pontedera Op. post. T.* 1. *p.* 30. *scandalam* minus recte legendum putat. Sic enim *Edict. Diocleti.* 27. Speltæ mundæ K. M. ✠ centum. Scandulæ, sive speltæ K. M. ✠ triginta. Ita apud *Forcellinum.* Alii tamen ex recentioribus *scandalam* leg. ad *Plin. loc. cit.* (ubi *Sillig.* sandalam) et in *Not. Tir. p.* 95. — Eamdem inter frumenti genera recenset *Isid.* 17. *Orig.* 3. 11. Scandula a divisione vocata: duplex enim est, scanditurque, id est dividitur.

SCANDŬLĂCA. *V.* OROBANCHE.

SCANDŬLĀRIS, e, adject. (scandula) ad scandulam pertinens, quæ assulam significat. *Apul.* 3. *Met.* Tectum scandulare conscendit. Alii leg. *scindulare.* V. SCANDULA init.

SCANDŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (scandula) qui scandulis domos tegit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6.

SCANSĬLIS, e, adject. (scando) qui facile scanditur, *che si può ascendere facilmente*, ἀναβατός.

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (84). Ficum sic etiam scansilem fieri, *h. e.* ita assurgere, et ita provenire, ut scandi facile possit. *Itin. Alex.* 49. Scansilis via. *Schol.* in *Juvenal.* 7. 45. Gradus superiores. *Ammian.* 16. 10. 14. Elati vertices, qui scansili suggestu consurgunt.

II.) Translate. *Scansilis annorum lex* dicitur, per quam ad certam ætatem, veluti quibusdam annorum gradibus, ascendimus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (161). Ingens turba nascatur, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant. V. *Censorin. de die nat.* 14. — Hinc *Scansile, is,* n. 3. absolute, est gradus seu scabellum. *Isid.* 20. *Orig.* 11. 8. Scansilia sunt, ubi honorati in sedibus sedent.

SCANSĬO, ōnis, f. 3. (scando) actus scandendi, ascensio gradatim facta, *ascendimento*, ἐπίβασις.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 168. *Müll.* Simplici scansione scandebant in lectum. *et ibid.* Duplicata scansio gradus dicitur.

II.) Translate. ¶ 1. *Scansiones sonorum* apud *Vitruv.* 6. 1. *circa med.* sunt eorum elationes de gradu in gradum, v. gr. ab ima gravi ad supremam acutam. *innalzamento della voce di grado.* ¶ 2. Apud grammaticos *scansio* in versibus est eorum mensuratio per pedes. *Diomed. p.* 496. 8. *Keil.* Pedes singuli scansionis lege divisi. Adde *eumd. p.* 495. 20. et *Donat.* in *vit. Virg.* 25. — In plur. num. *Serv. centim. p.* 457. 3. Quæ scansionum diversitate cæduntur (*metra*). Adde *Bed. de metr. p.* 245. 17. *Keil.*

SCANSOR. *V.* SCASOR.

SCANSŌRĬUS, a, um, adject. (scando) ad scandendum pertinens, scandendo aptus. *Vitruv.* 10. 1. Est autem unum genus (*machinarum*) scansorium, quod Græce ἀκροβατικὸν dicitur. *et mox.* Scansorium autem est, quum machinæ ita fuerint collocatæ, ut ad altitudinem tignis statutis et transversariis colligatis, sine periculo scandatur ad apparatus spectationem. *Schneiderus* leg. *scansoriæ machinæ.*

SCANTĬĀNUS, a, um, adject. ad Scantium, vel ad Scantiam silvam pertinens. *V.* ONOM. — *Scantiana mala* memorat *Cato R. R.* 7. *et* 143. in doliis condi solita, et *Varro* 1. *R. R.* 59., quæ a quodam Scantio cultore, aut inventore dicta videntur: vel a silva Scantia. Idem dic de Scantiana vite, quæ eadem est atque Amminea, *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (47).

SCĂPER, pra, prum, adject. pro *scaber*, sunt qui leg. apud *Stat.* 1. *Theb.* 622. scaprosque molares Deculcare genis. *At rectius leg.* aspros.

SCĂPRES, ĕi, f. 5. pro *scabres*, apud *Non. p.* 169. 25. *Merc.* V. SCABRES.

SCĂPHA, æ, f. 1. Cadentis Latinitatis tempore etiam *scafa* scribitur. *Venant. loc. cit.* et *Not. Tir. p.* 177. Scafa, scafula. — Scapha ¶ 1. Est exigua navicula, quales sunt, quæ in majoribus navibus circumvehuntur, vel eas pone secuntur; item quibus utimur ad piscandum, *schifo, barchetta, lancetta, battello, palischermo*, σκάφη, ἐφολκίς (Cf. Fr. *esquif*, Angl. *skiff* et Hisp. *esquife*): a σκάπτω, fodio, quia primum ex prægrandi arbore cœptæ sunt excavari. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Usque adeo, ut dominus navis, quum idem gubernator esset, in scapham confugeret. *Nepos Hannib.* 11. Tabellarium in scapha cum caduceo mittit. *Justin.* 2. 13. 10. Ubi solutum pontem hibernis tempestatibus offendit, piscatoria scapha trepidus trajecit. *Horat.* 3. *Od.* 29. 62. Tum me biremis præsidio scaphæ Tutum per Ægæos tumultus Aura feret. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 535. 11. *Merc.* Tot scaphæ, quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserat. Adde *Petron. Sat.* 102. et *Plaut. Rud.* 1. 2. 74. *Curt.* 4. 2. 22. Scaphas removere et appellere. *Id. ibid.* 23. subire. *Id. ibid.* 3. 3. In scaphas desilire. ¶ 2. Est etiam rudicula, *romaiuolo. Venant.* 6. *carm.* 10. 14. ed. *Brower. de coco.* Frixuræ, cucumæ, scafa, patella, tripes. *V.* FRIXURA. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SCĂPHĀRĬUS, ii, m. 2. (scapha) qui scaphis navigando negotiatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 258. 1. SCAPHARII QVI TVLIAE ROMVLAE NEGOTIANTVR. Adde aliam apud *Murat.* 1050. 3. (*Henzen.* 6522.) SCAPHARII HISPALENSES. *sc.* scapharii, qui Juliæ Romulæ negotiantur, *di Siviglia.*

SCĂPHE, es, f. 1. σκάφη, *quadrante*, idem ac scaphium. *Vitruv.* 9. 8. Scaphen, sive hemisphærium Aristarchus Samius invenisse dicitur. *V.* SCACHIUM.

SCAPHIOLUM, i, n. 2. (scaphium) *deminut. a* scaphium, σκαφίδιον. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 164. Scaphium, scaphiolum.

SCĂPHISTĒRĬUM. *V.* CAPISTERIUM.

SCĂPHĬUM, ii, n. 2. (scapha) Scribitur et *scapium:* de qua scriptione V. *Lachmann.* ad *Lucret. p.* 411. — Scaphium, σκαφίον, vas concavum. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 8. 1. *a med.* Fodiatur locus pedes quinque, in eoque collocetur scaphium æreum aut plumbeum, aut pelvis etc. *Lucret.* 6. 1043. Et ramenta simul ferri furere intus ahenis In scaphiis. ¶ 2. Speciatim vas concavum, in cujus medio stilus infixus solis umbra horas indicat. *Capell.* 6. *p.* 194. Scaphia dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus stili in medio fundo sui proceritate discriminant: qui stilus gnomon appellatur. ¶ 3. Item vas, quo corporis excrementa excipiuntur, lasanum, *pitale, cántero.* Quidam putant esse mulierum, et *lasanum* virorum: quia reponitur a *Polluce Onom.* 1. 10. *a.* 3. inter vasa muliebria, et ex loco *Juvenalis* mox afferendo, ubi de muliere sermo est. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 50. Scaphia posita ad egestionem. *Martial.* 11. 11. Te potare decet gemma, qui Mentora frangis In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ. *Ulp. Dig.* 34. 2. 28. *sub fin.* Argento legato, non puto ventris causa habita scaphia contineri. *Juvenal.* 6. 263. Et ride, scaphium positis quum sumitur armis. Sunt qui minus recte hic intelligunt quoddam muliebre ornamentum capitis, *cuffia:* sunt qui ligonem: a σκάπτω, fodio. ¶ 4. Item vasis potorii genus, figura oblonga in scaphæ similitudinem. *Plaut. Stich.* 5. 4. 11. Quibus divitiæ domi sunt, scaphio, et cantharis, Batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio etc. *Id. Pers.* 1. 3. 40. Cynica esse e gente oportet parasitum probe: Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsupium habeat. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. A pupillo Hejo scaphia cum emblematis utrum empta esse dicis, an confiteris erepta?

SCĂPHON, ōnis, m. 3. (scapha) funis ad anteriorem partem scaphæ. *Cæcil. com.* 257. Cf. *Isid.* 19. *Orig.* 4. 5. et *V.* SAPHON.

SCĂPHŬLA, æ, f. 1. (scapha) *deminut. a* scapha. ¶ 1. Est parva scapha. *Veget.* 3. *Milit.* 7. *a med.* Monoxylos, hoc est paullo latiores scaphulas ex singulis trabibus excavatas carpentis secum portet exercitus. *Paulin. Nolan. epist.* 49. (*al.* 36) *n.* 1. Nautæ exterriti scaphulam demiserunt. ¶ 2. Vas quodcumque concavum, speciatim balnearium. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 95. Tum supponenda scaphula alta, aqua calida plena. Adde 2. *ibid.* 40. 232. *V.* SCAPHIUM.

SCĂPHUM, i, n. 2. σκάφος τό, idem quod scaphium, seu vas quoddam concavum. *Vitruv.* 9. 9. *ante med.* Per id cavum influens aqua sublevat scaphum inversum, quod ab artificibus phellos, sive tympanum dicitur.

SCĂPHUS, i, m. 2. ¶ 1. Est idem ac scapha. *Gloss. Lat.* ¶ 2. Est etiam genus instrumenti textorii, quod *navetta* dicimus. *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Par.* 11. 23.

SCAPIO *V.* STAPIO.

SCĂPĬUM. *V.* SCAPHIUM.

SCĂPREO. *V.* SCABREO.

SCĂPRES. *V.* SCABRES.

SCĂPŬLA, æ, f. 1. duo diverse significat.

A) Scapula, *et sæpius plur.* scapulæ, ārum, f. 1. idem quod humeri, vel potius superior dorsi pars, quæ onera gestantur, humeris et summis dorsi vertebris constans, inter cervicem et scutula operta, *spalle, omeri*, συνωμίαι, ὦμοι: a Gr. σκήπτω, fulcio, unde *scæptrum* et *scipio* et *scapus*, ut ὦμος ab οἴω pro φέρω, porto.

I.) Proprie. — 1.°) De hominibus. — *a*) Stricto sensu. — α) In plur. num. *Cels.* 8. 1. *a med.* Rursus a cervice duo ossa lata utrinque ad scapulas tendunt. nostri scutula operta, ὠμοπλάτας Græci nominant. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 43. (124). Vermes terreni illiti, ne cervicis scapularumque nervi doleant, præstant. *Id.* 21. *ibid.* 21. 89. (155). Si lateris dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. *Martial.* 6. 59. Tollere lacernas de scapulis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 273. Conveniunt tenues scapulis analectides altis. — β) In sing. num. *Gloss. Labb.* Scapula, ὠμοπλάτη. — Et pro humero. *Vulgat. interpr. Gen.* 21. 14. et 24. 15. et *Zachar.* 7. 11. — *b*) Sæpe latius *scapulæ* accipiuntur pro toto tergo. *Plaut. Asin.* 2. 2. 49. Mirabar, quod dudum scapulæ gestibant mihi, Hariolari quæ occœperunt, sibi esse in mundo malum. *h. e.* præsentiebant virgas paratas tergo imminere. Sunt hæc verba servi metuentis verbera. Sic *Cas.* 5. 3. 14. Salus nulla est scapulis, si domum redeo. et *Truc.* 4. 3. 19. Jam livorem tute scapulis concinnas tuis. *Seneca* 3. *Ira* 12. Scapulas præbere verberibus. *Ter. Phorm.* 1. 2. 26. Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi. *Incert. Epit. Il. Hom.* 1. 4. *p.* 666. ed. *Wernsd.* Perque viri scapulas annosaque pectora transit. Sed est vulgare id et plebejum, comicis fere usurpatum. *Fest.* in *Pro.* Pro scapulis quum dicit Cato, significat pro injuria verberum, nam complures leges erant in cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verbe-

rum. His significat prohibuisse multos suos cives, in ea oratione, quæ est contra M. Cœlium: Si hostem percussi, sæpe incolumis abii: præterea pro republica, pro scapulis, atque ærario multum reipublicæ profui. Hæc *Festus*. — *Scapulas tegere* apud *Senec. Ep.* 64. *a med.* est utcumque amiciri, *coprirsi, vestirsi*. Sic *ventri et scapulis suum reddere* apud *eumd. Ep.* 17. victu vestituque, quantum satis est, sibi consulere. — 2.°) De bestiis, et armos significant, h. e. eam partem corporis, ubi cervix desinit, dorsum incipit. *Varro* 2. *R. R.* 7. *de equis*. Humeris latis, ventre modico, lumbis pressis, scapulis latis, spina maxime duplici. (*humeros* ossa lata, quæ sunt supra crura anteriora: *scapulas*, quod supra humeros est, et dorsi initium facit, intelligere videtur. Nisi malis τὸ *scapulis latis* adscititium esse.) *Calpurn.* 7. *Ecl.* 60. Vidimus et tauros, quibus aut cervice levata Deformis scapulis torus eminet. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (107). *de locustis*. Vox earum proficisci ab occipitio videtur. Eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere. *Apul.* 4. *Met. de asino*. A meis jam quassis scapulis abegisset. *h. e.* a tergo meo. *V.* MERCURIUS.

II.) Translate. *Vitruv.* 10. 3. Retinacula supra scapulas machinæ longe disponantur. *h. e.* in superiore parte. *Tertull. Pall.* 2. montium scapulas dixit. *h. e.* latera a vertice declivia. Sic dorsum montis *Cæs., Liv.* et alii. — *Scapulis obumbrare alicui*, metaphorice, apud *Vulgat. interpr. Ps.* 90. 4. aliquem protegere.

B) Scapula est etiam idem ac venucula. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (34)., ubi *Sillig.* leg. *stacula*; alii aliter. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCĂPŬLĀRIS, is, m. 3. (scapula) vestis scapulas tantum tegens, *scapolare*. Vox cadentis Latinitatis apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 8. *p.* 578.

SCĂPŬLĀRĬUS, ĭi, m. 2. (scapula) qui scapulares conficit, aut bajulus. *Spon. Miscel. erud. Antiqu. p.* 232.

SCĂPŬLĬUM, ĭi, n. 2. (scapus) *deminut. a* scapus. *Gloss. Isid.* Cf. Alii leg. *scapolum*; al. *scapulum*.

SCĀPUS, i, m. 2. proprie est caulis rectus in herbis in columnæ modum, καυλός, σκήπων: est ab altera Græca voce adiata, conversâ litterâ η in α, ut fere solent Latini Doricam dialectum secuti (It. *fusto, gambo*; Fr. *tronc, tige d'une plante*; Hisp. *tallo, tronco*; Germ. d. *Stengel, Stiel, Schaft, Stamm*; Angl. *stem, stalk*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 31. *de vicia*. Ad scapum lupini aliumve, quem ut hæreat, solet vinciri. *Colum.* 9. *R. R.* 4. Scapus asphodeli. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 21. (95). Inventus est jam et scapus unus centum fabis onustus. — *b*) Latius dicitur de crassiore arborum trunco. *Seneca Ep.* 86. *a med.* Magnarum arborum truncos, circumcisis ramis, et ad unum redactis, pedem cum scapo suo transtulit, amputatis radicibus, relicto tantum capite ipso, ex quo illæ pependerant. *Schweig.* leg. *rapo*. V. RAPUM. — *c*) Item de tenui illo lignosoque ramusculo, e quo uvarum acini dependent. *Varro* 1. *R. R.* 54. Quæ calcatæ erunt uvæ, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prelum. Alii leg. rectius *scopi*.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de corpore columnæ, seu stilo, et veluti virga, idest de eo, quod interjacet inter basim, sive spiram, et capitulum. *Vitruv.* 3. 3. In summis columnarum scapis. *et ibid.* Imus columnæ scapus. Adde *ibid.* 2. et alibi. — ¶ 2. Item de stilo transverso libræ, vel stateræ, *l'asta*. *Fest.* in *Agina*. Agina est, quo inseritur scapus trutinæ. *Id.* in *Librile*. Librile, scapus libræ. ¶ 3. Item de trunco, seu corpore candelabri, *il fusto*. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (11). Privatim Ægina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. ¶ 4. Item de instrumento textoris, cujus pulsu tela coarctatur et densatur: *Seneca Ep.* 90. *circa med.* spatham appellat. *Lucret.* 5. 1352 Insilia ac fusi et radii scapique sonantes. Sunt qui hic juga intelligant, quibus et stamen, et tela involvitur: quod sane aptius esset, quia scapo jugum similius est, quam instrumentum, quo tela pulsando densatur: verum τὸ *sonantes* magis huic, quam jugo convenit. ¶ 5. Item de ligno crassiore in valvis, h. e. de regulis quibusdam, quibus forium ornamenta præcinguntur. *Vitruv.* 4. 6. *a med.* Fores ita compingantur, uti scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte: inter duos scapos tympana ex duodecim partibus habeant ternas partes. *et mox*. Scaporum latitudines fiant impagis dimidia parte. V. *Bald.* in *Lex. Vitruv.* ¶ 6. Item in scalis ædium fixis, de ea parte, quæ subjecta et inclinata gradus ipsos sustinet: quia sicut in plantis scapus ramos fert, ita in scalis gradus. *Id.* 9. 2. *sub fin.* Si altitudo contignationis, ab summa coaxatione ad imum libramentum, divisa fuerit in partes tres, erit earum quinque in scalis scaporum justa longitudine inclinatio. Nam quam magnæ fuerint, inter contignationem et imum libramentum, altitudinis partes tres, quattuor a perpendiculo recedant, et ibi collocentur interiores calces scaporum. V. *Bald. ibid.* Sunt qui putent, scapos scalarum esse duo tigna foraminibus pertusa, in quæ transversi bacilli graduum infixi sunt: quod certe in scalis mobilibus, v. gr. gallinariis, commode intelligitur. ¶ 7. *Scapus chartarum* est certus earum numerus inter se junctarum et simul complicatarum: fortasse quia olim in volumen (*in rotolo*) convolvebantur; seu potius cylindrus rotundus ex liguo, circa quem libri vel chartæ convolvebantur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Siccantur sole plagulæ atque inter se junguntur, numquam plures scapo, quam vicenæ. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 168. 14. *Merc.* ¶ 8. Est etiam membrum virile. *Augustin.* 7. *Cic. D.* 24. *ad fin.* Super Priapi scapum nova nupta sedere jubebatur. Adde *Veget.* 5. *Veterin.* 14. 17. *de equo*. Collyrium facito, et in scapi ejus foramen inserito. Ita edidit *Schneiderus*, quum *Gesnerus* antea legisset *veretri* loco *scapi*.

SCĂRĂBÆUS, i, m. 2. (σκαράβειος) Scribitur et *scarabeus*. Cf. κάραβος, carabus, et Germ. *Krebs*, cammarus, cancer, et *krabbeln*, repere. — Scarabæus, σκαράβειος, κάνθαρος (It. *scarabeo, scarabone, scarafaggio*; Fr. *escarbot, scarabée*; Hisp. *escarabajo*; Germ. d. *Käfer*; Angl. *a beetle, scarab, scarabee*), insecti genus tenues habens et fragiles pennas, et ob id crusta superveniente tectas. His negatus aculeus: sed in quodam genere eorum grandi, cornua prælonga, bisulcis dentata forcipibus in cacumine, quum libuit, ad morsum coeuntibus, infantium etiam remediis ex cervice suspenduntur. Lucanos vocat hos Nigidius. Aliud rursus eorum genus, qui e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant, parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur. Volitant alii magno cum murmure ac mugitu. Alii focos et prata crebris foraminibus excavant, nocturno stridore vocales. Hæc *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97)., qui 30. *ibid.* 11. 30. (99). tradit, Ægypti magnam partem scarabæos inter numina colere: nempe quia Ægyptii scarabæum fecere solis symbolum, eo quod sex menses sub terra latet, sex alios sub divo ducit, et quod unius tantum generis masculini esse putabatur. *Marcell. Empir. p.* 95. Scarabæus smaragdini coloris. Hinc *Auson. epigr.* 70. Perversæ Veneris postico vulnere fossor, - Non caper, aut aries, sed scarabæus erit. *Augustin.* 2. *mor. Manich.* 17. Nemo fere de scarabæis dubitat, quin de fimo exsistant. Adde *eumd.* 2. *Retract.* 15.

SCARDĬA, æ, f. 1. herba, quæ et aristolochia dicitur. *Apul. Herb.* 19.

SCĂRĬFĀTĬO, scariphatio et scarificatio, ōnis, f. 3. (scarifo) actus scarifandi, seu scarificandi, apertio facta tenui vulnere, ut sanguis emittatur, *graffiamento, scalfittura, scarnamento*, σχάσις.

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Si sanguis adhuc supra ungulas in cruribus est, assidua scarifatione discutitur. *et ibid.* 17. Scarificatio ferro facta. Adde *Veget.* 4. *Veterin.* 21. 1.

II.) Translate. ¶ 1. De levi vulneratione, qua arborum cortex aperitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 42. (251). *Sillig.* Interim est et scariphatio quædam in remediis, quum macie corticis ex ægritudine astringente se, justoque plus vitalia arborum comprimente, exactam falcis aciem utraque manu imprimentes, perpetuis incisuris deducunt ac veluti cutem laxant. ¶ 2. De levi aratione. *Id.* 18. *ibid.* 16. 39. (140). *Sillig.* Fœnum Græcum scariphatione seritur, non altiore quattuor digitorum sulco. *Forcellinus* ubiq. leg. *scarificatio*.

SCĂRĬFĀTUS *et*
SCĂRĬFĬCĀTUS, a, um *et*
SCĂRĬFĬCO *et*
SCĂRĬFĬO. *V.* in voc. seq.

SCĂRĬFO, scarifico *et* scaripho, as, āvi, ātum, are, a. 1. (scarifus) Pro *scarifico*, inquit *Forcellinus*, in multis MSS. *Plinii, Colum.* et alior., teste *Voss., Salmas., Harduino*, legitur *scarifo*, et *scarifatus*. Sic *Gloss. Philox.* Scarifo, χαράσσω, καταχνίζω. Et: Scarifat, καταχνίζει, κατασχίζει, καταχαράσσει. Porro *scarifo* Græcum est, σκαριφῶ, σκαριφεύω: a σκάριφος, stilus. Hanc vero lectionem præferendam esse putat *Lud. Janus* etiam ex cod. *Bamberg.*, ubi eamdem ubique fere servat. — Part. *Scarifatus* vel *Scarificatus*, et *Scarifandus* vel *Scarificandus* I. — Scarifo est leviter in superficie rado, scalpello aperio, leviter vulnero, quo aliquid facilius exeat, σκαριφάομαι, ἀποσχάζω, ἐπιξύω (It. *scarnare, graffiare*; Fr. *scarifier*; Hisp. *sajar*; Germ. *aufritzen, schröpfen*; Angl. *scarify, make an incision*).

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 26. (79). *Sillig.* Pastinacæ quoque radio scarifare gingivas est in dolore utilissimum. Sic *ibid.* Dentium dolores sedantur ossibus diaconis marini scariphatis gingivis. *Id.* 23. *ibid.* 1. 31. (179). Scariphare dentes. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 28. Truncus arboris, quo loco turget, scarificandus est, ut possit humor effluere. Adde *Pelagon. Veterin.* 16. *p.* 67. et 29. *p.* 100. — *Scarificare dolorem*, prægnanti, ut ajunt, sensu, est scarificando dolorem expellere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (181). Hoc scarificari dolorem demonstrant. *Sillig.* scariphari. — Passive. *Scarifio, is*, anom., singulare est apud *Scribon. Compos.* 272., ubi ait: Lumbi leniter scarifiant.

II.) Translate. *Colum.* 12. *R. R.* 55. Intritam ad medium mortarium contrahito et comprimito manu plana: deinde quum compresseris, scarifato. *h. e.* variis in locis pertundito, quasique lacerato. *Inscr.* in *Ann. dell' Istit. archeol.* 1860. p. 434. PARIETES INSCRIBERE AVT SCARIPHARE.

SCĂRĪFUS *et* scariphus, i, m. 2. (σκάριφος) Scribitur et *scaripus*. V. *Inscript.* apud *Murat.* 8887. — Scarifus ¶ 1. Est stilus, seu potius instrumentum, quo chirurgi scarifant. *Not. Tir.* p. 150. ¶ 2. Est etiam forma, diagramma, *pianta, disegno, mappa*. *Gromat. vet. p.* 244. 4. *Rudorf.* In scarifo civitatis Capuensium. *et ibid.* 8. In scarifo regionis Asculanorum Piceni. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCĂRĪPHĀTĬO. *V.* SCARIFATIO.
SCĂRĪPHĀTUS, a, um, *et*
SCĂRĪPHO. *V.* SCARIFO.
SCĂRĪPHUS. *V.* SCARIFUS.

SCĂRĪTIS, ĭdis, f. 3. (scarus) gemma scari colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (181).

SCĂRIZO, as, are, n. 1. σκαρίζω, subsulto, apud *Vulgat. interpr. Ital. Judic.* 4. 21. V. *Vercellone, Var. lect.* [illegible] Cf. *Gloss. Cyrill.* Σκαρίζω, palpito.

SCARŌTĬCUS. *V.* ESCHAROTICUS.
SCARŌSIS. *V.* ESCHAROSIS.
SCARRŌSUS. *V.* SQUARROSUS.

SCĀRUS, i, m. 2. Primam produxit, quia fortasse *scaurum* pro *scarum* legebat, *Ennius* apud *Apul. Apolog.* quid Scarum præterii, cerebrum Jovi' pæne supremi? Ubi *cerebrum Jovis* vocat propter suavitatem cibi. Διὸς ἐγκέφαλον dicunt Persæ (teste *Suida*) proverbialiter epulas exquisitas. *V.* SCAURUS. — Scarus est piscis nobilissimi genus, σκάρος, *scaro*: de quo *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 29. (62). Nunc scaro datur principatus

qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lecton sponte numquam transit. Inde advectos, Tiberio Claudio principe, Optatus Elipertius (*Macrob.* idem narrans 2. *Saturn.* 12. habet *Octavius præfectus class.* contra omnes MSS. *Harduini*) præfectus classis inter Ostiensem et Campaniæ oram sparsos disseminavit etc. — De scaris Cilicibus mentionem facit *Varro* in *Sat. Menipp.* περὶ ἐδεσμάτων p. 190. *Oehl.* — *Festus* in *Pollucere* docet, licuisse pollucere diis omnes pisces, quibus est squama, præter scarum: quia scilicet admodum rarus erat, et gravioris impendii. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (11). ex *Ovid. Halieut.* 11. tradit, inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. *Ovid. ibid.* 119. Ut scarus epastas solus qui ruminat herbas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 21. pinguem vitiis albumque neque ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois. *Martial.* 13. 84. Hic scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis, visceribus bonus est: cetera vile sapit. *Sueton. Vit.* 13. Scarorum jocinora. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 22. et *Inscript.* apud *Henzen.* 5087.

SCĂSOR, ōris, m. 3. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 66., et *Fabrett. p.* 210. *n.* 526. et *Murat.* 2046. 6. M. VLPIVS AVG. LIB. FLOCAMVS EX DOMV AVG. SCASOR ET IVLIA CHELIDO CONTVBER. EIVS etc. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13. 4. 2. Barbaricarii, scasores, pictores, sculptores, diatretarii etc. *Fabrett. loc. cit.* et *Gothofred.* in *Gloss. Philox.*, exponiturque καταστρωτής, *h. e.* qui pavimenta sternit. Sunt qui putent, hac voce eum significari, qui equum sternit et parat domino ad ascendendum; sed hoc sensu minime *loco cit. Cod. Theod.* convenit: neque admittenda *Reinesii* conjectura, qui *stator* legi mallet. Sunt denique, qui leg. *scansor* et per eam vocem illum indicari existimant, qui circa gradus scalarum, per quos scanditur, est occupatus. Divinent alii. V. *Orell. n.* 4277., qui neutram hanc lectionem probat.

SCĂTĔBRA, æ, f. 1. (scateo) eruptio aquæ scaturientis, et ipse locus, ubi erumpit, *sorgente, scaturigine,* πῖδαξ, πηγή: a *scateo,* ut a *lateo* latebra etc.

I.) Proprie. *Acc. trag.* 505. Scatebræ fluviæ. *h. e.* fluvii. *Virg.* 1. *G.* 109, unda cadens raucum per levia murmur Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (6). Mons opacus, nemorosus, et scatebris fontium riguus. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (108). Scatebra fontali semper emicans.

II.) Translate accipitur pro caterva, seu multitudine, quæ scatet. *Fronto ad Antonin. Pium* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 9. Respondisti comiter, futurum, ut, quum Appiano, me rogante, procurationem dedisses, causidicorum scatebra exoriretur idem petentium. *V.* SCATEO. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SCĂTĔBRŌSUS, a, um, adject. (scatebra) plenus scatebris vel aquis scatentibus. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 2. *G.* 348.. Occurrit etiam apud *Hilar. Arelat. carm. in Gen.* 787.

SCĂTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SCĂTĔO, scătes, scătere, n. 2. *et aliquando* scato, scatis, scatere, 3. Præteritum *scatui* analogia defenditur, ut *patui, latui* etc. — De etymo hujusce vocis ita *Bopp.* (*Gloss. comp.* etc. *p.* 101).: *Kshar,* stillare, effundere; *scatere* fortasse cum hac radice cohæret. — Part. *Scatens* II. 1. 1.° *a.* et 2.° et 2. — Scateo est effluo, exsilio, aut ita plenus sum, ut assidue et large effluat exsiliatque, quod intus est, *sgorgare, mandar fuori, o mandar fuori in copia, abbondevolmente,* βλύζω, βράζω.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Vet. Poet.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. Fontes scatere, herbis prata convestirier. *Lucret.* 5. 597. Largifluum fontem scatere, atque erumpere flumen. Adde *ibid.* 950. — *b*) Cum Ablat., aut Genet. rei, quæ implet et erumpit. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 22. Quæ mihi interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem Pirenem potest. *se scorresse vino.* et *Lucret.* 6. 890. fons dulcis aquai, Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas.

II.) Translate. ¶ 1. Est plenum esse, large erumpere, affluere, abundare. — 1.°) Concreto, ut ajunt, sensu. — *a*) Cum Ablat., aut Genet. rei, quæ implet et erumpit. *Colum.* 6. *R. R.* 16. Solent etiam neglecta ulcera scatere vermibus. *empirsi e mandar fuori.* et *Horat.* 3. *Od.* 27. 26. Scatens belluis pontus. *Lucret.* 5. 40. Ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit. *abbonda.* et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 3. 4. (30). Metallis tota ferme Hispania scatet. *Id.* 16. *ibid.* 32. 59. (138). Terracina silvis nucum scatet. *Sillig.* scatente. *Id.* 19. *ibid.* 8. 55. (172). Serpyllo et sisymbrio montes plerique scatent. *Id.* 6. *ibid.* 20. 23. (73). Populi tigri fera scatentes. *Mela* 1. 9. *ante med.* Nilus scatet piscibus. — *b*) Absolute, ipsa etiam res, quæ abundat et erumpit, *scatere* dicitur. *Lucret.* 6. 896. *de igne.* Et scatere illa foras in stuppam semina. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (226). Cuniculi scatent in Hispania Balearibusque. — 2.°) Dicitur et de abstractis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (243). Ostentis Aristandri volumen scatet. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (31). Urtica plurimis scatet remediis. *Gell.* 1. 15. Videas quosdam scatere verbis. *Id.* 17. 8. Puer festivissimis argutiis scatens. *Id.* 1. 17. Uxor morosa irarum et molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatebat. *Alii leg.* satagebat. — *Plaut. Pers.* 2. 1. 9. Amas pol misera: id tuus scatet animus. Ego istuc placidum tibi ut sit, faciam. *h. e.* æstuat, ebullit, fervet, quasi ulcus vermibus. ¶ 2. Spumare, ebullire. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 39. Tunc donec scatere tentet coquenda. *h. e.* ebullire. *Id. ibid.* 20. Scatens stercus. *h. e.* ebulliens, *Id.* 2. *ibid.* 13. 169. Quum semel, vel secundo scatere viderimus, expressas detrahimus lentisci comas. *h. e.* spumare.

SCĂTO, is. *V.* SCATEO init.

SCĂTŪREX *et* Scaturrex, rĭgis, (*al.* rĭcis), f. 3. (scaturio) scaturigo, scatebra. Translate usurpat *Varro* apud *Non. p.* 172. 27. *Merc.*, ubi *Forcellinus* leg. *scaturix.* V. VINITO. et *loc. Liv.* in SCATURIGO.

SCĂTŪRIENS, entis, particip. *V.* SCATURIO.

SCĂTŪRĬGĬNŌSUS, a, um, adject. (scaturigo) *pieno di scaturigini,* πιδακόεις, scaturiginibus abundans, irriguus, uliginosus. *Colum.* 5. *R. R.* 8. *ad fin.* Creta ex toto repudianda est, magis etiam scaturiginosa, et in qua semper uligo consistit.

SCĂTŪRĬGO, gĭnis, f. 3. (scaturio) Scribitur et *scaturrigo.* — Scaturigo est locus, unde aqua scaturit, scatebra, fonticulus, πῖδαξ (It. *rampollo, sorgente, fontanella*; Fr. *source, eau qui sourd*; Hisp. *surtidor de agua*; Germ. *d. hervorsprudelnde Quell, Born*; Angl. *a spring, source*).

I.) Proprie. *Capell.* 1. *p.* 12. Scaturiginis vena. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 8. Si scaturigo palustris plus quam sesquipedem prohibeat infodere. *Solin.* 37. Scaturigo fontanea. *Apul.* 6. *Met.* summi fontis penita. — In plur. num. *Liv.* 44. 33. Scaturigines turbidæ. *Alii leg.* scaturiges. *Eumen. paneg. Constant. Aug.* 22. Fontium scaturigines. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (47). In terra nigra scaturigines non fere sunt perennes. *Frontin. Aquæd.* 10. Signino circumjecto continendarum scaturiginum causa. *Apul. de Mundo.* Scaturigines quædam ac proluviones easdem strages dederunt. Cf. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 2.

II.) Translate. *Apul.* 8. *Met.* Multijuga scaturigo formicarum. *sciame, brulicame.* Adde *Ammian.* 19. 1. 9.

SCĂTŪRĬO, is, īvi, ire, n. 4. (scateo). Scribitur et *scaturrio.* Forma *scaturibat* syncop. pro *scaturiebat* apud *Apul. loc. cit.* — Videntur *Auct. Priap.* et *Prudentius loc. cit.* syllabam hujus verbi antepænultimam licenter produxisse. nam omnia verba desiderativa, quæ ex simplici derivata in *urio* desinunt, hanc semper corripiunt, ut *amatŭrio, lectŭrio;* ideoque nonnulli duplici rr scribunt *scaturrio,* ut metri lex constet. Ita *Furlanetto* in *App.* — Part. *Scaturiens* I. *a.* et II. *a.* — Scaturio est scateo, perfluo, effluo, emitto, βλύζω (It. *rampollare, spicciare, scaturire, sorgere*; Fr. *sourdre, couler*; Hisp. *manar, brotar, surtir*; Germ. *hervorquillen, -fliessen*; Angl. *to spring, spout out, rise, issue*), et dicitur fere de aquis.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. *a med.* Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes. *Colum.* 3. *R. R.* 1. *ad fin.* Solum modice roscidum, quod fontibus non in summo, non in profundo terræ scaturiat. *Pallad.* 1. *R. R.* 33. *extr.* Limus, quem scaturiens aqua, vel fluvii incrementa respuerint. — *b*) Cum Ablat. et præp. *de. Apul.* 4. *Met.* De summo vertice fons scaturibat. *Ampel.* 8. Ibi de terra oleum scaturit.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 4. Curio totus, ut nunc est, hoc scaturit. *h. e.* præ se fert, jactat, effundit. Sunt qui aliter leg. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 551. Verbositatis ipse rumpatur locus, Scaturientes perdat ut loquacitas Sermonis auras, perforatis follibus. *h. e.* auras effluentes e buccis. *Auct. Priap.* 47. Scaturientes vermiculi. *Augustin. Serm.* 9. Vestra vita quotidiana ipsis peccatis scaturiens. *che abbonda, abbondante, ripiena.* — *b*) Cum Ablat. et præp. *ex. Id.* 4. *Confess.* 13. Ista consideratio scaturivit in animo meo et intimo corde meo.

SCĂTŪRIX *et*
SCĂTURREX. *V.* SCATUREX.
SCĂTURRĪGO. *V.* SCATURIGO.
SCĂTURRĪO. *V.* SCATURIO.
SCAURĬPĔDA. *V.* in SCRUPEDA.
SCAURUS, i, m. 2. *V.* voc. seq. init.

SCAURUS, a, um, adject. In quibusdam libris *Colum.* 8. *R. R.* 16. et 17. *a med.* legitur *scaurus* pro *scarus,* piscis. — Scaurus, σκαῦρος, qui talos tumentes et porrectos habet, *chi ha i talloni grossi:* a σκαίρω, salio, saltito; quia qui talos habet ejusmodi, difficulter potest σκαίρειν: vel potius a σκάζω, claudico: *Döderlein* putat esse pro *curvus.* (V. SCRUPEDA) quas ego notationes nihil moror. In *Gloss. Philox.* exponitur σκαμβός, σκελλός, στρεβλόπους, βλαισόπους: quorum duo priora distortum cruribus significant, altera pedibus. *V.* TALAX. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 44. strabonem Appellat pætum pater: et pullum, male parvus Si cui filius est, *etc.* hunc varum, distortis cruribus: illum Balbutit scaurum pravis fultum male talis. Ex hoc *Horatii* loco intelligimus, minimum pedum vitium esse, si scaurus quispiam sit, inter eos, qui pedibus pravis distortisque sunt. — Hinc ortum cognomen multis Romanis civibus, præsertim in gente Æmilia: de quo *V.* ONOM.

SCAZON, ontis, m. 3. σκάζων, *scazzonte,* versus iambicus sex pedibus constans, quorum quintus iambus est, sextus spondeus vel trochæus, quattuor reliqui partim iambi, partim spondei, vel etiam omnes iambi: et dicitur a σκάζω, claudico, quia quum verus iambicus in iambum desinat, hic desinit in spondeum. quare et choliambus vocatur: item Hipponactæus ab auctore. Exemplum esto apud *Diomed.* 3. *p.* 507. *Putsch.* Ligare guttur pendulo cavum vinclo. et illud *Catulli* 8. 1. Miser Catulle, desinas ineptire, Et quod vides perisse, perditum ducas. et *Martial.* 1. 97. Si non molestum est, teque non piget, scazon, etc. *Plin.* 5. *Ep.* 11. Cave, ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, convicio scazontes extorqueant. *scil.* quia iambis constant, qui maledicendo apti sunt. — Iambicus integer, et non claudicans est, *v. gr.* illud *Horat. Epod.* 2. 1. Beatus ille, qui procul negotiis Paterna rura bobus exercet suis. Utrumque genus carminis amplectitur *Auson. epist.* 14. 31. Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον. — *Scazon elegius* apud *Mar. Victorin. p.* 111. 21. *Keil.* traditur talis, ut primum colum, id est penthemimeres, integrum habeat, secundum vero contra legem suam non una, sed duabus syllabis terminatum, ut «nil mihi rescribas» primum colon, secundum «attinet ipse veni» scazon «attinet ut veniatis». adfectat enim secundo colo ultimum pedem trochæum inducere.

SCEDA. *V.* SCHEDA et SCHEMA.

SCĔLĔRĀTĒ, adverb (sceleratus) Comp. *Sceleratius*; Sup. *Sceleratissime*. — Scelerate est cum scelere, per scelus, impie, nefarie, sceleste, *scelleratamente*, ἀνοσίως: cui opponitur *pie*. *Cic. Mil.* 38. 103. Pace tua, patria, dixerim. metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie. *Id.* 1. *Cat.* 10. *extr.* Bellum scelerate susceptum. *Id. Sull.* 24. 67. Nihil scelerate, nihil audacter facere. *Id.* 1. *Q. fr.* 3. 2. Peccavi, scelerateque feci. *Id. Dom.* 38. Domus per religionis vim sceleratius ædificata, quam eversa. *Id. Sext.* 64. 133. Mihi omnes est insidias sceleratissime machinatus.

SCĔLĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* SCELERO.

SCĔLĔRĬTAS, ātis, f. 3. (scelus) *scelleratezza, scelleritá*, flagitium, scelus. *Martian. Dig.* 48. 21. 3. Non enim facti sceleritatem esse obnoxiam, sed conscientiæ metum. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.*, alii minus recte *celeritatem*.

SCĔLĔRO, as, (avi) ātum, are, a. 1. (scelus) Part. *Sceleratus* 3. et in fin. — Scelero ¶ 1. Est scelere polluo, contamino. *Virg.* 3. *Æn.* 42. Parce pias scelerare manus. *Catull.* 64. 403. mater substernens se impia nato, Impia non verita est divos scelerare Penates. *Juvenal.* 9. 25. Scelerare ædes deorum. *Stat.* 9. *Theb.* 666. insontis pueri sanguine dextram. ¶ 2. Item sceleratum facio. *Id.* 2. *ibid.* 662. non Orgia Cadmi Cernitis, aut avidas Bacchum scelerare parentes. *Sil. It.* 16. 122. Scelerare animum. ¶ 3. Item noxium facio. *Id.* 3. 272. Scelerata sucis spicula. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempl. retulimus,

Sceleratus, a, um, adjectivorum more fere usurpatur; unde Comp. *Sceleratior* II. 1. *a.* et *b*; Sup. *Sceleratissimus* II. 1. *a.* et *b.* et 2. *a.* — Sceleratus est scelere pollutus, contaminatus, μεμιασμένος.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Auct. differ. voc. p.* 2208. *Putsch.* Inter sceleratum, et scelestum, et scelerosum hoc interest, quod sceleratus suo vel alieno scelere contaminatur: scelestus, scelerum cogitator: scelerosus quasi insidiosus. *Virg.* 3. *Æn.* 60. et *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 29. quum fugerent sceleratas numina terras. *Id.* 13. *Met.* 628. scelerataque limina Thracum. ¶ 2. Speciatim *Sceleratus vicus* apud *Ovid.* 6. *Fast.* 609., in quo filia Servii regis carpentum jussit agi per cadaver patris a Tarquinio Superbo occisi, ut ipse *ibid.* et *Fest. p.* 333. 32. *Müll.* (Cf. *Paul. Diac. p.* 332. 9. *Müll.*), et *Varro* 5. *L. L.* 159. *Müll.*, et *Liv.* 1. 48. docent. ¶ 3. *Scelerata sedes* apud *Tibull.* 1. 3. 67. et *Ovid.* 4. *Met.* 455. *h. e.* locus apud Inferos, ubi puniuntur scelerati: quod *Virg.* 6. *Æn.* 563. *sceleratum limen* vocat. ¶ 4. *Sceleratus campus* apud *Fest. p.* 333. 32. *Müll.* appellatur prope portam Latinam, in quo virgines Vestales, quæ incestum fecerunt, defossæ sunt vivæ.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est scelere adstrictus, flagitiosus, improbus, scelestus, nefarius: et præcipue qui impius est in deum, patriam, parentes, cives, *malvagio, ribaldo, scellerato*, ἀνόσιος, κατάρατος. — *a*) De hominibus. *Ovid.* 3. *Met.* 5. de *Agenore.* facto pius et sceleratus eodem. *Id.* 11. *ibid.* 781. ego sim sceleratior illo, Ni tibi morte mea mortis solatia mittam. *Petron. Sat.* 137. Scelerate, etiam loqueris? nescis, quam magnum flagitium admiseris. *Cic. Har. resp.* 3. 5. In me sceleratior, quam in deos immortales. *Id.* 3. *Off.* 8. 37. Est enim deliberantium genus totum sceleratum et impium. *Hirt. B. Afr.* 22. Audaces et scelerati cives. *Cic. Dom.* 41. 107. et *Sall. Jug.* 34. *a med.* Homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissimi iidemque superbissimi. *Id.* 14. *ibid.* Jugurtha omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus. *Cic. Mur.* 30. 62. Sceleratus et nefarius fueris, si misericordia adductus feceris. *Id.* 9. *Att.* 15. *ad fin.* Ego illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto. — *Id.* 3. *Fin.* 19. *sub fin.* Vox inhumana et scelerata. *Id. Cluent.* 68. *ad fin.* Sceleratæ preces et nefaria vota. *Seneca Herc. Fur.* 1319. dextra. *Ovid.* 1. *Met.* 131. amor sceleratus habendi. Sic *Claudian.* 1. *in Rufin.* 220. Crescebat scelerata sitis. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 11. Scelerata avaritia. *Justin.* 24. 2. 3. voluntas. *Id.* 27. 2. *a med.* audacia. — *Scelerati*, plur., absolute. *Cæs.* 6. *B. C.* 12. Numero impiorum ac sceleratorum haberi. *Curt.* 6. 10. 14. Scelerati conscientia obstrepente, quum dormire non possint, agitant eos furiæ. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 16. 15. — *b*) De rebus. *Cic.* 11. *Phil.* 1. 1. Contra patriam scelerata arma capere. *Ovid.* 8. *Met.* 94. Sceleratum munus. *h. e.* scelere paratum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 39. (138). Sceleratissima humani ingenii fraus. *Seneca Œdip.* 236. Scelerata cædes. *Virg.* 7. *Æn.* 461. insania belli. *Id.* 2. *ibid.* 576. Subit ira cadentem Ulcisci patriam et sceleratas sumere pœnas. *h. e.* quales merentur scelerati. *Justin.* 10. 2. 12. Causa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit. *Quintil.* 3. 8. 45. Rem sceleratissimam audere. — Jlocaliter *sceleratum argentum* apud *Petron. fragm. Tragur.* 56. *V.* ARGENTABULUM. ¶ 2. Speciatim est callidus, vafer, improbus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 70. mille adde catenas: Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus. ¶ 3. Item rigidus, severus, tristis, tetricus. *Martial.* 9. 69. Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister, Invisum pueris virginibusque caput? *Virg.* 2. *Æn.* 575. supra *cit.* ¶ 4. Item, per metonymiam, infelix, calamitosus, miser, *sciagurato, sfortunato, infelice*: quia sceleratos plerumque calamitas et pœna premit: et quia infelices creduntur esse scelesti, et ob id puniri. — *a*) Universim. *Quintil. declam.* 10. 6. Nullis, inquit, destituta sum tenebris, donec scelerata tacui. *Albinov.* 1. 135. Tene ego sustineo positum scelerata videre? Tene meæ poterunt ungere, nate, manus? *Inscript.* apud *Reines. cl.* 12. *n.* 122. TI. CLAVDIO ET CLAVDIAE NICE FILIIS SVIS INFELICISSIMIS MATER SCELERATA ET SIBI ET LIBERT. etc. Alia apud *Fabrett. p.* 237. *n.* 631. HILARVS ET ANNIA ELPIS MATER SCELERATA QVAE HOC FACINVS VIDIT FILIO DVLCISSIMO FECERVNT. Alia apud *Murat.* 1187. 2. C. MAMMIVS ECHIO ET MAMMIA ROME PARENTES SCELERATISSIMI TITVLVM POSVERVNT MAMMIO ROMVLO F. SVO. VIXIT ANN. IIX. Adde aliam 1280. 2. — *b*) *Scelerata porta,* apud *Fest. p.* 334. 2. *Müll.*, quæ et Carmentalis dicitur. *V.* CARMENTALIS in ONOM. — *c*) *Scelerata castra,* in quibus D. Drusus pater Claudii Imp. morbo periit, *Sueton. Claud.* 1. ¶ 5. Item noxius, perniciosus, *nocevole, malefico, pestifero*. *Virg.* 2. *G.* 256. sceleratum frigus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 72. (117). Sceleratissimi serpentum hæmorrhois et prester. *Martial.* 1. 102. Ureret implicitum quum scelerata lues. *Apul. Herb.* 8. Herba scelerata. (*Ranunculus sceleratus* Lin.) *scil.* quia si quis eam gustaverit, ridendo exanimatur. Sic *Plaut. Pseud.* 3. 2. 28. Teritur sinapis scelerata cum illis, qui terunt. *scil.* quia sapore acerrimo est, et ignei effectus, impositu pustulas excitans, ut est apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 54. (170). *V.* SCELERUS. ¶ 6. Item molestus, importunus. *Martial.* 3. 30. Quod si non scombris scelerata poemata donas, Cœnabis solus jam, Ligurine, domi. *Arnob.* 2. *sub fin.* Nesciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab se lucem, et sceleratam eripi cæcitatem.

SCĔLĔRO, ōnis, m. 3. (scelus) homo sceleratus. Ita quidam legunt apud *Cic.* 9. *Att.* 18. et *Petron. fragm. Tragur.* 50. *Burmann.*; alii rectius leg. apud *Cic.* Ara scelerum; in *Cod. Tragur. Petron.* Scelio. Hoc videtur retinendum, eodem nempe sensu ac *scelero*. Ita *Forcellinus*; at *Büchelerus* leg. *stelio*, idem ac stellio.

SCĔLĔRŌSUS, a, um, adject. (scelus) Sup. *Scelerosissimus*. — Scelerosus, *scellerato*, multis et magnis sceleribus plenus, sceleratus. *Lucret.* 1. 83. scelerosa atque impia facta. *Varro* 6. *L. L.* 92. *Müll.* Scelerosus homo. *Ter. Eun.* 4. 3. 1. Ubi ego illum scelerosum misera inveniam? *Apul.* 10. *Met.* Scelerosa et polluta femina. *Afran.* apud *Non. p.* 174. 28. *Merc.* O diem scelerosum et indignum? *Inscript.* apud *Gruter.* 19. 6. QVOD IS SCELEROSISSIMI SERVI PVBLICI INFANDO LATROCINIO *etc.* At in lapide autographo, quem *Morcellus* inspexit, legitur *sceleratissimi*, ut ipse edidit in op. *De Stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 51. *ed. Pat.*

SCĔLĔRȲTIS, tidis, f. 3. Accus. sing. *scelerytida*. — Scelerytis est genus spumæ ex argento. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (108)., ubi *Sillig.* pro *scelerytis* leg. *scirerytis*.

SCĔLĔRUS, a, um, adject. (scelus) scelestus, sceleratus. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 31. Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput. *et* 3. 2. 28. Teritur sinapis scelera cum illis. Ita *Serv.* ad 9. *Æn.* 486. Verum hæc loca nihil conficiunt. Primo enim loco est genit. pluralis, altero plerique rectius leg. *scelerata*. (V. locum in SCELERATUS) Cf. *Brix* et *Lorenz* ad *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 14.

SCĔLESTĒ, adverb. (scelestus) Comp. *Scelestius*. — Sceleste, *scelleratamente*, scelerate, ἀνοσίως. *Liv.* 24. 25. Quæcumque post Hieronis mortem sceleste atque impie facta essent. *Plaut. Rud.* 2. 6. 21. Minime miror, navis si fracta est tibi, scelus te, et sceleste parta quæ vexit bona. *Vellej.* 2. 60. 3. Sceleste insimulare aliquem. *Val. Max.* 5. 1. *n.* 3. exercere arma. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* suspicari. *maliziosamente*. et *Augustin. Ep.* 202. Illic non sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus interit.

SCĔLESTUS, a, um, adject. (scelus) Comp. *Scelestior* I. 1. et II.; Sup. *Scelestissimus* II. — Scelestus est idem ac sceleratus, ἀνόσιος (It. *scellerato, malvagio, sciagurato, ribaldo*; Fr. *criminel, scélérat, infâme, impie*; Hisp. *malvado, rebaldo, impio*; Germ. *frevelisch, frevelhaft, gottlos, verrucht, abscheulich*; Angl. *wicked, villanous, mischievous, knavish, impious*), et dicitur tum de hominibus, tum de rebus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Rosc. Am.* 13. 37. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales, ac nefarium facinus! *et ibid.* 22. *ad fin.* Profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. *Ter. Eun.* 4. 4. 41. Juppiter magne, o scelestum atque audacem hominem! *Sall. Cat.* 51. Homines scelesti et factiosi. *et ibid.* 55. *sub fin.* mali et scelesti. *Horat. Epod.* 7. 1. Quo, quo scelesti ruitis? *Plaut. Men.* 3. 1. 2. Numquam quicquam facinus feci pejus, neque scelestius. *Id. Rud.* 2. 6. 24. Scelestiorem cœnam cœnavi tuam, quam quæ Thyestæ quondam anteposita est. *Plaut. Curc.* 1. 1. 40. Hæ lenonis ædes scelestam servitutem serviunt. *Sall. orat. Licin. ad pleb.* Scelestum servitium imponere. *Id. Cat.* 15. Scelestæ nuptiæ. *Phædr.* 2. 4. Scelesta avaritia. *Liv.* 5. 27. Scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit. *et mox.* Scelestus ipse cum scelesto munere venisti. ¶ 2. Speciatim vafer, callidus, improbus, astutus, *maliziato, furbo*. *Plaut. Most.* 1. 3. 14. Ita me dii ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum. Ut lepide res omnes tenet sententiasque amantum! *V.* SCELERATUS.

II.) Metonymice est infelix, miser, calamitosus. *Plaut. Rud.* 3. 5. 22. Eheu! scelestus galeam in navi perdidi. *Id. Cas.* 3. 5. 34. Scelestissimum me esse credo. *Id. Most.* 3. 1. 1. Scelestiorem ego annum argento fenori Numquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit. Adde *Rud.* 4. 4. 123. et 140. *V.* SCELERATUS.

SCĔLĔTUS, i, m. 2. σκελετὸν (σῶμα) cadaver, carnibus privatum, et ossibus tantum constans, ut compages ossea, qua forma mortem ipsam repræsentare solent pictores, *carcame, scheletro*: aut potius cadaver exsiccatum, *cadavere disseccato ed inaridito come una mummia, mummificato*: est a σκέλλω, exsicco, attenuo (Fr. *squelette*; Hisp. *squeleto*; Germ. *Skelett*; Angl. *skeleton*). *Apul. Apolog.* Tertium mendacium vestrum fuit, (*me habere*) macilentam vel omnino evisceratam formam diri cadaveris fabricatam, prorsus horribilem et larvalem. Dudum ergo quum audirem, sceletum perquam impudenti mendacio dictitari, jussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum afferret, quem mihi Saturnius iste Œa fabricatus est. En vobis, quem scelestus ille sceletum nominabat. Hicine est sceletus? hæcine est larva? hoccine est, quod appellitabatis dæmonium? Hunc qui

sceletum audet dicere, profecto ille simulacra deorum nulla vidit: hunc denique qui larvam putat, ipse est larvatus. et ibid. Sceleti formâ turpe et horribile.

SCĔLĬO, ōnis. V. SCELERO, onis.

SCĔLĔTYRBE et

SCĔLŎTURBE et

SCĔLŎTYRBE, es, f. 1. σκελοτύρβη, morbi genus, quo crura et genua tentantur: a σκέλος, crus, et τύρβη, tumultus, turbæ. Plin. 25. Hist. nat. 3. 6. (20). In Germania maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solverentur. Stomacacen medici vocabant, et sceletyrben ea mala. Sillig. sceloturben; alii aliter.

SCĔLUS, ĕris, n. 3. Vocem derivant alii a σκληρός, rigidus, asper, durus; alii a th. Sanskr. skhal, cadere (Cf. Germ. Scheld). — Ceterum scelus est nefarium facinus, flagitium, peccatum, maleficium, fraus, ἀσέβημα, κακούργημα (It. misfatto, scelleraggine, scelleratezza, ribalderia, enormità; Fr. crime, forfait, attentat; Hisp. crimen, delito; Germ. d. Frevel, d. Frevelthat, Verbrechen, Schelmstreich; Angl. wickedness, guilt, a misdeed).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. 7. Verr. 66. 170. Facinus est vinciri civem R.; scelus, verberari; prope parricidium, necari. Id. Rosc. Am. 9. 25. Intelligitur, judices, imprudente L. Sulla, scelera hæc et flagitia fieri. Id. Pis. 19. 44. Infirmatus conscientia scelerum et fraudum suarum. Id. fragm. apud Lactant. 3. 19. Vitiis et sceleribus contaminati. Id. 2. Cat. 4. 7. Quid enim mali, aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? Quintil. 11. 1. 42. Ultum ire scelera et injurias. Id. 12. 1. 2. Facultas dicendi socia scelerum, adversa innocentiæ. Cic. 3. Verr. 4. 9. Homo tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertus. Id. Har. resp. 16. sub fin. Scelere contaminare nomen populi R. et ibid. 3. 5. violare deos immortales. et mox. devincire sese. Id. 6. Verr. 32. 71. se obstringere. Id. Flacc. 17. ad fin. se alligare. Id. Sext. 50. 108. adstringi. et ibid. 27. Edere scelus in aliquo. Id. 1. Orat. 51. 220. nefarium facere. Id. 11. Phil. 1. a med. suscipere. et Cluent. 68. sub fin. perficere. Id. 3. Verr. 4. 9. et 6. ibid. 32. sub fin. in se concipere. Id. 7. Att. 11. moliri. Id. 2. Cat. 1. 1. anhelare. Id. 9. Att. 10. ante med. et 1. Q. fr. 3. a med. admittere. Id. Sull. 2. 6. committere. Quintil. 5. 13. 30. comminisci et conari. Id. 7. 2. 42. efficere. Id. 2. 15. 17. suadere. Id. 12. 1. 26. compescere. Curt. 6. 3. 13. audere. Id. ibid. 7. 22. parare. Id. 5. 10. 1. agitatum exsequi. Id. 8. 8. 6. supplicio luere. Ovid. 8. Fast. 624. Damnare aliquem sceleris. Tac. 1. Ann. 5. Suspectare scelus alicujus. Id. 6. ibid. 24. tegere. Sall. Jug. 25. Ad scelus rapi. Cic. Cluent. 66. 189. Infestum scelus et immane. Id. Amic. 8. a med. detestabile. Id. Har. resp. 3. 4. importunum. Virg. 6. Æn. 511. exitiale. Id. Cir. 322. nefandum. Stat. 2. Theb. 534. timidum. Curt. 5. 10. 12. occultum. Id. ibid. 15. cogitatum. Quintil. 8. 6. circa med. abominandum. Petron. Sat. 17. inexpiabile. Seneca Med. 979. horridum. et Agam. 983. infandum. et Troad. 1057. ferum et triste. Sall. Cat. 22. sceleris atrocitas. Id. fragm. Hist. p. 11. Dietsch. immanitas. Id. Cat. 51. magnitudo. Id. Jug. 31. impunitas. Id. fragm. Hist. p. 16. Dietsch. licentia. Id. Jug. 14. Sceleribus suis ferox atque præclarus. Id. Cat. 12. Per summum scelus omnia adimere. Id. Jug. 32. Sceleris socius. Grat. Cyneg. 449. Queis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est. h. e. queis scelus aut opere patratum, aut cogitatum est. Liv. 3. 19. Scelus divinum et humanum. h. e. adversus deos et homines. Id. 4. 32. legatorum contra jus gentium. Id. 1. 41. Minister sceleris. In illo Lucan. 2. 163. cognoscitur illic Quidquid ubique latet scelerum: non Thracia tantum Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni Postibus Antæi Libyæ. scelus est id quod scelerati facinoris indicium est. — Scelera non habent consilium, proverb. apud Quintil. 7. 2. 44. h. e. ratione carent: impetu fiunt et absque sententia. ¶ 2. Speciatim scelus dicitur, quod religioni et pietati opponitur. Cic. 2. Cat. 11. 25. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus etc. ¶ 3. Ut Furor, Discordia, Luctus, Metus et hujusmodi tristia Inferorum numina sunt, apud Virg. 6. Æn. 275., ita et Scelus. Seneca Herc. Fur. 95. imo Ditis e regno extraham Quidquid relictum est: veniat invisum Scelus, Suumque lambens sanguinem Impietas ferox.

II.) Translate. ¶ 1. Universim dicitur de vi nocendi in bestiis et rebus inanimis. Plin. 29. Hist. nat. 4. 23. (74). Inter omnia venenata salamandræ scelus maximum est. cetera enim singulos feriunt: salamandra populos pariter etc. Id. 25. ibid. 3. 6. (20). Nec bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoque ac locorum. — Scelera naturæ apud eumd. 2. ibid. 93. 95. (206). sunt terræ motus, incendia, inundationes et hujusmodi. ¶ 2. Metaleptice scelus est pœna, supplicium. Virg. 7. Æn. 307. Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente? et 2. ibid. 229. et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt. ¶ 3. Item infelicitas, infortunium, disgrazia, miseria, sciagura. Plaut. Capt. 3. 5. 104. Major filius potitus est hostium. quod hoc est scelus! che sciagura è la mia! et Ter. Eun. 2. 3. 32. Nec quemquam esse hominem arbitror, cui magis bonæ felicitates omnes adversæ sient. PAR. quid hoc est sceleris? V. SCELERATUS. ¶ 4. Metonymice est homo sceleratus, et occurrit etiam cum pronomine masc. Ter. Andr. 3. 5. 1. Ubi illic est scelus, qui me perdidit? Plaut. Bacch. 5. 2. 57. Abin' a me, scelus? h. e. scelesta mulier. et 5. 1. 9. Is me scelus usque attondit dolis doctis indoctum. Id. Pers. 4. 9. 6. Ego pol te faciam, scelus, te quoque etiam ipsum ut lamentere. et 2. 2. 10. Scelus tu pueri es. et Truc. 2. 7. 60. Etiam, scelus viri, minitare?

Homonym. Quomodo scelus differat a delicto, facinore aliisque similibus, V. sub FLAGITIUM.

SCĒMA et

SCĒMĂTĬCUS. V. SCHEMA.

SCĒNA, SCĒNĀLIS, SCĒNĀRĬUS, SCĒNĀTĬCUS, SCĒNĀTĬLIS, SCĒNĬCĒ, SCĒNĬCUS, SCĒNĬFACTOR, SCĒNŎFACTŌRĬUS, SCĒNŎGRĂPHĬA, SCĒNŎPĒGĬA. V. SCÆNA, SCÆNALIS, SCÆNARIUS, SCÆNATICUS, SCÆNATILIS, SCÆNICE, SCÆNICUS, SCÆNIFACTOR, SCÆNOFACTORIUS, SCÆNOGRAPHIA, SCÆNOPEGIA.

SCĔNA, æ, f. 1. per syncopen pro sacena. Fest. p. 330. 33. Müll. Scenam genus fuisse ferri manifestum est, sed utrum securis, an dolabra sit, ambigitur: quam Cincius in libro, qui est de Verbis priscis, dolabram ait esse pontificiam. Livius in Lydio: Corruit quasi ictus scena, haud multo secus. V. adnotata ad SACENA. A. Rich ex anaglypto opere villæ Borghes. docet scenam laminas securis et dolabræ ad percutiendum et ad cædendum prætulisse.

SCĒNŎBATES. V. SCHŒNOBATES.

SCENSAS antiqui dicebant, quas nunc cenas: quæ autem nunc prandia pro cenis habebant, et pro cenis vespernas appellabant. Ita Festus p. 339. 14. Müll. Ubi Scaliger mallet legi cesnas: unde silicesnium, postea silicernium: alii scesnas. V. CŒNA.

SCEPTĬCI. V. PYRRHO in ONOM.

SCEPTOS et sceptus, i, m. 2. σκηπτός, procella: a σκήπτω, magno impetu decido. Apul. de Mundo. Sceptos generale omnibus (procellis), quæ de nubibus cadunt, nomen est. — NB. De cognom. R. V. ONOM.

SCHASTĒRĬA. V. CASTERIA.

SCHĔDA, schida, sceda et scida, æ, f. 1. σχίδη, a σχίζω, findo ¶ 1. Est philyra, plagula, membrana tenuis ex papyri libro, ex qua charta fit. Plin. 13. Hist. nat. 12. 23. (73). Primo supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri, quæ potuit esse, resegminibus utrinque amputatis: transversa postea crates peragit. ¶ 2. Accipitur et pro pagella, tabella, chartæ folio singulari, et cum aliis non compacto: cujusmodi est, in quo scribimus, si quid ex tempore in mentem venit, foglio, o mezzo foglio di carta, cartella, cedolone, pagina. Cic. 1. Att. 20. sub fin. Pætus mihi libros eos donavit etc. Enitere, ut scheda neque depereat. ubi alii leg. scida eod. sensu. et a scindo deducunt, vel etiam a σχίζω, sed aspiratione extrita. (V. Charis. 1. p. 31. Putsch.) Quintil. 1. 8. ad fin. Nam qui omnes, etiam indignas lectione, schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Alii leg. scidas. Martial. 4. 91. Ohe jam satis est, ohe libelle! Jam pervenimus usque ad umbilicos. Tu procedere adhuc, et ire quæris, Nec summa potes in scheda teneri.

SCHĔDĬA, æ, f. 1. V. voc. seq.

SCHĔDĬOS, a, um, adject. σχέδιος, fatto in fretta, all' improvviso, extemporalis, subito factus, inelaboratus, subitarius: vox Græca a σχεδόν, prope, quia quæ subito fiunt, prope et statim exsistunt. — Hinc

Schedia, æ, f. 1. absolute (subintellige navis, σχέδιος ναῦς), genus navigii inconditum, trabibus tantum inter se connexis factum, quo mercimonia circumferunt post amissam navem. Ita Festus. Ulp. Dig. 14. 1. 1. ante med. Navem accipere debemus sive marinam, sive in aliquo stagno naviget, sive schedia sit.

Schedium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, opus inconditum et impolitum. Fest. p. 334. 13. Müll. Eodem vocabulo Lucilius quoque poemata levia et versus, non satis perfecti qui essent, appellavit schedia, quum dixit: Qui schedium faciunt inconditum. Auson. Edyll. 7. præf. Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasinus. Petron. Sat. 4. extr. Ne me putes improbasse schedium Lucilianæ improbitatis. h. e. satiram Lucilii, qua audacter secuit Urbem, in hora sæpe ducentos versus fundens. Apul. Florid. n. 23. Etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio incondito experimini, an idem sim repentinus qui et præparatus. Sidon. 8. Ep. 3. Apollonii Pythagorici vitam, ut Tascius Victorianus, e Nicomachi schedio exscripsit, misi. Id. 9. Ep. 16. Si quod schedium temere jacens chartulis putridis ac veternosis continebatur, raptim coactimque translator festinus exscripsi. Alii interpr. de scriptura male habita, male custodita, corrupta.

SCHĔDĬUM, ii, n. 2. V. voc. præced.

SCHĔDŬLA, æ, f. 1. (scheda) deminut. a scheda, parva scheda, carticella, cedola, polizzetta, σχέδιον. Cic. 15. Fam. 16. Hæc te tertia jam epistola ante oppressit, quam tu schedulam, aut litteram. Hieronym. 3. in Rufin. n. 5. Falsitatem schedularum in sancto viro non suscipio.

SCHĒMA, ătis, n. 3. et schema, æ, f. 1. — a) Quod ad scriptionem attinet, sunt qui scrib. scema, præsertim apud Petron. et Apul. non uno in loco, et in Not. Tir. p. 172., ubi etiam scematicus habetur, ut scida, aut sceda pro scheda etc. — b) De quantitate observandum est, primam syllabam in schema apud Plautum loc. cit. corripi, quum eadem apud alios semper producatur; quod tamen noli mirari, etenim etiam Græce apud Hesychium σχῆμα et σχέμα habetur. — c) Ratione habita flexionis, seu declinationis, in dat. et ablat. plur. et schematibus habet, et schematis magis Latine. V. Diomed. 1. p. 285. Putsch. Lamprid. Elagab. 19. Vasa schematibus libidinosissimis inquinata. Plin. apud Charis. 1. p. 38. Putsch. de Varrone. Quam maxime vicina Græco Græce dixit, ut nec schematis quidem dicat, sed schemasin. Sic emblematis dixere et poematis. V. EMBLEMA et POEMA. — Schema, σχῆμα, est vestis, habitus, veste, abito, foggia di vestire: a σχέω pro ἔχω habeo. ¶ 1. Generatim. Plaut. Amph. prol. 116. Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini, Quod ego huc processi sic cum servili schema. Id. Pers. 4. 2. 2. Theatrum lepida condecorat schema. (Ita leg. Priscian. 6. p. 679.; alii rectius: Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam! Subdit vero, veteres sæpe hæc nomina neutra Græcæ terminationis feminine extulisse. et dogmam, diadematn, syrmam, glaucomam

divisa. Hoc idem præcipue locum habet in nominibus propriis femininis, e Græcis nominibus neutri generis derivatis. *V.* ÆMA, EUREMA, LALEMA, MELEMA, NEUMA, PHILEMA, TOREUMA et ZETEMA) *Næv.* apud *Non. p.* 225. 3. *Merc.* Pergite thyrsigeræ Bacchæ modo Bacchico cum schemate. *Auct. verb. Achill. Wernsd. t.* 4. præsaga creatrix Subducens fatis alieni schemate sexus etc. ¶ 2. Speciatim figura, species, *modo, atteggiamento, figura. Sueton. Tib.* 43. Ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset. *Cæcil.* apud *Priscian. loc. cit.* Filius in me incedit satis hilari schema. *Vitruv.* 6. *præf. init.* Aristippus philosophus, naufragio quum ejectus ad Rhodiensium litus, animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse dicitur: bene speremus. hominum enim vestigia video. *Id.* 8. 6. Sphæroides schema. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 6. 51. Schema jacendi. ¶ 3. Item figura dicendi apud rhetores. quia est veluti habitus et ornatus et conformatio orationis. *Cic. Brut.* 37. *extr.* Σχήματα quæ vocant Græci, ea maxime ornant oratorem: eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. *Quintil.* 9. 1. 14. Intuendum est, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: uno, qualiscumque forma sententiæ, sicut in corporibus, in quibus, quoquo modo sint composita, utique habitus est aliquis: altero, quod proprié schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio. *Id.* 4. 5. 4. Schemata non injucunda. *Id.* 9. 1. 27. assimulata et arte composita. *Martial.* 3. 68. Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam. *h. e.* non tecte et per figuram, sed verbis propriis apertisque. *Petron. Sat.* 126. Frigidum schema. *et fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Schemas loqui. *parlar figuratamente.* et *Ennod.* 3. *Epigr.* 10. Mascula rhetorico schemate lingua tonet. ¶ 4. Præterea *schemata* appellantur, quæ præsertim a poetis, contra legem loquendi dicuntur in carmine. *Quintil.* 1. 5. *a med.* Quædam et faciem solœcismi habent, et dici vitiosa non possunt; ut tragœdia Thyestes, et ludi Floralia: quamquam hæc sequenti tempore interciderunt, numquam aliter a veteribus dicta. Schemata igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poetas, sed oratoribus quoque permissa etc Hæc *Quintil.* Adde *Charis.* 4., ubi distinguit schema lexeos a schemate dianœas, et *Diomed.* 2. *p.* 446. *et* 449. *Putsch.* V. METAPLASMUS. ¶ 5. Est etiam peculiaris appellatio figuræ cujusdam oratoriæ, quæ et *emphasis*, et *figura* dici potest. *Quintil.* 9. 2. *a med.* Jam ad id genus, quod et frequentissimum est, et exspectari maxime credo, veniendum est: in quo per quamdam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus· non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ· sed aliud latens et auditori quasi inveniendum. quod jam fere solum schema a nostris vocatur, et unde controversiæ figuratæ dicuntur. Ejus triplex usus est: unus, si dicere palam parum tutum est· alter, si non decet: tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, et ipsa novitate ac varietate magis, quam si relatio sit recta, delectat. *V.* FIGURA. ¶ 6. *Controversiae,* quæ hac figura scribuntur, *figuratæ* et *schemata* appellantur. *Seneca* 1. *Controv. proœm. in fin.* Schemata negabat decoris causa inventa, sed subsidii, ut quod palam aures offensurum esset, si palam diceretur, id oblique et furtim subreperet. *V* FIGURATUS.

SCHĒMĂTĪCĒ, adverb. σχηματικῶς, figurate. *Non. p.* 334. 5. Plautus schematice: Nam pater suus numquam cum illa etiam limavit caput. *Schematice* pro *Scematico*, quasi sic inscripta fuisset aliqua ejus fabula, legit *Lips. Epist. Quæst. l.* 1. *c.* 18., qui putat, *schematice* a *Nonio* additum, ut nos moneret, figurate a *Plauto* dictum *limare caput* pro συνουσιάζειν. Ita vero edidit *Bothe*, sicut etiam alibi legitur *scænice, dulice, comœdice*: at *Mercerius* Scematico.

SCHĒMĂTĪCUS, a, um, adject. (schema) ad schema pertinens. *V.* SCHEMA.

SCHĒMĂTISMUS, i, m. 2. σχηματισμός, *parlar figurato*, ratio loquendi per schemata et figuras: Græca vox. *Quintil.* 1. 8. *ad fin.* V. METAPLASMUS et SCHEMA.

SCHESIS, is, f. 3. σχέσις, schema quoddam. *Jul. Ruf. p.* 51. — *Schesis onomaton* apud *Sacerd.* in *Analect. gramm. p.* 35. Adde *Bedam* in *Antiq. Rhet. p.* 377. *Capperon.* et V. *Diomed.* 11. *p.* 441. 26.

SCHĬDA. *V.* SCHEDA.

SCHĬDĬA, æ, f. 1. σχίδιον, *scheggia, frammento*, tum ligni aut marmoris, quod fabri cædendo aut sculpendo dejiciunt: a σχίζω, findo. In plur. num. *Vitruv.* 2. 1. *ante med.* Intervalla, quæ relinquuntur propter crassitudinem materiæ, schidiis et luto obstruunt. *Id.* 7. 10. Sarmenta aut tædæ schidiæ comburantur.

SCHĪNĪNUS et schœninus, a, um, adject. (schinus) ad schinum pertinens. *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 111. *retro.* Schininum oleum.

SCHĪNUM, i, n. et

SCHĪNUS vel schinos, i, f. 2. σχῖνος, lentiscus. *Vulgat. interpr. Dan.* 13. 54. Dic sub quanam arbore videris eos colloquentes sibi; qui ait, sub schino. — Neutr. gen. apud *Isid.* 17. *Orig.* 9. 11., ubi alii leg. *squinum.* V. Bot. loc.

SCHIRRŎSIS. *V.* SCIRROSIS.

SCHISMA, ătis, n. 3. σχίσμα ¶ 1. Scissura, *scisma*: et translate, dissensio, discordia: a σχίζω, scindo, findo, divido. *Tertull. Præscript.* 5. Apostolus dissensiones et schismata increpat. Adde *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 19. et 30. ¶ 2. Apud Musicos unum ex intervallis minoribus semitonio. *V.* DIASCHISMA.

SCHISMĂTĬCUS, i, m. 2. σχισματικός, *scismatico*, dissentiens, et dissentientibus adhærens. *Augustin. de quæst. XVII. in Matth. quæst.* 11. Schismaticos non fides diversa facit, sed communionis disrupta societas.

SCHISTOS, a, um, adject. σχιστός, fissilis, et scissilis: a σχίζω, findo, divido. ¶ 1. *Schistos lapis*, σχιστὸς λίθος, genus lapidis hæmatitæ similis, sic dictus est, quia si frangatur, in minutissimas schidias abit: nunc *broccatello antico*, ut probat *Corsi* (*Delle pietre ant. p.* 115). Ejus meminit *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (124). et 33. *ibid.* 4. 25. (84). et 36. *ibid.* 20. 37. (131). ¶ 2. *Schistum lac*, σχιστὸν γάλα, lac a sero divisum. Fit autem hoc modo. Fictili novo fervet caprinum maxime, ramisque ficulneis recentibus miscetur, additis totidem cyathis mulsi, quod sint heminæ lactis. Quum fervet, ne circumfundatur, præstat cyathus argenteus cum frigida aqua demissus, ita ne quid infundat: ablatum deinde igni refrigeratione dividitur, et discedit serum a lacte. Hæc *id.* 28. *ibid.* 9. 33. (126). *Theod. Priscian.* 2. 18. Lac bubalum schiston juvat. ¶ 3. *Schistum alumen*, σχιστὴ στυπτηρία, genus aluminis fissilis, et in capillamenta quædam canescentia dehiscentis. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (79). et 35. *ibid.* 15. 52. (186). Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 103. ¶ 4. *Schista cæpa*, σχιστὸν κρόμμυον, inter cæparum genera enumeratur ab *eod.* 19. *ibid.* 6. 32. (102). Eam, inquit, hieme cum coma sua relinquunt, vere folia detrahunt, et alia subnascuntur iisdem divisuris. unde et nomen. ¶ 5. *Schista ova.* V. SITISTUS.

SCHŒNANTHUS vel schœnanthos, i, m. 2. Aliæ formæ *schoinuanthos, schœnuanthos, schœnoanthos, squinanthos, squinantus* et *squinantium.* — Schœnanthus est flos junci odorati, *squinanto*: a σχοῖνος, juncus, et ἄνθος, flos. Ejus mentio in medicina habetur apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 72. (120)., ubi *juncus odoratus* vocatur. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. *a med.* Schœnanthi unciæ quattuor. ubi corrupte *squinunanthos*, unde Italorum *squinanto.* et *Pelagon. Veterin.* 6. *ad fin.* Ad tussem, schœnanthi P. XIIII., opobalsami P. XIII. *etc.* Adde *ibid.* 28. *ab init.*, apud quem priore loco *schœnuanthos*, in altero *scyrmanthos.* et *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ante med.*, ubi leg. *squinantus.* et *Veget.* 1. *Veterin.* 59. Schœnanthi semuncia. Adde 3. *ibid.* 40., apud quem *scinoanthos.* Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 315. et *Plin. Valerian.* 2. 17., apud quos *squinantium.*

SCHŒNĬCŬLÆ, ārum, f. plur. 1. (schœnus) *Schœniculas*, inquit *Fest.*, appellare videtur meretrices Plautus propter usum unguenti schœni, quod est pessimi generis. Itaque dixit: Diobolares, schœniculæ, cum extritis (*al.* extortis) talis, cum todillis crusculis (*al.* crocotilis crusculis). Idem (*Pœn.* 1. 2. 54.) Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, schœno delibutas, servilicolas (*al.* servulicolas) sordidas. *Varro* 7. *L. L.* 64. *Müll.* Diobolares, schœniculæ, miraculæ. Diobolares, a binis obolis: schœniculæ, ab schœno, nugario unguento. ubi *Bothe* scœno.

SCHŒNĪNUS, a, um. *V.* SCHININUS.

SCHŒNŎBĂTES, æ, m. 1. σχοινοβάτης, *chi cammina sulla corda*, funambulus, qui per funes ludendo graditur: a σχοῖνος, funis, et βαίνω, eo, incedo. *Juvenal.* 3. 77. Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia novit. *Inscript.* apud *Gruter.* 332. 7. (*Orell.* 2592.) et 768. 4. D. M. CASSIAE PEREGRINAE INTEGR. FAM. (*h. e.* integræ famæ) VIX. AN. XXVII. FL. RISIVS SCENOB. (*sic pro* schœnobates) SARD. CONIVGI B. M. P. I. (*h. e.* bene merenti ponendum jussit.) In loco posteriore perperam scribitur s M. P. I.

SCHŒNŎBĂTĬCUS, a, um, adject. σχοινοβατικός, ad schœnobaten pertinens, ut Ars schœnobatica, exercitium funambulorum. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *sub fin.* Ego qui scirem, Q. Pompejum Baulis schœnobaticam facere, et usque eo, ut ego misererer ejus esuriei. Plerique tamen rectius leg. *empeneticam*, quam vocem vide suo loco.

SCHŒNUM, n. et

SCHŒNUS vel schœnos, i, m. 2. σχοῖνος, juncus, frutex, cujus varia sunt genera, apud *Plin.* 21. *Hist. nat. c.* 18., inter quæ odorati usus est vinis condiendis, et cuidam viliori unguento faciendo.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 105. Schœnum et calamum in dolium infundito, ut odoratum siet. *Colum.* 12. *R. R.* 20. Odores vino fere apti sunt, qui cum defruto coquuntur, iris, fœnum Græcum, schœnum. Adde *ibid.* 51. Est idem ac schœnanthus. V *Cæl. Aurel. loc. cit.* in TRIPTICUS.

II.) Metonymice ¶ 1 Unguentum de quo *V.* in SCHŒNICULÆ. ¶ 2. Funis, vel nassa e junco *Plaut. Rud.* 2. 1. 5. Hice schœni, atque hi arundines sunt nobis quæstu et cultu. Alii leg. *hami.* ¶ 3. Item mensura viarum apud Persas et Ægyptios, quattuor aut quinque milliaria continens. Cf. Italorum *pertica.* *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (124). Persæ schœnos et parasangas, alii alia mensura, determinant. *Id.* 12. *ibid.* 14. 30. (53). Schœnus patet. Eratosthenis ratione, stadia quadraginta, hoc est passuum quinque millibus: aliqui triginta duo stadia singulis schœnis dedere. Adde 5. *ibid.* 10. 11. (63). Hinc *trischœnus*, τρίσχοινος, tres schœnos continens. *Id.* 5. *ibid.* 24. 20. (85). Euphrates Arabiam et Commagenem disterminat trischœna mensura.

SCHŎLA, æ, f. 1. *Scola* invenitur in MSS. et Inscriptt.: V. *Inscript. Neap.* 2227. et *Revue archeol.* 1865. in Dec p. 431.; et etiam *escola* (unde Fr. *école*) in *Inscript.* apud *Rossi*, *Rom. sotterr. T.* 1. *p.* 320. — Schola, proprie otium, requies (Cf. *Vitruv. loc. cit.* § 6.): a σχολή, quod idem significat (unde et σχολάζω, cesso a labore, cunctor) et conjungi potest cum v. σχεῖν, tenere, retinere, apud Latinos dicta est, ut ait *Fest.*, non ab otio ac vacatione omni, sed quod, ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueri debent: est itaque litteraria occupatio, erudita disputatio, doctrinæ explicatio, *letterario esercizio, trattenimento erudito, disputa, insegnamento letterario o scientifico.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 1. Ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 8. Scholas Græcorum more habere. (Cf. *Auson. Edyll. loc. cit.*) *et ibid. a med.* Itaque dierum quinque scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli. et 3. *ibid.* 34. 81. Certæ scholæ sunt de exsilio. *Id. Pis.* 25. 60. Vertere se ad alteram scholam. *Quintil.* 3. 6. 59. Velut regestæ in hos commentarios scholæ. *h. e.* disputationes rhetoricæ. Alii interpr. de discipulis. *Id.* 3. 1. 14. Scholæ pomeridianæ.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice *schola* sæpius est locus, in quo liberalibus studiis sub magistro operam damus, ludus litterarius, gymnasium, διδασκαλεῖον, γυμνάσιον, σχολή (It. *scuola, ginnasio, accademia;* Fr *école, lieu ou l'on enseigne, académie;* Hisp. *escuela, gimnasio, academia;* Germ. *Schule, Collegium, Academie;* Angl. *school, school-house, academy*). *Auson. Edyll.* 4. 6. Grajo schola nomine dicta est, Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis. *Cic.* 2. *Off.* 25. *in fin.* Sed de toto hoc genere commodius a quibusdam ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. *Id.* 2. *Orat.* 7. 28. Hominem audietis de schola atque a magistro, et Græcis litteris eruditum. *Id. Pis.* 25. 59. Homo politus e schola. *Martial.* 3. 20. An otiosus in schola poetarum Lepore tinctos Attico sales narrat? Alii hoc dictum speciatim volunt de loco, in quem ad poetarum carmina recitanda conveniebatur. *Sueton. Gramm.* 16. Scholam aperire *aprire scuola,* magistri munus suscipere. et *ibid.* 6. et 18. dimittere. *h. e.* munus docendi deponere. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 2. 6. (11). Sedere in scholis auditioni operatos, gratius erat. *Val. Max.* 1. 8. *n.* 17. Scholam adire. *Quintil.* 12. 2. 23. Scholæ rhetorum, Academiæ spatia. *Id.* 2. 1. 3. Schola minor. *Id.* 5. 13. 36. In scholis et in foro. *Id.* 2. 3. 10. In scholis et domi. — Quam memorat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (114). et 36. *ibid.* 5. 4. (22). scholam in Octaviæ porticibus, fuit statio quædam instar ludi litterarii, in quam conveniebant philosophi et eruditi homines disputandi et colloquendi causa, quamque Græci λέσχην, nostrates *casino* vocant: huc spectat *Inscript.* apud *Orellium n.* 344. C. FLAVIO CAMILLO II. VIR. COL. HELV. FLAMINI AVGVSTI QVEM ORDO PATRONVM CIVITATIS COOPTAVIT EIQVE OB MERITA EIVS ERGA REM PVBLICAM SCHOLAM ET STATVAS DECREVIT VICANI EBORVDONENSES AMICO ET PATRONO. ¶ 2. Dicitur et de ipsis discipulis, et sectis addiscentium. *Cic.* 1. *Orat.* 13. 56. Clamabunt omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (6). Dissederunt hæ diu scholæ: et omnes eas damnavit Herophilus. *Id.* 14. *ibid.* 7. 9. (76). Exoleyit et protagion, quod Italicis proximum fecerant Asclepiadis scholæ. ¶ 3. *Schola* erat etiam locus exercitii militaris. *Iscr. di M. Lolliano p.* 27. (*Orell.* 3300.) SCHOLA ARMATVR. *h. e.* armaturarum. *V.* ARMATURA. ¶ 4. Dictæ sunt etiam *scholæ*, corpora sive ordines varii generis hominum, uni eidemque officio addictorum, ut Scholæ agentium in rebus, domesticorum, militum in Palatio apparentium, quæstorum etc. *Impp. Arcad. Honor. et Theodos. Cod.* 12. 20. 20. Nullus de schola agentium in rebus de cetero locum mortui conetur invadere *Impp. Theodos. et Valentinian. ibid.* 17. 2. Primicerius domesticorum et protectorum utriusque scholæ. *Ammian.* 14. 7. 11. Scholæ Palatinæ et protectorum. *Coripp.* 3. *Laud. Justin.* 158. Acciti proceres omnes, schola cuncta Palati Jussa suis adstare locis. *Justinian. Cod.* 4. 65. 35. Milites appellamus tam eos, qui sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui undecim devotissimis scholis taxati sunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 169. 7. SCHOLA SPECVLATORVM LEGIONVM I. ET II. ADIVTRICVM PIARVM FIDELIVM etc. *V.* SCHOLARIS et SCUTARIUS. — Hinc *comites scholarum*, qui scholis Palatinis præerant. *Cod. Theod.* 6. 12. Cf. COMES. ¶ 5. Eodem nomine appellata sunt ædificia, in quæ ejusmodi corpora conveniebant. *Inscript.* apud *Gruter* 170. 3. C. AVILIVS LICINIVS TROSIVS CVRATOR SCHOLAM DE SVO FECIT. BERYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS CVR. SCRIBIS LIBRARIIS ET PRAECONIBVS AED. CVR. SCHOLAM AB INCHOATO REFECERVNT MARMORIBVS ORNAVERVNT VICTORIAM AVGVSTAM ET SEDES AENEAS ET CETERA ORNAMENTA DE SVA PECVNIA FECERVNT Adde 169. 5. Alia apud *Reines. cl.* 2. *n.* 17. COLL. CENTONARIOR. SCHOLAM CVM AETOMA PECVNIA SVA FECIT. *V.* AETOMA. Adde *cl.* 1. *n.* 273. Huc pertinent Schola quæstorum (de qua videtur esse Inscriptio modo allata) et Schola Galli et Capulatorum, quæ fuerunt in tertia regione Urbis, ut est apud *Sex. Ruf.* et *P. Victor.* Schola Galli nomen habuisse videtur ab eo, qui exstruxit: Capulatorum, ab distributoribus olei, quod publice Romam quotannis advehebatur. *V.* OLLA et *Vales.* ad *Ammian. loc. cit.* — De schola *carrucarum* in *Inscript.* apud *Orell.* 4121. et 4924. V. *Zirardini* ad *Leg. nov. p.* 451. et CARRUCA. ¶ 6. Metaphorice *scholæ bestiarum* dicuntur amphitheatrales ludi, seu ipsum amphitheatrum, in quo ipsa certamina edebantur. *Tertull. Apolog.* 35. Testis est Tiberis et scholæ bestiarum. *h. e.* Tiberis, in quem rei conspirationis in principem merguntur, et certamina ferarum, quibus iidem laniandi objiciuntur. ¶ 7. In balneis *schola* fuit locus, puta spatiosi margines, aut porticus circa labrum, ut conjicit *Mercurial. l.* 1. *art. gymnast. c.* 10. *ante med.*, ubi otiosi consistebant exspectantes, dum alii lavarent, qui priores locum occupaverant, *camera termale. Vitruv.* 5. 10. *ad fin.* Magnitudines balnearum sint ita compositæ: quanta longitudo fuerit, tertia dempta, latitudo sit, præter scholam labri et alvei. Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut quum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui stare possint. Adde *Inscript. Neapol.* 2227. ¶ 8. In *Inscript.* apud *Reines. cl.* 16. *n.* 53. (*Orell.* 4542.) *Schola ollarum* est ordo seu series ollarum sepulcralium. *V.* OLLA. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

SCHŎLĀRIS et scolaris, e, adject. (schola) ¶ 1. Est, qui ad scholam pertinet, *di scuola. Capell.* 3. *sub fin.* Scholaria inchoamenta *Id.* 5. *p.* 139. monitus. *Hieronym. Ep.* 36 *n.* 14. declamatio. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 16. murmur. *Inscript.* apud *Orell.* 1183. otium. ¶ 2. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11. 18. 1. et *Cod. Justin.* 12. 38. 14. et rursus *Cod. Theod.* 7. 4. 34. appellant *scholares* milites cohortium custodiæ sacri Palatii deputatarum. *Sulpic. Sever. Vita S. Martin.* 2. Inter scholares alas sub Constantino militavit. *V.* voc. præc. Alii aliter interpretantur.

SCHŎLASTĬCA, ōrum. *V.* SCHOLASTICUS.

SCHŎLASTĬCE vel scolastice, adverb. (scholasticus) idem quod rhetorice. *Sulpic. Sever. Dial.* 1. 4. Adde *Anecd. Helv. p.* 54. 21. *Hag.*

SCHŎLASTĬCŬLUS vel scolasticulus, i, m. 2. (scholasticus) *deminut. a* scholasticus. *Cassiod. de orat.* 1. ed. *Garet.* Unde derivativa et deminutiva veniunt, ut schola, scholasticus, scholasticulus. ubi et scholasticellus et scholasticellulus. *Charis.* 2. *p.* 128. *Putsch.* Ut montanus montaniculus, scholasticus scholasticulus. *Donat. Art. gramm.* 2. *p.* 1723. *Putsch.* eadem habet.

SCHŎLASTĬCUS vel scolasticus, a, um, adject. σχολαστικός, *da scuola, scolastico, rettorico, oratorio,* ad scholam pertinens: præcipue ad oratorias declamationes, et eloquentiæ studium. *Gell.* 15. 1. Scholasticæ declamationes. *Tac. dial. de Orat.* 14. *in fin.* controversiæ. *Varro* apud *Non. p.* 452. 1. *Merc.* aures. *Quintil.* 11. 1. *a med.* materia. *h. e.* de qua disputatur in scholis. *Plin.* 2. *Ep.* 20. *a med.* Sufficiunt duæ fabulæ, an scholastica lege tertiam poscis. *h. e.* lege et more otiosorum hominum etiam insuper poscis. *Id.* 9. *Ep.* 2. Nisi forte volumus scholasticas tibi atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere. — Hinc

Scholastica, ōrum, n. plur. 2. absolute, declamationes, controversiæ rhetoricæ, materia rhetorica. *Quintil.* 4. 2. 30. In scholasticis nonnumquam evenit, ut pro narratione sit propositio. *Id.* 7. 1. *ante med.* Nam quædam in scholasticis ponuntur ad conjungendam modo actæ rei seriem.

Scholasticus, i, m. 2. absolute ¶ 1. Est qui declamatoribus, et eloquentiæ in scholis, seu exhedris in porticu gymnasii alicujus dat operam. *rettorico, scolare. Petron. Sat* 6. Ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus. et *ibid.* 10. Quis tamquam scholastici ad cœnam promisimus. *scil* quia solebant declamatores, quo plures auditores haberent, cœnas aliquando exhibere. *Quintil.* 12. 11. *circa med.* Cognoscere enim, et præcepta vivendi perdiscere, et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Adde *Tac. dial. de Orat.* 15. *extr.* et *ibid.* 42. et *Plin.* 1. *Ep.* 24. ¶ 2. Quicumque est litteris eruditus, doctus liberalibus studiis, elegans moribus, ut solent esse litterarum studiosi, *scholasticus* dici potest. — *a*) Generatim. *Alex. Aurel.* in *ep.* apud *Capitolin. Maximin. jun.* 3. Quamvis ipse adolescens et pulcher et scholasticus, ad Græcas munditias eruditus esse videatur. *Hieronym. Vir. illustr. n.* 99. Serapion ob elegantiam ingenii cognomen scholastici meruit. *Sulpic. Sever. dial.* 1. 9. et *dial.* 2. 10. *a med.* Nam quia scholasticus es, non immerito te versu Comici illius (*Ter. Andr.* 1. 1. 41.) admonebo. Obsequium amicos, veritas odium parit. *Veget.* 3. *Veterin. proœm.* Libelli erit præcipua felicitas, si eum nec scholasticus fastidiat, et bubulcus intelligat. *Apul.* 2. *Met.* Heus tu, scholastice, ait (*nempe* ancilla, cui ille savium impegerat), dulcem et amarum gustulum carpis. *h. e.* simplex et imperite rerum humanarum: cujusmodi sunt qui in schola adhuc et umbraticis litteris versantur. Adde *Virg. Cat.* 7. 4. — *b*) Speciatim sic etiam appellatur rhetor, quamdiu in scholis et in privata umbra causas agit declamando. *Sueton. Rhet.* 6. *de C. Albut. Silo.* Declamabat autem genere vario: modo splendide atque adornate: tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide et tantummodo trivialibus verbis. *h. e.* ne videretur meditata afferre, et ex scripto, ut sæpe faciunt scholastici eloquentiæ studiosi: cupiebat credi, se dicere scire etiam ex tempore. (Adde *Senec.* 3. *Controv. præf.*) *Plin.* 2. *Ep.* 3. Annum sexagesimum excessit, et adhuc scholasticus tantum est. quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. *Tac. dial. de Orat.* 35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scœnas scholasticorum, qui rhetores vocantur, etc. *scœnas* dicit, quia fictæ causæ in scholis agitabantur, quemadmodum in scæna fictæ fabulæ. — Quum vero hujusmodi rhetores in eloquentia exercenda plurimum proficerent, et legales formulas apprime callerent, hinc sæpe in præsidum prætoriis aderant reis et litigatoribus, et pro iisdem supplices libellos imperatori seu judici afferendos scribebant, ac propterea advocatorum munia sustinebant. *Augustin. Tract.* 7. *in Joann.* Qui habent causam, et volunt supplicare imperatori, quærat aliquem scholasticum jurisperitum, a quo sibi preces componantur, ne forte, si aliter petierit quam oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed et pœnam pro beneficio consequantur. *Imp. Constantius Cod Theod.* 8. 10. 2. Nec latet mansuetudinem nostram, sæpissime scholasticos ultra modum acceptis honorariis, in defensione causarum omnium et annonas et sumptus accipere consuesse.

SCHŎLASTĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SCHŎLIASTES, æ, m. 1. σχολιαστής, scriptor scholiorum, interpres: Græca vox, a σχολιάζω, scholiis illustro, ut Scholiastes Horatii, Juvenalis etc.

SCHŎLĬCUS vel scolicus, a, um, adject. σχολικός, *di scuola,* ad scholam pertinens. *Gell.* 4. 1. Ostentabat quispiam grammaticæ rei doctor scholica quædam nugalia. *Varro* apud *Non. p.* 452. 1. *Merc.* Scholasticis fartis auribus scholica dape, atque ebriis. *Capell.* 4. *p.* 94. Scholicum axioma.

SCHŎLĬON, ii, n. 2. σχόλιον, Græca vox, a σχολή, schola: breve scriptum, disputationem, interpretationem significans. *Cic.* Græce usurpat 16. *Att.* 7. et ipse *Atticus ibid.*

SCHUTĀTUM. *V.* SCYTATUM.

SCĪA, æ, f. 1. ἰσχίον, idem ac coxa. *Plin. Valerian.* 2. 33.

SCĬADE, es, f. 1. (scia) ischias, *sciatica. Sext. Placit. de Medic.* 23. 2.

SCĬĂDEUS, i, m. 2. piscis marinus mas, σκιαδεύς, cujus femina sciæna, σκίαινα, dicitur. No-

men habent a σκιά, umbra. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). *V.* UMBRA.

SCĬÆNA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SCĬAGRĂPHĬA *vel* sciographia, æ, f. 1. σκιαγραφία, *disegno di qualche fabbrica, abbozzo, modello*, adumbrata descriptio ædificii: a σκιά, umbra, et γράφω, scribo. Differt ab ichnographia, quæ est descriptio solius areæ seu plani: et ab orthographia, quæ frontis tantummodo erectam imaginem repræsentat: at sciagraphia totum per umbras et lineamenta describit corpus ædificii. *Vitruv.* 1. 2. Sciagraphia est frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus. Alii leg. *sciographia:* alii vero rectius *scænographia*, h. e. universi tecti deformatio: a σκηνή, vel σκῆνος, tabernaculum, tentorium, quia in ea totum ædificium cum suo tecto describitur.

SCĬAMĂCHĬA. *V.* SCIOMACHIA.

SCĬAPŌDES. *V.* SCIOPODES.

SCĬAS, ădis, f. 3. genus piscis marini. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151)., ubi *Sillig.* solas.

SCĬĀTĬCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SCĬĀTĬCUS, a, um, adject. (scia) ischiadicus. *Boeth. Music.* 1. 1. p. 1375. Quos schiatici (*leg.* sciatici) dolores vexabant. Adde *Plin. Valerian.* 2. 37. et 4. 12. — Hinc

Sciaticum, i, n. 2. absolute est idem quod ischias. *Apul. Herb.* 24.

SCIBBŌLETH. *V.* SIBBOLETH.

SCĪBĬLIS, e, adject. (scio) *scibile*, qui scientia comprehendi potest. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 16. Non omnibus scibilis. *Capell.* 4. p. 111. Alicuius rei scibilis scientia est.

SCĬDA. *V.* SCHEDA.

SCĬENS, entis, particip. *V.* SCIO.

SCĬENTER, adverb. (sciens) Comp. *Scientius;* Sup. *Scientissime.* — Scienter ¶ 1. Est sciendo, non ignoranter, data opera, de industria. *Plin. Paneg.* 64. Expressit verba, quibus caput suum, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. Adde *Augustin. contra duas ep. Pelag.* 3. et 47. et *contra Jul. Pelag.* 5. ¶ 2. Sæpius est scite, intelligenter, *saputamente*, εἰδότως, ἐπιστημόνως. *Cic.* 1. *Orat.* 29. 132. Ut iis, quæ habeant, medice et scienter utantur. *Id.* 2. *ibid.* 2. 5. Bene dicere est scienter et perite et ornate dicere. *Nepos præf.* Saltare commode scienterque tibiis cantare. *Gell.* 17. 5. *a med.* Perite et scienter dicere aliquid. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Galli aggerem cuniculis subtrahebant, eo scientius, quod apud eos omne genus cuniculorum notum atque usitatum est. *Cic.* 1. *Divinat.* 41. *a med.* Etruria de cælo tacta scientissime animadvertit. *Id. Orat.* 52. 175. Neminem in eo genere scientius versatum Isocrate confitendum est. *Id.* 2. *Off.* 5. *sub fin.* Moderate et scienter uti aliqua re. *et* 1. *Orat.* 29. 132. Modice et scienter.

SCĬENTĬA, æ, f. 1. (scio) ¶ 1. In sing. num. — 1.°) Subjective, ut ajunt, est actus sciendi, cognitio, intelligentia, notitia, ἐπιστήμη (It. *saputa, cognizione, notizia, pratica;* Fr. *science, connaissance;* Hisp. *ciencia, conocimiento;* Germ. d. *Wissend, d. Wissen,* d. *Kenntniss;* Angl. *knowlegde, science, skill, expertness*). — a) Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 23. *in fin.* Notabo singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestræ scientiæ. *dir quanto voi ne sapete.* et 1. *Off.* 6. 18. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem. *et ibid. in fin.* Omnis cogitatio motusque animi in studiis scientiæ cognitionisque versatur. *Id.* 4. *Herenn.* 41. *a med.* His in unum locum collatis, certam sumere scientiam, non suspicionem maleficii. *Id. leg. Manil.* 10. *extr.* Hoc meam scientiam fugit. *nol so.* et *Tac.* 3. *Ann.* 69. Neque posse principem sua scientia cuncta complecti. *Vulgat. interpr. Ps.* 138. 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me (*h. e.* præ me, super me), et non potero ad eam. *h. e.* admirabilior, vel sublimior est tui cognitio, quam ut eam assequi possim. — In plur. num. *Id.* 1. *Reg.* 1. 3. Deus scientiarum. *h. e.* scientissimus, omnium sciens, quæ a nobis aguntur, et intra nos latent. — b) Cum Genet. rei, quam quis scit. *Cic.* 1. *Orat.* 14. 60. Regionum terrestrium et maritimarum scientia. *Hirt.* 8. *B. G. procem.* Commentarii sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Iis difficultatibus duæ res erant subsidio, scientia atque usus militum. *Tac.* 16. *Ann.* 17. Mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur. *h. e.* conscios fuisse conjurationis patrem simul et filium. — c) Cum Genet. personæ, quæ scit, et Ablat. rei, quam quis scit, cum præpos. *de. Cic. Sull.* 13. *in fin.* Cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo purgatio debet videri. — 2.°) Objective, uti ajunt, est doctrina, eruditio, facultas in aliqua arte liberali (It. *scienza;* Fr. *science, erudition, savoir, instruction;* Hisp. *ciencia, erudicion, doctrina;* Germ. *d. Wissenschaft, Gelehrsamkeit;* Angl. *erudition, learning*). — a) Absolute. *Cic.* 6. *Fam.* 22. *a med.* Memoria et scientia multa comprehendere. *Id.* 1. *Orat.* 14. 59. Promere quippiam ex obscuriore aliqua scientia. *Id.* 1. *Nat. D.* 33. 91. Enumerasti memoriter et copiose (ut mihi quidem admirari liberet, in homine esse Romano tantam scientiam) usque a Thale Milesio de natura deorum philosophorum sententias. *erudizione.* et *Quintil.* 1. 4. 6. Exercere altissimem eruditionem ac scientiam. *Id.* 2. 15. 33. Scientia civilis. *Varro Sat. Menipp.* p. 91. *Oehl.* multiplex. *Id.* 2. 21. 24. consummata. *Id.* 5. 10. 119. muta quædam. *Id* 1. 4. 27. trivialis. *Horat. Epod.* 17. 1. Jam jam efficaci do manus scientiæ. *h. e.* veneficio, maleficio. Rursum *Cic.* 1. *Orat.* 20. 92. Quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis obscura opinio. *Id.* 1. *republ.* 2. 2. Etsi ars, quum ea non utare, scientia tamen teneri potest. *teoria. Id.* 1. *Divinat.* 1. 2. Diuturna observatione alicujus rei scientiam efficere. — b) Cum Genetivo. *Cic.* 1. *Divinat.* 41. 91. Magorum disciplinam scientiamque percipere. *Id.* 1. *Orat.* 6. 20. Omnium rerum atque artium scientiam consequi. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. Tenere medicinæ scientiam. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 36. Ars, quæ verborum aut faciendorum aut deligendorum scientiam profitetur. *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Habere scientiam rei militaris. *Sall. Jug.* 67. Scientia militiæ. *Justin.* 2. 4. 17. belli. *Quintil.* 7. 3. 6. bene dicendi. *Id. ibid.* 2. 12. declamandi. *Id.* 8. 6. 26. armorum. *Id.* 12. 11. 21. liberalium disciplinarum. *Id.* 2. 15. 36. civilium officiorum. *Vellej.* 2. 79. 2. militaris et maritimæ rei. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. *extr.* Neque serendi, neque colendi, nec demetendi, neque condendi fructus ulla pecudum scientia est. et 1. *Legg.* 6. 18. Scientia juris civilis. — *Scientia voluptatum* apud *Tac.* 16. *Ann.* 18. est intelligentia earum rerum, quæ luxu constant, et corpori voluptatem cibis, sonis, unguentis, turpibus oblectationibus afferunt. — c) Cum Ablativo, et præpos. *in. Cic.* 9. *Phil.* 5. 10. Admirabilis et incredibilis scientia in legibus interpretandis. — 3.°) Item dicitur de artibus mechanicis et fabrilibus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (46). Ea statua indicavit, interiisse fundendi æris scientiam, quum Zenodorus scientia fingendi cælandique nulli veterum postponeretur. *Id.* 35. *ibid.* 12. 44. (153). *de plastice.* Quo apparet, antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi æris. — Ceterum unum ab altero usu semper haud facile distinxeris. ¶ 2. In plur. num. *Cic. Senect.* 21. *a med.* Quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem. *Vitruv.* 3. *præf.* Scientias artificiorum penitus latentes judicare. *Arnob.* 2. p. 55. Quod si haberent scientias animæ. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 30. Scientiæ artium variarum. *Jul. Valer.* 2. 13. Scientiarum artes.

Homonym. Ita differt *scientia* a *notitia* et *cognitione*, ut hæc sit quodammodo exterior, illa intima rei notio, aut hæc rei simplex perceptio, illa penitior ac certior notio seu intelligentia. *Cic. Senect.* 4. 12. Quanta notitia antiquitatis! quanta scientia juris Romani. et 3. *Orat.* 33. 136. Nulla cognitione rerum, nulla scientia. Adde 1. *Fin.* 19. 64. et 1. *Off.* 61. 9.

SCĬENTĬĀLIS, e, adject. (scientia) ad scientiam pertinens, scientificus. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 10. p. 530. Si autem idem est interrogatio syllogistica et propositio contradictionis, propositiones autem sunt secundum unamquamque scientiam, ex quibus est syllogismus, secundum unamquamque erunt utique aliquæ interrogationes scientiales, ex quibus qui est secundum unamquamque proprius fit syllogismus.

SCĬENTĬĀLĬTER, adverb. (scientialis) scienter, secundum scientiam. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 5. Illud in animo numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter compos est numeri, ut non partibus, sicut corpus, numerosa sit, sed ipsum dignoscat, et secundum eumdem judicet numerum.

SCĬENTĬFĬCUS, a, um, adject. (scientia *et* facio) ad scientiam pertinens, ἐπιστημονικός. *Boeth.* est, quoniam *Aristot. Analyt. post.* 1. 7. p. 527. Manifestum de iis, quæ sunt per se, scientificæ demonstrationes sunt.

SCĬENTĬŎLA, æ, f. 1. (scientia) *deminut.* a scientia, parva scientia. *Augustin.* 11. *Civ. D.* 31. Vereor, ne scientiolam nostram leviter magis quam utiliter jactare velle videamur. — In plur. num. *Arnob.* 2. p. 56. Parvas concinnavit scientiolas artium.

SCĪLĬCET, adverb. Divise invenitur apud *Lucret.* 2. 809. *Lachmann.* Scire licet sine eo fieri non posse putandum. *Lambinus* tamen leg. *scilicet id sine eo* etc. At idem *Lucret.* 3. 866. Scire licet nobis nil esse in morte timendum. — Vox constat, ut docet *Fest.* p. 343. 20. *Müll.*, ex *scias* vel *scire*, aut potius, ut *Madvigio* ad *Cic.* 5. *Fin.* 1. videtur, ex ipsa radice verbi *scire*, et *licet* (ut *videlicet* ex v. *videre*, et *ilicet* ex v. *ire* et *licet*). V. de hac voce *Stüremburg* ad *Arch.* 11. p. 69. *seqq. ed.* 1., et *Madvig loc. cit.* p. 608. — Scilicet ¶ 1. Generatim idem ac manifestum est, perspicuum est, *è manifesto, è facile a vedere*, δηλονότι, δή, et hoc sensu infinitum post se habet. *Sall. Hist. fragm.* p. 69. *Kritz.* Scilicet eos gratiam ab eo peperisse. *Lucret.* 2. 468. Scilicet, esse globosa, tamen quæ squalida constent, Provolvi simul ut possint, et lædere sensus. Adde *loc.* supra *cit. Plaut. Curc.* 2. 2. 10. Hac nocte in somnis visus sum viderier, procul sedere longe a me Æsculapium. co. item alios deos facturos scilicet. *Id Rud.* 2. 3. 64. Nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum. *Ter. Heaut.* 4. 8. 16. scilicet Datum iri. *non pensare che sarà dato.* Addit *Forcellinus* illud *Sall. Jug.* 4. Scilicet, non ceram illam, neque figuram tantam vim in se habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere. Sed V. *Kritzium* ad *h. l.* ¶ 2. Hinc specialim habet vim affirmandi, et valet certe, profecto, quippe, nempe, nimirum, *certamente, per certo, veramente*, ἀληθῶς, δηλαδή. *Ter. Phorm.* 1. 2. 82. Quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. *Virg.* 2. *G.* 534. Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma. *Plaut. Capt.* 2. 2. 33. Nunc vivat, necne, id Orcum scire oportet scilicet. *Id. Merc.* 2. 3. 40. Quis est iste Peniculus? BROT. Scilicet qui dudum tecum venit, quum pallam mihi detulisti. *colui per appunto che* etc. et *Pseud.* 3. 2. 88. Utrum amicis hodie, an inimicis tuis daturus cœnam? BAL. pol ego amicis scilicet. *Ter. Heaut.* 4. 1. 33. Hoc te obsecro, ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidii. CHRE. scilicet equidem istuc factum ignoscam. *Phædr.* 5. 5. simulans sese vestimentis rusticus Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet. *il che appunto faceva.* et *Cic.* 1. *Q. fr.* 4. *a med.* Si relevare potes communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris. *Id.* 13. *Att.* 10. Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet. *Ter. Eun.* 2. 3. 54. Comites secuti scilicet sunt virginem? CHÆ. Verum, parasitus cum ancilla. Ubi *Donat.*

Interrogative quidem, sed sic, ut scire videatur id quod quærit. — Sequent. *sed.* *Cic.* 5. *Fin.* 1. *ad fin.* Me quidem species quædam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen. ¶ 3. In responsionibus. *Plaut. Asin.* 2. 4. 83. Tam ego homo sum, quam tu. MER. scilicet ita res est. — Per ellipsin. *Ter. Adelph.* 4. 7. 33. Et nova nupta eadem hæc discet? MI. scilicet. *appunto, sì, messersì, gnorsì.* et *Eun.* 5. 9. 10. Fratris igitur Thais tota est? CHÆ. scilicet, *così è.* ¶ 4. Servit ironiæ. *Ter. Andr.* 1. 2. 14. Meum gnatum rumor est amare. DAV. Id populus curat scilicet. *Cic. Rabir. perduell.* 5. 14. Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris: et tibi acerbior ejus patrui mors est, quem numquam vidisti, quam illi ejus fratris, quicum concordissime vixerat. *Virg.* 4. *Æn.* 379. Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. Adde *Cic. Sull.* 24 67. ¶ 5. Interdum quamdam continet amaritudinem et irrisionem cum affirmatione conjunctam. *Cic.* 3. *Q. fr.* 1. 1. *sub fin.* Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur. aliquando perpendiculo et linea discet uti. *Id. Pis.* 9. 19. Ego istius pecudis consilio scilicet, aut præsidio niti volebam? et 4. *Verr.* 58. 142. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium. *Val Flacc.* 3. 673. Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis Nostra salus? ¶ 6. Aliquando habet etiam vim exponendi, seu declarandi, et ponitur pro id est, hoc est, videlicet, *cioè, vale a dire.* *Varro* 10. *L. L.* 18. *Müll.* Prima pars casualis dividitur in partis duas, in nominatus scilicet et articulos. Cf. *ibid* 44. *Sueton. Aug.* 29. Sub nomine alieno, nepotum scilicet et uxoris sororisque. Cf. *Tib.* 14. et *Vesp* 2. et *Gramm.* 4. At *Forcellinus* de hac significatione subdubitat, et, adlatis locis *Cic.* 4. *Fin.* 22. *extr.* Istis tamen alio tempore responsurus sum, tunc scilicet, quum tibi. *D. Brut. ad M. Brut. et Cass.* 11 *Fam* 1. Qua mente esset Antonius, demonstravit, pessima scilicet et infidelissima. *Cic. Senect.* 8. 26. Senectus est operosa, et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. (Add. 6. *Verr.* 12. 27.) hæc, inquit, et alia, si qua afferri solent, commodius et verius ad rationem ac vim affirmandi reducuntur: si exponendum sit aliquid, *videlicet* libentius dixerim. Ceterum, quæ ipse attuli, exempla propositam significationem satis probare ac firmare videntur. ¶ 7. Videtur etiam esse pro quoniam, quia, nam. *Claudian.* 1. *de laud Stil.* 168. Scilicet in vulgus manant exempla regentum, utque ducum lituos, sic mores castra secuntur. Cf. *Virg.* 1. *G.* 282.

SCILLA *vel* squilla, æ, f. 1. σκίλλα, *squilla, scilla.* ¶ 1. Est herba e bulborum genere, immo bulborum nobilissima, ut *Plin.* ait 19. *Hist. nat.* 5. 30. (93)., quæ radicem habet cæparum modo multipliciter tunicatam. Nascitur tam in mari, quam in terra. Græce similiter dicitur σκίλλα, ut errent qui *scylla* scribunt. (*Scilla maritima* Lin.) *Plin. loc. cit.* Nobilissima est scilla, quamquam medicamini data acetoque exacuendo: nec ulli amplitudo major, sicut nec vis asperior. Duo genera medica: masculus albis foliis, femina nigris. Et tertium genus est cibis gratum: epimenidium vocatur, angustius folio ac minus aspero, etc. *Id.* 21. *ibid.* 17. 66. (106). Notabilis est scillæ crocique natura, quod quum omnes herbæ folium primum emittant, mox in caulem rotundentur, in iis caulis prior intelligitur, quam folium. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. enumerat varios ejus, et aceti scillini usus in medicina. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 130. ¶ 2. *Scilla pusilla*, alio nomine pancration, herba est foliis alibi lilii, longioribus crassioribusque, radice bulbi magni, colore rufo. *Id.* 27. *ibid.* 12. 92. (118). ¶ 3. Est hoc nomine et piscis marinus, ex genere τῶν μαλακοστράκων, seu mollium (*V.* MOLLIS), Græce καρίς. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (151).

SCILLINUS, a, um, adject. (σκίλλινος) Penultimam produxisse videtur *Seren. Sammon.* 27. 6. O. Sæpe et scillino pelluntur noxia Baccho. *h. e.* vino scillite. Alii leg. *scillitico*, alii *scillite*; sed male utrumque. — Scillinus, ad scillam pertinens. Scillinum acetum, h. e. scilla infusa conditum, tantam vim habet, inquit *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 39. (98)., ut avidius haustus exstinctæ animæ momento aliquo speciem præbeat. Ceterum multos habet usus in medicina: quos *id.* 23. *ibid.* 2. 28. describit. Ejus conficiendi rationem tradunt *Colum.* 12. *R. R.* 34., *Pallad.* 8. *R. R.* 8. et *Marcell. Empir.* 20. *a med.*, qui eam compositionem *diascilliu*, h. e. διὰ σκιλλίου, appellat. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 29.

SCILLĪTES, æ, m. 1. σκιλλίτης, *squillitico*, vinum, vel acetum, vel oleum factum ex scilla, ut *absinthites*, vinum ex absinthio. *Colum.* 12. *R. R.* 33. Vinum scilliten ad coquendum, et ad corpus reficiendum, itemque ad veterem tussim, et ad stomachum hoc modo condire oportet. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 47. (135). Urtica marina trita ex aceto scillite. *Sillig.* scillitico. *Auson. epist.* 4. 69. Scillite decies non si purgeris aceto. *V.* ABROTONITES. Adde *Marcell. Empir. c.* 6. *p.* 109. et *Theod. Priscian.* 3. 12.

SCILLĪTĬCUS, a, um, adject. σκιλλιτικός, *squillitico*, scillinus, scillites. *Cels.* 5. 19. *n.* 19. Aceti scillitici hemina.

SCIMPŎDĬUM *vel* scimpodion, ii, n. 2. σκιμπόδιον, idem quod grabatus, aut grabatulus, sella plicatilis, in qua sedere et accumbere pro lubito licet, *lettuccio:* est a σκίμπους, lectica, quod a σκίμπτω. incumbo, et πούς, pes. *Gell.* 19. 10. Memini me et Celsinum Julianum ad Frontonem, pedes graviter ægrum, ire et visere: atque ibi offendimus eum cubantem in scimpodio Græciensi.

SCIN? *V.* in SCIO.

SCIN. *V.* SIN.

SCINCUS *vel* scincos, i, m. 2. σκίγκος, animal simile crocodilo, circa Nilum frequentissimum: itemque in Libya, Arabia, India. Condiri solet salsusque afferri: ac valet ad Venerem excitandam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (91). Similis crocodilo, sed minor etiam ichneumone est in Nilo natus scincos. contra venena præcipuus antidotis. item ad inflammandam virorum Venerem. *Id* 28. *ibid.* 8. 30. (119). Ex eadem similitudine est scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidiore autem et tenuiore cute Præcipua tamen differentia dignoscitur a crocodilo squamarum serie a cauda ad caput versa. Maximus Indicus, deinde Arabicus, etc.

SCINDAPSUS, i, m. 2. σκίνδαψος, tria Græce significat, h. e. verbum nullius sensus et inane: genus herbæ hederæ similis, et musicum instrumentum, quod tres chordas habet. Qua vero significatione Latine hic usurpata sit, haud facile noveris. *Boeth.* in *Aristot. lib. de interpr. p.* 221. Naturaliter nomen nullum est, sed quando fit nota: tunc enim significat nomen secundum placitum, quando fit nota alicujus rei, id est, quando significat aliquam rem: ut scindapsus. Quamdiu enim huic voci nihil subjectum est, scindapsus nomen non est: nam nominis est significare subjectum, scindapsus autem subjectum non significat.

SCINDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SCINDO, scindis, scĭdi, *olim* sciscĭdi, scissum, scindere, a. 3. *Sciscidi* (al. *scicidi*) præteritum antiquorum fuit. *Afran.* apud *Priscian.* 10. p. 890. *Putsch.* Satis fortiter vestras sciscidistis colus. *Accius ibid.* Non ergo aquila ita, ut prædicant, sciciderat pectus. Adde *Enn.* et *Næv. ibid.*, quibus locis *Gell.* 7. 9. *in fin.* scriptum fuisse ait *scescidi*, ut simile sit *memordi, spepondi, peposci, tetuli*, et reduplicationem verborum Græcorum referat. — Part. *Scindens* I. 1.; *Scissus* I. 1. et 2. et II. 1.; *Scindendus* I. 1. — Scindo est findo, abrumpo, lacero, σχίζω, a qua voce derivatur, inserto *n*, ut a λείχω, lingo (It. *fendere, rompere, squarciare, lacerare, stracciare;* Fr. *déchirer, fendre, diviser, séparer violemment, scinder;* Hisp. *desgarrar, rasgar, despedazar, hender, dividir violentamente;* Germ: *zerreissen, zerspalten, zertheilen, m. Gewalt-, gewaltsam trennen,-theilen,-zerlegen;* Angl. *to cut, tear, rend, break asunder, lacerate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 128. Lutamenta scindunt se. *Virg.* 1. *G.* 144. cuneis scindebant fissile lignum. *et* 7. *Æn.* 509. quercum cuneis ut forte coactis Scindebat. *Cæs.* 3. *B. G.* 5. Quum hostes vallum scindere et fossas complere cœpissent. *Colum.* 2. *R. R.* 18. Pecora majora demergunt ungulas, et atterunt scinduntque radices herbarum. *Virg.* 8. *Æn.* 702. Scissâ gaudens vadit Discordia pallâ. *Auct. Epit. Il. p.* 721. *Wernsd. t.* 4. scindit firmas de pectore vestes. *Ovid. Ib.* 172 Et scindent avidæ perfida corda canes. *et ibid.* 185. Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello. *Sil. It.* 1. 171. verbera passim Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus. *Virg.* 12. *Æn.* 870. Infelix crines scindit Juturna solutos. *Cic.* 5. *Fam.* 20. *extr.* Hanc epistolam cur non scindi velim, nulla est causa. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Arminius cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. *h. e.* perrumpit aciem, pertransit, disjicit. *Ammian.* 16. 12. 42. Nexam scutorum compagem, quæ nostros in modum testudinis tuebatur, scindebant ictibus gladiorum adsiduis. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 130 scindere urbem. *h. e.* dirutis mœnibus evertere, exscindere. *Petron. Sat.* 120. *ad fin.* frontem cicatricibus. *Virg.* 1. *G.* 50. ferro æquor, *h. e.* vomere terram arare, proscindere. Sic *Claudian.* 1 *Laud. Stilich.* 134. qui Pangæa juvencis Scinditis. *et Seneca Phœniss.* 124. Quisquis Assyrio loca possessa regi scindis. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 48. Scindere Bistonias altera puppis aquas. *Id.* 11. *Met.* 463. ictu remorum scindere freta. *Claudian. IV. cons. Honor.* 347. fluvios natatu. *Martial* 3. 12. Unguentum, fateor, bonum dedisti Convivis here, sed nihil scidisti *h. e.* nullum cibum distribuisti. *scindere* est in frusta secare cibum et convivis distribuere, *trinciare:* unde scissor. *Seneca Vita beat.* 17. Scindendi obsonii magister. *Id. Brevit. vit.* 12. *a med.* Scindere aves in frusta. Adde *Martial.* 3. 94. — *Scindere alicui pœnulam,* apud *Cic.* 13. *Att.* 33. V. PÆNULA. Cf. *Propert.* 2. 4. 21. Scindere cuipiam vestem de corpore. — Et Mediorum apud Græcos more. *Ovid.* 4. *Met.* 123. vitiato fistula plumbo scinditur. *si apre.* et *Lucret.* 4. 93. Omnis fumus, vapor - Scinduntur per iter. — Part. *Scissus,* eadem significatione. *Liv.* 3. 58. *a med.* Scissa veste tergum laceratum virgis ostendit. *Petron. Sat.* 89. Scissa robora. *Tibull.* 1. 11. 53. scissosque capillos Femina, perfractas conqueriturque fores. *Virg.* 8. *Æn.* 702. Et scissa gaudens vadit Discordia palla. *Ovid. Ib.* 282. Viscera diversis scissa ferantur equis. *Stat.* 4. *Theb.* 660. portant Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas. *h. e.* pelles luporum, et ursarum coria detracta. *Martial.* 12. 62. Scissa humus ad Manes. *h. e.* effossa, perfossa. *Seneca Troad.* 931. Rupes latere scisso. *h. e.* abrupto. *Propert.* 2. 14. 8. Et faceret scissas languida ruga genas. *frappate.* Sic *Martial.* 14. 60. Scissus venter. *rugoso.* at in *Catal. Virg.* 5. *scissus venter*, est podex diffututus: *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (48). Folia platano similia, sed pluribus divisuris scissa. *frastagliate.* et 14. *ibid.* 2. 4 (24). Vitis folio minus scissa. *Id.* 11. *ibid.* 37. 50. (136). Cervis aures scissæ ac velut divisæ. *Colum. cult. hort.* 418. *de ficu.* Scissa Libyssa. *h. e.* quæ habet candicantem rimam. *et* 6. *R. R.* 13. Scissum alumen. *V.* SCISSILIS. — Cum Accusat. apud poetas. *Virg.* 9. *Æn.* 478. Scissa (*mater*) comam. *Propert.* 3. 10. 28. alternas scissa Charybdis aquas. *h. e.* cujus aquæ alternis scinduntur, et in diversa refluunt. — Neutr. plur. absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (84). *de araneo.* Scissa protinus reficit. ad polituram sarciens. *h. e.* loca scissa in tela. ¶ 2. Speciatim est divido, diduco, dirimo. *Tac. Germ.* 43. Dirimit sciditque Sueviam continuum montium jugum. *Mela* 2. 4. frons Italiæ in duo se cornua scindit. *Virg.* 1. *Æn.* 591. Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Limitem scindit. *h. e.* aperit. Cf. *Vellej.* 2. 120. 2. — Et Mediorum apud Græcos more. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad 3. *Æn.* 400. Italia scinditur in duo promontoria, Bruttium et Salentinum. *Lucan.* 1. 550. flamma Scinditur in partes,

geminoque cacumine surgit. *Ovid.* 15. *Met.* 739. Scinditur in geminas partes circumfluus amnis. — Absolute. *Plaut. Cas.* 3. 6. 2. si eas ereptum, illico scindunt. — Item Part. *Scissus. Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (48). Folia pluribus divisuris scissa. *Lucan.* 4. 142. amnis Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis, Dat pœnas majoris aquæ. *h. e.* in multos rivos derivato ac diviso. *diramato.* et *Seneca Troad.* 178. Tum scissa vallis aperit immensos specus. *h. e.* diducta ac dehiscens. *Vulgat. interpr. Hab.* 3. 9. Scissæ sunt aquæ. *h. e.* per scissam terram eruperunt. ¶ 3. Obsceno sensu *scindere podicem* est apud *Auct. Priap.* 78. V. DIVIDO.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. sumptâ. *Plin. Paneg.* 37. *extr.* Ratus non sine piaculo sanctissimas necessitudines, velut intercedente vicesima, scindi. *Id.* 2. *Ep.* 11. Neque inchoari poterat actio, nisi ut noctis interventu scinderetur. *s'interrompesse.* Sic *Ovid.* 3. *Pont.* 1 157. Nec tua si fletu scindentur verba, etc. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 127. florentesque manu scidit Atropos annos. *Cic.* 3. *Att.* 15 Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, ne scindam dolorem meum. *h. e.* ne refricem, renovem, tamquam vulnus jam jam cicatricem ducens. *Est qui malit* rescindam. *Lucret.* 3. 1008. Curæ animum scindunt. *h. e.* mordent, lacerant. *Cic.* 3. *Orat.* 57. Vocum plura genera, leve, asperum; contractum, diffusum, continenti spiritu intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum. *Quintil.* 11. 3. 20. Faucium vitio et frangitur, et obscuratur, et exasperatur, et scinditur vox. *et mox.* Finditur etiam spiritus objecto aliquo, sicut lapillo tenues aquæ, quarum fluxus etiam si ultra paullum coit, aliquid tamen cavi relinquit post id ipsum quod offenderat. ¶ 2. Metaphorâ a super. paragr. 2. deductâ. *Seneca Ep.* 89. *a med.* Naturalis pars philosophiæ in duo scinditur corporalia et incorporalia. *Tac.* 1. *Hist.*, 13. Hi discordes in duas factiones scindebantur. *Virg.* 2. *Æn.* 39. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. *Id.* 8. *ibid.* 142. Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno. *si dirama.* — *Chelyn scindere,* ita pulsare, ut discors, confusus ingratusque sonus fiat. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 31. ignavo pollice chordas Pulso: sed incertam digitis errantibus amens Scindo chelyn.

SCINDŬLA. *V.* SCANDULA.

SCINDŬLĀRIS. *V.* SCANDULARIS.

SCINĬFES. *V.* CINIFES.

SCINTILLA, æ, f. 1. σπινθήρ, particula ignis, quæ e silice, quum cæditur, exsilire solet: quasi *scindilla*, a *scindo*, quia flamma videtur quasi scindi: vel quasi *spintilla*, a Græca voce adlata (It. *favilla, scintilla;* Fr. *étincelle;* Hisp. *chispa, centella;* Germ. d. *Funke;* Angl. *a spark, sparkle*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 174. Ac primum silici scintillam excudit Achates. *Lucret.* 6. 160. lapidem si Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque lumen Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis. *Id.* 2. 174. Scintillas agere, ac late differre favillam. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 30. (138). Lapides vivi altero lapide percussi scintillas edunt, quæ exceptæ sulphure, aut fungis aridis, aut foliis, dicto celerius ignem trahunt. *Id.* 18. *ibid.* 35. 84. (358). Ignis scintillam emittit. *Id.* 37. *ibid.* 11. 73. (189). In anthracitide scintillæ discurrere aliquando videntur. *Ovid.* 4. *Fast.* 795. quum saxis pastores saxa terebant, Scintillam subito prosiluisse ferunt. *Virg.* 12. *Æn.* 101. totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt. oculis micat acribus ignis. Sic *Tassus* c. 7. dixit. *Infiamma d'ira il principe le gote E negli occhi di fuoco arde e sfavilla.* et *Ammian.* 30. 1. 7. Fundens in modum scintillarum sagittas. *Curt.* 6. 3. *a med.* Parva sæpe scintilla contempta magnum excitavit incendium. γνώμη. Sic *Lucret.* 5. 608. videmus Accidere ex una scintilla incendia passim. et *Hieronym. Ep.* 121. De parva scintilla et pæne moriente maxima suscitavit incendia. Sic et *Dantes Par.* 1. dixit: *Poca favilla grän fiamma seconda.* Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 85. et *Flor.* 3. 5. 14.

II.) Translate. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (95). Argentum nulla sui spe nascitur, nullis, ut in auro, lucentibus scintillis. *h. e.* punctulis instar scintillarum lucentibus. — Metaphorice dicitur et de minima particula earum rerum, quæ igni aut incendio comparantur. *Cic.* 10. *Fam.* 14. Ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 19. 61. Isti autem, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad aspiciendum reliquerunt. *Plaut. Trin.* 3. 2, 52. Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuum. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 14. 7. Quærunt exstinguere scintillam meam. *h. e.* sobolem. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCINTILLANS, antis, particip. *V.* SCINTILLO.

SCINTILLĀTĬO, ōnis, f. 3. (scintillo) *scintillamento,* σπινθηρισμός, actus scintillandi. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (80). Cato brassicam prodesse tradit oculorum caligini scintillationique. *Sillig.* scintillationibusque. Catonis verba sunt *R. R.* 157. *a med.* Et quibus oculi parum clari sunt, eo lotio (*ejus qui brassicam esitarit*) inungito, plus videbunt. Porro *oculi parum clari* sunt tam si caligine laborent, quam si scintillas, *h. e.* obliquos et frequentes quasi radios crebra motatione emittere videantur. hoc enim quoque visum impedit.

SCINTILLO, as, āvi, (ātum), are, n. 1. (scintilla) Part. *Scintillans.* — Scintillo, σπινθηρίζω, scintillas emitto (It. *scintillare, sfavillare;* Fr. *étinceler, briller;* Hisp. *chispear, centellear, brillar;* Germ. *funkeln, flimmern;* Angl. *to sparkle, emit sparks, scintillate*).

I.) Proprie. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 81. scintillat lampas. *Plaut. Merc.* 5. 2. 77. Oculi scintillant. *Lucret.* 6. 644. Fumida quum cæli scintillare omnia templa etc. *h. e.* flammis micare. *Virg.* 1. *G.* 391. testa quum ardente viderent Scintillare oleum, et putres concrescere fungos. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (113). Scintillantia fulgetra. *Id. ibid.* 34. 34. (100). Clipeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (100). Carbunculi contra radios solis scintillant. *Sil. It.* 7. 593. Scintillant aristæ.

II.) Figurate. *Sil. It.* 9. 562. scintillavitque cruentis Ira genis. *Calpurn.* 5. 22. Tunc Venus et calidi scintillat fervor amoris. *Ambros. in Ps.* 118. *serm.* 18. Cupiditatis ardor, qui scintillet in animis audientium. *Augustin.* 4. *Confess.* 2. Vidisti in multo fumo scintillantem fidem meam.

SCINTILLŌSUS, a, um, adject. (scintilla) scintillas emittens, σπινθηροβόλος. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. *de Apono fonte.* Nam juxta caput fontis scintillosi quemdam sibi meatum provida natura formavit.

SCINTILLŬLA, æ, f. 1. (scintilla) *deminut.* a scintilla, *scintilletta,* μικρὸς σπινθήρ, parva scintilla. Translate. *Cic.* 5. *Fin.* 15. *ad fin.* Eas in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet. *Tertull. Anim.* 23. Scintillula vitæ. *Plaut. Trin.* 2. 4. 91. nos homunculi Scintillulam animæ qui quum extemplo amisimus, Æquo mendicus atque ille opulentissimus Censetur. At vulgati libri hab. *salillum.*

SCĪO, scis, scīvi et scii, scītum, scire, a. 4. *Scibam* pro *sciebam,* et *scibo* pro *sciam* in omnibus personis utriusque numeri, positiones sunt in verbis 4. conjugat., et præsertim in hoc frequentes. *Ter.* et *Plaut.* sæpe usurpant. Et præterea *Catull.* 68. 85. Quod scibant Parcæ non longo tempore abesses. *Inscript.* apud *Gruter.* 602. 6. SCIBAT MORIVNDVM SIBI. *Cato R. R.* 5. Si fecerit, scibit, in mente familiæ quid siet. — Passive *scibitur* apud *Plaut. Capt.* 4. 2. 5. — *Scisti* syncop. pro *scivisti* habet *Ovid.* 1. *Art. am.* 131. et 4. *Fast.* 527. — Pro *scivisse* rectius dicimus *scisse,* ut *Liv.* 43. 5. Neque scisse futura. *Ovid.* 6. *Fast.* 336. scisse sed ipse negat. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 5. Mortalium sapientissimi multa scisse dicuntur, non omnia. Adde *Cic.* 1. *Orat.* 13. 58. Sic *scissent* pro *scivissent* leges apud *eumd.* 12. *Att.* 1 *Quintil.* 1. 6. 17. satis aperte significat, τὸ *scivisse* minus fuisse in usu apud eos, qui non tam analogiam, quam consuetudinem sequendam censebant. — *Scito* fere pro *sci;* et *scitote* sæpius quam *scite.* V. infra. — *Scin?* scisne? *Plaut. Bacch.* 5. 2. 59. At scin, quo pacto me ad te intro abducas? — *Scitin?* scitisne? *Id. Men.* 5. 9. 92. Scitin quid ego vos rogo? — Ratione habita etymi, videtur deducta vox a Sk. *kha,* et Græc. κείω, divido, scindo, addito *s:* cf. Lat. *cerno (secerno),* quod est separo, et internosco. — Part. *Sciens* 1. *b.* c. et d. et in fin.; *Scitus* 1. *b.*; *Sciturus* 1. *b.* et *d.; Sciendus* 1. *b.* — Scio est novi, non ignoro, cognitum habeo, teneo, non me fugit, perspectum est mihi, habeo, ἴσημι, δαίω, γιγνώσκω (It. *sapere;* Fr. *savoir, connaître, comprendre;* Hisp. *saber, conocer;* Germ. *wissen, kennen, verstehen;* Angl. *to know, understand*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic. Arch.* 4. 8. Adest vir summa auctoritate et religione et fide M. Lucullus, qui se non opinari sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. ubi τὸ *scire* opponitur τῷ *opinari. Plaut. Bacch.* 2. 2. 13. qui scire possum? *Id. Asin.* tu jam scio patiere. *Ter. Phorm.* 5. 1. 38. nemo ex me scibit. *Id. Adelph.* 1. 2. 45. Vere scio. *Id. Andr.* 3. 2. 23. Certe enim scio. *Cic. Amic.* 21. 77. Ut scitis. *Id.* 4. *Att.* 8. Statim fac, ut sciam. *Liv. proœm.* Nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim. *Id.* 25. 10. Nemo satis pro certo scire. — *Scire,* infinit., substantivorum more. *Pers.* 1. 27. Scire tuum nihil est, nisi te scire sciat alter. *h. e.* scientia tua, ut in *Comment. Einsidl. p.* 205. 34. *Keil.* — Scire Latine, Græce, Mauricatim, *saper Latino, Greco, Mauro,* subaudi *loqui. Cic. Brut.* 37. 140. Non tam præclarum est scire Latine, quam turpe nescire. *Id.* 2. *Fin.* 5. 15. Quum Græce, ut videor, luculenter sciam. *Laber.* apud *Charis.* 2. *p.* 184. *Putsch.* Scire Mauricatim. — Scire fidibus, *saper sonare.* subaudi *canere. Ter. Eun.* 1. 2. 52. Ubi hanc forma videt honesta virginem, et fidibus scire. — Passive. *Ter. Phorm.* 5. 8. 14. Non opus est dicto. PHORM. tibi quidem: at scito huic opus est. — *b*) Cum Accus. rei, vel personæ, quam quis scit. *Varro* 2. *R. R.* 1. 2. Nemo enim omnia potest scire. Sic *Horat.* 4. *Od.* 4. 22. *Id.* 1. *Ep.* 14. 44. Scire artem. *Cic.* 5. *republ.* 3. litteras. *Plaut. Pœn. prol.* 112. Is omnes linguas scit, sed dissimulat sciens se scire. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 25. Non sciunt ipsi viam, domum qua redeant. *Id. Phorm.* 5. 7. 60. Id certo scio. *Id. Eun.* 5. 3 12. Ibo intro, de cognitione ut certum sciam. *per saper la cosa appunto.* Adde *Cic.* 12. *Att.* 17. *Seneca Ep.* 6. Nec me ulla res delectabit, quam mihi uni sciturus sim. *Vulgat. interpr. Prov.* 1. 2. Ad sciendam sapientiam. — Passive. *Asper p.* 50. 19. *Keil.* Passiva verba hæc sunt, ut audior *etc.* scior, scindor etc. *Cic.* 2. *Orat.* 7. *a med.* Ars earum rerum est, quæ sciuntur. *Plaut. Capt.* 4. 2. 5. Quod quum scibitur, per urbem irridebor. pro scietur. *V.* supra init. — Impersonaliter. *Cic. Sext.* 38. 82. Hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit, Sestium vivere. *Id. Rosc. Am.* 34. *a med.* Nondum lucebat, quum Ameriæ scitum est. — Scire aliquem, *conoscere. Spartian. Carac.* 2. Eum, quem pueri scirent. *Alii* scierant. *Capitolin. Anton.* 10. Scire aliquem bene. Adde *Apul.* 6. *Met.* et *Tertull. apolog.* 5. et 21. — De consuetudine concubitus. *Trebell.* in *XXX. Tyrann.* 30. *de Zenobia.* Cujus ea castitas fuisse dicitur, ut ne virum quidem suum sciret, nisi tentatis conceptionibus. *V.* COGNOSCO. — *c*) Cum Infinito, aut cum Accus. et Infin. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 14. si sciret regibus uti. *Liv.* 24. 25. Libertatem nec spernere nec habere sciunt. *Id.* 9. 4. Quoniam ne vinci quidem ac capti fortunam fateri scient. *Quintil.* 9. 2. 4. Redire ad propositum suum sciérit. *Publil. Syr. fragm. p.* 284. *Ribbeck.* parere scire. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (73). Nec tamen adhuc aurum est: nec sciere esse, quum foderent. *Cato* apud *Fest. p.* 242. 2. *Müll.* Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere. *Afran.* apud *Non. p.* 333. 15. *Merc.* Scias abesse ingenium. *Virg.*

10. *Æn.* 904. Scio acerba meorum Circumstare odia. *Cic.* 5. *republ.* 2. 3. Quas leges scitis exstare. *Id.* 3. *Orat.* 22. 84. Ita me existimari scio. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 26. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere. *Caj.* 4. 144. Pro possessore is possidet, qui totam hereditatem sciens ad se non pertinere possidet. — Est Hellenismus in illo *Stat.* 7. *Teb.* 792. Scit peritura ratis. *h. e.* se perituram. Cf. *Pindarum Nem.* 9. et *Virg.* 2. *Æn.* 377. — Passive. *Arnob.* 1. *p.* 28. Christus scitur vocis simplicis jussione ambulatum dedisse contractis. — *d)* Cum variis particulis. *Ter. Adelph.* 4. 2. 16. Scire equidem volo, quot mihi sint domini. *et ibid.* 31. Scio ubi sit: verum numquam monstrabo. *Virg.* 12. *Æn.* 143. Scis, ut te cunctis unam – Prætulerim. *Lucan.* 7. 579. Scit, cruor imperii qui sit. *Cic.* 12. *Att.* 18. *a med.* Nisi scissent, quid esset. *Ovid.* 4. *Fast.* 527: scisti, qua cogere posses (pro *scivisti.*) *Cass.* ad *Cic.* 15. *Fam.* 19. *ad fin.* Cnæus scis, quomodo crudelitatem virtutem putet. scis, quam se semper a nobis derisum putet. *et mox.* Velim scire, utrum ista sollicito animo, an soluto legas. *Liv.* 43. 5. Nec se scire, propter quam causam etc. *Ter. Eun.* 4. 7. 20. Qui scis, an quæ jubeam, sine vi faciat? *Id. Hecyr.* 3. 5. 18. Omnem rem scio, ut sit gesta. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 38. Coqua est hæc quidem: scit, muriatica ut maceret. *Cic. Mur.* 9. *sub fin.* Ille tenet, et scit, ut hostium copiæ; tu, ut aquæ pluviæ arceantur. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 44. Ut ille te videat, volo. scio, quid ago. PIST. et pol ego scio, quid metuo. *Id. Aulul.* 1. 2. 28. Quid agam, scio. *so quel che farò.* *Phædr.* 5. 2. Ego qui sum expertus, quantis fugias viribus, Scio, quod virtuti non sit credendum tuæ. *Liv.* 3. 52. Scituros, quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. Alii utrobique leg. *quam:* quia huiusmodi particulæ in MSS. solo *q*, et transversa lineola scribi solent. *V.* QUOD, *perchè.* et *Curt.* 7. 1. 15. Brevi sciturus, quis ipse esset. *Ammian.* 14. 7. 11. Sciens quod jubebo. — Cum partic. *quia, quoniam,* minus eleganter, apud *Vulgat. interpr. Jerem.* 42. 19. Scientes scietis, quia obtestatus sum vos hodie. ubi *scientes scietis*, h. e. dilucide perspicietis, est purus putusque Hebræorum dicendi modus. — Passive. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 15. Cuivis facile scitu est, quam fuerim miser. *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 5. Quid tibi deberem, tota sciretur in Urbe. — *e)* Cum Ablat. rei, et præpos. *de,* et est doctum, peritum esse, notitiam habere, *avérne notizia, saperne. Cic.* 1. *Orat.* 13. *a med.* De legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de jure civium Lycurgum scisse melius, quam Hyperidem. *Id. Sull.* 13. *sub fin.* Quum is, qui de omnibus scierit, de Sulla se scire negarit. — *f)* Cum Ablat. personæ, et præp. *ex, de,* et est ab aliquo narrante scire. *Plaut. Curc.* 2. 2. 6. meliorem, quam ego sum, suppono tibi. Nam quod scio, omne ex hoc scio. *Cic.* 9. *Fam.* 17. Ex quo vel ex sobrio, vel certe ex ebrio scire posses. — Passive. *Id.* 12. *Att.* 22. Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest. — Imperativis utimur quum rem gravem inculcamus, et quam probe intelligi cupimus. *Cic.* 6. *Verr.* 35. 77. Apud Segestanos repertum esse, judices, scitote neminem, qui illud signum auderet attingere. Cf. 2. *Att.* 23. Volo te scire, Sampsiceramum vehementer sui status pœnitere. *Ovid.* 15. *Met.* 141. Quumque boum dabitis cæsorum membra palato, Mandere vos vestros scite et sentite colonos. *Plaut. Curc.* 1. 1. 53. Semper tu scito, Flamma fumo est proxima. Cf. *Trin.* 4. 3. 24. Vetera quærit: vetera amare hunc, more majorum, scias. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 11. Tute sci solite tibi; mihi ne dixis: scire nolo. SCE. Non enim faciam, quin scias. Hic *sci* est idem ac *scito;* male in editt. *scis* legitur. *Bothius* tamen *sci* recepit. *V.* SOLITE, ubi itidem *sci* scribendum est pro *scis.* — *Scires,* intelligeres, cognosceres, videres. *Ovid.* 1. *Amor.* 31. 47. Jurgia finieram. scires audisse; rubebat. *Id. Met.* 23. Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. *Petron. Sat.* 91. Video Gitona cum linteis et strigilibus tristem confusumque. scires non libenter servire. Adde *Vellej.* 2. 80. 4. Itali dicunt *diresti.* — *Quod sciam, quod scio,* quod norim, quod audierim, quantum mihi perspectum est: habetque vim affirmandi: *che io sappia, per quanto so. Cic.* 16. *Att.* 2. *a med.* Sestius non venerat, quod sciam. *Plaut. Men.* 3. 2. 35. Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem vidi. *et* 2. 2. 23. Est tibi Menæchmo nomen tantum, quod sciam. *et* 3. 2. 39. Menæchme, vigila. MEN. vigilo hercle equidem, quod sciam. *Quintil. declam.* 9. 18. Quod scio, victis etiam gladiatores parcunt. *et declam.* 6. *extr.* Fortasse aliquis jubebit sepeliri. certe, quod sciam, nemo prohibebit. *Apul.* 5. *Met.* Jamdudum, quod sciam, fidei atque parciloquii mei perpendisti documenta. *Minuc. Fel. Octav.* 11. *ad fin.* Hoc, quod sciam, neque mens, neque anima, neque vita est. — *Non scis* pro *nescis. Plaut. Pseud.* 1. 2. 89. Ea pacisci modo scis, sed quæ pacta es, non scis solvere. — *Haud scio an. V.* HAUD. — *Quod scis, nescis. V.* NESCIO. — *Scin* pro *scisne?* apud *Plaut. loc.* supra *cit.* et *Aulul.* 1. 1. 8. Sic *Ter. Eun.* 5. 8. 5. Scin me in quibus sim gaudiis? — *Scitin* pro *scitisne?* apud *Plaut. loc.* supra *cit.* — *Scin quomodo?* malum minitantis formula. *Plaut. Amph.* 1. 1. 100. At scin quomodo? faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. Adde *Aulul.* 5. *v.* 21. et *Rud.* 3. 5. 18. ¶ 2. Speciatim *scire* pro posse. *Fronto ad M. Cæs.* 1. 2. Putasne ullus dolor penetrare sciat corpus, aut animum meum? ¶ 3. Item pro sciscere. *Liv.* 26. 33. Tribunus rogationem ferret sciretque. *Alii* sciscerct. *Dig.* 46. 3. 98. Lex XII. Tabb. tignum ædibus junctum vindicari posse scit. *Alii* sciit, *aut* sciscit. *V.* SCISCO. — Hinc Part., cujus exempla retulimus,

Sciens, entis, adjectivorum quoque more occurrit; unde Comp. *Scientior* 2. *a.;* Sup. *Scientissimus* 2. *a.* et *b.* — Sciens ¶ 1. Est qui scit, gnarus, prudens: cui *insciens, imprudens* opponitur, *Nepos Con.* 5. *extr.* Illud addubitat, utrum Theribazo sciente, an imprudente sit factum, *se con saputa o no di Teribazo.* (Hic *Calpurn.* discrimen ponit inter *sciens* et *prudens.* Ille est, inquit, qui alterius indicio rem cognoscit; hic, qui intelligentia sua aliquid sentit.) *Ter. Heaut.* 4. 8. 33. Nam te scientem faciam quisquis egero. *h. e.* certiorem. nos: *non alzerò un dito senza di te.* et *Andr.* 3. 2. 28. Id tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens. Adde *Plaut. Pœn.* 5. 2. 78. *Id. Cas. prol.* 63. Sciens ejus mater, ei dat operam. *conscia di ciò, consapevole.* — *Sciens,* et *sciens et prudens* vel *prudens et sciens* vel *prudens sciens,* et *sciens et videns* quippiam facere dicitur, qui data opera, de industria aliquid agit, quod scit minime oportere, *a bella posta, volendo. Cic. Planc.* 16. *in fin.* Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem. *Plaut. Asin.* 3. 2. 16. Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraris. *Ter. Hecyr. extr.* Plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. *Id. Phorm.* 2. 1. 6. Lex coegit. audio, fateor. Verum scientem, tacitum causam tradere adversariis, etiam ne id lex coegit? *Cic. Cluent.* 46. 129. Habebit igitur, te sciente et vidente, curia senatorem, qui fidem sua pecunia commutarit? *Id. Marcell.* 5. *a med.* Ut prudens et sciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium. *ad occhi veggenti. Cœl.* ad *Cic. post ep.* 9. *t.* 10. *ad Att. sub fin.* Ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse. *Ter. Eun.* 1. 1. 27. Prudens, sciens, vivus vidensque pereo. *V.* VIDENS. — *Si sciens fallo,* formula imprecandi in jurejurando. *V.* FALLO. *Inscript. Orell.* 3665. SI SCIENS FALLO FEFELLEROVE TVM ME LIBEROSQVE MEOS IVPITER MAXIMVS AC DIVVS AVGVSTVS CETERIQVE OMNES DI IMMORTALES EM (*sc.* extorrem, exsulem) PATRIA INCOLVMITATE FORTVNISQVE OMNIBVS FAXINT. ¶ 2. Peritus, doctus, *pratico, intendente, esperto.* — *a)* Absolute. *Varro* 1. *R. R.* 31. Vites pampinari, sed a sciente. nam id, quam putare, majus. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 58. Scientissimus gubernator. *Id.* 2. *Herenn. in fin.* Tu scientior eris præceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum persolvendum. *Id. leg. Man.* 10. 28. Quis hoc homine scientior fuit? *h. e.* peritior rei militaris. *Horat. epod.* 5. 72. Scientior venefica. *Colum.* 11. *R. R.* 1. Sit oportet idem scientissimus. — *b)* Cum Genetivo. *Varro* 3. *R. R.* 3. Dominum scientem esse oportet earum rerum, quæ in villa ali et pasci possunt. *Sall. Jug.* 102. *extr.* Romani scientes belli. *et ibid.* 105. Perfugæ regionum scientissimi. *Vellej.* 2. 88. 2. Vir providens, atque agendi sciens. *Tac.* 3. *Ann.* 70. et 6. *ibid.* 26. Vir humani divinique juris sciens. *Id.* 2. *ibid.* 13. Latinæ linguæ. *Horat.* 3. *Od.* 9. 10. citharæ. *Cic.* 1. *Orat.* 49. *a med.* Regendæ reipubl. scientissimus. *Ammian.* 15. 3. 6. Scientissimi rerum. — *c)* Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 7. 25. Quamvis non alius flectere equum sciens etc. *Quintil.* 12. 3. 5. Neque delectus agere nec locum capere castris sciens. Cf. 12. 7. 7. — *d)* Sequente partic. interrog. *Quintil.* 12. 6. 6. Sciens, quid sit pugna.

Homonym. Quomodo differat v. *sciens* a v. *scitus* et *prudens,* V. in SCITUS et etiam init. hujus vocis.

SCIŎGRĂPHĬA. *V.* SCIAGRAPHIA.

SCIŎLUS, i, m. 2. (scius) *deminut. a* scius, qui aliquantum scit, vel etiam qui scit. — *a)* In malam partem est prope ignarus, aut qui scire se prædicat, quæ re vera ignorat, *saputello, saccente, sciolo. Arnob.* 2. *p.* 86. A sciolis nonnullis, et plurimum sibi arrogantibus dicitur. Adde *Hieronym. præf. in Daniel.* et *Ep.* 48. 18. et 125. 16. et *Claud. Mam. de stat. anim.* 2. 9. — *b)* In bonam partem, estque idem ac sciens, aut peritus. *Frontin.* 3. *Strateg.* 13. Militum sciolum nandi, et nauticæ artis peritum, juvit etc. In opt. *editionib.* legitur *militem e suis nandi* etc. — In illo *Cæcil.* apud *Charis. p.* 144. 18. 18. *Keil.* scioli schema; *Ribbeck.* pisciculi schema.

SCIŎMĂCHĬA *et* sciamachia, æ, f. 1. σκιαμαχία et σκιομαχία, umbrarum pugna, h. e. vanum certamen: est titulus satiræ cujusdam Varronianæ. *Varro* apud *Non.* passim; ubi tamen *Mercerius* Græce legit

SCIŎPŎDES *et* sciapodes, um, m. plur. 3. σκιόποδες, a σκιά, umbra, et πούς, ποδός, pes: fabulosum monstrosorum hominum genus in Libya, singula crura habentium, nec poplitem flectentium, et mirabili tamen celeritate: qui per æstum in terra jacentes resupini, umbra se pedum (quos amplissimos habent) protegunt. *Augustin.* 16. *Civ. D.* 8. et *Tertull. Apolog.* 8. Memorat etiam *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (23), ubi legitur *sciapodes,* σκιάποδας, quod Græcæ analogiæ magis respondet.

SCIŎTHĒRĬCON, i, n. 2. (σκιοθηρικόν) Legitur et *sciathericon.* nam et Græce σκιοθήρας et σκιαθήρας. — Sciothericon, vox adjectiva, horologium significans, quo ex solis umbra horæ deprehenduntur, *orologio da sole:* a σκιά, umbra, et θήρα, venatio, indagatio. Gnomon in eo σκιοθήρας vocatur: de quo *Vitruv.* 1. 6. Collocetur aeneus gnomon, indagator umbræ, qui Græce σκιοθήρας dicitur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 76. 78. (187). Umbrarum rationem, et quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, primusque horologium, quod appellant sciothericon, Lacedæmone ostendit.

SCIŎTHĒRUM, i, n. 2. σκιόθηρον, gnomon. *Hygin. de limitib. p.* 175. *Goes.* Scribemus circulum in terra loco plano, et in puncto ejus sciotherum ponemus, cujus umbra et intra circulum aliquando intret. *Id. ib. p.* 176. *de ead. re.* Loco plano gnomonem constituemus, etc. Sciotherum itaque idem est ac gnomon.

SCĪPĬO, ōnis, m. 3. σκήπων, σκῆπτρον, *bastone,* baculus, qualis est, cui senes innixi incedunt. *Plaut. Cas.* 5. 4. 8. Quid fecisti scipione? Adde *Amph.* 1. 3. 22. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (15). Scipione prius determinata templi imagine in solo ante se. *Colum. Arbor.* 8. 5. Quum scipiones amplitudinem acini habuerint. At *Schneiderus* rectius aliter leg. *V.* SCOPIO. — In illo *Catull.* 37. 10. totius vobis Frontem tabernæ scipionibus scribam. *scipio* est baculus semiustus

seu carbo, *tizzone*. — *Scipio eburnus*, seu *eburneus*, stante republica, fuit insigne triumphantium: sub imperatoribus, etiam consulum et consularium. *Liv.* 5. 41. *sub fin.* Papirius dicitur Gallo barbam suam permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram movisse. *Val. Max.* 4. 4. *n.* 5. Manus, quæ modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere. *Valerian. Imp.* apud *Vopisc. Aurelian.* 13. *sub fin.* Te consulem hodie designo, scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. *Ammian.* 29. 2. 15. Horret nunc reminisci, quo justitio humiliati tot rerum apices visebantur, et præcipue consulares, post scipiones et trabeas et fastorum monumenta mundana. *Scœptrum* vocant *Juvenal.* et *Claudian.* V. SCÆPTRUM. — Cur vero fœdere facientes scipione eburno, seu scæptro uterentur, habes apud *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 206. Cf. *Val. Flacc.* 3. 807. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCIRCITŬLA *et*

SCIRCŬLA. *V.* SCIRPULA.

SCIRERȲTIS. *V.* SCLERERYTIS.

SCĪRĬA, æ, f. 1. pellis scabra, villosa. *Tertull. de pall.* 4.

SCĪRŌMA *vel* scirrhoma, mătis, n. 3. σκίρωμα et σκίρρωμα, *scirro*, tumor in corpore præter naturam durus et sine dolore: a σκίρος, durities. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 42. (82). Buphthalmos cum cera sciromata discutit. *At* Sillig. *rectius leg.* steatomata.

SCĪRON, ōnis, m. 3. σκίρων, ventus peculiaris Atheniensium, paullum ab Argeste deflexus, idemque fere cum Zephyro: reliquæ Græciæ ignotus, ut ait *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120).; ita dictus, quia a Scironiis saxis spirare videbatur. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, Galliam Circius. — De hac voce *V.* plura in ONOM.

SCIROPÆCTES, æ, m. 1. σκιροπαίκτες, qui tesseris ludit. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 173.

SCĪROS. *V.* SCIRROS.

SCIRPĀTUS, a, um, particip. *V.* SCIRPO.

SCIRPĔA, æ, f. 1. *V.* SCIRPEUS.

SCIRPĒTUM, i, n. 2. (scirpus) locus scirpis consitus, apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 565.

SCĬRPĔUS *vel* sirpeus, a, um, adject. (scirpus) qui est e scirpo, junceus, *di giunco*, σχοινώδης. *Novius* apud *Fest.* in *Scirpus.* Sume arma. quid est? an occidam clava scirpea? *Plaut. Aulul.* 4. 1. 9. Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis, qui laborent minus, faciliŭs ut nent et moveant manus. *Varro* 7. *L. L.* 44. *circa med.* Argei fiunt e scirpeis virgultis. *Müll.* hab. *scirpeis* absolute. *Ovid.* 5. *Fast.* 659. Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago. *V.* ARGEI. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 15. Fila scirpea favis conlita. *h. e.* candelæ e scirpo cera illito. *V.* SCIRPUS. — Hinc

Scirpea vel *sirpea*, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est corbis ampla ex viminibus, quæ plaustro imponitur vehendo stercori aliive rei minutæ, *graticcio*. V. BENNA. *Varro* 5. *L. L.* 139. *Müll.* Sirpea, quod virgis sirpatur id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid vehitur. *V.* voc. præc. *Cato R. R.* 10. et 11. Sirpeæ stercorariæ. *Varro* 1. *R. R.* 23. *a med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. *Ovid.* 6. *Fast.* 680. In plaustro sirpea lata fuit. Adde *Justin.* 43. 4. 6. *Arnob.* 2. *p.* 38. Vannorum sirpearumque vitores.

SCIRPĬCŬLA, æ, f. 1. *V.* in voc. seq.

SCIRPĬCŬLUS, sirpiculus *vel* surpiculus, a, um, adject. (scirpus) scirpeus, junceus, ex junco aliove quo lento vimine confectus. Hinc *scirpiculæ falces* apud *Caton. R. R.* 11. et *Varron.* 1. *R. R.* 22., de quibus *V.* loc. *Varron.* in SCIRPO. hunc tamen *Forcellinus* aberrasse putat in etymologia et usu *scirpicularum falcium*, quæ videantur esse, quibus vineæ sarpantur, unde sarmenta fiant; scribit enim *sirpiculus* perinde ac sit pro *sarpiculus*. — Hinc

Scirpicula, æ, f. 1. et *Scirpiculus*, i, m. 2. eadem, quam supra vidimus, varietate scriptionis, absolute, substantivorum more, est vas ex junco aliove quo lento vimine confectum. *Propert.* 4. 2. 40. Scirpiculis medio pulvere ferre rosam. *Colum.* 10. *R. R.* 304. cano jam vimine textum Scirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis. *Lucil.* apud *Non. p.* 490. 24. *Merc.* Tintinnabulum abest hinc, surpiculique holerorum. *Varro* 2. *R. R.* 2. *circa med.* Jugum continet sirpiculos. *h. e.* corbes. *Plaut. Capt.* 4. 2. 36. Eis ego ora verberando sirpiculis piscariis. *h. e.* nassis piscatoriis. Nisi forte malis intelligere ipsas virgas, ex quibus nassæ fiunt. nam et *Varro* sic videtur accipere *sirpiculas*, quum alt earum usum esse alligandis fascibus, fustibus, faculis. *V.* ejus verba in SCIRPO. In hoc tamen *Plauti* loco rectius legas ex libb. veterib. *surpiculis.* Sic irpices et *urpices* dictum est, *recipero* et *recupero.*

SCIRPĬCŬLUS, i, m. 2. *V.* in voc. præced.

SCIRPO *vel* sirpo, as, (āvi) ātum, are, a. Priorem lectionem præferunt recentiores lexicographi, at probatæ editiones posteriorem. — Part. *Scirpatus.* — Scirpo, vel sirpo, est vincio, alligo, necto vel intexo: a *scirpus*, juncus, h. e. juncis aliove quo lento vimine ligo, connecto; vel, ut ait *Forcellinus*, ab εἴρω, necto, deinde cum digammate Æolico εἰρFω, tandem σείρπω. *Varro* 5. *L. L.* 139 *Müll.* Sirpea, quod virgis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid vehitur. *Id.* apud *Non. p.* 83. 24. *Merc.* Cupas vinarias sirpare noli. *Id.* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Falces sirpiculæ vocatæ ab sirpando id est ab alligando. Sic sirpata dolia quassa, quum alligata his, dicta. Utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas.

SCIRPŬLA Vitis memoratur a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (41)., ubi passum acinum, h. e. rugosum et siccum, habere dicitur: et a *Colum.* 3. *R. R.* 2. *a med.* et Scirpula uva ab *eod. Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (81). Sed varie admodum ab aliis legitur, *scircitula*, *scircula*, *scirtula*, *scripula*, *scriptula*, ex variis codicibus et conjecturis.

SCIRPUS *vel* sirpus, i, m. 2. (Cf. Gr. γρῖπος vel γρῖφος) ¶ 1. Est juncus, σπάρτη, σχοῖνος (*Scirpus lacustris* Linn.). *Fest. p.* 330. 7. *Müll.* Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur leve et procerum; unde tegetes sunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 70. (178). Nec in fruticum, nec in veprium cauliumve, neque in herbarum, aut alio ullo, quam suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresque, ad tegulum tegetesque: e quibus, detracto cortice, candelæ luminibus et funeribus serviunt. Firmior quibusdam in locis eorum rigor. Namque iis velificant non in Pado tantum nautici, verum et in mari piscator Africus, præpostero more vela intra malos suspendens, et mapalia sua Mauri tegunt: proximeque æstimanti hoc videantur esse, quo inferiora Nili partē papyri sunt, usu. Hæc *Plin.*, qui 7. *ibid.* 56. 57. (207). scribit, naves quoque ex scirpo fieri, his verbis: Etiam nunc in Britannico Oceano naves vitiles corio circumsutæ fiunt: in Nilo ex papyro et scirpo et arundine. — *Nodum in scirpo quæris*, proverb. de his, qui in rebus claris atque apertis difficultatem faciunt: scirpus enim enodis est. *Ennius* apud *Fest.* Quæritur in scirpo, soliti quod dicere, nodus. Adde *Plaut. Men.* 2. 1. 22. et *Ter. Andr.* 5. 4. 38. Itali dicunt *cercar l'osso nel fico:* vel *il pelo nell'uovo:* vel *cinque piedi al montone:* vel etiam *il nodo nel giunco.* — Et illud scirpo peculiare, quod semper arescit, etiam in aqua. Hinc leno apud *Plaut.*, quod naufragio bona perdidisset, ita comice queritur, *Rud.* 2. 6. 39. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, Qui semper servas gloriam aritudinis. ¶ 2. Est etiam ænigma, *indovinello, logogrifo. Gell.* 12. 6. Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus sirpos appellarunt. Alii leg. *scirpos.*

SCIRRHŌMA. *V.* SCIROMA.

SCIRRHOS. *V.* SCIRROS.

SCIRRHŌSIS. *V.* SCIRROSIS.

SCIRROS, sciros *vel* scirrhos, i, m. 2. σκίρος et σκίρρος, *scirro*, idem quod sciroma. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (63). *de mola uteri.* Simile quiddam et viris in ventre gignitur, quod vocant scirron.

SCIRRŌSIS, scirrhosis *vel* schirrosis, is, f. 3. σκίρρωσις, duritia seu tumor durus in membris. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 49. Utraque passio (*jecorosorum* et *lienosorum*) a locis patientibus nomen accepit. Si quidem est in jecore vel in liene constituta, tumore scilicet effecta, sive collectione vel duritia atque saxitate, quam scirrosin vocant Adde *Plin. Val.* 3. 26.

SCIRTŬLA. *V.* SIRPULA.

SCISCĪTANS, antis, particip. *V.* SCISCITOR.

SCISCĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (sciscitor) actus sciscitandi, interrogatio, *dimanda*, πεῦσις, ἐρώτησις. — *a*) Universim. *Petron. Sat.* 24. Cujus esset puer, diligentissima sciscitatione quæsivit. Adde *Chalcid. Tim.* 153. — *b*) Cum Genetivo. *Id. ibid.* 128. Sciscitatio veri Dei. *Id. ibid.* 166. Sapientiæ. — *c*) Sequent. partic. interrog. *Hieronym. Ep.* 59. Tua sciscitatio fuit, quæ sint illa, quæ nec oculos vidit, nec auris audivit.

SCISCĪTĀTOR, ōris, m. 3. (sciscitor) qui sciscitatur, investigator, *domandatore*, *ricercatore*, πευθήν. *Martial.* 3. 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus, Et delicatæ sciscitator urinæ etc. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 193. Explorat arte sciscitator callida, Deusne membris sit receptus terreis. *Ammian.* 22. 16. *a med.* Herodianus artium minutissimus sciscitator.

SCISCĪTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SCISCĪTO, as, ātum, are, a. 1. et *sæpius*.

SCISCĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (scisco) *Sciscito*, forma activa, apud *Plaut. Merc.* 2. 3. 51. Mane: paucula etiam sciscitare prius volo. *et Paul. Diac. p.* 303. 2. *Müll.* Sciscito, sententiam dico. — Part. *Sciscitans* 1. c. et e.; *Sciscitatus* fere in omn. paragr.; *Sciscitaturus* 1. e. — Sciscitor est sciendi gratia interrogo, scire laboro, quæro, scitor, inquiro, percunctor: quamquam *sciscitor* a *percunctor* aliquid differre videtur, ita ut hoc sit graviter, illud contra anxie, curiose, et etiam callide inquiro, ut sciam: cf. *Liv. loc.* infra *cit.* (It. *dimandar per sapere, interrogare, ricercare, cercar d'intendere, informarsi*; Fr. *s'enquerir, s'informer, faire des recherches, rechercher*; Hisp. *inquirir, averiguar, informarse*; Germ. *sich erkundigen, nachforschen, erforschen*; Angl. *to inquire, demand, ask, seek to be informed*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Liv.* 6. 34. Elicuit comiter sciscitando, ut fateretur etc. *Id.* 1. 56. Cupido incessit animos juvenum sciscitandi, ad quem eorum regnum R. esset venturum. *Gell.* 12. 13. Si de vetere jure discendum esset, issem plane sciscitatum ad istos, quod dicis. *Quintil.* 9. 2. 7. Quoties non sciscitandi gratia assumitur (*rogare*), sed instandi. — *b*) Cum Accus. rei. *Liv.* 7. 26. Sciscitari consulis voluntatem. *Id.* 45. 27. Sciscitatum deos descendunt. *Tac.* 2. *Hist.* 33. Missi, qui consilium ejus sciscitarentur. *et* 1. *ibid.* 84. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur. *Gell.* 1. 9. Pythagoras a principio adolescentes, qui se ad dicendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. id verbum significat, mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. — Part. *Sciscitatus*, eodem modo. *Petron. Sat.* 137. Sciscitata causam tristitiæ, et ipsa flere cœpit. — Passive. *Ammian.* 25. 8. *a med.* Omnium sententiis occultius sciscitatis. *Id.* 28. 4. 24. Ephemeride scrupulose sciscitata. — *c*) Cum Ablat. personæ, quæ interrogatur, et præp. *ex*, *ab. Cic.* 1. *Nat. D.* 7. *a med.* Epicuri ex Vellejo sciscitabor sententiam. Cf. *eumd.* 1. *Orat.* 23. 105. *Vulgat. interpr. Dan.* 1. 20. Sciscitatus est ab eis rex. — *d*) Cum Ablat. personæ aut rei, de qua quis interrogatur, et præp. *de. Cic.* 14. *Phil.* 7. 19. De unoquoque nostrum sciscitantur omnes. *Id.* 1. *Divinat.* 34. *ad fin.* Quum ora-

culum ab Jove Dodonæo petivissent, de victoria sciscitantes. Adde *eumd.* 9. *Att.* 15. *a med.* — ɑ) Sequente particula interrog. *Cic. Att. loc. cit.* De Domitio, ut facis, sciscitare, ubi sit, quid cogitet. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 21. Ab utroque autem sciscitor, cur mundi ædificatores repente exstiterint. *Ter. Eun.* 3. 4. *extr.* Quidquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari. *Sueton. Vesp.* 23. Sciscitans, num odore offenderetur. *Id. Ner.* 48. Sciscitans, ecquid in Urbe novi de Nerone. *Id. Vitell.* 7. *extr.* Ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur. *Petron. Sat.* 37. Cœpi sciscitari, quæ esset illa mulier. *et ibid.* 124. *ad fin.* Sciscitantes, quod genus hominum, aut unde veniremus. *Sueton. Cal.* 28. Revocatum quemdam a vetere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere consuesset. *Frontin.* 1. *Strateg.* 2. 8. Tisamenus præmisit sciscitaturos, quid rei foret. ¶ 2. Speciatim pro experiri, tentare. *Capitolin. M. Aurel.* 5. Verus in somnis se humeros eburneos habere vidit: sciscitatusque, an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores.

SCISCO, sciscis, scivi, scitum, sciscere, a. 3. (scio) *Sciscor* etiam pro *scisco*, deponent. forma, dixere veteres, teste *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* Forma videtur esse inchoat. a *scio*, quasi scire incipio, vel sciendum curo: ceterum causative est etiam efficio, ut quis sciat, vulgo, promulgo. *V.* infra. — Part. *Scitus* II. 2.° *a.* et in fin.; *Sciscendus* II. 3.° — Scisco igitur est sciendum curo, investigo, ut sciam, rescio, *cercar di sapere, informarsi, venire a sapere.*

I.) Proprie. *Afranius* apud *Charis. p.* 186. *Putsch.* Sciscere, quid sit necessum scire. *Accius* apud *Non. p.* 505. 12. *Merc.* Ut sciscam quid sint. Sic *Plaut. Amph.* 5. 1. 17. Ocius accurro, ut sciscam, quid velit. *Id. Bacch.* 2. 3. 67. Auferimus aurum omne illis præsentibus, palam atque aperte, ut illi id factum sciscerent. Adde *Pœn.* 3. 5. 27.

II.) Translate in re forensi usurpatur, et est — 1.°) Sententiam dicere, et suffragium ferre, ut docet *Fest.* in *Ni quis scivit.* ubi tradit, fuisse centuriam a Tullio rege constitutam, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, nequis civis suffragii jure privaretur. Esse autem *ni quis scivit*, nisi quis scivit. *h. e.* si quis suffragium non tulit. Porro in ea centuria neque centurio præficiebatur, neque centurialis esse poterat, quia certus nemo erat ejus centuriæ. *Id.* — 2.°) Frequenter ponitur pro statuere, decernere, sancire, *decretare, ordinare, stabilire,* ψηφίζομαι, χειροτονέω. Hoc fortasse ideo, quia non solet dici sententia, neque decerni, nisi de iis, quæ plane sciuntur. — *a*) Absolute, vel cum Accusat. *Mar. Victorin. p.* 2463. *Putsch.* Scire facit sciscere, id est jubere, præbere. *Cic.* 1. *Phil.* 10. *a med.* Cedo illa legitima: Consules populum jure rogaverunt, populusque jure scivit. *Liv.* 42. 21. Plebes scivit jussitque. *Id.* 6. 35. Nec quidquam ad sciscendum plebi fieri passi sunt. Adde *Plaut. Curc.* 4. 2. 23. et *Sil. It.* 7. 545. *Cic. Flacc.* 7. 15. Quæ scisceret plebes aut quæ populus juberet. — Passive. *Cic.* 2. *Legg.* 5. *ad fin.* Multa perniciose sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua consessu suo sanxerint. *Id.* 1. *ibid.* 15. Quæ scita sint in populorum institutis aut legibus. — *b*) Cum Conjunct. et partic. *ut, ne. Cic.* 3. *Off.* 11. 46. Durius Athenienses, qui sciverunt, ut Æginetis, qui classe valebant, pollices præciderentur. *Id. Balb.* 11. 27. Si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive R., ut sit civis Gaditanus. *Curt.* 8. 1. 18. Scivere gentis suæ more, ne pedes venaretur. Cf. *Liv.* 26. 33. *a med.* Ut tribunus plebis rogationem ferret, sciretque plebs, ut etc. ubi *sciret* pro *sciceret:* nam et *scio* pro *scisco.* et *Paul. Dig.* 46. 3. 98. *extr.* Lex XII. Tab. tignum ædibus junctum vindicare posse scit: sed interim id solvi prohibuit. *Gronov.* tamen apud *Liv.* mallet *sciscerent.* — *c*) Cum Infinito. *Sil. It.* 7. 543. nunc munera Martis Æquent imperio, et solem concedere nocti Sciscant. *h. e.* decernant par imperium Minucio magistro equitum cum Fabio dictatore. — 3.°) *Sciscere legem, rogationem,* est ferre et suffragio suo comprobare. *Cic. Planc.* 14. *ad fin.* Plancius primus scivit legem de publicanis. *Id. Prov. cons.* 15. 36. Simul ostendit, eam se sciscere legem, quam esse legem neget. *Id.* 3. *Legg.* 15. 33. Suffragia in magistratu mandando, aut reo judicando, aut lege aut rogatione sciscenda, palam ferre. *et ibid.* 3. *in fin.* Creatio magistratuum, judicia, populi jussa, cum suffragio sciscentur, plebi libera sunto. Alii leg. *consciscentur.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Scitus, a, um, adjectivorum more occurrit; unde Comp. *Scitior* I. *c.* et II. 2.; Sup. *Scitissimus* II. 1. et 2. — Scitus est doctus, scius, peritus, ingeniosus, acutus, *che sa, dotto, pratico, accorto,* συνετός, εὐφυής. *Goerenzius* ad *Cic.* 1. *Fin.* 14. putat, *scientem* a *scito* ita differre, ut *sciens* sit is, qui quam maxime novit artem vel scientiam aliquam; *scitus* vero, qui quod sciat, rite applicare possit.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 3. 8. Nimis hic scitus est sycophanta. *Id. Pseud.* 1. 3. 151. Homo astutus, doctus, scitus et callidus. *Id. Cas.* 3. 1. 8. Nimium scite scitus es. *Gell.* 13. 4. Mulier scita atque prudens. *Enn.* apud *Fest.* Scitus agaso. *pratico delle strade. Liv.* 35. 49. Scitus convivator. Rursum *Plaut. Most.* 1. 3. 104. Cedo purpurissum. SCA. non do. Scita es tu quidem. nova pictura interpolare vis opus lepidissimum. *Id. Pseud.* 2. 4. 58. Ecquid is homo scitus est? CHA. plebiscitum non est scitius. ψυχρά ἐψία. *Quintil.* 5. 7. 28. Scita interrogatio. *Id. Cist.* 4. 2. 12. Non sum scitior, quæ hos rogem. — *b*) Cum Genetivo. *Ovid.* 9. *Met.* 108. Nessus adit, membrisque valens, scitusque vadorum. *Id.* 5. *Fast.* 54. curvæ scita Thalia lyræ. *Quintil.* 9. 3. 10. Scitus pugnandi. — *c*) Cum Infinito, more Græcorum. *Sil. It.* 17. 292. Dux vetus armorum, scitusque accendere corda Laudibus.

II.) Translate. ¶ 1. *Scita* dicuntur quæcumque docte, perite, ingeniose, acute facta, aut dicta. *Plaut. Asin.* 4. 1. 57. Pulcre scripsisti. scitum syngraphum! *scrittura ben messa.* et *Stich.* 1. 3. 30. Oratio optima et scitissima. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. *a med.* Scitus sermo et Atticus. — *Scitum dictum,* sapienter, acute, commode dictum, *un bel detto, un motto grazioso.* et *Tac.* 6. *Ann.* 20. Unde scitum Passieni dictum (de *Caligula*) percrebuit, neque meliorem unquam servum neque deteriorem dominum fuisse. *Cic.* 2. *Divinat.* 24. 51. Vetus illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem quum vidisset. *Id. Orat.* 16. 51. Quum autem, quid et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo. scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmidam autem etiam eodem modo dicere. — *Scitum est,* res est ingeniosa, mira et scitu digna. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (81). Scitum est inter Protogenem, et eum (*Apellem*) quod accidit. — *Scitum est,* sapientis est, optimum est. *Ter. Heaut.* 1. 2. 35. Hoc scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet. *Id. Phorm.* 5. 4. 2. Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, quum res adversæ sient, paullo mederi possis! *Cic.* 3. *Orat.* 61. 228. Scitum est enim, causam conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas. ¶ 2. *Scitus* est etiam pulcher, venustus, elegans, *ben formato, bello, leggiadro, garbato. Ter. Andr.* 3. 2. 6. Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo. Ubi *Donat.* elegans, pulcher, quod Græci κόσμιον dicunt. *Plaut. Men.* 4. 4. 15. Satis scitum filum mulieris. *Apul.* 10. *Met.* Scitissimum construxerunt chorum. *h. e.* elegantissimum. *Festus:* Scita facies, bona facies. *Lamprid. Commod.* 2. *ad fin.* Mulierculæ formæ scitioris. *V.* PICTURA. ¶ 3. Item accommodatus, aptus, opportunus, idoneus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 132. Hæc nox scita est exercendo scorto conducto. male. *Gell.* 18. 5. Voce admodum scita et canora Ennii Annales legere. ¶ 4. Item mulieres et meretrices scitum vocant τὸν ἄνδρα ἐν τῇ συνουσίᾳ ἰσχυρὸν καὶ ἔμπειρον. *V.* PRŒLIUM. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 42. Quamquam hic horridus est, quamquam hic squalidus est, scitus bellum init. Contra *inscitus,* tardus, ignavus, segnis. *Id. Merc.* 5. 4. 57. Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus scortarier, cum eo nos hic lege agemus, inscitum arbitrabimur. Sed *Bothe* in priori loco ex MS. pro *scitus bellum init* edidit *at est bellus mihi.* — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

Scitum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est decretum, jussum, *decreto,* ψήφισμα.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Balb.* 18. 42. Quum scita ac jussa nostra sua sententia comprobat. *Id. opt. gen. Orat.* De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, ut corona aurea donaretur. *Liv.* 1. 20. *a med.* Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (146). Scito legum diligenti contra bibendi fallacias. *Firmic.* 1. 3. Fatalis sciti lex. ¶ 2. Speciatim *populi scitum* et *plebis scitum,* aut conjuncte *populiscitum* (de quo tamen *V.* POPULISCITUM) et *plebiscitum.* Ad h. v. *Festus:* Scitum populi dicebatur, quod sine plebe cunctus patricius ordo suis suffragiis jussit. Quod autem aliquo interrogante ex patribus, et plebe suffragante, scitum esset, id jam leges scriptæ dicebantur. Sed illud plebiscitum est, quod tribunus plebis sine patriciis plebem rogavit, id est consuluit, plebesque scivit: plebes autem est omnis populus præter senatores et præter patricios. et Scita plebei appellantur ea, quæ plebs suo suffragio sine patribus jussit, plebejo magistratu rogante. Hæc *Festus. Liv.* 31. 50. *in fin.* Et de altero ædile scitum plebis est factum, rogantibus tribunis. *Id.* 22. 26. Scitique plebis unus gratiam tulit. *V.* PLEBISCITUM.

II.) Translate *scitum* est placitum, dogma, ἀξίωμα. *Seneca Ep.* 95. Nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quæ Græci vocant δόγματα: nobis decreta licet appellare, vel scita, vel placita.

SCISSĬBĬLIS, e, adject. (scindo) idem ac scissilis. *Theod. Priscian.* 4. 2. *ante med.* Quum sit omnis spuma levis, atque fistulosa, et facilitate scissibilis, solubilis.

SCISSĬLIS, e, adject. (scindo) ¶ 1. Est qui facile scinditur et frangitur, fissilis. *Cels.* 5. 2. et 6. 11. Alumen scissile. στυπτηρία σχιστή. (*Colum.* 6. *R. R.* 13. et *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 58. (108). vocant *scissum*: quia in capillamenta quædam canescentia dehiscit. V. *Plin.* 35. *ibid.* 15. 52. (186). ¶ 2. Etiam scissus, lacer. *Apul.* 1. *Met.* Homunculi scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti. *Veget.* 2. *Veterin.* 47. Fracturam compones, et fasciis mundis scissilibus, infusis ex vino et oleo colligabis. *h. e.* pannis laceris; *stracci.*

SCISSIM, adverb. (scindo) scindendo. *Prudent.* Διττοχ. 34. Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt. *h. e.* scindendo se et aperiendo.

SCISSĬO, ōnis, f. 3. (scindo) actus scindendi, divisio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Augustin.* 3. *Cons. evang.* 19. Scissio veli. ¶ 2. Speciatim in re grammatica est idem ac diæresis. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ab init.* Dyas cum quinario aptissime jungitur, dum hic ad errantes, ut diximus, ad cæli zonas ille referatur: sed ille ratione scissionis, hic numero. *Anecd. Helv. p.* 99. 5. *Hag.* Per diæresin, hoc est per scissionem syllabæ.

II.) Metonymice. *Vulgat. interpr. Am.* 6. 12. Scissiones parietum. *h. e.* rimæ, scissuræ, *fessure, squarci.* Cf. *Rufin.* in *Amos* II. c. 6. *Varro* apud *Non. p.* 414. 25. *Merc.* Taleas scissiones lignorum vel præsegmina. *scheggie, trucioli.*

SCISSOR, ōris, m. 3. (scindo) ¶ 1. Est qui scindit, et speciatim qui scindit obsonia in mensa, carptor, structor, incisor, *trinciante,* χειρονόμος. *Petron. Sat.* 36. Processit statim scissor, et ad symphoniam gesticulatus laceravit obsonium. *V.* SCINDO. ¶ 2. Est etiam *scissor* inter gladiatores, isque videtur esse, qui jacentium cadavera ictibus dissipabat, ne quis spectatores simulata

morte deluderet, ut *Lactant.* 6. 20. *ante med.* ait. *Inscript.* apud *Fabrett.* *p.* 40. *n.* 203. et *p.* 62., eaque emendatior apud *Lupul. Iter Venus.* *p.* 330. SCISSOR. M. CAECILIVS T. *h. e.* tiro. V. *Orell.* 2569.

SCISSŪRA, æ, f. 1. (scindo) divisura, rima, scissio, hiatus, *divisione, fesso, fessura, scissura,* σχίσις.

I.) Proprie. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 9. (50). Ad scissuras Nili. *Id.* 11. *ibid.* 28. 34. (100). Pennæ insectis omnibus sine scissura. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (79). Sal probatur quam maxime perspicuus, rectis scissuris. *Pallad.* 6. *R. R.* 12. Lateres, qui æstate fiunt, celeritate fervoris in summa cute siccantur, interius humore servato: quæ res scissuris eos faciet aperiri. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 2. Unguiculi nos et ne totius quidem, dolor, sed aliqua a latere ejus scissurà conficit. Adde *Theod. Priscian.* 3. 4. et *Marcell. Empir.* c. 23. *p.* 100. *retro.*

II.) Metaphorice est dissensio, discordia. *Prudent. Psychom.* 756. Scissura domestica turbat Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 11. 18.

SCISSUM, i, n. 2. *et*

SCISSUS, a, um, particip. *V.* SCINDO.

SCISSUS, us, m. 4. (scindo) scissio. *Gloss. Philox.* Scissus, σχίσμα. *Varroni* quoque tribuunt his verbis: Scissu materiæ fatigatus quiescebat lectulo. Ita *Sipontinus.* Sed hæc lectio a recentioribus improbatur.

SCĪTĂLA. *V.* SCYTALA.

SCĪTĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. (scitus) scita edulia, *cibi delicati, manicaretti, saporetti, leccumi,* ἡδύσματα: a *scitus* pro pulcro, quod sint saporis egregii et præcellentis.

I.) Proprie. *Macrob.* 7. *Saturn.* 14. Apud popinatores pleraque scitamentorum cernimus, proposita ampliora specie, quam corpore. *Plaut. Men.* 1. 3. 26. Aliquid scitamentorum de foro obsonarier. Alii aliter leg. *Mattius* apud *Gell.* 20. 9. *ad fin.* Dein coquenti vasa cuncta dejectat, Nequamve scitamenta pipulo poscit. *Apul.* 10. *Met.* Scitamenta mellita.

II.) Metaphorice ornamenta orationis. *Gell.* 18. 8. Ὁμοιοτέλευτα καὶ πάρισα καὶ ὁμοιόπτωτα, ceteraque hujusmodi scitamenta, quæ isti ἀπειρόκαλοι in collocandis verbis immodice faciunt.

SCĪTANS, antis, particip. *V.* SCITOR.

SCĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (scitor) *dimanda, ricerca,* πεῦσις, sciscitatio, interrogatio. *Ammian.* 18. 5. 1. Commeatuum copiæ an abunde suppetant, indefessa scitatione percontans. (At *Gardthaus.* leg. *sciscitatione.*) et *Chalcid. Tim.* *p.* 36. Propterea, quod rudibus animis insedisset veri Dei scitatio.

SCĪTĀTOR, ōris, m. 3. (scitor) qui interrogat, et sciscitatur. *Ammian.* 22. 8. 10. Scientissimi (*Gardthaus.* minutissimi) scitatores. Alii leg. *scrutatores.*

SCĪTĀTUS, a, um, particip. *V.* SCITOR.

SCĪTĒ, adverb. (scitus) Comp. *Scitius;* Sup. *Scitissime.* — Scite est docte, scienter, cordate, perite, *dottamente, saputamente, aggiustatamente,* ἐπιστημόνως, ἐμμελῶς: cui *inscite* opponitur. *Plaut. Merc.* 3. 1. 28. tondetur nimium scite. *Id. Trin.* 3. 3. 56. Satis scite et probe. *Id. ibid.* 53. Scite hercle sane. *Tac.* 3. *Hist.* 62. Mimos actitavit scite magis, quam probe. *Cic. Pis.* 25. *ad fin.* Rationes ita sunt perscriptæ scite et litterate, ut etc. *Liv.* 10. 19. Scite loqui. *Seneca Ep.* 9. Si exprimere ἀπάθειαν uno verbo scite voluerimus. *Gell.* 12. 13. *circa med.* Scite perquam, atque enucleate disputare. *Id.* 1. 1. Scite subtiliterque ratiocinari. *Cic.* 4. *Verr.* 35. *a med.* Capella scite facta et venuste. *artifiziosamente.* et 11. *Fam.* 16. Ille, cui mandavi, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi. *accortamente.* et *Ter. Heaut.* 4. 5. 16. At si scias, quam scite in mentem venerit. CHRE. Vah! gloriare evenisse ex sententia? *ingegnosamente.* et *Cic.* 6. *Verr.* 24. *sub fin.* Tum illa ex patellis et turibulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres. *Sall. Jug.* 90. Sordidum me, et incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno, etc. *h. e.* eleganter, exquisite. *Liv.* 4. 44. *sub fin.* Vestalem absolutam pro collegii sententia, pontifex maximus abstinere jocis, colique sancte potius, quam scite, jussit. *galantemente, pomposamente.* et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 48. (166). Scite dictum est, ad tecta eos pice, ad vinum calce uti. *h. e.* commode, acute, sapienter. *Gell.* 4. 11. *circa med.* Qui diligentius scitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt. *Est qui leg.* anquisitiusque. *Plaut. Stich.* 1. 3. 115. Vinum poculo pauxillulo sæpe exanclavit submersum scitissime. *saporitissimamente.*

SCITHE, es, f. 1. nomen herbæ chamæleonis apud Dacos. *Apul. Herb.* 25.

SCĪTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* scio. *Ammian.* 30. 5. *circa med.* Genuino percontando sermone, quos non scitabat. Alii rectius leg. *quos noscitabat.* et *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* *p.* 353. *Loewe.* Plebs scitat: plebs interrogat. *et* Plebem scitat: plebem alloquitur.

SCĪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (scio) *Scito,* forma activa, *V.* voc. præc. *Scitarier,* infinit. paragog. pro *scitari,* apud *Ovid.* 2. *Met.* 741. — Part. *Scitans* et *Scitatus.* — Scitor, a supino *scitum* verbi *scio,* est idem ac sciscitor. — *a*) Cum Accusat., aut Ablat. et præpos. *de, ab, ex.* *Virg.* 2. *Æn.* 114. Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus. *Ovid.* 2. *Met.* 511. causamque viæ scitantibus infit. *Id.* 4. *ibid.* 793. Scitari digna relatu. *Ammian.* 22. 12. 7. oraculorum responsa. *Id.* 24. 8. 4. consulta numinum. *Ovid.* 10. *Met.* 564. Scitanti deus huic de conjuge dixit. *Id.* 1. *ibid.* 775. gradere et scitabere ab ipso. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 60. Scitari libet ex ipso. — *b*) Cum partic. interrog. *Cic. Orat.* 16. 52. Non te id scitari, qualem esse oratorem vellem, sed id mihi quærere videbare, quod genus ipsius orationis optimum judicarem. *Ovid.* 11. *Met.* 622. Quid veniat, scitatur. *Id.* 10. *ibid.* 357. scitatur ab ipsa, Nominibus dictis cujus velit esse mariti. *Ammian.* 16. 12. 41. Scitantibus, ubi relictus sim imperator, respondete nihil fallentes. — *c*) Absolute. *Dosith. Gramm.* *p.* 61. 3. *Keil.* Sciscor, φιλοπραγμονῶ χρητήρια (*h. e.* curiose scrutor oracula), scitatus sum. Adde *Augustin. Serm.* 2. *n.* 2. ed. *Mai.*

SCĪTOR, ōris, m. 3. (scio) qui sciens est, cognitor. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. an.* 11. In imaginem Dei pronuncias, tamquam potissimorum scitor, qui minorum probaris ignarus.

SCĪTŬLĒ, adverb. (scitulus) deminut. a *scite,* scite, apte, perite, callide, decenter, venuste. *Apul.* 2. *Met.* Diribitores splendide amicti, fercula copiosa, puellæ scitule ministrantes. *et* 7. *ibid.* Tuceta concinnat, apponit scitule. *et* 10. *ibid.* Gradus scitule referens. *con leggiadria, con garbo.*

SCĪTŬLUS, a, um, adject. (scitus) deminut. a *scitus,* aliquantum scitus, aut scitus, aptus, venustus. *Plaut. Rud.* 2. 7. 7. Mulierculæ qua sunt facie? SCE. scitula. *et* 4. 1. 3. Ambæ forma scitula, atque ætatula. *Arnob.* 5. *p.* 179. Scituli pusiones. *Apul.* 1. *Met.* Ad quamdam cauponam, Meroen nomine, anum, sed admodum scitulam, devorto. *garbata.*

SCĪTUM, i, n. 2. *et*

SCĪTUS, a, um, particip. *V.* SCIO.

SCĪTUS, us, m. 4. (scio) idem ac scitum. *Liv.* 25. 7. Comitia de senatus sententia, plebisque scitu sunt habita. *Cic.* 4. *Att.* 2. Si neque populi jussu, aut plebis scitu id facere jussus esset. *V.* PLEBISCITUM.

SCĪŪRUS, i, m. 2. σκίουρος, *scojattolo, sciuro,* silvestre animal ex genere murium: a σκιά, umbra, et οὐρά, cauda, quia villosa cauda in æstu sibi umbram facit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 58. (138). Provident tempestatem sciuri, obturatisque, qua spiraturus est ventus, cavernis, ex alia parte aperiunt fores: de cetero ipsis villosior cauda pro tegumento est. *Id.* 11. *ibid.* 43. 99. (245). Sciuri admovent cibum ad os pedibus prioribus. *Martial.* 5. 37. Cui (*puellæ*) comparatus indecens erat pavo, Inamabilis sciurus, et frequens phœnix. Hinc patet, hoc animal apud Romanos in deliciis habitum fuisse.

SCĪUS, a, um, adject. (scio) ¶ 1. Est idem ac sciens, εἰδώς. *Lactant.* 3. 34. *ad fin.* Puto, eos prudentes et scios mendacii defendenda suscipere. Adde *Non. loc. cit. in fin.* *V.* SCIENS. ¶ 2. Est etiam doctus, peritus, sapiens, ἐπιστήμων. — *a*) Absolute. *Pacuv.* apud *Priscian.* 4. *p.* 634. *Putsch.* Postquam defessus perrogitando advenas de natis, neque quemquam invenit scium. *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann. sub fin.* Sunt mulieres plus sciæ. — *b*) Cum Genetivo. *Macrob.* 6. *Saturn.* 9. Lucilius namque vir apprime Latinæ linguæ scius. *Lactant.* 2. 14. Dæmonas dici ajunt quasi δαήμονας, idest peritos ac rerum scios. — Hinc

Scius, ii, m. 2. absolute. *Vulgat. interpr. Eccli.* 21. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit, scius laudabit et ad se adjiciet. Adde *Hygin. fab.* 92.

Homonym. *Scius* et *conscius* hoc differunt, quod *scius* secum, *conscius* cum alio scius est, licet conscium indifferenter positum legerimus. Ita *Non.* *p.* 429. 23. *Merc.* — Similiter *sciens* est is, qui quam maxime scit artem vel scientiam aliquam; *scitus* vero, qui quod scit, rite applicare potest. Ita putat *Goerenz.* ad *Cic.* 1. *Fin.* 14.

SCLĀRĒA, æ, f. 1. genus fruticis. *Strab. Gall.* c. 16. Hic umbrosa novos inter Sclarea virores Stipite prævalido assurgens ramosque comasque Altius extollit.

SCLAREIA, æ, f. 1. genus instrumenti musici, fortasse fistula, tibia, *cennamella.* *Gargil. Mart. de medic.* 62.

SCLERERȲTIS, tidis, f. 3. spuma argenti. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (108). Quidam duo faciunt genera spumæ, quæ vocant sclererytida et peumenen. *Sillig.* et *Jan.* scirerytida; *al. aliter leg.* V. SCELERYTIS.

SCLINGO, is, ere, n. 3. vox anseris. *Sueton. Gr.* 161. *p.* 251. 3. Anserum est gliccire vel sclingere. Ita *Reifferscheid.* V. *Loew.* in *Gloss. nom.* *p.* 248.

SCLĪRŌSIS, is, f. 3. idem ac scirosis. *Æmil. Mac. de Ostrutio,* *p.* 235. *V.* SCIRRHOSIS.

SCLIS, itis, f. 3. pro *lis* vel *stlis* in *Inscript.* apud *Mommsen.* *n.* 314.

SCLOPPUS. *V.* STLOPPUS.

SCŎBA, æ, f. 1. instrumentum ad politiorem ornatum. *Gloss. Gr. Lat.* Κοσμητήριον, scoba. Cf. SCOBIS et SCOBINA.

SCŎBĔO. *V.* SCOBIS.

SCŎBĪNA, æ, f. 1. (scobs *vel* scoba) instrumentum, quo fabri lignarii utuntur ad abradendum, ut *lima,* quo ferrarii: a *scobs,* ῥινή (It. *scuffina, raspa;* Fr. *sorte de lime, râpe;* Hisp. *escofina, lima grande de dientes gruesos;* Germ. *Feile;* Angl. *a rasp*). *Varro* 7. *L. L.* 68. *Müll.* Scobina a scobe. lima enim materia fabrilis est. Plautus in Nervolaria: Scobina ego illum actutum adraserim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 68. *extr.* Novissima asperitas (*in stomacho testudinis*), ut scobina fabri. *Tertull. Apolog.* 12. Ungulis deraditis latera Christianorum; at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ et runcinæ et scobinæ. *V.* GROSPHUS.

SCŎBIS *et* scobs, is, m. *et sæpius* f. 3. (scabo) Rectus casus *scobs,* ut *scrobs,* agnoscitur a *Priscian.* 7. *p.* 751. *Putsch.* — Scobis est id quod ab aliqua materia minutissimum decidit, dum lima aut scobina raditur, vel serra secatur, vel terebra perforatur, vel aliquo corpore atteritur, ῥίνημα (It. *roditura, segatura, limatura;* Fr. *limaille, sciure, râpure, râclure, scories;* Hisp. *raedura, rasura, limadura;* Germ. *Feilstaub, Sägespäne, Hammerschlag;* Angl. *reaping, sawdust, sawing, scrapings, filings*). Quomodo autem a ramentis differat, in ea voce dictum est. Quæ est ex auro, Italice dicitur *calia.*

1.) Proprie. *Comm. Sedul. in Eutych.* in *Anecd. Helv.* *p.* 14. 19. *Hag.* Scobs scobis, scobeo scobes. *Cels.* 5. 5. Purgant ficus arida, coccum Gnidium, scobis eboris etc. *Id.* 8. 2. *a med.* Finis vitii (*in osse*) est, ubi scobis, nigra esse desiit. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *ad fin.* Antiqua terebra scobem faciebat. *et mox.* Scobis numquam sic aximebatur, ut non inhæreret foramini. *Id.*

7. 10. *ante med.* Nauseantibus salutaris habetur eburnea scobis sali fricto commista. *Id.* 12. 43. *ante med.* Populnea vel abiegna scobe virides uvas custodire. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (11). Scobem æris delimatam aceto spargere. *Lamprid. Elagab.* 31. *in fin.* Scobe auri porticum stravit et argenti, dolens quod non posset et electri. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 81. Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus Consistit sumptus! *scil.* ad tergenda marmora, pavimenta, mensas. Sic *Juvenal.* 14. 67. et tamen uno Semodio scobis hæc emendat servulus unus. *Vitruv.* 8. 3. Scobe vitreo. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 7. Educto omni scobe.

II.) Translate. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (28). Scobem cutis in facie œsypum extenua' h. e. furfures, *forfore*, aut aliquid simile.

SCOBS, is. *V.* voc. præced.

SCOCLĀTĀRĬUS *vel* schoclatarius, ii, m. 2. Legitur in *Inscript. Chr.* apud *De-Rossi T.* 1. *n.* 230. et 1015. et videtur vox facta per metathesim a *sculsator*, qui pro *scultator* vel *exculcator*, h. e. explorator, genus militiæ. Cf. *Veget.* 2. *Milit.* 17., et *Cavedoni* in *Opusc. di Moden. Ser.* 2. *T.* 1. *p.* 24.

SCŎLA, SCŎLĀRIS, SCŎLASTĬCĒ, SCŎLASTĬCŬLUS, SCŎLASTĬCUS et SCŎLĬCUS. *V.* SCHOLA, SCHOLARIS, SCHOLASTICE, SCHOLASTICULUS, SCHOLASTICUS et SCHOLICUS.

SCŎLAX, ăcis, m. 3. σκόλαξ inusit., funale. *Isid.* 10. *Orig.* 20. 5. Funalia Græci scolaces dicunt, quod sint scoliæ, (σκολιοί), hoc est intorti. Itali nunc *torcie a vento* vocant. *V.* FUNALIS in fin.

SCŌLĒCĬA, æ, f. 1. ærugo in ære Cyprio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 28. (116). Est et alterum genus æruginis, quam vocant scoleciam: in Cyprio ære hoc, trito alumine, et sale, aut nitro pari pondere, cum aceto albo quam acerrimo; teritur autem, donec viride fiat, contrahatque se vermiculorum specie; unde et nomen. *et mox.* Scolecia fit et per se, derasa ab ærario lapide. At rectius *scoleca* leg. *Sillig.* cum aliis priore loco, et *scolex* loco posteriore, quod est a Græco σκώληξ, vermiculus. Ex hac mixtura fit color, qui Italis dicitur *verde grigio.*

SCŌLĒCĬON, ii, n. 2. σκωλήκιον, genus cocci, quo vestes tinguntur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 4. (8). *de cocco.* Est genus ex eo in Attica fere et Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans: quod ideo scolecion vocant, improbantque.

SCŌLEX, ēcis, m. 3. *V.* SCOLECIA.

SCŎLĬBRŎCHON, i, n. *et*
SCŎLĬBRŎCUS *vel* scoliprochus i, m. 2. σκολίβροχον, herba, quæ et callitrichon, et scolopendrion, et capillus Veneris dicitur. *Apul. Herb.* 47. *V.* ADIANTUM et SAXIFRAGA.

SCŎLĬUM, ii, n. 2. σκόλιον, carmen convivale et etiam genus citharæ, ut videtur. *V.* voc. seq. *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.* Scolius quoque ideo (*dictus*), quia habiliter componitur scolio. est autem citharæ species mensalis. — *NB.* Scolia ab epithalamiis diversa fuisse, negare videtur *Souchay* (*Mémoire sur l'orig. et le caract. de l'épital.* in *Mém. de littérat. t.* 13. *p.* 475.). Sed non parum differre illa carmina, ex Aristoxeno et Phyllide musico patet, qui *scolia* nuptialia non carmina fuisse docent in sponsi sponsæque honorem composita, sed amatoria potissimum cantilenas. Ita *Popma. Cf. C. D. Ilgen* in opere, quod inscribitur Σκόλια, ed. *Jenæ*, 1798.

SCŎLĬUS, ii, m. 2. σκολιός, dicitur pes metricus, frequentiore appellatione amphibrachys, ex brevi, longa et brevi constans, ut *amœnus, renidet:* a σκολιός, tortuosus, obliquus, quia aptus est cuidam carmini convivali, quod dicebatur σκόλιον, et a conviva primo cœptum, non e proximo, sed flexuoso circuitu ultro citroque excipiebatur. *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.* V. voc. præced.

SCŎLŎPAX, ăcis, m. 3. σκολόπαξ et ἀσκαλώπαξ. Secundam syllabam nimis licenter produxit, vel alteram vocem Græcam secutus est *Nemesian. loc. cit.* — Scolopax est avis gallinæ corpore et moribus, rostro prælongo, arbori numquam insidens, eadem ac rusticula, *gallo di montagna.* V. RUSTICULUS. *Nemesian. fragm.* 2. *de aucup.* 3. præda est facilis, et amœna scolopax.

SCŎLŎPENDRA, æ, f. 1. σκολόπενδρα, *scolopendra.* ¶ 1. Insectum octipes venenatum, cujus in altero extremo, quod caudæ loco habet, supereminet corniculum, quasi surculus impactus, a quo nomen creditur accepisse, nempe quasi ἔχων σκόλοπα ἐν τῇ ἕδρᾳ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 29. 43. (104). Et a scolopendris abactos Rhœtienses auctor est Theophrastus. ¶ 2. *Scolopendra* item piscis marinus est. *Id.* 9. *ibid.* 43. 67. (145). Scolopendræ terrestribus similes, quas centipedas vocant, hamo devorato omnia interanea evomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent.

SCŎLŎPENDRĬON *vel* scolopendrium, n. *et* scolopendrios, ii, m. 2. σκολοπένδριον, genus herbæ. *V.* SCOLIBROCHON. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 9. 87.

SCŎLŎPENDROS, i, f. 2. ¶ 1. Est idem ac scolopendra. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 87. ¶ 2. Est etiam idem ac scolibrochon. *Marcell. Empir.* c. 26. *p.* 122. *retro ed. Ald.*

SCŎLOPS, ŏpis, m. 3. σκόλοψ, vallus, *palizzata*, apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 264.

SCŎLȲMOS, i, m. 2. σκόλυμος ¶ 1. Genus cardui silvestris: aliis est *Cynara carduncułus* Lin., aliis *Scolymus maculatus* Lin., sed potius *Scolymus Hispanicus* Lin. censetur a cl. *Fea op. cit.*, qui de eo inquit: « Tout ce qu'en dit Pline, d'après les auteurs, est erroné ». *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 99. (262). Carduorum silvestrium genera sunt duo: unum fruticosius a terra statim, alterum unicaule crassius. Utrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus: sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos celeriter canescentem et abeuntem cum aura. scolymon Græci vocant. *Sillig.* Græce legit. *Id.* 22. *ibid.* 22. 43. (86). Scolymon quoque in cibos recepit Oriens, et alio nomine limoniam appellat. Frutex est numquam cubitali altior, cristisque foliorum ac radice nigra, sed dulci, Eratostheni quoque laudata in pauperis cœna. *V.* LIMONIA. ¶ 2. *Scolymos* a quibusdam dicitur etiam herba saxifraga. *Apul. Herb.* 98.

SCOMBER, bri, m. 2. *Scombrus* habet *Priscian. p.* 224. 14. *Keil.* — Scomber, σκόμβρος, *scombro*, genus piscis marini vilioris. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Scomber, salpa, sparus etc. *Id.* 9. *ibid.* 15. 91. (49). Cum thynnis pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, et primi omnium scombri, quibus est in aqua sulphureus color, extra qui ceteris. *Id.* 31. *ibid.* 8. 43. (94). Garum ex scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis. Scombros quidem et Mauretania Bæticæque Carteja, ex Oceano intrantes capiunt ad nihil aliud utiles. *Martial.* 13. 102. Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe fæcosum, munera cara, garum. *Id.* 3. 50. scombris scelerata poemata donas. *h. e.* chartis poematum involucra facis scombris et id genus vilissimis piscibus. *et* 4. 87. *ad libr. suum.* Nec scombris tunicas dabis molestas. (Adde *Catull.* 95. 8.) *Pers.* 1. 43. nec scombros metuentia carmina, nec tus. *Plaut. Capt.* 4. 2. 71. Horæum scombrum. *h. e.* salitum, seu salsamento conditum, *marinato, o condito con salsa.* Alii leg. *horæum* absolute, ut sit salsamenti genus ex pelamide pisce. *V.* HORÆUM. *Martial.* 13. 40. Candida si croceos circumfluit unda vitellos Hesperius scombri temperet ova liquor. *h. e.* garum Hispanum. *V.* GARUM. — *NB.* Garum ex scombro usitatum fuisse apud veteres, patet ex pluribus Titulis Pompejanis, qui vasis fictilibus inscripti sunt, ed. in *Corp. Inscript. Lat. t.* 4.

SCOMBRUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

SCOMMA, ătis, n. 3. σκῶμμα, *motto, detto piccante e frizzante o arguto, bottone*, dictum, dicterium, salsus jocus, cavillatio: Græca vox a σκώπτω, cavillor, salibus utor. Agit de eo *Macrob.* 7. *Saturn.* 3., ubi sic definit: Sunt duo apud Græcos nomina, λοιδορία et σκῶμμα, quibus nec vocabula Latina reperio, etc. V. LŒDORIA. *et mox.* Scomma enim pæne dixerim morsum figuratum, quia sæpe fraude vel urbanitate tegitur, ut aliud sonet, aliud intelligas. Nec tamen semper ad amaritudinem pergit, sed nonnumquam his, in quos jacitur, et dulce est. Pergit deinde *Macrob.* discrimen inter lœdoriam et scomma, adlatis quoque exemplis, exponere: quæ legisse non pœnitebit.

SCŎPA, æ, f. 1. σκοπή, speculatio, *speculazione.* In plur. num. occurrit apud *Capell.* 8. *p.* 274., *ubi loquitur Astronomia.* Utinam nullæ me in Græcia terrestres illecebræ, nec jactantes crinitorum scopas palliolos (*Grotius* scopæ palliolis) non tegendam (*leg. ex* Kopp. *contegendam*) potius, quam divulgandam cognovissent. — *NB.* De nom. propr. R. *V.* ONOM.

SCŌPA, æ, sing., *et fere* Scopæ, ārum, plur. f. 1. Enumeratur a grammaticis inter feminina semper pluralia: dicimus tamen et *scopa*, inquit *Charis.* 1. *p.* 20. *Putsch.*, sed nullo adlato exemplo: fortasse respexit ad *scopam regiam.* Verum habetur etiam apud *Vulgat. interpr. Is.* 14. 23. Scopabo eam in scopa terens. et *Gloss. Philox.* Scopa, σάρωθρον, σάρον. Adde *Sympos. Ænigm.* 78. ed. *Wernsd.* Sed hæc non imitanda, nam *scala* et *scopa* vitiosa sunt et barbarismi, monente *Quintil.* 1. 5. 16. — Ratione habita etymi, potes hanc voc. conferre cum *scobis* et *scabo.* — Scopa

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, quæ *scopa regia* dicitur, est genus herbæ similis Achilleo, sed latioribus foliis. (*Clenopodium scoparia* Lin.) *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 15. (28). et 25. *ibid.* 5. 19. (44). ¶ 2. Latiore sensu *scopæ* sunt manipulus herbarum, aut virgultorum, ramulorum, fruticum colligatus, *mazzo, mazzetto, manata.* *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (131). Chamædrys incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis ejus in tribus heminis aquæ decoctæ usque ad tertias. *Id.* 20. *ibid.* 22. 89. (241). Scopæ marrubii. *Id.* 22. *ibid.* 18. 21. (46). origani. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (109). absinthii in vinum additæ. *Hirt. B. Afr.* 47. *a med.* Pauci sub pellibus adquiescebant, reliqui, ex vestimentis tentoriolis factis, atque ex arundinibus scopisque contextis, permanebant, *manate di frasche.* ¶ 3. In asparagis *scopæ* sunt, quum in tenues multosque ramusculos abeunt et arescunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 8. Asparagi radices annis omnibus incendamus in scopis, ut fructus frequentior surgat et fortior. *Id.* 4. *ibid.* 9. 12. Postea scopas ejus incendes: tunc circa hiemem spongiis adjicies stercus et cinerem. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.*, hanc eamdem rem docens, *scopiones* vocat.

II.) Translate ¶ 1. *Scopæ* dicuntur arborum rami; quibus bombyx telam suam affigit et distendit. *V.* BOMBYX. *Tertull. Pall.* 3. Bombyx, quæ per aerem liquando araneorum more scopis idonius sedes tendit. Alii pro *more scopis* leg. *horoscopis*, h. e. araneorum telis, quæ quodammodo horoscopi seu solaris horologii formam repræsentant. ¶ 2. Metonymice *scopa*, et fere *scopæ*, plur., eo quod, ut in *Comm. in Donat.* in *Aneed, Helv. p.* 241. 18. *Hag.*, ex multis virgis constant, sunt instrumentum, quo verrimus et sordes cumulando purgamus, κόρος, κάλλυντρον, σάρωθρον (It. *scopa, granata;* Fr. *balai;* Hisp. *escoba;* Germ. *d. Besen;* Angl. *a broom, besom, brush*). — *a*) In plur. num. *Non. p.* 46. 6. *Merc.* Has nos scopas, rustici eo nomine syrus vocant. *V.* SYRUS. *Plaut. Stich.* 2. 2. 23. Munditias fieri volo: efferte huc scopas simulque arundinem. *et ibid.* 27. Cape illas scopas: hoc egomet, tu hoc converte. *Petron. Sat.* 34. Argentum inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 81. Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus Consistit sumptus! *Cato R. R.* 152. Scopæ virgeæ. *Martial.* 14. 82. In pretio scopas testatur palma fuisse. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 83. (108). Castor oxymyrsinem myrti foliis acutis, ex qua fiunt rari scopæ, ruscum vocavit. *Id.* 16. *ibid.* 26. 45. (108). Tamarix scopis tantum nascens. *Ammian.* 28. 1. *a med.* In id tempus scopæ florere sunt visæ, quibus nobilitatis curia mundabatur: idque portendebat, extollendos quosdam despicatissimæ sortis ad gradus potestatum excelsos. — *Scopas dissolvere*, proverbio dicitur, rem aliquam prorsus inutilem reddere. nam scopæ solutæ nullæ sunt. *Cic. Orat.* 71. 235. Isti autem quum dissolvunt o-

rationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abjectum; non clipeum, sed, ut in proverbio est (etsi humilius dictum est, tamen simile est), scopas, ut ita dicam, mihi videntur dissolvere. Hinc *scopæ solutæ* de homine nihili. *Id.* 7. *Att.* 13. *a med.* L. Cæsarem vidi Minturnis cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas. — *b*) In sing. num. *locc. init. cit.*

SCŌPÆ, ārum, f. plur. 1. *V.* voc. præced.

SCŌPĀRIUS, ii, m. 2. (scopæ) *scopatore*, servus, cujus ministerium est, ut deverrat pavimenta sordentia. *Ulp. Dig.* 33. 7. 8. Quibusdam in regionibus accedunt instrumento, si villa cultior est, etiam atrienses et scoparii. Adde *Inscript:* in *Bullett. dell' Istit. Archeol. a.* 1869. *p.* 142.

SCŎPĔLISMOS *vel* scopelismus, i, m. 2. σκοπελισμός. *Ulp. Dig.* 47. 11. 9. In provincia Arabia σκοπελισμόν crimen appellant, cujus rei admissum tale est. Plerique inimicorum solent prædium inimici σκοπελίζειν, id est lapides ponere indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo leto periturus esset insidiis eorum, qui scopulos posuissent: quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum, qui scopelismon fecerunt. Hanc rem præsides exsequi solent graviter usque ad pœnam capitis, quin et ipsa res mortem comminatur.

SCŌPES, um, f. plur. 3. σκῶπες, avium genus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. (138). Nominantur ab Homero (*Odyss. l.* 5. *v.* 66. Ἔνθα δὲ τ' ὄρνιθες τανυσίπτεροι εὐνάζοντο Σκῶπές τ' ἴρηκές κ. τ. λ.) scopes, avium genus: neque harum satyricos motus, quum insidentur, plerisque memoratos, facile conceperim mente: neque ipsæ jam aves noscuntur. Sunt qui bubones putent.

SCŌPIO, ōnis, m. 3. *et* Scopius, ii, 2. (Cf. *scapus*) pediculus, cui uvæ acinum adhæret, καρμαστήρ (It. *graspo, raspo, racimolo*; Fr. *grappe de raisin sans grain, raffe ou rafle*; Hisp. *escobaio, el gajo del racimo de uvas*; Germ. *d. Stiel d. Weinbeeren*; Angl. *a footstalk, pedicle*). *Varro* 1. *R. R.* 54. 2. Quæ calcatæ erunt uvæ, earum scopii cum folliculis subjiciendi sub prelum ut, si quid reliqui habeant musti, exprimatur. *et* 2. *ibid.* 4. 17. *a med.* Dari solent porcellis vinacea ac scopii ex uvis. Ita leg. *Schneiderus:* at *Forcellinus* et *Klotzius* utrobique *scopi*, ut sit a *scopus*, *i.* et *Cato R. R.* 112. Tum acina de uvis miscellis decerpito de scopione. Ita leg. *Schneid.*; at *alii* scopio, *al.* scopis. *Colum.* 12. *R. R.* 39. *a med.* Ubi satis corrugata erunt acina, demito, et sine scopionibus in dolium conjicito, *et ibid.* 43. *ad fin.* Modice separatis scopionibus, resolutaque intrita folliculorum. *et* 11. *ibid.* 3. *a med.* Scopiones, ita uti sunt, in suo loco perurendi sunt. *h. e.* cauliculi seu stili asparagorum. *Petron. Sat.* 22. Non sentientis labra humerosque scopionibus pinxit. In loc. *Colum.* perperam alii leg. *scipionibus*; at in loc. *Petron.* mira est dissensio: alii leg. *scipionibus*, alii *scorpionibus*, alii aliter. *Bücheleruus* ed. *sopiti....onibus.*

SCŌPĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SCŌPO, as, are, a. 1. (scopa) scopis everro, purgo (It. *scopare*; Fr. *balayer*; Hisp. *escobar*; Germ. *mit d. Besen fegen, ausfegen, kehren*; Angl. *to sweep*).

I.) Proprie. *Comm. in Donat.* in *Anecd. Helv. p.* 241. 19. *Hag.* Scopare dicitur pavimentum verrere. *Venant. vit. S. Radeg.* 23. Scopare monasterii plateas.

II.) Translate. *Hieronym.* 6. in *Isai.* 14. 23. Clementissimus Dominus scopavit eam (*Babylonem*) vehementissime terens, et quasi quodam verriculo ad purum usque mundavit. Sic *Aristophan.* in Εἰρήν. *v.* 58. Μὴ κόρει τὴν Ἑλλάδα. *h. e.* ne scopes Græciam.

SCŌPO, is, ere, a. 3. Sunt qui legunt *scopeo, es.* — Scopo, a σκοπέω, est speculor, considero, et translate examino, discutio. *Vulgat. interpr. Ps.* 76. 7. Scopebam spiritum meum. Cf. *Hieronym.* ad *Ps. loc. cit. Id. Ep.* 135. habet *scrutabar* pro *scopebam*, quod tamen plures dusunt a *scopis*, tamquam verrebam; aliqui a *scobina*, tamquam *scobebam*, h. e. abradebam lima.

SCOPTŪLA operta. *V.* SCUTULUM.

SCŌPŬLA, æ, f. 1. (scopa) *deminut. a* scopa, parva scopa.

I.) Proprie est ramulus scopæ. *Colum.* 12. *R. R.* 48. *a med.* Dolium ferventissima pice infusa, novo alio rutabulo et scopula picatur.

II.) Metonymice, qua verrendo inservit, *granatino, gratuzza, scopetta*, κόρηθρον. In plur. num. *Cato R. R.* 26. Dolia extergeantur: privasque scopulas in dolia facito habeas illi rei. *Colum.* 12. *R. R.* 38. *ante med.* Scopulis aridæ myrti seria suffricatur.

SCŌPŬLŌSUS, a, um, adject. (scopulus) scopulis abundans, petrosus, σκοπελώδης, *pieno di scogli, scoglioso, sassoso, petroso.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 66. Mare infestum scopulosum atque infestum. *Lucan.* 2. 619. Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto Opposuit natura mari. *Stat.* 4. *Theb.* 102. scopulosa Pylene. *Sil. It.* 7. 274. scopulosi vertice colles. *et* 15. 305. scopulosis Neriton arvis. — Neutr. plur. absolute *Plin.* 6. *Hist. nat.* 18. 22. (65). Gangen cum magno fragore ipsius statim fontis erumpere, dejectumque per scopulosa et abrupta etc.

II.) Translate. *Stat.* 1. *Achill.* 56. scopulosaque cete, Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur. *h. e.* instar scopuli in mari exstantia: vel squamis præduris et conchis obsita atque aspera. *Est qui mallet* scruposa. *Val. Flacc.* 2. 518. Illa (*belua*) molem horrificam scopulosaque terga Promovet ingentique umbra subit. — Figurate. *Cic. Divin. in Cæcil.* 11. *ad fin.* Intelligo, quam scopuloso difficilique loco verser. *h. e.* duro, arduo, periculoso.

SCŌPŬLUS, i, m. 2. σκόπελος, duo diversa significat.

A) *Scopulus* est proprie locus editus, hinc rupes, saxum eminens, sive in mari, sive in monte, sive alibi: a voce Græca allata, quæ a σκοπή, specula: quia ex scopulo circumspici late potest (It. *rupe, roccia, scoglio, sasso, vetta sassosa*; Fr. *rocher, eminence d'un rocher, écueil*; Hisp. *peña, peñasco, roca, escollo*; Germ. *d. hervorragende Felsspitze, d. Fels, d. Klippe*; Angl. *a high rock, cliff, crag, scar*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Phædr.* 2. 6. suadet (*aquilæ*), ut scopulum super Altis ab astris duram illidat corticem. *Virg.* 12. *Æn.* 531. Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi Excutit effunditque solo. *Id.* 8. *ibid.* 192. *de spelunca Caci.* et ingentem scopuli traxere ruinam. *Id.* 4. *ibid.* 445. *de quercu.* Ipsa hæret scopulis, et quantum vertice ad auras etc. *Id.* 3. *G.* 253. Non scopuli rupesque cavæ, atque objecta retardant Flumina. *Sil. It.* 10. 263. Quum videt in scopulo rorantem saxa cruore, Torvoque obtutu labentem in Tartara Paulum. (*Liv.* 22. 49. Quum L. Æmilium sedentem in saxo cruore oppletum vidisset.) *Ovid.* 6. *Fast.* 70. Scopulus Mavortius. *h. e.* Areopagus. ¶ 2. Speciatim de saxis et lapidibus majoribus. *Val. Flacc.* 6. 384. machina muri, Quæ scopulis trabibusque diu, confectaque flammis Procubuit tandem. *h. e.* ingentibus saxis tormento militari in eam emissis. *Stat.* 7. *Theb.* 665. in hæc ultro scopuli venere volentes. *h. e.* saxa ab Amphione sono testudinis tracta. Sic *Val. Flacc.* 6. 632. velut hiberno proruptus ab arcu Imber agens scopulos. *h. e.* saxa volvens torrentibus aquis. *Prudent.* 7. περὶ στεφ. 75. suspendar Summo gurgite fluminis, Quum scopulum collo traham. ¶ 3. De saxis eminentibus in mari, aut litore. *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Ut ex magno remigum numero pars ad scopulos allisa interficeretur. *Virg.* 1. *Æn.* 149. acuto Detrudunt naves scopulo. *et* 5. *ibid.* 270. sævo e scopulo multa vix arte revulsus, Amissis remis, atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat. *Id.* 3. *ibid.* 536. Turriti scopuli. *et* 7. *ibid.* 588. pelagi rupes sese, multis latrantibus undis, Mole tenet: scopuli nequidquam, et spumea circum Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga. *Id.* 3. *G.* 261. scopulis illisa reclamant Æquora. *Ovid.* 9. *Met.* 592. Auferri in scopulos. *Id.* 11. *ibid.* 783. e scopulo, quem rauca subederat unda, Se dedit in pontum. *Id.* 4. *Fast.* 419. Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor Trinacris. *h. e.* tribus promontoriis. *Horat.* 1. *Od.* 3. 20. Infames scopulos Acroceraunia. *Varro Sat. Menipp. p.* 105. *Oehl.* Rivus offensus a scopulo lapidoso albicatur. ¶ 4. *Scopuli errantes* apud *Val. Flacc.* 3. 621. sunt duæ insulæ Cyaneæ, seu Symplegades in Ponto. Adde 4. 681. — *Scopulo immobilior* apud *Ovid.* 13. *Met.* 801. est qui nullis precibus flecti potest. Sic *Horat.* 3. *Od.* 7. 21. Scopulis surdior. — *E scopulis natus* rursus apud *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 3. est, qui inhumanis est moribus. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 366. duris genuit te cautibus horrens Caucasus.

II.) Translate. *Ter. Phorm.* 4. 4. 9. Qui te ad scopulum e tranquillo inferat. *ti riduca da buono a cattivo stato.* et *Cic. Rosc. Am.* 29. 79. Ubi scopulos offendi ejusmodi. *Id. Pis.* 18. 41. Geminæ voragines scopulique reip. *h. e.* Piso et Gabinius. *Id. Rabir. Perduell.* 9. 25. Nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. *Quintil. declam.* 12. 22. Commeatum publicum in scopulos annonæ impingis? *Enn. poes. rel. p.* 35. 1. *Vahl.* (et *Cic. Brut.* 18. 71.) Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat, Nec dicti studiosus erat. *Cic.* 3. *Orat.* 41. 163. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. Syrtim patrimonii, scopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum, voraginem potius. facilius enim ad ea, quæ visa, quam ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur. *Auct. inc. fab. p.* 255. 5. in *Scæn. fr.* ed. *Ribbeck.* neque me patiar iterum ad scopulum ut olim classem Achivom offendere. *Lucret.* 2. 1170. omnia paullatim tabescere, et ire Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto. *h. e.* ad interitum. — Eleganter *scopulus* dicitur quidquid exitio est alteri, ut scopuli navibus. *Val. Max.* 3. 7. *n.* 9. L. Cassius prætor, cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur. *Petron. Sat.* 123. *sub fin.* Pompejus piratarum scopulus. *Flor.* 4. 9. Scopulus et nodus et mora publicæ securitatis Antonius. — Figurate. *Ovid.* 7. *Met.* 33. Ferrum et scopulos gestare in corde. *h. e.* immitem esse. *Ammian.* 30. 5. 10. Ipso quoque præturam, ut e celsiore scopulo caderet, affectante.

B) *Scopulus* deminut. a *scopus*, parvus scopus, *piccolo bersaglio o segno. Sueton. Domit.* 19. Nonnumquam in pueri procul stantis præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam. sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. Ita *Forcellinus*, qui tamen ait, *opt. editiones* habere *scopo*. V. voc. seq.

SCŌPUS, i, m. 2. *Scōpus*, cum priore syllaba longa, h. e. pediculus acini, leg. a nonnullis apud *Varron. loc. cit.* in SCOPIO: quam voc. *V.* — Ceterum *scŏpus*, σκοπός, est signum, quo sagittas dirigimus: a σκέπτομαι, dispicio, intueor: unde et σκοπέω, speculor (It. *bersaglio, segno, scopo*; Fr. *but (au tir), cible*; Hisp. *hito*; Germ. *d. Ziel wonach man schiesst*; Angl. *butt, target*).

I.) Proprie. *Sueton. Domit. loc. cit.* in voc. præc. *B.*, ubi *Forcellinus, Babelonius, Rothius* leg. *scopulo*: at recentiores plerique omnes *scopo*.

II.) Translate est finis, propositum: eaque ratione usurpatur a *Cic.* 8. *Att.* 11. et 15. *ibid.* 29., sed Græce. Sic *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 4. Nunc ipsam ejusdem somnii mentem, ipsumque propositum, quem Græci σκοπόν vocant, tentemus aperire. *Cassian.* 1. *Coll.* 5. Nos ad hunc scopum dirigere.

SCORDĂLĬA, æ, f. 1. (scordalus) contentio, rixa. *Petron. fragm. Tragur.* 59. *Burmann.* Agite scordalias de medio: suaviter sit potius.

SCŎRDĂLUS, i, m. 2. *feroce, insolente*, ferox, impatiens, et in ultionem facile erumpens: plebeja vox, et inter vulgi convicia. *Seneca Ep.* 83. *ante med.* Tullius Cimber et nimius erat in vino, et scordalus. In hanc rem jocatus est ipse: Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non possum? *Id. Suasor.* 7. *sub fin.* Erat etiam,

ubi pietas non exigeret, scordalus. Adde *Petron. Sat.* 95. *a med.* et rursus *Seneca Ep.* 56., ubi *Lips.* adscribit, originem vocis petere alios a σκώρ, oletum: alios a σκόροδον, allium, quasi fœtidum dicas.

SCORDASTIS, is, f. 3. arbor Persici maris. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (36). Cetera ejus genera cortice et scordasti: ita vocatur arbor æmula gummi. Alii leg. in recto *scordastus*.

SCORDASTUS, i, f. 2. *V.* voc. præced.

SCORDĪLON, i, n. 2. herba eadem quæ scordion. *Apul. Herb.* 70.

SCORDĬON *vel* scordium, ĭi, n. 2. σκόρδιον, *scordeo*, herba magnitudine cubitali, caule quadrangulo, ramosa, foliis lanuginosis, gustu amaro, odore allii, alio nomine scordotis. (*Teucrion scordium* Lin.) *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 27. (63). Adde *Pelagon. Veterin.* 16. et *Apul. Herb.* 70., ubi varia ejus nomina recensentur.

SCORDISCĀLE, is, n. 3. idem quod scordiscum. *Gloss. Cyrill.* Ἐφίππιον, scordiscale.

SCORDISCĀRĬUS, ĭi, m. 2. (scordiscum) qui scordisca conficit et vendit. *Hieronym. Ep.* 51. *n.* 5. Numquid coriarius aut scordiscarius erat Deus, ut conficeret pelles animalium, et consueret ex eis tunicas pelliceas Adam et Evæ? Editiones perperam habent *sordiscarius*, aut *scortisarius*.

SCORDISCUM n. *et* scordiscus, i, m. 2. *deminut. a* scortum, terminatione Græcanica, ut *calathus calathiscus*: atque ita pro *scortiscum* scribitur, ex facili permutatione litterarum *d* et *t*. — Scordiscum est pellis, qua milites loco sellæ utebantur in equis sternendis. *Gloss. Philox.* Scordiscus, ἐφίππιον. *et Isid.* Scordiscum, corium crudum, scortum. *Edict. Dioclet.* 24. De loramentis. Scordiscum militare ✕ quingentis. *Pelagon. Veterin.* 9. Si dorsum ab injuria aut imperitia sedentis intumuerit, mallonem cæpæ super tumorem impones, fascia constringes, aut scordiscum superimpones. *Veget.* 2. *Veterin.* 60. eadem fere verba repetit, at mendose *ibid.* in editionib. *cordiscum* legitur. *Auct. Hippiatr. p.* 93. eadem fere continet, ibique habet: καὶ αὐτὴν σέλλαν τῷ ἵππῳ ἐπίθες. h. e. et ipsam sellam equo impone.

SCORDISCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SCORDĬUM, ĭi, n. 2. *V.* SCORDION.

SCORDŎTIS, ĭdis, f. 3. (scordion) Accus. sing. *scordotim*. — Scordotis est herba eadem, quæ scordion. *Plin.* 25. *Hist. nat.*, 6. 27. (63). *V.* SCORDION.

SCŌRĬA, æ, f. 1. *et raro* Scories, ēi, 5. σκωρία, recrementum, retrimentum, fex, spurcitia, sordes, quæ ex metallo inter coquendum, veluti spuma quædam, expurgantur (It. *scoria, feccia de' metalli;* Fr. *scorie, crasse, écume, ordure de métal;* Hisp. *escoria;* Germ. *Abgang von Metallen, Schlacken;* Angl. *scoria, dross, scum*).

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Argentum (*vocant*), quod exit a fornacis sudore. quæ e catino jactatur spurcitia in omni metallo, vocatur scoria. *Harduin.* et *Sillig.* sic leg. ex MSS. Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque, qui e camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. *Id. ibid.* 6. 35. (105). Scoriam in argento Græci vocant helcysma. *Id.* 34. *ibid.* 11. 21. (107). Scoriam æris. *et ibid.* 51. (171). plumbi. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 3. ferri. *Cels.* 5. 19. *n.* 26. retrimentum vocat.

II.) Translate. *Virg. Cir.* 244. Si concessus amor noto te macerat igni, Per tibi Dictynnæ præsentia numina juro, Omnia me potius digna atque indigna laborum Millia visuram, quam te tam tristibus istis Sordibus, et scoria patiar tabescere tali. *h. e.* cura, luctu, mœrore. *Scalig.* vult legi *scabre* a nominativo *scabres*, quia *scoria* primam producit, et vox est sordida, nitidoque illo poematio indigna. Alii nihil mutant, et pro quantitate syllabæ ad synizesim, vel synæresim confugiunt. Ita *Forcellinus*; at *Ribbeck* rectius leg. *cenio*. *Gloss. Isid.* Scorios, stulti, stolidi, fatui. *Vulgat. interpr. Ezech.* 22. 19. Versi estis omnes in scoriam. Cf. *Is.* 1. 22.

SCŌRĬES, ēi, f. 5. *V.* voc. præced.

SCŎRŎDON, i, n. 2. Licenter primam produxit *Æmil. Macer loc. cit.* — Scorodon, σκόροδον, allium. *Æmil. Macer* 1. 5. Scorodon a Græcis sunt allia dicta Latine.

SCŎRŎFĬO. *V.* SCORPIO.

SCORPÆNA, æ, f. 1. σκόρπαινα, *scarpione*, genus marini piscis, qui inde nomen habere dicitur, quod instar scorpii pungat. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). — Sunt qui putent, eumdem esse ac scorpium; sed *Plin. loc. cit.* et *scorpænæ* et *scorpionis* mentionem facit.

SCORPĬĂCE, es, f. 1. *et*

SCORPĬĂCUM, i, n. 2. σκορπιακόν, proprie ab adject. σκορπιακός, ή, όν, *scorpiacus, a, um*. ¶ 1. Potio, seu pharmacum contra scorpionum ictus. *Tertull. advers. Gnost.* 1. *ad fin.* Adversus bestiolas scorpiacum temperare. ¶ 2. *Scorpiacum*, vel *Scorpiace* est etiam titulus operis, quod *Tertullianus* contra Gnosticos scripsit. *Hieronym. contra Vigil.* 8. Volumen, quod scorpiacum vocat (Tertullianus) rectissimo nomine.

SCORPĬNĀCA, æ, f. 1. herba eadem quæ proserpinaca. *Apul. Herb.* 18.

SCORPĬO, ōnis, m. 3. *et* scorpius *vel* scorpios, ĭi, 2. σκορπίος, insectum terrestre, cauda venenatum ictum infligens (It *scorpione, scarpione;* Fr. *scorpion;* Hisp. *escorpion, alacran;* Germ. *d. Scorpion;* Angl. *scorpion*).

I.) Proprie. *Tertull. initio Scorpiaci.* Scorpii series illa nodorum, venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu incurgens, hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens. unde et bellicam machinam, retractu tela vegetantem, de scorpio nominant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (163). Scorpionis caudæ inesse dentem, et plerisque ternos. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (24). Attalus affirmat, scorpione viso si quis dicat, duo, cohiberi, nec vibrare ictus. *Id.* 29. *ibid.* 4. 29. (91). Prodest scorpio ipse suæ plagæ impositus. *et mox.* Proprium est scorpionum, quod manus palmam non feriunt: nec nisi pilos attigere. *Ovid.* 4. *Fast.* 163. elatæ metuendus acumine caudæ Scorpios. *et* 5. *ibid.* 541. Scorpion immisit tellus. *Id.* 15. *Met.* 371. Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Cæleste signum in Zodiaco, constans una et viginti stellis, (ut ait *Forcellinus*, quæ nempe nudis oculis conspiciantur juxta probatam *Beyeri* computationem; quamquam recentes quidam acutiore visu ad unam et quadraginta se detexisse dicunt) inter Libram et Sagittarium: quod olim duorum signorum locum occupare dicebatur, suum corpore, Libræ vero chelis, ut in LIBRA dictum est. Fabula de eo est hujusmodi, apud *Hygin.* 2. *Astron.* 26. Quum Orion venator celebris gloriaretur, nullam esse feram, quam non conficeret, Tellus irata scorpionem immisit, a quo ictus interiit. Juppiter utriusque animum admiratus, scorpionem in cælum transtulit, ut species ejus hominibus documento esset, ne quis eorum de aliqua re sibi confideret. Petente vero Diana, idem honor Orioni est habitus, constitutumque, ut quum Scorpius oriatur, Orion occidat, quasi eum adhuc timens. *V.* CHIUS et ORION in ONOM. ¶ 2. Item ab animali nomen traxit machina bellica, retractu tela vegetans, ut ait *Tertull. loc. cit.*, alio nomine manuballista, ideo sic nuncupata, inquit *Veget.* 4. *Milit.* 22., quod parvis subtilibusque spiculis inferat mortem. *Ammian.* ita describit 23. 4. 4–7. Scorpionis, quem appellant nunc onagrum, hujusmodi forma est. Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas, hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati: quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium ligneus stilus exsurgens obliquus, et in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum nodulis implicatur, ut altius tolli possit, et inclinari: summitatique ejus unci ferrei copulantur, ex quibus pendet stuppea vel ferrea funda: cui ligno fulmentum prosternitur ingens, cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, et locatum super congestos cæspites, vel latericios aggeres. nam muro saxeo hujusmodi moles imposita, disjectat quidquid invenerit subter, concussione violenta, non pondere. Quum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula, quibus incorporati sunt funes, explicantes, retrorsus stilum pæne supinum inclinant: Itaque demum sublimis adstans magister claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat malleo forti perculsum: unde absolutus ictu volucri stilus, et mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet, quidquid incurrerit, collisurum. Et tormentum quidem appellatur ex eo, quod omnis explicatio torquetur: scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectum. Hæc *Ammian.*, qui tamen suorum temporum, non superiorum scorpiones persequitur, quum certum sit ex *Cæs.* 7. *B. G.* 25., non saxa modo, sed et spicula scorpionibus jaci: item alia. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 553. 24. *Merc.* Quarum unam epistolam nacti prædatores Valeriani, scorpione in castra misere. Ex *Liv.* 26. 47. et 49. discimus, duplicis generis fuisse, majores et minores. *Vitruv.* 10. 1. scorpiones inter organa ponit, *h. e.* inter eas machinationes, quæ, ut *idem* ait, unius opere, prudenti tactu perficiunt, quod propositum est. ¶ 3. Ipsa quoque sagitta, quæ scorpione jacitur, *scorpio* dici posse videtur. *Hirt. B. Afr.* 29. Scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso. ¶ 4. Inter instrumenta, quibus cæduntur sontes, ponit *Isid.* 5. *Orig.* 27. 18. virgas aculeatas, vel nodosas, quæ, inquit, *scorpiones* rectissime vocantur, quia arcuato vulnere in corpus infiguntur. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 12. 11. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam scorpionibus. *Hieronym.* 1. *Rufin. n.* 17. *ad fin.* Quotidie in plateis fictus hariolus stultorum nates verberat et obtorto scorpione dentes mordentium quatit. *V.* adnot. ad NATES. ¶ 5. Item herba, de qua *Plin.* 22. *Hist. nat.* 15. 17. (39). Ex argumento nomen accepit scorpio herba. semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis, folia pauca. valet et adversus animal sui nominis. Est et alia ejusdem nominis effectusque, sine foliis, asparagi caule, in cacumine aculeum habens, et inde nomen. Hæc *Plin.* ¶ 6. Item frutex. *Id.* 27. *ibid.* 13. 116. (142). Est et alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, et ipsa in maritimis nascens. Adde 13. *ibid.* 21. 37. (116). ¶ 7. Est etiam piscis marinus hoc nomine (*Cottus scorpio* Lin.), de quo *Ovid. Halieut.* 117. Et capitis duro nociturus scorpios ictu. Adde *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (116). ¶ 8. In re agraria scorpiones sunt congeries lapidum in morem metæ in acutum desinentis coacervatæ, et loco termini in agris collocatæ: fortasse a σκορπίζω, spargo, dissipo, quia ex dispersis per agros lapidibus fiunt, vel quia σκορπίος Græcis dicitur etiam quidquid in metam instar caudæ scorpionis fastigiatum est, v. gr. tutulus in crinibus, ut *Scalig.* ad *Sever. Ætn.* 104. docet. *Siculus Flacc. de condit. agror. p.* 4. *et* 7. *Goes.* Alii congeries lapidum pro terminis observant, et scorpiones appellant. *Balb. de limit. p.* 144. Scorpiones, id est mole petrarum constructi. Apud *Gromat. vet.* ed. *Rudorff.* occurrit passim *scorofio* pro *scorpio*.

SCORPĬOCTŎNON, i, n. 2. σκορπιόκτονον, herba heliotropium, ita dicta, quod contra scorpiones magnam vim habet: a σκορπίος et κτείνω, occido. *Apul. Herb.* 49.

SCORPĬON, ĭi, n. 2. genus herbæ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 75. (122). Thelyphonon herba ab aliis scorpion vocatur, propter similitudinem radicis, cujus tactu moriuntur scorpiones.

SCORPĬŌNĬUS, a, um, adject. (scorpio) ad scorpionem pertinens. Hinc cucumis quoddam genus scorpionium dicitur, quia simile est scorpionis animalis, et contra ejus ictus efficacissimum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 1. 3. (8).

SCORPĬOS, ĭi, m. 2. *V.* SCORPIO.

SCORPĪTIS *vel* scorpites, ĭdis, f. 3. σκορπι-

τις, gemma scorpionis colore, aut effigie, inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 71. (187), ubi alii leg. *scorpites.*

SCORPĬŪRUM *vel* scorpiuron, n. *et*

SCORPĬŪRUS *vel* scorpiuros, i, m. 2. σκορπίουρος, heliotropium majus. *Apul. Herb.* 49. et *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 79. (60).

SCORPĬUS, ii, m. 2. *V.* SCORPIO.

SCORTANS, antis, particip. *V.* SCORTOR.

SCORTĀTĬO, ōnis, f. 3. (scortor) actus scortandi. *Augustin. in Ps.* 70. *serm.* 1.

SCORTĀTOR, ōris, m. 3. (scortor) *puttaniero,* ἑταιριστής, meretricum sectator. *Cic.* 2. *Cat.* 10. *extr.* Quam hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem prætoriam. *Alii leg.* scortorum. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 75. scortator erit? cave te roget: ultro Penelopam facilis potiori trade. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 131. et *Hieronym.* 1. *ad Ephes.* 1. 13.

SCORTĀTUS, us, m. 4. (scortor) consuetudo cum meretricibus. *Apul.* 5. *Met.* Quod ille quidem montano scortatu, tu vero marino natatu secesseritis.

SCORTĔA, æ, f. 1. *et* Scortea, ōrum, n. pl. 2. *V.* in SCORTEUS.

SCORTES, pelles testium arietinorum ab iisdem scorteis pellibus, *Paul. Diac. p.* 331. 2. *Müll.* Cf. *Fest. p.* 330. 9.

SCORTĔUM, i, n. 2. *V.* in voc. seq.

SCORTĔUS *vel* scortius, a, um, adject. (scortum) *di pelle,* σκύτινος, pelliceus, coriaceus.

I.) Proprie. *Petron. Sat.* 138. Protulit Enothea scorteum fascinum. *Cels.* 8. 12. Subjecto inter parietem et caput ejus scorteo pulvino duro. *Varro* 7. *L. L.* 84. *Müll.* In aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur: ideo ne morticinum quid adsit. *V.* MORTICINUS. *Hieronym. Chron. ad ann.* MCCC. *ad Abraam.* Numa Pompilius congiarium dedit asses ligneos et scorteos.

II.) Metaphorice *scorteum scortum,* V. in SCORTUM. — Hinc

Scortea, æ, f. 1. absolute, substantivorum more ¶ 1. Vestis e pelle. *Martial.* 14. 130., cujus lemma *Pænula scortea.* Ingrediare viam cælo licet usque sereno, Ad subitas nusquam scortea desit aquas. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 6. Quum signum dedissent, adesse jam grandinem, quid exspectas? ut homines ad pænulas discurrerent, aut ad scorteas? ¶ 2. *Scortea,* seu *scortia,* est etiam vas ex corio, *otre.* Hinc *Isid.* 20. *Orig.* 7. 1. Scortea vas olearium, eo quod sit ex corio, dicta. *Edict. Dioclet.* 25. De scortiis Scortia in sextario uno ✕ viginti.

Scortea, ōrum, n. plur. 2. absolute. *Fest.* in *Scorto.* Omnia ex pellibus facta, scortea appellantur. *Ovid.* 1. *Fest.* 629. Scortea non illi fas est inferre sacello, Ne violent puros exanimata focos. *Varro* 7. *L. L.* 84. *Müll.* Scortea ea, quæ ex corio et pellibus sunt facta.

Scorteum, i, n. 2. absolute, pharetra. *Fest.* Scorteum ab eadem causa, qua *scortum,* vocabatur pelliceum, in quo sagittæ reconduntur: ab eo quod ex pellibus factum est. *Salmas.* ex conjectura et ex quodam MS. legit: Scrautum ab eadem causa, qua scrotum, etc. Alii nihil mutant.

SCORTĬA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SCORTILLUM, i, n. 2. (scortum) *deminut. a* scortum, *amorosetta, puttanella,* πορνίδιον, ἑταιρίδιον, parvum scortum, meretricula. *Catull.* 10. 3. Scortillum, ut mihi tum repente visum est, Non sane illepidum, nec invenustum.

SCORTĪNUS, a, um, adject. (scortum) ad scortum, seu pellem pertinens, pelliceus. *Sueton. fragm.* 178. *p.* 319. *Reiff.* Scortini asses.

SCORTISCUM. *V.* SCORDISCUM.

SCORTĬUS, a, um. *V.* SCORTEUS.

SCORTOR, āris, ari, dep. 1. (scortum) *Scortarier,* paragoge pro *scortari,* apud *Plaut. Merc.* 5. 4. 58. — Part. *Scortans* in fin. — Scortor ¶ 1. Est scorta frequento, meretricor, *amoreggiare, andare a donne,* ἑταιρίζομαι. *Varro* 7. *L. L.* 84. *Müll.* Scortari est sæpius meretriculam ducere. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 34. Qui se suamque ætatem bene curant, edunt, bibunt, scortantur. *Id. Merc.* 5. 4. 25. si istuc jus est, senecta ætate scortari senes, Ubi loci res summa nostra est publica? Adde *Ter. Adelph.* 1. 2. 22. ¶ 2. Usurpatur etiam de mulieribus, quæ scortatoribus se præbent. *Rufin.* 1. *Invectiv. in Hieronym. n.* 27. Quasi vero si qua meretrix una se nocte aut duabus a scortando contineat, debeat continuo leges de pudicitia scribere. — Hinc Part. præs.

Scortans, antis, substantivorum more occurrit. In plur. num. *Augustin. in Psalm.* 136. Scortantes et meretricantes. *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 6. 4. Scortantes cum meretricibus.

SCORTŬLUM, i, n. 2. (scortum) *deminut. a* scortum, dictum apud *Tertull.* 2. *ad nat.* 10. de pelle leonina.

SCORTUM, i, n. 2. *pelle, cuojo,* σκύτος, δέρας, pellis, corium: a σκύτος, quod idem significat, inserto *r,* vel potius ab eod. themate, unde *corium, cortex.*

I.) Proprie. *Varro* 7. *L. L.* 84. *Müll.* Pellem antiqui dicebant scortum. *Tertull. Pall.* 4. *ante med.* Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit. *h. e.* in pelle leonis.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime de femina, et est meretrix, *meretrice, amorosa,* πόρνη, ἑταίρα, vel quia scortea veste olim indutæ hujusmodi feminæ: vel quia, ut ait *Paul. Diac. Festi* abbreviator, ut pelliculæ subiguntur: vel ut per synecdochen pellis pro feminæ corpore ponatur, ut ait *Voss.* Scorta, inquit *Festus,* appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui, ut est apud Atellanos antiquos, solebant dicere, se attulisse pro scorto pelliculam. Omnia namque ex pellibus facta, scortea appellantur. *Varro loc. cit.* eadem fere habet. *Plaut. Amph.* 1. 1. 132. Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male. *Id. Truc.* 3. 2. 10. Scortum ducere. *Ter. Eun.* 3. 1. 34. habere. *Id. Adelph.* 5. 9. 8. Obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die convivium. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. In vino et alea comissationes et scorta quærere. *Plaut. Truc.* 1. 1. 45. Nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum est, quum caletur maxime. *Sueton. Ner.* 27. Cœnitabat inter scortorum ambubajarumque ministeria. *Id. Tiber.* 15. Scorta meritoria. — *Scortum devium* apud *Horat.* 2. *Od.* 11. 21. est meretrix, quæ in urbis recessu habitat, et adventores domi exspectat. — *Apul.* 1. *Met.* appellat *scorteum scortum* meretricem annosam, vietam et laxam instar corii. ¶ 2. De viro usurpant *Plaut. Curc.* 4. 1. 12. et *Pœn. prol.* 17. et *Cic. Sext.* 17. 39. Hinc *Aur. Vict. Cæs.* 28. *de Philippo.* Usum virilis scorti removendum honestissime consultavit: verumtamen et manet. ¶ 3. De parasito per jocum *Plaut. Capt.* 1. 1. 1. Juventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio. *V.* integr. loc.

SCŎTĬA, æ, f. 1. σκοτία, *scozia,* Græce umbram, seu tenebras significat. A *Vitruv.* 3. 3. scotia dicitur pars cava in basi columnæ, quæ ideo, quia cava est, umbrosa apparet. *Id.* 4. 3. scotiam vocat cavitatem in fundo coronæ Doricæ, quæ a mento ipso coronæ propendens, quadam regula seu margine separatur.

SCŎTĪNOS *vel* scotinus, a, um, adject. σκοτεινός, obscurus, tenebrosus. *Seneca Ep.* 12. *a med.* Heraclitus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obscuritas.

SCŎTŌMA, ătis, n. 3. σκότωμα, morbi genus: a σκότος, umbra. *Isid.* 4. *Orig.* 7. 3. Scotoma ab accidenti nomen sumpsit, quod repentinas tenebras ingerat oculis cum vertigine.

SCŎTŌMĂTĬCUS, a, um, adject. (scotoma) σκοτωματικός, ad scotoma pertinens. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 2. 51. Scotomatica passio ab accidenti nomen sumpsit, quod repentinas oculis ingerat tenebras. — Hinc

Scotomaticus, i, m. 2. absolute, qui scotomate laborat. *Theod. Priscian.* 2. 3. Scotomaticorum et epilepticorum pæne similis est in iisdem casibus sollicitudo: simili enim mentis confusione alienantur. Adde *Scribon. Compos.* 99.

SCŎTŌMĂTĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SCŎTŌMO, as, are, a. 1. (scotoma) scotoma induco. *Theod. Priscian. de diæta.* 12. Falsum vinum caput scotomat.

SCŎTŌSIS, is, f. 3. idem ac scotoma. *Æmil. Macer c.* 49. *de Pœonia p.* 241. *retro.*

SCŎTUS, i, m. 2. morbi genus. *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115. *retro.* Antidotum acharistum facit *etc.* ad omnia, quæ interius causas malæ valetudinis habent, id est ad scotum etc.

SCRANTĬA *et* scratia *vel* scrattia *vel* scratta, æ, f. 1. Apud *Fest.* legitur *Scrapta.* Scraptæ, inquit, dicebantur nugatoriæ ac despiciendæ mulieres, ut ait Verrius, ab iis, quæ screa iidem appellabant, id est quæ quis exscreare solet, quatenus id faciendo purgaret. Titinius: Lectum hodie stratum vidi scraptæ mulieris. Hæc *Fest.* Apud *Gell. loc. cit.* ita legitur versus ille *Plauti:* Scrattæ (*al.* scraptæ: *al.* strateæ, etc.) scrupedæ, strictivillæ, sordidæ. Sunt præterea variæ lectiones aliæ ex variis MSS. et eruditorum conjecturis, quas referre omnes piget. Adde *Non. p.* 169. 8. *Merc.* — Scrantia est convicium in meretrices et exprobratio vitii aut deformitatis. *Plaut. fragm.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 65. *Müll.* Scratiæ, scrupipedæ, stritabillæ, tantulæ. *Forcellinus* scrantiæ. Ipse *Varro ibid.* Ab excreando scratias hic adsignificabat. (*Scalig.* leg. *ab exscreando: scrantia siccam significat,* h. e. aridam, sine suco et sanguine.) Cf. *Ribbeck. Coroll. ad com. R. fragm. p.* 67. *ed.* 2.

SCRAPTA et

SCRATĬA *vel* scrattia *vel*

SCRATTA, æ. *V.* voc. præced.

SCRAUTUM, i, n. 2. pelliceum, in quo sagittæ reconduntur. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 332. 5. *Müll.* V. SCORTEUS.

SCRĔA, æ, f. 1. id quod quid screat. *Gloss. Isid.* Screa, pituita. Adde *Fest. loc. cit.* in SCRANTIA.

SCRĔANS, antis, particip. *V.* SCREO.

SCRĔĀTOR, ōris, m. 3. (screo) *chi tosse spesso per ispurgarsi,* qui identidem screat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 52. Minime sputator, screator sum: itidem minime mucidus.

SCRĔĀTUS, us, m. 4. (screo) *lo spurgarsi tossendo,* χρέμψις, exscreatio. *Ter. Heaut.* 2. 3. 132. Gemitus, screatus, tussis, risus.

SCRĔO, as, are, a. 1. Part. *Screans.* — Screo est cum conatu quodam de pectore sputum seu catarrhum ejicere, *spurgarsi tossendo:* verbum factum per onomatopœiam, ut et Græcum χρέμπτομαι, a quo Χρέμης, comici senis nomen, quia senes multum screare solent. *Plaut. Curc.* 1. 2. 22. Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ Affert potionem, et te sedatum it. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (28). Phlegma aut sanguinem, qui screatur, etc. Sed alii omnino aliter leg. *V.* in FLEMINA.

SCRĪBA, æ, m. 1. Fem. gen. videtur in *Inscript.* apud *Gruter.* 593. 3. SEXTIA XANTHA SCRIB. LIBRARIA., ubi tamen *Orellius* ait legend. SER. h. e. serva. — Scriba est qui leges, acta, rationes, vel aliud quidvis civitatis aut magistratus, aut principis nomine et jussu perscribit, et *scriptum facere* dicitur: γραμματεύς, λογογράφος (It. *notajo, computista, secretario, cancelliere;* Fr. *écrivain public, celui qui enregistre les actes publics, qui tient les registres, les comptes, greffier, scribe;* Hisp. *notario, escribano de justicia, canciller, computista;* Germ. *d. beim Amt angestellte Schreiber, Secretair;* Angl. *a scribe, notary, computist, secretary*). ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 333. 21. *Müll.* Scribas proprio nomine antiqui et librarios et poetas vocabant: at nunc dicuntur scribæ quidem librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis. itaque quum Livius Andronicus bello Punico secundo scribsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius resp. populi R. geri cœpta est, publice adtributa est in Aventino ædis Minervæ, in qua liceret scribis histrionibusque consistere ac dona ponere in honorem Livii, quia is et scribebat fabulas, et agebat. Hæc *Festus. Cic. Dom.* 28. 74. Scribæ, qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempubl. beneficiis suum

Judicium decretumque esse voluerunt. *Id. Pis.* 25. *in fin.* Rationes ita sunt perscriptæ scite et litterate, ut scriba, ad ærarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput perfricans commurmuratus sit: ratio quidem hercle apparet: argentum οἴχεται. *Id.* 2. *Agr. leg.* 13. 32. Decemviros ornat apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis. (Sunt qui post *scribis* distinctionem tollunt, ut *scribis librariis* unum sit. Sane apud *Varron. loc. cit.* et in *Inscript.* apud *Gruter.* 585. 2., 3. *p.* 5., est *scriba librarius*, et videtur idem esse ac *librarius* simpliciter. Sic *scriptor librarius* apud *Horat. Art. P.* 354. *Festus* quoque *scribas* cum *librariis* confundit. Ceterum *V.* LIBRARIUS, ii.) *Id.* 5. *Verr.* 79. 183. Scribarum ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magistratus committuntur. *et ibid.* 80. 185. Sæpe nostri imperatores, superatis hostibus, scribas suos annulis aureis in contione donarunt. ¶ 2. Speciatim. Quum multi essent in civitate scribæ, in decurias paullatim descripti sunt, vel lectione magistratuum, vel erogatione pecuniæ. Itaque alii quæstorii dicti, alii ædilicii, prætorii, etc., prout variis magistratibus apparebant. *Cic.* 3. *Verr.* 79. *a med.* Noli hos colligere scribas, qui nummulis corrogatis de nepotum donis ac de scænicorum corollariis, quum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. *Liv.* 40. 29. *a med.* L. Petilium scribam quæstor Q. Petilius in decuriam legerat. *Sueton. Claud.* 1. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). et *Sueton. Vesp.* 3. et *Domit.* 9. Quæstorius scriba. Similiter *Inscript.* apud *Gruter.* 365. 1. Scriba legionis. *Orell.* 3637. classis prætoriæ. *et* 2436. collegii arvalium. *et* 3243. medicorum. *et* 3637. triremium. — Porro, quamvis honestus esset scribarum ordo apud Romanos, parum tamen habebat dignitatis, quia exercebatur id munus vel ab ingenuis quidem, sed tenuioribus, vel a libertis libertorumque filiis, et lucri ac mercedis gratia. Scribæ tamen pontificum honoratiores erant, quippe qui minores pontifices appellarentur, ut ait *Liv.* 22. 57. — Hinc perrara sunt apud Romanos exempla scribarum, qui ad majores honorum gradus ascenderint. Cn. Flavium Cn. F. ædilem curulem factum, quum posita tabula jurasset, se scriptum non facturum, narrant *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9., *Liv.* 9. 46., *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (17) et *Val. Max.* 2. 5. *n.* 2. Prætorem ex scriba factum memorat *Horat.* 1. *Sat.* 5. 35. Adde *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. Archeol. a.* 1854. *p.* 19. ¶ 3. *Scriba ab epistolis*, in domo Augustà, qui est epistolis conscribendis addictus, *secretario. Inscript.* apud *Gruter.* 577. 8. TI. CLAVDIVS ALCIBIADES MAG. A BIBLIOTECA LATINA APOLLINIS ITEM SCRIBA AB EPISTULIS LAT. *V.* EPISTOLA. — Similis est scriba cubicularius, *secretario di camera. Inscript.* apud *eumd.* 575. 7. IANVARIUS DOMITIANI CAESARIS L. SCRIB. CVB. CONTVBERNALI OPTIMAE FECIT. — *Scriba subcornicularius*, minister cornicularii. *Inscript.* apud *Orell.* 3490. — *Scriba armamentarius* apud *Gruter.* 253. 5. *V.* ARMAMENTARIUS. — *Scriba libellorum*, idem ac scriba a libellis, libellarius. *Inscript.* apud *Orell.* 2993. At *Maffeius*, levissimis sane rationibus ductus, hanc inscript. spuriam habuit. — Privatorum hominum scribæ non erant, sed librarii, quorum condicio fere servilis. nam quem *Cic.* 5. *Fam.* 20. M. Tullium vocat *scribam suum*, et *servum suum scribam*, intelligit scribam publicum in proconsulatu, et administratione provinciæ Ciliciæ. Et quem *Horat.* 1. *Ep.* 8. 2. dicit comitem et scribam Neronis, significat Tiberii Neronis scribam, quum in secessu Rhodiensi ageret cum tribunicia potestate, ut est apud *Sueton. Tib.* 11. Cf. *Varron.* 3. *R. R.* 2. 14. et *Inscript.* apud *Orell.* 1621. et 2950. ¶ 4. Apud exteras nationes scriba multo erat honoratior. *Nepos Eumen.* 1. Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis. itaque eum habuit (*Philippus rex*) scribæ loco, quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos. nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: et apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, ac fide et industria cognita: quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. *Liv.* 2. 12. Quum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (64) *de ture.* Sunt et quæ sacerdotibus dantur portiones, scribisque regum. Adde *Vulgat. interpr. Esth.* 3. 12. ¶ 5. Aliquando scribæ sunt consiliarii regis, apud *eumd.* 1. *Esdr.* 4. 8.; aliquando summi magistratus seu præfecti, apud *eumd. Act.* 19. 35. — De scribarum dignitate apud Græcos V. *Eckhel, D. N. V. t.* 4. *p.* 196. et *seqq.* De *Inscript.* vero apud *Borghesi, t.* 2. *p.* 55., valde dubitat *Mommsenius.* ¶ 6. *Scriba*, γραμματεύς, apud veteres Hebræos, erat legis Mosaicæ et Scripturæ sacræ peritus, interpres, religionis doctor, et, universim, vir sapientia præditus. *Vulgat. interpr. Matth.* 13. 52., 23. 34. et 1. *Cor.* 1. 20. Apud *Luc.* 10. 25. dicitur quoque νομικός, *et* 15. 17. νομοδιδάσκαλος. Adde *Juvenc.* 2. 699. Quum vero legis peritorum consilio utendum esset in causis cognoscendis et in difficilioribus solvendis quæstionibus, scribæ adscripti sunt Synedrio una cum principibus sacerdotum et presbyteris seu senioribus, ut est apud *Matth.* 21. 15. et al. passim. — In malam partem apud *Vulgat. interpr. ibid.* 7. 29. — De scribis porro multa et scitu digna congessit *Casp. Barth. advers.* 50. 1. *Boecl.* Adde *Herm. Hugon. de prima scrib. orig. c.* 32. et *Dan. Fessel. advers. sacr.* 1. 1.

SCRĪBĀTUS, us, m. 4. (scriba) scribæ munus et officium: *Imp. Philip. Cod.* 7. 62. 4. Ad scribatum nominatus. *V.* SCRIPTUM.

SCRĪBENS, entis, particip. *V.* SCRIBO.

SCRĪBLĪTA, æ, f. 1. Legitur et *scribilita*. — Scriblita est genus placentæ ex caseo, farina, sine melle, cujus faciendæ rationem docet quidem *Cato R. R.* 78., sed unde parum admodum discere queas. Dici putatur quasi *scribilita*, quod multis in superficie notis inscripta sit. *Plaut. Pœn. prol.* 41. in popinam pedisequi Irruptionem facite, dum nunc occasio est: Nunc dum scriblitæ æstuant, occurrite. *Petron. Sat.* 35. Statera, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta. *Id. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* Sequens ferculum fuit scriblita frigida, et supra mel caldum infusum. Mensa videtur rustica, ubi duplex error homini eleganti committi videbatur, quod mel addebatur et quod ipsa scriblita frigida ponebatur. Cf. *loc. Martial.* 3. 17. Circumlata diu mensis scriblita secundis, Urebat nimio sæva calore manus. — Omnib. his locis alii scribi volunt *striblita*, aut *streblita*, ducique a Græco στρεβλεῖν, torquere, quia in circulum torqueatur in modum restis; unde Italorum *torta*, et nostratum *tortiglione*.

SCRĪBLĪTĀRĬUS, ii, m. 2. (scriblita) qui scriblitas facit venditve. *Afran.* apud *Non. p.* 131. 27. *Merc.* Pistori nubat: cur non scriblitario? ut mittat fratris filio lucunculos?

SCRĪBO, scrībis, scripsi, scriptum, scrībere, a. 3. *Scripsti*, syncop. pro *scripsisti*, est *Plauti Asin.* 4. 1. 57.; et *scribsistis* pro *scripsistis* est *Ennii* apud *Non. p.* 153. 29. *Merc.*, ubi cl. *Vahlen.* leg. *scripstis*; sic *scribsisset* pro *scripsisset* apud *Fest. loc. cit.* in SCRIBA, et *scripse* pro *scripsisse* est *Lucil. Sat.* 29. 26., *Auson.* in VII. *Sap.* de *Ludio* et *Arnob.* 4. *p.* 139. In nonnullis vet. *Inscript.* et *Cat. reliq. p.* 66. 5. *Jord.* habetur *scribtus* pro *scriptus*. — Ratione habita etymi, videtur factum a Græco γράφω, quod idem significat ac scribo, addito *s* et mutato φ in *b*, fere ut *sculpo* a γλύφω: vel a σκάριφος, stilus aut penicillus, extrito *a*. Sane *scribere* et *sculpere* apud Græcos per unum verbum esolvuntur, id est γράφω: unde poetæ unum pro altero ponere solent. Scriptum autem aurum monetam dicit solidorum, quæ effigiem imperatoris habet vel capitellum imperatoris et thoraces (id est protomas). Ita *Schol. ms.* ad *Juvenal.* 6. 204. — Part. *Scribens* I. 1. *a.* et *e*; 2. 1.° *a*; *Scriptus* fere in omn. paragr.; *Scripturus* I. 2. 1.° *b*; *Scribendus* (pro quo et *Scribundus*: cf. *Prob. art. min.* 778. *in fin. p.* 402. *Endl.*) I. 2. 1.° *b.* — Scribo est sculpendo lineas duco, noto, signo, γράφω (It. *segnare, notare, tirar linee scavando*; Fr. *écrire, tracer des lignes, graver*; Hisp. *formar lineas, delinear, esculpir, incidir*; Germ. *scharfen Spitze o. Griffel etwas kratzen, einkratzen, graben, eingraben, Linien ziehen*; Angl. *to mark, cut, or imprint lines*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Quintil.* 7. 4. *ante med.* Si quis fugitivo stigmata scripserit, *Prudent.* 40. περὶ στεφ. 557. Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas, *con unghie che graffiano.* (Sic *Plaut. fragm.* apud *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 482. et versa pulvis inscribitur hasta: Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.) *Id.* 2. *ibid.* 120. scribere nummum, *improntare la moneta*, et *Ennod. Dict.* 11. *sub init.* Agricola, si aliquando vomerem illectus urbanitate contemnat, in devium, bobus dum scribit terga (*telluris*), rapietur. — *b*) Speciatim est lineis deformare, describere, *delineare, disegnare. Plin.* 9. *Ep.* 39. *a med.* Quantum ad porticus, mihi interim occurrit, nisi ut formam secundum rationem loci scribas. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 4. Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 1. 117. Nec mora, conscripta formatur imagine tela. *si fa il disegno. Id.* 1. *ibid.* 3. 9. Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas. Cf. *Vulgat. interpr. Jo.* 8. 6. Jesus digito scribebat in terra. *h. e.* lineas incertas ducebat, prout facit quis meditabundus et ineptæ interrogationis pertæsus. Sic Archytas Tarentinus de ineptis interrogatus siluit et in pariete scribebat. V. *Ælian. Var. Hist.* 14. 19. et cf. *Ackermann. op. cit.* § 87. — *c*) Aliquando ponitur pro tingere, aut pingere, aut effingere, *segnare, dipingere, effigiare. Cic.* 5. *Tusc.* 39. 113. Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, unde quo quamque lineam scriberent. *Stat.* 11. *Theb.* 514. *de equo vulnerato.* Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro. *Id.* 1. *Silv.* 1. 100. Apelleæ cuperent te scribere ceræ. et 3. *ibid.* 1. 95. scripto viventes lumine ceræ. *Catull.* 37. 10. Frontem tabernæ scipionibus scribam. *Martial.* 11. 4. Scriptus es æterno nunc primum Juppiter auro. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 95. tot saxa imitantia vultus, Æraque, tot scripto viventes lumine ceras Fixisti. *V.* INSCRIBO. — *d*) Est etiam, quod Itali dicunt *ricamare. Martial.* 9. 14. nomen Quod Cytherea sua scribere vellet acu. *Sil. It.* 14. 659. quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu. — *e*) Item litteras formare, quod fiebat olim stilo librum aut ceratam tabellam sulcando. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 131. Quasi in libro quum scribuntur calamo litteræ, stilis me totum ulmeis conscribito. *Propert.* 1. 5. 22. Scribitur et vestris Cynthia corticibus. *Cic. Arch.* 8. 18. Quoties ego hunc vidi, quum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? *Plaut. Pseud.* 1. 1. 28. Obsecro, habent quoque gallinæ manus? nam has quidem tabellas gallina scripsit. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. Linum incidimus, legimus: erat scriptum ipsius manu. *Lucan.* 2. 343. liceat tumulo scripsisse, Catonis Marcia. *Martial.* 14. 87. cui lemma *Stibadia*. Accipe lunata scriptum testudine sigma. *h. e.* formatum instar litteræ C. *Alii leg.* scriptum testudine signum. *Festus:* Scriptum lapidem esse ait, et ita vocari, Antistius Labeo, in agro Menullino, ubi divinam rem facerent. *Ovid. Heroid.* 18. 128. Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *a med.* Nasci amygdala scripta, si aperta testa nucleum sanum tollas, et in quolibet scribas. ¶ 2. Latiore sensu. — 1.°) Generatim sæpissime est componere, commentari, tractare, mandare litteris aliquod opus litterarium, canere, carmine celebrare (It. *scrivere, vergare, comporre, trattare*; Fr. *écrire, composer, rédiger, décrire, notifier, faire part*; Hisp. *escribir, componer libros*; Germ. *Büchern, Reden, Briefen schreiben, abfassen, beschreiben, melden*

berichten, verfassen, schreibend darstellen; Angl. *to write, draw up, compose*). — *a*) Absolute. *Plaut. Asin. prol.* Democritus scripsit: Marcus barbare vertit. Cf. *Ter. Heaut. prol.* 7. *Gell.* 1. 3. Plutarchus ita scribit. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 8. A quibus temporibus scribendi capiat exordium. *Id.* 1. *Divinat.* 18. *ad fin.* Ut C. Gracchus scriptum reliquit. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 129. Nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes. *Quintil.* 1. 7. 13. Scribere et loqui. *Id.* 12. 10. 57. Dicere et scribere. *Id.* 8. 3. 44. Culpa non scribentium sed legentium. *Id.* 10. 3. *ante med.* Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito. γνώμη. — *Scribendo adsum.* V. ADSUM. — De poetis. *Ter. Andr. prol.* 1. Poeta quum primum animum ad scribendum appulit. *Cic. Arch.* 3. 4. Ut primum e pueris excessit Archias, se ad scribendi studium contulit. *Ovid.* 2. *Trist.* 495. Denique nec video de tot scribentibus unum, Quem sua perdiderit Musa, repertus ego. Adde 4. *ibid.* 1. 91., 1. *Pont.* 5. 10. et 2. *ibid.* 6. 4. et alibi. — Raro invenitur in monumentis sepulcralibus (*Marin. fr. Arv. p.* 625. *col.* 2.) *scribere* pro titulum ponere. V. *Inscript.* apud *Oderic. Syll. p.* 212. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ scribitur, vel de qua scribitur, addito aliquando Dat., aut Accus., cum præpos. *ad, in* (*contra*), personæ, cui scribitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 3. 4. Cur quidquam scribunt aut loquuntur? *Id.* 1. *Orat.* 33. 150. Caput est quamplurimum scribere. stilus optimus dicendi effector. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ad fin.* Scripsi Aristoteleo more tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore. *et mox.* Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis. *Id.* 7. *Verr.* 43. 112. Curius defensionem causæ suæ scripsit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 117. Scribimus indocti doctique poemata passim. *Cic.* 2. *Att.* 19. Hæc scripsi properans. *Id.* 6. *ibid.* 4. 11. Scriberem ad te de hoc plura. *Id.* 7. *Fam.* 3. Hæc ad te scripsi verbosius. *Id.* 7. *ibid.* 10. Nihil mihi scripsisti in ista epistola. *Id. Brut.* 75. *extr.* Scribere historiam. *Id.* 2. *Orat.* 86. 352. carmen in aliquem. *Id.* 2. *Att.* 19. litteras. *Plin.* 7. *Ep.* 9. epistolam. *Gell.* 3. 8. laudes et gratias. *Ovid.* 2. *Trist.* 497. mimos. *Liv.* 21. 1. Bellum me scripturum. *Sall. Cat.* 3. Scribere res gestas. *Cic.* 1. *Fam.* 7. Scripta, quæ scripserim. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 61. Scribimus, et scriptos absumimus igne libellos. *Id.* 3. *Pont.* 2. 9. Ad fratrem scriptas exarat ille notas. *et* 4. *Fast.* 224. Et manet in folio scripta querela suo. Cf. *Martial.* 1. 118. taberna Scriptis postibus hinc et inde totis. *h. e.* inscriptis. *Plin.* 7. *Ep.* 16. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda. *Quintil.* 3. 6. 37. Alia esse scripta, alia inscripta. *Id.* 9. 4. 52. Quid prosa scriptum. — *Scribere salutem*, salutare per litteras. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 79. Quid scribam? CHRY. salutem tuo patri verbis tuis. — *Scribere leges*, condere, facere, *fare, dar leggi. Sueton. Tib.* 2. Decemvir legibus scribendis. *Cic. Rosc. Am.* 25. 70. Sapientissimus Atheniensium Solon, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripsit. Adde 1. *Orat.* 19. 86. — Hinc translate *Seneca Med.* 319. Ausus Tiphys pandere vasto Carbasa ponto, legesque novas Scribere ventis. Cf. et *Prudent.* 1. *contra Symmach.* 300. — *Scribere milites*, delectum habere, *far leva di soldati*: quia delecti in laterculo scribuntur. *Liv.* 9. 8. et *Sall. Jug.* 47. Milites scribere, præsidia undique arcessere. Sic *id. Cat.* 33. Priusquam legiones scriberentur. *Id. Jug.* 27. Exercitus scribitur. *Id. ibid.* 43. et *Cic.* 3. *Fam.* 3. Supplementum scribere exercitui. *far reclute.* — *Scribere cives*, idem ac civitate donare. *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 4. 9. — *Scribere testamentum*, facere, *far testamento. Paul. Dig.* 28. 2. 25. Quum quo tempore scriberetur testamentum, jam editus esset partus. — Huc illa pertinent *Cic. Mil.* 18. *sub fin.* Testamentum palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat. *h. e.* instituerat. *Cæs.* 3. *B. C.* 108. In testamento Ptolemæi heres erat scriptus ex duobus filiis major. *Hirt. B. Alex.* 33. Cæsar reges constituit, quos Ptolemæus testamento scripserat. *Sall. Jug.* 65. Quem (*Gaudam*) Micipsa testamento secundum heredem scripserat. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 5. 48. Adrepe officiosus, ut et scribare secundus Heres. *Scævola Dig.* 44. 4. 17. § 2. Ex quadrante heres scriptus. (Adde *Plin. Paneg.* 43.) *Ulp. ibid.* 29. 2. 70. Scribere servo libertatem. *lasciare in testamento. Id. ibid.* 37. 4. 8. aliquem exheredem. *Cic. Cluent.* 14. *a med.* aliquem tutorem liberis suis. — *Scribere pecuniam* dicitur debitor, qui non præsentem solvit, sed chirographo per se, vel per trapezitam cavet et promittit, se ad certam diem soluturum, *obbligarsi con iscrittura a pagamento. Plaut. Asin.* 2. 4. 34. Adducit domum ultro, et scribit nummos. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 69. Scribe decem a Nerio. Alii exterunt τὸ *a*. Porro Nerius erat trapezita. *Scævola Dig.* 44. 4. 17. Homo rusticanus genero scripsit usuras præstandas quasi ex dotis promissione. *Ulp. ibid.* 26. 7. 8. *a med.* Non tantum autem sibi solvere tutor, verum etiam sibi creditam pecuniam scribere poterit. *h. e.* mutuam accipere, et se soluturum, cavere scripto. *Paul. ibid.* 12. 1. 40. L. Titius scripsi me accepisse a P. Mævio quindecim mutua numerata mihi de domo. *Apul. Apolog.* Qui inaniores venere, quasi ad discendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid scripserint. — *Scribere dicam, formulam.* V. DICA et FORMULA. — De personis. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 48. Nullos habeo scriptos. *Horat.* 1. *Od.* 6. 14. quis Martem digne scripserit? *Cic.* 12. *Att.* 19. Quem (*Marium*) scripsissem. *Horat.* 1. *Od.* 6. 1. Scriberis Vario fortis et hostium victor. *sarai celebrato.* Cf. *Vulgat. interpr. Jer.* 22. 13. Recedentes a te in terra scribentur. *h. e.* recedentium a te (Deus) nomina scribentur in pulvere a quolibet vento obliteranda et ex hominum oculis memoriaque tollenda. — *c*) Cum Dativo, aut Accus. et præp. *ad*, personæ, cui scribitur, et est epistolam mittere, significare per litteras. *Cic.* 7. *Fam.* 10. Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti. *Id.* 9. *ibid.* 16. De quo et tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo. *et* 14. *ibid.* 1. *sub fin.* Ego ad quos scribam, nescio, nisi ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 11. audebo tibi me scripsisse fateri. *Petron. Sat.* 104. Scribit amatori meretrix. *Gell.* 3. 8. Rex Pyrrhus populo Romano laudes atque gratias scripsit. *h. e.* laudavit, et gratias egit per litteras. — *d*) Cum Ablativo rei, de qua scribitur, et præp. *de, super. Cic.* 6. *Att.* 1. De me imperatore scribis, te ex Philotimi litteris cognosse. *Id.* 2. *ibid.* 10. In qua (*epistola*) de Campano agro scribis. *Id.* 12. *Fam.* 17. Scripsi de optimo genere dicendi. *Id.* 16. *ibid.* 19. Medico, Curio, Lyconi de te scripsi diligentissime. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (4). *Gell.* 1. 3. *extr.* Super hoc Chilone Plutarchus in libro περὶ ψυχῆς ita scripsit. — *e*) Cum particula relativa. *Cic.* 3. *Att.* 7. 1. Nec scribis, quam ad diem te exspectemus. *Id.* 7. *Fam.* 12. Scribe aliquando ad nos, quid agas. — *f*) Cum Conjunctivo et partic. *ut, ne. Id.* 4. *Att.* 14. 1. Velim domum ad me scribas, ut mihi tui libri pateant. *Id.* 16. *ibid.* 7. 2. Ad me scriberet, ut in Italiam venirem. *Tac.* 1. *Ann.* 29. Scripturus patri, ut placatus legionum preces exciperet. *Liv.* 30. 23. Scipioni scribendum, ne bellum remitteret. — *Cæs.* 5. *B. G.* 47. Scribit Labieno, veniat. — *g*) Cum Infinito. *Plaut. Asin.* 45. 1. 46. In foribus scribat occupatum esse. *Cic.* 3. *Att.* 13. Quod ad te scripseram, me in Epiro futurum. *Id.* 1. *republ.* 17. 28. Ut Africanum scribit Cato solitum esse dicere. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 43. Post paullo scribit, sibi millia quinque Esse domi clamydum. Adde *Quintil.* 11. 1. 92. — Passive. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. Eadem hæc avis scribitur, conchis se solere implere. *Brut. et Cass.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. Scribitur nobis, magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. Scriptum est etiam, quæsivisse Socratem etc. *Tac.* 15. *Ann.* 25. Scribitur, tetrarchis obsequi. — 2.°) Speciatim est præstituere. *Seneca Herc. Fur.* 189. Nulli jusso cessare licet, Nulli scriptum proferre diem. *h. e.* in fatis scriptum. — 3.°) *Scribere tectum* dixit *Stat.* 1. *Silv.* 9. pro facere, condere, aut eligere, decernere.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ ab usitatiore vocis significatione, *scribere in animo* est alta mente reponere, *imprimer nell'animo, scrivere nel cuore. Ter. Andr.* 1. 5. 47. etiam nunc mihi Scripta illa dicta sunt in animo. Similiter *Vulgat. interpr. Prov.* 7. 3. et *Jer.* 31. 33. — *Scribere in vento et aqua* apud *Catull.* 71. 4. est id promittere, quod minime perficere aliquis in animo habet. ¶ 2. Metaphorâ ductâ ab eo, quod significat delectum habere, h. e. milites conscribere. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 13. quodsi Depositum laudas ab amici jussa pudorem, Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque. *ricevilo nel numero de' tuoi.* — Hinc

Scriptum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Generatim est id, quod litteris mandatum est, scriptura, scriptio, *scritta, scrittura, scritto,* σύγγραμμα. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Herenn.* 11. 19. Quum in scripto, aut ex scripto aliquid controversiæ nascitur. *et mox.* Ex scripto et sententia nascitur controversia, quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. *Id. Brut.* 39. 145. Multa contra scriptum pro æquo et bono dixit. *Id. ibid.* 88. 301. Memoria tanta, ut quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet. *Id.* 3. *Q. fr.* 3. 5. Laudaris pater de scripto meo. *Ovid.* 1. *Art. am.* 469. Si non accipiet scriptum. *Id. Heroid.* 6. 4. Debueram scripto certior esse tuo. *Id.* 2. *Trist.* 532. Regale scriptum. *Tac.* 4. *Hist.* 39. Adire aliquem scripto. *Quintil.* 3. 6. 38. Corn. Celsus qualitatem in rem et scriptum dividit. Scripto quattuor partes legales subjicit. *Id.* 7. 10. 3. Scriptum et voluntas de eo disputat verbo, quod est in lege, syllogismus de eo quod non est. *Id.* 3. 6. 46. Et scripti et sententiæ vel voluntatis quæstio. *Id.* 3. 6. 100. Scriptum legis. *Id.* 7. 5. 5. Scriptum aut apertum est, aut obscenum, aut ambiguum. — *b*) *De scripto dicere* contrarium est τῷ *memoriter dicere*, in dicendo scriptum in manu habere, et omnia dicere, ut domi scripsimus, *recitare colla carta alla mano*, *Cic. Planc.* 30. *ad fin.* Oratio, quæ propter rei magnitudinem dicta de scripto est. Adde 10. *Phil.* 2. *a med.* et 4. *Att.* 3. — *c*) *Scriptum relinquere, mandare scriptis*, litteris mandatum relinquere. *Id.* 6. *Verr.* 56. 124. Multi Græci de valvarum harum pulcritudine scriptum reliquerunt. *Id.* 2. *Off.* 1. *a med.* Ut scriptis actiones nostras mandaremus. *Id.* 2. *Orat.* 46. *extr.* Quod a Platone in scriptis relictum esse dicunt. — *d*) *Scriptum facere*, scribam esse, et scribendo victum quærere. *L. Piso* apud *Gell.* 6. 9. et *Liv.* 9. 46. Cn. Flavius patre libertino natus scriptum faciebat. *Sueton. Vit. Horat. sub init.* Scriptum quæstorium comparavit. *Piso loc. cit.* Dicitur tabulas posuisse, scripto sese abdicasse. *Peter* leg. *scriptu*, ut sit 4. declin., quod confirmatur hoc loco *Front.* 2. *ad amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Estne lege coloniæ Concordiensium cautum, ne quis scribam faxit, nisi eum, quem decurionem quoque recte facere possit? Fueruntne omnes et sunt ad hoc locorum, quibus unquam scriptus publicus Concordiæ latus est, decuriones? *h. e.* quibus publici scribatus officium delatum est? *V.* SCRIBATUS. ¶ 2. Speciatim *scriptum* est lex aut oratio scripta. *Cic. Dom.* 26. *ad fin.* Quoniam scripto illo istius sententiam dicere vetabatur. *Id.* 3. *Q. fr.* 8. *a med.* Serrani filii funus perluctuosum fuit. laudavit pater scripto meo.

Scripta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Sunt opera litteratorum hominum, historiæ, carmina, artes etc. *Cic.* 5. *Fam.* 12. Ardeo cupiditate incredibili, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis. *et* 4. *ibid.* 4. Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiæ. ¶ 2. Item ludus duodecim scriptorum. *Cic.* 1. *Orat.* 50. 217. Licet, ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis ludere proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit. *Edit. vett.* scrupis. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 170. 30. *Merc.* Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis sole-

mus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet. Utroq. loco est qui leg. *scrupis*, sed invitis libr. et Criticis. *Quintil.* 11. 2. *a med.* Scævola in lusu duodecim scriptorum quum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus est. *Scripta* hæc vocat *scriptula* (vel *scripula*, ut quidam volunt, sed idem est) *Ovid.* 3. *Art. am.* 363. Est genus (*ludi*) in totidem tenui ratione redactum Scriptula, quot menses lubricus annus habet. Parva tabella capit ternos utrinque lapillos: In qua vicisse est, continuasse suos. Ex quo *Ovidii* loco et firmatur lectio *scriptis*, non *scrupis*, in verbis *Cic.* et *Quintil.*, et hic ludus a talis seu tesseris et latrunculis diversus fuisse ostenditur. V. *Ovid. ibid.* 353. et *seqq.* Porro *scripta* hæc sive scriptula alii putant fuisse lineas dispositas in tabula lusoria, quæ similis erat illi, qua eum ludum ludimus, qui vulgo *Tria* a nostratibus appellatur, similis, inquam, non eadem, quia alio ordine in illa lineæ descriptæ fuisse videntur. Alii *scripta* intelligunt ipsos calculos, qui in ludo adhibebantur: argumento esse, quod ab aliis legatur *scrupis* pro *scriptis*. Prior sententia magis congruere videtur cum allatis *Cic.* et *Quintil.* verbis: ipsum tamen lusum credimus in antiquitatis tenebris adhuc latere. Disserunt de eo *Salmas.* ad *Vopisc. Procul.* 13., *Gronov. de pec. vet. l.* 3. *c.* 15. et *Thom. Hyde de lud. Oriental.* Cf. *Bonghi, Man. Antiq. Rom. n.* 82. *A. Rich.* ait fuisse ludum non aleatorium illi adsimilem, quem Itali dicunt *tavola reale.* V. ABACUS.

SCRINGIS, fortasse plur. ablat. a *scringa*, *æ*, legitur in *Gromat. de term. p.* 306. 15. *Rudorff.* Scringis, allabinibus et centuriis signa proponebantur. An leg. *strigis?*

SCRĪNĬĀRĬUS, ii, m. 2. (scrinium) scrinii custos, qui etiam magister scrinii dicitur. — *a*) Absolute. *Vet. Glossarium.* Scriniarii sunt magistri scriniorum, vel memoriales scriniorum. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 643. 9. et 1035. 5. — *b*) Cum additis. *Cassiod.* 11. *Variar.* 23. Scriniarius actorum. *Id. ibid.* 24. curæ militaris. *Inscript.* apud *Gruter* 1111. 10. SCRINIARIVS AB EPISTVLIS. et 587. 10. SCRINIARIVS A LIBELLIS. Adde alias apud *eumd.* 643. 9. et 1035. 5.

SCRĪNĬŎLUM, i, n. 2. (scrinium) *deminut. a* scrinium, parvum scrinium.

I.) Proprie in *Not. Tir. p.* 163. Scrinium, scriniolum.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 77. *n.* 7. Fabiola per prophetas, euangelia psalmosque currebat, quæstiones et proponens, et solutas recondens in scriniolo pectoris sui.

SCRĪNĬUM, ii, n. 2. arcula, loculus, capsa, in qua res pretiosæ et cariores et arcanæ, (præsertim chartæ, ut epistolæ, carmina, commentationes) clausæ servantur: fortasse a γρῶνος, cavus, capax, (cf. Germ. *Schrein*, capsa), aut a *secerno*, ob distinctos loculos, quibus a *capsa* differebat (V. *Plin. loc. infra mox cit.* et *Mus. Borb.* IX. 12., ubi scrinii figuram habes) κιβωτός, κιβώτιον (It. *cassetta, stipo, forziere, scrigno, scansia, scaffale*; Fr. *coffre destiné à contenir des objets précieux, des écritures, des livres, des papiers, des lettres, scrinium, écrin*; Hisp. *cofre, arca, cofrecito, caxeta*; Germ. *e. Behälter für Schriften, Bücherschrank, Brief, - Papierkasten, Kiste, Schrein, Schrank*; Angl. *a casket, coffer, trunk, escritoire, bookcase*). *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (229). Fagus sectilibus laminis, in tenui flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis. *Sall. Cat.* 47. *extr.* Flaccum prætorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, afferre jubet. *Seneca* 2. *Ira* 23. *a med.* Quum C. Cæsar scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompejum missarum, combussit. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (94). Captis apud Pharsaliam Pompeji M. scriniis epistolarum. *Id. ibid.* 29. 30. (108). Alexander inter spolia Darii unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, immo hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur: ut pretiosissimum humani animi opus quam maxime diviti opero servaretur. Adde 13. *ibid.* 1. 1. (3). *Juvenal.* 6. 276. quæ scripta, et quas lecture tabellas, Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ! *Horat.* 1. *Sat.* 1. 120. ne me Crispini scrinia lippum Compilasse putes. *Id.* 2. *Ep.* 1. 112. et prius orto Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco. *portafoglio.* Adde *Val. Max.* 6. 5. *n.* 6., *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 23. et 1. *Trist.* 1. 106., et *Martial.* 1. 3. 4. et 67., 4. 33., 6. 64. et 14. 37., quibus omnibus locis de arca aut pluteo librorum sermo est. Cf. *Seren. Sammon. c.* 61. — Palatii, seu principum quattuor erant scrinia, memoriæ, epistolarum, libellorum, epistolarum Græcarum. qui primi erant in singulis scriniis, dicebantur *proximi*, et *magistri.* (Ita *Forcellinus.* At pro *epistolarum Græcarum* repon. *dispositionum*: sic emendandum monet *Zirardin.* ad *Nov. leg. Theodos. p.* 203. et 223. ac præcipue 469.) De his multa *Salmas.* ad *Lamprid. Alex. Sev.* 3. et *Cod. Justin.* 12. *tit.* 19. et *Cod. Theod.* 6. *tit.* 26.

SCRIPLUM, i, n. 2. *V.* SCRUPULUM.

SCRIPTĬLIS, e, adject. (scribo) qui scribi potest: cui opponitur *inscriptilis* apud *Diomed. p.* 420. 12. *Keil. Ammian.* 17. 4. *a med.* Mons (*h. e.* obeliscus) ipse effigiatus scriptilibus elementis. *Diomed.* 2. *init.* Vox articulata litteralis vel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest.

SCRIPTĬO, ōnis, f. 3. (scribo) actus scribendi, scriptura, *lo scrivere, scrizione.* ¶ 1. Abstractorum more. *Cic.* 10. *Att.* 17. Lippitudo, quæ impediat scriptionem meam. *Id.* 9. *Fam.* 12. Ut rem tenuem et inopem, nec scriptione magnopere dignam. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, seu metonymice, est res ipsa, quæ scribitur. *Id.* 5. *Tusc.* 41. *in fin.* A quo non modo impulsi sumus ad philosophicas scriptiones, verum etiam lacessiti. *Id. Brut.* 64. 228. Hoc genus scriptionis nondum est Latinis litteris illustratum. ¶ 3. Idem fere quod inscriptio. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. 16. Urbinus restitutus monumentum ei fecit titulo scriptionis. ¶ 4. Item sumitur interdum pro exercitatione oratoria remota a foro, qualis est Parænesis Isocratis ad Demonicum, Declamationes et alia ejus generis. *Id. ibid.* 24. 92. Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. *Id. Orat.* 11. 37. Quoniam plura sunt orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum et historiarum, etc. ¶ 5. Item chirographum, scriptura, *carta di obbligazione, pagherò. Varro Sat. Menipp. p.* 97. *Oehl.* Vulgoque avarus fenerator spe lucri Rem scriptione duplicarat. Alii interpretantur ita, ut scriptio sit census æstimatis et descriptis in tabulis censualibus bonis, secundum quas in publicum opes conferebant: factumque imitatione Græcorum, qui censum ἀπογραφὴν οὐσίας καὶ ἀποτίμησιν, descriptionem substantiæ, ut explicant glossæ. ¶ 6. Est etiam stigma, nota, quæ servis aut damnatis inurebatur. *Cod. Theod.* 9. 40. 2. V. *Labus, Fast.* 7. *p.* 409.

SCRIPTĬŌNĀLIS, e, adject. (scriptio) ad scriptionem pertinens. *Capell.* 5. *p.* 463. Species quæstionis scriptionalis.

SCRIPTĬTANS, antis, *et*

SCRIPTĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SCRIPTĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (scribo) frequentat. vel intens. a *scripto*, quod a *scribo.* — Part. *Scriptitans* et *Scriptitatus.* — Scriptito est sæpe scribo, *scrivere spesso, andare scrivendo.* ¶ 1. Generatim. *Vel. Long. p.* 57. 21. *Keil.* Quod ea quæ nos per *ae*, antiqui per *ai* scriptitaverunt. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 21. (68). In palmarum foliis scriptitatum est. ¶ 2. Speciatim alicui scribo aut sæpe scribo, aliquem per litteras seu scripto doceo, certiorem facio, moneo. *Cic.* 7. *Att.* 12. *in fin.* Et hæc et si quid aliud ad me scribas velim vel potius scriptites. *Tac.* 3. *Hist.* 52. Ad Primum et Varum media scriptitabat. — Absolute. *Id.* 2. *ibid.* 86. Scriptitasse Othoni credebatur. *Fronto* 1. *ad amic.* (edente iterum *A. Majo*) *ep.* 11. Nec ignoro, nullum adhuc inter nos mutuo scriptitantem usum fuisse. Ita *Codex* pro scriptitandi. ¶ 3. Item sæpe compono, opus litterarium condo, scribo. *Cic. Brut.* 46. 169. Scriptitavit orationes multas, orator numquam fuit. *Nep. fragm.* 3. 4. *Stav.* Albinus res R. oratione Græca scriptitavit. *Plin.* 5. *Ep.* 3. Talia sanctissimos homines scriptitasse. Cf. *Arnob.* 4. *p.* 138. — Cum adverbiis. *Cic.* 2. *Orat.* 23. *a med.* Sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. *Id.* 2. *ibid.* 12. 51. Græci sic initio ipsi scriptitarunt.

SCRIPTĬUNCŬLA, æ, f. 1. (scriptio) *deminut. a* scriptio. *Salvian. Gubern. D. præf.* In scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia.

SCRIPTLUM *et* scriptulum. *V.* in SCRIPLUM

SCRIPTO, as, are, a. 1. (scribo) *frequentat. a* scribo, unde et *scriptito.* — Scripto est idem ac scriptito, sæpe scribo, *scrivere spesso, scrivacchiare.* Cetera, quæ ad hanc vocem pertinent, *V.* in LECTO.; quibus addimus, præter *Bentlejum*, etiam *Orellium* hanc vocem rejecisse. Sed cum bona pace tantorum virorum pro v. *lecto* afferimus illud *Porphyr.* in *Horat. loc. cit.* Lecto productâ syllabâ enunciare debemus, quia frequentativum est ab eo, quod est *lego*: et pro *scripto*, præter laudatos, *Priscian. p.* 825. *Putsch.* Frequentativa plerumque a supinis derivantur, ut scriptu scripto; dictu, dicto; cursu, curso etc. Adde *eumd. p.* 1224.

SCRIPTOR, ōris, m. 3. (scribo) γραπτήρ, qui scribit (It. *scrivano, scrittore*; Fr. *écrivain, copiste*; Hisp. *escribiente, escribano*; Germ. *d. Schreiber, Schriftsteller*; Angl. *a writer, scrivenerr*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 30. 136. Ex ejus scriptore et lectore suspicari liceret. *Id.* 2. *Fam.* 4. Tuarum rerum domesticarum habes et scriptores et nuncios. *Id. Brut.* 22. *ad fin.* Addebat etiam, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba, *h. e.* illos servos litteratos, amanuenses. *Horat. Art. P.* 354. Scriptor librarius. *Tac.* 15. *Ann.* 63. Advocatis scriptoribus pleraque tradidit. ¶ 2. Speciatim est auctor, h. e. qui opus aliquod litterarium condit et litteris mandat, ut rhetor, historicus, poeta et hujusmodi, *scrittore, autore*, συγγραφεύς. — *a*) Absolute. *Cic. Orat.* 9. 29. Venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias. Cf. *eumd. Brut.* 9. 35. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus versatus sed egregie subtilis scriptor atque elegans. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 62. habet hos numeratque poetas Ad nostrum tempus Livi (*Andronici*) scriptoris ab ævo. *Id.* 2. *ibid.* 27. 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem. Poetam scriptorem vocat, ut alibi, quem prisci etiam scribam dixere. *Liv. præf.* 2. In tanta scriptorum turba. *h. e.* historicorum. *Sall. Cat.* 8. Scriptorum magna ingenia. *Gell. præf.* 4. Scriptorum utriusque linguæ. *h. e.* Latinæ et Græcæ. *Id.* 19. 8. *extr.* Classicus assiduusque scriptor, non proletarius. *Martial.* 3. 20. Falsus scriptor. *h. e.* historicus mendax. *Phædr.* 5. 1. Hic est Menander scriptor. *h. e.* poeta comicus. *Horat. Art. P.* 120. Scriptor honoratum si forte reponis Achillem etc. *h. e.* poeta. *Quintil.* 7. 10. 7. Est hoc quod scriptor demonstrare non possit. *h. e.* artium. *Quintil.* 7. 6. 11. Accidit, ut esset scriptum, quod appareret scriptorem noluisse. *h. e.* testamenti scriptorem. *Id. ibid.* 2. 53. Signator et scriptor. *V.* SIGNATOR. — *b*) Cum Genetivo. *Cic.* 1. *Orat.* 34. *a med.* Legendi etiam poetæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores legendi. *Id. Arch.* 10. 24. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! *Sall. Cat.* 3. Scriptor et actor rerum. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 1. Scriptor Trojani belli. *h. e.* Homerus. *Id. Art. P.* 235. Satyrorum scriptor. *di drammi satirici. Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (36). Callisthenes historiarum scriptor. *Quintil.* 9. 4. 96. Scriptores artis hujus. *et* 10. 1. 9. jamborum et veteris comœdiæ. *et* 1. 5. 11. carminum. *et ibid.* 21. tragœdiarum. *et ibid.* 10. 17. mimorum. ¶ 3. Item publicus scriptor, conditor, auctor. *Sueton. Ner.* 17. Scriptor testamenti. *Cic.* 1. *Brut.* 1. Solon sapientissimus ex septem et legum scriptor solus ex septem. *legislatore.* Adde 5. *republ.* 2. 3. et cf. 2. *Invent.* 47.

139. — Absolute *Quintil.* 7. 2. 53. et *ibid.* 6. 11. Scriptor. *h. e.* testamenti.

SCRIPTŌRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

SCRIPTŌRĬUS, a, um, adject. (scriptor) *da scrivere, scrittorio,* γραφικός, ad scribendum pertinens. *Cels.* 5. 28. *n.* 12. *a med.* Scriptorius calamus. *Id.* 6. 4. *extr.* et 8. 4. *ante med.* Atramentum scriptorium. — Hinc

Scriptorium, ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, graphium, γραφίον, stilus ferreus, quo veteres in tabulis ceratis scribere solebant. *Isid.* 6. *Orig.* 9. 2. Graphium Græce, Latine scriptorium dicitur.

SCRIPTŬLA. *V.* SCRIPULA.

SCRIPTŬLUM, i, n. 2. (scriptum) *deminut. a* scriptum. In plur. num. *Ovid.* 3. *Art. am.* 364. *de ludo duodecim scriptorum.* h. e. parva linea. *V.* SCRIPTUM. — De *scriptulo, quod* et scripulum, *V.* SCRIPLUM.

SCRIPTUM, i, n. 2. *V.* SCRIBO in fin.

SCRIPTŪRA, æ, f. 1. (scribo) *Scribtura* legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 4570. et *Gromat. vet.* ed. *Rudorff.* — Scriptura est actus scribendi, scriptio, γραφή (It. *scrizione, lo scrivere;* Fr. *action d'écrire, écriture;* Hisp. *escritura, la accion de escribir;* Germ. *d. Schreiben;* Angl. *the act of writing, a writing*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstractorum more. *Martial.* 1. 67. Erras meorum fur avare librorum, Fieri poetam posse qui putas tanti, Scriptura quanti constat, et tomus vilis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteras facit. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Si subitam orationem commentatio vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. *Id.* 15. *Fam.* 21. Scriptura aliquid persequi *h. e.* scribere. et *Cæcin.* ad *Cic.* 6. *Fam.* 7. Mendum scripturæ litura tollitur. *Sueton. Gramm.* 2. *a med.* Nævii Punicum bellum, unico volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Petron. Sat.* 126. Supercilia usque ad malarum scripturam currentia, et rursus confinio luminum pæne permixta. ubi *scriptura malarum* vel est extrema linea seu confinium malarum in superiore parte: vel pictura seu fucus earumdem: vel denique cum multis aliter est legendum. ¶ 2. Speciatim. — *a*) Abstractorum more est modus scribendi, stilus. *Cæcin.* ad *Cic.* 6. *Fam.* 7. Genus hoc scripturæ non modo liberum, sed incitatum atque elatum esse debet. *Ter. Phorm. prol.* 5. Fabulas tenui esse oratione et scriptura levi. *Id. Andr. prol.* 12. dixit, oratione ac stilo. *Nepos præf.* Genus scripturæ leve. Alii interpr. *libelli.* Cf. *Vellej.* 2. 52. 3. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu est scriptum, γραφή (It. *scritto, scrittura;* Fr. *composition écrite, écrit, redaction;* Hisp. *escrito, escritura;* Germ. *d. Schrift, Abfassung;* Angl. *a writing, composition, book*). *Planc. ad Cass. etc.* 10. *Fam.* 8. *a med.* C. Furnio legato plura verbo, quam scriptura, mandato dedi. *più a bocca che in iscritto. Val. Max.* 1. 1. *n.* 12. Duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numæ Pompilii fuisse. *l'inscrizione, la soprascritta.* et *Vellej.* 2. 61. 3. Senatus eum honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita ætatem ejus scriptura indicat. *l'inscrizione. Ammian.* 19. 12. 4. Desideriorum indice missa scriptura supplicationibus expresse conceptis. *petizione, istanza in iscritto.* et *Sueton. Cæs.* 41. Libelli scriptura brevi. *viglietti di poche parole. Vulgat. interpr. Ps.* 86. 6. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: horum qui fuerunt in ea. *h. e.* tanta erit copia eorum, qui veræ Ecclesiæ se aggregabunt, ut solus Deus tot principes et populos enumerare et infinitæ scientiæ veluti libro complecti omnes possit. Ita *Weitenauer, Lex. Bibl.* ad *h. l.* — *c*) Item opus litterarium, ut carmina, historiæ etc. *Ter. Adelph. init.* Postquam poeta sensit, scripturam suam ab iniquis observari, et adversarios rapere in pejorem partem, quam acturi sumus etc. *Id. Hecyr. prol.* 2. 5. Ne cum poeta scriptura evanescere. *Tac.* 4. *Ann.* 32. Nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi R. res composuere. *Sueton. Vit. Juvenal. sub init.* Genus scripturæ studiose excoluit. *h. e.* satiræ faciendæ. *Tac.* 3. *Ann.* 3. Diurna actorum scriptura. *h. e.* acta diurna Urbis. — *d*) Item libri sacri, τὰ ἱερὰ βιβλία, Scriptura, seu, in plur., Scripturæ, *la sacra Scrittura, o la Scrittura,* κατ' ἐξοχήν. *Juvenc.* 1. 419. Testis erit Scriptura tibi, quæ spondet aperte. Adde *Chalcid. Tim.* 277. et 278. (Cf. *Alcim. ad Soror.* 426.) et *Tertull., Hieronym., Augustin.* aliosque christianos scriptores. — *e*) In re agraria — *α*) Est inscriptio termini. *Gromat. vet. p.* 111. 24. *Rudorff.* et alibi passim. — *β*) Modus agri in tabula scriptus. *Id. p.* 129. 13. et *p.* 131. 12. — *f*) In re civili — *α*) Est scriptio testamenti, aut testamentum et ipse ejusdem textus. *Cic.* 2. *Invent.* 40. 117. Ex superiore et ex inferiore scriptura docendum, quod quæratur, fieri perspicuum. *h. e.* superiore et inferiore parte testamenti. Adde *Quintil.* 9. 2. 34. *Id.* 7. 9. 6. Scriptura dubia. — *β*) Lex scripta. *Sueton. Cal.* 41. Ejusmodi vectigalibus indictis neque propositis quum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent. — *γ*) Vectigal ex agris et silvis publicis, quod pendebatur ab iis, qui in illis pastionis causa pecudes habebant: et *scriptura* dicebatur, quia numerum pecudum apud publicanos profiteri cogebantur, qui in commentarios referebant et scripto servabant, *gabella de' pascoli.* Hujusmodi vectigalia multa erant in Asia, item in Italia, in silva Scantia et in salictis ad Minturnas, ut *Cic.* 2. *leg. Agr.* 14. memorat. *Id. leg. Manil.* 6. *a med.* Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. *Plaut. Truc.* 1. 2. 44. Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos. *non han modo di pagare il fitto.* Scriptura autem dicebatur, quia in censoriis tabulis scripta erant vectigalia ex iis agris et silvis, ut relicta erant loca, quæ, ut ait *Serv.* ad *Virg.* 4. *G.* 125., non vitibus vel frumentis vel pascuis apta erant. *V.* RELICTUS et SCRIPTURARIUS. — De magistro scripturæ, *V.* MAGISTER.

SCRIPTŪRĀBĬLIS, e, adject. (scriptura) *scritturabile,* cui inscribi potest. *Cassiod.* 11. *Variar.* 38. *de charta ex pāpyro.* Scripturabilis facies, quæ nigredinem suscipit ad decorem.

SCRIPTŪRĀRĬUS, a, um, adject. (scriptura) ad scripturam pertinens. Scripturarius ager publicus appellatur, in quo, ut pecora pascantur, certum æs est: quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. *Festus p.* 333. 16. *Müll.* — Hinc

Scripturarius, ĭi, m. 2. absolute, substantivorum more, vectigalis ex agris et silvis publicis exactor. *Non. p.* 37. 33. *Merc.* Scripturarios veteres, quos nunc tabularios dicimus, dici volunt, quod scripturis vel commentariis omnia vel urbium vel provinciarum complecterentur. *Lucil.* apud *eumd. p.* 351. 7. Publicanus vero ut Asiæ fiam scripturarius, Pro Lucilio, id ego nolo, et uno hoc non muto omnia.

SCRIPTŪRĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

SCRIPTŪRĬO, is, ire, a. 4. (scribo) *desiderat. a* scribo, scribere gestio. *Sidon.* 7. *Ep.* 18. Incitatus semel animus nec dum scripturire desinit. Adde 8. *Ep.* 11. *a med.*

SCRIPTUS *vel* scribtus, a, um, particip. *V.* SCRIBO. Adde particip. *scripta* (subaud. *lex, constitutio*) absolute inveniri in subscriptionibus legum. *Cod. Theod.* 1. 8. 1. *in fin.* Item *Martian. Novell.* 2. 1. *in fin.* et *Cod. Theod.* 7. 22. 9.

SCRIPTUS, us, m. 4. *V.* SCRIBO in fin. ad v. *Scriptum,* i, § 1. *d.*

SCRĪPŬLA. *V.* SCIRPULA.

SCRĪPŬLĀRIS *vel* scrupularis, e, adject. (scripulum) *d'uno scrópolo,* scripulum continens. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 43. (126). Protinus dicunt, quantum auri sit in ea, scripulari differentia, mirabili ratione non fallente. Alii leg. *scrupulari.* Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 314. *retro.*

SCRĪPŬLĀTIM *vel* scrupulatim, adverb. (scripulum) per scripula, minute, scrupulose. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 56. *sub fin.* Scripulatim quidem colligere ac miscere vires, impudentiæ est. Alii leg. *scrupulatim.*

SCRĪPŬLUM *et* scriplum, i, n. 2. (scrupus). Pro *scriplum* legitur et *scriptlum.* hoc vero est syncope a *scriptulum:* illud a *scripulum:* quæ idem significant. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 357. EX VOTO POSVIT ARG. P. XV. SCRP. IX. *h. e.* argenti pondo XV. scriplis IX. Item apud *eumd. ibid. p.* 230. T. F. I. P. XXIIIS. ЭVII. *h. e.* testamento ponendum jussit pondo tribus et viginti et semis, et scriplis VII. Sic in *Bullett. archeol. n.* 1830. *p.* 107., ubi P. IS::S ЭVIIIS. h. e. pondo unum semis unciæ quattuor semis, scripla octo semis. Eam enim *id. ibid.* docet, in antiquis monumentis fuisse notam scriplorum. *V.* GRAMMA, et consule *Pontedera* in *Antiqu. Lat.* et *Græc. p.* 97. *Varro* apud *Charis.* 1. *p.* 105. 6. *Keil.* Nummum argenteum flatum primum a Servio Tullio dicunt. is quattuor scriptulis major fuit, quam nunc est. *Charis. ibid.* Scriptulum, quod nunc vulgus sine t dicit, Varro in Plutotoryne (*al.* Phavorino, *vel* Plutorino) dixit. *Colum.* 12. *R. R.* 23. Picis sex scripula in sextarios quinque miscere. *et ibid.* 28. Medicaminis pondo unciam et scripula octo. — Et *scrupulum,* apud *Vitruv.* 7. 8. *a med.* Si ibi auri scrupulum imponatur, non natabit. Ita edit. *Elzevir.* 1649. — De ludo duodecim *scriptulorum* vel *scruptulorum,* seu scriptorum, *Ovid.* 3. *Art. am.* 363. *V.* SCRIPTULUM et SCRIPTUM. — Eodem sensu dicitur et *scrupulum,* sive ex consuetudine vertendi *i* in *u,* ut in *carnufex, optumus;* sive deminutivum sit a *scrupus,* qua lapillum significat. *Ovid. Medic. fac.* 92. Quinque trahant marathri scrupula, myrrha novem. *Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Neque argenti scrupulum esse ullum in illa insula. *Alii leg.* scripulum. *Plin. loc.* infra cit., ubi leg. *scrupulum.* In MSS. est *scripulum,* teste *Harduino* et *Sillig. Martial.* 10. 55. Libras, scrupula sextulasque dicit. Adde 4. 89. et 5. 19., quibus locis est qui leg. *scriptula.* — Scripulum proprie est parvus scrupus, saxulum, lapillulus (*V.* SCRUPULUS): translate, universim est quodcumque exiguum pondus; speciatim vero ¶ 1. Est ponderis exigui nomen, *scrópolo,* γράμμα, ducentesima octogesima octava pars assis, seu vigesima quarta pars unciæ. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 8. Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo Grámma vocant: scriplum nostri dixere priores. Semina sex alii siliquis latitantia carvis Attribuunt scriplo: lentes veraciter octo, Aut totidem speltas numerant tristesve lupinos Bis duo. sed si par generatim his pondus inesset, Servarent eadem diversæ pondera gentes: Nunc variant. Hæc *Fann.* Adde *eumd. ibid.* 25. Exempla habes apud *Colum., Ovid., Cic., Vitruv., Martial.* et *Inscript.* supra adlata. ¶ 2. Item nummus, seu tertia pars denarii. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (47). Aureus nummus percussus est post annos sexaginta duos quam argenteus, ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis. Ita *Plin.* Ejus notæ fuere caput Martis galea opertum in una facie, in altera vero aquila cum inscripto nomine Urbis, ut constat ex perraro exemplari, quod in Bibliotheca regia Parisiensi hodiedum asservatur. V. *A. Rich. op. cit.* Cf. etiam, quæ init. dicta sunt. ¶ 3. *Scripulum* præterea est minima pars jugeri, h. e. decem pedes in longitudinem et latitudinem quadratum, ita ut triginta sex scripula efficiant clima et quattuor climata actum. *V.* CLIMA et ACTUS. *Varro* 1. *R. R.* 10. Jugeri pars minima dicitur scripulum, id est decem pedes in longitudinem et latitudinem quadratum. *et mox.* Jugerum habet scripula CCLXXXVIII.: quantum as antiquus noster ante bellum Punicum pendebat. Alii leg. *scrupula.* Adde *Colum.* 5. *R. R.* 1. *a med.*, ubi quoque alii leg. *scrupula.* ¶ 4. Et minima pars cujusque mensuræ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (48). Non semper, in scripulis partium congruente siderum motu. *h. e.* partibus minimis graduum; *minuti* nos vocamus, aut *secondi.* et *Frontin. Aquæd.* 26. Capit quinariam, et plus quam quinariæ octavam, hoc est sescunciam quinariæ, et scripula tria, et bessem scri-

puli. ¶ 5. Item vicesima quarta pars horæ. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 2. *ad Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 9. Cælum Neapolitanum plane commodum, sed vehementer varium. In singulis scripulis horarum frigidius, aut tepidius, aut horridius. *V.* SCRUPULUS. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4718.

SCRŎBĀTĬO, ōnis, *f.* 3. (scrobis) actus fodiendi foveas ad arbores depangendas. *Kalend.* rusticum *Farnesian.* apud *Gruter.* 138. *mens. Novemb.* Scrobatio arborum. Hujus *Kalendarii* αὐθεντίαν infirmare conatus est *Pontedera* in *Antiqu. Lat. et Græc. p.* 393. et seqq.; verum *Morcellus de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 76. et seqq., *ed. Patav.* ejusdem difficultatibus ita occurrit, ut illud genuinum opus esse probet. Cf. *Orell. Inscript. v.* 2. *p.* 381.

SCRŎBĬCŬLUS, i, m. 2 (scrobis) *deminut. a* scrobis, parvus scrobis, *fossetta* βόθριον. *Colum.* 4. *R. R.* 15. Et scrobiculo facto ad imum solum præciditur. *Id.* 5. *ibid.* 6. *ante med.* Non maximos scrobiculos, sesquipede inter se distantes, fodere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 13. (26). Lilia in scrobiculis seruntur Adde *Varron.* apud *Non. p.* 225. 9. *Merc.*

SCRŎBIS et scrobs. is, m. et f. 3. *Scrobs* agnoscitur a *Priscian.* 5. *p.* 657. et 7. *p.* 751. *Putsch.* Verum *Schneiderus* in locis *Colum.* ubique *scrobis* restituit; quibus loc. editi libri *scrobs* exhibebant. — Ablat. sing. *scrobe;* et Genet. plur. *scrobium* esse monet *Incert. fragm. Gramm. p.* 135. *Endl.* — Scrobis est cavum in terra factum, fossa, fovea, *formella, buca, fossa,* ὄρυγμα, σκάμμα: fortasse a Gr. γράφω et Lat. scribo. (*Cf. Germ. Grube,* fossa.)

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 5. *R. R.* 5. Scrobs, aut sulcus faciendus est. *et mox.* Ne protinus totus scrobs terra compleatur. *et ibid.* 6. *circa med.* Scrobis fieri debet latus pedum duorum. *et mox.* Scrobem auctumno facito. *et ibid.* 10. Scrobis elibano similis fiat. *Virg.* 2. *G.* 50. Scrobes subigere. *Id. ibid.* 255. repleré. *Id.* 288. Scrobibus quæ sint fastigia, quæras. *quanto fonde si richiedano le fosse.* et *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 7. *p.* 751. *Putsch.* et *Non. p.* 225. 6. *Merc.* Ibi scrobes fodito sexagenos in dies. *Id. ibid.* Ego ecfodiebam in diem denos scrobes. *Varro ibid.* In scrobe fodiendo inveniunt arcam. *Cic. fragm.* apud *Serv.* ad 2. *G.* 288. *Plin.* 17. *ibid.* 13. 21. (97). Ramum ab arbore in scrobem deprimere. *Id.* 24. *ibid.* 1. 1. (1). Quercum in scrobe depangere. *et* 10. *ibid.* 44. 61. (126). Scrobes excavare. *Colum.* 4. *R. R.* 4. Facta in pastinato scrobe, vitis prosternatur. *Id.* 12. *ibid.* 44. *circa med.* Factæ scrobi operculum imponitur. *Ovid.* 7. *Met.* 243. egesta scrobibus tellure duabus. *Lucan.* 8. 755. laceræ fragmenta carinæ Exigua trepidus posuit scrobe. *Gracch.* apud *Serv. loc. cit.* Abunde fossa scrobis est. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 57. (131). Plantani in sua scrobe reponuntur. ¶ 2. Speciatim dicitur de fossa, in qua humatur cadaver. *Martial.* 10. 97. Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato. *Sueton. Ner.* 49. Scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Quot patibula captivis, quæ scrobes. ubi ex more R. fortasse dicitur, quo qui supplicio afficiendi erant, in scrobem demittebantur; rectius tamen intelligas de foveis, in quas cadavera congerebantur. (*Cf. Polyb.* 1. 80. *de Carthaginiensibus.* Συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας, ἔρριψαν εἴς τινα τάφρον.) Adde *eumd.* 15. *ibid.* 67. *sub fin.* ¶ 3. Item de pudendo muliebri. *Arnob.* 4. *p.* 131. Pertunda, quæ in cubiculis præsto est virginalem scrobem effodientibus maritis.

II.) Translate. *Pers.* 1. 119. Meñ mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? Nusquam. Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle: Auriculas asini quis non habet? *h. e.* occulte. *nè di nascosto, nè rimbucato. V.* MIDAS in ONOM.

Homonym. Quomodo *scrobis* differat a *pastino* et *sulco,* V. in hac voce.

SCRŒPEUS, a, um. *V.* SCRUPEUS.

SCRŌFA, æ, f. 1. (γρομφὰς) Sunt qui scribunt *scropha.* — Scrofa, a voce Græca allata ¶ 1. Est porca vetula, quæ fetus causa alitur, *scrofa. Varro* 2. *R. R.* 4. Scrofa in sua quæque hara suos alat, oportet, porcos. *Colum.* 7. *R. R.* 9. Scrofæ probantur longissimi status, et ut sint reliquis membris similes descriptis, verribus. *Juvenal.* 6. 176. Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba. *Laber.* apud *Non. p.* 114. 30. *Merc.* Grundientem (*al.* grunnientem) adspexi scrofam. *Inscript.* apud *Gruter.* 105. 12. C. CORNELIVS CAESO SACERDOS GENIO MVNICIPII SCROFAM CVM PORCIS TRIGINTA D. D. ¶ 2. Scrofa videtur esse morbus apud *Æmil. Macr. c.* 6. *de Plantagine p.* 227. ¶ 3. *Scrofæ,* in plur. num., idem ac scrofulæ apud *Plin. Valer.* 4. 8. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCRŌFĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SCRŌFĪNUS *vel* scrophinus, a, um, adject. (scrofa) ut Scrofinum stercus, *Marcell. Empir.* 4. et *Gargil. de cura boum.,* ubi alii minus recte leg. *scrufinum.* Scrofina perna, *Marcell. Empir.* 13. Adde *eumd.* 18. — Hinc

Scrofina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est caro scrofina. *Gloss. Labb.* Scrofina, σκροφέα. ¶ 2. Item matrix, vulva scrofina. In plur. num. *Plin. Valer.* 5. 35. Scrofinæ steriles. (ed. *Ald.* scrophinæ.)

SCRŌFĪPASCUS, i, m. 2. (scrofa *et* pasco) qui scrofas pascit, *porcajo,* χοιροβοσκός. *Plaut. Capt.* 4. 2. 27. Tum pistores scrofipasci, furfure qui alunt sues.

SCRŌFŬLÆ, ārum, f. plur. 1. (scrofa) *scrofole,* χοιράδες, strumæ, aut similis morbus circa guttur. *Veget.* 2. *Veterin.* 25. Plerumque strumæ, vel parotides, aut scrofulæ jumentorum guttur infestant.

SCRŌPHA. *V.* SCROFA.

SCRŌPHĪNUS. *V.* SCROFINUS.

SCRŌTUM, i, n. 2. *coglia, borsa,* ὄσχεος, sacculus e pelle, quo testiculi continentur: per metathesin a *scortum,* qua pellem significat. *Cels.* 7. 19. Inciditur interdum inguen, interdum scrotum. Adde *ibid.* 20.

SCRŬPĔA, æ, f. 1. *V.* SCRUPEUS.

SCRŬPĔDA *vel rectius* scrupipeda, æ, m. *et* f. 1. *sciancato, chi cammina malamente,* qui ægre incedit, velut qui pedibus scrupos calcans difficile ingreditur et distorto corpore. *Varro* 7. *L. L.* 65. *Müll.* Scratiæ, scrupipedæ (*Forcellinus* scrupedæ), strittabillæ, tantulæ. Scrupipedas Aurelius scribit ab scauripeda: Juventius comicus dicebat a vermiculo piloso, qui solet esse in fronde cum multis pedibus: Valerius a pede ac scrupea. Ex eo Acci positum in curiosa: Itaque est in Melanippa: reicis abs te religionem, ut scrupeam imponas tibi. ubi *Scalig* cum *Forcellino* leg. *scrupeæ,* hic autem subdit: *scrupea* est δεισιδαίμων, h. e. curiosa in religionibus, superstitiosa. Adde *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 3. 3. *V.* SCRANTIÆ.

SCRŬPĔUS, a, um, adject. (scrupus) scrupis plenus, lapidosus, scruposus, asper, difficilis attrectatu, *sassoso, aspro, gropposo,* λιθώδης.

I.) Proprie. *Pacuvius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 6. *Müll.* Templum tribus modis dicitur: in cælo templum dicitur, ut in Hecuba: O magna templa cælitum *etc.*: in terra, ut in Peribœa: Scrupea saxa Bacchi Templa prope adgreditur: sub terra, ut in Andromacha: Acherusia templa *etc.* Item *Ennius* apud *Fest.* in *Scrupi.* Scrupeo investita saxo atque ostreis squamæ scaprent. (*Müll.* scræpeo) *h. e.* terga cavis super obsita conchis, ut ait *Ovid.* 4. *Met.* 724. de eadem re, *h. e.* de marino monstro loquens. *et* 1. *ibid.* 332. Triton humeros innato murice tectus. *Virg.* 6. *Æn.* 237. Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro *etc. Seneca Agam.* 558. Est humilis unda, scrupeis mendax vadis, Ubi saxa rapidis clusa vorticibus tegit Fallax Caphareus. Adde *Stat.* 9. *Theb.* 411.

II.) Translate. *Auson. præf. Edyll.* 12. Scrupea difficultas. *h. e.* ardua, molesta, difficilis. *Tertull. Pall.* 4. *de Achille.* Ille apud rupicem et silvicolam et monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus. *h. e.* apud Chironem centaurum. — Hinc

Scrupea, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, idem ac scrupulus, qua est sollicitudo, diligens inquisitio, religio. *Accius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 65. *Müll.* Reicis abs te religionem, ut scrupeam imponas tibi. Ita leg. et *Ribbeck.* At *Forcellinus* leg. *scrupeæ* et interpretatur: superstitione laboranti, *scrupolosa.* V. SCRUPEDA.

SCRŬPĬPĔDA. *V.* SCRUPEDA.

SCRŬPŌSUS, a, um, adject. (scrupus) idem quod scrupeus.

I.) Proprie. *Accius* apud *Non. p.* 223. 2. *Merc.* Scruposa specus. *Plaut. Capt.* 1. 2. 82. Scruposam viam commeare. *Lucan.* 5. 675. Scruposis angusta vacant ubi litora saxis *gropposi. Grat. Cyneg.* 514. lustratur equis scruposa Pyrene. *i sassosi Pirenei.* et *Sil. It.* 7. 274. Scruposi colles. *Apul. Florid. n* 11 Scruposum agrum, meras rupinas et senticeta colere *Capell.* 9. *p.* 301. Scruposis lassata salebris

II.) Translate. *Lucret.* 4 524. haudquaquam ratio scruposa relicta est. *Terentian. de metr. p.* 2385. *Putsch* Scruposis sequimur vadis.

SCRŬPŬLĀRIS *V.* SCRIPULARIS.

SCRŬPŬLĀTIM. *V.* SCRIPULATIM.

SCRŬPŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui scrupulose sollicitat. *Gloss. nom.* ed. *Loewe p.* 169.

SCRŬPŬLŌSĒ, adverb. (scrupulosus) Comp. *Scrupulosius*; Sup. *Scrupulosissime.* — Scrupulose est nimis curiose, diligenter, *scrupolosamente, con troppa diligenza,* ὑπερακριβῶς. *Colum.* 9. *R. R.* 8 Quæ dono vel aucupio contingunt, minus scrupulose probantur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 46. 45. (118). Scrupulosius, quam instituto fortassis conveniat operi, tractabo ventos. *Quintil.* 5. 14. *a med.* Minutius et scrupulosius scrutantur omnia. *Apul.* 9. *Met.* Scrupulosius contemplantes singula. *Id.* 1. *ibid.* Scrupulosissime explorans. *Colum.* 1. *præf.* Corporis gesticulatorem scrupulosissime requirunt saltationis ac musicæ rationis studiosi. Adde *Augustin. de anim.* 4.

SCRŬPŬLŌSĬTAS, ātis, f. 3. (scrupulosus) ¶ 1. Est nimia diligentia, anxia cura, *troppa esattezza,* ὑπερακρίβεια. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *in fin.* In hac autem ruris disciplina non desideratur ejusmodi scrupulositas. Adde *Mar. Victorin. art. gramm. p* 39 32. *Keil.* ¶ 2. Item anxietas, sollicitudo, *scrupolo, riguardo. Tertull. Virg. veland.* 11. *a med.* De ceteris, quæ desponsatæ non sunt, viderit parentum procrastinatio de angustiis et scrupulositate descendens. Adde *Hieronym. in Ep. ad Galat. prol.* ed. *Vallars. t.* 7. *p.* 370.

SCRŬPŬLŌSUS, a, um, adject. (scrupulus) Comp. *Scrupulosior* et Sup. *Scrupulosissimus* II. 1. — Scrupulosus est idem ac scruposus, scrupeus, asper, *gropposo, aspro, scabro, ruvido.*

I) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 14. *sub fin.* Ex quibus quoniam, tamquam e scrupulosis cotibus, enavigavit oratio. *Alii leg.* scruposis. *Pacuv.* apud *Priscian.* 6. *p.* 713. Advenio in scrupulosam specum. *Alii* scruposam. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (94). *de castaneis.* Ceteræ suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis, intra nucleos quoque, ruminatione. *Tertull. Cult. femin.* 10. Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit. *h. e.* auctor fuit forandarum aurium, unde lapilli penderent.

II.) Translate. ¶ 1 Est diligens, minuta quæque persequens, sollicitus, anxius, quasique scrupula ipsa ponderum et mensurarum examinans, *esatto, diligente, scrupoloso*: a *scrupulum,* minima ponderis pars *Frontin. Aquæd.* 64. Scrupulosa inquisitione invenire aliquid. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 33. 76. (326). Ventorum ratio erit paullo scrupulosior. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 8. Scrupulosa cura parvula quæque momenta religionis examinare. *Apul. de Deo Socrat.* Scrupulosissimus deorum cultus. *superstizioso.* et *Tertull. Spectac.* 3. Quorumdam fides aut simplicior, aut scrupulosior. *Apul.* 9. *Met.* Scrupulosus lector. *Fronto B. Parth.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 203. Cæsar duos de analogia libros scrupulosissimos scripsit. ¶ 2. Item molestus, difficilis, *nojoso, rincrescevole. Paul. Diac. p.* 332. 4. *Müll.* Scrupulosam rem dicimus, quæ aliquid in se habet asperi. *Quintil.* 9. 1. 7. Scio, quam multiplicem

habeant, quamque scrupulosam disputationem. *Gell. præf. circa med.* Quæ erunt in his commentariis pauca quædam scrupulosa et anxia, vel ex grammatica, vel ex dialectica etc. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *ante med.* Miraris, quod tot volumina multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit. *Auson. Grat. act.* 24. Scrupulosus hic mihi locus est, et propter eam, quam numquam appetivi, gloriam recusandus. *Id. Ant. nupt.* Quam scrupulosum mihi fuerit, intellige. *Vel. Long. De Orthogr. p.* 2228. *Putsch.* Scrupulosior quæstio.

SCRŪPŬLUM, i, n. 2. (scrupus) *scrópolo*, minima ponderis pars. *V.* SCRIPULUM.

SCRŪPŬLUS *et syncop.* scruplus, i, m. 2. (scrupus) *deminut. a* scrupus, parvus scrupus, calculus, lapillus minutus, qualis est, qui in calceo latens et pressus pedem lædit, ψηφίς (It. *sassolino, pietruzza*; Fr. *petite pièrre, caillou*; Hisp. *guijarro*; Germ. *spitzes Steinchen*; Angl. *a pebble, small stone*).

I.) Proprie. *Solin.* 7. Inter calculos, quibus ripæ Acheloi micant, invenitur galactites, qui scrupulus, ipse ater, si teratur, reddit sucum album ad lactis saporem.

II.) Translate. ¶ 1. Est minimum pondus. *V.* SCRIPULUM. ¶ 2. Item vigesima quarta horæ pars; quod temporis spatium Latini veteres momentum (*V.* MOMENTUM), recentiores vero scrupulum vocabant. Aliquando etiam in XLVIII. partes, quæ sicilici dicebantur, horam dividebant *V.* SICILICUS et cf. *Fabrett. loc. cit.*, ubi de omnib. diei partibus accuratissime disputat. Hujusmodi porro minutissima temporis indicatio in sepulcralibus monumentis fuit Romanis usitata, quia eisdem maxima erat circa horoscopum superstitio. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 97. *n.* 219. BENEMERENTI IN PACE SILVANAE QVAE HIC DORMIT VIXIT ANN. XXI. MENS. III. HOR. IV. SCRVPVLOS VI. Alia apud *Murat.* 915. 3. QVAE VIX. AN. XVII. M. IIII. D. IX. HOR. XV. SCRVPVL. XXX. (Hic fortasse scribendum XX., nam hora apud Romanos constabat scrup. XXIV.) *V.* aliam apud *Donat.* 351. 1. Ceterum *V.* SCRIPULUM. ¶ 3. Metaphorice est sollicitudo, cura, diligentia, seu nimis accurata inquisitio. *Apul. Apolog.* Quibus comitibus, quibus scrupulis, quibus custodibus perniciem prohibeat? *con quali cautele e diligenze.* et *Gell.* 5. 15. *in fin.* Hos argutæ desidiæ aculeos quum audiremus, neque in his scrupulis aut emolumentum ad rationem vitæ pertinens, aut finem ullum quærendi videremus etc. *in queste sottili e minuziose ricerche*, aut *in queste cose difficili*, ut *Forcellinus* interpretatur. ¶ 4. Item quidquid dubitationem affert, sollicitudinem, difficultatem, molestiam, *scrupolo, dubbio. Ter. Andr.* 5. 4. 37. Mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. PAM. dignus es cum tua religione odio. nodum in scirpo quæris. *Cic. Harusp. resp.* 5. *extr.* Primum expiabo religionem ædium mearum, si id facere vere ac sine cujusquam dubitatione potero: sin scrupulus tenuissimus residere aliquis videbitur, religioni parebo. *Id.* 1. *Att.* 18. Domesticarum sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo. *et* 2. *ibid.* 4. Mihi placet, ea, quæ male empta sunt, reddi, si voluntate Pomponiæ fieri poterit: si ne id quidem, nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus. *Id. Rosc. Am.* 2. *sub fin.* Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat. *Plin.* 3. *Ep.* 17. Exime hunc mihi scrupulum, cui par esse non possum. *Cic. Cluent.* 28. 76. Hic tum injectus est hominibus scrupulus, et quædam dubitatio, quidnam esset actum. Adde *Sueton. Claud.* 37. *Ter. Adelph.* 2. 2. 19. Timet: injeci scrupulum homini. *gli ho messo una pulce nell' orecchio.* et *Apul.* 1. *Met.* Mihi non parvam incussisti sollicitudinem, immo vero formidinem, injecto non scrupulo, sed lancea, ne sermones nostros anus illa cognoscat. *Colum.* 5. *R. R.* 11. Omnis surculus, si similem fructum affert, sine scrupulo egregie inseritur. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 25. 31. ¶ 5. Item formido, metus. Cum genetivo *Apul. Apolog.* Reus scrupulo quæstionis liberatur. *dal timore del tormento.*

SCRŪPUS, i, m. 2. *Döderlein* hanc voc. conjungit cum *rupes*, et derivat a *rumpo*, ut *saxum* a *seco*. (Cf. Germ. *schroff*, asper.); alii vero ducunt a Gr. σκιῤῥός, durus, per metathesin: cf. SCIRRHUS. — Scrupus est, ut exponit *Isid.* 10. *Orig.* 252., arena durior; sive, ut *Paul. Diac. p.* 332. 4. *Müll.*, saxum asperum et difficile attrectatu, *pietra, sasso aspro e ruvido*, λίθαξ.

I.) Proprie. *Festus:* Scrupi dicuntur aspera saxa et difficilia: petræ etiam attrectari insuetæ aut naufragiorum pollutæ scelere. *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 238. Scrupus proprie est lapillus brevis. *Petron. Sat.* 79. Quum hora pæne tota per omnes scrupos gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes. *Avien. descript. orb.* 503. Cautibus horrescit: scrupus sola creber iniqua Asperat.

II.) Translate idem est ac scrupulus, quam vocem vide. *Cic.* 3. *de republ.* 16. 26. Contra autem improbis semper aliqui scrupus in animis hæreat, semper iis ante oculos judicia et supplicia versentur. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCRŪTA, ōrum, n. plur. 2. γρύτη, ἡ, γρυτάρια, τά, (a γρύ, hilum) res veteres omne genus, ut attritæ usu vestes, dimidiatæ strigiles, jumentorum tritæ soleæ, vasa quassa et futilia, et hujusmodi quæ vilissimi proxenetæ venalia habent: a voce Græca allata, *s* præfixo (It. *stracci, ciabatte, ciarpe, vecchiume, ciarpame, sferre vecchie*; Fr. *vieilles hardes, — nippes, vieilleries, défroque*; Hisp. *cosas viejas y usadas, andrajos, ropa vieja*; Germ. *d. Trödelwaare*; Angl. *old clothes or rags, frippery, lumber, broken stuff, tatters*). *Lucil.* apud *Gell.* 3. 14. Quid ni? et scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat, Præfractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 65. Vilia vendentem tunicato scruta popello. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Scruta scita expedire.

SCRŪTĀBĬLIS, e, adject. (scrutor) is, quem scrutari quis potest. *Prosper. resp. ad Capit. Gall.* 8. Profitetur sibi scrutabilia judicia Dei.

SCRŪTĀBUNDUS, a, um, adject. (scrutor) qui scrutatur, scrutationi intentus. *Chalcid. Tim.* 7. Nocturnis vigiliis scrutabundus (ἐπισκοπῶν) omnia recuperavi.

SCRŪTANS, antis, particip. *V.* SCRUTOR.

SCRŪTANTER adverb. (scrutor) diligenter, cum scrutatione. *Ambros. Ep.* 40. Scrutanter discutere.

SCRŪTĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SCRŪTĀRĬUS, a, um, adject. (scrutor) ad scruta pertinens. *Inscript.* apud *Orell. Collect. Inscript. Lat. n.* 2954. ABASCANTVS ANTONII RVFI S. SCRVT. *h. e.* servus scrutarius — Hinc

Scrutarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui scruta vendit, γρυτοπώλης (It. *ferravecchio, cenciajuolo, rigattiere, rivendugliolo*; Fr. *frippier, revendeur*; Hisp. *ropavejero, revendedor*; Germ. *d. Trödler*; Angl. *a broker, ragman, regrater*). *Lucil.* apud *Gell.* 3. 14. scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat.

Scrutaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, ars scruta vendendi. *Apul.* 4. *Met.* Vos inter furta parva atque servilia, per aniles cellulas reptantes scrutariam facitis.

SCRŪTĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SCRŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (scrutor) actus scrutandi, inquisitio diligens, *ricerca*, ἐξέτασις.

I.) Proprie. *Seneca Vit. beat.* 23. Si tutus et securus scrutationem populo præbuerit. *h. e.* permiserit domum suam scrutandam.

II.) Translate. *Gell.* 9. 10. *sub fin.* Egregiam istius verecundiæ laudem insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit. — In plur. num. *Hieronym.* in *Euseb. chron.* 1. *proœm.* 2. et *Augustin. in Ps.* 68. 15.

SCRŪTĀTOR, ōris, m. 3. (scrutor)

I.) Proprie. ¶ 1. Est qui scrutatur, investigator, inquisitor, *ricercatore*, ἐξεταστής. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 84. Fluctivagos nautas scrutatoresque profundi. *pescatori.* et *ibid.* 3. 92. Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi. *pescatore di perle.* et *Lucan.* 4. 298. Asturii scrutator pallidus auri. *scavatore.* Sic *Sil. It.* 1. 231. Astur avarus Visceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro. ¶ 2. Item qui manibus pertrectat, *brancicatore. Sueton. Claud.* 35. Salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos. *h. e.* qui pertrectarent scrutarenturque, numquorum sub vestibus laterent arma. *Justin.* 38. 1. 9. Scrutatori curiosius imum ventrem pertractanti, ait, caveret, ne aliud telum etc. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 109. Scrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur. *V.* SCRUTOR et PRÆTENTATUS.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. ductâ. *Lucan.* 5. 122. Scrutator fati. *Lactant. de mort. persecut.* 10. rerum futurarum. Adde *Maximian.* 3. *Eleg.* 47. *Vulgat. interpr. Prov.* 25. 27. majestatis. *Id. Is.* 40. 5. secretorum. ¶ 2. Metaphorâ a super. paragr. 2. ductâ. *Ammian.* 23. 8. 10. Hecatæus et Ptolomæus aliique hujusmodi cognitionum minutissimi scrutatores. At *Gardth.* leg. *scitatores.* Cf. *eumd. ibid.* 20. 3. *Alcim. ad Soror.* 712. solusque (*Deus*) animi scrutator operti. *scrutatore o conoscitore della coscienza.*

SCRŪTĀTRIX, trīcis, f. 3. (scrutor) quæ scrutatur. *Alcim.* 2. 326. scrutatrix Eva malorum.

SCRŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* SCRUTOR.

SCRŪTILLUS, i, m. 2. venter suillus condito farre expletus. *Paul. Diac.* ex *Fest.* post *Sors*, ex *Plauto.* et *Isid. Gloss.* Olim corrupte legeb. *sortutillus.* V. *Pompej. gramm. p.* 155.

SCRŪTĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (scrutino) actus scrutinandi. *Gloss. Gr. Lat.* Ἔρευνα; scrutinatio, indagatio.

SCRŪTĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* SCRUTINO.

SCRŪTĪNĬUM, ii, n. 2. (scrutor) *inquisizione, ricerca*, ἐξερεύνησις, investigatio, inquisitio. *Apul.* 9. *Met. sub fin.* Postremum magistratibus placuit obstinate denegantem scrutinio detegere. *Gloss. Gr. Lat.* Ζήτησις; scrutinium, quæstio. Adde *Vulgat. interpr. Ps.* 63. 7. — In plur. num. *Ammian.* 29. 2. 3. Inter scrutinia supellectilis.

SCRŪTĪNO, as, (āvi) ātum, are, a. 1. (scruta) Part. *Scrutinatus.* — Scrutino idem est ac scrutor. *Interpr. Ital. fragm. Joel.* 1. 1. 7. Scrutans scrutinavit, et projecit, et exaltavit vites suas. *Fragm. IV. serm. Arrian.* apud *A. Maium* in *Script. vet. N. Coll. t.* 3. *p.* 218. Neque quæcumque sibi libet narrare, sed veritatem scrutinatam atque probatam in corde per labia emittere ad salutem et sibi et audientibus.

SCRŪTO, as, āvi, ātum, are, a. *et*

SCRŪTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (scruta) *Scruto*, forma activa, apud antiquos, teste *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* et *Non. p.* 649. 1. *Merc. Ammian.* 15. 5. 30. Scrutabamus. *Interpr. Ital.* (fragm. *Weingart.*) *Joel* 1. 71. *Ranke.* Scrutavit. Adde *Minuc. Felic.* 5. 5. *Gloss. Philox.* Γρυτεύω, scruto. — Part. *Scrutans* I. 1. 1.° c., d. et 2. et II. 2. et in fin.; *Scrutatus* I. 1. 1.° c. et 2.° et II. 1.; *Scrutandus* I. 1. 1.° a. — Scrutor est diligenter rimor, perscrutor, et derivatur a *scrutis*, quasi sit ita in loco aliquo prætentare et versare omnia, ut etiam scruta misceantur; unde ead. *Gloss. Philox.* Γρυτεύει, scrutatur: ἐξετάζω, ἐρευνάω (It. *frugare, frugolare, ricercare rovistando, far la cerca*; Fr. *fouiller, rechercher, visiter, explorer*; Hisp. *escudriñar alguna cosa, examinar, rebuscar*; Germ. *sorg fältig —, genau durchforschen, — durchsuchen, visitiren, untersuchen, durchstöbern*; Angl. *to feel, grope, search diligently, explore*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est diligenter rimor, versando perscrutor. — 1.°) Active. — *a*) Cum Accusat. rei, quæ scrutationi subjicitur. *Petron. Sat.* 33. Scrutari paleam cœperant, erutaque subinde ova divisere convivis. et *ibid.* 78. Arundine omnia foramina parietum scrutatur. *Lucret.* 6. 809. Scrutari terrai abdita ferro. *Cic. Vatin.* 5. 12. Quum omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere. *Sall. Jug.* 12. Scrutari loca abdita, clausa effringere. *Cic.*

Pis. 26. 62. L. Crassus spiculis prope scrutatus est Alpes, ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. *Stat.* 1. *Theb.* 426. scrutatur et intima vultus Unca manus. *Seneca Œdip.* 965. Scrutatur avidus manibus uncis lumina. *Id. Med.* 1013. et *Lucan.* 8. 557. Gladio scrutari viscera. *Tac.* 3. *Hist.* 27. Disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum etc. *Id. Germ.* 45. Scrutari mare. *pescare.* et 1. *Ann.* 61. occulta saltuum. *riconoscere, scoprire, spiare.* Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (9). Scrutandi orbis gratia, classe circumvectus. *Seneca Thyest.* 498. canis presso vias Scrutatur ore. *fiuta, bracchеggia.* et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (147). canis scrutatur feræ vestigia, atque persequitur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 276. Scrutari ignem gladio. *V.* GLADIUS. — *b*) Cum Accusat. personæ est manibus pertrectare, num arma tecta aut aliud quippiam sub veste habeat, *cercare addosso, brancicare, visitare.* *Cic. Rosc. Am.* 34. *a med.* Non excutio te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor. *Sueton. Vesp.* 12. *extr.* Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat. Adde *Plaut. Aulul.* 4. 4. 24. et *Nepos Datam.* 11. et *V.* SCRUTATOR. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 31. Qui locis omnibus dispositi scrutantur tabellarios, et retinent. *Tac.* 3. *Hist.* 25. Scrutari semianimem. *scil.* expoliandi causa. — *c*) Cum partic. relativa. *Curt.* 8. 3. 12. Suspectus scrutantibus, quid occuleret, ostendit etc. *Ammian.* 21. 3. 5. Capto notario scrutatoque, si quid portaret. — *d*) Absolute. *Petron. Sat.* 97. Ut extentus infra grabatum scrutantium eluderet manus — 2.°) Passive. *Aurel. Vict. O rig. gen. R.* 6. Scrutatis omnibus ejuscemodi latebris. *Ammian.* 15. 8. *a med.* Velut scrutatis veteribus libris. *Id.* 21. 3. 5. Scrutato notario. ¶ 2. Latiore sensu est quæro, inquiro, investigo, *cercare, indagare, investigare.* *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 19. (37). Scrutantes inter saxa venas melini. *Sil. It.* 7. 273. Scrutari prœlia. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 172. ventus Offenso per saxa furit rimosa meatu, Dum scrutatur iter. *h. e.* quærit exitum. Rursum *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 60. (112). Non est satis mirari curam diligentiamque priscorum, qui omnia scrutati, nihil intentatum reliquerunt. *Tac. Agric.* 31. Mare scrutantur. *h. e.* mari ad ignotas terras accedunt. Cf. *eumd. Germ.* 34. *Vulgat. interpr. Is.* 22. 5. Scrutans (*Deus*) murum. *h. e.* eligens et velut ostendens imbecilliorem murorum partem.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. sumptâ. — *a*) Absolute. *Fronto de differ. verb. p.* 2199. *Putsch.* Scrutatur in te file, qui intercipit aliqua secreta. — *b*) Cum Accusat. *Cic.* 1. *Q. fr.* 1. 3. *ad fin.* Scrutari omnes sordes, excutere unumquemque. *Tac.* 4. *Hist.* 55. animum alicujus. *et* 16. *Ann.* 5. nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coeuntium. *Seneca* 3. *Ira* 36. Totum diem mecum scrutor facta ac dicta mea remetior. *esamino.* et *Juvenal.* 2. 44. respice primum, Et scrutare viros. *esamina.* et *Stat.* 1. *Theb.* 614. imas animæ mucrone corusco Scrutatus latebras. — *Scrutari ignem gladio*, proverb., de quo *V.* in GLADIUS. ¶ 2. Metaphorâ a super. paragr. 2. ductâ. *Cic. Partit.* 3. 8. Argumenta scrutari et quærere ex omnibus locis. *Plin.* 4. *Ep.* 30. *extr.* Scrutare causas, quæ tantum miraculum efficiunt. *Tac.* 12. *Ann.* 52. Scrutari finem principis per Chaldæos. *et* 16. *ibid.* 14. *a med.* fata alicujus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 37. Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam Commissumque teges. *Ovid.* 15. *Met.* 136. fibras Inspiciunt, mentesque deum scrutantur in illis. *Manil.* 1. 11. Jam propiusque fave: mundus scrutantibus ipsum. *Vulg. interpr.* 1. *Mach.* 3. 48. Expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum. *h. e.* trahebant ea, quæ in divinis scripturis legebant, ad suas numinum religiones. — Cum Ablat. et pr. *de. Id.* 1. *Petr.* 1. 10. — Passive *Ammian.* 28. 1. 10. Facinore scrutari. Cf. 14. 11. 34. *et* 15. 8. 16. — Hinc Part. præsens, cujus exempla retulimus, *Scrutans, antis*, occurrit etiam adjectivorum more; unde Sup. *Scrutantissimus.* *Ammian.* 30. 9. 4. Militaris rei ordinum scrutantissimi.

SCRŪTŬLUS, i, m. 2. *deminut.* fortasse a *scruta*, h. e. ventriculus fartus, ut explicat *Isid.* in *Gloss.* V. SCRUTILLUS.

SCŪBĬÆ, ārum, f. plur. 1. spolia. *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Mach.* 5. 68. Et abstulit scubias civitatis. Fortasse *excubias*: cf. SCUTIO. Sed *V.* voc. seq.

SCŪBŬLI, ōrum, m. plur. 2. populi quidam hactenus ignoti, vel potius militum quoddam genus fuisse videntur, fortasse excubitorum seu excubiarum. Cf. voc. præc., unde *expoliatoris* significatio *scobulis* inesse videretur. Eorum mentio habetur in *Inscript.* opt. notæ, apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 173., quæ nunc prope Patavium exstat in *Mus. Obiciano.* PRAEF. EQVITVM ALAE I SCVBVLORVM. Alia apud *Donat.* 10. 2. PRAEF. ALAE SCVBVLORVM. Alia apud *Murat.* 804. 5. EQVES ALAE SCVBVL. *Tab.* VI. apud *Cardinali Dipl. imp. lin.* 7. ALA SCVBVLORVM. Cf. *eumd. ibid. p.* 91. *oss.* LVI. et V. *Borghesi lett.* 6. *a.* 1830., *Cavedoni, Notizia di un dipl. mil. dell' Imp. Vespasiano scoperto in Ungheria p.* 19. et *Henzen. Inscr. n.* 5418.

SCULCĀTOR, ōris, m. 3. Alia forma est *sculclator*, σκουλκάτωρ, explorator; alia *scultator* pro *auscultator*, ut placet *Furlanetto.* — Sculcator est miles ex genere exploratorum levis armaturæ, qui in prœliis hostium vestigiis insisterent, quasi *exculcator* dictus ab exculcandis sive emittendis jaculis. *Veget.* 2. *Milit.* 15. et 17. *V.* SCULTATOR.

SCULCĀTŌRĬUS, a, um. *V.* SCULTATORIUS.

SCŪDĬCĬA, æ, f. 1. bipalium, vanga, fossorium. *Isid.* 20. *Orig.* 14. 7. Scudicia dicta ab eo quod circa codicem terram aperiat, et quamvis ejus usus in reliquis operibus habeatur, nomen tamen ex caudice retinet.

SCULNA, æ, m. et f. 1. syncop. pro *seculna*, a *sequor*, idem ac sequester, *depositario, mezzano*, συνθηκοφύλαξ. *Gell.* 20. 11. P. Lavinii liber est non incuriose factus. is inscriptus est, De verbis sordidis. In eo scripsit, sculnam vulgo dici quasi seculnam: quem qui elegantius, inquit, loquuntur, sequestrem appellant. Utrumque vocabulum a sequendo factum est, quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Sculnam autem scriptum esse in Logistorico M. Varronis qui inscribitur Catus, idem P. Lavinius in eodem libro admonet. Hæc *Gellius.* *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. *ad fin.* Sponsione contendit Antonius, dignus sculna Munatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est.

SCULPĀTOR, ōris, m. 3. (sculpo, as) idem ac sculptor. *Gloss. Cyrill.* Γλύπτης, sculpator.

SCULPENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SCULPĪCĬA *vel* sculpitia, æ, f. 1. genus avis. *Gloss. Cyrill.* Κορυδαλός; sculpicia, bardalia.

SCULPO, as, are. *V.* voc. seq.

SCULPO, sculpis, sculpsi, sculptum, sculpere, a. 3. (γλύφω, γλάφω) *Diomed.* 1. *p.* 574. *Putsch.* non agnoscit: et composita *insculpo*, *exculpo* ducit a *scalpo*, ut *inculco* a *calco*; sed contra est aliorum consensus, ac derivata et quidem certa *sculptus, sculptura, sculptilis, sculptor* etc. Ceterum non est infitiandum, hæc duo verba a librariis permutata fuisse. — Etiam *sculpo, as*, legitur in *Gloss. Cyrill.* Γλύφον, sculpo, unde et *sculpator.* — Part. *Sculpens* I.; *Sculptus* I. et II.; *Sculpendus* I. — Sculpo est cædendo imaginem aliquam aut figuram effingo, scalpo (It. *scolpire, effigiare*; Fr. *graver sur pierre, sur métal ou sur bois, sculpter, tailler, graver, ciseler*; Hisp. *gravar, esculpir, imprimir y señalar alguna cosa en métal, madera ó piedra*; Germ. *in Stein, Erz, Holz stechen, graben, schneiden, schnitzeln, meisseln, aushauen, bilden*; Angl. *to carve in stone, grave in metal, cut, engrave, sculpture, sculp*).

I.) Propria. *Cic.* 2. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 100. Non est e saxo sculptus aut e robore dolatus. *Alii leg.* scalptus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 23. quærere amabam, - Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset. *Ovid.* 10. *Met.* 248. niveum mira feliciter arte Sculpit ebur. *Alii leg.* sculpsit, *alii* scalpsit. *Vitruv.* 1. 2. *a med.* In coronis denticuli sculpuntur. *Id.* 4. 6. Sculpendum est cymatium Lesbium cum astragalo. *Manil.* 5. 504. Sculpentem faciet sanctis laquearia templis. *Apul. Florid. n.* 15. Quem comperio gemmis faberrime sculpendis laudem magis, quam opem quæsisse. Addunt *Plin.* 36. *Hist. nat.* 4. 4. (9), ubi tamen alii legunt *scalpo*, et *Justin.* 15. 4. 4. Annulus, in cujus gemma ancora sculpta erat. *Sueton. Aug.* 50. Imago Dioscoridis manu sculpta. *Lucan.* 3. 224. Sculptaque servabant magicas animalia linguas. *Lamprid. Elagab.* 19. Vasa argentea sculpta. *et ibid.* 22. Gemmæ sculptæ. Addunt *Plin.* 36. *Hist. nat.* 4. 4. (9)., ubi tamen alii legunt *scalpo.*

II.) Translate. *Quintil.* 12. 9. 16. Dicet scripta, quam res patietur plurima, et, ut Demosthenes ait, si continget sculpta. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Naturæ lege in animo ejus sculptum sit, quod nihil horum possit nocere sapienti.

SCULPŌNĔÆ, ārum, f. plur. 1. *zoccoli*, nostrates vulgo *sgàlmare* vocant: a *sculpo* nempe, quia sunt calceamenta rudia et rustica, ex solido ligno excavata, qualia erant κρούπεζαι Bœotiorum, ut *Pausanias* et *Eustathius* indicant, quas κρουπέζια vocat *Pollux Onom. l.* 7. *c.* 22. et *Hesychius.* Cf. tamen etiam Gr. καλόπους, ligneus pes. De hac voce cf. *Schneid.* ad *Cat. loc. cit.* 1., *Turneb. Adv.* 6. 23. et *Fulgent. de prisco serm. p.* 582. 33. *Cato R. R.* 59. Sculponeas bonas alternis annis dare (*familiæ*) oportet. *Plaut. Cas.* 2. 8. 59. Emito sepiolas, lepadas, loligunculas, soleas. CH. Qui, quæso, potius, quam sculponeas, queis tibi batuatur os, senex nequissime? *Nævius* apud *Fulgent. de prisco serm.* 21. Sculponeis batuenda sunt huic latera probe. — *Fulgent. loc. cit.* perperam ita interpretatus est hanc vocem: *Sculponeas dici volunt cæstus plumbo ligatos*: etenim jam notum est, veteres solitos fuisse soleis et sandaliis puerorum nates, et virorum caput commitigare. *V.* SANDALIUM.

SCULPŌNĔĀTUS, a, um, adject. (sculponeæ) sculponeis indutus. *Varro* apud *Non. p.* 164. 23. *Merc.* Dum in agro studiosius ruror, adspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas.

SCULPRUM, i, n. 2. (sculpo) idem quod scalprum. *Gloss. Lat.* Sculpum (*leg.* sculprum); sculpellum.

SCULPTĪLIS, e, adject. (sculpo) γλυπτός, qui sculpi potest, aut sculptus est. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 27. Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totum Numidæ sculptile dentis opus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 166. Forma in ære sculptilis. — Hinc

Sculptile, is, n. 3. absolute, substantivorum more, imago sculpta, effigies. *Hieronym. Ep.* 29. 3. Sculptile aut conflatile. Sic *Augustin.* 18. *Civ. D.* 31. Sculptilia et conflatilia. Adde *eumd. in Ps.* 96. 11. et *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 5. 68. et alibi.

SCULPTŌR, ōris, m. 3. (sculpo) γλυπτής, qui sculpit, scalptor (It. *scultore*; Fr. *sculpteur, graveur sur pierres, sur bois*; Hisp. *escultor, gravador*; Germ. *d. Steinschneider, Graveur*; Angl. *a graver, engraver, carver, sculptor*). — *a*) Absolute. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Jam fuerat in Chio insula Malas sculptor, dein filius ejus Micciades. *Plin. alter* 1. *Ep.* 10. De pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare non potest. *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 11. Opere sculptoris et cælatura gemmarii. — *b*) Cum Genetivo. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (132). Sculptores gemmarum. *Cassiod.* 7. *Variar.* 5. marmorum. *Firmic. Mathes.* 4. 7. *extr.* simulacrorum. — Lectio tamen sæpe variat cum *scalptor.*

SCULPTŪRA, æ, f. 1. (sculpo) γλυφή, ars sculpendi.

I.) Propria. *Quintil.* 2. 21. 9. Architectonice in omnibus, quæ sunt ædificio utilia, versatur, cælatura, auro, argento, ære, ferro opera efficit; sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, complectitur. *Justin.* 15. 4. 5. Annulus ejusdem sculpturæ in lecto inventus est. *Sueton. Ner.* 46. *a*

med. Annulus, cujus gemmæ sculptura erat Proserpinæ raptus.

II.) Metonymice. *Vitruv.* 2. Populus alba et nigra, item salix, tilia *etc.* in sculpturis commodam præstant tractabilitatem. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (209). Habent in sculpturis facilitatem ficus et salix. Adde *Ampel.* 8. 14. *Vulgat. interpr.* 2. *Par.* 2. 14. Cælare sculpturam.

SCULPTŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sculpturo*, ad sculpturam pertinens. *Venant.* 9. *carm.* 15. 8. Et sculpturata lusit in arte faber.

SCULPTUS, a, um, particip. *V.* SCULPO.

SCULTĀTOR, ōris, m. 3. *chi fa la scolta*, miles qui excubias agit. *Veget.* 2. *Milit.* 17. Ferentarii autem, armaturæ, scultatores, sagittarii, funditores, hoc est levis armatura, adversarios provocabant. Alii leg. eod. sensu *sculcatores*, quamquam *scultatores* præstare videtur, ut corruptum sit ab *auscultator*. (Sed *V.* SCULCATOR et PROCULCATOR; et Cf. *Duchang.* ad v. *collocare*, ubi de v. *sculta*, aut *sculca*, explorator, apud *Greg. Ep.* 12., loquitur.) *Id.* enim *ibid.* 15. Erant ferentarii et levis armatura, quos nunc exculcatores et armaturas dicimus.

SCULTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (scultator) speculatorius. *Cassiod.* 2. *Variar.* 20. Decernimus, ut quantas in Ravennati urbe scultatorias (*scil.* naves) potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas ad nos usque perducas. Alii leg. *sculcatorias*, alii *sulcatorias*. Cf. voc. præced.

SCULTEILĀTUS. *V.* SCUTULATUS.

SCURRA, æ, m. 1. Alia forma *scurrus*, *i*, m. 2. est in *Gloss. Gr. Lat.* Εὐτράπελος; scurra, scurrus. — Ad etymon quod attinet, *Verrius Flaccus*, apud *Festum* in *Scurræ*, censet, scurram dictum esse quasi *securram*, a sequendo, ut is proprie scurra sit, qui parasitico more divites homines sectando, et risum movendo victum quærat. Hoc tamen tamquam ineptum *id. Festus* deridet, quod, inquit cl. *Furlanetto*, mihi non itidem videtur. Etenim *scurra* etiam dicitur miles, quia ducis seu principis assecla est. *V.* infra II. Ita et *Isid.* 10. *Orig.* 255. Alias notationes proferunt recentiores philologi, qui *scurra* conjungunt cum Skr. *kshur* et per metathesin *skhur*, cædere, incidere, fodere, scalpere, *trinciare*, *scalfire*; aut cum Gr. σκιρτάω, salio, lascivio: cf. Germ. *scherzen*; It. *scherzare*. Sed hæc, tam sunt incerta, ut in his immorari fere (quod plerumque fit) pœniteat. — Scurra igitur est qui risum ab audientibus captat dictis jocularibus vel corporis gestu, nulla habita ratione verecundiæ et dignitatis, et etiam qui hisce artibus parasitico more convivia aucupatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 247. Temporis ratio et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra. *Id.* 5. *Verr.* 62. *sub fin.* Qui se scurram improbissimum existimari vult; qui a scurris potius gladiator, quam scurra appellatus sit. *Id. Quinct.* 3. 11. Nam neque parum facetus scurra Sex Nævius, neque inhumanus præco est unquam existimatus. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 5. 49. et *Sueton. Tib.* 57. *Plin.* 9. *Ep.* 17. Nequaquam me delectat, si quid molle a cinædo, petulans a scurra, stultum a morione profertur. — Socrates, quod Atticorum more, dictorum leporibus, et cavillationibus delectaretur, et præcipue quod esset εἰρωνεύων, scurra Atticus a Zenone est appellatus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. et *Lactant.* 3. 19. Ceterum εἰρωνία Socratica, a th. εἴρομαι, sciscitor, interrogo, ad methodum seu rationem docendi pertinet, qua Socrates εἰρωνεύων, h. e. dissimulando se nescire, ab aliis rem sciscitabatur. Cf. *Cic.* 2. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 15. et *Brut.* 85. (V. *Ritter* et *Preller*, *Hist. philos. Gr. et R.* c. 5. et *Ueberwegs*, *Grundriss d. Gesch. d. Phil. d. Alterth.* § 33.) — *De scurra multo facilius dives, quam paterfamilias fieri potest*, proverb. apud *Cic. Quinct.* 17. *sub fin.* — Scurræ parasitici descriptionem habes apud *Horat.* 1. *Ep.* 18. a *v.* 10. Cui addendum illud *Plaut. Pœn.* 3. 2. 35. Faciunt scurræ quod consuerunt, pone sese homines locant. *h. e.* locant se pone homines, eosque sectantur, mensæ gratia, Cymba velut magnas sequitur cum parvula classes, ut ait *Virg. Cir.* 479. Eosdem *umbras* vocat *Horat.* 2. *Sat.* 8. 22. ¶ 2. Speciatim *scurræ* vocabantur etiam homines urbani non rustici, sed comes et elegantes, qui assidue in urbe essent numquam in agris, fortasse, ut ait *Forcellinus*, quod sine cura et opere omni essent. *Plaut. Most.* 1. 1. 14. Tu urbanus vero scurra, deliciæ populi, rus mihi tu objectas? *Id. Epid.* 1. 1. 13. Scurra es. EP. Scio te esse quidem hominem militarem. *Id. Trin.* 1. 2. 165. Nihil est stultius, neque perjurius, quam urbani assidue cives, quos scurras vocant. *Id. Truc.* 2. 6. 10. Non placet, quem scurræ laudant, manipulares mussitant.

II.) Translate. ¶ 1. *Scurra* est nomen mimis quoque tributum, ut apud *Juvenal.* 13. 110. mimum agit ille, Urbani qualem facundus scurra Catulli. *Capitolin. Ver.* 8. *sub fin.* Adduxerat secum et fidicinas et fidicines et histriones scurrasque mimarios et præstigiatores et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate, prorsum ut videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum confecisse. ¶ 2. Aliquando scurræ dicti sunt milites custodes corporis, et armigeri principis, quia ejusdem assecla sunt. (*V.* scurræ etymon.) *Lamprid. Alex. Sev.* 61. Unus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis etc. et *ibid.* 62. *extr.* Scurræ barbari manu periit. *Id. Elagab.* 33. *a med.* Nam, ut diximus, occisus est per scurras. Supra *c.* 16. *extr.* et *c.* 17. dixerat occisum esse a militibus, maxime prætorianis. *Trebell. de XXX. Tyrann.* 29. *de Zenobia, sub fin.* Nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. *Salmas.* ad *Lamprid. loc. cit.* ideo sic appellatos putat, quod non magis ab latere domini discederent, quam scurræ et parasiti ab iis, quorum mensas sectabantur. Huc pertinet *Inscript.* apud *Murat.* 843. 2. POMANIO SCVRRAE D. PORTIL. VAL. I. ITEM TORQ. I. DON. *etc.*, ubi vides militem, et quidem strenuum donatumque corona vallari et torque virtutis ergo, *scurram*, eo quod armiger esset ex decuria Pœtilii, appellari.

SCURRANS, antis, particip. *V.* SCURROR.

SCURRĪBĪLIS, e, adject. (scurra) idem ac scurrilis. *Jul. Vict. Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 17. *a med.* Ridiculum nec nimis frequens sit, ne scurribile videatur; nec subobscenum, ne mimicum *etc.* Hic locus sumptus est ex *Cic. Orat.* 26. 88. *V.* SUBOBSCENUS.

SCURRĪLIS, e, adject. (scurra)

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est ad scurram pertinens, ridiculus cum turpitudine, βωμολοχικός (It. *buffonesco*, *scurrile*; Fr. *plaisant*, *bouffon*, *comique*, *déshonnête*; Hisp. *burlesco*, *de bufo*, *placentero*, *lascivo*; Germ. *possenhaft*, *possenreisserartig*, *scurril*; Angl. *buffoon-like*, *abusive*, *insolent*, *scurrilous*). *Cic.* 2. *Orat.* 59. 239. Ne aut scurrilis jocus sit, aut mimicus. *Id. ibid.* 2. 60. Scurrile vitium. et *ibid.* 60. 244. dicacitas. *Val. Max.* 7. 8. *n.* 9. lusus. *Auct. carm. de Phil.* 34. strepitus. *Cic.* 3. *Orat.* 60. 245. Visum est scurrile totum ridiculum. ¶ 2. Latiore sensu et in bonam partem est facetus, urbanus. *Val. Max.* 8. 8. *n.* 3. Ut enim in rebus seriis Scævolam, sic in scurrilibus lusibus hominem agebat.

II.) Improprie. *Juvent. Phil.* 34. Pica loquax varias concinnat gutture voces, Scurrili strepitu quicquid et audit, ait.

SCURRĪLĪTAS, ātis, f. 3. (scurrilis) *Scurrulitas* quoque legitur apud *Porphyrion.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 17. 19. — Scurrilitas est turpis et procax dicacitas, neque temporis, neque loci, neque personarum rationem habens, βωμολοχία (It. *buffoneria*, *scurrilità*; Fr. *bouffonnerie*; Hisp. *bufoneria*, *bufonada*; Germ. d. *Possenreisserei*, *Scurrilität*; Angl. *buffoonery*, *scurrility*, *drollery*, *pleasantry*). *Tac. dial. de Orat.* 22. *in fin.* Fœda et insulsa scurrilitas. Adde *Quintil.* 11. 1. 30. — In plur. num. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Scurrilitates histrionum.

SCURRĪLĪTER, adverb. (scurrilis) *Scurruliter* legitur apud *Porphyrion.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 17. 19. — Scurriliter est scurrarum more, procaciter, *buffonescamente*, βωμολοχικῶς. *Plin.* 4. *Ep.* 25. Qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? *Justin.* 24. 6. 4. Scurriliter iocari. *Porphyr.* ad *Horat. loc. cit.* obsequi.

SCURRO, ōnis, m. 3. idem ac scurra. *Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 579. Scurro, irrisor.

SCURROR, āris, ari, dep. 1. (scurra) Part. *Scurrans* II. — Scurror est scurram ago, βωμολοχέω (It. *fare il buffone*, *buffoneggiare*; Fr. *faire le bouffon*, *faire des facéties pour plaire*, *flatter*, *flagorner*; Hisp. *burlar*, *lisonjear*, *alabar*; Germ. *possenreisser*, *lustigmacher sein*; Angl. *to play the buffoon*, *act the part of a scoffer or jester*).

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 19. Scurror ego ipse mihi, populo tu.

II.) Translate est adulor, nam scurræ, ut in omnibus placeant, assentari etiam solent. *Id. ibid.* 18. 1. metues, liberrime Lolli, Scurrantis speciem præbere, professus amicum, *adulatore*, *cortigiano*, ubi *scurrans* prope sumitur substantivorum more, perinde ac *scurra*.

SCURRŬLA, æ, m. 1. (scurra) *deminut.* a scurra. *Apul.* 10. *Met.* Quidam præsens scurrula, date, inquit, huic quippiam meri. *Arnob.* 6. *p.* 206. Scurrula urbanus. Adde *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* ed. *Loewe p.* 155.

SCURRŬLĪTAS et

SCURRŬLĪTER. *V.* SCURRILITAS et SCURRILITER.

SCURRUS, i, m. 2. *V.* SCURRA.

SCŪTA, æ, f. 1. *V.* SCUTRA et SCUTUM.

SCŪTĀLE, is, n. 3. (scutum) pars fundæ, cui imponitur glans seu lapis mittendus: ita videtur appellata a scuti seu rhombi figura, quam habet. *Liv.* 38. 29. Centum funditores ab Ægio et Patris et Dymis acciti. A pueris ii, more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenæ immixtis strata litora sunt, funde mare apertum incessentes exercebantur. Itaque longius certiusque et validiore ictu, quam Balearis funditur, eo telo usi sunt: et est non simplicis habenæ, ut Balearica aliarumque gentium funda, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans, sed librata quum sederit, veluti nervo missa excutiatur. *h. e.* iis funda non simplici loco constat, sed in ejus medio sinus seu scutale est tribus quasi scutulis coriaceis sibi impositis, et crebris suturis duratum, in quo glans posita velut tormento missa excutiatur. Ita locum interpretantur *Gesnerus* et *Ernestius*, qui posterior eodem sensu interpretandum, atque ita legendum putat alterum locum *Liv.* 42. 65. Funda media duo scutalia (*alii omnes leg.* funalia) imparia habebat; quum majori sinu libratum (*spiculum*) funditor habena rotaret, excussum, velut glans, emicabat. — *Forcellinus* tamen cum aliis rectius censet, in priore *Livii loc. cit.* vocem *scutale* significare lorum seu habenam fundæ. Verum quum in eo loco bis jam habenæ mentio sit, et, demptis his vocibus *triplex scutale*, sententia per se optime constet, (etenim illud *duratum* ad *telum* supra memoratum referendum videtur), ac præterea *scutale*, si ejusdem est cum scytala seu σκυτάλη Græcorum significationis, esset generis feminini, minime vero neutri, satis apparet, easdem pro veteri glossa habendas esse, ab imperitis librariis in textum intrusas ideoque eliminandas. Ita cl. *Furlanetto*. Ceterum hic *Livii* locus affertur etiam a *Priscian.* 6. *p.* 326. *Putsch.* Adde *Charis. p.* 118. 34. *Keil.*

SCŪTĀNEUS, a, um, adject. (scutum) in modum scuti factus. *Var. auct. de limit. p.* 270. *Goes.* Termini scutanei sunt, hoc est dolatiles. *scil.* in uno latere aliquantum excavati in modum scuti.

SCŪTĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SCŪTĀRĬUS, a, um, adject. (scutum) ad scutum pertinens. *Veget.* 2. *Milit.* 11. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias. — Hinc

Scutarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est qui scuta facit, scudajo, ἀσπιδοποιός. Plaut. Epid. 1. 1. 35. Id modo videndum, ut materies suppetat scutariis. ¶ 2. Scutarii fuerunt quoque milites scutis armati, a Constantino M., ut videtur, instituti, et custodiæ principis addicti, ut patet ex Suida in V. Σχολάριοι, ex Agathia l. 5. p. 111., ac præsertim ex Zosimo l. 3. c. 29., qui sub Juliano Aug. duos eorum ordines memorat imperatorem stipare solitos. Hi videntur substituti fuisse prætorianis, quos idem Constantinus M., ut dictum est in PRÆTORIUS ad fin., sustulerat. Duplex fuit hæc militia, in Oriente nempe et in Occidente. In Oriente gemina schola constabat, et ex Armeniorum primoribus deligebatur, teste Suida loc. cit. In Occidente vero in plures scholas dividebatur, ut patet ex Inscript. apud Murat. 1895. 3. HIC IACET IVSTINVS SCVTARIVS EX SCHOLA PRIMA. et 1922. 4. PAX EVCHARIDI F. SCVT. SCHOL. SECVND. et apud Gruter. 1052. 11. FLAVIVS HIGGO SCVTARIVS SCHOLA TERTIA. Hinc iidem appellati etiam sunt scholares. V. hanc vocem. Eligebantur autem ex quavis regione, hinc in Græca Inscript. apud Murat. 798. 5. memoratur Asthianus natione Vindelicus decurio scutariorum: et in alia 861. 8. Valerius Lila scutarius natione Maurus. Ammian. 20. 4. 3. De scutariis et gentilibus excerpere quemque promptissimum. et ibid. 8. a med. Equos præbebo curules Hispanos, et miscendos gentibus atque scutariis adolescentes. V. Labus Fast. t. 2. p. 355. Ita Forcellinus. Ceterum scutariorum mentio est etiam apud Sueton. Aug. 56. et Vulgat. 3. Reg. 14. 28; 4. ibid. 11. 6. et 19. et 2. Par. 12. 10. ¶ 3. Scutarii etiam dicti sunt gladiatores longis scutis armati apud Marc. Aurel. comment. 1. 5. V. SAMNITES.

Scutarium, ii, n. 2. axioma militare, ἀξίωμα στρατιωτικόν. Gloss. Labb. et Charis. p. 118. 34. Keil. Scutale, scutarium. — NB. De nom. R. V. ONOM.

SCŪTĀRĬUS, ii, m. 2. V. voc. præced.

SCŪTĀTUS, a, um, (scutum) particip. ab inusit. scuto, as: ἀσπιδιώτης, φερεσσακής, armato di scudo, scuto armatus, et quidem scuto oblongo ac rectangulo, (ut videre est Romæ in columna Trajani) quo instructi erant legionarii, non vero equites et prætoriani, qui forma utebantur plane, ovata aut sexangula. (V. A. Rich. op. cit.) Cic. 2. Phil. 42. 108. Scutati milites. Orell. aliter leg. Virg. 9. Æn. 370. Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. Sil. It. 6. 212. scutataque raptim Consequitur manus. Inscript. apud Orell. Coll. Inscr. Lat. n. 3448. M. TARQVITIO T. F. TRO. SATVRNINO PRAEF. COHORT. SCVTATAE etc. — Absolute scutati sunt milites scutis armati. Liv. 28. 2. Erant autem in Celtibero exercitu quattuor millia scutatorum et ducenti equites. et mox. Jam ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis. Veget. 2. Milit. 15. Scutati, qui plumbatis, gladiis et missilibus accincti. Alii leg. scultatores, qui etc.

SCŪTELLA, æ, f. 1. (scutra) Primam syllabam producit Venant. 11. carm. 10. 7. Intumuit pullis vitreo scutella rotatu. (Adde eumd. 3. ibid. 15. 4.) et recte quidem, si ratio habeatur etymi, quod grammatici veteres quidam statuunt, ut Diomed. p. 326. 27. Keil., Priscian. 3. 44., Donat. p. 376. 8., Consent. p. 346. 29. et Serv. ad Virg. 2. Æn. 324., qui hanc vocem deducunt a scutum. At rectius dixeris scutellam deminut. a scutra, ut est a capra capella et a mitra mitella. — Scutella ¶ 1. Est genus vasis concavi rotundi, quo minutal ex carne vel oleribus in mensam, aut potius pocula in convivas distribuenda exhibentur, scodella o vassojo, πινακίσκος. Cic. 2. Tusc. 19. 46. Demus scutellam dulciculæ potionis, aliquid providesmus et cibi. ¶ 2. Scutellæ etiam dicuntur patellæ, quæ vasis supponuntur, et ea sustinent, sottocoppe. Ulp. Dig. 34. 2. 20. circa med. Si vasa sint legata, non solum ea continentur, quæ aliquid in se recipiant, sed etiam quæ aliquid sustineant: et ideo scutellas, vel promulsidaria contineri.

SCŪTĬCA, æ, f. 1. Scytica apud Fest. p. 333. 21. Müll. — Scutica, σκυτάλη, est genus verberis e loris facti: a σκυτικός, coriaceus (It. staffile, sferza, scuriada; Fr. étrivière, fouet; Hisp. azote, zurriago, látigo; Germ. d. Peitschenriemen, d. Karbatsche; Angl. stirrupstrap, whip, lash). Martial. 10. 62. Scuticaque loris horridis Scythæ pellis, Qua vapulavit Marsias Celenæus. V. ANGUILLA. Ovid. Heroid. 9. 81. scuticæ tremefactus habenis. Hanc ita describit Capell. 3. p. 49. Quod ex caprigeni tergoris resectione confecerat, rubri admodum coloris exprompsit. Adde Horat., Juvenal. et Domit. Mars. apud Sueton. loc. infra cit.

Homonym. Scutica minus est, quam flagellum. Horat. 1. Sat. 3. 119. Ne scutica dignum horribili sectere flagello. Juvenal. 6. 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, Hic scutica. — Differt etiam scutica a ferula, quæ lignea virga est. Domit. Mars. apud Sueton. Gramm. 9. Si quos Orbilius ferula, scuticaque cecidit. Hieronym. 3. contra Rufin. 6. Nec tibi ferulas adhibeo neque athenogerunta meum scutica et plagis litteras docere contendo.

SCŪTĬGĔRŬLUS, a, um, adject. (scutum et gero) scudiere, ὁπλοφόρος, servus militaris, qui scutum domini gerit, armiger. Plaut. Cas. 2. 3. 44. Qui (malum!) homini scutigerulo dare lubet?

SCŪTĬLŌSUS. V. voc. seq.

SCŪTĬLUM, tenue et macrum dicitur ex Græco (σκύτιλος, a σκῦτος, pellis) ut quum dicimus, scutilum hominem, exilem aliquem demonstramus, in quo pellicula tantum. In pompa aliud dicimus scutilum, ut videatur scutilum de scrutilo derivatum, detrita r littera: sitque is, qui virtute potest scrutari. Sed ex Græco nomen factum, scutilo, quum (Forcellinus scutilosum) coriarium significamus. Hæc Festus p. 329. 16. Müll. V. SCUTULA.

SCŪTĬO, scūtis, scussi, scūtere, a. 3. (ex et quatio) idem quod excutio. nam ex præpositio cum verbis a consonanti incipientibus conjuncta mollito sono facta est es, et hæc syllaba s. Ita Loewe in Prodr. Corp. Gloss. Lat. p. 429., unde ex cod. Leid. Messis collegitur et scutitur. Occurrit etiam in Not. Tir. p. 165.

SCŪTLĀTUS. V. SCUTULATUS.

SCŪTRA, æ, f. 1. olla, pentola, vasis, aut lancis genus, χαλκίον: fortasse ita dictum, quod in modum scuti factum sit. Plaut. Pers. 1. 3. 8. Struthea coluteaque appara, bene ut in scutris concaleant. Cato R. R. 157. Ubi in scutra fervefeceris, etc. Quidam hic leg. chutra vel chytra, a Græco χύτρα, olla, cacabus. Adde Cæcil. com. 68. 1., Pompej. comment. p. 164. 24. Keil., Serv. ad Virg. 1. G. 110. et Vulgat. interpr. 3. Reg. 7. 40. Legitur et in Not. Tir. p. 165. Scutra, scutella. V. Scuta in SCUTUM.

SCŪTRILLUS, i, m. 2. (scutra) deminut. a scutra. Pompej. comment. p. 164. 26. Keil. V. voc. præced.

SCŪTRISCUM, i, n. 2. (scutra) deminut. a scutra, vel idem ac scutra. Cato R. R. 10. et 11.

SCŪTŬLA, æ, f. 1. Hanc vocem ducendam alii putant, ut deminut. a scutra, quod est genus vasis (Cf. SCUTRA et Gr. κοτύλη, vas cavum); alii vero a σκυτάλη, quod est baculum, aut virga: sunt etiam qui scutulam a scuto derivant; sed huic etymo minus favet primæ syllabæ quantitas, quæ in scuto longa est, hic brevis. Porro hujusce vocis significatio videtur modo unam, modo alteram notationem sequi. Itaque

A) Scutula a scutra est parva lanx quædam, aut vas, quod octo unciarum capax videtur fuisse: unde et pro tali pondere aut mensura positum.

I.) Proprie. Cato R. R. 68. Ubi oleitas facta erit, orbes, fibulas, vectes, scutulas, fiscinas, corbulas, in suo quodque loco reponito. Alii leg. suculas. (Ita Forcellinus, Klotzius, alii; at hic scutulæ altera significatio rectius videtur inesse, quam sub B attuli.) Martial. 11. 31. Sic implet gabatas paropsidesque, Et leves scutulas cavasque lances. Id. 8. 71. Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno.

II.) Translate diversa significat ab hujus vasis vel lancis figura, in qua definienda alii alias conjecturas fecere: ita ut res sit adhuc incerta. Forcellinus dicit eam fuisse vel quadratam, vel rhombi similem. Verum Censorin. fr. 7. p. 84. Jahn. Scutula est rhombos, quod latera paria habet nec angulos rectos. Unde videtur scutula rhombi, aut rhombi similem figuram potius habuisse. Ita etiam Freund et Klotz ad h. v. ¶ 1. Scutulæ sunt hujus figuræ sectilia marmora in pavimentis, vel tabulatis, seu laquearibus. Vitruv. 7. 1. Quum pavimenta exstructa fuerint, et fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, uti, si sectilia sunt, nulli gradus in scutulis, aut trigonis, aut quadratis, seu favis exstent. Pallad. 1. R. R. 9. in fin. Æstivæ mansiones testaceam accipiant pavimentum, vel marmora, vel tesseras, aut scutulas, quibus æquale reddatur angulis lateribusque conjunctis. Idcirco in Vitruv. habes scutulas distinctas a trigonis et quadratis et favis: favi autem licet sex angulos habeant, quadrati dici possunt: in Pallad. distinctas a tesseris, h. e rhombos a quadris. Tac. Agric 10. Formam totius Britanniæ auctores oblongæ scutulæ, vel bipenni assimilavere. Dum addit oblongæ, satis indicat, scutulam per se esse quadratam, inquit Forcellinus. Sed cum bona pace tanti viri hoc absolute inferendum minime censuerim. Cl. Kritzio ex hoc loco, quum Tacitus scutulæ addat bipennem, ad intelligendam aliquatenus scutulæ formam e notiore bipennis proficiscendum esse videtur; quæ quum ex utraque parte late promineat, media, ubi manubrium est, tenuis sit, scutula quoque similem quamdam formam habuisse putanda est. Ceterum a Plin. 11. Hist. nat. 24. 28. (81). tela araneorum scutulato reti comparatur: retis autem maculæ vel quadratæ sunt, vel rhombi figura. ¶ 2. Scutulæ in vestibus erant segmenta intexta ornatus gratia; cujusmodi sunt in foraminibus retium et in telis aranearum, mandorle, quadretti, scacchi. Ita Forcellinus. Hinc scutulata vestis, aut scutulata, neutr. plur., subaud. vestimenta. V. SCUTULATUS. Plin. 8. Hist. nat. 48. 74. (196). Plurimis liciis texere Alexandria instituit: scutulis dividere Gallia. Prudent. Hamartig. 289. Gultantes sumere amictus Gaudent, et scutulis durum perfundere corpus. Ubi Heins. minus recte leg. scutilis, h. e. tenuibus et pellucidis vestibus. ¶ 3. In emplastratione cortex, qui uni arbori detrahitur, ut alteri inseratur, scutula dicitur a Plin. 17. Hist. nat. 16. 26. (118); is autem cortex fere in quadrum deciditur. (Id. ibid. mox. Exempla cortici tessella. Idem igitur apud Plin. significat scutula ac tessella. Ita Furlanetto in App. Ex quibus omnibus infert Forcellinus fieri, scutulæ figuram, sive vas sit, sive segmentum, aut quadrum esse, aut amygdalum seu rhombum, qui et ipse maxime ad quadrum accedit, quum quattuor latera habeat. Sunt qui putant, fuisse etiam rotundam; quia scutulatus dicitur equus a Pallad. 4. R. R. 13., cujus pellis orbiculis varii coloris aspersa est, Italice leardo pomellato verum sic appellatur is quoque, cujus maculæ rotundæ non sunt, Italice leardo moscato. — Meminit scutulæ Vitruv. etiam 10. 17., ubi de balistis agit: sed ille locus vel corruptus est, vel certe admodum obscurus.

B) Scutula, a σκυτάλη, est baculus, seu lignum teres, aut cylindrus, qui magnis ponderibus supponitur, ut facilius volvantur et impellantur, et phalanga etiam dicitur, carro. Cæs. 3. B. C. 40. Quattuor biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus in interiorem partem transduxit. — A virgæ significatione est scytale Laconica, de qua infra suo loco. Ab eadem sunt scutulæ in vestibus, nempe virgæ, seu segmenta oblonga varii coloris: et scutulata vestis eadem ac virgata. Ita Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 46. et alii. Sed V. dicta sub A. II. 2.

SCŪTŬLĀTA, ōrum, n. pl. 2. V. voc. seq. in fin.

SCŪTŬLĀTUS, a, um, adject. (scutula) Etiam scutlatus, per syncopen, dicitur. Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod. Theod. 15. 7. 11. Mimam uti (vestibus) scutlatis, et variis coloribus sericis,

non vetamus. V. *Gothofred. adnot. ad loc. cit.* — Scutulatus est scutulæ formam habens, *fatto a mandorla o a scacchi o quadretti.* (*V.* dicta in SCUTULA.) *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (81). *de araneo.* Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes! *Id.* 8. *ibid.* 48. 73. (191). Lana, quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania. *Id.* 36. *ibid.* 25. 61. (185). Scutulatum pavimentum. (Cf. *Henzen., Bullet. dell' Instit. archeol. a.* 1843. *p.* 125.) *Schol.* in *Juvenal.* 6. 382. pecten. *Auct. var. de limit. p.* 341. *Rudorff.* terminus. ubi *sculteilatus* pro *scutulatus* legitur. — Refertur ad colores. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. Colores hi præcipui (*in equis*), albineus, russeus, murteus, scutulatus, albus etc. (*V.* SCUTULA sub *A.* II. 3.) — V. *Viscont. Monum. Borghes. præf. XXVII.* et *Cavedon. Indic. antiqu. p.* 76., ubi ἄγρημον est vestis reticuli modo confecta, scutulata, *a maglia.* — Hinc

Scutulata, ōrum, n. plur. 2. *subaud.* vestimenta. *Juvenal.* 2. 97. Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa. «*di verdi rasi Coperto o di cilestre occhiuta veste*». *Garg.* Adde *Cod. Theod.* 15. 7. *Vulgat. interpr. Ezech.* 27. 16. Gemmæ, purpura, scutulata. *h. e.* vestes acu pictæ.

SCŪTŬLO, as, are, a. 1. Hanc vocem leg. Codd. *Varron. Sat. Menipp.* 11. ex coll. *Oehleri.* Legem (Lucanicam) luci claro latam scutulans. Pro *scutulans* alii leg. *scutulavimus*, ut *Popma* explicans *obscuravimus.* Nec ineptum hoc, quum antitheton luci claro (h. e. palam et publice) antecedat: licet verbum *scutulare* (a σκυτάλη, litteræ reconditæ, mandata arcana) apud neminem veterum scriptorum lectum sit. sed utitur *Varro* passim verbis nove formatis et compositis. Ita *Oehlerus*, qui tamen pro *scutulans* dedit *sustulimus.*

SCŪTŬLUM, i, n. 2 (scutum) *deminut. a* scutum, parvum scutum, *scudetto, scudicciuolo,* ἀσπίδιον.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 82. Juno Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. (Adde *Inscript.* apud *Orell.* 1307. et V. *Eckhel D. N. I. V. p.* 294.) Cf. *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 4. 57., ubi Græce est ἀσπιδίσκη. Sunt tamen, qui a *scutula* derivant. *V.* hanc voc. sub *A* II.

II.) Translate. *Scutula operta* sunt ossa duo lata in tergo humani corporis: ita dicta, quod scutuli figuram referunt. *Cels.* 8. 1. *a med.* A cervice duo ossa lata utrinque ad scapulas tendunt: nostri scutula operta, ὠμοπλάτας Græci nominant. Ea in summis verticibus sinuata ab his triangula, paullatimque latescentia, ad spinam tendunt. Sunt qui leg. *scoptula,* quæ vox unde sit, non satis apparet; ideoque mendosa est habenda. *Id.* 3. 22. *a med.* ossa scapularum vocat. *V.* SCAPULA.

SCŪTUM, i, n. 2. (σκῦτος) Olim *scutus, i,* m. 2. et *scuta, æ,* f. 1. dictum est. *Turpil.* apud *Non. p.* 226. 13. *Merc.* Quia non minus res hominem, quam scutus tegit. *Lucil.* apud *Priscian.* 3. *in fin.* Scutam ligneolam cerebro infixit. Alii hic vas intelligunt, unde deminut. *scutella.* — Scutum, ἀσπίς, genus armorum figura quadrata oblonga, quod læva gestatur ad protegendum corpus, ex assibus confectum valvarum instar, unde Gr. θύρα et θυρεός. Est autem non a *sectura,* ut ait *Varro* 5. *L. L.* 115. *Müll.,* ut *secutum,* quod e minute consectis fiat tabellis; sed potius a Gr. σκῦτος, pellis, corium, quia ligneum quum esset, corio sæpe contegebatur: qua ratione cum parma et pelta confunditur. Sed a parma differt, quia hæc rotunda, scutum quadratum oblongum: et a pelta, quæ lunata et scuto minor a clipeo, quia hic fere æreus et scuto longe minor. (V. *Veget.* 2. *Milit.* 18.) Poetæ passim sine discrimine usurpant.

I.) Proprie. *Liv.* 1. 43. Secundæ classis junioribus arma imperata, scutum pro clipeo, et præter loricam etc. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 13. Scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. *h. e.* breviore et leviore, quam erat equestre. *Varro Sat. Menipp.* 33. *p.* 129. *Oehl.* Scuta cælata Hibero argento gravi crebra fulgent. ubi scutum pro clipeo usurpatum videtur. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. In prœlio ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abjecto scuto fugit, quantum potest. *Tac. Germ.* 6. Scutum reliquisse, præcipuum flagitium. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 73. gladioque latus, scutoque sinistram, Canitiem galeæ subjicioque meam. *Tac.* 4. *Hist.* 15. Impositus scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. Id moris etiam testatur *Theodoricus* apud *Cassiod.* 10. *Variar.* 31. Judicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum scuto supposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem; ut honorem arma darent, cujus opinionem belli pepererant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (209). Lentissima (*genera arborum*) et ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, et ob id contumacius transmittit ferrum. *Virg.* 8. *Æn.* 662. scutis protecti corpora longis. *et ibid.* 538. quam multa sub undas Scuta virum galeasque, et fortia corpora volves, Tybri pater! (Adde 1. *ibid.* 104.) *Ammian.* 24. 4. 10. Oppidum ordine circumdatum trino scutorum. *h. e.* scutatum, scutis armatum. Adde 16. 12. 6. et 21. 12. 4. *Tac. Germ.* 6. Scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. *Id.* pro scutis Germanos habere tenues, fucatas colore tabulas, tradit 2. *Ann.* 14. *Quintil.* 6. 3. 38. Imago Galli in scuto Cimbrico (*al.* Mariano) picta. *Virg.* 7. *Æn.* 722. Scuta sonant. *Id.* 9. *ibid.* 666. dant sonitum. *Id.* 12. *ibid.* 130. reclinare. *Id.* 12. *ibid.* 563. deponere. *Id.* 7. *ibid.* 796. pictum. et 8. *ibid.* 93. fulgens. *Curt.* 111. 2. 5. leve. — Scuta ex viminibus memorantur apud *Frontin.* 1. *Strateg.* 7. 6. Spartaco copiisque ejus scuta ex vimine fuerunt. V. *Sall.* 4. *Hist. fragm.* 22. *Kritz.* et cf. *Flor.* 3. 20. — Scuta gladiis, aut hastis ferire, in contione militari signum est iræ et doloris: at illidere genibus, lætitiæ et plausus. V. *Liv.* 28. 29. et *Ammian.* 15. 8. 15. et 25. 3. 3. — Scuto imponebantur, qui duces seu imperatores eligebantur, tam apud Romanos quam apud Græcos. *Tac.* 4. *Hist.* 15. et *Ammian.* 20. 4. 17. — *Per scutum, per ocream ægre aginavi* legitur apud *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.,* quod *Fr. Oriolius* in *Coll. Opusc. di Bologn. T.* 1. *p.* 123. legend. putat *per scoton, per ocrem* etc. *h. e.* per tenebras (σκότος enim tenebræ), per collium aspera ægre festinavi.

II.) Translate est auxilium, præsidium. *Cic. fragm. or. pro Tull.* 18. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 353.) Sed ne quoddam scutum dare in judicio viderentur iis, quos propter hæc arma in judicium vocavissent. *Flor.* 2. 6. *circa med. de Fab. Max.* Hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur. Similiter *Liv.* 3. 53. *sub fin.* Scuto vobis magis, quam gladio opus est. *h. e.* defensione, seu propulsione injuriæ, quam illatione. Adde *Vulgat. interpr. Sap.* 5. 20. et *Ps.* 5. 15. *Id. Thr.* 3. 65. Scutum cordis labor tuus. *h. e.* angor, qui cor operit et opprimit.

Homonym. Quomodo differat *scutum* a *clipeo, parma* et *pelta,* V. in SCUTUM init., et CLIPEUS in fin.

SCŪTUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

SCȲBĂLON, i, n. 2. Apud *Veget.* 2. *Veterin.* 19. 2. *squibala* pro *scybala* scribitur, sed istud glossema est. — Scybalon, σκύβαλον, fæx, fimus, stercus. *Vindician.* in *epist.* præmiss. *Marcell. Empir.* Vesica scybalis, vel lapidibus per vicina loca meantibus premeretur. *Theod. Priscian.* 2. 9. Scybalorum vero egerendorum causa primo eos chalastico clystere compello. Qui si contenti fuerint, in secundis acrioribus imminebo.

SCYBILĪTES, æ, m. 1. σκυβιλίτης (subaud. οἶνος), genus vini in Galatia. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). *Silligius* legit *scyhelites;* alii aliter.

SCȲLAX, ăcis, m. 3. σκύλαξ, catulus. Hinc *Scylax* inscriptus est mimus Laberii. Hujus meminit *Non. p.* 491. 4. *Merc.,* et idem est qui *Catularius.* V. *Ritsch.* in *Parerg.* I. 158.

SCYLLA. æ, f. 1. Σκύλλα, de qua *V.* etiam in ONOM.

I.) Proprie ¶ 1. Est nomen scopuli Bruttiorum in Italia, in freto Siculo, in mare prominens, cujus ex adversa parte, h. e. in Sicilia, est alter scopulus æque periculosus, qui Charybdis dicitur. (*V.* CHARYBDIS et SCYLLA in ONOM.) *Seneca Ep.* 79. Scyllam saxum esse, et quidem non terribile navigantibus optime scio. — Ex duobus his scopulis ortum est vulgatum illud proverbium cujus tamen auctor incertus est: Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim; et de iis dicitur, qui volentes periculum minus evitare, in majus incidunt: *fuggir l'acqua sotto le grondaje, o cadere dalla padella nella brace.* ¶ 2. Est etiam nomen herbæ nobilissimæ e genere bulborum. *Colum.* 10. *R. R.* 374. *V.* SCILLA.

II.) Translate a priore ex hisce significationibus. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Primum tamen nosse vos par est, in quas me obloquiorum scyllas, et in quos linguarum, sed humanarum, latratus quorumdam vos infamare conantum turbo conjecerit.

SCYLLÆUS, a, um, adject. Σκυλλαῖος, ad Scyllam pertinens. Translate periculosus. *Ambros.* 2. *de Cain et Ab.* 10. — Item Scyllæi canes, *Hieronym. Ep.* 125. et Scyllæum illud æris alieni, *Cic. Sext.* 18. *V.* ONOM.

SCYLLĪTĬCUS, a, um. *V.* SCILLITICUS, a, um.

SCYMNOS *vel* scymnus, i, m. 2. σκύμνος λέοντος, catulus leonis, *lioncino:* Græca vox. nam σκύμνος est a κύων, catulus. *Lucret.* 5. 1036. At catuli pantherarum, scymnique leonum Unguibus ac pedibus jam tum morsuque repugnant. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SCȲNĪPHES. *V.* CINIFES.

SCȲPHŬLUS *vel* scypulus, i, m. 2. *deminut. a* scyphus, parvus scyphus, *bicchierino,* σκύφιον. De parva lampade usurpat *Paulin. Nolan. carm.* 26. 463. his scyphulis incerta relucent Lumina, quum fert festa dies. *h. e.* parvis lychnis. *V.* CANTHARULUS.

SCȲPHUS, i, m. 2. (σκύφος) Olim et *scyfus* scribebatur. *Valerian.* apud *Trebell. Poll. Claud.* 14. 4. — Scyphus ¶ 1. Est vas potorium et in convivio et in sacris locum habens, poculum, patera, cyathus, crater: a Græca voce allata, quæ fortasse est a κύφος, vas quoddam concavum. *Varro Sat. Menipp. p.* 91. *Oehl.* Scyphus cælo dolitus artem ostentat Mentoris? *Cic.* 7. *Fam.* 21. Illuseras heri inter scyphos. παρ' οἶνον. *Martial.* 8. 6. Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis Largius Æacides, et bibit ipse, merum. *Horat. Epod.* 9. 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos. *Id.* 1. *Od.* 27. 1. Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare, Thracum est. *Tibull.* 1. 11. 8. Faginus adstabat quum scyphus ante dapes. *Varro* apud *Gell.* 3. 14. Scyphus argenteus. *Petron. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Scyphi urnales plus minus. *Virg.* 8. *Æn.* 278. Et sacer implevit dextram scyphus. ocyus omnes In mensam læti libant, divosque precantur. Ubi *Servius:* Legitur in libris antiquis, Herculem ad Italiam ligneum ingens poculum attulisse, quo utebantur in sacris: quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur: cujus magnitudinem et religionem simul significat dicendo: Et sacer implevit dextram scyphus. Scypho prætor in anno semel vino libabat: neque hoc sine sacra fiebant. Hæc *Servius.* Adde *Val. Flacc.* 2. 272. De scypho Herculis *Stat.* 6. *Theb.* 531. et *seqq.* verba facit: et *Seneca Ep.* 83. *a med.* Alexandrum tot prœlia, tot flumina, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi, et ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. *Lipsius* ex *Athenæo* adscribit, Bœotios primum magnos quosdam argenteos scyphos fecisse, quos Herculaneos vocabant, quia Hercules ille Bœotius usus fuerat. nam Herculem epulandi cupidissimum fuisse: ejus exemplo morem obtinuisse, ut libantes nihil in calice vini relinquerent *V.* CANTHARUS. — Ponitur etiam inter donaria. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 4. 1. (141). Videmus et Romæ scyphos e ferro dicatos in templo Martis Ultoris. Adde *Inscript.* apud *Renier. n.* 1891. ¶ 2. Est etiam vas aquarium. *Isid.* 20. *Orig.* 6. 5. ¶ 3. Prægnanti, ut ajunt, sensu, poculum cum infuso veneno.

Cic. 1. *Tusc.* 40. 97. Vadit in eumdem carcerem atque in eumdem paucis post annis scyphum Socrates.

SCȲRĬUS, a, um, adject. Σκύριος, ad Scyrum insulam pertinens. *V.* ONOM. Hinc *Scyrius lapis*, genus pumicis, *breccia di sciro.* (V. *Corsi, delle pietre ant. p.* 140.) *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (233). Scyrium lapidem quamvis grandem innatare, eumdemque comminutum mergi. Adde 36. *ibid.* 16. 26. (130).

SCȲTĂLA *vel* scitala, æ, *et* scytale, es, f. 1., *et* scutale, is, n. 3. σκυτάλη ¶ 1. Græce inter alia est flagellum, lorum, vel habena e corio: *Hesych.* Σκυτάλαι, βακτηρίαι καὶ αἱ ἱππικαὶ ἶλαι καὶ ὄφεων εἶδος. φλαγέλλια, λῶροι. Latine quoque sic appellat *Liv.* 38. 29. habenam fundæ, qua circumacta torquentur globosa saxa, *la coreggia della frombola.* Ita *Forcellinus* interpretatur hanc vocem apud *Liv. loc. cit.*, quem *V.* in SCUTALE: alii aliter, quorum interpretationem habes *ibid.* ¶ 2. Est item genus epistolæ secretioris apud Lacones, quam scribebant in membrana, vel loro, super surculum spiræ instar extento, deinde evolutum lorum mittebant ad eum, qui conscius erat: a quo rursus circa parem surculum circumvolvebatur, apparebantque verba prius descripta, quæ parem surculum non habenti, fieri nullo modo poterat ut legerentur. Eam rationem *Gell.* 17. 9. accuratius persequitur. *Auson. epist.* 23. 23. Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli Segmina Pergamei tereti circumdata ligno Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus Non respondentes sparso dabit ordine formas, Donec consimilis ligni replicetur in orbem. *Nepos Pausan.* 3. Id postquam Lacedæmonii resciverunt, legatos ad eum cum scytala miserunt, in qua more illorum erat scriptum, etc. ¶ 3. Est etiam *scytale* serpens tanta (ut ait *Solin.* 27. *circa med.*) præfulgens tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet: et quoniam reptando pigrior est, quos assequi non quit, miraculo sui capiat stupentes. In hoc tamen squamarum nitore hiemales exuvias prima ponit. *Lucan.* 9. 717. Et scytale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuvias positura suas. *Salmas.* in *Exercitat. Plin. p. m.* 339. negat eam tergi varietatem in scytale, et in cenchri veram esse asserit testimonio *Lucani ibid.* 712. ¶ 4. Legebatur olim apud *Colum.* 6. *R. R.* 17. Mus araneus, quem Græci σκυτάλην appellant, quamvis exiguis dentibus etc. De eo intelligit *Harduin.* illud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 19. (54). Eadem vis contra venenatorum omnium morsus, privatim scytalen, et angues. Verum in *Colum.* alii nunc rectius leg. μυγαλῆν.

SCȲTĂLĬCUS, a, um, adject. σκυταλικός, similis scytalæ. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (68). Cucumerum Græci tria genera fecere: Laconicum, scytalicum, Bœoticum. *Theophrast. Hist. plant.* l. 7. c. 4. eumdem cucumerem σκυτάλιαν vocat.

SCȲTĂLŎSĂGITTĬPELLĬGER, gĕri, m. 2. σκυταλοτοξοδερματοφόρος, vox hybrida, a Græca voce σκυτάλη *scytale*, h. e. baculus, clava, et Latinis *sagitta* et *pelliger.* — Scytalosagittipelliger est epitheton Herculis, apud *Tertull. Pall.* 4., quod significat clava et sagittis armatum, et pelle leonina indutum.

SCYTĀNUM. *V.* voc. seq.

SCYTĀTUM, i, n. 2. genus medicamenti, seu tincturæ. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 26. (88). Chrysocolla nisi rapuit colorem, adduntur scytatum atque turbystum: ita vocant medicamenta sorbere cogentia. Alii leg. *schutalum*; at *Sillig.* leg. *scytanum.*

SCȲTHÆ, ārum, m. plur. 1. Σκύθαι, pop. Scythiæ. *V.* plura de his in ONOM. — Hinc *Scytharum solitudines*, proverb. apud *Curt.* 7. 8. 23. de regione vasta et parum culta. nam Scytharum gens omnium toto orbe vastissima est. — Adjective *Scythæ smaragdi*, apud *Martial.* 4. 28. *V.* SCYTHICUS.

SCȲTHĬCA, æ, et

SCȲTHĬCE, es, f. 1. *V.* voc. seq.

SCȲTHĬCUS, a, um, adject. Σκυθικός, ad Scythas pertinens. *V.* ONOM. — Hinc ¶ 1. *Scythici ignes* sunt smaragdi. *Martial.* 14. 109. Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum, Adspice. V. *ejusd. loc. cit.* in SCYTHÆ et vocem seq. ¶ 2. *Scythica herba*, quæ et *Scythica* vel *Scythice* absolute dicitur, Scytharum inventum est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 43. (82). Invenere herbas et universæ gentes: Scythia primum eam, quæ Scythice vocatur, circa Bœotiam (*Sillig.* Mæotim) nascens: prædulcem alias, utilissimamque ad ea, quæ spasmata (*Sillig.* asthmata) vocant. Magna et ea commendatio, quod in ore eam habentes famem sitimque non sentiunt. Idem præstat apud eosdem hippace dicta, quod in equis quoque eumdem effectum habeat: traduntque, his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique. Hæc *Plin.* et 26. *ibid.* 14. 87. (146). Scythæ vulnera Scythicâ curant. Adde *ibid.* 5. 15. (28.); item 27. *ibid.* 1. 1. (1.), ubi tradit, Scythicam herbam a Mæotis paludibus in toto orbe portari.

SCȲTHIS, idis, f. 3. mulier Scythica. *V.* ONOM. — Hinc ita etiam vocatur smaragdus. nam, ut ait *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 17. (65)., nobilissimi smaragdorum sunt Scythici, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati. *Capell.* 1. p. 18. Diadema, cui neque Scythidis (*h. e.* gemmæ Scythidis) vireta, nec ceauniorum vibrans fulguransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. Verum *ibid.* p. 20., ubi inquit: Duarum gemmarum smaragdus una, Scythis altera: iaspis tertia vocatur. smaragdum a Scythide distinguit aliquatenus, fortasse ob diversum gradum viriditatis, ita ut mensi Majo smaragdus, Scythis vero Aprili respondeat. (Cf. *Kopp.* ad h. l.) *V.* vocem præced.

SCȲTĬCA. *V.* SCUTICA.

SCYZĪNUM, i, n. 2. vini genus. *V.* ITÆOMELIS.

SE

SE est I.) Pronomen; II.) Particula indeclinabilis; III.) Nota in monumentis.

I.) *Se* pronomen. *V.* SUI.

II.) *Se* particula indeclinabilis — 1.°) Est præpositio, et idem valet ac sine. Porro hoc sensu etiam *sed* pro *se* scripsere, ex prisca consuetudine addendi *d* multis vocibus, ut *dictatored, altod marid* in columna rostrata Duillii apud *Gruter.* 404. 1. *V.* initium litteræ D. *Paul. Diac.* ex *Festo.* Sed pro sine inveniuntur posuisse antiqui. *V.* SED et SUAD. Occurrit autem — *a*) Separata cum Ablativo, apud veteres. *Fragm. leg. XII. Tab.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 24. 60. AST IM CVM ILLO SEPELIRE VREREVE SE FRAVDE ESTO. *Aliud* apud *Gell.* 20. 1. *ad fin.* SI PLVS MINVSVE SECVERVNT SE FRAVDE ESTO. *Vet. Plebiscit.* apud *eumd.* in *Publica pond.* VTI COAEQVETVR SE DOLO M. *h. e.* sine dolo malo. Ita *Scalig.* In vulgatis est *sedulum. Fragm. tab. aen.* apud *Gruter.* 509. *lin.* 20. EAM PECVNIAM EIS SED FRAVDE SVA SOLVITO. Adde apud *eumd.* 508. *lin.* 17. — *b*) Conjuncta cum nominibus et verbis, quibus præfigitur, additâ litterâ *d* ante vocalia, nisi *e* exteratur, et fere divisionem et separationem significat: sic *secordia*, composita, ut *Festo* videtur, ex *se*, quod est sine, et *cor, cordis*; unde *secors*, aut *socors* (cf. *sobrius*), *seditio, securus, sudus, solvo, secedo, seduco, sedeo, segrego, sejungo, seligo, sevoco* etc. — 2.°) Aliquando est pro *semis*, ut in *selibra, semodius.* V. *Varron.* 5. *L. L.* 171. *Müll.* — 3.°) Aliquando pro *sex*, ut in *sevir, sedigitus, semestris.* — 4.°) Est etiam adverbium pro *seorsum*, ut *se quamque* pro seorsum quamque, apud *Fest.* post *Sepulcrum.* — 5.°) *Se* pro *si*, ita ut ordine litterarum defendatur, exhibet glossa *se non quiverit: si non poterit.* Ita *Loewe* in *Prodr. Corp. Gloss. Lat.* p. 422.

III.) *Se* nota in monumentis occurrit, et est *sepulcrum*, apud *Orell.* in *Inscript. n.* 4400. et 4428.

SĒAPSĔ, idem ac sepse, h. e. se ipse. *Jul. Valer. reg. gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 18. Clementia sua seapse sic et beneficiis commendavit, ut etc.

SĒBĀCĬĀRĬUM *vel* sebaciarium, ii, n. 2. (sebaceus) illuminatio, quæ fit cum sebaceis. Hinc in plur. num. *Sebaciaria facere* in *Bullett. dell'Instit. archeol. a.* 1867. *p.* 15. et 23. et *seqq.*

SĒBĀCĬĀRĬUS *vel* sebaciarius miles, qui curam illuminandi habet, vel potius, qui noctu vias urbis sebacea face perlustrat. *Inscript* in *Bullet. dell'Instit. arch. a.* 1867. *p.* 24.

SĒBĀCĔUS *vel* sebacius, a, um, adject. (sebum), qui ex sebo est, στεατώδης. *Apul.* 4. *Met.* Tædis, lucernis cereis, sebaceis et ceteris nocturni luminis instrumentis clarescunt tenebræ. Alii tamen *sebaceis* rectius accipiunt absolute pro lucernis sebaceis.

SĒBĀDĪA. *V.* SABAZIA.

SĒBĀDĪUS. *V.* SABAZIUS.

SĒBĀLIS, e, adject. (sebum) sebaceus, apud *Ammian.* 18. 6. 15.

SĒBASTŎNĪCES, æ, m. 1. σεβαστονίκης, qui certamen vicit Neapoli in ludis Augustalibus, sive Σεβαστοῖς: a Σεβαστός, Augustus, et νικάω, vinco. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 54. *n.* 312. et *Gud.* 217. 1. HERIAE THISBAE MONODIARIAE (*uxori*) TI. CLAVDII GLAPHYRI CHORAVLAE ACTIONICAE ET SEBASTONICAE etc. Cf. *Morcelli, De stil. Inscr.* p. 109. ed. *Rom.*

SĒBAZĪUS. *V.* SABAZIUS.

SĒBO *vel* sevo, as, are, a. 1. (sebum) sebo obduco: vox ab σύω, uro, videtur esse cl. *Furlanetto*, præmissa littera *s* pro adspiratione, quod sebum prius quam oleum apud pauperiores vulgo usitatum fuerit ad luminum usum, στεατόω. *Colum.* 2. *R. R.* 22. Feriis autem ritus majorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare. Alii leg. *sevare* eod. sensu.

SĒBŌSUS *vel* sevosus, a, um, adject. (sebum) sebo abundans, στεατώδης. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 86. (214). Medulla pinguis iis, quibus adeps; sevosa cornigeris; nervosa ossa non habentibus. — *NB.* de cognom. R. *V.* ONOM.

SĒBUM *vel* sevum, i, n. 2. *Sebum*, an *sevum* rectius scribatur, non facile dixerim. *b* enim et *v* valde cognata sunt, et invicem transmutantur. *V.* litteram *B.* At *sevum*, et etiam *sævum* cum diphthongo *ae*, videtur esse forma antiquior. V. *Colum.* et *Pallad. loc. cit.*; item *Inscript* apud *Orell.* 3166. et *Edict. Diocl.* 4. 49. — Sebum est oleosa et pinguis substantia, adipe siccior, concretior et magis compacta, fragilior etiam et igne difficilius liquescens, cujus usu præcipuus in candelis nutriendo lumini: a *sue* dictum, ut ait *Isid.* 20. *Orig.* 2. 25., quasi *suebum*, quod plus pinguedinis hoc animal habet (*V.* etiam SEBO), στέαρ (It. *sevo*; Fr. *suif*; Hisp. *sebo*; Germ. *d. Talg, d. Unschlitt*; Angl. *tallow, suet*). *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 85. (212.) Cornigera sevo pinguescunt, non cornigera adipe. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *circa med.* Candens sevum vulneri per ardentem tædam instillato. *Plaut. Capt.* 2. 2. 31. Quid divitiæ? sunt ne opimæ? PHIL. unde excoquat sevum senex. *h. e.* adeo sunt opimæ, ut multum sevi inde excoqui possit: quod est dicere affluentes. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 1. *et* 40. 3., et *Marcell. Empir.* 16. *Seren. Sammon.* 19. 347. Proderit et veteris sevi pilo sumpta suillo. *Id.* 12. 19. sevumque ex ansere ramo Excoque. *Veget.* 4. *Veterin.* 1. 8. Sebum hircinum. *Id. ibid.* 8. 2. caprinum et bubulinum. *Id.* 6. *ibid.* 18. 1. taurinum. Rursus *Seren. Sammon.* 15. 270. Ursinum et tauri. *Inscript.* apud *Gruter.* 647. 6. et *Orell.* 3166. SEVVM LACTANS ET SUBVCLARE.

SĔCĀBĬLIS, e, adject. (seco) *segaticcio*, sectivus, sectilis. *Lactant. Ira D.* 10. *ante med.* Si aspera et angulata sunt, et hamata, ut possint cohærere, dividua ergo et secabilia sunt. *Auson. Ecl.* 1. 7. nullique secabile segmen. Adde *Hieronym. in Is.* 5. 18.

SĔCĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (secabilis) qualitas seu conditio ejus, qui secari potest. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. an.* 15. In Deo hujus secabilitatis et localitatis partes et spatia esse non dicimus.

SĔCĀLE, is, n. 3. *Sicale* legitur in *Edict. Diocl.* 1. 3. — Secale est frumenti genus, quod Itali *ségale, ségola*, nostrates vulgo *segdla* vocant. (Σεκαλι, Græc. hod.; *Siligo* apud *Colum.* 2. *R. R.* 6. 9., teste *Sprengelio*, et *Secale Cereale?* Lin.) *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 40. (141). Secale Taurini sub Alpibus asiam vocant, deterrimum et tantum ad arcendam famem utile, fecunda sed gracili stipula, nigritia triste sed pondere præcipuum. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem ejus, et tamen sic quoque ingratissimum ventri est. Nascitur qualicumque solo cum centesimo grano; ipsumque pro lætamine est — De secali hæc habet *Fontedera* in *Op. post. T.* 1. *p.* 30.: Secale in Italia antiquam nomenclaturam retinet: sero ad Romanos pervenit; ideoque inter Romanas fruges non est inquirendum. et cl. *Fée* (*op. cit. T.* 2. *p.* 167.): Le *sécale* de Pline était-il bien le seigle des modernes?

SĔCĀLĪCĬUS. *V.* SEGALICIUS.

SĔCĀMENTUM, i, n. 2. (seco) opus sculpendi aut incidendi arte confectum. In plur num *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (42). Materies, quæ abieti pulcherrima, piceæ ad fissiles scandulas cupasque, et pauca alia secamenta. *h. e.* opera, quæ ex sectili ligno fiunt.

SĔCANS, antis, particip. *V.* SECO.

SĔCĀTĬO, ōnis, f. 3. sectio. *Præcept. music.* (ex *August.*) apud *A. Maium Nov. Coll. T.* 3. *p.* 133. Ipsæ duæ lineæ, quæ ipsa secatione fiunt, procul dubio lineæ sunt.

SĔCĀTUS, a, um, particip. *V.* SECO.

SĒCĒDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SĒCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (se et cedo) Part. *Secedens* I. 1. *a.* — Secedo est seorsum cedo, recedo, discedo, semigro, abeo, ἀναχωρέω (It. *tirarsi in disparte, ritirarsi, scostarsi, appartarsi, levarsi via, separarsi;* Fr. *s'en aller en se séparant de, s'eloigner, se retirer;* Hisp. *apartarse, alejarse, desviarse, retirarse;* Germ. *bei Seite gehen, weggehen;* Angl. *to go apart, retire, withdraw, step aside, retreat, secede*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ovid.* 11. *Met.* 186. secedit humumque Effodit. *Alii leg.* succedit. *Sueton. Tib.* 10. Statuit repente secedere. *Propert* 3. 12. 21. Lex igitur Spartana vetat secedere amantes. *scostarsi l'uno dall'altro.* et *Plin.* 3. *Ep.* 21. Prosecutus eram viatico secedentem. — *b*) Cum Ablat. ejus, a quo quis secedit, et præpos. *ab, de*, aut sine præpos. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 32. Secedant improbi, secernant se a bonis. nisi malis hunc loc. absolute accipere. *Propert.* 1. 10. 4. Secedere a lusu. *Plaut. Curc.* 2. 3. 2. fugite omnes, abite et de via secedite. *Ovid.* 2. *Met.* 465. deque suo jussit secedere cœtu. *Id.* 3. *ibid.* 467. Secedere nostro corpore. — *c*) Cum Accus. ejus, ad quem quis secedit, et præp. *ad. Liv.* 45. 36. Secedere ad deliberandum. *Sueton. Ner.* 15. ad consultandum. *Sall. Cat.* 20. In abditam partem ædium secessit. *Quintil.* 3. 1. 17. Quum in insulam secessisset Tib. Cæsar. — *d*) Cum adverb. motus ad locum. *Plaut. Capt.* 2. 1. 23. Secede huc nunc jam, si videtur procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant. ¶ 2 Speciatim in re civili de secessione dicitur, et idem valet. quod deficio, *ribellarsi. V.* SECESSIO. *Liv.* 7. 40. In Sacrum montem secesserunt. *Sall. Cat.* 34. *a med.* Plebs a patribus secessit. *Plin.* 15. *Hist nat.* 10. 15. (37). Quum plebs secessisset in Janiculum. *Seneca brevit. vit.* 13. Quod plebs eo secessisset. At *Forcellinus* hujus paragraphi exempla translatis adscripsit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 117. Antequam ego incipio secedere, et alia parte considere. *h. e.* discedere ab illorum sententia, *ut discedere in alia omnia.* et *Ep.* 25. *sub fin.* Tunc præcipue in te ipse secede, quum esse cogeris in turba. *ritirati in te stesso.* et *Gell.* 2. 12. Secedere a communi malo civitatis. *et Propert.* 1. 10. 9. a lusu. *Catull.* 64. 189. a fesso secedent corpore sensus. *Quintil.* 1. 12. 12. Secedere ad stilum. *ritirarsi a comporre.* et 10. 1. 91. Quid tamen his ipsis ejus operibus, in quæ juvenis secesserat. Alii leg. *successerat.* ¶ 2. Speciatim est disto, remotus sum. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ab init.* Villa decem et septem millibus passuum ab urbe secessit. *Ovid.* 6. *Fast.* 379. Et quantum a summis, tantum secessit ab imis Terra. *Claudian. Epith. Pallad. et Celer.* 62. quæ sic impervia famæ Secessit regio, quo non etc.? ¶ 3. Item, per euphemismum, est mori. *Inscript.* apud *Gruter.* 1059. 6. in *Bullett. dell' Istit. Arch. a.* 1870.

SĒCĔNA, æ, f. 1. (seco) culter, aut aliud instrumentum secando aptum. *Liv. Andr. com.* 2. Cf. *Ribbeck Coroll. p. VII.* V. SACENA.

SĒCERNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SĒCERNO, cernis, crēvi, crētum, cernere, a. 3. (se et cerno) *Secernier*, paragoge pro *secerni*, apud *Lucret.* 3. 263. — Part. *Secernens* I. c.; *Secretus* I. *b.* et in fin.; *Secernendus* I. *a.* et II. 1. *a.* — Secerno est cernendo separo, semoveo, sejungo, discerno, divido, ἀποκρίνω, ἀφορίζω (It. *cernere, separare, dividere;* Fr. *séparer par le triage, trier, mettre à part, séparer;* Hisp. *separar, apartar una cosa de otra, entresacar, escoger;* Germ. *ab-aussondern, ab-ausscheiden, trennen;* Angl. *to put asunder or apart, sever, part, separate, distinguish, secern*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Lucret.* 2. 729. terras ac mare totum Secernunt. *Varro* 2. *R. R.* 2. *a med.* Arietes, quibus sis usurus ad feturam, bimestri tempore ante secernendum et largius pabulo explendum. *Ovid.* 6. *Met.* 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo. *Id.* 3. *Fast.* 127. Secernere pares centum denos in orbes. *h. e.* distinguere, dividere in decem decurias. *Liv.* 7. 16. partem prædæ in publicum. *mettere a parte, riserbare.* et *Horat. Epod.* 16. 63. piæ secrevit littora genti. *h. e.* selegit et piis hominibus habitanda dedit. — *b*) Cum addito Ablat. ejus, a quo quis secernitur, et præp. *ab. Cic.* 1. *Cat.* 13. 32. Secedant improbi, secernant se a bonis. *Horat.* 3. *Od.* 3. 46. qua medius liquor Secernit Europen ab Afro. *Lucret.* 5 448. Secernere a terris cælum. *Ovid.* 1. *Met.* 23. cælum ab aere. *Liv.* 41. 3. inermes ab armatis. *Sueton. Aug.* 44. militem a populo. — Item Part. præter. pass. *Varro* 2. *R. R.* 2. *ante med.* Faciendum quoque sæpta secreta ab aliis, quo incientes secludere possit. *Id. ibid.* 1. 18. Secreti mares a feminis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 55. Habent suam sphæram stellæ inerrantes, ab ætheria conjunctione secretam et liberam. *Id. ibid.* 55. 137. Secretus succus a reliquo cibo. *Lucret.* 2. 912. manus a nobis. *Liv.* 6. 25. Secreti ab aliis ad tribunos adducuntur. — *c*) Item cum præp *e. de. Id.* 35. 14. *extr.* Quod e grege se imperatorum velut inæstimabilem secrevisset. *h. e.* numero imperatorum exemisset. *Sueton. Aug.* 94. Secernere unum e compluribus. *Id. Galb.* 18. monile ex omni gaza. *Seren. Sammon.* 27. 501. lympha intercus vitio gliscente tumescit, Secernens miseram proprio de viscere pellem *h. e.* divellens. — *d*) Poetice sine præpos. *Ovid. Heroid.* 18. 125. Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis? *Nemesian. Cyneg.* 294. pulvere puras secernere fruges.

II). Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 4. *Cat.* 7. 15. Hosce ego homines excipio et secerno libenter. — Passive. *Id. Top.* 7. 31. Non satis acute, quæ sunt secernenda, distinguit. — *b*) Cum addito Ablat. rei, a qua quis secernitur, et præp. *ab. Id. Amic.* 25. 95. Secerni blandus amicus a vero et internosci potest. *Id.* 2. *Orat.* 84. 341. Secernimus tertium genus a præceptis nostris. *Id. Sull.* 1. 3. Quæro, cur me a ceteris clarissimis viris in hoc officio secernas. *Id.* 1. *Off.* 27. 95. Venustas et pulcritudo corporis secerni non potest a valitudine. *Liv.* 4. 57. Secernere sua a publicis consiliis. *Quintil.* 1. 11. 17. ipsam pronunciationem ab oratore. *Id.* 2. 15. 2. dicendi facultatem a majore vitæ laude. *Sueton. Ner.* 19. hæc a probris ac sceleribus ejus. — *c*) Poetice cum Ablat. sine præpos. *Horat.* 1. *Od.* 1. 30. me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo. *distinguono.* et *Art. P.* 397. Publica privatis secernere, sacra profanis. *Id.* 2. *Sat.* 3. 113. Justo secernere iniquum. *et ibid.* 6. 63. turpi honestum. ¶ 2. Speciatim est eligo, seligo, ἀπεκλέγομαι. *Cic.* 1. *Att.* 16. 3. Secernere frugalissimum quemque. *Sueton. Vitell.* 2. minus idoneos senatores. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Secretus, a, um, adjectivorum quoque more occurrit; unde Comp. *Secretior* I. 2. et II. 1.; Sup. *Secretissimus* I. 2.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 9. *L. L.* 38. *Müll.* Singularibus et secretis vocabulis appellare aliquid. *Id.* 1. *R. R.* 54. 2. Uva electa in secretam corbulam contrudatur. *in corbello a parte.* et *Liv.* 1. 52. Secretum imperium habere. ¶ 2. Speciatim est solitarius, desertus, semotus, abditus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 104. Secretum iter. *solingo, romito.* et *Art. P.* 298. loca. *Virg.* 6. *Æn.* 477. arva tenebant Ultima, quæ bello clari secreta frequentant. *et* 8. *ibid.* 609. natumque in valle reducta Ut procul egelido secretum in flumine vidit. *solo soletto.* et *Martial.* 7. 32. Secreta quies. *h. e.* quæsita procul ab honoribus et foro. *Seneca Ep.* 91. *ante med.* Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis, secretissimos tumultus. *ritiratissimi, i più solitari.* et *Tac. Agric.* 38. Proximus dies faciem victoriæ latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta. *solitari, abbandonati*, nullo hostium apparente. *Petron. Sat.* 100. Ut super constratum navis occuparemus secreti primum locum. *Tac.* 11. *Ann.* 21. Vacuis porticibus secretus agitat. *Quintil.* 11. 1. 71. Loco celebri, secreto. — Neutr. plur. absolute. *Tac. Germ.* 41. Pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur. *V.* infra *Secretum, i.* — Poetice loco adverbii clam, secreto. *Virg.* 4. *Æn.* 499. Tu secreta pyram tecto interiore sub auras Erige. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 78. Stridere secrete divisos aure susurros.

II.) Translate. ¶ 1. Secretus est occultus, minime notus, arcanus, *secreto, occulto, arcano*, ἀπόρρητος. *Ovid.* 7. *Met.* 138. carmen Auxiliare canit, secretasque advocat artes. *h. e.* magicas. *Petron. Sat.* 128. Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum Excutiat gremium secreti conscius auri. *et ibid.* 3. Quoniam amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. *Lucan.* 1. 599. qui fata deum secretaque carmina servant. *h. e.* libros Sibyllinos. *Quintil.* 1. 1. *a med.* Epistolæ secretæ et familiares. *et ibid. ad fin.* Interpretationem linguæ secretioris, quas Græci γλώσσας vocant, ediscere. *h. e.* a vulgi sensu remotioris. *Tac.* 4. *Ann.* 38. Secreti sermones. *h. e.* privati. *Martial.* 1. 67. Secreta quære carmina et rudes curas. *h. e.* reposita, latentia, in vulgus nondum edita. *Id.* 3. 77. Nescio quod stomachi vitium secretius esse Suspicor. *Id.* 8. 15. Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos. *h. e.* sine ulla pompa aut ostentatione actos laurea solum Jovi Capitolino missa. *Plin.* 7. *Ep.* 9. Audax hæc, non tamen improba, quia secreta contentio. *Quintil.* 2. 18. 4. Est aliquis ex secretis studiis fructus. *Id.* 12. 2. 7. Secretæ disputationes. *Tac. Agric.* 40. Libertus ex secretioribus ministeriis missus ad Agricolam. *de' più confidenti.* et *Martial.* 5. 5. Et secreta ducis pectora nosse licet. *i secreti.* — Absolute. *Publil. Syr.* 380. Malus animus in secreto pejus cogitat. ¶ 2. Item selectus, eximius. *Quintil.* 9. 3. 5. Figuræ secretæ et extra vulgarem usum positæ, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant. ¶ 3. Et probibitus, privatus, cum Ablativo aut etiam Genetivo. *Lucret.* 1. 194. Nec porro secreta cibo natura animantum Propagare genus possit vitamque tueri. *Id.* 2. 841. Sed ne forte putes solo spoliata colore Corpora prima manere, etiam secreta teporis Sunt, ac frigoris omnino calidique vaporis.

Secretum, i, sing. et *Secreta, ōrum*, plur. n. 2. absolute, substantivorum more, locus remotus ab urbe et frequentia hominum, secessus, rus, *ritiro, luogo solingo, villa.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Tac.* 14. *Ann.* 53. Augustus Agrippæ Mitylenense secretum permisit. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Altum abditumque se-

cretum. *Id.* 3. *Ep.* 1. Quam pulcrum illud, quam dulce secretum! *Quintil. declam.* 17. 17. Secretum solitudinemque captare. *Lucan.* 3. 313. lacrimas civilibus armis, Secretumque damus. *h. e.* secessum, receptaculum. *Virg.* 6. *Æn.* 10. horrendæque procul secreta Sibyllæ. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 71. ubi se a vulgo et scæna in secreta remorant, etc. *Phædr.* 4. 24. Simonides, Victoris laudes cuidam pyctæ ut scriberet, Certo condixit pretio: secretum petit. *h. e.* secedit in locum remotum scribendi causa. *Id.* 3. 10. Seductus in secretum a liberto suo. *tratto in disparte.* et *Plin.* 9. *Ep.* 33. Locus ipse quietem secretumque perdebat. *la solitudine, il silenzio.* et *Tac. Agric.* 39. *ad fin. de Domitiano* Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus. *del suo ritiro e de' suoi secreti pensieri.* Sic *Quintil.* 1. 4. 5. Grammatica necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes. *de' ritiri e delle villeggiature.* — *Secretum petere*, secreto colloquendi copiam petere, *dimandare udienza in secreto.* *Sueton. Tib.* 25. *in fin.* Secretum petenti, non nisi adhibito filio Druso dedit. *Tac.* 2. *Hist.* 4. Petito secreto, futura aperit. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 5. *a med.* ¶ 2. Specialim *secretum* est ipsa commoratio in secreto loco, *lo star solo.* *Ovid. Heroid.* 21. 21. Mox ubi secreti longi causa optima somnus Credibilis tarda desinit esse mora etc. *Tac.* 13. *Ann.* 18. Crebra cum amicis secreta habere. *h. e.* cœtus.

II.) Translate arcanum, res occulta, quam taciti apud nos servamus, *secreto, arcano,* ἀπόῤῥητον. *Petron. Sat.* 21. Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis, inter nos periturum esse tam horribile secretum. *Id. ibid.* 20. Periculosum est alienis intervenire secretis. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Quin etiam uxor quamquam omnis secreti capacissima, digrediebatur. *Seneca Ep.* 83. *a med.* Secreta continere. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (141). animi proferre. *Tac.* 4. *Ann.* 7. *extr.* prodere. *Id.* 6. *ibid.* 3. omnium rimari. et 4. *ibid.* 6. *a med.* Secretorum particeps. *Id. Germ.* 9. Lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident. *h. e.* incomprehensibilem numinis vim. *Seneca Hippol.* 884. Verborum vi secreta mentis extrahere. *Tac. Germ.* 19. Litterarum secreta viri pariter ac feminæ ignorant. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 13. Secreta civilium sacrorum. *Val. Flacc.* 3. 200. Ophelten vana sonantem, Qua stomachi secreta ferit. *h. e.* intima et vitalia. *Capell.* 9. *p.* 302. Secretis sanctioribus alumnatus. *Maximian.* 5. *Eleg.* 95. Conscia secreti semper fidissima nostri. *Vulgat. interpr. Prov.* 20. 27. Secreta investigare. *Id. Job* 11. 6. ostendere. *Id. Amos* 3. 7. revelare. *Id. Is.* 45. 3. Arcana secretorum.

Secreto, occurrit etiam adverbialiter et est seorsum, separatim, *separatamente, in disparte,* κατ' ἰδίαν.

I.) Proprie. *Liv.* 3. 36. Impotentibus instructi consiliis, quæ secreto ab aliis coquebant. *Justin.* 8. 4. *sub fin.* Secreto auditæ utræque legationes. *Afran.* apud *Charis.* 2. *p.* 196. *Putsch.* Idcirco hæc agere tecum secreto volui. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 14. Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi, ut tuam rem tecum hic loquerer familiarem. *Seneca Ep.* 10. Quum vidisset adolescentulum secreto ambulantem, interrogavit, quid illic solus faceret. *Cic.* 7. *Att.* 8. Ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus. *in disparte.* et *Sall. Jug.* 9. *ad fin.* Laudatum pro concione Jugurtham in prætorium abduxit, ibique secreto monuit, uti etc. *da solo a solo.* et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 69. (6). *de avib.* Docentur (*loqui*) secreto, et ubi nulla alia vox misceatur. *Petron. Sat.* 28. In aurem aliquid secreto dicere. *Cic.* 7. *Fam.* 25. Secreto hoc audi, tecum habeto, ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris. *tu solo, e non altri.*

II.) Translate est occulte, clam, *secretamente, in secreto,* ἀποῤῥήτως, et opponitur τῷ *palam.* *Plaut. Truc.* 2. 7. 7. quandoquidem ipsus perditum se it, Secreto hercle equidem illum adjutabo: neque mea quidem Opera unquam nihilominus propere, quam potest, peribit. *Plin.* 3. *Ep.* 20. *a med.* Quotocuique eadem honestatis cura secreto, quæ palam?

SECERPO, pis, psi, ptum, pere, a. 3. seorsum carpo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 145. Sunt tamen, qui leg. apud *Hieronym. Ep.* 131.

SECESPITA, æ, f. 1. ¶ 1. Est genus cultri in sacrificiis adhibitum, fortasse a *seco* σπάθη, spatha, gladius. De hoc *Festus p.* 348. 4. *Müll.* Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clavis aeneis, ære Cyprio: quo Flamines, Flaminicæ virgines pontificesque ad sacrificia utuntur. *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 262. stellatus iaspide fulva Ensis: eamdem descriptionem habet, dictamque esse secespitam a *secando*. et *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 336. 9. *Müll.* Secespitam alii securim, alii dolabram aeneam, alii cultellum esse putant. *Sueton. Tib.* 25. *ad fin.* Nam et inter pontifices sacrificanti simul, pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit. ¶ 2. Pergit *Festus ibid.* Eadem alias dicitur, qua in sacrario utuntur. sacraria namque in templis reticulo aeneo olim sæpiebantur: in quo tubæ relictæ sunt, per quas manibus sacra tangere licet. Est hoc in templo Bonæ Deæ: sed et aliis in locis: et sunt velut repagula quædam. Ita secespitæ dicuntur duobus modis. Hæc *Festus.*

SECESSIO, onis, f. 3. (*secedo*) discessio, recessus in aliquem locum secretiorem et minus frequentem, ἀναχώρησις (It. *partenza, ritiramento;* Fr. *action de se retirer, de se séparer, d'aller à l'écart, retraite;* Hisp. *la accion de retirarse, apartamiento, separacion;* Germ. *d. Abseitsgehen;* Angl. *a retiring, withdrawing, going asid or apart, secession*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Mur.* 24. 49. Mœstos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant. ¶ 2. Specialim de actu, quo plebs Romana, quum a patribus defecisset, agmine facto, alio hostiliter concessit; hinc interdum sumitur pro defectione, divisione populi aut exercitus in duas pluresve partes. *Varro* 5. *L. L.* 81. *Müll.* Tribuni plebei, quod ex tribunis militum primum tribuni plebei facti qui plebem defenderent, in secessione Crustumerina. *Cic.* 1. *repubb.* 40. 62. Secessiones plebei. *Liv.* 2. 32. Piso auctor est, secessionem factam esse in Aventinum. *Cic. Ligar.* 6. *ad fin.* Secessionem tu illam existimavisti, Cæsar, initio, non bellum et non hostile odium, sed civile dissidium. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Divulgato Domitii consilio, milites, qui erant Corfinii, secessionem faciunt. *ammutinamento, rivolta.* — Quater Romana plebs, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, ut ait *Sall. Cat.* 34., armata a patribus secessit. Prima secessio in Sacrum montem facta est ob feneratorum injustitiam. *Liv. loc. cit.* et *Flor.* 1. 23. Secunda in Aventinum propter stuprum ab Appio Claudio ingenuæ virgini illatum. *Liv.* 3. 5., *Flor.* 1. 24. et *Eutrop.* 1. 18. Tertia in Janiculum, ob matrimonia plebejorum cum patriciis, ut vult *Flor.* 1. 25., vel ob æs alienum, ut est in *Epit. Liv.* 11. *sub fin* V. *Augustin.* 3. *Civ. D.* 17. Quartam facit *Flor.* 1. 26. ob cupiditatem honorum, adnitente plebe, ut secum patricii magistratus communicarentur. Sed in hac nulla secessio facta est: pertinax tantum discordia grassari prius non destitit, quam quod cupierat, obtineret. V. *Liv.* 6. a c. 34.

II.) Translate. *Chalcid. Tim.* 41. Secessio animi.

NB. Secessio, dictio seu narratio, apud *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 336. 10. *Müll.* Secessiones, narrationes. Sed alii leg. *sectiones,* alii vero *secitiones,* ut sit a verbo inusit. *secere,* hoc est dicere. Sane insectiones pro narrationes dictum esse testatur *Gell.* 18. 9. (Cf. SEQUOR et EXSEQUOR) *V.* ibid. adnot. *Mülleri.*

Homonym. Quid discriminis intercedat inter *secessionem* et *seditionem*, V. in SEDITIO.

SECESSUS, us, m. 4. (*secedo*) secessio, abscessio, discessus, *ritiramento, partenza,* ἀποχώρησις, ἀναχώρησις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (76). In secessu avium et noctuæ paucis diebus latere traduntur. *Id.* 8. *ibid.* 36. 54. (126). Secessus ferarum in specus. *Gell.* 2. 1. Tamquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. *estasi.* ¶ 2. Specialim dicitur de recessu a frequentia hominum et a negotiis, v. gr. quum quis ab urbe discedit, et rus abit, remissionis et otii causâ. *Sueton. Tib.* 56. Existimans exprobratum sibi veterem secessum. *Tac.* 1. *Ann.* 4. *ad fin.* Annis, quibus specie secessus exsulem egit. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Quin ipse te in alto isto pinguique secessu studiis adseris? *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 41. Carmina secessum scribentis et otia quærunt. *Quintil.* 10. 5. *a med.* Mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. *h. e.* in studia remota a contentionibus fori. ¶ 3. Item de secessione civili. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (56). Nemo iratæ plebis secessus circumspexerit. *V.* voc. præced.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice dicitur de loco, quo secedimus: et qui a frequentia remotus sit, *ritiro,* *Virg.* 1. *Æn.* 163. et 3. *ibid.* 229. in secessu longo sub rupe cavata. *Plin. Paneg.* 49. Arcana illa cubilia, sævique secessus, in quos timore et superbia et odio hominum agebatur. *et ibid.* 83. Cubicula ipsa, intimosque secessus recludere. *Tac.* 14. *Ann.* 62., *Juvenal.* 3. 5. et *Sueton. Cal.* 45. *extr.* Amœnos secessus celebrare. *Id. Aug.* 72. Ex secessibus præcipue frequentavit maritima insulasque Campaniæ. ¶ 2. Item de postica corporis parte, *secesso.* *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 2. Totum quod curamus, quod voramus, in secessum projici. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 468. *Burmann.* Nam turpes fætore gravi, si forte loquaris; Si taceas, binis secessum naribus efflas. ¶ 3. Est etiam locus, in quo venter exoneratur. *Vulgat interpr. Matth.* 15. 17. Omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur Adde *Gloss. Lat. p.* 269. *n.* 5. ¶ 4. Metaphorice. *Val. Max.* 7. 2. 9. *extern.* In secessu, quam in fronte beatior *nell' interno dell' animo.*

SECINGO, cingis, cinxi, cinctum, cingere, a. 3. seorsum cingo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 158.

SECIPIO, cipis, cepi, cipere, a. 3. seorsum accipio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 17.

SECIUM *et* secivum est, quod secespitâ secatur, libum seu placenta, quæ soleat necessariis sacrificiis adhiberi. *Festus p.* 348. 16. *Müll.*

SECIUS. *V.* SECUS.

SECIVUM. *V.* SECIUM.

SECLUDO, cludis, clusi, clusum, cludere, a. 3. (*se et cludo vel claudo*) Part. *Seclusus* in omnib. paragr. et in fin. — Secludo est seorsum claudo, sejungo, separo, ἀποκλείω (It. *chiudere a parte, serrar fuori, separare;* Fr. *enfermer séparément, isoler, fermer;* Hisp. *encerrar separadamente, apartar una cosa de otra, separar;* Germ. *besonders verschliessen, abschliessen, einsperren;* Angl. *tho shut apart, shut out, seclude, separate*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Varro* 2. *R. R.* 2. 8. Faciendum sæpta secreta ab aliis, quo incientes secludere possis. *Stat.* 1. *Achill.* 358. ne lustris nemorum concede vagari: Intus ale, et similes inter seclude puellas. *Cic.* 2. *Orat.* 39. 162. Illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat. *Festus p.* 318. 15. *Müll.* Seclusa sacra dicebantur, quæ Græci mysteria appellant. *h. e.* sacra Cereris, quæ clausa occulebantur in cistis. *V.* CISTA. — *b*) Mediorum apud Græcos more, secludi idem ac delitescere, se occultare, cum aut sine præpos. *Propert.* 1. 20. 29. sub extrema pendens secluditur ala. *Virg.* 3. *Æn.* 446. Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo, Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit. *h. e.* extra antrum posita.

II.) Translate. — *a*) Universim *Varro* 2.

R. R. 15. *a med.* Quum parere cœperunt, inigunt in stabula ea, quæ habent ad eam rem seclusa. — *b*) Sæpius cum Ablat. et præp. *ab*, aut sine præp. *Cæs.* 1. *B. C.* 55. Cohors seclusa a ceteris. *Id. ibid.* 97. *ad fin.* Munitione flumen á monte seclusit, ne Pompejani aquari possent. *Id.* 3. *ibid.* 69. Dextrum cornu, quod erat a sinistro seclusum. *Liv.* 29. 9. Ab suis interceptus et seclusus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (125). Mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum. *Id.* 6. *ibid.* 17. 20. (55). Gens apriciş ab omni noxio afflatu seclusa collibus. *Lucret.* 5. 753. cur luna queat terram secludere solis Lumine. *Plaut. Rud.* 1. 4. 1. vitam corpore, *cacciar l'anima dal corpo.* — Metaphorice. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 23. *de eo, qui in carcere tenetur.* A conspectu parentum ac liberum, denique a libero spiritu et communi luce seclusus. *Virg.* 1. *Æn.* 566. Solvite corde metum, Teucri, secludite curas. Ubi *Servius*: pro excludite: quod fit aut propter hiatum, aut propter suavitatem, ut (1. *Ecl.* 15.) silice in nuda connixa reliquit: pro enixa. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus.

Seclusus, a, um, adjective quoque occurrit, et est remotus, solitarius, secretus. *Virg.* 6. *Æn.* 704. videt Æneas in valle reducta Seclusum nemus. Absolute *Varro* 3. *R. R.* 5. 6. Hoc ideo in secluso clam, ne reliqui, si videant, despondeant animum. *h. e.* loco secreto ac remoto. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 72.

SECLUM. *V.* SÆCULUM.

SĒCLŪSŌRIUM, ii, n. 2. ἐκκλεισωτήριον, locus, in quo aliquid secluditur. *Varro* 3. *R. R.* 5. Excluduntur (*aves*) in minusculum aviarium, quod est conjunctum cum majore, ostio et lumine illustriore, quod seclusorium appellant.

SĒCLŪSUS, a, um, particip. *V.* SECLUDO.

SĔCO, sĕcas, sĕcŭi, *raro* sĕcāvi, sectum, *raro* sĕcatum, sĕcare, a. 1. *Secarunt* pro *secaverunt* occurrit in *Inscript.* apud *Orell. n.* 4944. (V. *Inscipt. Neapol.* 7143.) Item *secarit* pro *secaverit* apud *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 2. — *Secatus* pro *sectus* in *Inscript. Chr.* apud *De-Rossi, T.* 1. p. 265. MVNERA PRINCIPIBVS COLLA SECATA DEDIT. *Vulgat. interpr.* apocr. 4. *Esdr.* 4. 32. Quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quam magnam aream incipient facere? Adde *Æmil. Macr. c.* 43. *v.* 7. *de Iri, p.* 240. — *Secaturus*, pro *secturus*, apud *Colum.* 5. *R. R.* 9. 2. — Ratione habita etymi, vox derivatur a Sanskr. *sagh*, ferire, cædere; vel a Gr. adv. ἑκάς, quod separationem, seu divisionem significat; unde ἕκαστος, quisque, et Lat. secus. — Part. *Secans* I. 1. et II. 2. et 3.; *Sectus* in omnib. fere paragr. et *Secatus* init.; *Secturus* et *Secaturus* I. 1.; *Secandus* II. 3. — Seco duo diversa significat.

A) Seco est cædo, excido, reseco, τέμνω, κόπτω, πρίω (It. *tagliare, segare, fendere;* Fr. *couper, trancher, découper en morceaux, en pièces;* Hisp. *cortar, trinchar, despedaza;* Germ. *schneiden, abschneiden, zerschneiden;* Angl. *to cut, cut off or asunder*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Merc.* 2. 2. 38. Cape cultrum, seca digitum vel aurem, vel tu nasum vel labrum. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Pabulum secari non posse. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Omne animal secari et dividi potest. *Id. Petit. cons.* 3. Qui stanti collum gladio dextera sua secuerit. *Martial.* 5. 48. Secare capillos. *Virg.* 3. *G.* 126. pubentes herbas. *Horat.* 4. *Od.* 4. 61. Hydra secto corpore firmier. *Id.* 2. *Sat.* 4. 67. Sectæ herbæ. *Id.* 1. *Ep.* 1. 104. prave sectum stomacheris ob unguem. *Colum. loc.* supra *cit.* Supra quam (partem) ramum secaturus es. Perperam igitur *Beda de Orthogr. p.* 289. 22. *Keil.* Secturus, non secaturus, a verbo quod est seco. *Martial.* 12. 83. Exiguos secto comentem dente capillos. *h. e.* pectine. *Seneca Troad.* 76. Secare comas. *h. e.* metere. *Flor.* 1. 5. cotem novacula. *Val. Flacc.* 7. 607. velut campos Libyes ac pinguia Nili Fertilis arva secat. *h. e.* vomere proscindat, *ari.* et *Seneca Troad.* 559. vinclis manus secantibus præstricta. *che segano i polsi.* et *Lucan.* 10. 144. secti orbes Atlantide silva. *h. e.* mensæ rotundæ e citro. — *b*) Cum addito Accus. et præp. *in*. *Virg.* 1. *Æn.* 216. Secare tergora in frusta. *Justin.* 18. 5. *circa med.* corium in tenuissimas partes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (126). Cornua in laminas secta translucent. *Id.* 16. *ibid.* 43. 84. (229). Secare ilicem in laminas prætenues. ¶ 2. Specialim in partes divido, *trinciare. Juvenal.* 5. 123. nec minimo sane discrimine refert, Quo gestu lepores, et quo gallina secetur. (Adde 11. 135.) *Martial.* 3. 77. sectæ quadra placentæ. et 9. 91. Quadra de placenta secta. *Virg.* 3. *Æn.* 464. dona secto elephanto. *h. e.* ebore sectili. *Horat.* 2. *Od.* 18. 17. Secta marmora. Sic *Lucan.* 10. 113. sectisque (*domus*) nitebat Marmoribus. (Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 8. (50).) *V.* SECTILIS. ¶ 3. In re medica est amputare, *operare, amputare. Plaut. Pers.* 2. 5. 13. Secare vomicam. *Martial.* 11. 84. Mitior implicitas Alcon secat enterocelas. *Cic.* 8. *Phil.* 5. 15. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur. (Adde *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 6. (13).) *Id.* 2. *Tusc.* 15. 35. Quum varices secabantur C. Mario, dolebat. *Id. ibid.* 22. 53. Marius quum secaretur, vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 78. (126). Fistulæ in omni parte serpunt, medicorum vitio male sectis corporibus. *Id. ibid.* 11. 69. (112). Membra, quæ periclitantur, secari. — Hinc *secta* neutr. plur. absolute, pro partibus corporis sectis. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (126). Spongiæ ex aqua cælesti impositæ secta recentia non patiuntur intumescere. *i tagli freschi.* ¶ 4. Est etiam evirare, castrare. *Martial.* 9. 7. Non puer avari sectus arte mangonis Virilitatis damna mœret ereptæ. et 5. 41. Sectus Gallus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim pro dividere, partiri. *Lucan.* 1. 101. qualiter undas qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos. ¶ 2. Specialim *secare* sæpe dicuntur quæ medium quampiam rem pertranseunt, et dividunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (331). Limes, qui ita secabit agrum, decumanus vocabitur. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (82). Apelles vinci erubescens, tertio colore lineas secuit. et 37. *ibid.* 10. 63. (174). Mesomelas (*gemma*) nigra vena quemlibet colorem secante per medium. *Id.* 5. *ibid.* 27. 22. (92). Amnis urbem secans. et *ibid.* 9. 10. (53). et *Virg.* 7. *Æn.* 717. et *Plin. alter* 5. *Ep.* 6. Nilus medios Æthiopas secat. *Horat.* 3. *Od.* 27. 75. tua sectus orbis Nomina ducet. *h. e.* orbis terræ pars una. *Ovid.* 2. *Fast.* 703. Hortus odoratis suberat cultissimus herbis Sectus humum rivo lene sonantis aquæ. *intersecato.* et *Seneca Thyest.* 845. Signifer secat obliquo tramite zonas. *Martial.* 9. 58. Nec quæ Flaminiam secant salebræ. *h. e.* per mediam Flaminiam obsitæ viam impediunt. *Virg.* 10. *Æn.* 440. Turnum, qui volucri curru medium secat agmen. *h. e.* penetrat, et disjicit. Sic *Claudian. VI. cons. Honor.* 468. et stricto prosternens omnia ferro, Barbara fulmineo secuit tentoria cursu. ¶ 3. *Secare viam, mare, auras* etc. dicuntur qui viam carpunt, navigant, natant, volant etc.; tellurem enim quodammodo, undas et auras dividere ac secare videntur: et poetica fere sunt. *Virg.* 6. *Æn.* 900. Ille viam secat ad naves, sociosque revisit. *Quintil.* 3. 1. *a med.* Hinc velut diversæ secari cœperunt viæ. Sic *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 15. Solliciti jaceant, terraque prementur iniqua, In longas orbem qui secuere vias. Aut juvenum comites jussissent ire puellas, Si fuit in longas terra secanda vias. et *Sil. It.* 2. 170. Obliquos detorquet equos, lævumque per orbem Fallaci gyro campum secat. et *Grat. Cyneg.* 225. canis majore secat spatia exteră gyro. *Virg.* 5. *Æn.* 594. Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium Libycumque secant. et 5. *ibid.* 218. Sic ipsa fuga secat ultima Pristis Æquora. *Ovid.* 11. *Met.* 478. medium non amplius æquor Puppe secabatur. Sic 1. *ibid.* 370. Cephisides undæ jam vada nota secantes. *h. c.* alveo suo decurrentes. et *Virg.* 9. *Æn.* 103. Galatea secat spumantem pectore pontum. et 8. *ibid.* 96. viridesque secant placido æquore silvas. *h. e.* umbras arborum in flumine. et *Seneca Agam.* 429. Aurata primas prora designat vias, Aperitque cursus, mille quos puppes secent. *Virg.* 12. *Æn.* 267. sonitum dat stridula cornus, et auras Certa secat. et 1. *G.* 406. avis secat æthera pennis. Sic 4. *Æn.* 257. terras inter cælumque volabat, Litus arenosum Libyæ, ventosque secabat Cyllenia proles. et 9. *ibid.* 15. *de Iride.* Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. *h. e.* duxit quasi nubes aurasque coloribus suis secando. et *Seneca Herc. Œt.* 680. Phaethon Phœbeis ignota secat Sidera flammis errante rota. — Porro ut *secare viam* est viam carpere, *via secta* est ducta, facta. *Lucan.* 5. 272. inde super terras fluit (*aqua*) agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit undas. *Virg.* 1. *G.* 238. via secta per ambas (*zonas temperatas*), Obliquus qua se Signorum verteret ordo. Sic 2. *ibid.* 277. nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret. ¶ 4. Item est vulnero, scalpo, lædo, cædo. *Virg.* 10. *Ecl.* 49. Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas! et 3. *G.* 444. hirsuti secuerunt corpora vepres. *Ovid.* 1. *Met.* 508. ne prona cadas, indignave lædi Crura secent sentes. *Tibull.* 1. 10. 22. intorto verbere terga seca. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 46. luctantis acuto ne secer ungui. *Id. Epod.* 4. 11. Sectus flagellis hic triumviralibus Præconis ad fastidium. *Lucan.* 1. 565. quos sectis Bellona lacertis Sæva movet. *Propert.* 3. 21. 8. Sectaque Persea Phorcidos ora manu. *capo mozzato.* et 4. 4. 26. hirsutis brachia secta rubis. *Martial.* 10. 5. *a med.* severi sectus Æaci loris. *Id.* 2. 66. Et cecidit sectis icta Plecusa comis. *h. e.* laceratis. *Ovid.* 6. *Fast.* 148. Genæ rigido ungue sectæ. *graffiate.* ¶ 5. Item crucio, lancino, torqueo. *Catull.* 71. 2. Aut si quem merito tarda podagra secat. *Martial.* 9. 93. podagra cheragraque secatur Caius, et mallet verbera mille pati. ¶ 6. Pro rodere, absumere. *Plaut. Most.* 3. 2. 138. Postes ab infimo tarmes secat. Sic *Lucil. p.* 125. *Mull.* Lanai opus omne perit: pallor, tiniæ omnia cædunt.

III.) Figurate. ¶ 1. Est pungo, perstringo, mordeo. *Pers.* 1. 114. secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis. *trinciò.* ¶ 2. Item divido, partior. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 117. Quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. *Quintil.* 4. 5. 6. Scrupulose in partes secta (*al.* sectæ) divisionis diligentia. *Id. ibid.* 25. Quæ natura singularia sunt, secant. *Id.* 8. 6. 13. Secantur hæc in plures (partes). *Id.* 12. 2. 13. Sectæ ad tenuitatem vires. *Ovid. Remed. am.* 443. Secta bipartito quum mens discurrit utroque. — Apud geometras et mathematicos. *Boeth.* 1. *Arithm.* 10. Incurris in imparem (numerum) quem secare non possis. *Id. Art. geom. p.* 386. *Friedl.* In duas æquas partes eam (lineam) angulus secat. ¶ 3. Item dirimo, *terminare, disbrigare, decidere, troncare. Horat.* 1. *Sat.* 10. 15. ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res. *Id.* 1. *Ep.* 16. 42. Quo multæ magnæque secantur judice lites.

B) Seco aliquando est sequi; unde *secta* et *sectores*. *Virg.* 10. *Æn.* 107. Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem, Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. Ita et *Servius* ad *h. l.* Si poeta, ut ait *Heyne*, archaismum sectatus *secit* scripsisset, posset esse antiqua vox *seco*, *secere* pro *sequo, sequere*, unde *sequor* mansit. *Turnebus* exposuerat *sumit*, h. e. sibi partem sumit spei sectæ, ita ut Italice sensus esset: *qualunque ha la parte di speranza che ciascun si prende o si arroga.* et *Scaliger* alio sensu: *aperit*, ut qui viam secat, aperit. Sed hæc dura sunt et longe petita. *Spem incidere* et, ex Horatio, *spem longam resecare*, rationem certam loquendi satis produnt, quæ quidem ita fert, ut *spem secare* sit incidere, intercipere spem. Viderint eruditi.

SĔCO, is, cŭi, ctum, cere, a. 3. ab eadem origine, qua *seco, as*, duci potest, sed alia signifi-

catione: est enim idem ac dico, narro. *V.* INSECO et SEQUOR.

SĒCORDĬA, æ, f. 1. et

SĒCORS, ordis. *V.* SOCORDIA et SOCORS.

SĒCRĒTĀRĬUM, ii, n. 2. (secretus) locus secretus, penetrale.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Apul. de Mundo.* Ignes qui terræ secretariis continentur. *Id. Florid. n.* 17. *ad fin.* Avibus hæc secretaria utique magis congruerint. *h. e.* solitudines. ¶ 2. Specialim conclave, in quo judices considebant: judiciale secretum *Ammian.* 15. 7. *a med.* appellat. *Augustin. Serm.* 47. Ultimam sententiam judex in tabella descripturus manu sua, ultra quam sententiam nihil jam judicaturus est, partes non audiunt, illis foras exeuntibus scribitur: attonitæ sunt ambæ partes atque suspensæ, contra quam, vel pro qua sententia illius procedat: magnam secretum judicis, unde secretarium nominatur. *Lactant. Mort. persecut.* 15. Tormentorum genera inaudita excogitabantur: et ne cui temere jus diceretur, aræ in secretariis, ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. sic ergo ad judices, tamquam ad deos, adiretur. Adde *Imp. Zenon. Cod.* 3. 24. 3. et *Impp. Arcad. et Honor. ibid.* 9. 3. 16. et *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 1. 7. 1. ¶ 3. Item locus, in quo senatus habebatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 170. 5. (*Orell.* 28.) SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD VIR ILLVSTRIS FLAVIANVS INSTITVERAT ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT FLAVIVS ANNIVS EVCHARIVS EPIFANIVS V. C. PRAEF. VRB. REPARAVIT. ¶ 4. Item locus in Ecclesia, vel Ecclesiæ adjunctus, ubi episcopus vel presbyter audiendis ac dirimendis laicorum negotiis vacabat: ubi etiam sacræ vestes et supellex ad rem sacram faciendam necessaria adservabantur. *Sulpic. Sever. de S. Mart. dial.* 2. *c.* 1. Secretarium ingressus, quum solus, ut erat consuetudo, resideret, quum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati etc. V. *Paulin. Nolan. epist.* 32. (*al.* 12.) *n.* 16. — De hujusmodi secretariis, videsis opus cl. *Fr. Cancellieri, de Secret. Basil. Vatic. nov. et vet., Romæ an.* 1786.

II.) Translate. *Augustin. in Psalm.* 76. Secretarium mentis. et *in Psalm.* 34. Interiora mentis secretaria.

SĒCRĒTĒ, adverb. (secretus) Comp. *Secretius.* — Secrete est occulte, privatim, secreto. *Tertull. Orat.* 1. *a med.* Præceptum secrete adorandi. *Id. Pall.* 4. *ad fin.* Lecticas domestice ac secrete habere. *Augustin. serm.* 387. 1. Secrete aut publice. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 2. Tam secrete quam publice pagani sacrificia celebrabant. Adde *Juvenc.* 3. 205. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* De quibus suo loco dicam secretius, ne inter hanc quasi turbam operum negligentius olitoris officia desoripsisse videar. *più a parte, più specialmente.* et *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 4. In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius. *tacitamente, senza strepito.* et *Augustin.* 8. *Confess.* 2. Et dicebat Simpliciano non palam, sed secretius et familiarius.

SĒCRĒTIM, adverb. (secretus) idem quod secrete. *Ammian.* 29. 1. 6. Fidustium et Pergamium nomen imperaturi post Valentem dotestandis præsagiis didicisse secretim.

SĒCRĒTĬO, ōnis, f. 3. (secerno) actus secernendi, *separazione,* ἔκκρισις. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Est interitus quasi discessus, et secretio ac diremptio earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. Adde *Chalcid. Tim.* 353

SĒCRĒTO. *V.* SECERNO in fin.

SĒCRĒTUS, a, um, particip. *V.* SECERNO.

SECTA, æ, f. 1. ratio vitæ, institutum, disciplina, vel etiam familia, schola, congregatio hominum in studiis aut in alia re quapiam idem sentientium, et unum aliquem ducem sequentium: a *seco,* qua cædere significat, quia secta, h. e. divisa est ab aliis: vel qua significat sequi, quia peculiare institutum sequitur: vel a *sequor,* a quo *sector* verbum ac nomen, αἵρεσις (It. *speciale modo di pensare ed operare, o partito, fazione, setta;* Fr. *façon ou manière d'agir, genre de vie, voie qu'on suit, ou parti, école, secte;* Hisp. *sistema, doctrina, máxima, opinion particular, secta, partido;* Germ. *d. Folge, d. i. die Grundsätze, d. Jmd befolgt, d. Denk- und Handlungs-od. Verfahrungsweise, Schule, Secte;* Angl. *an opinion, way, manner, or a sect, party, faction*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Catull.* 63. 15. Sectam meam exsecutæ. Loquitur hic Atys ad comites suos. *Lucret.* 5. 1114. Divitioris enim sectam plerumque secuntur Quamlibet et fortes et pulcro corpore creti. *Cic. Cœl.* 17. 40. Qui hanc sectam rationemque vitæ re magis quam verbis secuti sumus. *Id.* 2. *Nat. D.* 22. 57. Quod (natura) habet quasi viam quamdam et sectam, quam sequatur. *Quintil.* 3. 8. 38. Secta vitæ. *Gell.* 4. 20. Altera severitas ejusdem sectæ disciplinæque est. *Plin. Paneg.* 45. Quæ tibi secta vitæ, quod genus hominum placeat. *Juvenal.* 14. 121. Juvenes hortatur, ut illam Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ. *h. e.* ditescendi instituto. — *b*) Sequent. Infinito. *Lucan.* 2. 380. hi mores, hæc duri immota Catonis secta fuit, servare modum finemque tenere. *principio, massima.* ¶ 2. Speciatim in re politica. *Cic.* 7. *Verr.* 70. *extr.* Horum nos hominum sectam atque instituta persequimur. *h. e.* eorum qui quum humili loco nati essent, summis laboribus et magis inimicitiis suscipiendis ad primos honores in republ. pervenerunt. *Id. Rabir. perduell.* 8. 22. Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum velles? *Id.* 13. *Fam.* 4. *circa med.* Est tuæ prudentiæ sequi ejus auctoritatem, cujus sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es. *Liv.* 8. 9. Pro Vitruvio sectamque ejus secutis. *Id.* 29. 27. Qui meam sectam, imperium auspiciumque terra, mari amnibusque sequuntur. *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. *ad fin.* Hostes omnes judicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. ¶ 3. Item in re philosophica. *Cic. Brut.* 31. 120. Ex vetere Academia philosophorum sectam sequi. *Quintil.* 3. 2. 22. Neque me cujusdam sectæ velut quadam superstitione imbutus addixi. *Id.* 5. 7. 35. Inter Stoicos et Epicuri sectam secutos pugna perpetua est. *Tac.* 16. *Ann.* 32. Auctoritatem Stoicæ sectæ præferre. (Adde *Quintil.* 11. 1. 70.) *Id.* 4. *Hist.* 40. Cynicam sectam profiteri. *Id.* 6. *Ann* 22. Sapientissimi veterum, quique sectam eorum æmulantur. *Sueton. Gramm.* 18. Ad alicujus sectam transire. Rursus *Quintil.* 3. 1. 18. Ad morem certas in philosophia sectas sequendi. *Id.* 5. 13. 59. Inter duos diversarum sectarum duces. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Solitum esse me pro disciplina sectæ, quam colo, inquirere etc. *Id.* 19. 1. *circa med.* Majores nostri conditores sectæ Stoicæ. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (9). Novam sectam instituere. *et* 30. *ibid.* 1. 2. (3). Inter sapientiæ sectas clarissimam utilissimamque eam intelligi voluit. — Varias philosophorum sectas enumerat *Cic.* 1. *Orat.* 10. *et seqq.* ¶ 4. In re medica. *Seneca Ep.* 95. Alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis. ¶ 5. In re forensi. *Dig.* 1. 2. 2. Hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt. ¶ 6. In re sacra seu religiosa tum in bonam tum in malam partem. *Lactant.* 4. 30. Plurimæ sectæ et hæreses. Adde *Cod. Justin.* 1. 9. 3. (V. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 83.); *Cyprian. de bono patient.* 1. et *Vulgat. interpr. Act.* 24. 14.; 26. 5. et 28. 22. *et* 2. *Petr.* 2. 1. — Pro dissidio, *Id. Gal.* 5. 20. ¶ 7. Item est genus, familia, domus. *Flor.* 3. 12. Sincera et innoxia pastoriæ illius sectæ integritas. ¶ 8. Est etiam grassatorum, latronum, prædonum manus aut ars, *banda di ladri, di malandrini, o malandrinaggio.* *Apul.* 4. *Met.* Disciplina sectæ. *et ibid.* Sectæ sueta.

SECTĀCŬLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SECTĀCŬLUM, i, n. 2. (sector) propago, progenies. *Apul.* 5. *Met.* Occipiunt sciscitari, qualis ei maritus, et unde natalium sectacula proveniret. *h. e.* series et stemmata generis. Ita leg. *Forcellinus;* sed nunc rectius leg. *sectacula proveniret,* ita ut sit *sectacula,* æ.

SECTANS, antis, particip. *V.* SECTOR.

SECTĀRĬUS, a, um, adject. (seco) ¶ 1. Est qui sectis testiculis alitur ad vescendum: a *seco,* as. *Plaut. Capt.* 4. 2. 40. Qui petroni nomen indunt verveci sectario. *V.* PETRO. *Avellinus p.* 121. putat, hic sectarium idem significare quod admissarium apud *eumd. Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 19. Ita *Forcellinus.* At V. *Müllerum* ad loc. *Paul.* infra cit. ¶ 2. Item, aut potius, is, quem quis sequitur. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 336. 8. *Müll.* Sectarius vervix qui gregem agnorum præcedens ducit. ¶ 3. De porcis sectariis apud *Caton. R. R.* 150. *V.* in SERARIUS.

SECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (sector) actus sectandi, seu sequendi. *Tertull.* 1. *ad uxor.* 6. *in fin.* Invenit diabolus quomodo homines etiam boni sectationibus perderet. *Vulgat. interpr. Prov.* 11. 19. Sectatio malorum.

SECTĀTOR, ōris, m. 3. (sector) qui aliquem assidue sequitur, ἀκόλουθος, αἱρετιστής (It. *seguace, settatore;* Fr. *compagnon assidu, partisan;* Hisp. *compañero, sequaz, adherente;* Germ. *Begleiter, Anhänger;* Angl. *a follower, attendant*). ¶ 1. Generatim. *Cic. Mur.* 34. 71. At sectabantur multi. quid opus est sectatoribus? *et mox.* Lex Fabia, quæ est de numero sectatorum. Loquitur hic *Cicero* de clientibus candidatorum, qui eos quocumque sectabantur, gratiæ conciliandæ causa. *Tac.* 4. *Ann.* 68. Neque omiserat conjugem liberosque ejus percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus. ¶ 2. Speciatim dicitur de discipulis philosophorum, qui ut aliquid ab iis addiscant, ab eorum latere numquam discedunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (274). Hoc postea Sextius e Romanis sapientiæ sectatoribus Athenis fecit eadem ratione. *Sillig.* assectatoribus. *Gell.* 2. 2. Taurus, sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus. *Id.* 19. 5. Eloquentiæ, aut philosophiæ sectatores. *Id.* 13. 5. Cobors sectatorum Aristotelis. ¶ 3. Item de professore alicujus religiosi cultus. *Venant.* 3. *carm.* 17. 13. Vocis apostolicæ sectator dignus haberis. V. *Prudent.* 7. *Cathem.* 198. ¶ 4. Item de eo, qui adhæret alteri quacumque in re. *Tac.* 5. *Ann.* 10. *extr.* Multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem etc. Adde *Inscript.* apud *Orell. n.* 1194. *Eumen. Restaur. schol.* 6. *in fin.* Omnium rerum sectatores atque fautores. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Sectator epularum. ¶ 5. In re morali. *Vulgat. interpr. Tit.* 2. 14. Sectator bonorum operum.

SECTĀTRIX, trīcis, f. 3. (sectator) quæ aliquid assidue sequitur. *Julian.* apud *Augustin. op. imperf. contra Julian.* 4. 43. Sectatrix ejusdem philosophiæ. *Augustin. de Virgin.* 18. perpetuæ continentiæ.

SECTĀTUS, a, um, particip. *V.* SECTOR.

SECTĪLIS, e, adject. (seco) ¶ 1. Est idem ac sectus in tenues laminas, aut partes minutas, *segaticcio, segato,* τμητός, εὔσχιστος. *Ovid. Medic. fac.* 10. Sectile deliciis India præbet ebur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (229). Sectiles laminæ. *et ibid.* Sectile tuber. *et ibid.* 39. 76. (195). Larici et abieti ad fabrorum intestina opera medulla sectilis. *h. e.* qua utuntur intestinarii ad opus sectile ligneum. *a commesso, a rimesso. et Vitruv.* 7. 1. *ante med.* Supra nucleum ad regulam et libellam pavimenta struantur sive sectilia, sive tesseris. Sic *Sueton. Cæs.* 46. *extr.* In expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulit. *Sectilia* pavimenta sunt lapidibus varia figura et colore sectis strata, quæ Itali *a commesso* vocant: *tessellata* vero, sive *tesseris structa* intellige, quæ minutis quadratisque lapillis ex vario colore constant, quæ Itali *a mosaico,* seu potius *lavoro tessellato* dicunt. Adde *Chalcid. Tim.* 37. *Auson. Epigr.* 128. Tuumque nomen Θ sectilis signet. *h. e.* quæ littera transversa lineola secta est. — Absolute. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83 (227). Serrabilia ac sectilia quæ modice humida. ¶ 2. Est etiam qui secari potest, *secabilis,* sectivus. *Id.* 36. *Hist. nat.* 22. 44. (159). Sectiles lapides. *Juvenal.* 3. 293.

et *Martial.* 10. 48. Sectile porrum. *h. e.* sectivum. Adde *Marcell. Empir.* c. 33. *p.* 133. *retro* ed. *Ald.* V. PORRUM.

SECTĬO, ōnis, f. 3. (seco) actus secandi, τμῆσις, τομή, σχίσις, (It. *tagliamento, taglio, segamento, divisione*: Fr. *notion de couper, de découper, coupure*; Hisp. *cortadura*; Germ. d. *Schneiden, Abschneiden*; Angl. *a cutting, section, division*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (137). Brassica cymas a prima sectione præstat proximo vere. *Vitruv.* 2. 2. Individua corpora nec internecionem recipiunt, nec sectionibus dividuntur. *Gell.* 20. 1. *a med.* Sectio et partitio corporis. *squartamento.* ¶ 2. Speciatim in re medica, *operazione, amputazione. Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 94. (150). Bibitur et ante sectiones punctionesque, ne sentiantur. *h. e.* antequam secetur a medico aliquid in corpore. ¶ 3. Item actus castrandi, castratio. *Apul.* 7. *Met.* Destinatam sectionem meam flagitat.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) In re grammatica et rhetorica. *Quintil.* 1. 10. *sub fin.* De ratione dividendi. de sectione in infinitum, etc. — *b*) Item in re forensi, est æstimatio atque emptio bonorum alicujus proscriptorum, et auctione venditorum. *Sector* enim, ut docet *Ascon.* in 3. *Verr.* 20., est æstimator et redemptor bonorum damnati atque proscripti: et *sectio* est ipsa actio, qua ea bona redimit lucri causa. (*V.* SECTOR, oris.) *Cic. fragm.* apud *Gell.* 13. 24. Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeji, sedente imperatore, decemviri vendent. *h. e.* non solum prædam, manubias, sed ipsam quoque eorum redemptionem. — Jus et auctoritas sectionis tanta erat, ut esset unum ex his, per quæ legitimum dominium acquiritur. *Varro* 2. *R. R.* 10. In emptionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt: si hereditatem justam adiit; si mancipio accepit; aut si in jure cessit, cui potuit cedere; aut si usu cepit; aut si e præda sub corona emit; tumve quum in bonis sectioneve cujus publice venit. Adde *Cic.* 1. *Invent* 45. *ad fin.* — Duplici modo emebantur bona damnatorum, aut *aversione*, h. e. omnia simul, acervatim, et, ut dicitur, una pertica: aut *sectione*, h. e. singulas res æstimando, et pretium pro singulis solvendo. Sectores, ut ait *Ascon. loc. cit.* 23. *extr.*, bona condemnatorum semel, h. e. aversione emebant: ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. hoc erat *sectione vendere*, quasi res secando et dividendo, *a minuto.* Dicitur tamen *sectio* tum sectoris, tum proscribentis ratione. *Cic.* 2. *Phil.* 26. 64. Hasta posita, bona Cn. Pompeji voci acerbissimæ subjecta præconis. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium. *et ibid.* 29. 71. Appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. *Sueton. Vitell.* 2. Sectionibus et cognituris uberius compendium nactus. *Tac.* 13. *Ann.* 23. Pætus exercendis apud ærarium sectionibus famosus. *V.* COGNITOR. Laborabat infamia sectionum professio, tum quia lucrabatur ex damnatorum bonis, tum quia delationibus et accusationibus grassabatur, ut in citata voce dictum est. *Edict. Dioclet. procem. lin.* 30. Quis nesciat, utilitatibus publicis insidiatricem audaciam non modo per vicos aut oppida, sed in omni itinere animo sectionis occurrere. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, ipsæ quoque res sectioni subjectæ eodem nomine appellantur. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. *in fin.* Refractis portis atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit. *Tac.* 1. *Hist.* 90. Reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exsilio concessit. — ¶ 3. Est etiam persecutio juris, apud *Paul. Diac. p.* 337. 2. *Müll.* Sectio, persecutio juris. ubi *Ant. Augustin.* Pauli epitome nimis concisa est in horum verborum interpretatione. *V.* SECTOR, oris.

SECTĪUS. *V.* SECUS

SECTĪVUS, a, um, adject. (seco) qui secari potest, sectilis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med.* Porrum si sectivum facere velis, densius satum præceperunt priores relinqui, et ita quum increverit, secari. *Id.* 12. *ibid.* 8. Concisi sectivi porri, quantum videbitur, adjicito. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 24. *a med., Theod. Priscian.* 1. 12. *p.* 294. et *Marcell. Empir.* c. 25. *p.* 121. *V.* PORRUM.

SECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *et sæpius*

SECTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *frequentat. vel intens. a* sequor. *Sectarier*, paragoge pro *sectari*, apud *Plaut. Mil. glor.* et *Horat. Sat. loc. cit.* — Part. *Sectans* I. 1. et II. 2., *Sectatus* I. 2. et II. 2.; *Sectandus* II. 2. — Sector est adsector, frequenter sequor, comitor, adhæreo, et dicitur de servis, clientibus, discipulis, pastoribus, amantibus etc., παρακολουθέω (It. *seguitare, andar dietro, accompagnare*; Fr. *suivre assidument, escorter, aller à la suite, courir après, poursuivre*; Hisp. *seguir, perseguir, acosar, acompañar*; Germ. *Jmd. überall –, m. Eifer –, m. Begierde folgen*; Angl. *to follow, follow after, attend or wait upon, accompany*).

A) *Secto*, forma activa.

I.) Proprie. *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.* Multa (verba) ancipiti terminatione in una eademque terminatione protulerunt antiqui ut partio et partior *etc.*, secto et sector. — Passive. *Varro* 2. *R. R.* 9. *ante med.* Qui vellet se a cane sectari, uti ranam objiciat coctam. — In illo *Capell.* 2. *p.* 46. sunt qui leg. *sectatus*, sed qua ducitur a *seco*, h. e. sectus, divisus; rectius tamen ibi leg. *sæptatus.* V. SÆPTATUS.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Tim.* 6. 11. Secta vero justitiam. *Isid. eccl. off.* 2. 5. *extr.* Qui ista sectaverit. *cercherà di cogliere, di conseguire.*

B) *Sector*, forma deponent.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 13. Omnes se ultro sectarier, memorat mulieres. *correr dietro.* Adde 3. 1. 180. *Id. Epid.* 3. 4. 50. Nam servum misi, qui sectari solet meum Gnatum. *Id. Pers.* 2. 1. 5. Nam equidem te jam sector quintum hunc annum. *Sueton. Cæs.* 86. Custodias Hispanorum cum gladiis sectantium se removit. *Cic. Rosc. Am.* 28. *a med.* Ii servi ubi sunt? Chrysogonum, judices, sectantur. *Id.* 4. *Verr.* 70. 169. Quum prætorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo unquam discederet. *Id. Mur.* 34. 70. Neque postulandum est ab equitibus Roman., ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies. *Tac.* 15. *Ann.* 33. Quique Cæsarem per honorem aut varios usus sectantur. *Ter. Eun.* 2. 2. 30. Homo cœpit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me. sectari jussi. Ubi *Donat.* proprie: nam et sectæ philosophorum ab eo dictæ sunt. Hinc sunt etiam sectatores. *Gell.* 20. 6. Percontabar Apollinarem Sulpicium, quum eum Romæ adolescentulus sectarer. *Tibull.* 1. 11. 41. Ipse suas sectatur oves, at filius agnos. *et* 2. 3. 7. Agricolæque modo curvum sectarer aratrum. *Catull.* 8. 9. Nunc jam illa non vult: tu quoque impotens ne sis, Nec, quæ fugit, sectare, nec miser vive. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 78. Desine matronas sectarier. (*Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1. 2. 36. dicit, sectari proprie esse, ut taurus buculam, ut aries ovem. *Virg.* 3. *Ecl.* 65. trahit sua quemque voluptas.) ¶ 2. Speciatim est insector, insequor, urgeo, instandique causa sequor, διώκω. *Cic.* 5. *Verr.* 66. 148. Homo ridicule insanus, qui illic ejusmodi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, quum loqui cœperit, irrideant. *Plaut. Cist.* 2. 2. 1. Anum sectatus sum clamore per vias. *Cato* apud *Gell.* 17. 6. Eam pecuniam viro mutuam dat: postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet. *Propert.* 2. 7. 81. Exagitet nostros manes, sectetur et umbras, Insultetque rogis. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 119. Ne scutica dignum horribili sectere flagello. *Plin.* 8. *Ep.* 22. *sub fin.* Sectari, carpere aliquem. ¶ 3. Item pertinet ad rem venatoriam. *Varro* apud *Non. p.* 555. 31. *Merc.* Sues silvaticos in montibus sectaris venabulo, aut cervos. *Ovid.* 2. *Art. am.* 201. Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci. *Virg.* 3. *Ecl.* 75. dum tu sectaris apros, ego retia servo. *Ter. Phorm. prol.* 7. Cervam fugere, sectari canes. Adde *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 7. et 23., *Sil. It.* 14. 262. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 106. et 2. *ibid.* 2. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Est peto, capto, appeto. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. *a med.* Quid vos hanc miseram et tenuem sectamini prædam, quibus jam licet esse fortunatissimis? (Adde *Tac.* 1. *Ann.* 65.) *Justin.* 11. 10. 2. Luxuriosa convivia et magnificentiam epularum sectari. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *sub fin.* Illuc e pascuis pecora conveniunt, si quando aquam umbramve sectantur. *Seneca Herc. Fur.* 752. In amne medio faucibus siccis senex Sectatur undas, alluit mentum latex. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 50. (96). Cancri hieme aprica loca (*al.* litora) sectantur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 44. Fecundi leporis sapiens sectaberis armos. ¶ 2. Item quæro, affecto, operam do, consector, amo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 28. facinora: Quæ istæc ætas fugere facta magis, quam sectari solet. *Sueton. Aug.* 89. In evolvendis auctoribus nihil æque sectabatur, quam præcepta et exempla salubria. *Id. ibid.* 25. *extr.* Minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes ajebat esse aureo hamo piscantibus. *Justin.* 27. 2. *a med.* Hierax cognominatus est, quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. *Plin.* 9. *Ep.* 19. Laude dignissimos judico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur. *Tac.* 1. *Ann.* 80. *de Tiberio.* Ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium. neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat. *h. e.* non spectabat, non respiciebat in promovendis ad honores. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Virtutem affectandam profecto et sectandam existimavit sui causa. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus, sed in toga negotiisque versatur. *non si diletta, non frequenta.* et *Horat.* 1. *Od.* 38. 3. Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur. *indagare.* et *Art. P.* 26. sectantem lenia nervi Deficiunt. *h. e.* qui lenes versus scribere amat, nervis et vi caret. *Auson. Edyll.* 15. 1. Quod vitæ sectabor iter? *Gell. præf. ante med.* Multa et varia lectitantes, in quas res cumque inciderent, solam copiam sectati, converrebant. *Vulgat. interpr. Is.* 5. 11. Ad ebrietatem sectandam. *Id.* 1. *Thess.* 5. 15. Sectari quod bonum est. *et* 1. *Tim.* 3. 8. turpe lucrum.

SECTOR, ōris, m. 3. (seco)

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est qui aliquid secat et abscindit, *tagliatore, segatore*, τομεύς. *Plaut. Trin.* 4. 2. 20. Mira sunt, ni illic homo est aut dormitor, aut sector zonarius. *tagliaborse*, crumenisecа, βαλαντιοτόμος. Hic est fur diurnus, ἡμεροκλέπτης: dormitator autem nocturnus, ἡμερόκοιτος, quia hujusmodi, noctu ut vigilent, die toto dormitant. ¶ 2. Speciatim in re fabrili, *sector materiarum* est qui ligna ad fabricandum idonea in silvis cædit, seu potius qui arborum truncos in trabes tabulasque serrâ secat, seu scindit, quem Itali *segatore di legname*, nostrates vulgo *segantino* vocant. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 588. (V. *Orell. n.* 4278) SILVANO SACRVM SECTORES MATERIARVM AQVILEIENSIVM ET INCOLAE POSVERVNT ET MENSAM. *V.* MATERIA. ¶ 3. Item in re geometrica, est angulus qui secat. *Boeth. Art. geom.* 379. 13. *Fr.* Sector circuli est figura, quæ sub duabus a centro ductis lineis, et sub circumferentia, quæ ab iisdem comprehenditur, continetur. Adde *Gromat. vet. p.* 388. 15. *Ludorff.* ¶ 4. Est etiam idem quod carnifex. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1101. Cessabit equidem tortor et sector dehinc, Judex minatur. Cfr. 5. *ibid.* 529. Sic *Cic. loc. infra cit.* ¶ 5. Est præterea *sector*, qui damnatorum bona in auctione, vel a proscribentibus emit, et compendii causâ distrahit: dictus vel a *seco*, qua sequi significat; aut ab ipso *sequor*, a quo *secutor*, et per syncop. *sector*, quia spem lucri sequitur: vel *a seco*, h. e. concido, incido, qui bona simul empta in partes veluti secat, et singillatim vendit. Ceterum olim *sector* erat creditor, cui jus secandi in partes eum, qui solvere

nollet aut non posset, voce præconis publica. Priorem notationem probare videtur *Ascon.* infra allatus: item *Paul. Diac.* scribens ex *Festo p.* 337. 5. *Müll.* Sectores et qui secant, dicuntur, et qui empta sua persecuntur. De posteriore *V.* SECTIO. *Ascon.* in 3. *Verr.* 20. sectorem dicit æstimatorem redemptoremque bonorum damnati atque proscripti, qui spem spectans lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam vel ærario, vel sociis, *chi compra i beni confiscati.* et *ibid.* 23. Sectores dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis, ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. *Cic. Rosc. Am.* 29 *circa med.* Nescimus per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum? *et ibid.* 36. Quum de bonis et de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est, et sicarius, hoc est qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est; et eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur. *Flor.* 2. 6. *a med.* Hannibal hastæ subjecit argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est. *compratore.* et *Cic.* 2. *Phil.* 26. *ad fin.* Quum sector sis, isto loco natus, deinde quum Pompeji sector, non te exsecrandum populo R., non detestabilem scias? *Claudian. IV. cons. Honor.* 496. non hasta refixas Vendit opes, avida sector non voce citatur. Adde *Cic.* 13. *Phil.* 14. 30., *Cass.* ad *Cic.* 15. *Fam.* 19. et *Pacat. Paneg. Theod.* 25. *et* 28., ex quibus patet, sectores fuisse vile et invisum hominum genus, et quia de miserorum bonis ditescebant, et quia iidem sæpe delatores erant, aut delatorum socii, ut in COGNITOR et in SECTIO dictum est.

II.) Translate *Lucan.* 1. 178. Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris Ipse sui populus. *h. e.* largitionibus vendens suffragia, quibus honores mandantur, et lucrum captans ex favore suo, ut sector ex venditione bonorum.

SECTŌRĬUS, a, um, adject. (sector) ad sectorem pertinens. *Cajus* 4. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 146. Item ei, qui publica bona emerit, ejusdem conditionis interdictum proponitur, quod appellatur sectorium, quod sectores vocantur, qui publice bona mercantur. *V.* vocem præced.

SECTRIX, trīcis, f. 3. (sector) mulier, quæ bona damnatorum emit in auctionibus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (116). Unde enim vitricus Sulla, et Metella mater proscriptionum sectrix?

SECTŪRA, æ, f. 1. (seco) sectio, *tagliatura, taglio,* τομή.

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (111). Callaides sectura formantur, alias fragiles. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 115. *Müll.*

II.) Metonymice. ¶ 1. Est locus, ubi sectio facta est. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 28. (124). Servandum ut taleæ sectura inferior ponatur semper. ¶ 2. Item locus, ubi terra secatur et effoditur, fodina. *Cæs.* 3. *B. G.* 21. Cuniculis ad aggerem actis, cujus rei sunt longe peritissimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos ærariæ secturæ sunt. Alii tamen eam vocem expungunt; alii leg. *stricturæ,* alii *structuræ.*

SECTUS, a, um, particip. *V.* SECO.

SECTUS, us, m. 4. eloquium: a *sequor,* qua significat loquor, narro. *Capell.* 1. *p.* 10. Ille (*Apollo*) mentem novit tu (*Mercuri*) verba componis. Phœbo suevit (*Juppiter*) instante concedere, tibi sectus solitus aperire. *h. e.* sua jussa tibi solet tradere.

SĔCŪBANS, antis, particip. *V.* SECUBO.

SĔCŪBĀTĬO, ōnis, f. 3. actus secubandi, secubitus. *Solin.* 26. *de ursis.* Secreti honore reverentur mares gravidas, et in iisdem licet foveis, partitis tamen per scrobes secubationibus dividuntur.

SĔCŪBĬTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* secubo. — Secubito est sæpe seorsum secubo, *spesso dormir solo. Lucil.* apud *Non. p.* 382. 33. *Merc.* Si secubitet, sic quoque a me, quæ roget, non impetret. Alii leg. *si se cupit,* nullo sane sensu. Ita leg. et *L. Müllerus.*

SĔCŬBĬTUM, i, n. 2. *V.* SESQUICUBITUM.

SĔCŬBĬTUS, us, m. 4. (secubo) actus secubandi, secubatio, *il dormir sola,* nam dicitur de femina, quæ sola sine viro cubat. *Catull.* 64. 379. Anxia nec mater, discordis mœsta puellæ Secubitu, caros mittet sperare nepotes. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 15. *de Cerere.* Hanc quisquam lacrimis lætari credit amantum, Et bene tormentis secubituque coli? — In plur. num. *Id. ibid.* 43. Quod tibi secubitus tristes, dea flava, fuissent, Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.

SĔCŪBO, cŭbas, cŭbui, cŭbĭtum, cŭbare, n. 1. (se et cubo) Part. *Secubans.* II. — Secubo est seorsum cubo, ἀποκοιτέω (*It. dormir solo; Fr. coucher à part, faire lit à part, coucher seul ou seule; Hisp. acostar separadamente, dormir solo, aparte; Germ. allein liegen, allein schlafen; Angl. to lie apart, asunder or alone, sleep by one 's self*).

I.) Proprie. — *a*) Dicitur fere de femina, quæ sola dormit sine viro: quod præcipue servabatur in casto Cereris et Isidis et Bacchi. qua de re multa *Propert.* 2. 24., *Ovid.* 3. *Amor.* 10. et *Liv.* 39. 9. et 10. etc. *Tibull.* 1. 3. 25. Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari Te memini, et puro secubuisse toro? *Ovid. loc. cit. v.* 2. Secubat in vacuo sola puella toro. *Id.* 2. *Fast.* 328. Et positis juxta secubuere toris. — *b*) De viro. *Liv.* 39. 10. Per jocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset. *Sueton. Tib.* 7. *a med.* Cum Julia primo concorditer vixit: mox dissedit, et aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret. Adde *Quintil.* 7. 8. 2.

II.) Translate est seorsum degere, *stare, vivere solo. Propert.* 2. 19. 41. Miles depositis annosus secubat armis. *h. e.* quod ait *Horat.* 1. *Ep.* 1. 4. Vejanius, armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro. ut *Broukus.* adscribit. *Apul.* 2. *Met.* Omnium ora et obtutus in uno quempiam angulo secubantem conferuntur.

SĔCŬLA, æ, f. 1. (seco) falx, apud Campanos, *falce,* δρεπάνη. *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Falces a farre, littera commutata. hæc in Campania seculæ, a secando. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĔCŬLĀRIS *et*
SĔCŬLUM. *V.* SÆCULARIS et SÆCULUM.
SĒCUM. *V.* in SUI.
SĔCUNDÆ, ārum. *V.* SECUNDUS.

SĔCUNDĀNUS, a, um, adject. (secundus) qui est secundi ordinis. *Capell.* 1. *p.* 16. Secundanus Juppiter. *Vulcanius* ducit a secundis et felicibus successibus; item *Comm. ms.* ad *Capell. l.* 1. Secundanus, qui præest secunditatibus, id est prosperitatibus et felicibus successibus. At ne *secundi* ambigua vox pro *prospero* acciperetur, consulto usus fuisse videtur *Capella* voce *secundani.* Sane e tribus fratribus Jovi proximus erat Neptunus, tertius Pluto; quum vero Pluto Juppiter Stygius dicatur (V. *Virg.* 4. *Æn.* 638.), nihil obstat, quominus Neptuno nomen impositum sit Jovis secundani. (Cf. SECUNDIANUS et V. *Stat.* 1. *Achill.* 48. et *Catull.* 31. 3.) Videsis *Kopp.* ad *h. l.* Adde *Capell. ibid.* de *Pale.* et *V.* SECUNDIANUS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

Secundani, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, milites secundæ legionis, sicut *primani* primæ, *tertiani* tertiæ, etc. *Liv.* 34. 15. *sub fin.* Secundani terga hostium cædunt. et *ibid.* 46. *extr.* Secundani se porta ejecere. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (36). In mediterraneo coloniæ, Arelate Sextanorum, Beterræ Septimanorum, Arausio Secundanorum. Adde *Tac.* 5. *Hist.* 16., *Melam* 2. 5. et *Auct. B. Alex.* 54.

SĔCUNDANS, antis, particip. *V.* SECUNDO.

SĔCUNDĀRĬUS, a, um, adject. (secundus) qui est secundi ordinis, aut qualitatis, δευτεραῖος, δευτερίας, *secondario, di secondo ordine o qualità inferiore.* — *a*) De concretis. *Cic. Brut.* 69. 242. Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius. *h. e.* secundum a M. Crasso locum eloquentiæ obtinens. Alii leg. *secundanus* eod. sensu: alii, ut *Orell.,* leg. *secundarum,* quod rectius videtur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 19. Secundaria alica. *h. e.* quæ post primam secretionem arctiore cribro transmittitur. *Id. ibid.* 9. 20. (87). Secundarium triticum. *h. e.* quod post siliginem, seu florem e cribro redit: quod et *cibarium* dicitur, ut *ibid.* 10. 20. (90). docet. Hinc *Sueton. Aug.* 76. Secundarius panis. *h. e.* qui ex secundaria ilia farina fit. (*Plin.* tamen *ibid.* distinguit secundarium panem a cibario, de similagine loquens. Secundarii, inquit, panis quinas selibras, totidem cibarii, et furfurum sextarios sex. Hoc autem sic intelligendum videtur, ut in siligine tria sint, flos, secundarium et furfures: in similagine quattuor, flos, secundarium, cibarium, et furfures.) *Id. Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (82). et *Colum.* 12. *R. R.* 39. Secundarium passum. *h. e.* quod post expressas semel uvas, adjecta vinaceis aqua puteana, prelo iterum exprimitur. *V.* DEUTERIÆ. *Id. ibid.* 11. Secundarium mel. *h. e.* quod e favis exprimitur, postquam primum defluxit, ut *id.* 9. *ibid.* 15. *in fin.* tradit, et *secundæ notæ* appellat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (120). Secundarium minium. *h. e.* adulteratum et inferioris notæ, quod fit e lapide exusto, in argentariis et plumbariis metallis reperto, et nativo longe deterius est. — *Secundarium oleum* eod. sensu apud *Theod. Priscian. p.* 312 et *Marcell. Empir. c.* 25. *p.* 121. — *b*) De abstractis. *Cic.* 1. *republ.* 42. 65. Habet statum res publica de tribus secundarium. — Hinc *secundarium,* absolute, est res secundaria, cui opponitur *caput,* h. e. res primaria, præcipua. *Cic.* 2. *Invent.* 7. 24. In hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam fuisse faciendi: secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini.

SĔCUNDĀRĬUS, ii, m. 2. absolute, videtur qui secundas in theatro partes agit, monitor. *Gloss. Lat. Gr.* V. adnot. *Vulcan.* ad *h. l.*

SĔCUNDĀTUS, us, m. 4. (secundus) secundus locus. *Tertull. Anim.* 27. Alteri primatum damus, alteri secundatum.

SĔCUNDĒ, adverb. (secundus) Sup. *Secundissime.* — Secunde propria est adverbium ordinis (V. *Anecd. Helv. p.* 167. 19. *Hag.*); translate vero est feliciter, prospere, *a seconda, felicemente, prosperamente,* εὐτυχῶς. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. *ante med.* Quod hæc res tam secunde processit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. *Orell.* Quum secundissime cursum teneret. Alii leg. *secundissimo vento.*

SĔCUNDĬĀNUS, a, um, adject. (secundus) qui est secundi ordinis, idem ac secundarius. *Inscript.* apud *Murat.* 945. 10. TI. CLAVDIO PRISCO SECVNDIANO COACTORI *etc.*

SĔCUNDĬCĒRĬUS, ii, m. 2. (secundus et cera) qui secundus notabatur in tabula cerata, sive in albo vel catalogo munere aliquo fungentium, seu qui secundo gradu est in aliquo ordine officiorum: ut *primicerius,* qui primo. *Imp. Justinian. Cod.* 12. 17. 4. Si quis virorum fortium, præsentalium domesticorum, in equitum schola secundicerii locum adeptus etc. Adde *ibid. tit.* 7. qui inscribitur De primicerio et secundicerio et notariis: et *V.* PRIMICERIUS. Eadem ratione intelligendi sunt *tertiocerius, quartocerius,* de quib. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ibid.* 24. 7.

SĔCUNDĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SĔCUNDĪNUS, a, um, adject. (secundus) ad secundum pertinens. — Hinc

Secundina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, membrana, qua fetus in utero involvitur, et quæ post eum fere prodit, *secondina, placenta,* δευτέριον. *V.* SECUNDÆ. *Sex. Placit. de medic.* 18. et *Vulgat. interpr. Deut.* 28. 57.; ubi tamen nunc legitur *secundarum* pro *secundinarum.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĔCUNDO, adverb. *V.* SECUNDUS in fin.

SĔCUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (secundus) Part. *Secundans* 1. *a.* et 2. — Secundo est proprie sequor et quasi propello, promoveo: hinc translate faveo, juvo, prospero, prosperum reddo, εὐουριάζω (*It. secondare, favorire, prosperare, felicitare, far andare di bene in meglio; Fr. favoriser, rendre heureux, seconder; Hisp. fa-*

vorecer, fomentar; Germ. *nach etwas schicklich einrichten, begünstigen, beglücken*; Angl. *second, further, favour, prosper*). Verbum est fere poeticum. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Tandem relabente æstu et secundante vento, claudæ naves revertere. (Adde *Justin.* 26. 3. 4.). — *b*) Cum Accusativo. *Virg.* 7. *Æn.* 259. dii nostra incepta secundent, Auguriumque suum. *Propert.* 3. 20. 14. Jam liquidum nautis aura secundat iter. *Ovid. Heroid.* 13. 136. Blandaque compositas aura secundet aquas. *Seneca Herc. Fur.* 645. Votum secundet, qui potest, nostrum Deus. *Auson. Profess.* 19. 9. Sed numquam jugem cursum Fortuna secundat. — *Secundare visus*, somnia et visa infausta et mali ominis in bonum convertere, et efficere, ut feliciorem habeant exitum, quam minabantur. *Virg.* 3. *Æn.* 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. *Lucan.* 1. 635. dii visa secundent, Et fibris sit nulla fides. Adde *Sil. It.* 8. 124. Sic *Virg.* 4. *G.* 397. Expediat morbi causam, eventusque secundet. ¶ 2. Speciatim est accommodare. Apud *Plaut.* ancilla heram meretricem ita alloquitur *Truc.* 4. 2. 2. ama, id quod decet, rem tuam: istum exinani Nunc, dum isti lubet, dum habet: tempus ei rei secundes. Alii leg. *obsecundes*: alii *secundat*. h. e. tempus ei rei favet. Cf. *Varro Sat. Menipp. p.* 162. *Oehl.* Secundans quo natura aurigatur. ¶ 3. Item cedere, morem gerere. *Ter. Adelph.* ed. *Umpf.* et *Speng.* Secundare in loco. Alii tamen leg. *obsecundare.*

SECUNDUM (secundus) est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio.

A) Adverbii more *secundum* occurrit sine casu ¶ 1. De loco, et est — *a*) Post, pone, *subito dietro.* nam qui pone sequitur, secundus est post præcedentem. *Plaut. Amph.* 2. 1. 1. Age, i tu secundum. so. sequor, subsequor. *su vienmi tu dietro.* — *b*) Item secundo, *in secondo luogo, secondariamente. Varro* apud *Non. p.* 149. 15. *Merc.* Animadvertendum primum, quibus de causis, et quemadmodum constituerint paces: secundum, qua fide et justitia eas coluerint. — *Augustin. de Grammat. p.* 2008. *Putsch.* Secundo ad ordinem pertinet. secundum ad numerum: ut puta quum dico, secundo factus est consul, pertinet, ut dixi, ad ordinem, quod primo alter factus sit, et sic alter secundo: quum autem dicimus: secundum consul, vel tertium, quartum *etc.*, ad numerum pertinet, quod bis fuerit consul. Inde Cicero de Mario sic ait, sextum consul, id est qui sex consulatus meruit. Hoc Varro distinxit in libris numerorum. Hæc *Augustin. V.* TERTIO *et* QUARTO. et *Anec. Helv. p.* CIII. *Hag.* ¶ 2. De tempore, et est paullo post. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. 14. Interrogatus non statim sed secundum respondeat. ¶ 3. Pro iterum. *Liv.* 7. 3. *Drakenb.* Itaque, Cn. Genucio, L. Æmilio Mamercino secundum consulibus. *per la seconda volta.* ubi *duobus consulibus* pro *secundum* leg. *Voss.* et *secundis consulibus* leg. *Gaertn.*, sed error ortus est ex eo, quod per notas scriptum fuerit *II. consulibus*, ut in multis Codd. superest.

B) Præpositio *secundum* occurrit cum Accusativo, qui plerumque sequitur, etiam interjecta voce, ut apud *Plaut. Stich.* 3. 1. 45.; aliquando vero præcedit, ut apud *eumd. Mil. gl.* 4. 8. 39. — Est autem

I.) Proprie. ¶ 1. Ratione loci. — *a*) Post, pone, *subito dietro. Plaut. Stich. loc. supra cit.* Ite hac secundum vos me. *h. e.* venite vos pone me. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. Duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 10. p. 890. *Putsch.* Secundum ipsam aram aurum abscondidi. — *b*) Sæpe de iis dicitur, quæ longo tractu vicina sunt, *lungo, lunghesso. Cic.* 16. *Att.* 8. Facere iter secundum mare superum. *costeggiando.* et *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Secundum flumen paucæ stationes equitum videbantur. *Plaut. Rud.* 1. 2. 61. Quid illuc est hominum secundum litus? *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 31. (68). Centaurion secundum fontes nascitur. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (202). Centauri habitantes secundum Pelium montem. *Id.* 31. *ibid.* 3. 28. (49). Secundum puteum dextra ac sinistra fodiunt æstuaria. *Varro* 1. *R. R.* 14. Facere sæpes secundum vias publicas et secundum amnes. *Id.* 7. *L. L.* 5. *Müll.* Quum leno secundum parietem transversus iret. *et* 6. *ibid.* 3. *ante med.* Huic deo sacrificatur secundum segetes. — *c*) Est etiam prope, juxta, *appresso, vicino*, κατά, παρά; quia quæ juxta sunt, secundo statim loco sunt, post illam rem, quæ nominatur. *Petron. Sat.* 131. Remotis omnibus, secundum invitantem consedi. *Varro* 1. *R. R.* 27. Præcidere arbores secundum terram. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (214). Horologium statutum in publico secundum Rostra, in columna. ¶ 2. Ratione temporis, post, aut statim post, *dopo, o subito dopo. Plaut. Cas. prol.* 28. ludis poscunt neminem, Secundum ludos reddunt autem nemini. *Cato R. R.* 114. Secundum vindemiam. *Cic.* 2. *Verr.* 11. *extr.* Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias: mea, ut ante binos ludos comperendinem. *Id.* 1. *Orat.* 62. 264. Secundum hunc diem. *Id.* 3. *Att.* 12. 1. comitia. *Liv.* 8. 10. prœlium. *Id.* 9. 29. tumultus. *Id.* 24. 10. apum examen. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (148). æquinoctium vernum. *Inscript.* apud *Murat.* 20. 2. AESCVLAPIO ET HYGIAE M. VLPIVS HONORATVS DEC. EQ. SING. IMP. N. PRO SALVTE SVA SVORVMQVE ET Q. IVLII HELICIS MEDICI QVI CVRAM MEI DILIGENTER EGIT SECVNDVM DEOS V. S. L. L. M. — *Secundum quietem* est in ipsa quiete, h. e. in somnis, *in sogno. Cic.* 2. *Divinat.* 61. 126. Cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur. (Adde 1. *ibid.* 24. 48.) *Sueton. Aug.* 94. *a med.* Cujus imago secundum quietem sibi obversata sit. Adde *Petron. Sat.* 104. Similiter *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 4. 54. Secundum tempus et secundum diem. *h. e.* eodem mense eodemque mensis die. ¶ 3. Ratione ordinis, aut qualitatis, post, *dopo. Cic.* 2. *Off.* 3. *a med.* Proxime et secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. *extr.* Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit pæne par. *et* 12. *Att.* 15. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. *Plaut. Capt.* 2. 1. 41. Nam secundum patrem tu es pater proximus. *Cic.* 3. *Orat.* 59. *a med.* et *Orat.* 18. *ad fin.* In actione secundum vocem vultus valet. *Id. Vatin.* 6. 15. Secundum ea quæro, servarisne in eo fidem. *Liv.* 32. 33. Secundum hæc silentium fuit. ¶ 4. Singulare est illud *Sall. Hist. fragm. inc.* 56. *Kritz.* Hi sunt qui secundum pocula et alias res aureas diis sacrata instrumenta convivio mereantur. ubi *secundum* est præter, ut docet *Kritzius* ad *h. l.*, nisi malis hunc loc. cum allatis in paragr. 1. conjungere.

II.) Translate est convenienter, ad, juxta, *conforme, secondo, a seconda*, cui oppon. *contra.* ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 12. 11. 19. Facilius secundum naturam, quam contra eam vivere. *Ter. Eun. sub fin.* Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 24. Secundum naturam vivere. *Id. Senect.* 19. *ad fin.* Omnia, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? *Id.* 7. *Verr.* 63. *sub fin.* Secundum arbitrium tuum testes dabo. *Plin.* 17 *Hist. nat.* 16. 26. (119). Cato oleam ficumque sic inseri jussit, mensura etiam præfinita secundum reliquam diligentiam suam. *Gell.* 12. 13. *ante med.* Secundum verbi ipsius rationem. *Id.* 1. 1. Secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam. *et* 13. 20. *ad fin.* Secundum grammaticam legem. *Id.* 20. 1. *ante med.* Numerari statim, secundum duodecim tabulas, viginti et quinque asses jubebat. *Cic.* ad *Planc* in *Ep.* 5. *post Ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ea, quæ consules decreverunt secundum Cæsaris decreta et responsa. *Sueton. Claud.* 15. Secundum eos se sentire, qui vera proposuissent. *Gell.* 1. 17. Secundum hanc sententiam quoque Varro scripsit. *Vulgat. interpr. Eccli.* 36. 25. Non est vir illius secundum filios hominum. *h. e.* nemo hominum est illo viro beatior. ¶ 2. Speciatim pro, ad voluntatem, in commodum, *in favore. Cic.* 4. *Att.* 2. Nunciat populo, pontifices secundum se decrevisse, *et mox.* Multa secundum causam nostram disputavit. *Id.* 4. *Verr.* 17. 41. De absente secundum præsentem judicare. Sic *Sueton. Claud.* 15. Absentibus secundum præsentes facillime dabat. *Tac.* 3. *Hist.* 7. Post principia belli secundum Flavianos. *favorevoli ai Flaviani. Id.* 4. *Ann.* 43. Ita secundum Messenios datum. Cf. *Liv.* 23. 4. et *Cic. Rosc. Com.* 1. 2. ¶ 3. Pro contra, apud *Apul. De dogm. Plat.* 16.

SECUNDUS, a, um, adject. (sequor) Comp. *Secundior* II. 2. *a.* et 3.; Sup. *Secundissimus* I. 2. et II. 3. — Secundus dicitur, qui statim post primum est, alter: a *sequor*, quia sequitur primum, δεύτερος (It. *secondo*; Fr. *qui vient après, seconde, deuxième*; Hisp. *segundo*; Germ. *folgend, zweite, d. nächste*; Angl. *second*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Enn.* apud *Cic.* 7. *Att.* 26. Si te secundo lumine hic offendero. *h. e.* die sequenti. *Cic. Orat.* 15. *ad fin.* Jam vero ea, quæ invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. *Id.* 1. *Off.* 11. *ad fin.* Secundo eum obligaret militiæ sacramento, quia priore amisso etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). Secundo volumine. *Augustin.* 6. *Civ. D.* 3. *sub fin.* Tres præcedentes libros ita subdivisit, ut *etc.* secundos tres ita, ut etc. *Publil. Syr.* 597. Secunda in paupertate fortuna est fides. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 48. ut et scribare secundus Heres etc. *Inscript.* apud *Gud.* 153. 10. P. AELIVS MAXIMVS DECVRIO H. ET T. AVRELIVS DEXTER SECVNDVS H. et apud *Fabrett. p.* 358. *n.* 82. P. AELIVS AVRELIVS HER. ET IVLIVS MAXIMVS DECVRIO SECVS HER. *h. e.* secundus heres; qua syncope usum fuisse Romæ vulgus putat *Marin. Frat. Arv. p.* 625. *Morcellus* vero de *stil. Inscr. Lat. T.* 2. *p.* 93. *secus heres* ita interpretatur: *heres, si secus accidat*; quod tamen longius æquo petitum videtur. *V.* HERES. Rursum *Cic.* 3. *republ.* 14. 23. Optimum est facere, secundum nec facere nec pati. *Id.* 2. *ibid.* 20. 36. Prioribus equitum partibus secundis additis. — *Secunda mensa*, poma, nuces et cetera bellaria, quæ post fercula ovorum, olerum, piscium, carnium inferuntur, *i pospasti. Cic.* 14. *Att.* 6. et 21. *extr.* Hæc scripsi, apposita secunda mensa. *Cels.* 1. 2. *sub fin.* Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Inferri mensam secundam jussit. *Id.* 19. *ibid.* 8. 53. (168). Semen papaveris tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. *Id.* 16. *ibid.* 5. 6. (15). Hodieque per Hispanias secundis mensis glans inseritur. *Virg.* 2. *G.* 101. Non ego te, diis et mensis accepta secundis, Transierim, Rhodia. Adde *Nepot. Agesil.* 8. et *Martial.* 3. 50. et 5. 78. et *V.* MENSA — *Secunda dies*, pænultima retro numerando. *Ovid.* 1. *Fast.* 710. Hæc erit a mensis fine secunda dies. — *Secunda persona*, apud grammaticos, forma verborum. *Asper p.* 51. 13. *Hag.* Personæ verborum tres sunt, prima ut jejuno, secunda, ut jejunas, tertia, ut jejunat. — *Secundum tempus* est idem ac præsens. *Quintil.* 7. 2. 46. Quæstio, an fecerit incipit a secundo tempore, idest præsenti, ac deinde conjuncto. *Id.* 5. 10. 46. Secundum tempus subtilius quidam quam necesse est, diviserunt, ut esset juncti sonus auditus est; adhærentis clamor sublatus est; insequentis sunt illa latuisti etc. — *Secundæ partes*, et absolute *secundæ*, secunda persona histrionum, quæ minus frequenter prodit, et minora agit, quam prima, eique se submittit et inservit, patiturque in omnibus excellere: qua de re in PARS satis dictum est. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (54). Spinther secundarum tertiarumque Pamphilus cognomen dedere collegio Lentuli et Metelli Coss. — *Secundarum* item *magister* est, qui secunda loco aliquid procurat in oppido, pago, vico. V. *Inscript.* apud *Orelli n.* 106. — *Secundæ palmæ*, ut et tertiæ palmæ, quas in ludis ferebant gladiatores. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2587. ANNAEVS MERIDIANUS VICIT CIV. SECVND. TVLIT XX. IIIIX. TERT. TVLIT

XIII. PALMAS ET CORONAS. *V.* PALMA. — Absolute. *Vulgat. interpr. Soph.* 1. 10. Vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, *subaud.* porta. *h. e.* porta piscium respiciebat mare, cui respondebat in muro altero secunda. *Id. Eccle.* 9. 8. Unus est et secundum non habet. *h. e.* herede caret. — *Secundo Kalendas, Nonas, Idus* pro pridie, *V.* in PRIDIE. ¶ 2. Specialim *secundus* est, qui facile sequitur post nos, et euntes adjuvat fertque: ut fluvius, ventus, currus, etc., *che va a seconda. Virg.* 3. *G.* 447. (et 7. *Æn.* 494.) missusque secundo defluit amni. Adde *Curt.* 4. 30. 9. *Liv.* 29. 7. Naves mari secundo misit. *h. e.* inclinante æstu. *Id.* 5. 46. Secundo Tiberi. *Id.* 21. 28. aqua. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 8. *Cic. Planc.* 39. 94. Quum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum. *favorevoli.* (*Virg.* 3. *Æn.* 13. Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.) *Horat.* 2. *Ep.* 2. 201. agimur tumidis velis Aquilone secundo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Secundissimi venti. *Virg.* 1. *Æn.* 160. Flectit equos, curruque volans dat lora secundo. *Nigid.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Cur alii pisces squama secunda, acipenser adversa sit. *h. e.* quæ, si manum trahas a capite ad caudam, non adversatur. ¶ 3. Item qui juxta, prope sequitur, qui est secundum, juxta, nulla ratione habita alterius, seu absolute. *Sall. Jug.* 19. Ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa dividit, secundo mari prima Cyrene est. *h. e.* (ex *Wassii* et *Kritzii* sententia, cui libenter subscribo) secundum mare: Ital. *lunghesso il mare,* vel si secundum mare pergas, seu maris oram sequaris, sc. ad occidentem pergas (V. *Vallauri* ad *h. l.*): ita *secundo flumine* apud *Cæs.* 7. *B. G.* 58. dicitur etiam de iis, qui fluminis tractum sive decursum in ripa secuntur. Simile est illud *Nigid.* apud *Gell.* 2. 22. *extr.* Etesiæ secundo sole flant. *h. e.* secundum solis cursum.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ex super. paragr. 1. sumptâ. — 1.°) Dicitur de eo, qui est deterioris qualitatis, *inferiore.* — *a*) Universim. *Seneca Ep.* 52. Egregium hoc quoque, sed secundæ sortis, ingenium. *Flor.* 3. 20. Servi quasi secundum hominum genus sunt. *Juvenal.* 9. 31. tenue argentum venæque secundæ. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 123. vivit siliquis et pane secundo. *h. e.* secundario. *V.* SECUNDARIUS. Cf. *Sueton. Oth.* 9. Secum ad secundos casus detinuerat. (V. *Madvig.* ad *h. l.* in *Advers crit. v.* 2. *p.* 380.) — *b*) Cum Infinito. *Stat.* 2. *Theb.* 574. nec vertere cuiquam Frena secundus Halys. — 2.°) Ponitur etiam in laude, quum quis non quidem primus aut optimus est, sed alium proxime sequitur, et statim post eum pretium aut dignitatem habet. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 52. Quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum. *Auct. B. Alex.* 66. Sacerdos ejus deæ majestate, imperio et potentia secundus a rege habetur. *Nepos Pelop.* 4. *extr.* Denique hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondæ. *h. e.* unus de duobus summis viris, non tamen primus, sed statim post primum. *Seneca* 5. *Benef.* 25. Moneri velle ac posse, secunda virtus est. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (62). Secunda nobilitas Falerno agro erat. *Id.* 36. *ibid.* 22. 47. (164). Cotes Creticæ diu maximam laudem habuere, secundam Laconicæ. *Id.* 12. *ibid.* 13. 28. (48). Secunda bonitas amomo pallido. *Horat.* 1. *Od.* 12. 17. de Jove. Unde nil majus generatur ipso, Nec viget quidquam simile, aut secundum. Proximos illi tamen occupavit Pallas honores. *h. e.* nihil adeo præstans est, ut statim post Jovem sit: Pallas tamen est proxima, sed longo intervallo ut *Virg.* 5. *Æn.* 320. loquitur. *Sil. It.* 16. 448. tulit huic virtute secundus. Cf. *Publil. Syr.* 600. Secundus a matre nutricis dolor. — *Nulli, haud ulli secundus,* qui excellit, qui nullo est inferior, aut ui omnium præstantissimo par est. *Virg.* 11. *Æn.* 441. Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus. *Curt.* 5. 10. 3. Spatio locorum nulli ...rum gentium secunda. *Martial.* 9. 1. nulli ...ugarum laude secundus. ¶ 2. Metaphorâ ex super. paragr. 2. ductâ, est favens, *favorevole.* cui opponitur *adversus.* — *a*) Universim. *Enn.* 1. *Ann.* 97. secundam Solus avem servat. *Id.* 7. *ibid.* 24. Secundus rumor. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 37. 101. Quis unquam tam secunda contione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi? *Id.* 2. *Tusc.* 1. *ad fin.* Philosophia est multitudini suspecta et invisa, ut si quis velit vituperare, secundo id populo facere possit. *Id.* 1. *Att.* 19. *ante med.* Ex hac lege, secunda contionis voluntate, omnia tollebam, quæ etc. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 2 *med.* Eum accusavi multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 83. Ridetur fictis rebus, Balatrone secundo. *h. e.* applaudente et arridente. *Liv.* 33. 46. Ut secundis auribus accipi orationem animadvertit. *Virg.* 5. *Æn.* 491. primus clamore secundo Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis. et 4. *ibid.* 45. diis auspicibus et Junone secunda. et 10. *ibid.* 21. tumidusque secundo Marte ruat. et 8. *ibid.* 302. (et 10. *ibid.* 255.) Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. et 11. *ibid.* 739. dum sacra secundus haruspex Nunciet. *h. e.* sacra secunda, et litatum esse. hypallage. *Liv.* 2. 38. Sedulo audientes secunda iræ verba. *Sueton. Cæs.* 2. Reliqua militia, secundiore fama fuit: et corona civica donatus est. *ebbe concetto migliore.* — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 8. 12. Tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit. Cf. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Auspicia, quæ alicui secunda evenerunt. ¶ 3. Item prosper, ad voluntatem nostram fluens, *prospero, felice. Paul. Diac.* ex *Festo p.* 337. 3. *Müll.* Secundæ res non a numero dicuntur, sed quia, ut velimus, sequantur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. *ad fin.* Improborum prosperitates secundæque res. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 8. 1. 10. *ad Att.* Omnia secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur. *Cic. Sull.* 23. *extr.* Et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio permanere. *Cæs.* 7. *B. G.* 62. Ut suæ pristinæ virtutis, et tot secundissimorum prœliorum memoriam tenerent. et 2. *ibid.* 9. Secundiore equitum nostrorum prœlio, Cæsar suos in castra reduxit. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 14. Nullus est, cui non invideant rem secundam obtingere. *Virg.* 10. *Æn.* 502. Mens humana modum rebus servare secundis Nescia. *nella prosperità.* et *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est. et *mox.* Homines secundis rebus effrenati sibique præfidentes. Sic *Nepos Tim.* 1. Multo sapientius tulit secundam, quam adversam fortunam. *Cic.* 4. *Herenn.* 17. 24. Sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. *Ter. Heaut.* 2. 3. 1. Si mihi secundæ res de amore meo essent. — Et absolute. *Id. Andr.* 5. 6. 11. Age, me in tuis secundis respice. et *Nepos Alcib.* 8. *a med.* Si quid secundi evenisset. *Seneca Thyest.* 615. Nemo confidat nimium secundis. *Tac.* 1. *Hist.* 10. Vir, secundis adversisque juxta famosus. *Id.* 2. *ibid.* 59. Nimius honos inter secunda. *Curt.* 4. 28. 31. Etiam secundis atterebantur copiæ. — *NB.* De prænom. et cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

Secundæ, arum, f. plur. 1. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. *Secundæ,* subaud. *partes.* V. quæ supra diximus ad I. ¶ 2. Membrana, qua fetus in utero involvitur, et quæ post eum fere prodit, *seconda, secondina:* item quidquid post partum exit ex utero, τὰ δεύτερα, δευτέριον, τὰ ὕστερα. *V.* SECUNDINA. *Cels.* 7. 29. *sub fin.* Medicus trahere umbilicum debet absque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit. (Adde *Senec. Ep.* 92. *sub fin.*) *Colum.* 7. *R. R.* 7. *sub fin.* Quum effetæ pecudis secundæ non responderint. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 43. (123). Partus conceptos evocat membrana e canum secundis, si terram non attigerint. *Id.* 9. *ibid.* 13. 15. (41). Vitulus marinus pecudum more secundas partus reddit. *Id.* 27. *ibid.* 4. 13. (30). Si secundæ mensesque morentur. *Id.* 20. *ibid.* 11. 44. (115). Apium urinam ciet, menstrua ac secundas partus. *Id. ibid.* 6. 23. (51). Secundas partus evocare. *Id.* 24. *ibid.* 16. 92. (147). et 27. *ibid.* 8. 38. (60). trahere. *Id.* 30. *ibid.* 14. 43. (124). pellere. *Id.* 21. *ibid.* 24. 95. (167). purgare. *Id.* 26. *ibid.* 15. 90. (152). morantes extrahere. et 20. *ibid.* 14. 54. (154). sedare. *Cels.* 52. *retro* ed. *Ald.* expellere.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ ex super. paragr. 1. *Seneca* 2. *Benef.* 29. Diis agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri. ¶ 2. Hinc *secundas tractare, agere,* obsequi, assentari, *andare a seconda, compiacere. Horat.* 1. *Ep.* 18. 10. Alter in obsequium plus æquo pronus *etc.* Ut puerum sævo credas dictata magistro Reddere, vel partes mimum tractare secundas. *Seneca* 3. *Ira* 8. *a med.* Optimum judicavit, quidquid dixisset, sequi, et secundas agere. Addunt huc locum *Plauti Asin.* 2. 4. 89., sed varia ibi lectio.

Secundo, adverbialiter usurpatur et ¶ 1. Est secundo loco, deinde, *secondariamente, in secondo luogo,* δεύτερον, δευτέρως. *Phædr.* 4. 10. Significat primo, sæpe quos ipse alueris, Tibi inveniri maxime contrarios. Secundo ostendit, scelera non ira deum, Fatorum dicto sed puniri tempore. *Cic. Planc.* 20. *sub fin.* Primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundo ut existimarer; tertium mihi fuit etc. Usurpavit etiam *Cato senex* apud *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* — De tempore, et est exinde, postea. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 61. ¶ 2. Pro iterum. *Auct. B. Alex.* 40. Pontica legio quum fossam circuire secundo conata esset, ut aperto latere aggrederetur hostem, in ipso transitu fossæ confixa et oppressa est. Adde *Spartian. Hadrian.* 4. et 23., *Eutrop.* 2. 19. et *Lactant.* 4. 17. Affertur a *Nizolio* etiam fragmentum *Cicer.,* in quo *secundo* pro iterum ponitur, *la seconda volta.* Semel hominem allocutus fueram: an secundo mihi redeundum esset, ignorabam. Sed hæc nec apparet, unde ducta sint: et *Ciceronem* parum aut nihil sapiunt. quare merito suspecta esse debent, donec certius aliquid afferatur. *V.* SECUNDUM. Item *secundo,* pro iterum, perperam legitur a quibusdam apud *Liv.* 42. 26., nam ibi cum *Madvigio* aliter legendum. V. *ejusd. Emend. Liv. p.* 633. Verum in *Inscript.* sæpe occurrit hac significatione. V. *Gruter. p.* 464. *n.* 8., *Orell. n.* 3161., 3171. etc. ¶ 3. Pro bis. *Trebell. Gallien.* 17. Lavit ad diem septimo æstate vel sexto, hieme secundo vel tertio. Adde *Capit. Gord.* 6. et *Capell.* 8. *p.* 276. V. *Kopp.* ad *h. l.*

SĒCŪRĒ, adverb. (securus) Comp. *Securius.* — ¶ 1. Est sine cura, remisse, negligenter. *Plin.* 1. *Ep.* 4. Ut mei expergiscantur aliquando, qui me secure ac prope negligenter exspectant. *Sueton. Ner.* 40. Neapoli de motu Galliarum cognovit, adeoque lente et secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet. *Vellej.* 2. 129. *ad fin.* Quam illum et honorate, nec secure continet! *Justin.* 5. 9. 10. Quum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur. *Valer. Max.* 4. 7. *n.* 1. *extern.* Cui secure vivere licebat. Hunc loc. *Forcellinus* ad seq. paragr. retulit. ¶ 2. Item sine timore, fidenter, audacter, *senza paura, francamente, sicuramente,* ἀδεῶς, ἀμερίμνως. *Justin.* 5. 5. 2. Dum agros securius populatur. *Jeep* leg. *securus.* et *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Hæc fenestra subjacens mare longius quidem, sed securius intuetur. *Eumen. Paneg. Constantin.* 16. Secure scilicet usurus exercitu, quem venales manus habere docuisset. *Id. Grat. act.* 8. Secure vovere. *Seneca Ep.* 18. *circa med.* Securius divites erimus, si sciverimus, quam non sit grave pauperes esse. *Quintil.* 6. 3. 10. Securius loqui.

SĔCŪRĬCŬLA, æ, f. 1. *V.* SECURICULA.

SĔCŪRĬCLĀTA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SĔCŪRĬCLĀTUS, a, um (securicla) ab inusit. *securicula,* securicula compactus, πελεκινωτός, ut Securiclati cardines apud *Vitruv.* 10. 15. *V.* voc. seq. — Hinc

Securiclata, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, genus herbæ, cujus siliquæ sunt securiculæ similes, πελεκῖνος, apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155)., ubi alii leg. *securidaca.* V. hanc voc.

SECŪRĬCŬLA *et syncop.* securicla, æ, f. 1. *deminut. a* securis, parva securis, dolabella, *piccola scure*, πελεκύδιον.

I.) Proprie. *Plaut.* inter crepundia nominat *Rud.* 4. 4. 114. ensiculum aureolum, securiculam ancipitem. *Martial.* 14. 35. cujus lemma *Securicula*. Quum fieret tristis solvendis auctio nummis, Hæc quadringentis millibus empta fuit. *Plinius* securiculam vocat, quam *Colum.* 2. *R. R.* 2. *in fin.* dolabram, nempe ferramentum ad ascidendas radices in arando, ne, si vomere id fiat, boves luctando noxam contrahant. Verba *Plinii* sunt 18. *Hist. nat.* 19. 49. (177). Securiculam insitivam pendere (*ab aratro*), qua intercidantur radices. Hoc melius, quam convelli aratro bovesque luctari. *Harduin.* in suis MSS. legit *sericulam*, unde conjicit *serriculam*, ut sit eadem cum serrula minore, quam inter ferramenta rustica recenset *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Porro *insitiva* securicula videtur dici, quia apta est etiam findendæ materiæ in inserendo: sed sunt qui leg. *in stiva*. Sic *Sillig* leg. *securiculam in stiva*.

II.) Metonymice, apud *Vitruv.* 4. 7. (et 10. 17. *a med.*) est caput ligni in modum parvæ securis formatum, et alteri ligno immissum, quod eadem figura cavatum sit, ut cum eo tenacissime colligetur: *incastro a coda di rondine*, πελεκινωτόν. ubi alii leg. *securiclis* pro *securiculis*, unde *securiclatus* apud *eumd.* 10. 15.; alii *securiolis*.

Homonym. Quomodo *securicula* differat a *subscude*, V. in SUBSCUS.

SECŪRĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (securicula) qui securiculas conficit et vendit. *Gloss. Isid.* Securicularius, qui secures fert. Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 64.

SECŪRĬCŬLĀTUS idem ac **SECURICLATUS**, quam voc. *V.*

SECŪRĬDACA, æ, f. 1. herba siliquas ferens securiculæ similes, inter lentem nascens, et eam enecans. unde et Græci pelecinon vocant, πελεκῖνον, a πέλεκυς, securis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155). MSS. apud *Harduin.* habent *securiclata*: quod unice probandum. Ita et *Sillig.*

SECŪRĬFER, fĕra, fĕrum, *adject.* (securis et fero) qui fert securim, πελεκυφόρος. *Ovid.* 12. *Met.* 460. Helimumque, securiferumque Pyracmon.

SECŪRĬGER, gĕra, gĕrum *adject.* (securis et gero) idem ac securifer. *Ovid. Heroid.* 4. 117. Prima securigeras inter virtute puellas Te peperit. *h. e.* inter Amazones, quæ in bello securibus utebantur. Sic *Val. Flacc.* 5. 138. Securigeræ catervæ. *Id.* 3. 191. securigerumque Nealcea Transigit. *Seneca Œdip.* p. 471. Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi. *h. e.* qui securi vites ceciderat. *Sil. It.* 16. 48. securigera miscebat prœlia dextra. *h. e.* armata securi.

SECŪRIS, is, f. 3. Forma Accusativi est *securim* plerumque; aliquando vero *securem*, ut apud *Varron. Sat. Menipp.* 66. p. 185. *Oehl.* Ferens ferream humero bipennem securem. Adde *Liv.* 3. 36. et *Seneca* 2. *Contr.* 3. et *V. Priscian.* 7. p. 758. *Putsch.* Item forma Ablativi est *securi* plerumque; aliquando vero *secure*, ut apud *Apul.* 8. *Met.* et *Tertull. Pudic.* 16. *V. Consent.* p. 355. 14. *Keil.* — Securis est ferramentum lata acie ad modum hirundininæ caudæ, cujus usus lignis cædendis, cervici amputandæ, item in prœlis: a *seco, as*, vel *acuo, is*; alii tamen volunt esse a *semi*, dimidium, et *curis*, hasta: (quamvis prima in *semi* longa sit, in *curis* brevis) quia, ut ait *Isid.* 19. *Orig.* 19. *a med.*, ex una parte acuta est, ex altera fossoria; quod si sit utrinque acuta, *bipennis* dicitur (*V.* BIPENNIS): vel quia manubrium habet dimidio brevius, quam hasta; alii a voce Persica, quæ Græce est σάγαρις, oriri putant. De varia securis forma, videsis *A. Rich. op. cit.* ad *h. v.*: Græce est πέλεκυς (It. *mannaja, scure, azza*; Fr. *hache, cognée à tranchant large*; Hisp. *segur, hacha*; Germ. *das Beil, die Axt*; Angl. *an axe or hatchet*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 7. *Æn.* 184. Captivi pendent currus curvæque secures, et *ibid.* 627. subiguntque in cote secures. *Id.* 12. *ibid.* 306. ille securi Adversi frontem mediam, mentumque reducta Disjicit. et 11. *ibid.* 696. Tum validam perque arma viro, perque ossa securim Congeminat. et *ibid.* 656. æratam quatiens Tarpeja securim.(*Priscian.* 7. p. 758. *Putsch.* hic legit *securem*, ut ostendat, utraque positione accusativum desinere.) *Ovid.* 4. *Fast.* 649. Silva vetus nullaque diu violata securi. *Id.* 10. *Met.* 373. trabs ingens saucia securi. *Virg.* 6. *Æn.* 180. Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex. *Val. Flacc.* 5. 436. Texitur Argoa pinus Pagasea securi. *Catull.* 19. 3. Quercus arida, rustica conformata securi. *Juvenal.* 10. 59. rotas bigarum impacta securis Cædit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (192). Scipionis classis quadragesimo die a securi navigavit. *h. e.* postquam materia in silva cæsa est. Apud *Colum.* in descriptione vinitoriæ falcis 4. *R. R.* 25. superposita falci semiformis lunæ species, securis dicitur: eaque utitur vinitor, quum ictu aliquid cædere vult. *Horat.* 4. *Od.* 4. 20. Amazonia securi Dextras obarmet. *h. e.* ab una tantum parte acuta, quam primum invexerunt Amazones, dictæ *securigeræ* ab *Ovid. Heroid.* 4. 117. *Grat. Cyneg.* 69. Ut (*Ancæus*) prædexter erat, geminisque securibus ingens. *h. e.* securi utrinque acuta, bipenni. Idem enim apud *Ovid.* 8. *Met.* 391. dicitur *bipennifer Arcas*. et 397. Ancipitemque manu tollens utraque securim. et *Varro Sat. Men. loc. cit.* Securis bipennis. *h. e.* utrinque acuta. — Ejus usus est in cædendo marmore in lapicidinis: de marmore enim loquitur *Stat.*, ubi ait 2. *Silv.* 2. 87. Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures. ¶ 2. Speciatim in re sacra, *h. e.* in sacrificiis faciendis. *Horat.* 3. *Od.* 23. 12. Victima pontificum secures Cervice tinget. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 5. Candidaque adducta collum percussa securi Victima. *Id.* 12. *Met.* 248. veluti qui candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. ¶ 3. Item in re civili. Erant nempe apud Romanos virgarum fasces, (ut dictum est in FASCIS) qui magistratibus a lictoribus præferebantur, et in singulis fascibus singulæ secures ad sumendum de reis supplicium, quum opus esset. *Liv.* 2. 5. *a med.* Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt. *Cic. Pis.* 34. 83. Tu Rabocentum Bessicæ gentis principem securi percussisti. *Lucret.* 3. 996. Sævasque secures. *Val. Max.* 4. 1. P. Valerius Poplicola invidiosum magistratus fastigium ad tolerabilem habitum deduxit, fasces securibus vacuefaciendo et in contione populo submittendo. et *Cic.* 2. *republ.* 31. 55. Secures de fascibus demi jussit. *Flor.* 2. 2. *circa med.* Securim distringere, et *ibid.* 5. Strictæ in principum colla secures. — Duplici sensu apud *Plaut. Pseud.* 1. 2. 25. Te, cum securi, caudicali præficio provinciæ. ¶ 4. De securi Tenedia, *h. e.* severa et expedita justitia, *V.* TENEDIUS.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice *secures* significant imperium populi R. ipsosque magistratus. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. *extr.* Finitima Gallia in provinciam redacta, securibus subjecta, perpetua premitur servitute. *Horat. Carm. sæcul.* 53. Jam mari terraque manum potentem Medus, Albanasque timet secures. *Id.* 3. *Od.* 2. 19. virtus Nec sumit, aut ponit secures Arbitrio popularis auræ. *Seneca Ep.* 88. Ostendam multa securibus recidenda. *Tac.* 12. *Ann.* 35. Majorum virtute vacui a securibus et a tributis. *Sil. It.* 11. 62. geminasque videre secures. — In sing. num. *Virg.* 6. *Æn.* 825. sævumque securi Aspice Torquatum. *h. e.* Manlium Torquatum, qui consul filium securi percussit, quod contra edictum suum cum hoste extra ordinem pugnaverat, ut est apud *Liv.* 8. 7. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 45. Germania, colla Romanæ præbens animosa securi. ¶ 2. Item est vulnus, ictus, damnum, detrimentum. *Cic. Mur.* 24. 48. Quam te securim putas injecisse petitioni tuæ, quum populum R. in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret? *h. e.* quam magnum detrimentum: ducta metaphora a cædendis arboribus. *Id.* dixerat *ibid.* 23. *a med.* Atque ex omnibus illa plaga est injecta petitioni tuæ, non tacente me, maxima. *Id. Planc.* 29. 70. Quam enim illi judices graviorem potuerunt reipublicæ infligere securim, quam quum illum a civitate ejecerunt?

SECŪRĬTAS, ātis, f. 3. (securus) vacuitas, immunitas a cura.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem est tranquillitas, tranquillus animus, anxietatis et periculi expers, *l'esser senza cure, tranquillità, quiete d'animo, sicurezza*, ἀσφάλεια, ἀμεριμνία, εὐθυμία. — a) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 42. Qui autem illam maxime optatam et expeditam securitatem (securitatem autem nunc appello vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit, aut adesse possit multitudo malorum? (Adde *Cels.* 4. 4. *sub fin.*) *Id.* 5. *Fin.* 8. *a med.* Democriti securitas, quæ est animi tamquam tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν. *Id.* 1. *Off.* 20. *a med.* Vacandum est omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam ægritudine et voluptate animi, et iracundia, ut tranquillitas et securitas adsit. *Val. Max.* 7. 1. *sub fin.* Respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis et sollicitudinibus aulam. *Justin.* 43. 5. 8. Parta pace, et securitate fundata. *Plin.* 7. *Ep.* 6. *extr.* Securitatem et otium dare alicui. *Id.* 10. *Ep.* 60. Generis humani tutela et securitas saluti tuæ innisa est. — In plurali num. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (41). Vinum jejunos bibere inutilissimum est curis: somno vero ac securitatibus jamdudum hoc fuit, quod etc. *per lo scacciamento de' pensieri.* — b) Cum Genetivo. *Id.* 7. *ibid.* 53. 54. (184). Operosissima securitas mortis in M. Ofilio Hilaro ab antiquis traditur. ¶ 2. In malam partem est remissio, incuria et negligentia. — a) Absolute. *Quintil.* 2. 2. 6. Sit præceptor in laudandis discipulorum dictionibus nec malignus nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. *Id.* 6. 3. *circa med.* Jungitur amphiboliæ similitudo: ut L. Galbæ pilam negligenter petenti, sic, inquit, petis, tamquam Cæsaris candidatus. nam illud, quod petis, ambiguum est, securitas similis. *Gell.* 1. 15. Videas quosdam sic scatere verbis, sine ullo judicii negotio, cum securitate multa et profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. *Id.* 4. 20. In jure stans, clare nimis ac sonore oscitavit: atque inibi prope, ut plecteretur, fuit, tamquam illud indicium vagi animi foret, et allucinantis, et fluxæ atque apertæ securitatis. *Tac.* 3. *Hist.* 83. Nunc inhumana securitas. *Vellej.* 2. 118. 2. Frequentissimum esse initium calamitatis securitas. — b) Cum Genetivo. *Quintil.* 10. 6. 2. Nulla scribendi securitate laxatur.

II.) Translate. ¶ 1. Subjective, uti ajunt, est vacuitas timoris, fidentia, audacia, *franchezza, intrepidezza, fermezza*: in utramque partem. — a) Absolute. *Plin.* 6. *Ep.* 16. *a med.* Complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: utque timorem ejus sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Sic est habenda auctoritatis ratio, ne sit invisa securitas. — b) Cum Genetivo. *Auson. Grat. act.* 3. Aguntur gratiæ imperatori indulgentissimo, docet securitas erroris humani. *h. e.* fidentia erroris humani, fore ut sibi parcat princeps, si deliquerit. ¶ 2. Objective, ut ajunt, est securitas rei, in qua quispiam tutus est, *sicurezza*. — a) Absolute. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Quum innumerabilia sint mortis signa, salutis securitatisque nulla sunt. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 112. Sicut largitiones ex publico fieri, mandata prohibent; ita ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum temporis retractari non oportet. *h. e.* certus status rei familiaris. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Securitati ante quam vindictæ consuleret. *Justin.* 11. 13. 3. Somno a repentina securitate datus. *Id.* 39. 2. 9. Parta regno securitate. *Vellej.* 2. 98. 1. Diligentissimum securitatis urbanæ custodem habemus. *Id. ibid.* 103. 4. Spes concepta perpetuæ securitatis. *Id. ibid.* 128. 4. In tutelam securitatis suæ ad-

vocat. — *b*) Cum Genetivo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (21). Cæsarem dictatorem, post unum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, ut primum consedisset, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum. *Tac.* 15. *Ann.* 18. Securitas annonæ. ¶ 3. Item in re civili est apocha, acceptilatio, qua securus certusque quis efficitur, nihil amplius eo nomine a se petitum iri, *sicurtà, quietanza, ricevuta, cessione. Ammian.* 17. 10. 4. Susceptorum vilium more securitates accipiens pro illatis: quas si non ostendisset in tempore, etc. *Cassiod.* 11. *Variar.* 7. *ante med.* Merito testimonium solutionis securitas dicitur, de qua non solum animus, sed substantia communitur. *Symmach.* 10. *Ep.* 43. (*al.* 50.) *ad fin.* Quum videretur omnibus securitatibus esse vehementior imperatoris assertio. *Ulp. Dig.* 27. 4. 1. *ad fin.* Quod sibi debetur, consequi debet, vel ejus securitatem. *Cod. Theod.* 11. 1. 19. Securitates reddere. ¶ 4. Veteres *Securitatem* tamquam deam venerabantur, eamque mulieris habitu repræsentabant hastam fere dextra gestantem, sinistra autem cubito sic aræ innixam, ut genam palma sustentaret. Sæpissime in nummis imperatorum sæculi tertii et quarti legitur *Securitas Aug.* vel *publica.* V. *Rasche Lex. Num. T.* 4. *P.* 2. *p.* 350. et *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 62. et al. Eidem a Prænestinis statuam dedicatam fuisse, docet *Inscript.* apud *Gruter.* 105. 6. SECVRITATI AVG. SACRVM DECVRIONES POPVLVSQVE COLONIAE PRAENESTIN. — Speciatim tribuitur Manibus alicujus, quorum quieti in sepulcro præsideat. V. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2824. et *Marini Fr. Arv. p.* 161. — Hinc *Dii Securitatis* appellati videntur ipsi Manes in *Inscript.* apud *Orell. n.* 2201. *V.* voc. seq.

SĒCŪRĬTER, adverb. (securus) secure. *Augustin.* in *Joh. Ep. ad Parth.* 10. 8. Timet, sed securiter.

SĒCŪRUS, a, um, adject. (se = sine *et* cura) Comp. *Securior* fere in omn. paragr.; Sup. *Securissimus* II. *a.* — Securus est generatim vacuus cura, qui est sine cura.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem, qui sine cura, h. e. timore vel sollicitudine est et se tutum putat, qui tranquillo est animo et quieto, *tranquillo, quieto, senza timore, sicuro,* ἀδεής, ἀμέριμνος: cui opponitur *sollicitus.* — 1.°) Generatim. — *a*) De personis. — *α*) Absolute. *Cic. Flacc.* 20. 46. Securus proficiscitur. *Liv.* 25. 39. Hostes securi ac soluti. *Tac. Germ.* Securum deæ cultorem præstat. Adde 31. 25. *Tibull.* 1. 1. 77. composito securus acervo. *Ovid.* 1. *Met.* 100. Mollia securæ peragebant otia gentes. *Id.* 5. *ibid.* 572. Ceres nata secura reperta. *Id.* 9. *ibid.* 785. Non secura quidem, fausto tamen omine læta. *Justin.* 13. 8. 5. Læto ex victoria et securo Eumeni superveniant. *Sever. Ætn.* 9. Aurea securi quis nescit sæcula regis? *h. e.* Saturni, sub quo nulla fuere bella. V. *Ovid.* 1. *Met.* a *v.* 97. *Inscript.* apud *Gruter.* 10. 8. HADRIANVS AVG. POSTEROS PRAESTITIT HAC LIBERALITATE SECVROS. *Quintil.* 6. 1. 14. Securior reus. *Ammian.* 29. 6. 5. Trucidari securum fecit. *Haupt* secure. — *β*) Cum Genetivo. *Virg.* 7. *Æn.* 303. Teucri optato conduntur Tibridis alveo, Securi pelagi atque mei. *h. e.* neque timentes amplius mare, neque me Junonem infestam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 17. Securus pœnæ. *Ovid.* 6. *Met.* 137. futuri. *Id.* 7. *ibid.* 435, Quodque suis securus erat Cromyona colonus, Munus opusque tuum est. *h. e.* non timens aprum a Theseo jam occisum. *Id.* 12. *ibid.* 199. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ: Elige quid voveas. *h. e.* sine timore repulsæ. *Stat.* 12. *Theb.* 780. vade atra dature Supplicia, extremique tamen secure sepulcri. *sicuro che avrai sepolcro.* et *Seneca Agam.* 637. Secura metus Troica pubes Sacros gaudet tangere funes. *Lucan.* 8. 784. Securus veniæ. *h. e.* certus aut confisus se veniam obtenturum. *Seneca Herc. Œt.* 1693. et *Thyest.* 720. Sui securus. *h. e.* nihil de se timens. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Securus potentiæ. *Id.* 3. *Hist.* 41. Milites avidi periculorum et dedecoris (*al.* decoris) securi. (*Forcellinus* hunc loc. ad seq. paragr. retulit.) *Id. Agric.* 43. odii. *Curt.* 5. 29. 15. periculi. *Vellej.* 2 109. 4. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam. — *γ*) Cum Accus. et præp. *adversus. Tac. Germ.* 46. Securi adversus homines. — *δ*) Cum Ablat. et præpos. *de, pro, ab. Cic.* 12. *Att.* 52. *extr.* De lingua Latina securi es animi, dices, qui talia conscribis. *Liv.* 36. 4. Antiochus, Ephesi securus admodum de bello Romano erat. *Tac.* 16. *Ann.* 2. Securus de facilitate credentis. *Justin.* 3. 1. 3. Securior de Artaxerse. *Tac. Agric.* 26. Securi pro salute de gloria certabunt. *Petron. Sat.* 18. Bonum animum habere eam jussi, et de utroque esse securam. *Tac.* 4. *Hist.* 58. Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 24. *in fin.* Si legiones celeriter venerint, securos vos ab hac parte reddemus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 51. (145). Hirundinis rostri cinis securos præstabit a temulentia. *Liv.* 9. 22. Dictator securior ab Samnitibus agere. — *ε*) Cum partic. relativa. *Horat.* 1. *Od.* 26. 6. Quid Tiridatem terreat, unice Securus. (Cf. *Justin.* 42. 5.) *Id.* 2. *Sat.* 4. 50. Quali perfundat pisces securus olivo. *Id.* 2. *Ep.* 1. 176. Securus, cadat, an recto stet fabula talo. Utrobique tamen possis interpretari: nihili pendens, negligens, *non curante.* — *b*) De rebus. — *α*) Absolute. *Lucret.* 3. 211. Secura quies. *Id.* 5. 82. deos securum agere ævum. *Virg.* 3. *G.* 376. Secura otia. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 30. olus. *Tibull.* 2. 1. 46. merum. *Id.* 3. 4. 54. dies. *Id.* 3. 6. 30. mensa. *Ovid.* 7. *Met.* 455. gaudia. *Seneca* 1. *Clement.* 26. Secura convivia. *Quintil.* 11. 3. 64. Vox securæ claritatis. *Id. ibid.* 151. Causæ tristes, hilaræ, sollicitæ, securæ. *Id.* 12. 1. 20. Tempore ad componendum securiore. *Tac.* 1. *Hist.* 1. Uberiorem securioremque materiam senectuti seposui. — *β*) Cum Genetivo. *Ovid.* 12. *Met.* 199. sint tua vota licet secura repulsæ. — *γ*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 42. (150). Securos præstant ab eo metu somnos. — 2.°) Speciatim interdum ponitur pro audaci, et minime timente, ubi timore aliquo opus est. *Quintil.* 6. 1. *ante med.* Iram offensio judicis facit, si reus contumax, arrogans, securus sit. *baldanzoso.* et *Petron. Sat.* 123. magnam nixus in hastam, Horrida securis frangebat gressibus arva. *con passi franchi.* et *Tac.* 3. *Ann.* 54. Leges oblivione aut contemptu abolitæ securiorem luxum fecere. ¶ 2. In malam partem, qui sine cura est, non sollicitus, non anxius, nihili pendens, negligens, remissus, *spensierato, non curante, trascurato, negligente,* ἀμελής, μικρολογῶν. — *a*) Absolute. *Seneca Hippol.* 974. *ad Jovem.* Cur securus abes? non sollicitus Prodesse bonis, nocuisse malis? *Ovid.* 1. *Art. am.* 639. Nec secura quies illos (*deos*) similisque sopori Detinet. *Tac. Agric.* 9. Castrensis jurisdictio, secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet. — *b*) Cum Genetivo. *Virg.* 1. *Æn.* 350. securus amorum Germanæ. (Simile est illud *ejusd.* 10. *ibid.* 324. Dardania stratus dextra, securus amorum, Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres. *h. e.* deposita omni amorum cura, quippe e vivis sublatus.) At *Klotzius* hunc loc. ad superiorem paragr. retulit. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 52. Et ruit in vetitum damni secura libido. *Quintil.* 8. 3. *a med.* Vitium, in quod sæpe incidit etiam Cicero, securus tam parvæ observationis. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 49. Securus famæ, liber, ire memento. *Sil. It.* 17. 628. Scipio securus scæptri. *h. e.* regiam dignitatem aspernatus.

II.) Translate dicitur de rebus locisque, quæ vel tuta sunt, vel securitatem, quietem, pacem præstant. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Liv.* 39. 1. Hostis velox et repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret. *Petron. Sat.* 137. Quisquis habet nummos, secura naviget aura. *Plin. Paneg* 62. Frequentent securas tandem ac patentes domos. *Tac. Dial. de Orat.* 3. Tragœdia non quidem melior, sed tamen securior. *Spartian. Sever.* 18. Tripolim, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit. *Virg.* 6. *Æn.* 715. Securos latices et longa oblivia potant. *che sgombrano dall'anima le cure, o rendono l'anime tranquille.* — Neutr. plur. absolute. *Tac. Dial. de Orat.* 37. Quorum ea natura est, ut secura velint. — *b*) Cum Genetivo. *Id.* 1. *Hist.* 86. Tiberis immenso auctu non modo jacentia et plana Urbis loca, sed secura ejusmodi casuum implevit. — 2.°) Speciatim de quiete sepulcri. *Inscript.* apud *Henzen. n.* 7386. — Hinc *Dii Securi* ipsi Manes fortasse dicti in *Inscript.* apud *Orelli n.* 4453.

Homonym. Hoc differunt *securus* et *tutus*, quod hic re vera est extra periculum, quamvis fortasse timeat; ille extra timorem, quamvis fortasse in periculo sit. Ita *Landin.* ad *Horat.* 1. *Od.* 26. et *Forcellin.* ad hanc voc. Cf. et *Popm. op. cit.* Hinc *Seneca Ep.* 97. *ad fin.* Tuta scelera esse possunt, secura non possunt. *Id. Hippol.* 165. Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. et *Ep.* 105. Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. *Solin.* 1. § 32. Cæsar Augustus principatum ita ingressus est, ut vigilantia illius non modo securum, verum etiam tutum imperium esset. Similiter derivata conjungens *Plin.* 10. *Ep.* 60. Generis humani tutela et securitas tuæ saluti innixa est. — Erravit *Cortius* ad *Sall. Jug.* 88., qui *tutum* interpretatus est: id quod tuetur et tutum præstat. nam *tutus* dicitur, qui a periculo prorsus liber est, cuique nihil potest nocere: ab eo diversus est *securus*, quippe qui opinetur tantummodo a periculo se esse liberum, sive sit vera hæc opinio, sive falsa. Quum igitur horum vocabulorum ratio talis sit, qualis intercedit inter rem ipsam et rei opinionem, fieri potest, ut qui re ipsa *tutus* sit, tamen errore quodam judicii vel sensus sui *haud securus* sibi videatur; contra *securus* esse possit, cui, scilicet nihil sentienti et quasi imprudenti, gravissima pericula immineant. Ita *Kritzius.*

SĔCUS, n. indecl. *Non. p.* 222. 27. *Merc.* et *Priscian.* 5. *p.* 653. *Putsch.* docent, *sexus* esse etiam neutri generis: et in adlatis *Sallustii, Sisennæ* et *Plauti* locis *sexus* legunt pro *secus:* quod et in aliis exemplis ab aliis factum est. Non tamen perficiunt, ut *secus* vetus verbum non sit, et Latinum, ut saniores critici consentiunt. V. *Kritz.*, qui ad *loc. Sall.* de hac voce disserit. — Ratione habita etymi, vox conferri potest cum Gr. τέκος, fetus, proles, aut potius, ut *Döderleinus* docet, cum *seco, as,* unde et *sexus.* — Secus est idem ac sexus, *sesso,* γένος. *Sall. fragm.* apud *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* et *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. et *Non. loc. cit.* Metellus magna gloria concurrentium undique, virile et muliebre secus, per vias et tecta omnium visebatur. *Sisenna* apud *Non. loc. cit.* Tum in muro, virile ac muliebre secus populi multitudine collocata. *Liv.* 26. 47. Liberorum capitum virile secus ad decem milia capta. *Plaut. Rud.* 1. 2. 19. Virile secus numquam ullum habui. *Asell.* apud *Gell.* 2. 13. Eum, quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci jussit. *Varro* apud *eumd.* 3. 10. Quarta hebdomade, quod ejus virile secus futurum est, caput et spina, quæ est in dorso, informatur. *Auson. Edyll.* 11. 8. Vesta, Ceres et Juno, secus muliebre, sorores. *Id. Epigr.* 70. 6. Corrupit totum qui puerile secus. *Capell.* 7. *p.* 236. Ne nunc sexus (*corrig.* secus) jugalis Cura ferale morsum etc. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 62. et 5. *Hist.* 13., *Sueton. Aug.* 44., *Arnob.* 5. *p.* 165. et *Ammian.* 29. 6. 8. Porro *virile ac muliebre secus* quarto casu absolute ponitur, ut subintelligatur κατά vel *secundum.*

SĔCUS, vox multiplicis usus, diversitatem aut oppositionem significans; unde Comp. *Secius*, ut videtur, licet quantitatem primæ syllabæ variet, aut potius *Sequius* et *Sectius* (apud *Afran.*, teste *Charis.* 2. *p.* 195. et apud *Plaut. Men.* 5. 7. 57.) et etiam *Setius.* (Cf. *Wagner Orthogr. Virg. p.* 472., et *Weihrauch* in *Philog.* 30. 631.) *V.* suis locis. — Ratione habita etymi, positiv. *secus*, putat *Valgius* ex Græco, quod est ἑκάς, dictum: absurde scilicet. significat enim aperte, aliter, exemplis omnium fere, qui eam

vocem usurpant. Ita *Festus p.* 297. 1. *Müll.* At *Dacerius* et *Voss.* sic *Valgium* defendunt, ut quum ἑκάς significet longe, eo respexerit, quod qui *secus* facit, longe ab officio recedit. Certe quidem *secus* sæpe ei, quod rectum est, opponitur. Comp. vero *secius* vel *sectius* a *seco* ducunt, qua significat sequi: et *sequius* a *sequor* censet *Palmer.*, et de bis multa subtiliter disserit in *Spicileg.* 4. *Lampad. crit. p. m.* 676. Ait *Popma* ad h. v., sibi videri *secius* et *sequius* omnino eadem esse, nec magis differre, quam *arcus* et *arquus*, *oculus* et *oquulus*. Non est tamen, ut puto, discedendum pro utraque forma a *seco*, sive qua dividere, sive qua sequi significat, nam utraque notio subjectis exemplis inesse videtur; vel etiam qua est sequi tantum, nam altera notio ad hanc facile redigi potest. (Cf. *Seyffert* ad *Cic. Amic.* 9. 29.) Occurrit itaque *secus*, ut *A)* Adverbium; *B)* Præpositio; et *C)* Adjectivum.

A) Secus adverbium ¶ 1. Generatim est aliter, *altrimente, diversamente*, ἄλλως, ἑτέρως. — 1.°) Positiv. *secus.* — *a)* Absolute. *Plaut. Capt.* 3. 4. 92. si secus reperies. *Id. Cas.* 2. 6. 25. si eveniet gaudebimus: Sin secus, patiemur animis æquis. *Id. Trin.* 4. 3. 57. sin secus est, faciam, uti jubes. *Cic. Brut.* 85. 293. Lysiæ Catonem nostrum comparabas, nemo dicet secus. *Id.* 1. *republ.* 19. 32. Secus esse scimus. *Id. Quinct.* 9. 32. Quum causæ nihil esset, quin secus judicaret ipse de se. *Horat.* 2. *Od.* 3. 2. Æquam rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis – temperatam. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Nec secus apud principem ad mortem aguntur. — *b)* Cum adverbiis. *Id. Partit.* 5. 15. C. F. Quid faciendum est contra reo? C. P. Omnia longe secus. *Id.* 4. *Fam.* 9. Is utitur consilio ne suorum quidem, sed suo: quod non multo secus fieret, si is rempubl. teneret, quem secuti sumus. *Id. Mil.* 10. *a med.* Fit obviam Clodio hora fere undecima, aut non multo secus. *a un di presso.* Sic *Apul. Apolog.* Profiteor, mihi ac fratri meo relictum a patre HS vicies, paullo secus. *Id.* 1. *Met.* Et cum dicto modico secus progressus, ostium accedo. *poco più avanzatomi.* — *c)* Cum oppositis. *Id. Pis.* 28. 68. Recte, an secus, nihil ad nos. *Id.* 3. *Fin.* 13. *extr.* Nobis aliter videtur: recte secusne, postea. *Liv.* 7. 6. Pro bene aut secus consulto habitura. *Plin. Paneg.* 44. Prout bene aut secus cessit. *Quintil.* 2. 20. 1. Utiles, aut secus secundum mores utentium fiunt. *Tac.* 13. *Ann.* 6. Honestis, an secus, amicis uteretur? — *d)* Cum particulis *quam, atque, ac.* — *α)* Præcedente particula negativa. *Cic.* 6. *Att.* 2. *ante med.* Mihi erit maxime curæ, ne quid fiat secus, quam volumus. *Gell.* 6. 17. Ennius non longe secus dixit, quam Catullus. *Justin.* 22. 8. 9. Haud secus, quam si ab hoste capti essent, trepidavere. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 24. Non dixi secus ac sentiebam. *Horat. Art. P.* 148. in medias res, Non secus ac notas, auditorem rapit. *Virg.* 3. *Æn.* 236. Haud secus ac jussi faciunt. *Cic. Mur.* 4. *in fin.* Non secus ac si meus esset frater. *Sall. Jug.* 81. Solet in locis illis tempestas haud secus, atque in mari, retinere. — *β)* Sine particula negativa. *Ter. Phorm.* 2. 3. 91. Is tu illam attigeris secus, quam dignum est. *Cato* apud *Charis. p.* 195. *Putsch.* Secus ætatem agerem, quam illi egissent. *Cic.* 6. *Att.* 2. Ne quid fiat secus, quam volumus. — Et cum adverb. *Id.* 3. *Orat.* 30. 119. Eadem sunt membra in utrisque disputationibus, sed paullo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa. — *e)* Sæpe *Virg.* in similitudinibus afferendis *non secus, haud secus* usurpat, ut 3. *G.* 346., 11. *Æn.* 455. etc. Similiter *Plaut. Pœn.* 4. 2. 3. bibitur, estur, quasi in popina, haud secus. *Id. Trin.* 4. 1. 16. Ita jam quasi canes, haud secus circumstabant navem. ¶ 2. Speciatim *secus* adjectivi vim habet in his. *Plaut. Epid.* 2. 2. 96. nisi quid tua Secus sententia est. *h. e.* alia, diversa. *Id. Capt.* 2. 2. 23. Nec mi secus erant, quam si essem familiaris filius. *Id. Trin.* 1. 2. 93. Quid secus est, aut quid interest, dare te in manus Argentum amanti homini adolescenti? *h. e.* quid est aliud. ¶ 3. Et substantivi. *Tac.* 4. *Ann.* 5. *sub fin.* Neque multo secus in iis virium. *h. e.* neque multa disparitas virium in auxiliis et in legionibus. ¶ 4. Prægnanti, ut ajunt, sensu, aliquando est male, contra ac par est, aut volumus, *malamente, al contrario. Sall. Jug.* 23. *a med.* Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. et *ibid.* 27. *a med.* Quod ubi secus procedit, neque quod intenderat, efficere potest etc. *Tac.* 2. *Ann.* 80. Quamquam cœpta secus cadebant. *Sall. sub fin. Orat.* 2. *ad Cæs.* Si morbo aut fato huic imperio secus acoidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur? *Cic.* 3. *Fam.* 6. *ad fin.* De tuo in me animo iniquis secus existimandi viderir nonnihil loci dedisse. *Tac.* 2. *Ann.* 50. Interrogatus, quid de his censeret, quæ de matre ejus locuta secus argueretur. *Alii leg.* sequius. *Val. Max.* 9. 11. *n.* 2. Interrogatus quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset. *Sueton. Tib.* 2. Multa Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in rempublicam exstant. *Tac.* 13. *Ann.* 6. *in fin.* Honestis, an secus amicis uteretur. Similiter cum particula *quam. Id.* 4. *Ann.* 8. Ne secus (*eos*) quam suum sanguinem foveret. — 2.°) Comparativ. *secius.* — *a)* Generatim est magis aliter, vel minus, ἀλλοιοτέρως, et adhibetur fere præcedente negatione. — *α)* Universim. *Virg.* 2. *G.* 277. Indulge ordinibus: nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret. *h. e.* sive in agro, sive in colle vitem ponas, non aliter, sed eodem modo utrobique omnis via secto limite quadret. *et* 3. *ibid.* 367. Interea toto non secius aere ninguit. *h. e.* dum cuncta glacie adstricta sunt, non minus interea nix cadit. *Id.* 7. *Æn.* 781. Filius ardentes haud secius æquore campi Exercebat equos. *h. e.* quamquam pater ab equis distractus fuerat, non minus tamen filius equos agitabat. *Afran.* apud *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* Perdit imbecillitas tua me, quo secius me colligam. *h. e.* quo minus. Sic *Cic.* 1. *Herenn.* 12. 21. Impedimento est, quo secius lex feratur. *Virg.* 9. *Æn.* 441. Instat non secius ac rotat ensem Fulmineum. — *β)* Cum ablativis comparativorum. *Plaut. Capt.* 2. 3. 57. nam si servus meus esses, nihilo secius Mihi obsequiosus semper fuisti. *Sueton. Ner.* 42. Actum de se pronunciavit: nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit. *h. e.* et nihilominus de luxu nihil imminuit. *Ter. Andr.* 3. 2. 27. Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium. *ma niente di meno.* et *Nepos Miltiad.* 2. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. *Lucret.* 6. 315. *Lachmann.* Nec, quod frigida vis ferrist, hoc setius illi Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum. — Cum addito *tamen, quam. Nepos Att.* 22. Tamen propositum nihilo secius peregit. *Sueton. Domit.* 2. Nec tamen eo secius – omni ope contendit, ut etc. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 3. *Plaut. Men. loc. cit. init.* Hæc nihilo mihi esse videntur sectius, quam somnia. *h. e.*, ut *Varro* enarrat apud *Gell.* 18. 9., nihilo magis narranda sunt, quam si ea essent somnia. Alii leg. *secius*, alii *secus.* Apud *Apul.*, si sana est lectio, *nihil secius*, pro *nihilo* habetur, 3. *Met.* Nihil secius, quam una de ceteris statuis. — *γ)* Sine negatione et sequente particula *quam. Plaut. Aulul.* 3. 2. 22. quid diximus sequius, quam velles? — *b)* Speciatim, aut prægnanti, ut ajunt, sensu est magis aliter quam oportet, pejus. *Plaut. Cist.* 4. 2. 24. Sed memet moror, quum hoc ago secius. *h. e.* remissius, segnius. *Afran.* apud *Charis. p.* 220. 8. *Keil.* Sin ratio talis sequius ceciderit. *Id.* apud *eumd. ibid.* 5. Setius me colligam. *Colum.* 3. *R. R.* 4. In eo consistit, melius an sequius terræ mandaverit. *Seneca* 6. *Benef.* 42. Vereor, ne homines de me sequius loquantur. *Liv.* 2. 37. Invitus, quod sequius sit, de meis civibus loquor. *Varro Logist.* (*Tanaquil. I.*) *p.* 258. *Riese.* Sequius cogitare de aliquo.

B) Secus præpositio ¶ 1. Est apud, juxta, secundum, *appresso, lungo*, πλησίον, cum quarto casu: de qua significatione *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* hæc habet: Ceterum id quod vulgus usurpat, secus illum sedi, hoc est secundum illum, et novum et sordidum est. Ipse tamen *p.* 195. *Sempronium Asellionem*, Gracchianæ ætatis scriptorem, *Histor. lib.* 14., testatur *hoc secus* posuisse temporis significatione. (*V.* infra et cf. *Gesnerum.*) — *a)* Generatim. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 85. (135). Chamæleuce nascitur secus flu- vios. Ita edition. vet. ann. 1469. 1470. et 1472. et *Harduin.* Alii rectius leg. *secundum.* Similiter *Quintil.* 8. 2. *a med.* Conductus est cæcus secus viam stare. Est qui *secundum* legit. Certe *Enn. fragm.* apud *Lactant.* 1. 11. Ut insulis omnibus et quæ secus mare essent locis, regnaret. *Vulgat. interpr. Ps.* 1. 3. Tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum. *Id. Matth.* 13. 48. Secus litus. et *Act.* 22. 3. Secus pedes. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 211. *n.* 533. AEDIFICIA QVAE SVNT IVNCTA EX VTRAQVE PARTE SECVS VIAM. Alia apud *Gruter.* 806. 5. IPSA SIBI SE VIVA SECVS CONIVGEM SVVM F. C. Adde *Caton. R. R.* 21. et cf. composita *altrinsecus, antisecus, circumsecus, longisecus, postsecus, utrinquesecus.* — Suo casui postponitur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. 149. Lanarum oppositio thoracem secus atque medio scapularum. Hinc translate *Inscript.* in *Bullett. di Corr. arch. a.* 1845. *p.* 132. (*Henzen.* 7170.) STATVAM PEDESTREM SECVS MERITA EIVS DECERNERE. Hæc autem pertinet ad ann. 141. ante Chr. n. — *b)* Speciatim de tempore. *Asellio* apud *Charis. p.* 195. *Putsch.* Ne possent vel stationes (*Keil.* sationes) facere hoc secus. id est non multo post. ¶ 2. Est etiam contra. *Vulgat. interpr. Ital. Rom.* 1. 26. Immutaverunt naturalem usum in secus naturam usum.

C) Secus adjectiv. pro *secundus*, per syncopen, qua usum fuisse Romæ vulgus putat *Marin. Frat. Arv. p.* 625. V. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 358. *n.* 82.; quam *Morcellius* aliter interpretatur. V. SECUNDUS et HERES.

SĔCŪTIO *vel* sequutio, ōnis, f. 3. (sequor) actus sequendi, appetitio. *Augustin.* 1. *Mor. Eccles. Cathol.* 11. Secutio Dei beatitatis appetitus est, consecutio autem ipsa beatitas. Quidam addunt *Gell.* 18. 9. *ad fin.*, sed ibi *sectio* est.

SĔCŪTOR *vel* sequutor, ōris, m. 3. (sequor) qui sequitur, sectator, assecla, *seguitatore*, ἀκόλουθος. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 9. *Met.* Acerrimum relinquens uxori secutorem. *h. e.* custodem, qui illam ubique sequatur. *Id.* 4. *ibid.* Quem prioris exemplo sepulturæ traditum, bonum secutorem Lamacho dedimus. ¶ 2. Speciatim est genus illud gladiatorum, qui cum retiariis committebantur: iidemque erant ac mirmillones, ut in RETIARIUS dictum est. Cf. *Apul.* 4. *Met.* (*V.* tamen *A. Rich. op. cit.* Effigiem vero secutoris *V.* apud *Murat.* 617. 1.) Alii putant secutorem fuisse, qui, altero ex duobus gladiatoribus interfecto, succedebat pugnæ: et supposititius dicitur a *Martial.* 5. 24., et tertiarius, ἔφεδρος, in *Gloss. Philox.*; supponebatur enim in locum occisi, et tertius post illum pugnam iniens sequebatur. *Isid.* 18. *Orig.* 55. Secutor ab insequendo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem et massam plumbeam, quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret reti, iste exsuperaret. *Cic.* 7. *Att.* 14. Secutorum in ludo quingenti fuere. *Juvenal.* 8. 209. Ergo ignominiam graviorem pertulit omni Vulnere, cum Graccho jussus pugnare secutor. ¶ 3. *Secutores*, genus servorum domus Augustæ in *Inscript.* apud *Mommsen. n.* 2910. ¶ 4. *Secutor tribuni* in *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 9. *et* 521. 8. *et* 561. 11. videtur fuisse, qui in militia tribunum sectabatur in spem promotionis. Ita *Forcellinus.* Sed *Reinesius* rem fortasse acu tetigit, qui docet *secutores tribuni* genus fuisse satellitum seu stipatorum, tribunum in explorandi officio comitantium. V. *Borghesi* in *Bullett. dell'Istit. a.* 1835. *p.* 174. ¶ 5. *Secutor* fuit etiam titulus Martis. *Apul.* 7. *Met.* Præfectum grandem hircum Marti Secutori Comitique victimant. *h. e.* custodi et sodali: hic enim sermo est de latronibus, quibus mos erat Marti sacrificare, ut illum sibi propitium redderent.

SECŪTŌRIUS, a, um, adject. (secutor) qui aliquid sequitur. *Cajus* 4. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 166. Si apud adversarium meum possessio est, quia is fructus licitatione vicit, nisi restituat mihi possessionem, Cascelliano, sive secutorio judicio condemnatur. et § 169. Dicitur autem et hoc judicium secutorium, quod sequitur sponsionis victoriam. *V.* CASCELLIANUS in ONOM.

SECŪTŬLEJUS, a, um, adject. (sequor) qui sequitur. Mulier secutuleja, apud *Petron. Sat.* 81. *Burmann. ad fin.*, est ea, quæ virum appetit et sectatur.

SECŪTUS *vel* sequutus, a, um, particip. *V.* SEQUOR.

SED, diversa significat, prout est *A*) Pronomen; *B*) Præpositio; et *C*) Conjunctio.

A) *Sēd* pronomen, cum syllaba longa, pro *se*, additâ litterâ *d* ex veteri consuetudine. *V.* SUI et SUAD, et infra ad *C* init.

B) *Sēd* præpositio, cum syllaba longa, scribitur pro *se*, h. e. sine, de quo dictum est. *V.* SE et SUAD.

C) *Sĕd* conjunctio, cum syllaba brevi. — *a*) Ratione habita scriptionis, *sed* et etiam *set* occurrit (V. *Ritschl, Mon. epigr. tr.* p. IV. et *Meusel, Lex. Cæs.* p. 1794.) ob affinitatem, quam litteræ *t* et *d* inter se habent. De hac scriptione ita *Vel. Long. de Orthogr.* p. 70. *Keil.* Sed conjunctio, quamvis lex grammaticorum per *t* litteram dicat, quoniam *d* litterâ nulla conjunctio terminatur, nescio quo modo tamen obrepsit auribus nostris, et *d* litteram sonat. ubi quærendum erat, contra ne ut loquimur, scribendum, an secundum scriptionem loquendum. — Etiam formam *sedum* apud veteres usurpatam fuisse monent *Charis., Mar. Victorin.* et *Scaur. loc. infra cit.*; unde *sed* derivatum putatur: ita ut *Albin. Orthogr.* p. 310. *Keil.* doceat, ideo *sed* per *d* esse scribendum, quod antiqui *sedum* dicerent. — *b*) Conjunctio *sed* suapte natura initio sententiæ collocanda est; a Poetis tamen interdum per anastrophen vocabulo primo, aut etiam secundo postponitur. V. *Virg.* 1. *Æn.* 19., *Horat.* 4. *Od.* 4. 33. et 2. *Ep.* 1. 89., *Tibull.* 1. 4. 47. etc. — *c*) In compositione interdum cum partic. *enim* conjungitur, ut sit *sedenim*, in aliq. MSS. Codd. et edit. libb. — *d*) Quod ad etymon spectat, *sed*, quantitate syllabæ non obstante, conjungi potest cum præpos. *se*, h. e. sine, aut cum pronom. *sed*, ablat., pro *se*, h. e. per se, seorsim. (Cf. *Vaniček, op. cit.* p. 1037. et *M. Müller. Verl.* II. 268.) *Schellerus* putabat ex antiquo verbo *ased* vel *aset* factum esse per contractionem *ast*, et, omissâ primâ litterâ, *set* vel *sed*. (V. *Hand, op. cit.* t. 4. p. 417.) *Forcellinus* vero ait esse a *sedum* per apocopen, quum *sedum*, ut diximus, usurpavint antiqui pro *sed* (*Charis.* 1. p. 87. *Putsch.*, *Mar. Victorin.* 1. p. 2458. et *Scaur.* p. 12. *Keil.*); *sedum* autem, quam notationem habeat, haud facile dici posse. Verum, si cum recentioribus ponamus *sedum* esse pro *sed* et *dum*, quæ particula in *interdum*, *nondum* et similibus compositis videre est, ex iis, quæ supra docuimus, magis apparet, quid sit de utraque voce tenendum; quamquam sæpe in etymo vocum pervestigando plus est jacturæ quam lucri. — Sed, ἀλλά, δέ, ἀτάρ (It. *ma*; Fr. *mais*; Hisp. *mas*, *pero*; Germ. *allein, aber, sondern, doch, dagegen*; Angl. *but*, *yet*) vim habet secludendi, secernendi et apponendi id, quod distinguendum videtur, et hinc etiam adversandi: est igitur, quamvis, quæ subjicimus, subtilius quam verius fortasse distinguantur,

I.) Particula adversativa; ponitur enim quum contrarium aliquid subjicitur, ut Gr. ἀλλά. ¶ 1. Antecedenti notioni vel sententiæ aliquid opponit. — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 2. 5. 14. Apponam hercle urnam jam ego hanc in media via. Sed autem quid, si hanc abstulerit quispiam. *Ter. Andr.* 3. 3. 14. Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube; sed si ex ea re plus mali est, quam commodi Utrique, id te oro, in commune ut consulas. et 3. 4. 8. Non fuerant nuptiæ futuræ: sed ea gratia Simulavi, vos ut pertentarem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 20. 66. Nec tamen ego is sum, qui nihil opiner: sed quærimus de sapiente. *Nepos Pausan.* 1. Pausanias magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit. *Cic. Mil.* 22. 59. Esse tamen illis meritum præmium persolutum. Sed quæstiones urgent Milonem. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 126. Adde sed et proprias in mea verba preces. *Liv.* 5. 53. Sed res ipsa cogit relinquere urbem. — In concessionibus. *Cic. Ligar.* 12. 35. Sed ierit ad bellum: discesserit non a te solum, verum etiam a fratribus. Adde 1. *Acad.* (2. pr.) 24. 75. — In objectione et anthypophora. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 26. Sed effugi insidias, perrupi Apenninum. nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est. — In correctione. *Id.* 1. *Acad.* (1. post.) 5. 18. Sed quid ago? inquit, aut sumne sanus, qui hæc vos doceo? — *b*) Cum partic. *enim*, *enimvero*, *saltem*, *tamen*, *vero*. *Virg.* 1. *Æn.* 19. hoc regnum Dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque. Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat etc. *Liv.* 45. 19. *a med.* Sed enimvero quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit, etc. Adde 15. 19. *Plaut. Amph.* 1. 2. 12. Sed hoc me beat saltem. *Id. Asin.* 2. 2. 72. Ita enimvero, sed tamen tu nempe eos asinos prædicas. *Cic.* 1. *republ.* 30. 46. Scio tibi ita placere, sed tamen velim scire. *Id.* 1. *ibid.* 43. 66. Difficile factu est, sed conabar tamen. *Id.* 2. *ibid.* 33. 57. Defuit fortasse oratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura sæpe rationem. *Id.* 13. *Fam.* 71. Sed tamen etsi omnium causa, quos commendo, velle debeo; tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. *Id.* 1. *Att.* 18. Illi non sunt permolesti, sed tamen insident et urgent. *Od.* 7. *Verr.* 6. 14. O præclarum imperatorem! nec jam cum M.' Aquilio, sed vero cum Paulis, Scipionibus conferendum. *Id. Cluent.* 6. *a med.* Quæ Cluentius hoc tempore sileret omnia, atque ea si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur; sed ea (*mater*) vero sic agit, ut prorsus reticere nullo modo possit. ¶ 2. Notioni vel sententiæ coarctandæ inservit. — *a*) Post enunciatum affirmativum. *Plaut. Capt.* 3. 1. 2. Miser homo est, — Sed ille miserior. *Id. Amph.* 2. 2. 205. Vera dico, sed nequidquam. *Sall. Jug.* 75. Vasa cujusque modi, sed pleraque lignea. *Id. ibid.* 85. Naturam unam et communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum. *Id. Cat.* 33. Plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. *Cic.* 2. *republ.* 11. 21. Aream sibi sumpsit — præclaram ille quidem, sed a vita hominum abhorrentem et moribus. *Id. Brut.* 70. 247. Perfectus litteris, sed Græcis. *Id.* 1. *Off.* 23. 81. Immane quiddam est, sed decertandum manu est. *Id.* 2. *republ.* 26. 47. Sane bonum rei publicæ genus, sed tamen inclinatum ad perniciosissimum statum. *Nepos Ham.* 1. Primo Punico bello, sed temporibus extremis. — *b*) Præcedente negatione. *Cic.* 1. *republ.* 14. 22. Non sum tantopere admiratus; — sed posteaquam cœpi rationem exponere etc. *Id. ibid.* 22. 36. Non possum dicere; — sed neque his contentus sum. *Id.* 5. *Att.* 21. Nec sum in ulla re molestus civitatibus, sed fortasse sibi. *Sall. Cat.* 51. Neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. *Id. Jug.* 33. Sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum. *Liv.* 36. 19. Ipsum quidem regem assecutus non est, sed magnam partem agminis oppresserunt. — ¶ 3. *Sed* pro tamen. *Stat.* 3. *Silv.* 113. haudquaquam proprio mihi cognita visu; Sed decus eximium formæ, par reddit imago Vultibus. ¶ 4. Supplet vicem partic. *autem*, *nunc*, *nunc autem*. *Sall. Jug.* 21. Sed ubi plerumque noctis processit. *Nepos Eumen.* 5. Sed quod castrum subsidia habere non poterat, præfectis Antigoni imposuit. *Justin.* 14. 6. 9. Sed Olympias ultra obviam procedit. *Id.* 2. 4. 14. Sed trecenti ex juvenibus civitatem in se converterunt. *Cic. Amic.* 9. 32. Si conglutinaret; sed quia mutari non potest. *Id. ibid.* 27. 104. Sed nec illa extincta sunt. — Apud *Sall.* sæpe superiori sententiæ finem imponit. V. *eumd.* 2. *Hist. fragm.* 30. *Kritz.* ¶ 5. Pro *immo* videtur usurpari, vel simili augendi significatione. *Val. Flacc.* 5. 391. in te animos sed et omnia nostra repono. *Cic.* 5. *Att.* 21. *ante med.* Q. Volusium, certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem, misi in Cyprum. *Plaut. Rud.* 3. 5. 19. curriculo affer Duas clavas. LA. clavas? DÆ. sed probas, propera cito. *Phædr.* 4. 17. Odore canibus anum, sed multo, replent. *Martial.* 3. 24. Ut cito testiculos, sed acuta, falce secaret. Alii leg. *peracuta*. — Eleganter repetitur, apud *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 7. 11. Quantam (tristitia sancta) operatur in vobis sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. ¶ 5. Demonstrandi et declarandi vim habere videtur, ut *nam*. (Ita δέ pro γάρ apud *Hom. Odyss.* α. 433.; ubi V. *Eustath.* 6. 468.; *Hesiod. Scut. Herc.* 251. et cf. *Arnaldi, Animad. crit.* p. 5.) *Sil. It.* 14. 387. Terribilis visu puppis. — Sed quater hæc centum numeroso remige pontum Pulsabat tonsis. Adde *Liv.* 24. 35.

II.) Particula disjunctiva; ponitur enim ad orationis partes separandas, ita in sequenti sententia oppositum aliquid præcedenti, aut ab ea diversum affirmando, ut logicus sententiarum nexus strictior appareat, ut Gr. ἀλλά. — *a*) Universim. *Enn. Ann.* 201. Nec cauponantes bellum, sed belligerantes. (*V.* CAUPONOR) *Id. ibid.* 276. Non ex jure manum consertum, sed mage ferro Rem repetunt. *Plaut. Capt.* 2. 1. 44. Non ego herus tibi, sed servus sum. *Cic.* 1. *republ.* 17. 29. Non ex agri consitura, sed ex doctrinæ indiciis interpretabatur. *Id. ibid.* 34. 52. Nec leges imponit populo, sed suam vitam præfert civibus. *Ambros. Ep.* 70. *de morte Samsonis.* Virtutis fuit, quod victoriarum numero diem clausit; nec captivum exitum sed triumphalem invenit; nec telis, sed hostium cadaveribus pressus humatus est, proprio tectus triumpho. — Elegans est ejus repetitio, qua multa vis additur orationi. *Ovid.* 5. *Met.* 16. Quam tibi non Perseus, verum si quæris, ademit; Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon, Sed quæ visceribus veniebat bellua ponto Exsaturanda meis. *et ibid.* 506. Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu: Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi: Sed tamen inferni pollens matrona tyranni. *Val. Flacc.* 4. 603. femineas nec tu nunc crede catervas, Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 611. et 7. *ibid.* 718. — *b*) Cum additis, gradationis causa, particulis *non modo*, *non solum*, *non tantum* — *sed etiam*, *sed quoque*, *sed et*; quamquam *et* pro *etiam* post *sed* in hoc exemplorum genere usurpari non facile concedant recentiores quidam; alii vero *sed et* idem esse ac *sed adeo* contendunt. (V. *Klotzium* ad h. v.) *Cic. Mil.* 23. 61. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis præsidiis et armis; neque his tantum, verum ejus potestati etc. *Id.* 1. *Legg.* 14. 41. O rem dignam, in qua non modo docti, sed etiam agrestes erubescant. (*Orell.* verum etiam.) *Id.* 1. *republ.* 8. 13. Non modo usu, sed etiam studio discendi et docendi (essemus auctores). *Liv.* 30. 14. Hæc non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis. *Curt.* 4. 16. 24. Non usitata modo præsidia, sed quædam etiam nova. *Cic.* 11. *Att.* 9. 2. Non modo favisse sed et pecuniam dedisse. *Nepos Thras.* 1. Non solum princeps, sed et solus. — *Sed etiam* post *non solum* frequentissimum est. *Curt.* 5. 9. 20. Non donum solum, sed etiam opus vide. Cf. *Cic. Amic.* 27. 102. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. *sub fin.* Qua in re Cæsar non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est. — Raro τῷ *non solum* opponitur *sed quoque*. *Liv.* 36. 35. Non responsum solum benigne est, sed Philippus quoque filius legatis datus est. — *c*) Passim *etiam* omittitur. *Cic.* 1. *Fam.* 6. Qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed præfuit. *Liv.* 3. 17. Tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum curiamque. *Id.* 3. 36. Non infimis solum sed primoribus patrum. *Cic. Brut.* 91. 316. Ita recepi me non modo exercitatior, sed prope mutatus. *Id.* 2. *republ.* 44. 70. Non modo

falsum illud esse, sed hoc verissimum. *Id.* 3. *ibid.* 10. 11. Non modo in tot gentibus, sed in una urbe. Adde 5. *ibid.* 8. 11. *Id.* 5. *Fam.* 21. Hanc non solum adversam, sed funditus eversam fortunam ferre debemus. *Tac.* 1. *Ann.* 60. Concitl per hæc non modo Cherusci, sed conterminæ gentes. Adde 3. *ibid.* 44. *Curt.* 3. 11. 12. Viæ non angustæ modo, sed plerumque præruptæ. *Id.* 9. 24. 11. Non suorum modo militum, sed ullius gentis barbaræ civis. — *d*) Auget etiam vim sententiæ, quam præcedit, a parte ad totum, ab uno ad omnes gradum significando. *Cic. Mil.* 24. 66. Cavebat non ea solum, quæ timenda erant, sed omnino omnia. *Id.* 1. *Off.* 28. 99. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti. *Seneca* 2. *Clement.* 5. Nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere. *Plin. Paneg.* 2. Non consuli modo, sed omnibus civibus enitendum reor. *Justin.* 1. 8. 14. Non initio tantum, sed continuo totius temporis successu admirabiliter insignis. *Flor.* 1. 16. Non modo Italia, sed toto orbe terrarum. — *e*) Item sequente partic. *etiam*. *Cic.* 1. *Tusc.* 37. 89. Non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt. *Curt.* 5. 4. 24. Non regis modo, sed etiam omnium oculos in se convertit. — *f*) *Sed etiam* interdum subjicitur, non præposito *non modo*: qua ratione *sed* pro *imino* ponitur, *anzi*. *Cic.* 3. *Att.* 15. *circa med.* Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit. *Id.* 4. *ibid.* 16. *a med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem succum ac sanguinem, sed etiam faciem pristinam civitatis. *et* 10. *ibid.* 16. *in fin.* Tu quoniam quartana cares, et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem. *Id.* 13. *Phil.* 8. 18. In sinu avarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris delectos legionis Martiæ centuriones trucidavit. *Orell.* non modo sed etiam. *Id.* 4. *Herenn.* 14. 20. Ut quum idem verbum crebrius ponatur, non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat. Queritur *P. Victorius* in vulgatis libris hæc esse corrupta, et *non modo*, aut *nedum* insertum esse ab iis, qui hanc loquendi rationem non intelligebant: quæ tamen in antiquioribus MSS. constanter legitur: ductaque est a Græcis, qui ἀλλά subjiciunt, non præposito οὐ μόνον, firmatque id auctoritate *Aristot.* et *Simplicii*, ut videre est in ejus castigationibus *ad cit. l.* 3. *ad Att.* Adstipulantur *Victorio Budæus* in *Comment. linguæ Græcæ*, et *Gronov.* ad *cit. l.* 4. *Herenn.* Adlatis autem exemplis addi potest *Cic.* 2. *Off.* 20. *circa med.* Neque vero verbis auget suum munus, sed etiam extenuat. *Alii omitt.* etiam. — *g*) Cum partic. negat. *non modo non – sed etiam, sed*. *Cic. Planc.* 31. 76. Plancius meæ salutis non oppugnator, sed etiam defensor fuit. *Id.* 3. *Phil.* 6. 14. Judicetur non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. *Id.* 10. *Fam.* 6. In istis amplissimis hominibus non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas. *Liv.* 24. 40. Tantus terror, ut non modo alius quisquam arma caperet, sed etiam ipse rex ad naves perfugerit. — *h*) *Non modo non – sed ne – quidem, sed vix*. *Cic. Rosc. Am.* 29. 79. Non modo nihil eorum fecisse, sed ne potuisse quidem facere. *Id. Cluent.* 20. 56. Non modo ad me amicos non adduxit, sed ipse iis neque defensoribus uti neque laudatoribus potuit. Adde 3. *Off.* 19. 77. et *Amic.* 24. 89. *Id.* 4. *Fam.* 1. Mihi in mentem venire nihil potest, non modo quid sperem, sed vix quid audeam optare. — *i*) *Non solum – sed vix, non modo – sed neque*. *Id. Cæl.* 17. 40. Hæc genera virtutum non solum in moribus, sed vix jam in libris reperiuntur. *Id. Sull.* 9. 26. Me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque ætatis excusatio vindicat a labore. — *l*) *Non – sed etiam, sed quoque*. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. 162. Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris plurimarum rerum latet utilitas. *Liv.* 28. 41. Ita ut non præda, sed armati quoque in periculo fuerint. *Plin. Paneg.* 8. Nec judicia hominum, sed deorum etiam. *Curt.* 6. 35. 25. Magnum non salutis, sed etiam invidiæ periculum. — *m*) *Ne – quidem – sed*. *Cic.* 13. *Phil.* 19. 43. Tu ne pios quidem, sed piissimos quæris, verbum omnino nullum in lingua Latina. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 21. (74). Ut procul intuentibus species ne ferarum quidem, sed alitum fiat. *Curt.* 8. 5. 44. Ne posita quidem, sed abjecta pocula.

III.) Particula continuativa, idest orationi continuandæ inserviens, ut Gr. δέ. ¶ 1. Generatim. *Ter. Phorm.* 1. 4. 3. Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? *Cic. Brut.* 8. 30. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. *Colum.* 1. *R. R.* 7. Sed nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet. *et ibid.* 6. *circa med.* Sed et lacubus distinguuntur granaria, ut separatim quæque legumina ponantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum equitum. *Cic.* 2. *Orat.* 81. 330. Sed quando utendum sit aut non sit, narratione, id est consilii. *Id.* 3. *ibid.* 56. 213. Sed hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. ¶ 2. Speciatim transitioni inservit. *Id. Orat.* 56. 188. Sed ii numeri poeticine sint, deinceps est videndum. *Plaut. Amph.* 3. 3. 7. Sed age, responde. *Id. Asin.* 1. 1. 112. Sed quid ego cesso? *Cic. Orat.* 9. 31. Fateor, sed ita ut rerum explicator prudens. *Id. Rosc. Am.* 21. 28. Audio, sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. *Id.* 3. *Legg.* 11. 26. Ego sane dissentio; sed ea, quæ restant, audiamus. *Id.* 1. *republ.* 13. 20. Non impedio, præsertim quoniam feriati sumus; sed possumus audire aliquid? *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 2. Contra Epicurum satis superque dictum est, sed aveo audire, tu ipse quid sentias. *Plaut. Capt.* 1. 2. 16. Sed satis verborum est. *Cic. Orat.* 19. 61. Sed jam illius perfecti oratoris species exprimenda est. *Id. Brut.* 61. 220. Sed ad instituta redeamus. *Id.* 4. *Tusc.* 30. 64. Sed ægritudini finitimus est metus. Adde 2. *republ.* 44. 70. *Enn. Ann.* 318. Sed quid ego hoc memoro? *Id. ibid.* 210. Sed quid ego hic animo lamentor? *Virg.* 2. *Æn.* 101. Sed quid ego hæc ingrata revolvo. *Id.* 1. *ibid.* 135. Sed motos præstat componere fluctus. *Quintil.* 7. 3. 12. Sed de his disputatur, non litigatur. *Id.* 6. 3. 77. Sed elevandi genus est etiam causarum relatio. *Id.* 11. 3. 29. Sed ut ad propositum redeam. *Id.* 9. 4. 45. Sed transeamus ad numeros. — Cum aposiopesi. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 11. 36. Sed de perceptione hactenus. *Id.* 1. *Off.* 39. 140. Sed hæc hactenus. *Quintil.* 8. 6. 76. Sed de hoc satis. *Id.* 5. 14. 32. Sed de figuris alio loco. ¶ 3. Item resumendæ orationi loco τοῦ *inquam*, aut *igitur*. *Sall. Cat.* 23. Sed in ea conjuratione fuit Q. Curius. *Cic.* 3 *Orat.* 12. 45. Equidem quum audio socrum meam Læliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi videar audire. *et ibid.* 19. Quare si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare *etc.* at satis esse putatis ea discere, quæ *etc.* sed si his contenti estis, oratorem in exiguum sane gyrum compellitis. *Id.* 7. *Att.* 1. Videre mihi videor tantam dimicationem, nisi idem Deus, qui nos Parthico bello liberavit, respexerit rempublicam: sed tantam, quanta numquam fuit. Adde 2. *ad Q. fr.* 3. et 9. *Fam.* 16. et *Plin.* 5. *Ep.* 3.

Homonym. Quomodo inter se differant *sed*, *at*, *autem* et similia, *V.* in AT et AUTEM. Ceterum cum cl. *Handio* animadvertimus, quæsitum esse de discrimine conjunctionum adversativarum, sed plerumque frustra: nam quæ grammatici docuerunt, plurima aut falsa, aut non satis distincta sunt. Cf. *eumd.* ad h. v., qui *Zumptium*, *Doelekium* et *Ramshornium* de harum particularum differentiis disserentes carpit.

SĒDĀMEN, minis, n. 3. (sedo) sedatio, quies. *Seneca Hippol.* 1188. O mors amoris una sedamen mali.

SĒDANS, antis, particip. *V.* SEDO.

SĒDĀTĒ, adverb. (sedatus) Comp. *Sedatius*. — Sedate est tranquille, constanter, sine ulla commotione, *quietamente*, ἠρεμαίως. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 58. Placide et sedate dolorem ferre. *et ibid.* 20. 46. Non constanter et sedate ferre? *Id. Orat.* 27. 92. Quum sedate plac[...]que loquitur. *Plaut. Men.* 5. 6. 16. heri impe[...] [...]sequor bene, et sedate servio. *h. e.* æquo et [...]anti animo. *Ammian.* 25. 1. 5. Sedatius procedere.

SĒDĀTIO, ōnis, f. 3. (sedo) tranquillitas, quies, moderatio, *tranquillità, quiete, calma*, ἠρέμησις. *Cic.* 1. *Off.* 27. 93. In qua verecundia et quasi quidam ornatus vitæ, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. *Id.* 3. *Tusc.* 27. 65. Ut apud Homerum quotidianæ neces interitusque multorum, sedationem mœrendi afferunt. *Id.* 4. *Fi*[...] 19. *sub fin.* Sedatio animi. — In plur. num. *Cic.* 5. *Tusc.* 15. 43. Sedationes (animi). [...] *perturbationes* opponitur.

SĒDĀTOR, ōris, m. 3. (sedo) qui sedat, *pacificatore, paciere*. *Arnob.* 3. p. 115. Sedator militaris insaniæ.

SĒDĀTUS, a, um, particip. *V.* SEDO.

SĒDĀTUS, us, m. 4. (sedo) sedatio. *Virgil. Grammatic.* ab *A. Maio* ed. in *Class. Auct. T.* 5. p. 38. Non enim in sedatu et bello uno modo regnat, neque in gaudio et tristitia.

SEDDA pro *sella* dictum fuit ab antiquis, teste *Scaur. de Orthogr.* p. 2252. *Putsch.*

SĒDĔCENNĀLIS, e, adject. (sex et decennalis) sedecennis. *Beda de sex ætat. mund.* 1. 2. p. 185. *V. Quicherat.* Adde *Gloss.* in *Prodr.* etc. *Loewe* p. 119.

SĒDĔCENNIS *vel* sexdecennis, e, adject. (sedecim *vel* sexdecim *et* annus) sedecim annos habens, *di sedici anni*. In *lemmate epitaphii* 32. apud *Auson.* Sedecennis matrona.

SĒDĔCIES, adverb. (sedecim *vel* sex et decies) *sedici volte*, ἑκκαιδεκάκις. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (183). Sedecies centena millia. *Alii leg.* sexdecies; *alii rectius* $\overline{XVI}$. (*Sillig.* $\overline{LXVI}$.) LXXV mill. *Rutil.* 1. *Itiner.* 135 Quamvis sedecies denis et mille peractis, Annus præterea jam tibi nonus eat. *h. e.* quamvis annus millesimus centesimus sexagesimus nonus tibi, Roma, vertatur. Adde *Paul. Dig.* 38. 10. 10.

SĒDĔCIM *vel* sexdecim, adve[...] (sex et decem) *decem et sei, sedici*, ἑκκαίδεκα, δεκαέξ. *Plaut. Rud.* 5. 3. 66. venitote ad me ad annos sedecim. *Ter. Eun.* 3. 3. 20. Annos nata est sedecim. *Cæs.* 1. *B. G.* 49. Sedecim millia expedita. *Alii* XVI. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (103). Ad sedecim annos durare existimatur. *Sisenna* apud *Non.* p. 552. *Merc.* Catapultæ sedecim, quattuor ballistæ etc. *Liv.* 37. 40. Sexdecim elephanti. *Nepos Att.* 16. Sexdecim volumina epistolarum.

SĒDĔCĬMUS, a, um, adject. (sedecim) sextusdecimus, *sedicesimo*, ἑκκαιδέκατος. *Capell.* 6. p. 224. Ibi (*in insula Taprobane*) lunam ab octava in sedecimam tantum supra terras vident. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (87). Ne lunam quidem apud ipsos nisi ab octava ad sedecimam supra terram adspici fatentes. *At* Sillig. *leg.* XVI.

SĒDĔCIMVĬRI, ōrum, m. plur. 2. (se[...]im et vir) sedecim viri, collegium sacrum, a quo sacra Græco ritu, non Romano, fiebant. *Varro* 7. *L. L.* 88., ubi leg. duodecim seu XII. viri; sed hi viri Sibyllinis libris inspiciendis et Apollinaribus sacris faciundis constituti quum usque ad Cæsarem XV fuissent, hic anno ab U. C. DCCVII. unum addidit. *V. Dio Cass.* 42. 51. et 43. 51. Hinc probabile a Varrone scriptum esse XVI viros. Ita *Müller* ad *h. l.*

SĒDĔCŬLA, æ, f. 1. (sedes) *deminut.* a sedes, ut *vulpecula* a *vulpes*, *plebecula* a *plebes* etc., parva sedes, sellula, *seggiola*, θρανίδιον. *Cic.* 4. *Att.* 10. Malo in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli. Alii scrib. *sedicula*. nam et *Paul. Diac.* ex *Festo* p. 336. 6. *Müll.* Sediculum, sedile.

SĒDĔCŬPLUS, a, um, adject. (sex et decuplus) qui quantitatem aliquam sedecies continet. *Beda de ration. calc.* 1. 1. p. 158. *V. Quicherat*

SEDENIM. *V.* SED init.

SEDENS, entis, particip. *V.* SEDEO.

SĔDENTĀRIUS, a, um, adject. (sedens) ¶ 1.

De personis est qui sedendo aliquid facit. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 39. Propolæ, linteones, calceolarii, sedentarii sutores, diabathrarii etc. — *Deus sedentarius*, Isis, quia fere sedens repræsentatur. *Jul. Valer.* 1. *Gest. Alex. M.* 30. ¶ 2. De rebus est qui sedendo fit, ut Opus sedentarium. *Colum.* 12. *R. R.* 3. *a med.* Neque enim sedentaria ejus opera, sed modo ad telam debebit accedere, modo eos qui cibum familiæ conficiunt, invisere. *Plin. Paneg.* 76. Ceteri (*senatores*) defixi et attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem perpetiebantur. *Apul.* 1. *Met.* Ut fatigationem sedentariam discuterem. *V.* VEGETATIO.

SĔDĔO, sĕdes, sēdi, sessum, sĕdere, 2. Ratione etymi, videtur esse a Sanskr. *sad*, se flectere; vel a Gr. ἕδ, pro σεδ, unde ἕδος, sedes, et ἕζομαι (fut. -εδοῦμαι), sedeo, mutata adspiratione in litteram *s*, ut *super* ab ὑπέρ etc. — Part. *Sedens* sub *A* passim; et *B* I. 1. et 2. et II. 1. et 5.; *Sessurus* sub *A* I. 1. 1.° *a.*; *Sedendus* sub *A* I. 1. 2.° — Sedeo duo diversa, quamvis affinia, significat; scilicet

A) Est in aliquo loco natibus insisto, assideo, consideo, κάθημαι (It. *sedere, star a sedere;* Fr. *s'asseoir, être assis, siéger;* Hisp. *sentarse, estar sentado;* Germ. *sitzen;* Angl. *to sit, sit down*), et occurrit plerumque intransitive, aliquando vero transitivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Intransitive. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt. prol.* 2. hi stant ambo, non sedent. *Id. Men.* 5. 3. 6. Lumbi sedendo - dolent. *Cic. Rosc. Am.* 1. 1. Quum tot summi oratores sedeant. *Id.* 5. *Fam.* 2. 9. Sedens iis assensi. *Propert.* 4. 5. 37. Supplex ille sedet. *Virg.* 10. *Ecl.* 71. Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco. *Horat. Art. P.* 154. Si plausoris eges aulæa manentis, et usque Sessuri, donec etc. *Phædr.* 5. 5. Et derisuri, non spectaturi sedent. *Gell.* 2. 2. *Hertz.* Sedeat hic potius, qui populi R. magistratus est. Absque præjudicio, inquit Taurus; tu interea sedendum, quum conspicimus quærimusque, utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui magistratus est. At *Madvig.* in *Adv. critt.* v. 2. p. 589. hunc locum depravatum dicit, ac legendum esse monet *sede, dum circumspicimus* etc., et quidem recte. — Passive impersonaliter. *Id. ibid.* Quum in domestica re atque vita sedeatur. *Apul. Florid.* 16. Sed ubi diutius æquo sedetur. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in, sub. Plaut. Pœn. prol.* 5. bono ut animo sedeant in subselliis. *Id. Rud.* 3. 6. 9. Sedere in ara. *Ter. Eun.* 3. 5. 35. in conclavi. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 104. Quum virgo staret, et Cæcilia in sella sederet. *Id.* 2. *Fin.* 21. 69. Ornatu regali in solio sedens. *Id. Amic.* 1. 2. Sedere in hemicyclio domi. *Id.* 7. *Verr.* 10. *extr.* et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (96). In equo. *Id. ibid.* (109). in leone. *Horat. Epod.* 4. 16. Sedibusque magnus in primis eques Othone contempto sedet! Rursus *Cic.* 4. *Att.* 10. Malo in illa tua sedecula sedere, quam in istorum sede curuli. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. Herennium Gallum histrionem in quatuordecim sessum duxit. *V.* QUATUORDECIM. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Liv.* 1. 34. Ei carpento sedenti aquila pileum aufert. *Id. ibid.* 41. Sedere sede regia. *Id.* 5. 41. eburneis sellis. *Id.* 30. 19. sella curuli. *Ovid.* 4. *Met.* 261. humo nuda. *Id.* 1. *Art. am.* 497. theatro. *Id.* 1. *Met.* 293. cymba. *et* 6. *Fast.* 471. Navita puppe sedens. *Id.* 3. *ibid.* 749. Sedere tergo aselli. *Martial.* 5. 38. et 11. 105. equo. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 44. sub pede ducis. *Id.* 2. *Fast.* 255. sub arbore. — *d*) Cum Accusat. et præpos. *ad, apud, supra, super, ante, post, inter. Cic.* 7. *Verr.* 41. *a med.* Eum vident sedere ad latus prætoris. *Martial.* 4. 30. Bajanos sedet ad lacus rogator. *Quintil.* 12. 3. 12. Sedere ad arculas. *Cic.* 3. *republ.* 28. apud aliquem. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (26). supra delphinos. *Petron. Sat.* 17. super torum. *Ovid.* 4. *Met.* 453. carceris ante fores. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 40. post me gradu uno. *Plaut. Men.* 5. 2. 46. inter ancillas. — *e*) Cum adverbiis, vel adjectivis. *Plaut. Stich.* 1. 2. 36. PI. asside hic, pater. AN. Non sedeo istic: vos sedete: ego sedero in subselliis. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 4. Sedere illic. *Cic. fragm.* apud *Diomed.* 1. p. 405. *Putsch.* Proxime Pompejum sedebam. *Ovid.* 1. *Art. am.* 139. Proximus a domina, nullo probibente, sedeto. — 2.°) Transitivorum more, cum accusativo, si de equitando sermo sit, ut *sedere equum.* Hinc passive *Spartian. Hadrian.* 22. Sederi equos in civitatibus non sivit. *Solin.* 45. *de bucephalo.* Qum ab equario suo alias etiam molliter sederetur. *Veget.* 2. *Veter in.* 28. 12. Si sæpius, et cum moderatione animalia sedeantur. *Impp. Valentinian. et Valens, Cod. Theod.* 9. 30. 3. Sedendorum equorum potestatem alicui dare. ¶ 2. Speciatim dicitur — *a*) De judicibus et consiliariis judicis prætorisque. *Cic. Brut.* 43. 161. Scævola (tribuno) in Rostris sedente. *Id. Mil.* 29. 79. Ejus igitur mortis sedissem ultores. *Id. Rabir. Post.* 5. 10. Vos modo iidem in A. Gabinium judices sedistis. *Id. Cluent.* 38. 105. Si quis quæreret, sedissentne judices in C. Fabricium, sedisse se dicerent. *Liv.* 40. 8. Sedeo miserrimus pater judex inter duos filios, accusatorem parricidii et reum. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 23. sedissem forsitan unus De centum judex in tua verba viris. *Propert.* 3. 17. 27. Minos sedet arbiter Orci. *Cic. Cluent.* 37. 104. Quum paucos dies ex subsortitione sedisset. *Seneca Herc. Fur.* 731. Non unus alta sede Quæsitor sedens, Judicia trepidis sera sortitur reis. *Petron. fragm.* ed. *Wernsd.* t. 3. p. 62. Sedere in causa. *h. e.* judicare. *Plin.* 1. *Ep.* 10. *a med.* Sedere pro tribunali. Similiter *Vulgat. interpr. Ps.* 121. 4. Sederunt sedes in judicio. *h. e.* collocatæ sunt sedes judicum. — *b*) De præsidentibus. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Nobis in tribunali prætoris urbani sedentibus. *Id. Rosc. Com.* 4. 12. Utinam sederet in consilio Pisonis. *Tac.* 11. *Ann.* 11. Sedente Claudio. — *c*) De advocatis. *Quintil.* 11. 3. 132. Incumbere advocato adversis subselliis sedenti contumeliosum. — *d*) De testibus. *Id.* 5. 7. 32. Dicendo contra reum, cum quo sederit. — *e*) De consultantibus. *Plaut. Most.* 5. 1. 53. est consulere igitur quiddam quod tecum volo. TRA. Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens. Huc *Forcellino* videtur pertinere illud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 2. infra allatum ad *B* I. 4. — *f*) De meretricibus, quæ *quæstui sedent*, ut ait *Tertull.* 2. *Cult. fem.* 12. Adde *Apul. Apolog.* 76. et cf. *Petron. Sat.* 126. ¶ 3. Item pro desideo. *Marcell. Empir.* 29. Cf. *Val. Max.* 9. 13. *n.* 2. Sordido in loco sedere. ¶ 4. Item *sedere*, absolute, idem est ac ventrem exonerare. *Marcell. Empir.* 29. Qui propter perfrictionem assidue sedere cupiunt, et nihil dejiciunt.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Dicitur de brutis animalibus, præsertim de avibus alicubi se locantibus, *posarsi. Quintil.* 2. 4. *ante med.* Super caput Valerii pugnantis sedisse corvum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (164). Polypus femina modo in ovis sedet, modo etc. *h. e.* incubat. *Virg.* 6. *Æn.* 191. cælo (*columbæ*) venere volantes, Et viridi sedere solo. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 23. *de cornice.* in viridi garrula sedit humo. *Id.* 6. *Met.* 431. tectoque profanus Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit. *Phædr.* 3. 6. Musca in temone sedit. ¶ 2. Item de iis, quæ in plano et humili loco sita sunt, ut Gr. ἧσθαι. *Sil. It.* 6. 647. Et sedet ingentem pascens Mevania taurum. *Id.* 12. 162. Campo Nola sedet. *Id.* 8. 508. per udos Alba sedet campos. *Ovid.* 1. *Fast.* 109. Flamma petit altum: propior locus aera cepit: Sederunt medio terra fretumque solo. *Avien. descr. orbi* 562. Insula quæ platani folio compar sedet. *Id. ibid.* 732. sedet eminus ingens Phænagore. *Cels.* 7. 26. *ad fin.* Si venter imus sedet. *h. e.* depressus est et jacens non tumescens. *Claudian. de bello Gild.* 21. Vox tenuis tardique gradus oculique jacentes: Interius sedere genæ. *Alii* fugere. *Calpurn.* 6. *Ecl.* 54. *de notis equi generosi.* Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix. *h. e.* ampla satis levi sunt æquora dorso, ut ait *Nemesian. Cyneg.* 243. Similiter *Vulgat. interpr. Ezech.* 31. 16. Brachium uniuscujusque sedebit. *h. e.* robur uniuscujusque depressum, seu fractum jacebit. *Stat.* 1. *Theb.* 330. qua molle sedens in plana Cithæron Porrigitur. ¶ 3. Item de plantis. *Martial.* 10. 48. Lachica sedens. *h. e.* sessilis. Cf. *eumd.* 3. 47. et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (125). ¶ 4. Figurate. *Sil. It.* 10. 624. His dictis sedere minæ, et conversa repente Pectora. *h. e.* sedatæ sunt. *Stat.* 10. *Theb.* 823. sedit rabies feritasque famesque. ¶ 5. Item de gubernatore. *Cic. Rosc. Am.* 18. 51. Clarissimi homines, qui ad gubernacula reipublicæ sedere debebant.

B) Est etiam manere, cessare, otiosum esse (It. *fermarsi, rimanere, star a sedere, star ozioso;* Fr. *s'arrêter, rester, séjourner, demeurer, stationner, se tenir, demeurer oisif, être dans l'inaction;* Hisp. *pararse, permanecer, quedar, morar ocioso;* Germ. *an e. Orte verharren, verweilen, verbleiben, ruhig, unthätig dasitzen;* Angl. *to stay, remain, continue, sit still, be idle, remain inactive, loiter, do nothing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 34. Quasi claudus sutor domi sedet totos dies. *Id. Pseud.* 3. 2. 11. cur sedebas in foro? *Id. Truc.* 1. 1. 48. Sedere circum argentarios quotidie. *Ter. Adelph.* 4. 5. 40. an sedere oportuit Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret, exspectantem? *Nepos præf.* Neque sedet nisi in interiore parte ædium. *h. e.* habitat, degit. *Cic.* 16. *Fam.* 7. Qui venti si essent, nos Corcyræ non sederemus. *Id.* 12. *Att.* 44. Quid enim sedere totos dies in villa ista? *Liv.* 3. 68. Sedemus desides domi. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 37. Sedit, qui metuit, ne non succederet. *Virg.* 3. *G.* 456. aut meliora deos sedet omnia poscens. *Id.* 12. *Æn.* 15. sedeant spectentque Latini. *Seneca Troad.* 211. fugere bellum jussus, et longa sedens Ævum senecta degere. *Sil. It.* 14. 265. Non Herbesos iners, non Naluocha pigra pericli Sederunt. *Id.* 10. 598. Dura inter pavidos alitur fortuna sedendo. *Tibull.* 4. 4. 20. frustra credula turba sedet. *h. e.* exspectat. — *Sedere compressis manibus*, proverbium apud *Liv.* 7. 13. nos dicimus: *starsene colle mani in mano.* ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui alicubi sedem et domicilium figunt. *Flor.* 2. 11. Galli, qui Orientem secuti, in media Asiæ parte sederunt. *Sil. It.* 3. 560. et quando terrasque fretumque Emensis sedisse dabis? *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 4. 4. Arca fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim. *h. e.* habitantis et quasi sedentis in arca et nominatim supra ejus propitiatorium inter Cherubim, unde oracula edebantur. ¶ 3. Item de orantibus, supplicibus, vota solventibus, præsertim mulierculis. has enim humi considere mos fuit. *Tibull.* 1. 3. 29. Ut me votivas persolvens Delia noctes, Ante sacras lino tecta fores sedeat. *Propert.* 2. 21. 45. Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit, Narrabitque sedens longa pericla sua. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 51. Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos. *Id.* 2. *Amor.* 13. 17. Sæpe tibi sedit certis operata diebus. Adde 3. *Art. Am.* 635., *Virg.* 2. *Æn.* 517. et 574., *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. *ad fin.* et *Jul. Obsequent. de prodig.* 71., item 72., ubi non tantum mulieres, sed populus circa sacella operaturus sedisse legitur. Quin et ipse *Tibull.* de se loquens 2. 7. 15. Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo. et *Virg.* 9. *Æn.* 3. luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat. Quod tamen *Servius* de capiente consilium, aut augurium captante intelligit. Adde *Nepot. Pausan.* 4. *ad fin.* ¶ 4. Item de exercitu contra hostem tendente, aut urbem obsidente. *Plaut. Amph.* 2. 1. 52. Dum apud hostes sedimus. *Næv.* 6. 2. Septimum decimum annum illico sedent. *Virg.* 5. *Æn.* 440. montana sedet circum castella sub armis. *Cato* apud *Charis.* 2. p. 197. *Putsch.* Hostium copiæ magnæ contra me sedebant. *Liv.* 2. 12. Sedendo expugnaturum se urbem, spem habebat. *Val. Max.* 7. 4. *n.* 5. *extr.* Ad ultimam el senectutem apud mœnia Contrebiæ armato sedendum foret. Adde *Nepot. Datam.* 8. et *Lu-*

Can. 2. 474. Hinc *obsideo, assideo* etc. — Hinc proverbium apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 2. Vetus proverbium quod est, Romanus sedendo vincit.

II.) Translate. ¶ 1. Res inanimæ *sedere* dicuntur, quæ aptæ consistunt, hærent, manent. *Ovid.* 12. *Met.* 289. in liquido sederunt ossa cerebro. *Martial.* 9. 39. Non tamen efficies, ut tibi parma cadat. Nolentem sequitur: tenuesque reversa per auras, Vel pede vel tergo, clune vel ungue sedet. *si ferma, si posa.* et *Colum.* 4. *R. R.* 29. *ad fin.* Plaga levis relinquitur, quæ facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interveniente lanugine. *Flor.* 4. 2. Cujus in scuto centum atque viginti tela sedere. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 2. neque in lecto pallia nostra sedent. (Similis est locus *Propert.* 4. 3. 31.) *Martial.* 7. 1. lorica sedet pectore. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (96). Ut sensim opus sederet in cubili. *h. e.* epistylium in summa columna sisteretur et conquiesceret. *Vitruv.* 10. 22. *a med.* Naves super aggerationem, quæ fuerat sub aqua, sederunt, nec ad murum accedere potuerunt. *si arenarono.* et *Quintil.* 11. 3. *a med.* Ita toga sedet melius et continetur. *sta assettata, sta bene.* (Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 96. toga dissidet. *sbrendola.* V. DISSIDEO) Adde *eumd. ibid.* 161. — Hinc figurate *Plin. Paneg.* 10. Quam bene in humeris tuis sederet imperium. ¶ 2. Similia sunt hæc. *Martial.* 1. 90. penitus sedit hic tibi morbus. *h. e.* inveteravit. *et* 11. 91. tenero sedit in ore lues. *h. e.* diu mansit et grassata est. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 18. Pallor in attonito virginis ore sedet. *Id. Remed. am.* 108. Et vetus in capto pectore sedit amor. *Maximian.* 1. *Eleg.* 1. 2. quid cessas finem properare senectus? Cur et in hoc fesso corpore tarda sedes? *Quintil.* 9. 4. *a med.* Si nihil refert, brevis, an longa sit ultima, idem pes erit: verum, nescio quomodo, sedebit hoc, illud subsistet. *h. e.* apte claudetur, et veluti conquiescet. *Vulgat. interpr. Gen.* 49. 24. Sedit in forti arcus ejus. *h. e.* arcus ejus fortis et insuperabilis permansit vicitque. ¶ 3. Item quæ descendunt, subsidunt, demittuntur. *Lucret.* 5. 475. Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent. *Sall. fragm.* apud *Isid.* 14. *Orig.* 1. Ventis per cava terræ citatis, rupti aliquot montes tumulique sedere. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Motu terræ sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint. *Tibull.* 4. 1. 41. Justa pari premitur veluti quum pondere libra, Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa. *Ovid.* 4. *Fast.* 300. Sedit limoso pressa carina vado. *Stat.* 2. *Theb.* 567. Fractaque commisto sederunt pectora ferro. *Id.* 9. *ibid.* 521. et viso sederunt flumina nutu. *s'abbassarono l'acque.* ¶ 4. Item ictus, et telum, quod penetrat et vulnus facit. *Ovid.* 3. *Met.* 87. Sed leve vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu, Læsaque colla dabat retro, plagamque sedere Cedendo arcebat. *Sil. It.* 7. 606. Dexteriore gena sedit cui letifer ictus. *Ovid.* 1. *Fast.* 576. adductaque clava trinodis Ter quater adversi sedit in ore viri. *Stat.* 10. *Theb.* 656. Omne sedet telum: nulli sine cædibus ictus. *Id.* 9. *ibid.* 347. *de hasta.* atque animæ tota in penetralia sedit. *et Sil. It.* 4. 179. Hasta viri femur, et pariter per anhela volantis Illa sedit equi. *Id.* 5. 345. Num lateri cuspis, num toto pondere telum Sedisset, *etc.* rogabat. *et* 6. 273. alvo penitus demersa falarica sedit. ¶ 5. Metaphorice est insidere, inhærere, imprimi. *Quintil.* 12. 3. *ante med.* Vox firma, clara, pura, secans aera, auribus sedens. *Seneca Ep.* 2. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velit aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *Stat.* 12. *Theb.* 114. unum Polynicis amati Nomen in ore sedet. *Plin. Paneg.* 55. Cujus amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet. ¶ 6. Item *sedere* dicitur, quod probatur, et postquam sæpius cogitavimus, tandem decretum et constitutum est. — *a*) Absolute. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (24). Sedere cœpit sententia hæc, et vulgus in eam cursu vadit. *Quintil. declam.* 17. *in fin.* Quæcumque sederit conditio leti. *Val. Flacc.* 7. 427. occumbere tandem Possumus: idque sedet, quam non quæcumque subire Patris jussa tui. *Virg.* 5. *Æn.* 418. Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes. *Ovid. Heroid.* 2. 75. De tanta rerum turba factisque parentis, Sedit in ingenio Cressa relicta tuo. *h. e.* placuit et infixa est, ut recordarere ad imitandum. Adde *Sil. It.* 15. 352. Huc pertinet illud *Senecæ Ep.* 46. *sub fin.* De libro tuo plura scribam, quum illum retractavero: nunc vero parum mihi sedet judicium. *h. e.* nondum statui, quid sentiam, sed mens incerta adhuc dubitat. — *b*) Sequente Infinito, apud poetas. *Val. Flacc.* 2. 383. Si sedet Ægæi scopulos habitare profundi. *Stat.* 1. *Theb.* 324. ferre iter impavidum. *Id.* 3. *ibid.* 459. vacuo petere omina cælo. *Seneca Phœniss.* 141. hoc animo sedet, Effundere hanc cum morte luctantem diu Animam. — Et seq. Conjunctivo. *Virg.* 4. *Æn.* 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet, Ne cui me vinclo vellem sociare jugali etc.

Homonym. Discrimen inter *sedeo* et *sido*, V. in hac voc.

SĔDES, is, f. 3. (sedeo) *Sedis* in recto sing. apud *Liv.* 9. 23. *V.* etiam *Anecd. Helv. p.* 117. 19. *Hag.*; ubi et *Ses* ponitur *p.* 108. 3., nullo scriptore laudato. In genet. plur. habet *sedium* et per syncop. *sedum:* atque hoc frequentius esse putat *Priscian.* 7. *p.* 771. *Putsch.*, ut *vatum* pro *vatium:* adscribitque illud *Cic. Sext.* 20. 45. Vestrarum sedum templorumque causa. Sed *alii* leg. *sedium.* Sic *Vellej.* 2. 109. *circa med.* A tergo sedium suarum haberet Noricos. Adde *Liv.* 5. 42. *Drakenb.* — De quantitate pænultimæ syllabæ *V.* SEDO init. — Sedes est sella, sedile, subsellium, ἕδρα, βάθρον, (It. *sedia, seggia, sede, sedile, scanno;* Fr. *siège, chaise;* Hisp. *silla;* Germ. *Stuhl;* Angl. *a seat, a chair*).

I.) Proprie. *Andron.* apud *Non. p.* 127. 31. *Merc.* In sedes collocat se regias. Adde *Curt.* 8. 4. 16. *Cic.* 1. *Orat.* 7. *extr.* Crassum pulvinos poposcisse, et omnes in iis sedibus, quæ erant sub platano, consedisse. *Id.* 1. *Divinat.* 46. 104. Tibi concedo meas sedes. *Ovid.* 6. *Met.* 72. Bis sex cælestes, medio Jove, sedibus altis Augusta gravitate sedent. *Id. Heroid.* 10. 49. in saxo frigida sedi: Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui. *Plin. Paneg.* 52. Media inter deos sedes auro staret, aut ebore. *Virg.* 7. *Æn.* 323. templo divum patriaque Latinus Sede sedens. *Id.* 2. *ibid.* 525. Locare aliquem in sede. *Lucan.* 3. 673. avulsas, expulso remige, sedes. *h. e.* transtra. *Curt.* 8. 4. 16. In sede considere. *Vulgat. interpr. Sap.* 7. 8. Præposui illam regnis et sedibus. *h. e.* thronis. — Sedes sunt etiam sedilia pro iis, qui sedent conversandi seu colloquendi causa. *sedili per comodo di chi si reca in un dato luogo a conversare. Inscript.* apud *Garrucci Monum. Bœb. p.* 17. CN. SVELLIVS EVTYCHES. L. D. D. D. CVM SEDIBVS. Item alia apud *Morcell. de stil. T.* 1. *p.* 226. HORILOGIVM CVM SEDIBVS. Hinc apud *Maff. Mus. Ver. p.* 422. 3. HVIC ORDO DECREVIT STATVAM ET SCAMNA MARMOREA ET AREAM MARMOREAM. Hæ sedes et hæc scamna circulari forma visuntur sæpe Pompeiis circa sepulcra: fortasse *sedes circea* dicuntur in *Tab. Bœb. col.* 2. *l.* 12. — *A sede* servus vel libertus inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Murat.* 889. 4.

II.) Translate. ¶ 1. Est gradus, locus, quem quis præ aliis sibi vindicat, *posto, luogo, grado.* Cf. SUBSELLIUM. *Horat.* 4. *Od.* 9. 6. priores Mæonius tenet Sedes Homerus. Cf. *Lucret.* 3. 1049. ¶ 2. Sæpe est locus quilibet, ubi quis moratur, habitat, residet, ut domus, patria, regio, *domicilio, soggiorno, luogo, residenza. Enn. Trag.* 375. ferro sæptus possidet sedes sacras. *Acc. fragm.* 62. *Ribbeck.* Sedes inferna. *Sil. It.* 12. 48. Sedes Tonantis. *h. e.* Capitolium. *Virg.* 2. *Æn.* 568. et tacitam secreta in sede latentem Tyndarida aspicio. *Id.* 11. *ibid.* 112. Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent. *Cic. Mur.* 39. *sub fin.* Omni in sede ac loco ferrum flammamque metuemus. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt. *Id.* 6. *ibid.* 24. His sedibus sese continere. *Id.* 1. *ibid.* 31. Alias sedes petere. *Cic. Marcell.* 9. *a med.* Sedem stabilem et domicilium certum non habebit. *Id. Prov. cons.* 14. 34. Hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuit. *Id.* 2. *Leg. agr.* 35. 97. In domicilio superbiæ atque in sedibus luxuriæ collocati. *Id. Cluent.* 66. *a med.* Eam sibi domum sedemque conjugii delegit. *et ibid.* 61. *ad fin.* Actum esse præcipitem in sceleratorum sedem atque regionem. *Sall. Cat.* 6. Profugi sedibus incertis vagabantur. *Justin.* 3. 4. 12. Sedes ibi constituunt. *et ibid.* Expulsi sedibus suis. *Cic. Arch.* 4. *sub fin.* Sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit. *Horat. Epod.* 13. 8. deus hæc fortasse benigna Reducet in sedem vice. *stato.* Adde 1. *Od.* 13. 6. *Juvenal.* 3. 2. Alicubi sedem figere. *piantar casa.* et *Ovid.* 3. *Met.* 539. hac profugos posuistis sede Penates. *Tac. Germ.* 30. Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant. *del loro paese.* et *Germ.* 25. Suam quisque sedem, suos penates regit. *h. e.* domum cum agro. *Curt.* 9. 4. 2. Sedem capere. *et ibid.* obtinere. *Id.* 7. 6. 13. Condendæ urbi sedem eligere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). Circus exstructus longitudine stadiorum trium ad sedem CCL. milium. *h. e.* ut esset capax 260. milium sedentium. *Petron Sat.* 120. Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt. *le case, i palagi.* et *Virg.* 1. *Æn.* 415. sedesque revisit Læta suas. *Id.* 6. *ibid.* 431. sine sorte datæ, sine judice sedes. *Justin.* 2. 11. *a med.* In ipsius potissimum sede morituri. *h. e.* in tabernaculo ducis. *Virg.* 4. *G.* 228. Si quando sedem augustam servataque mella Thesauris relines. *h. e.* alvearia. *Id.* 6. *Æn.* 577. hydra intus habet sedem. *Horat.* 1. *Od.* 2. 10. Ulmus sedes columbis nota. *Virg.* 6. *Æn.* 283. sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt. ¶ 3. Dicitur de sepulcro. *Ovid.* 10. *Met.* 33. Serius aut citius sedem properamus ad unam. *Virg.* 6. *Æn.* 371. Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam. Item *Inscript.* apud *Orell.* 4534. SEDES M. OCTAVIO N. F. APRINEM (*leg.* Apioni *vel* Aprili) etc. Adde *Inscript.* apud *De Rossi, Bullet. Crist. a.* 1873. *p.* 57. *n.* 6. et *Henzen. n.* 7008. ¶ 4. Locus cujuslibet rei, in quo conquiescit. *Virg.* 2. *Æn.* 464. turrim convellimus altis Sedibus, impulimusque. *et ibid.* 611. totamque a sedibus urbem Eruit. *da' fondamenti.* et 1. *ibid.* 88. Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt. *dai cupi fondi.* et *Cels.* 8. 10. Ossa suis sedibus mota. *et ibid.* Ossa in suam sedem compellere. *et ibid.* reponere. *Colum.* 9. *R. R.* 13. *ad fin.* Favos sedibus suis commovere. *Ovid.* 11. *Met.* 554. Athon Pindumve sede sua revulsos. *Lucan.* 2. 184. cavis evolvit sedibus orbes. *h. e.* oculos eruit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (102). Aeris sedes infra lunam. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (74). Rupes cæduntur, sedemque trabibus cavatæ præbere coguntur. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. Maria sedibus suis excita. Sic *Curt.* 3. 5. 12. Totius Orientis excita sedibus suis moles. *Cels.* 8. 10. Fracta esse in suis sedibus remanent. *Ovid.* 2. *Met.* 147. solidis etiamnum sedibus adstas. — Metaphorice. *Cic. Pis.* 22. 52. Quum mihi ipsa Roma, prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa .. *Id. Parad.* 1. *in fin.* Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet. *Plin.* 11. *ibid.* 37. 51. (138). Superbia (in supercilliis) sedem habet. *et ibid.* 58. (157). Malæ, sedes pudoris. *Id.* 22. *ibid.* 6. 7. (14). Sedes periculi. *h. e.* locus, ubi periculum fuit. *Quintil.* 5. 10. 20. Sedes argumentorum. *Id.* 8. 6. 63. Eligendæ sedes (verborum). — *Sedes scelerata.* V. SCELERATUS. — *Sedes anguli* est locus anguli, ubi linea perpendicularis, aut alia insistit. *Gromat. vet. p.* 100. *Rudorff.* Cujus (*anguli recti*) si subtendens linea perpendiculari fuerit injuncta, efficit triangulum recto angulo. — *Sedes belli,* locus firmus et opportunus, ubi copiæ et omne instrumentum belli constituitur, *piazza d'arme. Vellej.* 2. 74. 3. Hæc sedem belli Præneste ceperat. *Sueton. Galb.* 10. In munitione oppidi, quod sedem bello delegerat. *Tac.* 3. *Hist.* 8. Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa. Adde *Lucan.* 2. 394. Cf. *Stat.* 2. *Theb.* 498. Lecta dolis sedes. — *Sedem habere,* locum habere, *aver luogo. Cic.* 3. *Orat.* 5. 19. Neque verba sedem habere possunt, si rem

subtraxeris: neque res lumen, si verba semoveris. *Id.* 2. *ibid.* 87. *ad fin.* Omnibus quæ sub aspectum veniunt, sedes opus est. etenim corpus intelligi sine loco non potest. ¶ 5. *Sedes* est idem ac sanitas in illo *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 38. Relevatis et ad sedem pergentibus omnia supradicta minuuntur. ¶ 6. Metonymice est podex, nates, anus, *il sedere. Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (143). Lentis decoctæ sucus adhibetur ad sedem cum rosaceo. *Id.* 32. *ibid.* 9. 33. (104). Sedis attritus. *et* 23. *ibid.* 3. 37. (75). exulceratio. *Id.* 22. *ibid.* 21. 29. (61). excrescentia. *Id.* 23. *ibid.* 4. 41. (83). inflammationes. *et* 26. *ibid.* 8. 58. (90). procidentia. Adde *Apul. Herb.* 87.

SĔDĬBĬLIS, e, adject. (sedeo) locus, ubi sederi potest. *Cassiod. in Ps.* 1. 1. Cathedra est ex aliqua materia composita forma sedibilis, quæ nos curvatos molliter a dorso suscipit, suoque gremio demissos veluti habilis theca complectitur.

SĔDĬCĬŌNOR. *V.* SEDITIONOR.

SĔDĬCŬLA. *V.* SEDECULA.

SĔDĬCŬLUM, i, n. 2. (sedeo) sedile. *Paul. Diac. ex Festo p.* 336. 6. *Müll.* Sediculum, sedile. *Varro* 8. *L. L.* 54. *Müll.* Ut a cubatione cubiculum, sic a sessione sediculum, non est. Unde apparet hanc vocem minime usitatam tunc temporis fuisse. *V.* SEDECULA.

SĔDĬGĬTUS, a, um, adject. (sex *et* digitus) qui sex digitos habet. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 99. (244). Digiti quibusdam in manibus seni. C. Horatii ex patricia gente filias duas ob id Sedigitas appellatas accepimus et Volcatium Sedigitum, illustrem in poetica. *Cf.* C. VOLCATIUS SEDIGITUS in ONOM.

SĔDĪLE, is, n. 3. (sedeo) sedes, scamnum, *seggio, seggia, sedia, sedile, panca,* ἕδρα.

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Virg.* 8. *Æn.* 176. gramineoque viros locat ipse sedili. *Ovid.* 8. *Met.* 639. Membra senex posito jussit relevare sedili. *Id. Medic. fac.* 13. Quum matrona premens altum rubicunda sedile. Assiduo durum pollice nebat opus. *Gell.* 2. 2. Sedile apponere alicui. — De loco sedendi in vehiculo *Seneca Ep.* 70. — *b*) In plur. num. *Sueton. Aug.* 43. Exstructis in campo Martio sedilibus ligneis. *Ovid.* 1. *Met.* 317. Factaque de vivo pressere sedilia saxo. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 167. *Id.* 4. *G.* 350. Vitrea sedilia. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Sunt locis pluribus disposita sedilia ex marmore. — De theatris. *Horat. Art. P.* 205. Nondum spissa nimis complere sedilia. *Id. Epod.* 4. 15. Sedilibusque magnus in primis eques, *etc.* sedet. — De transtris. *Virg.* 5. *Æn.* 837. placida laxarant membra quiete Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.

II.) Translate. ¶ 1. Est locus quilibet ad commorandum, apud *Varron.* 3. *R. R.* 5. *a med.* Mutuli crebri omnibus columnis impositi, sedilia avium. ¶ 2. Est etiam idem ac sedere, quiescere. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Post iter primum sedile, deinde unctio reficit. *Id. ibid.* Alvum adstringit labor, sedile.

SĔDĪMEN, minis, n. 3. (sedeo) subsidentia (It. *posatura, deposizione, sedimento;* Fr. *sédiment, dépôt;* Hisp. *sedimento;* Germ. *d. Satz, Bodensatz;* Angl. *a settlement, sediment*). *Isid.* 17. *Orig.* 9. 6. Sedimen aceti. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 64. *de urina.* crassius. *Id. ibid.* 67. arenosum vel capillosum. — In plur. num. *Id. ibid.* 62. In ipsa præterea urina sedimina inveniuntur, aliquando crassiora et calida, aliquando arenosa et saxosa. *Id. ibid.* 10. 108. Sedimina purulenta.

SĔDĪMENTUM, i, n. 2. (sedeo) subsidentia, *calamento, sprofondamento,* ὑπόστασις. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (73). Inundationibus Tiberis sedimento molis facto, *h. e.* mola subsidente; loquitur enim de obelisco.

SĒDĬTĬO, ōnis, f. 3. Vox ducitur a *se,* quo seorsum significat, ut in *separo, seduco etc.* (*V.* SE), et *itio,* inserto *d* euphoniæ causa, ut in *reditio.* — Seditio est recessio ab uno in alium locum.

I.) Proprie. *Ammian.* 17. 13. 23. Et qui animas amittere potius, quam cogi solum vertere putabatur — parere imperiis et sedes alias suscipere sunt assensi tranquillas et fidas; ut nec bellis vexari nec mutari seditionibus possent.

II.) Translate est dissensio, turba, discordia, motus populi imperium detrectantis, vel inter se certantis, στάσις, ἀκαταστασία (It. *dissensione, discordia, sedizione;* Fr. *désunion, division, discorde, agitation, révolte;* Hisp. *desunion, dissension, discorde, sedicion, solevamiento;* Germ. *d. Fürsich-gehen, d. Trennung, Aufstand;* Angl. *dissension, discord, debate, broil, sedition*). ¶ 1. In malam partem. — *a*) Dicitur de publicis dissensionibus, discordiis, turbis. *Cic. fragm.* apud *Non.* 25. 4. *Merc.* et apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 153. Eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. *Id.* 10. *Att.* 1. Solon capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset. (*V.* hac de re *Gell.* 2. 12.) *Id.* 2. *Orat.* 28. *a med.* Illam Norbani seditionem neque reprimi potuisse, et jure esse conflatam. *Id.* 2. *Att.* 1. *a med.* Sæpe seditione commota. *Id. Mur.* 39. 83. Seditionem et discordiam concitare. *Tac.* 6. *Ann.* 3. Discordiam et seditionem quærere. *Id.* 1. *ibid.* 19. Per seditionem et turbas. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. *a med.* Magnam seditionem in castris inter Pœnos et Siculos milites esse factam. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Quum stipendium ab legionibus, pæne seditione facta, flagitaretur. *ammutinamento.* et 7. *B. G.* 28. *ad fin.* Ne qua in castris seditio oriretur. *Liv.* 6. 16. *a med.* Haud procul seditione res erat. *Sall.* 2. *Hist. fragm.* 49. Seditio Fimbriana. *Vellej.* 2. 68. 2. et *Curt.* 10. 4. 3. Seditionem movere. *Flor.* 1. 25. excitare. *Tac.* 4. *Hist.* 68. *extr.* miscere. *Id.* 1. *Ann.* 38. *et* 45. cœptare. *et* 2. *ibid.* 15. induere. *et* 14. *ibid.* 17. *extr.* concire. *et* 16. *ibid.* 30. alere. *Id.* 2. *Hist.* 29. coercere. *Id.* 1. *Ann.* 42. compescere. *et ibid.* 52. opprimere. *et ibid.* 69. et *Curt.* 7. 2. 31. comprimere. *Sueton. Cæs.* 4. et *Tib.* 25. componere. *Justin.* 11. 2. 5. exstinguere. *Cic.* 5. *Att.* 14. et 3. *Verr.* 27. 70. sedare. *Vellej.* 2. 81. 1. discutere. *Liv.* 6. 16. *a med.* lenire. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Deflagrante paullatim seditione. *Liv.* 6. 18. recrudescente. *Id.* 42. 2. Gliscit seditio. *Virg.* 1. *Æn.* 149. magno in populo quum sæpe coorta est Seditio. — In plur. num. *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Quum hominem seditiosum defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare ac demonstrare, multos sæpe impetus populi non injustos esse, - multas etiam e republica seditiones sæpe esse factas. Adde *Sall. Jug.* 51., *Liv.* 4. 2. et *Tac.* 4. *Ann.* 68. *Horat.* 3. *Od.* 3. 29. Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit. *Sall.* 1. *Hist. fragm.* 10. Plurimæ turbæ, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt. *Id. ibid.* 11. Seditiones graves cœpere. *Id. Jug.* 37. tribuniciæ. *Capell.* 9. p. 313. Asclepiades seditiones (plebis) accensas cantu inhibuit. *Curt.* 9. 4. 22. Seditionis non remedia, quam principia majora sunt. — *b*) Dicitur interdum de privatis discordiis, rixa, jurgio. *Ter. Andr.* 5. 1. 11. Perpulisti me, ut filiam darem in seditionem atque incertas nuptias. *Plaut. Amph.* 1. 2. 14. Amphitruo actutum uxori turbas conciet. tum meus pater Eam seditionem in tranquillum conferet. *Ovid.* 9. *Met.* 427. crescitque favore Turbida seditio. *Liv.* 45. 19. Seditio domestica. *Sueton. Ner.* 26. pantomimorum. — *c*) Jlocaliter *Plaut. Merc.* 1. 2. 14. seditionem facit lien, occupat præcordia. *h. e.* intumescit, instar populi tumultum cientis. — *d*) Apud *Ovid.* 13. *Met.* 61. Seditio cum Credulitate, vana Lætitia, Timore etc. comites Famæ finguntur. et apud *Capell.* 1. *p.* 16. Discordiam vero ac Seditionem quis ad sacras nuptias corrogavit. ¶ 2. In bonam partem. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 225. magno certatur amore, Alternamque fidem non illaudata lacessit Seditio. ¶ 3. Figurate. *Cic.* 1. *republ.* 38. 60. Archytas iracundiam, videlicet dissidentem a ratione, seditionem quamdam animi vere ducebat, et eam consilio sedari volebat. *Stat.* 9. *Theb.* 141. Siculi velut anxia puppis Seditione maris, nequicquam obstante magistro, Errat. *tempesta.* et *Manil.* 2. 90. Seditio pelagi. et *ibid.* 196. Quin tria Signa novem Signis conjuncta repugnant, Et quasi seditio cælum tenet. *Stat.* 1. *Theb.* 35. flammasque rebelles Seditione rogi. *h. e.* quum rogus duorum fratrum Eteoclis et Polynicis ignem in duas diversas partes distulit, ut est apud *eumd.* 12. a *v.* 420.

Homonym. Hoc differunt *seditio, secessio, tumultus* et *turbæ,* quod *seditio* et *secessio* sunt, quum de gerendæ reipublicæ ratione cives inter se dissentiunt; *tumultus* et *turbæ* ob causas quaslibet, etiam a republica alienas, oriuntur. Præterea *seditio* a *secessione* differt; *seditio* enim est, quum diversi civium ordines, ut plebeii et patricii, in urbe ita dissentiunt, ut pars eorum mista in utrisque partibus sit; in *secessione* vero altera pars dividitur et recedit ab altera: aut *secessio* est motus civium aliquid petentium nec inferentium bellum. *Tumultus* autem hoc differt a *turbis,* quod *tumultus* opponitur quieti, *turbæ* ordini. *Cic. Ligar.* 6. 19. Secessionem tu illam existimasti, Cæsar, initio, non bellum; non hostile odium, sed civile dissidium. *Tac.* 1. *Ann.* 19. Non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda ait. *Sall.* 1. *Hist. fr.* 10. Plurimæ turbæ, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt. *Id. ibid.* 48. Homines scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt. Adde *Quintil.* 2. 16. 2.

SĒDĬTĬŌNOR *vel* sedicionor, aris, ari, dep. 1. (seditio) seditionem facio, στασιάζω. *Gloss. Labb.* et *Dosith. p.* 61. 6. *Keil.*

SĒDĬTĬŌSĒ, adverb. (seditiosus) Comp. *Seditiosius;* Sup. *Seditiosissime.* — Seditiose est per seditionem, more seditiosorum, contentiose, *sediziosamente,* στασιαστικῶς. *Cic. Cluent.* 1. 2. Quæ contionibus seditiose concitatis accommodatior est, quam tranquillis moderatisque judiciis. *Id. Mil.* 3. 8. Quum a tribuno plebis in contione seditiose interrogaretur. *Tac.* 3. *Ann.* 12. Turbide et seditiose tractare exercitus. *Id. Agric.* 7. Seditiose agere. *h. e.* modestiam parendi omittere. *Id.* 5. *Hist.* 12. *de Judæis.* Seditiosius agebant. *Cic.* 2. *Att.* 21. Multa quum seditiosissime diceret.

SĒDĬTĬŌSUS, a, um, adject. (seditio) Comp. *Seditiosior;* Sup. *Seditiosissimus.* — Seditiosus est qui seditiones facit, turbulentus, στασιωτικός (It. *sedizioso, tumultuante;* Fr. *séditieux;* Hisp. *sedicioso;* Germ. *Aufruhr erregend, aufrührerisch, unruhig;* Angl. *turbulent, tumultuous, seditious*). ¶ 1. In re publica. — *a*) De personis. *Cic.* 2. *Orat.* 11. *ad fin.* Seditiosus civis et turbulentus. *Id.* 1. *Phil.* 9. 22. Ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse. *Id.* 3. *Legg.* 19. 44. Nondum natis seditiosis tribunis plebis. *Id.* 1. *republ.* 19. 31. Triumviris seditiosissimis aliquid quotidie novi moventibus. *Quintil.* 11. 1. 40. Qui pro republica seditiosum civem toties compescuisset. *Tac.* 2. *Hist.* 66. Seditiosissimus quisque ignavus. *Sueton. Cæs.* 70. Seditiosissimum quemque et prædæ et agri destinati tertia parte multavit. — *b*) De rebus. *Cic.* 1. *Invent.* 3. *ad fin.* Ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod tradere quietum. *Tac.* 1. *Hist.* 53. *in fin.* Seditiosa colloquia. *et* 3. *ibid.* 50. Seditiosæ militum voces. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 17. Nam ejus seditiosior fuit contio. *Sueton. Cæs.* 12. Seditiosus tribunatus L. Saturnini. — Neutr. plur. absolute. *Tac.* 3. *Ann.* 40. Per conciliabula et cœtus seditiosa disserebant. ¶ 2. In re privata, et est idem ac rixosus, et qui domi semper tumultuatur. *Cic.* 2. *Att.* 1. *de Clodia P. Clodii sorore.* Sed ego illam odi male consularem. Est enim seditiosa, et cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos mihi amicos esse, moleste fert.

SĒDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *causat. a* sedeo. — De origine vocis et quantitate pænultimæ syllabæ hæc habet *Eutych. Ars* 2. *p.* 487. *Keil.* Sedeo: ex præterito perfecto suo, quod est in primitivo sedeo sedi, factum expulsione *e,* quæ ante *o* erat, productaque pænultima, facit verbum primæ conjugationis sedo sedas (quomodo in circumflexis apud Græcos Syracusano more sæpe verbi positio derivatur ab alterius

verbi præterito perfecto, ut ποιῶ πεποίηκα πεποιήκω); quod potest etiam a præterito perfecto, quod est sedi producta pænultima, nomen fecisse hæc sedes eadem verbi longitudine etiam in nomine servata. Ita *Eutych*. Verum puto quantitatem differre in *sĕdeo* et *sēdes, sēdo* et similibus vel ratione accentus, vel interdum ob additam vocalem, seu diphthongum, ut videre est in *dūco* pro *douco*, in *dīco* pro *deico*, ab *dūco* et *dīco*, unde *dux, dūcis*, et *maledīcus*. — Part. *Sedans* I. et II. 1. *a.*; *Sedatus* passim et in fin.; *Sedandus* III. — Sedo

I.) Proprie est facio, ut quis sedeat, aut loco, ubi sedet vel est, non moveatur. *Phædr*. 2. 5. Alveolo cœpit ligneo conspergere Humum æstuantem, come officium jactitans: sed deridetur. Inde notis flexibus Præcurrit alium in xystum, sedans pulverem. Cf. *Sueton. Cal*. 43.

II.) Translate est facio, ut aliquid residat, quod excitatum et turbatum erat, lenio, mitigo, placo, reprimo, restinguo, παύω (It. *acchetare, calmare, smorzare, mitigare*; Fr. *arrêter, rasseoir, apaiser, calmer*; Hisp. *volver à sentar, detener, apaciguar, aquietar*; Germ. *machen, dass sich etwas setzt, zu Boden sinkt, sich setzen od. sinken machen, beruhigen, stillen*; Angl. *to stop, stay, allay, appease, assuage, mitigate, soften*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Transitive. *Cic. 1. republ*. 42. 65. Sedare mare aut flammam. *Id. Arat*. 125. Curriculum numquam defesso corpore sedans. *non fermando mai*. et 2. *Cat*. 13. 28. et *Nepos Datam*. 8. *extr*. Sedatum bellum. *Ovid. Remed. Am*. 117. Sedare incendia. *Id*. 15. *Met*. 83. Carne feræ sedant jejunia. *et* 3. *ibid*. 415., *Phædr*. 4. 3. et *Lucret*. 4. 848. sitim. *Plin*. 11. *Hist. nat*. 54. 119. (284). famem. *Plaut. Bacch*. 1. 1. 75. et *Nepos Eumen*. 9. *in fin*. lassitudinem. *Propert*. 3. 20. 19. per Jonium vectus quum fessa Lechæo Sedavit placida vela phaselus aqua. *avrà ammainato*. — Passive. *Cic*. 3. *Cat*. 3. 6. Interventu Pomptini pugna, quæ erat commissa, sedatur. *Id*. 3. *Verr*. 18. 46. Tempestas sedatur, Dolabella proficiscitur. *Sueton. Oth*. 11. Sedata sitis gelidæ aquæ potione. *Justin*. 20. 2. 8. Pestis utrobique sedata est. *Cæs*. 3. *B. C*. 18. Sedatus tumultus. *Cic*. 2. *Invent*. 51. 154. Sedati fluctus. *Ovid*. 15. *Met*. 349. venti. — *b*) Neutrorum more. *Propert*. 3. 17. 5. Flamma per incensas citius sedaret aristas. *Alii leg*. sedetur. *Cn. Gell*. apud *Gell*. 18. 12. Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit. ¶ 2. Specialim, sæpe refertur ad morbos corporis. *Plin*. 28. *Hist. nat*. 9. 34. (132). Sedare tormina. *Id*. 29. *ibid*. 6. 39. (134). dolores aurium. *Id*. 30. *ibid*. 13. 39. (114). tumorem vulnerum. *Id*. 20. *ibid*. 17. 73. (188). anginas. *et ibid*. 20. 81. (211). cruda. *Id*. 30. *ibid*. 6. 15. (46). tussim. *et ibid*. 13. 41. (121). scabiem, pruritum. *Plaut. Curc*. 1. 2. 22. Liber Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ Affert potionem, et te sedatum it. *viene aristorarti*. ¶ 3. Et ad incommoda fortunæ. *Id. Pœn*. 5. 4. 93. Multorum annorum miserias nunc hac voluptate sedo. *Ter. Hecyr. prol*. 2. 23. Eam calamitatem vostra intelligentia sedabit. *Cic*. 2. *Phil*. 18. *a med*. Tanta mala florentissimæ familiæ sedavi, vel potius sustuli. ¶ 4. Et per metaphoram ad appetitus et ægritudines animi. *Cic*. 1. *Orat*. 46 *a med*. Quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare, vel sedare. *Id*. 3. *Legg*. 10. 24. Populi impetus aliquando incenditur; et quidem sæpe sedatur. *Id*. 1. *Off*. 29. *ante med*. Appetitus omnes contrahendi sedandique sunt. *Id*. 1. *Divinat*. 29. *ad fin*. Illam partem animi, in qua irarum exsistit ardor, sedare atque restinguere. *Sall. Jug*. 4. *a med*. Memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. *Ovid*. 4. *Pont*. 11. 19. quum longa dies sedavit vulnera mentis, Intempestive qui fovet illa, novat. *Liv*. 1. 16. Sedare pavorem. *Id*. 25. 37. lamentationem. *Propert*. 2. 13. 31. fletus. *Justin*. 12. 15. 2. tumultuantes milites. *Cic*. 5. *Att*. 14. seditionem. *Id*. 1. *Phil*. 1. 1. discordias. *Id*. 1. *Legg*. 21. 54. controversiam. *Plaut. Merc*. 5. 4. 1. iram. *Stat*. 12. *Theb*. 514. curas. *Seneca Herc. Œt*. 1837. questus. *Cic*. 2. *Verr*. 1. 1. invidiam et infamiam. *Auct. B. Afr*. 87. *sub fin*. Sedandæ eorum importunitatis gratia, singulis HS centum divisit. *Stat*. 12. *Theb*. 514. Vix ibi sedatis requierunt pectora curis. *Plaut. Merc*. 5. 4. 1. Ad patrem ibo, ut matris iram sibi sedatam esse sciat. *Id. Amph*. 2. 2. 210. Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur, Sed pudicitiam et pudorem et sedatum cupidinem. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Sedatus, a, um, adjectivorum quoque more occurrit; unde Comp. *Sedatior*; Sup. *Sedatissimus*. — Sedatus est tranquillus, quietus, minime præceps, *calmo, quieto, tranquillo*, ἤρεμος, ἥσυχος, ἡσυχαῖος. — *a*) Generatim. *Liv*. 25. 37. *ad fin*. Contemptim et sedato gradu in castra abeunt. *a lento passo, a bell' agio*. et *Virg*. 9. *Æn*. 30. Sedati amnes. *Cic. Cluent*. 37. 103. Paullo sedatiore tempore. — *b*) Specialim, sæpe refertur ad animum. *Virg*. 12. *Æn*. 18. Olli sedato respondit corde Latinus. *Horat*. 1. *Ep*. 18. 89. Oderunt hilarem tristes tristemque jocosi, Sedatum celeres. *Cic*. 8. *Att*. 3. *extr*. Sedatiore animo scribere. — c) Interdum ad orationem et vocem. *Cic. Orat*. 52. *ad fin*. Est enim ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. *Id*. 3. *Herenn*. 14. 24. Sermo quum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet. — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM.

SĒDŪCENS, entis, particip. *V*. voc. seq.

SĒDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. (se et duco) Part. *Seducens* II. 3.; *Seductus* I. 2. et II. 1. 3. et in fin.; *Seducendus* II. 3. — Seduco est seorsum ab aliis duco, quasi de re aliqua locuturus, ἀπάγομαι (It. *tirare in disparte*; Fr. *conduire, tirer à l'écart, prendre à part*; Hisp. *tirar, atraer á parte, apartadamente*; Germ. *bei Seite führen*; Angl. *to lead aside or apart*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc*. 2. 3. 60. Salve, inquit mihi, prehendit dexteram, seducit, rogat. — *b*) Cum Accus. tantum, aut etiam addito Ablat. cum præpos. *ab*, vel Accus. cum præp. *in*, vel adverb. loci, ex quo aut in quem quis seducitur. *Liv*. 30. 5. Seducere singulos separatim. *Cic*. 5. *Att*. 21. 12. Me rursus seducit. *Ovid*. 2. *Met*. 691. hunc blanda manu. *Id*. 3. *Fast*. 678. venit Gradivus ad Annam, Et cum seducta talia verba facit. *Pers*. 2. 3. non tu prece poscis emaci, Quæ nisi seductis nequeas committere divis. *h. e*. quasi semotis, et clam eos rogando. *Plaut. Asin*. 2. 2. 95. Nam me hodie senex seduxit solum seorsum ab ædibus: Mihi tibique interminatus est etc. *Apul*. 9. *Met*. Quasi quippiam secreto collocutura, in suum cubiculum seducit eum. *Phædr*. 3. 10. Seducere in secretum a liberto suo. *Petron. Sat*. 13. Seduxit me paullulum a turba, et scis, inquit, frater, etc. *Ter. Hecyr*. 1. 2. 69. Pamphilus me solum seducit foras, narratque etc. *Plaut. Aulul*. 2. 1. 14. Secreto te huc foras seduxi. — *Seducere aliquid*, seorsum trahere, seponere. *Seneca Ep*. 90. *a med*. Irrupit in res optime positas avaritia: et dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena. *Klotz*. h. l. translatis adscripsit. ¶ 2. Specialim est averto, abduco, alio converto, subduco. *Propert*. 1. 9. 27. Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos. *h. e*. alio convertere et ab amica spectanda deflectere *Ovid. Remed. am*. 446. Seducto stipite. *levato, tirato via*. Alii leg. *subducto*; alii *diducto*. *Id*. 8. *Met*. 673. Vina paullum seducta. *h. e*. seposita.

II.) Translate. ¶ 1. Est separo, divido, *separare*, et occurrit absolute, vel cum Abl. et præp. *ab*, aut sine præp. *Ovid. Heroid*. 19. 142. Seducit terras hæc brevis unda duas. *Lucan*. 8. 291. Caspiaque immensos seducunt claustra recessus. *Ovid*. 4. *Met*. 371. et istum Nulla dies a me, nec me seducat ab illo. *et* 13. *ibid*. 611. seducere castra. *h. e*. bifariam dividere exercitum. *Ovid*. 4. *Fast*. 385. Plura locuturi subito seducimur imbre. Adde *Senec*. 1. *Quæst. nat*. 5. *Virg*. 4. *Æn*. 385. quum frigida mors anima seduxerit artus. *Ovid*. 3. *Met*. 379. puer comitum seductus ab agmine fido. *Id*. 4. *ibid*. 371. et istum Nulla dies a me, nec me seducat ab illo. *Id*. 1. *ibid*. 80. Sive recens tellus seductaque nuper ab alto Æthere. *et Stat*. 3. *Theb*. 460. Mons erat audaci seductus in æthera dorso. *h. e*. elatus, et quasi a tellure separatus. *Liv*. 2. 54. Consilia non publica, sed in privato, seductaque a plurium conscientia habere. *Seneca Ep*. 117. *ante med*. Animi habent proprium quiddam, et a corporibus seductum. *Manil*. 1. 82. Seducta in varias certarunt pectora curas. *h. e*. distracta. ¶ 2. Item subtraho, excludo, removeo. *Cic*. 13. *Phil*. 10. *a med*. Quod te idibus Martiis a debita tibi peste seduxit. Adde 10. *Fam*. 28. *Curt*. 10. 6. 7. Quod semper ab immortalitate seducitur. *h. e*. excluditur. *Seneca Consol. ad Helv*. 16. *ante med*. Non potes ad obtinendum dolorem muliebre nomen prætendere, ex quo te virtutes tuæ seduxerunt. *h. e*. subtraxerunt, exemerunt, separarunt a vulgo muliercularum. ¶ 3. Metaphorice est decipio, illudo, *sedurre*. *Tertull*. 2. *advers. Marcion*. 8. Nam etsi Angelus, qui seduxit, sed liber et suæ potestatis, qui seductus est. *Augustin*. 2. *Confess*. 3. *a med*. Seducebat me, quia ego seductilis eram. Adde *Tract*. 29. *in Johann. sub init*. et 14. *Civ. D*. 11. *sub fin*. Addunt et *Ter. Andr*. 4. 1. 20., sed varia ibi lectio. Item *Quintil*. 7. 2. 24., *Tac*. 2. *Hist*. 90. et *Ulp. Dig*. 43. 28. 3. sed invitis criticis. *Vulgat. interpr. Is*. 9. 16. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes. *Id. Jac*. 1. 26. Seducens cor suum. *illudendo sè stesso*. Adde *Act*. 8. 9. *Id. Marc*. 13. 22. Ad seducendos electos. — Sunt qui leg. apud *Ter. Andr*. 4. 1. 20.; sed rectius ibi leg. *ducere* h. e. fallere, irretire. Cf. *Phorm*. 3. 2. 15. et *Propert*. 2. 13. 57. Eodem sensu Græci usurpant ὑπάγειν. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Seductus, a, um, etiam adjective occurrit; unde Comp. *Seductior*. — Seductus est seorsum ductus, abductus a turba, *tirato in disparte*, ἀπαχθείς.

I.) Proprie. *Pers*. 6. 41. tu meus heres Quisquis eris, paullum a turba seductior audi.

II.) Translate. ¶ 1. Est semotus, remotus, *lontano, discosto*. *Ovid*. 4. *Met*. 622. et ex alto seductas æthere longe Despectat terras. (Cf. *Stat*. 3. *Theb*. 460. supra *cit*.) *et* 13. *ibid*. 902. seductos nacta recessus. *Lucil. jun. Ætn*. 34. seducto regnant sublimia cælo. *Plin*. 7. *Ep*. 25. *sub fin*. Effecitque, ut illis, quos doctissimos novi, non minus hos seductos et quasi rusticos verear. *che vivono ritirati*. et *Seneca de consolat*. 19. Seductum vitæ genus. — Absolute. *Id. Tranquill*. 3. In seducto. *Alii leg*. in seductu. *V*. SEDUCTUS, us.

SĒDUCTĬBĬLIS, e, adject. (seduco) qui seduci potest. *Augustin. in Ps*. 54. 22. Animæ seductibiles. Adde *eumd. in Ps*. 67. 39.

SĒDUCTĪLIS, e, adject. (seduco) qui seduci potest, qui in errorem facile duci potest, εὐεξαπάτητος. *Alcim*. 2. 166. mortiferum seductilis Eva venenum Auribus accipiens. Adde *Augustin*. 2. *Confess*. 3. *V*. SEDUCO II. 3.

SĒDUCTĬO, ōnis, f. 3. (seduco) actus seorsum ducendi, *il tirare in disparte*, ἀπαγωγή.

I.) Proprie. *Cic. Mur*. 24. 49. Mæstos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant.

II.) Translate. ¶ 1. Est separatio, *separazione*. *Lactant*. 2. 12. Mors est corporis animæque seductio. ¶ 2. Item deceptio, *seducimento, seduzione*. *Tertull*. 2. *advers. Marcion*. 2. *sub fin*. Adam confessus est seductionem, non occultavit seductricem. Adde *Ambros. in Luc*. 7. § 218. et *Vulgat. interpr. Jer*. 14. 14. *et* 23. 26. et 2. *Thess*. 2. 10.

SĒDUCTOR, ōris, m. 3. (seduco) qui seducit et decipit, *seduttore*. *Gloss. Philox*. Seductor, πλάνος, ἀπατητής. *Augustin. Tract*. 29. *in Johann. sub init*. Si enim seducere decipere est, nec

Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus. Adde *eumd. in Psalm.* 63. *n.* 15. ex *Matth.* 27. 63. *Venant.* 1. *carm.* 2. 10. *de Paulo.* Seductor quondam qui modo doctor ovat.

SĒDUCTŌRĬUS, a, um, adject. (seductor) ad seducendum pertinens.

I.) Proprie. *Ambros. De bono mort.* 9. *n.* 41. Non sequamur illecebrosa et seductoria; sed sequamur illud, quod bonum est. Adde *Augustin.* 5. *Confess.* 6. *sub fin.* et *Tract.* 4. *in Johann. Id. Serm.* 38. Abstinerent ab omnibus seductoriis.

II.) Translate. *Cassiod. Expos. in Ps.* 1. Homo terrenus, quando inflatur seductorio vento superbiæ etc.

SĒDUCTRIX, trīcis, f. 3. (seductor) quæ in errorem inducit, *seduttrice.* V. *Tertulliani loc. cit.* in SEDUCTIO.

SĒDUCTUM, i, n. 2. et

SĒDUCTUS, a, um, particip. *V.* SEDUCO.

SĒDUCTUS, us, m. 4. (seduco) secessus, seductio, *ritiro. Seneca Tranquill.* 3. Nec, ut leonum impetus caveis coercetur, sic hominum, quorum maxime in seductu actiones sunt. Alii leg. *educto,* et quidem rectius. *V.* SEDUCO in fin.

SĒDŪLĀRĬA, ōrum. *V.* SELIQUASTRUM.

SĒDŪLĒ, adverb. (sedulus) idem ac sedulo. *Colum.* 9. *R. R.* 9. Semper quidem custos sedule circumire debet alvearia. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 407. Hoc munus implet sedule. *Alii aliter leg.* Adde *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 4. 13. Cf. *Priscian. p.* 1299. *Putsch.*)

SĒDŪLĬTAS, ātis, f. 3. (sedulus) ardens studium implendi officium suum, diligentia, assiduitas, ἐπιμέλεια (It. *accuratezza, diligenza, assiduità;* Fr. *assiduité, activité, empressement, diligence;* Hisp. *aplicacion continua, actividad, diligencia;* Germ. d. *Emsigkeit, Geschäftigkeit;* Angl. *carefulness, assiduity, diligence*). ¶ 1. De hominibus. — *a*) In bonam partem. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 11. *ante med.* Balbi operam et sedulitatem laudare possum. *Cic. Cæcin.* 5. *a med.* Voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio simulataque sedulitate conjunctus. *Id. Arch.* 10. *ad fin.* Qui sedulitatem mali poetæ duxerit aliquo tamen præmio dignam. *Plin.* 3. *Ep.* 18. Præstare sedulitatem alicui rei. *Ovid.* 3. *Fast.* 668. Pauper, sed mundæ sedulitatis, anus. *et* 4. *ibid.* 434. Et non sentitur sedulitate labor. *Id.* 3. *Pont.* 8. 18. Nil igitur Ponti tota regione sinistri, Quod mea sedulitas mittere posset, erat. *Sueton. Galb.* 12. Pro sedulitate et diligentia. — *b*) In malam partem est nimia et misera diligentia, περιεργία. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 260. Sedulitas autem stulte, quam diligit, urget. *et* 1. *ibid.* 7. 8. Officiosaque sedulitas et opella forensis Adducit febres, et testamenta resignat. ¶ 2. De brutis animantibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (109). *de formicis.* Jam in opere qui labor! quæ sedulitas!

SĒDŪLO, adverb. (sedulus) impense, studiose, accurate, diligenter, *con diligenza, accuratamente,* ἐπιμελῶς, σπουδαίως. ¶ 1. Generatim. *Ter. Heaut.* 1. 1. 74. pro se quisque sedulo Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 10. Faciam omnia sedulo, quæ te sciam velle. *Plin.* 7. *Ep.* 19. Munere sedulo fungi. *Sueton. Tib.* 37. Tumultus ne orirentur, sedulo cavit. *Ter. Phorm.* 4. 3. 10. Id agitans mecum sedulo, inveni, opinor, remedium huic rei. *Id. Heaut.* 5. 4. 15. Ego, quod potero, enitar sedulo. *Id. Adelph.* 3. 4. 63. Sedulo moneo, quæ possum, pro mea sapientia. *Plaut. Men.* 5. 7. 20. Operam dabo, et defendam, et subvenibo sedulo. *Id. Aulul.* 1. 2. 35. Sedulo celare aliquid. *Id. Bacch.* 3. 3. 73. rem mandatam gerere amici. *Id. Pseud.* 1. 2. 108. deproperare. *Id. Pers.* 5. 2. 62. curare. *Cic.* 3. *Att.* 12. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum, et maxime per senatum. *Liv.* 2. 38. Sedulo audientes secunda iræ verba. — *Feci sedulo,* formula excusantis, ubi ad voluntatem res non successit. *Cato R. R.* 2. Si domino opus non apparet, dicit villicus, se fecisse sedulo: servos non valuisse, tempestates malas fuisse etc. *Ter. Andr.* 4. 1. 56. Parum succedit, quod ago; at facio sedulo. *Plaut. Merc.* 2. 3. 126. at tu excusato, te fecisse sedulo. (Similis formula est *omnia facere* apud *Ovid.* 9. *Met.* 540.; *Rutil. de fig. sent.* 1. 13.; *Sueton. Ner.* 33. etc. V. *Gronov.* in h. l.) Passive. *Cic.* 2. *Fam.* 11. Sed tamen sedulo fit, et in primis a Patisco. ¶ 2. Speciatim est de industria, data opera, *a bello studio, a posta:* quia qui diligenter facit, datâ operâ facit. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 1. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam Propter meos mores hinc abiisse: etsi ea dissimulas sedulo. *Id. Eun.* 1. 2. 58. fingit causas, ne det, sedulo. *Liv.* 2. 58. *a med.* Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere. *Id.* 34. 14. Nusquam, nisi in virtute, spes est, milites, inquit: et ego sedulo, ne esset, feci. *Quintil.* 7. 1. *a med.* Sedulo imitor quærentem, ut quærere doceam: et omisso speciosiore illo stili genere, ad utilitatem me submitto discentium. Adde *Ter. Adelph.* 1. 2. 64. et *Phorm.* 2. 3. 81. ¶ 3. Item serio, ex animo, bona fide, *sinceramente, seriamente.* et hoc enim est diligenter agere. Neque tamen verum quod *Donat., Non.* et *Isidor.* docent, *sedulo* ex *sine dolo* conflatum esse. Ita *Forcellinus.* Ceterum *V.* voc. seq. et *Acron.* in *Ter. Adelph.* Ut falso et consulto, ita sedulo dictitatum: nisi forte hic est sine dolo, per se tamen sedulo sic utique est, ut falso. Ita *Charis.* 2. *p.* 194. *Putsch. Ter. Phorm.* 2. 4. 13. Ego sedulo hunc dixisse credo. *Plaut. Capt.* 4. 2. 106. quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo. *Lucil.* apud *Non. p.* 37. 31. *Merc.* Salutem fictis versibus Lucilius, Quibus potest, impertit: totumque hoc studiose et sedulo.

SĒDŪLUM. *V.* voc. seq. in fin.

SĒDŪLUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, Grammatici veteres *Sueton. fragm.* 289. 5. *Reiff.* (318. 26. *Roth*), *Charis. p.* 219. 6. *Keil., Donat.* in *Ter. Adelph.* 3. 3. 59., *Non. p.* 37. 28., *Isid.* 10. *Orig.* 244. et 247. docent *sedulo,* unde *sedulus,* ex *se,* h. e. sine, et *dolo* factum esse: cui notationi favent quantitas primæ syllabæ et loca *Ter., Plaut.* et *Lucil. cit.* in fin. vocis præced., quibus adde *Ambros.* 2. *Off.* 7. *V.* etiam *Sedulum* in fin. Alii vero, etiam ex communiore usu vocis, volunt esse a *sedeo,* aut *sedes,* quia sedulus sedet, hoc est immoratur operi et assiduus est. — Sedulus est qui studio tenetur implendi officii, assiduus, intentus, accuratus, diligens, studiosus, σπουδαῖος, ἐπιμελής (It. *diligente, attento, sollecito, pronto, assiduo;* Fr. *empressé, soigneux, diligent;* Hisp. *apresurado, activo, diligente;* Germ. *emsig, geschäftig, betriebsam, eifrig, sorgfältig;* Angl. *careful, attentive, diligent, assiduous*). ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem, sive de personis sive de rebus. *Phædr.* 4. 4. Mater sedula jurisperitos consulit. *Horat. Art. P.* 116. et *Ovid. Heroid.* 21. 95. sedula nutrix. *Id.* 1. *Art. am.* 377. hæc fit sedula, tardior illa. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 178. Exanimat lentus spectator, sedulus inflat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (102). Sedulus agricola. *Ovid.* 13. *Met.* 928. apis. *Id.* 4. *Fast.* 297. Sedula fune viri contento brachia lassant: Vix subit adversas hospita navis aquas. *Seneca Hippol.* 1109. Sedulus labor. *Apul.* 2. *Met.* industria. *et* 9. *ibid.* operam dare. *et* 11. *ibid.* ministerium. *Colum.* 8. *R. R.* 1. cura. *Horat.* 1. *Od.* 38. 6. puer. *Tibull.* 1. 3. 84. anus. *Id.* 1. 5. 33. hunc sedula curet. — *b*) In malam partem de eo, qui diligentia nocet. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 4. Ne studio nostri pecces, odiumque libellis Sedulus importes. *Ovid.* 3. *Art. am.* 699. Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures Auditos memori detulit ore sonos. Adde *Propert.* 1. 3. 32. et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 71. *Tibull.* 2. 4. 42. Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 438. ¶ 2. Speciatim dicitur de his, qui in eloquentia aliquam operam posuerunt. *Cic. Brut.* 47. *extr.* Eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere. ¶ 3. Item simplex, sincerus, sine dolo. *Ambros. loc. cit.* Sedulus corde. — Hinc

Sedulum, neutr., absolute, adverbiorum more, pro sedulo occurrit et est sine dolo malo, bona fide. *Vet. Plebisc.* apud *Fest. p.* 246. 3. *Müll.* Publica pondera ad legitimam normam exactam fuisse ex ea causa Junius – colligit, quod duo Silii P. et M. Trib. pleb. rogarint his verbis: Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus utier solet, uti coæquetur sedulum, uti quadrantal vini octoginta pondo siet etc. *Scalig.* corr. *se dolo m.* h. e. *se,* vel sine, *dolo malo.* At *Boeckh.* omnino ita legendum censet, ut *sedulum* sit sine fraude indiligentiæve culpa. Cf. *Charis.* 2. *p.* 194. *Putsch.*

Sedulo absolute, adverbiorum more, *V.* supra.

SEDUM olim pro *sed.* V. SED init.

SĒDUM, i, n. 2. duo diversa significat.

A) *Sedum* est genus herbæ, al. sempervivum, et digitellum, *sempreviva,* ἀΐζωον. « *L'aizoum,* inquit cl. *Fée op. cit.,* est une plante crasse, que Pline dit excitante, mais mal-à-propos. On peut établir la suivante synonymie des deux aizoum I. Majus *Dioscor.* — buphthalmon, zoophthalmon, stergethron, hypogeson, sedum magnum, ambrosia, aut oculus, aut digitellus *Plin.:* Sempervivum tectorum *Linn.* II. Minusculum *Dioscor.* — Sempervivum minus, erithales, chrysothales, aizoum *Plin.:* Sedum ochroleucum *Sibth.*» Cetera de *sedo* V. ibid. Itali ex foliis, quæ vermiculorum similitudinem habent, *vermicolaria* nominant. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (159). Democritus suco herbæ, quæ appellatur aizoon, in tegulis nascens tabulisve, Latine vero sedum, aut digitellum, medicata seri jubet omnia semina. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *circa med.* Sucus herbæ, quam rustici sedum appellant. *Id.* 10. *ibid.* 355. Profuit et plantis latices infundere amaros Marrubii, multoque sedi contingere suco. *V.* SESUNIUM. — De hujus herbæ virtute V. *Æmil. Macr. p.* 232. *retro.*

B) *Sedum,* a *sedeo,* est idem ac sedile apud *Varron.* 5. *L. L.* 28.; ubi tamen *Müllerus* rectius leg. *solium.*

SĔGĀLĬCĬUS, a, um, adject. e segali vel secali confectus, et ideo secundarius, ut Segalicius panis apud *Venant. Vit. S. Radeg.* 21.

SĔGES, gĕtis, f. 3. Ratione habita etymi, hanc vocem conjungunt alii cum *sero,* semino: sic *Fest. p.* 340. 31. *Müll.* Seges dicitur ac pars agri, quæ arata et consita est: a serendo videlicet. Sic a *satu* vel *semine* ducunt *Varro* 5. *L. L.* 37. *Müll.* et *Isid.* 17. *Orig.* 2. 7. Alii vero derivant a τίκτω, gigno, produco, quod est a th. τεκ. — Seges sunt fruges nondum demessæ, vel antequam in area terantur, præsertim ex quibus panis conficitur (It. *biada;* Fr. *moisson à couper, blé;* Hisp. *mies, trigo;* Germ. *d. Erzeugte, d. junge Anwuchs;* Angl. *standing corn, growing corn, a crop*).

I.) Proprie. ¶ 1. De frugibus præsertim, ex quibus panis conficitur. — *a*) In sing. num. *Varro* 1. *R. R.* 52. 1. Seges grandissima atque optima. *Id. Sat. Menipp. p.* 146. *Oehl.* bona et mala. *Cæs.* 3. *B. C.* 81. prope jam matura. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 9. Uligo segetem enecat. *Id.* 2. *ibid.* 12. 9. Antequam seges in articulum eat. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (160). Si in articulum seges ire cœperit, runcare, ne herbæ vincant. *Virg.* 1. *G.* 112. Luxuriem segetum tenera depascit in herba, Quum primum sulcos æquant sata? *Ovid.* 10. *Met.* 655. Et segetis canæ stantes percurrere aristas. *Id.* 3. *Art. am.* 102. culto stat seges alta solo. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 6. Producit fruges et segetem imbecillem. *Id. Œdip.* 50. Seges flava. *Id.* 6. *Benef.* 4. Segetem ejus proculcavit. — Cum Genetivo. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *a med.* Seges hordei. *Varro* 1. *R. R.* 45. fabæ. *Virg.* 1. *G.* 77. lini et avenæ. — *b*) In plur. num. *Lucret.* 5. 1372. segetes vinetaque læta. *Colum.* 2. *R. R.* 17. 8., *Cic.* 3. *Orat.* 38. 154. et *Orat.* 24. 81. Segetes lætæ. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 10. adultæ. *Id. ibid.* 9. *circa med.* Demessis segetibus, jam in area futuro semini consulamus. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. Segetum sine fruge surgentium marcor. *Id.* 4. *ibid.* 7. Quod negligentia eorum se-

getes procidissent. — Cum Genetivo. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 3. Segetes leguminum. — *In segetem spicas ferre*, proverb. ejusdem sententiæ ac *noctuas Athenas*. V. NOCTUA. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 43. in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundit aquas. ¶ 2. De aliis. *Herc. Fur.* 909. Indorum seges. *h. e.* aromata. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 94. casiæ et amomi. ¶ 3. In illo *Virg.* 1. *G.* 212. et lini segetem et cereale papaver Tempus humo tegere. *seges* videtur accipiendum pro semente. Cf. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 2. et *Varron.* 1. *R. R.* 45. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Universim ac sæpe dicitur de copia et densa multitudine cujusque rei: etiam in malam partem. *Virg.* 3. *Æn.* 45. hic confixum ferrea texit Telorum seges. Sic *seges armata*, h. e. armatorum, apud *Enn. reliq.* p. 131. ed. *Vahl.* et *Ovid.* 3. *Met.* 110. seges clipeata virorum. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 391. seges undique ferri Circumfusa micat. *mille spade.* Eadem ratione *segetem* dicit densos aculeos in corpore hystricis, *id. de Hystric.* 12. Sic *segetem ahenam* vocat *id. Cons. Mall. Theod.* 317. multitudinem tubulorum æreorum in machina hydraulica, ad exprimendos varios sonos et concentum musicum efficiendum. Verba *Claudiani* sunt: Et qui magna levi detrudens murmura tactu, Innumeras voces segetis moderatus ahenæ Intonet erranti digito, penitusque (*al.* pedibusque) trabali Vecte laborantes in carmina concitet unda. *Auct. Symp. œnigm.* 29. *de ericio.* Sustinet armatas segetes habitator inermis. *h. e.* densam spinarum multitudinem. *Catull.* 48. 5. Non si densior aridis aristis Sit nostræ seges osculationis. — Sic *segetem* vocant poetæ multitudinem hominum, instar segetis ortam ex satis dentibus serpentis. *Ovid.* 3. *Met.* 110. et 7. *ibid.* 30. et *Heroid.* 12. 59., *Val. Flacc.* 7. 96. et 282. et *Claudian. B. Get.* 26. ¶ 2. Metonymice est ager, terra destinata accipiendis seminibus, necdum sata, sive arata est, sive non, *terra, campo da seminare.* — *a*) De terra necdum sata, sive est arata, sive non. *Varro* 1. *R. R.* 69. Far ad sationem tum promendum, quum segetes maturæ sunt ad accipiendum. *Id. Sat. Menipp.* p. 233. *Oehl.* Segetes sarrire. *Cato R. R.* 36. Stercus columbinum spargere oportet in pratum, vel in hortum, vel in segetem. *et ibid.* 37. Nucleos in segetem ne indideris. *et* 38. *extr.* Virgas et sarmenta, quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito. ubi eas combusseris, ibi papaver serito. *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 395. 15. *Merc.* Segetes agricolæ subigunt aratris multo ante, quam serant. *Vet. Poeta* apud *eumd.* 2. *Tusc.* 5. 13. Etsi in segetem sunt deteriorem datæ Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent. *Varro* 1. *R. R.* 6. *a med.* Segetes meliores existimantur esse campestres, vineæ collinæ, silvæ montanæ. *Id.* 2. *ibid.* 7. *a med.* Ut restibiles segetes essent exsuctiores. *Virg.* 1. *G.* 47. Illa seges demum votis respondent avari Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit. *Colum.* 1. *R. R. præf. a med.* Segetum et arationum usum percipere. *Tibull.* 1. 3. 61. Fert casiam non culta seges. *Virg. Mor.* 122. Sub juga parentes cogit lorata juvencos, Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (111). Segetes, quæ interquievere. Adde *Caton. R. R.* 29. *et* 155., *Cic. Senect.* 15, *sub fin.*, *Varron.* 1. *R. R.* 23. et 37. *a med.* et 50. et 2. *præf.*; item *Virg.* 2. *G.* 267. et 4 *ibid.* 129. et alios, quos docte congessit *Jul. Pontedera* tum ad *Varron.* 1. *R. R.* 29., ubi traditam ab eo definitionem segetis et arvi examinat: tum in *Antiquitatib. Lat. et Græc. epist.* 10. — *b*) Item terra arata et sata, *campo seminato. Festus loc. init. cit.* Seges dicitur ea pars agri, quæ arata, et consita est. *Cic. Orat.* 15. 48. Segetes fecundæ et uberes non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus. *Enn. reliq.* p. 113. *Vahl.* Segetes largiri fruges. *Virg.* 9. *Ecl.* 48. Astrum, quo segetes gauderent frugibus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 161. Quum segetes occat tibi mox frumenta daturas. *Tibull.* 2. 1. 19. Neu seges eludat messem fallacibus herbis. et 4. 1. 172. Tondeturque seges maturos annua partus. *Martial.* 5. 42. Non reddet sterilis semina jacta seges. — *Stimulorum seges* apud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 6. convicium est in malum servum: cujus in corpore tamquam in arvo, stimulos seri et defigi justum est. ¶ 3. Hinc metaphorice. *Accius* apud *Non.* p. 395. 27. *Merc.* Quod beneficium haud sterili in segete, rex, te obsesse intelleges. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 11. Fertile pectus habes: interque Helicona colentes Uberius nulli provenit ista seges. *Juvenal.* 7. 103. Quæ tamen inde seges? *h. e.* quis fructus? *Arnob.* 5. p. 172. Videtur Juppiter non esse causam ob aliam natus, nisi ut esset criminum seges, maledictorum materia. *h. e.* ex quo tamquam ex arvo culto et sato crimina affatim orirentur. *Prudent. Hamartig.* 258. Auri namque fames parto fit major ab auro. Inde seges scelerum. *Cic. Mil.* 13. *ad fin.* Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ? *h. e.* ex quo, tamquam ex arvo, gloriæ fructum percipiebat. *Sil. It.* 16. 615. stimuli si laudis agunt nos, Hanc segetem mete. *h. e.* Hannibalem pelle ex Italia, quæ larga gloriæ materia est.

SEGESTELLUM. i. n. 2. *deminut. a* segestre. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 160. Segestre, segestellum.

SĔGESTRA *vel* segestria, æ, f. 1, *et* Segestrum, i, n. 2. *vel* Segestre, is, 3. Forma *segestria* est apud *Varron.*, qui vocem ita sequitur 5. *L. L.* 166. *Müll.* Qui lecticam involvebant, quod fere stramenta erant e segete, s e g e s t r i a m appellarunt, ut etiam nunc in castris, nisi si a Græcis. nam στεγαστρος, ubi lectus mortui fertur, dicebant feretrum nostri, Græci φέρετρον. (Sic et *Gloss. Labb.*) Porro στέγαστρον, a στέγω, tego, monet *segestra* a Græco par metathesin factum. — Segestra est teges, quo lecticæ sternebantur et involvebantur. ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) Generatim. — *a*) Est teges e paleis et stramentis segetum confectus. *Varro loc. cit. Id.* apud *Non.* p. 11. 16. *Merc.* Lecticam queis involvebant, segestria appellabant. *Lucil.* apud *eumd.* p. 537. 10. Pænula, si quæris canterius', servu', segestre Utilior mihi, quam sapiens. — *b*) Etiam e pellibus segestria facta sunt. *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 70. 7. *Müll.* Δέρεις Græci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria. *Edict. Dioclet.* p. 23. de segestribus. Segestræ de caprinis pellibus N. octo ✕ sexcentis. Pulvinare tenerrimum et maximum ✕ sexcentis. — Hinc patet, segestra fuisse idem ac stragulum pelliceum, quod memorat *Paul. Dig.* 34. 2 24., et apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (226) Stragula cubicularia e pellibus talpæ. Attamen notandum est, in *Edict Dioclet.* scriptum fuisse *tegestribus* et *tegestræ*. *Gloss. Lat. Gr.* p. 248. *Vulc.* Segestrum, διφθέρα. *et* p. 272. Segestrum, στέγαστρον. — 2.°) Speciatim est genus straguli, quod corpori injiciebatur in exercendo. *Sueton. Aug.* 83. Vectabatur et deambulabat ita, ut in extremis spatiis subsultim decurreret, segestri vel lodicula indutus. Ita cum *Cujac. l.* 3. *Observ. c.* 13. plerique legunt: *sestertio* minus recte alii. ¶ 2. Latiore sensu ponitur et pro quovis involucro, *involto*. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (76). Charta emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbet; ideo a mercatoribus cognominata.

SĔGESTRĀTUS, a, um, adject. vel part. ab inus. *segestro*, segestra opertus. *Veget.* 2. *Veterin.* 1. 5. Oportebit quiescere et omnibus rebus et etiam segestratum temperato tempore inambulationibus lenibus animal commoveri. Ita recte *Schneiderus* pro vulgato *sequestratum* ex comparatione loci similis in *Hippiatr.*, ubi ἐσκεπασμένος legitur.

SĔGESTRE, is, n. 3. et

SĔGESTRUM, i, n. 2. *V.* SEGESTRA.

SĔGĔTĀLIS, e, adject. (seges) Gladiolus segetalis, herba est folia habens gladio similia, caulem cubitalem, flores purpureos, radices duas parvulas et rotundas, nascens juxta segetes. *Apul. Herb.* 78., ubi tamen alii leg. *genitalis*.

SĔGĔTO, as, are, n. 1. (seges) apud *Auct. comment.* in *Donat. art.* p. CXVI. *Hag.* Alias unius partis non reciprocantur, ut est fluctuare segetes et gemmare vites. nam non possumus eas ita convertere, ut dicamus segetare fluctus et vitescere gemmas.

SEGMEN, minis, n. 3. (seco) segmentum, resegmen, *ritaglio*, κόμμα. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Unguium Dialis, et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Longitudine papyri, quæ potuit esse, segminibus utrinque amputatis. *i bricioli.* Ita edition. vet. 1470. *et* 1472., quibus addi potest et antiquior 1469., ubi aperto errore est *graminibus*. At *Sillig.* leg. *resegminibus*. *Auson. Ecl.* 1. 7. Sed solidum in parvis nullique secabile segmen. *h. e.* atomus. *Vitruv.* 7. 3. *in fin.* Ita cannarum duplex in parietibus, ordinibus transversis, fixa perpetuitas, nec segmina, nec rimam ullam fieri patietur. *scorzature* nostrates vulgo vocant.

SEGMENTARIUS, ii, m. 2. qui segmenta in vestium usum conficit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 160. Segmentum, segmentarius.

SEGMENTĀTUS, a, um, particip. *ab inusit.* segmento, as: *intarsiato*, segmentis variegatus, tessellatus, emblematis distinctus.

I.) Proprie. *Juvenal.* 6. 88. in magnis opibus, plumaque paterna, Et segmentatis dormisset parvula cunis. *Martial.* 6. 74. Calvam trifilem segmentatus unguento. *h. e.* unguenti quasi segmentis imbutus. Alii leg. *semitatus*, h. e. unguenti quasi sulcis, aut semitis distinctus. Alii rectius *semitactus*. et *Isid.* 19. *Orig.* 22. 18. Segmentata (*vestis est*) zonis quibusdam, et quasi præcisamentis ornata. *Symmach.* 4. *Ep.* 42. Amicitiæ cultus ingenuus est. Alba velamina, non segmentati amictus fidem vestiant. *Arat.* 2. 343. Qui (*pontifex*) segmentatus mediis altaribus adstat. *h. e.* segmentis distincta veste indutus. *con veste a varie liste e diversi colori.* et *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 32. (*Orell.* n. 2270.) DISCVMBENTES TORALIBVS SEGMENTATIS. *et* n. 41. FRATRES ARVALES SVPER TORALIBVS SEGMENTATIS DISCVBVERVNT.

II). Translate. *Symmach.* 3. *Ep.* 12. Paginæ Tulliano segmentatæ auro.

SEGMENTUM, i, n. 2. (seco) sectio, incisio, sectura, *tagliatura, tagliamento, taglio*, κοπή, κόμμα.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.*, ubi agit de secandis marmoribus, 36. *Hist. nat.* 6. 9. (53). Crassior arena laxioribus segmentis terit, et plus erodit marmoris. ¶ 2. Speciatim est particula secta ex serico, auro, purpura et hujusmodi, quæ assuitur vel prætexitur vestibus ornatus gratia, *striscia, nastro, fettuccia, frangia, cerro, guarnizione*: et per synecdochen ipsa vestis. Usurpatur in plur. num. *Val. Max.* 5. 2. n. 1. Senatus permisit feminis purpurea veste et aureis uti segmentis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 169. Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro, Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes. *Juvenal.* 2. 124. Segmenta et longos habitus et flamea sumit, Arcano qui sacra ferens nutantia loro Sudavit clipeis ancilibus. *h. e.* qui fuit sacerdos Martis et Salius, muliebres et pretiosas vestes induit. *lunghe vesti orlate.* et *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *ante med.* Et illa Sarranis ebriam sucis inter crepitantia segmenta plus picta oratione convenustavit.

II.) Translate ¶ 1. Est sectio, divisio, *divisione, sezione*: itemque ipsa pars cujuslibet rei, quæ illa sectione continetur. *Plin.* 6. *ibid.* 33. 39. (211). Plura sunt hæc segmenta mundi, quæ nostri circulos appellavere, Græci parallelos. *climi.* et *ibid.* 34. 39. (216). Quinto continentur segmento Bactra, Iberia, Armenia etc. *Auson. Edyll.* 10. 118. *de perca pisce.* solidoque in corpore partes Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis. *h. e.* incisuris. ¶ 2. Metaphorice. *Ennod. Paneg. Theod.* 4. Quo (*consule*) in segmentis posito. quæ ab hostibus sumpta fuerunt arma, tremuerun.

SEGNE *V.* SEGNIS in fin.

SEGNESCENS, entis. *V.* in voc. seq.

SEGNESCO, is, ere, n. 3. (segnis) segnis fio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. *a med.* Mitescentibus et segnescentibus sputis.

SEGNĬPES, pĕdis, adject. (*segnis et pes*) qui tarde incedit, *pigro, tardo, βραδύπους. Juvenal.* 8. 67. tritoque trahunt epirhedia collo Segnipedes. *h. e.* equi pigriores, caballi.

SEGNIS, e, adject. *Festus p.* 339. 34. *Müll.* In *segnitia*, esse monet a *se* pro *sine* et *nili*, ut *segnis* sit, qui non nititur ad id, quod honestum est, aut utile. Alii a *se* et *ignis*, quasi sine igne et ardore animi (Cf. *Auct. diff. verb. loc. infra cit.*); alii a Gr. ὀκνός, piger, aut a Lat. *sequor.* — Comp. *Segnior* (pro quo *Segnitior* apud *Ulp. Dig.* 47. 10. 17. *a med.*, ut quidem edidit *Torrentin.*) et Sup. *Segnissimus.* — Segnis est piger, tardus, ignavus, cui opponitur *promptus, industrius,* ὀκνός, ἀργός, νωθής (It. *pigro, tardo, poltrone, infingardo, neghittoso*; Fr. *qui se traîne à la suite de quelqu'un, lent, trainard, nonchalant, inactif, paresseux*; Hisp. *tardo, floxo, negligente, perezoso*; Germ. *lassig, träge, langsam, zögernd, säumig*; Angl. *dull, heavy, slothful, slow, lazy*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute. — *a*) De animantibus. — α) Universim. *Tac. Agric.* 21. Laudando promptos et castigando segnes. *Quintil.* 1. 3. 2. Probus ab illo segni et jacente plurimum aberit. *Tibull.* 1. 1. 58. Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer. *Sall. Jug.* 31. Bonus segnior fit, ubi negligas. *Cæs.* 1. *B. C.* 3. Segniores castigat atque incitat *Cic.* 8. *Att.* 11. Si cui adhuc videor segnior fuisse. *Justin.* 2. 4. 27. Segniores viris feminæ. *Cassiod.* 8. *Variar.* 14. *ad fin.* Segnissimi est torpere, quum se ad provectum cognoscat rerum dominos invitasse. *Virg.* 3. *G.* 75. equus aut morbo gravis, aut segnior annis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 100. Aristippus servos projicere aurum jussit, quia tardius irent, propter onus segnes. *Auct. differ. verb. p.* 281. *Hag.* Tardus est, qui trahit tempus; iners, qui sine arte nullius officii capax; piger, qui per omnia ægro similis est; segnis, remotus a calore. — β) Quum refertur ad animi naturam, tardum stupidumve significat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (275). Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat; quibus parva, mobilem. *Tac.* 12. *Ann.* 26. Segnis indoles. *Id.* 1. *Hist.* 52. *extr.* Segne ingenium. — *b*) De rebus inanimis. *Sall. fragm.* 1. *Hist.* 56. *Kritz.* Segnior neque minus gravis sed multiplex cura. *h. e.* paullo remissior, minus instans atque urgens. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 33. 23. *Merc.* In quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. *Horat.* 3. *Od.* 12. 8. neque pugno, neque segni pede victus. *Seneca Troad.* 1090. Segni gradu pergere. *Nemesian. Cyneg.* 258. Segnes aures equi. *h. e.* quæ non sunt agiles, ut *ibid.* 245. dixerat: quæ facile non arriguntur. *Val. Flacc.* 8. 99. Segnis flatus. *tardo respiro.* et *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 43. Segnia otia ducere. *Id.* 3. *Met.* 563. Jussis mora segnis abesto. et 12. *ibid.* 500. Segnia acta. *Lucan.* 9. 849. fata. *h. e.* mors tarde adveniens. *Albinov.* 1. 449. Segnes anni. *h. e.* nulla præclara re gesta, in otio peracti. Sic *Seneca Med.* 399. et *Herc. Œt.* 60. Segnis dies. *h. e.* quo nihil actum est. *Curt.* 8. 9. *ad fin.* ætas. *h. e.* senectus, quæ passim *tarda* dicitur. *Seneca Herc. Fur.* 690. Segnis sopor. *Colum. de cult. hort.* 68. Segnes somni. *Lucan.* 4. 700. metus. *Ovid. Remed. am.* 401. voluptas. *h. e.* quæ tarde et parum movet. *Seneca Troad.* 847. et *Herc. Fur.* 763. et *Curt.* 8. 9. *ante med.* Segnes aquæ. *h. e.* quæ placide et lente fluunt. Sic *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (33). Segnis Arar. *V.* ARAR in ONOM. 1., et adde *Val. Flacc.* 1. 357. Segnes radii solis, apud *Nemesian. Cyneg.* 212. sunt, quum sol est in solstitio æstivo, et tardo ascensu descensuque movetur. *Id. ibid.* 164. postquam Phœbus candentem fervidus axem Contigerit, tardasque vias Cancrique morantis Sidus init. Sic *Val. Flacc.* 1. 484, stellas segnes vocat Ursam utramque, et Booten, quæ pigra et tarda sidera a poetis dicuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 72. Segnis campus. *Id.* 10. *ibid.* 592. fuga. *Liv.* 5. 46. obsidio. *Id.* 10. 12. bellum. *Id. ibid.* 36. pugna. *Id.* 26. 21. militia. *Id.* 30. 10. navigatio. *Id.* 25. 14. imperium. *Id.* 35. 40. Duo fuerunt terrores, diutinus alter sed segnior. *Apul. Apolog. a med.* Luna segnissimi corporis excrementum. — Peculiare et elegans est illud *Lucan.* 10. 114. sectisque (*domus*) nitebat Marmoribus; stabatque sibi non segnis achates, etc. *h. e.* non otiosus et ornatus solum gratia in tenues crustas dissectus, sed solidus et integer in columnam elaboratus, ut laquearia et tectorum pondus sustineat. — 2.°) Cum Genetivo. *Tac.* 16. *Ann.* 14. Vir inquies animo, et occasionum non segnis. *h. e.* non tardus in occasionibus arripiendis, statim ac se offerunt. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 33. — 3.°) Cum Dativo *Sil. It.* 1. 614. Dexteraque a curvis capulo non segnis aratris. *h. e.* inutilis. — 4.°) Cum Accusativo et præp. *ad, in. Cic.* 1. *Fin.* 10. *a med.* Nec me segniorem ad respondendum reddidisti. *Id. Font.* 3. *sub fin.* Segniores ad imperandum. Adde *Dom.* 22. 57. Sic *Liv.* 24. 13. *extr.* Segnior ad credendum. *Id.* 44. 12. ad alia facta. *Nepos Thras.* 2. Hæc illos ad persequendum segnes fecit. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 75. nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo est. et 3. *ibid.* 4. 50. Mens ad lætitiam segnis. *Virg.* 11. *Æn.* 706. Segnes in bella. *Id.* 4. *G.* 148. Segnes in Venerem. Adde 11. *Æn.* 786. et *Maximian.* 5. *Ecl.* 50. — 5.°) Cum Ablativo et præp. *in. Sueton. Claud.* 10. Segnis in exsequendis conatibus. — 6.°) Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 21. 22. Segnesque nodum solvere Gratiæ. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 19. Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro. Adde *Lucan.* 8. 206. — *Virg.* 10. *Æn.* 699. poplite Palmum Succiso volvi segnem sinit. *h. e.* vulnere tardatum, nec amplius fugiendo aptum. Dixerat enim *ibid.* 697. Palmumque fugacem. — 7.°) Sæpe præfixa negatione adhibetur: et alacritatem celeritatemque significat. *Virg.* 4. *Æn.* 149. haud illo segnior ibat Æneas. et 7. *ibid.* 383. non cursu segnior illo Per medias urbes agitur. Adde 8. *ibid.* 414., *Val. Flacc.* 5. 587. et *Lucan.* 6. 181. Sic *Val. Max.* 6. 4. *n.* 2. Nihilo segnior Scipionis in contione gravitas. ¶ 2. Speciatim ponitur et pro infructuoso, sterili, inutili. *Quintil. declam.* 3. 4. Segnem futuris novalibus eruere silvam. *Lucan.* 9. 438. Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas. *Virg.* 1. *G.* 151. segnisque horreret in arvis Carduus. et *ibid.* 72. Et segnem patiere situ durescere campum. *h. e.* cessantem a cultura et fructu. *Id.* 2. *ibid.* 275. agro in denso non segnior ubere Bacchus. — Hinc

Segne, adverbii ritu occurrit; unde Comp. *Segnius*, et Sup. *Segnissime.* — Segne est idem ac segniter. ¶ 1. Positiv. *Segne.* — *a*) Universim. *Ammian.* 21. 10. 1. Nihil deinde differendum, nec agendum segne ratus. — *b*) Cum præfixa negatione. *Liv.* 38. 22. Haud segne id ipsum tempus consumpserat. ¶ 2. Comp. *Segnius* est frequens. — *a*) Universim. *Liv.* 30. 21. Segnius homines bona, quam mala sentiunt. *Id.* 40. 27. Hostes segnius succedunsque oppugnabant. *Tac.* 3. *Hist.* 40. Segnius, quam ad bellum incedens. *Sueton. Claud.* 9. Quod statuas segnius locandas curasset. *Horat. Art. P.* 180. Segnius irritant animos demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. *h. e.* tardius et remissius. — *b*) Præcedente negatione significat eadem celeritate, alacritate, diligentia. *Sall. Jug.* 78. *extr.* Oppidani, insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare. *Nepos Datam.* 2. *extr.* Quum ab Ariobarzane desertus esset, nihilo segnius perseveravit. *Plin.* 3. *Ep.* 18. *sub fin.* Non ideo tamen segnius precor, ut etc. *Flor.* 3. 3. Nec segnius, quam minati fuerant, per Alpes ferebantur. *Lucan.* 6. 286. qui Cæsaris arma Segnius haud vidit, quam etc. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 20., *Liv.* 7. 18. *sub fin.*, *Sueton. Ner.* 20. *ad fin.*, *Plin. Paneg.* 69., *Tac.* 3. *Hist.* 25. *in fin.*, item *Ovid.* 7. *Met.* 770. et 10. *ibid.* 588., quibus loc. alii reponunt *secius*, aut *sequius*, levi aut nulla mutatione sententiæ. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (77). Si in defectu Lunæ congruat vis illa, irremediabilem fieri: non segnius et in silente. *similmente, non altrimente.* ¶ 3. Sup. *Segnissime* habet *Cassiod.* 1. *Variar.* 35. Nautæ torpedinis tactu segnissime torpuerunt.

Homonym. Differunt *segnis, iners, piger, tardus, socors, deses* et *ignavus.* Nam *piger* est similis ægro, in agendo lentus: *segnis, socors* et *deses* sine fervore; *tardus* terit vel trahit tempus; *iners* sine arte, imperitus, nullius officii capax, ad nihil idoneus, quia *ignavus*, h. e. quia nihil vult efficere. *Piger* et *socors* naturâ, *segnis* vero, *deses, tardus, iners* voluntate sunt; quamquam hoc perpetuum non est. Cf. *Auct. differ. verb.* supra *cit.*, *Palæm. p.* 995. et *Popm. op. cit. Tac. Germ.* 14. Pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare. *Seneca* 3. *Ira* 3. Ira erepta inermem animum et ad conatus magnos pigrum inertemque fieri. Cf. *Colum.* 7. *R. R.* 5. Pigre et segniter agere. *V.* SEGNITIA in fin.

SEGNĬTAS, ātis, f. 3. (segnis) idem ac segnitia, sed rarioris usus. *Accius* apud *Non. p.* 174. 23. *Merc.* Eo nunc quod eorum segnitate ardet focus. *Id. ibid.* Ut dicam, te metu aut segnitate addubitare. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 185. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitatem hominum atque inertiam. Ita leg. *Non.*, sed in libris editis passim habetur *segnitiem.*

SEGNĬTER, adverb. (segnis) tarde, pigre, ignave, per inertiam, *tardamente, pigramente, neghittosamente,* ὀκνηρῶς, ἀργῶς. *Liv.* 2. 58. *a med.* Segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agere. *Sueton. Cal.* 43. Adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur. *Vellej.* 2. 69. 2. Ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem dedit. *Curt.* 4. 3. Ne segniter adsidere uni urbi videretur. *Tac.* 2. *Hist.* 97. Auxilia e Germania excivit segniter et necessitatem dissimulans. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 106. inveniunt positos jam segniter artus, Pugnantemque animam. *h. e.* membra graviter ægrotantis jacentia, penitus et lethargo oppressa, ita ut ne moveri quidem possent. *Tac.* 2. *Hist.* 71. Mitis et injuriam segniter laturus. *h. e.* tarde sensurus et æquo animo passurus.

SEGNĬTIA, æ, f. 1. et Segnities, ēi, 5. (segnis) tarditas, pigritia, inertia, negligentia, ὄκνος, ἀργία (It. *tardità, pigrizia, infingardaggine, poltroneria, negligenza*; Fr. *lenteur, nonchalance, paresse*; Hisp. *lentitud, pereza, desaseo, negligencia*; Germ. *d. Langsamkeit, Lässigkeit, Säumigkheit*; Angl. *slowness, sloth, laziness, inactivity, negligence*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Andr.* 1. 3. 1. Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ. *Plaut. Asin.* 2. 1. 6. tu abs te socordiam omnem rejice, et segnitiem amove. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 5. Rudem esse in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. *Id. Brut.* 81. *ad fin.* Sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. *Id.* 1. *Orat.* 41. 185. Castigemus segnitiem hominum atque inertiam. *Liv.* 36. 15. Ne temere cœpta segnitia insuper everteret. *Quintil.* 1. 12. 16. Difficultatis patrocinia prætexímus segnitiæ. *Id.* 6. 5. 8. Segnitia populi in asserenda libertate. *Id.* 11. 3. 52. Segnitia solvit animos. *Tac.* 1. *Hist.* 33. Cunctatione et segnitia tempus terere. *Virg.* 2. *Æn.* 373. Festinate viri, nam quæ tam sera moratur Segnities? ¶ 2. Speciatim aliquando est socordia, stultitia, stupiditas. *Sueton. Claud.* 5. Super veterem segnitiæ notam ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit. *Tac.* 4. *Ann.* 59. *extr.* Qui nunc patientiam senis et segnitiam juvenis juxta insultet. Huc trahi etiam potest illud *Plaut. Trin.* 3. 3. 66. in ejusmodi negotio Diem sermone terere, segnities mera est. *è una mera pazzia.* Potest etiam verti *trascuraggine*, negligentia. segnis enim et piger negligens est. Quo sensu *Colum.* 9. *R. R.* 5. *de apib.* Neque ea res curatorem fraudulentum tantum, sed etiam immundæ segnitiæ perosa est. æque enim dedignatur, si minus pure habita est, ac si tractetur fraudulenter. *h. e.* quum apes negligentia curatoris immunditiis infestantur.

II.) Translate. *Tac.* 3. *Hist.* 42. Valens e sinu Pisano segnitia maris, aut adversante vento, portum Herculis Monœci depellitur. *calma, bonaccia.* Sic *segnities ventorum* apud *Colum.* 2. *R. R.* 21. *ad fin.* silentium, quies, quum venti nequicquam exspectantur ad ventilanda frumenta in area. Alii tamen in *Tac.* leg. *sævitia. Quintil. declam.* 12. 11. Segnities verbi. *h. e.* tarditas, parcitas, verbum minus exprimens rei atrocitatem. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 6. 76. Segnities morborum. ἀτονία.

Homonym. Hoc *segnitia* differt a *socordia*, quod illa est tarditas, hæc stupor et remissio: illa corporis, hæc animi: illa in agendis iis, quæ provisa consultaque sunt, remissior est; hæc nihil excogitare et invenire potest, quod ad rem sit. Ita *Popma.* Sic *Plaut. Asin. loc. cit.* Tu abs te socordiam omnem rejice, et segnitiem amove. et *Ter. Andr. loc. cit.* Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ atque socordiæ. Ubi *Donatus:* Segnitiæ ad agendum, socordiæ ad considerandum. Cf. *Liv.* 40. 27. Hostes segnius socordiusque oppugnabant. et *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 4. Ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. *V.* SEGNIS.

SEGNĬTĬES, ei, f. 5. *V.* voc. præced.

SEGNĬTĬOR. *V.* SEGNIS init.

SĒGRĔDĬOR, grĕdĕris, grĕdi, dep. 3. (se *et* gradior) secedo, abeo. *Tertull. Anim.* 18. Segredi ab oculis et auribus.

SĒGRĔGĀTIM, adverb. (segrego) *separatamente*, separatim. *Prudent. præf. Hamartig.* 39. Et segregatim numen æternum colens. Adde *Serg. expl. in Donat. p.* 560. 10. *Keil.* et *Gloss. Gr. Lat.*

SĒGRĔGĀTĬO, ōnis, f. 3. (segrego) *separazione*, separatio. *Tertull. Anim.* 43. Somnus est segregatio spiritus. *Gromat. vet. p.* 408. 16. *Rud.* Segregatio locorum. Adde *Chalcid. Tim.* 279.

SĒGRĔGĀTĪVUS, a, um, adject. (segrego) qui segregat, separativus, ut Segregativa pronomina apud *Asper. p.* 550. 36. *Keil.*

SĒGRĔGĀTUS, a, um, particip. *V.* SEGREGO.

SĒGRĔGIS. *V.* SEGREX.

SĒGRĔGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (se *et* grego *inus.*, *a* grex) Per tmesin *Lucret.* 1. 452. Conjunctum est id, quod numquam sine perniciali Discidio potis est sejungi seque gregari. — Part. *Segregatus* fere in omn. paragr.; *Segregaturus* II. 1. *b.* et 4.; *Segregandus* II. 1. *a.* et 4. — Segrego est a grege separo, vel, ut ait *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 23. 7. *Müll.*, ex pluribus gregibus partes seduco, ἀποβουκολέω (It. *disunire, separare dal gregge;* Fr. *séparer du troupeau;* Hisp. *separar de manada, segregar;* Germ. *von d. Heerde absondern od. trennen;* Angl. *separate from the flock, segregate*).

I.) Proprie. *Nemesian. Cyneg.* 156. de canib. sic conscia mater Segregat egregiam sobolem virtutis amore. *V.* ABGREGARE. *Phædr.* 3. 15. Ovesque segregatas ostendit procul. *h. e.* separatas a grege capellarum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est separo, sejungo, removeo, *separare, allontanare,* ἀφορίζω. — *a*) Cum Accus., cui additur Ablat. et præp. *ab. Plaut. Capt.* 3. 1. 10. Juventus jam ridiculos inopesque ab se segregat. *Id. Most.* 5. 1. 9. illi me a senatu segregant. *Forcellinus* e senatu. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 17. Ille illas spernit, segregatque ab se omnes. *Ter. Andr.* 1. 5. 56. ne abs te banc segreges neu deseras. *Id. Heaut.* 2. 4. 6. Meretrices, quæ vulgus abs se segregant. *h. e.* non omnes promiscue admittunt, sed uni se dant. *Id. Hecyr.* 3. 5. 30. Segreganda mater a me est. *Id. ibid.* 5. 1. 25. pollicerer tibi, Laches, me Segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum. *h. e.* segregasse a me Pamphilum. *di avere allontanato, licenziato da me Panfilo.* et *Cic.* 5. *Phil.* 11. 29. Exclusit illum a republ., distraxit, segregavit scelus ipsius. *Id. Harusp. resp.* 12. *extr.* Qui antea voce præconis a liberis semovebantur, tuis ludis, non voce, sed manu liberos a se segregabant. *Id. Arch.* 2. *extr.* Segregare aliquem a numero civium. *Stat.* 1. *Theb.* 183. Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido Segreget. — *b*) Sine additis. *Liv.* 22. 58. Captivis productis et segregatis. *Augustin. de fid. et oper.* 15. Omnes gentes segregaturum se dixit. Adde *Lucret. loc. cit. init.* ¶ 2. Speciatim secerno. *Petron. Sat.* 133. Grana sordidissimis putaminibus vestita curiosa manu segrego. ¶ 3. Seorsum eligo ad aliquid. *Vulgat. interpr. Act.* 12. 2. et *Gal.* 1. 15. ¶ 4. Metaphorice. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (17). Segregare se a ceteris. *distinguersi.* et *Plaut. Capt.* 3. 3. 2. Spes, opes auxiliaque a me segregant, spernuntque se. *Id. Trin.* 1. 2. 41. et *Asin.* 4. 1. 29. Omnes bonos curare addecet, suspicionem et culpam ut ab se segregent. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Iambum et trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles. *Id.* 3. *Fin.* 9. 30. Segregare virtutem a summo bono. *Id.* 3. *Off.* 6. 32. Ista feritas a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est. *Id.* 5. *Tusc.* 28. 80. Quid ea vita fœdius? quid deformius sola relicta, comitatu pulcherrimo segregata? *Nepos Hannib.* 2. Segregari a consiliis. *h. e.* non adhiberi. *Liv.* 45. 23. *ante med.* Publicam causam a privatorum culpa segregaturos. *Id.* 1. 25. Ut segregaret pugnam, capessit fugam. *h. e.* ut hostes disjungeret, quum unus contra tres pugnaret. ¶ 5. Segregare sermonem apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 60. et *Pœn.* 1. 2. 136. est abrumpere, et tacere. *troncar le chiacchiere, ammutolire.* Cf. *Acc.* apud *Non. p.* 357. 16. et *p.* 206. 2. *Merc.* Ut omnes adhibeant faventiam, ore obscena dicta segregent.

SĒGRĔGUS. *V.* voc. seq.

SĒGRĔX, grĕgis *et* Segregis, e, *et etiam* Segregus, a, um, adject. (se *et* grex) *Segrex* tribuitur *Plaut. Most.* 2. 2. 85. Quæso, quid segrex es? *h. e.* quid externatus es? *Alii tamen leg.* quid ægre est? Adde *Senec. loc. cit.* — *Segregus* tribuitur *Auson. Parental.* 8. 10. Ipse tuo vivens segregus arbitrio. *Grævius* mallet *segregis.* — Segrex ¶ 1. Est segregatus, sejunctus, separatus: quasi a grege remotus, *separato,* ἀποδιορισθείς, νοσφισθείς. *Seneca* 4. *Benef.* 18. Quæcumque animalia vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt. *solitaria.* Alter *Seneca Hippol.* 1208. Qui nova natum nece Segregem sparsi per agros. *h. e.* discerptum, dilaniatum, in frusta concisum. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 28. Fragore ab omni quem remotum et segregem Sprevisse tradunt criminum frequentiam. — Cum Genetivo. *Seneca* 7. *Controv.* 6. Quasi publici mali segrex. ¶ 2. Dissimilis, diversus, varius. *Id. Hamartig.* 804. Omnibus una subest natura, sed exitus omnes Non unus peragit, placitorum segrege forma. Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 3.

SEGULLUM. *V.* voc. seq.

SEGUTILUM, i, n. 2. terræ genus in summo solo, ex qua metallarii cognoscunt subesse venam auri. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (67). Aurum qui quærunt, ante omnia segutilum tollunt: ita vocatur indicium. *Forcellinus* leg. *segullum.*

SEI. *V.* SI.

SEIBI pro *sibi.* V. SUI.

SEIC et SEICE. *V.* SIC.

SEIVE. *V.* SIVE.

SEJŪGÆ, ārum, f. plur. 1. *V.* SEJUGIS.

SEJUGALIS, e, adject. ad sejuges pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 181. Sejuges, sejugales.

SEJŪGĀTUS, a, um, particip. *V.* SEJUGO.

SEJŪGIS, e, adject. duo diversa significat.

A) *Sejugis* (sex *et* jugum *vel* jungo) est qui sex equos jugo junctos habet: *currus* fere subauditur. *Paul. Diac. p.* 104. 8. *Müll.* Juges ejusdem jugi pares. unde et conjuges et sejuges. V. *Inscript.* in DECEMJUGIS et alias apud *Fabrett. p.* 276. *n.* 165. et *Gruter.* 337. Adde *Apul. Florid.* 16. et *Aurel. Vict. vir. ill.* 76. — Hinc *Sejuges,* ium, m. plur. 3. et etiam *Sejugæ,* ārum, f. plur. 1. absolute, sunt ipsi equi seni ad unum currum adhibiti: vel currus, qui a sex equis trahuntur. *Isid.* 18. *Orig.* 36. 1. Quadrigæ, et bigæ, trigæ, et sejugæ ab equorum numero et jugo dictæ: ex quibus quadrigas Soli, bigas Lunæ et trigas Inferis, sejugas Jovi sacraverunt. *et mox.* Sejugarum maximus currus currit Jovi, propter quod maximum deorum suorum eum esse credunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 10. (19). Serum hoc et in his non nisi a divo Augusto sejuges, sicut et elephanti. *Liv.* 38. 35. Sejuges in Capitolio aurati a P. Cornelio positi.

B) *Sejugis* (se *et* jugum *vel* jungo) dicitur separatus, sejunctus, vel qui sine jugo et legibus est. *Solin.* 4. *de Sardinia.* Sejuges gentes ad unum morem conjugare.

SEJUNCTIM, adverb. (sejunctus) *separatamente,* disjuncte, separatim. *Tibull.* 4. 1. 103. Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte, Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister Miles, sitque duplex geminis victoria castris. Ita legend. probat *Heynius,* alii aliter leg.

SEJUNCTĬO, ōnis, f. 3. (sejungo).

I.) Proprie est actus sejungendi, separatio, divisio, διάζευσις. Habet locum inter figuras sententiarum. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. Propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio, et reditus ad propositum etc.

II.) Translate est discordia, dissidium. *Flor.* 1. 23. Deinde moribundos a sejunctione redisse in gratiam.

SEJUNCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SEJUNGO, jungis, junxi, junctum, jungere, a. 3. (se *et* jungo). Part. *Sejunctus* I. *b.* et II. *a.* et *b.* et in fin.; *Sejungendus* II. *a.* — Sejungo est seorsum jungo, separo, semoveo, segrego, χωρίζω, ἀποζεύγνυμι (It. *separare, disgiungere;* Fr. *désunir, déjoindre, séparer;* Hisp. *desunir, apartar;* Germ. *absondern, auseinander fügen, trennen;* Angl. *to separate, disjoin*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Lucret.* 2. 728. quæ non animalia solum Corpora sejungunt. *Id.* 1. 451. Conjunctum est id, quod numquam sine perniciali Discidio potis est sejungi seque gregari. — Mediorum apud Græcos more. *Justin.* 4. 1. 18. Discedere ac sejungi promontoria, quæ ante juncta fuerant, arbitrere. — *b*) Cum Ablat. et præp. *ab. Nepos Hannib.* 2. *ad fin.* Alpes, quæ Italiam a Gallia sejungunt. *Lucret.* 1. 430. nihil est, quod possis dicere ab omni Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani. — *c*) Cum Abl. sine præpos. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 241. sejungere matrem Jam gelidis nequeo bustis. *staccare.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Ablat. et præp. *ab, ex. Lucret.* 2. 648. Semota a nostris rebus sejunctaque longe. *Cic.* 10. *Fam.* 7. Sejungo te, quæso, aliquando ab iis, cum quibus te temporum vincula conjunxerunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 24. 60. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. *Id.* 5. *Verr.* 84. 193. Defensio remota ab utilitate, sejuncta a voluntate atque sententia legis. *Nepos Pelop.* 3. Libet interponere, etsi sejunctum a re proposita est etc. *Id. Att.* 10. *extr.* Ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. *Quintil.* 8. 3. 23. Exercitatio procul a veritate sejuncta. *Id.* 2. 17. 31. rhetorice a bono viro atque ab ipsa virtute. *Cic. Latin.* 10. *extr.* Quod me ex fortissimorum civium numero sejungendum non putaris. *Apul. de Deo Socrat.* Non usque adeo sejunctos et alienatos a nobis deos prædico, ut etc. — *b*) Cum Ablat. sine præp. *Lucret.* 2. 18. Corpore sejunctus dolor absit. *Claudian. VI. cons. Honor.* 407. Laribus sejuncta potestas Exsulat. *h. e.* remota a Laribus. ¶ 2. Speciatim est distinguo, discerno, *Cic. Orat.* 2. 25. Sejungere liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione. *Id.* 4. *Tusc.* 13. 29. morbum ab ægrotatione. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Sejunctus, a, um, adjectivorum quoque more occurrit; unde Sup. *Sejunctissimus. Ennod.* 2. *Ep.* 6. Ad illud venio, in quo me sejunctissimus instruxisti.

SEJUNX vel

SEJUX Jŭgis, comm. gen. 3. (se *et* jugum *vel* jungo) semotus a jugo, aut sejunctus. *Vel. Long. p.* 77. 18. *Keil. V.* CONJUX.

SELA, indecl. ¶ 1. Est genus mensuræ, for-

tasse pro *sescla* vel *sextula*. *Gromat. vet. p.* 339. *Rudorff.* Sela sexta pars unciæ. *et mox.* Duo sela tertia pars unciæ. ¶ 2. *Sela*, vel *selah*, ab Hebr. סלה *selah*, apud Græcos διάψαλμα, est certa ratio canendi, nimirum vel pausa vel elevatio vocis aut mutatio meli, aut simile aliquid: alii tamen putant significare *amen*, *ita est*, aut *in sempiternum*. *Hieronym. Ep.* 137. et 138. *ad Marcell.* V. *Augustin. in Ps.* 4. et cf. *Calmet, dissert.* de *Sela* in *præf. ad Psalm.*

SĔLĀGO, gĭnis, f. 3. planta herbæ Sabinæ similis, contra omnem perniciem utilis habita, et fumo contra oculorum vitia. (*Lycopodium Selago* Linn.) *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 62. (103).

SĔLAS, n. *Selā* in plur. num. apud *Senec. loc. cit.* — Selas est meteori quoddam genus: a σέλας, αος, τό, fulgor. *Apul. de Mundo.* Selas Græci vocant intensi aeris lucem. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Græci sela appellant? τὰ σέλα pro σέλαα.

SĒLECTĬO, ōnis, f. 3. (seligo) actus seligendi, ἐκλογή (It. *scelta*; Fr. *choix, triage*; Hisp. *escogimento*; Germ. *d. Auswählen, Auslesen*; Angl. *a selection, choice*). *Cic.* 2. *Fin.* 13. *ad fin.* Ut eam rerum selectione exspoliarent. *Id.* 3. *ibid.* 4. 12. Nulla selectione uti. *Id. ibid.* 6. 20. Æstimabile esse dicunt (*Stoici*) id quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione. (*V. Madvig* ad h. l.) *Id.* 3. *Legg.* 10. 23. Est iniqua in omni re accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio. *Id.* 3. *Fin.* 9. *circa med.* Si selectio nulla sit ab iis rebus, quæ contra naturam sint, earum rerum, quæ sint secundum naturam. *Id. ibid.* 31. Si insipientis judicio multitudinis facta est deorum ista selectio. Adde *Augustin.* 7. *Civ. D.* 3. Selectioni contraria est rejectio. *Id.* 3. *Fin.* 6. 20. Quæ inventa selectione et item rejectione, etc. *h. e.* quæ inventa, adhibita selectione et rejectione, *etc.*

SĒLECTOR, ōris, m. 3. (seligo) qui selegit, *sceglitore*, αἱρέτης. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 3. Cujus muneris Deam (*Mentem*) selectores isti inter selecta numina minime posuerunt.

SĒLECTUS, a, um, particip. *V.* SELIGO.

SĔLĒNĬON, ĭi, n. 2. σελήνιον, herba pæonia, apud *Apul. Herb.* 64.

SĔLĒNĪTES, æ, m. 1. σεληνίτης, vel
SĔLĒNĪTIS, ĭdis, f. 3. σεληνῖτις. ¶ 1. Forma *selenites*, gen. masc., quia vox lapis subintelligitur, apud *Solin.* 37. *ad fin.* et *Augustin.* 21. *Civ. D.* 5. Adde *Isid.* 16. *Orig.* 10. 7. et *Priscian. Perieg.* 989., ubi tamen alii leg. *selenitis.* ¶ 2. Forma *selenitis*, gen. fem., quia subintelligitur vox gemma, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181). Gemma ex candido translucens melleo fulgore, imaginem lunæ continens (quam Græce σελήνη), redditque ea in dies singulos crescentis minuentisque sideris: nasci putatur in Arabia. Editores Parisienses *Plinii* ann. 1833. *T.* 20. *p.* 478. arguunt, esse nostrum *solfato di rame cristallizzato.*

SĔLĒNĪTĬUM, ĭi, n. 2. genus hederæ minore acino, racemo sparsiore. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (146)., ubi tamen alii aliter leg. *Silligius* ait etymon hujus hederæ fuisse Σειληνός, unde *Plin.* Silenicum. a Σειληνικός, scripserit.

SĔLĒNŎGŎNON, i, n. 2. σεληνόγονον, herba eadem quæ selenion. *Apul. Herb.* 64.

SĔLĒNŎMANTĪA, æ, f. 1. σεληνομαντία, genus divinationis, quæ fit per lunam: a σελήνη, luna, et μαντία, divinatio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 50. (164). *Sillig.*, ubi alii aliter leg.

SĔLĒNŪSĬUM, ĭi, n. 2. genus tritici præcipuum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (64). *Sillig.* leg. *Selinusium*, quod præstat. *h. e.* ab oppido Selinunte dictum.

SĔLEUCĬS, ĭdis, f. 3. σελευκίς, genus avis Casii montis incolis gratæ. (*Turdus Seleucis* Linn.). *Plin.* 10. *Hist. nat.* 27. 39. (75).

SELGĬCUS, a, um, adject. ad ignotam quampiam regionem pertinens. Cf. voc. seq. *Tertull. Pall.* 3. Exinde materia; nec de ovibus dico Milesiis et Selgicis et Altinis, aut queis Tarentum vel Bætica cluit, natura colorante. Pro *Selgicis* aut *Salgicis*, ut alii legunt, scribendum esse *Gallicis*, satis arguunt scriptorum loca cit. in LANA. Ita cl. *Furlanetto.*

SELGĪTĬCUS, a, um, adject. a Selga oppido Pamphyliæ, ut Selgiticum oleum, facticium, ex herbis selectis compositum nervisque admodum utile. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (31). et 23. *ibid.* 4. 49. (95). *Sillig.* utrobique leg. *Selgicum.*

SĒLĪBRA, æ, f. 1. (semis *et* libra). — Quod ad quantitatem attinet, habet apud *Martial. loc. cit.* primam syllabam brevem, quamvis longa sit in *semis*, a Gr. ἥμισυς. Longa tamen habetur apud *Priscian. de ponder.* 96. Selibramque ferunt mellis superesse bilibri. *Alii leg.* Sed libramque. At quum in *Not. Tir. p.* 164. sit *libra, silibra, sesquilibra*, dicendum fortasse, ideo primam syllabam breviari, quia vulgus Romæ pro *selibra* pronunciabat *silibra*, ut in aliis pluribus vocibus a Græca lingua derivatis, in quibus littera Græca η per *i* a vulgo Romano efferebatur. — Selibra idem est ac dimidia libra, ἡμίλιτρον: a *semilibra* per syncop. *V.* LIBRA. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (108). Malobathri selibris in musti congios duos additis. *Martial.* 4. 46. Et turis piperisque tres selibræ. *Id.* 10. 57. Argenti libram mittebas: facta selibra est. *Cato R. R.* 84. Selibra farinæ. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* Se valet dimidium, ut in selibra et semodio. *Liv.* 5. 47. *a med.* Selibras farris, et quartarios vini contulerunt.

SĒLĬGENS, entis, particip. *V.* SELIGO, ligis.
SĔLĪGO, gĭnis. *V.* SILIGO.
SĒLĬGO, ligis, lēgi, lectum, lĭgere, a. 3. (se *et* lego) Etiam *selego* in *Anecd. Helv. p.* 181. *Hag.*, ut *delego, intellego* etc. — Part. *Seligens, Selectus* et *Seligendus.* — Seligo est seorsum lego, deligo, ἀπολέγω, ἐκλέγω (It. *scegliere, fare scelta, trascegliere, eleggere*, Fr. *choisir en séparant, trier*; Hisp. *entresacar, escoger*; Germ. *absondernd auslesen, auswählen*; Angl. *to select, choose or cull out*). *Cic. Orat.* 15. 47. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet et seliget. *et ibid.* 29. *a med.* Quæ exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel posse eligere qui quærerent. *Id.* 3. *Fin.* 6. 22. Illud quasi seligendum, non expetendum. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 49. tu selige tantum, Me quoque velle velis, anne coactus amem. *Apul.* 10. *Met.* Partes optimas quasque devorabam, et rancidiora seligens, abligurriebam dulcia. *h. e.* rejiciens. — Hinc Part. præter. pass.

Selectus, a, um, adjective quoque usurpatur. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. *in fin.* Selectæ brevesque sententiæ. *Ovid.* 5. *Fast.* 71. Romulus hoc vidit, selectaque pectora Patres Dixit. ad hos Urbis summa relata novæ. *h. e.* eximia. ¶ 2. Speciatim dii selecti sunt duodecim mares, Janus, Juppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol; Orcus, Liber pater: octo feminæ, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta. Ita *Varro antiquitat. rer. divin. l.* 16., qui de diis selectis *inscribebatur*, apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 2., qui *ibid.* et c. 3 de hac appellatione multa disputat: ac demum arbitratur, non ideo dictos selectos, quod præstantiores in mundo administrationes agerent; sed quia populis magis innotescerent. Adde *ibid.* 27. *et* 33. ¶. 3. *Selecti judices* erant judices causarum publicarum, qui una cum prætoribus quæstionum perpetuarum in decurias distributi judicia de criminibus publicis et capitalibus exercebant: ita dicti, quod a prætore Urbano non sorte, sed judicio et jurejurando initio magistratus seligebantur ex ordinibus iis, apud quos judicia essent. *Cic. Cluent.* 43. 121. Deinde prætores tantum Urbani, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 4. 123. et *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 38. et 2. *Trist.* 132. ¶ 4. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 7. docet, decurias judicum pluribus nominibus discreta fuisse, tribunorum æris, selectorum, judicum et nongentorum, ubi quod selectos a judicibus distinguit, ideo facit, quia sub Augusto (qui decurias judicum recognovit et auxit, ut est apud *Sueton. Aug.* 29. *et* 31.) cœpere *selecti* esse nomen ordinis, qui antea erant sortis, *judices* vero dicti, qui alterius et inferioris ordinis erant, et fortasse hoc loco intelliguntur *ducenarii*: quæ fuit quarta decuria ab Augusto instituta, ut narrat *id. loc. cit.* 32. *ad fin.* (*V.* etiam *Inscript.* apud *Orell.* 3755.) Quod *selecti* nomen ordinis fuerit, colligi videtur ex illo *Senec.* 3. *Benef.* 7. *extr.* Ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi judex ex turba selectorum, quem census in album, et equestris hereditas misit. Sed rectius alii *Senecam* censent de iis loqui universim, qui a prætore olim seligebantur, ut dictum est. Hactenus *Forcellinus.* — Verum, quum ante Augustum tres tantum fuerint judicum decuriæ, *senatorum* scilicet, *equitum* et *tribunorum ærariorum*, quibus ipse quartam *ducenariorum*, et Caligula quintam item *ducenariorum* addidit (*V.* DECURIA); ex vetustis lapidibus satis exploratum est, hos omnes nullo discrimine fuisse appellatos modo *judices de selectis* (*Inscript.* apud *Gruter.* 436. 5.), modo *judices selectos ex decuriis trib.* (Alia apud *eumd.* 479. 6., ubi tamen perperam pro TRIB. leg. TRID.), vel *ex decuriis quatuor* (Alia apud *Murat.* 760. 1.), vel *ex decuriis quinque* (Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 365. 3.), modo *judices ex quinque decuriis inter selectos* (apud *eumd. ibid.* 371. 4.). Quandoque tamen qui ex tribus prioribus decuriis erant, *judices quadringenarii* vocati sunt, ut scilicet distinguerentur ab iis, qui ex duabus postremis *ducenarii* dicebantur. *V.* QUADRINGENARIUS. Hinc ex *Plin. loc. cit.* patet, eos, qui judicia exercebant, solitos fuisse usurpare diversa et superba nomina, licet eodem omnes pacto et *judices* et *selecti* et *ex decuriis tribus, quatuor, quinque* jure ac merito appellandi essent. Ita cl. *Furlanetto.*

SĔLĪNAS, ădis, f. 3. *V.* voc. seq.

SĔLĪNŎĪDES, σελινοειδής. Accus. sing. *selinoidĕa* apud *Plin. loc. cit.* — Selinoides est epitheton brassicæ crispæ, a similitudine apii foliorum. Σέλινον enim apium est. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (79)., ubi alii pro *selinoidea* leg. *selinade*, ut sit a *selinas, adis.*

SĔLĪNON *et* selinum, i, n. 2. σέλινον, apium (*Apium graveolens* Linn.) nostrates vulgo *séleno* vocant). *Apul. Herb.* 8. 118. *Selinon agrion* apud *eumd. ibid.* 106. est quod Latini olusatrum dicunt (*Smyrnium olysatrum* Linn.).

SĔLĪNŎPHYLLON, i, n. 2. σελινόφυλλον, herba eadem ac callitrichon, polytrichon, adianton etc. *Apul. Herb.* 47.

SĔLĪNŪSĬUS, a, um, adject. ad Selinuntem oppidum, et fluvium Siciliæ, Achaiæ et Ciliciæ pertinens. *V.* ONOM. — Hinc Selinusium triticum, *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (64). Alii leg. *Selenusium.* V. SELENUSIUM. — Hinc etiam Selinusia creta, apud *Vitruv.* 7. 14. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 27. (46).

SĔLĬQUASTRUM, i, n. 2. *Festus p.* 340. 10. *Müll.* Seliquastra, sedilia antiqui generis appellantur, D littera in L conversa, ut etiam in sellā factum est, et subsellio, et solio, quæ non minus a sedendo dicta sunt. *Varro* 5. *L. L.* 128. *Müll.* Ab sedendo appellatæ sedes, sedile, solium, seliquastrum. — Seliquastrum igitur est sedile, sella, *sedia fatta all' antica, panca*, ἕδρα. *Paul. Dig.* 33. 10. 4. Instrumenti significatione rhedæ, et seliquastra in supellectili adnumerari solent. Alii *leg.* sedularia. *h. e.* quæ in rheda sedenti subjiciuntur. (Cf. *Serg. expl.* in *Donat. p.* 559. 13. *Keil.*) *Hygin.* 2. *Astron.* 10. et 3. *ibid.* 9. Cassiopeja sedens in seliquastro collocatā est.

SELLA, æ, f. 1. (sedeo) *Sedda* apud veteres. *V. Scaur. p.* 2252. *Putsch.* — Sella est sedes, sedile, pro sedula seu sedla inus., a *sedes*, ἕδρα, θρόνος, *seggia, seggiola, sedia, scanno.* — ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 10. Scabilla, sellæ, solia. *Plaut. Curc.* 2. 3. 32. Viden ut expalluit? datin isti sellam, ubi assidat, cito? *Cic.* 1. *Divinat.* 46. *a med.* Quum virgo staret, et Cæci-

lla in sella sederet. *et mox.* Ut in ejus sella requiesceret. *Sall.* 5. *Hist. fr.* 13. *Kritz.* Sellâ adsurgere. *Curt.* 8. 4. 15. Ex sella exsilire. *Id. ibid.* 9. In sella considere. *Petron. Sat.* 136. Fracta est patris sella, quæ staturæ altitudinem adjecerat. *Cic.* 4. *Cat.* 8. 17. Nulli sunt inventi, qui non ipsum illum sellæ atque operis et quæstus quotidiani locum salvum esse velint. *h. e.* artificium, quod sedendo exercetur. unde *sellularii* et *Plaut. Pœn.* 1. 2. 56. Quæ tibi olant stabulum, statumque, sellam et sessibulum merum. *h. e.* meretrices, quæ totos dies prostant sedendo et amatores exspectando. *Seneca* 1. *Benef.* 9. Rusticus, inurbanus est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, et vulgo admissis spectatoribus vehi undique perspicuam. *h. e.* sella gestatoria (de qua mox) aperta in publicum prodeuntem, omnibus se conspiciendam dare. *Juvenal.* 3. 136. alta deducere sella. — *Duabus sellis sedere,* proverb. de iis, qui duo vel plura negotia inter se diversa eodem tempore suscipiunt: vel qui duobus certantibus, neutri favent, et utriusque amici videri volunt: *sedere sopra due scanni.* Hinc in Ciceronem, qui nec Pompejo certus amicus, nec Cæsari fuisse videbatur, sed utriusque adulator, usurpavit *Laber.* apud *Senec.* 3. *Controv.* 18. *ad fin.* Quum enim ille misisset ad Laberium in quatuordecim sedere volentem, nec locum invenientem: Recepissem te, nisi anguste sederem; Laberius ad Ciceronem remisit: Atqui soles duabus sellis sedere. Adde *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. ¶ 2. Speciatim est sedes, thronus magistratuum, θρόνος. *Cic.* 4. *Verr.* 38. 94. Palam de sella ac tribunali pronunciat. *et* 5. *ibid.* 59. 135. Satisne vobis prætori improbo circumdati cancelli videntur in sua provincia, immo vero in sella ac tribunali? *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Sedebat in Rostris collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus. *Plin.* 2. *Ep.* 11. *a med.* Qui sellis consulum adstiterant in Cornuti sententiam ire cœperunt. *Sueton. Galb.* 18. *in fin.* Neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris: et in senatu curulem perverse collocatam. ¶ 3. De regia sede vel solio. *Nepos Eumen.* 7. In principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni. ¶ 4. De *sella curuli,* *V.* in CURULIS. — Sellæ curulis locus in Circo datus est Valerio Dictatori posterisque ejus honoris causa, ut proxime sacellum Murciæ spectarent, unde aspiciebant spectacula magistratus. Ita *Fest. p.* 344. 4. *Müll.* ¶ 5. *Sella gestatoria,* quæ dicitur a *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 83. bajulatoria, *et* 1. *Tard.* 1. 15. portatoria: erat autem adaperta aut operta seu clausa prout velo tegebatur, aut minus, quæ et *sella* absolute, *sedia di mano, lettiga, seggetta, portantina,* qua ditiores humeris hominum vehuntur, φορεῖον. *V.* GESTATORIUS. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *a med.* Romæ quoque sella vehebatur. *Juvenal.* 1. 124. Ostendens clausam et vacuam pro conjuge sellam. *Sueton. Aug.* 53. In consulatu pedibus fere, extra consulatum sæpe adaperta sella per publicum incessit. *Id. Oth.* 6. *a med.* Abditus propere muliebri sella, in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, quum descendisset, etc. *Tac.* 14. *Ann.* 4. Agrippina gestamine sellæ Bajas pervecta. *et* 15. *ibid.* 57. Vinclo fasciæ in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem. *Id.* 1. *Hist.* 27. Sellæ aliquem imponere. *et ibid.* 35. Sella levari. *Martial.* 12. 17. gestari. *Id.* 2. 57. Recensque sella linteisque lorisque. ¶ 6. *Sella familiarica,* quæ et simpliciter *sella,* locus ad ventrem exonerandum, *cesso, cameretta,* θρανίον. *Scribon. Compos.* 193. Ex stomacho cruorem rejiciunt, postea per sellas eumdem dejiciunt. *et ibid.* 227. Quum desederint ad sellam. *Marcell. Empir. c.* 30. *p.* 131. Per sellam deducere bilem. *Cato R. R.* 157. *a med.* vocat *sellam pertusam.* V. FAMILIARICUS et PATROCLIANUS. ¶ 7. Ephippia, *sella. Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod. Justin.* 12. 51. 12. et *Cod. Theod.* 8. 5. 47. Sexaginta libras sella cum frenis, triginta quinque vero averta non transeat. *Veget.* 4. *Veterin.* 6. Ad usum sellæ Persis provinciis omnibus meliores præstat equos. *da cavalcare.* Adde *Vulgat. interpr. Esth.* 6. 7. V. SELLARIS. ¶ 8. De sede antica currus, ubi auriga sedet, *cassetta o sedile pel cocchiere. Phædr.* 3. 6. Sella qui prima sedens Jugum flagello temperat.

Homonym. Differunt *sella* et *lectica,* quod in illa sedetur, in ista decumbitur. *Sueton. Claud.* 25. Viatores, ne per Italiæ oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto. *Martial.* 11. 98. Lectica nec te tuta pelle veloque, Nec vindicabit (*a basiis*) sella sæpius clausa. *et* 10. 10. Lecticam sellamque sequar.

SELLĀRĬA, æ, f. 1. *V.* SELLARIUS in fin.

SELLĀRĬŎLUS, a, um, adject. *deminut. a* sellarius, ad sellariam pertinens, ἑδραῖκός, ut Sellariolæ popinæ, idest in quibus desident homines ignavi ad libidinem et luxum. *Martial.* 5. 70. In sellariolis vagus popinis.

SELLĀRIS, e, adject. (sella) ad sellam pertinens. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 92. Sellaris gestatio. *h. e.* gestatio in sella. *Veget.* 1. *Veterin.* 56. *ad fin.* Sellaria jumenta. *da cavalcare* V. SELLA.

SELLĀRĬUS, a, um, adject. (sella) ad sellam pertinens. — Hinc

Sellarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. In *Gloss. Philox.* exponitur διφροφόρος. est autem δίφρος proprie sella in curru, ubi auriga sedet, et qui e curru pugnat. Quare huc pertinere puto *Inscript.* apud *Gruter.* 339. 5., in qua varia nomina recensentur agitatorum et aurigarum, et his inservientium, inter quos et *sellarius.*

II.) Translata et obscena significatione est qui alicujus viri libidini parere coactus, pronus cadit, ut pædiconi suo dorsum obvertat, translatione sumpta ab sellariis jumentis, quæ dorsum sella premendum exhibent. *Tac.* 6. *Ann.* 1. Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, et spintriarum. V. *Sueton. loc. cit.* in *Sellaria.*

Sellaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est locus, in quo sedes disponi solebant.

I.) Proprie. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 19. (84). Signa violenta Neronis in Urbem convecta, et in sellariis domus aureæ disposita. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (111). Sic habitarunt illi, qui hoc imperium fecerunt, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam sellariæ istorum.

II.) Translata et obscena significatione. ¶ 1. *Sellaria* dicitur conditio illorum, qui tamquam sellaria jumenta pædiconibus suis dorsum præbent libidinis explendæ causa. *V.* SELLARIUS. *Sueton. Tib.* 43. Secessu Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum. ¶ 2. Est etiam meretrix, apud *Schol.* in *Juvenal.* 3. 136. Cf. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 56.

SELLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SELLASIĀRĬUS negotiator, in *Inscript.* apud *Henzen. n.* 7261. fortasse pro sellariarius, a *sella* dictus.

SELLĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sella *et* fero) qui sellam fert. Translato et obsceno sensu de puero pathico usurpat *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. P.* 1. *p.* 629. *Burmann.* Publica selliferum per loca duxit equum.

SELLISTERNĬUM, ii, n. 2. (sella *et* sterno) apparatus sellarum, quæ in supplicationibus sternebantur in templis. Nam, ut ait *Val. Max.* 2. 1. *n.* 2., feminæ cum viris cubantibus sedentes cenitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cenam invitabantur: unde sequitur discrimen inter sellisternium et lectisternium. V. *Tertull. loc. cit. Tac.* 15. *Ann.* 44. ed. *Orell.* Hausta aqua templum et simulacrum Deæ (*Junonis*) perspersum est: et sellisternia ac pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant. Est qui leg. *lectisternia:* item *solisternia.* Sed dubiam *Taciti* lectionem confirmant *Fest. p.* 298. 18. *Müll.* Soliar sternere dicuntur, qui sellisternium habent. *h. e.* qui sunt στρῶται dearum. Sic *Tertull.* 1. *Nat.* 10. *circa med.* Regibus quidem etiam sacerdotia adscripta sunt sacrique apparatus, ut tensæ et currus et solisternia (*leg.* sellisternia) et lectisternia. *scil.* sellæ feminis, lecti viris. *Gloss. Cyrill.,* Σελλάστρωσις, sellisternium. Legitur et in *Not. Tir. p.* 164. Sella, sellarius, sellisternium.

SELLŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a sella, parva sella, *seggetta.* ¶ 1. Generatim. *Hieronym. Reg. S. Pachom. n.* 87. Nemo dormiens supponat nisi reclinem sellulam. *Arnob.* 2. *p.* 23. Sellula arquata. ¶ 2. Speciatim est parva lectica, vel sella gestatoria. *Tac.* 3. *Hist.* 85. In domum uxoris sellula defertur. *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 44. Pueri dum e balneis me sellula, ut adsolent, advehunt, imprudentius ad ostium balnei fervens adflixerunt.

SELLŬLĀRĬUS, a, um, adject. (sellula) ad sellulam pertinens. *Gell.* 3. 1. *a med.* Negotiis se plerumque umbraticis et sellulariis quæstibus intentos habent. *h. e.* lucris, quæ domi et sedendo captantur, ut fit a trapezitis et feneratoribus. *Apul. Florid. n.* 15. Quem comperio inter sellularios artifices, gemmis faberrime sculpendis laudem magis, quam opem quæsisse. *et ibid.* 9. Fateor, me sellularias artes minus callere, vestem de textrina emere, baxeas de sutrina præstinare. — Hinc

Sellularii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, opifices, qui sedendo opus faciunt, ut cerdones, textores etc. *Liv.* 8. 20. Opificum vulgus, et sellularii, minime militiæ idoneum genus. *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 2. *contra Pelag.* 37. De plebeja fæce sellulariorum.

SEM, nom. propr. filii Noe. *V.* plura in ONOM. — Sem in Hebræo, idest nomen, vel nominatur ὄνομα in Græco. *Anecd. Helv. p.* XLII. *Hag.* V. etiam SEMETH.

SĒMĂDĂPERTUS et similia composita. *V.* SEMIADAPERTUS, SEMIANIMIS et SEMIHIANS.

SĒMANTĬCUS, a, um, adject. σημαντικός, *significativo,* significandi vim habens. *Capell.* 9. *p.* 332. Trochæus (*versus*), qui semanticus dicitur, *et mox.* Semanticus sane, quia, quum sit tardior tempore, significationem ipsam productæ et remanentis cessationis effingit.

SĒMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *semo, deminutus, scemato:* ab ἥμισυς, dimidius, unde Latinum *semis.* *V.* SEMUS. Hinc *Gloss. Philox.* Sematus, ἡμίκενος, ἀπηρμένος. *h. e.* semivacuus, semiplenus. *Diomed. p.* 436. 14. *Keil.* Sematum caput. *Putsch.* leg. *semiatum.* V. SINCIPUT. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĒMAXĬUS, a, um, adject. (semis *et* axis) ad medium axem pertinens. *V.* SARMENTICIUS.

SEMBELLA, æ, f. 1. *mezza liretta,* libellæ dimidium: syncope a *semilibella,* nummus argenteus apud veteres Romanos. *Varro* 5. *L. L.* 174. *Müll.* Sembella, quod libellæ dimidium, quod semis assis. *Id.* 10. *ibid.* 38. Quum dicimus, eamdem rationem habere assem ad semissem, quam habet in argento libella ad sembellam.

SEME indecl., vox Ægyptia, quam quidam leg. apud *Apul. Herb.* 14.

SĔMEL, adverb. Ratione habita etymi, ducunt a *simul,* quia quod semel fit, una opera et simul fit; hinc utriusque frequens permutatio in vet. MS. et edit. libr. *V.* in fin. — Semel est una vice, ἅπαξ (It. *una volta;* Fr. *une fois, une seule fois;* Hisp. *una vez;* Germ. *einmal, ein einziges Mal;* Angl. *once*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Sall. epist. Mithrid. ad Arsac. circa med.* Cretenses impugnati semel jam, neque finem nisi excidio habituri. *Plaut. Capt.* 3. 5. 99. certum est nulli post hæc quicquam credere. Satis sum semel deceptus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. *Nepos Iphicr.* 3. Causam capitis semel dixit bello sociali, simul cum Timotheo. *Cic.* 2. *Divinat.* 52. 107. Semel ita est usus oculis, ut vera cerneret. ¶ 2. Cum addito Ablativo temporis, quo quid semel fit. — a) Cum præpos. *in.* *Colum.* 12. *R. R.* 30. Semel in diebus triginta sex vinum curare satis

est. *una volta in trenta sei giorni.* et *Cato R. R.* 43. Semel in mense sulcos sarrito. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). Semel in anno. Similiter *Cic.* 5. *Fin.* 30. 92. Semel in vita risisse. *et Plin.* 7. *Hist. nat.* 13. 11. (58). Aliis semel in vita datur gignere. — *b*) Sine ulla præpos. *Cels.* 1. 3. *ad fin.* Semel die cibum capere. *una volta al dì.* et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (58). Tus meti semel anno solebat. *una volta all'anno.* ¶ 3. Cum adverb. temporis. *Id.* 2. *ibid.* 25. 22. (90). Semel adhuc jubæ effigies mutata in albam est, Urbis anno CCCXCVIII. *una sola volta sin ora.* et *ibid.* 35. 35. (110). Scintillam e stella cadere, et augeri terræ appropinquantem, semel unquam proditur, Cn. Octavio C. Scribonio Coss. *h. e.* semel in omni memoria præteriti temporis. ¶ 4. Cum aliis adverb., conjunctis aut oppositis. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 30. Potin, ut semel modo hunc cum lucro respicias? *una sola volta.* et *Asin.* 2. 4. 15. numquam unam rem me licet semel præcipere furi, Quin centies eadem imperem. *et Pœn.* 1. 2. 148. juravisti me haud semel, sed centies. *Varro* 10. *L. L.* 33. *Müll.* Semel et sæpius. Sic *Cic.* 14. *Phil.* 8. 22. Semel et sæpius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. *Id.* 5. *Verr.* 77. 179. Non semel, sed bis frumentum vendidisti. *Id.* 1. *Att.* 19. Non semel, sed sæpe multisque verbis. Sic *Nepos Epam.* 7. Neque hoc semel fecit, sed sæpius. *Quintil.* 7. 8. 3. Quod semel jus est, idem et sæpius. ¶ 5. Cum adverb. *iterum*, *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Cum his Æduos semel atque iterum armis contendisse, magnam cladem pulsos accepisse. *una e due volte.* et *Petron. Sat.* 115. Percussi semel iterumque manu pectus. *Cic. Font.* 8. 16. Pecuniam semel atque iterum ac sæpius invitissimi dare coacti sunt. *Liv.* 27. 16. Semel atque iterum aves non addixerunt. *Sueton. Aug.* Janum clausum semel iterumque. ¶ 6. Præcedente *plus*. *Varro* apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 17. (96). Numquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur. *più d'una volta.* et *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Non plus quam semel eloquetur. Sic *Vellej.* 2. 40. *a med.* Id ille non plus quam semel usurpare sustinuit. ¶ 7. Refertur ad numerum, et monadem significat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (157). Sella curuli semel ac vicies sedit. *ventuna volta.* et 2. *ibid.* 108. 112. (243). Vicies et semel centena tria milia passuum. *et Inscript. Cn. Pompeji* apud *eumd.* 7. 26. 27. OCCISIS IN DEDITIONEM ACCEPTIS HOMINVM CENTIES VICIES SEMEL LXXXIII. M. Adde *Vitruv.* 1. 6. ¶ 8. Et ad magnitudinem. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 16. Soi omni terrarum ambitu non semel major.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando ponitur pro primo, primum, in ordine temporum vel rerum. Quod enim dixit *Cic.* 1. *Invent.* 39. *a med.* Primo quidem decipi, incommodum est: iterum, stultum: tertio, turpe. Dicere potuit, *semel quidem decipi etc.* — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 118. Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est semel. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. *a med.* Ariovistum, ut semel Gallorum copias prœlio vicerit, superbe et crudeliter imperare. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 24. saltat Milonius, ut semel icto Accessit fervor capiti, numerusque lucernis. *Plaut. Most.* 2. 2. 39. septem menses sunt, quum in hasce ædes pedem Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus. *h. e.* ex quo primum. — *b*) Cum oppositis *bis*, *iterum*, *tertio*, vel *item*. *Quintil.* 11. 2. 34. Quum semel aut bis audierit. *Cæs.* 1. *B. C.* 10. Vibullium bis in potestatem pervenisse Cæsaris, semel ad Corfinium, iterum in Hispania. *Liv.* 1. 19. Bis clausus est: semel T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum iterum, post bellum Actiacum. (Adde *Sueton. Cæs.* 36.) *Id.* 23. 9. *ad fin.* Tibi ter proditæ patriæ sustinendum est crimen: semel, quum defectionis ab Romanis: iterum quum pacis cum Hannibale auctor fuisti: tertio hodie, quum etc. *Vulgat. interpr. Phil.* 4. 16. Semel et bis misistis. *Sueton. Tib.* 6. Parentes vagitu suo pæne bis prodidit: semel quum a nutricis ubere: item quum a sinu matris etc. ¶ 2. Item extra ordinem temporum vel rerum, et significat alicujus actionis initium. — *a*) Universim. *Plaut. Amph. prol.* 106. Quantusque amator siet, quod complacitum est semel. *Ter. Phorm.* 5. 7. 9. Ne non id facerem, quod recepissem semel. *Cic. Dejot.* 14. 39. Qui semel a te liberati sint timore. *Liv.* 2. 45. Incitato semel militi. Adde *eumd.* 5. 6. et 25. 6. *Quintil.* 2. 12. 2. In id, quod semel invasit, incumbit. — *b*) Cum particulis *si*, *ut*, *ubi*, *quum*, quæ particulæ possunt subaudiri, vim habet τοῦ statim ac, simul ut, *non appena, subito che*, etc. *Plaut. Truc.* 1. 1. 22. Si semel amoris poculum accepit, *etc.* Extemplo et ipsus periit, et res et fides. *Id. Most.* 2. 2. 40. pedem Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus. *Id. Amph.* 3. 1. 13. Nunc Amphitruonem memet, ut occœpi semel, Esse assimulabo. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 31. et *Cic. Brut.* 13. 51. — *Plaut. Bacch.* 4. 4. 105. ubi erit accubitum semel, Ne quoquam exsurgatis. *Cic. Amic.* 12. 41. Quum semel cœpit, labitur. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 78. et semel emissum volat irrevocabile verbum. ¶ 3. Potest etiam reddi *aliquando*. *Ter. Heaut.* 3. 4. 69. Si semel tuum animum ille intellexerit. *Id. ibid.* 1. 2. 34. ubi animus semel cupiditate se devinxit mala Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia. *Plaut. Epid.* 3. 1. 6. si hercle ego illum semel prehendero, Numquam irridere nos illum inultum sinam. *Ovid. Heroid.* 12. 19. Semel in nostras nova puppis arenas Veherat. *Horat.* 1. *Od.* 24. 16. Quam virga semel horrida Nigro compulerit Mercurius gregi. *Cic.* 5. *Fam.* 12. Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene esse oportet indulgentem. *Liv.* 10. 14. Quando in apertum semel discrimen evasura esset res. Adde 3. 36. *Nepos Att.* 15. In nitendo quod semel annuisset (*Forcellinus* admisisset), tanta erat cura, ut etc. *Justin.* 18. 1. 2. Inclinatum semel animum, præcipitem agere exempla majorum. ¶ 4. Pro tandem. *Quintil.* 10. 3. 22. Denique ut semel, quod est potentissimum, dicam. — Cum emphasi. *Id.* 5. 13. 3. Ut quod sentio, semel dicam. ¶ 5. Prægnanti, ut ajunt, sensu est prorsus, omnino, penitus. *Cic.* 14. *Att.* 13. *extr.* Antonius quoniam semel induxit animum sibi licere quod vellet, fecisset nihilominus me invito. *Id. Dejot.* 3. 9. Quum facile exorari, Cæsar, tum semel exorari soles. *Quintil. declam.* 6. 2. Nam ut pietatem filii semel indicem, patrem redemit. *h. e.* uno verbo, *in una parola*. ¶ 6. Item significat etiam in perpetuum, *in perpetuo, per sempre, una volta per sempre*: et dicitur de iis, quæ non iterantur, vel regressum non habent. *Virg.* 11. *Æn.* 418. Procubuit moriens, et humum semel ore momordit. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Nec de hoc semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. *Tac. Germ.* 19. Cum spe votoque uxoris semel transigitur. *Ovid. Heroid.* 5. 103. nulla reparabilis arte Læsa pudicitia est: deperit illa semel. *Lucan.* 8. 707. semel impulit illum Dilata Fortuna manu. *Flor.* 2. 12. Perses semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. *Burmann.* recte suspicatur, *in perpetuum* esse interpretationem τοῦ *semel*, quæ postea in textum irrepserit. Huc et illa pertinent *Quintil.* 9. 4. *sub fin.* Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quomodo pronunciandum est. *Id.* 11. 1. *a med.* Et ut semel plura complectar, numquam decebit sic agere, quo modo etc. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (98). Ut semel dicamus, *per dirlo una volta per sempre.* ¶ 7. Pro simul. *Plaut. Aulul.* 4. 3. 2. semel (*corvus*) radebat pedibus terram, et voce crocibat sua. *h. e.* eodem tempore. *Alii leg.* simul. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *a med. de Nilo.* Quod si e mari ferretur Atlantico, semel oppleret Ægyptum. at nunc per gradus crescit. *tutto in una volta.* et 2. *ibid.* 8. *extr.* Lumen non paullatim prorepit, sed semel universis infunditur rebus. *in un tratto, in un colpo.* et *Ep.* 71. *a med.* Quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi sæpius macerata et recocta, non perbibit. *alla prima.* et *Quintil. declam.* 337. *ante med.* Graves causas allevare possis, si non ingruant ac semel veniant. *tutte in una volta.* Alii leg. *simul.* et *Cic.* 3. *Off.* 15. 62. Quum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur. *se ne dicesse alla prima l'ultimo prezzo.* at *Ulp. Dig.* 37. 14. 16. *ad fin.* Si quis plane non semel alienaverit, sed quasdam res ante, quasdam postea. Ita *Torrentin.*, alii *simul.* Alia congerit *Bentlej.* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 8. 24. Ridiculus totas semel absorbere placentas. *h. e.* uno haustu, *in un boccone.* Ubi alii leg. *simul.*

H o m o n y m. Docet *Isid.* 1. *Differ.* 522. hoc differre *semel* a *simul*, quod *semel* ad numerum pertinet, ut semel, bis; *simul* ad congregationem, ut: Globati simul feruntur in arma viri.

¹ SEMEN, indecl., vox Ægyptia, qua significatur herba, a Latinis dicta rosmarinum. *Apul. Herb.* 79.

SĒMEN, minis, n. 3. (sero) id, ex quo, tamquam causa materiali, res gignuntur, ut frumenti, plantarum, animalium: a *sero*, *is*, quasi *serimen*, ut *nomen* a *nosco*, *flumen* a *fluo* etc. σπόρος, σπέρμα, γονή (It. *semenza, sementa, seme*; Fr. *semence*; Hisp. *semen, genitura*; Germ. d. *Samen, Setzling*; Angl. *seed*).

I.) Propria dicitur de vegetalibus. ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra quum gremio mollito ac subacto semen excepit, primum id occæcatum cohibet, deinde tepefactum, vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 48. (76). Herbæ radix decocta, priusquam semen demittat. *Id.* 18. *ibid.* 18. 48. (173). Semen protinus injiciunt, cratesque dentatas supertrahunt. *Id.* 17. *ibid.* 10. 10. (59). Semen serere. *Colum.* 2. *R. R.* 10. solo ingerere. *Id.* 1. *ibid.* 7. *sub fin.* mandare terræ. *Cic. Rosc. Am.* 19. manu spargere. *Virg.* 1. *G.* 223. committere sulcis. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* in areolas disserere. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 2. mittere in humum. *Id.* 1. *Pont.* 5. 34. condere humo. *Tac.* 13. *Ann.* 54. arvis inferre. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 11. turgescit semen in agris. *Id.* 7. *Met.* 123. semine mollit humus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (114). Allium exit in semen. *va in semenza, semenzisce.* et 21. *ibid.* 11. 38. (65). Viola abit in semen. *Sillig.* aliter leg. (*Cato R. R.* 161. *de asparago.* Donicum in semen videris ire.) *et ibid.* 35. Amaracum seritur utroque genere, et semine, et ramo. *Pallad. de insit.* 137. Sorba suos partus merito majoris honestant Seminis. *h. e.* fructus. *Vulgat. interpr. Is.* 17. 11. Mane semen tuum florebit. — *b*) Cum Genetivo. *Cic. Senect.* 15. 52. Terra ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. *Cels.* 4. 19. *a med.* Semina mali Punici. *Colum. de cult. hort.* 106. genitalia semina bulbi. — 2.°) Specialim *semen* dicitur genus quoddam frumenti (quæ et *zea*) antonomastice, ob præstantiam et ubertatem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (82). Qui zea utuntur, non habent far. Est et hæc Italiæ, in Campania maxime, semenque appellatur. hoc habet nomen res præclara etc. et *ibid.* 24. 55. (198). Serere in jugera temperati soli justum est, tritici aut siliginis modios quinque; farris aut seminis (quod frumenti genus ita appellamus) decem; hordei sex. *V.* ALICA. Si *Isidoro* credimus 17. *Orig.* 3. 6., una eademque res sunt adoreum, seu far, zea, semen. ¶ 2. Latiore sensu *semen* est surculus, ramus, talea, malleolus recisus ab arbore pangendi aut inserendi gratia, *ramicello, marza, magliuolo, piantone, glaba.* *Virg.* 2. *G.* 354. Seminibus positis, superest deducere terram Sæpius ad capita. *Colum.* 5. *R. R.* 10. Semina (*pomariis*) lege non minus, quam manubrium bidentis, recta, levia, procera, integro libro. Adde 3. *ibid.* 4. *et* 6. *et Arbor.* 20. et *Varron.* 1. *R. R.* 39. *et* 40.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ex super. paragr. 1. ductâ — 1.°) Dicitur de animantibus. — *a*) Generatim. *Lucret.* 4. 1037. Sollicitatur id e nobis, quod diximus ante, Semen. *Id. ibid.* 1040. Ex homine humanum semen ciet una hominis vis. *Plaut. Amph.* 5. 2. 9. nostro susce-

plus semine. *Cels.* 4. 21. Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 177. Seminis jactus. *et ibid.* 178. lapsus. *et mox.* elapsio. *Soran.* c. 16. *in lemmate.* coagulatio. *Ovid.* 6. *Fast.* 285. Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatas Semine Saturni. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 29. In semine omnis futuri hominis ratio. *Varro* 2. *R. R.* 6. *de asinis.* Duodecimo mense conceptum semen reddunt. — *b*) Speciatim de piscibus, qui aluntur in piscinis, ut sobolem augeant, *pesci di razza.* *Colum.* 8. *R. R.* 16. Quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis seminibus replebant. — *c*) Eleganter de inanimis apud poetas. *Virg.* 6. *Æn.* 6. pars quærit semina flammæ Abstrusa in venis silicis. *h. e.* scintillas latentes. *et Ovid.* 15. *Met.* 347. et habentem semina flammæ Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem. *Id.* 1. *Trist.* 8. 42. Et rigidum ferri semina pectus habet. (Adde *Senec. Med.* 834.) *Sever. Ætn.* 270. Quæritur argenti semen. *h. e.* particulæ, venæ vel segmenta. *Id. ibid.* 536. rerum naturæ semina. *h. e.* elementa. De stellis *Manil.* 5. 726. Tunc conferta licet cæli fulgentia templa Cernere seminibus densis, totisque micare Floribus. ¶ 2. Prægnanti, ut ajunt, sensu. *Vulgat. interpr. Is.* 23. 3. Semen Nili. *h. e.* opes ex frumento Nili, *sc.* Ægypti, collectæ. ¶ 3. Metonymice *semen* est indoles, genus, sanguis. *Varro* 2. *R. R.* 2. Videndum, ut boni seminis pecus habeas. *di buona razza.* et *ibid.* 3. Meliore semine eæ capræ, quæ bis pariunt. *Cic.* 4. *Phil.* 5. *a med.* Virtus, quæ propria est Romani generis et seminis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci et a vitæ consuetudine suppeditantur. *Seneca Herc. Fur.* 987. Sed ecce proles regis inimici latet, Lyci nefandum semen. *razza, seme.* ¶ 4. Figurate, seu metaphorice, est origo, principium, causa, auctor. — *a*) In sing. num. *Cic.* 2. *Phil.* 22. *a med.* Ut in seminibus est causa arborum et stirpium; sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Sic 2. *Off.* 8. 29. Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit. et *Sil. It.* 1. 654. *Cic.* 1. *Cat.* 12. *extr.* Stirps ac semen malorum omnium. *Plaut. Rud.* 2. 2. 21. Sceleris semen. *h. e.* auctor. — *b*) In plur. num. *Cic.* 1. *Divinat.* 3. 6. Zeno in suis commentariis quasi semina quædam sparsit. *Id.* 5. *Fin.* 1. 18. In animis quasi virtutum igniculi et semina. *Tac. dial. de Orat.* 33. Initia et semina veteris eloquentiæ. *Id.* 2. *Hist.* 76. *ad fin.* Nova bello semina ministrare. *Id.* 12. *Ann.* 48. odiorum jacere. *Liv.* 3. 19. Tribuni semina discordiarum. *Seneca Phœniss.* 279. Jacta sunt semina cladis futuræ. *Ovid.* 6. *Fast.* 5. Est Deus in nobis: agitante calescimus illo. Impetus hic sacræ semina mentis habet. *Seneca Ep.* 73. *in fin.* Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt. *Calpurn.* 10. *Ecl.* 15. Semina vitis, *h. e.* serendæ vitis et vindemiæ initia.

Homonym. Discrimen inter *semen* et *seminium* V. in hac voc.

SEMENSIS, e, adject. dimidium seu semis mensis, *mezzo mese.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 103. Mensis, semensis. *Hic perperam legitur* simensis. *Kopp.* interpretatur *singulus mensis.*

SĒMENSTRIS. *V.* SEMESTRIS.

SĒMENSTRUUM. *V.* SEMESTRIUM.

SĒMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. (semento) sementis. *Tertull. Spectac.* 8. Columnæ Sessias a sementationibus, Messias a messibus sustinent.

SĒMENTE, is, n. 3. (semen) sementis. In plur. num. *Augustin. Serm.* 110 2. ed. *A. Mai.*

SĒMENTĬCIUS. *V.* SEMENTITIUS.

SĒMENTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sementis et fero) *V.* SERPENTIFER.

SĒMENTĪNUS, a, um. *V.* SEMENTIVUS.

SĒMENTIS, is, f. 3. (semen). In sing. num. duplicem habet positionem pro quarto casu in *em* et *im*, apud *Plaut.*, *Caton.* etc. *loc. cit.*; et pro sexto casu in *e* et *i*, apud *Cic.*, *Colum.*, *Ovid.* etc. *loc. cit.* In plur. num. secundus casus est in *ium*, apud *Plaut. Pœn.* 5. 5. 33. — Sementis est sparsio seminum per agros, satio, seminatio, σπόρος (It. *semina, sementa, seminagione*; Fr. *ensemencement*; Hisp. *sementera*; Germ. *d. Säen, d. Saat*; Angl. *a sowing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) In sing. num. *Cato R. R.* 27. et 30. et *Liv.* 23. 48. Sementim facere. *Cic.* 1. *Orat.* 58. *a med.* Nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio, omnino nesciat. *Id.* 5. *Verr.* 54. 125. Semente prohibita, aut messe amissa, fructus annuus interibat. *Colum.* 2. *R. R.* 9. Prima sementis rarius serere permittit, novissima spissius postulat. *Ovid.* 1. *Fast.* 667. Villice, da requiem terræ semente peracta. *Flor.* 1. 11. Sementis tempus. — *Ut sementem feceris, ita et metes*, proverb., quo significamus, ea quempiam relaturum, quæ meritus fuerit. Apud *Cic.* 2. *Orat.* 65. 261. dicenti M. Servilio: Dic mihi, M. Pinari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? respondit Pinarius: Ut sementem feceris, ita metes. *Qual asin dà in parete, tal riceve* — *b*) In plur. num. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Sementes quam maximas facere, ut copia frumenti suppeteret. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (224). Sementibus tempora plerique præsumunt. ¶ 2. Jculariter *Plaut. Merc.* 5. 7. 23. Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnosque obseram. *una semina di denti.*

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est sementis tempus. *Cato R. R.* 17. Nuces per sementim incipiunt maturæ esse. *Colum.* 2. *R. R. ante med.* Media sementi pars fabæ seri, pars ultima debet. Adde *ibid.* 9. ¶ 2. Item ipsum semen, quod terræ mandatum est. *Id. ibid.* 8. *ad fin.* Ubi venit imber, multorum dierum sementis uno die surgit. *Vulgat. interpr. Lev.* 26. 16. Sementem serere. *Id. Deut.* jacere. ¶ 3. Et ipsa seges enata. *Ovid.* 1. *Fast.* 679. Vos date perpetuos teneris sementibus auctus. *Gell.* 2. 29. Cassita in sementes forte concesserat tempestiviores. ¶ 4. Et ipsum semen animale. *Arnob.* 5. *p.* 163. Necesse est credere, et receptacula lapides habuisse genitalia, et jaculatam combibisse sementem et completis temporibus sustulisse alvos graves, et postremum peperisse feminei moris difficultate connixos. ¶ 5. Item plantarum. *Vulgat. interpr. Gen.* 1. 12. Lignum habens sementem secundum speciem suam. Adde *ibid.* 29.

Homonym. Hoc differt *sementis* a *satione*, quod illa est seminis sparsio, hæc omnis cultura, quæ inserendo fit. *Pallad.* 12. *R. R.* 1. Novembri mense triticum seremus et far satione legitima ac semente solemni.

SĒMENTĪTIUS *vel* sementicius, a, um, adject. (sementis) ad sementem pertinens. *Gloss. Gr. Lat.*

SĒMENTĪVA, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

SĒMENTĪVUS, a, um, adject. (sementis) Omnibus *loc. infra cit.* alii leg. *sementinus*, quia in MSS. facile *n* et *u* confunduntur: at *Dausqu.*, *Freund, Klotz*, al. præferunt *u.* — Sementivus est ad sementem pertinens.

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 26. Sementivæ feriæ dies is, qui a pontificibus dictus, appellatus a semente, quod sationis causa susceptæ. *At Müll. hic leg.* sementinæ. *Paul. Diac. ex Festo p.* 337. 9. *Müll.* Sementivæ feriæ fuerant institutæ, quasi ex iis fruges grandescere possint. *Varro* 1. *R. R.* 2. Sementivis feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab æditimo. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 16, ubi inter conceptivas recenset: quod et *Fest.* facit in *Conceptivæ.* scilicet quia non habebant statum in anno diem, sed indicebantur a sacerdotibus. Hinc *Ovid.* 1. *Fast.* 657. Ter quater evolvi signantes tempora Fastos, Nec sementiva est ulla reperta dies. Quum mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit Musa. quid a Fastis non stata sacra petis? Utque dies incerta sacro, sic tempora certa, Seminibus jactis est ubi festus ager. Pergit inde *Ovid.* multa persequi ad hoc sacrum pertinentia, quod Telluri et Cereri fiebat. nam Hæc præbet causam frugibus, illa locum. — *Sementiva pira* apud *Caton. R. R.* 7., *Varron.* 1. *R.* 59., *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56). et *Cloat.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. *extr.* dicta videntur, quod sera et sementis tempore, h. e. auctumno, maturescant. sera certe a *Cloatio* vocantur. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

II.) Translate. *Venant.* 5. *carm.* 1. 3. Ut tenebras animæ lux sementiva (*Evangelii*) fugaret. — Hinc

Sementiva, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. Sementiva quidam vocant triticum, hordeum, fabam, napum, rapam; verna autem, milium, panicum, lentem, cicer, alicam, ut ait *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (50). h. e. quæ mature seri oportet, πρώϊσπορα, scilicet auctumno (quod est solemne tempus sementis) in venturam æstatem, ut in tritico fit.

SĒMENTO, as, (āvi) ātum, are, n. 1. (sementis) Part. *Sementaturus.* — Semento est semen produco, *produr semenza, andar in semenza, semenzire,* σπερματίζω. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (259). Est in primis inutile in pratis enasci herbas sementaturas. Fortasse, inquit cl. *Furlanetto*, rectius legendum quis putaverit *semen daturas.* Sic tamen leg. cum *Sillìgio* recentiores. *Quicherat* ex *Onom. Lat. Gr.* Semento, σπερματίζω,

SĒMENTUM, i, n. 2. (semen) sementis, in plur. num. apud *Augustin. Serm.* 73. ed. *A. Mai.* V. *Comment. ms.* in *Capell.* 2.

SEMEOR, indecl. genus herbæ, quæ etiam chamæleon dicitur. *Apul. Herb.* 26., ubi alii leg. *semneor*, vel *semmeor.* Cf. *Parthey, Lex. Copt.* et *Jablonsk. op.* 1. *p.* 278.

SĒMERMIS. *V.* SEMIERMIS.

SĒMES, itis. *V.* SEMITA.

SĒMESSUS. *V.* SEMESUS.

SĒMESTER. *V.* SEMESTRIS.

SĒMESTRĀLIS, e, adject. (semestris) ad semestrem pertinens. *Inscript.* apud *Orell. n.* 5411.

SĒMESTRĬA, ium. *V.* voc. seq. in fin.

SĒMESTRIS, e, adject. Sunt qui scribunt *semenstris*: ita in opt. MSS. et Gloss. — Etiam *semester* vel *semenster* occurrit in *Gloss. Gr. Lat.* Ἑξαμηναῖος, semester.

A) Semestris (sex et mensis) dicitur, qui sex mensium est, ἑξάμηνος, ἑξάμηνος (It. *di sei mesi, semestre, semestrale*; Fr. *de six mois, qui dure six mois, sémestriel*; Hisp. *semestre*; Germ. *sechsmonatlich, halbjährlich*; Angl. *of six months, half-yearly*). *Varro* 1. *R. R.* 2. Illic in semestri die, aut nocte quicquam seri, aut alescere, aut meti possit, illic, h. e. inter circulum septentrionalem et inter cardinem cæli. *Cic.* 10. *Att.* 8. *a med.* Semestre regnum. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. imperium. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 39. 60. (141). Semestris vita. *et ibid.* 16. 17. (45). Leones semestres vix ingredi posse. *Id.* 11. *ibid.* 51. 112. (270). Semestris locutus est Crœsi filius in crepundiis. *Id.* 10. *ibid.* 25. 36. (73). Semestres aves, hirundines. *h. e.* quæ semestri spatio apud nos visuntur. *Alter Plin.* 4. *Ep.* 4. Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem et sibi et avunculo suo facias. *h. e.* militari, qui sex menses durabat. *Juvenal.* 7. 88. Ille et militiæ multis largitur honorem: Semestri vatum digitos circumligat auro. *h. e.* tribunos militares facit, ut et *Lip. l.* 2. *de milit. Rom. dial.* 9. interpretatur. Loquitur autem *Juvenal.* de Paride pantomimo et poeta Neronis, quem semestribus militiolis tumentem (ut ait *Auct. vitæ Juvenalis*) ipse eo loco perstringit. *Capell.* 6. *p.* 214. *de Hyperboreis.* Gens moribus *etc.* semestri die prædicanda. *Inscript.* apud *Orellium n.* 3442. et 3443. ex comparatione aliar. trium *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 119. *n.* 7. et *p.* 217. *n.* 564. et apud *Gruter.* 487. 9. ita effingenda: Q. F. PAL. VELENIO SEVERO DVCENARIO TRIB. SEM. LEG. X . . . . . PRIMIG. PRAEF. SEM. COH. II. CLASSICAE PATRONO HERCULANEORUM CAENINENSIUM etc. Hinc patet, tum tribunos legionum, tum præfectos cohortium, qui essent ex ordine equestri ideoque angusticlavii appellati, semestri tantur tempore; eos vero, qui ex ordine senatorio erant, ideoque laticlavii nominati, annuo spatio dignitatem suam conservasse. *Sueton. Aug.* 35. *a med.* Sibi instituit consilia sor-

tiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis ante tractaret. *h. e.* consiliarios, qui sibi per senos menses adessent. — Hinc

Semestria, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, dicuntur libri, in quibus perscripta erant, quæ M. Aurelius Antoninus de jure civili constituerat sex illis mensibus, quibus solebat quotannis juri dicundo vacare; quod fecisse videtur ex institutione Augusti. *Scævola Dig.* 18. 7. 10. Divus Marcus, fore liberos in Semestribus constituit. et *Typhonin. ibid.* 2. 14. 46. In Semestribus relata est constitutio divi Marci. Adde *Ulp. ibid.* 29. 2. 12.

B) *Semestris* (semis et mensis) etiam dicitur dimidium mensis spatium continens, ut *semodius* pro *semimodius*, ἡμιμήνιος, ut *Semestris luna*, h. e. plena. *Apul.* 11. *Met.* Stellæ dispersæ coruscabant, earumque media semestris luna flammeos spirabat ignes. *Vet. Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 7. 89. Semestri vatum digitos circumtulit auro. *hæc habet:* Semestris autem luna dicitur, quum mensis medium permensa est spatium, aut decimam quintam dicit, hoc est, cui, ut plena sit, parum admodum deest, quum velut annulus in orbem collecta est. Cf. voc. seq.

SĒMESTRĬUM *vel* semenstrium *vel* semenstruum, ii, n. 2. (semestris). ¶ 1. Est dimidii mensis spatium, *spazio d'un mezzo mese*, ἡμιμηνιαῖον. *Colum.* 11. *R. R.* 2. Hoc igitur semestrium, et deinceps sequentia tempestatibus adnotatis percensuimus. Alii leg. *semimenstruum*, quia *semestrium* ex analogia sex mensium tempus significare deberet: at *Colum.* certe dimidium mensem intelligit. *V.* vocem præced. ¶ 2. Est etiam spatium sex mensium. *Gloss. Gr. Lat.* Ἑξαμηνίδιον, semenstruum.

SĒMĒSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* edo) *Ribbeck* in *Virg. loc. cit.*, et *Fritzsche* in *Horat. loc. cit.* ed. *semessus.* — Semesus est dimidia parte comesus, arrosus, *mezzo mangiato, rosicchiato*, ἡμίβρωτος, ἡμιδαής.

I.) Proprie. *Sueton. Tib.* 34. Ut parcimoniam publicam exemplo quoque juvaret, solemnibus ipse cenis pridiana sæpe ac semesa opposuit. *Id. Vitell.* 13. *extr.* Ne in itinere quidem ullo temperavit, quin circa viarum popinas fumantia obsonia, vel pridiana atque semesa manderet. *Virg.* 5. *Æn.* 244. Semesam prædam et vestigia fœda relinquant. Adde 8. *ibid.* 297. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 81. Semesi pisces. *et* 2. *ibid.* 6. 85. Semesa lardi frusta. *Juvenal.* 5. 167. ecce dabit jam Semesum leporem, aut aliquid de clunibus apri. *Petron. Sat.* 141. Quum esset Numantia a Scipione capta, inventæ sunt matres, quæ liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora.

II.) Translate. *Cato* apud *Fest.* ex *Paulo Diac.* p. 59. *Müll.* Cœplam semesa verba loqui. *Müll.* leg. *seditiosa.*

SĒMET. *V.* in SUI.

SĒMĔTER, tra, trum, adject. (se *et* metrum) ἄμετρος, quod est sine mensura, enorme, non symmetrum: vox hybrida ex Latino *se*, sine, et Græco μέτρον, mensura, modus. *Prudent. Psychom.* 826. Aurea planitiem spatiis percurrit arundo Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes, Ne commissuris distantibus angulus impar Argutam mutilet per dissona semetra normam.

SEMETH, indecl., nasturtium. *Apul. Herb.* 21.

SĒMIHIANS pro semibians; in his namque compositis libri variant. Ceterum *V.* SEMIHIANS et cf. SEMIANIMIS.

SĒMĬ, pro semis, in compositis dimidium significat, ut ἡμι pro ἥμισυ. Ipsa composita κατὰ στοιχεῖον hic recensentur.

SĒMĬĂCERBUS, a, um, adject. *mezzo acerbo, mal maturo.* ὑπόδριμος, immaturus, subacidus. *Pallad.* 9. *R. R.* 13. Uvæ semiacerbæ sucus.

SĒMĬĂDĂPERTUS *et* semadapertus, a, um, adject. ex particip. (semi *et* adaperio) *mezzo aperto, socchiuso*, dimidio sui apertus, semiapertus. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 3. aditu fac janua parvo Obliquum capiat semiadaperta latus.

SĒMĬĂDŎPERTŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* semi *et* adopertus, *mezzo coperto*, dimidia parte adopertus. *Apul.* 3. *Met.* Oculi tremuli, marcidi, jam jamque semiadopertuli. *socchiusetti.*

SĒMĬĂGRESTIS, e, adject. *mezzo rustico, zotico, ruvido*, subagrestis. *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. *ante med.* Maximianum fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiæ tamen et ingenio bonum, imperatorem jubet.

SĒMĬALPHA, indecl. (semi *et* alpha) dimidium alpha, quo nota quædam musica significatur. *Boeth.* 4. *Mus.* 3. Trite hyperboleon, quæ est tertia excellentium, y deorsum respiciens dextrum et semialpha sinistrum sursum respiciens $\binom{\text{A}}{\text{X}}$.

SĒMĬAMBUSTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* amburo) semiustus, *mezzo bruciato*, ἡμίκαυστος, ἡμιφλογής. *Sueton. Cal.* 59. Cadaver tumultuario rogo semiambustum. *Sil. It.* 14. 63. Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis. Adde 2. 681.

SĒMĬĂMICTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* amicio) dimidia parte amictus, male vestibus opertus, seminudus, *mezzo vestito, mal vestito*, ἡμίγυμνος. *Apul.* 1. *Met.* Humi jacebat scissili palliastro semiamictus. *et* 7. *ibid.* Centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictus. Adde 9. *ibid.*

SĒMĬAMIRĬCUS, a, um, adject. ad Semiamiram (quæ sæpius *Soæmias* appellatur) pertinens, quæ fuit Elagabali mater: ut Semiamirica senatusconsulta, *Lamprid. Elagab.* 4.

SĒMĬAMPHŎRA, æ, f. 1. (semi *et* amphora) dimidium amphoræ. *Soran. Isag. Cap. extr.* V. *Metrol. Script. Lat.* p. 144. 19. *Hultsch.*

SĒMĬAMPŪTĀTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* amputo) dimidia parte amputatus. *Apul.* 1. *Met.* Baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit.

SĒMĬĂNĬMIS, e, *et* semianimus, a, um, adject. (semi *et* anima) Sunt qui jubent *semanimis* scribi, extrito *i*, præsertim in carmine alii ubique *i* retineri, et synizesim, seu synecphonesim, seu synæresim fieri. *Inscript.* apud *Orell.* et *Momms. n.* 7143. habent *semanimis*. Ceterum libri variant. *Pier.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 578. in suis *semiustum* reperit, non *semustum:* sibique magis placere ad figuram confugere, quam *i* tollere. In eadem sententia sunt *Erythræus* in *Indice Virg.* in *Semianimem*, et *Dausqu.*, tametsi non in omnibus, quæ post *semi* habent vocalem, *i* retinetur, ut in *semesus.* — Semianimis est semivivus, semimortuus, seminex, ἡμίπνοος. ¶ 1. Stricto sensu, vel proprie. *Enn.* apud *Serv.* ad 10. *Æn.* 396. Oscitat in campis caput a cervice revulsum, Semianimesque micant oculi. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 106. ipsa feris transfigens unguibus anguem Semianimum, et varia graviter cervice micantem. *Lucret.* 6. 1266. Languida semianimo cum corpore membra videres. *Virg.* 10. *Æn.* 395. Te decisa suum, Laride, dextera quærit, Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant. *et ibid.* 403. curruque volutus Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva. *et* 11. *ibid.* 635. Semianimes volvuntur equi. *Liv.* 28. 23. Quum in succensum rogum semianima pleraque injicerent corpora. Adde *Phædr.* 1. 9., *Juvenal.* 4. 37., *Senec. Œdip. prope fin.*, *Stat.* 2. *Theb.* 83., qui *semianimus* usurpant: et *Senec.* 4. *Benef.* 37., *Lucan.* 3. 747. et 4. 339. et alibi, *Val. Flacc.* 5. 135. et *Sil. It.* 9. 123., qui *semianimis.* Scilicet in quibusdam casibus alterum præ altero melius sonat. ¶ 2. Latiore sensu, vel translate, de eo, qui est in magno metu, *mezzo morto di paura. Lucan.* 4. 339. Semianimes in castra trahens hostilia turmas, Victoris stetit ante pedes.

SĒMĬANNŪUS, a, um, adject. *di mezz' anno*, dimidium anni continens, semestris. *Capell.* 6. p. 194. Sol in insula Thule brumali descensu semiannuam facit horrere noctem.

SĒMĬĂPERTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* aperio) *mezzo aperto*, ἡμισάνοικτος, semiadapertus. *Liv.* 26. 39. *sub fin.* Paucos ex multis trepida fuga incidentes semiapertis portarum foribus, in urbem compulit.

SĒMĬAS, assis, m. 3. (semi *et* as) dimidium assis. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.*

SĒMĬASSUS *vel* semassus, a, um, adject. semicrematus, semiambustus. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Heu! reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas fœde divexarier. *At* Orell. *rectius leg.* Neu reliquias sic meas siris, denudatis *etc.* De hoc loco, quem recentiores plerique omnes *Pacuvio* tribuunt, *V. Ribbeck.* in *Trag. rel.* p. 101. v. 200.

SĒMĬĀTER. *V.* voc. seq.

SĒMĬĀTRĀTUS, a, um, adject. dimidia parte atratus. *Varro* apud *Non.* p. 107. 6. *Merc.* Ipsum propter vix liberti semiatrati exsequiantur. Ita leg. *Forcellinius* et *Oehlerus;* alii minus recte *semiatri.*

SĒMĬĀTUS. *V.* SEMATUS.

SĒMĬAXĬUS. *V.* SARMENTICIUS.

SĒMĬBARBĂRUS, a, um, adject. *mezzo barbaro*, qui dimidia parte barbarus est. *Sueton. Cæs.* 76. Quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam. *h. e.* Narbonenses, ut quidam interpretes putant, quod hi inter barbaros majoris cultus essent atque elegantiæ. *Capitolin. Maxim.* 2. Adolescens et semibarbarus. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 48. Leptis urbs semibarbara.

SĒMĬBOS, bŏvis, adject. *mezz'uomo e mezzo bue*, homo dimidia parte bos, qualis fuit Minotaurus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 23. Dædalus ut clausit conceptum crimine matris Semibovemque virum, semivirumque bovem. (Adde 4. *Trist.* 7. 18.) Porro hunc versum valde amavit *Ovid.*, et reprehendi ab aliis flocci fecit. Rogatus enim aliquando ab amicis suis, ut narrat *Seneca* 2. *Controv.* 10. *in fin.*, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret. æqua lex visa est. Scripserunt illi, quos tolli vellent, secreto: hic, quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant: ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit, *Semibovemque virum* etc., secundum *Egelidum Borean* etc. Tertium, quis fuerit, *Seneca* non adjicit.

SĒMĬCĀNĀLĬCŬLUS, i, m. 2. dimidius canaliculus. *Vitruv.* 4. 3. *circa med. de triglyphis Doricis.* In medio canaliculi ad normæ cacumen imprimatur: in extremis partibus semicanaliculi intervertantur.

SĒMĬCĀNUS, a, um, adject. *mezzo canuto, semicanuto, grigio*, μιξόθριξ, capillos habens partim canos, partim nigros. *Apul.* 8. *Met.* Calvus quidem, sed cincinnis semicanis et pendulis capillatus. *et* 9. *ibid.* Comæ semicanæ.

SĒMĬCĂPER, pri, comm. gen. 2. *mezzo capra*, ἡμίτραγος, qui dimidia sui parte caper est. ¶ 1. Epitheton est Faunorum et Satyrorum, qui inferiore sui parte capris similes pinguntur. *Ovid.* 5. *Fast.* 101. Semicaper coleris succinctis Faune Lupercis. ¶ 2. Item Panis. *Id.* 14. *Met.* 515. Semicaper Pan. — Absolute *Gloss. Gr. Lat.* Αἰγιπάν, Semicaper. ¶ 3. Est etiam convicium hominis rustici et vilis, *Anthol. Lat. n.* 682. ed. *Riese.* Semicaper, villose, fugax etc.

SĒMĬCĂPUT, căpitis, n. 3. dimidium capitis. *Vel. Long. loc. cit.* in SINCIPUT.

SĒMĬCENTĒSĬMA, æ, f. 1. pars semicentesima, *un mezzo per cento. Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 13. 9. 3. Ut omnis in posterum duarum semicentesimarum, quæ ex hibernis oneribus postulantur, a vobis petitio conquiescat.

SĒMĬCHRISTĬĀNUS, um, adject. Christianus ex dimidio, nondum omnino Christianus. *Hieronym.* in *Gal.* 3. 14. et *Augustin.* 1. *contra Faust.* 2.

SĒMĬCINCTĬUM, ii, n. 2. zona minus lata, cincticulus, *fascia, cintura, cingolo, grembiule stretto*, ἡμιζώνιον. *Isid.* 19. *Orig.* 33. *init.* Cinctus est lata zona, et minus lata semicinctium. *Martial.* 14. 153. cujus lemma *Semicinctium.* Det tunicam dives: ego te præcingere possum. Essem si locuples, munus utrumque darem. *Petron. Sat.* 94. Inclusus ego suspendio vitam finire constitui: et jam semicinctio stan-

tem ad parietem spondam vinxeram, cervicesque nodo condebam, quum etc. Adde *Plaut. loc. cit.* in SARAPIS, *Ambros. Hymn.* 2. *De inv. Ss. Gerv. et Prot.* 29. et *Vulgat. interpr. Act.* 19. 12. et cf. *Arat.* 2. *Act.* 635.

SĒMĬCINGO, is, ere, a. 3. (semi *et* cingo) dimidia ex parte cingo. *Vet. Scholiast.* ad *Germanic. Arat.* 48. Inter ambas Arctos maximus flexuoso corpore adjacens Draco, qui utramque Arcton flexuoso corpore semicingit, Helices supervolvit caput, Phœnices (*h. e.* Arctophylacis) circumcingit caudam. Adde *Oros.* 1. 2.

SĒMĬCĬPĬUM, ĭi, n. 2. *Gloss. Gr. Lat.* Ἡμικεφάλιον, semicipium.

SĒMĬCIRCŬLĀRIS, e, adject. (semicirculus) *semicircolare*, ἡμικύκλιος, semicirculi formam habens. Apud *Colum.* 5. *R. R.* 2., quo loco posita est figura semicirculi, leguntur hæc verba: *semicircularis agri forma:* quæ tamen incertum, sintne *Columellæ*, an alterius, qui ad indicandam figuram ea addiderit. Ita *Forcellinus.* At recentiores additicia habent.

SĒMĬCIRCŬLĀTUS, a, um, adject. (semicirculus) semicirculi forma factus. *Cels.* 7. 26. *n.* 2. *sub fin.* Ferramentum fecit rectum in summa parte labrosum, in ima semicirculatum acutumque.

SĒMĬCIRCŬLUS, i, m. 2. occurrit

A) Substantivorum more, et est dimidium circuli, *mezzo cerchio, semicerchio,* ἡμίκυκλος. ¶ 1. Generatim. *Cels.* 7. 26. *n.* 2. *a med.* Uncus in semicirculi speciem, retusæ latitudinis. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 2. 1. et *Gromat. vet. p.* 378. 3. et *p.* 390. 9. *Rud.* ¶ 2. Speciatim est idem ac hemicyclium, in quo sedere confabulantes solebant. *V.* HEMICYCLIUM. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 56. Circulos aliquos et semicirculos consectari. *Goerenzius* ita recte edidit, *Scaliger* ex quodam MS. leg. *sessiunculas* pro *semicirculos.* Ita cl. *Furlanetto.* At *Orellius* quoque leg. *sessiunculas* et: Speciose, inquit, h. l. *G.* defendit, sed equidem ego suspicioni resistere non potui, ortum esse hoc vocabulum, æque ἅπαξ λεγόμενον hoc sensu, atque alterum *sessiuncula,* e stupiditate librariorum, qui circulos pro figuris mathematicis haberent.

B) Adjective, et est circularis. *Colum.* 5. *R. R.* 2. *a med.* Si semicirculus fuerit ager, cujus basis habeat pedes CXL., curvaturæ autem latitudo pedes LXX. *et mox.* Si autem minus quam semicirculus erit, arcum sic metiemur. Adde *Gromat. vet. p.* 355. 14. *Rud.*

SĒMĬCLAUSUS *et* semiclusus, a, um, adject. ex particip. (semi *et* claudo) *mezzo chiuso.* ¶ 1. Generatim. *Apul.* 10. *Met.* Semiclauso ore balbutiens. *Ammian.* 18. 6. 11. Semiclausa postica. *Mar. Victorin. de Orthogr.* 1. *p.* 2452. *Putsch.* Semivocales litteræ in enunciatione propria ore semicluso strepunt. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 18. Semiclauso ore et dimisso ita ut mentum propendens videatur. ¶ 2. Speciatim epitheton dei Silvani. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 230. *n.* 607. SILVANE SACRA SEMICLVSE FRAXINO ET HVIVS ALTI SVMME CVSTOS HORTVLI. *Silvanus* hic dicitur *semiclusus fraxino,* quia, dei Termini ritu, caput ejus humerique exstabant, reliquum corpus trunco inclusum latebat.

SĒMĬCLŪSUS, a, um. *V.* voc. præced.

SĒMĬCOCTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* coquo) *mezzo cotto, guascotto,* ἡμίεφθος, dimidia parte coctus, semicrudus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (116). Ex tritico candidissima atque grandissima eligunt grana, et semicocta in ollis. *Colum.* 8. *R. R.* 5. Semicoctum hordeum. *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 130. *retro.* ovum. Adde *eumd. c.* 23. *p.* 119. *retro.* et *Pallad.* 1. *R. R.* 27. 1. et *Theod. Priscian.* 1. 17. *p.* 295.

SĒMĬCŎLUMNĬUM, ĭi, n. 2. *Gloss. Isid.* Cilindrum (*corr.* cylindrum), semicolumnium.

SĒMĬCOMBUSTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* comburo) *mezzo bruciato, abbruciacchiato. Prudent.* 10. περὶ στεφ. 859. Alunt olivo semicombustas faces. Adde *Sidon.* 3. *Ep.* 13.

SĒMĬCONFECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* conficio) *mezzo fatto,* ut Semiconfectus cæspes, *Sidon.* 5. *Ep.* 10.

SĒMĬCONGĬUM, ĭi, n. 2. dimidium congii. *Gloss. Gr. Lat.* Τρίξεστον, semicongium. V. *Metrol. Gr.* 240. 19. *Hultsch.*

SĒMĬCONSPĬCŬUS, a, um, adject. qui dimidio conspicitur. *Apul.* 3. *Met. post init.* Nonnulli per fenestras semiconspicui.

SĒMĬCORPŎRĀLIS, e, adject. idem ac semicorporeus. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. Aries est signum masculinum, semicorporale, oculis languidis, erraticum.

SĒMĬCORPŎRĔUS, a, um, adject. *mezzo corporale,* dimidio corporeus. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. Cancer signum est in cælo femininum, mobile, semicorporeum, irrationale. *h. e.* cujus corpus dimidia tantum parte in cælo conspicitur.

SĒMĬCORPUS, ŏris, n. 3. *mezzo corpo,* dimidium corporis. *Cassiod.* 8. *Hist. Eccl.* 1. *ante med.* Ammonius ad episcopatum tractus atque diffugiens dexteram sibi amputavit aurem, ut semicorpore ordinationis opus effugeret.

SĒMĬCORRECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* corrigo) dimidia parte, aut non omnino seu parum correctus. *Augustin.* 3. *contra mendac.* 6. Per hoc mendacium et nos erimus ex ea parte perversi, et illi semicorrecti, quandoquidem istud, quod putant esse pro veritate mentiendum, non in eis corrigimus. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Os.* 3. 2.

SĒMĬCŌRUS, i, m. 2. (semi *et* corus) dimidium mensuræ cori ad grana metienda. *Ambros. Ep.* 6. In coro et in semicoro hordei. In coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura.

SĒMĬCRĔMĀTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* cremo) *mezzo abbruciato,* ἡμίφλεκτος, dimidia parte crematus. *Ovid. Ib.* 636. Membra feras Stygiæ semicremata neci. *Martial.* 11. 54. Turaque de medio semicremata rogo.

SĒMĬCRĔMUS, a, um, adject. idem quod semicrematus. *Ovid.* 12. *Met.* 287. Semicremoque novat repetitum stipite vulnus.

SĒMĬCRŪDUS, a, um, adject. ¶ 1. Est dimidia parte crudus, *mezzo crudo,* ἡμίωμος. *Colum.* 6. *R. R.* 25. Lupini semicrudi conteruntur. *Sueton. Aug.* 1. Semicruda exta. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. caro. ¶ 2. Est etiam qui cibum pro dimidia parte digessit. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 49. Quid, si quum bene mane semicrudus Illatam tibi dixero salutem?

SĒMĬCŬBĬTĀLIS, e, adject. dimidio cubito constans. *Liv.* 42. 65. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum.

SĒMĬCŪPA, æ, f. 1. Apud *Ammian.* 28. 4. *a med.* Semicupæ, Cimessores, Statarii etc. sunt scurrilia nomina otiosæ plebis hominum.

SĒMĬDĔA, æ, f. 1. *V.* SEMIDEUS, a, um, in fin.

SĒMĬDĔCĬMA, æ, f. 1. dimidia pars decimæ. *Cod. Theod.* 14. 4. 4. Per singulas semidecimas.

SĒMĬDĔUS, a, um, adject. dimidia parte deus h. e. vel ex deo et homine natus, vel ob virtutem ex homine deus factus, heros: ut Pan, Hercules, Romulus, Sirenes etc. (*V.* HEROS et INDIGETES) *semideo, semidea,* ἡμίθεος, ἥρως, ἡρωΐνη, ἡμιθέαινα.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid. Heroid.* 4. 49. Semideæ Dryades. *Val. Flacc.* 5. 222. clari Taulantis alumnus Semidea genitrice Tages. ¶ 2. Speciatim *semideum pecus,* Panes. *Stat.* 6. *Theb.* 111. cana Pales, Silvanusque arbiter umbræ, semideumque pecus. ¶ 3. *Semideus canis,* latrator Anubis. *Lucan.* 8. 831. Nos in templa tuam Romana accepimus Isin, Semideosque canes, et sistra jubentia luctus. ¶ 4. *Semidei reges* apud *Stat.* 2. *Achill.* 362. et 3. *Theb.* 518. sunt Argonautæ, quos *id.* 5. *Theb.* 373. et 1. *Achill.* 87. semideos heroas vocat, et *Val. Flacc.* 3. 504. reges diis genitos, *et* 5. 504. deum genus, *et Seneca Med.* 227. proles deum. (*V. Horat. Art. P.* 83.) Adde *Prudent. Hamartig.* 99., ubi cum nomine neutri gen. conjungitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est divinus, sublimis. *Auct. Epital. T.* 4. *p.* 485. *Wernsd.* Semideæ mentes. *h. e.* diis similes, divinæ, sublimes. ¶ 2. Est etiam propheta, vir sanctus. *Paulin. Nol. carm.* 5. 256. *de sancto Johanne.* — Hinc

Semideus, i, m. 2. et *Semidea, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more. — *Semideum* genet. plur. pro *semideorum,* apud *Ovid. Ib.* 81., *Stat.* 1. *Theb.* 206. et 5. *Ibid.* 273., *Sidon.* 23. *carm.* 252. et *Apul. de Dogm. Plat.* 2. al. — Semideus aut semidea est dimidia parte deus aut dea. *Ovid. Ib. loc. cit.* vos quoque plebs Superum Fauni Satyrique Laresque Fluminaque et Nymphæ semideumque genus. *Id.* 14. *Met.* 673. Mille proci cupiunt et semideique deique. *Lucan.* 9. 6. Quodque patet terras inter lunæque meatus, Semidei Manes habitant, quos ignea virtus Innocuos vita patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes. (Creduntur semidei habitare spatium, quod est inter cælum et terram. *Manil.* 1. 800., *Plin. Paneg.* 89. *ad fin.*) *Stat.* 9. *Theb.* 376. Hoc tibi semidei munus tribuere parentes? *Rutil.* 1. *Itiner.* 365. Sæcula semideum ferrati nescia Martis. *pro* semideorum. *h. e.* ætas aurea. *Auson. Edyll.* 11. 21. *de Sirenib.* Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ.

SĒMĬDĬĀMĔTROS, i, f. 2. dimidium diametri. *Boeth. Geom.* 2. Et in semidiametro XIIII pedes habeas.

SĒMĬDĬES, ēi, m. 5. *mezzo un dì,* dimidium diei. *Auson. Ecl. de rat. dier.* 5. Semidiemque, duosque dies deciesque novenos. Adde *ibid. de rat. solstit. in æquinoct.* 2.

SĒMĬDĬGĬTĀLIS, e, adject. qui habet magnitudinem dimidii digiti. *Vitruv.* 10. 22. *ante med.* Terebratur foramen digitale, semidigitale, sesquidigitale.

SĒMĬDĬUS, a, um. *V.* SEMIUDUS.

SĒMĬDĪVĪNUS, a, um, adject. fere divinus. *M. Aurel.* ad *Front.* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Legas semidivinum locum ex oratione tua.

SĒMĬDOCTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* doceo) dimidio doctus, aliquantum doctus, mediocri eruditione aut arte imbutus, *semignorante, semidotto,* ἡμιμαθής. ¶ 1. Dicitur de personis. *Plaut. Asin.* 1. 3. 73. Hæcine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu? ARG. Tua ista culpa est, quæ discipulum semidoctum abs te amoves. *a mezzo il corso degli studi. Cic.* 2. *Orat.* 42. 178. Hæc ut properans, et apud doctos et semidoctos ipse percurro. Adde *Fronton. loc. cit.* in SEMIPERITUS. *Gell.* 15. 9. Grammaticus semidoctus. ¶ 2. Et de rebus. *Martial.* 10. 92. Et semidocta villici manu structas Tonantis aras.

SĒMĬĔLĔGĪĂCUS, a, um, adject. dimidia ex parte elegiacus. *Terentian. p.* 1801. *Putsch.* De epodo qui et semielegiacus.

SĒMĬERMIS *vel* semermis, e, *et* Semiermus *vel* semermus, a, um, adject. (semi *et* arma) De scriptione cf. SEMIANIMIS. — Semiermis est armis male instructus, *mezzo disarmato,* ἡμίοπλος. *Liv.* 30. 28. Tumultuarii exercitus ex agrestium semiermi turba subito collecti. *Id.* 28. 16. Ipse dux in proximos colles cum sex millibus ferme semiermium evasit. Adde 39. 31. *a med.* et 40. 58. *a med.* Pro altera positione *Tac.* 1. *Ann.* 68. Hosti facile excidium, et paucos ac semermos cogitanti etc. *et* 3. *ibid.* 45. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos.

SĒMĬĒSUS. *V.* SEMESUS.

SĒMĬFACTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* facio) *imperfetto,* ἀτελής, dimidia tantum parte factus, imperfectus. *Tac.* 15. *Ann.* 7. Semifacta opera fugâ perrupit, seque vallo extulit. *Auct. B. Afr.* 83. In portas valli semifactas ruere contendunt.

SĒMĬFĂLĀRĬCA *vel* semiphalarica, æ, f. 1. telum falarica minus, cubitale, quod manu jaculabantur. *Gell.* 10. 25.

SĒMĬFASTĪGĬUM, ĭi, n. 2. dimidiatum fastigium. *Vitruv.* 7. 5. *a med.*

SĒMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (semi *et* ferus) *Semiferus* ir. recto casu analogia defendi potest: usu, quod adhuc sciam, non potest. Ita *Forcellinus.* At hanc formam habet *Augustin.* 19. *Civ.*

D. 12. *de Caco.* Ipse sævissimæ feræ, unde ille partem habuit feritatis (nam et semiferus dictus est). — Semifer est qui dimidia sui parte fera est, altera homo, semivir, semihomo, ut Centaurus, Siren, Scylla, Cacus, *mezzo bestia,* μιξόθηρ, ἡμίθηρ.

I.) Proprie. — *a)* Adjective. *Lucret.* 2. 701. Semiferas hominum species exsistere. et 4. *ibid.* 588. Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 44. 112. Corpore semifero magno Capricornus in orbe. *Virg.* 10. *Æn.* 212. *de Tritone.* Spumea semifero sub pectore murmurat unda. *Claudian. III. cons. Honor.* 60. non ocius hausit Achilles Semiferi præcepta senis. *et VI. cons.* 634. semiferi Gortynia tecta juvenci. *h. e.* Minotauri. *Id. Gigantom.* 80. *de Peloro gigante.* femorum qua fine volutus Duplex semiferis connectitur ilibus anguis. *Seneca Phœniss.* 119. semifero dolos Sphinx ore nectens. Adde *Herc. Œt.* 966. et 1470., *Stat.* 9. *Theb.* 220. et *Lucan.* 6. 386. — *b)* Substantivorum more. *Ovid.* 12. *Met.* 405. Hylonome, qua nulla nitentior inter Semiferos altis habitavit femina silvis. *h. e.* Centauros. *et* 2. *ibid.* 633. Semifer interea divinæ stirpis alumno Lætus erat. *h. e.* Chiron.

II.) Translate. — *a)* De brutis animalibus, et speciatim de domestica bestia, quæ multum feritatis habet, ut canes ex lupo et cane geniti: *lyciscæ* ob id appellati. *Grat. Cyneg.* 253. *de lycisca.* Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem Finxit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (224). Glires semiferum animal, cui vivaria in doliis idem, qui apris, instituit. — *b)* De hominibus, qui sunt agrestes, inculti, montium incolæ, feris moribus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (66). *de Indis.* Genus hominum semiferum ac plenum laboris immensi. — *Apul.* 4. *Met.* Semiferi Lapithæ. V. *Oudendorp.* adn. ad *h. l.* — Absolute. *Sil. It.* 3. 541. Illuvie rigidæque comæ squalore perenni Horrida semiferi promunt e rupibus ora. *selvaggi.* De Alpium incolis loquitur. — *NB.* Multa in hanc vocem scriptorum testimonia ideo protulimus, quia non defuere, qui eam toto Latio exsulare juberent, et *semivir* substituerent.

SĒMĬFĔRUS. *V.* SEMIFER init.

SĒMĬFORMIS, e, adject. *informe, mezzo formato,* ἡμίμορφος, dimidia sui parte formatus, imperfectus, semifactus, informis. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *circa med.* Tonitrua, quibus vitiantur ova, pullique semiformes interimuntur, antequam toti partibus suis consummentur. *Id.* 4. *ibid.* 25. Semiformis lunæ species. *mezzaluna.*

SĒMĬFRACTUS, a, um, adject. ex particip. (semi et frango) dimidia parte fractus. *Beda* 5. *Hist. Eccl.* 13. Defluentibus circa eum semifractarum crustis glacierum.

SĒMĬFULTUS, a, um, adject. ex particip. (semi et fulcio) *appoggiato per la metà,* dimidia tantum parte fultus. *Martial.* 5. 14. Subsellioque semifultus extremo, Et male receptus altero genu. *h. e.* una tantum nate incommode sedens.

SĒMĬFŪMANS, antis, adject. ex particip. (semi et fumo) *mezzo fumante,* adhuc aliqua parte fumans. Translate. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. Qui adhuc in eo semifumantem præfecturæ nuper extortæ dignitatem venerabatur.

SĒMĬFŪNĬUM, ii, n. 2. (semi et funis) *mezza fune, cordicella,* funis dimidio tenuior. *Cato R. R.* 135. Funem loreum in plostrum justum pedes LX., semifunium pedes XLV.

SĒMĬGÆTŪLUS, a, um, adject. qui ad Gætulos vel regione vel moribus accedit. *Apul. Apolog.* Memet professus sum Seminumidam et Semigætulum.

SĒMĬGĔLĀTUS, a, um, adject. ex particip. (semi et gelo) dimidia parte gelatus seu gelo constrictus. *Compend. Vitruv.* 30. *p.* 312. 11. *Rose.*

SĒMĬGĔNĬUS, a, um, adject. diversi generis, ἑτερογενής, ut Semigenia nomina, *h. e.* nomina quæ in diverso num. diversi sunt generis, ut *cœlum,* plur. *cœli. Anecd. Helv. p.* 762. 21. *Hag.*

SĒMĬGERMĀNUS, a, um, adject. de Germanis participans. *Liv.* 21. 38. *sub fin.* Quum quæ ad Apenninum feræ, obsæpta gentibus Semigermanis fuissent.

SĒMĬGŎMOR, n. indecl., dimidia pars gomor. *Ambros. Ep.* 26. *n.* 9. Per semigomor semiplena mensura intelligitur.

SĒMĬGRÆCĒ, adverb. *mezzo alla Greca,* pæne Græco more. *Lucil.* apud *Vel. Long. de Orthograph. sub init. p.* 2214. *Putsch.* S nostrum, et Semigræce quod dicimu' Sigma Nil erroris habet. Ita et *Lachmann.;* at *Müllerus* leg. *Græce.*

SĒMĬGRÆCŬLUS, a, um, adject. deminut. Semigræci. *Hieronym. Ep.* 50. *n.* 2. Si me absque usu Latinæ linguæ, Semigræculum barbarumque homo Latinissimus et facundissimus superet.

SĒMĬGRÆCUS, a, um, adject. Ἡμιέλλην, Græcis participans. *Varro* 2. *R. R.* 1. Ut Semigræcis pastoribus dicam Græce. *Flor.* 1. 10. Tarentum, Semigræca ex Lacedæmoniis conditoribus civitas. *Sueton. Gramm.* 1. Poetæ et oratores Semigræci. *h. e.* qui utraque lingua, Græca et Latina, usi sunt.

SĒMĬGRĂVIS, e, adject. *mezzo aggravato,* pæne omnino gravatus. *Liv.* 25. 24. Magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant. Alii rectius leg. *somno graves.* At *Lactant.* ad *Stat.* 1. *Theb.* 149. Semigraves vino convivæ.

SĒMĬGRO, as, āvi, ātum, n. 1. (se et migro) *partirsi,* ἀποικέω, ad seorsum habitandum me confero. *Cic. Cœl.* 7. *ad fin.* Reprehendistis, a patre quod semigrarit.

SĒMĬHIANS *vel* sembians, antis, adject. ex particip. (semi et hio) *mezzo aperto,* aliquantum hians. *Apul.* 10. *Met.* Semihiantes labias comprimere. *Id.* 5. *ibid.* Semihians vox. *h. e.* vox semihianti ore prolata. *Catull.* 61. 219. Dulce rideat ad patrem Semihiante labello. Ut ratio carminis constet, recurrendum est ad synæresin. *V.* quæ dicta sunt in SEMIANIMIS.

SĒMĬHIULCUS *vel* semiulcus, a, um, adject. De quantitate syllabæ *V.* voc. præced. — Semihiulcus est semihians. *Poet. quidam* apud *Gell.* 19. 11. Dum semihiulco savio Meum puellum savior.

SĒMĬHŎMO, inis, m. 3. Si ratio habeatur quantitatis, ubique hic a poetis adhibetur eo modo, quo in SEMIANIMIS dictum est. — Semihomo est semivir, semifer, *mezzo uomo e mezzo bestia,* ἡμιάνθρωπος.

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Æn.* 193. Hic spelunca fuit vasto submota recessu Semihominis Caci. *Id. ibid.* 198. vocat monstrum, *et* 267. semiferum. *Ovid.* 12. *Met.* 536. Hæc inter Lapithas et semihomines Centauros Prœlia. *Sedul.* 1. 231. Semihominemque canem supplex homo pronus adoret. *h. e.* Anubim. *Colum.* 10. *R. R.* 19. Quamvis semihominis vesano gramine feta Mandragoræ pariat flores. *scil.* quia radice inferiorem partem hominis refert. *h. e* crura et pedes.

II.) Translate, qui incultis et feris est moribus, *selvaggio, bestiale, fiero. Sil. It.* 11. 180. Ille ego semihomines inter Nasamonas, et inter Sævum atque æquantem ritus Garamanta ferarum Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?

SĒMĬHŌRA, æ, f. 1. *mezz'ora,* ἡμιώριον, spatium dimidium unius horæ. *Cic. Rabir. perduell.* 2. *a med.* Meque ex comparato et constituto spatio defensionis in semihoræ curriculum coegisti. *Cels.* 3. 21. *a med.* Id ante meridiem tota hora, post meridiem semihora fieri oportet. Adde *Auct. B. Afr.* 38, *Petron. Sat.* 69. et *Marcell. Empir. c.* 22. *p.* 118. *retro.*

SĒMĬĬNĀNIS *vel* seminanis, e, adject. ἀμφίκυρτος, dimidia parte inanis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (80). Luna in quadrato solis dividua est, in triquetro seminani ambitur orbe, impletur autem in adverso. *h. e.* orbe imminuto, major scilicet dimidia, minor plena.

SĒMĬINSŬLA, æ, f. 1. pæninsula. *Beda Vit. Cuthb. c.* 17.

SĒMĬINTĔGER, tegra, tegrum, adject. dimidia parte integer. *Ammian.* 20. 5. 4. Post civitatum excidia peremptaque innumera hominum milia, pauca, quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret.

SĒMĬJĒJŪNĬUM, ii, n. 2. *mezzo digiuno.* In plur. num. *Tertull. advers. Psych.* 13. Stationum semijejunia interponentes.

SĒMĬJŪDÆUS, i, m. 2. qui dimidia parte Judæus est. *Hieronym.* 1. *in Is.* 2. 20. videlicet Judæi aut Semijudæi, id est Ebionitæ.

SĒMĬJŪGĔRUM, gĕri, n. 2. ἡμίπλεθρον, medium jugerum. *Colum.* 5. *R. R.* 18. Vel in semijugera omnis modus dirimatur. *et ibid.* 1. Galli semijugerum arepennem vocant. Adde *Gromat. vet. p.* 372. 17. *Rudorff.*

SĒMĬJUSTUS, a, um, adject. ex dimidio justus. *Gloss. Isid.*

SĒMĬLĂCER, cĕra, cĕrum, adject. *mezzo lacero,* ἡμίρραπτος, dimidia parte lacer. *Ovid.* 7. *Met.* 344. Semilacerque toro tentat consurgere. V. *Afran.* apud *Perott. Cornucop.* ad *Martial.* 1. 15.

SĒMĬLĀTER, tĕris, m. 3. *mezzo mattone. Vitruv.* 2. 3. *a med.* Una parte lateribus ordines, altera semilateres ponuntur. Ita *Forcellinus.* At *Schneid.* leg. *semilateriis.* Sic *Schneid.* et *Rosius* apud *eumd. ibid.* Fiunt cum his lateribus semilateria.

SĒMĬLĀTĔRĬUM, ii, n. 2. (semi et later) *V.* voc. præced.

SĒMĬLAUTUS, a, um, adject. ex particip. (semi et lavo) *mezzo lavato,* male lotus, sordidus. *Catull.* 54. 2. Semilauta crura.

SĒMĬLĪBER, bĕra, bĕrum, adject. *mezzo libero,* ἡμιελεύθερος, media libertate fruens. *Cic.* 13. *Att.* 31. Obsecro, abjiciamus ista, et semiliberi saltem simus. *Seneca Brevit. vit.* 5. *in fin.* Semiliberum te dixit Cicero. at mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procedet: numquam semiliber erit, integræ semper libertatis et solidæ.

SĒMĬLĪBRA, æ, f. 1. *mezza libbra,* selibra. *Apul. Herb.* 99. Adipis cervini semilibra. Adde *Aurel. Vict. vir. ill.* 58. *Veget.* 5. *Veterin.* 46. 3. Resinæ terebinthinæ semilibram, piperis triti drachmam, olei veteris scutarios duos pariter decoques.

SĒMĬLIXA, æ, m. 1. ἡμισκευοφόρος, qui fere lixa est. *Liv.* 28. 28. Illi primum non Atrium Umbrum semilixam ducem secuti sunt. Ita per contemptum vocatur C. Atrius Umber, qui ab *eod. ibid.* 24. gregarius miles dicitur. *Id.* 30. 28. Cui (*Syphaci*) Statorius semilixa ducere exercitus solitus sit. Hic idem *semilixa* per contemptum appellatur, qui tamen ab *eod.* 24. 48. Q. Statorius centurio dicitur.

SĒMĬLIXŬLA, f. 1. *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll. V.* LIXULÆ.

SĒMĬLŪNĀTĬCUS, a, um, adject. *mezzo lunatico,* qui paullo minus est, quam lunaticus. *Firmic.* 7. *Mathes.* 3. *ad fin.* Semilunatici nascentur.

SĒMĬMĂDĬDUS, a, um, adject. *mezzo bagnato,* ἡμίβροχος, dimidia parte madidus. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus.

SEMIMAGUS, i, m. 2. qui fere magus est Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 80. Magus, simimagus. *Lege* semimagus; *at fortasse legendus est* Simon Magus. Ita cl. *Furlanetto* in *App.*

SĒMĬMĀRĪNUS, a, um, adject. ἡμιάλιος qui et de mari et de terra participat. *Lucret.* 5. 890. Aut rapidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas.

SĒMĬMAS, măris, adject. comm. gen. *mezzo maschio e mezzo femina, ermafrodito,* ἀνδρόγυνος, mas simul et femina.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 380. Ergo ubi se liquidas, quo vir descenderat, undas Semimarem fecisse videt, etc. *Liv.* 31. 12. *ad fin.* Ante omnia abominati semimares, jussique in mare deportari. Apud *Ovid.* 12. *Met.* 506. Ceneum Elati filium, qui puella fuerat, et Neptuni munere translatus in virum, Centauri per convicium *semimarem hostem* vocant.

II.) Translate est castratus, eviratus, exsectus, *castrato, eunuco, semivir,* ἡμίανδρος. Tales enim masculi vigoris quasi dimidio carent. *Varro* 2.

R. R. 9. et Colum. 8. R. R. 2. Feminæ, gallinæ; mares, galli; capi, semimares, quod sunt castrati. Ovid. 4. Fast. 183. Ibunt semimares, et inania tympana tundent. h. e. Galli Matris deum. Id. 1. ibid. 588. in magni castus Jovis æde sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis. h. e. vervecis.

SĒMĬMASCŬLUS, i, m. 2. semimas, castratus. Fulgent. 3. Mythol. 5. Berecynthia Attin castrando semimasculum fecit. Anacreon Od. 13. v. 2. Τὸν ἡμίθηλυν Ἄττιν.

SĒMĬMĀTŪRUS, a, um, adject. mezzo maturo. Pallad. 7. R. R. 12. Semimaturum hordeum. Id. 4. ibid. 10. 22. mespila. Marcell. Empir. c. 29. p. 129. retro. acetum.

SĒMĬMĒDUS, a, um, adject. pæne Medus, ut Semigræcus, Seminumida. Apul. Apolog. Genere mixto fuit, Semimedus et Semipersa.

SĒMĬMENSTRŬUM, i, n. 2. V. SEMESTRIUM.

SĒMĬMĔTŌPĬON, ĭi, n. 2. dimidia metopa. In plur. num. Vitruv. 4. 3. circa med. In extremis angulis semimetopia sint impressa.

SĒMĬMĬTRA, æ, f. 1. dimidia vel parva mitra, mitella. Ulp. Dig. 34. 2. 26. a med. Ornamentorum hæc sunt: vittæ, mitræ, semimitræ, calvatica etc.

SĒMĬMIXTUS, a, um, adject. ex particip. (semi et misceo) mezzo misto, dimidia parte mixtus. Marcell. Empir. c. 23. p. 119. retro.

SĒMĬMŌDĬUS. V. SEMODIUS.

SĒMĬMORTŬUS, a, um, adject. ex particip. (semi et morior) dimidia parte mortuus, pæne mortuus, semivivus, mezzo morto, semivivo, ἡμιθανής. Catull. 50. 14. At defessa labore membra postquam Semimortua lectulo jacebant. Petron. Sat. 108. Multi utrinque semimortui labuntur. Alii leg. sine morte. Apul. 6. Met. An custodiam anus semimortuæ formidabis?

SĒMĬNĀLĬA, ĭum, n. 3. V. voc. seq. in fin.

SĒMĬNĀLIS, e, adject. (semen) ad sementem et semen pertinens, da seminare, da semenza, σπερματικός. ¶ 1. Generatim. Colum. 11. R. R. 2. a med. Viciæ seminalis modii quinque, viciæ pabularis modii septem. Augustin. 13. Confess. 17. Seminalis herba. ¶ 2. Speciatim de animantibus. Auct. Priap. 26. Seminale membrum. h. e. membrum virile. Lactant. Opif. D. 12. venæ. Auct. Pervig. Ven. 65. trames. Cæl. Aurel. 3. Acut. 18. 180. viæ. Theod. Priscian. 4. 2. vascula. h. e. quæ ad semen virile pertinent. ¶ 3. Seminalis vita est, quæ et vegetabilis et Italice vegetativa dicitur. Claud. Mamert. 1. Stat. an. 21. Gratias creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum herbis et arboribus, vitam sensualem eamdemque animalem cum pecudibus, vitam rationalem cum angelis dedit. — Hinc

Seminalia, ĭum, n. plur. 3. absolute apud Tertull. 1. advers. Marcion. 13. ad fin. sunt ipsæ segetes, aut messes.

SĒMĬNĀLĬTER, adverb. (seminalis) ex seminibus. Claud. Mamert. 1. Stat. an. 21. ad fin. Omnia corpora sive crassa vel gravia, ut est aqua vel terra; sive tenuia et levia, ut est ignis et aer; sive illa, quæ ex his confluunt, seminaliter coeuntibus, corporis nomine includi non ambigitur.

SĒMĬNĀNIS. V. SEMIINANIS.

SĒMĬNANS, antis, particip. V. SEMINO.

SĒMĬNĀRĬA, æ, f. 1. et

SĒMĬNĀRĬUM, ĭi, n. 2. V. voc. seq. in fin.

SĒMĬNĀRĬUS, a, um, adject. ad semina pertinens. Cato R. R. 10. sub fin. Pilum fabarium unum, farrearium unum, seminarium unum, qui nucleos succernat, unum. — Hinc

Seminaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est quæ semina herbarum vendit. Inscript. apud Gruter. 79. 3. ATINIA TYRANNIS SEMINARIA A PORTA TRIVMPHALE. Reines. ad Inscript. cl. 11. n. 79. legendum putat feminaria. h. e. iatromæa, obstetrix.

Seminarium, ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, est plantarium, locus in agro, in quo surculi arborum, aut semina seruntur, ut, ubi ad certam magnitudinem adoleverint, in alium locum transferantur: cujus faciendi rationem Cato R. R. 46., Colum. Arbor. 1. et 2., Plin. 17. Hist. nat. 10. 14. (75), et ibid. 11. 15. (78). et Pallad. 3. R. R. 10. tradunt. Patavini rustici chiocára vocant. Græce est φυτευτήριον, φυτώριον (It. semenzajo, nestajuola, seminario; Fr. pépinière, plant de petits arbres; Hisp. plantel; Germ. e. Baumschule, Pflanzschule; Angl. a nursery or plantation of young trees).

I.) Proprie. Cato R. R. 40. Sulcos et scrobes seminariis facere. Id. ibid. 48. Pomarium seminarium ad eumdem modum, atque oleagineum, facito. Varro 1. R. R. 29. Seminaria omne genus ut serantur. Colum. 11. R. R. 2. ante med. Seminaria instituere. et ibid. Maturas plantas de seminariis in scrobes transferre. Id. 5. R. R. 6. Ulmorum seminarium paratum habere. Pallad. 4. R. R. 8. extr. Seminaria baccarum et seminum facere. Plin. 18. Hist. nat. 29. 71. (295). purgare sarculo. Pallad. 6. R. R. 4. assidue fodere. Ulp. Dig. 7. 1. 9. a med. Conserendi agri causa seminarium paratum renovare, quasi instrumentum agri. Tertull. Exhort. cast. 6. Compescens concubitum, seminarium generis (humani).

II.) Translate. Varro Sat. Menipp. 6. p. 117. Oehl. Vino nihil jucundius quisquam bibit, Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt, Hoc hilaritatis dulce seminarium, Hoc continet coagulum convivia. h. e. occasio, origo, principium. Cic. 2. Cat. 10. a med. Qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote, hoc in republica seminarium Catilinarium futurum. h. e. ex hoc genere hominum semper multos Catilinæ similes extituros. Epit. Liv. 39. Bacchanalia scelerum omnium seminarium. Cic. 13. Phil. 2. 3. Veterani seminarium judicum tertiæ decuriæ. Liv. 6. 12. Vix seminario exiguo militum relicto. Id. 42. 61. Equites seminarium senatus. Flor. 2. 6. a med. Hispania seminarium hostilis exercitus. Cic. Pis. 40. a med. Ex illo fonte et seminario triumphorum quum arida folia laureæ retulisses. Capell. 7. p. 238. Monas omnium numerorum sola seminarium est. Hieronym. in Helvid. n. 20. Hinc discordia, seminarium rixarum. Id. Ep. 27. n. 2. Seminarium rixarum. Apul. Apolog. malorum. Adde Curt. 8. 6. 6., et Auson. Grat. act. 30. Vopisc. Prob. 3. ad fin. Puer seminario virtutum generosiore concretus. — Ad hanc rationem *Seminaria* dicuntur loca redditibus Ecclesiasticis instructa, in quibus aluntur et erudiuntur pueri bonarum artium et religionis institutis, ut suo tempore alius alio colendæ Vineæ Domini transferantur. cujusmodi est nostrum hoc Patavinum, cujus gratia hæc a me, quem jamdiu alumnum habet, lucubrantur. V. Concil. Tridentin. sess. 23. c. 18. Ita Forcellinus, cujus verba religiose attulimus, vir et doctrina et pietate eximius, nostri Seminarii atque adeo totius Italiæ decus immortale, ex quo fonte, quicquid boni in hoc litterarum genere adhuc prodiit, derivatum est.

SĒMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (semino) actus seminandi, il seminare, σπορά.

I.) Proprie. Cassiod. Complex. 1. ad Cor. 27. Quæ seminationis triticeæ facta comparatione destruxit. Varro 2. R. R. 6. Ad seminationem onagrus idoneus, quod e fero fit mansuetus facile. h. e. ad generationem, ad coitum. Adde Ambros. de Noe 29.

II.) Translate. Cyprian. Ep. 73. n. 10. Nova adhuc ac rudis sermonis seminatio.

SĒMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui seminat, seminatore, σπορεύς.

I.) Proprie. Cic. 2. Nat. D. 34. 86. Omnium autem rerum, quæ natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus.

II.) Translate. Id. 3. ibid. 26. 66. Qui est versus omnium seminator malorum. Lactant. 5. 2. Tamquam fallaciæ seminatores. Julian. apud Augustin. op. imperf. 1. 9. Inimicus ille seminator.

SĒMĬNĀTRIX, trīcis, f. 3. (seminator) quæ seminat. Julian. apud Augustin. op. imperf. 4. 104. sub fin. Qui virili non est conceptus ex semine, liber a nexu seminatricis concupiscentiæ.

SĒMĬNĀTUS, a, um, particip. V. SEMINO.

SEMINECO, as, are, a. 1. dimidia ex parte neco. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in Not. Tir. p. 122. Necat, seminecat.

SĒMĬNĔCUS, nĕci, et

SĒMĬNEX vel seminecis, nĕcis, adject. qui ex accepto vulnere, vel ex morbo morti est vicinus, semivivus, semimortuus, moribundus, mezzo morto, ἡμιθανής. — a) De personis. Liv. 29. 2. ad fin. Qui circa regem, seminecem restantem, pugnabant. Id. 23. 15. circa med. Seminecem eum in acervo cæsorum corporum inventum curatumque benigne domum remiserat. Tac. 3. Hist. 28. in fin. Integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur. Sil. It. 10. 456. Seminecem extremo vitam exhalabat in auras Murmure deficiens jam Cœlius. Virg. 10. Æn. 462. Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta. — b) De rebus. Val. Flacc. 6. 176. Semineces crines. scil. in capite Medusæ. Ovid. 1. Met. 228. artus. Albinov. 1. 394. oculi. Sil. It. 4. 164. Seminecum letum peragit ungula pulsu. et 6. 11. Frustra seminecum quærentia lumina cælum. — Adde sequentes formas rariores. Heges. 5 47. Seminecibus. Gloss. Labb. Seminex. Spartian. Sever. 6. et Seren. Sammon. c. 42. Seminecis. Fragm. Bob. 542. 40. Keil. Seminecus.

SĒMĬNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (semen et fero) qui semen fert. Plin. 19. Hist. nat. 7. 36. (121). ubi tamen Sillig. leg. annifer.

SĒMĬNĬUM, ĭi, n. 2. (semen) semen, quo generatur animal, seme, σπέρμα.

I.) Proprie. Plaut. Mil. 4. 2. 67. Nisi huic verri affertur merces, non hic suo seminio quamquam porculam impertiturus est. Varro 2. R. R. 6. Asini optimi, e quorum seminio ego hic procreavi (lege procuravi) pullos, et ipsis Arcadibus vendidi aliquoties. — In illo Lucret. 3. 765. Si non certa suo cum semine seminioque Vis animi pariter crescit cum corpore quoque. semen est ipsa materia genitalis; seminium eadem materia generando infusa, et in prolem transmissa.

II.) Metonymice est genus, proles, indoles, natura, razza. Varro 2. R. R. 1. circa med. Boves quo sint seminio, quærendum. Id. 3. ibid. 9. de gallis gallinæ. Nec tamen sequendum in seminio legendo Tanagricos, qui ad partus sunt steriliores. Lucret. 3. 742. cur acris violentia triste leonum Seminium sequitur?

Homonym. Discrimen inter seminium et semen, V. apud Lucret. loc. supra cit.

SĒMĬNĪVERBĬUS, ĭi, m. 2. (semino et verbum) qui verba hac illac serit, loquax aut vaniloquus, nugator, cianciatore, σπερμολόγος: cf. Virg. 6. Æn. 160. Multa inter sese vario sermone serebant. Vulgat. interpr. Act. 17. 18. Quidam Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Adde Cassiod. Complex. Act. an. 42.

SĒMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (semen) Part. Seminans II. 1.; Seminatus I. 1. a. b., II. 2. a.; Seminandus I. 1. b. et II. 2. b. — Semino est semen spargo et terræ mando, sero, consero, σπείρω (It. seminare; Fr. semer, ensemencer; Hisp. sembrar; Germ. säen; Angl. to sow) et construitur cum Accus. rei aut loci, etiam sequente Ablat. cum præp. in, aut sine præp., vel cum Accus. et præp. in, super; aut absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accus. rei, quæ seminatur. Colum. 2. R. R. 8. 1. Seminare adoreum. Id. ibid. 3. triticum. — Passive. Id. ibid. 9. a med. Hordeum altero sulco seminari debet, post æquinoctium. Acro ad Horat. Art. P. 187. Draco, ex cujus seminatis dentibus dicitur acies armatorum nata esse. Vulgat. interpr. Matth. 13. 20. Seminatus est super petrosa. Id. ibid. 23. in terram bonam. — b) Cum Accus. loci, ubi seminatur. Vulgat. interpr. Exod. 23. 10. Sex annis seminabis terram. Id. Ps. 106. 37. Seminaverunt agros. — Passive. Colum. 2. R.

R. 4. *extr.* Neque in lira sed sub sulco talis ager seminandus est. Adde *Vulgat. interpr. Jer.* 2. 2. — c) Absolute. *Id. Eccli.* 6. 19. Quasi is qui arat et seminat. *Id. Eccle.* 11. 4. Qui observat ventos, non seminat. — *Seminata*, part. neutr. plur. absolute, idem ac sata. *Ambros. in Luc.* 5. 6. ¶ 2. Speciatim est genero. *Virg.* 6. *Æn.* 205. Quale solet silvis brumali frigore viscum Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Lactant.* 1. 22. et 4. 10. Ut cultum Dei per totam terram seminaret. *disseminasse*. Adde *Vulgat. interpr. Prov.* 6. 14. Seminat inter fratres discordias. *Id. ibid.* 14. jurgia. *Id. Os.* 8. 7. Ventum seminabunt, et turbinem metent. *Id. Prov.* 11. 18. Seminanti justitiam merces fidelis. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. — a) De hominibus. *Plaut. Amph.* 1. 2. 19. Alter decumo post mense nascetur puer, Quam seminatus est. — b) De brutis animantibus. *Colum.* 6. *R. R.* 24. Tauri quadrimis minores seminandis armentis parum habentur idonei. *et mox.* Si parte dextra desiluit, marem seminasse manifestum est. *et ibid.* 37. Asinum destinare mularum generi seminando.

SĒMĬNŌSŬS, a, um, adject. (semen) seminibus plenus. *Auct. Priap.* 52. Seminosæ cucurbitæ.

SĒMĬNŪDUS, a, um, adject. dimidia parte nudus, *mezzo nudo*, ἡμίγυμνος.

I.) Proprie. *Liv.* 9. 6. Primi consules prope seminudi sub jugum missi. *Id.* 24. 40. Ipse rex prope seminudus fugiens. Adde 31. 35., *Capell.* 1. *p.* 3. et *Fronton. princ. hist.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 318. — *Seminudus*, absolute, apud *Senec. Ep.* 62.

II.) Translate. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. *ante med.* Seminudæ sententiæ. *V.* INDECORE.

SĒMĬNŬMĬDA. *V.* in SEMIGÆTULUS.

SĒMĬŎBŎLUS *et* semobolus, i, m. 2. dimidium oboli, ἡμιόβολος. Alius erat Atticus, alius Ægineticus. Cf. *Rich, op. cit.* et *V.* OBOLUS. *Fann. de ponderib.* 8. Semioboli duplum est obolus. Adde *Isid.* 16. *Orig.* 25. 10.

SĒMĬŎBRŪTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* obruo) *mezzo coperto o sepolto*, dimidia parte obrutus. *Apul.* 9. *Met.* Dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum, hominem abscondit.

SĒMĬŎNUSTUS, a, um, adject. dimidia parte onustus. *Sisenn.* apud *Priscian.* 10. *sub fin. p.* 909. *Putsch.* Sic in eam paludem multi piscium saliendorum causa navibus semionustis commeant.

SĒMĬORBIS, is, m. 3. *mezzo cerchio o globo*, ἡμίκυκλος, dimidium orbis. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 8. *a med.* In semiorbe nihil prohibet aspici totam pilam. *Ammian.* 20. 3. *a med.* Διχόμηνος luna: quæ forma semiorbem ostendit. *h. e.* medilunium. *Id.* 22. 8. 5. Mare semiorbe curvescens.

SĒMĬPĀGĀNUS. *V.* PAGANUS.

SĒMĬPASTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* pasco) *mezzo pasciuto*, dimidio pastus. *Isid.* 12. *Orig.* 5. 9. Nec advolat (erucæ), ut locusta, ut, huc illucque discurrens, semipasta dimittat, sed universa consumit.

SĒMĬPĂTENS, entis, adject. ex particip. (semi *et* pateo) *mezzo aperto*, semiapertus, dimidio patens. *Sidon.* 7. *Ep.* 6. *a med.* Semipatentibus jacere vestibulis.

SĒMĬPĂTER, is, m. 3. *V.* SEMO.

SĒMĬPĔDĀLIS, e, adject. ἡμιποδιαῖος, medii pedis longitudinem habens. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (37). Semipedales ramorum relinquentes truncos. *Id.* 32. *ibid.* 1. 1. (3). Echeneis, semipedalis pisciculus. *Id.* 26. *ibid.* 8. 42. (69). Semipedalis altitudo. *Colum.* 12. *R. R.* 50. Asserculi inter se distantes semipedalibus spatiis. Adde *Vitruv.* 10. 19. *circa med.*

SĒMĬPĔDĀNĔUS, a, um, adject. semipedalis. *Colum.* 4. *R. R.* 1. Abunde est, semipedaneam consitis resolutam vitibus terram subjicere.

SĒMĬPĔRACTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* perago) semiperfectus, semifactus. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 299. Materiaque eadem defecta in parte perornat Semiperactum hominem, qua toto corpore finxit.

SĒMĬPĔREMPTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* perimo) dimidia parte peremptus. *Tertull. carm. de Sodom.* 133. Semiperempta etiam si qua illic jugera. *h. e.* semiambusta.

SĒMĬPERFECTĬO, ōnis, f. 3. dimidium perfectionis. *Ambros. Ep.* 44. Plenitudo in evangelio, semiperfectio in lege. Alii leg. *semipletio*.

SĒMĬPERFECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* perficio) dimidia parte perfectus.

I.) Proprie. *Sueton. Cal.* 21. Opera sub Tiberio semiperfecta absolvit.

II.) Translate. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Virtutes semiperfectæ.

SĒMĬPĔRĪTUS, a, um, adject. dimidia parte peritus. *Fronto ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. *init.* Omnium artium, ut ego arbitror, imperitum et indoctum omnino esse præstat, quam semiperitum et semidoctum.

SĒMĬPERSA, æ, m. 1. *V.* SEMIMEDUS.

SĒMĬPES, pĕdis, m. 3. dimidius pes, *mezzo piede*, ἡμιπόδιον. ¶ 1. Est mensura, et dicitur — a) De mensura octo digitorum. *Cato R. R.* 123. De junipero materiam semipedem crassam concidito minutim. *Varro* 3. *R. R.* 5. *a med.* Tympanum in latitudinem duo pedes, et semipedem in altitudinem palmum. *Vitruv.* 2. 3. Later longus pede, latus semipede. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 33. (144). Intervallo duum pedum et semipedis. (V. *Gronov. de sestert.* 1. 3. *p.* 29. πενθημιποδίον.) *Id. ibid.* 11. 16. (80). Scrobes non altiores quino semipede esse debere. *Sillig.* semisquipede. *Id.* 9. *ibid.* 5. 4. (11). Dentes belluæ maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. — b) De dimidio pede in versu. *Gell.* 18. 15. Varro scripsit, observasse se in versu hexametro, quod omni modo quintus semipes verbum finiret. *Auson. epist.* 4. 86. Qui penthemimerin habent priorem, Et post semipedem duos iambos. ¶ 2. *Semipes* apud *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 150. est qui altero crure trunco est.

SĒMĬPHĀLĀRĬCA, æ, f. 1. *V.* SEMIFALARICA.

SĒMĬPISCĪNA, æ, f. 1. dimidium piscinæ, parva piscina, species piscinæ, apud *Varron.* 1. *R. R.* 13. Una cohors, ut interdius compluvium habeat locum, ubi aqua saliat, quæ intro stylobatas quum venit, fit semipiscina. Ita locum refinxit *Schneiderus* ad *Scriptor. R. R. T.* 2. *p.* 704.

SĒMĬPLĂCENTĪNUS, a, um, adject. aliqua ratione Placentinus. *Cic. Pis.* 6. *in fin.* Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus et non Cæsoninus Semiplacentinus Calventius. *V.* GALLICANUS.

SĒMĬPLĂGĬUM, ĭi, n. 2. (semi *et* plaga) genus retis. *Isid.* 19. *Orig.* 5. 1., ubi *symplagium* pro *simplagium*, vel *semiplagium* esse dicunt eruditi, nisi malis a σύν, cum, et *plagium* pro *plaga* vocem derivare.

SĒMĬPLĒNĒ, adverb. *dimezzatamente*, plene pro dimidia parte. *Sidon.* 4. *Ep.* 22. *a med.* Præterita infructuose, præsentia semiplene dicuntur.

SĒMĬPLĒNUS, a, um, adject. plenus pro dimidia parte, ἡμίπλεος. — a) De rebus seu locis capacitate præditis. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 63. Semiplenæ naves. *Colum.* 9. *R. R.* 15. favi. *et* 5. *ibid.* 5. scrobes. *Pallad. Febr.* 32. vas. *Eumen. Paneg. Constantin. Flav.* 7. carpenta. — Cum Ablat. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 12. Apponendæ exterioribus partibus vesicæ oleo dulci calido semiplenæ. — b) De aliis est semiperfectus, speciatim quod ad numerum attinet. *Liv.* 25. 30. *ad fin.* Qui improviso adorti semiplenas stationes et adapertas fores portæ etc. *Vellej.* 2. 80. 1. Semiplenæ legiones. *Inscript.* in *Bullet. dell' Instit. archeol. a.* 1849. *p.* 285. honor. *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 847. elocutiones. *Priscian.* 18. 19. Semiplenum eum (actum) significans. *Serg. in Donat. p.* 504. 5. *Keil.* Aliter semiplenus est sensus. — Absolute in plur. num. neutr. gen. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 100. Ut semiplena dicendo cogat et interrogare et avidius audire Trojanos.

SĒMĬPLĒTĬO, ōnis, f. 3. *V.* SEMIPERFECTIO.

SĒMĬPLŌTĬA. *V.* PLAUTUS.

SĒMĬPŌDĬUS, a, um, adject. (semi *et* ποῦς, ποδός) qui est semipedis. *Mar. Victorin. de metr. p.* 166. 28. *Keil.* Inter quæ si semipodia syllaba posita fuerit, heroi tetrametri Archilochii metrum implebit.

SĒMĬPŎĒTA, æ, m. 1. dimidia parte poeta. *Schol.* in *Pers. prol.* 6.

SĒMĬPŬELLA, æ, f. 1. *semifanciulla, che ha metà del corpo umano come di giovanetta*, dimidia parte puella. *V.* SEMIDEUS et SIREN.

SĒMĬPULLĀTUS, a, um, adject. semiatratus, dimidia parte pulla veste indutus. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. *a med.* Accusatores semipullati.

SĒMĬPULSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* pello) In *fragm. incert. Auct.*, quod *Censorino* adnectitur, in exemplum pæonis denarii referuntur hæc verba antiquioris cujusdam poetæ, *c.* 14. *ad fin.* Qui repens semipulsus onere gravi fcres strepitu terret. At recentiores hanc voc. rejiciunt.

SĒMĬPŬTĀTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* puto) dimidia parte putatus sive cæsus, *mezzo tagliato*, ἡμικλάδευτος. *Virg.* 2. *Ecl.* 70. Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est. Adde *Var. Ruf. tr.* 9. et *Ambros. Ep.* 37.

SĒMĬQUĪNĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SĒMĬQUĪNĀRĬUS, a, um, adject. (semi *et* quini) qui continet dimidium numeri quinarii. *Semiquinarius*, nulla tamen Latini scriptoris adlata auctoritate, agnoscitur a *Priscian. p.* 1355. *Putsch.* — Hinc

Semiquinaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur dimidia pars versus pentametri, qui ex quinque pedibus, seu quatuor cum duabus cæsuris, constat. *Diomed.* 3. *p.* 502. *Putsch.* Pentameter, id est quinarius, scanditur, ut duæ semiquinariæ, ita ut posterius comma duos dactylos habeat et semipedem. Adde *Priscian. p.* 740. *Putsch.* V. PENTHEMIMERES et adnotata ad SEMISEPTENARIUS.

SĒMĬRĀSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* rado) *mezzo raso*, dimidia parte rasus. *Catull.* 59. 4. Quum devolutum ex igne prosequens panem Ab semiraso tunderetur ustore. *Apul.* 9. *Met.* Homines frontes litterati, et capillum semirasi, et pedes anulati.

SĒMĬRĔDUCTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* reduco) aliquantum reductus, retroflexus, interius reductus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 613. Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit, Protegitur læva semireducta manu. Hoc Veneris schema ita describit *Lamprid. Elagab.* 5. Ipse Veneris personam subiens, ita ut subito vestes ad pedes defluerent, nudusque una manu ad mammam, altera pudendis adhibita *etc.* Idem porro est etiam schema Veneris, quæ nunc de' *Medici* dicitur, et Florentiæ asservatur, quæque videtur, ut ait *Ovid. loc. cit.* 584. Partibus obscenis opposuisse manum. *V.* INTERFEMINIUM. Sic *Lucian. Amor.* 13. Ἀφροδίτη γεγύμνωται, πλεῖν ὅσα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῶ λεληθότως ἐπικρύπτειν.

SĒMĬRĔFECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* reficio) dimidia parte refectus, *mezzo rifatto*, ἡμιανασκευαστος. *Ovid. Heroid.* 7. 176. Laniataque classis Postulat exiguas semirefecta moras.

SĒMĬRĒMEX, mĭgis, m. 3. *mezzo rematore*, dimidia parte remex. *Septim. Severus* apud *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 116. Semiremex Hercules. *L. Müllerus* hanc vocem corruptam putat.

SĒMĬRŌMĀNUS, a, um, adject. aliqua ratione Romanus. *Acron* ad *Horat.* 1. *Sat.* 7. 2.

SĒMĬRŌSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* rodo) *mezzo rosicato*, dimidia parte rosus. *Arnob.* 6. *p.* 202. Semirosus panis.

SĒMĬRŎTUNDUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĒMĬRŎTUNDUS, a, um, adject. *mezzo rotondo*, semicirculi formam habens. *Apul.* 11. *Met.* Semirotundum subterraneum. *h. e.* Orcus. *Id.* 3. *ibid.* suggestus. *Veget.* 1. *Milit.* 23. Semirotunda castra. — Hinc

Semirotundum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est sigma, lectum semicirculi for-

mam habens. *Apul.* 5. *Met.* Viso statim proximo semirotundo.

SĒMĬRUPTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* rumpo) dimidia parte fractus, ut Semirupta mœnia, *Dict. Cret.* 5. 11. *ad fin.*, ubi alii rectius leg. *semiruta*.

SĒMĬRŪTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* ruo) *mezzo rovinato*, ἡμιβαλής. *Liv.* 32. 17. Purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat. *Flor.* 2. 15. *a med.* Plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 104. Exsere semirutos subito de pulvere vultus, Parthenope. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Semirutum vallum. *Lucan.* 1. 24. Semiruta tecta. *et* 4. 585. Semirutæ arces. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 155. semirutas confuso stamine telas, Atque interceptas agnoscit pectinis artes. *h. e.* semilaceras. — *Semiruta*, neutr. plur., absolute. *Apul. Florid.* *n.* 15. Oppidum fuisse amplum, semiruta mœnium indicant. Adde *Liv.* 36. 24. *Drakenb.*, ubi tamen *Gronov.* leg. *prorutos muros*.

SĒMIS, indeclin. ἥμισυ. — *a*) Male *Priscian.* 6. *p.* 708. *Putsch.* tribuit huic voci genetivum *semissis*. est enim indeclinabilis, ut dictum est. — *b*) Derivationem vocis *V.* infra. — *c*) In compositione pro *semis* est *semi*, et conjungitur vocibus a qualibet vocali vel consonante incipientibus, ut in exemplis, quæ κατὰ στοιχεῖον proposuimus, videre est. — In quibusdam tamen vocibus non solum *s*, sed etiam *i* abjicitur, ut in *semustus* pro *semiustus*, quas *V.* suis locis. Cf. SEMIANIMIS. — *d*) Interdum vero in compositis integrum manet, ut in *semistertius*; aut syncopen vel contractionem quomodocumque patitur, ut in *selibra* vel in *sestertius*. — Semis est dimidium cujuspiam rei: a voce Græca allata (*It. metà, mezzo; Fr. moitié d'un tout, moitié; Hisp. mitad; Germ. halb, die Hälfte; Angl. half, the half of any thing*). *Festus p.* 293. 9. *Müll.* Semis, semodius, semuncia: qua ratione ex Græco trabuntur etiam alia, quæ *s* litteram pro aspiratione eorum habent, ut ἑπτά, septem, ὕλαι, silvæ: sic ista ab eo quod illi dicunt ἥμισυ, declinata sunt. *Varro* 5. *L. L.* 173. *Müll.* Sestertius, quod duobus semis additur. dupondius enim et semis antiquus sestertius est. *Ascon.* in *Cic. Pis.* 4. Lex annonaria, ut frumentum populo, quod antea semis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. *h. e.* semissibus. Sic *Horat. Art. P.* 328. si de quincunce remota est Uncia, quid superest? poterat dixisse, triens *etc.* redit uncia, quid fit? Semis. *V.* SEMISSIS. *Varro* 5. *L. L.* 173. *Müll.* Veteris consuetudinis, ut retro ære dicerent, ita ut semis tertius, quartus semis pronunciarent, ab semis tertius sestertius dictus. *Colum.* 5. *R. R.* 1. *ad fin.* Pars dimidia (*jugeri*) pedes quatuordecim millia et quadringentos, hoc est semis. *scil.* dimidium jugeri. *Frontin. Aquæd.* 7. Ductus ejus habet longitudinem a capite ad Urbem passuum sexaginta millium, et MDCCX., et semis: rivo subterraneo passuum quinquaginta quatuor millium CCXXXXVII. semis. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. *ad fin.* Si campus est, duobus semis pedibus pastinetur. *piedi due e mezzo:* alte duos pedes et semissem, ut *Colum.* quoque 3. *R. R.* 13. *a med.* tradit. Rursus *Pallad.* 3. *R. R.* 9. *a med.* Si duos semis pedes inter vites relinqui placuerit. *Id.* 2. *ibid.* 15. *ante med.* Fodiemus ergo altam pede uno semis arcam. *Isid.* 1. *Orig.* 4. 4. Semivocales dictæ, eo quod quiddam semis de vocalibus habeant. *Ulp. Dig.* 28. 5. 50. *extr.* Partes assis sextans, quadrans, triens, quincunx, semis etc. *Vitruv.* 4. 1. *a med.* Septem crassitudinis diametros in altitudinem columnæ Doricæ, Jonicæ octo semis constituerunt. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 10. Longitudo habeat duos et semis cubitos. *Id. Num.* 34. 15. Duæ semis tribus.

SĒMIS, missis, m. 3. *V.* SEMISSIS.

SĒMĬSAUCĬUS, a, um, adject. *mezzo ferito*, ἡμίτρωτος. Translate. *Augustin.* 8. *Confess.* 8. *med.* Semisauciam versare et jactare voluntatem.

SĒMĬSECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* seco) dimidia parte sectus. *Pelagon. Veterin.* 1. 7. Si equus cœperit semisectis pedibus claudicare. Alii aliter leg., sed minus recte.

SĒMĬSĔNEX, sĕnis, m. 3. legitur a quibusdam in *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 5. O lepidum semisenem, si, quas memorat, virtutes habet. Alii leg. *senem:* alii *senicem:* quia olim declinabant *senex, senicis* vel *senecis* (unde *senecio*), ut *vervex, duplex, codex* etc., quod et *Charis.* 1. *p. Putsch.* adnotavit. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 3. *p.* 616. et 6. *p.* 724. Datores bellissimi negotioli, senices, soletis esse. Ita *Forcellinus.* Ceterum *Klotzius* hanc lectionem retinuit; at *Ritschl* et *Fleckeisen* leg., *senem*.

SĒMĬSEPTĒNĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SĒMĬSEPTĒNĀRĬUS, a, um, adject. (semi *et* septeni) qui continet dimidium numeri septenarii. *Semiseptenarius*, nulla tamen adlata scriptoris Latini auctoritate, agnoscitur a *Priscian. p.* 1355. *Putsch.* — Hinc

Semiseptenaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur pars versus, quæ tres pedes et dimidium continet. *Beda de metr. p.* 2369. *Putsch.* Heptemimeres, ubi post tres pedes invenitur syllaba, ut *Quum sua gentiles studeant.* Dicta autem heptemimeres Græce (ἑπτημιμερής) quasi semiseptenaria; quia quum per spondæos fit, constat septem syllabis, et septima syllaba tenet semipedem. Adde *Diomed. p.* 497. 23. *Keil.*

SĒMĬSĔPULTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* sepelio) ἡμιταφής, dimidia parte sepultus. *Ovid. Heroid.* 1. 55. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa.

SĒMĬSERMO, ōnis, m. 3. imperfectus sermo. *Hieronym. Ep.* 7. *n.* 2. Hic enim aut barbarus semisermo discendus est, aut tacendum.

SĒMĬSEXTĀRĬUS, ii, m. 2. dimidia pars sextarii. *Veget.* 1. *Veterin.* 15. Hæc omnia diligenter contusa in tres divides partes et diebus singulis in aqua tepida quasi singulos semisextarios clystere per intestinum animalis infundis.

SĒMĬSICCUS, a, um, adject. *mezzo secco, seccherecclo.* *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 4. Vellendi sunt thalli adhuc semisicci.

SĒMĬSĪCĪLĪCUS, i, m. 2. dimidius sicilicus. *Pallad.* 12. *R. R.* 22. *circa med.* Vini veteris unus semisicilicus. At recentiores aliter legunt.

SĒMĬSĬLĬQUA, æ, f. 1. dimidium siliquæ. *V.* SILIQUA. Translate. *Impp. Leo et Majoran. Leg. novell.* 1. *a med.* Ita ergo prædicta summa inter compulsores, ut diximus, partienda est, ut palatinus siliquam mediam pro siliquatico solidi remunerationis binorum solidorum; exactor siliquam, quatuor autem siliquas tam curialis, quam officium provinciale percipiat; officium sane præfectorum sex semisiliquas consequatur.

SĒMĬSOMNIS, e, et

SĒMĬSOMNUS, a, um, adject. *Semisomnis* est apud *Cic. loc. cit.* et *Senec. Vit. beat.* 14. et *Ep.* 122. — Semisomnus est fere adhuc dormiens, non satis experrectus, semisopitus, *mezzo addormentato*, ἡμίυπνος. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Quum illi interea spectarent communes mimos semisomni. *Id.* 7. *Verr.* 36. 95. Quum is etiam tum semisomnis stuperet. *Liv.* 30. 5. Multos semisomnos hausit flamma. *Alii leg.* semisomnes. *Plaut. Curc.* 1. 2. 22. Anui screanti, siccæ, semisomnæ potionem afferre. Adde *Sall. Jug.* 21., *Liv.* 9. 24. et *Phædr.* 4. 15. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Semisomnos, inermos, palantes ceciderant. *Id.* 1. *Hist.* 22. Dux semisomnus ac prope intectus. *M. Cæl.* apud *Quintil.* 4. 2. *ad fin.* Semisomno sopore inter manus centurionum jactabatur.

SĒMĬSŌNANS, antis, adject. ex particip. (semi *et* sono) *Semisonantes litteræ*, semivocales. *Apul. de Mundo.* Ex litteris aliæ sunt insonæ, semisonantes aliæ, pars sonantes. — Absolute in plur. num. *Terentian. de carm. her. p.* 2406. *Putsch.* Quæ tibi quum loquerer septem quoque semisonantes etc. Adde *Isid.* 1. *Orig.* 4. 4.

SĒMĬSŌNUS, a, um, adject. idem ac semisonans. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2455. *Putsch.* Superest, ut septem reliquas (*litteras*), semisonas, spiritu quoque instrepentes, ordine quodam persequamur. *Isid.* 1. *Orig.* 4. 4. Vocales et semivocales et mutæ a veteribus sonæ et semisonæ et insonæ dictæ sunt. *Id. ibid.* Semivocales dictæ eo quod quiddam semisonum de vocalibus habeant. Adde *Arnob. in Psalm.* 130.

SĒMĬSŌPĪTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* sopio) Tertia syllaba est brevis apud *Ovid.*, si vera est lectio. *V.* infra. — Semisopitus est idem ac semisomnis, *mezzo addormentato*, ἡμίυπνος. *Ovid. Heroid.* 10. 10. movi Thesea pressuras semisopita manus. *Id.* 1. *Amor.* 14. 20. Purpureo jacuit semisopita toro. *Liv.* 25. 39. Pars semisopitos hostes cædunt. *Apul.* 1. *Met.* Ille marcidus et semisopitus, in alterum latus evolutus etc. Apud *Ovid.* utroque loco alii rectius leg. *semisupinus*, quia in *semisopitus* tertia syllaba natura est longa; apud *Liv.* vero *semisomnos*.

SĒMĬSŌPŌRUS, a, um, adject. semisopitus. semisomnus. *Sidon. carm.* 11. 59. somnoque refusæ (*Veneris*) Semisopora levi scalpebat lumina penna (*Amor*).

SĒMĬSPĂTHA, æ, f. 1. ensis dimidio minor, quam spatha. *Veget.* 2. *Milit.* 15., cujus verba *V.* in SPATHA, item c. 16. Alii tamen ita legunt sit a *semispathium*, *ii*, h. e. parva spatha.

SĒMĬSPĂTHĬUM, ii, n. 2. semispatha. *Isid.* 18. *Orig.* 6. 5. Semispathium gladius est a media longitudine spathæ appellatus. *V.* voc. præc.

SĒMĬSPHÆRĬUM, ii, n. 2. ἡμισφαίριον, idem ac hemisphærium. *Boeth.* 4. *Music.* 17. A puncto, quo nervus semisphærium tangit, usque ad punctum, quo rursus ab alia parte altero nervus semisphærio jungitur, divido spatium. — In plur. num. apud *eumd.* 5. *ibid.* 12.

SĒMĬSQUARTUS, a, um, adject. cui deest dimidium quartæ partis. *V.* SEMISTERTIUS in fin.

SĒMĬSQUĬPES, ĕdis. *V.* SEMIPES.

SĒMISSĀLIS, e, adject. semissem continens. *Modestin. Dig.* 50. 12. 10. Ut sors apud eam remaneret, et ipsa usuras semissales exsolveret. *scil* quibus semissis, seu dimidium assis quotmensibus pro sorte centum assium exigitur, qui sunt sex asses quotannis. *sei per cento.* V. SEMISSIS. *Gromat. vet. p.* 215. 7. *Rudorff.* Terminus lepideus semissalis.

SĒMISSĀRĬUS, a, um, adject. ad semissem pertinens. *Florentin. Dig.* 30. 113. Semissarius coheres. *h. e.* qui semissem seu dimidium hereditatis habet.

SĒMISSIS, is, *vel* semis, missis, m. 3. Recentiores in recto casu sing. pro *semissis* leg. *semis.* V. *Comment.* in *Donat. etc. p.* 222. 34. *Keil.* — Semissis occurrit, tum proprie tum improprie, *A*) Substantive; et *B*) Adjective.

I.) Proprie, et quidem

A) Substantive *semis*, vel *semissis*, est dimidia pars assis: quasi *semiassis*, a Gr. *semis*, et Lat. *as.* V. AS. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* Sextans ab eo, quod sexta pars assis, ut quadrans quod quarta, et triens, quod tertia pars. Semis quod semias, id est ut dimidium assis. ubi *Forcellinus* leg. *semissis*. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (44). Placuit denarium pro decem libris æris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio ac semisse. — *b*) Speciatim de nummo æreo, qui dimidium assis valebat. *Epit. Liv.* 60. C. Gracchus legem tulit frumentariam, ut semisse et triente frumentum plebi daretur. (In re simili *Ascon.* in *Cic. Pis.* 4. dicit *semis æris ac trientibus*.) *Cic.* 1. *Herenn.* 12. 21. Quum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus laturus esset. *Id. Sext.* 25. 55. Ut remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur. Loquitur *Cic.* de lege a Clodio lata, ut gratis frumentum daretur populo, quod antea semisse et triente in singulos modios dabatur: ita ut quinta pars vectigalium tolleretur. nam *semisse* sunt unciæ sex, et *triente* unciæ quatuor. h. e. $^{10}/_{12} = ^{5}/_{6}$. — Signatus cernitur litterâ *S.* V. apud *Rich. op. cit.* — Valorem semissis Augustus mutavit, ratione monetaria in toto imperio æquata; attamen nomen servavit. V. *Mancini* in *Giornale*

degli Scavi di Pompei a. 1871. p. 191. — c) Fuit etiam nummus aureus valens dimidium solidi aurei. *Lamprid. Alex. Sever* 39 Tunc primum semisses aureorum formati sunt; tunc etiam, quum ad tertiam aurei partem vectigal desidisset, tremisses. — Hinc translate dicitur de homine minimi pretii. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 10. Simius, non semissis homo, contra me arma tulit et eum bello cepi. *h. e* qui ne semissem quidem valet. ¶ 2. Latiore sensu. — a) Generatim dicitur de parte dimidia cujuscumque rei, *metà, mezzo.* ut enim *as* totum aliquod significat, v. g. hereditatem, sortem, jugerum: ita *semissis* dimidiam partem. *Liv.* 6. 16. *ad fin.* Bina jugera et semisses agri assignati. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). Justum est proscindi semissem, iterari assem. *h. e.* proscindi jugeri dimidium, iterari jugerum integrum. *Id. ibid.* 6. 7. (35). Sex domini semissem Africæ possidebant, quum interfecit eos Nero. *h. e.* dimidium Africæ proprie dictæ, quæ est regio Zeugitana, ut *id.* 5. *ibid.* 4. 3. (23). docet. *Scævola Dig.* 36. 1. 78. *circa med.* Uti post obitum vestrum reddatis, restituatis Titio et Sempronio semissem patrimonii et portionis ejus, quam vobis dedi. *Sueton. Ner.* 32. Ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans cogeretur ei, qui etc. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (160). Interesse in plantario sesquipedes inter bina semina in latitudinem, in longitudinem semisses. *h. e.* semipedes. *Quintil.* 7. 1. 62. Quum alter semissem, alter universa (sibi vindicet). — b) Speciatim in re usuraria *semissis* est quum pro sorte v. gr. centum denariorum dimidius denarius singulis mensibus penditur, h. e. seni denarii quotannis, *sei per cento:* quod est dimidium usuræ centesimæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (56). Usura multiplicata semissibus, quæ civilis ac modica est. *Cic.* 5. *Fam.* 6. *ad fin.* Omnino semissibus magna copia (*pecuniæ*) est. *a sei per cento si trovano denari in copia.* et *Colum.* 3. *R. R.* 3. *a med.* Semisses usurarum. *et mox.* Usura semissium. Adde *Lamprid. Alex. Sever.* 26. *Paul. Dig.* 22. 1. 17. § 6. Si debitores, qui minores semissibus præstabunt usuras, fisci esse cœperunt, postquam ad fiscum transierunt, semisses cogendi sunt præstare. *Inscript.* apud *Murat.* 318. 1. et *Guasco Mus. Capit.* 7. 2. p. 74., quæ pertinet ad ann. 81. L. MAELIVS SVCCESSVS QVI CVM MELIA SYNTYCHEN. MATRE SVA SEMISSE (*sic*) PORTIONEM HABEBAT HVIVS AVIAE PERAEQVAVIT CVM SOCIIS SVIS VT OMNIBVS COMMVNIS SET (*pro* esset) HIS QVI S. S. S. LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQ. EORVM ITA QVI TESTAMENTO SCRIPTI FVERINT.

B) Adjective occurrit speciatim ¶ 1. De usuris ex semisse. *Scævola Dig.* 22. 1. 13. Qui semisses usuras promiserat, Per multos annos minores præstitit. *Paul. ibid.* 45. 1. 134. Quum præstaturum se caverit pecuniam, et usuras ejus semisses. Adde *ibid.* 46. 3. 102. *ad fin. Inscript.* apud *Gruter.* 378. 1. (emendatior apud *Finestres Syll. Inscript. Rom.* p. 183.) L. CAECILIVS L. F. PAP. OPTATVS DO LEGO DARIQVE VOLO ✕ VII. D. EX QVORVM VSVRIS SEMISSIBVS EDI VOLO QVODANNIS SPECTACLVM PVGILVM DIE IIII. IDVVM IVNII VSQVE AT ✕ CCL. ET EADEM DIE EX ✕ CC IN THERMIS PVBLIC. POPVLO PRAEBERI. Vide igitur legatos fuisse septem milia quingentos denarios, quorum usuræ semisses sunt denarii quadringenti quinquaginta. — Semisses usuræ ex agrorum cultu. V. *Plin. loc. cit.* in VECTIGAL et *Inscript.* apud *Orell.* n. 3678. et cf. *Colum.* 3. *R. R.* 3.

II.) Improprie et quidem

A) Substantive. ¶ 1. *Semis* apud Mathematicos est numerus tres. *Vitruv.* 3. 1. Sic sextantem unum, trientem duo, semissem tria, bessem, quem δίμοιρον dicunt, quatuor etc. ¶ 2. Etiam instrumentum semicirculi figura, quo equi inuruntur. *Veget.* 5. *Veterin.* 40. 4. Hinc SEMISSO, as.

B) Adjective ab instrumento, quo equi inuruntur. *Id.* 3. *ibid.* 11. 4. Caput et tempora sub ipso procumio semisse inure cauterio.

SĔMISSO, as, are, a. 1. (semissis) semisse inurere. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 4. Semissabis illud hoc modo. — Hoc modo plane qui semissantur, non læduntur.

SĒMISTERTĬUS, a, um, adject. cui deest dimidium tertiæ partis. *Priscian. de ponderib.* p. 1347. *Putsch.* Sestertius nummus, duarum semis librarum per duas II, et S, ex qua incipit semis, perscriptas, HS; unde sestertius dicitur semis tertius, de quo Aruntius hæc ait: Sestertius olim dupondius et semis, quasi semistertius, quo tempore denarius decussis valebat. Hoc est, post duos asses sequens tertio loco est semis. *Varro* 5. *L. L.* 173. *Müll.* Dupondius enim et semis antiquus sestertius est. Est veteris consuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut semistertius, semisquartus pronunciarent. Sestertius igitur ab semistertius dictus. *V.* SEMITALENTUM et SESTERTIUS. Ita *Forcellinus;* at *Müllerus* leg. *semis tertius et semis quartus* divisim.

SĒMISTRĬGĬUM, ii, n. 2. (semi et striga) dimidium strigæ. *Hygin. de munit. castr.* § 1. Cf. *Klenze* in *Philol. Abhandl.* p. 146.

SĒMISŬPĪNUS, a, um, adject. ἡμιύπτιος, media parte supinus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 788. Quum jacet in dextrum semisupina latus. *Martial.* 6. 35. vitreisque tepentem Ampullis potas semisupinus aquam. *V.* SEMISOPITUS.

SĒMISYLLĂBA, æ, f. 1. dimidium syllabæ. *Consent. de barb. et metapl.* 18. Metaplasmus aut vocalem litteram excludit, aut syllabam ex una vocali et *m*, aut semisyllabam.

SĒMĬTA, æ, f. 1. *Semes, itis,* f. 1. occurrit in *Corp. Inscr. Lat. T.* 3. n. 5524. VIIS SEMITIBVSQVE PRO SALVTE SVA Q. SABINIVS ASCLEPIADES V. S. L. M. (*scil.* votum solvit libens merito) ubi *Semes* pro deo, qui semitis præest, usurpatur. — Quod ad vocis etymon attinet, hæc habet *Varro* 5. *L. L.* 35. *Müll.* Qua ibant, ab itu iter appellarunt semita ut semiter dictum. ubi monet, vocem a *semi* et *iter* derivatam esse. Alii ducunt a Gr. οἴμη, via. *V.* etiam *Martini, Etym.* At recentiores philologi compositam esse putant a *se* et th. *mi* (Skr. *maj*, unde Lat. *mio* vel *meo*), quod significat *ire*, ita ut semita sit margo latioris viæ, seu trames, qua secedentes a latiore mediæ viæ spatio homines gradiuntur. — Semita igitur est callis angustior in margine majoris viæ, seu trames, qui in utroque margine latæ et militaris viæ calcatur ab hominibus ad evitandam molestiam jumentorum, vehiculorum, bajulorum, luti, pulveris, crepido (It. *marciapiede, sentiere;* Fr. *chemin latéral, trottoir;* Hisp. *camino para la comodidad de la gente de á pie;* Germ. e. *Fussweg, Fusssteig, Trottoir, Nebenweg;* Angl. *a causeway*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — a) Stricto sensu. *Plaut. Trin.* 2. 4. 80. Decedam ego illi de via, de semita. *Id. Curc.* 2. 3. 8. Nec quisquam sit tam opulentus, qui mi obsistat in via, – Quin cadat, quin capite sistat in via de semita. *Seneca Ep.* 64. *sub fin.* Si consulem videro, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. *Cf. Enn. Ann.* 44. Semita nulla pedem stabilibat. — b) Latiore sensu est callis quicumque angustior, vestigiis commeantium signatus, *via stretta, viottola, sentieruolo,* οἴμη, τρίβος. *Plaut. Rud.* 1. 3. 30. mihi ex his locis aut viam aut semitam monstret. *Id. Merc.* 1. 2. 5. Simul autem, plenis semitis, qui advorsum eunt, aspellito. Ita pro vulgato *plenissume eos* leg. *Ritschl* (*Op. phil.* p. 398.). h. e. ultro citroque commeantium concursu crebris, frequentibus. Cf. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Portari atque agi plenissimis viis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Romam in montibus positam, cenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo loco explicata, contemnent. *Colum.* 2. *R. R.* 11. In morem horti areas latas facito, ut per semitas aqua ministrari possit. *Virg.* 9. *Æn.* 383. Rara per occultos lucebat semita calles. *et* 11. *ibid.* 524. tenuis quo semita ducit. *Liv.* 44. 43. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant, cum perpaucis via divertit. *Liv.* 9. 24. Semita angusta et ardua. *Curt.* 6. 4. 20. invia. *Id.* 7. 11. 2. perangusta. *Sueton. Ner.* 48. Per arundineti semitam ægre evasit. — c) Latissimo sensu, de quacumque via, sive lata, sive angusta, sæpe usurpant poetæ, *Propert., Seneca Tragic., Claudian.* etc. — Jocus in ambiguo est illud *Plaut. Curc.* 1. 1. 35. Nemo ire quemquam publica prohibet via: Dum ne per fundum septum facias semitam, Dum tete abstineas, nupta, vidua, virgine, Juventute, et pueris liberis; ama quid lubet. — *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,* proverbio dixit *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. de his, qui quum se et res suas curare nesciant, aliis prospiciunt. *è più debole il puntello, che la trave* nos dicimus. — *De via in semitam degredi,* de via lata et recta in viam augustam et impeditam decedere, et dicitur de eo, qui sciens et prudens se ipse impedit, in arctum cogit. via enim lata est et facilis semita angustior et impeditior. *Plaut. Cas.* 3. 5. 40. ¶ 2. *Alta semita* dicta est sexta regio urbis Romæ, in qua via fuit, qua ad summum collem Quirinalem ascendebatur, V. *Sex. Ruf.* et *P. Victor.* ¶ 3. Alia est illa, de qua *Martial.* 5. 22. Alta Suburrani vincenda est semita clivi.

II.) Translate. ¶ 1. *Virg.* 4. *Æn.* 407. *de formicis.* opere omnis semita fervet. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (110). *de iisd.* Silices itinere earum attritos videmus, et in opere semitam factam. *Val. Flacc.* 2. 429. Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant: Spumea subsequitur fugientis semita clavi. *h. e.* vestigium gubernaculi undas a puppi secantis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (218). Arteriæ, id est spiritus semitæ. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 438. quid velox semita Lunæ, Pigraque Saturni etc. *h. e.* cursus. *Id. de Apono* 25. Herculei monstratur aratri Semita. *h. e.* sulcus, nota, signum. *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 99. *de Iride.* cum tramite flexo Semita discretis interviret humida nimbis. *h. e.* linea, fascia protensa. Sic *Seneca Troad.* 356. Et stella longa semitam flamma trahens. *striscia.* — De angusto freto maris, *Stat.* 1. *Achill.* 409. Phrixi qua semita jungi Europamque Asiamque vetat. ¶ 2. Et metaphorice. *Cic.* 4. *Verr.* 23. *a med.* Jam intelligetis, hanc pecuniam qua via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse. *Alii leg.* eadem, semita revertisse. *h. e.* eadem ratione, sed semita occultiore et breviore. *per la scorciatoja.* et *Horat.* 1. *Ep.* 18. 102. Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum, An secretum iter et fallentis semita vitæ. *Juvenal.* 10. 363. semita certe Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ. *Phædr.* 3. *prol.* 38. Ego porro illius semita feci viam. *h. e.* illius vestigiis insistens progressus sum: et quum ille (*Æsopus*) pauca quædam scripsisset, cogitavi plura, quam reliquerat. *Flor.* 1. 14. Novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperire. — Eleganter *Quintil.* 5. 14. *a med.* Locuples et speciosa vult esse eloquentia etc. Feratur igitur non semitis, sed campis, non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed, ut latissimi amnes, totis vallibus fluat. ¶ 3. In illo *Vulgat. interpr. Is.* 41. 3. Semita in pedibus ejus non apparebit. *semita* interpretibus aliis est, per metonymiam, vestigium semitæ seu itineris. *scil.* doloris laborisque signum in pedibus ex longo itinere; aliis vero via nova, ignota, nulli antea trita.

Homonym. Ita differunt *semita* et *via*, ut *via* sit latior et frequentior, *semita* angustior. *Plaut. Cas. loc. cit.* sciens De via in semitam degredere. *Martial.* 7. 61. Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos; et modo, quæ fuerat semita, facta via est. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Omnibus viis notis semitisque. Adde *Varron. loc. cit.* et *Liv.* 22. 14. *V.* plura in VIA.

SĒMITACTUS. *V.* SEGMENTATUS.

SĒMĬTĂLENTUM i, n. 2. ἡμιτάλαντον, sex talenta et semis, *h. e.* cui deest dimidium talenti. *Priscian. de ponderib.* p. 1347. *Putsch.* Hoc quoque secundum Atticos et Ionas, qui ἥμισυ τρίτον dicebant pro δύο ἥμισυ, teste eodem Didymo, qui hoc ponit, ostendens in omni parte orationis et constructionis analogiam Græcorum secutos esse Romanos, unde et Herodotus in primo Historiarum (*l.* 1. *c.* 50). Ἕλκων σταθμὸν ἕβδομον ἡμιτάλαντον (*h. e.* habens pondus sex talentorum et semis). Septimum semitalentum dixit

pro sex semis talenta. *V.* SEMISTERTIUS. Adde *Metrol. script. Lat. p.* 67. 7. *Hultsch.*

SĒMĪTĀLIS, e, adject. (semita) ad semitam pertinens. *Dii Semitales*, ἐνόδιοι, qui in semitis colebantur, Lares Viales, Compitales, ut Mercurius, Hecate etc. *Virg. Catal.* 8. 20. Neque ulla vota Semitalibus deis etc. *Inscript.* apud *Garrucci Diss. archeol. T.* I. *p.* 51. LARIBVS COMPITALIBVS VIALIBVS SEMITALIBVS SACRVM.

SĒMĪTĀRĬUS, a, um, adject. (semita) ad semitam pertinens. *Semitarii mœchi* apud *Catull.* 37. 16. sunt, qui meretrices triobolares consectantur, in quadriviis et angiportis et semitis prostantes.

SĒMĪTĀTIM, adverb. (semita) per semitas. *Titin.* apud *Charis.* 2. *p.* 194. *Putsch.* Ita semitatim fugi, atque effugi patrem.

SĒMĪTĀTRIX, trīcis, f. 3. (semito) quæ semitis præest. *Semitatrices deæ* habentur in *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4989.; ita etiam dii Bivii, Trivii, Quadrivii sunt appellati.

SĒMĪTĀTUS. *V.* SEGMENTATUS.

SĒMĪTECTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* tego) dimidia parte contectus, male tectus, seminudus, *mezzo coperto*, ἡμικάλυπτος. *Seneca Vit. beat.* 25. *ante med.* Malo, quid mihi animi sit, ostendere, pexatus et gausapatus (*alii leg.* prætextatus et clamydatus) quam nudis scapulis aut semitectis. *Apul.* 4. *Met.* Capuli carie et vetustate semitecti. *Ammian.* 19. 11. *ad fin.* Exercitus ob procursionem subitam semitectus. *Arnob.* 6. *p.* 209. Semitectis femoribus Diana. *Capell.* 6. *p.* 189. Sordenti pallio semitecti.

SĒMĪTER indecl. (semi *et* iter) dimidium itineris seu viæ, semita. *V.* loc. *Varron.* in SEMITA.

SĒMĪTERTĬUS, a, um, adject. *Scholiast.* ad *Lucan.* 2. 338. Semitertia divisio. *h. e.* pes unus et syllaba.

SĒMĪTO, as, are, a. 1. (semita) semitis distinguo, ut *limito* est limites constituo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (169). Semper vero (*vineas*) quintanis semitari, hoc est ut quinto quoque palo singulæ jugo paginæ includantur. Hæc *Plin.*, ubi alii perperam leg. *seminari.*

SĒMĪTŌNĬUM, ĭi, n. 2. (semi *et* tonus) ἡμιτόνιον, hemitonium, dimidium toni. *Macrob.* tamen 2. *Somn. Scip.* 1. *ad fin.* Sonum tono minorem veteres quidem semitonium vocitare voluerunt, sed non ita accipiendum est, ut dimidius tonus putetur: quia nec semivocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam sui in duo dividi sibi æqua non poterit; quum enim ex novenario numero constet, novem autem numquam æqualiter dividantur, tonus in duas dividi medietates recusat. Sed semitonium vocaverunt sonum tono minorem, quem tam parvo distare a tono deprehensum est, quantum hi duo numeri inter se distant, id est ducenta quadraginta tria, et ducenta quinquaginta sex. Adde *Hygin. Astr.* 4. 14. et *Boeth. loc. cit.* in SEMUS. Ceterum (*Censorin.*) *fragm. de metr. p.* 610. 17. *Keil.* Initium modi dicitur diesis, dimidium semitonium, totum tonos. Cf. *Capell.* 9. *p.* 315. et *Vitruv.* 5. 4. 3. *Schneid.*

SĒMĪTONSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* tondeo) dimidia parte tonsus. *Cyprian. Ep.* 77. *circa med.* Semitonsi capitis capillus horrescit. *et Ep.* 78. Semitonsis capitis capillaturam adæquasti.

SĒMĪTRACTĀTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* tracto) dimidia parte, vel non omnino tractatus, *trattato per la metà, o imperfettamente*, ut Semitractata materia, *Tertull. Fug. in persecut.* 1.

SĒMĪTRĔPĬDUS, a, um, adject. *mezzo tremante. Apul.* 7. *Met.* Semitrepidus juxta mucrones Martios constitutus.

SĒMĪTRĪTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* tero) ἡμιτριβεὶς, dimidia parte tritus. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *sub fin.* Quo collocata semitrita frumenta protegantur. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 36.

SĒMĪTRUNCUS, a, um, adject. dimidia parte truncus. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 534. Mutilum, sine cordibus, semitruncus.

SĒMĪŪDUS, a, um, adject. *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 77. Sudum est serenum subhumidum. Proprie autem sudum pars serena inter nubes quasi semiudum. *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 529. Sudum est quasi subudum, serenum post pluvias. Alii sudum semiudum. Volunt dici quum per nubes ad nos perveniat solis ictus non integer. *Non. p.* 31. 14. Sudum dictum est quasi semiudum, ut est aer post pluvias serenus et liquidus. At *Mercerius* leg. *semidium.*

SĒMĬULCUS. *V.* SEMIHULCUS.

SĒMĬUNCĬA. *V.* SEMUNCIA.

SĒMĬUNCĬĀLIS. *V.* SEMUNCIALIS.

SĒMĬUSTĬLO. *V.* SEMIUSTULO.

SEMIUSTULATITIUS, a, um, adject. (semi *et* ustulo) qui est unus ex semiustulatis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 165. Ustulat, ustulatitius; semiustulat, semiustulatus, semiustulatitius.

SĒMĬUSTŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĒMĬUSTŬLO, as, ātum, are, a. 1. (semi *et* ustulo) In antiquis MSS., teste *A. Peyron.* in *Cic. fragm. oration. p.* 161., sæpissime *semiustilo* pro *semiustulo* scribitur. — Part. *Semiustulatus* et *Semiustulandus.* — Semiustulo est dimidia parte ustulo, seu amburo, negligenter cremo. *Cic. Mil.* 13. 33. Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu spoliatum imaginibus, exsequiis, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. *Id.* 2. *Phil.* 36. 91. Faces incendisti, quibus semiustulatus ille est. *Id. fragm. orat. pro Tull.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 339.) 14. Semiustilatus effugit. *Curt.* 6. 23. 32. Pauci semiustulati venere in possessionem. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 348. Semiustulatum corpus. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 263. 21. *Merc.* et *Not. Tir. loc. cit.* in SEMIUSTULATITIUS. *Sueton. Tib.* 75. *in fin.* Conclamantibus plerisque, Atellam potius deferendum et in amphitheatro semiustulandum.

SĒMĬUSTUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* uro) *Pier.* in vet. exemplarib. quotquot legit, scriptum reperit *semiustus:* alii leg. *semustus*, ubi ratio carminis id postulet. *V.* SEMIANIMIS. *Gloss. Labb.* Semustus, ἡμίκαυστος; semustum, ἡμίφλεκτον. — Semiustus est dimidia parte ustus, male ustus, *mezzo abbruciato, abbrostito*, ἡμίκαυστος, ἡμιφλεγής.

I.) Proprie. *Sueton. Domit.* 15. *sub fin.* Evenit, ut, repentinâ tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes. *Ovid.* 4. *Fast.* 167. Semiustamque facem vigilata nocte viator Ponet. *Lucan.* 8. 792. Semiustus stipes. *et* 10. 496. Semiustæ classes. *Stat.* 12. *Theb.* 439. clipei fragmen semiustaque nosco Cingula. *Sil. It.* 3. 16. dona, quæ nuper ab arce Victor fumantis rapuit semiusta Sagunti. — Cum Ablativo. *Virg.* 3. *Æn.* 578. Enceladi semiustum fulmine corpus.

II.) Translate. *Liv.* 22. 40. Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse.

SĒMĪVĒCORS, ordis, adject. stultulus. *Gloss. Isid.* Semivecors, minimus a vecorde.

SĒMĪVĪĒTUS, a, um, adject. mollis, flaccidus, languidus. *Colum.* 12. *R. R.* 16. Alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt.

SĒMĪVIR, vĭri, m. 2. dimidia parte vir. *Analect. Helv. p. XXIV. Hag.* Semideos et semiviros vicimus, non quod semis, idest medii dii sint vel medii viri, sed quod perfecti dii et perfecti viri non sint: sic et semivocales, quia perfectum sonum non habent, ideo nuncupatæ sunt. Quod an verum omnino sit, ex iis, quæ subjecta sunt, videre licet. Adde *ibid. Comment.* in *Donat. p.* 222. 30.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Est media parte vir, mediâ bestia. *Ovid. Heroid.* 9. 141. Semivir Nessus. *Id.* 5. *Fast.* 380. Chiron. *Id.* 2. *Art. am.* 24. bos. *h. e.* Minotaurus. *V.* SEMIHOMO. — *b*) Est etiam hermaphroditus. *Martial.* 3. 91. Semiviro Cybeles cum grege junxit (*Misitius*) iter. ¶ 2. Latiore sensu est non perfecte vir, eunuchus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 110. (263). Testes homini tantum injuria, aut sponte naturæ franguntur, idque tertium ab hermaphroditis et spadonibus semiviri genus habent.

II.) Translate. ¶ 1. Est castratus, sectus. *Varro Sat. Menipp. p.* 121. *Oehl.* Semiviri Galli. *Sil. It.* 17. 20. chori. *Lactant.* 1. 17. Juvenem exsectis virilibus semivirum reddit. *Juvenal.* 6. 513. Bellonæ matrisque deum chorus intrat et ingens Semivir. *Hieronym. Ep.* 22. Præcedit caveas basternarum ordo semivirorum. ¶ 2. Et per metaphoram sumitur pro effeminato, molli. *Virg.* 4. *Æn.* 215. Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu. *Liv.* 33. 28. Qui tam atrocem cædem pertinere ad illos semiviros credebant. Adde *Stat.* 2. *Achil.* 363. et *Lucan.* 8. 552.

SĒMĪVĪVUS, a, um, adject. semimortuus, *mezzo morto, semivivo*, ἡμίζωος.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 45. Ibi hominem ingenuum, fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Nepos Eumen.* 4. Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit. *Cic.* 7. *Att.* 2. *extr.* Partbi repente Bibulum semivivum reliquerunt. *mezzo morto di paura.*

II.) Translate. *Cic. Sext.* 59. 126. Contionem interrogare solebat, vellentne me redire: et quum erat reclamatum semivivis mercenariorum vocibus, populum R. negare dicebat. *h. e.* debilibus et nullius vigoris. *Id. Pis.* 14. 31. Qui non admurmuratione, sed voce et clamore, abjecti hominis et semivivi furorem petulantiamque fregistis. *Seneca Brevit. vit.* 13. Ille otiosus est, cui otii sui sensus est: hic vero semivivus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est. *non sa d' esser vivo.* At *Klotzius* propria significatione *h. l.* accepit.

SĒMĪVŎCĀLIS, e, adject. ¶ 1. Est ad vocem et sermonem prope accedens. *Varro* 1. *R. R.* 17. In tres partes instrumenti genus dividunt, vocale et semivocale et mutum. vocale, in quo sunt servi: semivocale, in quo sunt boves; mutum, in quo sunt plaustra. *Veget.* 3. *Milit.* 5. signum militare *semivocale* vocat cornu, buccinam, tubam; *vocale* verba; *mutum* vexilla. ¶ 2. *Semivocales litteræ*, seu *semivocales* absolute, semisonantes grammaticis sunt, quarum appellatio a vocali incipit, et in ipsas desinit, ut F, L, M, N, R etc. mutæ, quarum nomen ab ipsis incipit, et in vocalem terminatur, ut B, C, D, G, P, Q, T etc. *Quintil.* 1. 4. *ante med.* Consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri. *Id.* 1. 7. 14. Semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris. Adde *Priscian.* 1. *p.* 540. *Putsch., Macrob. loc. cit.* in SEMITONIUM. et *Analect. Helv.* in SEMIVIR init. *Gloss. Gr. Lat.* Ἡμίφωνον γράμμα, semivocale.

SĒMĪVŎCUS, a, um, adject. (semi *et* vox) dimidia voce elatus, *pronunciato a mezza voce, balbettato. Augustin. Serm.* 151. 3. ed. *A. Maio.*

SĒMĪVŎLŬCER, cris, cre, adject. dimidia parte volucris. *Semivolucres puellæ* apud *Symmach.* 1. *Ep.* 41. (*al.* 47.) sunt Sirenes, quæ plumam pedesque avium, virginis ora gerunt, ut ait *Ovid* 5. *Met.* 553. *V.* SIREN.

SĒMĪVULSUS, a, um, adject. ex particip. (semi *et* vello) *mezzo strappato*, dimidia parte evulsus. *Capell.* 1. *p.* 5. Absque lauri arentis paucis admodum foliis vittisque (*alii perperam leg.* vitibusque) semivulsis.

SĒMĪZŌNĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui semicinctia facit. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 42. Strophiarii adstant, adstant semizonarii. Cf. *Wagner* de *Plaut. Aulul. p.* 21. *Bonn.* 1864.

SEMMEOR *vel* semneor, indecl. herba eadem quæ chamæleon. *V.* SEMEOR. Est autem ab Ægypt. *semehuor*, herba canina: cf. Gr. κυνόξυλον, planta canis. *Apul. Herb.* 26. Verum *Apul.* et *Kirker.* male *chamelæa* posuerunt pro *chamæleon*, quæ est herba ab illa omnino diversa. Sic in *Append. Dioscor. p.* 452. pro *semmeor* scri-

ptum σεσεvέωρ villose, idque de dipsaco. v. *J. Rossi op. cit. p.* 190.

SEMNĪON, ii, n. 2. σεμνῖον, herba pavonis picturis similis, odore eximio: sic dicta a majestate potentiæ, ut ait *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162); σεμνός enim est venerabilis, colendus.

SĒMO, ōnis, m. 3. *Semunes* vel *Simunes* pro *Semones* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 28. — Ratione habita etymi, *Forcellinus* vocem docet esse compositam ex *semi* et *homo* seu hemo; *Mommsenus* ex particula *se* et *hemo.* hemōnem pro *homine* dixit *Enn.* apud *Priscian.* 6. *p.* 683. *Putsch.*; sunt tamen, qui derivent a *semen*, perinde ac sint dii seminum præsides. — Semo, seu Semones erant dii ex illorum numero, qui minorum gentium dicuntur, hoc est ex hominibus in deos relati. *Fulgentius de prisc. serm. n.* 11. Semones dici voluerunt deos, quos cælo nec dignos adscriberent, propter meriti paupertatem, sicut Priapus, Epona, Vertumnus; nec terrenos eos deputare vellent, per gratiæ venerationem. *Ovid.* 6. *Fast.* 213. Quærebam, nonas Sanco Fidione referrem, An tibi, Semo pater: tunc mihi Sancus ait: Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo: Nomina trina fero. Quidam minus recte leg. *An tibi semipater* etc. *Liv.* 8. 20. Bona (*Vitruvii damnati*) Semoni Sanco censuerunt consecranda. *Capell.* 2. *p.* 39. Superior portio eos, sicut conspicis, claudit, quos ἡμιθέους dicunt, quosque Latine semones aut semideos convenit memorare. *V.* SANCUS et cf. *Capell. loc. cit.*

SĒMŌDĬĀLIS, e, adject. (semodius) semodio constans, ut Semodialis placenta, *Cato R. R.* 76. *extr.* olla, *Marcell. Empir.* 16. *a med.*

SĒMŌDIUM, ii, n. *et fere*

SĒMŌDIUS, ii, m. 2. (semi et modius) *Semodium* neutr. gen. hab. *Gloss. Gr. Lat.* Ἡμιμόδιον, semodium. Etiam *semimodius*, a quo per syncop. est *semodius*, leg. apud *Veget.* 2. *Veterin.* 8. 21. et *Metrol. script. Lat. p.* 145. 17. *Hultsch.* — Semodius, ἡμιμόδιον, *mezza mina*, dimidius modius. *Cato R. R.* 11. Rotam aquariam unam, modium præferratum unum, semodium unum. *Colum.* 2. *R. R.* 11. *extr.* Cicera quatuor modiis, nonnunquam et tribus, interdum etiam duobus ac semodio jugerum occupat. *Varro Sat. Menipp.* 9. *p.* 154. *Oehl.* Semodius margaritarum. Adde *eumd.* 5. *L. L.* 171. *Müll. Martial.* 7. 53. Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum. *Juvenal.* 14. 66. et tamen uno Semodio scobis hæc emendat servulus unus.

SĒMOL. *V.* SIMUL.

SĒMŌNES. *V.* SEMO.

SĒMŌNĬA, æ, f. 1. epitheton deæ a *Semo* dictæ. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.

SĒMŌTĒ, adverb. (semotus) *separatamente*, seorsum, secreto. *Marcell. Empir.* 20. *a med.*, et agnoscitur a *Diomed.* 1. *p.* 399. *Putsch.*

SĒMŌTIM, adverb. (semotus) idem ac semote, separatim. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* Hæc quatuor tunduntur, cernuntur: mellis autem Attici libras II. semotim bulliunt, et sic desuper supra memorata mittuntur. Adde *Scholiast.* ad *Lucan.* 4. 402.

SĒMŌTĬO, ōnis, f. 3. (semotus) separatio, secessio. *Fulgent.* 1. *Mythogr.* 6.

SĒMŌTUS, a, um, *et*

SĒMŎVENS, entis, particip. (se *et* movens) qui se movet; hinc est *semovente* recentiorum Italorum. *Resp. Papinian. tit.* 8. *ad fin.* Quod si res mobiles, vel si semoventes vi quisque rapuerit etc. Sic habet *Cod.* Amadutii, editiones aliæ *se moventes.* Res porro semoventes sunt pecudes et cetera animalia. Ita cl. *Furlanetto* in *App.*

SĒMŎVĔO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (se *et* moveo) *Semovo, is*, ni mendum irrepsit. in *fragm. Leg. repetund.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198., ubi leg. *semovantur* pro *semoveantur.* — Part. *Semotus* I. et in fin.; *Semovendus* II. — Semoveo est idem ac removeo, secerno, separo, sejungo, ἀποχωρίζω (It. *scostare, separare, allontanare, levar via, rimovere*; Fr. *éloigner en séparant, séparer, mettre à l'écart*; Hisp. *separar, alejar, apartar*; Germ. *b. Seite schaffen, absondern, entfernen*; Angl. *to remove or put aside, set apart, separate, withdraw*).

I.) Proprie. *Ter. Andr.* 1. 5. 5. Jam ferme moriens me vocat: Accessi: vos semotæ, nos soli. *Cic. Harusp. resp.* 12. *extr.* Qui antea voce præconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Orat.* 5. *a med.* Neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris; neque res lumen, si verba semoveris. *Id.* 1. *Acad.* 9. 34. (2. *post.*) Ab ea disciplina omnino Strato semovendus est. *Id.* 5. *Fin.* 8. 7. Voluptas semovenda est. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 65. meque ipse reduco A contemplatu, semoveoque, mali. *scil.* studio, carminibus. Alii leg. *submoveo.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempl. retulimus

Semotus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Semotior.*

I.) Proprie. — *a)* Absolute. *Auct. B. Alex.* 2. Munitiones semotarum partium tuebantur. *Horat.* 1. *Od.* 3. 32. Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum. *morte lontana.* — *b)* Cum Ablat. et præp. *ab*, aut sine præp. *Cæs.* 1. *B. C.* 84. Colloquium petunt semoto a militibus loco. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 21. et nisi quæ terris semota, suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. — Neutr. plur. absolute. *Lucret.* 5. 579. longe semota tuemur.

II.) Translate. — *a)* Absolute. *Lucret.* 4. 811. quasi omni Tempore semotum fuerit, longeque remotum. *Tac. dial. de Orat.* 2. Ut eorum disputationes et arcana semotæ dictionis penitus exciperem. *h. e.* secretæ a vulgo et privatim domi habitæ. — *b)* Cum Ablat. et præp. *ab*, aut sine præp. *Lucret.* 1. 58. Semota a nostris rebus sejunctaque longe. *et ibid.* 45. Semotus a curis. *et* 2. 19. cura metuque. *Lactant.* 5. 15. *a med.* Quo nihil arrogantius et nihil a sapientis ratione semotius.

SĒMŎVO, is, ere. *V.* voc. præced. init.

SEMPER, adverb. Ratione habita etymi, alii vocem constare dicunt ex *sem* pro Sansk. *sam* vel *sama*, Gr. ἅμα, simul; unde Lat. *simplex, singuli, semel, simul* etc., et syllaba *per*, quæ ad augendam vim affigi solet, non mutata vocis significatione, ut *nuper, parumper, paullisper* etc. Alii vero ducunt a Gr. ἕνος, vetus; *Döderlein* a Gr. ἀμπερές pro διαμπερές, prorsus, in totum, perpetuo. — Quidquid sit de etymo, semper est omni tempore, in omni vita, in omne tempus ætatis, usque, ἀεί (It. *sempre, sempre mai, mai sempre, tuttodì, continuamente*; Fr. *toujours, constamment, en tout temps*; Hisp. *siempre*; Germ. *allezeit, immer*; Angl. *always, ever, for ever*). Adverbium latissimi usus.

¶ 1. Universim. — *a)* Absolute. *Plaut. Amph. prol.* 79. Sat habet favitorum semper qui recte facit. *Id. Bacch.* 1. 1. 49. quamvis subito venias, semper liber est. *Id. Capt.* 3. 5. 5. semper occant, priusquam sariunt rustici. *Cato* apud *Gell.* 16. 1. Nequiter factum illud apud vos semper manebit. *Ter. Andr.* 1. 1. 8. postquam te emi a parvulo, ut semper tibi Apud me justa et clemens fuerit servitus, Scis. *Phædr.* 3. 14. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris. *et* 4. 1. Non semper ea sunt, quæ videntur. *Cic.* 1. *Tusc.* 23. 53. Quod semper movetur, æternum est. *Virg.* 5. *Æn.* 49. dies, quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 36. (114). Quod remedium pluribus semperque prodest. — Interdum redundare videtur. *Plaut. Aulul. prol.* 24. ea mihi cotidie — semper supplicat. *Id. Amph. prol.* 14. Lucrum ut perenne vobis semper suppetat. *Ter. Heaut. prol.* 39. ne semper assidue agendi sint mihi. *Cic. Rosc. Am.* 18. 51. Quum ruri assiduus semper vixerit. *Liv.* 5. 42. Nec ullum erat tempus, quod a novæ semper cladis alicujus spectaculo cessaret. *Catull.* 63. 90. Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit. *Ovid.* 4. *Fast.* 686. rura assiduis avida semper aquis. Similiter *Quintil.* 1. 1. 29. Semper et ubique. *Id.* 10. 1. 106. Ille semper, hic frequenter. Adde *Sueton. Aug.* 90. et *Petron. Sat.* 99. — *b)* Cum Genetivo. *Apul. Florid. n.* 16. *in fin.* Totoque abhinc orbe, totoque abhinc tempore laudes beneficii tui ubique gentium, semper annorum repræsentet (*liber meus*). ¶ 2. *Semper Augustus* vel *Augustus semper*, formula recentior adulandi imperatoribus. *Inscript.* apud *Orelli n.* 1003. DIVO VALERIANO PARENTI etc. SEMPER AVG. Adde aliam in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 1190. *V.* AUGUSTUS in ONOM. ¶ 3. Adjectivi more, qui quidem adverbiorum usus non solum Latinis, sed Græcis et etiam Hebræis familiaris est. (Cf. *Prov.* 3. 25., *Xenoph. Anab. l.* 1. *c.* 4. etc.) *V.* HYPHEN et ANTE. *Ter. Andr.* 1. 2. 4. Heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet. *h. e.* perpetua lenitas. *Cic.* 5. *Verr.* 12. 29. Omnes Siciliæ semper prætores. *Liv.* 5. 3. Seditionum semper auctores. *Id.* 8. 1. Sui semper hostes. Adde 30. 42. ¶ 4. Similiter conjungitur cum adjectivis. *Lucret.* 1. 124. semper florentis Homeri speciem. *V.* voc. seq. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (83). Medium inter dulcia vinumque est, quod Græci aigleucos (ἀεὶγλευκος) vocant, hoc est semper mustum. *Liv.* 9. 38. Avidam ulteriorum semper gentem. ¶ 5. Interdum significat continuitatem per aliquod temporis spatium. *Plaut. Amph.* 1. 1. 195. Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat. *Cic.* 1. *republ.* 23. 37. Quibus studiis semper fueris, tenemus. Adde *Ter. Adelph.* 4. 4. 24. ¶ 6. Pro sæpe, per synecdochen, accipit *Sedul. Comment. in Eutych. p.* 2. 15. *Keil.*, quamquam non absolute rem ponit.

SEMPERFLŌRENS, entis, adject. semper florens. *Lucret.* 1. 124. Unde sibi exortam semperflorentis Homeri. Ita *Quicherat*; at *Lachmannus* leg. divise *semper florentis.* et *Ambros.* 3. *Hexæm.* 17. Hanc viriditatem gratiæ semperflorentis in Christo secuta Ecclesia.

SEMPERFLŌRĬDUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SEMPERFLŌRĬUM, ii, n. 2. herba eadem quæ sempervivum. *Apul. Herb.* 123. Alii leg. *semperfloridum.*

SEMPERFRONDENS, entis, adject. semper frondens. *Ovid.* 8. *Met.* 295., ubi *Quicherat* leg. divisim.

SEMPERPLŪRĀLIS, is, adject. semper pluralis. *Priscian.* 18. *p.* 1201. *Putsch.* Pro his nos genetivis, si primæ sint vel secundæ nomina urbium; sin terræ, ablativis utimur et in semperpluralibus, ut Romæ, Tyri, Carthagine, Athenis. Adde *p.* 1354.

SEMPERVĪVENS, entis, adject. semper vivus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 2. 192. Herba semperviveus.

SEMPERVĪVUS, a, um, adject. qui semper vivit. *Prudent. Hamartig.* 164. Deus et Sapientia vera, Spiritus et Sanctus, res sempervivа. *Apul. Herb.* 123. Herbæ sempervivæ folia potui dentur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 201. Sempervіva herba, quam ἀείζωον vocant. — Hinc

Sempervіva, æ, f. 1. et

Sempervivum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, herbæ genus, ita dictum a perpetua viriditate, quod et *aizoon* Græca voce appellatur, *semprevivo*, ἀείζωον. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. duo ejus genera enumerat, majus et minusculum, additque majus ab Italis vocari etiam sedum magnum, minusculum ab aliquibus sempervivum; quamquam utrumque genus uno etiam sempervivi nomine appellatur. *V.* AIZOON. Adde *Apul. Herb.* 123. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. Contra erucas, semina quæ spargenda sunt, sempervivæ suco madefiant.

SEMPĪTERNĀLIS, e, adject. (sempiternus) idem ac sempiternus. *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Mach.* 1. 51. Suscipite gloriam magnam et nomen sempiternale. Adde *Augustin. Specul.* 28. ed. *A. Mai.*

SEMPĪTERNĒ, adverb. (sempiternus) *perpetuamente*, semper. *Pacuv.* apud *Non. p.* 170. 20. *Merc.* Populoque ut faustum sempiterne sospitent. Adde *Claud. Mam.* 1. *Stat. anim.* 3. et *Augustin.* 9. *Confess.* 3. et 11. *ibid.* 7.

SEMPĪTERNĬTAS, ātis, f. 3. (sempiternus) per-

petuità. Apul. Trismeg. Mundus stabili sempiternitate circumvallatus. Adde *Claud. Mam.* 1. *Stat. anim.* 1. 3.

SEMPĬTERNO, adverb. (sempiternus) semper, perpetuo. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 194. *Putsch.* Ego mihi monumenta hæc sempiterno posui, quæ cœpi. *Vitruv.* 1. 5. *ante med.* Ea materia permanet sine vitiis utilis sempiterno. *Solin.* 35. Tenacibus foliis sempiterno inumbrantur.

SEMPĬTERNUM. *V.* voc. seq. in fin.

SEMPĬTERNUS, a, um, adject. (semper et æternus) semper durans, perpetuus, ἀΐδιος, αἰώνιος (It. *continuo, perpetuo, eterno, sempiterno;* Fr. *qui dure toujours, perpétuel, éternel, sempiternel;* Hisp. *durable, perpetuo, eterno, sin fin;* Germ. *immer während, immer fortdauernd, ewig;* Angl. *continual, perpetual, endless*). *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 15. Immortalis memoria et sempiterna. *Id. Pœn.* 5. 4. 84. diis gratias agere sempiternas. *Id. Most.* 1. 3. 67. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum. *Id. ibid. v.* 90. Sempiternus amicus. *Ter. Andr.* 5. 5. 3. deorum vita. *Varro* 1. *R. R.* 2. hiemes. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. Ignis Vestæ perpetuus et sempiternus. *Id.* 2. *Orat.* 40. 169. Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. *Id.* 6. *republ.* 13. 13. Sempiternum ævum. *Id.* 5. *Fin.* 20. 55. In omni animali appetit animus agere semper, neque ulla condicione quietem sempiternam potest pati. *Id.* 4. *Cat.* 4. 7. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt. *prigione in vita.* et *Rabir. perduell.* 10. 29. Nihil nisi sempiternum spectare. Adde 1. *republ.* 17. 28. *Id. Sext.* 65. 137. Sempiternum consilium Senatus. *Id. Amic.* 10. 35. odia. *Id.* 6. *republ.* 17. 17. cursus stellarum. *Apul. Trismeg.* Deus in mundo sempiternus gubernator. Rursum *Plaut. Merc.* 2. 4. 2. Homo me miserior nullus est æque, opinor, neque adversa cui sint plura sempiterna. — In titulis Imperatorum R. occurrit. V. *Inscript.* apud *Orell. n.* 1096. — Absolute. *Ambros.* 5. in *Luc.* 50. Qui contempserit sæcularia, merebitur sempiterna. — *In sempiternum* vel *usque in sempiternum*, pro semper, perpetuo, sæpe apud Scriptt. Eccl. et *Vulgat. interpr.* — Hinc

Sempiterno. V. suo loc.

Sempiternum, adverbii more, pro semper, perpetuo. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 26. Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.

Homonym. *Sempiternus* et *æternus* ad deos et cælites pertinent secundum *Donat. Ter. Andr.* 5. 5. 3. Ego vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror. *Perpetuus* vero est continuatus, non interruptus; *sempiternus* et *æternus* qui semper manet: ille intermissione, hi fine carent. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. Vobis illum ignem Vestam perpetuum ac sempiternum. V. *Popm. op. cit., Goclen. Obs.* 345. et *Döderlein.* ad *h. v.*

SĒMUL. *V.* SIMUL.

SĒMUNCĬA, æ, f. 1. (semi et uncia) *Semiuncia* in *Gloss. Gr. Lat.* Ἡμιούγκιον, semiuncia.; et etiam *semiuntia* in *Metrol. scriptt. Lat. p.* 130. 11., 134. 11. et 131. 15. *Hultsch.* (V. *Iahn, Var. Lect.* in *Pers.* 5. 121. et *Hermann. Lect. Pers.* 3. *p.* 25.). — Semuncia est unciæ dimidium.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de cujusque rei, quæ in duodecim partes dividi possit, parte vigesima quarta, præcipue in hereditate. *V.* AS. *Cic. Cæcin.* 6. *ad fin.* Facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam. ¶ 2. Speciatim dicitur de nummo. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* Æris minima pars sextula, quod sexta pars unciæ. Semuncia quod dimidia pars unciæ. ¶ 3. De mensura in re agraria, et est vicesimaquarta pars jugeri. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 10. Pars vicesimaquarta (*jugeri*) pedes (*habet*) mille ducentos, hoc est semuncia, in qua sunt scripula duodecim. ¶ 4. De pondere, et est vigesimaquarta pars libræ. *Liv.* 34. 1. Ne qua mulier plus semuncia auri haberet. Adde *Cic.* 4. *Verr.* 25. 57. et *Val. Max.* 9. 1. *n.* 3. *Colum.* 12. *R. R.* 59. 5. Semuncia bene plena salis cocti. *Apic.* 1. Piperis semuncia. *Boeth. Geom. p.* 426. 6. *Fr.* Stater, id est semuncia. ¶ 5. De temporis spatio. *Semuncia horæ* est pars vicesimaquarta, quæ et scripulus dicitur, quæque duos sicilicos continet. *V.* SCRUPULUS. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 14. 11. (58). Haud dubium est, lunam lucere dodrantes semuncias horarum: ab secunda (*scil.* die) adjicientem usque ad plenum orbem, detrahentemque in deminutionem. h. e. *la luna crescendo luce nel secondo giorno sino al plenilunio tre quarti e una decimaquarta parte d' ora più che nel primo, cioè minuti* $47\frac{1}{2}$, *e decrescendo luce men di altrettanto.* V. SICILICUS.

II.) Translate. ¶ 1. Est *semuncia* in instrumento rustico apud *Caton. R. R.* 10. et 11., et creditur a nonnullis esse clitella dimidio minor, quam esse solet. *Gloss. Philox.* Κανθήλιον, semuncia, clitellæ. *Cato loc. cit.* Sirpeas stercorarias tres, semuncias tres, instrata asinis tria. et: Ornamenta bubus, ornamenta asinis instrata tria, semuncias tres. ¶ 2. Et per metaphoram. *Pers.* 5. 120. sed nullo ture litabis, Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti. *h. e.* exigua pars. *Ascon.* in *Cic. Mil. sub fin.* Bona ejus, propter alieni æris magnitudinem, semuncia venierunt. *h. e.* minimo pretio, nummo sestertio.

SĒMUNCĬĀLIS et semiuncialis, e, adject. (semuncia) *Semiuncialis* leg. *Mommsen.* apud *Solin. loc. cit.* in opt. Codd. — Semuncialis est qui mensuram, pondus vel valorem semunciæ exæquat, ut Semunciales asses, apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (46). Adde *Solin.* 53. Uniones ultra semiunciales inventos negant.

SĒMUNCĬĀRĬUS et semiunciarius, a, um, adject. (semuncia) semuncialis. *Liv.* 7. 27. Semunciarium ex unciario fenus factum. *censo di un mezzo per cento all' anno.* V. USURA.

SĒMUS, a, um, adject. (semis). ¶ 1. Est dimidia parte imminutus, semiplenus, *scemo. Gloss. Philox.* Semus, ἡμίκενος. *Eugenius præf.* ad *Dracont.* Semum mihi opusculum videbatur, si non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. *V.* SEMATUS. Adde *Boeth.* 1. *Music.* 16. Est minor pars septimadecima, major sextadecima: sed utraque semitonia nuncupantur; non quod omnino semitonia ex æquo sint media, sed quod semum dici solet, quod ad integritatem usque non pervenit. ¶ 2. Videtur esse idem ac *Semo, onis.* in *Inscript.* apud *Gruter.* 96. 7. SANCO FIDIO SEMO PATRI etc. — *NB.* In Lexicis *Klotzii* et *Freundii* hæc vox desideratur. — *Semus* in fine quarumdam vocum Lat., ut sunt *decasemus, polysemus* etc., est a Gr. σῆμα, signum, nota.

SĒMUSTŬLĀTUS vel semustilatus. *V.* SEMIUSTULATUS.

SĒMUSTUS. *V.* SEMIUSTUS.

SĔNĀCŬLUM, i, n. 2. (senatus) locus senatorum, ut ait *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 337. 12. *Müll.*, seu locus, quo senatores conveniebant, seu ubi consultandi gratia consistebant: quemadmodum locus, ubi cenarent, *cenaculum* vocabatur, *palazzo o piazza del consiglio,* βουλευτήριον.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 156. *Müll.* Senaculum supra Græcostasim, ubi ædes Concordiæ, et basilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent: dictum ut gerusia apud Græcos. Adde *Fest. loc. infra cit.* et *Liv.* 41. 27. — Differt a curia. *Val. Max.* 2. 2. *n.* 6. Sed ut a luxu perditis moribus ad severissima majorum instituta transgrediar, antea senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie quoque senaculum appellatur, nec exspectabat, ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat, ambiguæ laudis civem existimans, qui debitis reipubl. officiis non sua sponte, sed jussus fungeretur, quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis quam præstanti, acceptum refertur. — Aliquando senaculum et curia promiscue a grammaticis accipiuntur. In hac acceptione tria senacula Romæ fuerunt, quæ a *Festo* his verbis numerantur. Senacula tria fuisse Romæ, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriæ prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur, De senatu habendo: unum, ubi nunc est ædis Concordiæ inter Capitolium et Forum, in quo solebant magistratus D. T. cum senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium citra (*al.* intra) ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in Urbem admittere nolebant, senatus dabatur. Ita *Festus p.* 347. 22. *Müll.*

II.) Improprie dicitur de loco, quem Elagabalus statuit mulieribus, ubi solemnibus saltem diebus conventus fieret matronalis, ut in ejus vita prodit *Lamprid.* 4. Adde *Vopisc. Aurelian.* 49.

Homonym. Quomodo *senaculum* differat a *curia*, V. supra.

SĔNĀPI. *V.* SINAPI.

SĔNĀRĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* senarius, *h. e.* versus senariolus. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Tenebam etiam quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam.

SĔNĀRĬUS, a, um, adject. (seni) qui constat sex rebus, vel partibus, *senario,* ἑξταῖος. *Frontin. Aquæd.* 25. Senaria fistula. *h. e.* cujus diametros est sex quadrantum. *Capell.* 7. *p.* 240. Senarius numerus. *V.* HEXAS. Adde *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *Diomed.* 1. *p.* 286. *Putsch.* Senaria nominum forma. *h. e.* quæ per sex casus declinatur. *Prob. Cathol. p.* 33. 6. *Keil.* forma casuum. *Id. Inst. p.* 121. 9. nomina. *V.* MONARIUS. *Phædr.* 1. *prol.* Æsopus auctor quam materiam reperit, Hanc ego polivi versibus senariis. Adde *Quintil.* 9. 4. 125. — Hinc

Senarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, versus senarius, h. e. sex pedum, idem ac iambicus seu iambicus trimetrus Græcorum, cujus auctor fertur Archilocus (V. *Horat. Art. P.* 79.), tragicis et comicis usitatus; sed apud Græcos sex iambis fere constabat, apud Latinos vero plerumque liberior fuit. Hinc *Terentian. p.* 2432. *Putsch.* Iambus, ipse sex enim locis manet, Et inde nomen inditum est senario. Sed ter feritur: hinc trimetrus dicitur, Scandendo binos quod pedes conjungimus. et *Priscian. p.* 1319. *Putsch.* Omnes tam tragœdiæ quam comœdiæ veteris Latinæ scriptores eodem metri modo iambici sunt usi, ut omnibus in locis indifferenter ponerent quinque pedes, id est iambum, vel tribrachum, vel anapæstum, vel dactylum, vel spondeum, absque postremo loco etc. Cf. *Horat. Art. P.* 251.–258. *Cic. Orat.* 55. 184. Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe abjecti sunt, ut nonnumquam vix in his numerus et versus intelligi possit. Adde *Quintil.* 9. 4. 140.

SĔNĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SĔNĀTOR, ōris, m. 3. (seneo) *Senator* femin. gen. *V.* BALNEATOR. — Senator, *senatore*, erat vir primi et supremi ordinis, qui prudentia et auctoritate una cum regibus olim, dein consulibus aliisve magistratibus, postremo imperatoribus, suam in gravioribus negotiis sententiam dicendo rempubl. administrabat: γερουσιαστής, γέρων, βουλευτής, a senectute dictus, ut ait *Fest. p.* 339. 11. *Müll.*, cujus hæc sunt verba: Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio rempublicam administraret. Itaque etiam Patres appellati sunt, et nunc, quum senatores adesse jubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet: quia ii, qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam dicunt, et non vocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi. V. *L. Krahner, Alterth. R.* ad *h. l.* ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) In sing. num. *Cic.* 3. *Legg.* 18. 40. Est enim ipse senator is, cujus non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic jussa tria sunt, ut adsit. nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus. Nam brevitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia. *Id.* 1. *Orat.* 49. 215. Consilii publici auctor ac senator bonus. Adde *Cluent.* 56. 154. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 77. Artes, quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos. *Quintil.* 11. 1. 43. Neque eadem apud principem, magistratum, sena-

torem *etc.* ratio est. — *b)* In plur. num. *Liv.* 36. 2. Qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret. Hujus discriminis ratio affertur a *Fest. loc.* supra *cit.* Sic *Gell.* 3. 18. Qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant, sed quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant, et sententiæ jus habebant. *Cæs.* 1. *B. C.* 17. Magnus numerus senatorum atque equitum Romanorum in periculum venturus. Adde *Cic. Senect.* 16. 56. — Apud *Tacitum*, ubi vox senator additur nomini, disertim excludit magistratus significationem, quæ alias fere semper adjungitur. *Cf.* 2. *Ann.* 33. Proximo Senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone prætura functo. *et* 3. *ibid.* 31. Domitius Corbulo, prætura functus, de L. Sulla questus est apud Senatum. Contra 1. *ibid.* 75. Pius Aurelius senator. *et* 2. *ibid.* 27. Firmius Catus senator. *etc.* — Primi senatores Romæ ab rege Romulo centum creati sunt: deinde alii adjecti vel ab ipso, vel certe a subsecutis regibus: item a consulibus, tribunis milit. consulari potestate, et maxime a censoribus. *V.* PATER et CONSCRIPTUS. — Legebantur tum ex ordine patricio, tum ex equestri et plebejo, ut *Fest.* docet in *Præteriti p.* 246. *Müll.* et in *Qui patres p.* 254. et colligitur etiam ex *Liv.* 5. 12. *ad fin.* et 23. 32. — Præter hos in senatum admittebantur etiam ii, qui, licet nondum a censoribus in senatum lecti essent, nec senatores dicerentur, tamen ob gestos magistratus, præturam, consulatum etc. jus dicendæ sententiæ in senatu habebant. *Gell. loc.* supra *cit.* — Senatorum numerus post C. primos auctus est sub regibus ad CC. Tempore C. Gracchi erant CCC., ut est in *Epit. Liv.* 60. Is DC. equites adjicere voluit, sed non obtinuit. Sulla dictatore et deinceps supra CCCC. fuere. V. *Cic.* 1. *Att.* 14. *a med.* Cæsar dictator auxit usque ad DCCCC. (*Dio l.* 43. *c.* 47.) Triumviri post ejus mortem usque ad CIↃ., sed deminuit Augustus, et ad DC. redegit, ut *Sueton. Aug.* 33. et *Dio l.* 54. *c.* 14. narrant. — *Mazochi* (*Amphith. Camp. p.* 166. *col.* 2.) ait, ducentorum senatorum numerum appellari a *Cicerone* frequentem senatum; Augustum vero sanxisse, ut ne pauciores quam quadringenti requirerentur. — Census senatorius duplo major fuit equestri. Decebat enim, amplissimum ordinem cum dignitate teneri. — Ætas quænam fuerit, incertum. Probabile est fuisse post quæsturam. Quæsturæ statutus erat annus vicesimusseptimus; tricesimus igitur circiter fuerit ætas senatoria. Sunt tamen, qui putent, vicesimumquintum ingrediendæ curiæ satis fuisse: inter quos *Lips.* in *Tac.* V. QUÆSTURA. — Post sexagesimum quintum annum non cogebantur senatores in senatum venire, nec vetabantur, inquit *Seneca* 1. *Controv.* 8. *ante med.* Apud *Senec.* alter. *Brevit. vit.* 20. ponitur annus sexagesimus. *Cf. Cic. pro leg. Man.* 21. — Senatorum ornamenta erant tunica lati clavi, quam in luctu deponebant, et (si patricii essent) luna in calceis: jura, sedendi in orchestra ludis spectandis, et epulas publice habendi in Capitolio. *Cic. Cluent.* 47. *a med.*, 18. *Phil.* 13. 28., *Harusp. resp.* 12. 24. et *pro C. Cornel.* apud *Ascon.*, *Sueton. Cæs.* 80. et *Aug.* 33. *et* 94. *ad fin.* et *Gell.* 12. 8. *V.* CLAVUS, ORCHESTRA, LUNA. — Discrimen aliquod inter senatores fuisse patet ex loc. *Fronton.* 2. ad *Ver. Imp.* 7. Senator ætate et loco minor majorem gradu atque natu senatorem probe colit ac promeretur. *V.* CONSCRIPTUS. — De *clarissimatus* titulo, quo serius prædìti fuerunt, *V.* CLARUS et CLARISSIMATUS. — Sub imperatoribus senatores vetiti erant Italia egredi sine publico munere; sed anno post Chr. XLIX. iis hæc venia data est. V. *Tac.* 12. *Ann.* 23. et *Dion.* 52. 42. — Censores in quoque censu, quum fiebat lectio senatus, constituebant album senatorum, eos secundum uniuscujusque gradus ordinem disponendo, prout erant consulares, dictatorii, censorii, prætorii, ædilicii, tribunicii, quæstorii, pedarii, eosque senatu ejiciebant, quos hoc munere indignos putarent. *V.* CENSOR et LECTIO. De senatoribus vero consularibus, dictatoriis *etc.* *V.* CONSULARIS, DICTATORIUS etc. ¶ 2. Latiore sensu. — *a) Senatores* vocati sunt etiam in municipiis, qui sæpius decuriones dicuntur. *Inscript.* apud *Murat.* 2024. 4. SEX. OCTAVIUS SEX. F. PAL. FELICIANVS SENATOR MVNICIPII ET AEDIL. REXS SACR. OB HONOREM *etc.* Hic lapis Tusculi repertus est. Adde aliam apud *Orelli n.* 4031. Ceterum *senatores* pro decurionum ordine deprehendere est Lanuvii, Neapoli, Nolæ, Sagunti, Tibure etc. apud *Gud.* 89. 3., *Gruter.* 194. 6., al. — *b)* Apud exteras gentes *senatores* sunt etiam viri principes, vel seniores, vel magistratus, qui judices, duces, consiliarii, seu generatim proceres reipublicæ, aut regni, aut imperii dicuntur. *Vulgat. interpr. Prov.* 31. 23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. *Id. Dan.* 6. 7. Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus et satrapæ, senatores et judices, ut decretum imperatorium exeat. — *c)* Videtur dici de aliquo gradu in militia palatina. *Hieronym. adv. Joh. Hierosol. n.* 19. Senator, ducenarius, biarchus etc. — *d)* Dicitur etiam de eo, qui in Sanctorum numerum relatus est. *Venant.* 10. *carm.* 3. 4. — *NB.* De cognom. *R. F.* ONOM.

SĒNĀTŌRĬUS, a, um, adject. (senator) *senatorio*, βουλευτικός, ad senatorem pertinens. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 4. Socios, leges, rempubl. senatorio consilio maxime posse defendi. *Id. Flacc.* 18. 43. Lysanias adeptus est ordinem senatorium. *Id. leg. Manil.* 21. 61. Cujus a senatorio gradu ætas longe abesset. *Id. fragm. pro Cornel.* apud *Ascon.* Senatoria subsellia a populari consessu (*in ludis*) separare. *Id.* 1. *Tusc.* 1. 1. Senatoriis muneribus liberatus. *Quintil.* 11. 1. *circa med.* Aliud dicendi genus poscit gravitas senatoria, aliud aura popularis. *Sueton. Claud.* 24. Senatoria dignitas. — *Senatoria dignitas* item appellatur decurionatus in *Inscript.* apud *Gruter* 408. 1. et *Orell. n.* 4040., quæ prostat etiam nunc Tergeste, et pertinet ad tempora Antonini Pii Aug., qui imperavit ab ann. CXXXVIII. ad ann. CLXI. Rursum *Sueton. Claud.* 25. Senatoria domus. *h. e.* quam senator habitat. *Id. Vesp.* 17. Senatorius census. *Tac.* 4. *Ann.* 42. *extr.* Albo senatorio eradere aliquem. *Id.* 15. *ibid.* 28. et *Gell.* 14. 8. Senatoria ætas. *h. e.* ann. XXV. (*V.* supra.) *Id.* 12. 1. Is erat loci senatorii ex familia nobiliore. *Id.* 4. 10. Liber de officio senatorio. *Plin. Paneg.* 2. *ad fin.* Quid tam civile, tam senatorium, quam etc.? — Hinc

Senatorius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac senator. *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* 11. *sub fin.* Homines nobiles cum paucis senatoriis.

SĒNĀTŌRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SĒNĀTRIX, tricis, f. 3. (senator) quæ ad senatorium ordinem pertinet. *Priscian.* 4. *p.* 638. *Putsch.*, nullo allato exemplo.

SĒNĀTUS, us, m. 4. (seneo) *Senatus* est etiam secundæ declin.; hinc genet. sing. *Senati* apud *Quintil.* 1. 6. *a med.* Quid de aliis dicam, quum *Senatus, us, ui*, an *Senatus, ti, to* faciat, incertum sit? *Cic. Divin. Verr.* 5. 19. Quod in unaquaque re beneficio senati populique R. juris habui, id tu mihi eripuisti. Adde *eumd. ad Brut.* 1. 26. *Sall. Cat.* 31. 37. 57. et *fragm.* apud *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2. 2. 28. Senati decretum. *Plaut. Cas.* 3. 2. 6. et *Epid.* 2. 2. 5. Senati columen, præsidium popli. *Sisenn.* apud *Non. p.* 484. 19. *Merc.* Ex senati consulto. Ciceronis locum ita recitat etiam *Charis.* 1. *p.* 116. *Putsch.* (cui addunt alii 2. *Fam.* 7. *sub fin.* Ut senati consultum et leges defendas.) Sunt tamen MSS., in quibus *beneficio senatus* legitur. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 108. SEX. ATILIVS M. F. SARANVS PROCOS. EX SENATI CONSVLTO etc. Adde aliam apud *Henzen. n.* 6593. et *Auson. Edyll.* 8. 5. — Etiam *Senatuis* in genetivo olim dictum est. *C. Fann.* apud *Charis. ibid.* Senatuis consulta. Adde *Sisenn.* apud *Non. loc. cit.*, et *Senatuos* ἀρχαϊκῶς in S. C. de Bacchanal. apud *Fabrett. p.* 427. *n.* 1. *V.* FRUCTUS. *Varro* et *Nigid.* apud *Gell.* 4. 16. — Dat. sing. *Senato* et *Senatu* (V. *Gell.* 4. 16.) apud *Tac.* 1. *Ann.* 10. *Capit. Albin.* 12. 9. In *Fast. Philoc.* 1. *Nov.* in *Corp. inscr. Lat.* 1. 354. — *Senatud* pro *senatum* in *Inscript.* apud *Orell. n.* 3257. Q. RAVELO (*sic*) P. COMINIO C. F. L. MALIO C. F. QVAISTORES SENATVD COSOLVERE IEI. CENSVERE etc. At pro *Senatu* apud *Mommsen. n.* 715. — Dat. et Ablat. plur. *Senatibus* apud *Priscian.* 7. 91., nulla tamen allata scriptoris auctoritate; ceterum legitur apud *Jul. Capitolin. M. Ant.* 10. *Peter.*, ubi alii leg. *senatoribus*. — Senatus est ordo virorum, quorum consilio respublica regitur: a *senibus* dictus, quia senectus aptissima est consilio dando, βουλή, γερουσία (*It. senato, consiglio; Fr. le conseil des anciens, le sénat; Hisp. senado; Germ. d. Senat, d. Rath d. Alten;* Angl. *a senate, council*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a)* Universim. *Cic. Senect.* 6. 19. Consilium, ratio, sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. *h. e.* γέροντες. *Ovid.* 5. *Fast.* 63. Nec nisi post annos patuit tunc curia seros: Nomen et a senibus mite senatus erat. *Cic.* 2. *republ.* 12. 23. Ille Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari. *Id. Sext.* 65. *ad fin.* Magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reipublicæ præponerent sempiternum: senatum reipublicæ custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt: hujus ordinis auctoritate uti magistratus et quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt. *Id. Harusp. resp.* 27. 48. Senatus princeps salutis mentisque publicæ. *Id.* 1. *Divinat.* 12. 20. populus sanctusque senatus. *Id.* 3. *Legg.* 12. 28. Quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit. *Liv.* 9. 17. Senatus, quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit. *Cic. Sull.* 23. 65. Quum in Capitolium nos senatum convocassemus. *Id.* 5. *Fam.* 2. *ante med.* Senatum cogere. *Liv.* 3. 38. *a med.* vocare. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 1. Senatus frequens, vocatu Drusi, in curiam venit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. 1. Senatus infrequens. *Quintil.* 8. 3. 14. Suadendo sublimius aliquid senatus, concitatius populus poscunt. *Jul. Capitolin. Max. et Balb.* 3. Novo genere senatus consulti (Gordianus) inductus in curiam Cæsar est appellatus. *Liv.* 8. 38. Senatum consulere. *h. e.* ad senatum referre. *Cic. Senect.* 12. *ad fin.* Aliquem e senatu ejicere. *Id. Cluent.* 43. 122. Senatu movere. *Id. Flacc.* 18. 42. Venire in Senatum. *h. e.* senatorem fieri. *Id. Dom.* 31. 82. Legere in senatum. *h. e.* senatorem creare. *Sueton. Cæs.* 80. allegere. *Liv.* 9. 29. legere. *h. e.* senatorum nomina recitare: quod erat censorum. (*V.* LEGO, is.) et *Cic.* 4. *Verr.* 49. *a med.* cooptare. — *b) Senatum numerare.* V. NUMERO, as. — *c) Senatus legitimus* et *indictus* quid sit, *V.* in INDICTUS. — *d)* De *Senatus actis*, et *auctoritate*, et *consulto*, et *decreto*, V. ACTA, AUCTORITAS, CONSULTUM et DECRETUM. Huc spectat dissert. *Hübner, De senatus populique actis, Lipsiæ a.* 1860. et *Mommsen, Sui modi usati da' Romani nel conservare e publicare le leggi e i senatusconsulti in Annali dell' Istit. archeol. a.* 1858. *p.* 181. — De *Senatus decreto* hæc adde ex *Fest. p.* 239. 20. *Müll.* Senatus decretum a consulto Ælius Gallus sic distinguit, ut id dicat particulam quamdam esse senatus consulti, ut quum provincia alicui decernitur, quod tamen ipsum senatus consulti est. *V.* CONSULO in fin. — *e)* De siglis S. C. (h. e. Senatus consultum) in nummis æreis Romanorum, V. *Avellino* in *Atti della Società Pont. T.* 3. *p.* 183. — *f) Senatus populusque R.*, legitur passim in publicis monumentis. *V.* POPULUS. Alias occurrit etiam *senatus et populus* vel *populus et senatus*. V. *Sall. Jug.* 41., 104. al. — Sub imperatoribus senatui præerat præfectus Urbis, ut constat ex formula hujus dignitatis apud *Cassiod.* 6. *Variar.* 4. Cf. *Symmach.* 10. *Ep.* 62.: tum vero hic ordo multum suæ auctoritatis potentiæque amiserat. *Plin.* 8. *Ep.* 14. et *Tac. Agric.* 2. Cf. *Haubold, De*

consistorio Princ. R. in *Opusc. Accad. v.* I. et *Marquardt, Antiq. p.* 232. ¶ 2. Latiore sensu, etiam in municipiis et coloniis ordo decurionum *senatus* aliquando appellatur. *Cæs.* 3. *B. G.* 16. *extr.* Omni senatu (*Venetorum in Gallia*) necato, reliquos sub corona vendidit. *Asin. Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 32. Quibus temporibus a seditiosis senatus (*Gaditanus*) trucidatus, aut expulsus est. *Inscript.* apud *Murat.* 1023. 3. (*Orell. n.* 120). S. P. Q. (*h. e.* senatus populusque) ANAGNINVS. et apud *Orell.* 124. LAVRENS. et 113. TIBVRS. Adde alias apud *Henzen. n.* 5131., 5347., 6501. etc. Cf. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 146. Ne senatus consultum Siculi homines facere possent *etc.* Non aliquis Siculus, sed quæstor prætorem appellat. Quis hoc vidit? quis audivit? Prætor æquus et sapiens dimitti jubet senatum etc. ¶ 3. De aliis hujusmodi cœtibus etiam apud exteros populos. *Sall.* 3. *Hist. fr.* 8. *p.* 207. *Kritz.* Eum atque Metrophanem senatus (Sertorii) magna industria perquirebat. *Senatus* hic non Romanus, sed quem Sertorius ex suorum numero composuerat. V. *Appian.* 1. *B. C.* 108. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Æduos omnem senatum amisisse. *Asin. Poll.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. A seditiosis senatus expulsus est. *Liv.* 30. 7. Senatum sufetes (quod velut consulare imperium apud eos (i. e. Carthaginienses) erat, vocaverunt. *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 1. 10. *de Judæis.* Populus senatusque et Judas. *Id. ibid.* 11. 27. Rex Antiochus senatui Judæorum, *h. e.* Synedrio. ¶ 4. De aliis hominum cœtibus universim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Senatus philosophorum. *Hieronym. Ep.* 125. De senatu doctorum excludere. Cf. *Plaut. Most.* et *Epid. loc. infra cit.*

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Plaut. Most.* 3. 1. 158. Huc concessero, dum mihi senatum consilii in cor convoco. et *Epid.* 1. 2. 56. Jam senatum convocabo in corde consiliarium. *Id. Most.* 5. 1. 8. Capio consilium, ut senatum congerronum convocem: Quem quum convocavi, atque illi me e senatu segregant. ¶ 2. *Senatus deum* apud *Capell.* 6. *p.* 582. Sic de cœtu Sanctorum in cælis dixit *Venant.* 2. *carm.* 15. 17. *V.* SENATOR. ¶ 3. Metonymice dicitur de senatorum conventu, seu sessione, *radunanza o seduta del senato. Cic.* 12. *Fam.* 25. Eo die non fuit senatus, neque postero. *non si tenne consiglio.* et *Sueton. Cæs.* 80. *extr.* Senatum edicere in Pompeji curiam. et 88. agere. *tener consiglio.* et *Cic.* 1. *Fam.* 4. Senatus haberi ante Calend. Febr. per legem Papiam non potest. *Id.* 6. *Verr.* 65. 146. Senatum dimittere. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. mittere. Adde *Liv.* 41. 6. *Cic. Amic.* 2. 6. Multa et in senatu et in foro provisa prudenter. — *Dari senatus* dicebatur, quum legati in senatu audiebantur. *Nepos Hannib.* 23., *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13., *Sall. Jug.* 13. *extr.* et *Liv.* sæpe. ¶ 4. Est etiam locus, quo senatores coeunt, curia. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 2. Hic tamen vivit. vivit? immo vero etiam in senatum venit. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 9. 3. *circa med.* Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi. *Id.* 4. *Acad.* 45. 137. (2. *pr.*) Quum Carneades et Diogenes ad senatum in Capitolio starent. *Sall. Cat.* 49. E senatu egredi. *Sueton. Claud.* 25. *ad fin.* In senatu sedere. *h. e.* in orchestra inter senatores. *Id. Ner.* 12. *a med.* Deinde in orchestram senatumque descendit.

SĔNĀTUSCONSULTUM. *V.* CONSULTUM et SENATUS.

SENDIONOR, indecl. herba apud Ægyptios eadem quæ sideritis apud Græcos. *Apul. Herb.* 72.

SĔNĔCĬA *vel* senicia, æ, f. 1. mystax, pilatura labrorum. *Hieronym. in prol. Ezech.* Ut vocentur fagolidoros, hoc est manducantes senecias. Alii leg. *senitias;* alii aliter. Sunt, qui interpretentur *h. l.* de salivis per genas defluentibus.

SĔNĔCĬO, ōnis, m. 3. *Senecion*, *Yi*, n. 2. est *Æmil. Mac. loc. cit.*, qui primam syllabam licenter produxit. ¶ 1. Docet *Priscian.* 3. *p.* 618. *Putsch.* esse deminutivum a *senex*, quod *senecis* in obliquis facere deberet, ut ait *Charis.* 1. *p.* 116. *V.* SEMISENEX. Hoc sensu *Afran.* apud *Priscian. ibid.* Tu senecionem hunc satis est si servas anus. *vecchietto.* ¶ 2. Est etiam herba, *crescione, senazione,* de qua *V.* ERIGERON. *Æmil. Macer* 51. 1. Erigeron Græci, nos senecion vocitamus, Quod canis similis videatur flore capillis. Adde *Apul. Herb.* 75. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĔNĔCĬON. *V.* voc. præced.

SĔNECTA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SĔNECTUS, a, um, adject. (senex) Si *Prisciano* 9. *p.* 869. *et p.* 887. *Putsch.* credimus, *senectus* est ὁ γηράσας, qui senuit, particip. a *seneo.* Affert in hanc rem locum corruptum *Catull.* 4. 25. Sed hæc fuere non recondita senecta quiete. Sed *Catull.* habet: Sed hæc prius fuere: nunc recondita Senet quieta. Dicimus tamen *senecta ætas, senecta membra, senectum corpus.* V. SENEO init. — Senectus est senilis, *senile, vecchio,* γερόντειος. *Lucret.* 5. 884. Ætas senecta. Adde *Sall. Orat. Cottæ ad pop.* (ubi tamen *Kritz.* leg. *acta* pro *senecta*) et *Plaut. Trin.* 1. 2. 5. Rursus *Lucret.* 3. 774. Quidve foras sibi vult membris exire senectis? *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 9. *p.* 869. *Putsch.* et 10. *p.* 887. Omnes, quibus, senecto corpore, animus militaris erat. *V.* voc. seq. — Hinc

Senecta, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est idem ac senectus, ut *juventa* pro *juventus.*

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. *Cæcil.* apud *Cic. Senect.* 8. 25. Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum Sentire ea ætate esse se odiosum alteri. *Lucil.* apud *Non. p.* 492. 23. *Merc.* Prospiciendum in senecta: nunc adolescentia est. *Horat.* 1. *Od.* 31. 19. non turpem senectam Degere. *Justin.* 14. 3. *sub fin.* Ne victos quidem in misera et inopi senecta quiescere sinit. *Ovid.* 14. *Met.* 148. consumptaque membra senecta. *Ter. Adelph.* 5. 8. 31. nimium ad rem in senecta attenti sumus. *Varro* 5. *L. L.* 3. *Müll.* Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Adde *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 29. *Petron. Sat.* 132. *circa med.* Senectæ ultimæ mihi lassitudinem imponeres. *Enn. fragm.* 298. *Ribbeck.* Senecta tarda. *Tibull.* 1. 9. 42. cana. et *ibid.* 11. 40. pigra. et 3. 5. 16. curva. et *ibid.* 25. rugosa. *Martial.* 1. 106. annosa. *Tac.* 4. *Ann.* 8. et 29 extrema. et *ibid.* 41. vergens. *Sil. It.* 13. 583. queribunda. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (167). vivax in pœnam. *Id.* 35. *ibid.* 4. 7. (20). Exstinctus in longa senecta Antistius Labeo. *Publil. Syr. p.* 325. 185. *Ribbeck.* Frustra, quum ad senectam ventum est, repetas adulescentiam. *Vulgat. interpr. Ps.* 70. 18. Usque in senectam et senium. Hebraice est: usque ad senectuctem et canos ultimos. est igitur gradatio, ita ut plus sit *senium,* quam *senecta.* V. SENIUM init. ¶ 2. De bestiis, plantis, lignis et lapidibus. *Phædr.* 4. 1. Mustela annis et senecta debilis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (117). Senecta cervi. *Tibull.* 1. 4. 27. et *Virg.* 3. *G.* 96. equi. *Id.* 1. *ibid.* 186. inopi metuens formica senectæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 43. (252). Senecta ulmorum. *Id.* 16. *ibid.* 27. 51. (117). amygdalæ et pyri. *Id.* 9. *ibid* 35. 54. (109). Margaritæ flavescunt senecta. Adde *Martial.* 2. 106.

II.) Translate. ¶ 1. Est vetustas, antiquitas seu diuturnitas. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 67. Omnia Cecropiæ relegis secreta senectæ, Discutiens quod quisque novum mandaverit ævo. *h. e.* antiquæ eruditionis Græcorum, et priscorum philosophorum placita. *Id.* 2. *in Eutrop.* 277. putribus jam propugnacula saxis Longo corruerant ævo, pacisque senecta. *h. e.* diuturna pace. ¶ 2. Per metonymiam est senex, sive mas sive femina, *vecchio o vecchia. Sil. It.* 3. 6. hac spirante senecta. Adde *Augustin. Serm.* 101. ed. *A. Mai.* ¶ 3. *Senecta serpentium* apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 48. (174). et 30. *ibid.* 3. 22. (69). et 20. *ibid.* 23. 95. (254). est membrana, quam verno tempore exuunt. *spoglia.* V. voc. seq.

SĔNECTUS, ūtis, f. 3. (senecta) Ultima syllaba male corripitur apud *Corn. Gall.* 1. 246. Continuos gemitus ægra senectus habet. — Senectus est senium, senecta, γῆρας (It. *vecchiaja, vecchiezza;* Fr. *âge avancé, vieillesse;* Hisp. *vejez, vejedad;* Germ. *d. hohe Alter, Greisenalter;* Angl. *age, old age*).

I.) Proprie. ¶ 1. De hominibus. *Seneca Consol. ad Marc.* 11. *extr.* Hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. *Cic. Top.* 7. *sub fin.* Quasi qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire. *Id.* 5. *Fin.* 11. *a med.* Homines senectute confecti. *Id. Brut.* 48. 179. T. Aufidius vixit ad summam senectutem. *Id.* 8. *Phil.* 10. *sub fin.* Quum esset summa senectute et perdita valetudine. *Nepos Att.* 21. Quum septem et septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem dignitate et fortuna crevisset. *Id. Reg.* 1. Darius senectute diem obiit supremum. *Justin.* 41. 5. 5. Arsaces matura senectute decedit. *Horat. Epod.* 8. 3. et rugis vetus Frontem senectus exarat. *Virg.* 3. *G.* 67. subeunt morbi tristisque senectus. *Id.* 6. *Æn.* 304. (et *Tac. Agric.* 29.) cruda et viridis. *Id.* 7. *ibid.* 440. victa situ verique effeta. et 8. *ibid.* 508. tarda gelu, sæclisque effeta. *Seneca Herc. Fur.* 1027. vivax. *Id. Œdip.* 594. sibimet gravis. *Id. Herc. Fur.* 198. cana. *Tibull.* 2. 2. 20. tarda Inducat rugas, inficiatque comas. *Ovid.* 14. *Met.* 143. tremuloque gradu venit ægra senectus. Sic *Maximian.* 1. *Eleg.* 223. baculo incumbens ruitura senectus Assiduo pigram verbere pulsat humum. *Lucan.* 1. 343. Senectus exsanguis. et 2. 128. fessa. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 156. tarda situ rebusque exhausta. *Tac.* 1. *Ann.* 4. provecta. *Sil. It.* 13. 583. queribunda. *Curt.* 6. 5. 3. præceps. *decrepita, estrema. Quintil.* 11. 1. 10. ultima. *Maximian.* 1. *Eleg.* 261. onerata malis, incurva. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 73. tremebunda. et 8. *ibid.* 43. longa, cunctisque diu spectata. et 5. *ibid.* 13. baculum premat inclinata. *Curt.* 9. 6. 19. Senectutem obscuram et ignobilem per otium corporis exspectare. *Juvenal.* 3. 26. Dum nova canities, dum prima et recta senectus. et 9. 139. obrepit non intellecta senectus. et 10. 190. quam continuis et quantis longa senectus Plena malis! deformem et tetrum ante omnia vultum Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem, Pendentesque genas et tales aspice rugas etc. Cf. *ibid.* 198. Una senum facies, cum voce trementia membra, Et jam leve caput madidique infantia nasi. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 1. 8. Aptior sensuum difficultati atque demersioni senectus. *Vulgat. interpr. Gen.* 15. 15. Senectus bona. *h. e.* matura, provecta. *Id. Sap.* 4. 8. Senectus venerabilis est, non diuturna neque annorum numero computata. Ætas senectutis vita immaculata. ¶ 2. De bestiis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (159). Senectus in equis et ceteris veterinis intelligitur dentium brocbitate, superciliorum canitie. Adde *Virg.* 3. *G.* 96. — *Aquilæ senectus,* proverbium, de quo *V.* AQUILA. ¶ 3. De inanimis. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 29. vos (*tabellæ*) cariosa senectus Rodat. *Juvenal.* 5. 34. de vino. cujus patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testæ. et 13. 214. Albani veteris pretiosa senectus. ¶ 4. *Senectus* apud veteres dea habita est, Herebi et Noctis filia. V. *Hygin. præf. fab.*, coll. *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. 44. et *Virg.* 6. *Æn.* 275.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. *Virg.* 5. *Æn.* 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *canizie.* et *Val. Flacc.* 6. 283. quæ vox subito, tam fœda senectus Corripuit, fregitque animos? *languidezza, paura.* et *Horat. Epod.* 13. 4. dumque virent genua, Et decet, obducta solvatur fronte senectus. *tristezza, malinconia.* et *Claudian. VI. cons. Honor.* 534. Quam pax intulerat, bello discussa senectus. *incoltezza, sordidezza, rovine.* ¶ 2. Item membrana illa, quam hiberno situ corpori obductam, verno tempore exeuntes, in ipso fere cavernæ aditu angues exuunt, senectus et senecta dicitur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 9. 23. (31). Verrucas tollit membrana senectutis anguium. et *ibid.* 7. 19. (81). Senectus anguium dysentericis et tenesmis etc. *Id.* 9. *ibid.* 30. 50. (95). Cancri veris principio senectutem anguium more exuunt renovatione tergorum. Adde 8. *ibid.* 31. 49. (111). et *Marcell. Empir.* c. 29. *p.* 129. ¶ 3. Figurate. *Cic. Brut.* 2. *a med.* Quum ipsa oratio jam nostra canesceret, ha

beretque suam quamdam maturitatem et quasi senectutem. et *ibid.* 76. *a med.* Me admodum delectabat Triarii, in illa ætate, plena litteratæ senectutis oratio.

Homonym. Differentiam inter *senectam*, *senectutem* et *senium* tradit *Isid.* 1. *Differ.* 531. Senectus est gravior ætas post juventutem succedens, senium autem ultima ætas post gravitatem veniens. Sic *senex* et *senior*. Senecta autem est ipsa sors sive conditio senectuti accedens. *V.* SENIUM init. et SENECTA, ubi tamen *senecta* non a *senectute*, sed a *senio* distinguitur apud *Vulgat. interpr. Ps.* 70. 28., ut dictum est.

SĔNĔO, sĕnes, sĕnŭi, sĕnere, n. 2. Ratione habita etymi, ducitur a Gr. ἕνος, vetus, additâ pro adspiratione litterâ *s*. — Hujus participium præteriti temporis apud *Priscian.* 9. *p.* 869. et *p.* 887. *Putsch.* est *senectus, a, um:* sed quomodo a forma *seneo* sit *senectus*, viderint eruditi. — Seneo est senex sum, γηράω (It. *esser vecchio;* Fr. *être vieux;* Hisp. *ser viejo;* Germ. *alt sein;* Angl. *to be old or aged*).

I.) Propriè. *Catull.* 4. 25. *de phaselo.* nunc recondita Senet quiete. *Pacuv.* apud *Priscian.* 10. *p.* 887. *Putsch.* Quamquam ætas senet. *Sueton. Aug.* 2. *a med.* Avus tranquillissime senuit. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 12. 2. Ego autem senui et incanui.

II.) Translate. *Accius* apud *Priscian. loc. cit.* Jam jam stupido Thessala somno Pectora languentque senentque. *Pacuv.* apud *Non. p.* 137. 1. *Merc.* Corpusque meum tabe, mœrore, errore, macore senet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 46. 45. (118). Mores hominum senuere, non fructus. Adde *Eumen. Gratiar. act. Constantino Aug.* 6. et *Dracont.* 8. *carm.* 316.

SENEOCOR, indecl. herba apud Ægyptios, quæ apud Græcos batrachion, et apud Latinos scelerata appellatur. *Apul. Herb.* 9.

SĔNESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SĔNESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* seneo. Part. *Senescens* I. *b.* et *d.* II. 1. 2.° *a. b.* et 2.; *Senescendus* I. *a.* — Senesco est senex fio, γηράσκω (It. *invecchiare;* Fr. *devenir vieux, vieillir, blanchir;* Hisp. *envejecer;* Germ. *alt-od. grauwerden, altern;* Angl. *to grow, become aged*).

I.) Proprie, seu stricto sensu, de tempore, ætate. — *a)* De hominibus. *Ovid.* 6. *Fast.* 771. Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis. Sic *Cic. Senect.* 11. *extr.* Sensim sine sensu senescit ætas. *Varro* 6. *L. L.* 11. *Müll.* Seclum spatium annorum centum vocarunt, dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarant. *Val. Max.* 8. 7. *n.* 14. Solon significat, se quotidie aliquid addiscentem senescere. *Curt.* 4. 21. 5. Senescendum fore tantum terrarum vel sine prœlio obeunti. — *b)* De brutis animalibus. *Colum.* 9. *R. R.* 1. *a med.* Nec vero patiendus est oryx, aut aper ultra quadrimatum senescere. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 8. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat. Cf. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 19. — *c)* Promiscue de utrisque. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 4. 3. (37). Feminas gigni celerius, quam mares, sicuti celerius senescere. — *d)* De plantis. *Id.* 16. *ibid.* 27. 50. (116). Arbores, quo magis senescunt, hoc maturius ferunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Arbores hiemali tempore cum luna simul senescentes. — *e)* Universim. *Augustin. in Psalm.* 38. Puerascere, juvenescere, senescere. *Vulgat. interpr. Hebr.* 8. 13. Dicendo novum, veteravit prius: quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

II.) Translate, seu latiore sensu. ¶ 1. Generatim est decresco, deficio, *andar mancando*, cui oppon. *cresco*. — 1.°) De personis. *Liv.* 29. 3. *extr.* Hannibalem ipsum jam et fama senescere et viribus. — 2.°) De aliis. — *a)* De concretis, ut ajunt. *Gell.* 3. 10. *a med.* Quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. *Domitian.* apud *Sueton. Domit.* 18. *extr.* Forti animo fero comam in adulescentia senescentem. *h. e.* decidentem. *Varro* 1. *R. R.* 64. Quum senescit luna. Adde *ibid.* 37. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (41). Crescens et senescens luna. Cf. *Cic. Divinat. loc.* supra *cit. Id.* 2. *Nat. D.* 19. *a med.* hiems. *Varro* 6. *L. L.* 2. *Müll.* Prioris mensis senescentis extremum diem et novam lunam. *Capell.* 8. *p.* 273. Nondum stomacho senescente. *h. e.* sedata ira. — *b)* De abstractis. *Sall.* in *Orat. Licin. ad pleb. a med.* Senescunt vires. *Nepos Alcib.* 5. Atheniensium, male gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contra Lacedæmoniorum crescere. *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Oratorum laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur. *Id.* 2. *Orat.* 2. *circa med.* Ut laudem eorum jam prope senescentem ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. *Id.* 7. *Fam.* 26. Visa est mihi vel loci mutatio vel animi remissio vel ipsa fortasse jam senescentis morbi remissio profuisse. *Liv.* 30. 19. *ad fin.* Multique alii populi, senescere Punicum bellum cernentes, defecere. *Id.* 5. 21. *ad fin.* Deinde, multa jam edita cæde, senescit pugna. *Id.* 3. 12. *ad fin.* Senescentibus vitiis, maturescente virtute, sinerent tantum virum senem in civitate fieri. *Vellej.* 1. 17. *sub fin.* Studium cum spe senescit. et 2. 11. *extr.* Nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. *Tac.* 2. *Hist.* 24. Senescens fama. *Plin.* 8. *Ep.* 12. Litterarum jam senescentium reductor ac reformator. *Ovid.* 3. *Art. am.* 594. has artes tolle, senescet amor. *Sil. It.* 3. 581. blandoque veneno Desidiæ virtus paullatim evicta senescit. *Sall. Jug.* 2. Omnia orta occidunt, et aucta senescunt. ¶ 2. Specialim est vim aut pulcritudinem amitto. *Cic.* 1. *republ.* 37. 58. Senescente jam Græcia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (259). Senescunt prata, restituique debent faba in his sata. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (115). Uniones senescere, coloremque exspirare. *Id.* 37. *ibid.* 5. 18. (70). Smaragdi senescunt, paullatim viriditate evanida. *Id.* 15. *ibid.* 19. 21. (82). Ficus senescunt in arbore, anusque destillant gummium lacrima. *Ovid.* 3. *Art. am.* 82. continua messe senescit ager. (eamd. sentent. habet 1. *Pont.* 4. 13.) *Pallad.* 3. *R. R.* 28. Theriacæ infusione assidua vim suci senescentis iterare. — Sequent. Accus. et præp. *in*. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (242). Caseus senescit in salem. *va in sale.* ¶ 3. Item macie aut mœrore corrumpor, tabesco, *intristire, non attecchire*. *Varro* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Quum depulsi sunt agni a matribus, diligentia adhibenda est, ne desiderio senescant. *Colum.* 8. *R. R.* 8. Columbæ, quasi gravi perpetuæ custodiæ servitio contristatæ, senescunt. ¶ 4. Per metonymiam dicitur de his, qui nimis diu in re quapiam immorantur. *Liv.* 5. 44. Quum diis hominibusque accusandis senesceret. *Quintil.* 8. *procem. a med.* Resistam iis, qui, omissa rerum diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt. ¶ 5. Item est torpesco, *impigrire*. *Liv.* 25. 7. *ad fin.* Vir inquieti animi, et minime otium, quo tum diutino senescere videbatur, patientis. *Id.* 1. 22. Tullus senescere civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat. *Sall. Jug.* 39. Avidus consul belli gerundi, moveri, quam senescere omnia, malebat. *Liv.* 35. 12. Ætoli agitandum aliquid miscendumque rati, ne cunctando senescerent consilia. *h. e.* evanescerent. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 9.

SĔNEX, sĕnis, adject. (seneo) Olim declinatum fuit *senex*, genet. *senici* et *senicis* (*Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 3. 38. et 6. 94.); dat. *senici* (*Apul.* 6. *Met.*); accus. *senicem* (*Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 64.): unde *senecio, senica, seniculus, Seneca*. V. SEMISENEX. — *Sene* pro *seni* in dativo videtur esse apud *Lucil.* 28. 33. *Müll.* Fulmentus sene subducere. — Comp. *Senior* (et etiam *senicior*, quæ forma legitur in *Not. Tir. p.* 89.). — Quod ad superlativum attinet, hæc habet *Asper p.* 40. 4. *Hagen.* Aliquotiens positivus et comparativus, ut senex, senior. nam senissimus dici non potest. Adde *Art. Anon. p.* 77. 8. — Senex, multorum annorum qui est, vetus, antiquus: et fere dicitur de provecta ætate animantium, γηραιός, παλαιός (It. *vecchio;* Fr. *âgé, vieux, chargé d'années, vieillard;* Hisp. *viejo;* Germ. *alt, bejahrt, e. Alter, Greis;* Angl. *old, aged, ancient*); occurrit autem *A)* Adjective; et *B)* Substantivorum more.

A) Adjective. ¶ 1. Positiv. *senex* — *a)* De hominibus. *Ter. Eun.* 4. 4. 21. Hic est vietus, vetus, veternosus, senex. (*Flecheisen* leg. *veternosus senex.*) et *Cato* 2. *R. R.* Servum senem. *Pompon.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 28. *Müll.* vere pusus tu, tua amica senex. *Cic. Senect.* 4. 10. Admodum senex suasor legis Cinciæ. *Id. ibid.* 7. 24. Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere. *Ovid.* 1. *Am.* 9. 4. Turpe senex miles, turpe senilis amor. *Martial.* 13. 23. Chia seni similis Baccho. *Id.* 5. 18. Et acuta senibus cum Damascenis. — *b)* De bestiis. *Phædr.* 5. 10. Senex canis. *Auct. Priap.* 83. Senexve corvus impigerve graculus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 78. Nec faciunt cervos cornua jacta senes. *Martial.* 5. 37. Puella senibus dulcior mihi cycnis. *Id.* 10. 30. Et adesse jussi prodeunt senes mulli. *Juvenal.* 6. 159. Et vetus indulget senibus clementia porcis. — *c)* De inanimis. *Martial.* 3. 58. Et multa fragrat testa senibus auctumnis. *h. e.* vino multorum auctumnorum. *Plaut. Stich.* 5. 1. 8. Senes dies. *h. e.* sero. Sic *Virg. Cir.* 40. Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis. ¶ 2. Compar. *senior:* at *senius* in recto et quarto casu non est, quod sciam, in usu, inquit *Forcellinus;* legitur tamen apud *Boeth.* in *Categ. Arist.* 4. *p.* 284. *Migne.* Aliud antiquius dicimus, aliud senius. Antiquius in iis, quæ inanimata sunt, ut Porphyrio placet; senius vero in iis, quæ anima non carent. — *a)* De personis. *Lucret.* 3. 955. Grandior hic vero si jam seniorque feratur. *Cic. Amic.* 1. 5. Catone erat nemo fere senior temporibus illis. *Ovid.* 2. *Trist.* 166. et olim Imperium regat hoc cum seniore senex. *Sil. It.* 15. 598. Sed frigens animis, nec bello prospera turba Ancipiti senior temeraria cœpta vetabant. — *b)* De rebus. *Cic.* 2. *Legg.* 4. *a med.* Quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum, sed æqualis illius cælum atque terras regentis Dei. *Cels.* 5. 28. *n.* 4. Hoc malo fere corpora seniora tentantur. *Seneca Herc. Œt.* 390. Senior ætas. *Id. Hippol.* 742. Fama miratrix senioris ævi. *Ovid.* 14. *Met.* 47. mortem senioribus imputet annis. *Martial.* 9. 94. Quadrantem duplica de seniore cado. Adde *ibid.* 58. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 34. (151). Alia congerit *Broukus.* ad *Tibull.* 1. 7. 88., unde pleraque hæc sumpsimus. — Translate. *Cic. Brut.* 43. 160. Senior quam illa ætas ferebat oratio. *h. e.* maturior.

B) Substantivorum more, vir aut femina grandis natu: est autem *senex* idem ac *senior*, nulla habita ratione comparativi, apud Poetas, *vecchio, vecchia*, γέρων, γραῦς. ¶ 1. Positiv. *senex*. — *a)* Universim. *Varro Sat. Menipp.* 19. *p.* 213. *Oehl.* Senibus crassis, homuli, non vidimus quid fiat? *h. e.* hebetibus, stultis. *Plaut. Cas.* 2. 3. 28. te sene omnium senem neminem esse ignaviorem. *Id.* 5. 1. 10. Quo senex nequior nullus vivit. *Id. Merc.* 2. 2. 34. senex nequissime. *Cic. Senect.* 11. 37. Petulantia magis est adulescentium quam senum. *Id. Amic.* 1. 5. Ad senem senex de senectute. *Horat.* 1. *Od.* 28. 19. mixta senum ac juvenum funera. *Id.* 2. *ibid.* 9. 14. Ter ævo functus senex. *h. e.* Nestor. (Cf. *Hom. Il.* 1. *v.* 250. ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερ. ἀνθρ. Ἐφθίαθ' — μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν. *V.* ÆTAS) *Id.* 1. *Ep.* 1. 55. hæc recinunt juvenes dictata senesque. *Id. ibid.* 26. neglectum pueris senibusque. *Liv.* 30. 30. Senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum. *Stat.* 5. *Silv.* 151. Senex Siculus. *h. e.* Theocritus. *Seneca Tranquill. an.* 3. Nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. γνώμη. Rursus *Cic. Senect.* 18. *a med.* At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes: si quærimus, etiam avari. *Tibull. loc. cit.* Juvenumque catervæ Commemorant, merito tot mala ferre senem. *h. e.* anum. Sic apud *Senec. Hippol.* ita loquitur nutrix vetula, 109. Fortem facit vicina libertas senem. *Tibull.* 1. 9. 50. In veteres esto dura puella senes.

Cic. Cœl. 16. 38. Senex tristis et directus (*al.* decrepitus). *et Senect.* 11. 35. Senes imbecilli. *Id. ibid.* infirmi. *Id. ibid.* stulti, creduli, obliviosi, dissoluti. *Id. ibid.* 23. 82. Ut de me ipso aliquid more senum loquar. *Sulpic. Sat.* 43. *Wernsd.* Sic nostri palare senes dicuntur et ipsi Ut ferale suos onus exstirpare libellos. Cf. *Ovid.* 2. *Trist.* 1. *Curt.* 8. 4. 31. Inter juniores senesque orta contentio est. *Quintil.* 11. 3. 178. Senes acres. *et ibid.* 74. austeri ac mites (in comœdiis). *Id.* 1. 5. 24. Nobis juvenibus doctissimi senes dicere solebant etc. *Id.* 11. 1. 31. in CANESCO. *Maximian.* 1. *Eleg.* 195. *Wernsd.* Senex dubius tremulusque. *et ibid.* malorum credulus. *Id.* 2. *ibid.* 6. imbellis decrepitusque. *Auct. carm. de hort.* 2. *p.* 197. *v.* 3. incurvus. *Horat. Art. P.* 169. Multa senem circumveniunt incommoda. *Id. ibid.* 172. senex Dilator, spe longus, iners avidusque futuri, Difficilis, querulus, laudator temporis acti Se puero, castigator censorque minorum. *Ambros.* 1. *Off.* 17. Ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adulescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ. — *b*) *Senex coemptionalis* quid sit, *V.* in COEMPTIONALIS. ¶ 2. Compar. *senior.* — 1.°) Generatim. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. Omnium seniorum precibus. *Cic.* 2. *re-publ.* 22. 39. Seniores a junioribus divisit. *Virg.* 2. *Æn.* 692. Vix ea fatus erat senior, etc. *Ovid.* 4. *Fast.* 515. Restitit et senior, quamvis onus urget. Supra *v.* 508. et mox *v.* 523. *senem* dicit. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 102. Senior Atticus. *h. e.* Phidias. *et ibid.* 3. 94. Gargettius. *h. e.* Epicurus. *Id.* 2. *Achill.* 582. Thessalus. *h. e.* Chiron. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 107. coheredum senior *Id. Art. P.* 341. Centuriæ seniorum. *Liv.* 2. 30. Curæ fuit consulibus et senioribus patrum. *Id.* 3. 41. Consulares et seniores. *Flor.* 1. 16. 10. Sapientes, ut senior, suaserat. *Id.* 2. 6. 26. Juniores a senioribus consilium petiverunt. *Curt.* 8. 4. 27. Hæc læti audiere juvenes, ingrata senioribus erant. *Gell.* 10. 28. Servium Tullium milites ab anno septimo decimo ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse. Cf. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 50. 2. *Kritz.* et *Cels.* 26. 6. Facilius senescit puer vel adulescens quam senior. — Nominibus additur, ut *junior.* V. *Inscript.* apud *Orell.* 2762. et seq. — In tribubus R. memorantur *seniores* et *juniores.* V. *Inscript.* apud *Orell.* 3093. et seq. — 2.°) Speciatim apud Hebræos, seniores, πρεσβύτεροι — *a*) Erant principes tribuum vel capita familiarum, ex quibus una cum principibus sacerdotum et scribis componebatur Synedrium seu Sanhedrin. *Vulgat. interpr. Matth.* 27. 3. et 12. etc. — *b*) Et etiam qui erant in singulis oppidis præfecti, et synagogis præerant. *Id. Luc.* 7. 3. Centurio misit ad eum (Jesum) seniores Judæorum. — *c*) Item civitatis proceres et judices. (*V.* SENATOR) *Id. Deut.* 22. 15., 25. 9. etc. — *d*) Etiam majores, *antenati. Id. Marc.* 7. 3. Traditio seniorum. — 3.°) *Senior* est etiam sacerdos, presbyter. *Cyprian. Ep.* 75. *n.* 3. Ut per singulos annos seniores et præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt. Adde *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 78. Cf. *Vulgat. interpr. Act.* 15. 4. et alibi. — De episcopo seu prælato nonnulli interpretantur *loc. ejusd.* 1. *Joh.* 1. 1. ¶ 3. Aliquando *senex* et *senior* est non tam ætatis, quam honoris vocabulum, unde factum Italorum *signor*, Gallorum *seigneur* et Hisp. *señor. Sil. It.* 1. 564. Jam patribus clarisque senum sua munia curæ. *Liv.* 34. 60. Scriptum erat, Aristonem privatim ad neminem, publice ad seniores (ita senatum vocabant) mandata habuisse. *Varro* 5. *L. L.* 156. *Müll.* Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent. — In titulis Imperatorum. V. *Inscript.* apud *Orell. n.* 1056.

Homonym. *Senex* et *vetus* differunt. nam *senex* respicit ætatem ejus, qui diu vixit: *vetus* ætatem aliorum, ante quos vixit, licet fortasse ad senectutem non pervenerit. *Horat.* tamen 2. *Sat.* 1. 34. Lucilium *senem* vocat, qui anno ætatis XLVI. mortem obiit. — Sic *veteres* dicuntur *senes*, ut *vetulus* pro *sene. Ter. Eun.* 4. 4. 21. Hic est vetus, vietus, veternosus senex «*rancido*» (*Cesari*) «*grinzoso*» (*Bindi*). et *Lucil. Sat.* 14. Nam vetus ille Cato dignum quemcumque lacessit. *Varro* apud *Non. p.* 154. 7. *Merc.* Quod non solum innubæ fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt et multi pueri puellascunt. *Inscript. cit.* a *Popma op. cit.* ARVNCITANI VETERES ET IVVENES OPT. CIV. — De differentia autem inter v. *senex* et *senior*, hæc subjicio. *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 409. de hac voc. ita disserit, ut secundum *Varron.* senior, et etiam juvenior, comparativi sint per imminutionem. Hinc apud *Virg.* 6. *Æn.* 304. Jam senior: sed cruda deo viridisque senectus. additum enim hoc ad exprimendum, quid sit senior. Item *Ovid.* 12. *Met.* 464. inter juvenemque senemque. Ergo senior non satis senex. Dicit autem hoc *Varro* in lib. ad *Cic.* Sic *Comment. in Donat. art. p.* 232. 20. *Hag.* Senex dicitur a deminutione sensus, et plus significat positivus istius nominis, quam comparativus, quia senior dicitur, qui intra senectutem est; senex vero, qui ad ultimam jam pervenit ætatem. *Varro* apud *Censorin. de die nat.* 14. discrimen statuit inter *seniorem* et *senem*: illum dicit esse ab anno XLV. usque ad LX., quod tunc primum senescere corpus incipiat: hunc ab anno LX. usque ad finem vitæ, quod ea ætate corpus senio jam laboret. Sed in usu loquendi hoc non servatur. Nam apud *Liv.* 30. 30. Hannibal annus jam natus XLIV. non *seniorem* se, sed *senem* nominat. Quare verius est, *seniorem* et *senem* promiscue adhiberi.

SĒNI, æ, a, adject. numerale distributivum (sex) *Sænus*, in sing. num., apud *Apul. de diphthong.* 29. Fuerunt quidam, M. Varrone teste, qui eas dictiones in principalibus productis diphthongari putarent, quia ab eis dictionibus derivarentur, quæ in principalibus e correptam haberent, ut videlicet ipsa diphthongus esset indicio, correptionem primitivorum in derivatis non observari, ut *sænus* a *sex* etc. — Genet. plur. *senum* pro *senorum.* — Conjungitur etiam cum aliis num., hinc *bisseni*, *senideni*, *seniviceni* etc. — Seni idem ac sex, *sei, o a sei a sei, a sei per sei, ogni sei, sei per volta*, ἕξ.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Muris senum pedum crassitudine. *di sei piedi ciascuno. Cic.* 4. *Verr.* 49. 122. Pueri annorum senum. *Liv.* 6. 4. *ad fin.* Quum in sex partes divisus exercitus senis horis in orbem succederet prœlio. *sei ore per isquadrone.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (213). Æstus maris senis semper horis reciproci. *ogni sei ore.* et 11. *ibid.* 43. 99. (244). Digiti quibusdam in manibus seni. *sei per mano.* V. SEDIGITUS. *Colum.* 8. *R. R.* 11. *a med.* Non debent amplius quam terna pavonina et sena generis sui fovere. *tre e sei per volta.* et *Curt.* 8. 14. 3. Senos viros singuli currus vehebant. *ogni carro sei.* — *b*) Cum numer. distrib. vel cardinal. *Liv.* 9. 30. Ut tribuni militum senideni in quatuor legiones a populo crearentur. *Tac.* 1. *Ann.* 36. Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui senadena fecissent. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (16). Militibus singulis data sena milia Sestertium. *sei mila per uno.*

II.) Metonymice, sæpe ponitur pro cardinali *sex* sine distributione. *Cic.* 4. *Verr.* 49. *sub fin.* Pueri annorum senum septenumque denum senatorium nomen nundinati sunt. *di sedici e diciassett'anni.* et *Ovid.* 5. *Fast.* 623. Corpora post decies senos qui credidit annos Missa neci, sceleris crimine damnat avos. *dopo sessant'anni.* et 12. *Met.* 429. qui sena leonum Vinxerat inter se connexis vellera nodis. *Virg.* 1. *Ecl.* 44. quotannis Bis senos cui (*juveni*) nostra dies altaria fumant. *ogni anno dodici volte, o un giorno per ogni mese.* et *Horat. Art. P.* 253. trimetris accrescere jussit Nomen iambeis, quum senos redderet ictus. *Vitruv.* 6. 9. Latitudo pedum senum deinum. *Inscript.* apud *Gruter.* 575. 1. Senavicena stipendia.

SĒNĬCA, æ, m. et f. 1. (senex *vel* senicus *inus.*) senex vel anus vilis. *V.* SENEX. *Pompon.* apud *Non. p.* 17. 19. *Merc.* Pappus hic medio habitat, senica non sescunciæ. *Id. ibid.* Me exercet senica nequam.

SĔNĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* senicus *inus.*, vel senex, parvus et vilis senex, senecio. *Apul.* 1. *Met. prope fin.* Demonstro seniculum in angulo sedentem. *et mox.* Sufficit mihi seniculi tanta hæc contumelia.

SĒNĬDĒNI. *V.* SENI.

SĔNĪLIS, e, adject. (senex) ad senes pertinens, *da vecchio, senile*, γεροντικός.

I.) Proprie. *Cic. Sext.* 22. *a med.* Senile corpus. *Ovid.* 8. *Met.* 210. genæ. *et ibid.* 528. vultus. *et* 13. *ibid.* 66. anni. 7. *ibid.* 250. artus. *Id.* 5. *Fast.* 58. ruga. *Id.* 7. *Met.* 478. egreditur tardus gravitate senili Æacus. *Cic.* 4. *Verr.* 35. 87. Stesichori statua senilis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Cato prodidit, senilem juventam prælmaturæ mortis esse signum. *Horat. Art. P.* 176. ne forte seniles Mandentur juveni partes, pueroque viriles. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Adoptio senilis. *h. e.* quæ a sene fit. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. Senilis prudentia. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 4. turpe senilis amor. *Quintil. declam.* 6. 18. Senilis inertia. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 47. (126). Ulcera senilia. *h. e.* senum. *Seneca Ep.* 30. In senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri et fulciri potest. *Id. ibid.* 14. Senilis anima in primis labris est.

II.) Translate. *Cic. Senect.* 11. *circa med.* Senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet. *Quintil.* 11. 1. *ante med.* Morum senilis auctoritas. *Liv.* 10. 22. Senilis animus. *Apul.* 4. *Met.* Senile illud facinus. *h. e.* facinorosa illa anus, ut scelus dicimus pro scelesto. *Ovid.* 15. *Met.* 212. Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu, Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos. *Inscript.* apud *Gruter.* 408. 1. QVAMVIS ADMODVM ADVLESCENS SENILIBVS TAMEN ET PERFECTIS OPERIBVS AC FACTIS PATRIAM SVAM NOSQVE INSVPER SIBI VNIVERSOS OBSTRINXERIT.

SĔNĪLĬTER, adverb. (senilis) more senum, *da vecchio*, γεροντικῶς. *Quintil.* 1. 11. 1. Non enim puerum aut femineæ vocis exilitate frangi volo, aut seniliter tremere.

SĒNĬO, ōnis, m. 3. (seni) senarius numerus, *il sei.* ¶ 1. Generatim. *Capell.* 7. *p.* 266. Singularitas quinarium numerum quinquies metitur; idem facit senio in triginta. ¶ 2. Speciatim dicitur de sex punctis, quæ in jactu talorum existunt. *il sei del dado*, ἑξάς. *Pers.* 3. 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto, damnosa canicula quantum Raderet. «*sapere Quanto guadagna il sei, quanto il dannoso Asso perde*» (*Monti*). et *Martial.* 13. 1. Non mea magnanimo depugnat tessera talo, Senio nec nostrum cum cane quassat ebur. *August.* apud *Sueton. Aug.* 71. Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat.

SĔNĬOR. *V.* SENEX.

SĔNĬŌSUS, a, um, adject. (senium) qui senio laborat. *V.* INSOMNIOSUS.

SĒNĬPES, pĕdis, adject. (seni *et* pes) sex pedibus constans. *Sidon. carm.* 23. 131. Hic dum senipedem stilum polibat. *h. e.* versus sex pedum seu hexametros. Loquitur enim de Consentio, qui par Homero videbatur in heroico versu pangendo. Adde *Hieronym. præf. Chr. Euseb.* § 2.

SĔNĬUM, ii, n. 2. (seneo) *Senius* legitur apud *Cic.* 3. *Orat.* 38. 154.; sed locus est corruptus. V. *Orell.* et *Ellendt.* — Senium est ætas senilis et, quæ eam comitatur, infirmitas. Est enim plus aliquid, quam senectus (*V.* SENECTA), *vecchiaia, vecchiezza, decrepitezza*, γῆρας, et dicitur tum de animantibus tum de inanimis.

I.) Proprie. *Næv.* apud *Gell.* 19. 7. Homo mente exsensa, tardigemulo senio oppressus. *Enn.* apud *Cic. Senect.* 5. *de equo.* Qui sæpe numero vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit. *Cic. Tim.* 5. Opus perfectum, quod omni morbo senioque careret. *Id. ibid.* 6. Se ipse (*mundus*) consumptione et senio alebat sui. *Turn. fragm. Sat.* 3. *Wernsd.* imperii senium. *Mar. Vict. ep. ad Salm.* 69. sola est, senium quæ nescit, honestas. *Phædr.* 4. *epil.* olim senio debilem Fru

stra adjuvare bonitas nitetur tua. *Stat.* 8. *Theb.* 262. Adrastus æger senio. *Tac.* 1. *Ann.* 34. Corpvata senio membra. *et* 2. *ibid.* 42. Fessus senio. *et* 6. *ibid.* 38. Objectare alicui fluxam senio mentem. *Liv.* 7. 22. Lentæ velut tabis senio victa pertinacia. *Sueton. Aug.* 38. Senio vel aliqua corporis labe insignes.

II.) Translate. ¶ 1. Est diuturnitas temporis, vetustas, *tempo, antichità.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (21). Senio proficiens vini vita. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 54. omne mundi senium remensus. *h. e.* chronica scripsit. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Passus est leges istas situ atque senio emori. *Stat.* 9. *Theb.* 316. cur ipse excitus in arma Ismenos, doctæ nosse indulgete sorores: Vestrum opus, ire retro et senium defendere famæ. *h. e.* efficere, ne prisca fama oblivione pereat. *Claudian. IV. cons. Honor.* 504. Firmatur senium juris, priscamque resumunt Canitiem leges. *h. e.* antiqua reverentia et sanctitas. ¶ 2. Dicitur de iis, quæ decrescunt (*V.* SENESCO): ut *Senium lunæ*, ultima ejus decrescentia, quum proxime ad novilunium accedit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (155). ¶ 3. Metonymice. — 1.°) De abstractis. — *a*) Est morositas, severitas, tetricitas: quæ senum vitia sunt. *Seneca Hippol.* 917. Morumque senium triste et aspectu grave. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 47. Surge et inhumanæ senium depone Camenæ. *Pers.* 1. 26. En pallor seniumque. — *b*) Item tristia, mœror, molestia, tædium, odium, quæ cruciant animum, et senium quodammodo ante tempus afferunt, *tristezza, malinconia.* *Plaut. Truc.* 2. 5. 13. Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est. *Id. Stich.* 1. 1. 19. Hæ mihi dividiæ et senio sunt. *Pers.* 6. 16. usque recusem Curvus ob id minui senio. *Turpil.* apud *Non. p.* 2. 23. *Merc.* Odio ac senio mihi hæ sunt nuptiæ. *Accius ibid.* Mors amici subigit: quod mihi est senium multo acerrimum. *Pacuv. ibid.* Metus, egestas, senium exiliumque et senectus. Adde *Pompon.* et *Lucil. ibid.* — In plur. num. *Titin. ibid.* Quot postes, senia et jurgia sæpe meis ædibus emigrarunt. — 2.°) Concreto, ut ajunt, sensu. — *a*) Est senex. *Sil. It.* 8. 466. Ora puer, pulcherque habitum, sed corde sagaci Æquabat senium, atque astu superaverat annos. — *b*) Est etiam convicium in senem molestum, tristem, difficilem. *Ter. Eun.* 2. 3. 10. Ut illum dii deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est. Ubi *Donatus:* Plus dixit *senium*, quam *senem*. Et *senex* ad ætatem refertur, *senium* ad convicium. Sic *Lucilius* ait: *At quidem te, senium atque insulse sophista.* Hæc *Donat.* — *c*) Item caries, situs. *Sil. It.* 3. 20. seniumque repellere templis. *h. e.* prohibere, ne situ et vetustate putrescant.

Homonym. Quomodo differat *senium* a *senectute* vel *senecta*, V. init. et in hisce vocibus.

SENĬVĪCĒNI. *V.* SENI.

SENSA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SENTIO in fin.

SENSĀTĒ, adverb. (sensatus) sapienter, prudenter, *sensatamente*, συνετῶς. *Vulgat. interpr. Eccli.* 13. 27. Humilis deceptus, insuper et arguitur; locutus est sensate, et non est datus ei locus. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Marc.* 12. 34.

SENSĀTUS, a, um, adject. (sensus) sapiens, cordatus, prudens. *Firmic.* 5. *Mathes.* 12. *a med.* Sensati, callidi, astuti homines. *Vulgat. interpr.* 2. *Par.* 2. 12. *de Salomone.* Filius sapiens et eruditus et sensatus atque prudens. — Absolute. *Id. Eccli.* 4. 29. In lingua sapientia dignoscitur, et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati. Adde *ibid.* 5. 15.

SENSĬBĬLIS, e, adject. (sentio)

A) Passive. ¶ 1. Est qui sensu percipi potest, sensibilis, *sensibile*, αἰσθητός. *Vitruv.* 5. 3. *a med.* Vox est spiritus fluens et aeris ictu sensibilis auditu. *Seneca Ep.* 124. Quicumque voluptatem in summo ponunt, sensibile judicant bonum: nos contra intelligibile, qui illud animo damus. *Apul. de dogm. Plat.* Sensus ipsi ad ea, quæ sunt sensibilia, apte compositi a natura. ¶ 2. Est etiam gravabilis, gravis, molestus. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 51. Sensibilis post cibum omnis et vomitus et multo gravius jugis.

B) Active est, qui sensu percipere potest. *Lactant.* 2. 10. Simulacrum sensibile et intelligens. *Id. ibid.* 8. Ex his enim duobus alterum sensibile est, alterum caret sensu. *Apul. de Mund.* Sensibilis substantia. *h. e.* res sensibus prædita. — Neutr. sing. absolute. *Id.* 7. 4.

SENSĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (sensibilis) ¶ 1. Est vis sentiendi. *Fulgent. contin. p.* 750. ed. *Staver.* At vero animum pictura inani quod pascit, certum puerile studium refert: infantia enim videre novit, sentire vero, quid videat, nescit: sicut in picturis est visibilitas, deest sensibilitas. *Pseudo-Soran. Quæst. medic.* 7. Sensibilitas corporis. *Isid. in Exod.* 31. 2. carnalis. ¶ 2. Sumitur etiam pro sententia et vi verborum, *senso, significato.* *Non. p.* 173. 14. *Merc.* Sententia sensibilitas. *et p.* 526. 22. Sensibilitatis ejus non levis ratio est, quæ, prima sententia philosophica accipit intellectum etc. Cave ita usurpes.

SENSĬBĬLĬTER, adverb. (sensibilis) per sensus, *sensibilmente*, αἰσθητῶς. *Arnob.* 7. *p.* 234. Inanis apud deos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus. Adde *Augustin. Solil.* 1. 1.

SENSĬCŬLUS, i, m. 2. (sensus) *deminut. a* sensus, exigua sententia, *piccolo pensiero o sentimento*, ἐνθυμημάτιον. *Quintil.* 8. 5. *ante med.* Inde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti.

SENSĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sensus et fero) sensum ferens, αἰσθηματοφόρος. *Lucret.* 3. 273. Sensifer unde oritur primum per viscera motus. *et ibid.* 938. Longe ab sensiferis primordia motibus errant.

SENSĬFĬCANS, antis, particip. *V.* SENSIFICO.

SENSĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (sensifico) *sentificatore*, qui sensificat. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 3. Vitumnus vivificator, et Sentinus sensificator.

SENSĬFĬCO, as, are, a. 1. (sensus et facio) Part. *Sensificans.* — Sensifico est sensibilem reddo, sentifico, *render sensibile.* *Capell.* 9. *p.* 308. Hæc (*Harmonia*) potuit rupes sensificare tonis. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 17. Universum corpus movere et sensificare. *Id.* 3. *ibid.* 2. Nec alia pars animæ sensificat oculum, et alia vivificat digitum. *Forcellinus* leg. utrobique *sentificare.* et *Augustin.* 1. *Confess.* 7. Est alia vis non solum, qua vivifico, sed etiam, qua sensifico carnem meam. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. *retro. Fulgent. De Incarn.* 28. Anima vivificans et sensificans corpus.

SENSĬFĬCUS, a, um, adject. (sensus et facio) sensus causam præstans, αἰσθηματοποιός. *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. *a med.* Septem nervorum συζυγίαι de cerebri ventre nascentes, vicem implent fistularum, spiramentum sensificum ad sua quæque loca naturali lege ducentes. *Capell.* 2. *p.* 43. *de Phœbo.* Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. et 317. Sensifica virtus.

SENSĬLIS, e, adject. (sentio) sensibus subjectus, *sensibile*, αἰσθητος. *Lucret.* 2. 888. Ex insensilibus ne credas sensile gigni. — Neutr. plur. absolute. *Chalcid. Tim.* 349. et 350.

SENSĬLĬQUUS *vel* sensilocus, a, um, adject. (sensus et loquor) qui cum sensu loquitur, *sentimentale.* *Non. p.* 186. 10. *Merc.* Vinnulum, sensilocum, id est illecebrum. *Ribbeck* sensi locum. Cf. tamen *ejusd. Coroll. p.* XL. *Scœn. R. P. fragm.*

SENSIM, adverb. (sentio) paullatim, pedetemptim, et quasi motu sensum fallente, σχολῇ, ἠρέμα (It. *a poco a poco, insensibilmente, lentamente, adagio*; Fr. *peu à peu, petit à petit, insensiblement, par degrés, lentement*; Hisp. *poco á poco, lentamente, poquito á poquito*; Germ. *nur od. kaum merklich, allgemach, unter der Hand, gelegentlich, nach und nach*; Angl. *by little and little, insensibly, leisurely, gradually*). — *a*) Universim. *Plaut. Cas.* 4. 4. 1. Sensim supera: tolle limen, nova nupta. *Liv.* 10. 5. Sensim incedere jubet. *Gell.* 13. 4. Sensim et comiter aliquem admonere. *Id.* 1. 11. *a med.* Qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret. *pian piano.* et 17. 8. Quum omnes sensim atque submissim rideremus. et 12. 5. *ad fin.* et 19. 1. *extr.* Cur sapiens tonitru vehementius facto, sensim pavescat. *h. e.* leviter. *Phædr.* 4. 16. Parce gaudere oportet et sensim queri, Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. *h. e.* moderate. *Ovid.* 3. *Art. am.* 565. Ille vetus miles sensim et sapienter amabit. — In illo *Nepot. Att.* 9. Sed sensim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur. *sensim* est clanculum. Ita leg. *Forcellinus, Klotz, Vannucci*, al.; sunt vero qui leg. *sensus ejus* pro *sensim is*, ita ut *sensus* idem sit, quod propositum, consilium, judicium; quomodo passim ea voce quum alii veterum, tum *Nepos* etiam, sunt usi. (*V.* SENSUS) Ita *Barthius, Halmius*, al.; omnes tamen reclamantibus libris. — *b*) Cum oppositis. *Cic.* 1. *Off.* 33. *a med.* Magis decere, amicitias sensim dissuere, quam repente præcidere. *Id.* 5. *Verr.* 68. 158. Non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore. *Id.* 2. *Phil.* 17. 42. Ille sensim dicebat quod causæ prodesset: tu cursim dicis aliena. *Liv.* 2. 45. Non jam sensim, ut ante, per centuriones principes postulant, sed passim omnes clamoribus agunt. — *b*) Cum homonymis vel similibus. *Cic. Senect.* 11. *extr.* Sensim sine sensu senescit ætas. *Id.* 3. *Tusc.* 22. *sub fin.* Sensim et pedetentim progrediens extenuatur dolor. *Id. Cœl.* 11. Verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio ad animos vestros sensim ac leniter accideret. *Gell.* 5. 14. *ante med.* Leo sensim atque placide, tamquam noscitabundus, ad hominem accedit. *Id.* 12. 1. *ad fin.* Vigor ille sensim atque paullatim extinguitur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Villa leniter et sensim, clivo fallente, consurgit. *Plin.* alter 5. *Hist. nat.* 9. 10. (57). Nilus incipit crescere sensim modiceque.

SENSĬO, ōnis, f. 3. (sentio) ¶ 1. Est idem ac sententia. *Gloss. Isid.* Sensio, sententia. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. orat. pro Sulla* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 264.) 13. Ne sensio in contrarium vergeret. ¶ 2. *Sensio stomachi* est idem quod infertio, *infarcimento*, apud *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 69.

SENSŌRĬUM, ii, n. 2. (sensus) locus, in quo sensus residet, *sensorio*, μνημονικόν. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 5. *p.* 732. Similiter quoque et in orationibus promptum esse ad principia, et propositiones memoria scire oportet, nam perinde ac in memoriæ sensorio solum loci propositi statim faciunt ipsas res memorari.

SENSŬĀLIS, e, adject. (sensus) sensu præditus, *sensibile, che ha senso*, αἰσθητός. *Tertull. Anim.* 43. Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 346. Ædem sibi ipse (*Deus*) mente in hominis condidit Vivam, serenam, sensualem, flabilem, solvi incapacem posse, nec destructilem. Adde *Apul. Trismeg. p.* 80. *Elmenhorst.*, ubi tamen rectius leg. *similibus.* *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 1. 14. In sensibus, hoc est in sensualibus viis, quas Græci αἰσθητήρια vocant. Adde *eumd. ibid.* 8. 57. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316.

SENSŬĀLĬTAS, ātis, f. 3. (sensualis) *sensibilità*, sensibilitas. *Tertull. Anim.* 17. Plato irrationalem pronunciat sensualitatem. Adde 38. *extr.* et *Augustin. contra Faust.* 15.

SENSŬĀLĬTER, adverb. (sensualis) ¶ 1. Est juxta sensum corporeum. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 12. *a med.* Omnium sensualiter viventium principaliter tactus ex terra est. ¶ 2. Est etiam sensim. *Isid. De nat. rer.* 33. *de fluviis.* Pluviæ nubium eloquia sunt apostolorum, qui quasi guttatim id est sensualiter veniunt.

SENSŬLUS, i, m. 2. (sensus) *deminut. a* sensus. *Eugen. Tolet. præf. ad Dracont.* Dracontii libellos multis videns erroribus involutos, pro tenuitate mei sensuli subcorrexi.

SENSUM, i, n. 2. *et*

SENSUS, a, um, particip. *V.* SENTIO.

SENSUS, us, m. 4. (sentio) vis sentiendi, facultas animi, qua per corpus objecta sensilia percipit, αἴσθησις (It. *senso, sentimento*; Fr. *action de sentir, sens, sentiment*; Hisp. *sentido, sentimiento*; Germ. *d. empfindende od. fühlende*

Thätigkeit, d. Empfindung, d. Gefühl, d. Sinn; Angl. *sense*).

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de iis, quæ ad corpus pertinent. — 1.°) Abstractorum more, et ponitur pro actione sentiendi. — *a*) Universim. *Cic.* 3. *Verr.* 18. 47. Tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis. *Id.* 7. *ibid.* 46. *sub fin.* An vos quoque hic cruciatus et mœror pari sensu doloris afficit? *Id.* 1. *Fin.* 19. 64. Quidquid animo cernimus, id omne oritur a sensibus. *sensazioni.* (*V.* quæ adnot. ad h. l. *Madwig, op. cit. p.* 121.) Cf. 1. *Nat. D.* 7. 70. *Id.* 9. *Phil.* 6. 13, *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. *ad fin., Ovid.* 1. *Pont.* 2. 113. et *Phædr.* 4. 4. Si quis est sensus in morte. *Cic. Rabir. perduell.* 10. *circa med.* Vita et sensu carere. *Id.* 1. *ad Brut.* 9. *circa med.* Carere omni sensu doloris. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. 88. Mictoria vesicam moventia omnes provocant nervos, qui tunc summo atque attento sensu habitantur. et 5. *Tard.* 1. 3. Sensus patientis. — *b*) *Sensus Veneris* est facultas fruendæ Venereæ voluptatis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 795. Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit. — 2.°) Concreto, ut ajunt, sensu, est facultas sentiendi, et ipsa corporea instrumenta, quibus animus objecta sensilia percipit. Porro hujusmodi sensuum alii sunt externi, alii interni: illi sunt quinque, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus: hi duo, sensus communis, et phantasia sive imaginatio, ad quam pertinet memoria. Differunt autem *sensus* et *sensa:* illi sunt facultates et instrumenta, quibus res sentimus: hæc sunt res ipsæ, quas sentimus. *Non. p.* 433. 9. *Merc.* Sensus et sensa hoc separantur: sensus enim sunt, qui sentiunt: sensa, quæ sentiuntur. Adde *Quintil.* 8. 5. 1. Quinque sensus corporis ita describit *Prosp. Aquit. epigr.* 58. 6. Auditus, visus, gustus, contactus odorque Præberi gaudent undique quod placeat. et *Comment. in Donat. art.* in *Anecd. Helv. p.* 219. *Hag.* Quinque sunt corporis sensus: visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, et unusquisque illorum suum habet accidens. Animæ quoque quinque enumerantur: intellectualis, rationabilis, irascibilis, concupiscibilis, vitalis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Sensus autem interpretes ac nuncii rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. *Id.* 1. *Tusc.* 20. 36. Neque enim est ullus sensus in corpore, sed viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ. *Id. Orat.* 2. *ad fin.* Quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. *Id.* 2. *Orat.* 87. 357. Ea maxime animis effingi nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi. *Id.* 2. *Phil.* 45. 115. Ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 4. *contra Julian. Pelag.* 14. Quis autem tantus est gurges, qui dies et noctes velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? *Cels.* 2. 31. Sensus excitant nepeta, thymum, satureja, hyssopum, præcipueque puleja, ruta et cepa. *Quintil.* 1. 3. 8. Ea, quæ sensu et anima carent. *h. e.* facultate sentiendi. *Id.* 8. 3. 19. Quædam non tam ratione quam sensu judicantur. ¶ 2. De iis, quæ pertinent ad animum — *a*) Ponitur pro sententia, opinione, cogitatione. *Quintil.* 8. 5. 1. Non raro veteres sic locuti sunt, ut *sensa sua* dicerent. nam *sensus* corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta *sensus* vocaremus. *Ter. Adelph.* 4. 1. 17. Ego illius sensum pulcre calleo. *il suo naturale.* et *Cic.* 2. *Orat.* 35. 148. Vultus sensus animi plerumque indicant. *Nepos Dion.* 8. Sensus suos alicui aperire. *h. e.* consilia, proposita. *Ovid. Heroid.* 21. 104. Fateri alicui suos sensus. *Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Nemo in terris est mihi tam consentientibus sensibus. et 1. *Fam.* 9. *ante med.* Unum fere sensum fuisse bonorum omnium. *Id.* 15. *Att.* 7. Valde mihi placebat sensus ejus de republica. *Id. Mil.* 27. 72. Non sum tam vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. *Id. Parad.* 1. 6. Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio. *Id. Partit.* 36. 123. Penetrare ad sensum opinionemque judicis. *Id.* 2. *Legg.* 1. *sub fin.* Inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo. *Id.* 10. *Phil.* 2. 4. Qui est iste tuus sensus et cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes? *Id.* 2. *Orat.* 25. *extr.* Definitio in sensum et in mentem judicis intrare non potest. — *b*) Item pro affectu et motu animi. *Cic. Rosc. Am.* 44. *ad fin.* Ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore pronuncio. *Id.* 3. *Orat.* 25. 96. Ut oratio admirabilis, ut polita sit, ut sensus, ut dolores habeat. *Id. Flacc.* 42. 106. Percipere sensum ex mœrore patrio. *Id.* 2. *Orat.* 43. *ad fin.* Tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum. *Id. Amic.* 8. 27. Sensus amoris. *Plin.* 4. *Ep.* 8. *extr.* Sensum quemdam voluptatemque percipio, si ea, quæ mihi denegantur, amicis video superesse. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 48. Temporis adversi sic mihi sensus hebet. — *c*) Est etiam notitia, judicium, existimatio, captus, intelligentia, *capacità, intendimento. Publil. Syr.* 590. *p.* 353. *Ribbeck.* Sensus, non ætas, invenit sapientiam. *Cic.* 1. *Orat.* 3. *sub fin.* Ut id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum. *et ibid.* 18. 83. Hæc erat spinosa et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. *et ibid.* 23. *a med.* Sunt enim ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera hujus forensis nostræ dictionis. — *Sensus communis* est judicium, existimatio, opinio, quam omnes habent aut habere solent de rebus, κοινὸς νοῦς. quæ existimatio tum a natura ipsa est, tum usu rerum et consuetudine perficitur: unde stulti et hebetes communi sensu carere dicuntur. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Sensum ipsum, qui communis dicitur, unde discet, quum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? *Lucret.* 1. 422. Corpus enim per se communis dedicat esse Sensus. *Cic. Dom.* 36. *ad fin.* An ego poteram infitiari, me esse hominem, et communem naturæ sensum repudiare? *Id.* 3. *Orat.* 50. *a med.* et *Cluent.* 6. *circa med.* Quod in communibus hominum sensibus, atque in ipsa natura positum atque infixum est. *Seneca Ep.* 5. *ante med.* Hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem et congregationem. Sunt tamen qui interpret. de sensu æqualitatis omnium hominum ob communem eorum originem. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 3. 66., *Cic. Planc.* 13., 1. *Orat.* 3. *extr., Juvenal.* 8. 73. et *Phædr.* 1. 7. Sic *Arnob.* 2. *p.* 92. Quid est a nobis factum contra sensum judiciumque commune, si majora et certiora delegimus, nec sumus nos passi falsorum religionibus attineri?

II.) Translate. ¶ 1. Generatim sumitur pro ipsa mente, ratione aut usu rationis. *Ulp. Dig.* 1. 9. 1. Nec enim potest dici animal injuriam fecisse, quod sensu caret. *Id.* 24. 3. 22. Illud quidem dubio procul observatur, eam personam, quæ pudore retenta est, quia sensum non habet, nuncium mittere non posse. *Catull.* 51. 5. misero quod omnes Eripit sensus mihi. Cf. *eumd.* 66. 25. Tibi nunc toto pectore sollicite Sensibus ereptis mens excidit. ¶ 2. Speciatim *sensus* est verborum sententia, seu id quod verbis significatur, *significato, senso, sentimento. Phædr.* 4. 5. Non testamenti potuit sensus colligi. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 103. Verba, quibus voces sensusque notarent. *Ovid.* 5. *Fast.* 483. Lemures animas dixere silentum: Is verbi sensus, vis ea vocis erat. *Quintil.* 8. 2. 20. Quæ verbis aperta occultos sensus habent. *Id.* 6. 3. 48. Verba duos sensus significantia. *Id.* 8. 6. 44. Ἀλληγορία aliud verbis, aliud sensu ostendit. *Id.* 9. 3. 24. Ἀποστροφή non sensum mutat sed formam eloquendi. *Id. ibid.* 2. *a med.* Ambiguitas quæ turbare potest sensum. *et ibid. paullo sup.* Etiam interjectione (qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum) impediri solet intellectus. *Gell.* 7. 2. Horum versuum sensus atque ordo sic, opinor, est. *Seneca* 7. *ad fin.* Egregie dicta circa eumdem fere sensum. *quasi al medesimo proposito.* ¶ 3. Sic ipsæ quoque sententiæ, et cogitata *sensus* dicuntur, *sentimenti, pensieri. Quintil.* 10. 3. 33. Irrumpent optimi nonnumquam sensus. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 117. Mæonium sive ille senem Trojæque labores Diceret, aut casus tarde remeantis Ulyssis, Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri. *Vellej.* 2. 9. *in fin.* Pomponius sensibus celebris, verbis rudis. ¶ 4. Item pro periodo occurrit apud *Quintil.*, quo integra continetur sententia, 9. 4. 61. Sensus omnis habet suum finem, poscitque naturale intervallum, quo a sequentis initio dividatur. *Id.* 7. 10. 16. Qui (*sensus*) non modo ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se juncti atque ita cohærentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra. Cf. *eumd.* 11. 2. 20. Ridendi, qui velut leges prooemiis omnibus dederunt, ut intra quatuor sensus terminarentur. *Id.* 9. 4. 26. Verbo sensum cludere multo optimum est. Adde *Serg.* in *Donat.* Somiplenus sensus. ¶ 5. Hinc pro locis communibus apud *Tac. Dial. de Orat.* 31.

Homonym. Discrimen inter *sensus* et *sensa* V. supra init. et in SENSUS, a, um.

SENSŪTUS, a, um, (sensus) sensatus. *Vulgat. interpr. Ital. Eccli.* 26. 26. Vir sensutus. Adde *Augustin. Specul.* 33. *Mai.*, si vera ibi lectio.

SENTENTĬA, æ, f. 1. (sentio) id quod animo sentimus, quod nobis videtur, sensus, judicium, opinio, consilium, mens, voluntas, γνώμη (It. *sentimento, avviso, opinione, parere, intenzione, voglia;* Fr. *opinion, manière de voir, volonté, sens, jugement, sentiment, avis;* Hisp. *opinion, dictamen, sentir, juicio, concepto;* Germ. *d. Gesinnt - od. Gestimmtsein in e. Sache, d. Meinung, Willensmeinung;* Angl. *opinion, judgment, resolution, mind, purpose, will*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Quintil.* 8. 5. 1. Sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Id quum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. nam et juraturi, ex animi nostri sententia; et gratulantes, ex sententia dicimus. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Variis dictis sententiis, quarum pars – censebant. *pareri, avvisi.* Sic 2. *B. C.* 30. Erant sententiæ, quæ censerent. et *Plin.* 2. *Ep.* 12. Sententiæ numerantur, non ponderantur. *Plaut. Most.* 1. 3. 15. Ut lepide res omnes tenet, sententiasque amantum! *i fatti ed i pensieri.* et *Mil. glor.* 2. 1. 51. Quoniam inspexi mulieris sententiam. *l'animo, la mente.* et *Cic. Mur.* 1. 1. Ut vestræ mentes atque sententiæ cum populi R. voluntatibus suffragiisque consentiant. *Id.* 1. *Orat.* 37. *extr.* Quoniam sententiæ atque opinionis meæ voluistis esse participes, nihil occultabo (Adde 2. *ibid.* 34.) *et ibid.* 18. *sub fin.* Carneades multo uberius iisdem de rebus loquebatur, non qua aperiret sententiam suam, sed etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 2. De diis immortalibus habere non errantem et vagam sed stabilem certamque sententiam. *Id.* 4. *Fam.* 4. *sub fin.* Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Cæsar velle videatur. *Id. Mur.* 30. 63. Mutare sententiam. *et ibid. in fin.* et 4. *Fin.* 19. 52. De sententia decedere. *Id.* 9. *Att.* 2. Manere in sententia. *et* 1. *ibid.* 20. Permanere in pristina sententia. *Id. Rosc. Com.* 18. 56. perstare. *Id.* 1. *Fin.* 19. *a med.* Desistere sententia. *Id.* 2. *Tusc.* 12. 28. De sententia desistere. *et ibid.* 5. *a med.* dejici. *et ibid.* 25. 60. deducere. *Id.* 2. *Divinat.* 39. 81. deterreri. *Cæs.* 2. *B. G.* 10. Deducere ad sententiam. *Plin.* 1. *Ep.* 8. in sententiam. *Ter. Heaut.* 1. 1. 114. Sicine est sententia? ME. sic. *hai fisso così?* et *Adelph.* 3. 6. 5. Sin aliter de hac re est ejus sententia, respondeat mihi. *se la sente altrimente.* et *Hecyr.* 4. 4. 15. Sin est, ut aliter tua siet sententia, accipias puerum. — *Quot homines, tot sententiæ*, proverb. apud *Ter. Phorm.* 2. 4. 14. et *Cic.* 1. *Fin.* 5. *a med.*, quod *Horat.* ita expressit 2. *Sat.* 1. 27. Quot capitum vivunt, totidem studiorum Milia. et *Pers.* 5. 52. Velle suum cuique est. et *Virg.* 2. *Ecl.* 65. trahit sua quemque voluptas. — *b*) *Est sententia* vel *stat sententia*, est voluntas, propositum, statutum est.

Cic. 3. *Off.* 33. 116. Si honestatem tueri ac retinere sententia est. *intenzione, voglia.* Sic 3. *Herenn.* 24. 40. Pluribus verbis ad eam te hortari non est sententia. *Ovid.* 8. *Met.* 67. stat sententia credere mecum Dotalem patriam finemque imponere bello. *ho stabilito, ho fisso.* et 1. *ibid.* 242. dent ocius omnes, Quas meruere pati (sic stat sententia) pœnas. — c) *De sententia alterius quippiam facere, gerere, scribere etc.*, sequendo alterius sententiam, *col parere, secondo il sentimento altrui. Cic.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* et *Cœl.* 29. 68. Ea, quæ scribam, sic habeto, me, cum illo re sæpe communicata, de illius ad te sententia atque auctoritate scribere. *Id.* 7. *Att.* 5. *sub fin.* Quid sentis igitur? inquis. nihil scilicet, nisi de sententia tua. *Id. Sull.* 19. *ad fin.* Quorum de sententia tota res gesta est. *Id. ad Capiton. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. circa med.* Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios. *Id. ibid. ad Att. ep.* 3. *sub fin.* Quum ei præscriptum esset, ne quid sine Sexti sententia ageret. *Liv.* 38. 45. Quod quem unquam de sua sententia facere ausum? *di sua testa.* Adde *Plaut. Bacch.* 4. 9. 105. — d) *Mea sententia*, ut ego sentio, ut mihi videtur, *a mio giudizio, a mio parere, secondo me. Plaut. Cas.* 3. 3. 1. Stultitia magna est, mea quidem sententia. Adde *Men.* 11. 5. et *Pœn.* 5. 6. 1. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 95. Demetrius omnium istorum mea sententia politissimus. *Ter. Phorm.* 2. 2. 21. Alere nolunt hominem edacem: et sapiunt mea sententia. *Id. Adelph.* 5. 9. 2. ergo edepol hodie mea quidem sententia judico, Syrum fieri esse æquum liberum. — e) *Ex sententia, ex sententia mea, tua, nostra etc.*, ut volumus, ex voto, feliciter, prospere, *a grado, com' io voleva, con soddisfazione, a mio modo, prosperamente,* κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην. *Sall. Jug.* 47. Ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur. *Nepos Alcib.* 7. Quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat. *Cic.* 1. *ad Brut.* 9. *sub fin.* Ut reliqua ex sententia succedant. *Id.* 5. *Att.* 21. Te ex sententia navigasse, vehementer gaudeo. *Ter. Heaut.* 4. 3. 5. Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor. *Id. Phorm.* 2. 1. 26. Satin omnia ex sententia? *Plaut. Pers.* 1. 1. 17. SA. Quid agitur? TO. vivitur. SA. satin ergo ex sententia? TO. si eveniunt, quæ exopto, satis. *Ter. Adelph.* 3. 4. 56. Pisces nactus sum ex sententia. *Cic.* 3. *Att.* 20. Quam omnia essent ex sententia, si nobis animus non defuisset! *Plaut. Cist.* 1. 3. 7. Quin ego nunc quia sum onusta mea ex sententia, - Tacere nequeo. *Id. Men.* 5. 9. 89. hæc evenerunt, frater, nostra ex sententia. — f) *Præter animi sententiam*, contra animi propensionem, voluntatem, *contro voglia. Id. Rud.* 2. 7. 29. edormiscam hanc crapulam Quam potavi præter animi quam libuit sententiam. — g) *Ex animi sententia*, ex animo, ut vere sentimus, sincere, vere, fideliter, *veramente, con sincerità, da senno, daddovero,* κατὰ γνώμην. et est formula jurantis, aut serio affirmateque adseverantis. *Cic.* 3. *Off.* 29 *ad fin.* Quod ex animi tui sententia juraris, id non facere, perjurium est. *Petron. Sat.* 109. Tabulas fœderis signat, queis hæc formula erat: Ex tui animi sententia, ut tu, Tryphæna, neque injuriam tibi factam a Gitone quereris, neque etc. *Liv.* 22. 53. *ad fin.* Ex mei animi sententia, ut ego rempublicam populi R. non deseram. (Similem jurisjurandi militaris formulam habes in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 673. *n.* 13.) Et omisso *ut*. *Liv.* 43. 15. Censores ita jusjurandum milites adigebant: Ex tui animi sententia tu ex edicto censorum in provinciam Macedoniam redibis. *Cic.* 2. *Orat.* 64. *sub fin.* et *Gell.* 4. 20. Ridicule etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit; ex mei animi sententia. Apud *Gell.* leg. etiam posteriore loco, *ex animi tui sententia:* significat autem idem quod *ex sententia. Sall. Jug.* 89. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio lædere potest. *in verità, per mia fe.* medius fidius, mehercules: formula adseverandi. ¶ 2. Speciatim, in re forensi, dicitur de uniuscujusque judicio vel sensu, qui in consilio verbis exprimitur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Causa perorata (*in senatu*) sententias se rogaturum negavit. *et mox.* Marcellinus quum graviter de Clodianis sententiis questus esset, sententiam dixit, ut etc. *Liv.* 8. 20. *sub fin.* Consul, etsi, inquit, meæ partes exquirendæ magis sententiæ, quam dandæ, sunt, tamen etc. *più di ricercare il parere altrui, che di dir il mio. Cic.* 1. *Fam.* 2. Perspiciebant enim, in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros. *Id.* 4. *Att.* 1. *a med.* Factum est senatusconsultum in meam sententiam, ut etc. *Seneca Ep.* 102. *ante med.* An sit aliquid ex distantibus bonum, etiam nunc quæritur, et pars utraque sententias habet. *h. e.* qui pro ea sentiant. *ha i suoi fautori.* et *Curt.* 6. 11. 11. Qui aliud suaserant, in horum sententiam transeunt. *Inscript.* apud *Orell.* 1186. PHOSPHORE LVCIO AVR. AVIANIO SYMMACHO - QVI PRIMVS IN SENATV SENTENTIAM ROGARI SOLITVS. ¶ 3. Dicitur etiam de prudentia et sapientia, quæ dicendæ sententiæ facultatem præbet. *Cic. Senect.* 6. *circa med.* Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia. *et mox.* Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut comminus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, sententia. *Id.* 1. *Legg.* 22. 58. Philosophia nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmetipsos nosceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. ¶ 4. Item de suffragio, tabella, *voto, fava. Cic.* 6. *Verr.* 47. 104. De quo vos, judices, sententiam per tabellam feretis. *Justin.* 22. 3. 6. Tacita de eo suffragia tulerunt, et sententias, priusquam recitarentur, in urnam conjectas obsignari jusserunt. ¶ 5. Item est decretum et judicium, quo judex reum vel absolvit vel damnat, *sentenza. Cic. Cluent.* 26. *extr.* Sua illum sententia, quam palam omnes laturi essent, condemnatum iri. *Sueton. Domit.* 11 Numquam tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronunciavit. *Cic.* 6. *Verr.* 45. *circa med.* Servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur. *a pieni voti.* Apud *eumd.* 3. *Off.* 16. *circa med.* judex *sententiam dicit,* quum pronunciat. *Quintil.* 5. 11. 36. De quibus ex causis sententia dicta est. *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burmann.* Neuter sententiam tulit decernentis. *non s' acchetò alla sentenza.* et *Nepos Phoc.* 3. Ex consilii sententia in custodiam conjectus. *Id. Lys.* 3. Judicum absolutus sententiis.

II.) Translate occurrit de oratione. ¶ 1. Abstractorum more. — a) Est res ipsa, quæ verbis exprimitur, *senso, significato,* διάνοια. *Cic. Orat.* 39. *circa med.* Quum continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur. *Id. Dejot.* 9. 25. Dixit versum Græcum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum. *Id.* 3. *Off.* 3. *ante med.* Quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper. *vuol dire.* et *Lucret.* 4. 562. Internoscere, verborum sententia quæ sit. *Cic. Balb.* 8. 20. Totum hoc in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut etc. *Id.* 4. *Herenn.* 53. *sub fin.* Ambiguum, quum verbum potest in duas pluresve sententias accipi. — b) Etiam orationis argumentum, *il concetto, il contenuto del discorso o l' argomento. Cæs.* 1. *B. C.* 1. In eamdem sententiam loqui. *Sall. Cat.* 51. Earum (litterarum) sententia hæc fuit. *la sostanza, la somma. Cic.* 3. *Orat.* 52. 200. Nobis orator conformandus est et verbis et sententiis. *Id. opt. gen. orat.* 3. 7. Est vitium in sententia, si quid absurdum est. Cf. *Legg. loc. cit.* I. 4. Similiter 3. *Orat.* 4. 16. Loci ac sententiæ hujus disputationis *concetti principali o generali.* et *Liv.* 30. 31. In hanc sententiam respondere ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. — a) Est pronunciatum, quo sensus integer verbis exprimitur, *senso, sentimento, proposizione. Cic.* 13. *Phil.* 10. 22. Eas litteras dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim, ut attente audiatis. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 9. Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se impediat verbis lassas onerantibus aures. *Quintil.* 9. 3. 45. Initia et clausulæ sententiarum. — Opponitur orationi. *Id.* 9. 2. 1. Conformationes verborum ac sententiarum. *Id. ibid.* 101. Nescio an orationis potius, quam sententiæ sit. Adde 11. 3. 153. — b) Apud rhetores sententia est, inquit *Cic.* 4. *Herenn.* 17. 24., oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit hoc modo: Difficile est primum virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. *Quintil.* 8. 5. 2. Consuetudo jam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus: lumina autem, præcipue in clausulis posita, sententias. Cf. 6. 3. 36. (Multa toto illo *cap.* de sententiis.) *Anecd. Helv. p.* XXXV. *Hag.* Sententia quid est? Dictio generalis ad vitæ emendationem in commune pertinens. Cf. *ibid. p.* 289. Consilium cogitatio, sententia consilii pronunciatio. *Pacuv. fragm. p.* 121. *Ribbeck.* Odi ego homines ignava opera et philosopha sententia. Cf. *Eurip. fr.* 62. μισῶ σοφὸν Ὄντ' ἐν λόγοισιν, ἐς δ' ὄνησιν οὐ σοφόν. *Cic.* 2. *Orat.* 8. *sub fin.* Acutæ crebræque sententiæ *Id. Brut.* 78. *ad fin.* Concinnæ acutæque sententiæ. *Id.* 1. *Orat.* 8. 31. Sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita. — c) Etiam integra oratio, qua sapiens alicujus dictum explicatur, *sententia* dicitur. *Quintil.* 1. 9. 3. Sententiæ quoque et chriæ et ethologiæ, subjectis dictorum rationibus, apud grammaticos scribantur. — d) *Sententia necessaria* et *sententia responsiva* sunt figuræ rhetoricæ apud *Jul. Rufinian.* 16. et 19. — e) Aliquando pro oratione absolute adhibetur. *Curt.* 5 9. 12. Sententiam ordiri.

SENTENTĬĀLIS, e, adject. (sententia) sententiosus, *sentenzioso,* γνωμικός. *Isid.* 2. *Orig.* 9. 11. Sententiale est, quod sententia generalis addicit, ut apud Terentium: Obsequium amicos, veritas odium parit. Adde *Cassiod. Rhetor.* 13. *p.* 499. 22. *Halm.*

SENTENTĬĀLĬTER, adverb. (sententialis) sententiæ modo, *per modo di sentenza,* γνωμολογικῶς. *Macrob.* 5. *Saturn.* 16. Et alia plurima, quæ sententialiter proferuntur: nec hæc apud Virgilium frustra desideraveris. 8. *Ecl.* 63. Non omnia possumus omnes. (Recentiores quidam hunc loc. corruptum putant.) 10. *Ecl.* 69. Omnia vincit amor. *Tertull. Car. Chr.* 18. *a med.* Ipse Dominus sententialiter et definitive pronunciavit (*Joh.* 3. 6.). Quod in carne natum est, caro est. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 30. 9.

SENTENTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a sententia, brevis levisque sententia, *concettino, sentimentuzzo, pensieretto,* γνωμίδιον, ῥησείδιον. *Cic.* 3. *Phil.* 9. 21. Sententiolas edicti cujusdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. *Petron. Sat.* 118. Controversia sententiolis vibrantibus picta. *Quintil.* 12. 10. *ad fin.* Corruptum dicendi genus, quod puerilibus sententiolis lascivit. *Id.* 9. 2. *a med.* Nec meretur fidem, qui pro sententiola jurat. *Id.* 11. 1. *a med.* Sententiolisne fluendum est? Adde 5. 13. *a med.* — In bonam partem. *Gell.* 17. 12. Non hercle hac sententiola invenuste lusit. Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

SENTENTĬŌSĒ, adverb. (sententiosus) ¶ 1. Est cum sententiis, seu sententiosis dictionibus, *sentenziosamente. Cic. Orat.* 71. 236. Composite et apte sine sententiis dicere insania est; sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia. *Id.* 1. *Invent.* 55. 106. Oratio graviter et sententiose habita. ¶ 2. Est etiam per sententias, *con sentenze, o con motti arguti, vivaci. Id.* 2. *Orat.* 71. 286. Sæpe etiam sententiose ridicula dicuntur.

SENTENTĬŌSUS, a, um, adject. (sententia) sententiis, hoc est sapienter dictis abundans, scitus, *pieno di sentenze, sentenzioso,* γνωμικός. *Cic Brut.* 95. 325. Genus dictionis sententiosum et argutum.

SENTĬCĒTUM, i, n. 3. (sentis) locus sentibus

obsitus, spinetum, ἀκανθεών (It. *prunaja;* Fr. *lieu buissonneux;* Hisp. *seto de zarzas;* Germ. *e. Dorngesträuch;* Angl. *a place full of brambles or briars*). *Apul. Florid. n.* 11. Qui herediolum sterile et agrum scruposum, meras rupinas et senticeta miseri colunt. — Frigide jocatur *Plaut. Capt.* 4. 2. 79. HE. nil sentio. ER. Non enim es in senticeto: eo non sentis.

SENTĬCŌSUS, a, um, adject. (sentis) Comp. *Senticosior.* — Senticosus est sentibus obsitus, spinosus, ἀκανθώδης (It. *spinoso, prunoso;* Fr. *plein d'épines;* Hisp. *espinoso, zarzoso;* Germ. *dornenreich, voll Dornen, dornig;* Angl. *full of brambles, thorny, brambly*).

I.) Proprie. *Augustin.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 27. Ut compungeretur homo, (*terra*) solito senticosior futura promittitur.

II.) Translate. *Afran.* apud *Fest. p.* 339. 28. *Müll.* Quam senticosa verba pertorquet turba! *Alii leg.* tuba. *V.* SENTIS. *Apul. Florid. n.* 18. Merces Protagoræ tam aspera, tam senticosa versutis et avaris relinquenda est.

SENTĬENS, entis, particip. *V.* SENTIO.

SENTĬFĬCO, as. *V.* SENSIFICO.

SENTĪNA, æ, f. 1. De notatione hujus vocis nil reperi apud etymologos, nisi frigidum et longe petitum. Cf. tamen *sentis* et *sentus*. — Sentina est ima interior pars, seu fundus navis, cloacæ vicem præstans, quo aquæ et sordes confluunt: recentiores tamen volunt proprie esse ipsam aquam fœtidam in fundo navis: Germ. *Schiffsbodenwasser*. (Cf. *Anecd. Helv.* ex *Comment.* in *Donat. art. p.* 214. *Hag.*) ἄντλος, τρόπις (It. *sentina;* Fr. *sentine;* Hisp. *sentina;* Germ. *d. Schiffsboden;* Angl. *sink-well of a ship, common sewer*).

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 90. (194). Pisces sentinæ navium odorem procul fugiunt. *Gell.* 19. 1. In sentina satis agentibus dies tandem illuxit. Adde *Flor.* 3. 12.

II.) Translate. ¶ 1. Allegorice. *Cic.* 9. *Fam.* 15. *a med.* Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus: *h. e.* primum locum tenebamus in administratione reipublicæ: nunc Cæsare rerum potito, vix in turba civium consistimus, et infima conditione sumus. ¶ 2. Tropice est ipsa aqua fœtida in fundo navis. (*V.* tamen, quæ diximus init.) *Cic. Senect.* 6. 17. Quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant. *aggottino.* et *Seneca Ep.* 30. Quemadmodum in navi, quæ sentinam trahit, uni rimæ aut alteri obsistitur: ubi plurimis locis laxari cœpit et cedere, succurri non potest navigio dehiscenti. *fa acqua.* et *Sall. Cat.* 37. Romam sicuti in sentinam confluxerant. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. *a med.* Milites conflictati et tempestatis et sentinæ vitiis. ¶ 3. Hinc metaphorice est fæx, sordes, pars infima ac fœdior alicujus rei. *Cic.* 1. *Cat.* 5. *sub fin.* Sin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicæ. *h. e.* multitudo et fæx hominum scelestorum. *Id.* 1. *Att.* 19. *ante med.* Qua emptione constituta, et sentinam urbis exhauriri, et Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. *h. e.* fæcem populi, turbam forensem, infimum popellum. *Quintil.* 8. 6. *ante med.* Non enim si Cicero recte sentinam reipublicæ dixit, fœditatem hominum significans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris: Persecuisti reipublicæ vomicas. Adde *Liv.* 24. 29. et *Flor.* 3. 12. Sic *Val. Max.* 2. 7. *n.* 1. sentinam exercitus vocat lixas, institores, scorta.

SENTĪNĀCŬLUM, i, n. 2. (sentina) instrumentum, quo sentina exhauritur. *Paulin. Nolan. Ep.* 36. (*al.* 49.) *n.* 3. Port unum vel alterum brevis sentinaculi haustum humore destricto siccataque navi *etc.*

SENTĪNANS, antis, particip. *V.* SENTINO.

SENTĪNĀTOR, ōris, m. 3. (sentino) qui sentinam exhaurit. *Paulin. Nolan. Ep.* 46. (*al.* 49.) *n.* 12. Quid huic obfuit seni persona sentinatoris et in nautis vilissima?

SENTĪNO, as, are, a. 1. (sentina) Part. *Sentinans.* — Sentino est sentinam exhaurire, ut docet *Fest. loc.* infra *cit.*, (It. *aggottare, trombare;* Fr. *vider la sentine, pomper;* Hisp. *agotar;* Germ. d. *ins Schiffeingedrungene Wassen ausschöpfen;* Angl. *to pump out the bulge-water from a ship*).

I.) Proprie. *Paulin. Nolan. Ep.* 36. (*al.* 49.) *post init.* Unum ex omni numero nautarum senem sentinando deputatum relinquunt. Confirmat *Augustin. homil.* 42. *ex* 50. c. 9. Addunt et *Gell.* 19. 1. Complorantibus nostris omnibus atque sentinantibus. Ita *Scalig.* ad *Fest.* Sed plerique alii leg. *atque in sentina satis agentibus.* At *Venant. Vit. S. Radeg.* 31. Oborto ventorum turbine, nec tam nauta sentinante, quam unda supervergente. — Passive. *Augustin. Serm.* 278. Sententia ista est in corde hominis, quo modo cadus, unde sentinatur navis in pelago.

II.) Translate. *Paul. Diac. p.* 338. 1. *Müll.* Sentinare, satagere: dictum a sentina navis, quam quis, ut aqua liberet, evacuare contendit. Itaque sentinare est subtiliter periculum vitare. Cæcilius: Capit consilium, postquam sentinat satis. *Paullo* aliter *Fest. p.* 339. 8. *Müll.* Sentinare, satagere, dictum a sentina, quod multum aquæ navis quum recipit, periclitatur. Adde *Augustin. Serm.* 56.

SENTĪNŌSUS, a, um, adject. (sentina) aqua sentinæ plenus. *Cato* apud *Non. p.* 152. 25. *Merc.* Si indu naves putidas et sentinosas commeatum ponere volebant. *h. e.* in sentina vitiosas. *Ambros. de exc. fr. Satyr.* 1. Sentinosum navigium.

SENTĬO, sentis, sensi, sensum, sentire, a. 4. *Sentior,* deponent. forma, apud *Vulgat. interpr. Ital. Eccli.* 23. 19. Improperium sentiaris. *Vulgat.* nost. *ibid.* Improperium patiaris. — *Sensti,* syncope pro *sensisti,* apud *Ter. Andr.* 5. 3. 11. in plerisq. libr. — Quod ad etymon attinet, V. *Vaniček, op. cit. p.* 1018. et cf. Germ. *sinn,* sensus, et *sinnen,* meditari, cogitare, et Gr. αἰσθάνομαι. — Part. *Sentiens* 1. 1.° *c,* 3.° *a* δ; 2. 1.° *e,* 3.° *a; Sensus* 2. 1.° *e* et in fin.; *Sensurus* 2. 2.°; *Sentiendus* 2. 1.° *a.* — Sentio est sensu percipio, αἰσθάνομαι (It. *aver senso, sentire;* Fr. *sentir, avoir du sentiment, percevoir;* Hisp. *sentir, haber sensacion ó sentimiento;* Germ. *fühlen, empfinden, wahrnehmen;* Angl. *to discern by the senses, be sensible of, perceive*). ¶ 1. De sensibus externis. — 1.°) Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei, quam quis sentit. *Enn. Ann.* 345. feram sentire nare sagaci. *Plaut. Curc.* 1. 2. *in fin.* Tace, tace: sentio sonitum. *Lucret.* 1. 496. utrumque (*calorem et frigus*) manu sensimus. *Id.* 4. 267. Duritiem penitus saxi sentimus in alto. *Id. ibid. v.* 615. Nec, qui sentimus sucum, lingua atque palatum Plusculum habent in se rationis. *Id.* 3. 384. Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila Obvia sentimus, quando obretimur euntes. *Id.* 1. 298. varios rerum sentimus odores. *Cic.* 2. *Phil.* 45. 115. Ut quidam, morbo aliquo, et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt. Rursum *Lucret.* 3. 647. Sentire dolorem. *Id.* 4. 260. frigus. *Id.* 2. 809. plagæ quoddam genus excipit in se Pupula, quum sentire colorem dicitur album. Atque aliud porro, nigrum quum, et cetera sentit. Adde 4. 494. *Liv.* 35. 13. Sentire famem. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 16. (7) paralysin et morbos articularios. — Passive. *Cæs.* 1. *B. C.* 67. Censebant, ut noctu iter facerent: posse prius ad angustias veniri, quam sentirentur. — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Merc.* 2. 2. 40. Si me secari sensero. *Id. Truc.* 2. 3. 29. Sentio aperiri fores. *Lucret.* 3. 607. ire foras animam. *Id.* 4. 229. omnia semper Cernere, odorari licet et sentire sonare. *Id.* 6. 928. Frigus item transire per æs calidumque vaporem Sentimus, sentimus item transire per aurum. *Claudian.* 1. *Rapt. Proserp.* 269. Sentit adesse deas. *h. e.* cernit. — *c*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 77. Non prius salutem scripsit? NIC. nusquam sentio. *Lucret.* 2. 923. Qua sentimus, sentire necesse est. *Id.* 4. 229. Perpetuo quoniam sentimus. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 21. Ita ut ne vicini quidem sentiant. *Martial.* 1. 1. Cui (*Martiali*), lector studiose, quod dedisti Viventi decus atque sentienti, Rari post cineres habent poetæ. *che ha vita e senso, senziente.* — 2.°) Speciatim de concubitu pro cognoscere. *Ovid.* 6. *Met.* 119. Et te, flava comas, frugum mitissima mater, Sensit equum: te sensit avem crinita colubris Mater equi volucris: sensit Delphina Melantho. — 3.°) Item pro experiri damno suo, *provare, esperimentare.* — *a*) De animantibus. — α) Cum Accusativo rei, quam quis sentit. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Exposuit quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Avaricum sensisset. *Petron. Sat.* 139. Junonem Pelias sensit. *h. e.* expertus est inimicam et gravem. *Seneca Agam.* 820. Te sensit Nemeæus arcto Pressus lacerto fulmineus leo, Cervaque Parrhasis. *Horat.* 2. *Od.* 7. 9. Tecum Philippos, et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula. *Id.* 3. *ibid.* 1. 33. Sentire contracta æquora. *Id.* 3. *ibid.* 27. 22. cæcos motus orientis Austri. *Id.* 4. *ibid.* 6. 3. Apollinem vindicem. *Val. Flacc.* 6. 501. meque ille magistram Sentiet. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 71. Qualiscumque vale, sentique abeuntis amorem. *Liv.* 45. 28. Quæ quisque Persei bello sensisset. *Tac. Agric.* 6. Ne cujus alterius sacrilegium, quam Neronis sensisset. *h. e.* passa fuisset. *Justin.* 2. 3. 5. Audivere, non sensere arma. — *Plaut. Pœn.* 1. 1. 25. meæ istuc scapulæ sentiunt. — β) Cum particula relativa. *Ter. Eun.* 1. 1. 21. Sentiet, qui vir siem. *Phædr.* 5. 2. jam curabo sentiat Quos attentarit. — γ) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. in hac urbe esse consules vigilantes. *Id. Sext.* 28. 60. manere libertatem illam. *Ovid.* 13. *Met.* 864. Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires. — δ) Absolute. *Ter. Adelph.* 1. 2. 59. iste tuus ipse sentiet Posterius. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 263. POSVERVNT GAIANVS ET EVCHARIS PARENTES FILIIS DVLCISSIMIS SED NON HOC MERENTES A VOBIS QVI SIBI SENSERVNT III. ID. SEPT. EX QVIBVS VNVS VIXIT IN XI. KAL. OCT. ET ALIVS IN III. KAL. EASDEM. — *b*) De inanimis. *Virg.* 1. *G.* 136. Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas. *Horat.* 3. *Od.* 23. 5. Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis. *Id.* 1. *Ep.* 1. 84. lacus et mare sentit amorem Festinantis heri. *Liv.* 9. 37. Vastationem sub Ciminii montis radicibus jacens ora senserat. *Plin. Paneg.* 31. Cessantem Nilum sentit urbis annona. *Plin.* alter 17. *Hist. nat.* 23. 35. (210). Vites orbitas vinculi sentiunt, vexatione non dubia. *Id.* 11. *ibid.* 42. 97. (242). Caseus ita temperatus, ut vetustatem non sentiat. et 37. *ibid.* 10. 65. (177). Gemma ignem non sentiens. *Id.* 18. *ibid.* 28. 68. (270). Sentiunt Canis ortum maria, et terræ. — 4.°) Item pro obnoxium esse, *esser soggetto, patire. Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (28). Radix celeriter cariem sentit. *Id.* 8. *ibid.* 18. 26. (68). Cameli rabiem sentiunt. *Id.* 9. *ibid.* 49. 73. (156). Morbos universa genera piscium non accipimus sentire. ¶ 2. Sæpissime refertur ad animum, et ponitur — 1.°) Pro intelligere, percipere, videre, scire, *intendere, vedere, conoscere.* — *a*) Cum Accusativo rei, quam quis sentit. *Plaut. Curc.* 2. 1. 2. Æsculapii ita sentio sententiam. *Id. Pseud.* 1. 5. 7. id jam pridem sensi. *Ter. Adelph.* 4. 2. 7. Primus sentio mala nostra. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Eorum arrogantiam reprehendere, quod plus se, quam imperatorem, de victoria atque exitu rerum sentire existimarent. *saperne più.* et *Cic. Rabir. Post.* 1. 1. Sentire nihil. *Horat. Carm. sæc.* 73. hoc Jovem sentire. *Id.* 2. *Ep.* 1. 134. præsentia numina sentit. *Sil. It.* 12. 639. Æneadæ sensere deum. *h. e.* cognoverunt voluntatem mentemque benignam Jovis. *Seneca Ep.* 75. Omnia me illa sentire, quæ dicerem, nec tantum sentire sed amare. *Id. ibid.* 100. Illum sensisse, quæ scripsit. *Apul. de Dogm. Plat.* 1. Machinamenta, quibus ad sentiendas dijudicandasque quantitates et qualitates sensus instructi sunt. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 105. Asclepiades constituerat atomos corpuscula intellectu sensa. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. — Poetice. *Ovid.* 5. *Met.* 557. Protinus, ut vestram sentirent æquora curam, Posse super fluctus alarum insistere remis Optastis. *Id.* 12. *ibid.* 619. Hæc illi mensura viro respondet et hæc est Par tibi Pelide nec inania Tartara sentit. — *b*) Cum

Infinito. *Plaut. Men.* 3. 3. 76. sentio Errare. *Ter. Adelph.* 3. 4. 66. Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio: Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras. *Cic.* 1. *Tusc.* 23. *ad fin.* Sentit igitur animus se moveri: quod quum senserit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri. *Id.* 2. *Cat.* 3. 5. Me scire sentiunt. *Nepos Them.* 8. Sensit sibi esse pereundum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 58. postquam nihil esse pericli Sensimus, erigimur. — c) Cum particula relativa, sequente Conjunctivo, vel etiam Indicativo. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 56. quoniam sentio, Quæ res gereretur. *Id. Trin.* 3. 2. 23. Scio ego et sentio ipse, quid agam. *Cic.* 1. *Off.* 4. 14. Unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid deceat, in factis dictisque qui sit modus. *Id. Arch.* 1. 1. Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum. *et ibid.* 6. 13. Illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. *Horat.* 4. *Od.* 4. 25. Sensere, quid mens rite, quid indoles Posset. *Plaut. Capt.* 2. 1. 14. sentio, quam rem agitis. — d) Cum Ablat. et præp. *de. Cæs.* 5. *B. G.* 32. Hostes ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt. — e) Absolute. *Plaut. Truc.* 2. 6. 64. Vehementer nunc mihi est irata: sentio atque intellego. *Cic. Orat.* 57. 193. Ipsos non sentire, quum utantur. *Id. Sext.* 21. 47. Mentes sapientium sentire ac vigere. *Quintil.* 9. 4. 52. Non sentientibus nobis excidunt versus. *Id. declam.* 9. 20. *extr.* Qui lucem, libertatem non ignarus, ut primo natalis horæ tempore, sed videns sentiensque accepi. *h. e.* quod ait *Ter. Eun.* 1. 1. 27. prudens, sciens, Vivus vidensque. *V.* SCIENS. *Liv.* 3. 25. Sensere vigiles. *Id.* 34. 14. Priusquam hostes sentirent. — Impersonaliter. *Cic.* 3. *Orat.* 42. 168. Non ut dictum est, sed ut sensum est. — 2.°) Pro advertere, *accorgersi. Ter. Adelph.* 3. 4. 3. Si me senserit eum quæritare, numquam dicet. *Cic. Amic.* 27. 203. Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim. *Ovid.* 13. *Met.* 287. Est animus certe vestros sensurus honores. — 3.°) Et pro judicare, existimare, opinari, *stimare, giudicare, esser di parere.* — a) Cum Adverbiis. *Cic.* 2. *Acad.* 19. 63. (2. *pr.*) Jocansne, an ita sentiens. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. Fieri potest, ut recte quis sentiat, et, id quod sentit, polite eloqui non possit. Adde *Quintil.* 3. 6. 4. *Cic.* 3. *republ.* 21. 32. Si ita sensit, ut loquitur, — sin aliter. *Quintil.* 3. 1. 5. Qui contra sentiant. — b) Cum Accusativo. *Ter. Adelph.* 4. 2. 29. idem, quod ego, sentit. *Cic.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: si dubium, non esse conandum. *Id.* 4. *Cat.* 7. 14. Causa est hæc inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem. *Quintil.* 5. 13. 3. Ut, quod sentio, semel dicam. *Nepos Hannib.* 2. Alia atque antea sentire. *h. e.* fidem mutasse. *Arnob.* 5. *p.* 181. Eadem sentire, quæ sub tacitis cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt. Adde *Sueton. Ner.* 43. — Cum addito Ablat. et præp. *de. Cic.* 3. *Cat.* 2. *a med.* Qui omnia de republica præclara atque egregia sentirent. — c) Cum Infinito. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 82. Quum senserint, finem bonorum esse congruere naturæ. *Id.* 1. *republ.* 46. 70. Sic sentio, nullam rerum publicarum conferendam esse cum ea. — d) Sentire de aliquo, *aver opinione o concetto. Cic.* 4. *Fam.* 13. *a med.* Familiares vero ejus, et ii quidem, qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te et loquuntur et sentiunt. *Id.* 5. *Tusc.* 8. *extr.* Non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Quid irati gravius de vobis sentire possunt, quam ut eos prodatis, qui se vobis omnia debere judicant? *Quintil.* 2. 2. *a med.* Si parum a præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiunt. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Sentire de Modesto bene. — e) Sentire cum aliquo, *esser del medesimo parere o partito, concordare col sentimento altrui. Cic. Rosc. Am.* 49. 142. Fateor, me insanisse, qui cum illis senserim: tametsi inermis, judices, senserim. *Ter. Andr.* 2. 1. 24. Næ iste haud mecum sentit. *Plaut. Most.* 3. 3. 24. Sentire tecum. *Liv.* 1. 52. Stare ac sentire cum rege. *Cic.* 7. *Att.* 1. 3. Sentire cum Cæsare. *Nepos Phoc.* 3. cum Cassandro. *Liv.* 34. 32. cum Philippo. *Id.* 36. 31. cum Ætolis. — f) Sentire adversus seu contra aliquem, *esser del partito avverso o della contraria fazione. Nepos Dion.* 7. Licentius eorum bona, quos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit. *Sall. Cat.* 26. Conlegam suum Antonium pactione provinciæ perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. *macchinasse.* — g) Sentire pro, vel ab aliquo, *esser dalla sua, tener da lui. Plaut. Rud.* 4. 4. 56. Omnia patior, dum hic hinc a me sentiat. *Gell.* 5. 10. *ad fin.* Si judices pro mea causa senserint. — h) Sentire ab aliquo seorsum, vel seorsus, *discordare dal sentimento altrui, dissentire. Plaut. Capt.* 3. 5. 52. abs te seorsum sentio. *Afran.* apud *Charis. p.* 195. *Keil.* Ut abs te seorsus sentiam de uxoria re. — 4.°) In re forensi aliisve pro censere, decernere, statuere. *Cic.* 2. *Verr.* 31. Quæ vult Hortensius, omnia dicat et sentiat. *Id.* 3. *Fam.* 8. 9. Si unquam mea causa quidquam aut sensit, aut fecit. *Id.* 5. *ibid.* 2. 9. Mihi lenissime sentire visi sunt. *Id.* 11. *ibid.* 21. 2. Quum ego sensissem, de iis sententiam ferri oportere. *Gell.* 5. 10. Si judices pro causa mea senserint. *h. e.* sententiam tulerint. *Catull.* 64. 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit. Est qui leg. *sanxit.* — Hinc vetus illa formula: Qui hæc sentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis. V. *Plin.* 8. *Ep.* 14. — Hinc

Sensa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, ea, quæ mente concepta sunt, *sentimenti,* νοήματα. *Cic.* 1. *Orat.* 8. *a med.* Quod exprimere dicendo sensa possumus. *Id.* 3. *ibid.* 14. *sub fin.* Sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut etc. Adde *Quintil.* 8. 5. 1. et *V.* SENSUS, us.

Homonym. *Sentire* differt ab *intelligere* (*V.* super. paragr. 2. 1.°) eo quod hoc proprie significat rationales mentis notiones per actus reflexos ac per synthesin, ut ajunt philosophi, acquisitas; illud vero cognitiones indicat naturales per sensus comparatas. *Seneca* 3. *Ira* 13. Quidni gauderet, quod iram suam multi intelligerent, nemo sentiret? *Petron. Sat.* 129. Non intelligo me virum esse, non sentio. Adde *Plaut. Truc.* 2. 6. 64. *V.* etiam COGNOSCO in fin.

SENTIS, is, m. 3. Femininum facere videtur *Ovid. de Nuce* 113. At rubus et sentes tantummodo lædere natæ. Nisi ad *arbores* recurras, ex præcedentib. Ita *Forcellinus.* At femininum omnino est in illo *Virg. Cul.* 55. teneræ fruticum sentes. — De etymo vocis, *V.* dicta in SENTIX. — Sentis est spina, rubus, vepres, ἄκανθα (It. *pruno, spina;* Fr. *épines, ronces, buisson;* Hisp. *espinal, breña;* Germ. *d. Dornstranck, Dorn;* Angl. *a briar, bramble).*

I.) Proprie. — a) In sing. num. *Colum.* 11. *R. R.* 3. Græci κυνόσβατον, nos sentem canis appellamus. *V.* CYNOSBATOS. — b) In plur. num. *Festus p.* 339. 27. *Müll.* Sentes quum constet esse spinas, et Afranius in Abducta dixerit, Quam senticosa verba pertorquet turba (*al.* lupa: *al. rectius* tuba) pro spinosis accipi debet. *Plaut. Capt.* 1. 2. 85. Asper meus victus sane est. PAR. sentesne esitas? *Colum.* 6. *R. R.* 3. Liberantur arva sentibus, qui æstivo tempore recisi plerumque radicitus intereunt. *Virg.* 2. *G.* 411. et 9. *Æn.* 382. Densi sentes. *Id.* 2. *ibid.* 379. aspri. *Id.* 4. *Ecl.* 29. inculti. *Ovid.* 2. *Met.* 799. hamati. *et.* 1. *ibid.* 509. Crura secant sentes. *Pallad. de insit.* 81. Spiniferas prunos armataque robora sentes Levigat. — *Vepres* et *sentes* conjunguntur in veteri Lege de aquæductib. apud *Frontin. Aquæd.* 129., fortasse, quia illi sunt quæcumque virgulta inutilia, hi spinosa tantum. Sic *Dracont.* 3. *Hexæm.* 439. Mella darent vepres, sentis sudaret amomum. *Quintil.* 12. 1. 7. Terra sentibus ac rubis occupata.

II.) Translate et jlocalariter *Plaut. Cas.* servos furaces *sentes* vocat, 3. 6. 1. OLYM. Vide fur, ut sentes sub signis ducas. CO. qui vero sunt sentes? OLYM. quia quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.

Homonym. *Dumus* significat virgulta densa, quæ sunt loco silvestri, ut ex probabiliore etymo vocis efficitur (*V.* DUMUS); *vepres* virgulta potius inutilia ac spissa, *sentes* spinosa. *V.* quæ supra diximus ad I. *b* in fin., et *Döderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 208.

SENTĪSCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* sentio (V. *Priscian.* 8. *p.* 824. *Putsch.*), idem ac sentio, cognosco, adverto. *Lucret.* 3. 394. Quam primordia sentiscant concussa animai. *et* 4. 587. Et genus agricolum late sentiscere, quum Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans etc.

SENTĪTO, as, are, a. 1. *frequentat.* vel *intens. a* sentio. *Gloss. Isid.* Sentitare, in animo sensim adjudicare.

SENTIX, ticis, m. et f. 3. (sentis) De hac voce ita *Isid.* 17. *Orig.* 7. 60. Sentix dicta a situ, quod est terra inculta, in qua sentices spinæque nascuntur. At hoc improbabile est; lusit enim verbis *Virg.* 6. *Æn.* 462. Per loca senta situ. — Sentix est idem ac sentis, rubus: hinc *senticetum* et *senticosus* recte deducuntur.

I.) Proprie. *Apul. Herb.* 87. A Græcis dictus batos, alii cynosbatos, Itali senticem appellant, alii rubum. *Isid. loc. cit.* Rhamnus genus est rubi, quam vulgo senticem ursinam appellat, asperum nimis et spinosum.

II.) Translate. *Prudent.* 2. *Symmach.* 1042. Ne frugem segetemque animæ spinosa malorum Impediat sentix.

SENTŌSUS vel

SENTŬŌSUS, a, um, adject. (sentis) senticosus.

I.) Proprie. *Paulin. Nolan. carm.* 6. 310. sentosarum purgans concreta viarum. *Fulgent. Mythol. prol. ab init.* Tandem inter sentosa nemorum frutecta squalebat viduus sulcis ager. *Acro* in *Horat.* 2. *Od.* 9. 1. Agri sentosi.

II.) Translate. *Boeth. in Porphyr. dial.* 1. *p.* 12. Id ipsum latius expedit, quod stricte et sentuoso brevitatis vinculo colligaverat.

SENTUS, a, um, adject. (sentis) horridus, incultus, asper, quasi sentibus obsitus, *orrido a guisa di prunaja,* ἀκανθώδης.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 462. jussa deûm nunc has ire per umbras, Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 1039. Exstirpamus enim sentos de corpore vepres. *Id. Apotheos.* 123. senta rubus. — *Senta,* neutr. plur. absolute, loca senta, apud *Petron. Antiq.* in *Bullett. archeol. n.* 1831. *p.* 49. *Orelli Inscript.* 1194. TV PEDE QVI STRICTO VADIS PER SENTA, VIATOR.

II.) Translate. *Ter. Eun.* 2. 2. 5. Video hominem sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. *h. e.* incomptum, horridum. *Donat.* sentum ad horrorem retulit, squalidum ad sordes. *Capell.* 6. *p.* 227. Hanc ego crediderim sentis spinescere membris.

SĒNUS, us. *V.* SINUS.

SĔORSIM et

SĔORSUM *vel* seorsus, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

SĔORSUS, a, um, adject. seorsum positus, *separato:* pro *sevorsus,* a *se* et *vorto* seu *verto. Terentian. de syllab. p.* 2398. *Putsch.* Sed duæ fient seorsæ syllabæ per se breves. *et de carm. iamb. p.* 2439. *in fin.* Nunc quia, quæ potui, videor tractasse seorsa. *Auson. Edyll.* 17. 5. sæpe seorsis Obsistunt studiis. Fortasse quis putet, huc pertinere et illud *Caton.* apud *Gell.* 7. 10. Pignoriscapio ob æs militare, vocabulum seorsum fit. *Id.* apud *Fest. p.* 201. 26. *Müll.* Majores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis. — Hinc

Seorsum vel *seorsus,* adverbialiter occurrit. — a) *Sorsum,* pro *seorsum,* habet *Lucret.* 3. 629. et alib., et *Priap.* 85. 17. — *Seorsim* barbarum esse, monet *Forcellinus.* Ceterum legitur apud *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 774. Hinc alios, ast inde alios properare seorsim Quemque per anfractus proprios. *Alii tamen leg.* seorsum. — b) Poetis fere disyllabum est, aliquando trisyllabum. *Catull.* (?) 20. 16. Proin viator hunc

Deum vereberis, Manumque seorsum habebis: hoc tibi expedit. *h. e.* abstinebis manum, ne quid furto auferas. Alii scrib. *sorsum* eod. sensu. *Lucret.* 4. 496. Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores. *Id.* 3. 638. Vis aliqua ut seorsum partem secernat utramque. *et ibid.* 552. Et veluti manus atque oculus naresque seorsum. *et* 4. 492. Quod molle aut durum est, gelidum fervensque seorsum etc. — Seorsum vel seorsus est separatim, secreto χωρίς, κατὰ μόνας (It. *separatamente, a parte, in disparte*; Fr. *à part, séparément*; Hisp. *separadamente*; Germ. *besonders, abgesondert*; Angl. *apart, asunder*). Occurrit autem ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* Qua arte natio sua separata seorsum. *Plaut. Epid.* 3. 3. 20. Cave, siris cum filia mea copulari hanc. In ædiculam istanc seorsum concludi volo. *Id. Rud.* 5. 2. 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt: præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus. *Lucret.* 5. 447. Est seorsum mare uti secreto humore pateret, Seorsus item puri secretique ætheris ignes. Adde *loc. init. cit.* — *b*) Cum Ablativo et præp. *ab*, aut sine præp. *Plaut. Asin.* 2. 2. 95. me seduxit solum, seorsum ab ædibus. *Fleckeisen* sorsum. *Id. Capt.* 3. 5. 52. At ego ajo recte, qui abs te seorsum sentio. *h. e.* aliter ac tu. *V.* SENTIO. *Sall. Jug.* 73. Qui plerumque seorsum a rege exercitum ductare, et omnes res exsequi, quæ Jugurthæ fesso superaverant. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 9. *a med.* Seorsum a collega puto mihi omnia paranda. *Cic.* 3. *Herenn.* 4. 7. Seorsum tractandum est hoc ab illo. — *Lucret* 3. 564. *Lachmann.* Dispicere (*nequit*) ipse oculus rem seorsum corpore toto. *Id. ibid.* 631. At neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa Esse potest animâ (*Lachmann.* animæ), neque sorsum lingua neque aures. ¶ 2. Speciatim est potissimum, præsertim, *specialmente, distintamente. Ter. Adelph.* 5. 9. 14. Omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi præterea Demea. ¶ 3. Item longe, procul. V. *Catull. loc. init. cit.* ¶ 4. Item aliud vel aliter. *Rutil.* 2. 15. Seorsum est beneficium dare libenter, injuriam facere nolle. Alii leg. *diversum*, vel aliter interpretantur. Cf. *Macrob.* 4. *Saturn.* 6.

SĔORSUS, adverb. *V.* voc. præced.

SĒPA *et* sepas *V.* in SEPS.

SĒPAR, păris, adject. omn. gen. (se *et* par) In Ablativo sing. *separe* et *separi* ex loc. subjectis dici posse constat; at vocem in plur. num., quod sciam, usurpavit nemo. — Separ est divisus, separatus, secretus. *Priscian.* 5. *p.* 646. *Putsch.* Par et quæ ex eo componuntur impar, dispar, compar et separ. *Val. Flacc.* 5. 57. caras humus hæc non dividet umbras, Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna. *Stat.* 4. *Theb.* 482. tu separe cœtu Elysios, Persei, pios, virgaque potenti Nubilus Arcas agat. *Solin.* 4. *ad fin.* Duo flumina natura separi. *h. e.* diversa. *Prudent. Apotheos.* 511. *de Trinit.* Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu Tres faciam.

SĒPĂRĀBĬLIS, e, adject. (separo) qui separari potest, *separabile*, χοριστός. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. *a med.* Vim eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse.

SĒPĂRĀBĬLĬTER, adverb. (separabilis) idem ac separatim. *Boeth. in Porphyr. dial.* 2. *p.* 37. Ab accidentibus genus magis de pluribus prædicatur, quod quum unius cygni inseparabile fortasse accidens sit album, animal non solum de cygno prædicatur, sed etiam de albis omnibus et non albis animalibus. At vero accidens de solis tantum illis, quibus inseparabiliter continetur, vel quibus separabiliter. Adde *Asper. p.* 55. 17. *Keil.* et *Augustin. Serm.* 52.

SĒPĂRANS, antis, particip. *V.* SEPARO.

SĒPĂRĀTĒ, adverb. (separatus) Comp. *Separatius.* — Separate idem ac separatim. *Eumen. Gratiar. act. Constantin. init.* Separate igitur utraque dicam. *Cic.* 2. *Invent.* 51. *ad fin.* Quædam argumentationes communiter ac similiter tractabuntur, quædam separatius adjungentur.

SĒPĂRĀTIM, adverb. (separatus) seorsum, divisim, secreto, *separatamente*, χωρίς. — *a*) Cum Ablativo et præp. *ab. Cœs.* 1. *B. C.* 76. et *Sall. Cat.* 56. Postulat, ut jurent, se exercitum non deserturos, neque sibi separatim a reliquis consilium capturos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 165. Dii separatim ab universis singulos diligunt. *Id.* 2. *Fam.* 16. *a med.* Nihil accidet ei separatim a reliquis civibus. *Liv.* 40. 47. Separatim eos ab illis se consulturos. — *b*) Absolute. *Cœs.* 3. *B. C.* 18. Ad neminem unum summa imperii redilt, sed separatim suam quisque classem ad arbitrium suum administrabat. *Id.* 1. *B. G.* 29. Quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mulieresque. *et* 7. *ibid.* 36. Mediocribus intervallis separatim singularum civitatum copias collocaverat. *Nepos Datam.* 11. Compluribus locis separatim gladios obruit. *qua e là.* et *Cic.* 1. *Orat.* 3. 9. Qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia quæcumque possent, comprehenderint. *Id. Dom.* 52. *ad fin.* Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. *Id.* 13. *Fam.* 12. Alia epistola commendavi tibi legatos Arpinatium, hac separatim Q. Fufidium. *Id.* 2. *Orat.* 27. 118. Vel separatim dicere solemus de genere universo vel definite de singulis temporibus. *senza una relazione o rapporto speciale, senza alcun nesso.*

SĒPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. (separo) actus separandi, sejunctio, segregatio, divisio, *separazione*, ἀφορισμός.

I.) Proprie. *Cic. Orat.* 3. 33. Distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium deminutæ. *Gell.* 2. 8. Separatio animi et corporis in morte. *Tac.* 6. *Hist.* 46. Tamquam ea separatione ad cædem destinarentur. *Gromat. vet. p.* 11. 30. *Rudorff.* Separationes agrorum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 18. 55. Facti a definitione separatio. *Quintil.* 7. 1. *circa med.* Congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. *Tac. Agric.* 38. Miscere invicem consilia aliqua, deinde separare. *h. e.* consilia in commune inire, ac deinde rursus pro se quisque capere. ¶ 2. Speciatim apud rhetores est figura eadem quæ diacope vel diastole, quum inter duo eadem verba diversum ponitur aliquid medium, ut: Duc age, duc ad nos. *Jul. Rufinian.* 11. *V.* DIACOPE et HYPERBATON.

SĒPĂRĀTĪVUS, a, um, adject. (separo) διαζευτικός, separandi vim habens. *Diomed.* 1. *p.* 412. *Putsch. Aut* conjunctio separativa. *Priscian.* 14. *p.* 1002. *Putsch.* Præpositiones *di* et *dis* eamdem significationem habent: sunt autem separativæ, ut divido distraho, quod apud Græcos διά præpositio facit.

SĒPĂRĀTOR, ōris, m. 3. (separo) qui separat, *separatore*, χωριστής. *Tertull. Præscript.* 30. *a med.* Unitum ante quam separaretur, posteriorem ostendit separatorem. *Gloss. Gr. Lat.* Χωριστής, separator. Adde *Vulgat. interpr. Zachar.* 9. 6.

SĒPĂRĀTRIX, trīcis, f. 3. (separator) *separatrice*, quæ separat. *Augustin.* 11. *Trin.* 10. Voluntas conjunctrix ac separatrix hujuscemodi rerum.

SĒPĂRĀTUS, a, um, particip. *V.* SEPARO.

SĒPĂRĀTUS, us, m. 4. (separo) *divisione*, separatio. *Apul. Florid. n.* 15. Adolescens est visenda pulcritudine, crinibus fronte parili separatu per malas remulsis.

SĒPĂRĪUS *vel* sæparius, ĭi, m. 2. (sepes) qui facit seu struit sæpes, vel qui sæpibus agros cingit easque reparat. *Inscript.* apud *Pratill. Via App. p.* 160. M. SABINO (*lege* Sabinio) M. L. ONYCI SEPARIO ARTEMIA O. L. FEC. *V.* SÆPARIUS, ubi non omnia recte.

SĒPĂRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (se *et* paro) Primam syllabam licenter corripit *Capell.* 2. *p.* 33. (V. *L. Müller de re metr. p.* 361.) Part. *Separans* I. *a*; *Separatus* I. *b. d.*; II. *b, c.* et in fin.; *Separaturus* I. *a*; *Separandus* I. *b*; II. *a.* — Separo est sejungo, divido, secerno, discludo, distermino, distraho, χωρίζω, ἀφορίζω (It. *disgiungere, sceverare, separare*; Fr. *séparer, disjoindre, désunir, diviser*; Hisp. *separar, dividir, desunir, apartar*; Germ. *absondern, trennen*; Angl. *to sever, separate, part, disjoin*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Ovid.* 4. *Met.* 448. nec nos mare separat ingens, Nec via, nec montes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (50). Angustiæ freti Europam Asiamque separantis. *Ulp. Dig.* 34. 2. 19. § 2. Et scripsit, vascula non separaturum, licet ei optio fuerit relicta. — Passive. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Ut duo maria pertenui discrimine separentur. *Liv.* 42. 55. Separatus Thessalorum omnis equitatus. *Tac.* 5. *Hist.* 5. Separati epulis, discreti cubilibus. *Ovid. Heroid.* 8. 173. Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest? — *b*) Cum addito Ablativo et præp. *ab, ex. Cic. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon.* A populari consessu senatoria subsellia separare. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (87). Hæc latitudo Asiam ab Europa separat. *Ovid.* 1. *Met.* 313. Separat Aonios Œtæis Phocis ab arvis Tura ferax. — Passive. *Curt.* 7. 10. 35. Separandos a cetero exercitu ratus. *Cic.* 2. *republ.* 22. 39. Equitum magno numero ex omni populi summa separato. — *c*) Cum Ablativo sine præp. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 28. Seston Abydena separat urbe fretum. *Lucan.* 9. 524. Separat ardentem tepida Berenicida Lepti. *Id.* 4. 75. spatium æthere terram. — *d*) Cum Accusativo et præp. *in. Vellej.* 1. 18. 1. Corpora gentis illius separata in alias civitates.

II.) Translate. ¶ 1. Generalim. — *a*) Cum Accusativo. *Quintil.* 5. 7. 9. Separemus officium dantis testes et refellentis. *Tac. Agric.* 38. Miscere invicem consilia, deinde separare. *h. e.* in commune inire ac deinde pro se quisque capere. *Capell. loc. supra cit.* Qui (*Mercurius*) fata succidentis Separat libens Osiris. *h. e.* discernit, aut, ut *Koppius* interpretatur, cum nemine communicat, reticet. — Passive. *Vellej.* 1. 17. 3. Ut idem separetur Cato. *Quintil.* 4. 2. 101. Miscenda sit, an separanda narratio. — *b*) Cum addito Ablativo et præp. *ab. Cœs.* 7. *B. G.* 63. *extr.* Neque suum consilium ab reliquis separare audeat. *Cic.* 5. *Fam.* 12. 2. Multi Græci a perpetuis suis historiis ea, quæ dixi, bella separaverunt. *Liv.* 38. 44. Nihil est quod se ab Ætolis separent. *Quintil.* 1. 5. 5. Separare a figuris ea (vitia). *Id.* 2. 21. 12. oratorem a bono viro. — Passive. *Cic.* 1. *Off.* 27. 95. Cogitatione magis a virtute potest, quam re separari. *Liv.* 23. 20. Ob separata ab se consilia. — *c*) Cum Ablativo sine præp. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Virtus ipsa per se sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis. ¶ 2. Speciatim pro excipio. *Cyprian. de Mortal.* 8. Quum fetu sterili terra jejuna est, neminem fames separat. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Separatus, a, um, adjectivorum quoque more occurrit; unde Comp. *Separatior. Cic.* 11. *Att.* 17. *a med.* Ista vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant. *Nepos Eumen.* 10. Quum exercitus ei ter ante separatis temporibus jurasset, se eum defensurum. *Cœs.* 4. *B. G.* 1. Privati ac separati agri apud eos nihil est. *Horat.* 2. *Od.* 19. 18. *ad Bacch.* Tu separatis uvidus in jugis Nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines. *h. e.* remotis, secretis. *Tac. Germ.* 22. Separatæ singulis sedes et sua cuique mensa. *Quintil.* 1. 5. 35. Neutrum vitiosum separatum est, sed compositione peccatur. *Id.* 8. 3. 77. Interim libera et separata est (*parabole*), interim cum re connectitur. *Id.* 1. 3. 15. Quid separata, quid conjuncta (*verba*) exigant. *Capell.* 9. *p.* 324. Tetrachorda principalium, mediarum, conjunctarum, separatarum, excellentium. V. *Vitruv.* 5. 4. et TETRACHORDON. *Vulgat. interpr. Os.* 4. 17. Separatum est convivium eorum. *h. e.* diversi, dispares cibi. *Tertull. Anim.* 18. *ad fin.* Intellectus separatior. — *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 101. Erunt purulenta separatiora a stercore et

discreta. — *Separatum exordium* apud *Cic.* 1. *Invent.* 18. *a med.* est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi.

Separati, ōrum, n. plur. 2. absolute, qui separatim vel seorsum sunt. *Ambros. Hexæm.* 6. 8. *n.* 45. Copulamur absentibus, alloquimur separatos.

SĔPĔLĪBĬLIS, e, adject. (sepelio) qui sepeliri, seu tegi abscondique potest, aut debet. Translate. *Plaut. Cist.* 1. 1. 64. GYMN. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem. SIL. Quid faciam? GYMN. in latebras abscondas pectore penitissimo.

SĔPĔLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SĔPĔLĬO, pĕlis, pĕlīvi *et* pĕlĭi, pultum, pĕlire, a. 4. — *a*) Quod pertinet ad scriptionem, *sepelliri*, cum duplici *l*, occurrit in *Inscr.* apud *De-Rossi, Bullett. Crist. a.* 1871. *p.* 147.; item in *Inscr. de Lyon* 6. 10. et *Inscr. Afric.* apud *Rénier n.* 1767. — *Sæpelitus*, cum diphthongo in prima syllaba, occurrit in *Inscr. Neap. n.* 3137. — *b*) Quod ad formam attinet, *sepeli* pro *sepelii*, legitur apud *Pers.* 3. 97.; *sepulivit* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2326.; *sepelibis* pro *sepelies* apud *Auson. Ep.* 25.; *sepelitus* pro *sepultus* ex *Caton.* apud *Priscian.* 10. *sub fin.* V. etiam *Janssen, Mus. Lugd. Bat. Inscr. p.* 99. 3.; *sepelisset*, syncop. pro *sepelivisset*, apud *Propert.* 1. 17. 19. *Lactant. de mort. persec.* 40. 6. et *Quintil.* 8. 5. 16.; item *sepelisse*, pro *sepelivisse*, apud *Aur. Vict. de orig. gent. Rom.* 10. 2. — *c*) Ratione habita etymi, nihil certi afferri potest; non est enim audiendus *Serv.*, qui ad *Virg.* 6. *Æn.* 424. Sepulto, inquit, dormiente *sine pulsu*, h. e. motu. Alii vocem ducunt a radice *sepal* pro *spal* seu *scal* ex Gr. σκάλλω, fodio, aut ab eadem, qua *sopio*. V. *Vanicek, op. cit. p.* 985. — Part. *Sepeliens* I. 1.; *Sepultus* I. 1.; II. 1. 2. et 3.; *Sepeliendus* I. 1.; II. 4. — Sepelio est terræ mando, in sepulcrum infero, terra contego, humo, (quamquam proprie *humo* a *sepelio* differt: *V.* in fin.) θάπτω (It. *sotterrare, seppellire*; Fr. *inhumer, enterrer, ensevelir*; Hisp. *enterrar, sepultar*; Germ. *begraben, bestatten, beisetzen*; Angl. *to bury, inter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Acc.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 54. 106. Surge et sepeli natum. *Cato* apud *Priscian. loc.* supra *cit.* Mortuus est, sepelitus est. *Ter. Phorm.* 5. 7. 40. Nullus sum, sepultus sum. *h. e.* occidi, perii, actum est de me *Lucret.* 5. 991. Viva videns vivo sepeliri viscera busto. Loquitur *Lucret.* de eo, qui a feris vivus manditur. *Liv.* 27. 42. Suorum corpora collata in unum sepeliri jussit. *Nepos Timol.* 5. Hic quum diem supremum obiisset, publice a Syracusanis, tota celebrante Sicilia, sepultus est. *Id. Phoc.* 4. Nemo ausus eum (*Phocionem*) liber sepelire. Itaque a servis sepultus est. Proditoribus enim, ut *id. Them.* 10. *extr.* tradit, Athenis non concedebatur sepultura. *Apul.* 2. *Met.* Feminam cum corpore mariti sepeliendam. *Ovid. Heroid.* 14. 127. Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 88. Ingeniis non ille favet, plauditque sepultis, Nostra sed impugnat. *Lucan.* 8. 859. templis auroque sepultus. *Pers. loc.* supra *cit.* Jampridem hunc sepeli: tu restas. *h. e.* sepelivi, mortuus est. *Seneca Agam.* 742. te sequor tota, pater, Troja sepulta. *Petron. Sat.* 111. *a med.* Quid proderit hoc tibi, si te vivam sepelieris? *Id. ibid.* 115. *a med.* Illum diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (110). Formicæ sepeliunt inter se viventium solæ, præter hominem. *Vulgat. interpr. Num.* 33. 4. Filii Israel, videntibus Ægyptiis et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus, castrametati sunt in Soccoth. — Apud Romanos lex vetabat, quominus cadavera in urbe sepelirentur. *Cic.* 2. *Legg.* 23. ex *XII. Tab.* HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO NEVE VRITO: credo, vel propter ignis periculum. (*Paul.* 1. *Recept. sent.* 21. 2. Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis. *Isid.* 15. *Orig.* 11. 1. Prius quisque in domo sua sepeliebatur: postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur. Eadem habet *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 152.: quod vetitum ait ad 11. *Æn.* 206. consule Duillio. *h. e.* ann. U. C. CCCCXVIII.) Quod autem addit, neve urito; indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Dein rursus, quum legi hujusmodi minime fieret satis, Antoninus Pius, ut confirmat *Capitolin.* in ejus vita (*c.* 12.), intra urbes sepeliri mortuos vetuit. — Varios apud varias gentes sepeliendi ritus exsequitur *Sil. It.* 13. 468. et *seqq. Jornand. Get. c.* 30. *de Alarico*, et *c.* 49. *de Attila* refert, barbarorum proceres sepultos cum ingentibus divitiis. — De Decebalo Daciæ rege in alveo fluvii Sargetiæ sepulto, V. *Dion.* 68. 14. — Sepeliri corpora defunctorum non licebat in Ecclesiis sine permissu. V. *Murat. Aned. p.* 258., sed præcipue *Marini Pap. dip. p.* 283. et *Lupi S. Sev. p.* 25. ¶ 2. Speciatim pro cremare, ut θάπτειν apud Græcos, quos et de sepeliendis et de cremandis cadaveribus hanc vocem usurpasse ostendit *P. Wesselingius* ad *Diod. Sic. l.* 3. *c.* 53. Cf. *Burmann.* ad *Val. Flacc.* 5. 10. et *Ernesti* ad *Sueton. Domit.* 16. *V.* etiam *Cuper. Obss.* I. 7. et HUMO. *Cic. Flacc.* 38. 95. Vos in incendio patriæ sepelire conatus est. *Liv.* 8. 24. Sepultum Consentiæ, quod membrorum reliquum fuit. *Nepos Pausan.* 5. Eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat. *Sueton. Domit.* 15. Interfici quidem sine mora, sed sepeliri quoque accuratissime imperavit. *Justin.* 11. 15. 15. Corpus regio more sepeliri, et reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 8. *Met.* Crebris potionibus avide ac secure haurientem facile sepelivit ad somnum. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 85. tunc cum mea fama sepulta est. Addunt et *Senec. Ep.* 12. Quum se vino et funerei epulis sepelivisset. *h. e.* adeo se ingurgitasset, ut pæne mortuus videretur. Sed alii aliter leg. *Virg.* 2. *Æn.* 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. Sic *Propert.* 3. 9. 56. assiduo lingua sepulta mero. *Augustin. Serm.* 391. Vinolentia sepeliri. Similiter *Sil. It.* 13. 480. sævo sepelire profundo Exanimos. *h. e.* mari submergere. ¶ 2. Speciatim est tollo, deleo, exstinguo. *Plaut. Most.* 5. 2. 1. Ubi somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam. *h. e.* finivi, abegi. *Lucret.* 2. 170. in æternum sepelire salutem. *Cic. pro leg. Manil.* 11. 30. Quod bellum exspectatione Pompeji attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Adde *Vellej.* 2. 129. 4. *Propert.* 3. 13. 9. Cuncta tuus sepelivit amor. *h. e.* obruit, delevit: interierunt omnia. *Maximian.* 1. *Eleg.* 266. Et sensus membris sic sepelire suis. *h. e.* sensus exstinctos atque obrutos corporis sui membris habere. *Vellej.* 2. 75. 1. Bellum adventu Cæsaris sepultum atque discussum. *et ibid.* 126. 2. Sepultæ ac situ obsitæ justitia, æquitas, industria. *Quintil. declam.* 12. 24. Pudor projectus et jam olim sepultus. *Petron. fragm. p.* 72. *v.* 3. *Wernsd.* fama sepulta probris. Rursus *Cic. Pis.* 5. 11. Hæc sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui. *h. e.* abdita, deleta, sublata, te consule. *Id.* 4. *Cat.* 6. 11. (et *Propert.* 1. 22. 3.) Cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium. *h. e.* diruta, excisa. *Horat.* 4. *Od.* 9. 29. Paullum sepultæ distat inertiæ Celata virtus. *h. e.* ignavæ, mersæ otio. *Seneca Herc. Œt.* 12. 46. Sepultæ vires. *h. e.* defectæ, intermortuæ. ¶ 3. Item operio, *coprire*. *Sidon. carm.* 7. 413. jam jamque frequenti Cæde sepulturus terram, non hoste sepulto. *h. e.* operturus corporibus cæsorum. ¶ 4. Et reprimo, occulto, *occultare, reprimere*. *Cic.* 2. *Tusc.* 13. *extr.* Amittenda igitur fortitudo est, aut sepeliendus dolor.

Homonym. Discrimen inter *sepelio* et *humo* hoc statuit *Plin.* 7. *Hist. nat.* 54. 55. (187). Sepultus intelligitur quoque modo conditus, humatus humo contectus. Cf. *Jul. Capitolin. Anton. P.* 12.

SĔPES, pĕdis, adject. omn. gen. 3. (sex *et* pes) qui sex pedes habet, ἑξάπους. Hinc sepedes populi dicuntur formicæ ab *Apul.* 6. *Met.*

SĒPES, SĒPĬA, SĒPĬCULA, SĒPĪMEN, SĒPĪMENTUM, SĒPĬO, SĒPĬŎLA et SĒPĬŎTĬCUS. *V.* SÆPES, SÆPIA, SÆPICULA, SÆPIMEN, SÆPIMENTUM, SÆPIO, SÆPIOLA et SÆPIOTICUS.

SĔPHŸRUS. *V.* ZEPHYRUS.

SĒPIS in recto sing. pro sepes, apud *Hieronym.* in *ep. ad Eph.* 1. *V.* SEPES.

SĒPLĀSĬA, æ, f. 1. *et aliquando* Seplasia, ōrum, n. plur. 2. Secunda syllaba licenter corripitur ab *Ausonio epigr.* 123. ne Aere Seplasiæ decipiare cave. — Seplasia est forum, platea urbis Capuæ, in qua plurimi unguentarii negotiabantur, ut *Fest.* et *Ascon.* in *Pis.* docent.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — 1.°) Forma *Seplasia, æ*, — *a*) In sing. num. *Cic. Pis.* 11. 24. Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum consulem repudiavit. *Pompon.* apud *Fest. p.* 317. 11. *Müll.* Lepidum unde unguentum, nisi quod ex Seplasia, est? Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (41). et *Auson. loc. cit.* — *b*) In plur. num. *Varro Sat. Menipp.* 84. *p.* 219. *Oehl.* Hic narium Seplasiæ, hic ἡδύπνους Neapolis. Adde *Cic. leg. Agr.* 34. *sub fin.* et *Sext.* 8. 19., *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). et *Val. Max.* 9. 1. *extern.* — 2.°) Forma *Seplasia, orum* est *Varron. Sat. Menipp.* 8. *p.* 97. *Oehl.* Dotis dato insulam Chrysam, agrum Cæcubum, Seplasia Capuæ, macellum Romuli. Adde *Marcell. Empir.* 66. ¶ 2. *Seplasia*, Saturæ Varronianæ titulum, quem finxit, *Postumi, cur seplasia fetet* (apud *Prob.* in *Virg.* 6. *Ecl.* 31.) *Büchelerus, mus. Rhen.* 19. 476., suspicatur ex Atellana aliqua sumptum esse (Cf. *Pompon. v.* 160.). Proverbium *Riese p.* 199. fuisse opinatur *post vinum seplasia fetet*. Adversus utrumque qui disputavit in *Ann. philol.* 1867. *p.* 507. non protulit magis credibilia. Ita *Ribbeck* in *Scæn. Rom. fr. v.* II. *p.* LXXXVI.

II.) Translate. ¶ 1. Pro ipsis unguentis, odoramentis, aromatibus, pigmentis. *Petron. fragm. Tragur.* 76. *Burmann.* Oneravi vinum, lardum, fabam, seplasium, mancipia. ¶ 2. Pro taberna unguentaria, *Gloss. Labb.*, ubi *Seplasium*. ¶ 3. Et pro iis, qui seplasias vendunt. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (164). Non obliti Demetrium a tota seplasia, Neronis principatu, accusatum apud consules.

SĒPLĀSĬĀRĬUS, ii, m. 2. (Seplasia) aromatarius, unguentarius, *profumiere, droghiere*, μυροπώλης. *Lamprid. Elagab.* 30. Pinxit se ut cupedinarium, ut seplasiarium, ut popinarium. *Inscript.* apud *Gruter.* 636. 12. T. VETTIVS T. L. HERMES SEPLASIARIVS. Alia apud *Donat. cl.* 17. *n.* 19. L. PETILIVS TRANQVILLVS INSTITOR SEPLASIARIVS. *Gloss. Isid.* Pantopola, seplasiarius. — V. *Schiass. Lex. Morcell. T.* 3. *p.* 324., qui non modo unguentorum sed rerum omnium minutarum venditorem esse putat. et *Rich op. cit.*, qui putat, *seplasiarium* herbas medicinales veterinariis et pharmaca medicis vendidisse, ut est noster *speziale*.

SĒPLĀSĬĀRĬUM, ii, n. 2. (Seplasia) taberna unguentaria, *profumeria, drogheria*, μυροπώλιον. *Gloss. Lat. Gr.* Seplasiarium, μυροπώλιον. (V *Excerptt. ex vett. lex. Græcol. p.* 247. 47.)

SĒPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (se *et* pono) *Sepostus*, per syncopen, ut *repostus*, a poetis usurpatur. *Sil. It.* 8. 378. Ipsius mensis seposta Lyæi Setia. *et* 17. 281. et seposta triumpho Laurens præda ducis. — Part. *Sepositus* I. 1.; II. 4. et in fin.; *Seponendus* II. 3. — Sepono est seorsum pono, removeo, segrego, separo, reservo, ἀποτάσσω (It. *mettere a parte, separare*; Fr. *placer à part, mettre séparément, séparer*; Hisp. *apartar*; Germ. *bei Seite setzen*; Angl. *to lay apart or aside, separate*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 162. Seponere ornamenta. *Id.* 6. *Verr.* 10. 23. Quod celari opus erat, habebant sepositum et reconditum. *Id.* 2. *Divinat.* 54. 112. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut injussu senatus ne legantur quidem libri. *Id.* 11. *Att.* 24. Seponi et occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. *Liv.* 1. 53. Captivam

pecuniam in ædificationem ejus templi seposuit. *Phædr.* 4. 4. Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem: Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios, Potrici plenam antiquis apothecam cadis. *riserva, destina.* Sic *Cic.* 15. *Att.* 15. *a med.* Quod ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam. *h. e.* repositum et reservatum ad illud fanum ornandum. *Liv.* 42. 52. Et pecuniam et frumentum seponere in decem annos. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *a med.* Ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac servat, qui cum victore contendat. *Sueton. Cal.* 47. Nonnullos legit ac seposuit ad pompam. *Ovid.* 3. *Fast.* 730. Primitias magno seposuisse Jovi. *Id.* 5. *Met.* 380. de mille sagittis Unam seposuit. *scelse.* et *Stat.* 2. *Silv.* 2. 150. Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 16. 2. Unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit. *da sè metta in serbo.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Orat.* 42. Seponere sibi aliquod tempus ad quippiam agendum, *riservarsi, destinare.* Sic 3. *Orat.* 33. 132. Ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret. *Tac.* 2. *Ann.* 59. Augustus, inter alia dominationis arcana, seposuit Ægyptum. *h. e.* ejus administrationem sibi reservans, per præfectum, procuratorem et juridicum ministravit. *V.* PRÆFECTUS. *Id.* 1. *Hist.* 1. *extr.* Principatum Nervæ et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui. *mi riservo per la vecchiaja.* et 6. *Ann.* 19. Aurarias ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. *si ritenne, si riservò.* ¶ 2. Speciatim est secernere, eligere, discernere. — *a*) Cum Ablat. et præp. *ab. Cic.* 1. *Orat.* 6. 22. Seponere a ceteris dictionibus eam partem dicendi. *Quintil.* 12. 2. 16. Seponere rationem suadendi ab honesti quæstione. — *b*) Cum Ablat. sine præpos. *Horat. Art. P.* 273. Scimus inurbanum lepido seponere dicto. *distinguere.* — *c*) Cum Accus. et præp. *extra. Liv.* 6. 37. *circa med.* Seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus. *h. e.* extra ponendum. ¶ 3. Est etiam amovere, arcere, eximere. *Tac.* 2. *Hist.* 33. Interesse pugnæ imperatorem, an seponi melius foret, dubitavere. *h. e.* amoveri a periculo. *Id.* 3. *Ann.* 12. Si legatus obsequium erga imperatorem exuit, odero seponamque a domo mea. *h. e.* ex amicorum numero eximam. ¶ 4. Hinc relegare, *rilegare. Sueton. Aug.* 65. Agrippam ob ingenium ferox abdicavit, seposuitque Surrentum. *Tac.* 1. *Hist.* 13. *ad fin.* Mox suspectum in Poppæa in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. *et ibid.* 46. *sub fin.* Seponere aliquem in insulam. *Id.* 1. *ibid.* In secretum Asiæ sepositus. *et ibid.* 88. Sepositus Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arcta custodia, neque obscura. ¶ 5. Pro deponere, prætermittere. *Ovid.* 3. *Met.* 318. Jovem memorant diffusum nectare curas Seposuisse graves. *h. e.* ad tempus deposuisse. *Seneca Med.* 404. Sepone questus: non levat miseros dolor. *Val. Flacc.* 1. 631. linquite, terræ, Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus. *h. e.* deponite, abjicite cogitationem, consilium navigandi. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus,

Sepositus, a, um, adjective quoque occurrit. I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Martial.* 6. 16. Jugera sepositi pauca tuere loci. *h. e.* horti, qui separatus ab agris esse solet, et sæpto clausus. ¶ 2. Speciatim est remotus, longe positus, *rimoto, lontano. Id. Spectac.* 3. Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar, Ex qua spectator non sit in Urbe tua? *Seneca Med.* 335. Bene dissæpti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus: Jussitque pati verbera pontum: Partemque metus fieri nostri Mare sepositum. *h. e.* longinquum, dissitum: vel de quo percurrendo homines antea non cogitaverant. *V.* similem locum *Valerii Flacci* in SEPONO.

II.) Translate. ¶ 1. Est electus, eximius, pretiosus, *prezioso, scelto.* hujusmodi enim seponi solent, et ad peculiares rarosque usus reservari. *Martial.* 2. 43. Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso, Vel quam seposito de grege Parma dedit. *Tibull.* 2. 5. 7. nunc indue vestem Sepositam: longas nunc bene pecte comas. ¶ 2. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 11. At mea seposita est, et ab omni milite dissors Gloria. *seposita* est mea propria et a militum communione remota.

SĒPŌSĬTĬO, ōnis, f. 3. (sepono) ¶ 1. Est actus seponendi, *il mettere a parte,* ἀπόθεσις. *Veget.* 2. *Milit.* 20. Sepositio ista pecuniæ. ¶ 2. Item separatio, divisio. *Ulp. Dig.* 50. 12. 2. Si decimam bonorum quis vovit, decima non prius esse in bonis desiit, quam fuerit separata: et si forte qui decimam vovit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditario nomine decimæ obstrictus est.

SĒPŌSĬTUS et

SĒPOSTUS, a, um, particip. *V.* SEPONO.

SEPS, sēpis, 3. duo diversa significat.

A) *Seps* m. et f. σήψ

I.) Proprie. ¶ 1. Est genus lacertæ, seu parvus serpens, cujus ictu membra percussa putrescunt: Græcæ originis vox, a σήπω, putrefacio. *Lucan.* 9. 723. Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps. *et ibid.* 763. miserique in crure Sabelli Seps stetit exiguus. (*V.* ibi reliqua, quibus vis tabis ejus describitur.) *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (102). Lacerta, quam hi sepa, alii chalcidicen vocant, in vino pota morsus suos sanat. *Id.* 23. *ibid.* 2. 29. (61). Oxymeli profuisse fatentur contra serpentes, quas sepas vocant. *Tertull. carm.* 1. *advers. Marcion.* 1. *sub fin.* sepis manante veneno. *Auson. Edyll.* 12. *Grammaticomast.* 14. An Libyæ ferale malum sit Romula vox, seps. Adde *Venant.* 8. *carm.* 6. 195. et 7. *ibid.* 160. ¶ 2 Etiam millepedem, animal e vermibus terræ pilosum, pecori præcipue nocivum, sepa vocant Græci, quum tabem morsu afferat, fortasse quod Itali dicunt *porcellino terrestre. Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 6. (12).

II.) Translate, metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Prudent.* 1. *contra Symmach. præf.* 74. Seps insueta subit, serpere flexibus, Et vibrare sagax eloquii caput.

B) *Seps* pro sepes vel sæpes. *V.* SÆPES.

SEPSE, vox composita ex *se* et *ipse. Seneca Ep.* 108. *a med.* Eosdem libros (*Cicer. de republ.*) quum grammaticus explicuit, primum, reapse dici ab Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert: nec minus sepse, id est se ipse. At hic cl. *Furlanetto,* cui analogia satis favet, omnino legendum esse docet *se ipsa,* non *se ipse,* adlato loco *Cic.* 3. *republ.* (edente *A. Maio*) 8. 12. Quæ (*justitia*) omnes magis, quam sepse diligit, aliis nata potius, quam sibi etc. Recentiores tamen apud *Senec.* leg. *se ipse,* aut *sese* utrobique ponunt. Ceterum particula syllabica *pse* generi cuique inservit, ut videre est in hujusmodi compositis apud veteres, et in ipsa voce *reapse.* V. REAPSE.

SEPTA, ōrum. *V.* SÆPTUM.

SEPTĀGE. *V.* SIPTACE.

SEPTĀGENUS et

SEPTĀGŌNUS *vel* septagenus, a, um, adject. (septem *et* γωνία) septem angulos habens. *Gromat. vet. p.* 249. 11. et *p.* 405 8. *Rudorff.* Adde *Boeth. Geom. p.* 405.

SEPTAS, ădis, f. 3. dictus est a veteribus numerus septenarius, qui Græce dicitur ἑπτάς, spiritu in *s* transeunte, teste *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *circa med.*

SEPTĀTUS, a, um. *V.* SÆPTATUS.

SEPTĔFŎLĬUM, ĭi, n. 2. genus herbæ. *Apul. Herb.* 107. Græci heptaphyllon, Itali septefolium dicunt.

SEPTEJŪGIS, e, adject. (septem *et* jungo) *Septejuges equi,* septem equi ad currum juncti, atque absolute *septejugis,* scil. currus. *Inscript.* apud *Gruter.* 337. *lin.* 8. INDE SEPTEIVGE VICIT. *et lin.* 21. ATQVE AMPLIVS SEPTEM EQVIS IN SE IVNCTIS NVNQVAM ANTE HOC NVMERO EQVORVM SPECTATO CERTAMINE VICTOR EMINVIT. *V.* DECEMJUGIS.

SEPTEM, nomen numerale cardinale. *Septem* et *septe* pro *septem,* in *Inscr.* apud *Mommsen.* 3293. etc. et *Boissieu p.* 553. *n.* 11. — Ratione habita etymi, ducitur a Sansk. *saptan* et Gr. ἑπτά. — Septem, numerus, qui proxime sequitur *sex, sette.* ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. — *α*) Absolute. *Plaut. Most.* 2. 2. 39. Septem menses. *Horat. carm. sæc.* 7. colles. *Cæs.* 1. *B. C.* 34. naves actuariæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (30). miracula. Adde *Val. Max.* 4. 6. *n.* 1. *Lactant.* 3. 24. mira. *Gell.* 10. 18. omnium terrarum spectacula. Adde *Vitruv.* 2. 8. — *β*) Cum aliis numeralibus. *Plaut. Cist.* 4. 2. 89. et *Cic. Senect.* 6. 16. Septem et decem. *Liv.* 33. 21. et *Plin.* 2. *Ep.* 17. Decem et septem. *Nepos Cat.* 1. Decem septemque. *Plaut. Merc.* 2. 3. 94. Septem et viginti. *Nepos Att.* 21. Septem et septuaginta. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. millia passuum. Adde *Cic.* 2. *republ.* 10. 17. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (175). *Vulgat. interpr. Gen.* 11. 21. Ducenti septem anni. *Id.* 1. *Par.* 7. 12. Decem et septem millia. *Id. Lev.* 25. 8. Septies septem. — *Sex aut septem* vel *sex septem* apud *Lucret.* 4. 577., *Ter. Eun.* 2. 3. 40. et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 58. Cf. *Cic.* 10. *Att.* 8. — *b*) *Septem,* οἱ ἑπτά, *sc.* sapientes Græciæ, *i sette saggi della Grecia,* apud *Cic.* 3. *Orat.* 34. 137., *Amic.* 2. 7. et 16. 59., 5. *Tusc.* 3. 7. et alibi. et *Colum.* 1. *R. R.* 1. — *c*) *Septem* vel *septem dies* sunt, qui Nonas septimanas præcedunt et complent. *Fest. p.* 348. 2. *Müll.* Septem dies vel septem simpliciter calo, Antistius Labeo ait, proclamare magistratum publicum, si Nonæ septimanæ futuræ sunt. Sic *Varro* 6. *L. L.* 27. *Müll.* Primi dies mensium nominati Calendæ ab eo quod his diebus calantur ejus mensis Nonæ a pontificibus, quintanæ an septimanæ, in Capitolio in Curia Calabra sic: Dies te quinque calo Juno Covella. Septem dies te calo Juno Covella. — *d*) *Septem stellæ,* Septentrio. *Seneca Troad.* 439. — *e*) *Septem maria,* lacunæ ad ostia Padi fluvii apud Venetos. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (119). et *Tac.* 3. *Hist.* 9. Cf. *Vulgat. interpr. Is.* 11. 15. — *f*) *Septem Aquæ:* de quo loc. *V.* ONOM. ¶ 2. Latiore sensu in sacris Scripturis multitudini vel universitati inservit, ut *septies,* quia secundum nonnullos, ut ait *Zanolinius* noster (*Lex. Hebr. p.* 488.), orbis terrarum septem dierum spatio est absolutus (*V.* etiam SEPTEMBONUS), et idem valet ac multi, plures. *Vulgat. interpr. Is.* 4. 1. Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa. Adde *Lev.* 26. 28. et *Eccle.* 9. 8. et 11. 2.

SEPTEMBER, bris, bre, adject. (septem) σεπτέμβριος, μαιμακτηριών, *Settembre,* unus ex anni mensibus, ita appellatus, quod septimum obtineat locum a Martio, a quo Romulus annum inchoavit. Ceterum de etymo hujus vocis *V.* DECEMBER. ¶ 1. *September* stricte dicitur de mense; et quidem — *a*) Cum eo nomine jungitur, ac *mensis September* est, ut diximus, qui septimum locum tenet a Martio. Cf. *Varron.* 6. *L. L.* 34. *Müll.* Sed apud posterioris ætatis scriptores est nonus. Cf *Cic.* 2. *Legg.* 21. 54. *Id.* 1. *Att.* 1. Excurremus mense Septembri. *Sueton. Cal.* 15. Septembrem mensem Germanicum appellavit. Sic *Domit.* 13. Post autem duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit. Huc pertinet illud *Stat.* 4. *Silv.* 43. nondum omnis honorem Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses. V. *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (193). Septembri mense fimum inaret post imbrem. — *b*) *September* etiam absolute occurrit, substantivorum more. *Auson. de mensib.* Auctumnum, Pomona, tuum September opimat. *Id. ibid.* September, Bacchi munere prela rigans. *et ibid.* Bacchi September alumnus. *et ibid.* Implent tricenas per singula menstrua luces Junius Aprilisque et cum Septembre November. ¶ 2. Latiore sensu *September* est, qui ad mensem Septembrem quacumque ratione pertinet. *Cic.* 14. *Fam.* 22. Calendis Septembribus. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 16. Septembribus horis. *Sueton. Cæs.* 83. Idibus Se-

ptembribus. Adde *Liv.* 7. 3. — Septembris descriptionem et opera *V.* apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 61.

SEPTEMBŎNUS, a, um, adject. (septem *et* bonus) valde, perfecte bonus, (nam numerus septenarius perfectionem quamdam continet. V. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6.) ut Septembona brassica, apud *Caton. R. R.* 157. 1. At divisim *septem bona* rectius ed. *Schneiderus;* alii vero aliter leg.

SEPTEMBRĬUS, a, um, adject. (september) pro september videtur usitatum fuisse; etenim ita legitur apud *Ulp.* in *Collat. Mos. et Rom. leg. tit.* 13. § 3. Divus Hadrianus Terentio Gentiano XVII. KL. Septembriarum se III. Cons. (*h. e.* tertium consule) rescripsit.

SEPTEMCHORDIS (septemcordis) *et* septichordis, e, adject. (septem *et* chorda) qui septem chordas habet. *Isid.* 3. *Orig.* 22. 4. Antiqua cithara septemchordis erat: unde Virgilius: *septem discrimina vocum*, ubi alii minus recte leg. divisim *septem chordis*. et *Acro* ad *Horat.* 1. *Od.* 1. 34. Lyra septichordis.

SEPTEMDĔCIM. *V.* SEPTENDECIM.

SEPTEMFĀRĬAM, adverb. De etymo *V.* BIFARIUS. — Septemfariam est septem partibus, *in sette parti*, ἑπταμερῶς. *Santra* apud *Non. p.* 170. 22. *Merc.* In quod volumen unum nos lectitavimus, et postea invenimus septemfariam divisum. At *Forcellinus* et *Junius* leg. *septifariam*.

SEPTEMFLŬUS, a, um, adject. (septem *et* fluo) ἑπτάῤῥους, qui septem alveis, rivis aut fontibus fluit. *Ovid.* 15. *Met.* 753. Perque papyriferi septemflua flumina Nili Victrices egisse rates. *et ibid.* 422. Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alveo.

SEPTEMGĔMĬNUS, a, um, adject. (septem *et* geminus) ἑπτάπλους, septem habens partes. *Virg.* 6. *Æn.* 801. Et septemgemini turbant trepida ostia Nili. *h. e.* septemflui. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 191. Septemgemina Roma. *Id.* 4. *ibid.* 1. 6. Et septemgemino jactantior æthera pulset Roma jugo. *Catull.* 11. 7. Sive qua septemgeminus colorat Æquora Nilus.

SEPTEMMESTRIS *vel* septimestris, e, adject. (septem *et* mensis) *di sette mesi*, ut Septemmestris infans, *Censorin. de die nat.* 8. *a med.* et Septemmestris partus, *id. ibid.* 11. *sub init.*, ubi quidam leg. *septimestris*. *Cic.* 10. *Att.* 18. ἑπταμηνιαῖον vocat. *V.* NUTRIBILITER.

SEPTEMNERVA *vel* septenervia, æ, f. 1. (septem *et* nervus) herba eadem quæ plantago major. *Apul. Herb.* 1. Ita porro est appellata, quia germina habet septem lateribus similia et nervosa, ut *id. ibid.* ait. *V.* HEPTAPLEUROS.

SEPTEMPĔDA, æ, f. 1. (septem *et* pes) pertica septem pedum. *Gromat. vet. p.* 258. 13. *Rudorff.* Septempeda, oppidum.

SEPTEMPĔDĀLIS, e, adject. (septem *et* pedalis) ἑπταπόδαιος, septem pedes magnitudinis habens. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 70. ibi nunc statuam vult dare auream, Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ siet Septempedalis.

SEPTEMPLEX, plicis, adject. omn. gen. (septem *et* plico) septies duplicatus, septem plicaturas habens, *doppiato sette volte*, ἑπτάπλους.

I.) Proprie, vel stricto sensu. *Virg.* 12. *Æn.* 925. orasque recludit Loricæ, et clipei extremos septemplicis orbes. Clipeum Æneæ *septemplicem* dixit *Virg.* secutus *Homerum*, qui Ajacis scutum ex septem bubulis pellibus altera alteri superpositis confectum ἑπταβόειον σάκος vocat. *Ovid.* 2. *Trist.* 189. ad egressus missus septemplicis Istri. *h. e.* septem ostia habentis. Sic 5. *Met.* 187. genitus septemplice Nilo. *Tertull. carm.* 4. *advers. Marcion.* 128. In cujus tenebris septemplex Spiritus unus Lucebat Sanctus semper. Adde *Ambros. de Jac. et vit. beat.* 2. 9.

II.) Translate, vel latiore sensu. *Vulgat. interpr. Eccli.* 20. 14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt. *h. e.* insipiens oculos habet avidissimos et pro singulis obsequiis septena, idest multa, a te repescat. V. *Weitenauer.*

SEPTEMPLĬCĬTER, adverb. (septemplex) per septem plicaturas, septemplici modo. *Augustin. in Ps.* 11. et *Vulgat. interpr. Is.* 30. 26.

SEPTEMTRĬO. *V.* SEPTENTRIO.

SEPTEMTRĬŌNĀLIS. *V.* SEPTENTRIONALIS.

SEPTEMTRĬŌNĀRĬUS. *V.* SEPTENTRIONARIUS.

SEPTEMVĪCENNIS, e, adject. (septem viginti *et* annus) qui est annorum septem et viginti. *Inscript.* apud *Murat.* 1406. 6. STENNIAE VENERIAE C. SENTIVS AVLAX VXORI SANCTISSIMAE FECIT FVIT IN MATRIMONIO EIVS ANNIS V. MENSIB. VI. DIEB. IIII. VIXIT AN. XXVII. HIC SITA EST SEPTEMVICENNIS SENTII AVLACIS VENERIA *etc.*

SEPTEMVIR, viri, sing. *et sæpius* Septemviri, ōrum, plur. m. 2. *Septemvirum* pro *septemvirorum* habet *Cic.* 6. *Phil.* 5. *a med.* — Septemviri, ἑπτάρχοντες, collegium seu magistratus Romæ septem viris constans: ut epulonum, qui convivia deorum instruerent: de quibus *V.* EPULO; item agris dividendis et assignandis: de quibus *Cic.* 5. et 6. *Phil.*; item judiciis exercendis: de quibus *V.* SEPTEMVIRALIS. — *a*) In sing. num. *Cic.* 15. *Att.* 19. *extr.* Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri septemvir? *Plin.* 2. *Ep.* 11. *circa med.* Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum. *Lucan.* 1. 602. Septemvirque epulis festis, Titiique sodales. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 64. *Inscript.* apud *Orelli* 773. CN. DOMITIO SEX. F. VEL. AFRO TITIO MARCELLO CVRVIO LVCANO COS. PROCOS. PROVINCIAE — SEPTEMVIRO EPVLONVM *etc.* Alia apud *eumd. n.* 2255. et 2365. — *b*) In plur. num. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 21. Judicandum, multos septemviros fuisse, nihil placere ratum esse, quod ab iis actum diceretur. *Id.* 6. *ibid.* 5. *a med.* Septemvirum acta sustulimus. *V.* dicta in QUINDECIMVIRI. *Tac.* 3. *Ann.* 64. Ludi magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus augustalibus ederent. Adde *Inscript.* apud *Orelli n.* 590. et 2259.

SEPTEMVĪRĀLIS, e, adject. (septemvir) ad Septemviros pertinens, ut Septemviralis auctoritas, *Cic.* 12. *Phil.* 9. — *Septemviralis vir*, qui septemviratu præditus est. *Id.* 13. *ibid.* 12. Septemvirales Lento et Nucula. — *Septemviralia judicia* erant, quæ a septem judicibus, ex centumvirorum ordine selectis, exercebantur. Hinc liber Pauli JCti *De septemviralibus judiciis*, citatur in *titulis legis* 7. 28. *et* 31. *Dig.* 5. *tit.* 2.

SEPTEMVĪRĀTUS, us, m. 4. (septemvir) septemvirorum dignitas. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 99. Eumdem in septemviratu nonne destituisti? Adde *Plin.* 10. *Ep.* 8. et *Inscript.* in *Annal. dell' Istit. archeol. an.* 1839. *p.* 49. At apud *Morcelli de stil. T.* 2. *p.* 291. legitur *II. viratu.*

SEPTEMVĪRI, ōrum. *V.* SEPTEMVIR.

SEPTEMZŌDĬUM. *V.* SEPTIZONIUM.

SEPTĒNĀRĬUS, a, um, adject. (septeni) septem continens, *settenario*, ἑπταδικός. ¶ 1. Universim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 43. (120)., *Gell.* 3. 10. et *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. Septenarius numerus. *Macrob. ibid.* multa disserit de hujus numeri perfectione. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 85. (V. *Heyne* ad h. l.), *Sil. It.* 16. 295., *Gell.* 3. 10. et *Capell.* 7. *p.* 241. et *V.* etiam *Aristot. Metaphys.* 14. *p.* 305. *Brand.* — In illo *Martial.* 4. 46. Et crasso figuli polita cælo Septenaria synthesis Sagunti: *Turneb. l.* 23. *Adversar. c.* 19. intelligit septem pocula fictilia Saguntina. Alii putant significari vas fictile, septem unciarum capax. Magis placet *Turnebi* sententia. *V.* SYNTHESIS. ¶ 2. *Septenarius*, seu *iambicus versus*, septem pedibus constans, ut *senarius* sex. *Diomed.* 3. *p.* 514. *Putsch.* et *Rufin. Comm.* in *metr. Terent. p.* 555. 5. *Keil.* Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, quum ad iambicum pes trisyllabus additur et fit tale: *Quid immerentibus noces? quid invides amicis?* Similis in Terentio (*Hecyr.* 3. 2. 14.) Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores. *Cic.* Septenarios vocat, qui iambici tetrametri sunt, et octo, non septem, habent pedes, 1. *Tusc.* 44. 107. Non intelligo, quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Versus, de quib. *Cic.* loquitur, sunt: Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas fœde divexarier. Miratur hoc *Voss. in not.* ad *fragm. tragœd. Ennii:* putat *Scalig. l.* 7. *de re Poet.* deceptum esse: *Lambin.*, ut culpâ liberet, legit *tam bonos octonarios.* Quid, si dicamus, quicumque versus iambicorum numeros excederent, septenarios vulgari quadam consuetudine dici consuevisse? *V.* SEMIASSUS. ¶ 3. *Septenarius ionicus* apud *Censorin. de metr. p.* 613. 14. *Keil.* Ionicus septenarius: Ibant malaci viere Veneriam coronam. ¶ 4. *Fistulæ septenariæ* in aquæductibus sunt, quæ diametrum habent septem quadrantum. *Frontin. Aquæd.* 25. *V.* et *ibid.* 41. — Hinc

Septenarius, ii, m. 2. absolute, septenarius versus, apud *Cic. loc.* supra *cit.* et *Spartian. Anton. Get.* 2.

SEPTENDĔCIM *vel* septemdecim, nomen numerale cardinale indeclin. (septem *et* decem), idem ac decemseptem, *diciassette*, ἑπτὰ καὶ δεκά. *Cic.* 7. *Verr.* 47. 124. Nos in septendecim populis Siciliæ numeramur. *Priscian.* 18. *p.* 1170. *Putsch.* testatur, *Livium* quoque frequenter *septemdecim* dixisse. Adde in cap. Legis Agrar. apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 16. et *Liv.* 38. 33. *ad fin.*, quib. locis in multis MSS. notæ numerales XVII. adscriptæ sunt, et *Tac.* 13. *Ann.* 6. Cf. *Charis.* 1. *p.* 55. *Putsch. Apul.* 8. *Met.* Septemdecim denarium.

SEPTĒNERVĬA, æ, f. 1. *V.* SEPTEMNERVA.

SEPTĒNI, æ, a. *V.* SEPTENUS.

SEPTENNIS, e. *V.* SEPTUENNIS.

SEPTENNĬUM, ii, n. 2. *V.* SEPTUENNIUM.

SEPTENTRĬO, ōnis, m. sing. *et rectius* Septentriones, ōnum, plur. 3. (septem *et* triones) Scribitur et *Septemtrio*, quæ scriptio est in libris et lapidib. apud *Manut.*, probantibus *Cellario* et *Dausqu.* Aliis tamen *p* placet, ut in *tantus*, *quantus:* et quod *m* ante *t* non facile effertur. V. *Inscript.* infra adlatam, et litteram M. Recentiores *Septemtrio* et etiam *Septemptrio* libentius scribunt. — Tmesis est in illo *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 41. Stellæ, Quas nostri Septem soliti vocitare triones. *et Virg.* 3. *G.* 381. Talis Hyperboreo septem subjecta trioni Gens. *et Ovid.* 1. *Met.* 64. Scythiam Septemque trionem Horrifer invasit Boreas. — Septentrio seu Septentriones

I.) Proprie septem stellæ prope polum Arcticum. *V.* TRIONES. *Festus p.* 339. 2. *Müll.* Septentriones septem stellæ appellantur a septem bubus junctis, quos triones a terra rustici appellant, quod juncti simul terram arent quasi terriones. reliquos autem diserunt, quod id astrum Græci ἅμαξαν dicunt, idque habet partem quamdam temonis specie. unde ait Ennius: Superat temo stellas. Sed et physici eum situm septem stellarum contemplati, septentriones dici ajunt, quod ita sunt septem stellæ sitæ, ut ternæ proximæ quæque efficiant tria trigona. Sic *Gell.* 2. 21. Græci ἅμαξαν, idest plaustrum vocant: Latini similiter *plaustrum.* Ex septem siquidem stellis duæ pariles uno in loco cernuntur, quæ pro bobus accipiuntur, reliquæ quinque plaustri figuram designant. Itaque et proximum sidus Bootes Græcis, Latinis Bubulcus dicitur, quia more bubulci currum sequitur. Atque hæ septem stellæ sidus efficiunt, quod dicitur Ursa minor, et a *Vitruv.* 6. 11. minor Septentrio. Alterum vero sidus, quod Ursa major, et a *Vitruv. ibid.* Septentrio major vocatur, viginti septem stellis constat, quæ et ipsæ positione plaustrum referunt. Hinc est, quod frequentius a scriptoribus *Septentriones*, quum de sideribus sermo est, in plurali numero usurpantur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 117. Nam neque se septentriones quoquam in cælo commovent. *Varro Sat. Menipp.* 53. *p.* 154. *Oehl.* Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici Septentrionum filii Secum ferentes tegulas, ramos, syrus. *Veget.* 1. *Veterin.* 57. A Septentrionum regione. Adde *Cic.* in *Arat. loc.* supra *cit.* — In sing. num. *Vitruv.* 6. 11. et *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111. Septentrio minor. *et ibid.* major.: de quib. *V.* supra.

II.) Translate. ¶ 1. Est plaga cæli e regione austri seu meridiei, *settentrione, tramontana*. *Gell.* 2. 22. Satis notum est, limites regionesque esse cæli quatuor: exortum, occasum, meridiem, septentriones. *Cæs.* 7. *B. G.* 83. Erat a septentrionibus collis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Inflectens autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem, æstates et hiemes efficit. *Nepos Miltiad.* 1. Hic ventus (*Aquilo*) a septentrionibus oriens. — In sing. num. *Liv.* 32. 13. Latus oriens spectat: septentrio a Macedonia objicitur. Adde *Melam* 1. 1. et *Tac.* 2. *Ann.* 23. ¶ 2. Septentrio item nomen est venti, qui Austro objectus est, ita dicti, quod a septentrionibus stellis spirat. Græce Aparctias appellatur, quod ab Arcto flat. Poetæ fabulantur, filium esse Astræi. *Cic.* 9. *Att.* 6. Ex ea die fuere septentriones venti. *Liv.* 26. 45. Acer septentrio ortus stagnum inclinatum eodem, quo æstus, ferebat. Adde *Senec.* 5. *Quæst. nat.* 16. ¶ 3. Item ponitur pro polo septentrionali. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (83). Siderum in navigando nulla observatio, septentrio non cernitur. Adde *Melam* 2. 6. *Plin.* 2. *ibid.* 70. 71. (178). Septentriones non cernit Ægyptus. ¶ 4. Dicitur etiam in sing. num. de quodam ornamenti genere, fortasse ex septem gemmis, quibus constabat, stellarum formam imitantibus. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 2060. V. *Hübner* et *Mommsen* ad h. l.

SEPTENTRĬŌNĀLIS *vel* septemtrionalis, e, adject. (septentrio) ad septentrionem pertinens, *settentrionale*, ἀρκτικός. *Vitruv.* 9. 6. In septentrionali circulo duæ positæ sunt Arcti. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (64). Septentrionalis oceanus. *Id.* 2. *ibid.* 70. 70. (177). (et *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 5.) plaga. *Id.* 15. *ibid.* 16. 18. (59). Pomaria septentrionalibus fenestris sereno die patere. *Varro* 1. *R. R.* 2. 4. Primum quum orbis terræ divisus sit in duas partes ab Eratosthene, maxime secundum naturam ad meridiem versus et ad septentriones et sine dubio, quoniam salubrior pars septentrionalis est, quam meridiana, et quæ salubrior, illa fructuosior. — Hinc

Septentrionalia, ĭum, n. plur. 3. absolute, partes cujuslibet loci septentrionem spectantes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 14. (33). Alubi favi cera spectabiles gignuntur, ut in Pelignis; alibi mellis copia, ut in Creta: alibi magnitudine, ut in septentrionalibus. *Id.* 6. *ibid.* 34. 39. (213). Septentrionalia Africæ et Numidiæ. Adde *Tac. Agric.* 10.

SEPTENTRĬŌNĀRĬUS *vel* septemtrionarius, a, um, adject. (septentrio) idem ac septentrionalis. *Gell.* 2. 22. Septentriones habent ob eamdem causam unum (*ventum*): is objectus directusque in Austrum, Latine septentrionarius, Græco ἀπαρκτίας appellatus.

SEPTĒNUS, a, um, *et fere plur.* Septeni, æ, a, adject. numeri septenarii (septem). *Septenum*, pro *septenorum* vel *septenarum*, apud *Cic.* et *Colum. loc. cit.* — Septenus, vel septeni, idem ac septem, ἑπτά. — 1.°) Est proprie distributivum. *Colum.* 12. *R. R.* 28. In serias singulas, quæ sint amphorarum septenum, addito medicaminis pondo unciam. *ognuna di sett'anfore.* et 1. 3. *a med.* Liciniana illa septena jugera, quæ plebis tribunus viritim diviserat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (92). Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas. *sette alla volta.* et 17. *ibid.* 10. 11. (64). Pineæ nucleis septenis fero in ollas perforatas additis. *sette per pignatta.* et *Liv.* 40. 29. Duo fasces septenos habuere libros. *Vulgat. interpr. Gen.* 7. 2. Tolle septena et septena. *a sette a sette.* — 2.°) Sæpissime ponitur pro cardinali *septem*, extra distributionem. — *a*) In plur. num. *Cic.* 4. *Verr.* 49. *sub fin.* Pueri annorum senum septenumque denum. *di sedici e diciassett'anni.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 87. (216). Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos. *Propert.* 3. 21. 16. Et qua septenas temperat unda vias. *h. e.* per septem alveos et ostia fluit. *Virg.* 6. *Æn.* 21. tum pendere pœnas Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis Corpora natorum. *Ovid.* 2. *Met.* 682. dispar septenis fistula cannis. *Seneca Herc. Œt.* 1850. bis septenos greges deplanxit una mater. *quattordici figliuoli.* — *b*) In sing. num. fere poeticum est *Val. Flacc.* 6. 348. contraque ruentem Septeno validam circumfert tegmine molem. *h. e.* clipeo septemplici. *Lucan.* 8. 445. *de Nilo.* Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis. *con sette foci.* Sic *Stat.* 5. *Silv.* 2. 136. Septenus Ister. Adde *Sil. It.* 1. 197. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 185. Hic bibat æstivum septeno gurgite Nilum. *Apul. Apolog.* lux hæc optata canatur, Quæ bis septeno vere tibi remeat. *Auson. Ecl. de rat. puerper.* 4. Septeno moderanda choro. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 66. (228). Non removeri septeno circuitu.

SEPTĔRESMOS. *V.* SEPTIREMIS.

SEPTĬCEPSOS. *V.* BICEPSOS in fin.

SEPTĬCHORDIS. *V.* SEPTEMCHORDIS.

SEPTĬCĬĀNUS, a, um, adject. ut *Septiciana libra* apud *Martial.* 8. 71., dicta est libra Romana, quæ secundo bello Punico, attritis Romanorum opibus, ex duodecim unciis ad octo et semunciam redacta est. dicta creditur *Septiciana* a *Septis*, quo loco Romæ negotiatores versabantur, et ad pondus vendebant. *Id.* 4. 89. meminit *argenti Septiciani.* Cf. SEPTICIUS in ONOM.

SEPTĬCĬUM *vel* sæpticium, ĭi, n. 2. (sēpio *vel* sæpio) *scatoletta*, loculus septus. *Ennod. epigr.* 46. in *lemmate.* De muræna, quæ in septicio clauditur.

SEPTĬCOLLIS, e, adject. (septem *et* collis) septem colles habens, ἑπτάλοφος. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 412. quum puer Mavortius Fundaret arcem septicollem Romulus. *h. e.* Romam, in qua septem colles fuerunt, Palatinus, Quirinalis, Aventinus, Tarpejus seu Capitolinus, Cœlius, Viminalis et Esquilinus, de quibus suis loc. *Serv.* ad 6. *Æn.* 784. omittit Tarpejum, et Janiculum substituit.

SEPTĬCUS, a, um, adject. σηπτικός, vim habens molliendi, absumendi et exedendi excrescentia: a σήπω, putrefacio, consumo. Et dicitur de medicamentis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (29). Hæc cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit septica vi. *Sillig.* smectica. *Id.* 34. *ibid.* 18. 55. (177). Sandarachæ dos septica. *Cels.* 5. 19. *n.* 18. Quædam sunt emplastra exedentia, quæ σηπτικά Græci vocant. *et* 7. 21. Medicamenta, quæ exedunt, nec erodunt, σηπτικά Græci vocant.

SEPTĪDŎMUS. *V.* voc. seq. in fin.

SEPTĪDRŎMUS, i, m. 2. spatium temporis septeni: vox hybrida a *septem*, et δρόμος, cursus. spatium. *Theod. Priscian.* 4. 3. *a med.* Manifestum est, septidromum septem spatiis contineri; septimo mense dentes nasci, aliquibus nono; septimo anno infanti dentes cadere; bis septeno pubescere, et nucleantibus mamillis semen generare; ter septenis et uno anno barbam maturare; septidromis ægros periclitari. Perperam *septidomum* et *septidomis* in editionib. legitur.

SEPTĪES *vel* septiens, adverb. (septem) septem vicibus, *sette volte*, ἑπτάκις. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. *Liv.* 28. 6. Euripus septies die temporibus statis reciprocat. *Alii leg.* in die. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (214). Septies restituto templo. *Spartian. Hadr.* 1. Consul septies. *Ammian.* 14. 10. 1. A consulatu suo septies. *Cod. Theod.* 11. 28. 9. Usque ad consulatum septies. — *b*) Cum aliis additis numeralibus. *Cic.* 2. *Phil.* 37. 93. Ubi est septiens miliens sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat. *Vulgat. interpr. Matth.* 18. 22. Usque septuagies septies. *Id. Lev.* 25. 8. Septies septem. — *Septiesdecies* conjunctim apud *Bedam de numer.* 1. 100. ¶ 2. Latiore sensu pro pluries, sæpius. *V.* SEPTEM. *Vulgat. interpr. Id. Ps.* 118. 164. Septies in die laudem dixi tibi. *Id. Prov.* 24. 16. Septies cadet justus et resurget: impii autem corruent in malum. V. *Weitenauer.*

SEPTĪESDĔCĬES. *V.* voc. præced.

SEPTĬFĀRĬAM. *V.* SEPTEMFARIAM.

SEPTĬFĀRĬUS, a, um, adject. qui septem partibus constat. *Cassiod. in Ps.* 23. Septifaria narratio.

SEPTĬFLŬUS. *V.* VESTIFLUUS.

SEPTĬFŎLĬUM, ĭi, n. 2. (septem *et* folium) ἑπτάφυλλον, herba sic dicta a foliorum numero. *Apul. Herb.* 116.

SEPTĬFŎRIS, e, adject. (septem *et* foris) septem fores, seu foramina habens. *Alcim.* 1. 83. Septiforis vultus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* fistula.

SEPTĬFORMIS, e, adject. (septem *et* forma) *di sette forme*, septem habens formas. *Augustin.* 1. *serm. Dom. in monte* 4. Septiformis gratia Spiritus Sancti. Adde *Isid.* 7. *Orig.* 3. 13. et *Cyprian. ad Fortun.* 11.

SEPTĬGĔSĬMUS, a, um, adject. (septem) idem quod septingentesimus. *Priscian. de Fig. numer.* p. 1352. *Putsch.*

SEPTIM. *V.* SETTIM.

SEPTĬMĀNA, æ, f. 1. *V.* SEPTIMANUS.

SEPTĬMĀNĀRĬUS, a, um, adject. (septimanus) septenarius. *Augustin. Serm.* 99. *n.* 2. ed. *Mai.* Septimanarius numerus nostræ salutis continet sacramentum.

SEPTĬMĀNUS *vel* septumanus, a, um, adject. (septimus) ἑβδομαδικός, ad septem pertinens. ¶ 1. *Septimanæ Nonæ*, quæ septimo mensis die occurrunt, Martio, Majo, Julio, Octobri; ut *quintanæ*, quæ quinto. *Varro* 6. *L. L.* 27. *Müll.*, *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. et *Censorin. de die nat.* 20. ¶ 2. *Septimanæ feturæ*, partus septimo mense editi. *Arnob.* 3. *p.* 105. — Et *septimanus partus*, partus, qui salubriter ac secundum naturam fit mense a conceptione septimo. *Capell.* 7. *p.* 242. Septimani partus hominem absolutum perfectumque dimittunt. V. *Kopp.* adnot. in *h. l.* — Hinc

Septimana, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, spatium septem dierum, *settimana*, ἑβδομάς. *Impp. Theodos.* et *Valentinian. Cod. Theod.* 15. 5. 5. Dominico, qui septimanæ totius primus est dies. Adde *Plin. Valerian.* 3. *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 12. 31. Venerunt Jerosolymam die solemni septimanarum instante. *h. e.* die Pentecostes, quia post septem hebdomadas a Paschate elapsas, seu post dies novem et quadraginta, ipso quinquagesimo die agebatur.

Septimani, ōrum, m. plur. 2. absolute. ¶ 1. Milites legionis septimæ, ut *secundani* secundæ, *sextani* sextæ. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (36). In mediterraneo coloniæ, Arelate Sextanorum, Biterræ Septimanorum, Arausio Secundanorum. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 25. ¶ 2. Item populi Galliæ Narbonensis. *V.* SEPTIMANIA in ONOM.

SEPTĬMĀTRUS, ŭum, m. plur. 4. festum Minervæ, septimo die post idus Martias celebratum ut in QUINQUATRUS dictum est. *Varro* 6. *L. L.* 14. *Müll.* et *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 255 10. *Müll.*

SEPTĬMESTRIS. *V.* SEPTEMMESTRIS.

SEPTĬMO. *V.* SEPTIMUS in fin.

SEPTĬMONS, montis, adject. omn. gen. (septem *et* mons) qui septem habet montes. *Gloss. Cyrill.* Ἑπτάλοφος, septimons.

SEPTĬMONTĬĀLIS, e, adject. (Septimontium) ad Septimontii dies pertinens, ut Septimontiale sacrum, *Sueton. Domit.* 4. Septimontialis satio fabæ, *Colum.* 2. *R. R.* 10. *ante med.* h. e. quæ mense Decembri fit circa Septimontium. Sunt qui perperam leg. *septuncialis*, h. e. qua dimidium jugeri et ejusdem duodecima pars seritur; etenim de eadem re hæc habet *Pallad.* 13. *R. R.* 1. *sub init.* Faba circa Septimontium seri potest.

SEPTĬMONTĬUM *vel* Septemontium, ĭi, n. 2. (septem *et* mons) ¶ 1. Spatium septem habens montes. *Varro* 5. *L. L.* 41. *Müll.* Ubi nunc est Roma, erat olim Septimontium, nominatum ab tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit. *Gloss. Gr. Lat.* Ἑπταόριον, septimontium. ¶ 2. Est etiam dies festus Romæ III. Id. Decembr. celebratus ob inclusum pomœriis septimum collem, ut ait *Plutarchus Quæst. Rom.* c. 69, ita dictus, quod in septem montibus fiebant sacra, auctore *Festo* et *Varron.* 6. *L. L.* 24. *Müll.* Verba *Fest.* p. 340. 7. *Müll.* Septimontium dies appellatur mense Decembri post eum, qui dicitur in Fastis Agonalia, quod eo die in septem montibus fiunt sacrificia, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Oppio, Cispio.

et p. 348. 24. Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriæ. Palatio, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur. Veliæ, cui item sacrificium. Fagutali, Suburæ, Cermalo, Oppio, Cælio monti, Cispio monti. Octo enumerat *Festus*, quia *Cermalus* non est mons, sed locus imus ad Tiberim (*V.* CERMALUS in ONOM.), in quo tamen sacra eodem die fiebant. Verum *Müllerus* ait, *Cælio* interpolatum esse, idque vel clarissime apparere, quod *Oppius* non per se partem urbis significet, sed *Oppius mons*. V. Argæorum sacra apud *Varron.* 5. *L. L.* 50. *Id.* 6. *ibid.* 24. *Müll.* Dies Septimontium nominatus ab his septem montibus, in quis sita Urbs est, feriæ non populi, sed montanorum modo; ut Paganalia, qui sunt alicujus pagi. Adde *Fest. p.* 321. 19. *Müll.* et *Tertull. Idolol.* 10., qui 2. *ad Nation.* 15. hac de re loquitur, ut *Forcellino* videtur, quasi *Septimontius* Deus sit, cui sacra fierent. Cf. *Detlefsen* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1861. *p.* 57. *et seqq.*

SEPTĬMUM. *V.* voc. seq. in fin.

SEPTĬMUS, a, um, adject. (septem) *Setimus* in *Inscript. Afr.* apud *Renier. n.* 3729.; et *Septumus, ἀρχαικῶς*, in *Inscript.* apud *Orell. n.* 4508. — Septimus est ultimus in septem, ἕβδομος, *settimo.* ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 4. Septimus octavo propior jam fugerit annus. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 3. Septimas esse ædes a porta, ubi ille habitat. *Id. Amph.* 1. 2. 20. Septimus mensis. *Id. Pers.* 2. 3. 8. Ibi mercatum dixit esse die septimi. *h. e.* die septimo. *V.* in DIES et cf. *Macrob.* 1. *Sat.* 4. *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Septimus dies. *Ovid.* 4. *Met.* 213. Isque Septimus a prisci numeratur origine Beli. *Martial.* 1. 100. Intra septimas calendas. *h. e.* intra septem menses. — *b*) Cum aliis numeralibus. *Cic. Cluent.* 27. 75. Ut ipsius Staleni sententia septima decima accederet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (175). Ut in septimum et quinquagesimum atque centesimum vitæ duraret annum. — 2.°) Speciatim *septimus casus* grammaticis est idem cum ablativo, qui ordine sextus est: sed cum discrimine, dicitur enim ablativus, quum per passivum modum utimur: *septimus casus*, quum per activum. *Diomed.* 1. *p.* 302. *Putsch.*, *Priscian.* 5. *p.* 673. et *Cledon. p.* 1863., quorum aliquis aliud discrimen statuit, ut *ablativus* sit, quum præpositionem habet; *septimus casus*, quum sine illa est. Octavum etiam casum addit *Cledon.* dativo similem, ut quum dicit *Virg.* 5. *Æn.* 451. It clamor cælo. — 3.°) *Septimus annus*, annus Sabbaticus apud Hebræos, quo terra relinquebatur inculta et cum incolis quiescebat. *Vulgat. interpr.* 2. *Esdr.* 10. 31. *V.* de hoc anno *Ackermann, op. cit.* § 338. ¶ 2. Latiore, seu indeterminato, sensu. *V.* SEPTEM et SEPTIES. *Vulgat. interpr. Job* 5. 19. In sex tribulationibus liberavit te, et in septima non tanget te malum. *h. e.* in qualibet, in omni., q. d. nullum malum tibi nocebit. — *NB.* De prænom. et cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc

Septimo, adverbiorum more ¶ 1. Est septimo loco, *in settimo luogo*, ut *secundo*, *tertio* etc. *Cassiod. de anim.* 12. Cf. *Capell.* 2. *p.* 204. ¶ 2. Ponitur etiam pro septimum. *Quadrig.* apud *Gell.* 10. 1. Creatus septimo consul. ¶ 3. Est etiam septies. *Trebell. Gallien.* 17. Lavit ad diem septimo æstate, vel sexto: hieme secundo, vel tertio. Adde *Vopisc. Florian.* 4.

Septimum, adverbialiter occurrit, et est septima vice, *la settima volta.* V. TERTIUM. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. *extr.* Marius septimum consul. Alii leg. *septies.*

SEPTĬMUSDĔCĬMUS, a, um, adject. decimus septimus, *decimosettimo. Vitruv.* 9. 1. Adde *Cic. Cluent.* 27. 74., ubi tamen alii divisim leg. *V.* voc. præced.

SEPTINGĒNĀRĬUS, a, um, adject. (septingeni) qui septingentorum numerum complectitur. *Varro* 2. *R. R.* 10. *ad fin.* Septingenarii enim mei: tu, opinor, octingenarios habuisti. *scil.* greges.

SEPTINGĒNI, æ, a, adject. (septingenti) *settecento*, septingenteni per syncopen. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (61). *de auro.* Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, utpote cujus unciæ in septingenas et quinquagenas bracteas spargantur.

SEPTINGENTĒNI, æ, a, adject. (repligenti) septigeni. *Priscian. p.* 414. 2. *Keil.* et *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 8. 22.

SEPTINGENTĒSĬMUS, a, um, adject. (septingenti) ultimus, sive unus ex septingentis, *settecentesimo*, ἑπτακοσιοστός. *Liv.* 1. *proœm.* Ut quæ supra septingentesimum annum repetatur. *Aurel. Vict. Cæs.* 1. Anno urbis septingentesimo fere vicesimoque secundo. *V.* SEPTIGESIMUS.

SEPTINGENTI, æ, a, adject. numer. distributivum (septem *et* centum) *settecento*, ἑπτακόσιοι. *Liv.* 23. 20. Oppidum firmatum septingentorum militum de exercitu Hannibalis præsidio. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 11. (76). Insulæ absunt a Dianio septingentis stadiis. *Enn.* apud *Varron.* 3. *R. R.* 1. Septingenti sunt, paullo plus aut minus, anni. — Hinc

Septingenta, absolute. *Martial.* 7. 10. Septingenta Tito debet lupus. *scil.* 700. sestertia.

SEPTINGENTĬES, adverb. (septingenti) septingentis vicibus, *settecento volte. Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (104). Milonem sestertium septingenties æris alieni debuisse. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (183). Quotidie septingenties lacte asinino cutem fovere.

SEPTĬNŪBA, æ, f. 1. (septem *et* nubo) quæ nupsit septies. *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 6. 30. Quum ei Sadducæi quæstionem exemplo septinubæ mulieris intulissent etc.

SEPTĬO, ōnis, f. 3. *V.* SÆPTIO.

SEPTĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. (septem *et* pes) *di sette piedi*, septem pedes habens. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. *in carm.* Hic Burgundio septipes frequenter Flexo poplite supplicat quietem. *h. e.* Burgundio giganteæ staturæ, Adde *carm.* 12. 11.

SEPTĬRĒMIS, e, adject. (septem *et* remus) *Septeresmos, ἀρχαικῶς*, leg. in *Columna rostrata*, de qua in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 195. — Septiremis est navis, quæ habet septem ordines remorum, ἑπτήρης. *V.* HEPTERES. Adjective usurpat *Curt.* 10. 1. *ante med.* Imperavit ingentium carinas navium ponere: septiremes omnes esse, deducique Babylonem.

SEPTIZŌNĬUM *et* Septemzodium, ii, n. 2. (septem *et* zona) Forma *Septemzodium* apud *Ammian.* 15. 7. 3., ubi *V.* adnot. Cf. *Becker, Handb. d. Röm. Allth.* 1. 434. At *Septidonium* damnat *Prob. app. p.* 197. 23. *Keil.* — Septizonium, ἑπταζόνιον ¶ 1. Est septem planetarum numerus, qui sua quisque zona seu fascia distinguebantur. *Schol. Bern.* ad *Lucan.* 7. 425. An e planetis dicit quinque, Saturnum, Martem, Mercurium, Jovem, Venerem; id est Septidonium (*leg.* Septizonium), exceptis Sole et Luna, quæ videantur separata lege circuire. Adde *Commodian.* 7. in *lemmate* et *Acrostic.* de septizonio et stellis. *Id.* 19. Terribiles omnes, stulti, septizonio fortes. ¶ 2. *Septizonium* a similitudine dicitur fortasse etiam ædificium Romæ alte assurgens, et septem zonis seu fasciis (*cornicioni*) cinctum, quæ septem veluti moles, aliam supra aliam decrescendo impositas, referebant. Duplex fuisse videtur, alterum in regione decima ad caput Appiæ viæ, non procul a Circo maximo, sub Palatio, exstructum a Severo Imp., alterum vetustius in regione duodecima. Alii unum tantum fuisse ajunt. *P. Victor de reg. urb. Rom.* ponit in regione decima, *Septizonium vetus, alias Severi*; in duodecima, *Septizonium Severi.* Viderint alii. Memoratur a *Sueton. Tit.* 1. et *Spartian. Sever.* 19. et 35. et *Anton. Get.* 7. — De ruderibus, quæ adhuc exstant, *Septizonii Severi*, V. *Jordan.* in *Bullet. dell' Istit. archeol. a.* 1872. *p.* 145. *et seqq.* et *Rich*, qui hujus ædificii formam describit, et diagramma exemplari sæc. XVI. depromptum ex parte exhibet.

SEPTŬĀGĒNĀRĬUS, a, um, adject. (septuageni) septuaginta continens, *di settanta*, ἑβδομηκοστός. ¶ 1. Generatim. *Frontin. Aquæd.* 56. Fistula septuagenaria diametri digitos habet novem etc. ¶ 2. Speciatim annos natus septuaginta, *settuagenario. Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. *circa med.* Si ante quis ad munera munic vocatus sit quam septuagenarius fieret.

SEPTŬĀGĒNI, æ, a, adject. *Septuagenus* in sing. num. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 63. (99). Septuageno coitu durasse libidinem contactu herbæ cujusdam. — *Septuagenûm*, pro *septuagenorum*, apud *eumd. loc.* infra *cit.* — Septuageni, *settanta*, septuaginta. — *a*) Distributiva ratione. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (92). Pyramides quinque, in imo latæ pedum quinum septuagenum, altæ centum quinquagenum. — *b*) Ponitur etiam, ubi nulla distributio fit. *Colum.* 5. *R. R.* 2. *a med.* Septuagies septuageni fiunt quatuor milia et noningenti.

SEPTŬĀGĒNĪQUĪNI, æ, a, adject. *settantacinque*, septuaginta quinque, ut Fistula septuagenumquinum, *Frontin. Aquæd.* 57. *Alii tamen rectius leg. divisim* septuagenum (*h. e.* septuagenorum) quinum.

SEPTŬĀGĒNUS, a, um. *V.* SEPTUAGENI init.

SEPTŬĀGĒSĬES, adverb. (septuaginta) septuagies. — *a*) Stricto sensu. *Capell.* 7. *p.* 241. Sexies septuagesies dipondius facit quadringentos trigies dipondius. Similiter octies septuagesies dipondius quingentos septuaginta sex. — *b*) Latiore sensu, eodem modo ac septem et septies, pro sæpe vel sæpissime. *Hieronym.* in *Chron. Euseb. Exord.* 4. Septuagesies septem. *Alii tamen leg.* septuagies. Cf. *Vulgat. interpr. Matth.* 18. 22.

SEPTŬĀGĒSĬMĀLIS, e, adject. (septuagesimus) idem ac septuagesimus. *Beda Argum. Lun. T.* 1. *p.* 202. Et de Septuagesimali terminos quidem in omni bisextili anno hoc observabis.

SEPTŬĀGĒSĬMUS, a, um, adject. (septuaginta) ultimus ordine ex septuaginta, *settantesimo*, ἑβδομηκοστός. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Cyrus ad septuagesimum annum pervenit, quum quadraginta natus annos regnare cœpisset. *Liv.* 28. 16. *a med.* Scipio cum ceteris copiis, septuagesimis castris, Tarraconem rediit. *in settanta marcie, o giornate.*

SEPTŬĀGESSIS, is, m. 3. (septuaginta *et* as) septuaginta asses. *Priscian. de fig. num.* 31. *p.* 416. 33. *Keil.*

SEPTŬĀGĬES, adverb. *syncop. a* septuagesies, septuaginta vicibus, *settanta volte*, ἑβδομηκοντάκις. — *a*) Stricto sensu. *Colum.* 5. *R. R.* 2. *a med.* Septuagies septuaginta. — *b*) Latiore, seu indeterminato, sensu. *Vulgat. interp. Gen.* 4. 24. et *Matth.* 18. 22. *V.* SEPTUAGESIES.

SEPTŬĀGINTA, adject. indecl., numer. cardinale, ἑβδομήκοντα, *settanta*, decies septem. *Cic.* 5. *Verr.* 52. 121. Unus ager Agyrinensis centum septuaginta aratoribus inanior quum sit. *Orell.* CLXX. *Colum. Arbor.* 4. 3. Septuaginta pedes. — *Nepos Att.* 21. Septem et septuaginta anni. *Liv.* 35. 1. Septuaginta et tres de exercitu.

SEPTŬENNIS *vel* septennis, e, adject. (septem *et* annus) *Septennis* defenditur analogiâ, ut *quinquennis*, *sexennis* etc., præsertim *novennis*, et legitur apud *Capitolin. M. Aurel.* 21. Filium nomine Verum Cæsarem, exsecto sub aure tubere, septennem amisit. — Septuennis est qui septem est annorum, *di sette anni*, ἑπτέτης, *Plaut. Pœn. prol.* 66. Puer septuennis corripitur Carthagine. Adde *Men.* 5. 9. 57., *Merc.* 2. 2. 21. et *Bacch.* 3. 3. 36. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 656. Da septuennem circiter puerum aut minus. *Seren.* apud *Diomed.* 3. *p.* 316. *Putsch.* Pusioni meo septuennis cadens.

SEPTŬENNĬUM *vel* septennium, ii, n. 2. (septuennis) spatium septem annorum, *tempo o spazio di sette anni. Fest. p.* 347. 20. *Müll.* Septuennio quoque Ennius (?) usus est, ut priore numero. *Prudent.* Διττοχ. 24. *de Pharaonis somnio.* famis duo per septennia tempus. *Auson. Edyll.* 12. Indicat in pueris septennia prima novus dens.

SEPTUM. *V.* SÆPTUM.

SEPTŬMĀNUS. *V.* SEPTIMANUS.

SEPTŬMUS. *V.* SEPTIMUS.

SEPTUNCĬĀLIS. *V.* SEPTIMONTIALIS.

SEPTUNX, uncis, m. 3. (septem *et* uncia)

ἑπτούγκιον, mensura, vel pondus septem unciarum, h. e. assis partes septem.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 33. 19. *ad fin.* Septunces auri in singulos pretium convenit. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 171. *Müll.* ¶ 2. Speciatim in agri mensuris septùnx dicitur, qui continet semijugerum, et jugeri partem duodecimam. *Colum.* 5. *R. R.* 1. *ad fin.* Pars dimidia et una duodecima, pedes sexdecim milia et octingentos, hoc est septunx, in quo sunt scrupula CLXVIII. *Liv.* 5. 24. Triumvirique ad id creati terna jugera et septunces viritim diviserant.

II.) Translate accipitur etiam pro septem cyathis vini. Solebant enim veteres, quando se paullo liberius invitabant, tot vini cyathos ebibere, quot erant litteræ in amasiorum amicarumque nominibus, singulosque cyathos appellabant uncias. *Martial.* 8. 51. *de phiala ab Instantio Rufo sibi data.* Det numerum cyathis Instanti littera Rufi, Auctor enim tanti muneris ille mihi. Si Thelethusa venit, promissaque gaudia portat, Servabor dominæ, Rufe, triente tuo. Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem, Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam. *Instantius* constat decem litteris, *Rufus* quinque. Hinc si Thelethusa amica mea venit, epoturus sum trientem, h. e. quinque cyathos, qui triens est tuus, h. e. numerus tertiæ partis nominum tuorum, qui est quindecim. Si dubium est, ventura sit, necne, bibam septuncem, h. e. septem cyathos, dimidium nempe præter propter tuorum nominum. Si omnino ventura non est, bibam utrumque nomen, h. e. quindecim cyathos. *V.* BIBO et QUINCUNX. *Id.* 3. 82. *sub fin.* Septunce multo deinde perditus stertit. *h. e.* bene potus, ebriūs. *scil.* septem vini cyathis pluries repetitis; tot enim sunt litteræ in nomine *Malchio*, quo delicatus ille conviva appellabatur.

SEPTŬŌSĒ. *V.* SÆPTUOSE.

SEPTŬŌSUS. *V.* SÆPTUOSUS.

SEPTŬPLUM. *V.* voc. seq. in fin.

SEPTŬPLUS, a, um, adject. ἑπτάπλους, ἑπταπλάσιος, septem continens. *Rufin.* ad *Orig. Homil.* in *Num.* 23. 11. Solis septuplum lumen. — Hinc

Septuplum, absolute occurrit. ¶ 1. *Septuplum, i*, n. 2. substantivorum more — *a*) Est quantitas alicujus rei septies aucta, *il settuplo:* sed fere adhibetur sensu lato, seu indeterminato, ut septem, septies, septuagies. *Vulgat. interpr. Lev.* 26. 21. Addam plagas vestras in septuplum. *Id. Psalm.* 78. 12. Redde vicinis nostris septuplum. — *b*) Docet *Augustin. Serm.* 83. (*al.* 15. *de verb. Dom.*) *a med.* accipi pro toto. Verba *ejusd.* sunt hæc: Septuplum solet pro toto computari, quoniam septem diebus volvitur tempus. ¶ 2. *Septuplum*, adverbialiter, pro septies, sensu item lato, seu indeterminato. *Vulgat. interpr. Gen.* 4. 15. Qui occiderit Cain, septuplum punietur. Adde *Psalm.* 11. 7.

SEPTUS indecl. *V.* SEPTUSSIS.

SEPTUS, a, um. *V.* SÆPTUS, a, um.

SEPTUS, us. *V.* SÆPTUS, us.

SEPTUSSIS *et* sextussis, m. 3. septem et sex asses (ad modum *octussis, nonussis, decussis*) defenduntur analogia. *Varro* 5. *L. L.* 169. *Müll.* Ab tribus assibus tressis et sic proportione usque ad nonussis. Ita *Forcellinus.* V. SEXIS et *Mæcian. de asse* § 54., ubi *septus* indecl. pro *septussis.* Verum hæ voces, quum nulla auctoritate, vel exemplo allato firmentur, merito a recentioribus rejiciuntur. Quod utinam hac sæpius cautela uterentur nostræ ætatis philologi, novarum rerum studiosiores, ceteroquin doctissimi, qui analogià tantum vel etymo levibusque aliis rationibus ducti inauditos quosdam pronunciandi aut scribendi modos comminiscuntur. Quamquam non ii sumus, qui, dum hujuscemodi homines reprehendimus, mirificos nostrorum temporum in philologia et historica linguarum scientia progressus infitiemur.

SĔPULCRĀLIS *vel* sepulchralis, e, adject. (sepulcrum *vel* sepulchrum) ad sepulcrum pertinens, ἐπιτάφιος. *Ovid.* 8. *Met.* 480. Ante sepulcrales infelix astitit aras. *Id. Heroid.* 2. 120. Fax sepulcralis. *Auson.* 17. 1. Sepulcrales tituli. *h. e.* epitaphia.

SĔPULCRĒTUM *vel* sepulchretum, i, n. 2. (sepulcrum *vel* sepulchrum) locus, ubi frequentiora sepulcra sunt, *cimitero*, κοιμητήριον. *Catull.* 59. 2. sæpe quam in sepulcretis Vidistis ipso rapere de rogo cenam.

SĔPULCRUM *vel* sepulchrum, i, n. 2. (sepelio) *Sepulcrus* legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 940. 7. V. in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 5415.; sed cave usurpes — Quod ad scriptionem attinet, in quibusdam veterib. monum. occurrit *sepulchrum* cum aspiratione: quibus favet *Gell.* 2. 3. Sed plura sunt, ubi nulla aspiratio est. quæ expungitur a *Servio, Cellar., Dausquio.* al. Huc facere possunt, quæ in PULCHER dicta sunt. Neque tamen putes verum esse, quod nonnulli docuere cum *Charis.* 1. *p.* 56. *Putsch.*, factum esse *sepulcrum* a *se* seorsum, et *pulcrum.* Est enim a supino *sepultum*, ut *fulcrum* a *fultum*, *lavacrum* a *lavatum*, *ambulacrum* ab *ambulatum.* Ita *Forcellinus.* Recentiores in optimis MS. cum aspiratione legi affirmant, ut *Ribbeck* apud *Virg.*, *Fritzsche*, *Keller*, *Holder* apud *Horat.*, *Müller* apud *Cic.* in lib. *Legg.* et *Mommsen* in *Digest.* Prior tamen scriptio huic præferenda, sive ex monumentorum copia et auctoritate, sive ex analogia. — Etiam *sephulcrum* leg. in *Inscript.* apud *Orell.* 5423. Sed V. *Brambach*, *op. cit. p.* 333. — Fuere denique qui in prima syllaba diphthongum appingerent. Unde in epitaphio Aureoli apud *Trebell. in XXX. Tyrann.* 10. Donat sæpulcro victor post multa tyranni Prœlia etc. Adde *Inscr. De Lyon* apud *Boissieu, p.* 585. *n.* 43. Sed hæc nihil habent, cur imitanda sint. *V.* SEPELIO. — Sepulcrum est locus, in quo mortuus sepultus est, quod antiqui bustum appellabant, ut ex Gallo Ælio ait *Fest. p.* 339. 30. *Müll.*; vel locus, ubi corpus ossave hominis condita sunt, ut clarius *Ulp. Dig.* 11. 7. 2. definit, τάφος, τύμβος (It. *tomba, avello, sepolcro;* Fr. *lieu de sépulture, sépulcre;* Hisp. *sepulcro;* Germ. *d. Grabstätte, d. Gruft, d. Grab;* Angl. *a tomb, grave, sepulchre*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Lucret.* 5. 260. terra rerum commune sepulcrum. *Festus loc. cit.* Sepulcrum est, ut ait Gallus Ælius, in quo mortuus sepultus est: quod antiqui bustum appellabant. isque cippis aut aliqua alia re mortui causa designatus est, intra quos sepultura est facta. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 12. *qui est* De sepulcro violato, *l.* 3. Sepulcri appellatione omnem sepulturæ locum contineri, existimandum est. *Cic.* 2. *Legg.* 22. *a med.* Siti dicuntur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus incensum est. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 31. Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? *Enn.* apud *eumd. ibid.* 44. *ad fin.* Neque sepulcrum, quo se recipiat, habet, portum corporis. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 9. 24. Cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset. *Horat. Epod.* 9. 26. Sepulcrum condere. Alii aliter *h. l.* interpretantur. *Lucan.* 9. 235. præstare alicui. *Ovid.* 7. *Met.* 618. (et *Virg.* 6. *Æn.* 152. et 3. *ibid.* 67). Condere aliquem sepulcro. *Id. Heroid.* 11. 123. Membra imponere sepulcro. *Horat.* 2. *Od.* 20. 23. ac sepulcri Mitte supervacuos honores. *h. e.* flores, coronas, cippos, columellas, statuas, inscriptiones. *Nepos Dion.* 10. Elatus publice, sepulcri monumento donatus est. ¶ 2. *Hereditarium sepulcrum* differebat a *familiari.* illud enim sequebatur heredes, ac dicebatur etiam *gentile* seu *gentilicium, patrium, avitum* etc.; hoc vero uni familiæ cum libertis et feminis destinabatur. *Cajus Dig.* 11. 7. 5. Familiari sepulcra dicuntur, quæ quis sibi familiæque suæ constituit; hereditaria, quæ quis sibi heredibusque suis constituit. Adde *Ulp. ibid.* 2. 7. 5. ¶ 3. *Commune sepulcrum*, h. e. plurium personarum ad unam aut plures familias pertinentium. *Cic.* 1. *Off.* 17. 55. et *Auson. Ep.* 38. 1. *V.* COLUMBARIUM. et cf. *Rich, op. cit.* ad *h. v.* Alio sensu *Horat.* 1. *Sat.* 8. 10. Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum. Ad *h. l.* ita *Turnebus*: Quum olim qui locupletes erant, in suis fundis aliquid loci sepulturæ seponerent, et ibi haberent privata sepulcra sibi familiæque suæ aut heredibus, plebs, quæ agris fundisque carebat, in loco communi sepulturæ destinato humabatur sepulcrumque commune vocabatur. Hinc etiam *Catull.* 66. 89. Troja (nefas) commune sepulcrum Asiæ Europæque. — Sepulcra signis armisque mortuorum exornabantur et floribus quotannis adspergebantur. *Virg.* 5. *Æn.* 80. et 6. *ibid.* 214. *et seqq.* et *Sil. It.* 9. 118. et 16. 309. *V.* etiam infra. — De sepulcri ollis *V.* OLLA et SCHOLA. — De sepulcris seu arcis e cedro confectis, ubi cadavera recondebantur, maxime apud Græcos (Cf. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 11. 17. et *Dioscor.* 1. 105.) loquitur *Curt.* 8. 10. 8. — De sepulcri custodia, emptione, donationibus, partibus dimidia, tertia etc., tutela, jure, et de pœnis in eos, qui sepulcrum violant, V. *Inscript.* apud *Orell.* 4367., 4515., 4789., 4567., 4572., 4505., 4368. Cf. etiam *Marini Iscriz. Alb. p.* 73. *et seqq.* et *De-Rossi* in *Bullet. archeol. Cr. a.* 1865. *p.* 89. et *Inscript. Christ. T.* 1. *p.* 331, *Dig.* 47. 12. 3. et *Walch. in Act. Soc. Lat. etc. T.* 4. *p.* 98.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Dicitur de tumulo, qui sepulcro imponitur. *Virg.* 10. *Æn.* 558. non te optime mater Condet humi, patrioque onerabit membra sepulcro. ¶ 2. Similiter de monumento sepulcrali etiam cum inscriptionibus, ornamentis etc., *monumento. Cic.* 2. *Legg.* 26. 64. Sepulcrum facere. *Id. Senect.* 7. 21. legere. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 104. exstruere sine sordibus. *Id. ibid.* 3. 84. Summam incidere sepulcro. *Justin.* 9. 4. 4. Ut ad sepulcra majorum deferrent. *Sil. It.* 9. 118. Dona feram, nati ut figas æterna sepulcro. *h. e.* cenotaphio. ¶ 3. De loco, ubi cadaver crematur. *Ter. Andr.* 1. 1. 101. ad sepulcrum venimus, in ignem imposita est. *Virg.* 6. *Æn.* 167. Ara sepulcri. *h. e.* rogus, pyra. Adde *Sil. It.* 15. 388. ¶ 4. De ipso rogo. *Manil.* 1. 883. totasque per urbes Publica succensis peraguntur fata sepulcris. ¶ 5. Metonymice Manes, umbræ vel animæ mortuorum, quæ credebantur sepulcra inhabitare. *Ovid.* 2. *Fast.* 33. placatis sunt tempora pura sepulcris. *Catull.* 96. 1. Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulcris. ¶ 6. *Sepulcrum vetus* vocat servus herum suum, capularem senem, apud *Plaut. Pseud.* 1. 4. 19. — Ejusdem rationis sunt *vetus bustum.* h. e. τυμβογέρων, *silicernium*, apud *Auct. Priap.* 58. ¶ 7. Joculare est et illud *ejusd. Plauti Men.* 1. 2. 43. Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, et hunc comburamus diem. *h. e.* potemus usque, et condamus diem. ¶ 8. *Sepulcra dealbata* vocat Christus Pharisæos, qui pietatem ementiebantur, hoc est se publice probos religiososque præbebant, sed privatim moribus erant corruptissimis: metaphorâ ex eo sumptâ, quod sepulcra quotannis dealbabant, quo nitidiora essent simulque eorum situs evidentior, ne quis imprudens ea contingendo immundus fieret. *Vulgat. interpr. Matth.* 33. 27. Cf. *Luc.* 11. 44. ¶ 9. Figurate. *Ennius* apud *Priscian.* 6. *p.* 683. *Putsch.* Vulturis in silvis miserum mandebat homonem. Heu quam crudeli condebat membra sepulcro! *Accius fragm. p.* 165. ed. *Ribbeck.* Atreus natis sepulcro ipse est parens. *Cœl. Sympos. ænigm.* 53. *de vite.* Nolo sepulcra pati; scio me submergere terra. Cf. *Vulgat. interpr. Rom.* 3. 13.

Homonym. Inter *sepulcrum, tumulum, monumentum* et *bustum* hoc interest, quod *sepulcrum* locus, in quo corpora sepeliuntur et a sepeliendo dicitur; *tumulus*, qui cineres tegit; *monumentum*, quod sepulcro circumdatur, dictum a monitionibus; *bustum*, in quo ossa sunt. Ita *Auct. differ. serm. p.* 286. 18. *Keil.* V. BUSTUM.

SĔPULCRUS. *V.* voc. præced. init.

SĔPŬLĬO. *V.* SEPELIO.

SĔPULTO, as, are, a. 1. *intens.* vel *frequentat. a* sepelio, sepulcro mando ibique servo. *Venant.*

8. *carm.* 6. 167. Vitalem ac reliquos, quos cara Ravenna sepultat.

SĔPULTOR, ōris, m. 3. (sepelio) qui sepelit, *seppellitore*, ταφεύς, νεκροθάπτης.

I.) Proprie. *Augustin.* 4. *Trin.* 3. Sepultores corporis mortui. Cf. *eumd.* 1. *De locut. Script.* *n.* 202. ad h. l. *Id. in Psalm.* 78. Sepultores sanctorum corporum. *Vulgat. interpr. Ital. Gen.* 50. 2. Dixit Joseph servis suis sepultoribus.

II.) Translate *Tertull. Anim.* 46. *ante med.* Augustus civilium turbinum sepultor.

SĔPULTŌRĬUM, ĭi, n, 2. (sepelio) locus sepulturæ, cœmeterium. *Gloss. Gr. Lat.* Θαπτήριον, sepultorium.

SĔPULTŪRA, æ, f. 1. (sepelio) *Sepoltura* leg. in *Inscript.* apud *Mommsen n.* 1942. — Sepultura est actus sepeliendi, exsequiæ, humatio, ταφή, τυμβεία, *sepoltura, esequie, funerali.* ¶ 2. Universim. *Lucret.* 6. 1778. nec mos ille sepulturæ remanebat in orbe. *Cic.* 7. *Verr.* 51. *a med.* Dico, in illo supplicio mercedem funeris ac sepulturæ constitui, nefas fuisse. *Id.* 1. *Divinat.* 27. 56. Sepultura aliquem afficere. *Id.* 2. *Phil.* 7. *ad fin.* Corpus alicujus ad sepulturam dare. *Id. Senect.* 20. *a med.* Cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est. *Sueton. Aug.* 17. *a med.* Sepulturæ honorem tribuere. *Id. Galb.* 20. *extr.* Corpus sepulturæ dare. *Justin.* 6. 6. *in fin.* Corpora interfectorum ad sepulturam poscere. *Id.* 3. 5. *ad fin.* et 12. 2. *ad fin.* Sepulturæ tradere. *Val. Max.* 9. 8. *in fin.* mandare. *Tac.* 6. *Ann.* 29. Damnatos sepultura prohibere. (Sic *Curt.* 8. 2. 12.) *Id.* 1. *Hist.* 47. Corpora sepulturæ concedi et cremari jussit. *et ibid.* 49. Humili sepultura corpus contegere. *Id.* 1. *Ann.* 11. Sepultura more perfecta, templum et cælestes religiones decernuntur. *Id.* 16. *ibid.* 16. Illustres viri exsequiis a promiscua sepultura separantur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 73. *extr.* Post sepulturam quoque visorum exempla sunt. *dopo la morte.* et *Propert.* 2. 21. 28. Illa sepulturæ fata beata tuæ. *Veget.* 2. *Milit.* 20. In saccum undecimum tota legio particulam (*pecuniæ*) conterebat, sepulturæ scilicet causa, ut de illo ad sepulturam ipsius promeretur expensa. V. *Lindemann.* ad *Charis. p.* 40. ¶ 2. De *sepultura insepulta.* V. INSEPULTUS. ¶ 3. *Sepultura asini* apud Hebræos dicebatur, quum quis honore sepulcri privabatur; quare in Scripturis per modum convicii vel diræ comminationis sæpe indicitur, cadaver alicujus sine funere et sepultura feris avibusque relinquendum fore. *Vulgat. interpr. Jer.* 22. 19. Cf. 1. *Reg.* 17. 44. *et seqq.* et 2. *ibid.* 4. 12., *Jer.* 7. 33., 8. 2. etc. ¶ 4. Videtur etiam poni pro sepulcro. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. *ad fin.* Ab Atheniensibus, locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui. *Tac.* 2. *Ann.* 73. *ad fin.* In foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur. *Sueton. Tib.* 1. Locum sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. Adde *Vulgat. interpr. Tob.* 4. 18. *Inscript.* apud *Murat.* 1705. 2. DECRETO DECVRIONVM LOCVS SEPVLTVRAE DATVS. — In plur. num. *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 119. Et mortes et sepulturæ demonstrantur deorum. Verum ad *Tac.* 2. *Ann.* 73. ita *Boetticher*: Sepulturæ, h. e. cremando corpori; cineres enim postea Romam transferebantur (Cf. *c.* 75., 3. 1., 4.); non igitur h. l. sepultura idem valet quod sepulcrum, quamquam cenotaphium, *sepulcrum*, eo ipso loco, ubi crematus est, erectum Germanico legimus c. 83. Nihil probant loci, quos *Forcellinus* contulit, nam ibi quoque *sepultura* propriam retinet significationem, qua in universum exprimit condendi actum; neque unquam *sepulturam* pro *sepulcro* dictam esse contenderim. De loco cremationis, immo de ipsa crematione interpretatur *Klotz.* At si quæ sint dubia, non omnia, quæ attulimus, loca communi hac significatione omnino accipienda esse censemus, et *Forcellini* sententiæ libentius subscribimus. De sepulturæ mortuorumque tractandorum variis ritibus apud varias gentes, de quibus *Sil. It.* 3. 341. et 13. 468., V. *Kirchman. de fun. Rom. App.* c. 2. *et sqq.*

SĔPULTŪRĀRĬUS, a, um, adject. (sepultura) ad sepulturam pertinens. *Auct. de limitib. p.* 296. *Goes.* Fines sepulturarii, sive cinerarii.

SĔPULTUS, a, um, particip. *V.* SEPELIO.

SĔQUĀCĬTAS, ātis, f. 3. (sequax) ¶ 1. Generatim est assiduitas vel facilitas sequendi. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *circa med.* Tribuit et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium. *Id.* 4. *Ep.* 11. Pigra sequacitas. ¶ 2. Speciatim apud astronomos idem quod ὑπόλειψις. *Chalcid. Tim.* 74. Est quippe sequacitas visum imaginatioque stellæ velut ad sequentia signa pergentis atque ad orientem transeuntis.

SĔQUĀCĬTER, adverb. (sequax) sequendo. *Arnob.* 2. *p.* 49. Concludere acutissime syllogismos, ordinare sequaciter inductiones suas. Add *ibid.* 75. et *Augustin.* 2. *Doctr. Chr.* 22. et 4. *Music.* 10.

SĔQUAX, ācis, adject. omn. gen. (sequor) Comp. *Sequacior* I. 2., Sup. *Sequacissimus* II. 1. *b.* — Sequax, qui facile aut assidue sequitur vel insequitur, *chi non lascia di seguitare, seguace*, ἀκολουθητικός.

I.) Proprie. ¶. 1. Generatim. *Propert.* 4. 5. 41. Nec te Medeæ delectent probra sequacis. *h. e.* secutulejæ. *Virg.* 10. *Æn.* 364. Arcadas, insuetos acies inferre pedestres, Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci. *ai Latini che gl' incalzavano.* et 2. *G.* 374. Silvestres uri assidue, capreæque sequaces Illudunt. *scil.* frondibus teneris, quas avide sectantur. *Sidon. carm.* 16. 3. Ogygiamque chelyn, quæ saxa sequacia flectens Cantibus auritos erexit carmine muros. (saxa sequentia *Ovid.* dixit 11. *Met.* 2.) *Virg.* 8. *Æn.* 432. Sequaces flammæ. *che facilmente si appiccano.* sequuntur et arripiunt quidquid est *combustibile:* præcipue vero ignes fulminum, de quibus *Virg.* loquitur. *Id.* 4. *G.* 230. Fumi sequaces. *h. e.* qui tenuitate sua omnia penetrant, sequunturque omnes rimas vel tenuissimas. *Id.* 5. *Æn.* 193. Maleæque sequacibus undis. *h. e.* quæ prætereuntia navigia insequuntur et vexant. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, quæ facile flectuntur, quæ lenta sunt, et tenacia, *flessibile, pieghevole, viscoso. Val. Flacc.* 1. 124. lentoque sequaces Molliri videt igne trabes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (127). *de cornib.* Adeo sequax natura est, ut in ipsis viventium corporibus ferventi cera flectantur. *Id.* 36. *ibid.* 26. 67. (198). *de vitro.* Nec est alia nunc materia sequacior. *scil.* dum candens flatu figuratur. *Id.* 16. *ibid.* 37. 68. (174). Salicis virgæ sequacis ad vincturas lentitiæ. *Id.* 7. *ibid.* 15. 13. (65). Bituminum sequax, ac lenta natura. *Martial.* 13. 57. Niliacum ridebis olus lanasque sequaces. *h. e.* colocasiam ejusque caulem, qui quum coctus est, araneosus est in mandendo, ut ait *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 51. (87.). *h. e.* in fila minuta et fibras lentas ac tenaces instar lanæ, sub dentibus diducitur. Unde *Martial.* 8. 33. Lenta minus gracili crescunt colocasia filo. *Seneca Hippol.* 1086. Sequaces nodi, *scorrevoli, correnti.* et *Val. Flacc.* 6. 263. avis visco correpta sequaci. ¶ 3. *Sequaces stellæ* apud *Chalcid. Tim.* 26. Superest, ut tractatui, qui est habitus de stellis errantibus, illud addatur, quasdam earum sequaces esse, quas appellant hypolipticas Mathematici, ut sol et luna sunt. *satelliti.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. — *a*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Ovid. Heroid.* 4. 46. Torquentem frenis ora sequacis equi. *h. e.* facile obsequentis imperio manus, docilis. *Alii leg.* fugacis. *Pers. prol.* 6. Hederæ sequaces. *h. e.* quæ parietibus adhærent eosque sequuntur. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 40. Venæ sequaces auri. *h. e.* venæ auri ductilis. *Val. Flacc.* 7. 619. prior ense sequaci Æquat humo truncos. *h. e.* habili et facile sequenti motus celeres manus. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 31. rumpe moras, oculoque sequaci Quamprimum nobis divinum perlege carmen. *h. e.* qui celeriter sequitur ductus litterarum. (Adde *Stat.* 3. *Theb.* 500.) — *b*) De abstractis. *Lucret.* 3. 315. Inque aliis rebus multis differre necesse est Naturas hominum varias moresque sequaces. *h. e.* qui naturas illas sequuntur. *Id.* 2. 47. metus hominum curæque sequaces. *h. e.* quæ alte pectori inhærent, et ubique sequuntur. nam, ut ait *Horat.* 3. *Od.* 1. 39. neque Decedit ærata triremi, et Post equitem sedet atra cura. *Grat. Cyneg.* 411. Scabies sequax malum. *attaccaticcio.* et *Auson. Edyll.* 5. 3. Imbueretque novas artes, sensusque sequaces. *h. e.* facile sequentes, et arripientes, quæ quis doceat. *Cassiod. in Psalm.* 103. Priscorum peccatis ita qui reus est, quando eorum sequacissimus invenitur. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2. *Plin. Paneg.* 45. *a med.* Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. *Pacat. Paneg. Theodos.* 15. Sequaces discipuli. *obbedienti, docili.* — Hinc

Sequax, acis, m. 3. absolute, idem ac secutor, *seguace. Manil.* 5. 143. Bacchi Venerisque sequaces. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 13. *ante med.* Hæc itaque dicentes, id est Arius et qui cum eo sunt. Et in his impudenter instantes ipsos et sequaces eorum. *Id.* 6. *ibid.* 23. Meletii sequaces.

SĔQUĒLA, æ, f. 1. (sequor) *Sequella* in *Inscript.* apud *Marini, Fr. Arv. p.* 500. *n.* 51. et apud *Orell.* 4134. et in opt. MS. — Sequela ¶ 1. Est id, quod ex quapiam re sequitur, *conseguenza*, παρακολούθησις. *Gell.* 6. 1. *a med.* Incommoda non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit Chrysippus: quod ipse appellat κατὰ παρακολούθησιν. *Lactant.* 7. 5. *a med.* Immortalitas non sequela naturæ, sed merces præmiumque virtutis est. *Id. de Opif. D.* 4. Mors sequela morborum est. ¶ 2. Est etiam, qui aliquem sequitur, accessio. — *a*) De hominibus. *Frontin.* 2. *Strateg.* 4. Lixas calonesque et omnis generis sequelas conclamare jussit. *h. e.* quicumque secuntur exercitum. Adde *Inscript.* apud *Rénier n.* 138. — *b*) De aliis. *Ulp. Dig.* 47. 2. 14. *a med.* Si jumenta tibi commodavero, quorum sequela erat equuleus. *Tertull. Patient.* 5. *sub fin.* Post mannæ escatilem pluviam, post petræ aquatilem sequelam desperant de domino. *h. e.* aquam sequentem et fluentem de petra. *Scævola Dig.* 45. 3. 93. *a med.* Ubi ei obligationi, quæ sequelæ obtinet locum, principalis accedit, confusa est obligatio. ¶ 3. Item frequentia. *Inscript.* apud *Murat.* 564. NVMERVM HABENTIBVS SEQVELA EIVSDEM COLLEGII IBI REFERENTIBVS CASIDIO SEVERO PATRE etc. V. *Orelli* 2. *p.* 245.

SĔQUELLA. *V.* voc. præced. init.

SĔQUENS, entis, particip. *V.* SEQUOR.

SĔQUENTER, adverb. (sequens) sequendo. *Excerpt. Charis. p.* 539. 25. *Keil.* Hic Marcus, hujus Marci et sequenter. *Gloss. Philox.* Sequenter (*male* Sequientes), τὰ ἑξῆς.

SĔQUENTĬA, æ, f. 1. (sequens) id quod sequitur, sequela, series, *seguito, conseguenza. Frontin. Aquæd.* 34. Quinariarum multiplicatio in amplioribus modulis servare sequentiæ suæ regulam debet. *Polen.* ex opt. MS. legit *consequentiæ. Boeth.* in *Aristot. de Interpr. p.* 2. Nunc vero priorem sequentiam permutantes. *conseguenza, conclusione.* et 1. *Arithm.* 23. Cuncti qui secuntur, omnium ordine multiplicium sequentias varietatesque custodiunt. et 2. *ibid.* 11. Ad eamdem sequentiam cuncti procedunt. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 6. (edente iterum *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 128.) Aptissumis verbis et congruentibus, quoniam naufragium dixerat, custodivit sequentiam.

SĔQUESTER, tra, trum, *et* sequester, tris, tre, adject. — *Sequestris* quoque, pro *sequester*, legitur apud *Isid.* 1. *Differ.* 195. Sequestris dicitur, qui certantibus medius intervenit. Rectus casus, inquit *Forcellinus*, etiam *sequestris* esse potest. est enim cognomen civis R. apud *Liv.* 33. 26. L. Julius Sequestris. quam tamen lectionem *Dukerus* in dubium vocat. — Etymon vocis aliis videtur *secus*, a quo, ut a *magis magister*, a *minus minister*, ducatur; aliis ἀκεστήρ, sanator. Sed *V.* infra dicta sub *Sequester* init. — Sequester, qui medius est inter plures et quasi conciliator. *Virg.* 11. *Æn.* 133. Bis senos pepigere dies: et pace sequastra

Per silvas Teucri, mixtique impune Latini Errare jugis. *h. e.* mediis et conciliantibus induciis, et quasi spondentibus, impune fore. *Stat.* 2. *Theb.* 425. nec sceptra fide, nec pace sequestra Poscitis. *per vie amichevoli.* Adde *Ambros.* in *Luc.* 7. *n.* 122. — Hinc

Sequestra, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, quæ media, et conciliatrix est, *mezzana. Stat.* 7. *Theb.* 542. ubi tunc fidei pacisque sequestra Mater eras? *Apul.* 9. *Met.* Anus quædam stupri sequestra, et adulterorum internuncia.

Sequester, tri, et *tris,* m. 2. et 3. absolute, substantivorum more, *mezzano, depositario,* μεσέγγυος, μεσίτης, συνθηκοφύλαξ, est is (definiente *Modestino Dig.* 50. 16. 109.), apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus a *sequendo,* quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur: vel, ut ait *Gell.* 20. 11., quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. *Festus p.* 339. 21. *Müll.* Sequester is dicitur, qui inter aliquos, qui certant, medius, ut inter eos convenerit, depositum ita tenet aliquid, ut ei reddat, qui id deberi jure sibi constiterit. Cato in ea oratione, quam habuit de Indigitibus: Sinunt miseros perire, ut bona rapiant, aut, si superstites petant, sequestro dent. Et Plautus Mercatore (4. 3. 36.) Imo sic sequestro mihi data est. Hæc *Festus.*

I.) Proprie ¶ 1. Stricto, ut videtur, sensu. — *a*) Generatim. *Plaut. Rud.* 4. 3. 79. Nisi pars datur, aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur. *et fragm.* apud *Priscian.* 6. *p.* 692. *Putsch.* Vidulum hic apponite: ego servabo, quasi sequestro detis: neutri reddibo, donicum res judicata erit hæc. *et Cato* apud *Gell. loc. cit.* Per deos immortales, nolite vos sequestro ponere. *Gell. ibid.* Quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum, per adverbium dicebant. *Plaut. Rud.* 4. 3. 65. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum, cujus hæc res arbitratu fiat. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 898. *Putsch.* Nunc apud sequestrum vidulum posivimus. *Pompon. Dig.* 16. 3. 12. Cum sequestro recte agetur depositi sequestraria actione. *Ulp. ibid.* 5. In sequestrum depositi actio competit, si tamen cum sequestro convenit, ut certo loco rem depositam exhiberet. — *b*) Specialim *sequester* est is, apud quem pecunia deponitur cujuspiam rei gratia, et inde quippiam lucratur, ut qui corrumpendos judices suscipit, aut emenda suffragia tribuum: hinc est in conviciis pro corruptore. *Cic.* 2. *Verr.* 12. *sub fin.* Qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse. Ubi *Ascon.* Deponitur in sequestri, accipitur ab eo, qui corrumpitur: recipitur, id est promittitur ab eo, qui pro judicaturo spondet: pollicetur, qui apud se dicit aut præmium, aut sententiæ potestatem esse. Sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur. Interpretes, per quos inducitur pactio. *Id. Planc.* 19. 48. Unam tribum delige: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Adde *ibid.* 16. 38. *et Cluent.* 8. 25. et 26. 72. et 4. *Verr.* 44. 108. *et Cæl.* 7. 16. et 13. 30. *Senec. Ep.* 118. et *Q. Cic. Petit. cons.* 11. ¶ 2. Latiore sensu, quicumque aliqua ratione medium se interponit, et quippiam alteri conciliat. *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 133. Sequester est medius inter duos altercantes. — Cum Genetivo. *Seneca Consol. ad Helv.* 12. *a med.* Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicæ gratiæ sequester fuit. *Sil. It.* 6. 347. pacisque sequestrem Mittere. *mediatore.* Adde *Lucan.* 10. 472.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. *Tertull. Resurr. carn.* 51. et 65. Caro in deposito est ubicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Jesum Christum. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2. *Val. Max.* 9. 1. *n.* 7. Qui suam pudicitiam sequestrem perjurii fieri passi sunt. *h. e.* qui se prostituendo, in causa fuerunt, ut judices Clodii pejerarent, dum jurarunt, se nihil in eo judicio daturos gratiæ. — *NB.* De cogn. R. *V.* et ONOM.

Sequestrum, i, n. 2. et *Sequestre, is,* 3. absolute, est fere idem ac sequestratio. *In sequestro* vel *sequestri deponere,* sequestro ponere, *mettere in sequestro, depositare. Paul. Dig.* 16. 3. 6. Proprie in sequestro est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. *Labeo ibid.* 16. 3. 33. Servus tuus pecuniam cum Titio in sequestro deposuit apud Mævium, ea conditione, ut etc. Adde *Ascon. loc.* supra *cit.*

Sequestro, adverbialiter, sequestrando. Ita docet *Gell.* 20. 11. Quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum per adverbium dicebant. Idque ex *Caton.* apud *eumd. loc. cit.* Per deos immortales, nolite vos sequestro ponere. Cf. *Fest.* et *Priscian.* ad *Plaut. loc.* supra *cit.*

SĔQUESTRA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SĔQUESTRANS, antis, particip. *V.* SEQUESTRO.

SĔQUESTRĀRĬUS, a, um, adject. (sequester) ad sequestrem pertinens. *Sequestraria actio* a JCtis dicitur, qua aliquid, apud sequestrem depositum, dum lis transigeretur, ea peracta, repetimus. *Pompon. Dig.* 16. 3. 12. et *Ulp. ibid.* 4. 3. 9.

SĔQUESTRĀTIM, adverb. (sequestro) *separatamente,* separate. *Cassiod.* 11. *Variar.* 1 *sub fin.* Quæratis forsitan sequestratim principis bona.

SĔQUESTRĀTĬO, ōnis, f. 3. (sequestro) depositio apud sequestrem.

I.) Proprie. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 2. *tit.* 28. *qui est* De pecuniæ sequestratione prohibita, *l.* 1. Quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat; oportet enim debitorem primo convinci, et sic solutioni succumbere. *Gloss. Gr. Lat.* Μασεγγύη, sequestratio.

II.) Translate est separatio, *sequestramento, sequestro.* (V. SEQUESTRO, as, 2.) *Cassiod.* 9. *Variar.* 24. *ante med.* Eras a ritibus probabili sequestratione divisus. *Id. Complex.* 1. *ad Cor.* 28. Cælestia et terrena facta sequestratione discernit. *Victorius* inter opera *Alcim. ep.* 14. Si est indicenda sequestratio (*a conjuge germana*), vel qui modus pœnitentiæ, edocete. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. an.* 27. Non arbitror animos sequestratione disjici.

SĔQUESTRĀTOR, ōris, m. 3. (sequestro) qui sequestrat, seu separat. *Symmach.* 8. *Ep.* 53. (*al.* 54.) Dolor officiorum familiarium sequestrator. *h. e.* impediens. *Cassiod.* in *Psalm.* 22. 4. Sequestrator bonorum malorumque.

SĔQUESTRĀTŌRĬUM, ĭi, n. 2. (sequestro) locus, ubi aliquid apud sequestrem deponitur. Translate *Tertull. Resurr. carn.* 52. *sub fin.* Seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis et inde repetendis.

SĔQUESTRĀTUS, a, um, particip. *V.* SEQUESTRO.

SĔQUESTRE, is, n. 3. *et*

SĔQUESTRO adverb. *et*

SĔQUESTRUM, i, n. 2. *V.* SEQUESTER in fin.

SĔQUESTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sequester) Part. *Sequestrans* 2. *b.*; *Sequestratus* 2. *b,* 3. et 4.; *Sequestrandus* 2. *a.* — Sequestro est proprie apud sequestrem depono (It. *depositare;* Fr. *confier en dépôt, déposer;* Hisp. *depositar;* Germ. *aufzuheben geben, zur Verwahrung übergeben;* Angl. *to deposit*); sed translate usurpatur. Est igitur ¶ 1. Depono apud sequestrem. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 133. Nunc suscipe, terra, fovendum, Gremioque hunc concipe molli. Hominis tibi membra sequestro, Generosa et fragmina credo. *Tertull. Resurr. carn.* 27. *a med.* Corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis et monumentis sequestrantur. ¶ 2. Item sæpius est separo, sejungo. — *a*) Cum Ablat. et præpos. *ab. Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 14. *ante med.* Nam causam motus ab eo, quod movetur, ratio sequestrat. *h. e.* secernit, separat. *et* 1. *ibid.* 8. *a med.* Qui a rerumpublicarum actibus se sequestrant. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Omni ab infamia vir sequestrandus. *h. e.* collocandus in tuto, ut ad eum pertingere infamia non possit. — *b*) Absolute. *Veget.* 1. *Veterin.* 29. *ad fin.* Sequestratum animal. *h. e.* separatum a ceteris. *Rufin.* 3. *Recognit.* 6. Honorem unicuique intelligibilium sequestrantes. ¶ 3. Item abjicio, depono. *Macrob.* 7. *Saturn.* 11. Commascula frontem, et, sequestrata verecundia, quam in te facies rubore indicat, confer nobiscum libere quod occurrit. ¶ 4. Item compono. *Ammian.* 17. 13. 29. His sequestratis, Limigantes quoque fortitudine superavimus pari.

SĔQUĬOR, m. et f. *et* Sequius, n., ōris, adject. Est comparativ. anomalum, sine positivo: et a *sequor* ducitur a quibusdam, quia quæ sequiora sunt, sequuntur post ea, quæ meliora: ab aliis a *secus,* quia aliter sunt, quam esse debent. *V.* SECUS et SEQUOR. — Sequior est deterior, pejor, *minore, inferiore, peggiore,* ἐλάττων, χείρων. *Liv.* 2. 37. Invitus, quod sequius sit, de meis civibus loquor. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. *circa med.* Sed et personarum contemplatio habenda est: hoc est cujus vitæ sint hi, quibus alimenta relicta sunt: utrum frugi vitæ, an sequioris. *Apul.* 10. *Met.* Si sexus sequioris edidisset fetum. *h. e.* feminini. — *Sequius,* absolute, adverbiorum more. *V.* SECUS.

SĔQUĬUS. *V.* voc. præced. in fin.

SĔQUO, is, ere, a. 3. *V.* SEQUOR init.

SĔQUOI pro si cui, in *Inscript.* apud *Orell. n.* 3121. ANTE EIDVS SEXTILIS PRIMAS SEQVOI DE EA RE INIQVOM VIDEBITVR ESSE AD NOS ADEANT.

SĔQUONDUS pro secundus, apud *Terentian. p.* 2349. *Putsch.* V. *Brambach, op. cit. p.* 235.

SĔQUOR, sĕquĕris, sĕcūtus *vel* sĕquūtus sum, sĕqui, dep. 3. — *a*) Quod ad scriptionem attinet, *secutus* apud veteres pro *sequutus,* unde et *secutio, secutor* pro *sequutio, sequutor* etc. Similiter in vetustioribus MS. *Plaut., Virg.* et *Cai* optimisque aliis *secuntur* pro *sequuntur* scriptum occurrit. *V.* litteram Q init. Ad rem *Mar. Victorin. p.* 2480. *Putsch.* At quum locutus, secutus per c, quum quidam præcipiant ad originem debere referri: quia est locutus a loquendo, secutus a sequendo, per q potius quam per c hæc scribunda. nam cocus a coquendo: attamen per c potius quam per q scribuntur. — *Sequontur* pro *sequuntur* apud *Fabrett. p.* 165. *n.* 300. — *b*) Formam *sequo,* pro *sequor,* antiquos protulisse, notat *Priscian.* 8. *p.* 799. *Putsch.,* eadem scilicet significatione. *Gell.* vero 18. 9. *ad fin.* tradit, *sequo* et *sequor* consuetudine loquendi differre: nempe *sequo* pro dico olim usurparunt: unde *insequo.* V. infra sub *B.* — Hinc *sequi* passive occurrit apud *Cic.* 3. *Herenn.* 5. 8., si ita legend. — *c*) Ratione habita etymi, vox ducenda videtur a Sanskr. *sak,* sequor, et etiam dico et seco, unde et Gr. ἕπομαι. *V.* litteram Q sub *A. b.* et SECO, SECUS. — Part. *Sequens* sub *A.* I. 1. 1.° *c* et 5.°; II. 1. 13.° et in fin.; *Secutus* fere in omnib. paragr.; *Secuturus* sub *A.* II. 1. 13.°; *Sequendus* sub *A.* II. 1. 4.° — Sequor duo diversa significat.

A) *Sequor* est cum aliquo præcedente ire, pone ambulare, consectari, comitari, ἕπομαι (It. *andare, tenere o venir dietro, seguitare, seguire;* Fr. *suivre, accompagner, aller après;* Hisp. *seguir, acompañar, ir detras de alguno;* Germ. *folgen, nachfolgen, begleiten;* Angl. *to go or come after, walk behind, follow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Transitive. — 1.°) Generatim. — *a*) De personis — α) Cum Accus. personæ, vel rei, quam quis sequitur. *Plaut. Aul.* 4. 7. 16. Jam sequor te, mater. *Id. Merc.* 2. 3. 39. matrem satis honeste tuam sequi poterit. *Ter. Heaut.* 4. 1. 51. Sequere me intro hac. *Id. Hecyr.* 5. 2. 27. Sequimini me intro huc. *Id. Eun.* 2. 3. 54. Comites secuti sunt virginem: parasitus cum ancilla. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Amicitiæ causa Cæsarem secuti. *Nepos Att.* 6. Sequi magistratum in provinciam. *Horat.* 4. *Od.* 1. 38. Jam volucrem sequor Te per gramina Martii

Campi, te per aquas. dure, volubiles. *Virg.* 2. *Æn.* 723. dextræ se parvus Iulus Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis. *Tibull.* 1. 3. 56. Messalam terra dum sequiturque mari. *Ovid.* 7. *Met.* 658. Sequi aliquem ad bella. *Id.* 3. *Fast.* 508. aliquem a tergo. — *Id.* 4. *Met.* 515. Sequi vestigia. *Id.* 8. *ibid.* 332. pressa signa pedum. *Sall. Jug.* 80. *de militibus.* Sequi signa *Liv.* 32. 6. vallem. Huc trahi potest illud *Tac. Germ.* 38. Apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur. *h. e.* vel pectunt, vel manu levigant, pectine vel manu eum sequendo, *sc.* retro agendo; aut componunt ita, ut retro sequatur. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 529. et *Quintil.* 11. 3. 160. — β) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 3. 46. Abi præ, jam ego sequar. *Id. Asin.* 4. 1. 64. sequere intro. *Id. Pœn.* 3. 3. 6. procul. *Ter. Eun.* 5. 2. *in fin.* I præ: sequor. *Id. Andr.* 1. 1. 101. funus procedit: sequimur. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Helvetii cum omnibus suis carris secuti. *Id. ib.* 40. Si nemo sequatur. *Sall. Jug.* 55. Jugurtha per colles sequi. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 78. servi sequentes — *b*) De rebus. *Ovid.* 11. *Met.* 2. Threicius vates et saxa sequentia ducit. *Horat.* 2. *Od.* 14. 24. neque harum, quas colis, arborum Te præter invisas cupressus Ulla brevem dominum sequetur. *Id.* 3. *ibid.* 27. 59. Secuta zona. *Auct. B. Gall.* magna multitudo carrorum. *Curt.* 4. 45. 6. Hos falcati currus sequebantur. — 2.°) Speciatim pro insectari, *perseguitare, incalzare, dar la caccia.* *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Eo die, quo consuerat, intervallo hostes sequitur. *Sall. Jug.* 54. Cum delectis equitibus Metellum sequitur. *Virg.* 11. *Æn.* 674. sequiturque, incumbens eminus hasta, Tereaque, Harpalycumque. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 115. Sequi fugacem. *Ovid.* 2. *Met.* 498. feras. *Sil. It.* 1. 115. Romanos ferro ignique. *Tac.* 4. *Hist.* 29. hostem pilo. *Flor.* 3. 5. *a med.* rebelles Asiæ reliquias. — Absolute *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Finem sequendi fecerunt. — 3.°) Item pro adire, petere, accedere, *avviarsi, andare, o andare in cerca.* *Virg.* 4. *Æn.* 361. Italiam non sponte sequor. *Id.* 5. *ibid.* 629. Italiam sequimur fugientem. *Ovid. Heroid.* 7. 10. Quæque ubi sint, nescis, Itala regna sequi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Nares secutæ sunt vicinitatem oris. *Id.* 10. *Att.* 18. Formias nunc sequimur: eadem nos fortasse furiæ persequentur. et 3. *ibid.* 16. Si spes erit, Epirum; sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. *Flor.* 2. 11. Galli Brenno duce vastaverant Græciam: mox Orientem secuti, in media Asiæ parte sederunt. *Val. Flacc.* 1. 2. Fatidicamque ratem, Scythici quæ Phasidis oras Ausa sequi. — 4.°) Item occurrit de feminis, quæ amoris causa turpiter viros sectantur: inde *secutulejæ* dictæ. *Virg.* 10. *Ecl.* 22. tua cura Lycoris Perque nives alium, perque horrida castra secuta est. *Propert.* 2. 25. 8. Colchis et ignotum nonne secuta virum est? *Ovid. Heroid.* 16. 323. Si pudet, et metuis, ne me videare secuta, Ipse reus sine te criminis hujus agar. *et ibid.* 5. 77. quæ te per aperta sequantur Æquora, legitimos destituantque toros. *Val. Flacc.* 8. 12. non carior ille, Quem sequimur. *Sabin.* 1. 80. Tyndaris externos ipsa secuta viros. — 5.°) Item de aquis jugiter fluentibus. *Virg.* 1. *G.* 106. satis fluvium inducit, rivosque sequentes. Ubi *Servius:* id est juges, aut secuturos: aut quia, qua duxeris, sequuntur. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 138. sed densior instant Gestorum series: laudumque sequentibus undis Obruimur. — 6.°) *Sequi viam*, ire qua via ducit. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 38. Quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (185). Per cavernam lautumiarum evasit, angustos vulpium aditus sequutus. *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 17. Sunt tamen inter se communia sacra poetis. Diversum quamvis quisque sequamur iter. ¶ 2. Intransitive, labente Latinitate, cum Dativo. *Vulgat. interpr. Ital. Tob.* 6. 1. Et canis secutus est eis.

II.) Translate. ¶ 1. Transitive cum accus., aut absolute. — 1.°) *Sequi heredem* dicuntur, quæ testamento in ejus dominium veniunt. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 13. heredes monumentum ne sequeretur. Hinc illæ notæ in lapidib. H. M. H. N. S. *h. e.* hoc monumentum heredes non sequitur. *Inscript.* apud *Gruter.* 525. 5. HOC MONVMENTVM EXT. HERED. NON SEQVETVR NEC HEREDES MONVMENTVM. *Cato* apud *Priscian.* 4. *p.* 629. *Putsch.* Si quis mortuus est Arpinatis, ejus heredem sacra non sequuntur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 32. 60. (124). Et hoc æternæ prope possessionis est: sequitur heredem, in mancipatum venit. — 2.°) Prægnanti, ut ajunt, sensu dicitur de iis, quæ lenta sunt, flexibilia et sequacia. *Cic. Orat.* 16. 52. Oratio mollis et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. *Stat.* 1. *Achill.* 332. artificis victuræ pollice ceræ Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur. Adde *Plin.* 7. *Ep.* 9. *in carm.* — 3.°) Et universim de iis, quæ usum sui facilem præbent, quæ non obluctantur aut resistunt, sed obsequuntur et parent. *Varro* 1. *R. R.* 47. Herbæ, dum teneræ sunt, vellendæ, prius enim aridæ factæ rixantur, ac celerius rumpuntur, quam sequuntur. *Val. Flacc.* 5. 562. Expertique simul, si tela artusque sequantur. *Quintil.* 2. 14. 1. Sed non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur: sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. *Virg.* 12. *Æn.* 908. Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit Nocte quies, non lingua valet, non corpore notæ Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur. (Adde *Ovid.* 11. *Met.* 327. et *Stat.* 11. *Theb.* 602.) *Ovid. Heroid.* 4. 9. Qua licet, et sequitur, pudor est miscendus amori. *h. e.* facile est. — 4.°) Hinc metaphorice pro indulgere, obsequi. *Tac.* 1. *Ann.* 49. *a. med.* Sequitur ardorem militum Cæsar. *Nepos præf. ante med.* Non admirabuntur, nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. *essersi accordati a' loro costumi.* Adde *Sall. Jug.* 32. *Id.* 1. *Hist. fr.* 48. *Dietsch.* Consilia alicujus sequi. *Id. Jug.* 2. Res cunctæ studiaque omnia nostri corporis alia, alia animi naturam secuntur. *Nepos Miltiad.* 3. Sequi sententiam alicujus. *Quintil.* 8. 3. 71. Naturam intueamur, hanc sequamur — 5.°) Item pro studiose sectari, appetere, quærere, captare, amplecti, delectari, *andare o correr dietro, cercare, abbracciare, dilettarsi.* *Cic. Mur* 27. 55. Qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitæ sunt secuti. *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. Ego vero, præsertim hoc tempore anni, et amœnitatem hanc et salubritatem sequor. *Sall. Cat.* 52. Laudamus divitias, sequimur inertiam. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 87. si præco parvas, aut coactor, Mercedes sequerer. *Ter. Hecyr* 3. 5. 31. Sequi commodum alicujus. *procurare.* et *Propert.* 2. 13. 11. Cynthia non sequitur fasces, non quærit honores. *Ovid.* 14. *Met.* 364. Spem vanam sequi. *Nepos Att.* 7., *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 26. et *Lucan.* 10. 407. castra. *h. e.* militiam: militem esse. *Ovid.* 6. *Fast.* 109. rura. *Ter. Andr.* 4. 5. 16. et *Adelph.* 2. 2. 40. lites. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. gratiam alicujus. *Id.* 4. *B. G.* 21. *sub fin* fidem populi. *h. e.* servare. *Nepos Epam.* 6. alicujus amicitiam. *Quintil.* 5. 10. 83. Sequenda igitur virtus. *Plin.* 35. *proœm.* Nos in iis brevitatem sequemur. — 6.°) Et pro stare a partibus alicujus, favere, assectari. *Cic. Amic.* 12. *sub fin.* Ut ne quis sibi concessum putet, amicum vel bellum patriæ inferentem sequi. (Adde 9. *Att.* 10.) *Virg.* 3. *Æn.* 54. Res Agamemnonias victriciaque arma secutus. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. Pompejo esse in animo reipublicæ non deesse, si senatus sequatur. *Sall. Jug.* 13. Plures Adherbalem secuntur, sed illum alterum bello meliores. — 7.°) Item pro imitari, *imitare.* *Ovid. Heroid.* 16. 325. Nam sequar Ægidæ factum, fratrumque tuorum. *Nepos Agesil* 4. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! *Tac. Agric.* 5. Discere a peritis, sequi optimos. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 39. Invertunt Allifanis vinaria tota Vibidius Balatroque, secutis omnibus imis. — 8.°) Item est probare, approbare, assentiri, obtemperare. *Cic.* 4. *Fam.* 3. *ante med.* Eos, qui auctoritatem et consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. et *Nepos Milt.* 3. *ad fin.* Sententiam alicujus sequi. *Cic. Flacc.* 41. *ad fin.* sectam aliquam. *Plin.* 2. *Ep.* 6. consuetudinem. *Cic. Parad.* 5. 1. Sequi et colere leges. — 9.°) *Sequi aliquem auctorem*, ejus doctrinam probare, eique adhærere. *Id.* 1. *Fam.* 9. *circa med.* Plato, quem ego vehementer auctorem sequor. *Id.* 1. *Off.* 2. *ad fin.* Sequimur igitur hac in quæstione potissimum Stoicos. *Horat. Art. P.* 119. Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge, Scriptor. *scrivi quel che dice la fama.* — 10.°) *Rationem aliquam sequi*, habere, spectare in agendo aut sentiendo. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. *extr.* Hæc qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides. *Id.* 2. *Orat.* 50. *sub fin.* Trademus etiam, quæ nos sequi in dicendo, quæque maxime spectare solemus. *Id. ad Pompej.* 2. *a med. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nec, si ego, quid tu sis secutus, non perspicio; idcirco minus existimo, te nihil nisi summa ratione fecisse. *Id.* 1. *Off.* 11. 35. Majores nostri Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt, nollem Corinthum: sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime. *credo, che abbiano avuto qualche ragione di così fare.* et 2. *Divinat.* 7. 18. Qui thesaurum inventurum, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? Adde *Senec.* 2. *Benef.* 7. — 11.°) *Sequi verbum*, vim et significationem verbi spectare. *Cic. Cæcin.* 17. *a med.* Nonne, si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? — 12.°) *Sequi numerum* dicitur de iis, qui micant. *V.* MICO. 2. — 13.°) Dicitur etiam de iis, quæ ratione temporis, aut causarum, aut ordinis succedunt oriunturve, *venir dopo, seguire, nascere.* *Enn. ann.* 406. Æstatem auctumnus sequitur. *Liv.* 9. 1. hunc annum Caudina pax. *Nepos Thras.* 4. Sequenti tempore. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 43. (126). Converberatam faciem illinens sibi, et secuto die contra famam, cutem sinceram circumferens. *il giorno seguente.* et *Lucan.* 2. 528. secuturo jussurus classica Phœbo. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 62. 82. (170). Ova in terra incubant, et fetum sequente excludunt anno. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (101). Secuta ætas propiorem cursum indicavit. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. *a med.* Præcoces germinationes, evocatæ indulgentia cæli, secutis frigoribus exuruntur. *sopravvenendo.* et 6. *ibid.* 34. 39. *sub fin.* Sequentium diligentissimi. *Id.* 34. *ibid.* 10. 22. (102). Cadmia hæc ponderosior priore, levior porro secuturis. *Sall. orat. Philippi contra Lepid. ante med.* Ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cremaretur. *Cic. Harusp. resp.* 18. 38. Ut quisquam pœnam, quæ sequeretur illud scelus, scire posset. *Liv.* 5. 6. *ante med.* An mediocre discrimen opinionis secuturum ex hac re putatis? *Virg.* 12. *Æn.* 51. et nostro sequitur de vulnere sanguis. *et* 9. *ibid.* 503. At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit: sequitur clamor, cælumque remugit. *Cic.* 2. *Amic.* 20. *a med.* Dispares enim mores disparia studia sequuntur. *Colum.* 7. *R. R.* 4. Pecus est avidissimum cibi: cui si detrahitur fraude villici, clades sequitur gregem. *Quintil.* 8. 3. 77. Præcedit res et similitudo sequitur. Adde 10. 4. 1. — 14.°) *Et quæ secuntur*, idem ac cetera, et cetera. *Cic. Orat.* 49. 164. Qua tempestate Paris Helenam. et quæ secuntur. Adde 2. *Fin.* 8. 23. — 15.°) Item est prosequi, persequi, *proseguire.* *Tac.* 1. *Hist.* 55. Insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare. *Cic. Cæcin.* 21. 59. Perge porro hoc idem interdictum sequi. — 16.°) Item exsequi, obire, operam dare. *Sall.* 3. *Hist. fr.* 89. *Kritz.* Omnium ordinum extrema munia sequi. *Id.* 6. *ibid. fr.* 8. Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum. — 17.°) Et evenire, contingere, *accadere.* *Cæs.* 2. *B. G.* 22. *extr.* Itaque in tanta rerum iniquitate, fortunæ quoque eventus varii sequebantur. *Nepos Att.* 8. Secutum est illud, occiso Cæsare, quum respublica penes Brutos videretur esse. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (104). Hoc exemplo similis et Nealcem successus secutus dicitur. ¶ 2. Intransi-

tive. — 1.°) Est fieri, consequens esse, hinc esse. — *a*) Cum Infinito. *Cic. Fat.* 12. 28. Nec, si omne enunciatum aut verum aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles. *ne segue, ne viene in conseguenza.* et 5. *Tusc.* 8. 21. Sequatur, vitam beatam virtute confici. — *b*) Cum Conjunctivo. *Id.* 2. *Fin.* 8. 24. Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus. *Id. Fat.* 12. 28. Sequitur, ut falsa enunciatio sit. *Id.* 2. *Phil.* 13. 31. ut liberatores tuo judicio sint. *Quintil.* 3. 8. 23. ut hoc subjiciatur. *Id.* 6. 5. 8. ut majorum pœniteret. *Id.* 3. 11. 17. Nam si est insidiatus Clodius, sequitur, ut recte sit occisus. — 2.°) In transitionibus, proximum est, consequens est. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 55. Sequitur illa divisio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (154). Hæc dicta sint de aere. Sequitur terra etc. — *b*) Cum Infinito. *Paul. Dig.* 45. 1. 91. *ante med.* Sequitur videre de eo, quod veteres constituerunt, quoties culpa intervenit debitoris. *Id. ibid.* 41. 3. 4. Sequitur de usucapione dicere. — *c*) Cum Conjunctivo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 32. 81. Ac de prima quidem parte satis dictum est. Sequitur, ut doceam, omnia subjecta esse naturæ.

B) *Sequor* veteres pro loquor, narro, usurparunt. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 6. obsecro, tute ipsum convenisti? MILPHID. cum ipso pol sum secuta. *Lips.* leg. *locuta* contra MS. et libr. vet. Ita *Forcellinus:* at *Flecheisen* lectionem *Lipsii* sequitur. *V.* dicta init. et in INSECE et INSEQUE. Huc pertinere possunt illa *Senec. Troad.* 236. Inclitas laudes juvat, Et clara magni facta genitoris sequi. *h. e.* narrare, referre, persequi. *et Virg. Æn.* 195. Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus. *risponde, ripiglia.* — Hinc

Sequens, entis, adjectivorum et etiam absolute substantivorum more, occurrit.

A) Adjective *sequens* est qui sequitur, *chi segue o vien dopo:* dicitur autem tum de ordine, tum de temporis successione.

I.) Proprie. — *a*) De personis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 59. 59. (211). Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens. *h. e.* minor, seu posterior. *Cajus Dig.* 27. 10. 7. *a med.* Si curator sequens pecuniam in rem furiosi vertisset. *h. e.* substitutus in locum curatoris remoti. *Inscript.* apud *Marini, Iscr. Alb.* p. 82. DOMNAE·DIVS POSSESSOR COLONVS SEQVENS. V. *eumd.* ad *h. l.* — *b*) De rebus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (33). Sequens ætas. *Auct.* 8. *B. G.* 50. *a med.* annus. *venturo.* et *Colum.* 11. *R. R.* 2. biduum. *Id.* 2. *ibid.* 12. cura. *h. e.* proxima. *Ovid.* 12. *Met.* 197. hodierna Diana sequente, Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem. *Id.* 2. *Amor.* 6. 45. Septima lux aderit, non exhibitura sequentem. *il dì vegnente.* et *Martial.* 7. 44. Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo. Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.

II.) Translate. ¶ 1. Est idem ac futurus. Absolute *Cic.* 4. *Tusc.* 30. 64. Quibus rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. At *Madvig* in *Advers. crit. v.* 2. *p.* 243. docet, locum esse mendosum, et pro *sequentia* legendum esse *venientia.* Ceterum *Orell.*, consentientibus codicibus, ut ipse *Madvig* fatetur, leg. *sequentia.* Non video tamen, cur sit aliter legendum, quamvis alibi τὸ *venientia* opponat τῷ *instantia:* variat enim *Cic.* locutionem, ut 3. *ibid.* 11. 25. Cf. *Quintil.* 5. 10. 75. Sequentia, παρεπόμενα, quæ postea facta sunt, aut futura. ¶ 2. Item secundus. *Quintil.* 4. 3. 9. Est hic locus veluti sequentis exordii. *Id.* 9. 3. 44. Prioris sententiæ verbum ultimum ac sequentis primum frequenter est idem. Adde 5. 7. 5. ¶ 3. Metaphorice est deterior, inferior, inferioris qualitatis. *Lamprid. Alex. Sev.* 37. Panis mundi pondo triginta, panis sequentis ad donandum populo pondo quinquaginta. *h. e.* secundarii. *Edict. Dioclet.* 2. 8. et 9. Vini veteris primi gustus: vini veteris sequentis gustus. ¶ 4. Item obsequens. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 17. Te Germanicus arbitrum sequenti Annonæ dedit. *h. e.* quæ facilis, obsequens, obediens est tibi procuranti. Ita *Gronov.* in *Diatrib. c.* 45.

B) Substantivorum more. — 1.°) In sing. num. *sequens* — *a*) Est epitheton, ἐπίθετον, Latine appositum, ut a nonnullis dicitur, neutro quidem genere, teste *Quintil.* 8. 6. *circa med.* — *b*) Est etiam idem atque acolythus in *Inscript.* apud *Le Blant, Inscr. Chr. de la Gaul. n.* 617. — 2.°) In plur. num. *sequentia* — *a*) Sunt ea, quæ secuntur. *Ambros.* 2. *de Abr.* 9. *init.* Quam hoc Abraham spiritali et prophetico affectu fecerit, sequentia docent. — *b*) Item quæ inferiora seu deteriora sunt. *Id. de Elia et Jej.* 22. *in fin.* Non primitiva obtulit (*Cain*), sed primitivis ipse perfunctus est, de sequentibus munus Deo tentavit offerre.

SĔQUŪTĬO. *V.* SECUTIO.

SĔQUŪTŬLĒĬUS. *V.* SECUTULEIUS.

SĔQUŪTOR. *V.* SECUTOR.

SĔQUŪTUS *et* secutus, a, um, particip. *V.* SEQUOR.

SĔRA, æ, f. 1. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, male a quibusdam scribitur *serra* duplici *r*, ut est in *Gloss. Lat. Gr.* Serra, μοχλός; quamquam etiam *sarra* dictum est, quæ vox origine ac significatione idem videtur esse quod *sera.* — *b*) Ratione habita quantitatis, syllaba ubique brevis occurrit; hinc licenter producitur a *Sil. It.* 13. 252. Obnixi torquent obices, munimina seræ. *Lemaire* leg. *sera;* et *Heins.* hab. *ferrea.* Si quid tamen mutare velis, cum *Burmann.* reponas *sæva.* Lectio igitur incerta est. — *c*) Si vocis etymon quæratur, *Festo* non facile est assentiendum, qui in *Adserere* eam ducit a *sero, is,* quia foribus admota opponitur defixa postibus, quemadmodum ea, quæ terræ inseruntur. Ita *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 25. 11. *Müll.* Sed potius cum recentioribus standum, qui derivant a Sanskr. *sar,* necto, ligo; unde et Gr. σειρά, catena, funis. — Sera est repagulum, fustis, qui opponitur clausis foribus ut *Fest.* in *Reserare* definit. μοχλός, πλῆθρον (It. *stanga da chiudere gli usci, chiavistello, catenaccio, chiusura, serratura;* Fr. *barre, verrou, loquet;* Hisp. *barra, cerojo picaporte;* Germ. e. *Thürverschluss in Riegelform, der angestemmt und abgenommen wurde, od. Vorlegeschloss;* Angl. *a bar, bolt, barrier, lock*). *V.* tamen dicta in fin. *Pacuv.* apud *Fest. p.* 182. 32. *Müll.* pandite valvas, renovate seras. Seræ namque, inquit *Fest. ibid.*, dicuntur fustes, qui opponuntur clausis foribus. Sic *Varro* 7. *L. L.* 108. *Müll.* Seræ, quibus remotis, fores panduntur. Cf. *Non. p.* 41. 10. *Merc. Ovid.* 2. *Amor.* 1. 28. Carminibus cessere fores: insertaque posti, Quamvis robur erat, carmine victa sera est. *et* 1. *ibid.* 6. 24. excute poste seram. *Id.* 8. *Met.* 629. domos clausere seræ. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 1. Seris transversis (*vacerras*) clathrare. *Seneca Ep.* 90. Habere clavem et seram. *Ovid.* 1. *Fast.* 265. Et jam contigerant portam, Saturnia cujus Dempserat appositas insidiosa seras. *Id.* 2. *Art. am.* 636. Et centum duris postibus adde seras. *Tibull.* 1. 2. 6. Clauditur et dura janua fulta sera. *Juvenal.* 6. 346. Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos Custodes? *Petron. Sat.* 16. Sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores. — Ex his, inquit *Forcellinus,* facile colliges, non fuisse seram, ut nunc, clavis affixam postibus aut valvis, sed exemptilem, et quo apponeretur ac removeretur. Cl. *Rich, op. cit.* ad *h. v.*, ait seram idem fuisse quod Angl. *padlock,* Ital. *lucchetto,* probatque præsertim ex *loc. Varron.* 7. *L. L.* 108., *Ovid.* 1. *Fast.* 266. et 280. et 2. *Amor.* 1. 28., *Petron. Sat.* 16. et *Propert.* 4. 11. 26.

Homonym. Una eademque res esse videntur *pessulus, repagula, sera.* Sed fortasse *pessuli* minores sunt, quam illa: pessuli sæpe ferrei: illa lignea. *Repagulorum* usus erat etiam in aliis rebus *pessuli* et *seræ* in solis foribus. V. *Salmas. in Exercit. Plin. p. m.* 924. *et seqq.* et cf. *Döderlein, op. cit. v.* 5. *p.* 293.

SĔRA, æ, f. 1. *V.* SERUS, a, um. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĔRAPII et plur. num.

SĔRĂPHIM *vel* Seraphin, m. et n. indecl. Secunda syllaba Hebraice est longa, sed usu brevis, voces enim Hebraicæ Latinis litteris expressæ ingenitam quantitatem haud raro amittunt; quare non damnaverim, si quis hanc syllabam producat. — Vox ducenda est ab Hebr. שׂרף *saraph,* ussit, incendit, quia *Seraphim* a claritate et aspectus splendore quasi flammantia et ignea visa sunt. Hebraice dicitur etiam de prestere, vel serpente ignito (*Num.* 21. 6.); Latine vero tantum de uno ex ordinibus supremæ hierarchiæ Angelorum. *Hieronym.* ad *Is.* 6. Seraphim plurali numero appellantur, et singulari Seraph, sicut Cherubim et Cherub. Adde *Isid.* 7. *Orig.* 5. 24. et *Prudent.* 4. *Cathemer.* 5. *Vulgat. interpr. Is.* 6. 2. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus et duabus velabant pedes ejus et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus. *et v.* 6. Et volavit ad me unus de Seraphim. — De horum imagine symbolica in Nummo Phœnicio V. *Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 1. *p.* 161.

SĔRĀPĬA *vel* Sarapia, ōrum, *n.* plur. 2. dicta a *Serapis,* quod nomen est proprium dei Ægyptiorum. (*V.* ONOM.) Sunt autem ita appellata solemnia sacra in Serapidis honorem, quæ fiebant mense Aprili. *Vet. Calendar.* apud *Gruter.* 138. Sacrum Phariæ, item Sarapia.

SĔRĀPĬĂCUS, a, um, adject. ad Serapidem pertinens. Hinc *Serapiacæ cenæ* sunt cenæ sumptuosæ, quales in honorem Serapidis celebrabantur. *Tertull. Apolog.* 39. *a med.* Ad fumum cenæ Serapiacæ sparteoli excitabantur. Alii leg. *Serapicæ.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĔRĀPĬAS, ădis, f. 3. (σεραπιάς) *et* Serapion, ii, n. 2. herba, quæ et orchis dicitur, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, radice gemina, testiculis simili. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 62. (95). et *Apul. Herb.* 15. Hujus plantæ hanc exhibet synonymiam cl. *Fée* (*Op. cit. t.* 3. *p.* 404.) « Ὄρχις Theoph. *Hist. pl.* 9. 19.; Ὄρχις ἕτερος, ἣν σεραπιάδα ἕτεροι καλοῦσιν, Dioscor. 3. 142.; Σεραπιάδα *Cratæv.*, teste Dioscor. l. c. — Τρίορχις Paul. Ægin. *l.* 7. *p.* 249. — Orchis sive serapias Plin. l. c.; *Cynosorchis Morio* Lobel. *Icon.*; *Orchis Morio* Linn. *Spec. plant.* 1333. »

SĔRĀPĬCUS, a, um. *V.* SERAPIACUS.

SĔRĀPĬON. *V.* SERAPIAS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĔRĀRĬUS, a, um, adject. (serum) qui sero lactis pascitur. *Cato R. R.* 150. Porcos serarios in oves denas singulos pascat. Alii leg. *sectarios,* quod non videtur hic locum habere. *Schneiderus* pro *porcos serarios* legendum putat *arietes sectarios.* V. SECTARIUS.

SĔRĀTRĪNA, æ, f. 1. (sera) locus, in quo seræ elaborantur. *V.* FERATRINA.

SĔRĀTŬLA. *V.* SERRATULA.

SĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* SERO, as.

SĔRĒNANS, antis, particip. *V.* SERENO.

SĔRĒNĀTOR, ōris, m. 3. (sereno) epitheton Jovis serenum cælum inducentis. *Apul. de Mundo sub fin.* Dicitur et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator, item serenator. *Inscript.* apud *Gud. p.* 3. *n.* 8. et 9. IOVI O. M. SERENATORI SACRVM. Adde *p.* 4. *n.* 1. 2. 3. 5. *et* 6. — Apud *Gruter.* 23. 1. et 77. 6. et 1009. 9. habetur: Jovi Sereno. *V.* SERENUS.

SĔRĒNĀTUS, a, um, particip. *V.* SERENO.

SĔRĒNĒ, adverb. (serenus) *chiaramente,* clare. *Augustin.* 8. *Trin.* 3. Quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius serenjusque videmus.

SĔRĒNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (serenus et fero) αἰθρηγενέτης, serenitatem inducens. *Avien. Arat.* 988. Axe sereniferi descendit sol Aquilonis. Adde *Prognost.* 414.

SĔRĒNĬFĬCUS, fica, ficum, adject. (serenus et facio) qui serenum seu serenitatem affert, item serenus. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 955. LAETA SERENIFICO DEFVNDERE CARMINA CAELO.

SĔRĒNĬFLŬUS, a, um, adject. (serenus et fluo) serene fluens. *Anthol. Lat.* 4. 241. *Riese.* Quumque sereniflua sudat nox humida cælo.

SĔRĒNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (serenus et gero) idem ac serenifer. *Vet. Poeta* in *Anthol.*

Lat. T. 2. *p.* 295. *Burmann.* Pulcra serenigero fulserunt sidera motu.

SĚRĒNĬTAS, ātis, f. 1. (serenus) sudum, serenus aer, αἶθρα (It. *sereno, tempo chiaro, serenità;* Fr. *sérénité du temps, temps serein, ciel pur;* Hisp. *serenidad, tiempo ó cielo sereno;* Germ. *Heiterkeit, heiter Himmel;* Angl. *fair and clear weather*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 94. Tum serenitas, tum perturbatio cæli. *Liv.* 2. 62. Adeo tranquilla serenitas reddita, ut etc. *Auct. B. Hisp.* 29. Diei solisque serenitas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (351). Auctumni serenitas ventosam hiemem facit. *Id. ibid.* 87. (362). Grues silentio volantes serenitatem præsagiunt. *Id.* 10. *ibid.* 67. 86. (188). Salamandra magnis imbribus proveniens, et serenitate deficiens. — In plur. num. *Colum.* 3. *R. R.* 1. *in fin.* Vinea imbribus magis, quam serenitatibus offenditur.

II.) Translate. ¶ 1. Est prosperitas, tranquillitas. *Liv.* 42. 62. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ. *prosperità.* et *Seneca* 3. *Ira* 25. *sub fin.* Omnia licet facias, Fortuna, minor es, quam ut serenitatem meam obducas. *h. e.* animi tranquillitatem. Adde *Curt.* 10. 9. 5. ¶ 2. Adulatio principibus serenitatem tribuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 286. 2. MAXIMO PRINCIPI INDVLGENTISSIMO DOMINO VALENTI TRIVMFATORI SEMPER AVG. ET D. HERCVLI SACRVM C. CEIONIVS RVFIVS VOLVSIANVS SERENITATI EIVS DICATVS. *Veget.* 3. *Milit. epil.* Sagittandi peritia, quam in serenitate tua, imperator invicte, Persa miratur. Adde *Justinian. Cod.* 8. 17. 1. § 1. et *Cassiod.* 2 *Variar.* 35.

SĚRĒNO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. (serenus) Part. *Serenans* I. *b; Serenatus* I. *a.* et II. — Sereno est serenum et clarum reddo, αἰθριάζω (It. *inserenare, rasserenare, serenare;* Fr. *rendre serein, rasséréner;* Hisp. *aclarar, serenar;* Germ. *heiter, hell machen od. erscheinen lassen;* Angl. *to make clear or fair, clear up, serene*).

I.) Proprie. — *a)* Cum Accus. *Virg.* 1. *Æn.* 259. Vultu, quo cælum tempestatesque serenat. *Stat.* 1. *Achill.* 120. properatque dapes, largoque serenat Igne domum. *h. e.* illustrat et quodammodo lætificat. Hunc loc. *Forcellinus* translate accepit. *Claudian. de Apono,* 36. Glaucaque fumiferæ terga serenat aquæ. *rischiara.* — Passive. *Sil. It.* 12. 637. Serenatus axis. et 12. 665. Olympus. — *b)* Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Luce serenanti vitalia lumina liquit.

II.) Translate. *Virg.* 4. *Æn.* 477. Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat. *h. e.* vultu tranquillo spem ostentat. (Adde *Nemesian. Ecl.* 4. 16.) *Sil. It.* 11. 368. Tum reddere sese Festinant epulis, et tristia fronte serenant. *h. e.* læta in speciem fronte tristitiam discutiunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (13). Sol cæli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat. *Stat.* 2. *Theb.* 55. fusca volucer Deus obsitus umbra Exsilit ad superos, infernaque nubila vultu Discutit, et vivis afflatibus ora serenat. *Seneca Agam.* 519. quisquis es, nondum malis Satiate tantis, cælitum, tandem tuum Numen serena. *h. e.* flecte et propitium præbe. — Passive. *Sil. It.* 5. 181. Serenatus Phœbus. *Venant.* 6. *carm.* 4. 103. vultus.

SĚRENS, entis, particip. *V.* SERO, is, serui, *aut* SERO, is, sevi.

SĚRĒNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĚRĒNUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, est a th. Sansk. *svar,* splendeo, unde et Gr. σείρ, sol, et fortasse etiam ἥλιος. — Comp. *Serenior;* Sup. *Serenissimus.* — Serenus est clarus, purus, sine nubibus, tranquillus, αἴθριος, εὔδιος (It. *sereno, inserenato;* Fr. *serein, pur, sans nuages, limpide, clair;* Hisp. *sereno, claro;* Germ. *heiter, hell, ungetrübt, klar;* Angl. *clear and fair, brigt, serene*).

I.) Proprie. — *a)* Passive, qui serenitate præditus est. *Enn.* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 82. Quum tonuit lævum bene tempestate serena. *Lucret.* 4. 213. cælo stellante serena Sidera respondent in aqua radiantia mundo. Adde 6. 247. *Id.* 6. 99. Serena pars cæli. *Id.* 2. 149. lumen solis. *Virg.* 5. *Æn.* 104. lux. *Id.* 1. *G.* 100. hiemes. *Id.* 1. *ibid.* 426. cælum et pelagus. *Sil. It.* 15. 53. horæ. *Ennod. epigr.* 149. Et sine nube pluit sub tectis imbre sereno. *Horat. Epod.* 15. 1. Nox erat, et cælo fulgebat luna sereno. *Virg.* 6. *Æn.* 707. Serena æstas. *Id.* 1. *G.* 340. ver *Ovid.* 6. *Fast.* 718. stella. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (222). Aer immotus et serenus. *Virg.* 8. *Æn.* 528. Arma inter nubem, cæli regione serena, Per sudum rutilare vident. *Id.* 1. *G.* 426. Serena nox. *Seneca Thyest.* 263. Dies serenus. *Id. Œdip.* 250. Sol sereni maximus mundi decus. *Phædr.* 4. 16. Faciem ad serenam subito mutatur dies. *Virg.* 5. *Æn.* 870. O nimium cælo et pelago confise sereno! *mar tranquillo.* et *Martial.* 4. 64. Cælo perfruitur sereniore. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (108). *de margaritis.* Inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum. *Martial.* 6. 42. Aqua candida et serena. *Id.* 3. 58. Cingunt serenum lactei focum vernæ. Translate *Pers.* 1. 19. Vox serena. *chiara.* — *b)* Active, qui serenitatem inducit, siccus, *secco, asciutto:* quia serenitas siccitatis causa est. *Plaut. Merc.* 5. 2. 35. Hic Favonius serenus est, istic Auster imbricus. hic facit tranquillitatem, iste omnis fluctus conciet. *Virg.* 1. *G.* 461. unde serenas Ventus agat nubes.

II.) Translate. ¶ 1. Est quietus, tranquillus, lætus. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. *de Socrate.* Nec vero ea frons erat, quæ M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius; sed tranquilla et serena. *Apul.* 8. *Met.* Vultu non quidem hilaro, verum paullo sereniore. *Justin.* 44. 2. 4. Serena lætitia. *Lucret.* 2. 1092. Quæ placidum degunt ævum, vitamque serenam. *Sil. It.* 14. 80. tractare sereno Imperio vulgum. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 65. Quumque serenus erit, vultusque remiserit illos, Qui secum terras imperiumque movent. *Id.* 1. *Trist.* 1. 39. Serenus animus. *et ibid.* 9. 40. At mea sunt proprio quamvis mœstissima casu, Pectora processu facta serena tuo. *mi si è rallegrato il cuore.* et 2. *Pont.* 1. 5. Tandem aliquid, pulsa curarum nube, serenum Vidi. *Sil. It.* 7. 461. *de Pallade.* pacemque serenis Condiscens oculis ibat. *h. e.* mitibus, placidis. Cf. *eumd.* 15. 53. ¶ 2. Item prosper, felix. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 27. vultu ridet Fortuna sereno. *Sil. It.* 15. 53. Sed current albusque dies, horæque serenæ. *Id.* 8. 546. Capua rebus servare serenis Inconsulta modum. ¶ 3. *Serenus* est epitheton Jovis, qui semper lætus et felix, nulla tristitia turbatur, et serenam cæli sedem habitat. *Inscript.* apud *Murat.* 1978. 5. et *V.* SERENATOR. Hinc *Martial.* 5. 6. et 9. 25. *serenum Jovem* appellat Domitianum. Hinc imperatores *serenissimi* dicti. *Justinian. Cod.* 5. 4. 23. *a med.* Etsi non serenissimo principi supplicaverint. — *NB.* De cognom. R. SERENA et SERENUS *V.* ONOM. — Hinc

Serenum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *serenità, serenata, sereno.*

I.) Proprie. — *a)* In sing. num. *Cato R. R.* 156. Ponito pocillum in sereno noctu. *al sereno.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (84). Aranei sereno non texunt, nubilo texunt. *Liv.* 37. 3. Nursiæ sereno satis constabat nimbum ortum. *Sueton. Aug.* 95. Repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cælestis arcus orbem solis ambiit. *Lucan.* 1. 530. Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 81. læsique fides reditura sereni. *Sil. It.* 5. 58. nitidum serenum. *Id.* 12. 3. blandisque salubre Ver Zephyris trepido mulcebat rura sereno. Cf. *Varro* 3. *R. R.* 10. 4. Cotidie serenum quum est. *Vulgat. interpr. Matth.* 16. 2. Facto vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim cælum. — *b)* In plur. num. *Lucret.* 2. 1100. Cæli serena Concutiat sonitu. *Virg.* 1. *G.* 393. soles et aperta serena.

II.) Translate *Imppp. Valentin., Theod.* et *Arcad. Constit. Sirmond.* 8. Non deceat inter serena votorum aliquid triste sentire, audire, conspicere. *Val. Flacc.* 1. 332. Nec de te credam nostris ingrata serenis.

Homonym. *Serenus* a *tranquillo* differre ita docet *Isid.* 1. *Differ.* 536.: *Serenum* ad cælum referri potest, ad mare non potest. Serenum enim cælum dicimus, tranquillum mare. — At hoc nimis rigide ac perperam dictum putamus, siquidem *Virg.* utrumque conjunxit 5. *Æn.* 870. O nimium cælo et pelago confise sereno.

SĚRESCO, is, ere, n. 2. duo diversa significat *A) Seresco,* a *serenus,* est siccus fio, quasi *serenesco,* idest serenus fio, quoniam serenitas sicca est, *seccarsi, asciugarsi,* ξηραίνομαι. *Lucret.* 1. 306. Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes Uvescunt, eædem dispansæ in sole serescunt.

B) Seresco, a *serum,* qua est pars lactis aquosa, in serum abeo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (238). Omne autem lac igne spissatur, frigore serescit. Alii aliter leg.

SERGĬĀNUS, a, um, adject. ad Sergium pertinens. *V.* ONOM. Hinc *Sergiana olea,* genus oleæ. *Cato R. R.* 6. et *Varro* 1. *R. R.* 24. At *Colum.* 5. *R. R.* 8. et *Pallad.* 3. *R. R.* 18. *Sergiam* vocant.

SĒRĬA, æ, f. 1. *V.* SERIES.

SĒRĬA, æ, f. 1. Videtur esse ab Hebr. סִיר *sîr,* olla; vel a Gr. σιλία, vas fictile, litteræ namque *l* et *r* facile inter se permutantur. — Seria est vas fictile oblongum et ventriosum, variæ magnitudinis, vino, oleo aliisque rebus continendis ac servandis, dolio tamen minus, si vinarium, et amphora majus, *pignatta, olla, bottaccio, caratello, barile. Varro* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Vasa vindemiatoria, aut serias olearias, aut trapetas. *Colum.* 12. *R. R.* 18. *circa med.* Dolia et seriæ ceteraque vasa ante quadragesimum vindemiæ diem picanda sunt. *Ter. Heaut.* 3. 1. 51. Relevi omnia dolia, omnes serias. *Ulp. Dig.* 50. 16. 206. Si frumentum in seriis condatur. *Colum.* 12. *R. R.* 53. *sub fin.* In seriam substernitur sal, deinde offulæ carnis spisse componuntur, et alternis sal ingeritur, sed quum ad fauces seriæ perventum est, etc. (De his intelligendum illud *Plaut. Capt.* 4. 4. 9. Cocum percontabatur, possentne seriæ fervescere.) et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *ante med. de malis Punicis servandis.* In seriola, cui ad medium aquæ mittatur, suspenduntur mala, ne humorem tangant: et seria clauditur, ne ventus irrumpat. *Colum.* 12. *R. R.* 28. In serias singulas, quæ sint amphorarum septenum etc. *Liv.* 24. 10. In vico Istrico fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, ut serias doliaque, quæ in eo loco erant, provoluta, velut impetus torrentis tulerit. *Pers.* 2. 11. o si Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule! *Lamprid. Elagab.* 6. *ad fin.* Penetrale sacrum Vestæ est auferre conatus: quumque seriam, quasi veram, rapuisset, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit. — Inter terminos ponitur ab *Hygin. de Limit. p.* 341. 28. *Rudorff.,* ubi ejus figura exhibetur in *Tab.* 34. *n.* 300.

SĒRĬĀTIM, adverb. (series) secundum seriem, ordinatim. *Apul. de Diphthong.* 2. Seriatim igitur de æ primum, post de oe tractabimus.

SĒRĬBĬBI, ōrum, m. 2. (serus et bibo) qui ad multam noctem compotationibus indulgent. Jpculariter *Inscr.* in *Bullett. dell'Instit. archeol.* a. 1867. *p.* 93. M. CERRINIVM VATIAM AED. OVF. SERIBIBI ROGANT.

SĒRĬCA, ōrum. *V.* SERICUS.

SĒRĬCABLATTA, æ, f. 1. *V.* SERICOBLATTA.

SĒRĬCĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SĒRĬCĀRĬUS, a, um, adject. (sericum) ad sericum pertinens. *Inscript.* apud *Orell. n.* 1368. A. PLVTIVS EPAPHRODITVS NEGOTIATOR SERICARIVS. Alia apud *Reines. cl.* 11. *n.* 25. M. AVRELIVS FLAVIANVS NEGOTIANS SERICARIVS. In qua *siricarius* scriptum est, et in alia apud *Fea,* quam *V.* infra. — Hinc

Sericaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, mulier a veste serica. *Inscript.* apud *Murat.* 1046. 5. (*Orell.* 2955.) THYMELE MARCELLAE SERICARIA. *h. e.* quæ Marcellæ vestes sericas curat.

Sericarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui in serico negotiatur, vel sericum opus facit. *V.* SERICUS. *Inscript.* apud *Gruter.* 645.

3. (qui eam ex *Manutio* perperam conturbat et Tibure posuit); at recte affertur apud *Fea*, in *Giorn. Arcad. T.* 54. *p.* 204. (an. 1832.) M. NVMMIO PROCVLO SIRICARIO (*sic*) VALERIA CHRYSIS CONIVGI OPTIMO BENEMERENTI FECIT. Alia apud *Fabrett. p.* 713. *n.* 346. SERICARII D. D.

SĒRĬCĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc. in fin.

SĒRĬCĀTUS, a, um, adject. (sericum) indutus serico, *vestito di seta*, σηρικοφόρος. *Sueton. Cal.* 52. Armillatus in publicum processit, aliquando sericatus et cycladatus. Adde *Sidon.* 2. *Ep.* 13. et *Isid.* 19. *Orig.* 23. 6.

SĒRĬCĔUS, a, um, adject. (sericum) sericus. *Flor.* 3. 11. *a med.* Signa auro sericeisque vexillis vibrantia. Ita *Forcellinus;* at recentiores plerique omnes leg. *sericis*.

SĒRĬCI. *V.* SERICUS in fin.

SĒRĬCHĀTUM, i, n. 2. genus arboris odoriferæ, apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 45. 1. (99).

SĒRĬCŌBLATTA, æ, f. 1. (sericus et blatta) vestis serico texta et purpurâ tincta, blattoserica. *V.* BLATTOSERICUS. *Cod. Justinian.* 11. 7. 10. et *Theod.* 10. 20. 13.

SĒRĬCUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĒRĬCUS, a, um, adject. *Siricus* pro *sericus* habet *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1871. *p.* 56. et *Salvian. loc.* infra *cit.* Cf. SERICARIUS. — Sericus (de quo *V.* etiam ONOM.) est ad Seras pertinens. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (145). Ex omnibus generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis pellibusque mittunt. *Id.* 6. *ibid.* 13. 15. (37). Sericus Oceanus. *orientale.* et *Propert.* 4. 3. 8. hostis. *Horat.* 1. *Od.* 28. 9. Sericas sagittas tendere. — Sæpe refertur ad vestem, quæ a Seribus mittebatur, ut in SER dictum est. *V.* ONOM. *Id. Epod.* 8. 15. libelli Stoici inter sericos jacere pulvillos amant. *Quintil.* 12. 10. *a med.* toga. *Propert.* 4. 8. 23. carpenta. *h. e.* sericis velis ornata. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 350. frena. *h. e.* habenæ sericæ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 8. (11). Serica vestis. *drappo di seta.* Sic *Tac.* 2. *Ann.* 33. Ne vestis serica viros fœdaret. — *Lips.* in *Exc.* 1. Byssina, inquit, e lino, bombycina e verme, serica ex arborum lana confectæ. Quando serica vestis venerit in usum, planissime non scio. Suspicor Julii Cæsaris ævo; nam ante non invenio, qui etiam ludis theatrum totum velis contexit sericis, ut ex quorumdam fide refert *Dio* 43. 24. Eam vestem etiam Medicam dictam, scriptum reliquit *Procopius de Bello Pers.* 1. 20. Genera ejus facta postea: *holoserica, subserica,* ususque primus holoserica Elagabalus, de quo *Lamprid.* 26. — Hinc

Serica, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sericæ vestes. *Propert.* 1. 14. 22. Quid relevant variis serica textilibus? *Martial.* 11. 28. Nec si prima velit de Tusco serica vico. *Id.* 9. 38. Nec dentes aliter, quam serica, nocte reponas. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 336. minimeque viriles Munditiæ, compti vultus onerique vel ipsa Serica.

Serici vel *sirici, ōrum,* m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt iidem ac sericarii. *Salvian.* 4. *Gubern. D.* 14. *a med.* Consideremus solas negotiatorum et siricorum omnium turbas. *V.* SERICARIUS.

Sericum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, quod texitur apud Seras, ex arborum foliis. Utrum sit, quod nos dicimus *seta,* aut a bombyce differat, disquirunt eruditi. *V.* BOMBYX et quæ supra ex *Lipsio* allata sunt. Cf. etiam *Phil. carm.* IX. περὶ σηροσκώληκος. *Ammian.* 23. 6. *a med.* Sericum conficere. *Isid.* 19. *Orig.* 27. 5. Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt, vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Adde *Solin.* 50. *Cyprian. de Habitu virg.* 13. Sericum et purpuram indutæ Christum induere non possunt.

SĒRĬĒ, adverb. (serius) serio. *Aur. Vict. Epit.* 15. Justitia quam ornabat vultu serie pulcro. Alii leg. *sereno et pulcro.*

SĒRĬĒS, ei, f. 5. (sero) *Seria, æ, f.* 1. in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 39. — In secundo et tertio casu qui usurpaverit, vix invenies. — Series est ordo et quædam velut progressio rerum invicem nexarum, aut certa ratione dispositarum: a *sero, is, ui,* necto: ut sit proprie de rebus invicem connexis, et alia ex alia pendentibus, ut anuli in catena, τάξις, διαδοχή (It. *ordine, continuazione, seguenza, serie;* Fr. *file, rangée, suite, entrelacement;* Hisp. *fila, hilera, serie;* Germ. *Reihe od. Kette, Verbindung nach der Reihe;* Angl. *a series, order, course, succession*).

I.) Proprie. *Curt.* 3. 1. *a med.* Series vinculorum ita adstricta, ut unde nexus inciperet. quove se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset. *Id.* 7. 3. *ad fin.* Sic inter se tot juga, velut serie cohærentia, perpetuum habent dorsum. *Id.* 4. 9. 3. Ferreæ laminæ serie inter se connexæ. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Series structuræ dentium. *Id.* 11. *ibid.* 37. 69. (182). Duæ grandes venæ in priora et terga discurrunt, sparsaque ramorum serie, omnibus membris vitalem sanguinem rigant. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 102. longe series porrecta viarum. *h. e.* quarum una in aliam fert, ut venæ in corpore. *Apul.* 2. *et* 10. *Met.* Series capillorum. *capelli disposti in treccie o in ciocche.* et *Tibull.* 1. 3. 63. juvenum. *h. e.* juvenes manibus invicem nexi, choreas agentes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. *extr.* Est enim admirabilis quædam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptæ colligatæque videantur. *Id.* 1. *Divinat.* 55. 125. Fatum appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est ordinem seriemque causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignat. *Gell.* 6. 2. Fatum est sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese, et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est. *Cic.* 2. *Orat.* 16. 68. Series disputationum. *Val. Max.* 1. *prol.* historiæ. *Quintil.* 7. 1. *ante med.* rei actæ. *Apul.* 1. *Met. sub fin.* et 2. *ibid.* fabularum. *h. e.* longa narratio multarum fabularum, unius post aliam. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 18. 53. Series rerum sententiarumque. *Id. Partit. orat.* 39. 137. artis. *Virg.* 1. *Æn.* 645. longissima rerum. *Ovid. Heroid.* 9. 5. immensa laborum. *Id.* 4. *Met.* 564. malorum. — In plur. num. *Sueton. Vesp.* 10. Litium series ubique majorem in modum excreverant. Sic *Vellej.* 2. 118. 1. Series fictæ litium. ¶ 2. Speciatim de tempore. *Horat.* 3. *Od.* 30. 4. Series innumerabilis annorum. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 54. Quartus ab his serie temporis ipse fui. *in òrdine di tempo. Id. Ib.* 64. Sic vitæ series tota sit atra tuæ. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 145. Vidi, quam seriem morantis ævi Pronectant tibi candidæ sorores. *quanto lunga serie d'anni.* — Absolute de serie annorum. *Auson. epigr.* 148. Hæc erit æternæ series ab origine Romæ. ¶ 3. Item de oratione. *Quintil.* 1. 5. 3. In complexu loquendi serieque. *Apul. Apolog.* Indefessi sermonis æterna series. — Absolute *Cic.* 2. *Acad.* 7. 21. (2. *pr.*). Cetera series deinde sequitur, majora nectens, ut hæc: Si homo est, animal est etc. Cf. *Quintil.* 5. 14. 32. *Horat. Art. P.* 242. tantum series juncturaque pollent. ¶ 4. Item de perpetua successione in familiis, *discendenza, prosapia, successione di figli e nipoti:* quod sic eleganter expressit *Virg.* 3. *Æn.* 98. Et nati natorum, et qui nascentur ab illis. *Propert.* 4. 11. 69. Et serie fulcite genus. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 109. Digne vir hac serie. *Val. Max.* 2. 7. *n.* 5. Communio nominis ac familiæ, veteris propinquitatis serie cohærens. *Sil. It.* 1. 88. stant marmore mœsto Effigies Belusque parens omnisque nepotum A Belo series. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 457. gens Claudia surgat Et Curii series. Adde *eumd.* 4. *Consul. Honor.* 21. et *Seren.* 56.

Homonym. *Series* et *ordo* hoc differunt, quod *series* significat aliquid exterius, artificiosum aut fortuitum; *ordo* aliquid interius et morale. *Cic. Scaur. fr.* 18. Habet seriem quamdam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum. Adde 1. *Divinat.* 55. 125.

SĒRĬĔTAS, ātis, f. 3. (serius) *serietà, gravitas. Auson. Parental.* 2. 6. Et gravitas comis lætaque serietas. *Sidon. carm.* 23. 439. O convivia, fabulæ, libelli, Risus, serietas, dicacitates!

SĒRILLA *vel* serillia, ium, n. plur. 3. (sero) proprie adject. a sing. inus. *serilis,* (unde esset plur. *serilia*) quo significantur funiculi spartei. *Fest. p.* 340. 33. *Müll.* Serilla Verrius appellari putat navigia Histrica ac Liburnica, quæ lino ac sparto condensantur: a conserendo et contexendo dicta, quia dicat Pacuvius in Niptris: Nec ulla subscus cohibet compagem alvei, Sed suta lino et sparteis serillibus (*al.* serilibus). quum περιφραστικῶς et ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. *Forcellinus* leg. *serillibus,* et addit: Alii leg. *serilia* et *serilibus,* quod rectius; nam *serilibus* a *serilia* quidem, non item a *serilla* derivari potest. *Serilla* tamen leg. *Müller* ad *Fest. loc. cit.* et *Paul. Diac. p.* 341. 7. Cf. *Ribbeck, trag. Lat. rel. p.* 91.

SĒRĬŌ, adverb. (serius) vere, graviter: cui *joco* opponitur, ἐν σπουδῇ (It. *seriamente, seriosamente, daddovero;* Fr. *sérieusement, vraiment;* Hisp. *seriamente, verdaderamente;* Germ. *im Ernste, ernstlich, in vollem Ernste;* Angl. *in earnest, in right earnest, seriously*). *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 195. Vereor serio. *Afranius* apud *Fest. p.* 301. 24. *Müll.* Succrotilla voce serio. *Plaut. Amph.* 3. 2. 25. Cum ea tu sermonem nec joco, nec serio tibi habeas. *et ibid.* 39. Si quid dictum est per jocum, non æquum est, id te serio prævortier. *Liv.* 7. 41. Ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret. Rursus *Plaut. Amph.* 3. 3. 9. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus. *Id. Pseud.* 4. 7. 94. et *Pœn.* 1. 3. 26. et 29. Responde, obsecro, hercle hoc vero serio, quod te rogo. *Id. Amph.* 2. 2 225. Dic mihi verum serio. *Ter. Eun.* 3. 3. 22. Orare serio aliquem. *et* 3. 1. 3. Id vero serio triumphat. *Liv.* 4. 25. *sub fin.* Parva res et vix serio agenda. *Plin.* 2. *Ep.* 20. *a med.* Aurelia ludere hominem putabat, ille serio instabat. Adde *Curt.* 4. 1. 23. et *Quintil.* 1. 2. 1.

SĒRĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* seria, parva seria. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. Si seriola sub dio obruatur, quæ habeat arenas usque ad medium. *et mox.* In seriola, cui ad medium aqua mittatur, suspenduntur mala. Adde *Isid.* 20. *Orig.* 6. 6. *Pers.* 4. 29. Seriolæ veterem metuens deradere limum, Ingemit: hoc bene sit. *h. e.* parvi vasis vinarii. «*raschiando con cuor trepido Il vecchio limo al botticello, un gemito Rompe e in sè dice: i numi me la mandino Buona*» (Monti).

SĒRĪPHĬOS *Græca positione,* et

SĒRĪPHĬUS *vel* Seriphus, a, um, adject. ad Seriphum, insulam parvam et ignobilem maris Ægæi, pertinens, de qua *V.* ONOM. Hinc ¶ 1. *Seriphium absinthium,* ab Ægypt. *herim* absinthium, et *phiom,* mare, memorat *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 29. (53). et 32. *ibid.* 9. 31. (100)., quod et marinum appellatur. *Sillig.* leg. utrobique *seriphum.* ¶ 2. Σερίφιος βάτραχος, Seriphia rana, proverb. Græcum de homine taciturno, vel infacundo, vel canendi imperito. Mutæ sunt enim ranæ, inquit *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (227.), etiam nunc in ea insula: eædemque alio translatæ canunt.

SĒRĪPHUS, a, um. *V.* voc. præced.

SĔRIS, idis, f. 3. σέρις, genus cicoreæ, herba est, inquit *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 32. (73.), lactucæ simillima, duorum generum: silvestris melior. nigra ista, et æstiva, deterior hiberna, et candidior, utraque amara, stomacho utilissima, præcipue quem humor vexat. *Varro* 3. *R. R.* 10. Serunt anseribus herbam, quæ vocatur seris, quod ea aqua tacta, etiam quum est arida, fit viridis. — Græcis litteris apud *Colum.* 8. *R. R.* 14. Genus intubi, quod σέριν Græci appellant.

SĒRĪSĂPĬA, æ, f. 1. (serus *et* sapio) Priorem syllabam *Forcellinus* corripit, qui vocem a *sēro* ducit, quasi *serum sapiat.* — Serisapia genus dapis, quod sero sapit. *Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.* Serisapia et contumelia, acreophagiæ, adlatæ sunt. *V.* ACREOPHAGIA. *Heinsius* sevisapia; *Schefferus* seria sapæ. *V.* integrum

locum apud *Büchelerum*, qui lectiones mirifice varias congessit.

SĒRĬTAS, ātis, f. 3. (serus) tarditas. *Symmach.* 3. *Ep.* 28. Nec mireris, quod tibi sermo noster sero tradetur. *et mox.* Desine igitur animum nostrum epistolarum seritate metiri. *Gloss. Gr. Lat.* Βραδύτης, mora, remora, seritas, tarditas.

SĒRĬUS, adverb. *V.* SERO.

SĒRĬUS, a, um, adject. *Serium* pro *seriorum* apud *Capell.* 3. *p.* 71. Potest probare seriûm fastidium. — Ratione habita etymi, ex eadem radice videtur esse, qua *severus*. At *Döderlein* conjungit cum *verus*, ut *serpo* cum *verpus*. et *Nonius p.* 33. 32. *Merc.* dictum esse putat, quasi sine risu, scil. a *se*, seorsum, sine, et *risus*. Unde *Gell.* de Tarquinio Prisco, qui bis ad indicatum librorum quorumdam pretium riserat, tertio (1. 19.) Ore jam serio atque attentiore animo fit. — Serius est verus, gravis, σπουδαῖος: cui opponitur ludicer, jocosus, levis (It. *grave, serioso, serio*; Fr. *sérieux, grave, véritable, réel*; Hisp. *serio, grave, verdadero*; Germ. *ernst, ernsthaft*; Angl. *grave, serious, in earnest*). — *a*) Dicitur fere de rebus. *Cic.* 1. *Off.* 29. *circa med.* Ludo et joco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris, tum quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. *et ibid.* 37. *a med.* Si de rebus seriis loquatur, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. *Ter. Eun.* 3. 3. 7. Rem seriam agere cum aliquo. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 51. Res serias omnes extollo ex hoc die in alium diem. *Liv.* 26. 17. Illum diem religiosum Carthaginiensibus ad agendum quidquam rei seriæ esse. Cf. *eumd.* 23. 7. Rursus *Plaut. Pœn.* 5. 3. 50. Opinor, quod ego dixi per jocum, id eventurum esse et severum et serium. *Horat. Art. P.* 107. et *Tibull.* 3. 6. 52. Seria verba. *Plin. Paneg.* 54, carmina. *et ibid.* 82. *extr.* Seriæ curæ. *Quintil.* 6. 3. 37. Vituperatio si gravius posita sit, seria est; si levius, ridicula. *Alii leg.* severa. *Gell.* 5. 21. Homo doctrina seria, ac nihil de verbis laborante. *Sueton. Cal.* 32. Sæpe in conspectu comissantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. *Quintil. declam.* 19. Serii et graves affectus. *et Plin.* 4. *Ep.* 25. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore tam scurriliter ludat? *h. e.* tempore suffragii ferendi in comitiis. Sic *id. Paneg.* 49. serias diei partes opponit remissioribus. Porro *seriæ diei partes* dicebantur septem primæ horæ diei, quæ negotiis agendis dabantur. *Inscript.* apud *Rénier n.* 1520. Seria vetustas. — *b*) Aliquando de personis. *Afran.* apud *Non. loc. cit.* Non ego te novi tristem serum, serium. *sostenuto.* et *Quintil. declam.* 15. 3. *ad fin.* Incipis agere serium, gravem. *Fronto* 2. *ad Amic.* 6. Plerique ad cetera minime serii, in judicando tamen asperi fuere. Adde *Ammian.* 26. 2. 2. et *Trebell. Claud.* 12. — Hinc

Serium, ii, n. sing., et sæpius

Seria, ōrum, plur. 2. absolute, substantivorum more, res seriæ. — 1.°) In sing. num. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 42. si quid per jocum dixi, nolito in serium convertere. Sic *Curt.* 5. 7. 10. Res in serium versa est. *Tac.* 6. *Ann.* 14. Nihil ad serium. — 2.°) In plur. num. — *a*) Universim de rebus. *Cic.* 2. *Fin.* 26. 85. Quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia. *Sall. Jug.* 101. Joca atque seria cum humillimis agere. *Tac.* 2. *Ann.* 13. Per seria, per jocos laudare aliquem. *Id. Germ.* 24. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent. *Curt.* 9. 8. 16. Per seria et ludum. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 27. Sed tamen amoto quæramus seria ludo. *Id. Art. P.* 226. vertere seria ludo. *il serio, il grave, o il vero, il reale.* et *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 31. Quid, nisi tot lusus, et tot mea seria nosses, Tot nossem lusus, seriaque ipse tua. *Id.* 5. *Fast.* 341. Nulla coronata peraguntur seria fronte. *Quintil.* 6. 16. 108. Seria partitur in tria genera (*Marsus*); honorificum, contumeliosum, medium. — *b*) Dicitur et de eo, quicum seria tractamus. *Plin.* 8. *Ep.* 1. Encolpius lector, ille seria nostra, ille deliciæ, exasperatis faucibus pulvere, sanguinem rejecit.

Serio, adverbiorum more. *V.* suo loco.

SĔRĪVA, æ, f. 1. (sero) idem ac sertum, serta, corona. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 2. (3). Quum floribus fierent serta, a serendo serivæ appellabantur. Ita leg. *Freund.*; alii *serviæ*: at *Sillig.* et *Ian.* rectius *serieve*.

SERMENTUM pro sarmentum hab. veteres aliq. editiones. Cf. *Schneid. Scriptt. R. R.* ad h. v. *V.* SARMENTUM.

SERMO, ōnis, m. 3. *Varro* 6. *L. L.* 64. *Müll.* docet, hanc vocem esse a *serie*, quæ a *sero* est. Sermo enim, inquit, non potest in uno homine esse solo, sed ubi oratio est cum altero conjuncta. Hinc *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 105. Sermones serere. *et Virg.* 6. *Æn.* 160. Multa inter sese vario sermone serebant. *Cic.* 1. *Off.* 37. 132. Sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarum versatur, sequitur etiam convivia. Vox igitur est a *sero*, quod recentiores ducunt a Skr. *svar*, necto: unde et Gr. εἴρω. — Sermo est collocutio, συνομιλία, κοινολογία, διάλογος (It. *colloquio, conversazione, dialogo*; Fr. *entretien, conversation, causerie*; Hisp. *entretenimiento, conversacion*; Germ. *d. Unterredung, Unterhaltung*; Angl. *common discourse, conversation, talk, speech*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim dicitur de oratione soluta et familiari et translaticia, collocutione, dialogo: et opponitur versui atque orationi elaboratæ et forensi. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Quocum bene sæpe libenter Mensam sermonesque suos rerumque suarum Comiter impertit. *Plaut. Mil. gl. loc.* supra *cit.* Hæc me prohibeat uxore, quæ sui hujus similes sermones serat. Adde *Curc.* 1. 3. 37. Sic *Cæcil. Stat.* apud *Gell.* 1. 23. Nunc credo inter suas æqualis cognatas sermonem serit. Similiter *Virg. loc.* supra *cit.* et *Varro* apud *Non. p.* 374. 7. *Merc.* In argumentis Cæcilius palmam poscit, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus. *h. e.* in collocutionibus personarum et dialogis. *Cic.* 2. *Fam.* 9. Hac me mente fuisse in nostris sermonibus collocutionibusque ipse vidisti. Adde *eumd.* 1. *Off.* 37. 132. *V.* COLLOCUTIO. *Id.* 2. *Orat.* 80. 328. Narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus. *et ibid.* 73. 296. Quum mihi sermo cum Crasso esset de te institutus. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 37. *Cic.* 2. *Orat.* 2. 7. Ut eum sermonem, quem illi inter se de his rebus habuissent, mandarem litteris. (Adde *Titin.* apud *Non. p.* 392. 15. *Merc.* Longus sermo habetur, revortetur spissa) *Id. Amic.* 1. 2. et 1. *Orat.* 24. 111. Memini in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. *Id.* 1. *Orat.* 21. *circa med.* Insperanti mihi cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id. Vatin.* 1. *a med.* Nullum tibi omnino cum Albinovano sermonem ulla unquam de re fuisse. *Id. Flacc.* 6. 14. Sermo est tota Asia dissipatus, Pompejum contendisse etc. *Id.* 7. *Att.* 23. Mihi venit in mentem, multum fore sermonem, me judicium jam de causa publica fecisse. *che si dirà assai* etc. et *ibid.* 3. *in fin.* Sed hæc coram. nam multi sermonis sunt. *bisogna parlarne a lungo.* et 1. *ad Q. fr.* 1. 14. Primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis. *si parlò moltissimo.* et 10. *Phil.* 7. 14. Esse in ore et sermone omnium. *Liv.* 44. 17. Jam in exitu annus erat, et propter Macedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. *Varro Sat. Menipp.* 27. *p.* 114. *Oehl.* Sermone cenulam variare. *Id. ibid.* 73. *p.* 195. levare longum itiner. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 11. impune licebit Æstivam sermone benigno tendere noctem. *Ovid.* 12. *Met.* 105. domito victoria Cycno In sermone fuit. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Memini, fuisse in sermone nobilem patinam. *si parlava: diede materia di discorrere.* et *Cic. Mil.* 12. *a med.* Versari in pervagato civitatis sermone. *trovarsi presente a ciò, che comunemente si dice.* et *Propert.* 3. 1. 31. Exiguo sermone esse. *esser poco menzionato.* et *Cic.* 13. *Att.* 23. *ad fin.* Dare se in sermonem. *mettersi a parlare, o trattare.* et 1. *Orat.* 21. *ad fin.* Sermonem ordiri. *Id.* 1. *Off.* 38. 136. conferre cum aliquo. Sic *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* Severiter hodie sermonem amica mecum contulit. *Ter. Eun.* 4. 1. 8. Sermonem occipere. *Id. Heaut.* 2. 3. 1. cædere. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. facere inter aliquos. *Id. Marcell.* 2. 5. Quippiam crebris usurpare sermonibus. *avere spesso in bocca.* et *Plaut. Trin.* 3. 3. 68. Diem sermone terere. *Virg.* 4. *Æn.* 388. Sermonem abrumpere. *Plaut. Most.* 4. 2. 17. abstinere de aliqua re. *Id. Pœn.* 3. 3. 42. copulare cum aliquo. *Id. Cas.* 2. 8. 8. captare. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 32. Accessit sermo ad aures. *Cic.* 8. *Att.* 14. Se totum avertere a sermone alicujus. *Id.* 7. *ibid.* 13. Sermonem arripere. *Id.* 1. *Orat.* 8. 29. inferre de aliqua re. *Id. Brut.* 5. 21. ducere alicunde. *Id. Harusp. resp.* 16. 36. esse de aliqua re. *Id.* 2. *Legg.* 16. 41. esse alicui apud aliquem. *Plaut. Trin.* 2. 2. 5. exsequi cum aliquo. *Ovid.* 9. *Met.* 418. fremere sermone vario. *Catull.* 10. 5. Incidunt nobis sermones varii. *Cic.* 1. *Orat.* 24. 111. Incidere in sermonem fortuito. *Id.* 12. *Fam.* 16. Injicere in sermone. *Id.* 2. *leg. Agr.* 5. 12. Insinuare se familiariter in sermonem aliquem. *Quintil.* 6. 4. 11. Sermones medios intercipere. *Turpil.* apud *Non. p.* 332. 28. *Merc.* Sermonem sublegere. *Ter. Eun.* 3. 3. 10. quærere. *Plaut. Trin.* 3. 3. 68. Sermones texere. *Cic.* 1. *Fam.* 9. Sermonem alicujus perferre ad aliquem. *Id.* 6. *republ.* 10. 10. producere in multam noctem. *Id.* 13. *Att.* 10. restringere. *Ovid.* 1. *Met.* 208. rumpere silentio. *Quintil.* 2. 15. 28. suscipere. *Curt.* 8. 2. 7. sociare. *Id. ibid.* 4. 27. excipere. *Id.* 5. 11. 3. revocare. *Id.* 8. 5. 21. finire. *Id.* 9. 6. 17. altius repetere. *Cæs.* 5. *B. G.* 41. Aditum sermonis habere cum aliquo. *Cic.* 4. *Fam.* 16. Conjunctio sermonum. *Plaut. Asin.* 3. 3. 139. Caput et pes sermonis. *h. e.* initium et finis. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 2. Littera sermonis fida ministra mei. *Firmic.* 8. *Mathes.* 10. Affluentia sermonis verbosa. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 7. Amari sermonis homo. *Tac.* 15. *Ann.* 48. Sermo comis. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 23. congruus. *Cic. Cæcil.* 18. 52. et familiaris et quotidianus. *Id.* 9. *Fam.* 24. Familiaris sermo, qui est in conviviis dulcissimus. *Catull.* 62. 144. Sermones fideles. *Tac.* 4. *Ann.* 68. fortuiti. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 11. jocosus. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 21. molesti et morosi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 127. obsceni. *Quintil.* 4. 2. 9. otiosi. *Plin.* 1. *Ep.* 9. sinistri. *Cic.* 9. *Fam.* 21. plebejus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. humanissimus. *Maximian.* 5. *Eleg.* 53. mitis. *Auct. Symp. ænigm.* 8. ineptus. — Illud *Vulgat. interpr. Ps.* 138. 4. Non est sermo in lingua mea ecce, Domine, tu cognovisti omnia. *h. e.* nondum lingua sermonem protulit, et tu eum jam omnem nosti. — *b*) Specialim non raro dicitur de obtrectatione et reprehensione, *maldicenza*. *Cic.* 6. *Verr.* 7. 13. Ut in sermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. *Id. Cæl.* 16. 38. Sermones iniquorum effugere. *Id.* 3. *Fam.* 8. *a med.* reprimere. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. retundere. *Cic.* 13. *Att.* 10. restinguere, aut sedare. *Id.* 9. *Fam.* 3. dare iis, qui etc. *dar da dire: dar occasione di sparlare.* et *Tac.* 4. *Hist.* 4. Materiam sermonibus præbere. Adde *Cic.* 1. *Cat.* 9. 23. et *Flacc.* 5. *extr.* — *c*) *Sermo* dicitur etiam de vaticinio apud *Vulgat. interpr. Jer.* 14. 1. Sermo siccitatis, *h. e.* vaticinium de sterilitate ac fame superventura. ¶ 2. Latiore sensu de oratione simpliciter, seu locutione, loquela, *parlare, discorso*. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Vocis sermonisque regimen primores (*dentes*) tenent. Adde *Quintil.* 1. 1. 37.

II.) Metonymice. ¶ 1. Universim. — 1.°) In re oratoria de genere orationis sublimi aut pedestri, vel compto aut incompto. *Nepos Epam.* 3. Quum in circulum venisset, in quo aut de republ. disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermonis esset adductus. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 21. 9. et *Quintil.* 2. 15. 26. *Cic.* 3. *Herenn.* 13. 23. Tres vocis modos, qui in variis orationis partibus adhibentur, esse ait sermonem, contentionem, amplificationem. Sermonem definit, orationem remissam et finitimam quotidianæ locutioni. Dividit in partes quatuor, dignitatem, demonstra-

tionem, narrationem, jocationem. *Seneca Ep.* 15. *a med.* Naturale est paullatim incitari, ut litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem transeant. Rursus *Cic. Orat.* 19. 64. Mollis est oratio philosophorum et umbratilis. – Itaque sermo potius quam oratio. Cf. 1. *Off.* 37. 131. *Id. Senect.* 9. 28. Sed tamen decorus est senis sermo, quietus et remissus, facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. *Id. Brut.* 68. 239. C. Piso statarius et sermonis plenus orator. V. *Ellendt. p.* 408. *Id.* 3. *Orat.* 45. 177. Non enim sunt alia contentionis, alia sermonis verba. Cf. *Quintil.* 11. 3. 25. Discere (optimum erit) quam maxime varia, quæ et clamorem et disputationem et sermonem et flexus habeant, ut simul in omnia paremur. *Horat. Art. P.* 95. Interdum tamen et vocem comœdia tollit – Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri Telephus et Peleus. — 2.°) De prosa seu soluta oratione. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 48. comœdia necne poema Esset, quæsivere; quod acer spiritus ac vis Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo Differt sermoni, sermo merus. Cf. *ibid.* 42. Si quis scribat, uti nos, sermoni propiora. *et Quintil.* 9. 4. 19. Soluta oratio, qualis in sermone et epistolis. Adde 11. 3. 162. — 3.°) Hinc dicitur *sermo* carmen pedestri et translaticia locutione confectum, ut satira. Itaque *sermones* libri satirarum *Horatii* inscribuntur. *Id.* 2. *Ep.* 2. 59. hic delectatur iambis, Ille Bioneis sermonibus, et sale nigro. — 4.°) Item quicumque liber, tractatus, historia, quæ a Græcis quoque λόγοι dicuntur. *Id.* 3. *Od.* 21. 9. quamquam Socraticis madet sermonibus. *et ibid.* 8. 5. Docte sermones utriusque linguæ. Alii leg. *sermonis.* V. hic *Bentlej. Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (5). *de sua historia.* Quippe sermo circa rura est, agrestesque usus. Hinc in plurimis Declamationibus, quæ *Quintiliano* tribui solent, *sermo* inscribitur brevis oratio simplici stilo composita, qua ratio et modus traditur cujusque declamationis tractandæ. — 5.°) *Sermo* est etiam propria cujusque nationis lingua, *linguaggio, lingua.* *Cic.* 1. *Off.* 31. 111. Sermone eo debemus uti, qui notus est nobis: ne, ut quidam Græca verba inculcantes, jure optimo irrideamur. *Nepos Hannib.* 13. Libri Græco sermone confecti. *Id. Themist.* 10. Sermo Persarum. *Curt.* 6. 10. 23. patrius. *et mox.* nativus. — 6.°) Dicitur et de uno tantum vocabulo. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 93. et 3. *ibid.* 250. et 1. *Æn.* 248. Sic *Rufin. Orig. princ.* 1. *pr.* 8. Non idem sensus ibi ex isto sermone ἀσωμάτου indicatur, qui ostenditur, quum de incorporea natura a philosophis disputatur. et *Cassiod. in Ps.* 21. 1. δέος sermo Græcus est, qui Latine interpretatur timor. Hac superinducticia vocabuli potestate usi sunt, qui inscripserunt *Nonii c.* IV. « de varia significatione sermonum » *h. e.* vocum. et *Fulgent.* libellum « expositio sermonum antiquorum » *h. e.* interpretatio vocum antiquarum. — Huc fortasse pertinet illud *Ulp. Dig.* 7. 1. 20. Si quis ita legaverit: Fructus annuos fundi Corneliani Cajo Mævio do, lego, perinde accipi debet hic sermo ac si usufructus fundi esset legatus. — 7.°) Dicitur de elocutione ac stilo. *Cic.* 7. *Att.* 3. Fabellæ *(Terentii)* propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi. *Quintil.* 1. 6. 43. Fuerit pæne ridiculum malle sermonem, quod locuti sint homines, quam quo locuntur. Et sane quid est aliud vetus sermo, quam vetus loquendi consuetudo? Adde *eumd.* 12. 2. 3. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. — *a*) Apud Ecclesiasticos scriptores est idem ac Filius Dei, qui Græce Λόγος, Latine vero Verbum dicitur, caro factus. *Tertull. Monog.* 1. Per Sermonem scilicet Dei, qui caro factum *(sic)* est. Adde *eumd. advers. Prax.* 5. *V.* SERMONALIS. *Cyprian. Ep.* 73. Numquid eumdem novit Filium Christum de Maria Virgine natum, qui Sermo caro factus est? *Prudent.* 3. *Cathemer.* 141. Fit caro vivida Sermo Patris. Cf. *Vulgat. interpr. Sap.* 18. 15. — *b*) Pro eo, qui est sermonis argumentum, seu de quo est sermo. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 3. Filius meus nunc per urbem solus sermo est omnibus. *h. e.* bis, de quo sermo est omnium; qui in ore est omni populo, ejus flagitia reprehendenti. *Propert.* 2. 17. 7. Et nunc inter eos tu sermo es. *Cic. Rabir. Post.* 14. *ad fin.* Cataplus ille Puteolanus, sermo illius temporis. Sic *Horat. Epod.* 11. 7. Heu me! per urbem fabula quanta fui! *et Propert.* 1. 12. 24. Tu quoque uti fieres nobilis historia. *et Juvenal.* 10. 167. Ut pueris placeas, et declamatio fias. — c) Jlocalariter tamquam personam adhibuit *Plaut. Bacch.* 1. 2. 7. Quid huc? quis istic habet? PIST. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Jocus, Ludus, Sermo, Suavisaviatio. LYD. Quid tibi commerci 'st cum dis damnosissumis? — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Hoc differunt *sermo* et *colloquium,* quod ille fit fortuito et sine gravi aliqua vel determinata causa; hoc dedita opera ac præstituto modo ac fine. *Sueton. Tib.* 61. Quibusdam custodiæ traditis non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloquii usus. *Tac.* 15. *Ann.* 60. Respondisse Senecam, sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere. — Similiter dicendum de *sermone* et *collocutione. Cic.* 1. *Fam.* 9. Hac me mente fuisse –, tu in nostris sermonibus et collocutionibus vidisti. Præterea *collocutio* est colloquium, quod fit remotis arbitris et de arcanis rebus: *sermo* latius patet et publicum quoque colloquium significat. *Collocutio* vero minus concreto, ut ajunt, sensu accipi videtur, quam *colloquium;* ait enim *Varro* 6. *L. L.* 57. *Müll.* Colloquium quum conveniunt in unum locum loquendi causa. *V.* COLLOCUTIO et COLLOQUIUM. — *Sermo* denique ab *oratione* differt, quod ille de eo dicitur, qui oratione remissa, ut ait *Cic. Herenn. loc.* supra *cit.*, et finitima quotidianæ locutioni loquitur; hæc de compta et erudita locutione. *Cic. Orat.* 19. 64. Sermo potius quam oratio. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quæ adhibetur homini: – ad extremum etiam sermo et oratio. Cf. *Tac.* 1. *Hist.* 19. Apud Senatum non comptior Galbæ, non longior sermo, Pisonis comis oratio. *V.* etiam, quæ supra diximus. — De *sermonis* et *contentionis* discrimine V. *Cic.* 1. *Off.* 37. et 2. *ibid.* 14. apud *Popmam* ad v. *sermo.*

SERMŌCĬNANS, antis, particip. *V.* SERMOCINOR.

SERMŌCĬNANTER, adverb. (sermocinor) *discorrendo,* sermocinando. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *a med.* Sermocinanter horas extrahere.

SERMŌCĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (sermocinor) *discorso, dialogo.* ¶ 1. Est actus sermocinandi, sermo. *Quintil.* 9. 2. 31. Sermones hominum assimulatos dicere διαλόγους malunt, quam quod Latinorum quidam dixerunt sermocinationem. Adde *Gell.* 19. 8. *Vulgat interpr. Prov.* 3. 32. Cum simplicibus sermocinatio ejus. ¶ 2. De sermocinatione tamquam parte orationis *Capell.* 5. *p.* 178. *de gestu oratoris.* Manus in contentione fusa porrectius, in sermocinatione contracta. ¶ 3. Est etiam figura rhetorica, qua aliquem loquentem inducimus. *Cic.* 4. *Herenn.* 52. 65. Sermocinatio est, quum alicui personæ sermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis, Adde *ibid* 43. 55.

SERMŌCĬNĀTRIX, tricis, f. 3. (sermocinor) quæ sermocinatur. *Quintil.* 3. 4. 10. Plato sophista judiciali et contionali tertiam adjecit προσομιλητικήν, quam sane permittamus nobis dicere sermocinatricem quæ a forensi ratione disjungitur, et est accommodata privatis disputationibus. *Apul.* 9. *Met.* Sermocinatrix immodica. *ciarliera.*

SERMŌCĬNO, as, are, n. 1. *et*

SERMŌCĬNOR, aris, ātus sum, ari, dep. 1. (sermo) *Sermocino,* forma activa, apud *Isid.* 1. *Orig.* 40. 2. Æsopicæ *(fabulæ)* sunt, quum animalia muta inter se sermocinasse finguntur. — Part. *Sermocinans* 1. 1.° *b.* c. et 3.° et 2.; *Sermocinaturus* 1. 1.° *b.* — Sermocinor est sermonem habeo, colloquor, ὁμιλέω (*It. discorrere con alcuno, conversare, aver colloquio con alcuno; Fr. parler avec ou a quelqu 'un de, s'entretenir, converser, causer;* Hisp. *entretener, hablar, conversar con alguno, discourrir con alguno sobre alguna cosa;* Germ. *sich unterreden, über etwas sprechen mit Jmdm;* Angl. *to talk, commune, converse, discourse*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Invent.* 17. *ad fin.* Quum, quibus in rebus homines in consuetudine scribendi aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Adde *Augustin.* 12. *Confess.* 27. — *b*) Cum Dativo, aut Ablativo et præp. *cum,* personæ, quicum quis colloquitur. *Priscian.* 18. *p.* 1163. *Putsch.* Sermocinor tibi. *Cic.* 3. *Verr* 52. *ad fin.* Libenter ait se esse facturam, et se cum isto diligenter sermocinaturam. c) Cum Accusativo communi rei, de qua quis sermocinatur. *Apul.* 2 *Met.* Hæc Milone diutine sermocinante, tacitus ingemiscebam. *Vulgat. interpr. Sap.* 8. 12. Sermocinante me plura. — 2.°) Est verbum comœdorum proprium. *Apul. Florid. n.* 18. Mimus alucinatur, comœdus sermocinatur, tragœdus vociferatur etc. — 3.°) Dicitur etiam de belluis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 58. (117). *de psittaco.* Humanas voces reddunt (*aves quædam*), psittaci quidem etiam sermocinantes. ¶ 2. Specialim de re aliqua disceptare. *Sueton. Tib* 56. Zenonem quemdam exquisitius sermocinantem quum interrogasset, quænam illa tam molesta dialectos esset etc. *Gell.* 5. 21. *Pluria* forte quis dixit sermocinans, vir apprime doctus.

Homonym. Inter *fari, loqui, sermocinari* et *narrare* hoc interest, quod *famur,* quum aliquid facunde dicimus, *loquimur* natura; *sermocinamur,* quando cum aliis sermones conferimus; *narramus* docte. Ita *Auct. differ. serm.* in *Anecd. Helv. p.* 279. 1. *Hag.* Verum harum differentiarum non omnium par habenda ratio.

SERMŌNĀLIS, e, adject (sermo) ad sermonem pertinens. *Tertull. advers. Prax.* 5. Item in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, quum magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium.

SERMŌNO, as, are, n. 1. *et*

SERMŌNOR, āris, ari, dep. 1. (sermo) *Sermono,* forma activa, in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 118. *col.* 1. *lin.* 3. et 6. — Sermonor est idem ac sermocinor. De eo sic *Gell* 17. 2. Sermonari rusticius videtur, sed rectius: sermocinari crebrius, sed corruptius.

SERMUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sermo, parvus sermo. — *a*) In bonam partem. *Hieronym. Ep.* 32. *n.* 1. Duas epistolas huic sermunculo annexui. *Claud. Mamert. ep. Sap. ad fin.* Resonantes sermunculi. — *b*) In malam partem. *Cic.* 13. *Att.* 10. Sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. *Id. Dejot.* 12. 33. Nonne intelligis, Cæsar, ex urbanis malevolorum sermunculis hæc ab istis esse collecta? Adde *Plin.* 5. *Ep.* 8. et *Augustin.* 2. *Retract.* 22.

SERNĪŌSUS, a, um, adject. (sernia) peliginosus, petigine seu scabie affectus. *Theod. Priscian.* 1. 12. Serniosi, quos nos petiginosos dicimus. Adde *Reines. Var. lect.* 3. 11. *p.* 522.

SĒRO, adverb. (serus) Comp. *Serius* II. 1. 2.; Sup. *Serissime* II. 1. (a sere inusit., quod *Klotzius* sine exemplo ponit, potius deductum). — Sero proprie, ut videtur, est sub finem diei, vesperi, adveniente nocte, serâ, ἑσπέρας (*It. di sera, sul finir del giorno, sull'imbrunire; Fr. bien avant dans le jour, le soir ou à la tombée de la nuit, à la nuit tombante;* Hisp. *de tarde;* Germ. *abends, zu Abend;* Angl. *in the evening*).

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Att.* 21. Veni Capuam ad nonas Februar., ita ut jusserant consules. eo die Lentulus venit sero. *Id.* 7. *Fam.* 22. Etsi domum bene potus seroque redieram, tamen etc. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 9. Ejus cadaver imponentes camelo, a mane usque ad vesperam per

totam portaverunt civitatem et circa sero concremaverunt. *Vulgat. interpr. Marc.* 13. 35. Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. *Id. Matth.* 20. 8. Sero factum esse. Adde *Judith* 13. 1. et *Joh.* 20. 19.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Est tarde, ὀψέ. *Cato R. R.* 5. *a med.* Opera omnia mature conficias, face. nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies. *Cic. Brut.* 10. 39. Videsne, ut in ea ipsa urbe, in qua nata sit eloquentia, quam sero prodierit in lucem? *Ovid.* 3. *Art. Am.* 676. tam sero cur veniatque, roget. *Quintil.* 2. 17. 12. Hos sero potius quam unquam didicisse. Cf. 1. 1. 19. *Id.* 2. 5. 3. Sero invenire. *Id.* 2. 17. 7. reperire. *Id.* 6. 3. 103. intelligere. *Id.* 5. 1. 1. Serius quam ratio postulat. *Horat.* 2. *Od.* 3. 25. omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura. *o presto o tardi.* et *Cic.* 3. *Orat.* 20. 75. Ad mysteria biduo serius veneram. *Ovid.* 4. *Met.* 105. Serius egressus vestigia vidit in alto Pulvere certa feræ. *Id.* 10. *ibid.* 33. Serius an citius sedem properamus ad unam. *Liv.* 31. 11. Distinendo copias, causa imprimis fuisset serius in Africam trajiciendi. *Martial.* 1. 109. Ipse salutabo decima, vel serius, hora. *Cæs.* 3. *B. C.* 75. Ut quam serissime ejus profectio cognosceretur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (61). Pira Tarentina serissime legi. Ita et *Sillig.*; alii vero *serissima.* ¶ 2. Item post tempus, intempestive, postquam abiit occasio rei gerundæ, frustra. *Plaut. Trin.* 2. 4. 14. Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit, postquam comedit rem, post rationem putat. *Id. Capt.* 4. 2. 90. Abi stultus: sero post tempus venis. *Id. Men.* 5. 6. 31. Metuo, ne sero veniam, depugnato prœlio. μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. *Ter. Heaut.* 2. 3. 103. Age modo, hodie sero ac nequicquam voles. *Cic.* 2. *Herenn.* 25. *ad fin.* Vitiosum est, quod jam quasi sero, atque acto negotio dici videtur. *Id.* 7. *Att.* 5. *ad fin.* Sero resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Adde *Sall. in epist. Mitrid. ad Arsac. circa med.*, *Cæs.* 5. *B. G.* 29., *Nepos Agesil.* 3. *ad fin.* et *Sueton. Ner.* 49. *a med.* *Stat.* 1. *Theb.* 596. Sero memor thalami, mœstæ solatia morti, Phœbe, paras. *Propert.* 1. 1. 25. Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici. *Juvenal.* 1. 169. galeatum sero duelli Pœnitet. *Cæs.* 3. *B. C.* 8. Serius a terra provectæ naves, neque usæ nocturna aura, in redeundo offenderunt. *troppo fuor di tempo.* et *Cic.* 1. *Cat.* 2. 5. Erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. ¶ 3. Est amphibolia in illo *Mil.* apud *Quintil.* 6. 3. 49. Quum interrogaret (*accusator*), quo tempore Clodius occisus esset? respondit (*Milo*): Sero. ¶ 4. Huc pertinet proverb. *sero sapiunt Phryges*, apud *Fest.* *p.* 343. 11. *Müll.* et *Cic.* 7. *Fam.* 16., quod Trojani decimo denique anno velle cœperant Helenam, quæque cum ea erant rapta, reddere Achivis. id et *Dict. Cret.* narrat 4. 22. V. *Berchem, de Gn. Næv. vita* etc. 1861. *p.* 81–82. Eodem sensu Itali dicunt *a talotta giugnesse la gragnuola.*

Homonym. Differunt *tarde* et *sero.* nam *tarde* fieri potest quippiam, quod tamen adhuc juvet: *sero* quod fit, non amplius prodest. *Petron. Sat.* 7. Tarde, immo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum. — Aliquando tamen *sero* pro *tarde* ponitur. *V. Caton., Cic.* et *Ovid.* etc. *supra cit. ad* 1.

SĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sera) Præteritum *seravi* in usu fuisse monet *Consent. Art.* *p.* 2074. *Putsch.* et *Priscian.* 8. *p.* 837. — Part. *Seratus.* — Sero est claudo, *serrare*, κλείω. *Venant. Vit. S. Medard.* 6. Obstaculo nullo serata ipsa dedit præda tinnitum. Adde *Priscian.* et *Consent. loc. cit.*, qui tamen nullam afferunt Latini scriptoris auctoritatem.

SĔRO, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, a. 3. Ratione habita etymi, vox est a radice Skr. *sar* et Gr. ἐρ, unde εἴρω, necto. — Part. *Serens* II.; *Sertus* I. et in fin. — Sero est necto, connecto, texo, jungo, εἴρω (It. *intrecciare, tessere, infilzare*; Fr. *lier, réunir, enchaîner, entrelacer, entremêler*; Hisp. *ligar, atar, trabar, enlazar, unir*; Germ. *reihen, reihend verbinden u. aneinander fügen*; Angl. *to knit, plait, twine, wreathe, connect, join*). Est multo frequentioris usus in compositis *consero, insero* et aliis.

I.) Proprie. *Lucan.* 10. 14. Accipiunt sertas nardo florente coronas. *Apul.* 4. *Met.* Puellam per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis et solutis adprecantur. *Id.* 10. *ibid.* Jaculis floris serti et soluti deam propitiantes, *et* 2. *ibid.* Rosa serta et soluta. Quibus locis *sertus* opponitur *soluto.* — Hinc *Sertum* et *Serta* absolute *V.* infra.

II.) Translate. *Enn.* apud *Charis.* 2. *p.* 177. *Putsch.* Alternum seritote die concorditer ambo. *h. e.* ita seriem dierum disponite et ordinate, ut alternis etc. Sermo esse videtur de Tatio et Romulo, qui alterna vice Romæ imperabant. *Liv.* 25. 6. Fati lege rerum humanarum ordo seritur. *Seneca Med.* 281. Quid seris fando moras? *h. e.* nectis, quod dixit *Seneca uterque*, *Val. Flacc.* et *Tac.*, et *nectere causas inanes* eod. sensu *Plaut. Most.* 5. 1. 51. Serere negotium. *h. e.* implicare, impedire et difficile reddere. *Cic. Fat.* 12. Ex æternitate causa causam serens. Cf. *Sall. fragm.* 1. *Hist. fr.* 51. *Kritz.* Serendo bella ex bellis. Sic *Liv.* 21. 10. *Id.* 2. 1. Cum patribus serere certamina. *Tac.* 5. *Hist.* 11. crebra prœlia. *Apul. Apolog.* Non modo nova odia non serui, sed vetera quoque funditus exstirpavi. — Huc referri possunt illa *serere sermones, colloquia, verba,* etc., quæ in voce sequent. sub II. ponuntur. nam et *Cic.* 9. *Fam.* 21. *texere epistolas* dixit. *V.* SERMO init. — Hinc

Serta, æ, f. 1. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est idem ac sertum. *Charis.* 1. *p.* 83. *Putsch.* Serta neutro genere dicuntur, sed Propertius feminine dixit (2. 24. 37.): Quum tua præpendent demissa in pocula sertæ: et Cornelius Severus (*in fragm.*): Huc ades Aonia crinem circumdata serta. ¶ 2. Est etiam funiculus, restis, *funicella, cordicina,* σχοινίον, quia ex pluribus lineis conserta est. Hoc sensu accipi posse videtur in illo *Tibulli* 2. 5. 97. Aut e veste sua tendent umbracula sertis Vincta. Dubia sunt illa *Palladii* 4. *R. R.* 10. *a med.* Suspendendi grossi ex caprifico velut linea serta pertusi. *Alii leg.* lino, velut serta, pertusi. *Id.* 8. *ibid.* 6. *Schneid.* Post XL. dierum spatium serta, quæ appensa sunt, auferantur. *Varro* 3. *R. R.* 1. Sertam ducere cum aliquo. *h. e.* altercari. Alii rectius leg. *serram.* V. hanc voc. ¶ 3. *Serta Campanica,* herbæ genus, de quo *V.* in CAMPANICUS. Absolute *Cato R. R.* 113. Suffito serta et schœno et palma, quam habent unguentarii.

Sertum, i, et sæpius plur.

Serta, ōrum, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt flores aut folia in coronam conserta et intexta, *corona, ghirlanda,* στέφανος. Usurpatur plerumque plur. num., quia corona ex pluribus foliis aut floribus sertis constat. — *a*) In sing. num. *Auson. Edyll.* 6. 88. roseo Venus aurea serto Mœrentem pulsat puerum. *scil.* Cupidinem. *Capell.* 1. *p.* 79. In capite uterque dominandi sertum pro regni conditione gestabat. — Hinc translate. *Varro Sat. Menipp.* 11. *p.* 101. *Oehl.* Nec me pedatus versuum tardor refrenet: tarde enim perit ῥυθμῶν sertum. *h. e.* quominus carmina pangat, minime patietur se prohiberi ingenio suo, paullo tardiore in versibus numeris suis adstringendis; versuum enim serta non æque mature pereunt, quam florum. *Vulgat. interpr. Is.* 58. 5. Sertum exsultationis. — *b*) In plur. num. *Virg.* 1. *Æn.* 421. Ture calent aræ, sertisque recentibus halant. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. *in fin.* Incendes odores, et sertis redimiri jubebis, et rosa. *Tibull.* 3. 5. 63. Syrio madefactus tempora nardo Debueram sertis implicuisse comas. *Ovid.* 4. *Fast.* 616. Imposuitque suæ spicea serta comæ. *Id.* 5. *Trist.* 3. 3. Festaque odoratis innectunt tempora sertis. *Capell.* 1. *p.* 1. Comere verniferis florentia limina sertis. — Translate. *Maximian.* 1. *Eleg.* 139. Et quos grata prius ciliorum serta tegebant. Satis eleganter dictum, quia cilia vel palpebræ tamquam sertum oculos cingunt et ambiunt. (Cf. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 42). Nisi forte cilia hic sunt supercilia, aut potius legendum *septa* pro *serta.* Cf. *Lactant.* 10. 2. *Inscript.* apud *Orell.* 4763. DELIAE DATE SERTA. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 884.

Homonym. Videtur *serta* a *coronis* distinguere *Plaut. Asin.* 4. 1. 58. Tum si coronas, serta, unguenta jusserit ancillam ferre Veneri, aut Cupidini etc. *Corona* esse proprie videtur, quæ fit cingendo capiti: *serta,* quæ ornatui in aliis corporis partibus, aut in postibus ædium, etc., licet in circularem textum composita non sint: quæ nos dicimus *festoni.* V. ENCARPI et PANCARPIUS. Cf. *Ambros. de Isaac et Anim.* 7. *n.* 60.

SĔRŌ, sĕris, sēvi, sătum, sĕrere, a. 3. Etiam *serui* pro *sevi* dici posse, docet *Priscian.* 10. *p.* 900. *Putsch.* Vetustissimi etiam in simplici serui protulisse inveniuntur pro ordinavi et pro sevi. *Ennius* in præceptis. Ubi videt avenam lolium crescere inter triticum selegit, secernit, aufert sedulo Ubi operam addidit, quam tanto studio seruit. — Ratione habita etymi, vox ducitur a rad. Skr. *sa,* unde *semen:* cf. Gr. ἔρνος et σῖτος, et Germ. *säen* ejusdem significationis. — Part. *Serens* II.; *Satus* I. 1. 1.° *a. b.*; 2.° et 2. et in fin.; *Saturus* I. 1. 1.° *a.*; *Serendus* I. 1. 1.° *a.* et 2. — Sero est semino, planto, σπείρω (It. *seminare, piantare*; Fr. *semer, planter, ensemencer*; Hisp. *sembrar, plantar*; Germ. *säen, pflanzen*; Angl. *to sow, plant, set*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de plantis. — 1.°) De re, quæ seritur. — *a*) Cum Accusativo. *Cato R. R.* 6. Ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium panicum, id maxime seri oportet: in agro caldo et crasso oleam conditivam, radium majorem, Salentinam, orchitem, poseam, Sergianam Colminianam, albiceram; quam earum in his locis optumam esse dicent, eam maxime serito. *Varro* 1. *R. R.* 40. 2. Prima, quæ sive colono, priusquam sata nata; secunda, quæ ex iis collecta, neque prius quam sata nata. Cf. *ibid.* 32. 2. Serendum viciam, lentem, cicerculam, erviliam ceteraque. Rursus *Cic.* 3. *republ.* 9. 16. Nos – Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt. *Virg.* 1. *G.* 210. Exercete, viri, tauros, serite hordea campis. *Cic.* 2. *Orat.* 69. 278. Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. *Id. Senect.* 7. 24. Serit arbores, quæ alteri sæculo prosient, ut ait Statius noster in Synephebis. *Horat.* 1. *Od.* 18. 1. Nullam sacra vite prius severis arborem. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *circa med.* Hæ res et semine et plantis seruntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (193). Auctumno aliquid saturus, Septembri mense fimum inaret post imbrem. *Val. Flacc.* 3. 5. Dat Cererem lectumque pecus, nec palmite Bacchum Bithyno Phrygioque satum, sed quem sua noto Colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 33. (144). Arundo seritur bulbo radicis. *Id. ibid.* 10. 9. (58). Serere folia palmarum. *Id.* 18. *ibid.* 25. 60. (224). fruges. *Virg.* 8. *Ecl.* 98. messes. *Id.* 1. *ibid.* 193. semina. *Varro* 1. *R. R.* 48. 2. vineam in agro. *Cæs.* 3. *B. C.* 44. Multaque erant inter eum locum manu sata. Cf. *Virg.* 3. *G.* 176. — *b*) Absolute. *Cic. Senect.* 7. 24. Nec dubitat agricola – quærenti, cui serat, respondere. — *c*) Passive impersonaliter. *Plaut. Epid.* 2. 2. 80. Mihi istic nec seritur, nec metitur. *h. e.* nihil hoc ad me attinet, quia neque damnum affert, neque utilitatem. *Quintil.* 5. 9. 5. Nec fieri potest, ut ibi messis sit, ubi satum non est. *V.* METO. — 2.°) De loco, ubi seritur. *Cic.* 5. *Verr.* 47. *a med.* Ut tantum decumæ sit, quantum severis, hoc est, ut quot jugera sunt sata, totidem medimna debeantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (111). Seritur (*terra*) toto anno panico semel, bis farre. *Ovid.* 2. *Art. am.* 668. Iste feret segetes: iste serendus ager. *Tibull.* 2. 3. 8. Serere arva. *Id. ibid.* 42. Quid nocuit sulcos non habuisse satos? ¶ 2. Latiore sensu de animantibus est gignere, generare, generare. *Cic.* 14. *Att.* 20. Tertullæ (*Cassii*

uxoris) nollem abortum: tam enim Cassii sunt jam, quam Bruti serendi. *Id.* 1. *Legg.* 8. 24. Existisse quamdam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum divino auctum sit animorum munere. — Hinc Part. præter. pass. *satus* eadem significatione, absolute vel sequente Ablat. cum præp. *ab*, aut sine præp. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 118. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus. *Liv.* 38. 58. Non sanguine humano sed stirpe divina satus. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 125. sate sanguine divûm. *Id.* 10. *ibid.* 540. fulvumque Camertem Magnanimo Volscente satum. *Id.* 8. *ibid.* 36. O sate gente deûm. *Ovid.* 3. *Fast.* 799. Matre satus terra. *Id.* 12. *Met.* 93. satus Nereide. *Id.* 4. *ibid.* 282. satos Curetas ab imbri. *Id.* 4. *Fast.* 55. Ilia cum Lauso de Numitore sati. *Id.* 4. *Met.* 12. Bacchum-satumque iterum solùmque bimatrem. *Id.* 1. *ibid.* 89. Aurea prima sata est ætas. — *Propert.* 3. 7. 19. Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. Cf. *Natus* sub *B* in NASCOR.

II.) Translate. *Sil. It.* 1. 80. solers nutrire furores, Romanum sevit juvenili in pectore bellum. *h. e.* Hamilcar in animo Hannibalis filii. *Liv.* 28. 25. Ubi sermones inter se serentium circulos vidissent. Sic *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 105. Serere sermones alicui. *h. e.* habere cum aliquo. Rursus *Liv.* 24. 31. colloquia cum hostibus. *Seneca Med.* 26. incassum querelas et verba. *h. e.* spargere, fundere. Sic *Stat.* 2. *Achill.* 35. Sic segnes heroes eunt, campumque patentem Alterno sermone serunt. — Et absolute. *Id.* 6. *Theb.* 941. Multa duces errore serunt: hi nubila, et altos Occurrisse Notos: adverso roboris ictu Tela repulsa, alii. *h. e.* disserunt, disputant. *Sueton. Cal.* 26. Serere causam discordiarum inter plebem et equites. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 67. Ut villicum hanc perdoceamus ut serat fallaciam. *Alii leg.* ferat. *Id. ibid.* 3. 2. 10. Serere lites. *Liv.* 3. 40. *a med.* civiles discordias. *Id.* 24. 3. *sub fin.* crimina in senatum apud infimæ plebis homines. Huc trahunt nonnulli 21. 10. et 40. 48. Serere bella ex bellis. et *Sall. loc. cit.* in SERO (serui). *Justin.* 8. 3. 8. opinionem. *Seneca Ep.* 104. *ante med.* sibi causas sollicitudinum. *Virg.* 12. *Æn.* 228. rumores varios. *Lucret.* 5. 1288. et *Sil. It.* 5. 236. Ære solum terræ tractabant: æreque belli Miscebant fluctus, et vulnera vasta serebant. *h. e.* crebra vulnera infligebant, ut qui serunt, densa grana spargunt. Alii leg. *ferebant.* — Hinc

Sata, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, loca sata, et ipsæ segetes, *i seminati.* *Virg.* 1. *G.* 325. et 2. *Æn.* 306. sata læta boumque labores. *Id.* 3. *Ecl.* 82. Dulce satis humor. *Apul.* 9. *Met.* Ideo conjuncti terram proscindunt boves, Ut in futurum læta germinent, sata.

SĔRŎPŎDĬON, ii, n. 2. herba eadem quæ Vetonica seu Betonica dicitur. *Apul. Herb.* 1.

SĔRŌTĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĔRŌTĪNUS, a, um, adject. (sero) Pænultima brevis est, ut docet *Voss. l.* 2. *de Gramm. c.* 23. Ut enim a *diu, cras, prius, horno, perendie* adverbiis fiunt adjectiva brevia *diutinus, crastinus, pristinus, hornotinus, perendinus;* ita a *sero serotinus.* quod et *Priscian.* tradit 2. *p.* 590. *Putsch.* Contra, quæ a nominibus fiunt, longa sunt, ut a *Matuta matutinus*, a *vesper vespertinus.* Contrarium docuit *Scalig. de caussis L. L. c.* 98. Sunt qui putent, saltem priora, ex adverb. *tenus* composita. *V.* ANNOTINUS. — Serotinus est qui sero venit, et dicitur de pomis et aliis rebus, quæ tardius maturescunt, aut veniunt, aut fiunt, ὄψιος, ὄψιμος, *tardivo, serotino, serotine.* ¶ 1. Generatim. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 17. (58). Pira serotina ad hiemem usque ad matrem pendent, gelu maturescentia. *et ibid.* 18. 19. (71). et *Colum. Arbor.* 21. Ficus biferæ, serotinæ et præcoces. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (17). Serotinæ hiemes. *et mox.* Serotinæ aquæ. *Id.* 18. *ibid.* 24. 56. (204). Festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper. *Id.* 21. *ibid.* 10. 32. (58). Flos serotinus. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *sub fin.* Serotini pulli, qui ab solstitio nati capere justum incrementum non potuerunt. ¶ 2. Speciatim *serotina loca*, in quibus sero maturescunt plantarum fetus: quibus *præcocia* opponuntur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (79). Ante omnia in similem transferri terram, aut meliorem oportet: nec e tepidis, aut præcocibus in frigidos, aut serotinos situs. *Id.* 18. *ibid.* 24. 54. (197). Non transferendum semen ex præcocibus locis in serotina. ¶ 3. *Raptor serotinus* apud *Senec.* 3. *declam.* 21. *ad fin.* est qui sero puellam rapuit. ¶ 4. *Serotina conjux* quænam sit, *V.* in *Inscript.* apud *Gruter.* 824. 1. SAB. REGVL. V. F. SIBI ET FLORENTI CONIVGI SEROTINAE AN. VIII. — Hinc

Serotinum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, imber serotinus, cui opponitur *matutinum*, seu *temporaneum;* duplex enim præcipue in Palæstina exoptabatur imber ab Hebræis, hoc est matutinus seu auctumnalis pro satione, et serotinus seu vernalis pro messe. *Vulgat. interpr. Jac.* 5. 7. Agricola exspectat fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. *et Ital. Deut.* 11. 14. Et dabit pluviam terræ tuæ in tempore suo, matutinum et serotinum, apud *Augustin.* 5. *Loc. in Hept.*, ubi adnotat: Serotinum minus Latinum est, sed non potuit magis proprie de Græco exprimi, quod illi dicunt ὄψιμον, tamen etiam in lingua Latina vulgo usitatum est, ut dicatur serotinum, sed quod tardius, quam oporteat, factum est; hic vero tempus anni potius intelligi voluit.

SERPĔDO, dĭnis, f. 3. (serpo) tumor, qui serpit in cute, *risipola.* *Isid.* 4. *Orig.* 8. 5. Serpedo est rubor cutis cum pustularum exstantia: et nomen sumpsit a *serpendo*, eo quod serpat per membra.

SERPENS, entis, particip. et nom. *V.* SERPO.

SERPENTĀRĬA, æ, f. 1. (serpens) herba, quæ et viperina dicitur, foliis mollibus, gustu aspero, quæ prodest ad morsus viperarum. *Apul. Herb.* 5.

SERPENTĀRĬUS, ii, m. 2. (serpens) idem qui Ophiuchus. *Capell.* 8. *p.* 284. Geminis orientibus occidit Serpentarius usque ad genicula. *Schol. ad German. Arat.* 75. Hic (*Ophiuchus*) est serpentarius, qui suprà scorpionem stat tenens utraque manu serpentem.

SERPENTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (serpens et fero) qui serpentes fert. *Virg. Cir.* 477. Æginamque simul serpentiferamque Seriphum. Ita *Forcellinus.* Verum recentiores plerique omnes leg. *sementiferam*, h. e. fertilem sementis.

SERPENTĬGĔNA, æ, comm. gen. 1. (serpens et gigno) ex serpentibus natus, ὀφιογενής. *Ovid.* 7. *Met.* 212. Vos serpentigenis in se fera bella dedistis. Loquitur de illa juventute, quæ ex serpentis a Cadmo occisi dentibus humi satis nata est.

SERPENTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (serpens et gero) qui serpentes gerit, ὀφιοῦχος. *Ovid.* 4. *Trist.* 7. 17. Sphyngaque et Harpyias, serpentigerosque Gigantes. Alii leg. *serpentipedesque.* h. e. serpentis similes pedes habentes: quod magis placet: nam *Macrob.* 1. *Saturn.* 20. *circa med.* Gigantum pedes in draconum volumina desinebant.

SERPENTĪNUS, a, um, adject. (serpens) ad serpentem pertinens. Male quidam legunt apud *Justin.* 32. 4. 6. Omne serpentinum genus. *serpentium* enim legi debet. Habet tamen *Augustin.* 2. *de Genes. contra Manich.* 26. Nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur. et *Ambros.* 2. *in Luc.* 2. 51. Serpentina pectora. — *Serpentina suasio* apud *Augustin.*, 2. *Serm. Dom.* 56., est peccatum, quod diabolus serpentis formam simulans primis humani generis parentibus suasit.

SERPENTĬPES. *V.* SERPRNTIGER.

SERPENTUM, i, n. 2. genus monilis, apud *Isid.* 19. *Orig.* 31. 12. Monile ornamentum ex gemmis est, quod solet ex feminarum pendere collo. - Hoc etiam et serpentum dicitur, quia constat ex amphorulis quibusdam aureis gemmisque variis in modum facturæ serpentis. Nonnulli hoc et segmentum dicunt.

SERPĔRASTRA *vel* serpirastra, ōrum, n. plur. 2. (sirpo, *h. e.* alligo) *Klotz* putat masculinum esse apud *Cic. loc. cit.*, ut sit *serperastri, orum;* sed *Cic.* syllepsi usum esse probabilius mihi videtur. — Serperastra sunt machinulæ, adminicula, quæ puerorum genibus alligantur, ne varicæ fiant, aut comperncs, *ginocchielli*, καμπεσίγυια.

I.) Proprie. *Varro* 9. *L. L.* 11. *Müll.* Non sequitur, ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura.

II.) Translate. *Cic.* 7. *Att.* 3. *a med.* De serperastris cohortis meæ nihil est quod doleas. ipsi enim se collegerunt admiratione integritatis meæ. *h. e.* de præfectis, legatis, tribunis, quæstore, accenso etc., qui in meo comitatu sunt in provincia. *Serperastra* eos vocat, quia eorum, quibus præerant, vitia corrigere debebant, ut seperastra distortiones crurum. ipsi tamen male se gerere cœperant, sed exemplo Ciceronis jam resipiscebant. Alii intelligunt sordidos homines, lucris intentos et honesti nullam rationem habentes: a *serpo*, quasi humi serpant, nil sublime cogitent. Sunt etiam qui mallent *cerberastris*, quasi Cerberi similibus, avidis, voracibus et pecuniæ inhiantibus. Ad *h. v.* hæc habet *Döderleni* (*Op. cit. v.* 6. *p.* 331.): « Weist auf ἁρπάζειν hin, denn das folgende admiratione integritatis meæ, und plura officia mea duxit quam omnem pecuniam lässt keinen Zweifel, dass mit jenem räthselhaften Worte eigennützige, geldsüchtige Offiziere bezeichnet werden. Eben so deute ich den Zunamen, den bei *Tac.* 1. *Ann.* 23. die Soldaten einem verhassten Centurio gaben: centurionem cognomento Sirpicum, welcher buchst. zu ἅρπαγα oder ἅρπαγον stimmt. Ich glaube, es bedeutet *serperastrum* etwas ähnliches, wie ἁρπάλογος bei *Oppian. Cyn.* 1. 153. ein nicht näher bekanntes Fangwerkzeug des Jägers; dieses selbst aber setz eine Nebenform von ἁρπαλίζω voraus, ἁρπαλάζω, dessen Nomen ἁρπαλαστρον zu serperastron stimmen würde ». At cl. *Furlanetto* in *App.* ait, in *loc. Varron.* et *Cic.* legendum esse symperasmata, *Gr.* συμπεράσματα, h. e. conclusiones, complexiones. Viderint eruditi.

SERPILLĪFER. *V.* SERPYLLIFER.

SERPILLUM et

SERPILLUS. *V.* SERPYLLUM.

SERPĪO. *V.* SERPO init.

SERPĪRASTRA. *V.* SERPERASTRA.

SERPO, serpis, serpsi, serptum, serpere, n. 3. Alia forma est *serpio, is, ere*, apud *Vulgat. interpr. Ital. Act.* 4. 17. Serpiat in populum. Sed cf. *Prob. Inst. art. p.* 141. 37. et *p.* 185. 37. *Keil.* — *Serpsit* pro *serpserit* antiqui usi sunt, teste *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 349. 6. *Müll.*, qui ceteroquin nullum affert exemplum. — Ratione habita etymi, *serpo* ducitur a Gr. ἕρπω, repo, spiritu in sibilum verso, ut *sex* ab ἕξ, *septem* ab ἑπτά, quod *Fest. in Serpsit* docet; vel potius utrumque a rad. Skr. *sarp* ejusdem significationis. — Part. *Serpens* in omnib. paragr. et in fin. — Serpo est ventre ingredior, repo, ἕρπω (It. *andar serpendo, strisciare, serpeggiare;* Fr. *ramper, se traîner;* Hisp. *arrastrar per la tierra, andar arrastrando;* Germ. *kriechen, schleichen;* Angl. *to crespe, slide, go trailing along cruwl*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — 1.°) Stricto sensu de animalibus, præsertim de angue. — *a*) Forma activa. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. *a med.* Alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando. *Id.* 5. *Fin.* 15. 42. Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas. *Ovid.* 12. *Met.* 13. Serpere cæruleum Danai videre draconem In platanum. *et* 15. *ibid.* 689. Serpit anguis per humum. *Id.* 3. *Pont.* 3. 102. Utque latens ima vipera serpit humo. *Juventin. Philom.* 63. *Wernsd.* t. 6. *p.* 401. venenosus serpendo sibilat anguis. Ubi videris diversarum, quas diversa animalia emittunt, vocum propria nomina. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 13. 15. (42). Pinnis, quibus in mari utuntur, humi quoque vice pedum serpunt. — *Serpens*, adjective. *Cic.*

1. *Tusc.* 13. 38. Serpentes quasdam (*bestias*), quasdam esse gradientes. — *b*) Passive. *Solin.* 32. (22. 10.) Quum terra nullo serpatur angue. — 2.°) Latiore sensu dicitur de plantis. *Cic. Senect.* 15. 52. Vitem serpentem multiplici lapsu et erratico amputores coercet ars agricolarum. *Virg.* 8. *Æn.* 13. atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros. *Laber.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Ut hedera serpens vires arboreas necat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 74. (99). Lithospermos (*herba*) jacet, atque serpit humi. *et ibid.* 9. 58. (82). Rami in terram serpunt quini senive. *Id.* 22. *ibid.* 18. 21. (45). Chamæleon serpit in terra, echini modo spinas erigens. *Id.* 21. *ibid.* 16. 59. (99). Aculeatarum caules aliquarum per terram serpunt. *et* 17. *ibid.* 20. 33. (144). Inter se radices serpunt, mutuoque discursu nentur. — 3.°) Latissimo sensu de aliis rebus per terram repentibus et progredientibus vel leni vel tortuoso cursu. *Tibull.* 1. 8. 13. An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis Cæruleis placidus per vada serpis aquis? *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 30. Ister Congelat, et tectis in mare serpit aquis. *Lucan.* 9. 974. In sicco serpentem pulvere rivum. *Stat.* 11. *Theb.* 608. lacrimæ serpunt per vulnera. *Sil. It.* 12. 539. sulfureis gelidus qua serpit leniter undis Ad genitorem Anio labens sine murmure Thybrim. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 598. *Liv.* 30. 6. Flamma per continua serpens uno repente omnia incendio hausit. *Lucret.* 5. 523. sive ipsi (*ignes*) et ætheris æstus Serpere possunt, quo cujusque cibus vocat etc. *Virg.* 2. *Æn.* 269. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 24. (90). Somno serpente. *Virg.* 2. *Æn.* 269. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit et dono divûm gratissima serpit. *Propert.* 3. 11. 64. Fallacem patriæ serpere dixit equum. *h. e.* sensim scandere muros Trojæ. *Claudian. IV. cons. Honor.* 641. Per tua lanugo quum serpere cœperit ora. *Cels.* 6. 18. *n.* 2. Ulcus latius atque altius serpit. Sic *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 77. (126). Ulcera serpentia. *Virg.* 3. *G.* 469. culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus. *Martial.* 1. 79. Inque ipsos vultus serperet atra lues. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (38). Sordes caudarum prosunt gingivis, si carcinoma serpat. *Id.* 27. *ibid.* 12. 91. (117). Polygonon sistit omnia quæcumque serpunt. *Lucret.* 6. 660. Exsistit sacer ignis et urit corpore serpens Quamcumque arripuit partem, repitque per artus. *Cic.* in *Arat.* 47. Namque est Ales avis, late sub tegmine cæli Quæ volat, et serpens geminis secat aera pennis. κατάχρησις. Sic *Lucret.* 5. 690. Propter signiferi posituram totius orbis, Annua sol in quo contundit tempora serpens. — *Serpentia*, plur. neutr., absolute. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 39. (113). Œsypum ad carcinomata ac serpentia valet. *h. e.* ulcera serpentia. ¶ 2. *Serpere aerem* dixit *Lucret.* 6. 118. *h. e.* flare, meare, spirare.

II.) Translate est sensim, aut occulte progredi, dilatari, crescere. *Flor.* 2. 9. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephaleniam. *Ovid. Remed. am.* 105. tacitæ serpunt in viscera flammæ. *scil.* amoris. *Cic. Amic.* 23. 87. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia. *Id. Mur.* 21. *sub fin.* Serpit hic rumor. *et Stat.* 1. *Theb.* 168. jam murmura serpunt Plebis. *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. Quum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius. *et* 4. *Cat.* 3. *in fin.* Hoc malum obscure serpens multas jam provincias occupavit. *Id.* 1. *Att.* 13. et *Rabir. Post.* 6. *extr.* Hoc serpet longius. *Justin.* 31. 3. 3. Ne vicinum malum (*belli*) etiam ad se serperet. *Cic. Divin. Verr.* 21. 68. Si paullatim hæc consuetudo serpere ac prodire cœperit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 11. 13. (87). Altius cura serpit. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 203. Ecce autem, quum te nihil profecisse arbitrarer, serpere occulte cœpisti etc. *h. e.* sensim progredi oratione. *Horat. Art. P.* 28. Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. *h. e.* humili stilo utitur. — Hinc Part. præs.

Serpens, entis, m. et f. 3. absolute, substantivorum more. — Genet. plur. *serpentium* et, præsertim apud poetas, etiam *serpentum*, quam tamen formam improbat *Caper p.* 111. 11. *Keil.* — Serpens est anguis, draco, coluber, ὄφις et subintelligitur *bestia, draco, anguis,* aut quippiam simile, quod et aliquando adjicitur, ut *Sueton. Tib.* 72. Erat ei in oblectamentis serpens draco.

I.) Proprie. *Cic. Vatin.* 2. 4. Repente enim te, tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti. *Id. Harusp. resp.* 25. *extr.* Jam ista serpens, quæ tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc, compressa atque illisa morietur. *Sall. Jug.* 89. Loca infesta serpentibus, quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopiâ cibi acrior. *Virg.* 2. *Æn.* 214. Corpora natorum serpens amplexus uterque Implicat. *Id.* 11. *ibid.* 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat, Arrectisque horret squamis, et sibilat ore, Arduus insurgens. *Lucret.* 4. 639. ut serpens, hominis quæ tacta salivis Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa. *et ibid.* 58. quum lubrica serpens Exuit in spinis vestem. *Lucan.* 9. 397. plena veneno. *Nepos Hannib.* 10. Quamplurimas venenatas serpentes vivas colligi imperavit. *Ovid.* 3. *Met.* 38. longum caput extulit antro Cæruleus serpens, horrendaque sibila misit. *et* 2. *ibid.* 651. Serpens dira. *Id.* 2. *Amor.* 13. 13. pigra. *Id.* 7. *Met.* 534. Milliaque incultos serpentum multa per agros Errasse. *Virg.* 8. *Æn.* 436. Serpentum squamæ. *Horat. Epod.* 1. 20. avis serpentium allapsus timet. *Cels.* 5. 27. *n.* 3. Serpentium morsus. *Vitruv.* 8. 4. Africa nutrix serpentium. *Vulgat. interpr. Jer.* 8. 17. Mittam vobis serpentes regulos. *h. e.* basiliscos. — De serpentium usu in medicinis simulque de medicinis contra serpentium morsus passim agit *Plin.* — Descriptionem serpentis poeticam habes apud *Virg.* 2. *Æn.* a *v.* 203. et *Cul.* a *v.* 161. et 3. *G.* a *v.* 425., *Ovid.* 3. *Met.* a *v.* 31., *Stat.* 5. *Theb.* a *v.* 505. et *Sil. It.* 6. a *v.* 151., ubi inusitatæ molis anguem a M. Regulo in Africa cæsum, ad Bagradam fluvium, describit. Cujus rei mentio fit etiam a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (36)., *Gell.* 6. 3., *Val Max.* 1. 8. *n.* 19. *extern.* et *Oros.* 4. 8. — De serpente saucio V. *Virg.* 5. *Æn.* 273. — Serpens apud veteres symbolum fuit divinitatis et divinis honoribus cultus. Cf. *Vulgat. interpr. Sap.* 11. 16. et *A. Maium* ad *Jul. Valer.* 2. *Gest. Alex. M.* 29. V. infra II. 2. — Hinc sæpe in sepulcralibus monumentis occurrit ut symbolum immortalitatis. V. *Visconti, Mus. Pio-Clem. T.* 5. *Tab.* 19. et *Cavedoni, Monum. del Mus. del Cataio p.* 22. *n.* 18. — Item symbolum fuit prudentiæ et calliditatis apud Hebræos. Cf. *Vulgat. interpr. Gen.* 3. 1. Serpens erat callidior cunctis animantibus. *Id. Matth.* 10. 16. Estote ergo prudentes sicut serpentes. — De serpentibus *V.* alia apud *Sil. It.* 1. 411. *et seqq.*, 2. 587. et *seqq.*, 12. 6. *et seqq.*

II.) Improprie et translate. ¶ 1. *Serpens* est signum cæleste, apud *Vitruv.* 9. 6. et *Hygin.* 2. *Astron.* 14. et 3. *ibid.* 13. *V.* OPHIUCHUS. Alius est, de quo *Hygin.* 3. *ibid.* 1. *V.* ANGUIS. ¶ 2. *Serpens* dictus est etiam diabolus, qui specie serpentis callidissimus Evam in paradiso terrestri seduxit. *Prudent.* 7. *Cathemer. sub fin.* O tortuose serpens, Qui mille per meandros Fraudesque flexuosas Agitas quieta corda, Discede: Christus hic est. *V.* et *Vulgat. interpr. Gen.* 3. 1.-14. et 2. *Cor.* 11. 3. *Id. Apoc.* 12. 9. Serpens antiquus, qui vocatur diabolus. ¶ 3. Hinc est convicium in homines malignos et vafros. *Id. Matth.* 23. 33. ¶ 4. Dicitur præterea de vermibus corpori humano innascentibus, et φθειρίασιν afferentibus, *pidocchi*. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (172). Ut Pherecydes Syrius serpentium multitudine ex corpore ejus erumpente exspiraverit. Adde *Apul. Florid. n.* 15.

Homonym. Qui differant inter se *serpens, anguis, coluber* et *draco*, *V.* in ANGUIS.

SERPŬLA, æ, f. 1. (serpo) *deminut. a* serpens, parva serpens, *serpe*. *Fest. p.* 351. 13. *Müll.* Serpula serpserit, ait Messala, serpens repserit. *et Paul. Diac. p.* 349. 6. Serpsit antiqui pro serpserit, unde videntur serpulæ dictæ, quas nunc serpentes dicimus.

SERPULLUM. *V.* SERPYLLUM.

SERPYLLĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (serpyllum *et* fero) serpyllum ferens. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *in carm.* Qua serpylliferis olet catinis Baccas per geminas ruber botellus.

SERPYLLUM, serpullum *et* serpillum, i, n. 2. In veterib. codicib. *Virg.* invenit *Pierius* serpullum: *Catonis* quoque non uni idem habent, ex consuetudine vertendi Græcam υ in *u*. — *Serpillus* quoque occurrit apud *Isid.* 17. *Orig.* 9. 51. Herpyllus, quæ apud nos serpillus vocatur, pro eo quod radices ejus longe serpant. — Serpyllum est herba condimentis ciborum apta, ἕρπυλλον, *sermolino, serpollo, serpillo* (*Thymus serpyllum* Linn.): a voce Græca allata, quæ ab ἕρπω, serpo, ut *Varro* 5. *L. L.* 103. *Müll.* et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 90. (245). docent. Nam silvestre serpit, dispergitque sese per humum quibusdam ramusculis tenuibus, qui quacumque terram attigerint, radicem agunt. *Plin. loc. cit.* Serpyllum a serpendo putant dictum. quod in silvestri evenit, in petris maxime. Sativum non serpit, sed ad palmæ altitudinem increscit. Pinguius voluntarium, et candidioribus foliis ramisque. *Virg.* 2. *Ecl.* 10. Thestylis et rapido fessis messoribus æstu Allia serpyllumque, herbas contundit olentes. *Id.* 4. *G.* 30. casiæ virides, et olentia late Serpilla. Adde *Caton. R. R.* 73., *Colum.* 11. *R. R.* 3. *circa med.* et *Pallad.* 4. *R. R.* 9. *in fin.* — Varia ejusdem nomina et virtutes persequitur *Apul. Herb.* 100.; qui etiam *herpillon mega* ait vocatam esse herbam, quæ Græce sisymbrios nominatur.

SERRA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, vox ducitur a *seco*, quasi *secera* et *secra*, unde *serra*. Cadente Latinitate, male litteram r geminarunt, et *seram* confuderunt cum *serra*; item promiscue usurpata, sed perperam, *serra, sarra* et *sarpa*, quæ differunt et origine et significatione. *Isid.* 19. *Orig.* 19. 9. docet, *serram* a sono oriri, id est a stridore. Cf. *Cic.* et *Lucret. loc. infra cit.* — Serra est instrumentum dentatum, quo ligna et lapides secantur, πρίων (It. *sega*; Fr. *scie*; Hisp. *sierra*; Germ. *säge*; Angl. *saw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Varro* apud *Non. p.* 223. 10. *Merc.* Id sal virgines Vestales serra ferrea secant. *Vitruv.* 2. 7. Lapis albus in Venetia serra dentata, uti lignum, secatur. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. Surdi ne stridorem quidem serræ audiunt tum quum acuitur. *Lucret.* 2. 410. serræ stridentis acerbus Horror. *Virg.* 1. *Æn.* 153. Tum ferri rigor atque argutæ lamina serræ, Nam primi cuneis scindebant fissile lignum. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* In quadratum tigna decidere et, serra per designata currente, certa manu trabem scindere. *Colum. Arbor.* 9. Vitem serra præcidere. *Cœl. Sympos. Ænigm.* 60. *de serra* in *lemmate*. Dentibus innumeris sum toto corpore plena: Frondicomam subolem morsu depascor acuto: Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis. *Gromat. p.* 323. 27. *Rudorff.* Serræ cavæ. — Ejus inventionem *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. et *Seneca Ep.* 90. *ante med.* tribuunt Dædalo: *Hygin. fab.* 274. et *Ovid.* 8. *Met.* 8. 241. Perdici, Dædali sororis filio. *V.* PERDIX in ONOM. Ex spina piscis formam serræ ductam, *Hygin. loc. cit.*; ex foliis serratis chamædryos alii apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (130). tradunt. V. *Heyne* ad *Apollod.* 3. 15. 9. *p.* 891. *Ovid. loc. cit.* 244. Ille etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum ferroque incidit acuto Perpetuos dentes, et serræ repperit usum. ¶ 2. Est et serra perpetua acie sive dentibus, qua marmora secantur. Arena hoc fit (inquit *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 9. (51). et ferro fieri videtur, serra in prætenui linea premente arenas, versandoque tractu ipso secante. ¶ 3. *Serra lignea*, genus supplicii apud veteres; nempe serra alicubi, præcipue in Persia, per longum dissecabantur rei. Cf. *Hieronym.* 15. *in Is.* 57. 1. et *Par.* 20. 3. et *Ackermann, op. cit.* § 254. *V.* SERRO.

II.) Improprie. ¶ 1. Est piscis, aut frutex marinus hoc nomine, fortasse quia formam serræ refert. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 2. 1. (3). et 32. *ibid.* 11. 53. (145). ¶ 2. Item genus plaustri, quod rotis subter ferreis ac dentatis volvitur, ut, excussis frumentis, stipulam in areis conterat, et in cibos jumentorum, propter fœni sterilitatem, paleas comminuat. *Hieronym. in Amos* 1. Adde *Vulgat. interpr. Is.* 28. 27.

III.) Translate. ¶ 1. Universim. *Tertull. Cor. mil.* 3. Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus? *h. e.* de eadem re frustra altercabimur. Sic *Varro* 3. *R. R.* 6. Ducere serram cum aliquo. *h. e.* cum aliquo altercari, contendere, certare, alicui adversari. Alii perperam leg. *sertam.* Adde *eumd. Sat. Menipp.* 59. *p.* 169. *Oehl.* Cf. *Tertull. Pudic.* 2. ¶ 2. *Serra prœliari* dicitur, quum assidue acceditur receditur-que, neque ullo consistitur tempore. Cato de re militari: Sive forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, uti adoriare. Hæc *Festus p.* 344. 9. *Müll.*, quæ aciei nomina etiam a *Gell.* 10. 9. referuntur. *Veget.* 3. *Milit.* 19. *ad fin.* ejus usum esse ait, quum turbatam aciem reparare opus est. opponitur enim hosti urguenti strenua militum manus, quæ tantisper, dum ordines iterum ad pugnam reficiuntur, ejus impetum aggrediendo et recedendo remoretur. ¶ 3. Festive *serra* dicitur spina dorsi mulieris macræ. *Martial.* 11. 100. Cui serra lumbis, cuspis eminet etc. ¶ 4. *Serra* in sacris nomen erat Tiberini fluminis, si credimus *Servio* ad illud *Virg.* 8. *Æn.* 62. Ego sum, pleno quem flumine cernis Stringentem ripas, et pinguia rura secantem, Cæruleus Tibris.

SERRĀBĬLIS, e, adject. (serro) qui serra secari facile potest, *segabile*, εὔπριστος. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 82. (227). Serrabilia ac sectilia, quæ modice humida, arida enim lentius serræ cedunt, viridia pertinacius resistunt. Ita *Harduin.* et *Sillig.* Alii perperam leg. *durabilia:* hic enim *Plinius* vertit locum *Theophr. Hist. Plant. l.* 5. *c.* 8., ubi εὔπριστα καὶ εὔσχιστα habet; alii vero *dolabilia.*

SERRĂCŬLUM, i, n. 2. clavus navis, πηδάλιον, *timone della nave.* Ita exponitur in *Gloss. Philox. Ulp. Dig.* 9. 2. 29. Parvi referret, navem immittendo, aut serraculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis. Ita quidam leg., et habet etiam *Torrentin.* in margine: sed in textu *servaculum*, quod alii ancoram, alii clavum, alii scapham navis interpretantur. *Haloander* edidit *verriculum.* At etiam in *Not. Tir. p.* 182. *serraculum* legitur.

SERRĀCUM. *V.* SARRACUM.

SERRĀGO, gĭnis, f. 3. (serra) scobis, fragmenta minutissima, quæ humi cadunt, quum aliquid serrā secatur, *segatura*, πρίσμα. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. 120. Cervini cornu serrago, quam Græci ῥίνημα vocant. *Id.* 1. *Acut.* 14. 106. Caprinum cornu nigrum, sed alba ejus serrago. *h. e.* ramenta. Quidam tribuunt et *Plinio* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (28). Infestantur crystalli plurimis vitiis, scabro, serragine, maculosa nube etc. Alii tamen leg. *scabro, ferrugine:* alii *scabro ferumine:* quod rectius est.

SERRĀLĬA, æ, f. 1. idem ac sarralia. *V.* hanc voc.

SERRANS, antis, particip. *V.* SERRO.

SERRĀNUS, a, um. *V.* SARRANUS.

SERRĀRĬUS, a, um, adject. (serra) qui serra secat. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1108. CONLEGIVM SECTORVM SERRARIVM. *h. e.* serrariorum. — Hinc

Serrarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est qui serra secat. *Gloss. Lat. Gr.* Serrarius, λιθοπριστής. Adde *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 1131. et 1132. ¶ 2. Est etiam qui serras facit. *Seneca Ep.* 56., ubi plerique leg. *ferrarium.* Sed V. *Rich* et *Fickert* ad *h. l.*

SERRĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc.

SERRĀTA. *V.* SERRATUS.

SERRĀTIM, adverb. (serra) *a foggia di sega*, in modum serræ. *Vitruv.* 6. 11. Uti dentes conjuncti muro serratim struantur. *Apul. Herb.* 2. Folia serratim scissa.

SERRĀTŌRĬUS, a, um, adject. (serro) in modum serræ, vel ad serrandum factus. *Ammian.* 23. 4. 4. In modum serratoriæ machinæ connecti.

SERRĀTRĪNA, æ, f. 1. (serra) locus, ubi serra secantur arbores. *Non.* 1. 320. (*p.* 63. 26. *Merc.*) Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut serratrina, ut fœtutina. Alii leg. *seratrina;* alii aliter. Ita *Forcellinus.* Recentiores cum *Mercerio* leg. *feratrina*, et hanc vocem spuriam habent.

SERRĀTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* serrata, *bettonica.* V. SERRATUS et BETONICA.

SERRĀTŪRA, æ, f. 1. (serro) *segamento*, serrandi actus. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. *de insitione.* Arborem serra recidemus: post serraturam, plagam ferramentis acutis incidamus. Adde *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 46. (84)., ubi tamen *Sillig.* leg. *serratula.*

SERRĀTUS, a, um, particip. *V.* SERRO.

SERRENSES et Serreses, ium, m. plur. 3. artifices, qui collegium componebant, incognitæ originis et professionis. *Inscript.* a cl. *De-Rossi* ed. in *Bullett. Crist. a.* 1864. *p.* 57. c. HEDVLEIVS IANVARIVS QQ. ARAM SODALIBVS SVIS SERRENSIBVS DONVM POSVIT. Adde aliam *ibid.* A *Serra* urbe vult eos appellatos *Desjardins* in *Revue Arch. a.* 1865. *p.* 511.-517.; a gente aliqua vel etiam loco nomen factum putat *De-Rossi loc. cit. p.* 59.

SERRĬCŬLA, æ, f. 1. serrula. *V.* SECURICULA.

SERRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (serra) Part. *Serrans; Serratus* et *Serrandus.* — Serro est serra seco πρίζω (It. *segare;* Fr. *scier;* Hisp. *segar;* Germ. *sägen;* Angl. *to saw, cleave*). *Veget.* 2. *Milit.* 10. Ad ejus (*præfecti castrorum*) industriam pertinebant vehicula, sagmarii, nec non ferramenta, quibus materies serratur vel cæditur, quibus aperiuntur fossæ, contexitur vallum, aqua ducitur. Adde *ibid.* 25. Pali dedolantur atque serrantur. *Hieronym.* 15. *in Isai.* 57. 1. Quod Isaias serrandus sit a Manasse serra lignea. *et ibid.* Plurimi illud ad Hebr. (11. 37.) *serrati sunt* ad Isaiæ passionem referunt. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 7. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant. *Id.* 2. *ibid.* 12. 31. Populum adducens serravit. *Id. Is.* 41. 15. Rostra serrantia. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Serratus, a, um, adjective quoque occurrit et est in serræ modum denticulatus, *fatto in forma di sega*, πριονοειδής: ut serrati dentes, qui inter se distincti sunt, et pectinatim stipati ad similitudinem dentium serræ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (160). Dentium tria genera, serrati, aut continui, aut exserti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut serpentibus, piscibus, canibus. *et ibid.* Piscium omnibus serrati dentes, præter scarum: huic uni aquatilium plani. *Id.* 9. *ibid.* 59. 85. (182). Anthiæ spinas in dorso serratas habent. *Id.* 11. *ibid.* 37. 48. (132). Capitis ossa serratis pectinatim structa compagibus. *Petron. Sat.* 136. Anser non dubitavit crus meum serrato vexare morsu. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 46. (84). Folia herbæ serrata. *Id.* 25. *ibid.* 6. 30. (66). Centaurii folia lata, serrato ambitu. — *Cauterem serratum* memorat *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 57. — *Serrati nummi* apud *Tac. Germ.* 5. *in fin.* sunt, quorum ambitus asper et dentatus est in modum serræ: quod indicium quibusdam videtur, nihil iis resectum, et justi esse ponderis. V. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. *p.* 94. *coll. p.* 196. De tempore, quo in usum venere, inter eruditos disputatur. V. *Bullett. archeol. Ital. a.* 1861. *p.* 59. *et seqq*

Serrata, æ, f. 1. absolute. ¶ 1. Est herba eadem, quæ betonica seu vetonica, quod folia habeat serrata, ut *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 46. (84)., ubi etiam hanc herbam refert in Italia *serratulam* vocari. Adde *Apul. Herb. p.* 222. *retro ed. Ald.* ¶ 2. *Serrata* dicitur etiam chamædrys. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 80. (130). Chamædrys herba est, quæ Latine Trixago dicitur. Aliqui eam chamæropen, alii Teneriam appellavere, alii serratam et ab ea serram inventam esse dixerunt.

SERRO, ōnis, m. 3. nasum seu rostrum aduncum habens, ut videtur colligi posse a voce Græca in *Gloss. Gr. Lat.* Γρυπός, serro. γρυπός enim est aduncus, curvus.

SERRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* serra, *seghetta,* πριόνιον, parva serra. *Cic. Cluent.* 64. 180. et apud *Priscian.* 3. *p.* 617. *Putsch.* Se in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex omni parte dentatam et tortuosam venire serrulam, qua illud potuisse circumsecari videretur. *Colum. Arbor.* 6. *a med.* Vitem juxta aliquem nodum serrula desecato. *Cels.* 7. 33. Aliquid ossis nudetur: dein id serrula præcidendum est. *Varro* 1. *R. R.* 50. Serrula ferrea. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. manubriata.

SERTA, æ, f. 1. et

SERTA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SERO (serui) in fin.

SERTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SERTO, as, ātum, are, a. 1. (sero) Part. *Sertatus.* — Serto est corona cingo, corono. *Capell.* 1. *p.* 21. Rosis decussatis cincti sertata contextio. *et* 5. *init.* Caput regali majestate sertatum. *Gloss. Lat. Gr.* Sertat, στεφανοῖ.

SERTOR, ōris, m. 3. (sero) qui serit. *Fest. p.* 340. 22. *Müll.* Sertorem quidam putant dictum a prendendo, quia quum cuipiam adserat manum, educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor: quum veri similius sit, dictum, qui sereret quid; ac potius adsertorem a serendo cepisse nomen, quum aliquem serat petendo in libertatem eamdem, qua ipse sit, idest jungat, quia fruges, quum seruntur, terræ jungit. quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit. Hæc *Festus.* — Hinc qui per sationem natus erat, *sertor* prænomen habuit, ut docet *Auct. de nominib. R.*, cujus tamen prænominis exemplum adhuc est incompertum: nisi velimus reputare, hunc auctorem prænomen *Servium,* quod *Ser.* scribi solet, cum *Sertore* confudisse. Cl. *Furlanetto*, qui hæc postrema addiderat, postea in *App.* retractavit hisce verbis: Hæc tamen corrigenda sunt, nam ipse *Auct. de nominib. R. sub init.* nominat Sertorem Resium qui primus jus fetiale instituit. Ita *Furlanetto.* Verum apud *eumd. Auct.* nunc leg. *Fertor* pro *Sertor* ex *Inscript.* reperta nuper editaque in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 564. Legitur tamen *Sertor* in *Inscript.* apud *Smet. p.* 7. *n.* 4. et *Gruter. p.* 167. *n.* 8. POST. MIMESIVS C. F. T. MIMESIVS SERT. F. NER. CAPIDAS C. F. RVF. etc. FACIVNDVM COIRAVERE.

SERTRIX. *V.* SARTRIX.

SERTŬLA Campana, herba eadem quæ melilotos, apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 29. (53). *V.* CAMPANICUS.

SERTUM, i, n. 2. et

SERTUS, a, um, particip. *V.* SERO (serui).

SĔRU. *V.* voc. seq. init.

SĔRUM, i, n. 2. *Seru* pro *serum*, ut *genu, gelu, tonitru*, ponit *Charis.* 1. *p.* 23. *Putsch.*, sed qui usurpaverit, adducit neminem. — Serum est pars aquosa in lacte, quæ post confectum caseum colatur per fiscellam e vimine (unde a nostratibus vulgo *scolo* vocatur), vel alio modo separatur: fortasse a voce Græca ὀῤῥός ejusdem significationis (It. *siero, siere;* Fr. *petit-lait, sérum;* Hisp. *suero;* Germ. *d. Molken;* Angl. *whey, serum*). ¶ 1 Stricto sensu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (239). Butyrum est spuma lactis, concretiorque, quam quod serum vocatur. *Id.* 28. *ibid.* 9. 33. (127). Lac ablatum igni refrigeratione dividitur, et discedit serum a lacte. *Ovid.* 4. *Fast.* 769. Ubera plena premam: referat mihi caseus æra: Dentque viam liquido vimina rara sero. *Tibull.* 2. 3. 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero. *Virg.* 3. *G.* 405. acremque molossum Pasce sero pingui. — De usu seri in medicina. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (127). et *ibid.* 12. 55. (197). ¶ 2. Latiore sensu dicitur de aquosa parte aliarum rerum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (60). Resinam decoctam minus picis

reddere, quoniam in serum abeat. *Catull.* 80. 8. *de fellatore.* et emulso labra notata sero. *h. e.* semine virili.

SĒRUM, i, n. 2. *V.* SERUS in fin.

SĒRUS, a, um, adject. Falluntur, qui primam syllabam corripi posse putant ex illo *Cic.* in *Arat.* 413. Occidit Andromedæ clarum caput, et sera Pistrix. *fera* enim legendum est. — Ratione habita etymi, nihil certi proferre licet; tamen vox conjungi potest cum Gr. ἦρι pro ἐν ἠερί, ab ἀήρ, aer nubilosus, caligo; ita ut proprie, ut videtur, significet, quod vespertinum dicimus. *V.* SERO init. — Comp. *Serior* II. 1. *c.*; Sup. *Serissimus* II. 1. *b.* et 2. — Serus igitur est vespertinus, *di sera*, ἑσπερινός.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 403. de culmine summo Nequidquam seros exercet noctua cantus. *Ovid.* 1. *Met.* 219. Sera crepuscula. *Id.* 15. *ibid.* 651. lux. *Id. Heroid.* 19. 14. hora. Cf. *Senec. Herc. Fur.* 671. nocte sic mixta solet Præbere lumen primus aut serus dies. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 82. — Hinc *sera* et *serum*, absolute, est tempus vespertinum, vespera. *V.* in fin.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est tardus, qui diu differtur, χρόνιος, ὄψιος. — *a*) De tempore. *Varro* apud *Gell.* 1. 22. Nescis quis vesper serus vehat. Cf. *ibid.* 13. 11. Sic *Ovid.* 4. *Met.* 415. sero a vespere. *Propert.* 1. 3. 10. et *Val. Flacc.* 7. 400. Sera nocte. *fatta gia notte, o a notte già inoltrata.* et *Liv.* 32. 28. Si aut maturius in provinciam venisset, aut hiems magis sera fuisset, potuerit debellare. *Ovid.* 6. *Met.* 29. Seri anni. *h. e.* seniles. *Id.* 1. *Art. am.* 65. sera et sapientior ætas. *età avanzata.* *Id.* 1. 16. vita. Sic *Tibull.* 1. 4. 3. serior ætas. *Martial.* 5. 6. senectus. *Id.* 1. 16. vita. *Quintil.* 12. 1. 31. tempus. — *b*) De personis. *Propert.* 3. 1. 35., *Ovid.* 6. *Met.* 138. et *Val. Flacc.* 8. 397. Seri nepotes. *h. e.* qui multo post erunt. Sic *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 34. Sera posteritas. *Vellej.* 2. 131. Successores quam serissimos destinare alicui. — *c*) De aliis et sæpe de iis, quæ frustra fiunt, quia nimis tarda et quum elapsa occasio est: quod et in SERO admonuimus. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 4. qui hero ex sententia servire servus postulat, in herum matura, in se sera condecet capessere. *Cic.* vertens *Homeri* carmen, 2. *Divinat.* 30. 64. Nobis hæc portenta deum dedit ipse creator, Tarda et sera nimis. *Id.* 5. *Phil.* 1. 1. Ut magis exoptatæ Kalendæ, quam seræ esse videantur. *Id.* 2. *Fam.* 7. Sera gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. *Cels.* 2. 6. *a med.* Seriorem mortem, vel maturiorem denuntiare. *Colum.* 4. *R. R.* 23. Siccitas seriorem putationem facit. *Id.* 2. *ibid.* 10. satio. *Liv.* 2. 3. Bellum spe omnium serius fuit. *Gell.* 11. 7. Sera eruditio, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant. *Ovid.* 15. *Met.* 383. fetus Melliferarum apium sine membris corpora nasci, Et serosque pedes, serasque assumere pennas. *Val. Flacc.* 3. 779. Hunc sibi præcipuum, gentis de more nefandæ, Thessalis in seros Ditis servaverat usus. *h. e.* extremos, et si quando postularet necessitas. *Id.* 3. 279. pars sera componunt lumina dextra. *h. e.* extremum officium claudendi oculos præstante. *Seneca Herc. Fur.* 731. Judicia trepidis sera sortitur reis. *h. e.* ultima apud Inferos. *Propert.* 1. 15. 21. Seri ignes. *h. e.* rogi. *Val. Flacc.* 4. 705. serum ut veniamus ad amnem Phasidis. *h. e.* longe positum, et ad quem tarde et sero perventuri sumus. *Sall. fragm.* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *G.* 144. et *Serv.* ad 5. *Æn.* 521. et 12. *ibid.* 864. Serum bellum in angustiis futurum. *h. e.* frustra pugnam futuram, quum in angustias redacti fuerint. *Val. Flacc.* 3. 562. Sera auxilia ciere. *et* 4. 247. redit Alcidæ jam sera cupido. *Seneca Thyest.* 487. Serum est cavendi tempus in mediis malis. *Id. Hippol.* 594. magna pars sceleris mei Olim peracta est. serus est nobis pudor. *Sueton. Aug.* 17. Seræ condiciones. *Liv.* 3. 46. consilium. *Virg.* 8. *Met.* 509. vires ad fortia. *Id.* 1. *G.* 255. sera rubens accendit lumina Vesper. *Tibull.* 1. 10. 3. pœna tacitis sera venit pedibus. *Horat.* 3. *Od.* 8. 22. Cantaber sera domitus catena. (Cf. 2. *ibid.* 6. 2. et 4. *ibid.* 14. 41. et 1. *Ep.* 12. 26. et *Liv.* 23. 12.) *Ovid.* 2. *Met.* 619. sera ope vincere fata Nititur. ¶ 2. Speciatim est serotinus, *tardivo.* *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (55). *de piris.* Serissima omnium Amerina, Picentina etc. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ante med.* Si voles ficum, quamvis non natura, seram facere, priorem fructum decutito: iterum alterum edet, quem in hiemem differet. *Virg.* 4. *G.* 144. Ille etiam seras in versum distulit ulmos. *h. e.* quæ tarde crescunt, et ad justam magnitudinem lente perveniunt. Si *Servio* credas, *serus* hic est magnus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 697. Sera platanus. ¶ 3. Item longus, diuturnus. *Ovid.* 13. *Met.* 403. Imposita est sero tandem manus ultima bello: Troja simul Priamusque cadunt. *Id.* 15. *Met.* 860. Tarda sit illa dies et nostro serior ævo. ¶ 4. Poetice dicitur de eo, qui sero quippiam facit et occasionem elabi sivit. — *a*) Universim. *Virg.* 10. *Æn.* 94. Tunc decuit metuisse tuis. nunc sera querelis Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas. *Val. Flacc.* 3. 713. Herculeas jam serus opes, spretique vocabis Arma viri. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 617. *Horat.* 1. *Od.* 2. 45. Serus in cælum redeas, diuque Lætus intersis populo Quirini. *Id.* 1. *Ep.* 1. 161. Serus enim Græcis admovit acumina chartis. Adde 2. *Sat.* 7. 33. *Ovid.* 15. *Met.* 297. Arguit incepto (*me*) serum accessisse labori. *Id.* 2. *Art. am.* 224. Jussus adesse foro, jussa maturius hora Fac semper venias: nec, nisi serus, abi. *Id.* 3. *Pont.* 4. 57. Non ego cessavi, nec fecit inertia serum. *Id. Heroid.* 17. 107. Ad possessa venis præceptaque gaudia serus. — *b*) Cum Genetivo. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 21. O seri studiorum! ὀψιμαθεῖς. qui parum didicistis, quia sero ad litteras animum applicuistis. *Sil. It.* 3. 255. Consilio viridis, sed belli serus Ilertes. Alii leg. *bello.* — *c*) Cum Infinito. *Propert.* 3. 3. 57. Cur serus versare boves et plaustra Bootes. ¶ 5. Item funestus, gravis, tristis, infelix, in illo *Virg.* 12. *Æn.* 863. avis, Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis Nocte sedens, serum canit importuna per umbras. et 5. *ibid.* 524. Seraque terrifici cecinerunt omina vates. Ita *Serv.*, qui addit et fragmentum *Sallustii* supra allatum. Addunt alii illud 4. *Æn.* 462. Seraque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri. (Ita enim legit *Non.* p. 194. 2. *Merc.*; alii *sola.*) Et *Val. Flacc.* 6. 431. funesta priusquam Consilia, et seras aperit rex perfidus iras. ¶ 6. *Serum est*, absolute, *troppo tardi.* *Martial.* 8. 44. Titulle, mones, vive semper hoc serum est, Sub pædagogo cœperis licet: serum est. *Quintil.* 12. 6. 3. Dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere jam serum est. Adde 4. 2. 115. — Hinc

Sera, accus. plur., ut *multa* pro *multum*, absolute pro *sero*, more adverbii, *tardi.* *Virg.* 4. *G.* 122. nec sera comantem Narcissum — tacuissem.

Sera, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est hora sera, vespera, *sera.* *Gloss. Gr. Lat.* Ἑσπέρα, sera, vespera, crepusculum.

Sero, adverb. *V.* suo loco.

Serum, i, n. 2. absolute, *subaud.* tempus, est extrema diei pars, vesper, *la sera, il tardi*, ὀψία. — *a*) Absolute. *Sueton. Aug.* 17. Navali prœlio vicit, in serum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctaverit. — *b*) Cum addito genet. *diei* aut *noctis.* *Liv.* 10. 28. Extrahebatur in quam maxime serum diei certamen. *Id.* 7. 8. Castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere. *Tac.* 2. *Ann.* 21. *in fin.* Jamque sero diei subducit ex acie legionem. *Liv.* 33. 48. Multo vino in serum noctis convivium productum.

SERVA, æ, f. 1. *V.* SERVUS, a, um, in fin.

SERVĀBĬLIS, e, adject. (servo) ¶ 1. Est qui servari potest, *conservabile, serbevole.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40). Duracine uva, sine ullis vasis in vite servabilis. Alii tamen rectius leg. *servatur.* ¶ 2. Item qui salvari potest, *che si può salvare:* *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 21. Et tutare caput nulli servabile; si non Qui meruit Stygia, sublevet illud, aqua. ¶ 3. Item qui observari et retineri potest. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. 180. Ea, quæ Empirici servabilia vocaverunt, etiam nunc adhibenda existimat. *h. e.* observatione cognita.

SERVĀCŬLUM. *V.* SERRACULUM.

SERVANS, antis, particip. *V.* SERVO.

SERVĀTĬO, ōnis, f. 3. (servo) ¶ 1. Actus servandi, seu observandi. *Plin.* 10. *Ep.* 121. Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi tuam, misi; quam perpetuam servationem meam quædam necessitas rupit. *regola, pratica, riguardo.* ¶ 2. Item observatio, experientia. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 45. Empiricus solum servationem intuens, quam τήρησιν vocant.

SERVĀTOR, ōris, m. 3. (servo) ¶ 1. Generatim est, qui servat, qui salvat, conservator, *conservatore, salvatore*, σωτήρ. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 83. Eho, an etiam veneficus? co. Immo edepol vero hominum servator magis. *Lucret.* 4. 685. Servator Romulidarum arcis. *Cic. Planc.* 36. *extr.* Ego committerem, ut idem perditor reipublicæ nominarer, qui servator fuissem. *et ibid.* 42. Nemo erit, qui a me mei servatorem capitis divellat. *Liv.* 34. 50. *ad fin.* Prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque acclamantibus. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 41. Teque meæ causam servatoremque salutis. *Id.* 4. *Met.* 736. Auxiliumque domus servatoremque fatentur. *Claudian.* 1. *in Eutròp.* 439. Æmilios inter servatoresque Camillos Eutropius? *Propert.* 4. 6. 37. o Longa mundi servator ab Alba Auguste. ¶ 2. Speciatim, per antonomasiam, dicitur de Christo, qui genus humanum ab æterno interitu liberavit. *Juvenc.* 2. 249. Sederat hic rapido Servator anhelus in æstu. ¶ 3. Item est epitheton Jovis, ut *custos, conservator* etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 18. 6. IOVI OPTIMO MAXIMO SERVATORI CONSERVATORI P. AELIVS CHRESTVS etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (74). Templum Jovis Servatoris in portu Atheniensium. ¶ 4. Item spectator, *osservatore.* *Lucan.* 8. 171. Doctus ad hæc fatur taciti servator Olympi. ¶ 5 Item servans, custodiens. *Id.* 2. 389. Justitiæ cultor, rigidi servator honesti. *Claudian. B. Get.* 496. Servator fœderis. *Stat.* 5. *Theb.* 352. cruentus Bebrycii nemoris.

SERVĀTŌRĬUM, ii, n. 2. (servo) id quod servat, *preservatorio.* *Gloss. Gr. Lat.* Φυλακτήριον, servatorium.

SERVĀTRIX, tricis, f. 3. (servator) quæ servat, conservatrix, *salvatrice, guardatrice*, σώτειρα.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 16. O mea Bacchis, servatrix mea! *Cic.* 5. *Fin.* 9. *ad fin.* Non dubitem dicere, omnem naturam servatricem esse sui. *Plerique omnes nunc leg.* conservatricem. *Stat.* 5. *Theb.* 672. dux et servatrix cohortis Inachiæ. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 50. ¶ 2. Speciatim est epithet. deorum. *Inscript.* apud *Gud.* 31. 7. DIVAE DIANAE SERVATRICI. *et* 52. 5. MINERVAE SERVATRICI SACRVM. Aliæ duæ apud *Fabrett.* p. 470. n. 109. et 110. PROSERPINAE SERVATRICI. ¶ 3. Item custos, *custode, guardia.* *Stat.* 12. *Theb.* 606. Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam Pectoris, incussa movit Tritonia parma.

II.) Translate. *Apul. de Dogm. Plat.* 2. Servatrix convenientiæ.

SERVĀTUS, a, um, particip. *V.* SERVO. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SERVĬÆ. *V.* SERIVA.

SERVĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* servus, *picciol servo.* *Tertull. Idolol.* 10. Saturnalia, quæ etiam serviculis celebrari necesse est.

SERVĬENS, entis, particip. *V.* SERVIO.

SERVĬENTĬA, æ, f. 1. (servio) *servitù.* *Plaut. Rud.* 4. 2. 13. Paupertatem heri qui et meam servientiam tolerarem. Alii rectius leg. *paupertatem heri qui et meam sententia tolerarem.* h. e. sapientia, prudentia. Ita *Forcellinus.* At recentiores plerique omnes leg. *servitutem.*

SERVĪLE. *V.* SERVILIS in fin.

SERVĪLĬCŎLA. *V.* SERVULICOLA.

SERVĪLIS, e, adject. (servus) Ablat. sing. *servile* pro *servili* in *Corp. Inscr. Lat.* 1.

1429. TRVTEDIA HIC CVBAT P. TRVTED. AMPHIONIS LIB. NOMINE SERVILE APPIA. V. *Brambach, op. cit. p.* 159. — Servilis est ad servum pertinens, *da schiavo, servile*, δουλικός. ¶ 1. Universim. *Cic.* 1. *Phil.* 3. *a med.* Cujus a cervicibus jugum servile dejecerant. *Id. Sull.* 19. *in fin.* Munere servili obtulit se ad ferramenta prospicienda. *Id. Pis.* 38. 92. Vestis servilis. *et ibid.* 1. 1. Servilis color. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Servilis tumultus. *Sall. orat. Lepidi contra Sull.* Servilia alimenta. *h. e.* quini quaterni modii frumenti, quos heri servis in singulos menses dimetiri solebant. Cf. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1. 1. 9. et *Senec. Ep.* 80. *Liv.* 1. 5. *a med.* Indoles minime servilis. *Petron. Sat.* 139. Serviles pœnas dare. *Callistrat. Dig.* 48. 20. 1. Servilis conditio. *Paul. ibid.* 4. 5. 3. Servile caput nullum jus habet: ideoque nec minui potest. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. De uxoribus in servilem modum quæstionem habent. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Humilis atque servilis gestus. *Sall. fragm.* apud *Augustin.* 2. *Civ. D.* 18. Servili imperio patres plebem exercere. *Flor.* 3. 19. Servile bellum. *et ibid.* 21. *ante med.* Marium servilis fuga exemit. *h. e.* instar servi fugitivi et latitantis. *Horat. Epod.* 4. 19. Servilis manus. *h. e.* servorum exercitus. *Id.* 2. *Sat.* 7. 110. qui prædia vendit, Nil servile, gulæ parens, habet? *Cic.* 2. *Orat.* 80. 327. Servilis percunctatio. *h. e.* Sosiæ liberti, sed adhuc hero servilia officia præstantis. *Seneca Tranquill.* 9. *a med.* Plerisque ignaris etiam servilium litterarum etc. *h. e.* earum, quas vel servi norunt, legere, scribere, rationes conficere: quibus opponuntur *liberales*, eruditiores nempe et libero homine dignæ. *Sil. It.* 11. 527. Servilia fœdera. *h. e.* turpia, inhonesta. — Absolute *Ambros. de Noe et Arc.* 29. Operari terram magis servile, quam liberum, est. ¶ 2. *Servile opus* apud scriptores Ecclesiasticos, quod festis diebus nulli sive servo sive libero faciendum est ex divinæ legis præcepto. *Vulgat. interpr. Lev.* 23. 7. Omne opus servile non facietis in eo (*die azymorum*) — Hinc

Servile, absolute, adverbii more, ut *facile* a *facilis* etc., idem ac serviliter. *Claudian. B. Gild.* 364. fractos inglorius armos Supposuit, servile gemens.

SERVĪLĬTER, adverb. (servilis) servorum more, *da servo, servilmente*, δουλικῶς. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 55. Ne quid serviliter muliebriterve faciamus. *Flor.* 1. 23. Impotentia feneratorum, quibus in terga quoque serviliter sævientibus etc. *Tac.* 1. *Hist.* 36. Otho protendens manus adorare vulgum, jacere oscula et omnia serviliter pro dominatione. *con viltà.* et *Petron. Sat.* 117. Serviliter ficti dominum consalutamus. Cf. *Flor.* 1. 23. et *Sidon.* 2. *Ep.* 1. *Augustin.* 1. *Op. imperf. contra Julian.* 85. Sub peccato serviliter detineri.

SERVĬO, is, ivi et ii, itum, ire, 4. (servus) *Servibam* et *servibo*, pro *serviebam* et *serviam*, positiones sunt in quarta conjugatione non inusitatæ. *Plaut. Capt.* 2. 1. 50. Ne me secus honestes, quam ego te, quum servibas mihi. *Id. Merc.* 3. 2. 3. antiqua recolam, et servibo tibi. *Id. Trin.* 2. 2. 27. animo servibit, non sibi. — Part. *Serviens* sub *A* II. 4. et in fin.; *Serviturus* sub *A* I. 1. 1.° *a*. — Servio est in servitute esse, sub domino officium facere, deservire, ministrare, δουλεύω (It. *essere schiavo o servo, servire*; Fr. *être esclave ou serviteur, servir*; Hisp. *ser esclavo ó captivo, servir come criado ó esclavo, servir*; Germ. *Sklave od. im Sklavenstande sein, als Sklave dienen, dienstbar sein*; Angl. *to be a slave, serve in the capacity of a servant or slave*) et occurrit

A) Sæpius intransitivorum more.

I.) Proprie tum de servitute privata, tum de publica. ¶ 1. Forma activa. — 1.°) Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 16. HA. Quid tu? servusne es an liber? PS. Nunc quidem etiam servio. *Id. Rud.* 1. 3. 37. Nunc qui minus servio, quam si forem serva nata? *Ter. Andr.* 1. 1. 11. propterea quod servibas liberaliter. *Tac. Agric.* 13. Britanni injurias ægre tolerant jam domiti ut pareant, nondum ut serviant. *Sil. It.* 17. 191. traducere captam Servitum gentem, Latioque imponere leges. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 105. Aliquem servitum abducere. *Sall. epist. Mithrid. ad Arsac. ante med.* Quia fama erat, divitem, neque serviturum esse. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 40. qui pauperiem veritus potiore metallis Libertate caret, dominum vehit improbus atque Serviet æternum. *Quintil.* 5. 10. 60. Aliud est servum esse, aliud servire; qualis esse in addictis quæstio solet. — *b*) Cum Dativo personæ, cui servitur. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 71. Justum est tuus tibi servus tuo arbitratu serviat. *Ter. Phorm.* 1. 1. 33. Ea serviebat lenoni impurissimo. *Virg.* 2. *Æn.* 786. Grajis servitum matribus ibo. *Ovid.* 15. *Met.* 827. frustraque erit illa (*Cleopatra*) minata, Servitura suo Capitolia nostra Canopo. *Cic.* 1. *republ.* 35. 55. Hac libertate omnes carere, sive regi sive optimatibus serviant. *Nepos Alcib.* 9. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis servire poterat pati. *Sueton. vit. Ter.* 1. P. Terentius Afer Carthagine natus servivit Romæ Terentio Lucano senatori. — *c*) Cum Accus. et præp. *apud*. *Plaut. Capt.* 2. 2. 62. Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio. Cf. *ibid.* 2. 2. 80. Filius meus illi apud vos servit captus in Alide. *Id. Aulul.* 1. 1. 12. Potius quidem quam hoc pacto apud te serviam. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 182. Si quis apud nos servisset, seseque liberasset. — 2.°) Speciatim *servire* etiam dicuntur, qui sub tyrannide vivunt. *Liv.* 39. 37. Quum sine muris per octingentos prope annos liberi fuissetis, muris, veluti compedibus circumdatis, vincti per centum annos servistis. ¶ 2. Passive impersonaliter. *Cic. Rabir. Post.* 8. *extr.* Quid stultius, quam equitem R. venire in eum locum, ubi parendum alteri et serviendum sit. *Sall. orat. Lepidi* 10. Hac tempestate serviundum, aut imperitandum: habendus metus est, aut faciendus.

II.) Translate. ¶ 1. Domus et agri *servire* dicuntur, qui aliqua re obnoxii sunt alteri a domino, v. gr. tigno immittendo, aquæ ducendæ, itineri præstando etc.; qua de re sunt in *Digestis* tituli omnes libri octavi. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. *ad fin.* Capite hoc omnia prædia, quæ serviebant, non servient. *Id.* 3. *Off.* 16. 67. et 1. *Orat.* 39. 178. Ædes hæ Sergio serviebant. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 39. 178. Quum M. Marius - ædes Oratæ vendidisset neque servire quamdam earum ædium partem in mancipi lege dixisset. *V.* SERVITUS et SERVUS. ¶ 2. Metaphorice est usum præbere. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Lætor, quod domus C. Cassii serviet domino non minori. *Frontin. Aquæd.* 18. Omnibus humilior Alsietina est, quæ jacentibus locis servit. *et* 92. Ut Marcia potui tota serviret. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Argento feminæ laventur, et nisi argentea, solia fastidiant: eademque materia et cibis et probris serviat. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (157). Chartis serviunt calami. *et ibid.* 37. 70. (178). E scirpis detracto cortice, candelæ luminibus et funeribus serviunt. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *a med.* Ut totus truncus alieni generis viti serviat. *scil.* succum præbendo. ¶ 3. Item morem gerere, inservire, præsto esse. *Cic. Planc.* 38. 92. Respublica ageret mecum, ut quoniam sibi servissem semper, numquam mihi etc. ut jam mihi servirem, consulerem meis. *Nepos Themist.* 1. Diligenter servire amicis. *Tiber.* apud *Sueton. Tib.* 29. Bonum principem senatui servire debere, et universis civibus sæpe et plerumque etiam singulis. ¶ 4. Item parere, indulgere, obsequi. *Cic. Prov. cons.* 1. *ad fin.* In hac sententia dicenda non parebo dolori meo, non iracundiæ serviam. *Id. Cæl.* 32. 79. Ut in alterius dolore vel pietati vel indulgentiæ vestræ serviatis. *Vellej.* 2. 23. 5. Animos extra mœnia, corpora necessitati servientes intra muros habebant. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 167. placidi servirent legibus enses. *Id. IV. cons. Honor.* 555. Serviretque tuis, contempto Castore, frenis Cyllarus. *Cæs.* 2. *B. C.* 27. Hi seu vere, quam habuerant, opinionem perferunt, sive etiam auribus Vari serviunt, (nam quæ volumus, credimus libenter) confirmant etc. *h. e.* blandiuntur. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 47. Imperat aut servit collecta pecunia cuique. — Passive impersonaliter. *Sall. fragm.* apud *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2. 2. 23. Senati decreto serviendumne sit. ¶ 5. Refertur ad mores et religionem. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 59. Et Dei formam gerentes serviemus sæculo? Adde *Juvenc.* 1. 744. et *Vulgat. interpr. Exod.* 23. 25. et alibi passim ¶ 6. Item operam dare, incumbere. *Sall. Cat.* 56. Domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis. *Cic. Rosc. Am.* 15. 43. Patresfamilias optatissimum sibi putant, filios suos rei familiari maxime servire. *Id. ad Q. fr.* 9. *ad fin.* Populi commodis consulere, et utilitati salutique servire. *Id.* 5. *Tusc.* 3. *ad fin.* Alios gloriæ servire, alios pecuniæ. *Id.* 4. *Verr.* 2. 5. laudi existimationique. *Nepos Hamilc.* 1. paci. *Id. Themist.* 1. famæ. *Cic.* 16. *Fam.* 18. valetudini. *Id. Brut.* 69. 242. multorum vel honori vel periculo. *Vellej.* 1. 13. *a med.* Semper aut belli aut pacis serviit artibus. — Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Off.* 10. 31. Primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. *Id.* 2. *Orat.* 80. 837. Ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. ¶ 7. Item habere rationem, sectari, affectare. *Cic. Orat.* 52. *extr.* et 69. 230. In eo libro Isocrates dicit, sese minus jam servire numeris, quam solitus esset. et 54. *in fin.* Compositio, quæ tota servit gravitati vocum, aut suavitati. ¶ 8. Item accommodare se, aptare se. *Cic.* 8. *Att.* 3. et 10. *ibid.* 7. Servire tempori. — Passive impersonaliter. *Id.* 1. *ad Brut.* 9. Tibi nunc populo et scænæ, ut dicitur, serviendum est. *Id.* 3. *Off.* 29. 106. Illud idcirco recte dicitur a poeta, quia quum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit.

B) Transitivorum more. ¶ 1. Passive. *Seneca Tranquill.* 9. Assuescamus ergo cenare posse sine populo et servis paucioribus serviri. *Madvig* leg. *servire*, et *serviri* barbarum dicit. V. *Advers. crit. v.* 2. *p.* 379. ¶ 2. *Servire servitutem* modus est loquendi antiquorum: sic *ludere ludum, pugnare pugnam* etc. et apud Græcos δουλεύειν δουλείαν, μάχεσθαι μάχην etc. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 3. 4. 12. Equidem tam sum servus quam tu, etsi ego domi liber fui, tu usque a puero servitutem servivisti in Alide. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 2. Neque herile negotium plus curat quam si non servitutem serviat. *Cic. Top.* 6. 29. Quorum majorum nemo servitutem servivit. Adde *Mur.* 29. 61. *Liv.* 40. 18. Qui (*cives*) servitutem servissent. Cf. 45. 15. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 6. qui amanti hero servitutem servit. *et Capt.* 2. 3. 31. Dicito, - me servitutem servire huic homini optumo. *et Trin.* 2. 2. 21. Tuis servivi servitutem imperiis et præceptis, pater. Adde *Capt.* 2. 2. 84. *et* 3. 4. 12. — *c*) Cum Accus. et præp. *apud*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 17. ego haud diu apud hunc servitutem servio. — In illo *ejusd. ibid.* 2. 6. 2. et 3. 1. 147. *Forcellinus* leg. *servire servitute*; at recentiores utrobique leg. *servire servitutem*. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus,

Serviens, entis, etiam adjective occurrit et est qui servit. — *a*) Cum Dativo. *Inscript.* apud *Le Blant, Inscr. Chrét. de la Gaul. n.* 667. A. STEFANVS PRIMICIRIVS (*sic*) SCOLAE LECTORVM SERVIENS ECCLESiae LVGDVNENSI. — *b*) Absolute est servus, minister. *Tac. Agric.* 40. Turbæ servientium immistus est. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. 34. Delirationes vero ægrotantium usu dextero atque artificio servientes accipere et tolerare debebunt. Adde *Ambros.* in *Psalm.* 45. *n.* 17. — *c*) Est etiam subditus, obnoxius sensu morali. *Prudent.* περὶ στεφ. 2. *extr.* Christi reum Prudentium Et servientem corpori Absolve vinclis sæculi.

SERVĪTĬĀLIS, e, adject. (servitium) ad servitium pertinens, serviens. *Isid.* 1. *Ep.* 15. Servitiales clerici.

SERVĪTĬUM, ii, n. 2. (servus) servitus, famulatus, *servaggio, servitù*, δουλεία.

I.) Proprie. — 1.°) Abstractorum more est

servitus, famulatus. *Ter. Andr.* 4. 1. 52. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo, Conari manibus pedibus, noctesque et dies. *Sall. Jug.* 66. Quum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret. *Id.* 1. *Hist. fr.* 41. *Dietsch.* Potior periculosa libertas quieto servitio. et *Jug.* 99. *a med.* Servitium minari alicui. *Liv.* 2. 23. Ducere aliquem in servitium. *Id.* 41. 6. Non publico tantum se premi imperio, sed singulos justum pati servitium. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 8. Servitium subire. *Sall. orat. Licin. ad pleb. ante med.* scelestum imponere alicui. et *epist. Mithrid. ad Arsac. ante med.* grave alicui demere. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *a med.* Civitatem a servitio abstrahere. *Virg.* 3. *Æn.* 327. juvenemque superbum Servitio enixæ tulimus. *h. e.* in servitute parientes. *Id.* 1. *ibid.* 285. Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Servitio premet. Adde *Justin.* 15. 3. *a med. Horat.* 2. *Sat.* 5. 99. Quum te servitio longo curaque levarit. *Virg.* 1. *Æn.* 41. Servitio exire. et *Colum.* 8. *R. R.* 11. 2. liberari. — 2.°) Concreto, ut ajunt, sensu dicitur de ipsis servis, seu multitudine servorum, *servidoranza, schiavi, servitù.* — *a*) In sing. num. *Plaut. Curc.* 2. 3. 21. ita nunc mos viget, Ita nunc servitium est. *Cic.* 7. *Verr.* 4. *a med.* Et tamen cœptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor. *Id. Harusp. resp.* 12. *circa med.* Omne servitium in alteram scænam immissum, alteri præpositum. Adde *Vellej.* 2. 82. 3. Rursus *Cic.* 3. *republ.* 9. *extr.* Lycurgus agros locupletium plebi ut servitio colendos dedit. Sic *Pis.* 4. 9. Ex omni fæce urbis ac servitio. et *Harusp. resp.* 12. 25. A servitio cavere. *Tac.* 12. *Ann.* 17. Servitii decem millia. Adde *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 150. — *b*) In plur. num. *Cic. Flacc.* 38. *sub fin.* Vis absit, ferrum ac lapides removeantur, operæ facessant, servitia sileant. *Id. Cœl.* 32. 78. Servitia ad cædem et inflammandam Urbem incitavit. *Liv.* 2. 20. Servitia regum superborum suæ libertatis immemores alienam oppugnatum venire. *Colum.* 11. *R. R.* 1. Servitia sic tirunculum villicum contemnunt, ut senem. *Petron. Sat.* 107. Servitia ecce in frontibus cernitis. Alii interpretantur h. l., ut *servitia* sint notæ seu stigmata, quibus servi, si peccassent, inurerentur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1.° *Sall. Cat.* 1. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. *Tibull.* 2. 1. 41. Illi etiam tauros primum docuisse feruntur Servitium, et plaustro supposuisse rotam. et *ibid.* 4. 1. Hic mihi servitium video, dominamque paratam. *Ovid.* 3. *Art. am.* 486. Vidi ego pallentes isto terrore puellas, Servitium miseras tempus in omne pati. *Id.* 1. *Amor.* 2. 18. Servitium amoris ferre. *Colum.* 8. *R. R.* 8. *de columbis.* Ne quasi gravi perpetuæ custodiæ servitio contristatæ senescant. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2.° *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Sunt autem fuci velut imperfectæ apes, novissimæque a fessis et jam emeritis inchoatæ, serotinus fetus, et quasi servitia verarum apium.

Homonym. *Servitium* videtur plus esse quam *servitus*; hæc enim est conditio seu status servilis; illud vero, quidquid est in hoc statu probrosius et sævius. *Liv.* 41. 6. Fuisse Lycios sub ditione Antiochi; eam regiam servitutem collatam cum præsenti statu, præclaram libertatem visam; non publico tantum se premi imperio, sed singulos justum pati servitium. *Justin.* 15. 4. 13. Sandracottus titulum libertatis post victoriam in servitutem verterat; siquidem occupato regno populum, quem ab externa dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 45. et 2. *ibid.* 73.

SERVĪTOR, ōris, m. 3. (servio) servus. *Inscript.* apud *Murat.* 76. 4. (*Orell.* 2363.) EX IMPERIO GENII ALOTIANI EVARISTVS SERVITOR DEORVM EX VISO LIB. AN. h. e. libenti animo. Adde aliam apud *Bottari, Roma sotterr. T.* 1. *p.* 207. *Auct. sermon.* 43. *ad Fratr. in Eremo* (inter op. *Augustini*) *a med.* Pro lecto habere voluit fenum, pro servitoribus bovem et asinum.

SERVITRĪCIUS vel
SERVITRĪTIUS, a, um, adject. (servus) *Stabulum servitricium*, convicium in servum, quemadmodum *stabulum flagitii, nequitiæ* etc. Sunt qui putant esse a *tero, is*, quasi tritus verberibus, aut fugitivi notis; vel quasi servorum vilissimus, quem terant ceteri et calcent. Plerique tamen rectius leg. *servitutium.* V. SERVITUS. *Plaut. Pers.* 3. 3. 13. Vir summe populi, stabulum servitutium, scortorum liberator, sudiculum flagri. Ita *Forcellinus.* Recentiores tamen leg. *servitricium.*

SERVĪTŪDO, inis, f. 3. (servus) servitus.
I.) Proprie. *Liv.* 24. 23. Servitudinis indignitatisque homines expertos etc. Alii aliter leg. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 83. *Müll.* Eritudo, servitudo. *Gloss. Philox.* Servitudo, δουλεία. Quidam addunt *Liv.* 39. 37., sed ibi omnes fere *servitutis.*
II.) Translate. *Cyprian.* ad *Fortunat. De exhort. martyr.* 7. Reverti quærit ad Ægypti, id est ad sæculi servitudinem, unde fuerat exutus.

SERVĪTUS, ūtis, f. 3. (servus) *Servitutium* pro *servitutum*, ut *civitatium, Arpinatium*, habetur in *Dig.* 8. 2. 31. *extr.* et *ibid.* 3. 1. *extr.* in editione *Torrentini* aliorumq., et etiam legitur apud *Plaut. Pers. loc. cit.* in SERVITRICIUS. *V.* hanc voc. — Servitus est conditio servorum, servitium, famulatus, sive sub domino sive sub tyranno, δουλεία (It. *schiavitù, servaggio, servitù*; Fr. *condition d'esclave, esclavage, servitude*; Hisp. *esclavitud*; Germ. *Knechtschaft, Sklaverei*; Angl. *slavery, servitude*).
I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Generatim. *Florentin. Dig.* 1. 5. 4. Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 192. *Putsch.* quanto libertatem hanc hæc superat servitus? *Ennius* apud *Non. p.* 290. 17. *Merc.* Cf. *Gell.* 6. 16. Quibus nunc ærumna mea libertatem paro, quibus servitutem mea miseria deprecor. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? Adde *Plaut. Capt.* 2. 3. 12. *Ter. Andr.* 1. 1. 9. Servitus justa et clemens. *Publil. Syr.* 11. *Ribbeck.* acerba. *Id.* 227. gravis. *Sueton. Tib.* 24. misera et onerosa. *Phædr.* 1. 2. tristis. *Cic.* 2. *Phil.* 44. *a med.* Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Servitutem perpetuam injungere civitatibus. *Id. ibid.* 14. Abstrahere liberos in servitutem. *Id. ibid.* 77. Addicere aliquem perpetuæ servituti. *Cic.* 1. *republ.* 44. 68. Afficere liberum populum servitute. *Id. Cluent.* 7. *a med.* Esse in servitute (*h. e.* haberi in servitute, ut ait *Tac.* 12. *Ann.* 53.). *Id. Dom.* 51. et *Nepos Thrasyb.* 1. Servitute oppressam civitatem tenere. *Cic. Prov. cons.* 5. Aliquem in servitutem tradere. *Sall. orat. Licin. ad pleb. ante med.* Servitutem alicui imponere. *Cic. Mur.* 29. 61. Servitutem servire. *Id.* 6. *Phil.* 7. *extr.* pati. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 47. In servitutem redigere. Sic *Cic.* 1. *republ.* 35. 54. *Liv.* 34. 58. mittere. *Ter. Phorm.* 4. 3. 48. Dare se alicui in servitutem. *Cic. Pis.* 34. *sub fin.* abducere. *Justin.* 8. 1. 3. Servitutem subire cogere. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 56. Ipsam (*mulierem*) Veneri in servitutem adjudicat (*Verres*), deinde bona vendit. *Id.* 1. *Off.* 42. 150. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. *Id.* 2. *republ.* 25. 46. Depellere a civibus suis injustam duræ servitutis jugum. *Id.* 1. *ad Brut.* 14. *extr.* Repellere servitutem a civibus. *Id. Amic.* 12. *a med.* Græciam servitute liberare. *Liv.* 34. 7. *sub fin.* Exuere servitutem. *Nepos Thrasyb.* 1. Vindicare e servitute in libertatem. *Quintil.* 11. 1. 88. Exire de servitute. *Justin.* 15. 4. 12. Cervicibus jugum servitutis excutere. — Cum Dativo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 12. Opulento homini dura hoc magis servitus est. *h. e.* servire. — *b*) Speciatim servitus dicitur de prædiis, quum alicui rei obnoxia sunt, ut in SERVIO dictum est. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Servitutem fundo imponere. *Ulp. Dig.* 8. 3. 1. Servitutes prædiorum rusticorum sunt hæ: iter, actus, via, aquæductus. *Cajus ibid.* 2. 1. Urbanorum prædiorum jura talia sunt: altius tollendi et officiendi luminibus vicini, stillicidium avertendi in tectum, immittendi tigna etc. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu occurrit de multitudine servorum, seu potius amantium. *Horat.* 2. *Od.* 8. 17. pubes tibi crescit omnis, Servitus crescit nova. Ita *Broukus.* ad *Tibull.* 2. 4. 1. Aliis fortasse non placebit, quia bis idem *Horatius* dicere videretur.
II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Trin.* 2. 2. 21. tuis servivi servitutem imperiis et præceptis. *V.* SERVIO. *Cic. Planc.* 30. 74. Ego hujus officii tanti servitutem astringebam testimonio sempiterno. *Publil. Syr.* 595. *Ribbeck.* Fortuna magna domino est servitus. *Quintil.* 2. 16. 9. Nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent. *si obbligassero all'obbedienza delle leggi.* et 7. 3. *circa med.* Illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa se verba adstringendi. ¶ 2. Speciatim refertur ad cultum religiosum. *Vulgat. interpr. Eccli.* 2. 1. Accedens ad servitutem Dei, sta in justitia. *Id. Col.* 3. 5. Avaritia, quæ est simulacrorum servitus. et *Ital. Exod.* 12. 26. Quæ est servitus ista? ubi Græce λατρεία, et apud *Vulg.* nostrum *religio.*

SERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Servasso, is, it,* ἀρχαϊκῶς pro *servem* et *servavero*, ut *amasso, levasso* etc. *Plaut. Most.* 1. 3. 71. Si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. *Id. Cist.* 4. 2. 76. At vos Salus servassit. *Id. Cas.* 2. 5. 16. et *Asin.* 3. 3. 64. Dii te servassint semper. — Ratione habita etymi, *Forcellinus* vocem ducit a Gr. ἐρύω, traho, custodio; *Curtius* et *Vanicek, op. cit.*, a rad. Skr. *sar*, integer, unde etiam, simul commutatis, uti assolet, litteris *l* et *r*, fit Gr. ὅλος et Lat. *salvus.* V. hanc voc. — Part. *Servans* 3., 6. et 8. et in fin.; *Servatus* 1. *a, b.*, 3. et 7. *b.*; *Servaturus* 3.; *Servandus* 3. et 4. *a, b.* et 7. *a.* — Servo est salvum et incolumem præsto, tueor, conservo, ἐρύω (It. *salvare, conservare*; Fr. *sauver, conserver, maintenir intact, préserver*; Hisp. *salvar, conservar*; Germ. *erhalten, unversehrt bewahren, schirmen, aufrecht erhalten*; Agl. *to save, preserve, conserve*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 69. Tu me amoris magis quam honoris servavisti gratia. *Id.* apud *Non. p.* 277. 11. *Merc.* Ocius serva cives. defende hostes. *Plaut. Amph.* 1. 1. 157. Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? SO. servaveris. nam continuas has tres noctes pervigilavi. *mi darai la vita.* et *Curc.* 2. 3. 56. Perdis me tuis dictis. CVRC. imo servo, et servatum volo. *Ter. Phorm.* 5. 3. 24. Ita me servet Juppiter, ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemo est. *Id. Heaut.* 4. 8. 4. Serva, quod in te est, filium, et me et familiam. *Cic.* 14. *Fam.* 1. Qui ceteros servavi, ut nos periremus. *Sall. Cat.* 56. *circa med.* Dii hanc rempublicam in maxumis sæpe periculis servavere. Formula apud *Caton. R. R.* 141. 3. Mars pater, te precor pastores pecuaque salva servassis duisque bonam salutem mihi etc. *Enn.* apud *Fest. p.* 298. 4. *Müll.* Astu, non vi sum (*pro* eum) summam servare decet rem. Cf. *Vahlen. reliq. Enn. poes. p.* 16. *Seneca Octav.* 444. Extinguere hostem maxima est virtus ducis: servare cives major est patriæ patris. — *b*) Cum addito Ablat. ejus, a quo quis servatur, cum præp. *ex, ab*, aut sine præp. Formula apud *Liv.* 22. 10. Si res publica populi R. Quiritium ad quinquennium proxumum salva servata erit hisce duellis, datum donum duit etc. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 48. 5. Q. SERVILIVS VVLNERE SERVATVS. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. *extr.* Si quos ex eo periculo fortuna servare potuisset. *Cic. Arch.* 9. 21. Urbs ex omni impetu regio atque totius belli ore ac faucibus erepta atque servata. *Id.* 5. *Verr.* 57. 131. Quo ex judicio te nulla Salus servare posset. *Nepos Att.* 10. *extr.* Navem servare ex hieme marique scopuloso. *Virg.* 5. *Æn.* 699. Omnes quatuor amissis servatæ a peste carinæ. — *Ser-*

vari aliquid ab aliquo posse dicitur a ICtis, quod ex ejus bonis redigi potest. Paul. Dig. 25. 5. 2. et Pompon. ibid. 26. 7. 61. et Paul. ibid. 17. 1 45. ad fin. et alibi. ¶ 2. Speciatim est retineo, custodio, teneo, osservare, ritenere, mantenere. Cæs. 4. B. G. 26. Nostri neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant. Liv. 26. 51. Hunc ordinem laboris quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. Cic. 4. Fin. 27. 75. Fides ita contentæ numeris, ut concentum servare possint. Cæs. 1. B. C. 85. Eos neque colloquii, neque induciarum jura servasse. Cic. 2. Fam. 17. Servare legem. Id. 7. Phil. 8. a med. pacem cum aliquo. Nepos Agesil. 2. jusjurandum, religionem. Cic. Amic. 7. extr. amicitiam summa fide, constantia et justitia. Id. 3. Off. 24. 92. promissa. Ter. Andr. 1. 5. 45. fidem. Vatin. ad Cic. 5. Fam. 9. consuetudinem suam in patrociniis tuendis. Cato R. R. 5. ferias. Plin. 7. Hist. nat. 53. 54. (180). et Lucan. 2. 38. modum. Quintil. 12. 10. 71. Non unus color procœmii, narrationis etc. servabitur. Rursus Cic. 1. republ. 34. 53. Servare æquabilitatem juris. Id. 1. Off. 19. 64. æquitatem. Id. ibid. 13. 41. justitiam. Id. 3. ibid. 29. extr. fidem jurisjurandi cum hoste. Id. 9. Fam. 22. extr. verecundiam. Id. 1. Tusc. 30. 72. se integros castosque. Id. Cat. 3. 10. urbem et cives integros incolumesque. Id. 1. Tusc. 28. 68. de stellis. Cursus constantissime servantes. Ovid. 2. Fast. 159. Servare fœdera. Horat. 2. Od. 3. 2. æquam mentem. Id. 1. Ep. 16. 41. consulta patrum, leges, jura. Id. 2. Sat. 3. 301. animi rectum. Virg. 2. Æn. 789. amorem nati. Id. 2. G. 524. pudicitiam. ¶ 3. Item in specula esse, videre, sollicite et diligenter observare oculis, cavere custodiæ causa, guardare, attendere, custodire, stare in guardia, esser di guardia, osservare. Ovid. 4. Met. 645. solidis pomaria clauserat Atlas Mœnibus, et vasto dederat servanda draconi. Cic. 9. Att. 10. ante med. Volumen epistolarum tuarum sub signo habeo servoque diligentissime. Ter. Eun. 4. 7. 10. Ubi alii? SAN. qui, malum, alii? solus Sannio servat domi. h. e. remanet domi ut servet. Quidam leg. domum. Horat. 1. Ep. 5. 31. Atria servantem postico falle clientem. Plaut. Most. 2. 2, 21. Natus nemo in ædibus servat, neque qui recludat, neque qui respondeat. Id. Aulul. 1. 2. 3. Redi nunc jam intro, atque intus serva. STA. quippini ego intus servem? anne quis ædes auferat? nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus. h. e. domesticæ rei sedulam curam habe, quod veteres dicebant servare domum. et Cist. 1. 1. 106. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas esse hic, et servare apud me. (Translate Virg. 7. Æn. 52. Sola domum et tantas servabat filia sedes. h. e. quum nullus esset heres regni et familiæ, sola filia hæc servabat quodammodo, et fulciebat.) Plaut. Asin. 4. 1. 58. Si coronas jusserit ancillam ferre Veneri, tuus servus servet, Veneri eas det, an viro. Id. Rud. 4. 1. 4. Sed uxor scelesta me omnibus servat modis, ne qui significem quippiam mulieribus. Lucil. apud Non. p. 387. 26. Merc. Quid servas, quo eam, quid agam? quid id attinet ad te? Virg. 6. Æn. 338. Palinurus dum sidera servat, Exciderat puppi. Cæs. 2. B. G. 33. Præsidia indiligentius servaturos credebant. Ovid. 2. Met. 538. Nec servaturis vigili Capitolia voce Cederet anseribus. — Hinc servare de cœlo est haruspicum auguria captantium. Cic. Dom. 15. circa med. Augures responderunt, quum de cælo servatum sit, cum populo agi non posse. Id. Prov. cons. 19. a med. Quum lex feratur, de cælo servari, obnuntiari, intercedi licere. Id. Vatin. 7. 16. Quos tu quotidie sciebas servare de cælo. Adde Sext. 61. 129. et 2. Phil. 32. Cf. Stat. 8. Theb. 194. Elysias dedit inservare volucres. ¶ 4. Item observare, cavere, osservare. — a) Absolute. Cœl. Aurel. 2. Tard. 14. 203. Non ita ut viscosus (sucus) fiat: quod servabitur. Id. 1. ibid. 4. 114. Servanda omnis nimietas. — b) Sequente conjunctivo et partic. ut, ne. Colum. 8. R. R. 5. circa med. Servat autem qui subjicit, ne singula ova in cubili manu componat. Liv. 39. 14. extr. Triumviris mandatum est, ut servarent, ne qui nocturni cœtus fierent. Plin. 17. Hist. nat. 17. 28. (124). Servandum in eo ante omnia, ut taleæ ex feracibus fiant arboribus. Adde Quintil. 11. 2. 47. et 1. 5. 20. ¶ 5. Serva, formula admonentis, similis atque hoc age, intende animum, animadverte, osserva, attendi, guarda. Ter. Andr. 2. 5. 5. et Adelph. 2. 1. 18. hem serva! quasi de improviso respice ad eum. Plaut. Pers. 5. 2. 29. Hem, serva rursum! Horat. 2. Sat. 3. 59. Hic fossa est ingens, hic rupes maxima, serva. ¶ 6. Poetice servare dicuntur, qui incolunt. tuentur enim et custodiunt, abitare. Virg. 4. G. 383. Nymphæ, Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant. et 459. Immanem ante pedes hydrum moritura puella Servantem ripas alta non vidit in herba. ¶ 7. Est etiam conservare, reponere in aliud tempus, mettere a parte per altro tempo, serbare, conservare. — a) Absolute. Plin. 30. Hist. nat. 13. 39. (115). Vermes in me servandos censent. Id. 36. ibid. 17. 28. (132). Lapis chermites mitior est servandis corporibus, nec absumendis. — b) Cum addito termino, ad quem vel cui quid servatur, h. e. accus. et præp. in, ad, vel dativo, vel adverbio. Cato R. R. 114. Si voles servare in vetustatem ad alvum movendam servato, nec commisceas cum cetero vino. Cf. Horat. 2. Od. 14. 26. et Colum. 12. R. R. 28. 4. Cic. Planc. 5. a med. Ego quoque ad ea tempora revocavi, ad quæ tu te ipse servaras. Id. 1. republ. 48. Placet esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis. Auct. B. Alex. 35. Causa integra Cæsari servaretur. Liv. 2. 11. In parvis rebus neglegens ultor gravem se ad majora vindicem servabat. Cf. 10. 28. Virg. 1. Æn. 207. Durate et vosmet rebus servate secundis. Horat. 1. Ep. 19. 44. Jovis auribus ista (carmina) servas. Sil. It. 17. 561. huic servabar leto. — c) Cum infinito. Stat. 9. Theb. 187. infectaque sanguine tela Conjugibus servant, parvisque ostendere natis. ¶ 8. Pro tenere, habere. Virg. 7. Æn. 178. paterque Sabinus, Vitisator, curvam servans sub imagine falcem. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

Servans, antis, adjective quoque occurrit; unde Sup. Servantissimus. — Servans est qui observat et custodit, osservante. Ovid. 1. Met. 615. de Argo. junctisque canendo Vincere arundinibus servantia lumina tentat. vigili. Translate. Gloss. Lat. Gr. servans æqui, φύλαξ τοῦ δικαίου. Virg. 4. Æn. 426. cadit et Ripheus, justissimus unus Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui. Sic Auson. Perioch. in Iliad. præf. Vir servantissimus justi.

SERVŎLA. V. SERVULA.

SERVŎLĬCŎLA. V. SERVULICOLA.

SERVŎLUS. V. SERVULUS.

SERVŬLA vel servola, æ, f. 1. deminut. a serva, exigua serva, servicina, θεραπαινίδιον. Cic. 1. Att. 12. ad fin. Eum per manus servulæ servatum et eductum.

SERVŬLĬCŎLA vel servolicola, æ, m. et f. 1. (servulus et colo) qui servulos colit. Plaut. Pœn. 1. 2. 55. de meretricib. Versarier inter istas miseras, schœno delibutas, servulicolas sordidas. Alii perperam leg. servilicolas.

SĔRVŬLUS vel servolus, i, m. 2. Serbuius pro servulus in Inscr. apud Mommsen n. 3497. V. SERVUS init. — Servulûm pro servulorum apud Apul. 4. Met. — Servulus est parvus aut vilis servus, schiavetto, valletto, δουλάριον. Plaut. Capt. 4. 2. 100. Vidi tuum gnatum et servulum meum Stalagmum. supra v. 95. servum dixerat, ex quo apparet, non semper deminutivi rationem haberi. Idem videre est Cist. 1. 3. 34., Merc. prol. 107. et 108. et Truc. 2. 4. 74. Pœn. 1. 2. 58. Servolorum sordidulorum scorta diobolaria. Sic Ter. Andr. 1. 1. 56. Observabam illorum servulos venientes aut abeuntes. Cic. Quinct. 6. a med. Servulum unum abducit. Adde Plin. 2. Ep. 17. a med., 3. Ep. 16. a med. et 6. Ep. 16. ad fin. et Varron. 3. R. R. 17. Cod. Theod. 4. 7. 1. Qui religiosa mente in ecclesiæ gremio servulis suis meritam concesserit libertatem, eamdem etc. At Cod. alter 1. 13. 2. habet servis.

SERVUS, a, um, adject. — a) Ad scriptionem quod attinet, servos et servom pro servus et servum apud antiquiores occurrunt, sive in libr. sive in lapid. scriptis. V. Inscript. in Corp. Inscr. Lat. 1. 573., 1067. etc. — Serveis pro servis est ibid. 206. — Serbus pro servus, ut nos serbare pro servare dicimus, ibid. 6. 300. — b) Servus in Inscriptt. aliquando omittitur. Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 7. 28. ANENCLETVS PROVINC. h. e. provinciæ servus. Cf. Apul. Apolog. p. 438. Oudend. et ibid. adnot. — c) Ratione habita etymi, alii dicunt esse a servando, quia imperatores, ut ait Florentinus Dig. 1. 5. 4., captivos vendere, et per hoc servare, nec occidere solent. Idem docent Donat. ad Ter. Adelph. 2. 1. 28. et Augustin. 19. Civ. D. 15. Alii sic dictum putant, quod in vinculis servari, seu custodiri soleat. Alii ducunt a θεράπων. Recentiores etymologi derivant ab ἐρύω, quod est traho, custodio, servo, unde erus vel herus, qui trahit vel servat; aut a Skr. sar, unde Gr. εἴρω et Lat. sero, necto, ita ut servus idem sit ac nexus seu cinctus. — Servus est qui alicui servit, subjectus, obnoxius, soggetto, servo, servile, δοῦλος. — a) Universim. Plaut. Pers. 2. 4. 9. Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere. Sall. epist. Mithrid. ad Arsac. ad fin. Omnia non serva, et maxume regna, hostilia ducunt. h. e. non subjecta. Liv. 37. 54. Reges serva omnia et subjecta imperio suo esse velint. Id. 38. 24. Corpori, quod servum fortuna erat, vim fecit. Paul. Dig. 40. 7. 16. Statulibera, quidquid peperit, hoc servum heredis est. Ovid. 1. Amor. 6. 26. Nec tibi perpetuo serva libatur aqua. h. e. quæ servorum potus est: vel quæ a servo bibitur: contra aqua libera, quæ a libero. Cf. Petron. fragm. Tragur. 71. Burmann. Servi, me salvo, cito aquam liberam gustabunt. Ovid. 6. Fast. 558. Serva manus. Liv. 29. 29. Octo milia liberorum servorumque capitum. Horat. 1. Ep. 19. 19. O imitatores servum pecus! Ovid. Remed. am. 54. servum vitii pectus habere. Alii leg. vitiis. Plin. 10. Hist. nat. 23. 31. (61). Ciconia captiva et serva. — b) Serva prædia, servæ ædes, quæ aliqua re alteri a domino obnoxia sunt, ut in SERVIO et SERVITUS dictum est. Cic. 3. leg. Agr. 2. ad fin. Libera prædia meliore conditione sunt, quam serva. Cels. Dig. 8. 6. 6. a med. Fundus servus. Julian. ibid. 2. 34. Servæ ædes. et 33. Area serva. — Hinc

Serva, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est femina in servitute, ancilla, δούλη, θεράπαινα (It. schiava, serva, ancella, massara; Fr. une esclave; Hisp. esclava; Germ. d. Sklavin; Angl. female slave). — a) Universim. Plaut. Rud. 1. 3. 37. Num qui minus servio, quam si forem serva nata? Id. ibid. 4. 4. 62. Quid id ad vidulum attinet, servæ sint istæ an liberæ. Cf. Cist. 4. 2. 99., Pers. 4. 4. 62. et Pœn. 5. 4. 31. Liv. 1. 47. extr. Servum servaque natum regnum occupasse. Virg. 5. Æn. 284. Olli serva datur, operum non ignara Minervæ. Horat. 2. Od. 3. 3. Serva Briseis niveo colore movit Achillem. Ulp. Dig. 11. 3. 1. Qui servum, servam, alienum, alienam recepisse dicetur etc. Inscript. apud Fabretti p. 308. n. 310. VOLVPTAS C. N. SER. h. e. Cæsaris nostri serva. — b) Serva a veste recensetur inter officia domus Augustæ. Inscr. apud Don. cl. 7. n. 40. et 49. — c) Refertur etiam ad religionem, et est quæ Deum colit. Vulgat. interpr. 1. Reg. 1. 11. de matre Samuelis. Dederis servæ tuæ sexum virilem. Cf. Luc. 1. 38. et 48.

Servus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui in servitute est, qui non est sui juris sed alieno dominio subjectus, mancipium, famulus, puer, cui liber opponitur, δοῦλος, θεράπων (It. schiavo, servitore, servo; Fr. esclave; Hisp. esclavo; Germ. d. Sklave; Angl. slave).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — a) Universim. Martian. Dig. 1. 2. 4. Servi in dominium nostrum rediguntur aut jure civili aut

gentium. Jure civili, si quis se major viginti annis, ad pretium participandum, venire passus est: jure gentium servi nostri sunt, qui ad hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur. *Enn.* apud *Non. p.* 491. 19. *Merc.* Agros audaces depopulant servi dominorum domini. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Servi injurias nimis ægre ferunt. Quid illo bono genere gnatos? *Id. R. R.* 2. 7 Servum senem, morbosum vendat villicus. *Fest.* p. 234. 32. *Müll.* Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit si cui ibidem servo aut ancillæ dormienti evenit etc. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 16. Quid tu, servosne an liber? *Id. Most.* 4. 1. 16. ut servi suum volunt herum esse, ita solet. *Id. Cas.* 2. 3. 39. Servus armiger. *Martial.* 2. 31. amicus. *Pompon.* apud *Non. p.* 83. 2. *Merc.* comicus. *Plaut. Asin.* 1. 1. 72. dotalis. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 17. fallax. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 1. frugi. *Id. Epid.* 3. 3. 29. graphicus et quantivis preci. *Juvenal.* 9. 120. malus. *et Plaut. Pœn.* 5. 2. 70. nequam et malus. *Sall. epist.* ad *Mithrid.* Miserrimus servorum. *et ibid.* servorum postremissimus. *Plaut. Rud.* 1. 2. 24. Servus peculiosus. *Sall. Jug.* 31. Servi ære parati. *Quintil.* 5. 10. 67. Hic servus, quem tibi vindicas, aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus. *Cic.* 1. *Off.* 31. *a med.* Ulysses domi etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit. *Id.* 8. *Att.* 5. Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi. *Id.* 3. *Orat.* 60. 225. Quem servum ille habuit ad manum. *Sueton. Cæs.* 74. Philemonem, a manu servum, morte puniit. *Lactant. Instit.* 4. 3. Filius manumittitur tamquam servus, et servus liberatus patroni nomen accipit tamquam filius. — *b) Servus fugitivus.* V. hanc voc. — *c) Servus mediastinus.* V. hanc voc. — *d) Servus nomenclator.* V. hanc voc. — *e) Servus peculiaris.* V. hanc voc. — *f) Servus stationarius.* V. hanc voc. — *g) Servus verna.* V. hanc voc. — *h) Servus vicarius.* V. hanc voc. — *i) Servi pœnæ* dicebantur qui ob crimen adscribebantur fisco. *Cod. Theod.* 10. 12. 2. — *l) Servi publici* erant, qui magistratibus ac sacerdotibus publice inserviebant, et aliquando lictorum aut scribarum aut apparitorum etc. officio fungebantur, sive servili conditione, sive ingenua essent. *Cic.* 8. *Phil.* 8. 24. Eum jussu Antonii in convivio servi publici loris ceciderunt. *Liv.* 26. 47. Opifices ad duo milia hominum erant, eos publicos fore populi R. edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixe operam navassent. *Id.* 9. 29. *ad fin.* Politia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos, ministerii delegandi causa, solemnia ejus sacri docuerat. *Varro* apud *Gell.* 13. 13. Ædiles stipati servis publicis non modo prendi non possunt, sed etiam ultro submovent populum. *S. C.* apud *Frontin. Aquæd.* 100. Placere senatui, eos qui aquis publicis præessent, lictores binos et servos publicos ternos, architectos singulos et scribas et librarios, accensos præconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebei datur. — *m) Quot servi, tot hostes,* in proverbio est. De quo Sinnius Capito existimat, errorem hominibus intervenisse, præpostere plurimis enuntiantibus. vero enim similius esse, dictum initio, Quot hostes, tot servi, tot captivi fere ad servitutem adducebantur. Hæc *Festus p.* 261. 29. *Müll.* Opinionem *Sinii* falsam esse, vel illud *Senecæ* satis ostendit *Ep.* 47. Deinde ejusdem arrogantiæ proverbium jactatur: Totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *ante med.* — De origine servorum seu de causis servitutis V. *Ackermann* (*Op. cit.* § 169.). — Servos qui vendebant olim, paciscebantur nonnumquam, ne fugitivos aut errones præstarent: interdum et lex dicebatur, ut suo periculo adquireret emptor. Et ii servi, quorum nomine venditor nihil præstaret, *pileati* venum ire solebant. *Plaut. Pers.* 4. 3. 55. — Pretium commune servorum videtur fuisse viginti aureorum apud Romanos, sed variabat sæpe pro diversis servorum dotibus. V *Papinian. Dig.* 4. 4. 31. et *Cod.* 7. 7. 1. Sic apud Hebræos pretium fere erat triginta siclorum. V. *Exod.* 21. 32. et *Levit.* 27. 1. *et seqq.* De servis Hebræorum V. *Ackermann* (*Op. cit.* § 168. *et seqq*). — Servi, quibus excisa virilitas fuerat, pretiosiores erant et pluris æstimabantur. *Quintil. declam.* 340. — Servorum nomina sumebantur vel ex patria, ut *Syrus, Geta, Phryx,* vel ex priscis heroibus, ut *Castor, Achilles,* vel a floribus et gemmis, ut *Amiantus, Beryllus,* vel a nom. Rom., ut *Statius, Davus,* vel ex prænom. dominorum, ut *Marcipor, Publipor, Lucipor,* h. e. *Marci puer* etc. (V. *Krahner, Antiq. R.* § 27.) Servos vero fuisse binomines, id est, servos, quemadmodum ingenuos, habuisse (prænomen) nomen et cognomen, negant, paucaque ea exempla, quæ contra facere videantur, vel corrupta vel ad libertos referenda esse docuerunt *Hagenbuchius* passim, et *Hullmannus* in egregia *Diatriba inaugurali* etc. *Lugd. Bat.* Ita *Orelli Inscr. v.* 1. *p.* 489. — Servi dabantur etiam in præmium iis, qui victores ex prœlio discesserant. *Sil. It.* 16. 455. et 567. — Servos crudelissime habitos apud veteres, præcipue Romanos, tradunt historici. V. *Pignorio, op. de servis,* ubi teterrima de hoc hominum genere refert. Servilium suppliciorum instrumenta varia uno quasi catalogo recenset *Plaut. Asin.* 3. 2. 4. Porro huic dominorum feritati nullus modus impositus est, nisi imperatorum ætate, per legem *Petroniam,* et quidem Hadriani potissimum atque Antonin. operâ. Attamen liberaliter habendos esse, multis ostendunt *Seneca Ep.* 47. et 1., *Clem.* 18. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. Habet aliquid etiam *Cic.* 1. *Off.* 13. *ad fin.* et de libertis *Plin.* 5. *Ep.* 6. et 8. *Ep.* 16. — Servi frugi raro ultra quinquennium serviebant, quum se peculio suo redimerent. *Plaut. Aulul.* 5. 8. et *Seneca Ep.* 80. — Servorum dies festus vulgo existimatur Idibus Aug., quod eo die Ser. Tullius, natus serva, ædem Dianæ dedicaverit in Aventino, in cujus tutela sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocant servos. Hæc *Fest. p.* 343. *coll. p.* 345. *Müll.* V. SATURNALIA. — De ritu, quo servi olim manumittebantur, V. *eumd. p.* 158. 10. et *Plaut. Amph.* 1. 1. 306. Ob manumissionem vero pretium plerumque solvebant. *V.* MANUMISSUS. — Servi libertatem adepti Mercurio solvebant votum. *Inscr.* apud *Fabretti p.* 700. *n.* 213. et apud *Orelli n.* 2985. Item Hercali. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1233. — Servi tamen inde a primis Ecclesiæ temporibus clerici fieri vetabantur, antequam libertatem consecuti essent. V. *Justinian. Nov.* 123. c. 17. — Ceterum de servis *V.* plurima in *Codd. Theod.* et *Justinian.* itemque in *Digest.* et apud *Pignorio, op.* supra *cit.* Cf. etiam *Drumann, Gesch. R.* II. 147., 211. etc. et *Becker, Gallus* II. *p.* 81. *seq.* 2.ª *ed.* ¶ 2. Latiore sensu *servus* dicitur quivis subjectus. — *a)* Generatim. *Vellej.* 2. 73. 1. Sex. Pompejus Magni filius, libertorum suorum libertus, servorum servus. — *b)* Speciatim est minister. *Tac. Agric.* 15. Alterius manum, centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. *h. e.* procuratoris ministros. *Vulgat. interpr. Matth.* 8. 23. Voluit rex rationem ponere cum servis suis. Cf. *Esth.* 2. 18. *et* 1. *Mach.* 1. 6. — c) Dicitur de eo, qui Deum colit. *Prudent.* 8. *Cathem.* 1. Christe, servorum regimen tuorum. Adde *Venant. Vit. S. Martin.* 4. 143. et *Vulgat. interpr. Exod.* 14. 31., *Num.* 32. 31., *Ps.* 33. 23. etc. — *d) Servus Dei,* κατ' ἐξοχήν, dicitur de Christo apud *eumd. Is.* 42. 1. Cf. *Matth.* 12. 18. et *Act.* 13. 47. — *e)* Huc etiam pertinet formula *servus servorum Dei,* qua primus Gregorius Magnus, Pontifex R., ejusque successores dein usi sunt. Hanc tamen vel similem ante alios usurpavit *Augustin. Ep.* 217. Augustinus episcopus servus Christi et per ipsum servus servorum ipsius. Adde *eumd. Ep.* 130.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Verr.* 22. 58. Vidit enim, eos, qui judiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse servos. *Id. Cluent.* 53. Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. *Id.* 2. *Verr.* 50. 112. Neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum. Cf. *Plin.* 8. *Ep.* 22.

NB. Sunt qui *servum* etiam atque adeo proprie *salvum* significare velint innixi auctoritate *Isid.*, qui 9. *Orig.* 4. 43. habet: Servi vocabulum inde traxerunt, quod hi, qui jure belli possent occidi a victoribus, conservabantur et servi fiebant, a *servando* scilicet *servi* appellati. Ita et *Donat.* et *Augustin. loc.* supra *cit.*, sed, ut vidimus, de origine vocis alii alia sentiunt, nec præter hos, qui etymon vocis tantum statuere conantur, non significationem et usum, in hoc sensu usurpavit quispiam, quod sciam.

Homonym. De discrimine inter *servum* et *famulum,* V. plura sub FAMULUS.

SERVUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SĒSĂMA, æ, f. 1. *et*

SĒSĂMA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SESAMUM

SĒSĂMĬNUS, a, um, adject. σησάμινος, *di sesamo,* qui est ex sesamo. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 49. (95). Sesaminum (*oleum*) aurium dolores sanat, et ulcera, quæ serpunt. Adde 13. *ibid.* 1. 2. (11). et 28. *ibid.* 11. 47. (168).

SĒSĂMŎĪDES *vel* sesimoides, is, adject. σησαμοειδής, *simile al sesamo,* sesamo similis. Absolute *sesamoides* n. gen., *sesamóide,* herba est grano amaro, folio minore, quam sesamæ. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (133). Sesamoides a similitudine nomen accepit. etc. Detrahit bilem in aqua potum. Est aliud sesamoides Anticyræ nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant: cetera simile erigeronti herbæ. *Sillig.* sesimoides. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (52). Helleborum in Anticyra insula tutissime sumitur, quoniam sesamoides admiscent.

SĒSĂMUM, i, *et plur.* Sesama, ōrum, n. 2. *et* Sesame, æ, f. 1. (σησαμον et σησαμη) Scribitur et *sisamum,* tum in quibusdam libris Scriptorum, tum apud *Pallad.* 10. *R. R.* 7. et 11. *ibid.* 1., ut apud *Hesych.* σισαμίς. et *Lyd.* περὶ μηνῶν. — Item *sesima* apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (28). et alibi. — Sesamum, *sisamo, sesamo,* σήσαμον, inter æstiva frumenta numeratur a *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (49). et *ibid.* 10. 22. (96). et 23. (98). Ad rem cf. *Fée* (*Op. cit. T.* 2. *p.* 127.) hæc habet: « Aujourd'hui la culture du sésame est abandonnée en Europe: mais on doit croire qu'elle fut autrefois très-suivie en Grèce et en Italie, puisque Théophraste (*de Causis* II. 17.) et Pline mettent cette plante parmi le céréales ». Mox vero statuit hanc synonymiam: « Σήσαμα et Σήσαμον Hippocr. *Affec.*; Theophr. de Caus. plant. 17. 19., Diosc. II. 121. — *Sesama* Plin., *loc. comm.*; *Sesamum Veterum,* C. Bauh. *Pin. p.* 27. – *Schit-chi,* Rheed. Malab. 9. *p.* 105. – *Sesamum orientale* Linn., *Spec. pl.*, 574. ». Sed inter legumina ponitur a *Colum.* 2. *R. R.* 7. Ab Indis venit, et culmum habet ferulaceum, folia sanguinea, semen vasculis inclusum, ut *Plin.* tradit *loc. cit.* Hoc adeo gratum est in cibis, ut locum habeat in bellariis et condimentis. — *a)* Universim. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 112. Ut mulsa loquitur! nihil nisi laterculos, sesamum papaveremque, triticum et frictas nuces. *Alii leg.* papaveremque tritum. *Petron. Sat.* 1. *extr.* Mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque, quasi papavere et sesamo sparsa. — Varios habet usus in medicina, quos recenset *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (132). et *Cels.* 5. 15. ponit inter ea quæ molliunt: fitque ex eo oleum, teste eod. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. *ad fin.* V. SESAMINUS. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *circa med.* Quibusdam regionibus hoc mense sesama seruntur. *Id.* 12. *ibid.* 15. Admiscent torrefacta sesama cum aniso Ægyptio. *et ibid.* 57. Sesamum leviter torrefactum cum iis viridibus conterito. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 22. (96). Æstiva frumenta diximus, sesamam, milium, panicum. *Sillig.* sesimam. — *b)* Cicin, arborem in Ægypto copiosam, quidam sesamum silvestre appellant. *Id.* 15. *ibid.* 7. 7. (25). — *c) Sesamon agrion* dicta est etiam a quibusdam herba heliotropium, teste *Apul. Herb.* 50.

SESCENAR vel

SESCENĀRIS, is, adject. Vox est parum certæ

originis et significationis. Sunt qui ducant a *sacena*, dolabra pontificali, ita ut sit qui hac dolabra percussus mactatusque est: alii censent compositam esse ex *sesqui* aut *sex*, et *annus*, ita ut sit qui annum habet cum dimidio aut sex annos, idcirco legendum esse *sexcennaris* cum duplici *n*. alii tandem, ut in re admodum obscura, alia comminiscuntur. *Liv.* 41. 15. Exposuit patribus conscriptis, bovis sescenaris, quem immolavisset, jecur defluxisse.

SESCĒNI et

SESCENTI. *V.* SEXCENTI.

SESCENTĒSĬMUS. *V.* SEXCENTESIMUS.

SESCENTĬES *vel* sescentiens. *V.* SEXCENTIES.

SESCĒSĬMUS. *V.* SEXCENTESIMUS.

SESCLA, æ, f. 1. idem ac sextula. *Anthol. Lat.* 741. 11. Sextula sexta modo solet et modo sescla vocari. Adde *Auct. Carm. de libræ part.* 11. et 13. *Hultsch.* — Hæc et *sescli* dicitur in *Tab. Cod. Bern.* apud *Hultsch. Metrol. Lat.*

SESCLI. *V.* voc. præced.

SESCONCĬA. *V.* SESCUNCIA.

SESCONTRĀRĬUS, a, um, adject. idem fortasse ac subcontrarius. *Frontin. De limit.* 2. *p.* 33. 21. *Rudorff.* Cujus rigoris incessum ut sescontrario æquemus, adfícta ante linea ad capitulum perticæ etc. Adde *Balb. ad Cels. Exp. et rat. mensur. p.* 102. 16. et alib. apud *Gromat.*; ubi *Goesius* leg. *subcontrarius*, alii aliter. *V.* SUBCONTRARIUS.

SESCŬLYSSES. *V.* SESQUIULYSSES.

SESCUNCĬA, æ, f. 1. (sesqui *et* uncia) Scribitur et *sesconcia*. *Inscript.* mendosa apud *Murat.* 1479. 2., emendata apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4563. LOCVS PATET AGREI SESCONCIAM QVADRATVS ARCA IN MEDIO EST. — Sescuncia, ut definit *Priscian. De fig. num. p.* 1348. *Putsch.*, est uncia et dimidia pars unciæ, *un' oncia e mezzo:* accipitur autem pro parte duodecima cum ejusdem dimidio, seu parte octava cujuscumque quantitatis. Occurrit autem ¶ 1. Substantivorum more. *Mæcian. De ass.* § 5. Dividitur as in octo octavas, quæ sescunciæ vocantur, quarum est nota Σ — *Balb. De asse* § 11. Rei integræ in octo partes distributæ pars quælibet ex illis sine aliis considerata sescuncia dici potest, reliquæ sescuncideunx. *Cels.* 5. 18. *n.* 28. Malagma, quod habet galbani sine surculis sescunciam. *Colum.* 12. *R. R.* 57. Laseris radicis sescuncia. *Id.* 5. *ibid.* 2. Quæ summa efficit jugeri sescunciam, scripula duo et dimidium. *Tryphonin. Dig.* 37. 8. 7. Sescuncia hereditatis. *Frontin. Aquæd.* 26. Digitus quadratus, in rotundum redactus habet diametri digitum unum et digiti sescunciam. ¶ 2. Adjective. *Plaut. Epid.* 5. 1. 11. In manibus gestant copulas sescuncias. Alii *secuncias;* at *Götz* leg. *secum simul.*

SESCUNCĬĀLIS, e, adject. (sescuncia) *d' un' oncia e mezza*, sescunciam continens. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (94). Mensa crassitudine sescunciali.

SESCUNCĬDĔUNX, uncis, m. 3. (sescuncia *et* deunx) ita vocatur pars assis, cui sescuncia deest, quæque etiam dextans semuncia dicitur. *Balb. De asse* § 11. Septima divisio (*assis*) his adjungi potest: nam rei integræ in octo partes distributæ pars quælibet ex iis sine aliis considerata sescuncia dici potest, reliquæ sescuncideunx. *et mox.* Licet assis plures sint divisiones, tamen his septem numerarii ratiocinatores magis utuntur, et pars illa, quæ est sescuncideunx, characterem non habet, quo designetur. Alii utrobique leg. *semuncideunx.*

SESCUNX *vel* sesquunx, uncis, m. 3. (sesqui *et* uncia) *un' oncia e mezzo*, sescuncia. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (187). Fastigium servari in pedes denos sescuncem. *Sillig.* sescunciæ. Adde *Priscian. De fig. num. p.* 1349. *Putsch.*

SESCŬPLĀRIS, e, adject. (sescuplus) idem ac sescuplus. *Chalcid. Tim.* 36.

SESCŬPLEX, sesquiplex *vel* sexcuplex, icis, adject. (sesqui *et* plico) idem ac sescuplus. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* Ῥυθμός aut par est, ut dactylus, unam enim syllabam parem brevibus habet: aut sescuplex, ut pæon, cujus vis est ex longa et tribus brevibus; quique ei contrarius, ex tribus brevibus et longa, vel alio quoquo modo, ut tempora tria ad duo relata sescuplum faciant: aut duplex, ut iambus (nam est ex brevi et longa), quique est ei contrarius. *V.* SESQUIPLICARIUS. Adde *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 223. 3. *Müll. Cic. Orat.* 57. 193. Ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex aut duplex aut par.

SESCŬPLĬCĀRĬUS. *V.* SESQUIPLICARIUS.

SESCŬPLUM. *V.* voc. seq. in fin.

SESCŬPLUS *vel* sesquiplus, a, um, adject. (sesqui *et* plico) qui numerum, pondus aut mensuram totam in se continet, et præterea ejus dimidium. Alio nomine *sequialter* dicitur. Ex. gr. ternarius dicitur esse sescuplus binarii, quia continet binarium et ejus dimidiume senarius dicitur esse sescuplus quaternarii, quia quatuor in se continet et insuper dimidiam ejus partem. *Censorin. De die natal.* 11. novem dies cum sex collatos, ait, sescuplam rationem facere. *Terentian. De syllab. p.* 2395. *Putsch.* Sescuplum tempus, necesse est, edere istam syllabam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 22. 20. (34). Pythagoras appellat tonum, quantum absit a terra Luna. ab ea ad Mercurium, spatii ejus dimidium: ab eo ad Venerem fere tantundem: a quo ad Solem sesquiplum. Adde *Inscript.* apud *Henzen n.* 6086. — Hinc

Sescuplum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, sescupla res. *Quintil.* 9. 4. 47. Tria ad duo relata sescuplum faciunt. *Terentian. loc. cit. p.* 2412. Sescuplo vel una vincet alterius singulam. Adde *Mar. Victorin. p.* 40. 29. *Keil.*

SESE. *V.* SUI.

SĔSĔLI, is, n. *et*

SĔSĔLIS, is, f. 3. *et*

SĔSĔLĬUM, ii, n. 2. σέσελις, herba folio fœniculi, sed crassiore, semine quoque non absimili, sed calloslore et hebetiore, capite anethi, in quo granum habet oblongum et angulosum, et quum editur, acre; radice autem longa et odore ingrato. Vulgus herbariorum *saxifragiam majorem* appellat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. *ad fin.* Cervæ paullo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). idem narrat: item 20. *ibid.* 5. 18. (36)., ubi etiam *sili* vocari ostendit. σίλι quoque σέσελι neutr. gen. Græci dicunt. Unde 25. *ibid.* 8. 52. (91). Cervæ monstravere seseli, enixæ a partu. *Sillig.* pro *seseli enixæ* leg. *helxinen.* et *Plin. Valerian.* 1. 58. Sesellum Gallicum. Cl. *Fée* (*Op. cit. Tab.* 2. *p.* 378.) exhibet hanc synonymiam: Σέσελι μασσαλιωτικόν, Diosc. III. 60; Σέλι sive Σίλι, Veter. Græc.; Σέσελι, Antiq. Latin.; *Seseli tortuosum* Linn., Spec. plant. 373. Mox vero addit: «Pline convient qu'il regne une très-grande confusion dans la nomenclature hellénique du *séseli;* nous en convenons avec lui».

SĒSĬMA. *V.* SESAMUM.

SESQUALTER. *V.* SESQUIALTER.

SESQUAS, assis, m. 3. (sesqui *et* as) *syncop.* pro sesquias, as et dimidium. *Gloss. Gr. I* .. *p.* 399. *Vulc.* Ἀσσάριον ἥμισυ, sesquas. Cf. *Priscian. De fig. num. p.* 1351. *Putsch.*

SESQUĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sesquo, as*, quod a *sesqui* derivatur. *Sesquati* porro appellantur duo numeri inter se ita comparati, ut non totus numerus major aliquoties minorem contineat, seu minor majorem aliquoties metiatur; sed ut tantum ea pars, qua minorem excedit major, seu minor exceditur a majore, ambos metiatur. Horum numerorum rationem *Capell.* 7. *p.* 251. *superparticularem* vocat. *V.* SESQUI. *Augustin.* 1 *Music.* 9. § 17. Quocirca illi numeri, ubi multiplicatio minore fit major, vocentur complicati, hi autem sesquati veteri jam nomine. Nam sesque appellantur, ubi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte sui præcedit major minorem: nam si est tria ad duo, tertia parte sui præcedit major minorem; si quatuor ad tria, quarta; si quinque ad quatuor, quinta, atque ita deinceps: eadem ratio est et in sex ad quatuor, octo ad sex, decem ad octo, et inde licet hanc rationem in consequentibus et in majoribus numeris animadvertere atque explorare. Nominis autem hujus originem non facile dixerim, nisi forte sesque quasi se absque dictum, id est, absque se, quia quinque ad quatuor absque quinta parte sui major hoc est quod minor. *et mox.* Hujus origo nominis non est absurda, etiamsi forte non ea sit, quam secutus est qui hoc nomen instituit. *Id. ibid.* § 18. Numeri sesquati in infinitum possunt pergere, nam duo ad tria, tria ad quatuor, quatuor ad quinque quum dicimus, vides nihil prohibere cetera persequi, nullo resistente fine: sive isto modo velis in eodem genere perseverans, ut duo ad tria, quatuor ad sex, sex ad novem, octo ad duodecim, decem ad quindecim et deinceps: sive in hoc genere, sive in ceteris, nullus finis occurrit. *Terentian. De pedib. p.* 2417. *Putsch.* Impar numerus pæoniois utrisque coget Aptare duobus tria vel quaterna ternis, Sesquate fere quod numeros pars secat istos. *h. e.* quod unitas, qua major numerus excedit minorem, utrumque dividit seu metitur, ut 2 ad 3, 4 ad 3. Alii leg. *sescupla*, alii *sesquialtera*, alii *sesquarta*, sed nihil mutandum.

SESQUĔ. *V.* SESQUI.

SESQUĔOCTĀVUS. *V.* SESQUIOCTAVUS.

SESQUĔTERTĬUS. *V.* SESQUITERTIUS.

SESQUĪ, adverb. numerale. — *a*) *Sesque* pro *sesqui* habet *Augustin.* 1. *Music.* 9. § 17. — *b*) Ratione habita etymi, nominis hujus origo, ut ait *id. Augustin. loc. cit.*, non facile reperitur, nisi forte *sesque* quasi *se absque* dictum, id est *absque se*: at *Furlanetto* putat esse ab ἐπί, præmissa et inserta littera *s*, et mutata *p* in *qu*, ut ab *si* prius *sei*, dein *si* factum est, a ποινή *pœna* et *pœsna* et ab ἕπομαι *sequor;* hinc etiam Latinorum *quo* a Græco ποῖ, et *quinque* ab Æolico πέμπε pro communi πέντε. *V.* INSEQUE et PITPIT. Duriuscula tamen sunt hæc; probabilior mihi videtur notatio *Forcellini*, qui *sesqui* a *semis* et *que*, vel *qui*, ut placet *Freundio*, factum esse docet, h. e. *et semis*. — *c*) Frequentius usurpatur in compositione, ut *sesquicyathus*, *sesquidigitus*, *sesquihora* et alia multa, quæ hic ordine subjicimus. — Sesqui est dimidia alicujus quantitatis pars, quæ toti additur, *un mezzo in più*, ut in compositis videre est. Cl. *Furlanetto* vult ex eo, quod statuit, etymo, proprie significare *insuper, præterea;* idcirco hæc habet: Quum duo priores numeri ex eorum serie, qui sesquati dicuntur, ut tria ad duo, ita inter se affecti sint, ut major minorem contineat, et insuper unitatem, quæ quidem est etiam ejusdem minoris numeri dimidium; hinc factum est, ut *sesqui*, quod proprie, ut vidimus, idem significat ac insuper, etiam pro dimidio cujuscumque quantitatis a Latinis plerumque usurpatum fuerit, exceptis tamen vocibus *sesquitertius* et *sesquioctavus*, in quibus idem significat ac Græcorum ἐπί, *insuper*, eam scilicet minoris numeri partem, quæ a sequente numerali adjectivo *tertius* et *octavus* satis perspicue indicatur. *V.* SESQUATUS. Ita *Furlanetto*. Sane in compositis præsertim ex numeris ordinalibus huic voci vim haud raro inesse Græcæ particulæ ἐπί, exempla subjecta ostendunt. *V. Capell.* 7. *p.* 251. *Cic. Orat.* 56. 188. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur ita, ut necesse sit, partem pedis aut æqualem alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse majorem. Ita fit æqualis dactylis (— ⏑ ⏑), duplex iambis (⏑ —), sesquiplex pæoni (— ⏑ ⏑ ⏑). *h. e.* ita in dactylis pars pedis fit æqualis alteri parti, quia syllaba longa duas breves æquat, ut in *dicere:* duplex in iambis, quia habet unam partem altero tanto majorem altera, quum syllaba longa sequens duplo major sit brevi præcedente, ut in *salus:* sesquiplex in pæone, quia quum is constet longa et tribus brevibus, ut *insolitus*, tres illæ breves longam dimidio superant.

SESQUĬALTER *vel* sesqualter, tĕra, tĕrum, adject. Formam *sesqualter* apud *Boeth. loc. cit.* legit *Friedlein.* — Sesquialter est superdimi-

dius, qui quantitatem aliquam in se continet ejusque partem dimidiam, *sesquialtero*, ἡμιόλιος.

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 7. Deinde (*detraxit partem*) tertiam, quæ esset secundæ sesquialtera, primæ tripla. *et mox.* Sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis et sesquioctavis sumptis ex his colligationibus, in primis intervallis sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia expleblat. *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* Dimidia adjecta quum facta sunt novem, sesquialterum (*mathematici dicunt*), qui ἡμιόλιος appellatur. *Augustin.* 2. *Music.* 10. § 18. Quum eos pedes considero, in quibus una brevis est et duæ longæ, id est bacchicum (⏑——), et creticum (—⏑—), sesquialteri numeri ratione levationem ac positionem in his fieri video. Eadem ratio est et in iis quatuor, in quibus una longa est et tres breves, qui quatuor pæones ex ordine nominantur (—⏑⏑⏑, ⏑—⏑⏑, ⏑⏑—⏑, ⏑⏑⏑—). *et mox* § 19. Sesquialtera vero copulatio in duobus et tribus apparet, jam sesquitertia tribus et quatuor. *Boeth.* 1. *Arithm.* 24. Superparticularis vero est numerus ad alterum comparatus, quotiens habet in se totum minorem et ejus aliquam partem: qui si minoris habeat medietatem, vocatur sesqualter, si vero etiam partem, vocatur sesquitertius, si vero quartam, sesquiquartus et si quintam, sesquiquintus; atque his nominibus in infinitum ductis in infinitum quoque superparticularium forma progreditur. Adde *ibid.* 27.

II.) Translate. *Apul. Apolog. p.* 578. *Oudend.* Jube, Maxime, Consules computari: nisi fallor, invenies nunc Pudentillæ haud multo amplius quadragesimum annum ætatis ire. O falsum audax et nimium mendacium, viginti annorum exsilio puniendum! dimidio tanto, Æmiliane, mentiri falsa audes et sesqualtera?

SESQUICŬBĬTUM, i, n. 2. cubitum cum dimidio. *Gloss. Gr. Lat.* πῆχυς εἷς ἥμισυ, secubitum (*leg.* sesquicubitum).

SESQUICŬLĔĀRIS *vel* sesquicullearis, e, adject. qui culei mensuram continet, et dimidii. *V.* SESQUI. *Colum.* 12. *R. R.* 18. *extr.* Sunt autem satis sesquiculearibus doliis picis duræ pondo vicena quina.

SESQUICŸĂTHUS, i, m. 2. cyathus cum dimidio. *Cels.* 6. 7. *n.* 2. Nuces amaræ XXV., mellis sesquicyathus.

SESQUIDĔCĬMUS, a, um, adject. qui unum aliquem numerum continet, et insuper decimam ejus partem. *Boeth.* 2. *Arithm.* 9. *p.* 1092. Si duos numeros eorum differentia integre fuerit permensa, in eadem sunt proportione numeri, quos sua differentia mensa est, in qua erunt proportione etiam hi numeri, secundum quos eos sua mensa est differentia. Sint enim numeri L. et LV., hi ergo ad se invicem sesquidecima habitudine comparantur, et est eorum differentia quinarius, qui scilicet est pars decima numeri L.

SESQUIDĬGĬTĀLIS, e, adject. sesquidigitum continens. *Vitruv.* 10. 22. *ante med.* Foramen semidigitale, digitale, sesquidigitale.

SESQUIDĬGĬTUS, i, m. 2. *un dito e mezzo.* *Vitruv.* 8. 6. Canalis latus digitum, altus sesquidigitum. Adde 10. 17.

SESQUIHŌRA, æ, f. 1. *un' ora e mezzo,* τριημιώριον, una hora cum dimidia. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *ante med.* Egeram horis tribus et dimidia: supererat sesquihora.

SESQUIJŪGĔRUM, i, n. 2. jugerum cum dimidio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). Justum est proscindi jugerum uno die, iterari sesquijugerum. *Id.* 4. *ibid.* 8. 15. (31). Tempe vocantur quinque mil. passuum longitudine et ferme sesquijugeri latitudine.

SESQUILĪBRA, æ, f. 1. *una libra e mezzo,* τριημίλιτρον, una libra cum dimidia alterius. *Cato R. R.* 106. Sesquilibram salis frigito. *Colum.* 12. *R. R.* 36. Sesquilibra rorismarini. *Gloss. Lat. Gr.* Sesquilibra, λίτρα καὶ ἥμισυ.

SESQUIMENSIS, is, m. 3. unus mensis cum dimidia parte alterius, *un mese e mezzo,* τριημίμηνον. — *a*) Substantivorum more. *Varro* 1. *R. R.* 27. Ejus (*solis*) cursus annalis primum fere circiter ternis mensibus ad fructus est divisus in quatuor partes, et idem subtilius sesquimensibus in octo. — *b*) Adjective. *Id.* 3. 10. *ad fin.* Ad saginandum eligunt pullos circiter sesquimenses qui sunt nati. *Alii leg.* sesquimense. *Schneiderus* vero legend. probat *pullos quatuor sexve menses qui sunt nati.*

SESQUIMŎDĬUS, ii, m. 2. *un moggio e mezzo,* modius et modii dimidium. *Varro* 1. *R. R.* 7. Nuces integras, quas uno modio comprehendere possis, quod putamina suo loco quæque habet natura composita, easdem si fregeris, vix sesquimodio concipere possis. *et* 42. In jugerum unum scribunt opus esse Medicæ sesquimodium. *Cic.* 5. *Verr.* 92. *a med.* Numquam tam grati hi sesquimodii tritici, Q. Hortensi, fuissent. *Colum.* 2. *R. R.* 13. Lentis sesquimodius.

SESQUINŌNUS, a, um, adject. qui aliquem numerum continet, et nonam ejus partem. *Boeth. Geometr.* 1. *p.* 1518. (ed. *Basil. a.* 1570.), *Friedleinio* repugnante. *V.* tamen *Quicherat, Add. Lex. Lat. p.* 266.

SESQUIŎBŎLUS, i, m. 2. τριημιόβολον, obolus cum dimidio. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 46. (73). Dejecto quod supernatat, reliquus sucus purgat utraque parte, sesquiobolo in aqua mulsa.

SESQUIOCTĀVUS *vel* sesqueoctavus, a, um, adject. ἐπόγδοος, superoctavus, qui continet aliquam quantitatem ejusque partem octavam. *V.* SESQUI. *Cic. Tim.* 7. Sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat. *Boeth.* 1. *Music.* 10. Sesquioctava proportio. Adde *Arnob.* 2. *p.* 66., ubi leg. *sesqueoctavus.* et *Capell.* 1. *p.* 6. *V.* EPOGDOUS.

SESQUIOCTĀVUSDĔCĬMUS, a, um, adject. qui continet aliquam quantitatem ejusque partem decimam octavam. *Boeth.* 3. *Music.* 2. Sesquioctavadecima habitudo.

SESQUIŎPĔRA, æ, f. 1. opera diei unius et dimidiati. *Colum.* 2. *R. R.* 13. Fabæ modii quatuor occantur sesquiopera, sariuntur sesquiopera, metuntur una opera.

SESQUIŎPUS, ĕris, n. 3. opus diei unius et dimidiati. *Plaut. Capt.* 3. 5. 65. Inde ibis porro in latomias lapidarias. Ibi quum octonos alii lapides effodiant, Nisi quotidianus sesquiopus confeceris, Sexcentoplago nomen indetur tibi.

SESQUIPĔDĀLIS, e, adject. *d' un piede e mezzo,* pedem magnitudinis et dimidium habens.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 15. Sesquipedalis paries. *Vitruv.* 10. 21. Arrectaria latitudine sesquipedali. *Id.* 5. 10. Sesquipedales tegulæ. *Colum.* 9. *R. R.* 19. Sesquipedalis mensura. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. (75). Sesquipedales homines. *Vitruv.* 10. 15. crassitudo. *et ibid.* latitudo.

II.) Translate. *Horat. Art. P.* 96. Telephus et Peleus, quum pauper et exsul uterque, Projicit ampullas et sesquipedalia verba. *h. e.* grandia, tumida, gravia, inflata, qualia sunt tragicorum; vel id, ut alii interpretantur, ὑπερβολικῶς dictum. Adde *Martial.* 7. 14.

SESQUIPĔDĀNĔUS, a, um, adject. sesquipedalis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 27. 43. (82). Attollit e mari sesquipedanea fere cornua.

SESQUIPĔDIS, e, adject. (sesquipes) sesquipedalis. *Gargil.* 2. *de re hort.* (*edente A. A. Scottio*) 1 Supra nuces terra sesquipedis ingeritur.

SESQUIPES, ĕdis, m. 3. mensura unius pedis et dimidii, *un piede e mezzo,* τριημιπόδιον. *Plaut. Trin.* 4. 2. 58. Quæ facie est homo? SY. sesquipede est, quam tu, longior. *Varro* 1. *R. R.* 43. Cytisum in sesquipedem ponitur. *Colum.* 3. *R. R.* 13. *a med.* Nisi tamen si scaturigo palustris obvia, plus. quam sesquipedem, prohibeat infodere. *Martial.* 8 60. Summa Palatini poteras æquare colossi, Si fieres brevior, Claudia, sesquipede. — Absolute. *Plaut. Pers* 1 56. quum tibi, Calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

SESQUIPLĀGA, æ, f. 1. *una ferita e mezzo,* duo ictus sed impares. *Tac.* 15. *Ann.* 67. Quum vix duobus ictibus caput amputavisset, sævitiam apud Neronem jactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo.

SESQUIPLĀRIS, is, m. 3. (sesquiplex) miles, qui ob virtutem annonam unam cum dimidio accipiebat. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Torquati duplares, torquati sesquiplares, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruis set, præter laudem interdum duplas; duplares duas; sesquiplares unam semis consequebantur annonam. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 8. *n.* 13. AVRELIVS QVINTVS DVPLICARIVS HERES ET AVRELIVS AVRIANVS SESQ. (*h. e.* sesquiplaris) SECVNDVS HERES AMICO OPTIMO F. C. *V.* DUPLARIS et SESQUIPLICARIUS. Adde aliam apud *Henzen n.* 7184.

SESQUIPLEX. *V.* SESCUPLEX.

SESQUIPLĬCĀRĬUS, a, um, adject. (sesquiplex) idem ac sesquiplaris. *Hygin. Gromat.* 16. *p.* 75. Ala miliaria turmas habet XXIV., in iis decuriones duplicarii et sesquiplicarii, idem qui et numerus turmarum. *et ibid.* Habent equos singuli decuriones ternos duplicarii et sesquiplicarii binos. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 104. *n.* 245. T. FL. SATVRNINO SESQVIPLIC. EX NVM. EQVITVM SINGVLAR. AVG. *etc.* Alia apud *Don. cl.* 1. *n.* 147. L. AVFIDIVS MASCVLINVS SESQVIPLICARIVS. Alia apud *Donat.* 301. 9. ARBITRATV CELARI (*lege* Celadi) SESQVIPLICARII HEREDIS. — *Spon. Miscell. antiqu. p.* 263. in eadem *Inscript.*, quam refert *Fabrett. loc. cit.* in § 1., perperam, ut videtur legit *sesquiplici* pro *sesquiplic.*; quasi vero *sesquiplex* idem significet ac *sequiplicarius.*

SESQUIPLUS. *V.* SESCUPLUS.

SESQUIQUARTUS, a, um, adject. idem ac superquartus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 24. Superparticularis est numerus ad alterum comparatus, quoties habet in se totum minorem et partem ejus aliquam. Qui si minoris habeat medietatem, vocatur sesquialter; si vero tertiam partem, vocatur sesquitertius; si vero quartam, vocatur sesquiquartus, et si quintam, vocatur sesquiquintus. *Id. ibid.* 27. Qui duplicem habuerit alium numerum et ejus mediam partem, duplex sesqualter; qui vero tertiam, duplex sesquitertius; qui quartam, duplex sesquiquartus. *Id.* 5. *Music.* 17. Sesquiquarta proportio.

SESQUIQUINTUS, a, um, adject. idem ac superquintus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 33. Sesquiquinta proportio. Adde 1. *ibid.* 29. et *V.* voc. præced.

SESQUISĔNEX, sĕnis, m. 3. qui senis unius ætatem et dimidiam alterius prætergressus est, atque adeo est decrepitus. *Pompon.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 28. *Müll.* Ridiculum est quum te Cascam tua dicit amica, Fili Potoni, sesquisenex puerum. *Furlanetto* in *App.* ait, locum sibi videri ita esse refingendum: Ridiculum est quum te cascum tua dicit amica Filia Tithoni, sesquisenex puerum. At recentiores aliter leg. *Cf. Müllerum* ad *h. l.*

SESQUISEPTĬMUS, a, um, adject. qui unum aliquem continet numerum ejusque septimam partem. *Boeth.* 5. *Music.* 17. Sesquiseptima proportio.

SESQUISEPTĬMUSDĔCĬMUS, a, um, adject. qui continet aliquem numerum et septimamdecimam ejus partem. *Boeth.* 3. *Music.* 1. Sesquiseptimadecima proportio.

SESQUISEXTĀRĬUS, ii, m. 2. sextarius cum dimidio. *Musa comp. med.* 2.

SESQUISEXTUS, a, um, adject. qui continet numerum aliquem et sextam ejus partem. *Boeth.* 2. *Arithm.* 4. et 2. *Music.* 4.

SESQUISEXTUSDĔCĬMUS, a, um, adject. qui quantitatem aliquam continet et insuper sextamdecimam ejus partem. *Boeth.* 3. *Music.* 1.

SESQUITERTĬUS, a, um, adject. ἐπίτριτος, supertertius, qui continet aliquam quantitatem ejusque partem tertiam. *V.* SESQUI. *Cic. Tim.* 7. Intervalla sesquitertia et sesquioctava. *Boeth.* 1. *Arithm.* 27. Sesquitertia comparatio. *et* 28. habitudo. *et* 29. Duplex sesquitertius. *V.* SESQUIQUARTUS, SESQUIALTER et EPITRITUS. — Hinc

Sesquitertium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est, ut definit idem *Boeth.* 1. *Music.* 29., ter pars tertia. *Gloss. Lat. Gr.* Sesquitertium, ἐπίτριτον.

SESQUITRĬCĒSĬMUS, a, um, adject. qui aliquam quantitatem ac tricesimam ejus partem continet. *Boeth.* 5. *Music.* 17. Sesquitricesima

quinta proportio. Alii leg. *sesquitricensimaquinta* conjunctim.

SESQUĬŬLYXES *vel* Sesculysses *et* Sesquiulixes *vel* Sesculisses, is, m. 3. quasi unus et dimidius Ulysses. *Varro* hoc titulo inscripsit unam e satiris suis, posuitque pro homine astutissimo et callidissimo. Citant hanc satiram *Plin. præf. Hist. nat.* 24. et *Nonius* sæpe.

SESQUĬVĪCĒSĬMUS, a, um, adject. qui continet aliquam quantitatem et vicesimam ejus partem. *Boeth.* 5. *Music.* 17. Sesquivicesima prima proportio. *et ibid.* 18. Sesquivicesima septima proportio. Sunt qui utrobique conjunctim leg.

SESQUĬVĪCĒSĬMUSPRĪMUS, a, um, *et*
SESQUĬVĪCĒSĬMUSSEPTĬMUS, a, um. *V.* SESQUIVICESIMUS.

SESQUUNX. *V.* SESCUNX.

SESSĪBĬLE, is, n. 3. (sedeo) idem ac sessibulum. *Jul. Valer.* 1. *Res gest. Alex. M.* 36. (edente *A. Mai*) Alexandrum inductum in ædem templumque Vulcani, Ægyptii regni veste dignati sunt, et sella ac sessibile Dei.

SĔSSĪBŬLUM, i, n. 2. (sedeo) *sedile, sedia,* sedile, sedes: a *sessum* supin. verbi *sedeo. Plaut. Pœn.* 1. 2. 56. *de meretricib.* Quæ tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum. *h. e.* odore declarent, se totos dies stare, aut sedere pro foribus fornicis, dum amatores exspectant. *Apul.* 1. *Met.* Asside istic. nam præ metu latronum nulla s... la parare nobis licet.

SESSĪLIS, e, adject. ... o)

I.) Proprie. ¶ 1. I... est is, qui sedendo aptus est, in quo facile ... ur. *Ovid.* 12. *Met.* 401. *de equo pulcro.* sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris. ¶ 2. Active, qui facile sedet. *Pers.* 5. 147. Vejentanumque rubellum Exhalet vapida læsum pice sessilis obba. *h. e.* quæ fundum habet latum, et per se facile stat ac sedet.

II.) Translate *sessilia* pira dicuntur, apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (56)., quæ minimo pediculo et ventriosa sunt. — *Sessilis lactuca,* χαμαίζηλος, ἑδραῖος, quæ in caulem non crescit, nec assurgit, sed in plano et in latitudinem se spargit. *Plin.* 19. *ibid.* 8. 38. (125). et *Martial.* 3. 47., qui 10. 48. *sedentem* vocat. Sic brassica sessili folio, *Plin. ibid.* 41. (140). Sic *Pallad.* 11. *R. R.* 11. *de malvis.* Si transferendis plantis nodum facias in radice, sessiles fient. — *Sessiles verrucæ,* depressæ, non eminentes. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 8. (22).

SESSĬMŌNĬUM, ii, n. 2. (sedeo) id, in quo sedemus, ut Sessimonia deorum, apud *Vitruv.* 7. *præf. a med.*, sunt loca in quibus dii sedent. *h. e.* templa, ubi simulacra deorum reponuntur, quasi sedeant.

SESSĬO, ōnis, f. 3. (sedeo) sedendi actio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 35. *a med.* Status, incessus, sessio, accubitio habeant illud decorum. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. — In plur. num. *Id.* 5. *Fin.* 12. *a med.* Sessiones quædam et flexi fractique motus. ¶ 2. Speciatim de disputatione aliisve, quæ sedendo fiunt. *Id.* 3. *Orat.* 30. *sub fin.* Ambulatio antemeridiana, aut pomeridiana sessio. ¶ 3. *Dies sessionum,* quibus prætor jus dicit pro tribunali sedens, *giorni d'udienza,* apud *Ulp. Dig.* 38. 15. 2. *ante med.* ¶ 4. Est etiam embasis, *bagno. Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *a med.* Prodest et sessio ex vino vehementiori confecta, quam Græci ἐγκάθισμα vocant.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more. *Cic.* 14. *Att.* 14. *circa med.* Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. *h. e.* illam moram et cessationem, qua Brutus et Cassius, Cæsare occiso, in Capitolio tempus otiose triverunt, nec quicquam aliud egerunt, quo respubl. in libertatem restitueretur. *Sedere* enim aliquando est otiosum esse. *Apul.* 4. *Met.* Ursæ diutina captivitate fatigatæ, pigra etiam sessione languidæ. *dallo star ferme in gabbia.* — Huc pertinet illud *Vulgat. interpr. Ps.* 138. 2. Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. *h. e.* omnes actus meos, statum omnem vitæ meæ. Similiter *Thren.* 3. 63. Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide: ego sum psalmus eorum. *h. e.* sive sedent sive surgunt, *sc.* omni tempore, ego sum sermo seu fabula eorum. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. — *a)* Est locus, ubi sedetur, sedile, sedes, *sedile, sedia. Cic.* 2. *Orat.* 5. 20. Porticus et palæstra et tot locis sessiones. *Id.* 5. *Fin.* 1. 2. Polemo, cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 94. Sessio oculorum. *h. e.* orbita. *Id.* 5. *ibid.* 4. 66. veretri. *h. e.* infima pars. *Id.* 3. *Acut.* 22. *init.* Defluxio est fluor parvi temporis, ultimarum partium coli atque sessionis sive longanonis, ut nos appellamus. *sc.* longi seu recti intestini. *Id.* 1. *ibid.* 8. 53. Aliqui cerebrum pati dixerunt; alii ejus fundum sive basin quam nos sessionem dicere poterimus. — *b)* Pro podice. *Id.* 4. *Tard.* 3. 45. Sessioni, quam Græci hedram (ἕδραν) vocant. Cf. SEDES. *et mox.* Apponenda rursum sessioni vaporatio stymmatum.

SESSĪTO, as, āvi, are, n. 1. *frequentat.* vel *intens.* a sedeo, sæpe sedere, καθέζομαι. *Cic. Brut.* 15. 59. Ut quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse. *Apul.* 1. *Dogm. Plat. prope fin.* At enim illæ opimæ sunt partes (*corporis*), quas labor subigit, ut femina ipsa, qua sessitandi regio est. *Jul. Valer.* 3. *Res gest. Alex. M.* 85. Super orbem simulacrum columbæ sessitabat.

SESSĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sessio, parva sessio, *piccola sessione o circolo di persone. Cic.* 5. *Fin.* 20. 56. *V.* SEMICIRCULUS.

SESSOR, ōris, m. 3. (sedeo) qui sedet, *seditore,* ἑδρευτής. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 130. In vacuo lætus sessor plausorque theatro. *Sueton. Vit. Lucani.* Adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis, magna cum sessorum fuga, pronuntiarit. *h. e.* desidentium. ¶ 2. Speciatim de eo, qui equo sedet, *cavaliere. Seneca Const. sap.* 12. *ad fin.* Pecora verbere domantur: nec irascimur illis, quum sessorem recusaverint. Adde *Sueton. Cæs.* 61., *Veget.* 2. *Veterin.* 28., *Augustin. Serm.* 385. et *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 3. 25. ¶ 3. Item habitator, incola. *Nepos Cim.* 2. Sessores veteres urbe insulaque ejecit.

SESSŌRĬUM, ii, n. 2. (sedeo) ¶ 1. Est sedes, sella. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *ante med.* In vicina porticu gestatio adhibenda, ita ut sella bajulatoria, vel quolibet sessorio leniter atque mediocriter moveantur. ¶ 2. Item locus ad sedendum. *Petron. fragm. Tragur.* 77. *Burmann.* Cubiculum, in quo ipse dormio, viperæ hujus sessorium. *h. e.* sedes, habitatio, conclave. Adde *Acron.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 8. 13.

SESSUS, us, m. 4. (sedeo) sessio, sedendi actus. *Apul. Florid. n.* 16. Locum sessui impertiunt.

SESTERTĬA. *V.* SESTERTIUS.

SESTERTĬĀNUS, a, um, adject. dicitur de agro a *Frontin. de Colon. p.* 109. *Goes.* Ager Buxentinus sestertianus est assignatus in cancellationem limitibus maritimis. At *Rudorff.* leg. *alivestertianis.* Cl. *Furlanetto* in *App.* ad *h. v.* hæc habet: *Sestertianus* quid significet, eruditis inquirendum relinquo. Pro mea parte nihil sane certi dicam; sed, si vera est lectio a *Goes.* proposita, hæc vox mihi videtur conjungi posse cum v. *sestertius,* qui ad mensuram quoque agri refertur. V. *Colum. Arbor.* 1. *a med.* in SESTERTIUS; ita ut loci sententia hæc sit: Ager Buxentinus per sestertios dimensus est assignatus etc.

SESTERTĬĀRĬUS, a, um, adject. (sestertius) ad sestertium pertinens.

I.) Proprie. *Mæcian. De ass.* § 1. et 75. Ad quinarium et victoriatum rationem Romæ conflci nescio; quemadmodum tamen, si velis, conficias, facilius apparebit, si prius inspexeris, ad quem modum sestertiaria ratio conflat. *h. e.* quæ de sestertiis calculandis agit. Cf. *Mommsen* in *Memor. dell'Istit. archeol. v.* 2. *p.* 330. et *seq.* — *Sestertiaria usura,* idem quod Italice dicimus *il due e mezzo per cento.* V. *Bullett. archeol. a.* 1835. *p.* 131.

II.) Translate. *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Glyco autem, sestertiarius homo, dispensatorem ad bestias dedit. *h. e.* qui censu pauper, et cujus patrimonium nummo sestertio emi potest: vel qui patrimonium habet, mille nummos: a sestertio, non nummo, verum pondere, quod valebat nummos mille. Ita *Sheffer.* Rursus *Petron. ibid. paullo post.* Dedit gladiatores sestertiarios, jam decrepitos, quos si sufflasses, cecidissent. *h. e.* parvi pretii. — Hinc

Sestertiarius, ii, m. 2. absolute est, qui sestertios erogat, ut exponitur in *Gloss. Isid.*

SESTERTĬĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc. in fin.

SESTERTĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* sestertius, parvus sestertius. *Martial.* 1. 59. Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo Bis decies. hoc da tu mihi, pluris emam. *h. e.* bis decies sestertium.

SESTERTĬUM. *V.* voc. seq.

SESTERTĬUS, a, um, adject. — *a)* Ad scriptionem quod attinet, male in quibusdam MSS. codd. et edit libr. *sextertius* scribitur pro *sestertius,* perinde ac si vox e *sex* et *tertius* confecta sit. *V. Gloss. Lat. p.* 271. *n.* 159. *Hild.* — Pro *sestertius* brevior forma occurrit descripta duabus lineis et litt. S, id est IIS vel HS; aut etiam LLS. *V.* infra. — *b)* Poetæ per metaplasmum, metri gratia, *sestertia* passim dicunt. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 80. Dum septem donat sestertia, mutua septem Promittit. *Martial.* 6. 20. Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogavi. *Juvenal.* 4. 15. mullum sex millibus emit Æquantem sane paribus sestertia libris. *h. e.* sex millib. sestertium, quippe qui sex librarum erat. *Cicero* quoque *sestertia* dixit, si sanus est locus *Parad.* 6. 3. Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia: ego centena ex meis. Sed *Rudeo, de Asse l.* 2., corruptus est. Fortasse etiam pro voce notam HS *Cicero* posuit. Ita *Forcellinus.* Ceterum *Orelli aliique* apud *Cic.* retinent *sestertia,* quod occurrit etiam apud *Tac.* 2. *Ann.* 38. et 11. *ibid.* 7. et *Senec.* ad *Priscian. de fig. num. p.* 1349. *Putsch.* et *Apul.* 10. *Met.* aliosq. et rursum apud *Cic.* 4. *Verr.* 3. 50. Sed ubique *sestertia* habendum est ut adjectivum, et subaudiendum *millia.* — *Sestertium* pro *sestertiorum* usitatissimum est. *Cic. Orat.* 46. *extr.* Alias ita loquor, ut concessum est: ut hoc vel *proh deum* dico, vel *proh deorum:* alias ut necesse est, quum *trium virum,* non *virorum,* quum *sestertium nummum,* non *nummorum:* quod in his consuetudo varia non est. *Id.* 3. *Off.* 24. 73. Quum ei testamento sestertium milies relinquatur. *Id.* 12. *Phil.* 5. *sub fin.* Sestertium septies millies avertisse Antonium pecuniæ publicæ, judicavistis. — *Sestertiorum* quidam leg. apud *Cic. Cluent.* 64. 179. sed alii rectius substituunt notam illam HS, quæ passim pro ipso vocabulo ponebatur, ut X pro *denario,* P. pro *pondo,* S pro *semis* etc. Quod, ut ait *Forcellinus,* fere semper suspicandum, quum *sestertia* in plurali neutro apud prosæ scriptores occurrit, ut in illo *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (32). Ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC census fuisset. Veri enim simillimum est, in MSS. fuisse HS CCCC (ita et *Sillig.*) et legendum esse *sestertium quadringenties,* ut apud *Cic.* 4. *Verr.* 10. 26. HS quadringenties accepisse te arguo contra leges. (*Orell.* HS. CCCC.) et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 24. (103). P. Clodius sestertium centies et quadragies octies domo empta habitavit. (*Sillig.* HS CXLVIII.) et 10. *ibid.* 20. 23. (45). Ex eo quæstu reditus sestertium sexagena millia habuit. Sed cf. quæ paullo superius dicta sunt. Ceterum viderint eruditi. — *c)* Ratione habita etymi, vox composita est ex *semis* et *tertius,* per syncopen, teste *Varrone* 5. *L. L.* 173. *Müll.* Sestertius, quod duobus semis additur. dupondius enim et semis antiquus sestertius est: et veteris consuetudinis, ut retro ære dicerent, ita ut semis tertius, quartus semis pronuntiarent, ab semis tertius sestertius dictus. V. *Müll.* adnot. *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* Nostri quartam denarii partem, quod efficiebatur ex duobus assibus

et tertio semisse, sestertium nominaverunt. *Charis.* 1. *p.* 58. *Putsch.* Denarii quarta pars dupondius semis, sestertius dicitur, quod de tribus assibus semis deficiat. *V. Gronov. de pec. vet. v.* 9. *p.* 33., *Ald. de sestert.* in *Antiq. Græv. v.* 1. *App. p.* 834. et *Cavedoni Append. p.* 30. *n.* 22., a quo sestertius *assis tertius dimidiatus* dicitur. — Sestertius, *sesterzio*, olim nummus argenteus, quarta pars denarii: valet enim duobus assibus et semis, h. e. dimidio, quod ex ejus nota, quæ constat duab. lineis II (*h. e.* duob. assibus) vel duob. LL (*h. e.* libra libra) et S (*h. e.* semis), significatur: habetque, si redigatur ad rationem nostræ monetæ, valorem quintæ circiter partis libræ Parisiensis vel Italicæ (*venti centesimi all'incirca*): dein vero et nummus æreus, sub Augusto ac deinceps, quatuor assibus respondens. *Mæcian. Distrib.* § 47. Sestertius quatuor asses valet. De hujus materia *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Hoc (*æs Marianum*) a Liviano cadmiam maxime sorbet, et aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio suo assibus contentis. Ita *Harduinus* legit ex omnium librorum consensu: *Gronovius* vero pro *sestertiis dupondiariisque* legi mallet *sesquassibus dupondiisque*. Sed *Eckhel, D. N. V. T.* 6. *p.* 283., *Harduini* lectionem confirmat nummorum auctoritate. *V.* ARGENTUM et *Cavedoni, Append. p.* 142. in *adn.*, *Eckhel loc. cit.*, præsertim *Dupuy* in *Mémoir. de littérat. de l'Acad. des Inscript. T.* 28. *p.* 681. Occurrit autem *A*) Adjective non solum, sed etiam et sæpius *B*) Substantivorum more.

A) Adjective.

I.) Proprie. *Colum.* 3. *R. R.* 3. *a med.* Percipere in annos singulos mille nongentos quinquaginta sestertios nummos. *et ibid. ad fin.* Ut non inviti sestertiis sexcentis nummis singula milia viviradicum a me rustici mercentur. *Vitruv.* 1. 4. *in fin.* Constituit mœnia, et areas divisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit.

II.) Translate. *Cic. Rabir. Post.* 17. 45. Ecquis est qui bona Rabirii nummo sestertio sibi addici velit? *Epit. Liv.* 55. Damnatus, sub furca diu virgis cæsus est et sestertio nummo veniit. Adde *Val. Max.* 5. 2. *n.* 10. et 8. 2. *n.* 3., ubi *nummo sestertio* est parva pecunia, minimo pretio, *a prezzo disfatto, per una mica. V.* SEMUNCIA.

B) Substantivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de nummo. *Vitruv.* et *Charis. loc.* supra *cit.* — *Antiquum sestertium* nominat *Varro* ad differentiam recentioris, qui, ut vidimus, quatuor asses valuit, mutatoplus semel assis pondere, ut est apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13., ita tamen, ut sestertius semper quarta pars denarii fuerit. *Cic. Divin. Verr.* 10. 30. Quum esset tritici modius HS duobus, in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 34. (130). Taxatio in libras sestertii singuli et in penuria bini. — Ratio loquendi per sestertios est hujusmodi: usque ad mille, simpliciter dicitur *quatuor, decem, viginti* etc. *sestertii*: quum numerus excedit mille, nec ad decies centena milia pervenit, dicitur *mille sestertii* vel *sestertium, bis mille, octo milia, viginti quinque milia sestertium* etc., vel vox *milia* omittitur. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 51. 72. (141). Æsopi histrionis patina HS centum taxata, h. e. *sestertium centum milia*: (Adde 35. *ibid.* 12. 46. (163).) *et Gell.* 5. 2. Bucephalum emptum talentis tredecim: æris nostri summa est HS CCCXII. *h. e.* sestertium trecentis duodecim milibus. quæ summa si notis, non verbis, exprimenda sit, hoc etiam modo scribi solet, HS $\overline{\text{CCCXII}}$, ut superducta linea mille significet. Si majorem summam significare velimus, utimur adverbiis *decies, vicies, ducenties*, subintelligendo *milies* vel *mille* vel *centena milia*: idque sive in singulari ablativo, sive in plurali genetivo *sestertius* adhibeatur. (Hæc vero enucleatius explicata reperies apud *Morcell. de stil. inscr. Lat. T.* 1. *p.* 120. 137. et 274. *edit. Pat.* Nec abs re erit hæc adnotasse ex *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (133). Non erat apud antiquos numerus ultra centum milia; itaque et hodie multiplicantur hæc, ut decies centena milia, (*Sillig.* milia *omitt.*) aut sæpius dicantur. Hujusmodi autem consuetudo apud Romanos numerandi tantummodo usque ad centum milia sestertiorum repetenda est ex Servii Tullii censu, qui statuit, teste *Liv.* 1. 43., ut prima classis civium esset ex iis, qui centum milium æris aut majorem censum haberent. Præterea ad justam sestertiorum rationem observandum est, notam numeralem, qua sestertii significantur, ita etiam distingui, ut sine linea valeat totidem sestertios, cum linea superducta, ut diximus, totidem sestertiorum milia, cum lineis denique in vertice et ad latera descriptis totidem centena milia: sic HS X = decem sestertii; HS $\overline{\text{X}}$ = decem milia sestert.; HS $|\overline{\text{X}}|$ = decies (centena milia) sestert., vel HS $|\overline{\infty}|$ = milies (centena milia) sestert. *Juvenal.* 10. 335. ritu decies centena dabuntur Antiquo. *h. e.* decies centena milia sestertium dotis nomine. *Seneca Consol. ad Helv.* 10. *ad fin.* Apicius quum sestertium milies in culinam congessisset, *etc.* superfuturum sibi sestertium centies computavit: et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit! *Id. ibid.* 9. *ad fin.* C. Cæsar centies sestertio cenavit uno die. *Id. ibid.* 12. *ad fin.* Quorum pantomimæ decies sestertio nubunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196). Quæ Neroni principi quadragiens sestertio nuper stetere. *Nepos Att.* 14. Ut neque in sestertio vicies parum se splendide gesserit, neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat. *Inscript.* apud *Orell.* 2648. ADSVMPTO IN CONSILIVM AD HS. LX. M. IV. IVRISPERITO. — At *Gronovius* in accuratissimo suo opere *de pecun. vet.* contendit, *sestertium* adjectivum num. sing. esse, in quo subaudiendum sit *pondus argenti*. V. quæ prolixe disserit *l.* 1. *c.* 1.–5. et *l.* 2. *c.* 1. *et seqq.* Secundum *Letronne* (*Mon. Gr.* et *R. p.* 80.) sestertium est pondus libræ. — De sestertii inscriptionibus, valore, numeratione V. eumd. *Gronov. op. cit.* et *Antiqu.* etc. *v.* 9. *p.* 1563., *Morcelli* supra *laud.* et *Schiass. Lex. Morcell. T.* 3. *p.* 331. ¶ 2. Latiore sensu interdum refertur ad mensuram magnitudinum. *Colum. Arbor.* 1. *a med.* Agrum planum et sucosum sat erit bipalio vertere: quod vocant rustici sestertium. *h. e.* quod genus pastinationis vocant sestertium, *scil.* quum duos pedes et semissem seu semipedem humus convertitur, ut *id.* 3. 5. *a med.* ait. Ita recte locum interpretatur *Schneiderus* ad *Colum. Arbor.* 1., ubi locos huc pertinentes invicem comparavit. *Lex. XII. Tab.* apud *Mæcian. De ass. distrib.* Ambitus parietis sestertius pes esto. Idem aliis verbis sic habet *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 16. 16. *Müll.* Ambitus proprie dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Improprie. — *a*) *Sestertius*, sive potius *sestertium*, fuit etiam locus extra portam Esquilinam duobus passuum milib. cum dimidio ab Urbe distans, ubi cruces et patibula defixa, cadavera abjecta aliaque, quæ ad supplicia plebis. *Vet. Scholiast. Cruquii* ad *Horat. Epod.* 5. Esquilina porta Romæ dicitur, ad Sessorium (*lege* Sestertium), ubi certus erat locus sepulcrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda, aut canibus projicienda. *Plutarch. Galb. c.* 28. τὴν δὲ Γάλβα κεφαλὴν λαβόντες ἔρριψαν, ᾗ τοὺς ἀπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους Ϩανατοῦσιν. ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται. — *b*) Item genus vestimenti in illo *Sueton. Aug.* 83. Vectabatur et deambulabat, ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret, sestertio vel lodicula involutus. *Turneb.* putat fuisse vestem duum in omnem partem pedum et semissis. Alii cum *Cujacio* rectius leg. *segestri* vel *segestrio*. ¶ 2. Translate pro pecunia: hinc *sestertio amplo emere* idem est ac magna vi pecuniæ emere, in illo *Solin.* 27. *ad fin.* Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni comparaverunt. Ita *Salmas.*

SESTERTĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præced.

SESTĬĀNUS *vel* Sextianus, a, um, adject. ad Sestium pertinens, de quo *V.* ONOM. Hinc *Sestiana* vel *Sextiana mala*, genus malorum ita dictum a quodam Sestio, qui primus ea in Italiam invexit; vel, ut alii putant, a Sesto urbe Hellesponti, ubi copiose proveniunt. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ad fin.* et 12. *ibid.* 45. Alii tamen aliter leg.

SESTĬUS. *V.* SEXTIUS.

SESUNĬUM. *V.* voc. seq.

SESUVĬUM, ĭi, n. 2. Vox ignotæ originis. *Festus p.* 343. 25. *Müll.* Sedum, alii sadum, appellant herbam, quam Opillius Aurelius sesuvium (*Furlanetto* sesunium) vocari ait, eamque in tegulis seri, nec quamobrem id fiat, indicat. Hic *Festus* stulte, ait *Jos. Scaliger*, quærit, quare sedum seratur in tegulis, putans scilicet ob religionem potius, quam naturam illius herbæ, hoc fieri. Cf. tamen *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3.

SET pro Sed. *V.* SED init.

SĒTA. *V.* SÆTA.

SĒTĀNĬA, æ, f. 1. *et* Setanion *vel* Setanium, ĭi, n. 2. σητανία et σητάνιον. ¶ 1. Est genus mespilorum, *sorta di nespola più grande e più bianca*. V. *Mureto* ad *Plaut. loc. cit. Plin.* 15. *Hist. nat.* 20. 22. (84). Mespilis tria genera, anthedon, setania, *etc.* setaniæ majus pomum candidiusque, acini molliore ligno. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 16. Non possunt militares pueri setanio educier. Alii leg. *educari*. ¶ 2. Sunt etiam setaniæ cæpæ quædam minimæ, sed sapidissimæ, apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (101). ¶ 3. Item setanium est bulbi species. *Id. ibid.* 5. 30. (95).

SĒTĀNĬON vel

SĒTĀNĬUM. *V.* voc. præced.

SĒTĀNĬUS. *V.* SITANIUS.

SĒTĀTUS, a, um, adject. incertæ significationis. Legitur in *Inscript.* apud *Labusium Marm. Bresc. n.* 3. I. O. M. D. EX IVSSV EIVS M. PVB. CLODIAN. CANDID. NEQ. IN HAC ARA SETATVS AC RITV EI. Postrema verba *Mommsen.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4242. leg. conjunctim SETATVSACRITVLI, nullo plane sensu.

SĒTHIM, Settim *vel* Septim, plur. indecl. ab Hebr. שטים *shittim*, lignum pretiosum, quod carie non laborat. Si Thalmudicis credimus, genus præstantissimum cedri est; at recentiores idem putant esse cum Setta, cujus pluralis forma sit. *V.* SETTA. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 10. et alib. passim. et *Hieronym.* 12. in *Is.* 41. 17. infra allat. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

SĒTĬGER. *V.* SÆTIGER.

SĒTĬMUS pro Septimus, in *Inscript. Afric.* apud *Rénier, n.* 3729. ET DISCESSIT SETIMO CALENDAS ACVSTAS (*sic*).

SĒTĪNUS, a, um, adject. ad Setiam urbem pertinens. *V.* ONOM. Hinc ¶ 1. *Setinum vinum*, ab Augusto, ut ait *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (60)., ceteris Italiæ vinis prælatum: ob id fortasse quod cibos concoqui cogit, teste *eod.* 23. *ibid.* 1. 21. (36). Adde 3. *ibid.* 5. 9. (60)., *Juvenal.* 10. 27. et *Martial.* 6. 86. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2591. MERVM PROFVNDITE NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CAECVBVM etc. ¶ 2. Est etiam titulus Comœdiæ Vetli Titinii apud *Non. p.* 249. 18. *Merc.* Titinius Setina. Cocus magnum ahenum, quando fervit, paulla confutat trua. *et alibi*.

SETĪUS pro Secius. *V.* SECUS.

SĒTŌSUS. *V.* SÆTOSUS.

SETTA, æ, f. 1. ab Hebr. שטה *shitta*, qua significatur spina Ægyptiaca veterum, hodie *acacia à gomme arabique* a Gallis dicta (*Mimosa Nilotica* Linn.), arbor magna in Ægypto et Arabia crescens, cortice spinis nigris tecto (ex quo gummi Arabicum destillat), siliquis subnigris, ligno durissimo, et, ubi veterascit, ebeno simili. *Hieronym.* 12. *in Is.* 41. 17. Quia omnibus natura earum (*arborum*) nota est, de setta tantum Hebraico edisseramus, quam *spinam* Theodotio transtulit. Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem; unde omnia ligna arcæ et tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur Settim: quod lignum imputribile et levissimum, omnium lignorum tam

in fortitudine, quam in nitore, soliditatem superat et pulcritudinem.

SETTIM. *V.* SETHIM.

SĒTŬLA. *V.* SÆTULA.

SEU, conjunctio, per apocopen a *seive*, olim pro *sive*, ut *neu* a *neve*, factam; syllaba autem *ve* eadem videtur *Handio* (*Op. cit. T.* 2. *p.* 45), quæ in *vel* apparet: cujus vis primitiva posita est in æquiparando seu apponendo ex æquo. — In MSS. tamen codd. et edit. libr. sæpissime particulæ *seu, sive, ceu* confusæ sunt. — Seu est

I.) Conjunctio disjunctiva; hac enim jungimus ea, quorum alterum, non utrumque, affirmamus, ἤ, ἤτοι (It. *o, ossia, ovvero;* Fr. *ou;* Hisp. *ó;* Germ. *oder;* Angl. *or*); occurrit autem, si jungatur verbis, cum Conjunctivo, et etiam, præcipue apud poetas, cum Indicativo. — 1.°) Generatim. — *a*) Aliquando semel tantum ponitur. *Cic. Quinct.* 25. *extr.* O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuncios, seu potius Pegasos habeat! *o per dir meglio.* et *Propert.* 2. 20. 29. Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar. — Etiam quum necessario repetenda videtur. *Horat.* 1. *Od.* 3. 15. Quo non arbiter Hadriæ Major, tollere seu ponere vult freta. *Propert.* 2. 20. 34. Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit. *Tac.* 15. *Ann.* 45. *extr.* Tradidere quidam, venenum ei per libertum ipsius paratum jussu Neronis: vitatumque a Seneca proditione liberti, seu propria formidine. — *b*) Sæpe repetitur bis et amplius ipse, aut cum *sive* aliisve particulis disjunctivis; hinc *seu–seu*, et etiam apud optimos scriptores, *sive–seu;* insolentius *seu–seu–sive, vel–sive–sive, sive–seu–an* etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur. *Cic. Quinct.* 8. *sub fin.* Homines nobiles, seu recte seu perperam facere cœperunt, ita in utroque excellunt, ut etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 23. Seu quod timore perterritos Romanos discedere existimarent, sive quod re frumentaria intercludi posse confiderent. *Cic.* 7. *Verr.* 58. *a med.* Civilis dissensionis, et sive amentiæ, sive fati, seu calamitatis, non est iste molestus exitus. *Liv.* 21. 7. Saguntini in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ. *Virg.* 12. *Æn.* 684. saxum de vertice præceps Quum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas. *Id.* 9. *ibid.* 680. Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum. *Tac.* 1. *Ann.* 79. Seu preces coloniarum, seu difficultas operum, sive superstitio valuit. Adde 12. *ibid.* 25. et 2. *Hist.* 78. *Apul.* 5. *Met.* 28. Sive illa de Nympharum populo, seu de Horarum numero, seu de Musarum choro, vel de mearum Gratiarum ministerio. Adde *Capell.* 8. *p.* 270. — *Seu - seu* idem ac *tam quam*, apud *Tac.* 1. *Hist.* 7. Inciso semel principe, seu bene seu male facta premant. — 2.°) Speciatim ponitur pro *vel. Vitruv.* 5. 7. Quum aut sabularum mutationes sunt futuræ, seu deorum adventus. *Pers.* 5. 47. Nostra vel æquali suspendit tempora libra Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora Dividit in geminos concordia fata duorum. — 3.°) Etiam pro *aut* videtur esse in illo *Ovid.* 6. *Fast.* 433. Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes, Seu pius Æneas eripuisse datur. At *Madvig* in *Advers. crit. v.* 2. *p.* 102. corrigit *eripuisse ferunt*, ita ut in unoquoque inciso sit subaudiendum *eripuit.* et recte quidem. — 4.°) Pro *an. Virg.* 2. *Æn.* 739. Heus misero conjunx fatone erepta Creusa Substitit, erravitne via seu lassa resedit, Incertum.

II.) Conjunctio copulandi et ampliandi aliquando vim habens. *Paul. Dig.* 34. 2. 31. Si quis ita legaverit: Uxori meæ mundum, ornamenta, seu quæ ejus causa paravi, do, lego: placet omnia deberi: sicuti quum ita legatur: Titio vina, quæ in urbe habeo, seu in portu, do, lego. hoc enim verbum, scilicet seu, ampliandi legati gratia positum est. *Apul.* 7. *Met.* Villas seu castella solus aggrediens, viaticulum mihi corrasi. *Quintil.* 7. 1. 60. Ratiocinativa seu collectiva quæstio. Alii leg. *atque.*

III.) Conjunctio declarativa seu explicativa, sed rarius. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 6. Semper virgo Maria Theotocos, seu deipara. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1849. *p.* 10. SOLVE CATENAM TVAM SEV CANES TVOS AGRESTES SILBATICOS (*sic*).

Homonym. Discrimen inter *seu* (*sive*), *vel* et *aut* V. sub AUT.

SEUTLŎPHĂCE, es, f. 1. Vox composita a σεῦτλον, beta, et φακή, lens, edulium beta et lentibus confectum. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 39. 229. Asclepiades cibum dat betam cum lenticula, quæ appellavit seutlophacen. *V.* TEUTLOPHACE.

SĒVĔHO, vĕhis, vectum, vĕhere, a. 3. (se et veho) seponere, sejungere. Translate *Propert.* 3. 8. 21. ed. *Baehrens.* Cur tua præscripto sevecta est pagina gyro? *h. e.* a via, qua solebat, deflexit? Alii tamen aliter leg.

SĔVĒRĒ, adverb. (severus) Comp. *Severius;* Sup. *Severissime.* — Severe est serio, austere, rigide, acriter, *con gravità, sul serio, con rigore, severamente,* αὐστηρῶς, ἀποτόμως. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Quum inimicum meum sæpe in senatu, modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur. *Id.* 2. *Fin.* 8. *a med.* Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. *Sall. Jug.* 18. Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant. *Sueton. Cæs.* 48. Diligenter severeque domesticam disciplinam regere. *Cic.* 10. *Att.* 12. *ante med.* Quintum filium severius adhibebo. *h. e.* accipiam, acriter objurgando. *Græviu*s mallet *cohibebo.* Sic *Justin.* 3. 3. 8. Severius aliquem coercere. *Gell.* 19. 5. increpare. *Cic.* 1. *Off.* 21. 71. Voluptatem severissime contemnunt, in dolore sunt molliores. *Id. Rosc. Com.* 15. 44. Ætas severissime exacta. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. *a med.* Cæsar Brundisium ad suos severius scripsit, ut nacti idoneum ventum, ne occasionem navigandi dimitterent. *Sueton. Cæs.* 43. Jus laboriosissime ac severissime dicere.

SĔVĒRĬTAS, ātis, f. 3. (severus) gravitas, tristitia, asperitas, duritas, αὐστηρότης (It. *gravità, contegno, sostenutezza, rigore, severità;* Fr. *gravité, air sérieux, austérité, sévérité;* Hisp. *gravedad, severidad, rigor;* Germ. *ernste Haltung, Strenge, Schärfe;* Angl. *gravity, seriousness, severity*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Andr.* 5. 2. 16. Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides. *Publil. Syr.* 79. *Ribbeck.* Bono justitiæ proxime est severitas. *Cæs.* 7. *B. G.* 4. *ad fin.* Severitas imperii. *Cic.* 9. *Fam.* 14 *a med.* animadversionis. *Id.* 1. *Fin.* 7. *ante med.* L. Torquatus illam severitatem in filio adhibuit, ut etc. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. Voluptatem dimittamus, ne blanditiis ejus illecebrisque impediatur disputandi severitas. *Plin.* 3. *Ep.* 18. *a med.* Severitas aurium. *h. e.* acre audientium judicium. *Id.* 2. *Ep.* 5. orationis. *Auct. B. Alex.* 48. *extr.* Militarem disciplinam severitatemque minuere. et *ibid.* 65. dissolvere. *Quintil.* 2. 4. *ante med.* Ingenia puerorum nimia emendationis severitate deficere. — *b*) Cum oppositis aut homonymis. *Cic. Senect.* 18. *sub fin.* Severitatem in senectute probo, sed eam modicam; acerbitatem nullo modo. *Id. Brut.* 25. *ad fin.* Homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis. *Id. Mur.* 31. *extr.* Si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique asperseris. *Id. Orat.* 16. *sub fin.* Duritiem et severitatem quamdam verbis et orationis quasi mœstitiam sequi. *Id. Brut.* 93. *ad fin.* Laxare judicum animos, atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traducere. *Id.* 2. *Orat.* 17. *ad fin.* Judex tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est contorquendus. *Id. Sull.* 33. 92. Severitatem judiciorum lenitate ac misericordia mitigare. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 25. Severitatem verentur subjecti, sævitiam detestantur.

II.) Translate. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (21). In M. Ciceronis monumentis invenitur, unguenta gratiora esse, quæ terram, quam quæ crocum sapiunt: quando etiam corruptissimo in genere, magis tamen juvat quædam ipsius vitii severitas. *h. e.* asperitas, insuavitas.

SĔVĒRĬTER, adverb. (severus) ¶ 1. Est graviter, serio. *Plin.* apud *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* Severiter hodie sermonem amica mecum contulit. Cf. *Non. p.* 509. 33. *Müll. Apul.* 2. et 3. *Met.* Facinus severiter vindicare. ¶ 2. Item sæviter, aspere, difficile. *Enn.* apud *Non. p.* 511. *init.* Severiter fortuna ferri cernunt de victoria. *Id. ibid.* Severiter suspectionem ferre falsam, futilium est. Ita utrobique *Forcellinus:* at legend. *sæviter. Plaut.* etiam usurpavit, teste *Priscian. loc. cit.*

SĔVĒRĬTŪDO, inis, f. 3. (severus) severitas, tristitia. *Plaut. Epid.* 5. 1. 2. et apud *Non. p.* 173. 9. *Merc.* quid illud est, quod illi caperat frons severitudine? *Apul.* 1. *Met. sub fin.* Morum severitudo.

SĔVĒRUM. *V.* SEVERUS in fin.

SĔVĒRUS, a, um, adject. Omissa notatione *Isid.* 10. *Orig.* 250., *Forcellino* assentimur, cui videtur esse a σέβηρος, h. e. σεμνός, quamvis repugnet *H. Stephanus,* qui in *Thes. L. Gr.* ponit ex *Zonar.,* σέβηρος a Latina voce ortum, ut αὐστηρός, ignorans saltem hoc reperiri apud *Aristot. Eth. Eudem.* 7. 5., *Plat. Theæt. p.* 178. c. § 89. et *Xenoph.* 5. *Anab.* 4. 16.; addit tamen ex *Tittmann.* dubitationem movere *Hesychium,* qui habet in gloss. Σέβηρος, εὐσεβής, δίκαιος. Immo dicendum a rad. Skr. *sêv,* veneror, deduci posse, unde Gr. σέβω, σέβομαι ejusdem significationis, et subjecta terminatione adjectivorum quorumdam propria, vox σέβηρος vel σίβαρος facta. — Comp. *Severior;* Sup. *Severissimus.* — Severus est gravis, serius, tristis, rigidus, austerus, acerbus, vehemens, asper, durus, αὐστηρός, σεμνός (It. *grave, sostenuto, serio, rigoroso, severo;* Fr. *sérieux, grave, sévère, quant au visage, à la conduite* etc.; Hisp. *serio, grave, sentado, severo;* Germ. *ernsthaft, gesetzt, ernstlich, scharf;* Angl. *grave, reserved, serious, sober, severe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) De exteriore hominis facie. *Ter. Heaut.* 5. 3. *in fin.* Sed ipse egreditur: quam severus! rem, quum videas, censeas. *h. e.* quantam gravitatem vultu præfert! *Cic.* 2. *Orat.* 71. *a med.* Vultu, quo severior est et tristior, hoc illa, quæ dicuntur, salsiora videri solent. *Horat. Art. P.* 105. tristia mœstum Vultum verba decent, *etc.* severum seria dictu. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 46. severa fronte curas cogitans. *Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 121. *Oehl.* Intonsa coma, sordido vestitu, ore severo. *h. e.* tristi. — *b*) Deinde refertur ad animum, cujus indicium vultus est. *Lucret.* 5. 1356. Agricolæ severi. *h. e.* duri, laboribus assueti, a molli vita, deliciis et luxu abhorrentes. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 638. Tatioque seni Curibusque severis. *Ovid. Heroid.* 18. 63. Severum pectus. *h. e.* alienum ab amore. *Catull.* 5. 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius æstimemus assis. *Cic. Brut.* 31. 117. Q. Tubero vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat. *Id.* 3. *Off.* 31. *extr.* Qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium. *Id.* 4. *Tusc.* 19. 43. Imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. — 2.°) In rebus judicialibus dicitur de eo, qui nihil de pœna legibus constituta remittendum censet. *Cic. pro leg. Manil.* 13. *a med.* Neque potest severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. *Id.* 2. *Verr.* 10. 30. Duo severissimi atque integerrimi judices. *et mox.* L. Cassius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum severissima. *Id.* 6. *ibid.* 59. *a med.* Posteaquam judicia severa Romæ fieri desierunt. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 57. Adulterium lege severa vetitum. — 3.°) In oratoriis de eo, qui serius est et a facetiis remotus. *Cic. Brut.* 95. 325. Sententiæ non tam graves et severæ, quam concinnæ et venustæ. et *ibid.* 30. 113. P. Rutilius in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est. *Horat.* 2. *Od.* 1. 9. severæ Musa tragœdiæ. Adde *Quintil.* 9. 4. 120. ¶ 2. Speciatim est verax, fidelis, et qui se corrumpi non sinit. *Cic. Divin. Verr.* 5. 18. Cujus

legis non modo a populo R., sed etiam ab ultimis nationibus jampridem severi custodes requiruntur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (275). Trogus auctor e severissimis. ¶ 3. Pictor severus in coloribus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (137). Aristolaus e severissimis pictoribus fuit. *h. e.* qui veritatem potius et naturam secutus est, quam amœnitatem ac splendorem. ¶ 4. Est etiam sævus, crudelis. *Propert.* 4. 11. 22. turba severa Eumenidum. *Plaut. Trin.* 4. 1. 6. *de Neptuno.* Te omnes sævum severumque atque avidis moribus commemorant.

II.) Translate refertur ad inanima. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. *Horat.* 1. *Od.* 27. 9. severi Falerni partem sumere. *h. e.* austeri, acris. *Lucret.* 4. 461. severa silentia noctis. *h. e.* in quibus omnia religiose, ut ita dicam, silent et quiescunt. *Id.* 5. 1189. nox et noctis signa severa. *h. e.* sacra et horrorem incutientia. *Pers.* 1. 64. ut per leve severos Effundat junctura ungues. *h. e.* qui acres sunt in deprehendendis rimis et inæqualitatibus. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *a med.* Severi dies. *h. e.* quibus res seriæ et gravissimæ aguntur. *Quintil. declam.* 4. 14. Severæ hiemes. *h. e.* sævæ, rigidæ, acres. — *Comas severas Palladis* dixit *Stat.* 1. *Achill.* 288. quia Pallas dea severa est, et a mollibus feminarum studiis prorsus aliena. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 2. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 50. Opinor hercle, hodie quod ego dixi per jocum, id eventurum esse et severum et serium, Ut hæc inveniantur hodie esse hujus filiæ. *h. e.* verum, certum, non fictum. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 4. *Lucret.* 5. 36. Oceanum propter litus pelageque severa. *h. e.* infesta, periculosa, inimica navigantibus. *Horat.* 1. *Od.* 35. 20. Severus uncus. *Virg.* 3. *G.* 37. Furias amnemque severum Cocyti metuet. *h. e.* tristem, funestum, horribilem. *Plaut. Cist. a.* 3. *v.* 15. Hau! voluisti istuc severum facere? *h. e.* te ipsum interficere. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM. — Hinc

Severa, ōrum, n. plur. 2. absolute. *Horat.* 2. *Od.* 8. 28. Dona præsentis cape lætus horæ ac Linque severa. *h. e.* molesta. *Plin.* 3. *Ep.* 18. *sub fin.* ed. *Keil.* Austeris illis severisque dulcia hæc blandaque vel justa possessione decedant. Alii leg. *severis scriptis.* Adde *Quintil.* 2. 4. 6.

Severi, ōrum, m. plur. 2. absolute, dicitur de iis, qui sobriam vitam agunt, vino et luxu abstinent. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 9. adimam cantare severis. *Catull.* 27. 5. At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ, Vini pernicies, et ad severos Migratæ. *Tibull.* 3. 6. 21. *de Baccho.* Jam venit iratus nimium, nimiumque severis.

Severum, adverb. severe. *Prudent.* 2. *Cathemer.* 33. Nunc severum vivitur.

Severus, i, m. 2. absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 13. Parcus ob heredis curam nimiumque severus Assidet insano.

Homonym. Differunt *severus* et *serius* eo quod ille fere de personis, hic de rebus usurpatur. *Horat. Art. P.* 107. decentique Ludentem lasciva, severum seria dictu. — Item differt *severus* ab *austero,* quod ille potius de moralibus adhibetur, hic de intellectualibus, ut si quis dicatur philosophus *austerus,* sc. doctrina, et homo *severus,* sc. moribus. Sic *Quintil.* 11. 3. 74. Senes austeri ac mites: Juvenes severi ac luxuriosi. ubi τῷ *austeri* oppon. *mites,* et τῷ *severis* oppon. *luxuriosi.* Cf. *Döderlein* (*Op. cit. v.* 1. *p.* 75. et *v.* 3. *p.* 232.) — Item differunt *severus* et *gravis* in illo *Tac. Agric.* 9. Agricola, ubi judicia posceret, gravis, severus et sæpius misericors. ubi *gravis* est, qui dignitatem præ se fert; *severus,* qui non ex gratia aut libidine sed secundum leges agit.

SĒVIR et sexvir, viri, m. 2. (sex et vir) *Sexvir* in *Inscript.* apud *Orelli n.* 3726., 3931. etc. Scribitur etiam, et quidem sæpissime, notis IIIIII. vir, vel VI. vir., ut in *Inscr.* apud *eumd. n.* 3941-3947 etc. — *Sevirum* pro *sevirorum* in *Inscr.* apud *eumd. n.* 3940., 3963. etc. — Sevir est unus e sex viris, quibus aliquis magistratus aut aliquod collegium constat: ut *decemvir* unus ex decem, *duumvir* ex duobus. ¶ 1. In re civili, et quidem in municipiis et coloniis — *a*) *Seviri* dicti, qui in albo collegiorum artificum primi omnium sex scribebantur, non modo quia ante alios in eadem corpora adlecti fuerant, ut quatuorprimi, quinqueprimi, octoprimi, decemprimi, quindecimprimi appellati sunt in aliis corporibus, sed quia præsides erant eorum collegiorum. V. *Borghesi* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1839. *p.* 62., qui eos etiam a *sexprimis* distinguit. Hi porro absolute, vel cum addito occurrunt municipii aut coloniæ; unde si ex. gr. *sevir* absolute, vel *sevir Opitergii* aut *col. Jul. Fanestris* quis dicitur, inde colligimus, eumdem fuisse sevirum collegiorum illius civitatis, in qua posita fuerat ea inscriptio, aut illius, cujus additur nomen, quemadmodum sæpe legere est in antiquis monumentis, ut cl. *Furlanetto* in *App.* tradit. *Inscript.* apud *Gruter.* 471. 5. T. TADIVS T. F. OVF. CATIANVS VI. VIR VRB. etc. et 416. 8. Q. COLIVS Q. L. NICOMEDES MEDICVS OCVLARIVS SEXVIR COL. IVL. FANESTRIS. et p. 365. 3. L. ARRIVS T. F. SEXVIR OPITERGI SIBI ET SVIS T. F. I. Alia apud *Orelli* 3940. ORDO DECVRIONVM ET SEXVIRVM EX AERE COLLATO OB MERITA EIVS CVIVS etc. — *Inscr.* apud *Orelli n.* 3843. VI. VIR IVRI DICVNDO corrigenda videtur cum *Henzen.* in IV. VIR. I. D. — *b*) *Seviri* etiam *Augustales* sive *Augustalium,* vel *Augustales* absolute, fuerunt, qui collegio Augustalium præerant eorumque erant magistri, ut *Henzenius* ex allatæ *Inscript. n.* 7165. connexu recte conjicit: hi a decurionibus creabantur et annua fungebantur dignitate. *V.* AUGUSTALIS. Porro iidem confundendi non sunt cum prioribus, quamvis fieret, ut quis utraque dignitate esset ornatus; idcirco in antiquis monumentis habentur et *seviri* simpliciter et *seviri Augustales,* itemque *seviri* et *seviri Augustales* vel *seviri* et *Augustales.* *Petron. Sat.* 30. In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum: G. Pompejo Trimalchioni VI. Viro Augustali Cinnamus dispensator. *Inscript.* apud *Murat.* 194. 2. SEVIR IDEM AVGVSTALIS. Alia apud *Orelli* 3927. QVI DEDIT COLLEGIO VI VIR. SOCIORVM HS. N. ∞ Adde aliam apud *eumd. n.* 3913. Alia apud *Gruter.* 19. 3. C. PLAETORIVS C. F. STEL. PHOEBVS VI. VIR AVGVSTAL. et *ibid.* 6. PRO SALVTE COLONIAE ET ORDINIS DECVRIONVM ET POPVLI TVDERTIS IOVI OPT. MAX. L. CANCRIVS CLEMENTIS L. PRIMIGENIVS SEXVIR II. AVGVSTALIS ET FLAVIALIS. Alia apud *Reines. cl.* 6. *n.* 135. C. VALERIVS C. LIBERTVS FAVSTVS SEXVIR AVGVSTALIS PRIMVS VIVOS SIBI etc. Alia apud *Murat.* 19. 3. ASCLEPIO DEO L. CORNELIVS HYGINVS SEVIR AVGVSTALIS. Alia apud *Gruter.* 449. 1. T. PETIDIO T. F. FABIA CESSINO ADLECTO SVPRA NVMER. SEVIRVM AVGVSTALIVM. Adde aliam apud *Gud.* 120., 10. *Henzen. n.* 7101. et *Murat.* 19. 3. Alia apud *Orelli n.* 3918. L. FVBL. APRO LIB. ET TABVL. REI PVBL. AVG. GRATVITO VIVVS FEC. SIBI. *h. e.* seviro Augustali gratis facto. — In pluribus municipiis unus idemque hoc honore fungi poterat, ut patet ex *Inscript.* apud *eumd. n.* 3952. SEX VIR AVG. BRIX. ET TRIDENT. Adde aliam apud *Murat.* 195. 3. — *Inscript.* apud *Gud.* 4. 11. M. FLOSCIVS IIIIII. VIR MVNICIPII AEQVICOL. ET SEVIR. AVGVSTALIS etc. (quam tamen spurium habet *Henzen.* in *Suppl. Orell.* ad *h. n.*) Alia apud *Orelli n.* 1802. VALVAS SIGNA DEORVM... VI. VIRI ET VI. VIRI AVGVSTALES etc. — Seviros Augustales falcibus honoratos fuisse, *V.* apud *Labus, adnot.* ad *Rosmini, Stor. di Milano T.* 4. *p.* 438. et *Petron. loc.* supra *cit.* Cf. FASCIS. — *c*) *Sevirorum Augustalium* numerus quum excrevisset, cœpit discrimen inter *juniores* et *seniores* seu *majores.* V. *Inscript.* apud *Orelli n.* 3925. *et seqq.* et *n.* 3911. *et seqq.* et *Rosmini, St. di Milano T.* 4. *p.* 446. — *d*) Item dein in Augustorum honorem cultumque additi sunt *seviri Claudiales, Flaviales* etc., servato Augustalium nomine. V. *Inscript.* apud *Henzen, n.* 6956. et in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4968. ¶ 2. In re militari *sevir* dicitur, qui uni e sex equitum turmis, aut universim turmæ equitum præest: id vero muneris tribuebatur fere adolescentibus cursum ineuntibus; sed aliquando collatum iis, qui tribunatu militari et etiam quæstura et ædilitate perfuncti fuerant. — *a*) Cum additis. *Inscript.* apud *Gruter.* 1093. 7. T. DIDIO M. F. PAL. PRISCO III. VIRO CAPITALI SEVIR. TVRM. V. EQVIT. ROM. TRIB. MIL. etc. Alia apud *Gud.* 112. 2. T. AELIO T. F. PAL. NAEVIO SEVIRO EQVITVM ROMANORVM TVRMAE SECVNDAE. *et* 121. 8. SER. CORNELIO SER. F. DOLABELLAE SEVIR. EQVIT. ROM. TVRM. III. Adde aliam apud *Henzen. n.* 6488. M. VETTIO M. F. AN. VALENTI QVAESTORI PROVINC. MACEDON. AEDILI PLEB. SEVIRO EQ. ROM. PRAET. etc. et *n.* 6495. C. CALPETANO RANTIO.... QVAESTORI SEVIRO EQVIT. ROMANOR. TR. PLEB. etc. *Capitolin. M. Aurel.* 6. Pius Marcum sevirum turmis equitum Romanorum, jam consulem designatum, creavit. — *b*) Absolute. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2761. Q. POMPEIO..... XX. VIRO MONETALI SEVIRO PRAEF. FERIARVM LATINARVM etc. Adde aliam *n.* 2377. ¶ 3. Iidem videntur esse, qui Trojæ ludum edere solebant. *V.* TROJA. — Plura de *seviris* V. apud *Reines. cl.* 1. *n.* 99., *Noris* in *Cenotaph. Pis.* et alios, quos recenset cl. *Henzenius* in *Suppl. Orell.* ad *n.* 7089.

SĒVĪRĀLIS et sexviralis, e, adject. (sevir) ad seviros pertinens. ¶ 1. Refertur ad seviros civiles. *Inscript.* apud *Gruter.* 1103. 9. Seviralis cena. ¶ 2. Item ad militares. *Capitolin. M. Aurel.* 6. Edenti Marco cum collegis ludos sevirales Pius adsedit. — Hinc

Seviralis vel *sexviralis, is,* m. 3. absolute, substantivorum more, idem qui sevir. *Inscript.* apud *Gruter.* 1. 5. P. NVMERIVS MARTIALIS ASTIGITAN. SEVIRALIS. *Alii leg.* SEVIR AVGVSTALIS. Alia apud *Gud.* 208. 5. L. AFFIO L. F. VALENTINO ORDO SEVIRALIVM OB MERITA EIVS. Alia apud *Orelli n.* 2229. ORDO VI. VIRALIVM. Alia in *Corp. Inscript. Lat.* 5. 2536., ubi legitur *sexvirales.*

SĒVĪRĀTUS et sexviratus, us, m. 4. (sevir) dignitas seviri in municipiis et coloniis. *Inscript.* apud *Gruter.* 400. 7. HIC PRO SEVIRATV IN REMP. DEDIT HS ∞ ∞ etc. Adde aliam 378. 1. et *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann. Inscript.* apud *Gruter.* 150. 4. OB HONOREM SEXVIRATVS. At *Orelli n.* 1814. leg. IIIIII. VIRATVS. et apud *Gruter.* 1073. 6. VI. Vir. *h. e.* sexviratus.

SĒVĪSĂPĬA. *V.* SERISAPIA.

SĒVO, as. *V.* SEBO.

SĒVŎCĀTOR, ōris, m. 3. (sevoco) qui sevocat, seductor. *Gloss. Gr. Lat.* Ἀποχωριστής, sevocator. et *Gloss. Lat. Gr.* Sevocatorem, χωριστήν, ἀπατεῶνα.

SĒVŎCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĒVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (se et voco) Part. *Sevocatus* I. *a.* et II.; *Sevocandus* I. *b.* et II. — Sevoco est seorsum voco, abduco, seduco: et proprie de his dicitur, qui secreto collocuturi cum aliquo, eum a turba vocando seducunt, ἀποκαλέω (It. *chiamar da banda, o in disparte;* Fr. *appeller en particulier, tirer à l'écart, prendre à part;* Hisp. *llamar á parte, apartar;* Germ. *abseits, von andern fort od. abrufen;* Angl. *to call apart or aside, take or drawe aside*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Men.* 5. 9. 25. Sevocato herum. *Cic.* 2. *Phil.* 14. 34. Quum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. *a med.* Principes Galliæ sollicitare, sevocare singulos hortarique cœpit, ut etc. *Liv.* 7. 16. *sub fin.* Tribuni plebis, ne quis postea populum sevocaret, capite sanxerunt. *h. e.* extra Urbem vocaret, a patribus seduceret. *Petron. Sat.* 110. Ancilla sevocatum me non minus decoro exornavit capillamento. Adde *Ovid.* 2. *Met.* 836. et *Sueton. Cal.* 36. — *b*) Cum addito loco, in quem aut unde quis sevocatur. *Cic. Mur.* 7. 15. Facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. — Sevocare se, *ritirarsi in disparte, appartarsi, secedere.* *Plaut. Aulul.* 3. 6. 13. Quid tu te solus e senatu sevocas? *Id. Merc.* 2. 3. 45. Quid illuc est, quod ille solus se in consilium sevocat?

II.) Translate est separare, sejungere, abducere, abstrahere, *staccare, allontanare, separare,*

rimovere. *Catull.* 65. 1. Etsi me assiduo confectum cura dolore Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 75. A voluptate, a re familiari, a republ., a negotio omni sevocare animum. *Id. Orat.* 20. 66. Ab his non multo secus, quam a poetis, hæc eloquentia, quam quærimus, sevocanda est. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 63. Quum est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis. *h. e.* separatus, sejunctus. — *Sevocare aliquid ad se*, separare a reliquis et ad se trahere. *Cic. Quinct.* 3. *ad fin.* Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat.

SĒVUM cum derivat. *V.* SEBUM.

SEX, indecl., nomen numerale cardinale. *Sexs* sæpe videre est scriptum in antiquis Lapidibus, ut in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 11. *n.* 51., OLLAS CONTINVAS SEXS. quod pro *sexaginta* usurpatum fuisse perperam contendit *Guarini* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1836. *p.* 127. V. *Mommsen* in *Inscr. Regn. Neapolit. n.* 2243. — Sex est qui quinque excipit, *sei*, ἕξ: a Skr. *shash*. Occurrit autem ¶ 1. Stricto, seu determinato, sensu. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 5. 2. 21. Filium vendidi Theodoromedi sex minis. *Id. Cist.* 2. 1. 13. apud villam detinuit me hos dies sex Ruri continuos. *Ter. Eun.* 2. 2. 46. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam. *Cæcilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 7. 21. Mihi sex menses satis sunt vitæ, septimum Orco spondeo. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. Q. Titurium legatum cum sex cohortibus reliquit. et 3. *ibid.* 5. Quum amplius horis sex continenter pugnaretur. *Cic.* 2. *rep.* 22. 39. Equitum centuriæ cum sex suffragiis. *Lucret.* 4. 577. *Lachmann.* Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces. Alii *aut* omittunt. *Liv.* 7. 5. *ad fin.* T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit. — *Sex septem* pro sex aut septem, *sei o sette*. *Ter. Eun.* 2. 3. 39. Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus sex septem prorsum non vidisse proximis. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 58. Sed quadringentis sex septem milia desint. — *b*) Cum additis aliis numeralibus. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Sex et quinquaginta milia passuum. *Cæs.* 7. *B. G.* 51. Nostri quadraginta sex (*codd.* XLVI) centurionibus amissis dejecti sunt loco. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Sat.* 4. Luchnorum lumina bis sex. ¶ 2. Latiore, seu indeterminato, sensu. *Vulgat. interpr. Job* 5. 19. In sex tribulationibus liberavit te et in septima non tanget te malum. *h. e.* ex omnibus ærumnis te liberabit.

SEXĀGĒNĀRĬUS, a, um, adject. (sexageni) *di sessanta*, qui sexaginta continet. ¶ 1. De rebus. — *a*) Generatim. *Frontin. Aquæd.* 54. Sexagenaria fistula. *di sessanta pollici*. et *Cyprian. de habit. Virg.* 21. Sexagenarius fructus. — *b*) Speciatim *sexagenaria procuratio* est dignitas illius, qui ob aliquam procurationem sexagies sestertium stipendii nomine accipiebat, qui *ad* HS. LX. *procurator* dicitur in *Inscript.* apud *Murat.* 514. 1.; quemadmodum *ducenarius procurator*, qui ducena accipiebat. *V.* DUCENARIUS. *Inscript.* apud *Passion. p.* 10. *n.* 3. SEPTIMIVS VERVS HERMOGENES SEXAGENARIA PROCVRATIONE SVFFRAGIO EIVS ORNATVS. Adde aliam in *Memorie dell'Istit. archeol. v.* 2. *p.* 294. ¶ 2. De personis *sexagenarius* est qui habet annos sexaginta, *sessagenario*, ἑξηκονταετής. *Quintil.* 6. 3. *a med.* Cicero objurgatus, quod Publiliam, quum sexagenarius esset, virginem duxisset, cras, inquit, mulier erit. *Eutrop.* 8. 7. Hadrianus obiit major sexagenario. *h. e.* annos natus sexaginta et amplius. *V.* MAGNUS. *Sueton. Claud.* 23. Capiti Papiæ Poppææ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogavit. — Sexagenarios per pontem mittendos, male diu popularitas intellexit, quum Varro de vita populi R. l. 2. honestam causam religiosamque patefecerit. Quum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. Hæc *Non. p.* 523. 21. *Merc.* Alias hujus proverbii causas affert *Festus p.* 334. 16. *Müll.* his verbis: Sexagenarios de ponte olim dejiciebant: cujus causam Manilius hanc refert, quod Romam qui incoluerint primi Aborigines, hominem, sexaginta annorum qui esset, immolare Diti patri quotannis soliti fuerint: quod facere eos destitisse adventu Herculis, sed religiosa postea veteris ritus observatione scirpeas hominum effigies de ponte in Tiberim, veteri modo, mittere instituisse. Alii dicunt, morante in Italia Hercule, quod quidam ejus comitum habitaverint secundum ripam Tiberis, atque Argeos se a patria vocaverint Argis: quorum propagatam memoriam redintegrari eo genere sacri: alii e Græcia legatum quondam Argæum temporibus antiquis Romæ moratum esse: is ut diem obierit, institutum esse a sacerdotibus, ut effigies scirpea ex omnibus, quum, quæ publicæ erant rei, nunciavisset, per flumen ac mare in patriam remitteretur. Sunt qui dicant, post Urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus cœptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim: ex quo numero unus filii pietate occultatus, sæpe profuerit patriæ consilio sub persona filii, id ut sit cognitum, ei juveni esse ignotum, et sexagenariis vita concessa. latebras autem ejus, quibus arcuerit senem, id est cohibuerit et celaverit, sanctitate dignas esse visas: ideoque Arcæa appellata. Sed exploratissimum illud est causæ: quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent imperatorem. Cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato. Hactenus *Festus*. Ceterum de Scythis *Fortunatian. Schol.* 1. *p.* 63. *Capper.* Mos apud Scythas fuit, ut sexagenarii per pontem mitterentur. Scytha Athenis sexagenarium patrem per pontem dejecit, reus est parricidii. Hic enim se dicit gentis suæ more fecisse.

SEXĀGĒNI, æ, a, adject. numerale distributivum (sexaginta). *Sexagenum* pro sexagenorum, *V.* in voc. seq. — Sexageni, *sessanta*, ἑξήκοντα. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Liv.* 8. 8. Postremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites habebat. *Monum. Ancyran.* apud *Gruter.* 231. TRECENTIS ET VIGINTI MILLIBVS PLEBIS VRBANAE SEXAGENOS DENARIOS VIRITIM DEDI. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (30). Mausoli opus patet ab Austro et Septentrione sexagenos ternos pedes. — *b*) Speciatim extra distributionem pro cardinali sexaginta. *Cic.* 7. *Verr.* 21. 53. Hæc sexagena milia modium, quæ Mamertinis remiseras. *Varro* 2. *R. R.* 3. Capræ feræ sunt, quæ saliunt e saxo pedes plus sexagenos. — In sing. num. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 27. Afferre terram bonam uberem fructum, aliam tricesimum, aliam sexagenum, aliam centenum. ¶ 2. Latiore sensu seu indefinite de magno numero. *Martial.* 12. 26. Sexagena teras quum limina mane senator. Alii tamen leg. *sexaginta*.

SEXĀGĒNĬQUĪNI, æ, a, adject. (sexageni et quini) *sessantacinque*, sexaginta quinque, ut Fistula sexagenumquinum, *Frontin. Aquæd.* 55.

SEXĀGĒNUS, a, um. *V.* SEXAGENI.

SEXĀGĒSĬES, adverb. (sexagesimus) idem quod sexagies. *Capell.* 6. *p.* 198. *de terræ ambitu.* Illa stadia quingenta trecentis sexagesies complicata etc.

SEXĀGĒSĬMUS, a, um, adject. (sexaginta) sexaginta continens, *sessantesimo*. — *a*) Universim. *Martial.* 4. 79. Condita quum tibi sit jam sexagesima messis. Adde 6. 70. *Flor.* 2. 2. Intra sexagesimum diem. *Seneca Brevit. vit.* 20. Lex a sexagesimo anno senatorem non citat. — *b*) Cum additis aliis numeralibus. *Ter. Adelph.* 5. 8. 15. novus maritus anno demum quinto et sexagesimo Fiam. *Cic. Brut.* 94. 324. Idem (*Hortensius*) quarto et sexagesimo anno – una tecum socerum tuum defendit Appium. *Id.* 5. *Att.* 13. Ephesum venimus a. d. XI. cal. Sext. sexagesimo et quinto post pugnam Bovillam. *Augustus* apud *Gell.* 15. 7. Spero, lætum et benivolentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum. *Seneca* 1. *Controv.* 8. Senator post sexagesimum et quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. — Hinc

Sexagesima, æ, f. 1. absolute. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (24). Quarumdam rerum sexagesima denarii unius imperata. *h. e.* pars sexagesima denarii ponderis.

SEXĀGĒSIS. *V.* voc. seq.

SEXĀGESSIS, is, m. 3. (sexaginta *et* as) sexaginta asses. *Priscian. de fig. num. p.* 1356. *Putsch.* et *Beda de num.* 1. *p.* 101. — *Sexagesis*, vel rectius *sexagessis* (V. *Oehler p.* 173. et 212. et *Riese p.* 215.) inscribitur una ex satiris Menippeis *Varronis*, ex qua multa fragmenta servavit *Nonius*.

SEXĀGĬES *vel* sexagiens, adverb. (sexaginta) *sessanta volte*, sexaginta vicibus, ἑξηκοντάκις. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. Sestertium sexagies quod advexerat Domitius, - Domitio reddit. (*codd.* HS LX.) *h. e.* sexagies centena milia sestertium. *sei milioni di sesterzi*; quum enim de pecunia sermo est, subintelligitur *centena milia*. V. SESTERTIUS. Sic *Cic.* 2. *Phil.* 18. 45. Si sestertium sexagies peteret. *et Rosc. Am.* 2. 6. Bona patris hujusce Sex. Roscii, quæ sunt sexagies. *h. e.* sexagies centena milia sestertium.

SEXĀGINTA, indecl., nomen numerale cardinale, ἑξήκοντα. *Sexsaginta* pro *sexaginta*, ut *sexs* pro *sex*, in *Inscript.* apud *Marini Fr. Arv. p.* 271. — Sexaginta est decies sex, *sessanta*. ¶ 1. Stricto, seu determinato, sensu. *Plaut. Most.* 2. 2. 63. Sexaginta annis. *Ter. Heaut.* 1. 1. 10. Sexaginta annos natus. *Cic. Rosc. Am.* 35. 100. Minor annis sexaginta. *Liv.* 44. 4. Quum imperator major sexaginta annis omnia militaria munera impigre - ipse obiret. *Cic.* 2. *Legg.* 24. *a med.* Rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adjici ædes alienas, invito domino. *Plin.* 4. *Ep.* 23. Ipsæ leges majorem annis sexaginta otio reddunt. — Cum aliis numeralibus. *Vellej.* 1. 6. 4. Ante annos quinque et sexaginta, quam urbs Romana conderetur. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 3. ¶ 2. Latiore, seu indeterminato, sensu. *Cic.* 3. *Verr.* 47. *sub fin.* Possum sexaginta decreta proferre. Alii tamen cum *Donato* ad *Ter. Phorm.* 4. 3. 63. leg. *sexcenta*, quod certe usitatius est, et *Ciceroni* familiarius. Adde *Martial.* 12. 26., ubi alii leg. *sexagena*. V. SEXAGENI. et cf. *Petron. Sat.* 122. Sanguine germano sexagintaque triumphis Esse nocens cœpi.

SEXANGŬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sexangulo, as*, sexangulus, ut Sexangulata crystallus, apud *Solin.* 33. *ad fin.*

SEXANGŬLUS, a, um, adject. (sex *et* angulus) *sessagono, di sei angoli*, ἑξάγωνος, sex angulos habens. *Ovid.* 15. *Met.* 382. Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fetus Melliferarum apium sine membris corpora nasci? *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 12. (29). *de apib.* Sexangulæ omnes cellæ: singulorum eæ pedum opere. (Idem fere habet, licet aliis verbis, *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* In favo sex angulis cella, totidem, quot habet ipsa (*apis*) pedes) *Id.* 37. *ibid.* 5. 20. (76). Berylli poliuntur sexangula figura. — Hinc

Sexangulus, *i*, m. 2. absolute. *Boeth.* 2. *Arithm.* 16. Sexangulorum figura.

SEXANGŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SEXĀTRUS, uum, f. plur. 4. sextus dies post Idus. *Varro* 6. *L. L.* 14. *Müll.* Ab Tusculanis post diem sextum Idus similiter vocatus sexatrus, et post diem septimum septimatrus. Adde *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 255. 10. *Müll.* V. QUINQUATRUS.

SEXCĒNĀRĬUS *vel* sescenarius, a, um, adject. (sexceni) ex sexcentesimo numero constans. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. Exspectabat funditorum cohortes sexcenarias duas. *h. e.* quæ sexcentis funditoribus, ut quadringenariæ, quæ militibus quadringentis, constabant.

SEXCĒNI *vel* sesceni, æ, a, adject. numerale dispertitiv. *per syncop. a* sexcenteni, idem ac sexcenteni. *Colum.* 3. *R. R.* 3. Singula jugera

vineārum sexcenas urnas vini præbuisse. Curt. 5. 1. in fin. Equitibus sexceni denarii tributi. Adde Plin. 29. Hist. nat. 1. 5. (7). et V. loc. Cic. in SEXCENTENI.

SEXCENTĒNĀRĬUS vel sescentenarius, a, um, adject. (sexcenti) ad sexcentos pertinens. Priscian. de fig. num. 27. p. 415. 13. Keil.

SEXCENTĒNI, æ, a, adject. (sexcenti) seicento, ἑξακόσιοι, sexceni, sexcenti. Cic. 7. Verr. 25. 62. Civitatibus certum pretium, sexcentenos nummos nautarum missioni constituere. Orell. sexcenos. Colum. 3. R. R. 5. In singulis ordinibus, qui ducenos quadragenos pedes obtinent, sexcenteni malleoli pangendi sunt. et ibid. 9. Sexcentenas urnas priscis cultoribus singula vinearum jugera fudisse. — Absolute Sueton. Claud. 32. At plerumque sexcenteni simul discumberent.

SEXCENTĒSĬMUS, a, um, adject. (sexcenti) Sescentesimus leg. A. Mai apud Cic. 1. rep. 37.; et sexcesimus vel sescesimus apud Priscian. de fig. num. p. 1352. Putsch. — Sexcentesimus, secentesimo, ἑξακοσιαστός, ultimus, sive unus ex sexcentis. Plin. 8. Hist. nat. 7. 7. (19). Anno Urbis sexcentesimo quinquagesimo quinto.

SEXCENTI, æ, a, adject. numerale cardinale (sex et centum). Sescenti etiam scribitur: ita enim scriptum se invenisse testatur A. Mai ad Cic. 1. rep. 48. ubi leg. sescentos. et 2. ibid. 10., ubi sescentis. et in membranis Palatin. fragm., ubi sescentorum; quæ scriptura, ut ipse addit, aliis quoque exemplis facile confirmatur. Ita et Mercerius leg. apud Non. loc. cit. et Fleckeis. apud Ter. loc. cit. — Sexcentum pro sexcentorum apud Lucil. et Gell. cit. — Sexcenti, seicento, ἑξακόσιοι, sexies centum. ¶ 1. Generatim. Plaut. Pers. 1. 3. 37. oravi, ut nummos sexcentos mihi Dares utendos mutuos. Id. Pœn. 1. 1. 38. Sexcenti aurei nummi Philippei. Lucilius apud Non. p. 493. 32. Merc. Argenti sescentum et mille. h. e. sexcentorum. Sic et Gell. 1. 1. Curriculum stadii pedum esse numero sexcentum. Cæs. 5. B. G. 2. Sexcentæ naves. Id. 4. ibid. 3. Circiter millia passuum sexcenta. Cic. 2. rep. 10. 18. Sexcentis annis. — Cum aliis numeralibus. Cæs. 1. B. G. 38. Amplius pedum M. sexcentorum. ¶ 2. Speciatim sæpe usurpatur pro numero ingenti et indefinito, ut μύριοι apud Græcos et apud nos quoque mille. Qua ratione et milies Latine dictum est. Plaut. Aulul. 2. 4. 41. Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium. Ter. Phorm. 4. 3. 63. Sescentas proinde scribito mihi dicas: nihil do. Cic. 14. Att. 12. Quid? Dejotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. sexcenta similia. et 6. ibid. 4. In quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas: sexcenta præterea. Adde 4. Verr. 48. 119. et 2. Divinat. 14. extr. et 7. Att. 2., Plaut. Trin. 3. 3. 62., Martial. 6. 59. etc. Sic Plaut. Bacch. 4. 9. 110. Cave, tibi ducenti nummi dividiæ fuant. Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.

SEXCENTĬES, sexcenties vel sescentiens, adverb. (sexcenti) seicento volte, ἑξακοσιάκις, sexcentis vicibus. ¶ 1. Generatim. Cic. 4. Att. 16. Ut forum laxaremus, et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium. Lamprid. Commod. 15. Sexcenties vicies. Adde Plin. 2. Ep. 20. extr. ¶ 2. Speciatim de numero indefinito. Plaut. Men. 5. 4. 8. Suspirabo plus sexcenties in die.

SEXCENTŎPLĀGUS, a, um, adject. (sexcenti et plaga) ἑξακοσιάπληγος, qui sexcentas plagas accipit. Plaut. Capt. 3. 5. 68. Sexcentoplago nomen tibi.

SEXCĒSĬMUS. V. SEXCENTESIMUS.

SEXCUNCIA idem ac SESCUNCIA. V. hanc voc.

SEXCŪPLEX. V. SESCUPLEX.

SEXCŪPLUS, a, um, adject. ἑξαπλάσιος, sescuplo, alicujus rei quantitatem sexies continens. Boeth. 1. Arithm. 23. Si quatuor (numeros) intermittas, quincuplus invenitur; si quinque, sexcuplus; si sex, septuplus, semperque ipsius multiplicitatis nomine uno minus intermissionis vocabulo procreatur. h. e. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

SEXDĔCIM. V. SEDECIM.

SEXDĔQUINQUĒ, adverb. pro et sexdecim. Vet. Plebiscit. apud Fest. in Publica pond. 246. 8. Sextarius æquus cum librario siet: sexdequinque libræ in modio sient. Ita Scalig. At Müllerus corrigit sexdecimque.

SEXENNIS, e, adject. (sex et annus) di sei anni, ἑξαέτης, qui est sex annorum. Plaut. Pœn. 4. 2. 80. inde surreptus fere sexennis. Plin. 8. Hist. nat. 32. 50. (116). de cervis. Singulos annis adjicientibus ramos usque ad sexennes. Adde Plaut. Pœn. 5. 2. 27. — Cæs. 3. B. C. 20. Legem promulgavit, ut sexenni die sine usuris creditæ pecuniæ solverentur. h. e. sex annorum spatio, nel termine o spazio di sei anni. Ita ed. H. Meusel in accuratissimo Lex. Cæs. ad h. v., alii leg. sexies seni; alii aliter.

SEXENNĬUM, ii, n. 2. (sexennis) ἑξαετία, tempus sex annorum. ¶ 1. Generatim. Plaut. Pœn. prol. 66. Puer septuennis subripitur Carthagine sexennio prius quidem, quam moritur pater. Cic. 1. Divinat. 44. extr. Quod quidem sexennio post Vejos captos factum esse vidimus. Id. 6. Att. 1. Centesimis sexennii ductis. Adde 5. Phil. 3. 7. et Cod. Theod. 12. 1. 171. ¶ 2. Speciatim pro sexto anno. Aur. Vict. Cæs. 27. 8. Periit sexennio imperii.

SEXĒRES, is, n. 3. ἑξήρης, navis sex remorum ordines habens, eadem quæ hexeres. Inscript. apud Murat. 784. 7. Q. ARRVNTIO AQVILAE MAN. P. (scribendum videtur MANIP.) VI. OPE. h. e. manipulari sexere. Alia apud eumd. 837. 1. (Henzen, n. 6902.) NAEVIO SENTIANO MIL. VI. OPE. Hinc patet, Latinos etiam sexerem, ut et hexerem, eamdem appellasse.

SEXESSIS. V. SEXIS.

SEXFASCĀLIS, e, adject. (sex et fascis) sex fasces habens et dicitur de proconsule aliove magistratu, qui in provincia sex modo lictores habebat. Inscript. apud Henzen, n. 6508. et 6509. Cf. Mommsen in Bullett. dell' Istitut. archeol. a. 1852. p. 165. et seqq.

SEXĬES vel sexiens, adverb. Sexsiens leg. in Monum. Ancyr. t. 3. l. 24. — Sexies, sex vicibus, sei volte, ἑξάκις. Liv. 4. 32. Vejentem hostem sexies victum pertimescant. Plin. 18. Hist. nat. 16. 43. (146). Medica secatur incipiens florere, id sexiens evenit per annos. Vellej. 1. 15. 5. ed. Haas. Eporedia colonia deducta est, Mario sexies, Valerioque Flacco Coss. Kritz et Halm leg. sextum. Adde Colum. 5. R. R. 2. extr. et Mar. Victorin. 4. 36.

SEXĬESDĔCĬES, adverb. sexies decies. Priscian. de fig. num. p. 1355. Putsch.

SEXIS et sexessis, n. indecl. (sex et as) ¶ 1. Est idem ac sex asses. Capell. 3. p. 80. S littera i præcedente finita neutra monoptota sunt, ut tressis, sexis. — Thesaur. N. Latin. (edente A. Maio in Class. auct. T. 8. p. 35.) habet sexessis, quod analogiæ magis consonum esset. ¶ 2. Est etiam idem ac numerus senarius. Capell. 7. p. 255. Utque ex duobus triplo sexis implevit, sic senario numero duos adjiciendo supertertium invenit. V. SEPTUSSIS.

SEXJŪGIS. V. SEJUGIS.

SEXOCTŬPLI, ōrum, m. plur. 2. (sex et octuplus) sex numeri seu termini per se ipsos multiplicati. Boeth. 2. Music. 30. (31). At Friedlein leg. sex octupli divisim.

SEXPRĪMI et divisim sex primi, ōrum, plur. et raro Sexprimus, i, sing. m. 2., sex viri, qui in ordine decurionum, sive albo sacerdotum vel scribarum aut collegiorum principes sunt. V. SEVIRI. — a) In plur. num. Cic. 3. Nat. D. 30. 74. L. Allienus chirographum sexprimorum imitatus est. Fragm. juris antejust. (edente A. Maio) p. 37. Hi quoque, qui sunt ex collegio sexprimorum, habent a tutelis excusationem. Inscript. apud Murat. 977. 6. P. SEPTVMIVS P. F. COL. SCR. Q. DE SEX PRIMIS. V. DECEMPRIMI. — b) In sing. num. Inscript. apud Donat. 321. 7. et Fabrett. p. 386. n. 223. (Orelli n. 3242). QVI FVIT SCRIBA QVAESTORIVS SEXPRIMVS.

SEXS. V. SEX init.

SEXSĬENS. V. SEXIES init.

SEXSUS. V. SEXUS init.

SEXTĀDĔCĬMĀNI vel sextadecumani, ōrum, m. plur. 2. (sextus et decimus) milites legionis sextædecimæ. Tac. 3. Hist. 22. Sextadecimanos, duoetvicesimanosque et primanos lævum cornu complesse.

SEXTĀNĔA, æ, f. 1. V. voc. seq.

SEXTĀNĔUS, a, um, adject. (sextus) idem ac sextus: ut Sextaneus limes, Var. Auct. de limit. p. 239. et 258. Goes., dictus a meridie, qui veteribus erat hora diei sexta. Sic Innocent. de litt. p. 220. Goes. Ab orientali parte aquam vivam significat casa; a sextanea parte rivum significat. h. e. a meridie. — Hinc

Sextanea, æ, f. 1. et

Sextaneus, i, m. 2. absolute, sextanea pars, sextaneus limes. Innocent. ibid. p. 313. et p. 321.

SEXTĀNĔUS, i, m. 2. V. voc. præc. in fin.

SEXTĀNI, ōrum, m. plur. 2. (sextus) milites sextæ legionis. Plin. 3. Hist. nat. 4. 5. (36). et Mela 2. 5.

SEXTANS vel sestans, antis, m. 3. (sextus) Sextas pro sextans apud Hultsch., Metrol. Rom. p. 87. — Sextans est sexta pars alicujus certæ quantitatis, quæ ad unum redigatur. ¶ 1. Dicitur de sexta parte assis, qui sumitur pro toto aliquo, quod in partes duodecim dividatur. Varro 5. L. L. 171. Müll. Sextans ab eo quod sexta pars assis, ut quadrans quod quarta, et triens quod tertia pars. h. e. unciæ duæ, ut in AS dictum est. Hinc Cic. 13. Fam. 23. a med. Testamento heres ex parte dimidia et tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum etc. Paul. Dig. 44. 2. 30. Ex sextante heres institutus. Cf. Cod. Theod. 9. 42. 8. ¶ 2. Item de parvo nummo aeneo. V. Rich ad h. v. Hinc Laberius apud Gell. 16. 9. Servus sextantis verbis nefariis utitur. h. e. minimi pretii. Alii leg. sexcentis. et Liv. 3. 33. extr. Huic (Agrippæ Menenio) sumptus funeri defuit. Extulit eum plebs sextantibus collatis in capita. Adde Gran. apud Cic. 2. Orat. 62. 254. ¶ 3. Item de pondere, h. e. sexta parte libræ, due oncie. Ovid. Medic. fac. 65. Sextantemque trahat gummi cum semine Tusco. Plin. 26. Hist. nat. 11. 74. (121). Mentæ sextans, vivi sulphuris uncia, ex aceto simul trita. Martial. 8. 71. ligulam misit sextante minorem. Adde Scribon. Comp. 4. 42. ¶ 4. Item de mensura liquidorum. Colum. 12. R. R. 23. Picis sextans et semuncia in sextarios quinque et quinquaginta (vini) adjicitur. h. e. sexta pars sextarii, qui sunt duo cyathi. nam sextarius duodecim cyathos continet. Sic Martial. 5. 64. Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni. Sueton. Aug. 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit: aut, si excessisset, rejiciebat. ¶ 5. Item de mensura agraria. Colum. 5. R. R. 1. a med. Jugeri pars sexta pedes quatuor milia et octingentos, hoc est sextans. Adde Varron. 1. R. R. 10. ¶ 6. De aliis. Plin. 13. Hist. nat. 15. 29. (94). Tiberio principi mensam fuisse quatuor pedes sextante et sicilico excedentem, tota vero crassitudine sescunciali. ¶ 7. Mathematici sextantem appellant sextam partem numeri sex, quod est unum. Vitruv. 3. 1. ante med.

SEXTANTĀLIS, e, adject. (sextans) sextantem continens, ut Sextantales fusi, apud Vitruv. 10. 6. h. e. crassitudinem habentes duarum unciarum, seu pollicum.

SEXTANTĀRĬUS, a, um, adject. (sextans) sextantem continens, aut pondus habens sextantis. Asses qui a principio librales erant, bello Punico primo (ut ait Plin. 33. Hist. nat. 3. 13. (44).) aut secundo (ut Fest. in Sextantarii p. 347. Müll.) sextantarii facti sunt, h. e. sextantis seu duarum unciarum pondere, ita ut ex libra æris sex asses fierent: idque eo quod respublica impensis non sufficiebat. Plin. loc. cit. Constitutum, ut asses sextantario pondere ferirentur. Fest. loc. cit. Sextantarii asses in usu esse cœperunt, etc. V. AS.

SEXTĀRĬĀLIS, e, adject. (sextarius) qui sextarium æquat. Absolute usurpatur subauditurque mensura. Inscript. apud Gruter. 223. 2. SEXTA-

RIALIS EXACTA T.... DD. NN. ARCADII ET HONORII. Cf. *De-Ross.* in *Bullett. Crist. a.* 1864. *p.* 57.

SEXTĀRĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* sextarius, parvum vas sextarium continens. *Augustus* apud *Sueton. Vit. Horat. a med.* Itaque licebit, in sextariolo scribas. *in una quarteruola, in uno stajuolo.* Ita leg. etiam *Orelli* et *Reifferscheid.* (V. *Sueton. opp.* ed. *Wolf v.* 3. *p.* 51. *Theil* apud *Freund* in *Lex* ad *h. v.*, legendum esse putat *schedariolo* vel *scidariolo*).

SEXTĀRĬUS *vel* sestarius, ii, m. 2. (sextus) sexta pars cujusque rei. *V.* SEXTANS. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 10. (27). *de androsæmone.* Usus ad purgandam alvum tusæ cum semine, potæque matutino vel a cena duabus drachmis in aqua mulsa vel vino vel aqua pura, totius potionis sextario. Ita *Forcellinus* et *Klotz;* at *Furlanetto* in *App.*: Hic, inquit, sextarius minime vero significat sextam partem alicujus rei, sed *Plin.* hic indicat in singulo sextario aquæ mulsæ vel vini vel aquæ puræ tundendas esse duas drachmas androsæmonis cum semine ipsius, dein mane vel post cenam potandas. Cfr. *Fest. p.* 246. 5. *Müll.* et *Rhemn. Fann. de pond.* 71. ¶ 2. Speciatim est mensuræ genus, duas heminas seu cotylas continens, h. e. duodecim cyathos: habetque pondus viginti unciarum: ita dictus quia sexta pars est congii. Duodequinquaginta sextarii quadrantal vini faciunt: sexdecim modium frumenti. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 71. *Fest.* in *Publica pond.* et *Gromat. vet. p.* 375. *Lach.-Rud.* Est autem mensura tum liquidorum, tum aridorum. *Varro* apud *Gell.* 3. 14. Si e sextario hemina fusa est. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 74. Panis ematur, olus, vini sextarius. *Cic.* 2. *Off.* 16. 56. Aquæ sextarium mina emere. *Vopisc. Tac.* 11. Ipse fuit vitæ parcissimæ, ita ut sextarium vini tota die numquam potaverit, sæpe intra heminam. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *sub fin.* Panicum et milium sextariis fere quatuor jugerum implent. *h. e.* quarta modii parte. modius enim sexdecim sextarios habet. *et ibid.* 10. *extr.* Jugerum agri non amplius quatuor sextariis raporum seminis obserendum est. *Soran.* 24. Sextarius capit cotulos binos. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 35. (131). *Id.* 24. *ibid.* 14. 79. (129). Sextarius sorborum. *Colum.* 12. *R. R.* 5. salis. *Ulp. Dig.* 47. 2. 21. *circa med.* frumenti. *Gromat. vet. p.* 375. 8. *Lach.-Rud.* Est sextarius sexta pars congii, qui in divinis scripturis hin appellatur in liquidis. ¶ 3. Vas sextarii capax. *Cato R. R.* 13. *ad fin.* Urnam quinquagenariam unam, sextarium olearum unum, labellum unum.

SEXTAS. *V.* SEXTANS init.

SEXTĬĀNUS. *V.* SESTIANUS.

SEXTĬCEPSOS. *V.* BICEPSOS.

SEXTĬLĬĀNUS, a, um, adject. ad Sextilium aliquem pertinens, ut Sextiliana pira, *Cloat.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. *extr.* et *Murat.* 257. 2.

SEXTĪLIS, e, adject. (sextus) sextus; hinc *Sextilis mensis,* quod sextum obtineret locum a Martio, a quo Romulus annum inchoavit, *Senat. cons.* apud *Macrob.* 1. *Sat.* 12. *extr.* et *Horat.* 1. *Ep.* 11. 19. Postea *Augustus* appellatus est, ex decreto senatus, a Cæsare Octaviano Augusto, qui hoc mense, victo M. Antonio, bellis civilibus finem imposuit. *Sueton. Aug.* 31. *V.* AUGUSTUS. Sic et *Kalendæ sextiles* apud *Liv.* 3. 6. et 6. 1. *extr.*; et *Nonæ sextiles* apud *eumd.* 41. 16.; et *Idus sextiles* apud *eumd. ibid.* — Hinc

Sextilis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, mensis Sextilis seu Augustus. *Ovid.* 1. *Fast.* 42. *Varro* 6. *L. L.* 34. *Müll.* et *Horat.* 1. *Ep.* 7. 1.

SEXTĬUS *vel* Sestius, a, um, adject. ad Sextiam gentem vel Sextium aliquem pertinens. *V.* ONOM. Hinc *Sextia tabula* apud *Cic. Quinct.* 6., de qua *V.* in TABULA.

SEXTO *vel* sesto. *V.* SEXTUS.

SEXTŬLA, æ, f. 1. (sextus) ¶ 1. Est unciæ sexta pars, assis septuagesima secunda, quia duodecim sexies ducta efficiunt LXXII. *Varro* 5. *L. L.* 171. *Müll.* Æris minima pars, sextula, quod sexta pars unciæ. *Remn. Fann. de ponderib.* 22. Sextula quæ fertur. nam sex bis uncia constat. ¶ 2. Pars septuagesima secunda jugeri, pedes continens CCCC., ut *Colum.* docet 5. *R. R.* 1. *a med.* ¶ 3. Item hereditatis: quia hereditas *as* vocatur. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium: Æbutio sextulam aspergit. Quod ait *aspergit,* respicit ad vas continens mensuram *sextulæ,* hoc est fortasse sextam partem sextarii, seu cyathos duos. Unde mox dicit. Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat, quasi *sextula* vas ansatum sit. ¶ 4. Est etiam nummus aureus, quæ sexta pars unciæ pondo est. *Isid.* 16. *Orig.* 25. 14. Solidus nuncupatur, quia nihil illi deesse videtur. Solidum enim veteres integrum dicebant et totum. Ipse quoque nomisma vocatur *etc.* apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quod iis sex uncia compleatur. Hunc vulgus aureum solidum vocat, cujus tertiam partem dixerunt tremissem.

SEXTUM. *V.* SEXTUS in fin.

SEXTŬPLEX, icis, adject. (sextus *et* plico) idem quod sextuplus *Gloss. Gr. Lat.* Ἑξαπλοῦς, sextuplex.

SEXTŬPLĬCĬTER, adverb. (sextuplex) sex vicibus. *Beda de numer.* 1. 101.

SEXTŬPLUS, a, um, adject. (sextus *et* plico) qui quantitatem sex vicibus sumptam continet. *Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Si sex (*numeros intermittas*), sextuplus etc. Adde *Gloss. Gr. Lat.*

SEXTUS, a, um, adject. (sex) *sesto,* ἕκτος, ultimus in sex. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 5. Sextum a porta proximum angiportum. *Id. Men.* 2. 1. 9. Hic annus sextus, postquam ei rei operam damus. *Id. Most.* 4. 2. 41. heri et nudius tertius, Quartus, quintus, sextus usque postquam etc. *Cic.* 3. *Off.* 23. 89. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quæstionum. *Id. Invent.* 1. 53. Sextus locus. *Ovid.* 2. *Fast.* 682. sextus ab Urbe lapis *Vellej.* 1. 3. 3. et 2. 17. 2. Aletes, sextus ab Hercule. — Absolute *Colum.* 11. *R. R.* 2. 34. Sexto idus Apriles. *subaud.* die. — *b*) Cum aliis numeralibus. *Cic.* 2. *rep.* 33. 57. Non longo intervallo, sexto decimo fere anno. Adde *Liv.* 30. 19. et *Tac.* 1. *Ann.* 87. — Absolute. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. Sexto decimo Kalendas Januarii. *subaud.* die. ¶ 2. Speciatim *sextus casus,* h. e. ablativus. *Varro* 10. *L. L.* 62. *Müll.* Sin ab singulari quis potius proficisci volet, id illum facere oportebit ab sexto casu, qui est proprie Latinus. — *NB.* De prænom. et cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc

Sexto, adverbiorum more, pro sexies, *sei volte,* sex vicibus, apud *Trebell. Gallien.* 17. Lavit ad diem septimo æstate, vel sexto. *V.* SECUNDO adverb.

Sextum, adverbiorum more, *la sesta volta,* ἕκτον. *Cic. Pis.* 9. 20. C. Marius sextum consul. *Cato* apud *Gell.* 10. 1. *sub fin.* Carthaginienses sextum de fœdere decessere.

SEXTUSDECIMUS *et divisim* sextus decimus, a, um, adject. *decimosesto, sestodecimo,* δεκάεκτος, sedecimus, decimus sextus. *Liv.* 30. 19. Post sextumdecimum annum. *Tac.* 1. *Ann.* 37. Sexdecima legio. *et ibid.* 17. Sextusdecimus stipendii annus. Adde *Vitruv.* 1. 6., *Colum.* 11. *R. R.* 2. 94. et *Mæcian. de asse* § 41.

SEXTUSSIS. *V.* SEPTUSSIS.

SEXU. *V.* SEXUS.

SEXŬĀLIS, e, adject. (sexus) ad sexum pertinens. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 184. Passivum sensim cum sexualibus manibus in muliebre verendum mitti jubemus. *h. e.* per manus alterius feminæ, quæ est ejusdem sexus.

SEXUNCĬA idem ac SESCUNCIA. *V.* hanc voc.

SEXUNGŬLA, æ, f. 1. (sex *et* ungula) dicitur a *Plauto Truc.* 2. 2. 57. meretrix rapax et amatorum bona consumens: quasi senos in manibus digitos habeat. Sic *Aulul.* 3. 6. 17. Mihi intromisisti in ædibus quingentos cocos cum senis manibus. *h. e.* furaces.

SEXUNX, uncis, m. 3. (sex *et* uncia) sex unciæ. *Musa compos.* 19. Mellis cocti sexuncem sc. sumito.

SEXUS, us, m. 4. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *sexsus* invenitur in *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1865. *p.* 111. — *b*) Formam *sexu,* neutr. gen., quam habet *Forcellinus,* finxit *Scalig.*, sed non extare docet *Müllerus* ad *Fest. p.* 334. 20. — Alia forma *secus* apud veteres. *V.* SECUS. — *c*) Generis etiam neutri *sexus* esse affirmant *Non. loc. infra cit.* et *Priscian.* 5. *p.* 653. *Putsch.* Plautus hoc sexus, hujus sexi neutro genere protulit in Rudente (1. 2. 19.) Virile sexus numquam ullum habui. *Sall. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Concurrentibus undique virile et muliebre sexus. Ita legit etiam *Non. p.* 222. 25. addens et illud *Sisennæ Hist. l.* 3. Tum in muro virile ac muliebre sexus, populi multitudine omni collocata. *Mercer.* tamen *aliique* leg. *secus.* Sic *Apul. De mund.* 20. *init.* habet *femineum sexus;* ubi tamen alii leg. *secus.* V. SECUS indecl. — *d*) *Sexus* in genetivo licenter corripit *Sedul.* 3. *Carm. Pusch.* 266 — *e*) Quod ad flexionem, in dativo *sexu* pro *sexui* occurrit apud *Cyprian. Orat. Dom.* 28. — *Sexibus,* ablat. plur., est *Spartian. Hadrian.* 18. *ad fin.* Lavacra pro sexibus separavit. Adde *Lactant.* 1. 8. et *Arnob.* 3. *p.* 20. et 7. *p.* 19.; et *sexubus* habet *Jul. Val.* 1. 36. — *f*) Ratione habita etymi, alii deducunt a Gr. τέκος, fetus; alii ab ἕξις, habitus, ut *Fest.* ex correct. *Scalig.* Sexus, aliter sexu, natura habitusque ex Græco, quam illi vocant ἕξιν, sed V. *Müllerum ibid. p.* 334. 20.; alii tandem derivandum putant a *seco.* — Quidquid sit de etymo, sexus est habitus, natura, id quo animal masculum a femina distinguitur, γένος, ἕξις (It. *sesso;* Fr. *sexe;* Hisp. *sexo;* Germ. *d. Geschlecht;* Angl. *a sex*).

I.) Proprie — *a*) De homine *Pacuvius* apud *Fest. p.* 334. 24. *Müll.* Triplicem virili sexu partum procreat. *Afran. ibid.* Orbus virili sexu adoptavit sibi. *Cic.* 1. *Invent.* 24. *a med.* Hominum genus et in sexu consideratur, virile an muliebre sit. *Liv.* 26. 34. Mancipia præter puberes virilis sexus restituenda. Adde 27. 11. *Lucan.* 10. 91. nullo discrimine sexus Reginam scit ferre Pharos. *Martial.* 9. 9. Tamquam parva foret sexus injuria nostri. *Plin.* 10. *Ep.* 97. *ad fin.* Multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus. *Plin. alter* 10. *Hist. nat.* 55. 76. (154). Julia quum parere virilem sexum admodum cuperet. *Tac.* 3. *Ann.* 34. *a med.* Sexum natura invalidum deserere. *et* 16. *ibid.* 10. *extr.* Modo muliebri ejulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (175). Feminarum sexus huic malo videtur maxime opportunus. *Apul.* 7. *Met.* In sequiorem sexum insertus atque absconditus. *h. e.* muliebrem. — In illo *Nepot. Ages.* 1. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur etc. *sexus* est proles, *figli maschi.* — *b*) De bestiis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (4).; 28. *ibid.* 17. 68. (232). et 32. *ibid.* 2. 5. (14). — *c*) De plantis. *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (31). Arboribus, immo potius omnibus, quæ terra gignat, herbisque utrumque sexum esse, diligentissimi naturæ tradunt. Hinc de lapide magnete usurpat 36. *ibid.* 16. 25. (129).; de aetite *ibid.* 21. 39. (149).; de ture 12. *ibid.* 14. 32. (61).

II.) Metonymice, αἰδοῖα quoque ipsa, quibus sexus distinguuntur, *sexus* appellantur ab eod. 22. *ibid.* 8. 9. (20). — De femina. *Gloss. Philox.* Sexus, σχῆμα γυναικεῖον. *Sil. It.* 3. 114. Sin solo aspiciunt sexu etc. *V.* integr. loc.

SEXVIR, SEXVIRALIS et SEXVIRATUS. *V.* SEVIR, SEVIRALIS et SEVIRATUS.

SF

SFÆRA. *V.* SPHÆRA init.

SFONDĪLUS. *V.* SPONDYLUS.

SFONGĬA. *V.* SPONGIA.

SFONGĬUS. *V.* SPONGIUS.

SI

SĪ, conjunctio — *a*) Scribitur et *sei*, ut in aliis vocibus fiebat apud veteres, ubi littera *i* erat producenda. (V. *Ritschl*, *pr. Lat. mon. ep. t.* 69. *et seqq.*) *Inscript.* apud *Mommsen n.* 3329. SEI FIERI POTVISSET. Adde alias in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 33., 603. etc. — *b*) Sola vel in compositione adsciscit particulam *ce*, vel *ne*, cum apocope litteræ finalis, ut in *sicuti*, *sicunde* et *sin*. — *Sic* pro *si*, legitur apud *Vulgat. interpr. Joh.* 21. 22. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Sed potius est error librarii, aut particula est plane affirmantis pro *ita*. V. *Xav. Patrizi*, *Comment. in Ioh.* ad *h. l.*, *Cavedoni* in *Lex. Evang.* et plura apud *Corn.* in *Ioh.* — Item in aliis compositis initio aut in fine occurrit, ut sunt *sive*, et etiam *siquis-siqua-siquod*, *siquando*, *siquidem*; *etsi*, *etiamsi*, *nisi*, quamquam non omnia semper conjunctim scribuntur. — *c*) Apud poetas sæpe postponitur. *Virg.* 1. *Æn.* 321. monstrate mearum vidistis si quam hic errantem forte sororum. *Id.* 2. *ibid.* 136. dum vela, darent si forte, dedissent. *Auson.* 26. *p.* 65. *Schenkl.* Grajos antiquus si sequeretur honos. — *d*) Ad originem vocis quod attinet, pronum est eam derivare a Græca εἰ, addita initio littera sibilante aspirationis loco, ut colligi etiam videtur ex veterum scriptione, de qua *V.* supra. Alii tamen putant esse a *sit*, ut εἰ ab εἴη, per apocopen. — Si, εἰ (It. *se*, *quando*; Fr. et Hisp. *si*; Germ. *wenn*, *wofern*, *gesetzt dass*; Angl. *if*) est proprie particula conditionem indicans, qua remota aut posita vel impleta, aliquid potest aut non potest fieri vel haberi: quare et conjunctiva est, rem vel continuari demonstrans, ut ait *Priscian.* 18. *p.* 1142. *Putsch.*, qui plura de vi et usu hujus particulæ docet, speciatim vero quod pertinet ad modos verborum, quicum construitur. Ad rem *Auct. quæst. gramm.* in *Anecd. Helv. p.* 181. 14. *Hag.* Sciendum est quod, *Prisciano* testante, tunc *si* maxime conjungitur conjunctivo, quando profertur dubitative; tunc autem indicativo, quando confirmative. Hinc si agitur de re in facto posita seu vera, vel quæ vera et certa habetur, ita ut conditio transeat fere in sensum causalem, cum Indicativo conjungitur; sin minus, cum Conjunctivo, servato fere discrimine temporum, prout agitur de re, quæ aut fieri potest, aut non. *V.* Grammaticos. Est itaque

I.) Particula proprie conditionalis, et occurrit ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) Sequente Indicativo. — *α*) Cum præsenti. *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. SI IN IVS VOCAT NI IT ANTESTATVR. *et mox.* SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT QVI IN IVS VOCAVIT IVMENTVM DATO SI NOLET ARCERAM NE STERNITO. *Cæcil.* apud *Gell.* 6. 17. Audibis male, si male dicis mihi. *Turpil.* apud *Non. p.* 491. 7. *Merc.* Hæc si impetro abs te, satis fructi cepero. *Afran. ibid. p.* 21. 34. Et si sum, non desunt mihi. *Id. ibid. p.* 138. 13. Si ille hæc nunc sentit, facere illi satis Vis. *Id.* apud *Priscian. p.* 114. 17. *Keil.* Tu senecionem hunc, satis est, si servas, anus. *Ter. Andr.* 2. 1. 23. Si id facis, me vides. Cf. *Hecyr.* 3. 5. 51. *Pompon.* apud *Non. p.* 476. 1. *Merc.* Si eum nemo vocat, revortit. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. At vero quid proficimus, si accepto magno detrimento ab oppugnatione castrorum discedimus? *Id.* 5. *B. G.* 30. Vincite, si ita voltis. *Id.* 7. *ibid.* 38. Si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt. *Cic.* 1. *republ.* 37. Si vis, dabo tibi testes. *Id.* 2. *ibid.* 44. Si placet, in hunc diem hactenus. *Id. Rabir. perduell.* 1. 3. Si est boni consulis, - est etiam bonorum civium. *Id. Sull.* 8. 24. Si tibi non peregrini videmur. *Id. Amic.* 22. 81. Si hæc ita sunt. *Id.* 2. *Phil.* 10. 24. Ea velim reprehendas, si potes. *Sall. Cat.* 42. Si modo viri esse voltis. *Liv.* 4. 3. Si non ad fastos admittimur. *Id.* 7. 13. Si nos et hostes haud secus quam feminas judicas esse. *Id.* 22. 53. Si sciens fallo. *Id. ibid.* 60. Si tot exempla virtutis non movent. *Publil. Syr.* 70. *p.* 315. *Ribbeck.* Bene cogitata si excidunt, non occidunt. *Sil. It.* 1. 646. fluctus Si prohibere piget, vestras effringet in urbes. — *β*) Cum imperfecto. *Plaut. Asin.* 1. 2. 17. ea si erant, magnas habebas omnibus dis gratias. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 61. Si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? *Id.* 1. *rep.* 27. *in fin.* Si Athenienses quibusdam temporibus nihil nisi populi scitis ac decretis agebant. — *γ*) Cum præter. perfecto. *Lex XII. Tab.* apud *Fest. p.* 363. 5. *Müll.* SI MEMBRVM RVPIT NI CVM EO PACIT TALIO ESTO. *Cæcil.* apud *Non. p.* 124. 6. *Merc.* Si unquam quisquam vidit. *Laber. ibid. p.* 122. 10. Cocus si lumbum adussit. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. Quum pater familiæ illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt et de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habent, et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 10. *de pueris.* Si vicerunt, efferunt se lætitia. *Id.* 1. *rep.* 44. 68. Quos si boni oppresserunt, recreatur civitas. *Id. ibid.* 23. 37. Si, ut dicis, animum contulisti in istam rationem, habes maximam gratiam Lælio. *Id. ibid.* 27. 43. Si Cyrus ille Perses justissimus fuit, non tamen mihi videtur. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 36. 90. *Tac. Agric.* 3. Quid? si per quindecim annos multi interciderunt. — *δ*) Cum præter. plusquam perf. *Enn.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 38. Si improbum Cresphontem existimaveras, Cur me huic hodie locabas nuptiis? *Liv.* 30. 30. Si fato ademptum erat. — *ε*) Cum futuro. *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. SI VOLET SVO VIVITO — SI VOLET PLVS DATO. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 89. *Müll.* Si voles advortere animum, comiter monstrabitur. *Plaut. Asin.* 1. 1. 96. si quid te volam, ubi eris? *Id. ibid.* 1. 3. 95. Si mutuas non potero, certum est sumam fenore. *Titin.* apud *Paul. Diac. p.* 370. 2. *Müll.* Si erit tibi cantandum, facito usque ex vibrisses. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Quid animi existimatis, si pæne in ipsis cadaveribus prœlio decertare cogentur? *Id.* 5. *ibid.* 30. Si sapient, reposcent. *Cic.* 2. *rep.* 23. 42. Id persequar, si potero, subtilius. et 1. *ibid.* 34. 51. Si fortuito id faciet, tam cito evertetur etc. *Id.* 2. *Fam.* 7. Numquam labere, si te audies. *Id.* 2. *Phil.* 22. 53. Si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. *Quintil.* 12. 3. 8. Qui non magnopere commovebitur, si quis dissentiet. *Cic.* 1. *rep.* 19. 32. Si me audietis, solem alterum non metueritis. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 681. — *ζ*) Cum fut. exacto. *Atta* apud *Gell.* 6. 9. Sed si pepugero. *Enn.* apud *Cic.* 7. *Att.* 26. Si te hic offendero, moriere. *Cato* apud *Gell.* 16. 1. *in fin.* Siquid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet; - sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Hi sapient, si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent. *Id.* 2. *B. C.* 24. *Meusel.* Si qui voluerint, perveniunt. *Id.* 3. *ibid.* 94. Tuemini castra et defendite diligenter, si quid durius acciderit. *Cic.* 2. *Fam.* 4. *ad fin.* Exspectationem facillime vinces, si hoc statueris. *Id.* 1. *rep.* 40. 62. Tum magis assentiere, si ad majora pervenero. *Id. Sull.* 8. 24. Qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum jactationem. *Id. Amic.* 4. 16. Pergratum mihi feceris, si sic de amicitia disputaris. *Alii leg.* disputes. *Liv.* 23. 11. Si ita faxitis. *Quintil.* 6. 3. 65. Onerabo librum exemplis, si persequi voluero singula veterum. Adde 10. 4. 4. — *b*) Sequente Conjunctivo. — *α*) Cum præs. vel præter. perfecto. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 12. hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens. *Id. Curc.* 1. 3. 8. nam si absim, haud recusem. *Id. Bacch.* 2. 2. 2. abire hinc nullo pacto possim, si velim. *Ter. Andr.* 2. 1. 10. Tu si hic sis, aliter sentias. *Nov.* apud *Non. p.* 374. 31. *Merc.* Quid profanari modo si tres menses sim in æde ut pariter dispertiam. *Cæcil.* apud *eumd. p.* 506. 4. Audibis, si redeat. *Juvent.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 50. *Müll.* Gaudia sua si omnes conferant, - Tamen mea exsuperet lætitia. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. Si possit, veniat. *Id. ibid.* 30. Qui, si per te liceat, communem cum reliquis belli casum sustineant. *Cic.* 3. *Fin.* 13. 44. Si et sapere expetendum sit et valere: conjunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum, neque tamen si utrumque æstimatione dignum, pluris sit conjunctum. *Id. Amic.* 3. 10. Si Scipionis desiderio me moveri negem, mentiar. *Id.* 3. *rep.* 4. 7. Si singulos numeremus in singulas respubl., quanta jam reperiatur virorum excellentium multitudo. *Id.* 1. *ibid.* 32. 48. Si jus suum populi teneant, negant quidquam esse beatius. Adde *Liv.* 21. 8. *Quintil.* 10. 2. 8. Ac si percenseas omnia, nulla sit ars. *Id.* 9. 4. 14. Si illum turbes, tela projeceris. *Cæs.* 5. *B. G.* 36. Si velit secum conloqui, licere. *Id.* 1. *ibid.* 14. Si obsides dentur, se pacem facturum. *Id.* 1. *ibid.* 8. Si vim facere conentur, se prohibiturum ostendit. *Tac. Agric.* 13. Ipsi Britanni delectum ac tributa et injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriæ absint. — *Plaut. Amph.* 1. 2. 64. Perii, si me aspexerit! *Id. ibid.* 272. Victus sum, si dixeris. *Cæs.* 7. *B. G.* 85. Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. *Id.* 2. *ibid.* 14. Quod si fecerit *(Cæsar)*, Hæduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturum. *Quintil.* 6. 2. 26. Aliquando etiam ridicula fuerit imitatio, si verba *etc.* accommodavimus. — *β*) Cum præt. imperf. vel plusquam perfecto. *Pacuv.* 391. *p.* 129. *Ribbeck.* Priamus si adesset, ipse ejus commiseresceret. *Afran.* apud *Non. p.* 2. 2. *Merc.* Si possent homines delenimentis capi, Omnes haberent nunc amatores anus. *Cic.* 1. *rep.* 34. 52. Quod si unus omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus. *Id. Senect.* 3. 7. Si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usu venirent. *Id.* 7. *Verr.* 51. 133. Quod certe non fecisset, si suum numerum naves haberent. *Sall. Cat.* 36. Sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. *Id. ibid.* 38. Si victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset. *Liv.* 22. 33. Et si iis videretur, alter eorum veniret. *Id.* 38. 47. Si tribuni me triumphare prohiberent, Furium et Æmilium testes citaturus fui. *Quintil.* 9. 2. 71. Quod fortasse non crederet, si audiret. *Id.* 11. 1. 74. Detracturus alioqui plus auctoritatis, si fateretur. *Id.* 5. 12. 19. Quod si nasceretur, monstrum erat. Adde 9. 2. 74. — *Plaut. Merc.* 4. 2. 3. Decem vocasset si ad cenam summos viros, Nimium obsonavit. *Cæs.* 1. *B. C.* 43. Quem *(tumulum)* si occupavisset Cæsar, ab oppido se interclusurum adversarios confidebat. *Id. ibid.* 32. Si probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? *Cic.* 1. *rep.* 41. 64. Mansisset eadem voluntas in eorum posteris, si regum similitudo permansisset. *Id. Senect.* 7. 19. Si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret. *Liv.* 11. 10. Pons Sublicius iter pæne hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles. Adde 21. 2. — 2.°) Eleganter repetitur. *Cic.* 3. *rep.* 4. *in fin.* Si Italiæ Latium, si Samnium, si Etruriam collustrare animo voluerimus. Similiter *Cæs.* 1. *B. G.* 34., 5. *ibid.* 29. etc. *Quintil.* 5. 10. 97. Utitur fictione, si miles, si infans sit, si reipubl. causa absit. *Id.* 10. 1. 130. Nam si aliqua contempsisset, si partem non concupisset, si non omnia sua amasset etc. — 3.°) Elliptice. *Ter. Andr.* 4. 4. 5. Si pol Glycerio non omnia hæc. *Cic.* 1. *rep.* 18. 30. Istæ artes, si modo aliquid, valent ut amant ingenia. *Id. Amic.* 2. 9. Aut nemo, aut si quisquam, ille sapiens fuit. Adde *Orat.* 29. 103. *et* 3. *rep.* 4. 7. *et* 1. *Cat.* 5. 10. *Liv.* 22. 14. Nec si nullius alterius, nos ne civium quidem horum pudet. Adde *ibid.* 29. *Sueton. Claud.* 40. Si quem alium, et se liberum esse. — Eodem modo aliquando etiam *si non*, *si nihil* usurpatur. *Cic.* 7. *Fam.* 3. Si hæc civitas est, civem esse me; si non, exsulem esse. *Id.* 3. *Verr.* 58. 152. Hic venit in judicium, si nihil aliud, saltem ut etc. Adde *Liv.* 2. 45. et *Curt.* 4. 6. 28. — 4.°) Interdum, præcipue apud poetas, omittitur. *Cic.* 3. *Off.* 19. 75. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse,

in foro, mihi crede, saltaret. *h. e.* si dares. *Id.* 13. *Phil.* 11. *a med.* Recesseris; undique omne insequentur: manseris, hærebis. *Virg.* 6. *Æn.* 31. Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes. *Ovid.* 6. *Fast.* 113. Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba, Reddebat tales protinus illa sonos. *Propert.* 4. 5. 9. Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum. *Seneca Thyest.* 744. Hactenus sistat nefas, pius est. Adde *Ovid. Remed. am.* 745., *Tibull.* 1. 7. 43., *Stat.* 2. *Theb.* 242. et *Juvenal.* 3. 78. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 15. decies centena dedisses Huic parco paucis contento, quinque diebus nil erat in loculis. Cf. *Martial.* 1. 104. — 5.°) Ironice. *Lucret.* 4. 364. *Lachmann. p.* 69. Aera si credis privatum lumine posse Indugredi. *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. Si intelligi potest. Adde *Lucret.* 1. 1057. — 6.°) Cum particulis. — *a*) *Si forte*, si casu, *se mai. Plaut. Bacch.* 3. 5. 4. si forte est domi. *Cic. Cœl.* 1. 1. Si quis forte nunc adsit. *Liv.* 22. 13. Si forte possit. *V.* FORTE. — *b*) *Si maxime, εἰ τὰ μάλιστα. Plaut. Bacch.* 4. 9. 80. Nam ego non laturus sum, si jubeas maxime. (Sed cf. *Hand, op. cit. t.* 3. *p.* 587. et 592.) *Cic.* 1. *Fin.* 1. 4. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri. Adde *eumd. Quinct.* 10. 35., 3. *Tusc.* 21. 51., 1. *Cat.* 12. 29. et *Ter. Phorm.* 2. 1. 65. *V.* quid contra *Goerenz* dicat *Madvig* in *l. Cic.* de *Fin. p.* 8. — *c*) *Si modo*, si tamen. *Cic.* 1. *rep.* 34. 51. Si modo salvus esse vult. *Id.* 2. *ibid.* 12. 24. Si modo hoc in Lycurgi potestate potuit esse. *Id.* 13. *Att.* 19. Si modo is est aliquis in nobis. *Id.* 2. *Legg.* 18. 45. Si modo interpretari potuero. Cf. *Liv.* 23. 42. — *d*) *Si minus, si minus - at*, si non. *Cæs.* 2. *B. G.* 9. *Herzog.* Si minus potuissent. *Id.* 1. *ibid.* 47. Si id minus vellet. *Cic.* 2. *Tusc.* 3. 8. Si id ipsi minus consequi possumus. Adde *eumd. Cluent.* 6. 15. *Id.* 2. *Orat.* 16. 68. Si minus, ut separatim respondeat; at certe, ut in causa etc. *Tertull. advers. Prax.* 24. Sed quia ego in Patre, et Pater in me est. Si quo minus, vel propter opera credite. *h. e.* si quo alio modo vel argumento non. — *e*) *Si ne*, si non. *Plaut. Rud.* 3. 4. 26. Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exosculassitis, item ego vos virgis circumvinciam. — *f*) *Si non*, nisi, εἰ μή. *Lucret.* 2. 39. Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum est, Si non forte etc. *Cæs.* 10. *B. G.* 8. Tibi minus commode consulueris, si non fortunæ obsecutus videberis. — *Si non - at, at certe, tamen, tum, tunc. Cic. Cæcin.* 29. 84. Si non sum ex eo loco dejectus, quo prohibitus sum accedere. *Id. Orat.* 29. 103. Si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. In quo si non præsens periculum, at certe longinqua obsidione fames esset timenda. *Virg.* 2. *Æn.* 189. si vestra manus violasset dona Minervæ, Tum magnum exitium – Priami regno Phrygibusque futurum. — Sæpe vis inest negationi, non conditioni. *Manil.* 4. 106. Denique si non est, fati cur traditur ordo? *Sueton. Aug.* 26. Si vos non feceritis. *Id. Tib.* 21. Si tu non valebis. Adde *eumd. Ner.* 39. — Ceterum quo differant *si non* et *nisi*, V. in hac voce. — *g*) *Si quis, si qui, si quisquam* etc., si aliquis etc. *Cic. Fat.* 6. 12. Si quis in Oriente canicula natus est, in mari non morietur. *Afran.* apud *Fest. p.* 182. 9. *Müll.* Sic est orator, si qui oritur. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Si qui aut privatus aut publicus constitit. *Cic. Cœl.* 1. 1. Si quis forte nunc adsit. Adde *Liv.* 21. 43. et *Vellej.* 2. 23. 4. *Cic. Sext.* 49. 105. Si quæ res erat major. *Liv.* 23. 29. Si qua dubia erant. *Virg.* 6. *Æn.* 194. Si qua via est. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Si quid erat durius. *Id.* 7. *ibid.* 20. Si quid frumenti in agris reperire possent. *Id.* 6. *ibid.* 13. Si quod est admissum facinus. *Id.* 1. *ibid.* 42. Si quid facto opus esset. *Cic.* 1. *Herenn.* 17. 27. Si quo tardius. *Quintil.* 11. 1. 54. Si quidem volet. *Id.* 7. 2. 5. Si quando non poterit. Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 12. — *Si qui, siquis* etc., *siquidem* et alia hujusmodi *V.* suo loco. — *Si quid accidit, κατ' εὐφημισμόν. Cic.* 1. *Phil.* 4. 11. Si qui mihi humanitus accidisset. Plene *Sall. Jug.* 14. Si quid ex improviso mali accidisset. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 18. et *Liv.* 22. 40. *V.* ACCIDO sub *B.* 3. — *h*) *Si quoties*, si quando. *Sulpic. Vit. S. Martin.* 21. *ad fin.* Si quoties accidisset, longe antea prævidebat. — *i*) *Si - sin, sin autem* (*si autem*), *sin vero. Cic.* 3. *rep.* 21. 15. Si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus; sin aliter etc. *Quintil.* 2. 17. 29. Nam si mihi sapientes judices dentur, – nihil invidia valeat *etc.* Sin et audientium *etc.* pugnandum est. *Id.* 2. 21. 22. Sed quæstiones si neget ad rhetoricen pertinere, dissentit a nobis; si autem ad rhetoricen pertinent. *Id. ibid.* 10. 9. Si profectus gratia dicimus nihil (*intererit*) -; si vero in ostentationem comparetur etc. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Si id assecutus sum, gaudeo; sin minus, hoc tamen me consolor. *Id. Amic.* 4. 14. Id si ita est, - sin autem illa veriora. *V.* SIN. — *Si - si non, si minus. Cic.* 5. *Fam.* 19. Si feceris id, magnam habebo gratiam; si non feceris, ignoscam. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 67. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti; si non, his utere mecum. — 7.°) Item cum aliis copulatur vocibus, quæ aut præcedunt aut subsequuntur. — *a*) *Quod si* (*quodsi*) inservit fere transitionibus. *Cic. Brut.* 2. 7. Quod si fuit in re publica tempus ullum, tum profecto fuit. *Id. Orat.* 16. 51. Quod si in philosophia tantum interest, quid tandem in causis existimandum est? Adde *Arch.* 7. *in fin.* — Pro *quod si* aliquando etiam *et si* occurrit. *Plaut. Mil. glor.* 5. 23. Et si intestatus non ab eo hinc, bene agitur pro noxia. *Cic. Amic.* 27. 104. Et si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium. Cf *Hand, op. cit. t.* 2. *p.* 608. *seqq.* — *b*) *Si est, ut*, pro si. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 102. Si ita est, ut tu eis Iachonis filius, signum esse oportet in manu læva tibi. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 43. Si est, ut dicat, velle se, redde: sin est autem ut nolit, recte ego consului meæ. *Id. Adelph.* 3. 6. 4. Si est, facturus ut sit officium suum, faciat: sin aliter etc. Adde *Phorm.* 2. 1. 40., *Hecyr.* 3. 5. 51. *et* 4. 4. 102. — *c*) *Si nihil aliud*; formula pro eo quod est *saltem. Cic.* 12. *Att.* 42. Mihi tamen illud, quicquid erat, non molestum fuit, si nihil aliud, scire me novi te nihil habere. *V.* 3. *Verr.* 58. 152., *Liv.* 3. 19., 30. 35 et 33. 44. *Cf. Madvig*, qui loc. *Cic.* ita emendavit (*Advers. crit. v.* 2. *p.* 239.) — *d*) *Sub conditione, si*, formula apud *Sueton. Cæs.* 63. Plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare adversus eum vellent, recusarunt. Adde *Claud.* 24. — *Sub exceptione, si*, apud *eumd. Cæs.* 78. — *e*) *Utique si. V.* UTIQUE. — *f*) *Si credis*, formula est irridentis. *Lucret.* 1. 1057. Ipsum si quicquam posse in se sistere credis. Adde 4. 364. Cf. *Lachmann* ad *eumd.* 1. 1061. — *Si intelligi potest*, eodem sensu *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. *V.* supra I. 1. 2.° — *g*) *Si tamen nescis*, est corrigentis simul et irridentis. *Apul. Apolog.* Ne quid tu rerum mearum nescias, si tamen nescis, profiteor. V. *Heyne* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 23. — *h*) *Si vivo* est comminantis. *V.* VIVO. — *i*) *Si deus, si dea*, V. DEA. ¶ 2. Speciatim inservit correctioni. *Cic.* 11. *Fam.* 8. Romæ delectus habetur: si hic delectus appellandus, quum ultro se offerunt omnes. ¶ 3. Habet locum in rationalibus seu argumentationibus. *Id.* 1. *Invent.* 36. 65. Si oportet velle sapere, dare operam philosophiæ convenit. Oportet autem velle sapere etc. *Id. Fat.* 6. 12. Si enim est verum, quod ita connectitur: si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur. Illud quoque verum est: si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur. ¶ 4. Habet interdum vim confirmandi, ut *quia, siquidem, quandoquidem*, aut similia. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 6. Quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox obscurare cœtus nefarios potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? *Virg.* 1. *G.* 7. vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. *Liv.* 7. 31. Commoti patres vice fortunarum humanarum, si ille præpotens opibus populus adeo infractos gereret animos, ut etc. — Huc et illa spectant *Virg.* 1. *Æn.* 607. Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid usquam justitiæ est, et mens sibi conscia recti, Præmia digna ferant. Adde 2. *ibid.* 537., *Cic. Rabir. perduell.* 1. 3. et *Propert.* 3. 13. 21. ¶ 5. Item adversandi, pro etsi, quamvis, etiamsi. *Ter. Eun.* 1. 1. 4. Exclusit: revocat. redeam? non, si me obsecret. *et* 5. 2. 26. Nam si ego digna hac contumelia Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen. *Cic.* 3. *Off.* 8. *extr.* Satis enim nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste esse faciendum. Adde 5. *Att.* 4., *Plaut. Cist.* 1. 1. 29. et *Nepot. Phoc.* 1. ¶ 6. Item optandi, pro utinam. *Virg.* 6. *Æn.* 186. Æneas sic voce precatur: Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat nemore in tanto! *Pers.* 2. 10. o si Ebullit patrui præclarum funus! et, o si Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule! *Inscript.* apud *Orelli n.* 4871. MEMORIAE AETERNAE M. IVSTINI VERI PATER INFELICISSIMVS P. C. GREGORI SI ESSES. *h. e.* utinam viveres. Sed *V.* ibid. adnot. ¶ 7. Refertur etiam ad tempus, pro ubi, postquam, simul ac. *Catull.* 14. 16. Non non hoc tibi salse sic abibit. Nam si luxerit, ad librariorum Curram scrinia etc. *Virg.* 5. *Æn.* 64. si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit. *Ter. Phorm.* 2. 1. 17. herus si redierit, molendum usque in pistrino. *Plaut. Stich.* 5. 5. 18. Postidea loci, si hoc eduxeris, - Lepidam cantationem aliquam occipito. Adde *Cas.* 1. 18. ¶ 8. *Si*, ac si, quasi, cum Conjunctivo. *Id. Capt.* 3. 3. 57. Nam si servus meus esses, nihilo secius Mihi obsequiosus semper fuisti. Adde *Tertull. Apolog.* 22. ¶ 9. *Si* pro sive. *Plaut. Curc.* 1. 1. 4. Si media nox est, sive est prima vespera, - est eundum quo imperat. *Id. Capt.* 1. 2. 3. Sinito ambulare, si foris, si intus volent. *Gell.* 2. 28. Eas ferias si quis polluisset, hostiam, si deo, si deæ immolabat. ¶ 10. *Si* est etiam jurantis, ita ut si sequatur particula negativa, affirmet, aliter neget *Vulgat. interpr. Ps.* 94. 11. Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. *h. e.* non introibunt. *subaud. enim κατ' εὐφημισμόν*, ne sim verax, si etc., aut quid simile. *Id.* 3. *Reg.* 17. 1. Vivit Dominus, si erit annis his ros et pluvia. Adde *Amos* 8. 7. — *Id. Is.* 14. 24. Juravit Dominus, si non ita erit. *h. e.* sic erit, sic fiet. Adde *Ps.* 130. 2. ¶ 11. Aliquando tamen est solum affirmantis pro sane. *Id. Ps.* 54. *extr.* Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra. Adde *Jerem.* 21. 30.

II.) Particula etiam, sed improprie, interrogativa et dubitativa, et vicem supplet particulæ *an, num.* — *a*) In oratione plerumque obliqua. *Liv.* 31. 9. *ad fin.* Ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi. *Id.* 39. 50. *a med.* Nihil aliud locutum ferunt, quam quæsisse, si incolumis Lycortas evasisset. Adde 29. 25. et 40. 49. *sub fin., Virg.* 4. *Æn.* 110., *Plin, Paneg.* 2. Similia sunt illa *Ter. Eun.* 3. 4. 7. et *Heaut.* 1. 1. 118. Visam, si domi est. *Id. Phorm.* 3. 3. 20. Vide, si quid opis potes afferre huic. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. *extr.* Sæpius noctu, si perrumpere possent, conati. *Cic.* 9. *Phil.* 1. 2. Non recusavit, quo minus vel extremo spiritu si quam opem reipubl. ferre posset, experiretur. *Liv.* 1. 57. Tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset. *Plaut. Cist.* 1. 3. 37. Operam servus dat, si possiet Meretricem illam invenire. *Id. Pœn. prol.* 12. Jamdudum exspecto, si tuum officium scias. *Quintil.* 5. 7. 30. Rogari solent, si turpitudo, si humilitas etc. *Id.* 7. 2. 4. Est quæsitum, si is Figulus esset, an Sosipater. — Si præcedat negatio, *si* pro *an* perrarum est. *Pallad.* de *insit. procem.* Nescio, 1 tuum ad has minutias inclinetur ingenium. — *b*) In oratione recta. *Vulgat. interpr. Act.* 1. 6. Interrogabant dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Adde *ibid.* 7. 1. et *Luc.* 22. 49.

SĪĂGŌNÆ, ārum, *f. plur.* 1. *vel*

SĪĂGŌNES, ōnum, *m. plur.* 3. Græce σιάγονες sunt malæ, maxillæ; Latine vero *siagonas* appellant Medici temporum et maxillarum musculos. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 36. et *ibid.* 4. 90.; ubi accusat. *siagonas* possis a *siagonæ, arum*, derivare, ut in hujusmodi vocibus fieri solet.

SĬĂGŎNĪTÆ, ārum, f. plur. 1. idem ac siagones. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 59. et alibi.

SIBAN. *V.* SIVAN.

SIBBOLETH *vel* scibboleth, indecl. Secunda syllaba longa esset, ita namque est Hebraice, sed usu corripitur. *V.* SERAPHIM. Scibboleth est igitur vox Hebraica שבלת *shibbōled*, spica, culmus, ob cujus malam pronunciationem Ephratæi, pro *scibboleth* sono litteræ *s* aspero, *sibboleth* leni sibilo efferentes, ad quadraginta duo milia occisi sunt juxta vada Jordanis. *Vulgat. interpr. Jud.* 12. 5. *V.* integrum locum.

SĬBE vel

SĬBEI pro Sibi. *V.* SUI.

SĬBI. *V.* voc. præc.

SĬBĬLANS, antis, particip. *V.* SIBILO.

SĬBĬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (sibilo) *Sifilatio* legitur apud *Non. p.* 531. 5. *Merc.* — Sibilatio est actus sibilandi, sibilatus, sibilus, *sufolamento, fischio.*

I.) Proprie dicitur de serpentibus. *Vulgat. interpr. Sap.* 17. 9. Transitu animalium et serpentium sibilatione commoti.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. A similitudine dicitur de aliis rebus, apud Medicos. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 198. Sibilatio vel stridor thoracis. ¶ 2. Est etiam convicium. *Vulgat. interpr. Ital. Jer.* apud *Tychon. de sept. reg.* 4. *ante fin.*

SĬBĬLĀTOR, ōris, m. 3. (sibilo) qui sibilat. *Boeth. Aristot. Anal. post.* 1. 10.

SĬBĬLĀTRIX, trīcis, f. 3. (sibilator) quæ sibilat. *Capell.* 9. *p.* 307. Silvanum arundinis enodis fistula sibilatrix docuit.

SĬBĬLĀTUS, us, m. 4. (sibilo) actus sibilandi, sibilus. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 144. Cum quodam vehementi sibilatu. Adde *Prob. Art. min.* 4. *p.* 229. *Endl.*

SĬBĬLO, as, āvi, ātum, are, 1. (sibilus) *Sifilo* pro *sibilo* legitur apud *Non. p.* 531. 2. *Merc.*, ut *sifilum* pro *sibilum* apud *Priscian.* 1. 46., et a Græco, inquit *Non. ibid.*, ducit originem, quum venerabilis Homerus dicat *Iliad. l.* 14. *v.* 140. Ἀλλ' ὁ μὲν ὥς ἀπόλοιτο, θεὸς δὲ ἑ σιφλώσειεν. — Part. *Sibilans.* — Sibilo est sibilum edo, συρίττω (It. *fischiare, sufolare, sibilare*; Fr. *siffler*; Hisp. *silbar, chiflar*; Germ. *pfeifen, zischen*; Angl. *to hiss*); occurrit autem neutrorum more, et etiam cum accusativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Absolute. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 42. Imitationis hoc modo, ut majores rudere et vagire et murmurare et sibilare appellaverunt. *Virg.* 11. *Æn.* 754. *de angue.* Arrectisque horret squamis et sibilat ore. *Lucan.* 2. 698. Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes. *Quintil. declam.* 12. 16. *sub fin.* Intonat cælum, scissis rudentibus tempestas sibilat. *Sil. It.* 17. 257. procella Antemnæ immugit, stridorque immite rudentum Sibilat. — *b*) Speciatim est proprium amatoris, puellam in via occurrentem ad se sibilis allicientis. *Plaut. Merc.* 2. 3. 71. Quando (*ancilla*) incedat per vias, contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent, vellicent, vocent, molesti sint. ¶ 2. Cum Dativo, et est sibilo aliquid indicare vel aliquem accersere. *Vulgat. interpr. Zachar.* 10. 8. Sibilabo eis et congregabo illos. *h. e.* sibilo eos facile adducam. *Id. Is.* 7. 18. Sibilabit Dominus muscæ et api. *h. e.* Dominus quasi qui sibilat ad muscas et apes cogendas, convocabit ad se Ægyptios et Assyrios.

II.) Translate. ¶ 1. Neutrorum more, seu absolute. *Ovid.* 12. *Met.* 279. ferrum igne rubens Stridet, et in trepida submersum sibilat unda. *stride.* et *Ammian.* 25. 1. 18. Virorum armorumque lugubre sibilantium fragor. Adde *eumd.* 31. 12. 12., ubi perperam alii leg. *simulans* pro *sibilans.* ¶ 2. Cum Accusativo. — *a*) De rebus est aliquid sibilando profero. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 9. Tibia, idiomatum proprietate amissa, sibilat potius rem, quam enuntiat. — *b*) De personis est aliquem sibilis insectari, contemnere, *far le fischiate. Horat.* 1. *Sat.* 1. 66. populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi. *Cic.* 2. *Att.* 19. Populares isti jam etiam modestos homines sibilare docuerunt. Cf. *Non. p.* 531. 4. *Merc.*

SĬBĬLUM *et* sibilus, i, n. et m. 2. Scribitur et *sifilum.* V. SIBILO init. — Veteres etiam *sibilus, us,* declinarunt, teste *Priscian.* 6. *p* 715. *Putsch.*, ubi affert illud *Sisennæ* in 12. *Hist.* Procul sibilus significare consuli cœpit. Sed hæc verba probant quidem, esse masculini generis, at non 4. declin. In *edit.* tamen *Krehlii Lips* 1819. unus e *Codd.* habet *sibilu.* — Ratione habita etymi, vox ducitur a sono, ut ait *Quintil.* 8. 6. *ante med.* et *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 42. per onomatopœiam, ut mugitus, murmur. — Sibilum est igitur sonus, qui fit ore compressis dentibus, v. gr. quum *s* littera vehementius pronunciatur (unde ipsa sibilum potius, quam littera, a nonnullis habita est), item ab aere et vento, quum in vehementiori flatu scinditur, ut in silvis. Sæpe anguibus tribuitur: et dicitur etiam de cantu, quem vel ore vel tibia sibilando edimus, συριγμός (It. *fischio, sufolo, fischiata*; Fr. *sifflement*; Hisp. *silbido, silbo, chiflido*; Germ. d. *Zischen, Pfeifen*; Angl. *a hiss, hissing*). ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Vet. Poeta* apud *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus. *Virg.* 5. *Ecl.* 82. venientis sibilus Austri. *Catull.* 4. 12. loquente sæpe sibilum edidit coma. *Liv.* 25. 8. *sub fin.* Ut quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur. *Colum.* 2. *R. R.* 3. Boves ad aquam duci oportet sibiloque allectari, quo libentius bibant. — *b*) In plur. num. *Ovid.* 15. *Met.* 669. cristis aureus altis In serpente deus prænuntia sibila misit. *Lucret.* 5. 1381. Et Zephyri cava per calamorum sibila primum Agrestes docuere cavas inflare cicutas. *Ovid.* 13. *Met.* 785. *de fistula.* Senserunt toti pastoria sibila montes. *Stat.* 6. *Theb.* 338. stupuit qui sibila cannæ. *Val. Flacc.* 6. 201. dum sibila respicit Iron Cuspidis Argivæ, Pyliam latere accipit hastam. *Sil. It.* 9. 247. stridentis sibila teli. *Val. Flacc.* 525. Torquere sibila. *Lucan.* 9. 631. fundere. *et ibid.* 724. effundere. *Ovid.* 4. *Met.* 793. dare. ¶ 2. Speciatim occurrit, quum sibilis explodimus et contemnimus. *Cic. fragm.* apud *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* In Tusculanum mihi nunciabantur gladiatorii sibili. *Id. Rosc. Com.* 11. E scæna non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur. *colle fischiate.* et 2. *Att.* 18. Clamoribus et conviciis et sibilis consectari aliquem. *et ibid.* 19. Conscindere aliquem sibilis. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 6. *extern.* vexare. *Cic. Pis.* 27. 65. Da te populo, committe ludis. sibilum metuis? *Id. Sext.* 59. *a med.* Non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. *h. e.* equi essedariorum propter repentina populi totius sibila extimescebant. — Huc pertinent plura loca *Vulgat. interpr. Jer.* 51. 37. Et erit Babylon stupor et sibilus. *Id. ibid.* 29. 18. In sibilum dare. *et* 25. 9. ponere. *et* 2. *Par.* 29. 8. tradere. ¶ 3. Item de ipso serpente, qui sibilum mittit, et est genus quoddam serpentis ita absolute dictum. *Isid.* 12. *Orig.* 4. 9. Sibilus idem est qui regulus, sibilo enim occidit ante quam mordeat vel exurat. Adde *Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. auct. T.* 7. *p.* 579.

SĬBĬLUS, a, um, adject. (sibilo) *sibiloso, fischiante, sufolante,* sibilans. *Virg.* 3. *G.* 421. *de colubro.* Tollentemque minas, et sibila colla tumentem. *et* 2. *Æn.* 211. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Adde 5. *Æn.* 277. Sic *Val. Flacc.* 3. 50. Setigerum latus et torvæ coma sibila frontis. Loquitur de Pane, cui caput est pinu acuta præcinctum. *V.* PAN in ONOM.

SĬBĬLUS, i, m. 2. *V.* SIBILUM.

SĬBĬMET et

SĬBĬMĔTIPSE. *V.* SUI.

SĬBĪNA, subina, sybina *vel* sibyna, æ, f. 1. σιβύνη, Illyricis est telum venabuli simile. *Ennius:* Illyrici restant sicis sibinisque fodentes. Hæc *Paul. Diac.* ex *Festo p.* 336. 5. *Müll.* Hesychius: Σιβύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον. *Gloss. Philox.* Σιβύνη, venabulum. *Pacuv.* apud *Non. p.* 40. 32. Barbaricam pestem subinis nostris obtulit. Ita leg. *Ribbeck.*, at *Merc.* navibus. *Tertull* 1. *advers. Marcion.* 1. ex *Isai.* 2. 4. Concidunt machæras suas in aratra, et sibynas, quod genus venabulorum est, in falces. *Vulgat.* habet *lanceas.* V. voc. seq.

SĬBO, ōnis, m. 3. idem fortasse quod sibina, apud *Gell.* 10. 25. inter telorum, jaculorum gladiorumque vocabula, quæ in historiis veteribus scripta sunt, recensetur.

SĬBULLA. *V.* SIBYLLA.

SĬBULLĪNUS, a, um. *V.* SIBYLLINUS.

SĬBUS, a, um, adject. callidus vel acutus, ut docet *Paul. Diac. p.* 336. 4. *Müll.*: fortasse a Skr. *çubhas*, splendidus, prudens; vel a Gr. σοφός, sapiens; unde *persibus*, qui peracutum, ut ait *Fest. p.* 217. 26. *Müll.*, significare videtur. Cf. INSUBIDUS.

SĬBYLLA, æ, f. 1. Scribitur et *Sibulla* apud *Val. Max.* 1 5. *n.* 1 ed. *Halm.*, *Tac.* 6. *Ann.* 12. cod. *M.* et ed *Nipperd.* et in numm. L. TORQVATI. III. VIR. V. *Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 10. *p.* 324. Cf. SIBYLLINUS init. — Ad etymon quod attinet, ducunt a σιός Æolice pro θεός, et βόλλα pro βουλή, quasi Dei consilium. Ita *Lactant.* mox citand. et *Serv.* ad 3. *Æn.* 445. et 6. *ibid.* 12. Alii apud *Voss.* aliunde. Verum ab eadem radice esse dixerim, unde sibus vel σοφός, addita terminatione. — Sibylla videtur olim fuisse nomen proprium cujusdam mulieris fatidicæ, postea vero id genus feminarum seu virginum commune. Plures hujusmodi mulieres apud veteres numerabantur; præcipue vero decem. Prima fuit *Persica*, cujus mentionem fecit *Nicanor*, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secunda *Libyca*, cujus meminit *Euripides* in Lamiæ prologo. Tertia *Delphica*, de qua *Chrysippus* loquitur in eo libro, quem de Divinatione composuit. Quarta *Cumæa* in Italia, quam *Nævius* in libris belli Punici, *Piso* in Annalibus nominat. Quinta nata Babyloniæ, *Erythræa* appellata, quam *Apollodorus Erythræus* affirmat, suam fuisse civem, eamque Græcis Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse Trojam, et Homerum mendacia scripturum. Sexta *Samia*, de qua scripsit *Eratosthenes* in antiquis Annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septima *Cumana*, nomine *Amalthæa*, quæ ab aliis *Demophile* vel *Herophile* nominatur. Octava *Hellespontica*, in agro Trojano nata, vico Marpesso, circa oppidum Gergythium, quam scribit *Heraclides Ponticus* Solonis et Cyri fuisse temporibus. Nona *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ. Decima *Tiburtina*, nomine *Albunea*, quæ Tibure colebatur ut dea, juxta ripas Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur tenens in manu librum. Hujus sacra senatus in Capitolium transtulit. *Varro* apud *Lactant.* 1. 6. — Harum omnium celeberrima et nobilissima Erythræa fuit. Nam *Fenestella* apud *Lactant. loc. cit.* de quindecimviris tractans, ait, restituto Capitolio retulisse ad senatum C. Curionem consulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam reportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem a *Varrone loc. cit.* scriptum est. — Celebris item fuit Sibylla Cumæa, cujus libri a Romanis occulebantur, nec eos ab ullo, nisi a quindecimviris, inspici fas erat. Hanc, ut poetæ fabulantur, Apollo adamavit, et ei obtulit poscendi, quod vellet, arbitrium. Illa hausit arenam manibus, et tam longam vitam poposcit, oblita petere perpetuam juventutem. Quum illam vitæ longitudinem obtinuisset, tamen Venerem pati dedignata est. Sibyllæ hujus ope Æneas ad Inferos descendit, et iterum ad Superos regressus est. Eo tempore Sibylla annos septingentos transegerat, illi sexcenti adhuc anni in humana forma supererant, quibus elapsis paullatim decrescere debebat, donec ad minimam molem et in simplicem vocem redigeretur. *Ovid.* 14. *Met.* a *v.* 104. et *Serv.* in 6. *Æn.* 321. — Æque clara Cumana fuit, quæ novem libros attulisse dicitur ad regem Tarquinium Priscum, et pro eis trecentos

aureos postulasse; quum rex aspernatus esset pretii magnitudinem et derisisset mulieris insaniam, illa in conspectu regis tres combussit ac pro reliquis idem pretium postulavit. Tarquinius multo magis mulierem insanire ratus est. Denuo tribus aliis exustis, quum in eodem pretio perseveraret, motus est rex ac reliquos trecentis aureis emit. *Lactant. loc. cit., Gell.* 1. 19. qui hoc tribuit Tarquinio Superbo: *et Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (86). qui tres tantum libros eidem Superbo oblatos scribit, et duos ab ipsa crematos, tertium in Capitolio repositum, una cum illo periisse ex incendio, Sullanis temporibus. Vide *Augustin.* 18. *Civ. D.* 23., imprimis vero, quæ de his commentariolo integro complexus est *Onuphrius Panvinius*; item *Voss.* etc. Non enim desunt eruditi, qui totam hanc historiam oppugnant. — *P. Petit* in docta de Sibyllis dissertatione omnes Sibyllas, ut initio innuimus, ad unam reduxit contenditque diversa ejusdem nomina pro totidem diversis Sibyllis habita fuisse. Existimat ergo, istam fuisse Græcam eo quod oracula illi attributa Græce scripta sint, Erythrææ in urbe Asiæ minoris natam et Herophilen nuncupatam, diversa nomina sibi indita habuisse ob frequentia ipsius per diversas mundi partes itinera, ac tandem Cumis in Italia obiisse. Ita *Janssens* in *Herm.* § 13. — Quod autem ad usum vocis pertinet, *Sibylla* est virgo fatidica, seu, ut ait *Varro* supra *cit.*, cujus pectus numen recipit et quæ vaticinatur.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 54. 110. Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. *Id.* 1. *ibid.* 36. 79. Terræ vis Pythiam Delphis incitabat; naturæ Sibyllam. *Juvenal.* 8. 126. Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ. *h. e.* merum Dei oraculum, verissimum vaticinium. *Folium* dicit, quia Sibylla Cumæa in more habuit responsa sua foliis arboris inscripta dare, ut apud *Virg.* 3. *Æn.* a *v.* 444. Adde *Cic.* 3. *Nat. D.* 2. 5. et 1. *Fam.* 7., *Liv.* 38. 45., *Isid.* 8. *Orig.* 8. 1. et *Rutil.* 2. *Itiner.* 51. — In festis genialibus ut solebant viri annos Nestoris bibere, ita et mulieres annos Sibyllæ; *Cumanam* namque diximus vitæ longitudinem obtinuisse. *Ovid.* 3. *Fast.* 533. Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos, Quæ sit per calices facta Sibyllà suos.

II.) Translate dicitur de interprete loci obscuri, quod Sibyllæ carmina funderent satis obscura et intellectu difficilia. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 23. Has quidem litteras, credo, nisi Sibylla legerit, interpretari alium posse neminem. — *NB.* De cognom. *R. V.* ONOM.

SĬBYLLĪNUS, a, um, adject. (Sibylla) *Sibullinus* scribitur in *Kalend. Prænestin. mense April.* Ex libris Sibullinis. *Inscript.* opt. notæ apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2276. PATER PATRATVS POPVLI LAVRENTIS FOEDERIS EX LIBRIS SIBVLLINIS PERCVTIENDI. — Sibyllinus est qui ad Sibyllam pertinet, qui est Sibyllæ. ¶ 1. Universim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. *extr.* Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum. *Id. Harusp. resp.* 13. 26. Sibyllinus sacerdos. *Id.* 3. *Cat.* 4. 9. fata. *Horat. Carm. sæcul.* 5. versus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (105). remedia, *h. e.* inspectio librorum Sibyllinorum, quoties reipubl. calamitas accideret, cujus nec causa, nec finis inveniretur, ut ait *Liv.* 5. 13. ¶ 2. *Sibyllini libri* fuere plures libri decem Sibyllarum, qui Romæ in Capitolio diligentissime asservabantur. *Lactant.* 1. 6. M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, neque apud Latinos vixit, in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem scripsit pontificem maximum, quum de quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ sunt a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis deorum denuntiandis etc. et *infra.* Et sunt singularum singuli libri, qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest præter Erythrææ, quæ et nomen suum carmini verum inseruit, et Erythræam se nominatum iri prælocuta est, quum esset orta Babyloniæ. Hæc *Lactant.* Sed nonnulli, teste *Serv.* in 6. *Æn.* 321., dicunt, Sibyllam Erythræam, quæ deinde Cumæa dicta sit, fuisse. Hanc Romana fata conscripsisse, incenso Apollinis templo libros Romam allatos esse. — Primum Tarquinius emit tres libros Sibyllæ Cumanæ trecentis aureis, jussitque eos in Capitolio religiosissime custodiri. (*V.* voc. præced.) Denique progressu temporis ex omnibus urbibus Italiæ, Græciæ et aliarum regionum cujusque Sibyllæ libri diligentissime conquisiti sunt et Romam delati. — Asservabantur in Capitolio, in cella subterranea, in arca quadam lapidea. Horum legendorum et interpretandorum causa duumviri instituti sunt, qui *duumviri sacrorum* appellabantur. Deinde decemviri ac tandem quindecimviri sunt creati. *Cic.* 1. *Divinat.* 2. 4. *V.* QUINDECIMVIRI. Hos libros Stilicho, quum adversus Honorium et Arcadium principes defectionem moliretur, exussit. *Rutil.* 2. *Itiner.* 52. Nec tantum Geticis grassatus proditor armis, Ante Sibyllinæ fata cremavit opis. V. *Guhl.-Koner, vita de' Gr. e Rom. n.* 103. At *Guillelmus Beveregius* in *Cod. can. prim. Eccl.* etc. *l.* I. *c.* 14. *n.* 10. et 11. tres classes carminum seu oraculorum Sibyllinorum distinguit. In prima collocat germana carmina Sibyllina, quæ an. LXXVI. ante Chr. cum Capitolio igne absumpta sunt. In altera ea, quæ Romani dein collegerunt, et quorum fragmenta occurrunt apud *Plutarchum, Varron., Cicer., Virg.* aliosque R. scriptores; hæc autem Stilicho sæc. quinto flammis tradidit. In tertia denique octo libros carminum Sibyllinorum, *Bibliothecæ Patrum* insertos, quæ tamen eruditi viri recentiores sæculo secundo conficta esse consentiunt. Ita *Janssens, op. cit.* § 14. ¶ 3. *Sacerdotes,* seu *duumviri,* seu *decemviri,* seu *quindecimviri Sibyllini,* quorum erat Sibyllinos libros custodire; et quoties prodigia contigissent, libros illos aperire et interpretari, et lectisterniis ad pulvinaria deorum factis, eos placare illorumque minas avertere. *Cic.* et *Liv.* multis in locis.

SĪBȲNA. *V.* SIBINA.

SĬC, adverb. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, occurrit etiam, veterum more, *seic* in *Corp. Inscript. Lat.* 1. 818.; pro quo *seice* leg. *Mullerus* apud *Lucil.* 15. 27. *p.* 67. — Item *sice* pro *sic*, ut *hoce* pro *hoc*, apud *Plaut. Rud.* 2. 4. 12. Non licet te sice placide bellam belle tangere? *Alii leg.* sic; *alii rectius* sic, sic. De legendo autem *sice* pro *sicce* V. *Lucil. loc. cit.* et SICINE. — *Si* pro *sic* nonnulli usurpatum volunt in *Corp. Inscript. Lat.* 1. 1447. — *b*) Ratione habita etymi, vox composita est ex particula *si* a Gr. ἐ, unde *is* et *ita*, addita *s* aspirationis loco, et ex syllabica demonstrativa *ce*, de qua *V.* suo loc. — Sic est particula similitudinis et significat hoc modo, tali modo, ita, οὕτω, οὕτως (It. *così, in tal guisa, in tal maniera o modo;* Fr. *ainsi, comme cela, de la sorte, de cette manière;* Hisp. *asi;* Germ. *so, so sehr, auf solche Weise, also;* Angl. *so, thus, in this way*); occurrit autem absolute, aut refertur ad ea, quæ præcedunt vel subsecuntur. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Sat.* 2. Quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Aut qui te sic tractavere? *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Sic milites consolatus reducit in castra. *Cic.* 1. *Legg.* 17. 47. Illa, quæ aliis sic, aliis secus videtur. *Id.* 2. *Divinat.* 18. *a med.* Sive sic est, sive illo modo. *Id. Amic.* 9. 32. Sic et utilitates ex amicitia maximæ capientur. *Id.* 2. *rep.* 20. 35. Rex creatus est L. Tarquinius: sic enim suum nomen ex Græco nomine inflexerat. *Ter. Phorm.* 5. 8. 17. Sic factum est. *Sall. Jug.* 117. *extr.* Ac statim rex sic incipit. *Cæcil.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 74. Sic quassante capite tristes incedunt. *Turpil.* apud *Priscian. p.* 1326. *Putsch.* Currendum sic est. *Poeta* apud *Charis. p.* 285. 1. *Keil.* Nonne hæc tibi sic diceret? *Pompon.* apud *Non. p.* 224. 33. *Merc.* Sic in servili schema. *Cic.* 15. *Fam.* 14. 10. Sic velim enitare. *Id. Pis.* 33. 82. Sic tuis sceleribus reipubl. præterita fata refricabis. *Virg.* 5. *Æn.* 622. Sic se infert. *Ovid.* 3. *Met.* 111. Sic signa tollere solent. *Liv.* 21. 43. Quum sic aliquot spectatis paribus adfectos dimisisset. *Id.* 23. 10. Velitis jubeatisne sic fieri? *Cic.* 2. *rep.* 1. 1. Ingressus est sic loqui Scipio. *Sall. Jug.* 109. Statim sic rex incipit. — *Cic.* 7. *Verr.* 2. 5. Nos sic accepimus, nullum in Sicilia bellum fuisse. *Id.* 2. *Att.* 9. Sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse jucundius. *Rutil. de fig. sent.* 1. 21. Ego sic arbitrabar, filium venturum etc. Cf. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 13. (De hoc usu V. *Zumpt. Gr. Lat.* § 748.) — *Sic est* absolute, ita res se habet, *così è*: formula colligendi ex iis, quæ supra dicta sunt. *Horat. Epod.* 7. 17. Sic est: acerba fata Romanos agunt. Adde *Ter. Andr.* 2. 1. 2. et *Senec. Hippol.* 646. — *b*) Repetitur aliquando. *Plaut. Pœn.* 2. 13. Ego pausam feci: sic ago, sic me decet. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 664. *Curt.* 4. 14. 8. Sic duces, sic proximi militum instincti sunt. *Id.* 9. 2. 13. Sic Ciliciæ fauces, sic Mesopotamiæ campos terribiles fecerant Persæ. — *c*) Stricte pertinet sæpe ad ea, quæ secuntur, et habet post se particulam *ut* cum Conjunctivo. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Sic animos paratos videt, ut nullum pro sua laude periculum recusent. *Id.* 7. *ibid.* 37. Esse beneficio affectum, sic tamen ut justissimam apud eum causam obtinuerit. *Cic.* 2. *rep.* 21. Tarquinius sic Servium diligebat, ut is ejus vulgo haberetur filius. *Id. Planc.* 8. 21. Præfectura plena virorum fortissimorum sic ut nulla totâ Italiâ frequentior dici possit. — *Id. Pis.* 28. 69. Sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius orationem adhinnivit, ut etc. ¶ 2. Specialim inservit comparationibus et habet post aut ante se respondentes particulas *ut, tamquam, quomodo, quemadmodum, quasi, quam.* — *a*) Cum particulis, quæ secuntur. *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum. *Cic.* 13. *Fam.* 1. Atticum sic amo, ut alterum fratrem. *Id.* 7. *ibid.* 17. Sic te commendavi, ut diligentissime potui. *Id. Planc.* 25. 60. Sed nemo unquam sic egit, ut tu. *Id.* 6. *rep.* 15. *in fin.* Sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, justitiam cole. *Id.* 2. *Fam.* 24. Ejus negotium sic suscipias, ut si esset res mea. *come se. Id.* 13. *ibid.* 69. Apud eum sic fui, tamquam domi meæ. — *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 4. *ad fin.* Ego sic nihil exspecto, quomodo Paulum consulem. — *Cic. ad Quirit.* 9. 21. Sic ulciscar facinorum singula, quemadmodum a quibusque sum provocatus. — *Id. Senect.* 8. *ad fin.* Græcas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. — *Claudian. IV. cons. Honor.* 281. Non sic excubiæ, non circumstantia pila, Quam tutatur amor. — *b*) Cum particulis, quæ præcedunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ut ipsi concedi non oporteret, sic item vos esse iniquos. *Cic. Pis.* 17. 40. Ut in urbe nequior es inventus, sic in provincia paullo tamen quam ille demissior. *Id. ibid.* 24. 57. Nam ut levitatis est inanem aucupari rumorem, sic est levis animi. *Id. Lig.* 12. 37. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo. *Ovid.* 2. *Met.* 163. Ut labant curvæ justo sine pondere naves, Sic onere assueta vacuus dat in aere saltus. *Liv.* 21. 13. Ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi audiatis. Adde 22. 50. — *Cæs.* apud *Gell.* 1. 10. Tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. — *Cic. Amic.* 4. 16. Si quemadmodum voles de ceteris rebus, sic de amicitia disputaris. *Liv.* 23. 49. Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita. ¶ 3. Est asseverantis in responsionibus. *Ter. Phorm.* 2. 2. 1. FORM. Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse? GE. admodum. PHORM. Phanium relictam solam? GE. sic. PHORM. Et iratum senem? GE. oppido. *Seneca Hippol.* 645. Amore nempe Thesei casto furis. LEARD. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo. *Cic.* 1. *rep.* 38. 60. Mihi vero sic placet. — Huc videtur pertinere illud *Vulg. interpr. Joh.* 21. 22. Sic eum volo manere quid ad te. *Alii tamen leg.* si. *V.* dicta in SI ad *h. l.* ¶ 4. Item adjurantis, precantis, optantis, se-

quente Conjunctivo. *Ovid.* 8. *Met.* 886. sic nas Deus æquoris artes Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto Constitit. *Tibull.* 1. 4. 1. Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape, Ne capiti soles ne noceantque nives. *Horat.* 1. *Od.* 3. 1. Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenæ etc. *Virg.* 9. *Ecl.* 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos: Sic cytiso pastæ distentent ubera vaccæ; Incipe, si quid habes. *Sil. It.* 2. 31. Sic propria luet hoc pœna. Adde 5. 179. ¶ 5. Item irascentis et increpantis simulque interrogantis. *Propert.* 2. 8. 79. Sic igitur prima moriere ætate, Properti? *Apul.* 6. *Met.* Sic, inquit, dignata es sócrum tuam salutare? *così eh!* ¶ 6. In demonstrando. *Ter. Eun.* 3. 5. 53. ego limis aspecto Sic per flabellum clanculum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 151. Hem! nunc jam ergo: sic cōlo. *Cic. Orat.* 63. *ad fin.* Verborum ordinem immuta: fac sic, Comprobavit filii temeritas. ¶ 7. Apponitur adverbiis, et videtur significare leviter, modice, sine cura, negligenter. *Ter. Phorm.* 1. 2. 94. Quid pædagogus ille? Quid rei gerit? GE. sic, tenuiter. *Id. Heaut.* 3. 2. 12. Et quidem hercle forma luculenta. CHRE. sic satis. *Horat.* 2. *Od.* 11. 14. sub hac pinu jacentes sic temere. — Absolute. *In fragm. Petron.* p. 687. *Burmann.* Non ergo, ut pecudes libidinosæ, Cæci protinus irruamus illuc: Sed sic sic sine fine feriati etc. *Donat.* ad illud *Ter. Andr.* 1. 2. 4. Mirabar, hoc si sic abiret: Sic pro leviter et negligenter: quod Græci οὕτως dicunt. — Alia est ratio in illo *Virg.* 4. *Æn.* 660. Sed moriamur ait. sic, sic juvat ire sub umbras. *h. e.* certe hoc modo. *Servius* leg. *sic? Sic juvat* etc., ut sit quasi interrogatio et responsio. ¶ 8. Aliquando statum et naturam indicat et ponitur pro talis. *Ter. Phorm.* 3. 2. 42. Sic sum: si placeo, utere. *Id. Andr.* 5. 4. 16. Sic, Crito, est hic. *Plaut. Amph.* 2. 1. 57. Satin tu sanus es? SO. sic sum, ut vides. *Cic. Rosc. Am.* 30. *a med.* Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe accedere. *et Rosc. Com.* 10. *ad fin.* Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. *così è fatto. Id. Amic.* 1. *in fin.* Lælius sapiens, sic enim est habitus. Rursus *Ter. Andr.* 3. 4. 9. Quid ais? SI. sic res est. *Id. ibid.* 1. 1. 35. Sic vita erat. *Id. Phorm.* 1. 2. 20. Sic ingenium est. *Plaut. Most.* 4. 3. 40. Hæc res sic est ut narro tibi. ¶ 9. Interdum occurrit pro ideo. *Plaut. Most.* 2. 2. 20. THEU. Quid vos? insanine estis? TRA. qui dum? THEU. sic, quia Foris ambulatis etc. ¶ 10. *Ita sic*, per pleonasmum, pro itaque. *Liv.* 2. 10. Ita sic armatus desiluit. Adde *Quintil.* 2. 21. 20. *Phædr. prol.* 2. 12. Ita sic rependet illi brevitas gratia. At *L. Müller* et *A. Vannucci* leg. *Ita si.* Alii tamen de hac locutione aliter sentiunt. ¶ 11. *Sic* abundat etiam in illo *Cic.* 2. *Fin.* 4. 13. Vitiosa res (*voluptas*) ut Stoici putant, qui eam sic definiunt, sublationem animi sine ratione. ¶ 12. *Sic magis* pro eo magis. *Grat.* 421. Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus æstus. ¶ 13. *Sic*, quum nihil præcessit, pro adeo, omnino, prorsus. *Virg.* 12. *Æn.* 280. hinc densi rursus inundant Troes Agyllinique, et pictis Arcades armis, Sic omnes amor unus habet decernere ferro.

Homonym. Quomodo *sic* ab *ita* differat, Grammatici inter se non consentiunt. *Isid. Differ. app. n.* 208. *Sic* quidem ostendit exempla; *ita* ad rationem refertur. *Herzog* ad *Cæs.* 4. *B. G.* 29. particulam *sic* logicam vocat, quæ judicium moderetur, ut indicet, quomodo rem cogitemus comparando, quod sit *in dem Grade, dergestalt; ita* autem objectivum nominans refert ad res factas, ut sit *tali modo, hac ratione.* Sed hæc, inquit *Handius*, aut ego non perspicio, aut in componendis modis omnia æqualiter redeunt ad judicium. At *Ramshornius* in *Gramm. p.* 694. et in *Synon. t.* 2. *p.* 114. accedit ad *Isid.* docetque *ita* referri ad cogitationem, *sic* ad rem ante oculos compositam. *Handius* denique putat *sic* et *ita* eo modo differre, quo *hic* et *is*; illud igitur habet vim demonstrativam significans *hoc modo*, sed *ita* ex relativa sua natura proprie requirit componendæ alterius rei expositionem, quam præstant *uti, quomodo* aliaque vocabula. Hæc tamen differentia negligitur. *Horat. Art. P.* 151. Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium etc. Plura *V.* apud *Hand.*, *op. cit. t.* 3. *p.* 467.

SĪCA, æ, *f.* 1. *Seica pro sica* olim scriptum est. V. *Mar. Victorin. p.* 18. 4. *K.* et quæ *Keil* ad *h. l.* adnotat. — De vocis notatione hæc habet *Isid.* 18. *Orig.* 6. 8. *Sica a secando* dicta est. Est enim gladius brevis, quo maxime utuntur, qui apud Italos latrocinia exercent; a quo et *sicarii* dicti sunt. *Forcellinus* ait huic notationi quantitatem obstare, sed hoc in vocum derivatione tanti non fit. Cf. *Mar. Victorin. loc. cit.* et *V.* SICO pro *seco*, et SICILIS. — Sica est itaque brevis gladius, δόλον, μάχαιρα, ἐγχειρίδιον (It. *spada corta, daga*; Fr. *poignard*; Hisp. *puñal*; Germ. *d. Dolch*; Angl. *a short sword, dagger, poniard*). In *Gloss. Philox.* dicitur Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές, Thracius gladius incurvus.

I.) Proprie. *Enn.* apud *Paul. Diac.* ex *Fest.* in *Sibina p.* 336. 5. *Müll.* Illyrici restant sicis sibinisque fodentes. *Cic.* 2. *Catil.* 10. *a med.* Hi non solum amare et amari, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt. *et* 1. *ibid.* 6. *extr.* Sicam defigere in corpore alicujus. *et ibid.* extorquere alicui de manibus. *Id. fragm. contra C. Anton.* apud *Ascon. sub fin.* distringere in aliquem. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 12. Latus alicujus sica confodere. *Quintil. declam.* 321. *a med.* Pecunia sicas percussorum acuit. *Martial.* 3. 16. Das gladiatores, sutorum regule Cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit. Hinc colliges, sica usos gladiatores: et ex 11. 28. etiam chirurgos: quo loco latet etiam obscenus sensus, ut et apud *Catull.* 56. 7. *V.* SICULA.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est cædes occulte facta. *Cic.* 3. *Off.* 8. 36. et 3. *Nat. D.* 30. 74. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur. ¶ 2. Item improbus et crudelis civis. *Cic. fragm. orat. in toga candid. ad fin.* Qui posteaquam illa ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rempublicam sicas distringere. *Ascon.* adnotat, Hisp. pugiunculum esse Cn. Pisonem, sicas vero Catilinam et Antonium. ¶ 3. Metaphorice. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Arbore et saxo apri dentium sicas exacuunt. *Ammian.* 30. 4. 9. Sicam ingenii destringentes.

Homonym. Quid *sica* a *pugione* differat, *V.* in PUGIO.

SĪCĀLE. *V.* SECALE.

SICARDICĪUS. *V.* SIDERATICIUS.

SĪCĀRĬUS, ii, *m.* 2. (sica) qui sica hominem interficit, et quicumque arma gestat paratus ad quamlibet cædem hominis, gladiator, grassator, ξιφοφόρος (It. *sicario*; Fr. *meurtrier, sicaire*; Hisp. *matador, asesino*; Germ. *d. Menchelmörder, Mörder, Erdolcher*; Angl. *a cut-throat, murderer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Quintil.* 10. 1. 12. Nam per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiserint. *Cic. Rosc. Am.* 14. 39. Vetus videlicet sicarius, homo audax et sæpe in cæde versatus. *et ibid.* 3. *sub fin.* Homines sicarii atque gladiatores. *Id. ibid.* 36. Quum de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui sicarius est: hoc est, qui eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 3. Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur, Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus. — *b*) *Inter sicarios*, de sicariis: formula, quum de judicio et judice homicidii agitur. *Cic.* 2. *Fin.* 16. *ad fin.* L. Tubulus, qui quum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset etc. *Id. Rosc. Am.* 32. 90. Sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. *Id.* 2. *Phil.* 4. 8. Qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus. — Huc spectant *Justinian.* 4. *Institut.* 18. § 5. Item lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas ultore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. *Tac.* 13. *Ann.* 44. *extr.* Condemnare aliquem lege de sicariis. *Sueton. Cæs.* 11. *ad fin.* Quæstionem de sicariis exercere. ¶ 2. Speciatim pro gladiatore sica instructo conjici potest ex *Inscript.* apud *Gruter.* 334. 4. FLAMMA SIC. (*h. e.* sicarius) VIX AN. XXX. PVGNAT XXXIIII. VICIT XXI. etc. Alii tamen leg. *sicutor* (pro *secutor*).

II.) Translate dicitur de homine impio et crudeli. *Q. Cic. Petit. consul.* 2. Ambo (*Antonius et Catilina*) a pueritia sicarii, ambo libidinosi, ambo egentes. *M. Cic.* eosdem vocat sicas in *orat.* in *Tog. cand. loc. cit.* in SICA.

SICCA, æ, *f.* 1. *V.* SICCUS in fin.

SICCĀBĬLIS, e, adject. (sicco) qui siccare potest. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 138. et 139. Quidam tamquam siccabilem humoris ophitem lapidem ligaverunt. *h. e.* humoris siccativum.

SICCĀMEN, ĭnis, *n.* 3. (sicco) id quod aridum factum est. *Gloss. Isid.* Cremia, siccamina lignorum. *h. e.* ligna siccata. Cf. CREMIA.

SICCĀNĔUS, a, um, adject. (sicco) qui est naturaliter siccus et nullo humore irriguus, *asciutto*, κατάξηρος. *Colum.* 2. *R. R.* 17. Ejus prati animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. *Id.* 4. *ibid.* 30. Riguus aut siccaneus locus. Adde *ibid.* 139. *V.* IMPLEBILIS.

SICCANS, antis, particip. *V.* SICCO.

SICCĀNUM, i, *n.* 2. *V.* voc. seq. in fin.

SICCĀNUS, a, um, adject. (sicco) idem ac siccaneus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 17. 19. (72). *de ulmis.* Italia Attineas vocat excelsissimas, et ex iis siccanas præfert, quæ non sint riguæ. *Pelagon. Veterin.* 7. Siccanum olus. — Hinc

Siccanum, i, *n.* 2. absolute, videtur esse totum illud spatium in horto aliquo, quod riguum non est. *Inscript.* Ostiæ exstans in *ædib. episcop.*, quam mecum per litteras communicavit *B. Borghesius.* HVIC MONIMENTO CEDIT SICCANVM TOTVM HORTORVM CVM PISCINA SVA IN FRONTE. P. CCLXXXX. IN AGRO COMPRENSA MACERIA COLLIGIT IVGERA II. Ita *Furlanetto* in *Append.*

SICCĀRĬUS, a, um, adject. (sicco) qui siccando inservit. *Serv.* ad 1. *Æn.* 710. Veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensæ apponebantur: ut hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ canistra siccaria dicuntur.

SICCĀTĬO, ōnis, *f.* 3. (sicco) actus siccandi. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. (129). Emplastra, quibus quæritur refrigeratio et siccatio. — In illo *Vulgat. interpr. Ezech.* 26. 5. et 14. et 47. 10. Siccatio sagenarum erit in medio mari. est vaticinium de Tyro delenda ita ut eo loco deserto piscatores sagenas ad solem siccent.

SICCĀTĪVUS, a, um, adject. (sicco) *seccativo*, siccatorius. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *a med.* Siccativum malagma. *Id.* 2. *ibid.* 3. 69. *et Theod. Priscian.* 2. 3. virtus. *Cassiod.* 10. *Variar.* 29. Aquas Bormias siccativas, salutares huic specialiter passioni (*podagræ*) velle te petere postulasti. *V.* DELINITORIUS.

SICCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (sicco) *seccativo*, siccandi vim habens. *Theod. Priscian. de diæta* 10. Origanum est siccatorium.

SICCĀTUS, a, um, particip. *V.* SICCO.

SICCĒ. *V.* SIC init.

SICCĒ, adverb. (siccus) aride, *asciuttamente, seccamente*, ξηρῶς.

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Ne bos in aquam pedem mittat, et ut sicce stabuletur.

II.) Translate. *Cic. opt. gen. Orat.* 4. *a med.* Eos solos Attice dicere, id est quasi sicce. *h. e.* presse, tenuiter, subtiliter.

SICCESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SICCESCO, is, ere, *n.* 3. (siccus) Part. *Siccescens.* — Siccesco est siccus fio, *asciugarsi, inaridire, seccarsi*, ξηραίνομαι. *Vitruv.* 2. 10. Arbores venarum rigorem permutantes siccescendo, propter raritatem fiunt inanes et evanidæ. *Cels.* 7. 7. *n.* 15. Numquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere. *Colum.* 12. *R. R.* 28. Fœnum Græcum vetere vino maceratio, deinde in sole exponito aut in furno, ut siccescat. *Plin.*

18. *Hist. nat.* 34. 77. (339). Aquilonem prænunciat terra siccescens repente.

SICCĬFĬCUS, a, um, adject. (siccus *et* facio) *seccativo*, siccandi vim habens. *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. *extr.* Inest æri vis quædam remedialis et siccifica.

SICCĬNĔ. *V.* SICINE.

SICCĬTĀRĬUM, ĭi, n. 2. (sicco) id, quod fit agri siccandi causa, ut fossa, qualis in depressis locis fieri solet. *Var. auct. de limit. p.* 245. *Goes.* Casa in suis siccitariis. Ita *Goesius* scribendum putat pro *sucitariis*, quod significatione caret. Adde *p.* 227. et 238. At *Lachm.-Rudorff.* leg. *sucitariis.*

SICCĬTAS, ātis, f. 3. (siccus) aritudo, ariditas, deficientia humoris, *asciugaggine, secchezza, aridità,* ξηρότης.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 3. 2. 18. Ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (47). *de palmularum quodam genere.* In Æthiopia friatur (tanta est siccitas), et farinæ modo spissatur in panem. *Id.* 18. *ibid.* 31. 74. (315). Uvam calidam ne legito, hoc est in ejus siccitate, ac nisi imber intervenerit. *Curt.* 7. 5. 5. Siccitas absorbet naturalem humorem. ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur de ariditate terræ ex deficientia pluviæ, *asciutto, asciuttore, siccità. Cæs.* 4. *B. G.* 38. Siccitates paludum. *Liv.* 40. 29. Siccitate et inopia frugum insignis annus fuit. Sex menses numquam pluisse, memoriæ proditum est. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. *init.* Aquam belle sane fluentem vidi, præsertim maxima siccitate. *Cels.* 2. 1. *circa med.* In siccitatibus acutæ febres oriuntur. *Varro* 1. *R. R.* 31. Siccitatibus in poma aquam addi quotidie vesperi. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 65. 85. (187). Proventus murium siccitatibus. *et* 31. *ibid.* 4. 29. (52). Omnis aqua hieme dulcior, æstate autem minus, auctumno minime minusque per siccitates. ¶ 3. In corpore est gracilitas obesitati contraria et vitiosi humoris deficientia. *Varro* apud *Non. p.* 395. 5. *Merc.* Persæ propter exercitationes pueriles modicas eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur sufflatove corpore essent. *Cic. Senect.* 10. *extr.* Summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exsequi omnia regis officia et munera. *esser molto asciutto di corpo.* et 5. *Tusc.* 34. *sub fin.* Siccitas consequitur continentiam in victu.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad orationem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Neque enim flumine conturbor inanium verborum nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. *h. e.* deficientia suci et sanguinis, atque adeo nervorum, firmitatis et virium. Adde *eumd. Brut.* 82. *a med.* V. SICCUS. ¶ 2. Item ad litteras aspiratione carentes. *Dosith. Gramm. p.* 379. 13. *Keil.* Aspirationem H adscripta præstabit: si adscripta non erit, siccitatem. ¶ 3. Allegorice. *Cic.* 4. *Herenn.* 6. *ad fin.* Isti quum se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, quum id polliceantur aliis, arescant ipsi siccitate.

SICCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (siccus) Part. *Siccans* I. 2.; *Siccatus* I. 1. *a*; *Siccandus* I. 2. — Sicco est siccum reddo, arefacio, ξηραίνω, ἄζω (It. *asciugare, seccare;* Fr. *faire sécher, sécher, rendre sec, desécher;* Hisp. *secar, enxugar;* Germ. *trocken machen, trocknen, austrocknen;* Angl. *to dry, make dry, siccate*); occurrit autem *A*) Transitive; et *B*) Neutrorum more.

A) Transitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo: et passive. *Lucret.* 5. 390. Venti et sol siccare prius confidunt omnia posse. *Id.* 6. 625. una nocte vias persæpe videmus Siccari mollisque luti concrescere crustas. *Virg.* 3. *Ecl.* 95. ipse aries etiam nunc vellera siccat. *Id.* 4. *Æn.* 687. atros siccabat veste cruores. *Gell.* 5. 14. *a med.* Siccare atque detergere cruorem. *Ovid.* 4. *Met.* 82. Solque pruinosas radiis siccaverat herbas. *Colum.* 12. *R. R.* 44. *a med.* et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 27. (47). Siccare quippiam in sole. *Id.* 27. *ibid.* 9. 55. (79). (et *Ovid.* 11. *Met.* 770.) sole capillos. *Id.* 21. *ibid.* 11. 36. (62). aliquid ad lunam. *Id.* 17. *ibid.* 11. 15. (76). et 25. *ibid.* 5. 21. (53). in umbra. *Id.* 21. *ibid.* 6. 17. (34). umbra. *Id.* 19. *ibid.* 5. 24. (72). fumo. *Id.* 15. *ibid.* 29. 37. (123). folia in farinam. *Id.* 12. *ibid.* 22. 48. (104). Palustria æstate siccantur. *Id.* 2. *ibid* 103. 106. (229). *a med.* Fluvius omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur. *Propert.* 1. 19. 23. lacrimas siccare cadentes. *Seneca Œdip.* 57. Quin ipsa tanti pervicax clades mali Siccavit oculos. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 34. Siccatis spongiis. *h. e.* expressis. — *b*) Absolute seu impersonaliter. *Cato R. R.* 112. Uvas relinquito in vinea: et ubi pluerit et siccaverit, tum deligito. ¶ 2. Speciatim pertinet ad medicinam. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Pampini triti et impositi tumorem omnem siccant. *diseccano.* et 24. *ibid.* 4. 6. (11). Viscum siccat strumas. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (148). Menta arterias (h. e. *fauces*) humidas siccat. *Id.* 36. *ibid.* 17. 28. (133). Assius lapis suppurata siccat. *Id.* 23. *ibid.* 1. 13. (17). Siccare pituitam oris. *Id.* 31. *ibid.* 6. 33. (62) Marinæ aquæ calefiunt ad nervorum dolores, item corpora siccanda. *Id.* 12. *ibid.* 12. 26 (43) Folium nardi gustu maxime siccans os. *Lucil.* apud *Non. p.* 394. 29. *Merc.* Quum studio in gymnasio duplici corpus siccassem pila. *h. e* exercuissem et gracile reddidissem atque adeo a noxiis humoribus exsiccassem. *Virg.* 10. *Æn.* 834. Vulnera siccabat lymphis. *h. e* aqua frigida sisteba sanguinem. ¶ 3. Pro exhaurire. *Cic.* 5. *Phil.* 3. 9. Ille paludes siccare voluit. *Sueton. Cæs.* 44. Destinabat siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 68. Siccat inæquales calices conviva. *vuota. Virg.* 2. *Ecl.* 42. Bina die siccant ovis ubera. *mungono.* Adde *Ovid.* 13. *Met.* 690. *Lucan.* 4. 314. et *Horat. Epod.* 2. 45.

II.) Translate seu allegorice. *Martial.* 8. 70. Quum siccare sacrum largo Parmessida posset Ore, veracundam maluit esse sitim. *h. e.* quum multa posset carmina scribere, et egregius poeta haberi, abstinuit et eam famam gloriamque recusavit.

B) Neutrorum more est siccus fio, *seccarsi, inaridire. Apic.* 3. Tundis cuminum et postea infundis in aceto; quum siccaverit, postea melle omnia comprehendis. Adde *eumd.* 4. et 9. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. 66. Oportet spongia tenera sensim universa, quæ siccaverunt, humectare. *Tertull. advers. Valent.* 24. Arida, aquis ante segregatis, superstite limo siccaverit.

SICCŎCŬLUS, a, um, adject. (siccus *et* oculus) siccos habens oculos, ξηρόφθαλμος. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 73. PSEVD. Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrumam exorare ut exspuant unam modo. CALID. Quid ita? PSEVD. genus nostrum semper siccoculum fuit.

SICCUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, videtur esse a Skr. *susc,* siccare. Cf. etiam Gr. ψύχω, refrigero, arefacio, et σαῦκος, siccus vel ἰσχνός, gracilis, nam vix attendendum, quod habet *Isid.* 10. *Orig.* 262. Siccus, quod sit exsuccatus, sive per antiphrasim, quod sit sine succo. — Comp. *Siccior* I. 5.; Sup. *Siccissimus* I. 1. *a.* — Siccus est humore carens, aridus, ξηρός, ἀζαλέος (It. *asciutto, arido, secco;* Fr. *sec;* Hisp. *seco;* Germ. *trocken;* Angl *dry, arid, withered*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cato R. R.* 50. Sicca loca. *Virg.* 1. *G.* 389. arena. *Id.* 4. *ibid.* 427. fauces fluminum. *Id.* 5. *Æn.* 180. siccaque in rupe resedit. *Id.* 6. *ibid.* 162. Siccum littus. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 15. agri. *Id.* 3. *Od.* 11. 22. stetit urna paullum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces. *Quintil.* 2. 4. 8. Vitandum teneris adhuc plantis siccum et sine humore ullo solum. *Colum.* 12. *R. R.* 15. Vasa in horreum siccissimum reponere. *Virg.* 2. *Æn.* 357. catulique relicti Faucibus exspectant siccis. *h. e.* jejunis. *et.* 4. *G.* 97. sicco terram spuit ore viator. *Ulp. Dig.* 43. 8. 1. *a med.* Sicca via. *asciutta.* cui *palustris* opponitur. *Propert.* 2. 11. 12. lacus. *Tibull.* 3. 6. 18. pocula. *Seneca Troad.* 50. ensis. *h. e.* incruentus. Sic *Stat.* 8. *Theb.* 383. Stat medius campis etiamnum cuspide sicca Bellipotens. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 18. Sicca signa. *h. e.* Ursa utraque numquam in mare occidua. *Martial.* 4. 3. aquæ. *h. e.* nives. *Veget.* 4. *Veterin.* 2. 2. Est humidus (*morbus*) quoties per os et nares humor effluit bobus: est siccus, quoties nullus humor apparet. *Cels.* 4. 6. Sicca tussis. — *b*) Cum Genetivo aut Ablativo. *Sil. It.* 7. 213. sicci stimulabant sanguinis enses. *Propert.* 4. 10. 12. Spolia sicca sanguine. *h. e.* nullo sanguine tincta. ¶ 2. Speciatim *siccus* de cælo, aere etc. est sine nube, sine pluvia, aut fervidus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 31. (123). Cælum utique siccum. *Ovid.* 1. *Met.* 119. siccis aer fervoribus canduit ustus. *Id.* 3. *Am.* 6. 106. Sicca hiems. *h. e.* sine nive. *Tibull.* 1. 4. 6. æstivi tempora sicca Canis. *Propert.* 2. 28. 4. Incipiet sicco fervere terra Cane. *Horat.* 3. *Od.* 29. 20. Sicci dies. *h. e.* fervidi, sine pluvia. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (101). ver. *Colum.* 3. *R. R.* 20. annus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (127). Auster. *Lucan.* 4. 331. nubes. ¶ 3. *Sicci oculi, siccæ genæ, siccum lumen,* h. e. sine fletu et lacrimis, atque adeo immotis, intrepidis. Primum habent *Seneca Tranquill.* 15., *Propert.* 1. 17. 11., *Quintil.* 6. 2. 27., *Martial.* 1. 93. et *Horat.* 1. *Od.* 3. 18. (ubi pro *siccis oculis Bentlej.* mavult *rectis;* alii aliter: *Colonnetti* vertit «*con occhio placido*»; alterum *Propert.* 4. 11. 76., *Ovid. Heroid.* 11. 10. et *Seneca Herc. Œt.* 1689.; postremum *Lucan.* 9. 1044. Quin absolute *siccus* dicitur qui non flet. *Seneca Herc. Œt.* 1269. Siccus ærumnas tuli. *V.* vocem præced. ¶ 4. *Siccum medicamentum* apud *Scribon. Compos.* 71. est siccandi vim habens. ¶ 5. *Siccum corpus,* adstrictum et superfluis humoribus carens, *asciutto;* cui opponitur obesus, pituitosus, gravedinosus etc. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 189. Mulier sicca, succida. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (65). Corpora graciliora siccioraque. *Catull.* 23. 12. Atqui corpora sicciora cornu. Aut si quid magis aridum est, habetis. Cf. *Nemesian. Cyneg.* 111. Sicca alvus. *et Grat.* 277. lacerti. *V.* SICCITAS 3. ¶ 6. *Sicca puella* est, quæ in concubitu sine voluptatis sensu jacet, minime pruriens, et opponitur udæ. *V.* UDUS. *Ovid.* 2. *Art. am.* 686. Siccaque de lana cogitat ipsa sua. *Martial.* 11. 81. Et jacet in medio sicca puella toro. ¶ 7. *Siccus,* qui non bibit, sitiens, *assetato. Plaut. Pers.* 5. 2. 41. Jamdiu factum est, postquam bibimus: nimis diu sicci sumus. *Id. Pseud.* 1. 2. 51. vostros madefacitis, quum ego sim hic siccus. *Id. ibid.* 1. 2. 22. Liber Tibi screanti, siccæ, semisomnæ Affert potionem. *Id. Pseud.* 1. 2. 51. Vostros pantices madefacitis, quum ego sim hic siccus. *Horat.* 4. *Od.* 5. 38. dicimus integro Sicci mane die, dicimus uvidi. *Ovid.* 2. *Met.* 278. Sicca vox. *h. e.* siti aridas fauces habentis. ¶ 8. *Sicca luna* dicitur a *Propert.* 2. 13. 71. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 8. (57). eadem ratione, qua *sitiens;* ut *Plin.* ipse interpretatur *ibid.* 14. 24. (112)., hoc est minime pluvia aut ventosa

II.) Translate ¶ 1. Ponitur pro sobrio, *parco, sobrio. Plaut. Asin.* 5. 2. 6. meum virum fui rata Siccum, frugi, continentem. PAR. At nunc scito, illum – Madidum, nihili, incontinentem. *Cic.* 4. *Acad.* 27. 88. (2. *pr.*) Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse, quam vigilantium, siccorum, sanorum. Adde *fragm.* apud *Non. p.* 395. 3. *Merc.* et 1. *leg. Agr.* 1. 1., *Senec. Ep.* 18. et *Horat.* 1. *Ep.* 19. 9. — Hinc siccum ingenium, sicca voluptas, quæ *V.* in SOBRIUS. ¶ 2. Item pro paupere, tenui. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 11. Si prodesse tuis paulloque benignius ipsum Te tractare voles, accedes siccus ad unctum. ¶ 3. *Siccus panis* est panis solus, sine potu, sine jure, sine pulmentario. *Seneca Ep.* 83. Panis deinde siccus et sine mensa prandium. *Vopisc. Tac.* 11. Panem, nisi siccum, numquam comedit, eumdemque sale atque aliis rebus conditum. *Capitolin. Antonin.* 13. Senex etiam, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (139). Vocis studiosis, et contra distillationes, siccum panem esse primo cibo, utilissimum est. *Id.* 26.

ibid. 7. 18. (32). Agaricum manducatum siccum, ut ex intervallo merum sorbeatur. Itali quoque dicunt pan secco o solo. ¶ 4. Metaphorice seu figurate dicitur de oratione. Cic. opt. gen. Orat. 3. 8. Oratores Attici sani et sicci. h. e. pressi et sine redundantia. Id. Brut. 55. 202. Nihil erat in ejus oratione, nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum. Quintil. 11. 1. ante med. In juvenibus siccum et sollicitum et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est. Gell. 14. 1. Sicca et incondita et propemodum jejuna oratio. — Hinc Sicca, æ, f. 1. absolute, idem ac terra. Vulgat. interpr. Ps. 94. 5. coll. Gen. 1. 9. Cf. Quintil. 12. 11. ante med.

Siccum, i, n. 2. absolute, locus siccus, aridus. Virg. 10. Æn. 301. Donec rostra tenent siccum. Id. 1. G. 362. quumque marinæ In sicco ludunt fulicæ. in secco. Plin. 26. Hist. nat. 7. 22. (39). Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco. — In plur. num. Id. 17. ibid. 22. 35. (158). Male in siccis malleolus seritur. h. e. in locis siccis. Id. 16. ibid. 36. 66. (165). Multum prælata arundo, quæ in siccis provenit. scil. ei, quæ in aquaticis. Adde 9. ibid. 8. 8. (27). Quintil. 12. 11. ante med. Aqua piscibus, sicca terrenis, spiritus volucribus convenit. h. e. terra.

Homonym. Quomodo differant siccus, aridus et torridus, V. sub ARIDUS.

SICCUM, i, n. 2. V. voc. præced.

SICĔ. V. SIC init.

SICEL. V. SICLUS.

SICĔLICON, i, n. 2. σικελικόν, herba quæ alio nomine psyllion dicitur, radice tenui, grana similia fabæ habens in cacumine, folia canino capiti non dissimilia, semen autem pulici. Plin. 25. Hist. nat. 11. 90. (140).

SICĔLISSITO et **SICĔLISSO**. V. SICILISSO.

SICĔRA, æ, f. 1. (σίκερα). Vox ab Hebr. שכר sekar, potio inebrians, cujus rad. שכר sakar, inebriatus est. — Sicera est omnis potio, excepto vino, quæ inebriare potest; hinc Vulgat. interpr. Is. 5. 11. et 22. vertit ebrietas, ubi Hebr. habet sekar: Italice dixeris siccera, cervogia, birra. Hieronym. Ep. 52. n. 1. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, sive illa, quæ e frumento conficitur, sive e pomorum succo, aut quum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior colatur. Adde Tertull. advers. Psych. 3., Isid. 20. Orig. 3. ad fin. et Vulgat. interpr. passim. Cf. Xenoph. Anab. 1. 5. 10. et 2. 3. 9.

SICHĬMA. V. SICIMA.

SICILA. V. SICULA.

SICĬLĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. a sicilis, vel a sicila pro sicula, gladiolus, falcula, sicula, pugiunculus, lancetta, coltellino, stiletto. Plaut. Rud. 4. 4. 125. Post est sicilicula argenteola et duæ connexæ maniculæ.

SICĬLĬCUS, i, m. 2. — a) Ad scriptionem quod attinet, occurrit etiam siciliquus in MSS. codd. — In antiquis monumentis sæpe sicilicus non litteris scribebatur, sed hac nota ꝯ indicabatur, ut videre est in Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 226., ubi reperitur et nota ◡ pro uncia et (pro semuncia. — b) De quantitate secundæ syllabæ pro diverso vocis etymo alii aliter sentiunt. Hanc vero corripit Rhemn. Fann. de ponderib. 118. Terna duæ sesclæ pars (unciæ) est eademque duella: Quarta siclus vel sicilicus vel denique sicel. — c) Ratione habita etymi, videtur esse a sicilis, qui a sico pro seco, teste Fest. apud Paul. Diac. p. 336. 10. Müll., siquidem ait: Sicilicum dictum, quod semunciam secet. — Sicilicus ¶ 1. Est pars assis quadragesimaoctava, seu quarta pars unciæ, quæ scrupula sex, sive, quod in idem recidit, drachmas duas continet, peso di due dramme, δίδραχμον. Rhemn. Fann. de ponderib. 20. Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis, Sicilicum. Scævola Dig. 33. 1. 21. ante med. Quum noverca universæ hereditatis habeat dodrantem, semunciam et sicilicum. Mæcian. Distrib. § 29. Dicitur uncia in quatuor sicilicos, id est quatuor quartas. ¶ 2. In mensuris est quarta pars pollicis. Plin. 13. Hist. nat. 15. 29. (94). Mensa solida tribus sicilicis infra quatuor pedes, totidemque infra semipedem crassitudinis. h. e lata pedes quatuor, minus dodrante pollicis seu tribus pollicis partibus. Id. 31. ibid. 6. 31. (57). Libramentum aquæ in centenos pedes sicilici minimum erit. Frontin. Aquæd. 28. Senaria fistula capit quinariam unam, et quincuncem, sicilicum. ¶ 3. Sicilicus horæ est quarta pars duodecimæ partis horæ: scil. cinque minuti, ut vocant Itali, efficiunt duodecimam partem horæ: illa quinque si in quatuor partes tribuantur, harum unaquæque erit sicilicus, h. e. un minuto e un quarto (V. SEMUNCIA); quæ minima horæ pars apud Romanos fuisse videtur. Plin. 18. Hist. nat. 32. 75. (324). de luna. Secunda die supra terras erit horæ unius dextante sicilico, h. e. minuti cinquantuno e un quarto. ¶ 4. In jugero est summa pedum DC. Habet enim jugerum pedes quadratos 28,800, ut Colum. 5. R. R. 1. docet; horum pars duodecima sunt pedes 2, 400., hujus quarta pars 600. Id. ibid. 2. Dicemus hanc summam pedum quadratorum (39,000) esse in eo triquetro: quæ mensura efficit jugerum et trientem et sicilicum. ¶ 5. Sicilicus, idem quod ἀσσάριον, fuit nummus æreus, qui pondere æquabat unciæ partem quartam, valebat autem denarii argentei decimam. Inscript. apud Murat. 1063. 1. DECVRIONIBVS NESCANIENSIVM SING. HS X. BINOS CIVIBVS ATQVE INCOLIS ITEM SERVIS STATIONARIIS SINGVLIS X. SICILICOS (dedit). ¶ 6. Fuit etiam Grammaticorum nota, eaque erat, quam virgola nunc vocamus. Mar. Victorin. p. 2467. Putsch. Si prius quam distinctum (h. e. finis periodi) concluditur, mora fuerit necessaria, ἁπλῆν aversam, id est sicilicum in ima parte versus ponite. ¶ 7. Item alia nota supra litteras consonantes, quæ ab antiquis geminabantur, vel præcipue supra vocalem u, quum ea producenda, seu per duas vocales ou efferenda erat. Id. p. 2456. Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius et cetera his similia, sed supra litteram, quam geminari oportebat, sicilicum imponebant, cujus figura hæc est ('), quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris. Isid. 1. Orig. 27. ad fin. Sic et ubi litteræ consonantes geminabantur, sicilicum superponebant, ut Sel'a, Ser'a, As'eres. Veteres enim non duplicabant litteras, sed supra sicilicos apponebant, qua nota admonebatur lector, geminandam esse litteram: et sicilicus, quia in Sicilia inventus est primo. V. Osann. Anal. p. 13. not. 7. In nummis gentis Pomponiæ apud Morell. Fam. Rom. tab. 2. Mu's a scribitur, et in Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 39. DIVO IV'LIO IVSSV POPVLI ROMANI etc. Cf. Inscript. in Bullett. archeol. Napolit. a. 1858. p. 116. n. 17.

SICĪLĪMENTUM, i, n. 2. (sicilio) herba siciliendo resecta, idest quam fœnisecæ prima sectione relictam, iterata sectione demetunt. Cato R. R. 5. in fin. Idem fœnum cordum, sicilimenta de prato demito eaque aride condito.

SICĪLIO, is, ire, a. 4. (sicilis) Part. Siciliendus. — Sicilio est seco, tagliare, τέμνω. Verbum est proprie ad prata pertinens, quæ tunc siciliri dicuntur, quum ea, quæ prima sectione relicta sunt a fœnisecis, iterata sectione demetuntur. Varro 1. R. R. 49. Quo facto sicilienda prata, id est falcibus consecanda, quæ fœnisecæ prætererunt. ac quasi herba tuberosum reliquerunt campum: a qua sectione arbitror dictum sicilire pratum. Plin. 18. 28. Hist. nat. 67. (259). Prata quoties secta sunt, siciliri hoc est, quæ fœnisecæ præterierunt, secari. Adde Colum. 2. R. R. 22.

SICĪLĪQUUS. V. SICILICUS.

SICĪLIS, is, f. 3. (sica) Sunt qui secundam syllabam corripiunt rati Ennium loc. cit. pro dactylo sicilibus fecisse anapæstum, quod in versu dactylico heroico non facile admiserim. Ita et in sicilio ac derivatis affinibusque vocibus incerta quantitas secundæ et etiam primæ syllabæ, prout ducunt a sica, vel a sico pro seco. — Sicilis est mucro, spiculum, aut generatim instrumentum, quod secando inservit. Plin. 6. Hist. nat. 13. 15. (38). de mari Caspio. Ubi cœpit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus, velut ad Mæotium lacum ab ore descendens, sicilis (ut auctor est M. Varro) similitudine. Alii Scythici arcus pro sicilis leg. Festus apud Paul. Diac. p. 337. 1. Müll. Siciles, hastarum spicula lata. Ennius. Incedit veles volgo sicilibu' latis. Alii apud Festum leg. sicilices, in Enn. autem sicilicibu. Sed V. Gell. 10. 25. Hertz.

SICĪLISSO, sicelisso, sicilizo, sicelissito, vel sicilicissito, as, are, n. 1. σικελίζω, Siculos imitor, Siculorum lingua male loquor. Plaut. Men. prol. 12. Non atticissat, verum sicilicissitat. Festus apud Paul. Diac. p. 28. 17. Müll. in voce Atticissat hoc eodem loco Plauti legit sicilissat. V. SICULE. — Ascon. ad Cic. Divin. Verr. 12., loc. Plauti Pers. 3. 1. 66. afferens, docet, Siculos neutra lingua, Græca et Latina, bene usos fuisse. V. Siculi logi in SICULUS in ONOM.

SICĪLUM, i, n. 2. (sicilis) Gloss. Labb. Sicilum, ξυρὸν σκυτέως. h. e. novacula sutoris.

SICĬMA vel sichima, æ, f. 1. Vox ab Hebr. שכם shekem, dorsum, et etiam portio seu tractus terræ elatior.

I.) Proprie. Ambros. de bened. Patriarch. 3. 4. 11. Do tibi sichimam præcipuam super omnes fratres tuos (ex Vulgat. interpr. Ital. Gen. 48. 22., ubi LXX. Interpr. habent σίκιμα et Vercellone in Var. Lect. T. 1. p. 183. sicima).

II.) Translate. Ambros. Ep. 27. n. 16. Ad eam (Ecclesiam) qui venit, sichimam pretiosam illam et actuosam inhabitet virtutum officinam, ubi læsæ castitatis gravis est ultio. — NB. De nom. propr. V. ONOM.

SICIN. V. voc. seq.

SICĬNĔ vel sicine et per apocop. sicin, adverb. Rectius sicine unico c scribi monet Ritter ad Ter. Andr. 1. 5. 1., Orelli ad Cic. 1. Fin. 10. 34, p. 75. et Hand, op. cit. t. 3. p. 83. et seqq. — Sicine est sic ne? ita ne? così? così eh? οὑτωσί; εἶτα; a sic et particula interrogativa ne, syllabicâ ce interjectâ; occurrit autem ¶ 1. In interrogatione et increpatione. Ter. Eun. 4. 7. 34. et Adelph. 1. 2. 48. Sicine agis? Plaut. Merc. 1. 2. 46. Sicine mihi Obsequens es? Id. Pseud. 5. 1. 1. Sicine hoc fit? Propert. 2. 12. 6. Sicine lente jaces? Cic. 1. Fin. 10. 34. Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse, aut in liberos atque in sanguinem suum tam crudeles fuisse etc.? Rursus Plaut. Cist. 1. 1. 15. Cura te amabo: Sicine immunda, obsecro, ibis? Adde Pers. 1. 1. 43. Sil. It. 9. 25. Sicinè, sic, inquit, grates pretiumque rependis, Paule, tui capitis? Ter. Heaut. 4. 3. 13. Fleckeisen. Sicin mihi interloquere? Alii sicine mi. ¶ 2. Aliquando sine increpatione, Propert. 3. 4. 9. Sicine eam incomptis vidisti flere capillis.

SICĬNISTA. V. SICINNISTA.

SICĬNĬUM. V. SINCINIUM.

SICINNISTA, æ, m. 1. σικιννιστής, qui sicinnium saltat. Gell. 20. 2. Quos sicinistas vulgus dicit, qui rectius locuti sunt, sicinnistas littera N gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quæ nunc stantes canunt. Posuit hoc verbum Lucius Accius poeta in Pragmaticis, appellarique sicinnistas ait, nebuloso nomine: credo propterea nebuloso, quod sicinnium cur diceretur, ei obscurum esset. Hæc Gellius. Sicinnista prostat apud Viscont. Mon. Borghes. p. 239. tab. XXXV., qui nempe nudus et altero crure elevato saltat.

SICINNĬUM, ii, n. 2. σίκιννις, ἡ, genus saltationis Satyrorum propriæ. Vet. Scholiast. ad Aristoph. Nub. v. 540. Τρία εἴδη ὀρχήσεως· ἐμμέλεια μὲν τραγική, σίκιννις σατυρική, κόρδαξ κωμική. Harum nempe prior gravis et moderata; altera, in qua Satyri singuli incondite saliebant; tertia, ubi lasciviores fiebant corporis motus. Sunt qui deducunt a σείω, quatio, et κινέω, moveo: alii a quodam Sicinno Cretensi, hujus saltationis inventore. V. Gell. loc. cit. in voce præced. La-

bus in *Mus. Mant. T.* 3. *p.* 127. putat sicinnium esse eam saltationem, quam in orgiis Bacchicis feminæ seminudæ, cum viris itidem saltantibus, exercere conspiciantur in aris quibusdam Baccho dicatis. *V.* SALTATIO.

SĬCĬUM pro Isicium. *V.* INSICIA.

SĬCLUS, i, m. 2. Est alia forma *sicel*, quam *V.* infra. — Vox ab Hebr. שקל *shéqel*, pondus, quod a שלק *shaqal*, ponderavit. — Siclus ¶ 1. Apud Hebræos antiquissimis temporibus, quum mercatores metalla non numerarent, sed penderent, certum pondus designabat: hinc *siclus auri, argenti, ferri* pro certo horum metallorum pondere, in *Vulgat. interpr.* sæpe occurrit. *Id. Amos* 8. 5. imminuamus mensuram, augeamus siclum et supponamus stateras dolosas. Cf. AS. ¶ 2. Fuit dein moneta argentea, quatuor drachmarum Atticarum pondere, seu semunciæ circiter Romanæ et, si redigatur ad rationem nostræ monetæ, valorem habet trium circiter libellarum Italicarum. Apud *Vulgat. interpr.* dicitur etiam simpliciter *argenteus* (*Matth.* 27. 3.), et idem est ac stater Græcorum (*Matth.* 17. 26.): de forma autem et inscriptione videsis *Weitenauer, op. cit.* ad v. *Argenteus. Hieronym.* 1. *in Ezech.* 4. 9. Siclus, id est stater, habet drachmas quatuor: drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt. *Id.* tamen sui oblitus hæc habet *Quæst. Hebr. ad Genes.* 24. 22., et ex eo *Isid.* 16. *Orig.* 25. 18. Sicel, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, unciæ pondus habet. Alii apud *Hieronym. loc. cit.* legere malint *semunciæ* pro *unciæ*: alii nihil mutandum putant, rati nimirum, duplicem fuisse apud Hebræos siclum, sacrum seu sanctuarii, et profanum seu communem; illum autem hoc duplo fuisse majorem. Sed accuratiores critici arbitrantur, siclum sanctuarii, eumdem fuisse ac profanum: vocatum autem sanctuarii, ut pondus justum et exactum indicaretur, ad exemplar scilicet illius, quod ibidem servabatur. — Porro, ut monet cl. *De-Vit*, ante captivitatem non minor fuisse videtur, quum Ezechieli ad vitam misere sustentandam XX. sicli panis in diem concedantur, seu unciæ X. V. *Ezech.* 4. 10. (V. *Cavedoni* in *Lex. Ev. p.* 204.) Rectius autem definivit *siclum* idem *Hieronym.* in *Mich. prophet. c.* XIV. Siclus viginti obolos habet et quarta pars sicli quinque sunt oboli. (*V. Cavedoni* in *Numism. Bibl. p.* 40.) Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 21. 32. et *Num.* 18. 16. — Ceterum de valore veteris pecuniæ et inprimis ponderum multa sunt incerta, maxime, si, ut ait *Ackermann, op. cit.* § 117., consideratur simul diversa metalli puritas, de qua in Scripturis frequentior recurrit mentio. V. *Psalm.* 12. 7. ¶ 3. Est etiam idem ac sicilicus, qui et sicel dicitur. *Rhemn. Fann. de ponder. et mens.* 188. Quarta (*pars unciæ*) siclus vel sicilicus vel denique sicel.

SĬCO. *V.* SECO.

SICTOR. *V.* STRICTOR.

SĬCŬBĪ, adverb. Videtur factum a *si* et *ubi*, inserto *c* ad hiatum vitandum, vel particula demonstrativa *ce*; aut potius a *si* et *alicubi*. — Sicubi est si in aliquo loco, si uspiam, *se in qualche luogo*, εἴπου, εἴ ποθί, εἴ πῃ. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Indicativo. *Ter. Eun.* 3. 1. 13. Tum sicubi eum satietas hominum aut negoti si quando odium ceperat etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 103. Sicubi me nactus eris, sepelito. *Id. Sext.* 51. 110. Sicubi aderit Gellius. *Id.* 15. *Att.* 29. Ad M. Ælium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit. *Liv.* 9. 4. Sicubi est certamen. *Tac. Agric.* 37. Sicubi artiora erant. *Quintil.* 8. 3. 69. Sicubi majus lucrum est, pugna inter victores. — *Sicubi locorum* apud *Apul. de deo Socr.* Sicubi locorum aliena sapientiæ officiis consultatio ingruerat. — *b*) Cum Conjunctivo. *Lucil.* 30. *p.* 118. *Müll.* sicubi ad auris Fama tuam pugnam clarans adlata dicasset. *Virg.* 3. *G.* 332. Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra. Adde *Stat.* 2. *Achill.* 410. *Cæs.* 5. *B. G.* 17. Repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt, sicubi ab signis legionibusque non absisterent. Alii tamen leg. *sic uti.* et *Sall. Jug.* 60. Sicubi audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari. *Sueton. Cal.* 3. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret. ¶ 2. Speciatim pro alibi. *Apul.* 2. *Met.* Pone tergum deæ sacrum insurgit, in speluncæ modum muscis et herbis et foliis et virgultis, et sicubi pampinis et arbusculis alibi de lapide florentibus.

SĪCŬLA *et* sicila, æ, f. 1. *deminut. a* sica, parva sica, *piccola daga, pugnaletto*, ξιφίδιον.

I.) Proprie. *Gloss. Lat. Gr.* Sicila, σμίλα, ἀρβήλιον. *et mox.* Sicila, χαρτοτόμος.

II.) Translate. *Catull.* 67. 21. Languidior tenera cui pendens sicula beta etc. ψωλή, mentula.

SĬCŬLĒ, adverb. Siculorum more aut lingua. *Paul Diac.* ex *Fest. p.* 26. 17. *Müll.* Atticissat, Attice loquitur. Plautus: Non atticissat sed sicilissat: id est Sicule loquitur. *V.* SICILISSO.

SĪCUNDĒ, adverb. Vox composita ex *si* et *unde*, inserta particula *ce*, vel littera *c*, eodem modo quo dictum est in SICUBI init.; aut potius a *si* et *alicunde*. — Sicunde, *se da qualche luogo*, si ex aliquo, εἴ ποθεν. — *a*) Cum Indicativo. *Apul.* 2. *Met.* Et sicunde latratus de proximo ingruerit, eum putabis de faucibus lapideis exire. — *b*) Cum Conjunctivo. *Cic.* 13. *Att.* 30. Sicunde potes, erue, qui decem legati Mummio fuerint. *Liv.* 26. 38. Nec consul Romanus tentandis urbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. *Sueton. Cal.* 51. Non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat. *Id. ibid.* 4. Quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet.

SĪCUT *et* sicuti, adverb. similitudinis et comparationis (sic *et* ut, uti). Etiam *sic ut, sic uti* divisim scribitur; sed de hac re videsis, quæ adnot. *Lachmann.* ad *Lucret.* 2. 536. *p.* 103. *et seq.* — Ad quantitatem quod attinet ultimæ syllabæ in *sicuti*, dicendum, quosdam putasse eam a *Lucil.* licenter correptam; sed *Quicherat* ad *Lucret.* 2. 535. et *Müller* in *loc. Lucil.* leg. *sicut.* V. *Lachmann.* ad *Lucret. ibid. p.* 106. — Sicut est quemadmodum, velut, ut, tamquam, ὡς, ὥσπερ (It. *così come, siccome, come*; Fr. *de même que, comme*; Hisp. *come, asi que*; Germ. *sowie, gleich wie, wie*; Angl. *just as, as, as if*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) Cum addito verbo. *Plaut. Rud.* 4. 2. 23. sic faciam, sicut consilium est. *Id. Aulul.* 2. 4. 15. Nempe sicut dicis. *Id. Capt.* 3. 5. 38. Si ille huc redibit, sicut confido affore. *Id. Cas.* 3. 3. 4. Sicut ego feci stultus. *Id. Trin.* 3. 3. 76. Sicut præcepi. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent, non sicut Avarici fecissent, ne etc. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 9. Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum. *Cic. Parad.* 5. 1. Sapienti etiam Fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poeta dixit: Suis ea cuique fingitur moribus. *Id.* 1. *rep.* 41. 64. Sicut ait Ennius. *Liv.* 23. 8. Valeant preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt. — *Plaut. Rud.* 4. 4. 67. sicuti prius dixi. *Sall. Cat.* 6. Urbem Romam, sicuti ego accepi. Alii *sicut.* et *Cic. Cæl.* 5. 12. Habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa. Adde *eumd. ibid.* 6. 14. et *Lucret.* 3. 816. et 5. 361. — *b*) Omisso verbo. *Plaut. Men. prol.* 74. Sicut familiæ, *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Provinciam suam hanc esse Galliam, sicut illam nostram. Alii leg. *sicuti*, alii *ut.* et *Cic. Amic.* 2. 6. Te esse sapientem, nec sicut vulgus, sed ut etc. *Id.* 1. *ad Brut. ad fin.* Hac de re scripsi ad eum, ut tuo judicio uteretur, sicut in rebus omnibus. *Sall. Jug.* 2. Ingenii facinora, sicuti anima, immortalia sunt. *Cic.* 4. *Acad.* 28. (2. *pr.*) Tibi illud sicut caput et famam tuam, defendere necesse erit. *Horat. Epod.* 11. 1. Petti, nihil me, sicut antea, juvat scribere versiculos. *Liv.* 39. 41. Hunc, sicut omni vita, tum petentem premebat nobilitas. Adde 31. 9., *Sil. It.* 6. 553., *Lucan.* 3. 638. et *Martial.* 2. 483. — *Cæs.* 6. *B. G.* 19. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem. *Cic.* 6. *Fam.* 6. *extr.* Me amicissime Cæsar amplectitur: familiares quidem ejus, sicuti neminem. Adde *Lucil.* apud *Non. p.* 174. 33. *Merc.* et apud *Fest. p.* 206. 27. *Müll* — 2.°) Sequente in altero orationis membro partic. *ita, ita quoque, sic*, vel etiam *item, itidem, quoque.* — *a*) Cum addito verbo. Formula apud *Liv.* 8. 9. Sicut verbis nuncupavi, ita pro republ. Quiritium legiones mecum diis manibus devoveo. *Plaut. Asin.* 1. 1. 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ Superesse vitæ —: ita obtestor etc. *Liv.* 23. 11. Sicut coronatus laurea corona oraculum adiisset, ita etc. *Id.* 21. 13. Si civis vester, sicut ad pacem petendam ad Hannibalem venit, ita pacis condiciones ad vos rettulisset. *Quintil.* 1. 2. *ad fin.* Sicut firmiores in litteris profectus alit æmulatio, ita incipientibus jucundior imitatio. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. Sicuti mari partibusque Cæsarem prohibebat (*Bibulus*), ita ipse omni terra earum regionum prohibebatur. *Id.* 6. *B. G.* 30. Sicut magno accidit casu —, sic magnæ fuit fortunæ. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Num dubitamus, an, sicut pleraque, sic et hoc? *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 133. Sicuti merci pretium statui —, Itidem divos dispertisse vitam humanam æquum fuit. — *b*) Omisso verbo. *Quintil.* 3. 1. 20. Præcipuum lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque ejus, dedit M. Tullius. *Id.* 12. 1. 13. Nam sicut in vita, ita in causis quoque spes improbas habent. *Liv.* 28. 28. Illi, sicut Campani Capuam, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 118. Nullæ lites sunt, quæ cogant homines, sicut in foro bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. — 3.°) Absolute aliquando initio comparationis. *Virg.* 8. *Æn.* 22. Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis, Sole repercussum aut radiantis imagine lunæ, Omnia pervolitat late loca. Similiter *Ariostus*: «Qual d'acqua chiara tremolante lume Dal sol percossa o da notturni rai Per gli ampi tetti va con lungo salto A destra ed a sinistra, or basso or alto» (*Orl. Fur.* VIII.). *Lucil.* apud *Fest.* in *Petauristas p.* 206. 27. *Müll.* Sicut mechanici quum alto exsiluere petauro. ¶ 2. Speciatim ponitur pro tamquam si, quasi, *come se*. *Sall. Cat.* 39. Honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. *Id. ibid.* 28. Ea nocte paullo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem. *Id. ibid.* 31. Sicuti jurgio lacessitus foret. Adde *ibid.* 60. *Lyco* apud *Rutil. de fig. sent.* 2. 7. Lacessit, sicut in prœlio hostium quam plurimos superarat. *h. e.* perinde ac si. ut corrigit *R. Steph.*, sed perperam. ¶ 3. Pro ut. *Pallad.* 5. *R. R.* 2. Deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus. Ital. *secondo che, di mano in mano che*; Fr. *à mesure que.* ¶ 4. Pro quoniam. *Plaut. Epid.* 2. 2. 87. Nunc occasio et faciundi priusquam in urbem advenerit, Sicut cras hic aderit, hodie non venerit. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 27. Quin tu illam jube abs te abire, quo lubet, sicut soror Ejus huc venit Ephesum et mater, arcessuntque eam. ¶ 5. Pro quamquam, sequente *ita* pro tamen, quo sensu *ut* - *ita* dici tritissimum est. *Tac. Agric.* 44. Nam sicuti durare in hanc beatissimi sæculi lucem - ominabatur; ita festinatæ mortis grande solatium tulit evasisse etc. Cf. *eumd. dialog. de Orat.* 37. et *Liv.* 21. 35. et 39. ¶ 6. Inservit similitudini. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Ab ejus summo, sicut palmæ, rami diffunduntur. *a somiglianza di. Cic.* 2. *Invent.* 3. 8. Ex his duabus diversis, sicut familiis, unumquodque est conflatum genus. *Id.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Me, sicut alterum parentem, et observat et diligit. *Id.* 1. *Orat.* 29. 132. Qui, sicut unus paterfamilias, his de rebus loquor. *Id.* 1. *Tusc.* 10. 20. Natura rationem in capite, sicut in arca, posuit. *Sall. Cat.* 2. Multi mortales vitam, sicut peregrinantes, transegere. *Ovid. Heroid.* 10. 137. Aspice demissos lugentis in ore capillos, Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves. ¶ — Item exemplo afferendo. *Ennius* apud *Gell.* 3. 14. Sicuti si qui ferat vas vini. Adde *Lucil.* apud *Non. p.* 154. 27. *Merc. Cic. Planc.* 35. 86. Consules post hominum memoriam tæterrimi atque turpissimi, sicut et illa principia et hi recentes re-

rum exitus declararunt, a bonis omnibus defecerant. *Id.* 1. *Orat.* 56. 238. Quibus in causis omnibus, sicut in ipsa M.' Curii, quæ abs te nuper est dicta. *Nepos Datam.* 9. Sicut, quum nunciatum esset quosdam sibi insidiari. *Id. Pelop.* 4. Omnibus præterea periculis, sicut, quum Spartam oppugnavit, alterum tenuit cornu. *Quintil.* 9. 3. 89. Hæc omnia copiosius sunt exsecuti, qui proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius etc. Adde *eumd.* 7. 2. 17. et *Sueton. Aug.* 56. ¶ 8. Item confirmando, sequente plerumque *sum*, aut aliis aliquando verbis. *Cic. Rosc.* 8. *Am.* 22. Huc accedit, quod, quamvis ille felix sit, sicut est, tamen etc. *com' è di fatto, com' è veramente.* et 1. *Legg.* 5. 17. Sit illa res magna, sicut est. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 15. *Cic.* 7. *Fam.* 32. *a med.* Illa quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt. *Ovid.* 12. *Met.* 205. poteratque viri vox illa videri, Sicuti erat. *Liv.* 45. 7. Secundam eam Paulus, sicut erat, victoriam ratus. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 230. Quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, pestiferi cives tamen. — Et cum addito *revera*. *Nepos Epam.* 1. Apud nos, revera sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur. — Cum aliis verbis. *Cæs.* 5. *B. G.* 58 Quod fere, sicut accidit, videbat. *Cic.* 3. *Off* 33. 117. Quamvis multis locis dicat Epicurus sicut dicit, satis fortiter de dolore; tamen etc Adde 3. *Fam.* 10. *Liv.* 25. 24. Terrendi magis hostes erant, quam fallendi, sicut territi sunt. ¶ 9. *Sicut eram, as, at,* ὥσπερ εἶχον, ες, ε, in re subita: et ad exprimendum rei statum et condicionem præsentem. *Ovid.* 5. *Met.* 601. Sicut eram, fugio sine vestibus. *et* 3. *ibid.* 178. Sicut erant, viso nudæ sua pectora Nymphæ Percussere viro. *Stat.* 7. *Theb.* 819. non arma manu, non frena remisit: Sicut erat, rectos defert in Tartara currus. Adde 3. *ibid.* 680. et *Lucan.* 2. 365. *Nepos Pelop.* 3. Quæ (*epistola*) quum jam accubanti in convivio esset data, sicut erat obsignata, sub pulvinum subjiciens etc. *Curt.* 8. 3. 10. Sicuti erat cruenta veste, in Macedonum castra pervenit. *Id.* 10. 4. 2. Sicut vincti erant, mergi in amnem. *Justin.* 14. 4. 1. Sicut erat catenatus, manum ostendit. *Sueton. Cal.* 45. Sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Similiter *Claud.* 9. Præcipitatum in flumen, sicut vestitus advenerat.

SĪCŪTI. *V.* in voc. præced.

SĪCŪTOR pro Secutor. *V.* SECUTOR et SICARIUS.

SĪCȲŌNĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĪCȲŌNĬUS, a, um, adject. (sicyos) ¶ 1. Est idem qui cucumeracius, ut Sicyonium oleum, ex cucumeribus expressum. *Theod. Priscian.* 2. 3. *de lethargicis.* Et si adhuc in veterem capitis depressionem non deponant, etiam sinapismus adhibendus est unguentaque ex castoreo et oleo sicyonio. *V.* CUCUMERACIUS. ¶ 2. Est etiam ad Sicyonem urbem Achaiæ pertinens, de qua *V.* ONOM. Ejus incolæ molles et munditiei nimii amatores aliquando fuerunt, præsertim in calceis. Hinc *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. Si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles. — Hinc

Sicyonia, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt hujusmodi calcei. *Lucil.* apud *Paul. Diac. ex Fest.* p. 337. 6. *Müll.* pedibus Sicyonia demit honesta. *Lucret.* 4. 1118. et pulcra in pedibus Sicyonia rident. Adde *Virg. Cir.* 169.

SĪCȲOS, ĭi, m. 2. σίκυος, cucumis. Hinc *Sicyos agrios,* cucumis silvestris, nomen fruticis, apud *Apul. Herb.* 113.

SĪDE, es, f. 1. σίδη, genus aquaticæ arboris, in *Inscript.* apud *Henzen. n.* 74-0. e *a.*, qui perperam censet esse nomen proprium ignotæ alicujus urbis vel pagi. (Cf. *H. Steph. Thes. L. G.* ad *h. v.* ed. *Didot.*) Est tamen et Sida vel Side urbs et insula, de qua *V.* ONOM.

SIDENS, entis, particip. *V.* SIDO.

SĪDĔRĀLIS, e, adject. (sidus) ad sidera pertinens, ἀστερικός. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). Poscere videtur locus ipse sideralis scientiæ sententiam. *Auson.* 22. 2. *Schenkl.* Sideralis inscitia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 56. (206). Sideralis difficultas. *h. e.* quæ circa siderum cognitionem est. *Sueton. fragm.* apud *Reiffersch.* p. 156. Siderales dies (dicti), in quibus sidera moventur, et homines a navigationibus excluduntur. Cf. *Isid. de rer. nat.* 1. 14. *Hygin. fab.* 14. *in fin.* Sideralis circulus.

SĪDĔRĀTĬCĬUS vel

SĪDĔRĀTĬTĬUS, a, um, adject. (sidus) sideratus, ut Sideraticia jumenta, *Veget.* 3. *Veterin.* 35.

SĪDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (sidero) siderum afflatio seu influxus vel efficacia; speciatim vero constitutio siderum, constellatio, sidus natalicium, horoscopus, θέμα.

I.) Proprie. *Firmic.* 6. *Mathes.* 31. Hæc sideratio miserum oculis onus cæcitatis imponit. *Id.* 4. *ibid.* 13. *extr.* Hæc tamen omnia, licet a malo signata fuerint, talis siderationis influxu, benevolarum stellarum ut plurimum testimoniis minuuntur.

II.) Translate. ¶ 1. *Sideratio* vocatur morbus plantarum, quum siccitate Caniculæ vel Cancri exarescunt atque emoriuntur insitæ ac novellæ arbores, præcipue vites ac ficus. A Græcis vocatur ἀστροβολία vel ἀστροβολισμός, sideris percussio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (218). Sideratio tota e cælo constat. quapropter et grando in his causis intelligi debet et carbunculatio et quod pruinarum injuria evenit. *et mox.* Proprium tamen siderationis est ab ortu Canis siccitatum vapor, quum insitæ ac novellæ arbores moriuntur, præcipuæ ficus et vites. ¶ 2. Item accommodatur animalibus, quæ membro aliquo aut corpore universo exarescunt: unde et *siderata* appellantur. Aliqui dicunt, hunc morbum e cælo vi quadam sideris provenire existimari, quod repentino quodam impetu evenit. *V.* SIDUS. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Antidotos hiera facit ut ad tremulos et ad sideratione tentatos utralibet, una enim cum contractione, altera cum remissione nervorum conspiciuntur. — Unde liquet, cur *Martialis* sideratam optet linguam Baccharæ, qui, siquid peteretur, haud intelligere se simulabat. Locus est 7. 92. Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus, Dicere ne possis, Bacchara, quid sit opus. Sic 11. 85. Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.

SĪDĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* SIDERO.

SĪDĔRĔUS, a, um, adject. (sidus) ad sidera pertinens, stellatus, stellans, cælestis, ἀστρῷος, ἀστερόεις (It. *stellato, stellante, celeste;* Fr. *étoilé;* Hisp. *estrellado;* Germ. *zum Gestirn gehörig;* Angl. *of or like stars, starry, glittering, sidereal*).

I.) Proprie. *Ovid.* 10. *Met.* 140. Sidereum cælum. *Id.* 15. *ibid.* 665. ignes. *h. e.* astra. *Id.* 3. *Amor.* 10. 21. arx. *h. e.* cælum. Sic 2. *Art. am.* 39. (et *Virg.* 10. *Æn.* 3.) sedes. *Id.* 4. *Met.* 169. lux. *et* 6. *ibid.* 341. æstus. *h. e.* calor solis. *Id.* 4. *Fast.* 941. canis. *Id.* 15. *Met.* 31. Et caput extulerat densissima sidereum nox. *Id.* 11. *ibid.* 445. Sidereus conjux. *h. e.* Ceyx Luciferi filius. *Propert.* 3. 19. 10. dea. *h. e.* luna. *Martial.* 12. 60. deus. *h. e.* sol. *Id. Spect.* 2. colossus. *h. e.* solem referens et soli dicatus. *Val. Flacc.* 4. 643. polus. *Ammian.* 20. 3. 12. corpora.

II.) Translate. ¶ 1. Est divinus. *Valer. Flacc.* 7. 166. Sidereus sanguis. *h. e.* genus cæleste, deorum filius. *Colum.* 10. *R. R.* 292. Nec tam sidereo fulget Thaumantias arcu. *Id. ibid.* 434. Siderei vatis referens præcepta Maronis. *h. e.* divini, seu insignis, excellentis. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 252. Salve sideræ proles Augusta Serenæ. *Id. Cons. Mall. Theod.* 265. Stilicho dum prospicit orbi, Sidereusque gener. *h. e.* divinus Honorius. ¶ 2. Item splendens, splendidus, pulcher, diis dignus. *Virg.* 12. *Æn.* 167. Æneas Sidereo flagrans clipeo et cælestibus armis. *h. e.* splendenti. *Valer. Flacc.* 2. 104. Venus sidereos diffusa sinus. *h. e.* pulcros, cælestes. Sic *Stat.* 1. *Silv.* 2. 141. Siderei artus (*Veneris*). *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 330. Sidereæ aves Junonis. *h. e.* pavones cauda gemmata et quasi stellis distincta. *Id.* 1. *ibid.* 351. stat cassis utrique Sidereis hirsuta jubis. *h. e.* splendentibus instar sideris. *Val. Flacc.* 8. 122. *de aureo vellere Phrixi.* villisque comantem Sidereis pellem. *h. e.* pretiosis, pulcherrimis. *Id.* 4. 490. sidereo Pollux interritus ore. *et ibid.* 330. tenues ire cruores Siderea de fronte vident. *et* 8. *ibid.* 26. Tum quoque siderea clarus procul ore juventa. *et Seneca Œdip.* 409. Bacchi sidereus vultus. *Martial.* 10. 66. Si tam sidereos manet exitus iste ministros. *h. e.* tam formosos. Sic 9. 37. Siderei mares. *h. e.* pueri pocillatores Domitiani. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 41. Sidereique orbes, radiataque lumina cælo. *h. e.* oculi sidera referentes. *Claudian. Laud. Seren.* 219. Sidereæ ulnæ. ¶ 3. Est etiam qui ad cælestia et divina refertur. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 6. Iliacusque Macer, sidereusque Pedo. *h. e.* qui de cælo et sideribus scripsit, sicut Macer de rebus Iliacis. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 112. sidereas exercet Pollius artes. *h. e.* studia rerum divinarum et cælestium.

SĪDĔRĬON, *Græca positione,* ĭi, n. 2. σιδήριον, genus herbæ sic dictæ, quod omnia vulnera ferro illata sanat; nam σίδηρος ferrum significat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 15. (34). Heraclion siderion et ipsum ab Hercule inventum est, caule tenui digitorum quatuor altitudine, flore puniceo, foliis coriandri. Juxta lacus et amnes invenitur omniaque vulnera ferro illata efficacissime sanat Adde 26. *ibid.* 14. 87. (140).

SĪDĔRĪTES, æ, m. 1. σιδηρίτης. ¶ 1. Est lapis magnes: a σίδηρος, ferrum, quia ferrum trahit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (127). *de magnete.* Sideriten ob hoc alio nomine appellant quidam Heracleon. Alii leg. *sideritim* a *sideritis* V. hanc voc. ¶ 2. Gemma item est ex genere adamantium, ferrei splendoris, pondere ante ceteros, sed natura dissimilis: nam et ictibus frangitur et alio adamante perforari potest, quod et Cyprio evenit etc. *Plin.* 37. *ibid.* 4. 15. (68).

SĪDĔRĪTESIS, is, f. 3. herba eadem ac heliotropion. *Apul. Herb.* 49. Alii leg. *sideritis.*

SĪDĔRĪTIS, is *et* ĭdis, f. 3. σιδηρῖτις ¶ 1. Est herba, cujus multa genera affert *Plin.*, et multæ virtutis in vulneribus, quæ ferro sunt illata, curandis. *Plin.* idem 25. *Hist. nat.* 5. 19. (42). Invenit et Achilles discipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. — Aliqui et hanc panacem Heracleam, alii sideritim et apud nos millefolium vocant. *et alibi passim.* ¶ 2. Item *sideritis* appellata est helxine. *Plin.* 22. *ibid.* 17. 19. (41). Helxinen aliqui perdicium, quoniam perdices ea præcipue vescantur, alii sideritim, nonnulli parthenium. Adde *Apul. Herb.* 81. ¶ 3. *Sideritis* dicta est etiam aliquando hierabotane. *Id. ibid.* 3. ¶ 4. Item chamæpitys. *Id. ibid.* 28. ¶ 5. Item heliotropion. *Id. ibid.* 49., ubi alii leg. *sideritesis.* V. hanc voc. ¶ 6. Item herba vetonica. *Id. ibid.* 1. ¶ 7. Item gemma ferro similis, quæ litigio illata discordias facit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). *V.* SIDEROPŒCILOS. ¶ 8. Item gemma oritis globosa specie. *Id. ibid.* 1. 65. (176.).

SĪDĔRIZŪSA Aqua est, quæ ferro mixta continet, quos Italice dicimus, *sali di ferro:* a σιδηρίζω, ferro immisceo, unde particip. m. σιδηρίζων et f. σιδηρίζουσα, *aqua ferruginosa. Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. *sub init.* Aquæ ferrugineæ, quas siderizusas appellant. *V.* STYPTERIAZUSA.

SĪDĔRŎPŒCĬLOS, i, f. 2. σιδηροποίκιλος, gemma ferrei coloris et guttis variantibus: a σίδηρος, ferrum, et ποίκιλος, varius. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). Sideritis ferro similis est, litigio inlata discordias facit, quæque nascitur in Æthiopia sideropœcilos ex ea fit variantibus guttis.

SĪDĔRO, as, ātum, are, a. 1. (sidus) Part. *Sideratus.* — Sidero est sidere afflare, arefacere, *assiderare.* Passive usurpatur et quidem speciatim de morbo, qui ob id sideratio dicitur, ἀστροβολίζω, σφακελίζω. *V.* SIDERATIO. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 25. (58). Fluviatilium silurus Ca-

niculæ exortu sideratur, et alias semper fulgure sopitur. Hinc Part. *sideratus*, qui est sideratio-nis morbo affectus, qui sidere vexatur et læditur. *Id.* 28. *ibid.* 16. 63. (58). Sideratis urina pulli asinini nardo admixto perunctione prodesse dicitur. *Veget.* 2. *Veterin.* 39. Jumentum si fuerit sideratum, his agnoscitur signis etc. *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 104. *retro.* Siderata lingua.

SĪDO, sīdis, sīdi, (sēdi, sessum) sīdere, n. 3. — 1.°) Ad formam quod attinet. — *a*) Præteritum hujus verbi esse *sidi* negat *Priscian.* 10. *p.* 889. *Putsch.*; mox vero *p.* 893. videtur admittere, sed hæc habet: Sido præterea *sidi* facit: cujus præteritum in usu non est, dubitationis vel alternitatis causa; debuit enim *sisi* esse. Sed utimur præterito *sedeo* verbi, id est *sedi*, pro supradicti quoque verbi præterito. Ita *Priscian.* Potius dixerim, formas *sidi* et *sedi* a librariis esse permutatas, ita ut statui nequeat germana, si tamen ulla fuit, hujus temporis forma. *V.* CONSIDO. — *b*) Passivum *sidor, ĕris* adhiberi posse monet *Priscian. loc. cit.*, nullo certo auctoris allato exemplo; nam, quod affert ex *Lucan.* 3. 674., nihil probat. — 2.°) Quod ad etymon, eadem dicenda sunt, quæ in SEDEO exposuimus; utriusque enim vocis eadem est origo ac prope significatio. — Part. *Sidens* I. 1. 1.° et 2.° et II. — Sido est ad sedendum me demitto, deorsum feror, descendo et sisto, subsisto, consido, καθιζάνω (It. *mettersi a sedere, posare, calare*; Fr. *s'asseoir, se percher, se poser*; Hisp. *tomar asiento, sentarse, posarse*; Germ. *sich setzen, – niederlassen*; Angl. *to light or perch like a bird, settle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De animalibus est ad sedendum me demitto, consido. — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Met.* 307. Quæsitisque diu terris, ubi sidere detur, In mare lassatis volucris vaga decidit alis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (177). *de canib.* Existimantur in urina attollere crus fere semestres: id est signum consummati roboris. feminæ hoc idem sidentes. — *b*) Cum Ablat. et præp. *super. Virg.* 6. *Æn.* 202. *de columbis.* liquidumque per aera lapsæ, Sedibus optatis gemina super arbore sidunt. — 2.°) De rebus inanimis. — *a*) Est descendo et sisto, deorsum feror, subsido, vel etiam jaceo, immotus hæreo. — *α*) Absolute. *Lucret.* 5. 490. Sidebant campi. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (82). Mare certis canalibus ita profundum, ut nullæ ancoræ sidant, *h. e.* ad fundum perveniant et in eo hæreant. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (47). Secures in quocumque genere arborum deprehendunt marem: quippe respuuntur et fragosius sidunt, ægrius evelluntur. *h. e.* intrant atque hærent in ligno. — *β*) Cum Ablat. et præp. *in. Id.* 18. *ibid.* 35. 83. (357). Nebulæ in vallibus sidentes. *Propert.* 4. 3. 31. Tum queror, in toto non sidere pallia lecto. *h. e.* jacere, sed excuti ex jactatione et insomnia. Sic *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 2. neque in lecto pallia nostra sedent. — *b*) Universim *sidunt*, quæ non innatant. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (106). Rosæ folia tusa, in linteolo in mustum collata cum ponduscuIo, ut sidat. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (132). *de balsamo.* Arescit in manu inversa et in aqua sidit. *et mox.* In tepida aqua gutta sidens ad ima vasa. *Id.* 16. *ibid.* 38. 73. (186). Lignum in longitudinem fluctuatur: et quæ pars fuit ab radice, validius sidit. *Colum.* 12. *R. R.* 24. Deinde patiemur picem considere, et quum siderit, aquam eliquabimus. *Est qui leg.* sederit. — *c*) Item quæ decrescunt. *Lucan.* 7. 791. sidentes in tabem spectant acervos. *h. e.* acervos cadaverum paullatim decrescentes, putrefactis carnibus. Sic *Stat.* 5. *Silv.* 3. 199. Vix requies flammæ: nec dum rogus ille deorum Siderat. *h. e.* consumptis lignis, ruerat. *Propert.* 3. 7. 37. Non flebo in cineres arcem sidisse paternos Cadmi. — Simile est illud *Virg.* 2. *Æn.* 625. visum est considere in ignes Ilium. ¶ 2. Speciatim *sidere* de navibus dicitur, quum brevi vado deprehensæ, carina in arenam impingunt, ex quo fit, ut sæpe quassentur, vel quum gravi ictu percussæ, soluta compage panduntur et merguntur. *Tac.* 2. *Ann.* 6. Quædam naves planæ carinis, ut sine noxa siderent. *et* 1. *ibid.* 70. Quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret. *Nepos Chabr.* 4. Navis rostro percussa cœpit sidere. *andare a fondo.* et *Propert.* 2. 11. 31. navis mediis sidat onusta vadis. *Liv.* 26. 45. Ut ei nunciatum est, æstum decedere, quod per piscatores nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent, vadis pervagatos stagnum compertum habebat. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 70. et *Quintil.* 12. 10. 37.

II.) Translate. *Seneca Const. Sap.* 2. Adversus vitia civitatis degenerantis et pessum sua mole sidentis, stetit solus, et cadentem rempublicam retinuit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (78). Sidentia imperii fundamenta. *Tac.* 2. *Hist.* 15. Trepidatum apud naves: donec sidentem paullatim metu etc.

NB. Loca etiam afferri possint, ubi *sedi* et *sessum* occurrant cum significatione v. *sido*, ut *Virg.* 6. *Æn.* 192., *Phædr.* 3. 5. etc., sed de his *V.* SEDEO.

Homonym. Discrimen inter v. *sedeo* et *sido* recentiores philologi in eo statuunt, quod hoc significet motum ad locum inferiorem, illud vero statum exprimat in loco, ita ut *sedeo* sit Italice *sedere, star seduto*; at *sido* sit *mettersi a sedere*. Ceterum hoc discrimen non est perpetuum. *V.* etiam, quæ de horum verborum permutatione initio diximus.

SĪDUS, ĕris, n. 3. Vox est certe Latina: quare non per *y*, sed per *i* scribi debet. Ita enim, testibus *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.*, habent libri veteres et eruditorum consuetudo. — Etymon esse videtur ab εἶδος, species, sibilante littera initio addita loco aspirationis; quamquam *Varro* 7. *L. L.* 14. ab *insidendo*, et *Capell.* 8. *p.* 275. et *Isid.* 3. *Orig.* 71. 4. a *considerando* ducunt. Recentiores etymologi cum Skr. *svid*, quod a candoris significatione non distat, et cum σίδηρος conjungunt. — Sidus est signum cæleste ex pluribus stellis compositum, ut sunt duodecim illa, quibus constat Zodiacus, Canis, Ursa, Andromeda, Lepus et plurima alia, quæ ab *Hygino l.* 2. *et* 3. *Astron.*, a *Manil.* et *Firmic.* in *Astron.* recensentur: ἄστρον (It. *costellazione, segno celeste, astro*; Fr. *groupe d'étoiles, constellation, astre*; Hisp. *constelacion, astro*; Germ. *d. Sternbild, Sterngruppe, Gestirn*; Angl. *a constellation, sign in the heavens consisting of many stars, cluster of fixed stars*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Stricto sensu. *Cic. Somn. Scip.* 3. Hominibus animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis. *Macrob.* in hunc loc. 1. *Somn. Scip.* 14. *a med.* Neque enim hic res una gemina appellatione monstratur, ut ensis et gladius; sed sunt stellæ quidem singulares, ut erraticæ quinque et ceteræ, quæ non admixtæ aliis, solæ feruntur: sidera vero, quæ in aliquod signum stellarum plurium compositione formantur, ut Aries, Taurus, Andromeda, Perseus vel Corona. Sic apud Græcos aster et astron diversa significant: et aster stella una est; astron, signum stellis coactum, quod nos sidus vocamus. Hæc *Macrobius*, cujus quidem oratio de re ipsa vera est: sed non item interpretatio verborum *Ciceronis*, qui duabus his vocibus unam eamdemque rem significavit, ut locum integrum legenti planum fiet. Sunt tamen alii, qui *sidus* eo sensu usurparunt. *Val. Flacc.* 4. 92. Sol auricomus, cingentibus Horis, Multifidum jubar, et bisseno sidere textam Loricam induitur. *et* 3. 731. nox sidera sustulit astris. Alii aliter leg. *Manil.* 1. 464. formas distinguere tantum Contenta, et stellis ostendere sidera certis. *Ovid.* 5. *Fast.* 345. Baccho placuisse coronam, Ex Ariadnæo sidere nosse potes. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (311). *de Arcturo.* Signum orientis ejus sideris servetur hirundinum abitus. — *b*) Latiore sensu et frequentissime pro stella usurpatur, *stella, astro*, ἀστήρ. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 69. Quum sidera viderit innumerabilia cælo inhærentia cum ejus ipsius motu congruere, certis infixa sedibus. *Horat. Epod.* 17. 5. Refixa cælo devocare sidera. *Id. ibid.* 41. Perambulabis astra sidus aureum. *Tibull.* 2. 1. 87. Jam Nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro. *Ovid.* 4. *Met.* 315. radiantia nocte micabant Sidera. *Juvenal.* 8. 149. Nocte quidem: sed luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos. — *c*) Item de planetis. *Ovid.* 14. *Met.* 172. Quod loquor et spiro, cælumque et sidera solis Respicio, ille dedit. *Tibull.* 2. 1. 47. calidi cum sideris æstu Deponit flavas annua terra comas. *Justin.* 13. 7. *extr.* Solstitialis ortus sideris primus (*Aristæus*) invenit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (32). et *Juvenal.* 6. 168. Summum Saturni sidus. *Lucan.* 1. 661. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (36). Veneris ingens, alterno meatu vagum, æmulum solis et lunæ sidus. *Seneca Med.* 750. Sidus noctium. *h. e.* luna: quam *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (41). vocat novissimum sidus et terris familiarissimum. *Quintil.* 2. 16. 6. Solem lunamque præcipua siderum. *Ammian.* 20. 3. 3. Utriusque sideris conversiones et motus. *Curt.* 6. 4. 16. *de luna plena.* Nondum totum orbem sidere implente. — Et de cometis. *Ammian.* 30. 5. 16. Crinita sidera cometarum. Cf. 25. 10. 2. — Siderum apposita, præsertim apud Poetas, sunt: alta, *Virg.* 3. *Æn.* 619. aurea, 1. *ibid.* 496. candida, *Lucret.* 5. 1209. lucida, *Horat.* 1. *Od.* 3. 2. certa, 2. *ibid.* 16. 3. micantia, *Catull.* 64. 206. palantia, *Lucret.* 2. 1030. publica, *Ovid. Heroid.* 18. 150. radiantia, 7. *Met.* 325. sparsa, *Seneca Hippol.* 961. surgentia, *Virg.* 6. *Æn.* 850. sublimia, *Seneca Herc. Fur.* 7. vaga, et *Octav.* 1. volantia, *Virg.* 5. *Æn.* 528. — Et in sing. num. *Horat. Epod.* 1. 27. Sidus fervidum. *Tibull.* 2. 1. 47. calidum. *Ovid.* 5. *Met.* 281. grave. *Virg.* 11. *Æn.* 260. triste. *Val. Flacc.* 8. 58. lugubre. *Id.* 6. 606. letale. *Claudian. epith. Pall.* 120. clemens. *Virg.* 4. *Æn.* 309. hibernum. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 25. brumale. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 95. nivosum. *Ammian.* 15. 10. 2. occidentale. *Id.* 27. 4. 5. cornutum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 24. (87). ingens et clarum. — *Sidera* et *cœlum* sæpe conjungunt Poetæ. *Virg.* 1. *Æn.* 259. sidera cæli. *Id.* 2. *G.* 477. cælique vias et sidera. Adde 1. *ibid.* 335. *Ovid.* 2. *Met.* 487. manus ad cælum et sidera tollit. Adde 14. *ibid.* 172. ¶ 2. *Sidera decidua.* V. DECIDUUS. ¶ 3. *Sidus utrumque* est sol oriens et occidens. *Petron. Sat.* 119. Orbem jam totum victor Romanus habebat, Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). A columna Mænia ad carcerem inclinato sidere supremam (*horam*) pronunciabat. *Forcellinus* interpr.: solis umbra. — Creduntur sidera, apud Mathematicos et Mythologos, præesse nativitati hominum, eorumque vitam moderari in utramque partem: et *natale sidus* dicitur, sub quo quisque nascitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Quum ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant et notent sidera natalicia Chaldæi, quæcumque lunæ juncta videantur. *Juvenal.* 7. 194. distat enim, quæ Sidera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus. *Id.* 16. 3. Me pavidum excipiat tironem porta secundo Sidere. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 63. o sidere dextro Edite! multa tibi divum indulgentia favit. *Propert.* 1. 6. 26. Vivere me duro sidere certus eris. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 45. O duram Lachesin! quæ tam grave sidus habenti Fila dedit vitæ non breviora meæ! *Id. Ib.* 217. Te fera, nec quidquam placidum spondentia, Martis Sidera presserunt, falciferique senis. *Stat.* 2. *Theb.* 158. geminæ mihi namque nepotum Læta fides, æquo pubescunt sidere natæ. *h. e.* ætate pares. Hinc *Inscript.* in *Bollett. dell' Istit. archeol. n.* 1872. *p.* 30. SIDERA NON TIMEO HIC (*in sepulcro*) NEC NIMBOS NEC MARE SAEVOM. — Antiqui sidera deos fecere. *Seneca Herc. Fur.* 12. Ferro minaci terret Orion deos. *h. e.* Pleiades. *et ibid.* 584. Tu non ante tuam respice conjugem, Quam quum clara deos obtulerit dies. *Id. Thyest.* 842. *de Chao.* Ibit in unum congesta sinum turba deorum. Adde *ibid.* 893. et *Capell.* 1. *p.* 23. Adde *Lucil. Ætn.* 34. et *Calpurn.* 10. *Eleg.* 21. Huc pertinent loca *Vulgat. interpr. Am.* 5. 26. et *Act.* 7. 43. — Symbolum æternitatis et vitæ beatæ sidera olim erant; idcirco in antiquis monumentis eorum imago poneba-

tur. V. *Cavedoni, Museo del Catajo, p.* 89. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 640.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen *sidus* significat cælum. *Ovid.* 1. *Met.* 180. *de Jove.* concussit terque quaterque Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera movit. *Juvenal.* 16. 63. *de Ænea et Hercule.* Alter aquis, alter flammis ad sidera missus. ¶ 2. Hinc *sidera tangere,* magnum esse, felicem et diis parem, *toccare il cielo col dito. Ovid.* 7. *Met.* 61. Et diis cara ferar, et vertice sidera tangam. *Propert.* 1. 8. 43. Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis. Sic *Horat.* 1. *Od.* 1. 35. Quod si me Lyricis vatibus inseris, Sublimi feriam sidera vertice. ¶ 3. Et *ferre ad sidera,* impense laudare. *Virg.* 9. *Ecl.* 29. tuum nomen Cantantes sublime ferent ad sidera cycni. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 42. Et solet illa meas ad sidera ferre camenas. ¶ 4. *Ad sidera,* hyperbole de ingenti altitudine, *sino al cielo. Propert.* 3. 1. 57. Pyramidum sumptus ad sidera ducti. *Martial.* 9. 62. Sic viret, et ramis sidera celsa petit. Cf. 8. 36. Hæc, Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsat, Par domus est cælo. ¶ 5. Metonymice designant *sidera* tempus nocturnum, tunc enim conspicua sunt. *Stat.* 8. *Theb.* 219. vario producunt sidera ludo Ante domos, intraque. *Propert.* 1. 3. 38. Languidus exactis, hei mihi, sideribus. *Juvenal.* 5. 22. Sideribus dubiis. *h. e.* summo mane, quum aurora incipiente incipiunt stellæ evanescere. ¶ 6. Item certum anni tempus. *Virg.* 1. *G.* 1. quo sidere terras Vertere conveniat. *Id.* 4. *Æn.* 309. hiberno moliris sidere classem. *Ammian.* 22. 13. *a med.* Sidere etiam tum instante brumali. *Tac.* 1. *Ann.* 70. Sidere æquinoctii maxime tumescit oceanus. ¶ 7. Item dies. *Val. Flacc.* 5. 197. Tot freta, tot dare properantia sidera passum. ¶ 8. Item cæli temperamentum, *clima. Plin. Paneg.* 15. Et diversam aquarum cælique temperiem, ut patrios fontes patriumque sidus, ferre consuevisti. *Juvenal.* 12. 103. Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis Bellua (*elephantus*) concipitur. ¶ 9. Item varias cæli tempestates et influxum, qui ab sideribus in terras demitti putatur: et fere de malo dicitur. *Ovid.* 4. *Met.* 424. Ætherioque recens exarsit sidere limus. *h. e.* calore. *et* 5. *ibid.* 281. Ne dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem (Imber erat) vitare meo. *h. e.* ventum, procellam. *Virg.* 12. *Æn.* 451. Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium. Ubi *Servius:* Vel immensa vel magna tempestate; per sidus enim tempestas significatur, ut (11. *Æn.* 259.) scit triste Minervæ Sidus. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 423. orba magistro Fertur in abruptum casu, non sidere puppis. ¶ 10. Hinc dicitur de quodam morbi genere, quod ex influxu mali sideris nasci creditur, ut in SIDERATIO dictum est. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (108). Afflantur alii sidere, alii commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente. *Petron. Sat.* 2. Animosque juvenum ad magna surgentes, veluti pestilenti quodam sidere afflavit. *Martial.* 11. 85. Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua. *Id.* 7. 92. Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus. ¶ 11. *Sidus confectum* dicitur, quum ea tempestas, quam sidus inferre putatur, peracta est. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (207). Alias citius, alias tardius cæli effectu ad terram deciduo: vulgo, serenitate reddita, confectum sidus audimus. *Id.* 16. *ibid.* 23. 36. (87). Circumaguntur folia ulmi, tiliæ oleæque per solstitium: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum. ¶ 12. Figurate dicitur de iis, quæ decore et pulcritudine excellunt. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 2. O sidus Fabiæ, Maxime, gentis ades. *h. e.* decus, lux, ornamentum. et 4. *ibid.* 6. 9. Fabiæ lux, Maxime, gentis. *Colum.* 10. *R. R.* 96. Pangite nunc varios, terrestria sidera, flores. — De splendore formæ et pulcritudine. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 26. Hic puerum egregiæ præclarum sidere formæ Conspicit. *Val. Flacc.* 5. 467. nebulamque erumpit Iason, Sideris ora ferens. *Horat.* 3. *Od.* 9. 21. Quamquam sidere pulcrior Ille est. — De pulcris oculis. *Ovid.* 1. *Met.* 498. videt igne micantes, Sideribus similes oculos. *Id.* 2. *Amor.* 16. 44. et *Propert.* 2. 2. 21. oculi geminæ, sidera nostra, faces. — Adhibetur in blanditiis. *Sueton. Cal.* 13. *extr.* Sidus et pullum et pupum et alumnum appellantes. ¶ 13. *Sidera errantia* dicuntur impii sceleratique homines apud *Vulgat. interpr. Jud. v.* 13.

Homonym. De discrimine inter *stellam, astrum* et *sidus* hæc habet *Isid.* 3. *Orig.* 60. *Stella* est quælibet singularis; *sidera* sunt stellis plurimis facta, ut Hyades, Plejades; *astra* autem sunt stellæ grandes, ut Orion, Bootes. Sed hæc nomina scriptores confundunt. et 1. *Differ.* 495. distinguit hæc a *signis,* quibus animantis imago formata est, ut Taurus, Scorpio et alia hujusmodi. et *Append. n.* 217. inter *astra* et *sidera* hoc ait interesse, quod *astra* fixa sunt cælo; *sidera* moventur. *Horat. Epod.* 17. 41. Perambulabis astra sidus aureum. Similiter *Popma, op. cit.* ad *h. v. Sidus* est signum fixum, in quo plures *stellæ* insidunt, ut Aries, Taurus, Perseus, Andromeda et si quod aliud nota aut forma aliqua in cælum receptum est: *stella* est erratica et sola fertur, non admistis aliis stellis, ut Lucifer, Vergiliæ et reliquæ omnes toto cælo sparsæ. *Cic. loc.* supra *cit.* His animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis. Sed *V.* dicta in *h. l.* init. *Lucret.* 2. 309. Non cadere in terram stellas et sidera cernis. *Manil.* 1. 465. formas distinguere tantum Contenta et stellis ostendere sidera certis. Quamquam interdum *sidus* pro sole et luna, aliquando, sed fere in plur. num., pro *stella* usurpant *Cicer., Quintil.* et poetæ, ut quod dixit *Lucret.* sideribus fixum cælum, hoc dicat *Virg.* stellis ardentibus aptum. Cf. *Macrob. loc. cit.* init. et V. *Döderlein, op. cit. t.* 4. *p.* 409. *et seqq.*

SĪEM, sies, siet. *V.* SUM.

SIFĀRUS. *V.* SUPPARUM.

SĪFĪLĀTĬO. *V.* SIBILATIO

SĪFĪLO. *V.* SIBILO.

SĪFĪLUM et SĪFĪLUS. *V.* SIBILUS.

SĪFO *vel* sifon. *V.* SIPHO.

SĪFŌNĀRĬUS. *V.* SIPHONARIUS.

SĪFUNCŬLUS. *V.* SIPHUNCULUS.

SĪGE, es, f. 1. σιγή, taciturnitas: nomen Æonis sexus feminini apud Gnosticos. *Tertull. advers. Valentin.* 12. *V.* ZOE. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SIGENTĬĀNA. *V.* SINGENTIANA.

SĬGILLĀRĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SIGILLARIUS, a, um.

SĬGILLĀRĬĀRĬUS, ii, m. 2. (sigillum) qui sigillaria facit. *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 15. T. FLAVIO T. F. LARGONIO FARRO FLATVRARIO SIGILLARIARIO etc. Habetur etiam apud *Reines. cl.* 11. *n.* 89. et bis apud *Fabretti p.* 177. *n.* 359. et *p.* 720. *n.* 415., ubi *sigillariario* legitur, quod mendum fuisse videtur illius, qui eamdem exscripsit. Adde *Orelli, n.* 4280. *V.* SIGILLARIUS et FLATURARIUS.

SĬGILLĀRĬCĬUS vel

SĬGILLĀRĬTĬUS, a, um, adject. (sigillum) ad sigillaria pertinens. *Spartian. Hadrian.* 17. Saturnalicia et Sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit, et ipse ab eis libenter accepit. *subaud.* munera. *V.* SIGILLARIA. — *Sigillaricius annulus* est, qui obsignandis epistolis aliive rei sigillo notandæ inservit. *Vopisc. Aurelian.* 50. Uxori et filiæ annulum sigillaricium quasi privatus instituit.

SĬGILLĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SĬGILLĀRĬUS, a, um, adject. (sigillum) ad sigilla pertinens. Hinc *vicus sigillarius* sive *sugillarius,* qui *Nardinio* erat, ubi via est appellata *Chiavi d'oro,* et auctoritate *Sext. Ruf. De region.* probabatur; sed plane nunc expungendus videtur. *V.* infra. — Occurrit itaque tantum

Sigillaria, ōrum et *ĭum,* n plur. 2. et 3. absolute, substantivorum more, dies festus Romanorum, ita dictus a *sigillum,* quod ultro citroque sigilla, sive imagunculas et munuscula alia missicularent. Hoc festum *Lucilius* indicat, quum ait apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 5. 87. servorum festu' dies est, Quem plane hexametro versu non dicere possis. Nam vocem *Sigillaria* versus hexameter non admittit. Ideo sic per periphrasin *Auson. Eclogar. de Fer. Rom.* 32. Festa sigillorum nomine dicta colunt.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Saturn.* 10. *in fin.* Saturnalia uno tantum die, idest quartodecimo calendarum solita celebrari, sed post in triduum propagata. Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum et lætitiam religionis extendit. *Id. ibid.* 11. *ad fin.* causam nominis affert, quod Hercules, occiso Geryone quum in Latium venisset, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, ponte Sublicio in flumen demisit, ut aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur. Sed verior illa origo existimatur, subdit *id. ibid.,* Pelasgos, postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia, et φωτὸς æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset, cœpisse Saturno cereos potius accendere, et in sacellum Ditis, aræ Saturni cohærens, oscilla quædam pro suis capitibus ferre: ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur, et sigilla arte fictili fingerentur ac venalia pararentur, quæ homines pro se atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent. Cf. *Sueton. Claud.* 5. et *Spartian. Caracall.* 1. *extr.* infra *cit.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de icunculis deorum, *idoletti. Tertull. Orat.* 12. *a med.* Quum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis, residendo. *Arnob.* 6. *p.* 197. Quin immo deos esse sigillaria ipsa censetis. ¶ 2. Ipsa quoque munuscula, quæ præcipue Saturnalibus missitari mos erat, *sigillaria* et *sigillaricia* dicta sunt: et putantur fuisse panes dulciarii et placentulæ aliqua forma insignitæ, v. gr. avis, puelli et hujusmodi: quales hodieque, ut ait *Forcellinus,* panes columbæ figura pueris per Paschales dies donari solent. *Seneca Ep.* 12. Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre. *Tiber.* apud *Sueton. Claud.* 5. Quadraginta aureos, in Saturnalia et Sigillaria misisse ei. *Spartian. Caracall.* 1. *extr.* Quæ a parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donavit. ¶ 3. *Sigillaria* denique vicus fuit Romæ, in regione Urbis septima, ubi sigilla et alia minuta opera fabre facta venibant. *Gell.* 2. 3. Librum emptum in Sigillariis viginti aureis. Adde 5. 4., *Sueton. Claud.* 16. *sub fin.* et *Ner.* 28. *a med.* Sic *Scævola Dig.* 32. 1. 102. Laudes, quas de Sigillaribus-emi. *V.* etiam SINGILLARIUS. Cf. quæ init. de *vico sigillario* diximus.

Sigillarium, ĭi, n. 2. absolute. *Tertull. advers. Valentin.* 12. Ut autem tantum sigillarium extrinsecus quoque inornarent, satellites et angelos proferunt. *h. e.* tabernam sigillariam.

Sigillarius, ĭi, m. 2. absolute, qui sigilla conflat. *Inscript.* apud *Gruter.* 1035. 3. c. TVDICELIO FEL. AFRO SIGILLARIO etc. Hæc eadem habetur apud *Manut.* in *Orthogr.* et apud *Fabrett. p.* 243. *n.* 669.; uterque autem legit *sigillariario,* quam vocem *V.* suo loco.

SĬGILLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

SĬGILLĀTIM, adverb. (sigillum) signatim. *Vulgat. interpr. Ps.* 32. 15. Qui finxit sigillatim corda eorum. Adde *Hieronym. Comment.* in *Is.* 66. 18. Cf. SINGILLATIM.

SĬGILLĀTOR, ōris, m. 3. (sigillum) qui sigilla facit, sigillarius. *Inscript.* apud *Murat.* 936. 2. (*Orelli n.* 4191.) AGATABOLVS F. L. PYRRHVS FIGVLVS SIGILLATOR.

SĬGILLĀTUS, a, um, particip. *V.* SIGILLO.

SĬGILLĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* sigillum, parvum sigillum, *imaginetta, statuetta, figurina,* σφραγίδιον. *Arnob.* 6. p. 197. Et abstinetis a risu, quum pro diis immortalibus, sigilliolis hominum et formis supplicatis humanis? Adde p. 204.

SĬGILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sigillum) Part. *Sigillatus.* — Sigillo est sigillo seu signo instruere, munire. ¶ 1. Generatim. *Venant. Vit. S. Marcell.* 10. Quod diaconem sigillavit ille. *h. e.* signo crucis fugavit. ¶ 2. Speciatim et sæpius

occurrit Part. *Sigillatus* adjective, et est sigillis seu imaginibus ornatus, *ornato di figure, di rilievi, istoriato*. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Jubet me scyphos sigillatos ad prætorem statim afferre. *h. e.* emblematis et crustis excultos. *Id.* 1. *Att.* 10. Putealia sigillata duo. *Varro Sat. Menipp.* 74. *p.* 196. *Oehl.* Sigillatæ plagæ. ζωδιωταί. Cf. *ibid.* adnot. *Apul.* 2. *Met.* Vitrum fabre sigillatum. *Trebell. in XXX. Tyrann.* 16. *de Herode.* Homo Græcæ luxuriæ, cui erant sigillata tentoria et aurati papiliones. ζωδιωτά. *Imppp. Theod., Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15. 7. 11. Nulla mima gemmis, nulla sigillatis sericis aut textis utatur auratis. *Prudent.* sigillatum sal, *Hamartig.* 707., vocat statuam salis, in quam versa est uxor Loth, ut habetur *Genes.* 19. 26.

SĬGILLUM, i, n. 2. *deminut. a* signum, ut *tigillum* a *tignum*, parvum signum. ¶ 1. Generatim occurrit pro parvo signo, vestigio, apud *Venant. Vit. S. Martin.* 2. 326. Remige pennigero qua non facit ala sigillum. *Id. ibid.* 4. 56. Mox super ampullam fecit crucis ipse sigillum. ¶ 2. Speciatim et sæpius est imaguncula, icuncula, parvum signum vel statua, *figurina, imaginetta, statuetta*, ἀγαλμάτιον, σφραγίδιον. — *a*) In plur. num. *Cic.* 6. *Verr.* 22. 48. Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. *et mox.* Sigillis avulsis, reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 180. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas Sunt qui non habeant, est qui non curat habere. *Ovid.* 1. *Art. am.* 407. Circus ornatus sigillis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 24. 59. (183). Usus gypsi in albariis, sigillis ædificiorum et coronis gratissimus. *stucchi.* — *b*) In sing. num. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 357. CN. TVRPILIVS CN. F. TVRPILIANVS AED. ET PR. SAC. VOLK. (*h. e.* ædilis et prætor sacris Volkanalibus) SIGILLVM VOLKANI EX VOTO POSVIT ARG. P. XV. SCRP. IX. (*h. e.* argenti pondo quindecim, scriplis novem). ¶ 3. *Sigilla* dicuntur etiam figuræ in tela depictæ aut intextæ. *Ovid.* 6. *Met.* 85. *de Pallade texente.* certamina quatuor addit Clara colore suo, brevibus distincta sigillis. ¶ 4. Item imagines quæ annulo signatorio in cera aliave materia imprimuntur, obsignandis litteris, amphoris, scriniis etc. *sigillo, bollo, cammeo*, σφραγιστήρ. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 3. Odisti claves et grata sigilla pudico. *Cic.* 4. *Acad.* 26. *extr.* Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero? Cf. *Vulgat. interpr. Apoc.* 5. 1. ¶ 5. Item sigillaria: hinc a *sigillis immunis* seu *vacans* dicebatur, qui in aliquo collegio quinquennalis, aut scriba aut viator esset: quo quidem intelligitur, immunes eos esse ab iis largitionibus, quas quotannis sigillariorum gratia collegis suis donare mos erat apud Romanos. *V.* SIGILLARIA. *Inscript.* Lanuvii abhinc paucis annis reperta, edita vero in *Atti dell' Accad. Rom. di Archeolog. T.* 2. *p.* 462. ITEM PLACVIT VT QVISQVIS QVINQVENNALIS IN HOC COLLEGIO FACTVS FVERIT A SIGILLIS EIVS TEMPORIS QVO QVINQVENNALIS ERIT IMMVNIS ESSE DEBEBIT (*leg.* debeas) ET EI EX OMNIBVS DIVISIONIBVS PARTES DVPLAS DARI ITEM SCRIBAE ET VIATORI A SIGILLIS VACANTIBVS PARTES EX OMNI DIVISIONE SESQVIPLAS DARI PLACVIT.

SIGLA, ōrum, n. plur. 2. Sunt dicta pro *sigilla*, quum sint parva signa compendii causa in scribendo inventa: vel quasi *singula*: unde per syncop. *singla*, deinde *sigla*: quia singulæ litteræ vocem integram significant: unde a *Gell.* 17. 9. *litteræ singulariæ* dicuntur. — Sigla igitur sunt notæ compendiariæ, litteræ singulares, quæ vocem integram significant, ut S. V. B. E. E. Q. V. *si vales bene est ego quidem valeo. abbreviature, sigle*, σημεῖα, σίγλαι. *Justinian.* in *epist. ad Senat. et omn. pop. ad fin.* Eamdem pœnam falsitatis constituimus adversus eos, qui leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est et nomina prudentium et titulos et librorum numeros per consequentias litterarum volumus, non per sigla, manifestari. Adde in *epist. ad Antecessor. ad fin.* Utroque loco *sigla* habet *Torrentin.* et ita legit etiam *Cujac. l.* 12. *Observation. c.* 40. *Haloander* habet *signa.*

SIGMA *vel* simma, n. indecl. (σίγμα) *Simma* pro *sigma* habent *Prob. Instit. Art. p.* 121. 23. *Keil.* et *Innocent. Cas. litter. p.* 324. 13. *Lachm.-Rud.* — Sigma ¶ 1. Est littera *s. Terentian. De metr. p.* 925. *Putsch.* Nestoris si forte nomen dividendum incurrerit, Nῦ et *e* versus prioris obtinebunt extimum, Sigma versus insequentis atque ταῦ exordium. ¶ 2. Item nota musicalis. *Capell.* 9. *p.* 324. Si a iota directo in sigma jacens signa concurrant. Adde *Boeth.* 4. *Music.* 3.

SIGMA, mătis, n. 3. Dictum est a similitudine seu figura semicirculari Græcæ litteræ σ, quæ majore forma ad similitudinem Latinæ C scribebatur, ut videre est in antiquis monumentis. Itaque *Apul.* 5. *Met.* semirotundum appellat — Sigma ¶ 1. Est lectus ad mensas rotundas accommodatus vel ligneum sedile, in quo perpetuus lectulus stratus erat ad convivas recipiendos. Nam veteres olim recta linea sedebant, lectulis ita dispositis, ut ab una tantum parte discumberetur; postea sigma inventum est, ut eidem mensæ plures assidere possent. *V.* STIBADIUM. *Lamprid. Elagab.* 25. Primus invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur. *et mox.* Habuit et hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cenam, item octo luscos et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos et octo pingues, quum capi non possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. *Martial.* 10. 48. Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum. *Id.* 14. 87. Accipe lunata scriptum testudine sigma: Octo capit: veniat quisquis amicus erit. ¶ 2. Item appellatur solium semicirculare in balneis. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Ita ut ministeriorum sese non impediente famulatu, tot possit recipere sellas, quot solii sigma personas. Adde *carm.* 17. 6.

SIGNĀCŬLUM, i, n. 2. (signo) signum rei appositum, quo ab ceteris secernatur, et icuncula vel figura instructum, sigillum, *segno, contrassegno, sigillo, nota.* ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Eccli.* 38. 18. Signacula sculptilia. Adde *Testam. a.* 552. apud *Marini Pap. Dipl. n.* 74. *Apul. Florid. n.* 9. Etiam crepidas sibimet compegerat, et annulum in læva aureum faberrimo signaculo. *et Ulp. Dig.* 16. 3. 1. § 36. Sigillis videlicet prius sacculo pecuniæ impressis vel a prætore vel ab iis, coram quibus signacula remota sunt. Adde *Tertull. Pall.* 4., *Hieronym. Ep.* 16. et *Vulgat. interpr. Apoc.* 3. 2. ¶ 2. Speciatim dicitur de circumcisione apud Hebræos. *Tertull. Apolog.* 21. Neque de ipso signaculo corporis, neque de consortio nominis cum Judæis agimus. — Hinc translate *Vulgat. interpr. Rom.* 4. 11. Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei. Adde *Cant.* 8. 6. ¶ 3. Item apud Christianos dicitur de sacra unctione, quæ fit in Baptismatis vel Confirmationis sacramento conferendo, et de signo crucis. *Cyprian. Ep.* 73. *n.* 9. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur - per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur. *Rufin.* 1. *Hist. Eccl.* 3. Si hæc ita esse credis, surge et sequere me et hujus fidei signaculum suscipe. *Prudent. Psycom.* 360. Post inscripta oleo frontis signacula. *i sacri segni di croce.* V. SIGNATIO. ¶ 4. *Signaculum fidei* est Baptismus apud *Tertull. Spectac.* 24. Pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei ejeramus. ¶ 5. In illo *Hieronym.* in *Matth.* 6. 13. Amen: signaculum orationis Dominicæ. *signaculum* est clausula seu conclusio. ¶ 6. Est etiam vexillum. *Prudent.* 1. *contra Symmach.* 568. Sexcentas numerare domos de sanguine prisco Nobilium licet ad Christi signacula versas etc. ¶ 7. *Signaculum similitudinis* apud *Vulgat. interpr. Ezech.* 22. 33. idem est, ex usu loquendi Hebraico, quod *signaculum simile* vel *simillimum*, et dicitur de rege Tyri, tamquam perfecta regis imagine, Deum in terra referentis. V. *Weitenauer ad h. v.*

SIGNĀLIS, e, adject. (signum) ad signum pertinens, signi causa constitutus. *Auct. incert. de limitib. p.* 267. *Goes.* Glareas fluminales signales constituimus. *h. e.* quædam quasi signa ac terminos. *V.* MISCITATUS.

SIGNĀLĬTER, adverb. (signalis) in signum, figuraliter. *Cassiod.* 1. *Variar.* 10., ubi alii aliter leg.

SIGNANS, antis, particip. *V.* SIGNO.

SIGNANTER, adverb. (signo) Comp. *Signantius.* — Signanter est signate, expresse, peculiariter, singulatim, *espressamente, segnatamente. Auson. Grat. act.* 3. Signanter et breviter omnia indicare. *Hieroym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 13. *ad fin.* Signanter et proprie supra dixerat. *Boeth. De person. et duab. nat.* 3. Longe vero illi signantius naturæ rationabilis individuam substantiam ὑποστάσεως nomine vocaverunt. Alii leg. *signatius.* Adde *Augustin. De consens. Evang.* 2. 6.

SIGNĀRĬUS, ĭi, m. 2. (signum) ¶ 1. Est qui signa, *h. e.* statuas, facit, signifex, *statuario, scultore*, ζωδιοποιός. *Inscript.* apud *Murat.* 963. 4. MAETIO APRILI ARTIFICI SIGNARIO QVI VIXIT ANNIS XXXII. etc. *Cod.* 10. 64. 1. habet *signarii.* At in *Cod. Theod.* 13. 4. 2. hæc vox non legitur. ¶ 2. Est etiam signifer. *Veget.* 2. *Milit.* 16. Omnes autem signarii vel signiferi loricas minores accipiebant. Alii tamen pro *autem signarii* rectius leg. *antesignani.*

SIGNĀTĒ, adverb. (signo) Comp. *Signatius*; Sup. *Signatissime.* — Signate est evidenter, significanter, *con evidenza. Gell.* 2. 6. Qui proprie et signate locuti sunt. Adde *Macrob.* 6. *Sat.* 7., *Ammian.* 29. 1. 33. et *Augustin.* 14. *Civ. D.* 8. *Ammian.* 23. 6. 1. Signatius aliquid explicare. Adde *eumd. ibid.* 15. 2. *Pelagon. ep. ad Demetr.* 5. Illius signatissime ostendit figuram.

SIGNĀTIM, adverb. (signo) signate. *Gromat. vet. p.* 307. 5. *Lachm.-Rud.* Signatim, ut inveniantur pali ipsi, stellam consecravimus.

SIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (signo) actus signandi et etiam sigillum.

I.) Proprie. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 9. Furtiva signatio. *h. e.* signi crucis formatio. *Cod. Theod.* 11. 1. 19. Digesta signatio formam indictionis teneat.

II.) Translate est notatio. *Firmic.* 4. *Mathes.* 12. Quæ omnia genera (*mortis*) in tertio libro speciali signatione monstravimus. *Tac. dial. de Orat.* 16. Hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum ætatem signatione ista determinetis. *Est qui minus recte leg.* significatione.

SIGNĀTOR, ōris, m. 3. (signo) ¶ 1. Est qui signat: et præsertim qui testamenti aut alterius negotii tabulas aliudve quid, adscripto prius nomine suo, confirmat, deinde annulo suo signat, ad fidem faciendam, *sigillatore*, σφραγιστής. *Sall. Cat.* 16. Juventutem multis modis mala facinora edocebat: ex illis testes signatoresque falsos commodare etc. *Sueton. Tib.* 23. Illatum Augusti testamentum, non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, recitavit per libertum. Adde *Quintil.* 5. 10. 45. *Val. Max.* 7. 7. *n.* 2. Testamentum patris, quo præteritus erat, rescidit, quum in eo Tullianus Pompeji M. familiaris, ipso quidem Pompejo signatore, heres scriptus esset. *Scævola Dig.* 18. 3. 8. Testatus est, se sacculum cum pecuniis signatorum signis obsignasse. *Juvenal.* 10. 334. Tyriusque palam genialis in hortis Sternitur, et ritu decies centena dabuntur Antiquo: veniet cum signatoribus auspex. Cf. *Augustin. Serm.* 107. 7. ¶ 2. *Signator* est etiam inter artifices pecuniæ cudendæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 1066. 5. et 1070. 1. et *Orelli n.* 3229. *V.* MALLEATOR. ¶ 3. *Signator terræ lumen* est horizon. *Manil.* 5. 631. Piscibus exortis quum pars vicesima prima Signator terræ lumen fulgebit. Ita *Lemaire*; alii tamen leg. *signatum* vel *signatur.*

SIGNĀTŌRĬUM. *V.* voc. seq. in fin.

SIGNĀTŌRĬUS, a, um, adject. (signo) *da sigillare*, ad signandum pertinens. *Val. Max.* 8. 14. *n.* 4. Annulo, quo signatorio utebatur insculptam illam traditionem habuit. *Paul. Dig.* 50.

§6. 74. Signatorius annulus ornamenti appellatione non continetur. — Hinc

Signatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est ipse annulus signatorius. *Alcim. Ep.* 78. Signatorium quod pietas vestra non tam promittere, quam offerre dignata est, in hunc modum fieri volo. *Gloss. Gr. Lat.* Σφραγιστήριον, signaculum, signatorium.

SIGNĀTŪRA, æ, f. 1. (signo) *sigillo*, signum annulo appositum. *Sueton. Ner.* 17. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur. Ad *h.* tamen *l.* hæc habet *Furlanetto*: « Perperam *Forcellinus* cum aliis hæc verba est interpretatus; etenim *signaturis* non est casus ablat. plur. a recto sing. *signatura*, sed dativ. plur. a particip. *signaturus*. Sensus autem hic est: cautum, ut primæ duæ ceræ seu paginæ testamentorum a testatore, suo tantum nomine inscripto, testibus, qui signaturi essent, vacuæ heredum nominibus ostenderentur, quos nosse testium non interserat; constat enim post testatoris nomen continuo heredum etiam nomina inscripta fuisse in testamentis. V. *Dasumii testamentum* in *Annal. dell' Instituto* etc. *T.* 3. *p.* 387. » *Klotz*, *Georges* aliique Lexicographi recentiores hanc vocem non admittunt.

SIGNĀTUS, a, um, particip. *V.* SIGNO.

SIGNĬFĂCĬO, is, ere, a. 3. (signum *et* facio) *significare*, idem quod significo. *Mætian. Dig.* 36. 1. 65. *a med.* Si auditus capaces sunt, vel interrogati nutu possunt significere. Ita *Torrentin.* Alii rectius leg. *significare*. V. *Mommsen ad h. l.*

SIGNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (signum *et* fero) signum vel signa ferens, σημειοφόρος. ¶ 1. Generatim. *Lucan.* 3. 558. Tunc in signifera residenti puppe magistro Brutus ait. *h. e.* imaginibus deorum ornata. *Val. Flacc.* 1. 337. Signifer crater. *h. e.* asper signis exstantibus, ut est apud *Virg.* 9. *Æn.* 263. et *Ovid.* 12. *Met.* 235. Adde *Ammian.* 27. 9. 7. ¶ 2. Specialim dicitur de signis seu sideribus, et est qui stellas fert. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 89. Vim quandam esse ajunt signifero in orbe, qui Græce ζωδιακός dicitur, talem, ut etc. *h. e.* circulo, in quo sunt duodecim signa, quæ sol annuo cursu percurrit. *Lucan.* 7. 363. et 8. 172. Signifero quæcumque fluunt labentia cælo Sidera. *Id.* 3. 254. Signifer polus. *Lucret.* 6. 481. Signiferi super ætheris æstus. Adde *eumd.* 5. 690. et *Senec.* 7. *Quæst. nat.* 11. — Hinc

Signifer, ĕri, m. 2. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. In re astronomica est signifer circulus, signifer orbis. *lo zodiaco. Vitruv.* 6. 1., *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (48). *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 23., *Claudian.* 1. *in Rufin.* 365. etc. ¶ 2. In re militari, qui in exercitu signum seu vexillum fert, *alfiere*. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Quum signifer primi hastati signum non posset movere loco. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Signifero interfecto, signo amisso, etc. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 14. Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Signiferi, qui signa (*cohortium*) portant, quos nunc draconarios vocant. *Inscript.* apud *Gruter.* 80. 4. AVRĒL. MARIVS SIGN. LEG. XIII. GEM. Alia apud *eumd.* 4. T. SILIVS HOSPES SIGNIFER COH. XIII. VRB. Alia apud *Furlanetto*, *Lap. Patav. p.* 171. L. CVLTIVS SEX. F. ROM. LEG. XII. SIGNIFER. Adde aliam apud *Donat.* 298. 2. et *Orelli n.* 3481.-83., 3553 etc. Alia apud *Gruter.* 569. 7. M. VLPIO MATVRO SIGNIFER TVRM. SERENI EQ. SING. Hinc patet, signiferum fuisse tam in legionaria et in urbana et auxiliaria militia, quam in equitatu. Ex signifero autem aquilifer quis fiebat. *Inscript.* apud *Orti*, *Marm. della G. Sertoria p.* 39. L. SERTORIVS L. F. POB. FIRMVS SIGNIF. AQVIL. LEG. XI. CLAVD. PIAE FIDELIS. Alia apud *Henzen*, *n.* 6854. P. TVTILIVS P. F. OVF. VETERANVS SIGNIF. AQVILIFER LEG. etc. *V.* SIGNUM. ¶ 3. Pro eo qui signum dat, usurpavit *Arator Act. Ap.* 1. 101.

II.) Translate. ¶ 1. Est dux, auctor, caput. *Cic. Mur.* 25. 50. Valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. *Id. Planc.* 30. *ad fin.* Qui causæ nostræ duces et quasi signiferi fuissent. *Id.* 2. *Att.* 1. *a med.* Quum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, senatum deseruerit. *Id. Sull.* 12. 34. Quum princeps, quum auctor, quum signifer esset juventutis. ¶ 2. Dicitur de eo qui signa Christianæ religionis fert. *Venant. Vit. S. Martin.* 2. 467. Signifer arma crucis fers nobilitata triumphis. Adde *Alcim. ad Soror.* 814.

SIGNĬFEX, ficis, m. 3. (signum *et* facio) qui signa facit, id est statuas ex ære vel marmore, *statuario*, ἀγαλματοποιός. *Apul.* 2. *Met.* Summum specimen operæ fabrilis egregius ille signifex prodidit. *Id. de deo Socrat. ad fin.* Non pudet me non esse significem. *Alii leg.* significum. *V.* SIGNIFICUS. *Arnob.* 6. *p.* 199. Inter significes ille memoratus est Phidias primus. *Sidon.* 6. *Ep.* 12. Pictoribus significibusque Græcia illustris. *Capell.* 1. *p.* 13. Viros vultus æris aut marmoris signifex animator inspirat.

SIGNĬFĬCĀBĬLIS, e, adject. (significo) *significativo*, significans. *Varro* 6. *L. L.* 52. *Müll.* Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem. *Augustin. de Magistr.* 8. Placetne appellemus significabilia ea, quæ signis significari possunt, nec signa sunt?

SIGNĬFĬCANS, antis, particip. *V.* SIGNIFICO.

SIGNĬFĬCANTER, adverb. (significans) Comp. *Significantius*; Sup. *Significantissime*. — Significanter est expresse, evidenter, *evidentemente*, *chiaramente*, *espressamente*, ἐπισήμως, ἐκφαντικῶς, ἐμφατικῶς. *Seneca* 3. *Controv.* 20. *a med.* Quotidiano verbo satis significanter usus est. *Quintil.* 11. 1. *a med.* Breviter ac significanter ordinem rei proferre. *et* 12. 10. *a med.* Proprie et significanter rem indicare. *Id.* 10. 1. *ante med.* Quis narrare significantius potest, quam qui etc.? *Cic.* 3. *Fam.* 12. Non majore quidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem tuam defendissem. *Gell.* 1. 25. Græci significantius consignantiusque cessationem istam pugnæ ἐκεχειρίαν appellarunt. *Id.* 17. 2. *ante med.* Probabilius significantiusque sic dici videbitur. *Quintil. in serm. declam.* 247. Illud quam fieri potest brevissime et significantissime comprehendite.

SIGNĬFĬCANTĬA, æ, f. 1. (significo). ¶ 1. Est significatio, *significato*, *senso*. *Tertull. Resurr. carn.* 21. Instrumenta divina nullam admittunt figuratæ significantiæ suspicionem. *Lactant.* 4. 26. Quæcumque Christus passus est, habuerunt figuram et significantiam magnam. — In plur. num. *Arnob.* 7. *p.* 230. Series, quæ sequitur, librorum significantias continet. ¶ 2. Est etiam significandi vis, evidentia, σημασία, ἔμφασις. *Quintil.* 10. 1. *ad fin.* Tanta verborum, etiam quæ assumpta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. *enfasi*. Adde *Jul. Valer.* 3. *Gest. Alex. M.* 41. Quæ vero leguntur apud *Non. p.* 375. 33. *Merc*; verba non *Varronis*, sed ipsius *Nonii* sunt.

SIGNĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (significo) indicium, signum, σημείωσις, ἐπισημασία (It. *il far sapere*, *espressione*, *segno*, *indizio*, *intimazione*, *notificazione*, *avviso*, *cenno*; Fr. *indication*, *désignation*, *indice*, *déclaration*, *annonce*; Hisp. *indicacion*, *indice*, *anuncio*, *declaracion*; Germ. *d. Zuerkennengeben*, *Anzeigen*, *Bezeichnen*, *Audeuten*, *d. Bezeichnung*, *Zeichen*; Angl. *a signification*, *intimation*, *expression*, *declaration*, *sign*, *token*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 220. Omnes hos motus subsequi debet gestus non hic verba exprimens, scænicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans. ubi *significatio* minus est quam *demonstratio*. et *Cæs.* 3. *B. C.* 65. Significatione per castella fumo facta. *Cf.* 2. *B. G.* 33. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Nutu et significatione appellare aliquem. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. *ad fin.* Ejusmodi theatrum totius Asiæ virtutibus est datum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 86. (360). Cæli murmur non dubiam (*tempestatis venturæ*) habet significationem. — *b*) Sequente Genetivo. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Ad portas castrorum clamor oritur: quo clamore significatio victoriæ fieret. et 6. *ibid.* 28. *extr.* Ut ignes fieri prohibeat, ne qua adventus ejus procul significatio fiat. *Id.* 7. *B. G.* 12. *in fin.* Quum ex significatione Gallorum, novi aliquid ab iis iniri consilii, intellexisset. *Cic. pro leg. Manil.* 3. 7. Uno nuncio atque una litterarum significatione cives R. necandos trucidandosque denotavit. *Id. Cluent.* 11. 31. Quum testamentum mutare cuperet, in ipsa significatione hujus voluntatis est mortuus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 59. Significationes singulorum. *h. e.* signa morbi. — *c*) Sequente Infinito. *Id.* 1. *Off.* 36. *a med.* Ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. *Sueton. Ner.* 37. Multas nec dubias significationes sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus. *Cic.* 2. *Orat.* 43. 182. Hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas. *et ibid.* 36. 153. Orator, qui primum quam minimam artificii alicujus, deinde nullam Græcarum rerum significationem daret. *non desse indizio*. et 1. *Off.* 15. 46. Neminem esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat. ¶ 2. Specialim est signum benevolentiæ, studii, plausus. *Cic. Sext.* 49. *a med.* Populi judiciis atque omni significatione florere. Adde *ibid.* 57. *in fin.* et *ibid.* 59. *Liv.* 31. 15. Significationes et acclamationes multitudinis, assentatione immodica pudorem onerantis. ¶ 3. Præterea apud Rhetoras est oratio, quæ plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exuberationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. *a med.* et 3. *Orat.* 53. et *Orat.* 40. *extr.* V. EMPHASIS. ¶ 4. Significatio verbi est ejus vis et sensus, *significato*, *senso*, *forza*. *Cic. Partit.* 31. 108. Ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat, aut velit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (14). Verba priscæ significationis. *Gell.* 12. 13. Verborum veræ atque propriæ significationes longiore usu mutantur. *Id.* 15. 13. *Testor* et *interpretor* significatione reciproca dicuntur. Adde *Quintil.* 10. 1. 10., *Priscian.* 8. *p.* 370. 1. *Keil.* et *Val. Long. De orthogr. p.* 2226. *Putsch.* — *Comment.* in *Donat. Art. maj. p.* 254. 17. *K.* Genus et significatio in verbo idem est: — Significationes dicuntur eo quod actum vel passionem demonstrant, et est significatio sensus verbi. — *Seneca Ep.* 87. Duas significationes habet propositio vestra. *h. e.* sententias. — Apud *Vitruv.* 5. 8. *incerta significatio verborum* est in locis circumsonantibus, quia non verba distincte, sed verborum sonitus confuse auribus infertur.

SIGNĬFĬCĀTĪVĒ, adverb. (significativus) *significativamente*, cum significatione. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 13. *p.* 669. Si salubre multipliciter dicitur et salubriter multipliciter dicetur: ut si salubre dicitur hoc quidem sanitatis effectivum, illud autem conservativum, quoddam vero significativum: et salubriter vel effective vel conservative vel significative dicetur. *h. e.* ad valetudinem indicandam. Adde *Augustin.* 2. *Quæst. in Heptat.* 138.

SIGNĬFĬCĀTĪVUS, a, um, adject. (significo) significandi vim habens, *significante*, *significativo*, σημαντικός. *Ulp. Dig.* 45. 1. 75. Boni appellatio non est certæ rei significativa. *Cajus ibid.* 50. 16. 232. Hæc enuntiatio et quantitatis et æstimationis significativa est. Adde *Augustin.* 2. *Quæst. in Heptat.* 124.

SIGNĬFĬCĀTOR, ōris, m. 3. (significo) qui significat. *Hieronym. interpr. Origen. in Luc.* 35.

SIGNĬFĬCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (significo) significativus. *Tertull. advers. Hermog.* 32. Verbum factitationis significatorium.

SIGNĬFĬCĀTUM, i, n. 2. *V.* SIGNIFICO in fin.

SIGNĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* SIGNIFICO.

SIGNĬFĬCĀTUS, us, m. 4. (significo) ¶ 1. Est significatio, signum, *indizio*, *segno*, *progno-*

stico. Vitruv. 9. 7 sub fin. Siderum et occasus et ortus tempestatumque significatus. Plin. 18. Hist. nat. 25. 59. (221). Ipsi dies raro non aliquos tempestatum significatus habent. et ibid. 31. 74. Arcturus oritur prid. Id. Septembris vehementissimo significatu terra marique per dies quinque. ¶ 2. Item vis, sensus, significato. Gell. 5. 12. Ve particula duplicem significatum, eumdemque inter sese diversum capit. Arnob. 1. p. 3. Unde novit antiquitas miseriarum hæc nomina? unde bellis significatum dedit? pestilentiam, grandines qua potuit ratione signare, aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, assumere? h. e. nomen, quo significarentur.

SIGNĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (signum et facio) Veteres dixerunt etiam significor deponentis forma, teste Gell. 18. 12. in fin. V. Inscript. allatam in DEXTANS. — Part. Significans I. 3. et in fin.; Significatus I. 1. et 2.; Significaturus I. 1. c; Significandus I. 1. d. — Significo est signum facio, per signa ostendo, indico, declaro, δηλόω (It. fare o dar segno, far sapere, dare ad intendere, mostrare, indicare, accennare, avvisare; Fr. marquer d'un signe, d'une empreinte, indiquer, faire connaître, signifier; Hisp. señalar, indicar, dar á conocer, dar á entender, significar; Germ. e. Zeichen geben, anzeigen, bezeichnen, zu erkennen-verstehen geben; Angl. to give notice or warning, make or give a sign, signify, indicate, notify).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Absolute. Cic. 1. Orat. 26. in fin. Hic omnes assensi, significare inter sese et colloqui cœperunt. Id. 3. Tusc. 20. 46. Sed utar, ut quam maxime significem, pluribus. Cf. Cæs. 7. B. G. 7. — Passive impersonaliter. Id. 2. ibid. 7. Ut fumo atque ignibus significabatur. — b) Cum Ablat. et præp. de. Id. 7. ibid. 26. ad fin. Conclamare et significare de fuga Romanis cœperunt. Cic. ad Brut. 1. 1. Quod nihil significem unquam de suis actis. — Passive. Id. Planc. 21. 52. Est aliquid de virtute significatum tua. — c) Cum Accusativo. Lucret. 1. 13. tuumque Significant initum. Cæs. 7. B. G. 40. ad fin. Manus tendere et deditionem significare. Cic. 2. leg. Agr. 12. 30. Quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit. Id. 4. Att. 1. ante med. Gratulationem alicui significare plausu maximo. Id. 5. Verr. 91. 213. Hoc enim mihi significasse et annuisse visus est. Id. Fontej. 13. 29. Quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat. Nepos Ages. 8. Vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus in his regem neminem significaret. Cic. 1. Att. 11. Quippiam significare alicui per litteras. Ovid. 5. Trist. 10. 36. per gestum. farsi intendere a cenni. Sic 3. Met. 643. nutu. — Passive. Cæs. 4. B. G. 14. Quorum timor cum fremitu et concursu significaretur. Cic. 4. Att. 76. Quod ex iis verbis a te significari putem. Id. 3. Orat. 13. 49. Quæ significari ac declarari volemus. Id. Fontej. 7. 18. Ne quasi significari possit suspicio. Tac. 1. Hist. 18. Quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. Plin. 3. Hist. nat. 21. 25. (140). Insulæ, præter supra significatas, Absyrtium, Arba etc. Id. 6. ibid. 29. 34. (161). Hæc est regio secundo volumine a nobis significata. — d) Cum Infinito. Cæs. 2. B. G. 13. Voce significare cœperunt, sese in ejus fidem et potestatem venire. Id. 4. ibid. 3. Hac re significari, magnum numerum civitatium suam vim sustinere non posse. Cic. 3. rep. 30. 42. Omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos. Id. 5. Fam. 13. Hoc non significandum solum sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. Adde 1. Att. 11. — e) Cum Conjunctivo et partic. ut. Cæs. 1. B. G. 86. Voce et manibus ex vallo significare cœperunt, ut statim dimitterentur. — f) Cum particula relativa aut conditionali. Cic. 2. Fam. 19. Accepi a te missas litteras etc. sed neque unde, neque quo die datæ essent, aut quo tempore te exspectarem, significabant. Id. Rosc. Am. 20. 56. Ut significant anseres, si fures venerint. ¶ 2. Speciatim pertinet ad haruspicinam et divinationem. Tibull. 2. 1. 25. viden, ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos? Cic. 1. Divinat. 1. 2. Gentem nullam video, quæ, non significari futura, et a quibusdam intelligi prædicique posse, censeat. Ovid. 15. Met. 576. Quid sibi significent, trepidantia consulit exta. Id. 9. ibid. 494. Quid mihi significant ergo mea visa? Cic. Harusp. resp. 12. a med. Quod ex aliquo disjuncto diversoque monstro significatum caveremus etc. ¶ 3. Item est prænuncio, præmonstro. Colum. 11. R. R. 2. Ventus Africus tempestatem significat. et paullo post. Siderum occasus tempestatem facit: interdum tantummodo significat. Sic sæpe eod. cap. et Plin. 18. Hist. nat. 26. 66. (246). Significatur imber Libræ occasu. Id. ibid. 35. 79. (348). Luna significabit serenos dies. Id. 2. ibid. 103. 106. a med. Fons Neminie alio atque alio loco exoritur, annonæ mutationem significans. ¶ 4. Notat sensum vimque verborum, significare, voler dire. Cic. 1. Tusc. 36. a med. Carere hoc significat, egere eo, quod habere velis. Id. Cæcin. 30. a med. Videtis, hoc uno verbo significari res duas. Phædr. 2. 8. hæc significat fabula, Dominum videre plurimum in rebus suis. Adde 4. 10.

II.) Translate. ¶ 1. Est per figuras ostendo. Cyprian. Ep. 63. Aquas namque populos significari in Apocalypsi Scriptura divina declarat. ¶ 2. Item appello, nomino. Capitolin. Gord. 17. Antoninum filium suum ipse significari voluit in senatu. — Hinc

Significans, antis, adjective quoque usurpatur; unde Comp. Significantior; et Sup. Significantissimus. — Significans est qui significat, apertus in loquendo et evidens, chiaro, evidente, significante, che esprime e dà ad intendere, σημαίνων. Quintil. 9. 2. ante med. Locorum dilucida et significans descriptio. Id. 12. 10. ante med. Qui solos esse Atticos credunt, tenues et lucidos et significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos. Id. 11. 1. sub init. Verba Latina, et significantia et nitida. Id. 8. 6. Transfertur nomen ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius est. Plin. 8. Hist. nat. 40. 61. (147). de cane venatico. Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro! Gell. 1. 15. a med. de blateronib. Quod genus homines a Græcis significantissimo vocabulo κατάγλωσσοι appellantur. — Cum Genetivo. Cœl. Aurel. 1. Acut. 3. init. Significans ejus rei, quam demonstrat.

Significatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, nomen, appellatio. Arnob. 1. p. 3. Unde novit antiquitas miseriarum hæc nomina? unde bellis significatum dedit? pestilentiam, grandines qua potuit ratione signare, aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, assumere? — Gloss. Lat. Gr. Significatum, σημασία, δήλωσις.

Homonym. Distinguas oportet, quum simul concurrunt duo verba significo et declaro; prius enim minorem habet vim quam posterius, ut patet ex illo Cic. 5. Fam. 13. Itaque hoc sæpius dicendum tibique non significandum solum sed etiam declarandum arbitror. Adde 3. ibid. 13.

SIGNĬFĬCOR, āris, ari, dep. 1. V. voc. præc. init.

SIGNĬFĬCUS, a, um, adject. (signum et facio) præclarus, insignis. Cassiod. 1. Variar. 23. Paulinus quidquid adversus supra memoratos significos viros se habere causatur, pari sorte depromat. Alii leg. magnificos. — Hinc

Significus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac signifex. Apul. de deo Socrat. Nescio, ut Apelles, coloribus pingere sed non pudet me non esse significum. Alii aliter leg. V. SIGNIFEX.

SIGNĬFĬCUS, i, m. 2. V. voc. præced.

SIGNILIS, e, adject. (signum) ad Signum cœleste pertinens. Capell. 6. p. 193. Quum in Alexandria etiam Canopos quarta parte interstitii signilis ultra terras emineat. Trionesque geminos et devexa non cernat. h. e. intervalli quod est inter quodlibet Signum cæleste, nempe graduum triginta. Koppius pro signilis dedit signi unius, ut est apud Plin. 2. Hist. nat. 70. 71. (178).

SIGNĪNUM, i, n. 2. V. voc. seq. in fin.

SIGNĪNUS, a, um, adject. ad Signiam, Volscorum urbem, pertinens, de qua V. ONOM. Hinc ¶ 1. Signinum vinum, austeritate maxima celebre et utile continendæ alvo, ideoque inter medicamenta numerabatur, ut docet Plin. 14. Hist. nat. 6. 8. (65). Sic Cels. 4. 5. a med. Vinum quam asperimum maximeque Signinum. (Adde eumd. 4. 19. et Marcell. Empir. c. 27. p. 125. Ald.). — Absolute apud Martial. 13. 116. Potabis liquidum Signina morantia ventrem. Cf. Sil. It. 8. 380. spumans immitti Signia musto et Colum., qui 10. R. R. 131. laudat cymata, quæ pariunt Marrucini et Signia monte Lepino. ¶ 2. Signina pira inter pira generosissima enumerat id. 5. ibid. 10., quod et Plin. facit 15. Hist. nat. 15. 16. (55). addens ab aliis appellari testacea, a colore: fortasse quia Signiæ testa nobilis erat: unde Signinum opus. Meminit horum pirorum et Juvenal. 11. 73., item Cloatius apud Macrob. 2. Saturn. 15., Cels. 2. 24. et 4. 19. et Scribon. Compos. 104. ¶ 3. Signinum opus quid sit, docet Plin. his verbis 35. Hist. nat. 12. 46. (165). Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmius durent, tusis calce addita: quæ vocant Signina, quo genere etiam pavimenta excogitavit. Colum. 1. R. R. 6. ante med. Solum perfossum et amurca madefactum, velut Signinum opus, paviculis condensatur. Vitruv. 8. 7. sub fin. Signinis operibus ex tectis aut a superioribus locis excipiendæ sunt copiæ aquarum. Cf. Pallad. 1. R. R. 17. Signini parietes. — Hinc

Signinum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est opus Signinum. Colum. 9. R. R. 1. Infossi lacus Signino consternuntur, qui receptam pluviatilem contineant. Ulp. Dig. 43. 20. 1. ad fin. Si quis terrenum rivum Signinum facere velit.

SIGNĬO, is, ire, a. 4. (signum) unde insignio, agnoscitur a Priscian. Partit. XII. vers. Æn. p. 1263. Putsch., nullo tamen auctore laudato.

SIGNĬPŎTENS, entis, adject. (signum et potens) signis sive sideribus potens. Cic. Arat. 475. Signipotens nox.

SIGNĬTĔNENS, entis, adject. (signum et teneo) signa tenens, signifer, signis seu sideribus ornatus. Varro 5. L. L. 19. Itaque dicit Andromacha Nocti: Quæ cava cœli signitenentibus conficis bigis.

SIGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (signum) Part. Signans I, 5. et II. 3.; Signatus fere in omnib. paragr. et in fin.; Signaturus I. 5.; Signandus I. 1. — Signo est notam appono, signum appingo aut imprimo, ut docet Fest. p. 340. 3. Müll. Signare dicitur signis notare, ut in pecoribus fit; sed antiqui eo pro scribere utebantur: unde et subsignare et consignare inveniatur positum pro subscribere et conscribere., σημειόω (It. notare, segnare; Fr. marquer, indiquer, mettre une marque, une empreinte, un signe; Hisp. poner una marca ó señal, marcar, indicar; Germ. e. Zeichen versehen, zeichnen, bezeichnen; Angl. to mark, mark out).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucil. apud Non. p. 405. 17. Merc. Discrimen non facit neque signat linea alba. Nov. apud Priscian. p. 657. Putsch. Signare oportet frontem calida forcipe. Plaut. Cist. 4. 2. 28. Ecce locum signat, ubi cistella excidit. Sic Tibull. 4. 1. 97. aut signata cita loca tangere funda. il bianco, il segno. et Seneca Agam. 354. de vacca. Nescia aratri, nullo collum signata jugo. Virg. 2. G. 379. admorso signata in stirpe cicatrix. et 4. ibid. 15. Et manibus Procne pectus signata cruentis. Ovid. 8. Met. 539. Signata saxa nomine. Id. 1. Art. am. 291. de tauro. Signatus tenui medis inter cornua nigro. Stat. 3. Theb. 681. laceris turbata capillis Et fletu signata genas. Horat.

Art. P. 158. Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo Signat humum. *h. e.* vestigia facit. *Virg.* 3. *G.* 171. summo vestigia pulvere signent. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 42. (et *Virg.* 1. *G.* 126.) Signabat nullo limite mensor humum. *Id.* 4. *Fast.* 819. Mœnia signare aratro. *Id.* 10. *Met.* 210. Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbam, et 13. *ibid.* 753. octonis iterum natalibus actis, Signabat teneras dubia lanugine malas. *Martial.* 9. 53. Signandi (*dies*) melioribus lapillis. *Id.* 14. 33. Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis. ¶ 2. Speciatim dicitur de scribente. *Ovid.* 2. *Met.* 326. Corpora dant tumulo, signantque hoc carmine saxum: Hic situs est Phaethon etc. *Virg.* 3. *Æn.* 387. rem carmine signo. *Colum.* 1. *R. R.* 3. *a med.* Quod vir eruditissimus traditum vetus præceptum numeris signavit. *Plaut. Rud.* 5. 2. 7. Cubitum longis litteris signabo jam usquequaque, Si quis etc. *Hieronym.* in *ep. ad Gal.* 6. 11. Epistolam suam (*Paulus*) sua annotatione signavit. *h. e.* subscripsit. Adde *Cyprian. Ep.* 67. — Hinc Part. *signatus* idem ac perscriptus, notatus. *Ovid.* 2. *Fast.* 7. Idem sacra cano signataque tempora Fastis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (46). Coloniarum mentione signata, quas ille in eo prodidit numero. ¶ 3. Item de pingente aut sculpente. *Martial.* 9. 75. Florentes nulla signavit imagine vultus. *non fece alcun ritratto.* ¶ 4. Hinc *signare aurum, argentum, æs* est nummos publica nota impressa cudere, *coniare. Cic.* 3. *Legg.* 3. Æs, argentum aurumve publice signanto. *Id.* 13. *Fam.* 19. Quum signaretur argentum Apolloniæ. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42). Proximum scelus fecit, qui primus ex auro denarium signavit. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 63. Navis plena argenti facti atque signati. *lavorato e in moneta.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (43). Servius rex primus signavit æs: antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata. *et mox.* Denarius signatus Victoria. *Ovid.* 1. *Fast.* 229. cur navalis in ære Altera signata est, altera forma biceps? ¶ 5. Item est sigillo obsignare, *sigillare. Plin.* 2. *Ep.* 20. Aurelia, ornata femina, signatura testamentum etc. *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 15. ut arcanas possim signare tabellas, Neve tenax ceram siccave gemma trahat. *Martial.* 9. 88. Nunc signat meus annulus lagenam. *Id.* 5. 39. Supremas tibi tricies in anno Signanti tabulas. *h. e.* testamentum. Et absolute eodem sensu 10. 70. Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam. *Cic.* 11. *Att.* 1. Accepi a te signatum libellum, quem Anteros attulerat. *Nepos Pelop.* 3. Signata epistola. *Tibull.* 4. 7. 7. Signatæ tabellæ. *Cæs. fragm.* apud *Charis.* 1. *p.* 60. *Putsch.* Locellum tibi signatum remisi. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 2. Augusto reddes signata volumina, Vinni. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 14. (33). *de rubrica Lemnia.* Nec nisi signata venundabatur: unde et sphragidem appellavere. *Martial.* 13. 30. Caseus Etruscæ signatus imagine lunæ. — *Signata jura,* h. e. fœdera sancita et quasi sigillo impresso utrinque firmata. *Lucan.* 3. 301 signataque jura Et causas, non fata sequi. Hinc illud *Vulgat. interpr. Apoc.* 22. 10. Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus. *h. e.* sub sigillo clauseris. et *Matth.* 27. 66. Signantes lapidem cum custodibus. *h. e.* sigillo obsignantes ¶ 6. *Signo* apud Ecclesiasticos scriptores est signo crucis obsigno. *Cyprian. ad Donat.* 15 *init. de sacramento Confirmationis.* Tu, quem jam spiritualibus castris cælestis militia signavit, tene incorruptam disciplinam. Adde *Inscript.* apud *De-Rossi, de titul. Christ. Cartag. p.* 24. *Tertull.* 2. *Uxor.* 5. Quum corpusculum tuum signas.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est ostendere, designare, indicare, explicare. — *a*) Universim *Tac. dial. de Orat.* 23. Neminem nominabo, genus hominum signasse contentus. *Quintil.* 6. 2. *circa med.* Et ut proxime utriusque differentiam signem, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. *Id.* 1. 4. 17. Sed mihi locum signare satis est. non enim doceo, sed admoneo docturos. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 291. Signat prodigiis casus natura futuros. *Quintil.* 2. 14. 1. Non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur, sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. *h. e.* significare. *Id.* 12. 10. 16. Quæ proprie signari poterant, circuitu cœperunt enunciare. *Id. declam.* 12. 12. Parum proprie hoc legis verbo nefas istius signatur. *Lucan.* 4. 655. Signare nomine terras. *h. e.* dare nomina terris, appellare. *Martial.* 9. 17. *de Earino.* Nomine qui signat tempora verna suo. *Cic. Orat.* 19. *a med.* Quamquam - omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. *h. e.* significata. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 29. Quomodo habebit, in quo bonitatem suam signet. *h. e.* ostendat, vel conferat bonitatem suam. — *b*) Sequente infinito. *Albinov.* 4. Quod verum esse, patris epistola signat. — *c*) Cum particula relativa. *Vellej.* 2. 115. 1. In qua regione quali adjutore legatoque fratre meo usus sit, amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donavit, signat memoria. *Vulgat. interpr. Joh.* 3. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est. *h. e.* fassus vel testatus est. ubi *quia* est idem quod Hebr. *kij*, vel Gr. ὅτι. Alii referunt ad paragr. 3. *V.* infra. ¶ 2. Speciatim, metaphorâ ductâ a super. paragr. 3. *Cic. Fat.* 19. 43. Visum objectum imprimet et quasi signabit in animo suam speciem. *Ovid. Remed. am.* 417. Tunc animo signa quodcumque in corpore mendæ est. *Martial.* 6. 27. Filia, quæ patrii signatur imagine vultus. *h. e.* vultu refert patrem. ¶ 3. Item metaphorâ ductâ a super. paragr. 5., potissimum a testamentis, quæ signantur, ut rata sint. *Plin.* 10. *Ep.* 44. Vota pro incolumitate tua et suscipimus et solvimus precati deos, ut velint ea semper solvi semperque signari. *h. e.* concipi et firmari. *Martial.* 4. 45. Ut qui prima novo signat quinquennia lustro. *h. e.* claudit ætatis annum quintum, et ad sextum, qui alterius lustri initium est, transit. *Tertull. Apolog.* 21. Dies media, orbem signante sole subducta est. *h, e.* occultante lumen suum et obsignante. In illo *Vulgat. interpr. Joh.* 3. 33. *supra cit. signare* est, ut quidam interpr., subscribere et veluti obsignatis tabulis fateri. Cf. *eumd.* 6. 27. ¶ 4. Prægnanti, ut ajunt, sensu, est observare, *osservare, notare. Virg.* 2. *Æn.* 422. primi clipeos mentitaque tela Agnoscunt, atque ora sono discordia signant. *Id.* 12. *ibid.* 2. videt, sua nunc promissa reposci, Se signari oculis. *Martial.* 9. 60. Myrrhina signavit, seposuitque decem. ¶ 5. Item ornare, decorare, insignire. *Virg.* 6. *Æn.* 781. Et pater ipse suo Superum jam signat honore. *Claudian. Nup. Honor. et Mar.* 272. si Bacchus amator Dotali potuit cælum signare Corona. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Signatus, a, um, adjectivorum etiam more translate occurrit; unde Comp. *Signatior.* — Signatus ¶ 1. Est clausus, obseratus, custoditus, *chiuso, custodito. Propert.* 4. 1. 145. Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt Limina. *Varro* apud *Non. p.* 397. 32. *Merc.* Signati sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt sacri. *Lucil.* apud *eumd. p.* 171. 5. Chrysidem negat signatam reddere. *h. e.* integram, inviolatam. Sic *Tertull. Exhort. ad castit.* 12. Adsume de viduis fide pulcram, paupertate dotatam, ætate signatam. ¶ 2. Est etiam significans, evidens. *Tertull. Resurr. carn.* 13. Quid expressius atque signatius in hanc causam? aut cui alii rei tale documentum?

SIGNUM, i, n. 2. — *a*) Quod ad scriptionem attinet, *singnum* pro *signum* habent *Inscriptt.* apud *Gruter.* 37. 13., 42. 4. et 54. 8. — *b*) Quod ad formam, *signus* masc. gen. occurrit in Cod. Rehd. *Vulgat. interpr. Ital. Joh.* 2. 6. Post hunc signum. Cave tamen usurpes. — *Signus* pro *signo* legitur apud *Murat.* in *Inscr.* 1382. 8. (*V.* I. 3.) et apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1873. *p.* 71. et *a.* 1869. *p.* 61. — *c*) De quantitate prioris syllabæ dicendum est, nonnullos putare contrahi posse, quum mutam liquidamque litteram præcedat: ita namque legunt apud *Lucret.* 5. 918. Nil tamen esse signi, *At ibi legend.* Nil tamen est signi. V. *Lachmann.* — *d*) Ratione habita etymi, nil certi proferri potest; ceterum recentiores etymologi conjungunt cum *sequi* (*secere*) pro dicere. Cf. Germ. *sagen* vel *zeichen.* Alii ducunt a Skr. *cihna*, signum. Quidam vero censent ab εἰκός factum, præposita, ut sæpe fit, littera sibilante. Cf. I. 14. — Signum est nota, vestigium, indicium, quidquid nos in alterius rei notitiam ducit, teste *Cic.* 1. *Invent.* 30. 48. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quæ his sunt similia, σημεῖον (It. *segnale, segno, marco, traccia, indizio;* Fr. *signe, marque, empreinte, caractère;* Hisp. *marca, señal, impresion;* Germ. *d. Zeichnen, Kennzeichen, Merkmal;* Angl. *a mark, sign*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 45. ubi aspexit me, oculis mihi signum dedit. *Ter. Andr.* 3. 2. 1. quæ adsolent, quæque oportet Signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Id. Eun.* 4. 7. 11. Signa dare. *Cic.* 2. *Orat.* 41. 174. Signa et notas ostendere locorum. *Ter. Andr.* 3. 3. 7. Num ejus color pudoris signum indicat? *Afran.* apud *Non. p.* 267. 27. *Merc.* Nam ut signa indicant, hi conjecere verba inter se acrius. *Varro Sat. Menipp.* 7. *p.* 96. *Oehl.* Candidum lacte e papilla quum fluit, signum putant Partuis. *Cæs.* 1. *B. C.* 71. Signa timoris mittere. *Madvig* pro *mittere* ait scribendum certissime *dare.* et *Cic.* 2. *Orat.* 45. *ad fin.* Neque facile est perficere, ut judex ad misericordiam adducatur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. *Virg.* 1. *G.* 263. Aut pecori signum aut numerum impressit acervis. *marco.* et 8. *Æn.* 212. Quærenti nulla ad speluncam signa ferebant. *h. e.* vestigia, *orme.* et *Nepos Agesil.* 7. *ad fin.* Domum qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: contra, plurima patientiæ atque abstinentiæ. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. *in fin.* Signum quibusdam dare cantandi. *Ovid.* 4. *Met.* 63. Loqui nutu et signis. *Id.* 15. *ibid.* 595. Dicere aliquid signo. *Ter. Adelph.* 5. 3. 36. Facere conjecturam ex signis. *Quintil.* 3. 6. 29. Rem aliquam signis colligere. — *Hoc signi est* vel *erit. Cato R. R.* 88. Hoc signi erit, ubi calx cocta erit, summos lapides coctos esse oportebit. — *b*) Cum Infinito. *Ter. Heaut.* 2. 3. 57. Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 59. Quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. *Nepos Att.* 17. Quod est signum, nullam inter eos querimoniam intercessisse. ¶ 2. Speciatim dicitur de ostentis, et quæ mali aut boni aliquid prænuncient. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Equus ejus repente concidit: nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret prœlium. *Virg.* 3. *G.* 503. Hæc ante exitium primis dant signa diebus. Adde *ibid.* 440. et 4. *ibid.* 253. *Vulgat. interpr. Luc.* 21. 11. Signa magna erunt. ¶ 3. Item signum est populare cognomentum vel agnomen alicui facetiarum causa inditum, quod *vocabulum* quoque *Tac.* 1. *Ann.* 23. appellat. *Vopisc. Aurelian.* 6. Aurelianus fuit gladii exserendi cupidus; nam quum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic et alius, qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrum;* ut si forte quæreretur, quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum,* atque cognosceretur. *Inscript.* apud *Murat.* 1382. 8. OCTAVIAE FELICITATI SIGNO LEONTI CONIVGI DVLCISSIMAE ET INCOMPARABILI AVR. FELICISSIMVS SIGNV (*lege* signo) LEONTIVS B. M. F. Alia apud *Gruter.* 631. 7., in qua LVCILIVS METROBIVS SIGNO SAPRICIVS. Adde aliam apud *Fabrett. p.* 252. *n.* 42. et *Rénier, n.* 1777. V. *Minervini* in *Bullett. archeol. Napolit. a.* 1856. *p.* 62. ¶ 4. Item *signa* dicuntur verba decurtata vel compendiaria, *abbreviature. Hieronym. De vit. susp. contub.* Extemporalis est

dictatio et tanta ad lumen lucernulæ facilitate profusa, ut notariorum manus lingua præcurrat et signa ac furta verborum volubilitas sermonum observet. ¶ 5. Item meta, scopus, *bersaglio*. Translate apud *Vulgat. interpr. Luc.* 2. 24. Positus est hic puer in signum, cui contradicetur. Græce est κεῖται εἰς σημεῖον. Aliter *Grimm, Lex. Gr. N. T.* ad *h. v.* Adde *Job* 16. 13. ¶ 6. Item quod ante tabernas solet suspendi, *insegna. Quintil.* 6. 3. *ante med.* Tabernæ erant circa forum ac scutum illud signi gratia positum. V. *Livii loc. cit.* in LINGUA. ¶ 7. Item statua, effigies, simulacrum, imago vel fusilis vel sculptilis vel intexta, *statua, immagine:* quia signum est ejus, cujus simile est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 265. in cistula Amphitruonis obsignata signo est. so. signi dic quid est? Cum quadrigis sol exoriens. *Sall. Cat.* 11. Signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 1. Nego signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum fuisse, quin etc. *Id.* 1. *Off.* 41. 147. Pictores et ii, qui signa fabricantur. *Id.* 1. *Divinat.* 35. 77. Signum Jovis Statoris. *Virg.* 9. *Æn.* 263. argento perfecta atque aspera signis Pocula. Adde 5. *ibid.* 267. *Id. ibid.* 536. Cratera impressum signis. *et* 1. *ibid.* 652. pallam signis auroque rigentem. *Quintil.* 2. 19. 3. Si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere – si illud idem artifex expolisset. ¶ 8. Item dicitur de imagine annulo aliive rei insculpta ad obsignandum, *sigillo*, σφραγίς. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. Ostendi tabellas Lentulo et quæsivi, cognosceretne signum. annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri. *Id. ibid.* 3. 6. Litteræ, integris signis, prætoribus traduntur. *Id. Quinct.* 6. 25. Tabulæ signis hominum nobilium consignantur. *Id.* 9. *Att.* 10. *circa med.* Volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime. *sotto sigillo, sotto chiave, chiuso.* et 1. *leg. Agr.* 7. 21. Nos sub signo claustrisque reipublicæ positum vectigal servare non potuisse. — Huc pertinet illud *Vulgat. interpr. Eccli.* 46. 13. Zorobabel quasi signum in dextera manu. *h. e.* annulus signatorius, qui subsignando inserviebat. — In illo tamen 2. *Thess.* 3. 17. Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, *signum* non est sigillum, sed ipsa Pauli salutatio. V. *Cavedoni* in *Memor. di Modena Ser.* III. *T.* 17. *p.* 8. *et seqq.* et *Curci* in *Comment.* ad *h. l.* ¶ 9. In re militari — *a*) Est vexillum, *bandiera, stendardo, gonfalone, insegna:* quia fere effigies erat alicujus animalis, ut aquilæ, lupi, draconis, apri, equi etc. Aquila erat princeps signum totius legionis: hinc *Veget.* 2. *Milit.* 13. Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat.; deinde quot erant in legione manipuli, suum quisque signum habebant. Unde *Lucan.* 1. 6. infestisque obvia signis Signa, pares aquilas etc. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. Adde 1. *Ann.* 18. *Cic.* 2. *Cat.* 6. *a med.* Arma, secures, fasces, tubæ, signa militaria, aquilam illam argenteam etc. *Liv.* 33. 1. Cum unius signi militibus pergit ire ad urbem. *et ibid.* 7. Tam densa caligo obcæcaverat diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cernerent. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Signifero interfecto, signo amisso. *et* 4. *ibid.* 26. Signa subsequi. *et* 5. *ibid.* 16. *et* 33. Ab signis discedere. *Sall. Jug.* 48. *a med.* abesse. *et ibid.* 55. Neque signa, neque ordines observare. *Cæs.* 1. *B. C.* 71. Signa servare. *Sall. Cat.* 9. *ad fin.* relinquere. *Id. Jug.* 60., *Nepos Datam.* 6. et *Cæs.* 2. *B. G.* 25. et 7. *ibid.* 67. inferre. *h. e.* in hostem ferre, armis et animis infestis ad hostem accedere, pugnam inire. *Sall. Cat.* 63. Maxumo clamore, signis infestis concurrunt: pila omittunt: gladiis res geritur. *Cic. Pis.* 21. 49. Conferre signa cum hoste. *attaccar la battaglia.* Sic *pro leg. Manil.* 23. et *Liv.* 2. 50. Collatis signis pugnare. *h. e.* integris aciebus utrinque dispositis et oppositis. *Virg.* 11. *Æn.* 517. Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis. *V.* COLLATUS. *Tac. Germ.* 7. Effigiesque et signa quædam detracta locis in prœlium ferunt. *Sall.* *Jug.* 80. Signa sequi. *Curt.* 4. 7. 15. prima antecedere. *Liv.* 3. 1. convellere. *et ibid.* 50. vellere. *et* 1. 14. movere. Adde *Sil. It.* 4. 276. *Lucan.* 7. 77. revellere. *Liv.* 4. 21. habere. *Id.* 9. 35. vertere. *Cæs.* 3. *B. C.* 69. manu prendere. *Liv.* 6. 24. circumagere. *Id.* 34. 15. præ se ferre. *Madvig.* corrig. *propere ferre.* et *Auct. B. Alex.* 57. tollere. *Ammian.* 27. 10. 6. figere. *Id.* 14. 2. 10. locare. *Sall. Cat.* 59. collocare. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. Convenire ad signa. *Sil. It.* 15. 420. Signa coronare diebus festis. *Liv.* 4. 37. Signa resistentia. *Id.* 1. 12. prima. *Id.* 5. 18. Ante signa. *et* 2. 49. Post signa. — *Auct. B. Hisp.* 18. E suo signo periisse homines triginta quinque. *h. e.* ex iis, qui sub signo suo erant. — *Sub signis* milites esse dicuntur, quum suis ordinibus dispositi atque armati in castris, in agmine, in acie sunt. *Lucret.* 5. 997. At non multa virum sub signis milia ducta Una dies dabat exitio. *Planc.* ad *Coss.* 10. *Fam.* 8. *a med.* Legiones habeo quinque sub signis, reipublicæ conjunctissimas. *Liv.* 3. 51. *a med.* Porta Collina Urbem intravere sub signis. *Cic.* 16. *Att.* 8. Legionem sub signis ducere. *Tac* 2. *Hist.* 14. Quingenti Pannonii nondum sub signis. — *Adjutor signorum*, gradus in militia Rom. *Inscript.* apud *Murat.* 830. 4. — Signa exercitus Rom. servabantur in ædicula. *Stat.* 10. *Theb.* 176. Cf. *Herod. l.* 4. ὡς δὲ εἰσῆεσαν εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴς τε τῶν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου πρὸς κυνεῖται. — Apud signa præcipui castrorum actus celebrabantur. *Stat. ibid.* V. *Bernart.* adnot. — Signa sunt etiam collegiorum artificum, *V.* VEXILLUM. — *b*) Est etiam sonus tubæ pugnam aut iter aut aliud quippiam indicentis; tesseræ, et unum aut duo verba (rarius plura) ab imperatore concepta, quibus utebantur in obeundis vigiliis. V. *Lips. Milit. Rom.* 4. 12. *Boecl. Sueton. Ner.* 9. Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit *Optimam matrem.* et *Cal.* 56. Tribuno signum petenti, *Priapum* aut *Venerem* dare consueverat. *Id. Claud.* 42. Quoties hostem, vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno signum de more poscenti non temere aliud dedit, quam Ἄνδρ᾽ ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ. et *Virg.* 7. *Æn.* 637. it bello tessera signum. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 7. *V.* TESSERA. *Virg.* 3. *Æn.* 239. dat signum specula Misenus ab alta Ære cavo. *Sall. Cat.* 62. et *Virg.* 10. *Æn* 310. Signa canunt. primus turmas invasit agrestes Æneas. Adde *Sil. It.* 11. 132. *Liv.* 4. 31. Incertam aciem, signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus, invasere Vejentes. *cani* dixit, quia signum pugnæ tubarum cantu proponi consuevit, quo miles ad prœliandum accenderetur. Hinc et *Cæs.* 3. *B. C.* 92. signum concinere. *Id.* 7. *B. G.* 19. exposcere. *Liv.* 9. 23. proponere. *Virg.* 8. *Æn.* 1. efferre. *Curt.* 3. 8. 23. accipere. — *Signum dare* præsertim est quod nos dicimus *dare il segno della battaglia. Ter. Eun.* 4. 7. 11., *Liv.*, *Tac.* etc. Hinc *signo dato*, quum jussu imperatoris initur pugna et acies tota movetur ad rem gerendam. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt. *Sall. Jug.* 24. Milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt. *Cic. Harusp. resp.* 11. Vis innumerabilis repente fornicibus ostiisque omnibus in scænam, signo dato, immissa irrupit. *Nepos Iphicr.* 2. Quum prœlii signum ab imperatore esset datum. et *Hannib.* 11. Priusquam signum pugnæ daretur. — Hinc translato sensu. *Cic. Fontej.* 16. 34. At infestis prope signis inferuntur Galli in Fontejum, et instant atque urgent summo cum studio etc. *Id. Pis.* 15. 34. Mei capitis servandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit. *Seneca Brevit. vit.* 12. *circa med.* Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrant. *Id. Ep.* 95. *ante med.* Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam cenam discurritur. — *Signum petere*, eod. sensu, apud *eumd.* 4. *Benef.* 2. Virtus docere debet, imperare, summo loco stare: tu illam jubes signum petere. *h. e.* exspectare nutum voluptatis eique parere. — *Signum tollere*, eod. sensu, auctorem fieri, præire hortando, invitando, *alzar bandiera. Cic. Marcell.* 1. 2. His omnibus, ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. ¶ 10. Hinc in circensibus ludis dicitur de consule vel prætore signum dante incipiendi cursus. *Enn. Ann.* 87. Signum mittere. *Liv.* 8. 40. Signum mittendis quadrigis dare. — Similiter *Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 121. *Oehl.* Dum in esseda coronam adlatam imponeret ædilis signo. *Alii leg.* signosiæ; *alii aliter.* Locus desperatus. V. cl. *De-Vit* ad v. SIGNOSIA, quam hoc Lexico expunximus. ¶ 11. In re agraria est id, quo limites designantur. *Agenn. Urb. ad Front. p.* 72. 27. *Lachm.-Rudorff.* Signa, quibus territoria finiuntur. *Frontin. p.* 13. 4. Hæc autem controversia frequenter in arcifiniis agris variorum signorum demonstrationibus exercetur. *Id. ibid. p.* 33. 8. Ad omnes angulos signa ponere, quæ normaliter ex rigore cogantur. ¶ 12. In re medica *signum* est indicium proxime futuri aut præsentis morbi. *Cels.* 2. *prol.* Adversæ valetudinis signa complura sunt. Adde *ibid. c.* 1. 2. 3. 4. et 5. *Cic.* 1. *Divinat.* 70. *ad fin.* Medici signa quædam habent ex venis et ex spiritu ægroti: multisque ex aliis futura persentiunt. *Cæc. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 190. Signa præsentia. *et ibid.* concurrentia. *Id.* 1. *ibid.* 1. 29. Præsentis passionis signa necessaria. Omne signum ad eam rem, quam significat, intelligitur. Quomodo igitur signum vocari potest, cujus non solum præsens non est quod ostenderit, verum etiam in quibusdam neque erit? *Id.* 2. *ibid.* 3. 13. Signum indicabile. *h. e.* signum vere ac proprie indicans. *Id. ibid.* 33. 176. Aliud est signum, aliud accidens. Nam signum neque recedit et semper significato conjunctum est. Accidens autem quod Græci symptoma vocant, nunc advenit, nunc recedit. ¶ 13. In re astronomica est sidus, *costellazione, segno celeste, astro,* ἄστρον, ζώδιον: quia secundum fabulas alicujus animalis similitudinem habet. *Varro* 7. *L. L.* 14. Signa dicuntur eadem et sidera: signa quod aliquid significent, ut libra æquinoctium. *Quintil.* 11. 2. 22. In XII. signis, per quæ sol meat. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 121. Si luna defecisset in signo leonis. *Id.* 1. *Invent.* 34. 59. Signorum ortus et obitus. *Ovid.* 5. *Fast.* 113. Nascitur Oleniæ signum pluviale capellæ. *Id.* 13. *Met.* 618. quum sol duodena peregit Signa. *Enn. Ann.* 416. *Vahl.* Nox signis præcincta. *Id. ibid.* 218. Vertitur interea cælum cum ingentibus signis. — Collegit Signorum omnium cælestium nomina uno carmine *Auson. Eclogar. de signis cælestib.* V. ¶ 14. In re mathematica est punctum. *Capell.* 6. *p.* 228. Principium σημεῖον (*Geometriæ planæ*), quod punctum vel signum Latialiter appellatur. *Id. ibid. p.* 231. Ab omni signo ad omne signum directam lineam ducere. Cf. *Balb. Expos.* et *rat. mens. p.* 97. Signum est, cujus pars nulla est –; signum autem sine parte est initium, a quo omnia incipiunt. Sic *Capell.* 6. *p.* 228. Mihi signum vocatur, quod utpote incomprehensibile parte nulla discernitur. ¶ 15. In re philosophica *signum* ita definit *Boeth.* 2. *Prior. Anal. Arist.* 27. *Eicos* et *signum* non idem est, sed eicos quidem est propositio probabilis –. Signum autem vult esse propositio demonstrativa vel necessaria vel probabilis, nam quo existente est, vel quo facto prius vel posterius res, signum est vel fuisse vel esse. Enthymema ergo est syllogismus imperfectus ex eicotibus et signis. Accipitur autem signum tripliciter etc. Cf. *Trendelenburg, Log. Arist. p.* 115. et *Facciolati Acroas.* I. *de Enthym.* ¶ 16. In re grammatica *signum* dicitur tempus syllabarum, quod et Græci σημεῖον vocant. *Mar. Victorin. p.* 2485. *Putsch.* Σημεῖον veteres χρόνον, id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quædam accentuum, quæ Græci προσῳδίαν vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur, unde tempora signa Græci dixerunt. ¶ 17. Signum est etiam similitudo vel figura rei futuræ vel alterius ordinis, ut ait *Augustin.* apud *Eugypp. Thesaur.* 259. Signum est præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem ve-

nire, sicut vestigio viso, transissé animal, cujus vestigium est, cogitamus. *Vulgat. interpr. Luc.* 11. 29. Generatio hæc signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ etc. Cf. § 3. ¶ 18. Hinc *signa* dicuntur etiam miracula, prodigia. *V.* infra Homonym. *Vulgat. interpr. Is.* 7. 11. Dabit Dominus ipse vobis signum. *Id. Joh.* 2. 11. Hoc fecit initium signorum Jesus. *et alibi* passim. ¶ 19. *Signum Filii hominis* apud *eumd. Matth.* 24. 30. est crux, quod est vexillum victoriæ et gloriæ. Hinc *Augustin. Tract.* in *Joh.* 110. Quid est signum Christi, nisi crux Christi? — De hoc signo, quod *signum Domini, signum cœleste* etiam appellatur in antiquis monumentis Christianis, fuse disserit cl. *De-Rossi, de Titul. Christ. Carthag.* apud *Pitra, Spicil. Solesm. T.* 4. *p.* 529. *et seqq.* ¶ 20. Hinc signum dicitur etiam de sacramento Confirmationis, quod conficiatur unctione in modum crucis. Cf. *Marini* apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1869. *p.* 24. *et seqq.* ¶ 21. Huc etiam pertinet formula in clavo magico in *Annali dell'Istit. archeol. a.* 1846. *p.* 216. Ter dico, Ter incanto in signu Dei.

Homonym. I.) *Statuæ* et *signa* differunt in illo *Caton.* apud *Gell.* 3. 7. Gratiam præcipuam claritudinis inclutissimæ decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis. *et Plin.* 1. *Ep.* 20. Statuas, signa, picturas nihil magis, quam amplitudo commendat. Scil. *signa* proprie sunt simulacra deorum, *statuæ* imagines hominum, quod probatur auctoritate *Inscript.* apud *Gruter.* 174. 8. IVNIA D. F. RVSTICA SIGNVM AEREVM MARTIS ET SIGNVM CVPIDINIS ET STATVAS SIBI ET C. FABIO IVNIANO F. SVO POSVIT. Verum *Cato* apud *Priscian.* 7. Miror audere et religionem non tenere, statuas deorum exempla eorum facierum, signa domi pro supellectile statuere. Cf. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 110. Insistebat in manu Cereris dextra grande simulacrum pulcherrime factum Victoriæ: hoc iste e signo Cereris avellendum asportandumque curavit. — Præterea, ut docet *Popma*, interdum *signum* dimidiam habet eminentiam et hæret in ipsa materia, in qua vel incisum est, ut in gemma; vel incrustatum aut affixum, ut in vase cælato; vel intextum, ut in veste. *Virg.* 1. *Æn.* 648. pallam signis auroque rigentem. *Statua* vero integra undique et solida prominet, neç materiæ, unde facta est, inhæret. — In illo *Tac.* 1. *Ann.* 74. Alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. *statua* dicitur de toto corpore; *effigies* vero de vultu vel de parte corporis superiore, quam nos dicimus *busto*. Sic 2. *Hist.* 3. Simulacrum deæ non effigie humana. *Sueton. Aug.* 31. Statuæ triumphali effigie. Adde *Curt.* 3. 3. 17.

II.) *Signa* et *vexilla* sæpe ab historicis junguntur, sed eo differunt, quod *signa* erant oblongæ hastæ, in quarum summitate breve transversim affixum erat lignum in formam crucis cum cohortis titulo; *vexilla* erant parva vela: illa habebant Cæsarum ex auro argentove imagines inneras a summo ad medium; hæc eorum quoque nomina præferebant. *V.* VEXILLUM. *Sueton. Ner.* 13. Inter signa militaria et vexilla. *Tac.* 1. *Hist.* 36. Medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. *Id.* 2. *ibid.* 18. 18. Correptis signis vexillisque tuere. V. *Popm.*

III.) *Signa, portenta, prodigia* et *virtutes* apud *Vulgat. interpr.* S. Scripturæ ita differunt, ut *signa* dicantur miracula, quod indicia sint veritatis et doctrinæ ac testimonia; *portenta* et *prodigia*, quod tam naturæ vim, usum et cursum, quam hominum opinionem ac scientiam superent; *virtutes*, quod sint opera potentiæ divinæ. Aliter *Thom.* in *Comment. in ep. ad Hebr.* 2. 4. « *Virtus* dicitur quod est secundum naturam quoad substantiam rei, non vero quoad modum; *portenta* et *prodigia*, quæ sunt contra naturam; *signa*, quæ præter vel supra naturam ». *Vulgat. interpr. Deut.* 6. 22. Fecit signa et prodigia. *Id. Hebr.* 2. 4. Contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus. Promiscue tamen etiam usurpantur, vel conjuncte ad majorem vim. Cf. *Grimm, Lex. Gr. N. T.* ad *v.* σημεῖον. et *Fritzsche, Ep. ad Rom. T.* III. *p.* 270. *sqq.*

SIL, silis, n. 3. Vox originis incertæ. *Auson. Edyll.* 12. *Technopægn. in Grammaticomast. v.* 8. Estne peregrini vox nominis, an Latii, sil? Sunt qui a Gr. ἰλύς, limus, ducant, fautoremque habent *Plin.*, qui, *loc. mox citand.* sil, inquit, proprie limus est. — Sil ¶ 1. Est genus coloris fossicii, lutei seu flavi, *sorta di color giallo*, ὤχρα. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 56. (158). In argenti et auri metallis nascuntur etiam pigmenta, sil et cæruleum. Sil proprie limus est. Optimum ex eo, quod Atticum vocatur: proximum marmorosum: tertium genus pressum, quod alii Syricum vocant ex insula Syro. *et ibid.* 13. 57. (160). Sile pingere instituere primi Polygnotus et Mycon, Attico dumtaxat. Hoc secuta ætas ad lumina usa est: ad umbras autem Syrico etc. *et ibid.* 57. (164). Teritur difficillime sil. in medendo leviter mordet adstringitque et explet ulcera. *Vitruv.* 7. 11. Glæba silis boni coquitur, ut sit in igne candens: ea autem aceto extinguitur et efficitur purpureo colore. — De ejus usu in medicina *V. Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 57. ¶ 2. Est etiam *silis* idem ac seselis herba. *V.* SILATUM et SESELIS.

SĪLĀCĔUS, a, um, adject. (sil) ad sil pertinens. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 32. (50). Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere: ex albis Melino, ex silaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento. *Vitruv.* 7. 4. *a med. et ibid.* 5. Cunei silacei et miniacei.

SĪLĀNA, æ, f. 1. et

SĪLĀNUM, i, n. 2. *V.* in voc. seq.

SĪLĀNUS, i, m. 2. vultus aenèus vel marmoreus, in cujus ore desinit fistula, unde aqua effunditur: *mascherone della fontana* ita dicitur, quia ille plerumque refert personam Sileni, qui Græce Σιληνός et Dorice Σιλανός appellatur. Id apparet ex nummis apud *Morell. Fam. Rom.* in gente Junia *tab.* 1. *n.* 6., qui hanc Sileni personam in aversa parte habent, simulque alludunt ad cognomen D. Junii Silani. *Gloss. Philox.* Κρουνός, fluor, tubus, silvanus (*lege* silanus). Item Silanus, Silana, κρήνη, Silanum, ὑδρίον. *Lucret.* 6. 1262. Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora silanos ad aquarum strata jacebant. *Cels.* 3. 18. *a med.* Confert etiam aliquid ad somnum silanus juxta cadens. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3321. C. IVLIVS SEVERVS OB HONOREM MAGISTERI COLL. FABRVM SILANVM PECVNIA SVA FECIT MVCIANO ET FADIANO (*lege* Fabiano) cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CCI. Adde *Hygin. fab.* 169.

Homonym. *Silanus* differt a *rivo*, quia silanus est artificio factus, cujus fistula e ligno, plumbo, ære, etc., rivus canalis terrenus aut lapideus, per quem pars aquæ e flumine aut fonte decurrit. *Festus* in *Tullios p.* 352. 34. *Müll.* Tullios alii dixere silanos, alii rivos. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĪLĀTUM, inquit *Festus p.* 347. 25. *Müll.*, antiqui pro eo, quod nunc jentaculum dicimus, appellabant, quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant. Vox est adjectiva, et subauditur *vinum* sili sive seseli conditum.

SILAUS, i, m. 2. apium palustre, herba nascens glareosis et perennibus rivis, cubitalis apii similitudine. Coquitur ut olus acidum, magna utilitate vesicæ. (*Apium graveolens* Linn.) *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 56. (88). *et seqq.*

SILE, es, f. 1. *Auct. comment.* in *Donat. art. maj. p.* 230. 16. *Hage.* Addita, adjuncta s. per dasian, vel detracta, subtracta per silen. — Sile a silendo dicitur. Ita *Auct.* Sed rectius, ut dasia est Gr. δασύς (spiritus) asper, sic sile est Gr. ψιλός (spiritus) lenis.

SĪLĒNA, æ, f. 1. *Lucret.* 4. 1162. Simula, Silena ac Satura est. *h. e.* ea femina, quæ *simula*, nempe naso simo et colliso est, *Silena* aut *Satyra* vocatur, quia Silenus et Satyri simis naribus pinguntur.

SĪLĒNĬCĬUM vel

SĪLĒNĪTĬCUM, i, n. 2. genus hederæ idem ac selenitium. *V.* SELENITIUM. Apud *Plin. loco ibi cit.* selenitium *Sillıgius* dedit; verum in adnot. aliam lectionem, h. e. *Silenicum*, proponit, ut sit a *Sileno*, qui Bacchi nutritius et pædagogus fuerit, et quo nomen hoc hederæ genus acceperit. Hinc *Furlanetto* in *App.* ad *h. v.* « *Silenicius* ad Silenum pertinens. Hederæ genus aliud acino majore dicitur Bacchicum, quia Baccho sacrum est (*V.* HEDERA); aliud acino minore Silenicium, quia Sileno. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 63. et *ibid.* 34. 62. *de hedera* ».

SĪLENS, entis, partic. *V.* SILEO.

SĪLENTER, adverb. (silens) *tacitamente*, tacite. *Juvenc.* 2. 462. qua pingdia rura silenter Agmine Jordanis viridis prorumpit amœno. *Simplic. p.* 80. *Goes.* Si jam tempus excessit memoriam abalienationis, solet juris formula non silenter intervenire. Adde. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 24. 5. et *Isid.* in 1. *Reg.* 17. 6.

SĪLENTĬĀRĬUS, ii, m. 2. (silentium) servus, qui conservis suis in privatorum aut principum domibus silentium indicit, ἡσυχοποιός. Huc pertinent illa *Senec. Ep.* 47. Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet: virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur. *Salvian.* 4. *Gubern. D.* 3. Servi quippe pavent actores, pavent silentiarios, pavent procuratores; ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 445. 4. P. AELIVS AVG. LIB. TELESPHORVS SILENTIARIVS. Alia apud *Fabrett. p.* 206. *n.* LIV. T. AELIVS THEON AVG. LIB. SILENTIARIVS. — Postremis imperii R. temporibus servile hujusmodi ministerium ita nobilitatum fuit, ut dignitas palatina evaderet; hinc silentiarii fuerunt triginta cum tribus eorum decurionibus, qui in palatio Augustorum ad quietem pertinentia curabant. *Imp. Anastas. Cod.* 15. 62. 25. Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios, circa latus nostrum militantes, de tutelis et curationibus excusari sancimus. *Imp. Justinian. ibid.* 3. 28. 30. *ad fin.* Spectabiles silentiarii. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 207. *n.* 512. Q. SERVILIVS M. F. QVIR. SATVRNINVS SILENTIARIVS DOMESTICVS. Alia apud *Gruter.* 1053. 10. IVLIVS FELIX VALENTINIANVS V. C. ET EX SILENTIARIO SACRI PALATII. — De Silentiariis tituli habentur in *Cod.* 12. 16. et in *Cod. Theod.* 6. 23.

SĪLENTĬŌSĒ, adverb. (silentiosus) silenter. *Cassiod.* 11. *Variar.* 1. *ante med.* Paucis litigia nodosa dissolvit, bella ferventia sub quiete disponit, silentiose geritur publicum bonum.

SĪLENTĬŌSUS, a, um, adject. (silentium) silens, tacitus, quietus. *Apul.* 11. *Met. circa init.* Nactus opacæ noctis silentiosa secreta. *Cassiod.* 7. *Variar.* 7. *de præf. vigilum.* Discussor obscurus, arbiter silentiosus. *Id.* 8. *ibid.* 32. Studiose silentiosus.

SĪLENTĬUM, ii, n. 2. (sileo) reticentia, taciturnitas: sive a loquendo abstineatur, sive a quovis alio strepitu, σιγή (It. *silenzio, chetezza*; Fr. *absence de bruit, silence*; Hisp. *silencio*; Germ. *d. Lautlosigkeit, d. Stille sein, d. Stille, Sing*; Angl. *a being silent, silence, quietness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Cic.* 3. *Orat.* 35. *extr.* Hæc quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit et ceteris silentium fuit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Lupus egit causam agri Campani sane accurate. auditus est magno silentio. *Id.* 5. *Att.* 16. *sub fin.* De Partho silentium est. *non se ne parla.* et *Plin.* 1. *Ep.* 6. Silentium quod venationi datur. *che si osserva nella caccia.* et *Ter. Hecyr. prol. sub fin.* Causam accipite et date silentium. *Liv.* 1. 16. Obtinere silentium. *osservare.* et *Ovid.* 2. *Art. am.* 603. præstare silentia rebus. *Plin.* 1. *Ep.* 23. (et *Sueton. Cal.* 55.) Silentium indicere. *Id.* 4. *Ep.* 17. et 7. *Ep.* 6. tenere intra se. Adde *Liv.* 1. 28. *Plin. Paneg.* 55. et *Virg.* 10. *Æn.* 63. rumpere. *Ovid.* 9. *Met.* 691. suadere digito. *Tac.* 1. *Ann.* 25. manu poscere. *Quintil.* 11. 2. 48. inducere. *Gell.* 15. 2. Tum silentio ad audiendum petito, loqui

cœptabat. *Cic.* 2. *Att.* 19. *a med.* et *Quintil.* 2. 3. 1. Silentio quippiam transire. *passar sotto silenzio.* et *Partit.* 23. 82. et *Sull.* 21. 62. præterire. et 13. *Phil.* 6. 13. (et *Justin.* 43. 1. 2.) prætermittere. et 7. *ibid.* 3. 8. prætervehi. *Quintil.* 5. 13. *ante med.* dissimulare. *Curt.* 6. 7. 4. tegere. *Id. ibid.* 6. 8. 15. premere. *Id.* 8. 1. 23. Silentium habere. *Id.* 4. 6. 18. vincere. et *ibid.* 6. vitæ periculo sancire. *Quintil.* 10. 1. 38. De re aliqua silentium agere. *Id. ibid.* 3. 22. Silentium quam altissimum. — In plur. num. fere apud Poetas. *Ovid.* 1. *Met.* 349. Alta silentia agere. et 2. *ibid.* 700. fer opem furtoque silentia deme. *Stat.* 10. *Theb.* 890. torquent illum furibunda silentia. *Virg.* 3. *Æn.* 112. Silentia fida. *Stat.* 10. *Theb.* 91. pressisque silentia pennis Muta sedent. *Sever. Carm. bucol.* 5. Silentia condere sensibus. Durius vel πλεοναστικῶς pro rem silentio condere; similiter tamen *Prudent. præf.* in *Symmach.* 55. Subter comprimere clausa silentia. Cf. *Claudian. Cons. Olybr.* 166. condunt oblivia mentem. ¶ 2. *Silentium facere*, silentio uti, silentium adhibere, *usar silenzio*, σιωπὴν ποιεῖν. *Plaut. Amph. prol.* 15. Ita huic facietis fabulæ silentium. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Tu tamen silentium fieri jussisti. *Ovid.* 1. *Fast.* 185. Desierat paucis, nec longa silentia feci: Sed tetigi verbis ultima verba meis. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (51). Illatis rubetis in populum, silentium fieri. — Hinc *silentio facto*, quum omnes conticuerunt. *Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 13. Extemplo silentio facto, cum voce maxima conclamat. Adde *Petron. Sat.* 14. *extr.*, *Liv.* 24. 7. *in fin.* et *Quintil.* 5. 2. 6. ¶ 3. *Silentium facere* est etiam indicere, in causa esse ut sileatur, *far tacere*. *Phædr.* 5. 5. Silentium ipsa fecit exspectatio. *Liv.* 2. 45. *a med.* Fabius quum silentium classico fecisset etc. *Tac.* 3. *Hist.* 20. Antonius inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, affirmabat etc. *Pers.* 4. 7. Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ Majestate manus. Adde *Curt.* 7. 2. 8. ¶ 4. Ablativus *silentio*, adverbii instar, est sine verbis aut strepitu, *chetamente*. *Cæs.* 7. *B. G.* 11. 18. et 58. Media nocte silentio profectus, ad hostium castra pervenit. *Id.* 1. *B. C.* 27. Silentio naves conscendere jubet. *Id. ibid.* 66. Silentio copias castris educere. Adde 7. *B. G.* 60. *Liv.* 9. 38. *ad fin.* Nocte deinde, silentio, ut mos est, L. Papirium dictatorem dixit. *Cic.* 2. *Tusc.* 20. 46. Quum pueros Lacedæmone videris excipientes gravissimas plagas et ferentes silentio, si te forte dolor aliquis convellerit, exclamabis ut mulier? *senza lamentarsi.* et *Jabolen. Dig.* 19. 2. 51. Videtur autem in hac specie id silentio convenisse, ne quid præstaretur. *tacitamente.* et *Vulgat. interpr. Joh.* 11. 28. Vocavit Maria sororem suam silentio. *h. e.* clam signo aliquo, non voce. Cf. *Eccli.* 41. 25. ¶ 5. *Per silentium, cum silentio, in silentio*, silentio, silenter. *Ter. Phorm. prol.* 30. Date operam, adeste æquo animo per silentium. *Tac.* 4. *Ann.* 53. Profusis diu ac per silentium lacrimis. *Ter. Eun. prol. in fin.* Date operam et cum silentio animum attendite. *Vulgat. interpr. Eccle.* 10. 11. Si mordeat serpens in silentio. *h. e.* clam. ¶ 6. *Pecunia silentium vendere*, apud *Ascon. argum. orat. pro C. Cornel. a med.* est pecunia accepta ab accusatione desistere. ¶ 7. Dicitur etiam de ligno enodi densoque et quod ictu non resonet, et in cædendo aut premendo nihil strepat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (70). In primis materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice: cetero lenis quies materiæ, silentio quodam et duritie ac pallore commendabilis.

II.) Translate. ¶ 1. Est oblivio, quum alicujus facta silentur et in tenebris jacent. *Seneca Ep.* 21. Pauca ingenia caput exserent, et in idem quoque silentium abitura, oblivioni resistent. *Plin.* 9. *Ep.* 14. Proferre aliquem e tenebris et silentio. Cf. *Sil. It.* 3. 145. *Sall. Cat.* 2. Eorum ego vitam mortemque juxta æstimo, quoniam de utraque siletur. ¶ 2. Est etiam sæpe quies, otium, cessatio, desidia, socordia, et dicitur sive de personis sive de rebus. — *a*) Universim. *Ter. Hecyr. prol.* 2. 35. Nunc turba nulla est: otium et silentium est. *Liv.* 2. 45. Novum seditionis genus, silentium otiumque inter armatos. *Id.* 37. 38. Biduum deinde silentium fuit neutris transgredientibus amnem. *Cic. Pis.* 14. 32. Curiæ taciturnitas silentium perpetuum judiciorum ac fori. *Sall. Cat.* 1. Omnes homines, qui sese student præstare ceteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant. *Sil. It.* 3. 145. Quantum etenim distant a morte silentia vitæ? *Tac. Agric.* 3. Tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus. et *ibid.* 6. Silentium præturæ. *h. e.* quæ nullis actis et sine jurisdictione transigitur. et *ibid.* 39. Studia fori et civilium artium decus in silentium acta. *h. e.* jacere et latere coacta. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. *a med.* Mundus cæli vastus constitit silentio. *h. e.* a motu cessavit et nullum sonitum edidit. *Afran.* apud *Non. p.* 219. 26. *Merc.* Silentio opus est, nulla inest paratio. Cf. *Sil. It.* 5. 13. belli ignava silentia. Cf. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 2. 1. (3). *Vulgat. interpr. Judic.* 16. 2. Præstolari cum silentio. *Id.* 1. *Mach.* 7. 58. In silentio habitare. *Id. Esth.* 13. 2. Silentio vitam transigere. — *Ovid.* 1. *Met.* 232. Territus ille fugit, nactusque silentia ruris Exsultat. *Vulgat. interpr. Is.* 8. 6. Abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio. *h. e.* leniter. Allegorice de rege Juda, *cui oppon. v.* 7. aquæ fluminis fortes et multæ. *sc.* rex Assyriorum. — *b*) *Silentium noctis*, teste *Varron.* 6. *L. L.* 2. *a med.*, est idem quod concubium et nox intempesta. Sed communiter est tempus nocturnum, quo tacent cuncta et quiescunt. *Liv.* 5. 32. Se vocem noctis silentio audisse clariorem humana. *Sil. It.* 5. 2. alta silentia noctis. et *Lucan.* 5. 508. vasta silentia noctis. *h. e.* quum late silent omnia. et *Ovid.* 7. *Met.* 184. per muta silentia noctis. *et Lucret.* 4. 461. severa silentia noctis. Similiter *Virg.* 2. *Æn.* 255. tacitæ per amica silentia lunæ. *h. e.* luna favente Græcis luce sua per noctis silentium. et *Lucret.* 4. 585. noctivago strepitu taciturna silentia rumpi. Cf. *Lucan.* 4. 585. — *c*) *Dies silentii* apud *Vulgat. interpr. Esth.* 14. 16. videtur dici de sabbato, qui erat dies quietis. Cf. *Luc.* 23. 56. — *d*) *Silentium* est idem ac solitudo, apud *Ammian.* 19. 5. 5. Silentio summoti loci defensi. — *e*) *Silentium* dicitur etiam de vastatione et solitudine ab hostibus illata. *Vulgat. interpr. Am.* 8. 3. In omni loco projicietur silentium. ¶ 3. In auspiciis *silentium* est, quum nihil vitii intervenit. *Festus p.* 348. 29. *Müll.* Silentio surgere, ait (*Atejus Capito*) dici, ubi qui post mediam noctem auspicandi causa ex lectulo suo silens surrexit, et liberatus a lecto, in solido se posuit: sedetque, ne quid eo tempore dejiciat, cavens donec se in lectum reposuit. Hoc enim est proprie silentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas. Veranius ait, non utique ex lecto, sed ex cubili: nec rursus se in lectum reponere necesse esse. *Id. p.* 351. 19. Sinistrum in auspicando significare ait Atejus Capito, lætum et prosperum auspicium: at silentium ubi dumtaxat vacat vitio. Igitur silentio surgere quum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat. *Cic.* 2. *Divinat.* 34. 71. Peritum esse necesse est eum, qui silentium quid sit, intelligat. Id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere, perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, quum imperavit is, qui auspicatur: *Dicito si silentium esse videbitur;* nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, *silentium esse videri.* Hæc *Cic.*

SĬLENTUS, a, um, adject. (sileo) silens, solitarius (vox prisca) ut Silenta loca, *Nævius* apud *Gell.* 19. 7.

SĬLĔO, sĭles, sĭlŭi, sĭlēre, a. 2. *Silevi* usurpatum fuisse apparet ex Cod. Cant. *Vulgat. interpr. Act.* 15. 12. et 13., ubi *silevit* et *silerunt* leguntur. — *Silitus*, si sana est lectio, apud *Augustin.* 16. *Civ. D.* 2. *a med.* De justorum aliquorum commemoratione silitum est. *Alii leg.* silentium. — Ratione habita etymi, *Gesenius* vocem ducit ab Hebr. שלה *shala*, quietus fuit, et *Döderlein* ab ἐλλός, mutus, ut *Schol.* ad *Soph. Ajac.* 1297. vertit; alii vero conjungunt cum Gr. σιγάω, et Goth. *silan. Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 345. 1. *Müll.* hæc habet: Siler e tacere significat, ficto verbo a s littera, quæ initium et nota silentii est. Cf. ST. — Part. *Silens* I. 1. *a* et in fin.; *Silendus* I. 1. *b* et II. I. 2.° — Sileo est taceo, silentio utor, σιγάω (*It. tacere*; *Fr. ne dir mot, être silencieux, se taire, garder le silence*; *Hisp. callar, enmudecer*; *Germ. lautlos sein, still sein, schweigen*; *Angl. to be silent, hold one's peace, keep silence*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn. prol.* 3. Silete et tacete. *Id. Capt.* 3. 1. 19. quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent. Quis ait, hoc? aut quis profitetur? inquam. quasi muti silent. *Liv.* 39. 27. Optimum quemque silere. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 61. Lingua sile. non est ultra narrabile quidquam. *Id.* 10. *Met.* 389. Muta silet virgo. *Sueton. Aug.* 94. Obstrepentes ranas silere jussit. *Ovid.* 2. *Fast.* 609. Duc, ait, ad Manes: locus ille silentibus aptus. *Val. Flacc.* 7. 407. vultu defixus uterque silenti. *Sueton. Claud.* 21. Sedentibus ac silentibus cunctis. — Γνώμη est illud *Senec. Hippol.* 876. Alium silere quod voles, primus sile. — *b*) Cum Accusativo est silentio celo. *Cic.* 2. *Att.* 18. *ad fin.* Aveo pugnare, magna sunt hominum studia. Sed nihil affirmo: tu hoc silebis. *Horat.* 4. *Od.* 12. 21. nempe te silebo. *Ovid.* 12. *Met.* 575. Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo, Ulciscar fratres. *Id.* 2. *Trist.* 208. Silere facti culpam. — Passive. *Cic. Flacc.* 3. 6. Fuit in Cilicia tribunus militum, ea res siletur. *Ovid.* 1. *Fast.* 47. Ille (*dies*) nefastus erit, per quem tria verba silentur: Fastus erit, per quem lege licebit agi. *Id.* 3. *Pont.* 1. 148. Nec factum defende meum. mala causa silenda est. *Plin.* 8. *Ep.* 22. *extr.* Quisquis ille sileatur. — *c*) Cum Ablat. et præp. *de*. *Cic. Sull.* 29. 80. Si quum ceteri de nobis silent, non etiam nosmetipsi tacemus. *Id.* 2. *Divinat.* 30. *in fin.* De passerculis conjecturam facit, de dracone silet. Adde *Brut.* 42. *in fin.* *Sall. Jug.* 19. Nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere. Cf. *Dietsch* ad *h. l.* — Passive impersonaliter. *Ter. Phorm.* 5. 2. 13. Argumentum inventum est Phædriæ: de jurgio siletur. *Cic. Divin. Verr.* 10. *a med.* Silebitur toto judicio de maximis illius furtis. Adde *Sall. Cat.* 2. — *d*) Cum Infinito. *Auct. B. Hisp.* 3. *a med.* Unus ex nostris respondit, ut sileat verbum facere. *h. e.* verbis abstineat. — *e*) Cum partic. relativa. *Ovid.* 7. *Met.* 688. Qua tulerit mercede, sile. ¶ 2. Specialim, præcedente negatione, est pati, ferre. *Vulgat. interpr. Psalm.* 49. 3. Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. — 1.°) Neutrorum more. — *a*) Est silentium servare. — *α*) De personis. *Cic.* 1. *Acad.* 1. 2. (2. *post.*). Silent enim diutius Musæ Varronis, quam solebant. *h. e.* nihil scribit Varro, nihil edit. Cf. *Lucret.* 2. 506. Et cycnea mele Phœbeaque dædala chordis Carmina consimili ratione oppressa silerent. — *β*) De rebus. *Virg.* 9. *Æn.* 190. silent late loca. *Id.* 1. *G.* 247. intempesta silet nox. *Ovid.* 10. *Met.* 446. Tempus erat, quo cuncta silent. Adde *Petron. Sat.* 110. — *b*) Est ab opere cessare, otiosum esse. — *α*) De personis. *Val. Flacc.* 4. 281. fixaque silet Gradivus in hasta. *h. e.* quod ait *Stat.* 7. *Theb.* 10. posita respirat cuspide Mavors. *Tac.* 3. *Hist.* 47. Nec ceteræ nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium moverat. — De quiete sepulcri. *Vulgat. interpr. Job* 3. 13. Nunc enim dormiens (*in sepulcro*) silerem et somno meo requiescerem. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 5930. TANDEM AETERNA SEDE RECEPTVS SILET. — *β*) De rebus. *Cic. Mil.* 4. 10. Silent leges inter arma. Sic *Albinov.* 1. 185. Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges. *Cic.* 3. *Legg.* 17. *in fin.* Si quando ambitus sileat. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 88. Si forte oppressis sensibus, quum motu caruerit, aliquas partes corporis movere videatur, ut palpebras, quæ jamdudum

mortis similitudine oppressæ siluerant. *Vulgat. interpr. Jer.* 47. 6. O mucro Domini, usquequo non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare in vaginam tuam, refrigerare et sile. *h. e.* cessa percutere. — c) Item quietum, tranquillum esse. *Virg.* 5. *Æn.* 127. Tranquillo silet, immotaque attollitur unda Campus. *Id.* 9. *Ecl.* 57. Silet æquor. Sic *Val. Flacc.* 7. 542. mare. *Seneca Med.* 627. Restitit torrens, siluere venti. *Colum.* 2. *R. R.* 21. Si compluribus diebus undique silebit aura. *Ovid.* 7. *Met.* 185. homines volucresque ferasque Solverat alta quies. nullo cum murmure sæpes Immotæque silent frondes, silet humidus aer. — 2.°) Cum Accusativo est silentio celo. *Horat.* 4. *Od.* 8. 21. Si chartæ sileant quod bene feceris. Cf. *ibid.* 9. 30. Non ego te meis Chartis inornatum silebo. *Seneca Herc. Œt.* 59. Nulla me tellus silet. — Passive. *Sil. It.* 9. 304. sileri Non dignus juvenis. — *Silenda*, neutr. plur. absolute, res silendæ, res arcanæ, mysteria. *Liv.* 39. 10. et *Curt.* 6. 7. 3. ¶ 2. *Silere ab aliquo* est oblivioni dari, deseri, derelinqui, apud *Vulgat. interpr. Ps.* 27. 1. Deus meus, ne sileas a me. *et ibid.* 38. 3. Silui a bonis. — Absolute. *Id. ibid.* 34. 22. Vidisti, Domine, ne sileas. Adde 28. 13. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

Silens, entis, adjective quoque occurrit; cujus Genet. plur. *silentum*. — Silens esse qui silet, tacitus, *tacente, tacito*, σιωπῶν, σιωπηρός.

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (147). *de cane venatico.* Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro! Cf. *Ovid.* 2. *Fast.* 609.

II.) Translate. ¶ 1. Metaleptice dicitur de Manibus: quorum quum nulla sint corpora, nullæ item voces. *Virg.* 6. *Æn.* 264. Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes. *Sil. It.* 13. 521. Silentes Manes. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 125. et 2. *Rapt. Pros.* 237. Silens populus. *Seneca Hippol.* 221. silens nocte perpetua domus. *h. e.* inferi. — Absolute. *Virg.* 6. *Æn.* 432. ille (*Minos*) silentum Conciliumque vocat vitasque et crimina discit. *Ovid.* 15. *Met.* 772. sedes intrare silentum. *et* 5. *ibid.* 356. et rex pavet ipse silentum. *Val. Flacc.* 1. 750. pia turba silentum. ¶ 2. Metonymice *anni silentes*, quinque illi, quos totos silebant novi discipuli Pythagoræ, solum ea, quæ dicerentur, audientes. Unde *Ovid.* 15. *Met.* 66. *cœtus silentum dictaque mirantum* vocat Pythagoreos auditores. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 157. Pythagoræ monitus annique silentes. ¶ 3. Poetice dicitur — a) De locis solitariis et de temporibus, quibus siletur et nulla est vox aut strepitus. *Virg.* 1. *G.* 476. Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes. *Id.* 9. *Æn.* 393. dumisque silentibus errat. *Petron. Sat.* 89. Qualis silenti nocte remorum sonus Longe refertur. *sc.* Quum tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres, ut ait *Virg.* 4. *Æn.* 525. Sic *Tibull.* 1. 5. 16. Vota novem Triviæ nocte silente dedi. *Stat.* 1. *Theb.* 337. Titanis late mundo subvecta silenti, Rorifera gelidum tenuaverat aera biga. *h. e.* tempore noctis; qua ratione *tacentes tenebras* dixit *Quintil. declam.* 10. 7. — b) Item de tranquillis et quietis. *Lucan.* 1. 579. Silentes auræ. *Colum.* 12. *R. R.* 25. venti. *Id.* 4. *ibid.* 29. *ante med.* Dies tepidus et silens a ventis. *et* 3. *ibid.* 19. Eligere sationi silentis vel certe placidi spiritus diem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 69. (279). Quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt. *Val. Flacc.* 5. 523. Silens unda. — Cum Ablativo et præp. *a*. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 5. Silens a ventis. ¶ 4. *Silens luna* dicitur, quum non apparet. *h. e.* in interluniis. *luna nuova.* *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (190). Arbores utilissime in coitu lunæ sterni: quem diem alii interlunii, alii silentis lunæ appellant. Adde *Caton. R. R.* 29. 40. et 50. et *Colum.* 2. *R. R.* 10. ¶ 5. *Silentes coliculos* ferularum, rustica sed commoda metaphora dixit *id.* 12. *ibid.* 7., qui nondum folia amiserunt. *et ibid.* *silentem florem* vitis albæ, qui nondum sese aperuit. *et* 4. *ibid.* 27. *silentes vineas*, quæ nondum germinarunt: eodemque sensu *ibid.* 29. *silens sarmentum.* et 11. *ibid.* 2. *ante med.* silentes surculos. ¶ 6. *Silentia ova* apud *eumd.* 8. *ibid.* 5. sunt, in quibus nullus pullorum motus sentitur. ¶ 7. *Silentes leges* apud *Lucan.* 5. 31. quum justitium est et forum tacet, ut fit in bello, præsertim civili. Sic *Plin. Paneg.* 56. Quam juvat cernere ærarium silens et quietum, et quale ante delatores erat! *h. e.* sine litibus et strepitu forensi. ¶ 8. *Quercus silentes* apud *Lucan.* 3. 179. sunt Dodonææ nulla oracula edentes. ¶ 9. *Silentia arma* apud *Calpurn.* 1. *Ecl.* 67. cessantia, quiescentia pacis tempore.

Homonym. Discrimen esse quidam putant inter *sileo* et *taceo*, ex illo *Plauti Pœn. prol.* 3. Sileteque et tacete, atque animum advortite. *Fronto p.* 2196. *Putsch.* Silet, cujus loquentis sermo, comprimitur: ab ipsa significatione litteræ *s.* tacet, qui ne loqui quidem cœpit. In usu tamen hæc differentia non servatur. Cf. *Döderlein, op. cit. v.* 1. *p.* 84. *et seqq.* et *Dietsch* ad *Sall. Jug.* 19. § 2.

SĬLER, ĕris, n. 3. frutex aquosis locis crescens: qui nobis incognitus esse creditur, inquit *Forcellinus*; recentiores vero putant alii esse vimen vel viticem, *vinco o vetrice:* alii psyllium, *fusaggine, silio* (*Evonymus Europæus* Linn.) *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 31. (77). Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, siler. *Id.* 24. *ibid.* 10. 44. (73). Sileris folia illita fronti capitis dolores sedant. Ejusdem semen tritum in oleo phthiriases coercet. Serpentes et hunc fruticem refugiunt: baculumque rustici ob id ex eo gerunt. *Virg.* 2. *G.* 12. molle siler lentæque genistæ. Ubi *Servius:* Arboris genus est. et notandum genus neutrum de arbore: quod est admodum rarum. V. *Bubani, Flora Virgiliana, p.* 105. *Venant.* 3. *carm.* 7. 23. Myrrha, salix, abies, corylus, siler, ulmus, acer, nux. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SĪLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* sileo, silere incipio, conticeo, *tacere, acchetarsi.*

I.) Proprie. *Virg.* 10. *Æn.* 101. eo dicente, deum domus alta silescit.

II.) Translate est sedari, quietum fieri. *Ter. Adelph.* 5. 2. 9. Quid ego nunc agam? nisi, dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum aliquo abeam. *Catull.* 46. 2. Jam cæli furor æquinoctialis Jucundis Zephyri silescit auris. *h. e.* mitescit, sedatur. *Ovid.* 2. *Trist.* 151. *de ventis.* Sed modo subsidunt intermissique silescunt.

SĬLEX, ĭcis, m. *et raro* f. 3. — a) Ad scriptionem quod attinet, priorem syllabam per *i* et etiam *e* scribendam esse, traditur apud *Mar. Victorin. p.* 18. 4. *K.*; sed V. *Keil* ad *h. l.* — b) Prima syllaba licenter producitur ab *Eucher. poetr.* 10. Compar silicibus nunc hyacinthus eat. — c) *Silici* ablat. sing. in *Inscript.* apud *Orelli n.* 7170. et alia in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1161. — d) Ratione habita etymi, quidam volunt esse a *salio*, quod in compositis fit *silio.* V. tamen et SILIO. Quocirca *Isid.* 16. *Orig.* 3. 1. Silex est durus lapis eo quod exsiliat ignis, ab eo dictus. Verum potius conjungenda est vox cum Gr. σέλας, fulgor, unde σελαγῶ, fulgeo. Sic πυρίτης a πῦρ. — Silex proprie videtur esse lapis sectilis, ut in LAPIS dictum est: πυρίτης λίθος (*It. selce, selice, pietra*; *Fr. toute pierre dure, rocher, caillou, silex*; *Hisp. guijarro, piedra*; *Germ. d. harte Feldstein, Kieselstein*; *Angl. a stone, flint-stone*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — a) Stricto sensu est, ut diximus, lapis sectilis. Unde *Vitruv.* 3. 5. Etiam de calce diligentia est adhibenda, uti de albo saxo aut silice coquatur: et quæ erit ex spisso et duriore, erit utilior in structura: quæ autem e fistuloso, in tectoriis. Videtur *Vitruv.* designare eam, quæ a nostris dicitur *scaglia.* — Cum hoc *Vitruvii* loco conferendus est alter *Isid.* 19. *Orig.* 10. 12. Silex durus lapis, ex cujus genere *nigri* silices optimi, quibusdam in locis etiam *rubentes.* *Albi* silices contra vetustatem incorrupti. *Viridis* silex, vehementer igni resistens sed nusquam copiosus, et ubi invenitur, lapis, non saxum est. *Pallidus* in cæmento raro utilis. *Globus* (leg. *Globosus*) contra injurias fortis et in structura infidus, nisi fuerit multa suffrenatione devinctus. *Fluviatilis* silex semper veluti madens est. Hunc æstate exhiberi oportet, nec ante biennium inserere in structuris domorum. — b) Latiore sensu quodcumque parvæ molis saxum *silex* dicitur, ut id, ex quo ignis excutitur; et tum adjective, tum substantive usurpatur. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 77. Illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest. MIL. Pol id quidem haud mentire. nam tu es lapide silice stultior. *Liv.* 30. 43. *a med.* Ut fetiales privos lapides silices privasque verbenas secum ferrent. *Id.* 1. 24. *sub fin.* Porcum saxo silice percussit. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 115. 4. *Müll.* Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. *Liv.* 41. 27. Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt. *Juvenal.* 6. 349. Pedibus silicem atrum conterere. *h. e.* peditem per vias silice stratas incedere, *batter le selci.* et *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 40. Si facile silicem toleravero, quantum pote ad te curram. *h. e.* viam silice stratam. *Virg.* 1. *Æn.* 178. silici scintillam excudit Achates. Sic 1. *G.* 135. Et silicis venis abstrusum excuderet ignem. Adde 6. *Æn.* 6. *Ovid.* 7. *Met.* 107. terrena silices fornace soluti Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum. *Colum.* 3. *R. R.* 11. *a med.* Est vineis amicus etiam silex, cui superpositum est modicum terrenum. *Ovid.* 11. *Met.* 30. torquere silices. *et* 7. *ibid.* 139. jaculari in hostes. *Inscript.* apud *Murat.* 1114. 5. PROCVRATOR SILICVM VIARVM SACRARVM. *Vulgat. interpr. Job* 19. 24. Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice? *V.* CELTE. — c) Item et de magnis saxis, petra, rupe, marmore. *Lucret.* 6. 683. *de Ætna.* totius subcava montis Est natura, fere silicum suffulta cavernis. *Virg.* 6. *Æn.* 470. Nec magis incepto vultum sermone movetur, Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes. *Sueton. Cal.* 37. *a med.* Jactæ moles profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis. *Virg.* 8. *Æn.* 233. Stabat acuta silex præcisis undique saxis, Speluncæ dorso insurgens. *Seneca Phæniss.* 69. Nudus hic pendet silex. *Lucan.* 4. 304. juventus duris silicum lassata metallis. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 148. Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum Saxa virent. ¶ 2. *Silice vias sternere* proprie est exstruere silice multangulo, qui lapidi seu saxo quadrato opponitur. *V.* QUADRATUS. *Liv.* 41. 27. Censores vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substernendas marginandasque primi omnium locaverunt. *et mox.* Et extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt. *h. e.* lapide quadrato. *et paullo post.* Et extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt. Adde *Inscript.* apud *Orelli, n.* 3316. et *Henzen, n.* 6617.

II.) Translate dicitur de duritia animi. *Quintil. declam.* 6. 19. *in fin.* Non erat illi ferreum pectus, nec cor silice concretum, ut hæc pati posset æquo animo. *Tibull.* 1. 1. 77. non tua sunt duro præcordia ferro Vincta: nec in tenero stat tibi corde silex. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 4. Et dicam silices pectus habere tuum. *Id.* 4. *Pont.* 10. 3. Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum Duritiæ confers, Albinovane, meæ? — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SILI, n. indecl. eadem arbor, quæ proprie *cici* vocatur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (25). *Sillig.* Proxumum fit et e cici, arbore in Ægypto copiosa - alii crotonem, alii sili, alii sesamon silvestre appellant. *Alii tamen leg.* sibin; *alii* trixin. *Dioscor.* 4. 161. Σέσελι Κύπριον vocat. *V.* SESELI.

SĬLĬÆ, ārum, f. plur. 1. (sileo) epulæ, ut videtur, mortuariæ notæ sub nomine *silicernii*. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 4489. V. *Mommsen* ad *h. n.*

SĬLĬCA. *V.* SILICIA.

SĬLĬCĀRIUS, ii, m. 2. (silex) qui silice viam sternit. *Silicariorum* opera erat in aquæductibus sarciendis. Vias enim stratas perrumpebant tol-

lendis aquæductuum vitiis:* postea rursus sternebant. *Frontin. Aquæd.* 117. Familia deducitur in villicos, castellarios, circitores, silicarios, tectores. — *Silicarii* etiam in militia fuisse videntur. *Curios.* et *Notit. Urb. p.* 30. et 31. *Pr.* Castra silicariorum.

SĬLĬCĔO, ōnis, m. 3. (silex) durus, siliceus. Translate *Læv.* apud *Gell.* 19. 7. Qui est tam siliceo? *J. Ott.* leg. *silico.* Cf. RUPICO.

SĬLĬCERNĬUM, ii, n. 2. Vox parum certæ originis; ceterum videtur composita ex *sili* a *sileo* (Cf. *Paul. Diac. p.* 295. 3. *Müll.* et *V.* SILIÆ) et *cernium* pro *cesmium*, a *cesna* pro *cena*, ut sit cena tacita. silens. Sed V. *Döderlein* ad *h. v.* — Silicernium est cena funebris, quam alio nomine exsequium scriptores vocant, περίδειπνον.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Fest. p.* 294. 18. *Müll.* Silicernium dicitur cena funebris, quam Græci περίδειπνον vocant. Sed Verrius existimat, cibi genus, quod nos farcimen dicimus, quo purgabatur fletu familia, silicernium dici: quod, cujus nomine ea res instituebatur, is jam silentium (*al.* silicem) cerneret. Cæcilius: Credidi, silicernium ejus me esse esurum. *Servius* ad illud 5. *Æn.* 92. Libavitque dapes etc. Leviter gustavit epulas superpositas, quæ silicernium vocantur, quasi silicenium, supra silicem positæ: quæ peractis sacris, senibus dabantur, et se cito morituros cognoscerent. *Non. p.* 48. 9. *Merc.* Silicernium pessime intelligentes, ita posuisse Terentium putant, quod in curvitate silices cernat senex. Silicernium est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur. Varro: Funus exsequiatis laute, ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii vale. *Bücheler* verba: id est περίδειπνον, uncis seclusit; *Oehler* nullo dubii signo servavit. — Silicernium nono die fieri solebat; hinc *Plaut. Aulul.* 2. 4. 45. Cocus ille nundinalis est, in nonum diem Solet ire coctum. (*V.* NUNDINALIS) et *Tac.* 6. *Ann.* 5. Novendialis cena. Cf. *Horat. Epod.* 17. 47. et *V.* NOVENDIALIS. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de farcimine. *Arnob.* 7. *p.* 229. Quid sibi hæc volunt, aperabo, isicia, silicernia, longabo? quæ sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.

II.) Translate est convicium in senem, quasi ejus causa brevi silicernium futurum sit. *Ter. Adelph.* 4. 2. 48. I sane. ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium. *vecchio stantio.* Ad *h. l.* hæc habet *Donatus*: Cena quæ infertur diis Manibus, quod eam silentes cernant, idest umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantum, neque degustent. nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit, funestatur. Aut erit silicernium senex, qui jam jamque silentibus umbris cernendus sit: et sic est melius, quam ut quidam Xenophonta (*Voss.* mallet *geronta*, γέροντα) interpretantes putant, sic nos silicernium intelligere, h. e. silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sarcophagi jam jam appropinquantis sibi. Hæc *Donat.* V. *Voss.* et *Martin.* in *Etymol.* At *Jac. Baileyus* recte putat pro *Xenophonta* vel Vossiano γέροντα, legendum ξυννενοφότα, particip. præt. perf. med. verbi συννέφομαι, nubilam mentem habeo: fretus auctoritate *fragm. Aristoph.* (ἐν Νήσοις) apud *Brunck. p.* 257. e *Suida* et *Photio* citati. Ὡς εἰς τὴν γαν κύψασα κάτω καὶ συννενοφυῖα βαδίζει. Locus, ut videtur, est de incurva et σκυθρωπῷ vetula.

SĬLĬCERNĬUS, a, um, adject. (silicernium) *Silicernus* in *Gloss.* apud *Mai.* in *Class. auct. T.* 8. *p.* 559. — Silicernius est ad silicernium pertinens. *Fulgent. de prisco serm. n.* 8. Silicernios dici voluerunt senes jam incurvos, quasi jam sepulcrorum suorum silices cernentes. Unde Cincius Alimentus: Qui dum jam silicernius finem sui temporis exspectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultavit. V. *Lersch* ad *h. l. p.* 38., qui huc trahit loc. *Terent.* in *Adelph.* supra *cit.*, ubi *silicernium* etiam pro adjectivo haberi posse videtur. *Capell.* 8. *p.* 271., de *Sileno.* Silicerniumque nutans Tentat celerare cursum.

SĬLĬCERNUS, a, um, adject. *V.* voc. præced. init.

SĬLĬCĔUS, a, um, adject. (silex) ad silicem pertinens, *di selce*, λίθινος.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Cato R. R.* 18. Inibi lapides siliceos totum forum etc. *Alii leg.* silices. *Vitruv.* 8. 3. *ad fin.* Saxa silicea, quæ neque ferrum, neque ignis potest per se dissolvere. *pietre focaje.* et *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1839. *p.* 63. P. AVRVNCVLEIVS D. F. C. MINVCIVS C. F. THERMVS II. VIRI VIAM LAPID. SILIC. EX D. D. P. P. (*h. e.* lapide siliceo ex decreto decurionum pecunia publica) STERN. CVR. IDEMQ. PROB. (*h. e.* sternendam curarunt iidemque probarunt.) ¶ 2. *Siliceus terminus* agrorum fines designabat. *Hygin. De limit. p.* 109. 11. *Lachm.-Rud.* Termini quoque quibusdam locis positi sunt, ut ab uno ad unum dirigantur, silicei. Adde *eumd. p.* 127. 1.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Ira* 8. Impudicorum cœtus fortem quoque et siliceum virum emollit. *h. e.* durum et a voluptatibus alienum. Alii rectius leg. *si liceat.*

SĬLĬCĬA, æ, f. 1. herba, quæ pabuli gratia seminatur, h. e. fœnum Græcum, quod sarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius (Cf. σίλιξ). Ita *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 39. (140), qui 24. *ibid.* 19. 120. (184). nec fœno Græco, inquit, minor auctoritas, quod telin vocant, alii carphos, aliqui buceras, alii ægoceras, quoniam corniculis semen est simile: nos siliciam. Vis ejus siccare, mollire, dissolvere etc. Alii leg. *silicam*, alii *siliciam*, alii *siliquam.* — Hinc *Colum.* 2. *R. R.* 11. *a med.* Fœnum Græcum, quod siliquam vocant rustici.

SĬLĬCĬNĔUS, a, um, adject. (silex) siliceus. *Gromat. Vet. p.* 306. 22. *Lachm.-Rud.* Lapis alva silicinea. Verum ita *Furlanetto* in *App.*: Lapis albus siligineus. Hanc autem vocem translate usurpari ait ob albedinem, coll. *Colum. loc. cit.* in GALATICUS. Sed cf. SILICEUS 2.

SĬLĬCĬUS, ii, m. 2. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (68). Bruscum intortius crispum: molluscum simplicius sparsum. Et, si magnitudinem mensarum caperet, haud dubie præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque silicios aut laminas raro usu spectatur. Ubi *Harduinus*: Ita libri omnes etiam scripti, et quos terimus et quos Salmasius vidit. Sed latet adhuc ejus vocis significatus: nisi forte pro operimento laminæ lectis mensisve addito accipi quis velit. Sunt qui *silaceas laminas* hic legant, hoc est siliis colore tinctas. Hæc *Harduin.* V. et *Silligium* ad *h. l.*

SĬLĬCO. *V.* SILICEO.

SĬLĬCON. *V.* XYLIGLYCON.

SĬLĬCŬLA *vel* siliquula, æ, f. 1. *deminut. a* siliqua, parva siliqua, *baccelletto.* *Varro* 1. *R. R.* 23. Lupinum quum necdum siliculam cepit. *h. e.* priusquam siliquetur, ut *Plin.* loquitur 17. *Hist. nat.* 9. 6. (54).

SĬLĬGĬNĀCĔUS, a, um, adject. (siligo) siligineus. *Plin. Valerian.* 1. 46. Furfures siliginacei.

SĬLĬGĬNĀRĬUS *et* siliginiarius, ii, m. 2. (siligo) siliginis distributor, venditor, pistor. *Ulp. Dig.* 47. 2. 52. § 11. Si siliginario quis dixerit, ut quisquis nomine ejus siliginem petisset, ei daret. *Inscript.* apud *Gruter.* 81. 10. (*Orelli n.* 1810.) Corpus pistorum siliginariorum. *Alia* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 254. et apud *Donium cl.* 9. *n.* 11. (*Orelli n.* 4138.) Colleg. siliginiariorum. V. *Schiass.* in *Lex. Morcell. T.* 3. *p.* 338.

SĬLĬGĬNĔUS *vel* siliginius, a, um, adject. (siligo) ex siligine factus, σιλιγνίτης. ¶ 1. Universim. *Cato R. R.* 12. Siliginea farina. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (85). *Seneca Ep.* 119. *ante med.* Utrum hic panis sit plebejus, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. *Id. Ep.* 123. *ante med.* Malum panem, inquis. Exspecta: bonus fiet. etiam illum tenerum tibi et siligineum fames reddet. Sic *Varro* apud *Non. p.* 88. 14. *Merc.* Vel maxime illic didici, et sitienti videri aquam mulsum, esurienti panem cibarium siligineum. *Martial.* 9. 3. Illa (*mentula*) siligineis pinguescit adultera cunnis. *h. e.* panibus siligineis in formam cunni factis, quales in honorem Cereris fiebant, teste *Athenæo l.* 14. *c.* 14.; quemadmodum et in mentulæ figuram, ut constat ex *Martial.* 14. 69., cujus lemma *Priapus siligineus*, Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum, Ipsa licet rodas inguina, purus eris. ¶ 2. *Siliginius sacerdos* in *Inscr.* apud *Minervini, Monum. ined. di Barone, T.* 1. *p.* 40. et in *Bullett. archeol. Napolit. a.* 1857. *p.* 92., dictus, ut videtur, a panibus siligineis, Herculi oblatis, accipiendis. ¶ 3. *Siligineum lac.* V. LAC. ¶ 4. *Siligineus lapis.* V. SILICINEUS. — Hinc *Siligineus*, *i*, m. 2. absolute, panis ex siliginea farina confectus. *Apic.* 7. 11. Siligineos rasos pangis et bucellas majores facis, in lacte infundis, frigis et in oleo mel superfundis et inferes. *Id. ibid.* 16. Siligineum lac.

SĬLĬGĬNĬĀRĬUS. *V.* SILIGINARIUS.

SĬLĬGĬNĬUS. *V.* SILIGINEUS.

SĬLĬGĬNUS, a, um, adject. (siligo) siligineus. *Dynam.* 1. 7. Fortior bis omnibus est siliginus panis.

SĬLĬGO, inis, f. 3. *Seligo* quoque scribitur, ut monet *Furlanetto*, quod apparet ex reperta in veteri pane, qui ab Herculaneis ruinis erutus adhuc Neapoli servatur, hac *Inscript.* (*Orelli n.* 4314.) SELIGO C. GRANII E CICERE. V. *Gori Symb.* 2. *T.* 2. *p.* 139. Hinc vocis etymon quispiam deduxerit ab Hebr. שלג *sheleg*, nix; etenim niveus vocatur a *Juvenal. loc.* infra *cit.* panis e siligine factus. Quod si verum est, etiam Gr. σίλιγνις inde est derivandum. Ita cl. *Furlanetto.* At *Döderlein* conjungit cum ἀλέω, molo; *Isid.* vero minus recte 17. *Orig.* 3. 7. « *Siligo*, inquit, genus tritici a *selecto* dictum; nam in pane species præcipua est ». — Siligo, σίλιγνις, *siligine*, genus tritici levissimi et candidissimi, ex quo laudatissimus panis conficitur (*Triticum hibernum* Linn.).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 6. Tritici genera complura cognovimus. Verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam et pondere et nitore præstat. Secunda conditio est habenda siliginis, cujus species in pane præcipua pondere deficitur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (85). Siliginem proprie dixerim tritici delicias. candor est et sine virtute et sine pondere, conveniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt et Galliæ comatæ. *et ibid.* 9. 20. (86). E siligine lautissimus panis pistrinarumque opera laudatissima. Præcellit in Italia, si Campana Pisis natæ misceatur. *Varro* 1. *R. R.* 23. In pingui terra rectius seruntur olus, triticum, siligo, linum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (92). Far sine arista est: item siligo, excepta quæ Laconica appellatur. *et ibid.* 7. 10. (61). In area exteruntur triticum et siligo et hordeum. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *a med.* Omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem.

II.) Translate, per metonymiam, dicitur de farina e siligine. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (87). Justum est, e grano Campano, quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis vel e gregali sine castratura sextarios quinque, præterea floris semodium. *Juvenal.* 5. 70. Sed tener et niveus (*panis*) mollique siligine factus Servatur domino. et 6. 471. coctæque siliginis offas Accipit et madidæ.

SĬLĬO, silis, silivi et silii, ire, n. 4. Idem ac salio, pro quo agnoscitur a *Prob. Cathol. p.* 1483. *Putsch.*; quamquam sunt qui *ibid.* leg. *salio* etc. Ceterum *Æn. gr.* apud *Virg. gr. epist.* 3. *p.* 94. Equus ex suo silit repagulo. Cave imiteris.

SĬLĬQUA, æ, f. 1. *Silica* pro *siliqua*, unde *silicula* pro *siliquula* videtur usurpatum fuisse. Cf. SILICIA. — Etymon si quæras, fortasse, ut ait cl. *De-Vit*, ejusdem est radicis ac *silex*, nempe a duritie factum, est enim *siliqua* cortex sive involucrum, quo legumina continentur. — Siliqua est folliculus, involucrum, theca (unde nostrum vulgare *tega*), qua continentur legumina, ut fabæ, pisa, phaseoli, cicer etc. et si quid

est leguminum simile, λοβός (It. *baccello, gagliuolo, guscio, siliqua*; Fr. *silique, cosse ou gousse des légumes*; Hisp. *siliqua, cáscara*; Germ. *d. Schote d. Hülsenfrüchte*; Angl. *the husk, shell, pod*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg. 1. G.* 74. lætum siliqua quassante legumen. *et ibid.* 195. Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset. *Varro 1. R. R.* 23. Si ad siliquam non ita pervenit, ut fabam legere expediat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (120). Fabæ siliquæ caulesque gratissimo sunt pabulo pecori. ¶ 2. Speciatim, per antonomasiam, *siliqua* et *siliqua Græca* dicitur arbor ceronia et ejus fructus digitum longus, falcatus, pollicari latitudine, in quo certex ipse manditur, suco exiguo sed prædulci: semina inclusa projiciuntur. Græce est κεράτιον, ξυλόκερας: quia inflexum corniculum refert. Recentiores Græci χαροῦβαν vocant, corrupta voce a κυράβιον vel κυρήβιον, cornu: unde κυρηβάω, cornu peto. Hinc *caruba* et *caroba* Italorum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 26. (95)., *Colum.* 5. *R. R.* 10, *ad fin.* et 7. *ibid.* 9. et *Arbor.* 25. et *Pallad.* 3. *R. R.* 25. *a med.* et *de Insit.* 117. V. *Schenkl.* ad *h. v.* — Quibus locis abundat, cibus est suum pergratus, ut est apud *Colum. cit.* 7. *R. R.* 9. Unde apud *Vulgat. interpr. Luc.* 15. 16. filius ille prodigus cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. ubi Græce est κεράτιον. Alii tamen aliter. — Sunt qui putant, de his intelligenda esse loca *Horatii, Pers.* et *Juvenal.* quæ ad legumina referri mox dicemus. ¶ 3. *Siliqua Syriaca* ejusdem speciei est ac Græca, nisi quod peculiarem aliquam vim habet in medicina. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 79. (151). et *Scribon. Compos.* 121. ¶ 4. Etiam fœnum Græcum *siliquam* rustici appellant, teste *Colum.* 2. *R. R.* 11. *a med.*, ut in SILICIA diximus.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen ipsa legumina, tenuiorum cibus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 123. vivunt siliquis et pane secundo. *Pers.* 3. 55. juventus siliquis et grandi pasta polenta. Adde *Juvenal.* 11. 58. ¶ 2. Dicitur etiam ob similitudinem de quodam genere ligni nascentis in litoribus maris, folliculos sex habentis, vel farris, cujus sex grana scripulum faciunt. *Ver. fragm.* apud *Hultsch, Metrol. R. p.* 132. ¶ 3. Hinc *siliqua* nomen est exigui ponderis, nempe seminis in siliqua Græca latentis, *un grano.* Siliquæ sex scrupulum faciunt: decem et octo drachmam. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 10. Semina sex alii siliquis latitantia curvis Attribuunt scriplo: lentes veraciter octo. Aut totidem speltas numerant tristesve lupinos Bis duo. ¶ 4. Est etiam vicesimaquarta pars solidi in illo *Imp. Justinian. Cod.* 4. 32. 26. *ad fin.* Interdicta licentia creditoribus ex pecuniis fenori dandis aliquid detrahere vel retinere siliquarum nomine vel sportularum vel alterius cujuscumque causæ gratia. Cf. *Isid.* 16. *Orig.* 25. 9.

SĬLĬQUASTRENSIS, e, adject. (siliquastrum) siliquastri magnitudinem habens. *Anthol. Lat. n.* 761. *v.* 46. *Riese* Tum siliquastrensis tangit confinia basis.

SĬLĬQUASTRUM, i, n. 2. (siliqua) herba hortensis, *gengiovo*, πιπερίτης: ita dicta, quod siliquæ habeat similitudinem: ut *mentastrum* a *menta* ob eamdem causam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 62. (187). Panax piperis saporem reddit, magis etiam siliquastrum ob id piperitidis nomine accepto. Adde 20. *ibid.* 17. 66. (174).

SĬLĬQUĀTĀRĬUS, ii, m. 2. (siliqua) qui exigit vectigal, quod siliquaticum dicitur. *Cassiod.* 2. *Variar.* 26. Si pensionem hujus tituli siliquatario præstat, monopolium quoque negotiator exerceat. Si vero siliquatarius hunc titulum negotiatoribus judicat abrogandum, nullam ab eis exigat pensionem. Adde *ibid.* 12. *in tit.*

SĬLĬQUĀTĬCUM, i, n. 2. (siliqua) vectigal, quod in nundinis penditur fisco ob venditionem proponendam. Id inductum fuit a Theodosio et Valentiniano Augg., augendo jam exhausto ærario, ut nundinis quibusque, decreto provincialium loco et tempore constitutis, ex qualibet mercium negotiatione in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, ac similiter emptor alteram dimidiam fisco inferret, ut est in eorum *Novell.* 1. 51. *Cassiod.* 4. *Variar.* 19. Siliquatici namque præstationem, quam rebus omnibus nundinandis provida definivit antiquitas, in frumentis, vino et oleo dari præsenti tempore non jubemus. Adde 2. *ibid.* 30. et 3. *ibid.* 25.

SĬLĬQUO, as, are, n. 1. *et sæpius*

SĬLĬQUOR, āris, ari, dep. 1. *Siliquo*, forma activa, apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 42. (143). Ocimum erat e pabulis, segete viridi desecta, antequam siliquaret. Alii perperam leg. *gelaret* vel *genicularet:* etenim *Varro* 1. *R. R.* 31. *de eod.* habet: *antequam genat siliquas.* Cf. *Sillig.* ad *h. l.* — Siliquor est siliquam seu integumentum emittere, siliqua tegi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (54). Nihil esse utilius lupini segete, prius quam siliquetur, aratro vel bidentibus versa. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (59). Siliquantur vero omnia diversis diebus, et ab ima primum parte paullatim flore subeunte.

SĬLĬQUŬLA. *V.* SILICULA.

SILIS. *V.* SIL § 2.

SĪLĪTUS. *V.* SILEO.

SILLŎGRĂPHUS, i, m. 2. σιλλογράφος, *satirico*, qui mordacia carmina scribit. *Ammian.* 22. 16. *a med.* Chalcenterus Didymus, qui in illis sex libris ubi nonnumquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, judicio doctarum aurium incusatur.

SILLUS, i, m. 2. σίλλος, genus carminis apud Græcos, simile Latinorum satiræ, cujusmodi librum in Platonem composuisse Timonem, *Gell.* 3. 17. refert. *Cic.* 16. *Att.* 11. Ut sciant παῖδες παίδων sine sillo Luciliano, eum *(M. Antonium)* ex C. Fadii filia liberos habuisse. *h. e.* sine convicio, quo maxime usus est Lucilius in satiris suis. Alii minus recte leg. *vallo*, alii *ullo*. Ita *Furlanetto;* verum *Orellius* leg. *vallo*, et lectionem *Gronovii* ait probabilitate carere. Ceterum cf. voc. præc. In illo *Apul.* 4. *Florid. n.* 21. canit enim Empedocles carmina *etc.* Xenocrates satyras, *Causabon.* et *Menag.* leg. *sillos.* — De hoc satirarum genere V. *Diog. Laert.* 1. 9. § 111. et *Cuper* ad *Apoth. Hom. p.* 64.

SILLȲBUM. *V.* SILYBUM.

SILLȲBUS, i, m. 2. σίλλυβος, *biglietto, cartella*, index, membranula, pittacium, in quo auctorum nomina et operum tituli inscribuntur, quodque tergis voluminum et codicum a bibliopegis agglutinatur. *Cic.* 4. *Att.* 4. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris, iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιλλύβους appellatis. *Id. ibid.* 5. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione et sillybis eos olim laudes. *Id. ibid.* 8. Nihil venustius, quam illa tua pegmata, postquam mi sillybis libros illustrarunt. In *locis cit.* quidam leg. *sittybis*, alii *syllabis*, sed perperam; nam σιττύβαι sunt membranulæ, quibus involvuntur libri, ut a pulveris, tinearum et temporis injuriis integri serventur: *syllabi* autem sunt indices eorum, quæ operibus continentur.

SĪLO, ōnis, m. 3. (silus) idem quod silus, h. e. qui simus est et repandis naribus sursum versus, *chi ha il naso rincagnato, schiacciato, camuso,* σιμός. *Plaut. Rud.* 2. 2. 11. Ecquem recalvum ac silonem senem, statutum, ventriosum, tortis superciliis, contracta fronte etc.? Est qui leg. *silenum* aut *silanum*. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 59. (158). docet, cognomina Simorum et Silonum apud Romanos a naribus orta esse. In *Gloss.* quoque *Philox.* tam *silo* quam *silus* dicitur σιμός. Quare non audiendus *Nonius*, qui p. 25. 22. *Merc.* silonem esse dicit, qui prominentia supercilia habet. Nihil enim ei suffragatur *Varro* illis verbis: Nonne unum scribunt esse grandibus superciliis, silonem, quadratum? Nam si silo is esset, qui prominentia habet supercilia, inepte *Varro* præmisisset *grandibus superciliis.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SILPE. *V.* SIRPE.

SILPHĬON *Græca positione* et

SILPHĬUM, ii, n. 2. σίλφιον, Græca appellatio laserpitii. *Cato R. R.* 157. *ante med.* et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (38). et 22. *ibid.* 23. 48. (100). Græce usurpat *Colum.* 6. *R. R.* 17. et 12. *ibid.* 7. et 57. Hæc planta nunc *thapsia silphium* appellatur. V. *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1843. *p.* 116. — De *Silphio Cyrenaico*, cujus figura occurrit in nummis Cyrenaicæ regionis, V. *Cavedoni* in *Osserv. sulle monete della Cirenaica p.* 10. *et seq.* et *Müller, Numism. de l'Afriq. v.* 1.

SĬLŬA. *V.* SILVA *init.*

SĬLŬĀNUS. *V.* SILVANUS.

SĬLUNCŬLUS, i, m. 2. (silus) aliquantum silus. *Arnob.* 3. *p.* 108. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones etc. Alii melius leg. *cilunculos*. *V.* CILUNCULUS.

SĬLŪRUS, i, m. 2. σίλουρος, piscis genus, de quo *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44). Præcipua magnitudine thynni. Sunt et in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado. *et mox.* Silurus grassatur, ubicumque est, omne animal appetens, equos natantes sæpe demergens. *Id.* 32. *ibid.* 10. 43. (125). Siluri fluviatilis, qui et alibi quam in Ægypto, nascitur. — *Id. ibid.* 9. 33. (104). Ischiadicos liberant salsamenta ex siluro infusa clystere. Adde *ibid.* 10. 43. (125). et 46. (130). ubi de ejusdem usu in medicina agitur. *et Ambros.* 5. *Hexaem.* 5. — Apud *Juvenal.* 4. 32. magna qui voce solebat Vendere municipes fracta de merce siluros. Ex hoc loco *Juvenalis* colligere licet, silurum in Ægypto parvi pretii piscem fuisse, et inter vulgares cibos. Quare longe a vero abesse videntur, qui Italorum *storione* fuisse putant. V. *Harduin.* ad *Plin. cit.* 9. *ibid.* 15. 17. (44).

SĪLUS, a, um, adject. σιλλός et σιλός, σιμός, idem quod silo, simus, *h. e.* qui naso est sursum versus repando, *chi ha il naso rincagnato:* unde galeæ quoque a similitudine silæ dicebantur. h. e. *dalla grondaja dell' elmo ripiegata all' insù.* V. *Cavedoni, App. al Sagg. p.* 166. *n.* 200. Ita *Festus p.* 340. 13. *Müll. Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 10. Ecquos *(deos)* arbitramur silos, flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? *V.* similem. loc. *Arnob.* in SILUNCULUS. — Hinc

Silus, i, n. 2. absolute, substantivorum more genus teli, apud *Sil. It.* 10. 414. Et silus occulitur, cæcum in vestigia telum. *Alii tamen leg.* stilus. *V.* adnot. cl. *Ruperti* in *h. l.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SĪLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

SILVA, æ, f. 1. — *a)* Ad scriptionem quod attinet, sunt qui *sylva* scribunt, ex Græco ὕλη, sed invitis *Gifanio, Manut., Dausq., Cellar., Voss.*, litteratis Lapidibus et antiquis libris. — *Silua* apud poetas interdum est trisyllaba per diæresin, ut *Priscian.* docet 1. *p.* 546. *Putsch. Horat.* 1. *Od.* 23. 4. Aurarum et siluæ metu. *Id. Epod.* 13. 3. nunc mare, nunc siluæ Threicio Aquilone sonant. Quib. loc. etiam prior syllaba corripitur. Cf. *Müller De re metr. p.* 262. — *b)* Genet. sing. *silvai*, pro *silvæ*, usurpant antiquiores *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Silvai frondosai. — *c)* Ratione habita etymi, planius est vocem deducere a Gr. ὕλη, sibilante littera initio addita et digammate inserto, quam ab eo quod tradit *Isid.* 17. *Orig.* 6. 5. silvam dictam quasi *xilvam*, quia ibi ligna cædantur, quum Græci ξύλον lignum dicant. — Silva est locus arboribus natura ipsa consitus et cæduus, ὕλη (It *bosco, selva;* Fr. *forêt, bois;* Hisp. *bosque, floresta;* Germ. *d. Wald, d. Waldung, d. Forst;* Angl. *wood, forest, wilderness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Stricto sensu. *Cic.* 12. *Att.* 15. Quum mane me in silvam abstrusi densam et asperam. *Id.* 3. *Orat.* 5. 18. Locus in media silva maxime et opacus et frigidus. *Ovid. Remed. am.* 183. sonant silvæ mugitibus altæ. *Id. Heroid.* 16. 107. Ardua proceris spoliantur Gargara silvis. *Id.* 10. *Met.* 687. Templa deum Matris nemorosis abdita silvis. et 6. *ibid.* 521. In stabula alta trahit silvis obscura vetustis. *Id.* 3. *Amor.* 1. 1. Stat vetus et multos incædua silva per annos. *Id.* 4. *Met.* 776. abdita

longe Deviaque et silvis horrentia saxa fragosis. *Propert.* 1. 20. 7. Silva umbrosa. *Seneca Herc. Fur.* 836. nigra. *Lucret.* 5. 42. profunda. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 59. (138). Terracina silvis nucum scatet. *Ovid.* 1. *Met.* 475. Silvarum latebræ. *Enn. Ann. fr.* 557. *Vahl.* Silvas saltus latebras lamasque lutosas. *Tibull.* 4. 13. 9. secretis vivere silvis. *Propert.* 2. 15. 29. Solæ silvæ. *Gromat. vet. p.* 205. 14. *Lachm. Rud.* Silva glandifera. et *ibid.* vulgaris. *Val. Flacc.* 3. 21. Fatigare silvas. *scil.* venando. *Næv.* apud *Non. p.* 95. 27. *Merc.* Saxa, silvas, lapides, montes dissicis. *luoghi selvosi.* Sic *Lucret.* 1. 904. conficerent silvas, arbusta cremarent. — *In silvam ligna ferre.* V. LIGNUM. — Ab JCtis *silva* distinguitur in *cæduam* et *pascuam.* *Cajus Dig.* 50. 16. 30. Silva cædua est, ut quidam putant, quæ in hoc habetur ut cæderetur. Servius eam esse, quæ succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur. *et mox.* Pascua silva est, quæ pastui pecudum destinata est. — *b*) Latiore sensu dicitur de loco quibuscumque plantis consito. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *circa med.* Eruere radiculas aquatilis silvæ, tamquam scirpi juncique et arundinis. *Grat. Cyneg.* 46. At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit silvas. — *c*) In illo *Cic.* 3. *Verr.* 19. *a med.* Signa, quæ apud te nuper in silva disposita sub divo vidimus. *silva* est *viridarium,* ut ait *Ascon.* ¶ 2. Speciatim apud Philosophos *silva* est materia, quam dicunt primam, eodem sensu, quo Græce ὕλη. *Isid.* 13. *Orig.* 3. 1. *Hylen* Græci rerum quamdam primam materiam dicunt, nullo prorsus modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem, ex qua visibilia hæc elementa formata sunt. – Proinde et eam poetæ silvam nominaverunt; nec incongrue, quia materiæ silvarum sunt. *Chalcid. Tim. p.* 35. Post Chaos, quam Græci ὕλην, nos silvam vocamus.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice *silva* sunt ipsæ arbores et ligna. *Virg.* 2. *G.* 26. Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus Exspectant et viva sua plantaria terra: Nil radicis egent aliæ. *h. e.* vites. *Propert.* 1. 14. 5. Et nemus omne satas intendat vertice silvas. *Stat.* 2. *Theb.* 248. Ture deos fractisque obtendunt limina silvis. *Seneca Œdip.* 542. Ingens arbor umbra gravi silvas minores urget. *Albinov.* 1. 255. Tandem ubi complexa (*flamma*) est silvas, alimentaque sumpsit etc. ¶ 2. Item una arbor *silva* dicitur a poetis. *Stat.* 6. *Theb.* 280. *de Tantalo,* qui fallentibus undis Imminet aut refugæ sterilem rapit aera silvæ. *Martial.* 11. 41. Cedentes oneri ramos silvamque fluentem Vicit. *h. e.* quercum pondere corporis inflexit. ¶ 3. Hyperbole est in illo *Lucani* 6. 205. densamque ferens in pectore silvam. *h. e.* plurima tela infixa. Sic *Sil. It.* 4. 619. silvam (*telorum*) ingentem concusso corpore vibrat. ¶ 4. Et metaphorice. *Juvenal.* 9. 12. vultus gravis, horrida siccæ Silva comæ. *h. e.* capilli impexi et implicati instar arborum in silva, et nullo unguento delibuti. *Maximian.* 1. *Eleg.* 140. *de superciliis.* Desuper incumbens hispida silva premit. — *Tertull. Apolog.* 40. Nonne squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et cæditis? *Id. de Pudicit.* 16. Ut intelligas quanta securi censuræ omnem silvam libidinum cædat et eradicet et excaudicet. ¶ 5. Item est quæcumque congeries, et prima veluti materia, ex qua deinde quod volumus, secernimus. *Cic. Orat.* 3. *ad fin.* Omnis ubertas et quasi silva dicendi ab Academia ducta est. *Id.* 3. *Orat.* 26. *ad fin.* Primum silva rerum sententiarumque comparanda est. hæc formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis. *et ibid.* 30. Quæ referuntur ad agendum, in officii disceptatione versantur. quo in genere quid rectum faciendumque sit, quæritur: cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subjecta. *Gell. præf.* Quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisierant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. namque alii *Musarum* inscripserunt, alii *Silvarum* etc. Sic *Sueton. Grammat. in fin.* Reliquit non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui. ¶ 6. Poetice *silva* dicitur arbor vel arbores navis, quia tractæ e silva. *Auct. Carm. de Jona* 37. Una ratis certamen erat cæloque fretoque, Funditur hinc illinc, tremit omnis silva sub ictu Fluctivago. ¶ 7. Item *silva* dicuntur ipsæ silvestres feræ. *Grat. Cyneg.* 3. Silvas movere. *et* 65. impellere. Cf. *Lucret.* 5. 966. ¶ 8. *Silvas* inscripsit *Statius* varia poematia sua in libros quinque distributa (ut videre est in ejus epistola libro quarto præfixa), vel quia sunt varii argumenti, ut variæ sunt arbores in silva: vel potius quia rudia ipsi visa sunt et impolita, et lignorum modo ex silva excisorum similia, utpote quæ magnam partem extemporali impetu et subitis versibus fusa sint. De his *Sidon. carm.* 9. 227. quod Papinius tuus meusque pedum minore rhythmo Pingit gemmea prata silvularum. *Quintil.* 10. 3. *circa med.* Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt. hanc silvam vocant. Repetunt deinde et componunt quæ effuderant.

Homonym. Quomodo differant *silva, nemus* et *lucus,* V. sub LUCUS.

SILVĀNUS, i, m. 2. (silva) Etiam *siluanus,* ut *silua* pro *silva,* in *Inscript.* apud *Orelli, n.* 4957. *V.* ONOM. — Silvanus ¶ 1. Est proprie adject., ad silvas pertinens. Hinc *Mars Silvanus* apud *Caton. R. R.* 83.; et *Silvani,* dii silvarum. *V.* pariter SILVANUS in ONOM. ¶ 2. Est etiam idem ac silanus. *Gloss. Lat. Gr.* Silvanus, κρουνός. *V.* SILANUS.

SILVĀTĬCUS, a, um, adject. (silva) Etiam *silbaticus* legitur in *Inscript.* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1849. CANES AGRESTES SILBATICI. — Silvaticus est ad silvam pertinens, silvester, *da bosco, selvareccio,* ὑλαῖος. *Cato R. R.* 11. Falces vineaticas sex, scirpiculas quinque, falces silvaticas quinque, arborarias tres. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 22. — Opponitur sativo et domestico, *selvaggio, selvatico.* *Cato R. R.* 8. Laurus silvatica. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 22. (70). Cinis muris silvatici. *Varro* apud *Non. p.* 555. 31. *Merc.* Sues silvaticos in montibus sectari venabulo aut cervos.

SILVESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SILVESCO, is, ere, n. 3. (silva) Part. *Silvescens* II. — Silvesco est in silvam abire, silvestres et infructuosas arbores fieri, nimia ramorum ubertate luxuriari, ὑλομανέω, ἀπολοχμόομαι (It. *farsi selva, imboschire;* Fr. *pousser trop de bois;* Hisp. *enselvarse, emboscar mucho ó desmasiado;* Germ. *Wild wachsen, verwildern;* Angl. *grow wild*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. *a med.* Vitem ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. *Colum.* 4. *R. R.* 11. Nec pati, vitem supervacuis frondibus luxuriantem silvescere.

II.) Translate. *Arnob.* 3. *p.* 109. Capilli silvescentium crinium velleribus involuti. — Figurate. *Ambros. Ep.* 45. Paradisus silvescens plurimarum opinionum plantariis. *Augustin. De dial.* 10. Æquivoca ubi ambiguitatum perplexio prope infinita silvescet. *Id.* 2. *Civ. D.* 18. Unde talia vitia silvescerent. *Id.* 2. *Confess.* 1. Silvescere ausus sum variis et umbrosis amoribus.

SILVESTER, tris, tre, adject. et

SILVESTRE, adverb. *V.* voc. seq.

SILVESTRIS, e, adject. (silva) Alia forma *silvester, is, e,* apud *Petron. Sat.* 131. *Bücheler.* Dignus amore locus: testis silvestris aedon Atque urbana Procne. *ubi tamen alii leg.* silvester. Adde *Colum.* 1. *præf., Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (110)., *Gromat. vet. p.* 44. 14. et *p.* 75. 7. *Lachm.-Rud.* et *Senec. Hippol.* 460. — Etiam *silvestrus, a, um,* in *Inscript.* apud *Orelli, n.* 4990. SILVANO SILVESTRO SACRVM. Adde *Inscript. Neapolit.* 1515., 1550., 5508. — Genet. plur. *silvestrum* pro *silvestrium* apud *Acc. trag.* 256. *Ribbeck.* — Comp. *Silvestrior* 2. — Silvester est silvam habens, arboribus abundans, ὑλώδης (It. *boscoso, selvoso, silvestre;* Fr. *de forêt, boisé, couvert de forêts;* Hisp. *cubierto de bosques, selvoso, silvestre;* Germ. *zum Walde gehörig, waldig;* Angl. *woody, wild*). ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 12. 1. Silvestris mons. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 132. Montes vestiti atque silvestres. *Id. Amic.* 19. 68. Locis montuosis delectamur atque silvestribus. *Id. Brut.* 74. *a med.* Inculta et silvestris via. *Liv.* 27. 26. Tumulus silvestris. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 10. 19. (65). Silvestris regio tam vastis arboribus, ut etc. *et ibid.* (64). tractu. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 186. Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum. *Ovid.* 13. *Met.* 815. silvestri nata sub umbra Mollia fraga leges. ¶ 2. Speciatim est in silvis nascens: cui opponitur sativus, agrestis, domesticus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (41). Silvestre mel. *Id.* 18. *ibid.* 12. 30. (121). faba. *Id.* 8. *ibid.* 41. 63. (153). rosa. *Id.* 16. *ibid.* 27. 50. (114). malus. *Id.* 15. *ibid.* 13. 12. (42). pruna. *Id.* 21. *ibid.* 7. 18. (35). Silvestria omnia odoratiora sativis. *Id.* 16. *ibid.* 27. 50. (116). Silvestriora omnia tardiora. *et* 22. *ibid.* 25. 71. (156). Est et alterum genus ejus silvestrius, odore gravi. *Id.* 8. *ibid.* 21. 30. (74). Silvestres tauri majores agrestibus. *Propert.* 3. 7. 51. Silvestre uber. *h. e.* lupæ mamma. *Val. Flacc.* 8. 252. silvestria præmia. *h. e.* prædæ ex venatione in silvis. ¶ 3. In silvis degens, *boschereccio, selvaggio, selvatico:* et refertur etiam ad mores agrestes, rusticos, a deliciis alienos. *Petron. Sat. loc. cit.* silvestris aedon Atque urbana Procne. *Alii leg.* silvester. *V.* ACER adject. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 17. (77). Sphinx, silvestre numen accolentium. Alii aliter leg. *Lucret.* 5. 967. Consectabantur silvestria sæcla ferarum. *Cic.* 2. *rep.* 2. 4. Silvestris belua. *Liv.* 44. 6. materia. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. *ad fin.* Bestiæ frigus, famem, montivagos atque silvestres cursus lustrationesque patiuntur. *Id. Cœl.* 11. 26. coetio Lupercorum. *Catull.* 64. 279. dona. *Virg.* 1. *Ecl.* 2. Silvestrem tenui Musam meditaris avena. *h. e.* carmen rusticum et pastorale. Sic *Lucret.* 4. 590. Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam. *Horat. Art. P.* 390. Silvestres homines *etc.* Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus. *Seneca Hippol.* 461. Truculentus et silvester et vitæ inscius Tristem juventam colis. *Lucret.* 5. 1215. Silvestre bellum. — Hinc

Silvestre, adverbiorum more, est idem ac rustice. *Manil.* 3. 39. Quin etiam ritus pecorumque et Pana sonantem In calamos Sicula memorat tellure creatus: Nec silvis silvestre canit.

Silvestria, ĭum, n. plur. 2. absolute, loca silvestria. *Liv.* 38. 49. An culta ex silvestribus facere potui. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 33. (70). Clymenus a rege herba appellata est – silvestribus et montuosis nascens. Adde *Gromat. vet. p.* 56. 3. et *p.* 86. 31. *Lachm.-Rud.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SILVESTRUS, a, um. *V.* voc. præc. init.

SILVĬCÆDUS, a, um, adject. (silva *et* cædo) qui silvas cædit, *chi taglia boschi.* Absolute *Chalcid. Tim. p.* 36. Erant pastores et silvicædi caterique hujusmodi. Exspectares *silvicidæ,* ut *lapicida.*

SILVĬCŎLA, æ, comm. gen. 1. (silva *et* colo) silvarum incola, *abitatore de' boschi,* ὑλοκάτοικος. *Propert.* 3. 11. 34. puellæ Oscula silvicolis empta dedere viris. *Virg.* 10. *Æn.* 551. Silvicola Faunus. *Ovid.* 4. *Fast.* 746. Silvicolam tepido lacte precare Palen. *Capell.* 7. *p.* 237. Tellustres silvicolæque divi. Adde *Næv.* et *Acc.* apud *Macrob.* 6. *Sat.* 5.

SILVĬCŎLENS, entis, adject. (silva *et* colo) qui silvas incolit, silvicola. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 2660. EQVORVM SILVICOLENTVM PROGENIES.

SILVĬCŎMUS, a, um, adject. (silva *et* coma) qui tectus est silvis seu arboribus tamquam coma. *Incert. poeta* apud *Mar. Victorin.* 4. *p.* 2592. *Putsch.* Ibam forte per arduum Montis silvicomi nemus.

SILVĬCULTRIX, tricis, f. 3. (silva *et* colo) silvicola, ut Cerva silvicultrix, *Catull.* 63. 72.

SILVĬFRĂGUS, frăga, frăgum, adject. (silva *et* frango) silvas frangens. *Lucret.* 1. 274. vis venti montes supremos Silvifragis vexat flabris.

SILVĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (silva *et* gero) silvam gerens, silvosus. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3.

26. (43). Hyrcani montes silvigeri ab Aquilonis tantum parte sunt. *Inscript.* apud *Murat.* 41. 13. Silviger Deus. Verum cl. *Orelli*, ad *n.* 1488., repugnante *De-Vit*, suspectam dicit, nescio qua ratione ductus.

SILVŌSUS, a, um, adject. (silva) silva vel arborum densitate obsitus, *selvoso, boscoso*, ὑλώδης. I.) Proprie. *Liv.* 9. 2. Saltus duo alti, angusti silvosique sunt. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 5. 11. (23). Superiores rami emicant silvosa multitudine. *Vitruv.* 8. 1. *ad fin.* Crebræ arbores et silvosæ. *Apul.* 7. *Met.* Silvosa nemora. *Augustin. in Ps.* 95. 5. locus.

II.) Translate. *Augustin.* 13. *Confess.* 19. Exstirpa silvosa dumeta avaritiæ. — Absolute *silvosa* plur. neutr. sunt silvosa loca. *Augustin. in Ps.* 70. *serm.* 2.

SILVŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* silva, parva silva, *boschetto, selvetta. Colum.* 8. *R. R.* 15. Vel in silvulis tamaricum aut scirporum frutetis immorari. *Sidon. carm.* 9. 229. *de Statio.* pedum minore rhythmo Pingit geminea prata silvularum. *V.* SILVA.

SILЎBUM, i, n. 2. σίλυβον, herba chamæleoni albo similis, æque spinosa: lacteum sucum habet, qui densatus in gummi sumitur cum melle præcipueque bilem trahit (*Gundelia Tournefortii* Linn.?). *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 42. (85). et 26. *ibid.* 7. 25. (40). At *Silligius* leg. utrobique *sillybum*.

SĪMA, æ, f. 1. (simus) in architectura est supremum coronæ membrum obtusius et hebetius, instar nasi caprarum (unde nomen) quod Itali *gola diritta* et etiam *sima* vocant, ut cymatium *gola rovescia*, ἐπίτιθις. *Vitruv.* 3. 3. *ad fin.* Insuper coronas simæ, quas Græci ἐπιτίθιδας dicunt, faciendæ sunt, altiores octava parte coronarum altitudinis. *Inscript.* apud *Gruter.* 207. *col.* 1. INSVPER SIMAS PICTAS FERRO OFFIGITO.

SĪMĀTUS, a, um, particip. *V.* SIMO.

SĪMEITU. *V.* SIMITU.

SĪMĬA, æ, f. 1. *et* Simius, ii, m. 2. (simus) animal hominum figuræ proximum et hominum gestus imitans, idemque turpissimum, sine cauda. nam caudatum cercopithecus dicitur: a *simus*, quia pressis est naribus. Multa et mira de eo *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. et 11. *ibid.* 14. 100.

I.) Proprie. — *a*) *Simia*, πίθηκος (It. *bertuccia, scimmia, simia*; Fr. *singe, guenon*; Hisp. *mono*; Germ. *d. Affe*; Angl. *ape, monkey*). Usurpatur tam de mare quam de femina. (V. *Serg. expl. in Donat. p.* 494. 27. *Keil.*) *Ennius* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 97. Simia quam similis, turpissima bestia, nobis! (Cf. *Seren. Sammon. c.* 45. 1.) Adde *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 7. *et Rud.* 3. 1. 6. et *Quintil.* 5. 11. 30. — *b*) *Simius*, Italice *scimmione, scimmiotto, bertuccio. Phædr.* 1. 10. Tum judex inter illos sedit simius. *Martial.* 14. 202. Callidus emissas eludere simius hastas. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 303. humani simulator simius oris. Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 92. *et seqq.* In deforme viros animal mutavit (*Jupiter*) ut idem Dissimiles homini possent similesque videri.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de nimis studioso et inepto imitatore. — *a*) *Simia* apud *Plaut. Most.* 4. 2. 4. Vide ut fastidit simia! Sic *Plin.* 1. *Ep.* 5. Rusticum insectatur, atque etiam Stoicorum simiam appellat. et *Capitolin. Maximin. jun.* 1. Titianus dictus est simia temporis sui, quod cuncta imitatus esset. *Sidon.* 1. *Ep.* 1. Oratorum simia. — *b*) *Simius* apud *Horat.* 1. *Sat.* 10. 18. quos neque pulcher Hermogenes umquam legit, neque simius iste. et *Seneca* 4. *Controv.* 26. *ad fin.* Quid putatis, ajebat, Argentarium esse? Cestii simius est. Fuerat enim Argentarius Cestii auditor, et erat imitator. ¶ 2. Est etiam convicium vilis, nequam et turpis hominis. *Laber.* apud *Charis. p.* 84. *Putsch.* Simium deamare occipit. *Afran. ibid.* Quis est hic simia, qui me hodie ludificatus est? *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 12. Malui collegæ ejus me obligare, quam illius simiæ vultum subire.

SĪMĬDĂLA, æ, f. 1. σιμίδαλις, idem ac simila. *Gloss. Gr. Lat.* Σιμίδαλις, simila.

SĪMIL. *V.* SIMILIS init.

SĪMĬLA, æ, f. 1. σεμίδαλις vel σεμίδαλις, *fior di farina*, flos farinæ triticeæ. *Cels.* 2. 18. *ante med.* Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. Firmius est triticum, quam milium. Ex tritico firmissima siligo, deinde simila, deinde cui nihil ademptum est, quod αὐτόπυρον Græci vocant. *Martial.* 13. 10. cujus lemma *Simila ex tritico.* Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus: Pistori toties quum sit et apta coco. Adde *Apic.* 7. 11. et *Vulgat. interpr. Gen.* 18. 6.

SĪMĬLĀCĔUS, a, um, adject. (simila) idem ac similagineus. Translate *Rufin. Interpr. Orig. Homil.* in *Lev.* 2. *n.* 4. *ad fin.* Panis similaceus oleo subactus.

SĪMĬLĀGĬNĀRĬUS, a, um, adject. (similago) ad similaginem pertinens. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1840. *p.* 19. (*Corp. Inscr. Lat.* 1. 1017.) Pistor similaginarius. *di pane fatto di fior di farina o di pan buffetto.*

SĪMĬLĀGĬNĔUS, a, um, adject. (similago) ex similagine factus, ut Similagineus panis, apud *Senec. Ep.* 119., ubi alii rectius leg. *siligineus.* Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 39. 31.

SĪMĬLĀGO, ginis, f. 3. (simila) idem ac simila. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (89). Similago e tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est e modiis redire semodios et pollinis sextarios quinque. Ita autem appellant in tritico, quod florem in siligine. Hoc ærariæ officinæ chartariæque utuntur. Præterea secundarii sextarios quatuor furfurumque tantumdem. Panis vero e modio similaginis CXXII. (*pondo* seu *libræ*), e floris modio CXVII. Adde *Caton. R. R.* 75., *Ambros. in Luc.* 8. § 49. et *de Cain et Abel* 1. 8. — *Vulgat. interpr. Eccli.* 35. 4. Offerre similaginem. *h. e.* sacrificium, cujus pars erat simila. Adde 38. 11.

SĪMĬLĀRĬA. *V.* SMILARIA.

SĪMĬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (similo) actus similandi. *Boeth.* 3. *in Porphyr. p.* 78. Quorum naturam et similationem continet.

SĪMĬLĀTUS, a, um, particip. *V.* SIMILO.

SĪMĬLE. *V.* SIMILIS.

SĪMĬLĬGĔNUS, a, um, adject. (similis et genus) qui est similis generis. Absolute *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. 115. Admiscere sibi similigena. *V.* PEPLIUM.

SĪMĬLIS, e, adject. *Simil* pro *similis*, per syncopen, est *Næv.* apud *Non. p.* 224. 25. *Merc.* Pol haud parasitorum aliorum simil est. Ita *Ribbeck, Coroll.* ad *Comic. Rom. fr. p.* XVI. et *Ritschl, op.* 2. *p.* 331. et 617. Sed potius ibi cum *Nonio* legend. *simile est*, neutr. pro mascul. *V.* infra. Fortasse olim *simil 'est* vel *similist*, ut alii leg. *Nonium* secutus est *Forcellinus.* Ceterum *simil* pro *simul* V. in SIMUL. — Ratione habita etymi, alii ex recentioribus conjungunt cum *imitor*; alii ducunt a Skr. *sama*, idem, par, unde et Gr. (ἅμα) ὅμοιος et ὁμαλός, æqualis, et etiam Lat. *simul, semel, simplex* et *singulus* derivant. — Comp. *Similior* 1. 1.° *a*, 3.° *a, b*; Sup. *Simillimus* 1. 2.° *b*, 3.° *b.*, et ἀρχαϊκῶς *simillumus* et *similumus.* V. *Cenotaph. Pis. t.* 2. *l.* 14. et *Plaut. Asin. v.* 241. *Fleckeisen Krit. Misc. p.* 38. — Similis est qui cum aliquo similitudinem habet, parilis, æqualis, geminus, consimilis, ὅμοιος (It. *somigliante, simile*; Fr. *semblable, pareil*; Hisp. *semejable, semejante*; Germ. *ähnlich, gleich*; Angl. *similar, like, resembling*). ¶ 1. Universim. — 1.°) Absolute. — *a*) De personis. *Quintil.* 11. 1. 102. Pares eos magis quam similes. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 48. Pro di immortales! similiorem mulierem Magisque eamdem - non reor. *Horat.* 4. *Od.* 5. 23. Laudantur simili prole puerperæ. — *b*) De rebus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 111. Quoniam formam cepi hujus in me et statum, Decet et facta moresque hujus habere me similes item. Adde *Men. prol.* 19. *Ter. Phorm.* 2. 1. 34. Ecce similia omnia omnes congruunt. *Cic. Rosc. Am.* 40. *extr.* Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 35. 52. (106). Cantus columbarum similis atque idem. *Quintil.* 7. 8. 7. Simile et majus est et par et minus. — Neutr. plur. substantivorum more. *Id.* 1. 5. 69. Sic ignavi et erepti et similia. *Id.* 7. 2. 46. Latitatio, metus, similia. *Id.* 9. 4. 19. De philosophia, de re publica, similibus. — 2.°) Cum Genetivo. — *a*) De personis. *Næv.* apud *Non. loc. supra cit.* Pol haud parasitorum aliorum simile est. *h. e.* similis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 226. Ecquis alius - qui mei similis siet. *Id. ibid.* 1. 1. 128. deos esse tui similes putas? *Id. ibid.* nimis simile 'st mei. *Id. Asin.* 1. 1. 53. volo me patris mei similem. Adde *ibid.* 3. 3. 91. *Ter. Adelph.* 3. 3. 57. Similis majorum suorum. *Id. Eun.* 2. 3. 21. virginum nostrarum. *Id. ibid.* 3. 2. 43. domini. *Lucret.* 4. 1218. similes exsistere avorum (*nati*) Possint et referant proavorum sæpe figuras. *Cic.* 2. *Nat. D.* 61. 153. Virtutes, e quibus vita beata exsistit par et similis deorum. *Id.* 1. *ibid.* 28. 77. Est vis tanta naturæ, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. *Id.* 7. *Verr.* 12. 30. *Orelli.* Similis patris. *Alii leg.* patri. *Id. Amic.* 14. 50. sui. *Id. ibid.* 25. 94. multi Gnathonum. *Id.* 1. *rep.* 43. 67. in magistratu privatorum. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 96. non ego Capri neque Sulci. *Liv.* 1. 20. plures Romuli quam Numæ. *Tac. Germ.* 4. tantum sui gens. *Val. Max.* 9. 14. *n.* 2. Menogenis. *Cic. Brut.* 13. *a med.* Rhodii seniores et Atticorum similiores. *Nepos Datam.* 9. Elegit corpore et statura simillimum sui. — *b*) De rebus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 105. Hæc atque hujus similia alia damna multa mulierum. *Ter. Eun.* 3. 3. 42. Ebo: nonne hoc monstri simile 'st? *Di', non par questo proprio un destino? Lucret.* 5. 830. nec manet ulla sui similis res. *Cic.* 3. *Fin.* 15. *ad fin.* Dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum. *Id.* 1. *rep.* 36. 56. Quid habet illius carminis simile hæc oratio? *Id. ibid.* Fabularum similia. *Id.* 12. *Fam.* 5. Id eo facilius credebatur, quia simile veri videbatur. *Alii leg.* vero. *Id.* 2. *Orat.* 19. 80. Narrationem jubent veri similem esse et apertam. Adde *Cels.* apud *Quintil.* 2. 15. 32. *Plaut. Asin.* 1. 3. 63. Non tu scis? hic noster quæstus aucupii simillimus est. *Id. Bacch.* 4. 8. 52. Simillimus lippi oculi servus. *Id. Cist.* 1. 1. 82. meretrix fortunati oppidi. *Cic. Rosc. Com. sub fin.* Simillima et maxime gemina societas hereditatis est. *Id.* 5. *Tusc.* 4. 11. Quid esset simillimum veri. *Ovid.* 15. *Met.* 201. pueri simillimus ævo. — 3.°) Cum Dativo. — *a*) De personis. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 97. Simia quam similis, turpissima bestia, nobis. Adde *Afran.* apud *Suelon. vit. Terent. Plaut. Capt.* 3. 4. 50. Similes omnes tibi. et *Pœn.* 3. 2. 36. malo. et *Truc.* 2. 6. 24. ecquid mihi puer? *Catull.* 61. 221. Similis patri suo. *Sall. Cat.* 14. Par similisque ceteris. Adde *Cat.* 14. *Cic.* 4. *Acad.* 37. 118. (2. *pr.*). Democritus huic in hoc similis, uberior in ceteris. *Horat.* 1. *Od.* 23. 1. Vitas hinnuleo me similis, Chloe. *Id.* 2. *Sat.* 5. 92. multum similis metuenti. *Ovid.* 3. *Met.* 652. Similis flenti. *Id.* 2. *ibid.* 501 cognoscenti. *Liv.* 3. 65. fluctuanti. *Quintil.* 11. 2. 32. legenti. *Id. ibid.* 46. ediscenti. *Id. ibid.* 47. cogitantibus et dubitantibus. *Virg.* 1. *Æn.* 593. Os humerosque deo similis. *Liv.* 3. 65. Si similes Icilio tribunos haberet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (51). Similes quidem (*genitos*) alios avo et ex geminis quoque alterum patri, alterum matri, annoque post genitum majori similem fuisse ut geminum; quasdam sibi similes semper parere, quasdam viro, quasdam nulli, quasdam feminam patri, marem sibi. *Quintil.* 5. 10. 24. parentibus ac majoribus suis. *Plaut. Men.* 5. 9. 29. Nam ego hominem homini similiorem numquam vidi alterum. *Vulgat. interpr. Eccli.* 13. 19. Omnis homo simili sibi sociabitur. — *b*) De rebus. *Ter. Eun.* 3. 2. 15. Perpulcra credo dona, haud nostris similia. *Lucret.* 5. 435. Nec similis nostris rebus res ulla videri. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Quid illi simile bello fuit? *Cic.* 9. *Fam.* 21. Quid simile habet epistola aut judicio aut contentioni? *Horat. Art. P.* 254. Primus (*iambus*) ad extremum similis sibi. *Rutil. de fig. sent.* 2. § 4. Velitne se simileis esse illius factis et moribus? Cf. *Nepot. Chabr.* 3. *extr. Liv.* 10. 20. Ea quamquam similia veris erant, certius tamen exploranda ra-

tus. *Quintil.* 2. 4. 2. Argumentum quod falsum, sed vero simile comœdiæ fingunt. *Plaut. Men.* 5. 9. 30. Neque aqua aquæ, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius. *Liv.* 4. 31. Similiora omnia castris quam urbi. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 120. Vehemens et liquidus puroque simillimus amni. *Liv.* 26. 49. Simillima media veris. — *Id.* 3. 40. Oratio fuit precibus quam jurgio similis. *pro* similior. — 4.°) Cum Genetivo et Dativo in eadem constructione. *Plaut. Amph.* 2. 1. 54. Neque lac lacti magis est simile, quam ille ego similis est mei. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. *extr.* Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus. *Id.* 1. *ibid.* 32. 90. Nec intelligo cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum. Quæres quid intersit, si enim hoc illi simile est, esse illud huic etc. *Lucret.* 4. 1207. Tum similes matrum materno semine fiunt, Ut patribus patrio. — 5.°) Cum Accusat. et præp. *inter*, et aliquando cum duplici constructione. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. *Quintil.* 12. 10. 22. Similes homines inter se. *Id.* 9. 2. 51. Res inter se similes. *Ovid.* 13. *Met.* 835. Inter se similes, vix ut dignoscere possis. — *Cic.* 1. *Legg.* 10. 29. Nihil est unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus. *Quintil.* 12. 3. 49. Sunt inter se similia, sed non etiam prioribus. — 6.°) Item cum præpos. *in. Apul.* 10. *Met.* Puella in deæ Junonis speciem similis. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 39. Dissimilis in domicum. — 7.°) Cum particulis *atque, ac, ut si, tamquam si. Cæs.* 7. *B. G.* 38. Ut simili ratione, atque ipse fecerit, suas injurias persequantur. *Cic.* 5. *Verr.* 63. *in fin.* Si docere vis, aliquid ab isto simile in æstimatione atque a ceteris esse factum. *Id.* 4. *Fin.* 12. *a med.* Nec, si sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum ac si ampullam perdidisset. (*Alii leg.* et sl. *V.* SIMILITER. *Id. Senect.* 6. 17. Similes sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant. *Id.* . *Divinat.* 64. 131. Similes sunt dii, si ea obis objiciunt, quorum nec scientiam, neque explanatorem habeamus, tamquam si Pœni aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. ¶ 2. Dicitur de effigie picta aut sculpta, alicujus faciem referente. *Id.* 1. *Tusc.* 15. 34. Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervæ. *il ritratto di sè stesso.* et *Juvenal.* 2. 6. Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 200. te lucida saxa, Te similem doctæ referet mihi linea ceræ. et 1. *ibid.* 1. 100. Apelleæ cuperent te scribere ceræ, Optassetque novo similem te ponere templo Atticus, Elei, senior, Jovis. et 2. *ibid.* 7. 129. Vultus, qui simili notatus auro Stratis prænitet. Adde *Martial.* 1. 110. et 9. 104. ¶ 3. *Similes numeri* quinam dicantur, tradit *Capell.* 7. *p.* 249. ¶ 4. *Simile est*, antique pro similis est. *V.* init. — Hinc

Simile, is, n. 3 absolute, substantivorum more, similitudo, *similitudine.* ¶ 1. Est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. *Cic.* 3. *Fin.* 14. 46. Utuntur simili. ut si cothurni laus esset etc. et *ibid.* 16. 54. Ab iis hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si etc. et 4. *ibid.* 27. *a med.* Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator æque peccat etc. *Capell.* 5. *p.* 158. Argumentum a simili. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Vidi pullulos tuos tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius. *Quintil.* 7. 1. 61. Nec improbum sit pro simili accipi, quod plus sit. *V.* SIMILITUDO. ¶ 2. *Simile casibus* apud Rhetoras figura est, quæ Græcis ὁμοιόπτωτον dicitur. *Capell.* 5. *p.* 174. ¶ 3. *Simile determinatione* est figura eadem, quæ Græcis ὁμοιοτέλευτον. *Aquil. de figur.* § 26.

Simile, adverbiorum more. — Comp. *Similius*; Sup. *Simillime.* — Simile est idem ac similiter. *Cic.* 4. *Acad.* 5. 14. (2. *pr.*) Simile vos quum perturbare, ut illi rempublicam, sic vos philosophiam bene jam constitutam velitis etc. *Orellius* tamen cum plerisque leg. *similiter.* V. SIMILITER. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua depellit depressum omnem ponderum; remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. *Phædr.* 5. 5. Acclamat populus, scurram multo similius imitatum. — Cum partic. *atque. Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. *ad fin.* Hic tamen excipit Pompejum: simillime atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. — *NB.* De cognom. *R. V.* ONOM.

Homonym. ¶ 1. Differunt *par* et *similis*. *Par* est, qui tantumdem habet: *similis*, qui proxime accedit. *Liv.* 45. 43. Hærente adhuc memoria Macedonici triumphi L. Anicius triumphavit de rege Gentio. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. Sic *Quintil.* 10. 1. 102. T. Livius immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus pares eos magis, quam similes. V. *Pitiscum* ad *Curt.* 5. 5. 7. *Popma, op. cit.* ad v. *par* hæc habet: *Par* respicit plerumque ætatem ac dignitatem, raro mores; *similis* mores magis et corporis formam. Sed cf. etiam *Cic. Rosc. Am.* 40. *in fin. Pallad.* 5. *R. R.* 4. 2. Similis soliditati pollicis. *h. e.* æqualis. ¶ 2. Inter *illius similis* et *illi similis* hoc interest, inquit *Isid.* 1. *Differ.* 309. et *App. n.* 104., quod *illius similis* ad mores refertur, *illi similis* ad vultum. Ceterum de regimine casuum hæc animadvertenda subjicimus. *Cicero* et antiquiores in animantium, hominum præsertim et deorum, similitudine notanda longe sæpius Genetivum usurpant. De rerum vero similitudine iidem adeo promiscue Genetivo et Dativo utuntur, ut in eodem loco uterque occurrat, ut 2. *Nat. D.* 50. 149.; quod facit in hominibus *Lucret.* 4. 1211. et 1212. Sunt tamen certa vocabula, in quibus alteruter casus præferatur, ut *veri similis* semper a *Cic.* dicitur. Videsis alia hac super re apud *Madvigium*, in adnot. ad *Cic. ll. de Fin. p.* 623. *et seqq.*

SĬMĬLĬTAS, ātis, f. 3. (similis) idem ac similitudo. *Cæcil.* apud *Non. p.* 176. 33. *Merc.* Vide Demea, hominis quid fert morum similitudo. — In plur. num. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Non potest id robur, quod abies, nec cupressus, quod ulmus, neo ceteræ easdem habent inter se naturæ rerum similitates. *proprietà simili.*

SĬMĬLĬTER, adverb. (similis) *Simulter* per contractionem *V.* suo loco. — Gradus *V.* in SIMILE. — Similiter est cum similitudine, simili ratione, pariter, item, æque, *con simiglianza, parimente, simigliantemente, medesimamente,* ὁμοίως. ¶ 1. Absolute. *Plaut.* 1. 2. 36. Age, me aspice: ecquid assimulo similiter? *Cic. Brut.* 66. 233. Omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. *Id.* 3. *Orat.* 54. 206. Et illa, quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter. *Id.* 2. *ibid.* 16. *sub fin.* Qui certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode persequuntur. similiter arbitror in hac ratione dicendi. ¶ 2. Cum Dativo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (86). Aranei pariunt vermiculos ovis similes etc. similiter his et scorpiones terrestres, vermiculos ovorum specie pariunt. ¶ 3. Post se easdem particulas, quas *similis*, regit. *Cic.* 1. *Off.* 25. 87. Similiter facere eos, qui contenderent etc. ut si nautæ certarent etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 3. *extr.* Similiter facis ac si me roges, cur etc. *Id.* 1. *Phil.* 4. 9. Neque vero illum similiter atque ipse eram, commotum esse vidi. ¶ 4. *Similiter et*, pro *ac* vel *ut*, quidam recte leg. 2. *Fin.* 7. *a med.*, quod aliis exemplis confirmat *J. A. Goerenzius.* V. *Ciceronis loc. cit.* ex 4. *Fin.* 12. in SIMILIS et quæ ad *h. l.* adnotat *Madvigius.*

SĬMĬLĬTŪDO, inis, f. 3. (similis) species, forma eadem, imago, collatio, exemplar, ὁμοιότης (It. *somiglianza, medesimità, conformità, similitudine;* Fr. *ressemblance, analogie, parité, similitude;* Hisp. *semejanza, similitud;* Germ. d. *Aehnlichkeit;* Angl. *resemblance, analogy, similitude*); occurrit autem vel absolute, vel cum Genetivo et rarius cum Dativo, vel cum Accus. et præp. *inter*, vel *Ablat.* et præp. *cum.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Id ex similitudine floris lilium appellabat. *Id. ibid.* 5. Hi similitudine armorum nostros perterruerunt. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 69. Gloria habet formam honestatis et similitudinem. *Id.* 3. *Off.* 4. 16. Similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientum. *Id.* 7. *Phil.* 2. *a med.* Nos ab incunte ætate studiorum societas similitudoque conjunxit. *Id.* 2. *Orat.* 87. 356. Hæc ars tota dicendi, sive artis imago quædam est et similitudo, habet hanc vim, ut etc. *Id. Brut.* 16. *a med.* Est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. *a med.* Ut exerceamur in venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 48. Genus radicis, quod admixtum lacte multum inopia levabat. Id ad similitudinem panis efficiebat. *Vellej.* 1. 17. 5. Similitudo ingeniorum. *h. e.* similia ingenia. *Id.* 7. *Att.* 2. Accedere ad similitudinem rei. *Seneca Ep.* 84. Si cujus in te comparebit similitudo. *Sall. Cat.* 6. Vel ætate vel curæ similitudine patres adpellabantur. *Cic. Amic.* 21. *in fin.* Id faciunt (*bestiæ*) cum quadam similitudine amoris humani. *Id.* 2. *rep.* 32. 56. Imperii genus proximum similitudini regiæ. *h. e.* regni. *Id. Amic.* 14. 50. Nihil est, quod tam alliciat quam amicitiam similitudo. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 96. Ad similitudinem Deo propius accedebat humana virtus. *Id.* 1. *Legg.* 8. 25. Est homini cum Deo similitudo. *Tac. Germ.* 23. Humor in quamdam similitudinem vini corruptus. — In plur. num. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Sunt quædam animi similitudines cum corpore. ¶ 2. Speciatim apud Rhetoras est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile, ut *id.* 4. *Herenn.* 45. 59. definit. Item locus et sedes argumentorum: qui dicitur locus a simili. *Id. Top.* 10. et 2. *Orat.* 40. De his *Quintil.* 8. 3. *a med.* Præclare ad inferendam rebus lucem repertæ sunt similitudines: quarum aliæ sunt, quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ. Cf. 9. 1. 31. et *ibid.* 2. 2. Adde 8. 6. 4. *et ibid.* 49. ¶ 3. Hinc est comparatio, parabola. *Cic.* 1. *rep.* 40. 62. Ut omittam similitudines. *Quintil.* 5. 11. 1. Nostri fere similitudinem vocari maluerunt, quod ab illis παραβολή dicitur. Adde *Hieronym.* 3. *in Matth.* 18. *Vulgat. interpr. Luc.* 6. 39. Dicebat illis et similitudinem. Adde 4. 23., 12. 16. etc. Cf. *Ps.* 43. 15. Posuisti nos in similitudinem gentibus. *h. e.* in proverbium. ¶ 4. Item dicitur de imagine picta aut sculpta formam alicujus referente, *ritratto.* V. SIMILIS. *Cic. Orat.* 2. *sub fin.* Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam aut Minervæ, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret. *Seneca Ep.* 71. Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi etc. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). Fingere ex argilla similitudines, Dibutades figulus primus invenit. et 34. *ibid.* 7. 17. (36). Similitudines exprimere. et 35. *ibid.* 10. 36. (88). Imaginem adeo similitudinis indiscretæ pinxit, ut etc. *un ritratto così al naturale.* Cf. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (38). Indiscreta veri similitudo.

II.) Translate. ¶ 1. Est imago, exemplar, et dicitur fere de imitatione dicendi. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 96. Hanc similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris, tum scribendo maxime persequatur. *et mox.* Esse multos videmus, qui neminem imitentur et suapte natura, quod velint, sine cujusquam similitudine consequantur. ¶ 2. Etiam semper idem modus, vel agendi eadem ratio, *uniformità. Id.* 1. *Invent.* 41. 76. Omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. ¶ 3. Item pro simulatione usurpavit *Scholiast.* apud *Suringar, Hist. Schol. p.* 1. *p.* 237. Similitudo prava. Cf. *Prob. App.* 99. *p.* 450. *Endl.* ¶ 4. *Similitudo navigera*, per metonymiam, est species piscis navis modo vehentis aliquid, apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 49. (94). Navigeram similitudinem et aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatii.

Homonym. Inter *similitudinem* et *figuram* discrimen esse ita docet *Isid.* 1. *Diff.* 528. « *Similitudo* est, quum secundum aliquam speciem visam imago vel pingitur vel formatur: *figura* est, quum impressione formæ alicujus imago exprimitur, velut si in cera ex annulo effigiem sumat, aut si figulus in argillam manum vultumque aliquem imprimat et fingendo figuram faciat ». Item inter *similitudinem* et *exemplum* hoc interest, quod, ut ait *Auct. Differ.* in *Anecd. Helv. p.* 284. *Hag.* exemplum historia, similitudo re adprobatur.

SĪMĬLO, as, āvi, ātum, are, 1. (similis) *Similo* cum *simulo* in MSS. et edit. libr. sæpe confusum reperitur: videtur tamen sequiori ætate et vulgo tantum usurpatum fuisse. *V.* SIMULO. — *Similor* etiam, deponentium forma, pro similis sum vel fio, occurrit apud *Vulgat. interpr.* nostrum *Hebr.* 2. 17. Debuit fratribus similari. et *Ital. Matth.* 25. 1. Similabitur regnum cælorum decem virginibus, ubi *Vulgat.* noster hab. *simile erit.* — Part. *Similatus* sub *A* 1. — Similo occurrit

A) Transitive et est similem facio, *paragonare.* ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Ital. Marc.* 4. 30. Cui similabimus regnum Dei? aut in quam parabolam similabimus illud? Adde *Augustin. Serm.* 57. ed. *Mai.* — Passive. *Vulgat. interpr. Ital. Hebr.* 7. 3. Similatus Filio Dei manet sacerdos in æternum. Ita MSS. Sangerm. et Clarom. *Vulg.* noster habet *assimilatus.* et *Pseud.-Cyprian. de mont. Sina et Sion.* 15. Similatus gratiæ spiritali. ¶ 2. Speciatim est imitari, *rassomigliare, imitare, rappresentare. Martial.* 2. 35. Quum sint crura tibi, similent quæ cornua lunæ. *Alii tamen leg.* simulent. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 35. 186. Sudor aliquando cardiacis crassus excluditur et male redolens, ut saniem vel cruorem similet. *Alii leg.* simulet. *et ibid.* 199. Mannam turis ovi alboribus conterentes ita ut crassitudinem mellis similarent. *Sil. It.* 15. 427. *Lemaire.* Antrum – quod acus similavit in ostro. Adde 17. 533. Sed *V.* SIMULO.

B) Neutrorum more est similis sum, *somigliare, esser simile. Vulgat. interpr. Ital. Is.* 1. 9. Quasi Gomorrha similaremus. Adde *Inscripl.* apud *Murat.* 3. *p.* 1514. ALBE PVER SIMILANT ALBA LIGVSTRA TIBI.

SĪMĪLOR. *V.* voc. præced. init.

SĪMILTAS. *V.* SIMULTAS.

SĪMĪNĪNUS, a, um, adject. (simia) ad simiam pertinens. ¶ 1. Universim. *Obseq. Prodig.* 103. In Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter siminino capite. At *Jahn* feminino. ¶ 2. *Siminina herba* est, quæ Græce pythecion dicitur et cynocephalion, et ab Italis cerebrum canis. *Apul. Herb.* 86.

SĪMĪŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* simius, parvus simius, *scimmiotto,* πιθήκιον. Occurrit translate tantum pro homine nequam et nullius pretii. *Cic.* 7. *Fam.* 2. *a med.* Hic simiolus animi causa me, in quem inveheretur, delegerat.

SĪMĪTU et

SĪMĪTUR. *V.* SIMUL.

SĪMĪUS. *V.* SIMIA.

SIMMA. *V.* SIGMA.

SIMMĀTUS, a, um, adject. in modum simmatis factus, ut videtur. Hinc Simmatus terminus apud *Gromat. vet. p.* 250. 27. et *p.* 406. 13. *Lachm.-Rud.* Fortasse utrobique legend. *simatus,* ut putat *Lachmannus.* in altero tamen loc. alii leg. *summatus.*

SIMMĪEUS, a, um, adject. Σιμμίειος, a Simmia, quod est nom. propr. poetæ Græci, de quo *V.* ONOM. Hinc *Simmieum metrum* apud *Plot. De metr.* 2635. *Putsch.* Simmium (*corrige* Simmieum) metrum pentametrum monoschematistum est. Constat quatuor dactylis et quinto pede syllaba indifferenti. Nam ut spondeus erit, aut pariambus, id est pyrrhichius, aut trochæus, aut iambus: ut est *Fulmine magna Jovis ferit oppida grandi.* vel: *Juppiter ipse pater tuam erige domum.* vel: *Culminibus crepitans sonat horrida grando.* vel: *Agricolis dedit omnia dulcia Ceres.* Huic metro, id est Simmio (*corrig.* Simmieo) metrum Æolicum dactylicum Sapphicum contrarium est. Nam incipiens a pede disyllabo desinit in dactylos.

SIMMĪUS. *V.* voc. præced.

SĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (simus) Part. *Simatus.* — Simo est simum facio. *Non. p.* 169. 31. *Merc.* Simat, deprimit. Lucilius lib. VII. Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim. At *Müller* in *Lucil. reliq. p.* 37. et *Brambach, op. cit. p.* 331. leg. *simat* pro *simavit.* et *Sulpic. Luperc.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 516. *Burmann.* Simatæque jacent pando sinuamine nares. *Vitruv.* 4. 2. Simatæ projecturæ.

SĪMO, ōnis, m. 3. (simus) qui simis est naribus. Scribit *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (23). et ex eo *Solin.* 12., delphinos, quum simum rostrum habeant, *simones* dici, et hoc nomen miro modo agnoscere et malle ita appellari. — *NB.* De nom. et cognom. R. *V.* ONOM.

SIMONĪĀNUM *vel* Symonianum trifolium legebatur olim apud *Veget.* 5. *Veterin.* 21. 2., ut ipse *Schneid.* dedit., et apud *Colum.* 6. *R. R.* 17. 2. Sed *V.* eumd. *Schneiderum* ad *h. l.*

SĪMŌNĪDĒUS vel

SĪMŌNĪDĪUS, a, um, adject. ad Simonidem pertinens, de quo *V.* ONOM. Hinc *Simonidium metrum* apud *Mar. Victorin. p.* 73. 16. *Keil.,* et *Serv. De centim. p.* 460. 23. et *p.* 462. 22. — De *Simonideis lacrimis* apud *Catull.* 38. 8., coll. *Quintil.* 10. 1. 64. *V.* SIMONIDES in ONOM.

SIMŌNĪUM, ĭi, n. 2. nomen seminis ignoti, quod usum habet in medicina, apud *Plin. Valerian.* 1. 2. Pulvis ad rheuma capitis: Sampsuci uncias sex, Simonii uncias duas, balaustii duas etc. *et mox.* Sapa Constantini: Simonii uncias duas, rosæ unam etc. Sunt qui leg. *Constatini Simonii;* sed quamvis daretur vocem a nomine proprio esse derivatam, tamen huic lectioni contextus refragatur.

SIMPĔAX Vox Dacica, qua significatur herba, quæ a Græcis Arnoglossos et a Latinis plantago dicitur. *Apul. Herb.* 2., ubi alii leg. *simplax,* alii *sipotax.*

SIMPHAEPHON *vel* symphaephon. Vox Ægyptia, qua significatur herba, a Græcis crinon basilicon, a Latinis lilium dicta. *Apul, Herb.* 108.

SIMPLA, æ, f. 1. *V.* SIMPLUS in fin.

SIMPLĀBĪLIS. *V.* SIMPLICABILIS.

SIMPLĀGĪUM *vel* symplagium, ĭi, n. 2. idem quod semiplagium, ut rectius scribitur. *V.* SEMIPLAGIUM.

SIMPLĀRIS, e, adject. (simplus) simplex, simplus, ut in militia *simplaris* dicitur, qui unam seu simplicem accipit annonam; duplaris, qui duplam. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Armaturæ duplares, quæ binas consequuntur annonas: simplares, quæ singulas. *et mox.* Candidati duplares, candidati simplares. *V.* DUPLARIS et CANDIDATUS.

SIMPLĀRĪUS, a, um, adject. (simplus) simplaris, simplus. *Simplaria venditio,* pro qua necesse venditor non habet de dupla emptori repromittere, sed de simpla dumtaxat. *Pompon. Dig.* 21. 1. 48. *extr.* Simplariarum venditionum causa ne sit redhibitio, in usu est. Alii leg. *simplarium* a *simplaris.*

SIMPLEX, plĭcis, adject. omn. gen. In Ablativo sing. *simplice* pro *simplici* habetur apud *Lucret.* 1. 1012.; in Genet. plur. *simplicum* pro *simplicium* apud *Cyprian. De laps.* 6. et *Ep.* 55. *n.* 11. — Quod ad notationem attinet, alii putant esse a *semel* et *plico;* alii vero a *sine* et *plica,* siquidem *sin* pro *sine* agnosci videtur a *Gloss. Lat. p.* 272. *n.* 184. *Hild.* Sed cf. SIMILIS init. *Döderlein* conjungit cum ἕν, ut *duplex* cum δύο, et *plico.* — Comp. *Simplicior* I. 1. et II.; Sup. *Simplicissimus* I. 1. et II. — Simplex est purus, uniusmodi, qui una re constat, nihil aliud habet adjunctum, nullo modo est compositus. ut sunt elementa rerum, cui opponitur *duplex, multiplex, varius* etc.: ἁπλοῦς (It. *scempio, semplice, solo;* Fr. *simple;* Hisp. *simple;* Germ. *einfach;* Angl. *simple, pure, unmixed*).

I.) Proprie et quidem concreto, ut ajunt, sensu, sive etiam abstracto, quem alii translatum habent. ¶ 1. Universim. *Ter. Heaut. prol.* 6. Duplex quæ ex argumento facta est simplici. *Lucret.* 3. 231. hæc simplex nobis natura putanda est. *Cic.* 3. *Nat. D.* 14. 34. Aut simplex est natura animantis, ut vel terrena sit vel ignea *etc.* aut concreta est ex pluribus. *Id. Fat.* 13. 30. Quædam sunt simplicia, quædam copulata. *Id.* 1. *rep.* 35. 54. Recte quæris, quod maxime e tribus (rei publicæ formis), quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo, anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Sed si unum ac simplex probandum sit, regium probem. *Id.* 3. *Off.* 33. 119. Finis bonorum, qui simplex esse debet, ex dissimillimis rebus misceri et temperari potest. *Id.* 2. *Nat. D.* 11. 29. Omnem enim naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum. *Id.* 2. *Invent.* 57. 171. Esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. *Quintil.* 1. 5. *sub init.* Verba sunt aut nostra aut peregrina, aut simplicia aut composita, aut propria aut translata. *Cic. Orat.* 24. 80. Ornatus verborum duplex: unus simplicium, alter collocatorum. *h. e.* quum singula et sola considerantur. *Id.* 6. *Fontej.* 12. Unum est et simplex aurium judicium. *et Sull.* 3. 9. Simplex officium atque una est bonorum omnium causa. *Id. Cæcin.* 2. 5. Nihil est in re præsertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 32. Pellebatque sitim simplicis humor aquæ. *d' acqua schietta.* et *Horat.* 4. *Od.* 14. 13. plus vice simplici. *più d' una volta.* et *Art. P.* 23. sit quodvis simplex dumtaxat et unum. *unum* requirit propria rei, *simplex* excludit aliena. *Ovid.* 6. *Met.* 254. Simplex vulnus. *una sola ferita.* et *Tac.* 5. *Hist.* 23. Naves, quæ simplici ordine agebantur. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* Quod habet non simplicem differentiam. *h. e.* non unam, sed plures. *Cic.* 2. *Invent.* 1. *sub fin.* Nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura constituit. *h. e.* uno in genere. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 36. (74). *et ibid.* 10. 77. (124). Herba simplici caule. *Id.* 16. *ibid.* 39. 76. (195). Larix, abies, pinus quadripartitos venarum cursus bifidosque habent vel omnino simplices. *h. e.* recta discurrentes. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. *a med.* Auditus flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret. *Quintil.* 9. 1. *ante med.* In armorum certamine adversos ictus et rectas ac simplices manus quum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est: aversæ tectæque minus sunt observabiles. *Nepos Timol.* 1. Non simplici fortuna conflictatus est. *h. e.* varia. *Liv.* 44. 12. Simplex ordo. Sic *Auct. B. Alex.* 37. Simplici directa acie, simplicibus ordinibus. *Prob. Art. min.* 765. *p.* 388. *Endl.* Simplex figura. *Boeth. de interpr. edit. pr.* 2. *init.* propositio. *Id.* 1. *Music.* 1. musica. *Isid.* 3. *Orig.* 5. 7. numeri. *Quintil.* 11. 3. 15. Quantitas simplicior, – qualitas magis varia est. *Id.* 10. 5. 10. Simplicissima materia. *et ibid.* 2. 10. res. ¶ 2. *Simplex cibus,* purus, non varius et multiplici condimento carens, *cibo schietto. Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 117. (282). Homini cibus utilissimus simplex. acervatio saporum pestifera et condimento perniciosior. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 72. memor illius escæ, Quæ simplex olim tibi sederit. *Tac. Germ.* 23. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Adde *Martial.* 4. 30. ¶ 3. *Simplex mors,* quæ una tantum de causa venit: contra *gemina* et *non una,* quæ ex pluribus simul. *Sueton. Cæs.* 74., *Justin.* 12. 10. 2. et 44. 4. *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad 3. *G.* 482., *Virg. ibid., Lucan.* 3. 751.

II.) Translate refertur ad animum et est apertus, sincerus, candidus, minime callidus aut versutus aut vafer, *schietto, semplice, disinfinto, senza malizia, sincero. Cic. Planc.* 9. 22. Tota illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio se hujus honore ornari arbitrabatur. *Id.* 10. *Att.* 6. Mirabilia multa: nihil

simplex, nihil sincerum. *Ovid. Heroid.* 12. 89. hæc animum movere puellæ Simplicis. *Id.* 15. *Met.* 120. Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque, Innocuum, simplex? *Id. Heroid.* 17. 176. Simplicis utamur commoditate viri. *sempliciotto.* et *Stat.* 2. *Achill.* 171. Heu simplex nimiumque rudis, qui callida dona Grajorumque dolos, variumque ignorat Ulyssem! *Matius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 28. *sub fin.* Trebatius tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit. et *Vellej.* 2. 129. 1. Simplici virtute merentis semper, non captantis gloriam. *Martial.* 10. 20. Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis. *h. e.* teneris, rudibus et nondum doli capacibus. *Sueton. Tib.* 61. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. *dette semplicemente.* et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 63. Simplicior si quis, qualem me sæpe libenter Obtulerim tibi, Mæcenas etc. *Seneca* 2. *Ira* 16. *ad fin.* Simplicissimi omnium habentur iracundi. fraudulentis enim et versutis comparantur, et simplices videntur, quia expositi sunt. et *Petron. Sat.* 101. Se nullum dolum malum consilio adhibuisse, sed mente simplicissima et vera fide in navigium comites induxisse. *Tac. Germ.* 22. Aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. *h. e.* cogitationes rerum simplicium. *Forcellinus vertit: liberi e indifferenti pensieri.* et *Vellej.* 2. 116. 4. Optimo civi, simplicissimo duci nihil non perisse. — Hinc

Simplex, icis, m. 3. absolute, est vir simplex, h. e. sincerus, sine dolo, sine versutia, candidus. *Cyprian. De laps.* 6. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes. *Id. Ep.* 55. *n.* 11. Decipere aures simplicium. *Vulgat. interpr. Prov.* 10. 29. Fortitudo simplicium via Domini. Adde 11. 5. et 3. 32.

SIMPLĬCĀBĬLIS, e, adject. (simplico) idem fere ac simplex. *Cassiod. De anim.* 12. *circa med.* Fateamur, Trinitatem, replentem omnia simul substantiali virtute sua, unum triplex trinumque simplicabile. *Alii aliter leg.* V. *Quicherat.* ad *h. v.*

SIMPLĬCĬTAS, ātis, f. 3. (simplex) ratio rei simplicis, non involutæ, non mixtæ aut variæ, ἁπλότης (*It. semplicità; Fr. simplicité; Hisp. simplicidad;* Germ. d. *Einfachheit;* Angl. *simplicity*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 574. solidā pollentia simplicitate. Adde *ibid.* 609. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 30. (98). Mensæ vitia, lignum: ita vocatur materia surda et indigesta simplicitas, aut platani foliorum modo digesta. *h. e.* non crispa, non virgata, maculis non distincta.

II.) Translate est ingenuitas, sinceritas animi, ubi dolus abest aut versutia, *semplicità, schiettezza. Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (70). Pinxit pueros duos, in quibus spectatur securitas et ætatis simplicitas. *et ibid. de Apelle.* Fuit non minoris simplicitatis, quam artis; nam cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris. *Ovid.* 1. *Art. am.* 241. Tunc (*in vino*) aperit mentes ævo rarissima nostro Simplicitas. *Id.* 2. *Amor.* 4. 17. Sive es docta, places raras dotata per artes: Sive rudis, placita es simplicitate tua. *Id. Heroid.* 16. 314. Utere non vafri simplicitate viri. *Id.* 1. *Amor.* 3. 14. Simplicitas nuda. *Id.* 3. *Art. am.* 113. rudis. *Martial.* 10. 47. prudens. et 11. 20. Romana. *Vellej.* 2. 125. *in fin.* generosissima. *schiettezza d'animo nobile.* et *Liv.* 40. 8. puerilis. *Id. ibid.* 47. *de sermone.* antiqua. *Quintil.* 4. 2. 57. Callidissima simplicitatis imitatio. *Maximilian.* 5. *Ecl.* 49. Grajæ tum nescius artis Succubui Tusca simplicitate senex.

SIMPLĬCĬTER, adverb. (simplex) Comp. *Simplicius* I. 1. 3. et II.; Sup. *Simplicissime,* proprie ab adject. *simplex,* II. — Simpliciter est absolute, cum simplicitate, sine adjuncto, recte, *semplicemente,* ἁπλῶς.

I.) Proprie, sive concreto, ut ajunt, sensu; sive abstracto, quem alii translatum habent. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (68). Bruscum intortius crispum, molluscum simplicius sparsum. *h. e.* rectiore venarum discursu. ¶ 2. Specialim opponitur numero singulari. *Hieronym.* 1. *in Matth.* 2. 23. Numquam diceret per prophetas, sed simpliciter, per prophetam. *in singolare.* ¶ 3. Item sine arte, sine ornatu. *Cic.* 2. *Invent.* 3. *sub fin.* Exponere aliquid simpliciter sine ulla exornatione. *schietto, naturale.* et *Orat.* 2. 16. Locuti sunt simpliciter et splendide. *Ovid.* 1. *Art. am.* 106. frondes simpliciter positæ, scæna sine arte fuit. *così alla buona.* et *Tac. Germ.* 5. Simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. ¶ 4. Item separate, singulariter. *Cic.* 2. *Invent.* 33. *a med.* Quædam genera causarum simpliciter, et ex sua vi considerantur: quædam sibi aliud controversiæ genus assumunt. *Id. Top.* 22. 84. Quum quæritur, quale quid sit, aut simpliciter quæritur aut comparate. *Id.* 3. *Orat.* 37. 149. Verborum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. *Quintil.* 1. 6. 13. Illud nomen simpliciter positum, hoc ad aliquid esse.

II.) Translate est aperte, sincere, sine dolo, sine astutia, sine simulatione, *schiettamente, semplicemente, senza malizia, sinceramente. Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. Cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris. *Plin.* 5. *Ep.* 3. Amice simpliciterque reprehendere aliquem. *Liv.* 34. 57. Ignorare se dixit, quidnam perplexi sua legatio haberet, quum simpliciter ad amicitiam petendam venissent. *Cic. ad Quirit.* 10. 24. Mihi neque in sententia simpliciter referenda fidem, nec in perferendo labore industriam defuturam. *Id. Arch.* 12. 32. Quæ de causa breviter simpliciterque dixi, ea confido probata esse omnibus. *Id.* 2. *Off.* 9. 31. Si est simpliciter breviterque dicendum. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. *h. e.* sine simulatione. *Id.* 6. *Ep.* 22. Qui se simpliciter credunt amicis. *h. e.* parum caute, inconsulte. *Tac.* 3. *Hist.* 53. *in fin.* Simultates Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat. *h. e.* apertius. *et* 1. *ibid.* 15. *sub fin.* Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur. *Curt.* 8. 14. *extr.* Simplicius famam æstimabat in hoste, quam in cive. *più sinceramente.*

SIMPLĬCĬTUS, adverb. (simplex) simpliciter. *Plaut. Merc.* (*prol.* 14.) apud *Non. p.* 176. 26. *Merc.* Sed eam simplicitus dicam, si opera est auribus. At *Forcellinus,* cui recentiores consentiunt, monet esse ita legendum: Sed, ea ut sim implicitus, dicam, si etc. V. *Ritschelium* ad *h. l.*

SIMPLĬCO, as, are, a. 1. (simplex) simplicem facio, *semplificare. Pallad.* 2. *R. R.* 15. 15. Lapis subter vel testa ponenda est, ut radicem non simplicet, sed repercussa respergat. *h. e.* unam tantum radicem non emittat. Italus interpres: *sicchè non nasca pur una sola, ma cesiuta radice.* Eamd. sententiam, sed aliis verbis habet *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.* et *Arbor.* 22. *Gloss. Gr. Lat.* Ἁπλῶ, simplico.

SIMPLĬUM, ii, n. 2. dimidium scriptulum: ut est apud *Mæcian. distrib. ass.* § 39. Dimidium scriptulum audio quosdam ratiocinatores simplium vocare, quod erit totius assis quingentesima septuagesima sexta, quam et ipsam partem infinito separare possis.

SIMPLO, as, are, a. 1. (simplex) simplicem facio. *Sedul.* 1. 297. *de Trinitate.* Semper ut una manens deitatis forma perennis, Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet. *V.* TRIPLICABILIS.

SIMPLŪDĬĀRĔUS et

SIMPLŪDĬĀRĬUS, a, um, adject. (simplus et ludiarius) ut Simpludiarea funera apud *Fest. p.* 334. 24. *Müll.* h. e. funera, in quibus adhibentur dumtaxat simpli ludii: his opponuntur indictiva, in quibus adhibentur non ludii modo, sed etiam desultores. Cf. *Müllerum* ad *h. l.* Alii tamen leg. *simpludiaria.*

SIMPLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SIMPLUS, a, um, adject. simplex, unicus, non duplus aut multiplex, *scempio, unico, semplice,* ἁπλοῦς. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 878. Ne morte simpla criminosus multiplex Cadat. *Cod. Theod.* 4. 18. 1. Simplorum fructuum præstatio. Adde *Ambros.* in *Psalm.* 118. *serm.* 8. *n.* 10. — Hinc

Simpla, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, apud JCtos. est simplex rei alicujus pretium, *il semplice valore della cosa.* V. sub DUPLUS.

Simplum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res simpla, *l'uno, l'unità, il semplice:* cui *duplum* opponitur. *Cic. Top.* 11. 49. Alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum simplum, multa pauca, longum breve. *Plaut. Pœn.* 5. 6. 25. Obsecro te, ut liceat simplum solvere. *h. e.* tantum dumtaxat, quantum debeo, non duplum: quia alius dixerat *ibid.* 14. Duplum pro furto mihi opus est. *Liv.* 29. 15. *a med.* Alii negare, tantum militum effici posse: vix, si simplum ex formula imperetur, enixuros. Adde *Ambros. Ep.* 19. *n.* 4. *Justinian.* 4. *Instit.* 6. § 22. In simplum agitur, veluti ex stipulatione, ex mutui datione etc.

SIMPONĪĀCA. *V.* SYMPHONIACA.

SIMPTAX. *V.* SIMPEAX.

SIMPŬLĀRĬĀRĬUS, ii, m. 2. (simpulum) qui simpula facit. *Inscript.* apud *Murat.* 965. 2. (*Orelli* 4283.) M. MINVCIVS M. LIBERTVS LAMPADIVS SIMPVLARIARIVS VIVVS FECIT S. ET SVIS etc.

SIMPŬLĀTOR, ōris, m. 3. (simpulum) *Isid.* in *Gloss.* Simpulator, conviva, amicus sponsi, assiduus cum eo in convivio. Adde *Fulgent. De prisco serm. n.* 47. *V.* in SIMPULO.

SIMPŬLĀTRIX, tricis, f. 3. (simpulum) mulier rebus divinis dedita. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 337. 11. *Müll.* Simpulum vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libatur: unde et mulieres rebus divinis deditæ simpulatrices dicuntur. Cf. SIMPUVIATRIX.

SIMPULLUM. *V.* SIMPULUM.

SIMPŬLO, ōnis, m. 3. (simpulum) *Fulgent. De prisco serm. n.* 47. Summates dicuntur viri potentes: simpulones dicuntur convivæ. nam et amicus sponsi, qui cum eo per convivia ambulat, simpulator dicitur, Satrius (al. *Succius*) in comœdia piscatoria: Summates viri simpulones (al. *simpolones*) facti sunt ganei. V. *Müllerum* in *Lucil. reliq. p.* 314.

SIMPŬLUM, i, n. 2. *Simpullum* quidam leg. apud *Juvenal.* 6. 342. et *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 514., ubi tamen plerique omnes *simpuvium.* V. hanc voc. — Ratione habita etymi, hanc vocis originem afferre conatus est *Varro* 5. *L. L.* 124. *Müll.* his verbis: Qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt: qui sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominarunt. Verum recentiores ducunt a *sim,* coll. cum Skr. *sama* et Gr. σύν, cum, simul; et *pleo,* impleo. Cf. *manipulus.* — Simpulum est, ut ait *Fest. loc. cit.,* vas parvum, quo vinum in sacrificiis libatur. *A. Rich, op. cit.,* ad *h. v.* docet fuisse parvæ rudiculæ genus, quo e cratere vinum sumebatur pro libationibus, *romajuolo, o chiccherina con manico lungo. Festus* apud *Paul. Diac. p.* 337. 10. *Müll.* Simpulum vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libatur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (158). In sacris quidem etiam inter has opes hodie non murrinis crystallinisve sed fictilibus prolibatur simpulis. *Sillig.* leg. *simpuviis.* — In hujusce locum in conviviis e Græcia successit epichysis et cyathus; in sacrificiis remansit guttus et simpulum. *Apul. Apolog.* Eadem paupertas etiam populo R. imperium a primordio fundavit: proque eo in hodiernum diis immortalibus simpulo et catino fictili sacrificat. Adde *Cic. Harusp. resp.* 11. et *Arnob.* 4. *p.* 148., ubi alii leg. *simpuvium.* — *Excitare fluctum in simpulo,* proverb., tragœdias agere in nugis, ut ait *Cic.* 2. *Orat.* 51. 205. in re levi turbas movere, in parva republica tumultum ciere. *Id.* 3. *Legg.* 16. 36. Excitabat fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius ejus in Ægæo excitavit mari.

Homonym. *Simpulum* et *simpuvium* inter se ita differre monet *Haverk.* ad *Tertull. Apolog.* 13., ut simpulum fictile fuerit, simpuvium ligneum. Sed V. *Salmas.* ad *Solin. p.* 583. et *Orelli* ad *Arnob.* 4. *p.* 31.

SIMPŬVĬĀTRIX, tricis, f. 3. (simpuvium) mulier, quæ simpuvium porrigit in sacrificiis. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 343.

SIMPŬVĬUM, ii, n. 2. *Simpuium* pro *simpuvium* legitur in MSS. Codd. apud *Juvenal.*, *Varron.* et *Non.* V. *Müllerum De re metr.* p. 252. Sæpe etiam in iisdem MSS. et edit. libris confusæ sunt voces *simpuvium* et *simpulum*. — Ad notationem quod attinet, a *bua*, h. e. potione, unde *imbuo*, dictum quidam putant; alii a συμπίνω, quasi sympinium, quod sacerdotes ex eo simul biberent. *V.* SYMPINIUM. Cf. etiam Gr. σιπύη. — Simpuvium est vas ligneum, ut docet *Non.* p. 544. 30. *Merc.*, sed et fictile fuit et quidem vinarium: et usum habuit in sacris: idem quod simpulum, aut valde simile (*V.* sub SIMPULUM). *Cassiod. De orthogr.* 6. Simpuvium, εἶδος σκεύους ἱερατικοῦ. *Varro* apud *Non. loc. cit.* Ipsi illi Libero simpuvio vinitari. *Oehler* leg. *minitari.* V. VINITO (Adde *p.* 545. 29.) *Cic. fragm.* apud *eumd. p.* 398. 27. *Merc.* Quam simpuvia pontificum diis immortalibus grata sint, Samiæque capedines. *Arnob.* 7. *p.* 235. Date, quæso, immortalibus diis bibant: scyphos, brias, pateras simpuviaque depromite. Est qui leg. *sympiniaque*. Adde *Plin. loc. cit.* in SIMPULUM. *V.* hanc voc. — *Simpuvium*, quo Numa in sacrificiis usus fuisset, longò tempore servatum esse et honore divino etiam cultum, colligunt plures ex *Juvenal.* 6. 341. Et quis tunc hominum contemptor numinis? et quis Simpuvium videre Numæ nigrumque catinum Ausus erat? Item ex *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 513. Quidquid Quiritium sueverat orare Simpuvium Numæ. — De simpuvio *V.* quæ affert *Adr. Jun. Animadv.* II. 10.

SĬMUL, particula, quæ vario usui inservit. — *a*) Formam *semol* pro *simul* habet *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1175. SEMOL TE ORANT. (Cf. *Mar. Victorin.* p. 9. 10. *Keil.*) et *semul* alia infimæ notæ *ibid.* 5. 1642.: sed, teste *Ritschelio*, sæpe *Plaut.* (V. *Prolegom.* ad *Plaut. p.* 97.) — Alia forma *simitu* pro *simul* apud antiquiores et fere apud comicos. *Plaut. Amph.* 2. 1. 84. Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum. *Id. Merc.* 1. 2. 8. Ita tres simitu res agendæ sunt. *Id. Truc.* 1. 2. 6. Ut simitu adveniunt ad scorta congerrones. *h. e.* simul atque. Adde *Pseud.* 4. 2. 55. et alibi. — Et cum pænultima longa. *Lucil.* apud *Non. p.* 175. 16. *Merc.* Gratia habetur utrisque, illique sibique simitu. *Inscript.* apud *Fea Framm. de' fast. cons. p.* 10. *n.* 26. PLANCTIBVS HEV MISERAE MATRIS PATRISQVE SIMITV. Hæc vero pertinet ad ann. a Chr. n. CXXI. — Etiam *simitur* pro *simitu* habet *Volcat.* apud *Sueton. Vit. Terent.* 2. Cf. *Ritschel.* in *Comment.* ad *h. l.* Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2863. et *Inscript. Neapolit.* 423. *V.* in fin. — *b*) Ad etymon quod attinet, vox conjungenda cum Skr. *sama* et Gr. ἅμα, unde ὁμοῦ, ὁμαλῶς. — Simul est una, pariter, cum, ἅμα, ὁμοῦ (It. *unitamente, di compagnia, insieme*; Fr. *à la fois, en même temps, ensemble*; Hisp. *á una vez, junto*; Germ. *zugleich, zusammen*; Angl. *together, in company, at once*); usurpatur autem ut *A*) Adverbium; *B*) Conjunctio; et *C*) Præpositio.

A) *Simul*, adverbium, occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 5. 1. 77. simul hanc rem eloquar. *Id. ibid* 5. 2. 8. una partu duos peperit simul. *Id. Epid.* 4. 1. 3. multa meum pulsant pectus simul. *Id. Merc.* 2. 4. 7. tuus amicus et sodalis, simul vicinus proximus. *Id. Most.* 1. 2. 34. nunc simul res, fides, fama, virtus decusque deseruerunt. *Id. Amph.* 1. 1. 69. Colloquuntur simul: convenit. et 2. 2. 172. Cenavisti mecum: ego accubui simul. *Id. Truc.* 1. 1. 25. Si iratum est scortum forte amatori suo, bis periit amator, ab re atque animo simul. *Ter. Andr.* 3. 2. 51. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. *Id. Eun.* 3. 5. 51. foras simul omnes proruunt se. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Cum eo colloquitur, simul commonefacit. *Sall. Cat.* 27. Multa simul moliri. *Id. ibid.* 42. Cuncta simul agebant. *Id. Jug.* 99. Simul omnes canere. *Cic. Balb.* 25. 56. Crassum emisse non tenebat, simul illud nesciebat. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 31. interea Mæcenas advenit atque Cocceius Capitoque simul Fontejus. *Liv.* 6. 4. Trium simul bellorum victor. *Quintil.* 10. 1. 76. Quum decem simul Athenis ætas una tulerit (*oratores*). *Id.* 10. 3. 23. Neque se in multa simul intendere animus totum potest. — Redundat in illo *Plaut. Amph.* 2. 1. 18. nec potest fieri, tempore uno homo idem duobus locis ut simul sit. — *Simul esse*, simul conversari, *stare insieme, trovarsi insieme*. *Cic.* 1. *rep.* 8. 13. Quum simul essemus, complures dies. *Id.* 5. *Att.* 10. Totos dies simul eramus. Cf. 15. *Fam.* 4 et 6. *Att.* 2. — *b*) Cum partic. *una*. *Plaut. Pers.* 2. 1. 3. mandata non consuevi simul bibere una. — *c*) Cum præpos. *cum*. *Id. Cist.* 4. 2. 104. Intro abi cum istac simul. *Id. Merc.* 2. 1. 31. abii mane cum luci simul. *Id. Aulul.* 4. 4. 28. Quis hic intus erat tecum simul? *Cic.* 6. *Verr.* 31. 69. Tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur. *Id.* 15. *Fam. circa med.* Quum Q. frater legatus mecum simul cohortibus præesset. *et* 16. *ibid.* 9. Eodem tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia. *Id.* 1. *rep.* 46. 70. Vobiscum simul considerantes. *Id. Amic.* 4. 13. Neque assentior – cum corporibus simul animos interire. *Id.* 2. *Orat* 33 142. Ut voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjiceremus. *Nepos Eumen.* 3. *a med.* Intelligebat, si copiæ suæ cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. *h. e.* statim ac nunciatum esset. Cf. tamen § 3. — *d*) Et etiam cum addito *una* ad majorem vim. *Plaut. Most.* 4. 3. 43. I mecum una simul. *Id. Pœn.* 3. 1. 50. Omnes simul didicimus tecum una. *Ter. Eun.* 3. 5. 65. De istac simul consilium volo capere una tecum. — *e*) Cum particulis copulativ., aut etiam absolute, jungit diversas causas vel membra. *Sall. Jug.* 27. Hi, quod in invidia res erat, simul et a Numidis obsecrati, triduo navim ascendere. *et ibid.* 97. Milites modesto imperio habiti, simul et locupletes, Marium ad cælum ferre. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Cæsar circumvallare Pompejum instituit, hæc spectans, quod angusta re frumentaria utebatur; quod Pompejus multitudine equitum valebat *etc.* simul ut pabulatione Pompejum prohiberet; tertio ut auctoritatem minueret. ¶ 2. Speciatim pro similiter, pariter, *similmente*. *Cic.* 2. *Verr.* 4. 12. Cujus prætura urbana ædium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio: simul in jure dicundo, bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio. *Plaut. Capt.* 1. 1. 11. Ubi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt, simul prolatæ res sunt nostris dentibus. — Huc pertinet illud *Vulgat. interpr. Eccli.* 18. 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. *h. e.* eadem ratione, *sc.* ex nihilo, traxit ad unum omnia, nulla re excepta; non igitur eodem tempore, ut arguitur ex Gr. voce κοινῇ, ex orationis connexu et consilio auctoris. Cf. etiam *Ps.* 13. 3. et 48. 11. *V.* tamen *Clem. Alex. Strom.* 6. 16., *Augustin. de Gen. ad litt. l.* 4., *Suarez de op. sex dier. l.* 1. *c.* 10. *n.* 22., al. ¶ 3. Sæpe refertur ad tempus, et significat eodem tempore, *nel medesimo tempo, insieme*; occurrit autem — *a*) Fere cum particulis *et, et – et, que, atque, autem, quoque* etc. *Plaut. Amph.* 2. 2. 83. Et salutavi, et, valuissesne usque, exquisivi simul. *Cic. Brut.* 64. 228. Hortensii ingenium, ut Phidiæ signum, simul aspectum et probatum est. *Id.* 1. *Att.* 1. *a med.* Demonstravi hæc Cæcilio: simul et illud ostendi, me etc. *et Ep.* 16. Quæris ex me, quid acciderit de judicio, quod *etc.* et simul vis scire, quo modo ego prœliatus sim. Rursum *Plaut. Men.* 5. 9. 40. operam potestis mihi dare et vobis simul. *Ter. Heaut.* 4. 5. 55. Simul et conficiam facilius ego quod volo. *Liv.* 6. 40. Ascitii sumus simul in civitatem et patres. *Id.* 31. 36. Ut cresceret simul et negligentia cum audacia hosti. *Tac. Agric.* 35. Ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur. Vat. Γ. Δ. habet *simul in frontem simul et latera*; sed error est, et cum *Wexio* prius *simul* delendum, aut saltem cum *Gesnero* scribend. *simul in latera*. V. *Kritz* ad *h. l.* — *Plaut. Aulul.* 3. 6. 42. Et operam et vinum perdiderit simul. *Id. Capt.* 3. 5. 92. et trahi et trudi simul. *Cæs.* 7. *B. G.* 48. Simul et cursu et spatio pugnæ defatigati. *Cic.* 4. *Orat.* 3. 10. Ut ille et vixisse cum re publ. pariter et cum illa simul exstinctus esse videatur. *Sall.* 1. *Hist. fragm.* 10. *p.* 12. *Kritz.* Quum plebes assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret. *Simul et* pro *et simul* Sallustii est. — *Plaut. Most.* 3. 3. 104. Simul flare sorbereque haud facile est. *Liv.* 6. 18. His simul inflatus exacerbatusque. *Id.* 27. 51. Tanto simul publico familiarique ictus luctu. *Quintil.* 2. 5. 13. Superfluent aures simulque perducentur. *Curt.* 5. 38. 23. Æstu simulque vulneribus fatigata. — *Sall. Cat.* 28. Egestate simul ac dolore cupida. *Liv.* 6. 11. Eximio simul honoribus atque virtutibus. *Tac. Agric.* 35. In speciem simul ac terrorem. *Quintil.* 12. 1. 4. Cogitare optima simul ac deterrima. *Curt.* 3. 12. 2. Pulvere simul ac pudore. — *Plaut. Merc.* 5. 1. 1. salve, simul autem vale. *Liv.* 1. 31. Velut dis quoque simul cum patria relictis. *Id.* 21. 54. Simul lassitudine, fame etiam deficere. Cf. tamen § 1. et *V.* SEMEL. — *b*) Et cum partic. *una*. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 50. Omnes simul didicimus tecum una, ut respondere possimus tibi. *Ter. Heaut.* 5. 1. 34. Clinia hæc fieri videbat mecum una simul. Cf. § 1. *d.* — *c*) Nonnumquam geminatur, ut *tum tum*: similemque usum habet, ut Gr. ἅμα μὲν – ἅμα δέ. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. *a med.* Germani frequentes ad eum venerunt, simul sui purgandi causa, simul ut, si quid possent, de inductis impetrarent. *Liv.* 2. 65. Increpando simul temeritatem, simul ignaviam, pudore metum excussit. *Id.* 29. 35. Simul et a classe navales socii, simul et terrestris exercitus urbi est admotus. *Tac. Agric.* 25. Quum simul terra, simul mari bellum impelleretur. *Liv.* 1. 9. Adeo simul spernebant, simul metuebant. *Virg.* 3. *G.* 201. Illa volat simul arva fuga, simul æquora verrens. *Id.* 1. *Æn.* 513. Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates Lætitiaque metuque.

B) *Simul*, conjunctio. refertur ad tempus et est postquam, statim ac, quamprimum, *tosto che*. — *a*) Absolute. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italia sua sponte Cottam ex oppido ejiciunt. *Cic.* 4. *Acad.* 27. 86. (2. *pr.*) Simul inflavit tibicen, a perito carmen cognoscitur. *Id.* 6. *Fam.* 18. Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quæsivi e Balbo etc. Utroque loco est qui leg. *simul atque* aut *ac* vel *ut*: quemadmodum et in illo 3. *Fin.* 6. 21. Simul autem cepit intelligentiam, multo eam pluris æstimavit. *et* 8. *Att.* 11. *sub fin.* Simul aliquid audiero, scribam ad te. *Ter. Phorm.* 5. 4. 4. Hic simul argentum repperit, cura se expedivit. *Liv.* 26. 24. Simul clamor, index capti oppidi, est exauditus, undique Ætoli, desertis stationibus, in arcem fugiunt. *Horat.* 3. *Od.* 4. 37. Vos Cæsarem altum, militia simul Fessas cohortes reddidit oppidis, Pierio recreatis antro. (Sic alibi sæpe.) *Ovid.* 1. *Fast.* 567. Quod simul evulsum est, fragor æthera terruit ipsum. *Phædr.* 3. 16. Simul cognovit vocem laudari suam, Cupide advolavit. *Lucret.* 6. 1022. Quod simul est rarior aer factus, continuo fit, ut etc. *Liv.* 23. 29. *ad fin.* Simul inclinatam aciem Mauri viderunt, extemplo fuga effusa nuda cornua deseruere. *Id.* 4. 5. Simul ego vocare tribus in suffragium cœpero, tu statim sacramento juniores adiges. *Id.* 6. 1. Fabio, simul primum magistratu abiit, ab tribuno dicta dies est. — *b*) Sæpius tamen hoc sensu habet post se *ac, atque, et, ut*. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. *in fin.* Simul ac mihi collibitum est, præsto est imago. *Id. Mur.* 10. 22. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Id.* 10. *Att.* 16. *ad fin.* Epistola tua, quam accepi, simul et in Cumanum veni, eodem die. *Alii leg.* simul ut. *Catull.* 64. 31. Quæ simul optatæ finito tempore lucis Ut venere, domum conventu tota frequentat Thessalia. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Omne animal, simul ut ortum est, et seipsum et omnes partes suas diligit. — *Simulac, simulatque*, conjunctim, si fides Codicib. habenda. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 117. *Orell.* Ut simulac posita sit causa, habeant quo se referant. Adde 4. *Verr.* 19. 46. *Ovid.* 2. *Met.* 167. Quod simulac sensere, ruunt. *Nepos Ages.* 2. *Staver.* Hic simulatque

imperii potitus est. V. *H. Meusel, Lex. Cæs.* ad *h. v.* — *Simul ac primum* apud *Cic.* 3. *Verr.* 13. 34. Simul ac primum ei occasio visa est. *Id. ibid.* 52. 138. Simul ac potestas primum data est. Adde 4. *Phil.* 1. 1. *Sueton. Cæs.* 30. Simul ac primum exercitum dimisisset. Adde *Ner.* 43. — *Simul ubi* apud *Liv.* 4. 18.; alii tamen aliter rectius leg. V. *Drakenborch* ad *h. l.*

C) Simul, præpositionis instar, cum Ablativo, ut Gr. ἅμα cum Dat., sive ante sive post suum casum. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 84. te dicere possum, Pollio; te, Messala, tuo cum fratre; simulque Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni. *Tac.* 4. *Ann.* 55. Hypæpeni Trallianique Laodicenis et Magnetibus simul, transmissi, ut parum validi. *Sil. It.* 3. 268. His simul, immitem testantes corpore solem, Exusti venere Nubæ. Adde 5. 417. *Tac.* 3. *Ann.* 64. Quos (*ludos*) augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Adde 6. *ibid.* 9., *Senec. Troad.* 1045., *Apul. Florid.* 1. et *Sever. Ætn.* 57. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 29. Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus. Alii leg. *nobiscum.*

Homonym. I.) *Simul* et *una* inter se differre ita docet *Charis.* 2. *p.* 222. 24. *Keil.* « *Una* locum, *simul* vero spatium, *h. e.* tempus, designat. Recte itaque dicimus: *simul consules fuerunt, una ambulabant*». At *Cornel. Fronto ibid. p.* 2193. «*Simul* locum demonstrat, *una* congregationem». *Popma* vero ait, *simul* notare conjunctionem temporis; *una* loci et facti. *Cic.* 7. *Att.* 10. Si in Italia Pompejus consistit, erimus una. *h. e.* in eodem loco.

II.) *Simul* et *simitu* vel *simitur* ita distinguit *Isid.* in *Differ. App.* 60. «Inter *simul* et *simitu* hoc interest, quod *simul*, ut una res pariter clareat, ut *simul legimus, simul scribimus. Simitu* lucri recipi significationem, quasi simul itu». *Al.* simul itum. Cf. *simitur*, quasi *simul itur.*

III.) *Simul* et *semel* item distinguit *Isid.* 1. *Differ.* 522. «*Semel* ad numerum pertinet, ut semel, bis; *simul* ad congregationem, ut *globati simul feruntur in arma viri*».

SĬMŬLAC. *V.* voc. præced. sub *B.*

SĬMŬLĀCRUM, i, n. 2. (simulo) imago, forma, effigies, εἴδωλον, ἄγαλμα (It. *effigie, immagine, ritratto, simulacro*; Fr. *ressemblance, représentation, image*; Hisp. *semejanza, representacion, imagen*; Germ. *e. Ebenbild, Abbild, Bildniss*; Angl. *the likenes, resemblance, an image*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 75. terrarum qui in orbi sancta tuetur Fana, lacus, lucos, aras simulacraque divom. *Id.* 6. 419. Et bene facta deum frangit simulacra. *Cæs.* 6. *B. G.* 17. Hujus (*Mercurii*) sunt plurima simulacra. Adde 3. *B. C.* 105. *Cic. Arch.* 12. 30. Statuæ et imagines non animorum simulacra, sed corporum. *Id.* 4. *Verr.* 65. *sub fin.* Forsitan vix convenire videretur, quem ipsum hominem cuperent evertere, ejus effigiem simulacrumque servare. *Id.* 2. *Invent.* 1. 1. Zeuxis Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. *Tac.* 2. *Ann.* 41. Vecta (*in triumpho*) simulacra montium, fluminum, præliorum. *Id.* 2. *Hist.* 3. Simulacrum deæ non effigie humana. *Curt.* 3. 3. 16. Deorum simulacra ex auro argentoque expressa – duo aurea cubitalia eminebant. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (36). Balbus in triumpho gentium urbiumque nomina ac simulacra duxit. *Id.* 15. *ibid.* 11. 10. (38). Simulacra noctium conscia. *h. e.* imagines deorum, qui cubiculis dormitoriis præsunt. *Virg.* 2. *Æn.* 172. *et* 232. simulacrum vocat equum durateum Trojæ fatalem. Sic *Varro Sat. Menipp.* 63. *p.* 175. *Oehl.* Non vidisti simulacrum leonis ad Idam. *Inscript.* apud *Orelli, n.* 4456. ABDICVLAE IN QVIBVS SIMVLACRA CLAVDIAE IN FORMAM DEORVM – STRVCTA SVNT. Alia apud *eumd. n.* 2. S. P. Q. R. IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS *etc.* AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT. — *b*) Speciatim seu absolute pro idolis seu imaginibus deorum, quas gentes colebant, apud *Vulgat. interpr. Os.* 11. 2. Immolabant et simulacris sacrificabant. *Is. Ps.* 134. 15. Simulacra gentium, argentum et aurum: opera manuum hominum. *Hab.* 2. 18. Simulacra muta. *et* 1. *Thess.* 1. 9. Conversi estis ad Deum a simulacris. — Hinc translate *Col.* 3. 5. Avaritia, quæ est simulacrorum servitus. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de rerum imagine, quocumque alio modo expressa. — *a*) Generatim. *Lucret.* 4. 99. Postremo speculis in aqua splendoreque in omni Quæ cumque apparent nobis simulacra, necesse est, Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum etc. *Id.* 1. 1060. per aquas, quæ nunc rerum simulacra videmus. Adde 4. 997. et 1095. *Ovid.* 3. *Met.* 432. Credule, quid frustra simulacra fugacia captas? — *b*) Speciatim de spectris, quæ noctu vel in somno aut extra somnum obversantur, *spettro, larva, fantasma, visione, ombra.* et *Plin.* 7. *Ep.* 27. *circa med.* Ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret. *Virg.* 1. *G.* 478. simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis. *Ovid. Heroid.* 9. 39. simulacra inania somni. *et* 1. *Amor.* 6. 9. noctem simulacraque vana timebam. — *Enn. Ann.* 1. 10. quædam simulacra modis pallentia miris. Cf. *Lucret.* 1. 123. et *Virg. loc. cit. Ovid.* 4. *Met.* 435. simulacra functa sepulcris. *Id.* 14. *ibid.* 112. cara parentis. — *Servius* ad illud 4. *Æn.* 654. Et nunc magna mei sub terras ibit imago: hæc habet: Tribus constamus, anima, quæ superna est et originem suam petit: corpore, quod in terra deficit: umbra, quam Lucretius sic definivit (4. 368.): spoliatus lumine aer. Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quicquam reliquum de homine, quod Inferos petat. Sed definierunt, esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum, Inferos petat: et est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus. Et post pauca monet, simulacra hæc esse etiam eorum, qui per apotheosin dii facti sunt: simul docet, a poetis usurpari promiscue umbram, simulacrum, imaginem. *Sil. It.* 13. 650. Succedunt simulacra virum concordia, patris Unanimique simul patrui. ruit ipse per umbram, Oscula vana petens, juvenis. *Virg.* 2. *Æn.* 772. Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ Visa mihi ante oculos. *Propert.* 1. 19. 11. Illic quidquid ero, tua semper dicar imago. Cf. *Capell.* 2. *p.* 36. *Kopp.* Animæ simulacrum verberare. *V.* ibid. adnotata.

II.) Translate est quodcumque signum, nota, imago, similitudo. — *a*) Universim. *Cic.* 10. *Fam.* 1. In republica nec leges sunt nec judicia nec omnino simulacrum aliquod aut vestigium civitatis. *Id.* 1. *Off.* 15. 46. Vivitur non cum perfectis hominibus, sed cum iis, in quibus præclare agitur, si sunt simulacra virtutis. *Id.* 1. *Divinat.* 47. 105. Simulacrum religionis. *Id.* 2. *ibid.* 33. *extr.* Hæc simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. *Virg.* 5. *Æn.* 585. pugnæque cient simulacra sub armis. *finte battaglie:* ludicras pugnas. Sic *Lucret.* 2. 42. belli simulacra ciere. *Liv.* 29. 2. Classem in portu, simulacrum edentem navalis pugnæ, ostendit. *Sil. It.* 119. pugnæque agitat simulacra futuræ. *Stat.* 8. *Theb.* 341. et vati (*Amphiarao*) mortis simulacra rependit. *h. e.* tumulum inanem, ut ait *Virg.* 6. *Æn.* 505., funus imaginarium, fictas exsequias. *Plaut. Most.* 1. 2. 6. Alicujus rei similem esse et simulacrum habere. *aver sembianza.* et *Tac.* 1. *Ann.* 77. Simulacrum libertatis. *Id.* 11. *ibid.* 31. vindemiæ. *Quintil.* 2. 15. 25. civilitatis particulæ. Adde 10. 5. 17. — *b*) *Ad simulacrum*, est idem quod instar, ad instar, *a somiglianza. Sueton. Cæs.* 84. Pro rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata. *Flor.* 4. 2. *ad fin.* Altera laurus Ægyptia: tunc in ferculis Nilus, Arsinoe et ad simulacrum ignium ardens Pharus. *Id.* 1. 2. Ad simulacrum cælestium siderum. — *c*) *Per simulacrum*, eodem sensu, apud *Senec. Ep.* 94. *a med.* Digiti (*puerorum*) aliena manu per litterarum simulacra ducuntur.

Homonym. Differt *simulacrum* a *statua*, nam hæc de hominibus, illud de diis dicitur. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 19. Simulacra deorum immortalium depulsa sunt et statuæ veterum hominum dejectæ. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Statua Augusti et numinum simulacra. Adde *Sueton. Tib.* 26. Verum *Martial.* 17. 78. Ante Jovis statuam crepuit satur histrio. Sic de hominibus quoque dici *simulacrum*, ostendunt exempla supra posita, saltem si de alterutris tantum fit mentio. — Ad illud *Tac. Germ.* 9. Nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine cælestium arbitrantur. *Kritzius* hæc adnotat: *Simulacra* deorum, ad humani oris speciem efficta, non confundenda cum *signis* deorum, velut Isidis, quæ *symbola* potius erant deorum, quam formæ ac figuræ. Cf. SIGNUM in fin.

SĬMŬLĀMEN, inis, n. 3. (simulo) simulacrum, assimilatio, repræsentatio, *rappresentazione*, προςποίημα. *Ovid.* 10. *Met.* 726. de *Adonide.* repetitaque mortis imago Annua plangoris peragat simulamina nostri. Loquitur de sacris annuis in honorem Adonidis, quæ *Adonia* dicebantur, in quibus Adonis plangebatur, ac luctus Veneris referebatur. *Auson. Edyll.* 10. 228. Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes. *h. e.* gaudet videns in flumine imaginem sui.

SĬMŬLĀMENTUM, i, n. 2. (simulo) simulatio, fictio, *finzione. Itiner. Alex.* 27. (65). Lætitiæ simulamentum. — In plur. num. *Gell.* 15. 22. in *lemmate*, ubi affert historiam de Q. Sertorio duce deque astu ejus commenticiisque simulamentis etc. *Mar. Victorin.* 3. *advers. Ar.* 1. In natura sensuali non imagines, sed magis simulacra ac simulamenta dicenda. *V.* IGNOMINIATUS.

SĬMŬLANS, antis, particip. *V.* SIMULO.

SĬMŬLANTER, adverb. (simulo) simulate, ficte, *fintamente. Apul.* 8. *Met.* Quoad simulanter revicta Charite suscipit: Istud quidem etc.

SĬMŬLĀTĒ, adverb. (simulo) Comp. *Simulatius.* — Simulate est ficte, simulanter, *fintamente, simulatamente*, ὑποκριτικῶς. *Cic.* 2. *Nat. D.* 67. 168. Impia consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate quæstus causa insusurretur. Alii leg. *aut simulate*, quasi inter hæc duo discrimen sit. In *fragm. Petron. p.* 680. *Burmann.* simulatius exit Proditionis opus, famamque onerare laborat. *Bücheler* leg. *cumulatius.*

SĬMŬLĀTĬLIS, e, adject. (simulo) simulatus, fictus. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 272. Nec stat imagineis simulatilis umbra figuris.

SĬMŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (simulo) similitudo, imitatio, *il rassomigliare, l'imitare, imitazione.*

I.) Proprie, seu in bonam partem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 44. 100. (246). Simiarum genera perfectam hominis simulationem continent facie, naribus, auribus etc. Ita vet. edit. a. 1470. et 1472. *Harduin.*; at *alii* similitudinem. *Sillig.* imitationem. *Juvenc.* 2. 554. de *Elia*, quem turbine jussa corusco Flammipedum rapuit simulatio quadriiugorum.

II.) Translate, seu in malam partem, est actus simulandi, fictio, species, *infingimento, finzione, simulazione, apparenza*, ὑπόκρισις, εἰρωνεία. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ter. Heaut.* 4. 5. 34. non mea est simulatio. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. Eadem et perfidia et simulatione usi. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 191. Nihil opus est simulatione et fallaciis. *Id.* 2. *Off.* 12. 43. Si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. *Id.* 7. *Att.* 1. *a med.* Quam non est facilis virtus! quam vero difficilis ejus diuturna simulatio! *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 3. In specie fictæ simulationis pietas inesse non potest. *Vellej.* 2. 48. *a med.* Hic primo pro Pompeji partibus, mox simulatione contra Pompejum et Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit. *Seneca Ep.* 79. Nihil simulatio proficit. *Quintil.* 6. 3. 92. Optima est simulatio contra simulantem. — *b*) Cum Genetivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Simulatio rei frumentariæ. *Id.* 6. *ibid.* 8. itineris. *Id.* 1. *B. C.*

9. belli. *Id.* 2. *ibid.* 35. vulnerum. *Id.* 3. *ibid.* 28. deditionis. *Cic. Brut.* 14. 53. Brutus summam prudentiam simulatione justitiæ texit. *Id.* 3. *Off.* 26. 97. Simulatione insaniæ militiam subterfugere. *Id.* 4. *Acad.* 46. 140. (2. *pr.*) Fallax imitatio simulatioque virtutis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 6. *a med.* Ut totius reipublicæ domini constituerentur, legis agrariæ simulatione atque nomine. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Muliones equitum specie ac simulatione collibus circumvehi jubet. *Id.* 5. *B. G.* 50. Agere cum simulatione timoris. *Cic. post red. ad Quirit.* 9. 21. Qui per simulationem amicitiæ me prodiderunt. *Id. pro leg. Manil.* 22. 66. Hostium simulatione contra socios exercitum mittere. *Id. Sull.* 19. 54. Gladiatores emptos esse Fausti simulatione ad cædem ac tumultum. *Id. Amic.* 8. 26. Qui simulatione amicitiæ coluntur. *Tac.* 2. *Hist.* 61. Provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. *h. e.* simulans se esse deum et a diis agi. *Id.* 1. *ibid.* 58. Sævitiam militum, plerosque ad pœnam exposcentium, sæpius approbat, partim simulatione vinculorum frustratur. *h. e.* in vinculis detinendo eos, qui a militibus poscebantur, ut morti subtraheret.

H o m o n y m. Hoc interest inter *simulationem* et *dissimulationem*, quod *simulatio* est rei, quæ nulla est: *dissimulatio* quæ vere sunt, obtegit. *Cic.* 3. *Off.* 15. 64. Ex omni vita s i m u l a t i o d i s s i m u l a t i o q u e tollenda est. *V.* DISSIMULO in fin.

SĬMŬLĀTO. *V.* SIMULATUS.

SĬMŬLĀTOR ōris, m. 3. (simulo) qui simulat seu imitatur. *imitatore.*

I.) Proprie, seu in bonam partem. *Ovid.* 11. *Met.* 633. Excitat artificem simulatoremque figuræ Morphea. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 303. Humani qualis simulator simius oris.

II.) Translate, seu in malam partem, est qui fingit et simulat, *fingitore, simulatore,* ὑποκριτής — *a)* Cum Genetivo. *Sall. Cat.* 5. Animus audax, subdolus, varius, cujus rei libet simulator ac dissimulator, *simulator* falsi, *dissimulator* veri. *Tac.* 14. *Ann.* 57. Simulator segnitiæ, *Lucan.* 4. 722. Ut sibi commissi simulator Sabura belli. — *b)* Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 30. *a med.* Dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus. *Q. Cic. pet. cons.* 10. Quibus rebus benevolus et simulator dijudicari possit. *Tac.* 13. *Ann.* 47. Suspectabat Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidum et simulatorem interpretando.

SĬMŬLĀTŌRĬĒ, adverb. (simulatorius) simulate, ficte. *Augustin. de pecc. origin.* 40.

SĬMŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. (simulo) simulatus, fictus. *Ambros.* 1. *Hexæm.* 2. *n.* 7. Simulatoriæ disputationes. Adde *Augustin. Ep.* 82. 11. *extr.*

SĬMŬLĀTQUĔ. *V.* SIMUL ad *B.*

SĬMŬLĀTRIX, trīcis, f. 3. (simulator) quæ simulat, *fingitrice, simulatrice.* ¶ 1. Generatim. *Stat.* 4. *Theb.* 550. qualis, si crimina demas, Colchis et Ææo simulatrix litore Circe. *h. e.* quæ homines in fictas feras vertebat. ¶ 2. Speciatim *simulatrix* dicta est sacerdos, quæ ab aliis *piatrix* vocatur, ut ait *Fest. p.* 213. 25. *Müll.*, quia, quæ in sacris suis vera repræsentare non poterat, ficta et simulata exhibebat. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 512. et *Serv.* ad *h. l.* in SIMULO. *V.* etiam PIATRIX.

SĬMŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĬMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (similis) *Simĭlo* pro *simulo* a quibusdam scribitur, quod videtur proprium fuisse sequioris ætatis scriptorum, qui hæc duo distinxerint. In Codd. igitur et edit. libris interdum permutantur. *V.* SIMILO. — Part. *Simulans* I. 2. et in fin.; *Simulatus* I. 1. et II. 1.; *Simulandus* II. 3. — Simulo est similem facio, imitor, refero, similo, ὁμοιόω, μιμέομαι (It. *rassomigliare, imitare;* Fr. *imiter, copier, reproduire, représenter;* Hisp. *imitar, representar;* Germ. *ähnlich machen;* Angl. *to imitate, make like, counterfeit*); qua significatione sunt qui *similo* potius scribunt. V. *Lemaire* ad *Sil. It.* 2. 533. et alib.

I.) Proprie, seu in bonam partem. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 6. *Æn.* 590. *de Salmoneo.* nimbos et non imitabile fulmen Ære et cornipedum pulsu simularat equorum. *Id.* 3. *ibid.* 349. parvam Trojam simulataque magnis Pergama. *h. e.* assimilata. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 19. 13. *Lucret.* 1. 687. neque sunt igni simulata (*corpora*) neque ulli Præterea rei. *Cic.* 9. *Att.* 8. Hic ego vellem habere Homeri illam Minervam simulatam Mentori, cui dicerem (*Odyss. l.* 3. *v.* 22.) Μέντορ, πῶς τ' ἄρ' ἴω etc. *h. e.* quæ Mentoris se similem fecerat et sub ea specie Telemacho apparuerat. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 12. si quis vultu torvo ferus et pede nudo Exiguæque togæ simulet textore Catonem, Virtutemne repræsentet, moresque Catonis? *Ovid.* 3. *Met.* 275. (*Juno*) simulavit anum. *Id.* 2. *ibid.* 688. Simulare equam. *Id.* 3. *ibid.* 158. artem. *Id.* 6. *ibid.* 596. furias Bacchi. *Id.* 13. *ibid.* 721. Simulata Troja. *Martial.* 2. 35. Quum sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 5. Simulare vultum. — *Inscript.* apud *Guarini, In cipp. Osc. p.* 55. MVLIER FEREBAT FILIVM SIMILEM SVIS NEC MEVS ES NEC MI SIMVLAT SED VELLEM ESSET MEVS ET EGO VOLEBAM VT MEVS ESSET. ¶ 2. Speciatim pingere, describere, *rappresentare.* *Horat.* 2. *Ep.* 1. 241. ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia. *Id. Art. P.* 20. Simulare cupressum. *Sil. It.* 15. 430. antrum in ostro. *Calpurn. declam.* 21. Simuletur hoc factum non tantum colore, sed ære, si possit, et lapide. — Cum Infinito *Ovid.* 6. *Met.* 80. Percussamque sua simulat de cuspide terram Edere.

II.) Translate, seu in malam partem, est fingo, mentior, prætexo, obtendo, specie simulationis ostento me habere, quod non habeo, ὑποκρίνομαι, *fingere, far vista, simulare.* ¶ 1. Cum Accusativo. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 71. experiar, quid ames, quid simules. *Sall. Cat.* 41. Simulare vehementer studium conjurationis. *Id. Jug.* 36. deditionem ac deinde metum. *Id. ibid.* 60. diffidentiam rei. *et* 111. pacem. Sic *Cic.* 13. *Phil.* 1. 1. Pacem cum Scipione Sulla sive faciebat sive simulabat. *Seneca Thyest.* 384. Simulare fucum. *Tac.* 1. *Hist.* 81. constantiam. *Id.* 12. *Ann.* 47. obsequium. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (129). vesaniam. *Id.* 34. *ibid.* 2. 3. (6). scientiam alicujus rei. *far mostra di sapere, d'intendersi.* et *Ovid.* 1. *Art. am.* 678. gaudia vultu. *Id.* 2. *Amor.* 2. 36. lacrimas. *Id. Heroid.* 2. 51. Credidimus lacrimis. an et hæ simulare jubentur? *Id. Remed. am.* 493. Et sanum simula: ne, si quid forte dolebis, Sentiat. *Liv.* 25. 8. *extr.* Hannibal ægrum simulabat. *Seneca Herc. Œt.* 429. simulare furentem. *Justin.* 6. 6. 3. supervacaneos. *Ter. Heaut.* 4. 1. 22. Si meum imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit: non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare. *h. e.* fingere, se velle mortem filiæ. *Justin.* 1. 2. 1. Simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum. — Passive. *Ter. Eun.* 3. 5. 58. is essem vere, qui simulabar. *Ovid. Heroid.* 17. 36. Si modo, quem præfers, non simulatur amor. *et ibid.* 21. 199. et tecto simulatur lumine somnus. *Id. ibid.* 17. 36. Simulatus amor. *Id.* 1. *Amor.* 3. 23. *de Europa.* super pontum simulato vecta juvenco. *Virg.* 4. *Æn.* 512. Sparserat et latices simulatos fontis Averni. Ubi *Servius:* In sacris, quæ exhiberi non poterant, simulabantur et erant pro veris. *Sil. It.* 16. 305. Simulatæ exsequiæ. *h. e.* quæ ducuntur his, quorum corpora alibi sepulta sunt. *Cic. Cæcin.* 5. *a med.* Ficto officio simulataque sedulitate conjunctus. *Id.* 3. *Off.* 14. 60. Aliud simulatum, aliud actum. *Id.* 2. *ibid.* 12. 43. Nec simulatum quidquam potest esse diuturnum. *Id. Amic.* 8. 26. Nihil fictum, nihil simulatum. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. Si in ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum atque imitatione simulatum. ¶ 2. Cum Infinito. *Plaut. Trin.* 1. 2. 68. Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt. Cf. *Aulul.* 3. 4. 4. et *Bacch.* 1. 1. 42. *Ter. Heaut.* 5. 1. 70. id mirari te simulato. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Reverti se in suas sedes simulaverunt. Cf. 3. *B. C.* 21. *Cic. Cluent.* 9. 27. Simulare se Tarentum proficisci. *Id.* 1. *Off.* 30. 108. se furere. *Ovid.* 2. *Met.* 697. abire. Adde *Quintil.* 4. 5. 20. *Justin.* 3. 1. 8. se breviorem loricam habere. *Curt.* 4. 1. 29. a Dareo se esse præmissum. ¶ 3. Absolute. — *a)* Universim. *Ter. Andr.* 2. 3. 1. Quid igitur sibi vult pater? cur simulat? *Sall. Jug.* 37. Aut simulandi gratia aut cupidine cæcus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Qui non sui commodi causa simulent. *Ovid.* 13. *Met.* 299. Si simulâsse vocat crimen, simulavimus ambo. — *b)* Sequente partic. *quasi.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 45. Quasi affuerim, simulabo, atque audita eloquar. *Id. Mil. glor.* 3. 3. 35. Volo, quasi militi animum adjeceris, simulare. *Id. Pers.* 4. 5. 5. Simulato, quasi eas prorsum in navem. — Passive impersonaliter. *Ter. Heaut.* 5. 1. 28. Quid est quod amplius simuletur? *Quintil.* 4. 5. 20. Simulandum est. — *c)* Cum Dativo. *Varro* apud *Non. p.* 344. 5. *Merc.* Non est merum, nec tu edepol quid simulas tuis. ubi tamen *quid* pro accusat. haberi potest. Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 349. — *d)* Cum Accusativo et præp. *in.* *Plaut. Stich.* 1. 2. 19. Quasi numquam quidquam in eas simulem, quasi nil indaudiverim etc., ubi tamen *quidquam* pro accusat. sumere possis. — *Forcellinus* monet esse tmesin pro *insimulare;* verum idem occurrit apud *Vulgat. interpr. Dan.* 11. 32. Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter.; nisi utrobique tmesin esse malis. — Hinc Part.

Simulans, antis, adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Simulantior.* — *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 23. Non fuit in terris vocum simulantior ales. — *Simulans,* absolute, est etiam titulus comœdiæ, quæ *Afranio* tribuitur apud *Cic. Sext.* 55. 118.

Simulato, adverbiorum more, idem ac simulate. *Lamprid. Elag.* 25. Quæ solent simulato fieri. Adde *Ennod. Apol. pro Synod. p.* 328.

H o m o n y m. *Simulo* differt a *dissimulo,* quod dicitur, quum rem aliquam veram non habere nos fingimus, quam re vera habemus. *simulamus* enim quod non est, *dissimulamus* quod est. Videtur tamen *Sall.* ita *simulo* usurpare, ut utrumque simul significet, *Jug.* 95. Ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis. At *Dietsch.* addit *ac dissimulanda.* V. *eumd.* ad *h. l.* *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Nec quidquam s i m u l a b i t aut d i s s i m u l a b i t vir bonus. *Planc.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 4. Multa me et s i m u l a s s e invitum et d i s s i m u l a s s e cum dolore. Cf. *Sall. Cat.* 5. et *V.* DISSIMULO in fin.

SIMULTA. *V.* SIMULTUM.

SĬMULTAS, ātis, f. 3. Etiam *similtas* legitur in *Gloss. Lat. p.* 272. *n.* 181. — *Simultatium,* in genet. plur. pro *simultatum,* hab. *Auct. B. Alex.* 49., *Val. Max.* 4. 2. *n.* 2. et sæpius *Liv.,* teste *Drakenb.* ad 9. 38., 28. 18. et 39. 44. — Ad etymon quod attinet, ita *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 337. 7. *Müll.* « Simultas, id est odium, dicta ex contrario, quia minime sint simul. Potest et a simulatione dicta existimari, quia simulata loquuntur ad invicem ». Prior notatio frigida videtur *Forcellino,* et recte quidem, qui a *simulo* vocem ducit; nisi malis esse syncop. a *simulitas* seu *similitas,* ut *facultas* a *facilitas.* — Simultas est generatim actus, quo quid simul fit, vel intercedit inter duo aut plures, sive in bonam sive in malam partem. Occurrit autem ¶ 1. Sæpius in malam partem, et est odium latens inter eos, qui amici esse videntur, inimicitia, ἔχθος, παλιγκοτία (It. *odio occulto, disgusto, avversione, corruccio, inimicizia;* Fr. *rivalité, inimitie secrète;* Hisp. *inimicicie oculta;* Germ. *d. Spannung, Missverständniss, Rivalität;* Angl. *a disguised malice or enmity, secret dislike or aversion*). Dicitur fere de privata inimicitia, aliquando etiam de publica. — *a)* In sing. num. *Plaut. Pseud.* 1. 9. 50. Ne illam vendas ob simultatem suam. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Huic simultas cum Curione intercedebat. *Nepos Att.* 17. Numquam cum sorore fuisse in simultate, *Ter. Phorm.*

2. 1. 2. Simultatem alicujus revereri. *Sueton. Ner.* 25. alicui indicere. *Id. Aug.* 62. Simultate cum socru exorta. *Ovid. Remed. am.* 661. ubi nulla simultas Incidit. *Juvenal.* 15. 33. Inter finitimos vetus atque antiqua simultas, Immortale odium et numquam sanabile vulnus Ardet adhuc, Ombos et Tentyra. — *b*) In plur. num. *Cic. Planc.* 31. *a med.* Simultates, quas mecum habebat; deposuit. *Id. pro leg. Manil.* 24. 71. Multas simultates partim obscuras, partim apertas suscepi. *Id. Flacc.* 35. *in fin.* Simultates cum aliquo exercere. *Sueton. Cæs.* 73. excipere. *Plin.* 2. *Ep.* 18. *extr.* subire. *Quintil.* 4. 1. *ante med.* gerere cum aliquo. *Tac.* 3. *Hist.* 53. simplicius vel callide eoque implacabilius nutrire. *Id.* 3. *Ann.* 54. facere. *far nascere, suscitare.* et *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 82. Sæpe simultates ira morata facit. *Justin.* 2. 6. *a med.* Erant inter Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensæ. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Omnibus annis de loco summis simultatibus contendebant. *Tac.* 14. *Ann.* 38. Bonum publicum privatis simultatibus impedire. *Quintil.* 4. 1. 18. Quibuscum simultates gerant. *Id.* 12. 7. 3. Simultates provocare. ¶ 2. In bonam partem est pactum, condicio, quæ inter duos simul convenit. *Hygin. fab.* 22. 84. *et* 185. Quum complures eam peterent in conjugium, simultatem constituit, se ei daturum, qui secum quadrigis certasset, victorque exisset. *Id. fab.* 67. Sphinx regi Creonti simultatem constituit, si carmen, quod posuisset, aliquis interpretatus esset, eo inde abire.

SĪMULTER, adverb. (similis) idem ac similiter. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 148. Exossabo eum simulter, ut murænam cocus. Alii leg. *similiter. Non.* legit *simulte.* quod mendum esse videtur. Ita *Forcellinus.* Sed ibi *Mercerius p.* 170. 25. leg. *simulter.*

SIMULTUM, vermis in cornu arietis, in *Gloss. Isid.*, ubi *alii leg.* simulta. Cf. *Isid.* 12. *Orig.* 1. 10., ut monet *Areval.* ad *h. l.*

SĪMŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* simus. *Lucret.* 4. 1162. Simula (*puella*), Silena ac Satyra est. *V.* SILENA et SATYRUS. Adde *Virg. Mor.* 3., ubi tamen *Ribbeck* leg. *Simylus.*

SĪMUS, a, um, adject. σιμός, qui nares depressas et repandas habet, silo, silus (It. *chi ha il naso schiacciato, camuso, simo;* Fr. *qui a le nez épaté ou écrasé, camard, camus;* Hisp. *romo, que tiene la nariz chata;* Germ. *stülpnasig, plattnasig;* Angl. *flat-nosed, snubnosed*).

I.) Proprie. — *a*) De beluis. *Andron.* apud *Non. p.* 335. 22. *Merc.* Lascivum Nerei simum pecus ludens classem lustrat. *Virg.* 10. *Ecl.* 7. Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (23). Delphini dorsum repandum, rostrum simum. — *b*) De hominibus. *Martial.* 6. 39. Puer sima nare, turgidis labris. *Virg. Mor.* 106. Sæpe viri nares acer jaculatur apertas Spiritus et simo damnat sua prandia vultu. *h. e.* vultu aversantis: quod quum fit, nares dilatantur et deprimuntur.

II.) Translate. *Cels.* 8. 10. *n.* 7. *ante med.* Vulsella, quali fabri utuntur, injicienda est ab ea parte, qua sima est. — Hinc

Simus, i, 2. absolute, substantivorum more, gen. masc. et fem. ¶ 1. *Simus,* masc., est quoddam thynni genus (*Cf. Artemid.* 2. 14.) apud *Quicherat* in *Addend. Lex. Lat. p.* 268.; nisi malis esse genus piscis Niliaci. (*Cf. Athen.* 7. *p.* 312. *A.*) ¶ 2. *Simus,* femin., est genus herbæ apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 32. (72). *Sillig.* Simus lapides renium in vino decocta potusque eximit. Hippocrates semina ad impetus lienis dari censet. Jumentorum quoque ulcera ac scabiem radix illita aut decoctæ sucus ad pilum reducit. Mures eadem fugantur, caverna præclusa moriuntur.

SĪMUS, i. *V.* voc. præced.

SĪN, duo diversa significat.

A) *Sin* est conjunctio conditionalis et adversativa. — Ad quantitatem quod attinet, longam esse docet *Prob.*, qui (*De ultim. syll.* 10. *p.* 252. 2. *Keil.*) affert illud *Virg.* 2. *G.* 483. Sin has ne possim naturæ accedere partes etc. — Idem *Prob.* (*Instit. art. p.* 144. 5. *Keil.*) ponit inter causalis speciei conjunctiones compositas *sin autem, sin etiam;* unde conjicitur olim *sinautem, sinetiam* in unam vocem coaluisse. Ita conjunctim *sinminus* pro *sin minus* legitur in *Gloss. Lat. Gr.* Sinminus, εἰ δὲ μή. — Ratione etymi, patet vocem ex partic. *si* et *ne,* per contractionem, esse factam. *Döderlein* putat esse apocopen Gr. εἰ δέ, ut ἔριν ab ἔριδα. *V.* SI. — Sin est idem ac sed si, si vero, si autem, εἰ δέ, ἢν δέ, κἂν (It. *ma se, se poi, che se;* Fr. *si au contraire, mais si, si toute fois;* Hisp. *mas si, si al contrario, al reves;* Germ. *wenn aber, wofern aber;* Angl. *but if, if however*); subjungitur autem fere aliis particulis, quæ in præcedenti orationis membro occurrunt.

I.) Usurpatur cum particula præcedenti. ¶ 1. Sæpius post *si.* — 1.°) Sine addito. — *a*) Cum Indicativo. *Plaut. Merc.* 3. 4. 2. Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, animus domi est. *Ter. Andr.* 1. 3. 5. Si illum relinquo, ejus vitæ timeo; sin opitulor, hujus minas. *Sall. Cat.* 51. Si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, eis utendum censeo etc. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 12. Si te interfici jussero, residebit *etc.;* sin tu exieris, exhaurietur. — Subaudito verbo. *Id. ibid.* 7. *in fin.* Hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. — Sequente altero *sin. Cic.* 7. *Fam.* 14. Si scribere oblitus es; sin nostri oblitus es, sin æstivorum. — *b*) Cum Conjunctivo. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Si improbasset, cur ferri passus esset? sin probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? *Id.* 1. *B. G.* 13. Si pacem populus Rom. cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros; sin bello persequi perseveraret, reminisceretur etc. — 2.°) Cum addito *aliter. Plaut. Amph.* 1. 1. 54. Si sine vi velint rapta tradere, redderent; sin aliter sient animati etc. *Id. Trin.* 1. 2. 9. si ita es, ut ego volo; Sin aliter es, inimici atque irati tibi. — Subaudito verbo. *Ter. Phorm.* 1. 2. 66. Si uxorem velit, Lege id licere facere; sin aliter, negat. *Cic.* 11. *Fam.* 14. Si ita est, omnia faciliora; sin aliter, magnum negotium. Adde *Quintil.* 8. 6. 74. — 3.°) Cum addito *minus. Cic.* 1. *Invent.* 29. 88. Accusator illum-defendet, si poterit; sin minus poterit, negabit. — Subaudito verbo. *Id.* 9. *Att.* 15. Si mihi veniam dederit, utar illius conditione; sin minus, impetrabo aliquid a me ipso. — 4.°) Cum addito *autem, vero. Plaut. Pers.* 4. 1. 6. Si malus aut nequam est, male res vortunt, quas agit: Sin autem frugi 'st, eveniunt frugaliter. Adde *Ter. Hecyr.* 4. 1. 44. — Subaudito verbo. *Cic. Amic.* 4. 14. Id si ita est —; sin autem illa veriora, etc. *Id.* 10. *Att.* 7. Si vir esse volet, præclara συνοδία; sin autem, erimus nos qui solemus, *Colum.* 7. *R. R.* 3. Primum esse admissuræ tempus, parilibus si sit ovis matura; sin vero feta, circa Juliam mensem. — Sequente etiam *minus. Cic. Cæcin.* 1. *in fin.* Si sunt viri boni, me adjuvant; sin autem minus idonei, me non lædunt. — 5.°) Cum addito *secus.* Elliptice *Plaut. Cas.* 2. 6. 25. Si quod volumus, eveniet, gaudebimus; Sin secus, patiemur æquis animis. — 6.°) Absolute pro *sin aliter, sin minus. Cic.* 16. *Att.* 13. *a med.* Si pares æque inter se, quiescendum; sin, latius manabit. *se no, se poi no.* — 7.°) Cum præced. *quod* pro *quod si. Val. Flacc.* 5. 667. da vellera, rector, Et medio nos cerne mari; quod sin ea Mavors Abnegat -, Ibimus indecores. *Locus singularis.* Sed *Burmann.* ex Cod. legit *quod si mea Mavors,* quod rectius videtur. Ita *Furlanetto.* Verum *Schenkl* dedit *sin ea,* nulla varia lectione ex Codd. adnotata. ¶ 2. Post *nisi. Plaut. Pœn. prol.* 50. Nisi molestum est, nomen dare vobis Comœdiai; sin odio est, dicam tamen. ¶ 3. Post *quando, dum. Id. Truc.* 1. 1. 16. Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum; Sin jecit rete etc. *Id. ibid.* 1. 2. 10. Dum illi agunt, quod agunt, sunt ceteri cleptæ; Sin videant quempiam se asservare, obludunt.

II.) Usurpatur etiam nulla præcedente particula; cujus tamen vis facile subintelligitur. — *a*) Universim. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 5. In herum matura, in se (*servum*) sera condecet capessere; Sin dormitet, ita dormitet, servum sese ut cogitet. *Id. Pers.* 2. 2. 45. PÆ. ne me attrecta. SO. sin te amo? Adde *Ter. Adelph.* 3. 4. 46. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Hortatur ac postulat, ut rempubl. suscipiant atque una secum administrent; sin bello defugiant, illis se oneri non futurum. *Cic. Amic.* 21. 78. Primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ videantur. *Id.* 2. *Off.* 21. 74. Danda est opera, ne tributum conferendum sit: sin qua necessitas obvenerit etc. *h. e.* si vero aliqua necessitas. Adde 1. *ibid.* 34. 123. *Id.* 13. *Att.* 22. *ad fin.* Ego, ut constituit, adero: atque utinam tu quoque eodem die. Sin quid (multa enim), utique postridie. *h. e.* si vero aliquid acciderit, quo minus eo die adesse queam. *Id.* 3. *Orat.* 24 *extr.* Sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Græcis erunt anteponendi. *h. e.* si vero aliquando. *Id.* 3. *rep.* 3. 6. Sin alterutra sit via prudentiæ deligenda, tamen etc. *Nepos Ages.* 1. Primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset; sin is virilem sexum non reliquisset, tunc eligebatur qui proximus esset propinquitate. — *b*) Cum addito *autem* ad majorem vim. *Cæs.* 5. *B. G.* 35. Quum in eum locum reverti cœperant, circumveniebantur; sin autem locum tenere vellent etc. *Cic. Amic.* 10. 34. Summi puerorum amores sæpe una cum prætexta toga ponerentur; sin autem ad adolescentiam perduxissent. etc. Adde *eumd.* 1. *rep.* 6. 11.

B) *Sin* est etiam littera alphabeti Hebraici (ש) vicesima prima, quæ leniorem sonum habet quam (ש) *shin* vel *scin,* et respondet sibilanti *s.* Utraque legitur apud *Vulgat. interpr. Ps.* 118. et 3. *Hieronym. Ep.* 30. vocat *sen.* V. SCIN.

SĪNĀGŌGA. *V.* SYNAGOGA.

SĪNĀGŌNUS. *V.* SYNAGONUS.

SĪNĀPĒ vel

SĪNĀPĪ, n. indecl. (*V.* tamen in seq. forma sub init.) *et*

SĪNĀPIS, is, f. 3. — *a*) Scribitur et *senape* simul cum *sinape,* apud *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* et apud *Apic.* 6. 4. et 8. 7. — *Senapis* legitur apud *Plaut. Pseud.* 3. 2. 28. — *Senapi* apud *Apic.* 1. 9. et 24. — *b*) Qui putant, etiam *sinape* dici in recto casu, innituntur illo *Colum.* 11. *R. R* 3. Sinape et coriandrum, ita uti sata sunt, sua sede immota permanent. Sed saniores critici leg. *sinapi.* — In sing. accus. est *sinapim;* in ablat. *sinape* et *sinapi. Capell.* 3. *p.* 72. Gummi et sinapi peregrina sunt neutri generis et tantum numeri singularis, sed per casus eodem modo decurrunt, excepto genetivo, qui *s* recipit. — *c*) Si vocis etymon aliquod quæras, est qui putet, vocem esse compositam ex Hebr. שן pro שנן, h. e. *shan* pro *shanan,* acuit, et אף *aph,* nasus; quia ejus seminis halitus nares maxime afficit; unde et Gr. σίναπι vel σίναπυ et σίνηπι apud recentiores pro Atticorum νάπυ. (V. *Lob.* ad *Phryn. p.* 288.) Inepte *Isid.* 10. *Orig.* 10. 9. Sinapis appellatur, quod folio sit similis napis. — Sinapi est genus oleris, semen habens acerrimum gustu et comedenti lacrimas ciens, *sénapa,* σίναπι. Synonymiam hujus oleris exhibet cl. *Fée, op. cit. v.* 2. *p.* 446., hisce verbis: «Il nous reste à donner la concordance synonymique du *sinapi,* pris dans un sens étendu. Hippocrate, Théophraste et Dioscoride ne parlent que d'une seule espèce: on ne sait trop à laquelle il convient de la rapporter. Les commentateurs désignent plus particulièrement le *sinapis alba* Linn.; mais pourquoi ils ont adopté cette espèce au lieu du *sinapis nigra* Linn, c'est ce qu'on ne peut dire. — Νάπυ Hippocr., Théoph., VII. 3. Σίνηπι, Nicand., *Ther.* v. 878.; *Alexiph.*, v. 532., Dioscor. II. 184.; Νάπυ, Athen., *Deipn.* IX. 1. — *Napi,* Mart., XIII. 20. (*in tit.*) *Si-*

napi omne genus, napy Atheniens. Alii *thapsi*, alii *saurion*, Plin., *loc. comm.*; Plaut. in *Pseud.* sc. 2. act. 3.; *Colum.* X. v. 124.; Pallad., *Febr.* tit. 24., *Octobr.*, tit. 11.; Cels. III. c. 21. et 22. IV. 20.; *Sinapis àlba ac nigra* Botan.». ¶ 1. Generatim. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 54. (170). Acerrimum sapore, ignei effectus ac saluberrimum corpori sinapi. *et mox.* Usus ejus etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ. Coquuntur et folia, sicut et reliquorum olerum. Sunt autem trium generum; unum gracile, alterum simile rapi foliis, tertium erucæ. *Id.* 20. *ibid.* 22. 87. (236). Sinapi Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime vis feratur, judicavit, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret. Adde ibi reliqua, quibus persequitur ejus in medicina utilitates. At cl. *Fée loc. cit.* hæc adnotat. «Si nous passions rapidement en revue ce que Pline dit des propriétés médicinales, nous aurions à signaler beaucoup d'erreurs». *Cels.* 2. 21. refert inter ea, quæ mali suci sunt. *Colum.* 10. *R. R.* 122. Sæque lacessenti fletum factura sinapis. *Seren. Sammon.* 32. 4. Sinapi lacrimosum. *Id.* 5. 9. mordax. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 28. Teritur sinapis scelerata cum illis, qui terunt. *Id. Truc.* 2. 2. 6. Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam, tam esse tristem posse. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Neque triste quæritat sinapi, neque cæpe mœstum. *Pallad.* 11. *R. R.* 11. Hoc mense sinapim seremus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 41. (71). Sinapis avidissimæ sunt apes. *Veget.* 6. *Veterin.* 17. Sinapi Alexandrinum. — Apud Hebræos *sinapis*, quum sit frutex e grano minutissimo proveniens et in arboris altitudinem sæpe decem pedes æquantem excrescens, κόκκῳ σινάπεως comparatur res minutissimæ quantitatis. *Vulgat. interpr. Matth.* 13. 32. et *Luc.* 17. 6. Hinc *Juvenc.* 2. 819. Haud aliter simile est (cordis si panditis aures) Præparvi grano regnum cæleste sinapis. ¶ 2. Speciatim est pulmentum ex sinapi compositum, illius instar, quod nos *mostarda* vocamus. *V.* infra. *Apic.* 1. 9. Callum porcinum vel lumbulum et ungellæ coctæ, ut diu durent, in sinapi, ex aceto sale et melle facto mittis, ut tegantur, et quando volueris, utere. *Edit. Dioclet.* p. 13. Sinapis contextæ Italicum unum ✠ octo. Fortasse, inquit *Furlanetto*, est compositio illa ex sinapi melle, oleo et aceto, de qua *Pallad.* 8. *R. R.* 9., quamque vetus Italus interpres *mostarda* vertit.

SĬNĀPISCUS, i, m. 2. (sinapi) significare videtur sinapis granum in pulverem redactum ad usum medicinæ. *Theod. Priscian.* 15. p. 294. retro *Ald.* Fomenta ex similibus supra dictis et sinapisco confecta. *Alii leg.* sinapismo.

SĬNĀPISMUS, i, m. 2. σιναπισμός, *senapismo*, curatio per sinapi. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 112. Item sinapismus, qui maxime vehementem fortitudinem locis humore corruptis atque, ut ita dixerim, habentibus (*lege* labentibus) admovet ac ministrat. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 37. et *Æmil. Macr.* c. 35. *V.* voc. præc. in fin.

SĬNĀPĪSO, *V.* SINAPIZO.

SĬNĀPIZĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SĬNĀPIZO, as, ātum, are, a. 1. (σιναπίζω) Scribitur et *sinapiso*. — Part. *Sinapizatus* et *Sinapizandus*. — Sinapizo est, sinapi instar emplastri imposita, erosionem carnis facere. *Veget.* 3 *Veterin.* 6. 11. Ad ultimam, partes, quæ in causa sunt, sinapizabis diligenter, sinapizatum cautere ferreo combures. Adde 5. *ibid.* 33. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 117. Sinapisandas manus ægrotantium jubent. Adde 5. *ibid.* 1. 26.

SĬNAUTEM. *V.* SIN init.

SINCER. *V.* SINCERUS init.

SINCĒRĒ, adverb. (sincerus) Comp. *Sincerius* et Sup. *Sincerissime* 1. ¶ 1. Refertur ad animum et est ex animo, ingenue, non simulate, sine mendacio, candide, vere, *ingenuamente, disinfintamente, schiettamente, sinceramente*, ἀκεραίως. *Enn.* apud *Non.* p. 505. 11. *Merc.* neque irati neque blandi quicquam sincere sonunt. *Ter. Eun.* 1. 2. 96. Si istuc crederem sincere dici, quidvis possem perpeti. *Catull.* 100. 4. Sincere et ex animo dicere. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. Quod ut intelligatis sincere a me pronunciari, audite Romanos milites. *Attic.* ad *Cic.* 9. *Att.* 10. *sub fin.* Si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter. *Cic.* 3. *ibid.* 15. *ante med.* Crassi libertum nihil puto sincere locutum. *Val. Max.* 2. 2. n. 8. Provincias sincere administrare. *illibatamente.* et *Gell.* 7. 3. *in fin.* Ita nos sincerius exploratiusque vel corrigere poterit vel probare. *Augustin. Ep.* 3. (*al.* 137.) *ad Volusian. ad fin.* Invicem sincerissime se diligunt homines. ¶ 2. Refertur etiam ad rem, et est bene, recte. *Plaut. Epid.* 5. 1. 28. Satin ego oculis utilitatem obtineo sincere an parum? *bene, giustamente.*

SINCĒRIS. *V.* SINCERUS init.

SINCĒRĬTAS, ātis, f. 3. (sincerus) puritas, integritas, ἀκεραιότης (It. *purezza, sincerità*; Fr. *pureté, intégrité, état normal*; Hisp. *el natural, el verdadero ó genuino, pureza, integridad*; Germ. d. *Unverdorbenheit, Unverletztheit, Gesundheit*; Angl. *purity, uprightness, sincerity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). *de oleo faciendo.* Crebrius vasa mutanda, fiscinas spongia tergendas, ut quam maxime pura sinceritas constet. *Colum.* 4. *R. R.* 26. Pedamenta post putationem retractanda sunt partesque eorum putres dedolandæ atque alia convertenda, quæ sinceritatem habent, alia submovenda, quæ cariosa sunt. *Pallad.* 1. *R. R.* 3. Habitatorum color sanus, capitis firma sinceritas, inoffensum lumen oculorum. *Marcell. Empir.* c. 25. p. 128. Ex vino, si sinceritas est. ¶ 2. Speciatim de integritate et sanitate corporis. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 5. 89. In dimissione limpidæ sinceritati proximi efficiuntur.

II.) Translate., ¶ 1. Generatim. *Seneca Vit. beat.* 15. Nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile melioři. *Val. Max.* 2. 6. n. 8. Femina nonagesimum annum transgressa, cum summa animi et corporis sinceritate. *Id.* 5. 3. n. 2. *extern.* Vitæ summa sinceritas. *h. e.* morum integritas. *Phædr.* 4. 12. Ad perniciem solet agi sinceritas. *schiettezza, candidezza.* et *Gell.* 14. 2. Multa et illustria exempla probitatis et sinceritatis. *Id.* 2. 23. *ad fin.* Ad horum sinceritatem veritatemque verborum an adspiraverit Cæcilius, consideremus. ¶ 2. Speciatim est titulus honoris, quo quis compellatur. *Cod. Theod.* 1. 6. 6. *de comite rei privatæ.* Illustris Sinceritas tua quasi in speculo tuebitur etc. Adde *ibid.* 10. 15. 4. *de præfecto prætorii.* et 7. 1. 9. *de magistro equitum.*

SINCĒRĬTER, adverb. (sincerus) sincere, *sinceramente*, ἀκεραίως. *Gell.* 13. 16. Bonas artes qui sinceriter cupiunt, hi sunt vel maxime humanissimi. Adde *Augustin. quæst.* 66. 1. et *Cod. Justin.* 8. 28. 10.

SINCĒRO, as, āvi, are, a. 1. (sincerus) sincerum facio. Agnoscitur hoc verbum a *Diomed.* 1. p. 361. *Putsch.*, sed nullum ab eo affertur auctoris locus. Occurrit tamen apud *Soran. Isag.* 23. Phlebotomia mentem sincerat. Cave usurpes.

SINCĒRUS, a, um, adject. *Sinceris, e*, aliquando declinatum est: non tamen imitandum. *Gloss. Philox.* Sinceris, εἰλικρινής. *Charis.* 1. p. 61. et 194. *Putsch.* Sincerus dicitur, non sinceris, ut Virg. (4. *G.* 285.) Insincerus apes tulerit cruor. Sed neutraliter hoc sincere dicitur. Terent. (*Eun.* 1. 2. 96.) Si istud crederem sincere dici. Hæc *Charis.* Sed *sincere* apud *Terent.* adverbium est. Attamen *Varro* apud *Isid. De rer. nat.* 38. 5. Si sol rubeat in occasu, sinceris dies erit. et *Scribon. Compos.* 113. Si sincere corpus erit. Etiam *sincer* legitur apud *Loew.* in *Prodr. Corp. Gloss.* p. 410. Mollis: mansus, mansuetus, sincer. — Ratione habita etymi, ita *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 97. Sincerum, purum, sine fuco et simplex, ut mel sine cera. Alii ducunt a σύν, cum, et κηρός, cera, et *syncerus* scribi volunt; sed neque ex Græco vox adscita est, neque y habet in vet. libris, ut *Manut., Dausq., Cellar.* testantur. *Ulr. Frid. Koppius* in *Palæogr. crit.* T. 1. p. 361. hæc habet: Equidem demiror, cur philologi originem hujus vocabuli indagantes in cera omnes hæreant, et alii *cum cera*, alii *sine cera* etymon esse affirment. Ego vero ex σύν, cum, et γῆρυς, sonitus, factum esse ideoque a quibusdam *synceris* scribi, mihi persuadeo, ut sit quasi *cum sonitu*, neque clam neque furtim. Fortassis etiam tropus a vasis figlinis repetitus est, quæ num sincera sint, ex sonitu judicatur. Hactenus *Furlanetto* in *App.* Verum id longe petitum ac levius mihi videtur. Potius *sincerus*, inquit *De-Vit*, vocem hybridam haberem a *sin* pro *sine* et κεράννυμι, Attice κερῶ, misceo, quasi ἀκήρατος, sine mixtura, simplex, integer. Sunt etiam qui derivent a Skr. *sim*, simpliciter, omnino, et *kar*, segrego, quasi omnino segregatus, seu purus; alii vero aliter. Sed de hoc satis superque. — Comp. *Sincerior* fere in omn. paragr.; Sup. *Sincerissimus* item. — Sincerus est purus, integer, nulla alia re admixtus, incorruptus, verus, ἀκηραῖος, ἀνυπόκριτος, ἀκίβδηλος (It. *netto, puro, senza miscuglio, intero, schietto, sincero*; Fr. *pur, qui n'est pas corrompu, non altéré, sans mélange*; Hisp. *puro, libre de toda mezola, genuino, natural*; Germ. *ungeschminkt, echt, natürlich*; Angl. *sincere, without mixture or alloy, pure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 202. Sinceræ genæ. *Seneca Ep.* 108. *a med.* Ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit. *Colum.* 12. *R. R.* 45. *sub fin.* Conseminalium vinearum non est tam firmum vinum, quam si per se sincerum amineum vel apianum condideris. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (32). Croci sinceri probatio, si imposita manu crepat. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (137). Sincera axungia. *h. e.* sine admixto sale. Cf. *ibid.* n. 135. *Id.* 37. *ibid.* 8. 32. (110). Callais (*gemma*) nascitur apud Sacas, sed fistulosa et sordium plena: sincerior multo præstantiorque in Carmania. — Absolute. *Cic. Amic.* 25. 95. Secernere omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. ¶ 2. Speciatim dicitur de integritate et sanitate corporis, quod nullo morbo aut vulnere vitiatum est, *sano, illeso.* *Ovid.* 12. *Met.* 99. sine vulnere corpus Sincerumque fuit. *Id.* 1. *ibid.* 190. sed immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. *Id.* 8. *Met.* 664. bicolor sinceræ bacca Minervæ. *h. e.* inviolatæ, intactæ, ob virginitatem. *Plaut. Rud.* 3. 4. 52. Sincerissimum corium, *h. e.* tergum nullis cicatricibus aut vibicibus. *Id. Men.* 2. 2. 15. Porci sacres sinceri. *Gell.* 18. 10. Quum medicus jam me sinceriore corpusculo factum diceret. *Ovid. de nuce*, 35. Cernite sinceros omnes ex ordine truncos. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (193). Vitem, donec ad sincera veniatur, recidendam: quoniam e vitioso materia utilis non exeat. *Cic.* 13. *Fam.* 50. Hoc mihi da, ut M.' Curium sartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves. *Gell.* 5. 1. Animi partes aut sinceræ aut ægræ. *Vel. Long. De orthogr.* p. 2217. *Putsch.* Hanc litteram, id est z, inveniet duplicem non esse, si modo illam aure sinceriore exploraverit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. — *a*) Generatim. *Tac. Germ.* 4. Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Sic 4. *Hist.* 64. et *Sueton. Aug.* 40. Sincerus populus. *Liv.* 4. 4. Sincera nobilitas. *Gell.* 5. 4. Fabii annales bonæ atque sinceræ vetustatis libri. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 6. 30. Hic Barrus vilissimæ libidinosæque vitæ fuit —, certe adulteria sincerissima cupiditate sectabatur. *h. e.* unica, sola. — *b*) Speciatim refertur ad animum et ad mores. *Cic.* 10. *Att.* 6. Mirabilia multa: nihil simplex, nihil sincerum. *Id. Quinct.* 1. *sub fin.* Nihil est jam sanctum neque sincerum in civitate *Ovid.* 7. *Met.* 453. adeo nulli sincera voluptas: Sollicitique aliquid lætis intervenit. *Justin.* 10. 1. 2. Sincerius gaudium capere. *Liv.* 29. 4. Nihil sincera fide cum Romanis acturum. *Tac.* 3. *Ann.* 64. Sincera inter matrem filium-

que concordia. et 2. *ibid.* 42. Sinceræ caritatis fidem assequi. *Tac. dial. de Orat.* 28. *sub fin.* Sincera et integra et nullis pravitatibus detorta natura. *Gell.* 6. 8. *ad fin.* Scipionem fama, quum esset adulescens, haud sincera fuisse. *Id.* 1. 2. *a med.* Verus atque sincerus Stoicus. *Id.* 15. 1. Q. Claudius, optimus et sincerissimus scriptor. *Cic. Brut.* 83. 287. Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus. *veridico.* et 2. *Divinat.* 57. 118. Demosthenes jam tum φιλιππίζειν Pithiam dicebat. quo licet existimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. refertur ad orationem. *Cic. Orat.* 8. 25. Atheniensium fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire atque elegans. *Id. Brut.* 55. 202. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum. *Gell.* 13. 26. Homeri versus simplicior et sincerior. Adde *Quintil.* 10. 1. 65.

SINCĬNIUM, ii, n. 2. cantus unius, *μονῳδία*. *Isid.* 6. *Orig.* 19. 6. Quum unus canit, Græce *μονῳδία*, Latine sincinium dicitur: quum vero duo canunt, bicinium appellatur; quum multi, chorus. Unde videtur vox composita esse a *sin* (quod *V.* in SEMEL, SIMPLEX, SIMUL: cf. Gr. ἕν) et *cano*. *Fest.* ex *Paul. Diac. p.* 337. 4. *Müll.* Sincinium cantionem solitariam. Sunt qui utrobique leg. *sicinium*. Sed verius, inquit *Müllerus*, est *sincinium;* siquidem utrobique traditur fuisse cantus unius. Id est sine tibiis accinentibus; proinde a *sicinnio* distinguendum est. *V.* SICINNIUM.

SINCĬPĬTĀMENTUM, i, n. 2. *V.* in voc. seq.

SINCĬPUT, cipitis, n. 3. Vox, ut docent *Vel. Long. De orthogr. p.* 2237. *Putsch.* et *Diomed. p.* 436. 14. *Keil.*, constat ex *sin* pro *semi*, et *caput*. *Gloss. Philox.* Sinciput, ἡμικεφάλιον, ἡμίκρανον, ἡμικέφαλον. — Sinciput est dimidia capitis pars: non enim satis probabile est hac voce significari, partem capitis anteriorem, sicut *occiput* posteriorem designat; unde *Gloss. Philox.* Sinciput, βρέγμα.

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). Interdicta cenis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina. *Pers.* 6. 69. mihi festa luce coquatur Urtica, et fissa fumosum sinciput aure. *Juvenal.* 13. 84. comedam, inquit, flebile nati Sinciput elixi Pharioque madentis aceto. Suum namque *sincipita*, h. e. caput bifariam dissectum conditum et fumo suspensum servare in usum cibi, mos fuit. — Huc etiam referunt eod. sensu illud *Plaut. Men.* 1. 3. 28. Laridum, pernonidem aut Sinciput aut polimenta porcina. Sed ex Codd. MSS. dedit *Ritschelius* sincipitamenta, et *Brixius* sinciputamenta *pro* sinciput *aut* polimenta.

II.) Translate, per synecdochen, est totum caput et cerebrum in eo. *Plaut. Men.* 3. 2. 41. *et* 4. 2. 69. Non tibi sanum est, adulescens, sinciput, ut intelligo. *Sidon. carm.* 5. 418. fortique lacerto Dissicit ancipiti miserabile sinciput ense.

SINDO vel

SINDON, ŏnis, f. 3. (σινδών) De genere hæc habet *Prob.* in *Excerpt. de nom. p.* 211. 19. *Keil.* Sindo, generis masculini, est usu magis, quam ratione certa: cujus locutio talis est: *sindones Arabeos*. — Vox est incertæ originis. Alii enim ducunt a סדין *sadin*, linum maxime xilinum subtiliter textum; alii vero a Skr. *sindhu;* alii denique ab Ægypt. *shendon*, cujus radix *shendo*, pecto, texo: quippe Ægyptiam esse *sindonem* refert *Pollux l.* 7. *c.* 16. idemque docti complures existimant. Cf. et *Herod.* 2. 86., unde scimus, Ægyptios hoc linteo corpora mortuorum involvere solitos fuisse. κατειλίσσουσι πᾶν τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης. Dubium id mihi tamen, inquit *I. Rossius, op. cit. p.* 265., nam etiam Tyriæ sindones celebrantur apud *Martial.* 4. 19.; et auctor *Etymolog. M.* sindones a Sidoniis inventas narrat; licet verum non sit, quod ille subjicit, a Sidone nomen ducere. — Sindo est pannus lineus, lintea tunica, linteum, e sindone seu lino fere xilino, subtiliter texto, confectum, quo in Orientis partibus viri atque feminæ, potissimum æstate, et diu et noctu utebantur, *veste talare di lino*, et etiam *camicia o lenzuolo, sindone*. *Martial.* 2. 16. Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti. *Id.* 4. 19. *de endromide.* Ridebis ventos hoc munere tectus, et imbres: Non sic in Tyria sindone tutus eris. *h. e.* linteo purpura tincto. *Id.* 11. 1. Quo tu, quo, liber otiose, tendis Cultus sindone non quotidiana? *h. e.* ornatu non vulgari. *Auson. Ephem.* in *parecb.* 2. Puer eja surge, et calceos Et linteam da sindonem, Da quidquid est, amictui Quod jam parasti, ut prodeam. *Non. p.* 537. 20. *Merc.* Plagæ, grande linteum tegmen, quod nunc torale vel lecticariam sindonem dicimus, quarum deminutivum est plagulæ. Adde *Vulgat. interpr. Prov.* 31. 24. — *Id. Marc.* 14. 51. Adulescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis. *camicia o lenzuolo*. — De usu sindonum in mortuorum corporibus involvendis V. *Vulgat. interpr. Matth.* 27. 59. et *Herod.* supra *cit.*: item de variis earumdem generibus *V.* quos laudat *Schleusner* in *Lex. Gr. Lat. N. T.* ad *h. v.*

SĬNĔ, præpositio. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, variæ occurrunt formæ, ut *seine* in *Vet. Leg.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198., et *sene* in *Inscript.* apud *Mommsen n.* 5100. et *Gruter.* 955. 8.: etiam *sinæ* in *Inscript.* apud *Boissieu, Inscr. De Lyon p.* 524. *n.* 107. — *b*) Ratione habita etymi, alii dicunt esse a *sino*, ut *pone* a *pono;* alii rectius a *si* vel potius *se* et *ne:* profecto *se* est seorsum, ut docet *Fest. p.* 348. 9. *Müll.*, immo apud veteres pro *sene* seu *sine* adhibebatur, ut in *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. Se fraude est. *et* in *Vet. Plebisc.* apud *Fest. p.* 246. 3. *Müll.* Se dolo., ubi tamen alii aliter leg. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 509. 20., ubi occurrit *sed* pro *se*. Hinc *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 336. 4. *Müll. Sed* pro *sine* inveniuntur posuisse antiqui. — Huc spectat illud *ejusd. p.* 165. 26. *Müll. Nesi* pro *sine* positum est in lege dedicationis aræ Dianæ Aventinensis. *V.* SE. — *c*) Metri gratiâ suo casui a poetis postponitur. *Virg.* 3. *G.* 42. Te sine nil altum mens inchoat. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 68. Nam vitiis nemo sine nascitur. *et ibid.* 5. 99. Dum, flamma sine tura liquescere limine sacro, Persuadere cupit. — Sine est particula separativa, idem ac seorsum ab, absque, citra, extra, ἄνευ (It. *senza;* Fr. *sans;* Hisp. *sin;* Germ. *ohne, sonder;* Angl. *without*). ¶ 1. Usurpatur fere cum Ablativo. — *a*) Universim. *Plaut. Asin.* 1. 1. 180. Tu sine pennis vola. *Id. Capt.* 2. 3. 97. nec quoquam pedem Efferat sine custode. *Cæs.* 3. *B. C.* 97. Is mons erat sine aqua. Adde 1. *ibid.* 7. *et* 3. *ibid.* 45. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 12. Literæ sine nomine. *Cæs.* 3. *B. C.* 73. Sine aliquo vulnere. *Id.* 2. *ibid.* 32. Sicilia et Africa, sine quibus urbem atque Italiam tueri non potest. *Quintil.* 6. 2. 7. Hoc opus ejus, hic labor est, sine quo fieri non posse oratorem fatendum est. *Varro* 8. *L. L.* 16. *Müll.* Casus sine controversia sunt quinque. *Id. ibid.* 6. Sine dubitatione. *Cic.* 2. *Fam.* 18. Sine dubio. *Id.* 3. *Cat.*, 6. 13. Sine ulla varietate. *Id.* 1. *rep.* 37. 58. Ut urbs sine regibus sit. *Id. ibid.* 43. *in fin.* Ut plane sine ullo domino sint cives. *Id.* 2. *ibid.* 11. 22. Sine ullo certo exemplari formaque rei publicæ. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 13. Sine omni malitia. Adde *Ter. Andr.* 2. 3. 17. — *b*) Præcedente negatione ad majorem vim. *Ter. Heaut.* 2. 3. 73. Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Non sine magna spe magnisque præmiis domum propinquosque reliquisse. *Id.* 1. *ibid.* 34. Neque sine exercitu in eas partes Galliæ venire auderet, neque exercitum sine magno commeatu. *Id.* 5. *ibid.* 33. Non sine summo timore et desperatione id factum videbatur. *Virg.* 2. *Æn.* 777. O dulcis conjux! non hæc sine numine divum Eveniunt. *Horat.* 3. *Od.* 6. 29. Jussa coram non sine conscio Surgit marito. *Id. ibid.* 7. 7. Non sine multis lacrimis. *Id. ibid.* 13. 2. Non sine floribus. — *c*) Item aliquando repetitur ad singula, quæ regit, nomina. *Plaut. Amph.* 1. 1. 51. Si sine vi et sine bello velint rapta tradere. *Ter. Eun.* 5. 4. 6. virginem Quom amabat eum confeci sine molestia, sine sumptu, sine dispendio. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Sine duce et sine equitatu deprehensis hostibus. *Cic.* 8. *Att.* 3. Me nihil suscepturum sine præsidio et sine pecunia. *Id. Cœl.* 32. 78. Homo sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis. *Sall. Jug.* 10. Sine spe, sine opibus. *Liv.* 9. 5. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos. *Nepos Att.* 9. Sine fenore sineque ulla stipulatione pecuniam ei credidit. — *d*) Sæpius ponitur semel tantum, etsi plura sunt nomina, quæ copulantur partic. *et, que, ac*. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Ut sine maleficio et injuria transeant. *Id. ibid.* 44. Bella sine ullo labore et periculo se confecturum. *Sall. Jug.* 44. Sine modestia et imperio habitus. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Sine nodis articulisque *Cf.* 1. *ibid.* 44. *Id.* 2. *B. C.* 9. Sine ullo vulnere ac periculo. — *e*) Præcedente pronom. *nullus* pro *sine*, aut adverbio. *Id.* 2. *B. C.* 26. Nullo ordine et sine timore. *Id.* 7. *B. G.* 20. Fortuito aut sine consilio. *Id.* 2. *B. C.* 9. Tuto ac sine ullo vulnere. — *f*) *Sine dolo malo*, formula, apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 69. 11. *Müll.* V. DOLUS. — *g*) *Sine querela*, alia dictio seu formula, in Lapidib. frequens, ad significandam conjugum concordiam, *cum qua vixit sine querela*, habeturque in plurib. *Inscript.* apud *Gruter.* 480. 1., 771. 6. etc. et apud *Fabrett. p.* 256. — Apud *Vulgat. interpr. Luc.* 2. 6. *sine querela* est sine culpa, h. e. integre, innocenter. — *h*) *Sine sacris hereditas*, proverbium. *V.* in SACER. — *i*) *Sine scelere, sine piaculo*, formula. V. *Inscript.* apud *Orelli n.* 2488. — *l*) *Sine die et consule*, sine nota temporis, *senza data*. *Cod. Theod.* 1. 1. 1. Si qua posthac edicta sive constitutiones sine die et consule fuerint deprehensa, auctoritate careant. — *m*) Aliquando periphrasim efficit cum nomine, ut sit adjectivorum instar. *Sall. Cat.* 6. Genus hominum agreste sine legibus, sine imperio. *Id.* 4. *Hist. p.* 325. *Kritz.* Exercitus sine frumento, sine auxiliis. Cf. alia loca superius allata, et V. *Kritz, Gramm. Lat.* § 120. — *n*) Cum participio. *Varro* 10. *L. L.* 29. *Müll.* Sine assumpto extrinsecus aliquo perspici similitudines non possunt. *Cic. Fat.* 18. 41. Sine præpositis causis. *Liv.* 52. 2. Sciturus sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. (V. *Madvig, Adv. Crit. p.* 101. ad *h. l.*) et 45. 25. Sine rogatione ulla perlata. et 5. 4. Sine impensa operæ. *Seneca Vit. beat.* 8. Testor hanc vitam, quam ego jucundam voco, non sine adjecta virtute contingere — *o*) Absolute sine casu, qui facile ex præcedenti subintelligitur. *Cic.* 8. *Att.* 3. *a med.* Infero mari nobis navigandum est: age jam, cum fratre, an sine? ¶ 2. Apud Scriptores labentis Latinitatis occurrit etiam cum Accusativo. *Inscript.* apud *Wilmans n.* 785. Sine curam. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Marc.* 4. 19., *Luc.* 20. 11. etc.

SĬNENS, entis, particip. *V.* SINO.

SĬNĔTĬAM. *V.* SIN init.

SINGENTĬĀNA Herba ab Italis dicta, quæ Græcis est ἄχορος, teste *Apul. Herb.* 7., ubi alii leg. *sigentiana*, alii aliter.

SINGĬLĀTIM. *V.* SINGILLATIM init.

SINGILĬO, ōnis, m. 3. genus vestis brevioris et simplicis, ἁπλοῖς. *Gallien.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 17. Singiliones Dalmatenses decem. Alii leg. *cingiliones*. h. e. parvos cinctus. Alii aliter. V. *Salmas.*

SĬNGILLĀRĬTER, adverb. (singillarius) singulariter. *Lucret.* 6. 1065. *Lachmann.* Quæ memorare queam inter singillariter apta. Ad *h. l.* hæc habet *L. Müllerus* (*De re metr. p.* 107.) « Etsi non erit incongruum (*sc.* hæc *Lachm.* lectio) — Vulgo circumfertur *inter se singulariter* —; tamen quod olim proposuimus scribendum esse *inter se simul uniter apta*, ne nunc quidem non contendimus esse verum ». *Forcellinus* leg. *inter se singlariter apta*. non enim *singulariter* hexametro convenit.

SINGILLĀRĬUS, a, um, adject. (singularius) idem ac singularius. *Tertull. Anim.* 6. Singillarius motus. *Id. advers. Valentinian.* 18. ductus. Utrobique alii minus recte leg. *sigillarius.*

SINGILLĀTIM, adverb. (singulus) *Singilatim*, unico *l*, scribitur in *Tab. aen.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. Item *sigillatim* pro *singillatim* apud *Capell.* 1. *p.* 11. Sigillatim circulis quibusque metatis. Sed. V. *Koppium* ad *h. l.* Ceterum hæc duo in MSS. Codd. et edit. libr. confusa inveniuntur. — Singillatim est idem ac singulatim, καθ' ἕκαστον (It. *separatamente, in particolare, specificamente, ad uno per uno;* Fr. *isolément, en particulier, en détail, un à un, l'un après l'autre;* Hisp. *separadamente, en particular, por menor, un á un;* Germ. *einzeln;* Angl. *separately, severally, in particular, specifically, individually, one by one*). — *a*) Universim. *Lucil.* apud *Non. p.* 176. 11. *Merc.* Sic singillatim nostrum unusquisque movetur. *Ter. Phorm.* 5. 8. 42. Quid ego commemorem singillatim, qualis ego in hunc fuerim? *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Legionem, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causa missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant. *et* 5. *ibid.* 52. Legionem collaudat, centuriones singillatim appellat. *Sall. Cat.* 49. *a med.* Ipsi singillatim circumeundo, magnam illi invidiam conflaverant. Alii leg. *sigillatim*, alii rectius *singulatim*. Adde *Lucret.* 2. 153. et *Cic.* 1. *Invent.* 52. 98. *Sueton. Aug.* 9. Proposita vitæ ejus velut summa, partes singillatim exsequar. — *b*) Cum homonymis et oppositis. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 143. Nam quid ego de ceteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? *Apul. Florid. n.* 9. Non singillatim et discretim, sed cunctim et coacervatim. *Capell.* 6. *p.* 228. Gregatim singillatimque.

SINGLĀRĬTER. *V.* SINGILLARITER.

SINGŬLA, æ, f. 1. et ōrum, n. pl. 2. *V.* SINGULUS.

SINGŬLĀRES, ium. *V.* SINGULARIS in fin.

SINGŬLĀRĬĒ, adverb. (singularius) idem quod singulariter. Usus est *Cicero*, teste *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.*

SINGŬLĀRĬI, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

SINGŬLĀRIS, e, adject. (singulus) unus, solus, unicus, ἑνικός (It. *uno solo, unico, singolare;* Fr. *isolé ou qui appartient à un particulier, seul, unique, simple;* Hisp. *particular, solo, unico;* Germ. *einzeln, vereinzelt;* Angl. *one only, single, singular*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Ubi ex litore aliquos singulares egredientes conspexerant, impeditos adoriebantur, *che uscivano uno alla volta.* et 7. *ibid.* 8. Ne singulari quidem homini unquam eo tempore anni semitæ patuerant. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. *ad fin.* Singularis homo privatus, nisi magna sapientia præditus, vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet. *Id. Tim.* 4. *a med.* Singularem Deus hunc mundum atque unigenam procreavit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 10. 42. (153). Democritus etiamnum effectus ejus auget, qui singularis natus sit. *h. e.* solus in eo partu. *Id.* 27. *ibid.* 9. 55. (78). Herba singularis, non fruticosa. *Seneca Troad.* 1027. secans fluctus rate singulari. *Auson. Perioch. t.* 7. *Iliad.* Prœlium singulare conserere. *duello.* et *Gell.* 12. 23. Tres istæ voces, intra, citra, ultra, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, uls. *monosillabi.* et *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 16. Lac singulare, sive cum melle aut aqua admixtum. ¶ 2. Speciatim est singulus, peculiaris. *Cic.* 1. *Acad.* 7. *circa med.* Quintum genus, e quo essent astra mentesque singulares *h. e.* animæ singulorum. *Id.* 1. *Fam.* 9. *post init.* Quem antea tantummodo communi officio civium, non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem. *Id. Sull.* 1. 1. Cum communi ambitionis invidia, tum singulari Autronii odio. ¶ 3. *Singularis potentia* et *singulare imperium* apud *Nepot. Dion.* 9. et *Reg.* 2. est monarchia. Sic *Rutil. De fig. sent.* 2. Devenire sub unius tyranni imperium, ubi singularis libido dominetur. *h. e.* unius. ¶ 4. *Singularis numerus* apud Grammaticos est, quo res una significatur: ita *singularis casus, singulare verbum. Quintil.* 1. 5. *a med.* Numeri, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Græci et δυϊκός. *Varro* 6. *L. L.* 3. *ante med. Müll.* Cujus verbi (*trabes*) singularis casus recte correptus, ac facta trabs. *Id.* 9. *ibid.* 3. *circa med.* Duobus modis imponitur vocabulum, aut re singulari aut multitudine: singulari, ut cicer; multitudine, ut scalæ. *et* 7. *ibid.* 57. Alii dicunt in singulari, hac ovi et avi; alii, hac ove et ave. ¶ 5. *Singularis locus*, in quo quis solus degit, solitarius. *Sueton. Aug.* 72. Si quando quid secreto agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis. — Solitarius et solivagus est in illo *Ps. Vulgat. interpr.* 79. 14. Singularis ferus depastus est eam. μονιὸς ἄγριος, aper vel lupus solivagus. ¶ 6. De his, quæ in unum tantum cadunt, non etiam ad plures pertinent. *Cic.* 5. *Verr.* 88. *a med.* Sunt quædam omnino in te singularia, quæ in nullum alium hominem dici, neque convenire possunt. *Id.* 4. *Cat.* 3. 5. Mihi gratias egistis singularibus verbis. ¶ 7. *Singulares litteræ* sunt idem quod sigla, litteræ singulariæ seu compendiariæ, apud notarios usitatæ. *V.* in SIGLA. ¶ 8. *Singulares litteræ* apud Gromaticos sunt etiam termini agrorum. *Var. Auct. De term. p.* 353. 20. *Lachm.-Rud.* ¶ 9. *Singulares equites* V. in fin. hujus voc.

II.) Translate est præstans, rarus, unicus, *unico, eccellente, singolare*, qualia esse solent, quæ sola sunt. — 1.°) In bonam partem. — *a*) De personis. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Equites Treviri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis. *Cic.* 4. *Acad.* 43. 132. (2. *pr.*) Aristoteles, meo judicio, in philosophia prope singularis. *Id. Brut.* 85. 293. Cato summus et singularis vir. *Id.* 2. *Divinat.* 47. 97. Homines ingenio atque animo singulares. *Id.* 11. *Att.* 17. Ex ipsius (*Tulliæ*) virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui, sed etc. *Petron. Sat.* 111. Singularis exempli femina. *Quintil.* 12. 1. 25. Virum singularem perfectumque undique. — *b*) De rebus. *Cæs.* 3. *B. C.* 47. Singularis patientia. *Id.* 7. *B. G.* 57. scientia. *Id.* 5. *ibid.* 2. militum studium. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 172. Antonii incredibilis quædam et prope singularis et divina vis ingenii. *et* 3. *ibid.* 4. Amor in rempublicam incredibilis et singularis. *Id.* 14. *Att.* 15. *sub fin.* Singularis et incredibilis virtus. *Id. in Senat.* 3. Singularis et præstantissima virtus. *Id. Manil.* 1. *in fin.* Pompeji singularis eximiaque virtus. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ab init.* Omnia in te ipsum summa et singularia studia deberem. *Nepos Att.* 4. *a med.* Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem præbuit. *Justin.* 2. 4. 6. Singulare omnium sæculorum exemplum. *Cic.* 13. *Fam.* 41. Pompejus gratias tibi agit singulares. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 17. 20. (43). Herba urceolaris contra ulcera, rupta lapsusque singularis. *unica.* et 8. *ibid.* 32. 50. *ad fin.* Singulare abigendis serpentibus, odor adusto cervino cornu. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. *extr.* Singulare remedium ægre parientibus. *Id.* 36. *ibid.* 22. 44. (159). In Siphnio lapide singulare, quod excalfactus oleo nigrescit. *c' è questo di proprio.* — 2.°) In malam partem. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Singularis et nefaria crudelitas. *Cic.* 5. *Verr.* 44. *a med.* Singularis turpitudo. *Id.* 4. *ibid.* 7. 18. impudentia. *Id. ibid.* 54. 134. nequitia. *Id.* apud *Quintil.* 4. 2. 105. audacia. — Hinc

Singularis, is, m. et f. 3. absolute, substantivorum more. ¶ 1. In masc. gen. est idem ac numerus singularis. *V. Varron. loc.* supra *cit.* ad § 4. ¶ 2. In femin. gen. est idem ac vidua. *Commodian. Instr.* 2. 31. (30).

Singulares, ium, m. plur. 3. et *Singularii, ōrum*, 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Fuerunt militum genus prætorianis proximum tum custodiæ munere, tum prætenturæ vicinia in castris, ab Augusto ex provincialibus institutum. Dicti *singulares* videntur a singulari imperatoris corpus custodiendi munere, quo fungebantur; vel a singulari virtute, qua ceteris excellebant. Ita *Forcellinus.* Sed *Henzenius* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1850. *p.* 11. *et seqq.* hujusmodi corpus institutum fuisse sub Flaviis, non sub Augusto, ut olim credebatur ex *Inscr.* spuria apud *Gruter.* 371. 4. *Hygin. Gromat. p.* 4. ed. *Schel.* Equites prætoriani latere dextro prætorii, singulares imperatoris latere sinistro tendere debebant. *Inscript.* apud. *Gruter.* 367. 2. M. ATTILIO M. F. FAB. FAUSTO VI. VIRO EX SINGVLARIBVS IMP. etc. — Cum addito *eques. Inscr.* apud *eumd.* 1028. 2. L. PETRONIO L. F. SAB. TAVRO VOLVSIANO V. (*adde C.*) COS. ORDINARIO etc. PRAEPOSITO EQVITVM SINGVLARIORVM AVGG. NN. etc. Alia apud *Orelli n.* 3585. EX NVMERO EQ. SING. AVG. P. AELIVS AMANDVS. et *n.* 3504. M. VLPIO MATVRO SIGNIF. TVR. SERENI EQ. SING. IMP. etc. — Hi equites, teste *Notit. Urb. p.* 31., duo castra Romæ habebant; sed in expeditionibus Imperatores comitabantur extra urbem. — Ab iisdem vero differunt *equites* et *pedites singulares*, qui in alis et cohortibus auxiliariis militabant, ut monet *Henzenius* in *Annali dell' Istit. archeol.* supra *cit. p.* 6. *et seqq.* et *a.* 1860. *p.* 71. *et seqq. Tac.* 1. *Hist.* 70. Accessit ala singularium excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Adde *Inscript.* apud *Marini Fr. Arv. p.* 5. et *Rénier n.* 3576. Sic *Inscr.* apud *Orelli* 3529. MIL. COH. II. PR. SING. TRIB. SPE BENEFICIARIVS. Hi pedites, ut adnotat *Orellius*, potius videntur fuisse, neque tamen gregarii, sed quoddam immunium genus, proximi a beneficiariis. Adde aliam apud *eumd.* 3461. et 2002., ubi *singularis consulis* habetur. ¶ 2. Fuerunt etiam, labente Imperio, qui notis seu singulariis litteris excipiebant, *notarii* etiam dicti. *V.* NOTA et SIGLA.

SINGŬLĀRĬTĀS, ātis, f. 3. (singularis) conditio ejus, qui singularis est, qui unus aut solus est, *l'esser uno o solo*, μονάς. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Generatim. *Tertull. advers. Valentinian.* 37. Solitas, singularitas, unitas. *Id. Anim.* 13. Singularitas tuta est et indiscreta substantia. *Id. Exhort. ad castit.* 1. De exitu singularitatis cogitare. *h. e.* vitæ sine uxore actæ. Adde *Salvian. contra avar.* 1. — *b*) Speciatim apud Grammaticos est numerus singularis. *Charis.* 1. *p.* 73. *Putsch.* Alia singularitate carent, ut arma, castra, scalæ: alia pluralitate, ut garum, oleum. — *c*) Item apud Mathematicos est unitas. *Capell.* 7. *p.* 266. Prima et minima omnis numeri mensura singularitas est, quia nullus numerus non in singula dividi potest. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, est Deus, qua unus est. *Chalcid. Tim.* 39. Ut ipsa singularitas mens sive intelligentia vel Deus ipse opifex intelligatur. *Mar. Victorin. de Trinit.* 3. Triplicatur omnis simplex singularitas, o beata Trinitas.

SINGŬLĀRĬTER, adverb. (singularis) seorsum, separatim, *separatamente, da solo a solo.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 1065. Quæ memorare queam inter singulariter apta. Sed *V.* SINGILLARITER ad h. l. *Paul. Nolan. carm.* 21. 727. Ut a juventa singulariter sedens, Tacitaque seclusus domo, Amet quietæ tecta solitudinis. *Vulgat. interpr. Ps.* 140. 10. Singulariter sum ego, donec transeam. *h. e.* solus, sejunctus ab aliis. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos est in singulari numero, quum de uno tantum loquimur; *in singolare*, ἑνικῶς. *Quintil.* 1. 5. *ante med. Scala* et *scopa*, contraque *hordea* et *mulsa* non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, et singularia pluraliter efferuntur. (Adde *Fest.* in *Penatis p.* 253. 9. *Müll.*) *Id.* 9. 3. *ante med.* De pluribus singulariter (*dicere*): (*Virg.* 3. *G.* 346.) Haud secus a patriis acer Romanus in armis. *Ulp. Dig.* 27. 6. 1. Hoc edictum, licet singulariter scriptum sit, si tamen plures intervenerint, qui tutores non erant, locum habere debet.

II.) Translate est eximie, magnopere, unice, *singolarmente, distintamente. Cic.* 4. *Verr.* 47. 117. Quem in quæstura mea singulariter dilexissem. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Quem singulariter et miror et diligo.

SINGŬLĀRĬUS, a, um, adject. (singularis) idem ac singularis, unus, simplex, peculiaris, *solo, uno, unico, singolare*, ἑνικός.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Turpil.* apud *Non. p.* 491. 2. *Merc.* Homo unica est natura et singularia. *Plaut. Capt.* 1. 2. 3. His indito catenas singularias. istas majores demito. *h. e.* simplices, quibus singulus vinciatur, non majores, quæ duos comprehendant. ¶ 2. Speciatim *singulariæ litteræ*, litteræ singulares seu compendiariæ, sigla. *Gell.* 17. 9. In his epistolis inveniuntur litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum. *V.* SIGLA et NOTA. ¶ 3. Item *singularii equites* vel *singularii* absolute. *V.* SINGULUS in fin.

II.) Translate est eximius, excellens, rarus. *Gell.* 9. 4. *ante med.* Esse homines apud eamdem cæli plagam singulariæ velocitatis.

SINGŬLĀRIZĀTUS, a, um, particip. ab inusit. singularizo, *singolareggiato*, singularis, *h. e.* eximius effectus. *V.* SINGULARIS. *Cassiod. Institut. liber. discipl. præf.* Quare opere Dei singularizato, magnificæ res necessaria definitione conclusæ sunt. Cave usurpes.

SINGŬLĀTIM, adverb. (singulus) idem quod *sigillatim* et *singillatim*, cum quibus sæpe in MSS. Cod. et edit. libr. confunditur. *V.* SINGILLATIM. *Cic. Divin. Verr.* 15. *extr.* Ut ad ea, quæ dixerint, certo loco aut singulatim respondeam. *ad uno per uno, ad ognuno in particolare.* et 22. *ad fin.* Ut ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus. *Sall. Cat.* 49. *Dietsch.* Singulatim circumire. *Id. Jug.* 42. disserere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (297). Panicum et milium singulatim pectine manuali legunt Galliæ. *a spiga per spiga.* Adde *Ter. Phorm.* 5. 8. 43. Quib. loc. alii leg. *singillatim* aut *sigillatim.* idem enim valent. *Singulatim* legit etiam *Non.* in duobus fragment. *Cæcilii* et *Cælii*, quæ affert 2. 820. Adde etiam *Apul.* 7. *Met.*

SINGŬLĀTOR, ōris, m. 3. (singulus) idem quod singularis eques. *Gloss. Lat. Gr.* Singulator, ἱππαστής, κέλης.

SINGŬLI. *V.* SINGULUS in fin.

SINGULTANS, antis, *et*

SINGULTĀTUS, a, um, particip. *V.* SINGULTO.

SINGULTĬENS, entis, particip. *V.* SINGULTIO.

SINGULTIM, adverb. (singultus) cum singultu, *singhiozzando*, μετὰ λυγμοῦ. ¶ 1. Universim. *Apul.* 2. *Met.* Lamentabiles questus singultim instrepebat. ¶ 2. *Singultim loqui* est loqui sermone interrupto et veluti voce identidem compressa, quod usuvenire solet verecundis et timidis naturâ. Talem locutionem ἰσχνοφωνίαν vocant Græci. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 56. Ut veni coram, singultim pauca locutus. Infans namque pudor prohibebat plura profari. *cincischiai poche parole.*

SINGULTĬO, is, ire, n. 4. (singultus) Part. *Singultiens.* — Singultio est singultum edo, singulto, λύζω (It. *singhiozzare, singozzare, singhiozzire, avere il singhiozzo;* Fr. *sangloter;* Hisp. *sollozar;* Germ. *schluchzen;* Angl. *to sob, yex, hickup*).

I.) Proprie. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (48). Vinum non dandum singultientibus, nec si cum febri dyspnœa sit. *Cels.* 5. 26. *n.* 19. Vesica vulnerata, stomachus afficitur. itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt. *Apul.* 3. *Met.* Lacrimis promicantibus crebro singultiens.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de gallina glociente. *Colum.* 8. *R. R.* 11. *sub fin.* Sequiturque grex velut matrem gallinam singultientem. ¶ 2. Item sensu obsceno de mentula in coitu palpitante. *Pers.* 6. 72. Quum morosa vago singultiet inguine vena. *V.* PALPITO.

SINGULTO, as, ātum, are, 1. *frequentat. a* singultio. — Part. *Singultans* sub *A* I. 1. et 2., et *B*; *Singultatus* sub *B.* — Singulto est singultum edo, *singhiozzare, singozzare*, λύζω; occurrit autem *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 10. 7. 10. Brevia atque concisa singultantium. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 26. Discordesque modos et singultantia verba Molior. *h. e.* singultu interrupta et impedita. Sic *Calpurn.* 6. *Ecl.* 22. vel te certamine quisquam Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces Rumpis, et expellis male singultantia verba? ¶ 2. Speciatim dicitur de morientibus aut vix vel recens mortuis, *avere il ranto o il rantolo, essere rantoloso. Virg.* 9. *Æn.* 332. Tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit Sanguine singultantem. *Sil. It.* 2. 361. Parietibusque domus imbellis femina servet Singultantem animam. *Id.* 1. 388. et *Val. Flacc.* 2. 211. ora singultantia. *scil.* recisi capitis.

II.) Translate usurpatur de aqua, quæ per foramen aliquod exiens singultum simulat. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Vis undæ ferventis per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat. *gorgoglia.*

B) Transitive est cum singultu emitto. *Ovid.* 5. *Met.* 133. quem postquam vulneris auctor Singultantem animam et versantem lumina vidit etc. *Id.* 3. *Trist.* 5. 16. singultatis oscula mixta sonis. *Stat.* 5. *Theb.* 260. Seminceces pueri trepidas in limine vitæ Singultant animas.

SINGULTUS, us, m. 4. *Singultus, i*, 2. legitur apud *Venant. epist. præf. carm.* 6. *l.* 5. Itaque signo singulti fecit se intelligi mens captivi. — Ratione habita etymi, volunt quidam, sed inepte, esse *a gula*, quasi *sonum gulæ*; alii probabilius a *singulus*, quia singulatim et per intervalla venit; nisi malis esse nomen per onomatopœjam factum. — Singultus est motus citus, intermissus et creber stomachi et sæpti transversi, ex copia cibi, ex acri humore, in fletu, in morte, λυγμός, λύγξ (It. *singhiozzo, singozzo, singulto;* Fr. *sanglot, soupir;* Hisp. *sollozo;* Germ. d. *Schluchzen;* Angl. *a sob, sobbing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Planc.* 31. 76. Non modo lacrimulam, sed multas lacrimas et fletum cum singultu videre potuisti. *Horat.* 3. *Od.* 27. 24. Mitte singultus: bene ferre magnam Disce fortunam. *Catull.* 64. 130. hæc extremis mœstam dixisse querelis, Frigidulos udo singultus ore cientem. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 11. Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli: Oraque singultu concutiente sonant. *Tac.* 3. *Hist.* 10. Pectus atque ora singultu quatiens. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 41. Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor, Singultu medios impediente sonos. *Id.* 11. *Met.* 420. Singultuque pias interrumpente querelas. *Lucan.* 4. 180. Arma rigant lacrimis, singultibus oscula rumpunt. *Capell.* 8. *p.* 271. Cachinnos concussis admodum tulere singultibus. ¶ 2. Speciatim de morientibus, *ranto, rantolo. Virg.* 3. *G.* 506. *de equis ægrotantib.* imaque longo Ilia singultu tendunt. *Id.* 9. *Æn.* 415. Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus et longis singultibus ilia pulsat. *Stat.* 3. *Theb.* 90. Corruit extremisque animæ singultibus errans Alternus nunc ore venit, nunc vulnere sanguis. Adde *Senec. ad Marc. de Consol.* 11. ¶ 3. Item de morbo. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (54). Acetum singultus cohibet. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (189). Anisum singultus olfactum inhibet. *et* 21. *ibid.* 18. 72. (120). Sedare singultus. *et* 28. *ibid.* 6. 15. (57). emendare. *et* 20. *ibid.* 14. 53. (149). sistare. Adde *Senec. Ep.* 47. et *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 11. *retro. Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. 208. Singultui absinthium dicit convenife.

II.) Translate. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (362). Corvi singultu quodam latrantes. *Colum.* 8. *R. R.* 5. Custos debet speculari parientes: quod se facere gallinæ testantur crebris singultibus interjecta voce acuta. *et ibid.* 11. *ad fin.* Pulli reducuntur ad villam persequentes nutricis singultus. *il chiocciare.*

SINGŬLUS, a, um, adject. *Singolus* pro *singulus* hab. *Tab.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 193. — Notationem vocis quidam putant significari in illo *Varron.* apud *Non. p.* 171. 20. *Merc.* Tum vero doces historiam necessariam, semel unum singulum esse. *et ibid.* Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse. Sed *Vossio* placet ex Hebræo petere. Recentiores vero etymologi ducunt ab eadem radice, unde *semel, simul, simplex.* Cf. *Varron. loc. cit.* et V. *Döderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 336. — Singulus

A) In sing. num. est singularis, solus, unicus, *un solo*, μόνος. ¶ 1. Universim. *Plaut. Cist.* 4. 2. 34. Atat, singulum video vestigium. *una sola pedata.* Sunt qui *singulum* pro *singulorum* accipiant. nam *Lamb.* cum *Priscian.* negat *singulus* sing. num. usurpatum antiquitus. *Varro* usurpavit tamen apud *Non. loc.* supra *cit.* et *Non. ibid.* Apud alium auctoritatis incertæ: Nisi dixerat, nummo singulo multabatur. V. *Gell.* infra. ¶ 2. *Singulus numerus* apud Grammaticos est numerus singularis. *Gell.* 19. 8. *ante med.* De *cælo* et *tritico* non inficias eo, quin singulo semper numero dicenda sint. *in singolare.* ¶ 3. Distributive. *Id.* 18. 13. *a med.* Nisi dixerat, nummo singulo multabatur. *un danaro alla volta.* et *Boeth.* 2. *Arithm.* 25. Singula planitudo. *et mox.* angulus. — Hinc

Singula, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est pars vicesima sestertii. *Mæcian. Distrib.* § 66. Sunt in sestertio libellæ decem, singulæ viginti, teruncii quadraginta. *et* § 68. Quatuor singulæ, quatuor fiunt vicesimæ. (Cf. *Hultsch* in *Proleg.* ad *Metrolog. p.* 19.) et *ibid.* § 76. Libella in duos velut semisses, qui singulæ vocantur, et quatuor velut quadrantes, qui teruncii vocantur, dividitur.

Singulum, i, n. 2. absolute, est idem quod unitas. *Capell.* 9. *p.* 318. Sonus tanti apud nos loci est, quanti in geometricis signum, in arithmeticis singulum.

B) In plur. num. sæpius usurpatur et est unusquisque per se, h. e. separatim ab alio, unus, solus, *ciascuno da per sè*, ἕκαστος, εἷς. ¶ 1. Distributive. — *a*) Universim. *Cic. Orat.* 67. 224. Sæpe singulis pedibus utendum est, plerumque binis, non fere ternis amplius. *Id.* 2. *Fin.* 13. *a med.* Singulas potius, quam omnia. *Id.* 4. *Cat.* 6. *a med.* Singulas unius cujusque domos, et hoc universum reipublicæ domicilium delere conati sunt. *Id.* 3. *Orat.* 55. *a med.* Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices; frequentes, an pauci, an singuli. *Phædr.* 1. 31. Milvius cœpit vesci singulas. *una alla volta.* et *Liv.* 5. 15. Prodigia interim multa nunciari: quorum pleraque, quia singuli auctores erant, parum credita. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt. *dipinsero chiariscuri.* et *Cæs.* 2. *B. G.* 20. *extr.* Ab opere singulisque legionibus singulos legatos Cæsar discedere vetuerat. *et* 1. *ibid.* 48. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites, quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causa delegerant. *Cic. Rosc. Am.* 32. In singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. *Cato R. R.* 148. Vini in culleos singulos quadragenæ et singulæ urnæ dabuntur. *quarantuna urna per ogni bigoncia.* et *Colum.* 5. *R. R.* 3. Has summas sic multiplicato. quinquies et vicies deceni quadrageni singuli, fiunt sex millia et XXV. *dugento e quarantuno, moltiplicati venticinque volte, fanno sei mila e venticinque.* et *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Centuriones, quibus singulæ naves erant attributæ. *una per centurione.* et *Cic.* 9. *Att.* 15. Ille legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti. *una per luogo.* et 4. *Verr.* 53. *a med.* Describebat censores binos in singulas civitates. *due per ciascun comune.* et. 2. *leg. Agr.* 31. *a med.* Duodena describit in singulos homines jugera. *Id.* 5. *Phil.* 19. 53. Quantam pecuniam militibus earum legionum in singulos Cæsar pollicitus sit, tantum dari placere. *Id.* 2. *Legg.* 12. 29. Plures deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes sunt. — *b*) In medicaminibus describendis passim *Cels.* 6. 11. Croci myrrhæ, singulorum p. II. et *ibid.* 10. Et cinnamomi, myrrhæ, casiæ singulorum p. I. Nostri medici in suis *Recipe* dicunt *ana;* quam vocem vide suo loco. Eod. sensu *Cels.* dicit etiam *pares portiones* (V. PORTIO): et utrumque

Jungit citat. c. 11. — c) In dies singulos, in annos singulos, singulis diebus vel annis, ad temporis continuationem pertinent. Cæs. 5. B. G. 22. Quid in annos singulos vectigalis populo Romano Britannia penderet constituit. Cic. 4. Verr. 51. 126. Lex, quæ in annos singulos Jovis sacerdotem sortito capi jubebat. Id. 2. Nat. D. 34. in fin. Quod efficitur in cælo singulis diebus et noctibus. — d) In dies singulos cum comparativis et verbis augmentum significantibus. Cic. 5. Att. 7. Quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto. Id. 2. ibid. 22. Ut in dies singulos studia in nos hominum augeantur. Id. 1. Cat. 2. 5. Crescit in dies singulos hostium numerus. — e) Singuli et universi, formula frequentissima in actis legalibus. Inscript. apud Marini Fr. Arv. p. 630. P. BAEBIO P. F. TER. IVSTO HVIC SPLENDIDISS. ORDO STAT. PONEND. CENS. OMNIB. IN REPVBL. FVNCTO QVOD ET IN SING. ET VNIVERS. AEQVAL. SEMP. REVERENTIAM PRAEBVIT etc. Adde aliam apud Visconti, Monum. Gabin. p. 82. — f) Aliquando repetitur. Cæs. 3. B. C. 32. Pæne vicis castellisque singulis singuli præficiebantur. Sic 1. B. G. 52. Singulis legionibus singulos legatos præfecit. Adde 7. ibid. 23. — g) Absolute apud eumd. 3. B. G. 83. Sententias de singulis ferre. Adde 1. ibid. 44. et 7. B. G. 36. ¶ 2. Extra distributionem, singuli sunt soli, solitari. Plaut. Amph. prol. 65. Ut conquisitores singuli in subselliis Eant per totam caveam. Cic. 2. leg. Agr. 31. 85. Honestius eum (agrum) vos universi, quam singuli possidere retis. Adde 1. rep. 35. 54. Cf. Quintil. 4. 2. 14. Interdum singulis, interdum universis argumentis resistendum. Seneca Ot. Sap. 1. Proderit per se ipsum secedere: meliores erimus singuli. soli. et 4. Quæst. nat. præf. Quod est miserrimum, numquam sumus singuli. — Hinc

Singula, ōrum, n. plur. 2. absolute, sunt res singulæ, sive partes, ex quibus totum componitur. Ambros. 2. Hexæm. 5. Scient artifices singula prius facere et postea habili commissione connectere. — Per singula, adverbiorum more, est singillatim. Inscript. in Bullett. archeol. Napolit. a. 1859. p. 80. FEMINAE FIDELISSIMAE PIENTISSIMAE CVIVS PLVRA MIRABILIA BENE FACTA PER SINGVLA PERSCRIBERE VOLVI etc. Vulgat. interpr. Act. 21. 19. Per singula narrare. καθ' ἓν ἕκαστον. Id. Joh. 21. 25. scribere.

SĬNISTER, stra, strum, adject. Sinestra pro sinistra legitur in Inscr. apud Mommsen, n. 3180. Item senextra apud Fabretti p. 13. n. 52. — Origo vocis putatur esse ab ἀριστερός, ut primo fuerit sinisterus; unde sinisterior et sinisteritas. At Döderlein confert cum sinere, ut dexter, δεξιός, cum δέχομαι. — Senesterior legitur in Inscript. apud Orelli, n. 4511. — Comp. Sinisterior, quasi a genetivo sinisteri, quum, ut observat Priscian. 3. p. 600. Putsch., in usu sinistri tantum reperiatur. In edit. Putschii perperam legitur sinistrior pro sinisterior. — Sup. Sinistimus, pro sinisterrimus, agnoscitur ab eod. Priscian. ibid. p. 605. et 607. Sic dextimus a dexter, et ab exter fit extimus. — Sinister, qui est a parte lævæ manus, lævus: cui dexter opponitur, σκαιός (It. mancino, manco, sinistro; Fr. gauche; Hisp. izquierdo; Germ. links; Angl. left).

I.) Proprie. ¶ 1. Positiv. Sinister. — a) Universim. Ter. Eun. 4. 75. Tu, Simalio, in sinistrum cornu, tu, Syrisce, in dexterum. Tibull. 4. 1. 103. Seu libeat duplici sejunctum cernere Marte, Dexter uti lævum teneat dextrumque sinister Miles. Cæs. 2. B. C. 23. A sinistra parte nudata castra. Id. 3. ibid. 66. Ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat. Id. 2. B. G. 23. In sinistra parte constiterant. Horat. 1. Od. 2. 18. Amnis vagus sinistra Labitur ripa. Nepos Datam. 3. Gerens dextra manu clavam, sinistra copulam. Sueton. Aug. 92. Si calceus sinister pro dextero induceretur. Quintil. 11. 3. 141. Sinistrum brachium. Id. 11. 3. 93. 113. et 140. humerus. Id. ibid. 99. latus. Id. ibid. 125. et 159. pes. — b) Sinistrum alicui esse. Colum. 1. R. R. 5. a med. Fere pestilens est solum, quod est remotum ac sinistrum soli et apricis flatibus. h. e. septentrionali plagæ obversum. — c) Sinister est qui sinistra manu pro dextera utitur, apud Cæl. Aurel. 5. Tard. 1. 9. Nisi forte sinistri, hoc est σκαιοί, fuerint ægrotantes. — d) Sinistra tibia. V. TIBIA. — e) Sinistri versus apud Mar. Victorin. p. 108. 26. Keil. Dextri (versus) sunt, qui in tertia vel quinta sede trisyllabon habuerint pedem; sinistri autem, qui disyllabon in secunda vel quarta regione — Sinistri pedes apud eumd. p. 182. 15. Tragica erit, quæ dextros pedes recipit spondeos, id est (impares) primum, tertium, quintum; sinistros, iambos, id est secundum, quartum et sextum, ut Divi potentes, ferte lassatis opem. ¶ 2. Comparat. Sinisterior eamdem, ac positivum, significationem habet. Varro 9. L. L. 34. Müll. Ut in dexteriore parte sint ostia, sic esse in sinisteriore simili ratione facta. Adde 9. R. R. 5. 13. Galba ad Cic. 10. Fam. 30. a med. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, pedem referre cœpit. Ovid. 2. Met. 138. Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram. h. e. currus ad sinistram deflexus. Cels. 4. 1. ante med. Cor in pectore sub sinisteriore mamma situm. Sueton. Tib. 6. sub fin. Sinisteriore funali equo. Id. Domit. 17. Sinisteriore brachio fasciis obvoluto. Inscript. apud Gruter. 573. 1. EX TABVLA AENEA QVAE FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO AD ARAM GENTIS IVLIAE DEFORAS PODIO SINISTERIORE.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est adversus, inimicus, noxius, infelix, sinistro, contrario, nocivo, tristo, fortasse quia, quæ sinistra manu fiunt, minus apte et prave fiunt. Ovid. 5. Trist. 7. 63. Ipse loquor mecum desuetaque verba retracto: Et studii repeto signa sinistra mei. Seneca Troad. 983. Quis tam sinister dividit captas deus? Propert. 3. 2. 9. pugnamque sinistram Cannensem. et ibid. 27. 32. Et veniat formæ ruga sinistra tuæ. Val. Flacc. 3. 303. heu divisis visa sinistris Regna mihi! Virg. 1. G. 444. Arboribusque satisque Notus pecorique sinister. Id. 10. Æn. 110. errore malo Trojæ monitisque sinistris. Tac. 6. Ann. 32. a med. Sinistra fama. et 2. Hist. 93. ad fin. Sinistrum lenti itineris rumorem prospero prœlio verterat. Id. 1. Ann. 74. Sinistros de aliquo sermones habere. sparlare. ¶ 2. Hinc speciatim est pravus, perversus, cattivo, difettoso. — a) Absolute. Phædr. 2. epil. Sinistra quos in lucem natura extulit, Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere. Curt. 7. 4. 10. Natura mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. Ovid. 2. Trist. 257. Quodcumque attigerit, siqua (matrona) est studiosa sinistri, Ad vitium mores instruet inde suos. Tac. Agric. 5. ad fin. Sinistra erga eminentes interpretatio. storta e maliziosa, o invidiosa. et Plin. 7. Ep. 28. Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant. Tac. 5. Hist. 5. de Judæis. Cetera instituta sinistra fœda pravitate valuere. — b) Cum Genet. Sil. It. 1. 56. de Hannib. Ingenio motus avidus fideique sinister Is erat. (Id. 3. 253. pravus fidei, dixit.) Alii tamen leg. sinistræ. ¶ 3. In auspiciis sinister apud Romanos faustum, prosperum, felix, lætum significat: apud alias gentes adversum, infelix, triste. Causam habes in LÆVUS, ubi multa hac de re. Quare non audiendi Festus et Servius ad 2. Æn. 693., qui sinistras aves sinistrumque et sinistimum auspicium dici ajunt, quod sinat fieri, h. e. addicat, admittat. Cic. 2. Divinat. 39. 82. Ita nobis sinistra videntur, Grajis et barbaris dextra, meliora. et ibid. 35. 74. Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia. Plaut. Epid. 2. 2. 1. et Pseud. 2. 4. 72. Habete animum bonum. liquido exeo foras auspicio, avi sinistra. Catull. 45. 8. Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante dextram sternuit approbationem. Adde Virg. 9. Ecl. 15., Ovid. 1. Trist. 9. 49. et Stat. 8. Theb. 177. ¶ 4. Ex instituto Græcorum Laodamia apud Ovid. Heroid. 13. 49. Dii, precor, a nobis omen removete sinistrum. ¶ 5. Reperitur tamen etiam in consuetudine Romana sinistrum auspicium pro adverso. Val. Max. 4. 7. n. 2. in fin. Sinistris quidem auspiciis amicitiæ conditionem seculi, sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla. — Hinc absolute, substantivorum more

Sinistra, æ, f. 1. manus sinistra.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cæs. 1. B. G. 25. Sinistra impedita satis commode pugnare non poterant. Adde Ovid. 12. Met. 89. at Quintil. 11. 3. 131. et 160. — In plur. num. Cæs. 1. B. C. 75. Sinistras sagis involvunt gladiosque distringunt. — Sinistræ manus multus fuit usus in ludo pilæ trigonalis. Martial. 14. 46. Si me mobilibus scis expulsare sinistris etc. Adde 7. 72. — Plurimus item in furtis, quia ejus motus facilius, quam dexteræ, occultantur. Ovid. 13. Met. 110. Nec clipeus, vasti cælatus imagine mundi, Conveniet timidæ natæque ad furta sinistræ. Catull. 47. 1. Porci et Socration, duæ sinistræ Pisonis. h. e. quorum opera in furtis suis Piso utitur. V. ASPENDIUS. ¶ 2. Speciatim ponitur pro parte seu loco, qui sinistræ hominum respondet. Hac autem significatione occurrunt formulæ — a) A sinistra, ut apud Cic. 1. Divinat. 39. 85. Cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum. Id. 6. Phil. 5. 12. Aspicite a sinistra illam equestrem statuam. — b) Sinistrâ, ut apud Cæs. 2. B. C. 15. Miles dextera ac sinistra muro tectus. Cic. 4. Acad. 40. 125. (2. pr.) Innumerabiles supra infra, dextra sinistra, ante post ejusmodi mundos esse. — c) Sub sinistra, ut apud Cæs. 5. B. G. 8. Sub sinistra Britanniam relictam conspexit. — d) Ad sinistram, ut apud Plaut. Merc. 5. 2. 38. Aspice nunc ad sinistram.

II.) Translate, metaphorâ ductâ a consuetudine ferendi clipeum in sinistra manu. Quintil. 6. 3. 69. Idem (Afer) per allegoriam M. Cælium melius objicientem crimina, quam defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dicebat.

Sinistrum, i, n. 2. sinistra pars. Quintil. 11. 3. 114. Rejicere a sinistro togam. — Sic in sinistrum apud eumd. ibid. 113., 114. et 135.

Sinistra, ōrum, n. plur. 2. sunt mala, infortunia. Hieronym. 4. Comment. in Is. 10. 14. Quum semper sinistra inveniant, tamen suis numquam satiantur erroribus.

Sinistri, ōrum, m. plur. 2. ii, qui sunt ad sinistram partem. Liv. 9. 27. Sinistris repentino consilio Pætelii consulis additæ vires.

SĬNISTĔRĬTAS, ātis, f. 3. (sinister) conditio ejus, qui est ad sinistram. Hinc translate imperitia, rusticitas, inciviltà, selvatichezza, increanza, σκαιότης, σκαιοσύνη: cui dexteritas opponitur. Plin. 9. Ep. 5. Plerique dum verentur, ne gratiæ potentium nimium impertiri videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur. Id. 6. Ep. 17. Quæ tanta gravitas? quæ tanta sapientia? quæ immo pigritia, arrogantia, sinisteritas ac potius amentia? in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas, ad quem tamquam amicissimum veneris? Adde Sidon. Ep. 1. 5. et 3. 11.

SĬNISTĬMUS et

SĬNISTRA V. SINISTER.

SĬNISTRĀTUS, a, um, adject. (sinister) qui est ad sinistram situs. Gromat. vet. p. 247. 5. Lachm.-Rud. Sinistratus ager. et p. 291. 11. pars. — In sinistrato, absolute. Id. p. 290. 19. V. DEXTRATUS.

SĬNISTRĒ, adverb. (sinister) prave, perverse, in malam partem, in cattiva parte, malignamente, maliziosamente, sinistramente, σκαιῶς. Horat. Art. P. 451. hæ nugæ in seria ducent In mala derisum semel, exceptumque sinistre. Tac. 1. Hist. 7. Utraque cædes sinistre accepta: et inviso semel principe, seu bene seu male facta premunt. et 3. ibid. 52. in fin. Sinistre de aliqua re rescribere. Plin. Paneg. 45. a med. Porro non tam sinistre constitutum est, ut qui malum principem possumus, bonam non possimus imitari. h. e. non tam prava natura comparati sunt homines.

SĬNISTRI, ōrum. V. SINISTER.

SĬNISTRORSUM et

SĬNISTRORSUS, adverb. (syncop. a sinistroversus) sinistram versus, *verso mano manca o stanca o sinistra*, ἐπ' ἀριστερᾷ. *Cæs.* 6. *B. G.* 24. Silva Hercynia recta flûminis Danubii regione, pertinet ad fines Dacorum: hinc se flectit sinistrorsus, diversis a flumine regionibus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 50. Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique Error. *Id. Epod.* 9. 20. Puppes sinistrorsum citæ. *pronte a fuggire a sinistra (verso l' Egitto).* Sed *V.* Interpretes et præsertim *Bentlej.* ad h. l. *Sueton. Galb.* 4. Villa colli superposita, prope Terracinam, sinistrorsum Fundos petentibus. *Frontin. Aquæd.* 5. Concipitur Appia in agro Lucullano, via Prænestina, inter milliarium septimum et octavum, diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. Adde *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 99.

SĬNISTRŎVERSUS, adverb. (sinister et versus) idem ac sinistrorsus. *Lactant.* 3. 6. Qui se in alteram partem inclinaverunt, aut dextro aut sinistroversus ceciderunt.

SĬNISTRUM. *V.* SINISTER.

SINISTUS, i, m. 2. *Ammian.* 28. 5. 14. Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus, et est perpetuus, discriminibus nullis obnoxius, ut reges. Fortasse a Gr. συνίστωρ, conscius, testis; quasi vero diis rerum omnium conscius: vel a Goth. *sinista*, senior. Ita absolute leg. *Furlanetto* et *Gardthausen*: nescio cur *Freund* et *Klotz* hanc vocem expunxerint.

SINMĬNUS. *V.* SIN init.

SĬNO, sinis, sivi, situm, sinere, a. 3. — *a)* Ad formam quod attinet, *sinit* pro *sinat*, ἀρχαϊκῶς, ut *edit* pro *edat*. *Plaut. Curc.* 1. 1. 25. Num tu pudicæ cuipiam insidias locas? PHÆ. nemini. nec me ille sinit Juppiter. Alii leg. *sirit*. et *Virg. Cir.* 239. *Ribbeck.* Ut scelere infando (quod nec sinit Adrastia) Lædere utrumque uno studeas errore parentem. — Etiam *sers, sirs; sins*, pro *sinas* vel *sinito*, ut quidam explicant in *Carm. Saliar.* in *Corp. Inscript. Lat.* 1. 28. — *Sineto* pro *sinito* habet *Lex Julia Municip.* c. 9. — Pro *sivi* in præterito *sisi* olim dixere. *P. Rutil.* apud *Diomed.* 1. p. 371. *Putsch.* Quod si me invitum abire sinisset. *Scaurus ibid.* Prœlium non sini fieri. Adde *Plaut. Most.* 2. 1. 54. et *Cas.* 4. 2. 13; et *Ter. Andr.* 1. 2. 17., sed dubia lectione. — Et *sii*, quod in secundis et tertiis personis hodieque usurpatur. *Varro ibid.* Ad mortem perducere non sii. Terent. in Adelph. (1. 2. 23.) Quia non siit egestas. Ita *Diomed. ibid.*, alii *sivit*. V. *Terentii* loc. cit. — Et etiam *sinui* in quibusd. Codd. apud *Vulgat. interpr. Ital. Act.* 28. 4. et *Sulpic. Sever. Ep.* 1. n. 5. — *Sistis* pro *sivistis*, quidam leg. in illo *Accii* apud *Cic. Sext.* 57. sub fin. Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini. *Alii sivistis*. — *Sirim, is, it*, pro *siverim* etc., quidam leg. apud *Liv.* 28. 28. *circa med.* et 34. 24. Ne istud Juppiter opt. max. sirit. Alii leg. *sierit*. Ceterum *Plaut. Pœn.* 5. 1. 20. Meas hic ut gnatas reperire me siritis. *Id. Trin.* 2. 4. 119. Ne tu illum agrum tuum siris unquam fieri. Adde *Bacch.* 3. 3. 64. — *Sissem* pro *sivissem* est *Livii* 3. 18. et 35. 5. — *b)* De notatione nihil certi: fortasse ab ἐάω, sino, vel ἵημι, mitto, præfixa littera *s*, loco aspirationis, et adjecta *n*, ut in *sperno, temno* etc. — Part. *Sinens* sub *A* 1. 1.° *a*; *Situs* sub *A* 1. 2.° et *B*; *Siturus* et *Sinendus* sub *A* 1. 2.° — Sino proprie significat ponere, deorsum ponere, deponere, reponere, τίθημι, ut ex part. *situs* (V. sub *B*) et compos. *pono*, pro *posino*, h. e. *post sino*, apparet; translate vero permittere: duo igitur præcipue diversa significat, quæ præpostero ordine ponimus.

A) *Sino* est permitto, patior, fero, ἐάω (It. *permettere, lasciare, comportare*; Fr. *laisser libre, ne pas empêcher, laisser, souffrir, permettre*; Hisp. *dexar, dexar hacer, dexar libre, sufrir, permitir*; Germ. *geschehen lassen, dulden, gestatten*; Angl. *to permit, suffer, allow*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute. — *a)* Universim. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 66. Sino equidem, si lubet. *Id. Pœn.* 1. 1. 18. Suspende, vinci, verbera: auctor sum, sino. *Ter. Heaut.* 2. 3. 76. SY. si sinas, dicam. CLIN. sine. CLIT. Sino. et 4. 1. 53. Non licet hominem esse ita sæpe, ut vult, si res non sinit. *Liv.* 30. 15. Quum orasset eum, ut quantum res sineret etc. *per quanto lo permettesse*. et *Plin.* 4. *Ep.* 10. *in fin.* Moretur ergo in libertate, sinentibus nobis, fruatur legato etc. — *b)* *Ne dii siverint* vel *sirint*, formula abominantis, ut *dii prohibeant* etc., μὴ γένοιτο, *deh tolgano gli dei! ah non sia mai!* *Plaut. Merc.* 2. 2. 50. At ne deteriorem tamen Hoc facto ducas. LYS. Egone te? ne dii siverint. *Id. Bacch.* 3. 3. 64. Periit tibi sodalis. MNE. ne dii sirint. — 2.°) Cum Infinito. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *sub fin.* Cato contionatus est, comitia haberi non siturum. *Id.* 1. *Fin.* 16. *ad fin.* Improbitas numquam sinit eum respirare. *Id.* 11. *Phil.* 13. 32. Qui latrocinium in Syriam penetrare non sivisset. *Liv.* 35. 5. *a med.* Si restitui ordines sissent, integro rursus prœlio dimicaturos. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. *sub fin.* Vinum ad se omnino importari non sinunt. *Sall. in orat.* 1. *ad Cæs.* Ut quæ tibi placuerint, ea dii immortales approbent beneque evenire sinant. *Id. Jug.* 2. Ingenium torpescere sinunt. Adde *ibid.* 91. et 110. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 10. Quod certe scio nec fore, nec Fortunam situram fieri. *Id. Most.* 1. 4. 15. Sine, sine cadere me. *Id. ibid.* 5. 2. 22. Sine me dum istuc judicare. et *Pseud.* 3. 2. 50. Sine sis loqui me. *Phœdr.* 3. 16. Dormire me non sinunt cantus tui. *Ter. Adelph.* 1. 2. 23. Hæc si neque ego, neque tu fecimus, non sivit egestas facere nos. — *Sine modo*, cum ellipsi. *Ter. Eun.* 1. 1. 20. Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo. Mori me malim. sentiet qui vir siem. *lascia fare.* Cf. *Plaut. Most.* 1. 1. 10. — Passive. *Colum.* 12. *R. R.* 17. Vinum in dolium conditur, et ibi sinitur fermentari. et 11. *ibid.* 2. Vites regelare sinuntur. *Cic. Sext.* 44. 95. Accusare eum moderate per senatus auctoritatem non est situs. *non gli è stato permesso.* et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (10). Vitis suci gratia exire sinitur pluribus modis. — *Alcim.* 2. 102. Immortale nihil Terra prodire sinendum est. — 3.°) Cum Conjunctivo et particula *ut*, quæ aliquando subintelligitur. *Ter. Andr.* 1. 2. 17. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum. *Id. Hecyr. prol.* 2. Sinite, exorator ut sim. et 4. 2. 14. Neque sinam, ut meâ pertinaciâ esse dicat factum. — *Id. Andr.* 5. 3. 24. Dicat, sine. SI. age, dicat. sino. et *ibid.* 29. Sine, me expurgem. et 30. Sine, te hoc exorem. *Virg.* 9. *Ecl.* 43. Huc ades. insani feriant, sine, litora fluctus. — 4.°) Cum Dativo. *Juvenc.* 2. 24. Et sine defunctis defunctos condere terræ. — 5.°) Cum Accusat. rarum, et est relinquere, cedere, *lasciare, abbandonare, cedere*. *Virg.* 9. *Æn.* 619. Tympana vos buxusque vocant Berecyntia Matris Idææ, sinite arma viris et cedite ferro. *Id.* 4. *G.* 47. Neu propius tectis taxum sine. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 14. 17. (43). Serpentium multitudo transitum non sinit. — Satius tamen est, ellipsin agnoscere, ut infinitivum aliquod subintelligatur: ut in his, quæ subjicio. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 14. Nam me in tabernas usque adhuc sineret Syrus. *Virg.* 10. *Æn.* 426. At non cæde viri tanta perterrita Lausus, Pars ingens belli, sinit agmina. *Esse* in his commode subauditur. *Ter. Heaut.* 1. 1. 38. Sine me, vacuum tempus ne quod dem mihi laboris. *supple* hos rastros humeris gestare. *Id. Adelph.* 3. 2. 23. Hem quisquis es, sine me. *supple* ire. *Virg.* 10. *Æn.* 598. Vir Trojane, sine hanc animam et miserere precantis. *h. e.* sine me habere aut servare. *Id.* 4. *G.* 6. In tenui labor, at tenuis non gloria, siquem Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo. *h. e.* sinunt hæc dicere. — *Ne dii sinant, siverint*, formula abominantis. *V.* supra § 1. *Plin.* 2. *Ep.* 2. Illud nec dii sinant, ut infirmior. *Liv.* 28. 28. *circa med.* et 34. 24. Ne istud Juppiter opt. max. siverit. Alii leg. *sierit*, alii *sirit* per syncop. a *siverit*. ¶ 2. Speciatim pro desinere. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 1. 25. Obstrusio membranarum, quæ non sinat. *sc.* auxilio medicinæ tollatur.

B) *Sino* est etiam pono, statuo; sed hac significatione occurrit tantum particip. *Situs*. Situs itaque est positus, jacens, *posto, situato*, κείμενος: et de iis fere dicitur, quæ stabilem sedem habent; quia unumquodque, inquit *Voss.*, ibi situm est, ubi illud sivimus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 89. Ne plus (*h. e.* diutius) aqua sita siet horam unam. *Nepos Alcib.* 5. *ad fin.* Urbes Græcæ, quæ in ora sitæ sunt Asiæ. *Liv.* 30. 24. *a med.* Insula sinum claudit, in quo sita Carthago est. *Vellej.* 2. 120. *circa med.* Gentes cis Rhenum sitæ. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. a med.* Quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentesque, trahunt excinduntque. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 23. (68). Icaros sita est ab exortu solstitiali Deli. *Id.* 9. *ibid.* 59. 85. (180). Insulæ ante promontorium sitæ. *Id.* 6. *ibid.* 16. 18. (46). Regio contra Parthiæ tractum sita. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (4). Urbs ex adverso Carthaginis sita. *Id.* 2. *ibid.* 107. 111. (240). Ara sub dio sita. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (39). Statuæ ad ædem Felicitatis sitæ fuere. ¶ 2. Speciatim est ædificatus, positus. *Tac.* 3. *Ann.* 38. Urbem Philippopolim a Macedone Philippo sitam. et 6. *ibid.* 41. Urbes Macedonibus sitæ. et 2. *ibid.* 7. Vetus ara Druso sita. ¶ 3. Item *situs* dicitur mortuus et conditus, *sepolto*. Proprie autem *sitos* esse volunt, qui alicubi ad tempus conditi sunt, alio transferendi aliquando et justo sepulcro condendi. Id tamen scriptores non servant, *Cic.* 2. *Legg.* 22. *a med.* Declarat Ennius de Africano: *Hic est ille situs.* Vere; nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta et corpus incensum est. *Liv.* 26. 25. *ad fin.* Hic siti sunt Acarnanes, qui pro patria pugnantes mortem occubuere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (84). Cn. Terentium repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset. *Lucret.* 3. 905. Aut in melle situm suffocari atque rigere. *sommerso.* — Hinc notæ illæ in lapidib. sepulcr. H. S. E. *hic situs est*, apud *Gruter.* et alios. Huc pertinet *Inscript.* in *Specim. epigr.* ed. *Jahn* p. 46. n. 207. ANTRONIA HIC SITA EST. Cf. *Cardinali dipl. imp.* p. 199. Adde *aliam* in *Ann. dell' Istit. arch.* a. 1856. p. 20. n. 111. etc. — Absolute. *Gell.* 20. 2. Siticines appellati, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos et sepultos.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 15. 65. Hæc sita sunt ante oculos. *Enn.* apud *Gell.* 2. 29. *extr.* Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 64. 84. (183). *de fetu in utero.* Homo in semet conglobatus, inter duo genua naribus sitis. ¶ 2. Speciatim *situs est*, positus est, *sta, consiste*. *Cic. Mur.* 38. *extr.* Hujusce rei potestas omnis in vobis sita est, judices. *Sall. Jug.* 33. *extr.* Id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. *Id. Cat.* 52. Respubl. in extremo sita est. *Id. ibid.* 20. Divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. *Nepos Epam.* 9. In ejus unius pernicie patriæ sitam putabant salutem. *Cic.* 4. *Acad.* 12. 37. (2. pr.) Assensio, quæ est in nostra sita potestate. *Id.* 7. *Att.* 6. *sub fin.* Si pugnandum est, quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm est. *Id.* 1. *Fin.* 17. *sub fin.* Est autem situm in nobis, ut et adversa oblivione obruamus, et secunda suaviter meminerimus. *Id. Arch.* 1. *a med.* Huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus.

SĬNŎCHĪTĬDÆ et

SĬNŎCHĪTIS, idis. *V.* SYNOCHITIS.

SINON, i et ōnis, f. 2. et 3. herbæ genus apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 109. (136). Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi. Eadem in dolore stomachi efficax.

SINŌNĬUM. *V.* SIMONIUM.

SĬNŌPĬCUS, a, um, adject. Σινωπικός, Sinopensis, ad Sinopem urbem pertinens, de qua *V.* ONOM. Hinc *Sinopicum minium* apud *Cels.* 5. 6. et 6. 6. n. 19. h. e. rubrica, quæ optima apud Sinopem eximitur, ut *Vitruv.* docet 7. 7.

SĬNŌPIS, idis, f. 3. σινωπίς, σινώπη, *sinopia*, rubricæ genus præstantissimum: a Sinope urbe Ponti, unde et γῆ Ποντική, terra Pontica, item

rubrica Pontica dicebatur, Sed generatim pro rubrica sumebatur, ut *magnes* proprie, qui ex Magnesia, sed generatim sic vocatus lapis, qui ferrum trahit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 13. (31). Sinopis inventa est primum in Ponto, inde nomen, a Sinope urbe. Nascitur et in Ægypto, Balearibus, Africa, sed optima in Lemno et in Cappadocia, effossa e speluncis etc. Adde *Vitruv.* 7. 7. et *Terentian. De metr.* 825. Cf. *Putsch. p.* 2401. *Vulgat. interpr. Jer.* 22. 14. Sinopide pingere. — De usu ejus in medicina *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 12. (30). et *seqq.* Adde *Theod. Priscian.* 32. *p.* 298. ed. *Ald.*

SĬNŪĀMEN, mĭnis, n. 3. (sinuo) curvamen, inflexio in modum sinus. *Prudent. Psychom.* 870. quarum (*columnarum*) tegit edita calculus albens In conum cæsus capita et sinuamine subter Ductus concharum in speciem. *Juvenc.* 1. 87. Felicem gestans uteri sinuamine fetum. *Id.* 3. 56. *de Herodiade saltante.* Alternos laterum celerans sinuamine motus. *Sulpic. Luperc.* 37. Simatæque jacent pando sinuamine nares. Adde *Sidon. carm.* 22. 151. *Paulin. Petroc.* 2. 95. *De fluvio.* Hinc Liger inflexis parvo sinuamine ripis etc.

SĬNŬANS, antis, particip. *V.* SINUO.

SĬNŬĀTĬO, ōnis, f. 3. (sinuo) curvatio instar sinus, κόλπωσις. *Fulgent. Mythol. præf. ad fin.* Corniculata lunæ sinuatio. *Ambros.* 7. *Hexæm.* 9. Sinuatio aurium. *Id. de Noe* 9. 28. Intestinorum reflexio et sinuatio.

SĬNŬĀTUS, a, um, particip. *V.* SINUO.

SĬNŬĀTUS, us, m. 4. (sinuo) idem ac sinuatio. *Priscian.* 6. *p.* 263. 11. *Keil.* Sinus a sinuatu.

SĪNUM, i, n. *et* Sinus, i, m. 2. *et* us, m. 4. Vox a *sinu* facta, ut docet *Varro* mox citand., vel probabilius, nam obstat, inquit *Forcellinus*, prioris syllabæ quantitas: (quamquam, ut alibi monuimus, in etymo non sit hæc tanti facienda) a Gr. δῖνος, turbo, gyrus, et etiam genus vasis a forma rotunda dictum: cf. Ital. *tina.* — Sinum est genus vasis vinarii et etiam lactarii, *fiasco, coppa. Varro* 5. *L. L.* 123. *Müll.* Vas vinarium grandius, sinum: ab sinu, quod sinum majorem cavationem, quam pocula, habebat. *et Non. p.* 547. 19. *Merc.* Sinum et galeola vasa sinuosa. Rursus *Varro* 9. *L. L.* 21. *Müll.* Inusitatis formis vasorum recentibus ex Græcia allatis obliteratæ antiquæ consuetudinis sinorum et capularum species. *Id.* apud *Non. loc. cit.* et *Priscian.* 6. *p.* 114. *Putsch.* Ubi erat vinum in mensa positum aut galeola aut sinum. *Alii leg.* sinu. *V.* Interpr. vett. *Virgil.* ab *A. Maio* edit. *p.* 9. *Alia* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *G.* 177. Nempe ad mensam, ubi sermo de sinu solet suboriri. *T. Valgius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 3. *G.* 177. Et sinum vini cessamus fundere Baccho. *Plaut. Curc.* 1. 1. 82. Ei ne hic cum vino sinus fertur? *et* 1. 2. 13. Expeto invergere in me liquores tuos sino ductim. *Id. Rud.* 5. 2. 31. Talentum argenti inerat in crumena: præterea sinus, epichysis, cantharus etc. *Martial.* 3. 58. Avidi sequuntur villicæ sinum porci. *Gloss.* in *Prodr. Gloss. p.* 256. *Loewe.* Sinus: vas testeum. — Etiam *Cic.* usurpavit, teste *Aspro* inter *Interpr. vett. p.* 9. ed. *Mai.* — *Virg.* 7. *Ecl.* 33. Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis Exspectare sat est. *Vet. Poet.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 363. *Burmann.* Tempus vernum hædus petulans et garrula hirundo Indicat, et sinus lactis et herba virens. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 8. *Gloss. Isid.* Sinum: vas in quo butirum conficitur.

SĬNŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sinus) *Sinvo* per synæresim, pro *sinuo*, ut *genva* pro *genua*, apud *Sil. It.* 10. 181. tergo qua balteus imo Sinvatur. *Id.* 6. 225. *de angue.* tergoque residens Cetera sinvatis glomerat sub pectora gyris. — Part. *Sinuans* I. *a* et *e*; *Sinuatus* I. *a.* — Sinuo est in sinus flecto, curvo, κολπόω (It. *incurvare, piegare, far sinuoso*; Fr. *courber, replier, rendre sinueux*; Hisp. *volver ó plegar, torcer, encorvar, hacer sinuoso*; Germ. *bogenartig krümmen, beugen, bauschig machen*; Angl. *to turn or wind like a serpent, wreathe, twist, curve, sinuate*) et fere poetice usurpatur.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Virg.* 3. *G.* 192. *de equo.* gradibusque sonare Compositis sinuetque alterna volumina crurum. *h. e.* alternis crura inflectat gradiendo. *Id.* 2. *Æn.* 208. *de anguib.* sinuantque immensa volumine terga. *Ovid.* 9. *Met.* 63. longum formatus in anguem *etc.* flexos sinuavi corpus in orbes. *et* 3. *ibid.* 42. Serpens immensos saltu sinuatur in arcus. *Id.* 8. *ibid.* 380. celerem Tegæa sagittam Imposuit nervo sinuatoque expulit arcu. et 14. *ibid.* 51. Parvus erat gurges curvos sinuatus in arcus. *Id.* 2. *Amor.* 19. 29. Dum servat Juno sinuatam cornibus Io. *Seneca Vit. beat.* 4. Exercitus in cornua, sinuata media parte, curvatur. *Id. Herc. Fur.* 1197. Quis potuit arcum flectere, aut quæ dextera Sinuare nervum vix recedentem mihi? *Sever. Ætn.* 46. Ima per orbes Squameus intortos sinuat vestigia serpens. *Claudian. IV. cons. Honor.* 538. Quum vectaris equo simulacraque Martia ludis, Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum Acrior? *h. e.* variis flexibus decurrere. *Calpurn. Ecl.* 6. 68. scopulisque cavum sinuantibus arcum Imminet, exesa veluti testudine concha. *h. e.* formantibus. *Tac.* 6. *Ann.* 37. Euphratem albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes. *Cels.* 8. 1. *a med.* Processus ossis magis etiam extremis partibus sinuatur. *h. e.* in sinum desinit. *Ovid.* 14. *Met.* 501. cubitique leves sinuantur in alas. *et* 3. *ibid.* 682. dividuæ sinuantur cornua lunæ. *et* 2. *ibid.* 875. tremulæ sinuantur flamine vestes. *h. e.* implentur et in sinus inflantur. *si gonfiano e s'increspano.* Sic *Lucan.* de velo inflato *sinus* dixit 6. 472. *Apul.* 'Ανεχ. 13. Sinuare in usum Veneris femina. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 4. Sinuatis clunibus. *Tac.* 5. *Hist.* 11. Colles claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. *Cels.* 4. 1. *a med.* Intestinum late fusum atque sinuatum. *et* 8. 1. *ante med.* Vertebrarum processus paullulum sinuati. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (42). Luna sinuata in orbem. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 312. Inque modum veli sinuatis flamine pennis Pulverulenta volat. *h. e.* inflatis. nam inflata vela sinum faciunt. *Id. VI. cons. Honor.* 175. Sinuati flexus. *Sil. It.* 5. 173. Hinc legit Ausonius sinuatos gurgite ductor Anfractus pelagi. *h. e.* sinuosa litora. — *b*) *Sinuare Oceanum* apud *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 268. est undosum facere. — *c*) *Sinuari* campus dicitur a *Tac.* 2. *Ann.* 16. qui extremitates habet varie inflexas et sinus instar cavatas. — *d*) *Se sinuare*, eod. sensu, apud *Melam* 1. 17. Ionia aliquo. se ambagibus sinuat, *h. e.* oram habet inæqualiter flexam et varios sinus efficientem. — *e*) Absolute. *Manil.* 4. 604. Italiæque urbes dextram sinuantis in undam. *h. e.* se sinuantis.

II.) Translate est cavare, sinum facere, *scavare. Cels.* 7. 2. *a med.* Danda opera, ut imus sinus exitum habeat, ne quis humor intus subsidat, qui proxima et adhuc sana rodendo sinuet.

SĬNŬŌSĒ, adverb. (sinuosus) Comp. *Sinuosius* tantum occurrit. — Sinuose est per varios sinus Translate. *Gell.* 12. 5. *ante med.* Dicam ego indoctius, ut ajunt, et apertius, quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius, si quis nunc adesset Stoicorum. *h. e.* magis recondite et remote a vulgi captu, ex intimis Stoicæ disciplinæ penetralibus.

SĬNŬŌSUS, a, um, adject. (sinus) Etiam *sinuossus* legitur in Cod. Palat. *Virg.* 1. *G.* 244. flexu sinuosso elabitur anguis. — Sinuosus est multos habens sinus et cavitates, curvatus, flexuosus, κολπώδης (It. *curvo, piegato, torto, sinuoso*; Fr. *plein de sinuosités, courbe, tortueux, sinueux*; Hisp. *corvo, tortuoso, sinuoso, torcido*; Germ. *voll Krümmungen, faltenreich, bauschig*; Angl. *full of folds, turnings or windings, bent, sinuous*).

I.) Proprie. *Virg.* 11. *Æn.* 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 23. Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum. *Id. Heroid.* 8. 23. (et *Propert.* 4. 1. 15.) Sinuosa vela. *Id.* 5. *Met.* 68. vestis. *h. e.* ampla, laxa atque adeo multos sinus habens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (17). Folia sinuosa lateribus. *Id.* 11. *ibid.* 37. 69. (182). Cor prima domicilia sanguini præbet sinuoso specu et in magnis animalibus triplici. *Id.* 5. *ibid.* 29. 31. (113). Mæander ita sinuosus flexibus, ut sæpe credatur reverti. *Val. Flacc.* 2. 451. dum litora blando Anfractu sinuosa legunt. *et* 3. 277. Sinuosa æquora. *Seneca Troad.* 828. maris lati sinuosa Trœzen. *h. e.* quæ posita est ad sinum Argolicum in Peloponneso.

II.) Translate. *Quintil.* 2. 4. *de historia.* Ut ea sit neque arida prorsus atque jejuna, neque rursus sinuosa et arcessitis descriptionibus lasciva. *h. e.* excessuum, digressionum et diverticulorum plena, quibus justo longior fit, ut via, quæ non recta est, sed flexuosa. *Gell.* 14. 2. *circa med.* Est enim disceptatio ista multijugæ et sinuosæ quæstionis. *h. e.* longæ et multos quasi recessus habentis. *Pers.* 5. 27. Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi, Voce traham pura. *h. e.* in intimo pectore, *nel fondo del cuore.* et *Rutil.* 1. *Itiner.* 322. Nec sinuosa gravi cura labore caret. *h. e.* velificatio flexuosa per varios sinus et anfractus litoris, quæ gravi labore non caret, ubi toties mutato vento et flexu litoris mutanda etiam velorum dispositio et vento accommodanda est. *Cyprian. Ep.* 31. *de conscientia.* Sinuosum vulnus.

SĪNUS, i, 2. *et* us, 4. m. *V.* SINUM.

SĬNUS, us, m. 4. — *a*) *Senus* pro *sinus* est in *Inscript.* apud *Orelli n.* 4583. — *b*) Ablat. sing. *sino* pro *sinu* in *Inscript.* apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1873. *p.* 75. — *Sinubus* pro *sinibus* in Dat. et Ablat. plur. non recte adhibetur. nam in illo, quod affertur, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 44. (114). E fluminibus ac sinubus et e mari videmus ventos consurgere. *pro* sinubus *legend.* nubibus. *V.* ibid. a *Silligio* adnot. et *Georges* ad *h. v.* — *c*) Originem vocis cl. *De-Vit* peti posse arbitratur a *situs*, partic. v. *sino*, per syncopen quasi a *sinitus*, ita ut notetur locus, qui vacuus relictus sit, seu cavitas. Sed hoc mihi durius videtur, quamvis significatio inde ducta notioni vocis congruat: potius dixerim esse a Skr. *sanu*, superficies cava aut convexa. — Sinus itaque duo præcipue significat.

A) *Sinus* dicitur præsertim atque adeo, ut videtur, proprie de curvatura, flexu et cavitate cujuscumque rei (It. *piegatura, cavità, seno*; Fr. *courbure, sinuosité*; Hisp. *corvadura, sinuosidad*; Germ. d. *bauschige Rundung, Krümmung*; Angl. *a winding, bending, flexure, cavity*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 42. 106. Torvu' draco serpit, subter supraque revolvens Sese conficiensque sinus e corpore flexos. *spire.* et *Colum.* 4. *R. R.* 25. Pars falcis, quæ flectitur, sinus nominatur. *et mox.* Quum vinitor retrahere quid debet, sinu utitur: quum allevare, scalpro. *Cels.* 8. 1. Sinus ossis. *cui opponitur* processus. *Id.* 7. 2. *a med.* ulceris. *Colum.* 6. *R. R.* 11. Suppuratio ferro rescinditur: expressus deinde sinus ipse, qui eam continebat, urina eluitur. *Curt.* 3. 9. *in fin.* Paullatim se laxare sinus montium et majus spatium aperire cœperant. *Liv.* 30. 2. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. *voragine.* et *Seneca Œdip.* 582. Subito dehiscit terra et immenso sinu Laxata patuit. *et Herc. Fur.* 679. Lethe immensi sinus. *h. e.* altitudinis. *senza fondo.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 44. (115). Sinus concavi vallium. *Veget.* 3. *Veterin.* 43. Sinum fecit destillatio. Adde *Cyprian. de laps.* 14. Sinus tumentes vulnerum. ¶ 2. Speciatim dicitur de comis, quæ in modum sinus humeris innatant. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 25. Quam se præbuerunt ferro patienter et igni, Ut fieret torto flexilis orbe sinus! *Id.* 3. *Art. am.* 148. Sustineat similes fluctibus illa sinus. ¶ 3. Item de veste ampla ejusque plicaturis. *Virg.* 1. *Æn.* 324. Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes. *Liv.* 21. 18. *sub fin.* Tum Romanus sinu ex toga facto, hic, inquit, vobis bellum et pacem portamus. *h. e.* diducto sinu togæ (de quo *V.* in TOGA), tamquam si quippiam in eo vellet gestare. *V.* QUADRIGARIUS. Cf. *Sil. It.* 2. 384. ¶ 4. Et absolute apud Poetas, de veste quacumque. *Ovid.* 2. *Fast.* 309. (et 5. *ibid.* 28.)

Ibat odoratis humeros perfusa capillis Mæonis, aurato conspicienda sinu. et *Heroid*. 13. 36. Indue regales, Laodamia, sinus. *Stat*. 2. *Silv*. 1. 131. Enormes non ille sinus, sed semper ad annos Texta legens, modo puniceo velabat amictu, Nunc herbas imitante sinu. Adde *Tibull*. 1. 10. 70. ¶ 5. *Sinus retis*, pars retis laxa, quæ, quum quid incidit, inflectitur. *Plaut. Truc*. 1. 1. 15. Quando abiit rete pessum, tunc adducit sinum. *Plin*. 11. *Hist. nat*. 24. 28. (81). *de tela aranei*. Quam laxus ad flatus ac non respuenda quæ veniant, sinus! *Juvenal*. 4. 84. Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi, Implevitque sinus. Adde *Martial*. 13. 100. et *Grat. Cyneg*. 29. ¶ 6. *Sinus veli*, media ejus pars, quæ vento curvatur et sinum efficit: et ipsum velum, *vela*. *Ovid*. 3. *Art. am*. 500. Plenaque curvato pandere vela sinu. *Lucan*. 6. 474. puppimque ferentes In ventum tumuere sinus. *Virg*. 3. *Æn*. 454. cursus in altum Vela vocet, possisque sinus implere secundos. *Tibull*. 1. 3. 38. Effusum ventis præbueratque sinum. *Ovid*. 4. *Pont*. 9. 73. Et siquem dabit aura sinum, laxate rudentes. *Virg*. 5. *Æn*. 830. Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus. *et ibid*. 16. Obliquatque sinus in ventum. *Sil. It*. 7. 242. dum desinat aura sinusque Destituat tumidos, subducto flamine, ventus. ¶ 7. Denique *sinus* est in ora maris terra curvata et recedens, nisi malis translate dici quasi sinum præbens aquis incurrentibus, *seno di mare:* sane etiam a Græcis ita dicitur, h. e. κόλπος: unde nostrum *golfo:* et terræ ipsæ circa sinum jacentes, vel etiam sinus maritimi speciem præbentes. *Cic*. 7. *Verr*. 12. 30. In ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore flectitur. *et ibid*. 56. 145. Sinus maritimos obsidere. *Id*. 16. *Att*. 6. Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Pæstanus et Vibonensis: utrumque pedibus æquis transmisimus. *Virg*. 1. *Æn*. 247. Illyricos penetrare sinus. *Liv*. 28. 5. Sinus Ænianus. *Id*. 37. 6. Maliacus. *Nepos fragm*. 7. 4. Arabicus. *Tac*. 4. *Ann*. 5. terrarum ingens. *Id. Germ*. 1. latus. *Id*. 3. *Hist*. 66. beati Campaniæ. *Justin*. 2. 4. 26. Ponti. Rursus *Tac*. 14. *Ann*. 9. Via Miseni et villa Cæsaris dictatoris, quæ subjectos sinus prospectat. *Id. Germ*. 29. Sinus imperii. sc. ea imperii R. pars, quæ ultra limites in Germaniam procurrit. ¶ 8. Præcidere sinum, *andare a golfo lanciato*. V. PRÆCIDO. ¶ 9. Item dicitur de fossa seu canali altaris apud Hebræos, in quem sanguis victimæ defluebat; nisi velis referre ad sinum, genus vasis, de quo dictum est in SINUM. *Vulgat. interpr. Ezech*. 43. 13. ¶ 10. Item de orbe ex aquis commotis, *vortice*. *Manil*. 5. 421. Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi, Et sinibus virus signat fluctumque figurat.

B) Sinus est etiam spatium, quod est intra pectora brachiorumque complexum (qui *Forcellino* aliisque est primarius vocabuli sensus): item sedentis, quod pectore et femoribus continetur: quod et gremium dicitur: item ipsa vestis, qua ea pars corporis amicitur; nisi malis per translationem a curvatura generatim, vel speciatim a sinu vestis illam corporis humani partem hac voce significari: κόλπος (It. *seno, grembo; Fr. sein, giron;* Hisp. *seno, regazo;* Germ. *d. Busen, d. Schoos;* Angl. *bosom, lap*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Heaut*. 3. 3. 2. Vidin ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere. *Cic*. 7. *Verr*. 57. 147. Cedo mihi ex ipsius sinu litteras Syracusanorum. *Ovid. Heroid*. 8. 62. Perque sinum lacrimæ fluminis instar eunt. *Id*. 4. *Trist*. 1. 98. Inque sinum mœstæ labitur imber aquæ. *Id*. 3. *Amor*. 6. 68. Spargebat tepidos flebilis imbre sinus. *Tac*. 3. *Hist*. 10. Opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus, aut suis moriturum obtestans. *il petto*. et *Sueton. Aug*. 35. Ne admissum quidem tunc quemquam senatorem nisi solum et prætentato sinu. *V*. PRÆTENTATUS. *Phædr*. 5. 5. Ille in sinum repente demisit caput. *et ibid*. 36. ille profert ipsum porcellum e sinu. *Id*. 4. 13. Gelu rigentem quidam colubram sustulit Sinuque fovit. *Horat*. 2. *Od*. 18. 27. Ferre quippiam in sinu. *Curt*. 3. 11. 24. Acceperat in sinum filium. *Petron. Sat*. 24. *sub fin*. Manum demisit in sinum, et pertrectato vasculo tam rudi etc. *Vellej*. 2. 75. *ad fin*. Bimum puerum gestans sinu. *in braccio*. — Sinus *brevis* et *laxus* de veste dicebatur, prout minus plusve laxabatur. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 172. Aliquid ferre sinu laxo. (Proverbialiter est non curare, negligere.) Adde *Quintil*. 11. 3. 137. et 146. ¶ 2. Speciatim dicitur de utero. *Ovid*. 5. *Fast*. 256. Tangitur, et tacto concipit illa sinu. *Seneca Octav*. 764. *de Jove*. Quem modo Ledæ pressisse sinum Tectum plumis pennisque ferunt. *Id*. translate *ibid*. 404. Et ipsa Tellus læta fecundos sinus Pandebat ultro. Sic *Colum. De cult. hort*. 157. Alma sinum tellus jam pandet. ¶ 3. Item de cunno dixit *Cœl. Aurel*. 5. *Tard*. 4. 62. ¶ 4. *Spuere in sinum* solebant veniam a diis spei alicujus audacioris petens, ut *Plin*. 28. *Hist. nat*. 4. 7. (35). docet. *V*. DESPUO.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim refertur ad intimam familiaritatem et amorem et convictum. — a) Universim. *Cic*. 14. *Fam*. 4. *circa med*. Cicero meus quid aget? iste vero sit in sinu semper et complexu meo. *Id*. 2. *Cat*. 10. 22. Postremum genus est proprium Catilinæ, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus ac sinu. *Id*. 2. *ad Q. fr*. 13. *de Pompejo*. Mihi crede, in sinu est: neque ego discingor. *h. e.* est mihi amicissimus: neque hanc amicitiam dissolvere cogito. *Id*. 1. *ad Brut*. 7. Bibulum noli dimittere e sinu tuo, tantum jam virum. *Ter. Adelph*. 4. 5. 75. Hic non amandus? hicine non gestandus in sinu est? *non merita esser portato in braccio?* ὑποδεκτέος ἐν κόλπῳ: impense amandus. *Plin*. 8. *Ep*. 16. *extr*. Est enim quædam etiam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinu defleas. *Tac*. 6. *Ann*. 45. *extr*. Etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. *conversando privatamente coll' avo*. et *Dial. de Orat*. 28. Suus cuique filius gremio ac sinu matris educabatur. *Id. Agric*. 4. In hujus (*matris Juliæ*) sinu indulgentiaque educatus. *h. e.* summa cura. — Huc pertinet illud *Vulgat. interpr. Joh*. 1. 18. Unigenitus Filius qui est in sinu patris. *h. e.* qui natura et amore est Patri conjunctissimus, metaphorâ sumptâ ex more, quo veteres in cena ad pectus alter alterius recumbebant. V. *Ackermann, op. cit*. § 146. — *b) In sinu*, in visceribus, in intima parte. *Sil. It*. 4. 33. exterrent immania cœpta, Inque sinu bellum. *nelle viscere dello stato*. et 6. 651. pestiferos mitis Campania cursus Tardavit bellumque sinu indefensa recepit. *Sall. Cat*. 56. *ad fin*. Intra mœnia, in sinu Urbis sunt hostes. *Claudian*. 2. *in Eutrop*. 575. nascuntur in ipso Bella sinu. *Tac*. 3. *Hist*. 38. *a med*. In Urbe ac sinu cavendum hostem. *Plin. Paneg*. 56. Consulatus gestus in hoc Urbis otio et intimo sinu pacis. *Tac*. 13. *Ann*. 40. *a med*. Productiore cornuum sinistro, ut si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. *h. e.* media et interiore acie. ¶ 2. Speciatim est refugium: ducta translatione ab infantibus, in sinum matris, tamquam in locum tutum, confugientibus. *Plin. Paneg*. 6. *a med*. Confugit in sinum tuum concussa respublica. *Tac*. 3. *Hist*. 69. Tamquam omnis respublica in Vespasiani sinum cessisset. *Plin*. 8. *Ep*. 12. Studiosos amat, fovet, provehit: multorumque qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium. ¶ 3. Hinc est tutela, tutamentum. *Tac. Agric*. 30. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. *Seneca Ep*. 103. *extr*. Quantum potes, in philosophiam decede: illa te sinu suo proteget; in hujus sacrario eris tutus aut tutior. ¶ 4. Item dicitur de crumena, quæ in zona et sinu gestari solet. *Sueton. Cal*. 46. Ut conchas legerent galeasque et sinus replerent, imperavit. *Plin. Paneg*. 45. Horum in sinum omnia congerebant. *Lamprid. Commod*. 14. *extr*. Agebantur omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur. *h. e.* pretio vendidisse et in quæstum lucrumque suum convertisse. *et ibid*. 5. Omnia jura subvertit, prædam omnem in sinum contulit. *Colum*. 10. *R. R*. 310. Ære sinus gerulus plenos gravis urbe reportat. *Ovid*. 1. *Amor*. 10. 18. Quo pretium condat, non habet ille sinum. *Propert*. 2. 13. 11. Cynthia non sequitur fasces, non quærit honores: Semper amatorum ponderat illa sinus. Huc trahit *Forcellinus* illud *Cic*. 7. *Verr*. 57. 147. Cedo mihi, quæso, ex ipsius sinu litteras Syracusanorum. Cf. I. 1. ¶ 5. Hinc *sinum laxare, expedire*, est lucrum aut munera exspectantis. *Seneca Ep*. 119. Sinum laxamerum lucrum est. *Id. Vit. beat*. 23. *ad fin*. Quid expeditis sinum? donabit etc. Contra *sinum subducere* apud *Senec*. alter. *Thyest*. 430. Cur bonis tantis sinum subducis? *h. e.* cur tanta bona recusas? ¶ 6. *In sinu*, in potestate, *in balia, in potere*. *Scævola Dig*. 22. 3. 27. Omnes fortunas et substantiam, siquam a matre/susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione. ¶ 7. Item est locus abditus, latebra, recessus. *Tac*. 2. *Hist*. 92. *extr*. Abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus. *Gell. præf. circa med*. Non enim fecimus altos nimis et obscuros in his rebus quæstionum sinus. ¶ 8. Hinc *sinu condi* dicitur de iis, quæ clam alios esse volumus. *Seneca Herc. Fur*. 1010. Licet Tonantis profuga condaris sinu, Petet undecumque temet hæc dextra. ¶ 9. Hinc etiam *in sinu* est clam, occulte, nullo vidente, *di nascosto, da sè solo*. *Cic*. 3. *Tusc*. 21. *extr*. Ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant. *fra sè stessi*. et *Propert*. 2. 19. 70. In tacito cohibe gaudia clausa sinu. Adde *Tibull*. 4. 13. 8. et *Senec. Ep*. 105. Sic *Sabin*. 1. 124. tu preme solers Lætitiam et tacito gaudia conde sinu. — *Tertull. Pudic*. 6. Plaudere in sinum. ¶ 10. *Sinus Abrahæ* apud *Vulgat. interpr. Luc*. 16. 22. dicitur sedes justorum, qui ante Christi adventum moriebantur.

Homonym. Qui differat *sinus* a *gremio*, quæ est pars corporis humani, *V*. in GREMIUM init.: qua vero refertur ad vestem, *sinus* dicitur sinuatæ vestis receptaculum, quod fit ex angulo vestis laxioris ad oppositum humerum ducto; *gremium*, receptaculum vestis accurtatæ vel accinctæ secretum. *Isid*. 1. *Differ*. 530. et *App*. 136.

SĪON et

SĪUM, ii, n. 2. σίον, herba (*Sium latifolium* Linn.), de qua *V*. in LAVER. *Plin*. 22. *Hist. nat*. 22. 41. (84). Sium latius apio, in aqua nascens, pinguius nigriusque, copiosum semine, sapore nasturtii: prodest urinis, renibus, lienibus etc. *Id*. 26. *ibid*. 8. 56. (88). Inde heminæ sumuntur per triduum: reliquum ex vino cum sio. — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM.

SĪPĀRĬUM, ii, n. 2. *deminut.*, ut videtur, *a* siparum seu supparum, quod est a σίφαρος seu σίπαρος, velum navis, dictum, ut ait *Fest*. ex *Verrio p*. 340. 18. *Müll.*, a muliebri vestimento, quod vocatur supparum. *V*. hanc voc. Cf. Gr. ὑφάω, texo. — Siparium est velum in scæna, *tenda, cortina, sipario*, αὐλαία, περιπέτασμα, et quidem, ut ex locis mox afferendis argui potest, parvum velum interius in scæna, quod populo obstabat, dum actus commutabantur; aulæum vero, quod scænam claudit, quodque deprimitur, quum fabula incipit; attollitur, quum eadem acta est.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Auct. libell. de Fabul. Lud. Theatr. Scæn. cap. de appar. Scænæ*. Apud Romanos aulæa in scæna primum sternebantur, quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit: velabaturque ipsa scæna sipariis, quæ posterior ætas pro aulæis sumpsit, ut etiam siparia humi sterneret Erat præterea velum minutum, quod populo obsistebat in scæna, dum actus commutabantur. *Juvenal*. 8. 185. Consumptis opibus, vocem, Damasippe, locasti Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli. *Cic. Prov. cons*. 6. *extr*. A suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum jam in exostra heluatur: antea post siparium solebat. — Aulæum a sipario distinguit *Apul*. 10. *Met*. Aulæo subducto et, complicitis sipariis, scæna disponitur. et 1. *ibid*. Aulæum tragicum dimoveto et siparium scænicum complicato. V. *A. Rich op. cit*. ad *h. l*. ¶ 2. Latiore sensu di-

citur de velo circa tribunal prætoris, quod siparium ex usu scænæ dicebatur. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Sed non ideo probaverim depictam in tabula sipariove imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus. *Id. ibid.* 3. *a med.* Quum ejus accusator in sipario omnibus locis aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxisset. Ex quibus duobus locis patet, in ipso tribunali moris fuisse suspendere velum, *siparium* dictum, quod multitudinem in judices irrupturam probiberet. Cf. *Sueton. Galb.* 10.

II.) Translate, per metonymiam, dicitur de ipsa comœdia, in qua præsertim adhibebatur. *Seneca Tranquill.* 11. *circa med.* Publius quoties mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora, et hoc ait: Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Homonym. Quomodo differant *siparium* et *aulæum*, V. ex iis, quæ supra dicta sunt ad § 1.

SĪPĂRUM et

SĪPĂRUS et

SĪPHĂRUM. *V.* SUPPARUM.

SIPHNĪUS, a, um, adject. Σίφνιος, ad Siphnum insulam pertinens, de qua *V.* ONOM. — Hinc *Siphnius lapis*, de quo *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 44. (159). In Siphno lapis est, qui cavatur tornaturque in vasa vel coquendis cibis utilia vel ad esculentos usus, quod et in Comensi Italiæ lapide viridi accidere scimus; sed in Siphnio singulare, quod excalfactus oleo nigrescit durescitque mollissimus.

SĪPHO, siphon *vel* sipo, ōnis, m. 3. (σίφων) Vox videtur esse ab Hebr. שאב *shaav* et שאף *shaaph*, exanclavit, ut putat cl. *Furlanetto*; vel, ut aliis magis placet, ab rad. Ægypt. *sif*, imbibere. (V. *Wilkinson, Manners and Customs of anc. Egypt.* III. *p.* 341.) — Sipho est tubus, fistula, canalis, per quem aqua fluit et derivatur aut arte in altum emittitur (It. *cannone, doccione, sifone, canale*; Fr. *tuyau, tube, siphon*; Hisp. *tubo, cañon, cantimplora*; Germ. e. *Röhre*; Angl. *a tube or pipe, a siphon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 16. Solemus duabus manibus inter se junctis aquam concipere, et, compressa utrinque palma, in modum siphonis exprimere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 66. (166). *de aqua in summis jugis erumpente.* Quo spiritu acta et terræ pondere expressa, siphonum modo emicat. *Id.* 32. *ibid.* 10. 42. (124). Sugentia ora (*hirudinum*) forficibus præcidunt: ac veluti siphonibus defluit sanguis. *Colum.* 3. *R. R.* 10. Omne alimentum virentis per medullam trunci, veluti per siphonem quem diabeten vocant mechanici, trahitur in summum. *Id.* 9. *ibid.* 14. *a med.* Apibus fame laborantibus in canaliculis defrutum aut passum præbere: quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut insistentes apes quasi per siphonem sucum evocent. *Fragment. legis rivaliciæ* apud *Fest.* post *Sicyonia.* MONTANI PAGANIVE SIPHONIBVS AQVAM DIVIDVNTO DONEC EAM INTER SE DIVISERINT PRAETORIS IVDICATIO ESTO. Ita *Forcellinus:* sed *V.* SIPHUS. ¶ 2. Speciatim dicitur de instrumento exstinguendis incendiis idoneo, haustam hamis aquam in omnes ædium partes reddendo, *tromba da incendio. Plin.* 10. *Ep.* 42. Nullus in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda. *Ulp. Dig.* 32. 7. 12. *ante med* Acetum quoque, quod incendii exstinguendi causa paratur: item centones, siphones etc. — De hac machinatione V. *A. Richium op. cit.* ad *h v.* et cf. *Vitruv.* 10. 7. ¶ 3. Item de tenui fistula in usum bibendi. *Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. quibus vinum Defusum e pleno siet, hir siphon, cui nil Dempsit, vis aut sacculus abstulerit. *Orelli* siphove. *Cels.* 1. 8. *ad fin.* Prodest etiam adversus tardam concoctionem assidue vinum frigidum bibere per siphonem. *paullo supra dixerat* per tenuem fistulam.

II.) Translate a similitudine. *Juvenal.* de urina longo tractu emissa, 6. 308. micturiunt hic, Effigiemque deæ longis siphonibus implent. *Lucan.* de nube longa et instar fistulæ aquas trahente, 7. 156. Et trabibus mixtis avidos siphonas aquarum. Alii leg. *typhonas.*

SĪPHŎNĀRĪUS, siponarius *vel* sifonarius, ii, m. 2. (sipho) qui siphone utitur ad exstinguenda incendia, *pompiere.* Quum vero ad hoc muneris cohortes vigilum institutæ fuissent ab Augusto, consentaneum erat, ut inter eos milites essent, qui siphone etiam uterentur. *Inscript.* apud *Murat.* 788. 3. D. M. T. AVIDII ROMANI MILITIS COH. VII. VIG. SIPONARII 7. LAETORII etc. Adde *Tab.* apud *Kellerm. Vigil.* II. 2. 24. et 59., ubi legitur *sifonarius*.

SĪPHUNCŬLUS *vel* sipunculus, i, m. 2. *deminut. a* sipho, parvus sipho, *cannoncino, canaletto, sifoncino*, σιφώνιον. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* In hoc fonte crater, circa siphunculi plures miscent jucundissimum murmur. *et a med.* E stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, siphunculis effluit, cavato lapide suscipitur. *Fronto de orat.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 1. *a med.* Aquæ de sipunculis concinnius saliunt quam de imbribus.

SĪPHUS *vel* sifus, i, m. 2. idem ac sipho. *Fest. p.* 340. 11. *Müll.* Sifus usurpatum est pro tubis ipsis, id quod Græce dicitur σίφων. In lege rivalicia sic est, quæ lata fuit rogante populum Ser. Sulpicio: «Montani paganive sifis aquam dividunto, donec eam inter se diviserint, Prætoris judicatio est».

SIPLA, æ, f. 1. (simplus) dicitur de genere quodam tapetorum apud *Isid.* 19. *Orig.* 26. 5. Sipla, tapeta ex una parte villosa, quasi simpla: amphitapa, ex utraque parte villosa tapeta. Lucilius: Siplæ atque amphitapæ villis ingentibu' molles. Ita *Isid.* Sed utrobique rectius leg. psila. *V.* PSILUS.

SĪPO *vel* supo, as, aré, a. 1. Suppo pro *supino* distinguendum esse a *supo* docent *Lachmann* ad *Lucret.* 3. 172. et *Ribbeck, Trag. reliq. p.* 201., qui afferunt illud *Acc.* apud *Non. p.* 200. 33. *Merc.* Abtorque proram ac suppa tortas copulas. *h. e.* supina, suppas fac. Verum *Freund, Klotz, Georges* cum *Forcellino* apud *Acc.* leg. *supa.* Porro *supo* et *suppo* unum idemque videntur esse, sive uno sive duplici *p* scribitur, quum ex analogia aliarum vocum, quæ utramque scriptionem habent, tum ex etymo, quippe etiam *suppus* est jactus (Cf. *Isid.* 18. *Orig.* 65.): a Skr. *svap* seu *svab*, movere, agitare, jacere. *Bücheler* in *Umbric. p.* 165: exhibet *sopam*, ut sit idem ac *suppam, supinam.* Viderint eruditi. — Sipo est jacio, disjicio, *gettare, gettar via, sciupare, sprecare. Fest.* apud *Paul. Diac.* in *Prosapia p.* 225. 14. *Müll.* Supare significat jacere et disjicere. Cf. *Non. p.* 67. 29. *Merc.* Prosapies dicta a prosupando aut proserendo. Rursum *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 311. 6. *Müll.* Supat jacit, unde dissipat disjicit, et obsipat objicit et insipat hoc est injicit.

SĪPO, ōnis. *V.* SIPHO.

SIPOLINDRUM, i, n. 2. *sipolindro*, nomen ficti aromatis, jululariter usurpatum a coquo apud *Plaut. Pseud.* 3. 2. 43. Sed recentiores plerique aliter leg.

SĪPŌNĀRĪUS. *V.* SIPHONARIUS.

SIPOTAX. *V.* SIMPEAX.

SIPTĂCE. *V.* SITTACE.

SIPTĂCHŎRAS, æ, f. 1. σιπταχόρα, vox Indica, qua genus quoddam arborum electrum ferentium significatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (39). Arbores eas siptachoras vocari, qua appellatione significetur prædulcis suavitas.

SĪPUNCŬLUS. *V.* SIPHUNCULUS.

SĪQUA. *V.* SIQUIS.

SĪQUANDO, adverb. (si *et* quando) Scribitur et conjuncte et etiam divisim: rectius tamen junges cum *Manut., Dausqu.*, aliis. — Siquando est si aliquando, si aliquo tempore, *se qualche volta, se una volta, se mai*, εἴποτε. ¶ 1. Generatim. *Ter. Eun.* 3. 1. 14. Negotii siquando odium ceperat. *Cic. Amic.* 15. 52. Siquando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. *Liv.* 8. 4. Siquando unquam usurpandæ libertatis tempus optastis. *Virg.* 3. *G.* 98. siquando ad prœlia ventum est. *Id.* 12. *Æn.* 851. Siquando letum horrificum morbosque deum rex Molitur. *V.* SI et QUANDO. ¶ 2. Speciatim est siquando unquam. *Ovid.* 2. *Art. am.* 15. Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea favete. *Stat.* 1. *Achill.* 509. Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri. Adde *Val. Flacc.* 5. 474., ubi alia congessit *Broukus.*

SĪQUĪDEM, conjunctio causalis (si *et* quidem). Scribitur, sed minus recte, etiam divisim *si* et *quidem:* quæ particulæ significationem suam ubique servant: *si* vero etiam quantitatem mutat, fit namque sæpenumero brevis. V. *Brix* ad *Plaut Mil. glor.* 1. 1. 28. et *Spengel* ad *Ter. Andr.* 3 1. 7. — Siquidem est quoniam, quandoquidem, quippe, etenim, *poichè, già che, essendo che*, εἴγε, εἴπερ. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Illius patientiam pæne obsessionem appellabant, siquidem ex castris egredi non liceret. *Sall. Orat. Licin. ad pleb. in fin.* Plebes pro victa est, et in dies magis erit: siquidem majore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem. *Cic.* 6. *Att.* 1. Quare non σκέπτεται tua industria, quod vereris; sed præclare ponitur: siquidem id egisti, ut ego delectarer. *Id. Parad.* 3. 1. *sub fin.* Sequitur igitur, ut etiam vitia sint paria: siquidem pravitates animi recte vitia dicuntur. *Plaut. Stich.* 5. 5. 16. Siquidem mihi saltandum est, tum vos date, bibat, tibicini. *Ovid.* 11. *Met.* 218. nec avi magis ille superbit Nomine, quam soceri. siquidem Jovis esse nepoti Contigit haud uni: conjux dea contigit uni. *et* 10. *ibid.* 104. pinus Grata deum matri: siquidem Cybeleius Attis Exuit hac hominem truncoque induruit illo. Adde *Juvenal.* 6. 620. et *Stat.* 3. *Silv.* 3. 151. ¶ 2. Speciatim est si certe, si tamen, si modo, *se certamente, se pure*, et rectius junctim scribitur, quam divisim, quum hic quoque prima syllaba corripiatur. *Ovid.* 4. *Fast.* 603. Hoc quoque tentemus, siquidem jejuna remansit: Sin minus, inferni conjugis uxor erit. *Id.* 3. *Amor.* 7. 17. Quæ mihi ventura est, siquidem ventura, senectus? *Alii leg.* siqua est ventura. *Ter. Heaut.* 2. 3. 99. SY. Quid aliud tibi vis? CLIT. Siquidem hoc fit. SY. siquidem? Experiundo scies? *Id. Andr.* 3. 1. 7. *et Eun.* 4. 4. 49. Quid ego audio? actum est, siquidem hæc vera prædicat. *Cic. Planc.* 8. *a med.* Tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci, siquidem cum Atinatibus conferantur. *Id.* 2. *Cat.* 4. 7. O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam hujus Urbis ejecerit! *Id. Pis.* 35. *sub fin.* Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarii? siquidem potest vi et metu extortum, honorarium vocari. *Seneca Agam.* 304. Nil moror jussu tuo aperire ferro pectus ærumnis grave. CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 45. Siquidem ille ipse non vult, et tu sensisti esse in eo peccatum, aderam etc. ¶ 3. Sequente *tamen* vim habet τοῦ *quamvis. Colum. R. R. præf. sub fin.* Ille, quem nos perfectum esse volumus agricolam, siquidem artis consummatæ non sit, *etc.* multum tamen profecerit, si . . *Plaut. Rud.* 5. 3. 5. Tuusne est? LA. rogitas? siquidem hercle Jovis fuit, meus est tamen. Adde *Mil. glor.* 2. 2. 32.

SĪQUIS *et* siqui, siqua *et* siquæ, siquod *et* siquid (si *et* quis *vel* qui) *Sicis* pro *siquis* legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1056. 1. — *Siqua* femininum recti casus singularis est a *siquis:* at *siquæ* est a *siqui.* Similiter *siqua* neutrum plurale est a *siquis:* et *siquæ* a *siqui.* Certius tamen est in neutro plurali *siqua*, quam *siquæ*, et omnino præferendum. — Scribitur sive conjunctim sive divisim. — *Siquis* et *siqui* est *A*) Pronomen; et *B*) Adjectivum.

A) *Siquis*, pronomen, est idem ac si aliquis, *se alcuno*, εἴτις. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Ter. Heaut.* 1. 1. 99. Ingenio te esse in liberos leni puto, et illum obsequentem, siquis recte aut commode tractaret. *Cic. Cluent.* 12. 33. Itaque ei legat grandem pecuniam a filio, siqui natus esset. *Id. Cæcin.* 30. 87. Siqui meam familiam de meo fundo dejecerit: siqui mihi præsto fuerit cum armatis hominibus. *Ter. Heaut.*

prol. 44. Si quæ laboriosa est, ad me curritur. *Alii leg.* qua. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (85). Sicui libeat altius ista persequi. *Id.* 30. *ibid.* 11. 30. (103). Sicujus cura efficacior esset inquirentis. *Id.* 9. *ibid.* 44. 67. (145). Siquem nandi voluptas invitet. *Sillig.* ubique divisim dedit. *Plaut. Asin.* 1. 1. 104. Si quid opus fuerit. *Cic.* 1. *Att.* 10. *extr.* Quasi mihi siqua parta erunt, per te parta sint. *Ovid.* 5. *Fast.* 276. Jus tibi discendi, siqua requiris, ait. *Cic.* 16. *Att.* 5. *circa med.* Etiam rogo, ut siquæ minus antea constanter ab eo fieri videbantur, ea judices illum abjecisse. *Virg.* 2. *Æn.* 420. siquos obscura nocte per umbram Fudimus. — *b*) Eleganter *alius* additur. *Sueton. Claud.* 40. Vociferatus est, siquem alium, et se liberum esse. ¶ 2. Speciatim, ut videtur, pro quisque apud *Cyprian. Ep.* 76. (69). Quisque autem de collectis foras exierit, id est si quis recesserit et ab Ecclesia exierit. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Addidit munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. et 3. *Hist.* 58. Amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus.

B) *Siquis*, adjectivum. — *a*) Universim. *Cic.* 4. *Att.* 2. *circa med.* Si quæ vis esset facta. *Alii leg.* qua. *Virg.* 7. *Ecl.* 40. Siqua tui Corydonis habet te cura, venito. *Id.* 3. *G.* 489. siquam (*hostiam*) ferro mactaverat. *Id.* 4. *Æn.* 520. siquod non æquo fœdere amantes Curæ numen habet. *Cic.* 7. *Verr.* 8. 19. Ut crimini reo putemus esse oportere, siquo de homine severius judicavit. *Virg.* 1. *Æn.* 582. Siquibus ejectus silvis aut urbibus errat. — *b*) Aliquando divisim, interjecta una aut pluribus vocibus. *Plaut. Most.* 1. 2. 3. Atque in meo corde, si est quod mihi cor, Eam rem volutavi. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 10. O si urnam argenti fors quæ mihi monstret! *Alii leg.* qua. *h. e.* si qua ratione. — *c*) Eleganter *ullus* additur. *Virg.* 10. *Æn.* 861. res siqua diu mortalibus ulla. — Hinc

Siqui, et *siqua*, absolute, in sexto singulari est siqua ratione. *Plaut. Trin.* 1. 2. 83. Siqui probiorem facere possis. *Id. Cist.* 1. 3. 35. Siqua queat reperire, quæ sustulerit. *Virg.* 1. *Æn.* 22. Siqua fata sinant. *Id.* 6. *ibid.* 883. siqua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris. (V. *Charis.* 2. *p.* 219. 2. *Keil.*)

Siquo, absolute, est si aliquo, h. e. si in aliquem locum. *Cic.* 8. *Att.* 2. Eas litteras siquo ille miserit, in publico proponat velim.

SIR hassirim, indecl. ab Hebr. sing. שיר *shir*, canticum, cui additur plur. num. ejusdem nominis cum articulo השירים *hasshirim*, cantica. — Sir hassirim est itaque canticum canticorum, *h. e.* canticum excellentissimum, seu canticum κατ' ἐξοχήν, ex usu loquendi Hebraico, speciatim qua titulus libri S. Scripturæ vet. Test. *Isid.* 6. *Orig.* 1. 20. Tertium librum *Sir hassirim* prænotavit, qui in Latinam linguam vertitur *Canticum canticorum*; ubi per epithalamium carmen conjunctionem Christi et Ecclesiæ mystice canit. *V.* integr. loc.

SĪRA, æ, f. 1. σειρά, funis vel plecta seu plexus. *Gloss. Cyrill.* πλεκτή, sira. (*Cassian.* 18. *Collat.* 15. Plectæ palmarum, quas illi (*Ægyptii*) siras vocant.) — Obscena significatione in *Gloss. Lat. Gr.* sira, σαῦρα, τὸ αἰδοῖον.

SIRÆUM, i, n. 2. σίραιον, Græce idem est, quod Latine sapa, *vino cotto*. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). Siræum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant, ingenii, non naturæ opus est, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.

SIRĂPA, æ, f. 1. genus condimenti, quod fit ex sampsa, h. e. suco olearum expresso, cui admiscentur sal, carenum, cyminum, semen fœniculi et anisum Ægyptium. Hæc ejus conficiendæ ratio est a *Colum.* 12. *R. R.* 49., cujus lemma est *Sirapa quomodo fiat*: at *Schneidero* aliisque *Sampsa quomodo fiat*. Ipse toto illo capite ea voce abstinet: ut de ejus Latinitate dubitari merito possit.

SIRBĒNUS, a, um, adject. (συρβηνός) qui incondite et confuse loquitur: a συρβηνός, tumultuosus, quod a συρβή, tumultus. *Fronto de orat.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Neque balbam virginem, quæ Vestalis sit, capi fas est, neque sirbenam. Cf. *Gell.* 1. 12.

SIRCĬTŬLA, æ, f. 1. genus uvæ condituris aptæ. *Colum.* 12. *R. R.* 45. *init.* Cf. voc. seq.

SIRCŬLA, æ, f. 1. genus quoddam uvæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (34). Veniculam, ollis aptissimam, Campani malunt sirculam vocare: alii staculam. At *Sillig.* rectius leg. *scirtula*.

SĪRĒDŌNES. *V.* SIREN.

SIREMPS *et* sirempse, adject. apud antiquos contractum a vocibus *similis re ipsa*, ut *Fest.* *p.* 344. 24. *Müll.* exponit. Etiam *sireps* legitur apud *Charis.* 1. *p.* 93. 24. *Keil.*, qui ait habere ablativum *siremse*. — Sirempse est igitur idem ac similis re ipsa, similis omnino. *Plaut. Amph. prol.* 73. Sirempse legem jussit esse Juppiter, Quasi magistratum sibi alterive ambiverit. *h. e.* similem re ipsa legem esse voluit, ac si quis per ambitum magistratum obtinuisset. *Seneca Ep.* 91. *a med.* Omnium rerum, quas terra premit, siremps lex esto. *h. e.* eadem lege et conditione tenentur. *Vet. S. C.* apud *Frontin. Aquæd.* 129. ET ADVERSVS EVM SIREMPS LEX IVS CAVSAQVE OMNIVM RERVM OMNIBVS ESTO VTIQVE VTI ESSET ESSEQVE OPORTERET SI IS ADVERSVS HANC LEGEM RIVVM SPECVM RVPISSET FORASSETVE. *Tab. Bantin.* *l.* 10. *p.* 15. ed. *Klenze.* EIQVE OMNIVM RERVM SIREMS LEX ESTO. Adde *fragm. judiciar.* apud *Gruter.* 508. *lin.* 21. et *p.* 628. *sub fin.* et 629. *lin.* 1. et *Caton.* apud *Fest.* *p.* 344. 26. *Müll.* Consule *Marin.*, qui (*Frat. Arv. p.* 368.) alia vetusta refert monumenta, in quibus hæc vox legitur. *V.* adnot. ad *Coleti Not. et sigl. p.* 374. et *Gesner.* in *Thesaur.*

SĪREN, ēnis, *sæpius plur.* Sirenes, um, f. 3. (Σειρήν) — *a*) Alia forma est *Sirena*, æ, apud *Hieronym. Ep.* 18. *ad Eustoch.* et *Ep.* 48. *ad Fur.*, *Capell.* 6. *p.* 205. *Tertull. Apolog.* 7., *Ambros. de Jac. et vit. beat.* 2. 12., *Isid.* 12. *Orig.* 4. 29., *Lactant.* (V. infra), alios. *Prob. App.* *p.* 199. 10. *Keil.* Sirena, non Serena. — Item *Siredones*, Σειρήδονες. V. *Auson. Edyll.* infra *cit.* — *b*) Ad flexionem quod attinet, Accus. sing. a *Siren* est *Sirena*, et plur. fere *Sirenas*. — *c*) Vox videtur esse a σειρά, catena, vinculum, unde σειράζω, traho (Cf. σύρω); quare *Lactant. Placid.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 121. Sirenæ Græce, Latine trahitoriæ dicuntur; nisi velis ducere ab Hebr. *shir*, cantus, carmen; tribus enim modis, ut ait *Lactant. loc. cit.*, illecebra trahitur aut cantu aut risu aut consuetudine. — Quidquid sit de etymo, Siren, σειρήν, *sirena*, est fabulosum maris monstrum, superiori parte virginis alatæ formam habens, inferiorem volucris, clunibus, cauda et pedibus gallinaceis. Tres fuisse dicuntur, Acheloi fluminis et Calliopes vel Terpsichores vel Melpomenes Musæ filiæ, quarum nomina Parthenope, Lysia et Leucosia: aliis quatuor, Aglaosis vel Aglaopis, Thelciope, Pisno et Ilyge seu Lygia. Sed ternarius numerus pervulgatior est. Primo juxta Pelorum Siciliæ promontorium, post in Capreis, insulis Tyrrheni maris, habitaverunt canentesque suaviter una tibiis, altera lyra vel cithara, tertia voce, nautas prætereuntes morabantur, et in naufragia deducebant vel illectos cantu sopiebant, sopitos mactabant devorabantque. Quum illac aliquando Ulysses navigaret, a Circe monitus, sociis aures cera obstruxit, se ad malum alligari jussit atque ita periculum evasit. Qua re Sirenes contemni se ratæ, impatientia doloris se in mare præcipitaverunt. Eo enim fato natæ erant, ut tamdiu viverent et grassarentur, quamdiu cantantes eas audiens nemo esset prætervectus. Addunt, fuisse olim virgines pulcherrimas, socias Proserpinæ: quam raptam quum diu terra quæsissent, mari quoque quærere optasse: ita volucres factas: vel, quod ei auxilium contra Plutonem non tulissent, a Cerere in marina monstra conversas. *Hygin. præf. a med.* et *fab.* 125. et 141., *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 254., *Serv.* ad 5. *Æn.* 864., *Ovid.* 5. *Met.* 552. et *seqq.* et *Martial.* 3. 64. Revera, inquit *Servius*, fuerunt meretrices, quæ transeuntes quoniam deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia. *Ciceroni* 5. *Fin.* 18. 49. videntur non vocum suavitate aut novitate cantandi navigantes revocasse, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhærescerent. Fuerunt, qui et aves quasdam in India esse tradiderint, Sirenas appellatas, cantu homines mulcentes, ut deinde somno sopitos lacerarent, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. (136). narrat. Adde *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1835. *p.* 101., ubi Sirenes dicuntur esse Musæ infernales. — Ex his conjicere est, Sirenum fabulâ documentum hoc adumbratum esse, homines malis cupiditatum illecebris captos ad interitum perduci. Cf. et *Preller, Gr. Myth.*

I.) Proprie. *Virg. loc. cit.* scopulos Sirenum advecta subibat. *sc.* parvas ac scopulosas insulas ad Campaniam inter Surrentum et Capreas, *Licosa, S. Pietro, Galetta* Italice dictas. *Ovid. Remed. am.* 789. Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro Esse puta. remis adjice vela tuis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 23. Sirenum voces. *Sil. It.* 14. 473. Siren assuetos effudit in æquore cantus. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 204. *de eadem.* telæ labor illi; Sirenes requies; sermonum gratia mecum. *h. e.* quiescebat a labore audiendo Sirenum comitum cantus. *Petron. Sat.* 5. Seu Lacedæmonio tellus habitata colono Sirenumque domus. *h. e.* Neapolis, quæ et *Parthenope* a tumulo Sirenis appellata est, ut *Plin.* docet 3. *Hist. nat.* 5. 9. *circa med.* *Petron. carm. min.* 5. 17. *Wernsd.* Sirenum cantus et dulcia plectra Thaliæ. *Hieronym. Ep.* 18. *ad Eustoch.* Quid cum hoc dulci et mortifero Sirenarum cantu? Adde *Ep.* 48. *ad Furiam.* Adde *Cic.*, *Martial.* aliosque supra cit. *Auson. Edyll.* 11. Tres in Trinacria Sirenes: omnia terna: Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ: Ter tribus ad palmam jussæ certare Camenis, Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes. *Schenkl* leg. Siredones (Κηληδόνες *M. Schmidt* in *Mus. Rhen.* XX. 299.); *alii* Sirenides (Cf. *Priscian. Perieg.* 354.). — De typo Sirenum in Numis Petronii Turpiliani aliisque monumentis V. *Cavedoni* in *Bullett. archeol. Napolet. a.* 1857. *p.* 105. et *seqq.*

II.) Improprie. ¶ 1. *Sirenes* sunt fucorum genus inter apes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (48). ¶ 2. Item serpentes alati. *Isid.* 12. *Orig.* 4. 29. In Arabia serpentes sunt cum alis, quæ sirenæ vocantur, quæ plus currunt ab equis, sed etiam et volare dicuntur, quarum tantum virus est, ut morsum ante mors insequatur quam dolor. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. et *seqq.* et *Vulgat. interpr. Is.* 13. 22.

III.) Translate. ¶ 1. *Siren* dicitur de rebus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 14. vitanda est improba Siren, Desidia. *Juvenal.* 14. 18. qui gaudet acerbo Plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis Comparat. *h. e.* cantionem vel suavissimam. ¶ 2. Tribuitur etiam poetis. *Vet. Poeta* apud *Sueton. Gramm.* 11. Cato grammaticus, Latina Siren. *scil.* propter facultatem poeticam.

SĪRĒNA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SĪRĒNÆUS *et* Sirenius, a, um, adject. ad Sirenas pertinens. *Gell.* 16. 8. *in fin.* Ne in illis dialecticæ gyris atque mæandris, tamquam apud Sirenios scopulos, consenescas. *Ammian.* 29. 2. *a med.* Ut videretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sirenios transgressurus. *Alii leg.* Sirenæos. *Hieronym. Ep.* 82. *n.* 5. Sirenæos cantus obturata aure pertransis. *V.* SIREN.

SĪRĒNIS, idis, f. 3. (Siren) ad Sirenas pertinens, Sirenius. *Priscian. Perieg.* 354. Ad Noton est, longe supra Sirenida rupem, Picentis Silari gurges, spectabile flumen. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 864. Adde *Auson. Edyll.* 11. 20. *cit.* in SIREN; ubi absolute usurpatum leg. nonnulli.

SĪRĒNĪTIS, idis, f. 3. (Siren) locus fabulosus inter Italiam et Siciliam, ubi sedem habere dicebantur Sirenes. *Hygin. fab.* 141., ubi alii leg. *Sirenides*. V. SIREN.

SĪRĒNĪUS. *V.* SIRENÆUS.

SIREPS. *V.* SIREMPS.

SIRĪĂCUS, a, um, adject. (Sirius) ad Sirium astrum pertinens. *Avien.* in *Arat.* 285. Et ceu Siriaco torretur spica calore.

SĪRĬĂSIS, is, f. 3. σειρίασις, morbus, ex inflammatione membranarum cerebri cum corporis totius siccitate, qualem vehemens solis æstus tempore solstitii, aut diebus canicularibus solet afferre, imprimis pueris, quem fortasse solstitialem morbum *Plautus* vocat in *Trin.* 2. 4. 143. Est a σειριάω, æstu laboro: quod a Σείριος, Sirius. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 48. (138). Siriases infantium spongia frigida crebro humefacta sanat. *Id.* 22. *ibid.* 21. 29. (59). Folia infantium distillationibus, quod siriasin vocant, illita medentur. *Id.* 30. *ibid.* 15. 47. (135). Ossibus in canino fimo inventis adustio infantium, quæ vocatur siriasis, adalligatis emendatur.

SĪRĬCĀRĬUS. *V.* SERICARIUS.

SĪRĬCUS. *V.* SERICUS.

SIRIM pro Siverim. *V.* in SINO init.

SĪRINGĬĀNUS. *V.* SYRINGIANUS.

SIRĬUM, ĭi, n. 2. herba, alio nomine Artemisia, et serpyllum majus. *Apul. Herb.* 10.

SĪRĬUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

SĪRĬUS, ĭi, m. 2. (Σείριος) *Sirion*, accus. Græc. posit., usurpat *Capell.* 2. *p.* 24. Qui trahit æstifero fulgentem Sirion ortu. — Sirius est stella in ore Caniculæ, vel, ut placet *Hygino* 3. *Astron.* 34. et 2. *ibid.* 35., in capite Canis, quæ in cæli centro cum Sole conjuncta æstum ejus duplicat mortaliumque corpora nimio calore languida reddit. *Virg.* 3. *Æn.* 141. tum steriles exurere Sirius agros. *Id.* 4. *G.* 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Tibull.* 1. 8. 21. arentes quum findit Sirius agros. *Val. Flacc.* 5. 369. quum magis asperat ignes Sirius, et sævo quum nox accenditur auro. *Id.* 1. 683. Calabri populator Sirius arvi Incubuit. *Lucan.* 10. 211. rapidos qua Sirius ignes Exserit. *Claudian. Laud. Seren.* 6. flores Sirius urit æstibus. *Id. de Apono*, 92. sævo Sirius igne nocet. *Id. Nupt. Honor. Fescenn.* 20. gelido specu Torrentiorem fallere Sirium. *Lucil. Ætn. v.* 597. vigil fervens quum Sirius ardet. *V.* CANICULA. — Hinc

Sirius, a, um, adject. ad Sirium pertinens. *Virg.* 10. *Æn.* 272. (et *Colum.* 10. *R. R.* 289.) liquida si quando nocte cometæ Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor. *Prudent.* 12. *Cathemer.* 22. Et siquod astrum Sirio Fervet vapore.

SIRO, onis, m. 3. genus extuberationis in cute, de quo *Trotul.* 48. *p.* 77. retro *Ald.* Ad formicationes et sirones ubicumque sint in corpore, maxime in facie et in fronte frumentum distemperamus cum vino, pulvere olibani apposito, et ad modum emplastri loco apponimus.

SĪRŎMASTES, æ, m. 1. σειρομάστης, genus pugionis seu lanceæ, vel baculi unco instructi. *Hieronym. Ep.* 109. *n.* 3. Legi enim siromastem Phinees, austeritatem Eliæ. Adde *eumd. Ep.* 147. *n.* 9. et *Ambros.* in *Ps.* 118 *serm.* 18.

SIRPĀTUS. *V.* SCIRPATUS.

SIRPE *vel* syrpe, is, n. 3. *Silpe* legitur in *Gloss. Lat. Gr.* Silpe, σίλφιον. — Sirpe est planta eadem, quæ Silphium Græce, et laser, apud Cyrenenses nascens. *V.* LASERPITIUM (Cf. σέρφον). *Plaut. Rud.* 3. 2. 16. Si speras, tibi hoc anno multum futurum sirpe et laserpitium. *h. e.* largum fore proventum sirpis et suci ejus.

SIRPĔĀ. *V.* SCIRPEA.

SIRPEX, ĭcis, m. 3. idem quod irpex, addita littera *s* aspirationis loco. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Sirpices, postea irpices, *s* detrito, a quibusdam dicti. In *Lex.* apud *Freund* et *Klotz* desideratur. *V.* IRPEX.

SIRPĬCŬLA, æ, f. 1. *et*

SIRPĬCŬLUS, i, m. 2. *V.* SCIRPICULUS.

SIRPĬCUS, a, um, adject. (sirpe) ad sirpen pertinens, ut Sirpicum lac, h. e. laserpitium. *V.* LASERPITIUM. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

SIRPO. *V.* SCIRPO

SIRPUS. *V.* SCIRPUS.

SIRŬLŪGUS, i, m. 2. animal quoddam, quod nec quale esset, nec ubi nasceretur, traditum est ab auctoribus. Ita *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 52. (146). ubi *Harduinus* ex MSS. *subjugus* legit. *Silligius* aliique recentiores hanc lectionem secuntur.

SĪRUS, i, m. 2. Sunt etiam qui scribunt *syrus*, sed minus recte. *V.* tamen infra. — Quod ad etymon, quidam putant esse vocem Persicam; sed recentiores a Chaldaico שׁיר *Sheir*, caverna, deducunt; unde Horræi *Seiritæ* dicti, quod in cavernis habitarent. Cf. *Nickes, de libr. Esther P.* 1. *p.* 221. — Sirus ¶ 1. Est proprie spelunca subterranea condendo et asservando frumento effossa, σειρός et σιρός. *Varro* 1. *R. R.* 57. Quidam granaria habent sub terris, speluncas, quas vocant σειρούς, ut in Cappadocia et Thracia. Adde *ibid.* 63. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (306)., qui Latinis litteris *siros* habet. *Colum.* 1. *R. R.* 6. Transmarinis quibusdam provinciis puteorum in modum, quos appellant siros, exhausta humus, editos a se fructus recipit. *Curt.* 7. 4. 24. Tritici nihil aut admodum exiguum reperiebatur. Siros vocant Barbari, quos ita solerter abscondunt, ut nisi qui defoderunt, invenire non possint. Meminit, sed tacito nomine, etiam *Auct. B. Afr.* 65., item *Vitruv.* 6. 8., ubi vocat cryptas. Cf. *Bochart, Hieroz.* 11. 4. 21., *Huet* in *Manil. v.* 276. et *Stewech* in *Veget.* 3. 3. ¶ 2. Est etiam scopa. *V.* SYRUS.

SIS duo diversa significat: est scilicet

A) Sis, vox contracta ex *si vis*, teste *Cic. Orat.* 45. *ad fin.* Libenter etiam verba jungebant, ut *sodes* pro *si audes*, *sis* pro *si vis*. — Usurpatur autem in sermone familiari et adnectitur secundæ personæ sing. verborum modi imperativi, ut *agesis*, *abisis*, *capesis*, *videsis* etc. pro *age sis*, *abi sis* etc. — Sis itaque est idem ac si vis, se vuoi, se ti piace, se ti aggrada o garba: et fere adhibetur, quum quippiam imperatur, præsertim apud Comicos. Quia enim, inquit *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4. 7. 29., imperativa sunt contumeliosa, addebant *sis*, ad imperium leniendum. quamquam et severe imperantis est, et stomachantis. — *a)* Universim. *Plaut. Cas.* 2. 2. 31. Tace, sis, stulta: noli, sis, tu illi advorsari. *Id. Pers.* 3. 3. 8. Accipe, sis, argentum, impudens; tene, sis, argentum. *Ter. loc. cit.* Cave, sis: nescis, cui nunc maledicas viro. *et* 2. 3. 19. Fac, sis, nunc promissa appareant. *et Heaut.* 1. 2. *in fin.* Vide, sis, ne quo hinc abeas longius. Adde *Plaut.* sæpissime, cujus illa sunt *age sis*, *cape sis*, *apage sis*, *abi sis*, *cedo sis* etc., quæ quidam etiam conjuncte scribunt. *Cic.* quoque usurpavit *Rosc. Am.* 16. *ad fin.* Age nunc, refer animum, sis, ad veritatem. — *b)* Aliquando præponitur ipsi verbo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 26. Sis, jube transire huc, quantum potest. *et ibid.* 45. Illuc sis, vide, quemadmodum abstitit, severa fronte curas cogitans. *Ter. Adelph.* 5. 1. 4. Illud sis, vide exemplum disciplinæ! *Plaut. Pers.* 4. 4. 104. Ne, sis, plora: libera eris actutum.

B) Sis, pronomen. *V.* SOS et SUI.

SĪSĂMA et

SĪSĂMUM. *V.* SESAMUM.

SISĂRA, æ, f. 1. herbæ genus, idem quod erice. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (42). Ericem Athenienses tetralicem, Eubœa sisaram. At *Sillig.* sisirum, et *Jan* cum *Detl.* sisyrum. *Varro* 3. *R. R.* 16. Ex alia re faciunt mel, ut ex sisaræ flore. *Schneiderus* siseræ: at *Pontedera Antiqu. Rom.* et *Græc. p.* 459. ex *Crescentio* legit ciceris aut ex conjectura *ciceræ*. — *NB.* De nom propr. *V.* ONOM.

SĪSER, ĕris, m. et n. 3. σίσαρον, ἄγριον σέλινον, ut reddit *Charis.* 1. *p.* 19. *Putsch.*, herba pastinacæ non dissimilis (*Sium sisarum* Linn.). — *a)* In masc. gen. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 17. (35). Hicesius ideo stomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres siseres edendo continuaret. *Colum.* 10. *R. R.* 114. Jam siser Assyrioque venit quæ semine radix. — *b)* In neutr. gen. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 28. (90). Siser et ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Inest longitudine nervus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ, mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. — *Colum.* 11. *R. R.* 3. *circa med.* Pastinaca et siser atque inula convalescunt alte pastinato et stercorato solo. — Ejus varios usus in medicina persequitur *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 17.

SISĔRA. *V.* SISARA.

SĪSICHTHON, ŏnis, m. 3. σεισίχθων, ονος, epitheton Neptuni terram quatientis, ut *ennosigæus*: a σείω, quatio, et χθών, ονός, terra. *Ammian.* 17. 7. *ad fin.* Neptunum, humentis naturæ potestatem, Ennosigæon et Sisichthona poetæ veteres et theologi nuncupaverunt.

SĪSIMBRIUM. *V.* SISYMBRIUM.

SISĪRUM. *V.* SISARA.

SISON Agrion, herba caule fœniculi, radice magna, nigra et gravissimi odoris, suco plena, flore nigro, alio nomine peucedanos et pinastellus. *Apul. Herb.* 94.

SISPES, ĭtis, et

SISPĬTA, æ. *V.* SOSPES et SOSPITA.

SISSEM pro Sivissem. *V.* SINO init.

SISSINA, æ, m. 1. (sissio?) vox adhibita, ut videtur, vulgo in blanditiis de puerulis. Cf. *Gloss. Lat. Gr.* sissiat, χάθηται, ἐπὶ βρέφους. *et ibid.* Siat, οὐρεῖ, ἐπὶ βρέφους. *Inscript.* apud *Mommsen n.* 6902. DIS INIQVIS QVI RAPVERVNT ANIMVLAM TAM INNOCVAM L. TETTI ALEXANDRI IS V. A. V. D. XI. MVSCAE CHARITOSO SISSINAE BENEDICTO VERE MERENTI THREPTION CAES. N. DOCTOR THRAEC. FECIT.

SISTA, vox ignotæ significationis, quæ legitur in antiquiore quadam precandi formula seu cantione apud *Caton. R. R.* 160. HVAT HANAT HVAT ISTA PISTA SISTA etc.

SISTARCHĬA. *V.* SITARCHIA.

SISTENS, entis, particip. *V.* SISTO.

SISTENTO, as, ātum, are, a. 1. Vox incertæ scriptionis, quam recentiores rejiciunt, usurpata pro ostento. *Tac.* 15. *Ann.* 18. Nero frumentum corruptum in Tiberim injecit, quo securitatem annonæ sistentaret. Ita leg. *Lipsius*, quamvis fateatur in omnib. libris esse sustentaret: ceterum *u* et *i* facile permutantur. Attamen, inquit cl. *Furlanetto*, est legendum *ostentaret*, quod optimæ habent editiones. Idem *Lips.* ad confirmandam suam lectionem affert locum *Plaut. Truc.* 2. 2. 14. Advenisti huc sistentatum cum exornatis ossibus. *Alii tamen plures rectius leg.* Advenì istuc (*alii* Advenisti huc nos), sis, tentatum cum exornatis ossibus. *Orellius* apud *Tac.* legit *sustentaret* cum *Walthero* contra *Ryckium*. Apud *Plaut.* vero *Gronovius* vult omnino esse legend. *ostentatum*. Viderint eruditi.

SISTIS pro Sivistis. *V.* SINO init.

SISTO, sistis, stĭti *et* stĕti, stătum, sistere, 3. — *a)* Ad formam quod attinet, præteritum *steti* confirmat *Gell.* 2. 14. In libro vetere M. Catonis scriptum sic erat: Quid, si vadimonium capite obvoluto stitisses? Recte ille quidem *stitisses* scripsit: sed falsi et audaces emendatores, *e* scripto per libros, *stetisses* fecerunt, tamquam *stitisses* vanum et nihili verbum esset. Quin potius ipsi nequam et nihili sunt, qui ignorant, *stitisses* dictum a Catone, quoniam *sisteretur vadimonium*, non *staretur*. Sed veteres Grammatici *Charis.* 3. *p.* 220. *Putsch.*, *Diomed.* 1. *p.* 369. *et* 376. *et Priscian.* 10. *p.* 903. præteritum faciunt *steti*, atque etiam *statui*: et illud quidem, quum absolute usurpatur neutrorum more: hoc autem, quum active addito accusativo. Hæc tamen nullo testimonio confirmant. Verius dixeris, *stiti* in solo usu esse rei forensis: in aliis non item. Nam ex verbis *Gellii* satis colligitur, a *sisto* non gigni *steti*, sed *stiti*. Ita *Forcellinus*. Ceterum *sisto* videtur per reduplicationem factum a *sto* (Cf. Gr. ἵστημι); unde præteritum *sistiti*, et per aphæresin *stiti*, ut *tuli* a *tetuli*. Porro scriptores pro *stiti* aliquando a *sto* mutuati sunt *steti*, ut in *sido* præterit. *sedi* a *sedeo* pro *sidi* usurpatum est. — *b)* Ratione habita etymi, ducunt a Skr. *stha* ejusdem significationis; unde et Gr. ἱστάω sive ἵστημι. — Part. *Sistens* sub *B* 2; *Status* sub *A* I. 6. et II. 4. et in fin.; *Sistendus* sub *A* I. 1. *b* et 6. — Sisto occurrit *A)* Transitive; et *B)* Neutrorum more.

A) Sisto transitive est stare facio, quod erat in cursu aut motu, retineo, reprimo, ἐφίστημι (It. *fermare, arrestare*; Fr. *arrêter, retenir,*

contenir; Hisp. *detener, impedir de moverse, impedir, suspender*; Germ. *einhalten, anhalten, hemmen*; Angl. *to stop, stay, arrest*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De animantibus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 73. Ego jam illum huc tibi sistam in viam. *Liv.* 10. 14. Sistere Samnitem. *Ovid. Remed. am.* 80. In primo limine siste pedem. *Virg.* 6. *Æn.* 465. (et *Propert.* 4. 10. 36.) Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro. *Id.* 12. *ibid.* 355. Sistere equos. *Sil. It.* 2. 98. cervum vulnere. — *b*) De inanimis. *Virg.* 5. *Æn.* 489. Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro. *Tib.* 1. 2. 44. Sistere iter fluminis. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Xystus ventum sistit. *Propert.* 2. 1. 86. Sistere currum. *Martial.* 13. 116. et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 96. (256). ventrem. (Sic 22. *ibid.* 25. 61. (129). et 23. *ibid.* 6. 60. (113); Sistenda alvus.) *Id.* 23. *ibid.* 7. 71. (137). sanguinem. *Plin.* alter 7. *Ep.* 9. *in carm.* fontes incendia sistunt. — Passive. *Tac.* 15. *Ann.* 54. Vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare monet. ¶ 2. Speciatim est firmare nutantem ruentemve fulcire. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (15). Sucus cum aceto mobiles dentes sistit. — Hinc *sisti non potest*, coerceri, reprimi, firmari, ab exitio vindicari non potest: actum est: pereundum est. *Liv.* 2. 29. *a med.* Totam plebem ære alieno demersam esse: nec sisti posse, ni omnibus consulatur. *Id.* 45. 19. Si vero ad externum bellum domestica seditio adjiciatur, sisti non posse. Adde alia ex *eod.* et *Tac.*, *Justin.*, *Curt.* etc. congesta a *Gronov.* ad *Liv.* 4. 12. Et active *Cic.* 5. *Verr.* 96. 223. Quid possumus contra illum prætorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam sistere negat posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur? *h. e.* stare. Est qui mallet *subsistere*. ¶ 3. Item *sistere aliquid*, statuere, ponere, collocare, *mettere, piantare*. *Virg.* 2. *Æn.* 245. Et monstrum infelix sacrata sistimus arce. *Id.* 10. *ibid.* 322. ecce Pharo, voces dum jactat inertes, Intorquens jaculum clamanti sistit in ore. — Passive. *Tac.* 4. *Ann.* 37. Quum Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset. *et* 4. *Hist.* 53. Ut templum iisdem vestigiis sisteretur. *Id.* 15. *Ann.* 18. Romæ tropæa de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur. ¶ 4. *Sistere fana*, inquit *Festus*, quum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum sacrorum constituere: quod Antistius Labeo ait in commentario quintodecimo juris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis et diis habere. ¶ 5. *Sistere aliquem*, collocare, ponere, *mettere, posare*. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 7. Molliter siste nunc me: cave, ne cadam, non vides me, ut madide madeam? *Virg.* 2. *G.* 488. o qui me gelidis in vallibus Hæmi Sistat et ingenti ramorum protegat umbra! *Id.* 2. *Æn.* 620. et tutum patrio te litore sistam. *et* 10. *ibid.* 308. Turnus rapit acer Totam aciem in Teucros et contra in litore sistit. *h. e.* opponit Æneæ militibus excensionem molientibus. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Multa nocte cohortes expeditas, summis montium jugis, super caput hostium sistit. *Virg.* 4. *Æn.* 634. Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem. *fammi venir qua.* et *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 73. pedes ego illam jam huc tibi sistam in viam. *te la farò vedere qui in istrada.* et *Propert.* 3. 15. 41. Tu modo servitio vacuum me siste superbo. *h. e.* pone, constitue me liberum a superbo servitio. *Plaut. Merc.* 5. 2. 49. Quid si animus fluctuat. EU. Ego istum in tranquillo et tuto sistam: ne time. — De hostiis seu oblatis, quæ ad aram vel templum admoventur. *Virg.* 8. *Æn.* 85. Æneas (*suem*) Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram. Cf. *Vulgat. interpr.* *Luc.* 2. 22. ¶ 6. *Sistere se*, copiam sui facere, se exhibere, se præsentare, *presentarsi, comparire*. *Cic.* 3. *Att.* 25. Abs te peto, des operam, ut te ante Kal. Januar., ubicumque erimus, sistas. *et* 10. *ibid.* 16. *in fin.* Te vegetum nobis in Græcia siste. — Ducta est hæc loquendi ratio a consuetudine forensi; *sistere* enim *se* dicuntur, qui, citati in jus, apparent stato die cum adversario, *comparire in giudizio*: habetque usum hac ratione etiam in præteritis. *Cic. Quinct.* 6. 25. Testificatur iste, P. Quinctium non stitisse, et se stitisse. *Plaut. Curc.* 1. 3. 6. Ubi es tu, qui me libello Venerio citavisti? ecce me. Sisto ego tibi me: et mihi contra itidem te ut sistas, suadeo. *Ulp. Dig.* 2. 10. 1. Si reus dolo actoris non stiterit. — Passive. *Id. ibid.* 6. 3. Quum quis in judicium sisti promisit, neque adjecit pœnam, si statum non esset. *et ibid.* 9. 1. Si quis eum, de quo noxialis actio est, judicio sisti promisit. *Cic. Quinct.* 7. *extr.* Ita disceditur, ut Idib. Septembr. P. Quinctium sisti Sex. Alphenus promitteret. Adde *Paul. Dig.* 2. et 6. *Nerat. ibid.* 2. 11. 14. Si procurator ita stipulatus, ut sistat dumtaxat eum, quem stipularetur, non etiam pœnam, si status non esset. *et mox.* Tantum ex ea stipulatione, non stato reo, procuratori debeatur. *Ulp. ibid.* 9. 1. 5. Si desinat servus esse promissoris, non videri in eadem causa statum. — Huc et illa pertinent *Cic.* 3. *Off.* 10. *sub fin.* Vas factus est alter ejus sistendi, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. *Plaut. Rud.* 3. 4. 72. Promisimus carnifici aut talentum magnum, aut hunc hodie sistere. *Ulp. Dig.* 2. 9. 5. Si servum in eadem causa sistere quis promiserit, et liber factus sistantur. ¶ 7. Hinc *sistere vadimonium*, vadimonium obire, stato die in judicio adesse. *Cic. Quinct.* 8. 29. Venit Romam Quinctius, vadimonium sistit. *Nepos Att.* 9. *a med.* Tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Adde *Gell. loc.* supra *cit.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ ex super. paragr. 1. *Plin.* 10. *Ep.* 97. Vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: quæ videtur sisti et corrigi posse. *Seneca Agam.* 203. et *Med.* 157. Sistere impetum. *Id. Hippol.* 248. furorem. *Ovid. Heroid.* 16. 69. certamina. *Id.* 1. *Fast.* 367. lacrimas. *Id.* 14. *Met.* 835. (et *Seneca Hippol.* 1263.) fletus. *Id. Heroid.* 20. 179. Siste metum, virgo: stabili potiere salute. *Id.* 7. *Met.* 711. Siste tuas, ingrate, querelas. *et* 5. *ibid.* 490. immensos siste labores. *et* 3. *ibid.* 153. Sistite opus præsens nodosaque tollite lina. *h. e.* intermittite. *Tac.* 4. *Ann.* 48. Thracibus permissum vastare, trahere prædas, dum populatio lucem intra sisteretur. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 16. Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pæne marini: Qui potus dubium sistat, alatne sitim. ¶ 2. Metaphorâ ex super. paragr. 2. sumptâ. *Virg.* 6. *Æn.* 858. Hic rem Romanam, magno turbante tumultu, Sistet. *Plin. Paneg.* 50. Magnum hoc tuum erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere. *Liv.* 3. 16. Vix concordia sisti posse videbatur. *et ibid.* 20. *in fin.* Non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit. ¶ 3. Metaphorâ ex super. paragr. 3. deromptâ. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 28. Ita mihi salvam ac sospitem rempublicam sistere in sua sede liceat. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 122. Restituentur omnia: suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit. *Ovid* 15. *Met.* 492. ab quoties flenti Theseius heros, Siste modum, dixit. *h. e.* pone modum lacrimis. ¶ 4. Hinc est constituere, condicere, *accordare, stabilire*, τάσσω. *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. Indicant duodecim Tabulæ: Aut status dies cum hoste. *Festus p.* 314. 12. *Müll.* Status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum peregrino. ejus enim generis ab antiquis hostes appellabantur, quod erant pari jure cum populo R., atque hostire ponebatur pro æquare. Plautus in Curculione (1. 1. 5.) Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum, quo imperant (Venus Cupidoque) ingratiis.

B) *Sisto*, neutrorum more vel absolute, translaticium est, consistere, sedere, quiescere, *stare, fermarsi, posarsi*. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 3. *Æn.* 7. Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur. *Id.* 11. *ibid.* 872. Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes Sustentare valet telis, aut sistere contra. *Id.* 1. *G.* 479. sistunt amnes terræque dehiscunt. *Varro* 6. *L. L.* 8. *Müll.* Solstitium, quod sol eo die sistere videatur. *Lucret.* 4. 415. conlectus aquæ digitum non altior unum, Qui lapides inter sistit per strata viarum. *Id.* 2. 602. Aeris in spatio magnam pendere docentes Tellurem, neque posse in terra sistere terram. *h. e.* niti. *Seneca Thyest.* 744. Hactenus sistat nefas, plus est *Atreus*. *h. e.* hic finem habeat, desinat. — Hinc *ore et capite sistere* est, vultu aut capite terræ impacto, subsistere: quod faciunt, qui gravi et subito casu decidunt. *Plaut. Capt.* 4. 2. 11. Interminor, nequis mi obstiterit obviam. nam qui obstiterit, ore sistet, *si troverà colla faccia per terra*. et *Curc.* 2. 3. 8. Neo quisquam sit *etc.* quin cadat, quin capite sistat in via de semita. ¶ 2. Speciatim est resistere, obstare, contra stare. *Tac.* 1. *Hist.* 35. Galba irruenti turbæ neque ætate, neque corpore sistens, *h. e.* resistens, ut plerique optima conjectura legendum putant; videtur enim prima syllaba absorpta a finali præcedentis verbi, ut sæpissime alibi in MSS. Sed recentiores nihil mutant. *V. Orell.* ad *h. l.* ¶ 3. Item pro esse, existere. *Manil.* 3. 529. Tempora quod sistant propriis parentia signis. *Id.* 4. 546. Felix æquato genitus sub pondere Libræ, Judex extremæ sistet vitæque necisque. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Status, a, um, adjective quoque occurrit. ¶ 1. Est certo et definito tempore aut die recurrens, fixus, stabilis, *fisso, determinato*: ut *statæ feriæ* (de quibus *V.* STATIVUS), *stata sacra*, quæ certo anni tempore fiunt, neque transferuntur: quibus opponuntur conceptivæ et imperativæ, quæ incertam sedem habent. *Cic. Harusp. resp.* 9. 18. Statas solemnesque cærimonias pontificatu contineri. *Id.* 1. *Tusc.* 47. 113. Sollemne et statum sacrificium. *Liv.* 27. 23. Ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. *Ovid.* 2. *Fast.* 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 23. 39. (76). Muræna quocumque mense parit, quum ceteri pisces stato pariant. *Id.* 11. *ibid.* 37. 65. (173). Stato tempore id evenit. *Id.* 28. *ibid.* 8. 28. (107). Statas febres arcere. *Id.* 18. *ibid.* 29. 69. (291). Stati siderum cursus. *Ovid.* 1. *Fast.* 310. Ponemusque suos ad stata signa dies. *Seneca* 4. *Benef.* 28. et *Lucan.* 10. 240. Stati ventorum flatus. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Statos æstivis flatibus dies, et certa maris opperiebatur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). Stata vitæ spatia a stellis accipi. *Plin.* alter 4. *Ep.* 30. Fons ter in die statis auctibus ac deminutionibus crescit decrescitque. *Id.* 3. *Ep.* 19. Agri reditum sicut modicum, ita statum præstant. *Tac.* 3. *Hist.* 30. Magna pars Italiæ stato in eosdem dies mercatu congregata. *Censorin. de die nat.* 8. Stellæ tam vagæ, quam statæ. *fisse.* ¶ 2. *Stata forma*, media inter pulcherrimam et deformissimam. *Gell.* 5. 11. *ad fin.* Inter pulcherrimam feminam et deformissimam media quædam forma est, quæ et a nimiæ pulcritudinis periculo et a summæ deformitatis odio vacat: qualis a Q. Ennio in Melanippa perquam eleganti vocabulo stata dicitur: quæ neque κοινὴ futura sit, neque ποινή. Quam formam modicam et modestam Favorinus non mehercle inscite appellabat uxoriam. Ennius autem in ista, quam dixi, tragœdia eas fere feminas ait incolumi pudicitia esse, quæ stata forma forent. ¶ 3. *Stata fortuna.* *V.* FORTUNA in ONOM.

Homonym. *Status* et *statutus* differunt. *Status* est, qui certo et definito tempore recurrit, ut dictum est: *status*, qui tempore certo quidem, sed indicto. Quare melius *statutus*, quam *status* legitur in illo *Livii* 24. 27. Status est comitiis dies, quo etc. Item in illo 39. 13. Tres in anno statutos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. Sed in MSS. hæ duæ voces sæpe commutantur, ut viri docti in *Livio loc. cit.* observarunt. Immo *Varro* 6. *L. L.* 25. *Müll.* dixit *statutos dies* pro *statos*. et *Val. Flacc.* 2. 488. nostræ stata dona salutis Adnue. *h. e.* statuta, pacta, promissa. Sed *V. Zumpt* ad *Curt.* 5. 1. 22., 6. 3. 7. et 5. 9. 9.

SISTRĀTUS, a, um, adject. (sistrum) qui

sistrum gerit. *Martial.* 12. 29. Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba. *h. e.* sacerdotes Isidis.

SISTRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sistrum et fero) qui sistrum fert. *Anthol. Lat.* 4. 49. *Riese.* Quis te plangentem non risit, calvus ad aram Sistriferam Phariam supplex quum forte rogares? *h. e.* Isis. Cf. *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1868. *p.* 54. et *seq.*

SISTRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (sistrum et gero) qui sistrum gerit. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 212. *v.* 84.

SISTRUM, i, n. 2. σεῖστρον, quod ἀπὸ τοῦ σείειν, hoc est a quatiendo, propterea quod *sistrum* concussum, argutum sonorumque ederet tinnitum. — Sistrum igitur est crepitaculum aeneum, quo Ægyptii sacerdotes in Isidis sacris uti solebant. *Ovid.* 2. *Amor.* 13. 11. Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi. *Martial.* 14. 54. Hæc quatiat tenera garrula sistra manu. *Ovid.* 9. *Met.* 783. crepuitque sonabile sistrum. *Id.* 1. *Pont.* 1. 38. Jactantem Pharia tinnula sistra manu. *Id.* 3. *Art. am.* 635. Phariæ sistris operata juvencæ. *h. e.* sacris Isidis. *Claudian. IV. cons. Honor.* 574. Nilotica sistris Ripa sonat. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 102. Multisonum sistrum. *Seneca Vit. beat.* 27. Sistrum concutere. *Apul.* 1. *Met.* ærea, argentea atque etiam aurea sistra memorat. — Hoc instrumentum apud Ægyptios vicem tubæ exhibebat. *Virg.* 8. *Æn.* 696. patrio vocat agmina sistro. *Propert.* 3. 9. 43. Romanamque tubam crepitanti pellere sistro. *Lucan.* 10. 63. *de Cleopatra.* Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro. — *Isid.* 3. *Orig.* 4. et 18. *ibid.* 4. *extr.* scribit, Amazonas quoque sistro feminarum exercitum vocasse. — Sistri figuram et descriptionem habes a *B. Bacchinio T.* 6. *Antiquit. R. Grævii*, et a *Montfaucon. Antiquit. explic. T.* 2. *P.* 2. et apud *Fabretti, Inscript. p.* 489. et *seqq.* Paucis describit *Apul. loc. cit.* hoc modo: Dextera ferebat æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam, in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem. V. *Rich* ad *h. v.*

SISŪRA (susura) *et*

SISURNA, æ, f. 1. σισύρα et σίσυρνα, vile stragulum vel tunica ex pellibus. *Plaut. Pers.* 1. 3. 15. *Ritsch.* Quasi sisuram esse jus decet collyricum. *Alii olim legebant* jus *vel* juream. *Ammian.* 16. 5. *ante med.* Nocte dimidiata semper exsurgens, non e plumis vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete et σισύρᾳ, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat, occulte Mercurio supplicabat. *Gardthausen* leg. *susurnam.*

SĪSYMBRĪON e.

SĪSYMBRĬUM, ii, n. 2. (σισύμβριον) Etiam *sisimbrium*, sine aspiratione, in *Edict. Dioclet. loc. infra cit.*; item *sisumbrium* apud *Varron.* 5. *L. L.* 103. *Müll.* — Sisymbrium, *sisimbrio o sisimbro*, herba, de qua *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 91. (247). Sisymbrium silvestre, a quibusdam thymbræum appellatum, pedali non amplius altitudine: quod in riguis nascitur, simile nasturtio est. Quod in sicco ortum, odoratum est et inseritur coronis, angustiore folio. « Dioscoride, inquit cl. *Fée* (*Op. cit. v.* 2. *p.* 452.), fait connaître deux *sisymbrium*: l'un nommé σισύμβριον avec le synonyme ἕρπυλλος ἄγριος; l'autre avec les synonymes καρδαμίνη et σίον. Ces deux plantes sont fort différentes: la première appartient à la famille des labiées; la seconde à celle des crucifères. Voici la concordance synonymique de ces deux *sisymbrium*: I. Σισύμβριον ἢ ἕρπυλλος ἄγριος, Diosc. II. 155; Σισύμβριον, Theoph., *Hist. plant.* II.; *de Caus.*, II. 22.; Galen., *de Fac. med.*, VIII. p. 229. — *Sisymbrium gratum dominæ*, Ovid., *Fast.*, IV. v. 869; *Sisymbrion silvestre, quibusdam thymbræum*, Plin., loc. comm., Apul., cap. 105.; *Sisymbrion agreste aquaticum*, Gesn. *Hort.*; *Sisymbrion Menta*, Gerard., tit. I.; *Menta hirsuta*, D. C., *Fl. franc.*, *Spec.* 2535.; *Sesembro*, Ital. teste Anguill.; *Sosembro matto*, Ital., C. Pollin., *Fl. Veron.*, 2. p. 250. — II. Σισύμβριον ἕτερον ἢ σίον ἢ καρδαμίνη, Diosc., II. 156. — *Sisymbrion aquaticum nasturtio simile*, Plin., loc. comm., *Brunnecrassum*, Carol. Magn., *Capitul.*; *Sisymbrion Nasturtium*, L. *Spec. plantar.*, 916. *Cressione*, Italorum (Anguill.) — Ce que Pline dit de l'une et de l'autre (sur les propriétés médicinales), d'après Dioscoride, n'a rien qui soit fondé en raison ». *Ovid.* 4. *Fast.* 869. Cumque sua dominæ date grata sisymbria myrto Textaque composita juncea vincla rosa. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 55. (172). Serpyllo et sisymbrio montes plerique scatent, sicut in Thracia: utique deferunt ex his avulsos ramos seruntque. *et ibid.* 10. 57. (176) Ocimum senecta degenerat in serpyllum et sisymbrium in calamintham. — Inter herbas edules numeratur in *Edict. Dioclet. p.* 16. Sisymbriorum fascis habens N. viginti ✱ decem. *Mommsen* leg. *sisimbriorum*, aspiratione extrita. — *Apul. Herb.* 105. Græci Sisymbrion, alii Stephanon aphrodites, alii herpillon mega, Latini terralem austeralemque: alii mentham veneream appellant. Est quidem similis menthæ, sed latioribus foliis atque odoris summi et virtutis ferventis. Adde *Pallad.* 5. *R. R.* 3. 5.

SĬSȲRINCHĬON, ii, n. 2. σισυρίγχιον, genus bulbi apud Græcos, in quo illud mirum, quod radix ejus hieme crescit, vere minuitur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (95)., ubi *Harduin.* mallet *sysirynchion*, συσιρύγχιον, a rostri suilli similitudine: a σῦς, sus, et ῥύγχος, rostrum.

SISȲRUS. *V.* SISARA

SĬTĀNĔA et

SĬTĀNĬA. *V.* SETANIA.

SĬTĀNĬUS *vel* setanius, a, um, adject. σητάνιος et σητάνειος, hornotinus, ut Sitanius panis, *sc.* hornotinus, e trimestri tritico factus, memoratur a *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (139). Sitanium triticum, 18. *ibid.* 7. 12. (70). σητάνιος πυρός. Dictus est a σῆτες, hoc anno: quia non, ut vulgare frumentum, fine anni seritur, anno insequente metendum, sed vere satum eodem anno maturescit. *V.* ALICASTRUM.

SĬTARCHĬA, æ, f. 1. (σιταρχία) Sunt qui scrib. *sitarcia*, aspiratione extrita, tamquam sit a σιτάρκεια, annona, quod compositum a σῖτος, frumentum, annona, et ἀρκέω, sufficio; nam σιταρχία proprie est præfectura annonæ: ab ἄρχων, princeps. Nihilominus optimi libri multi habent *sitarchia* in allatis scriptorum locis. Item scribitur *sistarchia* vel *sistarcia*, unde *cistarcia*, quasi sit a *cista* et ἄρτος, panis. *Venant. Vit. S. Albin.* 4. — Sitarchia est annona, quæ navigandi aut quocumque modo iter agendi gratiā paratur, *provvisione di vitto per navigare.*

I.) Proprie. *Hieronym. Vita Malch. n.* 10. Camelis ascensis, et nova sitarchia, idest annona, refocillati, decima tandem die ad Romana castra venimus. (*idest annona* deest in multis MSS.) *Id. præf. Comment. in Matth. ad Euseb. post med.* Miror, cur Romam subito navigaturus hanc tibi a me quasi sitarchiam dari volueris, ut Matthæum breviter exponam. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 12. 61. Inter sitarchiam et securim necessariam putato ad navem vehendam. — Facete *Apul.* 2. *Met.* Vinum istud sorbeamus hodie omne; hac enim sitarchia navigium Veneris indiget sola, ut in nocte pervigili et oleo lucerna, et vino calix abundet.

II.) Translate, metonymia continentis pro contento, est sacculus, pera, in qua annona reconditur. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 9. 7. Panis defecit in sitarciis nostris. *h. e.* in cophinis nostris: Græcus textus habet ἐκ τῶν ἀγγείων τῶν ἡμῶν. Hinc *Isid.* 20. *Orig.* 9. 6. Sitarciæ nautarum sunt.

SĬTARCĬA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

SĬTELLA, æ, f. 1. et Sitellum, i, n. 2. *deminut. a* situla et situlus, parva situla, *urnetta.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Gloss. Labb.* Κάδιον, sitellum. ¶ 2. Specialim pro urna, e qua sortes ducuntur. *Plaut. Cas.* 2. 4. 17. Et sitellam huc tecum afferto cum aqua et sortes. et 2. 5. 34. Conjiciam sortes in sitellam et sortiar. et 2. 6. 44. deos quæso, ut tua sors ex sitella effugerit. *Liv.* 25. 3. *ad fin.* Sitella allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent. *Cic. fragm. pro Cornel. majestat. reo*, apud *Ascon.* Dum tabellæ diribentur, dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 2. 4. 91. nos homunculi Sitellum animai. Ita leg. *Ritschelius*, sed dubitanter: vulgo est *salillum*. V. SALILLUM. Cf. *Loewe* in *Gloss. nom.*, *Lips. a.* 1884. *p.* 178.

SĪTELLUM. *V.* voc. præced.

SĬTĬBUNDUS, a, um, adject. (sitis) qui sitit. *Venant. Vit. S. Radegund.* 21. Hæc fuit etiam potio aqua mulsa, piracium, sed modice libata sitibunda potatio.

SĪTĪCEN, inis, m. 3. Vox a *situs* et *cano*, ut *liticen* a *lituus*, *tubicen* a *tuba.* — Siticen, qui apud sitos, h. e. sepultos, canit, τυμβαύλης. *Gell.* 20. 2. Nos autem in Capitonis Ateji Conjectaneis invenimus, siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos et sepultos; eosque habuisse proprium genus tubæ, quo canerent, a ceterorum tubicinum differens. V. *Maffei, Mus. Veron. p.* 420. et 424., ubi tubicen, qui prope defunctum tubā canit rectā, et qui incurvā, siticen dicitur. — Usus est hac voce *Cato* apud *Gell. loc. cit.* et apud *Non. p.* 54. 26. *Merc.* Eadem legitur in *Not. Tir. p.* 173. Liticen, siticen, fidicen.

SĬTĪCŬLA, æ, f. 1. Quod ad quantitatem antepænultimæ syllabæ, cf. *Capell.* 3. *p.* 70. — Siticula, *deminut. a* sitis ¶ 1. Est exigua sitis. *Not. Tir. p.* 169. Sitit, siticula, siticulosus. ¶ 2. Est etiam serpentum genus in *Gloss. Lat. Gr. p.* 281. *Vulcan.* Siticula, διψάς.

SĬTĪCŬLŌSUS, a, um, adject. (sitis)

I.) Proprie. ¶ 1. Passive est qui siti laborat, *chi ha molta sete, sitibondo.* — *a*) De animantibus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Tum respondentes poculis potiones, quarum rigentes cyathi siticuloso cuique metuerentur. *Cassiod.* in *Psalm.* 41. 1. Cervus, animal siticulosum. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 314. *retro.* — *b*) De rebus est sitiens, humore carens, siccus, aridus, *secco, arido, arsiccio*, δίψιος. *Vitruv.* 7. 2. Quum siccum et purum ferrum ex calce educetur, indicabit eam evanidam et siticulosam. *Horat. Epod.* 3. 15. Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosæ Apuliæ. *Colum.* 3. *R. R.* 11. *ad fin.* Siticulosum solum et peraridum. *Id. Arbor.* 16. Aspera et siticulosa loca. *Auct. Priap.* 64. Agente terra per Caniculam rimas, Siticulosam sustinens diu æstatem. ¶ 2. Active est qui sitim inducit, διψητικός. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 55. (104). Melimela et reliqua dulcia stomachum et ventrem solvunt, siticulosa, æstuosa.

II.) Translate. *Cassiod.* in *Psalm.* 65. 1. Antidotum cæleste siticulosis animis haurire.

SĬTĬENS, entis, particip. *V.* SITIO.

SĬTĬENTER, adverb. (sitio) cum siti, διψαλέως.

I.) Proprie. *Apul.* 9. *Met.* Satis sitienter haurire salutares illas aquas. *Minuc. Octav.* 9. Hujus (*infantis occisi*) sitienter sanguinem lambunt.

II.) Translate est cupide, ardenter. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 37. Nec sitienter quid appetens ardeat desiderio. *Lactant.* 2. 1. Hauriendis voluptatibus sitienter incumbere. Adde *Cassiod.* in *Psalm.* 106. 33.

SĬTIO, sĭtis, sitivi *et* sitii (sititum), sitire, 4. (sitis) Part. *Sitiens* sub *B* II. et in fin. — Sitio est siti laboro, διψάω (*It.* *aver sete, essere assetato*; *Fr.* *avoir soif, être altéré*; *Hisp.* *ser sediento, tener sed*; *Germ.* *dürsten, durst leiden*; *Angl.* *to thirst, be thirsty*); occurrit autem *A*) Intransitive; et *B*) Transitive.

A) Intransitive et quidem

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 3. 6. 5. Tu amas: ego esurio et sitio. *Id. Curc.* 1. 2. 14. PHÆ. Sitit hæc anus. PA. quantillum sitit? PHÆ. modica est: Capit quadrantal. *Lucret.* 4. 1100. in medioque sitit torrenti flumine potans. *Sueton. Aug.* 42. Ne homines sitirent. *Vulgat. interpr. Ruth* 2. 9. Si etiam sitieris, vade ad sarcinulas et bibe aquas. *Id. Exod.* 17. 3. Sitivit populus præ aquæ penuria. — Proverbii species est illud *Ovid.* 2. *Met.* 670. mediis sitiemus in undis, *h. e.* bona quidem habe-

bimus, sed frui non dabitur. Itali dicunt: *morir di fame in un forno di schiacciatine*. Quo trabi potest illud, quamquam alia sententia, dictum a *Petron. fragm. p.* 683. *Burmann.* Flumine vicino stultus sitit. — Passive impersonaliter. *Augustin. Serm.* 104. 3. Quia esuritur, quia sititur. — *b*) Cum Genetivo. *Symmach.* 1. *Ep.* 27. (*al.* 33.) Ajunt, cochleas, quum sitiunt aeris, atque illis de cælo nihil liquitur, suco proprio victitare. *Apul. de deo Socrat.* 22. *de Tantalo.* Sitire fallacis undæ.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad plantas, agros, loca bumore carentia, siccitate laborantia, arentia. — *a*) Absolute. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (103). Oleæ circa media sucus: inde et surculi. cacumina sitiunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 939. Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 40. (249). Novellæ arbores minus sitiunt. *h. e.* minus desiderant pluvias. *Frontin. Aquæd.* 87. In Cælium et Aventinum sola Claudia per arcus Neronianos ducebatur. Quo fiebat, ut quotiens refectio aliqua intervenisset, celeberrimi colles sitirent. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 9. — *b*) Cum Genetivo. *Virg.* 7. *Cat.* 57. Aret ager: vitio moriens sitit aeris herba. ¶ 2. Metaphorice seu figurate. *Vulgat. interpr. Ps.* 42. 2. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, *h. e.* tam anima quam corpus te vehementes appetunt, cupiunt. Adde *Joh.* 4. 13. — Cum Infinito. *Tertull. Resurr. carn.* 1. Qui forte adhuc sitiunt Deum nosse. *h. e.* appetunt, cupiunt.

B) Transitive est bibere cupio, *bramar di bere*.

I.) Proprie. — *a*) Active. *Martial.* 10. 96. Auriferumque Tagum sitiam patriumque Salonem. — *b*) Passive. *Ovid.* 1. *Fast.* 215. Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. — De rebus *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (15). Humor ex nivibus, non universus ingurgitans, sed, quo modo sititur, distillans, velut ex ubere alit omnia, quæ non inundat. *h. e.* quo modo a seminibus postulatur.

II.) Metaphorice refertur ad animum, et significat vehementer cupere. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. *circa med.* Nec sitio honores, nec desidero gloriam. *Id.* 5. *Phil.* 7. 20. et *Seneca Thyest.* 103. Sitire sanguinem alicujus. Sic *Justin.* 1. 8. 13. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conjici regina (*Tamyris*) jubet cum hac exprobratione crudelitatis: satia te, inquit, sanguine, quem sitisti. Hinc *Dantes* noster *Purg. c.* 12.: «la ruina e 'l crudo scempio Che fu' Tamiri, quando disse a Ciro: Sangue sitisti ed io di sangue t'empio». (Cf. *Herod.* I. 214.) *et Stat.* 12. *Theb.* 595. sitit meritos etiamnum hæc hasta cruores. *et Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (148). Ebrius jam sanguine civium et tanto magis eum sitiens. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 6. *extern.* Sitiens ultionem. — Hinc

Sitiens, entis, adjectivorum etiam more usurpatur et est, qui sitit, *sitibondo*.

I.) Proprie. *Phædr.* 4. 8. Quum decidisset vulpis in puteum inscia, Devenit hircus sitiens In eumdem locum. *Ovid.* 14. *Met.* 277. pocula arenti sitientes hausimus ore. *Id.* 3. *Amor.* 6. 97. Sitiens viator.

II.) Metaphorice. ¶ 1. Dicitur de locis humore carentibus, siccis, aridis, *secco, arido, arsiccio*. *Virg.* 1. *Ecl.* 65. Sitientes Afri. *Plin.* 10. *Ep.* 91. Valde sitiens colonia. *h. e.* quæ aqua deficitur. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 60. Et dare, quas sitiens combibat hortus, aquas. *Id.* 2. *Art. am.* 231. sitiens Canicula. *Eumen. Grat. act.* 9. *sub fin.* Agri diuturno ardore sitiens. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Quum sitienti oleæ imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (28). *de palma.* Gaudet et riguis, totoque anno bibere quum amet, anno sitienti. *secco.* et *Calpurn. Ecl.* 5. 49. quum longa dies sitientes adferet æstus. *h. e.* sitim facientes. Alii leg. *sitientibus*. Rursus *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 8. (59). Fimum miscere terræ, plurimum refert Favonio flante ac luna sitiente. *h. e.* serena, non imbrifera. *et ibid.* 14. 24. (112). Oleas et ficos inseri per ver tantum, luna sitiente, hoc est sicca. Hæc *Plin.* Sunt qui putant, *sitientem lunam* eamdem esse ac *silentem*, h. e. quum circa interlunium est, et exigua aut nulla luce: propterea quod *Cato R. R.* 29. 40. *et* 50. eadem quæ *Plin.* tractans, *luna silenti* dixit. *sitientem* vero tunc appellari, quia quum humore vel maris vel fluminum ali quidam philosophi docuerint, tunc sitiat, quum expers luminis et silens est. *Harduin.* mallet *Catonis* verba corrigi et *sitienti* reponi, quod rectius videtur. *V.* SILENS. ¶ 2. Refertur ad animum et est vehementer cupiens, avidus, *desideroso*. — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. *a med.* Quo affluentius voluptates undique haurit, eo gravius ardentiusque sitiens. *Petron, Sat.* 121. Sitientia regna. *h. e.* Inferi, quo omnes exspectat avarus Portitor, ut *Albinov.* 1. 357. ait. *Ovid. Remed. am.* 247. ut abfueris, avidus sitiensque redibis. *Cic.* 2. *Att.* 14. Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Bibuli! proinde ita fac venias ad sitientes aures. — *b*) Cum Genetivo. *Cic. Planc.* 5. *a med.* Sitientem me virtutis tuæ deseruisti ac dereliquisti. *Sil. It.* 3. 577. haud unquam parcus pro laude cruoris Et semper famæ sitiens. *Gell.* 12. 2. *ad fin.* Homo avarus et avidus et pecuniæ sitiens.

Sitientes, um, m. plur. 3. absolute. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (230). Hippocrates vulneratis sitientibusque defectu sanguinis radicis (*althææ*) decoctæ sucum bibendum dedit. Adde 2. *ibid.* 63. 63. (156).

Sitientia, um, n. plur. 3. absolute. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 73. 94. (201). et 31. *ibid.* 7. 39. (78). Orygem perpetuo sitientia Africæ generant. *Id.* 25. *ibid.* 11. 88. (137). Lonchitis nascitur in sitientibus.

Homonym. *Sitiens* et *siccus* differunt. Ille humore caret, et habere quærit et aliquando habet: hic numquam habet. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 61. (132). Bryon optima circa Gnidum, in sitientibus aut siccis asperisque.

SĬTIS, is, f. 3. — *a*) *Site* in sexto casu, ut *igne*, perrarum est, nec imitabile: tametsi *Priscian.* 7. *p.* 761. *Putsch.* concedere videtur. *Venant.* 2. *carm.* 13. 3. Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis. Adde *Boeth.* 3. 12. — *Sitim* in quarto casu, semper, quod sciam, pro *sitem* occurrit. — In plurali num. non habet usum. — *b*) Ad etymon quod attinet, cl. *Furlanetto* quærit, num ab Hebr. שתה *shathah* vel *shadah*, bibi, originem habeat. Recentiores philologi proponunt alii v. Skr. *sati*, cupere, appetere; alii alia. V. *Vaniçek, op. cit. p.* 1009. — Sitis est appetitus humoris, cupiditas bibendi, δίψα, δίψος (It. *sete;* Fr. *soif;* Hisp. *sed;* Germ. d. *Durst;* Angl. *thirst*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 3. 36. Anum interfecero siti fameque. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. *a med.* Siti enectus Tantalus. *Phædr.* 3. 16. Siti ardere. *Ovid. de nuce,* 65. sicca laborare. *Auct. B. G.* 8. 41. *extr.* consumi. *et B. Afr.* 69. *extr.* perire. *Plaut. Curc.* 1. 2. 26. siccum esse. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Cum cibo et potione fames sitisque depulsa est. *Id. Senect.* 8. *sub fin.* Diuturnam sitim explere cupiens. *Tac.* 2. *Hist.* 49., *Plin.* 11. *Hist. nat.* 54. 119. (284). et *Ovid.* 3. *Met.* 415. Sitim haustu gelidæ aquæ sedare. Adde *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (120). *Claudian. de Phœnice,* 14. prohibere. *Ovid.* 4. *Met.* 103. compescere. *et ibid.* 98. deponere vicini fontis in unda. *et* 12. *ibid.* 156. et 15. *ibid.* 322. levare. *et* 6. *ibid.* 354. relevare. *et* 7. *ibid.* 569. exstinguere. *Virg.* 5. *Ecl.* 47. restinguere. *Horat.* 2. *Od.* 2. 14. pellere. *Sil. It.* 8. 573. avertere undis. *et* 7. 170. fonte defendere. *Seneca Herc. Œt.* 1077. rabidam undis excutere. *Curt.* 7. 5. 7. reprimere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (195). cohibere. *Id.* 23. *ibid.* 7. 67. (132). stimulare. *et ibid.* 63. (121). afferre. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (57). Allium sitim gignit. *et ibid.* 23. 99. (263). Cardui radix potoribus sitim facit. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (3). Sitim accendere. *Virg.* 3. *G.* 482. ubi ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. *Propert.* 4. 9. 21. sicco torret sitis ora palato. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 114. Fauces urit sitis. *Curt.* 4. 16. 12. Sitis præcipue fatigatos et saucios exurebat. *Tibull.* 1. 3. 78. Acris sitis. *Ovid. Heroid.* 4. 174. arens. *Martial.* 1. 50. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (3). avida. *Stat.* 3. *Theb.* 329. anhela. *et* 4. *ibid.* 724. horrida torquet. *Seneca Troad.* 583. sæva. *Id. Agam.* 19. fervida exustus siti. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 16. Sitis insatiabilis. *Sil. It.* 1. 260. Exercetque sitim et spectato fonte recedit. *h. e.* fatigat et sustinet non indulgendo. *Tac. Germ.* 4. Sitim æstumque tolerare. *Virg.* 3. *G.* 327. et *Ovid.* 5. *Met.* 446. Sitim colligere. *h. e.* sitientem fieri. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 51. (111). Apes in siti proniores esse ad iracundiam.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad terram et ad plantas, et est nimius calor et inde deficientia humoris, ariditas, siccitas, *aridità, secchezza, siccità*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (29). Spartum alitur etiam demersum, veluti natalium sitim pensans. *scil.* quia in sitienti solo nascitur. *Virg.* 4. *Æn.* 42. deserta siti regio. *Id.* 2. *G.* 353. hiulca siti findit Canis æstifer arva. *Tibull.* 1. 4. 36. Et Canis arenti torreat arva siti. *Stat.* 4. *Theb.* 699. Inachios haurit sitis ignea campos. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med. de olerib.* Sitis æstatis restinguitur fontibus. ¶ 2. Metaphorice est vehemens cujuscumque rei cupiditas, *cupidigia, brama, sete, voglia*. *Cic. Parad.* 1. 2. Neque enim expletur unquam nec satiatur cupiditatis sitis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 23. Quem tenet argénti sitis importuna famesque. *Juvenal.* 10. 140. tanto major famæ sitis est quam Virtutis. *Quintil.* 6. 3. 19. In dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 220. Crescebat scelerata sitis prædæque recentis Incestus flagrabat amor.

SĪTIS pro Si vultis, apud *Apul. Florid. n.* 16. Sitis eum (*librum*) hodie vobiscum probare. Alii tamen putant esse pro *siveritis;* alii aliter leg. *V.* SIS et SULTIS.

SĪTISTUS, a, um, adject. σιτιστός, altilis, saginatus: a σῖτος, frumentum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (45). *Sillig.* Ova fiunt et tota lutea, quæ vocant sitista, quum triduo incubita tolluntur. Quidam male leg. *schista* contra MSS. et *Harduinum*.

SĪTĪTES, æ, m. 1. σιτίτης, saginatus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93). Proximos (*carbunculos*) illis, quos vocant sititas, innato fulgore radiantes. *h. e.* quasi saginatos ob colorem saturum eumdemque innatum. Ita *Harduinus;* at *Silligius* leg. *syrtitas*.

SĪTĪTOR, ōris, m. 3. (sitio) qui sitit, διψητικός, διψῶν.

I.) Proprie. *Martial.* 12. 3. Clarus Hyanteæ Stella sititor aquæ.

II.) Translate. *Capell.* 1. *p.* 21. Vorax omnium sititorque etiam sanguinis. *h. e.* Mars Gradivus. *Apul.* 1. *Met. sub init.* Sititor novitatis.

SĪTĪVĒ, adverb. (situs) quod ad situm attinet, ratione situs aut loci, *quanto al sito*. *Tertull. advers. Prax.* 29. *a med.* Licet aqua fontis sitive patiatur in fluvio, dum non in fonte patitur, sed in fluvio. Alii rectius pro *sitive* leg. *sit, quæ*.

SĪTLA, æ, f. 1. *V.* SITULA.

SĪTŌNA, æ, f. 1. σιτώνης, qui annonæ præest. *Papir. Just. Dig.* 50. 8. 9. Sitonas indemnes esse oportere, qui non segniter officio suo functi essent. — Σιτῶναι Græce dicuntur ab *Arcad. ibid.* 4. 18., qui curatores rei frumentariæ sunt. *V.* vocem seq.

SĪTŌNĪA, æ, f. 1. σιτωνία, *presidenza ai viveri,* cura rei frumentariæ et annonæ: a σῖτος, frumentum, annona. *Ulp. Dig.* 50. 5. 2. Sextumdecimum ætatis annum agentem ad munus sitoniæ vocari non oportet.

SITTĂCE, es, f. 1 σιττάκη, *pappagallo,* idem ac psittacus, apud Indos. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 58. (117). *Sillig.* India hanc avem mittit, sittacen vocat, viridem toto corpore etc. Alii tamen leg. *siptacen;* alii aliter. *V.* PSITTACUS.

SITTȲBA. *V.* SILLYBUS.

SĪTŬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *situo:*

situato, posto, situs. *Flor.* 2. 18. Numantia in tumulo apud flumen Durium situata. Ita leg. quidam, sed apage barbariem verbi, et repone *sita* cum optim. libr. Legitur tamen apud *Pseudo-Augustin. ad fr. erem. serm.* 37.

SĬTŬLA, æ, f. 1. *Sitla* pro *situla*, per syncopen, apud *Charis. Excerpt. p.* 553. 11. *Keil.* et *Auct. De idiom. gen. p.* 578. 14. — Ratione habita etymi, alii ducunt per metonymiam a *sitis;* alii vero quasi deminut. a σάτον, h. e. μέτρον σιτικόν (*Hes.* 5. 317.). Cf. Germ. *Seidel.* et *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* ed. *Loewe p.* 417. Situla, quod vulgo modiolum appellant. — Situla est vas ad aquam hauriendam, urna, hydria, *secchia, secchio*, ὑδρία, κάλπις.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Amph.* 2. 2. 39. Si situlam cepero, illi puteo animam omnem intertraxero. *Paul. Dig.* 18. 1. 40. *extr.* Rota, per quam aqua traheretur, nihilominus ædificii est, quam situla. Adde *Isid.* 20. *Orig.* 6. 4. *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 493. *Burmann.* Extractam puteo situlam quum ponit in horto. *Veget.* 5. *Veterin.* 30. Aquam (*bovi*) in situla vel alveo apponis. *Alii aliter leg.* ¶ 2. Latiore sensu dicitur de mensura vinaria, *mezzina, boccale di vino. Vopisc.* 4. 5. Situlas duas plenas mero duxit.

II.) Improprie dicitur de urna, ex qua educuntur sortes, sitella. *Plaut. Cas.* 2. 6. 6. Adsunt quæ imperavisti omnia, sortes, situla atque egomet. Cf. *eumd. ibid.* 11. Appone hic sitellam: sortes cedo mihi. *V.* SITELLA.

III.) Translate. *Vulgat. interpr. Num.* 24. 7. Fluet aqua de situla ejus (*Israel*) et semen illius erit in aquas multas. Cf. *Is.* 40. 15.

SĬTŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (situla) qui situla aquam haurit et vendit. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 3442. . . . SITVLARI . . . S. SER. CIRCVM GESTATOR.

SĬTŬLUS, i, m. 2. idem ac situla. *Cato R. R.* 10. *et* 11. Trullas tres, situlum aquarium unum, pelvim unam. *Vitruv.* 10. 9. *sub fin.* Ferrea catena habens situlos pendentes æreos congiales. *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 7. *ad fin.* Mundo muliebri legato, ea cedunt, per quæ mundior mulier lautiorque efficitur, velut speculum, conchæ, situli: item pyxides, unguenta etc. *secchielli.*

SĬTUM, i, n. 2. *V.* SITUS, us, init.

SĬTUS, a, um, particip. *V.* SINO.

SĬTUS, us, m. 4. (sino) *Situus* in casu recto plur. leg. *Detlessen* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (153)., ubi *Silligius* leg. *situs.* V. *Detlessen* in *Symbol. Philol. Bonn. p.* 712. et *seqq.* et *Brambach, op. cit. p.* 131. — *Situm* neutr., pro *situs*, putat *Cavedoni* dictum illud SITVM CAESARIS in nummis Cæsareæ Mauritaniæ, in animadvers. ad *Müller. Nomism. de l' Afriq. v.* 3. *p.* 141. in *Opuscoli di Modena, Ser.* 2. *T.* 2. *p.* 18. — Situs est qualitas et conditio loci, positio, natura, τοποθεσία, θέσις (It. *situazione, positura, sitò*; Fr. *position, situation;* Hisp. *situacion, posicion;* Germ. d. *Hingelegtsein*, d. *Liegen;* Angl. *site, situation, local position*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) In sing. num. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. Erat hujusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis linguis promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, neque navibus etc. *et* 5. *ibid.* 57. Sub castris vagabatur, ut situm castrorum cognosceret. *Cic.* 4. *Acad.* 19. 61. (2. *pr.*) Cimmeriis aspectum solis sive deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci, quem incolebant, situs. *Id.* 7. *Verr.* 10. *a med.* Urbem Syracusas elegerat, cujus hic situs atque hæc natura esse loci cælique dicitur, ut etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 61. *sub fin.* Figura situsque membrorum. *Sall. Jug.* 19. *ad fin.* Res postulare videtur, Africæ situm paucis exponere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 20. 36. (72). Passeres a rhombis situ tantum corporum differunt: dexter resupinatus est illis, passeri lævus. *Id.* 16. *ibid.* 12. 23. (59). Pix optima ubique ex apricis, Aquilonis situ. *h. e.* quam præbent loca Aquiloni obversa. *Liv.* 5. 6. Urbes naturali situ inexpugnabiles. Adde *Curt.* 3. 4. 2. et 8. 8. 22. *Id.* 6. 4. 15. Naturæ situs difficilis. *Id.* 8. 10. 23. Tuebantur urbem non situ solum, sed etiam opere munitum. Cf. *Frontin.* 3. *Strateg.* 2. 1. *Avien. Or. mar.* 58. *de sinu maris.* Ut se supino porrigat litus situ. *Curt.* 8. 9. 20. Ingenia hominum sicut ubique apud illos locorum quoque situs format. Cf. *Tac. Agric.* 2. — *b*) In plur. num. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. Erant ejusmodi fere situs oppidorum, ut etc. *Cic.* 4. *Acad.* 39. 122. (2. *pr.*) Corpora nostra non novimus: qui sint situs partium, quam vim quæque pars habeat, ignoramus. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 97. Situs terrarum. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 16. locorum. *Justin.* 37. 3. 4. Omnium urbium situs ac regiones cognovit. *Virg.* 3. *Æn.* 451. *de Sibylla.* Nec revocare situs aut jungere carmina curat. *h. e.* dispositiones, ordines foliorum, quæ responsis erant inscripta. *Horat.* 3. *Od.* 30. 2. Exegi monumentum ære perennius Regalique situ pyramidum altius. *positura o costruzione, mole.* In hoc versu, inquit cl. *Trivellatus* noster, vox *situs* complecti videtur duplicem altitudinis significationem. ¶ 2. Latiore sensu ponitur et pro regione, loco, *paese, tratto. Plin.* 2. *Hist. nat.* 108. 112. (245). Latitudo terræ a meridiano situ ad septentrionem. *Id.* 3. *ibid.* 12. 17. (108). In hoc situ interiere Cominii, Tadiates, Cædicii. *Id.* 2. *ibid.* 47. 48. (127). Permutant et duo naturam cum situ: Auster Africæ serenus, Aquilo nubilus. *Id.* 27. *ibid.* 2. 2. (7). Tangunt carnes aconito necantque gustatu earum pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est illuvies, squalor, mucor et sordida illa lanugo, qua obducuntur res diu neglectæ uno in loco, aut longo intervallo non usurpatæ, ex humore, pulvere aliisve sordibus, ex deficientia solis aut aeris non perflabilis: unde putredo, caries, pædor, putor, *squallore, muffa, sudiciume, tanfo, puzza*, εὐρώς (ῶτος), ῥυπαρία, αὐχμός. *Propert.* 4. 5. 70. immundo pallida mitra situ. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 23. Corrumpor situ. Ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui. *Martial.* 8. 3. quum rupta situ Messalæ saxa jacebunt. *Tibull.* 1. 11. 50. tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs. *Val. Flacc.* 4. 183. Ossa tetra situ. *et* 3. 400. Cimmerium tellus Cæruleo tenebrosa situ. *Seneca* 3. *Benef.* 2. Quæ in usu sunt et manum quotidie tactumque patiuntur, numquam periculum situs adeunt. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 51. Æra nitent usu: vestis bona quærit haberi: Canescunt turpi tecta relicta situ. *et ibid.* 12. 29. *ad tabellas.* vos cariosa senectus Rodat, et immundo cera sit alba situ. *Gell.* 9. 4. Ipsa volumina ex diutino situ squalebant. *Sil. It.* 7. 534. Detergere situm ferro. *la ruggine.* et *Stat.* 3. *Theb.* 582. Horrentesque situ gladii. *Colum.* 12. *R. R.* 17. Hoc numquam situm aut mucorem contrahit, si non humido loco positum est. *et ibid.* 4. Locum esse debere quam siccissimum, ne situ penora mucorem contrahant. *et ibid.* 3. *ante med.* Ne aut supellex vestiarve condita situ dilabatur. *Id.* 1. *ibid.* 1. Longo ævi situ qualitatem cæli statumque mutari. *lunga serie d' anni.* — De annis et senecta est etiam illud *Ovid.* 7. *Met.* 302. refert inter meritorum maxima, demptos Æsonis esse situs. *Virg.* quoque huc trahendus 7. *Æn.* 440. victa situ verique effeta senectus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 56. (125). Color deterior furfurosus et cano situ obductus. ¶ 2. Item de terra diu inculta, squalida, aspera. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 70. Cessat iners rigido terra relicta situ. *Colum.* 2. *R. R.* 18. Prata situ vetustatis obducta. *Virg.* 6. *Æn.* 462. Per loca senta situ. (V. *Gentilini Giov. Sitolog. T.* 1. *p.* 45.) ¶ 3. Transfertur etiam ad squalorem corporis ex neglecto cultu aut morbo aut inopia. *Lucan.* 6. 515. tenet ora profanæ Fœda situ macies. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Situ nidoris barba pædore horrida. *situm nidoris* alii intelligunt malum odorem, cujusmodi ex situ exspirare solet. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (33). Pessimum esse crocum, quod situm redolet. *Auct. Priap.* 83. 29. Araneosus obsidet fores situs. *Catull.* 25. 1. Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo, Vel pene languido senis situque araneoso. *V.* hanc voc. ¶ 4. Metaphorice refertur ad animum, quum ex otio, inertia aut desuetudine ruditatem quamdam atque hebetudinem contrahit. *Quintil.* 1. 2. *a med.* Excitanda mens et attollenda semper est, quæ in hujusmodi secretis languescit, et quemdam velut in opaco situm ducit. *Id.* 12. 5. 2. Ut bona ingenii studiique in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 1. Scribis, ut oblectem studiis lacrimabile tempus, Ne pereant turpi pectora nostra situ. *Id.* 1. *Pont.* 5. 7. Et mihi, siquis erat, ducendi carminis usus Deficit, estque minor factus inerte situ. Adde 3. *Trist.* 13. 36. ¶ 5. Dicitur etiam de oblivione posteritatis. *Seneca Ep.* 58. Quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit. *h. e.* quot verba vetustas et oblivio deleverit. *Stat.* 3. *Theb.* 99. Tu tamen egregius fati mentisque, nec unquam Indignum passure situm. *Propert.* 1. 7. 18. *de libr. et carminib.* Flebis in æterno surda jacere situ. ¶ 6. Item de infrequentia et solitudine. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 67. muta domus, desolatique penates, Et situs in thalamis, et mœsta silentia mensis. ¶ 7. Et de iis, quæ in desuetudinem abierunt. *Vellej.* 2. 126. 2. Sepultæ ac situ oblitæ, justitia, æquitas, industria, civitati redditæ. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Passus est leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori.

SIVAN *et* Siban, indecl. Vox a Chald. סיון *Sivan*, fortasse a rad. סוה *sevah*, lætatus est. — Sivan est mensis apud Chaldæos, a quibus Hebræi nomen mutuati sunt, respondens secundum antiquiores mensi Majo, a cujus novilunio inciperet, et secundum recentiores mensi Junio, a cujus novilunio inciperet desinens in novilunium Julii. *Vulgat. interpr. Esth.* 8. 9. Erat tempus tertii mensis qui appellatur Siban. *Alii leg.* Sivan, prout littera ב cum aut sine aspiratione effertur. Porro dicitur *tertius* ratione anni sacri, sed nonus erat anni civilis.

SĪVĔ, conjunctio. *Seive* habet *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 571., 627. etc. — Item *sibe* hab. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1849. *p.* 11. — Vox constat duabus particulis *si* et *ve* pro *vel*, unde per contractionem factum est *seu:* quæ particulæ, *sive* et *seu*, in MSS. et edit. libr. sæpe confunduntur. — Elliptice plerumque usurpatur, ut aliæ ejusmodi particulæ, v. gr. in *velim nolim, serius ocius, melius pejus, plus minus, prosit obsit* etc. *V.* suo loco. — Sive est conjunctio disjunctiva et modum regit tum Indicativum, tum Conjunctivum.

A) Est conjunctio disjunctiva conditionalis et ponitur pro *vel si* aut *et si* (est enim, ut vidimus, ex *si* et *vel* conflata), καὶ ἐάν, κἄν, εἴτε, ἐάντε (It. *e se, o se, ovvero se;* Fr. *et si, ou si;* Hisp. *y si, ó si;* Germ. *und wenn, oder wenn;* Angl. *whether, or whether*). Cf. NEVE. ¶ 1. Occurrit præcedente *si.* (V. tamen quæ de hac re *Madvigius* adnot. ad *Cic.* 1. de *Fin. p.* 44.) *Plaut. Curc.* 1. 1. 4. Si media non est, sive est prima vespera. *Id. Merc.* 2. 2. 40. Si movero me, seu secari sensero. *Id. ibid.* 5. 4. 33. Si hercle scivissem, sive adeo joculo dixisset mihi, Se illam amare, numquam facerem, ut illam amanti abducerem. Adde *Pseud.* 1. 5. 124. et alibi. Ubi ait *Cic.* 9. *Fam.* 13. *circa med.* Peto igitur a te, vel si pateris, oro. *sive pateris* potuit dicere. quod facit 1. *Fin.* 6. *a med.* Si omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent: sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur, erit hoc etc. *Liv.* in formula veris sacri indicendi, 22. 10. Si nocte, sive luce, sive servus, sive liber faxit, probe factum esto. *h. e.* si nocte vel si luce, seu servus seu liber. Cf. *Val. Flacc.* 1. 836. siquando pectore ductor Vulnera nota gerens *etc.* Seu venit in vittis castaque in veste sacerdos. ubi *seu* pro *vel si.* — Sequente *seu. Ter. Andr.* 1. 5. 56. Te obtestor, ne hanc deseras, si te in germani fratris dilexi loco; sive te hæc solum semper fecit maximi, seu tibi morigera fuit in rebus omnibus. ¶ 2. Non præcedente *si. Id. ibid.* 1. 3. 19. Dehinc postulo,

sive æquumst, te oro. Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 935. me seu corpus spoliatum lumine mavis. ¶ 3. Pro ipsa particula *si.* *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 149. Superstitio instat et urget, et quo te cumque verteris, persequitur: sive tu vatem, sive tu omen audieris: sive immolaris, sive avem aspexeris: si Chaldæum, si haruspicem videris: si fulserit, si tonuerit: si tactum aliquid erit de cælo, si ostenti simile natum factumvé quippiam.

B) Est conjunctio disjunctiva et dubitativa, duarum enim aut trium aut etiam plurium rerum aliquam affirmat, sed non determinat, quænam ea sit, et in dubio relinquit, idem ac Gr. ἤ, ἤτοι, εἴτε (It. *ossia, ovvero, o per dir meglio:* Fr. *ou;* Hisp. *ó;* Germ. *oder;* Angl. *or*). ¶ 1. Generatim — *a*) Universim. *Horat.* 1. *Od.* 6. 17. Nos convivia, nos prœlia virginum Cantamus, vacui, sive quid urimur. *h. e.* sive quum vacui sumus, sive quum amamus. *Seneca Herc. Œt.* 1260. Quæcumque pestis, sive quæcumque es fera, Palam timeres. *Justin.* 2. 9. *sub fin.* Ducenta milia Persæ eo prœlio, sive naufragio amisere. Adde 38. 3. *ad fin.* — *b*) Sæpius bis aut pluries occurrit, ut *sive-sive, sive-sive-sive,* vel cum *seu, vel, aut,* ut *seu-sive, sive-seu, sive-vel, vel-sive, aut-sive* etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 1. 7. SIVE DEO SIVE DEAE C. TER. DEXTER EX VOTO POSVIT. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Ita sive casu sive consilio deorum, quæ pars civitatis calamitatem intulerat, ea princeps pœnas persolvit. *et ibid.* 23. Seu quod timore perterritos Romanos discedere existimarent, sive quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio, nostros insequi cœperunt. *Sall. in fin. orat.* 1. *ad Cæs.* Sive hac seu meliore via perges, a me quidem pro virili parte adjutum fuerit. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *sub fin.* Tecta villarum præstant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso litore utare. *Cic.* 4. *Acad.* 19. 61. (2. *pr.*) Cimmeriis quidem, quibus aspectum solis sive deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci, quem incolebant, situs, ignes tamen aderant. *Plaut. Amph.* 4. 3. 14. Ubi quemque hominem aspexero, sive ancillam sive servum, sive uxorem seu adulterum, seu patrem, sive avum videbo, obtruncabo in ædibus. *Id. ibid. prol.* 69. Seu qui ambissent palmam histrionibus, Seu quoiquam artifici seu per scriptas litteras, Seu qui ipsi ambissent seu per internuncium. Sive adeo ædiles perfidiose quoi duint; Sirempse legem jussit esse Juppiter, Quasi magistratum sibi alterive ambiverit. *Tac. Dial. de Orat.* 5. Vel in judicio sive in senatu sive apud principem. *et* 1. *Ann.* 14. Nero sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet. *Quintil.* 11. 3. 115. Sive satisfacientes aut supplicantes summittimus, sive adorantes attollimus. — *c*) Interdum post *sive* ponitur *an.* *Tac.* 11. *Ann.* 26. Abrumpi dissimulationem, etiam Silius, sive fatali vesordia, an imminentium periculorum remedia ipsa pericula ratus, urgebat. *Id.* 14. *ibid.* 59. Plautum ea non movere. sive nullam opem providebat, seu tædio ambiguæ spei; an amore conjugis et liberorum. ¶ 2. Speciatim aliquando vim habet explanandi. *Quintil.* 1. 4. *a med.* Aristarchus, et ætate nostra Palæmon, vocabulum sive appellationem, nomini subjecerunt, tamquam species ejus. ¶ 3. *Sive etiam* auget sententiam, *o più tosto, o a meglio dire.* *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. *a med.* Te rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve obrui magnitudine negotii sinas: contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. ¶ 4. In sponsionibus *sive* est et si, *e se.* V. NI. ¶ 5. Cadentis Latinitatis temporibus *sive*, ut *vel,* idem significat quod *etiam, et.* Cf. VEL. *Inscript.* apud *Gruter.* 27. 3. M. D. M. I. (*h. e.* Magnæ deum Matris Idææ) ET ATTINIS L. CORNELIVS SCIPIO ORFITVS V. C. AVGVR TAVROBOLIVM SIVE CRIOBOLIVM FECIT DIE IIII. KAL. MART. TVSCO ET ANVLLINO COSS. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXCV. (*V.* plura huc pertinentia apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 4., et PHERECRATIUS, et PORTUENSIS.) *Cassiod.* 4. *Variar.* 50. Probatæ fidei virum destinare ad Nolanum sive Neapolitanum territorium. ¶ 6. Huc spectat consuetudo designandi per partic. *sive* cognomen alterum, quo quis vulgo notior erat, et respondet formulæ *qui et* (de qua V. *Inscript.* apud *Borghesi, Œuvr. T.* 3. *p.* 502. et *Gruter.* 986. 1.) *Inscript. Chr.* apud *Orelli, n.* 2771. OPTATINAE RAETICIAE SIVE PASCHASIAE CONIVGI AMANTISSIMAE ENNIVS FILTERIVS SIVE POMPEIVS MARITVS POSVIT. Adde *aliam* apud *eumd.* 2772. et *Fabretti p.* 146. *n.* 176. Cf. *De-Rossi, Bullett. Crist. a.* 1867. *p.* 31.

SĪVI pro Sibi. *V.* SUI init.

SIZĪO, is, ire, n. 4. σίζω, strido, sibilo. *Boeth. Arist. Analyt. post.* 2. 11. *p.* 551. Sicut si tonat, exstincto igne, necesse est sizire et sonare.

SL

SLETA, æ, f. 1. fortasse est lixivium, stacte vel alumen, ut putat *Schneiderus* ad illud *Veget.* 3. *Veterin.* 49. 2. Alia quoque ratione sanantur, si sletam, qua tinctores utuntur, et salem pro dimidia parte commisceas. *V.* quæ adnot. *Schneid.* ad *h. l.*, ubi al. *fæculam* legisse monet.

SLIS pro Lis (Cf. STLIS) occurrit in *Leg. Repetund.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. *V.* LIS.

SLOTNA, æ, f. 1. aurifodina. *Inscript.* in *Act. Soc. Lat. T.* 5. *p.* 51. PRAEF. SLOTNAE. Sane *zlato* in lingua Bohemica, Liburnica, Bulgarica et Slavonica dicitur aurum. Hæc cl. *Furlanetto.* Cave tamen usurpes

SM

SMĂRĂGDĂCHĀTES *vel* zmaragdachates, æ, m. et f. 1. (smaragdus *et* achates) gemma achates smaragdi colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139). Achates in magna fuit auctoritate, nunc in nulla est, numerosa varietatibus mutantibus cognomina ejus: vocatur enim iaspachates, cerachates, smaragdachates. *Alii* zmaragdachates.

SMĂRĂGDĪNEUS *vel* zmaragdineus, a, um, *et*

SMĂRĂGDĪNUS *vel* zmaragdinus, a, um, adject. (smaragdus) Primam produxit, non imitandus, *Prudent. Psychom.* 862. Has inter species smaragdina gramine verno Prata virent. — Smaragdineus vel smaragdinus, σμαράγδινος, ad smaragdum pertinens, di *smeraldo.* *Cels.* 5. 19. *n.* 4. Emplastrum, quod perviride est, smaragdinum appellatur. *Capell.* 1. *p.* 17. Smaragdinea viriditas. *Venant.* 8. *carm.* 8. 18. Atque smaragdineo janua poste viret. Adde *Vulgat. interpr. Esth.* 1. 6. *Marcell. Empir.* 8. 3. Smaragdinus color. Adde *Prudent. loc. cit.*

SMĂRĂGDĪTES *vel* zmaragdites, æ, m. 1. (smaragdus) dictus est mons juxta Calchedonem, in quo smaragdi legebantur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (73).

SMĂRĂGDUS *vel* zmaragdus, i, m. 2. (σμάραγδος et μάραγδος) — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *Broukus.* ad *Tibull.* 1. 1. 51. et ad *Propert.* 2. 13. 43., *Pier.* ad *Virg.* 7. *Æn.* 648. *Dausqu.* et *Manut.* in *Orthogr.* et alii magni nominis critici, ex vet. lapidid. et Latina veteri consuetudine, *zmaragdus* scribi malunt: immo in omnibus vocibus ab *sm* incipientibus *s* in *z* mutari, ut *Zmyrna, Zmintheus* etc. His nos quoque subscribimus: neque tamen alteram scriptionem non probamus, longo usu probatam et defensam a *Priscian.* 1. *p.* 564. *Putsch.* Ita *Forcellinus.* Recentiores nostri videntur scriptioni per *z* favere, ut Græci lexicogr. alteri per *s.* Illa exstat in Inscriptt. opt. notæ apud *Orell. n.* 2510. et *Don. cl.* 17. *n.* 18. et in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 3386.; hanc tamen sequimur cum *Forcellino, Freundio, Klotzio,* al. — *b*) Feminino etiam genere usurpatum legunt nonnulli apud *Lucan.* 10. 121. crebra maculis distincta smaragdo., ubi contra alii leg. *crebro.* Sic *Ovid.* 2. *Met.* 24. sedebat In solio Phœbus clara lucente smaragdo. *Alii tamen leg.* claris smaragdis. — *c*) Secundam syllabam corripuit *Martial.* 5. 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo Stella, Severe, meus. *sc.* Græcos poetas imitatus, quibus nihil est negatum, ut idem ait 9. 12., quique interdum vocalem corripiunt ante κτ, μν, πτ, ut ex *Homero, Hesiodo, Theocrito* ostendit *Gretserus.* — Sed *Heinsius,* approbante *L. Müllero* (*De re metr. p.* 314.) *smaragos* pro *smaragdos* legendum esse putat. — *d*) Videtur derivatum ab Hebr. ברקת *borqad,* quod a ברק *baraq,* fulguravit, coruscavit, unde et Gr. μάραγδος et σμάραγδος, litteris similibus, ut solet, permutatis, quod item a μαράσσω vel σμαράσσω, splendeo. — Smaragdus est gemma coloris viridis et pellucida, conflata ex eo, quod Itali dicunt *silicato di allumina,* σμάραγδος (It. *smeraldo;* Fr. *émeraude;* Hisp. *esmeralda;* Germ. d. *Smaragd;* Angl. *emerald*).

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (62). Tertia auctoritas (*nam prima adamanti, altera margaritis*) smaragdis perhibetur, pluribus de causis. Nullius coloris aspectus jucundior est. nam herbas quoque virentes avide spectamus: smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Præterea longinquo amplificantur visu, inficientes circa se repercussum aera *etc.* Pergit deinde recensere eorum genera, item vitia. *Id. ibid. extr.* Quorum corpus extensum est, eadem, qua specula, ratione supini imagines rerum reddunt. Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo. *Lucret.* 4. 1119. grandes viridi cum luce smaragdi Auro includuntur. *Ovid.* 2. *Met.* 24. In solio Phœbus claris lucente smaragdis. *Stat.* 2. *Theb.* 276. arcano lucentes igne smaragdi. *h. e.* arcano splendore. *Martial.* 4. 28. Donasti tenero, Chloe, Luperco Indos sardonychas, Scythas smaragdos. (Adde 14. 109.) *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 17. (65). docet, nobilissimos smaragdorum esse Scythicos, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellatos. Adde *Vulgat. interpr. Judith* 28. 13. et *Apoc.* 21. 19. — De smaragdo veterum V. *Schwarze, Gorlicii a.* 1802. et *Cultrera, Miner. Bibl. p.* 36. et 37.

II.) Translate, per metonymiam, est color viridis. *Auct. carm. de Phœnice,* 135. Albicat insignis mixto viridante smaragdo. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SMĂRIS *vel* zmaris, idis, f. 3. σμαρίς, pisciculus marinus litoralis, qui a *Gesnero* mæna candida vocatur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 34. (108)., *ibid.* 10. 45 (128). et *ibid.* 11. 53. (151). *Ovid. Halieut.* 120. Fecundumque genus, mænæ lamyrosque smarisque.

SMECTĪCA. *V.* voc. seq. in fin.

SMECTĪCUS *vel* zmecticus, a, um, adject. σμηκτικός, habens vim abstergendi et purgandi, *astersivo.* *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (29). Omnium quidem cochlearum cinis spissat, calfacit smectica vi. Cf. *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1868. *p.* 107. — Hinc

Smectica, ōrum, n. plur. 2. absolute, apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (92). Floris (*salis*) natura aspera *etc.* acopis et smecticis utilis. *Alii* smegmaticis; *Sillig.* leg. *zmegmatis.* Cf. *ibid.* *Dioscor.* ἀκόποις καὶ σμήγμασι πρὸς τριχῶν λεπτυσμόν.

SMEGMA *vel* zmegma ătis, n. 3. (σμῆγμα) Etiam *smigma* legitur, ex prava vulgi pronunciatione, apud *Vulgat. interpr. Dan.* 13. 17. Afferte mihi oleum et smigmata. — In Dat. et Ablat. plur. *smegmatis,* apud *Plin. loc. cit.* in voc. præced. ex lectione *Schneideri.* — Smegma est omne medicamentum, quod valet ad emaculandum et abstergendum: a σμήχω, abstergeo, *medicamento astersivo.* *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 74. (156). Si vero cælesti aqua discoquantur, sucus ille smegma fit, quo fovere gangrænas utilissimum. *Id.* 24. *ibid.* 7. 28. (43). Mastiche lentisci replicandis palpebris et ad extendendam cutem in facie et smegmata adhibetur. Præsertim, sed Græce, apud *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 2. 16. Σμήγματα, quæ nos lacessentes atque purgativos pulveres nuncupamus. Occurrit etiam Latine apud *eumd.* 2. *ibid.* 7. 105.

SMEGMĂTĬCUS *vel* zmegmaticus, a, um, adject. σμηγματικός, qui habet vim detergendi, *astersivo*. Absolute *Plin*. 31. *Hist. nat*. 7. 42. (92). Sudorem ciet, alvum solvit in vino et aqua, acopis et smegmaticis utilis. *Alii* smecticis; *Sillig*. rectius leg. *zmegmatis* pro *zmegmatibus*.

SMERDĂLĔOS *Græca positione* et *Latina*

SMERDĂLĔUS, a, um, adject. σμερδαλέος, aspectu terribilis. *Auct. Priap*. 69. Smerdaleos certe nisi res non munda vocatur, Et pædiconum mentula smerdalea est. Hic *Auct*. ludit in ambiguo, qui pædiconum mentulam smerdaleam vocat tum propter ejus magnitudinem turpitudinemque, quod indicat Græca vox σμερδαλέος, tum propter periculum ejus merda inquinandæ, dum puerorum podices intrat. Eadem fere sententia *Juvenal*. 9. 43. *penem legitimum* dixit, et 6. 337. eumdem ingenti volumini, quod Itali *rotolo* dicunt, ob figuræ similitudinem comparat. *V*. MERDACEUS et PSOLOIS. — In *cit*. tamen *loc. Priap*. primo recentiores leg. Græce σμερδαλέον vel μερδαλέον, altero *merdaleam*.

SMĬĀLĬA, ōrum *vel* ium, n. plur. 2. *vel* 3. armillæ, *smaniglie*. Hæc vox cadentis fortasse Latinitatis ex unico lapide inscripto et in Celtiberia, Hispaniæ regione, reperto hactenus innotescit, ejusque etymon repetendum videtur ex vetusta Celtarum lingua, unde adhuc apud Germanos *schmal*, et apud Anglos *small* significat angustum quid, minutum, gracile et attenuatum; vel potius ex Illyrico *zmia*, quod serpentem denotat, unde, priore littera mutata, *smialis*, serpentinus; constat enim Illyricos esse gentem Celticam: hujusmodi porro nomen cum nupero armillarum apud Italos nomine, *smaniglie*, apprime convenit, quippe quæ in serpentis formam ex auro tenuato efficiæ mulierum brachia olim stringerent: adde in eodem lapide, in quo varia recensentur ornamenta muliebria, qualia sunt basilium, inaures, quadribacium, post smialia statim anulos quatuor, qui in digitis argentei simulacri Isidis erant, memorari, nec armillarum ullam fieri in eodem mentionem. *Inscript*. apud *Murat*. 139. 1. (*Orelli n*. 2510.) IN SMIALIIS ZMARAGDI N. VIII. MARGARITA N. VIII. IN DIGITO MINIMO ANVLI DVO GEMMIS ADAMANTINIS etc. Hactenus *Furlanetto*, cui *Georges* favet. Sed *Hübner* in *Corp. Inscr. Lat*. 2. 3386. pro *smialiis* dedit *spataliis*. V. SPATALIA.

SMIGMA. *V*. SMEGMA init.

SMĪLA, æ, *vel* smile, es, f. 1. σμίλη, scalprum. *Arnob*. 5. *p*. 172. Vellem videre Jovem secreta rimantem ferventi smila. Ita leg. *Stewechius* et *Orellius*; alii *secreta rimantem vervecis ultima*. Adde *Isid*. 1. *Orig*. 11. *de instrumentis medicorum*. ubi vulgo leg. *simile*, vel etiam *similaria*, unde *Lindemann*. dedit *smilaria*, quod *Quicherat*, pro plur., perperam femin. sing. fecit.

SMĪLĂCES *vel* zmilaces. *V*. voc. seq.

SMĪLAMPIS *vel* zmilampis, ĭdis, m. 3. genus quoddam gemmæ, de qua *Plin*. 37. *Hist. nat*. 10. 70. (185). Zmilampis in Euphrate nascitur, Proconnesio marmori similis, medio colore glauco. Ita leg. *Silligius*: alii *smilaces* vel *zmilaces*. Ex *Solin*. 37. 7. *smilanthis* vel *zmilanthis* legendum esse existimat *C. Leonardus* apud *Gesner. de reb. fossil*. 19. 5. Cf. *Isid*. 16. *Orig*. 15. 14.

SMĪLANTHIS. *V*. voc. præced.

SMĪLĂRĬA. *V*. SMILA.

SMĪLAX, zmilax (*et* milax), ăcis, f. 3. σμίλαξ ¶ 1. Est genus quoddam herbæ (*Smilax aspera* Linn.), *smilace*, similis hederæ, e Cilicia primum quidem profecta, sed in Græcia frequentior, densis geniculata caulibus, spinosis fruticosa ramis, folio hederaceo, parvo, non anguloso, a pediculo emittente pampinos, flore candido olente lilium. Fert racemos labruscæ modo, non hederæ, colore rubro, complexa acinis majoribus nucleos ternos, minoribus singulos, nigros durosque: infausta omnibus sacris et coronis, quoniam sit lugubris, virgine ejus nominis, propter amorem juvenis Croci, mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans, plerumque festa sua polluit, hederam existimando. E smilace fiunt codicilli: propriumque materiæ est, ut admota auribus lenem sonum reddat. Hæc *Plin*. 16. *Hist. nat*. 35. 63. (153). — De ejus usu in coronamentis, apud *eumd*. 21. *ibid*. 28. (52)., ubi alii leg. *milax*. — Idem *Plin*. distinguit duo *smilacis* genera 24. *ibid*. 83. 49. (83). Smilax qui et nicophoros (*alii* anthoforos) cognominatur, similitudinem hederæ habens, tenuioribus foliis coronam ex ea factam impari foliorum numero aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera smilacis dixere, alterum immortalitati proximum, – alterum genus etc. *V*. integr. loc. Alii leg. *milax*. ¶ 2. Est etiam arbor, qui et taxus dicitur, ita ab aliquibus appellata, teste eod. *Plin*. 16. *ibid*. 10. 20. (51). ¶ 3. Item genus ilicis apud *eumd*. *ibid*. 6. 8. (19). — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM.

SMĪLE. *V*. SMILA.

SMĪLĬON, ĭi, n. 2. σμίλιον. ¶ 1. Est nomen collyrii apud *Cels*. 6. 6. *n*. 18. *et* 19. Græce σμιλίον est scalpellum: a σμίλη, scalprum. Fortasse inde collyrio nomen factum, quod scalpri vicem præbeat, supercrescentia et sordida in oculis exedendo et purgando. ¶ 2. Hoc nomine est etiam emplastrum quoddam. *Marcell. Empir*. 35. *ad fin*. Compositio emplastri, quod appellatur smilion, facit ad omnes nervorum contractiones relaxandas et ad quaslibet contusiones placandas doloresque sedandos: conficitur sic etc.

SMINTHEUS *vel* zmintheus, ei, m. 2. Σμινθεύς, cognomentum Apollinis, apud *Ovid*. 12. *Met*. 585. et 6. *Fast*. 425.; unde adject. *Smintheus* et *Sminthius*: a σμίνθος vel σμίνθιξ, quod Cretensium aut Phrygum lingua murem significat; aut potius a Σμίνθη, urbe Troadis. A *Macrob*. 1. *Saturn*. 17. *a med*. Apollo dicitur *Smintheus*, quia ζέων θεῖ, fervens currit. *V*. plura in ONOM.

SMINTHĒUS, a, um, *vel*

SMINTHĬUS, a, um, adject. *V*. voc. præc.

SMURNA. *V*. SMYRNA.

SMYRIS, ĭdis, f. 3. σμύρις, genus lapidis, quo utuntur annularii et gemmarii ad gemmas expoliendas. *Isid*. 16. *Orig*. 4. 27. Sic recte *Lindeman*. post *Areval*. Alii leg. *ismirus*; alii *hismiris*.

SMYRNA smurna *vel* zmirna, æ, f. 1. σμύρνα, proprie est genus arboris, quæ sæpius *myrrha* dicitur (*V*. MYRRHA): sed usurpatur etiam de humore, qui ab hac arbore fluit, in unguentis ob gratum odorem usitato. *Lucret*. 2. 503. Et contemptus odor smyrnæ mellisque sapores. *Plaut. Asin*. 5. 2. 78. Anima fœtetne uxoris tuæ? DE. smyrnam olet. *Martian. Dig*. 39. 4. 16. *circa med*. Xylocassia, smyrna, amomum. Alii scrib. *smurna*, et apud *Lucret*. et *Plaut*. myrrha. — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM.

SMYRNĬON *vel* zmyrnion, ĭi, n. 2. σμύρνιον, deminut. a σμύρνα, herba (*Smyrnium olus atrum* Linn.), Italice dicta *macerone*, caule apii, foliis latioribus et maxime circa stolones multis, quorum a sinu exsiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato et cum quadam acrimonia jucundo, colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis, ut anethi, semine rotundo, nigro, quod arescit incipiente æstate: radix quoque odorata gustu acri mordet, succosa, mollis: cortex foris niger, intus pallidus: odor myrrhæ habet qualitatem: unde et nomen. Nascitur et in saxosis collibus et in terrenis. Latine dicitur olus atrum. *Plin*. 27. *Hist. nat*. 13. 109. (133). et 19. *ibid*. 8. 48. (162). Adde *Caton. R. R*. 102. — Unde

Smyrnius, a, um, adject., ut Smyrnium olus apud *Plin*. 27. *Hist. nat*. 12. 62. (187).

SMYRNĬUS *vel* zmyrnius, a, um, adject. *V*. voc. præced. in fin.

SMYRRHIZA, æ, f. 1. σμυῤῥίζα, herba, quæ myrrha et myrrhis dicitur. *Plin*. 24. *Hist. nat*. 16. 97. (154). Myrrhis, quam alii smyrrhizam, alii myrrham vocant, simillima est cicutæ caule foliisque et flore, minor tantum et exilior, cibo non insuavis etc. *Sillig*. myrizam *dedit*.

SMYRUS *vel* zmyrus, i, m. 2. σμύρος, piscis genus apud *Plin*. 32. *Hist. nat*. 11. 53. (151)., qui et *myrus* dicitur, Græce μῦρος. *V*. MYRUS.

SO

SO pro Sum. *V*: SUM.

SŎBŎLES, SŎBŎLESCO et **SŎBŎLIS**. *V*. SUBOLES, SUBOLESCO et SUBOLIS.

SŌBRĬANS, antis, particip. *V*. SOBRIO.

SŌBRĬĒ, adverb. (sobrius) temperanter, *sobriamente*, νηφαλέως.

I.) Proprie. *Cic*. 1. *Off*. 30. 106. Intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.

II.) Translate est caute, prudenter, cum cura, ut temperantes homines solent, σωφρόνως. *Plaut. Pers*. 4. 1. 1. Si quam rem accures sobrie atque frugaliter, Solet illa recte sub manus succedere. *Id. Capt*. 2. 1. 29. cauto est opus, ut hoc sobrie sineque arbitris, Accurate agatur, docte et diligenter. Adde *Mil. glor*. 3. 1. 217. *Vulgat. interpr. Tit*. 2. 12. Sobrie et pie et juste vivere.

SŌBRĬĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *sobriefacio*, ad sobrietatem redactus. *Apul*. 8. *Met*. Sobriefactus sermone.

SŌBRĬĔTAS, ātis, f. 3. (sobrius) temperantia in potu, νῆψις (It. *moderazione nel bere, sobrietà*; Fr. *tempérance dans le boire, sobriété*; Hisp. *sobriedad*; Germ. d. *Nüchternheit*; Angl. *sobriety*).

I.) Proprie. *Seneca Tranquill. sub fin*. Tristis sobrietas removenda paullisper. *Val. Max*. 6. 3. *n*. 9. Uxorem, quod vinum bibisset, fustim interemit: existimante unoquoque, optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse.

II.) Translate. ¶ 1. Est universim temperantia, frugalitas. *Ulp. Dig*. 1. 7. 17. *in fin*. Interdum et ditiorem permittitur adoptare pauperiori, si vitæ ejus sobrietas clara sit. ¶ 2. Item modestia, prudentia, castitas. *Prudent. Psychom*. 450. His se sobrietas, et totus sobrietatis Abstinet exsuviis miles. *Ammian*. 31. 10. *a med*. Sobrietas consiliorum. ¶ 3. Apud *Apul*. 5. *Met. sub fin*. Sobrietas est dea Veneris inimica.

SŌBRĪNA, æ, f. 1. *V*. voc. seq.

SŌBRĪNUS, i, m. 2. *et* Sobrina, æ, f. 1. Vox contracta pro *sororinus* inus., a *soror*. ¶ 1. Masculino gen. *sobrinus*, ἀνεψιός, ἀνεψιαδοῦς (It. *cugino*; Fr. *cousin*; Hisp. *hermano*; Germ. *Vetter*; Angl. *cousin*), quid sit, docet *Fest. p*. 297. 6. *Müll*. Sobrinus est, ut ait Gallus Ælius, patris mei consobrini filius et matris meæ consobrinæ filius. Femina eisdem de causis appellat fratrem et fratrem patruelem et consobrinum et propius sobrino et sobrinæ. Sic *Donat*. ad *Ter. Hecyr*. 3. 5. 9. Sobrini sunt ex duabus sororibus. Consobrini ex fratre et sorore. *et Cajus Dig*. 38. 10. 3. Sexto gradu sunt tritavus, trinepos *etc.*: item qui ex fratribus patruelibus aut consobrinis aut amitinis undique propagantur: qui proprie sobrini vocantur. Eadem habet *Justinian*. 4. *Instit. tit*. 6. *Ter. Andr*. 4. 5. 6. Estne hic Crito sobrinus Chrysidis? is est. *Cic*. 1. *Off*. 17. 54. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum sobrinorumque. Adde *Ter. Phorm*. 2. 3. 37., ubi quidam putant, *sobrinum* late de quocumque cognato usurpari. Item *Tac*. 12. *Ann*. 6., ubi sobrinæ pro consobrinis accipiuntur, ut monet *Lipsius*. Propius sobrino, inquit *Festus*, est consobrini mei filius et consobrinæ meæ filia et patris mei consobrinus et matris meæ consobrinus. *Cajus Dig. loc. cit. l*. 1. *extr*. Propius sobrino propius sobrina, isti sunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius filia. Hoc est (subdit *Ulp. ibid. l*. 2.) patris ejus, de cujus cognatione quæritur, consobrinus consobrina, sive frater patruelis. *Paul. cit. l*. 10. Patrui magni filius ei, de cujus cognatione quæritur, propius sobrino vocatur. nam, ut Masurius ait, quum quis appellat propius sobrino, qui est patris matrisve consobrinus aut consobrina. *et paullo post*. His omnibus, quos a patrui nepote proposuimus, is, de

cujus cognatione quæritur, propius sobrino est. nam patris vel matris eorum consobrinus est. Eadem his habet *Justinian. loc. cit.* ¶ 2. Femin. gen. *sobrina* quid sit, *V.* in *Sobrinus*. Græce est ἀνεψιά. — *a*) Universim. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 108. Mihi sobrina tua mater est. Adde *Fest. loc.* supra *cit.* — *b*) *Sobrina prior* apud *Tac.* 12. *Ann.* 64. est eadem, quæ *propior sobrina* seu *propius sobrinæ*.

SŌBRĬO, as, are, 1. (sobrius) Part. *Sobrians.* — Sobrio est sobrium facio, et etiam sobrius fio vel sum. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 106. Quis me miseratus, ab isto Flumine potabit, quod sobriet ebrietate? *et ibid.* 24. 685. Inebrietur sobriante poculo De fonte Sancti Spiritus. *Gloss. Gr. Lat.* Νήφω, sobrio. Cave usurpes.

SŌBRĪUS, a, um, adject. — *a*) *Sober* vel *suber*, et *sobreus* pro *sobrius* vulgo fortasse usurpata fuisse, conjici potest ex *Prob. Instit. p.* 127. 23. et *p.* 197. 28. *Keil.* et *Vel. Long. p.* 2215. *Putsch.* Cf. *Brambach, op. cit. p.* 85. — *b*) De quantitate dicendum, primam syllabam a poetis labentis Latinitatis fuisse aliquando correptam, non tamen imitandis. — *c*) Ad etymon quod attinet, *Forcellino* vox contracta videtur a *se*, sine, seorsum, et *ebria* seu potius *bria* (V. BRIA): vel esse a σώφρων, moderatus: et *Döderleinio, op. cit. v.* 6. *p.* 338., a σοφός vel σαφής. Sed V. *Vaniček, op. cit. p.* 37. — *d*) De gradibus hæc *Charis.* 1. *p.* 64. *Putsch.* Sobrius comparari non debet. neque enim *sobrior*, neque *sobriissimus* dici potest: quamvis Laberius *sobrior* dixerit. Sic etiam *Prob. Instit. p.* 62. 14. *Keil.* — Sobrius est qui in potu temperatus est, vini parcus, cui *ebrius* opponitur, νηφάλιος (It. *temperante, moderato nel bere, sobrio*; Fr. *tempérant, modéré dans le boire*; Hisp. *sobrio, moderado*; Germ. *nicht betrunken, nüchtern, mässig*; Angl. *abstemious, temperate, sober*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis. *Cic. Orat.* 28. 99. Quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. *Id.* 4. *Acad.* 17. 52. (2. *pr.*) Ne vinolenti quidem quæ faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 17. 52. et *Caton. min.* apud *Sueton. Cæs.* 53. *Seneca Ep.* 18. Multo fortius est, ebrio ac vomitante populo, siccum ac sobrium esse. *Martial.* 3. 16. Ebrius es. nec enim faceres id sobrius unquam. *et* 11. 6. Possum nil ego sobrius: bibenti Succurrent mihi quindecim poetæ. *Ovid.* 6. *Fast.* 785. suburbana rediens male sobrius æde. *h. e.* ebrius. *Plaut. Truc.* 4. 4. 1. Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium. — 2.°) De rebus. — *a*) Universim. *Tibull.* 1. 7. 27. ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua. *et* 2. 1. 46. Mixtaque securo sobria lympha mero. *Propert.* 3. 15. 11. nox sobria. *h. e.* quæ sine vino transigitur. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis. *Martial.* 1. 28. non sobria verba. *h. e.* quæ effutiuntur ab ebrio. — *b*) *Sobria uva*, quæ ebrietatem non affert. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (31). Inerticulam e nigris appellavere, justius sobriam dicturi, inveterato præcipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam: siquidem temulentiam sola non facit. — *c*) *Sobrium vicum* dictum putant Cloatius et Ælius, quod in eo nullus tabernæ locus, neque cauponæ fuerit. Alii, quod in eo Mercurio non vino, sed lacte solitum sit supplicari. Ita *Festus p.* 297. 15. *Müll.* Putat *Dörderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 338., esse potius a *suber*, fortasse ex loco hujusmodi arbusculis consito. — *d*) *Sobria rura*, vitibus non consita. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 36. sic vitifero sub palmite ludos Umbravit colles et sobria rura Lyæus.

II.) Translate. ¶ 1. Est a luxu alienus, abstinens, frugi, parcus. *Cic.* 5. *Verr.* 27. 67. Homines satis fortes et satis plane frugi ac sobrii. *Ter. Adelph.* 1. 2. 14. Non fratrem videt rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium? *Horat.* 2. *Od.* 10. 7. caret invidenda Sobrius aula. *Claudian. IV. cons. Honor.* 411. Sobria paupertas. *Id.* 1. *in Eutrop.* 229. divitiis mens. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 78. et digna evolvere tantas Sobria corda vices. *Apul.* 5. *Met.* Lares pauperes nostros, sed plane sobrios, revisamus. *Seneca Vit. beat.* 12. *sub fin.* Non æstimatur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules sentio) quam sobria et sicca sit. ¶ 2. Item attentus, vigilans, diligens, cautus. *Cic. Cæl.* 31. 74. Quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consecutus. *Id.* 2. *Orat.* 32. *a med.* Omnes eas causas, diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope decantatas habere debent. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 5. limen transire memento Cautius atque alte sobria ferre pedes. ¶ 3. Item sanus, mentis compos. *Ter. Eun.* 4. 4. 35. Jam satis credis sobriam esse me et nihil mentitam tibi? *Id. Andr.* 4. 4. 39. Tu pol homo non es sobrius. *et Heaut.* 4. 3. 29. Satin sanus es aut sobrius? tu quidem illum plane perdis. ¶ 4. Refertur et ad ingenium et ad genus dicendi. *Seneca Ep.* 114. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque afflatur. *Gell.* 7. 14. *sub fin.* Violenta et rapida Carneades dicebat, scita et teretia Critolaus, modesta Diogenes et sobria.

SOCCĀTUS, a, um, adject. (soccus) soccis indutus. *Seneca* 2. *Benef.* 12. *in fin.* De capite consularis viri soccatus audiebat. Adde *Ammian.* 28. 4. 27. Ita *Müller*: at ibi *Gardthausen* pro *soccatus* leg. *soccus*. Rectiusne? *V.* SOCCUS.

SOCCELLUS, i, m. 2. *deminut. a* soccus, idem ac socculus. *Isid.* 19. *Orig.* 34. 12.

SOCCĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (soccus et fero) qui soccos fert vel gestat, soccatus. *Sidon. carm.* 9. 215. Socciferi jocos Menandri spectare. *V.* SOCCUS.

SOCCĪTO, as, are, n. 1. verbum per onomatopœiam fictum, et est turdorum vocem exprimo. *Sueton. fragm.* 161. *p.* 253. ed. *Reifferscb.* Turdorum trucilare vel soccitare. Cf. *Thes. nov. Latinit. p.* 78. ed. *A. Mai.*

SOCCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* soccus, parvus soccus aut soccus simpliciter, *zoccoletto, zoccolo*, ἐμβάδιον. *Seneca* 2. *Benef.* 12. Socculum auratum, immo aureum, margaritis distinctum ostendere. *Sueton. Vitell.* 2. *sub fin.* Detractumque socculum dextrum (*Messalinæ*) inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnumquam osculabundus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (114). Quum et pedibus margaritas, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt. — De comicis, qui socco utebantur, *Plin.* alter 9. *Ep.* 7. et *Quintil.* 10. 2. 22.

SOCCUS, i, m. 2. De etymo vocis *Isid.* 19. *Orig.* 34. 12. hæc habet: Socci appellati inde quod saccum habeant, in quem pars plantæ injicitur. Cf. SAGUM. At *Döderlein* conjungit cum Gr. σύχχοι. ὑποδήματα Φρύγια apud *Hesiod.* et σύχχα apud *Polluc.* (*op. cit. v.* 6. *p.* 338.). Cf. etiam *Vaniček, op. cit.* ad *h. v.* — Soccus

I.) Proprie est genus calceamenti, *calzare, scarpa, zoccolo, sandali*, πεδίλον, ὑπόδεσις, ἐπικρηπίδης, et quidem tam virile quam muliebre, apud Græcos. Itaque pallium et soccos iis tribuit *Cic. Rabir. Post.* 10. 27., ubi narrat, P. Rutilium Rufum a Mithridate Mitylenis conquisitum ad necem, crudelitatem regis vestitus mutatione vitasse soccosque et pallium sumpsisse. *Id.* 3. *Orat.* 32. 127. Hippias Eleus gloriatus est, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *Ter. Heaut.* 1. 1. 72. Accurrunt servi, soccos detrahunt. *Catull.* 61. 9. *ad Hymen.* Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 97. Divesne est istic Theotimus? CHRY. etiam rogas? qui soccis habeat auro suppactum solum? *Id. Trin.* 3. 2. 94. Fulmentas soccis suppingere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (41). Calceare aliquem soccis. — Apud Romanos vero, si quando viri principes soccis usi leguntur, ut Caligula apud *Sueton.* 52., *Senec.* 2. *Benef.* 12. et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (17)., mollitiei damnantur ab iisdem scriptoribus. Simile est illud *Cic.* 7. *Verr.* 33. 86. Stetit soleatus prætor populi R. cum pallio etc.

II.) Translate. ¶ 1. *Socci* erant cothurnis humiliores: quare soccis comœdi, cothurnis tragœdi in scena utebantur. Unde metonymice his tragœdia, illis comœdia et levioris generis carmen significatur. *Horat. Art. P.* 80. Hunc (*iambum*) socci cepere pedem grandesque cothurni. *et ibid.* 90. Indignatur enim privatis ac prope socco Dignis carminibus narrari cena Thyestæ. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 29. Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis; Et tua cum socco Musa, Melissa, levis. *Id. Remed. am.* 375. Grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos: Usibus e mediis soccus habendus erit. *Quintil.* 10. 2. *a med.* Nec comœdia in cothurnos assurgit, nec tragœdia ingreditur socco. *Martial.* 8. 3. An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos? Cf. *Plaut. Cist.* 4. 2. 29. hæc socci video vestigium. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (111). Magnum et Menandro in comico socco testimonium regum Ægypti et Macedoniæ contigit, classe et per legatos petito. Adde *Plin.* alter. 9. *Ep.* 7. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 174. ¶ 2. Ex *Gloss.* Κρηπίς, crepido, margo, soccus. *soccus* videtur usurpatum quoque vulgo fuisse pro loco, qui socco teritur: sed κρηπίς est etiam crepida seu soccus.

SŎCER, socerus et socrus, i, m. 2. *Socerus* in recto casu. *Plaut. Men.* 5. 5. 54. Abiit socerus, abiit medicus, nunc solus sum. *Id. Cas.* 4. 2. 18. Meus socerus, compar, commaritus villicus. *Lips.* mallet *sociennus*, h. e. socius, nam *socerus* hic locum non habere videtur. In priore autem exemplo quidam suspicantur, *socrus* scriptum fuisse: quia veteres *hic* et *hæc socrus* dixere (*V.* SOCRUS). — Sed et *socrus*, *i*, per syncop. pro *socerus* in *Inscript.* apud *Murat.* 532. CATIA SILVINA CONIVGI PIENTISSIMO ET . . . . . NVATS SOCRO DVLCISSIMO PONENDVM CVRAVERVNT. Adde *alias* apud *Rénier, Inscr. Afr.* 291., 717., 830., in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2670., 3678. et 4281. et in *Annal. dell' Istit. archeol. a.* 1868, *p.* 34. Sic *Poeta* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. et *Ulp. Dig.* 38. 10. 6. — Item *socerio, onis* habet *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 5622. — Socer: ab ἑκυρός per metathesin ¶ 1. Est pater mariti mei, cui *nurus* respondet (It. *suocero*; Fr. *beau-père*; Hisp. *suegro*; Germ. *d. Schwäher*; Angl. *father-in-law*). *Socer magnus* est mariti mei avus, cui *pronurus* respondet: *socer major* est mariti mei proavus. *Modestin. Dig.* 38. 10. 4. § 6. Hinc socer Thetidis est Æacus pater Pelei mariti. *Seneca Herc. Fur.* 733. Aditur illo Gnossius minor foro: Rhadamantus illo: Thetidis hoc audit socer. ¶ 2. *Socer* est etiam uxoris meæ pater, *padre di mia moglie*, πενθερός. cui *gener* respondet. *Socer magnus*, qui et *prosocer*, est uxoris meæ avus, cui *progener* respondet: *socer major* est uxoris meæ proavus. *Modestin. Dig. loc. cit.* et *Paul. Diac.* ex *Fest.* in *Magnum* et *Major p.* 126. 15. et 136. 11. *Müll. Cic.* 1. *Off.* 35. *sub fin.* Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. *Martial.* 9. 71. Quum gener atque socer diris concurreret armis. *h. e.* Cn. Pompejus et C. Cæsar: de quibus et *Virg.* 6. *Æn.* 831. Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci Descendens: gener adversis instructus Eois. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Crassi morte apud Parthos et morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. ¶ 3. Etiam sine addito, soceri et socrus appellatione avus quoque et avia uxoris vel mariti continetur, uti docet *Terent. Dig.* 50. 16. 146., item *Paul. ibid.* 23. 2. 14. *ad fin.* et *Pompon.* apud *Ulp. ibid.* 3. 1. 3.

SŎCĔRA et socra, æ, f. 1. *V.* SOCRUS.

SŎCĔRIO, ōnis, m. 3. *et*

SŎCĔRUS, i, m. 2. *V.* SOCER.

SŎCĬA. *V.* SOCIUS.

SŎCĬĀBĬLIS, e, adject. (socio) qui facile alteri jungitur, *chi facilmente si unisce, si accompagna, accoppiabile, compatibile*, συναγελαστικός. — *a*) De rebus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225). Abies maxime sociabilis glutino, in tantum ut findatur ante, qua solida est. — *b*) De personis, et est societatis amans, convictu et con-

suetudine gaudens, *compagnevole, sociabile*. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Natura nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit. *Liv.* 40. 8. *a med.* Sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum reges, salutarem per multa sæcula ipsis patriæque.

SŎCĬĀBĬLĬTER, adverb. (sociabilis) socialiter. *Augustin. Music.* 5. 15. Has (*particulas*) sociabiliter jungimus, quia unum cum omnibus (*numeris*) habet societatem.

SŎCĬĀLIS, e, adject. (socius) ad societatem vel socios pertinens, *sociale, sociabile, compagnevole, atto ad associarsi*, ἑταιρικός. ¶ 1. Generatim. *Seneca* 7. *Benef.* 1. *ad fin.* Homo sociale animal et in commune genitus, mundum ut unam omnium domum spectat. *Id.* 5. *ibid.* 11. *ad fin.* Beneficium dare socialis res est: aliquem conciliat, aliquem obligat. *Apul.* 5. *Met.* Sociales amicitiæ. *Sil. It.* 4. 701. Sociales undæ. Cf. *v.* 648. *Capell.* 1. *p.* 3. Juno ex purgatioris auri splendente vena addiderat crinibus sociale vinculum. ¶ 2. Speciatim est ad socios, h. e. populos fœdere, societate, amicitia junctos, pertinens, *da alleato, da confederato*, συμμαχικός. *Cic. Divin. Verr.* 5. 18. Hæc lex socialis est, hoc jus nationum exterarum est. *Id.* 4. *Verr.* 6. 15. Lege judicioque sociali sociorum querimonias audire oportet. *Liv.* 34. 57. *ad fin.* Quum qui hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere jungendam coeant. *Id.* 31. 21. Socialis exercitus. *h. e.* sociorum. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 73. Sociales turmæ. *et* 12: *ibid.* 31. copiæ sine robore legionum. *h. e.* auxilia. *Flor.* 3. 6. Rhodiorum classes. *Tac.* 2. *Ann.* 57. Cuncta socialia prospere composita. *h. e.* res sociorum. — *Bellum sociale* apud *Flor.* 3. 18. et *Juvenal.* 5. 31., quod socii populi R. adversus eum gesserunt ob negatum jus civitatis Rom. V. *Flor. ibid.*; et apud *Nepot. Iphicr.* 3., quod Athenienses cum iis gesserunt, qui a societate defecerant. ¶ 3. Item sæpe est conjugalis, *conjugale*. maxima enim omnium est societas mariti et uxoris. *Ovid.* 7. *Met.* 800. Mutua cura duos, et amor socialis habebat. *Id.* 3. *Pont.* 1. 73. socialis amor fœdusque maritum. *Id.* 2. *Fast.* 729. socialis torus. *Id. Heroid.* 4. 17. et 14. *Met.* 380. socialia fœdera. *Id.* 3. *Amor.* 11. 45. lecti socialia jura. *Id. Heroid.* 21. 155. sacra. *et ibid.* 12. 139. carmina. *h. e.* epithalamium.

SŎCĬĀLĬTAS, ātis, f. 3. (socialis) consortium, vita socialis, *compagnia, affratellanza, socialità, affabilità*. *Plin. Paneg.* 49. Non remissionibus tuis eadem frequentia eademque illa socialitas interesset? Adde *eumd.* 9. *Ep.* 30. *Keil.*

SŎCĬĀLĬTER, adverb. (socialis) amice, sociorum more, *amichevolmente, da buon compagno*. *Augustin.* 10. *Confess.* 39. Socialiter gaudentes. Adde *eumd. contra Faust.* 22. — Translate *Horat. Art. P.* 258. non ut sede secunda Cederet, aut quarta socialiter.

SŎCĬANS, antis, particip. *V.* SOCIO.

SŎCĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (socio) conjunctio, *unione*. *Capell.* 2. *p.* 26. *extr.* Sic igitur rata inter eos sociatio copulam nuptialem constrinxit. Adde *Firmic.* 6. *Math.* 31.

SŎCĬĀTOR, ōris, m. 3. (socio) qui sociat. *Mar. Victorin. De physic.* 21. apud *Maium, Nov. Coll. T.* 3. p. 158. Salvator humani generis, cæli terræque sociator, gloriæ et pacis effector.

SŎCĬĀTRIX, trīcis, f. 3. (sociator) quæ sociat. *Val. Flacc.* 5. 499. Sed me nuda fides sanctique potentia justi Huc tulit, ac medii sociatrix gratia Phrixi.

SŎCĬĀTUS, a, um, particip. *V.* SOCIO.

SŎCĬENNUS, i, m. 2. (socius) idem ac socius apud veteres. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 32. Illi socienno tuo jam interstringam gulam. Alii aliter. *Id. Amph.* 1. 1. 228. Amphitruonis sociennum me esse, volui dicere. Alii hic leg. *socium næ me*. et *Fleckeis.* leg. *socium me*. Adde *Cas.* 4. 2. 18. ut in SOCER dictum est. et *Mil. glor.* 4. 2. 22. *Br.*, ubi *Fleckeisen* leg. *socium me*.

SŎCĬĔTAS, ātis, f. 3. (socius) In Genet. plur. *societatium* pro *societatum*. V. infra. — Societas est communio, conjunctio, consociatio, κοινωνία, ἑταιρία (It. *unione, compagnia, comunanza, società*; Fr. *compagnie, association, société*; Hisp. *sociedad, compañia, associacion*; Germ. d. *Genossenschaft, Gesellschaft, Gemeinschaft, Verbindung*; Angl. *partnership, union, company, society*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) De hominibus. — *a*) Cum Genet. ejus, quicum societas fit, aut sæpius Ablat. et præp. *cum*, aut etiam Accus. et præp. *inter*. *Cic.* 4. *Fin.* 2. *a med.* Nati sumus ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani. *Id.* 2. *ibid.* 14. *a med.* Implicare se primum civium, deinde omnium mortalium societate. *Id.* 10. *Fam.* 6. *a med.* Se ab impiorum civium societate sejungere. *Id.* 2. *Phil.* 10. *ad fin.* Utinam, Pompei, cum C. Cæsare societatem aut numquam coisses aut numquam diremisses! *Id. Rosc. Am.* 34. 96. Nullam societatem neque sceleris neque præmii cum homine ullo coieras. *Id. Quinct.* 3. 11. Facere societatem omnium rerum cum aliquo. *Id.* 13. *Phil.* 17. *sub fin.* Omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confitetur. *Id. Harusp. resp.* 20. 42. Conflare nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque. *Id.* 1. *Off.* 17. *a med.* Omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. *Phædr.* 1. 5. Numquam est fidelis cum potente societas. *Cic.* 1. *Legg.* 10. 28. Si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris. *Id.* 5. *Fin.* 23. 65. Conjunctio inter homines hominum et quasi quædam societas et communicatio utilitatum. *Id.* 1. *Off.* 7. 1. Artibus, opera, facultatibus devincire hominum inter homines societatem. Cf. *eumd.* 1. *Cat.* 13. *extr.* Hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum fœdere inter se ac nefaria societate conjuncti. — *b*) Absolute. *Petron. Sat.* 83. Recipere aliquem in societatem. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Tueri societatem conjunctionis humanæ. *Id. Amic.* 5. *extr.* Ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura. *Id.* 1. *Orat.* 10. *a med.* Missos facio mathematicos, musicos, quorum artibus dicendi vis ne minima quidem societate contingitur. *Alii leg.* conjungitur. *Id.* 9. *Fam.* 14. *circa med.* A te peto, ut me in societatem tuarum laudum venire patiare. *Justin.* 10. 1. 5. Assumere aliquos in societatem facinoris. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (218). Societas nominum. *h. e.* quum idem nomen pluribus rebus est. Rursus *Cic. Brut.* 1. 2. Vir conjunctissimus mecum consiliorum omnium societate. *Nepos Miltiad.* 1. Demigrationis societatem petere. — 2.°) De brutis animantibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Pina cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. — 3.°) De rebus. *Id. Fat.* 2. 3. Cum hoc genere philosophiæ magnam habet orator societatem. *Quintil.* 9. 2. 47. Quædam genera nullam cum tropis societatem habent. ¶ 2. Speciatim dicitur de conjunctione et fœdere populorum aut regum inter se, *alleanza, confederazione, lega*, συμμαχία. *Nepos Con.* 2. Quum Lacedæmonii in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant. *Id. Alcib.* 4. *extr.* Ioniam a societate averterunt Atheniensium. *Id. Reg.* 3. Societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. *Id. Themist.* 8. Societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. *Id. Arist.* 2. *in fin.* Ut civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent. *Id. Chabr.* 2. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Treviri Ambiorigem sibi societate et fœdere adjungunt. *Sall. Cat.* 41. Impellere Allobroges ad societatem belli. *Id. Jug.* 79. *sub fin.* Leptitani Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. *et ibid.* 85. Societatem amicitiamque conjungere cum populo R. *Tac.* 12. *Ann.* 13. Rex Izates Meherdatis societatem palam induerat. *Justin.* 6. 5. *in fin.* Ut hostes nunc paterentur, cum quibus juncti tunc artissimis societatis vinculis fuerant. ¶ 3. Item de conjunctione eorum, qui simul negotiantur, *società, compagnia, soccio*: itemque metonymice de ipsis sociis. *Cic. Quinct.* 3. 12. Quinctius fecit societatem earum rerum, quæ in Gallia comparabantur. *et ibid.* Magna fide societatem gerere. *Paul. Dig.* 17. 2. 74. Societatem contrahere. *Ulp.* et alii *ibid.* 5. *etc.* coire. *Cæs.* 3. *B. C.* 3. Magnam pecuniam societates earum provinciarum sibi numerare coegerat. *h. e.* publicanos. *et ibid.* 103. Milites ex familiis societatis diligere. *Cic. Sext.* 14. 32. Nulla erat Romæ societas vectigalium, nullum collegium aut concilium, quod non honorificentissime decrevisset de mea salute. *et Dom.* 56. 142. Omnes societates, omnes ordines. *Cajus Instit.* 3. 99. 149. Ita posse coiri societatem constat, ut unus conferat, et tamen lucrum inter eos commune sit; sæpe enim opera alicujus pro pecunia valet. *Paul. Dig.* 2. 14. 15. Magistri societatum. *Torrentino* est *lex* 14. et habet *societatium*, ut *civitatium* etc. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (29). Cum homine delphini societate piscantur. *a società, alla metà*. ¶ 4. Item de collegio seu sodalitate. *Inscript.* apud *Henzen, n.* 7214. IN HAC SOCIETATE PRIMVS CVR*ator* FACTVS EST ET HOC MONVMENTVM EDIFICANDVM (*sic*) EXPOLIENDVM*que* CVRAVIT SOCISQVE PROBAVIT. Unde patet agi de iis, qui in collegium conveniunt, ut eorum corpora communi sepultura donentur. (V. *Borghesi Lett.* 16. *nov.* 1841.)

Homonym. Discrimen inter *societatem* et *fœdus* V. sub FŒDUS.

SŎCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (socius) Part. *Socians* sub litt. *b*; *Sociatus* passim; *Sociandus* sub litt. *b*. — Socio est jungo, conjungo, quasi socium socio appono, συμμίγνυμι, συναγελάζω (It. *accompagnare, unire*; Fr. *unir, joindre, rendre commun, partager avec, communiquer*; Hisp. *juntar, agregar, comunicar*; Germ. *verbinden, vereinigen, gemeinsam machen od. halten*; Angl. *to join, unite, couple, associate*). ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Ablat. ejus, quicum aliquis quid sociat, et præp. *cum*. *Cic.* 3. *Orat.* 32. *sub fin.* Quum tu summi imperii gubernatione districtus tantam vim rerum cum dicendi exercitatione sociaris. *Id. Flacc.* 9. 21. Quid si testium studium cum accusatore sociatum est? *Id. Planc.* 30. *a med.* Quum periculum vitæ tuæ mecum sociare voluisses. *Ovid. Heroid.* 3. 109. et 10. *Met.* 635. Sociare cubilia cum aliquo. *h. e.* nubere, socio toro jungi. *Tibull.* 3. 3. 7. Sociare gaudia cum aliquo. *Colum.* 3. *R. R.* 3. *circa med.* diligentiam cum scientia. *unire, usare insieme*. et *Justin.* 30. 2. 2. Sociatus cum aliquo. — *b*) Cum Dativo. *Virg.* 4. *Æn.* 16. Sociare se alicui vinclo jugali. *maritarsi*. et *Seneca Œdip.* 662. Merope sociata Polybo. *maritata*. et *Ovid. Ib.* 15. Perpetuo mihi sociata fœdere lecti. Et rursus *Seneca Octav.* 284. Sociata toris Augusti. *Stat.* 1. *Theb.* 132. juvencos aratro imposito. *metter sotto* etc. *Val. Flacc.* 5. 290. manus alicui. *venire in ajuto*. et *Seren. Sammon.* 48. 894. Tunc apii sucus lento sociatur olivo. *Ovid.* 11. *Met.* 5. percussis sociantem carmina nervis. *accoppiando il suono al canto*. Sic *Horat.* 4. *Od.* 9. 4. Verba loquor socianda chordis. — *c*) Cum Accus. et præp. *inter*. *Cic.* 1. *Legg.* 11. *sub fin.* Omne genus hominum sociatum inter se esse. — *d*) Absolute. *Sil. It.* 11. 149. Sociare dextras. *darsi la mano o la fede*. et *Val. Flacc.* 5. 282. curas. *comunicare i pensieri*. Rursus *Sil. It.* 1. 76. se participem in casus omnes. *farsi compagno in ogni evento di fortuna*. et *Cic. Somn. Scip.* 3. Concilia cœtusque hominum jure sociati. *Ovid.* 8. *Met.* 546. Theseus sociati parte laboris Functus. *h. e.* quem aliis sociatus susceperat. *Quintil.* 5. 10. 124. Cantus vocis juvat sociata nervorum concordia. ¶ 2. In illo *Justin.* 10. 1. *a med.* Ostenti prorsus genus, ubi in tanto populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit. *sociari* est a pluribus sociis perpetrari.

SŎCĬŎFRAUDUS, a, um, adject. (socius *et* fraudo) qui socium fraudat, vel, ut ait *Cic. Rosc. Am.* 40. 116., qui socium omni fraude fallit, *gabbacompagno*. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 128. Bustirape, furcifer, sociofraude, parricida.

SOCITERIUM. *V.* SICCITARIUM.

SŎCĬUS, a, um, adject. *Soccius*, cum duplici *c*, pro *socius* legitur in *Inscript.* apud *Marini, Fr. Arv. p.* 500. *n.* 41., quæ minus recte cum unico *c* apud *Gruter.* 1114. 5. — *Sociûm* pro *socio-*

rum sæpe occurrit. *Plaut. Men.* 1. 2. 25., *Virg.* 5. *Æn.* 174., 10. *ibid.* 410. etc., *Sil. It.* 12. 630., *Liv.* 35. 20. etc. — Ratione habita etymi, alii ducunt a Gr. οἰκεῖος et οἴκοιος, domesticus; alii cum *Döderleinio* a *sequor*; alii aliunde. Cf. SODALIS. — Socius est universim adjunctus, consors, particeps, comes, σύζυγος, κοινωνός (It. *unito, compagno*; Fr. *compagnon, camarade, associé*; Hisp. *acompañador, compañero, camarada, asociado*; Germ. *Genoss, Gefährte, Kamerad, Gesellschafter*; Angl. *united, associated, companion, fellow*); usurpatur autem *A*) Adjectivorum, et *B*) Substantivorum more.

A) *Socius*, adjectivorum more, est particeps, adjunctus, *partecipe, congiunto, associato.* ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 7. Ecce fugit notumque torum sociosque Penates. *Id. Heroid.* 11. 122. nati collige membra tui, Et refer ad matrem socioque impone sepulcro. *h. e.* in eodem sepulcro cum matre. *Id.* 6. *Fast.* 73. Aurea possedit socio Capitolia templo Mater. *h. e.* Juno eodem templo cum Jove colitur. *et* 1. *ibid.* 608. Hic socium summo cum Jove nomen habet. *h. e.* Augusti cognomen habet, quod Jovi convenit. *Id.* 5. *Trist.* 10. 35. Exercent illi sociæ commercia linguæ. *h. e.* utrique genti communis. *Id.* 5. *Fast.* 496. Juppiter et frater Carpebant socias Mercuriusque vias. *h. e.* simul ibant eadem via. *Id.* 1. *Art. am.* 492. Moras socias jungere. *h. e.* simul morari. *Id.* 5. *Met.* 378. (et *Stat.* 1. *Theb.* 130.) Socium regnum. *h. e.* in quo duo simul imperitant. *et* 13. *ibid.* 375. Spes sociæ. *h. e.* quum plures idem sperant. *Id.* 2. *Fast.* 618. et *Stat.* 1. *Silv.* 6. 48. Sociæ dapes. *convito.* Sic 8. *Theb.* 240. Sociæ fœdera mensæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (9). Platanus est clara in Lycia gelidi fontis socia amœnitate. *h. e.* adjunctum habens gelidum fontem. ¶ 2. Speciatim de conjugali vinculo. *Ovid.* 9. *Met.* 795. socios Hymenæus ad ignes Convenit. *et Ovid. Heroid.* 2. 33. Socii anni. *Id.* 3. *Art. am.* 377. Socius lectus. Cf. *Sall. Jug.* 82. *in fin.* Singuli quam plurimas uxores habent. ita animus multitudine distrahitur: nulla pro socia obtinet. *Ovid.* 14. *Met.* 685. Socium tori sibi deligere. ¶ 3. De iis, quæ spectant ad fœdera inter reges et populos inita. *Ovid.* 3. *Amor.* 15. 10. Quum timuit socias anxia Roma manus. *h. e.* bellum sociale. *Id.* 13. *Met.* 352. Socia classis. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Civitas Ubiorum socia nobis. *Quintil.* 3. 8. 12. Sociæ civitatis eversionem deflere. *Virg.* 2. *Æn.* 371. Socia arma. — Huc pertinet *lex Julia* de *civitate sociorum*, et *lex Claudia* de sociis, de quibus *V.* in JULIA et CLAUDIA Lex in ONOM. — Hinc translate. *Val. Flacc.* 7. 625. iterum ad socias convertere Colchidos artes. *h. e.* tamquam auxiliatrices. *Id.* 3. 161. Nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus Exercet, socia sed disjicit agmina clava. *h. e.* quam semper secum habebat. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 45. Quum tamen tu, nocte socia, per tegulas demitterere. *col benefizio della notte.*

B) *Socius*, et *socia*, substantivorum more, est consors, comes, *compagno, socio.* ¶ 1. Generatim. *Cic.* 9. *Att.* 10. *circa med.* Hujus belli ego particeps et socius et adjutor esse cogor. *Id. Fontej.* 17. 37. Habere domi fortunarum omnium socium participemque possunt. *Id.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis. *Id. Brut.* 1. 2. Socium et consortem gloriosi laboris amiseram. *Id.* 11. *Att.* 14. Præter Lælium neminem habeo culpæ socium. *Plaut. Asin.* 2. 2. 22. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adjungat sibi. *Phædr.* 1. 5. Socium esse cum aliquo. *Virg.* 5. *Æn.* 712. consiliis capere. *Id.* 9. *ibid.* 199. adjungere. *Sil. It.* 6. 372. se addere casibus. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 170. *Cic. Fontej.* 17. 39. Vitæ socia virtus, mortis comes gloria fuisset. *Id. Brut.* 12. 45. Eloquentia pacis est comes otiique socia. — *Socius vicesimæ libertatis*, de servo, in *Inscript.* apud *Orelli n.* 3338. et 3339. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui sanguine juncti sunt. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 29. Socius sanguinis. *h. e.* consanguineus, frater. *Id.* 3. *Met.* 260. Transferre odium in socios generis. ¶ 3. Item de regibus et populis fœdere junctis, *alleato, confederato*, σύμμαχος. *Cic. Dom.* 20. 52. Cyprius rex, cujus majores huic populo socii atque amici semper fuerunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 80. Prætor Thessaliæ quum se victoriæ Pompeji comitem esse mallet, quam socium Cæsaris in rebus adversis. *Id.* 1. *B. G.* 5. *extr.* Helvetii Bojos receptos ad se socios sibi adsciscunt. *et* 3. *ibid.* 9. *extr.* Veneti socios sibi ad id bellum Osimios, Lexobios, Nannetes arcessunt. — Apud Romanos quum de auxiliis sermo est, sæpe memorantur *socii et nomen Latinum*: illi sunt quicumque in Italia populi cum populo R. societate juncti (V. *Flor.* 3. 18. et *Liv.* 22. 61. *in fin.* Cf. *Mommsen, St. R.* 1. 7.); hi oppida et populi Latium incolentes. *Sall. Jug.* 43. 44. *et* 47., *Cic. Amic.* 3. *sub fin.* et *Liv.* sæpe. ¶ 4. De sociis navalibus, *V.* NAVALIS. — Sociorum civitates milites suos ad bellum gerendum eligebant simulque ducem et quæstorem iis dabant. *Polyb.* 6. 24. 4. sc. ἄρχοντα et μισθοδότην. Cf. *Liv.* 23. 17. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant cum paucis Romanis Latinique nominis. ¶ 5. De his, qui pecuniam et negotia simul curant, *compagno nel traffico, sozio.* *Cic.* 5. *Verr.* 20. 50. Nego, quemquam esse, quin sæpe audierit, socios istius fuisse decumanos. Socii putandi sunt, quos inter res communicata est. ego rem totam fortunasque aratorum omnes istius fuisse dico. *Ter. Heaut.* 3. 1. 9. Socium esse alicui in negotio. *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Rei pecuniariæ socium fallere. *Id. Quinct.* 24. 76. Socium sibi in bonis edere aliquem. *et ibid.* 3. 12. Socium sibi aliquem adjungere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (120). Hoc adulteratur minium in officinis sociorum. *h. e.* eorum, qui, societate inita, minium Romam advehunt. *V.* MINIARIUS. ¶ 6. De garo sociorum *V.* GARUM. ¶ 7. *Pro socio*, formula juris, qua significatur actio persequendi in judicio illum, qui socium fraudaverit. Qua de re est *titulus* 2. *lib.* 17. *Digest. Cic. Quinct.* 3. *sub fin.* Qua in re ita diligens erat, quasi ii, qui magna fide societatem gererent, arbitrium pro socio condemnari solerent. *Papinian. loc. cit. l.* 81. Quæsitum est, an si pro socio ageret dotis, quantitatem percipere deberet. — Huc pertinet *tessera* gladiatoria in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 755. PRIMVS SOCIORVM. V. *Henzen* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1865. *p.* 105. *et seq.* ¶ 8. *Socii* interdum appellatio est familiaris, et benevolentiæ significatio. *Virg.* 1. *Æn.* 202. O socii, (neque enim ignari sumus ante–malorum) O passi graviora etc. Adde 2. *ibid.* 387.

Homonym. Differunt — 1.°) *Socius* et *particeps*, nam, ut ait *Ascon.* in 3. *Verr.* 55., *particeps* est, qui certam habet partem, et non indivise agit, ut *socius*. *Cic.* 9. *Att.* 10. *circa med.* Hujus belli ego particeps et socius et adjutor esse cogor. *Id. Fontej.* 17. 37. Habere domi fortunarum omnium socium participemque possunt. — 2.°) *Socius* et *amicus*; nam, ut ait *Isid.* 1. *Differ.* 2., *amicus* constat affectu; *socius* re, quia consortio constat. — 3.°) *Socius, comes* et *sodalis*: sed de his *V.* COMES in fin.

SOCNON, vox superstitiosa in medicinis et incantationibus. *Marcell. Empir.* 10. Locum, ex quo defluit (*sanguis*), digito medicinali tanges et vicies septies dices, et quoties volueris, repetes, donec fluorem pervincas, socnon, socnon: mire prodest.

SOCONDĬOS, ii, m. 2. vox Indica, quam exponit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122). *V.* SAPENOS.

SŌCORDĬA, æ, f. 1. (socors) — *a*) Ad scriptionem quod attinet, etiam *secordia* pro *socordia* occurrit apud *Fest. p.* 292. 1. et 293. 5. *Müll.* At idem *Müllerus* ubique *socordia* reposuit. Cf. *Prudent. loc. cit.* — *b*) Primam syllabam corripuit, non imitandus, *Prudent. Apotheos.* 194. Cæcorum cæcos loquor, atra secordia quorum Corde tenebroso verum perpendere nescit. Alii leg. *socordia*. Sic primam in *socors*, 1. *Cathemer.* 33. Ne somnus usque ad terminos Vitæ socordi opprimat. — *c*) *Diomed.* 1. *p.* 214. *Putsch.* recenset inter ea nomina, quæ carent plurali numero. — Socordia ¶ 1. Est stultitia, *stoltezza, scempiaggine*, ἀσυνεσία, μωρία. *Fest. loc. cit.* Secordiam quidam pro ignavia posuerunt. Cato pro stultitia posuit, quum ait: Quod ostenderetis immensam timiditatem ac secordiam, causa erat, ne quid negotii publici vel privati gereretur. *Liv.* 7. 35. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit. *Tac.* 4. *Ann.* 35. *sub fin.* Socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. *Id.* 12. *ibid.* 67. Nec vis medicamenti statim intellecta, socordiane Claudii, an vinolentia. *Sueton. Claud.* 3. Si quem socordiæ argueret, stultiorem ajebat filio suo Claudio. ¶ 2. Item ignavia, desidia et, quæ inde oritur, negligentia, *pigrizia, infingardaggine, trascuratezza*, βλακεία. *Ter. Andr.* 1. 3. 1. Nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ. Ubi *Donat.* Segnitiæ ad agendum: socordiæ ad considerandum. *Plaut. Asin.* 2. 1. 6. Abs te socordiam omnem reice, et segnitiem amove. *Id. Pseud.* 1. 2. 11. somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis. *Liv.* 22. 14. Nostra cunctatione ac socordia jam huc progressus. *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 35. Philosophia vitanda est. affert enim socordiam atque desidiam. *Orell.* secordiam. Adde *Sall. Cat.* 4. *Id. ibid.* 60. Scitis, socordia atque ignavia Lentuli quantam cladem attulerit. *Id. Jug.* 2. Ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Languescet industria, intendetur socordia. *Id. Agric.* 31. Felicitas in socordiam vertit. *Curt.* 7. 4. 3. Socordia Darei. *Quintil.* 1. 2. 5. parentum. *Ammian.* 27. 9. 1. militaris. ¶ 3. In fabulis est dea, Ætheris et Terræ filia. *Hygin. præf. Tab.*

Homonym. Discrimen inter *socordiam* et *segnitiam* V. supra ad *Ter. Andr.* 1. 3. 1.

SŌCORDĬTER, adverb. (socors) Occurrit tantum Comp. *Socordius.* — Socorditer est pigre, negligenter, *pigramente, trascuratamente*, κατεβλακευμένως. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 235. 15. *Merc.* Socordius ire milites occœpere. *Liv.* 1. 22. Ab Albanis socordius res acta. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 15.

SŌCORS, cordis, adject. — *a*) Etiam *secors* scriptum reperitur quod cum etymo vocis probe conciliatur. — *b*) *Socors* primâ syllabâ correptâ usurpavit *Prudentius*. V. SOCORDIA init. — *c*) Ratione habita etymi, vox composita est a *se* et *cor*; unde et *secors*. Cf. *concors, vecors.* — Comp. *Socordior*; Sup. *Socordissimus.* — Socors ¶ 1. Est stolidus, vecors, stultus, stupidus, sine mente, sine consilio, *sciocco, stolto, scempio, senza mente*, ἀκάρδιος, ἄνους, ἀσύνετος, ἀβέλτερος. *Plaut. Cist.* 4. 2. 5. Si hera mea sciat, tam socordem esse etc. Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante ædes cistellam? ubi ea sit, nescio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. *ad fin.* Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. *Liv.* 9. 34. Homines stolidi ac socordes. *Tac.* 4. *Hist.* 37. Ut est vulgus sine rectore præceps, pavidum, socors. *et* 3. *ibid.* 36. *de Vitellio.* Plus apud socordem animum lætitia, quam cura, valuit. *Id.* 13. *Ann.* 47. Socors ingenium ejus in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando. *et* 3. *Hist.* 50. Is Silvanus socordem bello, et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat. *Id.* 4. *Ann.* 39. At Sejanus nimia fortuna socors. *ebbro e accecato*: quasi extra se positus. *Apul. Apolog.* Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. *ad fin.* Tiberius callidior, Claudius socordior, Nero impurior. ¶ 2. Item piger, remissus, ignavus: et, quod inde sequitur, negligens, incuriosus, *pigro, poltrone, infingardo, neghittoso, trascurato*, ἀργός, μεθήμων. — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 68. 239. Socors ipsius natura negligensque. *Sall. in orat. Licin. ad pleb.* An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? *Id. Jug.* 100. Neque victoria socors aut insolens factus. — *b*) Cum Genetivo. *Ter. Adelph.* 4. 5. 59. Quid?

credebas, dormienti hæc tibi confecturos deos? et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum? Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo. *Tac.* 3. *Hist.* 31. Gregarius miles futuri socors et ignobilitate tutior.

SOCOS, i, m. 2. color hyacinthinus apud Indos. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (122).

SŎCRA. *V.* SOCRUS.

SŎCRŬĀLIS, e, adject. (socrus) ad socrum pertinens, *di suocera. Sidon.* 7. *Ep.* 2. *a med.* et 6. *Ep.* 2. Socrualis munificentia. *Id.* 8. *Ep.* 9. hereditas.

SŎCRUS, us, f. 4. (ἑκυρά) Olim *socrus* masc. gen. pro *socer* usurparunt: dicebant enim *socerus*, et per syncop. *socrus. Priscian.* 6. *p.* 698. *Putsch.* Socer, soceri, cujus femininum quum secundum analogiam hæc socera esse deberet, hæc socrus in usu est. Vetustissimi tamen communiter *hic et hæc socrus* proferebant. Accius in Atreo: Simul et Pisæa præmia erepta a socru possedit suo. — Alia forma est *socera* et per syncop. *socra. Inscript.* apud *Murat.* 1445. 4. BONITATI PIENTISSIME (*sic*) L. PETRONIVS SEVERVS SOCERE (*sic*) INCOMPARABILI. *Alia* apud *Fabrett. p.* 172. *n.* 332. D. M. AVR. GALLI TRIB. LEG. VII. CL. AVR. AMMA CONIVGI KARISSIMO CVM GALLITTA FILIA ET LAETA SOCERA TITVLVM POSVERVNT. Adde *aliam* apud *Orell. n.* 289. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 655. CVRRETIAE PHILIPPICAE SOCRAE. Adde *alias* apud *Orell. n.* 4221., *Rénier, n.* 772. et *Wilmans, Syll. n.* 508. — Socrus ¶ 1. Est viri mei mater: cui *nurus* respondet, ἑκυρά (It. *suocera, madre di mio marito;* Fr. *belle-mère;* Hisp. *suegra;* Germ. *d. Schwiegermutter;* Angl. *mother-in-law*). *Ter. Hecyr.* 2. 1. 4. uno animo omnes socrus oderunt nurus. Proverbialis locutio, cui respondet nostra vulgaris: *suocera e nuora, tempesta e gragnuola.* Sic *ibid.* 3. 4. animum induxerunt, socrus Omnes esse iniquas. *et Ovid.* 2. *Fast.* 626. Quæ premit invisam socrus iniqua nurum. Adde *Acc.* apud *Priscian. loc. cit.* et *Cic. Cluent.* 12. 33. — Hinc *socrus magna* est mariti mei avia: cui *pronurus* respondet; *socrus major* est mariti mei proavia. V. *Modestin. Dig.* 38. 10. 4. § 6. — Etiam sine addito, socrus appellatione avia quoque uxoris vel mariti continetur. *V* SOCER. ¶ 2. Est etiam uxoris meæ mater, *madre di mia moglie:* cui *gener* respondet. *Juvenal.* 6. 230. Desperanda tibi salva concordia socru. Adde *Cic.* 4. *Verr.* 8. *sub fin.* — Hinc *socrus magna*, quæ et prosocrus est: cui *progener* respondet; *socrus major* est uxoris meæ proavia. V. *Modestin. loc. cit.*

SŎDĀLĬA, æ, f. 1. (sodalis) idem ac sodalis. *Inscript.* apud *Gruter.* 1134. 2. MVNATIAE PIETATI C. IVLIVS ZENON SODALIAE BENE MERENTI. Adde *aliam* apud *Murat.* 1474. 10. IVNIAE DELICATAE SODALIAE PIENTISSIMAE PHILOCALVS FEC. VIXIT ANN. XVI. D. IIII. H. V.

SŎDĀLĬCĬĀRĬA *vel* sodalitiaria, æ, f. 1. (sodalicium) quæ sodalitate libenter utitur, *compagnevole. Inscript.* apud *Gruter.* 602. 5. (*Orelli n.* 4644.) et *Gori, Inscr. Etr. T.* 1. *p.* 268. SODALICIARIA CONSILII BONI. *compagnevole saggia.*

SŎDĀLĬCĬĀRĬUS *vel* sodalitiarius, ii, m. 2. (sodalicium) qui sodales amat, colit eorumque sodalitate libenter utitur, *compagnevole. Inscript.* apud *Orell. n.* 4794. et *Gori, Inscr. Etr. T.* 3. *p.* 99. SODALICIARIVS BONVS. *buon compagnone.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 59. Sodalis, sodalitas, sodalicium, sodaliciarius.

SŎDĀLĬCĬUM *vel* sodolitium, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SŎDĀLĬCĬUS *vel* sodalitius, a, um, adject. (sodalis) ad sodales pertinens, *di compagnia, di amicizia,* ἑταιρικός. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 46. Jure sodalicio, qui mihi junctus erat. *Alii leg.* sodalicii. *Justin.* 20. 4. *ad fin.* Tercenti ex juvenibus sodalicii juris sacramento quodam nexi. *Alii leg.* sodalicii jure. *Martian. Dig.* 47. 22. 1. Præcipitur præsidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalicia, neve milites collegia in castris habeant. Ita *Torrentin., Gothofr.* et *Cujac.* l. 7. *Observat.* c. 30. Alii *collegia* omittunt priore loco. *Ammian.* 15. 9. *in fin.* Druidæ sodaliciis adstricti consortiis. — Hinc

Sodalicium vel *sodalitium, ii,* n. 2. absolute, substantivorum more, coitio et consuetudo sodalium, amicitia, sodalitas, *compagnia di amici, conversazione, amicizia,* συσσίτιον, ἑταιρία. ¶ 1. Generatim. *Catull.* 100. 4. Fraternum vere dulce sodalicium. *Val. Max.* 4. 7. *n.* 1. *extern.* Rogavit, ut se in societatem amicitiæ, tertium sodalicii gradum intima cultorum benevolentia, reciperent. ¶ 2. Speciatim dicitur — 1.°) In bonam partem — *a*) De cœtu hominum rerum sacrarum causâ. *Inscript.* apud *De-Lama, Iscriz. di Parma p.* 35. SODALICIO CVLTOR. HERCVL. L. DOMITIVS SECVNDIO OB HON. PATROC. S. H. DED. *h.* e. honorem patrocinii signum hoc dedit. — *b*) Item de corpore artificum. *Inscript.* apud *Orell. n.* 4103. HAEC LOCA SVNT LANARIORVM CARMINATORVM SODALICII. Adde *aliam* apud *Fabrett. p.* 448. XII. et *Orell. n.* 4056. — De sodaliciis est lex Licinia, de qua *V.* ONOM. ad LICINIUS et *Cic. loc.* infra *cit.* — *c*) Item de cena, quæ a sodalibus celebratur. *Cic.* 4. *Herenn.* 51. 64. Venit in ædes quasdam, in quibus sodalicium erat eodem die futurum. Perspicit argentum, visit triclinium stratum etc. — 2.°) In malam partem — *a*) De coitione et conspiratione factiosa. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (116). Unde illi Mariani sodalicii rapinarum provincialium sinus? *Martian. Dig.* 47. 2. 1. Mandatis principalibus præcipitur præsidibus provinciarum, ne patiantur esse sodalicia. Cf. SODALICIUS ad *h. l.* Apud *Plin.* 10. *Ep.* 97. et *Trajan.* ad *Plin. ibid. Ep.* 43. *hetæria* appellatur. — *b*) Præsertim vero de coitione, quæ fiebat ad emenda largitione suffragia: quod ultimis reipublicæ temporibus factitatum est, ut tribus decuriare et conscribere per ambitum auderent, qui candidato cuipiam impense favebant distributaque pecunia cogerent quodammodo ad dandum suffragium. *Cic. Planc.* 15. 36. Nomine legis Liciniæ, quæ est de sodaliciis, omnes ambitus leges complexus es.

SŌDĀLIS, e, adject. Notationem vocis exhibet *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 297. 24. *Müll.* «Sodales dicti, quod una sederent et essent; vel quod ex suo datis vesci soliti essent; vel quod inter se invicem suaderent, quod utile esset». Prius etymon a *sedeo* ceteris præferendum: verum recentiores probabilius a Skr. *svadha*, consuetudo, derivant. Cf. Gr. ἔϑος. — Sodalis est socius, *compagno, socio,* et adjective apud Poetas tantum occurrit.

I.) Proprie. *Ovid. Remed. am.* 586. Quæ relevet luctus, turba sodalis abest.

II.) Translate, de rebus, quæ simul esse solent. *Horat.* 3. *Od.* 18. 6. Larga nec desunt Veneris sodali Vina crateræ. *Id.* 1. *ibid.* 25. 19. Aridas frondes hiemis sodali Dedicet Euro. — Hinc

Sodalis, is, m. et f. 3. absolute, substantivorum more, sæpius occurrit. — Vult *Charis.* 1. *p.* 115. *Putsch.*, si de homine dicatur, in sexto casu in *e* desinere; in *i*, si de re. quod confirmatur ex *Plin.* 2. *Ep.* 13., *Martial.* 1. 86. etc. — Sodalis est is, quocum versari animi causa solemus: qui rerum leviorum lætiorumque particeps est, ut convivii, studiorum, venationis atque exercitationum ludicrarum, socius, amicus, σύσσιτος, ἑταῖρος (It. *compagno, amico;* Fr. *compagnon, compagne, camarade, ami;* Hisp. *compañero, camarada, amigo;* Germ. *d. Gefährte, Gespiele, Kamerad, Gesellschafter;* Angl. *companion, comrade, mate, associated, friend*). ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem. *Plaut. Cas.* 3. 3. 18. Hic sodalis tuus, amicus optimus. *Id. Most.* 5. 2. 32. Sodalem me esse scis gnato tuo. Adde *Merc.* 5. 2. 4. *Ter. Adelph.* 4. 5. 74. Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret? *Lentul.* ad *Cic.* 12. *Fam.* 14. *ad fin.* Qui sodalis et familiarissimus Dolabellæ eram. *Cic. Senect.* 13. *a med.* Primum habui semper sodales. sodalitates autem, me quæstore, constitutæ sunt. Epulatur igitur cum sodalibus omnino modice. *Martial.* 12. 34. Nulli te facias nimis sodalem. Gaudebis minus et minus dolebis. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 35. Constantique fide veterem tutare sodalem. *Plin.* 2. *Ep.* 13. Cum hoc seria, cum hoc jocos miscui. quid enim illo aut fidelius amico, aut sodale jucundius? *Id.* 7. *Ep.* 4. Elegos celeriter explicui: deinde in Urbem reversus sodalibus legi: probaverunt. Adde 8. *Ep.* 21. — *b*) In malam partem interdum significat, qui apud nos *compagnoni*, compotores, congerrones: qui aliquando coire solebant ad corrumpendas tribus in comitiis, ad conjurationes in patriam, ut in bello Catilinario etc. Unde hujusmodi sodalicia legibus vetabantur. *Cic. Planc.* 19. 46. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos: quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id.* 3. *Verr.* 36. 91. Nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo et cupiditate. *Plaut. Pers.* 4. 4. 12. Tu in illis es decem sodalibus: te in exsilium ire hinc oportet. ¶ 2. Speciatim *sodalis* est idem quod conjux, vir atque mulier. *Inscript.* apud *Henzen, n.* 6197. D. M. PRIMAE DIGNA FVI MERITO MEO RARA SODALI VNVS AMOR MANSIT (*h.* e. mansit) PAR QVOQVE VITA FIDELIS etc. sc. marito. *Alia* apud *Gruter.* 876. 3. IVNIAE FELICVLAE L. MINICIVS C. I. APORVS SODALI SVAE BENEMERENTI. ¶ 3. *Sodales* sunt etiam, ut ait *Cajus Dig.* 47. 22. 4., qui ejusdem collegii sunt, quam Græci ἑταιρίαν vocant. Hinc sodales Titiales, Augustales, Antoniniani, Alexandriani, Marciani, Helviani etc. h. e. sacerdotes a nominibus imperatorum, quorum, post ἀποϑέωσιν, memoriam sacris colebant, appellati. *V.* suis locis. *Inscript.* apud *Gruter.* 442. 6. SODALES A. NOVIO A. L. PLECONTI SEVIRO AVGVSTALI. *et* 479. 6. Q. VALERIO C. F. PAP. MARIANO SODALI SACROR. TVSCVLANOR. etc. *et* 63. 1. SILVANO SACRVM SODAL. EIVS ET LARVM DONVM POSVIT TI. CLAVDIVS AVG. LIB. FORTVNATVS etc. — Etiam mulieres *sodales* reperiuntur in *Inscript.* apud *Garrucci, Dissert. archeol. T.* 2. *p.* 140. et *Orelli n.* 4098. ¶ 4. Item artificum corpora *sodales* habent. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 2. PECTINARII LANARII SODALES POSVERE. *Alia* apud *De-Rossi, Bullett. Crist. a.* 1864. *p.* 57. — Absolute. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2266. CANDIDO DEFVNCTO ANN. XXI. SODALES B. M. Adde *ibid.* 2348. Nisi tamen malis hanc vocem ibi generatim accipere. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *sodalem, comitem* et *socium* V. sub COMES.

ŞŎDĀLIS, is, m. et. f. 3. *V.* voc. præced.

SŎDĀLĬTAS, ātis, f. 3. (sodalis) convictus, consuetudo, familiaritas sodalium una sæpe viventium, sodalicium, *conversazione, compagnia, amicizia,* συσσιτία, ἑταιρία. ¶ 1. Abstractorum more. *Cic.* 3. *Verr.* 37. *a med.* Ab aliquo officia tutelæ, sodalitatis familiaritatisque flagitare. *Id. Brut.* 45. 166. Summa nobilitate homo, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippus. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate cœperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu dicitur — 1.°) De ipsis sodalibus. *Plaut. Most.* 5. 2. 5. Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus. *Gell.* 20. 4. Adolescentem a sodalitatibus convictuque scænicorum abducere. — 2.°) Hinc generatim de quocumque cœtu hominum animi causa convenientium, et convivia inter se celebrantium lætisque sermonibus ac lusibus lætas horas agentium. — *a*) In bonam partem. *Cato* apud *Cic. Senect.* 13., ubi narrat, hujusmodi sodalitates se quæstore primum institui cœpisse, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis, inter honestos et graves homines: quæ paullatim, ut fit, in malum degeneravere, dum per occasionem sodalitatis illicitæ coitiones exsistere, et prava consilia vel in rempublicam vel in privatos agitari cœpta sunt: corruptiones judiciorum, emptiones suffragiorum largitionibus per ambitum factis, conspirationes in patriam, molitiones rerum novarum. — *b*) In malam partem. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. *a med.* Senatusconsultum factum est, ut so-

dalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. *V.* voc. præced. et SODALICIUM. — 3.°) Speciatim in re sacra et morali. *Id. Cæl.* 11. 26. Neque vero illud me commovet, quod sibi in Lupercis sodalem esse Cælium dixit. Fera quædam sodalitas et plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum; quorum coitio illa silvestris ante est instituta, quam humanitas atque leges. Adde *Inscript.* apud *Orell. n.* 2401.

SŎDĀLĬTĬĀRĬA. *V.* SODALICIARIA.

SŎDĀLĬTĬĀRĬUS. *V.* SODALICIARIUS.

SŎDĀLĬTĬUM et

SŎDĀLĬTĬUS. *V.* SODALICIUS.

SŌDES, vox familiaris contracta ex *si* et *audes*, ut *Cic. Orat.* 45. 154., *Festus p.* 297. 31. *Müll.* et *Non. p.* 177. 27. *Meræ* docent, ut *sis* si vis, *illico* in loco, *sultis* si vultis etc. — Integrum *si audes* habet *Plaut. Trin.* 2. 1. 17. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes. Ita enim MSS. et edit. primæ, teste *Taubmann.* Alium loc. ex *eodem fragm. Vidular.* affert *Priscian.* 13. *p.* 960: *Putsch.* et *vet. Scholiast. Pers.* ad 3. 89. Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem? Simile est illud *ejusd. Plaut. Aulul.* 2. 1. 48. Dic mihi, quæso, quis ea est, quam vis ducere uxorem? — Sodes est idem ac quæso, amabo, oro, *di grazia, se puoi, se sai, se non t' è discaro, se ti piace.* Habet autem vim blande rogandi et hortandi. ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Imperativo. *Ter. Andr.* 1. 1. 57. Rogitabam: heus puer, dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? Ubi *Donat. Dic* imperativum est: ideo temperavit injuriam blandimento. *Sodes* est, si audes, ut *sis*, si vis. nam delirat, qui σῶος ζῇς interpretatur sodes. Sic *Plaut. Bacch.* 2. 1. 39. dic sodes, mihi. et *Juvenal.* 6. 279. Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem. *Ter. Heaut.* 3. 1. 50. Dicens: asperum, pater, hoc (vinum) est, aliud lenius, sodes, vide. *et* 3. 3. 19. Tace, sodes. *Cic.* 7. *Att.* 3. *sub fin.* Tartessium istum tuum mihi exeunti jube, sodes, nummos curare. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 15. Vescere, sodes. *Id. Art. P.* 438. Quintilio si quid recitares, corrige, sodes, hoc, ajebat, et hoc. *Pers.* 3. 89. inspice, sodes. *Catull.* 103. 1. Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo etc. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 1. Vide, mi Parmeno, etiam, sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris. — *b*) Alia construendi ratione. *Ter. Heaut.* 4. 4. 16. SY. At scin quid, sodes? BACCH. quid? SY. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est. *h. e.* scisne, quid volo, sodes, facias? *et* 5. 1. 26. Scin quid volo potius, sodes, facias? *Horat.* 1. *Sat.* 9. 40. dubius sum, quid faciam, inquit, Tene relinquam, an rem. Me, sodes. non faciam, ille. *Apul.* 1. *Met.* Sed jam cedo tu, sodes, qui occœperas, fabulam remetire. ¶ 2. Videtur esse pro vocativo amice, *o amico*, apud *Sidon. carm.* 23. 233. O sodes, quoties tibi loquenti Byzantina sophos dedere regna!

SŎDŎMĪTĬCUS, a, um, adject. ad Sodomitas pertinens. *V.* SODOMITA in ONOM. Hinc *Hieronym.* 5. in *Ezech.* 16. 49. Rerum omnium abundantia, otium et deliciæ peccatum Sodomiticum est. *sodomia.* Cf. *Vulgat. interpr. Thr.* 4. 6. Peccatum Sodomorum. et *Tertull. Psychom.* 42. Sodomita libido. *V. Genes.* 13. 13.

SŎFĬCUS et

SŎFĬSMA et

SŎFISTA. *V.* SOPHICUS, SOPHISMA et SOPHISTA.

SOL, sōlis, m. 3. *Sal* pro *sol* legitur in *carm. Fr. Arv.* Limen salista berber. *h. e.* lumen solis da fervere. Cf. *Döderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 339. — Ratione habita etymi, ita *Varro* 5. *L. L.* 68. *Müll.* Sol, vel quod ita Sabini, vel solus ita lucet, ut ex eo deo dies sit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 68. Quum sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. Quod confirmat *Lactant.* 2. 7. *a med.* Sic et *Capell.* 2. *p.* 43. aliique a *solus* derivant, sed inepte. Probabilius recentiores ducunt a Skr. *svar* et *sval*, quibus inest notio lucis et caloris; unde et Gr. σέλας et ἥλιος. Cf. Etrusc. *usil* (in *Bullett. archeol. a.* 1840. *p.* 11.); Germ. *hell*, clarus, fulgidus, et Hebr. אל *el*, fortis, robustus. Huc adeo spectat illud *Isid.* 14. *Orig.* 3. 12. Nemroth Persas ignem colere docuit; nam omnes in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua *El* dicitur. — Sol est planetarum princeps, qui exortu suo diem efficit, occasu noctem, ἥλιος (It. *sole*; Fr. *soleil*; Hisp. *sol*; Germ. *d. Sonne*; Angl. *sun*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 6. *rep.* 17. 17. Mediam fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperator, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret et compleat. *Id.* 1. *Fin.* 6. 20. Sol Democrito magnus videtur: huic (*Epicuro*) pedalis fortasse. Sic 2. *Acad.* 26. 82. (2. *pr.*) Quantulus (*sol*) nobis videtur! Mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse, quam videatur. Cf. *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 3. 10. et *Arnob.* 2. *advers. gent.* 61. *Cic.* 3. *Orat.* 45. *ad fin.* Sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Sol, qui astrorum obtinet principatum, ita movetur, ut quum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis partibus opacet. Ipsa enim umbra terræ soli officiens noctem efficit etc. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 68. Sol omnium temporum moderator et dux. (V. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (12). in laudes solis effusum; item *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 10. et 20.) *Id.* 4. *Acad.* 26. 82. *et ibid.* 41. *ad fin.* (2. *pr.*) Solem plusquam duodeviginti partibus majorem esse, quam terram. At *Goerenzius* ad *loc. cit.*, probante *Ruhkopfio* ad *Senec. Quæst. nat.* 1. 3. § 11. non duodeviginti, sed duodetriginta legendum esse censuit. *et ibid.* Sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videtur. *Id.* 2. *Fin.* 8. 23. Asoti, qui solem, ut ajunt, nec occidentem unquam viderunt, nec orientem. *Id. fragm.* apud *Macrob.* 5. *Saturn.* 4. Sol paullulum a meridie jam devexus videtur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). Sol declivis (*Sillig.* declinis) in occasum. *Virg.* 1. *G.* 439. Sol quoque et exoriens et quum se condit in undas, Signa dabit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio. *Juvenal.* 2. 132. officium cras Primo sole mihi peragendum in valle Quirini. *al levar del sole.* et *Virg.* 1. *G.* 288. sole novo terras irrorat Eous. *Id.* 2. *Ecl.* 67. sol crescentes decedens duplicat umbras. *Propert.* 3. 8. 2. sole rubente. *Ovid.* 15. *Met.* 30. Candidus Oceano nitidum caput extulerat sol. *Stat.* 5. *Theb.* 85. Sol operum medius summo librabat Olympo Lucentes, ceu staret, equos. *Curt.* 3. 2. 3. Sole orto. *Phædr.* 3. 19. medio. *a mezzo dì.* et *Horat.* 1. *Ep.* 5. 3. supremo. *sulla sera.* *Curt.* 4. 7. 16. cadente in umbram. *Sil. It.* 7. 377. Sol se tollit Indo litore. *Id.* 9. 34. spargit radiis Garganum. *Id.* 15. 334. cursum inhibet diesque producit. et *Cic.* 3. *Orat.* 55. 209. Sol præcipitans. *Ovid.* 1. *Met.* 63. occiduus. *et ibid.* 338. et *Claudian. B. Gild.* 48. uterque. *h. e.* oriens et occidens. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 55. nitidus. *Id.* 7. *Met.* 663. et *Virg.* 1. *G.* 232. aureus. *et ibid.* 92. rapidus. *Val. Flacc.* 4, 92. auricomus. *Avien. Inscript. orb.* 1089. flammicomus. *Lucan.* 2. 482. coruscus. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 23. gravis. *Id.* 1. *Ep.* 10. 17. acutus. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 60. igneus. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 2. torrens. *Colum.* 6. *R. R.* 13. fervens. *Id. ibid.* 13. candens. *Calpurn.* 2. *Ecl.* 82. november. *Virg.* 2. *Ecl.* 13. Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. *Justin.* 44. 1. 4. Africa violento sole torretur. *Avien. Descr. orb.* 762. Solis rota fomite fragrat Continuo. *Id. Or. mar.* 639. Solis columna. *h. e.* meta, quia solem ad eam decurrere et circumflecti in alteram plagam orbis credebant. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 60. Ambulare in sole. *al sole.* et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (195). In sole curatio hæc fiat. *et* 37. *ibid.* 9. 52. (137). In sole aperto projectus. *Id.* 21. *ibid.* 17. 68. (110). Proferre aliquid in solem. *Ter. Adelph.* 4. 2. 46. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit. *h. e.* quibus in sole cenaturi accumbant. *Cic. Brut.* 9. 37. Procedere in solem et pulverem. *h. e.* in adspectum, in publicum. *Virg.* 3. *G.* 439. (et 2. *Æn.* 475.) serpens Lubrica convolvit sublato pectore terga Arduus ad solem. *Colum.* 12. *R. R.* 14. Mala ponere in sole, donec arescant. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 8. 10. (77). Uvæ decerptæ siccantur sole acri. *Sall. Jug.* 18. Gætuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus. ubi *sub sole* meridiem et ardentis zonæ confinium indicat. *Vulgat. interpr. Eccle.* 1. 10. Nihil sub sole novum. — *Sole ipso est clarius*, proverb. de re aperta et manifesta. *Arnob.* 1. *p.* 28. Simile est illud *Lactant.* 7. 1. *a med.* Nec si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ. — *Nondum omnium dierum sol occidit*, aliud proverb. apud *Liv.* 39. 26. *non è per anco venuta la fine del mondo:* nondum omnium rerum finis adest. — *Corporibus nihil est utilius sale et sole*, aliud apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (102). *a med.* — In plur. num. *Seneca Herc. Œt.* 487. *de specu.* Non illa primos accipit soles locus, Non ille seros. — De sole *Ovid.* 4. *Met.* 206. Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum, Omnia qui video, per quem videt omnia tellus, Mundi oculus. Sic in solis laudem præter *cit.* V. *Capell.* 2. *p.* 43. et *Antol. Lat.* 5. 1. *T.* 2. *p.* 295. *Burmann.* — In sole veteres versari solebant, quo corpori siccitatem conciliarent et colorem. *Seneca Ep.* 108. Qui in solem venit, colorabitur. *Apul. de dogm. Plat.* Colorati sole aut exercitatione solidati. Hinc ad solem se lavabant. *Aristoph.* apud *Polluc.* Λούσασθε καὶ κονίσασθε πρὸς τὸν ἥλιον. Item se ungebant. *Pers.* 4. 18. Et assiduo curata cuticula sole. et *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 13. Ad solem uncti prius, dehinc pannis armati. — Sol ab antiquis tamquam deus colebatur. Cf. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 14. (64). *Vulgat. interpr. Sap.* 13. 2. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem *etc.* aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt. Cf. *Isid. loc.* supra *cit.* et *Stat.* 1. *Theb.* 719. *Sil. It.* 3. 26. ad Herculem traduxisse videtur, quæ Solis cultui apud Phœnices propria erant. V. *Herodian.* 5. 3. et 5. Porro a solis cultu nuncupata est hæresis *Heliognostarum*, ut tradit *Philastr. Hær.* 10. Cf. infra ad II. 2. — Item sol tamquam symbolum æternitatis ac beatorum sedis habebatur: hinc sæpe in monumentis exstat vel solus, vel cum luna et stellis. Cf. *Eckhel, D. N. V. T.* 7. *p.* 181. et *Fabretti p.* 383. *n.* 208. — *b*) Sunt loca a *sole* nuncupata, ut *Solis promontorium* appellatur mons in Mauritania apud *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (9). *Solis fons* fuit in Africa in medio nemore Jovis Ammonis apud *Curt.* 4. 7. *a med.* et *Melam* 1. 8. *Solis insula* in Carmania apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (97). Alia etiam inter Indiam et Taprobanem apud *eumd. ibid.* 22. 24. (86). *Solis urbs* est ipsa urbs Heliopolis apud *Melam* 3. 8. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 3. 14. (64)., quæ *Solis oppidum* appellatur ab *eod.* 5. *ibid.* 9. 11. (61). *Solis ostia* sunt in India apud *Melam* 3. 7.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. — *a*) *Sol* et *soles* sunt lux et calor: item radii solis. *Martial.* 8. 14. Hibernis objecta notis specularia puros Admittunt soles et sine fæce diem. *Propert.* 4. 9. 46. Libyco sole perusta coma. *Horat. Epod.* 16. 13. Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini. (Adde *Val. Flacc.* 2. 287.) *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 31. Si numeres anno soles et nubila toto, Invenies nitidum sæpius isse diem. *h. e.* dies serenos et nubilos. — *b*) Item dies. *Virg.* 3. *Æn.* 203. Tres adeo incertos cæca caligine soles Erramus pelago, totidem sine sidere noctes. *Sil. It.* 3. 554. Bis senos soles, totidem per vulnera sæva Emensi noctes. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 295. 1. FILIVS HIC SITVS EST IVLII BASSI BASSIANVS ANNOS QVI VIXIT X. ET XIIII. SOLES. — *c*) Item annus, quia videtur quotannis Martio quo-

dammodo renovari. *Nemesian. Cyneg.* 120. *de canib.* bis vicenis plenum jam mensibus acrem In Venerem permitte marem: sit femina, binos Quæ tulerit soles. — *d*) Item locus soli expositus et apricatio. *Cic.* 7. *Att.* 11. Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna. *Id.* 12. *ibid.* 6. Pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus. *V.* ASSUS. — *e*) De pareliis. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 11. Quid eas vocem? Imagines solis? Historici soles vocant, et binos ternosque apparuisse, memoriæ tradunt. ¶ 2. In fabulis est Apollo et Phœbus, deus lucis, vitæ, medicinæ, sagittandi et Musarum præses. *V.* APOLLO in ONOM. Fingunt poetæ curru vehi, quem equi trahant duo, Xanthus et Æthon, quos nominat *Martial.* 8. 21.; vel quatuor, ut est apud *Ovid.* 2. *Met.* 153. Eum currum describit *id. ibid.* 107., et solis jam jam mane ascensuri apparatum *ibid.* 118. et *Val. Flacc.* 4. 90., vespere descendentis *Stat.* 3. *Theb.* 407. — Regiam quoque solis domum descriptam habes ab *eod. Ovid.* initio ejusd. libri. — Quamvis autem *Apollo* ad fabulas referatur, *Sol* ad naturam, hoc tamen sæpe nomine pro illo utimur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 48. Circe et Pasiphæ e Perseide Oceani filia natæ, patre Sole. *Val. Flacc.* 1. 503. Sed non et Scythici genitor discrimine nati Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces. ¶ 3. Hinc *dies Solis* est, quem nos dicimus *la Domenica*, dies Dominicus. *Inscript.* apud *Oderic. Dissert. p.* 357. IIII Kal. Januar. die solis. Alia apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 508. IMP. CAES. FL. VAL. CONSTANTINVS FELIX MAXIMVS NVNDINAS DIE SOLIS PERPETI ANNO CONSTITVIT. *h. e.* die dominico per totum annum. *V.* DOMINICUS. ¶ 4. Metaphorice est res eximia atque unica. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Quo anno P. Africanus, sol alter, exstinctus est. (Adde *Horat.* 1. *Sat.* 7. 24.) *Id. Amic.* 13. 47. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. *Id.* 9. *Att.* 10. *ante med. de afflicta Pompeii fortuna.* Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur. ¶ 5. *Solis gemma* apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181). vocatur, quæ candida est, et ad speciem sideris in orbem fulgentes spargit radios. Eadem habent *Solin.* 37. et *Isid.* 16. *Orig.* 10. 6. ¶ 6. *Solis caput* inter donaria Dianæ nemorensis, quod de gemma pulcherrima intelligit *Henzenius* in *Bullett. archeol. a.* 1871. *p.* 57. ¶ 7. Apud Ecclesiasticos scriptores dicitur, κατ' ἐξοχήν, de Christo Filio Dei. *Isid.* 7. *Orig.* 2. 26. Christus appellatur lux, quia ad veritatem contemplandam cordis oculos reserat: sol quia illuminat. Sic ad eum referunt illud *Malach.* apud *Vulgat. interpr.* 4. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. ¶ 8. De *sole aureo* apud *Cassiod.* 1. *Variar.* 10. V. Interpretes.

SŌLĀCIŎLUM et

SŌLĀCĬUM, ii, n. 2. *V.* SOLATIOLUM et SOLATIUM.

SŌLÆĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* SOLEARIUS.

SŌLĀGO, ginis, f. 3. herba eadem ac heliotropium, *girasole.* Duplex est, major et minor. De utraque *Apul. Herb.* 49., 63. et 64.

SŌLĀMEN, minis, n. 3. (solor) solatium, *sollevamento, sollievo, consolazione;* παρηγόρημα, παραμύθιον. Vox fere poetica.

I.) Proprie. *Lucan.* 7. 180. sed mentibus unum Hoc solamen erat, quod etc. *Virg.* 10. *Æn.* 858. equum duci jubet. hoc decus illi, Hoc solamen erat. *et ibid.* 493. Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est, Largior. *Id.* 3. *ibid.* 661. ea sola voluptas Solamenque mali. Adde *Sil. It.* 2. 470. *Sabin.* 1. 4. Solamen longis illa fuere malis. *Val. Flacc.* 3. 319. tenui luctum solamine fallens. *et* 4. 443. hoc animam solamine mulceus. *Seneca Med.* 539. Solamen petere. *Id. Herc. Œt.* 1090. cantibus quærere. — Quidam tribuunt et *Cicer. Amic.* 27. *in fin.* Magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solamen. Sed plerique omn. leg. *solatium.*

II.) Translate videtur significare annonaria subsidia. *Inscript.* apud *Don. cl.* 5. *n.* 50. et *Murat.* 1099. 6. PRAEF. ANNONAE AD . . . . HISPANVM RECENSENDVM ITEM SOLAMINA TRANSFERENDA ITEM VECTVRAS NAVICVLARIIS EXSOLVENDAS.

SŌLĀMENTUM, i, n. 2. (solor) idem ac solamen. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 343. Pervigili tamen hæc dat solamenta dolori. Legitur et in *Not. Tir. p.* 63.

SŌLĀNEUS, a, um, adject. (sol) ad solem pertinens, ut Lacerta solanea apud *Theod. Priscian.* 1. 14.

SŌLANS, antis, particip. *V.* SOLOR.

SŌLĀNUM, i, n. 2. herba eadem quæ Græce sæpe dicitur trychnos, στρύχνος (στρύχνον), *solano.* Hac super planta ita cl. *Fée* (*Op. cit. v.* 3. *p.* 88.): « On a décidé que ce *trychnum* ou *strychnon* était une plante de la famille des solanees, connue sous le nom de morelle noire, *Solanum nigrum* Linn.; mais c'est encore là une de ces opinions plutôt fondées sur le texte de Dioscoride que sur celui de Pline qui décrit fort imperfaitement cette plante ». V. *ibid.* synonymiam et v. TRYCHNOS. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 108. (132). Solanum Græci strychnon vocant: hinc vis reprimendi refrigerandique. Adde *Cels.* 2. 33. — *Solata* et *solatrum* dicitur *Apulejo Herb.* 74.

SŌLĀNUS, i, m. 2. (sol) proprie adject., sed absolute usurpatur pro eo, qui a sole est: ita vocatur ventus flans ab oriente æquinoctiali, contra Zephyrum, Græce ἀπηλιώτης et Attice ἀφηλιώτης, h. e. ἀφ' ἡλίου, a sole, apud *Vitruv.* 1. 6. *ante med.* et in *Inscript.* apud *Marini, Iscriz. Alb. p.* 177. *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Mach.* 12. 37. De muro torrentis quod est ab solano. — Idem ventus *subsolanus* dicitur a *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119)., *Senec.* 5. *Quæst. nat.* 16., *Veget.* 5. *Milit.* 8., *Isid.* 13. *Orig.* 11. 3. et in *Vet. Epigr. Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 387. *Burmann.* V. APHELIOTES.

SŌLĀRIS, e, adject. (sol) ad solem pertinens, *di sole, solare,* ἡλιακός, ut Solare lumen, *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 37. Solaris arcus, *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 10. circulus, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (86). Piceæ pars solaris. *h. e.* quæ ad solem obversa est, *id.* 16. *ibid.* 12. 23. (57). — *Solaris herba,* apud *Cels.* 5. 27. *n.* 5. est heliotropium, *girasole,* quia se cum sole circumagit (*Heliotropium villosum* Linn.).

SŌLĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* SOLARIUS.

SŌLĀRĬUM, ii, n. 2. (solum) vectigal, quod pro solo penditur: a *solum,* qua terram notat. *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. *ante med.* Si tamen obstet ædificium id publico usui, utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere, aut, si non obstet, solarium ei imponere. Sic enim vectigal hoc appellatur ex eo, quod pro solo pendatur. *Paul. ibid.* 30. 1. 39. *a med.* Heres cogitur legati prædii solvere præteritum vectigal, vel tributum, vel solarium, vel cloacarium, vel pro aquæ forma. *Inscript.* apud *Fea, Framm. di Fast. cons. p.* 77. PERMISSVM SIT EI AEDIFICARE A SOLO IVRIS SVI PECVNIA SVA PRAESTATVRVS (*sic pro* præstaturo) SOLARIVM SICVT CETERI. *et mox.* IGITVR AREAM ADSIGNARI EI IVBEATIS PRAESTATVRO SECVNDVM EXEMPLVM CETERORVM SOLARIVM. Alia in *Bullett. archeol. Ital. a.* 1861. *p.* 73. PLACERE HVIC ORDINI TAM GRATAM VOLVNTATEM OPTIMI CIVIS ADMITTI REMITTIQVE SOLARIVM. *V.* SOLATIUM.

SŌLĀRĬUS, a, um, adject. (sol) qui ad solem pertinet, solaris, ut Solarium horologium, *orologio da sole, gnomone,* ὡρολόγιον ἡλιακόν, instrumentum, quo horæ diei in lineis cognoscuntur ad solem, gnomone umbram faciente. Unde *Pers.* 3. 4. quinta dum linea tangitur umbra. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (203). Princeps Romanis solarium horologium statuisse, ante undecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini, L. Papirius Cursor (a. U. C. 461.), a Fabio Vestale proditur. M. Varro primum statutum in publico, secundum Rostra in columna, tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Messala consule (a. U. C. 491.), etc. — Hinc

Solarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, duo diversa significat.

A) *Solarium* est idem quod horologium solare.

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Varro* 6. *L. L.* 4. *Müll.* Meridies ab eo quod medius dies; D antiqui, non R in hoc dicebant, ut Præneste incisum in solario vidi. *et mox.* Solarium dictum id, in quo horæ in sole conspiciebantur, quod Cornelius in basilica Æmilia et Fulvia inumbravit. *Plaut. fragm* apud *Gell.* 3. 3. Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit, Quique adeo primus statuit hic solarium. Adde *Inscript.* apud *Orelli, n.* 3303. — *b*) *Ad solarium* dictus videtur fuisse Romæ ipse locus sub Rostris, in foro, ubi solarium horologium depictum erat, quo homines conveniebant negotiorum aut otii causa. *Cic. Quinct.* 18. *a med.* Vixit enim semper inculte atque horride: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Ita petulans es atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, sed pone scænam, et in ejusmodi locis exercitatus sis.

II.) Improprie, quod postea ex aqua horarium factum est a P. Cornelio Nasica censore, *solarium* dictum est, non mutata appellatione, teste *Censorino de die nat.* 23. *ad fin.* Hinc *Cic.* 2. *Nat. D.* 34. *a med.* Quum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligis, declarari horas arte, non casu. — Etiam in sepulcris aliquando solaria fuisse, colligimus ex *Inscript.* apud *Fabretti p.* 102. *n.* 238. et apud *Don. cl.* 12. *n.* 4.

B) *Solarium* est locus editus supra domum, lithostroto pavimento tectus, soli expositus, ad apricandum idoneus: ita appellatum, quod soli pateat, ut ait *Isid.* 15. *Orig.* 3. 12.: *terrazzo, battuto, solaio, altana,* ἡλιαστήριον. Deinde quum ex tegulis et imbricibus tecta in usu esse cœpissent, solarii nomen permansit loco, qui tecto contegebatur, fuitque extrema domus contignatio tecto supposita. *Inscript.* apud *Fabretti p.* 724. *n.* 443. DONVM DEDIT COLLEGIO AESCVLAPII ET HYGIAE LOCVM AEDICVLAE CVM PERGVLA ET SOLARIVM TECTVM IVNCTVM IN QVO POPVLVS COLLEGII SVPRA SCRIPTI EPVLETVR. *h. e.* cenaculum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 25. Neque solarium est apud nos, neque hortus ullus, neque fenestra, nisi clathrata. Adde 2. 3. 69. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *de jocis Augusti.* Quum de Tyriæ purpuræ, quam emi jusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore: Erige altius et suspice; his usus salibus: Quid? ego, ut me populus R. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? *Sueton. Ner.* 16. Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur. *Pallad.* 6. *R. R.* 11. Nunc circa extremum mensem pavimenta in solariis fiunt. Adde *Ulp. Dig.* 8. 2. 17. *V.* DOMA et SUBDIVAL.

SŌLĀTA. *V.* SOLANUM.

SŌLĀTĀRĬUS, ii, m. 2. (solea) qui negotiatur coriis in usum soleariorum. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. p.* 1871. *p.* 161. nuper reperta et a cl. *De-Rossi* edit. CORPVS CORIARIORVM MAGNARIORVM SOLATARIORVM. *Gruter.* 283. 1. et *Orell. n.* 4074. in *alia* huic gemina minus recte leg. *solāriariorum.* V. *eumd. De-Rossi ibid.*

SŌLĀTĬO, ōnis, f. 3. duo diversa significat.

A) Solatio, a *solor,* est idem quod consolatio. *Ambros.* apud *Lanfr. Comment.* in *ep. ad Hebr.* 6. 11. *V.* etiam *Quicherat.* in *Addend.* etc., ubi *Gloss. Paris.* laudat p. 269.

B) Solatio, a *sol,* est idem quod insolatio. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 2. 18. Solationes, quas Græci ἡλιώσεις vocant. Sed vulgo *solicationes:* hoc tamen in margine editionum est, probante *Furlanetto.* Cf. *Quicherat.* ad *h. v.*, qui mallet legi *insolationes.* V. SOLICATIO.

SŌLĀTĬŎLUM *vel* solaciolum, i, n. 2. Licenter corripitur prima syllaba in *Inscript.* metrica infimæ notæ apud *Rénier, n.* 2617. EST AVTEM VITAE DVLCE SOLACIOLVM — Solatiolum, deminut. solatii, est exiguum solatium, *piccolo sollievo, consolazioncella,* ut Solatiolum doloris apud *Catull.* 2. 6.

SŌLĀTĬUM *vel* solacium, ii, n. 2. (solor) So-

lacium in antiquis Inscriptionib. et apud Fronton. in fragm. ab A. Maio editis sæpissime legitur. V. Inscript. in Corp. Inscr. Lat. 5. 903. 2117. etc. et in Bullett. dell' Istit. archeol. a. 1870. p. 178. V. etiam Wagner, Orthogr. Verg. p. 472. Immo Lachmann. p. 348. ad Lucret. 6. 4., ubi sunt qui male leg. solaci pro solacia, ait barbare fieri ab iis, qui per t scriptum exhibent, quum tamen mendatium nemo probet: Neutrum ego damnaverim; nihil enim, quam ille adfert, analogiam valere puto. — Solatium est levamen doloris, ægritudinis, calamitatis, solamen, consolatio, fomentum, παραμυθία (It. sollievo, consolazione, conforto; Fr. consolation, soulagement, adoucissement; Hisp. consolacion, alivio; Germ. d. Trost, Tröstung, Linderung; Angl. comfort, consolation, solace, ease).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Amph. 2. 2. 13. Sed hoc me beat saltem - id solatio est. Sic Cæs. 1. B. C. 22. Hoc est mihi solatio. Lucret. 5. 21. Lachmann. Dulcia permulcent animos solacia vitæ. Id. 6. 4. dederant solacia dulcia vitæ. Cic. 6. Verr. 60. 174. Ut illi haberent hæc oblectamenta et solatia servitutis. Id. 2. Tusc. 24. extr. Hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum dolorum. Id. Arch. 7. sub fin. Hæc studia rebus adversis perfugium ac solatium præbent. Id. Prov. cons. 7. Sed fruatur sane hoc solatio. Id. 11. Fam. 26. Maximo meo dolore hoc solatio utor, quod etc. Id. 7. ibid. 3. a med. Vacare culpa magnum est solatium. Id. Amic. 3. 10. Non egeo medicina: me ipse consolor et maxime illo solatio, quod etc. Plin. Paneg. 13. Solatium fessis, ægris opem ferre. Cic. Amic. 27. sub fin. Ætas ipsa magnum affert mihi solatium. Id. Brut. 3. 11. Et præsentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis. Id. 9. Phil. 5. extr. Cujus luctus nullo solatio levari potest. Ovid. 11. Met. 329. (et 4. Pont. 11. 17.) Dicere solatia cuipiam. dir parole di consolazione. et 9. ibid. 653. adhibere menti. et 4. Trist. 10. 117. præbere. Id. Remed. am. 241. centum solatia curæ Et rus et comites et via longa dabunt. Curt. 9. 6. 10. Adversis solatium majus. ¶ 2. Speciatim dicitur de consolatione, quam ultio injuriæ adfert. Cic. 7. Verr. 49. 128. Ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. Ovid. 7. Met. 482. Arma Jovee oro pro gnato sumpta piæque Pars sis militiæ. tumulo solatia posco. Tac. 3. Ann. 12. Sic facinus vindicandum detegitur, vos vero nos parentes justis solatiis afficite. Lucan. 2. 91. solatia fati Carthago Mariusque tulit: pariterque jacentes Ignovere deis. Stat. 1. Theb. 596. mœstæ solatia morti, Phœbe, paras. Justin. 1. 8. 9. Tamyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit, sed in ultionis solatia intendit. Adde Phædr. 1. 9. Hinc Lucan. 8. 469. noctique rependit Lux minor hibernæ verni solatia damni.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice apud poetas pro solator, consolator. Ovid. 1. Fast. 441. aves solatia ruris. Id. 4. Pont. 2. 45. de Musis. frigida solatia. Virg. 6. Æn. 377. cape dicta memor, duri solatia casus. ¶ 2. Eleganter pro subsidio ponitur, quum scilicet re ipsa indigentibus opem ferimus. Cic. 2. leg. Agr. 29. 80. Unumne fundum pulcherrimum populi R. caput vestræ pecuniæ, subsidium belli, horreum legionum, solatium annonæ disperire patiemini? Val. Max. 4. 8. n. 2. extern. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Adde Spartian. Hadrian. 9. sub fin. et Tac. 15. Ann. 39. Ammian. 19. 2. 14. Suprema humandi solatia. ¶ 3. Apud JCtos pro pretio, ut in illo Ulp. Dig. 8. 4. 13. Ut si quis voluerit ex lapicidinis cædere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum pro hoc solatium domino præstet. h. e. pretium in compensationem detrimenti. Alciat. mallet solarium, quod magis placet. Ita Furlanetto contra Forcellinum, qui optimos libros secutus lectionem hanc improbaverat. Nuper vero et Mommsenius legit probatque solarium.

SŌLĀTIUS, a, um, adject. (solor) solator. Inscript. Chr. apud De-Rossi n. 211. FVIT SOLATIVS MISERICORS OMNIBVS NOTVS.

SŌLĀTOR, ōris, m. 3. (solor) qui aliquem solatur, consolatore, παράκλητος. Tibull. 1. 3. 15. Ipse ego solator etc. Stat. 5. Silv. 5. 40. Ille ego lugentum mitis solator.

SŌLĀTRUM, i, n. 2. V. SOLANUM.

SŌLĀTUM, i, n. 2. (sol) morbus, de quo Fest. p. 301. 33. Müll. Solatum, genus morbi, maxime a rusticantibus dicitur: cujus meminit etiam Afranius etc.

SŌLĀTUS, a, um, particip. V. SOLO et SOLOR.

SŌLĀTUS, i, m. 2. (sol) qui est a sole correptus, nimio æstu aut nimia apricatione male affectus, æger a sole, colto dal sole, ἡλιωθείς. Plin. 29. Hist. nat. 6. 38. (118). Sic et solatis, id est sole correptis prosunt. Similiter Cels. 1. 3. ante med. Si quis vero exustus in sole est etc.

SOLDŪRĬI, ōrum, m. plur. 2. Vox Celtica, qua apud Gallos ii significabantur qui Latine devoti, Græce εὐχωλιμαῖοι, dicuntur: idest artissimum genus amicorum. Cæs. 3. B. G. 22. Adcantuanus, qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis, quos illi soldurios appellant: quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint: siquid iis per vim accidat, aut eumdem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret. Oberlin. ad h. loc. ejusdem fere generis putat esse soldurios atque ambactos, quam vocem vide suo loco.

SOLDUS. V. SOLIDUS.

SŌLĔA, æ, f. 1. (solum) Solia etiam pro solea usurpatum vulgo fuisse videtur ex eo, quod Prob. App. p. 198. 10. Keil. dici solea, non solia, monet, et ex derivat. soliarius pro solearius. — Solia, qua est piscis, scribitur apud Theod. Priscian, De diæta 8. — Solea est genus plani calceamenti, quo solum pedis tantummodo subtegitur, ansulis in superiore parte coeuntibus revinctum, σάνδαλον, ὑπόδημα, ἐμβάδιον, κρηπίς, sorta di scarpa aperta. Omnia, inquit Gell. 13. 21., ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnumquam voce Græca crepidulas. et Lucil. apud eumd. 3. 14. scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat, Præfractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam. — Communes erant soleæ viris ac feminis: (earumque usum apud nos habent, quæ dicuntur pianelle, pantofole, mule) sed viri iisdem domi, foris calceis utebantur. Soleatum enim prodire aliquem, molle erat et indecorum et turpe: ideoque crimini datum Verri et Pisoni a Cic. 7. Verr. 33. 86. et Pis. 6. 13., item Balbo quæstori ab Asin. Poll. 10. Fam. 32. Similiter Castricius apud Gell. cit. 13. 21. senatores reprehendit, quod per Urbem cum soleis ingrederentur.

I.) Proprie. — a) Universim. Vet. Lex apud Marin. Frat. Arv. p. 569. NEIVE QVIS IN POPLICO LVCI PRAETEXTAM NEIVE SOLEAS HABETO. Cic. Harusp. resp. 21. 44. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis, a strophio etc. est factus repente popularis. Propert. 2. 22. 40. Prosilit in laxa nixa pedem solea. Pers. 5. 169. solea puer objurgabere rubra. Juvenal. 6. 610. mentem vexare mariti, Et solea pulsare nates. (Hinc Lucian. in Philopseud. c. 29. Ἐπεὶ σανδάλῳ γε χρυσῷ ἐς τὰς πυγάς, ὥσπερ τὰ παιδία, παίεσθαι ἄξιοι ἂν εἶεν οἱ ἀπιστοῦντες. Adde eumd. Dial. deor. 11. 2. et ibid. 13.) Ovid. 2. Art. am. 212. Et tenero soleam deme vel adde pedi. Martial. 14. 65. cujus lemma Soleæ lanatæ. Defuerit si forte puer soleasque libebit Sumere, pro puero proderis ipse tibi. Plin. 34. Hist. nat. 6. 14. (31). Corneliæ Gracchorum matri statua sedens posita soleisque sine amento insignis. — Mensæ accubituri soleas deponebant, ne strata lectorum inquinarent: unde soleas poscere est a cena surgere volentis. Plaut. Truc. 2. 4. 12. Cedo soleas mihi: properate, auferte mensam. et ibid. 16. Jam rediit animus: deme soleas: cedo bibam. Martial. 3. 50. Deposui soleas. affertur protinus ingens Inter lactucas oxygarumque liber. Adde Horat. 2. Sat. 8. 77. A pedibus accumbentium dominorum stabant servi soleas custodientes. qua de re Martial. 12. 88. Bis Cotta soleas perdidisse se questus, Dum negligentem ducit ad pedes vernam. V. PES. — Huc pertinet illud Senec. 4. Controv. 25. a med. Prætor ad occidendum hominem soleas poposcit. h. e. tantum non inter epulas, et jam jam a mensa surrecturus. quod magnæ crudelitatis signum est. — Huc pertinet etiam soleas festinare apud Sall. inc. 74. p. 389. Kritz, ubi dictum videtur de convivio aliquo memorabili, convivis re improvisa ante solitum tempus excitatis. — b) Soleæ balneares erant veteribus, quas scilicet in balneis induebant. V. Apul. 9. Met., Charis. Inst. Gramm. 1. et Lucil. loc. supra cit.

II.) Translate ob similitudinem ¶ 1. Dicitur de jumentis, quibus soleæ suppingebantur. num autem ferreæ clavis ferreis, ut nunc, an alio modo, disquirunt eruditi: negat Matth. Gesnerus in Lex. Auctor. R. R. usum clavorum ante Vegetium fuisse: quod confirmat etiam Schneiderus in Ind. eorumd. Auctor.: satis autem compertum est, veteres jumentorum pedibus sparteas plerumque soleas aut coriaceas subligasse; hinc in Edict. Dioclet. p. 20. mentio est de aptatura pedum jumentorum, minime autem de soleis ipsorum ungulis ope ferreorum clavorum suffigendis. Catull. 17. 26. Ferream ut soleam tenaci in voragine mula (derelinquere solet). Colum. 6. R. R. 12. Solea spartea pes bovis induitur. Gargil. De re hortensi (edente A. A. Scottio) 4. 8. Sparto liganda persica adversum plurima incommoda existimant: hodieque nonnulli jumentorum soleas in itinere derelictas præ medio truncis ramisque suspendunt. Sueton. Ner. 30. in fin. Numquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus. Plin. 33. Hist. nat. 11. 49. (140). Poppæa conjux Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induit. ¶ 2. Hinc ipsa jumenti ungula solea dicitur. Veget. 1. Veterin. 56. a med. Ferramento concisorio animalium soleas purgare. ¶ 3. Solea dicitur etiam materia robustea, super quam paries craticius exstruitur, inquit Verrius apud Fest. p. 301. 3. Müll., quia pro solo est. ¶ 4. Item genus piscis plani instar soleæ, sogliola, βούγλωσσος. Ovid. Halieut. 124. Fulgentes soleæ candore et concolor illis Passer. Adde Plin. 9. Hist. nat. 15. 20. (52). et 32. ibid. 9. 32. (102). et Marcell. Empir. c. 23. p. 120. Ludit in utroque significatu calceamenti et piscis Plaut. Cas. 2. 8. 59. ¶ 5. Item ligneæ compedes, ceppi. Cic. 2. Invent. 50. 149. Quidam judicatus est parentem occidisse, ei statim ligneæ soleæ in pedes inductæ sunt: os autem obvolutum est folliculo et præligatum, deinde est in carcerem deductus. ¶ 6. Denique solea est instrumentum olearium: de quo Colum. 12. R. R. 52. ante med. Oleo conficiendo molæ utiliores sunt, quam trapetum: trapetum, quam canalis et solea. Cœl. Rhodig. l. 13. c. 4. ad fin. mallet solena, h. e. canalis, fistula, σωλήν. Sed res adhuc obscura manet. V. quæ ad h. l. adnotat Schneiderus.

Homonym. Differt solea a calceo, quo et calx et superior pes munitur: item a crepida, quæ unum tantum genus notat, quum illa generale nomen sit, quæque pluribus coriis conjungitur, quum illa sit simplex: item a caliga, militari calceamento, ligamenta plura habenti, quibus tum superiori pedis parti, tum imæ tibiæ circumdatis devinciebatur. Sed V. singula suis loc.

SŌLĔĀRIS, e, adject. (solea) ad soleam pertinens, soleæ similis. Spartian. Caracall. 9. Opera Romæ reliquit, thermas nomine suo eximias, quarum cellam solearem architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri; nam et ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, et tantum est spatii, ut id ipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Alii soliarem legunt. J. A. Guattani in opere, cui titulus: Della gran cella soleare delle terme di Caracalla, sibi videtur de-

texisse inter ruinas thermarum Antoninianarum locum hujusce cellæ, quæ longa est spithamis seu *palmi Romani*, CCLXXVI., lata vero CVIII., eamque probat ex concameratione tecta fuisse, quæ Italice *volta piana* dicitur. Hanc sustentatam arbitratur regulis aeneis in modum cancellorum implicatis, quæ muris lateralibus et pilis angularibus adnectebantur, quemadmodum *Vitruv.* 5. 10. docet, structas fuisse concamerationes balnearum: solearem vero vocatam fuisse, quod hæc concameratio cancellatim reticulata quamdam referebat figuram soleæ, quæ supra pedem teretibus habenis ita innexis vinciebatur.

SŎLĔĀRĬUS *vel* sollarius, ĭi, m. 2. (solea) Genet. plur. *soliarium* pro *soliariorum* V. infra. — Sollarius est sutor solearum, *calzolajo*, ἐμβατοποιός. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 40. Solearii adstant molochinarii. *Inscript.* apud *Gruter.* 283. 1. CORPVS CORIARIORVM MAGNARIORVM SOLARARIORVM (*sic pro* seleariorum). Sed *V.* SOLATARIUS. A-lia apud *eumd.* 648. 13. L. BRAKTIVS LITARINVS SOLEARIVS. V. *Inscript.* in BAXEARIUS, ubi *soliarium* pro *soliariorum* seu *seleariorum*.

SŎLĔĀTUS, a, um, particip. a *soleo, as*, soleis indutus, *in pianelle*, κρηπιδούμενος. *Castricius* apud *Gell.* 13. 21. Soleatos vos populi R. senatores per Urbis vias ingredi, nequaquam decorum est. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 86. Stetit soleatus prætor populi R. cum pallio purpureo tunicaque talari. *V.* SOLEA. *Martial.* 12. 83. Colliget et referet lapsum de pulvere follem, Etsi jam lotus, jam soleatus erit. *h. e.* post lavationem soleas resumpserit. Sic *Petron. Sat.* 27. Qui soleatus pila prasina exercebatur. *h. e.* postquam laverat. Insolens autem erat post lavationem pila ludere; illa enim lusio balneum præcedere solebat. *Seneca* 3. *Ira* 18. *in fin.* Ne senatores populi R. soleatus occideret. *h. e.* privatim domi et noctu atque adeo indicta causa: quod immanis crudelitatis est. *V.* SOLEA.

SŎLEMNIS et

SŎLEMNĬTAS etc. *V.* SOLLEMNIS, SOLLEMNITAS etc.

SŌLEN, ēnis, m. 3. σωλήν, piscis quidam marinus (*Solen* Linn.), qui et δόναξ appellatur a Græcis, quia cavæ arundinis similitudinem habet: item αὐλός a similitudine tubæ: item ὄνυξ a colore unguis: σωλήν a figura canalis aut fistulæ. Sunt qui putant esse, quas *cappe lunghe* nos dicimus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Solen, sive aulos, sive donax, sive onyx, sive dactylus. *Id.* 10. *ibid.* 69. 88. (192). Ad sonum mergere se dicuntur solenes. *Id.* 11. *ibid.* 37. 52. (139). Solenes fugiunt admota ferramenta.

SŎLENS, entis, particip. *V.* SOLEO, es.

SŎLĔO, as, *V.* SOLO sub *B.*

SŎLĔO, sŏles, sŏlĭtus sum, sŏlere, n. 2. — *a*) Ad formam quod attinet — *Solinunt* in præsenti pro *solent* dixerunt antiqui. *Fest.* in *Nequinont, p.* 162. 24. *Müll.* — In futuro non solet adhiberi, quia habet vim præteriti; neque enim futuris potest aliquis adsuescere. *Charis.* 3. *p.* 221. et *Diomed.* 1. *p.* 352. *Putsch.* Part. tamen *soliturus* agnoscitur a *Claud. Sacerd.* 1. *Gramm.* 22. — *Solui* in præterito antiquum est. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 9. *p.* 782. *Putsch.* Neque subsidiis, uti soluerat, compositis. *Cœl. Antipater* apud *Non. p.* 509. 2. *Merc.* Duos et septuaginta lictores domum deportavisse fasces, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. *Cato* quoque et *Ennius* ita locuti sunt, teste *Varron.* 9. *L. L.* 107. *extr. Müll.* — *b*) De etymo nihil certum aut probabile afferri potest. Videsis tamen *Döderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 340. — Part. *Solens* in fin.; *Solitus* 1. *a* et in fin.; *Soliturus* apud *Claud. Sacerd. loc. cit.* — Soleo est idem ac consuevi, mos meus est, est meæ consuetudinis, εἴωθα, ἐθίζομαι (It. *costumare, usare, esser solito, solere*; Fr. *avoir coutume, être habitué*; Hisp. *soler, acostumbrar*; Germ. *pflegen, gewohntsein*; Angl. *to use, be accustomed or wont*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Infinito. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 18. ruri crebro esse soleo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 263. Pterela rex qui potitare solitus est patera aurea. Adde *Trin.* 3. 2. 86. *Cæs.* 1. *B. C.* 67. Quibus rebus coerceri milites et in officio contineri solent. *Cic. Rosc. Com.* 16. 49. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. *Id.* 1. *Orat.* 30. 135. Ratio consuetudinis meæ, qua quondam solitus sum uti. *Id.* 1. *Off.* 39. 139. Si domus aliquando alio domino solita est frequentari. *Id.* 8. *Att.* 5. Solet eum, quum aliquid furiose fecit, pœnitere. *Phædr.* 3. 9. Ut fieri solet. *Ter. Andr.* 2. 5. 15. Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 245. Luscinias soliti impenso prandere coemptas. *Sall. Jug.* 4. Sæpe audivi præclaros viros solitos ita dicere. *Propert.* 2. 2. 8. Nec solitus ponto vivere torvus aper. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 42. Ipsa potest solitum nosse corona caput. *h. e.* quod solitum fuit coronari. *Virg.* 2. *Æn.* 461. turris, unde omnis Troja videri, Et Danaum solitæ naves et Achaica castra. *Tac. Agric.* 4. Memoria teneo solitum ipsum narrare. *h. e.* sæpe. nam, ut animadvertit *Kritzius* ad *h. l.*, verbum *soleo* transit in hujus adverbii vim. — *b*) Absolute, omisso, qui facile subauditur, Infinito. *Plaut. Curc.* 2. 3. 83. me dico ire, quo saturi solent. *Id. ibid.* 5. 2. 6. Nugas garris. CURC. soleo. nam propter eas vivo facilius. *Id. Men.* 1. 2. 30. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis. PEN. ita ego soleo. commoditatis omnes articulos scio. *Ter. Eun.* 2. 2. 48. GNA. Ecquid beo te? PAR. men? papæ! GNA. sic soleo amicos. *Id. Adelph.* 1. 1. *in fin.* Nescio quid tristem video. credo jam, ut solet, jurgabit. — *c*) Impersonaliter. *Cic. Cluent.* 59. 161. Quum quædam in collibus, ut solet, controversia pastorum esset orta. *Id.* 9. *Fam.* 16. 7. Non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti. *Sall. Cat.* 30. Quod solet. Adde *Jug.* 15. ¶ 2. Speciatim, seu prægnanti, ut ajunt, sensu, dicitur de re amatoria. *Plaut. Cist.* 1. 1. 38. Viris cum suis prædicant nos solere: suas pellices esse ajunt. *Catull.* 113. 1. Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant Mœchi: illo facto consule nunc iterum, Manserunt duo; sed creverunt milia in unum Singula. ¶ 3. Pro posse, ut videtur, in illo *Justin.* 1. 5. 2. Servi a dominis semper manumitti solent. — Hinc Part.

Solens, entis, adjectivorum more usurpatur, et est qui solet, solitus, *solito, assuefatto*, εἰωθώς. *Plaut. Amph.* 1. 1. 43. Si dixero mendacium, solens meo more fecero. *Id. Cas.* 5. 1. 14. Lubens fecero et solens. *Id. Truc.* 1. 2. 29. Mala femina es. ASTAPH. solens sum. ea est disciplina. *Id. Epid.* 2. 2. 53. Occepere aliæ mulieres duæ post me sic fabulari inter sese. ego abscessi solens paullum ab illis. *h. e.* ut soleo, et ut quisque solet, cum duobus secreto inter se colloquentibus adstat.

Solitus, a, um, item adjectivorum more, et est consuetus, *usato, costumato, consueto, ordinario, solito*, ἐθήμων, ἠθάς. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 314. 23. *Merc.* Præter solita vitiosis magistratibus. *Tac.* 3. *Ann.* 5. Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse. *Propert.* 1. 20. 45. Miratæ (*Dryades*) solitos destituere choros. *Tibull.* 1. 1. 38. solito membra lavare toro. *Virg.* 11. *Æn.* 415. o si solitæ quidquam virtutis adesset! *Ovid.* 11. *Met.* 241. Quod nisi venisses, variatis sæpe figuris, Ad solitas artes, auro foret ille potitus. *Id.* 4. *Fast.* 148. ad solitum rusticus ibit opus. *Id. Heroid.* 21. 125. at melius fuerat More bonis solito spem non corrumpere fraude.

Solitum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *il solito, il consueto, l'ordinario. Virg.* 11. *Æn.* 383. Proinde tona eloquio, solitum tibi. *Id.* 1. *G.* 413. et *Horat.* 1. *Od.* 6. 20. Præter solitum. *Val. Flacc.* 7. 66. Solito superbior. *Ovid.* 2. *Art. am.* 411. blandior. *Id.* 5. *Fast.* 547. citius. *Id. Heroid.* 15. 47. Plus solito. *Liv.* 25. 7. *a med.* Visus sol rubere solito magis. *Seneca* 6. *Benef.* 36. Ætna immensa ignium vi supra solitum ardens. *Vellej.* 2. 41. *in fin.* Siquando aliquid ex solito variaret.

SŎLĔOR, eris. *V.* voc. seq.

SŎLĔRO, as, are, a. 1. et

SŎLĔROR, āris, ari, dep. 1. (solum) est pavimentum facio. *Gloss. Isid.* Solerare; id est solidare a *solus, eris*; id est solidum. Cf. *Loewe* in *Prodr. Gloss. p.* 353. — Huc referunt *Priscian.* 8. *p.* 397. 3. *Keil.*, ubi inter verba, quæ olim idem significantia tum forma activa, tum passiva, tum etiam deponentium more adhibebantur, recenset *soleo* et *soleor*: quod quidem verbum improbatum interpretes mutarunt in *solero* et *soleror*. Cf. *Keil* ad *h. l.*

SŌLERS et

SŌLERTER et

SŌLERTIA. *V.* SOLLERS, SOLLERTER et SOLLERTIA.

SŎLEUM. *V.* SOLIUM.

SŎLĬAR, āris, n. 3. (solium) id quo solium integitur. *Varro* apud *Non. p.* 3. 25. *Merc.* Phrygio qui pulvinar poterat pingere, soliar depingebat. *Fest.* in *Solla p.* 298. 18. *Müll.* Soliaria vocantur Babylonica, quibus sedilia sternuntur. Ita leg. *Scalig.* utroque loco. *V.* SOLLA.

SŎLĬĀRIS, e, adject. (solium) ad solium balinei pertinens: ut Soliaris cella, apud *Spartian. Caracall.* 9. h. e. in qua solium positum est. *V.* SOLEARIS.

SŎLĬĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui solia facit. *Inscript.* apud *Gruter.* 643. 8. M. CAECILIO SP. F. SVC. RVFO SOLIARIO AB LVCO SEMELES etc. Ita *Forcellinus.* Rectius tamen recentiores de eo interpretantur, qui soleas facit. *V.* SOLEARIUS.

SŌLĬCĂNUS, a, um, adject. (solus et cano) qui solus canit. *Capell.* 2. *p.* 33. Dum hæc Musæ nunc solicanæ, nunc concinentes interserunt etc.

SŌLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (sol) idem quod insolatio, apricatio. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 2. *ad fin.* Item solicationes, quas Græci ἡλιώσιας vocant, adhibendæ sunt. *Rectius leg.* solationes. *V.* SOLATIO.

SŎLĬCISMUS. *V.* SOLŒCISMUS.

SŎLĬCĬTANS et

SŎLĬCĬTĀTĬO etc. *V.* SOLLICITANS, SOLLICITATIO etc.

SŎLĬDĀMEN, mĭnis, n. 3. (solido) solidamentum. *Venant.* 6. *carm.* 2. 115. Unus amor vivo solidamine junctus alescat.

SŎLĬDAMENTUM, i, n. 2. (solido) firmamentum, firmitas. *Lactant. Opif. D.* 7. *init.* Deus igitur solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur, nodata et adjuncta invicem nervis alligavit atque constrinxit. *Augustin.* 7. *Confess.* 20. Solidamentum pietatis. *Id.* 13. *ibid.* 15. auctoritatis.

SŎLĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. (solido) ¶ 1. Generatim est actus solidandi, *rassodamento, fermezza*, στερέωσις. *Vitruv.* 5. 3. Solidationes ita erunt faciendæ. Loquitur *Vitruv.* de fundamentis ædificiorum, quæ palustri solo extruuntur. Adde 7. 1. ¶ 2. Speciatim est ferruminatio vel potius ferrumen, *saldatura. Vulgat. interpr. Ital. Is.* 41. 7. Solidatio bona est etc. *Noster* habet: Glutino bonum est: et confortavit eum clavis, ut non moveretur.

SŎLĬDĀTRIX, trīcis, f. 3. (solido) quæ solidat, *rassodatrice. Arnob.* 4. *p.* 131. Ossilago solidatrix ossium nemo proprium non haberet.

SŎLĬDĀTUS, a, um, particip. *V.* SOLIDO.

SŎLĬDĒ, adverb. (solidus) Comp. *Solidius* I. 1. — Solide est firme, firmiter, valide, *saldamente, fermamente, sodamente*, στερεῶς.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 12. *R. R.* 54. In cistam vimineam, quæ neque spisse, solide tamen et crassis viminibus contexta sit, rapa componito. *Gell.* 19. 5. Aqua solidius concreta. ¶ 2. Speciatim est compacta ratione, integre, plene. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Si quis vestrum voluerit suæ rei causa facere, non est quod illum pudeatur. nemo nostrum solide natus est. *h. e.* ita ut nihil vacui in ventre habeat, aut nihil ventosum, quod subinde exire quærat. De peditu loquitur. Sic *ibid.* 102. Ita vero tamquam solidos alligaturus, quibus non soleat venter injuriam facere?

II.) Translate est vehementer, valde, plane, integre, vere. *Plaut. Trin.* 4. 2. 47. Hic homo solide sycophanta est. *et ibid.* 8. Neque, natus, necne is fuerit, id solide scio. *Ter. Andr.* 5. 5.

in fin. Hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia. *Apul.* 3. *Met.* Solide formidare.

SŎLĪDESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a solido, solidus fio, duresco, firmor, coeo, *assodarsi, saldarsi* *Vitruv.* 2. 6. Moles, quæ construuntur in mari, sub aqua solidescunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 87. (216). Cartilago rupta non solidescit.

SŎLĪDĬPĒS, pĕdis, adject. omn. gen. qui solidos habet pedes, ut equus; non bifidos, ut bos: cui opponitur *bisulcus*, *κραταίπους*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 65. 84. (184). Contra naturam solidipedum aut bisulcorum. *et ibid.* 73. 93. (199). Solidipedes et e bisulcis sues aluntur omni cibatu.

SŎLĪDĬTAS, ātis, f. 3. (solidus) qualitas corporis solidi, in quo nihil est vanum et vacuum, sed omnes ejus partes ejusdem generis atque unum sunt, στερεότης (It. *solidità*; Fr. *qualité de ce qui est massif, consistance*; Hisp. *densidad, solidez, consistencia*; Angl. *solidity, solidness, density*). ¶ 1. Abstractorum more, vel etiam proprie. — a) Stricto sensu. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Democritus atomos, quas appellat, idest corpora individua, propter soliditatem censet in infinito inani ita ferri, ut etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 105. Si tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam. *Id. Tim.* 5. Quum soliditas mundo quæreretur: solida autem omnia uno medio, numquam duobus, semper copulentur. — De cælo apud *Chalcid. Tim.* 277. et est firmamentum, στερέωμα. — b) Latiore sensu est firmitas, durities, *fermezza, saldezza, solidezza, durezza.* *Vitruv.* 2. 6. *a med. de topho.* Calida humoris jejunitas aqua repente satiata confervescit, et vehementer efficit ea coire celeriterque una soliditatis percipere virtutem. *et ibid.* 8. *ante med.* Qui maxime religando confirmat parietum soliditatem. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. 109. Ut liquori soliditas accedat. — *Soliditas* in arboribus ex crassitie materiæ noscitur, et una pro altera ponitur. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. *circa med.* Pro macie vel soliditate vitium nutrienda sarmenta potator injungat. *Id.* 3. *ibid.* 17. Surculum convenientem soliditati arboris inserendæ sic disponere, ut etc. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, vel etiam translate. — a) In sing. num. est tota res quæpiam, ὁλότης. *Imp. Gordian. Cod.* 11. 35. 2. Quoties duobus non separatim, sed pro indiviso munus injungitur, et ita ut unusquisque eorum periculo soliditatis videatur obstrictus. *Imp. Antonin. ibid.* 4. 52. 2. Soliditatem possessionis vendere. — b) In plur. num. apud *Vitruv.* 7. 3. dicitur de tectoriis ipsis calce, arena et marmore solidatis.

SŎLĪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (solidus) Part. *Solidatus* I. c. et II. 1.; *Solidaturus* I. a; *Solidandus* I. c. — Solido est solidum et firmum reddo, consolido, roboro, induro, στερεόω (It. *assodare, rassodare, saldare, indurare, unire*; Fr. *rendre solide, consolider, affermir, durir*; Hisp. *soldar, consolidar, endurar, endurecer*; Germ. *dicht –, ganz –, festmachen, befestigen*; Angl. *to make solid or firm, consolidate*).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. *Plin.* 8. *Ep.* 20. et *Plin.* senior 28. *Hist. nat.* 16. 65. (227). Solidare ossa fracta. *Id.* 24. *ibid.* 16. 95. (152). nervos abscissos. *Veget.* 3. *Veterin.* 58. 4. In solo et in circuitu solidaturos ungulam confricabis. — b) Cum addito Ablat. rei, quo quid solidatur. *Id.* 34. *ibid.* 17. 48. (160). Solidare stanno fistulas. *Pallad.* 3. *R. R.* 31. Vinum myrtite stomachum solidare titubantem solet. — c) Passive. *Vitruv.* 7. 1. Si congesticius locus fuerit, fistucationibus cum magna cura solidetur. *Virg.* 1. *G.* 179. Et vertenda (*area*) manu et creta solidanda tenaci. *Tac.* 2. *Hist.* 19. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (218). Nervi non solidantur incisi. *Cels.* 8. 6. Cartilaginem non glutinari, circa tamen carnem increscere solidarique eum locum. *Pallad.* 6. *R. R.* 9. Ubi caseus cœperit solidari. *h. e.* indurari. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 25. *ad fin.* Ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex spuma solidantur. *h. e.* concrescunt in saxa. Cf. *Vulgat. interpr. Judith* 5. 12. Aquæ quasi murus solidarentur. et *Claudian.* 2. *in Rufin.* 27. terga Danubii solidata. *h. e.* gelu concreta. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 242. Atria vestit ebur: trabibus solidatur ahenis Culmen. *Tac.* 15. *Ann.* 43. Ædificia ipsa certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino solidarentur. *Vitruv.* 2. 3. *sub fin.* Terra quum est levis aere solidata, non recipit in se nec combibit humorem. *Lucan.* 8. 691. infuso facies solidata veneno. *h. e.* medicamine firmata contra putrefactionem. *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Solum alto rudere solidatum. *et ibid.* 36. Area ungulis pecorum et aquæ admixtione solidata. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 18. (36). Spuma maris solidata cum limo. *indurata.* et *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 32. Articuli solidati saxeam faciunt qualitatem. *h. e.* indurati.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Pallad.* 4. *R. R.* 14. *in fin.* Annicula mula debet per montes asperos pasci, ut itineris laborem in tenera ætate solidata contemnat. *h. e.* durata laboribus. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Artus exercitatione solidati. — Figurate *Auct. paneg. ad Constantin.* 1. Imperium Romanum ex diuturna convulsione solidatum. ¶ 2. Speciatim est ratum et firmum reddere. *Imppp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. Theod.* 15. 9. 1. Illud etiam constitutione solidamus, ut etc. ¶ 3. *Solidare rationes*, æquare, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa, *saldar le partite:* ut ait *Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 36. *sub fin.*

SŎLĪDUS, a, um, adject. — a) Ad scriptionem quod attinet, occurrit etiam — *Soledus* in *Inscript.* apud *Gruter.* 171. 8. FISTVLAS SOLEDAS FECIT. — *Soldus*, per syncop. pro *solidus*, fere apud poetas. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 111. Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem, Quærere plus prodest, et inane abscindere soldo? *Id.* 2. *Sat.* 5. 65. Nasicæ metuentis reddere soldum. *h. e.* omne æs solidum æs alienum quod habet, sed parte aliqua creditorem fraudantis. *Martial.* 4. 37. Ex insulis fundisque tricies soldum, Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi. *h. e.* integra summa tricies HS. sine deminutione. Adde *Varron.* 1 *R. R.* 48. et 51. Cod. *P.*, et vet. *Leg. Jul. Municip.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 206., ubi occurrit dictio *soldum solvere.* — b) Ratione habita etymi; *Festo* in *Solitaurilia* p. 293. 15. *Müll.* placet esse ab Osco *solus* (quod post Ennium *sollus* scripsere) idem fere significante: hoc autem ab ὅλος, totus, natum videtur. Cf. SALVUS. Huic notationi favent etiam etymologi recentiores; nam aliam habet *solum*, unde nonnulli vocem derivant. — Comp. *Solidior* I. 1.; Sup. *Solidissimus* I. 1. — Solidus est proprie plenus, integer, verus, nihil habens inanitatis, nulla parte laxatus et cavus, neque ex dissimilibus compositus, sed totus sui generis, στερεός (It. *massiccio, solido*; Fr. *massif, consistant, ferme*; Hisp. *macizo, consistiendo, ferme, solido*; Germ. *dicht, fest, gedrängt, massiv, derb*; Angl. *massive, solid*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Eun.* 2. 3. 26. Corpus solidum et suci plenum. Adde *Lucret.* 1. 488. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 48. Quum Hannibal columnam auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravit: quumque invenisset etc.: cui *structilis* opponitur. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Terra solida et globosa et undique in sese nutibus suis conglobata. *Id.* 1. *rep.* 14. 22. Sphæra solida atque plena. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (94). Mensa solida quatuor pedum. *tutta d'un pezzo:* cui *commissa* opponitur. *Id.* 2. *ibid.* 64. 64. (160). Terra solida atque conferta. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (127). Omnibus cornua cava: cervis tota solida. *Cic. Top.* 4. 22. Paries solidus vel fornicatus. *Virg.* 2. *G.* 231. in solido puteum demittere. *h. e.* ubi terra concava non est. *et ibid.* 79. *de insitione.* Finditur in solidum cuneis via. *h. e.* ubi truncus integro et sincero ligno est. Sic apud *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 25. *circa med.* solidi lapides opponuntur pumicosis, qui multas habent cavitates. *Virg.* 2. *Æn.* 765. Crateres auro solidi. *Id.* 3. *G.* 26. In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam. *Id.* 6. *Æn.* 69. solido de marmore templum. *et ibid.* 552. solidoque adamante columnæ. *Sil. It.* 16. 445. solido argento cælata bipennis. *Colum.* 7. *R. R.* 8. Quum paullo solidior caseus factus est. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. *ad fin.* Quod si vinum nascitur virtute solidius. *Petron. Sat.* 102. Ita tamquam solidos alligaturus? *h. e.* concretum corpus habentes. *Vulgat. interpr. Exod.* 27. 8. Non solidum, sed inane et cavum. *V.* SOLIDE. — *Auson. Griph.* 57. v. 6. p. 592. *Wernsd.* Distinguit solidos cubo pergente trientes. *h. e.* congreges. ¶ 2. Speciatim in re mathematica et geometrica *solidus* dicitur de corporibus, quæ trinis dimensionibus constant: cui *planus* opponitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Quum duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus, ex planis circulus aut orbis. *Gell.* hæc definit 1. 20. — Absolute. *Balb. Expos. et rat. mens.* p. 97. 9. *Lachm.-Rud.* Solidum est quod Græci stereon appellant. ¶ 3. Hinc *solidæ figuræ* apud *Capell.* 6. p. 228. quæ tribus dimensionibus constant. ¶ 4. *Solidus angulus* apud *Balb. Expos. et rat. mens.* p. 103. 18. *Lachm.-Rud.*, cujus planitiæ altitudo adjicitur aut æquatur. ¶ 5. *Solidus numerus* est *plano* et *fracto* oppositus. *Capell.* 7. p. 217. et *Boeth.* 2. *Arithm.* 20. ¶ 6. *Solidus pes* idem qui quadratus. *Balb. Expos. et rat. mens.* p. 96. 12 *Lachm.-Rud.*

II.) Translate. ¶ 1. *Solidus*, quia quæ talia sunt, dura, firma, valida, fortia esse solent, hæc eadem sæpissime significat, *duro, saldo, sodo, fermo, stabile.* *Horat.* 2. *Sat.* 1. 77. fragili quærens illidere dentem, Offendet solido. *Virg.* 3. *G.* 88. solido graviter sonat ungula cornu. *Id.* 9. *Æn.* 809. saxis solida æra fatiscunt. et 11. *ibid.* 553. telum solidum nodis et robore cocto. *Ovid. Heroid.* 9. 60. et 15. *Met.* 230. Solidi tori Herculis. *braccia nerborute.* et 14. *ibid.* 49. solida ponit vestigia ripa. *et* 2. *ibid.* 147. Solidæ sedes. *et* 3. *ibid.* 696. abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes Clauditur in tectis. *in forte prigione.* et 15. *ibid.* 262. Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum. *terreno ben sodo.* et *Stat.* 8. *Theb.* 408. Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos. *neve soda, consistente.* ¶ 2. Hinc metaphorice constans, verus, certus, *costante, vero, sincero, perfetto, solido.* — a) Generatim. *Horat.* 3. *Od.* 3. 1. Justum et tenacem propositi virum Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida. *h. e.* constanti. *Virg.* 2. *Æn.* 638. quibus integer ævi Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires. *Cic.* 3. *Off.* 17. 69. Sed nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus. *Id. Planc.* 12. 29. Hæc sunt indicia solida et expressa, hæc signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 3. Est enim gloria solida quædam res et expressa, non adumbrata. *Id.* 5. *Phil.* 18. 50. Quid enim stultius, quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi præcipitem et lubricam anteferre veræ, gravi, solidæ gloriæ? *Id. Vatin.* 3. *a med.* Homo imperitissime solidæ laudis veræque gloriæ. *Id.* 1. *Fin.* 18. 61. Negant, bonum quidquam esse, nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine. *Id.* 3. *Orat.* 26. *a med.* Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. *Id.* 1. *Fin.* 21. 72. In poetis evolvendis nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio. *Id. Planc.* 8. *extr.* Hi tot equites R. quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt! solidam et robustam et assiduam frequentiam præbuerunt. *Tac.* 2. *Hist.* 7. Victores victosque numquam solida fide coalescere. *sincera.* — *Solidæ rationes*, in quibus omnia quadrant, et neque plus quidquam, neque minus invenitur in summa, inquit *Ascon.* in 3. *Verr.* 36. *sub fin.* V. SOLIDO. — b) Speciatim ratus, firmus, certus. *Cic. Divin. Verr.* 7. 22. At enim solidum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres nimime se accusari velit. *h. e.* ratum, firmum, certum est. Alii leg. *solum.* ¶ 3. *Solidus*, quia quæ

talia sunt, nil habent admixtum sed tota sunt sui generis, est integer, totus, perfectus, *intiero, tutto*, ὅλος. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Cnæus noster clementer id fert: sorte caret; usura, nec ea solida, contentus est. *Justin.* 30. 4. 4. Terræ motus solidas civitates absorbuit. *Juvenal.* 11. 205. quamquam solida hora supersit Ad sextam. *Horat.* 1. *Od.* 1. 20. partem solido demere de die. Alii aliter interpretantur. Cf. *Senec. Ep.* 83. et *Horat.* 2. *Od.* 7. 6. *Id.* 2. *Sat.* 3. 239. Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ (Scilicet ut decies solidum absorberet) aceto Diluit insignem baccam. *h. e.* integram summam HS. 1,000,000. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (36). In India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. *Virg.* 6. *Æn.* 253. Et solida imponit taurorum viscera flammis. *Varro* apud *Non. p.* 405. 21. *Merc.* Navibus duodecim domo profectum decem annos solidos errasse. *dieci anni continui.* totos decem annos. *Liv.* 4. 8. *in fin.* Ut in eo magistratu parum solidum consulatum explerent. *h. e.* non integrum, quia novem tantum menses duraverat. ¶ 4. Hinc metaphorice. *Ter. Andr.* 4. 1. 23. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium, nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres? *compito, intiero:* vel *sincero, vero.* Sic *Eun.* 5. 2. 32. Ut solidum parerem hoc mibi beneficium. et *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 35. Inibis a me solidam et grandem gratiam. *Id. Merc.* 1. 1. 20. quemque attigit, Magno atque solido mactat infortunio. et *Epid.* 3. 3. 10. Malefacta solida. *Seneca* 1. *Ira* 16. Duriora remedia jam solida nequitia desiderat. *h. e.* vetus et quæ altas in animo radices egit. — Hinc

Solidus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, Latinitate labente, nummus aureus justi ponderis et integer, ad discrimen dimidiati et tertiarii. *Prætor* apud *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. *circa med.* multat pœna *solidorum decem* eum, qui in subgrunda protectove id positum habeat, cujus casus nocere cui possit. Hoc idem referens *Imp. Justinian.* 4. *Institut. tit.* 5. ait, pœnam *decem aureorum* constitutam esse. *Solidus* autem dictus est primo, quum ejus partes, ut *semissis* et *tremissis* aurei feriri cœpti sunt ab Alex. Severo a. 222.-235., uti affirmat *Lamprid. loc.* infra *cit.* — Valuit priore imperii Romani tempore denariis viginti quinque, seu HS. centum, quum nempe XL. vel XLV. ex singulis auri libris signabantur. *V.* AUREUS. Postremis vero ejusdem imperii temporibus illius pondus et valor ita imminutus est, ut ex singulis auri libris LXXII. solidi percussi fuerint, qui pondus et valorem prope æquaverant Venetæ monetæ, quæ *zecchino* dicitur. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod.* 10. 70. 5. Quotiescumque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in LXXII. solidos libra feratur accepta. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Conflari quartarios jussit, et tremisses tantum solidosque formari. *V.* ibi *Salmas.* Adde *Ulp. Dig.* 11. 4. 1. et *Edict. ædilium* apud *eumd. ibid.* 21. 1. 42., itemque *Macrum ibid.* 49. 14. 34. Sic *Apul.* 10. *Met.* Venenum comparare sollicitatus centumque aureos solidos offerens pretium. *Vulgat. interpr. Eccli.* 19. 7. Solidi vix reddet dimidium. — Apud *eumd.* 1. *Par.* 29. 7. Dederunt in opera domus Dei auri talenta quinque milia et solidos decem milia. *solidus* est aliis drachma, aliis vero daricus.

Solidum, i, n. 2. absolute

A) Substantivorum more. ¶ 1. Est locus solidus, stabilis, tutus. *Flor.* 2. 2. Coacti hostes (*in navibus*) quasi in solido decernere. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Fundamenta theatri per solidum subdere. *Virg.* 11. *Æn.* 426. multos alterna revisens Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit. *Seneca* 3. *Benef.* 4. Præsentia bona nondum tota in solido sunt. *in sicuro.* et *Ovid.* 4. *Fast.* 821. Fossa sit ad solidum. *h. e.* fodiendo usque ad terram solidam. *Virg.* 2. *G.* 231. In solido puteum demittere. Adde *Val. Max.* 2. 4. *n.* 5. Sic *Colum.* 4. *R. R.* 30. Perticæ cacuminibus pangantur eousque dum ad solidum demittantur. Adde *Virg.* 2. *G.* 79. ¶ 2. Est etiam totum, res universa. *Cic. Rabir. Post.* 17. 47. Ita bona veneant, ut solidum suum cuique solvatur. *l'intiero suo credito.* et *Tac.* 6. *Ann.* 17. Senatus præscripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret. Sed creditores in solidum appellabant. *h. e.* totam summam fenoris reposcebant. *Jabolen. Dig.* 45. 2. 2. Quum duo eamdem pecuniam aut promiserunt, aut stipulati sunt, ipso jure et singulis in solidum debetur, et singuli debent. *Ulp. ibid.* 3. Ubi duo rei facti sunt, potest vel ab uno eorum solidum peti. hoc enim est duorum reorum, ut unusquisque eorum in solidum sit obligatus. Adde *Horat.* et *Martial. loc. cit. Tertull.* 1. *ad uxor.* 1. Tu modo ut solidum capere possis, hoc meæ admonitionis fidei commissum. Alludit ad solidi capacitatem inter virum et uxorem, quæ non permittebatur ex lege Julia et Papia nisi certis rerum adjunctis. Qua de re exstat *Ulp. tit.* 16. *Id. Monog.* 16. Existimant cælibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere. *solidum capere* est ἴσων ἀξιοῦσθαι, quod idem est ac heredem esse ex asse et omnem illam hereditatem adire, quod lege Julia in cælibes non fiebat, quum legata fierent caduca irentque in fiscum: unde lex Julia dicta est lex caducaria.

B) Adverbii ritu, est solide, valde. *Apul.* 5. *Met.* At Venus irata solidum exclamat repente.

SŌLĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sol *et* fero) ἡλιοφόρος, solem ferens, epitheton orientalis plagæ. *Seneca Herc. Œt.* 159. Parthus soliferæ suppositus plagæ.

SŌLĬFERRĔUM. *V.* SOLLIFERREUM.

SŌLĬFŪGA. *V.* SOLIPUGA.

SŌLĬFUNDĬUM, ĭi, n. 2. (solum *et* fundus) idem ac fundus. *Fronto princ. Hist. init. p.* 313. ed. *Rom.* Sed ipse *A. Maius* dubitat, an legendum potius sit *soli fundum.* Immo *Naber* in sua edit. *p.* 202. hanc vocem omisit.

SŌLĬGĔNA, æ, adject. comm. gen. 1. (sol *et* gigno) ἡλιογενής, qui ex sole genitus est. *Val. Flacc.* 5. 317. nec fama fefellit, Soligenam Æetem media regnare sub Arcto.

SŌLĬLŎQUĬUM, ĭi, n. 2. (solus *et* loquor) sermo solius secum, *soliloquio*, μονολογία. *Augustin.* 2. *Soliloq.* 7. *ad fin.* Hujusmodi sermocinationes, quoniam cum solis nobis loquimur, soliloquia vocari et inscribi volo, novo quidem, et fortasse duro nomine, sed ad rem demonstrandam satis idoneo.

SOLINO Verrius ait esse, consulo. Ita *Fest. p.* 351. 14. *Müll. Id.* apud *Paul. Diac. p.* 350. 2. Solino intelligitur consulo.

SŌLĬNUNT. *V.* SOLEO.

SŌLĬPŪGA, solipunga, solipugna, solpuga, salpuga, salpinga etc., æ, f. 1. genus muscæ aut formicæ venenatæ. *Gloss. Philox.* Solipuga, ἡλιοκεντρίς, μυίας εἶδος. *Festus p.* 301. 3. *Müll.* Solipugna, genus bestiolæ maleficæ, quod acrius concitatiusque fit fervore solis, unde etiam nomen traxit. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 29. (92). *Sillig.* Est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia, solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica. *Id.* 8. *ibid.* 29. 43. (104). Citra Cynamolgos Æthiopas, late deserta regio est, a scorpionibus et solipugis gente sublata. *Id.* 22. *ibid.* 25. 81. (163). Et leguminibus innascuntur bestiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, et periculum vitæ afferunt, solipugarum generis. *Cuvier.* in *not.* (167) ad *h. l.* fabulosum hoc animal putat fuisse genus locustæ, ignotum tamen. Adde *Arnob.* 2. *p.* 59. et 7. *p.* 223. *V. Orellii Append.* ad *Arnob. p.* 69. et cf. *Sil. It.* 12. 370. *Lemaire. Lucan.* 9. 837. Quis calcare tuas metuat, salpuga, latebras? Alii hic leg. *salpiga, solpuga, salpynga.* Est etiam qui ubique malit *solifuga:* quod MSS. et editis melioribus in *Plinio* ab *Harduino* refutatur: in *Lucano* vero locum habere non potest. *Gloss.* tamen *Philox.* Solifuga, μυρμηκος. et *Solin.* 4. Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris: animal perexiguum, qua aranei forma, solifuga dicta, quod solem fugiat. In metallis argentariis plurima est, occultim reptat, et per imprudentiam supersedentibus pestem facit. At *Gloss. Philox.* non animal describit, sed quemcumque radios et lucem solis fugientem. *Solin.* vero, qui sua fere omnia descripsit ab aliis, vel in vitiosos codices incidit, vel de suo malo prompsit. Certe levissimus auctor ab *Scalig. in Euseb.* appellatur. *V.* SALPUGA.

SŌLĬSĔQUA, æ, f. 1. (sol *et* sequor) herba, quæ sæpius heliotropium dicitur, solago, *girasole.* *Isid.* 17. *Orig.* 9. 37. Heliotropium – quod solis motibus folia circumacta convertat. Unde et a Latinis solisequa nuncupatur. Cf. *Loewe* in *Prodr. Gloss. p.* 411. — *Apul. Herb.* 49. vocat *solsequium.*

SŌLISTERNĬUM. *V.* SOLLISTERNIUM.

SOLISTĬMUS *et* sollistimus *vel* sollistumus, a, um, adject. Vox est a *solum*, h. e. terra, ut ex verbis *Ciceronis* infra allatis colligitur: quidam tamen malunt deducere ab Osco *sollus*, h. e. totus: atque hac ratione duplici *ll* scribunt. *V. Fest. loc. cit.* — Ad significationem et usum quod attinet, solistimus est vox auguralis et fere cum *tripudium* conjungitur. ¶ 1. Dicebatur, quum in auspicando esca ex ore pulli decidebat: quod prosperum auspicium erat. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. *sub fin.* Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis. Necesse est enim, offa objecta cadere frustum ex pulli ore, quum pascitur. Quod autem scriptum habetis, avi tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. Adde 2. *ibid.* 8. 20. *Id. ibid.* 34. *extr.* Quum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciant. *Liv.* 10. 40. Nam quum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nunciavit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (49). *de gallis gallinaceis.* Horum sunt tripudia solistima. *Fest p.* 298. 26. *Müll.* Sollistimum Appius Pulcher in Auguralis disciplinæ libro primo ait esse tripudium, quod avi excidit ex eo, quod illa fert. ¶ 2. Item, quum saxum solidum, aut arbos viviradix sponte, nullo impellente aut jaciente aut cædente, ruit, ut docet *Festus ibid.*, ubi absolute usurpari videtur. Hoc idem *tripudium sonivium* dicitur a *Servio* ad *Virg.* 3. *Æn.* 90. tremere omnia visa repente. *V.* SONIVIUS.

SŌLISTĬTĬĀLIS. *V.* SOLSTITIALIS.

SŌLĬTĀNĔUS, a, um, adject. (solitus) idem videtur esse quod solitus, consuetus. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Ad solitaneos stomachi dolores malagma sic compones etc. Cf. *eumd. c.* 27. *p.* 127. *retro.*

SŌLĬTĀNĔUS, a, um. adject. (solus) idem quod solitarius, separatus, sejunctus. *Theod. Priscian.* 3. *præf.* Solitaneum libellum confeci de mulierum curis: solitaneum, inquam, et remotum a publico spectaculo.

SŌLĬTANNUS et

SŌLĬTĀNUS, a, um, adject. (sol) ut Solitanæ cochleæ, genus cochlearum amplæ magnitudinis in Africa: quorum meminere *Varro* 3. *R. R.* 14. *a med.* et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 56. 82. (174). et 30. *ibid.* 6. 15 (45). ubi *Harduin.* putat, nomen traxisse a promontorio Solis itidem in Africa. *Sillig.* hic leg. *Jolitano.* — Apud *Varron.* quidam male leg. *Soli annæ.* Verba ejus sunt *loc. cit.* Valde amplæ sunt, quamquam ex Africa, quæ vocantur solitanæ, ita ut in eas octoginta quadrantes conjici possint. Ita *Schneiderus.*

SŌLĬTĀRĬĒ, adverb. (solitarius) solummodo, tantum, *soltanto.* *Boeth. De Trinit.* 1. *init.* Christianæ religionis reverentiam plures usurpant, sed ea fide posset maxime ac solitarie, quæ tum propter universalium præcepta regularum, quibus ejusdem religionis intelligatur auctoritas, tum propterea quod ejus cultus per omnes prope mundi terminos emanavit, catholica vel universalis vocatur.

SŌLĬTĀRĬUS, a, um, adject. (solus) solus, sine consortio, separatus, *solo.* ¶ 1. Generatim. — *a)* De personis. *Gell.* 2. 12. Qui non alterutræ parti sese adjunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo civitatis secesserit. — *b)* De rebus. *Cic.* 1. *Invent.* 41. *sub fin.* Oportet ani-

madvertere, ne quum aliter multa sint judicata, solitarium aliquod aut rarum judicatum afferatur. *Id. Amic.* 23. *in fin.* Natura solitarium nihil amat semperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur. *Id.* 2. *Nat. D.* 11. 29. Omnem naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile menti. *Plin. Paneg.* 49. *a med.* Distentus solitaria cena. *h. e.* quum solus quis cenavit. *Gell.* 7. 3. *a med.* Sed enim Cato non nudam, neque solitariam, nec improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis præfulcit. *Id.* 13. 3. Necessitudo dicitur jus quoddam et vinculum religiosæ conjunctionis: idque unum solitarium significat. *h. e.* id unum tantum. *Nazar. Paneg. Constantin.* 33. *a med.* Solitario modo id egit, ut etc. *h. e.* solummodo. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 13. Multi imperium universæ reipublicæ solitarium cupierunt. *h. e.* ut ipsi soli in republica imperarent: regnum in republica affectarunt. *Dict. Cret.* 2. 18. Teuthrantem solitarium certamen interficit. *h. e.* singulare. Adde 2. 39. et 3. 7. ¶ 2. Speciatim est qui solus degit, frequentiam consortiumque vitat, secessu et solitudine delectatur, *solingo, eremitico, ermo, solitario,* ἔρημος. *Cic.* 2. *Off.* 11. 39. Etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est. *Quintil.* 1. 2. *circa med.* Solitaria et velut umbratili vita pallescere. *Varro* 3. *R. R.* 16. Apes non sunt solitaria natura, ut aquilæ, sed ut homines.

Homonym. Inter *solitarium, solum, unum* et *unicum* hoc interest, quod *solitarius,* qui semper sine ceteris vivit; *solus,* qui a ceteris relictus est; *unus* initium multorum agit; *unicus,* qui solus habetur propter inopiam aliorum. Ita *Auct. Differ. serm. p.* 280. 7. *Keil.*

SŌLĬTAS, ātis, f. 3. (solus) solitudo, hoc est quum aliquis solus est. Vox antiqua. ¶ 1. Generatim. *Accius* apud *Non. p.* 170. 28. *Merc.* Tuam solitatem memoras, formidas tibi. *h. e.* te solum esse, sine ullo socio et adjutore. *Apul.* 9. *Met.* Opportune nactus Myrmecidis solitatem, ei amorem suum aperit. *Id. Apolog.* Crates, multis servis a se remotis, solitatem delegit. ¶ 2. Speciatim æon, μονότης, apud *Tertull. advers. Valentinian.* 37.

SŌLĬTĀTIM, adverb. (solus) cum solitate, *da solo a solo.* Utitur hac voce *Fronto de eloqu.* (edente iterum *A. Maio*) p. 235. In edit. *Fronton. p.* 142. 14. quam *Naber* curavit, hæc vox desideratur.

SOLITAURILĬA, ōrum, n. plur. 2. *V.* SUOVETAURILIA

SŌLĬTĒ, adverb. (solitus) pro more, ex consuetudine. *Plaut. Amph.* 1. 1. 131. Ubi sunt isti scortatores, qui solite invili cubant? *Id. Mil. glor.* 2. 3. 11. Tute scis solite tibi: mihi ne dixis: scire nolo. *h. e.* tu solus id pro more scito, quippe qui sæpe talium tibi sis conscius. — *NB.* « Sunt qui putant, inquit *Furlanetto,* in utroque *Plauti* loco cit. *sōlite* esse, a *solus,* et significare sine alio, remotis arbitris: quos inter fuit et *Forcellinus;* sed vehementer errant, quemadmodum ostendit hic locus *Coripp.* 4. *Johann.* 283. Romanosque suos solite miseratus alumnos Cernes pios ». Sed *Fleckeisenus* cum plerisque omnibus apud *Plaut.* leg. *soli.* Cf. *Weise* ad *Plaut. Amph. loc. cit.* Idcirco locus *Coripp.* a cl. *Furlanetto* allatus id solum probat, sequiore tantum ætate hanc vocem in usu fuisse.

SOLITHO. *V.* SYLITHO.

SŌLĬTO, adverb. *V.* SOLEO.

SŌLĬTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* soleo, frequenter soleo. *Gell.* 7. 1. Scipionem Africanum solitavisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare.

SŌLĬTŪDO, inis, f. 3. (solus) proprie conditio ejus, qui solus est: item locus, ubi nemo vel unus habitat, recessus, secessus, regio deserta, ἐρημία (It. *deserto, eremo, luogo ermo, solingo o solitario;* Fr. *solitude, désert;* Hisp. *soledad, desierto;* Germ. *d. einsame Zustand, d. Einsamkeit, Menschenleere, Oede;* Angl. *solitude, desert*). ¶ 1. Generatim. *Ter. Andr.* 2. 2. 25. Solitudo ante ostium. *Turpil.* apud *Non. p.* 174. 2. *Merc.* Sonitus (maris) solitudo. *Cic. Amic.* 23 *a med.* Si aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret. *Id.* 1. *Invent.* 26. 38. Loci solitudo aut celebritas. *Id.* 6. *Verr.* 51. 114. Audistis, quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. *Curt.* 3. 4. 3. Igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat. *Cic.* 12. *Att.* 26. Mihi solitudo et recessus provincia est. *Id.* 7. *Verr.* 67. 171. Si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa et ad scopulos hæc conqueri vellem. *Sall. Jug.* 98. Ad summum montis egressus est. ubi postquam solitudinem intellexit etc. *h. e.* neminem alium adesse præter se. *Cic. Brut.* 63. 227. Erat ab oratoribus quædam in foro solitudo. *Martial.* 3. 44. quacumque venis, fuga est et ingens Circa te, Ligurine, solitudo. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Discedere in aliquas solitudines. *Id. Pis.* 22. *a med.* Quos tum mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diverticula flexionesque quæsisti! ¶ 2. Speciatim dicitur de eo, qui est derelictus ab omnibus, qui neminem habet, a quo præsidium exspectet. *Plaut. Merc.* 5. 2. 8. res decem simitu pessimas pessumdedi Iram *etc.* inopiam, solitudinem. *Cic. Quinct.* 1. *ad fin.* Si nullo præsidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiæ. *Id. Cæcin.* 5. 13. Iste, qui jamdiu Cæsenniæ viduitate ac solitudine alitur. *Id.* 3. *Verr.* 58. *ad fin.* Ut liberorum solitudo et pueritia quam firmissimo præsidio munita sit. *h. e.* quum patrem amiserint. *Id.* 1. *ad Q. fr. sub fin.* Si tuam solitudinem communemque calamitatem nemo despexerit. *h. e.* quod sine me fratre in exsilium pulso relictus est. *Nepos Thrasyb.* 2. Neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis, sed ejus solitudo. *h. e.* quod non plus habebat secum, quam triginta de suis. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Messalina interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa etc.

SŌLĬTUS, a, um, particip. *V.* SOLEO.

SŌLĬUM, ii, n. 2. Etiam *solius, ii,* m. usurpatum fuisse conjicitur ex *Charis. Excerpt. p.* 552. 18. *Keil.* — *Soleum* pro *solium* in *Inscript.* apud *Mommsen, n.* 6916. et *Marini, Frat. Arv. p.* 343. *V.* infra. — Notationem alii aliam tradidere. *Fest. p.* 298. 6. *Müll.* videtur a *solus* ducere, Osco vocabulo, quo totus, integer, solidus significatur: quia olim solia ex uno ligno fiebant. Idem tamen subdit, a sedendo potius dictum esse videri: nempe quasi *sedium,* ut *sella* quasi *seda.* Adde *Voss.* in *Etymol. Isid.* 20. *Orig.* 11. 10., hæc habet: Solium, in quo rex sedet propter tutelam corporis sui, secundum quosdam a soliditate dictum quasi solidum, secundum alios per antistichon quasi sodium, a sedendo: unde et sella, quasi seda dicta est, et subsellia quasi subsedia. Huic alteri notationi suffragantur etymologi recentiores. — Solium est sella, in qua, ut ait *Fest. p.* 298. *Müll.* non plures singulis possunt sedere, præsertim vero est sella regalis, thronus, θρόνος (It. *trono, soglio, seggio reale;* Fr. *trône, siege;* Hisp. *solio, trono;* Germ. *d. Sessel, Sitz, Thron;* Angl. *a throne, regal seat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 510. Solium proprie est armarium uno ligno factum, in quo reges sedebant propter tutelam corporis sui: dictum quasi solidum: modo jam abusive sellam regalem intelligimus. Adde 7. *ibid.* 169. *Cic.* 2. *Fin.* 21. *a med.* Picta in tabula voluptas, pulcherrimo vestitu et ornatu regali, in solio sedens. *Virg.* 10. *Æn.* 116. solio tum Juppiter aureo Surgit. *et* 11. *ibid.* 301. solio rex infit ab alto. *et* 8. *ibid.* 178. Accipit Æneam solioque invitat acerno. *et* 7. *ibid.* 169. solio medius consedit avito. — *Ovid.* 6. *Fast.* 353. solium regale. ¶ 2. Latiore sensu — *a*) *Solium* est sella, qua sedentes JCti jus domi respondent. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 10. Quum non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem. *Id.* 2. *Orat.* 33. 143. Ista tum a Crasso discemus, quum se de turba, et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque contulerit. *Alii leg.* solitudinemque. — *b*) *Solium eburnum* apud *Claudian. Laud. Stilich.* 199. est sella curulis. Adde *IV. cons. Honor.* 588.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de sella concava, labro, alveo — *a*) In balineis, in quem se demittebant lavaturi, ἔμβασις, πύελος. *Festus p.* 298. 22. *Müll.* Alvei quoque lavandi causa instituti, quo singuli descendunt, solia dicuntur. *Vitruv.* 9. 3. et *Cels.* 1. 3. *et* 4. Casu venit in balneum ibique quum in solium descenderet etc. *Sueton. Aug.* 82. *extr.* Insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Feminæ laventur, et, nisi argentea, solia fastidiant. *Cels.* 7. 26. *n.* 5. In solium aquæ calidæ resupinus demittendus est. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. Scire convenit, quoniam de balneis loquimur, quæ sunt malthæ calidariæ vel frigidariæ, ut siquando in soliis scissa sunt opera, possit repente succurri. Meminit et *Cato R. R.* 10. Adde *Cyprian. Ep.* 69. *n.* 12. — *b*) Ad alios usus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (28). Spartum perfusum aqua calida in solio, ac siccatum stans, compendium operæ fatetur. — Huc pertinere videtur illud *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 100. Convenit quum totius passionis fuerit status, solio, oleo calido pleno, ægros dare et firmata declinatione gestationem adhibere. Adde *Marcell. Empir.* 19. *ante med. de elephantiasi.* ¶ 2. Dicitur etiam de sepulcro, cadavera namque defunctorum, præsertim regum, solio ponebantur vel in exsequiis vel in sepulcro, sarcophagi vice. *Curt.* 10. 10. 13. Septimus dies erat, ex quo corpus regis jacebat in solio. (Adde *ibid.* 1. 32. ubi alii leg. *dolium*) et *Sueton. Ner.* 50. In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, etc. *Flor.* 4. 11. *extr.* Cleopatra in mausoleum se recipit. Ibi maximos induta cultus, in differto odoribus solio juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (160). Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere. Alii leg. *doliis.* V. adnotata ad *Plin. loc. cit.* in DOLIUM. Hoc sensu etiam *soleum* scribitur. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 343. LOCVS CONCESSVS T. AELIO TIMOTHEO PATRI SOLEVM I. ITEM F. ANTONIO ZMARAGDO NVTRITORI SOLEVM I. Adde *aliam* apud *Orell. n.* 4811., ubi *solium.* Cf. *Petron. Sat.* 72. et *Arrian.* 6. *p.* 435. ¶ 3. Hinc de loculo in altari, in quo conduntur Ss. Martyrum corpora seu corporum reliquiæ, *nicchia, cassetta. Paulin. Nolan.* hoc sensu non semel usurpat, ut *carm.* 34. 6. Et magni solium breve confessoris adorat. Adde *carm.* 24. 377. — Ex allatis hactenus scriptorum locis patet, fuisse solia tum lignea, tum argentea, et in balneis etiam structilia.

III.) Translate, per metonymiam a stricto vocabuli sensu ductam, est regnum. *Ovid. Heroid.* 14. 113. Ille ferox solus solio sceptrisque potitur. *Claudian. IV. cons. Honor.* 213. Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset. *Val. Flacc.* 2. 309. donat solio sceptrisque paternis. *Id.* 6. 742. Quem genitor Colchis solioque reponere fratris Jam statuit. *Lucan.* 4. 690. Solio avorum aliquem depellere. *Lucret.* 5. 1135. regibus occisis subversa jacebat Pristina majestas soliorum et sceptra superba. Cf. *Vulgat. interpr. Amos* 6. 3. Separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis.

Homonym. Discrimen inter *sedem, solium* et *thronum* affert *Isid.* 1. *Differ.* 524. « *Sedes* non tantum unius sed multorum est: nam *solium* unius tantum et regum; *sedes* cujuscumque. *Solium* Latini, Græci *thronum* dicunt ».

SŌLĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præc. init.

SŌLĬVĂGUS, a, um, adject. (solus *et* vagus) qui solus vagatur, φιλέρημος, οἰοπόλος.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. *de bestiis.* Aliæ volucres cælo frui libero: serpentes quasdam, quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas. *Id.* 1. *rep.*

(edente *A. Maio*) 25. 39. Non est enim singulare nec solivagum genus hoc (*hominum*). Adde *Sever. Sanct.* 1.

II.) Translate. *Cic. Tim.* 6. *ad fin.* Cælo solivago et volubili et in orbem incitato complexus est. *h. e.* quod per se movetur. *Id.* 1. *Off.* 44. 157. Solivaga cognitio et jejuna videatur. *h. e.* quæ in se ipsa solam vertitur, nec aliorum utilitati consulit. *Capell.* 1. *p.* 15. Solivaga virginitas. *h. e.* quæ comparem detrectat.

SŎLĬVERSOR, ōris, m. 3. (solum et verto) qui solum sive humum vertit, quod est porcorum proprium. Hinc in ludicro testamento M. Grunnii Corocottæ Porcelli (de quo *V.* in BUBULARIUS) ita ad porcellum ait cocus apud *Gruter.* inter supposititia *p.* 18. *n.* 5. Veni huc eversor domi, soliversor, fugitive porcella *etc.* Alii tamen leg. *solivertiator*. Sed est vox satis barbara.

SŎLĬVERTĬĀTOR. *V.* voc. præced.

SOLLA, inquit *Festus p.* 298. 14. *Müll.* appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere. *Scalig.*, *Voss.*, *Grev.*, alii leg. *solia*.

SOLLEMNE. *V.* voc. seq. in fin.

SOLLEMNIS, solemnis, sollennis *vel* solennis, e, adject. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *Forcellinus* ex notatione infra allata et analogia ait rectius scribi *solennis*, ut *perennis*: quod probatur a *Dausquio* et *Augustino serm.* 186. (*al.* 267.) *de temp.* Attamen plus antiquitati dandum censent *Manut.* et *Cellar.*, quam analogiæ. et *sollemnis* aut *solemnis* scribendum, ex antiquissimis libris et lapidibus, quorum plures *l* geminatum habent, quidam et simplicem. Quum in vetustis lapidibus, recte inquit *Noris. dissert.* 4. *c.* 6. *in Cenotaph. Pis.*, habeamus *sollemne*, *solemne* et *solenne*, eamque diversam orthographiam doctissimi scriptores secuti sint, non ausim certos ejus vocabuli characteres statuere. Recentiores alii *sollemnis*, alii *solennis* scribunt. — *b*) De notatione dicimus, vocem duci posse a *sollus*, (apud veteres et *solus*, unica *l*, scriptum) et *annus*. Ad h. v. *Fest. p.* 298. 6. *Müll.* Sollo Osco dicitur id quod nos totum vocamus. *et mox.* Sollemne quod omnibus annis præstari debet. Alii vero ducunt a *solus* Latino (quam vocem pariter ab Osco *sollus* nonnulli derivant) et *annus*, cui etymo favet *Forcellinus*; alii deinque ab ὅλος (quod ceteroqui idem est ac *sollus*), totus, et σεμνός, augustus; nisi malis unicam esse vocem *solus*, terminatione suffixa nominali, ut in *alumnus* etc. — Sup. *Sollemnissimus* II. ad fin. — Sollemnis est qui certis temporibus quotannis fit, ἐτήσιος (It. *annuo*; Fr. *annuel*; Hisp. *anual*; Germ. *alljährlich*; Angl. *annual*, *yearly*) et refertur præcipue ad rem sacram.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de re sacra. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 344. 8. *Müll.* Sollemnia sacra dicuntur, quæ certis temporibus annisque fieri solent. *Cic. Harusp. resp.* 9. 18. Statas sollemnesque cæremonias pontificatu contineri. *Id.* 1. *Tusc.* 47. 113. Quum illam ad sollemne et statum sacrificium curru vehi jus esset. *Id. Pis.* 22. 51. Quid dicam eos dies, qui, quasi deorum immortalium festi ac sollemnes, sunt adventu meo redituque celebrati? Cf. *Liv.* 3. 15. Prope sollemne bellum. *Id. ibid.* 36. Idus Majæ sollemnes ineundis magistratibus erant. *Virg.* 3. *Æn.* 301. Sollemnes dapes. — *Æmil. ad Nymph.* 9. *Eleg.* 92. *v.* 3. *Wernsd.* tam sollemnis forma movere nequit. *h. e.* præcipua et eminens, ut forma *augusta, cœlestis.* Alii aliter leg. ¶ 2. Latiore sensu de aliis est consuetus, usitatus, solitus, legitimus, *consueto, solito, legittimo.* *Virg.* 12. *Æn.* 192. socer arma Latinus habeto: Imperium sollemne socer. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 103. Romæ dulce diu fuit et sollemne, reclusa Mane domo vigilare. *Stat.* 8. *Theb.* 174. Heu, ubi laurigeri currus sollenniaque arma! *Val. Max.* 4. 1. *n.* 2. Non prius ad accipiendum exercitum ivit, quam de dictatura sua omnia solemni jure acta comperisset. *colle solite formalità e solennità delle leggi.* Sic *Ulp. Dig.* 28. 1. 21. Si plures fuerint testes adhibiti, sufficit solennem numerum exaudire. *legale.* et *Cic. Mil.* 10. 27. Quum sciret, iter sollemne, legitimum, necessarium Miloni esse Lanuvium ad flaminem tradendum. *Id. Quinct.* 6. 26. Nullum esse officium tam sanctum atque sollemne, quod non avaritia violare soleat. *Sueton. Aug.* 56. Quoties comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat supplicabatque more sollemni. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 48. pulmenta laboribus empta, Romanis sollemne viris opus. *Phædr.* 3. *prol.* Quoniam mihi sollemnis debetur gloria. *h. e.* legitima.

II.) Translate est, qui fit cum celebritate, festus, celebris, *solenne, celebre, festivo*, ἑόρτιος. *Lucret.* 5. 1163. curavit sollemnia sacra. *XII. Tab.* apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. Sollemnes ludi, et apud *eumd.* 7. *Verr.* 72. *circa med.* cœtus ludorum. *Id. Mil.* 27. 73. Supplicio alicujus sollemnes religiones expiare. *Id.* 3. *Orat.* 51. 197. Sollemnes epulæ. *Id. Dom.* 47. 122. et *Ovid.* 10. *Met.* 4. Sollemnia verba. *h. e.* quæ in sacris sollemnibus adhibentur. *Virg.* 2. *Æn.* 202. Sollemnes aræ. *h. e.* in quibus sollemnia sacra fiunt. *Tac.* 1. *Hist.* 55. Legiones sollemni calendarum Januar. sacramento adactæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 11. præsonuit sollemni tibia cantu. *scil.* in sacris. Sic 4. *Pont.* 8. 29. Sollemnia tura. et 3. *Trist.* 13. 16. Sollemnis ignis. *h. e.* qui in ara accenditur. *Id.* 5. *Fast.* 597. circus. *h. e.* in quo sacri sollemnesque ludi celebrantur. *Virg.* 8. *Æn.* 102. Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem Amphitryoniadæ magno divisque ferebat. et 9. *ibid.* 626. Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona. *Id.* 5. *Ecl.* 74. et quum sollemnia vota Reddemus Nymphis. Adde *Virg.* 3. *Æn.* 301. et 5. *ibid.* 53. *Apul.* 11. *Met.* Sollemnissimas preces de casto præfatus ore. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. *ab init.* Quæ tu scribis, te ea mihi addis die tibi sollemnissimo natali meo precatum. — Hinc

Sollemne, is, sing. et *sollemnia, ium*, plur. n. 3. absolute, substantivorum more, id quod solitum est, mos, consuetudo, *il consueto, l'ordinario, il solito, l'usato costume.*

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Cic.* 7. *Att.* 6. Nostrum illud sollemne servemus, ut neminem istuc euntem sine litteris dimittamus. *il nostro solito costume.* et *Sueton. Aug.* 44. Feminis gladiatores promiscue spectare sollemne erat. *Gell.* 15. 2. Convivia agitata Athenis hebdomadibus lunæ, sollemne nobis fuit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (135). Novæ nuptæ intrantes, etiamnum sollemne habent postes adipe attingere. *h. e.* in more et religione. — *b*) In plur. num. *Tac.* 3. *Ann.* 6. *extr.* Proin repeterent sollemnia. *h. e.* quæ quotidie et ex more publice fiunt. *le solite faccende.* et *Papinian. Dig.* 28. 3. 1. Testamentum non jure factum, ubi solennia juris defuerunt. *le formalità.* Cf. voc. seq. — In illo *Horat.* 1. *Ep.* 1. 101. Insanire putas sollemnia me neque rides etc. *insanire sollemnia* est idem quod insanire ex hominum more, insanire insaniam omnibus solitam (Cf. 2. *Sat.* 3. 63. et *ibid.* 120.). V. *Ritter* ad h. l. *Forcellinus* aliter interpretatur, ut sit insanire sollemniter, publice, vehementer. In hunc sensum *Gargallo* loc. *Horat.* vertit: *mi giudichi Solennissimo pazzo, e non ne ridi.*

II.) Translate est idem ac sollemnitas, celebritas, *solennità.* ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Liv.* 38. 57. Ita inter publicum solenne sponsalibus rite factis. *h. e.* inter epulas sacrorum causa celebratas. — *b*) In plur. num. *Cic. Harusp. resp.* 10. *extr.* Omnia sollemnia ac justa ludorum summa cum cæremonia esse servata. *Tac.* 11. *Ann.* 26. *extr.* Cuncta nuptiarum solennia celebrat. *Sueton. Ner.* 2. Sollemnia triumphi. ¶ 2. Speciatim dicitur de exsequiis. — *a*) In sing. num. *Tac.* 12. *Ann.* 69. Claudio funeris solemne, perinde ac divo Augusto, celebratur. — *b*) In plur. num. *Virg.* 6. *Æn.* 380. Et statuent tumulum, et tumulo solemnia mittent. *Stat.* 8. *Theb.* 208. Talia fatidico peragunt sollemnia regi. *Tac. Agric.* 7. Ad sollemnia pietatis profectus Agricola etc. *h. e.* ad justa pie solvenda. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SOLLEMNĬTAS, solemnitas, sollennitas *vel* solennitas, ātis, f. 3. (sollemnis).

I.) Proprie est actus servandi morem: sed speciatim ea, quæ jus et consuetudo exigit. *Paul. Dig.* 26. 8. 19. Ad ea, quæ solennitatem juris desiderant, explicanda, tutore auctore opus est. *Ulp. ibid.* 1. 7, 25. Neque adoptare quis absens, nec per alium ejusmodi sollennitatem peragere potest.

II.) Translate est sollemnis dies, sollemne, *solennità*, ἑορτή. *Gell.* 2. 24. *in fin.* Quo edicto per dierum varias sollemnitates usque ad duo milia sumptus cenarum propagatus est. *Solin.* 7. *circa med.* Hoc spectaculum (*ludorum Isthmiorum*) per Cypselum tyrannum intermissum, Corinthii sollemnitati pristinæ reddiderunt. *Auson. Grat. act.* 36. Ad sollemnitatem condendi honoris occurreret. *h. e.* ineundi consulatus.

SOLLEMNĬTER, solemniter, sollenniter *vel* solenniter, adverb. (sollemnis) ex more, uti solet, ἐξ ἔθους.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Ad quemdam amnem greges elephantorum descendere ibique se purificantes sollenniter circumspergi. *Pallad.* 1. *R. R.* 28. *ad fin.* Ita pascendi sunt (*pulli gallinacei*) usque ad sextum mensem: deinde hordeum poteris præbere solemniter. *ordinariamente.* et *Justin.* 12. 13. *a med.* Intermissum olim convivium sollemniter instituit, totusque in lætitiam effusus etc. ¶ 2. Specialim apud JCtos *sollemniter* fieri dicuntur, quæ ex præscripto juris et recepto forensi more fiunt. *Ulp. Dig.* 45. 1. 30. Si quis scripserit, se fidejussisse, videntur omnia solenniter acta. *Marcell. ibid.* 26. 7. 27. Tutor pro pupillo in judicium vocatus solenniter cavit. *Ulp. ibid.* 12. 2. 3. Solenniter jurare.

II.) Translate est more sacro et sollemni, cum celebritate, cum festo sollemni, *con solennità, solennemente.* *Liv.* 5. 46. In Quirinalem collem pervenit: ibique omnibus sollemniter peractis, in Capitolium ad suos rediit. *Apul.* 3. *Met.* Lusus, quem publice gratissimo deo Risui per annua diverticula sollemniter celebramus.

SOLLEMNĬTUS, solemnitus, sollennitus *vel* solennitus, adverb. (sollemnis) idem ac sollemniter. *Liv. Andron.* apud *Non. p.* 176. 14. *Merc.* Solemnitusque adeo ditem laudet lubens.

SOLLEMNIZO, solemnizo, sollennizo *vel* solennizo, as, āre, a. 1. (sollemnis) Part. *Sollemnizandus.* — Sollemnizo est sollemnia facio, *solennizzare.* *Augustin. serm.* 93. *n.* 5. *Mai.* Modus sane quo Pascha sollemnizandum sit, in lege Moysi Judæis præscribitur observandus.

SOLLERS *vel* solers, ertis, adject. omn. gen. — *a*) Scriptio est duplex, *solers* et *sollers*: priorem *Dausquius* præfert et multis defendit; posteriorem *Manutius* et *Cellarius*, quia sic est in vet. libr. et lapidib., hisque recentiores philologi facile suffragantur. — *b*) In Ablat. sing. fere est *sollerti*, sed *sollerte* habet *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 35. Quis patriam solerte magis dilexit Ulixe? — *c*) Vox est a *solus* et *ars*, quasi solus in arte, inquit *Donat. ad Ter. Eun.* 3. 2. 25.; sed rectius a Gr. ὅλος, vel ab Osco *sollus* (etiam *solus*, quia veteres ante *Ennium* non geminabant consonantes, ut *Fest.* docet in *Solitaurilia p.* 293. 30. *Müll.*), totus, quasi totus ars, ὅλος ἀρετή: vel in omni re prudens, ut ait *Fest.* in *Sollo p.* 298. 12.: vel totam artem possidens. Hinc scribendi differentia. — Comp. *Sollertior* I. 1. 1.° *a* et 2.°; Sup. *Sollertissimus* I. 1. 1.° *a* et II. — Sollers es ingeniosus, perspicax, sagax, peritus, sciens, ἀγχίνοος, συνετός (It. *ingegnoso, industrioso, capace, valente, perito*; Fr. *industrieux, ingenieux, habile, adroit, intelligent*; Hisp. *industrioso, habil, diestro, mañoso, ingenioso*; Germ. *kunstfertig, kunstreich, erfinderisch, tüchtig, geschickt, klug*; Angl. *ingenious, skiful, expert, sagacious, shrewd, dexterous, clever, adroit, quick, able*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim in bonam partem. — 1.°) De personis. — *a*) Absolute. *Afran.* apud *Non. p.* 21. 33. *Merc.* Vigilans ac sollers, sicca, sana, sobria sum. *Ter. loc. cit.* Fac

periculum in litteris, fac in palæstra, in musica, quæ liberum scire æquum 'st adolescentem, sollertem dabo. *Nepos Cat.* 3. Et agricola sollers et reipublicæ peritus et juris consultus. Adde *Ovid. loc.* supra *cit. Cic. Rosc. Com.* 11. 31. Quo quisque est sollertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Sall. Jug.* 96. Sulla rudis antea et ignarus belli, sollertissimus omnium factus est. *Sueton. Cæs.* 35. Sollertissimus hostis. — *b*) Cum Genet. *Horat. Art.* 6. 407. Musa lyræ sollers. *Sil. It.* 7. 126. Sollers cunctandi Fabius. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad. Ammian.* 16. 11. 4. Ad tempestiva furta sollertes. — *d*) Cum Ablat. et præp. *in. Cic.* 2. *rep.* 21. 37. In omni vel officio vel sermone sollers. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (142). Pictor ingeniosus et sollers in arte. — *e*) Cum Infinito apud poetas. *Horat.* 4. *Od.* 8. 6. Parrhasius aut Scopas: Hic saxo, liquidis ille coloribus Sollers nunc hominem ponere, nunc deum. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 17. sollers ornare Cypassis. *Sil. It.* 1. 79. sollers nutrire furores. et 8. 260. accendere sollers Invidiam. — 2.°) De rebus. *Cic. Brut.* 67. 236. Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod erat in reprehendendis verbis versatum et sollers. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Quam sit sollers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. *Id. ibid.* 52. *ad fin.* Hæc omnia esse opera providæ sollertisque naturæ. *Liv.* 7. 14. Animo sollerti rem novam excogitat. *Catull.* 64. 293. Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus. *Virg.* 4. *G.* 327. pecudum custodia sollers. *h. e.* perita et diligens. *Ovid.* 3. *Fast.* 840. Ingenium sollers. *Tibull.* 1. 8. 29. Primus aratra manu sollerti fecit Osiris. *Ammian.* 27. 6. 9. Sollers disciplina. *h. e.* bona. *Cic. Senect.* 15. 54. Quibus nihil invenit agricultura sollertius. ¶ 2. Speciatim, seu in malam partem, est vafer, callidus, astutus, *furbo, tristo, malizioso. Ovid.* 4. *Met.* 775. Id se sollerti furti, dum traditur, astu, Supposita cepisse manu. *Id. Heroid* 20. 25. Non ego natura, nec sum tam callidus usu: Sollertem tu me, crede, puella facis.

II.) Translate. *Cato R. R.* 8. *extr.* Fundum urbanum ita paret itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat. *h. e.* fertilissimum et omne genus frugum ferentem. *podere in cui vien tutto:* ductâ metaphorâ ex eo quod sollers ingenium nihil non excogitare et facere potest; ita fertilis ager et bene cultus nullos non fructus potest producere. — Huc etiam trahi possunt, quæ in superiore paragrapho I. 1. 2°. attulimus, exempla. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen esse inter *sollertem* et *ingeniosum* efficitur ex *Cic. Rosc. Com.* 6. 31. et *Plin.* 35. *loc.* supra *cit.*, ubi *Döderlein:* « bezieht sich, inquit, *ingeniosus* auf die innere, *sollers* auf die äussere Schöpferkraft »: est nempe ille rei cogitandæ, hic efficiendæ peritus. *ingegnoso nel concetto o disegno: ingegnoso o perito nell' esecuzione.*

SOLLERTER *vel* solerter, adverb. (sollers) Comp. *Sollertius;* Sup. *Sollertissime.* — Sollerter est accurate, ingeniose, perite, sagaciter, *ingegnosamente, industriosamente, sottilmente. Cic.* 1. *Legg.* 8. *extr.* Naturam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Sollerter patefacere futura. *Cic.* 2. *Nat. D.* 35. 91. Sollertius simulare aliquid. *Ovid.* 14. *Met.* 624. Pomona coluit sollertius hortos. *Cic.* 6. *Verr.* 44. *ad fin.* Tu operum lineamenta sollertissime perspicis. Adde *Vopisc. Car.* 4.

SOLLERTĬA *vel* solertia, æ, f. 1. (sollers) vis et acumen ingenii, celeritas animi in cogitando et efficiendo, perspicacitas, industria, prudentia, ἀγχίνοια, συνεσία, εὐστοχία (It. *ingegno, buon ingegno, capacità, perizia;* Fr. *industrie, adresse, habilité, dextérité, savoir-faire;* Hisp. *industria, destreza, maña, habilidad;* Germ. d. *Kunstfertigkeit, Fertigkeit, Geschicklichkeit, Gewandtheit, Erfindungkraft;* Angl. *ingenuity, sagacity, capacity, quickness, shrewdness, dexterity*). ¶ 1. Generatim, seu in bonam partem. — *a*) In sing. num. fere usurpatur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. 92. Nulla ars imitari sollertiam naturæ potest. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 33. ut artes pariat sollertia. *Phædr.* 1. 28. Vindicta docili patet sollertia. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Data est quibusdam bestiis etiam machinatio quædam atque sollertia, ut in araneolis etc. *Id.* 1. *Divinat.* 41. *a med.* Chaldæi sollertia ingeniorum antecellunt. *Tac. Germ.* 30. Cattis multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiæ. *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Adhibere agendi cogitandique sollertiam. *Id. opt. gen. orat.* 4. 11. Judicandi sollertia. *Id.* 1. *rep.* 16. 25. In hac re tanta inest ratio atque sollertia. *Gell.* 20. 1. *a med.* Sollertia lepida verborum. *parole e sentimenti faceti e ingegnosi.* — *b*) In plur. num. *Vitruv.* 7. *præf. circa med.* Omnibus scriptoribus infinitas ago gratias, quod egregiis ingeniorum sollertiis ex ævo collocatis abundantes aliis alio genere copias præparaverunt. ¶ 2. Speciatim, seu in malam partem, est versutia, calliditas, vafritia, fraus, *furberia, malizia, frode. Cic.* 1. *Off.* 10. *extr.* Decipere hoc quidem est, non judicare; quocirca in omni re fugienda est talis sollertia. *Lucan.* 8. 283. Hinc anceps dubii terret sollertia Mauri. *Tibull.* 1. 4. 3. Quæ tua formosos cepit sollertia? Adde *Tac.* 14. *Ann.* 4.

SOLLĬCĬTANS *vel* sollicitans, antis, particip. *V.* SOLLICITO.

SOLLĬCĬTĀTĬO *vel* solicitatio, ōnis, f. 3. (sollicito) instigatio, quæ fit spe aut metu incusso, plerumque ut inducatur aliquis ad quippiam prave agendum, ἔπειξις, πείρασις (It. *instigazione, tentazione, sollecitamento;* Fr. *sollicitation, instigation;* Hisp. *instigacion, sugestion, tentacion;* Germ. d. *Aufreizen, Aufwiegelung, Aufhetzung;* Angl. *soliciting, tempting, instigating*). — *a*) In sing. num. fere usurpatur. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 24. Milites ornari volui a senatu, ut ab omni omnium sollicitatione aversos eos, tales vobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. *Cic. Cluent.* 19. *ad med.* De insidiis, quæ fierent Avito, et de sollicitatione Diogenis etc. *Id.* 3. *Cat.* 9. *a med.* Sollicitatio Allobrogum. *Firmic. de error. prof. relig.* 12. Si viam optat sollicitationis addiscere, in sinu corruptæ mulieris aurum Jovis videat. — *Ter. Andr.* 1. 5. 25. Nuptiarum sollicitatio. *h. e.* quæ mihi a patre fit, ut uxorem ducam. Ita leg. *Donat.* atque addit: Sollicitudo est, quæ inhæret mentibus: sollicitatio, quæ ab alio fit. Plerique alii leg. ex plerisque MSS. *sollicitudo;* sed prior lectio præferenda. — *b*) In plur. num. *Seneca* 2. *Controv.* 15. *a med.* Tot sollicitationibus expugnari non potuit: tam fideliter pudicitiam custodivit.

SOLLĬCĬTĀTOR *vel* solicitator, ōris, m. 3. (sollicito) ¶ 1. Est qui ad pravum quid inducere conatur, impulsor, instigator, *instigatore, tentatore, sollecitatore. Seneca* 2. *Controv.* 15. *ante med.* Testamentum sollicitatoris. *h. e.* ejus qui alienam uxorem de stupro appellavit. *Paul. Dig.* 47. 11. 1. Sollicitatores alienarum nuptiarum. ¶ 2. Est idem quod corruptor, apud *eumd. ibid.* 11. 3. 14. *sub fin.* et *Ulp. ibid.* 11. Sollicitator servi.

SOLLĬCĬTĀTRIX *vel* solicitatrix, trīcis, f. 3. (sollicitator) quæ sollicitat. *Gloss.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 583. Pellex, sollicitatrix thalami maritalis.

SOLLĬCĬTĀTUS *vel* solicitatus, a, um, particip. *V.* SOLLICITO.

SOLLĬCĬTĒ *vel* solicite, adverb. (sollicitus) Comp. *Sollicitius;* Sup. *Sollicitissime.* — Sollicitus ¶ 1. Est cum sollicitudine seu animi angore. *Sil. It.* 6. 572. Sollicite lætus. *h. e.* lætus quidem sed cum aliqua sollicitudine, ut apud *Ovid.* 10. *Met.* 287. timide gaudere. *Seneca Ep.* 93. *in fin.* Minimum est, de quo sollicitissime agitur. ¶ 2. Est sæpius diligenter, accurate. *Id. Ep.* 116. *circa med.* Sollicite custodire se. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 43. vestri non immemor unquam, Qui mala sollicite nostra levatis, ero. *Alii leg.* solliciti. *Gell.* 1. 3. *ad fin.* Hæc Theophrastus caute et sollicite et religiose disseruit. *Id.* 3. 16. *ad fin.* Accurate atque sollicite quærere aliquid. *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. Sollicite curare aliquid. *Plin.* 3. *Ep.* 8. aliquid petere. *Id.* 6. *Ep.* 15. *extr.* Tam sollicite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. *Juvenc.* 3. 239. Sollicite vobis vitentur noxia farra. *Plin.* 1. *Ep.* 19. *extr.* Sollicitius custodiendus est honor. et *Ep.* 4. Sollicitius et intentius tui me, quam mei, excipiunt. *Sueton. Claud.* 18. Annonæ curam sollicitissime semper egit.

SOLLĬCĬTO *vel* solicito, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sollicitus) De scriptione et etymo vocis *V.* SOLLICITUS. — Part. *Sollicitans* I. 1. et II. 6.; *Sollicitatus* I. 1. et II. *a, b,* 3. 1.° *a, b* et *c; Sollicitandus* II. 1. *b,* 2. 1.° *b.* — Sollicito est loco moveo, agito, labefacto (It. *muovere, smuovere;* Fr. *agiter fortement, remuer, ébranler;* Hisp. *agitar fuertemente, remover, revolver;* Germ. *stark bewegen, erregen, erschüttern;* Angl. *to mover, stir, remover, displace*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 5. 163. Mundum sollicitare suis de sedibus. *Tibull.* 1. 8. 28. Primus aratra manu sollerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum. *Ovid.* 4. *Fast.* 395. herbæ, Quas tellus, nullo sollicitante, dabat. *Virg.* 2. *G.* 418. Sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus. et 2. *ibid.* 503. Sollicitant alii remis freta cæca. *Id.* 12. *Æn.* 403. nequidquam spicula dextra Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum. *h. e.* tractando extrahere conatur. *Cels.* 1. *præf. ad fin.* Vomitu stomachum aut purgatione alvum sollicitare. *h. e.* ciere. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 5. Liminis adstricti sollicitare forem. *h. e.* movere, aperire. Alii leg. *fidem* pro *forem.* et 1. *ibid.* 7. 14. arcu sollicitare feras. *h. e.* agitare, venari. *Id.* 11. *Met.* 169. tum stamina docto Pollice sollicitat. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 505. quid Martia signa Sollicitas? non est jaculis hastisve petendus. *h. e.* quid moves signa et arma? *Colum.* 9. *R. R.* 8. Salebris sollicitari. *h. e.* concuti, jactari, succuti. *Lucret.* 2. 961. dolor est, ubi material Corpora vi quadam per viscera viva, per artus Sollicitata suis trepidant in sedibus intus Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas. Adde *Martial.* 11. 46. — *Horat.* 2. *Sat.* 2. 42. mala copia quando Ægrum sollicitat stomachum. *aggrava o fa archeggiare.* ¶ 2. Speciatim, obsceno sensu *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 74., *Petron. Sat.* 20. et *Martial.* 11. 22. *et* 46., item 3. 75., 6. 71. et 8. 56. ¶ 3. In illo *Grat. Cyneg.* 452. meliorisque ausus amici Sollicitare caput. *sollicitare* est conari tollere de medio, insidiari. *insidiare alla vita.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est excitare, allicere, invitare, movere, *eccitare, allettare, invitare.* — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Fast.* 303. Nec levis ambitio perfusaque gloria fuco Magnarumve fames sollicitavit opum. *Val. Flacc.* 1. 260. Illum nec valido spumantia pocula Baccho Sollicitant, veteri nec conspicienda metallo Signa tenent. *Martial.* 12. 74. Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem. *Val. Max.* 4. 5. *n.* 1. *extern.* Quum Spurina mira specie feminarum sollicitaret oculos. *Claudian. VI. cons. Honor. præf.* 11. Me quoque Musarum studium sub nocte silenti Artibus assuetis sollicitare solet. *svegliarmi.* et *Justin.* 2. 13. *extr.* Ut viæ cadaveribus implerentur alitesque et bestiæ, illecebris sollicitatæ, exercitum sequerentur. *allettate, invitate.* et 23. 1. 10. Sollicitati præda (*al.* in prædam) infestas regiones reddebant. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (6). Asclepiades sollicitatus ex urbe Roma, præcepta pro se misit. *h. e.* a Mithridate enixe invitatus, ut Roma ad eum veniret. — *b*) Cum Accusat. et præp. *ad, in. Seneca* 3. *Benef.* 11. Parentum conditionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli. sollicitandi ad hunc laborem erant, incertam adituri fortunam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (85). Cerastis eminere cornicula, quorum motu sollicitent ad se aves. *Justin.* 38. 1. *ad fin.* Sollicitatus ad colloquium. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (85). ad amicitiam. *mosso, invogliato.* Rursus *Justin.* 12. 2. 1. Alexander in Italiam a Tarentinis sollicitatus. *mosso a venire.* Cf. *Justin. loc.* supra *cit.* ¶ 2. Speciatim est tentare, invitare ad aliquid agen-

dum, et quidem. — 1.°) In malam partem, h. e. ad prava, ad mala patranda, *tentare, istigare*, κατανειράζω. — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Quos ex ære alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. *Auct. B. G.* 8. 23. Sollicitare civitates, et conjurationem contra Cæsarem facere. *Nepos. Pausan.* 3. *ad fin.* Servos sollicitare spe libertatis. *Ovid. Heroid.* 20. 80. Judicium alicujus donis. *Id.* 7. *Met.* 720. donisque pudicam Sollicitare fidem. *Id.* 3. *Pont.* 3. 30. Non me legitimos sollicitasse toros. *Cic.* 3. *Cat.* 2. 4. Legatos Allobrogum tumultus excitandi causa a Lentulo esse sollicitatos. *Id. Harusp. resp.* 20. 42. Exercitus Luculli sollicitatus. *Liv.* 2. 42. Sollicitati dulcedine agrariæ legis animi plebis. *Sall. Jug.* 22. Imperii cupidine sollicitata plebe. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. Sollicitatus pecunia. *Liv.* 31. 5. *sub fin.* Ut sociis gratiæ agerentur, quod diu sollicitati, ne obsidionis quidem metu fide decessissent. *Ovid.* 14. *Met.* 669. Helene non pluribus esset Sollicitata procis. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad, in*, aut Ablat. et præp. *ab, de*. *Cic. Cluent.* 16. *a med.* Cujus servum Fabricius ad venenum Avito dandum, spe et pretio sollicitare cœpit. *Sall. Cat.* 49. *a med.* Liberti Lentuli opifices atque servitia ad eum eripiendum sollicitabant. *Liv.* 1. 30. Sollicitatis ad defectionem animis. *Justin.* 1. 7. *sub fin.* Amicum, in adulterium uxoris sollicitatum, hostem sibi fecit. *Id.* 2. 12. 1. Themistocles sollicitare Jonas in partes suas statuit. — *Cyprian. De unit. Eccl.* 19. Ille tumens in peccato suo–oves a pastore sollicitat. *h. e.* arcet, sc. ad rebellionem excitat, instigat. *Id. Ep.* 52. (55.) *n.* 12. Sollicitandis de Ecclesia fratribus insistunt. *h. e.* ad fidei detrectationem, ad defectionem excitandis. — *c*) Cum Conjunctivo et part. *ut*. *Cic.* 15. *Fam.* 2. *a med.* Dixit, se sollicitatum esse, ut regnare vellet. Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 8. — *d*) Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 36. Sollicitor nullos esse putare deos. *mi sento tentato a credere.* — 2.°) In bonam partem. *Plin.* 4. *Ep. sub fin.* Rogo, ut circumspicias præceptores, quos sollicitare possimus. *h. e.* tentare et allicere, ut docendi munus suscipiant. ¶ 3. Item urgere, instare. — *a*) Absolute. *Tibull.* 3. 4. 53. Pro qua sollicitas cœlestia numina votis. Adde *Sil. It.* 6. 563. — *b*) Cum Conjunctivo et part. *ut, ne*. *Cæs.* 3. *B. G.* 8. *a med.* Reliquas civitates sollicitant, ut in ea libertate, quam a majoribus acceperant, permanere, quam Romanorum servitutem perferre, mallent. *Ovid.* 9. *Met.* 681. usque suam vanis Telethusa maritum Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arto. — *c*) Cum Infinito. *Lucan.* 5. 68. finemque expromere rerum Sollicitat Superos. *Lucret.* 4. 1189. sollicitat spatium decurrere amoris. ¶ 4. Item inducere, hortari, persuadere. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 51. Potest nos sollicitare lacus iste, ut committere illum mari velimus. *Plin.* 3. *Ep.* 19. In his me multa sollicitant, aliqua, nec minora, deterrent. ¶ 5. Item irritare, provocare. *Lucan.* 4. 665. Sollicitatque feros non æquis viribus hostes. ¶ 6. Item vexare, agitare, turbare, anxium et sollicitum reddere, *dar travaglio, inquietare, angustiare, affliggere, vessare*, πιέζω. *Cic.* 1. *Att.* 18. *ante med.* Multa sunt, quæ me sollicitant anguntque. *Id.* 1. *Fin.* 16. 50. Temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant, turbulentæque sunt. *Ter. Andr.* 5. 3. 15. Cur me excrucio? cur me macero? cur meam senectutem hujus sollicito amentia? *Martial.* 7. 54. somnia, Quæ moveant animum sollicitentque meum. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *a med.* Ea me cura vehementissime sollicitat. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 6. me nullo sollicitante metu. *Id.* 3. *Fast.* 40. Sollicitare aliquem bello. *Tibull.* 3. 5. 12. Nec cor sollicitant facta nefanda meum. *Virg.* 4. *Æn.* 380. Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. *Seneca Med.* 271. Sollicitare deos. *h. e.* carminibus et veneficiis vexare. *Id. Octav.* 270. Renovare luctus parce cum fletu, pios Manes parentis neve sollicita tuæ. *h. e.* ne turbes. *Juvenal.* 16. 28. se Excusaturos non sollicitemus amicos. *h. e.* moleste non petamus ab amicis, *non importuniamo*. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. 81. Passionis recursum fere sollicitent. *h. e.* sollicitos nos faciendi. ¶ 7. *Sollicitare pacem*, turbare, *sturbare, rompere*. *Liv.* 1. 21. Qui castra, non urbem, posita in medio ad sollicitandam omnium pacem crediderant. *Id.* 34. 16. *extr.* Sub corona veniere omnes, ne sæpius pacem sollicitarent.

SOLLĬCĬTŪDO *vel* solicitudo, inis, f. 3. (sollicitus) angor, cura, negotium, incommodum, molestia, μέριμνα, ἐπιμέλεια (It. *travaglio, affanno, molestia, incomodo, angustia, sollecitudine, inquietezza*; Fr. *inquiétude, sollicitude, souci*; Hisp. *solicidad, cuidado, inquietud*; Germ. *d. Gemüthsunruhe, Kummer, Bekümmerniss*; Angl. *solicitude, anxiety, disquiet, trouble*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) In physicis. *Theod. Priscian.* 2. 3. Epilepticorum similis est sollicitudo. — 2.°) Sæpius in moralibus. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. Sollicitudo est ægritudo cum cogitatione. *Id. Cluent.* 61. 169. Quidquid hoc tempore habet sollicitudinis ac negotii, id omne a matre est conflatum. *Id.* 3. *Off.* 21. *a med.* Angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus. *Id. Cluent.* 18. 51. Ad respondendum surrexi, qua cura, dii immortales! qua sollicitudine animi! quo timore! *Id.* 2. *Divinat.* 41. *a med.* Utinam Deus sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitio sollicitudine et miseria crederent. *Q. Cic.* ad *Tiron.* 16. *Fam.* 8. et *Ter. Phorm.* 4. 1. 22. Istæc mihi res sollicitudini est. *Id. ibid.* 2. 4. 1. Quanta me cura et sollicitudine afficit gnatus! *Sall. Jug.* 44. Imperatori plus ex malis moribus sollicitudinis, quam auxilii et spei bonæ accedebat. *Tac. dial. de Orat.* 13. *a med.* Remotus a sollicitudinibus et curis. *Ter. Andr.* 4. 1. 26. Nescis, quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines. *Cic.* 9. *Fam.* 17. *sub fin.* Sollicitudinem alicui afferre. *Pompej.* ad *Coss. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Nunc scitote, me esse in summa sollicitudine. *Cic.* 10. *Fam.* 4. Sollicitudinem sustinere. *Id.* 1. *Fin.* 16. 51. Eas ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a diis immortalibus supplicii causa importari putant. *Horat.* 1. *Od.* 18. 3. neque (*vino*) Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines. *Id. Epod.* 13. 10. Levare duris pectora Sollicitudinibus. *Id.* 2. *Sat.* 3. 67. torquerier omni Sollicitudine districtum. *Cic.* 5. *Att.* 21. *ante med.* Sed dices, me ipsum mihi sollicitudinem struere. *Curt.* 6. 11. 27. Sollicitudinem incutere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (53). Liberare aliquem sollicitudine. *Plin.* alter 1. *Ep.* 2. exsolvere. Cf. *Jul. Capitolin. Gord.* 23. Finire sollicitudinem. h. e. causam sollicitudinis. *Tac.* 2. *Hist.* 68. Sollicitudinem demere. *Publil. Syr. fragm.* 291. 554. *Ribbeck.* Amor otiosæ est causa sollicitudinis. — *b*) Cum Genetivo ejus, cujus causa est sollicitudo. *Cic.* 6. *Att.* 5. Sollicitudine provinciæ urgebamur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (25). Gemmarum sollicitudo. *h. e.* anxia cura, ne gemmæ in anulis casu aliquo frangantur. *Ter. Andr.* 1. 5. 26. Sollicitudo nuptiarum. *Quintil.* 8. *procem.* rerum. ¶ 2. Speciatim est diligentia, cura. *Ammian.* 14. 8. 13. Quæ (*castella*) sollicitudo pervigil veterum erexit. ¶ 3. Item festinatio. *Vulgat. interpr. Ital. Exod.* 12. 11. Sic autem comedetis eum (*agnum*). Lumbis vestris præcinctis et calciamenta vestra in pedibus vestris et edetis illum cum sollicitudine. *Vulg.* noster hab. *festinanter*. — Hinc metonymice *Cod. Theod.* 2. 69. 7. Sollicitudinem cursualem agere. *h. e.* officium, munus. Sic *Dig.* 50. 4. 18. Cursus vehicularis sollicitudo.

Homonym. Inter *curam* et *sollicitudinem* hoc esse discrimen ajunt, quod cura est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1. 5. 34. docet, sollicitudinem magis esse rerum incertarum. Illud certius videtur, sollicitudinem semper esse cum ægritudine et dolore animi, curam non item. Quare magis afficit illa, quam ista. Unde *Quintil.* 8. *procem.* *a med.* Illa translucida et versicolor quorumdam elocutio res ipsas effeminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem.

SOLLĬCĬTUS *vel* solicitus, a, um, adject. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, alii *l* unico, alii duplici scribunt, quod postremum *Manut.* ex antiquis lapidib. probat. Sunt qui putent, in soluta oratione utroque modo scribi posse: in metro duplici *ll* tantum, ut prima syllaba producatur. Sed hoc discrimine non videtur opus esse. Ceterum recentiores posteriori scriptioni favent. — *b*) Ratione etymi, alii ducunt a *solum*, locus, et *citus*, motus, a *cio*, ut *Fest.* in *Sollicito p.* 351. 34. *Müll.* ex quorumdam sententia docet; alii rectius ab Osco *sollus* vel *solus*, totus, quasi totus motus. — Comp. *Sollicitior* fere in omn. paragr.; Sup. *Sollicitissimus* II. 1. 1.° *a*, α. — Sollicitus est commotus, agitatus, jactatus (It. *smosso, agitato*; Fr. *fortement agité, remué, qui est en mouvement*; Hisp. *agitado fuertemente, removido*; Germ. *stark bewegt,- erregt,- aufgeregt*; Angl. *moved, tossed, agitated, troubled*).

I.) Proprie. *Sall.* 1. *Hist. fragm.* 51. 8. *Kritz.* Hispaniæ armis sollicitæ. *h. e.* sollicitatæ. *Virg.* 4. *G.* 262. Ut mare sollicitum stridet refluentibus undis. *et Ovid.* 5. *Fast.* 720. Utile sollicitæ sidus uterque rati. *Lucret.* 1. 343. Sollicitus motus. *Claudian. in Prob. et Olybr. cons.* 49. collis.

II.) Translate est curis affectus, cogitabundus, cum ægritudine timoris, trepidus, inquietus, anxius, perturbatus, *angustiato, afflitto, affannato, pensoso, inquieto, agitato, sollecito*, πολυμέριμνος: cui *securus* opponitur. V. *Martial.* 4. 84. et 5. 31. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a*) De personis. — α) Absolute. *Cic.* 9. *Att.* 6. *ante med.* Antea sollicitus eram et angebar, quum etc. Sic *Virg.* 9. *Æn.* 89. nunc sollicitam timor anxius angit. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 8. 23. Civitas sollicita suspicione, suspensa metu, perturbata seditionibus. *Id.* 7. *Fam.* 3. Sollicitum te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 18. *circa med.* Sollicitiorem certe hominem neminem puto fuisse. *Seneca Brevit. vit.* 15. *sub fin.* Illorum brevissima ac sollicitissima ætas est, qui etc. *Quintil. declam.* 280. *a med.* Hoc est, quod sollicitissimum facit. — Huc refer illa *Cic.* 2. *Fin.* 17. *circa med.* Anxio animo aut sollicito esse. Sic 2. *Att.* 18. Suspenso animo et sollicito esse. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 5. 18. *Cic.* 2. *Att.* 24. Amor omnis sollicitus atque anxius est. *Id. Senect.* 19. 66. Quarta restat causa, quæ maxime angere atque sollicitam habere senectutem videtur, appropinquatio mortis. *Afran.* apud *Priscian.* 2. *p.* 242. 12. *Keil.* Sollicito corde. *Curt.* 4. 13. 3. Sollicitam mentem turbaverunt. Adde *Ovid.* 3. *Fast.* 362. *Id.* 2. *Met.* 125. Sollicitum pectus. — *Sollicitum habere aliquem*, sollicitudinem afferre, laborem, molestiam, *dar da fare, da pensare*. *Plaut. Men.* 4. 2. 11. Clientes sollicitos habent patronos. *et ibid.* 20. Me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit: neque quod volui agere quidquam licitum est, ita me attinuit, ita me detinuit. *Ter. Heaut.* 3. 1. 51. Relevi omnia dolia, omnes serias, omnes sollicitos habui. *tutti sossopra, in faccende.* — β) Cum Genetivo. *Seneca ad Marc.* 19. 6. Sollicitus futuri. — γ) Cum Dativo. *Horat.* 3. *Od.* 29. 26. urbi sollicitus times. *h. e.* de *vel* pro urbe. *Lamprid. Elagab.* 14. Mater sollicita filio. Adde *Vulgat. interpr. Matth.* 6. 25. — δ) Cum Accus. et præp. *circa, propter*. *Quintil.* 7. 1. 43. Nos circa lites raras sollicitiores. *Vulgat. interpr. Jer.* 38. 19. Sollicitus sum propter Judæos. — In illo *Liv.* 28. 19. Milites solliciti vicem Imperatoris. *vicem* positum est absolute pro *propter vicem*, sc. sortem; vel præpositionis more. Cf. *eumd.* 8. 35. *V.* VICIS. — ε) Cum Ablat. et præp. *de, pro, in, ex*. *Cic.* 11. *Att.* 6. Sollicitum esse te quum de tuis fortunis, tum de me ac de dolore meo sentio. Adde 16. *Fam.* 1. *Sall. Jug.* 55. Civitas trepida et sollicita de belli eventu. *Quintil.* 8. 3. 13. Sollicitum esse de verbis. *Tibull.* 4. 10. 5. Solliciti sunt pro

nobis. Gell. 19. 1. Sollicitus pro vita. Tac. 4. Hist. 58. Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior aut pro me securior. Quintil. 9. 4. circa med. Nec sum in hoc sollicitus, dum res ipsa volentibus discere appareat. Ter. Andr. 1. 5. 33. Ex hoc misera sollicita est, quia etc. — ζ) Cum Ablat. sine præp. Horat. 1. Sat. 2. 3. Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli. Cf. 2. ibid. 3. 252. — Ter. Heaut. 1. 1. 76. Tot mea solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant. Apul. 7. Met. Vestri causa sollicitus — η) Cum partic. relativa. Horat. 1. Sat. 6. 119. non sollicitus, mihi quod cras Surgendum sit mane. Cic. 8. Att. 6. Quam sum sollicitus, quidnam futurum sit! Adde 10. Fam. 11. et Vulgat. interpr. Matth. 6. 25. — ϑ) Cum Conjunctivo et part. ut, ne. Seneca Ep. 98. Calamitosus est animus futuri anxius et ante miserias miser; qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant. Cic. Mur. 41. 88. Quæ (mater) cruciatur et sollicita est, ne eumdem paullo post spoliatum omni dignitate conspiciat. Adde Liv. 35. 31. Justin. 7. 7. a med. Sollicitus, ne tacendo parum reipublicæ consuleret. — κ) Cum Infinito. Sil. It. 7. 442. Tempora sollicitus litis servasse. Apul. 10. Met. Venenum præsentarium comparare sollicitus. — b) De bestiis. Ovid. 6. Fast. 741. Solliciti terrentur equi, frustraque retenti Per scopulos dominum, duraque saxa trahunt. spaventati. et 5. ibid. 372. Imbelles capræ sollicitusque lepus. timido. Adde Liv. 5. 47. — c) De rebus fere poeticum est. Ovid. 2. Pont. 3. 18. et sibi quid sit Utile, sollicitis supputat articulis. Id. 5. Trist. 2. 2. de epistola. Et tibi sollicita solvitur illa manu. tremante. et 4. Pont. 9. 130. sollicito quas damus ore preces. Id. 15. Met. 786. Phœbus Lurida sollicitis præbebat lumina terris. Martial. 11. 45. Sollicitus pudor. Id. 9. 59. Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos. h. e. de quibus ego sollicitus sum, judicium tuum veritus. Id. 12. 60. Turbida sollicito transmittis Cæcuba sacco. h. e. ipse sollicitus. — Cœl. Aurel. 4. Tard. 3. 37. Sollicita calcis vel auri pigmenti injectio. h. e. periculosa, suspecta, minime tuta. — 2.°) Dicitur etiam de iis, quæ sollicitum habent. Cic. Amic. 15. 52. In tyrannorum vita omnia semper suspecta atque sollicita. Horat. 2. Sat. 6. 79. Sollicitæ opes. Ovid. 1. Pont. 5. 61. Sollicita cura. Id. 6. Met. 500. senecta. Id. 1. Trist. 11. 2. via. et 4. ibid. 10. 116. lux. et ibid. 1. 50. fuga. et 85. Hic ego sollicitæ jaceo novus incola sedis. et 3. ibid. 11. 10. et Heroid. 1. 12. Sollicitus metus. et 18. ibid. 196. amor. Id. 3. Art. am. 374. dolor. Id. 1. Amor. 6. 64. carcer. h. e. quem nequis rumpat, solliciti sumus. tenuto chiuso con gelosia. et 1. Art. am. 101. Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos, Quum juvit viduos rapta Sabina viros. Quintil. 4. 1. 57. Sollicitæ et accuratæ actiones. Id. 3. 11. 22. diligentia. Id. 11. 1. 32. dicendi propositum. Id. ibid. 3. 151. causæ. Id. 12. 1. 6. Sollicitior diligentia. ¶ 2. Speciatim est diligens, attentus, vigilans. Ovid. 11. Met. 599. Sollicitive canes canibusque sagacior anser. Vulgat. interpr. 1. Cor. 6. 32. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Adde Phil. 2. 20. Cf. Cyprian. Ep. 30. (36). n. 4.

Homonym. Differt sollicitus, qui, ut ait Cic. 4. Tusc. 8. 18., ægritudine cum cogitatione laborat, ab anxio, qui ægritudine animum premente afficitur: illi opponitur quietus, huic solutus. Cic. Rosc. Com. 15. 43. Id. 1. Fin. 22. 41. Anxio animo aut sollicito. Adde Senec. Ep. 17. et Auct. B. Afr. 5. 71. Cf. Cic. 1. Att. 18. Multa sunt quæ me sollicitant anguntque.

SOLLICŪRĬUS vel solicurius, a, um, adject. (sollus et cura) in omni re curiosus, che si cura di tutto, che di tutto si piglia briga. Liv. Andron. apud Fest. p. 298. 10. Müll. V. tamen, quæ ibi adnot. Müllerus.

SOLLĬFERRĔUM vel solliferreum, i, n. 2. (sollus et ferrum) genus teli. Fest. in Solitaurilia p. 293. 6. Müll. Quia sollum Osce totum et solidum significat: Unde tela quædam solliferrea vocantur tota ferrea. Liv. 34. 14. sub fin. Ut emissis solliferreis falaricisque gladios strinxerunt.

SOLLISTERNĬUM vel solisternium, ii, n. 2. (sollus et sterno) idem videtur quod lectisternium. Fest. in Solla p. 298. 18. Müll. Solla sternere dicuntur, qui sollisternium habent. Sed Müllerus rectius leg. sellisternium.

SOLLISTĬMUS. V. SOLISTIMUS.

SOLLO, indecl. et

SOLLUS, a, um, adject. Prisci scripsere solus: Ennius consuetudinem mutavisse fertur, inquit Fest. in Solitaurilia p. 293. 15. Müll. et alibi. — Hinc diversa scribendi ratio, quæ in derivatis et compositis cernitur. — Sollus Osce est totus et solidus: et conjungitur cum Gr. ὅλος. V. SALVUS init. et Bullett. dell' Istit. archeol. a. 1873. p. 67., ubi de hujus vocis origine a Sanskrito sermo est. Fest. p. 298. 6. Müll. Sollo Osce dicitur id quod nos totum vocamus. Lucilius: Vasa quoque omnino dirimit non sollo dupundi; id est, non tota. Cf. eumd. apud Paul. Diac. p. 299. 6. Müll.

SŎLO, as, are, a. 1. (sola vel solea) solas seu soleas conficio, calceos solis instruo, porre le suole alle scarpe. Edict. Diocl. in Corp. Inscr. Lat. 3. 809. Idem (corium bubulum) confectum ad solanda calceamenta. Mommsenius cum Maio aliisque leg. soleanda: sed De-Rossi in Bullett. dell' Istit. archeol. a. 1871. p. 163. solanda recte legendum esse docet.

SŌLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (solus) Part. Solatus. — Solo est solum seu solitarium efficio, ad solitudinem. redigo, desolo, vasto, disertare, desolare, dare il guasto, ἐρημόω. Stat. 4. Theb. 36. quantas populis solaverit urbes. (Est qui leg. spoliaverit. atque ita habetur in cod. MS. nostri Seminarii) et 5. ibid. 149. solare domos, juvenumque senumque Præcipitare colos. Seneca Œdip. 4. Avida peste solatæ domus.

SŎLŒCISMUS, i, m. 2. (σολοικισμός) Abjectâ præpositivâ diphthongi, quod in Græcis sæpe poetæ faciunt, fit σολικισμός, solicismus secundâ correptâ. Auson. epigr. 138. Da rectum casum, jam solicismus erit. — Vox Græca est, ducta a Solis Ciliciæ urbe, a Solone condita, ubi paucos Athenienses quum reliquisset, paullatim cœperunt patrium sermonem corrumpere; unde σολοικίζειν dicti sunt. Alii a Sole civitate Dalmatiæ, quæ nunc Pompejopolis dicitur « cujus habitatores Athenas perrexerunt, ut ibi Græcam linguam discerent et suam servarent, quam recte non valentes proferre, utrumque corruperunt ». Ita Comment. in Donat. p. CXV. ed. Hagen. Negat tamen Gell. infra cit. Atticos σολοικισμοῦ voce usos esse, sed σολοίκου: Latine autem a Sinnio Capitone et aliis ejusdem ætatis appellari imparilitatem, a vetustioribus stribliginem. Nostri quoque antiquiores, inquit ille, solœcum facile, solœcismum haud scio, an unquam dixerint. Huc spectat hic locus Capell. 3. p. 50. Grammatice protulit quoque limam quamdam artificialiter expolitam, quæ octo partibus auratis, velut diversis nexionibus interstincta vibrabat. Ex qua scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes, quas in Soloe quadam civitate contraxerat, leni sensim attritione purgabat. — Solœcismus, solecismo, vitium grammaticale, impar et inconveniens compositura partium orationis, ut Sinnius Capito apud Gell. 5. 20. definit: vel (Cic. 4. Herenn. 12. 17.) est, quum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Juvenal. 6. 456. solœcismum liceat fecisse marito. Gell. 15. 9. Tam immanem solœcismum nihil veritus est. Martial. 5. 39. Unus quum sitis; duo, Calliodore, sedetis. Surge: solœcismum, Calliodore, facis. Adde Sueton. Gramm. 22. — Fit quatuor præcipue modis, ut Quintil. docet 1. 5. a med.: adjectione, ut Veni de Susis in Alexandriam; detractione, ut Ambulo viam, Ægypto venio, Ne hoc fecit; transmutatione, qua ordo turbatur, ut Quoque ego, Enim hoc voluit, Autem non habuit; immutatione, quum aliud pro alio ponitur, hoc per omnes partes orationis deprehenditur, frequentissime in verbo. V. plura ibid. et apud Charis. 4. sub init., Diomed. 2. p. 448. Putsch. etc. — Solœcismos poetarum, si qui in iis reperiantur, schemata appellari docent Quintil. 1. 8. ad fin., Charis. loc. cit., Diomed. 2. p. 446. et 449. Putsch. Tamen Servius ad Virg. 5. Æn. 120. medium quid interesse ait inter hæc duo, quod figuram appellat. V. SCHEMA. ¶ 2. Speciatim pro barbarismo posuit Auson. Epigr. supra cit. Differunt tamen, inquit Isid. Differ. app. 40., quod solœcismus in sensu sit, barbarismus in voce:

II.) Translate solœcismum facere, est in re aliqua peccare. Martial. 11. 20. Sæpe solœcismum mentula nostra facit. h. e. illegitimo coitu abutitur. Quo pertinet illud Cic. 14. Att. 6. Nihil enim tam σόλοικον, quam τυραννοκτόνους in cælo esse, tyranni facta defendi. et 2. ibid. 10. Est enim ὑποσόλοικον, quum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem. Hieronym. in Helvid. n. 16. Apud Christianos solœcismus est magnus et vitium, turpe quid vel narrare vel facere.

SŎLŒCISTA, æ, m. 1. σολοικιστής, qui solœcismos loquitur. Hieronym. 3. in Rufin n. 6. Et te nequaquam solœcistam ac barbarum, sed mendacem, subdolum, impudentem esse convincam.

SŎLŒCŎFĀNES vel

SŎLŒCŎPHĀNES, is, m. 3. σολοικοφάνης, error speciem solœcismi habens. Cassiod. De Orat. 6. Ceteræ præpositiones super, subter, ablativo junguntur et ad locum significant, velut super cathedra sedit, quando hoc dicimus, solœcophanes, id est species solœcismi est.

SŎLŒCUM, i, n. 2. σόλοικον, idem quod solœcismus. Gell. 5. 20. Nostri quoque antiquiores solœcum facile, solœcismum haud scio an unquam dixerint. Id. 17. 2. ante med. Si dicas in medium ponere, id esse solœcum putant.

SŌLOR, aris, ātus sum, ari, dep. 1. Origo hujus vocis latet; quamquam Döderlein, op. cit. v. 1. p. 153. conatur ducere per syncopen a v. sublevari, et Furlanetto a solus, quia, qui aliquem solatur, solitudinem ejus levat alloquio suo. Sed hæc duriora videntur. Cf. SALVUS et V. Vaniček ad h. v. — Part. Solans II. a; Solatus II. c; Solandus I. — Solor est consolor, spem facio, dictis alloquor, recreo, παραμυθέομαι (It. consolare, confortare, ricreare; Fr. consoler, rassurer; Hisp. consolar; Germ. trösten; Angl. to console, comfort). Vox est plerumque poetica, raro a prosæ scriptoribus, et quidem sequioris ætatis, usurpata. Sunt qui et Ciceroni tribuunt, Vatin. 11. in fin., sed ibi plerique omnes leg. consolatur. — Priscian. 8. p. 791. et 792. Putsch. enumerat inter ea, quæ etiam passionem significant, et affert loc. Ovid. 5. Trist. infra cit.; unde tamen unum illud efficitur, quod verbis deponentibus transitivis commune est.

I.) Proprie. Plaut. Epid. 1. 2. 9. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis. Adde Pacuv. apud Fest. p. 301. 32. Müll. Horat. 2. Ep. 1. 131. inopem solatur et ægrum. Virg. 4. Æn. 393. lenire dolentem Solando cupit, et dictis avertere curas. et 9. ibid. 290. solare inopem, et succurre relictæ. Ovid. 5. Fast. 237. Solari aliquem verbis amicis. Id. 4. Trist. 6. 49. Una tamen spes est, quæ me soletur in istis, Hæc fore morte mea non diuturna mala. Val. Flacc. 4. 578. nec spe dubius solabor inani. — Passive Ovid. 5. Trist. 4. 41. qua consolatus amicum Sis ope: solandus quum simul ipse fores. V. CONSOLOR.

II.) Improprie est lenire, levare, mitigare, alleviare, sollevare, raddolcire, mitigare, allenire. — a) Universim. Plaut. Asin. 3. 1. 37. Solari spem suam. Horat. 2. Od. 5. 6. Juvenca solans æstum gravem fluviis. Claudian. Cons. Mall. Theod. 196. Æthiopum pluviis solabitur æstus. Ovid. 11. Met. 685. solantia tollite ver-

ba. et ibid. 443. Multaque respondit timidum solantia pectus. Virg. 4. G. 404. de Orpheo. cava solans ægrum testudine amorem. Id. 9. Æn. 439. tela curas solabar aniles. Id. 12. ibid. 110. Solari metum. Ovid. 2. Fast. 821. lacrimas alicujus. Tac. 2. Ann. 36. repulsam. Seneca Octav. 184. mala. Plin. 8. Ep. 11. Desiderium fratris amissi aut nepote aut nepte solari. Stat. 2. Theb. 353. Solari dolorem amplexu. Id. 4. Silv. 4. 49. otia vitæ cantu. — b) Solari famem, satiare, saziare, acchetare: solari aliquem cibo, ristorare, refiziare. Virg. 1. G. 159. Concussaque famem in silvis solabere quercu. Id. 5. Æn. 41. fessos opibus solatur amicis. Horat. 2. Sat. 6. 117. me silva cavusque Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. — c) In illo Tac. 2. Ann. 86. Solari aliquem decies HS dote. solari est sarcire, resarcire, compensare, risarcire. Sic 16. ibid. 110. Cladem Lugdunensem quadragies HS solatus est, ut amissa urbi reponerent.

SŌLOX, ōcis, adject. omn. gen. Videtur esse a *solus* vel *sollus*, licet quantitas obstet; quam ceteroqui non tam in etymis attendendam esse, alibi monuimus. — Solox est totus et integer.

I.) Proprie dicitur de pecore et de lana; *pecus* enim *solox* sunt oves, quæ tota lana seu intonsæ et intactæ in montibus pascebantur sacrificiis asservatæ: inde etiam earum lana crassior solox dicta est. *Gloss. Philox.* Solox, ἔριον παχύ. *Festus p.* 301. 6. *Müll.* Solox lana, crassa, et pecus, quod passim pascitur non sectum. Titinius: Ego ab soloci lana ad purpuram data. et Lucilius: Pascali pecore et montano, hirto atque soloce. *Fronto de eloqu.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 228. Ingratiis tamen tibi purpureum pallium erit sumendum, non pallium philosophorum soloci lana.

II.) Translate. *Symmach. Ep.* 1. *ante med.* Quare elaboratam filo soloci accipe cantilenam. *Cic.* 9. *Fam.* 12. dixit *crasso filo* eodem sensu. — Hinc

Solox, ocis, absolute, accipitur etiam pro veste ex lana soloci. *Tertull. Pall.* 4. *circa med.* Endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. — Neutro gen. *Commodian.* 46. 8. In baptismo tibi genitale solox lavatur.

SOLPŌREUS. *V.* SULPHUREUS.

SOLPŪGA. *V.* SOLIPUGA.

SOLSEQUĬUM, *V.* SOLISEQUA.

SOLSTĬTĬĀLIS, e, adject. (solstitium) In optim. MSS. legitur etiam *solistitialis*. V. *Baiter*, *not. crit.* ad *Cic.* 3. *Nat. D.* 37. *p.* 459. et *Schol. Bern.* ad *Lucan.* 8. 852. Sub solistitiali circulo. — Solstitialis est ad solstitium pertinens, quod mense Junio in tropico Cancri fit, nam alterum, quod Decembri in Capricorno, *bruma* dicitur, *solstiziale*, τροπικός. ¶ 1. Stricto sensu. — a) Universim. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. *sub fin.* Solstitialis dies. *h. e.* longissimus omnium, quo solstitium fit. *Id.* 3. *Nat. D.* 14. *sub fin.* Cur sol se referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe itemque brumali. *nel tropico del Cancro.* qui *solstitialis circulus* dicitur a *Varron.* 9. *L. L.* 24. *Müll.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 11. 8. (50). et *ibid.* 70. 70. (177). Apud *eumd.* 18. *ibid.* 34. 77. (333). exortus solstitialis est ea pars cæli, in qua sol exoritur solstitio, *oriente estivo*: quem 12. *ibid.* 14. 30. (52). ortum solis æstivi appellat. Eodem modo *Solin.* 25. Tingitana, qua solstitiali plagæ obvia est, exsurgit montibus septem. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 25. Longa dies citius brumali sidere noxque Tardior hiberna solstitialis erit. *Id.* 6. *Fast.* 790. et *Vitruv.* 9. 5. solstitiale tempus. — b) *Herba solstitialis*, quæ solstitii die nascitur, eodemque exarescit nimio solis calore. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 36. Quasi solstitialis herba paullisper fui: Repente exortus fui, repentino occidi. *Auson. Profess.* 6. 35. Solstitialis Velut herba solet, Ostentatus Raptusque simul. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 5. 14. (26). vocat *herbam solstitialem* condurdum, flore rubro, quæ suspensa in collo strumas comprimat. *Harduinus* ait, condurdum esse ad hunc diem herbariis incognitam. Ceterum *solstitialis* generatim dicta videtur quævis herba, quæ unico solstitii die nascitur et moritur, quemadmodum etiam eodem sensu *caniculata* uva quædam fortasse appellata est. *V.* CANICULATUS. Sic *acini solstitiales* apud *eumd.* 14. *ibid.* 16. 18. (99). sunt, qui in uvis labruscæ æstu et solstitio pereunt, nam alii in iisdem durant, licet numquam maturescant. — c) *Spina solstitialis* apud *Colum.* 2. *R. R.* 18. est, quæ solstitio et æstate provenit vel floret. ¶ 2. Latiore sensu interdum simpliciter — a) Refertur ad æstatem et colores. *Liv.* 35. 49. Quum miraremur, unde illi solstitiali tempore tam multa venatio. *Lucan.* 6. 337. medios ignes cæli rabidique Leonis Solstitiale caput. — *Morbus solstitialis* apud *Plaut. Trin.* 2. 4. 143. quis sit, non est exploratum. Alii intelligunt comitialem; alii subitaneum; alii uno die conficientem; alii vehementissimæ et ardentis febris, cujusmodi in magnis fervoribus incidere solent; alii denique quemcumque morbum æstivum. *V.* SIRIASIS. Cf. *Fr. Gronov.* et *Th. Vallaur.* ad *Plaut. Trin. loc. cit.* — b) Item ad cursum solis annuum: estque idem ac solaris. *Liv.* 1. 19. Tricenos dies singulis mensibus luna non explet: desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe. *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 653. Cui ultra centum et viginti solstitiales annos concessum non est.

SOLSTĪTĬUM, ii, n. 2. (sol *et* sisto *vel* sto). Olim et *solistitium* (V. *Baiter not. crit.* ad *Cic.* 3. *Nat. D.* 37. *p.* 459.) et divisim *solis institium* scriptum fuit (*V.* INSTITIUM). — Solstitium est tempus illud, quo sol stare videtur aliquantisper, tum quando signum Cancri ingreditur Junio mense, tum quando Capricorni Decembri: illud est solstitium æstivum, quo sol incipit a nobis recedere: hoc hibernum, quo ad nos accedere. Stare, inquam, videtur, quia in Cancro inter finem progressus et initium descensus mora aliqua quietis intercedere videtur: similiter in Capricorno inter finem descensus et initium regressus, *solstizio*, ἡλίου τροπή.

I.) Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ad fin.* XVI. Cal. Jan. sol in Capricornum transitum facit, brumale solstitium, ut Hipparcho placet. *Id.* 7. *ibid.* 3. *ante med.* Ut ante æstivum, quam hibernum solstitium convalescat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (229). Fons tertia noctis hora ab æstivo solstitio exundat. — Optimi quique scriptores hoc nomine æstivum significant; nam hibernum *brumam* vocant. *Varro* 6. *L. L.* 8. *Müll.* Alter motus solis est, alter cæli, quod movetur a bruma ad solstitium. Solstitium, quod sol eo die sistere videatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 28. et *Plin.* multis in locis, qui 18. *Hist. nat.* 28. 68. (264). solstitium peragi docet in octava parte Cancri, VIII. cal. Jul., et verti eo die folia arborum, ut alia partem cælum respiciant, quam qua spectavere pridie; quod et *Varro* 1. *R. R.* 46. et *Gell.* 9. 7. in olea, populo alba, salice, ulmo et tilia fieri scribunt. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 22. 34. (84).

II.) Translate per synecdochen ponitur pro æstate, *state*. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 18. Pænula solstitio, campestre nivalibus auris. *Virg.* 1. *G.* 100. Humida solstitia atque hiemes orate serenas, Agricolæ. *Id.* 7. *Ecl.* 47. Solstitium pecori defendite. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 7. Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert: Efficit angustos nec mihi bruma dies. *Seneca* 1. *Benef.* 12. Mittere alicui vestimenta æstiva bruma, hiberna solstitio. Adde *Senec.* alter. *Hippol.* 766.

SŎLŪBĬLIS, e, adject. (solvo) ¶ 1. Passive est, qui solvi facile potest, solutilis, *atto a sciorsi*, *solubile*, λύσιμος. *Ammian.* 16. 8. *a med.* Fossam ponte solubili superstravit. *Minuc. Octav.* 34. Mundus Deo soli solubilis et mortalis. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 506. corruptela Contaminatæ carnis ac solubilis. *h. e.* morte solvendæ. ¶ 2. Active, solvens, relaxans. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 192. Solubilis plurimus aer esse perspicitur.

SŌLUM, i, n. 2. Origo vocis ita statuitur a *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 199. apud *Isid.* 14. *Orig.* 8. 24. « *Solum* esse omne dicitur, quod sustinet, a *soliditate* scilicet dictum; unde et de mari *Virg.* ait: subtrahiturque solum ». Sed recentiores ab Osco *sollus* seu *solus*, totus, ducunt; unde et Gr. ὅλος et Lat. *solidus*; quamquam *Vaniçek* a *sedeo*, ut *solium*, derivat. — Quicquid sit de etymo, solum est fundus, fundamentum, ima pars, πέδον, ἔδαφος (It. *fondo, suolo, pavimento*; Fr. *fondement, fond, sol, pavé*; Hisp. *hondo, fundamento, suelo, pavimento*; Germ. *d. Grund, Grundlage, Boden, Fussboden*; Angl. *the ground, basis or fundation, pavement*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Fossam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant. *Seneca Agam.* 475. Venti rapiunt pelagus infimo eversum solo. *sin dal basso fondo.* Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Singuli ab infimo solo pedes. *Liv.* 24. 47. *sub fin.* Fœdum incendium, quo solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem. *Vellej.* 2. 4. 2. Numantiam excisam æquavit solo. *smantellò.* et *Liv.* 30. 26. Incendium, quo clivus Publicius ad solum exustus est. *sino a terra.* — b) *Solum purum* in *Inscript.* apud *Orell. n.* 4405. *V.* PURUS. — c) *A solo*, a fundamentis, ab inchoato, *sin dalle fondamenta*. Vet. lapis apud *Fabrett. p.* 678. *n.* 47. SACRARIA NVMINVM VETVSTATE DILAPSA A SOLO RESTITVIT. *Alia* apud *Orell. n.* 457. TEMPLVM A SOLO DE SVO POSVIT. Cf. *aliam* apud *eumd. n.* 589. FVNDAMENTA MVROSQVE E SOLO FACIVNDA COERAVER. — In plur. num. *Cic. Parad.* 6. 3. Aurata tecta in villis et sola marmorea facere. ¶ 2. Speciatim est area, cui ædificium superponitur. *Paul. Dig.* 13. 7. 21. Domo pignori data, et area ejus tenebitur; est enim pars ejus. Et contra jus soli sequitur ædificium. ¶ 3. Poetice quidquid sustinendo aptum est, *solum* dicitur. Unde *Virg.* 7. *Æn.* 111. *Cereale solum* vocat paniceas quadras seu adorea liba, quibus usi Troes epulis imponendis. *Id.* 5. *ibid.* 199. vastis tremit ictibus (*remigantium*) ærea puppis, Subtrahiturque solum. h. e. mare naves sustinens. Sic *Val. Flacc.* 4. 712. Pontique jacentis Omne solum. *Ovid.* 1. *Fast.* 109. Flamma petit altum: propior locus aera cepit: Sederunt medio terra fretumque solo. *Id.* 1. *Met.* 73. Astra tenent cæleste solum. *Stat.* 1. *Theb.* 55. de *Œdipo cæco.* manibusque cruentis Pulsat inane solum. *h. e.* cavum, quo sedent et sustinentur oculi. ¶ 4. Est etiam planta pedis, solea. *Varro* 1. *R. R.* 47. Solum hominis exitium herbæ et semitæ fundamentum. *h. e.* vestigium pedum, *la pianta del piede.* Sic *Lucret.* 1. 925. Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo. *h. e.* nullius pedibus calcata. et *Varro* 2. *R. R.* 9. Canes debent esse pedibus magnis, unguibus duris ac curvis, solo nec ut corneo, nec nimium duro, sed ut fermentato ac molli. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 116. Nunc virginali perdomitus (*draco*) solo. *h. e.* pede, calce pressus. (Adde 7. *ibid.* 65. et 3. *Cathemer.* 128.) *Martial.* 9. 74. Et mordere luto putre vetusque solum. *suola.* Sic *Plaut. Bacch.* 2. 3. 98. Qui soccis habeat auro subpactum solum. *Prudent. Apotheos.* 734. triverit udum Non submersus iter, sola pendulus et pede sicco. *h. e.* pendens in soleis. Hellenismus. — Similiter *Cato R. R.* 76. Placentam sic facito. Farinæ siligineæ libras duas, unde solum facias in tracta etc. *la crosta o sfoglia di sotto.* — In plur. num. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 90. Mihi amictui est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum; cubile, terra. ¶ 5. Sæpe dicitur de terra et agro, quæ sunt quasi fundamentum seminum ac plantarum, *terreno, terra, campo.* — a) Universim. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. *ad fin.* Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi non possit? *Id. Brut.* 4. *a med.* Serere aliquid in inculto et derelicto solo. *Colum.* 2. *R. R.* 2. Solum pingue, putre, densum etc. et *init. præf.* defatigatum et effetum. *Quintil.* 2. 19. 2. fecundum. *Id.* 12. 10. 78. lætius. *Id.* 2. 4. 8. siccum et sine humore ullo. *Id.* 12. 10. 25. uberius. *Curt.* 3. 4. 3. sterile. *Ovid.* 6. *Met.* 246. ponere membra solo. *coricarsi.* et *Tac.* 1. *Hist.*

41. Solo quippiam affigere. *gettare a terra*. et *Ovid. Heroid.* 1. 47. Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis Ilios, et, murus quod fuit ante, solum? *Quintil.* 2. 19. 2. Soli bonitas. — *b*) *Quodcumque in solum venit*, proverbium, quo significatur, quidlibet, quidquid occurrit, quidquid casus fert, quod in buccam venit, temere: ductum fortasse a frugibus, quæ sementi non respondent, sed enascuntur interdum inutilia quædam, atque in solum veniunt, præter agricolæ exspectationem. *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. *sub fin.* Quod cumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. *Varro* apud *Non. p.* 500. 11. *Merc.* Libet me epigrammata facere: et quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit, ponam. *Manut.* huc pertinere ait hæc duo loca *Afranii*, apud *Non. p.* 124. 18. *Merc.* Orbitatem tuæ senectuti malam metui, quod in solum non venit cæco ac dementi, *Id.* apud *eumd. ibid.* Ne eveniret, quod nunc agitur, in solum. Utrobique *Nonius* legit conjunctim *insolum*, et male interpretatur *insolitum*. — Elliptice *Cic.* 9. *Fam.* 26. Convivio delector, ibi loquor quod in solum, ut dicitur. — *c*) *Res soli* dicuntur a JCtis, quæ terra nituntur, ut ædes, agri, plantæ et ceteræ res immobiles, quæ solo conjunguntur, *stabili. Plin.* 6. *Ep.* 19. Candidatos tertiam patrimonii partem conferre jussit in ea, quæ solo continerentur. *investire in istabili.* et *Suelon. Tib.* 48. Ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 1. Tertia pars de agris, terris, arbustis, satis quærit, et, ut Jurisconsultorum verbo utar, de omnibus, quæ solo continentur. *Ulp. Dig.* 13. 3. 1. Omnes res per hanc condictionem peti, sive mobiles sint, sive soli. *Id. ibid.* 43. 15. 1. *a med.* De possessione rei soli experiri. — *d*) *Solum terræ*, ipsa terra. *Lucret.* 5. 1288. Ære solum terræ tractare, *h. e.* arva colere. *Catull.* 63. 7. Et jam recente terræ sola sanguine maculans. Similiter *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Sibi præter agri solum nihil esse reliqui. *le nude campagne.* agri superficiem nudatam satis omnibus vastatione hostili.

II.) Translate. ¶ 1. Est quicumque locus, regio, sedes, *luogo, paese.* — *a*) Universim. *Cic.* 2. *Legg.* 2. 4. Sum illi villæ amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. *Id.* 4. *Cat.* 7. *extr.* Hoc commune patriæ solum, carum, dulce atque jucundum. *Ovid.* 8. *Met.* 184. tractusque soli natalis amore. *Id.* 2. *Pont.* 11. 28. Maxima Fundani gloria, Rufe, soli. *h. e.* oppidi Fundorum. *Id.* 3. *Fast.* 291. Picus Faunusque *etc.* Romani numen utrumque soli. *Cic. Balb.* 5. *a med.* Vos, mutæ regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum. — *b*) Hinc *solum vertere est mutar paese*, alio migrare. *Id. ibid.* 11. *a med.* Hanc ante civitatem amittere non potuissent, quam hujus solum civitatis mutatione vertissent. *Id. Cæcin.* 34. *a med.* Qui volunt pœnam aliquam subterfugere, eo solum vertunt, hoc est sedem ac locum mutant. *Id. Quinct.* 28. *a med.* Exsilii causa solum vertere. Similiter *Parad.* 4. *ad fin.* Omnes scelerati exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. ¶ 2. Metaphorice. *Cic. Brut.* 74. 258. et *Orat.* 37. *sub fin.* Solum et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam et Latinam. *Enn.* apud *eumd.* 1. *Divinat.* 48. 108. Auspicio regni stabilita scamna solumque. *h. e.* solium. *Liv.* 6. 18. *in fin.* Solo æquanda sunt dictaturæ consulatusque. — In plur. num. *Enn.* apud *Fest. p.* 298. 35. *Müll.* Tarquinio dedit imperium simul et sola regni.

Homonym. Differunt *solum* et *fundamentum* eo quod illud natura fit, hoc arte. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 151. Hoc quasi solum quoddam et fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. Adde *Brut.* 74. 258. *Apul.* 1. *Met.* At vero cœtus illius autorem - cum tota domo, id est parietibus et ipso solo et omni fundamento - in aliam civitatem transtulit. Alia discrimina *V.* sub TERRA.

SŎLUM. *V.* SOLUS in fin.

SŎLUMMŎDŎ, adverb. (solum et modo) Sunt qui scribunt divisim. — Solummodo est solum, tantummodo, *solamente*, μόνον. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (92). Unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit Cato. *Alii rectius leg.* tantum. *Quintil. sub fin. serm. declam.* 247. Ita illud quoque, *nuptiis collocata*, efficit uxorem: sed non hoc solummodo erit. *Ulp. Dig.* 9. 2. 23. Pretii solummodo fieri æstimationem. *et ibid.* 11. 5. 1. *ad fin.* Solummodo pœnalem actionem negatam. Adde *Tertull. Resurr. carn.* 26. *a med.* et *Minuc. Octav.* 35. *ad fin.*, quæ loca *Cellar.* in *Cur. poster.* jam congesserat. Adde *Hieronym. Ep.* 12.

SŌLUS, a, um, *genet.* solius, *dat.* soli, adject. — *a*) Forma *soli* in genet. pro *solius*, et in dat. femin. *solæ* pro *soli* auctores habent. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 694. *Putsch.* De omni Tusculana civitate soli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit. Adde *Inscript.* apud *Orell. n.* 2627. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 28. Cedo te mihi solæ solum. *Ter. Eun.* 5. 7. 3. Mihi solæ ridiculo fuit, quæ etc. — Item dat. masc. *solo* pro *soli* in *Bullett. archeol. Napolit. p.* 60. *v.* 2. *in fin.* — *Sole* in vocativo dixit *A. Ticidas* apud *Priscian.* 5. *p.* 673. Felix lectule talibus sole amoribus. — *b*) Notatio vocis incerta: sunt qui conjungunt cum *sollus*, ὅλος, totus: vel cum *salvus*. (V. hanc voc.) *Pott* a *se* et *ollus* vel *ille* ducit, quasi *per se ille.* — Sup. *Solissimus* apud *Pompej. Comment. art. Donat. s.* 1. *n.* 18. Solissimam rem dicit Juba. *h. e.* unice veram. — Solus est incomitatus, solitarius, unus, μόνος (It. *solo, senza compagnia;* Fr. *seul, unique;* Hisp. *solo, unico;* Germ. *allein, alleinig, einzig;* Angl. *alone, only*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 2. qui hoc noctis solus ambulem. *Ter. Heaut.* 1. 1. 76. Item, tot mea solius sollicitī sunt causa, ut etc. *Varro* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Quum hæc sit communis universi populi, illa solius tua. *Cic.* 11. *Att.* 15 Solius enim meum peccatum corrigi non potest. Cf. *Sext.* 60. 128. In unius mea salute. (De hac construendi ratione V. *Casaubon.* ad *Pers.* 5. 40., *Heins.* ad *Ovid.* 5. *Ep.* 45. et *Drakenborch* ad *Liv* 7. 40.) *Cic.* 3. *Off.* 10. 41. Cui quum visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. *Id. Mur.* 21. 43. Ea dicam vobis audientibus, quæ ipsi soli, re integra, sæpe dixi. *Id.* 5. *Att.* 17. *a med.* Scævola solos novem menses Asiæ præfuit. *Ter. Phorm.* 3. 3. 24. Quantum opus est tibi argenti? PHÆDR. solæ triginta minæ. *Justin.* 20. 3. 4. Locrenses sola quindecim milia militum habebant. *Cic.* 3. *Orat.* 18. 65. Stoici soli ex omnibus eloquentiam virtutem esse dixerunt. *Id. Harusp. resp.* 7. 14. Qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc juris habet, ut etc. *Sall. orat. Lepidi contra Sull.* Solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit. *Ter. Phorm.* 4. 1. 21. Nam ego meorum solus sum meus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. *extr.* Coturnices morbum comitialem solæ animalium sentiunt, præter hominem. *Martial.* 4. 2. Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis. *Auson. Griph.* 31. Tres solæ (*Musæ*). — *b*) Sine alio, remotis arbitris, *da solo a solo. Ter. Phorm.* 4. 3. 15. Prendo hominem solum: cur non, inquam, etc. *Plaut. Asin.* 2. 2. 95. Me senex seduxit solum seorsum ab ædibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Liscum retinet: quærit ex solo ea, quæ in conventu dixerat. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 15. Omnem rem narrabit continuo sola soli. Adde 4. 1. 41. *Id. Eun.* 3. 5. 31. Imperat, ut maneam solus cum sola. — *c*) Cum *unus* jungitur. *Ter. Adelph.* 5. 3. 47. Solum unum hoc vitium affert senectus hominibus. *Cic. Pis.* 40. 96. Te unum solum suum depeculatorem, vexatorem venisse senserunt. *Id. Harusp. resp.* 7. *a med.* Uno illo solo antistite sacrorum dissentiente. ¶ 2. Specialim est desertus, derelictus, sine ope, *abbandonato, derelitto. Ter. Eun.* 1. 2. 67. Sola sum. Adde *Adelph.* 3. 1. 4. *Sall.* 3. *Hist. fragm.* 82. *Kritz.* Quam soli innocentes. *Id. Jug.* 14. Solus atque omnium honestarum rerum egens. *Seneca Med.* 119. Sedibus solam exteris deserere.

II.) Translate dicitur — *a*) De locis, et est desertus, infrequens, *disabitato, solingo, deserto, solitario. Cic.* 1. *Divinat.* 28. *a med.* et *fragm.* apud *Quintil.* 5. 13. *ante med.* Quum in locis solis mœstus errares. *Nepos Eumen.* 8. *ad fin.* Si per loca sola contenderet, sperabat, se imprudentem hostem oppressurum. *Sall. Jug.* 110. Cum parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam. *Quintil.* 7. 2. *a med.* Locus clausus vel reclusus, frequens vel solus. *Ter. Andr.* 2. 4. 3. Venit meditatus alicunde ex solo loco. *Virg.* 3. *G.* 249. male tum Libyæ solis erratur in agris. *Id.* 10. *Ecl.* 14. sola sub rupe. *Tibull.* 1. 1. 60. in solo pascere monte pecus. *Ter. Phorm.* 5. 7. 85. Hoc scelus hinc deportarier in solas terras. *Catull.* 64. 57. Desertam in sola miseram se cernit arena. *Tac. Germ.* 38. Sæpe (*capillum*) in ipso solo vertice religant. *h. e.* nudo. Ita *Kritzius.* — *b*) De personis, et est viduus. *Propert.* 3. 5. 23. Gaudet me solam vacuo tabescere lecto. — Hinc neutr. sing.

Solum, adverbiorum more, dumtaxat, solummodo, tantum, tantummodo. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Legg.* 20. *a med.* De re una solum dissident: de ceteris mirifice congruunt. *Id.* 3. *Tusc.* 5. *a med.* Quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia vel timore vel dolore moveatur. *Id.* 2. *Phil.* 32. 81. Nos nunciationem solum habemus, consules etiam inspectionem. — *b*) Cum partic. negat. *non solum, nec* vel *neque solum* — *sed, sed et, sed etiam, verum quoque. Cæs.* 1. *B. G.* 12. *sub fin.* Non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est. *Id. ibid.* 20. Quibus opibus non solum ad minuendam gratiam, sed pæne ad perniciem suam uteretur. *Cic.* 2. *resp.* 15. 28. Neque solum fictum vel etiam imperite fictum. *Sall. Cat.* 40. Neque solum cives, sed cujuscumque modi genus hominum sollicitabat. *Nepos Thrasyb.* 1. *extr.* Non solum princeps, sed et solus initio bellum his indixit. *Id. Att.* 20. *extr.* Quum se uterque principem non solum urbis Romæ, sed orbis terrarum esse cuperet. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 84. pudicum servavit ab omni Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi. *Quintil.* 6. 2. 36. Non lacrimæ solum, sed pallor etc.

Homonym. Discrimen inter *solum* et *unum* ita exponit *Isid.* 1. *Diff.* 585. *Unus* ad numerum pertinet, *solus* e multis intelligitur. — Item inter *solum, unum, solitarium* et *unicum* in *App.* 38. *Solus* a ceteris relictus; *unus* initium multorum agit; *solitarius*, qui semper sine ceteris vivit; *unicus* habetur solus propter inopiam aliorum. *Quintil.* 1. 5. 38. Sit aliquando (*solœcismus*) in uno verbo, numquam in solo.

SŎLŪTĒ, adverb. (solutus) Comp. *Solutius.* — Solute est libere, *sciollamente, liberamente.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 48. 100. Si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus solute moveatur ac libere. *Tac.* 13. *Ann.* 47. Quo solutius lasciviret. — Apud *Terentian. De syll.* 676. *solute* est separatim, seorsum.

II.) Translate. ¶ 1. Est sine cura, remisse, lente, *da spensierato, freddamente, negligentemente. Cic. Brut.* 80. *a med.* Solute, leniter, oscitanter dicere. *Liv.* 23. 37. Milites in stationibus solute ac negligenter agentes. *Id.* 39. 1. Exercitus sub imperio Cn. Manlii solute ac negligenter habiti. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 3. Quædam a fabris negligentius solutiusque composita. *Albinov.* 2. 103. Cæsar amicus erat, poterat vixisse solute. ¶ 2. Est etiam libere, clare, facile. *Cic. Brut.* 92. 317. Propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam. *et ibid.* 29. 110. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Ipse compositus alias et velut eluctantium verborum solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. *h. e.* quotiens pro aliquo diceret. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. *ad fin.* Judex non meram negotiorum gestorum actionem imitatur, sed solutius æquitatem sequitur.

SŎLŪTĬLIS, e, adject. (solutus) qui facile solvi potest, solubilis, *mal unito, solubile. Sue-*

ton. *Ner.* 34. Solutilem navem, cujus vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus est.

SŎLŪTIM, adverb. (solutus) idem quod solute, laxe. *Tertull. Pall.* 5. Tota molitio pallii operire est solutim, id est uno circumjectu.

SŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. (solvo) actus solvendi, explicatio, dissolutio, λύσις, διάλυσις (It. *scioglimento, slegamento*; Fr. *solution, décomposition*; Hisp. *descomposicion*; Germ. *d. Lösen, Auflösung*; Angl. *a loosing, unloosing, untying*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 114. Linguæ solutio, vocis sonus, latera, vires. *Id.* 5. *Tusc.* 25. *a med.* Ipsam ægritudinem, λύπην Chrysippus, quasi solutionem totius hominis, appellatam putat. ¶ 2. Speciatim languor, imbecillitas. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 60. (112). Sanare ventris et stomachi solutiones. *soccorrenze e debolezze.* Adde 20. *ibid.* 22. 92. (249). et 27. *ibid.* 10. 61. (88). Cf. *Cels.* 4. 5. Stomachi resolutio. ¶ 3. Item dissolutio pecuniæ, *pagamento*. *Cic.* 2. *Off.* 24. 84. Fides nulla esse potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. *Id. pro leg. Manil.* 7. *a med.* Solutione impedita, fides concidit. *Ulp. Dig.* 4. 8. 12. Solutionem facere. *Cic. Cluent.* 12. 34. Solutio legatorum. *Id.* 12. *Att.* 51. nominis Cærelliani. *Liv.* 42. 5. justi crediti. *Paul. Dig.* 46. 3. 54. numorum. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 20. et *Dig.* 46. *tit.* 2. qui est *De solutionibus et liberationibus.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 1. *Seneca* 5. *Benef.* 12. Quædam in oblectamentum ac jocum sic illigantur, ut eorum solutio imperito difficilis sit: quæ ille, qui implicuit, sine ullo negotio separat, quia commissuras eorum et moras novit: et nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum et intentionem excitant. *h. e.* explanatio, dissolutio. *Gell.* 18. 2. Solutio captionis sophisticæ. *soluzione.* ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Serv. Centim. præf.* 3. Solutionem esse, quum pro una syllaba longa duæ breves ponuntur.

SŎLŪTOR, ōris, m. 3. (solvo) ¶ 1. Est qui solvit, h. e. qui aperit, *scioglitore*. *Augustin.* 2. *Mor. Manich.* 13. *ad fin.* Solutor signaculi. ¶ 2. Est etiam qui solvit seu dissolvit pecuniam, *pagatore*. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 17. Solutori utique pignus restituendum esse. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

SŎLŪTŌRĬUS, a, um, adject. (solutor) qui solvit, h. e. qui liberat. Epitheton Jovis in *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 5032. VCCIVS CONTIVAT F. IOVI SOLVTORIO V. S. L. M.

SŎLŪTRIX, trīcis, f. 3. (solutor) quæ solvit. *Diomed.* 3. *p.* 484. *Putsch.* Morbo Sicilia laborabat: Siculi variis et assiduis cærimoniis Dianam placantes finem malis invenerunt, eamdem Lyen (a λύω, solvo) cognominaverunt, quasi solutricem malorum.

SŎLŪTUS, a, um, *et*

SOLVENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SOLVO, solvis, solvi, sŏlūtum, solvere, a. 3. — *a)* *Solbo* vulgo dictum pro *solvo* patet ex quibusd. *Inscript.*, ut apud *De-Rossi, Bullett. Crist. a.* 1865. *p.* 56. Item *solbi* pro *solvi* in *Cod. Caii Instit. p.* XLIII. *Lachmann.* — *b)* *Solui* per diæresin trisyllabum pro *solvi* aliquando apud poetas. *Tibull.* 4. 5. 16. Nulla queat posthac nos soluisse dies. *Catull.* 2. 13. Quod zonam soluit diu ligatam. — Item *soluam* pro *solvam*. V. *Priscian.* 1. *p.* 546. *Keil.* Cf. *Müll. De re metr. p.* 262. — *Solvier* paragoge pro *solvi* apud *Boeth. Cons. Phil.* 4. *metr.* 5. Ferventi Phœbi solvier æstu. — *c)* Etymon petitur a λύω, unde *luo*, quasi pro *seluo* aut *subluo*: cf. ὑπολύω. — Part. *Solvens* I. 1. *a* et II. 4.; *Solutus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Soluturus* II. 6. *a*; *Solvendus* II. 6. *a*. — Solvo tria præcipue significat.

A) Est ligatum a vinculis libero, exsolvo, λύω, διαλύω (It. *slegare, sciorre, sciogliere*; Fr. *dissondre, désunir, séparer, disjoindre, délier*; Hisp. *disolver, desunir, desliar*; Germ. *ab-auflösen, los-aufbinden, los-aufwickeln*; Angl. *to loose, unloose, unbind*): occurrit autem absolute, aut cum addito Ablat. ejus, a quo quis solvitur, et præp. *ab, ex, de*, aut sine præp. ¶ 1. Proprie. — 1.°) Generatim. *Virg.* 6. *Ecl.* 23. quo vincula nectitis? inquit. Solvite me, pueri. *Horat.* 3. *Od.* 21. 22. solvere nodum. *Id.* 1. *Ep.* 1. 8. equum senescentem, *lasciare andar libero*. Cf. *Virg.* 2. *G.* 542. *Ovid.* 3. *Met.* 700. lapsæ nullo solvente catenæ. et *Plin.* 2. *Ep.* 8. Laqueos si solvere negatur, abrumpam. *Phædr.* 3. 7. Canis solutus catena. et 1. 2. Solvere frenum. *Propert.* 1. 3. 21. corollas de fronte. *Tibull.* 2. 1. 7. vincla jugis boum. *Seneca Thyest.* 797. currus. *h. e.* equos a curru. *Ovid.* 11. *Met.* 682. nec crinem solvere curat, Scindit. *Virg.* 4. *Æn.* 574. Solvere vela. *h. e.* expandere. *Id.* 7. *ibid.* 403. crinales vittas. *Brutus* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. ergastula. *h. e.* servos catenatos in ergastulis. *Nepos Hannib.* 11. et *Cic.* 15. *Att.* 4. *ad fin.* epistolam. *h. e.* linum incidendo aperire, quod idem *Nepos* dixit *Pausan.* 4. vincula epistolæ laxare. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 2. ratis quassatæ membra. *sfasciare, scompaginare.* et *Propert.* 2. 7. 44. texta. *stessere.* et *Tac.* 1. *Ann.* 69. pontem. *disfare.* et *Val. Flacc.* 1. 433. collectas jam solvit fibula vestes. *slaccia.* *Plaut. Amph.* 2. 2. 151. Agedum eam solvo cistulam. so. Quid ego istam exsolvam? Obsignata est recte. *Cic* 11. *Att.* 9. Solvere fasciculum. *Ovid.* 11. *Met.* 664. navim. *Id.* 4. *Fast.* 333. Solvere funem a stipite. *Id.* 9. *Met.* 58. nexus a corpore. *Id.* 3. *Fast.* 2. comas casside. *et* 4. *ibid.* 135. redimicula collo. — Passive. *Ter. Andr.* 5. 4. *in fin.* Davus non recte vinctus est. Jube solvi, obsecro. *Plaut. Truc.* 4. 3. 63. Reus solutus causam dicit, testes vinctos attines. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 23. Solutus funis. *Id. Heroid.* 11. 4. charta. *h. e.* explicata, evoluta. *Id.* 2. *Art. am.* 237. imber cælesti nube solutus. *Colum.* 6. *R. R.* 14. Quum vena intumuit, cultello solvitur. *h. e.* incidendo aperitur. *Scribon. Compos.* 27. Cicatrices solutæ. *h. e.* resolutæ, diductæ, rursus apertæ, ἀναλυόμεναι. — *Solvere os*, aperire, ἀνοίγειν, *aprir la bocca*. *Ovid.* 7. *Met.* 190. ternis ululatibus ora Solvit. *Tibull.* 4. 5. 14. Impie in aversos solvimus ora deos. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 261. tum linguam ad jurgia solvit. *Lucan.* 1. 472. de *Fama.* Innumeras solvit falsa in præconia linguas. *Seneca Thyest.* 682. Solvere vocem. *parlare.* — Translate apud *Vulgat. interpr. Job* 6. 9. Et qui cœpit, ipse me conterat, solvat manum suam et succidat me. *h. e.* libere agat et me succidat, seu vitæ meæ ne parcat. — 2.°) Speciatim in re nautica. *Solvere navem* apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 17., *Cæs.* 4. *B. G.* 36. et 1. *B. C.* 28. et *Nepot. Hannib.* 8. est soluto fune discedere a litore et in altum provehi, *salpare, far vela*, ἐκπλεῖν. Sic *Varro Menipp.* 21. *p.* 109. *Oehl.* Phaselon Aptum tonsilla litore mobilem in fluctum solvit. *Cic.* 1. *Att.* 13. Solvere ancoram. *levar l'ancora.* et *Lucan.* 4. 583. rates litore. et 2. 649. cavas a litore puppes. Sic *Bacch.* 2. 3. 34. navim e litore. *Propert.* 3. 5. 53. classem. *Id.* 1. 8. 11. Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena. *Horat. Epod.* 10. 1. Navis soluta. *sciolta dal lido.* — Sæpe hoc sensu *solvere* absolute ponitur. *Cic.* 16. *Fam.* 9. Nos eo die cenati solvimus. *Id.* 3. *Off.* 12. 50. Complures mercatores Alexandria solvisse. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Solvere a terra. *Id.* 4. *B. G.* 28. Naves ex portu leni vento solverunt. — 3.°) Item est laxare, relaxare. *Colum.* 9. *R. R.* 13. Tithymalus ventrem solvit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (118). Thasia uva solvit alvum. *Cels.* 1. 3. *a med.* Alvum adstringit labor, sedile *etc.* contra solvit aucta ambulatio atque esca. — 4.°) Item dirimere, dissociare, separare. *Propert.* 4. 4. 57. Solvere commissas acies. *et* 2. 25. 5. amicos. *Tibull.* 1. 2. 60. amores cantibus aut herbis. — 5.°) *Solvere versum* est verba aliter collocando, ligatam metri rationem tollere, *disfare*. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 60., *Quintil.* 1. 9. 2. et 9. 4. 49. — 6.°) Item, quæ solida ac dura sunt, comminuere, dissolvere, liquefacere. *Lucan.* 3. 506. *de igne.* Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit: Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes. *Lucret.* 1. 492. Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu. *Seneca Agam.* 553. Tridente rupem subruit pulsam pater Neptunus, solvitque montem. *h. e.* discidit, fregit. *Id. Herc. Fur.* 237. Utrinque montes solvit, abrupto obice. *spaccò.* et *Herc. Œt.* 729. Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus. *disfa, strugge.* et *Lucan.* 4. 83. Jamque Pyrenæ, quas numquam solvere Titan Evaluit, fluxere nives. Sic *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 93. Nives solutæ. *Id.* 2. *Art. Am.* 47. Ceræ solutæ ignes, *disfatte, liquefatte*. — Hinc translate. *Lucan.* 8. 106. Solvere lumina in lacrimas. *Id.* 2. 408. nullum tellus se solvit in amnem. *Id.* 9. 451. auster liquido se turbine solvit in auras. *Id.* 8. 830. tellus Ægyptia, in Æthiopum putres solvaris arenas. *Propert.* 4. 4. 77. Romulus excubias decrevit in otia solvi. *h. e.* milites in excubiis intermittere vigilias et otio se dare. — 7.°) Item languidum reddere, vires adimere, resolvere, *infiacchire, indebolire, spossare*. *Virg.* 4. *G.* 199. nec corpora segnes In Venerem solvunt. *et* 3. *ibid.* 523. ima Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes. *Quintil.* 1. 2. 6. Infantiam statim deliciis solvimus. *Virg.* 12. *Æn.* 955. ast illi solvuntur frigore membra. *Ovid.* 7. *Met.* 185. homines volucresque ferasque Solverat alta quies. — *Quintil.* 9. 4. 7. Solvere vires. — 8.°) Item putrefacere, *putrefare*. *Virg.* 4. *G.* 302. Tunsa per integram solvuntur viscera pellem. *Lucan.* 6. 87. et 7. 809. corpora. — 9.°) Item conficere, finire. *Curt.* 8. 9. *ad fin.* Nec ullus corporibus, quos senectus solvit, honos redditur. — 10.°) *Solvere alicui vitam*, solvere animam a corpore, *ammazzare*. *Propert.* 2. 7. 77. Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam. *Senec. Troad.* 600. me fata maturo exitu, facilique solvant. — 11.°) Hinc absolute *solvi*, mori. *Petron. Sat.* 111. Solvi inedia. *Flor.* 4. 12. Massiliæ morbo solvitur. Cf. *ibid.* 11. *extr.* Admotis ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 36. *et Ib.* 146. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. *extr.* Cometas nasci humore fortuito et ignea vi, ideoque solvi. *disfarsi, svanire.*

¶ 2. Translate. — 1.°) Est explicare, explanare, enodare. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 22. Solvere captiosa, ambigua distinguere. *Seneca Œdip.* 101. Nodosa sortis verba et implexos dolos Ac triste carmen alitis solvi feræ. *h. e.* Sphingis. *Quintil.* 2. 17. *a med.* Solvere argumentum. *Id.* 7. 2. *ad fin.* ambiguitatem. *Id.* 8. 6. 53. ænigmata. *Gell.* 18. 2. quæstionem. Adde 18. 2. *Id. ibid.* 13. Solutæ captio. — 2.°) Item discutere. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant. *Cels.* 2. 6. *circa med.* Eo tempore, quo ebrietas solvi debet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (143). Lassitudinem solvere. *Virg.* 4. *Æn.* 55. Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem. *Quintil.* 6. 3. 1. Risus tristes affectus solvit. — 3.°) Item dissolvere. *Juvenal.* 9. 79. Solutum conjugium. *Sall. Jug.* 45. Plebis vis soluta atque in multitudinem dispersa. *Id. ibid.* 43. *in fin.* Milites, quos, soluto imperio, licentia corruperat. — 4.°) Item violare, rumpere. *Seneca Œdip.* 527. Imperia solvit, qui tacet jussus loqui. *Liv.* 1. 49. *a med.* Solvere morem traditum a prioribus. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Fori sanctitatem ludorum talarium licentia solvere. *Lucan.* 6. 768. nec verba nec herbæ Audebunt longæ somnum tibi solvere Lethes. *Id.* 2. 435. donec continia pontus Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor. *Ovid.* 5. *Met.* 534. Non ita fata sinunt, quoniam jejunia virgo Solverat. *Lucan.* 3. 282. Longaque Sarmatici solvens jejunia belli Massagetes, quo fugit, equo. *Seneca Thyest.* 64. Tuamque ad istas solvimus mensas famem. — 5.°) Item, in re mathematica, est dividere. *Boeth.* 1. *Arithm.* 14. Numeri XXIV. et XXVIII. possunt in medietates dividi, et eorum rursus partes in alias medietates solvuntur.

B) Sæpe, quoniam qui pecuniam vel aliud alicui debent, quodammodo ligati sunt et obnoxii creditori, *solvere* ¶ 1. Est debitum reddere, ære alieno liberare, *pagare, soddisfare*, ἀποδιδόναι, διαλύειν (χρέος), pecuniam numerare. — *a)* Universim. *Cic.* 1. *Att.* 3. Misimus, qui pro vectura

solveret. *Id.* 5. *Verr.* 72. *sub fin.* Permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino. *Id. Cluent.* 12. 34. Eam pecuniam præsentem Oppianicus non debitam mulieri solvit. *Id.* 3. *Off.* 23. *a med.* Si sapiens adulterinos nummos acceperit pro bonis, quum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis? *Id.* ad *Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ut pecuniam Buthrotii ad diem solverent. *h. e.* die statuto numerarent. *Seneca* 6. *Benef.* 17. *extr.* Solvere præceptori pretium operæ. *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. quod enim prætori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare. *h. e.* se illud dare, quod mihi debitum ego non acceperam. Sic *Plin.* 2. *Ep.* 4. Summa erat solvenda de meo. Contra *Cic.* 7. *Att.* 18. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat. *Sall. Cat.* 36. Æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possum. *Nepos Cim.* 1. Solvere populo litem æstimatam. *pagar la condanna.* et *Quintil. declam.* 9. 9. *a med.* mercedem. *Seneca Ep.* 7. *ad fin.* Unum hæc epistola in debitum solvet: duo in antecessum accipe. *pel debito maturato.* et *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. *ante med.* Pensionis portionem in frumento potius, quam in pecunia solvere. *Paul. ibid.* 1. 45. Impensam ædificiorum solvere. *Javolen. ibid.* 40. 7. 39. *a med.* Dama servus, quum heredi meo annorum septem operas solverit, liber esto. *h. e.* præstiterit. *Papinian. ibid.* 23. 4. 26. *a med.* Filia quum pro se dotem promitteret, pepigit, ut, si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solveretur. *h. e.* redderetur, refunderetur. *Cic.* 16. *Att.* 6. Hoc, quod satisdato debeo, peto a te, ut plane expedias, et solutum relinquas. *Ulp. Dig.* 46. 3. 1. Solutum debitum. *Scævola ibid.* 33. 1. 1. *circa med.* Soluta summa pecuniæ. *sborsata.* — *b) Solvendo non esse,* non habere in bonis, unde æs alienum dissolvatur, *non essere in istato di pagare. Liv.* 31. 13. Quum solvendo ære alieno respublica non esset. *Cic.* 3. *Fam.* 8. Sumptus decerni legatis nimis magnos, quum solvendo civitates non essent. *Id.* 2. *Phil.* 2. 4. Quo tempore me augurem nominaverunt, tu nec solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversa republ., incolumem fore putabas. *eri un fallito, uno spiantato.* Adde 13. *Att.* 10. *extr.* et 2. *Off.* 22. *ad fin.* — Et addito dativo personæ *Quintil. declam.* 9. 9. *extr.* Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi solvendo non sumus. *et declam.* 2. 3. Constabat, patrem filio senem solvendo non esse. — *c) Non esse ad solvendum,* eodem sensu. *Vitruv.* 10. 6. *in fin.* Ut ad solvendum non esset. — *d)* Cum Accus. personæ, cui solvitur. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 137. Ego ad forum ibo, ut solvam militem. *h. e.* absolvam, solutione facta dimittam. — *Paul. Dig.* 12. 1. 31. Omne, quod habiturus esset actor, si litis contestandæ tempore solutus fuisset, restituendum est. Ita *Torrentin., Haloand., Gothofred.,* alii. ¶ 2. Hinc *solvere pœnas,* pœnas dare, *pagar la pena, il fio. Sall. Jug.* 72. Condemnatus verberatusque, capite pœnas solvit. *Seneca Œdip* 936. Itane tam magnis breves Sceleribus pœnas solvis? *et Hippol.* 1176. Hac manu pœnas tibi solvam. *Ovid.* 5. *Fast.* 303. At si negligimur, magnis injuria pœnis Solvitur, et justum præterit ira modum. ¶ 3. Et satisfacere, par pari rependere, *riconoscere, rimeritare, ricompensare. Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 12. Magna mihi debebat beneficia: et quum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit. *Ter. Adelph.* 5. 7. 80. Neque tu verbis solves unquam; quod mihi re male feceris. Huc pertinent duo loca *ex declam. Quintil.* supra allata. ¶ 4. Item *solvi* dicuntur et quæ pietati, officio, fidei debentur. *Seneca Hippol.* 1198. Solvere inferias viro. *Cic. Rosc. Am.* 8. *a med.* Qui nondum etiam omnia paterno funeri justa solvisset. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Solvere suprema militibus. *Cic. Marcell.* 9. 27. Quum patriæ, quod debes, solveris. *Id. Brut.* 4. *sub fin.* Exspectabo ea, quæ polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo: et erunt mihi pergrata, si solveris. *Id.* 3. *Phil.* 4. *sub fin.* Vota ea, quæ numquam solveret, nuncupavit. *Nepos Lysandr.* 3. et *Propert.* 4. 2. 17. Solvere vota Jovi. *Ovid.* 1. *Fast.* 642. Voverat, et voti solverat ante fidem. *Plin.* 10. *Ep.* 44. Sollemnia vota pro incolumitate tua et suscipimus, domine, pariter et solvimus. *Afran.* apud *Non. p.* 523. 17. *Merc.* Solvo operam Dianæ. *h. e.* sacra facio. (Hinc illa in vet. votivis *Inscript.* V. S. L. M. *votum solvit libens merito. scil.* is qui voti compos factus est. Et expresse in plurali apud *Gruter.* 36. 1. VOTVM SOLVERVNT LIBENS MERITO. *V.* LIBENS.) *Vellej.* 2. 25. *sub fin.* Post victoriam Sulla grates Dianæ solvit. *Ter. Andr.* 4. 1. 19. Tandem inventa est causa. solvisti fidem. *h. e.* exsolvisti, liberasti, promissis stetisti (εἰρωνικῶς). adstringitur enim fides, quum pollicemur: solvitur, quum præstamus. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 21. Suam fidem solutam esse. Adde *Flor.* 1. 1. *a med.* et *Val. Max.* 7. 3. *n.* 5. *Virg.* 7. *Æn.* 5. Exsequiis rite solutis. *Ovid.* 5. *Fast.* 452. Justa soluta Remo. *et* 3. *ibid.* 248. vota soluta deæ. *Manil.* 1. 420. solutis Ara nitet sacris.

C) Sæpissime est liberare et refertur præcipue ad animum. — *a)* Universim. *Cic. Cæcin.* 34. 98. et *Liv.* 7. 3. Ut religione civitas solvatur. *Justin.* 21. 3. 5. Virgines solvere civitatem voto. *Horat.* 4. *Od.* 2. 54. me solvet vitulus, relicta Matre qui largis juvenescit herbis In mea vota. *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 2. et *Liv.* 31. 50. Solvere aliquem legibus. *dispensare.* et *Propert.* 4. 6. 41. metu. *Id.* 3. 20. 2. amore. *Seneca Hippol.* 101. curis. *et Agam.* 75. non curarum Somnus domitor pectora solvit. *Virg.* 2. *Æn.* 26. omnis longo solvit se Teucria luctu. *Horat. Epod.* 17. 45. Solvere aliquem dementia. *h. e.* liberare a veneficio dementiæ. *Ovid.* 2. *Fast.* 39. Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci Cæde per Æmonias solvit Acastus aquas. *h. e.* purgavit, cædis crimine absolvit. — Cum Accus. rei, qua quis solvitur. *Virg.* 1. *Æn.* 566. Solvite corde metus, Teucri: secludite curas. — Absolute. *Martial.* 9. 29. Dulce decus scænæ, ludorum fama, Latinus Ille ego sum, plausus deliciæque tuæ: Qui spectatorem potui fecisse Catonem, Solvere qui Curios Fabriciosque graves. *h. e.* a gravitate et tristitia removere, hilarare, recreare. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 83. ut artum Solveret hospitiis animum. *sollevasse.* et *Virg.* 10. *Æn.* 111. Nec Rutulos solvo. *h. e.* fatis libero, eximo, excipio. — *b) Solvere injuriam,* liberare se ab injuria, injustæ dominationis jugum repellendo, *liberarsi dall' oppressione. Sall. orat. Lepidi contra Sull.* Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam aut mori per virtutem? — *c) Solvere obsidium,* liberare ab obsidione, *levar l' assedio. Tac.* 4. *Ann.* 73. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus.

Solutus, a, um, adjectivorum quoque more occurrit; unde Comp. *Solutior* fere in omn. paragr.; Sup. *Solutissimus* II. 1. 1.° *a,* 9.° et 12.° — Solutus est a vinculo expeditus, liber, *sciolto, libero, spedito.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Universim. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 35. 52. (108). Solutus volatus. *voto spedito e libero.* et *Cic.* 1. *Divinat.* 2. 4. Motus solutus ac liber. *Propert.* 4. 6. 31. crines in colla soluti. *Horat.* 1. *Od.* 30. 5. Gratiæ zonis solutis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 41. Loris solutis ire. *a briglia allentata.* et *Horat.* 1. *Od.* 4. 10. Flos, terræ quem ferunt solutæ. *h. e.* ab hieme et glacie liberæ. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 258. galeasque solutis Humectat lacrimis. *Quintil. declam.* 9. 7. Solutus lacrimis. *sciolto in lagrime.* et *Val. Max.* 8. 7. *n.* 1. *extern.* Os promptius et solutius. *più franco nel pronunziare.* — *b) Soluta terra* dicitur, quæ rarior est, et versari facile potest, cui *densa, spissa* et *gravis* opponitur *Colum.* 3. *R. R.* 14. Soluta et facilis terra. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (169). Tenerum et solutum solum. *Frontin. Aquæd.* 15. Solutiores ripæ. *h. e.* quas facile fluens amnis abradit. Sic *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 57. (103). Agaricon mas spissior, femina solutior. — *c) Soluta alvus* est cita, fusa, *ventre rilassato. Plin.* 14. *Hist. nat* 18. 22. (118). Solutam alvum firmare. ¶ 2. Speciatim adhibetur pro languenti, debilitato, fracto. *Justin.* 9. 6. 6. Solutus mero. *Virg.* 9. *Æn.* 236. somno vinoque soluti. *Ovid.* 8. *Met.* 712. annis ævoque soluti. *et.* 11. *ibid.* 612. membra languore soluta. *Petron. Sat.* 128. Aniculæ solutæ mero ac libidine. *Stat.* 3. *Theb.* 255. Æquor longa ventorum pace solutum. *h. e.* tranquillum, quietum. — Et absolute *Petron. Sat.* 140. Lumborum solutorum esse. *Lucan.* 2. 559. Solutus et defectus. ¶ 3. Hinc *solutus stomachus* est, qui cibum non retinet vel non concoquit, *stomaco debole:* quem morbum *Cels.* 4. 5. resolutionem stomachi appellat. *Petron. Sat.* 117. Solutioris stomachi esse. *Scribon. Compos.* 92. Solutum stomachum habere. ¶ 4. Hinc etiam *solutus* dicitur de mortuis. *Petron. Sat.* 111. Solutus inedia. *morto da fame.* et *Seneca epigr. super exsilio ad Corsicam.* Parce relegatis, hoc est jam parce solutis. Alii plerique leg. *sepultis.* Similiter *Inscript.* apud *Sanguineti, Iscr. della Liguria, p.* 153. *n.* 97. L. PACCIO IN AETERA SOLVTO (*sic*) ADESTE TEVTATES.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. — 1.°) Universim. — *a)* Absolutea ut seq. Ablat. cum præp. *ab,* aut sine præp. *Cic.* 4. *Verr.* 75. 185. Animo soluto et libero esse. *Id. Rabir. Post.* 5. *in fin.* Solutus ac liber lege. *Id.* 2. *Orat.* 6. 23. Solutus opere. *Id.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. a cupiditatibus, liber a delictis. *Horat. Epod.* 2. 4. omni fenore. *Id.* 1. *Sat.* 6. 129. mala ambitione. In *ædil. edicto* apud *Gell.* 4. 2. noxa. *Justin.* 14. 2. 5. metu mortis. *Id.* 3. 3. 12. religione jurisjurandi. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 4. 4. (7). senatus cura belli. *Quintil.* 5. 14. 13. Anima soluta corpore. *Cæcin.* ad *Cic.* 6. *Fam.* 7. Solutum existimatum esse alteri male dicere, tamen cavendum est, ne in petulantiam incidas. *Cic.* 3. *ibid.* 5. Quo mea ratio facilior et solutior esse posset. *h. e.* expeditior. *Id.* 1. *ibid.* 9. *ad fin.* Si essent omnia mihi solutissima, tamen in republica non alius essem. *Id.* 1. *Fin.* 10. 33. Quum soluta nobis est eligendi optio. *Tac.* 4. *Ann.* 35. Maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere etc. *Apul. De dogm. Plat.* Solutior sensus. *h. e.* laxior. *Catull.* 31. 7. O quid solutis est beatius curis? — *b)* Cum Genet. *Horat.* 3. *Od.* 17. 16. Famuli soluti operum. — 2.°) *Risus solutus* est effusus, liberior, cachinnus. *Virg.* 2. *G.* 386. Versibus incomptis ludunt, risuque soluto. — 3.°) *Solutus homo,* hoc est a curis liber atque adeo mente hilaris, serenus, lætus. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? Contracta quem non in paupertate solutum? — 4.°) *Solutus gaudio vultus* apud *Petron. Sat.* 91. est gaudio plenus. *V.* integrum locum. Sic *Val. Max.* 4. 3. 5. Solutus vultus. *h. e.* ad hilaritatem et risum pronus. Cf. *Rutil. De fig. sent.* 1. 21. Dissolutus vultus. — 5.°) *Soluta oratio* est, quæ metro caret, *prosa,* πεζὸς λόγος. *Varro* 6. *L. L.* 97. *Müll.* Libri duo de oratione soluta, de poetica unus. *et* 7. *ibid.* 1. Ut in soluta oratione, sic in poematis. Adde *Cic.* 3. *Orat.* 48. 184., *Varron.* 10. *L. L.* 70. *Müll.* et *Gell.* 7. 14. — 6.°) Huc pertinent illa *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 23. totoque Helicone relicto, Scribere conabar verba soluta modis. *Tibull.* 4. 1. 36. Canere vincto pede aut soluto. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 101. sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere. *Quintil.* 10. 1. 31. Historia est quodammodo carmen solutum. — 7.°) *Soluta* etiam dicitur oratio, non quod numeris et pedibus careat: (debet enim, ut belle fluat et apte cadat, suos numeros habere, qui plane iidem sunt ac ii, quos poetæ in carminibus adhibent: qua de re multa *Cic.* 3. *Orat.* 44. *et seqq.* et *Orat.* 56. *et seqq.* et *Quintil.* 9. 4. etc.) sed quia ab adstricta illa metrica lege soluta est, et liberius incedit. Est enim elaboratæ verborum compositionis præcipua laus, *ut quamvis oratoriis numeris vincta sit, tamen soluta videri possit,* ut *Quintil. ibid.* loquitur. Quare *idem Quintil.* non longe ab initio ejusdem *cap.* 4.

prosam orationem in duo genera dividit, ut *alia vincta sit atque contexta* (qualis est in orationibus); *alia soluta, qualis in sermone et epistolis. Quod non eo,* inquit, *dico, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam et forsitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare semper vocalibus aut destitui temporibus volunt sermo et epistola: sed non fluunt, nec cohærent, nec verba de verbis trahunt: ut potius laxiora in his vincula, quam nulla sint* etc. — 8.°) *Numeri lege soluti* apud *Horat.* 4. *Od.* 2. 11. sunt versus ad libitum poetæ efficti, non quidem sine metro, sed modo hac, modo illa metri lege compositi, modo breviores, modo longiores, modo lyrici, modo heroici etc., ut fit in dithyrambis. — 9.°) *Solutus in dicendo*, expeditus, facilis, copiosus et verbis ad voluntatem fluentibus, quidquid libuerit, clare explicans. *Cic. Brut.* 47. 173. Philippus satis creber in inveniendis, solutus in explicandis sententiis. *Id. ibid.* 48. 180. Omnium oratorum solutissimus in dicendo. *et ibid.* 70. 245. Torquatus a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus. — 10.°) *Soluti agri* dicuntur a *Siculo Flacc. de condit. agror. p.* 3. *Goes.*, quorum fines deprehendi non possunt: *insoluti* autem, quorum fines deprehendi possunt et finiuntur. *Aggen. de limit. agror. p.* 49. Loca insoluta dicuntur, quæ aut in saxosis et sterilibus locis sunt, aut in paludibus, ubi nulla potuit exerceri cultura: quia, dum non esset, quod excoli potuisset, nullis necesse fuit limitum regulis obligari. *h. e.* remanebant in potestate eorum, qui assignandi habebant facultatem, quousque officio conditoris fungerentur. — 11.°) *Soluta rosa*, in fasciculum non colligata: cui *sutilis* opponitur. *Act. Fr. Arv.* apud *Henzen, Scavi al bosco degli Arvali, p.* 54. Post epulas sportulas acceperunt singuli præsentes (*denarios?*) centenos et rosam solutam acceperunt et felicia dixerunt. — 12.°) Sumitur pro immoderato, et effreni qui nulla re coerceri et adstringi potest, qui modum non servat. *Liv.* 27. 31. Quo minus conspectus, eo solutior erat. *Id.* 2. 3. Libido solutior. *Seneca Const. Sap.* 11. Solutissimæ linguæ esse. *linguacciuto*. et *Sueton. Aug.* 44. Spectandi solutissimum morem corrigere. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum. *Apul. Apolog.* Soluta audacia præditus. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 2. Solutam perditamque disciplinam reformare. *Val. Max.* 6. 9. *n.* 2. Vita solutior. *Justin.* 3. 3. 10. Soluti mores. *sregolati*. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. est effeminatus, mollis, delicatus. *Cic. Brut.* 62. *in fin.* Solutus et mollis in gestu. *Quintil.* 11. 3. 147. Sinum togæ in dextrum humerum ab imo rejicere, solutum ac delicatum est. *Id.* 1. 2. 8. Pueri soluti ac fluentes. ¶ 3. Item remissus, negligens. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Mea lenitas si cui solutior visa est. *Liv.* 3. 8. Solutiore cura esse. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Dicta factaque ejus solutiora et quamdam sui negligentiam præferentia. *Aurel. Vict. Cæsar.* 33. Secundis rebus solutior. *Justin.* 34. 2. 2. Apud eos neglecta omnia et soluta fuere. *Plin.* 2. *Ep.* 11. Sententia solutior. *h. e.* minus severa.

Solutum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res soluta. Hinc *in solutum accipere*, accipere ad satisfactionem aut certe ad deductionem debiti, *ricevere a conto di debito.* Et *dare in solutum* vel *pro soluto*, transferre aliquid in creditorem, in liberationem debiti, *dare a conto. Seneca* 2. *Benef.* 26. et *Ulp. Dig.* 46. 3. 45. Sic *Hermogenian. ibid.* 41. *tit.* 4. qui inscribitur *Pro soluto*, 1. Pro soluto usucapit, qui rem debiti causa recepit. *et Marcell. ibid.* 46. 3. 48. Pro soluto habere aliquid. *Seneca Ep.* 8. *in fin.* Hoc non imputo in solutum. *nol metto a conto.*

SŌMA, ătis *vel* ătos, n. 3. σῶμα, corpus. *Prob. App. art. min. p.* 195. 17. *Keil.*, nullo tamen auctoris loco adlato.

SŌMĂTŎPŒĪA, æ, f. 1. σωματοποιία, rei corporeæ fictio. Figura, de qua *Cassiod.* ad illud *Psalm.* 84. 10. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax complexæ sunt se.* Hoc schema dicitur somatopœia: id est corporis attributio, quando incorporeis rebus corpora tribuuntur.

SOMI, indecl. idem quod absinthium apud Ægyptios. *Apul. Herb.* 100.

SOMNĬĀLIS, e, adject. (somnium) ad somnium pertinens, *di sogno.* — a) Universim. *Fulgent.* 1. *Mythol. sub init.* Ordior fabulam somniali figmento delusam. — b) Est ètiam epitheton Herculis. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 10. *n.* 4. CVLTORES HERCVLIS SOMNIALIS. *h. e.* qui somnia divina immittere credebatur de rebus futuris faciendis vel fugiendis. Alia apud *Fabrett. p.* 692. *n.* 130. HERCVLI SOMNIALI EX ORACVLO. V. *eumd. p.* 429. de hujus Herculis sodalicio disputantem.

SOMNĬĀLĬTER, adverb. (somnialis) per somnium. V. *Fulgent. loc. cit.* in URBICARIUS.

SOMNĬANS, antis, particip. *V.* SOMNIO.

SOMNĬĀTOR, ōris, m. 3. (somnio) qui somniat vel somniis fidem habet, *sognante, sognatore. Seneca* 3. *Controv.* 22. *a med.* Erat autem ex somniatoribus totus; ubicumque illum defecerat color, somnium narrabat. *Tertull. advers. Gnost.* 2. *circa med.* Ne credatis sermonibus somniatoris illius. *scil.* Josephi Jacobi filii. Cf. *Vulgat. interpr. Gen.* 37. 19.

SOMNĬCONSCĬUS, a, um, adject. (somnus et conscius) qui conscius est somni alicujus. *Inscript.* metrica in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1866. *p.* 10. QVAM DVLCIS FVIT ISTA QVAM BENIGNA QVAE CVM VIVERET IN SINV IACEBAT SOMNICONSCIA SEMPER ET CVBILIS etc.

SOMNĬCŬLŌSĒ, adverb. (somniculosus) Sup. *Somniculosissime* apud *Augustin.* 1. *op. imperf. contra Julian.* 108. — Somniculose est dormitando, negligenter, *sonnacchiosamente, tras curatamente,* ὑπνωτικῶς. *Plaut. Capt.* 2. 1. 31 haud somniculose hoc agendum est. *Id. Amph.* 2. 1. 75. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi. *Augustin. loc. cit.* Neque enim ille, ut putas, vigilantissime hoc, quod æstimas, intimavit, sed tu somniculosissime, quod ille protulit, intueris.

SOMNĬCŬLŌSUS, a, um, adject. (somniculus) ¶ 1. Passive — a) Est plenus somno et ignavia, *sonnolento, sonnacchioso,* ὑπνώδης, ὑπνωτικός. *Cic. Senect.* 11. 36. Quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. *Colum.* 1. *R. R.* 1. *circa med.* Somniculoso villico plurima effugiunt. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 11. Somniculosæ atesiæ. *Martial.* 3. 58. glires. — b) Item qui in somno fingitur. *Fronto ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) 4. *ep.* 12. Hoc unum ex annalibus sumptum amoris mei argumentum poeticum et sane somniculosum. ¶ 2. Active est qui somnum ac torporem inducit, ναρκωτικός. Hoc sensu dixit *Laber.* apud *Gell.* 9. 12. et *Non. p.* 172. 30. *Merc.* Ecastor multum somniculosum. ut *Gell.* ipse testatur. Sic *Cinna ibid.* Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus. *Plin.* enim 29. *Hist. nat.* 4. 18. tradit, ab aspidibus percussos torpore et somno mori. *V.* SOMNIFER.

SOMNĬCULUS, i, m. 2. *deminut. a* somnus, parvus somnus, *sonnetto.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 135.

SOMNĪFER, fĕra, fĕrum, adject. (somnus et fero) ¶ 1. Est qui affert somnum, *sonnifero,* ὑπνοφόρος. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 61. (229). Visque somnifera etiam sativo papaveri. *Ovid.* 1. *Met.* 671. de *Mercurio.* virgamque potenti Somniferam sumpsisse manu. *Sil. It.* 4. 87. Somnifera lympha. ¶ 2. Est qui torporem inducit. *Ovid.* 9. *Met.* 693. *de aspide.* Plenaque somniferi serpens peregrina veneni. *Lucan.* 9. 701. Aspida somniferam tumida cervice levavit. V. *ibid.* 815. et dicta in SOMNICULOSUS. — Hinc

Somnifera, æ, f. 1. absolute, herba eadem ac strumus seu strychnus. *Apul. Herb.* 74., quæ et *somnifica* vel *soporifera* dicitur *ibid.*

SOMNĬFĬCUS, a, um, adject. (somnus et facio) somnum vel torporem faciens, somnifer, *sonnifero, narcotico,* ὑπνωτικός, ναρκωτικός. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (158). Somnifica medicamenta. *Alii tamen rectius pro somnifica leg.* somni. *Id.* 24. *ibid.* 4. 17. (63). Cimicibus vincitur aspidum somnifica vis. *Theod. Priscian.* 2. Somnifica potio. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 69. mœror. Adde *Capell.* 1. *p.* 82. — Hinc

Somnifica, æ, f. 1. absolute. *V.* SOMNIFER in fin.

SOMNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (somnus et gero) idem ac somnifer, qui gerit somnum. *Dracont.* 1. 212. *de luna.* Candida somnigeris collustrat cornibus axes.

SOMNĬO, as, āvi, (ātum) are, a. 1. (somnium) *Somnior,* deponentis forma. *Petron. fragm. Tragur. c.* 74. Hic, qui in pergula natus est, ædes non somniatur. *Apul.* 3. *Met.* Vigilans somniabar. *Id.* 8. *ibid.* Quiesce securus: bene somniare. — Part. *Somnians* II. *c; Somniaturus* I. *d.* — Somnio est in somno aliquid, quasi vigilans, video, per quietem videre videor, ὀνειρώττω (It. *sognare, sognarsi, sonniare;* Fr. *rêver, songer;* Hisp. *soñar;* Germ. *träumen;* Angl. *to dream*).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. *Plaut. Rud.* 3. 5. 68. vult eripere ingratiis quod ego in somnis somniavi. Adde *Curc.* 2. 1. 32. et 2. 2. 4. et *Ter. Andr.* 5. 6. 7. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 121. Miramur aliquando id, quod somniarimus, evadere? *Id. ibid.* 65. 134. Nemone unquam alius ovum somniavit? *Plaut. Stich.* 5. 2. 18. Somniare aurum. *Sueton. Galb.* 18. speciem fortunæ querentis. *Plin.* 1. *Ep.* 18. eventura an contraria. *Ter. Eun.* 1. 2. 113. Dies noctesque me ames, me desideres, me somnies, me exspectes, de me cogites. — *Plaut. Rud.* 3. 1. 5. (et *Mil. glor.* 2. 4. 47.) Hac nocte mirum atque inscitum somniavi somnium. — b) Cum Ablat. et præp. de. *Cic.* 2. *Divinat.* 67. *extr.* Hanc credo causam de illo somniandi. *Sueton. Aug.* 94. Puer, de quo somniasset. — c) Sequente Infinito. *Enn.* apud *Cic.* 4. *Acad.* 16. 51. (2. *pr.*) Nam videbar somniare, me esse mortuum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 39. Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi. *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. *Sueton. Aug.* 91. Somniare, queri Capitolinum Jovem. *Id. ibid.* 94. intestina sua ferri ad sidera. *et Claud.* 37. vim ei ab Appio illatam. — d) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 124. Totas noctes somniamus, neque ulla fere est, qua non dormiamus. *Id. ibid.* 122. Somniantium visa. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (211). et *Sueton. Ner.* 46. *Tertull. Anim.* 47. Somniaturi servi. — e) Passive impersonaliter. *Plin.* 28. *ibid.* 4. 14. (54). Aristoteles et Fabianus, plurimum somniari circa ver et auctumnum, tradunt.

II.) Translate *somniare* dicuntur, qui aliquid inepte et sine ratione dicunt, faciunt, volunt — a) Cum Accusativo. *Plaut. Pers.* 2. 3. 5. Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam, eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo. *Cic.* 9. *Att.* 13. *a med.* De Lanuvino Phameæ erravi: Trojanum somniabam. *Plaut. Curc.* 4. 3. 14. quas tu mihi tabulas? Quos tu mihi Luscos libertos? quos Summanos somnias? *Id. Merc.* 5. 2. 109. ebo! quæ tu somnias? Hic homo non sanus est. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 2. Somniare ineptias. *h. e.* dies noctesque cogitare. — b) Cum Infinito. *Ter. Adelph.* 4. 7. 6. de psaltria me agere. Cf. *Plaut. Pers.* 2. 3. 5. — c) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Portenta et miracula non disserentium philosophorum sed somniantium. *Plaut. Amph.* 2. 2. 65. et *Capt.* 4. 2. 68. Hic vigilans somniat. *costui sogna vegliando.* V. VIGILANS. Cf. *Apul. loc.* supra *cit.*

SOMNĬOR, aris. *V.* voc. præced. init.

SOMNĬŌSUS, a, um, adject. (somnium) ¶ 1. Est qui facile somniat, qui somniis maxime obnoxius est. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. 51. Parva conversione mentis afficiuntur, ut aut alienentur, aut tristes et somniosi videantur. ¶ 2. Est etiam idem ac somniculosus, *sonnolento. Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 79. (260). Somniosos fieri le-

pore sumpto in cibis, Cato arbitratur. nam ipse *Cato* apud *Diomed.* 1. *p.* 358. *Putsch.* Lepus multum somni adfert, qui illum edit. Alii tamen rectius leg. apud *Plin.* somnos fieri.

SOMNĬUM, ii, n. 2. (somnus) *Somniûm* pro *somniorum* habet *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. Quo sese vertant tantæ sortes somniûm. et *Enn. ibid.* 58. Interpretes somniûm. — Somnium est visum in somno, species nobis dormientibus apparens, ὄναρ, ὄνειρος, ἐνύπνιον (It. *sogno:* Fr. *songe, rêve;* Hisp. *sueño;* Germ. *d. Traum;* Angl. *a dream*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Curc.* 2. 2. 3. huic conjicio somnium. Adde *Enn.* apud *Cic. loc.* supra *cit. Curt.* 3. 3. 4. Somnium regi latum. *Lucret.* 5. 1158. multi per somnia sæpe loquentes. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 55. Ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari. *Pers.* 2. 57. Somnia pituita qui purgatissima mittunt. *Ovid.* 2. *Art. am.* 328. Somnia læta videre. *Id. Heroid.* 19. 196. vera cernere. *Id.* 11. *Met.* 614. vana. *Seneca Herc. Fur.* 1082. fusus humi sæva feroci Corde volutat somnia. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 36. (57). Somnia tumultuosa. *Plin.* alter 1. *Ep.* 18. triste. *Sil. It.* 8. 124. horrendum. *Petron. Sat.* 100. *a med.* turbulentum. *et ibid.* 104. Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris. *et ibid.* Expiare somnium. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142). Imaginari aliquid per somnium. — Veteres solebant comprecari somnia, *h. e.* mola salsa aut ture devenerari seu deprecari pacemque ac veniam a prodigiali Jove diisque Averruncis omni suppliciorum ac piamentorum genere exambire. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 41. — *b*) *Somnio admonitus* vel *monitus* is dicitur, qui ab aliquo numine monumentum quoddam facere se jussum per somnium putabat. *Inscript.* apud *Gruter.* 80. 2. NEMESI SANCTAE CAMPESTRI F. AELIVS P. F. AELIA PACATVS SOMNIO ADMONITVS POSVIT. *Alia* apud *eumd.* 102. 1. M. AVR. PACORVS SPEI ARAM CVM PARMENTO (*lege* pavimento) SOMNIO MONITVS SVMPTV SVO D. D. — Multa de somniis *Cic.* 1. *Divinat.* 20. *et seqq.* et 2. *ibid.* 58. *et seqq.*, *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98., *Lactant. Opif. D.* 18.; item *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3., ubi eorum naturam et genera persequitur. — De portis somniorum *V. Stat.* 5. *Theb.* 288. *et seqq.*

II.) Translate. ¶ 1. Est res vana, spes inanis, nugæ, *bagattella, nulla, speranza inutile, fantasticheria, castello in aria, stravaganza. Ter. Adelph.* 2. 1. 50. De argento, somnium: mox, cras redi. *Id. Phorm.* 3. 2. 9. verum hercle hoc est. DO. somnia. *Id. Adelph.* 3. 4. 30. Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es: ille, somnium. *Lucret.* 1. 104. multa tibi jam fingere possum Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint. *Quintil.* 6. 2. *a med.* Otia animorum et spes inanes et velut somnia quædam vigilantium. — In exclamatione. *Ter. Phorm.* 5. 6. 34. Somnium! utin hæc ignoraret suum patrem? *bubbole!* ¶ 2. Metonymice pro somno et sopore, *sonno. Virg.* 5. *Æn.* 838. ætheriis delapsus Somnus ab astris, Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans. *Serv.* ad *h. l.* Somnia, soporem. Bene autem discernit ista Virgilius, ut *somnum* ipsum deum dicat: *somnium*, quod dormimus: *insomnium*, quod videmus in somnis, ut (6. 897.) *sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.* Adde *Gloss. Gr. Lat.* Cf. SOMNUS. ¶ 3. In Fabulis *Somnia* dicuntur Erebo et Nocte generata una cum Somno. *Hygin. præf. fab.*, *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. 44. et *Ovid.* 11. *Met.* 588., 614. *et seqq.*

SOMNŎLENTER, adverb. (somnolentus) cum somnolentia. *Hieronym.* in *Ps.* 118. Non otiose et somnolenter, sed strenue vigilanterque.

SOMNŎLENTĬA *vel* somnulentia, æ, f. 1. (somnolentus) propensio ad somnum, *sonnolenza. Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Ubi somnolentiæ cubiculariorum dormitandi potius, quam dormiendi locus est.

SOMNŎLENTUS *vel* somnulentus, a, um, adject. (somnus) somno plenus, ὑπνωτικός (It. *sonnolento;* Fr. *endormi, somnolent:* Hisp. *soñoliento;* Germ. *voll Schlafs, schlaftrunken;* Angl. *somnolent, sleepy*). *Apul.* 1. *Met. extr.* In media verba somnolentum desinere. *Id.* 10. *ibid.* Gravedine somnulenta jam demersus. *Solin.* 20. *de alce.* Quum dormiendum est, somnolentam arbor sustinet. Adde *Ambros. Hymn.* 1. 18. *Gloss. Lat. Gr.* Somnolentus, ὑπνώδης.

SOMNŎRĪNUS. *V.* SOMNURNUS.

SOMNŌSUS, a, um, adject. (somnus) somniculosus, dormitor. *Gloss. Philox.* Somnosus, ὑπνωτικός.

SOMNURNUS, a, um, adject. (somnus) qui in somno videtur: a *somnus*, ut a *corylus* est *colurnus* pro *corulnus*, seu potius ut a *diu diurnus*, *noctu nocturnus* etc. *Varro* apud *Non. p.* 172. 3. *Merc.* Levis mens quum somnurnas imagines Affatur, non umbrantur somno pupulæ. Alii leg. *somnorinas imagines*, h. e. per somnium visas. Alii *sonorinas*, h. e. quæ sonum in somnis edere videntur, ut accidit iis, qui aurium tinnitu laborant. At *Oehlerus* nihil mutat. *V.* quæ idem adnotat. ad *h. l.* Hanc tamen voc. *Freundius* non agnoscit; sed *somnurus*, nescio qua de causa, emendandum esse putat.

SOMNUS, i, m. 2. (ὕπνος) — *a*) *Sompnûs*, inserta littera *p*, legitur in plurimis MSS. Codd. Cf. *templo* pro *tento* et similia. — *b*) Forma *somnus, us,* 4. habetur apud *Vulg. interpr. Ital. Joh.* 11. 13. Codd. Cant. et Verc. — *c*) Etymon vocis petitur a Gr. ὕπνος, quod est a Skr. *svap*, dormio, unde Lat. *sopor*, Germ. *Schlaf.* Ad rem *Gell.* 13. 9. Quod Græci ὑπέρ, nos *super* dicimus: quod illi ὕπτιος, nos *supinus:* quod ὑφορβός, nos *subulcus:* quod item illi ὕπνος, nos primo *sypnus*, deinde per υ Græcæ Latinæque o litteræ cognationem *somnus.* — Somnus est dormiendi actus, sopor, quies, ὕπνος (It. *sonno;* Fr. *sommeil;* Hisp. *sueño;* Germ. *d. Schlaf;* Angl. *sleep*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (212). Est somnus nihil aliud, quam animi in medium sese recessus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 115. Somnum fieri spiritus sensibilis crassificatione asseverat (*Asclepiades*). *Cic.* 1. *Tusc.* 38. *circa med.* Mortem somni simillimam volunt esse. Sic *Seneca Herc. Fur.* 1069. Somne frater duræ languide mortis. *Ter. Heaut.* 3. 1. 82. Somnum hac nocte oculis non vidi meis. Sic *Cic.* 7. *Fam.* 30. *de Caninio.* Toto suo consulatu somnum non vidit. *Enn. Ann.* 396. Instantes somnu' repente mollissimu' perculit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 115. Rogitant, noctu ut somnum ceperim. Sic *Cic.* 4. *Tusc.* 19. *a med.* Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset. *Id. Brut.* 80. 278. Somno isto loco vix tenebamur. Adde *Front. Princ. Hist. p.* 319. *Cic.* 6. *rep.* 10. 10. Me artior, quam solebat, somnus complexus est. *Id.* 1. *Tusc.* 47. *a med.* Dare se somno. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Palpebræ somno conniventes. *Justin.* 11. 13. *init.* Confectum curis Alexandrum somnus arripuit. *Ovid.* 11. *Met.* 100. labitur somnus in artus. *Virg.* 6. *Æn.* 520. confectus curis somnoque gravatus. *Id.* 4. *G.* 496. conditque natantia lumina somnus. *Ovid.* 11. *Met.* 631. labitur somnus in artus. *Id. Heroid.* 19. 46. Sed movet obrepens somnus anile caput. *et Seneca Troad.* 441. Brevisque fessis somnus obrepsit genis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 24. (90). Somnus serpit. *Id.* 26. *ibid.* 8. 47. (74). In somnum ire. *patir di letargo.* et *Petron. Sat.* 21. et 22. Quum gravatus tot malis in somnum laberetur. *Sil. It.* 7. 204. Somnus componit lumina. *Id. ibid.* 633. niger errat per lumina. Adde 8. 121. *Quintil.* 9. 4. 12., *Ovid.* 3. *Met.* 676. et *Virg.* 7. *Æn.* 88. Petere somnum. *porsi a dormire.* et *Val. Flacc.* 8. 65. Lumina somno mergere. *et* 2. 71. Somno cedere. *Seneca Herc. Fur.* 1044. Vultus in somnum cadit. *Id. Octav.* 717. Somno resolvi. *Cæs.* 2. *B. C.* 38. *a med.* opprimi. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 13. 15. (42). graviore premi. *Petron. Sat.* 86. altiore obdormire. *Virg.* 4. *Æn.* 560. ducere somnos. *dormire.* et *Ovid.* 2. *Met.* 735. *de Mercurio.* virga, qua somnos ducit et arcet. *h. e.* inducit et prohibet. *ducere somnos* hoc eod. sensu *Horat. Epod.* 14. 2. et *Seneca Herc. Œt.* 645. dixere. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (117). Duo genera vini: unum, quo somnus conciliatur, alterum, quo fugatur. *Id.* 30. *ibid.* 15. 48. (140). et 26. *ibid.* 3. 8. (14). Allicere somnos. *Id.* 32. *ibid.* 2. 11. (24). Surculi ex vino poti somnum afferunt. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (189). Anisum potum somnum concitat. *Id.* 21. *ibid.* 19. 77. (132). Odor baccharis somnum gignit. *Id.* 19. *ibid.* 8. 38. (126). Lactucæ somnum parere creduntur. *Id.* 23. *ibid.* 8. 75. (144). et *Ovid.* 7. *Met.* 153. Nuces somnum faciunt. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 82. Somnus me aufert. *mi trasporta.* et *Epod.* 2. 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves. *Cels.* 3. 18. Somnum medicamentis arcessere. *Tibull.* 1. 3. 88. Somno fessus. *Liv.* 7. 36. torpidus. *Plin. Paneg.* 63. marcidus. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 3. vacuus. *Sueton. Aug.* 16. arto devinctus. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1., *Lucret.* 1. 133. et *Virg.* 2. *Æn.* 265. sepultus. *Quintil.* 4. 2. *a med.* languidus. *Maximian.* 4. *Eleg.* 41. toto pectore somnum — efflans. *Enn. Ann.* 52. Vix ægro tum corde meo me somnu' reliquit. *Cic.* 9. *Att.* 10. Quum me ægritudo somno privaret. *Id.* 4. *Tusc.* 19. *a med.* Quærentibus (*Themistocles*) respondebat, Miltiadis tropæis se e somno suscitari. *Id. Sull.* 8. 24. Ex somno excitare. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 26. Ego somno solutus sum. *Virg.* 2. *Æn.* 302. Excuti somno. *Seneca Octav.* 123. ingens excutit somnum pavor. *Virg.* 3. *G.* 530. nec somnos abrumpit curæ salubres. *Horat. Epod.* 5. 96. pavore somnos auferam. *Id.* 1. *Od.* 25. 3. Nec tibi somnos adimunt. *Id.* 1. *Sat.* 5. 15. mali culices ranæque palustres Avertunt somnos. *Sall. Jug.* 72. Somno experrectus. *Enn. loc.* supra *cit.* Somnus mollissimus. *Seneca Herc. Fur.* 1075. lenis et placidus. *Ovid. Heroid.* 11. 29. facilis. *Sil. It.* 7. 300. levis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (127). et *Seneca Herc. Fur.* 1051. gravis. *Ovid.* 1. *Amor.* 13. 7. et *Lucan.* 10. 354. pinguis. *V.* PINGUIS. *Cels.* 1. 3. *ante med.* et *Ovid.* 7. *Met.* 523. plenus. *profondo.* quo sensu *altus* ab *Horat.* 2. *Sat.* 1. 8. et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. 172. dicitur. *Val. Flacc.* 4. 16. alta quies liquidique potentia somni. *V.* LIQUIDUS. *Ovid.* 11. *Met.* 593. Somnus ignavus. *Colum. De cult. hort.* 65. segnis. *Id. ibid.* 104. profugus. *Fronto ad Ver. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. *ad fin.* pernox. *Martial.* 12. 18. Ingenti fruor improboque somno, Quem nec tertia sæpe rumpit hora. *Id.* 9. 93. Somnus securus. *Quintil.* 10. 6. 1. intermissus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. 172. altior. *Id.* 1. *Tard.* 4. 94. suspensus. *et mox.* concisus. *Id. ibid.* 63. inanis. *h. e.* qui nihil confert ad valetudinem. *Id.* 1. *Acut.* 9. 64. intemporalis. *h. e.* intempestivus. *Id.* 2. *ibid.* 27. 144. turbulentus. — *b*) *Somnus insiticius*, somnus meridianus, apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 5. Ego hic, ubi nox et dies modice redit et abit, tamen æstivo die, si non diffinderem insiticio somno meridiem, vivere non possem. — Mos enim erat veteribus, qui etiamnum obtinet, æstivo tempore somnum leviusculum meridie capere. Hinc et *Plaut. Most.* 3. 2. 8. Non bonus somnus de prandio. — *c*) *Somnus venereus*, Græcis ὀνειρόγονος, quid sit, docet *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 7. 81. — *d*) *In somno, somno, in somnis* (cf. *in somniis*, quod pro *in somnis* aliquando occurrit; invicem enim hæc duo significatione permutantur), dum dormitur et somniatur, *in sogno. Cic.* 3. *Verr.* 22. 45. Ea si cui in somno accidant. *Liv.* 8. 6. Quæ somno visa fuerant. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. *sub. fin.* Illa nostra Sospita, quam tu numquam, ne in somnis quidem, vides, nisi etc. *Id.* 1. *Divinat.* 53. *in fin.* Qui se tradit quieti præparato animo, cum bonis cogitationibus, certa et vera cernit in somnis. et 2. *ibid.* 70. 144. Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Adde *ibid.* 21. 42. *Virg.* 2. *Æn.* 270. In somnis, ecce, ante oculos mœstissimus Hector Visus adesse mihi etc. Adde 4. *ibid.* 466. et 554. et alibi. — *e*) *Per somnum, per somnos, inter somnos, in*

somno, *dormendo*. *Cic.* 2. *Divinat.* 11. 27. Illud videbatur animo, per somnum sensibus et curis vacuo, prævideri. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (49). Nec si per somnos genitura effundatur. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 7. 80. Per somnos inanibus visis affecti ægrotantes. Cf. *Curt.* 6. 41. 3. Per dispositos, quos supra somnum babebat. *Alii leg.* ad somnum. — In illo *Stat.* 9. *Theb.* 570. Tristibus interea somnum turbata figuris. *somnum* fortasse est idem ac *per somnum*. Cf. *ibid. v.* 606. — *f*) *Servus ad somnum*, qui ad cubiculum heri excubans, silentium facit, ne dormientem quis interpellet. *Curt.* 6. 11. 3. Cf. SILENTIARIUS. — Laudes somni persequitur *Seneca Herc. Fur.* a *v.* 1065., item *Ovid.* 11. *Met.* a *v.* 623., et de eodem docte disputat *Tertull. Anim.* 43. — De somno consulatur etiam *B. Quaranta* in *Mus. Bonon. T.* 13. *tab.* VI.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. — *a*) In bonam partem est tranquillitas. *Stat.* 3. *Theb.* 255. longa ventorum pace solutum Æquor, et imbelli recubant ubi litora somno. *Id.* 3. *Silv.* 2. 73. pigro torpebant æquora somno. — *b*) In malam partem est inertia, desidia, ignavum otium, *poltroneria, ozio*. *Sall. Cat.* 2. *ad fin.* Multi mortales dediti ventri atque somno. *Cic. Sext.* 66. 138. Qui se patriæ, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno et conviviis et delectationi natos arbitrantur. *Vellej.* 2. 1. 1. In somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. *Plin.* 14. *præf.* Requirenda sunt etiam ea, quæ invenerant prisci, desidia rerum internecione memoriæ inducta. Cujus somni caussas etc. *Tac.* 2. *Hist.* 90. *de Vitellio*. Somno et luxu pudendus. Cf. *eumd. Germ.* 15. Dediti somno ciboque. et 16. *Ann.* 19. Somno indulsit. ¶ 2. Item somnium, *sogno*. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Talia commemorat lacrumans, exterrita somno. ¶ 3. Item pro nocte, *notte*. *Virg.* 1. *G.* 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas. *Sil. It.* 3. 200. Miscuerat lucem somno Deus. *Virg.* 1. *Æn.* 474. Rhesi - tentoria primo quæ prodita somno. *h. e.* prima parte noctis, *sul primo sònno*. ¶ 4. Et pro morte, *morte*. *Horat.* 3. *Od.* 11. 38. Surge, ne longus tibi somnus, unde Non times, detur. *Sil. It.* 5. 528. manantem in viscera mortem Accipit, et longo componit lumina somno. *Id.* 7. 633. erratque niger per lumina somnus. *Val. Flacc.* 3. 178. frigidus orbes Purpureos jam somnus obit. *Vulgat. interpr. Joh.* 11. 12. Vado, ut a somno excitem eum. Cf. *v.* 13. — Huc pertinent formulæ in Inscriptt. sepulcralibus. *Inscr.* Patavina apud *Murat.* 434. 7. HVNC SOMNO AETERNALI PATRIA RETINET. Adde 993. 1. *Alia* apud *Orell. n.* 2432. SOMNO ORESTILLA FILIA etc. et *n.* 4428. SOMNO AETERNO SACRVM AELIA ARSINOE etc. et *n.* 4622. D. M. SOMNO SEPVLCHRO AETERNALI SACRVM EVTYCHIAE QVAE VIXIT etc. *Alia* Christiana apud *eumd. n.* 1121. HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS (ut sæpe in Inscriptt. Christ. V. *Bruzza, Lapidi di Vercelli p.* 266. *et seqq.* et *p.* 332. et 335.). Adde *aliam* item Christ. apud *Boldetti, Osserv. p.* 453. Cf. *Cavedon.* in *Continuaz. delle Memorie di Modena T.* 7. *p.* 138. *et seqq.* et v. DORMIO. ¶ 5. Hinc sensu ethico, de statu eorum, qui peccatis sunt obnoxii. *Vulgat. interpr. Rom.* 13. 11. Hora est jam nos de somno surgere. ¶ 6. In Fabulis *Somnus* est deus filius Erebi et Noctis, ut est apud *Hygin. præf.*, cujus regiam apud Cimmerios positam, item comites et potentiam describunt *Ovid. loc. cit.* a *v.* 592. et *Stat.* 10. *Theb.* a *v.* 84. Fingitur alatus et rore Stygio perfusus, gerens virgam et cornu papavere plenum, quo perfundit quos corripit. Lepidam de Somno fabulam narrat *Fronto de fer. Als.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. *ad fin.* *Stat.* 2. *Theb.* 143. illos post verbera fessos Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni Somnus. *et* 5. *ibid.* 197. consanguinei mixtus caligine Lethi, Rore madens Stygio, morituram amplectitur urbem Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu. *et* 6. *ibid.* 27. et cornu fugiebat Somnus inani. *Sil. It.* 10. 352. curvoque volucris Per tenebras portat medicata papavera cornu, *et mox.* quatit inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Inrorat, tangens Lethæa tempora virga. *Tibull.* 2. 1. 89. venit tacitus fuscis circumdatus alis Somnus. Adde *Stat.* 10. *Theb.* 148. et 1. *Achill.* 620. et *Val. Flacc.* 8. 72. — *Seneca Herc. Fur.* 1068. Somnum facit Astrææ filium. *V.* ASTRÆA in ONOM. — Ad Somnum deum pertinent et illa apud poetas. *Claudian. B. Gild.* 213. Humentes jam noctis equos, Lethæaque Somnus Frena regens, tacito volvebat sidera curru. *Ovid.* 11. *Met.* 623. Somne, quies rerum, placidissime Somne deorum. Adde *Inscript.* apud 1. *Gruter.* 67. 8. *et* 99. 5. et apud *Murat.* 993.

SOMPHOS, i, f. 2. genus cucurbitæ: a σομφός, inanis, fungosus, spongiosus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 7. (13). Cucurbita quoque silvestris invenitur, somphos a Græcis appellata, inanis (unde et nomen), digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens. *Harduin.* leg. *spongos*; sed *Sillig.* Græcis litteris dedit.

SŌNA. *V.* ZONA.

SŎNĀBĬLIS, e, adject. (sono) qui sonum facile reddit, sonans, resonans, *risonante, sonoro*, ἠχώδης. *Ovid.* 9. *Met.* 783. crepuitque sonabile sistrum. *Augustin.* 29. *Tract. in Joh.* 4. Verbum et Deus est et doctrinæ stabilis, non sonabilis per syllabas et volatilis sed manentis. Adde *eumd.* 11. *Civ. D.* 8. et *de Gen. ad litt.* 8. 3.

SŎNANS, antis, particip. *V.* SONO.

SŎNANTER, adverb. cum sono. Comp. *Sonantius* tantum occurrit. *Donat.* ad *Ter. Phorm. prol.* 2. Transdere veteres sonantius, quod nos lenius dicimus tradere.

SŌNĀRĬUS. *V.* ZONARIUS.

SŎNAX, ācis, adject. omn. gen. (sono) valde sonorus, personans, *sonoro, risonante*, ἠχώδης. *Ovid.* 1. *Met.* 333. Tritona vocat conchæque sonaci Inspirare jubet. *Alii rectius leg.* concha sonanti. *Apul.* 4. *Met.* Passim maria persultantes Tritonum catervæ: hic concha sonaci leniter buccinat, ille etc. *Id.* 8. *ibid.* Aper dentibus attritu sonaci spumeus.

SONCHORA. *V.* voc. seq.

SONCHOS vel sonchus, i, m. 2. σόγκος et σόγχος, herbæ genus, *cicérbita, grispignolo* (*Sonchus oleraceus* Linn.). *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 44. (88). Estur et sonchos uterque, albus et niger: lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent: caule cubitali, anguloso, intus cavo, sed qui fractus copioso lacte manet. Albus, qui e lacte nitor, utilis orthopnoicis lactucarum modo etc. *Theod. Priscian.* 1. 13. *p.* 294. dicitur *sonchora*. Adde *Marcell. Empir.* 1. 12. *p.* 101.

SŎNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (sonus *et* gero) qui sonum gerit seu reddit, *risonante*. *Augustin. Serm.* 28. *n.* 4. ed. *Mai.* Dederunt petræ crepitum fragore sonigero et viscerali motu disrupta saxa crepuerunt.

SŎNĬPES, pĕdis, omn. gen. (sonus *et* pes) qui pede sonat, *chi suona col piede*. ¶ 1. Adjective. *Grat. Cyneg.* 42. Vix operata suo sacra ad Bubastia lino Velatur sonipes æstivi turba Canopi. *V.* BUBASTIUS. In sacris Isidis sistra manu quatiebant, scabilla pede, saltitantes. *V.* SCABELLUM. ¶ 2. Substantivorum more apud Poetas de equo fere dicitur, qui soliditate ungulæ solo insultans, numerosum quemdam sonitum edit. Unde *Virg.* 3. *G.* 191. *de pullo equino*. Carpere mox gyrum incipiat pedibusque sonare dompositis. *et ibid.* 83. et solido graviter sonat ungula cornu. *Id.* 11. *Æn.* 600. fremit æquore toto Insultans sonipes et pressis pugnat habenis. *Val. Flacc.* 3. 334. vadit sonipes cervice remissa. *Catull.* 63. 41. Sol pepulit noctis umbras vegetis sonipedibus. *Seneca Hippol.* 1082. pavida sonipedes mente exciti Imperia solvunt. Adde *Stat.* 5. *Theb.* 3., *Sil. It.* 1. 222., *Claudian.* 2. *in Rufin.* 35. etc. ¶ 3. Item est nomen sideris, apud *Arat.* 216.

SŎNĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* a sono, frequenter sono. *Solin.* 2. *a med.* Locrensium cicadæ ultra ceteras sonitant. *Alii leg.* sonant; *Mommsenius* sonent. At *Gloss. Lat. Gr.* Sonito, ἀνηχέω. usum vocis confirmat.

SŎNĬTUS, i, m. 2. *et sæpius*

SŎNĬTUS, us, m. 4. (sono) *Sonitus, i*, 2. est *Pacuv.* apud *Non. p.* 491. 24. *Merc.* Quidnam autem hoc soniti est, quod stridunt fores? Adde *Cæcil. ibid.* - Sonitus est sonus, et fere sonus magnus, strepitus, *suono, sonito, suono forte, strepito, rumore*, ἦχος. *Enn. Ann.* 17. *Müll.* lituus sonitus effudit acutos. Adde *ibid.* 452. *de tuba*. *Plaut. Curc.* 1. 3. 1. sonitum prohibe forum. *Id. Mil. glor.* 4. 8. 67. Sonitum fecere fores. *h. e.* crepuerunt, *cigolarono*. et *Most.* 4. 2. 24. Sonitus convivarum. *Id. Trin.* 5. 2. 52. Sonitu me excivit? *voci, grida, schiamazzo*. Sic *Sall. Jug.* 99. Sonitu repente exciti. Rursus *Plaut. Men.* 5. 2. 113. Sonitus ungularum. *Lucret.* 6. 131. ventorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 60. remorum. *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 21. In prœlio præ ignavia tubæ sonitum perferre non potes. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 68. Innumeros æris sonitus. *Varro Sat. Menipp.* 81. *p.* 121. *Oehl.* Sonitus cymbalorum. *Id. ibid.* Sonitus tibinos tonere. *Cic.* 6. *rep.* 18. 18. Sonitum aures capere non possint. *Vitruv.* 1. 1. *circa med.* Sonitum discrimina, quæ Græci ἠχεῖα vocant. *Id.* 6. 1. *circa med.* Nationum spiritus sonitibus gravioribus exprimuntur. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. *a med.* Reliquum veneni sic e poculo ejecit, ut id resonaret. quo sonitu reddito arridens etc. *Nepos Alcib.* 10. Sonitu flammæ excitatus, *crepitio*. et *Virg.* 8. *Æn.* 596. *de equo*. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Ovid. Ib.* 161. Verbera torta dabunt sonitum. *Id.* 5. *Met.* 616. Terreri sonitu pedum. *calpestio*. et *Virg.* 6. *Æn.* 586. sonitus imitatur Olympi. *i tuoni*. et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (36). Sonitus stertentium. *il russare*. et 20. *ibid.* 5. 20. (40). *et ibid.* 15. 57. (162). aurium. *sufolamento, bucinamento, intronamento*. et 18. *ibid.* 35. 85. (350). maris. *muggito*. et *Propert.* 1. 20. 48. *et Lucret.* 6. 132. *de vento*. sonitum facere. *Petron. Sat.* 89. dare. *Ovid.* 3. *Met.* 498. reddere. *echeggiare*. et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (92). Tintinnabula vento agitata, longe sonitus referunt. *Virg.* 1. *G.* 474. Armorum sonitum toto Germania cælo Audiit. Adde *Lucret.* 2. 49. *Cic.* 1. *Orat.* 12. 51. Quid tam furiosum, quam verborum sonitus inanis, nulla subjecta sententia. *Id. Orat.* 28. 97. Eloquentia, quæ cursu magno sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur. *Id.* 1. *Att.* 14. *circa med.* Nosti in hac materia sonitus nostros. tanti fuerunt, ut eos usque istinc exauditos putem. *h. e.* clamores et strepitus me dicente et tonante. *Acc. Scæn. rel.* 640. *Ribbeck.* Sonitus clarus. *Id. ibid.* 392. terrificus. *Næv. ibid.* 13. sævus. *Pacuv. ibid.* 223. ingens. *Enn. loc. cit.* terribilis. *Sall. Jug.* 99. ignotus et horribilis. *Plaut. Trin.* 5. 2. 52. tumultuosus. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 1. Cruditatis signa (*in bubus*) crebri ructus ac ventris sonitus. — *Tibull.* 1. 1. 66. soporem Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ. *mormorio*.

H o m o n y m. Quid differant *sonitus* et *sonus*, ita docet *Isid.* 1. *Differ.* 532. «*Sonus* est quidquid auditur sensibile: *sonitus* vero confusio vocis tubarum». Præterea: «*Sonus*, inquit *Döderlein* (*op. cit. v.* 5. *p.* 118.), bezeichnet den einzelnen, *sonitus* und *sonor* (poetisch) den anhaltenden Klang und Ton». Cf. SONANS sub SONO.

SŎNĪVĬUS, a, um, adject. (sonus) sonans. *Fest. p.* 290. 31. *Müll.* Sonivio, significat in carmine Saliari et Augurali, sonanti. *et p.* 297. 19. Sonivium tripudium, ut ait Appius Pulcher, quod sonet, quum pullo excidit puls quadrupedive ex ore. Cf. *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 90. *Cic.* 6. *Fam.* 6. Non igitur ex alitis involatu, nec ex tripudiis solistimis aut sonivils tibi auguror, sed etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Nuces cadendo tripudium sonivium faciunt. Ita leg. *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. Adde 10. *ibid.* 21. 24. (49)., ubi *Sillig.* leg. *solistima*.

SŎNO, sŏnas, sŏnŭi, *raro* sŏnāvi, sŏnĭtum, *raro* sŏnātum, sŏnare, 1. (sonus) — In quibusdam personis ac temporibus est tertiæ conjugationis. Unde *sonit* pro *sonat* dixere. *Accius* apud *Non. p.* 504. 32. *Merc.* Curvo litore unda labunda sonit. Adde *Enn. ibid.* 33. Et *sonunt* pro *sonant*.

Accius ibid. Ibo ad eam, ut sciscam, quid velint. valvæ sonunt. *Enn. n.* 33. *ibid.* Neque irati, neque blandi quidquam sincere sonunt. et apud *Priscian.* 9. *p.* 863. *Putsch.* Litora lata sonunt. Et *sonere* pro *sonare*. *Accius ibid.* Valvas sonere sensi regias. *Lucret.* 3. 157. Caligare oculos, sonere aures, succidere artus. — Præteritum *sonavi*, præterquam quod confirmatur ex particip. *sonaturus*, reperitur etiam apud *Tertull. ad Scapul.* 3. Pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt qui obduruerunt. et *Juvenc.* 4. 570. Christe, prophetalis cujus tibi palma sonarit. *pro* sonaverit. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Ps.* 45. 4., ubi *sonaverunt* occurrit. — *Non. loc.* supra *cit.* etiam præterit. *sonivi* videtur agnoscere, inquit *Forcell.* — Supinum *sonitum* agnoscit *Priscian. loc.* supra *cit.* — Part. *Sonans* sub *A* 1. *a* et *b*; et *B* 3. et 4. et in fin.; *Sonaturus* sub *B* 4.; *Sonandus* sub *A* 1. *c* et *B* 4. — Sono est sonum aut strepitum reddo, ἠχέω (It. *dar suono, sonare, fare strepito;* Fr. *sonner, résonner, retentir;* Hisp. *sonar, tocar, resonar;* Germ. *schallen, klingen, ertönen, erschallen;* Angl. *to sound, resound*): usurpatur autem *A*) Intransitive; et aliquando *B*) Transitivorum more.

A) Intransitive. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Rud.* 1. 3. 23. Hic saxa sonunt: hic mare sonat. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Tympana sonuerunt. *Propert.* 4. 7. 61. Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes, Miratisque sonant Lydia plectra choris. *et ibid.* 8. 49. rauci sonuerunt cardine postes. *Virg.* 7. *Æn.* 637. classica jamque sonant. *Martial.* 5. 78. Parvi tibia condyli sonabit. *Id.* 1. 77. æra sonant. *h. e.* nummi, dum tractantur et numerantur. *Id.* 14. 223. Cristatæque sonant undique lucis aves. *h. e.* canunt. *Virg.* 6. *Æn.* 557. Verbera sæva sonant. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 46. Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi. *Id. Epod.* 13. 2. nunc mare, nunc siluæ Threicio Aquilone sonant. *Petron. fragm. Tragur.* 60. *Burmann.* Repente lacunaria sonare cœperunt, totumque triclinium intremuit. *Tibull.* 2. 4. 37. Hinc fletus rixæque sonant. *Id.* 3. 6. 35. Nec bene mendaci risus componitur ore: Nec bene sollicitis ebria verba sonant. *h. e.* clare expediteque exprimuntur. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 74. Inanis cedis: dicta non sonant. *h. e.* verba carent sono pecuniæ numeratæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 8. *sub fin.* Si ex oliva modulate canentes tibiæ nascerentur: si platani fidiculas ferrent numerose sonantes. *Curt.* 6. 23. 31. Sonabant incendio silvæ. *crepitavano.* et *Virg.* 12. *Æn.* 521. immissi ignes Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro. *h. e.* crepitantia, *scoppiettanti.* et 11. *ibid.* 863. teli stridorem aurasque sonantes Audiit. *l'aere fischiante.* et 6. *ibid.* 551. Phlegethon torquet sonantia saxa. *Id.* 10. *Ecl.* 58. per rupes videor lucosque sonantes Ire. *scil.* propter murmur fontium, vel fluminum interfluentium, vel ventorum inter arbores flantium. Sic 7. *Æn.* 82. lucosque sub alta Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro Fonte sonat. *Id.* 6. *ibid.* 704. Seclusum nemus et virgulta sonantia silvis. *frascheggianti.* et 6. *ibid.* 752. natumque unaque Sibyllam Conventus trahit in medios turbamque sonantem. *fremente.* — *Ovid.* 3. *Fast.* 389. merces mihi gloria detur: Nominaque extremo carmine nostra sonent. — *b*) Habet sæpe Ablativum instrumenti, quo sonum edimus. *Horat.* 2. *Od.* 13. 26. Et te sonantem plenius aureo, Alcæe, plectro. *Phædr.* 3. 16. Dormire me non sinunt cantus tui, Sonare cithara quos putes Apollinis. Alii aliter leg. *Lucan.* 6. 426. Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix Ære Jovis Dodona sonet. — *c*) Impersonaliter. *Virg.* 3. *G.* 294. Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum. *Apul.* 5. *Met.* Jubet citharam loqui, psallitur: tibias agere, sonatur: choros canere, cantatur. ¶ 2. Speciatim est resonare, *risonare, rimbombare*. *Virg.* 3. *G.* 554. Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes Arentesque sonant ripæ, collesque supini. *Ovid.* 12. *Met.* 226. Femineo clamore sonat domus. *Martial.* 3. 58. Sonantque turres plausibus columbarum. ¶ 3. *Bene* aut *male sonat*, sententia recte aut perperam se habet. *Augustin.* 1. *Retract.* 4. Quod dixi, ad sapientiæ conjunctionem non una via perveniri, non bene sonat. ¶ 4. De voce et sermone. *Plaut. Rud.* 1. 4. 10. Quænam vox mihi prope hic sonat? *Juvenal.* 3. 90. Miratur vocem angustam, qua deterius nec Ille sonat, quo mordetur gallina marito. *Martial.* 7. 50. Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit. *h. e.* leget, recitabit, cantabit. ¶ 5. De sono litterarum. *Vel. Long. p.* 75. 12. *Keil.* Aurifex melius per i sonat, quam per u. *Id. p.* 77. 11. Nam et ipsum cui per quoi, quo pinguius sonaret, scribebant.

B) Transitivorum more. ¶ 1. Generatim. *Albinov.* 1. 107. Alcyonum tales ventosa per æquora questus Ad surdas tenui voce sonantur aquas. ¶ 2. Speciatim est referre, significare. *Cic.* 3. *Off.* 21. *a med.* Hæc duo verba inter se discrepare, re unum sonare videntur. *Id.* 2. *Fin.* 2. *extr.* Non intelligit, quid sonet hæc vox voluptatis. *Pers.* 3. 21. sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo. *Plot. Sacerd. Art. gramm. p.* 509. 31. *Keil.* Elegiacum metrum dictum est, quod esse (*corrige es*) sonat interjectionem flentis. Hic autem librarius scripsit *esse*, quia Latina nota ee significat *esse*. V. *Prob. De not. p.* 1506. *Putsch.* ¶ 3. Item sæpe refertur ad vocem et sermonem. *Cic. Brut.* 74. 259. Suavitas vocis et lenis appellatio litterarum, Catulo bene loquendi famam confecerat: Cotta sonabat contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum. *Id. Arch.* 10. 26. Cordubæ natis poetis, pingue quiddam sonantibus. *Id.* 3. *rep.* 2. 3. Sonare inchoatum quid et confusum. *Ovid.* 15. *Met.* 606. Tale sonat populus. *Id.* 3. *Art. am.* 286. femineum. *Id. ibid.* 288. raucum quiddam atque inamabile. *Id.* 6. *ibid.* 597. Euoeque sonat. *Virg.* 1. *Æn.* 328. nec vox hominem sonat. *Id.* 6. *ibid.* 30. Nec mortale sonans. Cf. *Propert.* 4. 7. 52. *de Cerbero*, sic mihi molle sonet. *h. e.* miti latratu me apud Inferos excipiat. Similiter *Virg.* 3. *G.* 149. Œstrus acerba sonans. *ronzante.* et 9. *Æn.* 125. Amnis rauca sonans. *h. e.* cum strepitu inter saxa decurrens. *Terentian. De metr.* 229. Hanc (*litteram*) ore sonabis, modo quæ locata prima est. *h. e.* proferes, sono edes. ¶ 4. Poetice est dicere, canere, verbis celebrare, prædicare. *Ovid.* 10. *Met.* 205. Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt. *Id.* 1. *Art. am.* 205. vinces: votivaque carmina reddam: Et magno nobis ore sonandus eris. *Horat. Epod.* 17. 38. Paratus expiare, seu poposceris Centum juvencis, sive mendaci lyra Voles sonari. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 66. modo Germanas acies, modo Daca sonantem Prœlia. *Nemesian. Ecl.* 1. 26. Linus et Orpheus acta viri laudesque sonarent. *Propert.* 2. 23. 16. Pythius in longa carmina veste sonat. *scil.* voce et lyra. Sic *Horat. Epod.* 9. 5. Sonante mixtis tibiis carmen lyra. *Id.* 1. *Sat.* 4. 43. Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum. *Virg.* 12. *Æn.* 529. Murrhanum hic atavos et avorum antiqua sonantem Excutit effunditque solo. *h. e.* jactantem. Similiter *Propert.* 4. 9. 13. *de Caco.* furem sonuere juvenci. *h. e.* mugitu prodidere. Cf. *Sil. It.* 2. 491. primaque sonant voce minores. *h. e.* loquuntur et vocant. Sic absolute in illo *ejusd.* 12. 171. sonat inde, citato Agmina disponens passu: tu limina dextræ servabis portæ, Nero: tu converte cohortes etc. *sonat* est clara elataque voce loquitur. — Hinc Part. præs.

Sonans, antis, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Sonantior* 1. — Sonans est sonum edens, sonorus; occurrit autem ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 10. *Met.* 89. et fila sonantia movit. Cf. 12. *ibid.* 375. Excipit ille ictus galea clipeoque sonantes. et *Virg.* 3. *Æn.* 233. *de Harpyiis.* Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis. *stridente.* *Plin.* 6. *Ep.* 16. Meatus animus propter amplitudinem corporis gravior et sonantior. *russante.* et 7. *ibid.* 12. Ut tibi tumidius videretur, quod est sonantius et elatius. ¶ 2. Speciatim de verbis et voce hominum. *Ovid.* 12. *Met.* 46. *de Fama.* tota est ex ore (*al.* ære) sonanti. *Plin.* 1. *Ep.* 16. Sonantia verba et antiqua. *di buon suono.* et 2. *Ep.* 19. *a med.* Auditorem potius dulcia hæc et sonantia, quam austera et pressa delectant. *Martial.* 7. 46. Divitibus poteris Musas elegosque sonantes Mittere. *versi sonori.* et *Augustin. De catech. rud.* 8. Sonantior stilus. ¶ 3. Item de sono litterarum. *Apul. De mund.* 20. Litteræ sonantes. *quibus oppon.* insonantes et semisonantes. Adde *Quintil.* 8. 3. 16. et 9. 4. 33.

Homonym. Inter *sonantem* et *sonorum* discrimen hoc statuit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 57. « *Sonorum*, inquit, est quidquid sine intermissione sonum servat: *sonans*, quod ad tempus auditur ».

SŎNO, is, ere, 3. *V.* voc. præc. init.

SŎNOR, ōris, m. 3. (sonus) Etiam adjective occurrit apud *Diomed. p.* 498. 25. et *p.* 499. 24. *Keil.* Sonores versus. στίχοι ἠχητικοί. Cf. *discolor* etc. Alii tamen leg. *sonori.* — Sonor est sonus, strepitus, *suono, strepito,* ἦχος, βρόμος. *Lucret.* 4. 571. Pars (*vocum*) solidis adlisa locis, rejecta sonorem Reddit. *Virg.* 3. *G.* 199. summæque sonorem Dant silvæ. *Id.* 7. *Æn.* 462. magno veluti quum flamma sonore Virgea suggeritur costis spumantis aheni. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Barbari læto cantu aut truci sonore subjecta vallium complebant. *et* 4. *ibid.* 48. Ut suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prœlii non acciperet. — In plur. num. *Lucret.* 5. 335. organici melicos peperere sonores. *Virg.* 9. *Æn.* 651. et sæva sonoribus arma. *Val. Flacc.* 5. 306. mixtumque sonoribus imbrem. *di tuoni.* et *Cic. Orat.* 18. 59. Omnes sonorum gradus persequi. Hunc *Cic.* loc. attulit *Forcellinus*; sed longe probabilius Genet. *sonorum* est a v. *sonus*, quam a *sonor*, quæ vox fere poetica apud *eumd.* nusquam legitur. Adde *Seren. Sammon. c.* 15. *p.* 66. *retro.*

SŎNŌRĒ, adverb. (sonorus) cum sono aut strepitu, *sonoramente, con istrepito,* λιγέως. *Gell.* 4. 20. Et in jure stans, clare nimis ac sonore oscitavit.

SŎNŌRĪNUS, a, um. *V.* SOMNURNUS.

SŎNŌRĬTAS, ātis, f. 3. (sonor) sonus canorus, εὐφωνία. *Priscian.* 1. *p.* 541. *Putsch.* Apud Græcos omnes dictiones vel in vocales vel in semivocales, quæ secundam habent euphoniam, desinunt, quam nos sonoritatem possumus dicere.

SŎNŌRŌSUS, a, um, adject. (sonor) valde sonorus. *Mall. Theod. de metr.* 7. 6. Anapæsticus pulcher ac sonorosus versus est. *Gloss. Gr. Lat.* Ψοφώδης, sonorosus.

SŎNŌRUS, a, um, adject. (sonor) — Comp. *Sonorior.* — Sonorus est sonum edens aut strepitum, sonans, resonans, ἠχώδης (It. *sonante, risonante, sonoro, strepitoso;* Fr. *sonore, retentissant;* Hisp. *sonoro, resonante;* Germ. *schallend, klingend, klangvoll;* Angl. *sounding, loud*). ¶ 1. Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 139. Diva, stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet. *V.* SONANS. *Id. ibid.* 57. Luctantes ventos tempestatesque sonoras etc. *Tibull.* 3. 4. 69. Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora. *Claudian. IV. cons. Honor.* 149. Sonorum æs. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 26. tonitru. *Id.* 2. *in Rufin.* 80. arcus. *Id.* 2. *in Eutrop.* 105. axis currus. *Stat.* 4. *Theb.* 34. Calliope regina sonori nemoris. *h. e.* in quo Musæ cantus exercent suos. *Seren. Sammon. c.* 15. Sonora fauce. h. e. *gargarizzando.* et *Stat.* 11. *Theb.* 281. ubi Phocidos arma sonoræ? *scil.* propter oraculum Apollinis Delphici. *Claudian. B. Gild.* 512. Insula sonora fluctibus. ¶ 2. Speciatim de oratione. — *a*) Absolute. *Terentian. de metr. p.* 1035. *Putsch.* Syllabaque adjaceat geminis exorta sonoris (*syllabis*). — *Sonori versus* sunt, qui crepitant pronunciatione fragosa, et exsultantem informant dictionem: ut (*Virg.* 9. *Æn.* 503.) At tuba terribili sonitu procul ære canoro Increpuit. et (8. *ibid.* 596.) Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Hæc *Diomed.* 3. *p.* 498. *Putsch.* Sed *V.* SONOR init. — *b*) Cum Infinito. *Priscian.* 2. *p.* 45. 7. *Keil.* Rationabilius est sonoriusque, quantum ad ipsam vocis prolationem, in compositis quoque

simplicium regulam in ordinandis syllabarum literis servare.

Homonym. Quid inter se differant *sonorus* et *sonans*, V. in SONANS.

SONS, sontis, 3. Rectus casus sing. videtur olim fuisse *sontes*, inde *sons*, ut a *plebes plebs*, a *mentis* (quod dixit *Ennius*) *mens*, etc. Cf. *Claud. Sacerd.* 2. *Gramm.* p. 479. 19. *Keil.* V. adnot.; occurrit autem apud *Fest.* et *Paul. Diac. loc. cit.*, *Auson. Edyll.* 12. *Technop. gramm.* 15. et *Augustin. Reg.* p. 505. 10. *Keil.* Cf. *Prob. Cathol.* p. 28. 27. *ibid.* — Genet. plur. *sontum* pro *sontium* apud *Stat.* 4. *Theb.* 475. *V.* infra. — Ratione habita etymi, *Forcellinus* ducit a σίντης, nocens, quod a σίνομαι, noceo; *Döderlein* vero ab ὀνοστός, vituperabilis, quod ab ὄνημι, vitupero: sed recentiores philologi vocem conjungunt cum v. *sum*, ita ut sit ejusd. partic. præs. pro *sens*, ut in *absens*, *præsens*; unde factum sit *sons* et *sonticus* pro eo quod est *verus*, verus rei seu facti auctor, et hinc etiam reus. Cf. *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 291. 11. *Müll.* et *eumd.* 290. 26. et *Plaut. Capt.* 3. 1. 15. *V.* SONTICUS et SUM. — Sons itaque est proprie qui aliquid vere, reapse fecit; sed generatim qui est cujuscumque maleficii reus, *reo*, *colpevole*: occurrit autem tum adjectivorum, tum substantivorum more. ¶ 1. Adjectiv. et quidem omn. gen. — *a*) Stricto sensu. *Virg.* 10. *Æn.* 854. Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem. *Ovid.* 7. *Met.* 847. corpusque meo mihi carius ulnis Sontibus attollo. *h. e.* manibus meis, quibus ipsum occideram. *Stat.* 5. *Theb.* 488. fremit impia plebes Sontibus accensæ stimulis. *dai rimorsi della rea coscienza.* — *b*) Latiore sensu est nocens: immo hanc putat primam vocis notionem *Forcellinus* ex *Fest.* p. 297. 22. *Müll.* Sons, nocens: ut ex contrario insons, innocens. *Plaut. Capt.* 3. 1. 15. Sontes condemnant reos. *Stat.* 5. *Theb.* 610. qui te, mea gaudia, sontes Extinxere Dei? *Id.* 4. *ibid.* 640. et ab igne supremo Sontes lege mora. *h. e.* quæ nocent sepultura carentibus. ¶ 2. Substantivorum more. *Cic.* 1. *Off.* 24. 82. Id est viri magni, rebus agitatis, punire sontes, servare multitudinem. *Id.* 2. *Phil.* 8. 18. Comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit. *Id.* 3. *Legg.* 3. 6. MINORES MAGISTRATVS VINCLA SONTIVM SERVANTO CAPITALIA VINDICANTO. *Stat.* 4. *Theb.* 475. *de Plutone.* Cui servire dati Manes æternaque sontum Supplicia. *Cic.* 4. *Fam.* 13. Sontibus opitulari. *h. e.* reos eloquentia defendere. Adde *Curt.* 6. 11. 39. *Inscript.* apud *Avellino* in *Bullett. archeol. Napolit.* *T.* 4. p. 51. III VIR SONTIB. IVDICANDIS. pro *triumviro capitali.* et *Ovid.* 11. *Met.* 268. fraterno sanguine sontem Expulsumque domo patria Trachinia tellus Accipit. *h. e.* reum cædis fratris. *Id.* 13. *ibid.* 563. Immergitque manus fœdataque sanguine sonti etc. *h. e.* viri homicidæ. Adde *Sall. Cat.* 16.

SONTĬCUS, a, um, adject. (sons) ¶ 1. Est sons, verus, legitimus, justus, ut *sontica causa* apud *Fest.* p. 344. 8. *Müll.*, quamquam vocis originem a morbo sontico petit, de quo infra; inquit enim: Sontica causa dicitur a morbo sontico, propter quam, quod est gerendum, agere desistimus. Cato: Quid dicam causæ extitisse, timidusne sis? an impedimento tibi causam sonticam fuisse? Sic *Tibull.* 1. 9. 51. Parce, precor, tenero. non illi sontica causa est, Sed nimius luto corpora tingit amor. *h. e.* non ob sonticum morbum, sed propter amorem luteo est colore et pallet. *Nævius* apud *Fest.* p. 290. 28. *Müll.* Sonticam oportet esse causam, quamobrem perdas mulierem. ¶ 2. Est etiam noxius, gravis, vehemens, βλαβερός, ut *sonticus morbus*, h. e. ita verus et gravis, ut solitas functiones impediat, et justam excusationem præbeat, quo minus in judicium vocatus se sistere quis cogatur, aut quippiam aliud agere: cujusmodi est v. gr. morbus comitialis. *Festus* p. 290. 26. *Müll.* Sonticum morbum in XII. significare ait Ælius Stilo certum cum justa causa: quem nonnulli putant esse, qui noceat, quod sontes significet nocentes. *Id.* in *Insons.* Morbus dici existimatur sonticus, quia perpetuo noceat. *Cincius* apud *Gell.* 16. 4. recenset inter ea, quibus excusabantur milites, si præfinita die non adfuissent. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem non per se morbum, sed morbum sonticum appellant. *Venulej. Dig.* 21. 1. 65. Quoties morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. nocere autem intelligi, qui perpetuus sit, non qui tempore finiatur. Sed et morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. *h. e.* quem in ventre matris non contraxerit et secum extulerit, sed post nativitatem supervenerit. Alii tamen leg. *postquam sanatus sit.* Mallet *Gothofred.* legi *damnatus* vel *accusatus sit.* et *Marcell. Dig.* 42. 1. 60. Morbus sonticus, etiam invitis litigatoribus ac judice, diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cuique rei agendæ impedimento est litiganti. Porro quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quam febrem appellant? *Paul. ibid.* 5. 1. 46. sonticum morbum dicit, quo judex furere cœpit. Adde *Ulp. ibid.* 2. 11. 2. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 34. (142). Gagatis lapis deprehendit sonticum morbum et virginitatem suffitus. Hæc *Plin.* ex *Dioscorid.* *l.* 5. *c.* 146., qui pro *sontico* habet ἐπιληπτικόν.

SŎNUS, a, um, adject. sonans, qui sonum edit; unde *resonus*, *consonus* etc. *Isid.* 1. *Orig.* 4. 4. Vocales et semivocales et mutæ a veteribus sonæ et semisonæ et insonæ dictæ.

SŎNUS, i, m. 2. — *a*) Olim fuit et quartæ declinationis, ut Genet. *sonus* apud *Ammian.* 20. 4. 14. Iterata magnitudine sonus Augustum appellavere consensione firmissima. — Ablat. *sonu* apud *Non.* p. 142. 6. *Merc.* Postquam sonu signorum prœlium magno cum clamore virorum commissum est. ubi tamen alii rectius leg. *sono.* et *Ammian.* 18. 8. 5. Objurgatorio sonu vocis increpitus proditorque et nefarius appellatus. Adde *eumd.* 20. 9. 6. et 27. 1. 5. et *Apul.* 8. *Met.* — Nomin. plur. *sonus* apud *Ammian.* 22. 9. 15. Ululabiles undique planctus et lugubres sonus audiebantur. — *b*) Origo hujus vocis eadem nonnullis videtur, quam habet *tonus*; recentiores conjungunt cum Skr. *svan*, ejusdem significationis. — Sonus est quidquid aurium sensu percipitur, strepitus, vox, ἦχος, φθόγγος, κροῦμα (It. *suono*, *strepito*; Fr. *son*, *retentissement*, *bruit*; Hisp. *son*, *sonido*, *ruido*; Germ. *d. Schall*, *Ton*, *Klang*, *d. Geräusch*; Angl. *a sound*, *noise*, *din*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Enn. Ann.* 509. raucum sonum ære cucurrit. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Sonus tubæ. *Id.* 3. *B. C.* 105. signorum. *Cic.* 6. *rep.* 18. 18. Hic quis est, qui complet aures meas, tantus et tam dulcis sonus? et 2. *Nat. D.* 60. 150. Ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum. *et ibid.* 58. *ad fin.* Varietas sonorum in tibiarum nervorumque cantibus. *et ibid.* 59. *sub fin.* Lingua sonos vocis distinctos et pressos efficit, quum ad dentes et ad alias partes pellit oris. *Id.* 1. *Orat.* 59. 251. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum redigere. *Id.* 6. *rep.* 18. 18. Sonus acutus et excitatus. *Quintil.* 11. 3. 41. Neque gravissimus in musica sonus nec acutissimus. *Id. ibid.* 23. Sonus altissimus. *Id. ibid.* 41. parum clarus nimiumque plenus. *Id. ibid.* 16. dulcis non exprobrans. *Id.* 1. 7. 17. pinguis. *Id.* 11. 3. 41. prætenuis. *et ibid.* 168. simplex. *Phædr.* 1. 2. missum tigillum subito vadi Motu sonoque terruit pavidum genus. *Id.* 3. 18. Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono? *canto.* et *Virg.* 3. *G.* 83. *de equo.* si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit. *Id.* 12. *Æn.* 618. arrectasque impulit aures Confusæ sonus urbis et illætabile murmur. *Horat. Art. P.* 348. Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens: Poscentique gravem persæpe remittit acutum. *Nepos Epamin.* 2. Sonus chordarum. *Quintil.* 9. 4. 10. Sonus nervorum. *et ibid.* organorum. *et* 1. 11. 7. tibiarum. *Ovid.* 4. *Met.* 391. tympana raucis Obstrepuere sonis. *Id.* 1. *Fast.* 433. asellus Intempestivos edidit ore sonos. *Lucan.* 6. 692. Stridorumque sonum fractæque tonitrua nubis. *Id.* 3. 541. Remorum sonus. *Seneca Herc. Œt.* 1002. verberum crepuit sonus. *Colum. De cult. hort.* 160. tacito nam tempora gressu Diffugiunt, nulloque sono convertitur annus. Cf. *Ovid.* 6. *Fast.* 771. Tempora labuntur tacitisque senescimus annis. et 10. *Met.* 519. Labitur occulte fallitque volatilis ætas. ¶ 2. Specialim sæpe refertur ad verba et vocem, *parola*. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 73. Nos in vocibus occupatos, inanes sonos fundere. *Ovid.* 3. *Met.* 377. de *Echo.* illa parata est Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat. *Id.* 6. *Fast.* 114. Reddebat tales protinus illa sonos. et 1. *ibid.* 100. de *Jano.* Edidit hos nobis ore priore sonos. et 3. *ibid.* 26. Et peragit tales arbore nixa sonos. et 3. *Pont.* 3. 22. Talibus afflata est libera lingua sonis. *Id.* 6. *Fast.* 507. Lallas Saturnia Bacchas Instimulat fictis insidiosa sonis. *Stat.* 12. *Theb.* 317. fugere animus visusque sonusque, Inclusitque dolor lacrimas. *Tac. Germ.* 3. Affectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur. *asprezza della voce.* et *Seneca Herc. Œt.* 1128. Sed quis non modicus fragor Aures attonitas movet? Est et Herculeus sonus. ¶ 3. Item ad prosodiam, sive accentum, quo verba exprimuntur. *Cic. Orat.* 17. *extr.* Mira est quædam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice dicitur de voce, lingua, *voce*, *linguaggio*. *Horat. Epod.* 17. 17. tunc mens et sonus relapsus. *Id.* 4. *Od.* 3. 20. O mutis quoque piscibus donatura cycni, si libeat, sonum. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 423. ora sono discordia signant. *differenti di linguaggio.* ¶ 2. Figurate. *Cic.* 2. *Orat.* 12. 54. Addidit historiæ majorem sonum vocis. *Id. opt. gen. orat.* 1. 1. In cæteris suus est cuique sonus.

SŌNUS, us, m. 4. *V.* voc. præc. init.

SOPESCO, is, ere, n. 3. (sopio) soporem contraho. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 135. Sopit, sopescit. Sed *Kopp.* rectius leg. *sopitus.*

SŌPHAR, indecl. Vox Hebraica שופר *shophar*, genus buccinæ. *Hieronym.* 2. in *Os.* 5. 8. Buccina pastoralis est et cornu recurvo efficitur, unde et proprie Hebraice sophar, Græce κερατίνη appellatur. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SŌPHETIM, plur. indecl. *Sophtim* per syncop. apud *Hieronym.* in *Prolog. galeat.* — Vox Hebraice plur. שפטים *shephatim* a sing. שפט *shophet*, defensor, judex. Cf. SUFES apud Carthaginienses. *Hieronym. loc. cit.* Ita inscribitur liber septimus sacræ Scripturæ. — De potestate et officio horum magistratuum seu belli ducum V. *Vigouroux*, *la Bible et les découvertes modernes* etc. *T.* 3. *l.* 2.

SŌPHĬA, æ, f. 1. (σοφία) Penultimam producit *Prudent.* 1. *in Symmach.* 34. ætheriæ coluerunt dogma Sophiæ. Sic a quibusd. citatur hic versus in *Anthol. Gr.* Σύριγξ οὔνομ' ἔχεις. ᾄδει δέ σε μέτρα σοφίης. Adde *Venant. Suppl.* 2. 62. Cf. *Comment.* in *Donat. art. min.* p. 227. 17. *Keil.* — Sophia est idem ac sapientia. Hac voce *Cicero* si quando utitur, Græcis litteris scribit. At *Seneca Ep.* 89. Sapientia est, inquit, quam Græci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoque Romani utuntur: quod et togatæ tibi antiquæ probabunt, et inscriptus Dosenni monumento titulus: Hospes resiste et sophiam Dosenni lege. Hæc *Senec.* — *a*) Generatim. *Martial.* 1. 112. Quum tibi sit sophiæ par fama et cura deorum. *Afran.* apud *Gell.* 13. 8. Usus me genuit, mater peperit Memoria: Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam. *Enn.* apud *Fest.* in *Sas*, ex lectione *Scalig.* Nec quisquam Sophiam, sapientia quæ perhibetur, In somnis vidit prius, quam sam discere cœpit. Adde *Lactant.* 3. 16. *a med.* *Cyprian. Ep.* 57. (60.) n. 3. Magis durus sæcularis philosophiæ pravitate, quam sophiæ dominicæ lenitate paciferis. — *b*) Specialim *sophia* appellatur a Christus Jesus. *Mar. Victorin.*

Hymn. de Trinit. 1. Sophia autem quam sit Christus, idem Christus filius docet. Cf. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 1. 24. V. voc. seq. — c) *Capell.* 1. p. 3. Sophiam memorat tamquam deam collacteam Dianæ.

SŎPHĬĀNUS, a, um, adject. (sophia) ad sophiam pertinens, quæ est Christus. *Coripp.* 4. *Laud. Justin.* 287. venerabile templum Et Sophianarum splendentia tecta novarum. *h. e.* templum S. Sophiæ, seu Jesu Christi, Constantinopoli ab Justiniano imp. excitatum.

SŎPHĬCUS *vel* soficus, a, um, adject. (sophia) ad sophum pertinens. *Auct. carm. de Providentia* 769. Hic sophicas artes Græcorum et vana secutus Dogmata.

SŎPHISMA, ătis, n. 3. (σόφισμα) Prior syllaba licenter correpta occurrit in *Anthol. Lat. n.* 372. *Meyer.* Sed quum Surdo homo sit, versum est sophismate verum. — Sophisma est genus fallacis argumentationis, conclusio fallax, commentum et falsa oratio ita composita, ut vera esse videatur, *sofisma*. *Cic.* 4. *Acad.* 24. 75. (2. *pr.*) Quorum sunt contorta et aculeata quædam sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculæ. *Orelli* σοφίσματα. Adde *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 47. *Seneca Ep.* 45. *circa med.* Idem de istis captionibus dico. quo enim nomine potius sophismata appellem? *Id. Ep.* 111. Quid vocentur Latine sophismata, quæsisti a me. Multi tentaverunt illis nomen imponere: nullum hæsit: videlicet, quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero usus est: cavillationes vocat. *Gell.* 18. 13. Sophisma diluere ac refellere. *Capell.* 4. *p.* 135. Ambage ficta præstruis sophismata. *et ibid. p.* 94. Stoica circueant ludantque sophismata sensus. De sophismatis stoicorum locus primarius est apud *Lucianum*, ut *Kopp.* adnot. ad *h. l.*

SŎPHISMĂTĬCUS, a, um. *V.* voc. seq.

SŎPHISMĂTĬON, ĭi, n. 2. σοφισμάτιον, parvum vel breve sophisma. Legitur apud *Gell.* 18. 13. *Hertz.* in *lemmate*, ubi alii leg. *sophismatico* pro *sophismatio*.

SŎPHISTA *vel* sofista, *et*

SŎPHISTES, æ, m. 1. (σοφιστής) Etymon vocis tradit *Plato, dial. Protag. c.* 4. *n.* 312. Λέγε δή, τί ἡγεῖ εἶναι τὸν σοφιστήν; Ἐγὼ μέν, ἦ δ' ὅς, ὥσπερ τοὔνομα λέγει, τοῦτον εἶναι τὸν τῶν σοφῶν ἐπιστήμονα. *h. e.* ὅς τὰ σοφὰ ἐπίσταται, qui, quæ ad sapientiam pertinent, novit: a σοφός, sapiens, et ἵστημι, scio. V. *Ferrai, Dial. Plat. t.* I. *p.* 512., *Padova tip. Semin.* 1873. — Sophista generatim sumitur in malam partem, et est imitator philosophorum, philosophus apparens, qui fictam quamdam et inanem sapientiæ speciem jactitat; qui eloquentiam et sapientiam omnium artium, ostentationis et quæstus gratia, profitetur; olim enim eloquentia et sapientia conjunctæ erant, *sofista, saccente, letteratone.* ¶ 1. In malam partem. — a) Universim. *Cic.* 4. *Acad.* 23, 72. (2. *pr.*) At quis est hic? num sophistes? sic enim appellantur ii, qui ostentationis aut quæstus sui causa philosophantur. *Boeth. p.* 223. Sophista, quem fallacem argumentatorem Latine possumus dicere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. 63. Nam Abderites quidem Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus etc. Adde *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 608., qui sophistas appellat, quibus sublimis Christianorum doctrina stultitia videbatur. — Sophistarum mos fuit paratos esse subito et improviso de quacumque re dicere, et in conventu quæstionem poscere. *Cic.* 2. *Fin.* 1. *init.* Eorum erat iste mos, qui tunc sophistæ nominabantur: quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quæstionem, id est jubere dicere, qua de re quis vellet audire. *Lucil.*, ex *Dousæ* et *L. Mülleri* lectione, apud *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2. 3. 10. At dii te perdant (*M.* Atqui dei male te) senium atque insulse sophista. — Cum sophistis Socrates bellum perpetuum gessit, ut patet ex Hippia majore *Platonis*, ex Protagora et aliis dialogis. *Cic.* 2. *Fin.* 1. et *Brut.* 8. etc. — b) *Sophistes* inscribitur liber Platonis, teste *Boeth. De div. init.* In libro Platonis, qui Sophistes inscribitur, commentariis a Porphyrio repetitus. ¶ 2. In bonam partem interdum hoc nomine appellati sunt sani eloquentiæ doctores et dicendi periti. *Cic. Orat.* 19. *ad fin.*, *Juvenal.* 7. 167. et *Gell.* 17. 5.

Homonym. Differt *sophista* ab *oratore*, quia *sophista* est artifex callidus et ingeniosus, qui artificiosæ orationis delicias affectat: deinde *orator* versatur circa eloquentiam forensem, sed *sophista* circa epidicticam seu demonstrativam. *V.* ORATOR et RHETOR.

SŎPHISTĬCÈ, adverb. (sophisticus) σοφιστικῶς, dolose, *sofisticamente, furbescamente. Imp. Zeno Cod.* 8. 10. 12. § 3. Sophistice legem interpretari et cavillari. Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 37. 23.

SŎPHISTĬCE, es, f. 1. σοφιστική, ars sophistica, cavillatrix, fallax, *sofistica. Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Sophistice, imitata juridicialem statum, dat opinionem stultis, quasi justitiæ studeat, quam iniquitati favere constat.

SŎPHISTĬCUS, a, um, adject. (σοφιστικός) Etiam *sophistice* pro *sophistica* femin. apud *Varron. Sat. Menipp.* 144. *B.* Sophistice aperantologia. Sed *Oehlerus* aliter leg. *V.* quæ adnot. ad h. l. p. 127. *in fin.* — Sophisticus est ad sophistas pertinens, captiosus, fallax, dolosus, *sofistico. Tiro Tullius* apud *Gell.* 7. 3. *a med.* Res admodum insidiosa et sophistica. *Gell.* 18. 2. Captionis sophisticæ solutio. *Arnob.* 1. *p.* 36. Sophistica se ostentatione jactare. *Auson. Edyll.* 17. 13. *Schenkl.* Sophisticæ Socratis conclusiones. *Id.* 27. 2. Sophistica levitas. — Hinc

Sophistica, orum, n. plur. 2. absolute. *Prudent.* 2. *Apotheos. præf.* 41. Idcirco mundi stulta delegit Deus, Ut concidant sophistica. Respicit *Prudent.* illud *Pauli* 1. *Cor.* 1. 27. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. *Auson. Edyll.* 27. 1. *Schenkl.* Aliaque sophistica, quæ in uno versu esse non possunt.

SŎPHISTRĬA, æ, f. 1. σοφίστρια, deceptrix. *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad ann. DCCLXX. *ab Abraham.* Hydram callidissimam fuisse sophistriam asserit Plato.

SOPHORTIÆ Vites inter Græculas enumerantur a *Colum.* 3. *R. R.* 2. *a med.* probabilem quidem gustum habentes, sed quæ in nostris, inquit, regionibus et raritate uvarum et acinorum exiguitate minus fluunt.

SOPHOSPH. *V.* SOPOEP.

SŎPHŎS *vel* sofos, adverb. σοφῶς, sapienter, *benissimo, ottimamente*, et etiam, cum adjectivis, substantivorum more, plausus, *applauso, battimano.* Hujus Græcæ vocis usus in adclamationibus, præsertim quum recitantes aut causas in foro agentes prece aut pretio corrogati laudabant: qua de re multa *Plin.* 2. *Ep.* 14. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Clamare sophos. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. in *carm.* 2. *ad fin.* Stupuit virum loquentem Diadematis potestas, Toga, miles, ordo equester Populusque Romularis: Et adhuc sophos volutant Fora, templa, rura, castra. *V.* LAUDICENUS. Adde *Anthol. Lat. n.* 265. et 281. *Meyer. Martial.* 1. 50. Mercatur alios grande et insanum sophos. *et ibid.* 77. Præter aquas Helicon, et serta lyrasque dearum, Nil habet, et magnum semper inane sophos. *et* 3. 46. Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo: At tibi tergeminum mugiet ille sophos. *Id.* 1. 67. Non sex paratur aut decem sophos nummis.

SOPHTIM. *V.* SOPHETIM.

SŎPHUS, sophos *et* sofus, i, m. 2. (σοφός) In sing. recto *sophos* et accus. *sophon* Græca positione apud *Martial.*, *Auson.* et *Venant. loc. cit.* — Sophus est sapiens, *saggio, sapiente:* et fere de philosophis dicitur. — a) De persona. *Martial.* 7. 32. Te secreta quies, te sophos omnis amat. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. In quo Læliu' clamores sophos ille solebat Edere. *et mox.* Læliu' præclare et recte sophos, illeque vere. *Alii leg.* sophus. *Orell.* leg. utrobique Græce. *Phædr.* 3. 14. tum victor sophus. *h. e.* Æsopus. *Id.* 4. 16. Factus periculo tum gubernator sophus etc. *ammaestrato, fatto cauto.* (Sic *Propert.* 2. 21. 30. Credat et illa suo docta puella malo.) *Auson. Epigr.* 22. 25. Sapiensque supra Græciæ septem viros Octavus accessit sophos. — b) Non modo personam, sed rem etiam spectat, et elegantiam dictionis et gravitatem significat. *Venant.* 3. *carm.* 23. 1. Ardua suscepi missis epigrammata chartis, Atque coturnato verba rotata sopho. — *NB.* De cognom. *R. V.* ONOM.

SOPINUS, a, um, adject. ut Sopina vitis, absolute dicta, in Tuscis præcipua apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (36). Siquidem Tuscis peculiaris est Tudernis atque etiamnum Florentiæ, in iis Sopina. Sed *Sillig.* dedit *opima*. V. tamen quæ ad *h. l.* adnotat.

SŌPĬO, is, ivi et ii, itum, ire, a. 4. Vox ducitur aliis ab ὀπός, unde ὄπιον, sucus papaveris; aliis vero a Skr. *svap*, dormio. *V.* SEPELIO et SOMNUS. — Part. *Sopitus* in omn. paragr.; *Sopiturus* II. 1.; *Sopiendus* II. 3. *a.* — Sopio est somnum alicui induco, dormire facio, soporo, consopio, κοιμίζω (It. *addormentare, assonnare; Fr. assoupir, endormir; Hisp. adormecer; Germ. einschläfern; Angl. to cast asleep, lull asleep*).

I.) Proprie. *Liv.* 9. 30. Alii alios epularum causa invitant, et vino oneratos sopiunt. *Id.* 24. 46. *ad fin.* Sonitus imbris lentior æqualiorque accidens auribus, magnam partem hominum sopivit. *Tibull.* 3. 4. 19. Nec me sopierat menti deus utilis ægræ Somnus. *Ovid.* 7. *Met.* 149. pervigilem herbis sopire draconem. *et ibid.* 213. Custodemque rudem somni sopistis. *Alii leg.* somno. Sic Part. *sopitus*, somno oppressus, dormiens, κατακοιμισθείς. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 115. Animus, sopito corpore, vigilat. *Petron. Sat.* 87. Sopitum me excitavit. *Liv.* 25. 9. *a med.* Ex improviso adortus sopitos vigiles, in cubilibus suis obtruncat. *Virg.* 10. *Æn.* 642. Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus. *Phædr.* 3. 10. uxor, Sopita primo quæ nil somno senserat. *Lucret.* 3. 432. Sopiti in somnis cernimus etc. *Liv.* 8. 16. *a med.* Vino et epulis sopitos hostes aggredi. *Seneca Med.* 704. et *Colum.* 10. *R. R.* 367. magicis sopitus cantibus anguis. *Ovid.* 3. *Fast.* 305. Vina quies sequitur. gelido Numa prodit ab antro Vinclaque sopitas addit in arta manus. *Liv.* 9. 37. *a med.* Paullo ante lucem, quod æstivis noctibus sopitæ maxime quietis tempus est.

II.) Translate. ¶ 1. Prægnanti, ut ajunt, sensu, est morti dare, *ammazzare:* quia consanguineus est leti sopor. *Sil. It.* 10. 152. quem funda procul per inane voluta Sopierat. *Fulgent.* 1. *Myth. præf.* Ferant Caronem citius sopiturum. V. *Muncker* ad *h. l.* Cf. *Lucret.* 3. 916. Tu quidem, ut es leto sopitus etc. *et ibid.* 1052. Homerus — eadem aliis sopitu' quiete est. ¶ 2. Metonymice est sensu omni ad tempus privari, mente linqui, *andare in deliquio o sfinimento, svenire*, καροῦσθαι: et hoc enim est morti simile. *Lucret.* 6. 794. Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Liv.* 2. 6. Lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo ita est saxo, ut sopiretur: exanimatum auctores non omnes sunt. *Id.* 1. 41. Jubet bono animo esse. sopitum fuisse regem subito ictu. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 25. (58). Fluviatilium silurus semper fulgure sopitur. Rursus *Liv.* 42. 15. Saxa duo ingentia devolvunt, quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus. *et ibid.* 16. Tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (26). Delphinus sopitus odoris novitate fluctuatusque similis exanimi. *Petron. Sat.* 138. *sub fin.* Resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ. ¶ 3. Metaphorice est cessare aut quiescere facio, sedo, lenio, mitigo, comprimo, reprimo. — a) Universim. *Cic. Cœl.* 17. *ad fin.* Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret. *Lucret.* 1. 30. Effice, ut interea fera mœnera militiai Per maria ac terras omnes sopita quiescant. *Vellej.* 2. 125. 3. Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas sopiit ac sustulit. *Id. ibid.* 89. 2. Sopitus ubique armorum furor. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 3. Connubii necdum festivos regia cantus Sopierat. *Id.* 2. *in Rufin.* 321. Cœperat humanos alto sopire labores Nox gremio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47.

48. (120). Venti medio diei aut noctis plerumque sopiuntur. *Id. ibid.* 79. 81. (192). Sopitum mare. *Colum.* 6. *R. R.* 37. Sopitum pecudis ingenium modica exercitatione concuti atque excitari. *Val. Max.* 9. 1. *n.* 1. *extern.* His vitiis sopita gloria in infamiam convertitur. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 264. Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes. *Id.* 2. *Rapt. Pros. præf.* 1. Otia sopitis ageret quum cantibus Orpheus. *Cyprian. Ep.* 42. (45.) *n.* 3. Cui rei sopiendæ necessarium duximus etc. *Id. ibid.* 52. (55.) *n.* 6. Animi dolor sopitus. — *b*) *Sopitus ignis*, cessante flamma, celatus, sub cinere abditus, *fuoco coperto*. *Virg.* 5. *Æn.* 743. et 8. *ibid.* 410. cinerem et sopitos suscitat ignes. *et* 542. Herculeis sopitas ignibus aras Excitat. — *c*) In illo *Cyprian. Ep.* 8. (10.) *n.* 2. Ignes gehennæ glorioso cruore sopire. *sopire* est extinguere. Sic *id. de op. et eleem.* 2. Delictorum flamma sopitur.

SŌPĬO, ōnis, f. 3. *V.* voc. seq.

SŌPĪTĬO, ōnis, f. 3. (sopio) actus sopiendi, dormitio. *Marcell. Empir.* 29. *p.* 129. Collice mirifica Julii Bassi, quæ prodest sine sopitione. Alii aliter leg. — Alia significatione apud *Petron. Sat.* 22.; at ibi *Gruterus* leg. *sopitis titionibus*; alii *sopionibus*; alii aliter: *Büchelerus* dederat primum *sopiti...onibus*, dein *sopitionibus*. Sed *V.* SCOPIO.

SŌPĪTUS, a, um, particip. *V.* SOPIO, is.

SOPOEP, indecl. Vox Ægyptia, qua significatur herba eadem quæ vulgo est aristolochia. *Apul. Herb.* 19., ubi alii leg. *sophosph*.

SŌPOR, ōris, m. 3. (sopio) somnus cum gravedine, κάρος (It. *sonno grave, letargo*; Fr. *assoupissement, profond sommeil, léthargie*; Hisp. *adormecimiento, modorra*; Germ. *d. feste, tiefe Schlaf*; Angl. *a deep or dead sleep, a lethargy*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (198). E nigro papavere sopor gignitur. (Hunc *loc.* de suco papaveris intelligit *Theil*, quam ait esse propriam vocis significationem.) *Id.* 21. *ibid.* 18. 71. (191). Junci semine somnum allici: sed modum servandum, ne sopor fiat. *Cælius* apud *Quintil.* 4. 2. 123. Sopor temulentus. *et mox.* semisomnus. — *b*) Poetæ simpliciter pro somno accipiunt, *sonno*. *Lucret.* 4. 455. suavi devinxit membra sopore Somnus. *Tibull.* 4. 4. 9. Phœbe, veni tecumque feras, quicumque sopores, Quicumque et cantus corpora fessa levant. *Plaut. Rud.* 4. 2. 11. Lucrum præposivi sopori et quieti. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Quum jam quieti corpus nocturno impetu Dedi, sopore placans artus languidos. *Petron. Sat.* 100. In soporem labens. *et ibid.* 104. prostrata sopore Urget membra quies. *Lucret.* 4. 769. jacet languetque sopore. *Tibull.* 1. 2. 1. Adde merum vinoque novos compesce dolores, Occupet ut fessi lumina victa sopor. *Propert.* 3. 15. 42. *ad Bacchum.* Atque hoc sollicitum vince sopore caput. *Lucan.* 5. 680. corpora segnis Nostra sopor tenuit. *Val. Flacc.* 1. 48. quum serus fessos sopor alligat artus. *Virg.* 2. *Æn.* 253. complectitur. *et* 3. *ibid.* 511. irrigat. *Seneca Octav.* 117. Et fessa fletu lumina oppressit sopor. *Catull.* 63. 37. Piger labantes languore oculos sopor operit. *Ovid. Heroid.* 16. 100. Lumina quum placido victa sopore jacent. *et ibid.* 19. 56. subit furtim lumina fessa sopor. *Virg.* 4. *Æn.* 522. placidum carpebant fessa soporem Corpora. *et* 8. *ibid.* 405. placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem. *Lucret.* 4. 996. levem ex oculis volucremque soporem Discutere. *Ovid.* 11. *Met.* 677. Soporem excutere. *Curt.* 7. 11. 18. Sopore alto excitari.

II.) Translate. ¶ 1. Prægnanti, ut ajunt, sensu dicitur de morte. *Plaut. Amph.* 1. 1. 147. Homines quatuor in soporem collocastis nudos. *et ibid.* 150. Sopori aliquem dare. *Plaut.* potest intelligi etiam de defectu animi et amissione sensus, *tramortimento, stordigione*. et *Lucret.* 3. 466. Interdumque gravi lethargo fertur in altum Æternumque soporem. *Horat.* 1. *Od.* 24. 5. Quinctilium perpetuus sopor urget. ¶ 2. Metonymice est medicamen soporiferum, *sonnifero*, φάρμακον ὑπνωτικόν. *Nepos Dion.* 2. *in fin.* Patri soporem medicos dare coegit. *Seneca Ep.* 83. *sub fin.* Licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec sopore sumpto dormiturum. *Id.* 5. *Benef.* 13. *extr.* Veneficus qui soporem, quum venenum crederet, miscuit. Adde *Quintil. declam.* 246. ¶ 3. Item, ut *somnus*, ita et *sopor* pro somnio ponitur, *sogno*. *Claudian. VI. cons. Honor. præf.* 9. Blandaque largitur frustra sitientibus ægris Irriguus gelido pocula fonte sopor. Adde *ibid.* 25. ¶ 4. Item est tempus capitis, *tempia*: fortasse quia circa tempora præcipue videtur somnus in opinione vulgi dominari. Unde apud *Virg.* 5. *Æn.* 854. Somnus volens Palinurum in mare projicere, ramum Lethæo rore madentem super utraque quassat tempora. *Stat.* 2. *Silv.* 3. 29. lævumque soporem Naidos aversa fertur tetigisse sagittâ. Nostri dicunt *dar un pugno nel sonno*, quum quis pugno tempus alicui ferit. ¶ 5. Metaphorice est segnities, otium. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Torpere ultra, et polluendam perdendamque rempubl. relinquere, sopor et ignavia videretur. *Martial.* 7. 42. Inde sopor nobis et placet alta quies. ¶ 6. In Fabulis quæcumque de Somno dicuntur, Sopori tribuunt *Virg.* 6. *Æn.* 278. *de monstris in Orci faucibus collocatus.* Cf. *Serv.* 5. ad *h. l.* et *Macrob.* 5. *Saturn.* 7. 11. Tum consanguineus Leti Sopor. *Propert.* 1. 5. 45. Dum me jucundis lapsam Sopor impulit alis. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 525. pigrasque Sopor diffuderat alas. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 59. *Tibull.* 1. 2. 4. Occupet ut fessi lumina victa Sopor. — Est etiam *Sopor* auriga currus lunaris. *Id.* 12. *ibid.* 307.

SŌPŌRANS, antis, particip. *V.* SOPORO.

SŌPŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. (soporo) dormitio, sopor. *Cassiod. in Psalm.* 3. 4. Soporatio ista fuit sacri corporis beata dormitio.

SŌPŌRATUS, a, um, particip. *V.* SOPORO.

SŌPŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sopor *et* fero) soporem inducens, somnifer, *sonnifero*, ὑπνωτικός. — *a*) Universim. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (126). Atra lactuca, quæ meconis appellatur, a copia lactis soporiferi. *Id.* 9. *ibid.* 13. 15. (42). Dextræ pinnæ vim soporiferam inesse. *Virg.* 4. *Æn.* 486. Spargens humida mella soporiferumque papaver. *Spartian. Hadrian.* 26. *extr.* Soporifera potio. *Lucan.* 3. 8. Inde soporifero cesserunt languida somno Membra ducis. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 47. soporiferæ biberem si pocula Lethes. *Id.* 11. *Met.* 586. Soporifera Somni aula. *Petron. Sat.* 128. et *Sil. It.* 7. 287. nox. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 404. soporiferas nocturna silentia terris Explicuere vices. — *b*) *Soporifera* dicitur herba *Apul. Herb.* 74. Alia halicacabum appellata, quam Latini strumum appellaverunt, sive soporiferam. *V.* SOMNIFER.

SŌPŌRO, as, āvi, ātum, are, 1. (sopor) Part. *Soporans* sub *B*; *Soporatus* fere in omn. paragr. — Soporo occurrit *A*) Transitive; et etiam *B*) Neutrorum more.

A) Transitive est soporem induco, sopio, κατακοιμίζω (It. *addormentare, assonnare, sopire*; Fr. *assoupir, endormir*; Hisp. *adormecer*; Germ. *einschläfern, betäuben*; Angl. *to cast into a deep sleep, lay asleep*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cels.* 2. 2. *circa med.* Si sæpius expergiscitur aliquis, quam assuevit, deinde iterum soporatur. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 21. Sæpe soporatos invadere profuit hostes. *Val. Flacc.* 5. 334. soporatos artus premit alta quies. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 97. (209). Aquatilia ipsa quiete cernuntur placida, ceu soporata, neque aliud quam caudas moventia. *Val. Flacc.* 5. 238. Rapta soporato fuerint quum vellera luco. *h. e.* soporato dracone, qui lucum servat. ¶ 2. Speciatim est sensum ac vires ad tempus adimo, hebescere facio. *Scribon. Compos.* 180. Opium mentem soporat sensusque abalienat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (118). Aquarum impetus sisti, serpentes soporari. *Id.* 21. *ibid.* 31. 105. (181). Aspidum naturæ halicacabum in tantum adversam, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. *Stat.* 11. *Theb.* 93. hebet infera cælo Taxus et insuetos angues nimia astra soporant.

II.) Improprie est soporifero medicamento (qui sopor dicitur) imbuere aliquid. *Virg.* 5. *Æn.* 854. ramum Lethæo rore madentem Vique soporatum Stygia. *Id.* 6. *ibid.* 420. Melle soporatam et medicatis frugibus offam Objicit. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 280. *de equis Plutonis.* Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes, Ægra soporatis spumant oblivia linguis.

III.) Translate est sedare, comprimere, extinguere, *chetare, sopire, ammorzare*. *Curt.* 7. 1. 7. Recruduit soporatus dolor. — *Stat.* 6. *Theb.* 235. instant flammis, multoque soporant Imbre rogum.

B) Neutrorum more est idem ac dormio. Occurrit tantum Part. præs. *soporans*.

I.) Proprie. *Cassiod.* 7. *Variar.* 7. *ad præf. Vigil.* Eris securitas soporantium. Cf. *Inscript.* apud *Rénier, n.* 3253. in *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1868. *p.* 62. *et seqq.*

II.) Translate *Venant.* 3. 4. *ep. ad Felic.* Soporantes oculos mihi aperuistis.

SŌPŌRUS, a, um, adject. (sopor) ¶ 1. Active est somnifer, soporifer, *sonnifero*. *Virg.* 6. *Æn.* 390. Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporæ. *Lucan.* 2. 236. sed nocte sopora, Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes, Atria cognati pulsat non ampla Catonis. Adde *Stat.* 1. *Theb.* 403. et *Sil. It.* 10. 354 *et* 13. 856. ¶ 2. Passive sopore plenus, somnolentus. *Val. Flacc.* 2. 222. invadunt dapibus vinoque soporos. — Hinc

Sopora, *æ*, f. 1. absolute apud *Marcell. Empir. p.* 250. ed. *Ald.* Papaveris lacrima, quæ sopora a quibusdam appellatur.

SŌRĂCUM, i, n. 2. σώρακος, vas quoddam, puta corbis, cista, qua ornamenta portantur scænicorum. Plautus in Persa (3. 1. 64.) Librorum eccillum habeo plenum soracum. Hæc *Festus p.* 297. 11. *Müll.* Enumeratur a *Polluce* inter vasa rustica: etsi παρὰ τοῖς κωμῳδοποιοῖς, inquit *l.* 10. *c.* 29., οὕτως ὠνομάσθη τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν. Quidam putant *soracum* et *saracum* seu *sarracum* idem esse; sed hoc certe genus vehiculi est, *soracum* vasis: nisi dicas, *soracum* esse cistam ampliorem, quæ vehiculo imponitur, ut benna. Differunt etiam quantitate pænultimæ, quæ in *sarracum* a *Juvenale* producitur (*V.* hanc vocem), in *soracum* a *Plauto* corripitur.

SŌRĀNUS, i, m. 2. cognomentum Ditis Patris, teste *Servio* ad *Virg.* 11. *Æn.* 785., cujus appellationis originem alii a σορός, sepulcrum, deducunt: alii a Soranis, id numen præcipue colentibus. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SORBELLUM. *V.* SORBILLUM.

SORBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SORBĔO, sorbes, sorbŭi, sorbere, a. 2. — *a*) Ratione habita formæ, *Probus* apud *Priscian.* 9. *sub fin.* etiam *sorbo, is*, agnoscit. Unde *Tibull.* 4. 1. 72. *de Scylla.* Quum canibus rapidas inter freta sorberet undas. *Fulgeo, ferveo, strideo* etc. idem patiuntur. Sunt tamen qui leg. *serperet*. — In præterito etiam *sorpsi* (vel *sorbsi*) apud auctores legimus, inquit *Diomed.* 1. *p.* 363. *Putsch.* Confirmat *Charis.* 3. *sub init.* Certe in compositis quibusdam usitatum est (*V.* ABSORBEO): immo occurrit apud *Commodian.* 4. *Instruct.* 7. Venit inops animi: lapidem pro filio sorpsit. Sed *Claud. Sacerd.* 2. *Gramm. p.* 490. 12. *Keil.* ait, *sorbsi* barbarismum esse. — A *sorbui* supinum debet esse *sorbitum*, ut ab *habeo habitum*, a *præbeo præbitum*: a *sorpsi* vero *sorptum*. *Priscian.* 9. *sub fin.* — *b*) Ad etymon quod attinet, vox duci potest a sono, qui in sorbendo fieri solet, ut *Varro* sentit 6. *L. L.* 84. *sub fin. Müll*: vel a Græca voce infra allata, per metathesin, et aspero spiritu in *s* verso. Sed recentiores philologi derivant a Skr. *sarbh*, ejusdem significationis, quod veterum notationi non adversatur. — Part. *Sorbens* II. — Sorbeo est aliquid liquidum, aut quod mandi opus non est, spiritum retrahendo, haurio, ῥοφέω (It. *sorbire*; Fr. *avaler, humer, gober*; Hisp. *engullir, absorber, sorber*; Germ. *schlürfen*; Angl. *to sup as one does an egg, suck*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 5. Apage istas

e me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Sorbere calidum sanguinem ex homine. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (42). crudum ovum. *Id.* 30. *ibid.* 14. 45. (131). Quæ fimum anserinum cum aqua sorbuerint. *Id.* 20. *ibid.* 21. 84. (224). Suci sorbeat cyathum dimidium. *Lucan.* 4. 314. et lacte negato, Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis. *et* 7. 843. totas avide sorbere medullas. *Sueton. Cal.* 37. Sorbere margaritas aceto liquefactas. — *b*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 6. sorbet dormiens. PA. Quid, sorbet? LU. illud stertit volui dicere. Sed quia consimile est, quod stertas? quasi sorbeas. — *Simul flare sorbereque haud facile est,* proverb. apud *Plaut. Most.* 3. 2. 104., quo significatur, duas res uno eodemque tempore peragi, perdifficile esse. *non si può bere e zufolare: suonare e ballare.* ¶ 2. Latiore sensu pro simpliciter haurire, in se trahere. *Martial.* 12. 29. Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem. *Lucret.* 6. 1127. Et quum spirantes mixtas hinc ducimus auras, Illa quoque (*h. e.* particulas pestilitate imbutas) in corpus pariter sorbere necesse est. *Juvenal.* 6. 305. Sorbere aera. *Seneca Hippol.* 1049. Pistrix citatas sorbet aut reddit naves. *assorbe.*

II.) Improprie dicitur de inanimis. *Virg.* 3. *Æn.* 421. Charybdis imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. *Val. Flacc.* 1. 637. alnus Solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu. *Ovid.* 9. *Met.* 172. sorbent avide præcordia flammæ. *Lucil. jun. Ætn.* 351. non arida (*ignis*) sorbet Gramina. Rursus *Ovid.* 1. *Met.* 40. flumina sorbentur a terra. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 80. 82. (194). Hiatus terræ alias remanet, ostendens quæ sorbuit, alias occultat ore compresso. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 29. Sorbebatque rotas maligna tellus. *h. e.* non sustinebat, sed subsidendo mergebat. *affondava.* de lutosa via loquitur. Sic *Sil. It.* 4. 577. Haurit subsidens fugientum corpora tellus Infidaque soli frustrata voragine sorbet. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 18. Tibris violentus et turbidus hostem reipubl. sorbuit. *assorbì.* et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Minus sorbet pollitura charta, magis splendet. *Id.* 34. *ibid.* 2. 2. (4). Cordubense æs cadmiam maxime sorbet. *Stat.* 3. *Theb.* 328. Insomnes oculos rubor excitat oraque retro Sorbet anhelā sitis. *h. e.* reducit, adducit, retrahit. *Sil. It.* 4. 162. Arva natant altusque virum cruor, altus equorum Lubrica belligeræ sorbet vestigia turmæ. *h. e.* ita replet, ut quasi sorbeat et abscondat. *Id.* 10. 267. et totum tunc primum ante ora fuere Sorbentes Latium campi. *h. e.* campi, in quibus Cannarum pugna commissa est, haurientes totius Latii sanguinem. Similiter *Vulgat. interpr. Job* 39. 21. *de equo.* Fervens et fremens sorbet terram. *h. e.* vorat viam, vel terram haurit pede effodiens. Ita *Weitenauer* ad *h. l.*

III.) Figurate. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. *a med.* Me ab eo ita observari scio, ut ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. *h. e.* non solum facile subeam, sed etiam æquo animo feram. *Id.* 11. *Phil.* 5. 10. Quem gurgitem! quam voraginem! quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis?

SORBĬCĬNA, æ, f. 1. (sorbeo) sorbitio. *Gloss. Cyrill.* Ῥόφημα, sorbicina, sorbitio.

SORBĬLIS, e, adject. (sorbeo) qui facile sorbetur, *da sorbire,* ῥοφητός. *Petron. Sat.* 33. Pavonis ova gallinæ jussi supponi. et mehercules timeo, ne jam concepta sint: tentemus tamen, si adhuc sorbilia sunt. *Cels.* 2. 18. *a med.* Ovum molle vel sorbile imbecillissimæ materiæ est. *Colum.* 8. *R. R.* 17. *a med.* Quique sunt cibi sorbilibus proximi, ut recens caseus. Adde *Theod. Priscian.* 1. 30. et alibi sæpe. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 121. Sorbilis sucus. — *Sorbilia,* neutr. plur. absolute, apud *eumd. ibid.* Et sorbilia lacte quoque confecta.

SORBILLANS, antis, particip. *V.* SORBILLO.

SORBILLĀTOR, ōris, m. 3. (sorbillo) qui sorbillat. *Gloss. Isid.* Sorbillator, degulator. — In *Excerpt. Pith.* est idem ac degustator.

SORBILLO, as, are, a. 1. (sorbeo) Scribitur etiam *sorbilo,* quæ videtur forma antiquior, quam *sorbillo,* et deminut. vel frequentat., certe derivat., a *sorbeo.* Cf. *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch., Cledon. p.* 54. 32. *Keil.* et *Pompej. Comment. p.* 221. 1. *ibid.* — Part. *Sorbillans* I. et II.; *Sorbillandus* I. — Sorbillo est minutim ac paullatim sorbeo, ἀποῤῥοφέω (It. *zinzinare, bere a zinzini, a centellini;* Fr. *boire à petites gorgées, à petits coups;* Hisp. *beborrotear;* Germ. *nippen;* Angl. *to sip, sup, suck*).

I.) Proprie. *Ter. Adelph.* 4. 2. *in fin.* ed. *Umpfenbach.* Cyathos sorbilans paullatim hunc producam diem. *Apul.* 2. *Met.* Vinum paullatim labellis minuens sorbillat dulciter. *Capell.* 2. *p.* 36. Hoc tibi accipe sorbillandum.

II.) Translate. *Apul.* 3. *Met.* Fotidis meæ semiadopertulos oculos adnixis et sorbillantibus saviis sitienter hauriebam. *h. e.* quasi sorbillans deosculabar. Alii ubique *sorbilo.*

SORBILLUM, i, n. 2. (sorbeo) id quod quis sorbillat. *Gloss. Isid.* Bombum, sorbellum (*Hildebr.* bambum, sorbillum). Cf. *Quicherat. op. cit. p.* 270. in *Sorbellus,* ubi aliis *Gloss.* lectionem priorem confirmat: sed rem incertam relinquit.

SORBĬLO, adverb. *V.* voc. seq.

SORBĬLUM, i, n. 2. (sorbum) parvum sorbum. Translate *Plaut. Pœn.* 1. 2. 185. Nam mihi jam video propter te victitandum sorbilo. *h. e.* misero sorborum cibo: quorum genus unum *torminale* appellant, teste *Plin.* 15. *Hist. nat.* 21. 23. (85). Vel in gemitu et suspiriis; nam gementes similem sorbentium sonum edunt. Vel præparco victu et ægrorum proprio, quibus vis morbi vix paullulum sorbere permittit. Ita *Forcellinus;* sed recentiores *sorbilo* adverbium esse docent, ductum a *sorbeo* vel *sorbilo,* et significare minutim, misere, quasi sorbendo seu sorbilando. Id autem confirmat loc. *Cæcil. Com.* 73. apud *Fest. p.* 339. 33. *Müll.* Sine suam senectutem ducat utique ad senium sorbilo. Ita *Bentlejus* et *Ribbeckius;* ubi vulgo leg. *sorbitio.* De hac tamen insolenti forma adverbiali viderint eruditi.

SORBĪTĬO, ōnis, f. 3. (sorbeo) actus sorbendi, *il sorbire,* ῥόφησις.

I.) Proprie. *Pers.* 4. 2. sorbitio tollit quem dira cicutæ. *h. e.* Socratem.

II.) Metonymice est id ipsum, quod sorbendo sumimus, ῥόφημα, jusculum, *h. e.* cibi fortioris portio, multa aqua macerata. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 157. *a med.* Sorbitione liquida hoc per dies septem dato. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 79. sorbitione faciam ego te hodie meam. *co' miei intingoli, co' miei brodetti.* et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 120. (188). Sumitur et sorbitio e farina ad pectus exulceratum. *Phædr.* 1. 26. Liquidam sorbitionem in patena ponere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 66. (136). Sorbitionem tamen dari totam vetuit. *Colum.* 6. *R. R.* 10. Lentis minute molitæ miscentur aquæ calidæ sextarii duo factaque sorbitio per cornu infunditur. *Cels.* 2. 30. Sorbitio ex alica vel ex panico vel ex milio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 16. 62. (170). Cunila cum farina, oleo et aceto in sorbitionem temperata. *et ibid.* 21. 84. (225). Malva in lacte cocta et sorbitionis modo sumpta. ¶ 2. Speciatim et absolute de sorbitione cicutæ intelligunt eruditi illud *Cæcilii* apud *Fest.* in *Senium.* Sine, suam senectutem ducat: utique ad senium sorbitio *h. e.* sine, eum diu vivere et ad ultimam senectutem pervenire: utique quum in senio fuerit, eum manet mors cicutæ veneno inferenda. ¶ 3. Item de oryza vel ptisana in sorbitione diluta. *Seneca Ep.* 78. *ad fin.* Omnia ista facile (*ægri*) perferemus, sorbitionem, aquam calidam etc. *Cels.* 2. 25. Aliena stomacho sunt omnia prædulcia, omnia pinguia, sorbitio, panis fermentatus etc. — Siquando *Celsus* sorbitionem ab oryza aut ptisana distinguit, ut 2. 22., oryzam aut ptisanam pro generibus frumenti accipit, ex quibus sorbitio fit.

SORBĪTĬUM, ii, n. 2. (sorbeo) sorbitio, *beveraggio. Seren. Sammon.* 21. 375. Sorbitium mentæ. Alii leg. *sorbitio.*

SORBĪTĬUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* sorbitio, parva sorbitio, jusculum. *Hieronym. Vit. Hilarion. n.* 11. Fiebat ei de farina et comminuto olere sorbitiuncula. Adde *Marcell. Empir.* 10. *ante med., Plin. Valer.* 1. 54. et *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 13. 6. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 168.

SORBO, is. *V.* SORBEO init.

SORBUM, i, n. 2. fructus sorbi arboris, οὖον (It. *sorba;* Fr. *sorbe, alize;* Hisp. *sorba;* Germ. *d. Elsbeere;* Angl. *sorb-apple, sorb*). *Plin.* 15. *Hist. nat.* 21. 23. (85). Sorbis quadruplex differentia. Aliis eorum rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ovata species. hæc obnoxia acori. Odore et suavitate rotunda præcellunt: ceteris vini sapor. generosissima, quibus circa pediculos folia. Quartum genus torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduum proventu minimumque pomo, arbore dissimile, foliis pæne platani. *Id. ibid.* et *Cato R. R.* 7. *extr.* Sorba sapa condire. *Varro* 1. *R. R.* 59. *a med.* Sorba dissecta et in sole macerata, ubicumque sint posita, in arido facile durare. (De conditura eorum V. et *Colum.* 12. *R. R.* 16. *ad fin.*) *Martial.* 13. 26. Sorba sumus molles nimium durantia ventres. — De satione eorum *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ad fin.* et *Pallad.* 2. *R. R.* 15. — Vinum ex his fieri, docet *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. Hinc *Virg.* 3. *G.* 379. et pocula læti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis. *specie di birra o sidro.*

SORBUS, i, f. 2. (sorbum) Etiam *sorba,* æ in *Gloss. Lat. Gr. p.* 255. *Vulc.* — Sorbus est arbor sorba ferens, ὄα, ὄη et οἴη et οὐα (It. *sorbo;* Fr. *sorbier, alizier;* Hisp. *serbal;* Germ. *d. Sperberbaum, Elsbeerbaum;* Angl. *sorb-tree, service-tree*), quæ est *Sorbus torminalis* Linn. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ad fin.* Sorbi quoque et Armeniaci atque Persici non minima est gratia. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (74). Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, sorbus, tilia, cerasus.

SORCTUS et sortus. *V.* SURRECTUS.

SORDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SORDĔO, sordes, sordŭi, sordere, n. 2. (sordes) Part. *Sordens* I. et II. 1. et 4. — Sordeo est sordidus sum, sordibus turpor, squalidus sum, ῥυπάω (It. *essere sordido, sucido, sporco, sozzo;* Fr. *être sale, malpropre, couvert de boue;* Hisp. *ser sucio, puerco, asqueroso;* Germ. *schmuzig od. unsauber od. unflätig;* Angl. *to be filthy, dirty, sordid*).

I.) Proprie. *Accius* apud *Non. p.* 170. 6. *Merc.* Quum manus materno sordet sparsa sanguine. *Plaut. Truc.* 2. 4. 28. Jam lavisti? PHRON. Jam pol mihi quidem atque oculis meis. num tibi sordere videor? *Seneca Ep.* 5. Non splendeat toga: ne sordeat quidem. *Alcim.* 3. 393. Sordeurit nimium lacero circumdata peplo. *Pallad.* 12. *R. R.* 19. Si sordet oleum, calentes sales injici jubent: ita mundum reddi. *Id.* 4. *ibid.* 6. Cicera distat a cicercula solo colore, quo sordet, et nigrior est. *Gell.* 9. 2. Incola sordentium ganearum. *Stat.* 4. *Silv.* 8. 39. Albanoque cadum sordentem promere fumo. *affumicato.* et *Martial.* 1. 32. Dum nulla teneri sordent lanugine vultus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Gell.* 2. 23. Si conferas Græca ipsa, oppido quam jacere atque sordere incipiunt, quæ Latina sunt. *Id.* 19. 13. Ignobilia nimis et sordentia verba. *h. e.* quæ ab infimis hominibus usurpantur. ¶ 2. Speciatim sordere dicuntur ea, in quibus nimia parsimonia apparet, aut avaritia. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 6. Arabius murrhinusque omnis odor complebat. haud sordere visus est festus dies, Venus, nec tuum fanum. *Favorin.* apud *Gell.* 15. 8. Avium atque altilium nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere. *Manil.* 4. 270. Mite genus, dociliesque fluunt ab sidere (*Aquarii*) partus. Pectora nec sordent. *h. e.* animi non sunt illiberales. ¶ 3. Item sumitur pro contemni, vilem æstimari, nihili pendi. *Virg.* 2. *Ecl.* 44. sordent tibi munera nostra. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 4. Cunctane præ campo et Tiberino flumine sordent? *Liv.* 4. 25. *a med.* Adeo se suis etiam sordere, nec a plebe minus, quam a patribus contemni. *Curt.* 10. 10. 8. Sordent prima quæque, quum

majora sperantur. γνώμη. — Cum Infinito. Auct. Paneg. Constantin. 24. in fin. Nec vero tantummodo vetera illa dictatorum et consulum ac deinceps magnorum principum, sed etiam pulcherrima patris tui facta superasti. sordet enim alios ex proximo tempore comparare. ¶ 4. Avian. Fab. 40. 5. usurpat sordens pro eo qui indignatur vel spernit, sdegnoso, sprezzante.

SORDES, is, f. 3. — a) De recto sing. nihil constat; nisi quod sordis dixisse fertur Ambrosius apud Bedam De Orthogr. p. 2345. Putsch. vel potius sors apud Albin. de Orthogr. p. 309. 33. Keil. — In ablat. sorde et apud Lucret. 6. 1269. etiam sordi, ut colli, igni, orbi, parti etc. pro colle, igne etc. — b) Etymon recentiores petunt a Skr. svar, sucidum, obscurum esse, unde et svarda, obscurus: cf. Germ. schwartz et Lat. surdus. — Sordes est spurcitia, immunditia, lutum, fæx, ῥύπος, ῥύπασμα (It. bruttura, immondezza, sozzura, sporchezza; Fr. ordure, crasse, malpropreté; Hisp. suciedad, caspa, porqueria; Germ. d. Schmuz, Unflath; Angl. filth, dirt, nastiness, squalor); occurrit autem sæpius in num. plur., quam in sing.

I.) Proprie. Plaut. Pœn. 1. 2. 102. etiam in medio oculo paullum sordi' st. Lucret. loc. cit. Ulceribus tætris prope jam sordique sepulta (pellis). Horat. 1. Ep. 2. 53. Auriculas (juvant) citharæ collecta sorde dolentes. — In plur. num. Plaut. Pœn. 1. 2. 101. Pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi. Cic. 2. Nat. D. 57. a med. Ut siqua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tamquam in visco, inhæresceret. Ovid. 1. Art. am. 519. et sint sine sordibus ungues. Claudian. 2. in Eutrop. 383. Non alius lanam purgatis sordibus æque Præbuerit calathis. Plin. 36. Hist. nat. 26. 65. (190). Arenæ fluctibus volutatæ nitescunt, detritis sordibus. Id. 35. ibid. 10. 36. (97). Custodire aliquid a pulvere et sordibus. Cic. 1. Phil. 8. extr. Sordes eluere. Juvenal. 5. 11. sordes farris mordere canini. h. e. sordidum panem. Inscript. apud Lupoli It. Ven. p. 15. CIVITATEM NVDA ANTE DEFORMITATE SORDENTEM SILICIBVS CONSTERNENDAM CVRAVIT.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de luctu, mœrore, squalore ex calamitate. Cic. Cluent. 6. sub fin. Mater squalore hujus et sordibus lætatur. Id. ibid. 67. extr. Ne optatissimum spectaculum hujus sordium atque luctus et tanti squaloris amitteret. Id. Dom. 23. 59. Filiæ meæ fletus assiduus sordesque lugubres vobis erant jucundæ. Adde ad Quirit. 3. a med. Id. 14. Fam. 2. circa med. Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrimis et sordibus! Id. Pis. 36. a med. Diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis luctuque jacuisti. Liv. 6. 16. Insignis et sordibus et facie rerum. Quintil. 6. 1. 33. Ut sordes et squalorem scio profuisse. ¶ 2. Item de ipsa calamitate. Justin. 18. 7. 11. Sordes patris et exsilii infelicis ærumnas. ¶ 3. Item de habitu reorum, qui data opera sordidati, pauperes et squalidi apparebant, quo facilius misericordiam moverent. Tac. 4. Ann. 52. Suscipere sordes. Id. Dial. de orat. 12. Inter sordes et lacrimas reorum. Sueton. Vitell. 8. Ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia dempsit. Val. Max. 7. 8. n. 7. Amavit sordes suas. Petron. Sat. 122. quia pœna tropæis Imminet et sordes meruit victoria nostra. V. SORDIDATUS. ¶ 4. Item de infima plebe, de pauperibus, servis, humili loco natis. Cic. 1. Att. 16. a med. Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti: apud sordem urbis et fæcem multo melius nunc, quam reliquisti. Plin. 7. Ep. 29. Quam essent mimica et inepta, quæ in hoc cœnum, in has sordes abjicerentur. Petron. Sat. 126. Quædam feminæ sordibus calent. Tac. 1. Hist. 84. a med. Cujus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus. Calpurn. Ecl. 7. 80. sed mihi sordes Pullaque paupertas et adunco fibula morsu Obfuerunt. ¶ 5. Hinc sordes verborum, verba ab infima plebe usurpata, jacentia, ignobilia. Tac. Dial. de orat. 21. Sordes verborum, et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem. V. vocem præc. et SORDIDE et SORDIDUS. ¶ 6. Metaphorice dicitur de probro, dedecore, nota, flagitio. Cic. Sext. 28. 60. Virtus splendet per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. Id. 1. Att. 16. Satius est illum in infamiæ relinqui sordibus, quam infirmo judicio committi. Alii leg. in infamia relinqui ac sordibus. Horat. 1. Sat. 6. 68. Si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra Objiciet vere quisquam mihi. Cf. Prudent. Cathem. præf. 12. ¶ 7. Item sæpe de nimia parsimonia et avaritia, spilorceria, avarizia, sordidezza. Cic. Mur. 36. 76. Populus R. non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem multo minus. Id. Flacc. 3. a med. Nullum hujus in privatis rebus factum avarum, nullam in re familiari sordem posse proferri. Tac. 1. Hist. 52. Sordem et avaritiam Fonteji Capitonis integre mutaverat. Horat. 2. Sat. 5. 105. Sepulcrum sine sordibus exstruere. Quintil. 6. 3. 74. Incusans ejus sordes dicebat, calceos eam veteres vendere, solere. Plin. 2. Ep. 6. extr. Nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriæ et sordium novam societatem. et Ep. 12. Damnatus sordium. Juvenal. 14. 124. cogit minimas ediscere sordes. h. e. rationem quæstus faciendi etiam in rebus minimis. Apul. 1. Met. Extremæ avaritiæ et sordis infimæ infamis homo. ¶ 8. Est convicium in illo Cic. Pis. 26. 62. O tenebræ, o lutum, o sordes! O paterni generis oblite, materni vix memor!

SORDESCENS, particip. V. voc seq.

SORDESCO, is, ŭi, ere, n. 3. forma inchoat. a sordeo. Part. Sordescens. — Sordesco est sordidus fio, divenire sordido, ῥυπαίνομαι.

I.) Proprie. Horat. 1. Ep. 20. 11. ad libr. suum. Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi Cœperis. Plin. 11. Hist. nat. 12. 12. (31). de melle. Nunc vero e tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, sordescens. Id. 33. ibid. 3. 19. (60). Manus sordescunt decidua materia. Boeth. 4. Consol. Phil. 1. In tanti velut patris familias dispositissima domo vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent. ubi τὸ sordescerent oppon. τῷ colerent.

II.) Translate. Gell. 4. 12. Si quis agrum suum passus fuerat sordescere. h. e. silvescere, in inutiles herbas ire, incultum fieri. Ammian. 15. 13. 1. In totum lucrandi aviditate sordescens. Minuc. Octav. 37. Vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Adde Prudent. 2. contra Symmach. 827. Vulgat. interpr. Job. 18. 3. Sorduimus coram vobis. et Apoc. 22. 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc.

SORDĬCĬA, æ, f. 1. et

SORDĬCĬES, ēi, f. 5. V. SORDITIA.

SORDĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. sordes, parva sordes. Marcell. Empir. 8. 6. Si oculum sordicula aliqua fuerit ingressa.

SORDĬDĀTUS, a, um, particip. V. SORDIDO.

SORDĬDĒ, adverb. (sordidus) Comp. Sordidius II. 1. a; Sup. Sordidissime I. — Sordide est cum sordibus, immunde, spurce, schifamente, sordidamente, sozzamente, ῥυπαρῶς.

I.) Proprie. Val. Max. 9. 13. n. 2. Donec caput ejus sordide in loco sedentis abscinderetur. h. e. alvi levandæ causa: alii tamen rectius sordido leg. Lamprid. Elagab. 33. a med. Per plateas tractus est sordidissime, per cloacas ductus.

II.) Translate. ¶ 1. Est humiliter, demisse; hinc — a) Sordide nasci, humillimis natalibus, bassamente: ex parentibus scilicet, qui sordidis artibus vitam tolerant. Tac. Dial. de orat. 8. Quo sordidius et abjectius nati sunt, eo clariora etc. Gell. 15. 4. Victum sordide invenisse comparandis mulis et vehiculis. — b) Sordide loqui, verbis translaticiis et ex infima plebe petitis. Sueton. Rhet. 6. Declamabat genere vario, modo splendide atque adornate; tum ne usquequaque scholasticus videretur, circumcise ac sordide et tantummodo trivialibus verbis. Plaut. Mil. glor. 4. 2. 11. Loquitur laute et minime sordide. h. e. non loquitur de rebus nihili et sordidis. — c) Sordide contionari, nimis humiliter, abjecte, demisse, sine dignitate, gravitate, decore, bassamente, vilmente. Cic. 15. Att. 2. L. Antonium contionatum esse, cognovi tuis litteris et aliis, sordide: sed id quale fuerit, nescio. Cf. 2. Orat. 83. 339. Acclamatio adversa populi aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur, aut hominum offensione etc. ¶ 2. Sæpe est avare, illiberaliter, ἀνελευθέρως, con spilorceria, avaramente. Id. ibid. 86. 352. Nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus, quod pactus esset, pro illo carmine daturum. Plin. 3. Ep. 9. Proconsulatum non minus violenter, quam sordide gesserat. Sueton. Domit. 9. Omnes circa se largissime prosecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent.

SORDĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sordidus) Part. Sordidatus II. et in fin. — Sordido est sordidum facio, fœdo, ῥυπαίνω (It. sporcare, imbrattare; Fr. salir, souiller; Hisp. ensuciar, manchar, emporcar; Germ. beschmuzen, voll Schmuz machen; Angl. to foul, make dirty or nasty).

I.) Proprie. Sidon. carm. 23. 347. Cedit terra rotis, et orbitarum Moto pulvere sordidatur aer.

II.) Translate. Lactant. Ira D. in fin. Templum cordis non fumo, non pulvere, sed malis cogitationibus sordidatur. Cyprian. De hab. virg. 19. Sordidat lavatio ista. Id. op. et eleem. 2. extr. Post gratiam baptismi sordidatos denuo posse purgari. Hieronym. Ep. 107. Externis vitiis sermo patrius sordidatur. Firmic. 4. Math. 12. Assidue lugubri tristitia sordidentur. Cf. Priscian. 8. p. 397. 32. Keil. — Hinc Part. prætor. pass. Sordidatus, a, um, etiam adjectivorum more usurpatur: unde Sup. Sordidatissimus II. — Sordidatus est pannis obsitus, incultus, neglectus, mal vestito, mal in ordine, δυσείμων.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. Plaut. Asin. 2. 4. 90. Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum. Ter. Heaut. 2. 3. 56. Scin tu hanc, quam dicit sordidatam ac sordidam? sordidatam refertur ad illud, quod supra dixerat v. 54. pannis obsita: sordidam ad illud, neglecta, immunda illuvie. nam sordidus a natura dicitur, sordidatus fit urgente necessitate. Ita Donatus. Cic. Pis. 27. ad fin. Servi sordidati ministrant. ¶ 2. Sordidati sunt rei delati, qui eo tempore una cum propinquis et affinibus obsoleta veste utebantur, barba intonsa et capillo, ad misericordiam aucupandam: quod dicebatur mutare vestem, ut est apud Liv. 6. 20. Hinc Cic. Pis. 41. in fin. Nec minus lætabor, quum te semper sordidum, quam si paullisper sordidatum viderem. Id. 4. Verr. 25. ad fin. Romam venerunt sordidati, maxima barba et capillo. Id. 2. Orat. 47. 195. Sensi magnopere moveri judices, quum excitavi mœstum et sordidatum senem. — Idem faciebant in periculo constituti gravique aliqua calamitate. Unde Vitellius, in rebellione provinciarum et post victorias Vespasiani, apud Sueton. Vitell. 15. primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra, multisque cum lacrimis etc.

II.) Translate. Sidon. 3. Ep. 13. extr. Sordidatissima conscientia.

SORDĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. a sordidus, aliquantum sordidus, alquanto sucido, sporchetto.

I.) Proprie. Juvenal. 3. 149. Si toga sordidula est, si rupta calceus alter Pelle patet.

II.) Translate est vilis, infimus, de fæce hominum. Plaut. Pœn. 1. 2. 58. Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.

SORDĬDUS, a, um, adject. (sordes) Comp. Sordidior I. a, c et II. 1. 2.°; Sup. Sordidissimus II. 1. et 6. — Sordidus est sordibus infectus, immundus, spurcus, inquinatus et inquinans, ῥυπαρός (It. sporco, imbrattato, lordo, sucido, sordido; Fr. sale, crasseux, malpropre; Hisp. sucio, puerco, asqueroso; Germ. schmuzig, unsauber, unflāthig; Angl. filthy, dirty, nasty, sordid).

I.) Proprie. — a) Universim. Enn. apud

Non. p. 504. 6. *Merc.* Vestem squalem et sordidam. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 6. haud sordidæ videntur ambæ. *Id. Pœn.* 1. 2. 55. Sordidi servulicolæ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 223. Quæ geritis vestes, sordida lana fuit. *Horat.* 2. *Od.* 1. 21. Videre magnos jam videor duces Non indecoro pulvere sordidos. *Id.* 4. *ibid.* 11. 11. Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. *Martial.* 7. 20. Buccis placentæ sordidam linit mappam. *Id.* 12. 83. Lintea si sumas, nive candidiora loquetur, Sint licet infantis sordidiora sinu. *Id.* 11. 98. Nec tristis mentum sordidique lichenes. *Ovid.* 2. *Met.* 29. (et *Colum.* 10. *R. R.* 44.) Auctumnus calcatis sordidus uvis. *Id.* 8. *ibid.* 647. furca levat ille bicorni Sordida terga suis. *h. e.* fumosa. *Seneca Thyest.* 566. Ensis sordidus. *arrugginito.* et *Stat.* 4. *Silv.* 5. 13. Nos parca tellus, pervigil et focus Culmenque multo lumine sordidum Solantur. *h. e.* multa fuligine infectum ex assiduo igne et lucernis. *Id.* 5. *Theb.* 635. terraque et sanguine vultum Sordidus. *Lucil. jun. Ætn.* 367. Sordida egestas. *Petron. Sat.* 64. Puer sordidissimus dentibus. — *b*) *Sordida* dicuntur rura a poetis, quia nullum ibi munditiarum cultus, ut in urbe; agricolæ et bestiæ in sordibus degunt. *Virg.* 2. *Ecl.* 28. sordida rura Atque humiles habitare casas. Sic *sordida aratra* apud *Claudian. IV. cons. Honor.* 414. — Hinc *sordida otia,* quæ ruri aguntur, ubi nullus togæ usus et qualicumque cultu victuque libere et sine ullius offensione vivitur. *Martial.* 1. 56. Hoc petit: esse sui, nec magni ruris arator Sordidaque in parvis otia rebus amat. — *c*) *Sordida vestis* dicitur tum squalida et inquinata, tum detrita et lacera. *Virg.* 6. *Æn.* 31. *de Charonte.* Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. *Martial.* 1. 104. Sordidior multo post hoc toga, pænula pejor: Calceus est sarta terque quaterque cute.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad paupertatem, quia munditiæ et cultus ab ea longe absunt: item ad humilitatem, abjectionem, vile genus, infimam sortem. — 1.°) De personis. *Cic. Flacc.* 22. 52. Causam committere homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu. *Id.* 3. *Legg.* 16. 35. Lex Gabinia lata ab homine ignoto et sordido. *Id.* 8. *Att.* 4. *a med.* Numquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi. *Martial.* 8. 33. Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis, Quam fert cum parvo sordidus axe cliens. — 2.°) De rebus. — *a*) Universim. *Liv.* 22. 25. Homo loco sordido ortus. *Justin.* 2. 6. 2. A sordidis initiis ad summa crevere. *Id.* 6. 9. 7. Sordidum et obscurum Macedonum nomen. *Martial.* 5. 17. Dum tibi noster eques sordida conditio est. *Cic.* 3. *Orat.* 32. 128. Artes sordidiores. *Petron. Sat.* 132. sordidissima familia. *Plaut. Epid.* 3. 4. 10. Strenuiori deterior si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ. *h. e.* viles, contemnendæ, abjectæ. — *b*) *Sordida tecta* sunt casæ pauperiorum, mapalia, *casuccie, capanne, tuguri, catapecchie. Lucan.* 4. 396. Sic *Seneca Herc. Œt.* 124. lapsaque sordidæ fient templa casæ. *et Cic.* 12. *Att.* 27. Sordida villula et valde pusilla. *Martial.* 12. 57. Laremque villæ sordidum petam. Adde *Lucan.* 5. 9. — *c*) *Sordidus panis,* cibarius, plebejus. *Seneca Ep.* 18. Panis durus ac sordidus. Adde *Plaut. Asin.* 1. 2. 16. Sic apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. gustus sordidus aut vilis est sapor vini, quo pauperes uti solent: cui opponitur nobilis et pretiosus. — *d*) Hinc *sordida verba,* ex trivio petita, ex sordidiore vulgi usu, translaticia: cujusmodi ex *Laberio* multa *Gell.* 16. 7. commemorat. *Id.* 19. 13. *Nanos* sordidum esse verbum et barbarum. *Id.* 17. 2. *ad fin. Arrabo* in sordidis verbis haberi cœptus: ac multo videtur rectius *arra.* et *Quintil.* 10. 1. 9. Humilibus interim verbis et vulgaribus est opus. et quæ cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. *Id.* 8. 3. 17. Nec sordidis (*verbis*) unquam in oratione erudita locus. *Id. ibid.* 3. *ante med.* notat, *sarracum* sordidum nomen esse, sed Ciceronem ideo usurpasse, ut contemptum hominis augeret, quem destructum volebat. — *e*) *Sordida oratio* eod. sensu dicitur a *Quintil. ibid.* 3. *a med.* Proinde quædam hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis oratio est. — *f*) *Sordida vox,* rauca, aspera, rudis, rustica, fusca. *Seneca* 1. *Controv. præf. a med.* Vox erat illi robusta, sed sordida lucubrationibus, et negligentia, non natura, infuscata. ¶ 2. Est etiam sordidatus, rei habitu mæstitiam et luctum præferente squalens. *Cic. Mur.* 40. 86. Nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrimis ac mœrore perditus, vester est supplex, judices. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 177. Tum lacernas effusa comas et pulvere canos Sordida. ¶ 3. Dicitur item de iis, quæ fœdi coloris sunt. *Val. Flacc.* 1. 775. Sordidus et multa pallens ferrugine taurus. ¶ 4. Est etiam delibutus, infectus. *Martial.* 8. 3. nona sororum, Cui coma et unguento sordida vestis erat. ¶ 5. Metaphorice sæpe est turpis, infamis, fœdus, flagitiosus. *Cic.* 2. *Off.* 14. 50. Quum periculosum est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere. *Id.* 9. *Att.* 9. *circa med.* Iste omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a prætore sit haberi posse, est ille quidem, qui semper in republ. fuit. *Seneca* 2. *Ira* 34. Cum inferiore contendere, sordidum. *h. e.* inglorium. *Horat.* 3. *Od.* 2. 17. Virtus repulsæ nescia sordidæ Intaminatis fulget honoribus. *vituperosa.* Cf. 1. *Ep.* 1. 43. Maxima-Esse mala exiguum censum turpemque repulsam. ¶ 6. Item præparcus, tenax, avarus, *spilorcio, avaro:* et ad illiberalem ac vilem quæstum pertinens. *Cic.* 2. *Off.* 6. *a med.* Aut pretio ac mercede ducuntur: quæ sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima, et iis, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur. *et* 1. *ibid.* 42. Illiberales et sordidi quæstus mercenariorum omniumque, quorum operæ, non quorum artes, emuntur. est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. *Phædr.* 4. 19. Qui dum quadrantes aggeras patrimonio, Cælum fatigas sordido perjurio. *Horat.* 2. *Od.* 16. 15. Cupido sordidus. *avarizia.* et *Quintil.* 1. 12. 16. Sordidum lucrum. *et ibid.* 17. merx. *et* 5. 13. 26. Pro sordido parcum. Huc *Forcell.* trahit illud *Liv.* 22. 25. *in fin.* Loco non humili solum, sed etiam sordido ortus. patrem lanium fuisse ferunt.

Homonym. Discrimen inter *sordidum* et *sordidatum* V. in SORDIDATUS.

SORDĬFLŬUS, a, um, adject. (sordes et fluo) qui sordibus affluit seu plenus est. *Pseudo-Juvenc. triumph. Chr.* 101. Sordifluus valido de stipite mundus etc.

SORDĬTĬA, æ, f. 1. et

SORDĬTĬES, ei, 5. (sordes) sorditudo. *Fulgent.* 2. *Myth.* 16. Sicut in ovo omnis sordities, quæ purgari potest in igne, continetur intrinsecus. Adde *Schol. Cruq.* in *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. *Gloss. Labb.* Sordicia (*leg.* sorditia), ῥυπαρία.

SORDĬTŪDO, inis, f. 3. (sordes) idem ac sordes, ῥύπασμα. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 10. Ut mihi absterserunt omnem sorditudinem.

SORDŬLENTUS, a, um, adject. (sordes) sordidatus. *Tertull. Pœnit.* 11. *init.* Etiam incommoda corporis reformidant, quod illotos, quod sordulentos, quod extra lætitiam oportet deversari.

SŎREX. *V.* SOROR.

SOREX, icis, m. 3. (ὕραξ) Scribitur et *saurex,* si fides sit *Serv.* ad *Virg.* 2. *G.* 30. — Primam producit *Seren. Sammon.* 4. 57. Si prægnans artus captivi soricis edit. et *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 452. *Burmann.* Catus in obscuro cepit pro sorice picam. Corripit vero *Auct. carm. Philom.* 63. Et gryllus gryllat, desticat inde sorex. et *Vet. epigr.* in *Anthol. loc. cit. p.* 453. Immensi soricis catus dum membra vorasset. Et quidem corripiendam esse monet *Priscian. De accent.* § 33. — Sorex est mus agrestis et rusticus: a Græca voce allata, quæ muris genus significat rostro suillo instructum, *sorcio di campagna, topo,* μῦς.

I). Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 4. *circa med.* Solemne esse spectatum suem, quæ præ pinguitudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam ut in ejus corpore sorex, exesa carne (*lege* adipe), nidum fecisset et peperisset mures. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (223). Soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus. *Id.* 2. *ibid.* 41. 41. (109). Soricum fibras respondere numero lunæ, exquisivere diligentiores. *Id.* eamdem rem narrans 11. *ibid.* 37. 76. (196). et 29. *ibid.* 4. 15. (59). non *sorices,* sed mures dicit: ut intelligas, unum pro altero promiscue usurpari: quod et ex allato *Varronis* loco apparet. *Colum. Arbor.* 15. Vites, quæ secundum ædificia sunt, a soricibus aut muribus infestantur. — *Sorex suo indicio perit,* proverb. de eo, qui se ipse prodit suique exitii causa est. *Ter. Eun.* 5. 7. *in fin.* Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perii. Ubi *Donat.* Proprium soricum est vel stridere clarius, quam mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus (*Bacch.* 4. 8. 46.) Si tibi est machæra, et nobis veruina est domi, qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina nenia. *V.* NENIA.

II.) Translate. *Aur. Vict. Epit.* 41. 10. Tineas soricesque palatii eos (*spadones aulicosque omnes*) appellans. — *NB.* de cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *soricem* et *murem* V. in MUS; quod non esse perpetuum patet ex iis, quæ supra diximus.

SORĬCĪNUS a, um, adject. (sorex) ad soricem pertinens, *di sorcio,* μύειος, ut Soricina nenia apud *Plaut. Bacch.* 4. 8. 46. *V.* voc. præced. et NENIA.

SORĬCŬLĀTUS. *V.* SORORICULATUS.

SŌRĪTES, æ, m. 1. (σωρείτης). — *a*) Male primam corripit *Capell.* 4. *p.* 135. *in carm.* Fallax soritas cumque sensim congeris. — *b*) *Cic. loc. cit.* habet Dat. sing. *soriti,* quod est vel a σωρείτῃ vel per metaplasmum a σωρεῖτι: etenim Genetivus ubique est σωρείτου, primæ nempe declinationis. — Accus. sing. *soritam* est *Cic.* in *Hortens. fragm.* 45. *Kays.* apud *Non. p.* 329. 20. *Merc.;* et Accus. plur. *soritas* est *Cic. loc. cit., Fronton. De eloq.* 1. et *Capell. loc. cit.* et 2. *p.* 30. — Sorites est argumentatio, quæ multas ratiocinationes acervatim convolvit atque complectitur: a σωρός, acervus, quia pronunciata multa accumulat, *sorite, argomentazione acervale, cumulo.* Hinc *Persius* 6. 8. et *Capell.* 4. *sub init.* appellant *acervum.* Fuit propria argumentatio Stoicorum, et originem habuit a Chrysippo philosopho Stoico. *Cic.* 2. *Divinat.* 4. 11. Aut quomodo soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare. Sed nihil opus est. Ut enim ipsa philosophia et multa verba Græcorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 49. Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur: quod genus minime in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant etc. *Id. ibid.* 33. *ad fin.* An tu in soritis poteris hoc, quum voles; ille in reliquis rebus non poterit? *Seneca* 5. *Benef.* 19. *sub fin.* Sorites inexplicabilis subit, cui difficile est modum imponere, quia paullatim surrepit et non desinit serpere. *Capell.* 2. *p.* 30. Soritas cumuli accessibus aggerans. Adde *loc.* supra *cit.*

SŌRĪTĬCUS, a, um, adject. (sorites) ad soritem pertinens. *Mar. Victorin. Expos.* in 2. *Rhet. Cic.* 27. *p.* 285. 9. *Halm.* (*p.* 151. 29. *Orell.*) Soritic syllogismi fecit formam. — Absolute *soritica, æ,* ars argumentandi per soritem, in *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class: Auct. T.* 3. *p.* 501. Cf. *Loewe* in *Gloss. Nom. p.* 90.

SŌRIX vel saurix, icis, m. 3. avis tributa Saturno ab auguribus, quia tarditati et vetustati et senectuti convenit. nam et in veteranis ma-

xime versatur locis, et noctium est et noctis maxime primæ, et quia tempestatis nuncius, atque index parvi laris. Hæc *Mar. Victorin.* 1. *Gramm. in fin p.* 2470. *Putsch.*, quem penes sit fides.

SŎROR, ōris, f. 3. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *seror* pro *soror* habet *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 2. 515. et 3. 3174. — Item *sorex* pro *soror* occurrit in *alia* Falisca, litteris Latinis exarata et edita in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1851. *p.* 21. HARA ACCVBAT SOREX. *h. e.* Chara accubat soror. Ita *Oriolius.* — Item *sore* pro *sorore* in *alia* Christiana apud *Marini, Fr. Arv. p.* 170., si sana est lectio. — *b*) Ratione habita etymi, quidam ducunt a *sero, is*, quod eodem mecum semine sata ac genita sit. *Antist. Labeo* apud *Gell.* 13. 10. ex eo dictam scribit, quod quasi seorsum nascitur separaturque ab ea domo, in qua nata est, et in aliam familiam transgreditur. At recentiores philologi conjungunt cum Skr. *savastar*, simul (cum fratre) habitans, unde *svasar* et, mutato *s* in *r*, Lat. *soror*: cf. etiam Germ. *Schwester.* — Soror est patris mei filia, ἀδελφή (It. *sorella, sirocchia, suora*; Fr. *sœur*; Hisp. *hermana*; Germ. *d. Schwester*; Angl. *sister*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. ita sola Post illa, germana soror, errare videbar. Cf. GERMANUS. *Plaut. Curc.* 5. 2. 57. Salve, mea soror. PLA. salve, mi frater. *Id. Mil. glor.* 2. 4. 30. mea soror gemina germana. Adde *Cic. Mil.* 27. 73. *Virg.* 2. *G.* 494. Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores. — *b*) *Soror Phœbi* est Luna. *Ovid. Heroid.* 11. 45. Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi. *Id.* absolute 3. *Fast.* 109. Signaque, quæ longo Frater percenseat anno, Ire per hæc uno mense Sororis equos. — *c*) *Soror Jovis*, Juno. *Virg.* 1. *Æn.* 51., *Ovid.* 6. *Fast.* 27. et *Heroid.* 16. 164. et *Seneca Herc. Fur.* 1. — *d*) De Parcis. *Horat.* 2. *Od.* 3. 15. Dum res et ætas et sororum Fila trium patiuntur atra. *Propert.* 2. 10. 44. Jussisset quævis de tribus una soror. Adde *Tibull.* 3. 3. 35., *Ovid. Heroid.* 12. 3. et *Martial.* 4. 54. et 73. etc. — *e*) De Furiis. *Ovid.* 6. *Met.* 662. Vipereasque ciet Stygia de valle sorores. *et* 10. *ibid.* 349. atro crinitas angue sorores. — *f*) De Musis. *Tibull.* 3. 4. 45. Sed proles Semelæ Bacchus doctæque Sorores Dicere non norunt quid ferat hora sequens. Adde *Propert.* 3. 1. 17. et *ibid.* 2. 37., *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 45. et *Martial.* 1. 77. etc. — *g*) De quinquaginta Danaïdibus. *Propert.* 4. 11. 27. si fallo, pœna Sororum, Infelix humeros urgeat urna meos. Adde *ibid.* 7. 67. et *Ovid. Heroid.* 14. 15. — *Inscript.* apud *Murat.* 489. 6. AD SORORES IIII. *Lud. Viscontius* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1861. *p.* 20. intelligit potius de signo officinæ, quam de nomine loci ita appellati. — *h*) *Sorores Deæ* Semelæ in *Inscript.* apud *Murat.* 165. 5. sunt Agave et Autunoe ex *Hygin. fab.* 179. ¶ 2. Latiore sensu est consanguinea. *Ovid.* 1. *Met.* 351. O soror, o conjux, o femina sola superstes. *h. e.* sororr patruelis. V. *Letronne Recueil*, *p.* 4. et *Cic.* ed. ab *Orellio T.* 5. *p.* 351. *Vulgat. interpr. Gen.* 20. 2. Dixit de Sara uxore sua: Soror mea est. *h. e.* neptis. *Id. Joh.* 19. 25. Soror matris ejus. *h. e.* consobrina. *Id. Matth.* 13. 56. Nonne et sorores ejus (*Christi*) hic nobiscum sunt? *h. e.* consobrinæ. *V.* FRATER. ¶ 3. Item apud Christianos uxor, a qua presbyter vel episcopus abstinerat. *Venant.* 1. *carm.* 15. *ad fin.* Cf. *Sirmond.* ad *Sidon.* 5. *Ep.* 16. — In *Inscript.* apud *Orell. n.* 3007. est conjux, sororis liberta. ¶ 4. Est etiam *Sorores*, titulus fabulæ togatæ *Afranii*, cujus nonnulla supersunt fragmenta. Similiter *Ter.* fab. pall. *Adelphi* inscr.

II.) Translate. ¶ 1. De personis. — *a*) Est (ut *frater*) blanda appellatio amicæ honestæ et familiaris. *V.* FRATER. *Virg.* 11. *Æn.* 823. Hactenus, Acca soror, potui. *et* 1. *ibid.* 325. monstrate mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 351. — *b*) Interdum *soror* (ut etiam *frater*) vocatur turpis amica. *V.* FRATER. *Petron. Sat.* 127. Feminam ornatam, et hoc demum anno virum expertam concilio tibi, o juvenis, sororem. *Tibull.* 3. 1. 26. Teque suis jurat caram magis esse medullis: Sive sibi conjux, sive futura soror. *Martial.* 12. 20. Quare non habeat, Fabulle, quæris, Uxorem Themison? habet sororem. Adde *eumd.* 2. 4. et *Senec. Hippol.* 611. — Cf. *Cod. Theod.* 16. 2. 44. Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. ubi sermo est de mulieribus extraneis, quas συνεισάκτους Græci vocant, Latini *subintroductas*, et quarum consortio clerici uti vetantur. — *c*) *Sorores* etiam dictæ, quæ non ex iisdem parentibus natæ, sed in eodem collegio seu sodalitate aliqua essent. *Inscript.* apud *Orelli n.* 1238. ARAM IOVI FVLGVRATORI . . . . AVR. EXVPERANTIVS SACERDOS SILVAM CVM FRATRIBVS ET SORORIBVS DEDICAVERVNT. *Alia* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 60. CAESIAE SABINAE CN. CAESII ATHICTI SORORES PIISSIMAE. V. *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 135. *ed. Pat.* Ad hanc tamen alteram hæc adnotat cl. *Furlanetto* in *App.*: « Minus recte videntur statuisse *Morcellius* et *Marinius*, dum putant, sorores hic memoratas sodalitatem quamdam constituisse; nam qui totius inscriptionis contextum attente perpenderit, intelliget, sorores omnium centumvirorum Vejentium statuam sua impensa posuisse Cæsiæ Sabinæ. Vejentium autem dixi; quia ad Vejos eam inscriptionem pertinere nunc tandem patet, quod antea ignotum fuerat, ex aliis tribus allatis ab *Ant. Nibbyo* in *Viagg. antiquar. T.* 1. *p.* 49. *et seqq.*, dum de Vejorum urbe loquitur; quæ quidem inscriptiones eumdem Cæsium Athictum memorant, Vejentium centumvirum sub Gallieno Aug., quum in harum prior hæc habeantur: DEDICATA KALEND. APRIL. MAXIMO ET GLABRIONE COS. *h. e.* ann. a Chr. n. CCLVI. Ea porro inscriptio, de qua hic sermo habetur, hujusmodi est: CAESIAE SABINAE CN. CAESII ATHICTI (HAEC SOLA OMNIVM FEMINARVM MATRIBVS $\overline{C}$ VIR. ET SORORIBVS ET FILIAB. ET OMNIS ORDINIS MVLIERIBVS MVNICIPIB. EPVLVM DEDIT DIEBVSQVE LVDORVM ET EPVLI VIRI SVI BALNEVM CVM OLEO GRATVITO DEDIT) SORORES PIISSIMAE. — *d*) Item quæ unam eamdemque religionem cum aliis sectantur. *Vulgat. interpr. Jac.* 2. 15. Si frater et soror nudi sunt et indigeant victu quotidiano etc. Adde *eumd.* 1. *Cor.* 7. 15. et 9. 5. Cf. *Jer.* 3. 8. et 10. — *e*) Item quæ religiosam vitam in cœnobiis ducunt, sanctimoniales seu monachæ. *Venant.* 5. *carm.* 2. *ad fin.* et 11. *ibid.* 2. *ad fin.* ¶ 2. De rebus. — *a*) Dicitur de iis, quæ sunt simillima et quasi gemella. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 8. Obsecro te hanc per dexteram perque hanc sororem lævam. *Virg. Mor.* 28. Interdum fessæ succedit læva sorori Alternatque vices. *h. e.* manus læva succedit dexteræ. *Catull.* 66. 51. Abjunctæ paullo ante comæ mea fata sorores Lugebant. *h. e.* reliqui capilli pone verticem in capite Berenices relicti et a cetera coma disjuncti, quam illa sibi in vertice detotonderat. *Martial.* 14. 148., cujus lemma *Lodices.* Nudo stragula ne toro paterent, Junctæ nos tibi venimus sorores. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (45). Minus speciosæ sed sapore caryotarum sorores, ob hoc adelphides dictæ, proximam suavitatem habent. — *b*) De iis, quæ sunt ejusdem generis. *Pallad. De insit.* 129. Fraxinus huic acidæ confert sua membra sorori. *Id.* 57. Nunc rapit hirsutis horrenda sororibus arma. *h. e.* piris silvestribus, quæ sunt spinis horridæ. — *c*) Et ejusdem originis. *Tertull. De Pall.* 1. Soror civitas. *h. e.* Utica Tyriorum colonia. — *d*) Γνώμη est illud *Petron. Sat.* 84. Nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas. Cf. FRATER.

Homonym. Qui differat *soror* a *germana*, ita docet *Isid.* 1. *Differ. n.* 273. « *Soror* ab eodem germine, non ab eodem utero: *germana* vero ex utriusque manans germine ». Cf. tamen *Plaut. Curc.* 5. 2. 58.

SŎRORCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* soror, parva soror, *sorellina*, ἀδελφίς: et est vox blandientis. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 3. *p.* 612. *Putsch.* Germana mea sororcula.

SORORECLĀTUS. *V.* SORORICULATUS.

SŎRŌRĬANS, antis, particip. *V.* SORORIO.

SŎRŌRĬCĪDA, æ, m. et f. 1. (soror *et* cædo) sororis occisor. *Cic. Dom.* 10. *a med.* De me quod tulisse te dicis patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti?

SŎRŌRĬCĪDĬUM, ĭi, n. 2. (soror *et* cædo) occisio sororis. *Gloss. Philox.* Sororicidium, ἀδελφοκτονία.

SORORĬCŬLĀTUS, a, um, adject. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (195). *Sillig.* Undulata vestis prima e laudatissimis fuit: inde sororiculata defluxit. Ita et *Harduin.* ex omnib. suis MSS., nam editi libri habent *soriculata.* Addit autem, utriusque vocis incertam esse originationem et inexploratam adhuc significationem ac vim; in *Not.* vero *Tir. p.* 159. *sororeclatum* inter pannorum genera censeri. Quidam putant dici *soriculatam* a *soricibus*, quod in ea lineæ intextæ soricum figuram quodammodo referrent: alii a σωρός vel σώρακος, acervus, copia alicujus rei, a copia colorum et plicarum. Alii *sororeclatam* a *surus*, h. e. fustis seu virga, quod latioribus regulis virgata esset, quasi *suro regulata.* Alii denique a *sero* deducunt, quasi *sericulata.* At *Böttiger* leg. *orbiculata*, h. e. macula seu opere orbiculari contexta.

SŎRŌRĬO, as, are, n. 1. (soror) Part. *Sororians.* — Sororio est pariter cresco, duarum sororum geminarum instar. *Fest. p.* 297. 31. *Müll.* Sororiare mammæ dicuntur puellarum, quum primum tumescunt, ut fraterculare puerorum. Plaut. in Frivolaria: fraterculabant mulieri papillæ primum; sed illud volui dicere, sororiabant. Huc pertinet locus *Christodor.* in *Antholog. Gr.* Palatina *T.* 1. *p.* 41. *v.* 102. Ἵστατο δ' Ἑρμαφρόδιτος ἐπήρατος, οὔθ' ὅλος ἀνὴρ Οὔτε γυνή . . . . . Μαζοὺς μὲν σφριγόωντας ἐδείκνυεν, οἷά τε κούρη. Sed *Müllerus* apud *Fest. loc. cit.* aliter leg. *V.* ibid. adnot. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 33. (66). *Sillig.* Mammas sororiantes, præcordia maciemque corporis piscinæ magis corrigunt. *h. e.* nimis pariter turgentes vel noxia lactis copia vel alio quopiam vitio. At *Jan* et *Detlesser* leg. *sororientes.*

SŎRŌRĬUS, a, um, adject. (soror) ad sororem pertinens, *di sorella, da sorella*, ἀδελφικός: accipitur autem sive in sensum proprium sive in translatum — *a*) Universim. *Plaut. Curc.* 5. 2. 60. Tu ut hodie adveniens cenam des sororiam: Hic nuptialem cras dabit. *h. e.* ob repertam sororem. *Cic. Sext.* 7. *a med.* Homo fraternis flagitiis, sororiis stupris infamis. *Ovid.* 3. *Fast.* 559. Pellitur Anna domo lacrimansque sororia linquit Mœnia. *h. e.* Dido. *Id.* 4. *Met.* 334. et 9. *ibid.* 538. Sororia oscula. *h. e.* casta, pudica, cujusmodi et dare et accipere sororem decet. — *b*) *Sororium tigillum*, locus Romæ Junoni sacer, in quarta regione Urbis, in angiportu, ferens a Carinis deorsum ad Cyprium vicum. *Festus p.* 297. 11. *Müll.* Sororium tigillum appellatur hac de causa. Ex conventione Tulli Hostilii regis et Metii Fufetii ducis Albanorum, trigemini Horatii et Curiatii quum dimicassent, ut victores sequeretur imperium, et Horatius noster exsuperasset victorque domum reverteretur, obvia soror, cognita morte sponsi, sui fratris manu occisi, aversata est ejus osculum. quo nomine Horatius interfecit eam. Et quamquam a patre absolutus sceleris erat, accusatus tamen parricidii apud duumviros damnatusque, provocavit ad populum: cujus judicio victor, duo tigilla tertio superjecto, quæ pater ejus constituerat, velut sub jugum missus, subiit consecratisque ibi aris Junoni Sororiæ et Jano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est auguriis approbantibus. Ex quo sororium id tigillum est appellatum. Hæc *Festus.* Adde *Liv.* 1. 26., *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 4. et *Schol. Bob.* in *Milon. p.* 227. — Dedicatio hujus tigilli fiebat Cal. Octobr., ut ex nupero fragm. vet. Calendarii, quod illustratum est a cl. *De-Rossi* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1860. *p.* 73. *et seqq.* — Hinc

Sororius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Sequioris Latinitatis ævo dictus est maritus sororis meæ, sicut *sororia* videtur ap-

pellata fuisse, licet desit auctoritas Latini scriptoris, soror uxoris meæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 482. 1. T. VABENO PROBO QQ. COL. SARMIZ. (*h. e.* quinquennali coloniæ Sarmizegetusæ) M. COMINIVS QVINTVS SACERDOS ARAE AVG. SORORIO PIENTISSIMO. Hæc porro *Inscript.* Gallieni Aug. tempora præcedit, quibus Romanorum dominatio in Dacia, cujus urbs primaria fuit Sarmizegetusa, deficere cœpit. *Alia* apud *Reines. cl.* 16. *n.* 6. D. M. AVFIDII MILITARIS L. IGNIVS CHARITO SORORIVS EIVS ET DVLCICIVS CLAVDIANVS SOROR. (V. *Noel des Vergers Lettre à Didot p.* 15.) Alia Christiana apud *Gruter.* 1052. 11. (*Orelli n.* 3543.) COGNATVS DVLCISSIMVS SORORIO AMANTISSIMO. — Hinc correctus est *Forcellinus* in *V.* COGNATUS; qui deceptus *Fabretti* auctoritate *cognatum* dixit maritum sororis meæ, quum *cognatus* dictus fuisset frater mariti mei et frater uxoris meæ, qui antiquitus *levir* dicebantur: quemadmodum *cognata* dicta fuerit soror mariti mei et uxor fratris mei, quæ prius *glos* appellatæ sunt. Has porro appellationes probat *Inscript.* apud *Gruter.* 895. 4. D. M. VIBIOR. COMINIAN. VALERII PII ET SEVERAE CLAVDIANAE ET SEVERI ET VALERIAE COMINIANAE DOMITIA DOMITIANA C. F. MARITO PRIVIGNAE COGNATO ET SOCERV. Adde *aliam* apud *Murat.* 716. 4., *De-Vita Antiqu. Benev. p.* 49. *n.* 80. et *Fabrett. p.* 147. *n.* 184. et *p.* 222. *n.* 589. Ita *Furlanetto.* Ceterum *Sidonius*, cujus uxor Papianilla fuit soror Hecdicii, carmini XX. hæc præmisit: Ad sororium suum Hecdicium. Ex *Sirmondo* ad *ejusd. carm.* XX. *sororius* est frater uxoris; *cognatus* vir sororis. ¶ 2. Est etiam sororis filius in *Gloss.* apud *Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 545., 7. *p.* 580. et 8. *p.* 562.

SŎRŌRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

SORS, sordis, f. 3. *V.* SORDES.

SORS, sortis, f. 3. — *a)* Ad formam quod spectat, *sortis* in recto casu est *Plaut. Cas.* 2. 6. 28. Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua. Vidit hoc etiam *Priscian.* 7. *p.* 751. *Putsch.* Adde *Ambros.* 3. *Hexæm.* 1. *n.* 16. — *Sorti* in sexto casu interdum poetæ pro *sorte*, ut *igni*, *navi*, *colli* etc., quidquid alii contra sentiant. *Virg.* 4. *G.* 165. Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti. Eadem ratione locutus est *Sil. It.* 7. 368. Sic apud *Liv.* legit *Gronov.* ex MSS. 29. 20. Cui provincia Sicilia sorti evenisset. V. *Drakenb.* ad *eumd.* 4. 37. et 28. 45. *Plaut. Cas.* 2. 7. 6. Equidem tamen sorti sum victus. Adde *Apul.* 4. *Met.* — *b)* Origo vocis incerta: sunt qui ducunt a Gr. ὅρος, finis; alii derivant a Skr. *svar*, libro, pendo; alii a *sero*, ut a *fero fors*: quæ quidem voces, *sors* et *fors*, in MSS. et edit. libr. sæpe a librariis commutantur. V. *Drakenb.* ad *Sil. It.* 15. 105. — Sors est fortuitus rei eventus, id quod cuique accidit sortiendo, κλῆρος (It. *sorte*, *ventura*; Fr. *sort*; Hisp. *suerte*; Germ. *d. Loos*; Angl. *luck*, *sorcery*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, vel abstractorum more. *Plaut. Cas.* 2. 6. 32. populna sors an abiegna. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 85. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. tota res est inventa fallacis aut ad quæstum aut ad superstitionem aut ad errorem. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit. *Id.* 4. *Verr.* 51. 127. Quum suffragiis tres creati sunt, res revocatur ad sortem. *Propert.* 3. 8. 27. Sit sors et nobis talorum interprete jactu. ¶ 2. Speciatim, vel concreto, ut ajunt, sensu, *sortes* sunt sortis instrumenta, idest tessellæ seu tabellæ inscriptæ. — 1.°) In plur. num. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. *ad fin.* Quum oraculum ab Jove Dodonæo petivissent legatique illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia et sortes ipsas et cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissipavit. *et* 2. *ibid.* 41. 85. Perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum litterarum notis. *et ibid.* Sortes, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur. Disserit ibi plura *Cic.* de sortibus et de origine Prænestinarum. *Liv.* 22. 1. Faleriis sortes sua sponte attenuatas: unamque excidisse ita scriptam, Mavors telum suum concutit. *Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. Conjicere sortes in hydriam. *Plaut. Cas.* 2. 5. 34. in sitellam. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Dejicere sortes. *scil.* in urnam. *Vulgat. interpr. Act.* 1. 26. Dederunt sortes ei, et cecidit sors super Matthiam. *Tertull. Spectac.* 16. *sub init.* Semper oculi in urna ejus (*prætoris*) cum sortibus volutantur. Cf. *Niebuhr 's Röm. Gesch.* 1. 533., *Marquardt 's Handb. der Röm. Alterth.* 4, 103., *Fabri* et *Weissenb.* ad *Liv.* 21. 62. — 2.°) In sing. num. — *a)* Universim. *Cic. Ligar.* 7. 21. Tuberonis sors conjecta est ex senatusconsulto, quum ipse non adesset. *h. e.* tabella Tuberonis nomine inscripta, in urnam cum aliis missa est. *Id.* 1. *Att.* 19. Quum de consularibus mea prima sors exisset. *scil.* ut legatus in Gallias mitterer. *Virg.* 5. *Æn.* 490. Convenere viri dejectamque ærea sortem Accepit galea: et primus clamore secundo Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis. *Liv.* 41. 18. Ponere sortem in sitellam. *Id.* 21. 42. Quum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent, et dejecta in id sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret: ut cujusque sors exciderat, alacer etc. *Alii leg.* ceciderat, *alii* exierat. *Vellej.* 1, 1. 4. Sortiti sunt, uter patria decederet: sors Tyrrhenum contigit. — *b)* *Sortem*, etiam *sortes*, *ducere*, sortiri, *cavar la sorte.* *Cic.* 6. *Verr.* 64. 143. Quum surgeret nemo, neque sententiam diceret, sors ducitur. *Virg.* 9. *Æn.* 268. prædæ ducere sortem. *Id.* 6. *ibid.* 22. stat ductis sortibus urna. — *c)* *Sorte ducere*, sortiendo obtingere, *cavar a sorte.* *Sall. fragm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 201. Sorte ductos fusti necat. *Tac.* 1. *Ann.* 54. et 13. *ibid.* 29. Sorte ducebantur, ex numero prætorum, qui præessent. — *d)* *Conjicere in sortem*, sortitioni committere, *mettere alla sorte.* *Liv.* 30. 1. *a med.* Tum prætorium provinciæ in sortem conjectæ. Jurisdictionem urbanam Pætus Ælius, Sardiniam Cn. Lentulus est sortitus. — *Sorte* vel *sorti* sextus casus adverbii ritu, *a sorte*, *cavando la sorte*, κληρωτί. *Cic.* 4. *Verr.* 6. 17. Simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 20. Æqualiter aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. *Virg.* 1. *Æn.* 511. operumque laborem Partibus æquabat justis aut sorte trahebat. In *S. C.* apud *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 8. *a med.* Sorte in provincias proficisci. *Ovid.* 1. *Art. am.* 581. Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem. *Virg.* 4. *G.* 165. *de apib.* Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti. *toccò in sorte.* et *Liv.* 29. 20. Cui provincia Sicilia sorti evenisset. — *e)* *Meæ sortis hoc est*, sorte mihi obtigit, ad me pertinet, *è toccato in sorte a me*, *a me tocca*, *appartiene.* *Liv.* 35. 6. Litteræ allatæ Q. Minutii a Pisis, comitia suæ sortis esse. ceterum adeo suspensa omnia in Liguribus se habere, ut abscedi inde sine damno reipubl. non possit. — *f)* *Extra sortem*, sine sortitione, *senza cavar la sorte.* *Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. Jubet extra sortem Theomnastum renunciari. Quod *Virg.* dixit 9. *Æn.* 270. ipsum illum clipeum cristasque rubentes Excipiam sorti. *Sueton. Cæs.* 20. Agrum Campanum divisit extra sortem ad XX. millibus civium. — *g)* *Certa sub sorte*, certa lege. *Manil.* 1. 110. Quasque vices agerent certa sub sorte, notavit. — *h)* *Tali sorte*, tali ratione. *Id.* 5. 407. Tali sorte suas artes per litora tractat Aut emit externos pretio mutatque labores Institor etc. — *i)* *Sortem bellumque gerere*, belli sortem gerere, per endyadin, apud *eumd. ibid.* 303. ¶ 3. Hinc et *sortes convivales* erant tabellæ inæqualissimarum rerum, obsignatæ et clausæ, quæ in mensa lusus causa proponebantur offerentibus pretium: emptor deinde quisque suam tabellam resignabat, et alius quidem rem pretiosam parvo admodum sibi deberi, alius aliquo pretio rem nihili reportasse reperiebat. *Sueton. Aug.* 75. *in fin.* Solebat et inæqualissimarum rerum sortes, et aversas tabularum picturas in convivio venditare incertoque casu spem mercantium vel frustrari vel explere: ita ut per singulos lectos licitatio fieret, et seu jactura seu lucrum communicaretur. — Hujusmodi vero *sortes* etiam gratuito quandoque convivis distribuebantur, et in cochlearibus inscriptæ. *Lamprid. Elagab.* 21. *ad fin.* Eunuchos pro apophoretis dedit, dedit quadrigas, equos stratos, mulas, basternas et rhedas et aureos millenos et centena pondo argenti. Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius (*nempe* convivæ sors) exhiberet decem camelos, alius decem muscas; alius decem libras auri, alius decem plumbi; alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut vere sortes essent et fata tentarentur. De ejusmodi *sortibus* (apophoreta enim sunt res, quæ simili sorte assignabantur convivis) est integer liber *Martial.* 14., in quo *epigr.* 1. 19. 40. 144. et 170. hujusmodi *sortium* mentionem faciunt. *V.* APOPHORETA. ¶ 4. *Dies sortium* seu, Hebraice, *phurim*, V. apud *Vulgat. interpr. Esth.* 9. 28. et 31.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est id aut is, qui sorte ducitur, sortitio. *Ovid.* 8. *Met.* 171. Monstrum Tertia sors domuit, annis repetita novennis. ¶ 2. Speciatim dicitur de oraculis et somniis, per quæ credebant res futuras divinitus significari: item de carminibus illustrium poetarum, quæ tessellis inscripta habebant pro sortibus. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 115. Quum sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ: Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim. *Val. Max.* 1. 6. *n.* 3. Legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt, præcipi sortibus, ut etc. *Virg.* 4. *Æn.* 346. et 377. Lyciæ sortes. *h. e.* responsa Apollinis Lycii. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. Ut se edoceret obsecrans Apollinem, Quo sese vertant tantæ sortes somniûm. *Ovid.* 1. *Met.* 381. Mota dea est, sortemque dedit: discedite templo etc. *h. e.* ita respondit. *Sil. It.* 1. 16. Heu! frustra reditum sortes tibi sæpe locutas etc. *Lamprid. Alex. Sev.* 14. Quum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus, et primis quidem sortibus: Te manet imperium cœli terræque marisque. *et mox.* Quum parentis hortatu animum a philosophia et musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus hujusmodi illustratus est (6. *Æn.* 848.): Excudent alii spirantia mollius æra etc. Adde *Juvenal.* 6. 583., *Spartian. Hadr.* 2., *Tibull.* 1. 3. 11. et *Inscript.* apud *Gruter.* 132. 6. *Augustin.* 4. *Confess.* 3. De paginis poetæ cujusdam sortem consulere. Sic *Ep.* 55. De paginis evangelicis sortes legere. et *Isid.* 8. *Orig.* 9. 28. Sortes sanctorum. nam, ut patet ex *Concil. Venet. an.* 465., clerici atque laici studebant auguriis et sub nomine fictæ religionis per eas, quas *sanctorum sortes* vocabant, divinationis scientiam profitebantur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittebant. ¶ 3. *Sors negotii* est eventus, qui a sorte aut lege astrorum pendet. *Manil.* 3. 91. Sic felix aut triste venit per singula fatum, Talis et illius sors est speranda negoti. ¶ 4. Item dicitur de statu et conditione cujusque. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 1. Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat, laudet diversa sequentes? *Id.* 4. *Od.* 11. 21. Telephum, quem tu petis, occupavit. Non tuæ sortis juvenem, puella dives. *Sueton. Aug.* 19. Ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione et periculo caruit. *Tac.* 12. *Ann.* 41. Sortem alicujus miserari. ¶ 5. *Sors sanctorum*, hereditas, quæ Sanctis destinata est in cælo, vita seu felicitas æterna. *Vulgat. interpr. Col.* 1. 12. Dignos nos fecit (*Deus*) in partem sortis sanctorum in lumine. ¶ 6. *Sors* est etiam progenies, proles. *Ovid.* 6. *Fast.* 29. Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem Feci: Saturni sors ego prima fui. ¶ 7. *Sors*, inquit *Festus p.* 297. 8. *Müll.*, et patrimonium significat: unde [*disertiones* pro *dissortiones*, divisiones patrimoniorum:] *consortes*, qui eodem simul patrimonio gaudent, *patrimonio*, *eredità.* *Liv.* 1. 34. Puero in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. — *Sortis funiculus*, possessio, hereditas. *V.* SPARTA. *Vulgat. interpr. Mich.* 2. 5. ¶ 8. Item summam, sive caput, et primam pecuniam, quæ confertur, ut

Inde lucrum fiat, *capitale*, ut *Varro* 5. *L. L.* 65. *Müll.* docet. *Plaut. Most.* 3. 1. 34. Qui mihi neque fenus neque sortem argenti danunt. *Ter. Adelph.* 2. 2. 35. Hei mihi! etiam de sorte venio in dubium miser. *Martial.* 5. 42. Debitor usuram pariter sortemque negabit. *Liv.* 6. 15. Sed quid ego vos, de vestro impendatis, hortor? Sortem aliquam ferte: de capite deducite quod usuris pernumeratum est. *state contenti di un capitale o somma moderata.* Ita ex MSS. et vett. edit.; sed vulg. leg. *sortem aliam.* nam *aliquis* et *alius* sæpe in MSS. confunduntur; hinc alii aliter interpretantur. Sic *ibid.* 36. Potius quam sorte creditum (*plebs*) solvat. *h. e.* solvat creditum restituendo sortem tantum. *Alii leg.* Ni potius, quam sortem, creditum solvat. *h. e.* potius, quam sortem, usuras solvat. Ceterum vexatus conjecturis locus. *V.* quæ utrob. adnot. *Drakenborchius. Papinian. Dig.* 33. 2. 24. Fenus quoque sortium, quas defunctus collocavit, præstabitur. *Plin. præf. Hist. nat. a med.* Sors fit ex usura. *i frutti passano in capitale.* et *Inscript.* apud *Gruter.* 208. *ad fin.* (*Orelli n.* 4405.) MVLCTENTVR SORTE VNA CVM ANATOCISMO BINAE CENTESIMAE VSVRAE. ¶ 9. Apud Gromaticos est modulus agri, qui sorte cuique obtingebat: item ipsa tabella, in qua nomina modulorum inscribebantur. *Hygin. De limit. p.* 113. 1. *Lachm.-Rud.* Mensura peracta sortes dividi debent et inscribi nomina per decurias [per homines denos] et in forma secari denum hominum acceptæ, ut quot singuli accipere debent [decem] in unum conjungantur; et in sortem inscribi SORS PRIMA D. D. I ET SECVNDVM ET III ET IIII CITRA CARDINEM ILLVM quo usque mensura expleri decem hominum debebit, id est in quot centuriis. similiter omnium decuriarum nomina in sortibus inscribta sint, qua parte quæ aut cota sors modum habeat, utrum ultra et dextra, utrum sinistra et ultra aut citra; deinde ex decuriis ante quam sortes tollant, singularum nomina in pittaciis et in sorticulis. et ideo ipsi sortientur, ut sciant quis primo aut coto cumque loco exeant. Igitur omnem sortem ponere debent, in qua totius particæ modus adscribtus erit. hæc sortitio ideo necessaria est, nequis queri possit se ante debuisse sortem tollere, et meliorem fortasse potuisse incidere agri modum, aut sit disertatio quis ante sortem tollere debeat, quum omnes in æquo sint. ¶ 10. Item in sepulcris videtur esse ea pars, quæ sociis post erectum sepulcrum commune, sorte obtingebat, quæ sors certum ollarum numerum continebat. *V.* OLLA. *Inscript.* apud *Fabretti* *c.* 6. *n.* 39. ET SINE SORTE PRIMO AB SOCIS QVAS VELLET OLLAS DATAE. ¶ 11. Item sors dicta est etiam pars terræ, quam quis in ditionem suam redegisset: ita et regnum ipsum, ut Sors Gothica apud *Sidon.* 7. *Ep.* 6. et 9. *ibid.* 5. Cf. *Cassiod.* 2. *Variar.* 16., ubi loquitur de tertia parte terræ, quam barbari sibi arrogabant, quemque apud *Marini, Pap. n.* 115. *l.* 6. dicitur *sors barbarica.* ¶ 12. In Fabulis est dea Romanis culta, ut videre est in nummis gentis Plætoriæ apud *Eckhel, D. N. V. T.* 5. *p.* 274. Cf. *Cavedoni* in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1860. *p.* 287. ¶ 13. Hinc dicitur de Fato, seu fatali necessitate. *Virg.* 10. *Æn.* 501. Nescia mens hominum Fati Sortisque futuræ. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 27. Me quoque si fas est exemplis ire deorum, Ferrea Sors vitæ difficilisque premit. ¶ 14. Et de Fortuna et Casu, *Fortuna, Sorte,* τύχη. *Virg.* 9. *Ecl.* 5. quoniam Sors omnia versat. *Alii leg.* Fors. *Tac.* 4. *Hist.* 1. Passim trucidatis, ut quemque Sors obtulerat. *Lucan.* 9. 126. O felix, quem Sors alias dispersit in oras!

SORSUM et

SORSUS. *V.* SEORSUM.

SORTĬCŎLA vel potius

SORTĬCŬLA, æ, f. 1. (*deminut. a* sors) Etiam *sorticola* hab. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. *n.* LI. *p.* 61. et 1. 208. — Sorticula est parva sors, κληρίδιον. *Sueton. Ner.* 21. Sorticula in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo. In *Vet. Tab.* apud *Gruter.* 506. *lin.* 7. SORTICVLAM VNAM SVXEAM LONGAM DIGITOS IIII. *et p.* 510. *sub fin.* QVO IVDICES SORTICVLAS CONICIANT. Adde *Hygin. De limit. p.* 113. 13. *Lachm.-Rud.* De decuriis antequam sortes tollant, singulorum nomina in pittaciis et in sorticulis (*inscribis*); et id ipsi sortientur, ut sciant, quis primo aut quotocumque loco exeant. *V.* SORS.

SORTĬENS, entis, particip. *V.* SORTIOR.

SORTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sors *et* fero) sortes ferens, oracula fundens. *Lucan.* 9. 512. stat sortifer illic Juppiter. Alii leg. *sortiger;* alii rectius *certior.*

SORTĬGER. *V.* in voc. præced.

SORTĬLĀTOR, ōris, m. 3. idem ac sortilegus: a *sors* et *lator*, quasi qui sortem fert, sortiger. *Porphyrion.* in *Horat.* 1. *Sat.* 6. 114.; ubi tamen *Mayer* leg. *circulatores.*

SORTĬLĔGUS, a, um, adject. (sors *et* lego) Apud *Commodian. Instr.* 11. *sortilugus* scribitur, ut patet ex primis versuum litteris; si modo recta est lectio, aut *v.* 13. *et* pro *ut* legendum. — Sortilegus est fatidicus. *Horat. Art. P.* 218. Utiliumque sagax rerum et divina futuri, Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. *h. e.* Delphico oraculo, ubi responsa per sortes reddebantur. Adde *Schol. Cruq.* in *Horat.* 1. *Sat.* 6. 113. *p.* 375. ed. *Lugd.* 1697. — Hinc sæpius

Sortilegus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, minister inserviens iis, qui per sortes oraculorum futura quærebant. Tollebat is, vel per se vel per manus pueri, sortes ex urna et consulentibus legebat ostendebatque: quem describere videtur *Tibull.* 1. 3. 10. Dicitur ante omnes consuluisse deos. Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi Rettulit e trinis omina certa puer. Alii aliter leg. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 648. *n.* 415. C. STIMINIVS HERACLA SORTILEGVS AB VENERE ERYCINA. Alia *p.* 668. *n.* 529. SEX. MAESIO SEX. F. ROM. CELSO SORTILEGO FORTVNAE PRIMIGENIAE etc. *Lucan.* 9. 581. Sortilegis egeant dubii semperque futuris Casibus ancipites: me non oracula certum, Sed mors certa facit. Huc pertinet *Inscript.* apud *Gruter.* 132. 6. SACRO SVSCEPTO SORTIEGVS SVBLATIS C. GALLIO ATTICVS MEDIOLANENS. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 65. *Müll.* et *Augustin. Serm.* 4. Cf. etiam *Isid.* 8. *Orig.* 9. 28. et *Porphyrion.* in *Horat.* 1. *Sat.* 6. 114. — Erant ex his, qui quæstus causa per sortes futura se prædicere profitebantur et superstitiosis conjecturis incautos fallebant. *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius uti solebat, agnoscere.

SORTĬLĔGUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

SORTĬLŬGUS. *V.* SORTILEGUS, a. um, init.

SORTĬO, is, (ivi) itum, ire, a. 4. *V.* voc. seq. init.

SORTĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (sors) *Sortio* quoque forma activa occurrit. — *a*) Active cum accusat. *Varro* apud *Non. p.* 471. 4. *Merc.* Quum venerint censores, inter se sortiant. *Enn. fragm.* 102. *Ribbeck.* Inter sese sortiunt urbem atque agros. — Absolute. *Plaut. Cas.* 2. 6. 43. Tibi permitto, tute sorti. — *b*) Passive. *Tertull. Apolog.* 2. Per universas provincias militaris statio sortitur. *Hygin.* 2. 40. Negare cœpit de sua filia passurum sortiri. Cf. *Cic.* 2. *Verr.* 51. *Id.* 4. *Att.* 16. Ab iis consiliis, quæ erant sortita in singulos candidatos. *Propert.* 4. 7. 55. gemina sedes sortita per amnem. *Id. ibid.* 11. 20. In mea sortita vindicet ossa pila. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 57. urbes Asiæ sortito rexerit anno. *Ammian.* 13. 6. 14. Miles morum probitate spectata sortita conjuge liberisque susceptis etc. Hinc *sortito*, adverb., quod *V.* suo loco. — Sæpius tamen occurrit *sortior*, forma deponent. — Part. *Sortiens* sub *A. a; Sortitus* in omn. paragr.; *Sortiturus* sub *B* I. 1.; *Sortiendus* sub *B* I. 1. et II. 3. — Sortior est sortes duco, sortitionem facio, in sortem conjicio, λαγχάνω, κληρόω (It. *tirare a sorte, eleggere a sorte, cavare la sorte, sorteggiare;* Fr. *tirer au sort, tirer l'augure, sortir;* Hisp. *sortear, echar suertes;* Germ. *loosen;* Angl. *to allot, share*): occurrit autem

A) Neutrorum more seu absolute. — *a*) Universim. *Plaut. Cas.* 2. 5. 34. Conjiciam sortes in sitellam, et sortiar tibi et Chalino. *Cic. Divin.* 1. *Verr.* 8. 21. Quum prætores designati sortirentur. *Liv.* 38. 35. Consules comparare inter se aut sortiri jussi. *Quintil.* 4. 2. 72. Sortiti nocte singuli per ordinem intrarunt. — *Plaut. Cas. prol.* 32. Clerumenoe vocatur hæc comœdia Græce, Latine Sortientes. *sc.* comœdia Diphili, quæ inscribitur Κληρούμενοι, quamque *Plaut.* in *Casin.* fideliter est imitatus. — *b*) Cum Ablat. et præp. *de*. *Tac.* 2. *Hist.* 41. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere. *Sueton. Claud.* 7. Sortiri de altero consulatu. — *c*) Cum partic. relativa. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. *a med.* Hoc est non considerare, sed quasi sortiri, quid loquare. *Id. Fat.* 20. 46. Num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? *Vellej.* 1. 1. *ad fin.* Sortiti sunt, uter patria decederet. *Liv.* 2. 8. Valerius Horatiusque consules sortiti, uter dedicaret. Horatio sorte evenit.

B) Transitivorum more et cum Accusativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 8. 21. Sortietur tribus idem Rullus. homo felix educet, quas volet tribus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 4. Sortiri judices per prætorem urbanum. Adde 4. *Verr.* 17. 42. *Id.* 1. *Fam.* 9. *sub fin.* Dixit, sese sortiturum esse cum collega provinciam. *Id. Cluent.* 46. 129. Hoc tu facies censor, ut non animadvertas in omnes, sed carpas, ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiare? *Id.* 4. *Verr.* 15. 37. Paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. *V.* DICA. *Liv.* 43. 31. Consules inter se provincias compararent sortirenturve. et *Plin.* 6. *Ep.* 22. Ut te sortitum provinciam præmonerem. *Sueton. Cæs.* 18. Ex prætura ulteriorem sortitus Hispaniam. *Seneca Herc. Fur.* 732. Minos judicia trepidis sera sortitur reis. ¶ 2. Speciatim per sortes aliquid recipere, sorte obtinere, sortito consequi, *ottenere in sorte.* *Horat.* 1. *Od.* 4. 18. Nec regna vini sortiere talis. *non sarai eletto re del convitto.* et *Juvenal.* 13. 49. nondum aliquis sortitus triste profundi Imperium. *Liv.* 39. 45. Sortiri peregrinam provinciam.

II.) Translate. ¶ 1. Est partiri, dividere, velut sorte ducta quid cuique obtingat. *Virg.* 8. *Æn.* 444. Ocius incubuere omnes, pariterque laborem Sortiti. *et* 9. *ibid.* 174. Omnis per muros legio, sortita periclum, Excubat exercetque vices. *et* 3. *ibid.* 634. sortitique vices, una undique circum Fundimur. *Liv.* 3. 58. Sortiri regnum in plebem. ¶ 2. Item nancisci, et tamquam sorte datum, aut frui aut pati. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 52. felicem dicere non hoc Me possunt, casu quod te sortitus amicum. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 21. Tu si Mæonium vatem sortita fuisses, Penelopes esset fama secunda tuæ. *se ti fosse toccato* etc. *Sueton. Aug.* 99. Sortitus exitum facilem et qualem semper optaverat. *Juvenal.* 14. 96. *de Judæis.* Quidam sortiti metuentem sabbata patrem, Nil præter nubes et cæli numen adorant. *et* 15. 143. hominis venerabile soli Sortiti ingenium. *Seneca Phœniss.* 244. fata quis tam tristia Sortitus unquam? *Plin.* 1. *Ep.* 3. Reliqua rerum tuarum post te alium dominum sortientur: hoc numquam tuum desinet esse. *Apul.* 5. *Met.* Sortiri maritum. *Ulp. Dig.* 37. 4. 3. *ante med.* Si emancipatus, uxore ducta, filium fuerit sortitus. *Inscript.* apud *Gruter.* 589. 7. QVI SORTITVS EST IN CONTVBERNIO SVO ARRIAM RVFINAM. *h. e.* habuit assignatam; nam *Colum.* 1. *R. R.* 8. Qualicumque villico contubernalis mulier assignanda est. ¶ 3. Locum etiam habet quum quippiam, aliquo delectu adhibito, facimus. *Justin.* 26. 3. *extr.* In matrimonio sortiendo judicium patris secuta. *Virg.* 3. *G.* 70. (et *Nemesian. Cyneg.* 205.) ac ne post amissa requiras, Anteveni, et subolem armentis sortire quotannis. *h. e.* substitue. *Id.* 12. *Æn.* 919. Cunctanti telum Æneas fatale coruscat, Sortitus fortunam oculis. Ubi *Servius:* Hunc locum ad feriendum oculis elegit Æneas, fortuna destinaverat vulneri.

SORTIS, is. *V.* SORS init.

SORTĬTĬO, ōnis, f. 3. (sortior) actus sortiendi, distributio aut electio, quæ ductis sortibus fit, *il cavare o mettere o eleggere a sorte, il sor-*

tire, κλήρωσις, λᾶξις. — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 2. 6. 38. deos quæso, mihi ut sortitio eveniat. *Cic. Cluent.* 46. 128. Sortitione in aliquem animadvertere. — *b*) Cum additis. *Id.* 2. *Phil.* 33. 82. Sortitio prærogativæ. *Id.* 3. *ibid.* 10. 24. provinciarum. *Id. Planc.* 22. 53. Neque enim majores nostri sortitionem constituissent ædiliciam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. *a med.* Ut judicum sortitione facta, comitia haberentur. — In plur. num. *Sueton. Aug.* 29. Cautum, ut separatim in eo (*foro*) publica judicia et sortitiones judicum fierent.

SORTĪTO, adverb. (sortitus) sortiendo, ductis sortibus, sortitione, *cavando a sorte, mettendo a sorte, per via di sorti*, κληρωτί.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. Lex, quæ in annos singulos Jovis-sacerdotem sortito capi jubebat. Adde *eumd. ibid.* 64. 142. In *S. C.* apud *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 8. *a med.* Eos, qui prætores fuerunt, sortito in provincias mitti placere. *Vulgat. interpr.* 1. *Par.* 26. 14. Sortito obtigit plaga septentrionalis. Adde *Ezech.* 45. 1.

II.) Translate est fato quodam aut necessitate naturæ, inevitabiliter, nam *sors* et fatum significat: et quæ sorte obtingunt, certo nostra sunt. *Plaut. Merc.* 1. 2. 24. CHAR. quid est negotii? ACANTH. Periimus. CHAR. principium inimicis dato. ACANTH. at tibi sortito id obtigit. *Horat. Epod.* 4. 1. Lupis et agnis quanta sortito obtigit, Tecum mihi discordia est.

SORTĪTOR, ōris, m. 3. (sortior) qui sortitur, *chi cava a sorte*, κληρωτής. *Seneca Troad.* 981. Quis tam impotens ac dirus, et iniquæ ferus Sortitor urnæ regibus reges dedit?

SORTĪTUS, a, um, particip. *V.* SORTIOR.

SORTĪTUS, us, m. 4. (sortior) idem ac sortitio.

I.) Proprie. — *a*) Abstractorum more. *Plaut. Cas.* 2. 4. 26. Si id factum est, ecce me nullum senem: si non impetravit, etiam specula in sortitu est mihi. *h. e.* spes aliqua est in sortitione et eventu. *Cic. Dom.* 19. *a med.* Quid si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti. *h. e.* una rogatione contra legem Cæciliam Didiam. *Manut.* mallet *scitu* et *tulisti*, quia trib. pleb. ferebat legem et quidem sine sortitione. At *Orell.* rectius vulg. lectionem tenet. *Virg.* 3. *Æn.* 323. quæ sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile. *h. e.* de qua captiva sortitio nulla facta est, cui victori addiceretur. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Stat.* 6. *Theb.* 389. Et jam sortitus Prothous versarat ahena Casside. *h. e.* sortes ipsas ad sortitionem.

II.) Translate, per metonymiam, est id, quod quis sortitus est, sors, fatum. *Stat.* 12. *Theb.* 555. hominum, inclite Theseu, Sanguis erant homines, eademque in sidera, eosdem Sortitus animarum alimentaque vestra creati. *h. e.* ut sortirentur haberentque easdem animas, quas ceteri homines.

SŌRUS, i, m. 2. σαῦρος, piscis marinus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Scomber, salpa, sorus, scorpæna. *Silligius* putat esse idem quod *saurus*, de quo *Plin. alibi. V.* SAURUS. At *Forcellinus* leg. *sparus.* V. hanc voc

SŌRY *vel* sori, rȳos *aut potius* rĕos, n. 3. σῶρυ, εως, genus chalcitidis (qui est lapis, ex quo æs coquitur), *sori*, fortasse, quod nos Itali dicimus *solfato di rame. Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 30. (117). Sory Ægyptium maxime laudatur, multum superato Cyprio, Hispaniensi et Africo; quamquam oculorum quoque curationi quidam utilius Cyprium putant: sed in quacumque natione optimum, cui maximum virus in olfactu trituque pinguiter nigrescens et spongiosum. Stomacho res contraria in tantum, ut quibusdam olfactu modo vomitiones moveat: et Ægyptium quidem tale. Alterius nationis contritum splendescit, ut misy, et est lapidosius. Prodest et dentium dolori, et oris ulceribus gravibus, quæque serpunt. Uritur carbonibus, ut chalcitis. *Id. ibid.* 29. (117). Chalcitis tria genera continet, æris et misyos et soryos. Adde *Cels.* 6. 9. *a med.*, ubi alii, ut *Sillig.*, hab. *soreos* pro *soryos.*

SOS. *V.* SUUS.

SOSPES, pĭtis, adject. omn. gen. — *a*) Ad scriptionem quod attinet *sispes* vel *seispes* pro *sospes*, ut *sispita* pro *sospita*, occurrit in vetustis Lapidibus et Nummis. *Fest. p.* 343. 14. *Müll.* Sispitem Junonem, quam vulgo Sospitem appellant, Antiqui usurpabant. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 5. *n.* 47. et *Fabretti p.* 603. *n.* 3. M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS SACERDOS IVNONIS REG. SISP. FECIT VIVENS (*sibi*) ET AMIO IVNIO FILIO SACERDOTI IOVIS SISP. etc. et apud *Orelli n.* 1309. MEMORIAE AETERNAE M. THORI M. F. PRIMIGENI SACERDOTIS IVNONI SISPITAE ET THORIAE BALBILLAE FILIIS PIISSIMIS FECIT SEX. THORIVS etc., quæ videtur sincera firmaturque præcedenti *n.* 1308. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1110. Sic IVNONI SISPITAE legitur in nummo Antonini Pii apud *Eckhel, D. N. V. T.* 7. *p.* 14. et in nummo Commodi apud *eumd. ibid. p.* 107. Adde *ibid. T.* 5. *p.* 294. — *b*) Ratione habita etymi, conjungenda videtur vox cum Gr. σῶς, salvus. Sic *Festus* in SISPITEM *p.* 343. 16. *Müll.* Ea vox ex Græco videtur sumpta, quod est σώζειν. Dixerim igitur conflatam vocem a σῶς, quod a Skr. *sava*, et *peto*, h. e. qui ad salutem petit seu venit. Cf. HOSPES. — Sospes est qui servat, qui salutem affert (Cf. SOSPITA); sed fere adhibetur pro eo qui servatur, et est salvus, incolumis, *sano, salvo*, σῶος.

I.) Proprie. ¶ 1. Active, pro eo qui servat, dixisse videtur *Ennius*, teste *Fest. p.* 301. 6. *Müll.*, coll. *Paul. Diac. p.* 300. 10. Cf. SOSPITA. Sic Juppiter et Juno appellantur in *Inscriptt.* V. init. ¶ 2. Passive pro eo qui servatur, qui est salvus, incolumis. — 1.°) De personis. — *a*) Universim. *Plaut. Cas.* 4. 4. 1. Sensim superattolle limen pedes, nova nupta: sospes iter incipe hoc. *Horat.* 3. *Od.* 14. 9. Virginum matres juvenumque nuper Sospitum. *h. e.* qui nuper salvi ab expeditione bellica redierunt. *Id.* 1 *ibid.* 28. 25. sic, quodcumque minabitur Eurus, Plectantur silvæ, te sospite. — *b*) Cum homonymis. *Plaut. Asin.* 1. 1. 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ superesse vitæ sospitem et superstitem. *Id. Capt.* 4. 2. 93. Tuum in portu Philopolemum vivum, salvum et sospitem vidi. *Plin. Paneg.* 67. *circa med.* Ut dii te sospitem incolumemque præstarent. *Ovid. Heroid.* 6. 147. per me tutus sospesque fuisses. — 2.°) De rebus. *Horat.* 1. *Od.* 37. 13. Vix una sospes navis ab ignibus. — *Salvus* et *sospes* conjunguntur apud *Plaut. Rud.* 3. 2. 15. Si speras — Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem. Sic *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 28. Ita mihi salvam et sospitem rempubl. sistere in sua sede liceat.

II.) Translate est prosper, felix. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 15. Juppiter — Quem penes spes vitæ sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem, quæso. *Horat. Carm. sæcul.* 39. Jussa pars mutare lares et urbem Sospite cursu. *Juvenal.* 13. 177. manet illa tamen jactura, nec unquam Depositum tibi sospes erit. « *Non sia però che l' involato argento Torni al tuo scrigno, e quel ch' è ito, è ito* » Gargallo.

SOSPĪTA, æ, f. 1. (sospes) Scribitur et *Sispita.* V. voc. præc. init. — Sospita est quæ servat, servatrix, σώτειρα. Hinc *Juno Sospita* apud Lanuvinos. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 82. Tam hercle, quam tibi illam vestram Sospitam, quam tu numquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. *Id.* 1. *Divinat.* 2. 4. Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitæ L. Julius refecit. Adde *ibid.* 29. 99. et *Mur.* 41. 90., *Liv.* 8. 14. et 24. 10. et *Apul.* 6. *Met. Ovid.* 2. *Fast.* 55. Phrygiæ contermina Matri Sospita delubris dicitur aucta novis.

SOSPĪTĀLIS, e, adject. (sospes) qui sospitem facit, salutaris, σωτήριος. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 18. Quis est, qui moram occupato molestam obtulit? P. Qui tibi sospitalis fuit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Sol sospitalis et medicus deus. Adde *Ammian.* 14, 8. 3.

SOSPĪTĀLĪTAS, ātis, f. 3. (sospitalis) salus, incolumitas. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Victores Romanos ad spectacula Dei sospitalitatis reduxit. Alii rectius leg. *sospitalis.*

SOSPĪTAS, ātis, f. 3. (sospes) felicitas, incolumitas, prosperitas. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *ante med.* Apollinem modo sospitatem, modo pestem significantibus cognominibus adoramus. Adde *Ammian.* 17. 5. 10. et 19. 4. 8., *Symmach. Ep.* 8. et *Hieronym. Ep.* 74. *Cassiod. Instit. Div. præf.* Qui corpoream desiderat habere sospitatem. Adde *Chalcid. Tim.* 226., ubi *sospitas* opponitur *ægritudini.*

SOSPĪTĀTOR, ōris, m. 3. (sospito) servator, σωτήρ. — *a*) Universim. *Apul.* 9. *Met.* Unus ex his, de cælo scilicet missus mihi sospitator. et 4. *ibid.* Fortissimi fidelissimique mei sospitatores juvenes. — *b*) Est epitheton Jovis, in *nummo Caracallæ* apud *Mediobarb.* Jovi Sospitatori. Adde alium Sept. Getæ, *ibid.* et apud *Vaillant. p.* 121. et 128. *edit.* 1696. — *c*) De CHRISTO *Arnob.* 2. *p.* 96. Ratio, cur non nuper, sed hodie Sospitator nostri generis adveniret. Sic *ibid. p.* 74. Sospitator ad vos Christus cæli ex arcibus mitteretur.

SOSPĪTĀTRIX, trīcis, f. 3. (sospitator) servatrix, ut Dea sospitatrix, *Apul.* 11. *Met. n.* 244. *Ruhnk.* Adde *ibid. n.* 249.

SOSPĪTO, as, are, a. 1. (sospes) sospitem reddo, servo, tueor, σώζω (It. *salvare, conservare, preservare, mantenere sano e salvo*; Fr. *sauver, conserver sain et sauf*; Hisp. *salvar, conservar sano y salvo*; Germ. *erhalten, erretten*; Angl. *to save, preserve*). *Verrius* apud *Fest. p.* 301. 17. *Müll.* ait, esse bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. *Ennius* apud *Non. p.* 170. 14. *Merc.* Regnumque nostrum ut sospitent superstitentque. *Pacuv. ibid.* Populoque ut faustum sempiterne sospitent. *scil.* regnum. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 10. dii Plus plusque istuc sospitent, quod nunc habes. *Catull.* 34. 22. Romulique Ancique, ut solita es, bona Sospites ope gentem. *Liv.* 1. 16. Uti volens propitius suam semper sospitet progeniem. *Plaut. Asin.* 3. 3. 93. Sis, herum tuis factis sospitari, da mihi istas viginti minas. Adde *Lucil.* apud *Non. p.* 472. 15. *Merc.*, ubi tamen alii aliter leg.

SŌTA, æ, m. 1. Σωτᾶς, titulus comœdiæ Ennianæ, cujus mentio est apud *Varron.* 5. *L. L.* 62. *Müll.* A quo est in Sota Ennii: Ibant malaci viere Veneriam corollam. et apud *Fest.* in *Tonsam p.* 356. 34. *Müll.* Ennius in Sota: Alius in mari vult magno tenere tonsam.

SŌTĀDĒUS, Sotadius et Sotadicus, a, um, adject. Σωτάδειος, Σωταδικός, ad Sotadem pertinens, qui fuit Cretensis, poeta lascivus, et obscena multa scripsit: unde *cinædus* dictus est a *Martial.* 2. 86. *V.* de eo ONOM. Delectatus porro est versibus recurrentibus seu reciprocis aut retrogradis, de quib. in RECURRO et RECIPROCUS: unde *Martial. loc. cit.* nec carmine glorior supino, Nec retro lego Sotadem etc. Hinc Sotadeum carmen vel metrum, et Sotadei vel Sotadici versus, qui varii generis fuerunt, ut videre est apud *Quintil.* 9. 4. *a med.*, *Serv.* in *centimetr. p.* 1819. et 1824. *Putsch.*, *Terentian. ibid. p.* 2415. et 2446. et *Mar. Victorin.* 1. *Art. gramm. p.* 51. 1. *Keil.*, 2. *ibid. p.* 77. 32. et alibi sæpe; item *Auson. epist.* 14. 29. *Terentian. De litt.* 21. et *De pedib.* 151. Ut quivero, versu blaterabo Sotadeo. *Plin.* 5. *Ep.* 3. Sotadici versus. — *Sotadius pes* apud *Mar. Victorin. Art. gramm.* 1. *p.* 47. 2. *Keil.* Duplices et tetrasyllabi pedes appellantur, quos etiam quidam Sotadios vocant. — Absolute *Gell.* 7. 9. *ad fin.* L. Attius in Sotadicorum libro primo *sesciderat* dixit. *h. e.* in iis, quæ Sotadis more aut metro scripsit. *V.* SOCRATICUS in ONOM. Cf. *Quintil.* 1. 8. *de lectione pueri.* Elegia vero, utique quæ amat, et hendecasyllabi, et quibus sunt commata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne præcipiendum quidem est), amoveantur, si fieri potest. — Plura de Sotadeis versibus habet *Spaldingius* in adnot. De his *Auson. Ep.* XIV. Σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν Ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην.

SŌTĂDĬCUS et

SŌTĂDIUS, a, um. *V.* voc. præced.

SŌTER, ēris, m. 3. σωτήρ, servator, *salvatore*. *Cic.* 4. *Verr.* 63. 154. Eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. is est nimirum soter, qui salutem dedit. *V.* SALVATOR. *Capell.* 5. *p.* 166. Cicero soterem salvatorem noluit nominare et ait: qui salutem dedit; illud enim nimis insolens videbatur. *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 652. Hodieque ara in Capitolio est Jovis Soteris, in qua liberati obsidione Gallorum, coria et sola vetera concremaverunt. — Absolute dicitur de JESU CHRISTO apud *Tertull. loc. cit.* in SOTERICIANUS.

SŌTĒRĬA, ōrum, n. plur. 2. σωτήρια, munera quæ convalescentibus et a morbo aut aliquo servatis periculo ab amicis mittebantur. — *a*) Generatim. *Martial.* 12. 56. Nam quoties surgis, soteria poscis amicos. — *b*) Speciatim dicuntur vota vel sacrificia pro salute amici persoluta. Unde *Stat.* 1. *Silv.* 4. carmen gratulatorium, quod pro restituta Rutilio Gallico salute cecinit, inscripsit *Soteria*.

SOTERĪĂCUS, a, um. *V.* SOTERICUS.

SŌTĒRĪCĪĀNUS, a, um, adject. (Σωτήρ) ad Soterem pertinens. *Tertull. advers. Valent.* 27. Super hunc itaque Christum devolasse tunc in baptismatis sacramento Jesum Soterem per effigiem columbæ. Nam in figuram principalis teiradis quatuor eum substantiis stipant, spiritali Achamothiana, animali demiurgiana (*al.* demiurgina), corporali inenarrativa et illa Sotericiana, id est columbina.

SŌTERĪCUS, a, um, adject. ut Sotericum metrum apud *Mar. Victorin. Art. gramm.* 3. *p.* 115. 25. *Keil.* Tetrametro heroo, in quo quattuor tantum dactyli, si subjicias tres iambos eo more, quo tres trochæi (phalæcio) copulantur, metrum sotericum efficies ita: *At tuba terribilem sonitum procul*. Alii leg. *soteriacum*.

SŌTĬGĔNA. *V.* OPIGENA.

SOVUS. *V.* SUUS.

SOZŪSA, æ, f. 1. σώζουσα, herba artemisia seu serpyllum majus. *Apul. Herb.* 10. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SP

SPĀCĬOR, SPĀCĬUM etc. *V.* SPATIOR, SPATIUM etc.

SPĀDĪCA, æ, f. 1. *V.* SPADIX.

SPĀDĪCĀRĬUS, ii, m. 2. (spadix) qui colore spadicis inficit. *Firmic.* 3. *Mathes.* 7. *ante med.* Si Saturnus sic positam Venerem forti radiatione respexerit, faciet aut spadicarios aut textores vel pigmentorum inventores.

SPĀDĪCUM, i, n. 2. *et*

SPĀDIX, īcis, m. 3. (σπάδιξ) Etiam *spadica*, *æ*, occurrit apud *Isid.* 13. *Orig.* 1. 49. Palmam Siculi spadicam vocant. — Item *spadicum, i*, apud *Ammian.* 24. 3. *a med.* Termites et spadica cernit assidua, quorum ex fructu mellis et vini conficitur abundantia. — Spadix ¶ 1. Est termes avulsus e palma cum fructu, ut *Gell.* 2. 26. et 3. 9. *in fin.* diserte docet et etiam videre est in PHŒNICEUS (Cf. SPATHA). ¶ 2. Hinc adjectivorum more ponitur pro colore fructum ejus arboris referente, Ital. *color bajo*. V. BADIUS. *Virg.* 3. *G.* 81. *de coloríb. equor.* honesti Spadices glaucique: color deterrimus albis Et gilvo. Ubi *Servius*: quos phœniciatos vocant, pressos, myrteos. ipsi sunt badii. Cf. *Gell.* 2. 26. ¶ 3. Est etiam instrumentum quoddam musicum, cujus meminit *Pollux Onom. l.* 4. *c.* 9. inter ea, quæ pulsantur: sed non describit. *Quintil.* 1. 10. *a med.* Apertius profitendum puto, non a me præcipi psalteria et spadicas etiam virginibus probis recusanda; sed etc.

SPĀDO, onis, m. 3. (σπάδων) Primam hujus vocis syllabam male produxit *Arator* 1. 670. qua spado jugatis Æthiopum pergebat equis. — Vox esse videtur a σπάω, traho, vello, evello: ut proprie sit is, cui evulsi sunt testiculi; quemadmodum thlibias, cui compressi; thlasias, cui fracti. V. *Dig.* 50. 16. 128. — Spado est eunuchus, castratus, qui virilitate caret, sive manu id damnum passus sit, sive morbo, sive natura, σπάδων (It. *castrato, scogliato, eunuco*; Fr. *évíré*; Hisp. *capado*; Germ. *Entmannter*; Angl. *emasculated*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de homine. — *a*) Generatim. *Dig. loc. cit.* Spadonum generalis appellatio est. quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt: item thlibiæ, thlasiæ, sed et siquod aliud genus spadonum est, continetur. *Id. ibid.* 23. 3. 39. Si spadoni nupserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne. *Juvenal.* 14. 91. Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 296. nusquam spado consul in orbe, Nec judex ductorve fuit. quodcumque virorum Est decus, eunuchis scelus est. *Mamertin. jun. Gratiar. act.* 19. Spadones, quos quasi a consortio humani generis extorres, ab utroque sexu aut naturæ origo aut clades corporis separavit. — *b*) Speciatim spadones sunt, qui valetudine aliqua præpediti, aut vitio corporali, liberos creare non possunt, quamvis τὰ γόνιμα μορία habeant: differuntque a castratis, quibus manu et ferro abscissa sunt. *Cajus Dig.* 1. 7. 2. Et hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt: castrati autem non possunt. *Ulp. ibid.* 28. 2. 6. Spadonem quoque posse postumum heredem scribere, et Labeo et Cassius scribunt: quoniam nec ætas nec sterilitas ei rei impedimento est. sed si castratus sit, Julianus non putat. *Martian. ibid.* 40. 2. 14. Si spado velit matrimonii causa manumittere, potest: non item castratus. — *c*) In illo *Tertull. De monog.* 1. Inter alienos spadones et aurigas tuos tantumdem quereris de domestico obsequio. *spado* est osor nuptiarum. ¶ 2. Latiore sensu de bestiis, ut Spadones equi, apud *Veget.* 4. *Veterin.* 7., ubi opponuntur testiculatis. — *Spado gallus*, castratus, *cappone*, apud *Publil. Syr. p.* 304. 2. *Ribbeck*.

II.) Translate *spadones* dicuntur a rusticis surculi vitium steriles et nullam spem fructus ostendentes, ut docet *Colum.* 3. *R. R.* 10. *a med.* Sic palmarum quoddam genus, nullo intus pomi ligno, quamdiu sunt novellæ, spadonum nomine appellantur, teste *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (38): item arundinum nullam lanuginem ferentium. *Id.* 16. *ibid.* 36. 66. (170). Hinc etiam dicta Belgis *spadonia mala*, a conditione castrati seminis, ut *id.* ait 15. *ibid.* 14. 15. (51). h. e. nullum intus semen habentia: et *spadonia laurus* est *ibid.* 30. 39. (130).

Homonym. Discrimen inter *spadonem* et *castratum* V. supra ad I. *b*.

SPĀDŌNĀTUS, us, m. 4. (spado) conditio castratorum, *eunuchismo*. *Tertull. Cult. fem.* 9. Se spadonatui assignant propter regnum Dei.

SPĀDŌNĬUS, a, um, adject. (spado) ad spadonem pertinens: et translate sterilis, ut Spadonia laurus, *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (130). et Spadonia mala, *ibid.* 14. 15. (51). *V.* SPADO.

SPÆRĪTA. *V.* SPHÆRITA.

SPAGAS vocatur in Asia resina, quæ fit e picea. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (123).

SPĂLAX. *V.* ASPALAX.

SPANDENS, entis *et*

SPANDĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SPANDO, is, itum, ere, a. 3. (ex *et* pando) idem quod expando. Occurrunt tantum part. *Spandens* et *Spanditus*. *Vulgat. interpr. Ital. Deut.* 32. 11. (teste *Vercellone, Var. Lect. T.* I. *p.* 587. Cod. *Veron.*) Velut aquila super pullos suos spandens alas suas etc. *Noster* habet *expandit*, et *Pelagon. Veterin.* 16. *ad fin.* Orthogilli sunt, quibus priores pedes spanditi fuerint introrsum. *curvi*. V. ORTHOGILLUS.

SPĂRĂGUS. *V.* ASPARAGUS.

SPARCĔA vel

SPARCĬA. *V.* SPARTEUS.

SPARGĂNĬON, ii, n. 2. σπαργάνιον, herba, quæ ab aliis platanaria, ab aliis butomos appellatur: cujus radix ex vino albo adversus serpentes bibitur (*Sparganium ramosum* Linn.). *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 63. (109).

SPARGĂNUM, i, n. 2. σπάργανον, fascia, qua involvitur infans. *Gloss. Isid.*

SPARGENS, entis, particip. *V.* SPARGO, is.

SPARGO, inis, f. 3. (spargo) aspergo. *Venant.* 3. *carm.* in *epist. ad Felicem episc. Namnetic.* Elisa salis spargine me contigit irrorari. *Gloss. Gr. Lat.* περιρραντήρ, spargo.

SPARGO, spargis, sparsi, sparsum, spargere, a. 3. *Spargier* per paragogen pro *spargi* apud *Horat.* 3. *Od.* 11. 8. ara castis Vincta verbenis avet immolato Spargier agno. — Vox ducitur a σπείρω, unde aor. ἔσπαρον, semino, ut primo et proprie dicatur de semine; rectius tamen a Skr. *spark*, aspergo; nisi malis utrumque ab hac radice derivare. Cf. etiam Gr. σπαράσσειν et Germ. *sprengen*. — Part. *Spargens* I. 1. 6.° et 2. 1.° et II. 1. 2.°; *Sparsus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Sparsurus* I. 1. 7.°; *Spargendus* I. 1. 1.° *b α* et *β* et 2. 1.° — Spargo est passim aliquid jacio, in omnes partes diffundo, dissemino, σπείρω, σκορπίζω (It. *gettare qua e là, spargere, seminare*; Fr. *semer, repandre*; Hisp. *sembrar, derramar, verter*; Germ. *streuen, hinstreuen, sprengen*; Angl. *to sow, shed, sprikle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Occurrit absolute, aut cum Accus. rei, quæ spargitur, addito sæpe rei seu loci, ubi quid spargitur, Ablat., aut Accusat. cum præp. *in, per, super*; aut etiam Dativo. — 1.°) Generatim. — *a*) Stricto sensu de seminibus. *Ovid.* 5. *Met.* 646. Spargere rudi humo semina. Cf. 3. *ibid.* 105. humi jussos, mortalia semina, dentes. *et* 7. *ibid.* 122. vipereos dentes in agros aratos. *Id.* 5. *ibid.* 655. Dona fero Cereris, latos quæ sparsa per agros Frugiferas messes alimentaque mitia reddant. Cf. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 10. 12. (27). Tribuli semen tritum et in aquam sparsum pulices necat. — Absolute *Vulgat. interpr. Matth.* 25. 24. Congregas, ubi non sparsisti. — *b*) Latiore sensu. — *α*) Universim. *Lucret.* 2. 195. missus corpore sanguis Emicat exsultans alte spargitque cruorem. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 23. Spargere venena. *Id.* 3. *Phil.* 6. 16. nummos populo de rostris. *Virg.* 8. *Ecl.* 30. nuces. *Id.* 6. *Æn.* 885. flores. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 14. *Id.* 3. *Od.* 18. 14. frondes. *Id.* 3. *ibid.* 19. 22. rosas. *Virg.* 7. *Æn.* 531. arma per agros. *et* 9. *ibid.* 629. (et 3. *Ecl.* 87.) Juvencus pedibus spargit arenam. *Id.* 3. *ibid.* 605. Spargite me in fluctus. *h. e.* dilacerate et immergite. Plenius 4. *ibid.* 600. abreptum divellere corpus et undis Spargere. *et Lucan.* 5. 684. Invitis spargenda dabas tua membra procellis. *Ovid.* 4. *Fast.* 790. sparsa tangere corpus aqua. *Id.* 1. *Art. am.* 164. Sparsaque sollicito tristis arena foro. *Id. Ib.* 305. Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant, Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias. *Id.* 10. *Met.* 151. Sparsaque Phlegræis victricia fulmina campis. *Vulgat. interpr. Job* 2. 12. Spargere cinerem super caput. — *Virg.* 7. *Æn.* 754. Spargere somnos vipereo generi. *h.* e. infundere, immittere. *Vulgat. interpr. Esth.* 4. 1. cinerem capiti. — *β*) De arboribus et herbis, ramos et radices late fundentibus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (140). Cupressus spargit extra se ramos. *Id.* 12. *ibid.* 12. 26. (42). Cacumina in aristas se spargunt. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (123). Natura cervorum cornua sparsit in ramos. *Id.* 24. *ibid.* 19. 118. (178). Gramen ex cacumine novas radices spargit. — 2.°) Speciatim est aspergo. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Neque spargi venenum in tres poterat. — 3.°) Item est jacio, jaculor, emitto. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *a med.* Hastati spargunt hastas: fit ferreus imber. *Virg.* 12. *Æn.* 51. Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus. *Propert.* 4. 3. 65. Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ. *Stat.* 2. *Achill.* 440. Spargere cæstus. *Val. Flacc.* 1. 14. faces. *Claudian.* 1. *Rapt. Proserp.* 98. Cyclopia tela. *Alii aliter leg. Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 1. Sagittarius cum funditore utrinque summo studio spargunt fortissime. — 4.°) Hinc

pro verso, jacto. *Val. Flacc.* 1. 421. Taurea vulnifico portat celataque plumbo Terga Lacon, saltem in vacuos ut brachia ventos Spargat. *Pers.* 5. 32. totaque impune Suburra Permisit sparsisse oculos etc. *girar qua e là.* et *Val. Flacc.* 5. 248. et 6. 584. tua nunc terris, tua lumina toto Sparge mari. *Martial.* 3. 82. Manumque doctam spargit omnibus membris. Cf. *Stat.* 2. *Achill.* 440. — 5.°) Item dispergo, in multas partes fero, dissipo, distraho. *Lucret.* 6. 922. Perpetuo fluere ac mitti spargique necesse' st Corpora. *Cic.* 4. *Herenn.* 2. 3. Res sparsas et vage disjectas diligenter eligere. *Ovid.* 8. *Met.* 343. aper ruit et spargit canes. *Liv.* 9. 23. Spargere per vias speculatores. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Tacfarinas spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursus in terga remeans. Adde *eumd. Agric.* 38., ubi *spargere bellum* est diviso exercitu variis locis simul bellum gerere. *Id.* 3. *Hist.* 46. exercitum per provincias. *Lucan.* 1. 468. *de Cæsare.* per omnem Spargitur Italiam. *h. e.* cohortes suas spargit. *Curt.* 5. 13. *a med.* Ut vestigia fugæ spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra petebant. *Virg.* 4. *G.* 28. *de apib.* si forte morantes Sparserit aut præceps Neptuno immerserit Eurus. *avrà sbaragliate o scombujate.* et *Seneca Troad.* 1042. Solvet hunc cœtum lacrimasque nostras Sparget huc illuc agitata classis. *Liv.* 33. 15. *in fin.* Ita se in fugam passim sparserant, ut etc. *Val. Flacc.* 4. 315. Bebrycas extemplo spargit fuga. *Ovid.* 14. *Met.* 470. Spargimur, et ventis inimica per æquora rapti etc. *h. e.* alius alio tempestate compellimur. *Liv.* 37. 20. Dilapsi ceteri sparserant se toto campo. *Val. Flacc.* 6. 613. stabulis qualis leo sævit opimis Luxurians spargitque famem mutatque cruores. *h. e.* avidam edendi rabiem in totum pecus exercet, dentes infigendo modo in hoc, modo in illud. *Id.* 5. 432. At juga vix Tethys sparsumque recolligit axem. *scil.* Phaethontis: de quo *Ovid.* 2. *Met.* 318. Sparsaque sunt late laceri vestigia currus. *Lucan.* 1. 502. sparsa compage carinæ. *Liv.* 37. 13. Sparsa tempestate classis. *Lucan.* 8. 203. Sparsus ab Æmathia fugit quicumque procella. — *Spargere se* de flumine, late se diffundere. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 15. 29. (101). Rhenus ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit. — *Spargere flumen in sulcos* apud *Lucan.* 4. 142. est in varios rivos dividere, ut tranari possit. — 6.°) Item divido, diduco. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 22. (45). Colorum genera tractamus, in species multas sese spargentia. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Spargere legiones. Cf. 3. *ibid.* 46. *Curt.* 5. 13. 18. vestigia fugæ. *Lucan.* 3. 259. sparsus in agros Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ. — Hinc translate *Ulp. Dig.* 27. 7. 3. *a med.* Ne per multos tutela spargatur. *h. e.* a multis administretur. — 7.°) Item discerpo, divello. *Ovid.* 7. *Met.* 442. *de Sini.* et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus. *Seneca Herc. Œt.* 1394. hinc illinc fremens Artusque nostros dirus immittat Sinis: Sparsus silebo. — 8.°) Item adfligo, prosterno, fundo. *Id. ibid.* 15. cecidit ante aras suas Busiris: una est Geryon sparsus manu. — 9.°) *Spargere aliquem,* in varia loca mittere, in diversas oras ablegare. *Val. Flacc.* 5. 488. suus ut magnum rex spargit ab Argis Alciden. *Justin.* 27. 3: *init.* Eumenes, sparsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus etc. ¶ 2. Occurrit sæpe etiam cum Accusativo personæ aut rei, in quam quid spargitur, et addito Ablativo rei, quæ spargitur, aut absolute: et est conspergere, perfundere, tingere, madefacere, *aspergere, bagnare, spruzzare, spargere di qualche cosa,* πάσσω, καταπάσσω. — 1.°) Generatim. *Tibull.* 1. 1. 14. Et placidam soleo spargere lacte Palen. *Virg.* 6. *Æn.* 229. ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi. *et* 11. *ibid.* 191. Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma. *Martial.* 10. 26. Spargere fletibus ora alicujus. *Id.* 3. 65. glæba spargitur imbre. *Virg.* 4. *Æn.* 635. corpus fluviali spargere lympha. *Ovid.* 5. *Fast.* 677. lauro sparguntur ab uda Omnia, quæ etc. *Horat.* 2. *Od.* 13. 6. et penetralia Sparsisse nocturno cruore Hospitis. *Virg.* 2. *G.* 347. virgulta per agros Sparge fimo pingui. *Id.* 5. *Ecl.* 40. Spargite humum foliis. *h. e.* consternite. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 22. Floribus innumeris et olenti spargere nimbo (*al.* thymbra). *Phædr.* 4. 24. Duo juvenes sparsi pulvere. *Cic. Parad.* 5. 2. Ut in familia qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt etc. *h. e.* qui, quod ait *Phædr.* 2. 5., alveolo conspergunt humum æstuantem, sedantes pulverem; aut pavimenta tergendi causa. *Seneca Ep.* 107. Offendi rebus istis tam ridiculum est, quam queri, quod spargaris in publico aut inquineris in luto. *h. e.* aspergi aqua immunda aut lotio. Adde *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 18. 12. — *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 42. Sparsissent lacrimæ pectora nostra piæ. — 2.°) Speciatim pro irrigare, *irrigare, innaffiare,* habet *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 47. (133). Cytisum seritur aut vere semine, vel caule auctumno: si semine, madidum; et si desint imbres, satum spargitur. *Acc.* apud *Non. p.* 170. 6. *Merc.* et *Stat.* 2. *Achill.* 412. Manus materno sordet sparsa sanguine. *Virg.* 4. *Æn.* 21. sparsos fraterna cæde Penates. *Ovid.* 1. *Fast.* 312. Sparsaque cælesti rore madebit humus.

II.) Translate. ¶ 1. Occurrit cum Accusat. rei, quæ spargitur, addito sæpe rei seu loci, ubi quid spargitur, Ablat.; vel Accusat. cum præp. *in, per;* aut etiam absolute. — 1.°) Generatim, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Cic. Senect.* 21. 77. Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut etc. *Id. Arch.* 12. 30. Omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam. *Martial.* 6. 60. Et nomen toto sparget in orbe suum. *Virg.* 2. *Æn.* 98. spargere voces In vulgum ambiguas. — *Vulgat. interpr. Matth.* 12. 30. Qui non congregat mecum, spargit. — 2.°) Speciatim dicitur de rebus, quæ odorem vel lucem aut umbram diffundunt. *Phædr.* 3. 1. Amphora, Odorem quæ jucundum late spargeret. *Petron. Sat.* 22. Lucernæ humore defectæ tenue lumen spargebant. *Seneca Med.* 73. *de stella Veneris.* te cupiunt nurus Quamprimum radios spargere lucidos. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (181). Solis gemma ad speciem sideris in orbem fulgentes spargens radios. *Sil. It.* 5. 55. flammiferum tollentes æquore currum Solis equi sparsere diem. *Seneca Agam.* 94. densam nemus spargens umbram. — 3.°) Item de rumore et fama. *Ovid.* 8. *Met.* 267. Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes Thesson. *Stat.* 9. *Theb.* 32. Fama per Aonium rapido vaga murmure campum Spargitur in turmas. *si sparge la fama.* et *Tac.* 2. *Hist.* 58. *in fin.* Spargebatur insuper, Albinum insigne regis usurpare. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 102. unde mihi tam fortem tamque fidelem? Sparge subinde. *va dicendo a questo e quello.* Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 86. *in fin.* Sparguntur per Gallias litteræ. — 4.°) *Spargere metus* apud *Val. Flacc.* 2. 118. et 3. 55. est usquequaque multis incutere. — 5.°) Item interdum est prodigere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 195. Distat enim spargas tua prodigus, an etc. *scialacqui.* — 6.°) Item subinde, passim commemorare. *Quintil.* 8. 3. *a med.* Sed de hac parte et in alio nobis opere plenius dictum est, et in hoc sæpe tractabitur et adhuc spargetur omnibus locis. *Juvenal.* 9. 84. Tollis enim et libris actorum spargere gaudes Argumenta viri. *h. e.* tollis liberos et gaudes subinde inserere libris actorum (in quibus cujusque pueri nativitas perscribebatur) indicia certa, te esse virum. ¶ 2. Occurrit etiam cum Accusat. personæ aut rei, in quam quid spargitur, et addito Ablat. rei, quæ spargitur, aut absolute: præsertim apud poetas. — 1.°) Generatim, metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., et perfundere, aspergere. *Virg.* 4. *Æn.* 584. Aurora novo spargebat lumine terras. et 12. *ibid.* 113. summos spargebat lumine montes Orta dies. *Sil. It.* 9. 34. spargere primus Incipiet radiis Gargana cacumina Phœbus. *Propert.* 3. 3. 46. Sparserit et nigras alba senecta comas. *Ovid.* 1. *Art. am.* 236. spargitur amore pectus. *h.* perfunditur, imbuitur. — Hinc figurate. *Cic.* 1. *Att.* 13. Litteræ quum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis. — 2.°) Speciatim madefacere, tingere. *Horat.* 2. *Od.* 6. 23. ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici. Cf. *Virg.* 4. *G.* 229. prius haustu sparsus aquarum Ora fove. Alii leg. *haustus sparsus aquarum Ore fove,* ubi *Servius* illud *sparsus* pro *spargens* esse putat, participium pro participio. Sed *Forcellinus* hoc ait nimis durum prioremque lectionem ac sententiam esse aliquid adhuc involutum. Ceterum *Heyne, Ribbeck,* alii recentiores hanc lectionem tenent. *Wagner* dictum esse docet pro fovere aquam haustam ore. *h. e.* eam tenere, continere, habere; poetica vero copia additum *sparsus,* quasi habens ora sparsa, aspersa, proluta aquâ. *V.* quæ *id.* fuse ad *h. l.* adnotat. *Klotz* ita interpr.: «spüle den Mund mit Wasser aus»; et *Georger:* «mit geschöpftem Wasser besprengt = die Hände gewaschen». — 3.°) Item leviter spargere, distinguere, variare, maculis variare, *cospergere, ornare, chiazzare, picchiettare, screziare. Virg.* 5. *Ecl.* 7. antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. *h. e.* circumvestivit et distinxit. Sic 9. *ibid.* 19. humum florentibus herbis Spargere. *et* 7. *Æn.* 199. Picum Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 606. quarum (*herbarum*) de lacte soporem Nox legit et spargit per opacas humida terras. *et ibid.* 309. nox cælum sparserat astris. *avea seminato di stelle.* Similiter *Tac. Germ.* 17. Detracta ferarum velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. *h. e.* distinguunt, ornant. Cf. *Epit. Liv.* 50. Quum unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet. *Est qui leg.* farsum. — 4.°) In illo *Senec. Herc. Œt.* 18. Sparsit peremptus aureum serpens nemus. *sparsit* est occupavit et mole sua quasi contexit. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Sparsus, a, um, adjectivorum quoque more usurpatur; unde Comp. *Sparsior.* — Sparsus ¶ 1. Est huc illuc, vel in omnes partes diffusus, disseminatus. — *a*) Cum addito rei aut loci, ubi quid sparsum est, Accusat. et præp. *per, in, ad,* aut Ablat. *Virg.* 3. *Æn.* 126. (et *Ovid.* 2. *Met.* 264.) sparsasque per æquor Cycladas et crebris legimus freta consita terris. *Id.* 1. *ibid.* 606. Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem etc. *Ovid.* 1. *Fast.* 502. et sparsas per loca sola casas. *Id. Heroid.* 15. 73. jacent collo sparsi sine lege capilli. *rabbuffati, scarmigliati.* V. PASSUS, a, um. *Id.* 3. *Met.* 169. sparsos per colla capillos Colligere in nodum. *Id.* 1. *Art. am.* 541. sparsis in terga capillis. *Propert.* 2. 1. 7. vidi ad frontem sparsos errare capillos. *Virg.* 5. *Æn.* 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Martial.* 8. 44. Foro triplici sparsus. *h. e.* per tria fora vagabundus. *Seneca Hippol.* 961. sparsa cito sidera mundo. — *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 116. 22. *Merc.* Alii fiducia gnaritatis locorum in occultam fugam sparsi. — *b*) Cum addito Ablat. rei, quæ spargitur. *Horat.* 3. *Od.* 20. 13. leni recreare vento Sparsum odoratis humerum capillis. — *c*) Absolute. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 62. (146). Selenitium (genus hederæ), cujus est minor acinus, sparsior racemus. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 129. Uberior Nilo, generoso sparsior Istro. ¶ 2. Est etiam distinctus, variatus, *adorno, chiazzato, screziato. Virg.* 2. *Æn.* 41. Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo. *Ovid.* 1. *Art am.* 71. porticus sparsa tabellis. *Liv.* 41. 21. Anguis aureis maculis sparsus. *Sall.* 2. *Hist. fragm.* 23. *Dietsch.* Croco sparsa humus. *Lamprid. Alex. Sev.* 41. Pallium auro sparsum. *h. e.* distinctum, χρυσόπαστον. *Seneca* 4. *Benef.* 6. Tectum nitidius, auro aut coloribus sparsum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 71. Porticus Livia priscis sparsa tabellis. *Id.* 8. *Met.* 567. raris jam sparsus tempora canis. — Absolute. *Ter. Heaut.* 5. 5. 17. Rufam illam virginem cæsiam, sparso ore, adunco naso. *h. e.* vultu lentigine obducto, *lentigginoso* (Cf. *Virg.* 3. *Ecl.* 41.), vel, ut alii volunt, ore nimis didu-

cio, *sperticato:* quod minus placet. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (55). Tibereum sparsa, non convoluta canitie.

SPARSÈ, adverb. (sparsus) sparsim. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 584. Dicit eum scire capere augurium et per diversos casus fulminis, scilicet si sparse cadit et non sparse.

SPARSĬLIS, e, adject. (spargo) qui spargi potest. *Tertull. Pudic.* 9. Tanta sparsilia eorum, qui Deo adulantur. *Scioppius* legit *futilia.*

SPARSIM, adverb. (sparsus) sparse, hic et illic, multis variisque in locis, *sparsamente, qua e là,* σποράδην. *Apul.* 10. *Met.* In excelsum prorumpit vino crocus diluta sparsimque defluens, pascentes circa capellas odoro perpluit imbre. *Gell.* 11. 2. Præterea ex eodem libro Catonis hæc etiam sparsim et intercise commeminimus. Sic *Lactant.* 1. 2. Sparsim dicere per totum hoc opus, *h. e.* passim. Addunt et *Plinii* locum 36. *Hist. nat.* 7. 11. (55)., sed ibi *Harduin.* ex MSS. leg. *sparsa.* Ita leg. et *Sillig.*

SPARSĬO, ōnis, f. 3. (spargo) actus spargendi, *spargimento,* διασπορά. Specialim ¶ 1. Ita appellatur effusio croci, balsami et hujusmodi fragrantium liquorum, quæ ope fistularum fiebat in theatris et amphitheatris, ut populus ibidem congregatus eximiis odoribus recrearetur. *Seneca* 6. *Controv. præf. circa med.* Quis ferret hominem de sparsionibus dicentem, odoratos imbres? V. *Martial. Spectac.* 3. *et* 5. 25. et *Senec. Ep.* 90. *ante med.* et v. CROCUM. Reprehendit autem *Seneca* Musam rhetorem, qui id dixerat: post quem dixit et *Apul.*, ut est in dictione præced. *Seneca* alter 2. *Quæst. nat.* 9. Numquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens, in summam altitudinem amphitheatri pervenit, cum intensione aquæ fiat? *Inscript.* Pompejis reperta, edita autem in *Mus. Borbon. Relaz. degli scavi Pomp. dall'ann.* 1821. *p.* 6. DEDICATIONE THERMARVM MVNERIS CN. ALLEII NIGIDII MAII.... VENATIO ATHLETAE SPARSIONES VELA ERVNT. Cf. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1177., 1181. et 1184. ¶ 2. Aliud fuit sparsionis genus, quo dona variarum rerum a principe in populum ad diripiendum spargebantur. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 65. Jam noctis propioribus sub umbris Dives sparsio quos agit tumultus. *h. e.* sparsa in populum ludis missilia omne genus a Domitiano, ut ab eo diriperentur. de quib. *Sueton. Domit.* 4. *extr.* Die proximo omne genus rerum missilia sparsit: et quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronunciavit. *V.* MISSILIS.

SPARSĪVUS, a, um, adject. (spargo) qui spargitur. *Sparsiva pila* vocabantur in ludis puerilibus, quum unus eorum in altum eam projiciebat, aliis vero assilientibus cura erat ejusdem arripiendæ, priusquam terram attingeret, quod genus a *Polluce Onom. l.* 9. c. 7. § 106. οὐρανία appellatur. *Petron. Sat.* 27. Ipse paterfamiliæ soleatus inter pueros pila sparsiva exercebatur, nec eam amplius repetebat, quæ terram contigerat. Alii tamen, ut *Bücheler,* rectius leg. *prasina.* Ceterum sunt qui putant, hic mentionem esse de eo pilæ ludo, quæ trigonalis appellatur, quam vocem vide suo loco.

SPARSUS, a, um, particip. *V.* SPARGO, is.

SPARTA, æ, f. 1. σπάρτη, h. e. funis sparteus et præcipue funiculus fabrorum, quo, rubrica vel alio colore tincto, lineam in ligno vel lapide ducunt, quam in cædendo, secando, poliendo potissimum sequantur. Funiculus autem (apud Hebræos כבל *kevel*) designat partem quandam agri fune extento dimensam, atque etiam sortem vel hereditatem; funibus enim veteres ad agros dividendos utebantur, immo ad viarum mensuram designandam; hinc apud Ægyptios *schœnus* hac significatione accipitur. *V.* hanc vocem. Unde proverb. Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει: *spartam sortitus es, hanc orna.* Græcis usitatum et Græce plerumque adhibitum; quo significatur, quæcumque sors obtigerit, eam esse ornandam, *h. e.* ea quemque contentum esse debere. Hinc *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 5. Si autem ego pars Domini sum et funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, habens victum et vestitum, his contentus sum. *Cic.* 4. *Att.* 6. Reliquum est, σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. *h. e.* quam vitæ rationem habere cœperis, hanc deinceps etiam te sequi oportet. *Id.* 1. *ibid.* 20. Eam, quam mihi dicis obtigisse, σπάρταν, non modo numquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. *sub init.* Quum nullus cupiditati locus, nulla satietatis spes est, singulis sparta non sufficit sua. *Auct.* hic loquitur de viris pathicis et feminis tribadibus, qui indebitas corporis partes obscenis usibus subjugant, seu præpostera libidine utuntur. — *NB.* De nom. propr. urbis et de cognom. R. *V.* ONOM.

SPARTĀRĬA, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

SPARTĀRĬUS, a, um, adject. (spartum) ad spartum pertinens. *Spartaria* dicta est Carthago in Hispania, quia sparti feracissimus ejus ager. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 43. (94). Garum e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis spartariæ cetariis. — Hinc absolute, substantivorum more

Spartaria, orum, n. plur. 2. loca sparti feracia. *Id.* 11. *ibid.* 8. 8. (18). In Hispania multa in spartariis mella spartum sapiunt.

Spartarius, ii, m. 2. qui spartum vendit. *Gloss. Gr. Lat.* Σχοινοπώλης, spartarius.

SPARTĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

SPARTĔA, æ, *V.* SPARTEUS in fin.

SPARTĔŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* sparteus, per contemptum dicitur de eo, qui ad VII. cohortes Vigilum pertinet ab Augusto institutas, in tutelam urbis Romæ, quæ arcendis incendiis noctu continuas vigilias agebant, vel quia calceis aut tunicis sparteis utebantur: vel a sparteis funibus, quorum multus est usus in restinguendis incendiis: vel potius a vasis sparteis pice illitis, quibus aquam ipsi in usum eumdem efferebant. *V.* SPARTUM. Occurrit autem in plur. num. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 14. 305. Per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt causa ignis. *Tertull. Apolog.* 39. *a med.* Ad fumum cenæ Serapiacæ sparteoli excitabuntur. *scil.* quia adeo lautæ erant, ut culina comburi videretur, ad cujus ignem restinguendum Vigilum opera necessaria erat.

SPARTĔUS, a, um, adject. σπάρτινος, e sparto factus. *Cato R. R.* 3. *in fin.* et *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ante med.* Funes cannabini et spartei. *Apul.* 9. *Met.* Helcium sparteum. *et mox.* Copula spartea. *Cato R. R.* 11. Urnas sparteas sex, amphoras sparteas quatuor. *Sparteas* appellatas quidam putant, quæ fictiles quum essent, sparto sirparentur, sicut et apud nos vitreæ phialæ eodem pacto sirpari solent. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Solea spartea pes bovis induitur. — Hinc

Spartea, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, solea spartea. Linamentis pes involutus spartea munitur. *et ibid.* 15. Bos spartea calceata per triduum suffuso aceto curatur. *Pallad.* 12. *R. R.* 6. *ante med.* Spartea suspensa de ramis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 7. (27). ex sparto calceamina et pastorum vestes fieri tradit. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. Spartea calciare curabis, ut post egestionem humorum ungula reparetur. ubi olim, teste *Schneid.*, legeb. *spartia,* vel etiam *sparcia* vel *sparcea.* Adde 3. *ibid.* 43.

SPARTI, Spartoe *vel* Spartoi, ōrum, m. plur. 2. Σπάρτοι, sati, seminati: a σπείρω, sero. Ita dicti sunt a Græcis homines armati, quos repente e terra exstitisse fabulantur ex dentibus anguis Cadmi manu satis: statimque mutuis vulneribus inter se necatos, paucis exceptis, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerunt adjumento, ut *Censorin. de die nat.* 4. *sub fin.* loquitur. *Hygin. fab.* 178. Meminit et *Varro* apud *Gell.* 17. 3. Hinc *Lactant.* 3. 4. Pereunt igitur universi hoc modo, et, tamquam Sparti illi poetarum, sic se invicem jugulant. *Alii perperam leg.* Spartiatæ. *Ammian.* 19. 8. *sub fin.* Quo exemplo terrigenas illos, non sinibus terræ emersos, sed exuberanti pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per varia visebantur, Sparti vocitati, humo exsiluisse, vetustate, ut cetera, fabulosius extollente, sunt existimati. In *Chron. Euseb.* apud *Hieronym.* ad ann. ab Abrahamo DCLXXXXV. habetur, adversus Cadmum Bœotiæ fines vix ingressum ita subito insurrexisse regionum finitimarum populos, ut e terra exstitisse viderentur, tamquam sata ex agris. Inde orta fabula dentium satorum, et *Spartorum* appellatio.

SPARTOE *vel* Spartoi. *V.* voc. præc.

SPARTON. *V.* SPARTUM.

SPATŎPŎLĬA, æ, f. 1. σπαρτοπολία, gemma sic dicta a colore sparti, et a πολιός, canus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 73. (191). Polian canitiem, spartopolian rariorem. Ita *Silligius;* sed *Forcellinus* leg. *spartopolios.*

SPARTŎPŎLĬOS, ii. *V.* voc. præced.

SPARTOR, ōris, m. 3. inter ministeria Circensia fuisse creditur, is nimirum, qui spargebat vestes certantium aurigarum. In *Tab. marmorea,* ubi recensetur familia quadrigaria cujusdam T. At. Capitonis, apud *Gruter.* 339. 5. cum moratore, tentore, agitatore etc. *spartor* quoque ponitur, *h. e* qui Circum creta spargebat: sed sunt qui rectius putant *strator* esse legendum.

SPARTUM *vel Græca positione* sparton, i, n. 2. σπάρτον, herba, quam recte monet *Harduin.* esse a σπείρω, cujus præter. pass. ἔσπαρμαι, σαι, ται, non qua serere significat, quia spartum non seritur; sed qua conserere, innectere, quia nectendis funibus maxime inservit. — Sparton igitur, *sparto,* apud Hispanos nunc *esparto* ¶ 1. Est herba, ut ait *Plin.* 19. *Hist. nat* 2. 7. (26)., sponte nascens et quæ seri nequit, juncusque proprie aridi soli, uni terræ dato vitio. namque id malum telluris est: nec aliud ibi seri aut nasci potest. Plurimum gignitur circa Carthaginem Hispaniæ: fiuntque ex eo strata rusticis eorum, ignes facesque, calcamina et pastorum vestis. Utile est navium armamentis, machinis ædificationum aliisque desideriis vitæ. In aquis invictum est: in sicco præferunt e cannabi funes (*Stipa tenacissima* Linn.). *Liv.* 22. 20. Magna vis sparti ad rem nauticam congesta. ¶ 2. Dicitur etiam de fune sparteo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 11. (46). In quartanis fragmentum clavi involutum lana collo subnectunt, aut spartum e cruce. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (137). Et piger, qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodit. *Pausanias l.* 10. *c.* 29. hanc eamdem rem describens, quod *Plinius* spartum, ipse σχοινίον appellat, h. e. juncum. *V.* OCNUS. ¶ 3. Etiam genista *sparton* dicitur, quod ante usum sparti Hispani adhibuisse Romanos affirmat *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 40. (65). Genista quoque vinculi usum præstat. Dubito, an hæc sit, quam Græci auctores sparton appellavere, quum ex ea lina piscatoria apud eos factitari docuerim; et numquid hanc designaverit Homerus, quum dixit navium sparta dissoluta. Nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum spartum in usu, certum est. *Id.* 19. *ibid.* 1. 6. (25). Thoracibus lineis paucos pugnasse, testis est Homerus. Hinc fuisse et navium armamenta apud eumdem interpretantur eruditiores, quoniam quum sparta dixit, significaverit sata. *Homer. Iliad.* 2. 135. Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται. Cf. *Gell.* 17. 3.

SPĂRŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sparus, qua piscem significat. *Ovid. Halieut.* 106. Et super aurata sparulus cervice refulgens. Adde *Martial.* 3. 60. *V.* voc. seq.

SPĂRUM, i, n. *et sæpius*

SPĂRUS, i, m. 2. *Sparum,* neut. gen., est apud *Non. p.* 555. 20. *Merc.* et in plur. num. apud *Lucil. fr. inc.* 109. (*Fest. p.* 330. 16. *Müll.*) et *Non. p.* 224. 2. *Merc.* — Sparus ¶ 1. Est genus teli, de quo *Fest. loc. cit.* Spara parvissimi generis jacula, ab eo quod spargantur, dicta. Lucilius: Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro. et *Non. p.* 554. 10.

Merc. Spari tela sunt non bellica. Sallust. Catilinæ bello (c. 59.) Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portabant. *Varro* apud *Non. p.* 555. 20. *Merc.* Aut ille, cervum qui volabile currens Sparo secutus tragulave trajicit. *Virg.* 11. *Æn.* 682. Agrestisque manus armat sparus. Ubi *Servius:* Bene agrestis, nam est rusticum telum in modum pedi recurvum. Varro ait, esse telum missile, a piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur. *Sil. It.* 3. 388. Rhyndacus his ductor; telum sparus. et 8. 523. Omnibus in pugna fertur sparus. *Sisenna* apud *Non. p.* 555. 22. *Merc.* Sparis ac lanceis eminus peterent hostes. *Liv.* 34. 15. Cato, si quis extra ordinem avidius procurrit, et ipse interequitans sparo percutit, et tribunos castigare jubet. *Nepos Epam.* 9. Ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt. *Id. ibid. mox.* Si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 5. *extern. de eod. Epamin.* Trajectus hasta, sanguine et spiritu deficiens etc. et *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. et 5. *Fam.* 12. Tum denique sibi avelli jubet spiculum, postea quam etc. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 6. 31. — Non stat sententia *Servii* et *Nonii*, quod non sit telum bellicum, quum tot locis videas in bello et prœliis adhiberi: nisi dicamus, a rusticis primo usurpatum, inde ad militares usus fuisse traductum. ¶ 2. *Sparus* est etiam piscis marini genus, colle aurei coloris, adeo ut aurata primo intuentibus esse videatur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151)., ubi alii leg. *sorus*. et *Cels.* 2. 18. *circa med.* V. vocem præced. *Gloss. Gr. Lat.* Σπάρος, Ἰχθύς, cammarus, sparus.

SPASMA, ătis, n. 3. (σπάσμα) *et sæpius*

SPASMUS, i, m. 2. (σπασμός) *Spasma*, neutr. gen., apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 72. (237). Spasmata et percussa vitiata fimo aprugno curant. et 25. *ibid.* 8. 43. (82). Herba utilissima ad ea, quæ spasmata vocant. Hoc tamen loc. recentiores leg. *asthmata*. — Spasmus est convulsio nervorum et rigor: a σπάω, traho. *Cels.* 2. 1. *ante med.* nervorum distentionem vocat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 24. (40). Ad aurium dolores, spasmos, tremores, opisthotonos etc. et 22. *ibid.* 8. 9. (21). Renibus, stranguriæ, opisthotonicis, spasmis, lumbis, hydropicis etc. *Id.* 30. *ibid.* 12. 36. (110). Serpentium senectus spasmos fieri prohibet. *Id.* 32. *ibid.* 8. 29. (91). Spasmos stomachi sedare, *h. e.* vehementiores singultus stomachum torquentes. *Scribon. Compos.* 171. Spasmo vexari. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 6. 62. Est juxta definitionis formam conductio, quam spasmon Græci appellant, involuntaria tensio atque conductio partium cum vehementia et acuto dolore ob stricturæ nimietatem. *Id. ibid.* 61. Spasmi species sunt emprosthotonia et opisthotonia, quas nos pronum raptum atque supinum appellare poterimus. Adde *ibid.* 7. 71. et alibi sæpe. et *Isid.* 4. *Orig.* 6. 11.

SPASTĬCUS, a, um, adject. σπαστικός, qui aliquid intus convulsum est, *chi patisce spasimo*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 89. (243). Spastici nervi. *Id.* 26. *ibid.* 5. 24. (60). cynici. *V.* CYNICUS et etiam SPATHICUS. — Hinc

Spasticus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, qui spasmo laborat. *Id.* 21. *ibid.* 19. 77. (132). Radicem decoctam bibere, spasticis, eversis, convulsis, suspiriosis, salutare. Adde 20. *ibid.* 14. 55. (157).

SPASTĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SPĀTA. *V.* SPATHA.

SPĀTĂLE, es, f. 1. σπατάλη, quæ est mollities, lascivia. *Varro* apud *Non. p.* 46. 12. *Merc.* Spatale eviravit omnes Venerivaga pueros. Ubi tamen rectius leg. *spatule* vel *spatula*. — *NB.* De nom. propr. et cognom. R. *V.* ONOM.

SPĀTĀDĬUM *vel* spathalium, ii, n. 2. σπατάλιον et σπαθάλιον. ¶ 1. Est ramulus palmæ cum dactylis dependentibus. *V.* SPATHA. *Martial.* 13. 27. *in lemmate.* Spathalion caryotarum. Ubi tamen recentiores leg. *palathium* deminut. a *palatha*. ¶ 2. Est etiam ornamentum muliebre circa manus, *maniglia*. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 52. (142). Juba tradit, circa Troglodytarum insulas fruticem esse, qui vocetur charitonblepharos, efficacem in amatoriis: spatalia eo facere et monilia feminas. *Tertull. Cult. fem.* 13. Nescio, an manus spathalio circumdari insolita, in duritia catenæ stupescere sustineat. *Inscript.* in *Corp. Inscr.* 2. 2060. SPATALIA CVM GEMMIS II. Adde *aliam ibid. n.* 3386. Apud *O-rell. Inscr. n.* 2510. pro *spataliis* alii leg. *smialiis*. V. SMIALIA.

SPĀTĂLŎCĬNÆDUS, i, m. 2. cinædus delicatus: a σπάταλος, delicatus, ut est in *Gloss. Philox.* (unde σπατάλη, mollities, et σπαταλάω, lascivio) et κίναιδος, cinædus. *Petron. Sat.* 23. Huc huc convenite nunc spatalocinædi.

SPĀTANGĬUS, ii, m. 2. σπάταγγος et σπατάγγης, piscis ex genere echinorum. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 14. 20. 1. Spatangium sane in primæ qualitatis piscem imputari præcipimus, quod decem librarum pondus sua magnitudine minime excedere videtur.

SPĀTĀRĬUS, ii. *V.* SPATHARIUS.

SPATĀRO. *V.* SPATTARO.

SPĀTHA *vel* spata, æ, f. 1. (σπάθη) Etiam *spathe* Græca positione apud *Plin.* 23. *Hist. nat.* 5. 53. (99). — Spatha est proprie rudicula, latiusculum et oblongum instrumentum, quo miscentur pharmaca et alia. ¶ 1. Stricto sensu. *Colum.* 12. *R. R.* 41. Sit puer, qui spatha lignea vel arundine permisceat poma, ne possint aduri. et *ibid.* 22. Picis metretam adde in labrum, et in eodem infundito cineris lixiviæ congios duos, deinde permisceto spatha lignea. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 26. (111). Delimatam æris scobem aceto spargunt versantque spathis sæpius die, donec absumatur. *Scribon. Compos.* 45. Movere spatha medicamentum, ne extra fundatur. *Cels.* 7. 12. *in fin.* Si rimæ in labris altius descenderunt, necessarium est tenui ferramento adurere, quod spathæ simile quasi transcurrere, non imprimi debet. *Id.* 8. 15. spatham ligneam describit crassitudine duorum digitorum, longitudine ab ala usque ad digitos manus, qua ad humerum luxatum reponendum medici utuntur. Quo loco est qui legit *spathula*. ¶ 2. Latiore sensu. — *a*) Est instrumentum textorium, quo vice pectinis fila densantur. *Seneca Ep.* 90. Tela suspensis ponderibus rectum stamen extendit: subtemen insertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, spatha coire coguntur et jungi etc. — *b*) Item palmæ arboris ramulus seu palmes, unde dactyli dependent, *spazzola:* quæ et *spathe*, es, dicitur. *V.* init. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 48. (112). Palma sola in spathis habet fructum racemis propendentem. — *c*) Hinc genus arboris, cujus usus est in unguentis, quam alii elatem vocant, alii palmam. *Id.* 12. *ibid.* 28. 62. (134)., item 23. *ibid.* 5. 53. (99)., ubi *Plin.* recenset ejus utilitates in medicina. Adde *Scribon. Compos.* 269. — *d*) Denique a similitudine genus gladii latioris (unde Italis *spada*) sic dictum a spathæ, qua miscetur, similitudine. *Veget.* 2. *Milit.* 15. In prima acie dimicantes, principes vocantur. Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides, ocreas, scuta, gladios majores, quos spathas vocant, et alios minores, quos semispathas nominant. *Tac.* 12. *Ann.* 35. *de Britannis.* Si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum: si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. *Apul.* 1. *Met.* Circulatorem aspexi equestrem spatham præacutam mucrone infesto devorasse. et 9. *ibid.* Militi spatham eripere. *Spartian. Hadrian.* 10. Quum sine gampe fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet. *Capitolin. Maximin. jun.* 3. Facit et spathas argenteas, fecit etiam aureas et omnino quidquid ejus pulcritudinem posset juvare. *Tertull. Cult. fem.* 13. Timeo cervicem, ne margaritarum et smaragdorum laqueis occupata locum spathæ non det, *alla spada del carnefice.* Adde *Edict. Diocl.* 7. 33. et 37.

SPĀTHĂLĬUM. *V.* SPATALIUM.

SPĀTHĀRĬUS *vel* spatarius, a, um, adject. (spatha) ad spatham pertinens, ut Spatharia fabrica. *Notit. Imp. Occid.* 32. — Hinc

Spatharius vel *spatarius*, ii, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est qui spathas conficit vel potius gestat prope principes viros, *scudiere*, δορυφόρος. *Inscript.* apud *Murat.* 2043. 6. et *De-Lama, Guida Parm. p.* 104. SALVIVS ANTONIAE DRVSI SPATARIVS. ubi fortasse *spatarius* est a *spatha*, qua instrumentum in usum domesticum significat, *spatola*. Cf. tamen *Gloss. Gr. Lat.* Σπαθοποιός, gladiarius. et *Gloss.* in *Prodr. Gloss. p.* 418. ed. *Loewe.* Armiger spatarius. ¶ 2. Est etiam miles spatha armatus; speciatim vero gladiator ex provocatoribus. *Inscript.* apud *Henzen n.* 6173. V. *Garrucci* in *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1865. *p.* 79. ¶ 3. Sequiore ætate item videtur fuisse miles qui spatha armatus Imperatores et Duces sequeretur sive ad corporis custodiam sive etiam ad jussa exsequenda et in aula aliqua auctoritate præstaret. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 36. Quibusdam spatariorum jussit (*Constantius*), ut eam (*Publiam*) alapis cæderent. Adde *Inscript.* apud *Murat.* 1852. 12.

SPĀTHE. *V.* SPATHA init.

SPĀTHĬCUS, a, um, adject. sed absolute occurrit apud *Firmic.* 3. *Mathes.* 14. Morientur autem aut spathici aut colobici aut apoplectici seu phrenetici. *Id.* 4. *ibid.* 1. *ante med.* Si luna feratur ad solem, interdum facit spathicos, et qui assiduis valetudinum vitiis contrahantur. At *Gesnerus* hic recte suspicatur legend. *spasticos*, id quod admonere videtur verbum *contrahantur*. Immo recentiores *spasticus* pro *spathicus* utrobique legendum censent.

SPĀTHŎMĒLA, æ, et

SPĀTHŎMĒLE *vel* spatomele, es, f. 1. σπαθομήλη, specillum latum, spathæ formam habens: a σπάθη, spatha, et μήλη, specillum. *Pelagon. Veterin.* 31. Quamcumque melotidem vel spathomelen miseris, ibit per ipsam fistulam, nec dolorem equus sentierit (*corrig.* senliet). Adde *Marcell. Empir.* 7. *a med.* et *Isid.* 4. *Orig.* 11. 3. Cf. *Plin. Valerian.* 1. 8. — Alio sensu, ut videtur, apud *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 105. Radicula aut spathomela æris rubri oportet moveri aquam.

SPĀTHŬLA *vel* spatula, æ, f. 1. *deminut.* a spatha, parva spatha. ¶ 1. Dicitur proprie de rudicula, qua miscendo inservit. *Plin. Valerian.* 2. 45. De spatula movendo commiscetis omnia. *Marcell. Empir. c.* 15. *p.* 107. Spathula ad agitandum medicamentum. Cf. *Cels.* 7. 12. *in fin.* V. SPATHA. ¶ 2. Improprie. — *a*) Est parvus ramus palmæ. *Vulgat. interpr. Lev.* 23. 40. Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum etc. — *b*) Item a similitudine parvus gladius. *Gloss. Gr. Lat.* Σπάθη τὸ ξίφος, spathula. — *c*) Et costa suilla latior, ita dicta, quod spatham refert. *Apic.* 4. 3. Spathula porcina. Sic *Gloss. Gr. Lat.* Σπάθη ἡ τοῦ ἀνθρώπου, costa. — *d*) Est etiam meta, quæ pro termino agrorum ponitur. *Frontin. De colon. p.* 121., 122. et 124. *Goes.* Spathulæ cursoriæ. *Id. p.* 141. Termini quadrati cursorii, spathulæ vel metæ assignatæ. — *e*) Est idem ac spatale. *V.* loc. in SPATALE, ubi lectio varia est.

SPATIALIS, e, adject. (spatium) ad spatium pertinens. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 63. Spatium, spatiosus, spatialis.

SPĀTĬANS, antis, particip. *V.* SPATIOR.

SPĀTĬĀTOR, ōris, m. 3. (spatior) qui spatiatur. *Fest. p.* 344. 34. *Müll.* Spatiatorem, erratorem. Cato in M. Cœlium, si se appellavisset: In coloniam mehercules scribere nolim, si triumvir sim, spatiatorem atque Fescenninum. *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. *a med.* M. Cato senatorem non ignobilem M. Cœlium, spatiatorem et Fescenninum vocat, eumque staticulos dare ait.

SPĀTĬĀTUS, a, um, particip. et

SPĀTĬO. *V.* SPATIOR.

SPĀTĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* spatium, parvum spatium, *spazietto. Pallad.* 1. *R. R.* 38. Alvearia collocentur spatiolis inter se patentibus segregata. *Arnob.* 4. *sub fin.* Propter quædam spatiola defanata.

SPĀTĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Etiam *spatio,* forma activa, apud *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 108. Deflentem populum videas spatiare per urbem. — *Spatiarus* pro *spatiaris,* si sana est lectio, ex errore quadratarii, habet *Inscript.* in *Corp. Inscr.* 1. 1220. (*Orell. n.* 7413.) — Part. *Spatians* I. *a* et II.; *Spatiatus* in omn. paragr. — Spatior est ambulo, deambulo, spatium pedibus conficio, περιπατέω (It. *passeggiare, spasseggiare, andare a spasso;* Fr. *se promener, errer;* Hisp. *pasear;* Germ. *spazieren, umhergehen;* Angl. *to walk about, spatiate, rove*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 21. *sub fin.* Adeo negligens esse cœpit, ut quum in mentem veniret ei, resideret, deinde spatiaretur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 67. Pompeja lentus spatiare sub umbra. *Virg.* 4. *Æn.* 62. Dido ante ora deûm pingues spatiatur ad oras. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 17. fixus lateri spatiantis adhæsi. *Petron. Sat.* 86. Ergo aliquot horis spatiatus, in hospitium reverti. Adde 2. *ibid.* 2. 3. et 1. *Art. am.* 491. et 2. *Trist.* 286. — *b*) Cum addito loci, qua quis spatiatur, Ablativo et præp. *in,* aut sine præp.; vel etiam Accus. et præp. *per. Cic. opt. gen. Orat.* 3. 8. Spatiari in xysto. *Petron. Sat.* 90. in porticibus. *Virg.* 1. *G.* 389. Et cornix sola in sicca secum spatiatur arena. *Propert.* 1. 20. 9. Sive Gigantea spatiabere litoris ora. *Ovid.* 3. *Fast.* 469. spatiataque (*conjux*) litore curvo, Edidit incultis talia verba comis. *Id.* 2. *Met.* 572. dum per litora lentis Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena

II.) Translate. *Propert.* 2. 10. 19. Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa. *h. e.* prodeat, procedat, dum efferor. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (45). Intus, ut in metallis, spatiante vena. *et ibid.* 10. 12. (65). Radices amore solis atque imbris in summa tellure spatiantur. *Ovid.* 4. *Met.* 362. Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales Sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque Alligat, et cauda spatiantes implicat alas. *allargate e dimenantisi.* et 14. *ibid.* 629. vitis luxuriem premit et spatiantia passim Brachia compescit. *Seneca* 3. *Ira* 10. *a med.* Prodest morbum suum nosse et vires ejus, antequam spatientur, opprimere. *h. e.* se diffundant et crescant. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (54). Nilus certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 1. Jamdiu lato spatiata campo Fortis heroos, Erato, labores Differ atque ingens opus in minores Contrahe gyros. *Ambros.* 2. *Interpr. Job* etc. 2. *n.* 8. In aula æterna spatiabatur animo.

SPĀTĬŌSĒ, adverb. (spatiosus) Comp. *Spatiosius.* — Spatiose est late, ample, magno spatio aut tempore, *ampiamente, largamente,* εὐρυχώρως.

I.) Proprie. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 29. (92). Inula seritur intervallis ne minus ternorum pedum, quoniam spatiose fruticat. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (126). Spongias imponi oportet sic, ut sanas quoque partes spatiose operiant. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 85. Spatiosius increvit flumen. *assai più, più grandemente.*

II.) Translate. *Propert.* 3. 19. 3. Tu quoque, qui æstivos spatiosius exigis ignes, Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter. *in tempi più lunghi.*

SPĀTĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (spatiosus) spatium, *spaziosità, spazio. Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur. Adde *Gromat. vet. p.* 78. 4. *Lachm.-Rud.* In Africa spatiositas et inundatio camporum ejusmodi controversias facillime in errorem inducit.

SPĀTĬŌSUS, a, um, adject. (spatium) Comp. *Spatiosior* I. *a* et *b;* Sup. *Spatiosissimus* I. *b.* — Spatiosus est multum spatii habens, amplus, vastus, capax, latus, magnus, εὐρύχωρος (It. *ampio, largo, spazioso, grande;* Fr. *spacieux, étendu, long;* Hisp. *espacioso, largo;* Germ. *weit, lang, gross;* Angl. *spacious, large, wide, broad*).

I.) Proprie. — *a*) Sæpe dicitur de corpore, et notat corporis magnitudinem: quia magna corpora magnum loci spatium occupant. *Ovid.* 2. *Art. am.* 645. Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo: Unus, qui modicam diceret, Hector erat. *Id. Remed. am.* 421. Sæpe necat morsu spatiosum vipera taurum. *Id.* 3. *Met.* 56. Spatiosum corpus. *Id.* 3. *ibid.* 20. frons cornibus. *Virg. Mor.* 35. planta (*pedis*). *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 338. artus. *Val. Flacc.* 4. 244. Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa Protulit. — *b*) De aliis rebus. *Lucan.* 3. 505. nigri spatiosa volumina fumi. *Id.* 6. 106. Spatiosi colles. *Vitruv.* 6. 8. Ædificia spatiosiora. *Sil. It.* 8. 483. portus, quo non spatiosior alter Innumeras cepisse rates. *Colum.* 5. *R. R.* 5. Interordinia neque spatiosiora, quam decem pedum, neque contractiora, quam quatuor. *Id.* 6. *ibid.* 2. Spatiosum stabulum. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 20. 34. (112). Amnis quatuor mil. pass. ore spatiosus. *et ibid.* 12. 26. (82). Spatiosa insula. *et ibid.* 1. 1. (4). æquor. *et* 2. *ibid.* 97. 99. (218). Spatiosior laxitas. *Claudian. Ep.* 1. 19. Tradita captivo spatiosior India Poro. *Plin. Paneg.* 63. *sub fin.* Campus, spatiosissima sedes hominum deorumque. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 3. *de capillis.* quid erat spatiosius illis? Contigerant imum, qua patet usque, latus. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 370. spatiosa Quirinus Frena regit.

II.) Translate. — *a*) Refertur ad tempus. *Ovid. Heroid.* 1. 9. quærens spatiosam fallere noctem. *h. e.* longam. *Id.* 1. *Amor.* 8. 81. Sed numquam dederis spatiosum tempus in iram. *Id.* 8. *Met.* 528. Pulvere canitiem genitor vultusque seniles Fœdat humi fusus, spatiosumque increpat ævum. *et* 12. *ibid.* 186. spatiosa senectus. *et.* 13. *ibid.* 206. spatiosi tempore belli. *h. e.* diuturni. — *b*) Refertur per metaphoram ad alia. *Seneca Ep.* 88. *a med.* Magna et spatiosa res est, sapientia: vacuo illi loco opus est. *Quintil.* 9. 4. *ad fin.* spatiosas voces appellat, quæ ex multis syllabis constant. — Hinc

Spatiosum, i, n. 2. absolute, res vel locus spatiosus. *Vulgat. interpr. Ital. Ps.* 30. 9. (ex MS. *Ver.* Gr. Lat.) Statuisti in spatioso pedes meos. *Vulgat.* noster hab. *in loco spatioso.* et *Ambros.* 2. *De Abr.* 6. *n.* 26. Dissonis moribus etiam spatiosa artantur.

SPĀTĬUM, ii, n. 2. Qui scribunt *spacium,* qua id ratione faciant, non facile dixerim. Cf. tamen *Pezzi Gramm. Stor.-Comp. p.* 52. — Quod ad etymon attinet, Forcellinus docet esse a σπάδιον (quod a σπάω) Æolice et Dorice pro στάδιον, ut habet *Hesychius:* Σπάδιον, τὸ στάδιον. Hinc *Gregor. Corinth. de dial. Æol.* § 44. Ἀντὶ δὲ τοῦ τ̄ τὸ π̄. στολὴν σπολήν, σταλεὶς σπαλείς. Cf. *Curtium, Grundz. d. Gr. Etym. p.* 686. Sed *Döderlein* conjungit cum Lat. *pateo.* — Spatium est quicumque locus, τόπος, μέσον (It. *luogo, spazio, tratto, estensione di luogo;* Fr. *espace, distance, éloignement;* Hisp. *espacio, distancia, trecho;* Germ. *der Raum, die Strecke;* Angl. *the ground for running a race*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 1. 389. haud poterit tamen uno tempore totum Compleri spatium. *Id. ibid.* 426. Tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus, Si nullum foret, haud usquam sita corpora possent Esse etc. *Id. ibid.* 523. Omne quod est, spatium vacuum constaret inane. *Id. ibid.* 1002. Est igitur natura loci spatiumque profundi. *Id.* 4. 202. Per totum cæli spatium diffundere sese. *Cæs.* 3. *B. C.* 61. *sub fin.* Tempora rerum et spatia locorum animadvertere. *Id.* 1. *B. G.* 38. Flumen pæne totum oppidum cingit: reliquum spatium mons continet. *Id.* 3. *B. C.* 92. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. *Nepos Eumen.* 9. Dimidium fere spatium (*itineris*) confecerat, quum etc. *Id. ibid.* 5. Quum vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi. *Virg.* 3. *Ecl.* 105. Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas. *Tac. Germ.* 22. Facilitatem patiendi camporum spatia præstant. *h. e.* magna spatia, magnus ambitus. *Id.* 14. *Ann.* 14. Clausum valle Vaticana spatium, in quo equos regeret. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 4. Spatia sunt passus, actus, climata, jugera. *Curt.* 3. 9. 12. Majus spatium aperire. *et* 6. 1. 12. Spatium emetiri. *Quintil.* 8. 3. 84. Prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est. ¶ 2. Specialim dicitur de intervallo loci, διάστημα. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Hic locus æquo fere spatio ab castris utriusque aberat. *Id.* 2. *B. C.* 16. Tormentorum usum spatio propinquitatis interire. *per la troppa vicinanza.* et 2. *B. G.* 30. Quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur. *sì di lontano.* et. 3. *ibid.* 17. Quum hostis contra eum duum milium spatio consedisset. *in distanza di due miglia.* et 2. *ibid.* 17. Quum legiones magnum spatium abessent. *Id.* 7. *ibid.* 23. Ne inter se contingant trabes, sed paribus intermissæ spatiis etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Siderum genus spatiis immutabilibus. *Ovid.* 8. *Met.* 794. Neve viæ spatium te terreat, accipe currus. *la lunghezza del viaggio.* et *Tac.* 6. *Ann.* 21. Positus siderum ac spatia dimensus. — De mensura. *Id.* 2. *ibid.* 61. Profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Alii tamen leg. *spartis,* sc. sparteis funibus. (Cf. *Herod.* 2. 28. Πολλῶν γὰρ αὐτὸν χιλιάδων ὀργυιέων πλεξάμενον κάλον, κατεῖναι ταύτῃ καὶ οὐκ ἐξικέσθαι ἐς βυσσόν.) V. quæ ad h. l. *Tac.* adnot. *Boetticher.* At *Orellius* nihil mutat. Sic *Ovid.* 8. *Met.* 677. spatium discrimina fallit. ¶ 3. Item significat rei cujusquam magnitudinem, *ampiezza, grandezza. Id.* 3. *ibid.* 95. Dum spatium victi victor considerat hostis. *Lucan.* 9. 732. nec intus spatio est elephas. *per la mole del corpo.* et *Seneca Hippol.* 806. Spatium vasti corporis. *Juvenal.* 4. 39. spatium admirabile rhombi. *Id.* 6. 503. si breve parvi Sortita est lateris spatium. *Claudian. II. cons. Stilich.* 290. spatio summas æquantia fagos cornua cervi. *in altezza.* et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 17. 17. (77). Quod sit hominis spatium a vestigio ad verticem, id esse passis manibus inter longissimos digitos, observatum est. *Gell.* 1. 1. Spatium modusque plantæ Herculis. *Tac. Agric.* 10. Britannia spatio ac cælo in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur. — *In spatium,* in longum spatium, nisi velis hanc significationem ex eo sumere, quod spatia curriculorum vel ambulationum, ut porticus, xysti et hujusmodi, fere in rectam longitudinem porrigi solent. *V.* infra. *Ovid.* 7. *Met.* 782. *de fera currenti.* nec limite callida recto In spatiumve fugit, sed decipit ora sequentis Et redit in gyrum. *et* 11. *ibid.* 174. *de Mida.* nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram, Sed trahit in spatium. *allunga.* et *Propert.* 2. 23. 3. *de porticu.* Tota erat in spatium Pœnis digesta columnis. *per tutta la sua lunghezza.* Alii leg. *in speciem.* et *Sil. It.* 13. 562. Tum jacet in spatium sine corpore pigra vorago Limosique lacus. ¶ 4. Item sæpe dicitur de loco, ubi cursu certatur, et est curriculum, stadium, *luogo dove si corre al palio, corso, lizza,* στάδιον: quam ponit *Forcellinus* primam vocis significationem. *Enn.* 441. equus spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia. *Virg.* 1. *G.* 512. Ut quum carceribus sese effudere quadrigæ, Addunt se in spatia. Hujus tamen loc. lectio alia aliis: ita et sensus. Cod. Med. habet *addunt spatio.* Sed V. *Sil. It.* 16. 372., *Serv.* ad h. l. et Cod. Rom. *Heyne* interpretatur: immittunt se in campum, sc. decursum. et *Vossius:* gyros multiplicant et repetunt. Septem autem erant spatia seu gyri, quibus in circo decursus finiebatur. (Cf. *Ovid. Halieut.* 68. et *Sil. It. loc. cit.*) et 3. *ibid.* 202. Hic (*equus*) vel ad Elei metas et maxima campi Sudabit spatia. *Id.* 12. *Æn.* 907. Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit totum. *Ovid.* 2. *Met.* 168. tritumque relinquunt Quadrijugi spatium. *Id.* 6. *ibid.* 487. equi Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi. *Cic. Senect.* 23. *circa med.* Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari.

3. *Orat.* 45 178. Spatia conficere. *Liv.* 35. 40. Abstinerunt me velut de spatio. *Tac. dial. de Orat.* 39. Nobiles equos cursus et spatia probant. ¶ 5. Hinc de ipso cursu vel deambulatione, quæ in spatio fit. *Virg.* 5. *Æn.* 584. Inde alios ineunt cursus aliosque recursus Adversis spatiis. *Id.* 7. *ibid.* 380. *de trocho.* Ille actus habena Curvatis fertur spatiis. *Ovid. Halieut.* 68. *de equis.* Seu septem spatiis Circo meruere coronam. *Cic.* 1. *rep.* 12. 18. Deinde quum essent perpauca (*in porticu*) inter se uno, an altero spatio conlocuti. ¶ 6. Et de loco, in quo ambulatur, *passeggio. Cic.* 1. *Legg.* 4. *a med.* Quin igitur ad illa spatia nostra sedesque pergimus? ubi quum satis erit deambulatum, requiescemus. *et ibid.* 5. In cupressetis Gnosiorum et spatiis silvestribus crebro insistens. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 90. Templaque et innumeris spatia interstincta columnis. *h. e.* porticus, quæ sunt loca ambulationibus apta. *Ovid.* 7. *Met.* 670. Phocus in interius spatium pulcrosque recessus Cecropidas ducit. *Seneca Thyest* 649. In multa dives spatia discedit domus. ¶ 7. Et etiam de ipsa ambulatione, *passeggiata. Cic. Mur.* 34. 70. Si uno basilicæ spatio honestamur. *Id.* 1. *Orat.* 7. 28. Quum in ambulationem ventum esset, Scævolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse etc. *Id. Orat.* 3. 12. Fateor, me oratorem, si modo sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exstitisse. Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis impressa sunt vestigia.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ ex eo quod *spatium* dicitur de extensione seu intervallo loci, refertur sæpe ad significandum tempus seu intervallum et longitudinem temporis, *tempo, intervallo o estensione di tempo:* et construitur cum objecti Genet. vel Dat., sæpius Accus. et præp. *ad;* aut absolute. — a) Generatim. *Cæs.* 6. *B. G.* 17. Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt. *Cic. Arch.* 1. *init.* Quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis. *Id. Quinct.* 1. 4. Diligentia quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest. *tempo e agio.* et *Ter. Hecyr.* 3. 3. 14: Neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat. *h. e.* moram, inquit *Donat.* Sic *Ovid. Remed. am.* 277. Ne properes, oro: spatium pro munere posco. *Cic.* 2. *Verr.* 13. *extr.* Etsi spatium ad dicendum nostro commodo vacuosque dies habuissemus. *Liv.* 8. 32. Orabant, ut iræ suæ spatium, et consilio tempus daret. *Pacuv. fragm.* 9. *p.* 102. *Ribbeck.* prius quam intereo, spatium ulciscendi danunt. *Ter. Phorm.* 4. 4. 21. Spatium apparandis nuptiis (*Umpf.* apparandi nuptias), vocandi, sacrificandi, dabitur paullulum. *Cæs.* 1. *B. C.* 3. Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant. *Propert.* 3. 20. 31. Aut spatia annorum lenibunt vulnera nostra. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 22. 51. (188). Fons certis horarum spatiis dispensatur inter incolas. *Cic. Cæcin.* 2. *a med.* et *Cæs.* 5. *B. G.* 17. Ut quam minimum spatii ad se colligendos Romanis darent. *Quintil.* 12. 11. 19. Spatium ad discendum. *Propert.* 2. 19. 29. Parvo dilexit spatio Minoida Theseus. *poco tempo.* et *Ovid. Ib.* 41. (et 134.) prius hanc animam auferat illa dies, Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit. *col tempo.* et *Cic.* 2. *Orat.* 87. *a med.* Hoc interim spatio conclave illud concidit. *in questo frattempo.* et 2. *Off.* 23. 81. Tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus tenebantur. *in sì lungo tempo.* et 4. *Fin.* 1. *init.* et 1. *Orat.* 33. 150. Spatium sumere ad cogitandum. *Id.* 5. *Att.* 14. Antequam aliquo loco consedero, neque longas a me, neque semper mea manu litteras exspectabis: quum erit spatium, utrumque præstabo. *Nepos Eumen.* 12. Deliberandi sibi spatium reliquit. *Id. ibid.* 9. Totidem dierum spatium. *Val. Flacc.* 2. 356. Et deus ipse moras spatiumque indulget amori. *Stat.* 10. *Theb.* 704. Da spatium tenuemque moram, male cuncta ministrat Impetus. *Tac. Agric.* 22. Ponendis castellis spatium fecit. *h. e.* copiam, commodam occasionem, *agio, opportuna occasione.* — b) Speciatim dicitur de tempore, quo verba metimur in pedibus carminum, in canendo, in dicendo. *Cic. Orat.* 57. 193. Trochæus, qui est eodem spatio, quo choreus. *Quintil.* 1. 5. 18. Quæ (*vitia*) fiunt spatio, sive quum syllaba correpta producitur. *Id. ibid.* 43. Ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis. Adde *ibid.* 10. 3. Cf. *Capell.* 9. *p.* 321. Diastema est vocis spatium. *h. e.* tonus. — c) Item de anno. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (167). Quosdam morbos post sexagesimum vitæ spatium non accidere. *dopo l'anno sessantesimo.* ¶ 2. Metaphorâ ductâ ex eo, quod *spatium* dicitur de curriculo seu stadio, aut etiam cursu, qui in stadio fit. *Plaut. Stich.* 1. 2. 14. quid mihi opu' st decurso ætatis spatio cum eis Gerere bellum? *Ter. Adelph.* 5. 4. 5. Nam ego vitam duram, quam vixi adhuc, prope jam excurso spatio, mitto. *Cic. Brut.* 90. 307. Hæc idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere possis, et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. *Id. Amic.* 12. 40. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id. Rabir. perduell.* 2. *a med.* Me ex comparato et constituto spatio defensionis, in semihoræ curriculum coegisti. *Id. Lucret.* 6. 91. Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis Currenti spatium præmonstra, callida Musa. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 8. istuc mens animusque Fert, et avet spatiis obstantia rumpere claustra. *Id.* 2. *Sat.* 6. 100. jamque tenebat Nox medium cæli spatium. *Ovid.* 15. *Met.* 874. Spatium ævi finire. *et ibid.* 225. transire juventæ. *Id.* 3. *Trist.* 4. 33. decurrere vitæ. *Seneca Troad.* 398. mors est Velocis spatii meta novissima. *Virg.* 9. *Æn.* 275. Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas Insequitur, venerande puer etc. *Tac. Agric.* 8. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Cf. *Cic. Brut.* 64. 230. et *Rutil.* 2. *De fig. sent.* 2. *p.* 139. *Ruhnk.-Frotsch. Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 959. *Meyer.* In spatio Veneris simulantur prœlia Martis. — In illo *Vulgat. interpr. Eccli.* 15. 2. Deus nemini dedit spatium peccandi. *spatium* est licentia, libertas, ut patet ex Græco textu, ubi legitur vox ἄνεσις.

SPĂTŎMĔLE. *V.* SPATHOMELE.

SPATTĀRO, interject. *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.* Spattaro (*subaud.* usurpat) Afranius in Æqualibus. Quam vocem frequenter apud eum positam ait Paulus ἐξουθενισμοῦ vim sensumque sufferre. Alii leg. *spataro.* Cf. *Ribbeck, Scæn. Rom. P. fr. v.* 2, *p.* 165., ubi affert *Gloss. Cyrill.* Spatarro ἐπὶ ἐξουθενισμοῦ.

SPĂTŬLA et

SPĂTŬLE. *V.* SPATHULA et SPATALE.

SPĒCA. *V.* SPICA.

SPĔCELLĀTUS. *V.* SPECILLATUS.

SPĔCĬA. *V.* SPECIES.

SPĔCĬĀLIS, e, adject. (species) Comp. *Specialior;* Sup. *Specialissimus.* — Specialis ¶ 1. Est ad speciem pertinens, peculiaris, *particolare, speziale,* εἰδικός: cui *generalis* opponitur. *Seneca Ep.* 58. *ante med.* Quod est, genus est primum et antiquissimum, et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia. *Quintil.* 5. 7. *ad fin.* Divinorum testimoniorum duplex tractatus: generalis alter, regaturne providentia mundus: specialis alter contra partes divinationis. *et ibid.* 10. *ante med.* Generale tempus est nunc, olim sub Alexandro, quum apud Ilium pugnatum est: speciale habet et constituta discrimina, æstate, hieme, noctu, interdiu; et fortuita, in pestilentia, in bello, in convivio. *Id.* 12. 2. *circa med.* Quum sit omnis generalis quæstio speciali potentior: quia universo pars continetur. — *Specialia nomina* in *Anecd. Helv. p.* XXVI. *Hag.* sunt ea, quæ a genere dividuntur, ut homo, equus, vitis, laurus. ¶ 2. Est etiam singularis, proprius, *singolare, proprio,* ἴδιος: cui *communis* opponitur. *Trebell. in XXX. Tyrann. de Quieto,* 14. Non prætermittendum de Macrianorum familia id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum M. viri in annulis, mulieres in reticulis exsculptum semper habuerunt. *Dracont.* 2. 425. Nec generale malum sensit specialior hospes. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 28. 25. *Boeth. in Porphyr. dial.* 1. *p.* 17. Quamvis differentia super hominem ponatur, quæ species specialissima est, tamen ante speciem specialissimam ipsa differentia species est ejus generis, cui species specialissima supponitur.

SPĔCĬĀLĬTAS, ātis, f. 3. (specialis) status seu conditio ejus, qui specialis est, *spezialità. Fronto De differ. verbor. p.* 2197. *Putsch.* Speciem et specialitatem et specietatem. Species divisio est generis: specialitas ficta est ab Antonio grammatico (*scil.* M. Ant. Gniphone, de quo *Sueton. Gramm.* 7.): specietas, qualitatis. *V.* SPIRITALITAS. Adde *Tertull. advers. Marcion.* 5., *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 402. et *Isid.* 2. *Orig.* 25. 6.

SPĔCĬĀLĬTER, adverb. ab adject. *specialis;* unde Comp. *Specialius.* — Specialiter est per species, peculiariter, *spezialmente, in ispezieltà, specificatamente,* εἰδικῶς, ἰδίως: cui *generaliter* seu *generatim* opponitur. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 3. Oportebit suo quidque loco generatim atque etiam specialiter nonnulla disponere. Adde 3. *ibid.* 19. *Quintil.* 5. 10. 43. *ante med.* Temporis duplex significatio; generaliter enim et specialiter accipitur. *et ibid.* 7. *sub init.* Quum specialiter quidem, sed tamen multos pariter invadere patroni solent. *Cels.* 5. 24. *n.* 4. Et id, quod specialiter sit vocatur. *L. Targa* hic et 2. 18. insiticium *specialiter* esse probat, ideoque expungendum. *Paul. Dig.* 45. 1. 58. Si quis fructum, deinde usum stipulatus fuerit, nihil agit, nisi in omnibus novandi animo hoc facere specialiter expresserit. *Ulp. ibid.* 44. 4. 2. Specialiter exprimendum est, de cujus dolo quis quæratur. *Apul.* 11. *Met.* Veste mea distracta, sufficientem corrasi summulam: et id ipsum præceptum fuerat specialiter. *Capitolin. M. Aurel.* 17. Contra Germanos res feliciter gessit. Specialiter ipse bellum Marcomannicum. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. 142. Qui perniciosius atque specialius jactantur. *h. e.* exitialius.

SPĔCĬĀRĬA, æ. *V.* voc. seq.

SPĔCĬĀRĬUS, a, um, adject. (species) ad speciem pertinens, quatenus annonam significat. *V.* SPECIES. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. Cohortem postea duplici stipendio, frumento vel speciariis militaribusque donis amplissime donavit. Ita editi plerique habent. Quum tamen in MSS. aliter legatur, merito hæc vox suspecta eruditis est. Itaque quidam legendum putant, *frumento, veste, pecuniariis militaribusque donis:* at *Oberlinus* secutus *Vossium* sic: *frumento, veste et aliis militaribus donis.* Alii vero aliter, ut *Cujac.,* qui leg. *cibariis,* et *Wölffel,* qui *pecuariis* etc. Cf. *H. Meusel, Lex. Cæs.* ad *h. v.* — Hinc

Speciaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est, quæ species seu aromata vendit. *V.* SPECIES. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 753. *n.* 509. THALASSIAE MIMAE C. PISONIS NOTHI SPECIARIAE CONTVBERN. BENEMERENTI. Alii leg. *speclariæ.* Sed V. *Inscript.* apud *Spon. misc. p.* 232.

SPĔCĬĀTIM, adverb. (species) specialiter, *in ispezialità. Cic. in Senat.* 8. *ad fin.* C. Messius legem speciatim initio de salute mea promulgavit. Alii *separatim* rectius leg. *Capell.* 9. *R. R. p.* 318. Sonus phthongus vel speciatim vel generatim appellatur. Sed generale vocabulum habent et specialia, quæ ἰδιότητα Graja voce perhibentur.

SPĔCĬĀTUS, a, um, adject. (species) in species divisus, in aliqua rerum specie positus. *Tertull. advers. Hermog.* 40. Quid hodie informe in mundo? quid retro speciatum in materia?

SPĔCĬES, ēi, f. 5. (specio) Etiam formam *specia, æ,* f. 1. tuetur *Ritschel.* ad *Plaut. Trin. v.* 840. coll. *Kiessling* in *Symb. philol. Bonn. p.* 840. — *Olim* in patrio casu *specii* et *specie* dixere. *Cn. Matius* apud *Gell.* 9. 14. *a med.* An maneat specii simulacrum in morte silentum. *V.* DIES. *et ibid.* Cæsar in libro de analogia secundo hujus die et hujus specie dicendum putat. *Apul.* 1. *dogm. Plat.* Nulla specie nec qualitatis significatione distinctus. — In

genit. et dat. plur. apud optim. scriptores non fuit in usu. Cic. Top. 7. 30. Formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant: nostri species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere: et sæpe his casibus utendum est: at formis et formarum velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Hæc Cicero. Quare multo minus audiendi Charis. 1. p. 18. Putsch. et Diomed. 1. p. 281. qui specieum, materieum, luxurieum dici docuerunt. Cf. Claud. Sacerd. 1. Gramm. p. 427. 19. Keil. Genet. specierum usurp. Apul. 1. Dogm. Plat., Ammian. 29. 5. 36., Pallad. 11. R. R. 14., Cœl. Aurel. 1. Tard. 5. 151., Symmach. Ep. 9. etc.: dat. et abl. speciebus hab. Apul. Ascl. 5., Tertull. Spect. 18., Vopisc. Aurel. 21., Scævola Dig. 28. 2. 29. § 10., Sidon. Ep. 1., Capell. 6. p. 228. etc. — Species occurrit A) Abstractorum more; et B) Concreto, ut ajunt, sensu.

A) Species, abstractorum more, potest accipi active et passive.

I.) Active species est id, quo aliquid cernitur, et dicitur de oculorum acie (It. la vista; Fr. vue; Hisp. vista; Germ. d. Sehen, d. Blick; Angl. the sight). Lucret. 4. 242. Propterea fit, uti speciem quo vertimus, omnes Res ibi eam contra feriant forma atque colore. Id. 5. 722. de luna. eam partem, quæcumque est ignibus aucta, Ad speciem vertit nobis oculosque patentes. Vitruv. 6. 9. circa med. Aer ex viridibus perlimat speciem. et 3. 2. sub fin. Contracturæ propter altitudinis intervallum scandentis oculi speciem fallunt. et 9. 4. circa med. Si tantis intervallis nostra species potest id animadvertere.

II.) Passive duo præcipue significat. ¶ 1 Est quidquid primo aspectu apparet, apparenza. — 1.°) Generatim. — a) Absolute. Cic. Senect. 16. 57. Agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius. Id. 1. ad Q. fr. 2. ad fin. Species ipsa tam gratiosi liberti aut servi dignitatem habere non potest. Id. 2. Cat. 8. 18. Horum hominum species est honestissima, voluntas vero et causa impudentissima. Id. 2. Nat. D. 3. a med. Veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. Id. 2. Tusc. 23. 54. Speciem doloris ferre non possunt. Liv. 40. 12. Ultro mihi non insidiatoris modo, sed latronis manifesti et percussoris speciem induit. Nepos Eumen. 7. Species imperii. Sall. Jug. 31. Cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat. pretesto, colore, coperta. Virg. 2. Æn. 407. Non tulit hanc speciem. spettacolo, vista. — Specie, in speciem, per speciem, secundum id quod apparet, quibus oppon. reapse, revera et similia, Cic. Amic. 13. a med. Securitas specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. in apparenza. et Liv. 35. 31. Specie liberam Demetriadem esse, revera omnia ad nutum Romanorum fieri. Cæs. 5. B. G. 51. Obstructis in speciem portis singulis ordinibus cæspitum-vallum manu scindere etc. Cic. 7. Verr., 33. 86. Præclara classis in speciem, sed inops et infirma. Liv. 3. 9. extr. Dilata in speciem actione, re ipsa sublata. Id. 39. 35. Per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum inferendum. sotto colore o pretesto. et 1. 41. Quum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmavit. Ovid. 3. Met. 685. Inque chori ludunt speciem lascivaque jactant Corpora. h. e. instar, a guisa di. Sic 15. ibid. 508. cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari et crescere visus. — Prima specie, primo aspectu, a prima vista. Cic. 4. Fin. 22. 61. Ea, quæ prima specie admirationem, re explicata, risum movent. Id. 3. Orat. 25. 98. Ea, quæ sensus nostros specie prima acerrime commovent. Cf. 4. Tusc. 14. 32. — b) Cum Infinito. Curt. 8. 12. 21. Veste regia exornat, præbiturum speciem, ipsum Regem illi ripæ præsidere. — 2°.) Speciatim est imago, facies, forma, figura. Plaut. Most. 4. 2. 49. Puere, præter speciem stultus es. più di quello che mostri. et Pers. 4. 4. 2. urbis speciem vidi, hominum mores perspexi parum. Lucret. 4. 52. speciem ac formam similem gerit ejus imago. Cæs. 2. B. G. 31. Species nova atque inusitata. Sic 4. ibid. 25. Navium species erat barbaris inusitatior. Cic. Rosc. Am. 22. sub fin. Esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut etc. Id. 6. Verr. 58. 129. Duo signa eadem specie atque forma. Id. 5. Tusc. 39. 114. Species formæ. Id. 1. Nat. D. 18. 48. Nec ratio usquam inesse nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendum est. Id. 1. rep. 14. 21. Species sphæræ. Id. ibid. 34. 51. civitatis. Id. 3. ibid. 32. 44. oppidi. Id. ibid. 33. 45. Populi speciem et nomen imitatur. Liv. 36. 10. ad fin. Plures, quam quot satis in usum erant, ignes quum accendisset, speciem, quam quæsierat, hosti fecit, omnem ibi R. exercitum esse. Cf. 7. ibid. 36. Vercingetorix, omnibus ejus jugi collibus occupatis, quo dispici poterat, horribilem speciem præbebat. h. e. aspectum. Liv. 7. 15. Species fallax. Adde 24. 40. et 29. 25. Plin. 11. Hist. nat. 25. 30. (86). Scorpiones terrestres pariunt vermiculos ovorum specie. Ovid. 15. Met. 305. tumor ille loco permansit et alti Collis habet speciem. et ibid. 743. specie cæleste resumpta. — 3.°) Item spectrum, visum: qualia sunt, quæ in somnis apparent, visione, fantasma. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 17. 52. Eadem est in somniis species eorum, quæ vigilantes videmus. Liv. 8. 6. Consuli dicitur visa species viri majoris, quam pro humano habitu, augustiorisque. Id. 26. 19. Nocturnæ species. Adde Lucret. 1. 125., Ovid. 11. Met. 677. et Sil. It. 13. 394. — 4.°) Item id quod mente videtur, exemplar in mente rei factæ aut faciendæ, specie, idea. Fest. p. 347. 6. Müll. Speciem quam nos dicimus, εἶδος Græci dixerunt: Platon quidem ideam. Cic. 1. Acad. (post.) 8. 30. Hanc illi ideam appellabant, jam a Platone nominatam: nos recte speciem possumus dicere. (Adde Top. 7. 30. quem locum supra recitavimus.) Id. Orat. 5. 18. Insidebat in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. et ibid. 14. 43. Excellentis eloquentiæ speciem et formam adumbrare. Id. 3. Off. 20. ad fin. Species, forma et notio boni viri. — 5.°) Item similitudo, similitudine, sembianza. Cic. 3. Off. 2. circa med. Si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur. et ibid. 416. Similitudinem quamdam gerere speciemque sapientis. et 2. ibid 11. 39, Nisi præ te speciem boni viri feras. Id. Cœl. 6. 14. Catilina multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis assimulatæ tenebat. — 6.°) Item pulcritudo, bellezza. Varro apud Non. p. 386. 30. Merc. Quæ casta ætas? quæ vestis adulescentium? quæ teneris species? Plaut. Rud. 2. 4. 2. Edepol specie lepida mulier. Id. Bacch. 4. 7. 40. bella specie, mulier. Ovid. 5. Fast. 353. Et monet, ætatis specie, dum floreat, uti. Juvenal. 10. 310. I nunc et juvenis specie lætere tui. Vitruv. 3. 2. Eustyli ratio et ad usum et ad speciem et ad firmitatem rationes habet explicatas. Curt. 8. 4. 23. Species corporis eximia. — 7.°) Hinc decus, ornamentum. Liv. 34. 52. extr. Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant. et 37. 40. Ingentes ipsi erant. addebant speciem frontalia et cristæ etc. — 8.°) Et splendor, amplitudo, dignitas, majestas. Cic. Dom. 33. a med. O speciem dignitatemque populi R., quam reges, quam nationes exteræ pertimescunt? Id. 3. Verr. 21. 58. Vidi forum adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. Adde 2. leg. Agr. 13. 32. Brut. 62. 224. Magis specie et motu capiebat homines, quam dicendi copia. ¶ 2. Quia res, quæ videntur et sub aspectum cadunt, singulares sunt (neque enim universalia et genera oculis cernimus) sumitur species pro re particulari: et quidem — 1.°) Pro parte subjecta generi, quæ et pars et forma dicitur, et habet sub se individua, specie. Cic. 1. Orat. 42. 189. Genus est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Seneca Ep. 58. ante med. Primum illud genus quærimus, ex quo ceteræ species suspensæ sunt etc. Homo species est, ut Aristoteles ait, canis species: commune his vinculum animal. Cic. 1. Invent. 27. 40. Quum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam et specie differt. Id. Orat. 10. 33. Virtutes specie dispares, prudentia conjunguntur. Adde Varron. 3. R. R. 3. Id. 10. L. L. 21. Müll. Nominatui ut similis sit nominatus, habere debet ut sit eodem genere, specie eadem, sic casu, exitu eodem. Sic ibid. Specie simile (nomen) ut non solum sed utrumque sit virile. Quintil. 5. 10. 56. Genus ad probandam speciem minimum valet. Id. 7. 1. 59. Ut genus speciem sequitur, ita speciem genus præcedit. Id. 3. 10. 61. Genere in species diducto. Id. 8. 6. 58. Genus quum dividitur in species etc. Hinc Virg. 2. G. 103. de uvis. Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint, Est numerus. qualità, specie. — 2.°) Videtur poni et pro individuo, in illo Lucret. 2. 364. Nec vitulorum aliæ species per pabula læta Derivare queunt animum. Amplius tamen intelliges imagines, aspectus, formas. — 3.°) Item pro quæstione rei particularis, quæ et casus appellatur, ὑπόθεσις. Plin. 10. Ep. 64. Tu, domine, consulendus fuisti tam de iis, quam de illis, qui in perpetuum relegati, nec restituti, in provincia deprehenduntur. nam hæc quoque species incidit in cognitionem meam. questo caso. et Ulp. Dig. 9. 2. 5. ad fin. Proponitur autem apud eum species talis: Sutor puero discenti forma calcei cervicem percussit. un caso o quesito tale. Sic et Paul. ibid. 31. 1. 85. Proxime ex facto incidit species talis: Libertus patronum heredem instituit etc.

B) Species concreto, ut ajunt, sensu. ¶ 1. Est simulacrum, imago, signum, immagine, ritratto, statua. Cic. 1. Divinat. 12. 20. Sancta Jovis species claros spectaret in ortus. et mox. Hæc tardata diu species etc. celsa est in sede locata. ¶ 2. Est etiam universim materia seu res certa et singularis. Scævola Dig. 34. 2. 19. Uxori legaverat bonorum suorum decimam et mancipia et species argenti, quas expresserat. capi o pezzi d' argenteria. et mox. Codicillis multas species vestis, argenti specialiter reliquit. Cajus ibid. 41. 1. 7. ante med. Quum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit. qualche fattura o manifattura. et Impp. Theodos. et Valent. Cod. 1. 2. 10. Publicarum specierum transvectio. merci. et Impp. Arcad. et Honor. ibid. 11. 73. 3. Annonariæ species. Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. ibid. 9. 1. Omnibus fabricis non pecunias pro speciebus, sed ipsas species inferri præcipimus. Pallad. 11. R. R. 14. Judicare, utrum vendenda sit species, an tenenda. h. e. vinum. Trebell. XXX. Tyrann. 18. Jam laridum, jam ceteræ species in his dandæ sunt locis. ¶ 3. Hinc sequiore ætate speciatim dicitur de indumento. Jul. Capitol. Antonin. 7. Species imperatorias superfluas et prædia vendidit. Adde Ammian. 14. 9. 7. ¶ 4. Item de aromatis et condimentis, spezie: unde, qui ea vendunt, speziali Italice nunc dicuntur. Macrob. 7. Saturn. 8. circa med. de sinapi et pipere. Species et acres et calidæ superficiem, cui apponuntur, exulcerant. Martian. Dig. 39. 4. 16. § 7. enumerat species pertinentes ad vectigal, cinnamomum, piper, costum, nardum, casiam, amomum, zinziberi, aroma Indicum etc., item alia diversi generis, ebur, ferrum, carbasum, gemmas, sericum, lanam etc. ¶ 5. Item de iis, ex quibus fiunt medicamenta, ingredienti. Pallad. 11. R. R. 14. ad fin. Diu agitare curabis, ut specierum vis omne musti corpus inficiat. Marcell. in carm. de medicam. 10. Descriptas species et pondera mensurarum etc. et ibid. 46. Adde et aromaticas species, quas mittit Eous.

Homonym. Discrimen inter speciem, figuram et formam V. sub FIGURA.

SPECIETAS, atis. V. SPECIALITAS.

SPECIFICATUS, a, um, particip. V. SPECIFICO.

SPĔCĬFĬCĒ, adverb. (specificus) specialiter, *specificamente*. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 2. p. 32. Sic igitur variis modis acceptæ differentiæ varias virtutes formasque sortitæ sunt. Sed et divisiones et constitutivæ utræque specifice nominantur et in divisionibus generum definitionibusque solæ sunt utiles. Has autem specificas differentias, qui de differentiarum divisione tractavere, tales esse declarant, quibus species a genere abundant.

SPĔCĬFĬCO, as, ātum, are, a. 1. (species et facio) Part. *Specificatus*: — Specifico est specie distinguo, *specificare*. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 4. p. 84. Aliæ vero, secundum quas divisa sunt, specificentur. *Id. De duab. nat. etc.* p. 251. Hoc interim constet, quod inter naturam personamque differre prædiximus. Quoniam natura est cujuslibet substantiæ specificata proprietas, persona vero rationabilis naturæ individua substantia.

SPĔCĬFĬCUS, a, um, adject. (species) qui speciem facit, *specifico*. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. p. 17. Specificæ differentiæ sunt, quæ speciem quamcumque declarant. Adde *ejusd. loc.* in SPECIFICE.

SPĔCILLĀTUS, a, um, adject. (specillum) specillis seu parvis speculis distinctus. Patina argentea specillata, vel, ut *Salmas.* mallet, *specelata* vel *specellata*, ut in Codd. leg. recentiores, (V. *Peter*) apud *Vopisc. Prob.* 4. referentem epistolam Valeriani Imp., est ita elaborata, ut crebra ceu parva specula habeat, ut, vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat, ut *Plin.* loquitur 33. *Hist. nat.* 9. 45. (129). V. et *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 5. *ante med.*

SPĔCILLUM, i, n. 2. (specio) *deminut.* a speculum. ¶ 1. Est parvum speculum, *specchietto*. *Augustin. Ep.* 3. et *Not. Tir.* p. 56. ¶ 2. Sæpius est instrumentum chirurgorum ad exploranda vulnera, ad inungendum, tergendum etc. *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* Quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. *ad fin.* Æsculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt: qui specillum invenisse primusque vulnus dicitur obligavisse. *Cels.* 7. 8. Specillo tentandum est, altene id repletum, an in summo tantum glutinatum sit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (183). C. Julius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens etc. *Id.* 32. *ibid.* 7. 24. (75). Corporis humor specillis derasus. *Cels.* 6. 9. *ante med.* Specillum lana involutum in calidum oleum demittitur eoque dens fovetur. *et ibid.* 7. *n.* 5. Ubi vermes (*in auribus*) orti sunt, protrahendi oricular io specillo sunt. *Id.* 5. 28. *n.* 12. Demittere specillum in fistulam. *et ibid. n.* 3. *ad fin.* Quidquid (*ulceri*) inspergitur, averso specillo infundi debet.

SPĔCĬMĔN, ĭnis, n. 3. (specio) indicium, significatio, exemplum, argumentum: quale est illud, quod in mercibus speciendum proponi solet, ut ex eo emptores rem totam æstiment, δεῖγμα, δεῖξις (It. *mostra, saggio, prova*; Fr. *marque, preuve*; Hisp. *señal, prueba, especimen*; Germ. *das Kennzeichen, die Probe*; Angl. *a proof, trial*): occurrit autem tantummodo, quod sciam, in num. sing.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cas.* 3. 1. 2. nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur. *Id. Most.* 1. 2. 52. Ubi unum emeritum est stipendium, igitur tum Specimen cernitur, quo eveniat ædificatio. *Lucret.* 4. 209. Hoc etiam in primis specimen verum. *Cic.* 3. *Orat.* 40. 160. Ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere. *Id. Brut.* 50. 188. Specimen popularis judicii. *Auson.* 9. 24. *Schenkl.* Tale et terrenis specimen spectatur in oris Augustus genitor, geminum sator Augustorum. *Virg.* 2. *G.* 238. Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara, Tale dabit specimen etc. *Cic. Divin. Verr.* 8. *ad fin.* Tu vero, Cæcili, quid potes? quo tempore aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. *extr.* Specimen securitatis antegenitali sumere experimento, *h. e.* argumentum. — *Lucret.* 4. 209. Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur, Quam celeri motu rerum simulacra ferantur. *vera prova.* ¶ 2. Speciatim est imago, species, decus, insigne. *Virg.* 12. *Æn.* 162. cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen. *Val. Flacc.* 6. 57. Insuper auratos collegerat ipse dracones, Matris Horæ specimen. *Seneca Phœniss.* 80. Specimen egregium. *Id. Thyest.* antiquum imperii. *Ammian.* 23. 6. 23. summum. *Apul.* 1. *Met.* gloriosum. *et* 11. *ibid.* augustum.

II.) Translate est exemplum, imago, *modello, imagine, esemplare, ideale*. *Lucret.* 5. 186. Specimen creandi. *Id.* 5. 1361. sationis et insitionis. *Cic. Pis.* 39. 95. Specimen habuit hæc civitas innocentiæ. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 32. Num dubitas, quin specimen naturæ capi deceat ex optima quaque natura? *Id.* 5. *ibid.* 19. 55. C. Cæsar, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis etc. Sic 3. *Nat. D.* 32. *a med.* Temperantiæ prudentiæque specimen Q. Scævola. *Liv.* 38. 17. *extr.* Servantes antiquum specimen animorum. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Studia hominum accensa in Agrippinam: quum decus patriæ solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent.

SPĔCĪNI, ōrum, m. plur. 2. Ita sunt appellati milites quidam, quos Celtica lingua eosdem fuisse qui dicuntur Italis *guastatori*, a Celt. *spec*, locus, ubi quis stat vel habitat, sedes, *stanza*, et *cin*, cædere, *tagliare*, ut putat *Hier. Asquini* in *Lett. Forogiulio* p. 33. *Inscript.* apud *Murat.* 804. 6. CAVIAE P. F. VIRVNAE L. DINDIVS RESPECTVS 7. LEG. XIII. GEMINAE P. DINDIVS SPERATVS 7. SPECINORVM AVGVST. *Alia* apud *eumd. Hier. Asquin. l. c.* p. 13. D. M. VIRDOMARO BATTONIS F. CD. VIRIO D. MOTENS. MIL. COH. III. FR. 7. SPECIN. AVG. MIL. AN. XX. VIX. ANN. LXII. T. F. I. Hæc *Furlanetto*; sed utrobique legend. *speclatorum*, h. e. speculatorum, pro *specinorum* monet *Mommsenius* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 5223. Cf. *aliam* in *Bullett. archeol. Napolit. T.* 1. p. 90. F. FESCENNIO EX SPECINIO VXOR HOMINI OPTIMO. At *Fr. Avellino* censet legendum esse SEX. SECVNDO.

SPĔCĬO, spĕcis, spexi, (spectum) spĕcere, a. 3. Etiam *spicio* occurrit apud antiquiores. *Fest.* p. 330. 29. *Müll.* Spicit quoque sine præpositione dixerunt antiqui. Plautus: Flagitium est, si nihil mittetur: quo supercilio spicit! *Cato* apud *eumd.* p. 344. 33. Nec spiciunt, neque ratos esse volunt. Adde *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 2. 3. Auspicium ab ave spicienda. nam quod nos cum præpositione dicimus aspicio, apud veteres sine præpositione spicio dicebatur. Sic *Plaut. Truc.* 5. 8. Supplicium ad te hanc minam fero auri. si mihi rides: spice. Alii minus recte leg. *espice*; alii *spece*; alii aliter. *et Merc.* 5. 2. 38. *Ritsch.* spice nunc ad sinistram. — Ratione habita etymi, alii ducunt a Gr. σκέπτομαι, unde et σκοπέω, video, per metathesim, vel a Skr. *paç*; ejusdem significationis (Cf. Germ. *spähen*, explorare, *spiare*): alii etiam ab Hebr. צפה *tzapha* vel Chald. *tzpha* seu *spa*, aspexit: alii denique verbum hoc, ut ait *Forcellinus*, magnam habere dicunt similitudinem cum σποῦ Scytharum, quam vocem *Herodot. l.* 4. c. 27. docet, oculum significare. — Quidquid sit de vocis origine, specio est idem ac video, aspicio, *vedere*, σκοπέω: cujus Part. *Speciendus* apud *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. *circa med.*, ubi alii leg. *spectanda*. Usurpatur autem in sensum proprium translatum. *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* Spectare dictum ab specio antiquo, quo etiam Ennius usus: Vos epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habent spectionem, qui non habeant. Et quod in auguriis etiam nunc augures dicunt, avem specere. *Id. ibid.* Speculum, quod in eo specimus imaginem. *et mox.* Hinc qui oculos inunguimus, quibus specimus, specillum. *et* 5. *ibid.* 129. Speculum a speciendo. *Enn.* apud *Fest.* in *Spicit. loc. cit.* Spexit de montibu' celsis. *Plaut. Cas.* 3. 1. 2. Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.

SPĔCĬŌSA. *V.* SPECIOSUS in fin.

SPĔCĬŌSĒ, adverb. (speciosus) Comp. *Speciosius*; Sup. *Speciosissime*. — Speciose est pulcre, magnifice, ornate, multa cum specie, *pomposamente, magnificamente*, εὐειδῶς, ὡραίως.

I.) Proprie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31. (49). Speciose vehi. *h. e.* navi picta et ornata. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 52. adde, virilia quod speciosius arma Non est qui tractet. *più bellamente o con maggior garbo o grazia.* et *Liv.* 34. 7. Equus tuus speciosius ornatus erit, quam uxor vestita. *Auct. B. Afr.* 48. *in fin.* Aciem quam speciosissime potuit, instruxit. *Quintil.* 9. 4. *ab init.* Annon eam, quæ emissa optime est, hastam speciosissime contortam ferri videmus?

II.) Translate. *Id.* 2. 5. 9. Speciose translatum. *et* 9. 4. *ab init.* Aliquid vehementer, dulciter, speciose dictum. *Val. Max.* 5. 1. *n.* 6. Africani humanitas speciose lateque patuit. *Justin.* 6. 3. 6. Eo speciosius pugnaturus. *Val. Max.* 2. 9. *n.* 4. Dictatura speciosissime functus. Adde *Justin.* 8. 6. 18.

SPĔCĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (speciosus) species, pulcritudo. *Tertull. Cult. fem.* 2. *sub fin.* Naturalis speciositas. Adde *Ambros. de Isaac* 7. et *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 1. 27.

SPĔCĬŌSUS, a, um, adject. (species) Comp. *Speciosior* 1. *a*; Sup. *Speciosissimus* 1. *a* et 2. — Speciosus est specie et aspectu jucundus, pulcher, formosus, εὐειδής, ὡραῖος (It. *vistoso, bello, appariscente, di bella apparenza, specioso*; Fr. *beau, brillant, magnifique*; Hisp. *hermoso, de buen porte*; Germ. *schön, glänzend, prächtig*; Angl. *beautiful to the sight, seemly, sighly*). ¶ 1. Generatim. — *a*) De personis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 421. Se quoque det populo mulier speciosa videndam. *Quintil.* 11. 3. 26. Assueta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus speciosa atque robusta, si militare iter facesque et vigilias imperes, deficiant. *pieni di garbo e grazia*: cum decore et agilitate se exercentia: atque adeo jucunda spectantibus. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 45. Introrsus turpis, speciosus pelle decora. Adde *Petron. Sat.* 41. Speciosus puer. *Cels.* 2. 2. Si plenior aliquis et speciosior et coloratior factus est. *Seneca Ep.* 87. Familia speciosior. *Petron. Sat.* 140. Filiam speciosissimam cum fratre ephebo reliquit. *Quintil.* 8. 4. 23. Speciosissimus homo. — *b*) De oratione. *Id.* 10. 1. *ad fin.* Candidum et lene et speciosum dicendi genus. *Id.* 1. 5. 3. Dicere aliquid proprium, speciosum, sublime. *Id.* 5. 14. *a med.* Locuples et speciosa vult esse eloquentia. *h. e.* quæ teneat aures, ut, quæ pulcra sunt, tenent oculos. — *c*) De aliis. *Vellej.* 2. 111. 3. Speciosum ministerium. *Quintil.* 5. 12. 19. Nec id ferro speciosum fieri putabo. *Gromat. vet.* p. 363. 20. *Lachm.* Terminus speciosus, hoc est formonsus. — *d*) Refertur etiam ad splendorem, claritatem, opes, divitias. *Tac.* 3. *Ann.* 55. Ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur. *Id. Agric.* 44. Opibus nimiis non gaudebat: speciosæ contigerant. *Quintil. declam.* 9. 16. *a med.* Speciosa fortuna. *Petron. Sat.* 83. Senex, qui videbatur nescio quid magnum promittere: sed cultu non proinde speciosus. *non ben vestito.* Huc pertinet illud *Ulp. Dig.* 50. 16. 100. Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus: item eorum, qui ornamentis senatoriis utuntur. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, quæ prima specie probantur. *Cic.* 16. *Att.* 7. 1. *a med.* Reversionis has speciosas causas habes, justas illas quidem et magnas, sed nulla justior, quam etc. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 116. Proferet in lucem speciosa vocabula rerum. *Seneca* 3. *Benef.* 7. Hoc enim in beneficio speciosissimum est, quod dedimus vel perdituri. ¶ 3. Et de iis, quæ in speciem bona aut vera apparent, re non sunt. *Ovid. de Mida*, cui datum fuerat, in aurum vertere quidquid contingeret, 11. *Met.* 133. Sed miserere, precor, specioseque eripe damno. *et* 7. *ibid.* 69. Conjugiumne vocas, speciosaque nomina culpæ Imponis, Medea, tuæ? *speziosi.* et *Tac.* 1. *Ann.* 81. Dicta speciosa verbis, re inania aut subdola. *Id.*

2. *Hist.* 20. Postquam pax et concordia speciosis et irritis nominibus jactata sunt. Adde *Quintil.* 5. 14. 30. — Cum Supino. *Liv.* 1. 23. *a med.* Si vera potius quam dictu speciosa dicenda sunt. — Hinc absolute

Speciosa, æ, f. 1. pulcra, formosa. *Vulgat. interpr. Cant.* 2. 13. Surge, amica mea, speciosa mea et veni. *Id. Sophon.* 2. 13. *de urbe Ninive.* Et extendet manum suam super aquilonem et perdet Assur et ponet speciosam in solitudinem. — De porta templi Hierosolymitani, quæ Græce ἡ ὡραία, ita dicta, quod tota ære Corinthiaco erat abducta, teste *Josepho de bell. Jud.* 5. 5. 3. *Id. Act.* 3. 2. Quem (*claudum*) ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa. (Cf. 1. *Mach.* 7. 39-43.)

Speciosa, orum, n. plur. 2. — *a*) Sunt res speciosæ, pulcræ, decoræ. *Inscript.* in *Corp. Inscr.* 6. 1679. AVCHENIO ANICIO BASSO—NATALIVM SPECIOSA LVCE VIRTVTIS ORNANTI. *Vulgat. interpr. Ps.* 64. 13. Pinguescent speciosa deserti. *h. e.* pascua et mapalia, aut, quæ dicuntur, oasi. — *b*) Item res quæ apparent, *appariscenti, di mera apparenza. Curt.* 5. 1. 8. Non speciosa dictu, sed usu necessaria in rebus adversis sequenda. *h. e.* quæ aliquam veri speciem præ se ferunt. *Ambros.* in *Luc.* 5. *n.* 103. Speciosa utilibus, æternis caduca præferre.

Homonym. Hoc videtur interesse inter *speciosum* et *formosum*, quod ille potius exteriorem pulcritudinem et fallacem, hic veram, expressam et interioris imaginem atque indicium præ se ferat. V. *Döderlein op. cit. v.* 3. *p.* 28. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 45. Introrsus turpem, speciosum pelle decora. Ceterum *Seneca Ep.* 87. Habet domum formosam; familiam nemo speciosiorem produxit.

SPĔCĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* specio. Ita leg. *Forcellinus* apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 92. mater pompam me specitatum duxit. Sed fatetur, plerosque omnes legere *spectatum* pro *specitatum*. Cf. *eumd. Curc.* 4. 2. 45.

SPĔCĬUM, ii, n. 2. (specio) idem quod specillum, inquit *Forcellinus*, si credis *Perotto* in *Cornucop.*, ubi refert hæc *Pacuvii* verba: Ut medici faciunt, qui prius specio vulnus tentant. Sed hic *Pacuvii* locus suspicione laborat. Aut enim ficticius est, aut *specillo* legendum. Recentiores quoque hanc vocem minime probant. Ceterum hujus vocis αὐθεντία fulcitur *Gloss. Lat. Gr.* Specium, μηλωτίς, et, in alium sensum, ut ait cl. *Furlanetto*, auctoritate *Thesaur. N. Latinit.* editi ab *A. Maio* in *Class. auct. T.* 8. *p.* 662. Veru, specium.

SPĔCLĀTOR. *V.* SPECULATOR.

SPĔCLĀRĬĀRĬUS. *V.* SPECULARIARIUS.

SPĔCLĀRĬUS. *V.* SPECIARIUS et SPECULARIUS.

SPECTĀBĬLIS, e, adject. (specto) qui spectari undique potest, aspectabilis, θεατός (It. *che si può vedere;* Fr. *qu'on peut voir, visible;* Hisp. *visible;* Germ. *sichtbar;* Angl. *that may be seen, visible*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 8. Et corpus quidem cæli spectabile effectum est: animus autem oculorum effugit obtutum. *Ovid.* 3. *Met.* 708. Monte fere medio est, cingentibus ultima silvis, Purus ab arboribus, spectabilis undique campus. *Id.* 3. *Trist.* 8. 35. Hæret, et ante oculos, veluti spectabile corpus, Hæret Fortunæ forma videnda meæ.

II.) Translate est spectari dignus, admirabilis, *riguardevole, ammirabile, degno a vedersi, spettabile, segnalato*, περίβλεπτος. — *a*) Universim. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 81. Ipse super currum placido spectabilis ore Tempora Phœbea virgine nexa tulit. *Id.* 6. *Met.* 165. Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba, Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro. *et* 7. *ibid.* 496. spectabilis heros, Et veteris retinens etiamnum pignora formæ, Ingreditur. *et ibid.* 705. *de dea.* roseo spectabilis ore. *Id.* 1. *Art. am.* 557. cælo spectabile sidus. *Val. Flacc.* 1. 427. Illis Tænario pariter tremit ignea fuco Purpura: quod gemina mater spectabile tela Duxit opus. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (29). Mons topiario naturæ opere spectabilis. *et* 5. *ibid.* 1. 1. (13). Flumen Asana portu spectabile. *et mox.* Spectabilis proceritas arborum. *Id.* 16. *ibid.* 37. 68. (174.) Salices prætenues viminibus texendis spectabili subtilitate. *et ibid.* 31. 56. (128). E capillamentis radicum montani spectabiles lagenas et alia vasa nectunt. *di lavoro mirabile.* et *Tac. Agric.* 34. Pulcra est spectabilis victoria. *insigne.* — *b*) Sub imperatoribus *spectabilis* fuit appellatio certarum dignitatum propria, ut *illustris, clarissimus* etc. *Paul. Dig.* 1. 15. 3. Spectabilis vir, qui præfectus vigilum appellatur. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 7. 62. 32. Appellationes spectabilium judicum. *Imp. Leo Cod.* 2. 7. 11. *sub fin.* Apud virum spectabilem proconsulem vel præfectum Augustalem. Adde *Inscript.* apud *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1868. *p.* 10.

SPECTĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (spectabilis) ¶ 1 Est proprie condicio ejus, qui spectari potest vel spectabilis est, claritas. *Gloss. Gr. Lat.* περιβλεπτότης, spectabilitas. ¶ 2. Est etiam dignitas, claritudo, præstantia. *Augustin. Ep.* 129. Spectabilitas tua. ¶ 3. Et sæpius appellatio ejus, qui spectabilis vocatur titulo certarum dignitatum proprio. *V.* voc. præc. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 9. 27. 5. et *ibid.* 12. 26. 1. Adde *Cassiod.* 2. *Variar.* 28. et 6. *ibid.* 12. *Id.* 7. *ibid.* 37. Ideo te spectabilitatis nitore decoramus, ut sententiam tuam in conventibus publicis spectandam esse cognoscas. Sed hic loquendi modus a linguæ latinæ puritate longe abest.

SPECTĀCLUM. *V.* voc. seq. init.

SPECTĀCŬLUM, i, n. 2. (specto) *Spectaclum* per syncopen apud *Propert.* 4. 8. 21. Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit. Adde *ibid.* 56. — Spectaculum est quidquid spectandum objicitur, et sæpe dicitur de re, quæ non modo attentionem sed admirationem excitat (It. *aspetto, mostra, vista;* Fr. *aspect, vue, spectacle;* Hisp. *vista, espectáculo;* Germ. *d. Anblich, die Schau, die Schauspiel;* Angl. *to show*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Sunt homines quasi spectatores rerum cælestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. *Id.* 10. *Phil.* 4. 8. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum! cedere e patria servatorem ejus, manere in patria perditores. *Id. Mil.* 38. 103. Hoc spectaculum viderem. *Varro* 3. *R. R.* 13. Formosum mihi visum est spectaculum. *Virg.* 6. *Æn.* 37. Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit. *h. e.* pictas sive sculptas tabulas contemplari. *Horat. Epod.* 5. 34. Quo posset infossus puer bis terque mutatæ dapis Inemori spectaculo. *Id. ibid.* 102. Neque hoc parentes effugerit spectaculum. *Ovid.* 3. *Met.* 246. et 7. *ibid.* 780. Capere spectacula prædæ. *h. e.* usurpare oculis prædam venando partam. *Sil. It.* 11. 324. Si perferre nequit spectacula tanta senectus. *soffrire una tal vista.* — *Plaut. Pœn.* 1. 1. 80. mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 155. Circuitus solis et lunæ reliquorumque siderum spectaculum hominibus præbent. *h. e.* dant de se spectaculi et delectationis causam. Sic *Ovid.* 2. *Art. am.* 581. præbent spectacula capti. *et Liv.* 45. 28. Arx quoque et Isthmus præbuere spectaculum. Similiter *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 14. *extr.* Magnum et jucundum tibi fortuna spectaculum parabat. et *Publil. Syr.* 122. *p.* 375. *Ribbeck.* Turpe animus æger homini dat spectaculum. — *Esse spectaculo* alicui, *esse spectaculum* alicujus, spectaculum præbere alicui. *Cic.* 10. *Att.* 2. *extr.* Homini non amico nostra incommoda spectaculo esse nollem. *Liv.* 2. 38. Finitimis populis spectaculo abeuntes fuisse. *Id.* 10. 40. *ad fin.* Insequitur acies ornata armataque, ut hostium quoque magnificum spectaculum esset. *Nepos præf.* Spectaculo esse populo. *h. e.* actitare fabulas. ¶ 2. Speciatim, seu sensu magis concreto, dicitur de miraculis, quæ dicuntur, orbis, *meraviglie del mondo. Vitruv.* 2. 8. In septem spectaculis nominari. *Gell.* 10. 18. Numerari inter septem omnium terrarum spectacula. *V.* MIRACULUM. ¶ 3. Item est quod in theatris et circo populo spectandum præbetur animi causa: et præcipue ludi, certamina, venationes, fabulæ, *giuochi, festa, spettacolo*, θέαμα: de quibus est *Martialis* integer libellus. *Cic.* 1. *Phil.* 15. 36. Brutus ludis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus R. tribuerit absenti. *Id. Mur.* 34. *ad fin.* Spectacula sunt tributim data, et ad prandium vulgo vocati. *Liv.* 2. 36. Nondum commisso spectaculo. *Id. ibid.* 38. Spectaculo interesse. *Martial.* 1. 105. Qui spectacula non putet deorum? *h. e.* digna, quibus dii intersint. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (90). Neronis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni. *Id.* 2. *ibid.* 26. 25. (96). Edere spectaculum gladiatorum. *Liv.* 28. 21. *et* 39. 42. *a med.* Spectaculum gladiatorium. *Alii leg.* gladiatorum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 351. spectacula scenæ. *Liv.* 7. 2. circi. *Sueton. Cæs.* 44. naumachiæ. *Id. Aug.* 14. ludorum. *Id. ibid.* 44. et *Ner.* 12. athletarum. *Seneca* 3. *Ira* 43. arenæ matutinæ. *Id. Ep.* 7. meridianum. *Id. ibid.* 80. sphæromachiæ. *Id. ibid.* 2. lusorium. *Ammian.* 16. 12. 57. theatrale. — Spectaculorum tempore neque dare libellos, neque in jus vocare fas erat. *Plaut. Cas. prol.* 27. ¶ 4. Item dicitur de instrumentis scænicis, uti sunt aulæa, vela etc. *Plaut. Curc.* 5. 2. 47. Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt.

II.) Metonymice. ¶ 1. Est ipsum theatrum, in quo spectacula eduntur. *Sueton. Cal.* 31. (*Principatum*) Tiberii ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum, queri solebat. *Id. Tib.* 40. id ipsum narrans, *amphitheatri ruina* dixit. *Calpurn. Ecl.* 7. 23. Vidimus in cælum trabibus spectacula textis Surgere, Tarpejum prope despectantia culmen. Adde *Inscript. Neap. n.* 2249. Cf. *Varron.* 5. *L. L.* 153. *Müll.* Circus maximus dictus, quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt. ¶ 2. Sumitur et pro loco, unde spectatur, *loggia, palco. Liv.* 1. 35. *ad fin.* Circo designatus locus est: loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent: fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. *Cic. Sext.* 58. *ad fin.* Tantus est ex omnibus spectaculis plausus excitatus, ut etc. *Ovid.* 10. *Met.* 668. resonant spectacula plausu. Adde *Liv.* 45. 1., *Vitruv.* 5. 6., *Tac.* 14. *Ann.* 13., *Sueton. Domit.* 10., *Calpurn. Ecl.* 7. 49. et *Fest.* in *Forum p.* 84. 14. *Müll. Ascon.* in *Cic. Cornel. p.* 69. *Or.* ed. *Peter.* Videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum. *h. e.* loca senatoria secerni a populo; nam antea in promiscuo spectarant, ut ait *Liv.* 54. 3. ¶ 3. Et pro ipsis spectatoribus. *Sil. It.* 8. 556. spectacula tanta Ambæ acies virtutis erant. Ita *Heins.* Alii: spectacula tanta Ante acies virtutis erant. *Id.* 2. 230. spectacula tantum Este, viri. Alii leg. *ferte* pro *este.* et *Stat.* 6. *Theb.* 759. et erecto timeat spectacula voto.

SPECTĀMEN, minis, n. 3. (specto) ¶ 1. Est specimen, probatio, experimentum. *Plaut. Men.* 5. 6. 1. Spectamen bono servo. id est, — Ut absente hero rem heri diligenter tutetur. *Prudent. Psychom.* 913. Spectamen morum. — *Gromat. Vet. p.* 61. 13. *Lachm.-Rud.* Mundus unus esse intelligitur, sed qualis et quantus geometricis spectaminibus aperitur. ¶ 2. Item spectaculum. *Apul.* 4. *Met.* Miserum funestumque spectamen aspexi, Thrasyleonem nostrum catervis canum sævientium cinctum. *et* 7. *ibid.* Novum et memorandum spectamen, virginem asino triumphantem. *Mamertin.* 2. *Stat. anim.* 12. Jucunda spectamini.

SPECTĀMENTUM, i, n. 2. (specto) spectaculum. *Fronto De differ. voc. p.* 2203. *Putsch.* Spectacula, loca sunt, unde spectamus; spectamenta, quæ spectantur.

SPECTANS, antis, particip. *V.* SPECTO.

SPECTĀTĒ, adverb. (spectatus) egregie, feliciter, εὐδοκίμως. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. *vistosissimamente.* et *Ammian.* 28. 3. *sub fin.* Rebus spectatissime administratis.

SPECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (specto) actus spectandi, *il guardare*, θέα.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lactant.* 7. 9. *circa med.* Homo memor conditionis suæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat, quam spectationem Trismegistus θεωρίαν rectissime nominavit. — De ludorum spectatione. *Cic.* 7. *Fam.* 1. *ante med.* Apparatus spectatio tollebat omnem hilaritatem. *Id.* 13. *Att.* 44. Animum levari tum spectatione, tum etiam religionis opinione et fama. *scil.* pompæ circensis. — In plur. num. *Vitruv.* 10. *præf. ad fin.* Ea omnia quæ scænicis moribus per machinationem ad spectationes populo comparantur. Adde *ibid.* 1. — Apud *Gell.* 5. 12. alii *spectiones*, alii vero *spectationes* leg. *V.* SPECTIO. ¶ 2. Speciatim est examen et probatio, δοκιμασία, ut Spectatio pecuniæ apud *Cic.* 5. *Verr.* 78. 181. Ex omni pecunia certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione et collybo; deinde pro nescio quo cerario. *V.* SPECTATOR et SPECTO.

II.) Translate est consideratio, respectus, æstimatio. *Flor.* 2. 7. Macedonicum bellum nomine amplius, quam spectatione gentis fuit. Est eadem sententia, quæ *Livii* 31. 1. Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis aut militum robore: claritate tamen regum antiquorum vetustaque fama gentis et magnitudine imperii prope nobilius.

SPECTĀTĪVUS, a, um, adject. (specto) ad spectandum seu contemplandum pertinens, *speculativo*, θεωρητικός. *Quintil.* 3. 5. *a med.* Thesim a causa sic distinguunt, ut illa sit spectativæ partis, hæc activæ. Illic enim veritatis tantum gratia disputari, hic negotium agi. ubi τῷ *spectativæ* oppon. τὸ *activæ*. Similiter *Isid.* 2. *Orig.* 24. 9. Philosophia dividitur in duas partes: prima in spectativam, altera in actualem. *Alii leg.* inspectivam. — *Mar. Victorin.* 1. 1. 4. Grammatica ars quæ est? Spectativa orationis et poematos.

SPECTĀTOR, ōris, m. 3. (specto) qui aliquid spectat, θεάτης (It. *spettatore*; Fr. *spectateur*; Hisp. *espectador*; Germ. *d. Unseher, Beobachter*; Angl. *a beholder*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Sunt enim e terra homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium. *Id.* 1. *Orat.* 24. *ad fin.* Quem nunc meatum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. *Id.* 2. *Fam.* 7. Spectator laudum tuarum. *Liv.* 4. 28. certaminis. (Adde *Quintil.* 10. 5. 19.) *Id.* 24. 34. Archimedes unicus spectator cæli siderumque. *contemplatore*, speculator. *Martial.* 10. 51. Et non unius spectator lectulus undæ, Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris. *Sil. It.* 7. 123. Spectator irarum. — Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 7. 26. Spectator esse otiosos præbuerunt. In illo *Plin. Paneg.* 49. Non spectator adnotatorque convivis imminens tuis. *spectator* est, qui maligne observat, *molesto o maligno osservatore, spiatore.* ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui ad ludos spectandi causa conveniunt. *Cic. Harusp. resp.* 11. 22. Quorum ludorum ipsi dii-te spectatorem esse voluerunt. *Plaut. Amph.* 5. 3. 3. Nunc spectatores clare plaudite. — Spectatores ludorum summo mane, immo etiam nocte occupare locum in cavea solebant. *Plaut. prol.* 21. et *Sueton. Cal.* 26. — Spectatorum qui gratiæ causa plausum histrionibus tribuebant, multabantur. *Plaut. Amph. prol.* 65. *et seqq.* Cf. *Lambin.* ad *h. l.* ¶ 3. Item sumitur pro judice, probatore. *Ter. Eun.* 3. 5. 18. Quum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem. Ubi *Donat.* Spectator, probator, ut pecuniæ spectatores dicuntur. *V.* SPECTATIO. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 147. Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas. *h. e.* considerans et inspiciens. *Auson. Mos.* 387. *Schenkl.* Nec sola antiquos ostendat Roma Catones Aut unus tantum justi spectator et æqui Pollet Aristides. *Liv.* 42. 34. Acrior virtutis spectator et judex. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SPECTĀTRIX, trīcis, f. 3. (spectator) quæ spectat, *spettatrice*, θεάτρια. — *a)* Generatim. *Plaut. Merc.* 3. 4. 12. (*et* 5. 2. 1.) Divum atque hominum quæ spectatrix atque hera eadem es hominibus. *h. e.* Fortuna. *Seneca Consol. ad Marc.* 18. *a med.* Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum: erisque et spectatrix et ipsa pars magna conantium. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 25. Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros: Spectatrix animos ipsa juvenca dabat. *Lucan.* 3. 129. turba Spectatrix scelerum. *h. e.* quæ assueta est videre scelera. — *b)* Speciatim, quæ judicat aut probat. *Ammian.* 30. 8. 26. Nec metu nec adulandi fœditate constricta posteritas, incorrupta præteritorum solet esse spectatrix. *h. e.* solet perpendere et judicare. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Virtus, spectatrix dijudicatrixque omnium rerum, prudentia etc.

SPECTĀTUS, a, um, particip. *V.* SPECTO.

SPECTĪLE. *V.* SPETILE.

SPECTĬO, ōnis, f. 3. (specio) actus speciendi seu aspiciendi. Speciatim usurpatur in rebus auguralibus, in quibus augures habebant duntaxat spectionem; magistratus, quippe qui omne jus auspiciorum possidebant, et spectionem et obnunciationem. Sed tamen spectio duplex est: spectio avium, fulgurum etc., et spectio seu consideratio et judicium de iis, quæ apparuissent, sinerentne, an impedirent res agendas. Igitur augures habebant quidem primum genus spectionis; sed alterum ad magistratus pertinebat. Nunciatis enim ab augure, quæ visa essent, pertinebat ad magistratum, ut videret, an iis auspiciis rem gerere vellet. Similiter nunciatio duplex est: nunciatio augurii et nunciatio avocandæ contionis, quæ fere *obnunciatio* vocatur. Augures habebant spectionem et solum augurii nunciationem; magistratus et spectionem et nunciationem avocandæ contionis seu obnunciationem. *Fest.* (ut *Scaliger* corrigit) *p.* 333. 9. *Müll.* Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione. Spectio et nunciatio data erat iis magistratibus, qui omne jus auspiciorum habent; auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent magistratus (*Müll.* res gererentur, magistratibus) non ut possent impedire nunciando, quæcumque vidissent. At iis spectio sine nunciatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nunciando. *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* Et quod in auspiciis distributum est, qui habent spectionem, qui non habeant. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 81. Quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses et consul esses, minus facere potuisses? Vide, ne etiam facilius. Nos enim nunciationem solum habemus, consules et reliqui magistratus etiam spectionem. Alii perperam leg. *inspectionem.* Hæc *Ciceronis* verba verbis *Festi* non repugnant. Sententia enim est. Nos augures habemus tantum jus nunciandi magistratui de eo, quod viderimus; consules et reliqui magistratus habent etiam jus considerandi auguria et judicandi, utrum iis res gerendæ impediantur, necne. Igitur secundum *Festum* augures habebant dumtaxat spectionem, non etiam nunciationem, idest solum spectionem avium et fulgurum, et nunciationem augurii, non etiam nunciationem avocandæ contionis; magistratus vero habebant et spectionem, idest judicium de auguriis, et nunciationem, idest obnunciationem ad dissolvenda comitia. Secundum *Ciceronem* augures habebant solum nunciationem, non etiam spectionem, idest simpliciter jus nunciandi sua auguria, non vero de iis statuendi; magistratus autem habebant et spectionem, idest considerationem et judicium de auspiciis, et nunciationem, idest obnunciationem, qua declarabant comitia divinitus prohiberi. — In plur. num. *Gell.* 5. 12. In antiquis spectionibus nomina hæc deorum inesse animadvertimus, Diiovis et Vediiovis. *Hertz* leg. *spectationibus.*

SPECTĪVUS, a, um, adject. (specio) qui per spectationem fit. *Simplic. p.* 85. *Goes.* Spectivus est effectus, cujus est demonstratio finitionis argumentis ex maxima parte fundata, ita ut et dubiis quoque locis aspectum præbeat finitionis.

SPECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (specio) *Spectari*, deponentium more, apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. 12. In Arcadia scio me esse spectatum suem, quæ præ pinguitudine etc. Est tamen qui leg. *isse;* alii *scio esse spectatam.* — *Spectĕre* pro *spectare* vulgo usurpatum esse sequiore ætate, conjicitur ex *Inscript.* apud *Le Blant, Inscr. Chrêt. de la Gaul. n.* 478. DIEM FVTVRI IVDICII... LAETVS SPECTIT. — Forma *specto* est frequentat. a specio, ut *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* docet. Nam ab hoc factum est *specito* et per syncopen *specto.* — Part. *Spectans* I. 1. *a* et II. *A* 8. et *B* 1. *a*, 3. *b* et in fin.; *Spectatus* I. 1. *b* et II. *A* 1. 6. et in fin.; *Spectaturus* I. 2. *a*; *Spectandus* II. *A* 1.–5. — Specto est aspicio, intueor, attente intueor, ὁράω (It. *guardare, mirare;* Fr. *regarder attentivement, contempler, observer;* Hisp. *mirar, encarar, contemplar;* Germ. *sorgfältig, eifrig, genau hinsehen, beobachten;* Angl. *to behold, look or gaze upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Plaut. Trin.* 4. 2. 19. Quam magis specto, minus placet mihi hominis facies. *Id. Most.* 3. 2. 106. Vise, specta tuo arbitratu. *Id. ibid. v.* 151. huc ad me specta. *Id. Pseud.* 3. 2. 69. quoquo hoc spectabit. Adde *Afran.* apud *Isid.* 12. *Orig.* 8. 16. *Plaut. Most.* 3. 2. 131. Age, specta, postes cujusmodi! quanta firmitate facti! *Ter. Eun.* 3. 5. 53. Ego limis specto sic per flabellum clanculum. *Cic.* 1. *Off.* 17. 58. Domus, quæ spectat in nos solos. *Id.* 6. *rep.* 23. 25. Alto spectare si voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 60. Unus ut e multis populo spectante referret. *Seneca Herc. Œt.* 1138. partem in omnem specta poli. — *b)* Cum Accusativo. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Speculum a speciendo, quod ibi se spectant. *Plaut. Asin.* 3. 3. 90. taceas, me spectes. *Id. Amph.* 1. 1. 268. nescio, unde hæc hic spectavit. *Ter. Heaut.* 5. 2. 38. nunc aliud specta. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. *a med.* Quum laxati curis sumus, spectare aliquid volumus, et visere. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 19. Gaude quod spectant oculi te mille loquentem. *Ovid.* 3. *Art. am.* 513. Spectantem specta, ridenti mollia ride. *Id. Heroid.* 17. 77. Quum modo me spectas oculis, lascive, protervis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (42). Africa hæc maxime spectat. *Justin.* 1. 1. 9. Zoroaster primus siderum motus diligentissime spectasse dicitur. — Passive. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50). Ubi spectari potest (*leo*). *Horat. Art. P.* 190. Fabula, quæ posci vult et spectata reponi. *Ovid.* 4. *Met.* 311. deducit pectine crines, Et quid se deceat, spectatas consulit undas. *Id.* 3. *Pont.* 4. 17. Spectatum vates alii scripsere triumphum. Est aliquid, memori visa notare manu. Nos ea vix avidam vulgo captata per aurem Scripsimus. Adde 2. *ibid.* 1. 19. — *c)* Cum Infinito. *Seneca Herc. Œt.* 629. Intraque suos currere fines Spectet toto flumine Gangem. et *ibid.* 325. minaces ire per cælum faces specta. — Passive impersonaliter. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 70. 89. (193). Plausu congregari feros (*pisces*) ad cibum assuetudine in quibusdam vivariis spectetur. — *d)* Cum particula *si*. *Ovid. Heroid.* 19. 27. Sæpe tui, specto, si sint in litore passus. — *e)* Cum particula relativa. *Plaut. Most.* 3. 2. 144. specta, quam arte dormiunt. *Id. ibid.* 133. age, specta, postes cujusmodi. Cf. *Bacch.* 1. 2. 2. ¶ 2. Speciatim est ludis interesse: unde *spectator, spectaculum.* — *a)* Cum Accusativo. *Id. ibid.* 2. 2. 37. Nullam (*fabulam*) æque invitus specto. *Cic. Harusp. resp.* 11. 22. Ni tu Megalesia illo die spectare voluisses. *Sueton. Claud.* 21. Vox præconis irrisa est, invitantis more sollemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset. *Id. ibid.* 4. Spectare Circenses. *Id. Aug.* 45. pugiles. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 66. propius spectes lacrimosa poemata Puppi. *Id.* 2. *Sat.* 8. 79. nullos his mallem ludos spectasse. — *b)* Cum Infinito. *Plaut. Rud.* 4. 7. 23. Spectavi ego pridem comicos ad istum modum sapienter dicta dicere atque iis plaudier. — *c)* Absolute. *Ovid.* 1. *Art*

Am. 99. Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ. *Quintil.* 6. 3. *a med.* Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium Titius Maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem ejus stultiorem, dicendo: non, sed in orchestra pila lusi.

II.) Translate occurrit *A)* Transitive; et *B)* Neutrorum more.

A) Transitive. ¶ 1. Est videre, animadvertere, *considerare, vedere, osservare. Ter. Andr.* 1. 4. 4. Importunitatem spectate aniculæ. *Id. Eun.* 5. 6. 24. Audaciam meretricum specta. *Id. Heaut.* 5. 2. 38. Nunc aliud specta: matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse. *Cic. Orat.* 16. 51. In philosophia res spectatur, non verba penduntur. Adde *eumd. Mil.* 6. 15. *Id.* 1. *Phil.* 8. *a med.* In judice spectari et fortuna debet et dignitas. — Cum Conjunctivo et partic. *ne. Plaut. Asin.* 4. 1. 33. Spectandum, ne cui anulum det, neque roget. ¶ 2. Item vergere, exadversum esse. *Liv.* 33. 17. Acarnania solem occidentem et mare Siculum spectat. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 22. 36. (120). Ab eo latere, quo Gadis Hispaniam spectat. Rursum *Liv.* 30. 25. Prora spectat sepulcrum. *Ovid.* 1. *Fast.* 136. E quibus hæc populum spectat, at illa Larem. — Cum addito ablat. loci. *Sall.* apud *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 23. Qua parte orientem spectat (*Creta*). V. sub *B* 3. ¶ 3. Item suspicere, admirari. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 57. Vir bonus, omne forum quem spectat, et omne tribunal. *Id.* 4. *Od.* 14. 17. Spectandus in certamine Martio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 53. (118). *de picis.* Nec vulgaris illis forma, quamvis non spectanda. *Id.* 32. *ibid.* 6. 21. (60). Ostrea crassitudine potius spectanda, quam latitudine. ¶ 4. Item probare, examinare, explorare, *dar la prova. Ovid.* 1. *Trist.* 5. 25. fulvum spectatur in ignibus aurum. *Plaut. Pers.* 3. 3. 35. Non hercle, cui nunc hoc (*argentum*) dem spectandum, scio. *V.* SPECTATIO et SPECTATOR. *Lucret.* 3. 55. In dubiis hominem spectare periclis Convenit. *Nerva* in *Edicto* apud *Plin.* 10. *Ep.* 66. Quædam sine dubio, Quirites, ipsa felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis bonus princeps, quibus illum intelligi satis est, quum hoc sibi quisque civium meorum spondere possit, me *etc. h. e.* certis documentis et experimentis cognoscendus est. ¶ 5. Item æstimare, judicare. *Cic.* 5. *Tusc.* 10. *extr.* Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. *Id. Rosc. Com.* 10. 28. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. *Ter. Andr.* 4. 1. 22. Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo! ¶ 6. Item rationem habere. *Cic.* 2. *Off.* 20. 70. At vero ille tenuis, quum quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam putet etc. ¶ 7. Item cogitare, aliquid, tamquam finem agendi, sibi proponere. *Id.* 8. *Att.* 7. Incredibiliter pertimuit, nihil spectat, nisi fugam. — Cum Conjunctivo et partic. *ut. Id.* 5. *Fam.* 8. *ante med.* Ut primum forum attigi, spectavi semper, ut tibi possem quam maxime esse conjunctus. ¶ 8. Item exspectare. *Id.* 6. *rep.* 19. 20. A quibus spectare gloriam certe nullam potestis. (Hanc lect. defendit *Arntzen* ad *Plin.* p. 166.) *Id.* 2. *Att.* 3. Quod a me ajunt Cæsarem sic spectare, ut non dubitet. Utroque loco *Orellius* leg. *exspectare.* Etiam *Plaut.* sic usurpare videtur *Bacch.* 1. 2. 1. Jamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor, Spectans, quas tute res hoc ornatu geras. *Liv.* 21. 59. Signum ad erumpendum spectare jubet. *Alii malint leg.* exspectare. Sed, ut ait *Madvig* in *Emend. Liv. p.* 281., de frequentissima confusione utriusque verbi nihil opus est dici. ¶ 9. Metaphorice. *Cyprian. Ep.* 17. (26). Quæ res quum omnium nostrum consilium et sententiam spectat, præjudicare ego non audeo. Cf. *Sil. It.* 6. 595. Spectante occasum patria.

B) Neutrorum more: et construitur cum aliqua præpos. aut adverb. ¶ 1. Est tendere, inclinare. — *a)* Cum Accusat. rei, ad quam quis tendit, et præp. *ad, in. Cic.* 4. *Fam.* 2. Omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt. *Liv.* 25. 3. *extr.* Res ad seditionem spectat. *Id.* 1. 9. Haud dubie ad vim spectare res cœpit. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. Ad interregnum res spectat. *Id.* 1. *Orat.* 20. *a med.* Ars continetur rebus cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus. — *b)* Cum adverbiis. *Id.* 7. *Phil.* 9. *ante med.* Quorsum hæc omnis spectat oratio? *Id.* 3. *Fam.* 12. 33. Definitiones eodem spectant. *Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 20. 46. Summa judicii mei spectat huc, ut meorum injurias ferre possim. *Nepos Themist.* 6. Hoc longe alio spectabat ac videri volebant. *Cic.* 13. *Fam.* 4. Hæc eo spectant, ut te horter et suadeam. Sic 2. *Divinat.* 57. 118. Hoc eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. ¶ 2. Item aliquid sibi proponere, ad aliquem finem tendere. *Varro* 3. *R. R.* 6. Pavones pauciores esse debent mares, quam feminæ, si ad fructum spectes; si ad delectationem, contra, formosior enim mas. *Virg.* 3. *Ecl.* 48. Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes. *Cic. Vatin.* 10. 24. Ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras. *h. e.* aspiraveras. ¶ 3. Item vergere, versum esse, e regione esse. *essere rivolto o dirimpetto.* — *a)* Cum Accus. et præp. *ad, in, inter. Cæs.* 7. *B. G.* 69. Pars collis ad orientem solem spectabat. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 169. Quid attinuit, crucem in ea parte figere, quæ ad fretum spectaret? *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Belgæ spectant in septentriones et orientem solem. *Varro* 1. *R. R.* 24. Ager, qui in ventum Favenium spectat. *Cato R. R.* 1. Spectare in meridiem. *Liv.* 5. 5. in Etruriam. *Id.* 28. 17. Masæsyli in regionem Hispaniæ spectant. *Cels.* 7. 7. Ut is pilus in exteriorem partem spectet. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Aquitania spectat inter occasum solis et septentriones. — *b)* Cum adverb. *Lucil.* apud *Non. p.* 402. 7. *Merc.* Introversus spectant atque ferant vestigia. *Varro* 1. *R. R.* 4. Permagni interest, ubi sint positæ villæ, quo spectent porticibus, ostiis ac fenestris. *Colum.* 12. *R. R.* 16. 4. Urceolos ita collocato, ut ora eorum deorsum spectent. Adde *Quintil.* 11. 3. 97. *Id. ibid.* 98. Paullum inferioribus intra spectantibus. *Cels.* 7. 7. Ut pili sursum spectent. *Id. ibid.* 29. Spectare retro. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 75. me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. ¶ 4. Item pertinere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. *a med.* Ad hanc emptionem duo genera agrorum spectant. *Id.* 2. *Legg.* 23. 58. Ea non tam ad religionem spectant, quam ad jus sepulcrorum. *Id.* 5. *Fam.* 9. In omni genere officii quod ad honestatem et gloriam tuam spectat. *Papinian. Dig.* 2. 14. 42. Necessitas solvendi ad debitorem spectaret. *Alii leg.* debitorem *sine præpos.* — Hinc Part., cujus exempla retulimus

Spectans, antis, etiam adjectivorum more usurpatur, et quidem absolute, pro spectatore. *Hygin. De limit. p.* 203. *Goes.* Sic inscribi debet, ut meridie spectanti sit inscriptum. V. K. I. *Ambros.* 4. *Hexæm.* 1. Caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducit. *Id.* 5. *ibid.* 11. Quanto studio spectantium et amore certatur!

Spectatus, a, um, item adjectivorum more occurrit; unde Comp. *Spectatior* II. 1. c, 2. et 3.; Sup. *Spectactissimus* II. 1. *a,* 2. et 3. — Spectatus

I.) Proprie est qui spectaculo fuit, qui sui spectaculum præbuit in ludis publicis. Scribitur autem SP. pro *spectatus,* in pluribus eburneis tesseris, quæ gladiatoribus, quoties ipsi in publico spectaculo vicissent, donabantur, quæque ex torquibus (a *Capitolin. Pertin.* 8. memoratis) appensæ quasi testes pugnarum ab iisdem devictarum pendere ante pectus solebant, ut visitur in imagine gladiatoris apud *Carli, Antich. d'Italia, T.* 2. *p.* 245. *V.* PHYLACTERIUM. Hinc in monumentis sepulcralibus gladiatorum sæpe legere est numerum pugnarum earumdem. (V. *Inscript.* apud *Murat.* 617. 1., alias apud *Donat.* 244. 3. et 6. et apud *Maff. Mus. Ver.* 125. 4. etc.) Postquam plures hujusmodi tesseras essent consecuti, rude donabantur, mox manumissi pileum libertatis sumebant. *V.* PILEO. Longe diversam earum litterarum interpretationem dederat *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 417., alii alias: sed eam, quam modo produximus, primus attulit *Hieron. Amatius* in *Giorn. Arcad. T.* 32. *p.* 105.; pluribus deinde argumentis et scriptorum Latinorum auctoritate confirmavit *Jo: Labusius* in *notis* ad *Morcell. Diss. delle tessere* etc. *p.* 148., eamdemque amplexus est *Orellius* in *Coll. Inscr. Lat. T.* 2. *p.* 377. V. *Inscript.* apud *eumd. n.* 624. 2561. *et seqq.* Huc spectat locus *Horat.* 1. *Ep.* 1. 2. Spectatum satis et donatum jam rude quæris, Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo. *Inscript.* apud *Gruter.* 334. 7. FAVSTVS ANTONI SP. K. APR. M. LEP. L. ARR. COS. *h. e.* Faustus Antonii (*servus*) *spectatus Kalendis Aprilibus,* M. *Lepido,* L. *Arruntio consulibus,* scil. ann. U. C. DCCLIX. Adde *alias* apud *Fabrett. p.* 38. *n.* 189., 190., 191. *et seqq.* Alia vero apud *Mommsenium* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 776. habet notam SPECTAT., quod prioris notæ lectionem confirmat. Cf. *Henzen* in *Ann. a.* 1859. *p.* 5. *et seqq.* In tesseris tamen tribus gladiatoriis, quæ nuper repertæ sunt, legitur SPECTAVIT. V. *Hübner* in *Revue archéol. a.* 1868. *p.* 422. — Hujus porro generis gladiatores vocabantur victores. *V.* VICTOR.

II.) Translate. ¶ 1. Est cognitus, exploratus, probatus, *conosciuto, provato, sperimentato,* δοκιμασθείς. — *a)* Absolute. *Cic. Divin. Verr.* 4. et 2. *Verr.* 10. 29. Homo in rebus judicandis spectatus et cognitus. *Id. Flacc.* 26. 63. Lacedæmoniorum spectata ac nobilitata virtus. *Lucil.* apud *Non. p.* 437. 14. *Merc.* Tuam probatam mihi et spectatam maxime adolescentiam. *Liv.* 1. 57. *extr.* Spectata castitas. *Plaut. Pers.* 2. 1. 4. Me quidem jam satis tibi spectatam censueram esse et mores meos. *Cic. Cluent.* 16. 47. Utebatur medico ignobili, sed spectato homine, Cleophanto. *Id.* 2. *Off.* 11. 38. Qui pecunia non movetur, hunc igni spectatum arbitrantur. *provato al fuoco:* quia fulvum spectatur in ignibus aurum, ut *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 25. ait. *Virg.* 6. *Æn.* 687. tuaque spectata parenti Vicit iter durum pietas. et 8. *ibid.* 151. bello spectata juventus. *Cic.* 3. *Phil.* 10. *a med.* L. Cinnæ spectata multis magnisque rebus singularis integritas. *Ovid.* 14. *Met.* 108. *de Ænea,* vir factis maxime, cujus Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes. *Gell.* 13. 21. Summa vir auctoritate et a divo Hadriano in mores atque litteras spectatus. *Liv.* 1. 57. *a med.* Id cuique spectatissimum sit, quod necopinato viri adventu occurrerit oculis. — *b)* Cum Infinito. *Sall. orat. Licin. ad pleb. in fin.* Mihi satis spectatum est, Pompejum malle principem volentibus vobis esse, quam etc. — *c)* Cum Genetivo. *Ammian.* 16. 12. Sui spectatior. ¶ 2. Item probus, excellens, egregius, illustris. *Plaut. Merc.* 2. 2. 46. Nihil est, quod tu mihi succenseas: fecere tale ante spectati viri. *Cic. Amic.* 2. *sub fin.* Perfectus et spectatus vir. *Id.* 5. *Fam.* 12. *a med.* Auctoritas clarissimi et spectatissimi viri, et in reipubl. maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati. *Id. Rosc. Am.* 50. *sub fin.* Cæcilia, spectatissima femina. — Cum Infinito. *Sil. It.* 1. 440. grata quo non spectatior alter, Voce movere fora atque orando fingere mentes. ¶ 3. Item spectabilis, insignis, nobilis, pulcher. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (122). Spectatissimum insigne gallinaceis, corporeum, serratum. *Id.* 15. *ibid.* 30. 40. (134). Spectatissima laurus in monte Parnasso. *Id.* 4. *ibid.* 18. 32. (107). Pæninsula spectatior. *Id.* 11. *ibid.* 1. 1. (1). Nusquam alibi spectatior naturæ artificium, (*quam in insectis*). et 36. *ibid.* 9. 14. (69). *de obeliscis.* Accessit difficultas mari Romam devehendi, spectatis admodum navibus.

H o m o n y m. Inter *spectare, videre, intueri* et *aspicere* hæc statuere discrimina conatur *Pseudo-Fronto Diff. p.* 274. *Keil. Spectamus* voluntate, *videmus* natura, *intuemur* cura, *aspicimus* ex improviso, *cernimus* oculis. et *Popma p.* 427. *Vallaur.* Videre est cognitionis et curæ: visere officii. « At dixerim, inquit *Döderlein,* visere potius esse curiosi, quam officiosi. Frequenter tamen unum pro altero adhibetur. *Plaut.*

Most. 3. 2. 106. Vise, specta tuo arbitratu. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Neque nos qui hæc spectavimus, quidquam novi vidimus. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 44. Quum laxati curis sumus, spectare aliquid volumus aut visere. *siamo vogliosi di vedere per istruirci o per curiosità.* Vide plura apud *Döderlein, v.* 4. *p.* 312. *et seqq.*

SPECTRUM, i, n. 2. (specio) simulacrum, idolum, phantasma, imago rei alicujus, quæ oculis sese offert, vel phantasiæ occurrit, εἴδωλον, φάσμα, φάντασμα (It. *imagine, fantasma, visione;* Fr. *vision, spectre, fantôme;* Hisp. *vision, espectro, fantasma;* Germ. *die Erscheinung, das Bild;* Angl. *the form or image, spectre, apparition*). *Cic.* 15. *Fam.* 16. Qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari, nam, ne te fugiat, Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. *V.* reliqua ejus epistolæ, et *C. Cass. ibid.* 19. et IDOLUM.

SPECTUS, us, m. 4. (specio) idem quod aspectus, apud veteres. *Pacuv.* apud *Fest. p.* 330. 23. *Müll.* Amplus, rubicundo colore et spectu protervo ferox. — Tribuunt *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (143). In sedecim partes cœlum in eo spectu diviserunt Tusci. *Harduin.* ex MSS. *aspectu* edid., *Sillig.* vero *respectu.* Sic *Apul.* 3. *Met.* Obliquato tamen spectu rem admirationis maximæ conspicio. At plerique, præsertim recentiores, rectius leg. *aspectu.* Item et *Tertull.* 4. *adv. Marcion.* 21. Quid hoc idem in spectum centum millibus hominum? *ubi alii aliter leg.*

SPĔCU. *V.* SPECUS.

SPĔCŬLA, æ, f. 1. (specio) locus editus, unde aliquid eminus prospici potest: cujusmodi est summus malus in navi et summa turris aliusve eminens locus, ubi vigilias milites agunt (V. *Varron.* in SPECULUM init.), σκοπή (It. *vedetta, veletta, specola;* Fr. *lieu d'observation, observatoire;* Hisp. *lugar elevado, adonde pides mirar, observatorio;* Germ. *d. Spähort;* Angl. *a prospect, observatory*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 35. *in fin.* Prædonum adventum significabat ignis e specula. *Apul. de Mundo.* Excursores diurni atque nocturni exploratores ac nuncii et specularum incensores assidui. *h. e.* πυρσευταί. *Lucan.* 6. 278. vix prœlia Cæsar Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis. *Virg.* 3. *Æn.* 239. dat signum specula Misenus ab alta Ære cavo. *Cic.* 4. *Fam.* 3. Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram. *Stat.* 6. *Theb.* 546. sedet anxia turre suprema Sestias in speculis. *Cic.* 7. *Phil.* 7. 19. Idcirco in hac custodia, tamquam in specula, collocati sumus, ut vacuum metu populum R. nostra vigilia et prospicientia redderemus. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *sub fin.* Grex custodis officium sublimem celsissimamque oculorum veluti speculam desiderat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Specularum significationem Trojano bello Sinon invenit. *Vopisc. Prob.* 21. Turris quam speculæ causa elatissimam ædificaverat. *h. e.* speculationis. *Liv.* 29. 23. Quum Carthaginienses, speculis per promontoria omnia positis, perscrutantes etc. *Vulgat. interpr. Jer.* 31. 21. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. ubi *specula* et *amaritudines* indicant columnas et lapides, quibus viarum spatia ex intervallo distinguuntur. Ita *Weitenauer* ad *h. l.* Hebraice est *tzijunim*, signa, statuæ, columnæ, et *tamrurim*, amaritudines aut pyramides. ¶ 2. Speciatim de rupe et edito cacumine. *Virg.* 10. *Æn.* 454. utque leo, specula quum vidit ab alta Stare procul campis meditantem prœlia taurum. *Id.* 8. *Ecl.* 59. Præceps aerii specula de montis in undas Deferar. Cf. *Ammian.* 22. 16. 9.

II.) Translate. *Cic. Mur.* 37. 79. Ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterunt. *Claudian. B. Gild.* 149. Restitit in speculis fati. et *B. Get.* 569. omnes gentes pendere paratas In speculis. Cf. *Colum. loc.* supra *cit.* — *Esse in speculis*, vigilare et prospicere, *stare in guardia, in attenzione. Cic.* 2. *Verr.* 16. 46. Nunc homines in speculis sunt: observant, quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat in retinenda religione. *Id. Dejot.* 8. 22. Regem semper in speculis fuisse, quum a te animo esset alieno. *Liv.* 34. 26. Diem unum in speculis fuit. *Ovid. Heroid.* 18. 12. in speculis omnis Abydus erat.

SPĒCŬLA, æ, f. 1. (spes) *deminut. a* spes, ut *recula* a *res,* parva spes, *piccola speranza. Plaut. Pers.* 2. 5. 9. Estne quid in te speculæ? *filo o briciolo di speranza.* et *Cas.* 2. 4. 27. Si non impetravit, etiam specula in sortitu est mihi. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *a med.* Et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula. *Id. Cluent.* 26. *a med.* Quid aliquid ex ejus sermone speculæ degustarat. *Apul.* 9. *Met.* Vindictæ specula.

SPĔCŬLĀBĬLIS, e, adject. (speculor) qui videri et conspici potest. *Stat.* 12. *Theb.* 624. Linquitur Eois longe speculabile proris Sunion.

SPĔCŬLĀBUNDUS, a, um, adject. (speculor) speculans, spectanti similis. — *a*) Absolute. *Tac.* 4. *Hist.* 50. Festus Hadrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem tendit. — *b*) Cum Ablat. et præp. *ab, ex. Capell.* 2. *p.* 112. Ab ostio speculabunda. — Et addito Accus., participiorum more. *Sueton. Tib.* 65. *a med.* Aptatis enim navibus ad quascumque legiones meditabantur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem signa, quæ tolli procul mandaverat. *Sisenna* eadem ratione dixit apud *Non. p.* 471. 23. *Merc.* populabundus agros. *Liv.* 25. 13. vitabundus castra. *Apul.* 11. *Met.* osculabundus manum.

SPĔCŬLĀMEN, minis, n. 3. (speculor) speculatio, cogitatio, inspectio. *Prudent. Apotheos.* 88. Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco Humentique acie, potuit nebulosus adire. — Cum Genetivo apud *Apul.* 3. *Met.* Proin memet ad rei tantæ speculamen caute præpararem.

SPĔCŬLANS, antis, particip. *V.* SPECULOR.

SPĔCŬLAR, āris *et*

SPĔCŬLĀRE, is, n. 3. *V.* SPECULARIS.

SPĔCŬLĀRĬA. *V.* SPECULARIUS.

SPĔCŬLĀRĬĀRĬUS *vel* speclariarius, ii, m. 2. (speculare) qui specularia facit vel curat, *vetraio. Inscript.*, quam Romæ nuper ex autographo exscriptam misit *B. Borghesius.* D. M. TI. CLAVDIO SYMMACHO AVG. LIB. SPECLARIARIO DOMVS PALATINARVM (*legend. forte* Palatinæ) V. M. *h. e.* vene *pro* bene merenti) FECIT EPICTETVS EVTRICIO SVO. VIXIT ANNIS LXXXII. Hæc cl. *Furlanetto.* Alia apud *Henzen. n.* 6353. TI. CLAVDIVS EPICTETVS PRAEPOSIT. SPECLARIARIOR. DOMVS PALATINAR ET CLAVDIA APHRODISIA... TVM DISCENTIBVS SPECLARIARIS DOMVS PALATINARVM. Adde *aliam* apud *eumd. n.* 6352. Cf. SPECULARIUM et SPECULARIUS.

SPĔCŬLĀRIS, e, adject. in duplicem sensum accipi potest, prout

A) Est a *spĕcula,* quo significatur, qui ad speculam pertinet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Specularem significationem Trojano bello Sinon invenit. *Harduin.* tamen ex MSS. leg. *specularum:* ita et *Sillig. V.* SPECULA.

B) Est a *speculum,* h. e. ad speculum pertinens, *trasparente,* κατοπτρικός. — *a*) Universim. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 5. *a med.* Qui speculari ratione effici judicant visum. *h. e.* speculi modo. — *b*) *Specularis lapis* est vitri modo translucidus, quo in tenues laminas dissecto utebantur admittendo lumini et ventis excludendis, vitri vice, *talco o silicato di magnesia idrato. Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 45. (160). Specularis vero (quoniam et hic lapidis nomen obtinet) finditur in quamlibeat tenues crustas. Hispania hunc olim citerior tantum dabat: jam et Cypros et Cappadocia et Sicilia et nuper inventum Africa, etc. Invenitur et niger aliquando. Sed candido natura mira, quum sit mollitia nota, perpetiendi soles rigoresque: nec senescit, si modo injuria absit. *et mox.* Invenere et alium usum in ramentis quoque, circum maximum ludis circensibus sternendi, ut sit in commendatione candoris. *Lactant. Opif. D.* 8. *a med.* Mens est, quæ per oculos ea, quæ sunt opposita, transpicit, quasi per fenestras lucente vitro aut speculari lapide obductas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (113). Indicos uniones specularium lapidum squama assimulat. *Petron. fragm. Tragur.* 68. *Burmann.* Sustulerunt servi omnes mensas, et alias attulerunt scobemque croco et minio tinctam sparserunt, et quod numquam ante videram, ex lapide speculari pulverem tritum. — Hinc absolute, substantivorum more

Speculare vel *specular, aris,* n. sing. et sæpius *specularia, ium* (vel *iorum*), plur. 3. lapis seu lapides speculares, quibus obducuntur fenestræ, lecticæ et alia ad defendendum frigus et ventos, *invetriata, vetriera.* — *a*) In sing. num. *Tertull. Anim.* 53. *a med.* Unde illi (*animæ*), velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est. *h. e.* animæ corpore, tamquam concæpto suo, inclusæ difficilior est rerum cognitio. Adde *Cœl. Sympos. ænigm.* 67. in *lemmate.* et *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 505. An speculare dedit, quo sanctus lumine transit? — *b*) In plur. num. *Seneca Ep.* 90. *a med.* Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, ut speculariorum usum, perlucente testa clarum admittentium lumen. *Id. Provid.* 4. *a med.* Quem specularia semper ab afflatu vindicarunt. *Id. Ep.* 86. *circa med.* In balneum latis specularibus diem admittere. *Id.* 4. *Quæst. nat.* 13. Cenationem velis ac specularibus munire. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ad fin.* Zotheca, specularibus et velis obductis reductisve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. *Juvenal.* 4. 21. Quæ vehitur clauso latis specularibus antro. «*Fassi portar attorno ingrottolata Fra il lume opaco di ben ampie lastre*» Gargallo. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Possunt etiam vasis majoribus (*in quibus sati sunt cucumeres*) rotulæ subjici, quo minore labore producantur et rursus intra tecta recipiantur. sed nihilo minus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus, serenis diebus, tuto producantur ad solem. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 23. (64). Pensiles cucumerum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta revocantibus. Adde *Martial.* 8. 14. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 171. *n.* XXXIII. C. IVLIVS AVG. L. A SPECVLARIIS. *h. e.* qui domus Augustæ specularia curat. *V.* voc. præced. — *c*) In illo *Dig.* 37. 7. 25. Specularia quoque adfixa, magis puto domus esse partem, nam et in emptione domus et specularia et pegmata cedere, sive in ædificio sunt posita, sive ad tempus detracta etc. *specularia* videntur esse orbes vitreis cum pictis imaginibus, de quibus *V.* in SPECULUM.

SPĔCŬLĀRĬTER, adverb. (specularis) per speculum, visibili modo. *Venant.* 5. *carm.* 6. *præf.* Quasi Specularitier traxit mœror in facie, qui videbatur angor in corde.

SPĔCŬLĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq.

SPĔCŬLĀRĬUS, a, um, adject. (speculum); unde absolute, substantivorum more

Specularia et, per syncopen, *speclaria, æ,* f. 1. quæ specula vendit. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 753. *n.* 509., ubi minus recte pro *speclaria* leg. *speciaria.* V. banc voc.

Specularium, ii, n. 2. idem ac speculare seu specularia. — *a*) Universim. *Ulp. Dig.* 43. 24. 9. § 1. Si tamen sera vel clavis vel cancellus vel specularium sit ablatum. Adde *ibid.* 33. 7. 12. § 16. et 25. et *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 192. Huc trahunt etiam loc. *Senec. Ep.* 90. *a med.* V. SPECULARIS sub *B.* — *b*) *A speculariis* servus vel libertus, qui in domo Augusta specularia curabat. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 71. *n.* 33. C. IVLIVS AVG. L. A SPECVLARIS. Cf. SPECULARIARIUS.

Specularius et, per syncopen, *speclarius, ii,* m. 2. qui specula facit in mulierum usum, vel ea, quæ cubiculorum parietibus inserebant veteres ad ornamentum, de quibus *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (196). meminit. *Aur. Arcad. Dig.* 50. 6. 6., ubi est qui malit *spicularii*, h. e. spiculorum artifices. Enumerat enim *Arcad.* opifices militares. Quis autem locus speculis in exercitu? Sunt tamen *specularii* in *Cod. Justin.* 10. 64. 1. et *Cod. Theod.* 13. 4. 2., ubi *Imp. Constan-*

tin. artifices, non militares recenset. *Inscript.* apud *Don. cl.* 9. *n.* 36. M. OGVLNIO FEROCI AEDITVO AEDIS CONCORDIAE COLLEGIVM SPECLARIORVM PATRONO OPTIMO D. D. *Alia* apud *Murat.* 972. 3. C. POMPONIVS APOLLONIVS SPECLAR. V. A. XLV. *V.* SPECIARIUS.

SPĔCŬLĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

SPĔCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (speculor) ¶ 1. Est actus speculandi et explorandi. *Auson. Mos.* 326. suis fruitur felix speculatio terris. *Ammian.* 27. 2. 2. Rector eximius speculatione didicit fida. — In plur. nom. *Id.* 26. 10. 4. Speculationibus fidis Equitius doctus, conversam molem belli totius in Asiam. Adde *eumd.* 14. 2. 15. ¶ 2. Est etiam actus vigilandi ac prospiciendi. *Vulgat. interpr. Os.* 5. 1. *de sacerdotibus malis.* Vobis judicium est, quoniam laqueum facti estis speculationi et rete expansum super Thabor. ¶ 3. Item actus contemplandi, contemplatio, *contemplazione. Boeth. Cons. phil.* 4. *pros.* 1. Quæ usque adhuc tua fudit oratio, tum sui speculatione divina, tum tuis rationibus invicta patuerunt. *Id. ibid.* 5. *pros.* 2. Humanas animas liberiores quidem esse necesse est, quum se in mentis divinæ speculatione conservant.

SPĔCŬLĀTĪVA, æ. *V.* voc. seq.

SPĔCŬLĀTĪVUS, a, um, adject. (speculor) qui ad speculationem pertinet, spectivus, *speculativo. Cassiod. De anim.* 3. Speculativa virtus. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. *p.* 2. Erunt tot speculativæ philosophiæ species, quot sunt res, in quibus justæ speculatio considerationis habetur. — Hinc

Speculativa, æ, f. 1. absolute pars philosophiæ, quæ Græce θεωρητική appellatur, et a *Seneca* (*Ep.* 95.) dicitur *contemplativa,* cui *activa* opponitur. Ejus partes recenset *Boeth. De Trinit.* 2., quæ sunt *naturalis, mathematica* et *theologia.* Hinc *Cassiod.* 1. *Variar.* 45. Didicisti, qua profunditate cum suis partibus speculativa cogitetur.

SPĔCŬLĀTOR (*et* speclator, *V.* SPECINI et infra 2.), ōris, m. 3. (speculor) qui tacite et a longe speculatur, explorator, διόπτης, σκοπιήτης, πρόσκοπος (It. *spia, esploratore, spione;* Fr. *éclaireur, observateur, espion;* Hisp. *explorador, espiador, espía;* Germ. *der Späher, Spion;* Angl. *a spy, scout, messenger*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat, quæ volumus. *Cic.* 7. *Verr.* 63. 164. Gavium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam. *Liv.* 40. 7. Ad has excipiendas voces speculator e convivis Persei missus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (19). *de apib.* Et subinde consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt. — Cum Genetivo. *Propert.* 2. 22. 31. Quo tu matutinus, ait, speculator amicæ. *Sil. It.* 1. 679. Fabius cauta speculator mente futuri. *Cic.* 7. *Verr.* 63. 164. Gavium civem Romanum et municipem Cosanum, non speculatorem fugitivorum fuisse. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 6. Cleonis fuisse publice præpositos χαλαζοφύλακας, speculatores futuræ grandinis. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui in bello præmittuntur ad res hostium explorandas. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Hac re statim per speculatores cognita etc. *Id.* 5. *ibid.* 49. Speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat etc. *Liv.* 22. 33. Speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus. *Id.* 31. 24. Speculator contemplatus regium agmen e specula quadam etc. *Nepos Alcib.* 8. *in fin.* Quum per speculatores comperisset, vulgum in terram prædatum exisse. *Sall. Jug.* 114. Dicit sibi ex speculatoribus cognitum, Jugurtham haud procul abesse. *Curt.* 3. 8. 17. Speculatores præmissos jubet explorare. — *Speculatores* in legionibus et cohortibus prætorianis primum a M. Antonio institutos fuisse, narrat *Appian. B. C. l.* 5. *c.* 132., ut specularentur et explorarent consilia, itinera et numerum hostium, et comperta tribuno militum renunciarent. Videntur fuisse decem in qualibet legione, ac propterea unus in singulis cohortibus, quum legio ex cohortibus decem constaret. Etenim in *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. Chr. n. CCXII., a *Jo. Labusio* edita in *Ara di Hainburgo,* legitur *p.* 63. *Cornicularii, commentarienses, speculatores legionum III. Antoniniarum P. S. devotissimi numini ejus.* scil. imperatoris Caracallæ: mox subjiciuntur nomina trium cornic
ulariorum, trium commentariensium et triginta speculatorum. Hinc apud *Gruter.* 1102. 4. M. VETTIO M. F. AN. VALENTI SPECVLATOR. X. H. C. *h. e.* speculatores decem honoris causa. *Tac.* 1. *Hist.* 25. Barbius Proculus tesserarius speculatorum. *Auct. B. Hisp.* 13. Speculator de legione secunda Pompejana captus a militibus et interfectus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 169. 7. SCHOLA SPECVLATORVM LEGIONVM I. ET II. ADIVTRICVM. *Alia* apud *eumd.* 520. 5. Q. ANNIO APRO SPECVLATORI LEG. VI. GEM. FEL. *etc. et* 540. 10. C. FABIVS C. F. SER. CRISPVS CARTAG. SPECVL. COH. VI. PR. *etc. Alia* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1222. L. VETVRIVS PRAEF. TVRMAE SPECVLAT. VALERIEN. *Alia* apud *Henzen n.* 6767. EXERCITATOR EQVITVM SPECVLATORVM. Et apud *Mommsen n.* 2119. LONGINVS CORTIS V. PR. SPECLATOR. — Ex his eligebantur, qui litteras et mandata imperatorum perferrent. *Liv.* 31. 24. Speculator (hemerodromos vocant Græci) ingens die uno cursu emetiens spatium etc. *Sueton. Cal.* 44. Magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque perten derent. *Tac.* 2. *Hist.* 73. Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ socordiæque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria, adactum in verba ejus Orientem nunciavere. — Etiam in militia navali erant speculatores, qui in mari eodem speculandi munere fungebantur. *Inscript.* apud *Murat.* 855. 3. M. STABERIVS M. F. QVIR. LACER 7. COH. VI. SPECVLAT. CLASS. MISEN. Apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 53. habetur nummus M. Antonii, in cujus parte postica sunt tria signa militaria navium proris infixa cum hac *Inscript.* CHORTIS SPECVLATORVM. — Aliquando adsumpti sunt ad custodiam corporis principis, ut satellites, *guardacorpo, guardie,* σωματοφύλακες. nam speculatores strenuissimi militum esse solebant. Adhibiti sunt etiam, ut carnificis munus obirent sumendo de reis supplicio. *Tac.* 2. *Hist.* 11. *ad fin.* Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris prætoriis cohortibus. *et ibid.* 33. Cum Othone prætoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit. Adde 1. *ibid.* 31. His locis sunt qui leg. *spiculatores:* ut et in illo *Senecæ* 1. *Ira* 16. *ante med.* Centurio supplicio præpositus, condere gladium spiculatorem jubet. Sic apud *Vulgat. interpr. Marc.* 6. 27. Misso spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. ubi *speculator* rectius leg., ut est Græce σπεκουλάτωρ. *Sueton. Claud.* 35. Neque convivia inire ausus est, nisi aut speculatores cum lanceis circumstarent militesque vice ministrorum fungerentur. Adde *eumd. Galb.* 18. et *Spartian. Pescenn.* 10. — De speculatoribus V. *Membr. dell' Acad. Ercolanese T.* 1. *p.* 87. et *Cavedoni, Atti de' Ss. Mart. p.* 9.

II.) Translatè. ¶ 1. Est qui aliquid contemplatur vel investigat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 30. 83. Physicus, id est speculator venatorque naturæ. Adde *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 1. 16. ¶ 2. Est etiam qui invigilat et curat. *Id. Ezech.* 33. 7. Speculatorem dedi te domui Israel. Adde *Os.* 9. 8. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen, si quod est, inter *speculatorem* et *exploratorem* V. in hac voce.

SPĔCŬLĀTŌRĬA et

SPĔCŬLĀTŌRĬUM. *V.* voc. seq. in fin.

SPĔCŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. (speculator) ad speculatorem vel ad speculandum pertinens. — *a*) Universim. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit. *fregate, saettie,* naves leviores ad excurrendum et speculandum: has *exploratorias* vocat *Veget.*, et hæc de iisdem habet 4. *Milit.* 37. Ne candore prodantur, colore Veneto, qui marinis est fluctibus similis, vela tinguntur et funes: cera etiam, qua unguere solent naves, inficitur: nautæ quoque vel milites Venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes. *Liv.* 35. 26. *sub fin.* Ipse Philopœmen in levi speculatoria nave fugit. *Id.* 36. 42. *in fin.* Una et octoginta rostratis navibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum trajecit. — *b*) *Speculatoria caliga,* apud *Sueton. Cal.* 52., qua utebantur milites speculabundi consilia hostium. — Hinc absolute, substantivorum more

Speculatoria, æ, f. 1. idem ac speculatoria caliga. *Tertull. Cor. mil.* 1. Miles speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit, terræ sancte insistere incipiens, calceatus de Euangelii paratura. *Morosissimam* vocat *Auct.*, quia fortasse pluribus ea vinculis adalligari cruribus solebat.

Speculatorium, ii, n. 2. locus, unde speculamur, specula. *Apul. de Mundo.* Nuncii speculatoriorum incensores assidui. *Alii rectius leg.* specularum. — Translate *Ambros.* in *Ps.* 47. *n.* 16. Tharsis est speculatorium gratiæ, intelligibilis civitas. Adde *eumd. ibid. n.* 5.

SPĔCŬLĀTRIX, trīcis, f. 3. (speculator) quæ speculatur, *osservatrice, spia, spiatrice.* Occurrit fere substantivorum more; aliquando vero etiam adjective.

A) Substantivorum more et quidem

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Seneca* 1. *Controv.* 6. *a med.* Dixit, timere se, ne hæc speculatrix esset, et piratis omnes occasiones indicaret. *Val. Flacc.* 7. 190. Caucasiis speculatrix Juno resedit Rupibus. — *b*) Cum Genetivo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. *a med.* Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris. *Apul.* 2. *dogm. Plat.* Virtus, quum foras spectat, et est fida speculatrix utilitatis alienæ, justitia nominatur. *Inscript.* opt. notæ apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 136. SPECVLATRIX AC PROPVGNATRIX MEORVM PERICVLORVM.

II.) Translate. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 3. Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi. *h. e.* quæ mare prospicit. Cf. *Val. Max. loc.* infra *cit.*

B) Adjective usurpat *Ambros. De Noe et Arc.* 18. *n.* 65. Speculatrice virtute uti. Cf *eumd.* in *Ps.* 35. *n.* 25. *Val. Max.* 9. 8. *n.* 1. Angusti atque æstuosi maris alto e tumulo speculatrix statua.

SPĔCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* SPECULOR.

SPĔCŬLĀTUS, us, m. 4. (speculor) idem ac speculatio. In sexto casu sing. *Plin.* 10 *Hist. nat.* 73. 94. (202). Feles quam occulto speculatu in musculos exsiliunt! *Sillig.* rectius leg. *occulte speculatæ.* Sunt tamen, qui usum vocis sequioris Latinitatis exemplo confirmant.

SPĔCŬLO. *V.* voc. seq. init.

SPĔCŬLOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (specio) *Speculo,* form. activ., ducit *Quicherat* in *Add. p.* 271. ex *Boeth.* 2. *Arithm.* 37. In sequentibus etiam eadem ratio speculabitur. — Part. *Speculans* 2. *a; Speculatus* 2. *b; Speculaturus* et *Speculandus* 2. *a.* — Speculor est intueor, contemplor, βλέπω (It. *mirare, contemplare, guardare;* Fr. *regarder attentivement;* Hisp. *mirar atentamente, contemplar;* Germ. *ansehen, anblicken, anschauen;* Angl. *to look into, observe attentively*). ¶ 1. Generatim. *Justin.* 22. 6. *a med.* Castra deinde quinto lapide a Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum vastitatemque agrorum et incendia villarum de muris ipsius urbis specularentur. *Virg.* 1. *G.* 257. signorum obitus speculamur et ortus. *et* 4. *ibid.* 166. *de apib.* Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli. ¶ 2. Speciatim fere est in speculis sum, prospicio, exploro, contemplor, *spiare, osservare, far la scoperta, specolare, considerare,* κατασκέπτομαι. — *a*) Cum Accus. *Plaut. Trin.* 4. 2. 22. Credo edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca. *Id. Cas.* 4. 2. 12. Quid hic speculare. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. *a med.* Sic noctu ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante. *Id. Flacc.* 24. 57. Quum speculatur atque obsidet Rostra vindex temeritatis et moderatrix officii curia. *Id.* 1. *Cat.* 2. *extr.* Multorum te oculi et aures non sentientem speculabuntur atque custodient. *ti avranno gli occhi addosso e ti faranno la guardia.* et *Sall. Jug.* 116. Præmissus ab Jugurtha subdole speculatum

ejus consilia. *Liv.* 21. 23. Speculari transitus Alpium. *Id.* 42. 25. facta. Adde *ibid.* 17. *Justin.* 25. 3. *ad fin.* Amissi regni speculaturus eventum Thessalonicam se recepit. *Id.* 31. 2. 1. Senatus ad speculandos actus Hannibalis legatum in Africam mittit. *Tac.* 3. *Hist.* 38. Principum offensas acriter speculari. *osservare quando i principi si tengono offesi.* et *Vellej.* 2. 120. *a med.* Speculari opportunitatem. *Propert.* 3. 2. 13. Quum me Castalia speculans ex arbore Phœbus. — *Boeth.* 2. *Arithm.* 42. In his quantitatibus medietas speculanda est. — *b*) Cum Conjunctivo et partic. *ne. Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 13. Speculabor, ne quis nostro consilio venator adsit. — *c*) Cum Infinito. *Vellej.* 2. 118. 2. Haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi quam qui nihil timeret. *calcolando.* — *d*) Cum partic. interrogativa, seu relativa. *Plaut. Truc.* 4. 1. 10. Nunc speculabor, quid ibi agatur. *Liv.* 33. 10. Ut specularetur, quæ fortuna esset. Rursus *Plaut. Most.* 2. 1. 82. Concedam a foribus huc, hinc speculabor procul, unde advenienti sarcinam imponam seni. — *e*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 47. Quid ad se venirent? An speculandi causa? Sic *Auct. B. G.* 8. Speculandi gratia. et *Cic.* 7. *Verr.* 62. *a med.* Iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum. *Ovid.* 1. *Met.* 666. montis sublime cacumen Occupat, unde sedens partes speculetur in omnes.

SPĔCŬLUM, i, n. 2. (specio) *Speclum*, per syncopen, pro *speculum* improbat *Auct. App. ad Prob.* p. 197. 20. *Keil.* — *Speculus* masc. pro *speculum* neutr. a *specio*, et etiam deminut. a *specus*, cave usurpes: illud legitur apud *Auct. De mont. Sina et Sion* 13. Speculus immaculatus; hoc habet quidam *Paulin. Aquilejens.* apud *Barth.* in *Adversar. l.* 43. *c.* 17. In speculo falsitatis se occulere. *h. e.* angulo. — *Speculu*, ablativ. sing. pro *speculo*, est in *Inscript.* apud *De-Rossi* in *Bullett. archeol. Municip. a.* 1873. *p.* 270. et 277. — Speculum est instrumentum ex vitro, chalybe, argento, stanno et similibus, in quo imaginem nostram videmus; a *specio*, unde *speciculum*, et per syncop. *speculum*, ut *Priscian.* docet 4. *p.* 626. *Putsch.*, κάτοπτρον (It. *specchio, speglio*; Fr. *miroir*; Hisp. *espejo*; Germ. *der Spiegel*; Angl. *looking-glass, mirror*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Speculum a speciendo, quod ibi se spectant. et 6. *ibid.* 82. Speculum, quod in eo specimus imaginem. *Cic. Tim.* 13. *sub fin.* Imagines, quæ finguntur et redduntur in speculis. *Id. Tim.* 14. Speculorum levitas. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). fulgor. *Id.* 28. *ibid.* 7. 23. (82). Hebetata aspectu specula recipere nitorem. *Plaut. Most.* 1. 3. 94. Quid opu 'st speculo tibi. *Lucret.* 4. 331. Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse. Usque adeo speculo in speculum translucet imago. *Id.* 4. 98. Postremo speculis in aqua splendoreque in omni Quæcumque apparent nobis simulacra. *Cic.* 5. *Fin.* 22. 61. Pueri, in quibus, ut in speculis, natura cernitur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 135. quod quamque decebit, Eligat, et speculum consulat ipsa suum. *Id.* 15. *Met.* 232. Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles, Tyndaris. *Horat.* 4. *Od.* 10. 6. quoties in speculo te videris alterum. *Martial.* 6. 64. Tonsus ad speculum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (147). Suam imaginem pinxit ad speculum. *Martial.* 9. 17. Consilium formæ speculum. *Apul. Apolog.* Specula vel uda vel suda, plana, tumida et globosa, cava. *Ulp. Dig.* 34. 2. 19. § 8. Nec speculum vel parieti adfixum, vel etiam quod mulier mundi causa habuit, argenti appellatione continebitur. *Auson. Mos.* 231. Candens Cate speculi explorantis honorem etc. *Mar. Vict. ep. ad Salm.* 77. velut acceptas referunt specula optima formas, Sic exempla virûm uxores accepta secuntur. Cf. *Ter. Adelph.* 3. 3. 61. — *b*) *Speculum Venereum*, apud *Orell. Inscr. n.* 1279. IOVI IVNON. MINER. ANTONIA M. LIB. APHRODISIA SCYPHOS H. VENEREVM SPECVLVM DONVM DEDIT. *h. e.* ad usum Venereum. — *c*) De *speculo* magico apud *Spartian. Did.* 7. Ea, quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Julianus fecit. tuncque puer vidisse dicitur, et adventum Severi et Juliani decessionem. — *d*) *Specula Etrusca* esse dicenda, quæ olim ab eruditis passim pateræ vocabantur, probavit omnium primus *Inghirami.* V. *Vermiglioli, Cento Lett. ined. p.* 165. Erant autem aurata. V. *Bullett. dell' Instit. archeol. a.* 1837. *p.* 42. — *e*) *Speculum uterinum Celsi* V. in *Annali dell' Instit. di corr. archeol. T.* 14. *p.* 86. — *f*) *Speculum Sophiæ* apud *Capell.* 1. *p.* 4. Uranie prænitens speculum, quod inter donaria ejus adytis Sophia defixerat. *sc.* speculum, quo semetipsam cognoscere Psyche jubetur; speculi enim similitudine haud raro utuntur veteres in describenda cognitione sui. Cf. *Wittenbach* ad *Plut. Morr. p.* 152. — *g*) *Speculo placere* apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 681. est placere propter cultum et ornatum corporis: quia mulieres ad speculum fingi et ornari solent. — *h*) *A speculo* is erat, cui speculorum cura committebatur. *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 50. *p.* 5. — De usu speculorum multus est *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 17. — Speculum argenteum memorat *Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 45. (129). primum fecisse Praxitelem, Pompeji M. ætate: quum apud majores fuerint Brundisina, ex stanno et ære mixtis. Brundisina, inquam, quia Brundisii in hanc rem laudatissima ex stanno temperabantur, donec argenteis uti cœpere et ancillæ, ut ait 34. *ibid.* 17. 48. (160). Speculo e smaragdo utebatur Nero spectandis gladiatoribus, ut 37. *ibid.* 5. 16. (64). narrat. Item e carbunculis nigrioribus specula fieri, *id. ibid.* 7. 25. (97). tradit. (Cf. *Beckmann, History of Inventions, v.* 2. *p.* 69-76.). Item ex ære polito conflabantur apud Hebræos: hinc e speculis mulierum fusum est labrum. *Exod.* 38. 8. Cf. *Job* 37. 18.; recentiore autem ævo interdum fores cubiculorum, ut essent translucidæ, ex lapidibus specularibus constabant, per quos res, quamquam obscure, cernebantur. Cf. 1. *Cor.* 13. 12. infra *cit.* V. *Ackermann, op. cit.* § 132. ¶ 2. Speciatim dicitur de ipsa imagine. *Plaut. Men.* 5. 9. 4. MEN. SOS. quid vides? MES. speculum tuum. MEN. SOS. Quid negotii est? MES. tua est imago, tam consimilis est quam potest. ¶ 3. Item de fenestra. *Sept. Seren.* apud *Diomed. p.* 511. *Putsch.* Cede testula irrita, sol occurrit tibi per speculum, Panope.

II.) Translate. ¶ 1. A similitudine speculi. — *a*) Dicitur de orbe marmoreo aut gypseo aut vitreo cum pictis imaginibus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 26. 67. Obsidianus lapis in speculis parietum crassiore visu atque pro imagine umbras reddente. Cf. *Isid.* 16. *Orig.* 15. 5. — *b*) *Speculum lympharum* apud *Phædr.* 1. 4. est aqua pellucida, quæ, veluti speculum, imagines reddit. — *c*) *Speculum Dianæ*, locus haud procul ab Aricia, ut tradit *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 515., qui *mox* ad *v.* 516. ad illud *Triviæ locus* adnotat: Hic est qui Dianæ speculum dicitur. Cf. *Inscript.* apud *De-Rossi* supra *cit.* ¶ 2. Metaphorice. *Ter. Adelph.* 3. 4. 51. Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium jubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi. *Lucret.* 3. 971. Hoc igitur speculum nobis natura futuri Temporis exponit. Adde 4. 166. *Cic.* 2. *Fin.* 10. 32. Infantes et bestias putat specula esse naturæ. Cf. 5. *ibid.* 22. 61. *Macrob.* 5. *Saturn.* 2. *a med.* Omne opus Virgilianum de quodam Homerici operis speculo formatum est. *h. e.* in Homeri opus, tamquam in speculum, inspiciendo. *Hieronym. Ep. ad Fur.* Speculum mentis est facies, et taciti oculi mentis fatentur arcana. Cf. *Vulgat. interpr. Eccli.* 19. 26. et *Prov.* 26. 19. et 6. 12. *Id.* 1. *Cor.* 13. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. (*V.* supra I. 1.) *Id. Sap.* 7. 26. de *Sapientia.* Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

SPĔCŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. init.

SPĔCUM, i, n. 2. *V.* voc seq. init.

SPĔCUS, us, m. *olim* f. (*aliquando et* n.) 4. — *a*) Ad formam quod attinet, *specum, i,* n., teste *Priscian.* 6. *p.* 713. *Putsch.*, sed in num. plur.; nullus enim in sing. affertur locus. *Cato* apud *eumd. loc. cit.* Speca apposita, (*Krehl* posita: *Haupt.* prosita) quo aqua devia abiret. *Accius* apud *Non. p.* 487. 24. *Merc.* Quod dii - inter pressum altis clausere specis. — In Dativ. et Ablat. plur. *specubus*, non *specibus*, usurpatur, ut monent *Cledon. Art. p.* 1903. *Putsch.* aliique, coll. *Pomp. Comment. p.* 105. 11. *et seqq. Keil.* Sunt tamen qui legunt *specibus* apud *Frontin. Aquæd.* 125. et 129. — Etiam *specua* apud veteres dicebatur. *Capell.* 3. *p.* 73. — Alias formas addit *Priscian.* 5. *p.* 192. 2. *Keil.* specus, specoris: specu, specu, nullo tamen auctore laudato. — *b*) Ratione habita etymi, ducitur a Gr. σπέος, de cujus vocis origine alii aliter sentiunt, ut videre est apud *Vanicek, op. cit. p.* 1193. — Specus est cavitas montis, rupes cavata, antrum, spelunca, σπέος, ἄντρον (It. *spelonca, antro, caverna, grotta, speco*; Fr. *caverne, antre, grotte*; Hisp. *espelunca, antro, gruta*; Germ. *eine Höhle, Grotte, Kluft*; Angl. *a cave, cavern, den, grotto*).

I.) Proprie. — 1.°) Stricto sensu. *Virg.* 4. *G.* 418. est specus ingens Exesi latere in montis. *Varro* apud *Non. p.* 222. 32. *Merc.* Ibi quum amissam capram desiderarent animadvertissentque quemdam specum tenebricosum. *Enn.* apud *eumd. p.* 223. 1. Concava sub montis late specus intu' parebat. (*Forcell.* leg. sub monte altæ specus intu' patebant. *V.* hunc *loc.* apud *Fest.* et *Priscian.* 6. *p.* 713. *Putsch.*) *Accius ibid.* (*Priscian. loc. cit.* laudat *Pacuv.*) Specus scruposa. *Pacuv.* apud *Fest.* Strata arena ingens specus. *Seneca Troad.* 178. Scissa vallis aperit immensos specus. *Cic.* 15. *Att.* 26. Pauci specus. *Horat.* 3. *Od.* 25. 2. quæ in nemora aut quos agor in specus? *Ovid.* 3. *Met.* 29. Est specus in medio (*silvæ*) virgis ac vimine densus, Efficiens humilem lapidum compagibus arcum, Uberibus fecundus aquis. hoc conditus antro etc. *Id.* 4. *ibid.* 409. specus est tenebroso cæcus hiatu. *Id.* 4. *Fast.* 495. Est specus exesi structura pumicis asper. *Sueton. Ner.* 31. *extr.* Thesauri vastissimis specubus abditi. *Claudian. Fescenn.* 18. Quum post labores sub platani voles Virentis umbra, vel gelido specu Torrentiorem fallere Sirium. *Liv.* 1. 21. Fons perennis ex opaco specu. — *Gell.* 5. 14. *a med.* Specum quamdam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro et recondo. — 2.°) Latiore sensu et a similitudine dicitur — *a*) De Inferis. *Virg.* 7. *Æn.* 568. Hic specus horrendum, sævi spiracula Ditis, Monstratur. (*Servius* notat, antiquos codices habere *horrendus*: quod sane minus apte sonaret hoc loco. Quare *horrendum* retinere satius est, et genus neutrum: quod imitatus est *Sil. It.* 13. 425. qua se primum rupta tellure recludit Invisum cælo specus.) *Seneca Agam.* 2. Adsum profundo Tartari emissus specu. *Id. Thyest.* 105. Gradere ad infernos specus. *Id. Hippol.* 1201. Tænarei specus. *Id. Med.* 742. Tartari ripis ligatos squalidæ Mortis specus. — *b*) De caverna manu excavata. *Virg.* 3. *G.* 376. *de Scythis.* Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra. *Sueton. Ner.* 48. Hortante Phaonte, ut in specum egestæ arenæ concederet. *Varro* 3. *R. R.* 17. *extr.* Perducere specus e piscinis in mare. *Liv.* 10. 10. Specu facto, ad stationes Romanas itinere occulto perveniunt. *scavata una mina.* Adde *Vitruv.* 10. 22. — *c*) De canali tecto in aquæd., per quem defluit aqua. *condotto, acquidoccio. Frontin. Aquæd.* 17. 91. 124. et alibi. *Vitruv.* 8. 7. *Inscript.* apud *Orell. n.* 3324. SPECVS MILLIA PASSVS ∞ ∞ ∞ PVRGAVIT REFECIT FISTVLAS REPOSVIT. Adde *aliam* in *Bullett. archeol. Napolit. a.* 1852. *p.* 39. — *d*) De horreo. *Auct. B. Afr.* 65. Specus condendi frumenti causa. V. *Döderlein, op. cit. v.* 6. *p.* 344. — *e*) De loco pro sacris. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 15. 13. de *Asa.* Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi et in luco ejus, quæ consecraverat, subvertitque specum ejus et confregit simulacrum turpissimum. Cf. LUCUS. — *f*) De alvo. *Phædr.* 4. 5. *de*

mustela. Quos immolatos victor avidis dentibus Capacis alvi mersit Tartareo specu. *Sil. It.* 6. 276. *de serpente.* specus ultima jamque Ingenti cauda hæret humi. *h. e.* imus venter. *Alii aliter leg.* — Hinc *Petron. Sat.* 89. *de equo Trojano.* scissaque in molem cadunt Robora, minacem quæ figurarent equum. Aperitur ingens antrum et obducti specus, Qui castra caperent. — *g*) De pudendo muliebri. *Auct. Priap.* 83. Triplexque quadruplexque compleas specum.

II.) Translate. *Virg.* 9. *Æn.* 700. reddit specus atri vulneris undam Spumantem. Ubi *Servius:* Poetica exaggeratio. specum enim pro cavatione posuit.

SPEGMA, *rectius* psegma, ătis, n. 3. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 36. (134). In ærariis officinis et spegma fit, jam liquato ære atque percocto, additis etiamnum carbonibus flatuque accensis: ac repente vehementiori flatu exspuitur æris palea quædam. Solum, quo excipiatur, esse stratum debet. *Harduin.* fatetur, sic esse etiam in MSS. Mallet tamen *psĕgma* ψῆγμα, quæ vox Græce ramenta et micas significat: a ψάω, radendo detergeo: aptiorque huic æris paleæ esse videtur. Hucusque *Forcellinus.* Sed recentiores emendatius leg. *smegma;* hæc enim vox non de iis tantum dici videtur, quæ abstergent, sed etiam de iis, quæ ut impura alicui rei abstergentur. Ita *Sillig.*

SPĔĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* spes, specula. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 18. Una effugiendi æterni ignis speicula datur.

SPĒLÆUM *et* spelēum, i, n. 2. (σπήλαιον) *Manut.* in *Orthogr.* magis placet sine diphthongo scribi: contra *Dausqu.* diphthongum retinet ex Græca origine. — Spelæum est idem ac specus, spelunca, *spelonca. Virg.* 10 *Ecl.* 52. Certum est in silvis inter spelæa ferarum Malle pati. *Claudian. B. Get.* 354. spelæa subit metuenda ferarum. *Prudent. tetrastich.* 5. *vet. Testam.* hoc illud millibus emptum Speleum, sanctæ requies ubi parta favillæ. *h. e.* spelunca, in qua sepelivit Abraham uxorem suam Saram, ut habetur *Genes.* 23. 17. Cf. SPELUNCA. — In sacris Mithræ qui initiabantur, in spelunca arcanis cærimoniis operam dabant; quare ubicumque id sacrum fiebat, spelunca effodiebatur. *V.* MITHRAS. *Tertull. Cor. mil. sub fin.* Qui quum initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, dehinc capiti suo accommodatam monetur obvia manu depellere etc. *Incript.* apud *Gruter.* 34. 5. DEO SOLI INVICTO MITHRAE FL. SEPTIMIVS ZOSIMVS HOC SPELEVM CONSTITVIT. Adde *ibid.* 7. *et* 9. et *Inscr.* apud *Orell. n.* 2340., ubi *spelæum Soli invicto consumare* aliquis dicitur. — *NB.* de nom. propr. *V.* ONOM.

SPĒLĒUM. *V.* voc. præc. init.

SPELTA, æ, f. 1. genus frumenti, quod idem putatur cum zea, *spelta. Rhemn. Fann. de ponderib.* 10. Semina sex alii siliquis latitantia curvis Attribuunt scripulo, lentes veraciter octo, Aut totidem speltas numerant tristesve lupinos. *Hieronym.* 1. *in Ezech.* 4. 9. Quam nos viciam interpretati sumus, Septuaginta Theodotioque posuerunt ὄλυραν, quam alii avenam, alii secale putant. Aquilæ autem prima editio, et Symmachus ζέας sive ζειὰς interpretati sunt, quas nos vel far vel gentili Italiæ Pannoniæque sermone spicam speltamque dicimus. V. *Edict. Diocl. loc. cit.* in SCANDULA, ALICA et FAR.

SPĒLUNCA, æ, f. 1. σπῆλυγξ, γγος, specus, antrum, *caverna, grotta, spelonca. Cic.* 6. *Verr.* 48. 107. Spelunca quædam infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse. Adde 2. *Fin.* 29. 95. *Virg.* 1. *Æn.* 64. ventos Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris. *et* 6. *ibid.* 237. Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu. *et* 8. *ibid.* 193. Hinc spelunca fuit vasto summota recessu Semihominis Caci. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 3. Fons sacer in medio speluncaque pumice pendens. *Val. Flacc.* 4. 177. spelunca apparuit ingens, Arboribus super et dorso contecta minanti. *Propert.* 3. 2. 27. affixis viridis spelunca lapillis. — Speluncæ progressu temporis ex vivorum domiciliis conversæ sunt in mortuorum sedes seu sepulcra. *Vulgat. interpr. Gen.* 23. 17. Ager Ephronis, in quo erat spelunca duplex. *et v.* 19. Sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici. Hæc autem Hebraice est *makpelāh*, in pago, qui hodie dicitur *El-Khulil*, olim *Hebron*, et a Mohammedanis custoditur intra ædem *Haram.* — Item in loca refugii ab hoste persequenti. *Id. Jos.* 10. 16. Fugerant quinque reges et se absconderant in spelunca urbis Maceda. Cf. 1. *Reg.* 13. 6. Absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque et in antris. — Item in latibula prædonum. *Id. Luc.* 19. 46. Domus mea domus orationis: vos autem fecistis illam speluncam latronum. — *NB.* de nom. propr. *V.* ONOM.

SPĒLUNCŌSUS, a, um, adject. (spelunca) cavatus in modum speluncæ. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *sub init.* Loca speluncosa.

SPĒRA. *V.* SPHÆRA.

SPĒRĀBĬLIS, e, adject. (spero) qui sperari potest, *sperabile,* ἐλπιστός. *Plaut. Capt.* 3. 3. 3. Hic ille est dies, quum nulla vitæ meæ salus sperabilis est.

SPĒRANS, antis, particip. *V.* SPERO.

SPĒRĀTA, æ, f. 1. *V.* SPERO.

SPĒRĀTOR, ōris, m. 3. (spero) qui sperat, apud *Augustin. Serm.* 20.

SPĒRĀTUM, i, n. 2. *et*

SPĒRĀTUS, a, um, particip. *et*

SPĒRĀTUS, i, m. 2. *V.* SPERO.

SPĒREM *et*

SPĒRES. *V.* SPES.

SPĒRISTĒRĬUM, ii. *V.* SPHÆRISTERIUM.

SPERMA, ătis, n. 3. (σπέρμα) ¶ 1. Est semen, *seme. Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 11. ex *Genes.* 38. 9. Onan, quia spermata in terram effunderet, exstinctus a Domino refertur. *Theod. Priscian. c.* 10. *p.* 310. Spermatis effusio spontanea et importuna. ¶ 2. Est etiam sucus plantæ apud *Æmil. Macr. c.* 6. *de Plantagine p.* 227. et *c.* 32. *de Papavere p.* 236.

SPERMĂTĬCUS, a, um, adject. (sperma) σπερματικός, ad sperma pertinens. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. 180. Seminales vias Græci spermaticos poros appellant. Sic 3. *Tard.* 8. Spermaticæ viæ, quas Græci poros appellant. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. — *Spermatica herba,* ut videtur, apud *Marcell. Empir. c.* 36. *p.* 139.

SPERMŎLŎGUS, i, m. 2. σπερμολόγος, qui verba seminat, garrulus, loquax. *Vulgat. interpr. Act.* 17. 18. ex Cod. *Cant.*, ubi vulg. *seminiverbius.* V. hanc voc.

SPERNĀTUS, a, um, particip. *V.* SPERNO, as.

SPERNAX, ācis, adject. omn. gen. (sperno) qui spernit, *sprezzatore,* καταφρονητής. *Sil. It.* 8. 465. Ductor Piso viros spernaces mortis agebat. *Sidon.* 4. *Ep.* 9. Nec in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax.

SPERNENS, entis, particip. *V.* SPERNO, is.

SPERNO, as, atum, are, a. 1. *V.* voc. seq. init.

SPERNO, spernis, sprēvi, sprētum, spernere, a. 3. — *a*) Etiam *sperno, as,* unde *spernor, aris,* vulgo usurpatum fuisse conjici potest ex *Vulgat. interpr. Ital. Luc.* 18. 9., ubi leg. *spernabant.* et *Gloss. Labb.* Sperno, as; ἐκφαυλίζω. et *Gloss. Philox.* Spernatus, ὑπεροραθείς. — *b*) *Spreruut,* præter. perf. 3. plur. syncope pro *spreverunt,* est *Prudentii* in *Dittoch. n.* 31. — *c*) Ratione habita etymi, videtur esse per syncopen factum a *separo.* Cf. tamen Gr. σπέρνημι, alieno, et περάω, prætergredior. — Part. *Spernens* et *Spretus* II. 1. *a* et in fin.; *Spernendus* in fin. — Sperno est proprie separo, segrego, ἀφορίζω (It. *separare, allontanare;* Fr. *séparer, éloigner, écarter;* Hisp. *separar, apartar, alejar;* Germ. *absondern, trennen, entfernen;* Angl. *to separate, sever, remove*).

I.) Proprie. *Enn.* apud *Non. p.* 399. 10. Melius est virtute jus. nam sæpe virtutem mali nanciscuntur: jus atque æquum se a malis spernit procul. *Plaut. Capt.* 3. 3. 2. Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 17. Ille illas spernit segregatque ab se omnes, extra te unam.

II.) Translate est rejicio, abspello, fastidio, contemno, *ributtare, sprezzare, dispregiare,* ἀτιμάζω. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 34. Te ita volo assimulare, præ illius forma quasi spernas tuam. *Id. ibid.* 6. 20. Ne ejus elegantia meam extemplo speciem spernat. *Cic. Amic.* 15. 54. Sperni ab iis veteres amicitias. *Id.* 13. *Phil.* 9. *ad fin.* Neque eos solum præsentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, sprevit et pro nihilo putavit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 14. siccus, inanis sperne cibum vilem. *Plin.* 8. *Ep.* 6. *circa med.* Spernere sestertium centies quinquagies. *h. e.* recusare. *Virg.* 4. *Æn.* 678. comitemne sororem Sprevisti moriens? *Id.* 7. *ibid.* 261. Munera nec sperno. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 55. Sperne voluptates. nocet empta dolore voluptas. *Id.* 3. *Od.* 3. 49. Spernere aurum. *Ovid.* 8. *Met.* 740. numina Divum. *Phœdr.* 3. 10. Nil spernat auris, nec tamen credat statim. *Curt.* 7. 4. 15. Graves mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem nunc paucitatem spernere incipiunt. *sbeffare. Virg.* 1. *Æn.* 31. manet (*Junoni*) alta mente repostum Judicium Paridis spretæque injuria formæ. *Id.* 4. *G.* 232. simul os terris ostendit honestum Pliás, et Oceani spretos pede reppulit amnes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. *a med.* Veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. *Id. Orat.* 13. *ad fin.* Dulce orationis genus et solutum et effluens, spretum et pulsum foro. *et ibid.* 3. *ad fin.* Eloquentia forensis spreta a philosophis et repudiata. *Horat. Epod.* 5. 13. Lycambæ spretus infido gener. *Liv.* 21. 63. Spretorum deorum conscientia. *Ovid.* 15. *Met.* 36. spretarumque agitur precum reus. *et* 7. *ibid.* 375. Spretus amor. — Habet locum sæpe in amoribus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 59. Ut quæ te cupit, eam ne spernas. *Ovid.* 14. *Met.* 35. spernentem sperne: sequenti Redde vices. *Tibull.* 1. 4. 77. me, qui spernentur amantes, Consultent. *Ter. Eun.* 1. 2. 91. Ob hæc facta abs te spernor. *Cic. Cœl.* 15. *extr.* Cur huic, qui te spernit, molesta es? *Seneca Herc. Fur.* 348. non equidem reor Fore ut recuset, ac meos spernat toros. — *b*) Absolute. *Vulgat. interpr. Is.* 33. 1. Qui spernis, nonne et ipse sperneris? ¶ 2. Specialim apud Poetas est recuso: et construitur cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 1. 21. Nec partem solido demere de die Spernit. «*ama di sottrarre porzione d' un giorno pieno di negozi*» Biadi. *Ovid.* 9. *Met.* 117. Obsequio deferri spernit aquarum. *Sil. It.* 1. 227. Spernit novisse senectam. Adde 15. 161. *Cato Distich.* 1. 4. Sperne repugnando tibi tu contrarius esse. *h. e.* noli. — Hinc Part.

Spernens, entis, et *Spretus, a, um,* adjectivorum quoque more. — *a*) Absolute. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (81). Euanthes inter auctores Græcos non spretus. *non ispregevole.* — *b*) Cum Genetivo. *Apul. Apolog.* Spernens dotis. *et ibid.* hereditatis. *Sil. It.* 12. 28. Parthenope non dives opum, non spreta vigoris.

Spernendus, a, um, item adjective. — *a*) Absolute. *Liv.* 30. 45. Haud spernenda natio, nequaquam spernendus auctor. *non ispregevole. Colum.* 1. *R. R.* 1. Non spernendus auctor rei rusticæ Saserna. — *b*) Cum Genetivo. *Tac.* 14. *Ann.* 40. Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur.

Homonym. Ita *Lambinus* distinguit *spernere, contemnere* et *despicere* in *Ep.* ad *Muret.* (*v.* 1. *p.* 399. ed. *Ruhnk.*): «Spernimus rejicienda, fugienda, ut voluptatem: contemnimus magna, metuenda, ut pericula, mortem: despicimus infra nos posita, ut vulgi opiniones». Cf. *Liv.* 22. 39., *Fronton. Ep.* 2, 1. et *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 59. Plus est *sperno,* inquit *Forcellinus,* quam *contemno;* importat enim insuper rejectionem et fastidium. *V.* etiam sub v. CONTEMNO. Ceterum *Apul.* 7. *Met.* Spretis atque contemptis urbicæ luxuriæ deliciis.

SPERNOR, ăris, ari, dep. 1. idem ac sperno,

aspernor. *Juvenal.* 4. 4. viduas tantum spernatur adulter. *Fronto de eloqu* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 227. Si placebis tibi pio aliquo cultu parentis, pietatem spernabere?

SPERNŬUS, a, um, adject. (sperno) qui spernit, spernax: a *sperno*, ut *cernuus* a *cerno*. *Cod. Theod.* 8. 4. 8. Rei publicæ partes pro virili captu spernui laborum procurent. *Alii aliter leg. V. Haenel* ad *h. l.*

SPĒRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spes) Part. *Sperans* sub *A* 1. 2.°, 3.° et *B* et in fin.; *Speratus* sub *A* 1. 3.° *a* et in fin.; *Sperandus* sub *A* 1. 2.° — Spero, si sequamur etymon, quod *V.* in SPES, proprie significare videtur intentionem seu motum animi ad aliquid, et valere idem ac tendo ad aliquid, seu aliquid animo intendo, vel etiam cogito, reputo, ut ex toto vocabuli usu colligere est: cf. tamen et Skr. *sprh*, cupio (*Bolza, Voc. Genet. p.*353.): hinc occurrit *A)* in bonam partem, seu dicitur de bonis; et *B)* in malam partem, seu dicitur de malis.

A) Spero, de bonis, est spem habeo, in spe sum, exspecto, confido, fiduciam habeo quippiam ex voto successurum, ἐλπίζω (It. *avere speranza, confidare, sperare;* Fr. *espérer;* Hisp. *esperar;* Germ. *erwarten, vermuthen;* Angl. *to hope, expect*): cui *timeo* vel *metuo* contrarium est. ¶ 1. Generatim — 1.°) Absolute. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 36. Sperat quidem animus. *Cic.* 13. *Att.* 17. Tuæ litteræ recte sperare jubent. *Id.* 9. *ibid.* 10. Ego sperare non destiti. *Id. Dejot.* 14. 38. Jubes enim, eum bene sperare et bono animo esse. *Id. Cluent.* 7. 20. Ut neque accusator timere, neque reus sperare debuerit. — Interseritur sermoni, ut *credo, opinor* etc. *Plaut. Asin.* 5. 2. 67. Argyrippus exorari, spero, poterit. *Ter. Andr.* 2. 1. 14. Interea fiet aliquid, spero. *Id. Adelph.* 3. 4. 47. Salvus sit, spero: est similis majorum suorum. *Cic. Fat.* 2. 3. Oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti. *Id. Arch.* 2. 3. Quæso, ut mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam. — 2.°) Addita persona aut re, quam speramus, et quidem — *a*) Per Accusativum tantummodo aut etiam adjecto Ablat. ejus, a quo quid speramus, cum præp. *ab, ex*. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. Vacuam possessionem regni sperans ad Achillam sese ex regia trajecit. *Cic.* 12. *Fam.* 18. Id et speraram prudentia tua fretus; et ut confiderem, fecerunt tuæ gratissimæ mihi litteræ. *Sall. fragm.* 2. 50. Ne mortem quidem honestam sperare licet. *Sueton. Aug.* 10. Quem vel præcipuum adjutorem speraverat. — *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Ut a quo genere hominum victoriam sperasset, ab eo initio fugæ facto pæne proditus videretur. *Id. ibid.* 7. Omnia ex victoria et ex sua liberalitate sperarent. *Cic.* 1. *Att.* 13. *ante med.* A quo nihil speres boni reipublicæ quia non vult: nihil metuas mali, quia non audet. — Passive. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 14. Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare. *Liv.* 28. 41. Magis partam, quam speratam gloriam amplecti. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 9. Ploravere suis non respondere favorem Speratum meritis. *Plin. Paneg.* 37. Quæ numquam ut aliena et speranda, sed ut sua semperque possessa cepissent. *Vulgat. interpr. Hebr.* 11. 1. Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Adde *Prov.* 29. 20. — *b*) Per Ablativum et præp. *de*. *Cic.* 9. *Att.* 7. De otio nostro spero jam. *Nepos Miltiad.* 1. Ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui. — *c*) Per Accusat. aut Ablat. et præp. *in*. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 22. 3. Deus fortis meus, sperabo in eum. *et* 4. *ibid.* 18. 5. In Domino Deo Israel speravit. *et alibi passim.* — 3.°) Addita re, quam futuram speramus — *a*) Per Infinitum, et quidem — α) Præsentis temporis, ubi tamen quædam semper vis futuri intelligitur; nisi malis ita construi ob primitivam vocis vim, qua valet in opinione aliqua esse, putare vel sibi persuadere aliquid. Cf. *Krüger, Gr. Lat.* § 564. *n.* 2. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Neque (Cæsarem debere) adeo graviter irasci inimicis, ut quum illis nocere se speret, reipublicæ noceat. *Cic.* 1. *Att.* 1. Ita quiddam spero nobis profici, quum percrebrescit, plurimos nostros amicos inveniri. *et ibid.* Cetera spero prolixa esse. *Ter. Eun.* 3. 3. 14. Credo, ei placere hoc: sperat a me avellere. *Cic.* 1. *Fam.* 6. *a med.* Spero, te mihi ignoscere, si ea non timuerim. *Id.* 12. *Att.* 6. *extr.* Spero esse, ut volumus. *Id. Fat.* 8. 15. Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut etc. *Ter. Eun.* 5. 3. 11. Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo. *Sall. fragm.* 4. 19. Mala mea cum tuis bonis misceri sperem. *Virg.* 6. *Æn.* 376. Desine fata deûm flecti sperare precando. — Cum *v. posse*. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Regno occupato, totius Galliæ sese potiri posse sperat. *Id.* 3. *B. C.* 8. Bibulus sperans, alicui se parti onustarum navium occurrere posse, inanibus occurrit. *Id. ibid.* 67. Hanc legionem sperans Cæsar, se opprimere posse. Adde 1. *B. G.* 40. et 5. *ibid.* 26. *et* 36. — β) Futuri temporis. *Plaut. Pers.* 2. 4. 15. Ego me confido liberum fore, tute speras. *Cic. Amic.* 21. 79. Ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. *extr.* Legatos ad Cæsarem mittant: sperare, se pro ejus justitia, quæ petierint, impetraturos. Rursum *Cic.* 1. *Tusc.* 34. 82. Spero fore, ut contingat id nobis. Sic *Ter. Andr.* 1. 1. 40. Spero confore etc. *et Eun.* 5. 2. 32. spero, æternam inter nos gratiam Fore. *Sall. fragm. Hist.* 41. Nisi speratis, tædium jam tyrannidis Sullæ esse et eum dimissurum. — *Propert.* 2. 7. 45. *de Penelope.* Visura et quamvis numquam speraret Ulyxem, Illum exspectando facta remansit anus. Ἑλληνισμός. quamvis numquam se visuram speraret. — Passive. *Ammian.* 17. 3. 1. Plurimæ gentes collaturæ capita sperabantur. Adde *eumd.* 30. 10. 1. — γ) Præteriti temporis, et simile est τῷ opinor, credo. *Cic.* 1. *Att.* 1. *sub fin.* Spero, me tibi causam probasse: cupio quidem certe. *Ter. Adelph.* 1. 2. 72. Sperabam jam defervisse adulescentiam. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 4. *in fin.* De nostra Tullia spero cum Crassipede nos confecisse. *Seneca* 1. *Benef.* 14. Habeat aliquam familiarem notam, per quam speret, se propius admissum. *Catull.* 84. 3. Et tum mirifice sperabat se esse locutum, Si etc. — Passive impersonaliter. *Manil.* 4. 41. Speratum, Hannibalem nostris cecidisse catenis, Exiliumque rei furtiva morte luisse? — *b*) Per Conjunctivum et partic. *ut*. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. *circa med.* Qui abs te aliquod beneficium aut habent aut, ut habeant, sperant. Adde *Liv.* 34. 27. *Justin.* 5. 3. 3. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 35. Hoc sperans, ut movendis castris – commodiore frumentaria re uteretur. (V. *Nipperdey, Quæst. Cæs. p.* 185.) *Seneca* 2. *Controv.* 2. Non speramus, ut Flaminium judex probet, sed ut dimittat. ¶ 2. Specialim *sperare deos*, inquit *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 546., dicebant veteres pro deorum auxilia rogare. Plautus in Milite (4. 5. 10.) deos sperabo, teque postremo. In Casina (2. 5. 38.) diis sum fretus; deos sperabimus. Hæc *Serv.* Sed loca *Plauti* per ellipsin rectius intelligi videntur: *deos propitios fore sperabo.* Sic *Cist.* 2. 3. 51. Perfectum ego hoc dabo negotium. PHAN. deos teque spero. ¶ 3. Pro cogitare, aut suscipere, conari. *Colum.* 1. *præf. a med.* Nec si illa præstantis ingenii vis defecerit, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi; sed quod sapienter speravimus, perseveranter consectari.

B) Spero, de malis, ut Gr. ἐλπίζειν, dicitur, quæ nolumus, et posse accidere cogitamus; atque adeo metuimus. Catachresin in exemplis, quæ subjicio, agnoscunt *Charis., Donat.*, alii permulti: negat rectius *Voss. Institut. oratoriar. l.* 4. *c.* 12. § 3., sed *sperare* poni ait pro opinari, putare, credere futurum id, quod nolumus. *V.* init. et cf. INSPERATUS. Effertur autem sæpissime per negationem aut expressam aut tacitam. *Cic. Rosc. Am.* 4. 6. Sin a vobis (id quod non spero) deserar, tamen animo non deficiam. *Plaut. Most.* 1. 3. 39. SCA. Moneo ego te: te deseret ille ætate et satietate. PHIL. non spero. SCA. Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres. *Q. Metell.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 1. Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam. *Virg.* 4. *Æn.* 419. Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero. (*Quintil.* 8. 2. 3. Proprietati contrarium est vitium id, quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Græcos, vocatur: quale est, tantum sperare dolorem. (*V.* infra *Isid.* in Homon.) *Val. Flacc.* 3. 294. Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum) Speravi te posse manu? *Stat.* 6. *Theb.* 138. Non hoc Argolidum cœtu circumdata matrum Speravi, te, nate, sequi. *Flor.* 3. 1. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Adde *Virg.* 11. *Æn.* 275., *Propert.* 2. 4. 3., *Stat.* 2. *Theb.* 607., *Ter. Andr.* 2. 3. 21. et *Trebell. Gallien.* 14. — Huc et illa pertinent. *Virg.* 1. *Æn.* 546. Si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate deos memores fandi atque nefandi. Ubi *Servius:* Abusive, timete, ut alibi (4. *Æn.* 419.) Hunc ego si potui etc. *Tertull. De pall.* 2. Quo magis de montibus suis Campania speret. — Hujus generis esse ajunt et illud *Juvenal.* 4. 57. jam quartanam sperantibus ægris. Alii, quod *Cels.* dixit 3. 15. *in fin.* quartanam neminem jugulare, ægros intelligunt in eam optare verti quotidianam febrem, quia extra periculum erunt. — Hinc Part.

Sperans, antis, etiam adjectivorum more, sed absolute, usurpatur de eo, qui sperat aliquid sibi ex voto successurum. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 543. L. SENGONI AGRIPPINI EVOC. AVG. N. COH. VIIII. PRAET. P. V. SEVERIAN. SEXTILIA MAXIMILLA HERES ITEMQVE VXOR CONIVG. RARISSIMO SPERANT. *h. e.* qui mortuus est eo ipso tempore, quo fieri debebat centurio. Ita *Mommsenius* ad *h. n.* Cf. *Vulgat. interpr. Ps.* 16. 7. etc.

Sperata, æ, f. 1. *V.* voc. seq. 2.

Speratus, i, m. 2. ¶ 1. Adjective, is qui in spe est. *Plaut. Stich.* 4. 2. 5. (parasitus loquitur) sperate Pamphilippe, o spes mea! – salve. salvum gaudeo Peregre te in patriam redisse. Cf. *Merc.* 3. 4. 13. *et* 5. 2. 2. Spem speratam quum obtulisti hanc mihi, tibi grates ago. ¶ 2. Absolute, substantivorum more, is, quem sibi maritum fore aliqua sperat, ut *sperata*, quam quis sibi sperat uxorem. *V.* PACTUS. *Afran.* apud *Non. p.* 174. 31. *Merc.* Curre et nuncia Venire et mecum speratum adduce. — *Id. ibid.* Speratam non odi tuam. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 97. Sperata, salve. *Arnob.* 4. *p.* 140. Uxores dii habent? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? Adde *Plaut.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 73. *Müll.*, *Hygin. fab.* 31. *et Non. p.* 439. 5. *Merc.*, ubi statuitur differentia inter *speratam, dictam, pactam* et *sponsam*. — Blandiendi gratiâ etiam uxor *sperata* dicitur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 44. Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam.

Speratum, i, n. 2. absolute, res sperata. *Hieronym.* 5. *in Isai.* 18. 11. Et tunc dolebis graviter, quando sperata et pæne jam tenta perdideris. *Ammian.* 19. 8. 1. Potiri sperata.

Homonym. Differre *spero* et *exspecto* ita docet *Isid.* 1. *Diff.* 513. «*Exspectamus* et bona et mala; *speramus* tantum bona. Miro modo Virgilius verbi hujus proprietatem a propria significatione secernit dicens: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem:* dum omne quod exborret animus, rectius timere dicatur. Sed Grammatici hoc exponunt dicentes: Sperare dixit pro timere. Quod et Lucanus distinguens ait: *liceat sperare timenti*». — Item *spero* et *confido* differunt vi; plus enim est *confidere*, quam *sperare*. Hinc *Cic.* 6. *Att.* 9. Spero et, ut me jubet Acastus, confido, te jam, ut volumus, valere. Adde *eumd.* 12. *Fam.* 18. et *Nepot. Miltiad.* 1. Sic et Italice v. *sperare* et *confidare* vi inter se differre, nemo est quin videat.

SPĒRUM. *V.* voc. seq.

SPES, spĕi, f. 5. — 1.°) Ad formam quod attinet — *a*) In sing. num. Accus. *sperem* pro *spem* veteribus usurpatum fuisse docet, nullo exemplo allato, *Nonius p.* 171. 25. *Merc.*; unde et *prosper*, h. e. *pro spere*. *V.* hanc voc. — In plur. num. *speres, um*, apud veteres usitatum fuit, teste *Fest. p.* 333. 5. *Müll.* Speres antiqui

pluraliter dicebant, ut Ennius lib. secundo: Et semel effugit speres ita funditu' nostras. Ex lib. sextodecimo: Spero, si speres quidquam prodesse potis sunt. *Eumen. Paneg. Constantin.* 15. Pleni sperum, vacui commodorum. *Non. loc. cit.* Varro Aboriginibus: Ita sublimis speribus jactato etc. Idem: Quibus suam delectet amusiam Et aviditatem speribus lactet suis. Cf. *Müller, De re metr. p.* 380. — Recentioribus in usu fuit *spes* in plur. recto et quarto casu; et *spebus* in dat. et ablat. *Cic.* 3. *Cat.* 7. 16. Omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes concidisse. *Sall. Jug.* 87. Mihi spes omnes in memet sitæ. Adde *Plaut. Curc.* 2. 3. 28. et *Ter. Adelph.* 3. 2. 33., *Liv.* 6. 28., *Horat.* 4. *Od.* 11. 25. *et Sil. It.* 13. 287. — *Paulin. Nolan. carm.* 18. 243. spebus frustrata indage peremptis. Cui adde *Sulpic. Sever. dial.* 3. 10., *Sidon.* 1. *Ep.* 9. et *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 7. 34. — *b*) Sequiore ætate etiam *spes, spenis* (Cf. Italicum *spene* apud poetas) reperimus, qua tamen est nomen proprium; unde corrupte factum est *splen, splenis*, quod legitur in *Notit.* et *Curios. Urb. p.* 2. et 3. *Preller.* — 2.°) Quantitas pænultimæ syllabæ in Genet. *spĕi* est brevis, ut in *fidĕi* et *rĕi*, teste *Auct. Append.* ad *Prob. Art. min. p.* 439. *Endl.*, et etiam in *plebĕi, diĕi* (Cf. *Müller, De re metr. p.* 248.); quamquam antiquiores eam produxisse, ut in *fidēi* et *rēi*, monet *Müllerus* apud *Varron.* 7. *L. L.* 93. ad illud *Eun.* Eheu, mea puella, spei quidem id successit tibi. — 3.°) Ratione habita etymi, *spes* a rad. *spa*, cui tendendi notio inest, unde et Gr. σπάω, traho, et Lat. *spatium*, recentiores deducunt, ita ut significet quamdam animi intentionem seu motum ad aliquid. — Spes igitur est animi intentio seu attentio ad aliquam rem, vel exspectatio aut opinio alicujus rei, quam intendimus, et dicitur fere *A*) De bonis; et aliquando etiam *B*) De malis.

A) *Spes*, de bonis, est exspectatio alicujus boni (Cf. *Tibull.* 2. 7. *init.*), ἐλπίς (It. *speranza, speme;* Fr. *espérance;* Hisp. *esperanza;* Germ. *die Erwartung, Vermuthung;* Angl. *hope*): cui *metus* seu *timor* opponitur.

I.) Proprie. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. *circa med.* Si spes est exspectatio boni, mali exspectationem esse necesse est metum. *Id. Orat.* 30. *ad fin.* Sunt omnia, sicut adulescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione, laudati. *Id.* 3. *Nat. D.* 6. 14. Miserum est, nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum, et tamen commune solatium. *Id.* 12. *Fam.* 1. Reipubl. omnis spes in vobis est. *Id.* 9. *Att.* 10. *ante med.* Ægroto, dum anima est, spes esse dicitur. *Sall. Jug.* 105. Timor aliquantus, sed spes amplior. *Ter. Adelph.* 3. 5. 9. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est. *Id. Eun.* 2. 2. 9. Itan parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet? *Liv.* 27. 28. *a med.* Spes affulget. *Ter. Andr. prol.* 25. Quid spei sit reliquum. *Cæs.* 2. *B. C.* 5. Plenus spei bonæ atque animi adversus eos proficiscitur. *Tac.* 14. *Ann.* 53. Quartusdecimus annus est, ex quo spei tuæ admotus sum. *h. e.* cum tibi magister datus. *Cic.* 7. *Verr.* 16. *extr.* Sibi spem aliquam in aliquo reponere. *Id.* 3. *Att.* 16. Litteræ spem faciunt mihi. *Id. Sext.* 43. 93. et *Ligar.* 10. *ad fin.* Spem dare. *Id.* 1. *leg. Agr.* 8. 23. ostendere improbis, timorem bonis injicere. *Id.* 3. *Fam.* 6. et 6. *ibid.* 9. et 7. *Att.* 16. afferre. *Id. Planc.* 23. 55. Excitare aliquem ad spem. *et ibid.* 28. *ad fin.* In spem maximam et verissimam adduci. *Id.* 10. *Phil.* 10. 20. Magna spe et prope explorata libertatis causam suscepimus. *Id. ad Pompei.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Dum in spe pax fuit. *Id.* 11. *Att.* 19. Quod nulla equidem habeo in spe. *et* 13. *ibid.* 23. *in fin.* Id quidem in optima spe pono. *Id. ad Pompej.* 1. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nunc auctoritate et consilio tuo in spe firmiore sumus. *Petron. Sat.* 97. Hic spem pleniorem concepit, quo diligentius oppessulatas invenit fores. *Ter. Eun.* 5. 8. 1. Qua spe, aut quo consilio huc imus? *Cic. Mur.* 15. *sub fin.* Hostium classis Italiam, spe atque animis inflata, peteret. *Id.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. Spe duci. *Id.* 3. *Att.* 9. *a med.* niti. *Id.* 5. *Fam.* 13. *circa med.* teneri. *Seneca Ep.* 8. decipi. *Ter. Andr.* 4. 1. 24. falsa producere aliquem. *Petron. Sat.* 140. *extr.* capi. *Justin.* 11. 1. *a med.* aliquem implere. *Liv.* 5. 4. Finem spei suæ imponere. *Ovid.* 5. *Met.* 377. Spem affectare. *Quintil.* 1. 1. 2. In pueris spes elucet plurimorum, quæ cum ætate emoritur. *Cic.* 12. *Phil.* 1. 2. Spem augere. *Id.* 1. *Cat.* 12. 30. alere. *Id.* 3. *Att.* 22. exspectare. *Id.* 5. *Tusc.* 12. 36. gerere. *Id.* 3. *Att.* 22. injicere. *Horat.* 1. *Od.* 4. 15. Spem inchoare. *Ovid.* 7. *Met.* 304. alicui subjicere. *Id. ibid.* 336. agitare. *Ammian.* 15. 8. 7. roborare. *Id.* 16. 4. 5. affundere. *Id. ibid.* 1. accendere in majus. *Quintil.* 2. 4. 7. Minimum spei dare. *Cic. Dom.* 10. 25. Aliquem ad spem erigere. *Liv.* 35. 26. Spem haud dubiam nactus. *et* 5. 12. Ad exitum spei venire. *Cic.* 3. *Att.* 14. Spem extenuare. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 26. deponere. *Cic. Mur.* 13. 28. perdere. *Id.* 4. *Cat.* 4. *a med.* eripere. *et ibid.* 11. 23. fallere, aut superare. *Liv.* 6. 21. exturbare. *Id.* 1. 51. destituere. *Brut.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 11. abjicere. *Plin.* 7. *Ep.* 27. projicere. *Ter. Andr.* 2. 1. 4. adimere. *Id. Heaut.* 2. 3. 9. Quanta de spe decidi! *Liv.* 2. 16. Spem incidere. *Cic.* 12. *Fam* 25. Spe deturbari. *Ter. Andr.* 2. 2. 37. Me spes frustrata est. *Sall. fragm.* 3. *Hist.* 61. Spem frustra fuisse. *Auct. Epit. Il. Hom. n.* 711. spe percussus inani. *h. e.* frustratus. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 2. 4. Pro re certa spem falsam domum retulerunt. Sic *Auct. cons. ad Liv.* 37. Ponere falsam spem. *Ammian.* 22. 6. 4. Spe præsumpta frustrati. *Cic.* 2. *Cat.* 7. 14. De spe depulsi. *Liv.* 31. 25. Spe depelli. *Curt.* 4. 3. 20. et 8. 6. 20. destitui. *Cæs.* 5. *B. G.* 55. Hac spe lapsus Induciomarus. *Id.* 1. *ibid.* 8. Helvetii ea spe dejecti. *Id.* 5. *ibid.* 42. Ab hac spe repulsi. *Liv.* 2. 6. Spes ad irritum cadit. *Curt.* 7. 4. 15. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamen spes est. — *Liv.* 9. 23. *extr.* Contra spem. *h. e.* contra quam sperabatur. *Cic.* 4. *Fam.* 4 Præter spem. *Justin.* 2. 6. 1. Ultra spem. *Scribon. Compos.* 122. Supra hominis spem. Sic *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 129. *retro.* Supra hominis spem conditionemque. *Plin. Paneg.* 27. In spem. *Liv.* 36. 12. Ad spem. — In plur. num. *Plaut. Curc.* 2. 3. 28. Ubi sunt meæ spes? *Cic.* 3. *Cat.* 7. 16. Omnes spes atque opes concidisse. *Ovid.* 9. *Met.* 467. Spes demittere obscenas animo. *Quintil.* 6. 1. 27. Spes fallaces. *Id.* 12. 1. 13. improbæ. *Apul.* 9. *Met.* prosperæ. *Sil. It.* 9. 543. ægræ. — *b*) Cum Genetivo rei, quam speramus. *Cic.* 12. *Fam.* 1. In spem libertatis ingressus sum. *Id.* 5. *Tusc.* 12. *in carm.* In se ipso omnem spem sui reponere. *Id.* 1. *Orat.* 7. 25. omnem dignitatis suæ in aliquo collocare. *Id.* 6. *ibid.* 1. omnem otii ponere in aliquem. *Id.* 3. *Verr.* 7. *a med.* corrumpendi judicii alicui præcidere. *Ter. Heaut.* 4. 3. 35. nuptiarum eripere. *Ammian.* 19. 8. 4. defendendi abscindere. Adde 16. 4. 1. *Varro Sat. Menipp.* 2. *p.* 91. *Oehl.* Spes auxilii argentaria. *V.* ARGENTARIUS. *Cic.* 13. *Fam.* 7. Spem nancisci impetrandi. *Liv.* 7. 38. consilii exsequendi differre. *Id.* 35. 2. In eo verti spem obsidionis. *Sall. Jug.* 75. Spe patrandi belli. *Id. ibid.* 6. prædæ. *Id. fragm.* 3. *Hist.* 8. præmiorum. *Id. Cat.* 41. victoriæ. *Cic.* 2. *Phil.* 18. *ad fin.* Adulescens summa spe et animi et ingenii præditus. *Tac. Agric.* 9. Spe consulatus, cui (*Vespasianus Agricolam*) destinaret. *h. e.* intuitu, respectu, opinione, *vista, riguardo.* — In plur. num. *Sall. Cat.* 35. Spes honestas reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. — *c*) Cum Dativo. *Manil.* 4. 124. Dives fecundis Aries in vellera lanis Exutusque novis rursum spem semper habebit. — *d*) Cum Accus. et præpos. *ad. Cic.* 15. *Att.* 20. Plurimum spei habere ad vivendum. — *e*) Cum Ablat. et præp. *de. Plaut. Most.* 3. 1. 40 Spes est de argento. *Cæs.* 2. *B. G.* 10. Spes de flumine transeundo. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* De Egnatii nomine nec nulla nec magna spe sumus. *Id. Amic.* 3. 11. Summam spem de puero habere. Sic 2. *Verr.* 14. *ad fin.* Spem bonam de se habere. *Quintil.* 1. 1. 1. Spem bonam concipere de aliquo. — *f*) Cum Accus. aut Ablat. et præp. *in. Vulgat. interpr. Act.* 24. 15. Spem habens in Deum. *Id.* 1. *Joh.* 3. 3. Qui habet hanc spem in eo. Cf. *loc.* supra *cit. Cic.* 12. *Fam.* 1. et 5. *Tusc.* 12. *in carm.* etc. Sic *Curt.* 3. 3. 1. Plurimum spei habere in aliquo. — *g*) Cum Infinito, et quidem — *α*) Præsentis temporis. *Cic.* 1. *Tusc.* 41. 97. Spes me tenet, bene tibi evenire. *Id.* 9. *Fam.* 1. In spem venio, appropinquare tuum adventum. — *Ter. Phorm.* 4. 4. 11. Injecta est spes patri, posse illum extrudi. *Liv.* 34. 84. Spe, impetrari posse. — *β*) Futuri temporis. *Plaut. Stich.* 1. 1. 21. Spes est, eum melius facturum. *Ter. Heaut.* 5. 2. 28. SY. Modo liceat vivere, est spes. CLIT. quæ? SY. nos esurituros satis. *Cic. Cluent.* 3. 7. Spes me tenet, hunc locum futurum etc. *Id.* 11. *Att.* 11. Ne spes quidem ulla ostenditur, fore melius. — *h*) Cum Conjunctivo et partic. *ut. Cic. Amic.* 19. 68. Si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat. *Auson. Edyll.* 2. 46. Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit. — 2.°) In blanditiis. *Plaut. Rud.* 1. 4. 37. Obsecro, amplectere, spes mea. *Id. Stich.* 4. 2. 5. O spes mea, o mea vita, o mea voluptas, salve. Adde *Rud.* 3. 3. 17. — 3.°) Est etiam formula *spes in Deo* in titulis Christianis, de qua V. *Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 6. *p.* 324. et *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1869. *p.* 81. *et seq.* et *a.* 1870. *p.* 13. *et seq.* — 4.°) De spe successionis. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Augusti testamentum Tiberium et Liviam heredes habuit: in spem secundam nepotes pronepotesque. *in mancanza de' primi.* Primam spem hereditatis habebant Tiberius et Livia: secundam, si hi defecissent, nepotes pronepotesque. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 47. In spem arrepe, ut et scribare secundus heres. — 5.°) Quum officii alicujus denominationi additur *spe*, idem valet ac designatus. *Inscript.* apud *Gruter.* 393. 5. C. COELIO ANICETO MIL. COH. II. PR. SING. TRIB. SPE BENEFICIARio. HVIC ORDO SANCTISSIMVS DECVRIOnum OB SPEM PROCESSVS EIVS HONOREM DECVRIONATVS GRATVITVM OBTVLIT etc. — 6.°) Sensu medio dicitur aliquando de rebus incertis: hinc *bona* spes, cui opponitur *mala. Cic.* 2. *Cat.* 11. *sub fin.* Bona spes cum omnium rerum desperatione confligit. *Sall. Cat.* 21. Neque res, neque spes bona ulla. Adde *Apul. Apolog.* 94. et *Cæs.* 2. *B. C.* 5., *Cic.* 2. *Verr.* 14. *ad fin.* aliaque *loca* supra allata. *Liv.* 22. 48. In mala spe. — 7.°) *Spem pretio emere*, rem incertam certa jactura quærere, *mettere il certo per l'incerto.* proverb. apud *Ter. Adelph.* 2. 2. 11. — 8.°) In fabulis *Spes* dea habita est ædemque habuit Romæ non uno in loco. *Ovid.* 1. *Art. am.* 445. Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum: Illa quidem fallax, sed tamen apta dea est. *Liv.* 2. 51. Pugnatum est ad Spei æquo Marte. Adde 24. 47. *extr.*, 25. 7. et 40. 51., *Plaut. Cist.* 4. 1. 18., *Tibull.* 2. 7. 10. *et Inscript.* apud *Gruter.* 102. 1. 3. 2. *V.* plura in ONOM.

II.) Translate. ¶ 1. Est id ipsum, in quo spem habemus. — *a*) Generatim. *Virg.* 5. *Æn.* 672. Non hostes inimicaque castra Argivûm vestras spes uritis. *Ovid.* 13. *Met.* 94. Puppes, spes vestri reditus. *Id.* 2. *ibid.* 719. Spem suam (*h. e.* exta) circumvolat alis. *Curt.* 3. 8. 1. Græci milites, quos Thymodes a Pharnabazo acceperat, præcipua spes et propemodum unica. — *b*) Speciatim de subole, sive in hominibus sive in beluis; aut de quibus magna speramus. *Virg.* 2. *Æn.* 281. O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrûm! *Quintil.* 6. *præf.* 12. O meæ spes inanes. *Ovid. Heroid.* 3. 94. Nati spem. *Id.* 4. *Met.* 794. spes invidiosa procorum. *Virg.* 1. *Ecl.* 14. capella modo gemellos, Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit. *Id.* 4. *G.* 162. allæ (*apes*) spem gentis adultos Educunt fetus. *Ovid.* 15. *Met.* 113. sus spem interceperit anni. — *c*) De Deo, apud *Vulgat. interpr. Job* 5. 16. Et erit egeno spes. *et Ps.* 141. 6. Clamavi ad te, Domine: dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Adde *ibid.* 13. 6. etc. ¶ 2. Est etiam

ipsa res sperata. *Ovid.* 11. *Met.* 527. Spe potitur tandem, laudisque accensus amore Inter mille viros murum tamen occupat unus. *Vulgat. interpr. Tit.* 2. 13. Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ etc. *h. e.* beatam rem nobis speratam, quæ est adventus gloriosus etc. Adde *Col.* 1. 5.

B) *Spes,* de malis quoque dicitur, ut Gr. ἐλπίς, et est metus, timor. *Sall. Cat.* 20. Mala res, spes multa asperior. *Id. Jug.* 88. Contra spem suam. *Liv.* 21. 6. Omnium spe celerius. *Id.* 25. 7. In spe Hannibali fuit defectio Tarentinorum. *Stat.* 9. *Theb.* 129. tela petentem Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Hoc interest inter *spem, exspectationem* et *fiduciam,* quod inter *spero, exspecto* et *confido.* V. has voc. *Liv.* 5. 19. Profectus cum exercitu exspectatione hominum majore quam spe. *Seneca Ep.* 16. Jam de te spem habeo, nondum fiduciam. *Tac. Agric.* 3. Nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiducia ac robur assumpserit. Adde *Nepot. Hannib.* 8.

SPĒTĬLE *vel* spectile, is, n. 3. Ita vocatur infra umbilicum suis quod est carnis, proprii cujusdam habitus, exos, qua etiam antiqui per se utebantur. Plautus enumerandis vilibus obsoniis, in Carbonaria sic meminit: Ego pernam, sumen sueris, spetile, callum, glandia. Hæc *Festus p.* 330. 28. *Müll.*: ubi alii leg. *spectile.* Cf. *eumd. ibid.* 24. et *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 331. 10.

SPEUDIAS, æ, m. 1. σπευδίας, genus quoddam tritici, apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 2. (64). *Sillig.* Pingui solo hæc genera adsignabat; levissimum et maxume inane, speudian, tenuissimi calami, in humidis seri jubebat, quoniam multo egerat alimento. *Alii aliter leg.*

SPEUSTĬCUS, a, um, adject. σπευστικός, festinatus: a σπεύδω, festino. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). Panis varia genera, alias ab opsoniis appellati, ut ostrearii: alias a deliciis, ut artolagani: alias a festinatione, ut speustici: necnon a coquendi ratione, ut furnacei. *h. e.,* ut interpretatur *Harduin.,* cui nec fermentum apponitur, nec calefit aqua; sed statim subacta farina igni committitur.

SPHĂCOS, i, m. 2. σφάκος, vox, quæ salviam herbam notam significat apud Græcos; sed apud Latinos ¶ 1. Est idem ac sphagnos. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 17. (27). Sphagnos, sive sphacos, sive bryon, et in Gallia nascitur etc. ¶ 2. Et etiam idem quod elelisphacos. *Id.* 22. *ibid.* 25. 17. (146). Cf. *Apul. Herb.* 101. Græce elelisphacon, alii ciosmin, alii bechion, alii phacon, alii sphagnon appellavere, Ægyptii anusi, Latini salviam, alii tussilaginem, alii corsalvium vocant. Elelisphacos agrestis gravioris est odoris. Fortasse *phacon* est sphalma librarii pro *sphacon.*

SPHÆRA *vel* sphera æ, f. 1. (σφαῖρα) Abjecta aspiratione et vocali priore diphthongi, scribitur etiam *spera,* et prima corripitur a *Prudent. Apotheos.* 278., quam licentiam, ut ait *Forcell.,* cave imiteris. *Dresselius* tamen. *h. l.* leg. *sphera,* servata aspiratione. Ceterum et *sfæra* et *sfera* et *sfela* legitur in Cod. *Cic. de rep.* 1. 14. 17. Cf. *Du Rieu, Sched. Vatic. p.* 63., 66. — Ratione habita etymi, videtur esse a rad. Skr. *sphur,* vibrare, jacere; quamquam cl. *Furlanetto* vocem conjungit cum Hebr. ספר *saphar,* numeravit, recensuit, descripsit, qua est descriptio motus siderum. — Sphæra est globus, pila, quæ jaci potest (It. *globo, palla:* Fr. *globe, sphère;* Hisp. *globo, bolla, bocha;* Germ. *die Kugel;* Angl. *globe, ball, orb*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de pila, specialim lusoria, seu corpore solido rotundo, viribus exercendis accommodato. Cf. SPHÆRISTA et SPHÆRISTERIUM. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *ad fin.* Tum, permittentibus viribus, etiam raptorio machinamento gestatur ac deinde recussabili (*h. e.* repercussibili) sphæra (*utatur*), quam Italicam vocant. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 11. *ante med.* — De usu sphærarum in athleticis ludis testis locupletissimus *Hieronym.,* qui in *Zachar.* 12. hæc habet: Mos est in urbibus Palæstinæ et usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant et eos pro varietate virium sublevare, alii usque ad genua, alii usque ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Atheniensium, juxta simulacrum Minervæ, vidi sphæram aeneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi mei movere vix potui. Quum autem quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemque descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Ita *Hieronym.* Hinc lucem accipiunt, inquit cl. *De-Vit,* duo illi lapides diversæ magnitudinis perfecte rotundi ac levigati, qui reperti sunt inter rudera Pompejana ac videntur in hujusmodi usum adhibiti fuisse a juvenibus Pompejanis, ut arguerat *Minervini* in *Bullett. archeol. Napolit. a.* 1857. *p.* 45. coll. *Cavedoni ibid. p,* 48. ¶ 2. Latiore sensu est corpus solidum rotundum, unica superficie contentum, in cujus medio punctum est, a quo omnes lineæ rectæ ductæ ad circumferentiam vel ad ambientem superficiem, sunt æquales, *globo, sfera. Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Quum duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet), ex planis autem circulus aut orbis. *Id. ibid.* 21. 55. Habent suam sphæram stellæ inerrantes, ab ætheria conjunctione secretam et liberam. *Id.* 3. *Orat.* 40. 162. Quamvis sphæram in scænam, ut dicitur, attulerit Ennius; tamen in sphæra fornicis similitudo non potest inesse. *Id.* 1. *Tusc.* 25. *ad fin.* Archimedes lunæ, solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit. *Cato R. R.* 82. Sphæras pugnum altas facito. *V.* SPHÆRITA. — *Sphæra,* κατ' ἐξοχήν, dicitur ἀπλανέων ἄστρων apud *Capell.* 7. *p.* 243.; quam *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4. vocat *aplanes.* Cf. *Apul. Dogm. Plat. p.* 203. *Oudend.* — *Sphæra cœlestis* apud *eumd.* 2. *p.* 44. h. e. cæli stellati globus seu ambitus. — De concentu sphærarum V. *eumd.* 1. *p.* 11. et alibi. *Plato, rep.* 10. *p.* 617. *Steph.* cuilibet orbi Σειρῆνα tribuit, vocem (φωνήν) unam edentem. ¶ 3. Item dicitur descriptio motus siderum. Ejus plura sunt genera; alia enim est Græcanica, alia Barbarica, alia Persica, alia Indica. Græcanica est, in qua describuntur ortus et occasus siderum, prout a Græcis in suo hemisphærio visuntur: Barbarica, quæ accommodata est ad clima Ægyptiorum: et sic de reliquis. P. Nigidius φαινόμενα ad inclinationem cæli Ægyptiaci et Græcanici scripsit: alterum librum vocavit *sphæram Barbaricam,* alterum *Græcanicam.* Ex utroque testimonia afferuntur a *Varron.* apud *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 19. et 2. *ibid.* 190., item ab ipso *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 43. *et* 218. Hæc ex *Jos. Scalig.* ad *Manil.,* ubi plura hac de re. *Jul.* quoque *Firmic.* Barbaricæ sphæræ meminit 8. 18. *et* 31., et toto fere eo libro de ea disserit: sed videtur eo nomine Græcanicam intelligere. Persequitur enim vires et apotelesmata astrorum iis vocabulis, quibus Græce nominantur. Porro quemadmodum Græci omnes eos βαρβάρους vocarunt, qui exteras regiones habitabant; eadem ratione Latinis licere potuit vel ipsos Græcos vocare *barbaros,* qui ab suis moribus non parum abhorrebant: quamquam plerumque solent ab ea appellatione excludi. — *Sphæra cricote,* h. e. armillaris, *sfera armillare,* quæ apud *Capell.* 8. *p.* 275. sphæra perforata dicitur. *V.* CRICOTOS. — De phæra, quæ in nummis sæpe apparet et *Cæsarea* vulgo dicitur ex eo quod Cæsar anni tempestates ordinavit, V. *Giornale degli Scavi di Pompei, a.* 1872. *p.* 294. *et seqq.* ¶ 4. In re mathematica *sphæra* est semicirculi, manente diametro, circumductio et ad eumdem locum reversio, unde prius cœperat ferri, inquit *Boeth.* 2. *Arithm.* 30.

II.) Translate est pulpa in pectore et natibus equorum. *Cassiod.* 4. *Variar.* 1. Quorum (*equorum*) pectora et crura sphæris carneis decenter ornantur.

SPHÆRĀLIS, e, adject. (sphæra) σφαιρικός, *sferico,* ad sphæram pertinens, sphæricus. *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. Ovi forma teres ac pæne sphæralis. *et ibid.* 9. Motus sphæralis, quo movetur cælum, quo sidera. *Id.* 1. *Somn. Scip.* 22. Sphæralis extremitas.

SPHÆRĬCA. *V.* voc. seq. in fin.

SPHÆRĬCUS *vel* sphericus, a, um, adject. σφαιρικός, sphæralis, in modum sphæræ factus, *rotondo, sferico. Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 14. *ad fin.* Sphærico motu in orbem rotari. — *Sphæricus numerus,* Italice *numero cubico,* ita definitur a *Cassiod. de Arithm.* Sphæricus numerus est, qui a circulato numero multiplicatus a se inchoans ad se convertitur, ut, verbi gratia, quinquies quini, viginti quinque. Hinc circulus, dum in se ipsum multiplicatus fuerit, facit sphæram, id est, quinquies XXV. CXXV. — Hinc

Sphærica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, disciplina, quæ de sphæra tractat. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. Sphæricam vero atque astronomiam tanto præcedit (*arithmetica*), quanto duæ reliquæ disciplinæ hanc tertiam natura præcedunt.

SPHÆRĬON, ii, n. 2. σφαιρίον, nomen collyrii apud *Cels.* 6. 6. 21., ita a forma appellati.

SPHÆRISTA, æ, m. 1, σφαιριστής, qui pila vel globis ludit. *Sidon.* 2. *Ep.* 9. *ante med.* Ecce huc sphæristarum contra stantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur. In *Tab. Antiat.* apud *Murat. p.* 305. Saturninus Sphær. *h. e.* sphærista, seu qui pilarum custos vel sarcinator erat: ibi enim recensentur nomina plurium servorum, qui in villa Augusta Antiatina erant.

SPHÆRISTĒRĬUM, ii, n. 2. (σφαιριστήριον). *Inscript.* apud cl. *Furlanetto, Lap. Patav. p.* 101., ubi *speristerium* pro *sphæristerium* legitur, est spuria. V. *Borghesi* apud *eumd. p.* 525. — Sphæristerium ¶ 1. Est locus pilæ lusui destinatus: a σφαιρίζω, pila ludo: idem antiquitus coryceum dicebatur. Erant sphæristeria cubicula in balineis, in quibus se tum aliis rebus, tum pilæ ludo exercebant. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis pluresque circulos capit. *Sueton. Vesp.* 20. Valetudine prosperrima usus est, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 17. ¶ 2. Significat etiam ipsum ludi genus. *Lamprid. Alex. Sev.* 36. Post lectionem, operam palæstræ aut sphæristerio aut cursui aut luctaminibus mollioribus dabat. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* In cujus (*umbræ*) opacitate pilæ vacamus, donec arborum imago contractior intra spatium ramorum recussa cohibeatur, atque illic aleatorium lassis, consumpto sphæristerio, faciat. V. *Quadrio, Della sferistica* (*Miscellan.* 49.).

SPHÆRĪTA, æ, f. 1. σφαιρίτης, supple πλακοῦς, placentæ genus, in cujus solo sphæræ seu globuli multi positi sunt: a *sphæra. Cato R. R.* 82. Sphæritam sic facito, ita uti spiram; nisi sic fingito, de tractis, caseo, melle sphæras pugnum altas facito, eas in solo componito: densas eodem modo componito atque spiram, itemque coquito. Alii *rectius* leg. *spæritam.*

SPHÆRŎĪDES, is, omn. gen. adject. σφαιροειδής, sphæræ similis, sphæricus, *simile allo sferico, globoso. Vitruv.* 8. 6. *a med.* Archimedi placet aquam non esse libratam, sed sphæroides habere schema. — Hinc

Sphæroides, is, f. 3. absolute, substantivorum more, globus sphæricus. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 18. Movetur omne corpus sursum, deorsum; in dextrum, sinistrum; prorsus et retrorsus. Movetur autem etiam motu septimo: sicut et rotæ et sphæroidis.

SPHÆRŎMĂCHĬA *vel* speromachia, æ, f. 1. σφαιρομαχία, pugna pilaris, et præcipue certamen illud, quod et harpastum dicitur: Græca vox, a σφαῖρα, globus, et μαχη, pugna. *Stat.* 4. *Silv. præf. ad fin.* Sed et sphæromachias

spectamus et pilaris lusio admittitur. *Seneca Ep.* 80. Hodierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos ad sphæromachiam avocavit. — *Pollux l.* 9. ait, hunc ludum *sphennam* appellatum fuisse vel a primo auctore vel a σφάλλω, quod est fallo, nam quum pilam unus alteri videretur polliceri, non huic, sed alii mittebat.

SPHÆRŎPÆCTES, æ, m. 1. σφαιροπαίκτης, pilarum lusor, pilarius. *Mar. Victorin. p.* 1937. *Putsch.* Ματαιοτεχνία, quæ difficiles quidem res, non tamen usui necessarias facit, veluti sunt sphæropæctæ, funambuli ceterique hujusmodi. Ita edidit *Lindemannus*, mendose *Putschius* habet *spiropatæ*. V. PSEPHOPÆCTA.

SPHÆRŌTER, spheroter *vel* speroter, ēris, m. 3. σφαιρωτήρ, ornamentum sphæricum, quod candelabro aut etiam capitibus columnarum imponebatur apud Hebræos. *Vulgat. interpr. Ital. Exod.* 25. 31. et 33., ubi *noster* habet *sphærula.* Cf. *Quicherat* ad *h. v.* in *Addend.* etc.

SPHÆRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sphæra, parva sphæra. *Augustin.* 2. *de Genes. ad litter.* 15. *de luna.* Si ex una sphærulæ suæ parte semper lucet. Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 31., *et seqq.* et 37. 17. *et seqq.* V. voc. præc.

SPHAGNOS, i, m. 2. σφάγνος et σφάκος, alio nomine bryon, βρύον. Hac voce significantur cani arborum villi, quale in quercu maxime videmus, sed odore præstantes. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 50. (108). et 24. *ibid.* 6. 17. (27).

SPHALANGĬUM et

SPHALANGĬUS. *V.* PHALANGIUS.

SPHĒNISCOS et

SPHĒNISCUS, i, n. 2. σφηνίσκος, parvus cuneus: speciatim apud Mathematicos figura solida in modum cunei. *Boeth.* 2. *Arithm.* 25. et 29. *V.* CUNEOLUS, ubi in illo *ejusd. ibid.* 29. *sphenisci* pro *sphærisci* legendum est.

SPHINCTER, ctēris, m. 3. σφιγκτήρ, musculus anum constringens, ne excrementa immature effluant, *sfintere. Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. 11. Longanone cum sphinctere atque podice paralysi vitiato, erit involuntaria egestio stercorum, nisi ex aliqua hoc fuerit circumincisione confectum. *V.* SPINTHER.

SPHINGA, æ, f. 1. idem ac Sphinx.

I.) Proprie. *Sidon.* 5, *Ep.* 7. Confestim videbis illic et oculos Argi et manus Briarei et Sphingarum ungues. Adde *Augustin.* 18. *Civ. D.* 13., *Hygin. fab.* 67. et *Isid.* 13. *Orig.* 2. 32.

II.) Improprie *sphingæ* appellantur sellæ majores, quæ duabus sphingis suffultæ sunt. *Isid.* 20. *Orig.* 11. 3. *de sellis.* Sphingæ sunt, in quibus sphingatæ effigies, quos nos gryphos dicimus. Alii leg. *spingæ* et *spingatæ*, omissa aspiratione.

SPHINGĀTUS, a, um, adject. qui sphingis figuram habet. *V.* voc. præced.

SPHINGĬON, ii, n. 2. σφιγγίον, genus quoddam simiarum, fortasse simia canina (*Simia Cynocephalos* Linn.). *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (173). et *ibid.* 35. (184). et 10. *ibid.* 72. 93. (199).

SPHINX, sphingis, f. 3. (Σφίγξ, γγος) Legitur et *Sphinga* (vel *Spinga*), æ, apud *Sidon.*, *Augustin.*, al. *loc. cit.* in hac voc. — *Sphingos*, Græca positione, in genet. sing. habet *Stat.* 1. *Theb. loc.* infra *cit.*; item *Sphinga*, in accus. sing. *Seneca loc. cit.* et *Ovid.* 4. *Trist.* 7. 17. *et Ib.* 380.; item *Sphingum*, in genet. plur. *Fest. p.* 206. 3. *Müll.* — Sphinx est monstrum apud Thebas, cujus caput et manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis: a σφίγγω, stringo, quod in scopulo insidens viæ imminenti, ad portam Thebarum, ænigmata proponere soleret prætereuntibus ita difficilia, ut se expedire non possent; quod si illa ænigmata non dissolverent, ad eos advolabat, illosque ad se in rupem tractos unguibus lacerabat.

I.) Proprie. *Seneca Phœniss.* 119. Ubi sedit alta rupe, semifero dolos Sphinx ore nectens. *Id. Œdip.* 92. Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis Fugi. *Auson. Edyll.* 11. 40. Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella. Hæc in fabulis. Re vera autem Sphinx erat, quemadmodum ex Socrate tradit Scholiastes Euripidis, ἐγχωρία χρησμολόγος δύσγνωστα μαντευομένη, vates ejus regionis, quæ responsa daret intellectu difficilia. Indeque a *Sophocle* in *Œdip. tyranno* vocatur ἡ ῥαψῳδός, idest contexens carmina. Vide, sis, quæ de Sphinge notavit *Jos. Scaliger, Animadvers. Euseb. ad ann.* 757. *Stat.* 1. *Theb.* 66. si Sphingos iniquæ Callidus ambages te præmonstrante resolvi. — Quum Œdipus Thebas ingressurus esset, Sphinx ænigma ejusmodi ei proposuit: Quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset. Œdipus ænigmatis nodum dissolvit, et dixit hominem esse, qui in infantia manibus et pedibus repens verius, quam incedens, quadrupes est: factus vir, ut qui nullo alio, quam pedum, adminiculo nititur, bipes: ingravescentibus autem annis, assumpto scipione, tripes. Hanc solutionem Sphinx tam ægre tulit, ut statim se de saxo præcipitaverit. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 34. Isti orationi Œdipo opus conjectore est, qui Sphingi interpres fuit. *Quintil.* 6. 3. *a med.* Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, quum ei dixisset Hortensius: non intelligo hæc ænigmata; atqui debes, inquit, quum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnæ pecuniæ. — Sphinge in anulo insculpta inter initia Augustus signavit epistolas et diplomata, teste *eod.* 37. *ibid.* 1. 4. etc. *Sueton. Aug.* 50. — De Sphingibus Ægyptiis pedes habentibus leonis et vultum puellæ, ad repræsentandas Nili exundationes, quæ mense Julio et Augusto fiebant sub signis Virginis et Leonis, V. *Mus. Borbon. T.* 5. *tav.* 41. et *T.* 9. *tav.* 43.

II.) Improprie est animal ex genere simiarum, reliquo corpore hirsuto, pectore glabro, mammis ut mulierum, facie rotundiore et ad muliebrem formam accedente, fortasse ex iis, quæ *Scimpansé* vulgo feruntur (*Simia Troglodytes* Gmel.). *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (72). Lyncas vulgo frequentes, et sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis, Æthiopia generat. *Solin.* 27. *sub fin.* Inter simias habentur et sphinges, villosæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Adde *Melam* 3. 9. — Harum figura prostat in lithostroto Prænestino, quod illustravit cl. *Pieralisius, Tab.* 1.

SPHONDŬLUS. *V.* SPONDYLUS.

SPHONDȲLE. *V.* SPONDYLE.

SPHONDȲLĬON *vel* spondylium. *V.* SPONDYLION.

SPHONDȲLUS. *V.* SPONDYLUS.

SPHONGĬA. *V.* SPONGIA.

SPHRĀGIS, idis, f. 3. (σφραγίς) *Sphragidas*, Græca positione, in accus. plur. apud *Plin. loc. cit.* — Sphragis est Græce signum, sigillum, nota, quæ anulo alicui rei imprimitur: Latine vero ¶ 1. Dicitur de gemmarum genere, quod signando inservit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (117). Nec diversæ quas sphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantum dato, quoniam optime signent. ¶ 2. Est etiam genus terræ seu rubricæ, apud *eumd.* 35. *ibid.* 6. 14. (33). Rubricæ genus secundæ auctoritatis; palmam enim (*rubricæ*) Lemniæ dabant. Minio proxima hæc est *etc.* neq nisi signata venundabatur, unde et sphragidem appellavere. ¶ 3. Apud *Cels.* 5. 20. *n.* 2. Polyidæ σφραγίς nominatur pastillus glutinandis vulneribus aptus. *Id. ibid.* 26. *n.* 23. *a med.* Imponere vulneri Polyidæ sphragidem. ¶ 4. *Sphragis* videtur esse etiam collyrium, apud *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 5. *p.* 96.

SPHRĀGĪTIS, tidis, f. 3. σφραγῖτις, nota, stigma, signum impressum, *marchio, bollo, stigma, sfragite. Prudent.* 10. περὶ στεφ. de his, qui Matris deûm sacris initiabantur, 1076. Quid, quum sacrandus accipit sphragitidas? Acus minutas ingerunt fornacibus: His membra pergunt urere, utque igniverint, Quamcumque partem corporis fervens nota Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

SPHȲRÆNA, æ, f. 1. σφύραινα, idem ac sudes. *V.* SUDES.

SPĪCA, æ, f. 1. *et* spicum, n. et spicus, i, m. 2. Etiam *speca* pro *spica* vulgo dictum tradit *Varro* loc. infra allato. Neutr. et masc. gen. usurpatum fuisse, *V.* loc. cit. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 111. in usu esse ait in masculino utrumque numerum, in neutro singularem tantum. *Mamertin.* tamen *Grat. act. ad Julian.* 23. Non spica triticea, non viles uvarum racemi, sed opes atque divitiæ nihil laborantibus ingeruntur. *Fest. p.* 333. 2. *Müll. spicus* masculine dictum tradit, afferens antiquum hunc versum: Quasi messor per messim unumquemque spicum colligit. — Ratione habita etymi, sunt qui nomen ducunt a Gr. σπάχυς, quod pro στάχυς ab Æolibus, unde plura Latini mutuati sunt, dicebatur. At *Varro* 1. *RR.* 48. Spica, quam rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam, a *spe* videtur nominata. eam enim quod sperant fore, serunt. Aliter *Isid.* ex *Serv.* 17. *Orig.* 3. 15. *V.* infra. Verum recentiores etymologi a rad. *spi*, quod acutum aliquid significat, unde et *spina*, derivant. Cf. Germ. *Spitze*, acies. — Spica igitur est acies, cacumen; sed speciatim occurrit et est collectio plurium granorum in summo culmo frumenti, hordei et hujusmodi, στάχυς (It. *spiga, spica*; Fr. *épi*; Hisp. *espiga*; Germ. *die Aehre*; Angl. *ear*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 48. Spica ea, quæ mutilata non est, in hordeo et tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam: et etiam primitus spica quum oritur, vaginam. *Cic.* 4. *Fin.* 14. *circa med.* Fruges ab herba ad spicam perducere. *Catull.* 19. 11. et tenera virens spica mollis arista. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 3. Flava Ceres tenues spicis redimita capillos. *Id.* 8. *Met.* 291. *de apro Calydonio.* Nunc matura metit fleturi vota coloni, Et Cererem in spicis intercipit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (56). Frumenta quædam in tertio genu spicam incipiunt concipere, quædam in quarto. *et ibid.* 24. 55. (199). Macies soli spicam minutam facit et inanem. *Tibull.* 2. 5. 84. Distendet spicis horrea plena Ceres. *Apul.* 11. *Met.* Spicæ Cereales. — Proverb. sunt illa *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 43. His qui contentus non est, in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundat aquas. Similiter dicitur *in silvam ligna ferre*, et *noctuas Athenas mittere.* V. LIGNUM et NOCTUA. — In gen. neutr. et masc. *Varro* apud *Non. p.* 225. 30. *Merc.* Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum. *et Cic. Senect.* 15. 51. Fundit frugem spici ordine structam etc. Ita enim leg. *Non. ibid.* et multi critici ex optim. libris. *Fest.* in *Restibili p.* 281. 16. *Müll.* Farreo spico agrum serere. *V.* ARISTATUS. *Serv.* ad *Virg.* 1. *G.* 314. ait abusive *spicos* de maturis frugibus dici: proprie spicos esse, quum per culmi folliculum, id est extremum tumorem, aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Dicitur de aliis plantis, spicæ simile quippiam ferentibus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 23. (47). Amaranto spica purpurea verius, quam flos. *Id.* 22. *ibid.* 25. 79. (161). Bromos semen est spicam ferentis herbæ. *Id.* 12. *ibid.* 12. 26. (42). Nardi cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote spicas ac folia celebrant. *Ovid.* 1. *Fast.* 76. (et *Propert.* 4. 6. 74.) Et sonet accensis spica Cilissa focis. *h. e.* crocus, cujus cacumen in capillamenta et fila aristarum similia desinit. *Cato R. R.* 70. et *Colum.* 8. *R. R.* 5. *ad fin.* et 10. *ibid.* 112. Spica allii, *spiga d'aglio.* nucleus, ex quo quadruplici aut majore numero caput allii constat. *V.* STICA. — Apud *Veget.* 4. *Veterin.* 13. spica nardi, spica Celtica, spica Syriaca, Indica, herbarum nomina sunt. ¶ 2. In sidere Virginis stella est, quæ *spica* dicitur. *V.* VIRGO. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 42. *extr.* Spicam illustre tenens splendenti corpore Virgo. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (311)., *Manil.* 5. 271., *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* et *Germanic.* in *Arat.* 96. ¶ 3. Est etiam sagitta, spiculum. *Lucret.* 3. 199. At contra lapidum conjectum spicarumque. Ita leg. *Forbiger*; at *Lachmann* leg. *spiritus acer*, et *Hermann* in *Philol.* 8. 180. *rumpere spira*

(Cf. Gr. σπεῖρα, manipulus). ¶ 4. *Spica testacea*, laterculus minor oblongus acuminatus, cujus usus est in pavimentis spicatis. *Vitruv.* 7. 1. *in fin.* Supra autem sive ex tessera grandi, sive ex spica testacea *pavimenta* struantur. *V.* SPICATUS et VERMICULUS. ¶ 5. *Spicus crinālis* est vel hasta cælibaris, qua nuptæ caput comebatur: vel acus discriminalis, discerniculum dividendis a fronte capillis. *Capell.* 9. *p.* 306. Crinalem spicum pharetris deprome, Cupido, Libens capillum solvere. Alii leg. *crinale spicum*, ut *le* producatur propter *sp* sequentes, more Græcorum: alii *crinale spiclum*, syncop. pro *spiculum*. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SPĪCĀTUS, a, um, particip. *V.* SPICO.

SPICELLA, æ, f. 1. videtur esse idem ac specillum, qua est instrumentum chirurgicum, *tenta:* a *specillum* vel *spicula* factum. *Sex. Placit.* 11. 14. Si dexter oculus glaucomate laborat, in dexteriorem partem spicella demittitur.

SPĪCĔUS, a, um, adject. (spica) qui est ex spicis, *di spiga*, σταχύϊνος. *Virg.* 1. *G.* 314. spicea messis. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 36., *Tibull.* 1. 1. 20. et *Claudian. B. Gild.* 136. spicea serta. *Propert.* 4. 2. 14. Et coma lactenti spicea fruge tumet. *h. e.* ipsa spica. — *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Arvorum sacerdotes Romulus instituit, spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data; quæ prima apud Romanos fuit corona. *Gell.* 6. 7. *in fin.* Cujus sacerdotii (*fratrum Arvalium*) insigne est spicea corona et albæ infulæ. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 25. 32. et 35. SACERDOTES (*fratres Arvales*) SVMPTIS PRAETEXTIS ET CORONIS SPICEIS VITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT. Cf. *Tertull. Pall.* 4. Quum ob cultum omnia candidatum et ob notam vitæ et privilegium galeri, Cereri initiantur. V. *Orti, Gli ant. mon. Gr. e Rom.* etc. *p.* 32. — Hinc *B. Borghesius* in *Decad. num.* 8. *n.* 2. recte arguit, coronam spiceam vittatam, quæ est apud *Morell. Fam. Rom.* in nummis G. Juniæ *tab.* 3. *n.* 5. et G. Mussidiæ *tab.* 1. *n.* 1. et 2., esse insigne sacerdotii fratrum Arvalium, in cujus collegium cooptati fuerunt D. Junius Brutus et L. Mussidius Longus, qui in iisdem nummis nominantur. Cf. *Henzen, Act. Arv. p.* 28.

SPĪCĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (spica et fero) spicas ferens, σταχυοφόρος. *Seneca Herc. Œt.* 598. Spicifera dea. *h. e.* Ceres. *Manil.* 2. 442. Spiciferæ est Virgo Cereris. *Martial.* 10. 74. Spicifer Nilus. *h. e.* agros fecundans. *Sil. It.* 3. 403. Spiciferæ oræ. *h. e.* terræ agrique culti. Adde *Inscript.* apud *Orell. n.* 5863.

SPĪCĬLĔGĬUM, ii, n. 2. (spica et lego) collectio spicarum, in agro a messoribus præteritarum, *spigolamento, spigolazione*, σταχυολογία. *Varro* 1. *R. R.* 53. Messe facta, spicilegium venire oportet. *Id.* 7. *L. L.* 109. *Müll.* Nemo reprehensus, qui e segete ad spicilegium reliquit stipulam. Occurrit etiam in *Not. Tir. p.* 157. Spica, spicula, spicilegium.

SPĪCĬO. *V.* SPECIO init.

SPĪCLUM. *V.* SPICULUM init.

SPĪCO, as, (avi) ātum, are, a. 1. (spica) Part. *Spicatus.* — Spico est spicam emittere facio (It. *spigare*; Fr. *épier*; Hisp. *espigar*; Germ. *schossen*; Angl. *to ear*).

I.) Proprie. *Dracont.* 1. 587. Ventus alit fructus, et ventus spicat aristas, Ventilat æstivo quas flatu mollior aura. *fa che spighino.* et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 84. (135). Chamæcissos spicata est tritici modo. *spigosa.* et 21. *ibid.* 17. 61. (101). Herbarum spicatarum genus.

II.) Translate. ¶ 1. Est in spicæ formam dispono. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (60). Grana in stipula crinito textu spicantur. — *Spicata testacea*, pavimenta ex laterculis seu testis in modum spicæ dispositis, *a spina di pesce.* *Vitruv.* 7. 1. *circa med.* Item testacea spicata Tiburtina sunt diligenter exigenda. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (187). Similiter fiunt spicata testacea. *V.* SPICA. Sic in *Inscript.* apud *Orell. n.* 4240. PAVIMENTVM SPICAM (*leg.* spicatum) STRAVERE ET SEDILIA etc. ¶ 2. Est etiam in modum spicæ aristis instruo. *Minuc. Octav.* 17. *sub fin.* Animantes alias armatas cornibus, alias dentibus sæptas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis etc. ¶ 3. Et etiam in modum spicæ acumino seu cuspido. *Grat. Cyneg.* 117. Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos, Quam longa exigui spicant hastilia dentes! *h. e.* in aristarum modum cuspidant sarissas, quæ sunt prælongæ hastæ Macedonum. — *Spicatæ faces*, ligna multifida, h. e. in usum facum in tenues particulas aristarum modo dissecta. *Id. ibid.* 484. Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianæ Sistimus. *V.* INSPICO. ¶ 4. In illo *Vulgat. interpr. Marc.* 14. 3. Alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi (Græce νάρδου πιστικῆς). *spicati* ita a nonnullis exponitur, ut sit *spicis expressi:* hoc autem præstantius fuisse eo quod foliis exprimeretur, nemo infitiatur; idcirco *pretiosum* dicitur apud *eumd. loc. cit.* et *Joh.* 12. 3. Alii vero *spicatum* vel ab eo quod nardum herba sit spicosa, ut ait *Isid.* V. SPICOSUS; vel, inepte tamen, a corrupta Græca voce πιστικός deducunt, ut *spicatus* sit idem ac fidelis, sincerus: quamquam recentiores πιστικός non a πίστις derivant, sed a Skr. *picita* vel *piçi*, quod idem est ac *jatamansi* h. e. nardum seu nardus Indica, cujus carnosa radix est spissa et villosa in modum spicæ, unde materia unguenti exprimitur, ita ut *nardus pistica* dicatur pro *nardo Indica* omnium præstantissima (V. *Roxburgh, Bot. observ.* in *Asiat. Research. T.* 4. *p.* 451. *et seqq.*, Royle, *Bot. of the Himal.* etc. *T.* 1. *p.* 242. *et seqq.* et *Vigouroux, op. cit. p.* 156. *et seqq.*).

SPĪCŌSUS, a, um, adject. (spica) spicis abundans. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 3. Nardus est herba spicosa, unde et a Græcis ναρδόσταχυς appellatur.

SPĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* spica, parva spica, *spighetta*; sed in hac propria significatione habetur tantum in *Not. Tir. p.* 157. Spica, spicula, specilegium. Speciatim est herba, quæ communiter chamæpitys dicitur. *Apul. Herb.* 26.

SPĪCŬLĀRĬUS. *V.* SPECULARIUS.

SPĪCŬLĀTOR, ōris, m. 3. (spiculum) satelles spiculo armatus et circa principem custodiæ causa positus; qui carnificis munus aliquando exercet, *soldato di guardia, alabardiere.* *Firmic.* 8. *Mathes.* 26. Si vero Mars in dejectis locis fuerit inventus, spiculatores faciet: qui nudato gladio hominum amputent cervices. Alii leg. *speculatores*, ut etiam apud *Tac.* 2. *Hist.* 11. *ad fin.* et alibi. *V.* SPECULATOR. Sic in *Evang. S. Marci* 6. 27., ubi in Græco textu est ἀποστείλας σπεκουλάτορα, Vulgatus habet *misso spiculatore.* Cf. *Memor. dell' Accad. Ercolan. T.* 1. *p.* 87., *Baumgarten* in *Indic. voc.*, qui vocem *spiculator* nihili esse putat, et *Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 1. *p.* 65. Ceterum *Gloss. Lat. Gr.* Spiculatores, δορυφόροι. Cf. et *Paucker* in *Add. Lex. Lat. p.* 82., qui et alia loc. affert, ubi *spiculator* legend. esse docet.

SPĪCŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SPĪCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spiculum) Part. *Spiculatus.* — Spiculo est cuspidem acuo, *aguzzare la punta*, ἀκονάω. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (3). *de insectorum aculeo.* Telum vero perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio! *Solin.* 52. *a med.* Manticboræ cauda veluti scorpionis aculeo spiculata. *h. e.* in modum spiculi acuminata, *aguzzata, aguzza.* et *Gloss. Lat. Gr.* Spiculo, ἀκονάω.

SPĪCŬLUM, i, n. 2. (spiculus, a, um) *Spiclum*, per syncopen pro *spiculum* habet *Lucret.* 3. 199. At contra lapidum conjectum spiclorumque Nænu potest. Alii tamen aliter leg. *V.* SPICA 3. — Spiculum proprie est parvum spicum, h. e. spica exigua; sumitur autem de quovis aculeo, *pungolo, pungiglione.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 4. *G.* 236. *de apib.* læsæque venenum Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt. (Adde *ibid.* 74.) *Ovid.* 5. *Fast.* 541. Scorpion immisit Tellus. fuit impetus illi Curva gemelliparæ spicula ferre deæ. *Id.* 11. *Met.* 334. similisque juvenco Spicula crabronum pressa cervice gerenti. *Prudent.* 1. *contra Symmach. præf.* 28. Spicula dentium. — De acuto germine rosarum dixit *Capell.* 2. *p.* 132. Tres puellæ sertis religatæ invicem manus rosarumque spiculis redimitæ. *sc.* tres Gratiæ. Sic *Auct. Epigr. de rosis* 24. Una dies ostendit spicula florum, Altera pyramidas – Tertia jam calathos: totum lux quarta peregit Floris opus. *V.* ACULEUS. ¶ 2. Speciatim pro ferro in modum spicæ acuminato, quod hastæ aut lanceæ aut pilo præfigitur, *sorta d'arme in asta, dardo*, λόγχη, ἄκων, στόρθυγξ, υγγος. *Cic.* 5. *Fam.* 12. *ante med.* Epaminondas tum denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquam etc. *V.* dicta in SPARUM. *Id. Pis.* 26. 62. L. Crassus spiculis prope scrutatus est Alpes, ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. *Ovid.* 8. *Met.* 374. vibrata per auras Hastarum tremulo quatiebant spicula motu. ¶ 3. Item pro sagittæ cuspide, *punta o ferro della saetta.* *Horat.* 1. *Od.* 15. 17. Hastas et calami spicula Gnossii. ¶ 4. Dicitur etiam de minutis hamatisque acuminibus, quibus ipsa cuspis instruitur. *Cels.* 7. 5. *n.* 2. Sagitta sæpius ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda est: præcipueque quia fere spiculis cingitur, quæ magis laniant, si retro, quam si contra trahuntur. ¶ 5. Item de cestro vel cælo, quo saxa inciduntur, poliuntur. *Publil. Opt. Porph. Edyll.* 1. 10. *de Ara.* Non cæsa duro nec coacta spiculo.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur, per synecdochen, de ipsa hasta. *Virg.* 7. *Æn.* 164. Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis Spicula contorquent. et *ibid.* 687. pars spicula gestat Bina manu. ¶ 2. Item posteriore ævo de pilo. *Veget.* 2. *Milit.* 25. Missile majus ferro triangulo unciarum novem, hastili pedum quinque semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur. ¶ 3. Item de ipsa sagitta, *strale, freccia, saetta.* *Virg.* 7. *Æn.* 497. Ascanius curvo direxit spicula cornu. Sic 9. *ibid.* 606. spicula tendere cornu. *Id.* 10. *Ecl.* 60. Partho torquere Cydonia cornu Spicula. *Lucan.* 7. 148. Spiculaque extenso Pæan pythone recoxit. *Ovid.* 12. *Met.* 605. arcus obvertit in illum Certaque letifera direxit spicula dextra. ¶ 4. De telis Cupidinis. *Propert.* 2. 10. 1. Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis, Spicula quot nostro pectore figit Amor. Adde *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 22. et 2. *Art. am.* 708. et 3. *ibid.* 516. et *Senec. Hippol.* 334. ¶ 5. *Spiculum solis* apud *Prudent.* 2. *Cathemer.* 6. est solis radius. ¶ 6. Figurate de malis, quæ animum pungunt. *Ovid.* 2. *Art. am.* 319. Litore quot conchæ, tot sunt in amore dolores: Quæ patimur, multo spicula felle madent.

SPĪCŬLUS, a, um, adject. (spicum) proprie in modum spici; sumitur autem de eo, qui est in modum spiculi factus. *Tertull. Pudic.* 7. *sub fin.* Non lucernæ spiculo lumine, sed totius solis lancea opus est. *Schioppius* tamen *leg.* spiculi. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SPĪCUM et

SPĪCUS. *V.* SPICA.

SPĪLŪMĔNE, es, f. 1. (σπιλουμένη) maculata: a σπιλόω, maculo. Ita appellat Praxitelis statuam aeneam, quæ sordidam quamdam mulierem repræsentabat, *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (70). Ita *Sillig.*; alii aliter leg.

SPĪNA, æ, f. 1. Videtur vox orta ab eadem radice, a qua spica, unde facta sit pro *spicna*, extrita littera c. — Spina est generatim id, quod acutum est, aculeus (It. *spina*; Fr. *épine*; Hisp. *espina*; Germ. *der Dorn*; Angl. *a thorn, prickle*); sed speciatim occurrit.

I.) Proprie. — *a*) De aculeo sentis, rubi et similium, quo pungimur, natura aut arte facto. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 212. Quid te exempta levat spinis de pluribus una? *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 34. Sæpe creat molles aspera spina rosas. *Propert.* 4. 5. 1. Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum. *Virg.* 5. *Ecl.* 39. spinis surgit paliurus acutis. *Id. Æn.* 594. et *Ovid.* 14. *Met.* 166. Consertum tegumen spinis. *h. e.* illigatum spinis pro fibulis. Sic *Tac. Germ.* 17. Tegumen omnibus sagum, fibula aut, si desit, spina consertum. *Petron. fragm.* Tra-

gur. 69. *Burmann.* Cydonea mala spinis confixa, ut echinos efficerent. *Id. Sat.* 32. *extr.* Spina argentea dentes perfodere. *stuzzicadenti.* — Spinam facere dicitur asparagus, quum percrevit et spinosus fit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 54. (91). In totum spina est asparagus, scorpio. nullum enim folium habet. *Martial.* 13. 21. Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna, Non erit incultis gratior asparagis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Asparagus quum spinam fecerit, collectis seminibus ipsis etc. *Id. De cult. hort.* 240. *de cinara.* Spinisque minantibus horret. *Pallad. de insit.* 139. Hæc arbos spinæ duros mucronibus artus Exuit. — *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum,* apud *Vulgat. interpr. Prov.* 26. 9. h. e. ut ebrius, dum florem aut fructum decerpit, facile manum spina lædit; ita stultus, quum sententiam gravem aut acutam inepte profert, contemptui se exponit. Ita *Weitenauer.* — *b*) De aculeis animantium, ut hystricis, piscium etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantes aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 35. 53. (125). Hystrices generat India et Africa spina contectas. *Id.* 9. *ibid.* 59. 85. (182). Anthiæ (*pisces*) quum unum hamo teneri vident, spinis, quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur. Adde *Ovid. Halieut.* 46. *Id. ibid.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. *a med.* Humus lutulenta vino, spinis cooperta piscium. Cf. *Apul.* 1. *Florid. de Marsya.* Spinis et pilis obsitus. *h. e.* setis.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. In re herbaria *spina* — *a*) Est genus herbæ, quæ spinas fert. Sic *spina alba* apud *Colum.* 7. *R. R.* 7. et *ibid.* 9. et *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 36. (115). et 24. *ibid.* 12. 66. (108).; et absolute *spina* dicitur apud *eumd.* 16. *ibid.* 18. 30. (75)., quæ *rhamnus* a Græcis appellatur. V. *Molin, Flor. poet, p.* 162. *et seqq.* Cf. *Vulgat. interpr. Bar.* 6. 70. — Hæc in nuptiarum facibus auspicatissima fuisse perhibetur, quod iis usi fuerint pastores in Sabinarum raptu: item in coronamentis, uti docet *Plin. ibid.* et 21. *ibid.* 39. 11. (68). Hinc *Ovid.* 6. *Fast.* 129. Sic fatus spinam, qua tristes pellere posset A foribus noxas – hæc erat alba – dedit. Adde *ibid.* 165. et 3. *Art. am.* 68. *V.* integr. loc. — *Spina fullonia* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 45. 92. (244).; *regia* apud *eumd.* 13. *ibid.* 24. 46. (129).; *silvestris,* 17. *ibid.* 10. 14. (75).; *vulgaris,* 24. *ibid.* 13. 68. (111).; *sitiens,* 13. *ibid.* 25. 50. (139).; *mollis,* 27. *ibid.* 8. 39. (61).; *solstitialis* apud *Colum.* 2. *R. R.* 18.; *nigra* in Egypto apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 10. 19. (63).; *Indica* apud *eumd.* 12. *ibid.* 5. 10. (21). Item *spina,* absolute, idem ac paliurus apud *Vulgat. interpr. Prov.* 15. 19. — *De spinis non colligunt ficus,* spinas non facit ficus, proverb. apud *eumd. Luc.* 6. 44., quod Italis est *il pruno non fa melarance.* Similiter *ibid.* De rubo non vindemiant uvam. et *Matth.* 7. 16. Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Quæ in moralem sensum dicta sunt de hominibus, ex quorum operibus cognoscitur intima cujusque bonitas aut malitia. — *b*) Est etiam arbor, et numeratur inter arbores nobiles Dei imperio in solitudine orituras et conjungitur cum cedro. *Id. Is.* 41. 9. Adde *Joel.* 3. 18. ¶ 2. In re anatomica, *spina* est vertebrarum series in dorso animalium, *il fil della schiena, spina dorsale,* a collo ad extremum usque os: quia ipsæ vertebræ processus habent utrinque spinarum similes. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 95. Spina, junctura dorsi, dicta eo quod habeat radiolos acutos, cujus juncturæ spondilia appellantur, propter partem cerebri, quæ fertur per eos longo tractu ad ceteras corporis partes. *Cels.* 8. 1. Caput spina excipit: ea constat ex vertebris quatuor et viginti etc. *Varro* 2. *R. R.* 7. et *Colum.* 6. *R. R.* 29. Equus exiguo capite, lato pectore, spina duplici, ventre substricto etc. Sic *Virg.* 3. *G.* 87. At duplex agitur per lumbos spina. *h. e.* lata. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 68. (178). Cervix spinæ adnectitur, spina lumbis, ossea sed tereti structura, per media foramina a cerebro medulla descendente. *Ovid.* 8. *Met.* 805. pendere putares Pectus et a spinæ tantummodo crate teneri. Adde *Sil. It.* 6. 271. de angue. — *Sacra spina* est ima perpetuæ spinæ, quam Græci ἱερὸν ὀστοῦν vocant, quoniam primum, infante concepto, nascitur; ideoque ex hostia id primum a Gentilibus diis suis dabatur, unde et spina sacra dicitur. Hæc *Isid.* 11. *Orig.* 1. 96. *Fronto* 1. *ad amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 16. Græci ἱερὸν ὀστοῦν, Suetonius Tranquillus spinam sacram appellat. Ego me neque Græcum, neque Latinum vocabulum ullius membri nosse mallem, dum istius doloris expers vitam degerem. *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad ann. a Chr. n. XII. Messala, ulcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit. ¶ 3. In aliis, *spina* est medius Circi tractus, ubi obelisci, simulacra deorum et alia hujusmodi erant; ea porro ita appellata videtur, quia piscium et hominum os medio in dorso productum repræsentat. *V.* AGGER et EURIPUS. *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. Spina (*Circi*) infelicium captivorum sortem designat, ubi duces Romanorum, supra dorsa hostium ambulantes, laborum suorum gaudia perceperunt. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 588. In Circo, in spina: hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt. V. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *p.* 205. *ed. Mediol.* Cf. *Apul.* 2. *Met.* ¶ 4. Est etiam, de navibus, pars in fundo navis, pars infima navis, *spina della nave, chiglia. Pseudo-Tertull. de Jo.* 39. Tunditur hinc illinc, tremit omnis silva sub ictu Fluctifrago, subter concussæ spina carinæ Palpitat antemnæ etc. Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 553. mediisque carina Subdita navigiis spinæ mutatur in usum.

III.) Figurate. ¶ 1. De animi cupiditatibus, curis, dixit *Horat.* 1. *Ep.* 14. 4. Certemus spinas animone fortius, an tu Evellas agro, et melior sit Horatius, an res. *se sia più purgato dai vizi l' animo d'Orazio, o dai triboli il suo podere.* ¶ 2. De subtili pressaque loquendi ratione. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 78. Stoici horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior. *Id.* 4. *Tusc.* 5. 9. Stoici quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt: illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt, spinas partiendi et definiendi prætermittunt. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SPĪNĀLIS, e, adject. (spina) ad spinam pertinens, *spinale,* ut Spinalis medulla, *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. 22., h. e. quæ per spinam dorsi descendit: quæ longum cerebrum a medicis est vocata, quia ab eo derivatur, et usu ac dignitate præcipua est. Adde *eumd. ibid. n.* 24.

SPĪNĔA. *V.* SPIONIA.

SPĪNĔŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* spinea, genus rosæ vilissimum, plurimis sed minutissimis foliis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 6. (16)., ubi *Sillig.* leg. *spiniola.*

SPĪNESCO, is, ere, n. 3. (spina) spinosus fio. *Capell.* 6. *p.* 227. Hanc ego crediderim sentis spinescere membris, Neque hirta crura vellere.

SPĪNĒTUM, i, n. 2. (spina) locus spinis abundans, *luogo piantato di spine, spineto,* ἀκανθών.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Ecl.* 9. Nunc virides etiam occultant spineta lacertos. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (204). Asinus spinetis se scabendi causa atterens. *Seneca* 2. *Ira* 10. Spineta sentesque.

II.) Figurate. *Hieronym. in Helvid. n.* 2. Non dialectorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquirimus. *V.* SPINOSUS.

SPĪNĔUS, a, um, adject. (spina) e spinis factus, *di spine,* ἀκάνθινος. *Ovid.* 2. *Met.* 789. *de Invidia.* baculumque capit, quod spinea totum Vincula cingebant. *Id.* 2. *Fast.* 557. viduæ cessate puellæ. Exspectat puros spinea tæda dies. *Alii minus recte* pinea *legunt.* Nam *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). Spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Massurius. *Solin.* 7. *ad fin.* Perdices spineis fruticibus ac surculis receptus suos vestiunt. — *Spinea corona* apud *Vulgat. interpr. Joh.* 19. 5. et *Tertull. advers. Jud.* 13. dicta, quæ spinis e rubo constaret, ut putat *Clemens Alex. Pædag.* 2. 8.; aut e rhamno, ut alii censent, quæ spina Hierosolymis vulgo nascitur. Cf. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 76.

SPINGA et

SPINGĀTUS. *V.* SPHINX.

SPĪNĬENSIS, e, adject. (spina) ad spinam pertinens: hinc *Spiniensis deus* apud *Augustin.* 4. *Civ. D.* 21. *sub fin.* h. e. spinas ex agris eradicare creditus, aut provenire vetans.

SPĪNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (spina et fero) spinas ferens, *spinoso,* ἀκανθοφόρος. *Pallad. de insit.* 81. Spiniferæ pruni. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 31. Spinifera rubus. Sunt etiam qui leg. apud *Cic. in Arat.* 178. *V.* voc. seq.

SPĪNĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (spina et gero) spinifer. *Cic. in Arat.* 178. Spinigeram subter caudam Pistricis adhæsit. *Alii leg.* spiniferam. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 119. Scissa minutatim labefacto corpore frusta Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.

SPĪNĬŎLA. *V.* SPINEOLA.

SPINNUS, i, m. 2. idem ac regaliolus. *Gloss. Cod. Amplon. Dosith.* ed. *Loewe.* Spinnus: regaliolus. Cf. *Sueton. Cæs.* 81., ubi non *regaviolus,* sed *regaliolus* legend. probat idem *Loewe* in *Gloss. nom. p.* 145. *V.* REGAVIOLUS.

SPĪNŌSĬTAS, ātis, f. 3. (spinosus) conditio ejus, qui spinosus est. *Augustin,* 6. *op. imperf. contra Julian.* 29. Glæbarum spinositas pro corporibus regionibusque variatur.

SPĪNŌSŬLUS, a, um, adject. (spinosus) aliquantum spinosus. Translate *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 2. Primum spinosulus noster obmutuit, postea vero etc. *V.* voc. seq.

SPĪNŌSUS, a, um, adject. (spina) Comp. *Spinosior* I. et II. *b*; Sup. *Spinosissimus* II. *b.* — Spinosus est spinis abundans, ἀκανθώδης (It. *spinoso;* Fr. *épineux, couvert d'épines;* Hisp. *espinoso;* Germ. *voll Dornen, dornigt;* Angl. *full of thorns, pryckly*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 3. *a med.* Capræ in spinosis locis pascuntur. *Ovid.* 2. *Met.* 810. quum spinosis ignis supponitur herbis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (101). Spinosa frutecta. *Id.* 20. *ibid.* 23. 99. (262). folia. *Id.* 19. *ibid.* 3. 17. (47). caulis. *Id.* 12. *ibid.* 15. 34. (67). Cortex scaber et spinosus. *Id.* 24. *ibid.* 12. 67. (109). Spinosior arbor. *Cels.* 8. 9. *sub fin.* Si quid ex vertebra fractum est, punctiones in ea sentiuntur, quia necesse est, ea fragmenta spinosa esse. Cf. *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 126.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Catull.* 64. 71. Ah misera, assiduis quam luctibus externavit Spinosas Erycina serens in pectore curas! *h. e.* quæ animum pungunt et lacerant. — *b*) Speciatim dicitur de subtili ac presso loquendi genere: atque adeo duro, difficili, aspero, injucundo: cui opponitur copiosum, fusum, uber. *Cic.* 1. *Orat.* 18. *ad fin.* Hæc erat spinosa quædam et exilis oratio longeque a nostris sensibus abhorrebat. *Id.* 3. *Fin.* 1. *a med.* Stoicorum non ignoras, quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus. *Id.* 1. *Tusc.* 8. *a med.* Uberius ista, quæso. hæc enim spinosiora prius, ut confitear, me cogunt, quam ut assentiar. *Id. Orat.* 32. *a med.* Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi: et postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. *Varro* 8. *L. L.* 51. *Müll.* De hoc genere parcius tetigi, quod librarios hæc spinosiora indulgentius elaturos putavi. *Augustin.* 2. *Doctr. Chr.* 37. Præceptorum nodosissimæ et spinosissimæ disciplinæ.

SPINTER *vel* spinther, ēris, n. 3. σφιγκτήρ, anulus, quod, ut videtur, a σφίγγω, stringo (It. *braccialetto;* Fr. *bracelet, spinthère;* Hisp. *brazalete, manilla;* Germ. *der Armband;* Angl.

a bracelet). *Fest. p.* 333. 6. *Müll.* Spinther vocabatur armillæ genus, quod mulieres antiquæ gerere solebant brachio summo sinistro. *Plaut. Men.* 3. 3. 4. Jubeasque spinther novum reconcinnarier. *Id. ibid.* 7. Scin quod hoc sit spinther? MEN. nescio, nisi aureum. Adde *Priscian.* 5. *p.* 646. *Putsch.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Differunt *spinter* et *armilla* eo quod, ut monet *Fest. loc. cit.*, spinter est armillæ species, qua mulieres utebantur brachio summo sinistro; armillæ vero sunt proprie, quas in utroque brachio gerebant. Cf. Gr. *ψέλια* et *κλάνια*.

SPINTRĬA *vel* spinthria, æ, m. 1. (spinter) repertor monstrosæ libidinis novique concubitus: a *σπινθήρ*, scintilla, igniculus, nempe a monstrosarum libidinum ardore: vel potius a *σφιγκτήρ*, anulus, podex, qua parte tres vel quinque vel plures exoleti sibi invicem juncti libidinari solebant (*V.* SPINTHER). Hoc concubitus genus describit etiam *Auson. Epigr.* 119. Cf. *Manil.* 12. 43. Sunt illic Veneris novæ figuræ, quales perditus audeat etc. *Anthol. Gr. T.* 2. *p.* 451. *Σφιγκτὴρ οὐκ ἔστιν παρὰ παρθένῳ.* *et mox.* *Ψυχροῦνται δ' ὄπιθεν* etc. *Tac.* 6. *Ann.* 1. Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum, ex fœditate loci èt multiplici patientia. *h. e.* ex fœditate podicis, quo invicem nectebantur: hi autem sellarii dicuntur, quia pædiconibus suis, tamquam essent sellaria jumenta, sellæ usum quoadammodo præbebant (*V.* SELLARIUS); et ex mutua connexione plurium adulescentulorum, qui se invicem coram Tiberio incestari patiebantur. Hinc *Sueton. Tib.* 43. Monstrosi concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso. *Id. Cal.* 16. Spintrias monstruosarum libidinum ægre ne profundo mergeret, exoratus, Urbe submovit. *Id. Vitell.* 3. *extr.* Pueritiam primamque adulescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo spintriæ cognomine notatus. *Lamprid. Elagab.* 33. Libidinum genera quædam invenit, ut spinthrias veterum malorum vinceret, et omnes apparatus Tiberii et Caligulæ et Neronis norat.

SPINTURNĪCĬUM, ĭi, n. 2. *deminut. a* spinturnix, genus avis deformis et inauspicatæ, *spinturnicio.* De homine probroso. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 42. Pithecium hæc est præ illa et spinturnicium.

SPINTURNIX *vel* spintyrnix, ïcis, f. 3. avis genus turpis figuræ (occursatrix artificum, perdita spinturnix). Ea Græce dicitur, ut ait Santra, *σπινθαρίς*. Hæc *Festus p.* 330. 34. et 333. 1. *Müll.*; verba autem uncis inclusa sunt veteris poetæ, cujus nomen intercidit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 13. 17. (36). *de incendiaria avi.* Alii spinturnicem eam vocant: sed hæc ipsa, quæ esset inter aves, qui se scire diceret, non inveni.

SPINTYRNIX. *V.* voc. præced.

SPĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* spina. ¶ 1. Est igitur proprie exigua spina, *piccola spina, spinola. Arnob.* 2. *p.* 49. Inhærentem spinulam callo sanare. ¶ 2. Est etiam vertebrarum series in hominis dorso. *V.* SPINA. *Apul.* 10. *Met.* Longe suavior Venus placide commoveri cunctantique lente vestigio et leviter fluctuante spinula et sensim annutante capite cœpit incedere.

SPĪNŬLENTUS, a, um, adject. (spina) spinosus. *Solin.* 46. *de arbore Medica.* Ingens ipsa et cui tale ferme, quale unedonibus folium est: tantum eo differt, quod spinulentis fastigiis hispida turgescat. *Alii leg.* spinosis.

SPĪNUS, i, f. 2. Ad *Virg.* 4. *G.* 145. Eduramque pirum et spinos jam pruna ferentes. *Servius* ait esse, qui pruna fert generis masculini: quem penes sit fides. Certe *Charis.* 1. *p.* 117. *Putsch.* femininum agnoscit, *ab hac spino.* idemque docet, si sit quartæ declinationis, *ab hac spinu.* affertque hæc *Varronis* verba: In Asia fax ex spinu alba præfertur: quod purgationis causa adhibetur. — Spinus est arbor silvestris spinosa (*Prunus spinosa* Linn.), non unius generis; est enim sterilis: est et baccas ferens gustu asperas, etiam quum maturuere: item pruna. *Pallad. de insit.* 63. Et steriles spinos et inertem fetibus ornum. Adde *Virg. loc. cit.*

SPĪNUS, us. *V.* voc. præced.

SPIONĬA, æ, f. 1. genus vitis et uvæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (34). Æstum fert spionia, quam quidam spineam vocant auctumnisque et imbribus pinguescit. quin immo nebulis una alitur: ob id Ravennati agro peculiaris. *Colum.* 3. *R. R.* 2. *a med.* Spionia dapsilis musto et amplitudine magis uvarum, quam numero, fertilis. Adde *ibid.* 7. *et* 21.

SPIONĬCUS, a, um, adject. (spionia) ad spioniam pertinens, ut Spionicus gustus, apud *Colum.* 3. *R. R.* 21., h. e. ipsum vinum spioniæ.

SPĪRA, æ, f. 1. *σπεῖρα*, universim est linea flexuosa faciens orbes non redeuntes in se: revolutio, sive circulus, qui in se ipsum non recurrit; quamquam de circulo absolute usurpat *Manil.* 1. 581. Ingenti spira totum præcingit Olympum. Cf. SPHÆRA. De variis rebus dicitur. *Fest. p.* 330. 15. *Müll.* Spira dicitur et basis columnæ unius tori aut duorum: et genus operis pistorii: et funis nauticus in orbem convolutus: ab eadem omnes similitudine. Pacuvius: Quid cessatis, socii, ejicere spiras sparteas? Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, quum ait: Spiras legionibu' nexunt. Hæc *Festus.* — Spira speciatim

A) Occurrit ¶ 1. De sinuosis anguium flexibus. *Virg.* 2. *G.* 154. Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id.* 2. *Æn.* 217. spirisque ligant ingentibus. Simile est illud *Lactant. Opif. D.* 11. *a med.* Intestinorum multiplices spiræ ac longitudo in se convoluta. ¶ 2. De arborum venis et nodis in orbem convolutis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (198). Publicum omnium vitium vocant spiras, ubi convolvere se venæ atque nodi. *rebuffi* dicuntur vulgo a nostris fabris lignariis, molestiores difficilioresque tractatu, quam nodi. ¶ 3. De basi, seu potius parte basis columnæ, inter plinthum et imum scapum, quæ constat uno aut duobus toris (ut ait *Festus*), qui Italice *tondini, bottaccini, bastoncini* appellantur (*V.* SPIRULA). — Item de ima parte stylobatæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 56. (179). In Ephesiæ Dianæ æde primum columnis spiræ subditæ et capitula addita. placuitque altitudinis octava pars in crassitudine, et ut spiræ haberent crassitudinis dimidium, septimæque partes detraherentur summarum crassitudini. Adde *Vitruv.* 3. 3., 4. 1. *et* 7. et 5. 9. ¶ 4. De quodam genere operis pistorii. *Cato R. R.* 77. Spiram sic facito, quantum voles, pro ratione, ita uti placenta fit, eadem omnino facito etc. *ciambella.* ¶ 5. De fasciis galeri sub mento stringi solitis. *Juvenal.* 8. 206. de faucibus aurea quum se Porrigat, et longo jactetur spira galero. ¶ 6. Item de muliebri capilli ornamento, *trecce. Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (117). Lolliam Paulinam, quæ fuit Caji principis matrona, nec serio quidem aut sollemni cærimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cena, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spira, auribus, collo, manibus digitisque. *Val. Flacc.* 6. 396. Ægida tum primum virgo spiramque Medusæ Tercentum sævis squalentem sustulis hydris. ¶ 7. Aliam vocis significationem *V.* in SPIRAMEN in fin.

B) Est, ut Græcorum *σπεῖρα*, cohors seu aliqua hominum multitudo: fortasse ex eo, quod in orbem milites moverentur. Hinc *Ennius* apud *Fest. loc. cit.* spiras legionibu' nexunt. *Inscript.* mendosa apud *Fabrett. p.* 533. *n.* 385. (*Orelli n.* 2359.), emendata apud *Marin. Frat. Arv. p.* 556. FLA. PROCLA CAL. ET SPIRA PRO SALV. AVGG. NN. M. AVR. SABINVS D. D. SVPPL. C. IVL. CALOCAERO IEROF. *h. e.* Flavia Procla Calocœri (*uxor*) et spira (*scil.* cohors initiatorum Bacchi) pro salute Augustorum nostrorum, M. Aur. Sabinus dono dederunt, supplicante C. Jul. Calocæro hierophanta. Aliter tamen *Cardinali, Iscr. Vel. p.* 51. *Alia* apud *Marin. loc. cit.* PRO SALVTE DD. NN. IMPP. SEVERI ET ANTONINI AVGG. SACRARIVM DEI LIBERI CVM AEDICVLA ET COLVMNIS SVIS DONVM DEDERVNT SPIRAE. *Alia* apud *Murat.* 1095. 1. LIBERO PATRI SPIRA VLVBRANA D. S. P. F. *h. e.* de sua pecunia fecit. Adde *aliam* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 94. *n.* 47. et *p.* 375. *n.* 131.

SPĪRĀBĬLIS, e, adject. (spiro) ¶ 1. Est flabilis, qui spirat aut spirare potest, *spirabile, ἔμπνευστος. Cic.* 2. *Nat. D.* 36. 91. Terra circumfusa undique hac animali spirabilique natura, cui nomen est aer. *Id.* 1. *Tusc.* 17. *ad fin.* Animos, quum e corpore excesserint, sive illi sint animales, idest spirabiles, sive ignei, sublime ferri. *et ibid.* 29. Natura mentis ignea aut spirabilis. — ¶ 2. Est etiam qui spirationi vitæque inservit. *Virg.* 3. *Æn.* 600. per sidera testor, Per superos atque hoc cæli spirabile lumen. ¶ 3. Et ad spiritum reddendum et recipiendum idoneus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (17). Quoniam et pulmonum vice aliis possunt alia spirabilia inesse viscera. *Nemesian. Cyneg.* 255. *de cornipedibus,* terribiles, spirabile flumen, anheli Provolvunt flatus.

SPĪRĀCŬLUM, i, n. 2. (spiro) spiramentum, locus, per quem aer aut odor exspiratur aut exhalat, *ἀναφύσημα, ἀναπνοή* (It. *spiraglio, spiracolo;* Fr. *soupirail, ouverture;* Hisp. *cercera, abertura;* Germ. *Luftloch, Dunstloch;* Angl. *a breathing-hole, spiracle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 7. *Æn.* 568. Hic specus horrendum, sævi spiracula Ditis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 95. Spiracula vocant, alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. *Solin.* 7. In Laconica spiraculum est Tænaron. *Val. Flacc.* 3. 553. nitidi spiracula fontis. *sorgente, sorgiva:* locus, ex quo fons erumpit. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. *ad fin.* Apes inclusas per triduum tenebimus, et exigua tantum spiracula relinquemus in cella. *Id.* 11. *ibid.* 14. *ad fin.* Relicto brevi foramine (*in dolio*), quo æstuantia vina suspirent, sed exemptis quadraginta diebus, et hoc spiraculum claudis. ¶ 2. Speciatim est spiritus, quo homo non solum vivit sed et intelligit et sui juris est. *Vulgat. interpr. Gen.* 2. 7. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.

II.) Translate est inspiratio divina, *ispirazione. Juvenc.* 1. 115. Mox etiam assuetam penetrant spiracula mentem. *h. e.* dona prophetiæ.

SPĪRÆA, æ, f. 1. *σπειραία*, herba, cujus folia coronamentis apta sunt; quidam eamdem esse putant ac illam, quam viburnum *Matthiolus* vocat (*Viburnum Opulus* Linn.) *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 29. (53). An *Spiræa salicifolia* Linn.? Cf. cl. *Fée, Op. cit. T.* 3. *p.* 32.

SPĪRĀMEN, minis, n. 3. (spiro) ¶ 1. Est spiraculum, spiramentum, *spiraglio. Enn.* apud *Priscian.* 6. *p.* 692. *Putsch.* Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas. *Alii leg.* spiracula. *Lucan.* 6. 90. tali spiramine Nesis Emittit Stygium nebulosis aera saxis. *et* 10. 247. sunt qui spiramina terris Esse putent magnosque cavæ compagis hiatus. — *Lucan.* 2. 183. Hic aures, alius spiramina naris aduncæ Amputat. *canale della respirazione, narici.* ¶ 2. Item spiratio, spiritus. *Ammian.* 17. 7. *a med.* Plerumque observatur, terra tremente, ventorum apud nos spiramina nulla sentiri. *Id.* 20. 11. 26. Halitus terræ calidiores et humoris spiramina conglobata in nubes. *esalazioni.* et *Claudian. Edyll.* 5. 36. Ille lacessitus longo spiraminis actu Arcanis trabitur gemma de conjuge nodis. *Stat.* 12. *Theb.* 268. Reficere spiramina fessi ignis. *h. e.* instaurare ignem pæne exstinctum insufflando. ¶ 3. Item aspiratio quævis in littera H pronuncianda, *spirito aspro. Terentian. De syllab. p.* 2400. *Putsch.* Una nam spiramen addit omnibus vocalibus, *Hasta* quando et *Hedera* dicis, *Hister, Hospes* atque *Humus.* ¶ 4. De Spiritu Sancto dixit *Rustic. Helpid. carm.* 77. Quæ (*Filius*) genuit cum Patre et cum Spiramine Sancto. Cf. *Juvenc.* 1. 244. — *NB.* In *Glossar. nov. Latin.* ed. *Rom.* 1834. *spiremen* occurrit pro *spira* ex *Schol.* MS. ad *Sedul.* 2. 147. Spiras dicimus

replicationes funium in navibus. Hinc spiramina vocantur revolutiones novem mensium.

SPĪRĀMENTUM, i, n. 2. (spiro) idem quod spiraculum, spiramen, *spiraglio, spiracolo*.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 1. *G.* 90. Seu plures calor ille vias, et cæca relaxat Spiramenta novas veniat qua sucus in herbas. *et* 4. *ibid.* 38. *de apib.* In tectis certatim tenuia cera Spiramenta linunt. *fessure, pertugi.* et *Justin.* 4. 1. 6. de *Ætna*. Ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *a med.* Omnes parvulos aditus et reliqua spiramenta talparum diligenter obstruere. *Virg.* 9. *Æn.* 579. abditaque intus Spiramenta animæ letali vulnere rumpit. *h. e.* pulmones. Simile est illud *Ovid.* 15. *Met.* 342. Nam sive est animal tellus, et vivit, habetque Spiramenta locis flammam exhalantia multis etc. *h. e.* pulmones, os, nares. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 42. (123). et 34. *ibid.* 17. 49. (165). Laxare spiramenta. *Id.* 12. *ibid.* 3. 7. (16). Dare per cavernas radicibus spiramentum. *Id.* 15. *ibid.* 17. 18. (60). Cotoneis in concluso spiramentum omne adimendum. *levare ogni aria o respiro.* ¶ 2. Speciatim in re medica *spiramenta* sunt carnium interstitia in animali, per quod spiratio fit. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 105. Penetrans humor singula quæque spiramenta possederit. *Id.* 1. *ibid.* 4. 109. Si medicamen transvorationis ceperit partes, quo spiramenta obstruere videatur, *sc.* guttur et laringem. ¶ 3. Item spiratio, *corrente d' aria o sfiatatojo. Vitruv.* 7. 4. Spiramentum et perflatus venti. *V.* CONCEPTACULUM. ¶ 4. Est etiam odor, halitus. *Macrob.* 1. *Saturn. præf. a med.* Ut qui odora pigmenta conficiunt, ante omnia curant, ut nullius sint odoris propria, quæ condientur, confusura (*alii leg.* confusuri) videlicet omnium odoraminum in spiramentum unum.

II.) Translate. *Tac. Agric.* 44. *extr.* Evasit illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit. *h. e.* quædam veluti spatia, pausæ (Germ. *Ruhepuncte*). et *Ammian.* 29. 1. *a med.* Sumptum est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium, dum quæritur, an sumi deberet. *senza respiro o ritardo.*

SPĪRANS, antis, particip. *V.* SPIRO.

SPĪRARCHES, æ, m. 1. σπειράρχης, qui spiræ præest, vel chorum ducit. *V.* SPIRA. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 676. *n.* 29. (*Orell.* 2358.) FONTIVS DADVCHVS SPIRARCHES LIBERI PATRIS STIBADIVM *constitvit* LOCO *suo*. Alia *ibid. n.* 30. ACHILLEVS SPIRARCHES LIBERI PATRIS STIBADIVM CONSTITVIT LOCO SVO.

SPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (spiro)

I.) Proprie est actus spirandi, *il respirare, respirazione, respiro. Scribon. Compos.* 47. Nec spiratio interpelletur. *Id. ibid.* 180. Opium spirationem impedit. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 14. 91. Spiratio difficilis. δύσπνοια. *et ibid.* 92. circumdolens atque frequens et obtusa. *et ibid.* 93. celerrima. *Id.* 3. *ibid.* 17. 141. hirta. *Id.* 2. *ibid.* 35. 184. præfocabilis. *Id.* 1. *ibid.* 6. 50. ordinata. *Id.* 2. *ibid.* 37. 192. naturalis. *et mox.* Spirationem facilem ægrotantibus facere valent.

II.) Metonymice pro ipso halitu, *alito, fiato, Id. ibid.* 185. et 197. Odor spirationis. *l' odore del fiato.*

SPĪRĀTUS, us, m. 4. (spiro) facultas spirandi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 3. 2. (6). Arcente spiratum densitate et altitudine humoris. Recentiores tamen ex optim. Codd. leg. *spiritum.*

SPĪRILLUM, i, n. 2. Ita vocari ait Opilius Aurelius capræ barbam. *Fest. p.* 330. 33. *Müll.* Adde *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 331. 12. *Glossæ* tamen hab. *stirillum, sterillum:* utra forma vera? *V.* adnot. ad *h. v.* in *Prodr. Gloss. Loewe p.* 18. – Alio nomine *aruncus* dicitur. *V.* hanc voc.

SPĪRĬTA. *V.* SPIRITUS.

SPĪRĬTĀBĬLIS, e, adject. (spiro) *Servius* ad illud *Virg.* 3. *Æn.* 600. cæli spirabile lumen: vult nos credere, *Ciceronem* in libris de Deorum natura dixisse *spiritabilis* pro *spirabilis.*

SPĪRĬTĀLIS *vel* spiritualis, e, adject. (spiritus) Legitur et *spiritualis,* quod quidem grammaticis magis placet, quum sit a *spiritus: verum* antiquis monumentis non satis confirmatur. Ita *Forcellinus.* Sane legitur apud scriptores Ecclesiasticos sequioris ac labentis Latinitatis. Ceterum *Quicherat* ait, non facile quidem dictu esse, utrum auctores hoc vel illo loco scripserint, sed alterutrum eligere licere. — Spiritalis ¶ 1. Est qui pertinet ad spiritum, qua flatus est, aer, ventus, πνευματικός (It. *da fiato;* Fr. *qui appartient à l'air;* Hisp. *lo que pertenece al ayre;* Germ. *zu Luft gehörig;* Angl. *of or pertaining to air or wind*). *Vitruv.* 10. 1. Machinarum est unum genus scansorium, quod Græce ἀκροβατικόν dicitur: alterum spiritale, quod apud eos πνευματικόν appellatur: tertium tractorium: id autem Greci βάναυσον vocant. *et mox.* Spiritale est, quum spiritus expressionibus impulsus et plagæ vocesque ὀργανικῶς exprimuntur. *Veget.* 3. *Veterin.* 76. Spiritales partes pulmonis. *Lactant. Opif. D.* 11. Spiritalis fistula. *h. e.* aspera arteria, per quam spiritus meat. *Arnob.* 3. *p.* 108. Arteriæ spiritales. — *Litteræ spiritales* dicuntur Grammaticis C, P, T, quia his H littera subjecta inserit spiritum, ut *Chiron, Philon, Thoas. Mar. Victorin. Art. gram.* 1. *p.* 7. 9. *Keil.* Cf. *ibid.* 22., ubi litteræ illæ definiuntur *consonantes mutæ spiritales.* ¶ 2. Est pertinens ad spiritum, qua corpori et materiæ opponitur (It. *spirituale;* Fr. *spirituel;* Hisp. *espiritual;* Germ. *geistig;* Angl. *spiritual*). — 1.°) Generatim. — *a*) Universim. *Solin.* 23. *sub fin.* In corporibus nostris commercia sunt spiritalia. *Tertull. Apolog.* 22. Dicimus, esse substantias quasdam spiritales. — *b*) *Spiritalis faba* dicta, ut scribit *Porphyrion* ad illud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 63., *faba Pythagoræ cognata,* quia traditur inflare præcordia, quo argumento Pythagoras spiritalem asseverans velut a cognata abstinebat. Sunt tamen qui docent, Pythagoram a faba, velut a cognata, abstinuisse eo, quod putaret, animam patris sui aut consanguinei alicujus per metempsychosin in fabam transisse. — c) *Spiritalia nomina* sunt, quæ dicimus abstracta. *Anecd. Helv. p.* XLIII. *Hag.* Communiter ad rem conjungis scilicet spiritalem, quæ corpus esse non potest, ut dicitur justitia pietas dignitas – omnia spiritalia nomina numquam proprium, semper appellativum habent. — 2.°) Speciatim apud Ecclesiasticos scriptores, dicitur — *a*) De angelis bonis atque malis, quibus homines opponuntur, qui spiritu constant et corpore. *Tertull. Apolog.* 22. Malitia spiritalis. *h. e.* dæmonum. Sic *mox.* Spiritales vires. — *b*) In hominibus occurrit de eo, quod ad spiritum humanum pertinet, speciatim de gratia divina, qua homo afficitur, aut de Spiritu Sancto, a quo hæc gratia derivatur, aut de aliis in sensum theologicum vel ethicum sumptis. *Tertull. Monog.* 1. Quos spiritales merito dici facit agnitio spiritalium charismatum. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 13. si superno rore respergas jecur Et spiritali lacte pectus irriges. *Cyprian.* 2. *Ep.* 6. *de martyr.* Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen Dei, certamen spiritale, prœlium Christi etc. *Vulgat. interpr. Rom.* 1. 11. Spiritualis gratia. *Id. Eph.* 1. 3. benedictio. *Id.* 1. *Cor.* 10. 3. esca. *h. e.* prodigiosa et præcipue figuram rei longe excellentioris vereque spiritualis referens. *Id. ibid.* 15. 44. corpus. *h. e.* post resurrectionem dotibus beatorum insignitum et prope ad ea, quæ sunt spiritus, redactum, vel cui spiritus omnino dominatur. *Id. ibid.* 2. 15. homo. *h. e.* qui doctrinæ a Deo revelatæ rationem suam subjicit. cui opponitur *animalis,* h. e. qui rationem suam infirmam sequitur ac fidei subesse detrectat. — Hinc

Spiritalia vel *spiritualia, ium,* n. plur. 3. absolute, res spirituales. — *a*) De angelis malis. *Vulgat. interpr. Eph.* 6. 12. Spiritualia nequitiæ. *sc.,* per Hebraismum, spiritus nequissimi. (V. *Rönsch, Itala p.* 104.) — *b*) De aliis sensu theologico. *Ambros.* 4. *in Luc.* 7. Spiritualibus nudus (*Adam*) arboreis se texit exuviis. *Id. De fug. sæc.* 2. *n.* 15. Spiritalia quærere. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 9. 11. seminare *Id. ibid.* 14. 1. æmulari. *Hieronym.* 3. *in Jer.* Scientibus spiritualia esse quæ dicuntur, et tamen ista spiritualia quomodo disseri debeant, ignorantibus.

SPĪRĬTĀLĬTAS *vel* spiritualitas, ātis, f. 3. (spiritalis) natura spiritalis. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 8. *a med.* Vides, Apostolum et in distributione facienda unius spiritus, et in spiritalitate interpretanda prophetæ conspirantem. *Alii minus recte pro* spiritalitate *leg.* specialitate. *Alcim. Ep.* 12. Ostendistis, quanta spiritalitate vos exercere delectet.

SPĪRĬTĀLĬTER *vel* spiritualiter, adverb. (spiritalis) secundum spiritum. *Tertull. Baptism.* 4. *extr.* Caro spiritaliter mundatur. *Cyprian. Ep.* 63. Veritatis disciplina subvertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur, fideliter reservetur. *Cassiod.* 11. *Variar.* 2. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem. Adde *Vulgat. interpr. Apoc.* 11. 8. — *Ambros. Serm.* 28. De quo strato spiritualiter ad paralyticum dictum est a Domino. *Hieronym. præf. in Ep. Is.* Unde post historiæ veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia. *et Ep. Dardan.* Hoc totum figuraliter et spiritualiter Christi evangelium significat. In his locis *spiritualiter* idem est ac figuraliter, per figuram, sensu spirituali seu mystico vel allegorico.

SPĪRĬTŬĀLIS et
SPĪRĬTŬĀLĬTAS et
SPĪRĬTŬĀLĬTER. *V.* SPIRITALIS etc.

SPĪRĬTUM. *V.* voc. seq.

SPĪRĬTUS, us, m. 4. (spiro) — *a*) Ad scribendi rationem quod attinet, etiam *spirituus* cum duplici *u* pro *spiritus* legitur in monum. archaicæ ætatis. Cf. *Detlefsen* in *Symb. Philol. Bonn.* 712. et *Brambach, op. cit. p.* 131. — Corrupte *hispiritus* vel *ispiritus* occurrit in *Inscriptt. Chr.*, ut videre est in *Giorn. Arcad. T.* 32. *p.* 95., et *Inscr.* apud *Boldetti* in *Osserv. p.* 419. et *Fabretti* in *Gloss. Ital. p.* 684. Item *spirtus* in *Inscr.* apud *Le Blant, Inscr. Chrêt. de la Gaul. n.* 583. V. *loc. Sedul.* infra *cit.* — *b*) Etiam forma *spiritus, i,* masc. 2. legitur in *Inscr.* apud *Gruter.* 563. 7. et *Orell. n.* 3030. et apud *Vulgat. interpr. Ital. Marc.* 1. 25. — Item *spiritum,* apud *Act.* 16. 7. et in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 1686. Et *spirita* in *Inscr.* apud *De Rossi, Inscr. Crist.* 17. — c) De quantitate primæ syllabæ dicendum, veteres hanc producere solitos fuisse, ut in *spiro;* sed sequiores Latini eam aliquando corripuerunt. *Sedul. hymn.* 1. *in fin.* Cum Sancto Spiritu gloria magna Patri. *Beda de metr. p.* 2374. *Putsch.* ita eum excusat. Ut gloriam, inquit, Sanctæ et Individuæ Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticæ dispositionis. *Alii leg.* Spirtu. Adde tamen *Prudent.* 10. *Cathemer.* 8. — Item *Sedul.* 2. *carm. Pasch.* 239. contra leges metricas corripuit ultimam natura longam in *spiritus* plur. num. — *d*) In tertio casu singulari et secundo plur. qui usurpaverit, vix fortasse invenies, inquit *Forcellinus;* sed hoc apud veteres, legitur namque passim *spiritui* apud *Vulgat. interpr.* (*Act.* 5. 3., 6. 10. etc.) aliosque Ecclesiasticos scriptores. Etiam *spiritu* pro *spiritui* apud *Virgil.* in *Virg.* 4. *G.* 158. 198. et *Vulgat. interpr. Ital. Eccli.* 25. 1. In tribus placitum est spiritu meo. — Genet. plur. *spirituum* apud *Priscian. de vent.* (*Rose Anecd.* 2, *p.* 53. 10.); Dat. et Abl. plur. *spiritibus* apud *Augustin. Serm.* 216. et *Vulgat. interpr. Luc.* 6. 18., 7. 21. etc. — Spiritus duo præcipue significat.

A) Est universim aer, ventus, ἄνεμος (It. *aria, vento;* Fr. *air, vent;* Hisp. *ayre, viento;* Germ. *Luft;* Angl. *air, wind*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 13. *extr.* Vehementior spiritus, ventus est; leviter fluens, aer. *Virg.* 12. *Æn.* 465. velut Edoni Boreæ quum spiritus alto Insonat Ægæo. *Colum.* 3. *R. R.* 19. *ad fin.* Præstat eligere sationi silentis vel certe placidi spiritus diem. *Varro* 1. *R. R.* 57. Quo spiritus non pervenit, ibi non oritur curculio. *Cic. Arat.*

184. permulcet aram flatu spiritus Austri. *Pallad.* 8. *R. R.* 9. Plerumque terra sulfur, alumen, bitumen educit, quorum spiritus mixti anhelitum pestis exhalant. *Id.* 1. 3. Noxius cæli spiritus. *aria cattiva.* Sic 1. *ibid.* 35. Spiritus nocens. *Cels.* 2. 7. *ante med.* Alvus cum multo spiritu redditur. *h. e.* pedito. Cf. *Ammian.* 23. 5. 14. Acrioris spiritus cursus. *et* 19. 4. 8. Exiguis imbribus disjecto concreto spiritu et crassato. *grandine.* ¶ 2. Speciatim dicitur de aere leniter fluenti, aura, ventulo. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Æstatis mira clementia. semper aer spiritu aliquo movetur: frequentius tamen auras, quam ventos habet. ¶ 3. Item de aere spirabili et vitali. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 5. 4. (10). Spiritus, quem Græci nostrique eodem vocabulo aera appellant. *Cic. Rosc. Am.* 26. 72. Quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus? *Id.* 1. *Cat.* 6. 15. Potestne tibi hujus vitæ hæc lux aut hujus cæli spiritus esse jucundus? *Quintil.* 12. 11. *ante med.* Aqua piscibus, circumfusus nobis spiritus volucribus convenit. *Cels.* 5. 26. Fertur spiritus cum sono ex plaga. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Aquæ nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. *Ammian.* 20. 3. 12. Terra spiritus cujusdam interni motu suspensa. ¶ 4. Item de aere, quem spiramus, halitu, πνεῦμα, *fiato, respiro, alito.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. *extr.* Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. *Crass.* apud *Cic.* 1. *Orat.* 1. *extr.* Vel evulsa lingua, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Colum.* 6. *R. R.* 9. Longior et cum quodam impedimento tractus spiritus. *Virg.* 3. *G.* 505. attractus ab alto Spiritus: interdum gemitu gravis. *Tibull.* 1. 9. 57. Lenem spiritum agere. *respirare leggermente.* et *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Spiritum crebro recipere. *et ibid.* trahere. *et ibid.* colligere. *et ibid.* cum stridore per raritatem dentium non recipere, sed resorbere. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Longissima est complexio verborum, quæ volvi uno spiritu potest. *in un fiato.* Sic 1. *ibid.* 61. 261. Multos versus uno spiritu pronunciare. *Id. Partit.* 6. *a med.* Oratio sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto. *Horat.* 3. *Od.* 11. 19. Spiritus teter saniesque manet Ore trilingui. *alito fetente.* et *Cic.* 1. *Invent.* 46. 86. Spiritum ducere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (33). præcludere. *Cels.* 7. 12. retinere. *Curt.* 9. 5. 30. Unius spiritu vivere. *Cels.* 4. 4. Nec nisi recta cervice spiritus trahatur. *Seneca* 1. *Clem.* 4. Spiritus vitalis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 41. 117. vitalis et salutaris. *Vitruv.* 8. *præf.* animalis. *Cic. Senect.* 9. 27. Usque ad extremum spiritum. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 96. Extremo spiritu ludere. *Id.* 7. *Verr.* 45. 117. Extremum spiritum alicujus excipere. *Seneca* 3. *Ira* 19. Ultimum spiritum trahere. *Vellej.* 2. 14. 2. reddere. *Curt.* 9. 5. 12. Antequam ultimus spiritus deficeret. *Id.* 7. 5. 15. Spiritu intercluso exstingui. *Id.* 3. 6. 10. Spiritus ex te pependit, ore tuo trahitur. ¶ 5. Item aliquando est aer vaporibus affectus, seu odor, qui aere diffunditur. *Lucret.* 3. 223. Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. *Cels.* 5. 26. *sub fin.* Spiritus fœdi odoris. *Gell.* 9. 4. *a med.* Gens spiritu florum naribus hausto victitans. *Pallad. Aug.* 9. Spiritus sulfuris.

II.) Translate. ¶ 1. Est facultas respirandi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Aspera arteria ad pulmones usque pertinet, excipitque animam eam, quæ ducta est spiritu. *et ibid.* 55. *a med.* Spiritu in pulmones anima ducitur: ea calescit ab eo spiritu. *Id.* 1. *Orat.* 61. *ad fin. de Demosth.* Quum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut etc. *strettezza di petto.* et *Ovid.* 12. *Met.* 516. super ora caputque Crevit onus, neque habet, quas ducat, spiritus auras. *Lucret.* 6. 1186. Spiritus creber aut ingens raroque coortus. *Quintil.* 11. 3. 32. brevis. *Id. ibid.* 53. longus. et 54. longissimus. *Cic.* 7. *Verr.* 8. 23. liber. Cf. 1. 4. ¶ 2. Hinc etiam vita, quæ in respirando videtur consistere, *vita.* *Id.* 10. *Phil.* 10. 20. Non est viri, dubitare, eum spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere. *Id.* 7. *Verr.* 45. 118. Ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus auferatur. *Vellej.* 2. 22. 2. *et ibid.* 87. 1. Cleopatra illata aspide, morsu ejus spiritum reddit. *spirò.* *et ibid.* Privare aliquem spiritu. *uccidere.* et *Seneca Troad.* 328. Spiritum alicui eripere. *Virg.* 4. *Æn.* 336. dum spiritus hos regit artus. *Ovid. Heroid.* 12. 85. Spiritus vanescit in auras. ¶ 3. Apud Poetas est suspiritus, suspirium. *Propert.* 1. 16. 32. Surget et invitis spiritus in lacrimis. Cf. *Gell.* 12. 5. *Horat. Epod.* 11. 10. conviviorum et pœnitet, In queis amantem et languor et silentium Arguit et latere petitus imo spiritus. Adde *Propert.* 2. 29. 38. ¶ 4. Hinc et sonus vocis, qui spiritu editur. *Quintil.* 11. 3. 55. Spiritus non tamen firmæ intentionis ideoque tremulus. *Gell.* 12. 5. Spiritus et anhelitus e pectore ejus evadere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam adversum dolorem. Cf. *Quintil.* 1. 11. 7. et *Cic. Partit.* 6. *a med.* — *Virg. Cul.* 180. *de angue.* Spiritibus rumpit fauces. *h. e.* sibilis. ¶ 5. Apud Grammaticos vehementior flatus in dicendo, qui et *aspiratio* dicitur: est autem duplex, asper et lenis, ut *Priscian.* 2. *p.* 572. *Putsch.* docet. *Auson. Edyll.* 12. 19. Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H. ¶ 6. Metaphorice dicitur de œstro et facultate vaticinandi et poetica. *Liv.* 5. 22. Spiritu divino tactus. *Propert.* 3. 15. 40. Qualis Pindarico spiritus ore sonat. *Vellej.* 1. 16. 3. Per divini spiritus viros Æschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit tragœdias. *Cic. Arch.* 8. 18. Poetas quasi divino quodam spiritu inflari. Adde *Apul.* 8. *Met.*

B) Est principium seu substantia, ut ajunt, simplex et spiritualis, quæ in homine *animus* dicitur (It. *spirito;* Fr. *esprit;* Hisp. *espiritu;* Germ. *der Geist;* Angl. *the mind*). ¶ 1. De homine et quidem — 1.°) Sensu physico seu naturali. — *a*) Generatim. — *α*) Universim. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 61. Nam si morte carens vacuam volat altus in auram Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis: Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras. *Id.* 15. *Met.* 165. errat, et illinc Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus Spiritus, eque feris humana in corpora transit. *Virg.* 4. *Æn.* 336. dum spiritus hos reget artus. Adde *Propert.* 3. 16. 10. et *Tac.* 16. *Ann.* 34. — *β*) Similiter *spiritus mundi,* anima mundi. *Virg.* 6. *Æn.* 724. cælum ac terras camposque liquentes *etc.* Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem (Cf. 2. *G.* 325. *et seqq.* et *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 17.). ubi poeta veterum philosophorum, in primis Pythagoreorum et Platonicorum doctrinam exponit. V. *Heyne* ad *h. l.* — Alia significatione apud *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 2. 12., ubi *spiritus mundi* idem est ac spiritus hominis (de quo in *v.* 11.), cui ibidem opponitur *spiritus Dei.* — *γ*) Ut *anima,* sic et *spiritus* pro persona ponitur. *Vellej.* 2. 123. *ad fin.* Subrefectus conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus. *h. e.* Tiberii. — *δ*) Apud Ecclesiasticos scriptores *animæ* opponitur. *Vulgat. interpr. Luc.* 1. 46. Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. ubi tamen videtur *spiritus* idem esse quod *anima,* ex indole poesis Hebraicæ. Cf. *Matth.* 10. 28. Adde *Dan.* 3. 86. *Id. Hebr.* 4. 11. Sermo Dei pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. ubi *anima* (ψυχή) est vita animalis vel potius principium vitæ animalis seu sensibilis: *spiritus* (πνεῦμα), animus seu principium vitæ spiritualis; ita ut sensus sit: sermo Dei intime et perfectissime animum humanum penetrans ac pervadens. Cf. tamen *n. seq.* — *b*) Speciatim est elatus animus, *spirito, alterigia, animo.* — *α*) In malam partem sæpius. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. L. Cæcilium nonne omni ratione placavi? quem hominem? qua ira? quo spiritu? *Id.* 3. *Verr.* 30. 75. Quid ego nunc in alteram actionem Cn. Dolabellæ spiritus, quid hujus lacrimas et concursiones proferam? Ubi *Ascon.* Plus significavit dicendo *spiritus,* quam si animositatem contentionemve diceret. *Id. Sull.* 9. *circa med.* Res enim gestæ, credo, meæ me nimis extulerunt, ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. *extr.* Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. Sic 2. *ibid.* 4. Magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in re militari sumerent. *Id.* 3. *B. C.* 72. His rebus tantum fiduciæ ac spiritus Pompejanis accessit, ut vicisse jam sibi viderentur. *Liv.* 2. 35. Minitans patriæ hostilesque jam tum spiritus gerens. *et mox.* Multis sæpe bellis, pestilentia postremo amissa juventute, fractos spiritus esse. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. *ad fin.* Hunc Capuæ Campano supercilio, regio spiritu quum videremus etc. *Id. Cluent.* 39. 109. Jam insolentiam noratis hominis: noratis animos ejus ac spiritus tribunicios. *Nepos Dion.* 5. Regios spiritus repressit. *h. e.* præfidentiam et ferociam magnitudinis regiæ. *Albinov.* 1. 277. Spiritus ille minax et Drusi morte superbus. *Seneca Herc. Fur.* 384. Spiritus altos gerere. *Id. Troad.* 252. spiritus truces et minas alicujus ferre. *Id. Agam.* 248. tumidos Fortuna alicui dat. *Id. Troad.* 743. alicui facere. *et ibid.* 268. frangere. *Tac.* 16. *Ann.* 28. cohibere. *et* 15. *ibid.* 21. mitigare. — *β*) In bonam partem. *Curt.* 5. 8. *in fin.* Oro et obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (149). *de Alex. M.* Generosi spiritus imperator. *Liv.* 21. 1. *sub fin.* Ingentis spiritus vir. *Phædr.* 3. *epil.* Sed difficulter continetur spiritus, Integritatis qui sinceræ conscius etc. *Propert.* 2. 2. 3. Hæsisti: cecidit spiritus ille tuus. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 648. *Ammian.* 16. 12. 49. Majore spiritu prœlium repetere. *Quintil.* 1. 6. 5. Ex magnitudine rerum spiritum ducat. — In illo *ejusd.* 11. 2. 1. Totus inanis est labor, nisi ceteræ quoque partes hoc velut spiritu continentur. *spiritus* videtur esse memoria. Cf. ANIMUS. — *c*) Item apud Ecclesiasticos scriptores est vis, qua alicujus animus perfunditur et regitur, qualiumcumque facultatum, affectionum, sensuum, studiorum effectrix. *Vulgat. interpr. Luc.* 9. 55. (*Christus*) increpavit illos dicens: Nescitis cujus spiritus estis. Adde *Rom.* 8. 15. — *d*) Item varios modos denotat ac dona, quibus Spiritus Sanctus in inspiratis se efficacem prodit. *Id.* 1. *Cor.* 14. 12. — In illo *Is.* 37. 7. Dabo ei spiritum. *spiritus* est vehemens impulsus, ardor, studium, *forte stimolo o brama.* — 2.°) Sensu morali et divino, pariter apud Ecclesiasticos scriptores, *spiritus* dicitur præcipua hominis pars non solum, qua is vivit et intelligit ac sui juris est, sed qua gratia divina per sacrum baptisma est regeneratus: cui *caro* opponitur. *Id. Rom.* 8. 4. Non secundum carnem ambulate, sed secundum spiritum. Adde *ibid.* 7. 6. et *Matth.* 26. 41. — Hinc in *Inscr. Chr.* apud *De-Rossi, Bullett. Cr. a.* 1864. *p.* 28. Animæ justorum in altera vita *spiritus sancti* dictæ sunt. Cf. *Rom. Sotterr. T.* 2. *p.* 252 et *Tab.* XLIII. *n.* 32. *V.* etiam init. ad *b.* — Item formula *spiritus tuus in Deo* vel *in pace* et similia apud *eund.* in *Bullett. Crist. a.* 1864. *p.* 11. et 1873. *p.* 18. ¶ 2. De angelis bonis atque malis. *Vulgat. interpr. Hebr.* 1. 14. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi (unde *angeli* nomen) propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Adde *Apoc.* 1. 4. etc. *Id. Marc.* 1. 27. Spiritus immundi. *Act. et* 19. 12. nequam. Adde *Marc.* 9. 19. etc. ¶ 3. Hinc de genio apud veteres ex doctrina primitus tradita. *Seneca Ep.* 41. Sacer intra nos spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum observator. ¶ 4. De phantasmate. *Vulgat. interpr. Luc.* 24. 37. Conturbati et conterriti existimabant, se spiritum videre. ¶ 5. De Deo et speciatim de Spiritu Sancto, tertia in divinis persona. *Auson. Ephem.* 2. 15. Deus precandus est mihi ac Filius summi Dei, Majestas unius modi Sociata Sancto Spiritu. *Veget.* 2. *Milit.* 5. Milites lecti jurant per Deum et per Christum et per Spiritum Sanctum et per majestatem imperatoris. Adde *Cod.* 1. 1. 1. etc. *Vulgat. interpr. Matth.* 22. 43. Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum? *et alibi passim,* ubi idem dicitur *Spiritus Dei* vel *Patris* vel *Christi* vel *veritatis,* eo quod ex Patre Filioque procedit. —

In illo *ejusd.* 2. *Cor.* 3. 6. Deus idoneos nos fecit ministros novi Testamenti non littera sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. *Spiritus* est Evangelium, et opponitur *litteræ*, quæ est Lex Mosaica.

Homonym. Discrimen inter *animam, animum, spiritum* et *mentem* hoc est, quod anima est, qua vivimus; animus, quo regimur; spiritus, quo spiramus; mens qualitas, quæ bona aut mala potest referre ad cogitationem. Ita *Isid.* in *App. Diff. n.* 177. Cf. etiam quæ supra dicta sunt ad *Vulgat. interpr. Hebr.* 4. 11. et *V.* sub ANIMA et ANIMUS. Plerumque tamen indiscriminatim hæc nomina usurpantur.

SPĪRO, as, āvi, ātum, are, 1. Ratione habita etymi, cf. *Bopp, Gloss. comp.* etc. 399. derivat a rad. Sanskr. ejusdem significationis. Cf. etiam Gr. σπαίρω, vibro, palpito, spiro. — Part. *Spirans* in omnib. paragr.; *Spiraturus* sub *A* I. 1. *a.* — Spiro est fio, πνέω (It. *soffiare, spirare*; Fr. *souffler*; Hisp. *soplar*; Germ. *blasen*; Angl. *to blow, breathe*): occurrit autem *A)* Neutrorum more; et *B)* Transitive.

A) Spiro, neutrorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Stricto sensu dicitur de aere et ventis. *Lucret.* 6. 428. Freta circum Fervescunt graviter spirantibus incita flabris. *Virg.* 4. *Æn.* 562. nec Zephyros audis spirare secundos? *Id.* 5. *ibid.* 844. æquatæ spirant auræ. *Ovid.* 7. *Met.* 532. Letiferis calidi spirarunt flatibus Austri. *Id.* 4. *Pont.* 10. 43. At Notus adverso tepidum qui spirat ab axe. *Lucan.* 8. 246. spirat de litore Coo Aura fluens. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 58. (138). Obturatis, qua spiraturus est ventus, cavernis. *Gell.* 2. 22. *a med.* Etesiæ ex alia atque alia parte cæli spirant. *Seneca Agam.* 532. Cælo novæ spirant procellæ, *Juvenal.* 9. 67. bruma spirante. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 27. Austri clementius spirant. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (86). Tot generum auræ spirante concentu. (*Sillig.* habitus aura e spirante conceptus.) — Hinc translate a ventis secundis. *Propert.* 2. 8. 85. Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis, Non ego nequitiæ dicerer esse caput. *h. e.* mihi obsequeretur. — *b)* Latiore sensu sæpe de odoribus dicitur, qui aura differuntur. *Virg.* 4. *G.* 31. graviter spirantis copia thymbræ. — Cum Ablat. rei, qua quis spirat seu olet. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 211. Semper odoratis spirabunt floribus aræ. *Val. Flacc.* 5. 589. multa spirat coma flexilis aura. — *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (115). Cypro Phœnicio odor exiguum spirans. *pochissimo odore.* — *c)* Item de respiratione animantium, *respirare, spirare, fiatare, alitare. Cic.* 3. *Nat. D.* 40. 94. Quæ deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas judico. *Cels.* 2. 4. Mali morbi testimonium est, vehementer et crebro spirare. *Lucret.* 6. 1129. quum spirantes mixtas ducimus auras. *Propert.* 4. 7. 11. Spirantes animos misit. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. *extr.* Ruta in maximo usu est difficile spirantibus. *per chi ha difficoltà di respiro.* — *d)* Item de aliis rebus. *Virg.* 1. *G.* 327. Fervet fretis spirantibus æquor. *agitati*, et 10. *Æn.* 291. Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda. *non bolliscono, non si rimescolano.* Alii leg. *sperat* pro timet, *non teme le secche.* ¶ 2. Speciatim est spirando exire. *Ovid.* 8. *Met.* 356. de apro. Lux micat ex oculis spiratque e pectore flamma. *Lucret.* 6. 890. Quod genus endo mari spirat fons, dulcis aquai Qui scatit. ¶ 3. Item spirando emittere: occurrit autem. — *a)* Cum Ablativo rei, quæ spirando emittitur. *Virg.* 8. *Æn.* 304. Cacus spirans ignibus. *Lucan.* 9. 678. Quos habuit vultus lunati vulnere ferri Cæsa caput Gorgoni! quanto spirasse veneno Ora reor! *Val. Flacc.* 6. 157. paribus spirans Medea venenis. — *b)* Et cum Genetivo more Græcorum, sed translate. *Vulgat. interpr. Act.* 9. 1. Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini. *sbuffante o anelante.*

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est vivere, *vivere, esser vivo.* — *a)* Generatim. *Seneca Thyest.* 756. Spirant venæ corque adhuc pavidum salit. *palpitano.* et *Cic. Mil.* 33. *a med.* Et sunt qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? *Tac. Agric.* 12. *extr.* Margarita viva ac spirantia avelli saxis. *Id.* 12. *Ann.* 51. Zenobiam spirantem ac vitæ manifestam advertere pastores. Adde *Sil. It.* 15. 448. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 85. (213). Sues spirantes a muribus tradunt adrasas. — Hinc metaphorice. *Cic. Brut.* 24. *extr.* Videtur Lælii mens spirare etiam in scriptis, Galbæ autem vis occidisse. *Horat.* 4. *Od.* 9. 10. spirat adhuc amor, Vivuntque commissi calores Æoliæ fidibus puellæ. — *b)* Speciatim dicitur de vivente, sed morti proximo, *essere spirante, essere prossimo a spirare. Sall. Cat.* 61. Catilina longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 1. Non vidisses fratrem tuum, sed quamdam effigiem spirantis mortui. *Id. Dom.* 52. *a med.* Ut in vivi et jam spirantis caput bustum suis manibus imponeret. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Gladiatorum sorbere sanguinem calidum spirantemque. *Virg.* 4. *Æn.* 64. spirantia consulit exta. *palpitanti.* Hinc metaphorice *Cic. Sext.* 24. *ad fin.* Et spirante etiam republica, ad ejus spolia detrahenda advolaverunt. — *c)* Item de litteris adspiratis. *Quintil.* 12. 10. 27. Jucundissimas ex Græcis litteris (*ut* φ) litteras non habemus, quibus nullæ apud eos dulcius spirant. ¶ 2. Figurate de iis, quæ ad vivum expressa sunt in signis aut tabulis. *Martial.* 11. 9. Spirat Apellea redditus arte Memor. *Id.* 7. 84. Spirat et arguta picta tabella manu. *Sil. It.* 2. 429. at senior Siculis exsultat in arvis. Spirantem credas certamina anhela movere. *Id.* 14. 657. spirantes referens subtemine vultus. *Claudian. IV. cons. Honor.* 591. Et variis spirat Nereia bacca figuris. *Virg.* 6. *Æn.* 848. Excudent alii spirantia mollius æra: Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus. *Id.* 3. *G.* 34. Parii lapidis spirantia signa. *Gell.* 7. 5. Opplevit omnia non simulacris neque imitamentis, sed luctu et lamentis veris et spirantibus. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 6. Corinthium signum effingit senem stantem: ossa, musculi, nervi, venæ, rugæ etiam, ut spirantis, apparent.

B) Spiro transitive et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de respiratione animantium, *respirare, spirare, fiatare, alitare. Val. Flacc.* 4. 436. Spirare animam tenuem. *fiatare sottilmente.* Cf. *Martial.* 2. 26. querulum. ¶ 2. Est etiam spirando emittere, exspirare, exhalare. *Lucret.* 5. 29. Diomedis equi spirantes naribus ignem. *Id.* 2. 705. Flammam spirantes ore Chimæræ. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 281. et 2. *ibid.* 140. equi spirantes naribus ignem. *Id.* 3. *G.* 356. spirantes frigora Cauri. *Liv.* 22. 17. Veluti flammas spirantium (*boum*) miraculo attoniti. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 154. Enceladus Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur. — Hinc metaphorice. *Juvenal.* 7. 111. immensa cavi spirant mendacia folles. *Lucan.* 5. 82. vastos telluris hiatus Divinam spirare fidem. *h. e.* responsa et oracula. ¶ 3. Dicitur et de odoribus, qui aura differuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 407. Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere. Adde *Sil. It.* 7. 469. *Pers.* 6. 35. spirant cinnama surdum. *Juvenal.* 6. 461. facies pinguia Poppæana spirat. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 81. Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis.

II.) Translate. ¶ 1. Est præ se ferre, ostentare, plenum esse et sibi polliceri. *Liv.* 3. 46. Inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quærere. *Horat.* 4. *Od.* 13. 19. Spirare amores. *Propert.* 2. 12. 53. et *Val. Flacc.* 2. 185. magnum aliquid. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 10. Certe ego magnanimum qui facta attollere regum Ibam, altum spirans Martemque æquare canendo. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 166. spirat tragicum satis et feliciter audet. *Flor.* 1. 22. Feritas quiddam spirabat indomitum. *Virg.* 7. *Æn.* 510. rapta spirans immane securi. *Sil. It.* 3. 240. Mago quatit currus, et fratrem spirat in armis. *h. e.* fratris Hannibalis virtutem militarem refert. Sic 15. 412. fratris spirans ingentia facta. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 6. totum spirant præcordia Phœbum. *Apul.* 5. *Met.* Deam spirat mulier. *Seneca Thyest.* 503. Dum spirat ira sanguinem, nescit tegi. *Est qui leg.* sperat. *Petron. Sat.* 122. *de Sole.* namque ore cruento Deformis: titubans, vultus caligine texit: Civiles acies jam tum spirare putares. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 340. insigne Minervam Spirat opus. *h. e.* ostendit factum se esse a Minerva. ¶ 2. Est etiam inspirare, afflare, *inspirare*, apud *Arat.* 1. *Act.* 222.

SPĪRŌSUS, a, um, adject. (spira) ad spiram pertinens vel spiris plenus, apud *Apul.* 2. *Met.* ex conjectura *Lipsii, Salmasii,* al. Ita etiam ad *Tertull. Pall. p.* 246. idem *Salmas.*; sed aliter legendum.

SPĪRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* spira, parva spira. *Arnob.* 2. *p.* 73. Spirulas et botulos facere. *h. e.* placentas parvas in modum spiræ confectas. *V.* SPIRA 4. — De ima parte stilobatæ *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 217. Bases columnarum spirulas dicunt. *V.* SPIRA 3.

SPISSĀMENTUM, i, n. 2. (spisso) quævis res spissata et densa, ne quid hiscat aut fluitet, *spessezza, spesso*, στῦμμα, πύκνωμα. *Seneca Ep.* 31. Sapiens eris, si clauseris aures: quibus ceram parum est obdere. firmiori spissamento opus est, quam usum in sociis Ulyssem ferunt. *Colum.* 12. *R. R.* 47. *ante med.* Olivas in amphoram conjicio, et quum ad fauces vas repleveris, adjicito muriam duram: tum spissamento facto de arundinum foliis olivam premito, ut infra jus mersa sit. *et ibid. a med.* Quum jam pæne amphoram impleverunt, fœniculi spissamento deprimunt baccam. *et ibid.* 7. Fœniculi aridi spissamentum imponere. *et ibid.* 6. *in fin.* Adjecto spissamento aridi fœniculi, quo deprimantur ita sorba, ut semper jus supernatet. Adde *Marcell. Empir. c.* 35. *p.* 139. *Ald.* retro. — Tribuitur et *Scribon. Compos.* (Cf. *Rhodii Lex. Scrib. p.* 444. a), a quo tamen *spissitudo* fere usurpatur. *V.* hanc voc.

SPISSANS, antis, particip. *V.* SPISSO.

SPISSĀTĬO, ōnis, f. 3. (spisso) spissamentum, spissitudo. *Seneca Ep.* 86. *ad fin.* Terram non aggessit tantum, sed calcavit et pressit. negat quicquam esse hac, ut ait, spissatione efficacius. Alii leg. *pisatione* vel *pinsatione.*

SPISSĀTUS, a, um, particip. *V.* SPISSO.

SPISSĒ, adverb. (spissus) Comp. *Spissius*; Sup. *Spississime.* — Spisse est dense sive ad multam spissitudinem, πυκνῶς.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 9. Prima sementis rarius serere permittit, novissima spissius postulat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Dein spisse calcatis carbonibus inducitur, sabulo, calce ac favilla mistis. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (31). Lana indita auribus obturatis spissius. *Id.* 37. *ibid.* 8. 36. (114). Non translucet molochites, spissius virens, et crassius, quam smaragdus. *di un verde più carico e più oscuro.*

II.) Translate. ¶ 1. Est crebro, sæpe. *Petron. Sat.* 18. Spissius basiare aliquem. *Marcell. Empir. c.* 23. *p.* 134. *Ald.* retro. Spississime illinere aliquid. ¶ 2. Est etiam, per metalepsin, tarde, ægre, difficulter. *Pacuv.* apud *Non. p.* 392. 25. *Merc.* Habet hoc senectus in se, quum pigra est ipsa, ut spisse omnia videantur confieri. *Cic. Brut.* 36. 38. Quum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. *Nævius* apud *Non. loc. cit.* At enim tu nimis spisse atque tarde incedis. *Varro ibid.* Nascimur enim spissius, quam emorimur.

SPISSESCO, is, ere, n. 3. (spissus) Part. *Spissescens.* — Spissesco est spissus fio, *divenire spesso, inspessirsi. Lucret.* 6. 175. cavam spissescere nubem. *Cels.* 5. 27. Humor spissescens.

SPISSĬGRĂDUS, a, um, adject. (spisse *et* gradior) Sup. *Spissigradissimus.* — Spissigradus est qui tarde incedit, qui tardo passuum motu in ambulando utitur, βραδύπορος. *Gloss. Lat. Gr.* Spissigradus, βραδύπους. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 3. Homines spissigradissimos, tardiores, quam corbitæ sunt in tranquillo mari.

SPISSĬTAS, ātis, f. 3. (spissus) spissitudo, *spessezza*, πυκνότης. *Vitruv.* 2. 9. *ante med.* Propter spissitatem non potest recipere liquorem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (304). In tritico maxime crescunt animalia, quoniam spissitate sua concalescit.

SPISSĬTŪDO, ĭnis, f. 3. (spissus) idem quod spissitas. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 30. *extr.* Est nubes spissitudo aeris crassi. *Scribon. Compos.* 4. *et* 5. Hæc diluuntur aceto et rosa in mellis spissitudinem. (*Cato* hoc sensu *crassitudinem* dixit.) *Id. ibid.* 81. Spissitudo emplastri. *Id. ibid.* 200. cerati. *Id. ibid.* 37. non nimis liquida. *Id. ibid.* 58. In mellis spissitudinem redigi. *Pallad.* 12. *R. R.* 17. 2. Spissitudinem ejus absolvere. *Veget.* 5. *Veterin.* 81. Ad spissitudinem malagmatis coqui. *Marcell. Empir.* 16. *p.* 108. Ita ut eam spissitudinem habeat, ut pastilluli fieri possint. — De spissa quantitate vel examine, *sciame*. *Cassiod.* 3. *Variar.* 53. Spissitudo muscarum.

SPISSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spissus) Part. *Spissans* et *Spissatus* et *Spissandus* I. — Spisso est spissum facio, πυκνόω (It. *inspessire;* Fr. *rendre épais, condenser, épaissir;* Hisp. *condensar, espesar;* Germ. *dicht machen, verdichten;* Angl. *to thicken, mache thick, condense*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 90. (222). Omne lac igne spissatur. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (47). Et farinæ modo spissatur in panem. *Ovid.* 15. *Met.* 250. Ignis densum spissatus in aera transit. *Lucan.* 4. 77. Nubes spissatæ ruunt. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 83. (133). Vis ejus (*herbæ*) spissare corpora. *h. e.* adstringere, στύφειν. Sic *Cels.* 2. 1. *ante med.* Aquilo sanum corpus spissat, et mobilius atque expeditius reddit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 61. (217). Calculum dicitur onager, quum interficiatur, reddere urina, liquidiorem initio, sed in terra spissantem se. *Id.* 32. *ibid.* 11. 54. (154). Dentes pectinatim spissati. *Id.* 11. *ibid.* 32. 37. (112). Ros spissatus in sole. *Id.* 17. *ibid.* 11. 16. (87). Spissanda terra circa radices. — Mediorum apud Græcos more. *Lucan.* 4. 777. Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem. *si restringono.* Adde *Marcell. Empir.* c. 16. *p.* 108. — Absolute *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 32. (55). Spissandi vim habere.

II.) Translate est frequentius aliquid facere, quod prius lente fiebat, *spessicare*. *Petron. Sat.* 140. Ille lente parebat imperio, et clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium. *h. e.* frequentius succuteret.

SPISSUS, a, um, adject. Origo vocis incerta est: ceterum *Döderlein* conatur eam ducere a Gr. σπαθᾶν, licium inculco τῇ σπάθῃ, texo, ut *bassus* a βαθύς; *Vaniček* verò a rad. *spi*, necto, unde *spit*, stringo. — Part. *Spissior* I. a et II. 1.; Sup. *Spississimus* fere in omn. paragr. — Spissus est densus, creber, plenus: cui opponitur *rarus, solutus*, et in fluidis *liquidus*, παχύς, πυκνός (It. *denso, spesso, folto, pieno, gremito;* Fr. *dense, épais;* Hisp. *espeso;* Germ. *dicht gedrängt, compact;* Angl. *thick*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 127. uti fiat spisso cava corpore circum. *Id.* 2. 444. quæ nobis durata ac spissa videntur. *Seneca Ep.* 76. *ante med.* Navis firma et juncturis aquam excludentibus spissa. *ben connessa.* et *Horat.* 3. *Od.* 19. 25. et 4. *ibid.* 3. 11. Spissa coma. *Id. Art. P.* 205. sedilia. *Id.* 1. *Ep.* 19. 41. spissis indigna theatris Scripta pudet recitare. *Ovid.* 9. *Met.* 222. Spissa grando. et 5. *ibid.* 621. nubes. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (203). Spississima ex omni materie, ideo et gravissima, judicatur ebenus et buxus. *Id. ibid.* (196). In ipsis arboribus robustiores aquiloniæ partes, deteriores ex humidis et opacis, spissiores ex apricis ac diuturnæ. *Colum.* 4. *R. R.* 33. Spissius semen propter varios casus deponitur. *Virg.* 5. *Æn.* 336. Spissa arena. *Id.* 2. *G.* 236. si scrobibus superabit terra repletis, Spissus ager. *et ibid.* 241. spisso vimine quali. *Id.* 2. *Æn.* 621. Spissæ noctis umbræ. *Petron. Sat.* 114. tenebræ. *Seneca Herc. Fur.* 710. caligo. *Ovid.* 11. *Met.* 367. sanguis. *et* 1. *ibid.* 25. Et liquidum spisso secrevit ab aere cælum. *et* 12. *ibid.* 437. utque liquor rari sub pondere cribri Manat, et exprimitur per densa foramina spissus. *Id. Heroid.* 21. 166. Spissa amoma. *Plaut. Epid.* 2. 2. 46. tunica. *h. e.* densæ texturæ. *Lucan.* 9. 604. Spissior ignis. *h. e.* intensior calor. *Sil. It.* 13. 140. Mœnia flexa sinu, spissa vallata corona Adligat. De hoc oppugnandi modo V. *Lips. Poliorc.* 1. 4. — *b*) Cum Ablativo ejus, quo quis spissus est. *Virg.* 7. *Æn.* 508. Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. *Horat.* 2. *Od.* 15. 9. Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus.

II.) Translate. ¶ 1. Est copiosus, plenus, gravis. *Cic.* 2. *Orat.* 53. 213. In utroque genere dicendi et principia tarda sunt, et exitus tamen spissi et producti esse debent. *h. e.* sententiis et verbis copiosi. *Seneca Ep.* 81. *a med.* Minimum ex nequitia levissimumque ad alios redundat: quod pessimum ex illa est, et, ut ita dicam, spississimum, domi remanet, et premit habentem. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 14. *init.* Scribebam illa, quæ dixeram, πολιτικά, spissum sane opus et operosum. *h. e.* difficile et multi laboris. *Id.* 3. *Orat.* 36. 145. Me quidem in Academiam totum compulisti: in qua velim sit illud, quod sæpe posuisti, ut non necesse sit consumere ætatem: sed etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto numquam conquiescam, ante quam etc. Cf. 2. *Fam.* 10. *sub fin.* et 10. *Att.* 18., quæ pertinere possunt etiam ad notionem proxime sequentem. ¶ 2. Est etiam, per metonymiam, tardus: quia res spissa cum difficultate ac tarde conficitur. *Cic.* 10. *Att.* 18. Hoc quoque timide scribo, ita omnia adhuc tarda et spissa. *Plaut. Cist.* 1. 1. 77. Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit. *Cæcil.* apud *Non. p.* 392. 15. *Merc.* Nihil ego Spei credo. omnes res spissas facit. Adde *Titin., Turpil., Pacuv. ibid.* — Hinc *pro spisso*, absolute est tarde, sero. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 46. Haruspices si quid boni promittunt, pro spisso evenit: id quod mali promittunt, præsentarium est. ¶ 3. Et creber. *Vulgat. interpr. Sap.* 17. 17. Spissi arborum rami. *Petron. Sat.* 31. Spississima basia alicui impingere. — Hinc

Spissæ, arum, f. plur. 1. absolute, *subaud.* vestes, apud *Senec.* 1. *Benef.* 3.

SPĪTHĂMA, æ, f. 1. σπιθαμή, palmus constans e duodecim digitis (It. *spanna, palmo;* Fr. *empan;* Hisp. *espita, palmo;* Germ. *eine Spanne;* Angl. *span, palm*). *Hieronym.* 11. *in Isai.* 40. 12. Σπιθαμή, hoc est palmus, extentam significat manum a pollice usque ad extremum digitum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (26). Supra hos extrema in parte montium Trispithami Pygmæique narrantur, ternas spithamas, hoc est ternos dodrantes, longitudine non excedentes. *V.* PALMUS.

SPLANCHNA, ōrum, n. plur. 2. σπλάγχνα, interanea animalis. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 102., ubi alii Græcis litteris rectius legunt.

SPLANCHNOPTES, æ, m. 1. σπλαγχνόπτης, Græca vox, assantem exta significans; σπλάγχνα enim exta sunt, ὀπτάω asso, torreo. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (81). Styppax Cyprius uno celebratur signo, splanchnopte. Periclis Olympii vernula hic fuit, exta torrens ignemque oris pleni spiritu accendens. Adde 22. *ibid.* 17. 20. (44).

SPLEN, splēnis, m. 3. σπλήν (It. *milza, splene;* Fr. *rate;* Hisp. *melsa;* Germ. *die Milz;* Angl. *spleen*). Græce est viscus illud in sinistra parte animalis ventriculo appositum, quod Latine *lienem* dicimus, quodque censent partem sanguinis e venis exuberantis recipere, hanc dein, imminuta ejusdem copia, restituturum. Sunt qui deducunt per syncop. a σπίλος, sordes, quia veteres putabant, splenem esse excrementorum jecoris receptaculum, quum potius ille non e jecore accipiat, sed jecori tradat. Credebatur esse sedes risus. Huc spectat *loc. Pers.* infra cit. Gallice *épanouir la rate* est quod Italice *far ridere alla distesa*. Splenem describit *Cels.* 4. 1. *Pers.* 1. 12. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno. *Vitruv.* 1. 4. *a med.* Pecora quæ pascuntur proxime Gnoson, splenem habent: quæ autem ex altera parte, non habent apparentem splenem. *Colum.* 7. *R. R.* 10. *ad fin.* Vitiosi splenis dolor sues infestat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 20. (46). Sues, qui radicem Teucrii ederint, sine splene inveniri. *Id.* 24. *ibid.* 19. 120. (185). Fœnum Græcum spleni medetur. *et ibid.* 15. 80. (131). Trixago ad splenem ex aceto sumitur. *Id.* 23. *ibid.* 1. 16. (25). Vitis alba splenem, ternis obolis pota, triginta diebus consumit.

SPLENDENS, entis, particip. *V.* SPLENDEO.

SPLENDENTĬA, æ, f. 1. (splendeo) splendor, apud *Hieronym. Ep.* 57. Στιλπνότης, quod nos possumus dicere splendentiam. *V.* POMATIO.

SPLENDĔO, splendes, splendŭi, splendere, n. 2. Præterit. *splendui* agnoscunt *Charis.* 3. *p.* 216. *Putsch., Diomed.* 1. *p.* 363., *Priscian. p.* 868. et habet *Augustin.* 10. *Confess.* 27. — Etymon vocis obscurum; quamquam alii conjungunt cum Gr. φαλανθός, canus: vel σπινθήρ, scintilla, quasi mollius pronuncietur pro σπλινθηρ; alii vero aliter. — Part. *Splendens* I. et in fin. — Splendeo est splendorem emitto, luceo, fulgeo, niteo, λάμπω (It. *risplendere, splendere;* Fr. *briller, reluire, luire, étinceler;* Hisp. *resplandecer, brillar, relucir;* Germ. *glänzen, schimmern, blinken;* Angl. *to shine, glitter*).

I.) Proprie. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Sparsis hastis longis campus splendet et horret. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 101. pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi. *Lucret.* 5. 1257. claro splendet tremulo sub lumine pontus. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 9. *Seneca Agam.* 434. Splendetque classe pelagus et pariter latet. *Lucan.* 9. 516. Eois splendent donaria gemmis. *Catull.* 64. 44. Sedes fulgenti splendent auro atque argento. *Martial.* 4. 79. Condita quum tibi sit jam sexagesima messis, Et facies multo splendeat alba pilo. et 2. 29. Et splendent vulso brachia trita pilo. *Id.* 8. 77. Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat. *Id.* 9. 3. Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Cubiculum marmore splendet. *Juventius* apud *Gell.* 18. 12. Pallium face ut splendeat. *h. e.* nitidum sit et sine maculis. *Horat.* 1. *Od.* 19. 6. Urit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 28. 60. Virtus splendet per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. *Seneca Troad.* 1138. fulgent genæ Magisque solito splendet extremus decor. *Liv.* 38. 53. Petilii vexati sunt probris, quod splendere aliena invidia voluissent. *h. e.* clari fieri accusatione Scipionis Africani. *Horat.* 3. *Od.* 3. 25. Jam nec Lacænæ splendet adulteræ Famosus hospes (*Paris*). *h. e.* floret, viget. *Phædr.* 4. 24. Splendebat hilare poculis convivium. *h. e.* abundabat, large et liberaliter hero præbente. — Hinc Part. præs.

Splendens, entis, etiam adjective occurrit; unde Comp. *Splendentior*. — Splendens est splendidus, fulgens, clarus.

I.) Proprie. *Plaut. Rud. prol.* 3. Splendens stella candida. *Ovid.* 3. *Met.* 53. splendenti lancea ferro. *Virg.* 12. *Æn.* 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit. *Tibull.* 1. 9. 11. Suco splendente genas onerare. *belletto.* et *Claudian. epigr.* 9. 1. porrectam splendenti fragmine venam. *h. e.* crystallo. *Id. Gigantom.* 77. splendentior igni Aureus ardescit clipeus.

II.) Translate. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (10). Auctores habeo in equestri ordine splendentes, visum ab his in Gaditano oceano marinum hominem. *h. e.* claros, illustres, nobiles.

Homonym. Inter *fulgeo* et *splendeo* hoc statuit discrimen *Fronto, De different. verb. p.* 2191. *Putsch.*, ut *fulgere* dicantur, quæ natura lucem habent, ut sol, ignis: *splendere*, quæ arte, ut aurum, argentum. Promiscue tamen quoque adhibentur.

SPLENDESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SPLENDESCO, is, ere, n. 3. (splendeo) Part. *Splendescens* I. — Splendesco est splendidus

fio, luceo, splendeo, *farsi lucente, risplendere*, ἀγλαΐζομαι.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 46. Incipiat sulco attritus splendescere vomer. *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 23. Vidimus Ætnæ cælum splendescere flamma. *Id.* 10. *Met.* 177. splendescunt suco pinguis olivi. *Seneca Herc. Œt.* 791. largo sacer splendescat ignis ture. *Apul.* 11. *Met.* Palla nigerrima, splendescens atro colore. et *Florid.* 3. Gladius usu splendescit. *Ammian.* 20. 11, 29. Quæ (*lux*) nimio splendescit attritu.

II.) Translate. *Cic. Parad. præf.* 3. Nihil est tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur. *Id. Senect.* 9. 28. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute. *Plin.* 5. *Ep.* 11. Perfectum opus absolutumque est: nec jam splendescit lima, sed atteritur.

SPLENDĬCO, as, are, n. 1. splendeo, *risplendere. Apul.* 5. *Met.* Prænitent vestes, splendicant gemmæ. *Alii leg.* splendidant. *et* 7. *ibid.* Quum mihi etiam tunc depiles genæ levi pueritia splendicarent. Sunt qui leg. *splenditarent*, sed minus recte.

SPLENDĬDĒ, adverb. (splendidus) Comp. *Splendidius*; Sup. *Splendidissime.* — Splendide est cum splendore, lucide, *splendidamente*, λαμπρῶς.

I.) Proprie. *Cic. Quinct.* 30. 93. Magnifice et splendide ornare convivium. *Petron. Sat.* 21. In cella tres lecti strati erant, et reliquus lautitiarum apparatus splendidissime expositus.

II.) Translate est nobiliter, præclare, magnifice. *Cic.* 3. *Tusc.* 25. *sub fin.* Et acta ætas honeste ac splendide tantam affert consolationem etc. *Nepos Att.* 14. Parum splendide se gerere in HS. vicies. *Cic.* 1. *Off.* 1. *extr.* Ornate et splendide dicere. *Id.* 1. *Fin.* 2. *a med.* Quid habent, cur Græca anteponant iis, quæ et splendide dicta sint, neque sint conversa de Græcis? *h. e.* nitide et eleganter. *Horat.* 3. *Od.* 11. 35. perjurum fuit in parentem Splendide mendax, et in omne virgo Nobilis ævum. *h. e.* decore, cum virtute. loquitur de Hypermnestra, Danai filia, quæ, quadraginta novem sororibus jussu patris maritos suos occidentibus, una Lynceo suo pepercit. *Auct. B. Alex.* 24. Splendidius atque honestius contra regem, quam contra fugitivorum manum bellum gerere. *Gell.* 14. 1. *a med.* Latius ea et amœnius et splendidius et profluentius exsequebatur. *Seneca Ep.* 47. *ante med.* Splendidissime natus. *h. e.* illustri genere. *Sueton. Vesp.* 14. Hostis sui filiam splendidissime maritavit. *con nobilissimo partito.*

SPLENDĬDO, as, are, 1. (splendidus) ¶ 1. Transitive est splendidum reddo, polio. *Apul. Apolog. sub fin.* Splendidare dentes. ¶ 2. Neutrorum more est splendidus sum. *V.* SPLENDICO.

SPLENDĬDUS, a, um, adject. (splendeo) Comp. *Splendidior* I. 1. et II. 2. *a*; Sup. *Splendidissimus* fere in omn. paragr. — Splendidus est qui splendet, lucidus, clarus, nitidus, λαμπρός (It. *splendido*; Fr. *brillant, étincelant, éclatant, resplendissant*; Hisp. *reluciente, brillante*; Germ. *glänzend, schimmernd, blinzend*; Angl. *bright, shining, clear*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 6. *Müll.* O magna templa cælitum Commixta stellis splendidis. *Lucret.* 2. 108. hæc aera rarum Sufficiunt nobis et splendida lumina solis. *Id.* 4. 444. Splendida signa cæli. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 35. 80. (351). cælum. *sereno, chiaro.* et *Ovid.* 2. *Met.* 722. Splendidior Lucifer. *Tibull.* 4. 1. 123. Splendidior liquidis quum sol caput extulit undis. *Cic.* 6. *rep.* 16. 16. Splendidissimo candore inter flammas elucens circulus. *Lucret.* 6. 207. flammeus et splendidus color. *Martial. Spectac.* 11. Splendida venabula. *Id.* 2. 36. Splendida sit nolo, sordida nolo cutis. *Id.* 9. 50. *de toga.* Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana. *Ovid. Heroid.* 21. 162. multo splendida palla croco. *Id.* 5. *Fast.* 336. Splendida mensa. *Seneca Thyest.* 457. ebur. *Id. Hippol.* 246. comæ. *canute.* et *ibid.* 800. colla. *bianco collo.* et *Horat.* 3. *Od.* 13. 1. fons splendidior vitro. *più limpido.* et *Frontin. Aquæd.* 93. Fluvius frigidissimus ac splendidissimus. *Lucret.* 6. 1185. Sudorisque madens per collum splendidus humor. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 140. maledicit utrique, vocando Hanc furiam hunc aliud, jussit quod splendida bilis. *h. e.* χολὴ ξανθή, flava, ex qua ira nascitur. *V.* BILIS. Vitream bilem dixit *Pers.* 3. 8. ¶ 2. Speciatim est magnificus, sumptuosus, ornatus, quia, qua talis, facile incurrit in oculos et quadam luce perstringit, et admirationem parit: qui vero plus impendit, *magnificus*, et qui supra opes, *luxuriosus* dicitur. *Cic. Parad.* 5. 2. *a med.* Reviviscat M.' Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa nihil splendidum, nihil ornatum fuit, præter ipsos. *Nepos Att.* 13. *a med.* Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. *Vellej.* 2. 105. 2. Liberaliter lauteque otio abutens: ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres. *Nepos Alcib.* 11. Quum Athenis, splendidissima civitate, natus esset etc. *Virg.* 1. *Æn.* 641. At domus interea regali splendida luxu Instruitur. *Catull.* 64. 46. Tota domus gaudet regali splendida gaza. *Petron. Sat.* 12. Splendida vestis. (*ibid.* 14. *in fin.* vocat pretiosissimam. Fortasse respicit ad fulgorem purpuræ.) *Quintil.* 11. 3. *a med.* Cultus oratoris sit, ut in omnibus honestis debet esse, splendidus et virilis. *un bel vestire.* et *Horat.* 3. *Od.* 16. 25. Contemptæ dominus splendidior rei, Quam si etc.

II.) Translate. ¶ 1. Est illustris, nobilis, clarus. — *a*) De hominibus. *Cic. Flacc.* 20. *a med.* Vir splendidissimus atque ornatissimus civitatis suæ. *Auct. B. Alex.* 40. *sub fin.* Splendidi ac illustres viri, equites R. *Cic.* 2. *Fin.* 18. 58. C. Plotius eques R. splendidus. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 18. 38. Homo et domi nobilis, et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. Hinc in *Inscriptt.* occurrit *splendidissimus ordo decurionum* (apud *Orell. n.* 1180., 1181. et 3724.) et *splendidus eques R.* (apud *eumd. n.* 140. et 3031.) — *Cels. præf. a med.* Nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluit, ne occidisse, nisi servasset, videretur. *in persona di rango.* — *b*) De rebus. *Cic.* 1. *Off.* 18. *a med.* Splendidissimum videri, quod animo elatoque humanasque res despiciente factum sit. *et ibid.* 8. *a med.* In maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque exsistunt honoris, imperii, gloriæ cupiditates. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 236. et *Ovid. Heroid.* 12. 118. Splendida facta. *Propert.* 3. 18. 8. Splendidaque a docto fama refulget avo. *Vellej.* 2. 88. 2. Equestri sed splendido genere natos. (*V.* SPLENDOR) *et ibid.* 116. *a med.* Sejanus splendidissimis functus ministeriis. *Plin.* 4. *Ep.* 4. Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem et sibi et avunculo suo facias. ¶ 2. Est etiam perspicuus, clarus, apertus. *Cic. Brut.* 75. 261. Splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenere. *et ibid.* 79. 273. Splendida et grandis oratio. *et ibid.* 58. 210. Splendidioribus verbis uti. *Id. ibid.* 55. 203. Vox quum magna, tum suavis et splendida. *Id. Orat.* 49. 163. Splendidis nominibus illuminatus est versus. ¶ 3. Item speciosus, *specioso, bello in apparenza. Cic.* 1. *Fin.* 18. *sub fin.* Quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine. *Ovid. Remed. am.* 240. Prætendens culpæ splendida verba suæ. *Horat.* 4. *Od.* 7. 21. Quum semel occideris, et de te splendida Minos Fecerit arbitria. *h. e.* præclaram et æquam sententiam et probatam omnibus tulerit.

SPLENDĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* SPLENDIFICO.

SPLENDĬFĬCĒ, adverb. (splendificus) splendide. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf. a med.* Admodum splendifice intermicanti quodam sui vultus coruscamine.

SPLENDĬFĬCO, as, ātum, are, a. 1. (splendor et facio) Part. *Splendificatus.* — Splendifico est splendidum et lucidum facio. *Capell.* 9. *p.* 309. Lumina ambrosium splendificant diem. *Vulgat. interpr. Ital. Bar.* 3. 34. ex MS. *Sang.* Cujus imperio stellæ splendificatæ sunt.

SPLENDĬFĬCUS, a, um, adject. (splendor et facio) splendorem faciens, splendidus. In Thesauro *Basil. Fabri* affertur antiquus hic versus, ex *Fabrett.* Splendificumque jubar radianti carperet haustu. Hæc *Forcell.* Sed versus est ex *Beda* 5. *Hist. Eccl.* 7.: hunc autem rettulit *Bailey*, primo fonte non indicato.

SPLENDĬFLŬUS, a, um, adject. (splendor et fluo) qui splendide fluit. *Dracont. Hexæm. Epil.* 2. Alter splendifluis cælum firmavit in auris. *Inscript. Chr.* ex *Gloss. N. Lat. p.* 65. IRRADIAT TRINITATIS HONOR SPLENDIFLVVS ARAM.

SPLENDĬTĔNENS, entis, m. 3. (splendor et teneo) qui splendorem tenet. *Augustin.* 15. *contra Faust.* 5. Ostende nobis mœchos tuos, splenditenentem ponderatorem et Atlantem laturarium. *h. e.* splendida corpora tenentem. *Id. ibid.* 6. Splenditenentem magnum, sex vultus et ora ferentem micantemque lumine. Adde 20. *ibid.* 9.

SPLENDĪTO. *V.* SPLENDICO.

SPLENDŌNA, æ, f. 1. (splendeo) absolute dicitur de gladio, quod splendeat. *Gloss. Isid.* Sica, cluniculus, machæra, splendona. *A. Maius* in *Class. Auct. T.* 8. ex *Thes. N. Lat. p.* 544. Splendeo . . . . Inde splendona, id est gladius; unde Josephus in nono: Deus unicuique jaculaturam et arcus et loricas æreas et splendonas etc. Adde *p.* 557. et 563. *Cf. Johann. de Jan.* et *Cang.*

SPLENDOR, ōris, m. 3. (splendeo) lux, fulgor, claritas, nitor, αὐγή, λάμψις (It. *splendore, lucentezza, lucidezza*; Fr. *l'éclat, le brillant, le poli*; Hisp. *rayo, resplandor, esplendor*; Germ. *der Glanz, Schimmer*; Angl. *splendour, brightness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Merc.* 5. 2. 39. Cælum splendore plenum. *Ovid.* 5. *Fast.* 366. Splendor flammæ. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. 63. Existimat, se gemmæ nitore et auri splendore aspectus omnium præstringere. Rursus *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 1. Curate, ut splendor sit meo clipeo clarior, quam solis radii esse olim, quum sudum est, solent. *Id. Asin.* 2. 4. 20. Jussin in splendorem dari bullas has foribus nostris? *et Aulul.* 4. 1. 16. Redigere compedes in splendorem. *Sueton. Domit.* 14. Porticuum parietes phengite lapide distinxit, e cujus splendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (121). Splendor minii. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (58). Gemma splendoris ferrei. et 12. *ibid.* 4. 9. (20). Ebenus trunco enodi, materie splendoris nigri. *Lucret.* 4. 211. splendor aquai. *limpidezza.* (Splendor aquarum, *h. e.* puritas, *Frontin. Aquæd.* 89.) *Ovid.* 5. *Fast.* 366. floris. *bel colore.* Sic *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 92. Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro Induit. *Lucret.* 4. 1023. Quum Babylonica magnifico splendore rigantur. *h. e.* pretiosis coloribus. v. gr. purpureo tincta. — In plur. num. *Gell.* 2. 6. Nitores et splendores auri. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 123. Tremuli splendores. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2. Ob hoc tales splendores Græci areas vocaverunt. *sc.* ἅλωνας; *nam* ἅλων *sive* ἀλὼν aream *significat*: Latine dicitur corona, Italice vero *alone.* V. AREA. ¶ 2. Speciatim dicitur de divitiis et est magnificentia, luxus liberalitas, *splendidezza.* hæc enim maxime, splendoris instar, feriunt oculos et admirationem pariunt. *Cic. Flacc.* 12. 28. Majores nostri in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, tenuissimo victu vivebant: in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocabant. *Id. Cæl.* 31. *in fin.* Si quem horum aliquid offendit, si purpuræ genus, si amicorum catervæ, si splendor, si nitor etc. *Gell.* 1. 14. Splendor domus atque victus. *fornimento e lautezza.*

II.) Translate. ¶ 1. Est claritas, nobilitas, dignitas, gloria, honor, *onorevolezza, dignità, gloria, nobiltà, lustro.* — *a*) Abstractorum more. *Cic. Cluent.* 69. *in fin.* Honesti hominis

et summo splendore præditi. *Id. Sull.* 1. 1. Dignitatis suæ splendorem obtinere. *Id.* 1. *Orat.* 45. *extr.* Q. Mucii janua et vestibulum maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrantur. *Sueton. Vesp.* 1. *ad fin.* Splendor et vetustas familiæ. *Plin. Paneg.* 84. *in fin.* Verum honorem non in titulorum splendore, sed in judiciis hominum reponere. *Id.* 10. *Ep.* 3. *ad fin.* Et natalium et paternarum facultatum splendor. *nobiltà e lustro*, et *Tac.* 1. *Hist.* 84. Senatus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium præstringere. *Sueton. Aug.* 35. Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba ad modum pristinum et splendorem redegit. *Cic.* 11. *Fam.* 16. Esse splendore summo. *Id. Sext.* 28. 60. Splendorem maculare. *Id.* 1. *Fin.* 14. 45. Splendore obrui. *Id. ibid.* 13. 42. Splendor nominis capti. *Id.* 2. *rep.* 42. 69. animi et vitæ. *Id.* 1. *Off.* 20. 67. Harum rerum splendor et amplitudo. *Id. pro leg. Manil.* 14. 41. Splendor imperii. *Ammian.* 14. 6. *init.* liberalium doctrinarum. — Speciatim de dignitate equestris ordinis, qui erat in civitate honestissimus. *Cic.* 13. *Fam.* 27. Sex. Aufidius splendore equiti Romano nemini cedit. *Id. Rosc. Am.* 48. *a med.* Qui equestrem splendorem pati non potuerunt. Adde 1. *Fam.* 3. et *V.* SPLENDIDUS. *Cic. Cæcin.* 10. 28. Dixit senator populi R., splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, Fidiculanius Falcula. *h. e.* decus, ornamentum. — *b*) Concreto, ut ajunt, sensu. *Ammian.* 23. 6. 84. Ubi desudat nobilitas omnis et splendor. *h. e.* equites. ¶ 2. Metaphorice. — *a*) Universim. *Tac. dial. de Orat.* 37. His accedebat splendor rerum et magnitudo causarum, quæ et ipsa plurimum eloquentiæ præstant. *h. e.* res magnæ, notabiles, illustres, magna negotia. *Justin.* 6. 3. *a med.* Ne a rebus gestis ejus et gloriæ splendore decederet. — *b*) *Splendor verborum* est nitor, vis et significantia, qua res in bono lumine collocantur. *Plin.* 7. *Ep.* 9. Proprietas splendorque verborum. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 111. Audebit, quæcumque parum splendoris habebunt, Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur, Verba movere loco, quamvis invita recedant. Adde *Cic. Orat.* 110. 31. et 49. 165. — *c*) *Splendor vocis* est claritas et canora suavitas. *Cic. Brut.* 68. 239. (et 71. 250.) Actio ejus habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 21. (47). Porrum sectivum - voci splendorem affert. καθαίρει τὴν ἀρτηρίαν, inquit *Dioscor. l.* 2. *c.* 179.

Homonym. Discrimen inter *splendorem* et *nitorem*. V. in hac voc.

SPLENDŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (splendor et fero) splendorem ferens. *Tertull. Judic. Dom.* 131. Solque cadit, splendorifero qui lumine clarus. Aliter, sed contra leges metricas, leg. *Halm.* in suppositiis *Cyprian. VI. p.* 308.

SPLĒNĔTĬCUS *vel* spleniticus, i, m. 2. (splen) Forma *spleniticus* apud *Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 89. et *c.* 23. *p.* 120. — Spleneticus est lienosus, qui splene laborat, *splenetico*, σπληνώδης. *V.* HEPATICUS et JECOROSUS. *Firmic.* 4. *Mathes.* 2. *in fin.* Fecit melancholicos, ictericos etc. *Apul. Herb.* 34. Centauria major ad spleneticos. Adde *Gargil. de pomis* 10. — Tribuitur etiam *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (87). et *Pallad.* 8. *R. R.* 6.; sed legend. *splenicus*. V. hanc voc.

SPLĒNĬĂCUS, a, um, adject. (splen) spleneticus, apud *Theodor. Priscian.* 2. 15.

SPLĒNĬĀTUS, a, um, adject. (splenium) spleniis distinctus, σπληνωτός. *Martial.* 10. 22. Cur spleniato sæpe prodeam mento.

SPLĒNĬCUS, a, um, adject. σπληνικός, splene laborans, lienosus, *splenico*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 41. (68). Homini splenico cibum potumque dant in vasis ex myrice factis. *Pelagon. Veterin.* 13. *sub init.* Quum splenicus (*equus*) est, et venter increscit. — Hinc

Splenicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, spleneticus, *chi patisce di milza*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (87). Item spleniais in vino albo per dies quadraginta. *Id.* 24. *ibid.* 10. 47. (79). Hederæ vase splenicos bibentes sanari invenio. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (128). Splenicis spongiæ impositæ prosunt. His et aliis *Plinii* locis multis veteres Editiones 1469., 1470. et 1472. fere habent *spleneticus*. In sua *Harduin.* semper edidit *splenicus*, quod magis accedit ad Græcam analogiam σπλήν, σπληνικός, et probabilius est. Ita *Forcellinus*, cui suffragatur *Silligius*, qui *splenicus* dedit. Sic *Pallad.* 8. *R. R.* 6. Hoc vini genus splenicis proderit. Ita leg. *Schneiderus*.

SPLĒNĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* splenium, parvum splenium, apud *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (104)., ubi *Sillig.* leg. *splenium*.

SPLĒNĬON. *V.* SPLENIUM.

SPLĒNĪTES, æ, m. 1. σπληνίτης, genus morbi, qui splenem afficit, morbus splenis. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 106. V. *loc.* in HEPATIAS.

SPLĒNĬUM *vel* splenion, ii, n. 2. (σπλήνιον) I.) Proprie. ¶ 1. Est herba, quæ spleni medetur, quæque usitatius dicitur *asplenum*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 20. (45). Invenit et Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidam hemionion vocant, spargentem juncos tenues, folia parva, asperis locis nascentem, austero sapore, numquam florentem. Neque semen gignit. Medetur lienibus constatque sic inventam. Quum exta super eam projecta essent, adhæsisse lieni eumque exinanisse. Ob id a quibusdam splenion vocatur. Hæc *Plin.* — Varia *splenii* nomina enumerat *Apul. Herb.* 56. ¶ 2. Est etiam herba, quæ alio nomine fere dicitur *cynoglossa*, teste *eod. ibid.* 97.

II.) Improprie. ¶ 1. *Splenium* a splenis forma ejusdemque colore appellatur panniculus vel fascia medicamento aut emplastro illita, quæ fronti aut oculis aliquo morbo laborantibus imponitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. *a med.* Superimponi oportet splenium e melle decoctum lanamque sucidam ex oleo aut vino. *Id.* 30. *ibid.* 11. 30. *ad fin.* Aranei tela cum ipso, in splenio resinæ ceræque imposita fronti. ¶ 2. Hinc ita etiam vocantur linteola vel parva coria, stellata aut lunata figura, quæ elegantiæ et ornatus causa vel nævis abscondendis vultui olim opponebant veteres, quemadmodum nuper apud nos etiam factitabant feminæ, ideoque Italice *nei*, Gallice vero *mouches* nuncupantur. De servo stigmatis in fronte notato et ad equestrem dignitatem evecto ita *Martial.* 2. 29. Et numerosa linunt stellantem splenia frontem: Ignoras quis sis? splenia tolle, leges. — De tenuitate folii cujusdam sic *id.* 8. 33. Talia lunata splenia fronte sedent. *Plin.* 6. *Ep.* 2. Regulus candidum splenium in hoc aut in illud supercilium transferebat. Huc spectat etiam illud *Ovid.* 3. *Art. am.* 202. Parvaque sinceras velat aluta genas.

SPŎDĬĂCUS *vel* spodiacos, a, um, adject. σποδιακός, ad spodium pertinens seu ex retrimentis metallorum ustorum factus. *Scribon. Compos.* 24. Collyrium spodiacum a quibusdam cinereum dicitur. *Marcell. Empir. c.* 8. *p.* 93. Hoc collyrium a cinereo colore spodiacon appellatur.

SPŎDĬUM, ii, n. 2. σπόδιον deminut. a σποδός, Græce est parva aut minutior cinis. Sumitur autem ¶ 1. Pro quodam excremento seu scoria metallorum, postquam in fornacibus cocta et fusa sunt: de quo multa *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. et 34., ubi et *spodon* vocat, et varias ejus utilitates recenset. *Id. ibid.* 18. 52. (172). Fit et spodium ex plumbo, eodem modo, quo ex Cyprio ære diximus. *V.* POMPHOLYX. Adde *Marcell. Empir. c.* 33. *p.* 133. *retro.* ¶ 2. Item pro cinere aliarum rerum combustarum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 38. (76). Spodium e cauliculis (*oleastri*) vehementius inhibet rheumatismos.

SPŎDOS, i, f. 2. σποδός, idem quod spodium, *ossido di zinco*, apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. *V.* POMPHOLYX.

SPŎLĬA, æ, f. 1. *V.* SPOLIUM.

SPŎLĬANS, antis, particip. *V.* SPOLIO.

SPŎLĬĀRĬUM, ii, n. 2. (spolio) locus, in quo vestes exuuntur, *spogliatojo*, ἀποδυτήριον.

I.) Proprie et speciatim. ¶ 1. Est locus arenæ proximus, quo recipiebantur et exuebantur gladiatores in arena jugulati: vel occidebantur, qui graviter vulnerati sine spe vitæ erant. *Seneca Ep.* 93. *sub fin.* Numquid aliquem esse tam stulte cupidum vitæ putas, ut jugulari in spoliario, quam in arena malit? Hinc illæ acclamationes in Commodum Imp. apud *Lamprid. Commod.* 18. et 19. Hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 489. 12. (*Orell. n.* 2554.) QVOD IS LVDVM ETIAM GLADIATORIVM ET SPOLIARIVM SOLO EMPTO SVA PECVNIA EXSTRVCTVM PVBLICE OPTVLERIT. *Alia* apud *Donat.* 465. 10. (*Orell. n.* 2532.) PRIMITIVVS CVRATOR SPOLIARII. — De spoliario V. *Lips.*, *Saturn.* 1. 18. ¶ 2. Item locus in balneis, in quo loturi vestes deponebant. *Gloss. Isid.* Spoliaria, exteriores balnearum cellulæ. *V.* APODYTERIUM.

II.) Translate est quivis locus, in quo quis vita aliave re privatur. *Seneca Provid.* 3. *a med.* Videant largum in foro sanguinem et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Sullanæ spoliarium est) senatorum capita. *Seneca* alter 5. *Controv.* 35. *de debilitante expositos.* Volo nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium. *Plin. Paneg.* 36. Quam juvat cernere ærarium silens et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere Deus, non spoliarium civium cruentarumque prædarum sævum receptaculum.

SPŎLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (spolio) spoliorum detractio seu spoliandi actus, ἔκδυσις, ac dein etiam deprædatio, σκύλευσις (It. *spogliamento, spoglio, saccheggio*; Fr. *spoliation, pillage*; Hisp. *despojo, expoliacion violente*; Germ. *das Entkleiden, die Plünderung*; Angl. *a spoiling*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Gloss. G. Lat.* ἔκδυσις, spoliatio. sc. actus spoliandi. — *b*) Latiore sensu est deprædatio. *Cic. Sext.* 21. 47. In tanta spoliatione omnium rerum. *Id.* 1. *leg. Agr.* 3. *sub fin.* Hinc vos quas spoliationes, quam nundinationem juris ac fortunarum fore putatis? *Liv.* 29. 8. *a med.* Avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit. *Cic.* 6. *Verr.* 59. 132. Spoliatione fanorum atque oppidorum.

II.) Translate est privatio alicujus rei. *Cic. Mur.* 40. *a med.* Spoliatio consulatus. *Id.* 2. *Phil.* 11. *a med.* dignitatis.

SPŎLĬĀTOR, ōris, m. 3. (spolio) qui alterum spoliat, *spogliatore*, σκυλευτήρ, λαφυραγωγός. *Cic.* 6. *Verr.* 36. 80. Neque solum spoliata illa patiere, sed etiam spoliatorem vexatoremque eorum defendes? *Liv.* 29. 18. Spoliator templorum. *Juvenal.* 1. 46. Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator Pupilli prostantis.

SPŎLĬĀTRIX, tricis, f. 3. (spoliator) quæ spoliat, σκυλεύτρια. *Cic. Cœl.* 21. 52. Tune (*ausa es*) Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? *Martial.* 4. 29. Sic spoliatricem commendat fastus amicam.

SPŎLĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SPŎLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spolium) *Spolior*, deponentium more, usurpat *Ennius Ann.* 600. apud *Donat. p.* 394. 8. *Keil.*, *Pompej. Comment. p.* 291. 25. *ibid.* et *Serg. expl.* in *Donat. p.* 564. 25. *ibid.* — Part. *Spolians* I. 2. *e*; *Spoliatus* I. 1. *a*, 2. *b*, *c*, *d* et II. 2. et in fin.; *Spoliandus* I. 2. *a*. — Spolio est vestes detraho, exuo, ἀποδύω (It. *spogliare, svestire*; Fr. *dépouiller*; Hisp. *despojar*; Germ. *entkleiden*; Angl. *to strip, bereave*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum Accusativo. *Lucan.* 7. 627. quis pectora fratris Cædat et ut notum possit spoliare cadaver, Abscisum longe mittat caput. — Passive. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 86. Quum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. *nudo*, et *Liv.* 2. 55. Consules spoliari hominem jubent. *Id.* 8. 32. Spoliari magistrum equitum. *Id.* 7. 26. corpus cæsi hostis. — *b*) Cum additis in Ablat. *Cic.* 3. *Off.* 11. 29. Spoliare aliquem vestitu. Sic *Nepos Thrasyb.* 2. *extr.* jacentem veste. *Liv.* 6. 42. Gallum cæsum torque. — *c*) Absolute. *Id.* 2. 55. Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere et spoliare lictor. ¶ 2. Latiore sensu est privo, deprædor, expilo, aufero. — *a*) Cum Accus. per-

sonæ vel rei, quæ spoliatur; aut etiam rei, qua quis spoliatur. *Ter. Hecyr.* 1. 1. 7. *ad meretricem.* Hortor, ne cujusquam misereat, quin spolies, mutiles, laceres quemque nacta sis. *Donat.* ad *h. l.* hæc habet: *Spoliare* est, non minimam partem auferre; *mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit; *lacerare* autem, quum omnino non habeas, quod imminuas. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 14. Monumenta antiquissima spoliavit nudavitque omnia. *Id. Sull.* 25. *a med.* Spoliare fana sociorum. — Passive. *Id. Cœl.* 2. 3. Quæ accusatores deformandi hujus causa, detrahendæ spoliandæque dignitatis gratia dixerunt. *Vellej.* 2. 80. *extr.* Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri non poterat, dignitas. — *b*) Cum additis in Ablat. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. Apollonium omni argento spoliasti ac depeculatus es. *Virg.* 6. *Æn.* 168., *Ovid. Ib.* 623. et *Justin.* 16. 4. *extr.* Spoliare aliquem vita. *Virg.* 11. *Æn.* 8. hostem telis. *Ovid.* 4. *Pont.* 11. 8. conjuge. *Id.* 4. *Fast.* 753. Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco. *Seneca Med.* 609. Spoliare Pelion umbra. *Justin.* 8. 4. *extr.* aliquem regno. *Cic. Dom.* 21. *sub fin.* aliquem præsidio. *Id. Planc.* 9. 22. fortunis. *Id. Mur.* 41. 88. dignitate. — Passive. *Lucret.* 4. 377. spoliatur lumine terra. *Ovid. Heroid.* 16. 107. Ardua proceris spoliantur Gargara silvis. *Virg.* 12. *Æn.* 935. spoliatum lumine corpus. *privato di vita.* et *Seneca Phœniss.* 29. huc omni duce spoliatus ibo. *senz' alcuna guida.* — *c*) Cum Accus. pro Ablat., Græcorum more. *Ovid.* 15. *Met.* 213. Hiems spoliata capillos. — *d*) Item cum Genetivo. *Lucret.* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 654. spoliatus luminis aer. Alii tamen leg. *lumine.* In libris *Lucretii* hoc hemistichium non apparet. — *e*) Absolute. *Ovid.* 12. *Met.* 439. Ast ego, dum parat hunc armis nudare jacentem *etc.* gladium spoliantis in ima Ilia demisi. *Tac.* 2. *Hist.* 56. Dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare, rapere, vi et stupris polluere.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. ductâ. *Petron. Sat.* 135. Dentibus folliculos leguminum perite spoliat atque in terram, veluti muscarum imagines, despuit. *h. e.* detrahit: legumina spoliat tunicis seu involucris. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Cic. Cœl.* 18. 42. Parcat juventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam. — *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 61. Tunc eam philosophiam sequere, quæ spoliat nos judicio, privat approbatione, orbat sensibus? *Id.* 1. *Orat.* 55. 235. Vide, ne dum novo et alieno ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam spolies atque denudes. *Id.* 3. *Off.* 19. 77. Spoliare probatum hominem fama. *Id. Brut.* 2. 6. Quum forum populi R., quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita et Romanis Græcisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus.

Spoliatus, a, um, etiam adjectivorum more, sive proprie sive translate occurrit; unde Comp. *Spoliatior.* — Spoliatus duo opposita significat, sc.

A) Est idem ac nudus, sine spoliis, privatus. *Petron. fragm.* 668. *Burmann.* Guttura nunc aliæ magnis monilibus ornent, Aut gemmas aptent capiti, tu sola placere Vel spoliata potes. *h. e.* vel inornata et incompta. *V.* MONILE. *Cic. Pis.* 16. *a med.* Nunc meam spoliatam fortunam cum tua florente conferam. *Id.* 6. *Att.* 1. Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.

B) Est spoliis indutus. *Augustin. Specul.* 118. ed. *Mai.* In hoc gemimus habitaculum nostrum, quod de cælo est, superrestiri cupientes; si tamen spoliati, non nudi inveniamur. *Cf. Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 5. 3., ubi leg. *vestiti.*

Homonym. Differunt *spoliare, privare* et *orbare* eo, quod *spoliare* fit vi plerumque, *privare* et *orbare* sine vi; ut *eripere* et *adimere* in illo *Cic. Quinct.* 15. 49. Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria. Ceterum *cf. Cic. Brut.* 2. 6. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 61. supra adlat. — Item *spoliare, mutilare* et *lacerare* apud *Ter. Hecyr.* 1. 1. 7., uti docet *Donat.* ad *h. l.* supra adlat.

SPŎLĬUM, ii, n. 2. Etiam *spolia, æ*, f. 1. apud *Augustin. Serm.* 148. ed. *Mai.* Cum magna spolia cælos penetraverat. — Vox conjungenda videtur cum Gr. σκῦλον, ejusdem significationis. Cf. tamen et σπολάς, vestis coriacea. — Spolium est pellis a corpore animalis detracta, exuviæ, σκῦλον (It. *pelle staccata dall' animale, spoglia;* Fr. *dépouille d'un animal, peau;* Hisp. *despojo de un animal, cuero;* Germ. *abgezogene Haut e. Thieres;* Angl. *the skin stripped off a beast*).

I.) Proprie. *Ovid. Heroid.* 4. 100. Illa feræ (*apri*) spolium pignus amoris habet. et 6. *ibid.* 13. Pervigilem spolium pecudis servasse draconem. *h. e.* arietis Phrixei. *Id.* 9. *Met.* 113. Alcides pharetraque gravis spolioque leonis. *Lucret.* 5. 951. Necdum res igni scibant tractare, neque uti Pellibus et spoliis corpus vestire ferarum. *Id.* 4. 58. lubrica serpens Exuit in spinis vestem. nam sæpe videmus Illarum spoliis vepres volitantibus auctas. *scoglie.*

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad omne id, quod hosti detrahitur. — 1.°) Sæpius in plur. num. — *a*) Universim. *Cic. pro leg. Manil.* 18. *extr.* Forum exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquerunt. *h. e.* rostris navium. Sic *Flor.* 1. 11. *a med.* Parta de Antio spolia C. Mænius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit. Sic *Sueton. Aug.* 18. *extr.* Locum castrorum exornatum navalibus spoliis Neptuno et Marti consecravit. *Cic. Rosc. Am.* 50. 145. Si spoliorum causa vis hominum occidere, spoliasti. *et mox.* Quis pirata fuit tam barbarus, ut, quum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? *Cæs.* 2. *B. C.* 29. Multa præterea spolia proferebantur, capti homines equique producebantur. *Varro Sat. Menipp.* 11. *p.* 101. *Oehl.* Spolia capere. *Id. ibid.* Spolia in stipitibus fixa vocantur τρόπαια. h. e. a τροπή, fuga, ut *id. ibid.* exponit. *Curt.* 6. 1. 14. Spolia jacenti demere. *Liv.* 5. 36. *et* 39. Cæsorum spolia legere. *Justin.* 24. 6. *init.* Opima præda et Orientis spoliis onusta. *Tac.* 11. *Ann.* 39. Spolia et captivos largiri. *Sall. Cat.* 20. Spolia belli magnifica. *Justin.* 6. 5. *sub fin.* Ut Athenæ a Lacedæmoniis dirutæ ex spoliis Lacedæmoniorum restituerentur. — Hinc metonymice. *Virg.* 4. *Æn.* 93. Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis. *vittoria, trionfo.* Cf. *Publil. Syr.* 646. Virtutis spolia quum videt, gaudet Labor. — *b*) *Spolia opima* dicebantur κατ' ἐξοχήν, quæ dux summus exercitus summo duci hostium cæso detraxisset, ut docet *Liv.* 1. 10. et 4. 20. *V.* OPIMUS. — *c*) *Spolia* de bonis fortunæ, facultatibus, divitiis dixit *Vulgat. interpr. Prov.* 31. 11. Confidit in ea (*muliere*) cor viri sui et spoliis non indigebit. — *d*) Et de foliis arborum, florum. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 139. Ridentes calathos spoliis agrestibus implet. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 21. Hic mihi nulla rosæ spolia. *V.* SPOLIO. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 310. — 2.°) In sing. num. *Sueton. Cæs.* 64. Paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. *Justin.* 19. 3. 6. Prædam non esse talem, quam veluti spolium victi hostis ostentent. *Virg.* 10. *Æn.* 500. Quo nunc Turnus ovat spolio. et 12. *ibid.* 94. validam vi corripit hastam, Actoris Aurunci spolium. *Sall.* 4. *Hist. fr.* 61. *Dietsch.* Asiam, spolium regis Antiochi, recepi. *Sil. It.* 5. 137. Spolium nobile. *Ovid.* 7. *Met.* 156. Spolio superbus. — Huc spectat et illud *Petron. Sat.* 13. Tuniculam tamquam mendici spolium fastidiose venditare. Sic *Ammian.* 17. 13. 33. Ego hostilis vocabuli spolium præ me fero. et *Ovid. Heroid.* 5. 140. Ille meæ spolium virginitatis habet. Similiter 8. *Met.* 87. prædaque potita nefandi Fert secum spolium sceleris. *h. e.* crinem, quem Scylla Niso detraxerat. Hunc versum, quem spurium quidam habent, legerat et *Priscian.* 5. *p.* 152. 4. *Keil.* — Spolia apud Romanos foribus præfigebantur, de quo more. *V. Tibull.* 1. 1. 54., *Propert.* 3. 7. 26. et *Sil. It.* 6. 434. et 446. ¶ 2. Refertur ad omne id, quod quocumque alio modo alicui ereptum aufertur, *preda, ruberia. Cic.* 3. *Off.* 5. 22. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 44. Eum uno mendacio devici: uno ictu extempulo cepi spolia. *Tac.* 15. *Ann.* 52. Invisa et spoliis civium exstructa domus. *Id.* 4. *Hist.* 42. Ex funere reipubl. raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus. et *ibid.* 14. Explere se spoliis et sanguine. *Id.* 1. *ibid.* 2. *de delatorib.* Alii sacerdotia et consulatus, ut spolia, adepti; procurationem alii et interiorem potentiam.

Homonym. Hoc interest inter *spolia* et *prædam*, quod *spolia* sunt, quæ adhærent hosti, ut vestes, arma, pecunia; *præda*, quæcumque alia hostium fuere. *Tac.* 12. *Ann.* 54. Prœliis congredi, spolia et prædas ad procuratores referre. Cf. etiam *Cic. Rosc. Am.* 50. 145. et *Justin.* 24. 6. *init.* supra adlat.

SPOMELIS, idis, f. 3. genus pomi, quod Dioscorides frigidissimum affirmat atque idem ad laborem digestionis incutere: stypticum tamen et stomacho accommodatum plerique dixere etc. *Plin. Valerian.* 4. 58. in *lemmate.*

SPONDA, æ, f. 1. exterior lecti aut grabati tabula aut tigillum, cui adnectuntur restes, quibus culcita sustinetur, *sponda del letto.*

I.) Proprie. *Ovid.* 8. *Met.* 655. torus est de mollibus ulvis Impositus lecto, sponda pedibusque salignis. *Petron. Sat.* 97. Imperavi Gitoni, ut raptim grabatum subiret annecteretque pedes ac manus institis, quibus sponda culcitam ferebat. *Gloss. Philox.* Sponda, ἀνήλατον.

II.) Translate. ¶ 1. Est alterutrum lecti latus: et proprie exterius, qua ascenditur, nam interius *pluteus* dicitur. *Martial.* 3. 91. Excidantque senem, spondæ qui parte jacebat. Namque puer pluteo vindice tutus erat. *Ovid.* 2. *Fast.* 345. Ascendit spondaque sibi propiore recumbit. *Horat. Epod.* 3. 22. Cubare in extrema sponda. Adde *Sueton. Cæs.* 49., ubi Cæsar per convicium *sponda interior regiæ lecticæ* vocatur. *V.* FORNIX et STABULUM. ¶ 2. Per synecdochen est ipse lectus, κλίνη. *Virg.* 1. *Æn.* 701. aulæis quum se regina superbis Aurea composuit sponda mediamque locavit. ¶ 3. Hinc sandapila, feretrum. *Martial.* 10. 5. Orciniana sponda.

SPONDÆUS. *V.* SPONDEUS.

SPONDĀĪCUS. *V.* SPONDIACUS.

SPONDĀIZON. *V.* SPONDEAZON.

SPONDĀLĪUM *vel* spondaulium, ii, n. 2. genus quoddam carminis trochaici in sacris adhibiti, quo etiam tibicines, quum modos facerent, utebantur: a σπονδή, libatio, et αὐλός, tibia. *V.* voc. seq. *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch.* Spondeus (*pes*) dictus παρὰ τὴν σπονδήν, quia in templis hoc pede quædam carmina componebantur, scilicet ut libantes sonum vocis abominosæ audire non possent: quum aulis paribus, ture incensis altaribus, musicus choros geminis gressibus explicaret, et æquipedi sono tibicen spondaulium canere juberet. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 193. Quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderantur spondaulia illa dicentis etc. Ita legend. putant *Salmasius* et *Voss.* in *Etymol. Turneb. Advers. l.* 20. *c.* 17. mavult *spondialia;* at *Gruter.* leg. *spondalia.*

SPONDAULES, æ, m. 1. σπονδαύλης, qui duabus tibiis in templis, antequam libationes fierent, canebat: a σπονδή, libatio, et αὐλός, tibia. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2487. *Putsch.* Spondeus (*pes*) e duabus longis, ut *rēgēs*, temporum quattuor, dictus a tractu cantus ejus: qui per longas tibias in templis a supplicantibus editur. Unde et spondaulæ appellantur, qui hujusmodi tibias inflare assueverunt. *Id.* 1. *Orig.* 17. 2. Unde et ii, qui tibiis canebant in sacris gentilium, spondaulæ nominabantur. *Alii leg.* spondiales.

SPONDAULĪUM. *V.* SPONDALIUM.

SPONDĒĀDEUS, a, um, adject. (spondeus) spondaicus. *Plot. Sacer. De metr. p.* 500. 14. et 25. *Keil.* Metrum spondeadeum. *Id. ibid. p.* 506. 22. Monoschematistus spondeadeus. *V.* tamen *Quicherat* ad *h. l.*

SPONDĒAZON *vel* spondiazon, ontis, m. ad-

ject. seu particip. a Gr. σπονδειάζων, rectius quam σπονδαΐζων, spondeum vel spondeos habens. *Plot. Sacerd. De metr. p.* 509. 14. Additur dactylico quidam spondeazon (*Keil* spondeadeum), unde etiam apud Homerum invenitur versus omnibus spondeis constans, *Iliad.* λ. Ἀτρείδης· τὼ δ' αὖτ' ἐκ δίφρου γουνάζέσθην. Apud Virgilium, si unam detraxerimus syllabam illi versui (7. *Æn.* 634.), faciemus spondiazontem: *Aut levis ocreas lento ducunt argento.* e littera sublata, ubi est syllaba cre. et *Fortunatian. p.* 284. 23. *Keil.* Qui (versus) plures spondeos, quam dactylos, habent, quasi minus bonos et sine dactylo parum teretes et sonoros, spondiazontas appellaverunt. *Diomed.* 3. *p.* 496. 13. *Keil.* Versus spondaizon. *Alii aliter leg.* Adde *Mar. Victorin.* 2. *p.* 72. 4. *Keil. Censorin. fr. de metr. p.* 616. 6. *ibid.* Duodecasyllabos spondiazon. Cf. *Diomed.* 3. *p.* 474. 17. *Keil.*, ubi *spondiazonta metra* legitur, perinde ac sit a sing. *spondiazontus, a, um.*

SPONDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SPONDĔO, spondes, spŏpondi, sponsum, spondere, a. 2. — *a*) *Spepondi* antiquum præteritum perf., cum syllabica reduplicatione, more Græcorum, ut *pepugi, peposci, memordi* et alia, quæ *Gell.* 7. 9. collegit, pro *spespondi*, extrita prima littera, euphoniæ gratia, ut in *steti, scicidi*, pro *stesti, sciscidi* (quamquam hujusce formæ exemplum affert *Loewe* in *Prodr. Gloss. p.* 428. 33. Spospondit: pollicitus est vel promisit). *Val. Antias* apud *Gell. loc. cit.* Et ceteri qui pacem spoponderant. Addit autem *Gell. ibid.*, Tullium quoque et C. Cæsarem *memordi, pepugi, spepondi* dixisse. Habet etiam *Inscript.* apud *Murat.* 337. 5. et 439. 1. STIPVLATVS EST M. HERENNIVS AGRICOLA SPEPONDIT T. FLAVIVS ARTEMIDORVS. — *Sponsis* pro *spoponderis V.* infra. — *Sponderat* pro *spoponderat* apud *Tertull.* 3. *carm. advers. Marcion.* 135. Fixa fides Domini, quæ sponderat, omnia fecit. — *Sponden* pro *spondesne* apud *Plaut. Trin.* et *Varron. loc. infra cit.* — *Sposus* pro *sponsus* habet *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 6403. Adde *aliam* apud *Rénier n.* 1604. — *b*) *Varro* 6. *L. L.* 69. *Müll.* et *Verrius* apud *Fest. p.* 329. 23. *Müll.* a *sponte* dictum putant, quod *spondere* dicatur, qui sponte, id est voluntate, promittit. Alii a σπονδή, libamen, item fœdus, a σπένδω, libo: quod in fœderibus et pactionibus libamina diis offerebant. Hanc notationem agnoscit idem *Verrius ibid.* et etiam etymologi recentiores, qui vocem conjungunt cum Skr. *spand* ejusdem significationis. *V.* etiam *Kärcher, De opt. Lat. Lex. cond. ratione p.* 19. — Part. *Spondens* sub *A* I. 2. 2.° et II. 1. et 2.; *Sponsus* sub *A* I. 1. 3.° et in fin. — Spondeo duo diversa significat, quamvis quodammodo affinia; et quidem

A) *Spondeo* est do, offero, sollemni quodam ritu promitto, ἀναδέχομαι (It. *dar la parola, promettere solennemente, offrire, impegnarsi*; Fr. *promettre solennellement, s' engager à*; Hisp. *prometer formalmente, empeñarse*; Germ. *feierlich geloben, sich verpflichten*; Angl. *to promise or undertake pledge one' s word or credit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu — 1.°) Generatim usum habet in contractibus, pactis, sponsionibus, stipulationibus, fidejussionibus, quum quis se daturum quippiam aut facturum pollicetur vel pro altero se obligat. — *a*) Absolute. *Cato* apud *Rufin.* 18. *p.* 210. Qui stulte spondet. *Cic. Rosc. Com.* 5. 13. Quis spopondisse me dicit? *Liv.* 9. 5. Nomina omnium, qui spoponderunt, exstant. *Id.* 9. 5. Spoponderunt consules, legati, quæstores, tribuni militum etc. De pace Caudina loquitur. *Seneca* 4. *Benef.* 39. *a med.* Sponsum descendam, quia promisi. *h. e.* ibo ad forum, ut pro aliquo spondeam. *Virg.* 9. *Æn.* 296. Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis. Cf. *v.* 301. (*V. Lersch, Antiq. Verg. p.* 234. ad *h. l.*) — *b*) Cum Accus. *Cic. Cœcin.* 3. 7. Si quis quod spopondit, qua in re verbo se obligavit uno; si id non facit, maturo judicio sine ulla religione judicis condemnatur. *Colum.* 10. *præf. init.* Fenoris tui, quod stipulanti spoponderam tibi, reliquam pensiunculam percipe. *P. African.* apud *Gell.* 7. 11. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? *chi scommette?* et *Liv.* 9. 8. *sub fin.* Quod, spondendo pacem, servasset exercitus populi Rom. — Passive. *Varro* 6. *L. L.* 70. *Müll.* Spondebatur aut pecunia aut filia nuptiarum causa. *Id. ibid.* Pecunia sponsa. — *c*) Cum Infinito. *Liv.* 9. 9. Si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum. — 2.°) Speciatim cum Ablat. et præp. *pro*, vel absolute, est satisdare, *far pieggeria o sicurtà. Cic. Planc.* 19. *ab init.* Quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit. *Id.* 12. *Att.* 17. Quod pro Cornificio spopondisse dicit. *Id.* 1. *Fam.* 9. Quod mihi pro illo spopondisti. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 67. Hic sponsum vocat, hic auditum scripta. — 3.°) Item de sponsalibus; nam *spondere* dicitur pater, qui filiam alteri in matrimonium promittit (unde *sponsus* et *sponsa*), *promettere in isposa. Plaut. Trin.* 5. 2. 33. Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi? CHARM. spondeo, et mille auri Philippum dotis. et 2. 4. 170. Tuam sororem filio posce meo. LE. Quando ita vis, dii bene vortant. spondeo. Adde *Aulul.* 2. 2. 78. et *Curc.* 5. 2. 74. et al. *Poeta* apud *Varron.* 6. *L. L.* 70. *Müll.* Sponden tuam gnatam filio uxorem meo? — Passive. *Ter. Eun.* 5. 8. 6. Scis Pamphilam meam inventam civem? PA. audivi CH. scis sponsam mihi? — Impersonaliter. *Varro* 6. *L. L.* 70. *Müll.* Quo die sponsum erat, sponsalis. *V. Sponsus* in fin. et DESPONDEO. ¶ 2. Latiore sensu est polliceri, promittere, in quacumque re: et majorem se obligandi vim significat, quam *promitto.* — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Virg.* 5. *Æn.* 17. non, si mihi Juppiter auctor Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo. *Cic.* 5. *Phil.* 18. *extr.* Promitto, recipio, spondeo, *Id.* 11. *Att.* 6. Ea spondent, confirmant, quæ etc. *Id.* 5. *Phil.* 11. 28. Legiones, quibus honores et præmia spopondistis. *Ovid.* 10. *Met.* 395. Spondere fidem alicui. *Seneca* 4. *Benef.* 12. *a med.* Spondere pro judicato. *Cic.* 12. *Fam.* 21. Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed etiam mihi de te. *Id.* 12. *Att.* 14. Scire velim quando dicar spopondisse, et pro patre, anne pro filio. — *b*) Cum Infinito præsentis aut futuri. *Cic.* 13. *Fam.* 17. *ad fin.* Spondebo tibi vel potius spondeo in meque recipio, eos esse Curii mores, ut etc. *Ammian.* 17. 12. 11. Obedire præceptis promptissime spoponderunt. *Cic. Mur.* 41. *in fin.* Inimicissimum huic conjurationi futurum esse, promitto et spondeo. *Plin.* 1. *Ep.* 14. *sub fin.* At ego mea fide spondeo futurum, ut omnia longe ampliora, quam a me prædicentur, invenias. *Cic.* 14. *Phil.* 9. 26. Pausa aut morte aut victoria se satisfacturum reipubl. spopondit. — *c*) Cum Ablat. et præp. de. *Liv.* 24. 17. Multa sibi de lenitate Rom. spondebant. *Seneca Ep.* 19. Implent (*epistolæ tuæ*) me bona spe et jam non promittunt de te, sed spondent. — 2.°) De vaticinantibus et oraculis. *Val. Flacc.* 6. 117. Illius et dites monitis spondentibus Indi etc. *Id.* 3. 504. sponde, affore reges. *Sueton. Tib.* 12. De infante Scribonius mathematicus præclara spopondit. *V.* SPONSOR.

II.) Translate. ¶ 1. Universim. *Ovid. Ib.* 217. Te fera, nec quidquam placidum spondentia Martis Sidera presserunt. *Justin.* 7. 6. *init.* Magna de illo spes fuit, propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum. *Colum.* 3. *R. R.* 2. Vitis tum præcipua est, si nec nimis celeriter spondet, et primo quoque tempore deflorescit. *h. e.* florescendo uvam promittit. — Cum Infinito. *Liv.* 7. 30. Quod propediem futurum spondet et virtus et fortuna vestra. ¶ 2. *Spondere sibi*, sibi polliceri. *Seneca Octav.* 924. Regitur fatis mortale genus, nec sibi quidquam spondere potest firmum et stabile. *Justin.* 3. 4. *init.* Tantum sibi vel de viribus suis vel de fortuna spondentes. ¶ 3. *Spondere animo* vel *animis*, ut *pendere. Liv.* 28. 38. *a med.* Spondebant animis, bellum id, quod instaret, P. Cornelium finiturum. ¶ 4. *Sponsis bene* benequæ *volueris*, formula in precatione augurali Messala augur ait significare spoponderis, volueris. *Fest. p.* 351. 10. *Müll.* Pro *volueris* priore loco *Scalig.* legit *voleris*; recitatque in *Conjectan. Varron. p. m.* 91. augurum formulam antiquæ precationis his verbis: Jovis pater, si mihi es auctor, urbi populoque Rom. Quiritium, hæc sane sarteque esse, uti tu nunc mihi bene sponsis beneque voleris. Cf. *Müllerum* ad *h. l. p.* 411.

B) Olim usurpatum est pro dicere. *Fest. p.* 343. 34. *Müll.* Spondere antea ponebatur pro dicere, unde et respondere adhuc manet; sed postea usurpari cœptum est de promissu ex interrogatione alterius. Cf. *Vulgat. interpr. Sap.* 18. 13. Spoponderunt, se populum Deo esse. *h. e.* professi sunt, dixerunt. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus, absolute, substantivorum more, usurpatur; unde

Sponsa, æ, f. 1. ¶ 1. Est mulier alicui promissa in matrimonium, pacta, sperata et nondum uxor (It. *sposa, novizia*; Fr. *fiancée*; Hisp. *desposada*; Germ. *die Verlobte*; Angl. *bride*).

I.) Proprie. *Ter. Andr.* 2. 1. 24. Sponsam hic tuam amat. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 21. Flebili sponsæ juvenemve raptum Plorat. Cf. *Inscript.* apud *Henzen, n.* 6191. IVLIAE MAIORI SPONSAE AC MARITAE KARISSIMAE P. OCTAVIVS LAETVS FL. AVGGG. PP. (*h. e.* Flamen Augustorum trium perpetuus) FECIT. ¶ 2. Dicitur etiam honestiore vocabulo de uxore, sicut et sponsus de marito. *Inscript.* apud *Rénier, n.* 564. IVLIA FORTVNATA V. A. (*h. e.* visit ann.) XXVIII. M. X. CVM SPONSO SVO... CORNIFIC. FORTVNATVS... SPONSAE SVAE KARISSIMAE FECIT. Adde *aliam ibid. n.* 563. Cf. *Vulgat. interpr. Matth.* 25. 1. *Apoc.* 21. 2. et 9. et *Eph.* 5. 22., 25. et 32. — *Suam cuique sponsam, mihi meam* proverb. ex vet. *Poeta* apud *Cic.* 14. *Att.* 20., quo significatur unicuique suum esse gustum.

II.) Translate. ¶ 1. De viro molli. *Martial.* 6. 64. et sponsam possit te sponsa vocare. ¶ 2. Apud scriptores Ecclesiasticos *sponsa* dicitur de Ecclesia universa, ut Christus Ecclesiæ *sponsus*. Cf. *Isid.* 7. *Orig.* 2. 33. et *Vulgat. interpr. Apoc.* 21. 2. et 9. et 22. 17.

Homonym. Inter *speratam, pactam* et *sponsam* hoc interest, quod virgo, priusquam petatur, sperata dicitur; debinc promissa, dicta vel pacta vel sponsa dici potest. Ita *Nonius p.* 439. 5. *Merc.*

Sponsum, i, n. 2. idem ac sponsio. *Varro* 7. *L. L.* 107. *Müll.* Apud Nævium in Romulo: sponsus contra sponsum rogatus. Adde 6. *ibid.* 70. *Cic. Quinct.* 9. 32. Ex sponso egit. *Alii leg.* sponsu.

Sponsus, i, m. 2. qui desponsus est, nondum maritus (It. *sposo*; Fr. *fiancé*; Hisp. *desposado*; Germ. *der Verlobte*; Angl. *bridegroom*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Cic.* 2. *Invent.* 26. *a med.* Sponsi nomen appellans ideutidem. *Horat.* 3. *Od.* 2. 10. ne rudis agminum Sponsus lacessat regius asperum Tactu leonem. — *b*) Latiore sensu, procus, *innamorato. Id.* 1. *Ep.* 2. 28. Sponsi Penelopes, nebulones. Cf. *Maximian. Eleg.* 1. 72. Sic cunctis formosus ego gratusque videbar Omnibus et sponsus sic generalis (*al.* genialis) eram. Sed tantum sponsus: nam me natura pudicam Fecerat. — *c*) Et maritus. *Vulgat. interpr. Exod.* 4. 25. de *Sephora.* Sponsus sanguinum tu (*Moyses*) mihi es. *h. e.* tu, conjux, fundendi carissimi sanguinis caussa mihi fuisti. Ita *Weitenauer.*

II.) Translate apud Ecclesiasticos scriptores dicitur de Christo erga Ecclesiam, quam sponsam sibi suo sanguine acquisivit. (Cf. *Act.* 20. 28.) *Isid.* 7. *Orig.* 2. 33. Sponsus (*Christus*), quia descendens de cælo adhæsit Ecclesiæ, ut pace novi testamenti essent duo in carne una.

Homonym. Inter *polliceor, promitto, spondeo* et *recipio* hoc interesse statuimus, quod *polliceri* est res magnas promittere, *promittere* vero est res quaslibet sive parvas sive magnas offerre. Aliter *pollicemur* sponte, *promittimus* rogati. Etsi hoc discrimen perpetuum non est. *promitte-*

re est nudis verbis polliceri, ex quo constituitur tantum nudum pactum; *spondere* autem est per stipulationem promittere, unde oritur actio ex sponsu; *recipere* est fidem dare, se præstiturum. Ita etiam *recipere* plus est quam *promitto*; et *spondeo* plus quam *promitto* et *recipio*. *Cic. Planc.* 42. 101. Nihil tibi ego de meis opibus **pollicebar**; sed horum erga me benevolentiam **promittebam**. *Cic. Mur.* 41. *in fin.* Futurum esse **promitto** et **spondeo**. et 5. *Phil.* 18. *extr.* **Promitto, recipio, spondeo.** *Seneca Ep.* 19. Non **promittunt** de te sed **spondent**. Quamquam jurisconsulti, ut ait *Popma*, interdum promittendi verbum latius interpretantur et non modo ad nudam promissionem, sed etiam ad sponsionem referunt. Itaque si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem, perinde haberi volunt atque si, interrogatione præcedente, responsum sit, spondeo, auctore *Ulp. Inst. D. de Inutil. Stip.* § 17. Item dicendum de *pollicitatione*, quæ apud jurisconsultos pro simplici *promissione* nonnumquam occurrit.

SPONDĔUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SPONDĒUS, spondæus, spondius *et Græca positione* spondeos, a, um, adject. (σπονδεῖος) est proprie qui ad libationes pertinet, vel qui in libationibus adhibetur. Hinc *spondeus pes* et, absolute, *spondeus*, dictus a metricis, qui duabus syllabis longis constat, ut *omnes, possunt*, quod eo ἐν ταῖς σπονδαῖς ἔχρωντο, idest in libationibus uterentur, ut scribit Hephæstionis Scholiastes et *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch. Capell.* 9. *p.* 332. Spondeus, quia plerumque σπονδαῖς inservit. ubi *Koppius* ait *spondæum*, cum diphthongo, mendosum esse, licet Græce sit σπονδεῖος. *Terentian. De metr. v.* 1375. *p.* 2413. *Putsch.* Est huic (*iambo*) adversus ille, qui duas longas habet, Syllabis compar priori, temporis duplum merens, Qui quod in templis canorus a sono vocis malæ Auribus libantis obstat et favet, spondeus est. *Id. ibid. v.* 292. Dactylon in primo reddens, spondeon in imo. *Cic. Orat.* 64. 216. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi quod est a duabus longis, hebetior videtur et tardior, habet stabilem quamdam et non expertem dignitatis gradum; in incisionibus vero multo magis et in membris; paucitatem enim pedum gravitatis suæ tarditate compensat. Adde *Quintil.* 9. 4. 80. *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 480. *Riese.* Pes est spondius, longa qui constat utraque. *Quintil.* 9. 4. 97. Spondeo (*in clausulis*) plurimum est Demosthenes usus: optime præcedet eum creticus. *Id. ibid.* 101. Duo spondei non fere jungi patiuntur. *Id.* 99. Iambo spondeus recte præponitur. Sic *Horat. Art. P.* 256. Iambus-Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures, Spondeos stabiles in jura paterna recepit. — *Pontificius* pes dictus est olim a Numa Pompilio, qui Salios induxit æquis gressibus spondeo melo deos placantes: quasi tarditas illa vocum et altius insideret eorum auribus et prosperam voluntatem jugibus votis firmaret. *Diomed. loc. cit.* — Hinc absolute, substantivorum more

Spondeum vel *spondæum, i*, n. 2. ¶ 1. Est poculum libatorium in sacrificiis adhibitum. *Apul.* 11. *Met.* De penetrali fonte petitum (*liquorem*) spondeo libat. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1871. *p.* 36. SPONDEVM I. ARGENTEVM ET PATERA. ¶ 2. Est etiam carmen spondaicum. *Cic.* apud *Boeth.* 1. *Music.* 1. Admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur. Quod quum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate cantus illorum (*juvenum*) furentem petulantiam consedisse. Cf. *Quintil.* 1. 10. 32.

Spondeus, spondius etc., *i*, m. 2. pes spondeus. *V.* supra.

SPONDĬĂCUS et spondaicus, a, um, adject. σπονδιακὸς vel σπονδειακός, ad spondeum pertinens. *Terentian.* apud *Priscian. De vers. Com. p.* 1321. *Putsch.* Vitiant iambum tractibus spondaicis. *Augustin.* 3. *Music.* 4. Non erit jam proceleusmaticus rhythmus, sed spondiacus aut dactylicus aut anapæsticus. — *Spondaicus versus* in heroicis est, qui ex solis spondeis constat: quem quidem Molossicum dixerunt, ut: Romani victores Germanis devictis. Tale est et apud Homerum Ψυχὴν κυκλίσκων Πατροκλῆος δειλοῖο. *Diomed.* 3. *p.* 494. *et* 513. *Putsch.* — Sic nominari potest etiam qui omnes spondeos habet præter pænultimum, ut illud *Virg.* 2. *Æn.* 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. — Item qui spondeum habet loco dactyli, ut *id.* 4. *Ecl.* 49. Cara deum soboles, magnum Jovis incrementum. *V.* SPONDEAZON.

SPONDĬĀLIS. *V.* SPONDAULES et SPONDALIUM.

SPONDĬĀLIUM. *V.* SPONDAULIUM.

SPONDĬAZON. *V.* SPONDEAZON.

SPONDĬAZONĬCUS, a, um, adject. (spondiazon) ad spondiazontem pertinens. *Max. Victorin. p.* 1962. *Putsch.*

SPONDĬAZONTUS, a, um. *V.* in SPONDEAZON.

SPONDĬLIUM. *V.* SPONDYLIUM.

SPONDĬUS. *V.* SPONDEUS.

SPONDOGOS lanugo in rosa silvatica, apud *Marcell. Empir.* 27. *p.* 127. retro *init.* Fortasse est *spongodes*, spongiæ similis: sane paullo post eodem sensu *spongia* occurrit.

SPONDŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sponda, parva sponda. Vox a Lexico expungenda; legitur namque solummodo in *Not. Tir. p.* 155.

SPONDŬLUS, i. *V.* SPONDYLUS.

SPONDȲLE et sphondyle, es, f. 1. σφονδύλη, genus serpentis seu insecti tetri odoris, quod omnes arborum radices rodendo persequitur, ut *Plin.* tradit 27. *Hist. nat.* 13. 118. (143).

SPONDȲLĬUM (on), sphondylium (on) *vel* spondilium, ii, n. 2. (σπονδύλιον vel σφονδύλιον) *Sphondylium* legitur apud *Scribon. Compos.* 2. et 5. et *spondilium* apud *Isid.* 11. *Orig.* 1. 95. — Spondylium ¶ 1. Est genus plantæ ex ferularum genere, a panace differens foliis tantum, quia sunt minora, platani divisura: non nisi in opacis nascens: semine, quod eodem nomine est, silis speciem habente et medicinæ tantum utili. Ita *Plin.* 12. *Hist. nat.* 26. 58. (128), qui 24. *ibid.* 6. 16. (25). recenset ejus utilitates in medicina. (*Heracleum Spondylium* Linn.) ¶ 2. Dicitur etiam de vertebris. *V.* voc. seq. *Isid. loc. cit.* Spina est junctura dorsi, dicta eo quod habeat radiolos acutos, cujus juncturæ spondilia appellantur, propter partem cerebri, quæ fertur per eos longo tractu ad ceteras corporis partes. ¶ 3. Et de carne interiore ostreorum. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 35. Danda maritima, quæ non sint contraria solutioni, ut squillæ, mulli, carabi, bucini, spondylia, conchylia.

SPONDȲLUS *vel* sphondylus, i, m. 2. (σπόνδυλος et σφόνδυλος) Scribitur *sphondulus* et *spondulus* in *Edict. Diocl.* 5. 10. et etiam *sfondilus* apud *Apic.* 2. 49. etc. — Spondylus ¶ 1. Est vertebra, articulus, nodus spinæ dorsi in animalibus, *vertebra, spondilo, giuntura. Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (67). Primum spondylum draconis adiutus potestatem mulcere. *Id.* 32. *ibid.* 10. 38. (116). Tertianis mederi dicitur et spondylus percæ adalligatus. *Veget.* 4. *Veterin.* 1. In cervice jumenti sunt spondyli septem. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. 62. ¶ 2. Item callus ostreorum et aliarum concharum, quo et utraque testa continetur et sua caro testæ adhærescit: Græce τράχηλος, quia colli quodammodo vice fungitur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (60). Præcipua habentur (*ostrea*) spissa, neque in luto capta neque in arenosis, spondylo brevi atque non carnoso nec fibris lacinioso. *Id. ibid.* 11. 54. (154). Intus pro spondylo (*Sillig.* intus spondyli) grandis caro est. ¶ 3. Item genus piscis marini e concharum genere. *Metell.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Ante cenam echinos, ostreas, peloridas, spondylos (al. *sphondilos*), turdum, asparagos. *Martial.* 7. 20. Rosos tepenti spondylos sinu condit. Adde *Senec. Ep.* 95. *ante med.*, *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). et *Colum.* 8. *R. R.* 16. *a med.*, ubi quoque alii leg. *sphondylus. Edict. Dioclet. loc. cit.* Sphonduli marini N. centum ※ quinquaginta. ¶ 4. De capitibus carduorum sativorum in *eod.* 6. 2. Sponduli n. decem ※ sex. Cf. *Galen. de fac. alim.* 2. 51. Πολλοὶ ἐσθίουσι τὰς οἷον κεφαλὰς τῶν κινάρων ἃς ὀνομάζουσι σπονδύλους.

SPONGĂRĬUM, ii, n. 2. σπογγάριον deminut. τοῦ σπόγγος, spongia. Est nomen cujusdam collyrii ab *Alex. Trall.* l. 2. c. 1. memorati, cujus etiam compositionem *id. ibid.* docet. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des ocul. p.* 65. c. CINTVSMINII BLANDI SPONGARIVM LENE.

SPONGĔA, SPONGĔĀRĬUS etc. *V.* SPONGIA etc.

SPONGĬA et spongea, æ, f. 1. (σπογγιά, σπόγγος) *Spungia* quoque legitur in *Anthol. Lat. n.* 481. *p.* 302. *Riese*, et apud *Vulgat. interpr. Ital. Marc.* 15. 26. ex Cod. *Rehd.* — Item *sfongia* et *sfungia* apud *Isid. loc.* infra *cit.* in optt. codd. vulgi consuetudine. At *Charis.* 1. *p.* 84. *Putsch.* monet *spongiam* sine aspiratione dicendam esse. — Notatio vocis, quam habet *Isid.* 12. *Orig.* 6. 60., ut sit a *fingendo*, sc. nitidando, extergendo, est satis inepta: videtur potius vox Græca et Latina deducta ἀπὸ τοῦ σπᾶν τὰ ὑγρὰ vel τοῦ σφίγγειν κατὰ τὰς ἐκθλίψεις, *h. e.* ab attrahendo vel exprimendo humore. *Döderlein* tamen conjungit cum v. *fungus.* — Spongia est molle corpus, rarum et fistulosum, medium inter animal et plantam et utriusque naturæ particeps; cujusmodi a Græcis ζῴοφυτα appellantur, ab Italis *piantanimali.* Est enim sensu præditum et avulsoris manum refugit, contrahens se: quod idem fluctu pulsante facit: avulsum relinquit in petra, cui adhærescit, velut cruoris vestigium: idem tamen immobile instar fruticis et progrediendi virtute omnino carens. Nascitur in marinis petris aliturque conchis, pisce, limo. V. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 69. et 31. *ibid.* 11. 47., ubi de his plura. Græce σπογγιά (It. *spugna*; Fr. *éponge*; Hisp. *esponja*; Germ. *der Schwamm*; Angl. *a sponge*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 46. (129). Capita ostrearum generi nulla, nec spongiis nec aliis fere, quibus solus ex sensibus tactus est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 136. In pulmonibus inest raritas quædam et assimilis spongiis mollitudo. *Lucret.* 4. 619. ceu plenam spongiam aquai Si quis forte manu premere exsiccareque cœpit. *Sueton. Vesp.* 16. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret; quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi et siccos madefaceret et exprimeret humentes. — Varius earum usus, ad distringendum et mundandum, strigilium et linteorum vice: tergendis mensis et pavimentis, exhauriendis siccandisque liquoribus. Imbibunt enim facile, nec reddunt nisi comprimantur. *V.* PENICULUS. *Martial.* 13. 47. Ut levis accepta spongia turget aqua. *Id.* 14. 144. Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis Utilis, expresso quum levis imbre tumet. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (169). Supernatans aqua tollitur spongiis. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *circa med.* Spongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia exterguntur. *Martial.* 12. 48. infelix damnatæ spongia virgæ. *h. e.* lignum in latrinis ad emundanda obscœna, adhærente spongia: quod militem quemdam Germanum, damnatum ad bestias, in gulam farsisse narrat *Seneca Ep.* 70. *a med.* et præclusisse spiritum vitandi supplicii causa. Hinc *spongia aliquid effingere*, extergere. *V.* EFFINGO. — Et pictores eluendis coloribus spongia utuntur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (103). narrat de Protogene, quum spumam in ore anhelantis canis exprimere vellet, nec ex sententia res ibi succederet, iratum arti spongiam impegisse tabulæ, et reponente illa ablatos colores, casu veræ spumæ speciem exstitisse: idem Nealci evenisse in spuma equi. — Et qui scribunt, delendis quæ non placuere: hæc autem a *Varron.* apud *Non. p.* 96. 14. *Merc.* spongia deletilis dicitur. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *init.* de *Augusto.* Ajacem tragœdiam scripserat, eamdemque, quod sibi displicuisset, deleverat. postea Lucius gravis tragœdiarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax suus. et ille, *In spongiam*, inquit, *incubuit.* Eadem narrat *Sue-*

ton. Aug. 85. *Id.* vero *Cal.* 20. eos, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos. Adde *Martial.* 4. 10. et *Auson. epist.* 7. 54. *V.* LACTICOLOR. Hinc frustra laborant, qui dictum *Augusti* aliter intelligi volunt, ut est apud *Leon. Allat. in antiquit. Etrusc.* § 60. *V.* infra. — Aliæ sunt præterea spongiarum utilitates. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (55). Acetum calidum in spongia medetur sedis vitiis. et *ibid.* 23. (44). Cardiacis in mamma læva merum in spongia imponi potest. Adde 31. *ibid.* 11. 47., ubi multiplices spongiæ usus in medicina enumerat: præcipue vero in extergendis vulneribus ac fovendis et in comprimendo sanguine. *Pelagon.* 5. 4. Spongiam mollem nitro et aqua maceratam in auriculam mittito. *Marcell. Empir. c.* 10. *p.* 100. *retro.* Spongia mollis. *Id. ibid. p.* 101. Africana. Pulcre *Auct. Symp. Ænigm.* de *spongia* in *lemmate.* Ipsa gravis non sum, sed aquæ mihi pondus inhærent: Viscera tota tument patulis diffusa cavernis: Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. *Spongia* vocabatur thorax seu lorica in modum spongiæ elaborata, qua utebantur interdum milites et gladiatores: quemadmodum *pluma,* si plumæ, et *squama,* si squamæ figuram haberet, dicebatur. *V.* PLUMA, PLUMATUS et SQUAMA: hinc etiam clibanarii appellati sunt milites, quibus thorax in clibani modum esset. *V.* CLIBANARIUS. Ita interpretatur etiam *Lipsius l.* 3. *de milit. R. dial.* 6. hunc locum *Liv.* 9. 40. *de Samnitib.* Spongia pectori tegumentum et sinistrum crus ocrea tectum, galeæ cristatæ etc. et *Tertull. Spectac.* 25. Poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum et spongias retiariorum? — Huc spectat quoque jocus Augusti apud *Macrob.* supra *cit.,* qui ideo facetus est, quia simul et spongiam innuit, qua scripta minus probata delebantur, et eam, qua pectus munire solebant milites et gladiatores. Constat enim, Ajacem Telamonium in pectus sibi ensem adegisse. V. *Henzen, Explic. mus. p.* 41. et 46. ¶ 2. A similitudine, *spongiæ* dicuntur asparagorum radices. *V. Girol. Romano Lett.* 23. *Luglio* 1832. « Li Toscani li chiamano *spugnoli* e *spungini* ». *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Sativi asparagi semina quum sic obrueris, ut quantum tres digiti seminis comprehendere queunt, singulis fossulis deponas, fere post quadragesimum diem inter se implicantur et quasi unitatem faciunt: quas radiculas sic illigatas atque connexas olitores spongias appellant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (146). Hortensium (*asparagorum genus*) seritur spongiis. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 9. *circa med.* ¶ 3. Item mentæ. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 47. (159). Seritur menta vel, si nondum germinat, spongia. ¶ 4. Item confervæ. *Id. ibid.* 4. 22. (63). Carnosa aliqua appellabimus, ut spongias in humore pratorum enascentes. *V.* CONFERVA. ¶ 5. *Spongia rosæ,* apud *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 126. et 127. *retro.* *V.* locum. ¶ 6. Ita etiam dicitur pilula, quæ in mediis spinis cynorrhodi nascitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 30. (94). et 25. *ibid.* 2. 6. (18). ¶ 7. Item ferri massa fracta, postquam liquatum est. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (146). Mirum, quum excoquitur vena, aquæ modo liquari ferrum, postea in spongias frangi. ¶ 8. Spongiæ lapides inveniuntur in spongiis et sunt nativi. *Id.* 36. *ibid.* 19. 35. (143). ¶ 9. Est et lapis fistulosus hoc nomine; de quo *Pallad.* 1. *R. R.* 10. *a med.* Calcem quoque ex albo saxo duro vel Tiburtino coquemus, aut rubro aut spongia aut marmore. Adde *Vitruv.* 2. 6. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SPONGIĀRIUS, ii, m. 2. qui spongiis negotiatur. *Inscr.* apud *Garrucci, dissert. archeol. T.* 2. *p.* 72. C. MESTRIO C. F. ALAFAE SPONGIARIO. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 2483.

SPONGIO, as, are, a. 1. σπογγίζω, spongia abstergeo. Est *Apicii* 1. 26. et 8. 1., eique, ut coquo et culina dignum, relinquendum, facete inquit *Forcellinus* noster. Sed fortasse ubique legend. *spongizo.* Cf. hanc voc.

SPONGIŎLA et spongeola, æ, f. 1. *deminut.* a spongia, parva spongia. Dicitur autem ¶ 1. De pilula, quæ in cynorrhodo nascitur, ut in SPONGIA diximus, apud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 6. (18). ¶ 2. Et de radicibus implexis asparagi, ut in ead. voce dictum est, apud *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.*

SPONGIŎLUS et spongeolus, i, m. 2. (spongia) genus fungi pratensis, qui et fungulus appellatur, *prugnuola:* nostrates vulgo *sponzólo* dicunt. *Apic.* 5. 1. Lenticula ex spongiolis sive fungulis. Adde 2. 1. et 3. 20.

SPONGIŌSUS et spongeosus, a, um, adject. (spongia) spongiæ similis, fistulosus, rarus, *spugnoso,* σπογγιώδης. *Cels.* 4. 1. Pulmo spongiosus ideoque spiritus capax. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). Pulmo spongiosus. *Id.* 18. *ibid.* 11. 27. (105). Panis tenuis et spongiosa inanitate. *Id.* 36. *ibid.* 21. 42. (155). Pumices spongiosi et aridi.

SPONGĪTIS, itidis, f. 3. σπογγῖτις, gemma spongiam ferens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182).

SPONGĪUS et spongeus, a, um, adject. (spongia) idem ac spongiosus. *Cassiod.* 11. *Variar.* 38. *de papyro.* Nescio qua vacuitate plena et plenitudine vacua, bibula teneritudine spongium lignum. *Alii rectius leg.* spongeum. *Apic.* 7. 11. Ora spongia ex lacte. *Alii* sfongia.

SPONGIZO, as, are, a. 1. σπογγίζω, spongia extergeo. *Apic.* 7. 16. Accipies cochleas, spongizabis, membranam tolles, ut possint prodire. *Id.* 8. 7. Coctum spongizas, sine pipere inferes. Alii leg. *sfongizas,* alii vero *sfongias.* Adde 1. 26. et 8. 1., ubi pro *spongiare* leg. *Schuch.*

SPONGOS, i, f. 2. σπόγγος. ¶ 1. Est idem ac spongia. *Juvenc.* 4. 697. tunc concitus unus Cogebat spongo turpi calamoque revincto Impressum labiis acidum potare saporem. ¶ 2. Ita etiam vocatur quoddam cucurbitæ genus. *V.* SOMPHOS.

SPONS, spontis, f. 3. Ratione habita etymi, alii ducunt a *spondeo;* alii a Skr. *k'handa,* desiderium (*Bopp, Gloss. comp.* 142.). — In recto rarissime usurpatur; in Genetivo raro; in Dat. et Acc. numquam; in Ablativo sæpe. Caret plurali. — Huic perperam legitimi substantivi vim negare videtur *Madvig* in adn. ad *Cic. de Fin. p.* 690. — Spons est voluntas, libentia, *volontà, piacere, desiderio.*

I.) *Spons,* in recto casu. *Auson. Edyll.* 12. *per interr.* et *resp.* 11. Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons. Adde *Charis.* 1. *p.* 34. *Putsch.*

II.) *Spontis,* in genetivo, ut *suæ spontis esse,* sui arbitrii, sui juris, dominum sui esse. *Cels.* 1. 1. Sanus homo, qui et bene valet et suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet. *può far a suo modo.* Apud *Colum.* 9. *R. R.* 4. Cytisus suæ spontis. *h. e.* sine satu proveniens: cui opponitur sativa. *et* 11. *ibid.* 3. *ante med.* Aqua suæ spontis. *h. e.* quæ sponte fluit: cui opponitur manu illata. *Varro* 6. *L. L.* 71. *Müll.* Despondisse animum dicitur, ut despondisse filiam, quod suæ spontis statuerat finem. *h. e.* suæ voluntatis.

III.) *Sponte,* in ablativo, est libenter, ultro (It. *spontaneamente;* Fr. *spontanément, de plein gré;* Hisp. *espontaneamente;* Germ. *aus freiem Willen, freiwillig;* Angl. *spontaneously, freely*). ¶ 1. Generatim. — 1.°) De animantibus. — *a*) Absolute. *Varro* 6. *L. L.* 69. *Müll.* Spondeo a sponte. nam id valet, a voluntate. *Plin.* 6. *Ep.* 29. *extr.* Opto, ut ea potissimum jubear, quæ me deceat vel sponte fecisse. *Lucan.* 5. 500. Sponte per incautas audet tentare tenebras, Quod jussi timuere, fretum. *Sil. It.* 13. 156. Prævetitum namque et capital committere Martem Sponte viris. *di suo capriccio,* sine venia ducis. *Virg.* 11. *Æn.* 827. simul his dictis linquebat habenas Ad terram non sponte fluens. *mal volentieri, per forza.* et 4. *ibid.* 361. Italiam non sponte sequor. *non di mio volere o capriccio.* et *Ovid.* 11. *Met.* 486. Sponte tamen properant alii subducere remos. *Id.* 15. *ibid.* 62. Sponte exsul erat. *Cels.* 5. 26. Sponte tamen vomere non alienum est. *Seneca Ep.* 95. Sponte delinquere. — *b*) *Ex sponte,* vel potius conjunctim *exsponte,* fere idem ac sponte, apud *Augustin. Serm.* 24. *n.* 3. ed. *Mai.* Sed ille rex non super omnes regnat, nisi super eos tantum, qui se ei exsponte et voluntate subjecerint. — *c*) Cum præmisso, et aliquando etiam postposito, *mea, tua, sua, nostra, propria, aliena,* et, apud sequiores, *propria, quadam.* *Ter. Adelph.* 1. 1. 50. Satius esse sua sponte recte facere, quam alieno metu. *Id. Andr.* 4. 2. 9. Age, si hic non insanit satis sua sponte. *di sua spontanea volontà, di moto proprio.* et *Lucil.* apud *Varron. loc. cit.* Sponte ipsam suapte adductam, ut tunicam et cetera rejiceret. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Ariovistus respondit, transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis. *et* 6. *ibid.* 13. Et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a propinquis parentibusque mittuntur. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Verissime possum respondere, te, quæ facias, tuo judicio et tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio. *Id.* 4. *ibid.* 3. Neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denunciante te. *Id.* 4. *Phil.* 3. 8. Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte suoque judicio excitatam. *Id.* 15. *Att.* 27. Gaudeo id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram. *Nepos Cim.* 3. Lacedæmonem sua sponte est profectus. *h. e.* sine jussu. *Cic.* 6. *Fin.* 17. 46. In his rebus summe nostra sponte moveamur. *Liv.* 10. 25. Ipse sua sponte. *Ammian.* 17. 2. 28. et 4. 31. 12. Propria sponte. — *Virg.* 4. *Æn.* 340. Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis et sponte mea componere curas etc. *a mio modo.* et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Natura arborum sponte sua provenientium etc. et *Quintil.* 3. 6. 8. Sponte nostra velut donantes. *Id.* 5. 10. 125. Rationem sponte quadam sequatur. — *d*) Præcedente præp. *de.* *C. Cotta* apud *Charis.* 2. *p.* 105. *Putsch.* Tu de tua sponte hic cum religione. — Aliter *Varro* 6. *L. L.* 71. *Müll.* De sponte ejus, id est voluntate exierat. — *e*) Sequente Genetivo. *Tac.* 2. *Ann.* 59. Acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte principis Alexandriam introisset. *senza il beneplacito* (inconsulto Tiberio, inquit *Sueton. Tib.* 52. de eadem re loquens). *Id.* 12. *ibid.* 42. Gnarus, cujus sponte præficeretur. *per volere di chi.* et 13. *ibid.* 42. Sponte litigatoris præmium honestæ operæ assequi. *a piacere, ad arbitrio.* et 4. *ibid.* 7. Exstructa sponte præfecti castra. *et ibid.* 51. *sub fin.* Sponte incolarum. *per consenso.* et *Lucan.* 1. 99. Paxque fuit non sponte ducum. *Val. Flacc.* 4. 357. Quum trepida Inachiæ pellex subit ora juvencæ Sponte dei. *h. e.* jussu et voluntate Jovis. *Lucan.* 5. 136. sponte deorum Cirrha silet. *Albinus* apud *Priscian.* 7. *p.* 741. *Putsch.* Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis Sponte deum patuere. *h. e.* diis faventibus. Cf. *Liv.* 42. 67. Voluntate incolentium. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 55. Voluntate ipsarum civitatum. — *f*) Cum homonymis. *Stat.* 10. *Theb.* 809. sponte ultroque peremptus. *Cic. Partit.* 37. *sub fin.* Qui sua sponte et voluntate fecissent. — 2.°) Tribuitur et rebus inanimis aut ratione carentibus. *Petron. Sat.* 16. Sera sua sponte delapsa cecidit. *Cic. Senect.* 19. *sub fin.* Sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur. *Id.* 1. *Legg.* 17. 45. Vera et falsa, consequentia et contraria sua sponte, non aliena, judicantur. *Id. Orat.* 32. *extr.* Hæc quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. *di sua natura.* et *Liv.* 5. 43. Inde ex loco superiore, qui prope sua sponte in hostem inferebat, impetu facto, fudere Gallos. *Virg.* 2. *G.* 10. aliæ (*arbores*) nullis hominum cogentibus, ipsæ Sponte sua veniunt. *Colum. De cult. hort.* 273. Lubrica jam lapathes, jam rhamni sponte virescunt. ¶ 2. Speciatim, quia qui sponte facit, solus facit, idcirco *sponte* pro *solus* ponitur, h. e. nullo socio aut adjutore, per se, ἰδίᾳ. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. His quum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Æduum mittunt, ut, eo de-

precatore, a Sequanis hoc impetrarent. *Id.* 5. *ibid.* 28. Civitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte populo R. bellum facere ausam, vix erat credendum. *Id.* 1. *ibid.* 30. Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italia, sua sponte Cottam in oppido ejiciunt. *Cic.* 7. *Fam.* 2. *a med.* Magnum quiddam spectavit: nec sua sponte, sed eorum auxilio, qui etc. Adde 4. *Verr.* 10. 26.

Homonym. Discrimen inter *ultro* et *sponte* in eo consistit, quod *ultro* facit, qui non exspectat, dum rogetur aut admoneatur aut provocetur, ut faciat, et respondet Gr. αὐτομάτως; *sponte* autem opponitur τῷ *invite* et dicitur de eo, qui provocatus vel hortatus vel admonitus, aut etiam non provocatus libenti animo facit, et respondet Gr. ἑκουσίως. Præterea, ut vidimus, *sponte* locum quoque habet in rebus inanimis; *ultro* tantum in animatis atque adeo in his, qui rationis sunt participes. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 145. *Ultro* non est *sponte*, nam jam rogaverat, sed insuper et venit ab eo, quod est ultra, quia plus, quam rogaverat, præstiterunt. Scilicet amplius quid notat *ultro*, quam *sponte*. Id enim *ultro* fieri dicitur, quod præter exspectationem fit et præter quam fieri adsolet. *Liv.* 10. 19. Orare, ne collegæ auxilium, quod acciendum ultro fuerit, sua sponte oblatum sperneretur. *Sueton. Cæs.* 6. Multitudo sponte (*h. e.* proprio consilio) et ultro (*h. e.* non rogata) confluens. Adde *Stat.* 10. *Theb.* 809.

SPONSA, æ, f. 1. *V.* SPONDEO in fin.

SPONSĀLĪA. *V.* SPONSALIS.

SPONSĀLĪCĬUS *vel* sponsalitius, a, um, adject. (sponsalis) ad sponsos vel sponsalia pertinens. *Sidon.* 7. *Ep.* 2. *a med.* Sponsalicia donatio. *Impp. Leo et Anthem. Cod.* 5. 1. 5. et *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. ibid.* 2. 1. arrha.

SPONSĀLIS, e, adject. (sponsus) ad sponsum sponsamve aut nuptias pertinens, *di sposalizio, sposereccio,* νυμφικός. *Varro* 6. *L. L.* 70. *Müll.* Quo die sponsum erat, dicebatur sponsalis. *Imppp. Honor., Theod. et Constant. Cod. Theod.* 3. 16. 2. Sponsalem largitatem obtinere. *Hieronym. Ep.* 54. *n.* 15. Sponsales tabulas scribere. — Hinc absolute, substantivorum more

Sponsale, is, n. 3. thalamus nuptialis. *Tertull. advers. Valentinian.* 31.

Sponsalia, um (et *orum*), n. plur. 3. stipulatio seu promissio futurarum nuptiarum, μνηστεία (It. *sponsali, sposalizio;* Fr. *fiançailles;* Hisp. *desposorios, esponsales;* Germ. *die Verlobung;* Angl. *espousals*).

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 23. 1. 2. Sponsalia dicta sunt a spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras. *Juvenal.* 6. 25. Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra Tempestate paras. — *Sponsalia* apud Latinos per stipulationem contrahebantur, idest per interrogationem et promissionem factas inter eum, qui daturus erat aliquam mulierem in uxorem, et inter eum, qui accepturus: de hujus autem pacti formula seu ritu V. *Plaut. Trin.* 5. 2. 33. et *Gell.* 4. 4. In his statuebatur etiam dos, die matrimonii aut tribus pensionibus solvenda. Porro stipulatio scribebatur in tabellis, quæ legitimæ dicebantur et obsignabantur. *V.* TABELLA. *Gell. loc. cit.* Sponsalia in ea parte Italiæ, quæ Latium appellatur, hoc more atque jure solita fieri scripsit Serv. Sulpicius in libro, quem scripsit de dotibus. Qui uxorem, inquit, ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. Tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur, qui spoponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. Judices cognoscebant. *et mox.* Hoc jus sponsaliorum observatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas universo Latio lege Julia data est. — De sponsalibus V. plura apud *Giampietri, De sponsalibus,* 3. — *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (111). Mediocrium sponsalium cena. *Seneca* 1. *Benef.* 9. *a med.* Decentissimum sponsaliorum genus. *Liv.* 38. 57. Sponsalibus rite factis. *Ovid. Heroid.* 10. 29. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis. *Sueton. Aug.* 53. Dies sponsaliorum.

II.) Translate. ¶ 1. *Sponsalia* sumuntur pro convivio, quod sponso præberi solebat. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. A. d. VIII. Id. Apr. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio Quintus tuus defuit. *Id. ibid.* 5. scripserat, Tulliam suam Crassipedi prid. Non. Apr. esse desponsatam. ¶ 2. Item pro arrhis et muneribus sponsorum. *Imp. Alex. Sev. Cod.* 5. 3. 3. Pollicitatione a fratre quondam tuo sponsalium gratia facta etc. Adde *Impp. Dioclet. et Maxim. ibid.* 71. 8. *Cod. Theod.* 3. 5. 6. Ante decimum puellæ annum datis sponsalibus — Sponsalia jubemus sponso restitui.

SPONSANS, antis *et*

SPONSĀTUS, a, um, particip. *V.* SPONSO.

SPONSĬO, ōnis, f. 3. (spondeo) *Sposio* pro *sponsio* in *Leg. Rubr. c.* 2. *l.* 14. — Sponsio est promissio, stipulatio, obligatio, ἐπάγγελμα (It. *promessa, promessa solenne;* Fr. *promesse solennelle;* Hisp. *promesa formale, empeño:* Germ. *das Versprechen, die feierliche Verpflictung;* Angl. *a promise, engagement*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Paul. Dig.* 50. 16. 7. Sponsio appellatur non solum, quæ per sponsi interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioque. *Cic.* 2. *Legg.* 16. *a med.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, quo obligamur Deo. *Plaut. Trin.* 2. 4. 26. Quas sponsione tu exactus es pro illo adulescente. — Hinc translate *Vulgat. interpr. Sap.* 1. 16. Impii sponsiones posuerunt ad mortem. *h. e.* fœdus cum morte pepigerunt. ¶ 2. Speciatim est contentio et altercatio, quæ fit deposito pignore, quod ejus sit, qui vicerit, *scommessa,* ἐγγύη (*V.* SACRAMENTUM): vel causa, quæ agitur, seu judicium, quod intenditur, sponsione interposita. — *a*) Sequent. fere particulis *si* et *ni:* hoc sensu: *spondesne centum,* inquit petitor, *si servus hic meus sit?* h. e. si probavero meum esse. respondet reus, *spondeo, si tuus sit.* Contra reus: *spondesne centum, ni tuus sit?* h. e. si vincam, non esse tuum. respondet petitor, *spondeo, ni meus sit.* Cf. *Cajum* 4. 91. 93. *Cic. Quinct.* 27. 84. Sponsio quæ in verba facta est? Si ex edicto prætoris bona possessa non sint. *Id.* 7. *Fam.* 21. Quum dicerem, tibi videri, sponsionem illam nos sine periculo facere posse, Si bonorum Turpilliæ possessionem prætor mihi dedit. *Alii leg.* ni. *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burmann. extr.* Cœpit dominum suum sponsione provocare, Si prasinus proximis Circensibus primam palmam (*tulerit*). *Cic.* 5. *Verr.* 57. 132. Rubrius Apronium sponsione lacessivit, ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium. *et ibid.* 59. 135. Sponsio est, ni te Apronius in decumis socium esse dicat. *Id.* 7. *ibid.* 54. 141. Cogere eum cœpit HS. duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, ni furtis quæstum faceret. — *b*) Sequent. *quod* pro *ni. Val. Max.* 6. 1. *n.* 10. Quum sponsionem se facere paratum diceret, quod adulescens ille etc. *Id.* 7. 2. *n.* 4. A. M. Lutatio judex aditus de sponsione, quam is cum adversario, quod vir bonus esset, fecerat. — *c*) Cum Infinito. *Macrob.* 3. *Saturn.* 13. *a med.* Cleopatra sponsione provocavit, insumere se posse in una cena sestertium centies. — *d*) Absolute. *Val. Max.* 2. 8. *n.* 2., *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. *a med.* et *Petron. loc. cit.* Sponsione aliquem provocare. *Cic. Quinct.* 27. 84. vincere. *Id. Cæcin.* 31. 91. Vincere sponsionem. *Alii leg.* sponsione. *et ibid.* Condemnari sponsionis. *Liv.* 40. 46. *sub fin.* Fulvius queri, se ab eo semper lacessitum et in probrum suum sponsionem factam. *Id.* 39. 43. *ad fin.* Condicio Quinctio fertur, ut si id factum negaret, sponsione se defenderet. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (117). Picti nobiles, palustri accessu villæ, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur. *Id.* 33. *ibid.* 1. 6. (28). Celebratior quidem anulorum usus cum fenore cœpisse debet. argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente. *Ulp. Dig.* 19. 5. 18. *sub fin.* Si quis sponsionis causa anulum accepit, nec reddidit victori. *Cic. Cæcin.* 16. 45. Sponsionem optime facere posse. Dicitur de eo qui justam causam habet. ¶ 3. Item genus promissionis publicæ, sponsoribus adhibitis et jurejurando interposito: quum imperator cum hoste paciscitur et pacem promittit. *V.* in PACTIO. *Liv.* 9. 5. Itaque non fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? *et mox.* Nomina omnium, qui spoponderunt, exstant: ubi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium, non exstarent. *Id. ibid.* Facere pacem per sponsionem. *et ibid.* 41. *extr.* Ocriculani sponsione in amicitiam accepti. *et ibid.* 11. Sponsione commissa civitas obligata. *et ibid.* 8. Sponsione se obstringere. *et ibid.* 9. *a med.* Sponsionem interponere. *Sall. Jug.* 81. Per indutias sponsionem faciunt, uti certo die legati proficiscerentur etc.

II.) Translate. ¶ 1. *Sponsio* dicta est ipsa pecunia, quæ in sponsionibus deponebatur, auctore *Varron.* 6. *L. L.* 70. *Müll.* ¶ 2. *Papinian. Dig.* 1. 3. 1. legem vocat, communem reipublicæ sponsionem. *h. e.* vinculum et conjunctionem; quia sponsio contrahentes obligat. Similiter *Demosthenes ibid.* 2. Νόμος ἐστὶν πόλεως συνθήκη κοινή.

Homonym. Ad discrimen vocum quod attinet, *sponsio* plus est quam *promissio;* fert enim insuper obligationem præstandi quod spopondimus, ut ex *Ulp. Dig.* 21. 1. 19. colligitur. Qui vero differat *sponsio* a *compromisso,* V. hanc voc.: a *pactione, fœdere* et *indutiis,* V. PACTIO.

SPONSIS pro Spoponderis. *V.* SPONDEO init.

SPONSĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sponsio, parva sponsio. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann. a med.*

SPONSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spondeo) Part. *Sponsans* et *Sponsatus.* — Sponso est sponsalia facio seu celebro, vel etiam matrimonium ineo, μνηστεύω (It. *fare gli sponsali;* Fr. *fiancer;* Hisp. *desposar;* Germ. *sich verloben;* Angl. *to espouse*).

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 23. 2. 38. Inde oriundam uxorem ducere non potest, quamvis sponsare non prohibeatur. *Vulgat. interpr.* 1. *Mach.* 3. 56. Sponsare uxores. *Inscript. Aquilej.* a *Jos. Marelli a.* 1846. AVRELIA MARIA SPONSATA AVRELIO DAMATI. — Absolute *Auct. Orest. trag.* 77. quasi jusseris ipsa venirem Ocius ad thalamos conjux sponsantis Achillis.

II.) Translate. *Tertull. Virg. veland.* 16. Illi (*Christo*) sponsasti maturitatem tuam. *Nolan. carm.* 18. 43. Et variis animam sponsantes dotibus adstant. Adde *Vulgat. interpr. Os.* 2. 19.

SPONSOR, ōris, m. 3. (spondeo) *Sponsor* pro *sponstrix* cum vocibus femini generis, ut *auctor, conditor, successor* etc. *Ovid. Heroid.* 16. 114. Sponsor conjugii stat dea picta sui. — Sponsor est qui spondet et pro altero se obligat, ἐγγυητής (It. *promettitore, mallevadore, sicurtà;* Fr. *répondant, garant;* Hisp. *garante, fiador;* Germ. *der Bürge;* Angl. *a surety, sponsor*); occurrit autem tum proprie, tum translate. ¶ 1. Universim. *Cic.* 6. *Fam.* 19. De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompejo, si Galba consponsor tuus redierit, non desinam cum illo communicare. *Id.* 1. *Att.* 8. Tulliola tuum munusculum flagitat, et me ut sponsorem appellat. mi autem abjurare certius est, quam dependere. (Adde *ibid.* 10. *extr.*) *Id. Prov. cons.* 18. Pompejus idem mihi testis de voluntate Cæsaris et sponsor est illi de mea. *Manil.* 2. 606. de *Pylade et Oreste.* Optavitque reum sponsor non posse reverti: Sponsoremque reus timuit, ne solveret ipsum. ¶ 2. *Sponsores* dicuntur dii ejus rei, quam ex oraculo vel auspicio portendere visi sunt. *Ovid. Heroid.* 2. 33. Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos? Qui mihi conjugii sponsor et obses erat. *Seneca Ep.* 82. Desii jam de te esse sollicitus, Quem, inquis, deorum sponsorem accepisti? — In nummo Commodi Imp.

in *Bullett. archeol. Napolit. a.* 1857. *p.* 45. T. O. M. SPONSOR SEC. AVG. (*h. e.* securitatis Augusti). ¶ 3. Apud Ecclesiasticos scriptores dicitur de Christo. *Vulgat. interpr. Ital. Hebr.* 12. 24. Accessistis ad Testamenti nostri sponsorem Jesum, *h. e.* mediatorem, ut habet *Vulg.* noster. ¶ 4. *Sponsorum*, qui Italice *compari* dicuntur, in baptismo meminit *Tertull. Baptism.* 18. *a med.*

Homonym. Differt *sponsor* a *vade* et *præde*. Nam *præs*, ut docet *Popma*, speciatim significat sponsorem datum in civili causa et lite nummaria: *vas* proprie est sponsor alterius in re capitali, qui propterea capite cavere dicitur. (Cf. *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 377. 10. *Müll.*) *Auson. Edyll.* 12. *de monosyll.* Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas. Quid, si lis fuerit nummaria? Quis dabitur? Præs. Interdum tamen *vas* dicitur sponsor, qui ex pactis conventis et mancupiis sese pro reo obstringebat, si fortasse res ab emptore evinceretur, ut in lege mancupiorum, *vadem* ne poscerent, nec dabitur; vel qui in privato judicio reum sisti, aut, ni sistatur, pecuniæ summam promittebat. Nam consuetudo erat, quum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret, qui illum judicio sistendum certa die promittebat: ad quam diem, qui in judicium veniebat, vadimonium obire et ad vadimonium occurrere aut venire dicebatur. Cf. *Cic. Quinct.* 17. et *Sueton. Cal.* 39. Hæc tria conjungit *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* 16. *ad fin.* Me vade, me præde, me sponsore celeriter in cacumine eloquentiæ sistam. Cf. tamen et *Heindorf* in *Horat.* 1. *Sat.* 6.

SPONSTRIX, tricis, f. 3. (sponsor) quæ spondet, *promettitrice*. *Prob. De nom.* p. 212. 16. *Keil.*

SPONSUM, i, n. 2. *et*
SPONSUS, a, um, particip. *et*
SPONSUS, i, m. 2. *V.* SPONDEO.

SPONSUS, us, m. 4. (spondeo) Occurrit, quod sciam, in sing. num. tantum. — Sponsus est idem ac sponsio, *promessa*. *Varro* 6. *L. L.* 71. *Müll.* Qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur, quod de sponte ejus, id est voluntate exierat. non enim si volebat, dabat, quod sponsu erat alligatus. *Cic.* 12. *Att.* 19. De sponsu si quid perspexeris etc. *Phædr.* 1. 16. Fraudator nomen, quum locat sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit. Alii aliter leg. *Cajus Inst.* 4. 22. Lex Furia de sponsu adversus eum qui etc. *Paul. Dig.* 50. 16. 7. Per sponsus interrogationem fit. *h. e.* voti. — *Ad sponsum advocare*, est vocare ad sponsionem pro alio faciendam. *Cic. orat. in Clod. et Curion.* (edente iterum *A. Maio*) 3. Accesserunt ita pauci, ut eum non ad contionem, sed sponsum diceres advocasse. *h. e.*, ut ait *Vet. Scholiast.* ad *h. loc.*, non aliter pauci ad Rostra venerunt, quam si convocasset eos, qui pro se spondérent. — *Ex sponsu agere* dicitur, qui rem promissam in judicio persequitur; et, ut loquitur *Ulp. Dig.* 21. 1. 19., ex stipulatu agit. *Sulpic.* apud *Gell.* 4. 4. Si post eas stipulationes (*sponsalium*) uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. *Varro loc. cit.* Non spondet ille, qui dicit, spondeo, si jocandi causa dixit: neque agi potest cum eo ex sponsu.

SPONTĀLIS, e, adject. (spons) idem quod spontaneus, ultroneus. *Apul.* 4. *Met.* Quumque nulli nostrum spontale parricidium suadens persuadere posset. et 11. *ibid. sub fin.* Spontalis sobrietas.

SPONTĀLĬTER, adverb. (spontalis) Caret gradibus: sunt enim adverbia, inquit *Asper Art. gramm.* p. 55. 5. *Keil.*, quæ per gradus ire non possunt, ut a spontaliter *etc.* spontalius *etc.* aut spontalissime *etc.* dici non potest. — Spontaliter est sponte, *spontaneamente*. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. Id non modo non coactus, verum etiam spontaliter facio. Adde *Anecd. Helv.* p. 55. 18. *Hag.*

SPONTĀNĔĒ, adverb. (spontaneus) *spontaneamente*, sponte. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 5. 2. Pascite gregem Dei providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntate. Adde *Hieronym. Ep.* 52. — Translate est sine causa. *Theod. Priscian.* 1. 8. Tumores repentinos sub auribus innatos, parotidas vocamus, quas aliquando ex ægritudine, aliquando etiam spontanee apparuisse cognovimus.

SPONTĀNĔUS, a, um, adject. (spons) voluntarius, naturalis, αὐτόματος, αὐθαίρετος (It. *spontaneo, volontario*; Fr. *spontané*; Hisp. *espontaneo*; Germ. *frei, freiwillig*; Angl. *spontaneous*). *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 12. et *Augustin.* 1. *Civ. D.* 26. Appetitus spontaneæ mortis. *Arnob.* 3. p. 114. Spontaneas esse numinum benignitates. Rursum *Augustin.* 4. *Civ. D.* 14. Spontaneum bellum. *Impp. Sever.* et *Antonin. Cod.* 2. 3. 2. Actiones contra emptores spontanea voluntate suscipere. *Macrob. loc. cit.* Spontaneo ferri agitatu. *Veget.* 2. *Milit. præf. extr.* Nec formido jussus aggredi opus, quod spontaneum cessit impune. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 27. *ad fin.* Sciebat enim, quia non posset ulla necessitas suspendere, quod voluntas spontanea suggessisset. — « Addunt, inquit *Forcellinus*, quidam locum *Plinii* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (79). Si purgatio illa post virginitatem prima sit aut in virginea ætate spontanea. Sed *Harduin.* ex MSS. edidit *aut in virgine ætate sponte*». Similiter et *Sillig.* habet *aut in virgine ætatis sponte*, quam lect. minus probaverim. Locum vero, quem ipse *Forcell.* tribuit *Senec.* (*Ep.* 121. *ante med.*): Agilitas spontaneus motus est., aliter recentiores legendum esse monent.

SPONTĒ. *V.* SPONS.

SPONTĪVUS, a, um, adject. (spons) spontaneus. *Solin.* 2. *a med.* Caudæ villus, quem spontivo damno amittit. Ita *Salmas.* et *Mommsen.* ex MSS. Alii *spontaneo*.

SPORTA, æ, f. 1. *Isid.* 20. *Orig.* 9. 10. ducit a *sparto*; et *Non.* p. 177. 22. *Merc.* ab *asportando*: alii, quod *Forcellino* magis placet, a Gr. σπυρίς ejusdem significationis. Fortasse *sporta*, *spartum*, *spira*, σπυρίς oriuntur ab ead. rad. *spar*, torquere, flectere (V. *Vanicek* ad *h. v.*) ex eorum forma vel materia vel utraque simul. — Sporta est vas quali aut fiscinæ aut corbis simile, e vimine aut junco aut sparto aliave leviore materia, ad varios usus, qui in subjectis exemplis apparent, σπυρίς (It. *sporta*; Fr. *corbeille*; Hisp. *cesta*; Germ. *geflochtener Tragekorb*; Angl. *a basket*).

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. loc. cit.* Opsonium conjectum in unam sportam. *Martial.* 10. 37. Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani. *Ulp. Dig.* 33. 9. 3. *in fin.* Nec frumenti, nec leguminum thecæ vel arculæ forte vel sportæ vel si qua alia sunt, quæ horrei penuarii instruendi gratia habentur etc. *Cato R. R.* 11. Sportæ fæcariæ. *V.* FÆCARIUS. *Colum.* 12. *R. R.* 6. Dolium aqua cælesti repleto, in eam indito sportam junceam vel sparteam, quæ replenda est sale candido, quo candidior muria fiat. *Id.* 8. *ibid.* 7. Singulæ caveis angustioribus vel sportis inclusæ pendeant etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 17. (77). Amylum emollitum, linteo aut sportis saccatum. *Id.* 21. *ibid.* 14. 49. (83). Cera fit expressis favis, liquatis igni, tunc sporta colatis. *Ascon.* in 2. *Verr.* 8. Sportæ, sportulæ, sportellæ nummum sunt receptacula. *Sall. fragm.* apud *Non. loc. cit.* E muris canes sportis demittebant. *Pallad.* 3. *R. R.* 7. et 11. *ibid.* 15. Sporta palmea. — Proverb. de re parvi pretii. *Petron. Sat.* 113. *sub fin.* Si quid ingenui sanguinis habes, non pluris illam facies, quam sportam.

II.) Metonymice est sportula, h. e. quæ loco cenæ rectæ dabatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 440. 8., sed rectius leg. *sportula* ex MSS. *Redii.*

SPORTELLA, æ, f. 1. *deminut. a* sportula, parva sportula, *sportellina*, σπυρίδιον.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ascon.* in 2. *Verr.* 8. Sportellæ nummum sunt receptacula. *Sueton. Domit.* 4. Senatui equitique panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Ex apri dentibus sportellæ dependebant duæ palmulis textæ, altera caryotis, altera Thebaicis repleta. *Apic.* 1. 4. Sportella palmea. ¶ 2. Speciatim de vase culinario adhibet *Apic.* 6. 9. et 8. 6.

II.) Metonymice genus est quoddam eduli vel a figura sic dictum, vel quod in sportella inferebatur. *Cic.* 9. *Fam.* 20. Dediscendæ tibi sunt sportellæ et artolagani tui. At *Gronov.* putat, hic intelligi ipsas sportulas, in quibus artolagani et hujusmodi bellaria apponi solebant.

SPORTELLĀRĬUS, ii, m. 2. (sportella) is fortasse qui sportellam defert. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. p. 937. MAXIMVS BATONIS PVELLAM NOMINE CASSIAM SIVE EA QVO ALIO NOMINE EST EMPTA SPORTELLARIA etc. An puella infans cum matre empta, ita ut accessionis et corollarii loco esset, quasi venditor eam tamquam sportellam seu munusculum emptori adjecerit? *Gloss. Lat. Gr.* Sportellarius, κοπριαίρετος.

SPORTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sporta, sporta, *sportella*, σπυρίδιον.

I.) Proprie. *Plaut. Men.* 1. 4. 1. Sportulam cape atque argentum: eccos tres nummos habes. *Ascon.* in 2. *Verr.* 8. Sportulæ nummum sunt receptacula. *Plaut. Curc.* 2. 3. 10. Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis. *Id. Stich.* 2. 1. 17. Arundinem fert sportulamque et hamulum piscarium. *Apul.* 1. *Met. sub fin.* Sportula cum piscibus.

II.) Metonymice. ¶ 1. Quia sportæ tum opsoniis, tum nummis reponendis aptæ erant, factum est, ut *sportulæ* nomine primum ciborum portio, cenæ quæ satis esset, significaretur: deinde certa pecuniæ summa ad cenam coemendam: idque loco cenæ rectæ, quæ a ditioribus olim præberi solebat clientibus et salutatoribus et sectatoribus suis: qua de re in RECTUS dictum est. Eaque summa fere erant centum quadrantes, h. e. asses vigintiquinque, ut diximus in QUADRANS, seu HS. X. Aliquando liberaliores plura dabant. *Sueton. Ner.* 16. Adhibitus sumptibus modus: publicæ cenæ ad sportulas redactæ. *Martial.* 3. 14. Romam petebat esuritor Tuccius: Occurrit illi sportularum fabula: A ponte rediit Mulvio. *Id.* 14. 125. Si matutinos facile est tibi rumpere somnos, Attrita veniet sportula sæpe toga. *Id.* 10. 27. Et tua tricenos largitur sportula nummos. Sic *id.* 9. 73. Clausa mihi texto quum prandia vimine mittis. *Juvenal.* 3. 249. Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo? Centum convivæ: sequitur sua quemque culina. *Inscript.* apud *Gruter.* 1094. 2. CVIVS (*possessionis*) EX REDITV DIE NATALIS SVI SPORTVLARVM DIVISIO SEMPER CELEBRARETVR. Adde *alias* apud *Orelli n.* 2385. et *n.* 2417. — *Sportulam furunculus captat*, proverb. de his, qui falso quippiam sibi vindicant: ductumque ab iis, qui quum neque clientes sint, neque sectatores, sportulam tamen affectant. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 16. Cf. *Friedlander's, Darstellungen aus d. Sittengesch. Roms* 1. 250. ¶ 2. Hinc, quum Claudius imperator munus populo editurus esset extraordinarium et breve dierumque paucorum, edixissetque, velut ad subitam condictamque cenulam invitare se populum; id munus a similitudine *sportulam* appellavit. *Sueton. Claud.* 21. ¶ 3. Dicitur hinc etiam *sportula* quævis largitio aut munusculum. *Plin.* 2. *Ep.* 14. *de agentibus causas centumvirales.* Convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio, dantur. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 118. Merito vereris, ne in speciem diamœries incidat invitatio; quæ et in numero modum excedit, et quasi per corpora, non viritim singulos ex notitia ad sollemnes sportulas contrahit. Respondet *Trajan.* ad ea, quæ scripserat *Plin. Ep. præced.*, solere qui virilem togam sumunt vel nuptias faciunt vel ineunt magistratum vel opus publicum dedicant, totam bulen atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare binosque denarios vel singulos dare. *Martian. Dig.* 30. 1. 117. Nihil proponi, cur prohibeatur heres ædificia distrahere, e quorum reditu sportulæ sint relictæ. *Papinian. ibid.* 50. 2. 6. Minores XXV. annorum decuriones facti, sportulas decurionum accipiunt. *Cyprian. Ep.* 34. *ad fin.* Ceterum presbyterii honorem designare nos illis (*Celerino* et *Aurelio* lectorib. ordinatis) jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur et divisiones

mensurnas, æquatis quantitatibus, partiantur nobiscum provectis et corroboratis annis suis. *Hieronym.* 3. *in epit. ad Eph.* 6. 4. Saturnalicia sportula. *h. e.* quæ Saturnaliorum tempore magistris a pueris dabatur. — Hinc in honorariis Inscriptionibus sæpe decuriones alicujus municipii vel coloniæ ex sportulis suis, quas ipsi in hunc usum conferebant, statuam posuisse dicuntur civibus de patria optime meritis. *Inscript.* apud *Murat.* 681. 2. M. AVRELIO ELAINI FILIO MARCELLO PATRONO COLL. FAB. ET CENT. PRIMO OMNIVM SPLENDID. ORDO EX SPORTVLIS SVIS OB MERI*ta* EIVS STATVAM PONENDAM CENSVERE. *Alia* apud *eumd.* 1059. 1. et emendatior apud *Marini, Fr. Arv.* p. 400. C. IVLIO REGINO DECVRIONI KARTAG. ORDO DECVRIONVM EX SPORTVLIS SVIS OB MERITA. Similiter *ex epulis* habetur in *Inscript.* apud *Orell. n.* 88. *V.* EPULUM. — Sportulæ distribuebantur inter præsentes, stipulatione interposita, ante statuam ejus, qui hoc honore decoratus fuerat, ut patet ex *Inscr. T. Fabii Hermogenis* a *Jos. Melchiorri* illustrata in Decad. 2.ª Consule *Marin. Frat. Arv.* p. 398. *et seqq.* et *Henzen, Act. Arv.* p. 16. — Huc pertinent statuta in *Cod. Theod.* 15. 9. 1. (*a.* 384.) Constitutione solidamus, ut, exceptis consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, dypticha ex ebore dandi facultas sit. Quum publica celebrantur officia, sit sportulis numus argenteus, alia materia dypticbis. Cf. *Ulp. Dig.* 24. 1. 5. et 30. 1. 120. et *Cod. Justin.* 12. 21. 2. et *Jul. Epit. nov.* 15. § 56.

SPORTŬLANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SPORTŬLOR, āris, ari, dep. 1. (sportula) Part. *Sportulans.* — Sportulor est sportulam accipio. *Cyprian. Ep.* 66. Qui in Ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis et negotiis sæcularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificio non recedant, sed die ac nocte cælestibus rebus et spiritualibus serviant. *V. ejusd. loc. cit.* in SPORTULA.

SPŎRUS *vel* sporos, i, m. 2. σπόρος, satio vel semen. *Vindician. Carm.* 26., ubi, quia prior syllaba licenter producitur, alii aliter leg.

SPŌSUS. *V.* SPONSUS.

SPRĒTĬO, ōnis, f. 3. (sperno) contemptus, *sprezzo. Liv.* 40. 5. Ex composito sermones ad spretionem Romanorum trahebant. Alii leg. *ad spem* aut *speciem*, sed nihil mutandum. Adde *Ambros. Enarr.* in *Ps.* 43. § 54. et *Rufin. Orig.* in *Rom.* 9. 40.

SPRĒTOR, ōris, m. 3. (sperno) ¶ 1. Est qui spernit, *spregiatore*, ἐξουθενητής. *Ovid.* 8. *Met.* 613. atque deorum Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus. *Apul.* 3. *Met.* Spretor matronalium amplexuum. ¶ 2. Est etiam impatiens. *Nemesian. Cyneg.* 79. Spretor morarum.

SPRĒTUS, a, um, particip. *V.* SPERNO.

SPRĒTUS, us, m. 4. (sperno) contemptus, *sprezzo. Apul. de Deo Socrat. post init.* Insolentissimo spretu deos negligit. *Sidon.* 3. *Ep.* 14. *extr.* Spretui maximo est judiciis otiosorum Latinæ linguæ proprietas.

SPŪDÆUS, i, m. 2. σπουδαῖος, industrius, videtur significare scribam in *Pap. Dial. n.* 119. *Un.* 85. apud *Marini.* Cl. *Furlanetto* addit loc. ex *Anastas. Bibl.* in *Epist.* ad *Martin. Narn. Ep.* inter opera *Sirmondi.*

SPŪMA, æ, f. 1. (spuo) rara quædam fæx, quæ per ebullitionem aut vehementem agitationem rebus liquidis supernatat, ἀφρός (It. *schiuma, spuma;* Fr. *écume;* Hisp. *espuma;* Germ. *der Schaum;* Angl. *foam*). ¶ 1. Universim. *Lucret.* 2. 489. vi morbi sæpe coactus Concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus. Adde 6. 793. et *V.* quæ ad *h. v.* adnot. *Lachmann. Cic.* 6. *Verr.* 66. *a med.* Quum spumas ageret in ore, arderent oculi, voce maxima, vim me sibi afferre, clamitabat. *Sil. It.* 4. 50. horrida barba Sanguinea rutilat spuma. *Ovid.* 7. *Met.* 415. *de Cerbero.* Et sparsit virides spumis albentibus agros. *Id.* 3. *ibid.* 73. *de angue.* plenis tumuerunt guttura venis Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus. *Id.* 7. *ibid.* 263. posito medicamen aheno Fervet et exsultat spumisque tumentibus albet. *Val. Flacc.* 1. 687. volat immissis cava pinus habenis Infinditque salum et spumas vomit ære tridenti. *Colum.* 7. *R. R.* 5. Et spumam quamdam tenuem tetri odoris exspergit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. Venus spuma procreata. *Virg.* 1. *Æn.* 39. spumas salis ære ruebant. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. *sub fin.* Spumas ore fundere. *Seneca Agam.* 441. Dirimunt canæ cærulum spumæ mare. *Isid.* 16. *Orig.* 2. 3. *de sale.* Ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus vel scopulis derelicta et sole decocta. *Maximian. Eleg.* 5. 38. Non liquidi mollis spuma liquoris erit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (239). Butyrum, spuma id est lactis. *Id.* 29. *ibid.* 6. 37. (116). Spuma cochlearum. *Id.* 28. *ibid.* 11. 48. (174). equi. *et* 31. *ibid.* 9. 45. (105). salis. ¶ 2. *Spuma argenti,* λιθάργυρος, *litargirio:* de qua *Plin.* 33. *ibid.* 6. 35. plura dicit. ¶ 3. *Spuma nitri* apud *Isid.* 16. *Orig.* 2. 8. Aphronitrum Græce, Latine spuma nitri est, de quo quidam ait (*Martial.* 14. 58.): Rusticus es? nescis, quid Græco nomine dicar: Spuma vocor nitri. *V.* APHRONITRUM. ¶ 4. *Spuma caustica,* genus saponis, quod capillis colore aureo tingendis adhibebant Germani. *Martial.* 14. 26. Caustica Teutonicos accendit spuma capillos. *Id.* 8. 33. Et mutat Latias spuma Batava comas.

SPŪMĀBUNDUS, a, um, adject. (spuma) spumis abundans, spumosus, spumeus. *Apul. Apolog.* Faciem tuam spumabundus conspuisset.

SPŪMANS, antis, particip. *V.* SPUMO.

SPŪMĀTĬO, ōnis, f. 3. (spumo) spumatus. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. 8. Quibusdam (*synanchicis*) oris spumatio efficitur.

SPŪMĀTUS, a, um, particip. *V.* SPUMO.

SPŪMĀTUS, us, m. 4. (spuma) spumæ ebullitio vel ipsa spuma, ἀφρισμός. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 102. anguis abundat spumatu.

SPŪMESCO, is, ere, n. 3. (spumo) spumosus fio, *divenire spumoso, spumeggiare. Ovid. Heroid.* 2. 87. At si nostra tuo spumescant æquora remo.

SPŪMĔUS, a, um, adject. (spuma) spumans, spumosus, *schiumoso, spumante,* ἀφρώδης. *Vet. interpr. Virg.* p. 32. *Mai.* Plus est spumeus, quam spumosus.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Æn.* 419. Spumeus Nereus imo ciet æquora fundo. *et ibid.* 496. aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exit. *Ovid.* 3. *Met.* 571. torrens spumeus et fervens. *Martial.* 14. 221. spumeus aper. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 66. Spumea mulctra gerunt niveos Ubere de gemino latices. *Id.* 1. περὶ στεφ. 101. furens homo Spumeas efflans salivas. *Lucan.* 9. 798. Spumeus accenso non sic exundat aheno Undarum cumulus. *Id.* 5. 190. Spumea tunc primum rabies vesana per ora Effluit. *Petron. Catal.* 2. p. 255. *Scalig.* Indebat equis errantibus Amnis spumeus.

II.) Translate. ¶ 1. Est spumam referens, spumæ similis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 28. 33. (109). Sucus albis uvis candidus, lacteus in capite ficis, spumeus malis, nullus persicis. *Id.* 20. *ibid.* 19. 79. (207). Heraclion, aliis aphron, foliis speciem passerum præbentibus. radice in summa terræ cute, semine spumeo. *Pallad.* 4. *R. R.* 13. Colores (*in equis*) hi præcipui: badius, albineus, russeus *etc.* sequentis meriti spumeus, maculosus, murinus. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 29. Afratum, quod Latine spumeum vocatur. ¶ 2. Est etiam rabiosus; rabiem enim sæpe spuma sequitur. *Capell.* 6. p. 187. Vel rationis opem quod spumea prœlia poscunt. Cf. *Lucan.* 5. 190.

SPŪMĬDUS, a, um, adject. (spuma) spumeus, *spumoso. Apul. Apolog.* Humor crassus, et spumidus. *et mox.* Tabes albida et spumida.

SPŪMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (spuma *et* fero) spumam ferens, spumiger, spumans. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 46. Amnis spumifer. *Alii leg.* spumiger. *Id.* 11. *Met.* 140. fons. *Stat.* 1. *Achill.* 59. *de equis Nept.* Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus.

SPŪMĬGĔNA, æ, m. et f. 1. (spuma *et* geno *pro* gigno) ex spuma genitus: epitheton Veneris. *Capell.* 9. p. 310. Ipsum spumigenæ salum Cythereæ.

SPŪMĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (spuma *et* gero) spumifer. *Lucret.* 5. 983. Spumigeri suis adventu validique leonis. *Manil.* 5. 74. Spumigeri lupi. *V.* SPUMIFER.

SPŪMO, as, āvi, ātum, are, 1. (spuma) Part. *Spumans* sub *A* I. et *B* II.; *Spumatus* sub *B* I. — Spumo est spumam emitto, spumas ago, ἀφρίζω (It. *fare schiuma, spumare;* Fr. *écumer;* Hisp. *espumar;* Germ. *schäumen;* Angl. *to foam*): occurrit autem

A) Intransitive et est spumam emitto.

I.) Proprie ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 25. (78). Aceti cyathum decoquere et, postquam desierit spumare, tepidum infundere. *Petron. Sat.* 113. *sub fin.* Spumabit pateris hornus liquor. *Virg.* 2. *G.* 6. Spumat plenis vindemia labris. *et* 3. *ibid.* 309. Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra, Læta magis pressis manabunt flumina mammis. *Id.* 11. *Æn.* 548. summis Amasenus abundans Spumabat ripis. *Lucan.* 6. 399. equus spumat habenis. *et* 3. *ibid.* 572. cruor altus in undis Spumat. *Seneca Œdip.* 358. Et felle nigro tabidum spumat jecur. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 252. infesto spumavit remige Tethys. *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 243. Spumat aper. *Lucret.* 3. 493. spumans ut in æquore salso Venturum validis fervescit viribus unda. *Virg.* 1. *Æn.* 742. ille impiger hausit Spumantem pateram *Id.* 4. *G.* 140. spumantia cogere pressis Mella favis. *Id.* 8. *Æn.* 882. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. *Seneca Thyest.* 59. ignibus subditis spumans ahenum. — *b)* Cum Ablat. rei, qua quis spumat. *Enn.* apud *Non.* p. 183. 19. *Merc.* Maria salsa spumant sanguine. *Virg.* 8. *Æn.* 672. fluctu spumabant cærula cano. *Claudian.* 1. *in Rufin. præf.* 9. Amnis vipereo spumavit sæpe veneno. *Colum.* 10. *R. R.* 44. musto spumantes exprimet uvas. ¶ 2. Speciatim dicitur de eo, qui ira seu furore corripitur et fervet. *Arnob.* 5. p. 20. Ardescit furiis atque indignationibus mater, spumat, anhelat, exæstuat. *Sueton. Claud.* 30. Ira turpior spumante rictu.

II.) Translate est ferveo et fermentor. *Cels.* 5. 27. *n.* 4. Terra respersa aceto spumat. ζυμοῦται.

B) Transitive cum Accusativo.

I.) Proprie est spuma inficio, tego. *Cic. Prognost.* 1. *Divin.* 7. 13. Saxaque cana, salis niveo spumata liquore.

II.) Translate est spumando aliquid emitto. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 281. de equis *Plut.* Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes, Ægra soporatis spumant oblivia linguis. *Cic.* 4. *Herenn.* 55. 68. Spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem. Cf. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 264. Jam spumabat equis auroræ auriga rubores. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

Spumans, antis, etiam adjectivorum more occurrit et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Est spumeus, spumosus, *schiumoso, spumante. Virg.* 9. *Æn.* 456. plenos spumanti sanguine rivos. *Cels.* 7. 25. Spumans bilis. *Virg.* 4. *Æn.* 158. aper. *et* 2. *ibid.* 209. salum. *Lucan.* 9. 927. lingua. *et* 6. 719. ora. *et* 1. 371. Rhenus. ¶ 2. Etiam spumis aspersus. *Quintil. Declam.* 9. 5. Spumantes scopuli. *Virg.* 5. *Æn.* 135. Stat sonipes et frena ferox spumantia mandit. *et* 5. *ibid.* 124. Spumantia litora. *et* 10. *ibid.* 300. rates. — *Lucan.* 7. 699. cæde catervæ. *Virg.* 4. *Æn.* 664. Ensis spumans cruore.

II.) Translate. *Juvenal.* 13. 14. spumantibus ardens visceribus. *h. e.* iratus.

SPŪMŌSUS, a, um, adject. (spuma) Comp. *Spumosior* I. — Spumosus est spumans, spumeus, ἀφρώδης (It. *schiumoso, spumante;* Fr. *écumeux;* Hisp. *espumoso;* Germ. *schäumend;* Angl. *foamy, spumous*).

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Met.* 570. fluvius spumosis volvitur undis. Adde *Virg.* 7. *Æn.* 174. *Catull.* 64. 121. Spumosa litora. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). pulmo. *Lucan.* 2. 627. æ-

quor. *Claudian. IV. cons. Honor.* 548. Spumosis morsibus (equi) aurum Fumat. *et VI. ibid.* 458. Addua qua scissas spumosior incitat undas. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 144. Sputa fulviora vel spumosiora.

II.) Translate de carmine inflato et quasi turgenti. *Pers.* 1. 96. «Arma virum» nonne hoc spumosum et cortice pingui? *ma non è schiuma d'Apollo — Canto l'armi e l'eroe — o pingue crosta?* (Monti).

SPŪO, spŭis, spŭi, spūtum, spŭere, 3. Vox oritur a rad. Skr. *spiv*, unde et Gr. πτύω, ejusdem significationis. Cf. Germ. *speien*. — Spuo est salivam ejicio, πτύω (It. *sputare*; Fr. *cracher*; Hisp. *escupir*; Germ. *ausspucken, speien*; Angl. *to spit*). Occurrit autem

A) Neutrorum more. *Cels.* 2. 8. Ex toto spuere desiisse. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Veniam quoque a deis spei alicujus audacioris petimus, spuendo in sinum. *V.* DESPUO. *Solin.* 1. *a med.* Antoniam Drusi non spuisse, percelebre est. — Apud Hebræos mos erat, ut qui fratriam ducere nollet, in foro coram judicibus posset renunciare, data viduæ licentia illius faciem inspuendi. *Vulgat. interpr. Deut.* 25. 9. Accedet mulier ad eum coram senioribus et tollet calceamentum de pede ejus spuetque in faciem illius et dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Adde *Num.* 12. 14.

B) Transitive pro spuendo emitto.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 97. et terram sicco spuit ore viator Aridus. — Illud *Cels.* 8. 9. Sanguis spuitur. *glossema* videtur.

II.) Translate. *Varro Sat. Menipp.* 59. *p.* 191. *Oehl.* Homini stupidissimo in os spuere vitam? Dictum est metaphora sumpta ab Anaxarcho philosopho, qui linguam dentibus præsosam Nicocreonti, Cypri tyranno, in os exspuit, ut narrant *Plin.* 7. *Hist. nat.* 23. 23. (87)., *Diog. Laert.* 9. 58. et *Valer. Max.* 3. 36. — Hinc Part. præt. pass., substantivorum more adhibitum

Sputum, i, n. 2. purgamentum oris, saliva, quæ ex ore ejicitur, πτύσμα, *sputo*.

I.) Proprie. *Seneca Constant.* 1. *sub fin.* Cato voces improbas et sputa pertulit. *Propert.* 4. 5. 66. Sputaque per dentes ire cruenta cavos. *Martial.* 2. 26. Inque suos mittit sputa subinde sinus. *Cels.* 2. 8. *ante med.* Sincerum sputum edere, sive rufum est, sive cruentum, sive album, sive glutinosum, sive spumans. *Lucret.* 6. 1186. Tenuia sputa, minuta. Adde *Cœl. Aurel. loc. cit.* in SPUMOSUS. *Id.* 2. *Acut.* 19. 119. Sputa agere. *et ibid.* 24. 136. excludere. *et ibid.* 27. 144. jactare. *Id. ibid.* 24. 137. Sputorum emissio. *Id.* 2. *Tard.* 14. 197. Sputa sanguinolenta, hoc est cruenta, quæ Græci αἱμάλοπα vocaverunt. *et mox.* feculenta. *et* livida. *et* præsina. *et* purulenta. *et* dulcia. *et* salsa. *et* 2. *Acut.* 19. 117. abundantia. *et mox.* flava. *et* spumosa. *et* florida. *et* 119. mitiora. *et* 124. segniora. *et ibid.* 27. 144. fumosa. *h. e.* quasi fuliginosa. *et ibid.* 16. 98. tussita. *et ibid.* 17. 102. varia et contra naturam. *et* 2. *Tard.* 14. 200. limpida. *h. e.* minime vitiosa.

II.) Translate. *Martial.* 8. 33. Hoc linitur sputo Jani caryota calendis. *h. e.* hac lamina seu crusta adeo tenui ac levi, ut instar sputi vix hæreat atque extergeri facile possit. — In illo *Tertull. De cult. fem.* 14. Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quasdam vel sputorum umbilicos cervicibus adstruendo. *i. e.* bullas et pompholygas corii, quod inducebatur. Ita leg. et interpr. *Scaliger*; alii tamen leg. *scutorum*.

Sputus, i, m. 2. vel *sputus, us,* 4. idem ac sputum. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 4. Cum plurimo sputo. *et* 3. *ibid.* 2. 80. Jugis sputus. *Id. de signif. diæt. pass.* 99. Sputus humorosi. Adde *Augustin.* 18. *Civ. D.* 23. — Quidam lexicographi addunt etiam locum *Lactantii* 4. 18. Dabant autem Deo alapas manibus incestis, et impurato ore exspuebant venenatos sputos. Alii leg. *sputus*. At hæc non sunt verba *Lactantii*, sed alterius, qui interpretatus est Sibyllinos versus a *Lactantio* ibi recitatos. Ita *Forcellinus*. Confirmat hanc lect. *Gregor. Tur. Vit. patr.* 13.

SPURCĀMEN, mĭnis, n. 3. (spurco) spurcities. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 56. Gregis suilli sordida spurcamina.

SPURCĀTUS, a, um, particip. *V.* SPURCO.

SPURCĒ, adverb. (spurcus) Comp. *Spurcius* et Sup. *Spurcissime* II. — Spurce est immunde, fœde, impure, turpiter, *sordidamente, sporcamente*, ῥυπαρῶς.

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *in fin.* Quamvis sus in pabulationem spurce versetur, mundissimum tamen cubile desiderat.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Herenn.* 5. 8. Si quod eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, flagitiose factum proferemus. *Cic.* 2. *Phil.* 39. *extr.* Qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris. *scil.* probri insimulaveris pudicissimam feminam. *Cato* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 7. (14). Græci nos quoque dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos, appellatione fœdant. *Cic.* 11. *Att.* 13. Deinde perscribit spurcissime, quas ob causas fecerit.

SPURCĬDĬCUS, a, um, adject. (spurce et dico) qui spurca loquitur, αἰσχρολόγος. *Plaut. Capt. prol.* 56. Neque spurcidici insunt versus.

SPURCĬFĬCUS, a, um, adject. (spurcus et facio) qui spurca et fœda facit, ῥυπαροποιός. *Plaut. Trin.* 4. 1. 7. Nam te omnes commemorant spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum. *h. e.* fœdas tempestates excitantem. *Gloss. nom. p.* 208. *Loewe.* Spurcificus: immunda faciens.

SPURCĬLŎQUĬUM, ĭi, n. 2. (spurce et loquor) sermo de rebus turpibus. *Tertull. Resurr. carn.* 4. *extr.* Spurciloquio experiri in congressibus.

SPURCĬTĬA, æ, f. 1. *et* spurcities, ēi, 5. (spurcus) sordes, immunditia, ἀκαθαρσία, ῥυπαρία (It. *immondezza, sporcizia*; Fr. *saleté, ordures*; Hisp. *suciedad, porqueria*; Germ. *Unflath, Schmuz*; Angl. *filthiness, dirtiness*).

I.) Proprie. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *a med.* Quodcumque rubiginis aut spurcitiæ resedit, siccare atque detergere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Sudoris, qui e camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. *Id.* 17. *ibid.* 9. 6. (52). Spurcitiæ suum. *h. e.* fimum suillum. *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* A spurcitiis purgare alvum apum. *Colum.* 12. *R. R.* 27. *in fin.* Spumam et omnem spurcitiam eximere. *Apul.* 8. *Met.* Spurcitie sanguinis effeminati madescere. — Concreto, ut ajunt, sensu, pro re spurca. *Lucret.* 6. 676. At contra nobis cœnum teterrima quum sit Spurcities, eadem subus hæc jucunda videtur.

II.) Translate. *Lucret.* 5. 48. Quidve superbia, spurcities, petulantia quantas Efficiunt clades? *dissolutezza.* et *Afran.* apud *Non. p.* 393. 33. *Merc.* Commemorabo, ostendam illius facta et spurcitiam improbi. *Id. ibid. p.* 394. 3. adulescentes optumas — Repente viduas factas spurcitia patris. Utrobique *spurcitia* est *Nonio* idem ac sævitas, duritia.

SPURCĬTĬES. *V.* voc. præced.

SPŬRCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (spurcus) Part. *Spurcatus* II. et in fin. — Spurco est fœdo, maculo, inquino, vitio, ῥυπαίνω (It. *imbrattare, sporcare*; Fr. *salir, gâter*; Hisp. *ensuciar, emporcar*; Germ. *unfläthig machen, beschmuzen*; Angl. *to befoul, dirty*).

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 47. 11. 1. Si quis fimo aliquem perfuderit, luto oblinierit, aqua spurcaverit etc. *Ulp. ibid.* 9. 2. 27. *circa med.* Qui vinum spurcavit vel effudit vel acetum fecit vel alio modo vitiavit. *Plaut. Men.* 1. 2. 57. Ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.

II.) Translate. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 60. Juppiter incesta spurcavit labe Lacænas. *Catull.* 108. 1. Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus Spurcata impuris moribus intereat. — Hinc Part. præter. pass.

Spurcatus, a, um, etiam adjectivorum more occurrit, unde Sup. *Spurcatissimus*; et quidem translate apud *Cic. Dom.* 10. 25. Helluo spurcatissimus. *Alii tamen leg.* spurcissimus.

SPURCUS, a, um, adject. Ad etymon quod attinet, vox a *spuo* ducere quibusdam placet, inquit *Forcellinus*; at dixerim, conjungi posse cum v. *porcus* (Cf. *Isid.* 12. *Orig.* 1. 25.): vel esse conflatam a *se* et *purus*. Recentiores nonnulli conferunt cum Skr. *sparç*, tangere, ut sit non intactus, non integer. — Comp. *Spurcior* I. *a* et II. 3.; Sup. *Spurcissimus* I. *a* et II. 1. 2. — Spurcus est sordidus, immundus, fœdus, ῥυπαρός, μιαρός (It. *lordo, sozzo, immondo, sporco*; Fr. *sale, immonde*; Hisp. *sucio, puerco*; Germ. *schweinisch, schmuzig*; Angl. *filthy, nasty*).

I.) Proprie. — *a)* Universim. *Lucret.* 6. 781. multæ homini res Acriter infestant sensus spurcæque gravesque. *Lucil.* apud *Non. p.* 394. 25. *Merc.* Quæque aspectu sunt spurca et odore. *Seneca Ep.* 70. *a med.* Præferendam esse spurcissimam mortem servituti mundissimæ. *Gell.* 17. 19. *a med.* Vas spurcum atque pollutum. *et mox.* Aut si quid est urina spurcius. *Catull.* 78. 8. et 99. 10. Spurca saliva. *Cic. Dom.* 18. 47. Hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua. *Id. fragm.* apud *Non. loc. cit.* Quum iter facerem Claternam tempestate spurcissima. *h. e.* die nubilo, pluvio, ventoso, tempestate fœda, ut ait *Virg.* 1. *G.* 323. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (11). Nubilum spurcum. *Sueton. Cæs.* 60. Prœlia interdum sumebat spurcissimis tempestatibus. *Apul.* 1. *Met.* Humor spurcissimus. Cf. *Plaut. Trin.* 4. 1. 7. — *b) Spurcus ager* est malis herbis, lolio, avena et similibus conspurcatus. *Colum. R. R. præf. a med.* Quid cultus, quid silvester ager; quid humidus et graminosus; quid siccus et spurcus etc. — *c) Spurcum vinum*, inquit *Festus p.* 348. 19. *Müll.*, est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo, cui aqua admixta est defrutumve aut igne tactum est, mustumve antequam defervescat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim refertur ad animum et mores. *Cic. Dom.* 10. 25. Helluo spurcissimus. *Alii leg.* spurcatissimus. *Id.* 11. *Phil.* 1. 1. Duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima et spurcissima. *Id.* 3. *Verr.* 37. *a med.* Homo avarissime et spurcissime, redde bona sodalis filio. *Gell.* 14. 2. *ante med.* Homo probri plenus spurcissimæque vitæ ac deformatissimæ. ¶ 2. Specialim est obscenus, impurus, incestus. *Plaut. Asin.* 4. 1. 62. Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. *Martial.* 1. 35. Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas. *h. e.* meretrices. *Apul.* 7. *Met.* Spurcissima propudia ante mensam ad illicitæ libidinis extrema flagitia. *Inscript.* apud *Murat.* 1773. 8. Spurci quæstus. *h. e.* lenocinium. ¶ 3. Item impudens. *Martial.* 4. 56. Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno, Qui potes insidias dona vocare tuas. ¶ 4. Item vilis, abjectus, ignobilis, sordidus. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. *ad fin.* Ergo hoc poterit Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque (ex *Lucil. l.* 4. *Sat.*): vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione corroboret? *Varro* apud *Non. loc. cit.* Ne quis lictorem spurcum, hominem liberum prehendere, jussisse velit. *Cod. Theod.* 7. 13. 10. Spurca amputatio digitûm. *h. e.* ignobilis. ¶ 5. Item sævus, durus, crudelis. *Non. p.* 393. 25. *Merc.* Spurcum, sævum vel sanguinarium. Afranius: mulier, novercæ nomen huc adde impium. Spurca gigni vestigia etc. At *Ribbeck*: Spurca gingivast, gannit etc. Locus vexatus. *Id. ibid.* 29. Lucilius: spurcus homo, vita illa dignus locoque.

SPŬRĬUM, ĭi, n. 2. σπόριον. ¶ 1. Est natura muliebris. *Isid.* 9. *Orig.* 5. *a med.* Muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut ἀπὸ τοῦ σπόρου, hoc est seminis, non patris nomine. *Plutarch.* in *Quæst. Rom.* a Sabinis dicit sic appellatam: Τοὺς Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον. ¶ 2. Hinc *spuria* dicta animalia quædam marina. *Apul. Apolog.* 35. Posse, dicitis, ad res Venereas sumpta de mari spuria et fascina, propter nominum similitudinem.

SPŬRĬUS, a, um, adject. proprie qui non justis nuptiis est procreatus, illegitimus: a voce Gr. σπείρω vel σποράω, ut placet *Modestin. Dig.*

1. 5. 23. aliisque infra *cit.*, νόθος, πορνογενής (It. *bastardo, illegittimo, spurio;* Fr. *bâtard;* Hisp. *bastardo, espurio;* Germ. *uneheliche geburt, bastard;* Angl. *bastardly, illegitimate*). Translate. *Auson. Epist.* 18. *sub fin.* Quique notas spuriis versibus apposuit. *h. e.* Aristarchus, qui, quos non probavit in Homero versus, obelo notavit. *Id. in VII. Sap. procem.* 13. Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum. *h. e.* malorum poetarum. — Hinc sæpius

Spurius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, et quidem in proprium sensum usurpatur de eo, qui extra matrimonium quacumque ratione natus est. — Speciat n. *Cajus* 1. *Institut.* § 64. Si quis nefarias atqu incestas nuptias contraxerit, neque uxorem habere videtur neque liberos. Ili enim, qui ex eo coitu nascuntur, matrem quidem habere videntur, patrem vero non utique. — Unde solent spurii filii appellari vel a Græca voce, quasi σποράδην concepti, vel quasi sine patre filii. *Modestin. Dig.* 1. 5. 23. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet: qui et spurii appellantur παρὰ τὴν σποράν. Sic *Auct. lib. de nominib. R. sub fin.* Spurii, patre incerto geniti, quasi σπόροι. — Universim. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 6. 55. 6. Ex libera conceptus et servo, velut spurius habetur. *Martian. Dig.* 49. 15. 26. Divi Severus et Antoninus rescripserunt: Si uxor cum marito ab hostibus capta fuerit et ibidem ex marito enixa sit: si reversi fuerint, justos esse et parentes et liberos et filium in potestate patris. quod si cum matre sola revertatur, quasi sine marito natus, spurius habebitur. *Apul.* 6. *Met.* Vilis ancillæ filius, nepos Veneris audiet. Quamquam inepta ego frustra filium dicam. Impares enim nuptiæ et præterea in villa sine testibus et patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur. — Hinc qui in patris servitute concepti fuerant, *spurii* ejusdem vel *spurii filii* dicuntur in vetustis monumentis. *Inscript.* Patavina apud *Murat.* 194. 2. et *Aless. Stor. di Este p.* 244. T. ARETIVS T. C. L. L. APIOLVS IIIIII. VIR IDEM AVGVSTALIS SIBI ET ARETIAE MODESTAE LIB. SVAE ET T. ARETIO PROCVLO SPVRIO MODESTAE LIB. FIL. *etc. h. e.* libertæ filio. Hic vides, T. Aretium Proculum fuisse filium spurium Aretiæ Modestæ libertæ et T. Aretii Apioli, *h. e.* natum esse ex eadem, antequam ipsa libertatem consequeretur. *Alia* apud *Fabrett. p.* 46. *n.* 258. C. IVLIO C. L. PALLEO C. IVLIVS SP. F. CCL. PALLEVS PATRI INDVLGENTISSIMO. *et ibid. n.* 259. C. VELIVS A. F. SCAPTIA SIBI ET CONCVBINAE SVAE ET VELIAE SP. F TERTIAE FILIAE MEAE. *et n.* 260. L. VOLVSENO SP. F. AGRYPNVS CAES. (*h. e.* Cæsaris servus) FILIO PIENTISSIMO. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 143. 4. P. VALERIVS SPVRII F. MONTANVS VIVVS FECIT PATRI ILARIONI. V. *Orelli* adnotat. ad *n.* 2691. — *Spurii* dicti sunt, teste *Justin.* 20. 1. 15., Lacedæmonii conditores Tarenti, ob notam materni pudoris; quum enim scirent, illicito se matrum concubitu procreatos, patriam sponte reliquerunt et in Italiam, duce Phalanto, delati, Tarentum occupaverunt, parthenias ibi se appellantes, quasi de virginibus natos (quum contra omnino se res haberet) ut infamiam natalium celarent. *V.* PARTHENIÆ in ONOM. — Item de prænom. R. *V.* ONOM.

SPŬRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SPŪTĀMEN, inis, n. 3. (sputo) sputum. *Prudent. Apotheos.* 744. humectam sacro sputamine terram Contrectans. Adde *Tertull. advers. Gnost.* 10. Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. 199.

SPŪTĀMENTUM, i, n. 2. (sputo) sputamen. *Tertull Spectac.* 30. Hic est ille arundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus, felle et aceto potatus. Adde *Jul. Valer.* 1. *Gest. Alex. M.* 2. et *Augustin. ad Oros.* et *Prisc.* § 11.

SPŪTĀTĬLĬCUS, a, um, adject. (sputo) consputatione dignus, levis, κατάπτυστος. *Cic. Brut.* 74. *extr. de C. Rusio.* Fuit accusator, inquit, vetus: quo accusante C. Rutilium, Sisenna defendens dixit, quædam ejus sputatilica esse crimina. Tunc C. Rusius (*Weichert* Crucius) Circumvenior, inquit, judices, nisi subvenitis. Sisenna, quid dicas, nescio: metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit, scio, tilica, nescio. Maximi risus. Sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui. — *Vulcanius* in emend. *Gloss. Lat. Gr.* Putacilla, κατάπτυσμα. videtur *sputatilia* pro *sputatilica* apud Ciceronem legisse.

SPŪTĀTOR, ōris, m. 3. (sputo) qui frequenter spuit, πτυστής. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 52. Minime sputator, screator sum.

SPŪTISMA, ătis, n. 3. (sputo) sputus. *Vitruv.* 7. 4. *in fin.* Quod poculis et sputismatis effunditur, simul atque cadit, siccescit. Alii tamen rectius *pytismatis* legunt, nam *sputisma* nec Græcum, nec Latinum est.

SPŪTO, as, are, 1. *frequentat. a* spuo, frequenter spuo. Transitive adhibetur, et est spuendo emitto. *Plaut. Merc.* 1. 2. 27. Tua causa rupi ramices, jamdudum sputo sanguinem. *Ovid.* 12. *Met.* 256. Cumque atro mixto sputantem sanguine dentes. *Alii leg.* spumantem. *Plaut. Capt.* 3. 4. 18. Nam illic isti, qui sputatur, interdum morbus venit. *h. e.* morbus comitialis, quem nominantes solemus despuere, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (69). et 28. *ibid.* 4. 7. (35). docet.

SPŪTUM, i, n. 2. *et*

SPŪTUS, i, m. 2. *et* us, 4. *V.* SPUO in fin.

SQ

SQUALDUS, a, um, adject. syncop. pro *squalidus* leg. nonnulli apud *Enn. loc. cit.* in SQUALUS. Cf. *caldus, valde,* pro *calidus, valide.*

SQUALENDUS, a, um, adject. (squaleo) squalidus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p* 66. Squalor, squalidus, squalendus, squalescit.

SQUĀLENS, entis, particip. *V.* SQUALEO.

SQUĀLENTĬA, æ, f. 1. (squaleo) squalor, sordes. *Tertull. Exhort. ad castit.* 10. Ingredi non secundum carneæ squalentiæ concupiscentias. *Alii rectius leg.* carnis calentes concupiscentias.

SQUĀLĔO, squāles, squālŭi, squālere, n. 2. Sunt qui scribunt *squalleo,* cum derivatis, duplici liquida, adversantibus *Manut., Dausq., Cellar.* et etiam philologis recentioribus, a quibus stant veteres libri et lapides. — Ratione habita etymi, ita *Isid.* 15. *Orig.* 13. 13.: « *Squalidus* ager, quasi *excolidus,* eo quod jam a cultura exierit. » At probabilius *Fest. p.* 329. 22. *Müll.* « Squalidum, incultum et sordidum ait Verrius significare: sic dictum, quod proxime ad similitudinem squamæ piscium accedit certe eorum qui in profunditate abditi paludum squalent maxime. Unde Ennius: squalida sæptus stola. Hæc *Festus.* Cf. *loc. Gell.* et *Non.* in SQUALENS § 1. Alii tamen vocem conjungunt cum Gr. σκέλλω, sicco, arefacio. — Part. *Squalens* in fin. — Squaleo est asper sum, rigeo; unde et fulgeo, niteo (It. *essere aspro, duro, arricciato;* Fr. *être âpre, rude, hérissé;* Hisp. *ser aspero, rudo, erisado;* Germ. *starr–, rauh sein, starren;* Angl. *be rough*). ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 14. *Met.* 411. humus squalet serpentibus atris. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 182. Filaque concreto cogit squalere metallo. *h. e.* nitere. *V.* plura in SQUALENS. ¶ 2. Speciatim pro arere, supra modum siccum esse. *Lucan.* 4. 755. Oraque projecta squalent arentia lingua. *et* 9. 503. squalebant pulvere fauces. *Sil. It.* 14. 591. Squalebat tellus vitiato fervida dorso. Adde *Lucan.* 9. 626. ¶ 3. Item sæpius, obsitus, sordidus, incultus, horridus sum, ῥυπάω, αὐχμάω. — *a*) Absolute. *Plaut. Pers.* 4. 8. 2. Ita mihi supellex squalet atque ædes meæ. *Virg.* 1. *G.* 508. squalent abductis arva colonis. — *b*) Cum Ablativo ejus, quo quis squalet, sine præp. aut etiam cum præp. *ab, ex. Quintil.* 10. 1. *ante med.* Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse, qui terreat. *Ovid.* 1. *Met.* 373. Ad delubra deæ, quorum fastigia turpi Squalebant musco. *et* 15. *ibid.* 627. Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo. *Sil. It.* 19. 511. Pulvere canities atro arentique cruore Squalebat barba. *Seneca Troad.* 20. nube ceu densa obsitus, Ater favilla squalet Iliaca dies. *Stat.* 1. *Theb.* 221. Et Phaethontæa mundum squalere favilla. *Martial.* 9. 48. Democritos, Zenonas inexplicitosque Platonas, Quidquid et hirsutis squalet imaginibus. *Gell.* 9. 4. Ipsa volumina ex diutino situ squalebant habituque tetro erant. *Sil. It.* 4. 251. *de Cryxo.* barba Sanguinea rutilat spuma victusque furentis Albet et adfuso squalent a pulvere crines. Cf. *Albinov.* 1. 295. squalent immissis ora capillis. ¶ 4. Hinc dicitur de iis, qui in luctu et mœrore sunt, quia tunc cultus corporis negligitur. *Cic. Sext.* 14. 32. Erat in luctu senatus, squalebat civitas, publico consilio mutata veste. *Id. Mil.* 8. 20. Luget senatus, squalent municipia, afflictantur coloniæ. *Paulin. Nolan. carm.* 15. 97. Squaluit in vacua captivus imagine mundi. — Hinc Part. præs.

Squalens, entis, adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Squalentior* 1. — Squalens ¶ 1. Est asper, rigens. *Virg.* 2. *G.* 348. Aut lapidem bibulum aut squalentes infode conchas. *h. e.* asperas. *Manil.* 5. 271. Squalens arista. *h. e.* aculeata et pungens. *Claudian. B. Get.* 293. Colla catenati vidit squalentia Cimbri. *h. e.* catenis detrita, asperata et quasi squamis obducta. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 150. *de Tritone.* squalentia murice terga Purpureis mollita rosis. *h. e.* aspera, hirta, aculeata. — Culpaverant olim nonnulli *Virgil.*, quod dixisset 10. *Æn.* 314. tunicam squalentem auro. Cui simile est illud 12. *ibid.* 87. auro squalentem alboque orichalco Circumdat loricam humeris. Defendit *Gell.* 2. 6. *ad fin.* his verbis, quæ more suo descripsit *Macrob.* 6. *Saturn.* 7. *ad fin.* Tertium restat ex iis, quæ reprehensa sunt, quod *tunicam squalentem auro* dixit. Id autem significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. *Squalere* enim dictum est a squamarum crebritate asperitateque, quæ in serpentium pisciumque coriis visuntur. Quam rem et alii et hic quidem poeta locis aliquot demonstrat (11. *Æn.* 770.) quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. Et alio loco (*ibid.* 487.) Jamque adeo rutilum thoraca indutus ahenis Horrebat squamis. Accius in Pelopidis ita scribit: Ejus serpentis squamæ squalido auro et purpura prætextæ. Quidquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id *squalere* dicebatur. Sic in corporibus incultis squamosisque alta congeries sordium *squalor* appellatur: cujus significationis multo assiduoque usu totum id verbum ita contaminatum est, ut jam *squaler* de re alia nulla, quam de solis inquinamentis dici cœperit. Hæc *Gell.*, quæ totum hoc verborum genus, *squalens, squalere, squalor, squalidus* luculenter illustrant. *Servius* ad *cit.* 10. *Æn.* 314. tunicam squalentem auro. interpretatur: splendentem auro, scilicet quia ex densitate et copia auri splendor augetur. *Nonius* quoque *Gellii* et *Servii* interpretationem firmat: cujus verba sunt *p.* 452. 19. *Merc. Squalere* non sordium plenum esse tantummodo, ut nunc consuetudine persuasum est; sed honesta re abundare et refertum esse, veteres honesta auctoritate posuerunt etc. Hæc *Non.* Huc referri possunt illa *Virg.* 5. *G.* 91. Alter (*rex apum*) erit maculis auro squalentibus ardens. *et ibid.* 13. picti squalentia terga lacerti. *Sil. It.* 2. 585. Cæruleus maculis auro squalentibus anguis. ¶ 2. Est etiam siccus, aridus. *Lucan.* 1. 205. et 5. 39. squalentibus arvis Æstiferæ Libyes. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. Squalentes avenæ. *in vet. script.* scalentes. *ut sit a* σκῆλαι, siccare. *V.* init. ¶ 3. Et sordidus, incultus, horridus, obsitus. *Ovid.* 4. *Met.* 655. squalentia ora Medusæ. *Seneca Œdip.* 554. Squalente cultu mœstus ingreditur senex. *Juvenal.* 8. 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum Squalentes traducit

avos. *Sil. It.* 3. 655. et 4. 376. Squalentes campi. *h. e.* arenosi et inculti. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 42. Squalens litus. *Lucan.* 8. 57. atro squalentes pulvere vestes. *Petron. Sat.* 120. nigro squalentia pumice saxa. *Claudian. B. Gild.* 24. Squalens clipeus. *h. e.* situ et rubigine obsitus. *Stat.* 1. *Theb.* 646. nubibus atris Et squalente die. *h. e.* horrido ob pestilentiam. *Ovid.* 5. *Fast.* 397. squalentia tela venenis. *h. e.* multo veneno imbuta et horrida. *Capell.* 6. *p.* 192. Ne indecenter et squalentior peragratrix cælicolarum auratam curiam credar intrasse. *Claudian. in Prob. et Olybr. cons.* 212. herbis Squalentes thalamos et structa cubilia musco. *Alii leg.* pallentes.

SQUĀLES, ēi, f. 5. *rectius* squales, is, 3. (squaleo) *Squalē* ablat. sing. cum e longa. Cf. *famē* etc. (V. *Schweizer-Sidler Teor.* etc. *p.* 43. intp. *Pezzi*). — Squales est squalor apud veteres. *Varro* apud *Non. p.* 226. 5. et *p.* 125. 33. et *p.* 168. 20. *Merc.* Ager periret squale Scabreque, illuvie et vastitudine. *Pacuv. Trag.* 314. *Ribbeck.* Quæ desiderio alumnum, pœnitudine Squale scabreque, inculta vastitudine.

SQUĀLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* squaleo, squalidus fio. *Caper p.* 93. 19. *Keil.* et *Not. Tir. p.* 66. *V.* SQUALENDUS. — Translate. *Augustin. Serm. app.* 120. Ut vitiorum sordibus squalesceret mundus.

SQUĀLĬDĒ, adverb. (squalidus) Occurrit tantum Comp. *Squalidius.* — Squalide est sordide, horride, inculte. Translate. *Cic.* 4. *Fin.* 3. 5. Peripatetici ipsa illa, quæ subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, quum definientes, tum partientes, ut Stoici etiam: sed hi squalidius: illorum vides quam niteat oratio. *h. e.* incultius, inornatius, horridius. *Ammian.* 25. 2. 3. Vidit squalidius speciem illam genii publici. *h. e.* obscurius.

SQUĀLĬDĬTAS, ātis, f. 3. (squalidus) squalor. Translate. *Ammian.* 26. 5. *extr.* Ne omnia confundentes, squaliditate maxima rerum ordines implicemus. *h. e.* obscuritate.

SQUĀLĬDUS, a, um, adject. (squaleo) Comp. *Squalidior* II. — Squalidus est asper, rigens, scaber (It. *aspro, scabro, rigido, ruvido;* Fr. *âpre, rude, hérissé;* Hisp. *aspero, erisado;* Germ. *starrend, rauh;* Angl. *rough*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 2. 468. Scilicet, esse globosa, tamen quum squalida constent. *Accius* apud *Gell.* 2. 6. *ad fin.* et *Non. p.* 452. 28. *Merc.* Ejus serpentis squamæ squalido auro et purpura prætextæ. *h. e.* multo auro atque aspero, instar squamæ, atque adeo rutilo et nitenti. ¶ 2. Speciatim est incultus, sordidus, horridus, ῥυπαρός. *Ennius* apud *Fest. p.* 329. 27. *Müll.* et *Non. p.* 537. 26. *Merc.* Cedo ac caveo vestitus, squalida sæptus stola. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 42. Homo horridus et squalidus. *Ter. Eun.* 2. 2. 5. Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. Ubi *Donat.* Sentum ad horrorem retulit; squalidum ad sordes; ægrum ad maciem; pannis annisque obsitum ad vestitum et ad tristitiam. *Justin.* 21. 5. 5. Pannosus et squalidus. *Seneca Troad.* 883. Depone cultus squalidos, festos cape. *Juvenal.* 9. 15. Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *sub fin.* Mœsta et squalida senectus. *Seneca Hippol.* 471. Orbis jacebit squalido turpis situ. *Id. Œdip.* 2. Et nube mœstum squalida exoritur jubar. *Id. ibid.* 625. Pædore fœdo squalidam obtentus comam. *Id. Herc. Œt.* 1756. reliquias magni Herculis Cineremque jactans squalidum, Alcmene gemit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (121). Myrtus patricia exuberans ac læta, plebeja retorrida ac squalida. *Catull.* 64. 42. Squalida desertis robigo infertur aratris. *Ovid.* 1. *Fast.* 558. Squalidaque humanis ossibus albet humus. *h. e.* horrida. Sic *Curt.* 7. 4. 27. Squalida siccitas. *et* 2. *ibid.* 181. Ursa per incultos errabat squalida campos. *Id.* 2. *Amor.* 2. 42. Squalidus carcer. ¶ 3. Hinc dicitur de reis, qui sordidati apparebant. *Ovid.* 15. *Met.* 38. Squalidus reus. — In illo *Tac.* 2. *Hist.* 60. Suetonium ac Licinium tristi mora squalidos tenuit: donec auditi, necessariis magis defensionibus, quam honestis uterentur. *squalidos tenere* est reorum numero habere et in vinculis. quia *squalor* reorum est et carceris.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 32. *extr.* Hæc tenenda sunt oratori. sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. *h. e.* asperiora, scabriora.

SQUĀLĬTAS, ātis, f. 3. (squales) idem quod squalor. *Accius* apud *Non. p.* 226. 4. *Merc.* Et si operta squalitate est luctuque horrificali. *Lucil. ibid.* Squalitate summa, scabie summa, ærumna obrutam.

SQUĀLĬTŪDO, ĭnis, f. 3. (squales) idem quod squalor. *Accius* apud *Non. p.* 226. 2. *Merc.* Speciem humanam inusitatam, egregiam, indignam clade et squalitudine.

SQUALLĔO etc. *V.* SQUALEO init.

SQUĀLOR, ōris, m. 3. (squaleo) asperitas (It. *asprezza;* Fr. *êtat de ce qui est âpre, hérissé, croûte;* Hisp. *asperidad, corteza;* Germ. *das Starren, d. h. die Rauhigkeit;* Angl. *roughness*): cui *levor* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 2. 424. quæcumque (*causa*) molesta atque aspera constat, Non aliquo sine materiæ squalore reperta est. ¶ 2. Speciatim ariditas. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 8. *a med.* Aquarum ductibus pessumdatis, plena cuncta squaloris et pulveris. *h. e.* siccitatis. nam et *squalere* arere est. ¶ 3. Item sæpius est sordium congeries, illuvies, sordes, *lordura, sordidezza, sudiciume, incoltezza,* ῥυπαρία. — *a*) Refertur præcipue ad cultum corporis neglectum atque horridum. Unde *Tac. Germ.* 31. vocat *squalorem* crinem barbamque summissam. et *Ovid. Heroid.* 13. 37. omittere novas et pretiosas vestes, comam negligere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 116. Immundas fortunas æquum est squalorem sequi. *Cic.* 5. *Verr.* 12. *ad fin.* Surrexisset Apronius, non squaloris plenus ac pulveris, sed unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Senex macie et squalore confectus. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 330. Erebi se sponte relaxat Squalor et æternam patitur rarescere noctem. *Liv.* 2. 23. Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti. *Id.* 21. 40. *ad fin.* Umbræ hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti. *Calpurn. Ecl.* 1. 45. Et reddit ad terras tandem, squalore situque, Alma Themis, posito. *Curt.* 4. 1. 23. Ut cunctanti squalor ablutus est et injecta vestis purpura auroque distincta. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 39. (138). Ferro vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. *Colum. De cult. hort.* 95. pectita tellus Deposito squalore nitens sua semina poscit. — *b*) Dicitur de luctu et mœstitia dolentis aliqua calamitate aut rei: ut videtur *Forcellino:* at dixerim, usurpari potius de exteriore aliquo mœroris signo, puta in ore, vestitu, habitu corporis. *V.* Homonym. *Cic. Cluent.* 6. *ad fin.* Mater instituit accusatores, instigat testes: squalore hujus et sordibus lætatur, exitium exoptat. *Id. ibid.* Spectaculum hujus sordium atque luctus et tanti squaloris. *Id.* 7. *Verr.* 48. *extr.* Hoc ornatu ad vos confugiunt. aspicite, judices, squalorem sordesque sociorum. *Id. Mur.* 40. 86. Squalore sordidus, confectus morbo, lacrimis ac mœrore perditus. *Metell.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 1. In luctu et squalore esse. *Tac.* 1. *Hist.* 54. Legati in squalorem mœstitiamque compositi. Adde *Sil. It.* 1. 631. et 674. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 177. procerum squalore repletus Carcer. — In plur. num. *Quintil.* 6. 1. *a med.* At sordes et squalores et propinquorum quoque similem habitum scio profuisse.

II.) Translate. *Quintil.* 2. 5. 23. Deterso rudis sæculi squalore, *asprezza, ruvidezza.*

Homonym. Differre *squalorem* a *mœrore* ad illud *Cic. Sext.* 31. 68. Decesserat ex Asia frater meus magno squalore, sed multo etiam majore mœrore. Ita docet *Scholiast.* (ed. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 144.): « *Squalor* ad habitum vestitus refertur; *mœror* ad animi angorem. dicit ergo fratrem suum per omnia lugubrem sustinuisse fortunam ».

SQUĀLUS, a, um, adject. (squaleo) squalidus. *Enn.* apud *Non. p.* 172. 20. *Merc.* Lavere lacrimis vestem squalam et sordidam. Alii leg. *squalidam;* alii *squaldam* per syncop. *V.* SQUALDUS.

SQUALUS, i, m. 2. Priorem syllabam, quæ videtur longa, *Ovid. loc. cit.* corripuit. Sed loci varia est lectio. *V.* infra. — Squalus piscis, fortasse ab asperitate squamarum ita dictus (apud nostrates vulgo *squalo*). Memorant *Varro* 3. *R. R.* 3. *ad fin.*, *Plin.* 9. *Hist. nat.* 24. 40. (78). et *ibid.* 51. 74. (162)., item *Ovid. Halieut.* 123., sed ubique dubia lectione: etenim apud *Varron.* et *Ovid. loc. cit.* alii leg. *scarus* vel *squatus.* V. RHINA et SQUATUS.

SQUĀMA, æ, f. 1. Qui scribunt *squamma* et derivata duplici *m*, adversos habent *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.*, alios. — Ratione habita etymi, *Döderlein* conjungit cum *scabere*, ut *gluma* cum *glubere*. At *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 767. Squama et splendorem significat, si a piscibus veniat; et sordes, si ab squalore. Sed in Virgilio splendorem ubique significat. Cf. loc. *Gellii* sub SQUALEO. — Squama dicitur dura cartilago, quæ piscibus et anguibus pro cute est, λεπίς, φολίς (It. *scaglia, squama;* Fr. *écaille;* Hisp. *escama;* Germ. *die Schuppe;* Angl. *the scale*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Animantium aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squama videmus obductas. *Virg.* 11. *Æn.* 753. serpens sinuosa volumina versat Arrectisque horret squamis. *Id.* 5. *ibid.* 88. *de angue.* maculosus et auro Squamam incendebat fulgor. *Ovid.* 6. *Met.* 576. Duratæque cuti squamas increscere sentit. *Id. Heroid.* 12. 101. Pervigil ecce draco squamis crepitantibus horrens. *Curt.* 9. 1. 12. Hic serpentibus magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 295. Elevat hunc pluma, squamis hunc Fabula vestit. *h. e.* versum in piscem narrat. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. Linteum villis onustum, quod pridiana squama politum casu sub ipsis ædiculæ valvis bipatentibus de janitoris erecto trochleatim fune nutabat.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de anulis et catenulis squamæ similibus in loricis, *maglia. Virg.* 9. *Æn.* 707. duplici squama lorica fidelis et auro. Sic 11. *ibid.* 487. Turnus thoraca indutus, ahenis Horrebat squamis. *et ibid.* 770. quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. (Adde *Ovid.* 3. *Met.* 63. et *V.* SQUALENS). ¶ 2. Item *squama* est morbus oculorum, *le cateratte, la suffusione. Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (21). Squamam in oculis emovendam potius, quam extrahendam. Cf. *Vulgat. interpr. Act.* 9. 18. ¶ 3. Item cortex tenuis, quo quid involvitur vel tegitur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 24. (107). Milii squamæ quas vocant florem. ¶ 4. Item lamina tenuis, *scaglietta, scaglia, lamina. Id. ibid.* 15. 46. (154). Squama ferri. et 32. *ibid.* 4. 14. (34). tegumenti testudinis. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (113). specularium lapidum. *Cels.* 2. 12. æris. λεπὶς χαλκοῦ. *Æmil. Macer c.* 14. *de Camomilla.* Squamas de vultibus aufert.

SQUĀMANS, antis, particip. ab inusit. *squamo*, squamas habens, squamosus, *squamoso. Manil.* 5. 412. quum se Delphinus in astra Erigit et squamans stellis imitantibus exit. Alii rectius leg. *squamam*, ut *exire squamam* locutio Græca sit et valeat, squamam emittere, exserere, exhibere; aut potius, quod recentioribus placet, sit *imitari squamam.*

SQUĀMĀTIM, adverb. (squama) ad similitudinem squamarum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (49). Nucamenta squamatim compacta dependent.

SQUĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. (squama) genus morbi, ex quo cutis in tenues squamas dissolvitur. *Isid.* 4. *Orig.* 8. 10. Scabies et lepra, utraque passio, asperitas cutis cum pruritu et squamatione; sed scabies tenuis asperitas et squamatio est.

SQUĀMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *squamo*, squamis obductus. *Tertull. Apolog.* 21. Squamatus aut cornutus, aut plumatus amator. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 17. 5. Lorica squa-

mata. Alii leg. *hamata*. Cf. *Vercellone*, *Var. lect.* ad *h. l.* — Hinc

Squamatus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, genus piscis, apud Gallos *chien de mer*, *Isid.* 12. *Orig.* 6. 37. *Otto.* Squamatus dictus quod sit squamis acutis. Unde et ejus cute lignum politur. Alii aliter leg. *V.* SQUATUS.

SQUĀMEUS, a, um, adject. (squama) plenus squamis, *scaglioso*, *squamoso*, φολιδωτός.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 154. neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id.* 2. *Æn.* 218. squamea terga. *Ovid.* 7. *Met.* 272. membrana.

II.) Translate. *Claudian.* *IV. cons. Honor.* 532. Quis decor, incedis quoties clipeatus et auro Squameus et rutilus cristis et casside major! *h. e.* aurea lorica indutus. *V.* SQUAMA.

SQUĀMĬCŬTIS, e, adject. (squama et cutis) cutem squameam habens. *Pseudo-Cyprian. Sodom.* 143. *de piscibus.* Quaque caret proferre aliquam de gurgite gentem Squamicutem vel levicutem vel cortice sæptam. Alii leg. *squamigeram*.

SQUĀMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (squama et fero) squamas ferens, squamosus, squamiger, λεπιδοφόρος. *Seneca Med.* 685. Squamifera latebris turba desertis adest. *h. e.* angues. *Lucan.* 9. 709. Squamiferos ingens hæmorrhois explicat orbes.

SQUĀMĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (squama et gero) squamas gerens, squamosus, squamifer. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (137). Pennatorum solmodum buboni tantum, et oto plumæ velut aures: ceteris cavernæ ad auditum. simili modo squamigeris atque serpentibus. *Ovid.* 4. *Met.* 716. Squamigera cervix. *h. e.* collum anguis. *Lucret.* 1. 378. Nam quo squamigeri poterunt procedere tandem, Ni spatium dederint latices? *h. e.* piscibus. *Id.* 2. 342. *et* 1081. mutæque natantes Squamigerum pecudes. *pro* squamigerorum. *Auson. Mosell.* 83. Squamiger grex.

SQUAMMA etc. *V.* SQUAMA init.

SQUĀMŌSUS, a, um, adject. (squama) squamiger, squamatus, φολιδωτός (It. *scaglioso*, *squamoso*; Fr. *écaillé*, *écailleux*; Hisp. *escamado*, *escamoso*; Germ. *schuppig*, *voll Schuppen*; Angl. *scaly*, *squamous*).

I.) Proprie. — *a*) De anguibus. *Propert.* 3. 21. 27. squamoso labuntur ventre cerastæ. *Virg.* 4. *G.* 408. Squamosus draco. *Ovid.* 3. *Met.* 41. Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 263. Splendent viperea squamosa pelle pharetræ. *Prudent. Hamartig.* 423. Squamosum thoraca gerens de pelle colubri. — *b*) De piscibus. *Plaut. Rud.* 4. 3. 5. Squamosum pecus. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 444, agmina. *Colum.* 8. *R. R.* 17. greges. *Seneca Hippol.* 1048. belua.

II.) Translate. *Lucan.* 4. 324. torrentur viscera flamma Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis. *aride e ruvide*: siccis et asperis instar squamarum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (72). Smaragdi venosi et squamosi. — *Squamosæ aves* proverbii loco dicuntur a *Plaut. loc. cit.* in PENNATUS. — Hinc

Squamosus, *i*, m. 2. absolute, qui squamas habet, piscis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 81. (206). Pennati squamosique.

SQUĀMŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a squama, parva squama, *scaglietta*, λεπίδιον. *Cels.* 7. 26. *n.* 3. Urina secum trahens quasdam quasi squamulas. *Id.* 6. 2. Porrigo est, ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt. *Id.* 5. 28. *n.* 17. *de impetig.* Videntur esse in ea quasi bullulæ quædam, ex quibus interposito tempore quasi squamulæ solvuntur. — De *squamulis*, vel folliculis, radicum loquitur *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 32.

SQUARRŌSUS, a, um, adject. scabrosus, rudis, tactu asper. *Festus p.* 329. 31. *Müll.* (Cf. *Paul. Diac. p.* 338. 7. *ibid.*) Squarrosi, ab eadem squamarum piscium similitudine dicti, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuviem. Lucilius. Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra. Alii leg. *scarrosi* et *scarrosa*, quasi a *scarreo*, quod *Jos. Scaligero* idem est ac *scaber sum.* Neque sane, si *Dacierio* fides, a squamis squarrosi dicti, sed a *squarra*, vel, ut veteres scribebant, *scara*, quod purum putum Græcum est ἐσχάρα, id est crusta ulceribus cavis excrescens. Ceterum nonnullis videtur *squamosi* et *squamosa* apud *Festum* corrigendum esse, quod derivationi convenientius. Ita cl. *Furlanetto.* At nihil immutandum esse discimus ex *Thes. nov. Latin.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 1. Quum in nocte hiemali multæ lucubrationis pervigilio plurimoque in lychnis olivo depasto usque ad conticinium ferme nictassem, in lethæum tandem soporem squarroso me-lecti-sternio, utpote perrara farragine hirtisque sagis receptantibus defetiscentes artus conqueri (*corrig.* conquexi). *et ibid. p.* 534. Dicitur squarrosus quasi squamis corrosus. unde Ennius: squarrosa et incompeta rostra. *V.* INCOMPETUS.

SQUĀTĬNA, æ, f. 1. piscis ex genere planorum, quo propter squalorem, hoc est asperitatem cutis, ligna et ebora poliuntur. Græce dicitur ῥίνα vel ῥίνη, quia eo res limantur: nam ῥίνη lima est (*V.* RHINA), *squadro* (*Squalus squatina* Linn.). *Plin.* 9. *Hist. nat.* 12. 14. (40). Aspera cute, ut squatina, qua lignum et ebora poliuntur. *Id. ibid.* 51. 74. (162). Ex planis squatina bis sola auctumno, Vergiliarum occasu parit. Adde *ibid.* 24. 40. (78). *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (150). Rhina, quem squatinam vocamus. *Harduin.* et *Sillig.* habent *squatum*.

SQUĀTUS, i, m. 2. idem ac squatina. *Isid.* 12. *Orig.* 6. *circa med.* Squatus dictus, quod sit squamis acutis; unde et ejus cute lignum politur. *Gloss. Philox.* Squatus, ῥίνα, εἶδος ἰχθύος. Angli etiam nunc *skate* appellant. *V.* voc. præced. *in fin.* Cf. loc. *Ovid. Halieut.* in SQUALUS, i.

SQUIBĂLUM, i, n. 2. σκύβαλον, fimus, quisquiliæ, retrimentum. Cf. SCOBS. *Veget.* 2. *Veterin.* 19. At *Schneider* hanc voc. expunxit.

SQUILLA, æ, f. 1. Scribitur aliis et *scilla*, qua significat herbam; aliis vero promiscue. — Squilla ¶ 1. Est herba, de qua *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (93). *V.* SCILLA. *Pallad.* 3. *R. R.* 29. Sarmentum intra squillæ bulbum demergunt: cujus beneficio asserunt sata omnia comprehendere facilius. — Apud *Horat.* 2. *Sat.* 8. 42. Affertur squillas inter murænas natantes. *et ibid.* 4. 58. Tostis marcentem squillis recreabis, et Afra Potorem cochlea. *squilla* aliis est herba, aliis cum *Rittero* piscis, de quo *V.* in SCILLA. ¶ 2. Item pisciculus, qui cum pinna concha comparandi cibi init societatem. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 42. 66. (142). et *Martial.* 13. 83. — In Libya majores multo squillas quam alibi, quum dictum esset Apicio gulonum principi, cupiditate illo navigavit, teste *Suida* in Ἀπίκιος: quumque falsum reperisset, intacta Africa rediit. *Juvenal.* 5. 80. Aspice, quam longo distendat pectore lancem, Quæ fertur domino squilla et quibus undique sæpta Asparagis, qua despiciat convivia cauda. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SQUĪNANTHOS, i, m. et

SQUĪNANTĬUM *vel* squinanthium, ii, n. 2. *V.* SCHŒNANTHUS.

SQUĪNUM, i, n. 2. *V.* SCHŒNUS.

ST

ST est

I.) Particula loquelaris seu sibilus, quo utimur silentium indicentes, etiam digito ori admoto, in sermone familiari: cui interdum *tace* adjicitur. Græce σῦγα (It. *zitto*; Fr. *chut*, *paix*; Hisp. *chiton*; Germ. *st*, *still*; Angl. *hist*, *hush*). Est autem monosyllabon; quamquam *Vel. Long. p.* 2213. *Putsch.* hæc habet: « Inveni sunt qui et sine vocali putent posse syllabam fieri, nam animadvertimus apud Comicos *s* et *t* pariter scriptas litteras, ut apud *Ter.* etc., ubi hoc *s* et *t* pariter (*st*) renunciat silentium. Apparet hæc nihil aliud quam locum syllabæ tenere, nec tamen syllabam scilicet esse». — *Poeta* apud *Varron.* 5. *L. L.* 57. *Müll.* ex lectione *Scalig.* Isis et Harpocrates, digito qui significat st! At *Müllerus* aliter legit. *Plaut. Cas.* 2. 1. 5. St! tace atque abi. *Id. Epid.* 2. 2. 1. St! st! taceta. habete animum bonum. *Id. Pseud.* 2. 2. 5. St! tace, tace. meus hic est homo. *Ter. Andr.* 4. 1. 59. Hem st! mane: concrepuit a Glycerio ostium. *Id. Heaut.* 3. 3. 36. De fallacia dicis? st! inveni quamdam nuper. *Næv.* apud *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.* St! tale verbum cave faxis. *Cic.* 16. *Fam.* 24. Sed st! litteras tuas exspecto.

II.) Aphæresis pro *est.* V. in SUM.

III.) Nota in Inscriptt. pro *statio*, *Statius*, *stipendium*, *stolatus* etc.

STĂ pro Ista. *V.* STE.

STĂBĬLĬENS, entis, particip. *V.* STABILIO.

STĂBĬLĬMEN, minis, n. 3. (stabilio) id quo aliquid stabilitur, firmamentum, *fermezza*, *sostegno*, *assodamento*, βεβαίωμα. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. Mihi portento cælestum pater prodigium misit, regni stabilimen mei.

STĂBĬLĬMENTUM, i, n. 2. (stabilio) idem ac stabilimen.

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 2. 3. 88. Hæc sunt ventri stabilimenta, pane et assa bubula, poculum grande. *V.* PANIS. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 7. 6. (16). Propolis nondum cera, sed favorum stabilimentum.

II.) Translate. *Val. Max.* 7. 6. *n.* 1. Sicilia et Sardinia, gradus et stabilimenta bellorum. *Augustin. contra Jul. Pelag.* 6. § 10. Stabilimenta fidei Christianæ. Adde *Vulgat. interpr. Sap.* 6. 26. et *Eccli.* 49. 17.

STĂBĬLĬO, stăbīlis, stăbīlīvi, stăbīlītum, stăbīlire, a. 4. (stabilis) *Stabilibat* pro *stabiliebat* est *Ennii* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. *V.* infra. Item *stabilibo* pro *stabiliam* apud *Pseudo-Cyprian. Ass. Mos.* 2. 44. — Part. *Stabiliens* I. *b*; *Stabilitus* I. *b* et II.; *Stabiliendus* I. *b*. — Stabilio est stabilem reddo, firmo, fulcio, βεβαιόω (It. *assodare*, *fermare*, *stabilire*; Fr. *rendre stable*, *solide*, *affermir*; Hisp. *hacer que sea estable*, *afirmar*; Germ. *befestigen*, *feststellen*; Angl. *to make steadfast*, *firm*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. *a med.* Confirmandi et stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. — *b*) Cum Accusat. vel passive. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Semita nulla pedem stabilibat. *Colum.* 4. *R. R.* 33. Castanea stabiliendis vineis habilis. *Seneca Thyest.* 567. Ille labentes renovare muros, Hic situ quassas stabilire turres. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 20. 81. (212). Porcilaca mobiles dentes stabilit commanducata. *Id.* 10. *ibid.* 23. 30. (60). Grues Pontum transvolaturas saburra stabiliri. *Id.* 9. *ibid.* 31. 51. (100). Tradunt echinos sævitiam maris præsagire, correptisque operiri lapillis, mobilitatem pondere stabilientes. *et ibid.* 28. 44. (83). Loligini pedes duo, quibus se velut ancoris stabiliunt. Rursus *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. *extr.* Auspicio regni stabilita scamna solumque. *Lucret.* 3. 202. quo quæque magis cum pondere magno Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (69). Ponduscilis lapidum apprehensis aut gutture arena repleto, stabilitæ (*coturnices*) volant.

II.) Translate. *Accius* apud *Cic. Sext.* 58. 123. Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat. *Plaut. Amph.* 1. 1. 39. Regi Thebano regnum stabilivit suum. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 65. Quum alter stabilire rempubl. studuerit, alter evertere. *Id.* 1. *Legg.* 24. 62. Stabilire leges. *Id. Marcell.* 9. *a med.* Nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit etc. *Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. ad fin.* Stabilire pacem et concordiam. *Liv.* 9. 20. *sub fin.* Res Capuæ stabilitas Romana disciplina fama vulgavit. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (34). Cicero stabilivit nomen equestre in consulatu suo. *Gell.* 12. 5. Quum eum ad

retinendam patientiam, testimonio tolerantiæ, quam videbat, perhibito, stabilisset.

STĂBĬLIS, e, adject. (sto). Comp. *Stabilior* et Sup. *Stabilissimus* II. 1. *a.* — Stabilis est ad standum aptus, firmus, fixus, fundatus, optime constitutus, βέβαιος (It. *sodo, fermo, saldo, stabile;* Fr. *stable, ferme, solide;* Hisp. *estable, firme, sólido;* Germ. *fest, feststehend;* Angl. *firm, sure, fixed*).

I.) Proprie. — *a)* Absolute. *Lucret.* 5. 1120. Fundamentum stabile. *Cato R. R.* 7. Lotium aniilum ad radicem addere oportet, ut mala stabilia fiant. *h. e.* non decidua ante maturitatem: vel quæ durant incorrupta. *Cic. Marcell.* 9. 29. Stabilis sedes. *Id Flacc.* 42. 105. Via plana et stabilis. *cui opponitur* præceps et lubrica. *Ovid.* 4. *Fast.* 303. *de navi.* Illa velut medio stabilis sedet insula ponto. *Liv.* 44. 9. Stabile solum. *Tac.* 2. *Hist.* 35. Stabili gradu e ripa vulnera dirigere. *Id.* 2. *Ann.* 21. Stabile prœlium. *a piè fermo.* Sic *Liv.* 30. 34. Stabilis pugna. *h. e.* stataria. Adde *Ammian.* 25. 3. 1. — *b)* Cum addito Accus. et præp. *ad. Liv.* 44. 5. Locus ad insistendum stabilis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Seneca Octav.* 924. Regitur fatis mortale genus, Nec sibi quidquam spondere potest Firmum et stabile. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 9. 27. Decretum stabile, fixum, ratum esse debet. *Id. Amic.* 17. 62. Firmi et stabiles et constantes amici. *et ibid.* 15. *in fin.* Amicitiarum stabilis et certa possessio. *Id.* 1. *Invent.* 30. 47. Animus sine fide stabilis amicis esse non potest. *Ter. Adelph.* 1. 1. 40. Errat longe, qui imperium credit gravius esse aut stabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur. *Horat. Carm. sæcul.* 26. Quod semel dictum stabilis per ævum Terminus servet. *Ovid.* 3. *Art. am.* 557. Stabiles annis animi. *h. e.* homines confirmatæ et constantis ætatis. *Id.* 5. *Trist.* 14. 29. Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet: Quæ maneat stabili, quum fugit illa, pede. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (48). Sabulum masculum promittit aquas certas stabilesque et salubres. *h. e.* perennes. Sic *Cato R. R. præf.* Ex agricolis stabilissimus quæstus consequitur. — *b)* Cum addito Genetivo. *Boeth.* 3. *Cons. phil. metr.* 2. 38. Quod stabilem sui fecerit orbem. — *c)* Cum Accus. et præp. *ad. Cic.* 1. *Orat.* 28. 129. Nihil enim est tam insigne nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. *Tac.* 1. *Ann.* 43. *extr.* Discedite a contactu ac dividite turbidos. id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. — *d)* Sequent. Infinito. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 25. Profecto stabile est, me patri aurum dare. *h. e.* certum est, statutum, decretum est. — *e) Stabilis patria, domus,* ubi quis perpetuo habitat. *Plaut. Merc.* 3. 4. 68. Qui finis fugæ? quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? *Cic. Marcell.* 9. 29. Vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 2. 56. ¶ 2. Speciatim in pedibus et numeris orationis *stabiles* dicuntur syllabæ longiores, quia stant quodammodo et morantur: contra breves celeriter decurrunt. *Quintil.* 9. 4. 83. Horum pedum nullus non in orationem venit: sed quo quique sunt temporibus pleniores longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem; breves celerem ac mobilem. *et ibid.* Omnes ii, qui in breves excidunt, minus erunt stabiles. Adde *eumd.* 9. 4. 83. et *Horat. Art. P.* 256. — Hinc

Stabilia, um, n. plur. 3. absolute, res stabiles, certæ, firmæ. *Cic. Top.* 18. 70. Stabilia meliora incertis. *Quintil.* 9. 4. 116. Stabilia probant, clauda deprendunt. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STĂBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (stabilis) firmitas, constantia, βεβαιότης, στερεότης (It. *fermezza, saldezza, stabilità, costanza;* Fr. *solidité, stabilité;* Hisp. *solidez, estabilidad;* Germ. *das Feststehen;* Angl. *firmess, stability*).

I.) Proprie. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prœliis præstant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Eorum quæ gignuntur e terra, stirpes stabilitatem dant iis, quæ sustinent. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 3. 37. (74). Amurca dentium stabilitati efficacissime subvenit.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. Aut corporis firmitate aut fortunæ stabilitate confidere. *Id.* 1. *Off.* 15. 47. Benevolentiam non adulescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicemus. *Id.* 1. *Fin.* 20. 66. Videtur stabilitas amicitiæ vacillare. *Id. Amic.* 22. 82. Stabilitatem amicitiæ confirmare. *Id.* 5. *Tusc.* 30. 85. Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant. nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli evanuerunt.

STĂBĬLĬTER, adverb. ex adject. *stabilis;* unde Comp. *Stabilius* I. — Stabiliter est firme, *stabilmente.*

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 14. Tympanum stabiliter includatur. *Sueton. Claud.* 20. Molem stabilius fundare.

II.) Translate. *Claud. Mamertin.* 1. *Stat. anim.* 18. Deus stabiliter movetur. *h. e.* stando, immote permanendo.

STĂBĬLĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* stabilio, sæpe aut valde stabilio. *Gloss. Cyrill.* Stabilito, ἑδραιῶ. Cf. *Du-Change.*

STĂBĬLĪTOR, ōris, m. 3. (stabilio) qui firmat et stabilit aliquid. *Seneca* 4. *Benef.* 7. Deus, quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est.

STĂBĬLĪTUS, a, um, particip. *V.* STABILIO.

STABLĀRĬUS. *V.* STABULARIUS.

STABLĒSĬĀNI, ōrum, m. plur. 2. genus quoddam militum, Græce quoque Σταβλησιανοί apud Byzantinos scriptores. *Notit. Imp. Occid.* p. 27. et 39. *Böcking.*, ubi *stablesiani* absolute, vel cum addito, ut *equites stablesiani,* memorantur. An a *stablum* pro *stabulum?*

STABLUM. *V.* STABULUM.

STĂBŬLANS, antis, particip. *V.* STABULOR.

STĂBŬLĀRĬA, æ, f. 1. et

STĂBŬLĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

STĂBŬLĀRĬUS, a, um, adject. (stabulum) ad stabulum pertinens, ut *Stabularia mulier* apud *Augustin.* 18. *Civ. D.* 18. — Hinc absolute, substantivorum more

Stabularia, æ, f. 1. mulier, quæ diversorium conducit, *femina albergatrice. Ambros. de obit. Theod.* 42. *de Helena.* Stabulariam hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est: bona stabularia, quæ tam diligenter præsæpe Domini requisivit etc.

Stabularium, ii, n. 2. locus, ubi jumenta stabulantur, *stallaggio. Colum.* 6. *R. R.* 23. *sub fin.* Si pecora velut ex militari disciplina, intra stabularii castra manserint.

Stabularius, ii, m. 2. ¶ 1. Est dominus stabuli, qui stabulum exercet, ut ait *Ulp. Dig.* 4. 9. 1., h. e. permittit jumenta apud se stabulari, ut *Cajus ibid.* 5. definit. ¶ 2. Item qui mercede homines eorumque jumenta hospitio excipit, *ostiere,* πανδοχεύς. nam *stabulum* tum ad jumenta pertinet, tum ad homines. Videtur a caupone differre in eo, quod *caupo* viatoribus necessaria ad victum præbet: *stabularius* etiam tectum et lectum. *Ulp. Dig.* 47. 5. 1. *sub fin.* Viatorem sibi eligere caupo vel stabularius non videtur. *Seneca* 1. *Benef.* 14. Nemo se stabularii aut cauponis hospitem judicat. *Apul.* 1. *Met.* Sumo sarcinulam et, pretio mansionis stabulario persoluto, capessimus viam. Adde *Vulgat. interpr. Luc.* 10. 35., ubi Cod. *Cant.* habet *stablarius.* V. STABULUM init.

Homonym. Discrimen inter *cauponem* et *stabularium* V. supra.

STĂBŬLĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

STĂBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (stabulo) mansio in stabulo, seu locus, ubi animalia stabulantur, *stallaggio,* ἐπιστάθμευσις. *Colum.* 6. *R. R.* 3. Itaque hibernæ stabulationi boum præparanda sunt stramenta.

STĂBŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* STABULOR.

STĂBŬLO, as, are, 1. *V.* voc. seq.

STĂBŬLOR, aris, ātus sum, ari, dep. 1. (stabulum) Part. *Stabulans* sub *A* 1.; *Stabulatus* sub *B* 1. — Stabulor, æque ac stabulo, occurrit

A) Intransitive et est in stabulo sum, dego, habito, stationem habeo, αὐλίζομαι (It. *alloggiare, stare, abitare;* Fr. *habiter, séjourner;* Hisp. *habitar, quedar;* Germ. *seinen Aufenthalt haben;* Angl. *to stay, stable*). ¶ 1. *Stabulor,* forma deponentium. *Ovid.* 13. *Met.* 822. pecudes multæ stabulantur in antris. *Varro* 3. *R. R.* 3. *a med.* Aviaria, in quibus stabulentur turdi ac pavones. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Datur opera, ut bos sicce stabuletur. *Id.* 8. *ibid.* 16. *a med.* Pisces, qui, quod in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt. *Sil. It.* 3. 399. Tartessos stabulanti conscia Phœbo. *h. e.* occiduo et equos ad stabulum disjunctos ducenti. *Gell.* 6. 2. Serpens in illis locis stabulans. ¶ 2. *Stabulo,* forma activa. *Virg.* 6. *Æn.* 286. Centauri in foribus stabulant. *Stat.* 1. *Theb.* 275. Geticoque pecus stabulare sub Hæmo. Adde *ibid.* 457. et *Virg.* 3. *G.* 224.

B) Transitive et est in stabulum recipio, stabulum præbeo, σηκάζω (It. *alloggiare alla stalla;* Fr. *loger à l'étable;* Hisp. *alojar en establo;* Germ. *in d. Stall stellen od. bringen;* Angl. *to stable or house*). ¶ 1. *Stabulor,* forma depon. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 344. Ut bubus stabulata suis loca corpore fuso Pressa superjaceat. *h. e.* loca, in quibus boves ejus stabulari solebant. ¶ 2. *Stabulo,* forma activa. *Varro* 1. *R. R.* 21. Danda opera, ut pabulo vendito alienum pecus in suo fundo pascat et stabulet.

STĂBŬLUM, i, n. 2. (sto) *Stablum* syncop. pro *stabulum* rejicit *Auct. Append.* ad *Prob.* p. 198. 27. *Keil.* Sed cf. Κόμης τοῦ στάβλου apud *Porphyr. præcept. T.* 1. *p.* 459. ed. *Bonn.*, quod usum vulgarem indicat; et STABULARIUS in fin. — Stabulum est statio, sedes, habitatio, locus (It. *stanza, dimora o luogo di dimora, luogo;* Fr. *séjour, domicile, chaumière;* Hisp. *estancia de asiento, morada;* Germ. *der Standort, Wohnort;* Angl. *habitation, room, abode, place*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 55. Et te utar iniquiore, et meus me ordo irrideat: neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat. *Sall. Jug.* 21. Queis civibus erat caro ferina atque humi stabulum, uti pecoribus. *Alii leg.* pabulum. ¶ 2. Speciatim est casa pastoricia, tugurium, mapale. *Justin.* 1. 4. *a med.* Motus misericordia puerum defert ad stabula. ¶ 3. Item sæpe locus, ubi jumenta et pecora aliæque bestiæ degunt, *alloggio da bestie, stalla,* αὔλιον, σταθμός. *Virg.* 4. *G.* 433. Stabuli custos. *et* 3. *ibid.* 184. *de equo.* et stabulo frenos audire sonantes. *et ibid.* 295. stabulis in mollibus herbam Carpere oves. *et ibid.* 302. *de capris.* Et stabula a ventis hiberno opponere soli. *Id.* 10. *Æn.* 723. Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans. *Id.* 6. *ibid.* 179. Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum. *Id.* 4. *G.* 191. *de apib.* Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt. Adde *ibid.* 14. et *Colum.* 9. *R. R.* 6. *sub fin. Id.* 8. *ibid.* 1. Stabula avium cohortalium. *et ibid.* 11. Stabulum pavonum. *Id. ibid.* 17. *circa med.* stabula vocat etiam vivaria piscium. *Paul. Dig.* 2. 31. 16. Quæcumque in caupona vel in meritorio stabulo deversorioque perierint, in exercitores eorum (*furti actio competit*). — Hinc *comes stabuli,* officium in domo Augusta, (unde fortasse noster *conestabile*) cui videtur commissa equorum dominicorum cura. *Inscript.* apud *Orell.* n. 1134. COMES DOMESTICORVM ET STABVLI SACRI. Adde *Cod. Theod.* 11. 1. 29. *et ibid.* 17. 3. et cf. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiq.* p. 276. et *Orell.* n. 3329. SALVIS DDD. NNN. GRATIANO VALENTINIANO ET THEODOSIO VICTORIBVS SEMPER AVGVSTIS VALERIVS ANTHIDIVS V. C. PRAEF. PRAET. (h. e. vir clarissimus præfectus prætorii) STABVLVM HE ANIMALIA CVRSVS PVBLICI LONGI ITINERIS LABORE DIVTIVS DEPERIRENT PROVIDIT CONSTITVIT AEDIFICAVIT IVDIX MEIS (*lege* IV. Idus Maii) CVRANTE FL. ASTERIO DEPVTA-

τον. — Sic *princeps stabuli dominici* in *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 1880. et *præpositus gregum et stabulorum* in *Notit. Dignit. Imp. Or. c.* 13. ¶ 4. Item deversorium, ubi mercede excipiuntur viatores, *osteria, locanda, πανδοχεῖον*. *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. *a med.* Caupones et stabularios eos æque accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent. *Petron. Sat.* 6. *et* 8. Quum nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem. *Martial.* 6. 94. Sic etiam in stabulo semper, sic cenat in agro. *Plin.* 6. *Ep.* 19. *a med.* Deforme arbitratus, honorem petituros urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo, quasi peregrinantes, habere. *Apul.* 9. *Met.* Hospitio proximi stabuli recepti, cognoscimus lepidam fabulam. *Spartian. Septim. Sev.* 1. *ad fin.* Dormienti in stabulo serpens caput cinxit. ¶ 5. Item dicitur de lupanari, fornice, prostibulo, *lupanare, πορνεῖον*. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 53. An te ibi vis inter istas versarier prosedas, pistorum amicas, quæ tibi olant stabulum statumque? *Id. Pers.* 3. 3. 13. Vir summe populi, stabulum servitricium (*alii rectius* meretricium) Scortorum liberatur, subiculum flagri etc. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 69. Hujus in sedibus pro cubiculis stabula, pro triclinilis popinæ sunt. — Hinc *stabulum Nicomedis* apud *Sueton. Cæs.* 49. per convicium dictus est C. Cæsar, qui credebatur Nicomedi Bithyniæ regi turpiter obsequutus. *V.* FORNIX.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice *stabula* sunt ipsa armenta et greges. *Val. Flacc.* 1. 682. cum stabulis et messibus ingens Ira deum et Calabri populator Sirius arvi Incubuit. *et* 6. 613. stabulis qualis leo sævit opimis. *Martial.* 8. 28. Tartessiacus stabuli nutritor Iberi Bætis. *h. e.* ovium Hispanarum. *Grat. Cyneg.* 154. Mansueta stabula. *Sil. It.* 13. 347. *de Pane.* argutis longe de vertice sacro Dulce sonat calamis, ducit stabula omnia cantu. Adde 3. 383. ¶ 2. Figurate. *Plaut. Most.* 2. 1. 3. Occidit spes nostra: nusquam stabulum est confidentiæ. Cf. loca *Cas.* 2. 1. 22., *Truc.* 2. 7. 31. et *Pers.* 3. 3. 13. supra adlata. Similiter convicia illa apud *Plaut. Cas.* 2. 1. 22. Stabulum nequitiæ. *et Truc.* 2. 7. 31. flagitii.

Homonym. Quid *stabulum* a *caupona* differat, *V.* in STABULARIUS. Cf. etiam *Ulp. Dig.* 4. 9. 1., qui tamen non ita rem explanat. Ceterum videsis *A. Rich* ad hanc voc.

STĂCHYS, ȳos, f. 3. *στάχυς*, herba porri similitudinem habens, longioribus foliis pluribusque et odoris jucundi colorisque in luteum inclinati. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Adde *Marcell. Empir.* 16. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STACTA, æ, *et* stacte, es, f. 1. (*στακτή*) ¶ 1. Est oleum ex myrrha sudans: a *στάζω*, stillo. — *a*) In sing. num. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 35. (70). Sudant sponte, prius quam incidantur, stacten dictam. *Lucret.* 2. 846. Sicut amaricini blandum stactæque liquorem. *Plaut. Most.* 1. 3. 151. Vin unguenta? PH. Quid opus est? cum stacta accubo. *h. e.* cum muliere, quæ ipsa suavior est stacta. Hinc vetula quædam ita vinum alloquitur apud *eumd. Curc.* 1. 2. 6. Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa. *Inscript.* metrica in *Anthol. Lat. n.* 1210. *Meyer.* IN SPICA ET CASIA ET BENE ODORA STACTA ET AMOMO. — Adjicitur per epexegesin seu appositionem vel epithetum *τῷ* myrrhæ. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (17). Myrrha et per se unguentum facit sine oleo, stacte dumtaxat. *Myrrham stacten* et *stactam* conjungit *Scribon. Compos.* 125. *et* 145. — *b*) In plur. num. *Colum.* 10. *R. R.* 173. Sed melior stactis ponatur Achaica myrrha. Alii leg. *stacte* cum *Forcellino*; alii vero *stactis* habent pro casu recto, ut sit *stactis, is,* ab inusit. *στακτίς* per appositionem. *V.* supra. ¶ 2. In illo *Vulgat. interpr. Gen.* 37. 25. (et 43. 11.) Viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad et camelos eorum portantes aromata et resinam et stacten in Ægyptum *stacte* videtur esse a voce Hebraica לוט *lot*, idem ac ladanum, quod et *cistus creticus*. V. *Cultrera, Flor. Bibl.* p. 322. *et seqq.* At *Marinus*, qui *lot* a rad. *lut*, quod est involvere, deducit, *castaneam* putat significare.

STACTE. *V.* voc. præced.

STACTON vel

STACTUM, i, n. 2. *στακτόν*, appellatur collyrium, a *στακτός*, stillaticius, quia instillatur, cujus compositionem habes apud *Scribon. Compos.* 34. Stacton, quod vocant, ad eadem facit etc. *Inscript.* apud *Tôchon, Cachets des ocul. p.* 56. L. IVNII PHILINI STACTVM OPOBALSAMATVM AD CLARITATEM. *Alia* apud *eumd. ibid. p.* 63. QVINTILIANI STACT. AD CLA. Adde *alias* in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 1311. et 1321. et *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 3. *p.* 94. retro.

STACTȲCE, es, f. 1. genus herbæ, de qua *Apul. Herb.* 9., ubi tamen dubia est lectio.

STACŬLA, æ, f. 1. genus vitis, quæ alio nomine *sircula* aut *venucula* appellatur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (34). Ita *Silligius*; sed *Jan* et *Detlefsen* leg. *scapula*.

STĀDĬĀLIS, e, adject. (stadium) ad stadium pertinens. *Vet. Auct.* gromat. apud *Rigalt. p.* 298. et *Goes. p.* 321. Stadialis ager habet passus CXXV., id est pedes DCXXV. Cujus mensura octies computata miliarium facit, quod constat quinque millibus pedum. Adde *Isid.* 15. *Orig.* 15. 6.

STADIARIUS, a, um, adject. (stadium) ad stadium pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 174. Stadium, stadiarius, stadiodromus.

STĀDĬĀTUS, a, um, adject. (stadium) qui habet stadium proximum vel stadii longitudinem, *σταδιαῖος*. *Vitruv.* 5. 11. *a med.* Extra autem (*palæstram*) disponantur porticus tres, una ex peristylio exeuntibus, duæ dextra atque sinistra stadiales. *Philander* ita interpretatur: in quibus stadiatis per hiemem cælo non sereno athletæ exercerentur. Sed quum etiam miliariæ seu miliarenses porticus essent, seu mille pedes longæ, quid ni et stadiatæ, h. e. pedes DCXXV. longæ? Hinc etiam *Ælian. Var. Hist. l.* 9. *c.* 3. narrat, Perdiccam et Craterum solitos fuisse circumferre secum in expeditionibus tentoria stadialia, in quibus se palæstra exercerent.

STĀDĬŎDRŎMOS vel

STĀDĬODRŎMUS, i, m. 2. *σταδιοδρόμος*, qui in stadio cursu certat, qui unius stadii spatium percurrit, ut *διαυλοδρόμος* dicitur, qui duplex stadium seu diaulum percurrit, et qui spatium ad viginti stadia longum septies, *δολιχοδρόμος*. Alii tamen aliter. V. *Annal. dell' Istit. archeol. a.* 1833. *p.* 69. *Firmic.* 8. *Mathes.* 8. Si Mars reperierit leporem cælestem in horoscopo, faciet stadiodromos. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (59). Qui fecit stadiodromon Astylon, qui Olympiæ ostenditur. *V.* STADIARIUS. — In plur. num. *stadiodromoe* apud *Censorin. De die nat.* 14.

STĀDĬUM, ii, n. 2. (*στάδιον*) Etiam *stadius* masc. gen. apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. *a med.* Ultra trecentos et sexaginta stadios longitudinem in se continere non poterit. Item apud *Gromat. p.* 245. 11., 339. 3. et 14. etc. *Lachm.-Rud.* et *Itiner. Alex.* 49. (112). Cf. Gr. plur. *στάδιοι*. — *Stadiūm* pro *stadiorum* in genet. plur. *Plin. Hist. nat.* et *Sall.* apud *Non. loc.* infra *cit.* — Stadium est mensura cujuscumque spatii CXXV. geom. passus aut DC. pedes Græcos vel DCXXV. Rom. continentis, seu sexcentesima pars gradus, *στάδιον* (It. *stadio*; Fr. *stade*; Hisp. *estadio*; Germ. *das Stadium*; Angl. *the stade*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (85). et *Colum.* 5. *R. R.* 1. Stadium habet passus CXXV., id est pedes DCXXV., quæ mensura octies efficit mille passus. et *Isid.* 15. *Orig.* 16. 3. Stadium octava pars miliarii est, constans passibus CXXV. Hoc primum Hercules statuisse dicitur. *V.* integrum loc. Sic et *Capell.* 6. *p.* 198. *de circuitu terræ.* Idem zodiaci tractum omnemque complexum trecentis sexaginta cæli partibus secat; quas singulas in telluris centrum ita æstimat pervenire, ut unius partis latitudo istic quingentorum stadiorum mensura tendatur: singula vero stadia centum viginti quinque passibus explicata, quæ octo millenos passus absolvunt etc. *Cic.* 5. *Fin.* 1. 1. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. *a med.* Si ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 21. 19. (83). Pythagoras a terra ad lunam CXXVI. millia stadiorum esse collegit. *et ibid.* 112. 108. (247). Universum hunc circuitum CCLII. millium stadium prodidit. *Sillig.* stadiorum. *et* 19. *ibid.* 3. 15. (41). Per quatuor millia stadium. *pro* stadiorum. (Adde *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 496. 1. *Merc.*) *Manil.* 3. 445. Sidera ut in stadiis oriantur quæque cadantque. *Vulgat. interpr. Luc.* 24. 13. Ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. (V. *Jos. Bell. Jud.* 8. 6. 6., ubi male quidam leg. XXX. stad.: cf. edit. *Oxford.* 1720.) Hic perperam alii leg. *stadiorum CLX* cum paucis Codd. Consule *Buselli, Emmaus Evang. a.* 1882. et meum *Lex. Gr.-Lat.* in *Nov. Test. Græce cum Lectt. var.* ed. *Patavii, typ. Semin. a.* 1890. ad *v.* Ἐμμαοῦς. ¶ 2. Specialim est curriculum, locus, ubi cursu et lucta certabant athletæ, quod erat spatium sexcentorum viginti quinque pedum, sive centum et viginti quinque passuum, teste *Plin.* et *Colum. loc. cit.*, quæ octava pars est miliarii, quippe quod mille constat passibus. Hoc autem stadium ab Hercule institutum tradunt, eumque pedibus suis metatum esse id stadium, quod erat Pisis apud Jovem Olympium, idque fecisse longum pedes sexcentos, ut docet *Gell.* 1. 1. Cf. *Isid. loc. cit.* Inde postea alia stadia in terris Græciæ ab aliis instituta sunt, quæ similiter fuere pedum DC., sed tamen aliquanto breviora, propter differentiam magnitudinis pedis Herculani et ceterorum hominum. Duo igitur fuere stadiorum genera, Italicum DCXXV. pedum, et Græcum seu Olympicum DC., quæ tamen nihil inter se discrepare, quidam putant, quia pes Græcus semuncia Romanum excedit: et sexcentæ semunciæ constituunt pedes illos XXV., quibus Romanum Græco stadio majus esse dicitur. His adde tertium ex *Censorin. de die nat.* 13. mille pedes continens, h. e. passus CC., Pythicum dictum. — Stadii figuram ex eo, quod Cibyræ (*Buraz*) in Syria etiam nunc invisitur, ejusque descriptionem exhibet *A. Richius, op. cit.* ad h. v. *Cic.* 3. *Off.* 10. 42. Qui stadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. *Id.* 2. *Tusc.* 23. *a med.* Ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt. *Tertull. contra Gnost.* 6. Carthaginem singulæ civitates gratulando inquietant donatam Pythico agone, post stadii senectutem. *h. e.* senectutem passi, utpote quod a multis annis minime frequentabatur. — Stadium Romæ primus statuit Domitianus; rudera etiam nunc extare in montis Palatini parte ad Orientem auctor est *Pellegrini* in *Bullett. archeol. a.* 1871. *p.* 135. *Sueton. Domit.* 5. Excitavit Flaviæ templum gentis et stadium et odeum et naumachiam. et *Eutrop.* 7. 15. Domitianus Romæ quoque multa opera fecit: in his odeum, divorum porticus, Iseum, Serapeum, stadium.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1. *Manil.* 5. 639. Hic stadium fraudare fide poteritque videri Mentitus passus et campum tollere cursu. ¶ 2. Metaphorâ a super. paragr. 2. ductâ. — *a*) Est quivis locus contentionis, studii, certaminis. *Cic.* 4. *Herenn.* 3. 4. Ut in stadium artis rhetoricæ prodire non audeant. *Id.* 3. *ibid.* 6. 12. Stadium virtutis. *Id. Brut.* 64. 230. et *Apul. Apolog.* laudis. Ubi alii *studium* leg. *Propert.* 3. 20. 25. Illic vel stadiis animum emendare Platonis incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis. *Alii leg.* spatiis. *Cic.* 1. *Att.* 16. *a med.* Cetera non possunt habere neque vim neque venustatem, remoto illo stadio contentionis, quam *ἀγῶνα* vos appellatis. Plerique alii leg. *studio*. Cf. *Varron. Sat. Menipp.* 86. *p.* 220. *Oehl.* In charteo stadio *ἐπιτάφιον ἀγῶνα*, quo qui certasset animo belius homo, magis delectatus Stoicorum pancratio quam athletarum.

— *b)* Item speciatim de horto vel hypæthra, h. e. subdivali, ambulatione, *viale,* quam et xystum appellamus, quæque etiam arboribus consita esse solebat, umbræ gratiâ, apud *Tertull. Com.* 4. *de Susanna.* Ceterum in stadio mariti non putem velatam deambulasse, quæ placuit.

STĀFIS et

STĂFĪSĂGRĬA *vel* staphisagria. *V.* STAPHIS et ASTAPHIS.

STAGĬUM, ĭi, n. 2. στάγιον, id quod stillat: a στάζω, stillo; h. e. oleum ex myrrha: hinc *stagium opobalsamatum.* V. *Polcastro Lett. p.* 117.

STAGMA *et* stamma, ătis, n. 3. στάγμα, stilla, gutta: et ipse humor stillans: vox Græca a στάζω, stillo. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 907. Dum sanguis extra defluit scaturiens, Perfusa pulcher menta russo stagmate fert. Ita *Salmas.* ad *Lamprid. Elagab.* 25. ex veterib. libr. Alii omnes leg. *stemmate,* quo significatur sanguis: eo enim fuso, martyres vere nobilitantur.

STAGNĀLIS, e, adject. (stagnum) ad stagnum aquæ pertinens, stagnensis, stagnatilis. *Junior philos.* in *Orb. descr. c.* 21. (ed. *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 398.) Piscium tria genera: stagnale, marinum, fluminale.

STAGNANS, antis, particip. *V.* STAGNO.

STAGNĀTĬLIS, e, adject. (stagno) ad stagnum aquæ pertinens, *di stagno,* ut Stagnatiles pisces. *Plin. Valer.* 5. 42.

STAGNĀTĬO *vel* stannatio, ōnis, f. 3. *V.* in STAGNATURA.

STAGNĀTOR *vel* stannator, ōris, m. 3. (stagnum) qui stagno seu stanno obducit. *Gloss. Labb.* Γανωτής, stagnator. *Ibid.* Κασσιτερουργός, stagnator.

STAGNĀTUM, i, n. 2. *V.* STAGNO.

STAGNĀTŪRA *vel* stannatura, æ, f. 1. (stagno) *Hieronym.* 3. *in Amos* 7. 7. Hoc verbum (*Enoch*) Aquila γάνωσις, Theodotio τηκόμενον interpretati sunt, quorum alterum stannaturam significat, ut illa sartago, quam legimus in Ezechiele (*c.* 4.), in qua populi obsidione vallati frixura significatur, et in regno Jeroboam per stannaturæ vocabulum demonstretur. Dominus itaque cernitur stans supra murum stannatum et in manu ejus stannatio sive trulla cæmentarii, quam solent superinduci parietes.

STAGNĀTUS, a, um, particip. *V.* STAGNO.

STAGNENSIS, e, adject. (stagnum) ad stagnum aquæ pertinens, stagnatilis. *Augustin. enarrat.* 1. *in Psalm.* 103. *ad fin.* Fulicas aves esse marinas vel stagnenses novimus.

STAGNĔUS, adject. duo diversa significat.

A) Stagneus, a *stagnum* aquæ, est ad stagnum aquæ pertinens, stagnalis, stagnensis. *Cassiod.* 9. *Variar.* 6. Immissum Averni stagneum mare.

B) Stagneus et, rectius, *stanneus,* a *stagnum* seu *stannum,* ad stannum pertinens, qui est ex stanno, *di stagno o peltro,* κασσιτέρινος. *Plaut. fragm.* apud *Fest.* in *Narita p.* 166. 22. *Müll.* Muriaticam autem video in vasis stagneis, naritam bonam etc. *Ulp. Dig.* 48. 10. 9. Nummos stagneos, plumbeos emere. Ita *Torrentin.;* alii *stanneos* legunt. *Pallad.* 6. *R. R.* 7. Duabus angustis regulis stagneis, sicut forcipibus, ipsos nervos apprehendunt, qui Græce χρεμαστῆρες. (*Colum.* 6. *R. R.* 26., unde hausit *Pallad.,* habet *ligneis.*) *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 12. (38). Stannea pyxis. Sic *Scribon. Compos.* 30. *extr.* Reponitur pyxide stagnea. Rursus *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 19. (57). In stanneo vase decoquitur. *Venant.* 1. *carm.* 8. 14. Stannea tecta. *Apul.* 10. *Met.* De stagneo vasculo multo sese perunguit oleo. – *Stagneus lapis* apud *Vulgat. interpr. Zach.* 4. 10. est perpendiculum ad metiendum. Cf. *v.* 16. — Hinc

Stagneum et *stanneum, i,* n. 2. absolute, vas stagneum sive stagnatum. *Colum.* 12. *R. R.* 41. In cacabo figuli (*alii* fictili) novo vel in stagneo coquitur. (Cf. *Stagnatum* sub STAGNO *B*) Nisi malis ad *cacabum* referre, ita ut cacabo figuli seu *fictili* opponatur cacabus *stanneus.*

STAGNĪNUS, a, um, adject. (stagnum) ad stagnum aquæ pertinens, ut Stagninus color perviridis, *Frontin. Aquæd.* 7., sed locus est lacunis interruptus, et dubia admodum lectio.

STAGNO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Stagnans* sub *A* fere in omn. paragr. et in fin.; *Stagnatus* sub *A* II. 1.; *Stagnandus* sub *B* 2. — Stagno duo diversa significat.

A) Stagno, a *stagnum* aquæ, est stagnum seu paludem facio: et dicitur de aquis, quum, littora aut ripas prætergressæ, alicubi immotæ considunt, λιμνάζω (It. *inondare, fare stagno, stagnare;* Fr. *former une eau stagnante;* Hisp. *detenerse, estancarse de la agua;* Germ. *stagniren;* Angl. *to overflow, stagnate*). Occurrit autem

I.) Neutrorum more. ¶ 1. Proprie. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 22. (71). Papyrum nascitur in palustribus Ægypti aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant. *Curt.* 8. 9. 7. Ganges ubi mollius solum reperit, stagnat insulasque molitur. *et* 9. 2. *ante med.* Flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat. *Virg.* 4. *G.* 288. effuso stagnantem flumine Nilum. *Lucan.* 4. 134. Sic Venetus stagnante Pado fusoque Britannus Navigat Oceano. *Sil. It.* 5. 95. nec læva, stagnantibus undis, Effugium patet. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Nilus originem habet in Monte inferioris Mauritaniæ, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem. ¶ 2. Translate *stagnare* dicuntur etiam loca stagnantibus aquis oppleta. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 138. 7. *Merc.* Nam mœnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis adverso æstu maris. *Ovid.* 1. *Met.* 324. stagnat paludibus Orbis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 40. (249). Stagnante solo uvas demetit. *Sil. It.* 10. 89. Stagnantes ripæ. — Hyperbole est in illo *ejusd.* 6. 36. stagnantem cæde et facilem discedere terram Ense fodit. *et* 12. 43 Dauni stagnantia regna Sanguine.

II.) Transitive est inundare aquis stagnantibus, *inondare.* ¶ 1. Generatim. *Tac.* 1. *Ann.* 76. Continuis imbribus auctus Tiberis plana Urbis stagnaverat. *Colum.* 10. *R. R.* 11. Nam neque sicca placet, nec quæ stagnata palude. *Ovid.* 15. *Met.* 269. stagnata paludibus hument. *Auct. Epithal. Auspic. et Æll.* 36. *Wernsd.* Ditia Pactoli superat Peneius amnis Munera, clarus aquis nitidum stagnantibus aurum. *h. e.* stagni instar effundentibus vel stillantibus. ¶ 2. Speciatim est indurare, solidare, adstringere, firmare, *assodare, indurare. Justin.* 36. 3. *a med.* Mare mortuum neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. — Hinc Part.

Stagnans, antis, etiam adjectivorum more usurpatur; unde Comp. *Stagnantior.* — Stagnans est stagnum aut paludem faciens. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (31). Medici stagnantes pigrasque aquas merito damnant. *Claudian. Edyll.* 4. 38. *de Nilo.* Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto Ionio. *h. e.* latior, effusior. — Absolute. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 80. 82. (193). Terræ motus fervens in humidis, fluctuans in stagnantibus

B) Stagno, a *stagnum* sive *stannum,* est stanno obduco: cf. Gr. στεγνόω (It. *stagnare;* Fr. *étamer;* Hisp. *estañar;* Germ. *mit Stannum, Zinn überziehen;* Angl. *to tin*). ¶ 1. Proprie. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* In cacabo stannato coquuntur ad tertias. Cf. *Plin. Valer.* infra *cit. Gloss. Lat. Gr.* Stagnat, γναθοῖ, στομοῖ. et *Isid.* Stagnat, γανοῖ. ¶ 2. Translate est firmare, munire. *Justin.* 37. 2. *a med.* Mithridates ita se adversus insidias exquisitioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit. *h. e.* firmavit, munivit, *si premunì.* et *Veget.* 3. *Veterin.* 2. Boves stagnare adversus omnes ægritudines. *et mox.* Ad stagnanda animalia. *Id.* 1. *ibid.* 18. *extr.* Trinis potionibus stagnata animalia, integro anno a morbo intacta servari. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 109. Cur vada desidant et ripa coerceat undas Cecropio stagnata luto. — Hinc

Stagnatum, i, n. 2. absolute, pro vas stagno obductum. *Plin. Valer.* 1. 31. *a med.* Mittes in stagnatum. *Id.* 3. 14. *a med.* Omnia autem in oleo separatim calefacta in stagnato coques.

STAGNŌSUS, a, um, adject. (stagnum) aquis stagnantibus abundans. *Sil. It.* 6. 653. dum Stagnosi spectat templumque domosque Literni. Sic *ibid.* 532. stagnisque palustre Liternum. *Ammian.* 17. 13. 4. Pleraque incrementis fluminum redundantia, stagnosa et referta salicibus. *Apul. Herb.* 8. Nascitur in stagnosis vel umbrosis locis.

STAGNUM, i, n. 2. duo diversa significat.

A) Stagnum, pro quo et *stagnus* occurrit apud *Gromat. p.* 365. 22. et 24. *Lachm.-Rud. Varro* 5. *L. L.* 26. *Müll.* factum putat a Græco στεγνόν, quod non habet rimam. et *Fest. p.* 314. 21. *Müll.* ab eo quod ibi aqua stet. Cf. *Isid.* 13. *Orig.* 19. 2. et *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 129. infra *cit.;* sed rectius conjungendum videtur cum rad. σταγ, unde σταγών et στάζω. — Stagnum est aqua e mari aut flumine exundans et quiescens, lacus sive natura sive arte confectus, λίμνη (It. *laguna, stagno, acqua morta;* Fr. *eau stagnante, étang, lac;* Hisp. *estanque, lago;* Germ. *e. stehendes Gewässer, Pfütze, Lache;* Angl. *any standing water, a lake*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 59. 5. *Müll.* Propter stagna, ubi lanigerum pecus piscibus pascit. *Cic. Prognost.* 1. *Divin.* 9. *de ranis.* Absurdoque sono fontes et stagna cietis. *Ovid.* 1. *Met.* 38. Addidit et fontes immensaque stagna lacusque. *Horat.* 2. *Od.* 15. 3. undique latius Extenta videntur Lucrino Stagna lacu. *Auct. B. Afr.* 80. Stagnum salinarum. *Virg.* 6. *Æn.* 323. Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem. *Id.* 1. *G.* 383. volucres Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri, *et* 4. *ibid.* 18. stagna virentia musco. *Id.* 11. *Æn.* 458. Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. *Sil. It.* 4. 82. stagna vadoso turbari nescia fundo. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 28. nulloque tumultu Stagna modesta jacent. *Id.* 4. *ibid.* 4. 6. Stagnum navale. *h. e.* lacus ad naumachiam. Adde *Sall. fragm.* 3. 19. *Kritz.* et *Liv.* 1. 4. *Ammian.* 15. 4. 5. Stagnum aquarum. Cf. *Ambros.* 4. in *Luc.* 5. Stagnum (*Genesareth*). *h. e.* lacus.

II.) Improprie, apud Poetas passim de mari vel de aliquo longo aquarum cursu usurpatur. *Virg.* 1. *Æn.* 129. emissam hiemem sensit Neptunus et imis Stagna refusa vadis. Ubi *Servius:* Stagnum dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo quod non nisi nimia tempestate turbantur. *Id.* 10. *ibid.* 765. medii per maxima Nerei Stagna. *Lucan.* 8. 853. rubri stagna profundi. *Ovid.* 4. *Fast.* 278. Phrixeæ stagna sororis. *h. e.* Hellespontus. *Sil. It.* 7. 282. Cuncta per et terras et lati stagna profundi Condiderat somnus. — *Stagnum ignis* de inferis dicit *Vulgat. interpr. Apoc.* 19. 20.

Homonym. Quomodo *stagnum* a *lacu* differat, *V.* in LACUS; tametsi poetæ facile aliud pro alio ponunt.

B) Stagnum, seu rectius ac sæpius *stannum,* quamquam recentiores nonnulli cum *Schneidero* ad *Veget.* 1. *Veterin.* 18. formam *stagnum* sequi malunt: cujus etymon idem fortasse est ac *stagni,* qua de aquarum statione dicitur. — Stagnum est metalli genus, quod in fodinis invenitur cum argento, et in fornace primum liquescit, κασσίτερος (It. *stagno;* Fr. *étain;* Hisp. *estaño;* Germ. *Zinn;* Angl. *tin, pewter*).

I.) Proprie. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 16. 47. (159). Plumbi nigri origo duplex est. Aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur mixtisque venis conflatur. Ejus, qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur; qui secundus, argentum; quod remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia addita venæ. Hæc rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus. *Id. ibid.* 17. 48. (160). Stannum illitum aeneis vasis saporem gratiorem facit, et compescit æruginis virus: mirumque, pondus non auget. Specula quoque ex eo laudatissima Brundisii temperabantur: donec argenteis uti cœpere. *Id.* 33. *ibid.* 9. 45. (130). Optima specula apud majores fuerant Brundisina, stanno et ære mixtis. — De stanno loquitur etiam *Hieronym.* 1. *in Zachar.* 4. 10. et *Isid.* 16. *Orig.* 23. 1. docentes, mixta et adulterata metalla stanno per ignem dissociari; plum-

bum ab auro et argento secerni; ferrum et æs ab igne defendi cerussamque ex eo, sicut ex plumbo, fieri. — *NB.* Ex allatis *Plinii* locis constare quidam putant, stannum aliud fuisse metalli genus a cassitero seu plumbo albo; hoc autem nomine significari genus quoddam metalli, quod nobis ignotum est. Ceterum plures alii arbitrantur, unum idemque fuisse et ab antiquis Romanis plumbum album fuisse appellatum, quia sonitu, mollitie et pondere plumbum imitatur, candore autem argentum simulat: recentiores vero Romanos stannum vocasse commune et vile illud metallum, quod ex plumbo, quandoque etiam ex ære conflatur; cassiteri nomen purissimo illi Græcorum et Britannorum stanno reliquisse.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Is.* 1. 25. Excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum. Ubi *Hieronym.* Supra dixerat: argentum tuum versum est in scoriam. nunc servat metaphoram, ut convertat super eam, id est extendat manum suam ad puniendum et purgandum et excoquat omnes sordes ac vitia peccatorum, ut, separato stanno, purum argentum remaneat. Ita *Hieronym.* Huc accedat, stannum, si certa quadam quantitate argento admisceatur, fragile hoc instar vitri efficere, nec facile ab eo auferri posse. Cf. *Cultrera, Miner. Bibl. p.* 94.

STAGNUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. sub *A* init.

STĂGŎNĬAS, æ, m. 1. σταγονίας, dicitur a Græcis genus turis mammosum, quum hærente lacrima priore consecuta alia miscuit se: a στάζω, stillo. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (62).

STĂGŎNĪTIS, idis, f. 3. (σταγονῖτις) In Accus. sing. *stagonitim.* — Stagonitis est sucus stillans resinæ modo ex quadam ferula, qui et galbanum dicitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 56. (126).

STĂLAGMĬAS, æ, m. 1. (σταλαγμίας) In Accus. sing. *stalagmian.* — Stalagmias est stiria seu gutta cujusdam suci stillantis, ex quo atramentum sutorium fit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 32. (124).

STĂLAGMĬUM, ii, n. 2. σταλάγμιον, inauris ex bacca pendula, oblonga: ita dictum, quia guttæ aquæ pendentis (quæ Græce σταλαγμός) similitudinem refert, *orecchino in figura di goccia. Festus p.* 317. 8. *Müll.* Stalagmium genus inaurium videtur significare Cæcilius: Tum ex aure ejus stalagmium domi habeo. — In plur. num. *Plaut. Men.* 3. 3. 18. Inaures da mihi faciundas pondo duum nummum stalagmia. — Stalagmii figuram videsis apud *Visconti, Monum. Borghes. p.* 232. *tab.* XXXII. Cf. etiam *A. Rich* ad *h. v.*

STALTĪCE, es, f. 1. genus herbæ, quæ batrachion dicitur, et scelerata. *Apul. Herb.* 8. *p.* 212. *retro.* Alii aliter leg.

STALTĬCUS, a, um, adject. σταλτικός, qui contrahendi et astringendi vim habet. *Theod. Priscian.* 3. 7. Cucurbitas stalticas imponere. *Veget.* 3. *Veterin.* 27. 3. Stalticis medicamentis vulnera percurentur. *Id. ibid.* 51. 1. Non facile vulnus sanatur, nisi stalticis vel stypticis rebus curetur. — Absolute. *Id.* 2. *ibid.* 2. 18. *a med.* Lienteria si obvenerit, aut naturale sulphur vel bitumen et dropaces et sinapismi et cetera staltica (*ventri*) adhibenda sunt. Cf. CATASTALTICUS.

STĀMEN, minis, n. 3. Vox a Græco στήμων, Dorice στάμων, ejusdem significationis: vel, si malis Latinæ originis esse, a *stando*, quod eo stat omne in tela velamentum, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.*; vel potius quod qui stantes texebant, stamen suspensis ponderibus, ad perpendiculum extendebant, ut ait *Seneca Ep.* 90. *ante med.* et in RECTA, æ, dictum est. — Stamen est lanæ pars longior et nervosior, quæ pectendo separata a breviore, netur in filum, quod validum et bene tortum, ordiendæ telæ principium est: cui subtemine transversim intertexto, tela fit, στήμων (It. *ordito, stame, filo*; Fr. *ourdissure*; Hisp. *estambre, urdidura, hilo*; Germ. *d. Zettel, Anzettein, Kette*; Angl. *yarn, spun wool*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Tibull.* 1. 3. 85. positaque lucerna Deducat plena stamina longa colo. et *ibid.* 7. 84. Ducit inops tremula stamina torta manu. *Propert.* 1. 3. 41. stamine fallere somnum. *h. e.* nendo. *Ovid.* 1. *Art. am.* 695. Rejice succinctos operoso stamine fusos. *Id. Heroid.* 4. 75. data pensa trahemus; Et minuent plenas stamina nostra colos. *et ibid.* 9. 79. et 12. *Met.* 475. Stamina torquere digitis *aut* pollice. *Seneca Herc. Œt.* 373. Udum stamen manu intorquere. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 274. nere. *Ovid.* 4. *Met.* 178. Stamina tenuissima. *et* 4. *ibid.* 221. Levia versato ducentem stamina fuso. *et* 6. *ibid.* 54. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis. *et ibid.* 576. Stamina barbarica suspendit callida tela. *et* 4. *ibid.* 275. radio stantis percurrens stamina telæ. *Paul. Dig.* 3. 6. 82. Purpura aut stamen subtemenve. — *Staminis globulus*, glomus(?), apud *Marcell. Empir. c.* 28. *p.* 128.

¶ 2. Latiore sensu. — *a*) Universim de quocumque filo. *Propert.* 4. 4. 39. Prodita quid mirum fraterni cornua monstri, Quum patuit lecto stamine torta via? *Plin.* 19. *Hist. nat.* 11. 2. (11). Singula retium stamina centeno quinquageno filo constabant. — *b*) Speciatim de filo araneæ. *Ovid.* 6. *Met.* 144. Cetera venter habet, de quo tamen illa remittit Stamina et antiquas exercet aranea telas. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (80). *de araneo.* Tam tereti filo et tam æquali deducit stamina, ipso se pondere usus. Texere a medio incipit, circinato orbe subtemina adnectens. — *c*) Item de fidibus. *Ovid.* 11. *Met.* 170. tum stamina docto Pollice sollicitat. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 624. *Burmann.* Musica contingens subtili stamina pulsu.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen est vestis. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 304. et 2. *Laud. Stilich.* 346. et 2. *Rapt. Pros.* 34. ¶ 2. Et infula aut vitta in capite sacerdotis, apud *Propert.* 4. 9. 51. *Sil. It.* 3. 25. Pelusiaco præfulget stamine vertex. *h. e.* vitta seu infula ex lino Ægyptio, de cujus candore et mollitia V. *eumd. ibid. v.* 374., *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (14). et *Grat. Cyneg.* 41. *et seqq.* Quo loco monemur, frontes sacerdotum Ægypt. vitta forte linea, non, ut vulgo, lanea cinctas fuisse. V. *Heyne* ad *Virg.* 12. *Æn.* 120. ¶ 3. Per metaphoram fibræ in ligno, fila in herbis et floribus recto ordine in longum protensa. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (186). Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine et tenui constat. hæc maxime fissilia. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. *de lilio.* Ita odor colorque duplex, et alius calycis, alius staminis. *tenue filum* ante dixerat: Itali nunc *stame* vocant. ¶ 4. Poetæ sæpe referunt ad Parcas, et vitam significant aut sortem vitæ. *Propert.* 4. 7. 51. Juro ego fatorum nulli revocabile stamen. *Tibull.* 1. 8. 1. Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes Stamina, non ulli dissoluenda deo. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 63. Hic quoque cognosco natalis stamina nostri: Stamina de nigro vellere facta mihi. *et* 5. *ibid.* 13. 24. Non ita sunt fati stamina nigra mei. *Id. Ib.* 245. at Clotho jussit promissa valere, Nevit et infecta stamina pulla manu. *Lucan.* 6. 777. tristia Parcarum stamina. *et* 3. 19. rumpunt stamina Parcæ. *h. e.* vitam adimunt. *Juvenal.* 10. 252. nimio de stamine queri *h. e.* de vita nimis diuturna. Adde *Tibull.* 3. 3. 35., *Sil. It.* 1. 282., *Senec. Œdip.* 981., *Juvenal.* 12. 65. et 14. 249., *Claudian. B. Gild.* 203. etc.

STĀMĬNĀRĬUS, a, um, adject. (stamen) ad stamen pertinens: unde absolute

Staminarius, ii, m. 2. qui net, *filatore. Gloss. Lat. Gr.* staminarius, νήστης, ὁ τὸν στήμονα.

Staminaria, æ, f. 1. quæ net, *filatrice. Gell.* 16. 7. Laberius in Staminariis. ubi *Staminariæ*, titulus est Comœdiæ a Laberio compositæ, quæ interiit.

STĀMĬNĀTUS, a, um, adject. (stamen) stamine contextus, ut Staminatæ vestes, apud *Petron. fragm. Tragur.* 41. *extr. Burmann.*, sed locus est valde dubius, aliis alia legentibus.

STĀMĬNĔUS, a, um, adject. (stamen) ad stamen pertinens. — *a*) Universim. *Propert.* 3. 4. 26. Staminea rhombi ducitur ille rota. *h. e.* licio e filis varii coloris quadam religione et artificio circa rhombum contortis, quod habere credebatur in veneficiis vim maximam. *Id.* 2. 21. 35. Deficiunt magico torti sub carmine rhombi. *Lucan.* 6. 460. quos Traxerunt torti magica vertigine fili. *Ovid.* 2. *Fast.* 575. Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo. Adde 1. *Amor.* 8. 7. et *Petron. Sat.* 131., quæ omnia jam viderunt viri docti. Itaque *rota rhombi staminei* est rhombus licio implicitus et rotatus. Quo pertinere videtur illud *Virg.* 8. *Ecl.* 73. Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo. — *b*) In lignis *stamineæ venæ* sunt fibræ rectæ et in longum ductæ instar extensi staminis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (226). Magna et glutini ratio propter ea, quæ sectilibus laminis ac in alio genere operiuntur. Stamineam in hoc usu probant venam et vocant feruleam.

STAMMA, ătis. *V.* STAGMA.

STAMNUS, i, m. 2. στάμνος, genus vasis vinarii, utrinque ansati, quod et in mensuris adhibebatur, apud *Varronem* legendum pro *stagnum* monet ex quorumdam sententia *H. Steph.* in *Thesaur. L. Gr.* ad voc. Σταμνός ed. *Didot.* Ubi vere legatur, non dicit. Confirmat tamen usum vocis *Vet. interpr. Epiphan. de mens.* 19. *p.* 102. *Hultsch.* De stamno. Hic quoque urna sextariorum IV. est.

STANNĀTĬO. *V.* STAGNATIO.

STANNĀTOR. *V.* STAGNATOR.

STANNĀTŪRA. *V.* STAGNATURA.

STANNĀTUS, a, um. *V.* STAGNO *B.*

STANNUM. *V.* STAGNUM *B.*

STANS, antis, particip. *V.* STO.

STANTĀRĬUS, a, um, adject. (sto) qui fit in ipso loco. *Jul. Valer.* 3. *Gest. Alex. M.* 36. Plurima quadrupedia stantaria morte obriguisse visitares. *Alii leg.* stataria.

STAPĔDA æ, f. 1. *et*

STAPES, ĕdis, m. 3. *et* stapia, æ, f. 1. Voces, ut videtur, conflatæ a *sto* et *pes* vel derivatæ a Germ. *Staff*, passus, gradus. — Stapes, seu stapia, est instrumentum ab ephippiis dependens, quo pedes ascensuri insistimus et equitantes insistimus, *staffa*, ἀναβολεύς. Sunt tamen voces incertæ admodum vel potius nullius in Latina lingua auctoritatis. Nam quod *Salmas.* ad *Spartian. Caracall.* 7. scribit, *stapedes* usurpari ab *Hieron.*, quum locum non indicaverit, suspectus est: et quæ pro *stapia* affertur ab aliis Inscriptio Romæ, satis ostendit novitiæ scriptionis esse. Ita *Forcellinus.* At *Georgesius* formam *stapia* tenet ex *Inscript.* apud *Hier. Mag. Miscell.* 2. 14.

STĂPHIS *vel* stafis, idis, f. 3. σταφίς, genus vitis, quæ etiam astaphisagria et Latinis pituitaria et pedicularis dicitur, *stafisagria. Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 13. (17). Astaphisagria sive staphis, quam uvam taminiam aliqui vocant falso, suum enim genus habet: cauliculis nigris rectis, foliis labruscæ, fert folliculos verius, quam acinos, virides, similes ciceri, in his nucleum triangulum. Maturescit cum vindemia nigrescitque: quum taminiæ rubentes norimus acinos sciamusque illam in apricis nasci, hanc non nisi in opacis. Adde *Theod. Priscian.* 1. 5. *p.* 291. A *Pallad.* 1. *R. R.* 27. dicitur *staphis agria*; et Græce a *Cels.* 3. 21. *ante med.* σταφὶς ἀγρία. Cf. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 31. Staphisagria etiam sanos synanchicos fecit. *V.* ASTAPHIS et TAMINIA. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STĂPHĪSĂGRĬA. *V.* voc. præced.

STĂPHȲLE, es, f. 1. σταφυλή et σταφύλη ¶ 1. Est vitis alba (*Bryonia alba* Linn.), teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 16. (21). ¶ 2. *Agria staphyle* dicta est strichni species, quæ et herba bellonaria vel somnifica, apud *Apul. Herb.* 74. ¶ 3. *Staphyle* dicta est etiam uva passa seu pendens uvæ racemus, item perpendiculum, seu libella fabrilis: ab ἵστημι, quod a στάω, sto. Hinc Itali ob formæ similitudinem *staffile* nunc vocant corium vel veretrum bubulum, quo sontes verberantur. Hæc docet *Forcellinus*, nullo tamen auctore laudato. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STĂPHȲLĪNOS et

STĂPHȲLĪNUS, i, m. 2. σταφυλῖνος, genus pastinacæ duplex, sc. — *a*) Agreste et errati-

cum, sponte proveniens: de quo *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 27. (88). et 25. *ibid.* 9. 64. (112). Adde *Theod. Priscian.* 3. 5. — *Agrios staphylinos* dicitur *Apul. Herb.* 81. — *b*) Et sativum: de quo *Colum.* 9. *R. R.* 4. *a med.* Tum agrestis pastinaca et ejusdem nominis edomita, quam Græci σταφυλῖνον vocant. et 10. 168. mollemque sinum staphylinus inumbret.

STĂPHȲLŎDENDRON, i, n. 2. σταφυλόδενδρον, genus arboris (*Staphylea pinnata* Linn.), de quo *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (69). Est et trans Alpes arbor simillima aceri albo materia, quæ vocatur staphylodendron, fert siliquas et in iis nucleos sapore nucis avellanæ. Hanc voc. ita declarat *Fée* (*Op. cit. v.* 1. *p.* 331.): «Les commentateurs s'accordent pour trouver dans cet arbre le *staphylea pinnata* L. *Spec.* 386. Ce nom de staphylodendron signifie arbre a grappes: σταφυλή, grappe, et δένδρον, arbre. Sa fructification est effectivement racémiforme: le mot *staphylea* est le même mot abrégé. Les auteurs Grecs ne font aucune mention de cet arbre».

STĂPHȲLŌMA, ătis, n. 3. σταφύλωμα, vitium oculi acino uvæ simile. *Veget.* 2. *Veterin.* 19. et *Theod. Priscian.* 1. 10. *in fin.*

STAPĬA, æ, f. 1. *V.* STAPEDA.

STĀPĬO *et* scapio, ōnis, m. 3. Vox barbara, apud *Venant. Vit. S. Radeg.* 13., quæ ornamentum quoddam capitis significat. — *Mabillon* putat, *stapionem* esse pedum ornamentum. Cf. STAPIA. «Nisi quis scribendum malit *scapionem*, inquit *Cangius*, a Germ. *scappel*, vitta, capitis redimiculum, quo regium diadema significaretur». Hæc *Quicherat* in *Add.* etc. ad *h. v.*

STĂSIASTÆ, ārum, m. plur. 1. Στασιασταί, nomen fabulæ *Accii*, ex qua fragmenta servavit *Non. p.* 20. 25. *Merc.* Adde *p.* 335. 1. et *p.* 337. 15. et *p.* 524. 25. Græce significat seditiosum: a στασιάζω, dissideo, factiosus sum.

STĂSĬMUM, i, n. 2. στάσιμον, ita vocatur in choris tragicis pars quædam carminis: a στάσιμος, stabilis. *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2522. *Putsch.* Hoc loco dicam, cur, quum sint duæ periodi seu stasima, ut quidam vocant, pari inter se conjugatione copulata, alterum vocetur anapæsticon, alterum dactylicon. *et mox*, Ut nominis mutatio diversitatem daret, hujusmodi stasimo seu periodo usus. Cf. *Passow's Handw.* sub v. στάσιμος.

STATANUM vinum inter generosiora enumeratur a *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (65). provenitque in Campania non longe a Falerno agro. Adde 23. *ibid.* 1. 21. (36). Undenam nomen sumpserit, ignoratur. Apud *Strabon.* 5. 3. 6. sunt qui pro Στάτανον (οἶνον) leg. Στάγανον.

STĂTĀRE *vel* statar, āris, n. 3. nomen ignotæ significationis. *Grammaticus Vatic.* ed. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 211. *col.* 1. Nomina, quæ nominativo casu numeri pluralis *ia* litteris definiuntur et ablativo casu numeri singularis non *i* littera terminantur, ut puta hæc stataria, hæc cochlearia et cetera talia, numquidnam ab hoc statari aut ab hoc cochleari facere demonstrant? sed ab hoc statare et ab hoc cochleare intelliguntur resonare. *et p.* 240. *col.* 2. Sunt nomina ternaria, ut puta statare. Hæc et *Furlanetto* in *App.* Hanc voc. habet etiam *Probus Inst. Art. p.* 96. 35. *Keil.*, sed non declarat.

STĂTĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

STĂTĀRĬUS, a, um, adject. (status) qui stat, hinc fixus, immobilis, *ritto sui piedi, fermo, immobile*, σταδαῖος. ¶ 1. Generatim. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 11. *extr.* Statarium prandium. *h. e.* quod a stantibus et in procinctu capitur. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. *a med.* labor. *h. e.* qui a stantibus aut sedentibus fit. *Liv.* 9. 19. et 22. 18. miles. *h. e.* qui in acie et pugna ordines servat, et pede immoto pugnat neque loco pelli se patitur. *Capell.* 9. *p.* 320. soni. *h. e.* qui diversas extentiones recipere non possunt: dicuntur autem et *stantes*, ut *id. ibid.* docet. *Ammian.* 20. 8. 1. pugna. *h. e.* qua pede collato pugnatur et immobili, σταδία μάχη. Describitur a *Plauto Amph.* 1. 1. 83. In fugam se tamen nemo convortitur, nec recedit loco, quin statim rem gerat. Animam amittunt, priusquam loco demigrent. Quisque, uti steterat, jacet obtinetque ordinem. *Pacat. Paneg. Theodos.* 31. Statarius lixa. Ita per convicium dicitur Maximus tyrannus, qui tempore Theodosii senioris imperium affectaverat: quasi non statarius et fortis miles, sed quasi lixa aut vilis calo semper in exercitu fuerit. *Armigerum lixam* eum vocat *Auson. de clar. urbib. n.* 7. 7. Etiam apud *Liv.* 30. 28. *statarius semilixa*, ut quidem nonnulli legunt, dicitur per contemptum centurio quidam: quem locum videtur in mente habuisse *Pacatus.* Verum *Gronov. l.* 4. *Observat. c.* 7. lectionem mutat, et ex cod. *Liv.* 24. 48. *Statorius* reponit. *V.* SEMILIXA. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Stataria retia. *h. e.* quæ ope suberinorum corticum in aqua diutius suspensa retinentur. ¶ 2. Speciatim *stataria comœdia*, seu absolute *stataria*, dicitur, quæ lenis est et tranquilla neque affectibus æstuans: contra *motoria*, laboriosa, turbulenta, a discursantibus personis ac tumultuantibus acta et, ut ait *Cic. Brut.* 30. *extr.*, celeri motu et difficili. *V.* infra I. Ex his tertium genus exsistit, mixtum ex utroque actu. Ita docent *Calphurn.* in *prolegom. Heautont.* et ad ejusdem *prol.* 35. et *Donat.* in *Adelph. prol.* 24. et alibi. Qualis *stataria* sit et *motoria*, præclare significat *Ter. Heaut. prol.* 35. Date potestatem, mihi Statariam agere ut liceat per silentium: Ne semper servus currens, iratus senex, Edax parasitus, sycophanta autem impudens, Avarus leno assidue agendi sint mihi Clamore summo, cum labore maxumo. Ubi tamen amphibologiam aliquam esse putat *Calphurn. ibid.*, ita ut *statarius*, a *stando*, h. e. stando in pedibus, *reggersi in piedi*, idem sit ac *comœdia quæ stet*, h. e. quæ placeat: quæ quidem jocosa amphibologia comicum non dedeceret. — Hinc absolute

Stataria, æ, f. 1. *V.* supra.

Statarius, *ii*, m. 2. comicus in stataria comœdia.

I.) Proprie. *Cic. Brut.* 30. 116. Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur. sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.

II.) Translate. *Id. ibid.* 68. 239. C. deinde Piso statarius et sermonis plenus orator etc.

Homonym. Quomodo differat *stataria* a *motoria comœdia*, V. supra § 2. et v. MOTORIUS.

STĂTĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præced.

STĂTER, ēris, m. 3. (στατήρ) Etiam *statera*, æ, pro *stater*, occurrit in *Tab. Cod. Mutin. de ponderib.* in *Metr. Lat. p.* 127. *Hultsch.* — *Stater*, *statēris* sit in secunda syllaba corripi *Auct. Quæst. gramm. Cod. Bern.* CIII. *Hag.*; repugnat tamen quantitas vocis Græcæ, unde oritur. Sic et *Auct. carm. de ass. part.* infra *cit.* ultimam recti, sed licenter, contrahit. — Stater est pondus: a voce Græca adlata, quæ ab ἵστημι appendo, pendo, derivatur; et quidem ¶ 1. Pondus dimidiam partem unciæ æquans. *Isid.* 16. *Orig.* 24. 16. Stater medietas unciæ est, appendens aureos tres, unde et vocatur stater, quod tribus solidis stet. Hæc et semuncia, quia semis habet de uncia. Hæc et semissis, quia ponderis semis est, quasi semis assis. *Auct. carm. de ass. part. v.* 10. Uncia viginti scripulos et quattuor ambit: Dimidium stater ac semuncia dicitur ejus. *Cod. Theod.* 12. 7. 1. Examinis libramento æquis et paribus suspenso statere momentis. ¶ 2. Item pondus quattuor drachmarum. *Tab. Cod. Bob.* in *Metrol. Lat.* ed. *Hultsch. p.* 127. Uncia habet stateres II., drachmas VIII. ¶ 3. Item nummus argenteus quattuor drachmas habens, Græce τετράδραχμον, cujus dimidium *didrachma* apud *Hieronym.* 3. *in Matth.* 17. 26. Stater dicitur, qui duo habet didrachmata. Adde *Ambros. Ep.* 7. — In illo *Vulgat. interpr. Jer.* 32. 9. Emi agrum ab Hanameel et appendi ei argentum septem stateres et decem argenteos. inter *stateres* et *argenteos* nullum est discrimen; sed divisa est per Hebraismum constructio, ita ut sensus sit: Dedi ei septemdecim stateres argenteos, appenso ad libram argento. *hendiadys*. Æquabat autem sicli pondus, idque apud Hebræos atque Phœnicios (*V.* SICLUS); attamen varii fuerunt stateres variique apud varias gentes pretii.

STĂTĒRA, æ, f. 1. instrumentum, quo res sine lancibus ponderatur: a στατήρ, qui pendit, quod ab ἵστημι, appendo, libro, pondero, σταθμός, ζυγός (It. *stadera*; Fr. *balance, trébuchet*; Hisp. *pesilo, balanza*; Germ. e. *Waage*; Angl. *a steelyard*). Eadem etiam *campana* dicitur apud *Isid.* 16. *Orig.* 25. 6. *V.* loc. in CAMPANUS. — Qua *stateram* significat, *V.* STATER init. — Differt autem a trutina, ut species a genere. Duæ enim species trutinæ, libra, quæ binas habet lances; statera, quæ scapo constat punctis distincto, quæ pondera discriminant.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Vitruv.* 10. 8. Id autem ex trutinis, quæ stateræ dicuntur, licet considerare. Quum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, ubi ut centrum est collocata, et æquipondium in alteram partem scapi, per puncta vagando, quo longius aut etiam ad extremum perducitur paullo, etiam pari pondere amplissimam pensionem parem perficit, per scapi librationem et examinationem longius a centro recedentem. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 46. Sed certa velut æquus in statera, Nil mutas, sed idem mihi rependis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (38). Statera judicare de salubritate aquarum. Hinc *Inscript.* apud *Gruter.* 178. 5. IMP. DIOCLETIANVS C. AVG. PIVS FELIX OPERIBVS IN COLLE HOC EXCAVATO SAXO QVAESITAM AQVAM IVGI PROFLVVIO EX TOFO HIC SCATENTEM INVENIT MARCIA SALVBRIOREM TIBERINA LEVIOREM STATERA IVDICATAM etc. *Cic. fragm.* pro *Scaur.* apud *Ascon.* Obsignare stateras. *Varro* apud *Non. p.* 455. 20. *Merc.* Statera auraria ponderare. (*al.* pendere) *saggiuolo*. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 159. Hæc nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. *Augustin. Serm.* 105. Stateras dolosas et mensuras duplices habere. — De trutinæ genere *Cod. Justin.* 6. 47. 11. *de extr. crim.* Stateræ adulterinæ onerans annonam. ¶ 2. Latiore sensu sumitur pro libra, *bilancia*. *Petron. Sat.* 35. Super Libram (*signum cæleste*) imposuerat stateram, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta. *Sueton. Vesp.* 25. Dicitur vidisse quondam per quietem stateram positam examine æquo quum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii.

II.) Improprie, a similitudine stateræ vel libræ, *statera* dictum est. ¶ 1. Jugum, unde, vincto fune et alligata mula, currus trahebatur. In *Gloss. Philox.* dicitur ζυγός, quod et jugum et stateram significat. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 33. impeditum Tardabant iter orbitæ tacentes, Dum pondus nimium querens, sub alta Repit languida quadrupes statera. ¶ 2. Item vas quoddam escarium, rotundum et concavum, instar lancium libræ. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 52. (146). ex *Corn. Nepote.* Tympana se juvene appellata stateras et lances, quas antiqui magidas appellaverant. Cf. *Venant.* 2. *carm.* 7. 21. *de Cruce.* Beata, cujus brachiis Pretium pependit sæculi: Statera facta est corporis, Prædam tulitque tartaris.

III.) Metonymice est rei pretium. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 26. 57. (127). *de suco panacis.* Laudatur candor ejus coacti: sequens pallido statera.

Homonym. Quomodo *statera* a *trutina* differat, *V.* init.

STĂTĬCE, es, f. 1. στατική, herba septem caulibus veluti rosæ capita sustinens, quæ vim habet sistendi alvum (*Statice Armeria* Linn.). *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 33. (51).

STĂTĬCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* statua, parva statua, proprie id quod stat seu statuitur, sive statua, sive cippus, columella, stela, cui insistit hominis deive signum, vel etiam inscriptio aliqua apponitur.

I.) Proprie. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 48. (163). Ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria pervenit. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (140). *de achatis.* Reddunt etiam species fluminum, nemorum et jumentorum, etiam esseda et staticu-

la et equorum ornamenta. *h. e.* emblemata, sigilla. (*V.* quæ fuse disputat de hac lectione *Silligius* in adnot. ad *h. l.*) Hinc *Tertull. advers. Gnost.* 2. ex *Deuter.* 12. 3. Evertetis et comminuetis staticula eorum (*deorum*), et excidetis lucos eorum, et sculptilia eorum deorum concremabitis igni. *Id. ibid. ad fin.* ex *Levit.* 26. 1. Non facietis vobis manufacta, nec sculptile, nec staticulum statuetis vobis. Utrobique in textu Hebr. legitur מצבה *mazzevah* (a rad. יצב *jazav*, statuit), quod stelam, cippum, columnam significat, in qua quid insistit, vel etiam inscribitur. «*Vulgata* vero, inquit *Furlanetto,* priori loco minus recte *statuas,* in altero recte habet *titulos,* quibus, ut ait *Hieronym.* 2. in *Osee* 10. 2., singuli (*dii*) suis appellantur nominibus. Ex his patet, staticula fuisse cippos seu stelas, quæ ante sculptiles vel fusiles deorum statuas collocatæ inscriptionem cum eorumdem nomine præferebant. Simile prorsus dicendum de duobus *Plinii loc.* nuper citatis». Ceterum *Rufin.* ex *Orig. Hom.* in *Genes.* 5. 2. *de uxore Lot.* Quod autem fit staticulum salis, insipientiæ ejus judicium videtur expositum.

II.) Improprie, a similitudine, *staticulum* dictum videtur genus vehiculi, uni tantum personæ ferendæ aptum, in *Vet. Test.* ed. a *De-Rossi* in *Bullett. Crist. a.* 1863. *p.* 95. Aditum, itum, actum ad id ædificium habeant quicumque ad id colendum pedibus et vehiculis et staticulis adibunt.

STĂTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* status, genus saltationis statariæ, h. e. quod non discurrendo sed exiguo corporis motu peragebatur, *balletto, danzetta,* ὄρχημα στάσιμον. *Staticulos dare* et *staticulum saltare,* est hujusmodi saltationem edere. *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. *a med.* M. Cato senatorem non ignobilem M. Cœlium, spatiatorem et Fescenninum vocat, eumque staticulos dare his verbis ait: Descendit de cantherio: inde staticulos dare, ridicularia fundere. Et alibi in eumdem: Præterea cantat, ubi collibuit: interdum Græcos versus agit, jocos dicit, voces demutat, staticulos dat. *Plaut. Pers.* 5. 2. 43. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea faciebat. Ita *Lambinus* et *Bothius;* alii, refragantibus MSS. et metro, leg. *saltem staticulum dem,* ita ut *saltem* non verbum fuerit, sed adverbium; quasi vere minime Latinum fuerit *staticulum saltare.* V. SALTO.

STĂTĬLIS, e, adject. (sto) fixus, immobilis, statarius. *Chalcid. Tim. p.* 42. ed. *Meurs.*, ubi tamen rectius alii aliter leg.

STATIM, adverb. (sto). Ad quantitatem prioris syllabæ quod attinet, *statim* pro firmiter producit: pro illico corripit, ut docent *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 5. 3. 7., *Non. p.* 393. 9. *Merc.*, alii. Sunt tamen, qui producunt etiam pro illico: quos imitari non est opus, *Avien.* in *Arat.* 397. Tum succisa Ceres statim cum mergite culmi. *et Alcim.* 2. 180. Quadam nos statim luituros morte reatum. Cf. *Döderlein, Op. cit. v.* 5. *p.* 161. et *L. Müller, De re metr. p.* 438. qui ex *Ritschelio* rem declarare conatur. — Statim duo diversa significat.

A) Stātim, proprie est stando, stabili pede, σταδην, ισταμένως, σταδιαίως (It. *a piè fermo;* Fr. *de pied ferm, debout, sur place;* Hisp. *de pies, en pie, en pie ferme;* Germ. *in Stehen, stehenden Fusses, feststehend;* Angl. *statedly*). Occurrit autem proprie, et etiam translate: quo sensu est firmiter, constanter, perseveranter, æqualiter. *Enn.* apud *Non. p.* 393. 13. *Merc.* Qui rem cum Achivis gesserunt statim. (Adde *Afran. ibid.*) *Plaut. Amph.* 1. 1. 82. Fugam in se nemo convortitur, Nec recedit loco, quin statim rem gerat. *et ibid.* 120. Ita statim stant signa. *Accius* apud *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* Vectigalia legerant vestra et servantur statim. *h. e.* statute, ordinate, inquit *Charis. Ter. Phorm.* 5. 3. 6. Ex his prædiis talenta argenti bina statim capiebat. *h. e.* perpetuo, æqualiter singulis annis. Cf. *Apul.* 8. *Met.* Officiis inferialibus statim factis, puella protinus festinat etc.

B) Stătim, quod translatum a prima significatione nonnulli censent, sæpius est illico, protinus, e vestigio, nulla mora interposita, confestim, εὐθύς, αὐτίκα, παραχρῆμα (It. *subito, tosto, di botto, incontanente;* Fr. *aussitôt, tout de suite, sur le champ;* Hisp. *luego, al instante;* Germ. *sogleich, sofort;* Angl. *on the instant, immediately*). ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Hac re statim Cæsar per speculatores cognita etc. *Id.* 1. *ibid.* 53. *extr.* De se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur. *Sall. Jug.* 59. *in fin.* Postremos in agmine tentare ac statim in colles regredi. *Cic. Harusp. resp.* 1. *ad fin.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est statim a P. Servilio confectus ac trucidatus. *Id. Orat.* 59. 200. Quæ mens eadem, qua nihil est celerius, dimittit statim. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 18. Alii statim dissipari, alii diu permanere censent. *Liv.* 3. 22. Principio anni statim res turbulentæ. *Id.* 4. 53. Primo statim adventu arcem recipit. *Tac.* 6. *Ann.* 3. Hoc pretium adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus. *Seneca Tranquill.* 11. *ante med.* Qui scit, hoc sibi, quum conciperetur, statim condictum etc. *h. e.* jam inde a principio. *Martial.* 6. 30. Sex sestertia si statim dedisses. — Cum homonymis. *Flor.* 2. 2. Statim ac sine mora. *et* 2. 8. Statim et e vestigio. — *b)* Cum præpos. *ab, post. Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (80). A prima statim maturitate. *Id.* 16. *ibid.* 10. 18. (41). Piceæ rami pæne statim ab radice modici. *Colum.* 11. *R. R.* 1. *ante med.* Statim a prima luce. *Sueton. Aug.* 83. Exercitationes campestres statim post civilia bella omisit. *Pallad.* 3. *R. R.* 15. *in fin.* Statim post putationem. — *c)* Cum Ablat. absoluto. *Cic. Orat.* 10. 15. Statim Catone absoluto. *Nepos Cim.* 2. Hostium navibus captis statim ex classe copias suas duxit. — *d)* Cum particulis *ut, simulac, atque, quam, quum. Cic.* 2. *Fam.* 13. Me ab eo diligi statim cœptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi. *Id.* 2. *Att.* 12. Litteras scripsi hora decima, statim ut tuas legeram. *Id.* 12. *ibid.* 18. Ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. *Id.* 15. *ibid.* 12. Dicebat, se statim iturum, simulac ludorum apparatum iis tradidisset. *Id.* 1. *Verr.* 10. 27. Simulac tetigit provinciam, statim litteras dedit. *Ulp. Dig.* 1. 16. 1. Proconsul ubique proconsularia insignia habet statim atque Urbem egressus est. *Martian. Dig.* 1. 16. 2. Proconsules statim quam Urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem. *Ulp. ibid.* 7. 9. 1. *a med.* Quarum prior statim committitur, quam aliter fuerit usus. *Pallad.* 5. *R. R.* 3. Semen statim quum spargitur, obruendum est. *et mox.* Ocimum cito nasci dicitur, si, statim quum severis, aqua calida perfundas. ¶ 2. Speciatim pro recenter, modo, *di fresco. Id.* 1. *ibid.* 35. *ad fin.* Ventriculus vervecis statim occisi.

STĂTĬO *vel* stacio, ōnis, f. 3. (sto) actus standi seu consistendi: cui opponitur itio, motus, στάσις (It. *lo star fermo;* Fr. *état des repos, immobilité;* Hisp. *reposo, immobilidad;* Germ. *das Stehen, Stillstehen;* Angl. *the act of standing, a standing still*).

A) Proprie.

I.) Abstractorum more. *Augustin. Serm.* 179. Statio significat permansionem, sessio humilitatem. *Manil.* 2. 70. Statio terræ. *h. e.* immobilitas. *Lucret.* 4. 389. *et* 396. et 5. 479. *et* 519. Manere in statione. *h. e.* quiescere, non ire, non moveri. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 23. Solus immobilem stationis gradum retinens. *h. e.* statum locumque servans, quem occupaverat. — *Stationem facere* apud *Vitruv.* 9. 4. *ante med.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 15. (77). dicitur sidus, quum stare videtur, nec progredi. Nam stellæ, inquit *Plin.* 2. *ibid.* 16. 13. (69)., percussæ, in qua diximus parte (h. e. *quum distant a sole CXX. partibus*), et triangulo solis radio inhibentur rectum agere cursum, et ignea vi levantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare: unde et nomen accepit statio. *Id. ibid.* 15. 12. (59). alias esse ait stationes matutinas, alias vespertinas: de quibus consulantur astrologi. *Capell.* 1. *p.* 10. *de Mercurio.* Licet remorata statione consistens captetur. Similiter *Lucan.* 10. 201. sol tempora dividit anni, Mutat nocte diem radiisque potentibus astra Ire vetat cursusque vagos statione moratur. *Id.* 8. *p.* 289. Quinque sidera stationes recursusque patiuntur. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 106. Sucorum ductus impeditus statione corpusculorum morbos efficiat. *Id.* 2. *ibid.* 9. 51. Statio sensuum. *h. e.* torpor.

II.) Concrete, ut ajunt, sensu est locus, ubi quis moratur, commoratio, habitatio, *dimora, soggiorno.* ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Att.* 9. *extr.* Athenis statio mea nunc placet. *Ovid.* 5. *Fast.* 719. *de Cast. et Poll.* alterna fratrem statione redemit. *Virg.* 5. *Æn.* 128. statio gratissima mergis. *Id.* 4. *G.* 8. sedes apibus statioque petenda. *Ovid.* 2. *Fast.* 673. Termine, post illud levitas tibi libera non est: Qua positus fueris in statione, mane. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. Aratra aurita, quibus possint, contra stationes humoris hiberni, sata celsiore sulco attolli. *h. e.* ubi humor diu moratur, nec defluit. *Tertull. Anim.* 48. Statio sensuum. *h. e.* præcordia, περικάρδιον. ¶ 2. Speciatim in re militari sumitur pro loco, ubi milites stant præsidii causa: et pro ipsis militibus: item pro ipsa custodia et præsidio, *quartiere di guardia,* ὑπόστημα, φυλακτήριον. *Cæs.* 6. *B. G.* 41. Quod cohortes ex statione et præsidio essent emissæ. *Id.* 4. *ibid.* 32. Duas cohortes in stationem succedere jussit. *Sall. fragm.* apud *Charis.* 2. *p.* 185. *Putsch.* Noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Id. fragm.* 67. *Dietsch.* Vigilias stationesque et alia munia exsequi. *Liv.* 10. 32. *ad fin.* Ad stationem Romanam, in porta segniter agentem vigilias perveniunt. *Id.* 5. 44. *ad fin.* Ubi nox appetit, sine munimento, sine stationibus ac custodiis, passim ferarum ritu sternuntur. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 59. Longiore circuitu custodias stationesque equitum vitabant. *Id.* 5. *B. G.* 15. Impetu in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati. *et* 7. *ibid.* 69. Ibi castella viginti tria facta, in quibus interdiu stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret. *Liv.* 3. 5. Vigiliæ in urbe, stationes ante portas præsidiaque in muris disposita. *Tac.* 14. *Ann.* 8. Anicetus villam statione circumdat. *con guardie.* et 13. *ibid.* 24. Statio cohortis adsidere ludis solita, demovetur. *lo staccamento di guardia.* et *Sueton. Tib.* 37. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. *Tac.* 1. *Hist.* 28. *et* 29. Stationem agere. *essere di guardia.* et 13. *Ann.* 35. Stationem et vigilias inire. *Virg.* 9. *Æn.* 183. portam statione tenere. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 59. vigili muros statione tueri. *Virg.* 9. *Æn.* 222., *Sueton. Aug.* 24. et *Stat.* 11. *Theb.* 240. Stationem deserere, relinquere. — In illo *Petron. Sat.* 102. Unus nauta stationis perpetuæ interdiu noctuque jacet in scapha. *statio* est ipsa vigilia, quæ a militibus in statione agitur. ¶ 3. Item in re civili. — *a) Stationes municipiorum* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 86. (236)., quas, inquit *Forcellinus,* fuisse *P. Victor* dicit in regione Urbis octava, in foro (quamquam *Victor* hic apud criticos recentiores nullius est auctoritatis). In *Annal. dell' Istit. archeol. T.* 9. *p.* 17. dicitur, stationes municipiorum fuisse inter templum Faustinæ et forum, ubi postea ædificatum est forum transitorium. Erant autem loca, quo legati municipiorum et civitatum de suis negotiis agentes conveniebant: quæ loca eis publice aliquando assignata sunt. Adde *Sueton. Ner.* 37. — *b) Stationes fiscales,* de quibus *Imp. Antonin. Cod.* 4. 31. 1. et *Imp. Alex. ibid.* 10. 5. 1. et *ibid.* 8. 43. 2. et *Imppp. Valentinian., Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 12. 6. 19., loca erant in provinciis, ubi degebant homines rebus fisci curandis præpositi: præerant enim hujusmodi homines rationibus hereditatum et legatorum, quæ a privatis principi relinquebantur. *Inscript.* apud *Orell. n.* 4107. (*Murat.* 525. 3.) SI FACTA NON FVERINT TVNC FISCO STACIONIS ANNONAE DVPLVM FVNERATICIVM DARE DEBEBITIS. *Alia* apud *Gruter.* 451. 3. L. PETRONIVS SABINVS

PROCVRATOR AVGG. STATIONIS HEREDITATIVM. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 128. 1. M. VLPIVS CADMVS AVG. LIB. PRINCEPS TABVLARIVS IN STATIONE XX. HEREDITATIVM. *V.* AUCTORITAS. *Alia* apud *Marini Pap. dipl. p.* XXXI. et in *Mem. Rom. di Antich. e Bell. Art. T.* 3. *p.* 69. *n.* 17. EVPHRATES AVG. LIB. PROCurator OB EFFECTA SIBI IN HAC STATIONE ANNVA CENTENA GENIO HVIVS LOCI D. D. etc. Cf. *Capitolin. Clod. Alb.* 2. Stationis Augustæ procurationem sibi parare. *Inscr.* in tubo plumbeo in *Revue Numism. a.* 1863. *p.* 417. STATIO FERRARIA FORICVLORVM OSTIENSIVM. — c) *Statio* dicitur etiam de locis, quo conveniebant de jure consulentes. *Gell.* 13. 13. Quæsitum esse memini in plerisque Romæ stationibus jus publice docentium aut respondentium, an etc. — d) Item de loco, ubi morantur homines, jumenta et vehicula cursui publico destinata, *la posta:* unde *stationarii. Inscript.* in lamina ærea apud *Murat.* 1015. 1. et *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 421. DE STATIONE CAESARIS AVG. TABELLARIS DIPLOMARII DISCEDE. *V.* DIPLOMARIUS. ¶ 4. Item in re agraria. *V.* AGRARIUS et PRÆTENTURA. Adde inter *prætenturas* et *stationes agrarias* id intercedere, quod hæ statariæ et fixæ in excubiis essent, non tamen in castris; illæ autem discursoriæ. *Ammian.* 14. 3. 2. Mesopotamiæ tractus, omnes crebro inquietari sueti, prætenturis et stationibus servabantur agrariis. Cf. 19. 13. 1. Prætenturæ militum - ex usu facile discurrentes. ¶ 5. Item in re nautica dicitur locus, ubi naves tuto possunt consistere, *rada, porto,* ναύσταθμος, ναύλοχον. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. *a med.* Stationem a statuendo dicimus. is igitur locus demonstratur, ubicumque naves tute stare possunt. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 23. et ad 10. *ibid.* 297. docet, *stationem* esse portum temporalem, *portum* stationem perpetuam. Vel dic, *portum* esse arte paratum navibus locum, *stationem* natura. *Cæs.* 3. *B. C.* 6. Cerauniorum saxa inter et alia loca periculosa quietam nactus stationem, et portus omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur. *et ibid.* 8. A Salonis ad Orici portum stationes litoraque omnia classibus occupavit. *Vellej.* 2. 72. *in fin.* Tempestatem fugientibus statio pro portu foret. *Virg.* 4. *G.* 421. Deprensis olim statio tutissima nautis. *Id.* 2. *Æn.* 23. malefida carinis. Hinc translate *Ovid. Heroid.* 7. 89. Fluctibus ejectum tuta statione recepi. ¶ 6. Item in re sacra, apud Ecclesiasticos scriptores. — a) *Stationes* veterum Christianorum fuere conventus, in quibus stantes, non genu flexo, orabant, quod diebus Dominicis et Paschali tempore servatur adhuc. *Tertull. Orat.* 29. *a med.* Die stationis, nocte vigiliæ meminerimus. *Id. advers. Psych.* 1. Arguunt nos, quod stationes plerumque in vesperam producamus. Adde *ibid.* 10. et 2. *ad Uxor.* 4. — b) Item *stationes* sunt jejunia. *Isid.* 6. *Orig.* 19. 66. Jejunium autem et statio dicitur. *Ambros. Serm.* 36. Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis inimicos insidiarum depellimus. Adde *Tertull. advers. Psych.* 13. *V.* tamen *DuChange* in *Gloss.* etc. ad *h. v.* ¶ 7. *Statio* dicitur etiam de loco, ubi otiosi in Urbe degunt et variis sermonibus tempus terunt, *la pancaccia. Plin.* 1. *Ep.* 13. Plerique in stationibus sedent tempusque audiendis fabulis conterunt. *Juvenal.* 11. 4. omnis Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 9. et *Ulp. Dig.* 47. 10. 15. ¶ 8. Et de stabulo jumentorum, *stalla. Ulp. Dig.* 7. 1. 13. *in fin.* Domum ad stationem jumentorum locare. *Pallad.* 1. *R. R.* 21. Plancæ roboreæ supponantur stationibus equorum. *alle poste de'cavalli.* Cf. *A* II. § 3. d.

B) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex generali notione. *Ovid.* 4. *Amor.* 7. 68. (et 3. *Art. am.* 434.) Pone recompositas in statione comas. *h. e.* capillos suo quemque loco apte come. *Petron. Sat.* 120. *a med.* Expelluntur aquæ saxis, mare nascitur arvis, Et permutata rerum statione rebellant. *h. e.* loco et statu, quem cuique rei natura assignavit. — In illo *Vitruv.* 1. 2. Is (*decor*) perficitur statione. *statio* est positus, situs, *positura, sito,* θεματισμός. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ ex re militari. *Cic. Senect.* 20. 73. Vetat Pythagoras, injussu imperatoris, id est Dei, de præsidio et statione vitæ decedere. *Vellej.* 2. 124. 2. Pugnans cum Cæsare senatus, ut stationi paternæ succederet. *h. e.* imperio. *Ovid.* 2. *Trist.* 219. imperii statione relicta. *Tac. dial. de Orat.* 17. Adjice sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempubl. fovet. *h. e.* sextum annum imperii. *Vellej.* 2. 131. Ei functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos. Hinc *stationem* absolute pro *statione imperii* dixit *Antoninus Pius* inter *ep. Fronton.* ad *eumd.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Non difficile mihi persuasi, mi Fronto carissime, vel præcipue hunc diem, quo me suscipere hanc stationem placuit, a te potissimum vere religioseque celebrari. (Adde *August.* in *epist.* apud *Gell.* 15. 7. *extr.*) Adde *Plin. Paneg.* 7. et *Sueton. Claud.* 38. *Juvenal.* 6. 272. Uberibus semper lacrimis semperque paratis In statione sua. *Ovid.* 1. *Met.* 626. *de oculis Argi.* suis vicibus capiebant bina quietem: Cetera servabant atque in statione manebant. *vegliavano in guardia.* et 9. *ibid.* 33. Brachiaque opposui tenuique a pectore varas In statione manus. *leste e pronte, all' erta.* et *Tertull. De præscript. hær.* 10. Ubi statio credendi. *Id. De exhort. cast.* 9. Secunda statio. *h. e.* matrimonium. — In illo *Val. Max.* 8. 7. *n.* 7. Pro dignitate et salute amicorum perpetuam excubatione - testationem benevolentiæ *etc.* posterior intuens ætas etc. pro *testationem* scribend. esse *et stationem* recte monet *Madvigius,* ita ut sensus sit: Benevolentia excubabat et stationem agebat pro dignitate et salute amicorum.

Homonym Discrimen inter *stationem* et *portum* V. supra *A* II. § 5. — Item *stationes* a *vigiliis* et *excubiis* distinguuntur. *Liv.* 3. 5. Vigiliæ in urbe, stationes ante portas præsidiaque in muris disposita. Adde *Sall. fragm.* apud *Charis.* supra *cit.* (Cf. *Kreyssig.* in *Comment. de C. Sall. Cr. Hist. l.* 3. *Fragm. p.* 50.) Adde *Liv.* 9. 24. et *Tac.* 1. *Ann.* 32. — *Excubiæ* et *vigiliæ,* testibus *Vegetio* et *Polybio,* e quattuor viris; contra *stationes* e pluribus, immo integris turmis aut cohortibus constabant. Ita *Popma.* — Aliud discrimen *V.* sub *A* II. 4.

STĂTĬŌNĀLIS, e, adject. (statio) ad stationem pertinens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 12. (60). Martis stella stationalis senis mensibus commoratur in signis. *h. e.* in statione est, ut diximus in voc. præced. *A* I. *Gloss. Lat. Gr.* in *Thes. utr. ling.* ed. *Vulc.* Stationalis, μόνιμος.

STĂTĬŌNĀRĬUS, a, um, adject. (statio) ad stationem pertinens, stationalis. *Isid. De nat. rer.* 22. Radiis autem solis præpedita sidera aut anomala fiunt aut retrograda aut stationaria. — *Stationarii milites,* qui in stationibus sunt custodiæ et præsidii causa, ut in STATIO dictum est. *Ulp. Dig.* 11. 4. 1. *circa med.* Præsides et magistratus et milites stationarios dominum adjuvare debere in inquirendis fugitivis. *Ulp. ibid.* 1. 12. 1. *ad fin.* Præfectus Urbi debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem. V. *Inscript.* in SICILICUS. — Hinc

Stationarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est præfectus stationi, custodiæ causa, aut miles, aut qui stationis curam habet: item adparitorum et officialium, qui dicuntur, genus. *Paul. Dig.* 11. 4. 4. Limenarchæ et stationarii fugitivos deprehensos recte in custodiam detinent. *Cod. Theod.* 16. 2. 31. Notoriis adparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum. *Optat.* 1. 27. Sed et Superius stationarius perductus et Ingentius scriba publicus. *Inscript.* apud *Orell. n.* 1685. GENIO NORICORVM L. IVLIVS BASSVS STATIONARIVS NORVM. Adde *aliam* in *Corp. Inscript. Lat.* 4. 3081. ¶ 2. Item qui stationibus vectigalibus inserviunt. *Cod. Theod.* 4. 12. 2. *de episc. eccl.* Nulla vectigalia a stationariis exigantur. *et* 4. 12. 3. Vectigal exigi non sinimus, capitali pœna proposita stationariis et urbanis militibus. *V.* STATIO sub *A* II. 3. *b.* Adde *Inscript.* apud *Murat.* 1036. 1. *V.* SICILICUS § 5. ¶ 3. Item qui cursui publico inserviunt per intervalla dispositi, ut evectione utentibus equos aut vehicula expediant, *postieri. Imp. Constantin. Cod. Theod.* 8. 5. 1. Adde *Ammian.* 19. 67.

STĂTĬŌNĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

STĂTĬŌRON, *Græca positione,* i, n. 2. herba, quæ vulgo chamæleon vocatur. *Apul. Herb.* 26.

STĂTĪVA, ōrum et

STĂTĪVÆ, ārum. *V.* voc. seq. in fin.

STĂTĪVUS, a, um, adject. (sto) qui stat, fixus, immotus, *che sta fermo,* στατός. ¶ 1. Generatim. *Varro* apud *Non. p.* 217. 2. *Merc.* De stativis aquis, ut sunt lacus et stagna et putea et maria. *h. e.* quæ non decurrunt, *chete, stagnanti, ferme,* στατὸν ὕδωρ. *Firmic.* 1. *Mathes.* 2. *ad fin.* Nunc directo cursu, nunc retrogrado, nunc stativa tarditate subsistunt. ¶ 2. Speciatim in re civili, *stativæ feriæ,* ut *Macrob.* docet 1. *Saturn.* 16., erant universi populi communes, certis et constitutis diebus ac mensibus, et in Fastis statis observationibus annotatæ: in quibus præcipue servabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Eædem et *statæ* dictæ. *Paul. Diac.* ex *Fest. p* 92. 14. *Müll.* Feriæ statæ appellabantur, quod certo statutoque die observarentur. ¶ 3. In re militari. — a) *Stativa castra,* castra diutius uno loco fixa, in quibus moratur exercitus quietis causa, aut donec rei gerendæ occasio se offerat, *quartiere, campo,* σταθμός. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Uterque eorum ex castris stativis exercitum educunt. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29. Pulcherrimo Syracusarum luco stativa sibi castra faciebat. *Sall. Jug.* 48. Quantum temporis æstivorum in imperio fuit, plerumque milites in stativis castris habuit. *Tac.* 3. *Ann.* 21. *sub fin.* Illigatus præda stativis castris adhærebat. *Veget.* 7. *Milit.* 8. Stativa castra æstate vel hieme hoste vicino majori labore a cura formantur. — b) *Stativum præsidium* apud *Cic.* 12. *Phil.* 10. 24. et *Liv.* 41. 4. et 44. 40. sunt milites in statione positi præsidii causa. ¶ 4. *Stativa lux* est, quam sterigmon (στηριγμόν) Græci vocant, sine cursu jugi, sed prolixa lux stellæque fluor et ignitus liquor: qui, quum latius quatitur, cometes vocatur. *Apul. de Mundo ante med.* — Hinc absolute, substantivorum more

Stativa, orum, n. plur. 2. *subaud.* castra, dicta ¶ 1. De re militari stricto sensu, præsertim a *Livio,* apud quem *stativa habere* est militem stativis castris tenere, 2. 52., 37. 33., 38. 15. *extr.* et *ibid.* 40. et alibi. *Id.* 30. 30. Paucos dies quietis stativis manserunt. Adde *Curt.* 3. 4. 1. *Tac.* 1. *Hist.* 66. Lento agmine ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutatione venditante duce. ¶ 2. Extra rem militarem, de mora iter facientium. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (103). Sed quia major pars itineris conficitur noctibus propter æstus et stativis dies absumuntur. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 8. *ante med.* Ubi est adversarius, qui jampridem ad agendam causam adesse debuerat? In itinere est. Quo tandem in itinere? ex Asia venit, et est adhuc in Asia. Magnum iter et festinatum. Navibusne an equis, an diplomatibus facit hæc tam velocia stativa? Vides scilicet hic ironice *stativa velocia* appellari etc. ¶ 3. In illo *Cic.* 2. *leg. Agr.* 15. *extr.* Numquid causæ est, quin omnes agros, urbes, stativa, portus, totam denique Bithyniam decemviri vendituri sint? *stativa* alii intelligunt stationes navium: alii stagna aut lacus aut paludes piscosas aquarum stativarum.

Stativæ, arum, f. plur. 1. stativa. *Lamprid. Alex. Sev.* 45. Deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda. Sic in omnibus libris, teste *Casaub.* — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STĂTOR, ōris, m. 3. (sto *vel* sisto) Ad quantitatem prioris syllabæ quod attinet, *Klotzius, Georges* aliique recentiores ita distinguunt, ut hæc sit brevis, si vox intransitive accipitur: longa, si transitive, saltem apud *Ovid.* 6. *Fast.* 793. Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim

Ante Palatini condidit ora jugi. Sed *Forcellinus* ibi rectius *leg.* Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus etc. Sane, præter alia, *stātor* a *stătus*, saltem qua est a *sisto*, priorem syllabam habet brevem. Cf. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 32. Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est. Adde *Prudent.* περὶ στεφ. 415. — Stator itaque occurrit

A) Intransitive, pro eo scilicet, qui stat, qui adest, qui præsto est ad aliquid agendum. ¶ 1. Universim. *Petron. Sat.* 126. Nisi aut servos viderint aut statores altius cinctos. ¶ 2. Fuere hoc nomine in provinciis ministri publici magistratuum, similes lictorum, viatorum, apparitorum, qui in postico prætorii stabant, præsto futuri jubenti magistratui, præcipue litteris et nunciis perferendis. *Cic. Imp.* ad *Cæl.* 2. *Fam.* 19. Existimavi esse faciendum, ut ad te statores meos et lictores cum litteris mitterem. et *ibid.* 17. *ad Sall. proquæst.* Litteras ad te mihi stator tuus reddidit Tarsi. Adde *Planc.* ad *Cic.* 10. *ibid.* 21. et *Ulp. Dig.* 4. 6. 10. — In veteribus Lapidibus apud *Gruter.* 1031. 3. et *Reines. cl.* 8. *n.* 4. habetur *stator prætorius*. In alio apud *Gruter.* 258. 8. et 1102. 4. (quam *Inscr.* emendavit *Kellerm. Vig. Rom. lat. p.* 26.) memorantur *statorum evocati* et *centuriæ statorum*. et 600. 6. *stator Augustorum*. In *Inscr.* apud *eumd.* 40. 7. et 46. 10. habetur > *statorum*, h. e. centurio statorum, quia quidem uno gradu superior erat *centurioni vigilum* et inferior *centurioni cohortium urbanarum*. Adde *Inscript.* apud *Kellerm. Vigil. Rom. laterc. duor. app. n.* 199. et 200. et apud *Jahn. Spec. epigr. p.* 28. *n.* 1. et *p.* 49. *n.* 6. Cf. *Inscr.* mutilam Romæ repertam in *Bullett. archeol. Municip. a.* 1872. *p.* 19. — Hujusmodi ministros Alexander Severus (ut est apud *Lamprid. Alex. Sev.* 52.) sustulit: ex quo *Ulp. Dig.* 1. 16. 4. Nemo proconsulum statores suos habere potest: sed vice eorum milites ministerio in provinciis funguntur. ¶ 3. *Stator civitatis Viennensis* in *Inscr.* apud *Gruter.* 631. 7. est servus publicus, accensus seu viator, ut *Reines. cl.* 1. *n.* 19. docet. ¶ 4. Apud *Auct. Priap.* 53. custos horti *stator* dicitur, qui alibi *circitor*. V. hanc vocem.

B) Active pro eo, qui stare facit, qui sistit et firmat, στήσιος, ἐπιστάσιος, et dicitur — *a*) Universim de deo. *Seneca* 4. *Benef.* 7. Deus, quod stant beneficio ejus omnia, stator est. — *b*) De Jove. *Liv.* 1. 12. Tu pater deum hominumque, deme terrorem Romanis, fœdam fugam siste. Hic ego tibi templum Statori Jovi voveo. (Adde *Augustin.* 3. *Civ. D.* 13.) *Seneca* 4. *Benef.* 7. Et Jovem illum optimum ac maximum rite dices et tonantem et statorem: qui non ut historici tradiderunt, ex eo quod, post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est. Ita etiam *stator* pro eo qui stat, non sedet, accipitur ab *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 48. *in fin.* Quod si deorum nomina vitæ hominum præjudicant, offendet ergo Statorem Jovem, qui libenter sederit. *Inscript.* apud *Gruter.* 23. 3. 4. I. O. M. STATORI. Adde *Ovid. loc. init. cit. Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140). Inter Statores ac Tonantes et Feretrios Elicium quoque accepimus Jovem. — Jovi Statori ædem votam narrat *Liv.* 10. 37. Fabius ambo consules (*L. Postumium M. Atilium*) in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule, non adjecit) et ad Luceriam utrimque multos occisos inque ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus antea voverat. — *b*) De aliis dis. *Vellej.* 2. 131. *init.* Stator et auctor Romani nominis. Ita *leg. Georges*; at *Ruhkopf:* Juppiter Capitoline ac Stator et auctor R. nominis, Gradive Mars. unde τὸ *Stator* non ad Martem, sed ad Jovem referendum esse videtur. *Alii tamen leg.* sator.

STĀTŌRĬUS, a, um, adject. (stator) ad statorem pertinens. Absolute *Gloss. Philox.* Statorium, ὀρθοστάτης, h. e. id quod stat, columna. *Alii male leg.* staturiam. V. *Brambach op. cit. p.* 327. — *NB.* De nom. propr. R. *V.* ONOM.

STĂTŪA, æ, f. 1. (statuo) *Statuai* genet. pro *statuæ* dixit more suo *Lucret.* 3. 78., ubi tamen *Lachmann.* leg. *statuarum*, alii *statum*. — Statua est proprie et universim id quod statuitur, quod erectum stat arte elaboratum; speciatim vero signum, simulacrum ex ære aliove metallo, lapide aut ligno, imaginem referens cujuspiam, honoris et memoriæ causa, vel columna, pila.

I.) Proprie. ¶ 1. Sæpissime est signum, simulacrum, ἄγαλμα, ἀνδριάς (It. *statua*; Fr. *statue*; Hisp. *estatua*; Germ. *das Statue*; Angl. *a statue*). — *a*) Universim. *Cato* apud *Priscian. p.* 368. 3. *Keil*. Statuas deorum statuere. *Cic. Arch.* 12. 30. Statuas et imagines reliquerunt. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 69. Statuam vult dare auream solidam faciendam ex auro Philippeo, quæ siet septempedalis, factis monumentum suis. *Id. Bacch.* 4. 4. 1. Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro. *Cic. Pis.* 38. *a med.* Illi statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suavissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt. *Enn.* apud *Trebell. Claud.* 7. *de Scipione*. Quantam statuam faciet populus R., quantam columnam, quæ res tuas gestas loquatur! *Cic.* 5. *Phil.* 15. 41. Ei statuam equestrem inauratam in Rostris statui placere. Sic *Vellej.* 2. 61. 3. Eum (*Antonium*) honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita ætatem ejus scriptura indicat (qui honor non alii per CCC. annos, quam L. Sullæ et Cn. Pompejo et C. Cæsari contigerat) etc. *Nepos Hannib.* 9. Statuas aeneas sua pecunia complet. *Id. Timoth.* 2. *in fin.*, *Cic. Dom.* 30. *sub fin.* et *Phædr.* 2. *epil.* Statuam alicui ponere. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 11. (25). Statua decreta — ut poneretur ubi vellet. *Id.* 33. *ibid.* 9. 46. (132). et 34. *ibid.* 5. 11. (21). alicui dicare. *Id. ibid.* 6. 15. (32). Statua donare aliquem. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. *extr.* In templo Victoriæ, ubi Cæsaris statuam consecraverant. *Nepos Chabr.* 1. Illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluit, quæ publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. *Cic. Orat.* 13. 32. Gorgiæ tantus honos habitus est a Græcia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua sed aurea statueretur. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 39. seu rubra Canicula findet Infantes statuas. *Sall. orat.* 2. *de rep. ordin.* 9. *sub fin.* Inertissumi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est additamenti. *Gell.* 4. 5. Statua Romæ in comitio posita Horatii Coclitis, fortissimi viri, de cælo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum haruspices ex Etruria acciti inimico atque hostili in populum Rom. animo instituerant etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 13. (29). Hanc (*Cleliæ statuam*) primam cum Coclitis publice dicatam crediderim. *Pompon. Dig.* 50. 16. 245. Statuæ adfixæ basibus structilibus aut tabulæ religatæ catenis aut erga parietem adfixæ aut, si similiter cohærent sychni, non sunt ædium; ornatus enim ædium causa parantur, non quo ædes perficiantur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 8. 47. (131). Statua triumphalis. *Inscr.* apud *Orell. n.* 1110. ex ære. et *n.* 1134. ex ære argentoque. et *n.* 3573. (Cf. *Henzen Suppl. Orell.* ad *h. n. p.* 372.) aurata. et *mox*. loricata. et *n.* 5478. *in fin.* armata, *h. e.* viri armis instructi vel habitu militari, ut contra *habitu civili* (V. HABITUS) vel *amictu civili* in ead. *Inscr.* et *n.* 1186. auro illustris. et *n.* 1083. auro superfusa. et *n.* 4040. equestris aurata. et *n.* 643. inaurata. et *n.* 1126. subaurata. et *n.* 3193. sub auro fulgens. et *n.* 3171. togata. et *n.* 643. pedestris. *Inscr.* apud *Wilmanns n.* 749. arcui superposita. et *n.* 691. cum basi marmorea. et *n.* 1100. columnæ sublimi imposita. et *n.* 315. sedens aenea ex ære tabulari quam optumo. et *n.* 1233a. sub auro. et *n.* 1100. auri splendore fulgens. et *n.* 2047. perpetuabilis. — De statua aurea apud *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 1. *V. Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 1. *p.* 172. — *b*) *Statua* plerumque hominum effigiem; signum vero deorum significat. *V.* SIGNUM et SIMULACRUM. — *c*) *Statua* sæpissime effigiem significat ex metallo (*V.* STATUARIUS), sed quandoque etiam ex marmore, ut constat ex *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (57). Statuas ex eo (*marmore porphyrite Ægypti*) Claudio Cæsari procurator ejus in Urbem ex Ægypto advexit Vitrasius Pollio. et *mox*. Memnonis statua. Hæc a *Tac.* 2. *Ann.* 61. *saxea effigies* dicitur. — Columna cum statua M. Ludii fuit in regione Urbis octava, teste *P. Victore*, cui tamen nullam recentiores tribuunt auctoritatem. De ea *Festus p.* 290. 14. *Müll.* Statua est Ludi ejus, qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in Janiculo. cujus ossa postea ex prodigiis oraculorumque responsis senatus decreto intra Urbem relata in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt: superque ea columna cum ipsius effigie posita est. — *d*) *A statuis*, officium ejus in domo Augusta, cui cura statuarum demandata erat. *Inscript.* apud *Murat.* 886. 1. — Proverbii speciem habet illud *Catulli* 81. 4. inaurata pallidior statua. Item illud *Petron. Sat.* 102. *a med.* Juvenes adhuc laboris expertes, statuarum ritu patiemur pannos et vincula? h. e. immoto corpore statuarum modo diu manebimus pellibus involuti vinculisque constricti? — De statuis multa, quod ad earum historiam pertinet, *Plin.* 34. *c.* 4., 5. et 6. Scribunt *Liv.* 40. 34. et *Val. Max.* 2. 5. *init.* et *Ammian.* 14. 6. 8. pedestrem statuam auratam primam omnium in Italia positam fuisse patri suo a M.' Acilio Glabrione: equestrem itidem auratam primam L. Sullæ, narrat *Cic.* 9. *Phil.* 6. (V. *Drumann Geschicht. Rom. T.* 1. *p.* 239. adnot.) *Cassiod.* vero 7. *Variar.* 15. Has (*statuas*) primum Tusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas pæne parem populum Urbi dedit, quam natura procreavit. — De statua legatis statuenda V. *Drumann Op. cit. T.* 1. *p.* 259. — Statuas viventium cuiquam ponere, nisi se consulto, primus vetuit Caligula, teste *Sueton. Cal.* 34.; quemadmodum id fieri primus vetuit Claudius, nisi de Senatus licentia, ut narrat *Dio l.* 60. *c.* 25. — De concertatione inter municipium et virum statua honorandum, qui sua illam pecunia ponendam curare voluerat, nolentibus tamen municipii decurionibus, vide *Inscript.* Forosempronionsem apud *Gruter.* 417. 6.; *aliam* vero apud *eumd.* 428. 6., in qua honoratus statuæ impensam reddidit et de suo posuit: item *aliam*, in qua de inscriptione statuæ subjicienda in curia consulitur, apud *eumd.* 444. 2.; item *aliam*, ubi oratio adponenda dicitur, quæ meritorum ordinem ac seriem contineat apud *G. Wilmanns, Ex. inscr.* etc. *n.* 641. Præterea de impensa statuæ sibi statuendæ, exemplum apud Græcos præbet *Le Bas Inscr. d'Egina, p.* 61. ¶ 2. Dicitur etiam de columna. *Vopisc. Aurel.* 37. Statuæ marmoreæ. *Sedul. Carm. pasch.* 1. 106. Statua salis.

II.) Translate. — *a*) *Statua verberea*, convicium in hominem elinguem, insulsum, fatuum et verberonem. *Plaut. Capt.* 5. 1. 31. et *Pseud.* 4. 1. 7. — *b*) *Statua taciturnior*, proverb. de infacundo, elingui, infante. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 83.

Homonym. Differt *statua* a *signo*; plerumque enim, ut supra diximus, *statua* effigiem significat hominum, *signum* vero deorum. *V.* SIGNUM et SIMULACRUM. — Item *statua* ab *imagine* et *effigie*. V. *Döderlein, Op. cit. v.* 5. *p.* 237. et *seqq.* et etiam *Henzen* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1871. *p.* 56.

STĀTŪĀLIS, is, m. 3. (statua) qui statuas facit, idem ac statuarius. *Inscript.* apud *Murat.* 937. 13. C. AQVILIVS (*lege* Aquili N. F.) ACILIANI STVDIOLI STATVALIS HIC OSSA CONDITA SVNT. *h. e.* statuarii, qui opus exercet in studiolo Aciliano. *V.* STUDIUM.

STĀTŪĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

STĀTŪĀRĬUS, a, um, adject. (statua) ad statuas pertinens, quæ ex metallis fiunt, *statuario*, ἀνδριαντοποιητικός. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (97). Fuisse statuariam artem familiarem Italiæ quoque et vetustam, indicat Hercules ab Euandro dicatus. et *ibid.* 9. 20. (97). Æris temperatura statuaria. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (37). Laocoon,

opus omnibus et picturæ et statuariæ artis præponendum. — Hinc absolute, substantivorum more

Statuaria, æ, f. 1. ars statuaria, *statuaria,* ἀνδριαντοποιητική. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 45. (156). Pasiteles plasticen matrem statuariæ sculpturæque et cælaturæ esse dixit. *Id.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (15). Non omittendum, hanc artem (*sculpturam*) tanto vetustiorem fuisse, quam picturam aut statuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit LXXXIII. Olympiade.

Statuarius, ii, m. 2. statuarum artifex, *statuario,* ἀγαλματοποιός. Differt a sculptore; hic enim est, qui scalpro opus quodcumque facit ex gemma, ex marmore, ex ligno, ex ebore: *statuarius* vero, qui statuas solummodo fusiles ex metallo. Nobilissimos statuariorum apud veteres *Quintil.* 12. 10. *ante med.* et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. recitant. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (42). Invenio et Canachum, laudatum inter statuarios, fecisse marmorea. *Quintil.* 2. 11. *ante med.* Si quæram, quæ sit materia statuarii, dicetur æs; si quæram, quæ sit excusoris, id est ejus fabricæ, quam Græci χαλκευτικήν vocant, similiter æs esse respondeant. Atqui plurimum a statuis differunt vasa. Adde *ejusd. loc. cit.* in SCULPTURA. *Seneca Ep.* 88. *ante med.* Statuarii, marmorarii et ceteri luxuriæ ministri. *Hieronym.* 13. in *Isai.* 46. 6. Quod aurum argentumque contulerint, et conducto statuario fecerint idola. — *Vulgat. interpr. Zach.* 11. 13. Projice illud ad statuarium, decorum pretium. *h. e.* figulum.

Homonym. Discrimen inter *statuarium* et *sculptorem* V. supra.

STĀTŪĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

STĀTŪENS, entis, particip. *V.* STATUO.

STĀTŪLĪBER, ĕri, m. 2. et Statulibera, æ, f. 1 Scribitur et divisim *statu liber* et *statu libera.* — Statuliber (statulibera) est, inquit *Festus p.* 314. 7. *Müller.*, qui testamento certa condicione proposita, jubetur esse liber: et si per heredem stet, quo minus statuliber præstare possit, quod præstare debet, nihilominus liber esse videtur. *Paul. Dig.* 40. *tit.* 7. *qui est* De statuliberis, *l.* 1. Statuliber est, qui statutam et destinatam in tempus vel in condicionem habet libertatem. *Ulp. Regular. tit.* 3. Qui sub condicione testamento liber esse jussus est, statuliber appellatur. *Gloss. Lat. Gr.* Statu liber, ἐλεύθερος χρόνῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς. — In fem. gen. *Ulp. Dig.* 40. 7. 6. Si statulibera pœnæ serva facta sit *etc.* quamvis ipsi statuliberæ nihil proficiat etc.

STĀTŪLĪBĔRA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

STĀTŪMĀRĬA, æ, f. 1. herba, alio nomine proserpinaca et sanguinaria etc., apud *Apul. Herb.* 18., quæ ita videtur appellata a *statumino,* quia, ut ipse ait *ibid.*, ad eos, qui sanguinem rejiciunt, utilis est. *Ald.* ded. *statunaria;* sed fortasse est typothetarum error.

STĀTŪMEN, mĭnis, n. 3. (statuo) quicquid ad rem statuendam et muniendam additur, quo ea stare possit, στήριγμα (It. *sostegno;* Fr. *soutien, support, pieu;* Hisp. *apoyo, estribo, sustento;* Germ. *d. Stütze, Unterlage, d. Pfahl;* Angl. *support, prop*). Hinc ¶ 1. Dicitur de palo, sive pedamento vitis, χάραξ. *Colum.* 4. *R. R.* 16. Vehementioribus statuminibus statim impedanda est. Adde *ibid.* 2. ¶ 2. Item de fixis stipitibus cujusdam machinæ, qua jumenta clausa curantur, *stangoni.* et *Colum.* 6. *ibid.* 19. Primis autem duobus statuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur. ¶ 3. *Cæsari* quoque statumina sunt, quæ *Plinio* costæ, hoc est arrectaria ligna, quæ latera navis suppingunt. Inquit enim 1. *B. C.* 54. Carinæ primum et (*al.* prima *vel* ima) statumina (*al.* statumen) ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium, viminibus contextum, coriis integebatur. ¶ 4. Usurpatur etiam pro strato eo, quod alicui rei substernitur, *Vitruv.* 7. 1. Tunc insuper statuminetur, ne minore saxo, quam quod possit manum implere, statuminibus inductis ruderetur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 24. (79). de charta facienda. Igitur e secundo corio statumina facta sunt: e primo subtemina. *h. e.* primæ philyræ, quæ substernuntur, instar staminis in tela. Alii leg. *stamina.* V. *Fea Miscell. p.* 44. in adnot.

STĀTŪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (statumino) munitio ea in pavimentis, quæ fit lapidibus et cæmentis libralibus et manualibus, sine calce et arena, cui deinde ruderatio superinducitur, quæ calce, arena et rudere efficitur. *Vitruv.* 7. 1. *a med.* Statuminatione facta, rudus inducatur.

STĀTŪMĬNO, as, are, a. 1. (statumen) statuminibus quibusdam sustineo, fulcio, firmo, ἐρείδω, στηρίζω, χαρακόω (It. *sostentare, fortificare, stabilire;* Fr. *soutenir, étayer;* Hisp. *sostener, apoyar, rodrigar;* Germ. *durch e. Unterlage stützen;* Angl. *to prop up, underset*). *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (198). Eodem modo vineam statuminato. *Sillig.* statuito. *Id.* 18. *ibid.* 6. 8. (47). Ora autem earum (*fossarum*) binis utrinque lapidibus statuminari et alio superintegi. Adde *Vitruv. loc. cit.* in STATUMEN.

STĀTŪNĀRĬA. *V.* STATUMARIA.

STĀTUNCŬLA, æ, f. 1. et

STĀTUNCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* statua, parva statua. *Petron. fragm. Tragur.* 50. *Bücheler.* Ex hac massa fabri sustulerunt et fecerunt catilla, paropsides, statuncula. Alii leg. *statunculos;* alii vero *statunculas,* quibus favet *Rufin.* vers. *Orig. hom.* 4. in *Ps.* 36. *n.* 2. Remansit (*uxor Lot*) perfecta statuncula salis. At *Donat. Art. gramm.* 2. *p.* 376. 9. *Keil.* Sunt deminutiva, quæ non servant genera, quæ ex nominibus primæ positionis acceperunt, ut rana ranunculus, statua statunculum. Alii tamen rectius leg. *statunculus* (V. *Anecd. Helv. p.* 239. in adnot. et *Glossar. Nov. Lat. p.* 66.); cui lectioni favet analogia. Unde singulæ formæ habent, quo se tueantur.

STĀTUNCŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

STĂTŬO, stătŭis, stătŭi, stătūtum, stătŭere, a. 3. (*causat. a* sto *vel* sisto) Part. *Statuens* II. 1. *a; Statutus* I. 1. 1.° et 2.° *c;* II. 2. *a, f* et in fin.; *Statuturus* II. 2. *b; Statuendus* I. 1. 1.° — Statuo est stare facio, erigo, constituo: et fere de his dicitur, quæ ubi posueris, erecta stant, ἵστημι (It. *mettere in piedi, piantare, ergere;* Fr. *dresser, ériger, fonder, élever;* Hisp. *erigir, elevar, fundar;* Germ. *errichten, aufrichten, aufstellen, aufführen;* Angl. *to set up, raise, erect*).

I.) Proprie, et occurrit cum addito etiam loci, ubi quid statuitur, Accus. et præp. *ad, in, super, ante, inter,* vel Abl. sine aut cum præp. *in.* ¶ 1. Generatim. — 1.°) Stricto sensu. *Cato* apud *Priscian. p.* 782. *Putsch.* Miror audere, statuas deorum, exempla earum facierum, signa domi pro supellectile statuere. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 137. Disturba, quas statuisti, machinas. *Id. Pers.* 5. 1. 7. Statuite hic lectulos: ponite hic quæ assolent. *Cic.* 2. *Legg.* 26. *extr.* Super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem aut mensam aut labellum. *Id.* 4. *Verr.* 20. 48. Syracusani statuam postea statuerunt. *Id.* 2. *Invent.* 23. 69. Ut ii, qui vicissent, tropæum aliquod in finibus statuerent. *Colum.* 4. *R. R.* 26. Pedamenta jacentia statuenda, declinata sorrigenda. *Liv.* 21. 58. Nec explicare quidquam, nec statuere poterant; nec quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente. *Ovid.* 3. *Fast.* 529. pro rigidis calamos statuere columnis. *Virg.* 1. *Æn.* 728. (*et* 7. *ibid.* 147.) Crateras magnos statuunt et vina coronant. *Id.* 6. *ibid.* 380. Et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent. *et* 9. *ibid.* 627. Et statuam ante aras aurata fronte juvencum. *Id.* 2. *ibid.* 394. Statuere mœnia, *innalzare, fabbricare.* Sic 1. *ibid.* 557. *et* 4. *ibid.* 655. urbem. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. et *Nepos Eumen.* 7. tabernaculum. *Horat.* 2. *Od.* 13. 10. et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (83). arborem. *Id.* 36. *ibid.* 6. 14. (67). obeliscum. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (194). pedamentum inter duas vites. *Val. Flacc.* 1. 188. et *Ovid.* 7. *Met.* 240. aras e cæspite. *Nepos Miltiad.* 7. *a med.* Incensis operibus, quæ statuerat, Athenas rediit. *Varro* 1. *R. R.* 14. Sæpes fit palis statutis crebris, e virgultis implicatis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (66). Miliarium statutum in capite Romani fori. *Id.* 16. *ibid.* 40. 76. (201). Obeliscus in Vaticano Circo statutus. — Hinc translate *Cic. Sext.* 30. 66. Quæ regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur. *Id.* 3. *Herenn.* 3. *ante med.* In omnibus jus æquabile statui convenit. *Justin.* 18. 5. *a med.* Statuere sedes alicubi. *porsi ad abitare, piantar casa.* et 9. 5. 2. Pacis legem universæ Græciæ statuit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 129. Nam propriæ telluris herum natura, neque illum, Nec me, nec quemquam statuit. *h. e.* perpetuum fecit. — 2.°) Latiore sensu est pono, colloco, sisto, *mettere, porre,* τίθημι. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (213). Princeps Romanis solarium horologium statuit ad ædem Quirini L. Papirius Cursor. *Cic.* 1. *Orat.* 57. *ad fin.* Statuere aliquem ante oculos. *Liv.* 1. 13. Ubi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit. *Id.* 21. 42. Captivos montanos vinctos in medio statuit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 9. 14. (68). Egestis laterculis allevatas naves excepisse onus statutum in sex talis. *h. e.* positum, impositum. *Pallad.* 11. *R. R.* 22. Statuere vas in loco frigido sicco, quem nullus fumus infestet. *Val. Flacc.* 3. 653. Jamque ratam Scythicis auster statuisset in oris. *Ter. Adelph.* 3. 2. 18. Sublimem medium arriperem et capite pronum in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam. *h. e.* jacerem, impellerem. *Liv.* 23. 16. Media porta robore legionum, duabus circa portis novos milites levemque armaturam statuit. *postò.* et *Val. Max.* 3. 1. *n.* 2. *in fin.* Ipsum Marium si quis eo loci statuisset etc. ¶ 2. Speciatim est edere, præbere, exhibere, ut *statuere exemplum* apud *Plaut. Rud.* 3. 2. 6. Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium. *date un esempio.* et *Ter. Heaut. prol.* 51. Exemplum statuite in me, ut adulescentuli vobis placere studeant potius quam sibi. ¶ 3. Item aliquando destituere. *Martial.* 4. 28. Nudam te statuet tuus Lupercus. *V.* GLABRARIA. ¶ 4. Et sistere, *h. e.* immotum facere, *arrestare, fermare. Propert.* 4. 9. 4. Et statuit fessos fessus et ipse boves. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 57. Navem extemplo statuimus. quum jam vident nos stare, occeperunt ratem turbare in portu. *Arnob.* 1. *p.* 30. Famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas et a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. *Pap. Stat.* ad *Sept. Seren. v.* 12. carmen Quod tacita statuere bruma. *h. e.* sistere, intermittere. — In illo *Cyprian.* ad *Demetr. ante med.* Si oleam detruncet turbo subvertens, si fontem siccitas statuat etc. *statuere* est arefacere, exsiccare, *asciugare.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est fixum in animo habere, sentire, putare, pro certo habere, censere, judicare, prorsus existimare, *tener per fermo, giudicare, stimare.* — *a*) Absolute aut cum Accusat. *Cic. Mur.* 14. *ad fin.* Quum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video. Adde *ibid.* 14. 32. *Id.* 1. *Off.* 2. 5. Temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Adde 1. *Fin.* 7. 19. *Id. Sest.* 69. 144. Cujus ego patrem deum ac parentem statuo fortunæ ac nominis mei. *Id. Amic.* 11. 38. Statuere rectum. — *b*) Cum Infinito. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Cæsar non exspectandum sibi statuit. *Cic.* 2. *Orat.* 28. 122. Sine ulla dubitatione sic statuo et judico, neminem tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. *Id. Quinct.* 24. 76. Quid, si tu ipse, Sex. Nævi, statuisti, bona P. Quinctii ex edicto possessa non esse? *Id.* 5. *Fam.* 13. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere. et 1. *Att.* 5. Qui in te satis consilii statuerim esse. *Sall. in orat.* 2. *ad Cæs.* 6. Sic apud animum meum statuo, malum facinus in se committere, qui incommodo reipubl. gratiam sibi conciliet. *Nepos Eumen.* 8. Statuit, aliquid sibi consilii esse capiendum. *Catull.* 68. 37. nolim statuas, nos mente maligna Id facere. *h. e.* credas, persuasum habeas. — *c*) Cum particula relativa vel interrogativa. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 82. Neque possum statuere, utrum magis mirer. *Liv.* 6. 39. sub

fin. Proinde ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent; deinde comitiis tribuniciis declararent voluntatem. *Id.* 34. 2. Vix statuere apud animum meum possum, utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. ¶ 2. Speciatim est decerno, sancio, jubeo, constituo, delibero, *risolvere, determinare, stabilire, decretare.* — *a)* Absolute, aut cum accusat. vel passive. *Sil. It.* 1. 516. exigit ensem, Qua capuli statuere moræ. *h. e.* jusserunt. *Val. Flacc.* 2. 566. Statuere alicui munera. *h. e.* dare, decernere. *Tac.* 16. *Ann.* 4. Pro magnitudine delicti pœnam statui par esse. *Id.* 6. *ibid.* 18. In Pompejam Sabinam exsilium statuitur. *Gell.* 2. 24. Putaverunt Fannia lege perpetuos centenos æris statutos. *Justin.* 6. 1. 3. In colloquium vocatur et statutis condicionibus ab armis dimittitur. *Id.* 1. 10. 4. Quum ad statutam horam omnes convenissent. *Id.* 16. 4. 9. Statuto tempore, quo urbem Mithridati traderet. *Cic. Harusp. resp.* 15. 32. Sacrificia in sacello, statuto loco, factitare. *Liv.* 31. 29. Concilium Ætolorum statuta die futurum erat. *Sueton. Claud.* 42. *extr.* Institutumque, ut quotannis diebus statutis historiæ recitarentur. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 119. *de Augusto.* Qui quum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse: Cuique fere pœnam sumere, pœna sua est. — *Statuere res privatas* apud *Ovid.* 2. *Trist.* 95. est judicare, disceptare: ferendis sententiis privatas lites judicis munere cognoscere et componere. — *b)* Cum Ablat. et præp. *de. Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ut consules de Cæsaris actis cognoscerent, statuerent, judicarent. *Id.* 4. *Att.* 2. *ante med.* Pontifices de religione statuisse, in senatu de lege staturos. — *Statuere de aliquo,* sæpe refertur ad judicem aut magistratum pœnam decernentem, *decretare la condanna. Sall. Cat.* 56. Quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ decernere. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. *extr.* Petit, ut vel ipse de eo, causa cognita, statuat, vel civitatem statuere jubeat. *Tac.* 2. *Ann.* 85. Satis visum de Vistilia statuere: eaque in insulam Seriphon abdita est. *Justin.* 2. 15. 10. Crudeliter statuere de aliquo. — *Statuere de se,* in se pœnas sumere, sibi ipsi vim et mortem inferre, non exspectata judicum aut principis damnatione. *Tac.* 6. *Ann.* 29. Damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta. — *c)* Cum Accus. et præp. *in, contra. Cæs.* 1. *B. G.* 20. Obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem statueret. *Cic. Orat.* 10. 34. Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosque dimittas. — *d)* Cum Infinito. *Cæs.* 3. *B. C.* 86. Pompejus suorum omnium hortatu statuerat prœlio decertare. *Nepos Hamilc.* 1. Carthaginienses statuerunt belli finem facere. *Cic.* 5. *Verr.* 41. 95. Sic habuisti statutum cum animo et deliberatum, omnes judices rejicere. *Id.* 1. *Off.* 2. 4. Statuissem scribere. — *e)* Cum Conjunctivo et part. *ut, ne. Cæs.* 7. *B. G.* 21. Statuunt, ut decem milia hominum in oppidum submittantur. *Ovid.* 4. *Met.* 84. statuunt, ut custodes fallere tentent. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 97. Statuitur, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. — *f)* Cum particula relativa vel interrogativa. *Cic.* 4. *Fam.* 2. *sub fin.* Si habes jam statutum, quid tibi agendum putes. *Tac.* 13. *Ann.* 28. Statutumque, quantum ædiles curules pœnæ irrogarent. *Nepos Eumen.* 11. Nondum enim statuerat, servaret eum necne. ¶ 3. Item præfinire, præscribere, constituere, assignare, *prescrivere, assegnare, statuire. Cic.* 6. *Fam.* 22. Quum consilii tui eum tibi finem statueris, quem etc. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 21. Haud opinor commode finem statuisse orationi militem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 111. Natura statuit modum cupidinibus. *Sall. Cat.* 37. Senatus ceteræ multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere. *Tac.* 3. *Ann.* 13. Statuitur biduum criminibus objiciendis. *Liv.* 28. 35. Tempus locumque colloquio statuere. *Id.* 21. 44. Neque eos, quos statuit, terminos observat. *Ter. Hecyr. prol.* 2. 41. Numquam avare pretium statui arti meæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 6. (56). In singulas amphoras centenos nummos statuere. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *a med.* Nimium magnam mercedem statuis. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 25. Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas etc. Quam tibi nostrorum statuatur summa malorum. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Quantum, tuo judicio, tribuendum esse nobis putes, statues ipse. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Statutus, a, um, adjective quoque occurrit, ut *Statutus homo,* celsus, erectus, procerus, *di alta statura. Plaut. Rud.* 2. 2. 11. Recalvum ac silonem senem, statutum, ventriosum etc.

Statutum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est præceptum, constitutio, jussio, edictum, *ordine, statuto. Edict. Diocl.* in *prol.* p. 5. ed. *Mai.* Si quis contra formam statuti hujus connisus fuerit audenter, capitali periculo subjiciatur. *Cod. Theod.* 19. 9. 6. Novelli statuti privilegium. Adde 8. 8. 2. *Dig.* 47. 12. 3. Generalia sunt rescripta et oportet imperialia statuta suam vim obtinere. *Cod. Theod.* 15. 14. 1. Veteris juris et statutorum nostrorum sanctio. ¶ 2. Item decretum, sententia judicis. *Id.* 1. 15. 2. Qui de statutis præsidalibus conqueruntur.

H o m o n y m. *Statutus* et *status* quid differant, *V.* sub SISTO.

STĂTŪRA, æ, f. 1. (sto) status seu modus seu quantitas corporis stantis, μέγεθος (It. *statura;* Fr. *stature, taille;* Hisp. *estatura;* Germ. *die Statur;* Angl. *stature*).

I.) Proprie. — *a)* De hominibus. *Lucil.* apud *Non.* p. 226. 25. *Merc.* pro facie, pro statura. *Acc. fragm.* 88. *Ribbeck.* Staturæ gracilitudo. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. Hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant. *Id.* 2. *ibid.* 30. Homo tantulæ staturæ. *Cic.* 2. *Phil.* 16. *ad fin.* Velim, mihi dicas, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura. *Id.* 4. *Herenn.* 47. 60. Forma et specie et statura esse apposita ad dignitatem. *Colum.* 3. *R. R.* 8. Natura Germaniam decoravit altissimorum hominum exercitibus: sed et alias gentes non in totum fraudavit præcipuæ staturæ viris. *Cic.* 4. *Herenn.* 33. *sub fin.* Statura parva. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (65). Quadratæ ceterum staturæ, *V.* QUADRATUS. *Plaut. Asin.* 2. 3. 21. Statura commoda, *proporzionata, conveniente. Id. Pœn.* 5. 2. 152. haud magna. *Sueton. Tib.* 68. Corpore fuit amplo, statura, quæ justam excederet. *più che ordinaria.* et *Nepos Ages.* 8. Statura humilis. *bassa.* et *Vulgat. interpr. Num.* 13. 33. procera. *Id. Dan.* 2. 31. sublimis. *Id. Luc.* 19. 3. Statura pusillus erat. — In illo *Matth.* 6. 27. Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum, *statura* est Græce ἡλικία, quæ proprie ac primum dicitur de ætate, *età, durata, stame di vita.* — *b)* De belluis. *Colum.* 6. *R. R.* 24. *ad fin.* Celtinæ vaccæ sunt humilis staturæ. Adde *Vulgat. interpr. Ezech.* 17. 6. et 19. 11.

II.) Translate refertur ad plantas. *Colum.* 5. *R. R.* 5. *de arbor.* Producat in tantam staturam, quantam permittit agricola. *h. e.* crassitudinem et altitudinem. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STĂTŪRŌSUS, a, um, adject. (statura) magna statura præditus. *Augustin.* 15. *Civ. D.* 23. *in fin.* Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt, staturosi, scientes prœlium. Adde *eumd. Enarr.* 2. in *Ps.* 30. *n.* 15. *Mai.*

STĂTUS, a, um, particip. *V.* SISTO.

STĂTUS, us, m. 4. (sto) actus standi, στάσις, duo diversa significat, prout motui opponitur, aut sessioni vel accubationi.

A) Status, cui *motus* opponitur, immobilitas, quies, stabilem, immotum esse, *lo star fermo. Lucret.* 3. 293. Est etiam quoque pacati status aeris ille. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 53. an te ibi vis inter istas versarier – servulicolas sordidas, Quæ tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum? *Cic.* 3. *Fin.* 17. 56. Habitus oris et vultus, status, motus. *Id.* 1. *Off.* 35. *a med.* Status, incessus, sessio, accubatio teneant illud decorum. *Id.* 1. *Off.* 35. 126. Decorum in corporis motu et statu cernitur. — *Status fulmen* dicitur a *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 39., ubi quietis, nec agentibus quidquam, nec cogitantibus quidem fulmen intervenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet.

B) Status, cui opponitur *sessio* aut *accubatio,* erectum esse, *lo stare in piedi, ritto.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Stricto sensu. *Cic. Orat.* 18. *a med.* Status erectus et celsus. *Gell.* 2. 1. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu, perdius atque pernox, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis. — *b)* Latiore sensu est statura, magnitudo corporis, *statura. Colum.* 1. *R. R.* 9. Longissimum quemque, aratorem faciemus: mediastinus qualiscumque status potest esse. *Id.* 8. *ibid.* 2. *a med.* In gallinaceis maribus status altior quæritur. *Id.* 7. *ibid.* 9. Scrofæ probantur longissimi status. et *ibid.* 12. *a med.* Pecuarii canis status longior productiorque ad hos casus magis habilis est. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. *a med.* Plantæ cydoniorum majoris status. — *c)* Latissimo sensu est habitus quicumque et positio corporis, *positura, atteggiamento, figura. Nepos Chabr.* 1. *ad fin.* Illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluit. Ex quo factum est, ut postea athletæ his statibus in statuis ponendis uterentur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 110. Quoniam formam cepi hujus in me et statum, decet et facta et mores hujus habere me similes. *Ter. Eun.* 3. 5. 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem, qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum. Ubi *Donatus:* Statura corpori adscribitur, status ad habitum refertur. Ergo status est σχῆμα, statura longitudo corporis. — In plur. num. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 51. Concrepuit digitis, laborat, crebro commutat status. *h. e.* corporis positiones. ¶ 2. Speciatim in re militari et gladiatoria, situs seu positio, quam quis capit, aut in qua sistitur pugnam commissurus. *Petron. Sat.* 95. *ad fin.* Alius, furca de carnario rapta, statum prœliantis componit. *si pone in atto di combattere.* Sic *Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 13. Manlius scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. et *Liv.* 30. 18. Turbare ac statu movere hostem. *h. e.* gradu movere. *Horat.* 3. *Od.* 4. 54. quid minaci Porphyrion statu Contra sonantem Palladis ægida Posset? Hinc *Plaut. Mil. glor.* 4. 9. 12. In statu stat senex, ut adoriatur mœchum. *h. e.* se composuit ad adoriendum, instar gladiatoris pugnaturi. — Hinc et translate in re forensi. *Cic. Orat.* 37. 129. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus; sed magno semper usi impetu, sæpe adversarios de statu omni dejecimus. — Huc pertinent etiam illa *ejusd. Cæcin.* 15. 42. Quæ (*vis*), periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe et certo de statu demovet. et *Cluent.* 38. 106. Non dubito, quin hi tales viri suspicione aliqua perculsi repente de statu suo declinarint. ¶ 3. Item in re grammatica *status* dicitur modus verborum. *Quintil.* 9. 2. 11. ¶ 4. Item in re rhetorica, *status* dicitur quæstio, quæ ex prima causarum conflictione nascitur: v. gr. *Occidisti hominem: non occidi.* Ex hac conflictione nascitur status, *occiderisne hominem,* quia in eo tota causa stat et consistit, στάσις. V. *Quintil.* 3. 6. 1., *Cic. Top.* 25. 93., *Partit.* 29. 102., item 1. *Invent.* 8. 10., ubi *constitutionem* appellat, ut etiam 1. *Herenn.* 11. *V.* CONSTITUTIO. — Hinc status *collectivus* apud *Quintil.* 3. 6. 46. et *conjecturalis, ibid.* 5., 29., 31. etc. et *exhortativus, ibid.* 47. et *finitivus, ibid.* 5., 31. et *incidens* apud *Capell.* 5. p. 148. et *infitialis* apud *Quintil.* 3. 6. 15. et *jurisdicialis, ibid.* 32., 45. 47., 62. et *legalis, ibid.* 45., 66., 89. et *legitimus, ibid.* 103. et *rationalis, ibid.* 66. ex *Cic.* Adde *Cassiod. de Rhet.* Cf. et *syllogisticus* apud *Quintil.* 5. 10. 6. etc. Sed *V.* singula suis loc. in *Rhett.* ed. *Halm.* ¶ 5. Item in re agraria *status controversiarum* apud *Gromat. vet.* p. 25. 9. *et seqq. Lachm.-Rud.;* unde status *assumptivus, effectivus, expositivus, initialis, injectivus, materialis, reciperativus, subjectivus,* qui *ibid.* exponuntur singuli. — Apud *eosd. de mensur.* p. 373. 12. *sta-*

tus dicitur mensuræ altitudo, quasi statura. *V.* loc. ¶ 6. Item in re astronomica, *status* dicitur de stellis, quia, ut ait *Cassiod. De Astron.*, dum stella semper movetur, attamen in aliquibus locis stare videtur. ¶ 7. Item in re medica videtur esse vis, impressio, vel stabilitas affectionis seu morbi. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 69. Quum statum sumpserit accessio. Sic *ibid.* 37. 196. In statu accessionis. *Id.* 1. *ibid.* 1. 6. passionis. *Id. ibid.* 15. 125. febrium. *Id. ibid.* 11. 83. Si porrecta in dies numerosior erit ægritudo, et statum infirmitas acceperit.

II.) Translate ponitur frequentissime pro modo, quo quæque res stat, condicione, qualitate fortunæ, loco, ordine, *stato, condizione.* — *a)* Universim. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Eo tum statu res erat, ut longe principes haberentur Ædui. *Id.* 7. *ibid.* 55. Cognoscere de statu civitatis. *Id. ibid.* 6. Quum jam ille urbanas res virtute Cn. Pompei commodiorem in statum pervenisse intelligeret. *Id. ibid.* 54. In pristinum statum redire. *Cic.* 4. *Att.* 2. Tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset, et quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, ut in secundis fluxæ, ut in adversis, bonæ. *Id. Harusp. resp.* 28. 61. Hunc statum, qui nunc est, qualiscumque est, nulla alia re, nisi concordia, retinere possumus. *Seneca Agam.* 308. Secede mecum, ut rerum statum dubium ac minacem juncta consilia explicent. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 5. Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen. *Liv.* 24. 28. Nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore. *Sex. Aur. Epit.* 13. Perdito atque profligato statu R., in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus (*Trajanus*). et *Cic. Sull.* 11. *ad fin.* Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ *etc.* quinque hominum perditorum pœna redemi. *et ibid.* 22. Status reipublicæ maxime judicatis rebus continetur. *la sussistenza.* et 6. *Fam.* 1. Suum statum tenere. *Id.* 4. *ibid.* 1. Aliquid de pristino statu retinere. *Id. Balb.* 7. 18. Quo quisque loco natus est, hunc vitæ statum usque ad senectutem obtinere debet. *Id.* 2. *Verr.* 4. *ad fin.* Restituere aliquid in pristinum statum. *Id. Pis.* 28.(?) Ut meliore simus loco, ne optandum quidem est: deteriore statu ut simus, unus est inferior gradus aut interitus aut servitutis. *Liv.* 24. 5. et 32. 11. Quum in hoc statu res esset. *Id.* 3. 68. Privatæ res vestræ in quo statu sunt? *Alii omitt.* in. *Id.* 22. 22. Hoc statu rerum in Hispania, P. Scipio in provinciam venit. *et ibid.* Eum in secretum abductum monet, quo statu sit res. *Cic. Parad.* 2. *a med.* Consecutus sum, ut eo statu essem, quem etc. *Brut.* ad *Brut. et Cass.* 11. *Fam.* 1. Quo in statu simus, cognoscite. *Cic.* 1. *Nat. D.* 12. Nihil semper suo statu manet. *Id. Tim.* 13. Constanter in suo statu manere. *et* 2. *Off.* 1. *a med.* Utinam respublica stetisset, quo cœperat, statu! *et* 1. *ibid.* 20. *circa med.* Acerba ita ferre, ut nihil a statu naturæ discedas. *Id.* 8. *Att.* 15. Convellere aliquem de pristino statu. *Id.* 4. *Verr.* 4. 10. Fecerunt, ut me prope de vitæ meæ statu, dolore ac lacrimis deducerent. *et* 1. *Att.* 20. *ante med.* Neque de statu nobis nostræ dignitatis est recedendum. *Id.* 3. *ibid.* 10. Ex amplo statu concidere. *Id. Pis.* 2. 4. Convellere statum reipublicæ. *Id.* 4. *Herenn.* 16. 23. Collocare aliquem in amplissimo statu. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *sub fin.* Si vicerimus, tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum. *Nepos Dion.* 4. Statum vitæ commutare. *h. e.* morem vivendi et disciplinam. *Vellej.* 2. 35. 4. Commutatio status publici. *Id. ibid.* 2. 3. Legibus agrariis omnium statum concutientibus. Sic *Liv.* 34. 65. Turbare statum civitatis. *Curt.* 10. 10. 9. Formare statum publicum. *h. e.* reipublicæ constitutionem. — In plur. num. *Tac.* 3. *Ann.* 28. *ad fin.* Multorum excisi status: et terror omnibus intentabatur. *Quintil.* 2. 16. 4. Civitatium status evertere. *Cic.* 9. *Fam.* 6. Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitæ status paraverunt. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. Quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur, agnationibus familiarum distinguuntur status. *h. e.* condicio civilis, qua quis est aut plebejus aut patricius. *Nov. Val.* III. 2. 35. 1. § 5. Facultatibus suis et status privilegiis exuantur (*judices*). h. e. ordinis et gradus (dignitatis). V. *Dirksen, op. cit. p.* 908. — *b) Status mentis*, sanitas, constitutio, ratio. *Cic. Parad.* 1. *extr.* Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet. *Seneca Troad.* 1047. Qui status mentis miseris, ubi omnis terra decrescet pelagusque crescet. *Seneca* alter *Ep.* 81. *a med.* Res magna et ex beatissimo animi statu profecta. *Tertull. advers. Valentin.* 29. Secundum choicum statum ex Cain, et animalem ex Abel, spiritualem ex Seth. *V.* CHOICUS. — *c) Status hominum* apud JCtos duplex est; vel enim liberi sunt vel servi, ut ait *Cajus Dig.* 1. *tit.* 5. (*qui* De statu hominum *inscribitur*) *l.* 3. — *d) Status ætatis* apud eosd. est ætas XXV. annorum. *Papinian. ibid.* 31. 1. 79. *ante med.* Quamquam testamento cautum esset, ut quum ad statum suum frater pervenisset, ei demum solveretur. Adde *Imp. Alexandr. Cod.* 6. 53. 5. — *e) Status causæ*, aut absolute *status*, apud Rhetoras est modus rei vel ratio quæstionis, controversiæ, inquisitionis, στάσις. *Quintil.* 12. 9. 20. — *Id.* 3. 6. 2. Quod nos statum, Theodorus (*vocat*) caput, id est κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referantur omnia. — *f) Status mundi, cæli, aeris*, ratio, qualitas. *Cic.* 3. *Orat.* 45. *a med.* Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus, hunc statum esse hujus totius mundi atque naturæ, rotundum ut cælum terraque ut media sit, sol ut circum feratur etc. *Id.* 2. *Divinat.* 44. 92. Eadem omnibus, qui eodem statu cæli et stellarum nati sunt, accidere necesse est. *Liv.* 37. 12. *extr.* Non exspectato solis ortu, ex quo statum cæli notare gubernatores possent. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *sub fin.* Prid. Id. Januar. incertus status cæli. *Id.* 2. *ibid.* 10. *ad fin.* Pluvius cæli status. *Seneca Œdip.* 1054. mitior cæli status.

Homonym. Discrimen inter *statum* et *staturam* V. sub *B* II. 1. *b.*

STĀTŪTIO, ōnis, f. 3. (statuo) actus statuendi, erigendi, erectum collocandi, *piantamento, erezione*, στάσις. *Vitruv.* 10. 5. *a med.* Una statutio ligni hanc habet utilitatem, quod etc.

STĀTŪTUM, i, n. 2. *et*

STĀTŪTUS, a, um, particip. *V.* STATUO.

STAURŎPHŎRUS *vel* staurofŏrus, i, m. 2. crucifer seu crucem ferens: a σταυρός, crux, et φέρω, porto. *Inscript.* apud *De-Rossi, Inscr. Christ. T.* 1. *n.* 544. *et Papyr. Ravenn.* in *Gloss. nov. Latin. p.* 66.

STE pro Iste, aphæresis Comicis usitata: sic *sta, stud, sto, storum, stinc* etc. pro *ista, istud, isto, istorum, istinc* etc. V. *Lachmann.* ad *Lucret.* 3. 954. adnot. *p.* 197.

STĔĀTĪTIS, idis, f. 3. στεατῖτις, gemma similis sevi, quod Græce στέαρ dicitur, *lardite. Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 71. (186).

STĔĀTŌMA, ătis, n. 3. στεάτωμα, tumor in corpore apparens, cui subest pingue quiddam sevi simile: a στέαρ, sevum. Ejus naturam et curationem *Cels.* 7. 6. tradit. *Id. ibid.* Steatomatis tunica secanda est, quia etc. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 14. 87. (82). Cyclamini radix contra steatomata efficax. Adde *Veget.* 2. *Veterin.* 30.

STĔGA, æ, f. 1. στέγη, locus in navi contectus, tabulatum navis, in quo nautæ ambulant, *cássero:* a στέγω, tego. *Petron. Sat.* 100. eam appellat constratum puppis. Qua ratione et *Cic.* 7. *Verr.* 34. 89. *et* 40. 104. navem constratam dicit, quæ *Cæsari* 1. *B. C.* 56. tecta. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 44. Forte assedi in stega. *Id. Stich.* 3. 1. 12. Sine advocatis ibidem in cercuro, in stega, In amicitiam atque in gratiam convortimus.

STEGNUS, a, um, adject. στεγνός, adstrictus, ut *Stegnæ febres* dicuntur, quæ cutem adstringunt ejusque spiracula præcludunt impediuntque humorum transpirationem. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 23. (120). Fici maturæ calorem refrigerant: ob id non negandæ in febribus constrictis, quas stegnas vocant.

STĒLA, æ, *et Græca positione*

STĒLE, es, f. 1. (στήλη) Alia scriptura *stella*, στήλλη, reperitur in optim. Codd. et Græc. Inscriptt. sexcentis, ut ait *Bücheler* ad *Petron. loc. cit.* — Stela est pila, columna, cippus notis inscriptus. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (150). Insula, in qua scriptæ sunt stelæ lapideæ litteris ignotis. Adde *ibid.* 29. 34. (174). *Id.* 37. *ibid.* 5. 19. (75). Esse in Tyro Herculis templo stantem pilam (*corrig.* ex *Theophr. De lapid.* § 45 stelen amplam) e smaragdo. *Capell.* 2. p. 35. Notas eminentibus saxis jussit adscribi atque intra specum per Ægyptiorum adyta collocari. eademque saxa stelas appellans, deorum stemmata præcepit continere. Adde *Lactant.* 1. 11. *Jul. Valer.* 3. *Gest. Alex. M.* 31. Pervenit usque ad Herculis stelas non minus itinere dierum ferme nonaginta quinque, fama de Hercule sic loquente, quod hasce metas peregrinationis suæ fixerit deus ille, qui et duas stelas id est titulos sui quosdam ibidem dereliquit, quorum unus ex auro, alter vero argenteus habeatur. *colonne d'Ercole.* — In illo *Petron. Sat.* 62. *Bücheler.* Venimus intra monimenta. Homo meus cœpit ad stellas facere, sed ego eo cantabundus et stellas numero. *stella* est cippus sepulcralis. — De stele V. *Giornal. Arcad. a.* 1819. *p.* 169. et 173., præsertim vero *Annal. dell' Istit. archeol. T.* 9. *p.* 119. *et seqq.*, *Letronne Réch. pour servir à l' Hist. de l' Æpypt. p.* 334., 336., 379. et *Le Bas Inscr. d' Egina p.* 49.

STĒLĔPHŪROS, i, f. 2. στελεφοῦρος, herba e genere spicatarum, alopecuro similis, tota spica florens (*Saccharum Ravennæ* Linn.), apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 61. (101).

STĒLĬO et derivata. *V.* STELLIO.

STĒLIS, idis, f. 3. (στελίς) Accus. sing. *stelin.* — Stelis est genus visci ex arbore larice et abiete desudans. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 93. (245).

STELLA, æ, f. duo diversa significat.

A) Stella est corpus cæleste, lucidum, fere radiatum, astrum, sidus, et ducitur ab ἀστήρ, deminutiva forma *asterula*, mox *astella*, deinde per aphæresin *stella* (cf. *puella* a *puerula*): fuit autem qui putaret, *stellam* dici quasi *luminis stillam.* quod ridet atque improbat *Quintil.* 1. 6. *a med.*; nec audiendus *Isid.* 3. *Orig.* 71. 3., qui derivat a *stando*, quia stellæ sunt aptæ fixæque in cælo, nec cadunt. cui favet *loc. Capell.* 8. *p.* 275. Quidam Romanorum stellas a stando, sidera a considendo dicta fuisse commemorat. Græce igitur est ἀστήρ (It. *stella, astro;* Fr. *étoile;* Hisp. *estrella;* Germ. *der Stern;* Angl. *a star*). Differunt tamen stellæ a sideribus, quod illæ singulæ sunt, et dicuntur etiam de planetis: hæc ex pluribus stellis componuntur, ut in SIDUS dictum est.

I.) Proprie. ¶ 1. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 81. *Müll.* Templa cælitum commixta stellis splendidis. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 71. Quemadmodum stellæ in radiis solis (*cernuntur*). *Id.* 6. *rep.* 17. 17. Orbis cælestis extimus: infixi sunt illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni. *et ibid.* 15. 15. Illi sempiterni ignes, quæ sidera et stellas vocatis. *Id.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Sunt stellæ natura flammeæ. quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole excitantur: quibus altæ renovatæque stellæ refundunt etc. et 1. *ibid.* 13. *ad fin.* Ponticus Heraclides errantibus stellis divinitatem tribuit. *Apul. Herb.* 91. *p.* 219. Ut scias, in cujus stellæ tutela sis. *Virg.* 2. *Æn.* 694. Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. *Id.* 1. *G.* 365. Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cælo labi. *Ovid.* 2. *Met.* 320. longoque per aera tractu Fertur, ut interdum de cælo stella sereno, Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri. *Seneca Troad.* 356. Et stella longa semitam flamma trahens. *Capell.* 2. *p.* 45. *de trajectione stellarum.* Quidam candores lactei fluminis tractu stellis effiammantibus defluebant. *Lucret.* 2. 209. Non cadere in terram stellas et sidera cernis? *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. Stultissimum est existimare aut stellas decidere aut transilire aut aliquid illis auferri et abradi. nam si hoc fuisset, jam defuissent. *Virg.*

9. Æn. 21. Palantes polo stellæ. et 4. ibid. 482. (et Enn. apud Macrob. 6. Saturn. 1.). ardentes. et 11. ibid. 202. et Enn. ibid. fulgentes. Ovid. 7. Met. 100. micantes. Horat. 3. Od. 15. 6. candidæ. Id. 1. ibid. 12. 28. alba. Id. 1. Sat. 7. 24. salubres. Cic. 6. rep. 15. 15. globosæ et rotundæ. Lucan. 9. 12. vagæ et astra fixa polis. Capell. 8. p. 290. fixa. Plin. 2. Hist. nat. 25. 23. (91). et Isid. 3. Orig. 63. immobiles. Mar. Victorin. p. 60. 6. Keil. Quinque stellæ, quas erraticas vocant, sed et sol et luna, jucundissimos edunt sonos per orbes suos nitentes. et Plin. 2. Hist. nat. 25. 23. (91). Stellæ errantes. Ovid. 15. Met. 749. Stella comans, cometa. Sic Cic. 2. Nat. D. 5. 14. crinita. Seneca Med. 310. stellis pingitur æther. Id. Agam. 465. Nox prima cælum sparserat stellis. Ovid. 11. Met. 97. cogit Lucifer agmen Stellarum. Id. 7. ibid. 100. depulit stellas aurora. Virg. 3. Æn. 521. Jamque rubescebat stellis aurora fugatis. Auct. Symp. Ænigm. de Nebula v. 3. Wernsd. Nec mihi dant stellæ lucem nec Cynthia lumen. Vulgat. interpr. Gen. 15. 5. Numera stellas, si potes. Id. Jud. 5. 20. Stellarum ordo. et Sap. 7. 19. dispositio. et 13. 2. gyrus. et 10. 17. lux. et Is. 13. 10. splendor. Id. 1. Cor. 15. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate. — Stellis inserere pro cælo consecrare dixit Horat. 3. Od. 25. 6. quibus Antris egregii Cæsaris audiar Æternum meditans decus Stellis inserere et concilio (Fea consilio. V. adn.) Jovis? — Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas. Tibull. 1. 4. 6. h. e. æternum, semper, in perpetuum. — Terra feret stellas, proverb. de re, quæ numquam fiet. Ovid. 1. Trist. 8. 3. ¶ 2. Speciatim de sidere, ut enim sidera pro stellis ponuntur, sic e contrario. Plaut. Rud. 6. prol. de Arcturo. splendens stella candida. Virg. 1. G. 336. (et Plin. 18. Hist. nat. 25. 57. (209). Frigida Saturni stella. Sic ibid. 222. Gnossiaque ardentis decedat stella Coronæ. (Adde Cic. 3. Orat. 45. 178.) Horat. 3. Od. 29. 19. stella vesani Leonis, Sole dies referente siccos. Ovid. 2. Amor. 16. 4. canis Icarii. Id. 3. Fast. 793. miluus. Id. 5. ibid. 112. stella in cunas officiosa Jovis. — Septem stellæ, septentrio. Acc. trag. 566. et Seneca Troad. 443. ¶ 3. Et de sole. Id. 6. ibid. 718. cinget geminos stella serena polos. ¶ 4. Stella diurna. V. DIURNUS. ¶ 5. Stellam significare ait Atejus Capito lætum et prosperum, auctoritatem secutus P. Servilii auguris, quæ ex lamella ærea, adsimilis stellæ, locis inauguratis infigatur. Hæc Festus p. 351. 16. Müll. Alii leg. quia et lamella etc. — De stellis multa Seneca l. 1. et 3. Quæst. nat., Plin. 4. Hist. nat. c. 8. etc., Macrob. 1. Somn. Scip. 14., 15., 16. etc. et Isid. 3. Orig. 60. et seqq.

II.) Improprie, a similitudine, dicitur de iis, quæ stellæ radiatæ figuram referunt. ¶ 1. Universim. Colum. 4. R. R. 17. circa med. Vitis in stellam dividatur. et infra. Nihil refert jugum in stellam decussari atque diduci, nisi et palmites adjugentur. et ibid. 27. Brachia sub stella quadripartito locabimus. Id. 3. ibid. 13. ad fin. stellam vocat duas regulas in speciem Græcæ litteræ X decussatas. Plin. 18. Hist. nat. 10. 23. (97). Pisere spicam farris tosti pilo præferrato, fistula serrata et stella intus denticulata. et ibid. 31. 74. (317). Inventa Græcanica (torcula) mali rugis per cochleas bullantibus, palis affixa arbori stella etc. V. 31. ibid. 2. 8. (12)., ubi tamen Sillig. aliter leg. ¶ 2. De cicindelis. Id. 18. ibid. 27. 67. (251). Tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas easque vespere ostendo etc. ¶ 3. De punctis lucidis in gemmis. Id. 37. ibid. 7. 25. (96). In carbunculis stellam intus ardere. Id. ibid. 9. 51. (134). Ceraunia habet intus stellam coruscantem. et ibid. 10. 67. (182). Syrtides intus stellas continent languidas. Sic Sueton. Ner. 25. Vestis purpurea distinctaque aureis stellis. ¶ 4. De oculis. Claudian. Edyll. 1. 36. Jam breve decrescit lumen languetque senili Segnis stella gelu. ¶ 5. Lucret. fulgura stellas fulgentes vocat 6. 356. ¶ 6. Stella junior in re agraria dicitur signum stellæ simile affixum palis terminalibus. Cajus p. 307. et 346. Lachm.-Rud. ¶ 7. Est etiam piscis quidam marinus ita appellatus, stellæ figuram referens, cui parva admodum caro intus, extra durius callum. Huic tam igneum fervorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. Plin. 9. Hist. nat. 60. 86. (183). et 32. ibid. 11. 53. (151). et Veget. 6. Veterin. 12.

III.) Translate. Vulgat. interpr. Apoc. 20. 16. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Cf. ibid. 1. 20. Septem stellæ angeli sunt septem ecclesiarum. — NB. De cognom. R. V. ONOM.

Homonym. Discrimen inter stellam et sidus V. init. et SIDUS. — Hoc item differre inter stellas, sidera et astra docet Isid. 3. Orig. 60., quod « stella est quælibet singularis, sidera vero sunt stellis plurimis facta, ut Hyades, Plejades; astra autem sunt stellæ grandes, ut Orion, Bootes ». Sed hæc nomina, ut ipse ait, scriptores confundunt et astra pro stellis et stellas pro sideribus ponunt. Alia discrimina V. apud eumd. 1. Differ. 495. et App. n. 217. et cf. Döderlein, op. cit. v. 4. p. 409.

B) Stella est etiam pila, columna, cippus: de quo dictum est in STELA. V. hanc voc.

STELLANS, antis, particip. V. STELLO.

STELLĀRIS, e, adject. (stella) ad stellam pertinens, di stella. Macrob. 1. Somn. Scip. 14. a med. Heraclitus dixit, animam esse scintillam stellaris essentiæ. — Hinc

Stellaris, is, f. 3. absolute, subaud. ars vel scientia, apud Tertull. Pall. 6. Qui stellarem conjectat. scil. astrologus.

STELLĀTIM, adverb. (stella) in modum stellæ. Veget. 5. Veterin. 6. 3. Si tardabitur sanitas, testes subter stellatim cauteriis urito vel scarificato. At Schneid. leg. stilatis. Huc tamen videtur pertinere illud ejusd. 5. ibid. 3. quasi stellam parvam cauterio facies. unde et stellatim hujus loc. Cf. CRATICULATIM.

STELLĀTŪRA, æ, f. 1. lucellum et compendium tribunorum militarium aliorumque ducum, ex subtractione partis annonæ, quæ militi ab imperatore assignata erat. Spartian. Pescenn. 3. Tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui jussit. Lamprid. Alex. Sev. 15. a med. Annonam militum diligenter inspexit: tribunos, qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. Salmas. ad loc. Spartiani cit. docet, stellaturam dictam esse pro stellionaturam: hanc autem esse calliditatem, versutiam, fraudem: quia stellio dicatur homo versutus, fraudulentus, improbus (unde in Gloss. Philox. stellionator, ἐπιθέτης, impostor est): hujusmodi habitos, qui annonam militibus subtrahebant. Casaubon. ibid. rectius putat dici a στέλλειν, mittere: quia tribuni ex commeatu militibus dato id lucelli sibi faciendum fraudulenter curabant. Ex Cod. Justin. 12. 38. 12. et Cod. Theod. 7. 4. 28. colligi videtur, posterioribus temporibus permissum fuisse tribunis hujusmodi emolumenta percipere, quia nimirum collapsa jam militari disciplina imperatores coacti quasi fuerint stellaturam eisdem tribunis concedere. Alii tamen leg. stillatura, quæ lectio ex etymo vocis videtur ejusdem notioni magis consentanea et probabilior. Sed stellatura cum recentioribus leg. Dirksen.

STELLĀTUS, a, um, particip. V. STELLO.

STELLĬFER vel stelliferus, fĕra, fĕrum, adject. (stella et fero) stellas ferens, stelliger, stellatus, stellans, stellato, stellante, ἀστροφόρος. Cic. 6. rep. 18. 18. Summus ille cæli stelliferi cursus. Seneca Hippol. 785. te stellifero despiciens polo. — Coripp. 1. Joan. 232. Et jam stelliferus maris asperat Hesperus undas.

STELLĬFĔRUS. V. voc. præced.

STELLĬFĬCUS, a, um, adject. (stella et facio) ex stellis factus. Victor. Pict. de Chr. etc. 113. Stellificus temo. Cave imiteris.

STELLĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (stella et gero) stellifer. Varro apud Non. p. 299. 32. Viæ stelligeræ ætheris. Cic. Arat. 238. Orbes stelligeri portantes signa. Seneca Herc. Œt. 1907. Atlas stelligeri vector Olympi. et ibid. 1343. ubi illa, quæ mundum tulit, stelligera cervix? Stat. 12. Theb. 565. Stelligeri jubar omne poli. Sil. It. 2. 289. Stelligerum cælum. Id. 13. 863. Ille deum gens Stelligĕrum attollens apicem, Trojanus Iulo Cæsar avo. h. e. C. Julius, in cujus nece cometes apparuit, creditus anima ejus in deos relati, uti narrant Augustus apud Plin. 2. Hist. nat. 25. 23. et Sueton. Cæs. 88., qua de causa simulacro capitis ejus stella adjecta est. Capell. 3. p. 307. Stelligeri raptus meta.

STELLĪMĪCANS vel stellumicans, antis, particip. ab inusit. stellimico, stellis micans, stellato. Varro Atacin. apud Prob. ad Virg. 6. Ecl. 31. Limbus pictus bis sex signis stellimicantibus. V. Anthol. Lat. Burmann. T. 2. p. 337.

STELLĬO vel stelio, ōnis, m. 3. Stelio cum una modo liquida, non stellio cum duplici, legendum esse monet Lachmann. ad Lucret. 1. 313. ex Medic. Virg. 4. G. 243. et Neapol. Fest. p. 313. 13. Müll. Caper vero p. 107. 2. Keil. scripturam stelio (al. stillio) sequendam docet. V. Brambach p. 260. Alias scribendi formas, quæ in Inscriptt. occurrunt, non moror. — Ratione habita etymi, Fest. loc. cit. hanc voc. ex Verrio dictam ait a stillando, quia stellio virus stillet cibo (quod etymon probat Lachmannus loc. cit.), potius quam, quod alii, a stellarum similitudine, quia varius sit. Sed Ovid. 5. Met. 461. aptumque colori Nomen habet, variis stellatus corpora guttis. — Stellio est animal non dissimile lacertæ, multo tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum (Lacerta gecko Linn.) ἀσκαλαβώτης, γαλεώτης (It. tarantola; Fr. stellion, tarentule; Hisp. tarántula; Germ. die Tarantel, Sterneidechse; Angl. a tarantula, stellion). Non una tamen fuit apud veteres de hoc animali sententia. Gloss. Philox. interpretantur ἀσκαλαβώτην. Donat. ad Ter. Eun. 4. 4. 22. etiam γαλεώτην vocari scribit: ubi refert, Terentium a quibusdam erroris argui, quod pro Menandrico illo γαλεώτης γέρων dicat colore mustelino, quum γαλῆ quidem mustela sit, sed γαλεώτης stellio. Est et tertia appellatio, κωλώτης, ut indicat Suidas. V. et infra I.

I.) Proprie. Plin. 29. Hist. nat. 4. 28. (90). Hunc (stellionem) Græci coloten vocant et ascalaboten et galeoten. Rore et araneis vescitur, teste eod. 11. ibid. 26. 31. (91). Morsus ejus raro interimit hominem, tamen semistupidum facit et varie afficit. Virg. 4. G. 243. nam sæpe favos ignotus adedit Stellio. Colum. 9. R. R. 7. Nec venenatus stellio, nec obscenum scarabæi vel papilionis genus lucifugæque blattæ, ut ait Maro, per laxiora spatia januæ favos populabuntur. Negat Plin. 29. Hist. nat. 4. 28. (90). verum stellionem in Italia nasci. nam esse plenum lentigine, stridoris acerbi et vesci: quæ omnia a nostris stellionibus (de quib. Virgil. loquitur) aliena sunt. Marcell. Empir. 33. sub init. Lacerti appellantur sive stelliones, qui per parietem repunt, curti sunt quique Græce ascalabotæ vocantur. Vulgat. interpr. Prov. 30. 28. Stellio manibus nititur et moratur in ædibus regis. V. Bustam. Cam. De animant. S. Script. P. II. l. 5. c. 6., qui stellionis naturam et proprietatem persequitur. Paul. Ant. Paoli in Dissert. della relig. de' Gentili per alc. animali, p. 175. et seqq. contendit, stellionem esse, quem Itali lucertola verminara dicunt, eumque inferiorem tantum Italiæ partem inhabitare solitum, ejusque formam, colorem moresque fuse describit. — In Fabulis fuit puer quidam, qui quum Cererem potantem vidisset avidamque vocasset, ab ea potionis parte aspersus, in hoc animal versus est. Ovid. 5. Met. a v. 451. V. ONOM.

II.) Translate dicitur de homine malo, doloso, fraudulento, invido, quia hoc animal exuit quotannis cutem exutamque devorat, invidens homini comitialis morbi remedium. Plin. 30. Hist. nat. 10. 27. (89). Operæ pretium est scire, quomodo præripiatur, quum exuitur membrana hiberna, alias devoranti eam, quoniam nullum ani-

mal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde stellionem nomen ajunt in maledictum translatum. Hæc *Plinius*. *Apul.* 5. *Met. sub fin.* Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam? *etc.* Ubi Venus irata filium Cupidinem stellionem vocat. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STELLĬŌNĀTUS, us, m. 4. (stellio) criminis genus, quum dolo quid factum est et titulus criminis deficit, ut siquis rem alienam sciens obliget vel cuipiam pigneratam alii denuo oppigneret, vel in pignore dando pro auro æs subjecerit, vel sciens statuliberum dissimulata ejus condicione vendiderit, vel creditor numeratam jam sibi pecuniam iterum acceperit etc. *Dirksenius* eum dicit genus criminis indefinitum, quo, ut ille ait, extraordinaria persecutio introducta est adversus fraudem et fallaciam. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 20. *qui inscribitur* Stellionatus, *l.* 3. et 13. 7. 36. et 17. 1. 29. *ad fin.* et 40. 7. 9.

STELLĬŌNĪNUS, a, um, adject. (stellio) ad stellionem pertinens. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 4. 4. 21. vetus, veternosus senex, Colore mustelino. *stelionino* pro *mustelino* vult reponi, *del colore del ramarro, lentigginoso.* Sane apud Menandrum, quem *Ter.* sequitur, est γαλεώτης γέρων, non γαλεώδης. Sunt tamen qui *Ter.* data opera id fecisse putant.

STELLIUNCULUS, i, m. 2. *deminut. a* stellio, parvus stellio. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 176. Stellio, stelliunculus.

STELLO, as, (avi) ātum, are, 1. (stella) Part. *Stellans* sub *B* I. et II.; *Stellatus* sub *A* I. et II. — Stello transitive et intransitive occurrit.

A) *Stello*, transitive, est punctis lucidis stellarum modo distinguo, orno (It. *ornare di stelle*; Fr. *semer d'étoiles*; Hisp. *ornar de estrellas*; Germ. *mit Sternen besetzen*; Angl. *to mark or variegate of stars*).

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (100). *de quibusd. gemm.* Commendatio summa, quoniam fere stellarum Hyadum et numero et dispositione stellantur: ob id Chaldæis in cærimoniis habitæ. *Capell.* 2. *p.* 29. *in carm.* Qui cælum stellet fomes. *h. e.* stellis splendorem præstet. *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 8. Nec vero Atlas sustinere cælum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus traderetur, nisi etc. *h. e.* factus sidus et stellis instructus. *Val. Flacc.* 5. 42. Astraque et effusis stellatus crinibus æther.

II.) Translate. *Symmach.* 3. *Ep.* 11. *ad fin.* Ipsa vero pars materiæ digna laudari quanto verborum stellatur auro! Alii leg. *stillat:* sed *Juret.* priorem lectionem defendit. *Dracont.* 1. 717. Qui (*Deus*) roseis stellare nemus vel floribus agros Imperat. Alii pro *roseis* leg. *rosulis*. *Virg.* 4. *Æn.* 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat. *h. e.* capulus ensis multis iaspidibus, quasi stellis, distinctus, *spada con elsa tempestata di fulvo diaspro.* et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). inter varias iaspidum species esse ait et stellatam rutilis punctis. *C. Memmius* apud *Serv.* ad *Virg. loc. cit.* Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. *Ovid.* 5. *Met.* 461. variis stellatus corpora guttis. Sic *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 66. (179). Gemma stellata nunc sanguineis nunc auratis guttis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 130. Hæc (*Nympha*) graditur stellata rosis. *h. e.* rosis, ceu stellis, ornata. *Stat.* 6. *Theb.* 277. inocciduis stellatum visibus Argum.

B) *Stello*, neutrorum more, stellatus sum, stellis instruor, ornor: usurpatur autem tantummodo Part. *stellans*, et fere adjectivorum more.

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 212. cælo stellante sereno Sidera respondent in aqua. *Virg.* 9. *Æn.* 210. stellantis regia cæli. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divin.* 12. 18. patet altitonans stellanti nixus Olympo. *et ibid.* 11. 18. Stellans nox. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 363. Stellantes nox picta sinus. *Val. Flacc.* 5. 623. summi stellantia patris Tecta. *Ovid.* 5. *Fast.* 603. Tauri ora stellantia. *h. e.* sideris Tauri.

II.) Translate. *Ovid.* 1. *Met.* 723. *de pavone.* gemmis caudam stellantibus implet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 66. (250). Signum maturitatis lucentes vespere per arva cicindelæ: ita appellant rustici stellantes volatus: Græci vero lampyridas. *Val. Flacc.* 3. 98. stellantia tegmina. *h. e.* vestis nitens et auro, quasi stellis, distincta. Sic *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 8. (12). Tungri civitas Galliæ fontem habet insignem, plurimis bullis stellantem. *Val. Flacc.* 2. 499. Stellantia glauca Lumina nube tremunt. *h. e.* oculi stellarum modo micantes. *Martial.* 2. 29. linunt stellantem splenia frontem. *Ammian.* 19. 1. 2. Stellantibus armis coruscabant.

STELLŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* stella, asteriscus, *stelletta*. *Hieronym. Ep.* 112. *n.* 19. Ubi autem asterisci, id est stellulæ prælucentes (*sunt*), ex Theodotionis editione ab Origene additum est. *V.* ASTERISCUS.

STEMMA, ătis, n. 3. στέμμα, στέφανος, sertum, corona: a στέφω, corono (It. *corona*; Fr. *couronne, bandeau*; Hisp. *corona*; Germ. *der Kranz*; Angl. *a garland, crown*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 908. Perfusa pulcher menta russo stemmate Fert et cruenti pectoris spectat decus. *V.* STAGMA. *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. *sub init.* Magnos viros facient, qui sacris et gloriosis stemmatibus coronentur. ¶ 2. Speciatim de coronis dicitur seu sertis foliorum implicatis, quibus cingebantur et nectebantur invicem imagines, in quibus e cera expressi erant vultus majorum: de quib. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Apud majores in atriis expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilicia funera. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. *Seneca* 3. *Benef.* 28. Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant etc.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice ponitur pro serie cognationis ac nobilitate familiæ, *l'albero della famiglia, genealogia.* *Seneca Ep.* 44. Hoc est in philosophia boni, quod stemma non inspicit. Omnes, si ad primam originem revocentur, a diis sunt. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 43. Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis Linea, nec proavis demissum stemma, sed etc. *Id.* 2. *ibid.* 6. cui major stemmate juncto Libertas ex mente fuit. ubi *stemma junctum* est propinquus nobilitatis gradus, quo aliquem contingimus. Cf. 2. *Theb.* 436. propiorque fluat de sanguine juncto Juppiter. *Pers.* 3. 28. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis? *Juvenal.* 8. 1. Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri? *Sueton. Ner.* 37. Cassio Longino objectum est, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset. *Id. Galb.* 2. Imperator stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret. *Martial.* 5. 35. Longumque pulcra stemma repetit a Leda. ¶ 2. Metaphorice. *Id.* 8. 6. Argenti fumosa (al. *furiosa*) sui quum stemmata narrat. *h. e.* nobilitatem et pretium. Sic *Prudent.* 7. *Cathemer.* 81. Stemma jejunii. *h. e.* vetustas. — In illo *Capell.* 2. *p.* 35. Saxa stelas pandens deorum stemmata præcepit continere. *stemmata* videntur esse generationes. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STEMPHIN, indecl. Vox Ægyptia, qua significatur herba eadem, quam Græci *polygonon* appellant. *Apul. Herb.* 19.

STĔNA, ōrum, n. plur. 2. τὰ στενά, loca angusta, fauces, *passi stretti.* Vox Græca. *Liv.* 32. 5. Quod levis armaturæ erat, ad occupandas, quæ ad Antigoneam fauces sunt (stena vocant Græci), misit. Cf. STENÆ DEIRÆ in ONOM.

STĔNŎCŎRĬĂSIS, is, f. 3. στενοκορίασις, morbus equorum, quum amissis viribus visus eorum constringitur et debilitatur: a στενός, angustus, et κόρη, pupilla. *Veget.* 2. *Veterin.* 16.

STENTŎRĒUS, a, um, adject. (Stentor) ad Stentora pertinens, qui fuit in exercitu Græcorum (*V. Homer. Iliad.* 5. *v.* 785.) voce adeo immani, ut quinquaginta simul vociferantium clamores vinceret. Hinc *Juvenal.* 13. 112. Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis. *Arnob.* 2. *p.* 97. Heroas infantes sub uberibus matrum Stentoreos edidisse vagitus. *V.* STENTOR in ONOM.

STĔPHĂNE, es, f. 1. στεφάνη, corona: hinc *stephane Alexandri*, dicta herba eadem, quæ herba victoriæ seu laurus Alexandrina vel daphnoides. *Apul. Herb.* 58. — A *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (132). dicitur *stephanos Alexandri.* *V.* hanc voc.

STĔPHĂNĔPLŎCOS, i, f. 2. (στεφανηπλόκος) Alii scrib. *stephanoplocos* eod. sensu: a στέφανος pro στεφάνη. — Stephaneplocos est coronas e variis floribus nectens: a στεφάνη, corona, sertum, et πλέκω, necto. Nomen fuit tabulæ a Pausia pictæ, qua pinxit Glyceram ingeniosam artificem jungendorum in sertis florum mixtura admirabili. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 3. (4). et 35. *ibid.* 11. 40. (125).

STĔPHĂNĔPŌLIS, is, f. 3. στεφανηπῶλις, coronarum venditrix: a στεφάνη, corona, et πωλέω vendo. Ita dicta est Glycera (de qua in voce præced.), quoniam venditando coronas sustentavit paupertatem. eodemque nomine vocata est tabula Pausiæ, in qua depicta erat cum corona sedens; quæ tabula e nobilissimis illius pictoris fuit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (125)., ubi alii leg. *stephanopolis*, a στέφανος pro στεφάνη.

STĔPHĂNĪTES, æ, m. 1. *V.* voc. seq.

STĔPHĂNĪTIS, ĭdis, m. 3. (στεφανῖτις) A recto singulari *stephanitis* rectus pluralis est *stephanites* vel *stephanitides*. Mutavit *Colum. loc. cit.*, eumque secutus est *Isid.* 17. *Orig.* 5. 15., ut sit a *stephanites, æ.* — Stephanitis est genus vitis et uvæ coronariæ, *h. e.* natura sua, non cultorum artificio, coronas imitantis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). Item picina omnium nigerrima: et coronario naturæ lusu stephanitis, acinos foliis intercursantibus. Adde *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. *extr.* — Laudantur et a *Colum.* stephanitæ, 3. *R. R.* 2. Neque solum quæ jucunditate saporis, verum etiam quæ specie commendari possint, censeri debent, ut stephanitæ, ut tripedaneæ, ut unciariæ etc.

STĔPHĂNŌMĔLIS, is, f. 3. herba efficax ad sanguinem per nares fluentem, ut *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 84. (136). docet. Sunt qui putent, ita dici, quod in coronis melino colore placeat.

STĔPHĂNŎPLŎCOS. *V.* STEPHANEPLOCOS.

STĔPHĂNŎPŌLIS. *V.* STEPHANEPOLIS.

STĔPHĂNOS, i, m. 2. στέφανος, stephane seu corona; hinc speciatim ¶ 1. *Stephanos Alexandri*, herba, species chamædaphnes, frutice ramoso, folio crassiore ac molliore, quam lauri. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (132). — Latine dicitur pervinca et folium victoriæ. *Apul. Herb.* 58. *V.* STEPHANE. ¶ 2. *Stephanos aphrodites*, alia herba est, quæ et sisymbrium. *Id. ibid.* 105.

STĔPHŪSA. *V.* voc. seq.

STĔPHŬSA, æ, f. 1. plectens coronam; στέφουσα, particip. a στέφω, stipo, connecto. Ita appellata est statua aenea Praxitelis, quæ mulierem repræsentabat coronas plectentem. *V.* *Plinii loc. cit.* in SPILUMENE. Ubi tamen *Sillig.* leg. *stephanusa.*

STĒRA, æ, f. 1. (στεῖρα) Licenter prima syllaba in *stera* corripitur ab *Æmil. Macr. loc. cit.*; nisi malis cum cl. *De-Vit* esse aphæresin pro *hystera*, Græce ὑστέρα. Cf. STERICA. — Stera est mulier sterilis. *Æmil. Macer de herb.* 3. 40. Conjuncto sibi melle steræ si subditur herbæ (*absinthium*) Desiccabit eam manareque menstrua coget.

STERCEJA, æ, f. 1. (stercus) mulier, quæ parvulos in cunis curat et a stercore purgat. *Tertull. advers. Valentinian.* 8. Quare non et stercejæ et syntrophi nominantur? Alii leg. *stercojæ*, sed nihil mutandum; nam et *sterceratus* pro *stercoratus* legitur. *V.* hanc voc. — Convicium est in mulierem apud *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Tu autem, sterceja, etiamnum ploras? In *Cod. Tragur.* legitur quidem *sterteja*, sed perperam fortasse. *V.* STERTEJUS.

STERCĔRĀRĬUS. *V.* STERCORARIUS.

STERCĔRĀTUS. *V.* STERCORATUS.

STERCĬLĪNĬUM, ĭi, *et*

STERCĬLĪNUM, i, n. 2. *V.* STERQUILINIUM.

STERCŎRANS, antis, particip. *V.* STERCORO.

STERCŎRĀRĬUS *et* stercerarius, a, um, adject. (stercus) ad stercora pertinens, κοπρικός. *Varro* 1. *R. R.* 22. enumerat aratra cum vomeribus sex, crates stercorarias quattuor. *Alii leg.* stercerarius. *V.* STERCEJA. — De stercoraria porta *V.* in STERCUS.

STERCŎRĀTĬŌ, ōnis, f. 3. (stercoro) actus stercorandi, lætaminis sparsio per agrum, *il concimare, letaminatura*, κοπρισμός. *Varro* 2. *R. R.* 2. Oves stercoratione faciunt in annum segetes meliores. *Colum.* 2. *R. R.* 16. Tempestivam stercorationem facere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (193). Stercorationis ratio.

STERCŎRĀTUS, a, um, particip. *V.* STERCORO.

STERCŎRĔUS, a, um, adject. (stercus) ad stercus pertinens, stercore plenus, *di sterco*, κοπρικός. Translate pro fœdus, spurcus, stercore redolens. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 12. Miles impudens, stercoreus, plenus perjurii atque adulterii. *Arnob.* in *Psalm.* 77. Putentes atque stercorees digestiones. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STERCŎRO, as, āvi, ātum. are, a. 1. (stercus) Part. *Stercorans* 1. 1.° *a*; *Stercoratus* 1. 1.° *a* et in fin. (pro quo et *sterceratus*; hinc *Capell.* 3. *p.* 80. In dubitationem veniunt stercus et fenus, in *e* an in *o* mutent. Feneratos dicimus: item veteres sterceratos agros dicebant, non stercoratos. Cf. etiam *Cassiod. De art. gramm. p.* 530. *Garet.*, *Bed. Orth. p.* 289. 26. *Keil.* et *Albin. Orth. p.* 310. 4.) et *Stercorandus* 1. 1.° *a.* — Stercoro est stercus agito: occurrit autem speciatim ¶ 1. De agris et est stercus per agros spargo, lætifico, κοπρίζω (It. *concimare, letamare*; Fr. *fumer, engraisser*; Hisp. *estercolar, engrasar*; Germ. *düngen*; Angl. *to dung*). — 1.°) Stricto sensu. — *a*) Proprie. *Cato R. R.* 36. Stercorare segetem. *Varro.* 1. *R. R.* 38. Quæ loca in agro stercoranda, videndum. *Cic. Senect.* 15. *ad fin.* Homerus Laertem colentem agrum et eum stercorantem facit. *Colum.* 2. *R. R.* 16. Refrigescere agrum, qui non stercoretur: peruri, si nimium stercoretur. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (194). *Id.* 17. *ibid.* 9. 7. (56). Ubi non sit pecus, culmo ipso vel etiam silice stercorare arbitrantur. *Id.* 18. *ibid.* 23. 53. (194). Ager si nimium stercoratus est, aduritur. *Id.* 18. *ibid.* 23. 53. (192). Stercoratum solum. — *b*) Translate. *Ambros.* 3. *Interpr. David*, 2. *n.* 3. Hic arat agrum suum quodam abstinentiæ rigidioris vomere: hic stercorat (*agrum*) humiliando se usque ad terram, sciens, quia Deus de terra suscitat inopem et de stercore erigit pauperem. — 2.°) Latiore sensu significat etiam agros non modo stercore, sed alia etiam re lætificare. *Varro* 1. *R. R.* 7. In Gallia Transalpina intus ad Rhenum agros stercorant candida fossicia creta, *ingrassano con la marna.* V. CRETA. ¶ 2. De latrinis usurpat *Ulp. Dig.* 7. 1. 15., apud quem *stercorare latrinas* est stercus agitando egerere et latrinas exhaurire: quemadmodum *stercorare agrum* est stercus agitando spargere. *Haloand.* edidit *extergere*, quæ est interpretatio τοῦ *stercorare*, quod habetur in edit. *Torrentini* et agnoscitur a *Cujac.* l. 11. *Observat.* c. 36. Alii aliter leg., sed *stercorare* retinuit *Mommsen.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Stercoratus vel *sterceratus, a, um*, adjectivorum quoque more adhibetur; unde et Sup. *Stercoratissimus.* — Stercoratus est stercore aspersus. *Cato R. R.* 8. Ficos in loco crasso aut stercorato serito. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *a med.* Fabam ante Idus Novembr. occatam habeas quam pinguissimo loco: si minus, quam stercoratissimo. — *Stercorata colluvies* apud *eumd.* 1. *ibid.* 6. est colluvies stercoris. — Absolute. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (192). Milium, panicum, rapa nisi in stercorato non serantur; non stercorato frumentum potius quam hordeum serito.

STERCŎRŌSUS, a, um, adject. (stercus) ¶ 1. Est stercore abundans. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Pingue et stercorosum solum. *Cato R. R.* 46. Locus quam optimus, apertissimus et stercorosissimus. *Alii leg.* stercoratissimus. — *Colum.* 9. *R. R.* 4. *in fin.* Stercorosæ herbæ, grassæ. ¶ 2. Est etiam fæculentus, immundus. *Id.* 8. *ibid.* 3. *ad fin.* Stercorosa aqua. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 26. *a med.* Mari hæc est natura, ut omne immundum stercorosumque litoribus impingat.

STERCŬLĪNĬUM. *V.* STERQUILINIUM.

STERCŬLĬUS, Sterculus, Stercutus *vel* Stercutius, dictus est Picumnus Fauni filius, qui primus stercorandi rationem invenisse dicitur, ob id eo nomine a Romanis cultus. *Lactant.* 1. 20. *ad fin.* Colitur et Sterculius, qui stercorandi agri rationem primus induxit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (50). Italia regi suo Stercutio ob hoc inventum immortalitatem tribuit. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 449. Janum bifrontem et Sterculum Colit senatus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. scribit, hoc nomine Saturnum appellatum esse. (V. *Augustin. loc. cit.* in STERCUS.) Apud *Plin. loc. cit. Harduinus* et *Sillig.* ex MSS. leg. *Stercutus.* Apud *Tertull. Apolog.* 25. alii leg. *Sterculius*, alii *Sterculus*, ut in *Prudent.* Apud *Macrob. loc. cit.* habetur *Stercutus.* Apud *Augustin.* 18. *Civ. D.* 15. *Stercutius:* item *Sterces*, ut dicemus in STERCUS. — *Jovis sterculii* basis, commenticia est. V. *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1850. *p.* 162. et *Corp. Inscr. Lat.* 1. *præf. p.* III.

STERCŬLUS. *V.* voc. præced.

STERCUS, ŏris, n. 3. De forma *sterceris* pro *stercoris*, et *stercera* pro *stercora*, unde *stercerarius*, *sterceratus*, V. adnot. ad *Cat. R. R.* 10. 3. *Schneid.* In *Gloss.* legitur etiam *stercura* pro *stercora*; unde et *sterculus*, *sterculinum* etc. per *u* scripta. — Item *stercum* pro *stercus*, ita ut sit secundæ quoque declin., legunt nonnulli apud *Varron.* 6. *L. L.* 32. *Müll.* V. infra. — Etymon nominis petunt a rad. *skart*, separare, unde per metathesin et Gr. στεργάνος, stercus: cf. σκώρ. Aliud vero assignat *Augustin.* 18. *Civ. D.* 15. Sterces fuit Pici pater, a quo peritissimo agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur: quod ab ejus nomine stercus est dictum. Hunc quidam Stercutium vocatum ferunt. Qualibet autem ex causa eum Saturnum appellare voluerint, certe tamen hunc Stercen sive Stercutium merito agriculturæ fecerunt deum. *V.* et *Isid.* 17. *Orig.* 2. 3. — Stercus est excrementum, quod et lætamen, fimus et quicquid fecundandis agris usui est: dicitur autem sive de belluis sive de hominibus (It. *escremento, sterco, letame*; Fr. *excrément, fumier, fiente*; Hisp. *excremento, estiercol*; Germ. *der Mist, Dünger, Koth*; Angl. *dung, muck, soil*).

I.) Proprie. *Lamprid. Commod.* 11. Pretiosissimis cibis humana stercora miscere. *Marcell. Empir.* 18. *sub fin.* Paronychiæ stercus ex auriculis imponere. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. 87. Frequenter coagulata magis atque coacta stercora egeruntur. *Id. ibid.* Non sinit cibi digestionem in stercoris venire qualitatem. *Id. ibid.* 88. Ipsa quoque stercora vel eorum egestio parva atque leviter muculenta videtur et humore crassiore confecta. *Colum. De cult. hort.* 81. Stercus solidum. *Apic.* 7. 16. Stercus mundare. *Vulgat. interpr. Deut.* 28. 27. Stercora egerere. *Id. Judic.* 3. 22. Alvi stercora proruperunt. — *Porta stercoris* apud *eumd.* 2. *Esdr.* 2. 13. dicta porta urbis Hierosolymorum, per quam stercora evehebantur. — *Aurum in stercore quærere*, proverb. apud *Cassiod. De instit. div. litt.* 1. *p.* 510. ed. *Garet.* — De variis generibus et usu stercoris, speciatim in re agraria. *Varro* 1. *R. R.* 38., *Colum.* 2. *R. R.* 14. et 15., *Plin.* 17. *Hist. nat.* c. 9. et *Pallad.* 1. *R. R.* 33. et alibi passim verba faciunt. *Horat. Epod.* 12. 10. Jam manet humida creta colorque Stercore fucatus crocodili. *Lucil.* apud *Non. p.* 175. 13. *Merc.* Hic in stercore humi fabulisque fimo atque sucerdis. *Colum.* 2. *R. R.* 9. *a med.* Novalia stercore saturare. *et ibid.* 16. *a med.* Ingerere stercus vitibus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 6. (55). ex *Catone R. R.* 29. Circum oleas ablaqueare et stercus addere. *Colum.* 2. *R. R.* 16. Pulverem stercoris per segetem spargere. *et ibid.* Stercus caprinum manu jacere. *et ibid.* spargere et inarare. *et ibid.* 22. æquare. *h. e.* per agrum æqualiter dissipare. *Cato R. R.* 29. terra operire. *et ibid.* 10. vectare. — *Festus p.* 344. 13. *Müll.* Stercus ex æde Vestæ XVII. kal. Jul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini: qui locus clauditur porta stercoraria. tantæ sanctitatis majores nostri esse judicaverunt. In *Fastis* apud *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 259. 6. *Müll.* Quando stercus delatum, fas, eodem modo in Fastis notatur dies, quo stercus purgatur ab æde Vestæ. Hinc notæ Q. S. D. F. (*h. e.* quando stercus delatum fas), quæ leguntur in *Fastis Venusinis* ad d. XVII. cal. Jul. Ad rem *Varro* 6. *L. L.* 32. *Müll.* Dies qui vocatur: Quando stercum delatum, fas, ab eo appellatus quod eo die ex æde Vestæ stercus everritur et per Capitolinum clivum in locum defertur certum. *Ovid.* 6. *Fast.* 227. *et* 713. in Tiberim sordes illas jaci consuevisse, tradit.

II.) Translate. ¶ 1. A quadam similitudine dicitur de fæce et scoria metallorum. *Scribon. Compos.* 188. Acetum melle mixtum, in quo ferri stercus, quod σκώριαν Græci vocant, ustum, prius infervescat sæpius. ¶ 2. Si quis fœdum hominem et veluti fæcem populi per metaphoram *stercus* dicere velit, turpitudinem non effugiet. *Cic.* 3. *Orat.* 41. 164. Nolo, morte dici Africani castratam esse rempubl., nolo, stercus curiæ dici Glauciam. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Hæc *Cic.* Cf. *Capell.* 5. *p.* 166. *Vulgat. interpr. Ps.* 112. 7. De stercore erigens pauperem. Cf. 1. *Mach.* 2. 62.

STERCUTĬUS, ĭi, *et*

STERCŪTUS, i, m. 2. *V.* STERCULIUS.

STĔRĔLIS. *V.* STERILIS.

STĔRĔLĬTAS. *V.* STERILITAS.

STĔRĔLȲTIS, ĭdis, f. 3. spuma argenti durata et soluta instar pulveris: a στερεος, solidus, et λύω, solvo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (108). Quidam duo genera faciunt spumæ, quæ vocant sterelytida et peumenen. Alii leg. *cerchnitida*, a κερχνίτις, quod a κερχνός, pulvis, ut sit instar pulveris soluta: et *pegnymenen*, a particip. πηγνυμένη, quod a πήγνυμι, coagmento, ut sit concreta et fixa, non in pulverem putris. *Sillig.* scirerytida. *V.* SCLERERYTIS.

STĔRĔŎBĀTES, æ, m. 1. στερεοβάτης, fulcimentum e muro exstructum, in quo columna cum sua basi seu stylobata nititur: a στερεός, firmus, solidus. A nonnullis architectis Italis *zocco* o *zoccolo* vocatur. *Vitruv.* 3. 3. Uti firmiora sint inferiora superioribus, quæ stereobatæ appellantur, nam excipiunt onera.

STĔRĔŎMĔTRĬA, æ, f. 1. στερεομετρία, solidorum dimensio, qua geometræ utuntur. V. *Boethii loc. cit.* in MACHINATIVUS.

STĔRĔON, i, n. 2. στερεόν, vox Græca, qua corpus vel figura solida significatur apud geometras. *Boeth. Geom.* 2. Solidum etiam est, quod Græci stereon vocant, nos autem quadratos pedes; quod longitudinem et latitudinem celsitudinemque habere comprobatur. V. *Gromat. vet. p.* 97. 10. et *p.* 415. 25. *Lachm.-Rud.*

STĔRĒSĬUS, a, um, adject. privatus, mutilatus, ut exponit *Isid.* 11. *Orig.* 3. 8. de iis, qui sine manu aut capite generantur. Alii leg. *steresius*, alii aliter.

STERGĒTHRON, i, n. 2. στέργηθρον. ¶ 1. Ita nominatur ab aliquibus semperviva herba, quia, ut ait *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160)., amatoriis convenit: a στεργω, amo. Adde *Apul. loc. cit.* in AMORIFICUS. ¶ 2. Ita etiam appellatur a quibusdam herba cotyledon, quam Itali umbilicum Veneris nominant. *Id. ibid.* 43.

STĔRĬCŬLA. *V.* STERILICULA.

STĔRĬCA per aphæresin pro hysterica. apud *Æmil. Macr.* c. 1. *de Artemisia p.* 223. retro.

STĔRĬCUS per aphæresin pro hystericus. *V.* hanc voc.

STĔRIGMUS, i, m. 2. στηριγμός, statio planetarum, idem quod *constitutio* apud *Gell.* 16.

5.: a στηρίζω, firmiter statuo, figo. V. *Apul. de Mundo* in STATIVUS.

STĔRĬLĔFĬO, fis, fĭĕri, n. pass. anom. (sterilis et fio) sterilesco. *Solin.* 27. *ante med.* Leænæ fetu primo catulos quinque edunt: deinde per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus: postremo quum ad unum materna fecunditas recidit, sterilefiunt in æternum. Alii leg. *steriles fiunt:* alii *sterilescunt.* V. *Mommsen* ad *h. l.*

STĔRĬLESCO (sterilisco), is, ere, n. 3. (sterilis) sterilis fio, ἀγονέω, χερσεύομαι (It. *sterilire;* Fr. *devenir stérile;* Hisp. *volverse estéril;* Germ. *unfruchtbar werden;* Angl. *to grow or become barren*).

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (45). Leænam primo fetu parere quinque catulos ac per annos singulos uno minus: ab uno sterilescere. *et ibid.* 50. 76. (200). Capri pinguitudine sterilescunt. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (63). Amygdalam in pingui terra mori ac sterilescere. Adde *Solin.* 27., ubi alii leg. *sterilisco.*

II.) Translate. *Valer. Cat. Dir.* 9. Impia Trinacriæ sterilescant gaudia vobis.

STĔRĬLĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sterilis, vulva porcæ virginis seu castratæ, quæ sit sterilis. *Petron. fragm. Tragur.* 35. *Burmann.*, ubi alii *stericula,* alii aliter legunt. Cf. *Apic.* 7. 258.

STĔRĬLIS, e, adject. — *a)* Alia forma *sterilus, a, um* occurrit apud *Festum loc.* infra *cit.* Adde *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 316. 6. *Müll. Lucret.* 2. 845. Et sonitu sterila et suco jejuna feruntur, nisi malis *sterila* pro *sterilia* dictum per synæresin, ut 1. 340. *sublima* pro *sublimia;* quamquam et *sublimus* dicitur. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 489. 9. *Merc.* V. SUBLIMIS. — Etiam *sterelis,* ut *sterelitas,* legitur apud *Gromat. p.* 6., 41., 48. etc. *Lachm.-Rud.*, quam scriptionem cave sequaris. — *b)* Ablativ. sing. *sterile* pro *sterili* legunt recentiores apud *Apic.* 7. 1. Cf. *Schweizer-Sidler op. cit. p.* 56. — *c)* Etymon vocis *Forcellinus* petit a στερέω, privo; philologi recentiores a Skr. *sthiras,* durus, solidus, firmus, unde et Gr. στεῤῥός vel στερεός. Cf. Germ. *star* et Ved. *starjam* a *starâ* (V. *Kuhn zur ältest. Gesch. p.* 8.). Huc spectat *Gloss.* in *Prodr. Gloss. p.* 18. ed. *Loewe.* Barba sterili: duribuccius. ubi *sterilis* idem est ac durus, rigidus. *Fest. p.* 317. 3. *Müll.* Sterilam mulierem appellabant, quam Græci στεῖραν dicunt, quæ non concipit semen genitale. — Comp. *Sterilior* I. 1.° — Sterilis est nihil in se gignens, prolem aut fructum non ferens, ἄγονος, ἄκαρπος (It. *bretto, sterile, infecondo, infruttuoso;* Fr. *stérile;* Hisp. *estéril;* Germ. *unfruchtbar;* Angl. *sterile, barren*).

I.) Proprie. — 1.°) De animantibus. *Catull.* 63. 69. et *Martial.* 9. 9. Steriles viri. *h. e.* eunuchi. *Varro* 3. *R. R.* 9. *ante med.* Galli Tanagrici ad partum sunt steriliores. Adde *Fest. loc.* supra *adlat. Inscript.* metrica apud *L. Nardi Descr.* etc. *p.* 14. EXEMPLIS REFERENDA MEA EST DESERTA SENECTVS VT STERILES VERE POSSINT GAVDERE MARITAE. *Virg.* 6. *Æn.* 251. Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam. *Ovid.* 5. *Fast.* 253. Sterilis juvenca. — *Colum.* 2. *R. R.* 1. *ante med.* Hominis tum demum declaratur sterile senium, quum nullum conceptum edere valet. *Pallad. De insit.* 30. *de admissura equæ et asin.* In sterilem res cadit acta gradum. *h. e.* admissura equæ et asini fit, ut proles inde nata sterilis sit nec amplius generare possit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 80. (166). Sterilia ova. *h. e.* irrita. — *Sterilis vulva* apud *Apic. loc. cit.* eadem quæ *sterilicula* dicitur, cui opponitur ejecticia. — 2.°) De plantis agrisque. *Virg.* 2. *G.* 70. Et steriles platani malos gessere valentes. *Ovid.* 1. *Art. am.* 553. Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristæ. *h. e.* inanes. *Virg.* 5. *Ecl.* 37. Infelix lolium et steriles dominantur avenæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 31. Ceres sterilem vanescit in herbam. *Id.* 4. *Met.* 299. Steriles ulvæ. *Virg.* 2. *G.* 440. silvæ. *Catull.* 67. 26. semen. *Pallad. De insit.* 53. Fecundat sterilis pingues oleaster olivas. *Id. ibid.* 63. Sterilis spinus. *Virg.* 1. *G.* 70. arena. *et ibid.* 84. steriles incendere profuit agros. *Horat. Art. P.* 65. sterilisque palus prius aptaque remis Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum. *Propert.* 2. 11. 2. Sterilis humus. *Ovid.* 8. *Met.* 791. tellus. *Curt.* 3. 4. 3. solum. Cf. *Juvenal.* 7. 49. litus sterili versamus aratro. — 3.°) De iis, quæ quacumque vita carent. — *a)* Cum Genet. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (119). Steriles plumbi lapides. Adde 15. *ibid.* 20. 39. (130). — *b)* Cum Acc. et præp. *ad. Sil. It.* 15. 785. rabidi ceu belluæ ponti, Per longum sterili ad pastus jactata profundo.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice, vel active, pro eo qui sterilem facit. — *a)* Absolute. *Horat.* 3. *Od.* 23. 5. Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis, nec sterilem seges Robiginem. *Lucan.* 4. 108. Sterile frigus. *Martial.* 8. 68. hiems. — *b)* Cum Infinito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (157). Serere e pampinariis sterile est. *h. e.* sterilitatem inducit. ¶ 2. Metaphorice: aliis vero proprie, qui *sterilis* a στερέω, privo, deducunt, ut sit orbus, vacuus, *privo, vuoto.* — *a)* Absolute. *Seneca Thyest.* 173. Sterile vadum. *h. e.* sine aqua. *Id. Herc. Œt.* 133. Steriles foci. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 15. Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe. *h. e.* nemo unus hinc prospicitur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 2. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum. *Plaut. Truc.* 1. 2. 3. Ne qui manus attulerit steriles intro ad nos, gravidas foris exportet. *h. e.* vacuas: de fure loquitur. *Plin.* 5. *Ep.* 2. Epistolæ steriles. *h. e.* quæ sine munusculis mittuntur. *et Ep.* 17. *sub fin.* Sæculum sterile et effetum. *Stat.* 6. *Theb.* 70. Cassa et sterilis fama. *Martial.* 10. 58. in sterili vita labore perit. *et ibid.* 18. et *Juvenal.* 12. 97. Sterilis amicus. *h. e.* qui nihil donat: aut a quo nihil speratur. *Plaut. Truc.* 2. 1. 30. amator a datis. *Martial.* 1. 77. et *Juvenal.* 7. 203. cathedra. *h. e.* professio docendi aut recitandi nullum ferens emolumentum. *Ovid.* 1. *Met.* 496. sterilem sperando nutrit amorem. *h. e.* quem nullus successus manet. *Tac.* 1. *Ann.* 17. Sterilis pax. *h. e.* quæ nulla militibus præmia parit. *Propert.* 4. 11. 62. domus. *h. e.* in qua nulli liberi. *Papinian. Dig.* 22. 1. 7. nummi. *h. e.* qui nullas usuras pariunt. *Ambros.* 1. *Abr.* 7. *n.* 61. Congregatio nationum, quæ sterilis erat, quum Deum ignoraret. — *b)* Cum Genetivo. *Tac.* 1. *Hist.* 3. Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non et bona exempla prodiderit. *Pers.* 5. 75. heu steriles veri! quibus una Quiritem Vertigo facit. *h. e.* nescii, a vero alieni. — *c)* Cum Ablat. sine præp. aut cum præp. *ab. Lucret.* 2. 845. Et (*corpora*) sonitu sterila et suco jejuna feruntur. *h. e.* carentia sonitu. *V.* init. *Plin. Paneg.* 56. Quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile aut vacuum laude? *Apul.* 1. *Met.* Civitas summo vertice montis sita et ob id ab aquis sterilis. — Hinc absolute, substantivorum more

Sterilis, is, f. 3. mulier sterilis. *Vulgat. interpr. Luc.* 23. 39. Beatæ steriles et ventres, qui non genuerunt. Adde *Is.* 54. 1. — In illo *Job* 24. 21. Pavit sterilem, quæ non parit. *sterilis* est virgo ad sterilitatem redacta vel meretrix.

Sterilia, ium, n. plur. 3. res steriles. *Quintil.* 2. 4. 6. Sterilia nullo labore vincuntur. *h. e.* sterilitas. *Ambros.* in *Luc.* 7. *n.* 168. Magna profecto vis stercoris, quæ tanta est, ut de infecundis fecunda, de arentibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa.

STĔRĬLISCO. *V.* STERILESCO.

STĔRĬLĬTAS, ātis, f. 3. (sterilis) Etiam *sterelitas* minus recte scribitur. *V.* STERILIS init. — Sterilitas est infecunditas, στείρωσις (It. *sterilità;* Fr. *stérilité;* Hisp. *esterilidad;* Germ. *die Unfruchtbarkeit;* Angl. *barrenness, sterility*).

I.) Proprie. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (97). Sterilitatem mulierum emendare. *et* 31. *ibid.* 2. 4. (8). abolere. *Id.* 25. *ibid.* 7. 33. (70). Clymeno pota sterilitatem etiam viris fieri. *Cic.* 1. *Divinat.* 57. *a med.* Nonnumquam etiam quæ sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura. *Colum.* 3. *R. R.* 15. *a med.* Malleoli vitium sterilitate affecti. *Quintil.* 8. 5. 22. Agrorum sterilitate vexatus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (136). *de lupino.* In humido vermiculi umbilicum ejus in sterilitatem castrant. *Id.* 16. *ibid.* 26. 47. (111). Arborum densitas sterilitatem facit. *Vellej.* 1. 1. *ad fin.* Sterilitas frugum. *scarsezza, carestia.* Sic *Colum.* 2. *R. R.* 10. Sterilitas annonæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 4. 4. (10). Sicyonem fames invasit ac sterilitas. — In plur. num. *Plin.* 10. *Ep.* 24. Agrorum continuæ sterilitates. Adde *Sueton. Claud.* 18.

II.) Translate. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 60. (290). Sterilitas cælestis. *mali influssi.* et 14. *proœm.* fortunæ. *Vulgat. interpr. Ps.* 34. 12. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ. *sterilitas* est orbitas. *h. e.* eripiebant mihi liberos. — Figurate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (121). Languida auctoritas patrum facta est, ac paullatim in sterilitatem emarcuit majestas.

STĔRĬLUS, a, um. *V.* STERILIS.

STĒRĬON, ĭi, n. 2. idem quod asterion. *Apul. Herb.* 46., ubi tamen alii leg. *asterion.* V. hanc voc.

STĒRĬUM, ĭi, n. 2. *Isid.* 15. *Orig.* 4. 8. *de v. monasterium.* Monos apud Græcos solus, sterium, statio. Etymon sane ineptum nullaque vox!

STERNAX, ācis, adject. omn. gen. (sterno) qui sternit, ut Sternax equus, qui sessorem excutit ac in terram dejicit, κατωμιστής ἵππος. *Virg.* 12. *Æn.* 344. Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten. *Sil. It.* 1. 261. correptis sternacem ad prœlia frenis Frangere equum. *Avien. Perieg.* 203. pecoris cursu sternacis in æquor Inachis illata est. *h. e.* externati, trepidi. — *Sternaces cives* apud *Sidon.* 5. *Ep.* 14. *in fin.* qui supplices humi se sternunt. Sic 4. *Ep.* 12. *ad fin.* Respondit ipse, quamquam esset trepidus et sternax, et præ reatu balbutiret ore.

STERNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

STERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. — *a)* Præter. perf. *stravi* pro *sternavi,* ut *stratum* pro *sternatum:* cf. *consternavi* a *consterno, as.* — Plusq. perf. *strarat, strasset,* syncop. pro *straverat, stravisset,* habet *Varro* apud *Non. p.* 86. 6. *Merc.* Duabus culcitis ac duabus toros plagulis quum strasset. *Manil.* 1. 774. et victor strarat qui classibus æquor. — *Sternendai* pro *sternendæ* est *Lucil.* 11. *p.* 56. *Müll.* viai Sternendai: jaciendum huc aggerem et id genu' rudus. — *b)* Ratione etymi, vox Latina, cui respondet Gr. στορέω, derivatur a Skr. *star,* ejusdem significationis — Part. *Sternens* I. 1. 1.° *b,* 3. *b; Stratus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Sternendus* I. 3. *b* et II. *b.* — Sterno est humi spargo, aut expando, prosterno, substerno, στορέω, στρώννυμι (It. *stendere per terra, distendere, spargere;* Fr. *étendre, poser, mettre dessus;* Hisp. *extender, posar, meter sobre;* Germ. *aus-, hinbreiten, aus-, hinstrecken;* Angl. *to spread, scatter, strew*): occurrit autem absolute, aut cum additis adverb. loci; aut Accus. et præp. *ad, per,* vel Ablat. sine aut cum præp. *in, sub.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Universim. — *a)* De animantibus. *Enn.* apud *Non. p.* 172. 20. *Merc.* Strata terrâ lavere lacrimis vestem squalam et sordidam. *Cic.* 3. *Orat.* 6. 22. Quam ut nos humi strati suspicere possimus. Adde *Liv.* 25. 37. *Horat.* 1. *Od.* 1. 21. viridi membra sub arbuto Stratus. *Quintil.* 6. 1. *a med.* Stratum jacere et genua complecti. *Cic.* 10. *Att.* 4. *ante med.* Qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem. *Albinov.* 1. 280. Strata per obscenas corpora nuda vias. *Liv.* 7. 36. et 37. 20. Strata somno corpora. *Ammian.* 24. 1. 11. Milites sternerentur supini. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (174). Ursi humanitus strati. *coricati;* decumbentes more hominum. — *b)* De plantis et inanimis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (36). Arbor strata in solo humido tota radicatur. *Id.* 27. *ibid.* 8. 2. (65). Herba foliis o-

leæ in terra stratis. *Id.* 31. *ibid.* 11. 47. (123). Spongiæ ad lunam et pruinas sternuntur inversæ, ut candorem bibant. *Virg.* 7. *Ecl.* 54. Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma. *Id.* 1. *Æn.* 704. stratoque super discumbitur ostro. *Sueton. Ner.* 48. Strata sub pedibus vestis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (72). Strato lapide ad magnitudinem obelisci. *fatto un lastrico.* et *Ovid.* 7. *Met.* 254. Exanimi similem stratis porrexit in herbis. *Id.* 3. *Fast.* 813. Strata arena. *et* 6. *ibid.* 316. Strataque erat tepido tegula quassa solo. *Tibull.* 1. 8. 69. Namque opibus congesta tuis hic glarea dura Sternitur, hic apta jungitur arte silex. *Ovid.* 4. *Met.* 741. Mollit humum foliis natasque sub æquore virgas Sternit. *Id.* 8. *ibid.* 657. Vestibus hunc (*lectum*) velant, quas non nisi tempore festo Sternere consuerant. *Id.* 4. *Fast.* 654. Sternitur in duro vellus utrumque toro. *Id.* 2. *Amor.* 14. 8. Sternatur pugnæ tristis arena tuæ. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 34. (176). Bubulos utres binos sternentes ponte, piraticam exercent. *Sillig.* insternentes. *Grat. Cyneg.* 487. Sternere arma per flores. — *Stratæ vites* apud *Colum.* 5. *R. R.* 4. sunt, quæ ab enata stirpe confestim velut projectæ, per humum porriguntur. — 2.°) *Sterni,* mediorum apud Græcos more, aut *sternere se,* humi se prosternere, *coricarsi, prostrarsi. Virg.* 3. *Æn.* 509. Sternimur optatæ gremio telluris. *Val. Flacc.* 3. 258. inque sui sternuntur velleris auro. *Id.* 7. 143. supplex hinc sternitur hospes, Hinc pater. *Sil. It.* 12. 339. In Capitolinas certatim scanditur arces Sternunturque Jovi. *Virg.* 4. *G.* 432. Sternunt se somno diversæ in litore phocæ. — Hinc translate. *Cyprian. Ep. ad Demetr.* 16. Quid te in lapsum mortis cum serpenti quem colis, sternis? — 3.°) *Sterni* dicuntur loca, quæ porriguntur in longum, et late extenduntur, *stendersi. Plin.* 4. *Hist. nat.* 15. 29. (101). Insulæ Frisiorum, Chaucorum, Sturiorum, quæ sternuntur inter Helium ac Flevum. *Id.* 3. *ibid.* 5. 9. (60). Ibi Laborini campi sternuntur. — 4.°) *Sternere crines* apud *Stat.* 6. *Theb.* 173. est solutis nodis demittere, protendere, spargere, passis crinibus esse: quod in luctu fieri solebat et in precando. ¶ 2. Speciatim *sternere,* præsertim apud Poetas, est in planum extendere, æquare, componere, *appianare, calmare;* quum de mari sermo est, quod agitatum intumescit fluctibus, cessante vento planum fit et tranquillum. *Manil.* 1. 155. Tertia sors undas stravit fluctusque natantes. *Virg.* 8. *Æn.* 88. Mitis ut in morem stagni placidæque paludis Sterneret æquor aquis. *Id.* 5. *ibid.* 763. placidi straverunt æquora venti. *Plin.* 2. *Hist.* 47. 47. (125). Ante brumam septem diebus totidemque postea sternitur mare halcyonum feturæ. Adde *Senec. Troad.* 177. *Virg.* 9. *Ecl.* 57. Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes (Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ. *Ovid. Heroid.* 10. 49. Jam venti ponent, strataque æqualiter unda, Cæruleis Triton per mare curret equis. Adde *Val. Flacc.* 3. 605. — Hinc translate. *Tac.* 1. *Hist.* 58. Post victoriam demum, stratis jam militum odiis, dimissus est. *h. e.* placatis. Sic *Stat.* 2. *Silv.* 5. 1. Quid tibi constrata mansuescere profuit ira? ¶ 3. Item dejicere, prosternere, *gettare a terra, coricare, abbattere, atterrare,* καταβάλλω. — *a*) Universim. *Virg.* 2. *Æn.* 305. rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata læta boumque labores. *Liv.* 27. 47. *ad fin.* Fessi somno ac vigiliis sternunt corpora passim. *Colum. Arbor.* 6. Vitis, si flecti potest, factis sulcis optime sternitur atque ita renovellatur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 9. 9. (27). Elephanti stabula Indorum dentibus sternunt. *Virg.* 2. *Æn.* 602. inclementia divum Has evertit opes sternitque a culmine Trojam. *Sil. It.* 10. 459. sonipes arrectis auribus aerem Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum, Quem tunc captivo portabat in agmina dorso. *Id. ibid.* 12. 153. Stratus ruina mons. — Hinc translate. *Virg.* 1. *G.* 331. mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor. *Lucan.* 3. 390. Urbs strata metu. *Cic.* 3. *Tusc.* 29. 72. Existimant se facilius diis satisfacturos, si eorum plaga perculsi, afflictos se et stratos esse fateantur. *Liv.* 26. 41. *circa med.* Virtus populi R. hæc omnia strata humi erexit ac sustulit. *Seneca Herc. Œt.* 101. Stratum regnum. *h. e.* eversum. — *b*) Sæpissime de re militari occurrit et refertur ad stragem et cædem. *Liv.* 31. 24. Quum omni parte cæde ingenti sternerentur. *Stat.* 7. *Theb.* 755. Sternuntur terræ Menelas pedes, Antiphus etc. *Virg.* 2. *Æn.* 364. Plurima perque vias sternuntur inertia passim Corpora. *Lucan.* 4. 320. quos barbarus hostis Fontibus immixto stravit per rura veneno. *Virg.* 10. *Æn.* 119. Sternere cæde viros. *Id. ibid.* 318. sternentes agmina clava. *Liv.* 24. 38. *a med.* Sternere omnia ferro. *Virg.* 11. *Æn.* 485. aliquem pronum solo. *et* 8. *ibid.* 566. sternendus erat ter leto. *et* 10. *ibid.* 697. Sternere humi. *et* 12. *ibid.* 464. morti. *et* 11. *ibid.* 796. Sterneret ut subita turbatam morte Camillam. *Id.* 6. *ibid.* 859. sternet Pœnos Gallumque rebellem. *h. e.* fundet, bello superabit. Sic *Tibull.* 1. 11. 29. alius sit fortis in armis, Sternat et adversos Marte favente duces. *Liv.* 4. 29. Strati cæde hostes. *Id.* 23. 42. Acies fusæ stratæque. *Lucret.* 6. 1194. rigida strati morte jacebant. *Lucan.* 2. 135. Collina tulit stratas quot porta catervas! *h. e.* cæsas. *Justin.* 2. 11. *extr.* Inter ingentes stratorum hostium catervas. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Sternunt inermos aut arma capientes. *Id. Agric.* 36. Et stratis qui in æquo astiterant. *Ovid. Heroid.* 10. 106. Strataque Cretæam belua tinxit humum.

II.) Translate, per metonymiam, *sternere* est tegere, operire, *coprire spargendo o stendendo,* quia sternendo fit, ut id, supra quod aliquid sternimus, tegamus: occurrit autem absolute vel addito Ablat. rei, quo quid sternitur. — *a*) Universim. *Horat.* 3. *Od.* 17. 9. cras foliis nemus Multis et alga litus inutili Demissa tempestas ab Euro Sternet. *Virg.* 3. *G.* 297. Et multa duram stipula filicumque maniplis Sternere subter humum. *Val. Flacc.* 5. 175. Litora sternuntur nive. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (90). Sternere arenam Circi chrysocolla. *Id.* 18. *ibid.* 6. 8. (47). fossas silice vel glarea. *Virg.* 8. *Æn.* 719. Ante aras cæsi terram stravere juvenci. ἔμφασις. significat enim ingentem hostiarum numerum. Sic 9. *ibid.* 666. Sternitur omne solum telis. *et Sil. It.* 6. 602. Tyrrhenas sternere valles Cædibus. *Lucret.* 5. 1416. Cubilia strata herbis. *Virg.* 2. *G.* 183. strati baccis silvestribus agri. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 36. (134). Solum, quo excipiatur spegma, esse stratum debet. *Id.* 33. *ibid.* 12. 54. (153). Stratæ argento balineæ, ita ut vestigio locus non sit. *Sil. It.* 9. 39. strati deleto milite campi. *Juvenal.* 10. 175. Stratum classibus mare. *Justin.* 4. 1. 3. Solum stratum sulphure et bitumine. — *b*) *Sternere viam* et similia, tegere et munire lapidibus, *lastricare, fare un selciato, inseliciare,* ὁδοποιεῖν. *Liv.* 10. 23. *in fin.* Semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt. *Id.* 41. 27. Censores vias sternendas silice in Urbe locaverunt. *Lucret.* 3. 1043. *de Xerxe.* viam qui quondam per mare magnum Stravit iterque dedit legionibus ire per altum. *si fè strada,* jactis pontibus. Adde *Lucil. loc.* supra *cit.* Similiter *Cic.* 14. *Att.* 5. Locum illum sternendum locare. Sic *Liv.* 9. 35. Sternere locum saxis. *Lucret.* 2. 626. iter argento. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. Sternere viam lapide, quæ terrena sit: vel contra lapide stratam terrenam facere. — Hinc metaphorice. *Stat.* 13. *Theb.* 812. præsens tibi fama benignum Stravit iter. *Sil. It.* 12 513. hoc iter Alpes, Hoc Cannæ stravere tibi. — *c*) *Sternere lectum, biclinium, triclinium* et similia, est apparare, instruere, stragulis et pulvilis aliisve rebus ornare dormiendi aut cenandi causa, *preparare, fornire. Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 702. Antiqui stratis tribus lectis epulabantur: unde et triclinium sterni edicitur. *Cic. Cluent.* 5. *sub fin.* Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni jubet. *Id. Mur.* 36. 75. Rogatus est, ut triclinium sterneret: atque ille stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos. Adde *Varron. Sat. Menipp.* 52. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. In castris Pompei videri licuit triclinia strata. Ita *Ald.;* alii *trichilas structas.* et *Juvenal.* 6. 5. Silvestrem montana torum quum sterneret uxor Frondibus et culmo vicinarumque ferarum Pellibus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (59). Foliis viticis cubitus sibi sternunt. Adde *Ter. Heaut.* 1. 1. 73. et *Adelph.* 2. 4. 21., *Plaut. Stich.* 2. 2. 33. et *Men.* 2. 3. 3. et *Martial.* 8. 67. Sic arceram sternere, *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20 1. V. *Varron. Sat. Menipp.* 37. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 195. In altera (*lecti*) parte ægro constituto, alteram sternere poterimus. — Absolute *Plin.* 7. *Ep.* 27. *circa med.* Jubet sterni sibi prima domus parte: poscit pugillares, stilum, lumen. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 84. In lecto lepide strato. *Juvenal.* 9. 52. Strata cathedra. *h. e.* pulvinis, cervicalibus, tapetibus fulta. *Sueton. Cæs.* 84. Lectus (*funebris*) eburneus, auro et purpura stratus. — d) *Sternere equum,* ephippio tegere et instruere, *sellare, bardare,* ἐπισάττω. *Liv.* 37. 20. *ad fin.* Equos non sternere, non infrenare aut ascendere facile poterant. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 78. *Liv.* 37. 20. Non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos. — Hinc Part. præter. perf., cujus exempla retulimus, etiam absolute, substantivorum more usurpatur.

Strata, æ, f. 1. via strata, apud sequioris ætatis scriptores: unde Italorum *strada* (Cf. Germ. *Strasse*). *Gromat. p.* 370. 12. *Lachm.-Rud.* Strata quasi vulgi pedibus trita. ipsa est et dilapidata, id est lapidibus strata. *et mox.* Ager est media stratæ eminentia coaggeratis lapidibus, quod historici viam militarem vocant. Adde *Asper. p.* 61. 17. in adn. *Keil. Eutrop.* 9. 15. In itineris medio, quod inter Constantinopolin et Heracleam est stratæ veteris. *Juvenc.* 1. 316. Sternite jam stratas, omnis sit recta viarum Semita. *Id.* 3. 655. rediensque in margine cernit Stratæ tendentem diffusa umbracula ficum. Alii leg. *strate,* adverb., *h. e.* diffuse, late. Adde *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15. 3. 6. *Inscr.* apud *Mommsen. n.* 6364. L. MINATIVS BITHYS AVG. EX D. D. AD STRATAM REFIC. H-S ∞ ∞. Adde *aliam* apud *Henzen n.* 6982.

Stratum, i, n. 2. ¶ 1. Ephippia, aut clitellæ, aut sagma, centunculus: quibus equi et jumenta sternuntur, *sella, basto, bardella. Liv.* 7. 14. *a med.* Mulis strata detrahi jubet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Frenos et strata equorum invenit Pelethronius. *Ovid.* 8. *Met.* 33. Purpureusque albi stratis insignia pictis Terga premebat equi. *Seneca Ep.* 80. *sub fin.* Equum empturus solvi jubet stratum. — Hinc proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Qui asinum non potest, stratum cædit. *chi non può battere il cavallo, batte la sella.* ¶ 2. Apud *Vitruv.* 10. 19. *a med.* *stratum* est tabulatum in turri militari. ¶ 3. Sæpius *stratum, i,* et in plur. *strata, orum,* lectus, culcita, *materasso, coltrice. Virg.* 3. *Æn.* 513. Haud segnis strato surgit Palinurus. *Val. Flacc.* 7. 141. stratoque graves projecerat artus. *Liv.* 21. 4. *a med.* Quies neque molli strato neque silentio arcessita. *Lucret.* 4. 847. lecti mollia strata. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 1. Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Strata, nec in lecto pallia nostra sedent? *Id. Heroid.* 14. 32. Strata premere corpore. *Virg.* 4. *Æn.* 391. collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt. *Ovid.* 10. *Met.* 267. Collocare aliquem stratis concha Sidonide tinctis. *et* 5. *ibid.* 34. Exsilire stratis. *balzar di letto.* et *Val. Flacc.* 1. 310. prosilire. *et Claudian.* 2. *in Rufin.* 339. desilire. *et Epithal. Pallad. et Celer.* 29. exsurgere. *Lucan.* 1. 239. stratis excita juventus. *Virg.* 3. *Æn.* 176. Corripere e stratis corpus. *et* 8. *ibid.* 415. Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. — Proprie locutus est *Sueton. Cal.* 51. Ad majora tonitrua proripere se e strato sub lectumque condere solebat. *stratum* enim est, quo lectus insternitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (158). Strata cauponarum. *i materassi dell'osterie.* et 19. *ibid.* 2. 7. (27). Carthaginiensis Hispaniæ portio montes quoque spar-

to operit. hinc strata rusticis eorum etc. ¶ 4. *Strata viarum* apud *Lucret.* 4. 416. et *Virg.* 1. *Æn.* 426. poetica locutio pro *stratæ viæ*. ut *opaca viarum* apud *eumd.* 2. *Æn.* 725., *cuncta terrarum* apud *Horat.* 2. *Od.* 1. 23. etc.

Stratus, i, m. 2. idem ac lectus stratus. *Gell.* 25. 8. *in fin.* Stratus, auro, argento, purpura amplior aliquot hominibus, quam diis immortalibus adornatur.

STERNŬENS, antis, particip. *V.* STERNUO.

STERNŪMEN, minis, n. 3. (sternuo) idem ac sternumentum. *Gloss. Cyrill.* Πταρμός, sternumen, sternumentum.

STERNŪMENTUM, i, n. 2. (sternuo) sternutatio, πταρμός (It. *sternuto;* Fr. *éternument;* Hisp. *esternudo;* Germ. *das Niesen;* Angl. *a sneezing or neezing*).

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (24). Parva dictu, in auguriis sternumenta et offensiones pedum. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (26). Sternumento revocari ferculum mensamve. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (52). Farina eorum sternumentum facit. *Id.* 32. *ibid.* 3. 13. (28). Sternumenta olfactu movent castorea. *Id.* 28. *ibid.* 6. 15. (57). Sternumenta pinna gravedinem emendant. *et mox.* Emendare sternumenta et singultum. *Gell.* 12. 5. *ad fin.* Sternumentis quati. Alii leg. *sternutamentis* et hic et apud *Plin.*

II.) Translate, per metonymiam, est res, quæ sternumentum movet, *starnutatorio. Cels.* 6. 7. *n.* 9. Sternumenta quoque admota id commode elidunt. Hic *Cels.* loquitur de pulice aliove animali in aurem ingresso et per sternumentum ejiciendo. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 86. (135). Fit et ex callitriche sternumentum. *et ibib.* 13. 109. (173). Radix ranunculi sicca concisa sternumentum est. *Alii leg.* sternutamentum.

STERNŬO, sternŭis, sternŭi, (sternūtum) sternŭere, 3. Ratione etymi, conjungi potest cum Gr. πτάρνυμαι, ejusdem significationis (V. *Curtium op. cit. p.* 696.): verbum, ut multa similia, fortasse a sono vocis fictum. — Part. *Sternuens* sub *A* I. — Sternuo est flatum e pectore impetu emitto, sæpto transverso impellente, cum concussione capitis, πταίρω, πτάρνυμαι (It. *starnutire, starnutare;* Fr. *éternuer;* Hisp. *estornudar;* Germ. *niesen;* Angl. *to sneeze*); occurrit autem intransitive et etiam transitivorum more.

A) Sternuo intransitive.

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 34. dum tu sternuas, Res erit soluta. *Fleckeisen* leg. *te sternuas.* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 40. 40. (40). Adorare aliquem, quum sternuerit. *Id.* 28. *ibid.* 6. 15. (57). Senes laboriosius sternuere. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (39). Sternuente crebrius capra. Adde *Apul.* 9. *Met.* — Apud veteres *sternuere* omen erat. *V.* etiam *Hom. Odyss.* 17. 545. *et seqq.* et *Theocrit. Edyll.* 18. 16., præsertim *Aristot. Probl.* 33. § 9. Διὰ τί τῶν μὲν ἄλλων πνευμάτων αἱ ἔξοδοι - ἡ δὲ τοῦ πταρμοῦ ἱερά - ὥστε ὡς σημεῖον ὑγιείας, τοῦ ἀρρώστου καὶ ἱερωτάτου τόπου προςκυνοῦσιν ὡς ἱερὸν καὶ φήμην ἀγαθὴν ποιοῦνται. (Cf. *Scaliger.* ed *Plaut. Pseud.* 1. 1. 105. et *G. Leopardi, Saggio sopra gli errori popolari degli Antichi c.* 6.) V. etiam *B.*

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 19. 151. Sternuit et lumen (posito nam scribimus illo), Sternuit et nobis prospera signa dedit. *scintillando fe strepito.*

B) Sternuo, transitivorum more, ut *sternuere omen,* sternuendo omen dare. *Propert.* 2. 2. 33. Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus Aureus argutum sternuit omen Amor? (*Macrob. de differ. et societ. Græci et Lat. serm. cap. de frequentat.* legit.: Candidus augustum etc. Est etiam qui *sterluit* reponit. V. ed. *Hertzbergii* et *Baherensii.*) Sic *Catull.* 45. 17. Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante, Dextram sternuit approbationem.

STERNŪTĀMENTUM, i, n. 2. (sternuto) sternumentum, sternutatio, *starnuto,* πταρμός.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. *ad fin.* Pedis offensio nobis et abruptio corrigiæ et sternutamenta erunt observanda. Recentiores tamen critici leg. *sternumenta.* et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (23). Cur sternutamentis salutamus? quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum (ut constat) hominem, in vehiculo exegisse tradunt. *Alii leg.* sternumentis; *Sillig.* sternuentes. *Id.* 21. *ibid.* 22. 93. (163). (*et Cels.* 8. 9.) Amaracum aridum sternutamenta movet. *Id.* 23. *ibid.* 1. 27. (54). Acetum olfactu sternutamenta cohibet. Adde 20. *ibid.* 17. 73. (189). *Cels.* 8. 4. *ad fin.* Sternutamentum excitare. *et* 3. 20. evocare. Sed apud *Cels.* (V. *Darenberg, Annot. crit. p.* XVIII. ad *p.* 33. 2.) et *Plin.* (V. *Sillig.* ad *h. l.*) *loc. adl.* recentiores leg. *sternumentum.* et *Scribon. Compos.* 10. Sternutamentum concitare. et *ibid.* proritare. Adde *Senec.* 2. *Ira* 25.. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. 37., 39. et 47. et *Theod. Priscian.* 2. 16. *extr.*

II.) Translate, per metonymiam, dicitur de re, quæ sternutamentum facit. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 7. 33. Sternutamenta, quæ Græci ptarmica vocaverunt. *V.* STERNUMENTUM.

STERNŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (sternuto) actus sternutandi, *starnuto,* πταρμός. *Apul.* 9. *Met.* 25. Sonus sternutationis. *Scribon. Compos.* 10. *extr.* Sternutationem invitare. Adde *Fronton. Ep. ad M. Cæs.* Ita me equitatio et sternutatio defatigavit. Adde *Vulgat. interpr. Job* 41. 9., *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 94. et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. — In plur. num. *Apul.* 9. *Met.* 24. Ut est ingenium metalli, crebras ei sternutationes commovebat.

STERNŪTO, as, āvi, are, n. 1. *frequentat. a* sternuo, sæpe sternuo, aut sternuo, *starnutire, starnutare,* πτάρνυμαι. *Petron. Sat.* 98. Giton collectione spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet (Adde *ibid.* 102.). *Colum.* 7. *R. R.* 5. *ad fin.* Nepetæ surculi lana involuti naribus inseruntur, donec sternutet ovis. Alii leg. *sternuat:* quæ varia lectio est etiam apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 24. Sane hanc vocem improbat *Caper p.* 111. 13. *Keil.* Sternuit, non sternutat. (V. *Brambach, p.* 257.)

STERQUĬLĪNĬUM, ii, et sterquilinum, i, n. 2. (stercus) Scribitur et *sterculinium* et *sterculinum* tum in *Gloss. Philox.,* tum apud *Marcell. Empir.* 34. *ante med., Ulp. Dig.* 8. 5. 17. § 2. et 19. 1. 17. et *Phædr.* 3. 12. Item *sterculinium* et *sterculinum* nonnulli leg. apud *Plaut. Pers.* 3. 3. 3., *Ter. Phorm.* 3. 2. 41., *Caton. R. R.* 2., *Varron.* 1. *R. R.* 13. 4. et 1. *ibid.* 38. 3. et *Colum.* 1. *R. R.* 6. 21. — Ceterum *sterquilinum* seu *sterculinum* ubique legendum censet *Victorius* apud *Caton.* et *Varron. loc. cit.,* et *Bentlejus* ad *Terentii loc. cit.,* qui ex auctoritate Codicum *sterquilinium* aut *sterculinium* errorem esse librariorum putat; eumdemque sequitur *Hensinger Emend. p.* 338. et *Schneider* ad *Caton. loc. cit.* aliique permulti. — Sterquilinium est receptaculum fimi et stercoris, κοπρών (It. *letamaio, cloaca;* Fr. *fosse à fumier;* Hisp. *estiercol;* Germ. *die Mistgrube;* Angl. *a dunghill, laystall*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. Stercus foras efferri, sterquilinium fieri. *Varro* 1. *R. R.* 13. Secundum villam duo habere oportet sterquilinia aut unum bifariam divisum. alteram enim partem ferri oportet e villa novata, alteram veterem tolli in agrum. *Phædr.* 3. 12. In sterquilino pullus gallinaceus Dum quærit escam. Adde *ibid.* 38. *extr.* et *Colum.* 1. *R. R.* 6. *ad fin.*

II.) Figurate, per convicium in hominem vilem, ut lutum, cenum. *Plaut. Pers.* 3. 3. 2. Eho! lutum lenonium, commictum cœnum, sterquilinium publicum, impure, inhoneste. *Ter. Phorm.* 3. 2. 41. non pudet Vanitatis? DO. minume, dum ob rem. GE. sterculinum! *o mondezzaio!* Cf. *Plaut. Cas.* a. 1. *v.* 26. Ex sterquilinio effosse, tua illæc præda sit?

STERQUĪLĪNUM. *V.* voc. præced.

STERTEJUS, a, um, adject. (sterto) qui stertit, ignavus, desidiæ plenus. *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* Tu autem sterteja, etiamnum ploras? Alii leg. *stertera* eadem sententia. Sic appellatur femina, quæ singultiens sonum stertentis edere videtur. Sunt tamen qui reponendum censent *s'erceja;* quam vocem vide suo loco.

STERTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

STERTO, stertis, stertŭi, stertere, n. 3. Præteritum *stertui* agnoscitur a *Priscian. p.* 10. 48. *et Prob. Cath. p.* 39. 22. *Keil.* et confirmatur præterito *destertui* apud *Pers.* 6. 10. — Etymon petunt a rad. Skr. *start,* ejusdem significationis, unde et Gr. δαρθῶ, δαρθάνω: verbum fortasse, ut *sternuo* aliaque hujusmodi, sono vocis per onomatopœiam fictum. — Part. *Stertens* I. — Sterto est dormiendo rhoncos edo, ῥέγχω (It. *russare;* Fr. *ronfler;* Hisp. *roncar;* Germ. *schnarchen;* Angl. *to snore*); sæpe autem occurrit de arte dormientibus; item de pigris et inertibus.

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 5. 2. 22. Labore delassatus noctem totam stertit. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 6. LU. sorbet dormiens, PA. quid, sorbet? LU. illud, stertit, volui dicere. sed quia consimile est, quod stertat, quasi sorbeat. *Capell.* 8. *p.* 270. Silenus jam dudum laxatus in somnos, forte repente blandum stertens ranæ sonitum desorbentis increpuit. *Cic.* 4. *Att.* 3. *ad fin.* Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 93. Placet Chrysippo, quum gradatim interrogetur *etc.* quiescere, id est quod ab iis dicitur, ἡσυχάζειν. Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 17. noctes vigilabat ad ipsum Mane: diem totum stertebat. *Juvenal.* 1. 57. ad calloem vigilanti stertere naso, *h. e.* simulare dormientem, quum maxime vigilet. *Pers.* 3. 3. Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat. *et* 5. 132. Mane piger stertis: surge, inquit avaritia. *Ter. Eun.* 5. 8. 49. Fatuus est, insulsus, tardus: stertit noctesque et dies. — *Lucret.* 3. 1062. Vigilans stertis. *proverb.* in hominem tardum, hebetem: item inertem, desidiosum, otio vitæ tempus male terentem. Simile est illud *Plaut. Amph.* 2. 2. 65. et *Capt.* 4. 2. 68. Vigilans somniat. *et Pseud.* 1. 3. 151. Ad eam rem usus est homine astuto, docto, scito et callido, Qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat. Adde *Vulgat. interpr. Prov.* 10. 5.

II.) Figurate. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 20. Animus pigris stertit in præcordiis. Huc etiam trahi possent, quæ in super. paragr. loca attulimus de pigris et inertibus.

STĒSĬCHŎRĬCUS et

STĒSĬCHŎRĬUS, a, um, adject. Στησιχόρειος, ad Stesichorum pertinens, qui fuit poeta apud Græcos lyricus. *V.* ONOM. Ab eo inventum dicitumque metrum Stesichorium. ¶ 1. Stesichorium metrum constat pentametro acatalecto, ut est hoc: Marsya cede domi tua carmina Phœbo. *Servius* in *Centimetr. p.* 1820. *Putsch.* ¶ 2. Stesichorium est et illud, quod constat heptametro catalecto, ut: Æacides juvenis trahit Hectora: plangite Pergama Troes. *Id. ibid. p.* 1281. ¶ 3. Item illud inter anapæstica, quod constat trimetro acatalecto, ut: Latet in thalamo tibi virgo decens Veneris specie. *Id. ibid. p.* 1822. ¶ 4. Item metrum encomiologicum Stesichorium fit contra quam in iambelego: in hoc enim præponitur penthemimericum dactylicum et subjungitur iambicum ut: Mollibus in pueris aut in puellis. Ita *Plot. Sacerd. De metr. p.* 543. 26. *Keil.,* ubi alii leg. *Stesichoricum.*

STĪBĂDĬUM, ii, n. 2. στιβάδιον, lectus semicirculi formam habens, mensis rotundis accommodatus, quo usi Romæ sunt pro tribus lectis, postquam mensæ citreæ, quæ rotundæ erant, in honore magno apud omnes esse cœperunt. Hinc *Sueton. Ner.* 31. de ejusd. domo aurea hæc habet: Præcipua cenationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. Est autem στιβάδιον deminutivum a στιβάς, quod est stratum cubandi causa, a στείβω, calco, quia conculcatur et comprimitur pondere accumbentium. Nempe στιβὰς proprie significat torum ex herbis aut frondibus factum, quali olim veteres usi sunt: postea ex alia materia fieri consuevit:

ab ejus forma semirotunda dictum est etiam sigma, ex forma hujus litteræ antiquiore (C). *V.* SIGMA. *Semirotundum* absolute vocat *Apul.* 5. *Met. Serv.* ad *Virg.* 1. *En.* 702. Antiqui stibadia non babebant, sed stratis tribus lectis epulabantur: unde et triclinium sterni dicitur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Stibadium candido marmore, vite protegitur: vitem quattuor columellæ Carystiæ subeunt; e stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, siphunculis effluit. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *circa med.* In cenatiuncula stibadium et nitens abacus. *Id.* 1. *Ep.* 11. *a med.* Tantum remoratus, quantum stibadii circulum celerantia ministeria percurrunt. *Martial.* 14. 87. in cujus lemmate est *Stibadium:* Accipe lunata scriptum testudine sigma: Octo capit; veniat, quisquis amicus erit. — Ordo accumbendi in stibadio alius fuit ac in triclinio (de quo postremo *V.* in ACCUMBO); nam circa Augusti tempora stibadio pro triclinio uti cœperunt Romani, in eoque locus omnium honoratissimus habitus est primus in cornu dextero; secundus ab illo fuit primus in cornu sinistro; proximus huic, tertius, quartus, quintus, ac reliqui deinceps ordine subsequebantur; ita ut in pleno stibadio ultimus primo proximus esset, ab eodem primo remotissimus ex adverso in altero cornu secundus. Hic convivarum ordo colligitur tum ex *Sulpic. Sev. Vit. S. Martin.* 20., qui Magni Maximi Aug. convivium πεντάκλινον describit, quum is ann. a Chr. n. CCCLXXXIV. Treveris esset; tum ex *Sidon.* 1. *Ep.* 11., in qua Majoriani Aug. convivium ἐννεάκλινον narratur, quod Arelate ann. CCCCLXI. habitum fuit; tum ex convivio Christi cum Apostolis, cujus in *Euang. S. Johann. c.* 13. mentio est. *Sulpic. Sev. loc. cit.* Convivæ aderant summi atque illustres viri, præfectus idemque consul Evodius, frater regis, et patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat, ipse autem (*Martinus*) sellula juxta regem posita consederat. *Sidon. loc. cit.* Postridie jussit Augustus, ut epulo suo circensibus ludis interessemus. Primus jacebat cornu sinistro consul ordinarius Severinus; juxta eum Magnus, olim ex præfecto, nuper ex consule; recumbente post se Camillo filio fratris; Pæonius hinc propter: atque hinc Athenius; hunc sequebatur Gratianensis; ultimus ego jacebam, qua purpurati (*Augusti*) latus lævum margine in dextro porrigebatur. De convivio autem Christi cum Apostolis consule *Sirmondum* in *not.* ad *Sidon. loc. cit.* — De loco dignitatis in conviviis V. *Plutarchi loc. cit.* apud *Ciaccon.* de *Triclin. p.* 44. Et de convivarum ordine multa habet *Maius* in *Homer. pictur. p.* 12.-14. — Numerus convivarum in triclinio fuit plerumque ternarius, ad summum novenarius. *Gell.* 13. 11. *M.* Varro dicit, convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum; id est proficisci a tribus, consistere in novem: ut, quum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint, quam tres: quum plurimi, non plus quam novem. Item novenarius fuit in convivio Nasidieni apud *Horat.* 2. *Sat.* 8.: idem apud *Plaut. Stich.* 5. 2. 31. Sed lege Orchia, a. U. C. DLXXIII. lata, numerus convivarum præscribebatur, nempe ne plus quam octoni essent. *Fest.* in *Obsonitavere p.* 201. 32. *Müll.* Qui antea octoni cenavere, postea centeni obsonitavere. Nempe quum lex Orchia negligeretur, Cato (ut ait *Macrob.* 2. *Saturn.* 13.) vociferabatur, quod plures quam præscripto ejus legis cavebatur, ad cenam vocarentur. Ceterum aliquando plures quam novem fuisse, patet ex eod. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9., qui anno U. C. circiter quingentesimo pontifices decem in duobus tricliniis et sex feminas in tertio cubuisse narrat in cena pontificali, more fortasse Græcorum; inquit enim *Cic. Pis.* 27. *ad fin.* Græci stipati quini in lectulis, sæpe plures. Extra ordinem etiam habendus numerus duodevicesimus convivarum in platano ann. circiter a Chr. n. LXX., quum C. Licinius Mucianus esset legatus Asiæ, ut habetur apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (15)., quemadmodum etiam illa cena Caligulæ, quam hic in rure Veliterno in platano itidem agitavit cum quattuordecim comitibus, quamque ideo is nidum appellavit, ut *id. ibid.* narrat. Si quis porro, completo jam convivarum numero, advenisset, in subsellio prope lectum sedebat, ut patet ex *Plaut. loc. cit.* Sedentes etiam epulabantur qui erant in luctu, ex *Plutarch.* in *Caton. min. c.* 56.; item feminæ plerumque ex *Val. Max.* 2. 1. *n.* 2.; item pueri prætextati ex *Tac.* 13. *Ann.* 16. et *Sueton. Aug.* 64. et *Claud.* 31. — In stibadio vero numerus convivarum varius fuit; ita enim *Martial.* 14. 217., cujus lemma *Obsonator:* Dic quotus et quanti cupias cenare, nec unum Addideris verbum: cena parata tibi est. Quinque porro fuerunt apud *Sulpic. Sev. loc. cit.*, sex apud *Martial.* 9. 60. (*V.* HEXACLINON), septem apud *eumd.* 10. 48., octo apud *eumd.* 14. 87., novem sæpissime, ut apud *Sidon. loc. cit.* et *Lamprid. Elagab.* 29., duodecim apud *Sueton. Aug.* 70., quæ cena ideo δωδεκάθεος vulgo est vocata, quia convivæ deorum dearumque, qui Consentes dicuntur, habitu discubuerant; unde corrigendus est error *Capitolini,* qui in *Ver.* 5. affirmat, Verum omnium, primum duodecim convivas invitasse, quum tamen notissimum sit dictum de numero convivarum, *Septem convivium, novem vero convicium.* (V. CONVIVIUM) Etiam tertiusdecimus conviva sæpe additus fuit, qui rex convivii dicebatur, et erat Apollinis loco, ut satis luculenter apparet ex *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Euangelus, Dysarius et Horus superveniunt convivio, in quo, excepto rege convivii, tot erant convivæ, quot Musæ sunt. Tum omnes orare blandeque ad commune invitare consortium Euangelum et cum eo pariter ingressos. Quid ergo perfecto numero, inquit Euangelus, quæritis adjiciendos? Et Vettius (*convivii rex*), Hoc, inquit, nobis præsentia vestra præstabit, ut et Musas impleamus, et Gratias. Hæc ex *Macrobio.* Hinc factum est, ut, quum tredecim etiam fuissent convivæ in postrema Christi cena, de qua mentio est in *Euang. S. Johann. loc. cit.*, quumque unus ex illis, Judas Iscariotes, Christi proditor fuerit, usus apud nostrates obtinuerit, ut tertiusdecimus convivarum numerus ominosus habeatur. — *Stibadium* inter donaria ponitur in *Inscript.* apud *Fabrett.* 676. 29. (*Orell. n.* 2358.) PONTIVS DADVCHVS SPIRARCHES LIBERI PATRIS STIBADIVM *statvit* LOCO.

STĬBI. *V.* STIBIUM.

STĬBĪNUS, a, um, adject. (stibium) e stibio confectus, *di stibio. Vulgat. interpr.* 1. *Par.* 29. 2. Lapides onychini et quasi stibini.

STĬBĬO, as, āvi, are, a. 1. (stibium) stibio pingo. *Vulgat. interpr. Ital.* 4. *Reg.* 9. 30. Hiezabel audivit de adventu ejus et stibiavit sibi oculos suos. *Noster* depinxit stibio.

STĬBĬUM, ĭi, n. 2. (στίβι, στίμμι et στίμμις) Dicitur etiam *stibi, is,* στίβι, apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 37. (115). Additis duabus sextis denarii e stibi *etc. Scribon. Compos.* 27. Recipit collyrium hæc: Croci P. IV., cadmiæ P. IV., stibis P. IV. etc. Adde *ibid.* 34. et *Cels.* 5. 19. *et* 20. 5. *et* 6. 6. — Item *stimmi,* στίμμι, apud *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 33. (101). et *Scribon. Compos.* 23. et 24. — Stibium est metalli genus, Italis *stibio, antimonio o solfuro di antimonio,* Græcis στίβι, quod a στιβέω seu στείβω, adstringo, quia eam vim habet. V. *Corsi, delle Pietre p.* 128. Usus ejus est mulieribus in fucanda facie. Peculiariter vero ad venustandos oculos olim stibio utebantur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 33. (101). In iisdem argenti metallis invenitur, ut proprie dicamus, spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen translucentis: stimmi appellant, alii stibium (*Sillig.* stibi), alii alabastrum, aliqui larbasim. Duo ejus genera, mas et femina *etc.* Vis ejus adstringere et refrigerare: principalis autem circa oculos, namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos. Et fluxiones inhibet oculorum exulcerationesque etc. Hæc *Plin.* Apud *Cels.* 6. 6. sæpe in compositionibus collyriorum stibium memoratur, ut *n.* 6. 8. 12. 13. etc. — In illo *Hieronym. Comm.* ad *Is.* 54. 11. ex *LXX. interpr.* Sternam in stibio lapides tuos. *stibio* pro pulcritudine sumitur ex dicto mulierum more.

STĪCA, æ, f. 1. tunica involvens singulos allii nucleos. *Cato R. R.* 70. et *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med.* et 10. *ibid.* 112. Ita legunt et interpretantur *Salmas., Græv,* et *Voss.*, quos contra *spicam,* veterem lectionem, acriter et merito tuetur *Pontedera* ad *loc. cit. Caton. V.* SPICA. Ita *Forcellinus.* Hanc tamen voc. confirmat *Ambros.* 2. *Abr.* 3. *n.* 9. ex Codd. MSS. et *Gloss. Isid.* Stica, tunica.

STĪCHA *vel* stica, æ, f. 1. στίχη, Græcis est uvæ genus, quam Latini apianam dicunt; a στίξ, στιχός, ordo: nempe ab acinorum ordine. (*V. Döderlein v.* 6. *p.* 348.) *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (81). Cf. STICULA.

STĪCHAS, ădos, f. 3. στιχάς, herbæ genus apud *Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 89. *retro.*

STĪCHUS, i, m. 2. στίχος, versus. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 54. 6. *Keil.* Omnis versus κατὰ τὸ πλεῖστον in duo cola dividitur. Abusive autem etiam comma dicitur colon. His quidam adjungunt stichum, id est versum, sub hujusmodi differentia, ut sit versus, qui excedit dimetrum, unde et hemistichium dicitur, colon autem et comma intra dimetrum. — *Stichus* inscripta est etiam comœdia *Plauti,* quam ipse ex Gr. Φιλάδελφοι, Menandri fabula, expressit. *V. Ritschl, Pa*r*erg. p.* 261.-280. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

STĪCŬLA, æ, f. 1. genus vitis apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. *ad fin.* fortasse eadem ac sticha, ejusque est deminutivum: nomen habens ex eo, quod acina lineis, venulis striisque distincta et ordinata producit.

STIGMA, ătis, n. 3. (στίγμα) Etiam *stigma, æ,* f. 1. (*V.* SCHEMA) occurrit apud *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Quamdiu vixerit, habebit stigmam, nec illam nisi Orcus delebit. Adde *ibid.* 69. — Stigma est punctum, nota, signum, στίγμα (*It. puntura, bollo, marchio; Fr. stigmate, marque; Hisp. marca, impresion; Germ. das Brandmal; Angl. a puncture, mark*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Hieronym.* ex *Origin. Hom.* in *Cant.* 1. *in fin.* In hoc quoque lætandum est, si similitudines auri, si stigmata faciamus argenti. Cf. *Vulgat. interpr. Cant.* 1. 10. Murenulas auri faciemus tibi vermiculatas argento. Græce: Ὁμοιώματα χρυσίου ποιήσομέν σοι μετὰ στιγμάτων τοῦ ἀργυρίου. Cf. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 10. (30). Stigmata delentur columbino fimo ex aceto. Sic *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 113. Stigmata delentur columbino fimo trito etc. ¶ 2. Speciatim est punctum, nota, signum, quod servorum præcipue fugitivorum aliorumque, quos infamia notare placeret, frontibus inurebatur (*V.* LITTERATUS): a στίζω, pungo. Interdum hæc erant simplices notæ, interdum litteræ et verba. Poterant tamen deleri. Hinc *Colum. De cult. herb.* 125. herba Deletura quidem fronti data signa fugarum. *sc.* lepidium vel oxigala. Cf. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 70. (181). *V.* LEPIDIUM. *Petron. Sat.* 103. Sequar ego, frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puniti. (*Alii leg.* puncti.) *et mox.* Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris, et notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit. *et ibid.* 105. *sub fin.* Stigmata captivorum frontibus impressa. *Vitruv.* 2. 8. *a med.* Stigmata alicui imponere. *Seneca* 4. *Benef.* 37. *sub fin.* Stigmata alicui inscribere. *Quintil.* 7. 4. *ante med.* scribere. *Sueton. Cal.* 27. Deformare quempiam stigmatum notis. *Martial.* 10. 56. Tristia servorum stigmata delet Eros. *Cajus Dig.* 1. 13. et *Ulp.* 1. 11. Qui servi a dominis pœnæ nomine vincti sint quibusve stigmata inscripta sint etc. — De his stigmatis V. *Labus, Fasti T.* 12. *p.* 479. ¶ 3. Item notæ inustæ in manu aut brachio tironibus militiam ingressis, per quas inter milites scribebantur, postquam experimento compertum fuerat, eos militaribus muneribus pares futuros. Quod et in aliis servis publicis factitatum est. (Cf. *Heroid.* 7. 232. et *Deyling. Obs. Sacr. T.* 3. *p.* 423.) Hinc *Veget.* 1. *Militt.* 8. Sed non statim punctis signorum inscri-

bendus est tiro dilectus, verum ante exercitio prætentandus etc. *Id.* 2. *ibid.* 5. Puncturis (*lege* Victuris) in cute punctis milites scripti et matriculis inserti. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 11. 9. 3. Stigmata, hoc est notæ publicæ fabricensium brachiis ad imitationem tironum infliguntur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci. Idem statuit *Imp. Zeno ibid.* 42. 10. de aquæductuum custodibus, quorum manibus suum nomen imprimi decernit, ut manifesti sint omnibus, nec ad alios usus abducantur. ¶ 4. Item dicitur apud Ecclesiasticos scriptores de vulneribus seu plagis Christi et Sanctorum. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 332. Ast ego transfixas clavis nisi videro palmas Atque beata crucis tum stigmata carne gerentem. *Vulgat. interpr. Gal.* 6. 17. Ego *(Paulus)* stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. *h. e.* vulnera Christi causâ inflicta, quorum cicatrices in corpore tamquam notæ remanserant. Hinc *Eutrop. Ep.* ad *Gerunt. fil.* 4. Ferte, oro vos, patienter fidei notas, stigmata Christiana, Ecclesiæ paupertatem. ¶ 5. Item de versicoloribus picturis, quibus corpus variatur, quod vulgo nunc dicitur *tatuaggio. Tertull. De virgin. vel. c.* 10. Debebunt etiam et ipsi aliqua sibi insignia defendere aut pennas Garamantum aut scrobulos Barbarorum aut cicadas Atheniensium aut cirros Germanorum aut stigmata Britonum. V. *Herodian. l.* 3.

II.) Improprie de notis in facie ab imperito tonsore novacula factis. *Martial.* 11. 84. Hæc quæcumque meo numerasti stigmata mento, Antiochi ferrum est et scelerata manus.

III.) Translate dicitur de quavis nota infamiæ, v. gr. de famosis versibus. *Martial.* 6. 64. At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor, Vivet et hærebit totoque legetur in orbe: Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte. *et* 12. 62. Frons hæc stigmate non meo notanda. *Sueton. Cæs.* 73. A quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat. Cf. *Auson. Lud. sept. Sap. v.* 13. Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum. « *Segna pur l' atre linee, De' tristi vati vergognose impronte* » (Canal).

STIGMĂTĪAS, æ, m. 1. στιγματίας, servus notis compunctus. *Cic.* 2. *Off.* 7. 25. O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret, quam conjugem! Ita leg. passim et *Non. p.* 4. 6. *Merc.* Est tamen qui perperam malit *stigmaticum.* — *Stigmatias* inscripta est etiam fabula palliata *Nævii,* cujus mentionem facit *Varro* 7. *L. L.* 107. *Müll.*

STIGMĂTĬCUS. *V.* STIGMATIAS et STIGMOSUS.

STIGMO, as, āvi, (ātum) are, a. 1. (stigma) stigmatis noto, notas inuro, στιγματίζω (It. *stimmatizzare;* Fr. *imprimer un stigmate, marquer;* Hisp. *marcar, señalar, notar;* Germ. e. *Brandmal zeichnen;* Angl. *to brand, stigmatize*).

I.) Proprie. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1079. *de Gallis Cybeles.* Quamcumque partem corporis fervens nota Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

II.) Improprie est sanguine emisso inurere. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 4. Si animal stigmare volueris, semissabis illud hoc modo. Alii aliter leg., sed *Schneiderus* hanc lectionem defendit. *V.* adn. ad *h. l.*

STIGMŌSUS, a, um, adject. (stigma) stigmate compunctus, στιγματώδης. *Petron. Sat.* 109. Dicta vetuit in calvos stigmososque jaculari. *Alii minus recte leg.* stigmaticosque. *Arulenus Rustic.* apud *Plin.* 1. *Ep.* 5. Vitelliana cicatrice stigmosus.

STILBON, ontis, m. 3. Accus. sing. *stilbonta* apud *Capell. loc. cit.* — Stilbon appellatur stella Mercurii: a particip. Gr. στίλβων, coruscans. Græce habet *Cic.* 2. *Nat. D.* 30. 53. et *Firmic.* 2. *Mathes.* 2.; Latine *Auson. Edyll.* 18. 11. et *Capell.* 8. *p.* 287., qui ejus lumen *vibrabile* et *vibrabundum* dicit. Adde *Hygin.* 2. *Astron.* 42.

STILĬCĬDĬUM. *V.* STILLICIDIUM.

STILLA, æ, f. 1. *deminut. a* stiria, ut docet *Fest.* in *Stiricidium p.* 344. 13. et 345. 3. *Müll.* et *Serv.* ad *Virg.* 3. *G.* 366. — Stilla est gutta. σταλαγμός (It. *gocciola, goccia, stilla;* Fr. *goutte;* Hisp. *gota;* Germ. *der Tropfen;* Angl. *a drop*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 45. Ut interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 21. (70). Ex eo adipe, quum opus sit, ternis stillis additis in oleum, perunguntur. *Vitruv.* 2. 9. Incidatur arboris crassitudo ad mediam medullam et relinquatur, uti per eam exsiccescat stillando sucus. Tum autem, quum sicca et sine stillis erit arbor, dejiciatur.

II.) Translate de quacumque modica quantitate. *Martial.* 12. 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor. — Metaphorice. *Augustin. Ep.* 140. Pauculæ temporum stillæ. (Cf. 11. *Confess.* 2.) Sic *Ep.* 280. Stillam vacantis temporis nanctus. *Vulgat. interpr. Job* 26. 14. Parvam stillam sermonis ejus audierimus.

H o m o n y m. *Fronto De differ. verb. p.* 2199. *Putsch.* statuit discrimen inter guttam et stillam, quod illa manet, hæc cadit. Sed et *gutta* dicitur, quæ cadit. Sic *Isid.* 13. *Orig.* 20. 5. Cf. *Popm. p.* 234. ed. *Vallaur. Rh. Palæm. De diff. serm.* ex libr. *Sueton. p.* 319. 27. *Roth.* G u t t a imbrium est, s t i l l a olei vel aceti. Cf. GUTTA. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 4. Labitur ex oculis nunc quoque g u t t a meis. Non facile quidem *stilla* pro *gutta* hic dixeris. Cf. *Plin. loc.* supra *cit.* et videsis *Döderlein v.* 3. *p.* 2.

STILLANS, antis, particip. *V.* STILLO.

STILLANTER, adverb. (stillo) stillatim. Translate. *Ambros. Ep.* 41. *n.* 14. Ardorem cupiditatis stillanter exstinguere.

STILLĀRĬUM, ĭi, n. 2. (stilla) exigua stilla. Translate pro parva accessione. *Seneca Ep.* 97., ubi alii leg. *salarium.*

STILLĀTĪCĬUS *vel* stillatitius, a, um, adject. (stilla) stillatim cadens, σταγονίας, στακτός. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (54). Eadem resina si cum aqua levius decoquatur coleturque, rufo colore lentescit ac stillaticia vocatur. *Marcell. Empir.* 9. *circa med.* Ad auris dolorem mel stillatitium opus est.

STILLĀTIM, adverb. (stillo) per stillas, *a stilla a stilla,* περισταλάδην. *Varro* 5. *L. L.* 27. *Müll.* Stillicidium, eo quod stillatim cadat; flumen, quod fluit continue. Adde *Diomed. p.* 407. 8. *Keil.*

STILLĀTĬO, ōnis, f. 3. (stillo) actus stillandi. Translate. *Hieronym.* 1. *in Mich.* 2. 6. Aquila interpretatus est, *ne stilletis stillantes,* eloquium, ab eo quod fluat et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviæ descendentis, stillationem vocans.

STILLĀTĪTĬUS. *V.* STILLATICIUS.

STILLĀTĪVUS, a, um, adject. (stillo) stillaticius. *Plin. Valer.* 1. 18. Stillativum mel.

STILLĀTUS, a, um, particip. *V.* STILLO.

STILLĬCĬDĬUM, ĭi, n. 2. (stilla et cado) De scriptura *stilicidium* cum unica *l* V. *Lachmann.* ad *Lucret.* 1. 313. *p.* 33. — Stillicidium est humor stillatim cadens et ipse casus humoris stillatim defluentis, *acqua, umore che cade a stille, o il cadere dell' acqua a stille, stillicidio,* σταλαγμός.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 27. *Müll.* Stillicidium, eo quod stillatim cadat; flumen, quod fluit continue. *Lucret.* 1. 313. Stillicidi casus lapidem cavat. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 3. Quare rotunda sit grando, etiam sine magistro scire poteris, quum adnotaveris, stillicidium omne conglomerari. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 18. (89). Stillicidia pinus, quercus, ilicis, ponderosissima: nullum cupressi. *et mox.* Stillicidii brevis definitio est, omnium, quæ projectu frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres, stilla sæva est. ¶ 2. Speciatim. — *a*) De urina. *Id.* 30. *ibid.* 8. 21. (65). Herinacei caro stillicidia in vesica emendat, στραγγουρίαν. *et ibid.* Stillicidium urinæ. *Id.* 28. *ibid.* 8. 32. (122). Urina lyncum stillicidia vesicæ inhiberi. — *b*) De melle. *Tertull. Spect.* 27. *extr.* Stillicidia mellis. — *c*) De sanie aut sanguine manante dicitur. *Seneca* 3. *Ira* 18. M. Marius, quem Catilina ante bustum Q. Catuli carpebat, per stillicidia sanguinem dabat. *h. e.* guttatim: nam ei Catilina, jussu Sullæ, perfregerat crura, eruerat oculos, amputaverat manus et paullatim ac per singulos artus laceraverat. — *d*) Sæpe dicitur de casu aquæ pluviæ ex tectis vel ex projecturis tectorum stillatim defluentis, *gronda, grondaja. Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Jura parietum, luminum, stillicidiorum. *Vitruv.* 2. 1. Fastigia facientes proclinatis tectis stillicidia deducebant. *Paul. Dig.* 8. 6. 8. Si stillicidii immittendi jus habeam in aream tuam. *Id. ibid.* 2. 19. Si ex tegula cavitaverit stillicidium. *et mox.* Servitutem stillicidii alicui imponere. *et in fin.* Si in ædificio cadit stillicidium, supra ædificare ei conceditur, dum tamen stillicidium recte recipiatur. *Ulp. ibid.* 16. Imponere vicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 101. *ad fin.* Invenitur qui malit inter supplicia tabescere et perire membratim, et toties per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare. *h. e.* paullatim. At *Forcellinus* in proprium sensum accepit pro sanguinem stillatim emittendo.

STILLO, as, āvi, ātum, are, 1. (stilla) Part. *Stillans* fere in omn. paragr.; *Stillatus* sub *B* I. — Stillo est stillatim humorem emitto aut infundo, στάζω (It. *mandar fuori a stille, stillare, gocciolare, grondare;* Fr. *tomber goutte à goutte, dégoutter;* Hisp. *gotear, caer gota á gota;* Germ. *tröpfeln, träufeln;* Angl. *to let fall in drops, drop*); usurpatur autem *A*) Neutrorum more, et etiam *B*) Transitive.

A) *Stillo* neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Varro* 1. *R. R.* 41. Vas, unde stillat lente aqua. *Lucret.* 6. 515. cera stillet super igni. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. Qui stillantem præ se pugionem tulit. *et Juvenal.* 6. 109. acre malum semper stillantis ocelli. *ci-sposo.* et *Martial.* 10. 56. Non secat et tollit stillantem Fannius uvam. *l'ugola,* unde multa pituita decurrit, ut *Cels.* 6. 14. scribit, quum medicamento illita est. — *b*) Cum Ablat. ejus, quo quis stillat. *Juvenal.* 5. 79. et multo stillaret pænula nimbo. *Tibull.* 3. 4. 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 11. Sanguine (siqua fides) stillantia sidera vidi. *Lucan.* 7. 837. sanguineis stillavit roribus arbor. — *c*) Etiam cum addito Accus. et præp. *per, in,* vel Ablat. sine præp. aut cum præp. *e, de. Seneca Octav.* 513. Stillans sanies per putres vultus. *Lucan.* 6. 547. nigramque per artus Stillantis tabi saniem. *Lucret.* 4. 1053. dulcedinis in cor Stillavit gutta. *Propert.* 2. 7. 88. ferro stillat cruor. *Tibull.* 1. 8. 51. Illius e nitido stillent unguenta capillo. *Ovid.* 1. *Met.* 112. Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Stat.* 3. *Theb.* 536. Cernis inexperto rorantes sanguine ventos Et plumis stillare diem. *et Calpurn. Ecl.* 6. 22. vel te certamine quisquam Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces Rumpis et expellis male singultantia verba? *h. e.* ægre et per intervalla et quasi stillatim exeuntes. *Burmannus* malit *stillantes fauces,* quod sane probabile est. Sic *Seneca Ep.* 40. Æque stillare illam (*orationem*) nolo, quam currere: nec extendat aures, nec obruat. *Vulgat. interpr. Dan.* 9. 11. Stillavit super nos maledictio. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos scriptores est vaticinari et dicitur tum de verbis seu vaticiniis tum de rebus. *Id. Am.* 7. 16. Tu dicis: Non prophetabis super Israel et non stillabis super domum idoli. *Id. Mich.* 2. 9. Non stillabit super istos. *h. e.* non superveniet his pœna. *Id.* 2. *Par.* 12. 7. Non stillabit furor meus. — Passive impersonaliter. *Id. ibid.* 11. Et erit, super quem stillatur, populus iste. *h. e.* pœna statuitur.

B) *Stillo,* transitive cum Accusativo.

I.) Proprie. *Horat. Art. P.* 429. Rorem ex oculis stillare. *h. e.* lacrimulas fundere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 23. 49. (107). Africa ammoniaci lacrimam stillat in arenis suis. *Id.* 20. *ibid.* 5. 20. (40). Cæpam coctam, in auriculis sonitum aut gravitatem emendantes, cum adipe anserino stillavere. — Passive. *Ovid.* 2. *Met.* 364. stilla-

taque sole rigescunt De ramis electra novis. *et* 10. *ibid.* 501. stillataque cortice Myrrha Nomen herile tenet.

II.) Translate. *Cic.* 9. *Att.* 7. Tuæ litteræ mihi quiddam quasi animulæ stillarunt. Ita leg. *Baiter;* at *Wesenberg* instillarunt. *Juvenal.* 3. 122. quum facilem stillavit in aurem Exiguum de naturæ patriæque veneno. (instillò. et *Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 8. 27. Misericordiæ initium stillans in eos. Cf. *A* II. 2.

STILLŌSUS. *V.* STILOSUS.

STĪLO, as, āvi, are, n. 1. (stilus) stilum seu virgam simplicem emitto. *Colum.* 4. *R. R.* 33. Simulatque semina castanearum stilaverint, etiam bima transferri queunt. *abbiano messo lo stelo.* Ita *Gesnerus* et *Schneiderus* recte ediderunt: alii perperam *stillaverint.* V. similia loca in STILUS.

STĪLŌSUS, a, um, adject. (stilus) qui rigidis est membris. *Veget.* 2. *Veterin.* 54. Orthocola jumenta vel stilosa. *Schneiderus* leg. *stillosa* cum duplici *l;* at *Forcellinus* ait, videri vocem esse a *stilus*, qua rectum aliquod significatur, ideoque *stilosus* fortasse scribendum, nam et in loc. simili *Hippiatr. p.* 262. οἱ τὰ γόνατα ὑγρὰ ἔχοντες etc. καὶ ὅμοια τοῖς ὀρθοκώλοις (corrige ὀρθοκώλοις) ἢ πασσάλοις λεγομένοις. At *Klotzius* aliique recentiores hanc voc. omittunt. *V.* ORTHOCOLUS, ubi locus *Veget.* integer affertur.

STĪLUS (stylus), i, m. 2. Sunt qui scribunt *stylus* per *y* (præsertim, qua est instrumentum scriptorium), ducunt namque vocem a Gr. στῦλος; quamquam, quum in Latinam linguam vox translata sit, consuetudo obtinuit, ut Latinis etiam litteris scriberetur. Ita *Forcellinus* (*V.* et *Cellar. Orth. lat.*) et bene quidem, si hæc sit vera nominis origo; at longe probabilius, quum prior Latinæ vocis syllaba, non longa, ut in Græca allata, sed brevis sit, et rectius communiusque per *i* scribatur, ducunt alii a rad. Skr. *stig,* pungo, unde et Gr. στίζω (th. στιγ), ejusdem significationis, et Lat. *stimulus* pro *stigmulus* et per contract. *stilus.* — Stilus est igitur quidquid pungit, acies, aculeus (It. *punta;* Fr. *pointe, objet pointu;* Hisp. *punta, punzon;* Germ. *die Spitze, spitziger Pfahl;* Angl. *point, object sharppointed*): idcirco sumitur pro quolibet instrumento erecto et acuminato; speciatim vero

I.) Proprie. ¶ 1. Sæpissime ponitur pro instrumento scriptorio ferreo vel aeneo, quo in ceratis tabulis veteres scribebant, quod ab una parte acuminatum erat ad litteras formandas, ab altera obtusum et planum ad delendum, si opus esset, quod scriptum fuerat, et ceram rursus complanandam: alio nomine *graphium* dictum est. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 39. (139). Stilo (*ferreo*) scribere interdictum (*al.* vetitum), ut vetustissimi auctores prodiderunt. Hinc *Isid.* 6. *Orig.* 9. Græci et Tusci primum ferro in cera scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Postea institutum est, ut ceram ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens: Vertamus vomerem in ceram mucroneque aremus Osseo. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 63. Effer cito stilum, ceram, tabellas et linum. *et ibid.* 76. Cape stilum propere et tabellas: quod jubebo, scribito istic. *et mox.* 97. Cedo tu ceram ac linum actutum, age obliga, obsigna cito. *Quintil.* 10. 4. 1. Stilus non minus agit, quum delet. Cf. *Vulgat. interpr. Job* 19. 28. In stilo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice. *V.* CELTIS. — De hoc stilo ingeniose *Auct. Sympos. Ænigm.* 1. *Wernsd.* De summo planus, sed non ego planus in imo: Versor utrinque manu, diverso et munere fungor: Altera pars revocat quidquid pars altera fecit. — *Stilum vertere* est ejus partem planam scriptis impingere, ut ea deleantur, inducantur, mutentur. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 72. Sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sint, Scripturus. *Cic.* 4. *Verr.* 41. 101. Vertit stilum in tabulis suis, quo facto causam omnem evertit suam. — Hinc translate. *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 21. 13. Delens vertam et ducam crebrius stilum super faciem ejus (*Jerusalem*). *h. e.* excidio puniam. — *Stilo hominis scribere* apud *eumd. Is.* 8. 1. est scribere communi, facili et perspicuo dicendi genere. ¶ 2. In re rustica *stilus* — *a*) Est instrumentum ligneum vel ferreum vel alterius materiæ, in modum columnæ teres, erectum acuminatumque, quo utuntur agricolæ ad purgandas arbores vel ad inserenda semina. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Et ligneo stilo laxatis vel rubi vel ferulæ medullis, stercus immittere. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *circa med.* Si vermibus occupentur, stilo æreo purgandi sunt. — Hinc translate. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 96. Ubertas orationis stilo depascenda est. *h. e.* resecanda superflua. — *b*) Item teres virgultum, *stelo. Colum.* 11. *R. R.* 3. *a med.* Stilus asparagi. *Id.* 5. *R. R.* 10. *sub fin.* Danda est opera, ut dum (*amygdalæ*) teneros ramulos habent, veluti pampinentur et ad unum stilum primo anno semina redigantur. *Id. ibid. circa med.* Omnis autem nux unam radicem mittit et simplici stilo prorepit: quum ad scrobis solum radix pervenerit etc. *V.* STILO, as. ¶ 3. In re militari *stili,* qui et *cæci* dicuntur, vocatæ sunt ferreæ cuspides, sudes acutæ, stimuli, acumina latenter humi infixa, in quæ hostes incauti incidentes, et præcipue equitatus, sese misere induebant. *Stimuli* a *Cæs.* 7. *B. G.* 73. dicuntur. *V.* CERVUS et TRIBULUS. *Auct. B. Afr.* 31. *a med.* Extra vallum stili cæci, mirabilem in modum consiti vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant. *Sil. It.* 10. 413. Quaque patet campus planis ingressibus hosti, Cervorum ambustis imitantur cornua ramis, Et stilus occultur, cæcum in vestigia telum. ¶ 4. Est etiam gnomon, apud *Capell.* 6. *p.* 194.

II.) Translate, per metonymiam, qua est instrumentum scriptorium. ¶ 1. Ponitur pro ipsa forma scriptionis seu structura verborum, charactere, phrasi, genere dicendi. *Ter. Andr. prol.* 12. Dissimili oratione sunt (*fabulæ*) factæ ac stilo. *Cic. Brut.* 45. 167. Orationes Attico stilo scriptæ. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Stilus pressus et demissus. *Quintil.* 1. 1. *ad fin.* Tardior stilus cogitationem moratur, rudis et confusus intellectu caret. *Id.* 2. 4. 13. Stilus negligens. *Sueton. Aug.* 85. Tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stilo, abolevit, *Id. Tib.* 70. Obscurare stilum. *Trebell. Poll. Ol.* 7. Illud poeticus stilus fingit. ¶ 2. Item pro ipso scribendi exercitio. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Stilus optimus et præstantissimus dicendi effector et magister. *Id.* 3. *ibid.* 49. 190. Quum exercitatione, tum stilo, qui et alia et hoc maxime ornat et limat, formanda nobis oratio est. ¶ 3. Item pro scriptione ipsa seu scripto sermone. *Vellej.* 1. 16. 1. Signare stilo. *Vopisc. Bonos.* 15. Majore stilo dicendi sunt. *Ammian.* 27. 4. 2. Si veteres concinerent stili. *Id.* 23. 6. 13. Geographici stili. *Id.* 25. 3. 21. Familiares opes junctioribus velut supremo distribuens stilo. *h. e.* testamento. ¶ 4. Et pro lingua. *Hieronym. Ep.* 3. Græcus, Romanus stilus. *Porphyrion* ad *Horat.* 2. *Ep.* 1. 64. Transferre in stilum Latinum. ¶ 5. Item est votum, sententia, suffragium, quod nempe stilo in tabellis scribebatur. *Apul.* 10. *Met.* Quum jam sententiæ pares, cunctorum stilis ad unum sermonem congruentibus, ex more perpetuo in urnam æream deberent conjici.

STIMMI. *V.* STIBIUM.

STĬMŬLA. *V.* STIMULUS init.

STĬMŬLANS, antis, particip. *V.* STIMULO.

STĬMŬLĀTĬO (stimulacio), ōnis, f. 3. (stimulo) actus stimulandi, *stimolazione, instigazione,* κεντισμός. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (7). Erat hæc stimulatio ingens. *Tac.* 1. *Hist.* 90. Nec metu aut amore, sed ex libidine servitii privata cuique stimulatio.

STĬMŬLĀTOR, ōris, m. 3. (stimulo) qui stimulat, κέντωρ.

I.) Proprie. *Juvenc. carm. in Exod.* 971. Quod siquis gemines ducenda ad plaustra juvencos Commodat – Idem si fuerit præsens stimulator euntum etc. Cf. *Vulgat. interpr. Jer.* 46. 20. Vitula etc. stimulator ab Aquilone veniet ei, ubi tamen est allegoria.

II.) Translate, qui incitat vel sollicitat ad aliquid agendum, *spronatore, instigatore, stimolatore. Cic. Dom.* 5. 11. Seditionis quidem stimulator et concitator tu fuisti. *Alii rectius leg.* instimulator. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 501. Arctoi stimulator perfide Martis. Adde *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 5.

STĬMŬLĀTRIX, trīcis, f. 3. (stimulo) quæ stimulat, lena, *instigatrice, stimolatrice. Plaut. Most.* 1. 3. 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici. Adde *ibid.* 62.

STĬMŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* STIMULO.

STĬMŬLĀTUS, us, m. 4. (stimulo) stimulatio. *Pseudo-Cyprian. de Jud. incred.* 8. *p.* 129. 19. *H.* Animante stimulatu domini.

STĬMŬLĔUS, a, um, adject. (stimulus) ad stimulum spectans, ut Supplicium stimuleum, quod stimulis infligitur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 31. Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur. *Id. Most.* 1. 1. 53. Ita te forabunt patibulum per vias Stimuleis terebris, huc si reveniat senex. Hanc lect. defendit *Ritschelius* in *Parerg. p.* 483.; at vulgo *stimulis* pro *stimuleis terebris.*

STĬMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (stimulus) Part. *Stimulans* II. 1. 2. *a, e; Stimulatus* I. et II. 2. *b.* — Stimulo est stimulo fodio, pungo, κεντέω (It. *pungere, spronare;* Fr. *piquer d'aiguillons;* Hisp. *picar, punzar, herir de punta, de aguijon, aguijar;* Germ. *mit d. Stachel stechen, stacheln;* Angl. *to prick, goad*).

I.) Proprie. *Lucan.* 7. 570. (et *Sil. It.* 16. 367.) Nobilis hunc Durius stimulabat in æquore currum. *h. e.* hos equos ad currum junctos. *Id.* 4. 441. Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello. *Colum.* 7. *R. R.* 3. Ea res ferum prohibet a rixa, quum stimulatum suo ictu ipse se sauciat. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 9. Equos vehementer calcaribus stimulatos in adversos Samnites egit.

II.) Translate. ¶ 1. Est cruciare, sollicitum habere, curam afferre. *Plaut. Cist.* 2. 1. 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser. *Id. Capt.* 3. 4. 67. Deliramenta loquitur: larvæ stimulant virum. *Cic. Rosc. Am.* 2. *sub fin.* Hunc sibi ex animo scrupulum ut evellatis, postulat, qui se dies noctesque stimulat ac pungit. *Id. Parad.* 2. *sub fin.* Te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant judiciorum. *Liv.* 44. 44. Consulem cura stimulabat. Adde *Ter. Heaut.* 2. 1. 11. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 326. curis animum stimulantibus ægrum. ¶ 2. Est etiam impellere, commovere, concitare. — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 9. rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris Incustoditum captat ovile lupus. *Curt.* 7. 7. 2. Stimulante metu. — *b*) Cum Accusativo. *Lucret.* 2. 620. stimulat numero cava tibia mentes. *Liv.* 1. 22. Tum ætas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (32). Stimulare fugam hostium. *h. e.* præbere hostibus fugiendi causam. *Lucan.* 1. 208. *de leone.* ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ Erexitque jubam. — Cum homonymis. *Liv.* 3. 68. Incitare et stimulare aliquem. *Plin.* 6. *Ep.* 5. *a med.* Qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem cursitabant, nunc quasi stimularent et accenderent, nunc quasi reconciliarent componerentque. — Passive. *Cic. Dom.* 55. 140. Si aram aliquam in litora deserto, somniis stimulatus aut religione aliqua, consecraret. *Catull.* 63. 4. Atys stimulatus furenti rabie. *Stat.* 8. *Theb.* 93. oro, minas stimulataque corda remulce. *Ovid.* 4. *Met.* 235. Stimulatus ira. *Martial. Spectac.* 19. taurus stimulatus flammis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 591. Jurgia præcipue vino stimulata caveto. *Claudian. II. cons. Stilich.* 341. Stimulata fames. *Id.* 2. *in Eutrop.* 269. Rhodano stimulatus Arar. *h. e.* impulsus ad cursum. Est enim Arar lenti fluminis, Rhodanus præcipitis, quum miscentur, hic illum secum trahit. — *c*) Cum addito Accus. et præp. *ad, in. Liv.* 1. 23. *a med.* Cupido imperii populos ad arma stimulat. *Id. ibid.* 40. Dolor in Tarquinium ipsum stimulabat eos. — *Id* 21. 11. Stimulare in bostes. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 207. in arma. *Sall. Cat.* 18. Inopia et mali mores stimulant ad perturbandam rem-

publicam. — Passive. *Tac.* 2. *Hist.* 44. Extrema desperatione ad iram sæpius, quam in formidinem stimulabantur. — *d*) Cum Conjunctivo et partic. *ut, ne. Cic.* 3. *Fam.* 12. *in fin.* Ut vetus nostra simultas antea stimulabat me, ut caverem, ne *etc.* sic affinitas novam curam affert cavendi, ne etc. *Tac. dial. de Orat.* 37. Non minus rubore, quam præmiis stimulabantur, ne etc. — Subaudita part. *ut. Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 121. *Oehl.* morbo stimulatur eodem, Ex sese ipse aliquid quærat cogatque peculi. — *e*) Cum Infinito. *Sil. It.* 12. 503. sparsosque per arva juvencos Jactare accensis stimulavi cornibus ignes. *Lucan.* 6. 423. stimulante metu fati prænoscere cursus. ¶ 3. Hinc pro orexim facere, cupidinem excitare, *svegliare, far venir voglia. Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 67. (132). Persicorum succus sitim stimulat. *Id.* 20. *ibid.* 5. 15. (32). Stimulari Venerem hoc cibo, certum est. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (38). Veneris sidus animalium omnium conceptus stimulat. *h. e.* excitat animalia ad concipiendum. — Absolute. *Id.* 9. *ibid.* 35. 54. (107). Conchas, ubi genitalis anni stimularit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt.

Homonym. *Pungere* et *stimulare* putant nonnulli differre eo quod illud dolorem excitet, hoc præter dolorem aliquid aliud morale, v. c. vigilantiam et alia hujusmodi; vel illud externa afficiat, hoc vero intima pervadat. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6.

STĬMŬLŌSUS, a, um, adject. (stimulus) stimulis plenus. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 9. 90. et 3. *Acut.* 18. 179. Stimulosum desiderium Veneræ voluptatis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 14. 91.

STĬMŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. init.

STĬMŬLUS, i, m. 2. *Stimulum*, neutr. gen., apud *Plaut. Men.* 5. 2. 112. Jam astiti in currum, jam lora teneo, jam stimulum in manu est. *Gloss. Gr. Lat.* Κέντρον, stimulum, stimulus. — Etiam *stimula*, æ, f. 1. apud *Vulgat. interpr. Ital. Act.* 22. 7. Durum tibi contra stimulam calcitrare. Hinc STIMULA dea, de qua *V.* ONOM. — Etymon petitur a rad. Skr. *tig*, acutum esse, acuere; hinc, præfixa littera *s*, Gr. στιγ, unde στίζω, pungo, et στίγμα, stigma, ut sit pro *stigmulus.* Cf. STILUS. — Stimulus universim est aculeus; speciatim vero fustis acutæ cuspidis, quo rustici boves suppungunt, κέντρον (It. *stimolo, pungolo*; Fr. *aiguillon*; Hisp. *aguijon*; Germ. *d. Stachel*; Angl. *a goad*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Tibull.* 1. 1. 10. stimulo tardos increpuisse boves. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Stimulo lacessere juvencum. Adde *Plaut. loc.* supra *cit.* — *Si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet*, proverb. apud *eumd. Truc.* 4. 2. 55., quo significatur, suo damno quempiam adversari, quem vincere numquam possit. Huic simile est illud apud *Ter. Phorm.* 1. 2. 28. Nam quæ inscitia est, adversum stimulum calces? Sic *Vulgat. interpr. Act.* 9. 5. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. πρὸς κέντρα λακτίζειν. *h. e.* temere et cum sui periculo aut exitio resistere. Cf. *Pind. Pyth.* 2. 173., *Æsch. Prom.* 323. et *Eurip. Bacch.* 791. Similiter *Ammian.* 18. 5. 1. contra acumina calcitrare. *V.* CALCITRO. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de flagello, quo aurigæ equos ad cursum incitant. *Sil. It.* 7. 701. cecidere et lora repente Et stimuli. *Id.* 16. 431. ni Prodicus elapso foret inter verba flagello *etc.* Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora. ¶ 3. Item de eo instrumento, quo puniebantur servi nocentes. Hinc Stimulorum seges, *Plauto Aulul.* 1. 1. 6. Stimulorum loculi (*Both.* joculi), *Cas.* 2. 8. 11. Stimulorum tritor, *Pers.* 5. 2. 17. convicia sunt in malum servum. *Id. Most.* 1. 1. 53. Ita te forabunt patibulatim per vias stimulis. *Id. Asin.* 2. 4. 12. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit, qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis. *Id. Curc.* 1. 2. 40. Stimulo fodere aliquem. *Cic.* 2. *Phil.* 34. *a med.* Quid hoc turpius? quid fœdius? quid suppliciis omnibus dignius? num exspectas, dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio. ¶ 4. Latissimo sensu in re militari *stimuli* sunt sudes acutæ humi latenter defixæ ad hostium incursionem sistendam. *V.* STILUS. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Taleæ pedem longæ ferreis hamis infixis totæ in terram defodiebantur, mediocribus intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant. *et ibid.* 82. Postea quam propius successerunt, se ipsi stimulis inopinantes induebant. ¶ 5. Item stimulus cuspidatus, *rallo*, apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). est cuspis ferrea, qua purgatur vomer. ¶ 6. Item pro stilo, qua est instrumentum scriptorium. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 50. Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant, Qua parte aratis cera sulcis scribitur: Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti Rursus nitescens innovatur area.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro cruciatu et omni re, qua vexamur. *Lucret.* 3. 874. Scire licet non sincerum sonere atque subesse Cæcum aliquem cordi stimulum. *Cic.* 2. *Tusc.* 27. 66. Non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus, licebit. *Plaut. Truc.* 4. 3. 79. Næ ista stimulum habet, quæ cor pungit meum. *Seneca Phœniss.* 206. Novos stimulos dolori suffigere. *Id. Agam.* 133. Mixtus dolori subdidit stimulos timor. ¶ 2. Item, per metaphoram, pro incitamento: et quidem absolute vel addito Accus. cum præp. *ad, in. Cic. Arch.* 11. *in fin.* Quæ noctes et dies animum gloriæ stimulis concitat. *Id. Sext.* 5. 12. Quot stimulos admoverit homini fortassis studioso victoriæ. *Tac.* 1. *Hist.* 33. Novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis. *Id.* 3. *ibid.* 45. Propriis in reginam stimulis accendebatur. *Sil. It.* 7. 512. Invidiæ stimulo fodit. *Id.* 16. 604. stimuli si laudis agunt nos, Hanc segetem mete. *Lucan.* 1. 262. dubiæque in prœlia menti Urgentes addunt stimulos. *Quintil.* 10. 7. *circa med.* Addit ad dicendum etiam pudor stimulos. *Lucan.* 2. 324. acres irarum movit stimulos. *Liv.* 30. 14. Non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 76. Ingenio stimulos subdere Fama solet. *Id.* 1. *Met.* 244. Stimulos adjicere furenti. *et ibid.* 726. Cæcos stimulos condere alicui in pectore. *Virg.* 9. *Æn.* 718. stimulos acres sub pectore vertit. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 94. acres Subjectat lasso stimulos versatque negantem. *Virg.* 11. *Æn.* 452. arrectæ stimulis haud mollibus iræ. *Id.* 4. *ibid.* 405. Stimulis agere aliquem. *Sil. It.* 1. 113. acuere. *Ovid.* 2. *Pont.* 11. 19. quod fuerat stimulis factura sine ullis, Plenius, auctorem te quoque nacta, facit. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 12. 7. Stimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet. (Gr. σκόλοψ, lignum præacutum) *h. e.* incentivum libidinis. Alii tamen interpretes, præsertim e Græcis Patribus, de acerrimo aliquo adversario; alii vero de perpetuo corporis morbo intelligunt.

STINC pro Istinc, apud *Virg.* 6. *Æn.* 389. Jam stinc et comprime gressum. V. *Ribbeck* ad *h. l.* Sunt tamen formæ Comicis usitatæ. *V.* STA.

STINCHUS. *V.* STINGUS.

STINCTUS, us, m. 4. (stinguo) actus stinguendi. *Auct. App.* ad *Prob. p.* 193. 5. *Keil.* hanc voc. in Ablat. affert, nullo tamen auctore laudato.

STINGO. *V.* STINGUO init.

STINGUENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

STINGUO, stinguis (stinxi, stinctum), stinguere, a. 3. Etiam *stingo* pro *stinguo*, agnoscit *Priscian. p.* 895. *Putsch.* — Vox est rarissimi usus, longe usitatior in compositis *exstinguo, restinguo* etc. et derivatur ab eadem rad., a qua *stimulus*, interjecta littera *e* ad pleniorem sonum; hinc proprie significat acuere vel pungere, ut videre est in *distinguo*, h. e. dispungo, ex etymologorum quorumdam notatione. *V.* DISTINGUO. — Part. *Stinguens.* — Stinguo est idem quod exstinguo, deleo, tollo. *Lucret.* 2. 827. Evanescere paullatim stinguique colorem. *Id.* 1. 666. Stinguere ignes. *et* 4. 1091. ardorem. *Cic. Prognost. apud Priscian.* 10. *p.* 882. Stinguuntur radii (solis) cæca caligine tecti. *Id.* in *Arat. apud eumd. loc. cit.* quem neque tempestas perimet neque longa vetustas Interimet stinguens præclara insignia cæli.

STINGUS *et* stinchus, i, m. 2. herbá, quæ alio nomine satyrion appellatur. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 43. Satyrion, quam vulgus vocat stingum; Venerem enim suscitat. Ita leg. *Lindem.*; alii aliter. — Distinguitur tamen a *satyrio* in illo *Theod. Priscian.* 2. 11. Et piper, satyrion et stinchus et ervi semina etc.; nisi malis aliud esse *stingus* a *stinchus*, aut partic. *et* usurpari pro *vel*.

STĪPA, æ, f. 1. Quidam scribunt *stypa*, a Græco στύππη, stupa. — Stipa, si *Servio* credimus ad *Virg.* 1. *Æn.* 437., est stipula, quæ in navibus interponitur vasis, ne concutiantur collidanturque. *Id.* ad 3. *ibid.* 465. stipatores dici ait, qui in navibus componunt (scil. *vasa et sarcinas*) a stipa. *Fest.* quoque in *Stipatores p.* 351. 32. *Müll.* docet, stipam esse, qua amphoræ, quum exstruuntur (*h. e.* simul componuntur, ut transferri possint), firmari soleat. Rursus *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 682. veteres ait *stipam* pro stupa dixisse. Sed *V.* STUPPA. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

STĪPĀBĬLIS, e, adject. (stipo) qui stipari potest vel stipatur. *Gloss. Cyrill.* Στοιβάσιμος, stipabilis.

STĪPĀMEN, mĭnis, n. 3. (stipo) stipatio. *Hegesipp.* 5. *Excid. Hier.* 3. (tribuitur *Ambros.* in Cod. Mediol.) Plebs ferebatur latronum armis premi et factionum stipamine circumveniri.

STĪPANS, antis, particip. *V.* STIPO.

STĪPĀTĬO, ōnis, f. 3. (stipo) actus stipandi.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 3. *extr.* Tunc surgit aura, quum datum est laxamentum corporibus et stipatio illorum ac turba resoluta est. *densezza.* et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 27. (53). *de anserib.* Fessi profėruntur ad primos. ita ceteri stipatione naturali propellunt eos. *con lo starsi addosso e unite l'una all'altra le spingono.* ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, dicitur de caterva hominum densa, comitatu, turba, *folla, calca. Varro* 7. *L. L.* 91. *Müll.* Latrones dicti a latere, qui circum latera erant regi, quos postea a stipatione stipatores appellarunt. *Cic. Sull.* 23. *ad fin.* Autronii aspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum, metum nobis seditionesque afferebant. *comitiva, corteggio.* et *Mamertin. Paneg. Maxim.* 5. *a med.* Quum neque milites, non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent. *collo starti uniti e vicini al fianco.* et *Plin.* 4. *Ep.* 16. Adeundi mihi locus, nisi a tribunali, non fuit. tanta stipatione cetera tenebantur. *folla, calca.* et *Auct. Paneg. ad Maxim. et Constant.* 8. *ad fin.* Te primo ingressu tanta frequentia populus excepit, ut quum te ad Capitolium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas Urbis admitteret.

II.) Metaphorice. *Quintil.* 5. 14. *a med.* Orationem constare totam, aut certe confertam esse aggressionum et enthymematum stipatione, minime velim. *folla di entimemi.* et *Mamertin. Paneg. Maxim.* 3. Obsequiorum stipatio. — *NB.* De *stipatione* pro *stirpatione*, V. hanc voc.

STĪPĀTOR, ōris, m. 3. (stipo) universim, qui stipat; speciatim vero ¶ 1. Est qui stipat et componit in navibus: ut in STIPA dictum est. V. *Servii loc. cit. ibid.* ¶ 2. Item qui alterum comitatur ejusque lateri adhæret, tutelæ, honoris aut amicitiæ causa. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Janitores ex equestri loco ducentos in annos singulos, stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis. *h. e.* qui comitentur decemvirum in provincia: similes iis, qui cohore prætoria dicebantur. Vocat autem *stipatores* odioso vocabulo, quia sic dicebantur custodes corporis regum: de quibus mox. *Sall. Cat.* 14. Catilina omnium flagitiosorum atque facinorosorum, circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 65. Apronius stipatores Venerios secum habebat: ducebat eos circum civitates etc. *Id. Dom.* 5. *a med.* Quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui corporis, signifer seditionis. ¶ 3. Dicitur et de iis, qui regis latus stipant custodiæ causa, prote-

etores, corporis custodes, *guardie*, σωματοφύλακες. *Varro* 6. *L. L.* 52. *Müll.* Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi —: quos postea a stipatione stipatores appellarunt. *Cic.* 2. *Off.* 7. *a med.* Alexander Pheræus præmittebat de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres. *Justin.* 13. 4. *a med.* Stipatoribus regiis satellitibusque Cassander præficitur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 137. dum tu quadrante lavatum Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum Præter Crispinum, sectabitur. *Seneca* 1. *Clem.* 12. *extr.* At illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 25. *extr.* et 11. *ibid.* 16.

STĪPĀTRIX, trīcis, f. 3. (stipator) quæ stipat sive comitatur. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 16. Cornices deducunt eas ac dirigunt et veluti quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur.

STĪPĀTUS, a, um, particip. *V.* STIPO.

STĪPENDĬĀLIS, e, adject. (stipendium) Primam licenter corripit *Sidon. loc. cit.* — Stipendialis est ad stipendium pertinens. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. *in carm. a med.* Ipse hic Parthicus Arsaces precatur, Aulæ Susidis ut tenere culmen Possit fœdere sub stipendiali. *h. e.* quo se ad stipendium ac tributum pendendum obstrinxit. *Onom. Lat. Gr.* in *Thes. utr. Ling.* ed. *Vulcan.* Stipendiale, μισθοφορικόν.

STĪPENDĬĀRĬUS, a, um, adject. (stipendium) ad stipendium pertinens, qui stipendio, h. e. tributo (quod fere imponitur, ut ex eo stipendium militi detur) pendendo obnoxius est, ὑποτελής (It. *tributario;* Fr. *tributaire;* Hisp. *tributario;* Germ. *tributär, zinsbar;* Angl. *tributary, stipendiary*). ¶ 1. Universim. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Ut reliquas civitates stipendiarias haberent. *et ibid.* 36. Æduos sibi stipendiarios esse factos. *Vellej.* 2. 37. 5. Syria quæ facta est stipendiaria. *Frontin.* 2. *De controv. agr.* p. 36. 1. *Lachm.-Rud.* Habent agros colonicos, habent et colonicos, qui sunt immunes, habent et colonicos stipendiarios. *Flor.* 3. 20. *a med.* Ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro. ¶ 2. *Stipendiarium vectigal* est tributum certum, quod, nulla habita ratione fertilitatis aut sterilitatis anni, penditur. *Cic.* 5. *Verr.* 6. 12. Inter Siciliam ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, quasi victoriæ præmium ac pœna belli; aut censoria locatio constituta est. Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut etc. ¶ 3. *Stipendiarius miles,* aut absolute *stipendiarius* — *a*) Est qui stipendium accipit. *Auct. B. Afr.* 43. Qui Achillam octo cohortibus stipendiariis Numidis Gætulisque obsidebat. *Liv.* 8. 8. Clipeis antea Romani usi sunt; deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clipeis fecere. *h. e.* postquam stipendia meruerunt; nam antea milites gratuitam operam rei publicæ navabant. *V.* STIPENDIUM. Etiam apud *Varron.* 5. *L. L.* 182. *Müll.* Milites stipendiarii ideo (*dicti sunt*), quod stipem accipiebant. *h. e.* pensam, non numeratam accipiebant. Aliter tamen leg. *Müllerus.* — Sic contra *Ennius* apud *eumd. ibid.* Pœni stipendia pendunt. *h. e.* stipem pensam Romanis tribuunt. — *b*) Apud *Veget.* 1. *Milit.* 18. stipendiarii milites sunt, qui aliquot stipendia fecerunt, et opponuntur tironibus. Alii tamen rectius leg. *stipendiosi,* h. e. qui multa stipendia fecerunt, veterani. — In *Inscr.* apud *Orell. n.* 5030. TRIB. STIPENDI DOMIT. VIIII. COS. num *tribunus stipendiariorum* (h. e. qui aliquot stipendia fecerunt) an. 83., sc. Domitiano VIIII. consule? V. *Coleti Sigl.* sub litt. *S.* — Hinc absolute, substantivorum more

Stipendiarius, ii, m. 2. ¶ 1. Est qui stipendium solvit. *Cic. Divin. Verr.* 3. 7. Socii stipendiariique populi R. afflicti, miseri, jam non salutis spem, sed exitii solatium quærunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. Ne, stipendiariis Æduorum expugnatis, cuncta Gallia deficeret. ¶ 2. Est etiam miles, qui stipendium accipit. *V.* supra ad paragr. 3.

Homonym. *Stipendiarius* differt a *tributario.* *Cajus* 2. *Instit.* (edente *Herm. Goeschenio*) § 21. Provincialia prædia alia stipendiaria, alia tributaria vocamus: stipendiaria sunt ea, quæ in his provinciis sunt, quæ propriæ Pop. Romani esse intelliguntur; tributaria sunt ea, quæ in his provinciis sunt, quæ propria Cæsaris esse creduntur. — Item *stipendiarii* et *vectigales* differunt, ut *stipendium* et *vectigal.* Illud enim totum in pecunia solvitur: hoc in pecore, decumis frugum, portorio. Itaque aliæ civitates vectigales erant, aliæ stipendiariæ atque hæ deteriore condicione, quam illæ. *Cic. Prov. cons.* 5. 10. Vectigales multos ac stipendiarios liberavit. *Id.* 6. *Verr.* 60. 134. Majores nostri facile patiebantur hæc (*signa, tabulas pictas, vasa et hujusmodi artificia*) esse quamplurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent: apud eos autem, quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, ut haberent hæc oblectamenta et solatia servitutis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 3. 4. et 4. *ibid.* 22. 35. multa oppida in Hispania Romanorum stipendiaria recenset. *Liv.* 24. 47. Quam ob noxam Romanorum vectigalem ac stipendiariam Italiam Africæ facerent? — Hinc aliquando civitates, quæ stipendiariæ fuissent, eadem de causa liberæ et immunes ab omni sumptu et munere essent. *Liv.* 37. 55. *ad fin.* Ceteræ civitates Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atque immunes essent. — Item *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Scaur.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 315.) Aliæ civitates sunt *stipendiariæ,* aliæ *liberæ:* stipendiariæ, quæ bello subjuguntur; liberæ, quæ ad amicitiam sponte veniunt.

STĪPENDĬĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced.

STĪPENDĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

STĪPENDĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (stipendium) Part. *Stipendiatus* II. — Stipendior est stipendia facio vel mereo, μισθοφορέω (It. *servire a stipendio;* Fr. *servir, être à la solde;* Hisp. *servir, servir á sueldo;* Germ. *dienstbar sein, dienen;* Angl. *to serve for hire*).

I.) Proprie. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 72. (68). Regi eorum (*Prasiorum in India*) peditum sexcenta milia, equitum triginta milia, elephantorum novem milia per omnes dies stipendiantur.

II.) Translate part. *stipendiatus* tantum usurpatur et est, cui stipendium alendi causa solvitur. *Tertull.* 3. *advers. Marcian.* 13. *de infantib. Ponticis.* Pannis armati et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quam lancinare. Adde *Onom. Lat. Gr.* in *Thes.* etc. ed. *Vulc.*

STĪPENDĬŌSUS, a, um, adject. (stipendium) ad stipendium pertinens; hinc *stipendiosus miles* apud *Veget.* 1. *Milit.* 17. est qui multa stipendia fecit, *veterano:* cui tiro opponitur. *V.* loc. in STIPENDIARIUS, ubi alii aliter leg.

STĪPENDĬUM, ii, n. 2. (stips *et* pendo) — *a*) *Stupendium* pro *stipendium* scribitur in *Inscr.* apud *Kellerm. Vig. Rom. laterc.* p. 60. *n.* 177., qui aliam quoque in adnot. adfert, in qua *stupendiorum* legitur itidemque *p.* 97., ubi DVLVS FRATER STVP. X. — *b*) Ad quantitatem primæ syllabæ quod attinet, hæc longa occurrit, quamvis a *stipe* derivetur, quæ priorem habet brevem, nisi malis produci ex eo quod, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 182. *Müll.,* ab stipando (cujus prima longa est) stipem dixerunt. Sane *Ennius* apud *eumd. ibid.* Pœni stipendia pendunt. et *Catull.* 64. 173. Indomito nec dira ferens stipendia tauro. Corripit tamen *Sulpic. Luperc.* in *Anthol. Lat. P. I. p.* 515. *Burmann.* Ut post jurisonæ famosa stipendia linguæ etc. *V.* et *Sidon.* in STIPENDIALIS. — *c*) De etymo vocis, quod initio attulimus, ita loquitur *Varro loc. cit.* Stipendium ab stipe dictum, quod æs quoque stipem dicebant; nam quod asses librales pondo erant, qui acceperant majorem numerum non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparet. Est igitur a *stipe,* cui additur *pendium* a *pendo,* ut *compendium, dispendium* etc., quia, nondum signato argento, æs appendebatur. Sic *Plin. loc.* infra *cit.* Stipendia, hoc est stipis pondera. *et Ulp. Dig.* 50. 16. 27. Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica æra colligatur tributum quodque, εἰσφορά, φόρος (It. *gravezza, tributo;* Fr. *impôt, tribut;* Hisp. *impuesto, tributo;* Germ. *d. Geldabgabe, Steuer, Tribut;* Angl. *a tribute or tax*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Enn.* apud *Varron.* 5. *L. L.* 182. *Müll.* Pœni stipendia pendunt. *Curt.* 9. 7. 14. Stipendium pensitare. *et* 5. 8. 16. ferre. *h. e.* pendere. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Stipendium capere jure belli, quod victores victis imponere consuerint. *Id. ibid.* Si per populum Rom. stipendium remittatur et dediticii subtrahantur etc. *Id.* 5. *ibid.* 27. Ejus opera stipendio liberatus. *Cic. Balb.* 18. 41. Afros, Sardos agris stipendioque multare. *Liv.* 38. 16. Stipendium exigere. *Vellej.* 2. 39. 1. conferre. *Ammian.* 18. 5. 2. distribuere. *Cod. Theod.* 7. 20. 8. Nullum ex his agris stipendium, nullam annuam præstationem postulabimus. *h. e.* pensionem a stipendiariis agris præstandam. — Hinc metaphorice *Vulgat. interpr. Rom.* 6. 23. Stipendia enim peccati mors. ¶ 2. Speciatim in re militari, æs seu merces, *stipendio, paga,* quam milites, inde ab an. U. C. CCCXLVII. de publico accipere cœperunt gradibus et ordinibus distinctam. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (43). Quin et militum stipendia, hoc est stipis pondera, dispensatores, libripendes etc. — Primis temporibus Romani de suo quisque munus militiæ obibant. Post Anxur captum, initio belli Vejentis, sub tribunis mil. consul. potest. circa ann. U. C. CCCXLVII. decretum a senatu est, ut stipendium miles de publico acciperet, ut *Liv.* 4. 59. *extr. et ibid.* 60. tradit: item *Fest.* in *Privato p.* 234. 27. *Müll.* Et tunc quidem pediti, post annos vero circiter tres, eodem Vejenti bello, etiam equiti adsignatum est, teste *eod. Liv.* 5. 7. Stipendium peditis fere denarius fuit, centurionis duplex, equitis triplex, ut ex *Tac.* 1. *Ann.* 17. et *Liv.* 5. 12. *sub fin.* et 7. 41. *extr.* intelligimus. (*Niebhur Opp. T.* 4. *p.* 173. vult, *Liv.* sibi ipsum repugnare *l.* 4. c. 36., sed perperam. V. *Poggi, Legg. sull'Agr. T.* 1. *p.* 245.) *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (46). In militari stipendio semper denarius pro decem assibus datus. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Quum stipendium ab legionibus, pæne seditione facta, flagitaretur, cujus illi diem nondum venisse dicerent. *Cic.* 5. *Att.* 14. Stipendium militibus usque ad Id. Quint. persolutum. *Id.* 2. *Orat.* 64. 258. Quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur. *h. e.* militantem. *Id. Balb.* 27. 61. Victorem exercitum stipendio afficere. *Id. Pis.* 36. 88. Stipendium militibus numerare. — Contra *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 9. 7. Militare suis stipendiis. ¶ 3. Est etiam impendium, sumptus. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 1. *circa med.* Ignorans plus esse reditus in ubertate frugum, quam stipendii, si majora mercemur armenta. Est qui leg. *impendii.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem est subsidium, suppetiæ. *Colum.* 1. *R. R.* 1. *circa med.* Et alii tamen (*scriptores*) obscuriores aliquod stipendium nostro studio contulerunt. — In *Cod. Theod.* 13. 1. 16. est idem ac lucrum, commodum, quæstus. — *b*) In malam partem, et est multa aut pœna. *Catull.* 64. 173. Indomito nec dira ferens stipendia tauro. *h. e.* tributum septem adulescentulorum ac totidem puellarum, quod ab Atheniensibus Minotauro quotannis pendebatur. *Horat. Epod.* 17. 36. Quæ finis aut quod me manet stipendium? Effare: jussas cum fide pœnas luam. ¶ 2. Speciatim in re militari, per metonymiam, est ipsa militia: hinc *stipendia facere, merere,* militare. *Sall. Jug.* 67. Ubi primum ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciundis sese exercuit. *Nepos Caton.* 1. Primum stipendium meruit annorum decem septemque. *Liv.* 3. 27. Quum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset. *Id.* 5. 7. Equis se stipendia facturos promittunt. *Id.* 21. 43. Tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia fa-

cere. *h. e.* militiam militare, ex qua multum prædæ faciatis. — *Homo confectis* aut *emeritis stipendiis*, apud *Cic. Manil.* 9. *sub fin. Liv.* 3. 57. *ad fin.* et *Sall. Jug.* 88. est, qui legitimum militiæ tempus explevit. Nam lege cautum erat, ut cives R. triginta annorum spatio, intra decimum septimum et quadragesimum septimum, militiæ operam darent, equites quidem decem annos, pedites vero viginti, ut *Lips.* docet *l.* 1. *de milit. R. dial.* 2. et *l.* 5. *dial.* 19. Eam militiam quum explessent, *emeritis stipendiis* et *veterani* esse dicebantur. Sed non semel contigit, ut aut ita publica re postulante aut præmiorum spe aut imperatorum artibus ultra id tempus sub vexillis detinerentur, aut, si dimissi essent, revocarentur. *V.* EVOCATUS. — Initio principatus Tiberii, seditionis militaris compescendæ causa, sancitum esse scribit *Tac.* 1. *Ann.* 36., ut missio daretur vicena stipendia meritis, exauctorarentur qui senadena fecissent, ac retinerentur sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. Sed aliter res cessit in militia navali; in ea enim, ut constat ex *Diplom. imper.* a *Clem. Cardinali* illustratis *p.* 76., sub Vespasiano, Domitiano, Trajano, Hadriano et Antonino Pio, stipendia sena et vicena, et sub Philippis octona et vicena complere debebant milites classiarii, antequam missionem obtinerent. *Liv.* 39. 18. *ad fin.* Ut P. Ebutio emerita stipendia essent. *h. e.* ut haberetur, tamquam si legitimum militandi tempus implevisset, licet nullum stipendium fecisset. Cf. *Val. Max.* 6. 1. *n.* 10. C. Cornelius fortissimæ militiæ stipendiis emeritus. — *Nullius stipendii* apud *Sall. Jug.* 87. et *Tac.* 2. *Hist.* 76., qui numquam militavit. ¶ 3. Item accipitur pro unius anni militia. *Plaut. Epid.* 1. 1. 36. Si in singulis stipendiis ad hostes exuvias dabit. *Sall. sub fin. orat.* 1. *ad Cæs.* Providendum, ne militia injusta aut inæqualis sit; quum alii triginta, pars nullum stipendium faciet. *Tac.* 1. *Ann.* 17. Quod tricena aut quadragena stipendia senes tolerent. *Hirt.* 8. *B. G.* 8. Legio octavo jam stipendio functa. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (104). Secundo stipendio dextram manum perdidit. *Liv.* 31. 8. *ad fin.* Stipendia multa habere. *avere il merito di molte campagne.* ¶ 4. *Stipendium semestre* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1845. *p.* 196. et *Bullett. arch. Napol. a.* 1846. *p.* 128. ¶ 5. Hinc metaphorice. *Cic. Senect.* 14. 49. At illa quanti sunt! animum tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse secumque, ut dicitur, vivere. *Seneca Ep.* 93. *ante med.* Functus omnibus humanæ vitæ stipendiis. *h. e.* officiis. *Colum.* 3. *R. R.* 6. *ad fin.* Sed ubi plurimis velut emeritis annorum stipendiis fides surculo constitit, nihil dubitandum est de fecunditate. *V.* JURISONUS. ¶ 6. In re civili est munus publicum sustinendum. *Cod. Theod.* 12. 1. 57. Nemo ad ordinem senatorium ante functionem omnium munerum municipalium senator accedat. Quum autem, universis transactis, patriæ stipendia fuerit emensus, tum eum ordinis senatorii complexus excipiet.

STĪPES, pĭtis, m. 3. Fem. gen. legitur in optim. Codd. MSS. apud *Apul.* 8. *Met.* Arboris cariosa stipes. — Ratione etymi habita, sunt qui a Gr. στύπος, ejusd. significationis, vel etiam a στυφός, densus, derivant: unde fuere qui *stypes* per *y* scriberent; at *Fest.* in *Stipatores p.* 351. 32. *Müll.* a *stipa* (unde *stipare*, firmare) deducere videtur. *V.* STIPA. Etymologi recentiores *stipes*, *stipo* et similia a Skr. *sthap* ducunt, quod est firmare, solidum esse. — Stipes est truncus arboris, fustis, sudes, στύπος, κορμός (It. *tronco, stipite, palo;* Fr. *tronc, souche;* Hisp. *tronco;* Germ. *Pfahl, Klotz;* Angl. *trunk, tree, stake*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 7. *B. C.* 73. Truncis arborum aut admodum firmis ramis abscissis, perpetuæ fossæ ducebantur. Huc illi stipites demissi, ab ramis eminebant. *Id.* 1. *B. C.* 27. Fossas transversas viis prædueit atque ibi sudes stipitesque præacutos defigit. *Ovid.* 2. *Fast.* 641. Termine, sive lapis sive es defossus in agro Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 43. (252). Amygdalæ ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite et ab ima parte circumforato defluens pituita abstergeatur. *Pallad. De insit.* 97. Stipes Phyllidis. *h. e.* amygdalus. *Id. ibid.* 85. Stipites saligni. *Tibull.* 1. 15. 17. Neu pudeat prisco vos (*Lares*) esse e stipite factos. *Ovid. Ib.* 239. viridi de stipite factas Admorunt oculis usque sub ora faces. *Virg.* 4. *Æn.* 444. Consternunt terram concusso stipite frondes. *Propert.* 4. 2. 18. Quum pirus invito stipite mala tulit. *scil.* per insitionem. *Pallad.* 5. *R. R.* 4. Zizyphus seritur ossibus et stipite et planta. *Catull.* 64. 288. tulit radicitus altas Fagos ac recto proceras stipite lauros. *Virg.* 7. *Æn.* 524. non jam certamine agresti, Stipitibus duris agitur sudibusve præustis, Sed ferro ancipiti decernunt. *Seneca Herc. Fur.* 1230. stipitem huc vastum date. *h. e.* clavam. *Ovid.* 3. *Fast.* 751. Constitit ipse super ramoso stipite nixus. et *Remed. am.* 446. Cassaque seducto stipite flamma perit. *Id.* 5. *Fast.* 506. Ignis in hesterno stipite parvus erat. *tizzone.* — *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 381. Deasciato supplicare stipiti. Cf. *Apul. Florid.* 1. *init.* Truncus dolamine effigiatus. *h. e.* stipes finalis, quem polite exasciare floribusque ornare sueverant veteres. *V.* integr. loc. et DEASCIO. ¶ 2. Speciatim est fustis terræ defixus, ut *Fest. loc. cit.* definit, quem secutus *Forcellinus* hanc primam censuit vocis significationem, *palo piantato in terra. Tibull.* 1. 1. 15. *de eod.* Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florea serta lapis. *Propert.* 4. 2. 59. Stipes acernus eram properanti falce dolatus. *Ovid.* 4. *Fast.* 331. querno religant a stipite funem. *Martial.* 7. 32. nudi stipitis ictus hebes. *h. e.* pali erecti, ad quem exercebant tirones. *Sueton. Ner.* 29. Deligatus ad stipitem. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. Alligatus stipiti. *Seneca Ep.* 14. Adigere per medium hominem, qui per os emergat, stipitem. *impalare.* et *Auct. Eleg. de Spe* 23. *v.* 3. *Wernsd.* Noxius infami districtus stipite membra Sperat etc. *h. e.* cruce. Cf. *Senec. Ep.* 101. ¶ 3. Dicitur etiam de virga tenui aut calamo. *Lucan.* 9. 820. Stipite quæ diro virgas mentita Sabæas Toxica. *Martial.* 13. 19. Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros. In niveo virides stipite cerne comas. ¶ 4. Item de hastili ad aliquid sustinendum. *Vulgat. interpr. Exod.* 37. 19. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. Adde *Num.* 9. 4.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen est ipsa arbor. *Ovid.* 3. *Fast.* 37. Martia, picus, avis gemino pro stipite pugnant, Et lupa. tuta per hos utraque palma fuit. *Id. de nuce*, 32. Audiat hoc cerasus, stipes inanis erit. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 179. Stamine, quod molli tondent de stipite Seres, Frondea lanigeræ carpentes vellera silvæ. *sc.* crebra aspersione aquæ materia stipiti adhærens molliebatur, ut deduci depective posset. *Alii leg.* cæspite. Cf. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (54). ¶ 2. Metaphorice est convicium in hominem stupidum, stultum, stolidum, fatuum. *Ter. Heaut.* 5. 1. 3. In mè quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Cic. Pis.* 9. 19. Qui tamquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. *Id. Haruspr. resp.* 3. *a med.* Non plus quam stipitem illum, qui quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Adde *in Senat.* 6. 14. et *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 126.

STĪPĬDŌSUS, a, um, adject. (stipes) durus ligneus, stipitem referens, ut Stipidosa radix, *Apul. Herb.* 67. Stipidosi fruticis rami, *id. ibid.* 74.

STĪPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Conjungunt etymologi recentiores cum rad. Skr. *sthap*, firmare, solidum esse, unde et Gr. στείβω, denso et στυφός, densus, quia quod firmum vel solidum est, non rarum nec molle sed densum est et crebrum. — Part. *Stipans* II. 2.; *Stipatus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Stipandus* II. 1. — Stipo est calcando et densando impleo, in unum cogo, arcte compono et firmo, στείβω, ἐσάγω (It. *riempire calcando, unire strettamente, stivare;* Fr. *remplir en condensant, entasser, accumuler;* Hisp. *condensar, amontanar;* Germ. *zusammendrängen, zusammen pressen;* Agl. *to fill up close, stuff, cram*); occurrit autem cum accus. rei, quæ stipatur, cui additur sæpe ablat. rei, qua quis stipatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. *Varro* 5. *L. L.* 182. *Müll.* Quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparent. *Virg.* 4. *G.* 164. et 1. *Æn.* 436. apes liquentia mella Stipant et dulci distendunt nectare cellas. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (67). Uvas foliis involutas (*servandi causa*) vinaceis stipare. *Virg.* 3. *Æn.* 465. stipatque carinis Ingens argentum Dodonæosque lebetas etc. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 397. Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi! *Apul.* 3. *Met.* Populus caveæ conseptum mira celeritate complevit: aditum etiam et tectum omne fartim stipaverant. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 11. Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolin Archiloco? comites educere tantos? *h. e.* sarcinam componere ex voluminibus Platonis, Menandri etc. arcte colligatis, quos tecum rus efferres. — Part. præt. pass. *Lucret.* 1. 330. Nec tamen undique corporea stipata tenentur Omnia natura. namque est in rebus inane. et *ibid.* 604. Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte. *Virg.* 10. *Æn.* 328. Ni fratrum stipata cohors foret obvia. *Lucan.* 7. 492. densis acies stipata catervis. *Liv.* 33. 18. Macedones, usque dum ordine et velut stipata phalanx consistebat, moveri nequiverunt. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 60. Hos (*poetas*) ediscit et hos arcto stipata theatro Spectat Roma potens. *Lucan.* 7. 481. non arma movendi Jam locus est pressis, stipataque membra teruntur. *Cic. Pis.* 27. *sub fin.* Græci stipati, quini in lectulis, sæpe plures. *Martial.* 8. 75. stipataque tollitur alte Grandis in angusta sarcina sandapila. ¶ 2. *Stipare se,* lateri alicujus hærere, immiscere se. *Propert.* 3. 6. 13. Custodum gregibus seu quum se stipat euntem.

II.) Translate. ¶ 1. Est implere. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 143. Curia quum patribus fuerit stipata verendis. Adde *Sil. It.* 11. 503. *Petron. Sat.* 89. Stipant graves equi recessus Danai. *Flor.* 3. 19. *ante med.* In ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. *Colum.* 10. *R. R.* 404. Armeniisque et cereolis prunisque Damasci Stipantur calathi. *Sueton. Cal.* 51. Stipare pontes calonibus. *Auct. cons. ad Pis.* 39. Turbâ stipata fora. *Claudian.* 1. *Stilich.* 257. Stipantur Numidæ campi. *Alii* campis. *Marcell. Empir. c.* 10. *p.* 100. *retro.* Malorum punicorum dulcium atque acidorum suco eodem modo composito nares stipandæ sunt. *Æmil. Macer c.* 29. *de Coriandro.* ventrem stipare solutum. *stipare* est cohibere. *Gell.* 16. 2. Loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto, voluntas capiendi ejus desiderandique restinguitur. *Tertull. Virg. veland.* 12. *extr.* Stipare calceum. *h. e.* adstrictum induere, et quem pes totum impleat, nulla laxitate deformante. ¶ 2. Item circumsequi, circumdare, comitari, præcipue honoris aut custodiæ causa, *accompagnare, corteggiare, guardare;* et dicitur de frequentia et turba. *Cic. Mur.* 24. 49. Catilina stipatus choro juventutis, vallatus indicibus atque sicariis. *Id.* 1. *Att.* 18. Quum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus. *Id.* 6. *Verr.* 40. 86. Quum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. *Id. Sext.* 44. 95. Stipatus semper sicariis. *Ovid.* 3. *Met.* 186. comitum turba stipata dea. *Val. Flacc.* 7. 556. At sua magnanimum contra Pagasea juventus Prosequitur stipatque ducem. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 55. comitantur euntem Naides et socia stipant utrinque corona. *Cic.* 3. *Phil.* 12. 31. Senatum stipavit armatis. *Virg.* 4. *Æn.* 136. Tandem progreditur magna stipante caterva. *Plin. Paneg.* 23. Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nudo senatus nunc equestris ordinis flore etc. *Varro* apud *Gell.* 13.

13. Stipati servis publicis non modo prendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum. *Plin.* 6. *Ep.* 33. Stipatum tribunal. *attorniato da folla o calca.* et *Cic. Mil.* 1. 1. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 76. Stipatur sociis. — *Stipari,* denso agmine coire. *affollarsi. Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 311. Cunctaque præcipiti stipantur sæcula cursu, Insignem visura nurum. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

Stipatus, a, um, adjective usurpatur, unde Sup. *Stipatissimus;* et est circumdatus, circumfusus. *Sidon.* 3. *Ep.* 2. Ab omni ordine, sexu, ætate stipatissimus ambiebare.

STIPS, stĭpis, f. 3. — *a*) In recto casu sing. *stipes* pro *stips* videtur dixisse *Tertull. Spectac* 17. Locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Item *stipis* pro *stips,* cum ultima brevi, legitur apud *Prudent.* 2. *in Symmach.* 910. — In Genet. plur. *stipium* dixit *Tertull. Jejun.* 13.; *stipum* habet *fragm. Bob. de nom. p.* 562. 12. *Keil.* — *b*) De quantitate prioris syllabæ, hanc ait *Furlanetto* esse brevem, quamvis vox sit a stipando; non enim semper etymon sequitur quantitas. — *c*) Ratione habita etymi, a stipando ducit *Varro loc. cit.* in STIPO, quia quum olim asses librales essent, non in arca sed in cella componebant stipabantque, qui magna eorum summam habebant. Sic *Fest. p.* 313. 17. *Müll.* Stipem dicebant pecuniam signatam, quod stiparetur. Cf. STIPES et STIPO. — Stips est ærea pecunia minuta, modica æra (ut ait *Ulp. Dig.* 50. 16. 27.), æra, asses, κέρμα (It. *moneta minuta o spicciola, soldi;* Fr. *petite pièce de monnaie;* Hisp. *moneda menuda;* Germ. *kleine Münze;* Angl. *a small piece of money or coin, an as, pence*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est ærea pecunia minuta et fere dicitur de pecunia, quæ a pluribus parva quantitate confertur vel in opus aliquod publice faciendum vel in honorem deorum vel pauperibus alendis, ἔρανος. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 296. 2. *Müll.* Stipem, quod datur in stipendium militi. Sic *Ulp. Dig. loc. cit.* Stipendium a stipe appellatum, quod per stipes, id est modica æra, colligitur. *Varro* 5. *L. L.* 184. *Müll.* Diis cum thesauris asses dant, stipem dicunt. *Sueton. Aug.* 57. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 48. (138). Populus Romanus stipem spargere cœpit Sp. Postumio Q. Martio coss. (tanta abundantia pecuniæ erat), ut eam conferret L. Scipioni: ex qua is ludos fecit. *h. e.* sponte et ultro conferre. *Id.* 8. *ibid.* 5. 5. (14). Stipes, quas populus dederat, servatæ et in sinum effusæ. *Id.* 18. *ibid.* 3. 4. (15). Statua ei, a populo stipe collata, statuta est. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Præter Idææ Matris famulos eosque justis diebus, nequis stipem cogito. *et ibid.* 16. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus. implet enim superstitione animos et exhaurit domos. *Liv.* 25. 12. *sub fin.* Edixit, ut populus per eos dies stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 39. Ante deum Matrem cornu tibicen adunco Quum canit exiguæ quis stipis æra neget? *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *ante med. de Nili fontib.* In hæc ora stipem sacerdotes et aurea dona præfecti, quum sollemne venit sacrum, jaciunt. *Plin.* 8. *Ep.* 8. Fons purus et vitreus, ut numerare jactas stipes et relucentes calculos possis. *Tac.* 5. *Hist.* 5. Stipes cogere. *et* 4. *ibid.* 53. Passimque injectæ fundamentis (*Capitolii*) argenti aurique stipes. *Quintil. declam.* 9. 15. *extr.* Stipem ponere Fortunæ. *h. e.* offerre. *Sueton. Aug.* 91. *in fin.* Ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens. *Seneca Vit. beat.* 25. In Sublicium pontem me transfer. non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt. *Id.* 4. *Benef.* 29. Quis beneficium dicet quadram panis aut stipem æris abjecti? *Martian. Dig.* 47. 22. 1. Stipem menstruam conferre. *Liv.* 38. 45. *a med.* colligere a tyrannis. *h. e.* exiguum tributum. *Ammian.* 26. 10. *a med.* Stipe precaria victitare. *limosinando.* et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (172). Ancilla mercenariæ stipis. *h. e.* corpore quæstum faciens. *Inscript.* apud *Orell. n.* 368. Stips annua. et *n.* 1668. Stips, quam populus Augusto contulit. *Gloss. Labb.* Stips, ἔρανος. *et ibid.* Stips, ἐλεημοσύνη. Unde factum, ut *stips* sit mendicitas in plurib. *Glossar.* et *stipus* mendicus. — In *Inscript.* apud *Orell. n.* 4060. GENETHLON (*corrige genio et honori*) P. TVTILI etc. NEG. STIP. ARG. sc. negotiator stipis argentariæ, ἀργυραμοιβός, κολλυβιστής; quamquam *Mommsen* mavult legere *argentarius* pro *argentariæ.* ¶ 2. Speciatim est multa pecuniaria. *Val. Max.* 2. 9. *n.* 1. *extr.* Nodosam stipem exsolvere. ¶ 3. Item dicitur de strenis. *Sueton. Cal.* 42. Edixit et strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. *Ovid.* 1. *Fast.* 189. Dulcia cur dentur, video: stipis adjice causam, Pars mihi de festo ne labet ulla tuo. O quam te fallunt tua sæcula, dixit, Qui stipe mel sumpta dulcius esse putes!

II.) Translate dicitur de lucro et emolumento. *Quintil.* 1. 12. *sub fin.* Fructum eloquentiæ non ex stipe advocationum petere, sed etc. *Colum.* 8. *R. R.* 1. Villaticæ pastiones non minimam colono stipem conferunt. *Curt.* 4. 1. *circa med.* Ob inopiam suburbanum hortum exigua stipe colens.

STIPS, stĭpis, m. 3. idem ac stipes. *Charis.* 1. *p.* 27. et 85. *Putsch.* negat dici in significatione stipitis seu trunci. *Ars* tamen *an. Bern. p.* 122. 30. hæc habet: *Stips* in genetivo *stipis* facit, quod nomen significat longum lignum memoriæ causa elevatum. *Alii leg.* stipitis. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cur terræ filio patrimonium elegavit.

STIPTĬCUS. *V.* STYPTICUS.

STĪPŬLA, æ, f. 1. (*stipa,* vel *stips, stĭpis*) Scribitur et *stupula* in *Vet. Kalendar. Farnes.* apud *Gruter.* 139. mense Augusto legitur *stupulæ;* et in *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 359. per syncop. *stuplæ.* Quod quidem convenit cum Italico *stoppie,* nam sæpissime Latinorum *u,* rarius vero *i,* in Italorum *o* mutatur. *V.* STIPA. — Stipula est calamus frumentorum et tenuia in eo folia, quæ facile arescunt, καλάμη (It. *gambo, stelo, paglia, stoppia;* Fr. *tige des céréales, chaume, paille;* Hisp. *rastrojo, tallo, paja;* Germ. *d. Halm von Getraide;* Angl. *the stem, stalk*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 1. *G.* 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (169). Peragitur messis stipula numquam cubitali. *et ibid.* 10. 20. (94). *de tritico.* Tercentæ sexaginta stipulæ ex uno grano. *Id.* 17. *ibid.* 27. 47. (260). Stipula hordeacea. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (101). milii. *Ovid.* 4. *Fast.* 725. Stipulæ fabales. et 1. *ibid.* 205. Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem, Nec fenum capiti supposuisse, fuit. *Id.* 8. *Met.* 630. domus stipulis et canna tecta palustri. — *Flamma de stipula,* ignis parum durans, *fuoco di paglia. Ovid.* 5. *Trist.* 8. 19. Nos quoque floruimus: sed flos erat ille caducus: Flammaque de stipula nostra brevisque fuit. ¶ 2. Speciatim *stipula illecta* sunt spicæ in messe dejectæ, necdum lectæ, quas rustici, quum vacaverint, colligunt. Hæc *Cajus Dig.* 50. 16. 30. De his *Varro* 7. *L. L.* 109. *Müll.* Nemo reprehensus, qui e segete ad spicilegium reliquit stipulam. *Id.* 1. *R. R.* 53. Messe facta stipulam legere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 62. Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat. — *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 89. multi si pauca rogabunt, Postmodo de stipula magnus acervus erit. ¶ 3. Item in pratis *stipula* est, quæ post fenisiciam remanet. *Varro* 1. *R. R.* 49. Tum de pratis stipulam rastellis eradi atque addere fenisiciæ cumulum. ¶ 4. Item est canna, calamus, arundo, avena, quia ad modum calami fistulata est et nodis instructa. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). Syringitis (*gemma*) stipulæ internodio similis, perpetua fistula cavatur. *Virg.* 3. *Ecl.* 26. non tu in triviis, indocte, solebas, Stridenti miserum stipula disperdere carmen? — De usu stipulæ in contractibus *V.* in STIPULATIO.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Job* 13. 25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam et stipulam siccam persequeris. Adde *Ital. Eccl.* 21. 10.

Homonym. Discrimen inter *stipulam, culmum* et *paleam* V. sub CULMUS.

STĬPŬLANS, antis, particip. *V.* STIPULOR.

STĬPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (stipulor) Origo vocis, ut ait *Isid.* 5. *Orig.* 24. *sub fin.,* est a *stipula.* veteres enim, quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant; quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant: vel quia, inquit *Forcellinus,* in contractibus agrariis stipulam manu tenebant, quæ agrum integrum repræsentaret. *Varro* 5. *L. L.* 182. *Müll.* et *Fest.* in *Stipem p.* 297. 5. et *p.* 313. 19. *Müll.* ducunt a stipe, idest ære seu pecunia, et *stipulari* proprie esse, quum aliquis interrogatus spondet stipem. Alii a *stipa* et *stipando,* h. e. firmando: quia per stipulationem contractus firmantur; *Paul.* vero 5. *recept. sentent. tit.* 7. et *Justinian.* 3. *Institut. tit.* 15. ex eo, quod *stipulum* veteres firmum appellaverunt: fortasse a *stipite* descendens. — Quidquid sit de etymo, stipulatio est contractus qui fit per interrogationem unius, v. gr. *decem dare spondes?* et alterius responsionem, *spondeo* vel *dabo:* ex quibus pariter obligatio, ἐπερώτησις (It. *l'obbligarsi per contratto a far qualche cosa, promessa, contratto, stipulazione;* Fr. *promesse verbale exigée, engagement, stipulation;* Hisp. *promesa, palabra verbal exigida, empeño, estipulacion;* Germ. *d. Verpflichtung, Stipulation;* Angl. *stipulation, contract, obligation*). Ejus formulas *V.* in STIPULOR. ¶ 1. Universim. *Pompon. Dig.* 45. 1. 5. *circa med.* Stipulatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatus est, respondet. *Cic.* 2. *Legg.* 21. *a med.* Ut ea pecunia ex stipulatione debeatur. *Id. Rosc. Com.* 12. *ad fin.* Aliquem stipulatione alligare. *Id.* 16. *Att.* 11., *Nepos Att.* 9. et *Seneca* 3. *Benef.* 85. Stipulationes legere. *Ulp. Dig.* 45. 1. 1. Stipulationem conficere. *et ibid.* contrahere. *Paul. ibid.* 2. exstinguere. *et ibid.* Ex stipulatione liberari. *et ibid.* 4. *a med.* Stipulatione teneri. *Ulp. ibid.* 35. 3. 1. *et ibid.* 3. *sub fin.* Stipulationem interponere. *et Cajus* 3. 170. In stipulationem deduci et per acceptilationem imaginaria solutione (*dissolvi*). *Inscript.* apud *Melchiori Dec. epigr. p.* 5. PLACVIT VTI SPORTVLAS DIE NATALI HERMOGENIS FILII EIVS PRAESENTIBVS IN FORO ANTE STATVAS IPSIVS DIVIDI (*sic*) STIPVLATIONE INTERPOSITA. Adde *aliam* apud *Viscont. Mon. Gab. p.* 81. et *aliam ibid. p.* 105. — *Acceptam stipulationem facere alicui,* est eum, qui per stipulationem promisit, obligatione liberare. *Ulp. ibid.* 44. 4. 7. — *Stipulationem committi alicui* est contrahi, ita ut qui spopondit, reus fiat et obnoxius. *Paul. ibid.* 45. 1. 2. *in fin.* et *Ulp. ibid.* 38. — De stipulatione argentaria in *Tab. Pompej.* V. *Mommsen* in *Hermes* 12. 101. — Stipulationes omnes fere ipso jure sic subsistere intelligebantur, ut ad obligationem, etiam jocandi animo interpositæ, ipso jure prodessent. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 126. ¶ 2. Sumitur autem fere pro verbis interrogantis, cui respondet in respondente *sponsio. Ser. Sulpic.* apud *Gell.* 4. 4. Contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. *Paul. loc. cit.* 8. In illa stipulatione: si calendis Stichum non dederis, decem dare spondes? quæritur etc. *Ulp. ibid.* 38. Stipulatio ista: habere licere spondes? hoc continet etc. Adde *ibid.* 47. et *Julian. ibid.* 56. etc. ¶ 3. Est etiam cautionis gratia contracta obligatio verborum, satisdatione interveniente aut nuda promissione. *Cajus* 4. 31. Propter damnum infectum nemo vult agere, sed potius stipulatione, quæ in edicto proposita est, obligat adversarium. *Dig. fr.* 4. de

jurisd. 2. 1. Jubere caveri prætoria stipulatione et in possessionem mittere. *Id. fr.* 15. *si qu. cant.* 2. 11. Stipulationi non obtemperare. *Paul. Dig.* 5. 9. 3. Quoties judicatum solvi stipulatione satisdatur. *V.* SATISDATIO. ¶ 4. De stipulatione Aquiliana *V.* AQUILIANUS in ONOM.

Homonym. Discrimen inter *stipulationem, restipulationem, astipulationem* et *constipulationem* ita statuit *Isid. Diff. App. n.* 162. « *Stipulatio* certum habet intellectum; *restipulatio,* si aliquid sit factum, quod convenit; *astipulatio* ejusdem pecuniæ, ut vel alter repetere possit; *constipulatio,* conserta restipulatio, si qua dolo malo facta ».

STĬPŬLĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* stipulatio, parva stipulatio, ἐπερωτημάτιον. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 174. Quum in circulo decipiat adversarii stipulatiuncula.

STĬPŬLĀTOR, ōris, m. 3. (stipulor) qui stipulatur, creditor ex stipulatione, et fere eum significat, qui contractum initurus interrogat, ἐπερωτητής, συγγραφεύς: cui respondet *promissor* et *reus:* neque probat *Isid.,* quod ait 4. *Orig.* 24. *sub fin.* promissores *stipulatores* vocari. *Julian. Dig.* 2. 10. 3. Si stipulator dolo Titii et promissor dolo Mævii impeditus fuerit, quo minus etc. *Ulp. ibid.* 45. 1. 41. *in fin.* Ex quo apparet, diei adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore. Adde *eumd. ibid.* 43. etc. *Sueton. Vitell.* 14. Feneratorum et stipulatorum publicanorumque, qui unquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit. *h. e.* qui stipulandi periti erant et in usuris exercendis (quæ cuique ex stipulatione debebantur) omnes stipulationum formulas callebant. Idcirco *Sueton.* eos cum feneratoribus conjungit. — Hujusmodi stipulatores in basilicis fori Romani stare solebant, ut colligitur ex *Plaut. Curc.* 4. 1. 12.

STĬPŬLĀTUM, i, n. 2. et

STĬPŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* STIPULOR.

STĬPŬLĀTUS, us, m. 4. (stipulor) stipulatio, stipulationis contractus. *Paul.* 5. *recept. sent. tit.* 7. Quum facto promissoris res in stipulatum deducta intercidit, agi ex stipulatu potest. *Quintil. declam.* 12. 21. Ex stipulatu legati nostri perimus. *Ulp. Dig.* 45. 1. 1. Acquiret ei ex stipulatu actionem. *Justinian.* 4. *Instit.* 6. § 35. (Cf. *Cajum* 4. 55. 116.) Cui ex stipulatu vel ex testamento debetur. *Alii leg.* stipulato.

STĬPŬLO, as. *V.* voc. seq. init.

STĬPŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Stipulo;* positione activa, apud *Symmach.* 1. *Ep.* 11. Sponsionem stipulat affectio. *h. e.* firmat. *Juret.,* apud quem est *epist.* 5., legit *stipulatur.* Confirmatur tamen formæ usus *Gloss. Labb.* Ἐπερωτῶ, stipulo. Sane *stipulatus* passive occurrit apud *Cic. Rosc. Com.* 5. Hæc pecunia necesse est, aut data aut expensa lata aut stipulata sit. Stipulatam non esse, taciturnitas testium concedit. *h. e.* stipulatione promissam. Cf. *Priscian.* 8. *p.* 794. *Putsch.* putat adhiberi passiva significatione pro rogari seu interrogari, vel contracta teneri: ut in illo *Sueton. fragm.* Lætoria (*lex*), quæ vetat minorem annis XXV. stipulari. ἐπερωτᾶσθαι. — *Stipularier,* paragoge pro *stipulari,* est *Plaut. loc. cit.* — De notatione vocis *V.* STIPULATIO init. Cf. et STIPULUS. — Part. *Stipulans* 2.; *Stipulatus* in omn. paragr. — Stipulor est certis verbis interrogare vel rogare aliquem, an velit quippiam facere aut dare: quo annuente, legitima obligatio oritur, ἐπερωτάω (It. *proporre e fare un contratto, stipulare;* Fr. *se faire promettre verbalement, stipuler, exiger un engagement formel;* Hisp. *estipular, contratar;* Germ. *sich etwas förmlich mündlich versprechen, zusagen lassen;* Angl. *to stipulate, make a bargain or contract in a set form*): cui respondet *promittere, spondere.* (V. STIPULATIO) Stipulandi formula est apud *Plaut., Varron.* et *Sev. Sulpic. loc.* infra *cit.* — Construitur autem vox absolute, aut cum rei, quam quis stipulatur, Accus. vel Ablat., et præp. de; aut etiam sequente Conjunct. et partic. *ut,* vel infinito; et quidem ¶ 1. Universim. *Plaut. Pseud.* 4. 6. 14. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier. Ut concepisti verba, viginti minas dabin? BALL. Dabuntur. (Adde 1. 1. 115.) et *Varro* 2. *R. R.* 3. Itaque stipulantur sic: Illas capras hodie recte esse et bibere posse habereque recte licere; hæc spondesne? (Adde *ibid.* 5. *a med.*) *Ser. Sulpic.* apud *Gell.* 4. 4. Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam ni matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. *et mox.* Judex eum, qui spoponderat aut qui stipulatus erat, condemnabat. *Ulp. Dig.* 45. 1. 1. *a med.* Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas. *Id. ibid.* 34. Multum interest, utrum ego stipuler rem, cujus commercium habere non possum; an quis promittat. *Modestin. ibid.* 2. 1. Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi habetur. *Cic. Rosc. Com.* 4. *extr.* Stipulatus es? ubi? quo die? quis spopondisse me dicit? nemo. *Julian. Dig.* 45. 1. 56. *ad fin.* Si a te stipulatus fuero fundum Sempronianum, deinde eumdem fundum, detracto usufructu, ab alio stipuler, prior stipulatio non novabitur. *Paul. ibid.* 35. Si stipuler, ut id fiat, quod natura fieri non concedit; non magis obligatio consistit, quam quum stipulor, ut id detur, quod dari non potest. *Id. ibid.* 19. 2. 54. *a med.* Quod locator et conductor invicem de se stipulati sunt. *Id. ibid.* 12. 1. 40. et 45. 1. 46. Centesimis calendis dari, utiliter stipulamur: quia præsens obligatio est, in diem autem dilata solutio. *Julian. ibid.* 8. 1. Quum servus stipulatur, nihil interest, sibi, an domino, an vero sine alterutra eorum adjectione dari stipuletur. *Juvenal.* 7. 165. Quantumvis stipulare et protinus accipe, quod do. *h. e.* pete, postula. *Ulp. Dig.* 46. 7. 3. Stipulari stipulationem. *Inscript.* apud *Murat.* 337. 5. et 439. 1. HAEC RECTE DARI FIERI PRAESTARIQVE STIPVLATVS EST M. HERENNIVS AGRICOLA SPOPONDIT T. FLAVIVS ARTEMIDORVS. ¶ 2. Interdum *stipulari* dicitur etiam qui promittit. *Paul. Dig.* 13. 4. 7. Si certo loco condicturum se quis stipulatus sit. *Ulp. ibid.* 12. 6. 26. *ad fin.* Si decem aut Stichum stipulatus solvam quinque, quæritur, an possim etc. *Id. ibid.* 46. 3. 5. *a med.* Si quis usuras solverit, quas non erat stipulatus. Adde *Julian. ibid.* 18. 1. 39. etc. — Hinc Part. præt.

Stipulatum, i, n. 2. absolute. *V.* STIPULATUS, us, in fin.

STĬPŬLUS, a, um, adject. (stips) firmus. *Paul. Dig.* 5. 7. 1. Per eas (*stipulationes*) firmitas obligationum constringitur; stipulum enim veteres firmum adpellaverunt. Adde *Justin.* 3. *Instit.* 15. *Gloss. Philox.* Stipulum, καλάμη. Cf. *Isid.* 5. *Orig.* 24. 30.

STĪPUS. *V.* in STIPS, stipis.

STĪRĬA, æ, f. 1. Videtur esse a Skr. (*star*) *stir,* durus, solidus, unde Gr. στερεός, ejusd. significationis. Sic *Schol. Bern.* ad *Virg.* 3. *G.* 366. *Stiria* appellatum a duritia, a quo etiam mulier *sterilis* dicitur, quæ non molliatur partu. Cf. *Isid.* 13. *Orig.* 20. 5. Hinc et *stilla* pro *stirula.* — Stiria est gutta liquoris concreta et pendens cadenti similis, unde a *stilla* differt, quæ liquida fluit, σταλαγμός (It. *goccia, stilla gelata, ghiacciuolo;* Fr. *goutte qui pend, glaçon;* Hisp. *gota pendiente;* Germ. *e. gefrorner Tropfen, Eiszapfen;* Angl. *a globule or shoot of ice, an icicle*). *Virg.* 3. *G.* 365. Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ: Stiriaque impexis induruit horrida barbis. *Claudian. B. Get.* 326. stant colla pruinis Aspera: flaventes adstringit stiria setas. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 32. (124). E scrobium lateribus distillantes hiberno gelu stirias, stalagmiam vocant. *Martial.* 7. 37. Turpis ab inviso pendebat stiria naso. Sic *Schol. Bern.* ad *Virg. loc. cit.* Stiria humor de naribus fluens. — *Tertull. Pall.* 4. vocat *stiriam leoninam* setas et pilos in pelle leonis humore aut glacie induratos. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

STĪRĬĂCUS, a, um, adject. (stiria) stillans, stillaticius. *Solin.* 27. *a med. de stirpe.* Pingue roscidum quum arefactum inolevit, guttis stiriacis legitur.

STĪRĪCĪDĪUM, ii, n. 2. (stiria et cado) idem ac stillicidium. *Fest. p.* 344. 13. *Müll.* Stiricidium, quasi stillicidium, quum stillæ concretæ frigore cadunt. *Cato ibid.* Nihilominus voluit semper de stiricidio in re præsenti cognoscere. Adde *Paul. Diac. p.* 345. 3. *Müll.*

STIRPĀTĬO, ōnis, f. 3. (stirpo) actus stirpandi seu stirpes evellendi. *Colum.* 4. *R. R.* 32. 4. Illud de integro refodi debet: hoc potest intercidi et disrarari, quod opus rustici stipationem vocant. At *Schneider,* cui suffragatur cl. *De-Vit,* putat *stirpationem* legend. pro *exstirpationem,* ut sensus sibi constet. *V.* loc. integrum. *Forcellinus* omisit, qui nec *stirpo* recensuit sequiore ætate usurpatum.

STIRPES. *V.* STIRPS.

STIRPESCO, is, ere, n. 3. (stirps) in stirpem convertor, ῥιζοφυτοῦμαι. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (149). *de asparago.* Nam si defringatur, stirpescere et intermori.

STIRPĔUS, a, um, adject. (stirps) qui ex stirpe est. *Chalcid. Tim.* 31. Anima stirpea mundi esse potest.

STIRPĪTUS, adverb. (stirpo) usque ab ima stirpe, radicitus, funditus, *sino dalle radici,* ῥιζόθεν.

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 47. 7. 3. Si quis ex seminario, id est stirpitus, arborem transtulerit. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. Barba concavis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas ad usque forpicibus evellit.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 38. 83. Hunc errorem, quasi radicem omnium malorum, stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. Adde *Marcell. Empir. c.* 31. *p.* 132.

STIRPO, as, are, a. 1. (stirps) stirpes evello, stirpibus purgo. Translate. *Ambros.* 4. *Interpr. David* 2. *n.* 3. Hic stirpat (*agrum*) quadam falce virtutum amputatione vitiorum. — Intransitive pro radices ago in *Gloss. Lat. Gr.* Stirpo, ῥιζόω.

STIRPS, stirpis, m. *et* f. 3. — *a*) In recto casu *stirpes,* vel etiam *stirpis,* pro *stirps* exhibent optim. Cod. MSS. *Liv.* 1. 1., 26. 13. etc. *Drakenb.* V. et *Donat. p.* 1747. *Putsch.,* ubi tamen *stirps* pro *stirpis* leg. *Keil.* — In genet. plur. *stirpium* habent *Cic.* et *Plin. loc. cit.* Etiam *stirpum* apud *Incert. Gramm.* 34. *p.* 137. *Endl.,* sed perperam. — *b*) De genere hæc habet *Donat. Ars Gramm.* 2. *p.* 375. 33. *Keil.* Sunt nomina incerti generis inter masculinum et femininum, ut stirps etc. *Prob.* vero *p.* 210. 23. *ibid.* Stirpem Vergilius et masculino et feminino genere dixit: masculino quum radices arborum significare vult, ut *stirpem Teucri nullo discrimine sacrum:* feminino, quum ad progeniem refert, ut *heu stirpem invisam* et *stirpem admisceri Phrygiam.* V. et infra. — *c*) Ratione habita etymi, duci potest a rad. Skr. *starp,* ejusdem significationis. — Stirps est radix et imus truncus arboris, qua hæret radicibus: item totus ipse truncus, ex quo rami exeunt, ῥίζα, ῥιζόφυτον (It. *radice, sterpo;* Fr. *souche, racine;* Hisp. *cepa, raiz;* Germ. *Wurzel, Wurzelstock;* Angl. *the root of a tree, the stump*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 32. 81. Arbores per stirpes aluntur suas. *Id.* 7. *Verr.* 38. 99. et 50. 131. Siculi milites palmarum stirpibus alebantur. *Horat.* 3. *Od.* 29. 37. nunc lapides adesos Stirpesque raptas etc. *Virg.* 12. *Æn.* 781. Namque diu luctans lentoque in stirpe moratus etc. Dixerat *ibid.* 773. lenta in radice. *Id. ibid.* 208. (et *Colum.* 5. *R. R.* 9. *a med.*) scæptrum in silvis imo de stirpe recisum. *Id.* 2. *G.* 209. Antiquasque domos avium cum stirpibus imis Eruit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (163). Arundo omnis ex una stirpe numerosa. (*Paullo supra,* item *c.* 33. vocat radices palmarum agrestium. Sic *Tac.* 4. *Hist.* 60. Virgulta et stirpes et internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque exemplum fuere.) Rursus *Virg.* 2. *G.* 367. Stirpes validæ. *Id. ibid.*

24. Stirpes obruere arvo. — Hinc translate. *Sall. Cat.* 10. Carthago ab stirpe interiit. *h. e.* funditus. Et in plur. num. *Liv.* 6. 1. Velut ab stirpibus lætius feraciusque renata urbs. — *b)* Latiore sensu de aliis. *Tibull.* 1. 9. 45. et *Propert.* 3. 23. 33. Vellere albos a stirpe capillos. *sin dalle radici;* nisi malis tropice dictum.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen ponitur — *a)* Pro tota arbore aut parte ejus quacumque, *albero, legno. Lucret.* 5. 1098. Emicat interdum flammai fervidus ardor, Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur. *et ibid.* 1364. stirpes committere ramis. *h. e.* inserere, *innestare.* et *Virg.* 2. *G.* 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo. *h. e.* integras arbores seu virgulta cum radicibus. *et ibid.* 367. *de vitib.* ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos Exierint. *h. e.* ramis, materia. *Cato R. R.* 40. Capito tibi scissam salicem: ea stirpem præcisum (al. *præcisam*) circumligato, ne liber frangatur: Ubi id feceris, surculum præacutum inter librum et stirpem artito primores digitos duos. *tra scorza e legno.* et *Colum.* 3. *R. R.* 5. *extr. de malleolis.* Probatissimum genus stirpis deponere. *Id.* 5. *ibid.* 6. *ante med.* Arbor decacuminanda est juxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus: ita tamen, uti supra eum trunco stirpem dodrantalem relinquas, ad quam ramus alligetur. *et mox.* At si robusti rami erunt, ita ferro amputentur, ut exiguam stirpem prominentem trunco relinquas. *stecco, tronconcello.* et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 26. 40. (96). Hippopotamus satietate obesus exit in litus, recentes arundinum cæsuras speculatum: atque ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus venam vulnerat etc. Ita *Harduin.* ex MSS., at *Sillig.* leg. *acutissimam.* — *b)* De quacumque planta, virgulto, *pianta. Cic.* 5. *Fin.* 11. *a med.* Quum arborum et stirpium eadem pæne natura sit. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. *a med.* Stirpium et herbarum utilitates longo usu percepimus. *Lucan.* 4. 42. Dum scopulos stirpesque tenent, atque, hoste relicto, Cædunt ense viam. ¶ 2. A similitudine refertur ad genus humanum et — 1.°) Est origo generis in familiis, *stirpe, schiatta, legnaggio, progenie.* — *a)* De hominibus. *Cic. Amic.* 19. *ad fin.* Qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint. *Nepos Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 176. Quum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem nominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent. *Pacuv.* apud *Non. p.* 227. 1. *Merc.* Dubito, quod primordium capessam ad stirpem exquirendum. *Virg.* 1. *Æn.* 630. Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat. Sic *Curt.* 4. 1. 17. Stirpe regia esse ortum. *Enn.* apud *Non. loc. cit.* et *Fest.* in *Stirps p.* 313. 29. *Müll.* Nomine Pyrrhus, uti memorant a stirpe supremo. *Virg.* 5. *Æn.* 711. Dardanius divinæ stirpis Acestes. *Sall. Jug.* 14. Me jam ab stirpe socium et amicum populo R. regno expulit. *sino da' miei maggiori.* — *b)* De belluis. *Ovid.* 1. *Fast.* 363. Flebat Aristæus, quod apes ab stirpe necatas Viderat. *con tutta la razza.* — 2.°) Item propago, nepotes, posteri, *discendenza:* quia *stirps* non solum truncum, sed etiam ramum significat. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 16. *Müll.* Ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberûm. *Virg.* 6. *Æn.* 864. Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem? Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum? *Id.* 4. *ibid.* 622. vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis. *et* 11. *ibid.* 166. Æneas Romanæ stirpis origo. *Justin.* 16. 1. *a med.* Nec cessasse, quoad omnem stirpem regiæ sobolis deleret. *Tac.* 2. *Ann.* 37. *sub fin.* En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum. *et* 1. *ibid.* 58. *in fin.* Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit. *prole.* Sic *Liv.* 1. 1. *in fin.* Brevi stirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit. — 3.°) Item condicio, genus, ordo. *Vellej.* 2. 4. *init.* Mentitus regiæ stirpis originem. *et ibid.* 29. 2. Pompejus genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ. *Nepos Eumen.* 1. Neque aliud huic defuit, quam generosa stirps.

III.) Figurate. ¶ 1. Est origo, causa, principium, fons, radix, *origine, radice, fonte, cagione, sorgente. Cic.* 1. *Cat.* 12. *extr.* Exstinguetur atque delebitur non modo hæc tam adulta reipublicæ pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium. *Id.* 3. *Tusc.* 34. 83. Stirpes ægritudinis omnes elidendæ sunt. *Id.* 2. *Divinat.* 72. 149. Ut religio propaganda est, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ sunt. *Id.* 4. *Fin.* 2. *sub fin.* Differo eam partem, quæ quasi stirps est hujus quæstionis. *Id. Cæl.* 32. *sub fin.* Firmata jam stirpe virtutis. *Id.* 3. *Tusc.* 6. 13. Audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. tamen aliquid relinquetur fortasse. Ita sunt altæ stirpes stultitiæ. — *Ab vel a stirpe,* ab origine, radicitus, funditus. *Plaut. Trin.* 1. 2. 180. Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, Unde quidquid auditum dicant; nisi id appareat, Famigeratori res sit cum damno et malo. *Liv.* 9. 34. Gens antiquior originibus hujus urbis – intra annum ab stirpe exstincta est. *Cic.* 3. *rep.* 12. *in fin.* Noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit. ¶ 2. Est etiam natura, condicio, qualitas, status, quem naturâ sortimur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. Non ingenerantur hominibus mores tam ex stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci ad vitæ consuetudinem suppeditantur. Adde *Liv.* 37. 8.

Homonym. Differt *stirps* a *radice* ex eo fortasse, quod *stirps* est ima pars trunci, quæ radici hæret. *Cic. Orat.* 43. 147. Arborum altitudo nos delectat: radices stirpesque non item; sed esse illa sine his non possunt.

STIRSOZĪLA, æ, f. 1. herba, quæ et centaurea minor, ita a Dacis appellata, teste *Apul. Herb.* 35.

STĪVA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, alii conjungunt cum Gr. στύω adstringo, vel στείβω, premo, unde est Latinorum *stipo,* et στίβη, pruina, ab eodem στείβω, condenso; alii vero conferunt cum Lat. *sto,* quasi sit *stativa* (V. *Varron. loc.* infra *cit.*): quæ duplex notio simul sumpta notioni vocis, quæ rei per eam significatæ usui ita plane conveniat, probe respondet. Cf. Germ. *Steife.* — Silva est ea aratri pars, quam arator manu tenet et premit, sulci dirigendi gratia, ἐχέτλη (It. *manico dell' aratro, stiva, bure;* Fr. *manche de charrue, mancheron;* Hisp. *esteva;* Germ. *die Pflugsterze;* Angl. *plough-handle*). *Varro* 5. *L. L.* 135. *Müll.* Vomer, quod vomit eo plus terram: dens, quod eo mordetur terra: supra id regula quæ stat, stiva, a stando: et in ea transversa regula, manicula, quod manu bubulci tenetur, qui quasi est temo inter boves. Ubi *Varro* distinguit stivam a manicula: auctores tamen non distinguunt. *Virg.* 1. *G.* 174. Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos. *Ovid.* 4. *Fast.* 825. Inde premens stivam designat mœnia sulco. *Id.* 8. *Met.* 218. Aut pastor baculo stivæque innixus arator. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 9. *ab init. Sever. Sanct. carm. buc. v.* 43. *Wernsd.* Sulcos perfacilis stiva tetenderat.

STLĀTA *vel* stlatta, æ, f. 1. *Fest. p.* 313. 5. *Müll.* vocem derivat a *latus* (V. infra); sed recentiores quidam philologi, præfixum *st,* non aliquid sine propria significatione additum, sed ad radicem nominis pertinere rati (V. *Schweizer-Sidler p.* 13.), ducunt a Skr. *star* et per metathesin *stra,* unde *sterno* et *stratus,* quasi sit pro *strata;* litteræ enim liquidæ *r* et *l* facile commutantur: hinc et *lātus* pro *stlatus,* quod differt a rad. *lăt,* ut in *Lătium,* a πλάτύς. Cf. STLIS, STLOCUS et similia. — Stlata est genus navigii latum magis quam altum, sic appellatum a latitudine, sed eo loquendi usu, quo stlocum pro locum et stlitem antiqui pro litem dicebant. *Gell.* quoque 10. 25. *stlatas* inter varias navium appellationes enumerat. *Auson. Ep.* 22. 31. Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate Tarnim et Garumnam permeat. — *Caper* tamen de *Orthogr. in fin. p.* 2246. *Putsch.* dicit esse navem piraticam: et inde fieri adjectivum *stlataris.* Etiam in *Gloss. Philox.* Stlatta, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. Ceterum hæ *Fest.* et *Capr.* sententiæ facile conciliantur, si ponatur navigium hoc piraticum illam formam habuisse. Proprie vero, inquit *O. Müllerus,* latum illud Phœnicum mercatorum navigium, quod γαῦλος dicitur, a Romanis *stlatam* dictum esse putaverim. Hinc stlataria purpura, quæ stlatis adportatur, genuina Tyriorum merx, apud *Juvenal. loc. cit.* in STLATARIUS. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STLĀTĀRIS *vel* stlattaris, e, adject. *V.* voc. præced.

STLĀTĀRIUS *vel* stlattarius, a, um, adject. (stlata) De scriptione *sclatarius* et *sclataris,* ut et *sclis* pro *stlis,* V. *Capr. p.* 2246. *Putsch.* et *Brambach p.* 214. — Stlatarius est ad stlatam pertinens. *Gloss. Philox.* Stlattarius, ἐργόμωχος. *Petron. Sat.* 108. Stante ergo utraque acie, quum appareret futurum non stlatarium bellum, ægre expugnavit gubernator, ut Triphæna inducias faceret. *guerra da burla,* ludicrum, fictum: fortasse quia stlata non erat navis bello idonea. Interpretum variæ sunt sententiæ, aliis interpretationem, lectionem aliis sollicitantibus. V. *Burmanni* editionem. *Bücheler* leg. *tralaticium.* At *Juvenal.* 7. 134. Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo. *h. e.* peregrina et pretiosa, longe navi advecta. Sunt qui latum clavum intelligunt: a *stlatus,* latus. Alii alia comminiscuntur. — Hinc *Stlataria, orum,* n. plur. 2. *Vet. Scholiast. Juvenal.* 7. 134. affert hunc versum ex *Ennio:* Et melior navis, quam quæ stlataria portat. Sed in *Ennii* fragmentis non apparet.

STLATTA et deriv. *V.* STLATA.

STLEMBUS, a, um, adject. Sunt qui a *labo* ducunt, ita ut, quemadmodum in similibus, *st* merum sit præfixum, fortasse ad pleniorem sonum. Cf. tamen Germ. *schlampen, schleppen,* trahere, *trascinare.* et STLATA init. — Stlembus est gravis, tardus. *Fest. p.* 213. 9. *Müll.* Stlembus gravis, tardus, sicut Lucilius (*l.* 3. *i.* 23. *M.*) « Apulidæ pedibus stlembis dicit » quum refert equum pigrum et tardum. Cf. *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 312. 8. *Müll.*

STLETA, æ, f. 1. *V.* SLETA.

STLIS, itis, f. 3. Videtur esse a rad. Skr. *star,* dividere, separare, unde et στερέω, privo, et *stria;* sunt etiam, qui conjungant cum Germ. *Streit,* ejusdem significationis. (*V.* STLATA init.) *Fest. p.* 313. 9. *Müll.* et *Quintil.* 1. 4. 16. Stlitem antiqui pro litem dicebant. — Stlis igitur est idem ac lis. *Inscript.* apud *Gruter.* 350. 7. P. ALBIO P. F. GAL. MAXIMO X. VIRO STLITIBVS IVDICAND. etc. Adde 381. 3. et 407. 2. et alibi sæpe. Item apud *Spartian. Hadrian.* 2. eadem formula *X. Vir stlitibus judicandis.* At *Peter* litibus. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 29. Deinde (*post creationem prætoris peregrini*) quum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, decem viri litibus judicandis constituti sunt. Meminit etiam *Cic. Orat.* 46. 156. Porro decemviri isti videntur fuisse ex corpore illorum centum, qui causas centumvirales cognoscebant. *Dio l.* 54. *c.* 26. Οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι. Hi vero erant ex viginti viris, qui e familia senatoria eligebantur. *Auct. Paneg. ad Pison.* 41. Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum, Et firmare jubet centeno judice causas. *Sueton. Aug.* 36. Ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consuerant cogere, decemviri cogerent. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 21. In *Iscr. Græc.* apud *Secchi p.* 25. X. VIR STL. IVD. est idem ac ὁ τῶν δέκα ἀνδρῶν τῶν τὰ φονικὰ δικασάντων sub M. Aurelio. — Apud *Cicer.* et *Pompon.* legitur *litibus.*

STLŎCUS, i, m. 2. Etymon ducunt a rad. Skr. *stark,* unde per metathesin *strak* (*stlak*): cf. Germ. *Strecke,* spatium; alii vero a Skr. *sthal,* sistere: cf. Germ. *Stelle,* situs, positus, locus. Sensisse tamen aliter de hujus ceterarumque similium vocum origine cl. *Corradinium,* V. in LIS, LOCUS. Porro hanc voc. habent *Fest.* in STLATA et *Quintil.* 1. 4. 16.

STLOPPUS *vel* stlopus (stolopus), i, m. 2. Vox

per onomatopœiam ficta ad exprimendum sonum buccarum inflatarum, si percutiantur, *rimbombo delle guance gonfie percosse*. *Pers.* 5. 13. Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas. Ad h. l. *Thes. N. Lat.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 560. Stolopus, bucca inflata. Persius: Nec stolopo tumidas etc. — Agnoscit etiam *Priscian.* 1. *sub fin.* Alii tamen leg. *sclopus*. quod cum rad. Skr. *skalp*, scalpo, magis consonat, unde volunt recentiores etymologi hanc vocem factam.

STO pro Isto. *V.* STA.

STO, stas, stĕti, stātum, stare, n. 1. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *isto* pro *sto*, præposita littera *i*, occurrit apud *Augustin. Serm.* 118. *n.* 4. ed. *Mai.* Istat a dextris in vestitu deaurato. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Ps.* 133. et *Rom.* 5. 2. et *Inscr.* apud *Boldetti, Oss. p.* 407., fortasse euphoniæ causa vulgo usurpatum. — *b*) Forma præter. perf. *steti* est aucta, duplicato vocis themate in morem Græcorum et extrita *s*, pro *stesti*. — *c*) Hinc, quod ad quantitatem spectat, *stĕti* habet priorem syllabam brevem. — *Stetĕrunt*, pro *stetērunt*, pænult. brevi dixere *Virg.* 2. *Æn.* 774. et 3. *ibid.* 48. et *Ovid. Heroid.* 7. 166. Sic *excidĕrunt* apud *Stat.* 3. *Theb.* 302., *abscidĕrunt* apud *eumd.* 5. *ibid.* 274., *contigĕrunt* apud *Ovid.* 1. *Fast.* 592. et similia apud Poetas multa, quæ ad *ejusd. Heroid. loc. cit.* congessit *Heinsius*. — *Sto* producendum monet *Incert. Gramm. p.* 504. *Endl.* Sic *Ovid. De Nuce* 60. Parsque loci, qua sto, publica pæne via est. — *Stătum* pænult. habet longam, quamquam recentiores philologi alii brevem, alii vero ancipitem putant, quibus alteris favet *Priscian.* 9. *p.* 474. et 10. *p.* 519. *Keil.* Sane longa apparet in derivat. *stāturus*, ut apud *Lucan.* 2. 718. percussit portum Symplegas inanem Et statura redit. Adde *eumd. ibid.* 564. et *Sil. It.* 17. 82. Hinc et in composit. *constătum*, unde *constăturus*, ut apud *Lucan.* 2. 17. quantis sit cladibus orbi Constatura fides superum. Sic *Stat.* 7. *Theb.* 247. spesne Obstatura Pelasgis etc. Contra *stătum* cum pænult. brevi est a *sisto*, qua significat statuere, ponere. *V.* STATUS, a, um. Porro, ut mihi videtur, nomina derivata quantitate hujus syllabæ differunt, prout fiunt a *stătum*, quod a rad. *stă*, quæ brevis manet in *sistĕre*; aut a *stātum*, quod item a rad. *stă*, quæ contrahitur in *stāre* pro *staere*. (Cf. *Burnouf Meth.* etc. *p.* 138. § 152.) Viderint tamen eruditi. — *d*) Origo vocis est a rad. Skr. *stha*, ejusdem significationis, unde et Gr. στάω et ἵστημι. — Part. *Stans* sub *A* fere in omn. paragr. et *B* I. 2. et in fin.; *Staturus* sub *B* I. 8. *a*. — Sto est rectus insisto, pedibus nixus maneo, erectus sum, στῶ, ἵστημι (It. *stare ritto o in piedi*; Fr. *être ou se tenir ou rester debout*; Hisp. *estar derecho*; Germ. *stehen, stehen bleiben*; Angl. *to stand, stand up, stand upright or erect*); cui opponitur *sedeo, jaceo*.

A) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De personis. — *a*) Universim. *Plaut. Capt. prol.* 1. Hos quos videtis stare hic captivos duos, hi stant ambo, non sedent. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 104. Quum virgo staret, et Cæcilia in sella sederet. *Martial.* 3. 44. Et stanti legis et legis sedenti. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 36. abi intro. noli stare. *Id. Amph.* 2. 2. 35. Stare ante ædes. *Id. Aulul.* 4. 5. 44. in atriis. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 14. ante ostium. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 353. ad januam. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 10. sæpe ducentos versus dictabat stans pede in uno. *h. e.* perbrevi tempore, *in un attimo*. et *Cic. Harusp. resp.* 4. 7. Quum stans mihi minaretur. *Id. Brut.* 77. *in fin.* Qui ausi aliquando sunt stantes loqui. *Sueton. Vesp.* 24. Imperatorem ait stantem mori oportere. *Ammian.* 25. 4. 4. Stans cibum sumere visebatur. *Id.* 24. 3. 7. Stando moriar. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 1. Stare hinc procul. Sic *Tibull.* 1. 6. 42. *Horat. Art. P.* 361. propius. *Virg.* 4. *G.* 355. ad undam. *Id.* 9. *ibid.* 381. ante pedes. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 17. ante oculos. *Stat.* 11. *Theb.* 618. juxta aliquem. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 32. Cerea simpliciter stabat, servilibus ut quæ jam peritura modis. — *Stare inter sacrum saxumque*, proverb., de quo *V.* in SACER. — Passive impersonaliter. *Ter. Eun.* 2. 2. 40. et *Plaut. Pseud.* 1. 5. 42. Quid agitur? PSEUD. statur hic ad hunc modum. — *b*) De servis, qui stant coram domino et præsto sunt ad obsequia. *Ter. Eun.* 3. 5. 46. Sto exspectans, si quid mihi imperent. *C. Gracch.* apud *Gell.* 15. 12. Nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant. *Sueton. Cæs.* 49. Stare alicui ad cyathum et vinum. *servir di coppiere*. et *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 10. 8. Beati servi tui, qui stant coram te. Τῷ *stare* opponitur τὸ *ambulare*: nam utrumque fiebat a servis, qui dominis mensæ accumbentibus ministrabant. Cf. *Gen.* 17. 1. — Huc translate pertinere videtur illud *Ps.* 106. 25. Dixit (*Deus*) et stetit spiritus procellæ. *h. e.* jubente Deo, obediens adstat, *sc.* assurgit mox ventus procellosus. — *c*) De meretricibus prostantib. *Juvenal.* 10. 239. Quod steterat multis in carcere fornicis annis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 30. alius nullam, nisi olente in fornice stantem. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 21. Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære. — 2.°) De rebus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 120. luna, uti exorta est, stat, *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Arbores stantes. *Cic.* 9. *Phil.* 2. 4. Statuæ steterunt in Rostris. Cf. 1. *Divinat.* 34. 75. *Id.* 5. *Verr.* 23. 51. Duo signa, quæ nunc ad impluvium tuum stant, quæ multos annos ad valvas Junonis Samiæ steterunt. *Virg.* 8. *Æn.* 233. Stabat acuta silex. *Horat.* 1. *Od.* 35. 14. Injurioso ne pede proruas Stantem columnam. *Virg.* 6. *Æn.* 22. stat ductis sortibus urna. *Ovid.* 5. *Fast.* 383. saxo Stant antra. *Id.* 3. *Fast.* 819. stantes radio percurrere telas. *V.* RECTA, *æ*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 45. (131). Ovorum perdicis putaminum cinis stantes mammas servat. *h. e.* ne flaccidæ et deciduæ fiant. *Stat.* 12. *Theb.* 415. flentes stabant ad flumina silvæ. *Cic. Flacc.* 28. 69. Stantibus Hierosolymis. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 92. Stanti exercitio moveatur. *h. e.* statario. — De ædificiis, postquam perfecta sunt. *Ovid.* 2. *Fast.* 181. Mœnia jam stabant. *Id.* 3. *Met.* 131. Jam stabant Thebæ. *Id.* 11. *ibid.* 205. Stabat opus. *Horat.* 3. *Od.* 2. 42. stet Capitolium Fulgens. *Val. Flacc.* 1. 96. Juno Argolicas Macetumque per urbes Spargit, inexpertos tentare parentibus austros Æsoniden: jam stare ratem remisque superbam Poscere quos revehat. ¶ 2. Speciatim est consistere, manere, quiescere, *star fermo, fermarsi*. *Ter. Heaut.* 4. 7. 3. I: quid stas, lapis? *Id. Phorm.* 1. 4. 18. et *Plaut. Merc.* 5. 2. 32. sta illico. CHAR. Male facis, properantem qui me commorare. *fermati*. et *Horat.* 3. *Od.* 28. 5. Inclinare meridiem Sentis, ac veluti stet volucris dies, Parcis deripere horreo Cessantem amphoram. *Seneca Œdip.* 585. gelidus in venis stetit Hæsitque sanguis. *Virg.* 3. *G.* 84. *de equo generoso*. Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus. *Id.* 2. *Ecl.* 20. Quum placidum ventis staret mare. *Plaut. Amph.* 1. 1. 120. Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die. *Lucan.* 2. 718. Vanaque percussit pontum Symplegas inanem Et statura redit. *h. e.* non amplius se motura. Adde *Val. Flacc.* 8. 195. *Propert.* 4. 6. 27. Phœbus linquens stantem se vindice Delon. *Horat.* 3. *Od.* 27. 9. Stantes paludes. *Ovid.* 4. *Met.* 731. et 7. *ibid.* 200. concussaque sisto, Stantia concutio cantu freta. *h. e.* tranquilla. *Id.* 4. *Pont.* 7. 8. rigido stantia vina gelu. *congelati*. et *Seneca* eod. sensu *Hippol.* 58. Stans Ister. *Cic.* 4. *Verr. n.* 81. Videsne navem illam? stare nobis videtur, at iis, qui in navi sunt, moveri hæc villa. ubi τὸ *stare* oppon. τῷ *moveri*. et *Ovid.* 4. *Met.* 732. Stant aquæ. *Id.* 15. *ibid.* 562. Hasta non ferro stabat adacto. *Horat.* 2. *Od.* 9. 5. stat glacies iners Menses per omnes. *dura*. et *Sil. It.* 3. 94. te longa stare senecta. *vivere a tarda vecchiaia*. et *Vulgat. interpr. Jon.* 1. 15. Stetit mare a fervore suo. *si calmò*. — Hinc translate. *Plin.* 5. *Ep.* 12. *extr.* Nescit semel incitata liberalitas stare. *Tac. Agric.* 16. Seditio sine sanguine stetit. *h. e.* non est progressa, substitit. Cf. 12. *Ann.* 29. et 4. *Hist.* 67. *Cic.* 2. *Fin.* 10. 31. Voluptas stans. *V.* MOVEO. ¶ 3. Item morari, manere, esse, *trovarsi, essere, stare*. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Centuriones ex eo, quo stabant, loco recesserunt. *Cic. Pis.* 6. *a med.* Paullisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Id.* 2. *Cat.* 3. 5. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire. *Id. Flacc.* 6. 14. Qui domi stare non poterant. *Ovid.* 2. *Trist.* 289. Quum steterit Jovis æde. *Id. Heroid.* 18. 208. Et melius nulla stat mea puppis aqua. *Id.* 11. *Met.* 692. stetit hoc miserabilis ipso Ecce loco. *Seneca Troad.* 1178. Quam prope a Priamo steti! *Cic.* 7. *Verr.* 33. 86. Stetit soleatus prætor populi R. cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in litore. *Id.* 3. *Orat.* 61. Servum habuit, qui staret occulte post ipsum etc. *Val. Flacc.* 4. 631. Me Pangæa super rursus juga meque paterna Stare Tyro dulcesque iterum mihi surgere soles, Nunc reor. *Cic.* 2. *Phil.* 4. 8. Qui hoc ipso tempore stant cum gladiis in conspectu senatus. ¶ 4. Item pro hærere, fixum esse. *Ovid.* 8. *Met.* 414. missisque duabus Hasta prior terra: medio stetit altera tergo. et 5. *ibid.* 132. Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum. *Sil. It.* 1. 527. Et stant loricæ squamis horrentia tela. *Id.* 4. 142. Cornus et oblatæ stetit inter tempora frontis. — De navibus est tenere navem in ancora, commorari in ancoris, *ancorarsi*. *Virg.* 6. *Æn.* 902. Ancora de prora jacitur: stant litore puppes. *Auct. B. Afr.* 62. Stare classem in salo. Adde *Liv.* 37. 11. *Id.* 36. 20. naves in sinu Maliaco. ¶ 5. Item in re militari et dicitur de militibus, qui in suo gradu, ordine, acie stant, et contra hostem constanter permanent, pugnare parati. — *a*) Absolute. *Sall. fragm.* 3. 87. *Kritz.* Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet. *Auct. B. Afr.* 42. Quum milites jejuni sub armis stetissent. *Seneca Phœniss.* 389. stetit acies in armis. *Cæs.* 1. *B. C.* 47. Afraniani quod diu stetissent et nostrorum impetum sustinuissent. (*Alii leg.* restitissent.) *Liv.* 2. 6. Tarquinius novus hostis non stetit solum sed etiam ab sua parte hostes pepulit. *Id.* 22. 60. *ad fin.* Quum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt. *Id.* 26. 44. Et primo haud impari stetere acie: subsidia deinde etc. *Id.* 37. 59. *in fin.* Quota parte virium suarum ibi dimicavit Antiochus? In Asia totius Asiæ steterunt vires. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ut fit in prœlio, ut ignavus miles, simul ac viderit hostem, fugiat, ob eamque causam pereat nonnumquam: quum ei, qui steterit, nihil tale evenerit. *Nepos Epam.* 10. Postquam pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. *Stat.* 8. *Theb.* 322. stetit audaces effusus in iras Conseruitque manus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 86. Quisque uti steterat, jacet obtinetque ordinem. *Juvenal.* 3. 290. Stat contra starique jubet. *Ovid.* 9. *Met.* 43. Stare in gradu. *Ammian.* 31. 3. 4. gradu fixo. *Id.* 16. 12. 20. vestigiis fixis. *Sil. It.* 12. 105. *de militib. fugientib.* State, o miseri, queis gloria summo Dedecori est. — De ædificiis. *Liv.* 38. 5. Consul arietibus muros quatiebat *etc.* Oppidanos primo pavor ac trepidatio cepit: deinde ut præter spem stare muros viderunt etc. *stare in piedi, star saldo*. et 32. 24. Romani et ruinas muri supervadebant, et scalas ad stantia mœnia inferebant. — *b*) Cum Dativo personæ, cui resistitur. *Virg.* 3. *G.* 347. Non secus ac patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris. *Hosti stat*, inquit *Philarg.* ad *h. l.*, figurate pro contra hostem stat. — Hinc metaphorice. *Cic.* 1. *Fam.* 4. Ad XVI. cal. Febr. quum in senatu pulcherrime staremus, quod jam illam sententiam Bibuli fregeramus unumque certamen esset relictum, sententia Volcatii. ¶ 6. Item pro suspendi, pendere. *Liv.* 29. 2. Aliquando pugna atrox stetit. *Id.* 27. 2. Diu pugna neutro inclinata stet. *Id.* 8. 38. Ita anceps dicitur certamen stetisse. Adde *Lucan.* 7. 216. ¶ 7. Item est rigere, *drizzarsi, farsi irto, arricciarsi*. *Virg.* 7. *Ecl.* 53. Stant et juniperi et castaneæ hirsutæ.

Id. 2. *Æn.* 774. Obstupui steteruntque comæ et vox faucibus hæsit. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 631. *Stat.* 3. *Theb.* 326. Stare crines. *Ovid.* 8. *Met.* 286. sætas. *Id.* 6. *ibid.* 672. cristas in vertice. *Id.* 10. *ibid.* 655. aristas. — Obsceno sensu. *Martial.* 3. 75. Stare, Luperce, tibi jam pridem mentula desit. Adde *eumd.* 6. 23., *Auct. Priap.* 72. 2, et 80. 1. et *Apul.* 2. *Met.* ¶ 8. Similiter exstare, prominere. *Lucil.* apud *Non. p.* 391. 26. *Merc.* Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (249). Magi propinant virgini novem grana fimi leporis, ut stent perpetuo mammæ. *Ovid.* 12. *Met.* 401. sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris. *Id.* 6. *Fast.* 133. Grande caput, stantes oculi. ¶ 9. Item pro congelari, concrescere, *ristagnarsi, rapprendersi. Seneca Œdip.* 585. gelidus in venis stetit Hæsitque sanguis. ¶ 10. Item morari, cessare, otiosum esse. *Sil. It.* 12. 104. numerabat inertes Atque actos sine Marte dies, ac stare pudebat. *et ibid.* 68. quis terminus, inquit, Ante urbes standi Grajas, oblite tuorum Factorum miles? *Ter. Andr.* 5. 6. 15. Propera, arcesse, quid stas? quid cessas? ¶ 11. Præterea *stare* dicuntur, quæ operta et oppleta sunt: quasi constent et sustineantur ea re, qua opplentur: construitur autem cum Abl. sine præp. *Sisenn.* apud *Non. loc. cit.* Cælum caligine stat. *Cæcil. ibid.* Ager stat sentibus. *Lucil.* apud *Donat.* ad *Ter. Andr.* 4. 2. 16. stat sentibu' fundus. *Virg.* 12. *Æn.* 407. jam pulvere cælum Stare vident. *Stat.* 7. *Theb.* 124. Pulvereo stant astra globo. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 257. stant pulvere Syrtes Gætulæ. *Enn.* apud *Porphyr.* (ad illud *Horat.* 1. *Od.* 9. 1. Vides, ut alta stet nive candidum Soracte!) stant pulvere campi. *Boeth. Consol. philos.* 1. *metr.* 3. Nimbosisque polus stetit imbribus. *Virg.* 6. *Æn.* 300. de *Charonte*. stant lumina flamma. (*Dantes, Inf.* 3. 109. *Caron dimonio con occhi di bragia.*) In *Cod. Mediceo* habetur *flammae*, ita tamen ut postrema vocalis e transversa lineola secta sit. Ita *Forcellinus*. Cum *Cod.* autem *Med.* stat et *Rom.* et major codd. atque adeo præstantior pars, teste *Wagnero*. Antiqua aliquot exemplaria *Pier.* et *Zulich.* a m. s. *flammea* exhibebant, quod arrisit *Heinsio*, VII. 448., ita ut sit versus dactylicus: sic *ibid.* 33. Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia. ubi *Pierius* iis adversatur, qui *omnem* scripsere. Alii porro leg. *stant lumine flammæ*. Verum *stant lumina flamma* lectionem esse ceteris præferendam monet *Forcellinus*, cui recentiores criticî suffragantur. Porro *stant* alii pro vulgari *sunt* interpretantur; alii aliter. *Benoist* hæc habet: « *Stant lumina flamma* il faut expliquer comme *Wagner:* son regard est fixe et plein d' une flamme immobile. *Stare* se dit des choses qui conservent la même situation ». Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 408.

B) Translate *stare* formâ activâ occurrit

I.) Personaliter. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 1. 3. Utinam respublica stetisset quo cœperat statu! *Quintil.* 12. 1. 20. Stetisse ipsum in fastigio eloquentiæ. *Seneca ad Marc.* 24. Nihil quo stat loco, stabit, omnia sternet abducetque (*secum*) vetustas. *Virg.* 2. *Æn.* 88. Dum stabat regno incolumis. *Cic.* 10. *Att.* 8. Nullo enim modo posse video stare istum (*Cæsarem*) diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat. *sostenersi, reggersi in piedi.* ¶ 2. Speciatim incolumem esse, dignitatem suam retinere. *Cic.* 7. *Fam.* 2. *a med.* Eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant. *Id.* 2. *Phil.* 10. *extr.* Quæ si valuissent, respublica staret, tu concidisses. *Id.* 2. *Cat.* 10. 21. Qui homines si stare non possunt, corruant, sed ita ut etc. *Id.* 13. *Fam.* 29. *ad fin.* Per quos homines ordinesque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 17. et 5. *ibid.* 14. 21. Dum stetimus, turbæ quantum satis esset, habebat Nota quidem, sed non ambitiosa, domus. ¶ 3. Hinc pro niti, consistere, contineri, vigere, durare. — *a*) Cum Abl. et præp. *in. Virg.* 1. *Æn.* 646. Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. *Val. Flacc.* 3. 873. Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis Nostra salus? — *b*) Cum Abl. sine præpos. *Liv.* 4. 40. Respublica stetit virtute tua. *Id.* 45. 19. *circa med.* Regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia. *Id.* 8. 7. Disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti. *Id.* 1. 3. Tutela muliebri res Latina et regnum avitum puero stetit. Cf. *Sil. It.* 2. 173. ¶ 4. Hinc etiam *stare* dicitur aut comœdia aut ejus actor, quum placet. *Ter. Hecyr. prol.* 2. 6. In his, quas primum Cæcilii didici novas, partim sum earum exactus, partim vix steti. *Id. Phorm. prol.* 9. Si intelligeret, quum stetit olim nova, actoris opera magis stetisse, quam sua. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 1. 176. Securus, cadat an recto stet Fabula talo. *et* 1. *Sat.* 10. 16. Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est, Hoc stabant, hoc sunt imitandi. *Petron. Sat.* 2. Corruptæ eloquentiæ regula stetit et obtinuit. ¶ 5. Item sæpe est etiam constantem esse, permanere, perseverare, et refertur præcipue ad animum. *Cic. Rabir. perduell.* 10, 28. Fidem non Rabirius, sed Marius dedit: idemque violavit, si in fide non stetit. *Sil. It.* 11. 3. stat nulla diu mortalibus usquam, Fortuna titubante, fides. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. *a med.* Qui si steterit idem mihique paruerit, satis videmur habituri præsidii. *Martial.* 8. 71. nam stare aut crescere debent Munera. *Virg.* 4. *Æn.* 539. Aut bene apud memores veteris stat gratia facti. *Cic.* 5. *Att.* 18. Stamus animis, et quia consilii bonis utimur, speramus etiam manu. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 212. Tu prudens scelus ob titulos quum admittis inanes, Stas animo? *hai il tuo buon giudizio?* es mentis compos? *Seneca Thyest.* 634. Si steterit animus: si metu corpus rigens Remittet artus. *h. e.* si se collegerit et firmarit. — *Stat sententia*, certum est, deliberatum est. *Ter. Eun.* 2. 1. 18. vide quid agas. PA. stat sententia. *gran risoluzione! bellissimo!* et *Sil. It.* 7. 224. Stat pensata diu belli sententia, vincam Servare invitos. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 467. Stat sua cuique dies. — Sequente infinito. *Liv.* 21. 30. Hannibali sententia stetit, pergere ire atque Italiam petere. Sic *Cic.* 9. *Fam.* 2. *ad fin.* Nobis stet illud, una vivere etc. ¶ 6. Hinc poetice dicitur de cultu et est non mutari et constantiam firmitatemque animi aut etiam stuporem præ se ferre. *Sil. It.* 15. 29. stans vultus, et ore Incessuque viro propior. (Contra *Vulgat. interpr. Gen.* 4. 6. Quare iratus? et cur concidit facies tua?) *Stat.* 10. *Theb.* 693. cur ad patrios non stant tua lumina vultus? *h. e.* aspectum patris non sustinent. *Lucan.* 5. 214. nunc vultu pavido, nunc torva minaci: Stat numquam facies. *Val. Flacc.* 4. 639. stant ora metu, nec fessa recedunt Lumina. ¶ 7. Item est acquiescere, consentire, contentum esse. — *a*) Cum Ablativo. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Populus decreto non stetit. *h. e.* non acquievit aut non perseveravit. *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 81. Omnia ad suum arbitrium referre, suis stare judiciis. *Id. Cluent.* 47. *sub fin.* Si uterque censor censoris opinione standum non putavit. *Id.* 7. *Att.* 15. Omnes cupiebant, Cæsarem stare condicionibus iis, quas tulisset. *Id.* 3. *Off.* 25. *a med.* Facere promissa, stare conventis. *Quintil.* 5. 6. 4. Stare jurejurando mavult. *Al.* stari. *Ovid.* 2. *Met.* 818. Stemus, ait, pacto. — Passive impersonaliter. *Liv.* 7. 35. et 34. 22. *extr.* Quæ pars erit, eo stabitur consilio. *Id.* 21. 19. Etsi priore fœdere staretur, satis cautum erat Saguntinis. *Id.* 8. 40. *extr.* Nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur. *Quintil.* 7. 6. *extr.* et *ibid.* 10. Verbis legis standum sit, an voluntate. *Curt.* 10. 6. 15. Eo, quod major pars, eorum decreverit, stetur. — *b*) Et addita præpositione. *Cic.* 1. *Fin.* 14. 47. Stare oportet in eo, quod sit judicatum. *Id.* 2. *Att.* 4. Cura, ut cum Titinio transigas. si in eo, quod ostenderat, non stat, mihi maxime placet, ea, quæ male empta sunt reddi. — *c*) Cum Dativo. *Liv.* 7. 6. Nunc famæ rerum standum est. *Alii leg.* fama. *Callistrat. Dig.* 42. 1. 32. Alioquin rei judicatæ stabitur. *Ulp. ibid.* 26. 7. 3. Meritoque patris statur voluntati. *Id. ibid.* 36. 3. 6. Repromissio exigenda est, voluntati defuncti statum iri. *Id. ibid.* 4. 7. 23. *ad fin.* Nihil aliud est, arbitri sententiæ stare, quam id agere, ut arbitri sententiæ pareatur. *African. ibid.* 2. 1. 18. Stare conventioni. *Ulp. ibid.* 4. 3. 21. religioni. *Id. ibid.* 19. 1. 13. *sub fin.* Ut aut stetur emptioni, aut discedatur. ¶ 8. Item *stare*, ductâ fortasse metaphorâ a re militari, pro diversa ratione, qua construitur, est favere, alicujus causam tueri, ejus partes sequi; aut adversari, contrarium esse. — 1.°) In bonam partem et quidem — *a*) Cum Ablativo personæ et præp. *cum. Liv.* 26. 41. Quum dii prope ipsi cum Hannibale starent. *Id.* 5. 38. Fortuna cum barbaris stabat. — *b*) Item cum Abl. personæ aut rei et præp. *ab, pro, in. Cic.* 1. *Invent.* 43. 81. Stare a se potius quam ab adversariis. *Id. Brut.* 79. 273. Talis tribunus plebis fuit, ut nemo, contra civium perditorum dementiam, a senatu et a bonorum causa steterit constantius. *Id.* 1. *Invent.* 3. 4. Stare a mendacio contra verum. *Nepos Datam.* 6. *a med.* Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierunt, ab hisque stare, quos reliquerant. *Liv.* 38. 25. Pro jure gentium stetit fortuna. *Id.* 2. 12. Stare pro patria. *Ovid.* 1. *Art. am.* 200. pro signis. *Quintil.* 11. 1. 80. pro Juba. — *Curt.* 3. 11. 18. Græci, qui in Darei partibus steterunt. — *c*) Cum Adverb. *Plaut. Men.* 5. 2. 48. Hinc stas, illim causam dicis. *Liv.* 21. 10. Unde jus stabat, ei (*populo*) victoriam dedit. *Id.* 24. 45. Aliunde stet semper, aliunde sentiat. Sic *Justin.* 5. 4. 12. Tantum fuit in uno viro momenti, ut, unde stetisset, eo se victoria transferret. — *d*) Absolute. *Liv.* 25. 15. Prope incondita Thurinorum turba nec satis fido animo, unde pugnabat, stans. — 2.°) In malam partem, et quidem cum Accus. personæ aut rei et præp. *in, adversus, contra. Ovid. Heroid.* 7. 166. Nec steterunt in te virque paterque meus. *Nepos Agesil.* 5. et *Phoc.* 4. Stare adversus aliquem. *Cic.* 1. *Invent.* 3. 4. Contra verum. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 282. contra aspera tela. — 3.°) Simul utrumque jung. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 5. Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo. *et Nepos Agesil.* 5. *ad fin.* Si eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt. ¶ 9. Item dicitur de iis, quæ aliquo pretio constant, *costare*. — *a*) Cum Ablat. pretii, quod per nomen substantivum aut adjectiv. significatur. *Liv.* 34. 50. Polybius scribit, centum talentis eam rem Achæis stetisse. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 122. quæ neque magno Stet pretio, nec cunctetur, quum est jussa venire. *Liv.* 3. 60. Si extemplo rem fortunæ commisisset, haud scio, an magno detrimento certamen staturum fuerit. *gli sarebbe costato caro.* et 23. 30. Multo sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit. *Ovid.* 2. *Fast.* 812. Heu quanto regnis nox stetit una tuis! *Virg.* 10. *Æn.* 494. haud illi stabunt Æneia parvo Hospitia. *Val. Max.* 5. 6. *n.* 1. Populo R. libertatem suam magno stetisse. Adde *Propert.* 2. 7. 8., *Sil. It.* 17. 81., *Martial.* 3. 75. et *Quintil. declam.* 13. *sub init. Curt.* 3. 11. 27. Tantulo impendio victoria stetit. *Vellej.* 2. 64. *ad fin.* Utrinque vindicta libertatis morte stetit. — *b*) Cum Genetivo pretii. *Seneca* 1. *Ira* 2. Nulla pestis humano generi pluris stetit. ¶ 10. *Stare* dicitur etiam pro esse, cum aliqua significatione diuturnitatis. *Varro* apud *Non. p.* 264. 21. et *p.* 392. 5. *Merc.* denique avarus Quis sanus? cui si stet terra et traditus orbis, Furando tamen et morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quærat cogatque peculi. *Ovid.* 1. *Art. am.* 520. Inque cava nullus stet tibi nare pilus. *Propert.* 3. 17. 20. Infamis stupro stat Pelopea domus: *et ibid.* 21. 21. Nam quantum ferro, tantum pietate potentes Stamus. *Val. Flacc.* 7. 354. nec notis stabat contenta venenis. *Seneca Hippol.* 472. Vacuum sine ullis classibus stabit mare. *Ovid.* 5. *Fast.* 383. saxo stant antra vetusto, Quæ justum memorant incoluisse senem. ¶ 11. *Bene stare* est quod Itali *star bene* dicunt, valere. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) 19. Dum tu jacebis, et mihi animus supinus erit; quod si tu, diis juvantibus, bene

stabis, et meus animus bene constabit, qui nunc torretur ardentissimo desiderio tui.

II.) Impersonaliter. ¶ 1. *Stat*, certum est, deliberatum est, *son risoluto, ho fissato. Cic.* 3. *Att.* 14. *extr.* Nos in Asiam convertemus: neque adhuc stabat, quo potissimum: sed scies. — Cum Infinito. *Nepos Att.* 21. Mihi stat, alere morbum desinere. *Virg.* 2. *Æn.* 750. Stat, casus renovare omnes omnemque reverti Per Trojam. *Sil. It.* 3. 68. Quos ut seponi stetit et secernere ab armis etc. ¶ 2. *Stat per aliquem*, aliquis est in causa, *dipendere da qualcuno, stare in alcuno.* — a) Absolute. *Quintil.* 3. 6. *a med.* Deserui, tempestatibus, fluminibus, valetudine impeditus: id est, non per me stetit, sed per illa. — b) Cum Conjunctivo et partic. *ut, ne, quominus, quin. Id. declam.* 250. Per te stetit, ut etc. Adde *Plin. Ep.* 10. *Liv.* 3. 61. Per milites non stetisse, ne vincerent. *Sueton. Aug.* 28. Quasi per ipsum staret, ne redderetur. *Liv.* 6. 33. Utrisque apparuit, nihil per alteros stare, quo minus incepta persequeretur. *Id.* 9. 14. Per utros stetisset, quo minus discederetur ab armis. Adde *eumd.* 44. 19. *Id.* 2. 31. Per eum non stetisset, quin præstaretur. Adde *Tac. dial. de Orat.* 21. *extr. Cic.* eod. sensu dixit, 1. *Fam.* 4. Nemo est qui nesciat, quo minus discessio fieret, per adversarios tuos esse factum. — c) Cum Infinito. *Scævola Dig.* 32. 1. 36. Si per eum non stetit, parere defuncti voluntati. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

Stans, antis, etiam absolute occurrit et est exstans, prominens. *Propert.* 4. 5. 12. Stantia currenti diluerentur aqua. *h. e.* quæcumque exstant e terra et erecta sunt, aquis obruerentur.

STŎA, æ, f. 1. στοά. *Julian. Gramm. p.* CCXII. in *Anecd. Helv.* ed. *Hag.* Stoici quomodo dicti? Ab stoa porticu. nam stoa Græce, Latine porticus dicitur. Mos erat apud philosophos, ut in una porticu congregarentur et ibi disputarent et inde ab stoa porticu Stoici dicti.

STŎĀCUS, a, um, adject. Στωακός pro Στωϊκός, Stoicus: a στώαξ apud *Athenæum* 13. *p.* 563. *Casaub. Capell.* 2. *p.* 31. Quidquid agentes Stoaci præscia dant futuris Semper anhelis docilis fomitibus tulisti.

STOBRUS. *V.* STROBUS.

STŒBE, es, f. 1. (στοιβή) Pro *stœbe* scribitur *stybe* apud *Hieronym.* interpr. *Hom.* 2. *Orig.* in *Cant. Cantic.* p. 1135. *Migne.* (ex *Is.* 55. 13.) Siquidem pro stybe ascendit cypressus. ubi *Vulgat. interpr.* habet: pro saliunca ascendet abies. — Stœbe est genus herbæ, alio nomine pheos. *V.* PHEOS. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 54. (91). et 22. *ibid.* 11. 13. (28).

STŒCHAS, ădis *vel* ădos, f. 3. στοιχάς et στιχάς ¶ 1. Est herba nascens in insulis ejusdem nominis, odorata, coma hyssopi, amara gustu, ut *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 107. (131). tradit; ubi etiam recenset ejus utilitates in medicina (*Lavandula Stœchas* Linn.). Sunt autem *Stœchades* insulæ tres Galliæ Narbonensis, nunc d'*Hyères*, contra ostia Olbii amnis: de quibus *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 11. (79). Tres Stœchades a vicinis Massiliensibus dictæ, propter ordinem: quas item nominant singulis vocabulis, Proten et Mesen, quæ et Pomponiana vocatur: tertia Hypæa. Hæc *Plin.* Porro στοῖχος ordinem significat, πρώτη primam, μέση mediam: ὑπαία postrema est. ¶ 2. Est etiam bulbus scilliticus apud *Apul. Herb.* 43.

STŒCHĒON vel

STŒCHĪON, ii, n. 2. στοιχεῖον, elementum seu alphabeti littera. *Terentian. De metr. v.* 1168. In tantum vegeta est et vivida littera sexta Quum prior est et muta loco subjecta secundo; Arcticon idcirco Stœchion Græcia dixit. Alii leg. *stœcheon*, ut *platea* a πλατεῖα, extrita littera *i*.

STŒCHIS, īdis, f. 3. herba eadem ac stergethron. *Apul. Herb.* 43.

STŌĬCA. *V.* STOICUS, a, um.

STŌĬCĒ, adverb. (Stoicus) Stoicorum more, *Stoicamente*, Στωϊκῶς. *Cic. Parad. præf.* Stoice solet, nullis oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. *Id. Mur.* 35. 74. Agit mecum severe et Stoice Cato.

STŌĬCE, es, *et*

STŌĬCI, ōrum. *V.* STOICUS, a, um.

STŌĬCĪDA, æ, m. 1. (Stoicus) idem ac Stoicus, fortasse πατρωνυμικῶς dictum; sed per contumeliam, quasi sit is, qui Stoicus videri velit, et tamen moribus sit omnino contrariis Stoicæ disciplinæ et severitati. *Juvenal.* 2. 64. Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem Stoicidæ. « *Le putte della Stoa, trepide a queste Patenti verità, si diero a gambe* » (Gargallo). Quidam enim volunt significare virum mollem, et Stoicidam nomen esse femininum de viro dictum, ea ratione, qua apud *Virg.* 9. *Æn.* 617. quidam Rutulorum Trojanos per convicium sic ridet: O vere Phrygiæ. neque enim Phryges etc.

STŌĬCUS, a, um, adject. Στωϊκός, ad Stoicos pertinens, *Stoico. Cic.* 9. *Fam.* 22. *ad fin.* Schola Stoica. *Horat. Epod.* 8. 15. Stoici libelli. *Martial.* 7. 69. Stoica turba. *Id.* 11. 84. Tondeat hic inopes Cynicos et Stoica menta. *Seneca Ep.* 123. *ad fin.* Stoica secta. *et Ep.* 13. lingua. *et Ep.* 22. sententia. *et Ep.* 59. significatio. *Gell.* 19. 1. disciplina. *Juvenal.* 13. 121. dogmata. *Seneca Apocol. ante med.* Stoicus deus. *h. e.* rotundus, ut ait *Cic.* 2. *Nat. D.* 17. 46. — Hinc absolute, substantivorum more

Stoica, orum, n. plur. 2. Stoicorum philosophia. *Cic.* 1. *Nat. D.* 6. 15.

Stoica, æ, vel

Stoice, es, f. 1. doctrina vel secta Stoicorum. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 1. 16. Inter Stoicam et Epicuream jactari se ait. *et mox. v.* 17. Bene rigidus secundum Stoicen.

Stoicus, i, m. 2. Stoicæ philosophiæ sectator. Fuit enim genus philosophorum, qui a Zenone Cittieo originem habuere, ita dicti a στοά, porticus, quod Zeno Athenis in porticu philosophiam docuit, nempe in porticu illa, quæ Pœcile dicta est a varietate picturæ, idest a ποικίλος, varius, quam Polygnotus gratuito pinxit. Deum dicebant esse rationem quamdam per omnem naturam rerum pertinentem, item legem naturalem recta imperantem prohibentemque contraria: iidem divinitatem tribuebant ætheri, astris, annis, mensibus annorumque mutationibus. Nihil bonum existimabant nisi honestum. Felicitatem in sola virtute constituebant. Itaque eorum axiomata fuerunt, solum honestum bonum esse: in quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum: solum sapientem esse divitem, formosum, regem, omnes stultos servos esse: peccata esse æqualia et hujusmodi. Funditus perturbationes animi sustulerunt, hoc est, voluerunt sapientem omnino esse sine perturbationibus. Hæc et alia multa eorum placita passim leges apud *Cicer.*, præsertim in libris philosophicis et in Paradoxis. *V.* etiam orationem ejus *pro Murena*, ubi salse eos ridet in persona M. Catonis, c. 29. *et* 30. — De usu vocis. *Cic. Parad. procem.* 3. Cato, perfectus mea sententia Stoicus, et ea sentit, quæ non sane probantur in vulgo et in ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis. *Id.* 1. *Off.* 35. 128. Si qui fuerunt Stoici pæne Cynici qui etc. *Id. Varro Sat. Menipp.* 86. *p.* 220. *Oehl.* In charteo stadio ἐπιτάφιον ἀγῶνα, quo qui certasset animo bellus homo, magis delectatus Stoicorum pancratio, quam Athletarum. *Auson. Ep.* 2. 6. Stoicus has partes, has Epicurus amat. *Isid. Gramm. p.* CCLVI. in *Anecd. Helv.* ed. *Hag.* Stoici quinque partes (*orationis*) esse dixerunt. nam nomen et pronomen una pars, verbum et participium alia pars, adverbium et conjunctio tertia pars, quarta præpositio, quinta interjectio.

STŎLA, æ, f. 1. στολή, vestis muliebris ad talos usque demissa, sinuosa, rugis plicisque abundans et zonā ad corpus adstricta; cui pallium aut palla superinduitur: a στέλλω, qua amicire, induere significat, *veste talare da donna.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, ut diximus. *Enn.* apud *Non. p.* 198. 4. *Merc.* Et quis illæc est, quæ lugubri succincta est stola? *Varro Sat. Menipp.* 31. *p.* 119. *Oehl.* Stola calceosque muliebres propter positos capio. *et mox.* Partim venusta muliebri ornat stola. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. Alii rectius leg. *muliebrem togam.* (Similis hujus est locus in *Petron. Sat.* 81.) *Seneca Vit. beat.* 13. Hoc tale est, quale vir fortis stolam indutus. *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. *a med.* Vestimenta muliebria sunt, quæ matrisfamilias causa comparata sunt: quibus vir non facile uti potest sine vituperatione: veluti stolæ, pallia, tunicæ etc. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 99. Ad talos stola demissa et circumdata palla. *Martial.* 3. 93. Rugosiorem quum geras stola frontem. — Fuit propria matronarum honestarum, nam meretrices toga utebantur. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 51. Scripsimus hæc istis, quarum nec vitta pudicos Contingit crines nec stola longa pedes. *Martial.* 10 5. Quisquis stolæve purpuræve contemptor, Quos colere debet, læsit impio versu, Adde *Ovid.* 2. *Trist.* 251. Matronarum stola rubra fuisse videtur: etenim *Auct. Priap.* 12. vetulam matronam describit *stola rufa* indutam. et *Propert.* 2. 19. 81. Illaque plebejo vel sit sandicis amictu. *h. e.* toga, ut plebejæ mulieres, vel stola purpurea, ut matronæ solent. Sed fortasse rubra dicebatur stola, quia purpurea instita imam ejus partem ambiebat. — Hujus stolæ figuram exhibet *A. Rich* ex pictura depromptam in thermis Titi conspicua; ubi *instita* adparet, quæ olim fascia putàbatur ad oram stolæ assuta (quam sententiam tenuit cl. *Corradinius* ad voc. INSTITA); at constat nunc, fuisse latam fasciam seu laciniam, quæ retro stolæ assuebatur celabatque pedes ac trahebatur in modum syrmatis, *coda o strascico.* Cf. *Stat.* 7. *Theb.* 654. — Stola utebantur etiam citharœdi, quæ et palla dicebatur. *V.* PALLA. *Varro* 3. *R. R.* 13. Q. Hortensius quum in agro Laurenti esset, Orphea vocari jussit: qui quum eo venisset cum stola et cithara, et cantare esset jussus, buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut etc. *Orphea* dixit, quia hic quasi Orpheus alter bestias ad se congregavit. — Apud Orientales populos tunica erat superior ampla et sinuosa, qua sacerdotes, reges et honoratiores viri utebantur. *Vulgat. interpr. Gen.* 41. 42. Vestivit eum (*Joseph*) stola byssina. *Id. Lev.* 16. 32. Stola linea. — Stola, vestis quædam, qua hodie sacerdotes nostri utuntur, originem habet ex ea veteris stolæ parte, quæ erat acu picta. Cf. *Buonarotti, Vetri* p. 79. ¶ 2. Latiore sensu est communis omnium vestium appellatio apud Latinos veteres Græcorum morem imitatos, ut *Non. p.* 537. 24. *Merc.* observavit. *Enn. ibid.* Regnum reliqui sæptus mendici stola. *Id. ibid.* et apud *Fest.* in *Squalidum p.* 329. 28. *Müll.* Convestitus, squalida sæptus stola. — Hinc *Apul.* de veste sacerdotali usurpavit, 11. *Met.* Perfectis sollemnibus, processi duodecim sacratus stolis, habitu quidem religioso satis, sed effari de eo nullo vinculo prohibeor. *et mox.* Hæc Olympiacam stolam sacrati nuncupant.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice ponitur pro ipsa matrona. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 235. Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (40). Atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem fecit. Adde *Val. Max.* 2. 1. n. 5. ¶ 2. Figurate apud Ecclesiasticos scriptores. *Vulgat. interpr. Eccli.* 6. 32. Stolam gloriæ induere aliquem. *Id. ibid.* 50. 11. accipere. *Id. ibid.* 15. 5. Stola gloriæ vestire aliquem. *Id. Bar.* 4. 20. pacis exuere. ¶ 3. A similitudine *stola* dicitur a metricis pes amphibrachus. *Cæs. Bassus De met. p.* 2666. *Putsch.* Amphibrachus ex brevi, longa et brevi, temporum quattuor, ut *dicaris.* hunc alii mesiten, alii stolam appellaverunt. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STŎLARCHUS, i, m. 2. στόλαρχος et στολάρχης, præfectus classis: a στόλος, classis, et ἄρχω, præeo, principor. *Inscript.* apud *Mommsen n.* 2685. C. ATINII EVTYCHetis B. (*h. e.* beneficiarii) STOLARCHi. Cl. *Henzen* ad *h. l.* hæc adnotat: Beneficiarii *stolarchi*, ducis, credo, divisionis cujusdam classis Misenatis. At *Mommsen* præfe-

cium classis putat; tituli enim classiarii solent græcissare.

STŎLĀTA, æ. V. voc. seq. in fin.

STŎLĀTUS, a, um, adject. (stola) stola indutus, ἐστολισμένος.

I.) Proprie. *Vitruv.* 1. 1. *ante med.* Stolatæ mulieres. Caligula imperator apud *Sueton. Cal.* 23. Liviam Augustam proaviam, propter vafritiam, Ulyssem stolatum appellabat. *Ulisse vestito da donna.* nam apud Græcos stola erat etiam vestitus virilis.

II.) Translate, quia stola matronarum propria est, *stolatus* matronalem et honestum significat. *Martial.* 1. 36. Quis Floralia vestit et stolatum Permittit meretricibus pudorem? — Hinc

Stolata, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, quia stola matronarum propria erat apud Romanos, idem est ac matrona, *dama, matrona. Petron. Tragur.* 44. *Burmann. sub fin.* Antea stolatæ ibant nudis pedibus, passis capillis, mentibus puris et Jovem aquam exorabant. *Inscript.* apud *Gruter.* 563. 7. TERTINIA VICTORINA FEMINA RARISSIMA STOLATA QVONDAM. *h. e.* matrona, quemadmodum in *alia* apud *eumd.* 546. 5. HIS TERRIS TEGITVR AELIA MATRONA QVONDAM. In *Corp. Inscript. Lat.* V. 3. 5283., 5293., 6155. et 5. 5892.

STŎLĬDĒ, adverb. (stolidus) Comp. *Stolidius* I. — Stolide est sine ratione, stulte, inepte, dementer, *senza ragione, pazzamente, a sproposito*, ἀνοήτως, ἠλιθίως.

I.) Proprie. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 1. Quid stolide clamas? *Liv.* 7. 5. Prævalidum juvenem et stolide ferocem viribus suis cernebat. *et ibid.* 10. Gallus stolide lætus et linguam etiam ab irrisu exserens. *Id.* 25. 19. *a med.* Id non promissum magis stolide, quam stolide creditum. *Justin.* 2. 3. 10. Opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum. Alii aliter leg. *Ammian.* 19. 5. 2. Stolidius erumpentes dimicantesque fortissime.

II.) Translate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (52). Mala pulmonea stolide tument. *fuor di misura.*

STŎLĬDĬTAS, ātis, f. 3. (stolidus) dementia, stultitia, fatuitas, ἀβελτερία, ἠλιθιότης (It. *irragionevolezza, pazzia, stolidezza*; Fr. *sottise, folie, stupidité*; Hisp. *estolidez, locura*; Germ. *die Albernheit, Dummheit*; Angl. *folly, stupidity*). *Flor.* 3. 3. *de Cimbris.* Athesim flumen non ponte nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica corporibus egressi. *Arnob.* 2. *p.* 80. Nam stoliditas inveniri quæ major potest, quam mala esse nulla contendere et tamquam malos perdere et condemnare peccantes? Adde *Gell.* 18. 4. *a med.* et *Apul. Florid.* 3.

STŎLĬDUS, a, um, adject. Vox fortasse derivanda, litterā r in l, ut fieri solet, commutatā, a rad. Skr. *star*, durum esse, unde et Gr. στερεός et Lat. *sterilis*. Cf. et STOLO. — Primam licenter produxit *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 245. *Meyer.* Torquerétque vagus stolida corda metus. — Comp. *Stolidior* I. et II.; Sup. *Stolidissimus* I. — Stolidus est rationis expers, brutus, excors, fatuus, stultus, impetu magis, quam ratione, utens, ἠλίθιος, ἀνόητος (It. *irragionevole, pazzo, stolido*; Fr. *sot, insensé, stupide*; Hisp. *estolido, bobo, fatuo*; Germ. *dumm, thöricht, albern*; Angl. *stolid, foolish*): dicitur autem tum de personis, tum de rebus.

I.) Proprie. *Enn.* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 116. stolidum genus Æacidarum Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes. *Cæcil.* apud *Fest.* p. 317. 19. *Müll.* Sed ego stolidus. gratulatum me oportuit prius. *Ter. Andr.* 3. 1. 12. Jam scio, ah! vix tandem sensi stolidus. *Plaut. Amph.* 4. 2. 8. Quid me adspectas, stolide? *Id. Bacch.* 3. 6. 19. Ii se quum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant. *Id. Capt.* 3. 4. 123. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 33. Nullum est hoc stolidius saxum. *Aurel. Vict. Cæsar.* 41. *sub fin.* Vir litterarum prorsus expers et ingenio stolidior. *Ovid.* 13. *Met.* 775. Risit et, o vatum stolidissime, falleris, inquit. et 6. *ibid.* 50. Perstat in incepto stolidæque cupidine palmæ In sua fata ruit. *h. e.* victoriæ, quam contra deam ferre neutiquam poterat. *et* 11. *ibid.* 176. *de Mida.* nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram. *h. e.* asininas. *Cic. Top.* 15. 59. Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo, ut locus, tempus, materia, ferramenta. *Liv.* 34. 46. *a med.* Consul armatos paullisper continuit, ut stolidam fiduciam hosti augeret. *Auson. Edyll.* 10. 165. Coloni certantes stolidis clamoribus. *et ibid.* 275. puer pisces stolido captat prensare natatu. *h. e.* vano, irrito. *Catull.* 17. 24. stolidum excitare veternum. *Martial.* 1. 42. Stolida procacitate ludere. *h. e.* inepta petulantia jocari. *Tac.* 4. *Hist.* 15. Vir stolidæ audaciæ. *Pers.* 2. 28. Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam Juppiter? *h. e.* ipse Juppiter stolidus. — Cum homonymis. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Id. Trin.* 1. 2. 162. Nihil est profecto stultius neque stolidius neque mendaciloquius. *Auct. Paneg. ad Constantin.* 22. Stolidæ atque ferinæ mentes.

II.) Metonymice, quia qui stolidi et stulti sunt, molestiam solent afferre, ait *Gell.* 18. 4. *sub fin.* ex *Apollinari Sulpicio*, stulidos dici etiam tetros et molestos et illepidos, quos Græci μοχθηρούς et φορτικούς dicunt. *Sall. fragm.* apud *Gell.* 18. 4. Lentulus, perincertum, stolidior an vanior. *più molesto o burbero.*

Homonym. *Stolidum* et *stultum* pro eodem habet *Val. Max.* 6. 9. *n.* 3. *extern.* Si quod est discrimen, *stultus* est, qui quum possit ratione uti, non utitur tamen: *stolidus*, qui ne potest quidem. Similiter *Popma p.* 329. *Stultus*, qui judicandi facultate, quam habet, non utitur; *stolidus*, qui nec ingenio nec memoria nec judicio valet. Et *Herel p.* 653. *Stolidus* accedit ad naturam brutorum; *stultus*, imprudens, fatuus, qui nihil sapit. Ex quibus satis colligitur, *stolidum* magis physice dici, *stultum* moraliter. *Plaut. Trin.* 1. 2. 162. Nihil est profecto stultius neque stolidius. Sic *Liv.* 25. 19. Id non promissum magis stolide, quam stulte creditum. *Alii tamen aliter leg.* Cf. tamen *Val. Max.* 5. 9. *n.* 3. Cimonis incunabula opinione stultitiæ fuerunt referta - stolidum eum crediderunt. et *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. Ut hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica. Ubi hæc promiscue usurpari videntur.

STŎLO, ōnis, m. 3. *Stulo pro stolo* legitur in *Gloss. Labb.* — Etymon nominis petunt recentiores ab eadem rad., unde *stolidus, sterilis* etc.; *Forcellinus* a Gr. στέλλω, mitto, hinc Itali etiam *messa* appellant. — Stolo est id quod ex radice circum arbores enascitur, germen inutile et trunco succum subtrahens, *polloncello, rampollo, germoglio che nasce a pie' dell' albero*, παραστάς, φυτευτήριον.

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 34. (150). Castanea ipsa se colit umbra stolones supervacuos enecante. *et ibid.* 13. 20. (95). Omnia celerius adulescunt stolonibus ablatis unamque in stirpem redactis alimentis. *et ibid.* 26. 39. (248). Amygdalæ reciduntur veteres totæ ac rursus a stolone aliquo resurgunt. *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (133). Smyrnion caulem habet apii, folia latiora et maxime circa stolones multos.

II.) Figurate est idem ac stolidus, bardus, hebes. *Auson. Epist.* 4. 94. Sed jam non potes, o stolo, doceri. Sic *frutex* apud *Plaut. Most.* 1. 1. 12. et *caudex* et *stipes* apud *Ter. Heaut.* 5. 1. 3. *Alii tamen leg.* non potis, o Theon, doceri. — *NB.* De cognom. R. V. ONOM.

STOLPUS, i, m. 2. Vox adhibita in cantionibus ad morbos quosdam depellendos. *Marcell. Empir.* 28. *a med.* in *carmine* ad rosus ventris. Cf. *Grimm* 1. *p.* 458.

STŎLUS, i, m. 2. στόλος, commeatus, profectio, expeditio navalis, classis. *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 13. 5. 7. Navicularii, ad exemplum Alexandrini stoli, quaternas in frumento centesimas consequantur. Hinc *Inscript.* apud *Gruter.* 114. 4. Οἱ ναύκληροι τοῦ πορευτικοῦ Ἀλεξανδρίνου στόλου. — *NB.* De cognom. R. V. ONOM.

STŎMĂCĂCE, es, f. 1. στομακάκη, *scorbuto*, vitium gingivæ, quum dentes decidunt: a στόμα et κακόν, quod oris vitium est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 6. (20)., cujus verba V. in SCELETYRBE.

STŎMĂCHĂBUNDUS, a, um, adject. (stomachor) valde stomachans, indignabundus, *pieno di sdegno. Gell.* 17. 8. Aspicit puer guttum atrocibus oculis stomachabundus, et concussum vehementius iterum in aulam vertit. Adde *Augustin. Serm.* 178. *n.* 8.

STŎMĂCHANS, antis, particip. V. STOMACHOR.

STŎMĂCHANTER, adverb. (stomachor) cum stomacho et indignatione. *Augustin. Vit. beat. circa med.* Quasi stomachanter arridens.

STŎMĂCHĀTĬO, ōnis, f. 3. (stomachor) actus stomachandi, indignatio. *Cassiod.* in *Psalm.* 33. 2. Nam si quis hodie Domino detrahat, devotus famulus quo furore succenditur, qua stomachatione cruciatur.

STŎMĂCHĀTUS, a, um, particip. V. STOMACHOR.

STŎMĂCHĬCA, ōrum. V. voc. seq.

STŎMĂCHĬCUS, a, um, adject. στομαχικός, ad stomachum pertinens. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 13. A parte corporis, quæ patitur, stomachica passio nomen accepit. — Hinc absolute, substantivorum more

Stomachica, *orum*, n. plur. 2. medicamenta stomacho roborando idonea. *Thes. N. Lat. p.* 354. et 564. ed. *Mai.* Stomachica, medicamina apta stomacho. ubi perperam nonnulli leg. *stomatica.*

Stomachicus, i; m. 2. qui stomachi dissolutione laborat. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. 76. Stomachici intelliguntur ex eo quod jam frequenter fuerint admoniti passione et propterea typorum tenuerunt tarditatem, quibus accessiones longo intervallo respondeant. *et ibid.* 35. 184. Stomachicis adest in accessione sudor atque articulorum frigus *etc.*, quæ omnia sunt communia cum cardiacis. *Seneca Ep.* 24. *circa med.* Dolorem stomachicus in ipsis deliciis perfert. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 24. (60). Medetur stomachicis, spasticis, cynicis, ischiadicis etc. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. (100). Usus scyllæ ad splenicos et stomachicos (si non sentiant ulcus), quibus innatet cibus. Adde 24. *ibid.* 14. 75. (123). *V.* STOMATICHUS. Adde *Theod. Priscian.* 2. 16. et *Scribon. Compos.* 113.

STŎMĂCHĬCUS, i. *V.* voc. præced.

STŎMĂCHOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (stomachus) Part. *Stomachans* I. *a*; *Stomachatus* I. *b.* et *d*; et II. — Stomachor est fastidio, indignor, irascor: more stomachi aliquando cibos aversantis et rejicientis, ἀγανακτέω (It. *sdegnarsi, stomacarsi, infastidirsi, adirarsi*; Fr. *se dépiter, s'indigner, se fâcher*; Hisp. *despecharse, indignarse, enfadarse*; Germ. *sich ärgern, unwillig sein*; Angl. *to be angry or greatly displeased*): occurrit autem

I.) Neutrorum more et est fastidio, indignor, irascor. — *a*) Absolute. *Cic.* 15. *Fam.* 16. Stomachari et moleste ferre. *Id. Brut.* 95. 326. Non probantur hæc senibus. sæpe videbam quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum. *Id.* 1. *Orat.* 36. 166. Quos multas horas exspectavit, quum in campum properaret, ridens et stomachans Scævola. *Seneca Ep.* 4. Alius se præcipitavit a tecto, ne dominum stomachantem diutius audiret. *Id. Ep.* 12. Occasionem stomachandi arripere. — *b*) Sequente Ablat. cum aut sine præp. *cum. Cic.* 2. *Orat.* 66. *a med.* Quum Scipio stomacharetur cum C. Metello. *Id.* 1. *Verr. fr.* 1. Quid stomachetur Mnesarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus? *Id.* 10. *Fam.* 26. Itaque jucundissimis tuis litteris stomachatus sum in extremo. *Augustin. Serm.* 57. *n.* 6. Stomachati sunt videndo zizania. — *c*) Cum Accus. et præp. *ob. Horat.* 1. *Ep.* 1. 104. rerum tutela mearum Quum sis et prave sectum stomacheris ob unguem. *Alii leg.* ad unguem. — *d*) Sequente partic. *quod, si. Cic. ad Capiton.* 16. *Att. ult.* Non dubito, quin mirere atque etiam stomachere,

quod tecum de eadem re agam sæpius. *Id.* 1. *Nat. D.* 33. *ad fin.* Stomachabatur, si quid asperius dixeram.

II.) Transitive. *Ter. Eun.* 2. 3. 30. Id adveniens mecum stomachabar modo. *Cic.* 14. *Att.* 21. *a med.* Amariorem me senectus facit. stomachor omnia. *Augustus* apud *Sueton. Tib.* 21. *ad fin.* Sive quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor valde, Tiberium meum desidero. *Apul.* 5. *Met. ad fin.* Foras sese proripit infesta et stomachata biles Venereas.

STŎMĂCHŌSĒ, adverb. (stomachosus) Comp. *Stomachosius.* — Stomachose est cum stomacho, indignanter, *con isdegno. Charis.* 2. *p.* 193. *Putsch.* Stomachose Cicero (*usurpat*), ut Statilius Maximus de singularibus apud eum quoque positis notat. *Cic.* 10. *Att.* 5. Rescripsi ei stomachosius, cum joco tamen familiari. Cf. *ibid.* 11. *de eod.* Cum eo θυμικώτερον eram jocatus.

STŎMĂCHŌSUS, a, um, adject. (stomachus) Comp. *Stomachosior* II. — Stomachosus est qui facile stomachatur, indignabundus, iracundus, *collerico, sdegnoso, fastidioso,* ὀργίλος.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 11. quo tendis? non mihi Cumas Est iter, aut Bajas, læva stomachosus habena Dicet eques. *Firmic.* 5. *Mathes.* 10. *ad fin.* Homines animo malo et stomachoso.

II.) Translate refertur ad ea, quæ stomachum et iram revelant. *Cic. Brut.* 67. 236. Genus acuminis sæpe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. *Id.* 2. *Orat.* 69. 279. Me quidem valde illa movent stomachosa et quasi submorosa ridicula. *Id.* 3. *Fam.* 11. *ad fin.* Stomachosiores meas litteras quas dicas esse, non intelligo. *Seneca* 1. *Ira* 4. *ad fin.* recenset irarum genera, amarum, acerbum, stomachosum, clamosum, difficile, asperum.

STŎMĂCHUS, i, m. 2. (στόμαχος) Male scribitur in quibusd. Codd. *stomacus* sine aspiratione; est enim a voce Gr. στόμαχος, cum aspir. χ, quæ Latina civitate donata est. — *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* monet, *stomachum* etiam in pluribus singulariter dici, ut ait Calvus: Quorum prædulcem cibum stomachus ferre non potest. — Stomachus est canalis seu fistula (quæ et gula dicitur a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. et 68., qua cibus ab ore in ventriculum defertur, στόμαχος (It. *gola, esofago, canale del cibo dalla bocca al ventricolo;* Fr. *œsophage, gosier;* Hisp. *esofago, gaznate;* Germ. *die Speiseröhre;* Angl. *œsophagus, gullet*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Linguam, ad radices ejus hærens, excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. Atque is agitatione et motibus linguæ, quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. *Cels.* 4. 1. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant, alterum, stomachum. *et infra.* Stomachus vero, qui intestinorum principium est, nervosus a septima spinæ vertebra incipit ac circa præcordia cum ventriculo committitur. *Soran.* 12. *p.* 191. Stomachus, qui os ventris appellatur, positus est inter utrasque partes hypochondriorum, id est in medio costarum molliorum. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. 8. Stomachum paralysi vitiatum difficultas transvorandi sequetur.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen sumitur, ut quidam volunt, pro infima parte ejus canalis, quæ ventriculo inseritur. *Plin. loc. cit.* 68. (179). Summum gulæ fauces vocantur, extremum stomachus. — Verius tamen *Plin.* hoc loco ipsum ventriculum intelligit, in quo cibi conficiuntur: qui sæpissime *stomachi* appellatione significatur, *ventricolo, stomaco. Seren. Sammon.* c. 18. Qui stomachum regem totius corporis esse Contendunt, vera niti ratione videntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Hæc avis scribitur conchis se solere implere easque quum stomachi calore concoxerit, evomere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 26. (53). Stomachus dissolutus aut cibos non perficiens. *Id, ibid.* 22. (38). Vinum dulce minus inebriat, sed stomacho innatat: austerum facilius concoquitur. *Cels.* 4. 5. *a med.* Vulgatissimum pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est, quum cibi non tenax est. *Lucret.* 4. 632. Dummodo quod capias, concoctum didere possis Artubus, et stomachi humectum servare tenorem. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 18. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet. Cf. 2. *ibid.* 8. 5. *Id. ibid.* 2. 38. Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. *Petron. Sat.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 13. Stomacho est ita languenti, ut vix id, quod sibi placeat, reperiat. *Juvenal.* 5. 49. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque. *Id.* 4. 67. stomachum laxare saginis. *Sueton. Cal.* 58. Marcens stomachus pridiani cibi onere. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 13. Non omnis stomachi querela illico passio nuncupatur. *Id. ibid.* 14. Stomachus solutus atque inflatus. *Id.* 3. *Acut.* 17. 145. immobilis ac fixus vel inflexus. *Id.* 2. *ibid.* 19. 123. tumens. *Id.* 1. *Tard.* 1. 29. supinus. Sic 2. *Acut.* 35. *et* 40. 184. Stomachi supinitas. *Plin. Valer.* c. 36. morsus. et c. 40. marcor. *Marcell. Empir.* c. 20. fastidium. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Æstuantem stomachum potione refrigerare. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (48). Malaciam stomachi et inflationes discutere. *Id.* 20. *ibid.* 22. 91. (248). dissolutiones cohibere. *Id.* 23. *ibid.* 6. 56. (105). infirmitatem sanare. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (189). inflationibus mederi. *Id.* 32. *ibid.* 8. 29. (91). spasmos sedare. *Id.* 22. *ibid.* 22. 33. (74). Prodesse stomacho. *Id.* 23. *ibid.* 2. 32. (66). Stomachum adjuvare. *et* 27. *ibid.* 6. 4. (16). confirmare. *Cels.* 4. 5. fovere. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 18. (32). corroborare. *Id.* 30. *ibid.* 6. 15. (46). recreare. *et* 32. *ibid.* 6. 21. (64). (et *Marcell. Empir.* c. 20.) reficere. *Id.* 23. *ibid.* 9. 81. (161). sistere. *Id.* 20. *ibid.* 5. 17. (34). excitare et fastidium abstergere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 7. (11). (et *Cels.* 4. 5.) infestare. *et* 25. *ibid.* 5. 18. (41). lædere. *et* 26. *ibid.* 8. 37. (58). offendere. *Id.* 13. *ibid.* 23. 44. (127). movere. *Cels.* 4. 5. *ad fin.* comprimere. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (48). adstringere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 23. (43). Stomachus in vomitiones effunditur. *Cels.* 4. 5. exæstuat. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 78. Magna fastidia movere stomacho. *far venire grandi archi di stomaco. et ibid.* 8. 9. Stomachum lassum pervellere. et *ibid.* 2. 43. lassum sollicitare. *Cels.* 1. 8. Stomacho laborare. *Juvenal.* 6. 100. valere. *Plin.* 6. *Ep.* 16. *sub fin.* Stomachus illi natura invalidus, angustus et frequenter interæstuans erat. *Plin. alter* 20. *Hist. nat.* 17. 68. (176). acida ructans. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (80). Fortiores stomachi. *h. e.* qui facile concoquunt. *Id.* 23. *ibid.* 8. 74. (142). Stomachi acrimonia et rosiones. *Id.* 32. *ibid.* 1. 3. (8). Nausea et redundatio stomachi. *Seneca Ep.* 2. *a med.* Fastidientis stomachi est, multa degustare. — Quæ stomacho apta sunt, quæque aliena in cibis, *Celsus* 2. 24. 25. 26. *et* 27. accurate recenset. — *Bonus stomachus,* qui facile quocumque cibo contentus est, et facile concoquit. Metaphorice. *Quintil.* 2. 3. 3. Interim sufficere illos minores existimant, et bono sane stomacho, contenti sunt. *Id.* 6. 3. *a med. de risum moventibus.* Jucundissima sunt ex his omnibus lenia et, ut sic dixerim, boni stomachi. *h. e.* quæ sunt velut cibi, qui facile concoquuntur et bonum stomachum faciunt. ¶ 2. In illo *Maximian. Eleg.* 5. 29. Ah quantum mentem stomachi fultura movebat. *stomachus* videtur esse pars pectoris, cui subjacet stomachus, nam sequenti versu pectus ipsum nominat. Nec insulsum adeo videri debet, stomachum pro pectore positum, quum etiam pectus pro stomacho ponat *Horat. Art. P.* 337.

III.) Figurate refertur ad animum. — *a*) In bonam partem et significat appetitum, desiderium, cupiditatem, *desiderio, voglia. Cic.* 7. *Fam.* 1. Ludi apparatissimi, sed non tui stomachi. conjecturam enim facio de meo. *non di tuo genio o gusto. et Plin.* 1. *Ep.* 24. In hoc agello (commendo) Tranquilli mei stomachum multa sollicitant, vicinitas urbis, opportunitas viæ, modus ruris etc. — *b*) In malam partem et significat fastidium, indignationem, iram, *nausea, sdegno, bile. Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, olim concalluit. *Id.* 4. *Tusc.* 24. 53. Tracta definitionem fortitudinis, intelliges, eam stomacho non egere. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. *ante med.* Puto, te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. *Id.* 2. *Fam.* 16. *sub fin.* Hoc adspersi, ut scires, me tamen in stomacho solere ridere. *Id.* 5. *Att.* 1. *a med.* Quæ tum mihi majori stomacho, quam ipsi Quinto, fuerunt. *Id.* 4. *Verr.* 20. 48. Homo exarsit iracundia ac stomacho. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. *init.* Epistola plena stomachi et querelarum. *Quintil.* 10. 1. *a med.* Plus stomacho, quam consilio dare. *Sueton. Tib.* 59. *extr.* Bile et stomacho aliquid fingere. *Capell.* 8. *p.* 272. Nondum stomacho senescente. *h. e.* ira sedata. *Inscript.* apud *Cardinali Dipl. Imp.* p. 323. *n.* 614. (*Henzen n.* 6877.) CVM QVA VIXI AN. XXII. SINE VLLO STOMACHO — *Facere* aut *movere stomachum,* iram, indignationem excitare. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi. sed certe ut facere se arbitrarentur. *Id.* 5. *Att.* 11. Ita mihi videtur non minus stomachi nostro, quam Cæsari, fecisse. et 6. *ibid.* 3. *ad fin.* In quo tamen ille mihi risum magis, quam stomachum movere solet. — *Cic.* in *fragm.* apud *Quintil.* 6. 3. *in fin.* Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho. *h. e.* patientia. Dicit enim *Cic.* 1. *Fam. loc.* modo *adl.*, se stomachum perdidisse, *h. e.* multa indignari desiisse et dissimulare didicisse.

STŎMĂTĪCE, es, f. 1. στοματική, compositio medicamenti ad oris morbos. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 9. 11. (26). Glycyrrhiza commanducata stomatice est. *Id.* 23. *ibid.* 7. 71. (136). Fit ex pomo panchrestos stomatice. *Id.* 24. *ibid.* 17. 73. (120). Mora, quæ ex his nascuntur, vel efficaciorem stomaticen præbuerint, quam sativa morus. *Scribon. Compos.* 64. Ad faucium uvæque tumorem stomatice hac fere utuntur. Adde *Marcell. Empir.* c. 14. *p.* 105.

STŎMĂTĬCUS, a, um, adject. στοματικός, ad oris vitium pertinens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. 82. Odoris medicamina, quæ jugiter ajunt apponenda et sint virtutis lacessentis, quæ stomatica vocant. — Hinc

Stomaticus, i, m. 2. absolute substantivorum more, qui oris vitio laborat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 75. (123). Idæus rubus stomaticis ex aqua bibendus datur. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *stomachicis,* tum ex MSS., tum ex ipso *Plin.* qui 16. *Hist. nat.* 37. 71. (180) scribit, contra stomachi vitia Idæum rubum ex aqua bibi: et ex *Dioscor.* qui *l.* 4. c. 38. de eadem re loquens, στομαχικοῖς habet. Hanc lectionem sequuntur critici recentiores.

STŎMĂTĬUM, ii, n. 2. στομάτιον, deminut. a στόμα, oscillum, et significat ludicri genus, apud *Ennod. epigr.* 133. in *lemmate* De stomatio eburneo. qui, ut putat *Sirmond* ad *h. l.*, idem ludicrum spectare videtur, quod pulcre describit *Auson.* in *Cent. nupt. præf.;* ubi tamen pro στομάτιον legitur ὀστομάχιον in ed. *Schenklii a.* 1883. V. *Sirmondi adnot.* ad *Ennod.* et *Gesneri Lex.* in *Ossiculum.* Ceterum hujus vocis στομάτιον usus confirmatur ex *Gloss.* V. *H. Steph.* in *Thes. L. Gr.* ed. *Didot* ad *h. v.* Cf. *larva argentea* apud *Petron.* in LARVA II. 2.

STŎMIS, idis, f. 3. στομίς, ferrum, quod, ut exponit *Non.* p. 22. 25. *Merc.*, ad cohibendam equorum tenaciam naribus vel morsui imponitur ἀπὸ τοῦ στόματος. *Lucil. fr.* 15. 17. ex lect. *Salmasii* et *Mülleri.* Truleu' pro stomide huic ingens de naribu' pendet. Alii leg. *postomis,* alii *pro stomis* conjunctim. *V.* POSTOMIS. Cl. *Georgesio* stomis est «die Mundbinde des Flötenspielers».

STŎMŌMA, ătis, n. 3. στόμωμα, de quo *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). Squamæ æris est alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine decussum, quod vocant stomoma. Græce habet *Cels.* 6. 6. *n.* 5.

STŎRĂCĪNUS *vel* storaticus, et

STŎRAX. *V.* STYRACINUS et STYRAX.

STŎRĔA *vel* storia, æ, f. 1. *Storia* pro *storea* scribitur in MSS. Codd. *Cæs.* et *Plin.* — Storea est stragulum, teges e juncis aut cannis aut funibus aut vitilibus aut stramentis intexta: fortasse a στορέω, sterno (*V.* PSIATHIUM): ψίαθος (It. *stuoja o stuora*; Fr. *tressé, natte, store*; Hisp. *trenzas, estera*; Germ. *geflochtene Decke, Matte*; Angl. *a mat*). *Cæs.* 2. *B. C.* 9. *circa med.* Storeas ex funibus ancorariis tres in longitudinem parietum turris latas quattuor pedes fecerunt. *Liv.* 30. 3. *sub fin.* Hibernacula storea pars maxima tecta. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 16. 18. (59). Cadiva poma separari, stramentis, storeis paleisve substerni.

STŎRĬA, æ, f. 1. ¶ 1. Pro storea. *V.* voc. præc. ¶ 2. Pro *historia* apud *Scholiast.* ad *Juvenal.* 7. 99. Cave imiteris.

STRĂBA *vel* strava, æ, f. 1. Videtur esse vox originis Teutonicæ, fortasse a Germ. *strafen*, punio; significat autem acervum exuviarum hostilium. *Jornand. De reb. Get.* 49. *de Attila.* Postquam talibus lamentis est defletus, stravam super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comissatione concelebrant et contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant noctuque secreto cadaver est terræ reconditum. *Lactant.* ad illud *Stat.* 12. *Theb.* 62. sep bellicus agger Curribus et clipeis Grajorumque omnibus armis Sternitur; hostiles super ipse, ut victor, acervos Pacifera lauro crinem vittisque decorus Accubat: *hæc adnotat:* Acervus exuviarum hostilium moles. Exuviis enim hostium exstruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem *strabas* dicunt lingua sua.

STRĂBO, ōnis, m. 3. (στραβός et στραβών) Etiam *strambo* pro *strabo* legitur in *Gloss.*, ut *strambus* pro *strabus*. V. *Loewe* in *Prodr. Gloss.* p. 391. — Strabo est qui oculos habet distortos et transversa tuetur, στραβών, ἑτερόφθαλμος (It. *stralunato, guercio*; Fr. *borgne, louche*; Hisp. *bizco*; Germ. *Schieler, Schielender*; Angl. *squint-eyed, squinting*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 80. Ecquos deos si non tam strabones, at pætulos esse arbitramur? *Horat.* 1. *Sat.* 3. 44. strabonem Appellat pætum pater; et pullum, male parvus si cui filius est. « *Gli occhi guerci del figlio appella il padre Occhi puttini* » Salvini. (*Porphyrion* ad *h. l.* adnotat: *strabo*, qui detortis est oculis, dicitur; *pætus*, leniter declinatis.) *Ulp. Dig.* 21. 1. 12. Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, strabonem. — Apud *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* In Sagittario (*nascuntur*) strabones, qui olera spectant, lardum tollunt. *proverb.* de iis: Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt, ut ait *Juvenal.* 2. 3. *V.* DISCONCINNUS.

II.) Translate dicitur de iis, qui invident. *Lucil.* apud *Non.* p. 27. 7. *Merc.* Nulli me invidere neque strabonem fieri sæpius deliciis me istorum. *Varro ibid.* Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti. habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Discrimen inter *strabonem* et *pætum* V. supra.

STRĂBŌNUS, a, um, adject. (strabo) idem qui strabo. *Petron. fragm. Tragur.* 68. *Burmann. sub fin.* Duo vitia habet: recutitus est, et stertit. nam quod strabonus est, non curo.

STRĂBUS, a, um, adject. στραβός, strabo.

I.) Proprie. *Varro* apud *Priscian.* 6. p. 684. *Putsch.* De Venere pæta strabam facit. Adde *Ovid.* 6. *Art. am.* 659., ut quidem legit *Heinsius.* *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 64. Oculorum contortio, quæ sæpe perseverans etiam post accessionem strabos fingit (*lege* efficit) ægrotantes. *Gloss. Cyrill.* p. 649. 12. Ὑπόστραβος, lippus, strabus. *et p.* 615. 12. Στραβός, strabus, luscus. — *Cassiod. De orth. præf.* Quum duo lumina consentiunt utraque recta, utraque decora sunt: quum vero a se discrepare cœperint, vitium strabæ fœditatis incurrunt.

II.) Translate. *Boeth. Geometr.* p. 425. *Friedl.* Mons strabus, idest inæqualis si fuerit in pedis circumferentia.

STRĀGES, is, f. 3. ruina, casus, clades rerum fractarum et huc illuc stratarum: a *sterno*, ut videtur: cf. Gr. στρῶσις (It. *spargimento qua e là di cose cadute ed infrante, strage*; Fr. *renversement, ruine*; Hisp. *trastorno, ruina, estrago*; Germ. *das Niederwerfen, Niederschlagen*; Angl. *a great ruin, fall or overthrow*).

I.) Proprie. — 1.°) De animantibus. — *a*) Universim. *Ovid.* 7. *Met.* 536. Strages canum volucrumque oviumque boumque. *Liv.* 41. 21. boum hominumque. *Tac.* 1. *Ann.* 76. hominum. — *b*) Sæpe dicitur de iis, qui in prœlio cadunt aut ex alia quapiam ratione magno numero occiduntur. *Liv.* 7. 23. *in fin.* Impulsi retro ruere alii super alios stragemque inter se cæde ipsa fœdiorem dedere. *Justin.* 10. 3. *init.* Regiam cognatorum cæde et strage principum replet. *Cic.* 1. *Divin.* 12. in *carm. de suo consul.* stragem horribilem cædemque vereri. *Tac.* 14. *Ann.* 36. Umbonibus et gladiis stragem cædemque continuare. *Virg.* 6. *Æn.* 830. quantas acies stragemque ciebunt! *Val. Flacc.* 6. 507. jamque omnis Hiber Drancæaque densa Strage cadit legio. *Liv.* 7. 24. Complere strage campos. *Val. Max.* 6. 6. *extr.* Strages exercituum. — In plur. num. *Acc. fragm.* 399. *Ribbeck.* Nisi quas terrestris pontus strages conciet. *Cic.* 3. *Phil.* 12. 31. Ille ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia! *Id.* 3. *Legg.* 9. *ad fin.*, *Virg.* 9. *Æn.* 5 6. et *Justin.* 33. 2. 2. Strages edere. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 231. Vos Hæmi gelidæ valles, quas sæpe cruentis Stragibus æquavit Stilicho. — 2.°) De inanimis. *Virg.* 12. *Æn.* 453. dabit ille (*nimbus*) ruinas Arboribus stragemque satis, ruet omnia late. *Liv.* 40. 2. Atrox vento tempestas coorta multis sacris profanisque locis stragem fecit. *Id.* 4. 33. *a med.* Ruinæ igitur similem stragem eques, quacumque pervaserat, dedit. *Id.* 5. 43. Impetu facto, strage ac ruina fudere Gallos. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Tiberis strage obstantis molis refusus. *Id.* 1. *Ann.* 76. Strages ædificiorum.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est acervus, strues, seu ipsæ res ruina stratæ. *Liv.* 10. 34. *a med.* Recentibus vestigiis fugæ ac strages rerum in trepidatione nocturna passim relictarum, *Id.* 35. 30. Pro se quisque, armis abjectis, in circumjectas itineri silvas diffugiunt: momentoque temporis strage armorum sæpta via est. *Id.* 42. 63. Pro diruto muro novum, raptim ex ipsa ruinæ strage congestis saxis exstruebant. *Sil. It.* 3. 205. Strages nemorum. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 7. ex probabili lect. *Lorenzii.* *Claudian.* 1. *Laud. Stil.* 231. *cit.* ¶ 2. Metaphorice. *Cic.* 1. *Att.* 16. Quum in contionibus meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi!

STRĂGŬLA, æ, f. 1. *V.* STRAGULUS.

STRĂGŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

STRĂGŬLO, as, ātum, are, a. 1. (stragulus) Part. *Stragulatus.* — Stragulo est in rudum stragulæ vestis texo. *Gloss. Arab. Lat.* Stragulo, vario. *Vulgat. interpr. Prov.* 31. 22. Stragulatam vestem fecit sibi. *Aquila* et *Theod.* habent περιστρώματα. *Symmach.* ἀμφιτάπους. In Hebr. est *marvaddijm*, stragula lecti, *cortine, fregi od ornamenti da letto.* V. STRAGULUS. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 26. 1.

STRĂGŬLUM. *V.* voc. seq.

STRĂGŬLUS, a, um, adject. Videtur esse a *sterno*, ut *strages*: quidquid enim, inquit *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.*, insternebant, (*super culcitam*) ab sternendo stragulum appellabant. — Stragulus igitur est qui sternitur: hinc *stragula vestis*, omnis vestis, quæ sternitur, præsertim lecto vel cubiculari vel tricliniari, stragulum, *coltre, coperta da letto, guanciale, cuscino.* V. infra. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 118. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca. ubi videtur speciatim de hac veste loqui; legitur enim *v.* 119. stramentis incubet. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 53. (171). *Liv.* 34. 7. Quum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines? *Id.* 39. 6. *a med.*, *Cic.* 6. *Verr.* 26. *a med.* et, verisimilius, etiam 3. *Verr.* 10. 28. et 4. *ibid.* 7. *ad fin.* et 72. 176. Confirmat hæc *Ulpian.*, cujus verba sunt *Dig.* 50. 16. 45. ex optima edit. *Torrentini.* In stratum omne vestimentum contineri, quod injiciatur, Labeo ait. neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα. In victum ergo vestem accipiemus, non stragula: in stratum (*al. minus recte* stratu) omnem stragulam vestem. Ita *Ulpian.* Est autem περίστρωμα, tum Græcis, tum *Ciceroni*, id quo lectus sternitur. *V.* PERISTROMA. Apud JCtos *victus* non modo cibum, sed omne quod induimus, continet. Dicit itaque *Ulpian.*, victu stragulum non contineri, bene tamen stratu. — Pro veste stragula *vestimentum stragulum* dixit *Ulp. Dig.* 34. 2. 24. — Hinc absolute, substantivorum more

Stragula, æ, f. 1. stragula vestis. ¶ 1. De operimento lecti. *Petron. fragm. Tragur.* 78. *Burmann.* Non est moratus Stichus sed et stragulam albam et prætextam in triclinium attulit. Cf. *ibid.* 42. Tamen bene elatum est vitali lecto, stragulis bonis. et 77. *in fin.* Stiche, profer vitalia, in quibus me volo efferri. et *Sueton. Ner.* 50. Funeratus est impensa ducentorum milium, stragulis albis auro intextis, quibus usus calend. Januar. fuerat. — *Petron.* et *Sueton.* significare videntur aliis vestem, qua homo induitur: sed commodius, inquit *Forcellinus*, de operimento lecti funebris ea intelligentur, quum ceteri scriptores hac significatione fere adhibuerint: prorsus ut vere dixerit *Valla elegantiar. l.* 6. *c.* 46., stragulam vestem non pro vestimento hominis, sed pro lecti operimento apud auctores inveniri. (Cf. *loc. Sueton. Ner.* 50. infra *adlat.*) Reprehendit quidem *Vallam Alexander ab Alex. l.* 3. *genial. dier. c.* 19., objicitque etiam verba *Festi* apud *Paul. Diac.* in *Vestis p.* 368. 13. *Müll.* Vestis generaliter dicitur, ut stragula, forensis, muliebris. et *Livii* 34. 7. supra *adl.* Quum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines! et *Pauli Dig.* 34. 2. 25. Vestis etiam ex pellibus constabit, quum et tunicam et stragula pellicea nonnulli habeant. Verum nemo non facile intelliget, nihil hæc contra *Vallam* necessario conficere. Decepit, opinor, *Alexandrum ab Alex.* nomen vestis, qua credidit significari id quod induimus, quum latius pateat ad ea quoque, quæ sternimus. Cf. tamen et illud *Isid. loc.* infra *cit.* Stragulum dictum quod in stratu et in amictu aptum sit. ¶ 2. De tapeto, apud *Apul.* 2. *Met.* 21. ¶ 3. De ephippiis, apud *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. § 3.

Stragulum, i, n. 2. vestis stragula, et quidem, ut exponit *Isid.* 19. *Orig.* 26. 1., discolor, quod manu artificis diversa varietate distinguitur. Cf. STRAGULO. ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 87. *sub init.* Culcita in terra jacet, ego in culcita. ex duabus pænulis altera stragulum, altera opertorium facta est. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. Collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 58. 83. (126). Talpæ, quarum e pellibus cubicularia vidimus stragula. *Martial.* 2. 16. Zoilus ægrotat. faciunt hanc stragula febrem. Adde *Tibull.* 1. 1. 65., *Martial.* 14. 147. et 148., *Val. Max.* 4. 3. *n.* 11., *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 54. (155). ¶ 2. Specialim ephippia. *Martial.* 14. 86. Stragula veredi. ¶ 3. Item dicitur de strato, quod ovis congerunt aves. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 51. (100). Ovis stragulum molle pulvere contumulant, nec in quo loco pepere, incubant. Cf. *ibid.* 54. 75. (153). Adde *Solin.* 7.

STRĀMEN, inis, n. 3. (sterno) ¶ 1. Est universim id quod sternitur; speciatim stipula, culmus, palea, frondes vel aliud quidquid solo quiescendi gratia sternitur, ut sunt culmi, qui pecori substernuntur, *strame, paglia*, χάρφη, κάρφος. *Virg.* 11. *Æn.* 67. Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt. *Ovid.* 5. *Met.*

447. tectam stramine vidit Forte casam. *Sil. It.* 10. 561. mollesque virenti Stramine composuere toros. *Id.* 13. 814. culmique o stramine fultum Pressit læta torum. *Ovid. Heroid.* 5. 15. super stramen fenoque jacentes. *Val. Flacc.* 4. 497. *de Harpyiis.* atque illisis stramina mensis Fœda rigant. *h. e.* toros e stramine. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (153). Remedium contra tonitrua, clavus ferreus sub stramine (*Sillig.* stramina) ovorum positus. *h. e.* sub feno, quod substernunt ovis, gallina incubante. — In plur. num. *Ovid.* 3. *Fast.* 184. Aspice de canna straminibusque domum. *Stat.* 6. *Theb.* 56. *de rogo.* ima virent agresti stramina cultu. ¶ 2. Est etiam stramentum seu vestis stragula. *Maximian. Eleg.* 1. 236. His dictis trunco titubantes sustinet artus, Neglecti repetens stramina dura tori. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. 75. Ægrotantes jacere oportet loco sufficientis magnitudinis, nullo odore infecto, mollibus atque calidis stramentis. Prima enim celeritatis morborum mitigatio est straminum mollities. *Id.* 2. *ibid.* 37. 194. Etiam quum fuerit (*concubatio*), erit coartanda straminum velamento, ne facili recessu concava faciat stramina.

STRĀMENTĀRĬUS, a, um, adject. (stramentum) ad stramentum pertinens, ut Stramentariæ falces, quibus stramen cæditur. *h. e.* messoriæ. *Cato R. R.* 10. Falces fenariæ tres, stramentariæ sex.

STRĀMENTĪCĬUS, a, um, adject. (stramentum) qui est e stramine, stramineus, *di strame, di paglia*, καρφίτης. *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann. ad fin.* Strigæ puerum involaverant, et supposuerant stramenticium. *Auct. B. Hisp.* 16. Casæ stramenticiæ hibernorum causa ædificatæ. — *Ajax stramenticius* titulus est saturæ Menippeæ *Varronis*, de qua V. *Oehlerum* in *Sat. Menipp. fragm.*

STRĀMENTOR, āris, ari, dep. 1. (stramentum) stramentum colligo. Hinc *stramentatum ire* ea ratione, qua dicimus *frumentatum ire* etc. *Hygin. fab.* 14. *a med.* Idmon apud Lycum quum stramentatum exisset, ab apro percussus decidit.

STRĀMENTUM, i, n. 2. (sterno) ¶ 1. Est universim quidquid substernitur, stramen, culmus, palea, stipula, *strame, paglia*, κάρφος. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Fervefacta jacula in casas, quæ more Gallico stramentis erant tectæ, jacere cœperunt. *h. e.* stipulis. Sic *Liv.* 25. 39. Ignes casis stramento arido tectis injiciunt. *Hirt.* 8. *B. G.* 15. *ad fin.* Fasces stramentorum ac virgultorum incendere. *Nepos Agesil.* 8. Quum in acta cum suis accubuisset stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 117. Incubare stramentis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 16. 18. (59). Poma stramentis, storeis palcisve substerni. *Id.* 8. *ibid.* 48. 73. (193). Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. *paglericcio, paglione.* et 37. *ibid.* 3. 13. (52). Lyncurium folia et stramenta ad se rapit. *festuche, bruscoli.* ¶ 2. Dicitur speciatim de culmo seu palea frumentorum. *Varro* 1. *R. R.* 50. Tertio modo metitur, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistrà summum prehendunt: infra manum stramentum, quod terræ hæret, postea subsecatur. ¶ 3. Etiam de lecto pecudum in stabulis. *Phædr.* 2. 8. cur frondis parum est? Stramenta desunt? *Cato R. R.* 5. *a med.* Stramenta si deerunt, frondem iligneam legito: eam substernito ovibus bubusque. *Colum.* 6. *R. R.* 3. Hibernæ stabulationi boum præparanda sunt stramenta. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (79). Hordei palea ex optimis: stramento vero nullum comparatur. Adde *Plaut. Truc.* 2. 2. 23. ¶ 4. Et de veste stragula. *Cajus Dig.* 50. 16. 234. Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere: sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta et stramenta contineri, sine his neminem vivere posse. ¶ 5. Videtur etiam significare centonem stramentis fartum, quo sternuntur muli et asini ad vehendas sarcinas, *basto.* *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Magnum numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci, eque iis stramenta detrahi mulionesque cum cassidibus, equitum specie, circumvehi jubet. Adde *Vulgat. interpr. Gen.* 31. 34.

Homonym. Differt *stramentum* a *palea*: hæc enim de frumentis dicitur: *stramentum* quamcumque stipulam significat sternendo aptam. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 40. (94). Insulam muniunt opere, palea et stramento rostrum ejus firmantes.

STRĀMĬNĔUS, a, um, adject. (stramen) qui est e stramine, stramenticius, *di strame, di paglia*, καρφίτης, καρφώδης. *Ovid.* 5. *Fast.* 631. Illum stramineos in aquam misisse Quirites. *Id.* 2. *Amor.* 9. 18. Roma Stramineis esset nunc quoque densa casis. *h. e.* stramine tectis.

STRANGĪAS, æ, m. 1. στραγγίας, genus tritici in Græcia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (64).

STRANGŬLĀBĬLIS, e, adject. (strangulo) qui strangulari potest. *Tertull. Anim.* 32. Anima ascensu scalarum fatigabilis, submersu piscinarum strangulabilis.

STRANGŬLANS, antis, particip. *V.* STRANGULO.

STRANGŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (strangulo) actus strangulandi, suffocatio, πνίξις, πνιγμός (It. *strangolamento, soffocazione*; Fr. *étranglement*; Hisp. *ahogamiento*; Germ. *das Erwürgen*; Angl. *a choking*). *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 13. (17). His nucleis ad purgationem uti non censuerim, propter ancipitem strangulationem. *Id.* 20. *ibid.* 15. 57. (162). Cuminum silvestre strangulationes vulvæ potum in vino aperit. *h. e.* compressionem et angustias.

STRANGŬLĀTOR, ōris, m. 3. (strangulo) qui strangulat, *strangolatore.* *Spartian. Sever.* 14. Narcissum Commodi strangulatorem leonibus objecit.

STRANGŬLĀTRIX, tricis, f. 3. (strangulator) quæ strangulat. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1103. Manus strangulatrix faucium.

STRANGŬLĀTUS, a, um, particip. *V.* STRANGULO.

STRANGŬLĀTUS, us, m. 4. (strangulo) idem ac strangulatio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 75. (197). Datur et olfactandum ex aceto in strangulatu vulvæ. *Id.* 26. *ibid.* 15. 90. (156). Peucedanum strangulatus vulvæ nidore ustum recreat. *V.* STRANGULATIO.

STRANGŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (στραγγαλόω). Part. *Strangulans* I. *a*; *Strangulatus* I. *a* et II. 3. — Strangulo est gulam comprimo et spiritum intercludo, στραγγαλόω, στραγγαλίζω (It. *soffocare, strozzare, strangolare*; Fr. *étrangler, suffoquer*; Hisp. *ahogar, sufocar*; Germ. *erwürgen, erdrosseln*; Angl. *to suffocate, strangle*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cels.* 4. 4. Cucurbitula circa fauces admovetur, ut id, quod strangulat, evocet. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (63). Venena, quæ strangulando necant. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (71). In cuniculis vapor et fumus strangulat. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (32). Semen urticæ vulvas strangulantes aperit. *Quintil.* 11. 3. *a med. de toga.* Sinus, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut balteus, nec strangulet nec fluat. *h. e.* nimis constringat. — *b*) Cum Accusativo. *Cic.* 9. *Fam.* 22. Si dicimus: ille patrem strangulavit, honorem non præfamur. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 15. *ad fin.* Domitium Cæsaris hospitem, a contraria factione nummis acceptis, comprehendit et strangulavit. *Ovid. Ib.* 593. Comicus ut periit mediis, dum nabat, in undis Et tua sic Stygius strangulet ora liquor. — Passive. *Cels.* 2. 1. *in fin.* Obesi plerumque acutis morbis et difficultate spirandi strangulantur. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (174). Strangulari pullos avidius devorantes. *Colum.* 6. *R. R.* 38. 4. Strangulatur nimio sanguine pecus. *Tac.* 6. *Ann.* 25. Strangulatus laqueo et in Gemonias projectus. *Sueton. Claud.* 27. Piro per lusum in sublime jactato et hiatu oris excepto strangulatus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (44). Fabius Senator in lacte hausto uno pilo strangulatus. *Id.* 8. *ibid.* 16. 21. (54). A Lysimacho strangulatus leo. *Id.* 10. *ibid.* 12. 15. (33). Pessima corvorum significatio, quum glutiunt vocem, velut strangulati. *Id.* 32. *ibid.* 10. 38. (114). Strangulatæ in oleo ranæ. *Id.* 28. *ibid.* 7. 20. (71). Capillorum odore vulvæ morbo strangulatas respirare.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad inanima. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Aquæ nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. *h. e.* aerem comprimunt. *Id.* 16. *ibid.* 34. 62. (152). Hedera arbores sugit et strangulat. *Id.* 17. *ibid.* 8. 4. (46). Glissomarga (*genus terræ spissioris*) signini modo solum strangulat. *h. e.* occludit, ne sata proferat. *Quintil.* 8. *procem. a med.* Læto gramine sata strangulant. *Colum.* 4. *R. R.* 26. Ne vinculum (*vitem*) incidat et truncum strangulet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (113). Strangulare sonitum. *h. e.* cohibere, supprimere. *Quintil.* 11. 3. 140. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant. — *Stat.* 2. *Silv.* 2. 150. Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias. *h. e.* comprimit, nec quidquam in usum exire patitur. ¶ 2. Refertur per metaphoram ad animum. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 63. Strangulat inclusus dolor atque exæstuat intus. *Juvenal.* 10. 12. Sed plures nimia congesta pecunia cura Strangulat. *Quintil. declam.* 12. *init.* Quamvis, judices, innumerabiles me indignandi causæ initio statim actionis strangulent, quia nec dicere universas semel possum, nec gregatim erumpentes differre gemitus; primum tamen etc. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 10. 33. 1. et *Cod. Theod.* 12. 3. 1. Si quis decurionum prædia venditor necessitate coactus addicit, interpellet judicem competentem omnesque causas singillatim, quibus strangulatur, exponat. *h. e.* quibus cogitur ad venditionem. *Capell.* 4. *p.* 94. Quibusdam obviis interrogatiunculis occupabat, donec nexilis complexio circumventos ad interrogantis arbitrium strangularet. ¶ 3. Obsceno sensu, apud *Cic.* 9. *Fam.* 22. *strangulare mulierem* est futuere. Hinc *Sueton. Tib.* 61. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, strangulatæ.

STRANGŪRĬA, æ, f. 1. στραγγουρία, urinæ stillicidium, quum per intervalla et guttatim defluit, *difficoltà d'urina*: a στράξ, γγός, gutta, et οὖρον, urina. *Pelagon. Veterin.* 8. *a med.* Ipsius passionis genera sunt tria: unum quod dicitur dysuria, quando tardius (*equus*) mejat; alterum stranguria, quando cum dolore et cum difficultate mejat; tertium ischuria, quando omnino non mejat. Eadem fere verba habet *Veget.* 3. *Veterin.* 15. *sub init.* Eumdem morbum ita exprimit *Cato R. R.* 156. *a med.* Nunc de illis, quibus ægre lotium it, quibusque substillum est. *Id. ibid.* 127. Ad dyspepsiam et stranguriam. *Cic.* 2. *Tusc.* 19. *ad fin.* Quamvis idem forticulum se in torminibus et in stranguria sua præbeat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 74. (99). Calculos frangi, stranguriam discuti. *Cels.* 2. 1. *ante med.* Urinæ difficultas, στραγγουρίαν quam appellant. Adde *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 64. et *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 133. retro *ad fin.*

STRANGŪRĬŌSUS, a, um, adject. (stranguria) stranguriâ laborans. *Marcell. Empir. c.* 26. *circa med.*

STRĀTA, æ, f. 1. *V.* STRATUS, a, um.

STRĂTĀGĒMA. *V.* STRATEGEMA.

STRĀTĒ. *V.* STRATUS, a, um.

STRATĒÆ. *V.* SCRANTIÆ.

STRĂTĒGĒMA, ătis, n. 3. (στρατήγημα) Sunt qui scribunt *stratagema*: item qui secundam syllabam corripiunt. Neutri imitandi. In genet. plur. *strategematon.* — Strategema est callidum militare consilium, sollers inventum et astutia ad hostem circumveniendum: a Gr. στρατηγέω, exercitum duco, bellum administro (It. *astuzia militare, stratagemma*; Fr. *ruse de guerre, stratagème*; Hisp. *astucia, ardid militar, estratagema*; Germ. *die Kriegslist eines Feldherrn*; Angl. *military artifice, stratagem*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 6. *ad fin.* Consilium illud imperatorium fuit, quod Græci στρατήγημα appellant. De his est *c.* 4. *l.* 7. *Val. Max.*, item libri quattuor *Sex. Jul. Frontini.*

II.) Translate dicitur de quocumque callido consilio. *Cic.* 5. *Att.* 2. *ante med.* Interim Rufio noster, quod se a Vestorio observari videbat, strategemate hominem percussit. nam ad me non accessit.

STRĂTĒGĒMĂTĬCUS (os), a, um, adject. στρατηγηματικός, strategema continens, sollers, callidus, astutus. Græce et absolute, substantivorum more, pro strategema habet *Frontin.* in 1. *Strateg. præf.*, ubi tamen ad *n.* 4. alii leg. Latine. *V.* STRATEGICUS.

STRĂTĒGĒUM et strategium, ii, n. 2. στρατηγεῖον et στρατήγιον, locus, quo conveniebant milites, tentorium imperatoris, prætorium. *Vitruv.* 5. 9. *sub init.* Uti Patris Liberi fanum, Smyrnæ strategeum, Trallibus porticus. Alii rectius leg. *Smyrnæ Stratoniceum.* h. e. templum Veneris Stratonicidis. *V.* STRATONICIS in ONOM. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 18. Constantinopolim appellari secundam Romam lege firmavit (*Constantinus M.*), sicut lex ipsa in marmorea platoma noscitur esse conscripta et in strategio juxta equestrem statuam ejus est constituta.

STRĂTĒGĬA, æ, f. 1. στρατηγία, præfectura, seu locus, ubi præfectus jurisdictionem habet. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (40). Thracia in strategias quinquaginta divisa. — Græce etiam occurrit apud *eumd.* 6. *ibid.* 9. 10. (27). *de Armenia.* Dividitur in præfecturas, quas ii στρατηγίας vocant.

STRĂTĒGĬCUS (os), a, um, adject. (στρατηγικός) In genet. plur. *strategicon*, Græca positione. — Strategicus est ad strategum seu imperatorem pertinens. Absolute. *Frontin.* 4. *Strateg. præf.* In hoc libro exhibebo exempla potius strategicon, quam strategematicon. *h. e.* exempla potius rerum a duce provide, utiliter, magnifice, constanter factarum, quam earum, quæ ducis sollertia et calliditate fiunt.

STRĂTĒGĬUM. *V.* STRATEGEUM.

STRĂTĒGUS, i, m. 2. στρατηγός, dux exercitus. imperator, *capitano:* ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὸν στρατόν, a ducendo exercitu.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Curc.* 2. 3. 6. Nec strategus, nec tyrannus quisquam. ¶ 2. Speciatim est ita appellatus, qui rei militari præerat in quolibet Ægypti nomo. Quum vero tota Ægyptus in tres partes divideretur, in superiorem scilicet seu Thebaidem, in mediam seu Memphiticam, quæ et septem nomorum, et in inferiorem seu maritimam, quæ et Delta fuit appellata, qui harum unicuique præerat, epistrategus (*V.* EPISTRATEGIA), quique huic in universa epistrategia vicariam præstabat operam, strategus dicebatur, ut probat *A. Peyronius* in *Papyr. Græc. Mus. Taurin. P.* 1. *p.* 67. *Inscript.* apud *Gruter.* 130. 1. M. ANTONIVS M. F. PAL. PRISCVS . . . RATEG. THEBAID. *h. e.* strategus Thebaidis. *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 3881. supplendum putat *epistrategus.*

II.) Improprie. ¶ 1. Pro magistro convivii. *Plaut. Stich.* 5. 4. 20. Strategum te facio huic convivio. *soprastante.* ¶ 2. Pro præfecto templi, seu Levitarum in templo et circa templum excubias agentium, apud Ecclesiasticos scriptores, qui *strategus templi* et absolute *strategus* dicitur. Græce tamen occurrit apud *Luc.* 22. 52. *et ibid.* 4., ubi *Vulgat. interpr.* vertit *magistratus.* Latine usurpavit *Gaudent. Serm.* 12. *circa med.* — Sic et pro præfecto civium, seu summo magistratu municipiorum et coloniarum; sed Græce. *Act.* 16. 20., 22. etc. Cf. *Herod.* 5. 58.

STRĂTĬO, ōnis, f. 3. (sterno) accubitus seu locus, in quo convivium apparatur. *Inscript.* Lanuvina abhinc paucis annis reperta, edita vero in *Atti dell' Accad. Rom. di archeolog. T.* 2. *p.* 462. *a med.* MAGISTRI CENARVM EX ORDINE ALBI FACTI PONERE DEBEBVNT VINI BONI AMPHORAS SINGVLAS ET PANES ALBOS DVOS QVI NVMERVS COLLEGII FVERIT ET SARDAS NVMERO QVATTVOR STRATIONEM CALDAM CVM MINISTERIO. *Alia* apud *Gruter.* 215. 2. et *Fabrett. p.* 404. *n.* 306. VOLEO AVTEM EX VSVRIS SEMISSIBVS H. S. X̄. N̄. COMPARARI AVGVSTALIVM LOCI N̄. AD INSTRVMENTVM TRICLINIORVM DVVM QVOD EIS ME CIBO (*h. e.* VIVO) TRADIDI CANDELABRA ET LVCERNAS BILYCHNES ARBITRIO AVGVSTALIVM QVO FACILIVS STRATINIBVS (*lege* strationibus) PVBLICIS OBIRE POSSIT. Ita habet *Fabrett.*; apud *Gruter.* legitur *strati jus publ.* At *Marini Fr. Arv. p.* 304. minus recte, ut opinor, legendum putat *strati cenis omnibus publicis.* Hic non incongrue videtur afferendus locus *Vitruv.* 6. 10. Habent eæ domus ad meridiem spectantes œcos quadratos tam ampla magnitudine, uti faciliter in eis, tricliniis quattuor stratis, ministrationum ludorumque operis locus possit esse spatiosus. Hæc cl. *Furlanetto* in *Append.* Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 6086. et *Wilmanns n.* 319. *l.* 73., et *aliam* apud *Orell. n.* 3678. et *Wilmanns n.* 696. *l.* 15., ubi *strationes publicæ* legitur.

STRĂTĬŌTES, æ, m. 1. στρατιώτης, proprie miles, quam in significationem occurrit tantum in *Gloss.*; apud Auctores vero est appellatio herbæ millefolii. *V.* voc. seq. (*Pistia stratiotes* Linn.) vel genus herbæ aquaticæ (*Stratiotes aloides* Linn.) *Plin.* 24. *Hist. nat.* 18. 105. (169). Celebratur et a Græcis stratiotes: sed ea in Ægypto tantum et inundatione Nili nascitur, aizoo similis, ni majora haberet folia. Refrigerat mire et vulnera sanat etc.

STRĂTĬŌTĬCE, es, f. 1. στρατιωτική, herba eadem ac millefolium. *V.* voc. præc. *Apul. Herb.* 88. Græci chiliophyllon, alii stratioticen; Latini millefolium, alii militarem dixere. Hanc herbam Achilles invenit, unde vulnera ferro facta sanabat et ob id Achilleos vocatur. *V.* ACHILLEOS et MILLEFOLIA.

STRĂTĬŌTĬCUS, a, um, adject. στρατιωτικός, militaris, *militare.*

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 49. Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici. *Id. Pseud.* 2. 2. 9. Stratioticum nuncium advenientem percutiam probe. *et* 4. 1. 12. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? *uomo di guerra.*

II.) Translate dicitur de collyrio quodam ad aspritudinem et caliginem oculorum. *Marcell. Empir.* 8. *p.* 64. *et* 65. Collyrium stratioticum facit ad tumores oculorum. *et mox.* Collyrium stratioticum psoricum compositum etc. — Hinc

Stratioticum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem collyrium, de quo supra diximus. Hujus compositionem *Scribon. Compos.* 33. docet. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 237. M. VLPII HERACLETIS STRATIOTICVM. Adde *Marcell. Empir. c.* 8. *sect.* 3. *p.* 94. *retro.*

STRĂTĬUS, a, um, adject. στράτιος, militaris, ut Stratius Juppiter apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 89. (239). In Ponto circa Heracleam aræ sunt Jovis, Stratii cognomine: ibi quercus duæ ab Hercule satæ. *Sillig.* habet Græce. *V.* MILITARIS. Hujus Jovis Stratii meminit *Herod.* 5. 119. et *Jul. Pollux Onomast.* 1. 1. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

STRĂTŌNĬCĒUM. *V.* STRATEGEUM.

STRĂTŎPĔDUM, i, n. 2. στρατόπεδον, Græce castra significat; est enim a στρατός, exercitus, et πέδον, castra. *Jul. Obsequ. de prodig.* 116. Stratopedo, ubi senatus haberi solet, corvi vulturem tundendo rostris occiderunt. *Alii leg.* strategeo.

STRĀTOR, ōris, m. 3. (sterno) qui sternit. ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Jer.* 48. 12. Mittam ei ordinatores et stratores laguncularum et sternent eum et vasa ejus exhaurient et lagunculas eorum collident. *h. e.* qui ex ordine sternant humi. ¶ 2. Speciatim est, qui equum domini sternit, ipsum in equum sustollit aliaque officia ei præstat, *scudiere, palafreniere, insellatore. Ulp. Dig.* 1. 16. 4. Nemo proconsulum stratores suos habere potest, sed vice eorum milites ministeriis in provinciis funguntur. Alii rectius leg. *statores.* Cf. *Cod. Justinian.* 1. 27. 1. *Inscript.* apud *Gruter.* 631. 8. A. MATERNIVS NEMAVSVS STRATOR COS. ET LVCIVS LVCINVS MENSOR FRVMENTI. Adde *aliam* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1860. *p.* 22. et apud *Orellium n.* 3250., ubi *strator prætoris,* et *n.* 1584., ubi *strator ædilis* et in *Corp. Inscr. Lat.* 7. 78., ubi *strator consularis,* — Item *stratores* imperatorum, sub dispositione tribuni stabuli, erant qui equos imperatoris diligenter probabant, ephippiis ornabant et inscensuro adducebant, manu tollentes in equum, nondum usu *stapedarum* invento, ut *Salmas.* docet ad illud *Spartiani Caracall.* 7. Quum illum in equum strator ejus levaret, pugione latus ejus confodit. *Ammian.* 30. 5. *sub fin.* Quum eum (*Valentinianum Imp.*) oblatus non susciperet equus, anteriores pedes præter stratorem erigens in sublime: innata feritate concitus, dexteram stratoris militis jussit abscidi. *Id.* 29. 3. *ante med.* Constantianus strator paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam. — *Strator peculiaris* imperatoris in *Inscript.* apud *Jahn p.* 29. *n.* 15. Cf. *Maffei Art. Crit. Lapid.* 358. Adde *Cod.* 1. 27. 1. *a med.,* ubi *Schola stratorum* nominatur: item *ibid.* 12. *tit.* 15. qui *De stratoribus* inscribitur, et habetur etiam *Cod. Theod.* 6. *tit.* 31. *Acta Procos. S. Cyprian.* 2. Venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii Maximi proconsulis et alius equistrator a custodiis ejusdem officii. ubi *strator* lato sensu, *equistrator* stricto sensu de eo dicitur, qui alium adjuvat ad ascendendum equum. ¶ 3. Item custos carceris. *Cod. Justinian.* 9. 4. 1.; nisi legend. sit *stator.* ¶ 4. Apud *Augustin. Serm.* 31. ed. *Mai.* Strator cæli. Cf. *Vulgat. interpr. Ps.* 103. 2. Extendens cælos sicut pellem.

STRĀTŌRĬUM. *V.* voc. seq.

STRĀTŌRĬUS, a, um, adject. (sterno) ad sternendum pertinens. *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 7. *a med.* Supellectile legata, vitrea vasa et vestes stratoriæ legato cedunt. *h. e.* vestis stragula. — Hinc

Stratorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, lectus, in quo sternimur, κοίτη. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 17. 28. Obtulerunt ei stratoria et tapetia et vasa fictilia.

STRĀTUM. *V.* STRATUS, a, um.

STRĀTŪRA, æ, f. 1. (sterno). ¶ 1. Est stratum, sternendi opus, στρῶσις (It. *lastrico;* Fr. *pavé;* Hisp. *empedrado;* Germ. *das Pflastern;* Angl. *paving, flagging*). *Sueton. Claud.* 24. Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus injunxit. *Pallad.* 1. *R. R.* 4. Aream bipedis釋sternis: inclinata sit tamen stratura ad fornacem. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 126. 1. IN PORTICV COLVMN. IIII. CVM SVPERFICIE STRATVRA PICTVRA VOLENTE POPVLO DEDIT. *Alia* apud *Marini, Iscriz. Alb. p.* 119. Stratura aliæ (*lege* areæ). Cf. *Orell. n.* 4130. *Alia* apud *Rénier, n.* 1744. Stratura fori. *Javolen. Dig.* 20. 16. 242. § 4. Straturam loci alicujus ex tabulis factam, quæ æstate tollerentur et hieme ponerentur, ædium esse ait Labeo, quoniam perpetui usus paratæ essent; neque ad rem pertinere, quod interim tollerentur. ¶ 2. In illo *Pallad.* 12. *R. R.* 7. *ante med.* Terræ tamen equæ stercus admiscent, facientes straturam alterno ordine subinde crescentem. *stratura* est, quod alii dicunt *tabulatum,* quum sternitur primo terra toto fundo scrobis, deinde stercus equæ: tum rursus terra, postea stercus usque ad summum. *una mano di terra, un' altra di letame* etc.

STRĀTUS, a, um, particip. *et*

STRĀTUS, i, m. 2. *V.* STERNO.

STRĀTUS, us, m. 4. (sterno) ¶ 1. Abstractorum more est actus sternendi, prostratio. *Jul. Valer.* 1. *Gest. Alex. M.* 32. Tam animalium stratu, quam odorum profusione munificus. — Hinc translate. *Arnob.* in *Ps.* 40. ad illud *Vulgat. interpr. Ps.* 40. 4. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Stratus ejus (*animæ*), id est prostratio ejus, versatur in infirmitate. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, stratum, stragulum, h. e. quidquid sternendo seu operiendo aptum est. *Varro* 1. *R. R.* 50. *sub fin.* Stramentum ab stratu, quod id substernatur pecori. *stratu* hoc loco est supinum. *Solin.* 45. *ante med. de bucephalo.* Accepto regio stratu, neminem unquam alium, præter dominum, vehere dignatus est. *Plin.* hoc idem ita eloquitur 8. *Hist. nat.* 42. 64. (154). Neminem hic alium, quam

Alexandrum, regio instratus ornatu, recepit in sedem. *Sillig.* leg. *instratu.* V. *Ulpiani loc. cit.* in STRAGULUM. *Hieronym. Ep.* 97. *ad Demetr.* Sed cilicialum in nuda homo habuisse pro stratu. Adde *Isid.* 19. *Orig.* 26. 1.

STRAVA. *V.* STRABA.

STRĔBŬLA, æ, f. 1. et

STRĔBŬLA *vel* stribula, ōrum, n. plur. 2. Vox est Umbrica, teste *Fest. loc. cit.* Cf. Gr. στρεβλός, flexuosus. — Strebula est caro circum coxendices. *Varro* 7. *L. L.* 67. *Müll.* Caro strebula (*Müll.* stribula). Opilius scribit, circum coxendices sunt nobis; id Græcum est ab hujus loci versura. *Fest. p.* 313. 34. *Müll.* Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas Græci μηρία dicunt, quæ in altaria imponi solebant, ut Plautus ait in Frivolaria, Strebula agnina. *Arnob.* 7. *p.* 230. Non enim placet carnem strebulam appellare, quæ taurorum e coxendicibus demitur. *V.* CERASTIBOLA.

STREMMA, ătis, n. 3. στρέμμα, luxatio, *lussatura. Pelagon. Veterin.* 16. *circa med.* Si equus coronam torserit aut extorserit aut laxaverit (*lege* luxaverit), hoc est, quod dicitur sterma (*lege* stremma).

STRĒNA, æ, f. 1. *Strenua* pro *strena* legitur in quibusd. MSS. et Inscriptt. *V.* infra: quam scriptionem improbat *Consent. p.* 396. 26. *Keil.* — In sing. num. non adhiberi falso putat *id. ibid.* — Ratione habita etymi, sunt qui a *Strenua* dea derivant; alii vero dicunt, vocem esse Sabinam, quæ sanitatem, valetudinem significet, ut ait *Elpid.* apud *Lyd. De mensur.* 4. 4. Ὁ δὲ Ἐλπιδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἑόρτων στρήναν τὴν ὑγίειαν τῇ Σαβίνων φωνῇ λέγεσθαί φησιν. Cf. *Symmach. loc. cit.* At Latinam vult *Fest. p.* 313. 27. *Müll.* Strenam vocamus, quæ datur die religioso, ominis boni gratia, a numero, quo significatur, alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti trenam, præposita S littera, ut in loco et lite solebant antiqui. — Strena ¶ 1. Est bonum omen, augurium, præsagium. *Plaut. Stich.* 5. 2. 24. Domum redeundi principium placet: bona scæva strenaque obviam occessit mihi. et 3. 2. 8. Auspicio hercle hodie ego optumo exii foras. Quum strena mi obscævavit, spectatum hoc mihi est: Mustella murem ut abstulit præter pedes. *Alii aliter leg.* ¶ 2. Hinc *strena* dictum munus, quod dabatur die festo et fere anni initio, unde et *calendaria* dicta (*V.* CALENDARIUS), boni ominis gratia; ut discimus ex *Fest. loc. supra cit.* Hujusmodi strenas solebant donare clientes patronis civesque principibus; quod ultimum quidem sub Augusto cœpit, Tiberius vero prohibuit, ne ultra calendas Januar. exerceretur. *Sueton. Cal.* 42. Edixit et strenas ineunte anno se recepturum stetitque in vestibulo ædium Cal. Januar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. V. *eumd. Aug.* 57. et *Tib.* 34. et adde *Pompon.* apud *Non. p.* 17. 1. *Merc. Symmach.* 10. *Ep.* 28. (*al.* 35.) Ab exortu pæne urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auspices primus accepit. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 725. *n.* 442. *l.* 12. ITEM PR. NON. IAN. STRENVAS DIVIDERENT. Cf. *Orellii Inscript. n.* 2417. (*T.* 1. *p.* 421. 1.). — Etiam a principibus datæ sunt aliquando clientibus et subjectis. De his enim loquitur *Auson. Epist.* 18. 3. quæstoris amici Curam pro strenis excubuisse tuis.

STRĒNŬA, æ, f. 1. *V.* voc. præc. init. et ONOM.

STRĒNŬĒ, adverb (strenuus) Sup. *Strenuissime.* — Strenue ¶ 1. Est naviter, fortiter, prompte, *diligentemente, bravamente, gagliardamente, con forza, prontamente,* ἀκριβῶς. *Plaut. fragm.* apud *Charis.* 2. *p.* 195. *Putsch.* Convertite scopis, agite strenue. *Id. Aulul.* 2. 2. 86. Sequere propere me ad macellum strenue. *Id. Bacch.* 3. 3. 41. et *Men.* 5. 6. 26. Strenue facere. *portarsi da valoroso.* et *Val. Max.* 2. 6. *n.* 2. hostem invadere. *Cic. Rabir. perduell.* 10. *sub fin.* arma capere pro aliquo. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 4. *ad fin.* domum ædificare. *Plaut. fragm.* apud *Charis. loc. cit.* fateri. *Id. Pseud.* 1. 5. 94. PSEUD. Abs te argentum sumam. SI. tu a me sumis? PSEUD. strenue. *Sall. Jug.* 22. Quo plura bene atque strenue fecisset. *Veget.* 1. *Milit.* 17. Per hos strenuissime omnia bella confecta. — Cum homonymis. *Gell.* 15. 4. Mandata sibi pleraque impigre et strenue facere. ¶ 2. Est etiam celeriter, *con prestezza. Plaut. Rud.* 2. 6. 8. Quo, malum, properas? nam equidem te nequeo consequi tam strenue. *Id. Trin.* 4. 4. 10. Strenue curre in Piræum. *Cic.* 16. *Att.* 6. Ego adhuc magis commode, quam strenue navigavi. remis enim magnam partem: prodromi nulli. Adde *Plaut. Pœn.* 1. 2. 193. et *Men.* 5. 7. 48. *Id. Pseud.* 4. 7. 79. *Lorenz.* Strenuissime hercle ivisti. quamvis pernix hic homo est. At *Fleckeis.* leg. [Euge] strenue mehercle isti etc.

STRĒNŬĬTAS, ātis, f. 3. (strenuus) agilitas, vigor, promptitudo, diligentia, sedulitas, τὸ δραστήριον, ἀνδραγαθία (It. *agilità, prontezza, vigore, diligenza;* Fr. *diligence, activité, vaillance;* Hisp. *diligencia, actividad, valentia;* Germ. *die Betriebsamkeit, Hurtigkeit, Munterkeit;* Angl. *activity, promptness, nimbleness, strenuousness*). *Varro* 8. *L. L.* 15. *Müll.* Ab strenuitate et nobilitate strenui et nobiles. *Ovid.* 9. *Met. de Galanthi,* quæ erat ancilla Alcmenes, faciendis strenua jussis, ut ait *v.* 307. et officiis dilecta suis: hanc quum Juno in mustelam vertisset, subdit *v.* 320. Strenuitas antiqua manet.

STRĒNŬO, as, are, n. 1. (strenuus) strenuum hominem ago, strenuitatem præ me fero, *bravare. Plaut. Pseud.* 2. 2. 34. dum tu strenuas, Res erat soluta. *Fleckeis.* leg. *dum te strenuas* etc.; *Lorenz* vero *dum tu sternuas* etc. (V. *Studemund's Herstellung* in *Hermes* 1. 308).

STRĒNŬUS, a, um, adject. Scribitur et *strennuus,* cum duplici *n,* apud *Lucil. loc.* infra *cit.,* ed. *L. Müller.* — Ratione habita etymi, alii volunt esse a *Strenua,* quod est nomen deæ, quæ strenuum facere credebatur, ut refert *Augustin.* 4. *Civ. D.* 16. *V.* STRENUA in ONOM. Sed contra dicendum, ut mihi videtur, *Strenam* a v. *strenuus* originem ducere. Alii probabilius ducunt a rad. Skr. *star,* unde *sthiras,* durus, firmus, fortis, et Gr. στρηνής, asper, indomitus, quod *Hesychio* est etiam ἰσχυρός. — Comp. *Strenuior* I. 1.° *a;* Sup. *Strenuissimus* I. 1.° *a.* — Strenuus est acer, agilis, non cessans, navus ad res gerendas impiger, alacer, promptus, ἀνδραγαθητής, δραστήριος (It. *gagliardo e pronto, diligente, valente, bravo;* Fr. *diligent, agissant, alerte, vaillant;* Hisp. *diligente, activo, valiente;* Germ. *hurtig, munter, thätig, eifrig;* Angl. *ready, active, prompt, nimble, strenuous*): cui opponitur *iners, ignavus.*

I.) Proprie. — 1.°) In bonam partem. — *a*) Absolute. *Plaut. Truc.* 2. 6, 12. Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et cati. *Cato R. R. præf.* 3. Mercator strenuus studiosusque rei quærendæ. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 78. Cæsari obviam longissime processisti: celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. *Sall. Cat.* 68. Neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum fieri. *Id. Jug.* 67. Boni malique, strenui et imbelles. *Id. Cat.* 60. Strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. *Id. Jug.* 85. Exercitus magis strenuus, quam felix. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 70. si cessas aut strenuus anteis, Nec tardum opperior nec præcedentibus insto. *se troppo sei lento o troppo corridore, non aspetto chi rimane addietro nè mi sfiato a raggiungere chi trotta via innanzi* (Bindi). *Id. ibid.* 7. 71. nunc i: rem strenuus auge. *va' su e guadagna da bravo.* et *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Noli me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Inops pro locuplete et iners pro strenuo. *Id.* 2. *ibid.* 14. *sub fin.* Strenui ignavique in victoria idem audent. *Nepos Datam.* 6. Animo strenuo facere aliquid. *Plaut. Epid.* 3. 4. 10. Strenuiori deterior si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ. *Lucil.* 16. *fragm.* 13. *Müll.* Fundi delectat virtus te, villeu' paullo Strennuior si evaserit. *Tac.* 4. *Hist.* 69. Sumi bellum etiam ab ignavis: strenuissimi cujusque periculo geri. *Cato R. R. præf.* Viri fortissimi et milites strenuissimi. *Sall. Cat.* 61. Strenuissimus quisque occiderat in prælio. — Cum homonymis. *Gell.* 14. 3. Cyrus vir gnavus et strenuus. — *b*) Cum Genetivo. *Tac.* 3. *Hist.* 42. *extr.* Valerius Paulinus strenuus militiæ. Cf. *Capit. Clod. Albin.* 13. 2. *Peter.* Armorum sciens prorsus. — *c*) Cum Ablat. sine præp. aut cum præp. *in. Sall. Jug.* 7. Et prœlio strenuus erat et bonus consilio. *Nepos Datam.* 1. Vir manu fortis et bello strenuus. *Ovid.* 9. *Met.* 307. Una ministrarum faciendis strenua jussis. *Tac.* 2. *Hist.* 86. Vir strenuus manu, sermone promptus. *Ter. Phorm.* 3. 1. 12. Strenuum hominem se præbere in aliqua re. *Quintil.* 12. 3. 5. In prœliis strenuus et fortis. — 2.°) In malam partem. *Tac.* 1. *Hist.* 52. Multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui. *Id.* 3. *ibid.* 57. Neque fidei constans neque strenuus in perfidia.

II.) Translate refertur ad inanima. *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 7. 7. Potin es tu homo facinus facere strenuum? *Id. Rud.* 2. 2. 8. Adulescens strenua facie, rubicundus, fortis. *con ciera vegeta e da gagliardo.* et *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Operam reipublicæ fortem atque strenuam perhibere. *Curt.* 9. 1. *ante med.* Strenuo saltu in vehicula transilire. *Gell.* 3. 1. *ad fin.* Corpore esse bene habito et strenuo. *Ovid.* 4. *Fast.* 781. per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. *snelle.* et *Colum.* 10. *R. R.* 18. Strenua toxica. *h. e.* quæ celeriter perimunt. *Cels.* 7. *præf. a med.* Chirurgus esse debet manu strenua, stabili nec umquam intremiscente. *leggera e presta. Ovid.* 1. *Trist.* 10. 34. navis Transeat instabiles strenua Cyaneas. *h. e.* cita. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 28. Strenua nos exercet inertia. *h. e.* strenui quidem sumus, sed prave, quia operam nostram male collocamus, et inertiam similes nihil agimus. εὐθύμωρον.

Homonym. Discrimen inter *strenuum* et *fortem;* item inter *strenuum* et *gnavum,* V. sub FORTIS.

STRĔPENS, entis, particip. *V.* STREPO.

STRĔPĬTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

STRĔPĬTO, as, are, n. 1. (*frequentat.* seu *intens.* a strepo) Part. *Strepitans.* — Strepito est strepitum aut magnum strepitum facio, κτυπέω (It. *strepitare;* Fr. *retentir, résonner avec force;* Hisp. *hacer estrepito, resonar, sonar mucho;* Germ. *wild rauschen, erkönnen, rasseln;* Angl. *to make a great or frequent noise*): dicitur autem sive de animantibus sive de inanimis. *Virg.* 1. *G.* 413. Inter se foliis strepitant. *Tibull.* 2. 2. 17. strepitantibus advolat alis. *Alii leg.* trepidantibus. *Id. ibid.* 5. 73. arma ferunt strepitantia cœlo. *Alii leg.* crepitantia. Sic *Sil. It.* 9. 280. multum strepitantibus armis. *Val. Flacc.* 4. 288. pulsis strepitant incudibus urbes. *Ovid.* 11. *Met.* 365. fragore gravi strepitans loca proxima terret Bellua vasta, lupus. *Albinov.* 1. 183. *de luctu funebri.* Incerti clauduntque domos strepitantque per urbem. *Alii aliter leg.*

STRĔPĬTUS, us, m. 4. (strepo) Etiam *strepitus, i,* 2. declin. usurparunt veteres. *Enn.* apud *Non. p.* 490. 8. *Merc.* Quid in castris strepiti est. — Observatum est, has voces *strepitus* et *crepitus* sæpe in libris commutari. *Drakenborch* ad *Liv.* 5. 47. et 39. 15. etc. Hinc *strepitus ventris* apud *Petron. Sat.* 117. Tollebat subinde altius pedem et strepitu obsceno simul atque odore viam implebat. et *ibid.* 17. Manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis. — Strepitus est sonitus, crepitus, fragor, ψόφος (It. *strepito, rumore;* Fr. *son, bruit;* Hisp. *sonido, ruido fuerte, estrepito;* Germ. *das Rauschen, d. Getöse, Lärm, Rasseln;* Angl. *noise, harsh noise, rustling*).

I.) Proprie. — *a*) Fere adhibetur de ingrato sonitu. *Enn.* apud *Non. p.* 506. 3. *Merc.* Strepitus molarum. *Pacuv.* apud *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 2. Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et

rudentum sibilus. Sic *Plaut. Amph.* 5. 1. 10. Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus. *Ter. Hecyr.* 2. *prol.* 27. Strepitus comitum. *Cæs.* 6. *B. G.* 5. *sub fin.* Majore strepitu et tumultu, quam populi R. fert consuetudo, castra moveri jubet. *et* 4. *ibid.* 33. Ipso terrore equorum et strepitu rotarum ordines perturbant. *Tibull.* 1. 2. 35. et *ibid.* 7. 68. strepitus pedum. *calpestio.* et *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 36. senectus – strepitum passu non faciente venit. *Quintil. declam.* 12. 19. Pecuniæ strepitus. *suono delle monete.* et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 202. Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum. Tanto cum strepitu ludi spectantur. *Ovid.* 14. *Met.* 782. Verso cardine strepitum facere. *et* 7. *ibid.* 840. fronde levem strepitum faciente caduca. *Cic.* 2. *Verr.* 15. *extr.* Non strepitu, sed maximo clamore suam populus R. significavit voluntatem. *Liv.* 2. 27. Neque decretum exaudiri consulis præ strepitu et clamore poterat. *et ibid.* 29. Decernente ferocissimo quoque, non sententiis magis, quam clamore et strepitu. *Val. Flacc.* 5. 650. Pallas irridens strepitumque minasque Gradivi. *le grida e bravate.* et *Cic.* 13. *Att.* 48. Heri nescio quid in strepitu videor audisse, quum diceres, te in Tusculanum venturum. *h. e.* confuse, indistincte, quod *Plaut.* dixit *Capt.* 5. 4. 27. audivi quasi per nebulam. De Acheronte omnes ad se trahente, *Virg.* 2. *G.* 490. felix, qui metus omnes strepitumque Acherontis avari Subjecit pedibus. *h. e.* terrorem, formidinem ex opinione vulgari. *Juventin. Philom.* 34. Pica loquax varias concinnat guttdre voces, Scurrili strepitu quidquid et audit, ait. — In plur. num. *Ovid.* 1. *Met.* 650. nullos strepitus facientibus alis. *Liv.* 39. 15. *a med.* Vino, strepitibus clamoribusque nocturnis attoniti. Adde *eumd.* 5. 47. — *b*) Aliquando de grato sono, *suono. Horat.* 1. *Ep.* 2. 31. Ad strepitum citharæ. *Id.* 4. *Od.* 3. 17. Temperare dulcem strepitum testudinis aureæ.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de comitatu, turba, fastu. *Quintil. declam.* 13. 4. Quum evocasset me subito trepidum totoque fortunæ suæ strepitu circumstetisset. *Virg.* 6. *Æn.* 865. Qui strepitus circa comitum? ¶ 2. Item de vano apparatu eloquentiæ. *Petron. Sat.* 1. Nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. ¶ 3. *Strepitus criminalis* apud *Auct. Queroli s. Aululariæ* in *fragm. p.* 202. *Klinkham.* (ed. *Amsterd.* 1829.) est fortasse publica in crimen inquisitio, quæstio perpetua de vi aut sicariis, inquit *Klinkhamer.*

STRĔPO, strĕpis, strĕpŭi, strĕpĭtum, strĕpere, 3. Verbum est per onomatopœiam factum, ut *strideo, vagio, sibilo,* inquit *Forcellinus*; etymologi tamen recentiores ducunt a rad. Skr. *strap,* sonare. — Part. *Strepens* sub *A* I. *a* et *b.* — Strepo est strepitum edo, ψοφέω (It. *fare strepito, strepitare, far romore*; Fr. *faire du bruit, bruire, résonner*; Hisp. *resonar mucho, retumbar*; Germ. *wild rauschen, lärmen, tönen*; Angl. *to make a noise or harsh sound, rustle*): occurrit autem

A) Intransitive, et quidem

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. Quum Achivi cœpissent inter se strepere. *Virg.* 9. *Æn.* 808. strepit assiduo cava tempora circum Tinnitu galea. *Horat.* 4. *Od.* 12. 3. fluvii strepunt Hiberna nive turgidi. *Sil. It.* 15. 145. moto strepuere tonitrua mundo. *Id.* 2. 18. Strepere omnia, clamat, Thyrrenæ clangore tubæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (26). Apes in alveo strepunt. *et ibid.* 17. 17. (54). Murmure apum intus strepente. *Val. Flacc.* 6. 302. Lancea cæruleas circum strepit incita vittas. *fischia.* et *Tac.* 1. *Ann.* 25. Vocibus truculentis strepere. — *Id. Agric.* 45. Intra Albanam villam sententia Messalini strepebat. *si faceva sentire.* — *b*) Dicuntur etiam *strepere* loca, in quibus strepitus fit, *risonare, romoreggiare. Liv.* 22. 14. *ante med.* Strepunt aures clamoribus plorantium. *et* 21. 11. *circa med.* Quum omnia variis clamoribus streperent. *Virg.* 6. *Æn.* 709. strepit omnis murmure campus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Mons tibiarum cantu tympanorumque sonitu strepere. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Placidum æquor mille navium remis strepere. *Id.* 2. *Hist.* 84. Armorum paratu strepere provinciæ. *et ibid.* 62. Ex urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus. *scil.* multitudine commeantium. — *c*) Poetice de musicis instrumentis. *Virg.* 8. *Æn.* 2. rauco strepuerunt cornua cantu. *Horat.* 2. *Od.* 1. 18. Jam nunc minaci murmure cornuum Perstringis aures, jam litui strepunt. *Sil. It.* 6. 224. Ut vero strepuere tubæ, conterritus etc.

II.) Metonymice. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (156). Scythici equitatus equorum gloria strepunt. *h. e.* cluent, celebrantur sermonibus.

B) Transitivorum more cum Accusativo et est strependo vocare, audire facio, clamare, strepitu implere.

I.) Proprie. *Liv.* 2. 45. Hæc quum sub ipso vallo portisque streperent, haud ægre consules pati. *h. e.* strependo clamitarent et jacerent in Romanos. *M. Aurel.* ad *Front.* 3. *ad M. Cæs.* 9. Omnes omnium populorum præsides deos atque ipsum lucum, qui Capitolium montem strepit, quæso, tribuat nobis etc. *h. e.* strepitu implet, vel potius circa Capitolium strepitum edit. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 993. Elinguis et quem porca grunnitum strepat.

II.) Translate est jactare. *Boeth. Cons. Phil.* 3. *Metr.* 6. Quid genus et proavos strepitis?

STREPSĬCĔROS, ōtis, m. 3. στρεψικέρως, animal quoddam transmarinum, cornua habens erecta et in leve fastigium exacuta rugarumque ambitu contorta, quemadmodum *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. describit. Est ἀπὸ τῆς στρέψεως τῶν κεράτων, a contortione cornuum. *V.* ADDAX. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 53. 79. (214). *Capitol. Antonin.* 10. Edidit munera, in quibus elephantos et strepsicerotas et crocodilos etiam exhibuit. ubi tamen recentiores leg. *rhinocerotes.*

STREPTIS, is, f. 3. *vel*

STREPTOS, i, f. 2. στρεπτός, uvæ genus ita dictæ, quod cum sole circumagitur: a στρέφω, verto. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (39)., ubi *Jan.* cui favet *Georges,* leg. *streptis*; at *Sillig.* ed. *streptos,* quod Græca voce adlata confirmatur.

STRĬA, æ, f. 1. Etymon vocis petunt recentiores a Skr. *star,* quod est etiam divido, separo. Cf. et Gr. στρίξ, striga, cum qua voce in antiq. MSS. et edit. libris aliquando illa confusa occurrit. — Stria proprie est cavitas, cavatura, canaliculus (It. *cavità, affondatura*; Fr. *rainure, cannelure, strie*; Hisp. *encaxe, cavadura, estria*; Germ. *die Hohlkehle*; Angl. *channelling, fluting*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (92). Quorumdam ex his facile noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro. *Varro* 1. *R. R.* 29. 3. Qua aratrum vomere striam facit, sulcus vocatur. Alii leg. *strigam.* ¶ 2. Speciatim apud architectos est lacuna, canaliculus sive sulcus columnæ, *scanalatura.* Cf. STRIATURA et STRIO. *Forcellinus* contra ex *Philandro* ita rem definit. « Stria est eminens linea inter canaliculos sive sulcos columnæ striatæ, *pianuzzo, risalto nelle scanalature della colonna. Strix* enim dicitur pars cava et depressior: *stria,* quæ inter duos canaliculos exstat: quemadmodum in arato agro *sulcus* est terra vomere cavata: *porca,* quod inter duos sulcos exstat. Hæc *Forcellinus.* Verum *Polenius* et *Stratico* ad *Vitruv.* 3. 3. *sub fin.* rectius putant, ubicumque apud *eumd. Vitruv.* alii *striges* legunt, ex optimis MSS. vel *striæ* et, uno in loco, *strigles* legendum; striarum autem tres distingui species. Prima est, quæ constat cavitatibus seu canaliculis alternatim inter plana dispositis, Italice *scanalature,* sic scilicet ‿‿‿, de qua agit *Vitruv. loc. cit.*: altera fit ex simplicibus planis angulos efficientibus, ita ut nullæ exstent cavitates, sic ⁀: tertia, quæ cavitates habet, nullis quidem interpositis planis, ut prima, distinctas, sed terminatas angulis, sic ‿‿‿, de quibus duabus postremis *Vitruv.* 4. 3. agit. Ita manifestum est, inquit *Furlanetto,* striarum nomen generale esse, et sumi pro toto ornamento ex parte cava et eminula composito; pro cava tantum parte et pro parte eminula et protuberante; quemadmodum eodem sensu *ruga* utramque partem, nempe tum exstantem, tum cavam significat in pelle et in veste. *Vitruv.* 3. 3. *sub fin.* Columnarum striæ faciendæ sunt XXIV., ita excavatæ, uti norma in cavo striæ quum fuerit conjecta, circumacta ita anconibus striarum dextra ac sinistra angulos tangat, ut acumen normæ circum rotundatione tangendo pervagari possit. Crassitudines (h. e. *i pianuzzi*) striarum faciendæ sunt, quantum adjectio in media columna ex descriptione invenietur. *Id.* 4. 1. *circa med.* Trunco toto (*columnæ*) strias, uti stolarum rugas, matronali more demiserunt. *Id. ibid.* 4. *a med.* Si duæ columnæ æque crassæ lineis circummetientur, e quibus una sit non striata et altera striata et circa striglium cava et angulos striarum linea corpora tangat, tametsi columnæ æque crassæ fuerint, lineæ, quæ circumdatæ erunt, non erunt æquales; quod striarum et striglium circuitus majorem efficiet lineæ longitudinem. ¶ 3. Item dicitur de vestimenti plicis. *Apul. Florid. n.* 15. Clamys velit utrumque brachium adusque articulos palmarum, cetera decoris in striis dependent. *Alii aliter leg.*

STRĬĀTA, æ, f. 1. (strio) piscis genus ita dicti fortasse, quod speciem striæ exhibet. *Plaut. Rud.* 2. 1. 9. captamus conchas, Marinam urticam, musculos, placusias, striatas. *Fleckeisen* leg. *plagusias striatas,* omisso commate.

STRĬĀTŪRA, æ, f. 1. (strio) ipsa forma striata, *scanalatura. Vitruv.* 4. 3. *ad fin.* Ita Dorica columna sui generis striaturæ habebit perfectionem. *Sidon.* 4. *Ep.* 8. Concha senis cavatur striaturis.

STRĬĀTUS, a, um, particip. *V.* STRIO.

STRĬBĬLĪGO et *per syncopen*

STRĬBLĪGO, ĭnis, f. 3. barbaræ orationis vitium, alias solœcismus, σολοικισμός, *solecismo*: a voce Gr. στρεβλός, curvus, pravus. *Gell.* 5. 20. Solœcismus Latino vocabulo a Sinnio Capitone ejusdemque ætatis aliis imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis stribiligo dicebatur, a versura videlicet et pravitate tortuosæ orationis, tamquam strobiligo quædam. *Arnob.* 1. *p.* 36. Striblígines et vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis?

STRIBLĪTA. *V.* SCRIBLITA.

STRĬBŬLA. *V.* STREBULA.

STRICHNON, i, n. 2. *Theod. Priscian.* 2. 12. Cataplasmata frigida et styptica imponenda sunt eorum præcordiis, strichnon aut aizoon aut rubus etc. Cf. STRYCHNON.

STRICIONON manicon (*sic*), alia appellatio herbæ Apollinaris, apud *Apul. Herb.* 22.

STRICTĒ, adverb. (strictus) Comp. *Strictius* I. et II.; Sup. *Strictissime* I. — Stricte est arcte, presse, *strettamente,* στενῶς.

I.) Proprie. *Pallad.* 4. *R. R.* 8. Oleam terebra perforabis, tum duos ramos tolles et stricte in foramen utrumque conjicies. *Id.* 1. *ibid.* 6. Post bonam vindemiam strictius, post exiguam latius puta. *Gell.* 16. 3. *ante med.* Fasciis ventrem strictissime circumligare.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 16. *ante med.* Nec observare stricte, ne plus reddat, quam acceperit. *Alii leg.* restricte. *Quintil.* 5. 12. 18. Stricte robusteque dicere. *Paul. Dig.* 8. 2. 19. *ante med.* Si quis strictius interpretetur. *rigorosamente.*

STRICTIM, adverb. (strictus) stricte, *strettamente,* λίγδην.

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 2. 2. 18. Utrum strictim ne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio. *sin sulla pelle.* et *Pallad.* 1. *R. R.* 13. Facta et strictim juncta crates.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 162. Prætereuntes strictim aspeximus. *a un'occhiata. Id. Rosc. Am.* 34. 95. Videamus nunc strictim. ¶ 2. Speciatim de oratione pro compresse, singula stringendo, quæ sparsa ac dif

fusa sunt, breviter et quasi summatim colligendo. *Varro* 9. *L. L.* 39. *Müll.* Hæc nunc strictim dicta, apertiora fient infra. *Sall. Cat.* 4. Strictim perscribere res gestas populi R. *Cic. Cluent.* 10. 29. Quum ea, quæ copiosissime dici possunt, breviter a me strictimque dicuntur. *Id.* 3. *Nat. D.* 8. 19. Tu quidem strictim, nostri autem multa. *Id.* 2. *Att.* 1. Librum strictim attigisti. *Gell.* 1. 3. *ante med.* Hunc locum, omnium rerum aliarum difficillimum, strictim atque cursim transgressus est.

STRICTĬO, ōnis, f. 3. (stringo) idem fere quod constrictio, *stringimento*. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 11. 79. Sed prætactis membris, quæ frigido mortis torpore afficiuntur, calefactionibus etiam adhibitis cum obvolutione atque modica strictione ex lanis effecta. Alii leg. *frictione*. et 3. *ibid.* 9. *ad fin.* Est possibile sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci, quum talis fuerit strictio sponte generata, qualis a veneno. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 317. — Translate occurrit apud *Cassian.* 19. *Collat.* 12. Si de comparatione strictionis nostræ et remissionis alienæ vel tenuissima mentem nostram tentarit olatio. ubi τὸ *strictionis* opponitur τῷ *remissionis*. Alii tamen rectius leg. *districtionis*.

STRICTĬPELLÆ et

STRICTĬVELLÆ *vel* strictivillæ, ārum, f. plur. 1. (stringo et vellus *aut* villus) scrantiæ. *Plaut. fragm.* apud *Gell.* 3. 3. et *Non. p.* 169. 8., ubi *Quicherat* leg. *strictivellæ*. *V.* SCRANTIA.

STRICTĬVUS, a, um, adject. (stringo) qui stringitur, δραπτικός, ut Strictivæ olivæ, quæ manu colliguntur, ad differentiam caducarum. *Cato R. R.* 146. Oleæ caducæ modii quinquaginta, strictivæ modii decem. *Cf.* voc. seq.

STRICTOR, ōris, m. 3. (stringo) qui stringit; speciatim vero qui oleas pendentes manu stringit et colligit. *Cato R. R.* 144., ubi alii male leg. *sictor*.

STRICTŌRĬA, æ, f. 1. et

STRICTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

STRICTŌRĬUS, a, um, adject. (stringo) absolute tantum, substantivorum more, usurpatur: hinc

Strictoria, æ, f. 1. vestis, quæ corpori adstringitur, alio nomine camisia, στιχάριον. *Edict. Dioclet.* 7. 56. In strictoria virili de tela ✳ decem. *Id.* 16. 30. Strictoria leporina. Cf. *Hieronym. Ep.* 64. *de vest. sacerd. n.* 11. Hæc linea adhæret corpori et tam arta est et strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga et usque ad crura descendat. – Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris et adstrictas corporibus etc. *V.* CAMISIA.

Strictorium, ii, n. 2. idem ac sphincter. *Gloss. Labb.* Σφιγκτήρ, strictorium.

STRICTŪRA, æ, f. 1. (stringo) actus stringendi, constrictio, compressio: cui *solutio* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more. — *a)* Generatim. *Plin. Valer.* 4. 2. Stricturam stomachi vel præclusa præcordia relaxare. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 7. 9. *et* 10. et 4. *Tard.* 8. *ante med.* et 5. *ibid.* 4. 48. *Venant. Vit. S. Patern.* 8. Strictura dentium. *Tertull. advers. Psych.* 10. Hæc strictura potus xerophagiæ portio est. *h. e.* hac forma potus perstricta etiam aridum pabulum significatur. — *b)* Speciatim dicitur de lectione oleæ, quæ manu fit. *Colum.* 12. *R. R.* 48. Maturam olivam in strictura factam colymbadem, de muria tollito. *h. e.* quum stringeretur seu manu legeretur. — *c)* Item de massæ candentis tunsione et densatione, quæ malleo fit. *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 285. Decoquat in massam fervens strictura secures Rursus, et ad proprium restillet vena metallum. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, est ipsa massa ferri rudis (præsertim candens), quæ malleo stringi ac densari potest, *massa di ferro da lavorare*. *Isid.* 19. *Orig.* 10. *sub init.* Intinctio ferri in aqua strictura est; nisi enim candens tingatur, stringi et cohærere non potest ferrum. At *Non. p.* 21. 11. et *p.* 523. 31. *Merc.* dicit esse proprie scintillam, quæ de ferro candente erumpit, quum malleis cuditur: quod aut strictie emittatur, idest celeriter; aut oculos sui fulgore perstringat. quam interpretationem serior ætas secuta est. *V. Rutil.* 1. 353. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (143). Differentia ferri numerosa: aliud brevitate sola placet; aliud rubiginem celerius sentit. Stricturæ vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, a stringenda acie vocabulo imposito. quam lectionem *Plin.* præfert *Pontedera Antiq. Gr.* et *Lat. p.* 613. *Gloss. Philox.* Stricturæ, λελιπαμμένον, ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ σιδήρου πίπτον, ὥσπερ σπινθῆρες. *Varro* apud *Serv.* ad 10. *Virg. Æn.* 173. *de Ilva insula.* Nascitur quidem illic ferrum, sed in stricturam non potest cogi, nisi transvectum in Populoniam Tusciæ civitatem, ipsi insulæ vicinam. *Lucil.* apud *Non. p.* 21. 11. *Merc.* Crebræ ut scintillæ, in stricturis, quod genus olim Ferventi ferro. *Virg.* 8. *Æn.* 420. striduntque cavernis Stricturæ chalybum et fornacibus ignis anhelat. Addi solet *Cæs.* 3. *B. G.* 21. *sub fin.*, sed dubia est ibi lectio. *V.* SECTURA. — *Stricturæ* inscribitur mimus *D. Liberii* apud *Gell.* 3. 18., ubi *Bergkius*, *Ann. Philol. p.* 1870. *p.* 830. *scriptura* reponendum affirmat. At *Hertzius* dedit *stricturæ*. *V. Ribbeck.* in *fragm.* etc. *p.* 293.

II.) Translate est afflictio, vexatio, tormentum, θλῖψις. *Juvenc.* 2. 789. Strictura dura. *Ambros.* 1. *De Spir. S.* 9. § 108. Vehementior est virtutis strictura, quam pœnæ.

STRICTUS, a, um, particip. *V.* STRINGO.

STRĬCŬLUS. *V.* HYSTRICULUS.

STRĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

STRĪDĔO, strīdes, strīdi (*raro* strīdŭi), strīdere, 2. *et* Strido, stridis, stridi, stridere, 3. Duplex hæc forma promiscue usurpatur; sed in MSS. poetarum sæpius legi *stridit, strident*, quam *stridet, strident*, observarunt *Heins.* et *Burmann.* ad *Ovid.* 9. *Met.* 171. et alibi. — *Priscian.* 8. *p.* 817. *Putsch.* et *Prob. in Cathol. p.* 1480. agnoscunt etiam præteritum *stridui*. Cf. *Claud. Sacerd. Gramm. p.* 486. 1. *Keil.* — Quod primam corripuit *Virgil.* tum *cit.* 8. 690., tum 5. *ibid.* 143. *rostrisque stridentibus*, valde torquet grammaticorum ingenia: quum semper alibi tam ab ipso *Virgil.*, quam ab aliis poetis omnibus producatur. *Pierius* testatur, ita legi in bona antiquorum codicum parte: ita quoque refert *Priscian.* 1. *p.* 562. *Putsch.* In aliquo tamen ex MSS. antiqu. habetur *rudentibus:* in Med., Palat. et Vatic. *tridentibus:* quod secutus videtur *Virgilii* imitator. *Val. Flacc.* 1. 688. Volat immissis cava pinus habenis Infinditque salum, et spumas vomit ære tridenti. *Pierio* hæc lectio placet: *Burmanno* nihil certius est, quam sic *Virgilium* dixisse: item *Heynio* et *Ribbeckio*. — Videtur vox per onomatopœiam facta, ut τρίζω apud Græcos, nisi a rad. Skr. *star* (*stardh*), sonare, per metathesin ducere velis. — Part. *Stridens* I. *a*. — Strideo est stridorem edo, acutum et ingratum fere sonum emitto, strepito, sibilo, τρίζω (It. *strillare, fischiare, mettere strida, stridere;* Fr. *faire du bruit, resonner, bruire, crier, siffler, fremir;* Hisp. *retumbar, resonar, gritar, silbar;* Germ. *zischen, schwirren, schnarren, pfeifen;* Angl. *to utter a shrill or grating sound, to cry*). Dicitur tum de animantibus tum de inanimis, deque variis sonis, ut ex subjectis apparet exemplis; occurrit autem sæpius intransitive, aliquando etiam transitivorum more.

I.) Intransitive. — *a)* Universim. *Enn.* apud *Priscian.* 8. *p.* 817. *Putsch.* Missaque per pectus dum transit, striderat hasta. *Lucret.* 6. 149. calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem. *Id.* 2. 410. ne forte putes serræ stridentis acerbum Horrorem constare etc. *Virg.* 1. *Æn.* 453. foribus cardo stridebat ahenis. *Seneca Thyest.* 770. et *Ovid.* 6. *Met.* 646. Stridet in verubus jecur. *frigge.* et 4. *ibid.* 122. vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas. *Virg.* 8. *Æn.* 450. stridentia tingunt Æra lacu. Sic *ibid.* 420. striduntque cavernis Stricturæ chalybum. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 19. stridunt aquilone rudentes. *Juvenal.* 5. 159. ut per lacrimas effundere bilem Cogaris pressaque diu stridere molari. *digrignare i denti*, frendere. *Cels.* 2. 6. *ante med.* Mors denuncietur, ubi æger, qui mentis suæ non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet. *Tibull.* 1. 3. 71. serpentum Cerberus ore Stridit. *fischia.* et *Virg.* 4. *G.* 556. Stridere apes utero et ruptis effervere costis. *mormoreggiare.* et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (138). Gryllus retro ambulet, terram terebret, stridat noctibus. *Ovid.* 6. *Fast.* 140. Striges horrenda stridere nocte solent. *Virg.* 3. *G.* 536. Stridentia plaustra. *et* 1. *ibid.* 401. cycni ludunt stridentibus alis. *Lucan.* 9. 827. quam segnis strideret arundinis aer. (*h. e.* sagittæ Scythicæ) *fischiasse, gemesse.* Sic *Virg.* 12. *Æn.* 692. strident hastilibus auræ. *Id.* 9. *ibid.* 632. et 12. *ibid.* 319. Stridens sagitta. *et* 9. *ibid.* 705. phalarica. *et ibid.* 586. funda. *et* 5. *ibid.* 502. nervo stridente sagitta *etc.* volucres diverberat auras. *Id.* 2. *ibid.* 418. Ventis stridens silva. *Id.* 4. *ibid.* 689. infixum stridit sub pectore vulnus. *Id.* 4. *G.* 262. Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis. *mugge.* et 1. *Æn.* 106. stridens aquilone procella. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt. *Virg.* 8. *Æn.* 690. totum spumare reductis Convulsum remis rostrisque stridentibus æquor. *h. e.* proris strepentibus, dum findunt aquas, et, ut ait *id.* 1. *ibid.* 39., spumas salis ære ruebant. *V.* tamen init. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 105. Subsidunt Pangæa rotis altæque sonoro Stridunt axe nives (*scrizzano* vulgo dicunt nostrates). *Catull.* 64. 264. Barbara terribili stridebat tibia cantu. *Lucan.* 1. 431. Batavique truces, quos ære recurvo Stridentes acuere tubæ. *Sil. It.* 17. 490. stridens sub pondere belliger axis. *Id.* 5. 222. Stridit tartareæ nigro sub pectore divæ Letiferum murmur. *Mela* 1. 8. *a med.* Troglodytæ strident magis, quam loquuntur. Cf. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (45). Troglodytæ specus excavant: hæ illis domus: stridorque, non vox. *Auct. Philom.* 39. *Wernsd.* Strix nocturna sonans et vespertilio stridunt. — *b)* Tribuitur etiam umbris mortuorum, quæ resonare videntur quiddam triste et acutum, ut ait *Horat.* 1. *Sat.* 8. 41. quod est *stridere*. Unde *Stat.* 7. *Theb.* 770. stridunt animæ currumque sequuntur. *Accius* apud *Priscian.* 8. *p.* 867. *Putsch.* Quum strideret retracta rursus inferis.

II.) Transitivorum more, est aliquid stridendo emitto. *Ovid.* 3. *Art. am.* 229. *de puella.* Illa sonat, raucum quiddamque inamabile stridet. *Virg.* 6. *Æn.* 287. bellua Lernæ Horrendum stridens. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 78. Stridere secreta divisos aure susurros. *bisbigliare.* et *Lucan.* 6. 622. ne, membris sole perustis, Auribus incertum feralis strideat umbra. *h. e.* indistincte loquatur et pro vocibus confusum stridorem edat. Cf. loc. *Melæ* supra *adlat.*

STRĪDO, is. *V.* voc. præc. init.

STRĪDOR, ōris, m. 3. (strideo) sonus inconditus, acutus et ingratus stridentis, τρισμός, ῥοῖζος, ῥοίβδησις (It. *strillo, stridore;* Fr. *bruit, sifflement, frémissement, murmure, bourdonnement;* Hisp. *estridor, ruido, silbido, retumbo, zumbido, mormureo;* Germ. *das Zischen, Pfeifen, Knarren, Sausen, Murmeln, Brausen;* Angl. *a shrill or grating sound; a creaking or screaking, a hissing, cry*). Tribuitur autem hominibus, animalium multis itemque aliis rebus, ut subjecta exempla docent. ¶ 1. De animantibus. — *a)* Generatim. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. 70. Sullanus ager latissime continuatus tantam habet invidiam, ut veri ac fortis tribuni plebis stridorem unum perferre non possit. *Horat.* 1. *Od.* 34. 14. hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit, hinc posuisse gaudet. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (45). Troglodytis stridor, non vox. *Id.* 8. *ibid.* 9. 9. (27). (et *Ovid.* 8. *Met.* 287.) Elephanti minimo suis stridore terrentur. *Id.* 11. *ibid.* 51. 112. (266). Alia insecta murmur edunt, ut apes: alia cum tractu stridorem, ut cicadæ. *Id. ibid.* 29. 35. (104). Grandiores locustæ tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur. *Id.* 29. *ibid.* 4. 28. (90). Stellio plenus lentigine, stridoris acerbi. *Sil. It.* 6. 177. Cerbereus stridor, *h. e.* sibilus serpentum, qui sunt in

Juba et villis Cerberi: nam *serpentum Cerberus ore Stridit*, ut ait *Tibull.* 1. 3. 71. Sic *Ovid.* 9. *Met.* 65. Cumque fero movi linguam stridore bisulcam. *Petron. Sat.* 136. Anseres fœdo veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem. *Ovid.* 14. *Met.* 100. Simiæ rauco stridore queruntur. *Auct. B. Afr.* 72. et 84. Stridor elephantorum. *Apul.* 1. *Met.* Quum ille impetu teli præsecata gula, vocem, immo stridorem incertum per vulnus effunderet. — *b*) Speciatim tribuitur umbris defunctorum, quibus *stridere*, non loqui, *Lucan.* 6. 622. tribuit. *Petron. Sat.* 122. Ecce inter tumulos atque ossa carentia bustis Umbrarum facies diro stridore minantur. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 126. Illic umbrarum tenui stridore volantum Flebilis auditur questus. ¶ 2. De rebus inanimis. *Accius. fragm.* 567. *Ribbeck.* Horrifer Aquilonis stridor. *Pacuv. fragm.* 335. *ibid.* Stridor armamentûm. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. serræ, quum acuitur. *Id. Prognost.* 1. *Divin.* 8. *extr.* Densus stridor quum celso é vertice montis Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsu. *Virg.* 4. *Æn.* 43. it stridor, et altæ Consternunt terram concussæ stipite frondes. *Seneca* 2. *Ira* 25. *sub fin.* Cujus aures tracti subsellii stridor offendit. *Propert.* 3. 5. 61. stridorem audire procellæ. *Lucan.* 1. 237. et *Seneca Thyest.* 575. lituum. *Virg.* 6. *Æn.* 558. ferri. *Id.* 11. *ibid.* 863. teli. *Id.* 1. *ibid.* 91. et *Ovid.* 11. *Met.* 495. rudentum. *Juvenal.* 14. 23. catenæ. *Auct. B. Afr.* 83. fundarum et lapidum. *Calpurn. Ecl.* 3. 61. acerbæ avenæ. *Lucan.* 3. 154. magnoque reclusas Testatur stridore fores. *Ovid.* 11. *Met.* 608. Janua, quæ verso stridorem cardine reddat. *Id.* 12. *ibid.* 275. et vulnere sanguis inustus (*quia flagranti torre vulnus inflictum erat*) Terribilem stridore sonum dedit. *col friggere.* et *Vitruv.* 2. 4. Arena, quæ manu confricata fecerit stridorem, erit optima. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (267). Stridorem dentibus facere. *h. e.* frendere. *Cels.* 2. 7. Oculorum quoque frequens nutus et insolens stridor dentium insaniæ signa sunt. *il digrignar de' denti*, sonus, qui attritu dentium oritur. *Apul.* 10. *Met.* Attritu dentium longus stridor redditus. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 7. *de muliere.* Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat. Hinc *Ep.* 54. *n.* 7. Non habuit crispantes mitras nec stridentes calceolos nec orbes stibio fuliginatos. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 145. Pectoris resonans stridor, quem rhogmon (*sic*) appellant. ῥέγχος. *Marcell. Empir. c.* 30. *p.* 132. Stridor stomachi. *Quintil.* 9. 4. 37. Quarum (*consonantium*) tristior etiam, si binæ collidantur, stridor est. — In plur. num. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 21. (45). Porrum sanat stridores aurium. *intronamenti, stordimenti.* et *Virg.* 2. *G.* 162. Indignatum magnis stridoribus æquor. *Sil. It.* 12. 26. nullis fusæ stridoribus hastæ. *Id.* 1. 436. Cornipedum adflatu tonat et stridoribus axis.

STRĪDŬLUS, a, um, adject. (strideo) stridens, crepitans, λιγύς, λιγυρός, ῥοιζώδης (It. *che stride o strilla, stridulo*; Fr. *sifflant, perçant, frémissant, criard*; Hisp. *silbando, agudo*; Germ. *schwirrend, zischend, knarrend*; Angl. *uttering a shrill, grating*). *Virg.* 12. *Æn.* 267. sonitum dat stridula cornus et auras Certa secat. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 29. per Istrum Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. *Id.* 10. *Met.* 6. fax lacrimoso stridula fumo. *Sil. It.* 9. 510. Stridulus turbo. *Id.* 1. 334. ballista. *Id.* 9. 627. manus monstri. *Seneca Ep.* 56. Tenuis et stridula vox. *Claudian. IV. cons. Honor.* 380. Stridula examina. *scil.* apum. *Id. Gigantom. de gigantib.* quos anguipedes finxere, *v.* 8. Stridula volventes gemino vestigia lapsu. *Id.* 3. *in Rufin.* 218. Stridula fraxinus. *h. e.* sagitta volans. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 203. Stridula coniferis modulatur carmina ramis.

STRĪGA, æ, f. 1. duo diversa significat.

A) *Striga* est, quod nostrates *stregia* vulgo dicunt, series, ordo, *filare, serie ordinata.* ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 314. 30. *Müll.* Strigæ appellabantur ordines rerum inter se continuate conlocatarum: a stringendo dictæ. *Colum.* 2. *R. R.* 19. Fœnum siccatum coartabimus in strigam, atque ita in manipulos vinciemus. ¶ 2. Speciatim in re militari *striga* est castrense vocabulum, intervallum turmarum significans, in quo equi strigantur. Unde et strigosi dicuntur corpore macilento. *Charis.* 1. *p.* 85. *Putsch.* et *Caper de verb. dub. p.* 2250. *ibid.* Striga in turma, ubi equi distringuntur. *Hygin. Gromat. p.* 13. *col.* 1. Per strigas strictius seu laxius tendere. Hinc *strigare*, consistere. *V.* STRIGO, as. ¶ 3. Item in re agraria *strigam* dicunt sulcum, qui uno ductu in longitudinem peragitur: ut *scamnum* in latitudinem. *Frontin. de agror. qualit. p.* 38. *Goes.* et *Aggen. commentar. in eumd. p.* 46. Hinc mensuram per strigas et scamna agere *Hygin. de limit. constit. p.* 198. etc. *Varro* 1. *R. R.* 29. *sub fin.* Qua aratrum vomere lacunam in strigam facit, sulcus vocatur. Alii leg. *in striam*, alii *striam* sine præp.; sed *Non. p.* 61. 22. *Merc.* qui eumdem locum affert, legit *istriam*. Ita *Forcell.*; at *Mercer.* dedit *striam*. ¶ 4. Item est genus cretæ, idem quod cimolia, de qua *Cels.* 2. 33., *Scribon. Compos.* 245. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. *Gloss. Labb.* Striga, κιμωλία.

B) Striga est idem ac strix, *strega*. *Apul.* 5. *Met.* Scelestarum strigarum nequitia. *Alii feminarum. Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.* Quum puerum mater misella plangeret, subito strigæ cœperunt etc. *et mox.* Jam strigæ puerum involaverant, et supposuerant stramenticium etc. *Gloss. Labb.* Striga, γυνὴ φαρμακίς. *V.* STRIX. — *Caper* vocem improbat *p.* 111. 11. *Keil.* Striges, non strigæ. Sed perperam.

STRĪGĀNUS, i, m. 2. Videtur significare quoddam in militia navali munus, ex *Inscript.* apud *Mommsen n.* 2735. D. M. G. VLPIUS LICINIAN. ARMOR. IIII. VESI. N. P. FL. LVC. MARCEL. STRIG. EX EAD. (*h. e.* striganus ex eadem *sc.* navi.) — Est etiam cognomen Jovis in *alia* apud *eumd. n.* 2662.

STRĪGĀTUS, a, um, particip. *V.* STRIGO, as.

STRĪGES. *V.* STRIX.

STRĪGIL. *V.* STRIGILIS.

STRĪGĬLA. *V.* STRIGULA.

STRĪGĬLĀRĬUS (strigillarius), ii, m. 2. (strigilis) qui strigiles facit aut vendit. *Gloss. Gr. Lat.* Ξυστροποιός, strigilarius.

STRĪGĬLE. *V.* STRIGILIS init.

STRĪGĬLĔCŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* strigilis, parva strigilis, στλεγγίδιον. Ita eam describit *Apul. Florid. n.* 9. Prædicabat fabricatam sibimet honestam strigileculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut et ipsa in manu capulo moraretur, et sudor ex ea rivulo laberetur.

STRĪGĬLIS, is, f. 3. — *a*) Scribitur, per syncopen, *striglis*; hinc plur. genet. *striglium* pro *strigilium* apud *Vitruv.* 4. 4. *a med.* (V. STRIA); et ablat. *striglibus* pro *strigilibus* apud *Juvenal.* 3. 262. domus (*h. e.* servorum familia) sonat unctis Striglibus, et pleno componit lintea gutto. Alii tamen leg. *strigilibus*, ita ut pes proceleusmaticus æquivaleat dactylo: alii omittunt *et*, et primam perperam producunt. — Etiam *strigile* neutr. gen. apud *Varron. Sat. Menipp.* 11. *p.* 101. *Oehl.* Κατάχρησις est enim vera, si in candelabro pendet strigile. At *Non. p.* 223. 7. *Merc.* pro *strigile* habet *strigilis*. — *Strigil* per apocopen in *Thes.* etc. ed. *Vulcan.* Strigil, στλεγγίς. — *b*) Accus. sing. desinit etiam in *im. Lucil.* apud *Charis. p.* 126. 6. *Keil.* et abl. sing. in *i* et *e*, ut e subjectis exemplis apparet. *V. Brambach p.* 169. et 176. — *c*) Ad etymon quod attinet, vox est a *stringo*, qua radere significat. Cf. et Gr. στλεγγίς. — Strigilis est instrumentum serratum, curvum, manubrio et canaliculo instructum, quo utebantur præcipue in balineis ad destringendam cutem, abradendas sordes et sudorem detergendum, στλεγγίς; ξύστρα (It. *stregghia*; Fr. *étrille, strigile*; Hisp. *almohaza*; Germ. *die Striegel*; Angl. *curry-comb*). Figuram habes apud *Mercurial. De arte gymnast. l.* 1. *c.* 8 descriptionem aliquam in voce præced. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Stich.* 1. 3. 78. Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam. *Id. Pers.* 1. 3. 44. Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsupium habeat. *Cic.* 4. *Fin.* 12. *a med.* Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat. *h. e.* unctio et balineum, per metonymiam, inquit *Forcell.* et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 109. sub noctem puer uvam Furtiva mutat strigili. *Martial.* 14. 51., cujus lemma *Strigiles.* Pergamus has misit curvo destringere ferro, Non tam sæpe teret lintea fullo tibi. *Sueton. Aug.* 80. Callis quibusdam ex prurigine corporis assiduoque et vehementi strigilis usu plurifariam concretis, ad impetiginis formam. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (55). Linteorum strigiliumque vehementia. *delle fregagioni.* et *Colum.* 6. *R. R.* 31. *ad fin.* Ovium papulæ ferventissimo sole usque eo strigile raduntur, quoad eliciatur sanguis. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. 102. Strigilis rasio adhibenda corporibus et sicca defricatio ex asperis pannis. *Pallad.* 5. *R. R.* 4. *de zizypho.* Si arbor hæc tristis est, ferrea strigili subrasa hilarior fiet. *Pers.* 5. 126. I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer. ¶ 2. Latiore sensu est specillum, quo in aures medicamentum infunditur, ὠτεγχύτης. *Cels.* 6. 7. In aurem medicamentum commodissime per strigilem instillatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 103. (164). *a med.* Aurium dolori sucus strigili calefactus infunditur. *Marcell. Empir. c.* 9. *p.* 98. In strigili calefacies et infundes. ¶ 3. Item *strigiles* vocat Hispania auri parvulas massas, quod aurum super omnia solum in massa aut ramento capitur. cetera enim in metallis reperta igni perficiuntur: hoc statim aurum est. Ita *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (62). ¶ 4. *Vitruv. loc. cit.* ita appellat strias seu canaliculos in columnis. *V.* loc. in STRIA.

STRĪGĬO, ōnis, m. 3. *Gloss. Isid.* Strigio, mimarius, scænicus.

STRIGLIS. *V.* STRIGILIS.

STRIGMENTUM, i, n. 2. (stringo) ramentum, *raschiatura*, ῥῖγμα. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (17). *de cucurbita silvestri.* Sucus ex strigmentis illitus cum rosaceo et aceto febrium ardores refrigerat. ¶ 2. Speciatim sordes, quæ destringuntur et abstergentur de corporibus, *succidume, lordura, sporcizia*, ξύσμα, ῥύπος. *Cels.* 2. 6. *a med.* Alvus quoque varie pestifera est, quæ strigmentum, sanguinem, bilem viridem repræsentat. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (161). Anguillæ atterunt se scopulis, ea strigmenta vivescunt. *Id.* 28. *ibid.* 4. 13. (51). Sordes hominis in magnis fecere remediis gymnasia Græcorum: quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiunt, sudore et oleo medicinam facientibus. *Val. Max.* 9. 14. *n.* 2. *extern.* Gymnicorum (*rectius alii* Cymæorum) servus strigmenta gymnasii colligens. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Usum olei ad luxuriam vertere Græci, in gymnasiis publicando. Notum est, magistratus honoris ejus octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse. *V.* PICULA. *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Picem et axungiam in olla miscebis: calcem superadjicies: quumque velut strigmentum feceris, inseres locis cisternæ corruptis ac manantibus. *poltiglia, malta.* et *Cels.* 5. 22. *n.* 4. Quæ urina pueri coguntur, donec strigmenti crassitudo sit.

STRĪGO, as, are, 1. (striga *vel* stringo) Part. *Strigatus* sub *B.* — Strigo duo diversa significat.

A) *Strigo* est, in arando cesso, interquiesco et est idem ac stringo diciturque, ut ait *Forcellinus*, de equis et jumentis, quum interquiescunt et destringuntur ad urinam mittendam aut vires recuperandas.

I.) Proprie. *Phædr.* 3. 6. Quapropter aufer frivolam insolentiam: Namque, ubi strigandum et ubi currendum est, scio. Alii leg. *tricandum*, alii *tardandum*, quorum postremum rectius videtur: hic enim non de quiete, sed de tarditate sermo est; adde *tardandum* recte opponi posteriori *currendum*, et illi in secundo versu: *Quam tarda es?* respondere. At e recentioribus *L. Müllerus* tenet *strigandum*, et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (117). In arando versum peragi, nec

strigare in actu spiritus. *h. e.* non interquiescere, usque dum totus versus agri conficiatur. Ita ex codicib. et MSS. leg. *Harduin.* et *Sillig.* Hoc idem præceptum ita eloquitur *Colum.* 2. *R. R.* 2. *sub fin.* Sed nec in media parte versuræ consistat, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. Adde *Virg. Catal.* 8. ubi *strigare* pro *stringere* recte ediderunt *Heynius* et *Ribbeckius* post *Scaligerum.*

II.) Translate. *Seneca Ep.* 31. Rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor et clamabo: tanto melior; surge et respira etc. Alii pro *vinci ac strigare* leg. *vitia consurgere.*

B) Strigo est etiam in strigæ formam facere: occurrit tamen hoc sensu tantum Part. *strigatus,* cui *scamnatus* opponitur. *Aggen.* 1. *comment. in Frontin. p.* 3. 12. *Lach.-Rud.* Strigatus ager est, qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit. Scamnatus autem, qui eo modo ab occidente in orientem crescit. Et latitudinem hanc secundum idioma artis voluit Frontinus in orientem intelligi. Adde *Hygin. De limitib. p.* 100. 1. V. *Guarini Illustr. della campagna Taur. p.* 98.

STRĪGO, ōnis, *vel*

STRĪGOR, ōris, m. 3. (stringo) idem ac strigosus, teste *Fest. p.* 314. 27. *Müll.* Strigores in Nelei carmine pro strigosis positum invenitur, id est densarum virium hominibus: «Strigores exerciti». ubi *Turnebus* vult *strigones;* sed hoc ipsum, ut ait *Müller,* certo auctore caret. Cf. *Ribbeck, fragm. p.* 233. et *Hermann. præf.* in *Plaut. Bacch. p.* VII. Sic *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 315. 4. *Müll. Plaut. Bacch.* 2. 3. 46. Longum est strigonem maleficum exornarier. Ita leg. *Muretus l.* 12. *var. lect. c.* 19. *Forcellinus* esse docet hominem maleficum, *stregone.* At *Ritschelius* et *Fleckeisenius* ediderunt: *longum abs tricone malefico exornarier.* Ceterum de hac voce, cujus incerta est sive lectio sive notio, satis superque diximus.

STRĪGŌSUS, a, um, adject. (striga) Primæ syllabæ quantitas brevis videtur. *Mæcenas* apud *Sueton. Vit. Horat.* Hinno me videas strigosiorem. *Lucil.* apud *Gell.* 11. 7. *in fin.* (et *Non. p.* 79. 26. *Merc.*) Hice strigosu' bovinatorque, ore improbu' duro. Ita leg. *Scalig.* — Comp. *Strigosior* I. et II.; Sup. *Strigosissimus* I. — Strigosus est macilentus et dicitur proprie de bestiis, quorum corpora fames aut nimius labor aut senium stringit et enecta reddit, vel quibusdam quasi strigis seu sulcis aut rugis afficit, *macilento,* ἰσχνός, στριφνός.

I.) Proprie. *Non. p.* 168. 21. *Merc.* Strigosus apud veteres morbus dicitur jumentorum, qui corpora stringat aut fame aut alia vitii causa, quasi stringosus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. *circa med.* Canis neque tam strigosus aut pernix esse debet, nec tam obesus aut gravis. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 4. 20. et *Non. p.* 168. 26. *Merc.* Equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt. Adde *Lucil. loc.* supra *cit.,* ubi alii *stricosu',* alii *tricosu'.* (Cf. *L. Müller* ad *h. l.*) «*Lucil.,* inquit *Forcellinus* ad *h. l.,* strigosum accipit pro tergiversatore: a *strigando,* quum jumenta in actu interquiescunt et progredi recusant. Hac ratione cum *bovinatore* aptius jungitur. Videtur autem sermo esse de malo debitore, qui æs alienum aut cunctatur solvere aut improbe infitiatur. Si *tricosus* legas, eadem erit sententia». *Liv.* 27. 47. Equi strigosiores. *Colum.* 7. *R. R.* 6. *extr. de capellis.* Ut largi sit uberis et non strigosissimi corporis.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 16. *ad fin.* In Lysia sæpe sunt etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius; verum est certe genere toto strigosior. *h. e.* tenuior, jejunior in dicendo et in verbis parcior. — Alio sensu, pro eo qui densarum virium est, ut ait *Fest. p.* 314. 27. *Müll.* (*V.* voc. præc.), fortasse a *stringo,* quasi qui collectas strictasque habeat vires.

STRĪGŬLA *vel* strigila, æ, f. 1. (stringo) strigilis. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 263. Strigula est, quod xistram (*corrige* xystram) dicunt, unde oleum deteritur. *Gloss. Gr. Lat.* Ξύστρα, strigila, strigilis.

STRINGENS, entis, particip. *V.* STRINGO.

STRINGES, ium, f. plur. 3. genus vestis apud Hispanos. *Isid.* 19. *Orig.* 23. 1. Ut Parthis sarabara, Gallis lenæ, Germanis rhenones, Hispanis stringes. Adde *Gloss. Pap.* Sic *Arev.* et *Lindem.,* vulgo *striges.* V. *Quicherat* ad *h. v.*

STRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. Ratione habita etymi, derivant a rad. Skr. *strag* vel *strig,* unde et Gr. στράγγω, torqueo, premo. — Part. *Stringens* sub *A* I. 1. *a, c;* et *B* I. 2. et 3.; *Strictus* fere in omnib. paragr. et in fin.; *Stricturus* sub *A* I. 1. *c; Stringendus* sub *A* II. — Stringo duo præcipue significat.

A) Stringo est arcte premo, comprimo, ut fit intento fune nectendo vel contractis manuum digitis tenendo, adstringo, contraho, σφίγγω (It. *stringere, legare, premere, comprimere;* Fr. *serrer, resserrer, comprimer, presser;* Hisp. *atar, legar, comprimir, apretar;* Germ. *straff anziehen, zusammenziehen, zusammenschnüren;* Angl. *to draw tight or close, constrain, press*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 65. Te, quasi Dircam olim, ut memorant, duo Gnati Jovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium. *Ovid.* 2. *Fast.* 324. Stringebant magnos vincula parva pedes. Adde 11. *Met.* ubi *strinxit* pro *traxit* leg. *Koch* (*Symb. Philol. Bonn. p.* 342.) *Lucan.* 5. 143. Stringit vitta comas, et 9. 773. Dissiluit stringens uterum membrana fluuntque Viscera. *Quintil. declam.* 10. 8. *a med.* Magnæ sunt umbrarum catenæ, et quamquam volatilem vagamque imaginem, morti stringunt atque alligant, tamquam reum corpus, animam. *Gell.* 15. 17. Quercus in duas partes diducta, stricta denuo et cohæsa dilacerandum hominem feris præbuit. *Juvenal.* 8. 148. Ipse rotam stringit multo sufflamine consul. *ferma o allaccia.* et *Claudian. Fescenn.* 19. frondens hedera stringitur æsculus. *Id. Laud. Seren.* 175. Stringere vulnera. *fasciare.* et *Cons. Prob. et Olybr.* 85. cæsariem crinali cultu. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. vimine surculum insitum. *Quintil. declam.* 10. 4. Gelidi piger corporis sanguis omnes in mortem strinxerat venas. *Gell.* 17. 8. *in fin.* Mare gelu stringi et consistere. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 244. Non talis niveos strinxit Lavinia vultus, Quum Turno spectante rubet. *h. e.* contraxit præ verecundia. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 79. Qui terras rapere et rotare silvas Assueram, (pudet!) amnis esse cœpi. Sed grates ago strictus. *h. e.* ripis exercitus. *Lucan.* 2. 697. Stricta carbasa deducere. *h. e.* contracta et involuta vela antennis demittere et explicare. *Stat.* 3. *Theb.* 534. *de aquilis.* Invasere globum nivei gregis: uncaque pandunt Cædibus ora novis et strictis unguibus instant. *Pallad.* 7. *R. R.* 1. Mandatis areis aquam spargunt, et minuta ibi pecora diu spatiari ac proculcare compellunt: et, quum terra ungulis stricta fuerit, spectant solidam siccitatem. *Id.* 6. *ibid.* 8. *a med.* Testiculi (*juvenci*) stricta pelle clauduntur et deciduntur. *h. e.* contracta et intenta. *Id. De insit.* 44. Virides oculos externi gemma tumoris Accipit et lento stringitur uda sinu. *h. e.* vinculis circumligatur et constringitur, ut firmius adhæreat et coalescat. *Liv.* 22. 51. *a med.* Stricta matutino frigore vulnera. *Val. Flacc.* 1. 513. strictosque insedimus amnes. *agghiacciati.* et translate. *Lucan.* 4. 652. pectora pigro Stricta gelu. Hinc *stringere se,* idem ac se astringere, *rappigliarsi, condensarsi* apud *Pelagon. Veterin.* 28. — *b*) *Stringere dentes,* conjungere mordendi causa. *Calpurn. Ecl.* 5. 92. *de anguibus.* non stringere dentes Ulla potest uncos, sed inani debilis ore Marcet et obtuso jacet exarmata veneno. — *c*) *Stringere gladium, ensem* et alia hujusmodi, *h. e.* manu compressa tenere feriendi causa, *impugnare, imbrandire. Virg.* 10. *Æn.* 577. strictum rotat acer Lucagus ensem, et *ibid.* 650. strictumque coruscat Mucronem. et *ibid.* 715. stricto concurrere ferro. et 6. *ibid.* 291. Stricta acies. *Flor.* 2. 5. (et *Lucan.* 5. 12. et *Manil.* 6. 626.) In principum colla strictæ secures. *Seneca Œdip.* 89. Stricta tela etc. Etiam, manibus gladios stringere, dixit *Virg.* 12. *Æn.* 278. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Milites gladios strinxerunt. *Liv.* 7. 40. Vos prius in me strinxeritis ferrum, quam ego in vos. *Justin.* 38. 4. 2. Adversus latronem pro salute ferrum stringere. Adde *Liv.* 7. 5. et 9. 5. et *Plin.* 3. *Ep.* 16. Sic stringere arcum, *Val. Flacc.* 5. 580. h. e. arripere et intendere. Et stringere bellum, *Flor.* 3. 21. h. e. strictis gladiis pugnare. Sic *strictæ manus,* telo armatæ. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 14. Non timeo strictas in mea fata manus. Adde 5. *Trist.* 2. 30. Similiter *Tertull. Apolog.* 48. Alius, qui judicio Dei apparet, sive de cælo fulmina stringens sive de terra per vertices montium eructans. *h. e.* igneum quasi ensem ex nubibus, ut ex vagina, educens. — Hinc translate. *Ovid. Remed. am.* 377. Liber in adversos hostes stringatur iambus. *Sueton. Cal.* 53. Peroraturus, stricturus se lucubrationis suæ telum, minabatur. Adde *Flor.* 3. 21. ¶ 2. Speciatim sæpe est manu decerpere, avellere, *spiccare, staccare, cogliere:* quia fit stringendo manum. *Cato R. R.* 65. Oleam, ubi nigra erit, stringito. *Varro* 1. *R. R.* 55. Digitalium duritles non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit. *Virg.* 1. *G.* 305. quernas glandes nunc stringere tempus. *Cæs.* 3. *B. C.* 58. Foliis ex arboribus strictis equos alere. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 28. bovemque Disjunctum curas et strictis frondibus exples. *Liv.* 23. 30. Herbis et radicibus strictisque rubis vixere. *Varro* 1. *R. R.* 55. Olea manu stricta. ¶ 3. Item cædere, putare, amputare, detondere, *potare, tagliare, troncare;* præsertim quum de iis sermo est, quæ facile et uno ictu cæduntur. *Colum.* 6. *R. R.* 3. *ad fin.* Possunt etiam folia ficulnea probe dari, si sit eorum copia, aut stringere arbores expediat. *Virg.* 2. *G.* 367. ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde. *Id.* 9. *Ecl.* 60. hic ubi densas Agricolæ stringunt frondes. *Id.* 1. *Æn.* 556. (et *Sil. It.* 6. 352.) stringere remos. *h. e.* frondibus et ramusculis decisis remos facere. *Id.* 1. *G.* 314. quum flavis messorem induceret arvis Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo. *h. e.* secaret. ¶ 4. Item pro contendere, adducere, *tendere, tirare. Stat.* 11. *Theb.* 513. It præceps sonipes, strictæ contemptor habenæ. (Cf. *Val. Flacc.* 5. 580.) *Id. ibid.* 530. Fulmineos veluti præceps quum comminus egit Ira sues strictisque erexit corpora setis. *h. e.* intentis, erectis, *arricciate.*

II.) Translate, metaphorâ ductâ a prima ac generali vocis notione. *Cic.* 3. *Off.* 31. 111. Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores artius esse voluerunt. *Orell.* adstringendam. *Claudian. B. Gild.* 371. quæcumque meo gens barbara nutu Stringitur, adveniat. *h. e.* imperio et dicione mea coercetur ac regitur. *Sil. It.* 8. 48. Sed pressis stringam revocatam ab origine famam Narrandi metis breviterque antiqua revolvam. *h. e.* strictim persequar, breviter dicam. Sic *Quintil.* 4. 2. *sub fin.* Narrationis rem loco stringere. Cf. tamen *ejusd.* 5. 24. sub *B* I. 1., unde hæc translatio sumpta aliis videtur. Sic *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 12. Hic enim expressit, quod in prima epistola strinxit. *h. e.* perstrinxit seu leviter indicavit. — *Strictus numeris* dicitur de eo, qui versu, non soluta oratione, scribitur. *Pallad. De insit.* 5. Bis septem parvos, opus agricolare, libellos, Quos manus hæc scripsit, parte silente pedum, Nec strictos numeris, nec Apollinis amne fluente etc.

B) Stringo est rado, decurro adeo prope, ut tangam, leviter tango.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 5. *Æn.* 163. Litus ama, et lævas stringat, sine, palmula cautes. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 12. Nunc stringam metas interiore rota. Hinc *Sil. It.* 5. 24. Et jam curriculo nigram nox roscida metam Stringebat. Forma loquendi petita a circo, ubi currus pro-

xime metam ita flectendus erat, ut tamen eam non tangeret. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 835. (ubi V. *Heyne* et *Exc.* II. ad 2. *Æn.*) et *Theocr.* 24. 118. Eodem sensu *meta teri* vel *radi* dicitur a poetis. *Propert.* 3. 9. 23. Et duo in adversum immissi per mœnia currus Ne possent tacto stringere ab axe latus. *Ovid.* 11. *Met.* 733. Stringebat summas ales miserabilis undas. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 273. Transvehitur Tuscos Apenninusque volatu Stringitur. *Ovid.* 1. *Met.* 535. canis leporem jam jamque tenere Sperat, et extento stringit vestigia rostro. *Curt.* 7. 7. 4. Scytharum gens ultima Asiæ, qua Bactra sunt, stringit. *Id.* 8. 9. 5. Stringere juga montium recto alveo. — Huc et illa pertinent, a poetis usurpata. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 56. summa tepido stringitur unda Noto. *h. e.* leviter movetur, crispatur. Sic *Martial.* 10. 30. Hic summa leni stringitur Thetis vento. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 336. Jam summum radiis stringebat Lucifer Æmum. *h. e.* tenui luce illustrabat: vix prima aurora apparebat. ¶ 2. Speciatim est detraho, abrado, deminuo, destringo. *Virg.* 8. *Æn.* 62. ego sum, pleno quem gurgite cernis Stringentem ripas et pinguia culta secantem, Cæruleus Tibris. *Lucret.* 1. 485. Sed quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis Stringere. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 7. avi cur atque parentis Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem. *h. e.* paullatim absumat. ¶ 3. Item leviter vulnero, perstringo. *Virg.* 10. *Æn.* 478. hasta Tandem aliquid magni strinxit de corpore Turni. *et ibid.* 331. tela stringentia corpus. *Seneca* 2. *Benef.* 6. Gladius idem et stringit et transforat. *Ovid.* 11. *Met.* 776. Coluber dente pedem strinxit. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 80. illam summa leviter *etc.* Lampade, parcentes et inermi strinximus arcu. *Id.* 8. *Theb.* 533. Qualis setigeram Lucana cuspide frontem Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro Vulnera.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ ex super. paragr. 1., est tangere, commovere. *Virg.* 10. *Æn.* 824. (et 9. *ibid.* 294.) Et mentem patriæ strinxit pietatis imago. ¶ 2. Metaphorâ a super. paragr. 3. ductâ, est lædere, *offendere*. *Seneca Provid.* 4. *a med.* Hunc levis aura non sine periculo stringet. *Quintil. declam.* 2. 23. En membra contactu stringuntur ignium. *Ovid.* 2. *Trist.* 349. Sic ego delicias et mollia carmina feci, Strinxerit ut nomen fabula nulla meum. *et* 5. *ibid.* 6. 21. tua delicto stringuntur pectora nostro. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Strictus, a, um, adjectivorum etiam more usurpatur; unde Comp. *Strictior* I. 1. et 2. et II. 2.; Sup. *Strictissimus* I. 2. — Strictus est adstrictus, compressus, contractus, densus, *ristretto, stretto, denso,* σφιγκτός.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Scribon. Compos.* 45. *extr.* Emplastri stricti spissitudo. *h. e.* densi. *Auson. Edyll.* 14. 3. Strictior Eoos præcesserat aura jugales. *h. e.* magis adstringens, utpote frigidior. *Tac. Germ.* 17. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ et Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. *Id. ibid.* 30. Duriora genti corpora, stricti artus. *h. e.* torosi ac robusti: *strictum* enim *soluto, laxo, flaccido* opponitur. *Inscript.* metrica apud *Gruter.* 960. 7. TV PEDE QVI STRICTO VADIS PER SENTA VIATOR. *h. e.* brevi passu. ¶ 2. Speciatim est angustus, artus, *stretto, angusto,* στενός. *Ovid. Remed. am.* 233. Sed tamen est artis strictissima janua nostræ. Contra 1. *Amor.* 8. 77. et 2. *Fast.* 456. janua laxa. *Hygin. Gromat. p.* 3. *col.* 1. Si strictior fuerit pedatura.

II.) Translate. ¶ 1. Est gravis, severus, *rigoroso, severo:* quia hujusmodi constricta fronte, ut ait *Petron. Sat.* 132. *ad fin.*, esse solent. *Manil.* 5. 106. strictos nec crede Catones Aut Brutum etc. *Id.* 1. 769. Quique animi vires et strictas pondere mentes Prudentes habuere viri. *h. e.* auctoritate graves. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 5. 87. Nulla foro rabies aut strictæ jurgia legis. *Jabolen. Dig.* 29. 2. 85. Restitutio stricto jure non competebat. *di rigore.* et *Paul. ibid.* 39. 3. 2. *circa med.* Hæc æquitas suggerit, etiamsi stricto jure deficiamur. ¶ 2. Est etiam brevis, concisus, et dicitur de oratione. *Tac. dial. de Orat.* 25. At strictior Calvus, numerosior Asinius. *Alii leg.* adstrictior. *Quintil.* 10. 1. *circa med.* Plenior Æschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est. *Seneca* 4. *Benef.* 37. *ad fin.* Philippus epistolam strictam ac liberam scripsit. ¶ 3. Item parcus, tenax, *ristretto nello spendere, stretto.* *Firmic.* 5. *Mathes.* 2. *sub init.* Faciet strictos, avaros, sordidos, et qui in omni vita lætitiæ gratiam vitent.

STRINGOR, ōris, m. 3. (stringo) actus stringendi. *Lucret.* 3. 694. Morbus ut indicat et gelidai stringor aquai. *h. e.* frigus aquæ, quo dentes perstringuntur; de dentibus enim ibi est sermo.

STRINGŎTŎMĬUM. *V.* SYRINGOTOMIUM.

STRINGUM, i, n. 2. herba eadem ac satyrion. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 43. *Arev.* habet *stingum,* quod minus probat *Quicherat.* *V.* STINGUS.

STRĬO, as, (āvi) ātum, are, a. 1. (stria) Part. *Striatus.* — Strio est strias facio, in strias excavo, ῥυμοτομέω (It. *scanalare;* Fr. *couper par des lignes, des rainures, rayer, strier, canneler;* Hisp. *acanalar, estriar;* Germ. *mit länglichen Vertiefungen, Riefen, Streifen versehen;* Angl. *to channel, flute*). — *a*) De architectonicis. *Vitruv.* 4. 3. *ad fin.* Columnas striari viginti striis oportet. *Id.* 7. 5. *ante med.* Pro columnis statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati. — *b*) De aliis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (146). Asparagus caulem educens, tempore ipso fastigatus in toros striatur. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (102). Striata concha (cui opponitur *lævis*). *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (23). *de lilio.* Candor ejus eximius, foris striati et ab angustiis in latitudinem paullatim sese laxantis effigie calathi. *Id.* 27. *ibid.* 4. 5. (14). Aloe ex obliquo striata. *Apul.* 10. *Met. sub init.* Adulescens senili tristitie striatam gerens frontem. *h. e.* rugis contractam, caperatam.

STRITABILLA. *V.* SCRANTIA.

STRĬTĂVUS. *V.* TRITAVUS.

STRITO. *V.* STRITTO.

STRITTILO, as, are, n. 1. *Varro* 7. *L. L.* 65. *Müll.* Strittabillas a strittilando; strittare ab eo qui sistit ægre. *Alii aliter leg.* V. STRITTO.

STRITTĬVILLÆ. *V.* STRICTIVILLÆ.

STRITTO *vel* strito, as, are, n. 1. sistere ægre, ut ait *Varro loc. cit.* in STRITTILO. Cl. *Furlanetto* videtur ita significari incessus eorum, qui attæ appellantur. *V.* ATTA sub *A* et *Schelleri Lex.* *Klotzius* aliique recentiores habent pro lente, seu lento gradu, incedere. Cf. *Phædr.* 3. 6. *v.* 9. in voc. STRIGO.

STRIX, strigis, f. 3. — *a*) Etiam *striga, æ,* occurrit, quam formam improbat, sed perperam, *Caper De verb. dub. p.* 2250. *Putsch.* V. STRIGA. — *Strinx* pro *strix* et *stringa* pro *striga* legi recte apud *Charis.* 1. *p.* 84. *Putsch.* negat *Lachmann.* ad *Lucret. p.* 36. Apud *Vitruv.* 3. 3. *sub fin.* et 4. 4. *a med.* sunt qui *strigem* legunt pro *striam,* sed vide quæ diximus in STRIA. — *b*) Ad quantitatem quod attinet, priorem syllabam in *strigis* etc. sæpius brevem, sed et longam usurpari monet *Lachmann.* ad *Lucret. p.* 36. Sic *Ovid.* 6. *Fast.* 139. Est illis strigibus nomen. et *Propert.*, *Stat.* al. Verum *Plaut. Pseud.* 3. 2. 31. Non condimentis condiunt sed strigibus. — *Strigĕs* in plur. num., alterâ correptâ Græcorum more, apud *Stat.* 3. *Theb.* 511. Nocturnæque gemunt striges et feralia bubo Damna canens. Cf. *L. Müllerum De re metr. p.* 393. — *c*) *Ovid. loc. cit.* voc. Latinam putat et a *strido* derivat; sed rectius a Gr. στρίγξ deducitur, quod a στρίζω pro τρίζω, strido. — Strix duo diversa significat.

I.) *Strix* ¶ 1. Est proprie avis nocturna, *strige, barbagianni:* quæ infantibus insidiari olim credita est, et a qua etiam nomen factum maleficis mulieribus, Italice *streghe* appellatis. De utrisque *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 95. (232). Fabulosum arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis jam antiquis strigem, convenit: sed quæ sit avium, constare non arbitror. *Festus p.* 314. 33. *Müll.* Strigem, ut ait Verrius, Græci στρίγγας appellant, quod maleficis mulieribus nomen inditum est: quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas veluti avertere Græci: Στρίγγ' ἀπόπεμπον, νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαοῦ Ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἔλαυνε. Ita *Scalig.* legit. *Tibull.* 1. 6. 16. e tectis strix violenta canat. *Petron. Sat.* 134. Quæ striges comederunt nervos tuos? *Propert.* 4. 5. 17. Consuluitque striges nostro de sanguine. *Id.* 3. 4. 29. Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ. *Seren. Sammon.* 59. 1044. Præterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsertis ubera labris. *Ovid.* notationem vocis e Latino deducit: atque ita poetice aves describit 6. *Fast.* 133. Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ: Canities pennis, unguibus hamus inest. Nocte volant puerosque petunt nutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris: Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus Causa, quod horrenda stridere nocte solent. *Alii leg.* horrendum stridere nocte: *alii* horrenda voce. *Plaut. Pseud. loc. cit.* Quum condiunt, non condimentis condiunt, sed strigibus, vivis convivis intestina quæ exedint. ¶ 2. *Strigem,* mulierem monstrosam et maleficam alia ratione describere videtur *Stat.* 1. *Theb.* a *v.* 597.

II.) *Strix* est etiam idem ac *stria.* V. STRIA.

STRŎBĬLUS, i, m. 2. στρόβιλος, nux pinea, ita dicta a Græca voce adlata, quæ a στροβέω, torqueo, quia tortuosa est et in verticem finiens, *pinocchio.* *Ulp. Dig.* 32. 53. *extr.* De pino etiam integri strobili ligni appellatione continebuntur. Adde *Pelagon. Veterin.* 28.

STRŎBUS, i, f. 2. ¶ 1. Est arbor in Carmania proveniens, quam petunt ad suffitus, perfusam vino palmeo accendentes: cujus odor redit a cameris ad solum jucundus, sed aggravans capita, citra dolorem tamen. Hoc somnum ægris quærunt. His commerciis Carrhas oppidum aperuerunt, quod est illis nundinarium. Hæc *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 40. (79). *Sillig.* leg. *stobrus.* ¶ 2. Est etiam nomen ladani. *Id. ibid.* 37. (74). *Sillig.* leg. *stobolon.*

STRŎFA et deriv. *V.* STROPHA et deriv.

STRŌMA, ătis, n. 3. στρῶμα, *materasso,* stratum, stragulum, culcita: a στρώννυμι, sterno.

I.) Proprie. *Capitolin. Ver.* 4. *sub fin.* Trahens cenam in noctem et in toro convivali condormiens, ita ut levatus cum stromatibus in cubiculum perferretur. Adde *Prob. App. p.* 196. 11. *Keil.*

II.) Translate *stromata* sunt libri variorum argumentorum; quod nos dicimus *miscellanee.* *Hieronym. Præf.* in *ep. ad Gal. de Origene.* Decimum stromatum suorum librum complevit.

STRŌMĂTEUS, i, m. 2. trisyllab. (στρωματεύς) *Stromateon* in genet. plur. apud *Hieronym. Ep.* 84. *n.* 3. — Stromateus, qui stromata consuit. Translate ¶ 1. Est qui varii argumenti librum scribit. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 1. Clemens Alexandrinus cognomento Stromateus. et *ibid.* 8. Clemens Alexandrinus presbyter, qui et Stromateus vocatur. *h. e.* T. Flavius Clemens Alexandrinus, qui vixit sæculo secundo exeunte et tertio ineunte a Chr. n. et librum scripsit plurima doctrina refertum, qui itidem στρωματεύς Græce dicitur. *V.* ONOM. ¶ 2. Est etiam liber varii argumenti. *Priscian.* 6. *p.* 696. *Putsch.* Mulciber Mulciberis et Mulcibris, ut Cæsellius in Stromateo docet. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 546. et 7. *p.* 581. Stromateus, opus varium.

STROMBUS, i, m. 2. στρόμβος, concha tortilis in mari: a στρόμβος, turbo, trochus, quod idem est ac στρόβιλος. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 39. (117). Strombi in aceto putrefacti lethargicos excitant odore. *Id. ibid.* 11. 53. (151). Scopini, strombus, solen sive aulos.

STRONGȲLA, æ, f. 1. στρογγύλη, imago in clipeo, expresso usque ad thoracem vultu, *busto.* *Tertull. Pall.* 4. *ante med. de Achille.* Aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum strongyla servat.

STRONGȲLE, es, f. 1. στρογγύλη, genus aluminis, de quo *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (187).

STRŎPHA, æ, *et* strophe, es, f. 1. (στροφή) Scribitur et *strofa* pro *stropha*, ut etiam *strofosus* pro *strophosus*, aspiratione sublata. — De quantitate prioris syllabæ Cf. STROPHOSUS. — Stropha Græce est versio, versūra, flexus, revolutio: a στρέφω, verto; speciatim vero apud Latinos est chori ad spectatores conversio eaque in hymnis deorum pars carminis, quæ canebatur in primo ambitu circum aras, ut in ANTISTROPHE dictum est.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 3. *ante med.* In ipsis quoque hymnis deorum per stropham et antistropham metra canoris versibus adhibebantur, ut per stropham rectus orbis stelliferi motus, per antistropham diversus vagarum regressus prædicaretur. *Mar. Victorin. p.* 2501. *Putsch.* Ex strophe et antistrophe et epodo. — De strophis multa commenti sunt nuperi quidam critici homines, qui non modo lyrica carmina, sed etiam (mirum sane) tragica singulari artificio descripserunt ita ut, versibus pro lubitu in modum strophæ distractis ac dimensis, Græcorum Latinorumque poetarum opera prope refingerent. Cf. *Madvig Adv. crit. etc. v.* 2. *p.* 110. *et seq.* ¶ 2. Speciatim *strophe heroica* dicitur quartus versus in ode saphica. *Diomed.* 3. *p.* 519. *Putsch.* Versu quarto recipit strophen heroicen tetrametron sic, dactylus spondeus: *More palæstræ.* ¶ 3. In illo *Vitruv.* 10, 8. *a med.* Remi circa scalmos strophis religati, quum manibus impelluntur et reducuntur *etc.* navem protrudunt. pro *strophis* legend. *struppis*, h. e. vinculis, *legami.* Fortasse est a *strophus*, quam voc. *V.*

II.) Translate est tergiversatio fraudulenta, excusatio dolosa, fallacia, per verba subdola, quibus quis, fallere aggressus, huc illuc se convertit, ut elabendi viam inveniat, dolus, *parole furbesche, pretesto, cavillo, coperta, frode. Phædr.* 1. 14. Verbosis acquisivit sibi famam strophis. *Seneca Ep.* 26. *circa med.* Non timide componor ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis, de me judicaturus sum. *Martial.* 11. 7. Jam certe stupido non dices, Paula, marito etc. Cæsar in Albanum jussit me mane venire, Cæsar Circejos. Jam stropha talis abit. *Plin.* 1. *Ep.* 18. *ad fin.* Ego aliquam stropham inveniam agamque causam tuam. *Tertull. Spect.* 29. Nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ, sed simplicitates. *Id. Anim.* 28. Talem commentus est stropham. *Id.* 3. *advers. Marcion.* 142. Quanto dignius necessitas fidem, quam stropham administrasset? *Prudent. Apotheos. proœm.* 37. Væ captiosis sycophantarum strophis! væ versipelli astutiæ! *Hieronym.* 3. *in Rufin. n.* 14. Hoc est, quod destruit strophas ingenioli tui. Adde *ibid. n.* 7. *V.* STROPHOSUS.

STRŎPHĀRĬUS *vel* strofarius, ii, m. 2. (stropha) impostor. *Gloss. Isid.* Strofarius, strofosus, impostor, fraudator. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 545. Stropharius, impostor.

STRŎPHE. *V.* STROPHA.

STRŎPHĬĀRĬUS, ii, m. 2. (strophium), qui strophia facit, στροφιοποιός. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 42. Strophiarii adstant, adstant semizonarii.

STRŎPHĬCUS, a, um, adject. (strophus) qui stropho laborat, strophosus. *Theod. Priscian.* 2. 9.

STRŎPHĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* strophium, parvum strophium. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 2. (3). Tenuioribus (*coronis*) utebantur antiqui, struppos (*al.* strophia) appellantes: unde nata strophiola. *Tertull. Cor. mil.* 15. Quid caput strophiolo aut dracontario damnas, diademati destinatum? Legitur et in *Not. Tir. p.* 158. Strophium, strophiolum.

STRŎPHĬUM, ii, n. 2. στρόφιον, universim est id, quod cingendo inservit; speciatim vero fascia brevis pectoralis, seu quæ virginalem tumorem cohibet papillarum, ut *Non. p.* 538. 7. *Merc.* definit, *fascia donnesca da seno.* ¶ 1. Stricto sensu. *Turpil.* apud *Non. loc. supra cit.* Me miseram! quid agam? Inter vias epistola cecidit mihi, infelix! inter tunicalam ac strophium, quam collocaveram. *Cic. ibid.* Quum strophio accurate præcingerere. *Varro ibid.* Suspendit Laribus marinis mollés pilas, reticula ac strophia. *Catull.* 64. 65. Non tereti strophio luctantes vincta papillas. Adde *Plaut. fragm.* apud *Non. loc. cit.* ¶ 2. Latiore sensu est fasciola, qua flores in serta nectuntur. *Festus* in *Stroppus p.* 313. 12. *Müll.* ¶ 3. Item sertum. *Virg. Cop.* 31. Eja age, pampinea fessus requiesce sub umbra, Et gravidum roseo necte caput strophio. — Hinc translate dixit de carmine dactylico *Prudent.* 3. *Cathemer.* 26. Sperne, Camena, leves hederas, Cingere tempora queis solita es: Sertaque mystica dactylico, Texere docta, liga strophio, Laude Dei redimita comas. ¶ 4. Item vinculum seu funis. *Apul.* 11. *Met.* Navis absoluta strophiis ancoralibus pelago redditur.

STRŎPHŌMA, ătis, n. 3. στρόφωμα, strophus. *Hieronym. in Isai.* 13. 8. Tunc strophomata, quæ nos torsiones ventris interpretati sumus, et dolores tenebant eos, similes dolores parturientium.

STRŎPHŌSUS, a, um, adject. De quantitate primæ syllabæ *V.* infra. — Strophosus duo diversa significat. ¶ 1. *Strophosus*, a *strophus*, est qui stropho laborat, strophicus. *Veget.* 3. *Veterin.* 57. Si equus strophosus erit etc. ¶ 2. *Strophosus*, a *stropha*, est subdolus, fraudulentus. *Venant.* 8. *carm.* 9. 17. Ne fur strophosus foveam detrudat in atram. Hic *Auct.* perperam produxit primam in *strophosus*. Legitur et in *Not. Tir. p.* 80. Stropha, strophosus. *V. Gloss. Isid.* in STROPHARIUS. *Auct. Quæst. gramm. Cod. Bern. p.* 186. *Hag.* Stropha versutia dolosa et fraudulenta, ut ait Althelmus: ne fur strophosus.

STRŎPHUS, i, m. 2. στρόφος. ¶ 1. Est funiculus e loro vel canabi aliave materia, lorum tortum. *Vitruv.* 10. 8. *a med.* ed. *Rose.* Remi circa scalmos strophis religati, quum manibus impelluntur et reducuntur, navem protrudunt. At *Klotzius, Georges*, alii leg. *struppis*, h. e. vinculis, apud nos vulgo *strope.* V. STRUPPUS. — Hinc translate pro fallacia, versutia. *V.* STROPHA. *Arnob.* Jun. *Conflict. de Deo* 2. 5. Novo stropho verborum ignem mihi vult invisibilem comprobare. ¶ 2. Est etiam morbus ventris, quum circa umbilicum intestina torquentur, ut ait *Cels.* 2. 7., ubi Græce usurpat, ut et *Scribon. Compos.* 121., *Fest.* in *Vermina p.* 375. 27. *Müll.* et *Plin. Valer.* 2. 22. *extr.* Latine autem *Pelagon. Veterin.* 2. *a med.*, *Veget.* 1. *Veterin.* 43. et 5. *ibid.* 57., *Apul. Herb.* 26. et *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 129. *med.* et *c.* 20. *p.* 115. *retro.*

STROPPUS. *V.* STRUPPUS.

STRŎPŬLUS pro crobylus perperam leg. *Salmas.* et *Rigalt.* apud *Tertull. De virg. vel.* 10. *V.* CROBYLUS.

STRUCTĒ, adverb. (structus) Comp. *Structius.* — Structe est cum apparatu, ornate.

I.) Proprie. *Tertull. Cult. fem.* 11. Quæ vobis causa est structius prodeundi? *Oehlerus* leg. *exstructius.*

II.) Metaphorice. *Fronto ad Verum* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. Historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide.

STRUCTĬLIS, e, adject. (struo) ¶ 1. Passive est, qui struendo seu componendo fit: ut *columna structilis*, quæ ex pluribus lapidibus structa est: cui *solida* opponitur. et *canalis structilis*, ex variis saxis aut lateribus et calce constructus, κατασκευαστός (It. *fatto di più pezzi, composto*; Fr. *composé, construit*; Hisp. *compuesto*; Germ. *aus mehreren Stücken zusammengefügt*; Angl. *built or made of several parts or pieces, constructed*). *Ascon.* in 3. *Verr.* 51. Hoc autem quum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetustis, ubi tumoris est aliquid, evenit. *Ulp. Dig.* 8. 5. 8. Super eum parietem columnas structiles impònere, quæ tectum porticus ambulatoriæ sustineant. *Vitruv.* 8. 7. Ductus aquæ fiunt rivis per canales structiles aut fistulis plumbeis aut tubulis fictilibus. *Id.* 5. 9 *a med.* Structiles cloacæ. *Colum.* 12. *R. R.* 50 *circa med.* Structile gemellar. *Id.* 11. *ibid.* 3 *sub init.* Vetustissimi auctores vivam sæpem structili prætulerunt. *h. e.* maceriæ. *Pompon. Dig.* 50. 16. 245. Statuæ adfixæ basibus structilibus. *Q. Mucius ibid.* 241. Quæ opere structili tectorioque non continentur. *Prudent. Hamartig.* 190. Viderat argillam, simulacrum et structile flatu Concaluisse Dei. *h. e.* manu factum. *Inscript.* apud *Gruter.* 711. 3. Pilæ structiles. ¶ 2. Active est ad struendum aptus, *buono a fabbricare. Martial.* 9. 76. Non silice duro structilive cæmento, Nec latere cocto Tucca balneum fecit, sed etc.

STRUCTĬO, ōnis, f. 3. (struo) actus struendi et rem aliam super aliam ordine componendi, κατασκευή (It. *struttura*; Fr. *construction, érection*; Hisp. *construcion, la fábrica, ereccion*; Germ. *die Zusammenfügung, Erbauung, Errichtung*; Angl. *a building, constructing*).

I.) Proprie. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 7. *n.* 16. (*Orell. n.* 4570.) Scalaris structio. *Pallad. Nov.* 22. 5. Lectas baccas condies, rutam et petroselinum sternes inter spatia structionis. *h. e.* inter strata olivarum: *tra l'una mano e l'altra*, paullo ante dixerat: Substrata lauro alternas crates baccarum sæpius ordinabis.

II.) Translate. *Firmic.* 8. *Mathes.* 9. Arma venatoribus parabunt, ut retia, venabula, sagittas et quidquid ad structionem ejus studii pertinet. *Tertull. Patient.* 3. *sub fin.* Ratio et structio fidei. Adde *Arnob.* 5. 15. *ex Cod. P. Al. leg.* instructio.

STRUCTOR, ōris, m. 3. (struo) universim qui struit, speciatim vero ¶ 1. Est faber muralis, architectus, *costruttore, muratore, architetto. Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 2. In aream tuam veni. res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. Adde 14. *Att.* 3., *Capitolin. Ver.* 5., *Lamprid. Elagab.* 27., *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6., *Imp. Constantin. Cod.* 10. 64. 1. et *Inscript.* apud *Gruter.* 106. 8., ubi *structorum collegium* memoratur. *Alia* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 233. c. IVLIVS SALVIVS STRVCTOR PARIETARIVS. Adde *aliam* apud *Murat.* 978. 3. — Hinc translate. *Apul. Florid. n.* 23. Quippe structor orationis hujus egomet, non e meo monte lapidem directim cæsum afferam, sed etc. ¶ 2. Dicitur etiam de eo, qui convivium curat, fercula docte disponit et mensam exstruit, cibos carpit, *scalco, siniscalco, trinciante*, τραπεζοποιός. *Serv.* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 707. quibus ordine longo Cura penum struere etc. ordinare, componere: unde et structores dicuntur ferculorum compositores. *Petron. Sat.* 35. Repositorium rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, supra quæ proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum, super Taurum bubulæ frustum etc. *Martial.* 10. 48. Et, quæ non egeant ferro structoris, ofellæ. *Juvenal.* 5. 120. Structorem interea, ne qua indignatio desit, Saltantem spectes et chironomonta volanti Cultello. Adde 11. 136. ¶ 3. *Structor capillaturæ*, qui struit et ordine componit comam, *parrucchiere. Tertull. Cult. fem.* 2.

STRUCTŌRĬUS, a, um, adject. (structor) ad structorem pertinens. *Tertull. Apolog.* 14. Neptunus structorias operas Laomedonti locat. *da muratore.*

STRUCTŪRA, æ, f. 1. (struo) ordinata multarum rerum compositio, constructio, ordo, κατασκευή (It. *fabbrica, costruzione, tessitura, struttura*; Fr. *structure, organisation*; Hisp. *estructura, ordenamiento, composicion*; Germ. *die ordentliche Zusammenfügung, die Ordnung*; Angl. *construction, texture, arrangement*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstractorum more — *a*) Generatim. *Cels.* 8. 1. *a med.* Ossa in manu oblonga omnia et triangula structura quadam inter se connectuntur, quum invicem superior alterius planities sit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 34. (112). Structura membranarum (*mali Puni-*

α) quædam, ut in favis, communis. *Lucan.* 6. 64. Prima quidem surgens operum structura fefellit Pompejum. *h. e.* fossæ et valli, quo circumvallabatur. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. Hortensius quum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de injuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obvius offensu fortuito structuram togæ destruxerat. *h. e.* aptam togæ dispositionem corpori applicitæ, rugis de industria compositis et sinu apte fluente. — *b)* Speciatim sæpe dicitur de ratione ædificandi, *fabbrica*, τοιχοδομία, quæ quidem multiplex fuit, scil. *reticulata*, *cæmenticia* (*antiqua* vel *incerta*), *isodomos*, *pseudisodomos*, *emplecton*, *diatoichon*. V. singula suis loc. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* In structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit, cui applicari et in quo possit insistere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 49. (169). Silex globosus contra injurias fortis, sed ad structuram infidelis. *et ibid.* 51. (172). Reticulata structura, qua frequentissime Romæ struunt, rimis opportuna est. *Liv.* 21. 11. *a med.* Cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Adde *Vitruv.* 2. 8. ¶ 2. Concreto, ut ajunt sensu, aut metonymice, est moles structa. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 50. (170). Quæ læsa fuerint, in subterranea structura aptantur utilius. *Frontin. Aquæd.* 123. Ut ex humore structura combibat et in unitate corroboretur. — In plur. num. *Vitruv.* 5. 12. Erit ex una parte statio: tunc ex altera parte structuris sive aggeribus expediantur progressus. Eæ autem structuræ, quæ in aqua sunt futuræ, videntur sic esse faciendæ etc.

II.) Translate. ¶ 1. Est apta compositio verborum in dicendo. *Cic. Brut.* 8. 33. Ante hunc (*Isocratem*) verborum quasi structura et quædam ad numerum conclusio nulla erat. *Id. Orat.* 44. 149. Ut fiat quasi structura quædam, nec tamen fiat operose. *Id. opt. gen. Orat.* 2. 5. Sed et verborum est structura quædam, duas res efficiens, numerum et lenitatem. *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 3. Unde saluteris, color hic tibi protinus index Et structura mei carminis esse potest: Non quia mirifica est; sed quod nec publica certe etc. Adde *Quintil.* 8. 5. *a med.* et *ibid.* 6. *ad fin.* ¶ 2. Etiam in sententiis disponendis sua structura est. nam, ut ait *Cic. opt. gen. Orat.* 2., et sententiæ suam compositionem habent et ad probandam rem accommodatum ordinem. *Auct. dial. de Orat.* 22. *sub fin.* Nullum sit verbum velut rubigine infectum: nulli sensus tarda et inerti structura, in morem Annalium, componantur.

STRUCTUS, a, um, particip. *V.* STRUO. — *NB.* De cogn. R. *V.* ONOM.

STRUCTUS, us, m. 4. (struo) strues. *Arnob.* 7. *p.* 222. Lignorum structibus incensis. Alii tamen aliter leg. *V.* STRUIX. Sed usum vocis confirmat *Apul.* 11. *Met.* Structu pompæ decori. *h. e.* apparatu.

STRŬENS, entis, particip. *V.* STRUO.

STRŬES, strŭis, f. 3. (struo) *Strus* pro *strues* quosdam efferre voluisse testatur *Varro* 9. *L. L.* 79. *Müll.* — Strues est acervus, congeries rerum, quarum aliæ super alias cumulatæ sunt, Ѳεσμός, Ѳῆμων, σωρός (It. *catasta*, *mucchio*, *stipa*, *monte*; Fr. *amas*, *tas*, *monceau*; Hisp. *monton*, *congerie*; Germ. *ein Haufen zusammen gelegter od. über einander liegender Dinge*; Angl. *a heap or pile of many things together*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (51). Strues uvarum. *Liv.* 44. 41. Milites Macedones confusa strue implicantur. *h. e.* sub phalangis forma instructi. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 40. Armaque cum telis in strue mixta suis. *Petron. Sat.* 123. passim turmæque virique Armaque congesta strue deplorata jacebant. *Liv.* 23. 5. et *Tac.* 2. *Hist.* 70. et 3. *ibid.* 83. Strues corporum. *monti di cadaveri.* Sic *Seneca Œdip.* 33. Inter deflenda lacrimis funera et populi struem, incolumis adsto. ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur de congerie lignorum. *Liv.* 21. 37. Arboribus circa immanibus dejectis, struem ingentem lignorum faciunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (53). Resina cocta struis congerie, velut in carbonis usu. *Arnob.* 7. *p.* 222. Lignorum struibus incensis. *Alii leg.* struicibus; *alii* structibus. *V.* STRUCTUS, us. — Jungitur verb. plur. num., ut collectivum nomen. *Cenotaph. Pis. L. Cæs. a med.* Uti locus ante eam aram, quo ea strues congerantur, componantur, pateat quoquoversus pedes XL. *Strues* hic non libum, sed lignorum congeriem significat. ¶ 3. Item de rogo. *Seneca Phœniss.* 112. Erectam ad ignes funebrem ascendam struem. *Lucan.* 8. 757. nulla strue membra recumbunt. *Tac. Germ.* 27. Struem rogi vestibus et odoribus cumulare. ¶ 4. Item in re sacra. *Festus p.* 310. 25. *Müll.* Strues genera liborum sunt, digitorum conjunctorum non dissimilia, qui superjecta panicula in transversum continentur. *Paul. Diac.* ex eod. in *Ferctum p.* 85. *ibid.* Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi. quæ qui afferebant, struferctarii appellabantur. *Ovid.* 1. *Fast.* 276. Hæc adolet flammis cum strue farra (*lege* ferta) suis. *Cato R. R.* 134. Priusquam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor. *et infra.* Ob struem obmovendam et fertum libandum. *et ibid.* 141. Item cultro facito struem et fertum uti adsiet. *Inscript.* apud *Gruter.* 121. *lin.* 23. IMMOLAVIT PORCAM ET AGNAM STRVIBVS FERTIS etc. Est qui leg. *struibus et fertis*, ex illo *Festi* (in voce sequenti): Sacrificia quædam strue et ferto sollemnibus verbis facit. ¶ 5. Item pro structura. *Tertull. advers. Valentin.* 15. Discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, unde materiam, quam innatam volunt, et originem et substantiam traxerit in omnem hanc struem mundi. *Inscript.* apud *Orell. n.* 4374. IN HOC MONVMENTO ITVS ADITVS AMBITVS LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS OMNIB. PATEAT H... ES... RVEM DATO AD SACRIFICIA FACIENDA. h. e. *heres struem.* Ita *Orellius.* Cf. *Marini*, *Pap. dipl. p.* 331. qui legendas monet has litteras: *heres clavem.* ¶ 6. Funiculum significare videtur in illo *Terentian. præf.* 16. Nervis mollibus invicem Junctis in teretem struem, Ceu Parthus solet aut Scythes Arcus cornibus extimis Levem nectere lineam, Tales assidue ligat, Dum sit funiculi modus.

II.) Translate. *Fronto de eloqu.* 1. Ne frustra neve temere verborum strues acerventur.

STRUFERCTĀRĬUS vel

STRUFERTĀRĬUS, ii, m. 2. Ita appellabant antiqui hominem conductum mercede, qui ad arbores fulguritas aut piacularium commissarum causa, sacrificia quædam strue et ferto sollemnibus verbis facit: Precor te, Juppiter, ut mihi volens propitius sies. quod et nullo etiam fiebat adhibito strufertario. *Festus p.* 294. 5. *Müll.* Adde *Paul. Diac. loc. cit.* in voc. præc.

STRŬIX, Icis, f. 3. (struo) strues, cumulus, exstructio, κατασκευή.

I.) Proprie. *Festus p.* 310. 29. *Müll.* Struices antiqui dicebant exstructiones omnium rerum. Plaut. (*Men.* 1. 1. 25.) Ceriales cenas dat: ita mensas exstruit: Tantas struices concinnat patinarias. Et Livius: Per struices saxeas lapsu accidit. Hæc *Festus*. Verborum autem *Plauti* sententia est, cenas illum opiparas dare, mensas cumulando ferculis plurimis et quasi alte patinis exstruendo. subdit enim *v.* 27. Standum est in lecto, si quid de summo petas. *Solin.* 28. Salibus domos exstruunt, quos in modum cautium e montibus excitatos, ad usum ædium cæmenticiis nectunt struicibus. *Arnob.* 7. *p.* 222. Lignorum struicibus incensis. Sed *V.* STRUCTUS, us.

II.) Translate. *Nævius* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 267. Struix malorum, *mali a ribocco*, *a diluvio.*

STRŪMA, æ, f. 1. (struo) tumor morbosus, χοιράς (It. *scrofola*; Fr. *goître*, *scrofules*; Hisp. *lamparones*; Germ. *die Halsdrüse*, *Skrophel*; Angl. *a struma*, *scrofula*).

I.) Proprie. *Cels.* 5. 28. *n.* 7. Struma quoque est tumor, in quo subter concretæ quædam ex pure et sanguine quasi glandulæ oriuntur, quæ febres movent, nec unquam facile maturescunt: quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent. Nascuntur maxime in cervice: sed et in alis et inguinibus et in lateribus. *Id.* 1. 9. *in fin.* Frigida aqua strumas excitat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). Sues, obnoxium genus morbis, anginæ maxime et strumæ. *Id.* 22. *ibid.* 14. 16. (38). Foliis urticæ strumas discuti: vel, si suppuraverint, erodi complerique. *Id.* 26. *ibid.* 5. 14. (26). Strumas comprimere. *Id.* 24. *ibid.* 15. 89. (140). ad suppurationem perducere. *Id.* 32. *ibid.* 8. 28. (88). sanare. *Vitruv.* 8. 3. Strumarum tumores minuere. Adde *Marcell. Empir.* c. 17. *p.* 111.

II.) Allegorice. *Cic.* 2. *Att.* 9. *a med.* Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. *h. e.* turpitudinem vitæ ejus operiant et honestent honore augurali. *Id. Sext.* 65. 135. Hi medentur reipublicæ, qui exsecant pestem aliquam, tamquam strumam civitatis. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

STRŪMĀTĬCUS, a, um, adject. (struma) idem ac strumosus. *Firmic.* 8. *Mathes.* 19. *ad fin.* Vicesima tertia pars Arietis si in horoscopo fuerit inventa, strumaticum faciet.

STRŪMĔA, æ, f. 1. (struma) ranunculus, herba ita dicta ab herbariis nostris, inquit *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 119. (174). quoniam medetur strumis et panis, parte in fumo suspensa. *Sillig.* leg. *strumus.* V. hanc voc. *Apul. Herb.* 8. vocari ait Latinis herbam sceleratam: quia comesa maligni est effectus, noxia et mortifera, inquit *Humelbergius.*

STRŪMELLA, æ, f. 1. *deminut. a* struma, parva struma, *scrofoletta*. *Marcell. Empir.* 15. *ante med.*

STRŪMENTUM, i, n. 2. (struo) idem quod instrumentum. *Tertull.* 1. *ad Uxor.* 7. Continentia ad strumentum æternitatis demonstrata. *Sciopp.* legit *instrumentum*. At nihil mutandum, nam *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Syll.* 14. in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 267. ab *A. Maio* ed. Quæ ad strumentum fidei necessaria sunt, adscribit. Adde *Apul.* 8. *Met.*, ubi tamen alii rectius leg. *stramentis.*

STRŪMŌSUS, a, um, adject. (struma) qui strumis laborat, χοιραδώδης (It. *chi patisce di scrofole*, *scrofoloso*; Fr. *scrofuleux*; Hisp. *que tiene lamparones*; Germ. *mit angeschwollenen Drüsen behaftet*; Angl. *scrofulous*). *Colum.* 7. *R. R.* 10. Subus strumosis sub lingua sanguis mittendus est. *Juvenal.* 10. 308. Nec prætextatum rapuit Nero loripedem vel Strumosum atque utero pariter gibboque tumentem. Adde *Marcell. Empir.* c. 15. *p.* 106. *retro*, et *Schol. Bob.* ad *Cic. Sext.* 65. 135. (et apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 160.) Strumosa facies.

STRŪMUS, i, m. 2. (struma) ¶ 1. Est idem ac ranunculus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 119. (174). *Sillig.* Nostri herbarii strumum eam (*ranunculum*) vocant, quoniam medetur strumis. ¶ 2. Est etiam idem ac strychnos et cuculus acinos habens nigros: utilis ad strumas. *Id.* 27. *ibid.* 8. 44. (68). Adde *Apul. Herb.* 74. et *Marcell. Empir.* c. 2. *p.* 89. *retro.*

STRŬO, strŭis, struxi, structum, strŭere, a. 3. Videtur esse ab eadem radice, a qua derivatur *sterno*; minus probabiliter *Voss.* putat esse syncopen a στερσόω, stabilem reddo. — Part. *Struens* sub *A* I. 3.; II. 2.; *Structus* fere in omnib. paragr.; *Struendus* sub *A* I. 6. — Struo quattuor præcipue significat.

A) *Struo* proprie est stratis strata impono: hinc rem aliam super aliam compono, exstruo, construo, κατασκευάζω (It. *ammassare*, *accatastare*, *ammontare*, *accumulare*; Fr. *réunir plusieurs parties*, *élever entassant couche sur couche*, *assembler*; Hisp. *acumular*, *amontanar*; Germ. *schichtenweise über od. neben einander legen*; Angl. *to pile up*, *raise or cast up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Lateres super musculum struere. *Cic. Senect.* 15. 51. Fundit frugem spici, ordine structam et contra avium minorum morsus munitur vallo

aristarum. Ovid. 9. Met. 230. Arboribus cæsis etc. Inque pyram structis. et 1. ibid. 677. pastor structis cantat avenis. h. e. ordine compactis. Id. 1. ibid. 153. Altaque congestos struxisse ad sidera montes. Seneca Agam. 335. quum montes montibus altis Superimpositi, struxere gradus Trucibus monstris. — Hinc translate. Quintil. 1. 5. 67. Ex præpositione et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius: Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus. h. e. componere ex duobus aut pluribus vocabulis. ¶ 2. Speciatim est exstruo, construo, apte compono, ædifico, erigo, molior. — a) Absolute. Plin. 36. Hist. nat. 22. 51. (172). Reticulata structura, qua frequentissime Romæ struunt, rimis opportuna est. Id. 11. ibid. 10. 10. (22). Aliæ apes struunt, aliæ poliunt. — b) Cum Accusativo aut passive. Cato R. R. 38. Lateribus summam fornacem calcariam struito aut cæmentis. Enn. apud Cic. 1. Tusc. 16. 37. Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus. Cæs. 2. B. C. 10. Fastigatus atque ordinatim structus. Hirt. 8. B. G. 41. Vineas agere et aggeres struere cœpit. Tac. 5. Hist. 13. extr. Struere cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis. Val. Flacc. 5. 295. Struere navem. Horat. 1. Sat. 1. 35. acervum. Id. 2. Od. 18. 19. domos. Capitolin. Macrin. 12. ad fin. Vivos homines parietibus inclusit et struxit. h. e. inædificavit. Martial. 8. 6. muros struxit Apollo lyra. Id. 10. 97. Dum levis arsura struitur Libitina papyro. h. e. rogus. Lucan. 3. 240. et Virg. 11. Æn. 204. Innumeras struxere pyras. Tac. 2. Ann. 22. Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo. h. e. tropæum. Propert. 4. 3. 20. Et struxit querulas rauca per ossa tubas. h. e. compactis ossibus tubas composuit. Claudian. 2. in Eutrop. 185. Inque orbem tereti mitra redimecte capillum Struxerat. h. e. in tutulum composuerat: quod dixit Juvenal. 6. 502. altum ædificare caput. Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 216. et Gigantom. 123. Struere torum. h. e. culcitis et pulvillis et multa stragula veste alte componere. Sic Lucan. 9. 841. congestæ struxere cubilia frondes Et culmis crevere tori. Virg. 1. Æn. 704. et Sil. It. 11. 279. Struere penum. h. e. magnam ciborum copiam parare in cenam. Cf. Senec. Thyest. 148. Struere mensam hospitibus. h. e. ferculis instruere, cumulare. (Eod. sensu dixit Virg. 5. Æn. 54. struere altaria donis.) et Tac. 15. Ann. 37. convivia. Plin. 31. Hist. nat. 3. 24. (41). Aqua fornicibus structis perducta. Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 211. herbis Pallentes thalamos et structa cubilia musco. h. e. strata, fulta, farta. Virg. 3. Æn. 84. templa saxo structa vetusto. et 5. ibid. 811. Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ. Sic 4. ibid. 680. His etiam strui (rogum) manibus patriosque vocavi Voce deos. Vitruv. 2. 8. ante med. Domos regias e latere structas licet videre. Ovid. Heroid. 21. 99. structam de cornibus aram. Id. 3. Pont. 2. 32. et Sil. It. 2. 599. Structi rogi. Seneca Herc. Fur. 1216. structum acervans nemore congesto aggerem. Tibull. 4. 1. 133. additus aris Lætior eluxit structos super ignis acervos. h. e. tus et odores cumulatos. Sil. It. 4. 746. de Apennino. Canus apex structa surgebat ad astra pruina. ammontata. Est qui leg. stricta. — Hinc Part. præter. pass. absolute, apud Lucret. 4. 361. Structa saxorum. h. e. saxa structa, parietes, muri. Cf. STRATUS, a, um. ¶ 3. Est etiam adjicio, augeo. Fest. p. 310. 35. et 313. 1. Müll. Struere antiqui dicebant pro adjicere, augere, unde industrios quoque. M. Cato: «jure, lege, libertate, rep. communiter uti oportebat: gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxit. Sic Paul. Diac. ex eod. p. 311. ibid. Struere antiqui dicebant pro augere, unde instruere. — Huc fortasse spectat locus Corippi Laud. Justin. 1. 308. V. Interpretes. ¶ 4. Struere rem, divitias comparare, augere rem familiarem, far roba, accumular ricchezze. Pers. 2. 44. Rem struere exoptas cæso bove Mercuriumque Arcessis fibra. (Huc pertinet, quod ait Festus loc. cit. sub B.) Petron. Sat. 120. a med. Ipsa suas vires odit Romana juventus, Et quas struxit opes, male sustinet. ¶ 5. Struere telam, texere. Apul. 6. Met. Textrices anus telam struentes. Pro intexere est etiam illud Val. Flacc. 1. 428. gemina mater spectabile tela Duxit opus: bis Taygeton silvasque comantes Struxerat. h. e. ita intexuerat, ut et montis et nemorum altitudinem exprimeret. ¶ 6. Struere viam, munire, aperire, facere. Seneca Thyest. 810. Numquid struitur via Phlegræos Alta per hostes? Alii leg. vim. Propert. 3. 16. 4. Herculeo structa labore via. h. e. silice munita. Hinc translate. Tac. 3. Hist. 49. Viam sibi ad potentiam struere. ¶ 7. Pro parare, comparare. Apul. 4. Met. sub fin. Feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur. — Id. 11. ibid. sub fin. Siquam rem voluptati struendæ moliveris. ¶ 8. Significat etiam ordine disponere, ordinare, instruere. — a) In re militari. Cæs. 3. B. C. 37. Struere copias. Liv. 42. 51. Castra ante urbem ponit omnesque armatos in campo struxit. Madvig vult reponi instruxit; acies enim strui dici potest, milites tantum instrui. et 31. 9. Acies manipulatim structa. Sic Auct. Paneg. ad Constantin. 6. Acies in cunei modum structa. Adde Virg. 9. Æn. 42. — Liv. 9. 31. a med. Jam sine præcepto ullius sua sponte struebatur acies. — b) Extra rem militarem. Sueton. Cæs. 56. a med. Siqua occultius perferenda essent, per notas scripsit, id est sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad orationem. Cic. 3. Orat. 43. 171. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lævis. Prob. Valer. apud Gell. 13. 20. Si aut versum pangis aut orationem solutam struis. Rursum Cic. Orat. 70. 232. Compositi oratoris bene structam collocationem dissolvere. Id. ibid. 41. 140. Sed hæc, nisi collocata et quasi structa et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt. Id. 7. 10. 7. Proxima subnectens struxerit orationem. Adde Quintil. 10. 7. 8. et Apul. Apolog. Ovid. 2. Pont. 5. 19. structos inter fera prœlia versus. et 4. ibid. 13. 20. Structaque sunt nostris barbara verba modis. ¶ 2. Sæpe est machinari, moliri, parare, macchinare, appostare: et fere in malam partem: quod Ter. fabricam fingere, Heaut. 3. 2. 34. dixit. — a) Cum Acc. rei. Id. ibid. 3. Num me fefellit, hosce id struere? Virg. 2. Æn. 59. qui se ignotum venientibus ultro, Hoc ipsum ut strueret Trojamque aperiret Achivis, Obtulerat. Cic. Cluent. 64. 178. Struere et moliri cuipiam aliquid calamitatis. Id. 5. Att. 21. ante med. Struere alicui sollicitudinem. Id. 2. Orat. 51. a med. odium in alios et a nobis demovere. Seneca Ep. 10. pericula alicui. Liv. 23. 17. a med. et Ovid. 1. Met. 198. et Tac. 2. Ann. 65. in fin. insidias. tramare. et Plaut. Asin. 1. 1. 57. sycophantias. Liv. 23. 34. mendacium. Id. 2. 3. ad fin. clam consilia recuperandi regni. Seneca Hippol. 502. fraudes feris. Id. Herc. Œt. 1468. dolos. Martial. 9. 71. sacrilegum nefas. Tac. 4. Ann. 10. extr. mortem alicui. Id. 2. ibid. 42. Amoliri juvenem specie honoris statuit: struxitque causas aut sorte oblatas arripuit. finse, trovò i pretesti. — b) Interdum cum Acc. personæ. Id. 11. ibid. 12. Struere crimina et accusatores. et 4. ibid. 67. ad fin. Ultro struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus etc. h. e. subornabantur. — c) Absolute. Virg. 4. Æn. 235. Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur? Tac. 1. Ann. 13. Omnesque variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. ¶ 3. Est etiam condere, decernere, animo suo proponere, parare, disponere. Val. Flacc. 1. 535. Juppiter loquitur. quum varios struerem per sæcula reges. Id. 3. 617. Scythicis struerem quum funera terris. Id. 6. 728. Struere pugnas.

B) Struo est etiam obstruo, obturo, turare, chiudere. Arnob. 3. p. 125. Aures habere structas.

C) Struo pro destruo, apud Tac. 14. Ann. 21. Quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur. Döderlein, Syn. v. 2. p. 95. et 122. contulit Lat. populari et Germ. köpfen, quibus adde moliri, eod. modo usurpata. Alii tamen leg. destrueretur.

D) Struo pro moveo, ut Struere pedem in XII. Tab. Fest. p. 313. 6. Müll. Pedem struere alii putant significare, retrorsum ire; alii in aliam partem; alii fugere; alii gradum augere; alii minuere unum quis vix pedem pedi præfert, otiose it, remoratur. Id. in Pedem p. 210. 26. Pedem struit, in duodecim significat, fugit, ut ait Ser. Sulpicius.

STRUPPEARĬA. V voc. seq.

STRUPPUS vel stroppus, i, m. 2. (στρόφος) vinculum. ¶ 1. Generatim. Gracchus apud Gell. 10. 3. ante med. Struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit. Alii leg. stuppis aut stupis, h. e. stuppeis funibus: alii strophiis, alii stroppis. ¶ 2. Speciatim de vinculis ex loro vel lino factis, quibus remi ad scalmos alligantur, ut docet Isid. 19. Orig. 4. 9. (V. Vitruv. loc. cit. in STROPHUS.) Liv. ibid. Tunc remos jussit religare struppis. (Cf. Guglielmotti, Di due navi Rom. p. 34. et 36. ed. II.) ¶ 3. Item priscis Latinis fuit fascia, tænia, corona: corrupta voce a στρόφιον, strophium. Festus p. 313. 12. Müll. Stroppus est, ut Atejus Philologus existimat, quod Græce στρόφιον vocatur, et quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt aut quod pro corona insigne in caput imponatur: quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Struppearia, quia coronati ambulent: et a Tusculanis, quod in pulvinari imponatur Castoris, struppum vocari. Plin. 21. Hist. nat. 2. 2. (3). Tenuioribus (coronis) utebantur antiqui, stroppos (al. strophia) appellantes: unde nata strophiola. Similiter Fest. p. 347. 34. Müll. Struppi vocantur in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponuntur. Cf. Paul. Diac. ex eod. in Capita p. 64. 5. Capita deorum appellabantur fasciculi facti de verbenis.

STRŪTHĒUS vel struthius, a, um, adject. (στρούθιος) Pænultimam syllabam alii longam faciunt ex eo quod Græce non στρούθιος, sed στρούθειος dicatur. (V. H. Steph. in Thes. L. Gr. ad h. v. ed. Didot). — Strutheus est ad passerem, Græce στρουθός, pertinens. Hinc strutheum malum, στρούθιον μῆλον, στρουθιόμηλον, ob magnitudinem dictum cotoneorum malorum genus, sed odoratius vibrans et serotino proventu, ut Plin. 15. Hist. nat. 11. 10. (38). docet. Cato R. R. 7. Poma, mala struthea, cotonea, scantiana. Plaut. Pers. 1. 3. 7. Commisce mulsum, struthea coluteaque appara. Colum. 5. R. R. 10. ad fin. Cydonia, quorum genera sunt tria, struthia, chrysomeliana, mustea. — Hinc

Strutheus (struthius), i, m. 2. absolute, substantivorum more, membrum virile. Fest. p. 313. 23. Müll. Strutheum in mimis præcipue vocant obscenam partem virilem, a salacitate videlicet passeris, qui Græce struthos (al. στρουθός) dicitur. Unde et passer Latine eod. sensu aliquando positum est. V. PASSER.

STRUTHEUS, 1. V. voc. præced.

STRŪTHĬO, ōnis, m. 3. (στρουθίων) Scribitur et strutio, sine aspiratione, in Codd. Scriptt. Hist. Aug.; et etiam strucio, teste Schuch ad Apic. 6. 1. § 212. — Struthio est avis peregrina, passer marinus Latina appellatione dicta (Græce namque est a στρουθός, passer), omnium grandissima et pæne bestiarum generis, in Africa et Æthiopia, altitudinem equitis equo insidentis excedens et celeritatem vincens, ad hoc datis pennis, ut currentem adjuvent: cetero non est volucris, nec a terra tollitur. Ungulæ ei cervinis similes, quibus dimicat, bisulcæ et comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerit pedibus. Concoquendi sine delectu devorata mira natura; sed non minus stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, quum colla frutice occultaverit, latere se existimans. Plurima ova parit, eaque amplitudine, ut eorum

putamina poculorum vicem præbeant. Sola alitum, ut homo, utrinque palpebras habet, et in senecta calvet. Hæc ex Claudian. 2. in Eutrop. 310. Plin. 10. Hist. nat. 1. 1. (2). et ibid. 22. 29. (56). et 11. ibid. 37. 47. (130). et 56. (155). et 28. ibid. 6. 18. (66). (et Petron. Sat. 137.), qui semper struthiocamelum vocat. (V. banc voc) et ex Tertull. Virg. veland. 17. a med., qui bestiam altegradiam vocat. Græce est στρουθίων (It. struzzo; Fr. autruche; Hisp. avestruz; Germ. der Vogel Strauss; Angl. an ostrich). Capitolin. Gordian. 3. in fin. In qua pictura continentur cervi CC., equi feri XXX., struthiones Mauri miniati CCC. etc. Vopisc. Firm. 6. Firmum et elephantum rexisse et hippopotamo sedisse et sedentem ingentibus struthionibus vectum esse et quasi volitasse. — In illo Catull. 66. 54. Unigena impellens nutantibus aera pennis Obtulit Arsinoes ales equus (Lachmannus leg. equos). ales equus aliis est struthio, aliis vero Zephyrus, de quo V. Visc. Iconogr. Gr. T. 3. p. 322. et Monti Cav. d'Arsin. p. 10. — Apud Græcos, ut testatur Athen. 4. 7., et etiam apud Latinos, struthionis usus erat in cenis. Lamprid. Elagab. 30. Sexcentorum struthionum capita una cena multis exhibuit ad edenda cerebella. Adde Apic. 6. 1. — Est porro struthio stoliditatis crudelitatisque quasi symbolum, quia ova sua deserit et, perinde ac sua non sint, negligit fovendaque soli relinquit, adeo exposita, ut pedibus hominum aut ferarum conterantur; ad pullos autem ita obduratur ac si eos non peperisset, ut docet Job 39. 14. et seq. et Ælian. l. 4. c. 37. V. Plin. loc. cit. Hinc Vulgat. interpr. Jer. Thr. 4. 3. Filia populi mei crudelis quasi struthio. V. tamen Calmet ad h. l. — Apud Job 30. 29. Frater fui draconum et socius struthionum. h. e. imitatus sum struthionum plangorem et ejulatum. Cf. Mich. 1. 8.

STRŪTHĬŎCĂMĒLĪNUS. V. STRUTHOCAMELINUS.

STRŪTHĬŎCĂMĒLUS. V. STRUTHOCAMELUS.

STRŪTHĬON, ĭi, n. 2. στρουθίον, genus herbæ, de qua in LANARIUS et RADICULA dictum est. (Saponaria officinalis Linn.) Cels. 5. 18. n. 2. et ibid. 22. n. 8. Plin. 19. Hist. nat. 3. 18. (48). et 24. ibid. 11. 58. (96).

STRŪTHĬŌNĪNUS, a, um, adject. (struthio) ad struthionem pertinens. Plin. Valerian. 2. 30. Adeps struthioninus.

STRŪTHĬUS. V. STRUTHEUS.

STRŪTHŎCĂMĒLĪNUS (struthiocamelinus), a, um, adject. (struthocamelus) ad struthocamelum pertinens. Plin. 29. Hist. nat. 5. 31. (96). Et sevum struthocamelinum venisse sestertiis XXX.

STRŪTHŎCĂMĒLUS (struthiocamelus), i, m. et f. 2. στρουθοκάμηλος, idem ac struthio: a στρουθός, passer et struthio (V. PASSER) et κάμηλος, camelus, ob magnitudinem et formam. Petron. Sat. 137. Rogo, inquam, noli clamare: ego tibi pro ansere struthiocamelum reddam. Adde Plin. loc. cit. in STRUTHIO.

STRŪTHŎPUS, pŏdis, comm. gen. 3. στρουθόπους, qui pedes habet similes passeris vel struthionis. Plin. 7. Hist. nat. 2. 2. (24). In meridianis Indiæ viris plantas esse cubitales, feminis adeo parvas, ut struthopodes appellentur.

STRŪTHOS, i, m. 2. στρουθός, passer. Fest. loc. cit. in STRUTHEUS, ubi Müllerus Latine legit.

STRŪTĬO. V. STRUTHIO.

STRYCHNON (strychnum), i, n. vel

STRYCHNOS, i, m. 2. στρύχνος vel στρύχνον, herba eadem, quæ et strumus et cuculus dicitur, Plin. 27. Hist. nat. 8. 44. (68)., usitatius vero strychnos, 21. ibid. 31. 105. (177). — Nomina, species et virtutes strychni videsis apud Apul. Herb. 74.

STUC pro Istuc. V. STA.

STŬDENS, entis, particip. V. voc. seq.

STŬDĔO, stŭdes, stŭdŭi, stŭdere, 2. — a) Etiam forma studio, is, ivi, ire videtur in usu fuisse. Sane studiri habet Auct. De limitib. p. 359. 17. Lachm.-Rud. Maritimus limes frequentius solet recte studiri. — Item studivi, pro studui, usurpatum est a M. Aurel. ad Fronton. ad M. Cæs. (edente iterum A. Maio) ep. 5. Ego hodie ab hora nona noctis in secundam diei, bene disposito cibo, studivi. — b) Ad notationem quod attinet, etymologi plerique omnes vocem derivant a Skr. spud, unde et Gr. σπεύδω et σπουδέω, σπουδάζω, propero, festino, mutatâ litterâ p in t. Cf. stadium et spatium. V. Curtium Grundz. etc. p. 687. et Döderlein ad h. v., qui etiam a σταθεύω, ardeo, deduci posse putat. — Part. Studens in fin. — Studeo est igitur, proprie, festino, σπεύδω (It. affrettarsi; Fr. se dépêcher, se hâter, se presser; Hisp. apresurarse; Germ. eilen; Angl. to hasten): occurrit autem

I.) Neutrorum more. ¶ 1. Generatim. Nepos Chabr. 4. Dum primus studet portum intrare. ¶ 2. Speciatim et sæpius est curam, diligentiam, conatum in aliqua re pono, operam do, animum adjungo, de re quapiam habenda laboro, curo, enitor, attendere, applicare, procurare, aver cura, studiarsi, dilettarsi, σπουδέω, σπουδάζω, ἐπιτηδεύω, φροντίζω. — a) Cum Genetivb. Accius apud Cic. 3. Nat. D. 29. 72. Qui te nec amet nec studeat tui. abbia cura. — b) Cum Dativo. Plaut. Asin. 5. 2. 17. Is apud scortum corruptelæ et liberis lustris studet. Id. ibid. 1. 3. 30. Studere illi rei. Id. Pseud. 1. 2. 42. somno. Id. Pers. 3. 1. 9. escis alienis. h. e. parasitari. Id. Truc. 2. 5. 7. vitæ alicujus. h. e. dare operam, ut vivat. Cæs. 3. B. G. 10. et 4. ibid. 5. rebus novis. Id. 6. ibid. 20. labori et duritiei. et ibid. 21. et 28. agriculturæ. et 7. ibid. 28. prædæ. et ibid. 4. ad fin. equitatui. et 3. ibid. 10. libertati. et 6. ibid. 13. memoriæ. et ibid. 20. sacrificiis. et 3. B. C. 79. celeritati. Cic. 1. Fin. 18. a med. Sero sentiunt, frustra se aut pecuniæ studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriæ. Id. Cœl. 11. 26. Studere præturæ. Id. 4. Fin. 24. 65. virtuti. et mox. laudi et dignitati. Id. 1. Cat. 1. ad fin. Plin. 1. Ep. 8. commodis communibus. Flor. 3. 10. nomini, provinciæ. Pallad. 3. R. R. 23. Si calidæ et siccæ provinciæ studemus. h. e. si agrum colimus regionis siccæ et calidæ. Auct. B. Alex. 12. Alicui rei studere atque inservire. — Cum Gerundio. Plaut. Merc. 1. 80. Studere armamentis complicandis et componendis. Id. Stich. 5. 3. 5. lectis sternendis munditiisque apparandis. Cic. 5. rep. 3. 5. juri et legibus cognoscendis. Crassus apud Cic. 2. Orat. 55. 225. Cui rei, cui gloriæ, cui virtuti studes? patrimonione augendo? etc. Adde Flor. 1. 9. — Passive impersonaliter. Cæs. 7. B. G. 14. Omnibus modis huic rei studendum, ut pabulatione Romani prohibeantur. Flor. 3. 10. Contentus (Cæsar) his (non enim provinciæ, sed nomini studebatur), revectus est. — c) Cum Accus. et præp. in. Quintil. 10. 2. 6. Pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Adde eumd. 12. 6. 6. — Passive impersonaliter. Quintil. 12. 6. 6. In quam rem studendum sit. — d) Cum Infinito. Plaut. Asin. 1. 1. 52. Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis. Id. Stich. 1. 1. 51. Studere has nuptias mutarier. Ter. Eun. prol. 1. placere se bonis. Id. Hecyr. 2. 2. 23. illam ad vos redire. Lucret. 1. 24. te sociam scribundis versibus esse. Sall. Cat. 1. sese præstare ceteris animalibus. Cæs. 1. B. C. 4. rem ad arma deduci. Cic. 2. Off. 20. 70. illis gratum se videri. Mat. ad Cic. 11. Fam. 28. Dissensionem nascentem exstingui, summe studui. — Plaut. Amph. 1. 1. 27. Studere merito referre gratias. Id. Bacch. 5. 2. 42. verum audire ex te. Cæs. 3. B. C. 55. civitates conciliare. Adde 6. B. G. 22. Cic. Amic. 1. init. Studere fieri ejus prudentia doctiorem. Id. 1. rep. 2. 3. tutiorem vitam hominum reddere. Id. 13. Att. 20. scire, quid egeris. Nepos Dion. 6. sub fin. invidiam non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere. Phædr. 1. 27. Qui humiles nati, dici locupletes student. — Cum ellipsi. Nepos Datam. 3. et Pelop. 2. Taurum transiit eoque venit, quo studuerat subaud. venire. — Passive impersonaliter. Plin. 35. Hist. nat. 12. 44. (153). Ante eum quam pulcherrimas (imagines) facere studebatur. Harduin. et Sillig. leg. studebant. — e) Cum Conjunctivo et partic. ut, ne. Auct. B. Alex. 1. Maxime studebat, ut partem oppidi a reliqua parte urbis excluderet. Cato R. R. 5. Studere, ut habeat. Adde Ter. Heaut. 2. 4. 1., Cæs. 7. B. G. 14. et Dig. 43. 10. 1. — Phædr. 2. epil. 6. ne solus esset, studui. Dig. 43. 10. 1. Studeant, ne sint. — f) Absolute. Enn. apud Gell. 19. 10. Id agit, studet ibi. Ter. Eun. 5. 2. 31. Ut æquum fuerat atque ut studui. Cato apud Gell. 11. 2. Si qui in ea re studebat etc. ¶ 3. Item ponere studium et operam in litteris artibusque, studiare. — a) Absolute. Quintil. 12. 11. circa med. Computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus viximus. Id. 11. 3. 7. Demosthenes diligenter apud Andronicum hypocritem studuit. Sueton. Tib. 61. Quibusdam custodiæ traditis non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloqui usus. Plin. 5. Ep. 18. Ego in Tuscis et venor et studeo. — b) Cum Dativo. Cic. 1. Orat. 3. Studere alicui scientiæ. Id. 4. Fam. 3. ad fin. Postquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci viderem. h. e. eloquentiæ. Id. Brut. 93. 322. litteris. Auson. Præfatiunc. 2. 13. et Quintil. 2. 2. 77. medicinæ et 1. 12. 6. Latinis litteris. ¶ 4. Item sæpe est favere, alicujus partes sequi, favorire. — a) Absolute. Sall. Cat. 50. a med. In maxima fortuna minuma licentia est: neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. — b) Cum Dativo. Ovid. 3. Amor. 2. 67. Cui studeas, video. vincet, cuicumque favebis. Auct. B. Alex. 62. Nonnullæ civitates rebus Cassii studebant, plures Marcello favebant. Cic. Mur. 36. 36. Cur quemquam, ut studeat tibi, ut te adjuvet, rogas? Nepos Lysand. 1. a med. Qui Atheniensium rebus studuissent. ¶ 5. Item optare, cupere, desiderare. Cic. Partit. 1. 1. Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea, quæ etc. Id. 13. Att. 20. Scire igitur studeo, quid egeris. Sall. Cat. 38. Vetera odere, nova exoptant: odio suarum rerum mutari omnia student. Liv. 1. 57. Rex Romanus tum ipse ditari, tum præda delinire popularium animos studebat.

II.) Transitivorum more, cum Accusativo. ¶ 1. Generatim est, ut vidimus, curare, eniti, operam dare. Plaut. Mil. glor. in fin. Magis metuant, minus has res studeant. Ter. Andr. 1. 1. 28. Quod faciunt adulescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere aut canes ad venandum aut ad philosophos; horum ille nihil egregie præter cetera studebat: et tamen omnia hæc mediocriter. Id. Hecyr. 2. 1. 2. Omnes mulieres eadem æque student noluntque omnia. Ubi Donat. Majoris operis est studere, quam velle. Id. Heaut. 2. 4. 1. Edepol te, mea Antiphila, laudo et fortunatam, id quum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent. Cic. 6. Phil. 7. 18. Unum sentitis omnes, unum studetis, Antonii conatum avertere a republica. — Passive. Apul. Dogm. Plat. 2. Virtutes eas doceri et studeri posse arbitrabatur. ¶ 2. Speciatim pro studium ponere in iis, quæ ad litteras pertinent. Cic. 5. Fin. 2. sub fin. Ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Id. in Senat. 6. a med. Quum etiam litteras studere incipit, et belluo immanis cum Græculis philosophari. Alii leg. litteris. Titin. apud Priscian. 4. p. 629. Putsch. Ferentinatis populus Græca studet. — Hinc Part. præs.

Studens, entis, adjective occurrit et est, qui studet, præsertim litteris, studiosus. — a) Absolute. Plin. 5. Ep. 5. a med. In lectulo suo compositus in habitu studentis. et 7. Ep. 13. Epistola negat te studere: sed est tam polita, quæ, nisi a studente, non potest scribi. Quintil. 1. 2. 1. Utiliusne sit domi studentem continere, an frequentiæ scholarum tradere. Sidon. 9. Ep. 14. a med. Studentum copiosissimus. h. e. eloquentissimus. — b) Cum Genetivo. Aurel. Vict. Epit. 16. circa med. Philosophiæ studens litterarumque Græcarum peritissimus.

STŬDĬŎLUM, i, n. 2. deminut. a studium. ¶ 1. Est scriptiuncula magno studio elucubrata.

M. Aurel. ad *Fronton. ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Scripsi, quod aut Lymphis aut Volcano dicarem, venatoris plane aut vindemiatoris studiolum, qui jubilis suis cubiculum meum perstrepunt, causidicali prorsum odio et tædio. ¶ 2. Item locus, in quo liberalium artium magistri opera sua exercent, *studiolo*. V. *Inscript.* in STATUALIS.

STŬDĬŌSĒ, adverb. (studiosus) Comp. *Studiosius*; Sup. *Studiosissime*. — Studiose est cum cura et studio, diligenter, cupide, lubenti animo, *con diligenza, con diletto ed applicazione, vogliosamente*, σπουδαίως. *Plaut. Cas. prol.* 12. Studiose expetere Plautinas fabulas. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Uros studiose foveis captos interficiunt. *Ter. Heaut.* 2. 3. 44. Texentem telam studiose ipsam offendimus. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. 1. Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur. *Id. Brut.* 42. 155. Hic causas studiose recipiebat. *Id.* 2. *Orat.* 62. *a med.* Studiose pila ludere. *Id. Amic.* 26. 99. cavere. *Id.* 1. *Rep.* 11. 17. investigare. *Id.* 11. *Off.* 37. 134. Tum solet evenire, quum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridiculum aut maledice contumelioseque dicitur. *a bello studio*. Cf. *Rosc. Am.* 32. *extr.* et *Divin. Verr.* 12. *a med.* Ut homines te libenter studioseque audiant. *Id. ad Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. in fin.* Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo. *Sueton. Gramm.* 20. Studiose et avide imitari aliquem. *Ovid.* 5. *Met.* 578. nec me studiosius altera saltus Legit, nec posuit studiosius altera casses. *Cic.* 15. *Fam.* 54. Ego quum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quod etc. *Colum.* 8. *R. R.* 11. Studiosius pullos enutrire. *Justin.* 43. 3. *ante med.* Phocenses studiosius mare, quam terras, exercuere. *Nepos Agesil.* 3. Quo studiosius armarentur insigniusque ornarentur. *Quintil.* 3. 1. 15. Theophrastus de rhetorice diligenter scripsit: atque hinc vel studiosius philosophi. *Plin.* 4. *Ep.* 26. Libellos, quos studiosissime comparasti. *Sueton. Cal.* 54. Artem aliquam studiosissime exercere. *Id. Aug.* 45. Spectare studiosissime pugiles. *Cic.* 3. *Off.* 28. 101. Utilia studiosissime persequi.

STŬDĬŌSUS, a, um, adject. (studium) Comp. *Studiosior* 1. *b, c, d* et 3. *a*; Sup. *Studiosissimus* 1. *a* et 3. *a*. — Studiosus est diligens, cupidus, amans, sollicitus, qui aliqua re delectatur, σπουδαῖος (It. *sollecito, diligente, dilettante*; Fr. *empressé, soigneux, zélé, qui s'applique avec ardeur*; Hisp. *apresurado, cuidadoso*; Germ. *eifrig, emsig*; Angl. *careful, heedful*). ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Genetivo. *Cic. Amic.* 20. 74. Studiosus venandi aut pilæ. *Quintil.* 1. 10. 12. musices. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 80. culinæ aut Veneris. *Id.* 3. *Od.* 27. 29. Europe studiosa florum. *Ovid.* 14. *Met.* 321. utilium bello studiosus equorum. *et* 7. *ibid.* 675. nemorum cædisque ferinæ. *Id.* 3. *Art. am.* 423. placendi. *Quintil.* 2. 13. 1. honesti. *Sueton. Cæs.* 46. Munditiarum lautitiarumque studiosissimus. *Aurel. Vict. Cic.* 1. *a med.* Studiosissimus aleæ lusor. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 204. Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est improbus. *Spartian. Hadr.* 2. *Peter.* Venando usque ad reprehensionem studiosus. *Jordan.* leg. *venandi*. et *Justin.* 9. 8. 4. Fuit rex armorum, quam conviviorum, apparatibus studiosior. — *c*) Cum Accusat. et præp. *ad*. *Varro* 1. *R. R.* 17. *sub fin.* Operarios studiosiores ad opus fieri, liberalius tractando. — *d*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Petron. fragm. Tragur.* 52. *Burmann.* In argento plane studiosus sum. habeo scyphos urnales etc. *Cic.* 5. *Fam.* 19. Te studiosiorem in me colendo fore. — *e*) Absolute. *Plin.* 6. *Ep.* 16. *ante med.* Et quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. *Tibull.* 4. 6. 15. Præcipit in natæ mater studiosa, quid optet. ¶ 2. Speciatim dicitur de cupido litterarum et præcipue eloquentiæ, *studioso*, φιλορρήτωρ, φιλόλογος, φιλομαθής. — 1.°) De personis. — *a*) Cum Genetivo. *Cic.* 1. *Orat.* 59. 251. Adulescentes dicendi studiosi. *Id.* 4. *Fam.* 3. *a med.* Summe studiosus omnium doctrinarum. *Nepos Att.* 1. Studiosus litterarum. *Sueton. Ner.* 32. juris. *Quintil.* 5. 10. 122. eloquentiæ. — *b*) Absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 98. Clitomachus, homo et acutus, ut Pœnus, et valde studiosus ac diligens. *Plin.* 6. *Ep.* 26. Ipse studiosus, litteratus, etiam disertus. *Id.* 3. *Ep.* 5. *sub fin.* Soleo ridere, quum me quidam studiosum vocant, qui si comparer illi (*Plinio patruo*), sum desidiosissimus. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 6. Quid studiosa cohors operum struit? — Et plur. num. *studiosi, orum*, substantivorum more, apud *Cic. opt. gen. Orat.* 5. Quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus; putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis etc. *Quintil.* 2. 10. 15. Ne quid studiosi requirant. Adde 12. 10. 62. et 10. 1. 45. Hinc *Studiosus* titulus fuit operis a *Plinio sen.* conscripti, de quo ita *Plin. alter* 3. *Ep.* 5. Studiosi tres (*h. e.* tres libri) in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit. — 2.°) De rebus. *Quintil.* 1. 1. *a med.* Ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederet incidisse. *h. e.* de studio et secta philosophiæ. *Plin.* 1. *Ep.* 22. *sub fin.* Libellos et pugillares studiosumque otium repetere. *Seneca Tranquill.* 9. *a med. de bibliotheca Alexandrina.* Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria: immo ne studiosa quidem, quoniam non studium, sed in spectaculum comparaverant. ¶ 3. Item de eo, qui favet, *affezionato, fautore, parziale*, σπουδαστής, ἐπιτήδειος. — *a*) Cum Genet. *Cic.* 1. *Att.* 16. *circa med.* Omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriæ παρρησίαν eripui. et 3. *ibid.* 22. *ad fin.* Mei studiosos habeo Dyrrhachinos. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Semper enim, ut scitis, studiosus nobilitatis fui. *Sueton. Tib.* 11. *circa med.* Studiosior alterius partis. *Cic.* 4. *Verr.* 47. *a med.* Quem in provincia existimationis meæ studiosissimum cupidissimumque cognossem. — Et in plur. num. substantivorum more. *Id. Brut.* 6. 64. Habet certos sui studiosos. ἐπιθυμητής. — *b*) Absolute. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 91. ad vos studiosa revertor Pectora, qui vitæ quæritis acta meæ.

STŬDĬUM, ii, n. 2. (studeo) *Stodium* pro *studium* legitur in *Inscr.* apud *Marini Iscriz. Alb.* p. 136. — Etiam masc. gen., sed perperam, exhibet *Pseudo-Cypr. De aleat.* Ad nocentiorem studium animari. — Studium est cura, voluntas, animus, ardor, cupiditas, animi, ut ait *Cic.* 1. *Invent.* 25. 36., assidua et vehemens ad aliquam rem magna cum voluntate occupatio, σπουδή (It. *diligenza, propensione, applicazione, voglia, diletto, genio*; Fr. *empressement, application, occupation, soin, zèle, ardeur, désir, goût, penchant, passion*; Hisp. *cuidado, apresuramiento, zelo, ardor, inclinacion, pasion*; Germ. *die Bestrebung, der Eifer, die Begierde, Neigung, Lust*; Angl. *an earnest application, cure, study, zeal, desire, wil, propensity*). ¶ 1. Abstractorum more. — 1.°) Generatim. — *a*) Cum Genetivo. *Acc. fragm.* 627. *Ribbeck.* Studium iteris. *Afran.* apud *Non.* p. 498. 15. *Merc.* vitæ. *Lucret.* 3. 647. pugnæ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. Carthaginienses natura loci propter portus suos ad studium fallendi studio quæstus vocabantur. *Id. Senect.* 23. 83. Efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi. *Id. ibid.* 16. 55. Studio rerum rusticarum provectus sum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. *ante med.* Ardere studio veri reperiendi. Adde 16. *Att.* 13. *sub fin.* *Horat.* 2. *Sat.* 3. 103. Studio citharæ deditus. *Sall. Cat.* 41. Studium belli. *et* 54. modestiæ, decoris, severitatis. (*Quintil.* 2. 13. 1. honesti.) *et* 37. novarum rerum. *et* 33. dominandi. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Multo major alacritas studiumque pugnandi majus exercitui injectum est. *Tac.* 4. *Hist.* 12. nandi præcipuum. *Cic.* 1. *Off.* 29. *extr.* Studia venandi. *Id. Amic.* 27. 104. Studium cognoscendi semper aliquid atque discendi. *Plin.* 1. *Ep.* 13. recitandi. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. Cura et studium reipublicæ. — *b*) Cum Dativo. *Aurel. Vict. Cæs.* 42. Tenue studium probandis provinciarum ac militiæ rectoribus. — *c*) Cum Accus. et præp. *ad, in, erga*. *Justin.* 20. 4. 7. Studium ad frugalitatem multitudinis provocavit. *Sall. Cat.* 49. Studium suum in rempublicam. *Cic.* 7. *Fam.* 2. bonorum in me. *Id.* 1. *ibid.* 7. Studii erga te testis. — *d*) Cum Infinito. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 5. Viris esse adversas æque studium est. *Cyprian. De idol. van.* 7. Nec aliud studium est, quam a Deo homines avocare. — *e*) Absolute. *Plaut. Stich.* 1. 3. 45. Alienas qui res curant studio maximo. *Cic. Rosc. Am.* 17. 48. Qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet. *Id.* 6. *Verr.* 1. 1. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium. *h. e.* conquirendorum signorum. *diletto.* et *Ter. Andr.* 1. 1. 29. Animum ad aliquod studium adjungere aut equos alere aut canes ad venandum aut ad philosophos. *Nepos Epamin.* 2. *extr.* In armis plurimum studii consumebat. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 5. Suo quisque studio maxime ducitur. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 27. quot capitum vivunt, totidem studiorum Milia. *Cic. Senect.* 20. *ad fin.* Sunt pueritiæ certa studia: sunt et ineuntis adulescentiæ: sunt extrema quædam studia senectutis. *h. e.* ludi, oblectamenta, exercitationes. *Ter. Phorm. prol.* 19. Ab studio rejicere. *et ibid.* 2. retrahere. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 36. Lacænis virginibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labos, militia in studio est, quam etc. *Id.* 2. *Fin.* 19. *circa med.* Ardentiore studio mortem petere, quam etc. *Cæs.* 4. *B. G.* 31. Summo studio quippiam administrare. *Cic.* 3. *Orat.* 61. 230. Ingenio peracri et studio flagranti aliquid facere. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. 2. Omnia sua studia conferre in aliquid. *Id.* 15. *Att.* 4. *ad fin.* Navare cupiam studium suum. *Id.* 4. *Fam.* 8. *ad fin.* Dare studium bonis artibus. *Id.* 1. *Orat.* 8. *ad fin.* In id studium, in quo estis, incumbite. *Id. Orat.* 1. 5. Tardare et restinguere studia hominum. *Id.* 1. *Fin.* 1. 2. Veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. *Id.* 1. *ad Brut.* 14. *circa med.* Omni studio a te contendo, ut etc. *Maximian. Eleg.* 3. 15. Studium inane. *Id. ibid.* 4. 46. fallax. — Cum homonym. *Lucret.* 4. 981. Usque adeo magni refert studium atque voluntas. *Cæs.* 4. *B. G.* 24. *in fin.* Non omnes eadem alacritate ac studio, qua in pedestribus uti prœliis consueverant, utebantur. *Cic.* 4. *Fam.* 3. *a med.* Summo studio curaque discere aliquid. *Id.* 1. *ad Brut.* 8. Tibi omnes fortes viri navare operam et studium volunt. *Id.* 2. *Fam.* 6. Omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem figere in re aliqua. *et* 10. *ibid.* 1. Omne consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad aliquid conferre. *Id.* 12. *Att.* 26. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius et cupiditate, non dubito. — *Studio*, ablativus, significat data opera, de industria, cupide, libenter, *a bello studio*. *Cic. Rosc. Am.* 32. *extr.* In animo est leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. *Modestin. Dig.* 40. 5. 13. Si prægnans ancilla moram non studio manumissoris, sed fortuitu, patiatur, ne manumittatur etc. — 2.°) Speciatim dicitur de amore et opera, quæ in litteras et disciplinas impenditur, *studio*. — *a*) Cum Genetivo. *Cic. Balb.* 1. 3. Litteris ac studiis doctrinæ deditus. *Id. Mur.* 13. *ad fin.* Nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire. *Id. Arch.* 3. 4. Conferre se ad studium scribendi. *Nepos Cat.* 3. Studium litterarum arripere. *Cic.* 1. *Acad.* (2. *post.*) 2. 4. Teneri studio philosophiæ. *Id.* 2. *Orat.* 1. 1. Incensus studio dicendi. *Id Orat.* 2. 6. Dedere se studio eloquentiæ. *Quintil.* 1. 10. 12. Studium musices. *Petron. Sat.* 116. In hac urbe litterarum studia non celebrantur. — *b*) Absolute. *Ter. Heaut. prol.* 23. Applicare se ad studium musicum. *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 8. In rerum contemplatione studium ponere. *et* 3. *Att.* 11. Ne, nihil quum proficiam, dedecori sim studio ac litteris nostris. *Id.* 1. *O-*

rat. 60. *a med.* In omni recto studio atque humanitate versari. *Id. Senect.* 14. 49. Si habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute jucundius. *Id.* 9. *Fam.* 8. *a med.* Utinam quietis temporibus hæc inter nos studia exercere possemus. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 21. O seri studiorum! ὀψιμαθεῖς. *V.* SERUS. *Quintil.* 1. *procem.* Studia alicujus ab infantia formare. *Id.* 2. 9. 2. Pietas multum confert studio. *Petron. Sat.* 85. Studia alicujus ordinare. *Sueton. Gramm.* 9. leviter attingere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 82. Septem annos dare studiis. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. Omne suum studium in doctrina et sapientia collocare. *Id. Brut.* 41. 151. Plus studii ad dicendum et ad bonarum rerum disciplinas adhibere. *Id.* 1. *Fin.* 1. 1. Multum studium multamque operam ponere in philosophando. *Id. Arch.* 7. 16. Hæc studia (*litterarum*) adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *et ibid.* Ex his studiis delectationem petere. *Quintil.* 1. 10. 15. Nonnullam operam studiis accommodare. *et ibid.* 2. Aliarum disciplinarum studia ingredi. *et* 12. 2, 1. Mores oratori studiis erunt excolendi. *et* 1. 12. 19. Studiis aliquem instituere. *et* 10. 1. 91. Ab institutis studiis deflectere. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Studia vigere. *Id.* 2. *ibid.* 8. Studia altissimus iste secessus suggerit. *Id.* 6. *ibid.* 11. Nomen et famam ex studiis petere. *Id.* 8. *ibid.* 19. Ad unicum doloris levamentum, studia, confugio. *Id. ibid.* 2. Ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. *Seneca Tranquill.* 9. Studiorum liberalissima impensa. *Id. De consol. ad Polyb.* 8. Nullum tempus vacare patiaris a studiis. *Id. Ep.* 36. Studia, quibus tingendus est animus. *Tac. Agric.* 3. Studiorum sedes ac magistra Massilia. *Id. ibid.* 3. Ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. *Id. Dial. de orat.* 33. Studia acerrima et fecundissima. *Quintil.* 2. 13. 15. Studium assiduum. *et* 1. 1. 27. pertinax. — *Seneca De consol. ad Helv.* 6., *Tac.* 3. *Ann.* 43., *Sueton. Aug.* 84. Studia liberalia. Cf. *Plin. Paneg.* 47. Studia humanitatis. — *A studiis* fuit officium in domo Augusta. *Inscript.* apud *Murat.* 895. 3. TI. CLAVDIVS LEMNVS DIVI CLAVDII AVGVSTI LIB. A STVDIIS. *aiutante di studio.* Et *alia* apud *Henzen n.* 6355. M. AEMILIVS LAETVS A STVDIIS AVGVSTI. — *A studiis Augusti* dicti etiam equites R. in *Inscript.* apud *Boissieu, Inscr. de Lyon* 1. *p.* 43. — *Magister a studiis* et, seriore ætate, *magister studiorum* in *Inscr.* apud *Henzen n.* 6356. L. VIBIO FORTVNATO - AVG. N. MAGISTRO A STVDIIS. et in *Memorie dell' Istit. archeol. v.* 2. *p.* 294. C. CAELIO SATVRNINO-MAGISTRO STVDIORVM. Cf. *Mommsen ibid. p.* 328. Sic in *Cod. Theod.* 13. 5. 3. *Magistri studiorum doctoresque* dicti sunt professores. — *Proximus a studiis*, Augusti libertus, ut *proximus lictor*, inter plures servos a studiis, vel lictores, in *Inscript.* apud *Orelli n.* 2958. Cf. *Cannegieter Nom. Rat. p.* 46. et *V.* TERPSILAUS in ONOM. — 3.°) Item *studia* sunt mores, consuetudines, voluntates, *costumi, inclinazioni, affetti. Nepos Alcib.* 11. Postquam Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset æquiparare. *Id. Att.* 16. Omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipubl. perscripta sunt. — 4.°) Item *studium* dicitur de amore, benevolentia, favore, *favore, parzialità. Cic.* 3. *Verr.* 13. 35. Quasi vero id cupiditate defendendæ nobilitatis aut studio partium fecerint. *Liv.* 24. 28. *ad fin.* Quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. *Sueton. Vitell.* 15. Ad retinendum ceterorum hominum studium ac favorem, nihil non publice privatimque largitus est. *Id. Cæs.* 71. Studium est fides erga clientes. *Id. Cal.* 15. Incendere studia hominum omni genere popularitatis. *Sil. It.* 1. 185. Hinc studia accendit patriæ virtutis imago. *h. e.* favorem, *vel, ut aliis placet*, factiones. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Tibi profiteor atque polliceor eximium et singulare meum studium in omni genere officii. *Tac.* 4. *Ann.* 55. Studium urbium Asiæ in populum Romanum. *Id.* 14. *ibid.* 42. Senatu in ipso erant studia. *fazioni.* Sic 4. *Hist.* 6. Senatum in studia diducere. et *Agric.* 12. Factionibus et studiis trahuntur. *Lucan.* 2. 377. Studiis odiisque carens. Cf. *Publil. Syr.* 318. *p.* 391. ed. *Ribb.* Privata studia publicum evertunt bonum. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu. — 1.°) *Studia* sunt opera litteraria. *Seneca* 1. *Controv. præf.* Omnia ingenia, quæ lucem studiis nostris attulerunt, tunc nata sunt. — 2.°) *Studium* est etiam locus, ubi studiis datur opera, *scuola*, μουσεῖον. *Capitolin. M. Aurel.* 26. Apud Ægyptios civem se egit et philosophum in omnibus studiis, templis, locis (*Salmas.* minus recte leg. *stadiis*). *Impp. Theodos. et Valentinian. Cod. Theod.* 14. 9. 3. Ii (*magistri publici*) omnibus modis privatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscant. Cf. *Vellej.* 2. 19. 4. Ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolis juvenem Apolloniam in studia miserat. *Ammian.* 16. 5. 3. Quum legeret libellum assidue, quem Constantius ut privignum ad studia mittens, manu sua conscripsit. Cf. *Petron. Sat.* 116. *Inscript.* apud *Rénier n.* 7810. SETITS FVNDANVS NVTRIVIT NATOS DVOS IN PRIMA AETATE EX GERMANA CONIVGA IN STVDIISQVE MISIT ET HONORES TRIBVIT. *V.* STUDIOLUM. — 3.°) Item ipsum studentum corpus seu collegium artificum. *Inscript.* apud *De-Vita Antiqu. Benev. p.* 27. *n.* 1. VESEDIO RVFINO PATRONO STVDIORVM IIII. MARTENSIVM VERZOBIANVM ET MARTENSIVM PALLADIANVM ET ..... *Studiorum* nomen pro *collegii*, ut in aliis adlat. et in lamina ærea Beneventana apud *Fea, Framm. Fast. p.* 43. *n.* 46., ubi *studium juvenum cultorum dei Herculis.* V. *Garrucci Mon. Bæb. p.* 23. Quamvis epitheton illud Palladiani docti quid habeat, nolim tamen cum *De Vita* studia ista inter veras litterarum disciplinarumque scholas referre, inquit *Orellius.* Alia *ibid. n.* 2. C. VESEDIO RVFINO PATRONO STVDIVM PALLADIANVM. Cf. *ibid. p.* 28. *n.* 7. C. VIBIO CRESPINO AB AVO ET MAIORIBVS COLLEGIVM CIVITATIS PATRONO COLLEGIVM MARTENSE VERZOBIANVM. *Alia* apud *Orelli n.* 4069. STVDIVM APOLLINARIVM. et apud *Mommsen n.* 1531. AVGVSTIANVM.

STULTĒ, adverb. (stultus) Comp. *Stultius;* Sup. *Stultissime.* — Stulte est insipienter, dementer, fatue. *Plaut. Trin.* 2. 4. 14. Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit, postquam comedit rem, post rationem putat. *Id. ibid.* 60. Stulte facere et stulte fabularier. *Ter. Heaut.* 2. 3. 81. Vis amare, vis potiri, tuum esse in potiundo periculum non vis. haud stulte sapis: siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere. *non se' mica un savio minchione.* et *Varro* 9. *L. L.* 45. *Müll.* Dupliciter stulte dicunt. *Cic.* 7. *Att.* 10. Stulte omnia et incaute. *Ovid.* 1. *Art. am.* 593. Occidit Eurytion stulte data vina bibendo. *h. e.* nullo adhibito modo, *smoderatamente.* et 3. *ibid.* 357. Stulte ludere prœlia latronum. *h. e.* imperite. *ignorantemente.* et *Seneca* 5. *Controv.* 34. *ad fin.* Nec minus stulte Æmilianus dixit *etc.* Gargius multo stultius. *Liv.* 30. 13. Stultius atque intemperantius. *Cic. Rabir. Post.* 8. *sub fin.* Potestati se regis commisit. verum si quærimus, stulte. quid enim stultius, quam etc.? *Id.* 2. *Nat. D.* 28. 70. Hæc et dicuntur et creduntur stultissime.

STULTESCO, is, ere, n. 3. (stultus) stultus fio, *diventare stolto. Plaut. Most.* 4. 2. 49. Puere, præter speciem stultescis. At recentiores rectius leg. *stultus es.*

STULTĬFĬCO, as, are, a. 1. (stultus *et* facio) stultum facio. *Hieronym.* ex *Orig.* in *Jerem. Hom.* 5. *ad fin.* Ad mundi sapientiam stultificandam.

STULTĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. (stultus et loquor) idem ac stultiloquium. *Plaut. Trin.* 1. 2. 185. Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

STULTĬLŎQUIUM, ii, n. 2. (stultus *et* loquor) stultus sermo, μωρολογία. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 25. Nisi supprimis tuum stultiloquium. Adde *Vulgat. interpr. Eph.* 5. 4.

STULTĬLŎQUUS, a, um, adject. (stultus *et* loquor) qui stulte loquitur. *Plaut. Pers.* 4. 3. 45. Tace, stultiloque; nescis quid instet boni.

STULTĬTĬA, æ, f. 1. (stultus) Etiam *stultities, ei,* apud *Apul. Apolog.* 53. Codd. *F φ.* — Stultitia est amentia, dementia, fatuitas, μωρία, ἄνοια (It. *pazzia, sciocchezza, stoltezza;* Fr. *sottise, stupidité, déraison;* Hisp. *boberia, estolidez, estulticia;* Germ. *die Thorheit, Einfältigkeit, Albernheit;* Angl. *folly, silliness, fatuity*). ¶ 1. Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 62. Inscitiæ meæ et stultitiæ ignoscas. *Id. ibid.* 3. 3. 5. Stultitia atque insipientia insulsa atque maxima. *Id. Amph.* 2. 2. 77. Aut stultitia accessit aut superat superbia. *Id. Stich.* 1. 2. 82. Stultitia est, venatum ducere invitas canes. *Ter. Phorm.* 4. 3. 54. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia dicam; scientem, an imprudentem, incertus sum. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. *circa med.* Stultitia ac temeritas aut imbecillitas animi. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 90. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error stultitia dicenda est. *Id.* 3. *Tusc.* 30. 73. Est enim proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. *Id.* 3. *Orat.* 35. 142. Malim indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. *Forcellinus* leg. *stultam loquacitatem.* et *Auct. B. G.* 8. *pr.* 3. Stultitiæ atque adrogantiæ crimen. *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 35. Stultitiamque meam crimen debere vocari. *Trog.* apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 115. (276). Oricularum magnitudo loquacitatis et stultitiæ nota est. *Publil. Syr.* 623. *p.* 357. *Ribb.* Stultitia est insectari quem di diligunt. — In plur. num. *Cic. Brut.* 67. 236. Hominum ineptias ac stultitias, quæ devorandæ nobis sunt, non ferebat. ¶ 2. Speciatim pro imperitia. *Plin.* 1. *Ep.* 24. Mala emptio semper ingrata, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur. *Ulp. Dig.* 21. 2. 51. Quid refert, sordibus judicis, an stultitia res perierit? ¶ 3. Interdum gravia quædam crimina *stultitiæ* nomine appellantur elevandi et extenuandi causa. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 22. Tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam. *h. e.* ob stuprum filiæ tuæ illatum. Adde *eumd. Most.* 5. 2. 35. et *Ter. Heaut.* 5. 2. 8. ¶ 4. *Stultitia* apud Ecclesiasticos scriptores *sapientiæ* opponitur. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 13. 19. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Adde *ibid.* 2. 14.

STULTĬTĬES, ēi, f. 5. *V.* voc. præc. init.

STULTĬVĬDUS, a, um, adject. (stultus *et* video) qui stulte et prave videt. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 61. Vin jam faciam, ut stultividum te fatearis? age face Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti?

STULTŪLUS, a, um, adject. *deminut. a* stultus, aliquantum stultus. *Apul.* 9. *Met.* Tu, stultule asine, intra terminos pistrini contentus. Alii rectius leg. *astutule.*

STULTUS, a, um, adject. Etymologi quidam recentiores volunt esse particip. ab inusit. *stolere*, durum, stolidum esse, ut *cultus* a *colere;* verum de notatione hujus vocis, videsis, quæ diximus in STOLIDUS. — Comp. *Stultior* sub *a;* Sup. *Stultissimus* sub *a* et *b.* — Stultus est nullius consilii, improvidus, insipiens, ἀνόητος, μωρός (It. *sciocco, pazzo, stolto;* Fr. *sot, stupide, insensé, niais, déraisonnable;* Hisp. *bobo, estupido, estolido;* Germ. *bethört, thöricht, einfältig, albern;* Angl. *foolish, unwise, sottish*). Est proprie is, qui ea non videt, quæ homines fere sciunt et intelligunt: ita tamen, ut videre ac scire possit ac debeat, si mentem adhibere velit. Quare minus est, quam *demens, insanus, fatuus.* Hinc *Isid.* 10. *Orig.* 246. *Stultus*, hebetior corde, sicut quidam (*Afranius*) ait: *Ego me esse stultum existimo; fatuum esse non opinor,* id est, obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. — *a*) De personis. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi. *Id. Men.* 2. 3. 85. Mulier hæc stulta atque inscita est. *Id. Most.* 2. 2. 61. Inepte stultus es. *Ter. Eun.* 2. 2. 1. Dii

immortales! homo homini quid præstat, stulto intelligens! *Id. ibid.* 23. Hic homines prorsus ex stultis insanos facit. *Id. Heaut.* 5. 1. 4. in me quidvis harum rerum convenit, Quæ dicta sunt in stultum; caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Id. Adelph.* 4. 7. 6. Ah stulte! tu de psaltria me somnias Agere. *Id. Eun.* 5. 1. 20. comprehendi jube, quantum potest. THA. Quid illo faciemus, stulta? *Publil. Syr.* 612. *p.* 356. *Ribb.* Stultum facit fortuna quem vult perdere. *Cic. Parad.* 4. *init.* Ego vero te non stultum, ut sæpe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum, rebus vincam necessariis. *Id.* 3. *Phil.* 9. 22. Ut hominem stultum (*Orell.* stolidum) etiam magis infatuet. *V.* FATUUS. *Id. Fontej.* 6. *ad fin.* Quid est, ubi discerni possit stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti judice? *Id.* 2. *Orat.* 68. 274. Ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid. *Id. Pis.* 24. 58. O stultos Camillos! *Id.* 4. *Tusc.* 32. 68. Deum qui non summum putet, aut stultum aut rerum esse imperitum existimo. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 4. 40. Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo. *et* 3. 18. Stultus fiat, ut sit sapiens. *Plaut. Curc.* 4. 3. 19. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes. *Id. Amph.* 3. 2. 26. Nisi sis stultior stultissime. *Cic. Amic.* 26. *ad fin.* Hæc in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. — *b*) De rebus. *Cæs.* 3. *B. C.* 59. Stulta et barbara arrogantia elati. *Propert.* 2. 25. 20. Stultus, quod stulto sæpe timore tremo. *Sall. Cat.* 51. Stultæ lætitiæ pœnas dedit. *Hirt.* 8. *B. G.* 10. *ad fin.* Stultæ cogitationes. *Phædr.* 5. 7. Stultus error. *Id.* 3. 17. Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria. *Liv.* 45. 23. *a med.* Infelix consilium furiosus orator stultissimum fecit. *Tibull.* 1. 4. 30. Stulti dies. *h. e.* in adulescentia stulte acti, non utendo bonis, quæ offerebantur. *Seneca Ep.* 15. *ad fin.* Quam tu vitam dici existimas stultam? Babæ et Ixionis? non ita est: nostra dicitur, quos cæca cupiditas in nocitura præcipitat: qui non cogitamus etc. *Alii leg.* stulti. *Martial.* 2. 16. Ostendit stultus quid, nisi morbus, opes? *h. e.* jactantiæ causa prolatas. *Id.* 14. 49. Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti? Exercet melius vinea fossa viros. *h. e.* cujus jactandi labor vanus est et inutilis. Sic 2. 86. Et stultus labor est ineptiarum. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 28. Strenua nos exercet inertia. *et Phædr.* 2. 5. *de ardelione.* multa agendo nihil agens. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 1. 20. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. *h. e.* vilem, inanem. Cf. *Hieronym.* in *Gal.* 1. 3. *præf.* Quotusquisque nunc Aristotelem legit? Quot Platonis vel libros novere vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt. Rusticanos vero et piscatores nostros (*Apostolos*) totus orbis loquitur, universus mundus sonat. — Absolute. *Ter. Eun.* 4. 6. 23. Quod cavere possit, stultum admittere est. *Quintil.* 5. 12. 8. In rebus apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre. *Publil. Syr.* 278. *p.* 388. *Ribb.* Stultum est, imperare reliquis qui nescit sibi. Sic *Poet.* in *Anthol. Lat.* 2. 54. *Meyer.* Tu si animo regeris, rex es; si corpore, servus. Quanto major eris, tanto moderatior esto. Notum est illud *Caroli Quinti:* «Il faut être maître de soi pour être maître du monde». Rursum *Publil. Syr.* 608. *p.* 350. Stultum est queri de adversis, ubi culpa est tua. *Quintil.* 12. 10. 69. Stultissimum, quærere, ad quam (*eloquentiæ faciem*) se recturus sit orator. — Hinc

Stultus, i, m. 2. absolute, substantivorum more. *Cic.* 9. *Fam.* 22. Stultorum plena sunt omnia. Sic *Vulgat. interpr. Eccle.* 1. 15. Stultorum infinitus est numerus. *Ovid.* 2. *Fast.* 513. Stultorum lux festa. *Publil. Syr.* 589. *p.* 355. *Ribb.* Stulti timent fortunam, sapientes ferunt. *Sall. in orat. Philippi contra Lepid.* Quæ pessumi atque stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus facienda sunt. *Paul. Dig.* 22. 6. 9. *ad fin.* Sciant ignorantiam facti, non juris, prodesse, nec stultis solere succurri, sed errantibus. *h. e.* imperitis. *V.* STULTITIA 2. Sic *Venulej. ibid.* 40. 23. 4. Ne melioris condicionis sint stulti, quam periti. — De stultorum feriis *V.* in QUIRINALIS.

Homonym. Discrimen inter *stultum* et *stolidum* V. in has voce. — Item, quomodo a *stulto* differant *demens, insanus, fatuus,* initio dictum est.

STŪPA et deriv. *V.* STUPPA et deriv.

STŬPĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (stupeo et facio) Part. *Stupefactus.* — Stupefacio est stupere vel torpere facio, stupidum reddo, ἐκπλήττω (It. *rendere stupido, far intorpidire;* Fr. *engourdir, rendre stupide, ôter le sentiment de, paralyser;* Hisp. *entorpecer;* Germ. *betäubt od. sinnlos machen, betäuben;* Angl. *to benumb, stun*).

I.) Proprie. *Sil. It.* 1. 624. mediumque furorem Projectâ damnat stupefactus membra bipenni. ἑλληνισμός. *sc.* torpens κατά membra. Cf. 9. 122. membra et sensus gelidus stupefecerat horror.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad inanima. *Calpurn Ecl.* 4. 111. stupefacta regerminat arbos. *h. e.* jam arida et exsucca. *Liv.* 5. 39. *ante med.* Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor. ¶ 2. Refertur ad animum et est valde mirari facio, *stupefare. Propert.* 2. 10. 7. Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu. Alii volunt *tepefiat;* contra stat *Broukusius* et *Baehrensius.* et *Cic.* 3. *Orat.* 14. *ante med.* In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? *Virg.* 4. *G.* 365. ingenti motu stupefactus aquarum. *Seneca Thyest.* 547. truculentus Atreus Fratris aspectu stupefactus hæsit. *Lucan.* 4. 633. Constitit Alcides stupefactus robore tanto. Adde *Val. Flacc.* 6. 228. et *Ovid. Heroid.* 14. 97.

STŬPĔFACTĬO, ōnis, f. 3. (stupefacio) actus stupendi, stupor. *Vulgat. interpr. Ital. Act.* 3. 10. Repleti sunt terroris et stupefactionis. *Noster* habet *stupore et exstasi.*

STŬPĔFACTUS, a, um, particip. et

STŬPĔFĬO, is. *V.* STUPEFACIO.

STŬPENDUS, a, um, et

STŬPENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

STŬPĔO, stŭpes, stŭpŭi, stŭpere, 2. *Stipeo* pro *stupeo*, ex facili litterarum *u* et *i*, præsertim apud antiquiores, permutatione, habetur in pluribus MSS. *V.* OBSTIPEO et OBSTUPESCO. — Ratione habita etymi, sunt qui a *stipes* deducunt, quantitate mutata: quasi qui stupet, stipitis instar aut trunci sit; alii vero trahunt a στύφω, adstringo: e recentioribus alii ducunt a τύπτω, percutio, littera sibilante præfixa; alii rectius a rad. Skr. *stup,* rigere, vel *stav,* ejusdem significationis. — Part. *Stupens* fere in omn. paragr.; *Stupendus* in fin. — Stupeo est sensum membrorum amitto, torpesco, obstupesco, ἐκπλήττομαι (It. *stupidire, stordire, intormentire;* Fr. *être engourdi;* Hisp. *ser entorpecido;* Germ. *betäubt sein;* Angl. *to be torpid or benumbed*): usurpatur autem absolute, vel per rei, qua quis stupet, Ablativum sine aut cum præp. *in;* aliquando vero poetice per Accusativum.

I.) Proprie. ¶ 1. De corporis membris. *Cic.* 7. *Verr.* 37. *ad fin.* Quum is etiam tum semisomnis stuperet. *Seneca Herc. Fur.* 621. Membra lætitia stupent. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 5. Quum stupet insanis acies fulgoribus. *s' abbaglia.* et est allegoria. *Seneca Agam.* 238. Jacensque vultus languido obtutu stupet. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Torpescunt scorpiones aconiti tactu stupentque pallentes. *Flor.* 2. 12. *ad fin.* Rex attonitus adhuc, tamquam subito malo stupens. *Curt.* 8. 4. *ante med.* Calor stupentia membra commovit. *intirizzite.* ¶ 2. De animo, *stupere* enim dicitur, qui torpore quodam animi captus languet, aut inopia consilii aut rei novitate aut magnitudine tarditatem injiciente. *Seneca Agam.* 508. Tenet horror artus: omnis officio stupet Navita relicto. *è attonito, è fuor di sè.* et *Pers.* 3. 32. stupet hic vitio, et fibris increvit opimum Pingue. nescit quid perdat. «*grullo nel vizio e i sensi avvinto Di tre dita di lardo, ei più non sente La sua jattura*» (Monti). *Ovid. Remed. am.* 806. Et stupeant multo corda sepulta mero. *Quintil.* 11. 6. *circa med.* Nonnulli senes in schola facti, stupent novitate, quum in judicia venerunt. *Liv.* 8. 13. *sub fin.* Illorum animos, dum exspectatione stupent, præoccupari oportet. *Ovid. Heroid.* 8. 111. Sæpe malis stupeo: rerumque oblita locique etc. *Id.* 2. *Amor.* 6. 47. Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato. Clamavit moriens lingua: Corinna, vale. — Hinc Part. *stupens,* qui stupet, exterritus, amens, *stordito, fuor di sè, stupido. Cic.* 6. *Rep.* 18. 18. Quæ quum intuerer stupens, ut me recepi, quid hic, inquam, etc.? *Flor.* 1. 16. *a med.* Stupens occasione tanta dux hostium. *Horat.* 2. *Od.* 13. 33. illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures. *Quintil. declam.* 7. 3. Stupentes et attoniti. Sic *Curt.* 6. 9. 1. Rex dimisso in terram vultu attonito stupentique similis stetit. *Gell.* 10. 8. Milites stupentis animi, a naturali habitu declinantis. — Cum Genetivo, more Græcorum. *Liv.* 6. 36. *a med.* Tribuni capti et stupentes animi. *Alii tamen leg.* animis, *alii* stupentibus animis.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad inanima, ex significatione in super. paragr. 1. adlata. *Martial.* 9. 100. Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur Qui fluit, an pigro quæ stupet unda lacu. *acqua che stagna, acqua morta.* Sic *Val. Flacc.* 5. 603. Riphæa stupuerunt flumina bruma. *h. e.* præ glacie desierunt fluere. et *Seneca Herc. Fur.* 763. Stupent ubi undæ, segne torpescit fretum. *Auct. Ætn.* 341. Si nihil irritet flammas stupeatque profundum. *h. e.* quiescant ima montis viscera et nullo ignis æstu agitentur. *Ovid.* 10. *Met.* 42. stupuitque Ixionis orbis. *h. e.* devolvi desiit, stetit. *Seneca Thyest.* 990. Vix lucet ignis, ipse quin æther gravis Inter diem noctemque desertus stupet. *h. e.* hebeti ac maligna luce est. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). Vini natura non gelascit: alias ad frigus stupens tantum. *h. e.* vim ac veluti spiritum amittens. Rursus *Auct. Ætn.* 427. Dicitur insignis flagrasse Ænaria quondam, Nunc exstincta stupet. *h. e.* quiescit nec amplius agitatur. *Tertull. advers. Psych.* 16. Quum stupet cælum et aret annus, nudipedalia denunciantur. *h. e.* non pluit. ¶ 2. Refertur etiam, ex significatione in super. paragr. 2. adlata, ad animum, et quidem frequenter, pro valde mirari, quasi ex se rapi præ admiratione, admirando defixum esse, *fare le maraviglie, restare attonito per lo stupore, stupefarsi, stupire, strabiliare, stupirsi,* θαμβέω, θαυμάζω: occurrit autem hoc sensu — *a*) Neutrorum more. et quidem absolute aut sequente rei, ob quam quis stupet, Abl. cum præp. *in* aut sine præp., vel Acc. et præp. *ad. Cic.* 2. *Fin.* 23. *ad fin.* Hæc quum loqueris, nos barones stupemus. *Quintil. Declam.* 2. 15. Juvenis adhuc et silentio suo stupet. et *ibid.* 4. 2. Stupere gaudio. *Virg.* 1. *Æn.* 499. Dum stupet obtutuque hæret defixus in uno. *Martial.* 5. 63. Admiror, stupeo, nihil est perfectius illis. *Seneca Hippol.* 607. Curæ leves loquuntur, ingentes stupent. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 28. Hunc capit argenti splendor: stupet Albius ære. *Id.* 1. *Sat.* 6. 17. Qui stupet in titulis et imaginibus. *Virg.* 10. *Æn.* 446. stupet in Turno, corpusque per omne Lumina volvit. *Ovid.* 5. *Met.* 509. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces. *Val. Flacc.* 4. 711. Tum freta - ad subitam stupuere ratem. *Justin.* 26. 1. *a med.* Ad tam sævam dominationem stupentibus omnibus. *Martial.* 12. 52. Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos. — Cum Infinito. *Virg.* 6. *Ecl.* 37. Jamque novum terræ stupeant lucescere solem. — *b*) Transitive cum Accusativo, per ἑλληνισμόν, fere apud poetas. *Virg.* 2. *Æn.* 31. Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ. *Petron. Sat.* 29. Dum omnia stupeo, pæne resupinatus crura mea fregi. *Val. Flacc.* 5. 96. omina Mopsus Dum stupet. et 2. 620. stupuitque fragorem. *Stat.* 4. *Theb.* 448. Et nova clamosæ stupuere silentia valles. *Martial.* 12. 15. et stupet superbi Regis delicias gravesque lusus. *Juvenal.* 13. 15. stu-

per hæc. qui etc. Adde *Stat.* 8. *Theb.* 150., *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 23. et 2. *Rapt. Pros. proœm.* 45. et *Calpurn. Ecl.* 7. 24. — Hinc Part. *Stupendus*, de eo, qui stupore vel admiratione dignus est, admirandus, *stupendo, ammirabile*, θαυμαστός. *Val. Max.* 5. 7. *n.* 1. Virtutibus et vitæ meritis stupendus. *Nazar. Paneg. Constant.* 6. Venire ad ingentium virtutum stupenda penetralia. *Auct. Itin. Alex.* 48. Porus stupendus satis supra hominum magnitudinez.

STŬPESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* stupeo, stupefio, stupidus fio. *stupefarsi*, ἐκπλήττομαι. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 102. Incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. *Vulgat. interpr. Ital. Os.* 3. 5. apud *Augustin.* 18. *Civ. D.* 28. Et stupescent in Domino et in bonis ipsius, in novissimis diebus. *Noster Ezech.* 32. 10. Et stupescere faciam super te multos populos. *Gloss. nom. p.* 143. ed. *Loewe.* Stupescere: hebetare.

STŬPĬDĒ, adverb. (stupidus) cum stupore. *Auct. Bapt. Bœbian.* 55. Et cælum stupide suspiciens ait etc.

STŬPĬDĬTAS, ātis, f. 3. (stupidus) tarditas, stupor, *stolidità, stupidezza, mellonaggine*, ἔκπληξις. *Acc.* apud *Non. p.* 226. 22. *Merc.* Ita imperitus stupiditate erumpit se, inops consilii. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 80. In quo incredibilem stupiditatem hominis cognoscite.

STŬPĬDO, as, are, a. 1. (stupidus) stupidum reddo. *Capell.* 5. *p.* 188. Pectore saxificam dicunt horrere Medusam, Quod pavidum stupidet sapiens sollertia vulgus. *et* 7. *sub init.* Seria marcentem stupidant commenta maritum.

STŬPĬDUS, a, um, adject. (stupeo) Sup. *Stupidissimus* II. 2. — Stupidus est extra se positus, torpore captus, ἀναίσθητος, ἔκπληκτος (It. *fuor di sè, fermo, immobile, stupido, sbalordito*; Fr. *étourdi, interdit, frappé*; Hisp. *aturdido, atonito*; Germ. *betäubt, betroffen*; Angl. *torpid, senseless, stupid*).

I.) Proprie. — *a*) De animantibus. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 79. Misera timeo, quid hoc sit negotii: Ita stupida sine animo adsto. *Id. Epid.* 4. 2. 13. Quid stas stupida? quid taces? *Cic.* 4. *Herenn.* 52. 65. Hic alii omnes stupidi timore obmutuerunt. Cf. *Capell.* 8. *p.* 271. Tunc vix senex reclusis creperum videns ocellis Circumspicit ridentes Ictuque suscitante Stupidum dolens tuetur. *h. e.* stupide, dictum, ut videtur, absolute. — *b*) De rebus inanimis. *Venant.* 3. *carm.* 12. 39. Blandifluas stupidis induxit collibus uvas. *h. e.* sterilibus, qui culturam non sentiunt. Adde *Apul.* 4. *Met.*, ubi pro *mare stipatum* alii leg. *stupidum.*

II.) Translate. ¶ 1. Est stupens, rei novitate perculsus, admiratione defixus. *Ter. Hecyr. prol.* 1. 4. Ita populus studio stupidus in funambulo animum occuparat. *Cic. Parad.* 5. 2. Echionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti. ¶ 2. Sæpius est hebes, tardus, stultus, *gaglioffo, stolto, scimunito. Cic. Fat.* 5. *ad fin.* Zopyrus physiognomon stupidum esse Socratem dixit et bardum: quod jugula concava non haberet. *Martial.* 11. 7. Stupidus maritus. *h. e.* qui non sentit, se ab uxore ludi. *Varro* apud *Non. p.* 400. 12. *Merc.* Andromeda vincta et proposita ceto, non debuit patri suo, homini stupidissimo, in os exspuere vitam. — Hinc

Stupidus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, in mimis est persona tarditatem quidem ac stultitiam simulans, sed acutis dictis risum movens, *arlecchino, zanni, buffone. Capitolin. M. Aurel.* 29. Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehendit. de quo mimus in scena, præsente Antonino, dixit, quum stupidus nomen adulteri uxoris a servo quæreret, et ille diceret ter, *Tullus*; et adhuc stupidus quæreret, respondit ille, *jam dixi ter, Tullus dicitur.* et *Arnob.* 7. *p.* 239. Delectantur dii stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus etc. In *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 127. 3. AVRELIVS EVTYCHES STVPIDVS GREGIS VRBANI. Adde *aliam* apud *Kellerm. laterc. duo n.* 14. *lin.* 7. *et n.* 48. *lin.* 4. — De his *Juvenal.* 5. 171. pulsandum vertice raso Præbebis quandoque caput. Talis erat Panniculus ille apud *Martial.* 2. 72. et 5. 61. et illud sigillum, quod eumdem repræsentabat apud *eumd.* 14. 210., cujus lemma *Morio*: Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa. Quisquis plus justo non sapit, ille sapit. *Juvenal.* quoque idem significare videtur 8. 196. mortem sic quisquam exhorruit, ut sit Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi? — Hujusmodi homines in privatorum domibus *moriones* et *fatui* dicebantur, qui risus causa apud ditiores ali solebant. *V.* FATUUS, ubi in *Senec. loc. cit.* pro *vivere* corrige *videre.*

STŬPĬDUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

STŬPOR, ōris, m. 3. (stupeo) alienatio quædam sensuum, torpor: a *stupeo*, quamquam *Furlanetto* videtur esse a στύπος, Laconicis, unde multa habent Latini, στύπορ, stipes. Græce est ἀναισθησία (It. *stordimento, stupidità*; Fr. *engourdissement, étourdissement*; Hisp. *entorpecimiento, aturdimiento*; Germ. *die Betroffenheit*; Angl. *senselessness, numbness*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Phil.* 45. 115. Quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt. *et* 3. *ibid.* 6. *a med.* Qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxit. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 11. Istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 29. Fine carent lacrimæ: nisi quum stupor obstitit illis, Et similis morti pectora torpor habet. *Virg.* 3. *G.* 523. oculos stupor urget inertes.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad animum et est stupiditas, *stolidezza, mellonaggine, ciomperia. Cic.* 2. *Phil.* 26. *a med.* Tantus te stupor oppressit, ut non scias etc. *et ibid.* 12. *a med.* Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. sic enim dixit etc. *et mox.* Sit in verbis tuis hic stupor. quanto in rebus sententiisque major? *Ovid.* 2. *Art. am.* 361. Qui stupor hic, Menelae, tuus? tu solus abibas: Isdem sub tectis hospes et uxor erant. Adde *Phædr.* 1. 13. *et* 14. et *Martial.* 14. 210. ¶ 2. Hinc metonymice de homine stupido, ut *scelus* de scelerato. *Catull.* 17. 21. Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit. ¶ 3. Est etiam ingens admiratio, quæ hominem quasi extra se rapit, *maraviglia, strabiliamento, stupore*, θάμβος. *Justin.* 12. 7. 8. Exercitus in sacros Dei ululatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa discurrit. *Claudian. II. cons. Stilich.* 344. stupor omnibus Indis. *Justin.* 22. 6. *ad fin.* Stupor omnes et admiratio incessit, unde tam subitum bellum. *Arnob.* 1. *p.* 28. Res magna et admirationis stupore condigna. ¶ 4. Et tumor, superbia. *Cyprian. Ep.* 49. (*al.* 52.) *n.* 2. Arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus. *et* 40. (*al.* 43.) *n.* 6. Stupore elatus. *Id. De unit. Eccl.* 16. Error fallit, stupor extollit, livor incendit, cupiditas excæcat.

Homonym. Differt *stupor* a *torpore*, quod hoc magis corpus, illo animus afficitur. *Liv.* 9. 2. Stupor omnium animos ac velut torpor quidam insolitus membra tenet. Cf. *Plin.* 27. *Hist nat.* 2. 2. (6).

STŬPŌRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *stuporo*, stupidum reddo. Translate. *Tertull. Cult. fem.* 3. Omnis gloria vana et stuporata. *h. e.* quam stupore et insana admiratione homines prosequuntur.

STUPPA *vel* stupa, æ, f. 1. — *a*) In MSS. Codd. modo uno, modo duplici p scribitur: *Dausquius* duplicem præfert: uni adstipulatur *Festus p.* 317. 31. *Müll.* — Secundum antiquam orthographiam, inquit *Serv.* ad *loc.* infra *cit. Virg.*, *stipa* dicendum esset, a *stipando.* — *b*) Origo vocis est a στύφω, astringo, denso, spisso, quia, ut ait *Forcellinus*, stuppâ rimæ et foramina, præsertim navium, obstruuntur; vel a *stipo*, ejusdem significationis: cf. στύππη et στύπη, unde duplex, quam vidimus, scribendæ vocis ratio. — Stuppa est proprie, ut docet *Fest. loc. cit.*, linum impolitum, a Græcis Doriis ita appellatum. Hinc *Gloss. Gr. Lat.* Καννίβις, stuppa. (It. *stoppa*; Fr. *étoupe*; Hisp. *estopa*; Germ. *Werg, Heede*; Angl. *tow, hards*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (17). Quod in lino proximum cortici fuit, stupa appellatur deterioris lini et lucernarum fere luminibus aptior. *Varro* apud *Gell.* 17. 3. Liberni plerasque naves loris suebant: Græci magis cannabo et stuppa. *Liv.* 21. 8. *ad fin. de falarica.* Id telum stuppa circumligabant linebantque pice. *Virg.* 5. *Æn.* 682. udo sub robore (*navium ustarum*) vivit Stuppa vomens tardum fumum. Adde *Lucret.* 6. 880., *Cæs.* 3. *B. C.* 101. et *Pers.* 5. 135. ¶ 2. Speciatim est ellychnium, *stoppino, lucignolo. Prudent. Cathemer.* 5. 20. Vivax flamma viget, seu cava testula Sucum linteolo suggerit ebrio-Seu ceram teretem stuppa calens bibit. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 22. 682.

STUPPĀRĬUS *vel* stuparius, a, um, adject. (stuppa) ad stuppam pertinens. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (17). Virgæ lini arefactæ tunduntur stuppario malleo. *con la maciulla.* — Hinc

Stupparius, *ii*, m. 2. absolute, qui stuppas conficit et vendit, vel stuppator. *Gloss. Gr. Lat.* Καναβάριος, stupparius.

STUPPĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

STUPPĀTOR *vel* stupator, ōris, m. 3. (stuppa) qui rimas et foramina, præsertim navium, obstruit, *chi calafata o ristoppa. Inscript.* apud *Gud.* 207. 11. CAPITO TETROFORO PATRONO ET DEFENSORI CODICARIORVM STVPPATORVM PATRONO. Hæc tamen *Orellio* suspecta admodum est, quippe quæ collegium *stuppatorum*, alias inauditum, exhibeat. Sed confirmatur *alia* in *Bullett. dell' Istitut. archeol. a.* 1870. *p.* 19. NVMINI EVIDENTISSIMO MINERVAE AVG. SACRVM CONSERVATRICI ET ANTISTITI SPLENDIDISSIMI CORPORIS STVPPATORVM. *V.* etiam *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1649.

STUPPEUS *vel* stupeus, a, um, adject. (stuppa) ex stuppa factus, *di stoppa. Virg.* 2. *Æn.* 235. pedibusque (*equi lignei*) rotarum Subjiciunt lapsus et stuppea vincula collo Intendunt. *funi.* et *Ovid.* 14. *Met.* 547. Stuppea prærumpit Phrygiæ retinacula classis. *Virg.* 1. *G.* 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ. *Id.* 8. *Æn.* 694. Stuppea flamma manu telique volatile ferrum Spargitur. *h. e.* malleolus stuppa compactus et pice illitus. *V.* MALLEOLUS. *Grat. Cyneg.* 36. aprico Tuscorum stupea campo Messis. *h. e.* linum collectum in Etruria. *Apul. Apolog.* Capillus ipse horrore implexus, stuppeo tomento assimilis.

STŬPRĀTĬO, ōnis, f. 3. (stupro) violatio. *Arnob.* 2. *p.* 73. Ad oris sacri (*feminæ*) comparatæ stuprationem. Ita *Salmas.*, alii rectius leg. *ad oris stuprum paratæ.*

STŬPRĀTOR, ōris, m. 3. (stupro) qui stuprat, temerator, *stupratore, violatore*, διακορίζων. *Seneca Hippol.* 896. Hic dicet ensis, quem tumultu territus Liquit stuprator. *Quintil.* 7. 5. *ad fin.* Stuprator an decem milia dare debeat, quæ pœna huic crimini constituta est. Adde *Sueton. Domit.* 8. et *Firmic.* 5. *Mathes.* 12. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 221. Cycnus stuprator peccat inter pulpita.

STŬPRĀTUS, a, um, particip. *V.* STUPRO.

STŬPRĒ, adverb. (*a* stuprus, a, um, *inusit.*) turpiter. *Neleus* apud *Fest.* in *Stuprum p.* 317. 23. Fœde stupreque castigor cotidie.

STŬPRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (stuprum) Part. *Stupratus* 2; *Stuprandus* 1. — Stupro est dedecoro, fœdo, inquino, polluo, corrumpo (It. *disonorare, deturpare, bruttare, corrompere*; Fr. *déshonorer, souiller, corrompre*; Hisp. *deshonorar, ensuciar, viciar*; Germ. *schänden, beflecken*; Angl. *to dishonor, defile, corrupt.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 15. 33. Tu meam domum religiosam facere potuisti? qua mente? quam amiseras. qua manu? qua disturbaras. quo pulvinari? quod stupraras. *Tertull. Apolog.* 6. Quæ (*leges*) theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant. ¶ 2.

Specialim est stupro violo, stuprum infero, vitio, διακορίζω. *Quintil.* 4. 2. 69. Ingenuum stupravit, et stupratus se suspendit. *Cic.* 5. *Fin.* 22. 64. Inventus est, qui interficeret filiam, ne stupraretur. Adde *Plaut. Aulul. prol.* 36. et *Truc.* 4. 3. 47. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 20. *ad fin.* Stuprata per vim Lucretia a regis filio. *Liv.* 8. 22. Quod eum crimine stupratæ matrisfamiliae absolvisset. *Id.* 39. 15. Simillimi feminis mares stuprati et constupratores.

II.) Translate, seu prægnanti, ut ajunt, sensu. *Cic.* 1. *Att.* 18. *ante med.* Afflicta respublica est, empto stupratoque judicio. *h. e.* corrupto tum pecunia, tum pactione turpi noctium incestarum. V. *Val. Max.* 9. 1. *n.* 7. Alii leg. *constuprato.*

STŬPRŌSUS, a, um, adject. (stuprum) in stupra propensus. *Val. Max.* 6. 1. *n.* 8. Stuprosæ mentis acer punitor.

STŬPRUM, i, n. 2. Ratione habita etymi, *Voss.* in *Etymol.* derivat a στύω, penem erigo; alii a rad. Skr. *trup*, perforare; aut, probabilius, a rad., unde Gr. στοβέω, στοβάζω, vitupero. Cfr. *Vaniçek p.* 1156. — Stuprum proprie est turpitudo, probrum, dedecus, ignominia, apud antiquiores, ut docet *Fest. p.* 317. 21. *Müll.*, αἶσχος (It. *turpezza, onta, disonore, ignominia, vergogna;* Fr. *deshonneur, infamie, opprobre, honte;* Hisp. *verguenza, ignominia, deshonor;* Germ. *die Schande;* Angl. *shame, dishonor, infamy, turpitude*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Appius* apud *Fest. loc. cit.* Nequid fraudis stuprique ferocia pariat. *et Nævius ibid.* Seseque ii perire mavolunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos populares. *et mox.* Sin illos deserant fortissimos viros, magnum stuprum populo fieri pergetis (*al.* per gentes). ¶ 2. Specialim est turpitudo in re Venerea, et quidem — *a*) Stricto sensu, turpis concubitus cum virgine vel vidua, ut docet *Papinian. Dig.* 48. 5. 6., sicut adulterium in nuptam committitur. Quo sensu *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 75. Stupra dico et corruptelas et adulteria, incesta denique. *Sall.* 3. *Hist. fragm.* 67. 15. *Dietsch.* Rapere ad stuprum virgines. Cfr. *Cat.* 15. Jam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili etc. *Curt.* 10. 1. 3. Virgines stupra perpessæ. Adde *Vulgat. interpr. Gen.* 34. 13., *Lev.* 21. 9. et *Num.* 5. 13. — At *Modestin. Dig.* 50. 16. 101. Inter stuprum et adulterium in nuptam, stuprum in viduam committitur; sed lex Julia de adulteriis hoc verbo indifferenter utitur. Hinc *Tertull. De præscript. hær.* 3. David cædis et stupri reus. *h. e.* adulterii. — *b*) Latiore sensu accipitur pro quavis turpi corruptione alterius feminæ vel pueri. *Sall. Cat.* 25. Mulieres, quæ ingentes sumptus stupro corporis toleraverant. *Liv.* 10. 31. Matronæ stupri damnatæ. *Cic. in Senat.* 6. Vini, somni, stupri plenus. *Id.* 5. *Fin.* 22. *sub fin.* Quæ per vim oblatum stuprum voluntaria morte lucret, inventa est. *Id. Dom.* 40. 105. Incesto flagitio et stupro polluit cæremonias. *Id.* 3. *Off.* 9. 38. Stuprum alicui inferre. *Id. Mil.* 27. 73. facere cum aliqua. *Sueton. Cal.* 24. Stupri consuetudinem facere cum sororibus. *Tac.* 14. *Ann.* 2. Stuprum admittere. *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. Conjugem illicere in stuprum. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 456. 15. *Merc.* Rapere ad stuprum virgines matronasque. *Justin.* 8. 6. 6. Omni sollicitatum spe regni, simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit. *Id.* 9. 6. 5. Stuprum per injuriam passus. *Colum.* 7. *R. R.* 6. Caper immodicus libidinis, stupro matrem supervenit. *Tac.* 6. *Ann.* 1. Pubem ingenuam stupris polluere. *Id.* 14. *ibid.* 31. Stupro violare. *Quintil.* 4. 2. 98. Aliquem appellare de stupro. *Val. Max.* 6. 1. *n.* 12. compellare. *et ibid. n.* 6. Se stupri crimine coinquinare. *et n.* 10. Stupri commercium habere. *Curt.* 5. 1. 37. Cujus cum hospitibus stupro coire. *Id.* 10. 1. 26. Stupro effeminari. *Tac.* 4. *Hist.* 44. Stupro aliquam cognoscere. *Val. Max.* 6. 8. *n.* 1. Ire ad stuprum. *Sueton. Oth.* 2. Neroni insinuatus, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum, ut vero quidam tradunt, et consuetudine mutui stupri.

II.) Translate. ¶ 1. Prægnanti, ut ajunt, sensu. *Manil.* 3. 9. Colchida nec referam vendentem-lacerum fratrem stupro. *h. e.* stupri pretio. ¶ 1. Metonymice. *Propert.* 4. 7. 57. Clytemnestræ stuprum. *h. e.* Clytemnestra ipsa stupro et adulterio infamis. Sic *stupor* homo stupidus, *scelus* scelestus.

Homonym. Discrimen inter *stuprum* et *adulterium* V. supra I. 2. Cf. ADULTERIUM.

STŬPŬLA. V. STIPULA.

STURNĪNUS, a, um, adject. (sturnus) ad sturnum pertinens, qui sturnum colore imitatur, ut *equus sturninus*, quem nostrates vulgo *stornello* vocant, quia maculatus est cinericio et albo colore, ut sturnus. *Hieronym.* in *Is.* 66. 20. vertens locum *Zachar.* 1. 8. ex lectione LXX. interpretum. Καὶ ὀπίσω αὐτοῦ ἵπποι πυῤῥοὶ καὶ ψαροὶ καὶ ποικίλοι καὶ λευκοί. Et post eum equi rufi et sturnini et varii et albi. *et ibid.* In martyrio rubri vel sturnini in volatu vel varii in virtutibus vel candidi in virginitate. ubi *sturninus* videtur non tam ad colorem referri, quam ad volandi rationem: de qua V. *Plin. loc. cit.* in voc. seq.

STURNUS, i, m. 2. avis quædam (*Sturnus vulgaris* Linn.): de qua *Plin.* 10. *Hist. nat.* 24. 35. (72). Sturnorum generi proprium catervatim volare, et quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. Græce est ψάρ (It. *storno, stornello;* Fr. *étourneau;* Hisp. *tordo, estornino;* Germ. *der Staar;* Angl. *a starling or stare*). *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (120). Pestem a milio atque panico, sturnorum passerumve agmina abigere. *Ulp. Dig.* 19. 2. 15. Omnem vim, cui resisti non potest, dominus colono præstare debet, ut puta fluminis, graculorum, sturnorum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (120). Habebant Cæsares juvenes sturnum, item luscinias, Græco atque Latino sermone dociles. *Stat.* 2. *Silv.* 4. 18. Auditasque memor penitus demittere voces Sturnus. *Martial.* 9. 55. Sturni inopes. *h. e.* qui parvo emuntur atque inopum cibus sunt. Adde *Lamprid. Com.* 10. *Sueton. fragm. p.* 253. *Reiff.* Sturnorum passitare (*alii* pusitare). Sic *Auct. Philom.* 17. *Wersnd.* Dum turdus truculat, sturnus tunc pusitat ore.

STȲGĬĀLIS, e, adject. (Styx) ad Stygem pertinens, Stygius. *Virg. Cir.* 374. Hinc magico venerata Jovi Stygialia sacra. Ita legit *Scalig.*

STȲGĬUS, a, um, adject. (Styx) ad Stygem, Inferorum fluvium, pertinens, *di Stige*. V. STYX in ONOM.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 323. Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem. *et ibid.* 374. Stygiæ aquæ. *Id.* 4. *G.* 506. Stygia cymba. *h. e.* Charontis. *Id.* 4. *Æn.* 638. et *Inscript.* apud *Reines. cl.* 1. *n.* 257. Juppiter Stygius. *h. e.* Pluto. *Virg.* 9. *Æn.* 104. Stygius frater. *Id.* 6. *ibid.* 252. rex. *Stat.* 4. *Theb.* 526. Stygia Juno. *h. e.* Proserpina. *Val. Flacc.* 1. 730. Stygii manes. *et ibid.* 781. Stygiæ domus. *et* 3. 398. Stygia nox. *Lucan.* 6. 733. Stygiæ canes. *h. e.* Harpyiæ et Furiæ, quæ sunt canes Jovis, ut *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 209. et 6. *ibid.* 257. docet. *Virg.* 7. *Æn.* 476. Alecto in Teucros Stygius se concitat alis. *Id.* 3. *G.* 501. Stygiæ tenebræ. *Horat.* 4. *Od.* 8. 25. Ereptum Stygiis fluctibus Æacum. *h. e.* morti. *Val. Flacc.* 2. 173. Stygiæ tædæ. *h. e.* faces Furiarum. *et ibid.* 106. Virgines Stygiæ. *h. e.* Furiæ. *Ovid.* quoque 10. *Met.* 313. stipitem Stygium pro face Furiali dixit. *Propert.* 2. 20. 71. Stygia sedeat sub arundine remex. *h. e.* quæ plurima in ripis Stygiis provenit: quam deformem arundinem *Virg.* 4. *G.* 478. vocat. *Claudian.* 2. in *Rufin.* 167. (et *Ovid.* 1. *Met.* 139.) Stygiæ umbræ. *h. e.* Manes. *Seneca Herc. Œt.* 1245. Stygius custos. *et ibid.* 1257. canis. *h. e.* Cerberus. *Lucan.* 6. 838. *et Stat.* 11. *Theb.* 415. Stygiæ sorores. *h. e.* Parcæ. *Inscript.* apud *Henzen n.* 7413. NVNC DATA SVM DITI LONGVM MANSVRA PER AEVVM DEDVCTA ET FATALI IGNE ET AQVA STYGIA. *Alia* apud *Gruter.* 23. 6. (*Orell. n.* 1266.) GENIO IOVI STYGIO SANCTO SACRVM etc. Adde *aliam* apud *eumd.* 52. 11. (*Orell. n.* 1265.). Hinc *Arnob.* 2. *p.* 70. Nam si verum est ex Saturno atque ejus uxore Jovem suis cum fratribus procreatum, ante nuptias et partus Opis nusquam fuerat Juppiter, tam supremus, quam Stygius. et *Augustin.* 4. *Civ. D.* 11. Ita tollitur et removetur e medio Stygii frater Jovis Olympiique germanus. *Claudian. III. cons. Honor.* 185. Luget avarities Stygiis innexa catenis. *h. e.* Infernis, insolubilibus.

II.) Translate. ¶ 1. Est mortifer, exitialis. *Virg.* 5. *Æn.* 855. ramum Lethæo rore madentem Vique soporatum Stygia. *h. e.* mortifera. *Ovid.* 15. *Met.* 791. Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo. *h. e.* qui cantu mortem significare videtur: unde ab *eod.* funereus dicitur 10. *Met.* 453. et ferale carmen *Virg.* 4. *Æn.* 462. ei tribuit. *Ovid.* 3. *Met.* 75. *de angue venenifero.* quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 304. Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes. *h. e.* venenum mortiferum. *Sil. It.* 12. 244. Stygius color. *h. e.* mortis, seu pallidus, immo lividus, quod τῷ *niveus* ibi opponatur. ¶ 2. Est etiam magicus. *Lucan.* 6. 766. Stygium carmen. Sic *Seneca Œdip.* 621. preces. *et Val. Flacc.* 6. 155. ars. *Sil. It.* 12. 125. religio. *Id.* 2. 427. vates. *Id.* 1. 94. vestis. *h. e.* magica; *al.* nigra.

STȲLŎBĀTA, æ, m. 1. et stylobates, is, 3. στυλοβάτης, basis sive pes columnæ, *piedestallo*, quia eo στῦλος βαίνει, columna stat. Differt a *stereobata*, quia stereobatæ sunt parietes, qui subjiciuntur columnis et onera excipiunt; stylobatæ sunt ea, quæ stereobatis superimponuntur et super quæ demum disponuntur columnæ. *Vitruv.* 3. 3. Exstructis fundamentis, ad libramentum stylobatæ sunt collocandi: supra stylobatas columnæ disponendæ. *Varro* 3. *R. R.* 5. Subter columnarum stylobaten est lapis etc. *et paullo supra.* Secundum stylobatis interiorem partem dextra et sinistra etc.

Homonym. Discrimen inter *stylobaten* et *stereobatam* V. supra.

STȲLUS. *V.* STILUS.

STYMMA, ătis, n. 3. στύμμα, spissamentum, quod stringit: a στύφω, adstringo. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. *a med.* Ea vero, quæ sunt leviter stringentia et quæ appellantur stymmata, nunc incongrua judicamus. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 3. (7). et *Plin. Valerian.* 2. 28. *V.* HEDYSMA et voc. seq.

STYMMĂTĬCUS, a, um, adject. στυμματικός, ad stymma pertinens, hoc est vim habens adstringendi. *Plin. Valerian.* 2. 2. 28. Vinum stymmaticum.

STYPA. *V.* STIPA.

STYPSIS, is, f. 3. στύψις, constrictio. Græce *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 27. Constrictio, quam Græci στύψιν vocant. Latine *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. *de vino acinaticio.* Dulcedo illic ineffabili suavitate sentitur, stypsis nescio qua firmitate roboratur. *Id. ibid.* 12. *de vino palmatiano.* Vinum quoque, quod laudare cupiens, palmatianum nominavit antiquitas, non stypsi asperum sed gratum suavitate perquire.

STYPTĒRĬA, æ, f. 1. (στυπτηρία) *Styptiria* pro *stypteria*, ex diversa apud Latinos pronunciatione litteræ η, habet *Plin. Valerian.* 1. 36. — Stypteria est alumen, *allume*: a στύφω, astringo, quia astringendi vim habet. *Ulp. Dig.* 27. 9. 3. *extr.* Si lapicidinas, vel quæ alia metalla pupillus habuerit stypteriæ vel alterius materiæ. Adde *Plin. Valerian.* 1. 14. *ante med.* et *Marcell. Empir. c.* 7. *s.* 1. *p.* 92.

STYPTĒRĬAZŪSA, æ, f. 1. στυπτηριάζουσα, particip. a στυπτηριάζω, alumen exhalo: dicitur de aqua, quæ alumen exhalat, *alluminosa*. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. 1. Natatio maritima et aquarum naturalium et magis frigidarum, quæ aluminis naturam exhalant, quas stypteriazusas vocaverunt, sive ferrugineas, quas siderizusas appellant. In *edit.* leg. *stypteriazas* et *siderizasas.*

STYPTĬCE, es, f. 1. στυπτική, medicina astringens. *Apul. herb.* 8. *V.* voc. seq.

STYPTĬCUS (stipticus), a, um, adject. στυ-

πτικός, astringendi, obstruendi stipandique vim habens, a στύφω, astringo, denso, *astringente, stitico.* — *a*) In re medica. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 73. (120). Inter medicamenta, quæ styptica vocant, nihil efficacius ruri mora ferentis radice. *Id.* 32. *ibid.* 9. 36. (111.) Herbæ ei natura est styptica. *Macrob.* 7. *Saturn.* 16. *sub fin.* Est in ære vis acrior, quam medici stypticam vocant. — *b*) Extra rem medicam, dicitur et de saporibus, de iis scilicet, quæ austera sunt et gustatu linguam astringunt, *lazzo, aspro.* *Pallad.* 2. *R. R.* 17. Vini veteris styptici hemina. *et* 11. *ibid.* 14. Vinum album et stypticum prodest stomacho laxiori. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. *circa med.* Stypticus sapor. Adde *Plin. Valerian.* 1. 2. — Hinc

Stypticum, i, n. 2. absolute, medicamentum astringens. *Pallad.* 3. *R. R.* 31. Quod vinum medicinæ quoque proderit, ubi stypticis est utendum. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 1. 3. Cydonea Dioscorides et diuretica existimat austeritatis beneficio. Ceterum styptica comprimere urinam magis, quam agere consuerunt. Adde *Pelagon. Veterin.* 16.

STȲRĂCA, æ, *vel*

STȲRĂCE, es, f. 1. *V.* STYRAX.

STȲRĂCĪNUS *vel* storacinus, a, um, adject. (styrax *vel* storax) Etiam *storatinus*, pro *storacinus*, ut *styrata* pro *styraca*, apud *Plin. Valerian.* 1. 2. — Styracinus dicitur qui ex styrace est. *Sulpic. Sev. Dial.* 1. 19. Casu abbas storacinam virgam jampridem aridam manu gerebat. hanc solo figit, atque advenæ id operis imponit, ut tamdiu virgulæ aquam ministraret, donec viresceret. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. 113. Styracinum oleum. Adde *Plin. Valerian.* 1. 38. et *Pelagon. Veterin.* 17.

STȲRĀTA. *V.* voc. præced.

STȲRAX *vel* storax, ăcis, m. 3. (στύραξ). Etiam *storaca, æ,* et *storace, es,* f. 1. eodem sensu usurpatur. *V.* infra. Item *styrata.* V. voc. præced. init. — Styrax, *storace,* arbor, et etiam sucus seu resina inde promanans. Hæc arbor, ut docet *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 55. (124), est cotoneo malo similis, lacrimæ ex austero jucundioris: intus similitudo arundinis, suco prægnans. In hanc circa Canis ortus advolant pinnati vermiculi erodentes: ob id in scobe sordescit (*Styrax officinalis* Linn.). — Eadem arbor styracem gignit in Syria, qui laudatur etiam ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta minime. Color in quacumque natione præferuntur rufus et pinguiter lentus: deterior furfurosus et cano situ obductus. Hæc *id. ibid.* et 24. *ibid.* 6. 15., ubi docet varios ejus usus in medicina. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. 80. Ex Syria revehunt (*Arabes*) styracem, acri odore ejus abigentes suorum (*odorum*) fastidium. *Id.* 10. *ibid.* 70. 90. (195). et *Seren. Sammon.* 46. 864. Styracis odore serpentes fugantur. *Virg. Cic.* 169. Non styrace Idæo fragrantes picta capillos. *h. e.* ex Ida Cretæ. Alii hic leg. *storax.* Sicut apud *Solin.* 33. *ante med.* Arabes myrrhæ sarmentis ignes fovent: quorum fumo satis noxio, nisi odore cremati storacis occurrant, plerumque insanabiles morbos contrahunt. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 24. 276. 277. et 280. et *Vulgat. interpr. Gen.* 43. 11. *et Eccli.* 24. 21. — *Plin. Valerian.* 1. 11. Styracæ Isauricæ libram unam, styracæ calami libram unam et semis, masticæ etc. *Vindician. carm.* 48. Tus, costum, folium, myrrham, styracem etc. — Ad *Plin. loc. cit.* ex *l.* 12. hæc habet cl. *Fée*: « On distingue aujourd'hui dans le commerce trois espèces de storax: 1.° Le storax en grains que Pline semble ne pas avoir connu; 2.° le storax amygdalite, qui pourrait bien être la sorte que Pline dit être falsifiée avec les amandes amères; 3.° et le storax en masses ou rouge-brun fort souvent souillé de vermoulure ou de sciure de bois: Pline en a parlé; c'est un produit très-peu estimé et fort peu digne de l'être ». — *NB.* De nom. et cogn. *R. V.* ONOM.

STȲSIS, idis, f. 3. στῦσις, proprie penis erectio ac dein emplastrum, quo erectio illa efficitur. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 7. Emplastron entaticum, quod stysidem Africanus iatrosophistes vocavit. *V.* ENTATICUS.

STYX, ȳgis *et* ȳgos, f. 3. (Στύξ) In Acc. sing. *Stygem* et *Styga*. V. infra II. — Styx, *Stige,* nomen fontis in Arcadia et etiam paludis in Inferis, ab Homero fictæ, de qua *V.* ONOM.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 478. limus niger et deformis arundo Cocyti tardaque palus inamabilis unda Alligat, et novies Styx circumfusa coercet. — Hanc Inferni paludem Superi tanta in religione habuerunt, ut per Stygem jurare soliti essent, et nefas ducerent quidquam eorum, quæ per Stygem jurassent, non observare: siquis autem deorum hoc jusjurandum violasset, centum annis a nectare abstineret et numinis majestate esset privatus. Hac de re *Servius* sic scribit, enarrans illum locum *Virg.* 6. *Æn.* 133. Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est, Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre Tartara. Dicitur, inquit, Victoria Stygis filia bello Gigantum Jovi favisse: pro cujus remuneratione Juppiter tribuit, ut jurantes dii per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem hæc est. Styx mœrorem significat: unde ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ, id-est a tristitia, Styx dicta est. Dii autem læti sunt semper: unde et immortales. Ergo quia mœrorem non sentiunt, jurant per rem suæ naturæ contrariam, idest tristitiam, quæ est æternitati contraria. Ideo jusjurandum per exsecrationem habent. Hæc *Serv.* Hinc *Virg.* 6. *Æn.* 323. Stygiamque paludem, dii cujus jurare timent et fallere numen. *Ovid.* 3. *Met.* 290. Stygii quoque conscia sunto Numina torrentis, timor et Deus ille deorum. *et Ib.* 78. Imperjuratæ laberis amnis aquæ. *Stat.* 8. *Theb.* 30. et Styx perjuria divum Arguit. *Sil. It.* 13. 568. At magnis semper divis regique deorum Jurari dignata palus, picis horrida rivo, Fumiferum volvit Styx inter sulphura limum.

II.) Metonymice. ¶ 1. Ponitur pro ipsis Inferis: et pro morte, qua ad Inferos itur. *Virg.* 1. *G.* 243. Styx atra manesque profundi. *Martial.* 4. 60. Inter laudatas ad Styga missus aquas. ¶ 2. Et pro veneno. *Seneca Œdip.* 163. Miscuit undis Styga Sidoniis.

SU

SU pro Sum. *V.* SUM.

SUAD TED, idem ait esse, sic te. *Festus p.* 351. 15. *Müll.*: quæ verba *Scalig.* sic legenda conjicit: Sed ted, idem ait esse, sine te. *Se* enim et *sed* pro *sine* olim dictum est. *V.* SE. Tò *idem* videtur Verrium Flaccum vel Messalam designare. At *Scaligeri* conjecturam improbat *Müllerus* in *Suppl.* ad *h. l. p.* 411. et hanc formam confert cum voce Osca *suaepis* pro *si quis,* de qua V. *Fabretti* in *Gloss. Ital.* ad *h. v.* Cf. Oscum *suai* et Gr. *εἰ*, *εἰ* vel Dor. *αἰ*, si.

SUĀDA, æ. *V.* SUADUS.

SUĀDĒLA, æ, f. 1. (suadeo) In *Gloss. Gr. Lat.* Πειθώ, suadella. cum duplici *l*, sed minus recte. *Mar. Victorin. p.* 2463. *Putsch.* Loquela et querela et suadela et tutela uno *l* scribenda sunt. Cf. tamen *Cassiod. p.* 2290. *Putsch.*, *O. Ribbeck* in *Virg. proleg. p.* 429. et *Brambach p.* 259. — Suadela est idem ac suasio, eloquentia, qua quid alicui suademus. *Plaut. Cist.* 2. 3. 24. Jam perducebam illam ad me suadela mea. *Apul.* 2. *Dogm. Plat. sub fin.* Si consilio et suadela depravata consuetudo deflecti non poterit. *Id.* 9. *Met.* His et hujuscemodi suadelis etc. — In Fabulis est dea, quæ et Suada dicitur. *V.* SUADUS in fin. Aliqui dicunt, ex *Plutarcho,* Suadelam nuptiis una cum Venere præfuisse. *Phurnutus* in *Quæst. Rom.* 2. etiam scribit, assidere Veneri Gratias, Suadelam, Mercurium, quod Suadela oratione et gratia amatores pelliciat. V. *Capell. loc. cit.* in PITHO. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 38. Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.

SUĀDĒNA, æ, f. 1. piscis genus. *Gloss. Lat. Gr.* Suadena; σφύραινα. *V.* SUDIS. Cf. *Salmas.* ad *Plin. p.* 231.

SUĀDENS, entis, particip. *V.* SUADEO.

SUĀDENTER, adverb. (suadeo) cum suasione, *con persuasiva.* *Arnob.* 2. *p.* 56. Suadenter loqui in litibus. Adde *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1. 5. 26.

SUĀDĔO, suādes, suāsi, suāsum, suādere, a. 2. Trisyllabon est; at primam syllabam in duas per diæresin diduxit *Lucret.* 4. 1149. alios alii irrident Veneremque suadent. Sic *Vet. Auct. Epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 33. *Burmann.* Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit? Et *Auct. Carm. de fig.* 65. Quum sensi, dixi: quum dixem, deinde suasi. — Videtur *Forcellino* esse ab ἥδω vel ἅδω, delecto, præposito *s* pro spiritu aspero: cf. *suavis.* Sed etymologi recentiores conjungunt cum Skr. *suvadas* a rad. *vad,* loquor, dico. — Part. *Suadens* 1. 1.° et 2.°; *Suasus* 2. 2.° *a, b* et in fin.; *Suasurus* 1. 3.°; *Suadendus* 1. 2.° *a.* — Suadeo proprie est gratum aliquid demonstro, vel suavibus et accommodatis verbis aliquem in opinionem meam inducere conor; hinc hortor, moneo, auctor sum, πείθω (It. *esortare, consigliare;* Fr. *conseiller, exhorter, déterminer à;* Hisp. *aconsejar, exhortar;* Germ. *rathen, Rath geben, zureden;* Angl. *to advise, exhort, recommend*). Tribuitur tum animantibus, tum inanimis. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Absolute vel neutrorum more. — *a*) Cum subjecto personæ. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 120. Ego neque jubeo neque veto neque suadeo. *Id. Curc.* 4. 2. 22. Vos fenore, hi male suadendo et lustris lacerant homines. *Id. Rud.* 3. 6. 37. pariter suades qualis es. *Ter. Andr.* 4. 1. 38. Numquam destitit Instare — Suadere, orare: usque adeo donec perpulit. *Id. Eun.* 1. 1. 31. itane suades? *Id. Phorm.* 3. 3. 9. sane hercle pulcre suades. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 13. Non jubeo, sed, si me consulis, suadeo. *Cic. Amic.* 13. 44. Amicorum bene suadentium auctoritas. *Id.* 11. *Att.* 16. De obviam itione ita faciam, ut suades. — *b*) Cum subjecto rei. *Lucret.* 1. 175. suadente auctumno. *Virg.* 9. *Æn.* 340. Suadet enim vesana fames. *Sil. It.* 7. 668. suadente pavore. *Ovid. Heroid.* 7. 55. Ut pelago suadente etiam retinacula solvas. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 27. Interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Novissime, ita suadentibus annis, ab Urbe secessit. — *Verba suadentia* apud *Stat.* 11. *Theb.* 435. sunt mollia, placida, sermo ad pacem hortantis. — 2.°) Cum accusativo, seu transitive, et quidem — *a*) Cum subjecto personæ et accus. rei, addito etiam aliquando dativo ejus, cui quid suadetur. *Plaut. Cist.* 2. 1. 10. Quod suasit, dissuadet. *Id. Capt.* 2. 2. 78. Suadere multa multis sæpe perperam. *Cic.* 13. *Att.* 38. *ad fin.* Tu quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. *Id.* 7. *Fam.* 3. Cœpi suadere pacem. *Quintil.* 3. 8. *a med.* C. Cæsari suadentes regnum. *Justin.* 3. 2. *ad fin.* Parcimoniam omnibus suasit. *Sueton. Cæs.* 14. Suadere asperiora. *Id. Oth.* 8. quietem et concordiam. *Vellej.* 2. 52. 2. longe diversa. *Sueton. Claud.* 10. Accitusque et ipse per tribunos plebis in curiam ad suadenda, quæ viderentur. — Passive. *Plaut. Trin.* 3. 2. 44. Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 49. Quid Claudiopolitanis circa balineum suadendum sit. — *b*) Item cum solo accus. personæ, sed raro. *Tertull. Habit. mul.* 1. Tu es, quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit. *Apul.* 9. *Met. p.* 642. *Oud.* Uxorem ejus tacite suasi ac denique persuasi, secederet paullulum. Cf. *Cic.* 13. *Fam.* 4. *circa med.* Hæc eo spectant, ut te horter et suadeam. reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum. — Passive. *Arnob.* 1. *p.* 40. Immortalitatem habere confiditis paucorum asseverationibus suasi. *Id.* 2. *p.* 61. Nec potest aliquid suaderi perdere. *Plaut. Aulul.* in *argum.* 1. *v.* 6. Megadorus a sorore suasus ducere Uxorem. *Apul.* 5. *Met.* Ne quando, sororum pernicioso consilio suasa, de forma mariti quærat. *Id.* 9. *ibid.* Probe suasus et confirmatus a-

nimi amator. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 4. Oratione facta magis erit suasus, quam adjutus. — c) Cum subjecto et objecto rei. *Virg.* 2. *Æn.* 9. suadentque cadentia sidera somnos. *Id.* 1. *Ecl.* 56. Sæpe levi somnum suadebit inire susurro. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 59. Nox et Amor vinumque nihil moderabile suadent. *Lucan.* 1. 162. hostiles luxum suasere rapinæ. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 179. crimina suadet egestas. — 3.°) Cum ablat. rei et præp. *de. Quintil.* 3. 8. *ante med.* Suasuris de pace, bello, copiis, hæc duo nota esse voluit. — 4.°) Cum conjunctivo et partic. *ut, ne. Plaut. Asin.* 5. 2. 64. ut decumbamus, suadebo. *Id. Most.* 3. 2. 110. suadeam Philolacheti, Ut istas remittat sibi. *Cic.* 9. *Fam.* 6. *ante med.* Suades, ut ab eo petam. *Id.* 11. *Att.* 16. Suadere, ut ad Quintum scribam de his litteris, *Nepos Lysandr.* 3. Suadet Lacedæmoniis, ut dux eligatur. *Quintil.* 5. 13. 6. Suades, ut laudem humanitatis concupiscat. *Vellej.* 2. 63. 2. Quum acerrime suasisset Lepido, ne se cum Antonio jungeret. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Suasisti, ne facerem. *Tac.* 4. *Hist.* 8. *ad fin.* Suadere Prisco, ne supra principem scanderet. Adde *Quintil. Ep. ad Tryph.* — Omissa partic. *ut. Nepos Con.* 4. Se suadere, dixit, Pharnabazo id negotii daret. *Petron. Sat.* 35. *extr.* Suadeo, inquit, cenemus. Adde *Plaut. Asin.* 3. 3. 54. — 5.°) Cum infinito, et dat. vel accus. personæ, cui quid facere suadetur; aut etiam absolute. *Phædr.* 1. 15. Suadebat asino fugere. *Virg.* 4. *G.* 264. galbaneos suadebo incendere odores. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 31. Me pietas commodum suadet sequi. *Virg.* 12. *Æn.* 813. Juturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi, quum solitum sit, inquit *Macrob.* 6. *Saturn.* 6., dici, Juturnæ suadeo. Adde *Plaut. Aulul. loc. cit.*, *Quintil.* 2. 5. 23. et 10. 2. 24., *Sueton. Tib.* 32. et *Arnob.* 2. *p.* 61. — 6.°) Cum partic. relativâ. *Plin.* 7. *Ep.* 9. *in fin.* Dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo. *Plin. alter* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (76). Apollodorus medicus in volumine, quo suasit Ptolemæo regi, quæ vina biberet, laudavit Oreticum, Leucadium etc. ¶ 2. Speciatim pro persuadere. *Cic. Arch.* 6. 14. Nisi mihi ab adulescentia suasissem, nihil esse in vita etc. ¶ 3. Item pro jubere, imperare. *Ovid.* 9. *Met.* 691. Quique premit vocem (*Harpocrates*) digitoque silentia suadet. ¶ 4. Item pro commendare, *raccomandare. Cic. Senect.* 5. *a med.* Legem Voconiam magna voce matris potius suasi. Sic 3. *rep.* 18. 28. Suadere rogationem. *Liv.* 45. 21. Privatis suadendi dissuadendique legem potestatem facere. Cf. *Quintil.* 3. 8. *ante med.* — Absolute. *Quintil.* 3. 8. 15. In suadendo et dissuadendo tria primum spectanda, quid sit, de quo deliberatur etc. Cf. *Vulgat. interpr. Gal.* 1. 10. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? *cerco io raccomandarmi; voglio io rendermi grato o commendabile.* ¶ 5. Item pro securum reddo, confirmo. *Vulgat. interpr.* 1. *Joh.* 3. 19. In conspectu ejus suadebimus corda nostra. *rassicureremo, rinfrancheremo.* ¶ 6. In illo *Tertull. advers. Valentin.* 4. Alioquin tantum se huic hæresi suadere permissum est. *suadere* translatum est ab officinis baphicis infectorum. (*V.* SUASUM 2.) Sensus est huic hæresi permissum est tantum se suadere. *h. e.* tantum sibi coloris et fuci pigmentique fallacis abdere, quantum publica scorta meretricesque solent. — Hinc

Suasum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est dictum suave, quod ideo aliquem ad quidlibet patrandum suadet. *Tertull.* seu *Cyprian. Genes.* 103. Illa (*Eva*) sub hæc pandit: Serpentis suasa loquentis Accepi fallente dolo blandoque rogatu. Ceterum *V.* SUASUM.

Homonym. Differt *suadeo* a *persuadeo*, cujus contrarium est *dissuadeo*; quia *suadet*, qui hortatur incerto eventu: qui *persuadet*, id obtinuit, ad quod hortabatur: qui ergo *dissuadet*, id obtinuit, ad quod dehortabatur. *Cic.* 2. *Phil.* 11. *a med.* An C. Trebonio persuasi? cui ne suadere quidem ausus essem. Adde *ibid.* 10. 24. Hoc tamen discrimen non est perpetuum. Cf. *Cic. Arch.* 6. 14. et *V.* PERSUADEO.

SŪĀDĬBĬLIS, e, adject. (suadeo) idem ac suasibilis. *Vulgat. interpr. Jac.* 3. 17. Sapientia pacifica, modesta, suadibilis. *Gloss. Lat. Gr.* Suadibile, πειθανόν. — *Augustin.* 18. *Cic. D.* 51. Doctrina suadibilis. *h. e.* persuasibilis.

SŪĀDĬLŪDĬUS. *V.* SUAVILUDIUS.

SŪĀDUS, a, um, adject. (suadeo) suadendi vim habens, flexanimus, *allettevole*, πειθανός. *Stat.* 4. *Theb.* 452. Inclinat Bacchi latices et munera verni Lactis et Actæos imbres suadumque cruorem Manibus. *Apul.* 11. *Met. sub fin.* Divini somnii suada majestas. *Symmach.* 3. *Ep.* 6. Delenifica et suada facundia. *Capell.* 1. *p.* 2. Juppiter delinitus suadæ conjugis amplexibus. *Serv.* ad *Virg.* 1. *Æn.* 724. Sane Veneri multa nomina dicuntur imposita. nam alii suadam appellant, quod ipsa conciliatio suada sit. dicitur etiam obsequens etc. *Auson. Profess.* 16. 21. *Schenkl.* Aurea mens, vox suada tibi: tum sermo quietus. — Hinc

Suada, æ, f. 1. absolute, apud mythologos, est suasionis dea, a *suadeo*, ut Græce vocatur Pitho, Πειθώ, ἀπὸ τοῦ πείθειν, suadere. *Cic. Brut.* 15. 59. Suadæque medulla. Πειθώ, quam vocant Græci, cujus effector est orator, hanc Suadam appellavit *Ennius*, ut, quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. *Id. Senect.* 14. 50. M. Cethegum, quem recte Suadæ medullam dixit Ennius etc. *Gell.* 12. 2. hunc locum *Ennii* referens, habet: Flos delibatus populi et suada medulla: ut *suada medulla* per appositionem dictum sit. Alii suspicantur *Suadai* legendum esse. *Capell.* 9. *p.* 301. Nec Suada illecebris sponsalia pectora mulcet. *Quintiliano* tamen 2. 15. *ante med.* minus placet hæc vox, tamquam dura declinatione a *suadeo* formata. — In illo *Capell.* 31. *p.* 12. *Kopp.* Nostrisque suada quo allubescat nisibus. *suada* eadem est quæ suadela. *V.* adnot.

SUALITERNĬCUM. *V.* voc. seq.

SUALTERNĬCUM, i, n. 2. genus electri fulvi apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 11. (33)., ubi alii *subalternicum*; at *Sillig.* et *Jan.* leg. *sualiternicum.*

SŬĀMET et

SŬAPTĔ. *V.* SUUS.

SŬĀRĬA, æ, f. 1. et

SŬĀRĬUM, ĭi, n. 2. *V.* voc. seq.

SŬĀRĬUS, a, um, adject. (sus) ad sues pertinens, *da porci*, ὕειος, ὕινος. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 7. (10). Suarius negotiator. *Ulp. Dig.* 1. 12. 1. *a med.* Forum suarium sub ipsius cura est: sed et ceterorum sive pecorum sive armentorum. — *Suarium forum* erat in regione Urbis septima. *Curios.* et *Notit. Urb. p.* 12. et 13. — Hinc absolute, substantivorum more

Suaria, æ, f. 1. negotiatio aut annona suaria, *Tab. edicti* apud *Gruter.* 647. 7. CVM SVARIOS VIDEREMVS DAMNIS ADFECTOS ET EOS ETIAM ORDINES QVI SVARIAM FACIVNT. et *mox.* VT DVAE PARTES SVARIIS TERTIA VERO HIS ORDINIBVS SVFFICIAT QVI SVARIAM RECOGNOSCVNT.

Suarium, ii, n. 2. suile. *Thom. thes. ling. Lat.* ab *A. Maio* ed. in *Class. Auct. T.* 8. 525.

Suarius, ii, m. 2. ¶ 1. Est subulcus, *porcaio*, ὑοβότης, συβώτης, *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (208). Compertum, agnitam vocem suarii furto abactis. ¶ 2. Est etiam qui suillæ carnis negotiator est. *Cod. Theod.* 14. 4. 3. Ea pretia, quæ in Campania per singulos annos reperiuntur, suariis urbis Romæ debent solvi, ita ut periculo suariorum populo porcinæ species affatim præbeantur. — Hujusmodi plures erant et corpus constituebant: unde *corpus suariorum et confectuariorum* legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 361. 1. Adde 647. 7. et *Symmach.* 10. *Ep.* 27. (*al.* 34.).

SŬĀRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præc.

SUĀSĬBĬLIS, e, adject. (suadeo) qui suaderi potest. *Boeth. Arist. Top.* 1. 9. Sunt problemata, de quibus sunt rationes suasibiles. et *ibid.* Syllogismi probabiles et suasibiles. *Isid.* 2. *Orig.* 14. Suasibilis parasitus.

SUĀSĬO, ōnis, f. 3. (suadeo) actus suadendi, adhortatio, *esortazione*, παράκλησις. ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 95. Non tantum præceptionem, sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam judicat. — In plur. num. *Gell.* 10. 19. *in fin.* Omni suasionum admonitionumque genere utens, sectatores tuos ad rationes bonæ indolis ducebat. *Chalcid. Tim.* 300. Suasiones malæ. ¶ 2. Speciatim est sermo, qui fit ad aliquid commendandum. *Cic. Cluent.* 51. 140. M. Brutus in suasione legis Serviliæ summis ornat senatum laudibus. ¶ 3. Item apud rhetores est oratio deliberativi generis, quippiam suadens aut dissuadens, quæ et *suasoria* dicitur. *Cic. Orat.* 11. *a med.* Plura sunt orationum genera eaque diversa, laudationum, scriptionum et historiarum, et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum. *Id.* 2. *Orat.* 81. 333. Ea præcepta, quæ de suasionibus tradenda sunt et laudationibus. Adde *Quintil.* 3. 8. 6.

SUĀSOR, ōris, m. 3. (suadeo) qui suadet, impulsor, hortator, *consigliatore, esortatore*, εἰσηγητής. ¶ 1. Generatim. *Enn.* apud *Gell.* 7. 2. Hannibal audaci cum pectore dehortatur, Ne bellum faciam: quem credidit esse meum cor Suasorem summum et studiosum robore belli. *Plaut. Most.* 3. 3. 13. Me suasore et impulsore id factum, audacter dicito. *Cic.* 3. *Off.* 30. 109. Atque hujus deditionibus ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. *Id.* 2. *Phil.* 12. 29. Quid enim interest inter suasorem facti et probatorem? et 1. *ibid.* 3. *in fin.* Repudiatis malis suasoribus. *Id* apud *Quintil.* 3. 8. *a med.* Suasoris finis est utilitas ejus, cui quisque suadet. *Ovid.* 4. *Fast.* 75. Trojanæ suasorem Antenora pacis. ¶ 2. Speciatim qui aliquid commendat. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Hæc epistola non suasoris est, sed rogatoris. *Vellej.* 2. 44. 4. Suasore legis Pompejo. Cf. SUADEO 4.

Homonym. *Suasor* minus est, quam *auctor*; hic enim perficit, quod suaserat: *suasor* aliquando repellitur. *Sueton. Tib.* 27. *in fin.* Aliud dicentem *sacras ejus occupationes*, et rursum alium, *auctore eo senatum se adiisse*; verba mutare et pro *auctore suasorem*, pro *sacris laboriosas* dicere coegit.

SUĀSŌRĬA, æ, f. 1. *V.* SUASORIUS.

SUĀSŌRĬĒ, adverb. (suasorius) ad suadendum. *Priscian.* 18. *p.* 255. 16. *Keil.* Indicativis utimur rem, quæ fit, indicantes; subjunctivis vero, quod debuit fieri, ostendentes, magis suasorie. *Schol.* ad *Juvenal.* 1. 16. Consilium dedimus Syllæ, id est suasorie scripsimus. V. *Nov. Glossar. Lat. p.* 66.

SUĀSŌRĬUS, a, um, adject. (suadeo) ad suadendum pertinens, *esortatorio*, παραινετικός. *Quintil.* 3. 8. 6. Pars deliberativa, quæ eadem suasoria dicitur, de tempore futuro consultans, quærit etiam de præterito: officiis constat duobus, suadendi ac dissuadendi. — *Apul.* 5. *Met.* Psyche Cupidini imprimens oscula suasoria. *h. e.* quæ illi, ut petita sibi concederentur, suaderent vel potius persuaderent. — Hinc

Suasoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur de oratione, qua deliberantibus suademus aliquid aut dissuademus: cujusmodi sunt octo illæ M. Senecæ rhetoris. *V.* CONTROVERSIA. *Quintil.* 2. 1. *circa med.* Si grammatices munus usque ad suasorias (quæ sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi) prorogatur, tardius rhetore opus est. *Id.* 2. 4. *a med.* Sunt et illæ pæne totæ ad deliberativem pertinentes genus: ducendane uxor, petendine sint magistratus. namque hæ, personis modo adjectis, suasoriæ erunt. *Id. ibid.* § 33. Quæ quidem suasoriis magis, an controversiis accommodata sit concitatio, consuetudine et jure civitatium differt: apud Græcos enim lator earum ad judicem vocabatur, Romanis pro contione suadere ac dissuadere moris erat. *Petron. Sat.* 6. Qui Agamemnonis suasoriam exceperat. *Quintil.* 3. 8. *a med.* Declamare suasorias. — *Tertull. advers. Psych.* 2. Et scimus, quales sint carnalium commodorum suasoriæ. *h. e.* declamationes com-

modis carnalibus suadendis. Suasoriæ namque, tamquam leviores et minus prudentiæ postulantes, pueris delegantur quasi rudimenta dicendi: controversiæ seu judiciales robustioribus assignantur.

SUĀSUM, i, n. 2. duo diversa significat. ¶ 1. *Suasum*, dictum suave: de quo *V.* SUADEO in fin. ¶ 2. *Suasum* etiam color appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo, Plautus (*Truc.* 2. 2. 16.) Quia tibin suaso infecisti, propudiosa pallulam? Quidam autem legunt *insuaso*: nec desunt qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari: quod quasi persuadetur in alium ex albo transire. Hæc *Festus*. *p.* 302. 12. *Müll.*, ad quæ *Salmasius* adnotavit, proprie *suasa* et *insuasa* dici, quæ colorem aliquem penitus imbiberunt et saturata sunt: ducta loquendi ratione a Græcis, qui ea πεπεισμένα dicunt. Maxime autem imbibi colorem fumi in ligno, quod diutino stillicidio subjectum fuerit: unde in *Gloss. Philox.* Insuasum, εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένον. — Ceterum *Io. Galvanius* in *Memor. Moden. di relig. T.* 18. recte probat, *suasum* colorem similem esse *impluviato* et *usticio*, qui nempe croceus est, sed subfuscus, quo sæpissime usos fuisse veteres Romanos constat ex picturis Herculanensibus et Pompejanis, quoque etiamnum summopere gaudent nostrates feminæ rusticanæ: vocem autem corruptam censet a *subarsus* vel *subassus*, Italice *arsiccio*, demptis scilicet litteris *b* et *r*, vel simplici *s* pro duplici *ss*, ut vulgus solet, adhibita. Porro *insuasus* pro *suasus* sequiore ævo scriptum fuisse videtur, fortasse ex perperam lecto *Plauti loc. cit.*, ubi ex *tibin suaso* factum fuerit *tibi insuaso*. V. USTICIUM.

SUĀSUS, a, um, particip. *V.* SUADEO.

SUĀSUS, us, m. 4. (suadeo) idem ac suasio. *Ter. Phorm.* 5. 1. 3. Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur. *Ulp. Dig.* 9. 2. 9. Siquis per vim vel per suasum medicamentum alicui infundit. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 79. Novellæ passiones suasu quodam et non agitatione vehementi sunt depellendæ, *h. e.* blande.

SUĀTIM, adverb. duo diversa significat. ¶ 1. *Suatim*, a *sus*, est ad similitudinem suis, *da porco*, ὑϊκῶς. *Nigid.* apud *Non. p.* 40. 26. *Müll.* Sunt etiam adsimulanter dicta hæc, canatim, suatim, bovatim, quæ ab animalibus sumuntur. ¶ 2. *Suatim*, a *suus*, est secundum se, more suo, in suum modum. *Gramm. Vatic. de adv.* 6. *Cf. A. Maium* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 279. *a.* Meus, meatim et significat more meo: tuus, tuatim et significat more tuo: suus, suatim et significat more suo: noster, nostratim et significat more nostro: vester, vestratim et significat more vestro, ex quibus pronominibus tantum quemadmodum adverbia fiant, sicuti Varro docuit, demonstravimus.

SUĀVE *V.* SUAVIS in fin.

SUĀVĔFRĂGRANS *et divisim* suave fragrans, antis, adject. (suave *et* fragro) qui suavi odore fragrat. *Vulgat. interpr. Exod.* 30. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suavefragrans, mane.

SUĀVĔŎLENS *et divisim* suave olens, entis, adject. (suave *et* oleo) Vox trisyllaba per synæresin. — Suaveolens est, qui suave olet, vel suavem odorem habet, *di odor grato*, ἡδύπνοος. *Catull.* 19. 13. Pallentesque cucurbitæ et suaveolentia mala. *Id.* 61. 6. Cinge tempora floribus Suaveolentis amaraci. Adde *Inscr.* apud *Orell. n.* 1613.

SUĀVĔŎLENTĬA, æ, f. 1. (suaveolens) suavis odor, *buon odore.* Translate. *Sidon.* 8. *Ep.* 14. Ad suaveolentiam pudicitiæ impellere. Adde *Augustin.* 8. *Confess.* 6.

SUĀVĬĀTĬO *et* saviatio, onis, f. 3. (suavior) osculatio, *baciamento*, φίλησις. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 8. *et* 12. *et Pseud.* 1. 1. 63. Suavis suaviatio. *Gell.* 18. 2. Saviationes puerorum et puellarum.

SUĀVĬĀTOR *et* saviator, oris, qui osculatur. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 544. Saviator, osculator.

SUĀVĬĀTUS *et* saviatus, a, um, particip. *V.* SUAVIOR.

SUĀVĬDĬCUS, a, um, adject. (suave *et* dico) suavis vel suavia dicens, ut Suavidici versus, apud *Lucret.* 4. 180.

SUĀVĬDUS, a, um, adject. (suavis) idem ac suavis. *Theod. Priscian. de diæta* 20. Suavida sit potio ad bibendum.

SUĀVĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUĀVĬFĬCO, as, ātum, are, a. 1. (suavis *et* facio) Part. *Suavificatus.* — Suavifico est suavem facio, *far o render soave.*

I.) Proprie. *Isid.* 17. *Orig.* 8. 11. *de Amomo.* Frutex ejus (*amomi*) odore etiam bono somnos suavificat.

II.) Translate. *Arnob.* in *Psalm.* 103. Suavis sit ei laudatio nostra catholicis assertionibus suavificata.

SUĀVILLUM *et* savillum, i, n. 2. (suavis) genus placentæ ex farina, caseo, ovo et melle, apud *Caton. R. R.* 84. Idem ab *Athenæo l.* 14. *p.* 647 σουβιτύλλον, et in *Not. Tir. p.* 176. subitillum vocatur. — In *Gloss. Lat. Gr. p.* 275. *Vulcan.* Subitillus, ἔνθυτος. Vocabulum Græcum, ut recte monet *V. De-Vit*, emendandum videtur in ἔγχυτος, *h. e.* infusus: ita ut idem fuerit, quod *enchytum*, de quo *Cato R. R.* 80. Idcirco distinguendum videtur *suavillum* seu *savillum*, de quo idem *Cato ibid.* 84., a *subitillo.*

SUĀVĬLŎQUENS, entis, adject. ex particip. (suave *et* loquor) qui suaviter loquitur, ἡδυεπής, ἡδυλόγος. *Cic. Brut.* 15. ex *Ennio.* Additur orator Corneliu' suaviloquenti Ore Cethegus Marcu'. *Cic. fragm.* apud *Gell.* 12. 2. Suaviloquens jucunditas. (*Seneca ibid.* hanc vocem et in *Enn.* et in *Cic.* reprehendit, defendit *Gell.*) *Quintil.* 11. 3. 31. Vox vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum. Ita fiet illud, quod Ennius probat, quum dicit, suaviloquenti ore Cethegum fuisse, non quod Cicero in his reprehendit, quos ait latrare, non agere. *Lucret.* 1. 943. Suaviloquens carmen.

SUĀVĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. (suaviloquens) loquendi suavitas, facultas suaviter loquendi, ἡδυεπία. *Cic. Brut.* 15. 58. Et oratorem appellat, et suaviloquentiam tribuit. Adde *Augustin.* 5. *Confess.* 3.

SUĀVĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. (suave *et* loquor) suave eloquium. *Augustin. De mendac.* 11. Istis placere libet de suaviloquio, qui tamen veris mallent placere. Adde *eumd. ibid.* 14. *Pseudo-Cassiod. De amic.* 48., qui a *Quicherat* allisque laudatur, nullius est auctoritatis.

SUĀVĬLŎQUUS, a, um, adject. (suave *et* loquor) idem ac suaviloquens. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 560. SVAVILOQVAE CLAVDIAE GARRVLAE QVAE VIXIT ANNIS III. MENSIBVS V. DIEBVS III. MEMOMENVS ET HELPIS PARENTES INFELICISSIMI. Num ita legendum? — *Forcellinus* affert illud *Lucret.* 2. 529. nunc suaviloquis, age, paucis Versibus ostendam etc. At *Lachmannus* fere omnia omittit et inficetum hoc sugillat commentum *Marulli*, a quo, non a Lucretio, lexicographi, editorum fraude ac stultitia, vocem *suaviloquis* recepere.

SUĀVĬLŪDĬUS, ii, m. 2. (suavis *et* ludus) qui suavitate ludorum oblectatur. *Tertull. Spectac.* 20. Novam proxime defensionem suaviludii cujusdam audivi. Sol, inquit, immo etiam ipse Deus de cælo spectat, nec contaminatur. Plane sol et in cloacam radios suos defert, nec inquinatur: Deus spectat et latrocinia et adulteria etc. Idcirco nos non spectabimus, ne videamur ab illo, qui omnia spectat. Adde *eumd. Cor. mil.* 6. Alii leg. *suadiludius*, et exponunt de eo, qui ludum suadet. Utrobique autem loquitur de publicis spectaculis.

SUĀVĬO. *V.* SUAVIOR init.

SUĀVĬŎLUM *et* saviolum, i, n. 2. *deminut.* a suavium, *bacicchio*, φιλημάτιον. *Catull.* 99. 2. Suaviolum dulci dulcius ambrosia. et *ibid.* 14. Suaviolum tristi tristius helleboro. Adde *Apul.* 2. *Met.*

SUĀVĬOR *et* savior, aris, atus sum, ari, dep. 1. (suavium) *Suavio* (*savio*), forma activa, habet *Pompon.* apud *Non. p.* 474. 12. *Merc.* Ego illam non amplectar, ego non suaviem? *Nov. ibid.* Congerues, suavies. Adde *Claud. Quadrigar. ann.* 2. *fr.* 39. apud *Priscian.* 8. *p.* 26. — Part. *Suaviatus* et *Suaviandus.* — Suavior est suavium do, cum voluptate aut præ gaudio osculor, *baciare*, φιλέω. *Cic.* 16. *Att.* 3. *in fin.* Atticam nostram cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa. *Gell.* 3. 15. Quum ibi eum tres adulescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur. *Alii leg.* saviarentur. *Catull.* 9. 9. Jucundum os oculosque suaviabor. Adde *Ammian.* 26. 7. 15. — Passive *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 33. Filiæ meæ jussu tuo osculum tuli: numquam mihi tam suavis tamque saviata visa est. *degna di baci, meritevole d'esser baciata.* Cf. et *Cic. Brut.* 14. 53. — Brutus, qui de matre suavianda tam acute conjecit.

SUĀVIS, e, adject. — *a*) *Suavei* pro *suavis*, veteri scriptura, in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1297. SVAVEI HEICEI SITVST MIMVS. — *Suabis* pro *suavis*, ut sabium pro savium, solita litterarum *b* et *v* permutatione, scribitur in *Titulo* apud *Lupi p.* 159. — *b*) Vox est disyllaba; at primam syllabam diduxit *Sedul.* 1. 274. Est leve cujus onus, cujus juga ferre suave est. Sic *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 1369. *Meyer.* O mihi quam subito requiescis, nate suavis. — *c*) De notatione diximus in SUADEO; utriusque enim vocis una eademque videtur esse radix. Cfr. et Gr. ἀδύς vel ἡδύς, dulcis. — Comp. *Suavior* et Sup. *Suavissimus* 1. et 2. — Suavis est dulcis, conditus, jucundus, gratus, ἡδύς (It. *dolce, grato, giocondo, amabile, soave*; Fr. *agréable, doux*; Hisp. *agradable, dulce, suave*; Germ. *lieblich, angenehm, anziehend*; Angl. *sweet, pleasant, agreeable*). Dicitur ¶ 1. De rebus physicis, idest de iis, quæ sensus afficiunt et delectant; seu etiam proprie. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 42. *Müll.* Olli respondet suavis sonus Egeriai. *Plaut. Asin.* 5. 1. 8. Suavis sermo. *Id. Cas.* 4. 3. 2. cantus. *Id. Stich.* 5. 5. 19. cantatio. *Lucret.* 3. 223. Spiritus unguenti suavis. *Id.* 1. 7. tibi suaves Dædala tellus Submittit flores. *Id.* 4. 454. cum suavi devinxit membra sopore Somnus. *Id. ibid.* 659. quod suave est aliis, aliis fit amarum. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23. Ut Apronii odor teterrimus oris et corporis uni isti suavis et jucundus videretur. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 91. Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes, Suaves res, si etc. *boccone ghiotto.* et *Phædr.* 3. 1. Hanc postquam totis avida traxit naribus, O suavis anima etc. *Nemesian. Cyneg.* 319. suavique rubescere luto. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum. *Id.* 12. 10. *ante med.* Suaves accentus. *Gell.* 19. 9. *a med* Voce admodum quam suavi versus cecinit Valerii Æditui. *Plaut. Most.* 5. 1. 66. Elixus esse, quam assus, soleo suavior. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (140). Suavior et lenior color. *Id.* 20. *ibid.* 11. 44. (114). Apium suaviores aquas potui incoctum præstat. *Id.* 25. *ibid.* 9. 64. (110). Radix suavissimi gustus et odoris. ¶ 2. De aliis, quæ animo jucunda sunt; seu etiam translate. *Enn.* apud *Gell.* 12. 4. doctu', fidelis, Suavis homo. *Sall.* 2. *Hist. fr.* 49. *Dietsch.* Regi per obsequelam orationis suaves cariquo. *vulgo* graves. *Cic.* 2. *Fin.* 32. 105. ex *Euripide.* Suavis laborum et præteritorum memoria. *Id. Balb.* 16. 36. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur, qui erranti comiter monstrant viam, benigne, non gravate. *Id.* 13. *Fam.* 26. Audierat, quam suavis esset inter nos et quanta conjunctio. *Lucret.* 1. 140. sperata voluptas Suavis amicitiæ. *Phædr.* 5. 5. Temperatæ suaves sunt argutiæ. *piacevoli.* et *Horat.* 1. *Sat.* 10. 23. at sermo lingua concinnus utraque Suavior. *Plaut. Cist.* 1. 3. 43. Is amore illam deperit et illa hunc contra: qui est amor suavissimus. *Id. ibid.* 1. 1. 17. Ita hodie hic acceptæ sumus suavibus modis. *Id. Stich.* 5. 4. 54. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium. — *Suave est*, idem ac jucundum, dulce est, construitur cum Infinito. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 51. suave est ex magno tollere acervo. *Lucret.* 2. 1. Suave, mari magno, turbantibus æquora ventis, E terra magnum alterius spectare

periclum. Adde *loc. Sedul.* supra *adlat.* et *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. Mihi suavissimum est, tuæ memoriæ operam dare. — Hinc absolute

Suave, adverbii ritu, suaviter. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 76. Suave locus voci resonat conclusus. *Virg.* 4. *Ecl.* 43. suave rubenti Murice. *et* 3. *ibid.* 63. suave rubens hyacinthus. Adde *Apul.* 2. *Met.*

Suavia, ium, n. plur. 3. res suaves. *Jul. Valer.* 2. *Gest. Alex. M.* 39. Idem enim vobis conventus, eædem sollemnitates et suavia. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 5. 3. 33. Suavia sanctorum et fœtida peccatorum. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

Homonym. Differre *suavem* a *dulci* ita docet *Isid. Differ. App. n.* 189. «*Dulce* idem potest esse quod *suave*, non utique *suave* quod *dulce*: *dulce* enim mel dicimus et *suave* acetum, quod dulce non est». — Item *suavis* a *jucundo* differt; *jucundus* enim ad animum refertur, *suavis* vero ad corpus. Ita *Döderlein*; sed *Madvig* ad illud *Cic.* 1. *Fin.* 17. Secunda jucunde et suaviter meminerimus. *hæc habet* (*p.* 109.) «Hoc quidem loco aperte utrumque dicitur de animi voluptate, quæ ex memoria oriatur, et multis locis *Cic.* in voluptate definienda *jucundum* motum sensus et corporis dixit: utrumque conjunxit (2. *ibid.* 13.), ubi occurrit: *commotio suavis jucunditatis in corpore.* Cf. 3. *Orat.* 56. *Jucundus* itaque generalius est, *suavis* magis ad mollem quemdam affectum spectat».

SUĀVĪSĀTOR ōris, m. 3. (suavis *et* sator) qui suavia serit vel profert: ita appellatur cocus in *Vespæ judic.* 93. apud *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 238. Es, coce, suavisator, dulcis sed tu quoque pistor. Alii male leg. *suavisa.*

SUĀVĬSĀVĬĀTĬO *et divisim* suavis saviatio, ōnis, f. 3. (suavis *et* saviatio) ¶ 1. Est actus suaviter osculandi, suaviatio cum voluptate. *Plaut. Pseud.* 11. 65. nostri amores, mores, consuetudines, Jocus, ludus, sermo, suavisaviatio. *Fleckeisen* leg. divisim *suavis saviatio.* ¶ 2. Jocülariter nomen deæ cujusdam fictæ ab *eod. Bacch.* 1. 2. 8. ed. *Ritsch.* Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Jocus, Ludus, Sermo, Suavisaviatio. LYD. Quid tibi commerci''st cum dis damnosissimis?

SUĀVĬSŎNUS, a, um, adject. (suavis *et* sono) suave sonans. *Næv. fragm.* 25. *Ribb.* Suavisonum melos. Alii leg. *suave summe* vel *summum melos.* et *Acc. fragm.* 572. *ibid.* echo.

SUĀVĬTAS, ātis, f. 3. (suavis) dulcedo, jucunditas, suavitudo, qua sensus afficiuntur, ἡδος, γλυκύτης (It. *dolcezza, soavità*; Fr. *douceur, suavité*; Hisp. *dulzura, suavidad*; Germ. *die Lieblichkeit, Annehmlichkeit, das Anziehende*; Angl. *sweetness, pleasantness, agreeableness, suavity*). Dicitur ¶ 1. De rebus physicis, seu etiam proprie. *Cic.* 2. *Phil.* 45. 115. Quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Multitudo et suavitas piscium. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 12. (36). Misy præcipuum suavitate odoris ac saporis. *Id.* 23. *ibid.* 7. 64. (126). Lac caprifici suavitatem carnibus affert. *Id.* 31. *ibid.* 8. 44. (96). Garum transiit ad colorem mulsi veteris adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. *Capell.* 9. *p.* 308. Denique mox ingresso (*Harmonia*) atque ejusdem orbis sonuere concentus, cuncta illa, quæ dissona suavitas commendarat, velut mutescentia tacuerunt. *Cic. Senect.* 17. 60. Suavitas odorum, qui afflantur e floribus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 65. (134). Hordeum candorem dentibus et suavitatem oris facit. *buon fiato.* et *Cic. opt. gen. Orat.* 3. 8. Non sunt contenti bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quamdam etiam suavitatem coloris. *bel sangue.* et *Plin.* 5. *Ep.* 16. Suavitas puellaris cum virginali verecundia. *bellezza, vaghezza, belle fattezze.* Sic 2. *Ep.* 13. *circa med.* Mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultuque suavitas. *Quintil.* 6. *proœm. a med.* et 11. 3. et *Nepos Att.* 1. Erat in puero summa suavitas oris et vocis. *soave aspetto e bella pronunzia.* et *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Equidem hoc affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus additis et silva vindicata. *amenità.* — In plur. num. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Conquirere undique suavitates. *piaceri.* ¶ 2. De aliis, quæ ad animum referuntur, seu etiam translate. *Cic.* 1. *Orat.* 43. 193. Mira in cognoscendo suavitas et delectatio. *Id. Cœl.* 11. 25. Qui in reliqua vita mitis esset, et in hac suavitate humanitatis, qua prope jam delectantur homines, versari perjucunde soleret. et *Amic.* 18. *sub fin.* Suavitas quædam sermonum atque morum haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. *Plin. Paneg.* 49. *ad fin.* Non aurum nec argentum nec exquisita ingenia cenarum, sed suavitatem tuam jucunditatemque miramur. *h. e.* comitatem, benignitatem, facilitatem. et 6. *Ep.* 31. *a med.* Suavitas simplicitasque convictus. et *ibid.* 7. Cujus litteræ tantum habent suavitatis, hujus sermonibus quantum dulcedinis inest! *Id.* 3. *Ep.* 1. *circa med.* Mira carminibus dulcedo, mira suavitas. *Nepos Att.* 4. Tanta suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. — In plur. num., sensu magis, ut ajunt, concreto. *Cic.* 3. *Fam.* 1. Tibi persuade, carissimum propter multas suavitates, ingenii, officii, humanitatis tuæ, *belle qualità, amabilità.*

SUĀVĬTER, adverb. ab adject. *suavis*; unde Comp. *Suavius* 1.; Sup. *Suavissime* 1. et 2. — Suaviter est jucunde, dulciter, *dolcemente, soavemente*, ἡδέως. Occurrit ¶ 1. In iis, quæ ad sensus spectant, seu etiam proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. *a med.* Video, quam suaviter voluptas sensibus blandiatur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 70. (118). Peucedanum odore suaviter gravi. *Cic.* 3. *Orat.* 11. *sub fin.* Eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo facile superabit. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 15. Suavissime et peritissime legere. *suavissime*, h. e. *con bella pronunzia*, quæ a *Nepot.* et *Quintil.* suavitas oris dicitur: *peritissime*, h. e. *con intelligenza*, quæ a *Quintil.* 11. 3. 35. vocis modo sustinendæ, modo deponendæ distinctio appellatur. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Facere sibi suaviter. *darsi bel tempo.* et *ibid.* 75. Ut nobis suaviter sit. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 130. His me consolor victurum suavius, ac si Quæstor avus, pater atque meus patruusque fuisset. et *ibid.* 9. 4. quid agis, dulcissime rerum? Suaviter, ut nunc est, inquam. ¶ 2. In iis, quæ ad animum referuntur, seu etiam translate. *Cic.* 1. *Fin.* 17. *sub fin.* Secunda jucunde ac suaviter meminisse. *Id.* 3. *Fam.* 12. Sicut tu amicissime et suavissime optas. et 13. *ibid.* 18. Litteræ suavissime et humanissime scriptæ. *Id. Brut.* 29. 110. Neque refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere.

SUĀVĬTŪDO, inis, f. 3. (suavis) idem ac suavitas. *Plaut. Stich.* 5. 5. 14. Age mulsa mea, suavitudo, salta: saltabo ego simul. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. *extr.* Res eædem vocis firmitudini et pronunciationis suavitudini prosunt. Adde *Turpil.* apud *Non. p.* 173. 5. *Merc.*

SUĀVĬUM *et* savium, ii, n. 2. *Suavium* pro *savium* legitur etiam apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 41., *Stich.* 5. 6. 3. et alibi. At posterior hæc lectio nonnullis magis placet. — Est a *suavis*, ut docet *Varro* apud *Non. p.* 424. 13. — Suavium est osculum, tenerum osculum, φίλημα (It. *bacio, bacio tenero*; Fr. *baiser, tendre baiser*; Hisp. *beso tierno, afectuoso*; Germ. *der Kuss, d. liebevolle od liebliche Kuss*; Angl. *a kiss, tender kiss*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 38. Savia super savia dare alicui. *Id. Cas.* 5. 2. 14. Savium poscere. *Id. Curc.* 1. 1. 60. oppingere. *et* 1. 3. 54. Tene, priusquam hinc abeo, savium. *Apul.* 6. *Met.* Si quis fugitivam Veneris ancillam demonstrare poterit, conveniat Mercurium accepturus indicinæ nomine ab ipsa Venere septem savia suavia. — *b*) Suavium non est tantum libidinum, ut autumant nonnulli, *Donatum* ad *Ter. Eun.* 3. 2. 3. secuti. Nam ait *Cic.* 16. *Att.* 11. *extr.* Atticæ, quoniam hilarula est, meis verbis suavium des. — *c*) Est etiam vox blandientis. *Ter. Eun.* 3. 2. 3. Meum suavium, quin agitur? Adde *Plaut. Pœn.* 1. 2. 153.

II.) Metonymice usurpatur pro ipso ore vel pro ipsis labiis ad suaviandum compositis. *Vet. Poeta* apud *Gell.* 19. 11. Dum semihulco savio meum puellum savior. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 16. Itaque meretrices dum labiis ductant eum, majorem partem videas valgis suaviis. *Id. Asin.* 4. 1. 52. Tu labellum abstergeas potius, quam cuiquam savium faciat palam. *h. e.* si gravedo profluat, tu labrum superius et extergeas, ne illa os suum ita comparet, ut aliquem quasi basiatura esse videatur. Multa in hanc rem *Taubman.* in 3. *edit. p.* 792.

Homonym. Discrimen inter *suavium, basium* et *osculum* V. sub BASIUM.

SUĀVĬUNCŬLUM *et* saviunculum, *V.* voc. seq.

SĀVUNCŬLUM *et* savunculum, i, n. 2. *deminut. a* suavillum, parvum suavillum seu savillum. *Petron. Sat.* 66. Habuimus tamen in primo porcum poculo coronatum et circa savunculum et gizeria optime facta. *Bücheler* leg. primum *savunculum*; post vero *saviunculum*: alii *saucunculum*, alii aliter.

SUB, præpositio. — *a*) *Subs* pro *sub*, ut *abs* pro *ab*, priscis fortasse temporibus propter majorem soni vim fuit usurpatum, cujus formæ vestigium apparet in quibusdam compositis, ut *suscipio* etc. *V.* dicta sub *e* et cf. Gr. ὑψ. — *b*) Quantitate brevis est, eadem ratione ac *ab, ob* (*Max Victorin. de finalib. p.* 239. *Keil.*), sive simplex adhibetur sive in compositione ante vocalem; positione tamen fit longa. In quibusdam vero, quæ incipiunt ab *j* (*i*), modo contrahitur, modo producitur, modo communis est, teste *Serv. de finalib. n.* 4. *Endl.*, qui de quibusd. præpositionibus compositis cum verbis incipientibus ab *j* (*i*) hæc habet: «Præpositiones *ad* et *ob* et *in* et *sub*, diversæ in verbis ponuntur. Nam corripiuntur, quum crescendo disyllabum reddunt, ut *adit, obit, init, subit.* Indifferenter autem, quum trisyllabum faciunt, ut *adicit, obicit, inicit, subicit.* Producuntur tantummodo, quum tetrasyllabum ex se reddunt, ut *adicio, obicio, inicio, subicio*». Hinc fit, ut *sūbicit* vel *sŭbicit* indiscriminatim efferre liceat. — *c*) Origo vocis est a Skr. *upa*, quod eamdem vim habet; unde Gr. ὑπό, et, præposita littera sibilanti *s* loco aspirationis demptaque *o* finali, ut in *ab* ab ἀπό, fit Lat. *sub.* — *d*) Fere suo casui præcedit; sed aliquando etiam postponitur, ut in illo *Horat.* 2. *Sat.* 2. 33. Ponteisne inter jactatus, an amnis Ostia sub Tusci? *h. e.* jactatus sub ostia amnis Tusci. — Aliquando casus subauditur, ut in illo *Plaut. Pseud.* 1. 1. 13. Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis. *h. e.* sub regno Jovis. — *e*) In compositione manet integra ante vocabula, quæ a vocali incipiunt aut etiam a conson. *b, d, l, n, s, t, v* et *j* (*i*); sed ante *c, f, g, m, p, r* generatim *b* finalis modo remanet, modo in eas transit. Sed ante litteram *t* aliquando mutatur in *p*, ut in *Inscript.* apud *Orell. n.* 2389. QVOD EST SVP TEMPLO. Immo antiqui, ut ait *Schneiderus*, scribebant *sup* pro *sub*, quippe ex Gr. ὑπό ortum: hine, in compositis, *supsidere* sæpe a librariis mutatum est in *supersedere* et sic similia verba. Cf. *ob* in *optemperare*. V. *Brambach p.* 333. In quibusdam tamen *sub* mutatur in *sus*, fortasse ab obsoleto *subs*, extrita *b*, ut in *suscipio* pro *subs-cipio, suscito, suspendo, sustineo, sustollo*; in aliis vero amittit etiam *s* finalem ante *s* impuram vel *r*, ut in *suspicio*, pro *sus-spicio, suspicor, suspiro*, et in *surgo* pro *sus-rigo*: cf. *sus deque, sursum*; aliquando denique ante *m* et *c* sejunctim usurpatur, servata tamen consona, in quam transierat, ut *sum manus* pro *summanus* (*sub manus*) apud *Plaut. Pers.* 4. 1. 2. in Codd. MSS. quibusd., teste *Ritsch.*, et *suc cura* pro *succura* (*sub cura*) in *Inscript.* in tubo plumbeo, edita in *Annali dell' Istit. archeol. a.* 1864. *p.* 6. Cf. *aliam* in *Bullett dell' Istitut. archeol. a.* 1857. *p.* 167. et i

Annali cit. a. 1857. *p.* 313. Amittit etiam ante *d* suam finalem *b* in *Inscript.* apud *De-Rossi* adlata sub *B* II. — More Græcorum cum aliis præpositionibus in unam vocem aliquando coalescit, ut *subante, desub. V.* suis locis. — *f)* Ad significationem quod attinet, extra compositionem præter suam vim primitivam alias etiam supplet præpositiones, ut in subjectis exemplis videre est; in compositione interim deminutionem significat, ut *subdulcis, subirascor:* interim occultationem, ut *suborno:* interim subtus, ut *subhæreo:* interim motum ex imo in altum, ut *subrigo:* interim vicem et subjectionem sub alium, ut *submagister* etc. — Sub est subter, subtus, ὑπό (It. *sotto;* Fr. *sous, dessous;* Hisp. *baxo, debaxo;* Germ. *unter;* Angl. *under*). Pendet autem a verbis, æque ac ceteræ ejusmodi particulæ, et etiam ab aliis sententiæ vocibus; aut ponitur absolute. Proprie est particula localis, sed improprie occurrit de tempore et de statu rei; construitur vero cum quarto et sexto casu ita, ut cum verbis motus fere accusativum habeat, cum verbis quietis fere ablativum.

A) Sub dicitur de loco et quidem

I.) Cum Accusativo. ¶ 1. Adhibetur ad significandum id, quod evenit infra vel etiam ante rem aliquam — *a)* Proprie. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 78. Manum sub vestimenta ad corpus detulit. *Id. Curc.* 2. 3. 18. omnes subdam sub solum. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. *et* 12. Exercitum ejus sub jugum missum. *et ibid.* 24. Helvetii sub primam nostram aciem successerunt. *Cic.* 1. *Rep.* 16. 25. Quum tota se luna sub orbem solis subjecisset. *Virg.* 4. *Æn.* 654. magna mei sub terras ibit imago. *Horat.* 1. *Od.* 18. 13. Sub divum rapiam. *Id.* 2. *Sat.* 7. 66. Ibis sub furcam prudens. *Ovid.* 1. *Art. am.* 162. Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem. — *b)* Translate. *Cic.* 3. *Fin.* 18. 61. Prima illa naturæ sive secunda sive contraria sub judicium sapientis et delectum cadunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. Ea, quæ sub sensus subjecta sunt. *Id. Invent.* 5. 30. Cadere sub sensum. Sic *Orat.* 3. 9. sub oculos. *et ibid.* 20. 67. sub aurium mensuram aliquam. *et Quintil.* 8. 3. 56. sub idem nomen. *Virg.* 6. *Æn.* 191. geminæ quum forte columbæ Ipsa sub ora viri cælo venere volantes. Sic *Seneca* 1. *Benef.* 5. Sub oculos venire. ¶ 2. Adhibetur etiam ad significandum id, quod evenit juxta, prope rem, quæ fere altius surgat, *sotto, a' piedi, presso.* — *a)* Proprie. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Milites sub montem succedunt. *Cic.* 2. *Rep.* 31. 53. Ædes suas detulit sub Veliam. *Ovid.* 12. *Met.* 389. hostem mediam ferit ense sub alvum. *Liv.* 44. 45. Missi sunt sub muros. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 21. Sub ipsa mœnia progressi sunt. *Id.* 5. *ibid.* 11. Judæi sub ipsos muros struxere aciem. *Lucan.* 7. 363. Quicquid sub Noton et Borean hominum sumus. *Flor.* 3. 5. *a med.* Sub Orientem secutus Armenios. *verso o vicino:* sequitur enim *in septentrionem* etc., *in meridiem* etc. — *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Hostes sub montem consedisse. *Alii leg.* sub monte. — *b)* Translate. *Liv.* 27. 18. Sub ictum venire. — Huc spectat formula *sub manum* vel *sub manus,* quæ occasionem opportunam designat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 59. Lepide hoc succedit sub manus negotium. *Id. Pers.* 4. 1. 2. solet illa recte sub manus succedere. *Auct. B. Afr.* 36. Delectus quotidie habere atque sub manum Scipionis in castra submittere non intermittit. *Sueton. Aug.* 49. Quo celerius et sub manum annunciari cognoscique potest. *Alii leg.* sub manu. ¶ 3. Et ad significandum id, quod evenit intra rem, *entro, per entro. Enn.* apud *Priscian. p.* 713. *Putsch.* Tum cava sub montem late specus intu' patebat. *Auct. B. G.* 8. 41. Sub ipsum murum fons aquæ prorumpebat. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 35. arat finem sub utrumque colonus.

II.) Cum Ablativo. ¶ 1. Significat locum, infra quem quis est aut se res habet. — *a)* Proprie. *Plaut. Epid.* 2. 2. 32. Pleræque hæ sub vestimentis habebant retia. *Id. Cas.* 2. 6. 28. Vide ne qua illic insit alia sortis sub aqua. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Sub pellibus hiemare constituit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis, nec tamen exissent umquam supra terram. *Virg.* 1. *Ecl.* 1. Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi. *Id.* 8. *Æn.* 342. sub æquore mersit. *Id.* 7. *ibid.* 9. splendet tremulo sub lumine (*lunæ*) pontus. *Id.* 8. *ibid.* 217. Sub antro. *Horat.* 1. *Od.* 1. 25. Manet sub Jove frigido venator. *Id.* 2. *ibid.* 3. 23. Sub divo moreris. *et* 3. *ibid.* 2. 5. Vitam sub divo agat. *V.* DIVUS. *Id.* 1. *ibid.* 22. 21. Pone (*me*) sub curru nimium propinqui Solis. *Liv.* 3. 28. *in fin.* Sub hoc jugo dictator Æquos misit. *Id.* 22. 57. In foro boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo consæptum. *Id.* 23. 18. Haberi sub pellibus. *Arnob.* 1. *p.* 21. sub ipsis labris. — *Sub rosa* dicta. *h. e.* sub fide silentii; mos enim fuit apud veteres, ut in cœnaculis rosa lacunaribus supra mensæ verticem affigeretur: hinc *sub rosa dicta* vel *acta* proverb. *Auct. Epigr. de Rosa* ed. *Wernsd. v.* 6. *p.* 182. Inde rosam mensis hospes suspendit amicis, Convivæ ut sub ea dicta tacenda sciant. *V.* ROSA. — *b)* Translate. *Enn.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 73. *Müll.* Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modo parere. *Virg.* 5. *Æn.* 440. montana sedet circum castella sub armis. *Id. ibid.* 585. pugnæque cient simulacra sub armis. *Cæs.* 1. *B. C.* 41. Ibi paullisper sub armis moratus. *Liv.* 9. 37. Mansuros se sub armis et aut nocte aut certa luce prima castra hostium invasuros. *h. e.* armatos. *Id.* 43. 10. *a med.* Sub ictu esse. *a tiro.* Sic *Lucan.* 5. 730. Stare sub ictu fortunæ. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 71. Sub signis ducam legiones meas. *Cæcil.* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 23. 59. Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 1. 34. Ingenium ingens Inculto latet hoc sub corpore. *Liv.* 9. 66. Veriti, ne noctu impediti sub onere confligere cogerentur. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Quum prima legio in castra venisset, banc sub sarcinis adoriri. *Lucan.* 1. 141. primo nutat casura (*quercus*) sub Euro. — Huc spectant formulæ *sub ascia, sub corona, sub hasta, sub manu, sub dio* vel *divo,* de quibus *V.* in his vocib. — Figurate. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 3. 12. Non parvum sub hoc verbo furtum latet. *Id.* 12. *Phil.* 7. 17. Pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam. *Liv.* 24. 25. Sub aliena invidia regnasse. ¶ 2. Item usurpatur ad indicandum id, quod evenit extra rem, per motum de loco. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 1. Foras foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo. *Id. Capt.* 3. 5. 72. Interdius sub terra lapides eximet. — Hoc sensu interdum præposit. de præmittitur. *Colum.* 12. *R. R.* 34. Sed mustum de sub massa et limpidum sit. *V.* MASSA. *Pallad.* 11. *R. R.* 21. Ex musto de sub pedibus rapto curabis infundere. *Bassus Julius* apud *Senec.* 1. *Controv.* 3. *sub fin.* Virgo de sub saxo. *Flor.* 2. 3. De sub Alpibus, id est de sub ipsis faucibus Italiæ. *Veget.* 2. *Veterin.* 19. De sub oculo sanguinem detrahere. *et ibid.* 63. De sub ipsis dolorum locis. *et ibid.* 54. item 1. *ibid.* 25. *sub fin.* De sub cirro sanguis subtrahi debet. *Id.* 5. *ibid.* 21. Sanguis ei de sub gamba detrahitur copiosus. Ὑφέν in his esse et *desub* junctis vocibus scribendum, quidam putant. *V.* DESUB. ¶ 3. Item ad indicandam rem, juxta quam aliquid fit, quæque fere altius surgit, *sotto, appiè, innanzi, presso.* — *a)* Proprie. *Plaut. Curc.* 4. 1. 11. Sub basilica. *Id. Trin.* 2. 4. 107. Est ager sub urbe hic nobis. Sic *Ter. Adelph.* 5. 8. 26., *Varro* 1. *R. R.* 50. 2. et *Horat.* 3. *Od.* 19. 4. *Plaut. Curc.* 4. 1. 19. Sub Veteribus. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 266. Sub Novis. (Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 8. (25). et *Quintil.* 6. 3. 38.) Sic *sub monte, sub colle, sub montis radicibus* etc. considere, esse etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Castra promovit et sub monte consedit. *appiè, presso.* et *Sall. Cat.* 57. Sub ipsis radicibus montis consedit. *alle radici, alle falde.* Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 36. *et* 49. *Cic.* 1. *Rep.* 11. 17. Sub ipsis Numantiæ mœnibus. *Petron. Sat.* 38. Vinum sub mensa effundere. *Martial.* 11. 84. Hic miserum Scythica sub rupe Promethea rodat. — *b)* Translate. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Sub oculis domini suam probare operam studebant. Sic *Liv.* 4. 28. Et jam lucescebat omniaque sub oculis erant. *et Seneca* 1. *Benef.* 5. *extr.* Non est beneficium id, quod sub oculis venit. *et Quintil. Declam.* 16. 9. Ponite sub oculis alligatos. *et Flor.* 2. 15. Classem sub ipso ore urbis incendit. *et Vellej.* 2. 21. 3. Sub ipsis mœnibus oculique urbis Romanæ. *Seneca Ep.* 71. Sub manu, quod ajunt, nascatur. ¶ 4. Item de re, in qua aliquid fit, *in.* *Virg.* 9. *Æn.* 244. Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem. *Id.* 1. *ibid.* 453. sub ingenti lustrat dum singula templo etc. *Id.* 7. *ibid.* 179. Vitisator curvam servans sub imagine falcem. *sul piedestallo della statua.* et *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 19. Illius indicio silvis invente sub altis. *Id.* 1. *Art. am.* 67. Pompeja lentus spatiare sub umbra. — *Propert.* 3. 9. 36. *Baehrens.* Tuta sub exiguo flumine nostra mora est. *Madvigius* ex conjectura leg. *sub flumine.* V. *Advers. crit.* v. 2. *p.* 65. ¶ 5. Item de re, quæ statim post aliam succedit, *subito dopo, subito appresso.* *Virg.* 5. *Æn.* 323. Helymus sequitur, quo deinde sub ipso Ecce volat calcemque terit jam calce Diores, Incumbens humero. *Id.* 1. *G.* 340. lætis operatus in herbis, Extremæ sub casu hiemis, jam vere sereno. *Alii leg.* sub casum. ¶ 6. In illo *Virg.* 6. *Æn.* 233. At pius Æneas ingenti mole sepulcrum Imponit suaque arma viro (*Miseno*) remumque tubamque Monte sub aerio. *sub* particulæ *supra* vim habet, *su, d'insu.*

B) Sub dicitur etiam de tempore, et quidem

I.) Cum Accusativo. ¶ 1. Adhibetur de iis, quæ generatim vicinitatem temporis significant, et est paullo ante aut circiter. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Pompejus sub noctem naves solvit. *sul far della notte,* nocte incipiente. *Id.* 2. *B. G.* 33. Sub vesperum Cæsar portas claudi jussit. *Liv.* 28. 15. *in fin.* Sub ortum ferme lucis. *Virg.* 1. *G.* 445. Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpent radii. *Liv.* 1. 22. Sub idem tempus legati ad res repetendas missi. *Id.* 22. 47. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. *Virg.* 6. *Æn.* 255. primi sub lumina solis. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 33. Sub lumina prima. *Id.* 1. *ibid.* 1. 10. Sub galli cantum. *Id.* 1. *Ep.* 16. 22. Sub tempus edendi. *Liv.* 21. 2. Bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem. *Id.* 23. 15. Sub adventum prætoris. *Curt.* 4. 39. 2. Sub ipsum tanti discriminis casum. *Id.* 5. 21. 11. Sub ipsum Vergiliarum sidus. *Id. ibid.* 29. 12. Sub lucis exortum. — In illo *Virg.* 1. *Æn.* 666. Sub noctem cura recursat. *sub noctem* est potius *per noctem, noctis tempore.* ¶ 2. Similiter de iis, quæ potius vicinitatem indicant, vel ordinem temporis transacti, et est statim post: occurrit autem absolute vel etiam cum ipsa particula *statim,* quæ præcedit aut sequitur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Senatus fuit frequentior sub dies festos. *et Liv.* 35. 31. *a med.* Sub hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit. *et* 7. 31. Sub hæc dicta omnes in vestibulo curiæ procubuerunt. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 43. Affertur squillas inter murænа natantes In patina porrecta. Sub hoc herus: hæc gravida, inquit etc. *Ovid.* 3. *Fast.* 642. Sub verbum querulas impulit aura fores. *Cæs.* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. 4. Non statim sub mentionem et convicium obtrectatorum. *Cic.* 10. *Fam.* 16. Sub eas litteras statim recitatæ sunt tuæ. *tosto dopo.*

II.) Cum Ablativo. ¶ 1. Adhibetur de tempore, quo vel intra quod aliquid evenit, et est intra, in, intra spatium, *entro, in, durante, al momento.* *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Ne sub ipsa profectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit. *in tempo della partenza.* et *Virg.* 9. *Ecl.* 44. Pura sub nocte. *Id.* 4. *Æn.* 527. et 7. *ibid.* 87. Sub nocte silenti. *Id.* 7. *ibid.* 16. Sera sub nocte. *Id.* 10. *ibid.* 497. una sub nocte jugali. *Auct. B. G.* 8. 40. Sub decessu suo. *Ovid.* 12. *Met.* 183. Multaque me fugiunt primis spectata sub annis. *Horat. Art. P.* 353. Hæc (*pictura*) amat obscurum, volet hæc sub luce videri. *Flor.* 2. 17. *a med.* Quum sub nocte castras consulis adiisset, pilo vigilis exceptus est. *in tempo di notte.*

et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. *circa med.* Cervi soli animalium omnibus annis, stato veris tempore, cornua amittunt: ideo sub ipsa die quam maxime invia petunt. *Aristotel.*, ex quo *Plin.* sumpsit, *l.* 9. *Hist. animal. c.* 5. Ὅταν (τὰ κέρατα) ἀποβάλλωσι, κρύπτουσιν ἑαυτοὺς τὴν ἡμέραν. *Seneca Ep.* 71. Consilium sub die nasci debet, et hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, nascatur. *h. e.* eo ipso die vel tempore, quo consilio opus est. *Lucan.* 10. 510. sub tempore vatis Proteos. *al tempo.* et *Cels.* 3. 18. *circa med.* Sub somno plerique sanescunt. *dormendo.* et *Nemesian. Ecl.* 1. 13. Nunc album caput et Veneres tepuere sub annis. *sotto il peso degli anni.* et *Vellej.* 1. 17. 1. Sub pari ætate nituerunt. Similiter *Nepos Att.* 12. 3. Sub ipsa proscriptione. *Liv.* 2. 55. Sub hac pessimi exempli victoria dilectus indicitur. — Hinc formula *sub die* est eo ipso die, qui statim indicatur. *Inscript.* apud *Orelli n.* 4657. DEPOSITA SVB D. PRID. KALEND. FEBRVAR. *Alia* apud *De-Rossi, Inscr. Christ. T.* 1. *n.* 1181. SVD. (*h. e.* sub die) PRID. ID. SEPTEMBR. et *n.* 1044. SVB DIE VII. IDVS SEPTEMBRIS. ¶ 2. Item de tempore, circa quod aliquid evenit, paullo ante, prope, ad, circiter, *presso, verso, poco prima. Virg.* 4. *G.* 116. extremo sub fine laborum. *Id. ibid.* 490. jam luce sub ipsa. *Ovid.* 1. *Met.* 494. faces (*viator*) sub luce reliquit. *Id.* 3. *Amor.* 14. 7. Quis furor est, quæ nocte latent, sub luce fateri? *Id.* 5. *Fast.* 491. Sub eodem tempore. *Pallad. Sept.* 13. Sub occasu Vergiliarum. *Liv.* 25. 24. Sub luce urbem ingressus. *Id.* 45. 10. Excesserunt urbe sub adventu Romanorum. *Vellej.* 2. 24. 1. Sub adventu Sullæ. *Liv.* 6. 18. Sub exitu anni. *Sueton. Claud.* 43. Sub exitu vitæ signa quædam pœnitentis dederat.

C) Sub dicitur de statu rei, et quidem

I.) Cum Accusativo, adhibetur ad significandum aliquid ab re aliqua pendere. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. Ardere Galliam tot contumeliis acceptis sub populi Romani imperium redactam. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 144. Sub potestatem legum cadere. *Id. Fontej.* 1. 2. Sub populi Romani imperium dicionemque cecidere. *Nepos Miltiad.* 1. Incolas sub potestatem Atheniensium redigere. *Liv.* 4. 4. Matrimonium vos sub legis superbissimæ vincula conjicitis. *Curt.* 3. 19. 2. Sub unum fortasse ictum totas vires regni cadere. — *Sub vos placo,* in precibus fere quum dicitur, significat id, quod supplico, ut in Legibus: Transque dato endoque piorato. *Festus p.* 309. 30. *Müll.* Similis transpositio est in illo *Ter. Andr.* 5. 1. 15. Per ego te deos oro.

II.) Cum Ablativo. ¶ 1. Designat ordinem rerum, seu significat aliquid ab re aliqua pendere. *Cato fragm.* 5. *Orig. p.* 83. *Peter.* Ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. (*Ter. Heaut.* 2. 2. 4.) Neque recusaturi (*Helvetii*), quo minus perpetuo sub illorum dicione atque imperio essent. *Cic.* 1. *Rep.* 38. 60. Sub regno igitur tibi esse placet omnes animi partes. *Horat,* 3. *Od.* 5. 9. (Cf. *Cic.* 2. *Rep.* 23. 43.) et hostium — Consenuit socerorum in armis Sub rege Medo Marsus et Appulus. *Planc.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. Sub manu esse. Rursum *Horat.* 1. *Ep.* 16. 77. Sævo sub custode. *Id. ibid.* 2. 25: Sub domina meretrice. *Id.* 2. *ibid.* 1. 99. Sub nutrice. *Id. Art. P.* 78. Grammatici certant et adhuc sub judice lis est. *Ovid.* 7. *Met.* 5. Claro sub Jasone. *Nepos Eumen.* 7. Cujus sub imperio phalanx erat Macedonum. *Liv.* 25. 40. Sub Hannibale magistro omnes belli artes edoctus. Sic *Quintil.* 2. 17. 33. Sub eodem magistro eruditi. *Liv.* 38. 14. Erant sub eo. *Sueton. Tit.* 8. *circa med.* Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt. *sotto l'impero di lui.* Cf. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 13. Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis. ¶ 2. Significat etiam alia rerum adjuncta, in quibus quid est aut evenit. *Virg.* 4. *Æn.* 560. potes hoc sub casu ducere somnos? *Ovid.* 5. *Met.* 62. Exhalare sub acerbo vulnere vitam. *Id.* 4. *Met.* 522. Bacchi sub nomine risit. *Liv.* 35. 19. Sub hoc sacramento, *Id.* 3. 67. Sub titulo æquandarum legum. Sic *Plin. Paneg.* 4. *init.* Sub titulo gratiarum agendarum. *et* 42. 52. Macedonia sub assidua militia fuerat. *Id.* 21. 18. Sub condicionibus his de pace agere. Sic *Cic. Arch.* 10. 25. (et *Sueton. Tib.* 44.) Jussit præmium ei tribui sub ea condicione, nequid postea scriberet. *a condizione, a patto.* et *Colum.* 1. *R. R.* 2. Sub hoc metu villicus erit in officio. *con questo timore.* et *ibid.* 1. Sub exspectatione successorum rapinis studebat. *h. e.* dum exspectant alios, qui sibi mox succedent. *Sueton. Aug.* 21. Sub lege. *Id. Cæs.* 78. Sub exceptione. *Id. Cal.* 48. Sub pœna mortis. *et Tib.* 36. servitutis. *Quintil.* 9. 2. 97. Sub pacto abolitionis dominationem deposuerat. *Plin.* 1. *Ep.* 18. Sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas. Adde 2. *ibid.* 6. et *Paneg.* 76. *init.* Triduum Senatus sub exemplo tui sedit. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 68. Quo excusatius sub exemplo acciperentur. *h. e.* exemplo prolato. *et* 4. *ibid.* 11. Ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem. *Sall.* 1. *Hist. fragm.* 11. *Kritz.* Sub honesto patrum aut plebis nomine dominationem affectabant. Cui sensui, ut recte hic monet *Kritzius,* quamvis ablativus sufficiat, per *sub* veræ causæ tegendæ notio maxime fit perspicua. Sic *Justin.* 1. 5. 10. Sub specie venationis dolus latet. *sotto pretesto o colore.* et 5. 8. 12. Rempubl. sub obtentu liberationis invadere. *Id.* 18. 6. 1. Nuptias sub belli denunciatione petit. *Vellej.* 2. 27. 7. Sub ejus nomine. *Cels.* 5. 26. *n.* 31. Plurimi sub frigido sudore moriuntur. *Nemesian. Ecl.* 1. 3. compositum gracili sub arundine carmen. *h. e.* ad modos fistulæ: *da cantare sulla sampogna.* et *Virg. Cop.* 2. Crispum sub crotalo docta movere latus. *h. e.* ad strepitum crotali. *Inscript.* non optimæ notæ, apud *Gruter.* 438. 1. STATVAM SVB AERE CONSTITVIT. *h. e.* ex ære. Sic 406. 1. et 465. 8. *sub Impp. Valentinian. et Valente.* STATVAM SVB AVRO CONSTITVI LOCARIQVE IVSSERVNT. *h. e.* auratam. — *Inscr.* apud *Visconti, Monum. Gabin. p.* 81. REIPVBLICAE DEDERVNT SVB INSCRIPTIONE INFRA SCRIPTA. *h. e.* iis condicionibus, quæ subscripta inscriptione continentur. ¶ 3. Aliquando redundare videtur. *Propert.* 4. 7. 95. Hæc postquam querula mecum sub lite peregit. *Avien. Perieg.* 81. Cæspite sub pingui pandit Pamphylia glæbam. *Id. ibid.* 175. sese Sponte cerastarum facili sub viscere curvant. Cf. *Vulgat. interpr. Ps.* 65. 17. Deum exaltavi sub lingua mea.

SŬBABSURDĒ, adverb. (subabsurdus) aliquantum inconvenienter. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 275. Quæ a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur.

SŬBABSURDUS, a, um, adject. aliquantulum absurdus, *un poco inconveniente,* ὑπάτοπος. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 274. Sunt enim illa subabsurda, sed eo ipso nomine sæpe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis. *Id.* 16. *Att.* 3. *a med.* Tempus discessus subabsurdum. — Neutr. plur. absolute. *Id.* 2. *Orat.* 71. 289. Subabsurda dicendo risus moventur. *Quintil.* 6. 3. 99. Subabsurda illa constant stultis simili imitatione. — *NB.* Videtur *Cicero* primus et fortasse etiam solus hanc vocem usurpavisse. Nam *Quintil.* 1. 5. *ad fin.* Incompositus, reconditus et, quo Cicero utitur, subabsurdus. *et* 6. 3. Et, ut verbo Ciceronis utar, dicimus aliqua subabsurda.

SŬBACCŪSO, a, aro, a. 1. nonnihil et leviter accuso, *accusare in parte o leggermente,* ὑπομέμφομαι. *Cic. Planc.* 35. 86. Quod meum discessum quasi reprehendere et subaccusare voluisti. *Id.* 16. *Att.* 7. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. Adde 13. *ibid.* 46.

SŬBACELLO. *V.* SUBAXILLO.

SŬBĀCER, ācris, ācre, adject. Comp. *Subacrior.* — Subacer est aliquantum acer, acriculus. *Isid.* 17. *Orig.* 10. 8. *de napo.* Foliis latior et radicis ejus gustus subacrior.

SŬBĂCĬDUS, a, um, adject. aliquantum acidus, *acidetto,* ὑπόξυς. *Cato R. R.* 108. Si vinum subacidum erit, non durabit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (120). Esse debet (*sucus*) lenis, non subacidus.

SŬBACTA, ōrum. *V.* SUBIGO in fin.

SŬBACTĀRIS. *V.* voc. seq.

SŬBACTĀRĬUS, a, um, adject. (subigo) qui subigit. ¶ 1. In re militari *subactarii* vel *subactares* videntur fuisse milites gentibus per ipsum belli tempus subactis imperati. Sed *V.* quæ dicta sunt in SUMMALARIUS. ¶ 2. Extra rem militarem dicitur de coriario, de eo scilicet, qui corium subigit et operi aptat. *Inscript.* apud *Gruter.* 648. 8. (*Orelli n.* 4170.) *V.* CORIARIUS.

SŬBACTI, ōrum. *V.* SUBIGO in fin.

SŬBACTĬO, ōnis, f. 3. actus subigendi, maceratio, *l'intridere, lo stemperare,* φύρασις.

I.) Proprie. *Vitruv.* 2. 4. *extr.* Arena fluviatica bacillorum subactionibus in tectorio recipit soliditatem. *Arnob.* 3. *p.* 107. Subactionibus ciborum dentes trini generis atque in officia trina compositi.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 30. *a med.* Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere. subactio autem est usus, auditio, lectio, litteræ, *esercizio, cultura.*

SŬBACTOR, ōris, m. 3. (subigo) qui subigit, πυγιστής, τριβεύς, idem ac pædicator. *Lamprid. Commod.* 3. Subactore suo Antero post se in curru locato, triumphavit. *Id. Elagab.* 5. Posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis. *et* 31. Subactorum bene vasatorum multitudo. *et mox.* Rasit et virilia subactoribus suis novacula manu sua.

SŬBACTUS, a, um, particip. *V.* SUBIGO.

SŬBACTUS, us, m. 4. (subigo) subactio. In sexto casu sing. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (69). Optimum frumentum esse, quod in subactu congium aquæ capiat.

SŬBADJŪVA, æ, m. 1. (sub *et* adjuvo) qui sub aliquo auxilium seu ministerium præbet, *ajutante o sottoajutante. Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 6. 27. 3. *in fin.* Ut periculum se et adjutor et subadjuvæ subituros esse cognoscant. *Imp. Leo Cod. Justin.* 12. 20. 4. Hujus beneficii prærogativam subadjuvis etiam, qui singulis inveniuntur temporibus, deferri jubemus. Adde *Notit. Imp. Or. c.* 2. *p.* 11. *et alibi.*

SŬBADJŪVANS, antis, particip. ab inusit. *subadjuvo,* idem ac subadjuva. Occurrit autem absolute. *Notit. utr. imper. sact.* 41. Quæstor imperii occidentalis habet subadjuvantes adjutores memoriales de scriniis diversis. Ita *Furlanetto* et alii; sed *Böcking* leg. *subadjuvas.*

SŬBADMŎVEO, es, ere, a. 2. sensim aut occulte admoveo, *avvicinare. Colum.* 6. *R. R.* 36. *ad fin.* Hujuscemodi mari sensim magistri subadmovere debent generis ejusdem feminam. *Schneiderus* ex MSS. ita legit et edidit: *hujusce sensum magistri lacessunt admota generis* etc.

SŬBADRŎGANTER. *V.* SUBARROGANTER.

SŬBADSENTĬENS. *V.* SUBASSENTIENS.

SŬBĂDŪNO, as, āvi, are, a. 1. sensim aduno. *Cassiod.* in *Psalm.* 134. 4. Elegit itaque Jacob, dum Ecclesiæ populum diversarum gentium congregatione subadunavit.

SŬBÆDĀNUS et

SŬBÆDĬĀNUS, a, um, adject. (sub *et* ædes) qui est sub ædibus, fortasse qui sub ædibus artem vel opus exercet: cui opponitur qui sub dio, *chi lavora in casa o nell'officina;* vel, ut alii volunt, qui ea conficit, quæ intra ædes reponenda sunt, faber intestinarius. Res in incili adhæret. *Inscript.* apud *Murat.* 1185. 8. LVCILIANO FIL. ADIVTOR ET MARCIA PARENTES QVI VIX. A. IIII. M. VIII. D. XV. BENEM. FECER. EX CORPORE SVBAEDIANO. *Alia* in *Bullett. dell' Istit. Archeol. a.* 1838. *p.* 5. L. VALERIVS L. L. PHARNACES MARMORARIVS SVBAEDANVS. Adde *alias ibid. a.* 1853. *p.* 28. *et a.* 1870. *p.* 15.

SŬBÆMŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (subæmulor) prava æmulatio. *Ambros.* in *Ps.* 36. *n.* 10. Aliud est subæmulari, aliud æmulari: subæmulatio astutiam habet, æmulatio simplicitatem. *et mox.* Videtur etiam alio loco distinctionem subæmulationis Scriptura fecis-

SŬBÆMŬLO, as,

SŬBÆMŬLOR, āris, ari, dep. 1. pravo æmulor,

¶ 1. Intransitive seu absolute. *Vulgat. interpr. Ital. Ps.* 36. 8. Ne subæmularis, ut maligne facias. *Noster* habet: *noli æmulari, ut maligneris.* et *Augustin. fragm. serm.* ed. a cl. *Bordier.* in *Etudes paléogr.* etc. Noli subæmulare in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem. *Ambros.* in *Ps. loc. cit.* in voc. præced. ¶ 2. Transitivorum more, cum Accus. *Vulgat. interpr. Ital. Ps.* 36. 7. Ne subæmuleris eum, qui prosperatur. *Noster* habet: *noli æmulari in eo, qui prosperatur.*

SŬBÆRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

SŬBÆRO, as, ātum, are, n. 1. (sub *et* æs) Part. *Subæratus.* — Subæro est æs obduco, alio scilicet metallo pretiosiore. *Apul. de dipht.* 10. Æro, æras, unde subæro, subæras. Adde *Priscian. Partit.* XII. *v. Æn.* 1. *p.* 1220. *Putsch. Gloss. Lat. Gr.* Subæro, ὑποχαλκεύω. Hinc *subæratus,* subter se æs habens, ὑπόχαλκος, ut *Aurum subæratum,* quod foris quidem aurum ostendit, intus autem æs occultat. *Pers.* 5. 106. Nequa subærato mendosum tinniat auro.

SŬBĂGER *et rectius* subagger, ĕris, m. 3. (sub *et* agger) locus, qui sub aggere Servii Tullii situs intra Romam erat in Regione Urbis quinta, Esquiliæ dicta. *Notit. Urb.* et *Curios. p.* 8. *et* 9. *Pr.* Campum Viminalem subager. *Alii leg.* sub ager, *alii* sub aggere *divisim.* Sed *Urlichs* in *Cod. Topogr. p.* 9. distinxit inter *Campum Viminalem* et *subager* sive *subagger,* ut duo fuerint loca. De uno tamen accepisse videtur *Lanciani* in *Bullett. archeol. Municip.* II. *p.* 46.

SŬBĂGĬTĀTĬO *et* subigitatio, ōnis, f. 3. (sub *et* agito) actus subagitandi, seu clam et obscene attrectandi. *Plaut. Capt. in fin.* Ad pudicos mores facta hæc fabula est neque in hac subigitationes fiunt, neque ulla amatio.

SŬBĂGĬTĀTRIX *et* subigitatrix, trīcis, f. 3. (subagito) quæ subegitat. *Plaut. Pers.* 2. 2. 45. Ne me attrecta, subigitatrix.

SŬBĂGĬTO *et* subigito, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* subigo. V. *Bedam De orthogr. p.* 288. 30. *Keil.* — Part. *Subagitandus.* — Subagito est universim clam agito, concutio. ¶ 1. Speciatim in re obscena, subigo, attrecto, παίω, κινέω. *Ter. Heaut.* 3. 3. 6. Ejus amicam subigitare. *Vet. Scholiast.* edit. ab *A. Maio.* Tractum a porcis verbum, qui, quando lac sugunt, matrem subagitant. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 58. Neque ego umquam alienum scortum subigito in convivio. *et a.* 5. *v.* 9. Cur es ausus subagitare alienam uxorem, impudens? *Id. Cas.* 5. 4. 2. Nunc tu, si vis subigitare me, proba est occasio. Alii leg. *sine,* os *sublectare.* Adde *Merc.* 1. 2. 90. *et* 91. ¶ 2. Hinc figurate pro sollicito, induco. *Apul. Apolog.* Cur autem tam absurdis tamque tabernariis blanditiis mulierem subigitarem? *M. Aurel.* ad *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Igitur Tiberianus bibliothecarius tibi subigitandus est.

SŬBĂGRESTIS, e, adject. aliquantum agrestis, *alquanto selvatico,* ὑπαγρεῖος. *Cic. Brut.* 74. 259. Sonabat contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum. *Ammian.* 14. 11. *ante med.* Subagreste ingenium.

SŬBĂLĀRE, is, n. 3. *V.* voc. seq.

SŬBĀLĀRIS, e, adject. qui sub volucrum alis est.

I.) Proprie. *Lamprid. Elagab.* 19. *extr.* Nec cubuit in accubitis facile, nisi iis, quæ pilum leporinum haberent aut plumas perdicum subalares, sæpe culcitas mutans. *h. e.* plumas sub alis perdicum. Alii leg. *plumas perdicum, subalares sæpe culcitas mutans.* h. e. pulvinos, quibus humeri et brachia cubando fulciuntur.

II.) Translate est qui sub axillis fertur, ut Subalare telum apud *Nepot. Alcib.* 10. *a med.* Familiaris sui subalare telum eripuit. *h. e.* e balteo dependens. — Hinc absolute, substantivorum more

Subalare, is, n. 3. zona, quæ et redimiculum et succinctorium vocatur atque describitur ab *Isid.* 19. *Orig.* 33. 5. descendens per cervicem et a lateribus colli divisum (*al.* dimissum) utraque alterum alvus ambiens atque hinc inde succingens, ut constringens latitudinem, vestes ad corpus contrahat atque componat. *Edict. Dioclet. p.* 25. De zonis militaribus. Subalare Babylonicum X̶. centum. *h. e.* e pelle Babylonica confectum.

Subalaris, is, f. 3. pluma, ut videtur, quæ sub ala est. In plur. num. apud *Vulgat. interpr.* 4. *apocr. Esdr.* 11. 25. Et vidi et ecce subalares cogitabant se erigere et tenera principatus. *et mox.* Comedit duas subalares.

SŬBALBENS, entis, adject. ex particip. subalbus. *Cassiod.* 5. *Variar.* 34. Chamæleon aureo tantum capite, reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur.

SŬBALBĬCANS, antis, adject. ex particip. idem ac subalbidus. *Varro* 3. *R. R.* 9. *de gallis.* Oculis ravis ac nigris, palea rubra subalbicanti.

SŬBALBĬDUS, a, um, adject. aliquantulum albidus, *bianchiccio, bianchetto,* ὑπόλευκος. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 25. 96. (168). Ramulos habet candidos, folia subalbida, abrotono similia. *Cels.* 5. 28. *n.* 8. Pars corrupta subalbida. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 144. Lingua primo subalbida, dein rubra.

SŬBALBŬLUS, a, um, adject. aliquantum albus. *Isid.* 12. *Orig.* 1. 50. Gilvus melinus color est subalbulus. Ita *Lindem.* et *Otto* ex Cod. *Gud.*; alii subalbidus.

SŬBALBUS, a, um, adject. aliquantum albus, *bianchetto, bianchiccio,* ὑπόλευκος. *Varro* 1. *R. R.* 9. *a med.* Sabulo subalbus ad serendos surculos alienus. Adde *Æmil. Macr. c.* 74. *p.* 246. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπόλευκος, subalbus.

SŬBALPĪNUS, a, um, adject. sub Alpibus situs, *posto sotto le Alpi,* ut Subalpina Italia, *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 22. (55). Subalpini montes, 25. *ibid.* 7. 34. (71).

SŬBALTER, ĕra, ĕrum, adject. Comp. *Subalterior.* — Subalter est, qui alteri subditus est. *Augustin. Serm.* 42. *n.* 2. ed. *Mai.* Movet me in istis piscatorum verbis consentiens subalterius loci relatio. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 29. *Mign.* Quoniam major est species hominis, quam quodlibet aliud individuum; ita prædicatur ut superius ad id, quod est subalterius.

SŬBALTERNĀTIM, adverb. (subalternus) subalterno loco. *Boeth. Aristot. Topic.* 13. *p.* 670. Quoniam diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ species sunt. Adde *eumd.* in *Porphyr. Comm.* 1. *p.* 79.

SŬBALTERNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *subalterno,* subalternus. *Boeth.* in *Aristot. Prædic.* 1. *p.* 125. Subalternatum genus avis.

SŬBALTERNĬCUM. *V.* SUALTERNICUM.

SŬBALTERNUS, a, um, adject. qui sub altero est, *subalterno. Boeth. Introd. ad syllog. p.* 556. Universalis affirmatio et particularis affirmatio subalternæ dicuntur, quoniam altera subjacet alteri. *et p.* 584. Ut *omnis homo justus est, quidam homo justus est.* Subalternæ vero dicuntur, quoniam quod illa universaliter ponit, etiam hæc particulariter ponit. *Id.* in *Porphyr. Comm.* 3. *p.* 102. Hæc subalterna genera nuncupantur, quod ita sunt genera, ut alterum sub altero collocetur. Adde *Mar. Victorin.* 1. *advers. Ar.* 23.

SŬBĂMĀRĒ, adverb. (subamarus) aliquantum amare. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 3. (edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 2. *p.* 126.) Subamare loquitur de collega suo Antonio.

SŬBĂMĀRUM. *V.* voc. seq. in fin.

SŬBĂMĀRUS, a, um, adject. aliquantulum amarus, *amaretto,* ὑπόπικρος. *Cic.* 1. *Invent.* 16. 25. Aliqua res subamara. — Hinc

Subamara, orum, n. plur. 2. absolute. *Id. Fat.* 4. 8. Ut alios dulcia, alios subamara delectant.

Subamarum, adverbii more, aliquantulum amare. *Ammian.* 27. 11. *a med.* Subamarum arridens.

SŬBAMBĬGŬĒ, adverb. aliquantulum ambigue. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 4. 4. 2. Subambigue loqui.

SŬBAMBŬLO, as, are, n. 1. subter ambulo, *camminar sotto.* Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 147. Ambulat, perambulat, subambulat.

SŬBANTĒ *et divisim* sub ante, præpos. fere ante, paullo ante. *Vulgat. interpr. Ital. Act.* 5. 21. Subante lucem, *h. e.* diluculo, ut habet *Noster.*

SŬBĂPĔRĬO, is, ire, a. 4. subtus aut occulte aperio, *aprire occultamente,* ὑπανοίγω. *Arnob.* 2. *p.* 84. Potestis monstrare, quid nivem in plumeas subaperiat crustulas. *Apic.* 8. 7. Subaperies auriculam sub cutem.

SŬBĂQUĀNEUS, a, um, adject. (sub *et* aqua) qui est sub aqua, *chi sta sott'acqua,* ὕφυδρος. *Tertull. Anim.* 32. Subterraneum et subaquaneum viventia carent haustu aeris.

SŬBĂQUĬLĪNUS, a, um, adject. aliquantum aquilinus. *Auct. Itin. Alex. M.* 13. (6). Nares subaquilinæ.

SŬBĂQUĬLUS, a, um, adject. colorem habens ad aquilum accedentem, *alquanto bruno o fosco. Trebell.* in *XXX. Tyrann. de Zenob.* 30. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris. *Plaut. Rud.* 2. 4. 9. Eja, corpus cujusmodi! Subvolturium! illud quidem, subaquilum volui dicere.

SŬBĂRĀTOR, ōris, m. 3. (subaro) qui subarat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). Vel etiam subarator imprudens luxavit radices.

SŬBĂRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBARO.

SŬBĀRESCENS, entis, particip. ex inusit. *subaresco,* aliquantum arescens. *Vitruv.* 7. 3. *ante med.* Trulissatione subarescente.

SŬBARGŪTŬLUS, a, um, adject. aliquantulum argutus. *Gell.* 15. 30. Si forte iidem garruli natura et subargutuli sunt.

SŬBARMĀLE, is, n. 3. *V.* voc. seq.

SŬBARMĀLIS, is, adject. ¶ 1. Est idem ac subalaris, ut *Subarmalis vestis,* genus vestimenti, quod sub armum gestatur, velut tunica. *Capell.* 5. *p.* 136. Subarmalis vestis illi (*feminæ*) peplo quodam circa humeros involuto Latialiter tegebatur. ¶ 2. In *Mus. Borbon. T.* 5. *tab.* 36. *p.* 4. *subarmalis tunica* dicitur ita appellata, quia subter arma (*sc.* vestes quaslibet militares) superposita induebatur, ut hæc membris aptius cohærerent. — Origo igitur vocis et usus in *cit. loc.* differunt, ita ut res sit incerta. *V. A. Rich* ad *h. v.* — Hinc

Subarmale, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est idem ac subarmalis vestis. *Valerian.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 14. Subarmale unum cum purpura Maura. *Spartian. Sever.* 6. *extr.* Prætorianos cum subarmalibus inermes sibi jussit occurrere. Adde *Vopisc. Aurelian.* 13.

SŬBĂRO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Subaratus.* — Subaro est subtus arando terram moveo, ὑπαρόω. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (116). Item quæ subarantur aut quæ ablaqueantur, celeriora neglectis. *Id. ibid.* 29. 51. (119). Et subarata ocius senescunt.

SŬBARRĀTUS *vel* subarrhatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬBARRHO *vel* subarro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sub *et* arrha) Part. *Subarrhatus.* — Subarrho est arrha seu pignore, aut etiam pretio, obligo, *obligare con pegno.*

I.) Proprie. *Sulpic. Sev. Ep.* 2. *ad Claud.* 12. Quæcumque ergo humanorum sponsalium pignoribus subarravit, statim etc. Adde *eumd. Ep. ad Bassul. sub init.* V. *Ducange Gloss. med. et inf. Latinit.* ad *h. v. Cassian.* 7. *Collat.* 6. Ut illud jam subarrhatum teneat in præsenti.

II.) Translate. *Augustin. Serm.* 1. *n.* 2. ed. *Mai.* Paciscitur (*serpens*) de interitu viri cum femina: subarravit inferos, supposuit mortem. Adde *Serm.* 72. *n.* 2.

SŬBARRŎGANTER *vel* subadroganter, adverb. aliquantum arroganter. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 114. Vereor, ne subarroganter facias, si dixeris tuam.

SŬBĂRUNDĬNO, as, are, a. 1. (sub *et* arundo) arundine fulcio. *Dracont.* 1. 171. Vinea pampineos subarundinat ebria campos.

SŬBASPER, ĕra, ĕrum, adject. aliquantum asper, *aspretto. Cels.* 5. 28. *n.* 19. *de vitiligine.* Ἀλφὸς fere subasper et non continuus.

SŬBASSĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBASSO.

SŬBASSENTIENS *vel* subadsentiens, entis, adject. ex particip., aliquantum assentiens, *acconsentendo alquanto.* *Quintil.* 11. 3. 100. Sunt et illi breves gestus, quum manus leviter pandata, parvis intervallis et subassentientibus humeris movetur.

SŬBASSO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Subassatus.* — Subasso est lente aut modice asso. *Apic.* 7. 14. Subassare tubera. *et* 4. 2. *a med.* pisces. *et* 8. 8. *a med.* leporem lento igne. *et* 7. 2. sumen in craticula. *et ibid.* 5. Carnem elixam sale subassatam perfundere. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 5. 74. Squilla igne torrida, id est subassata. Adde 4. *ibid.* 1. 1. *et* 3. 66.

SŬBĀTĬO, ōnis, f. 3. (subo) actus subandi, appetitus in Venerem. *V.* SUBO. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (205). *de suib.* Remedium, ne prima subatione, neque ante flaccidas aures coitus incipiat. Item de mulieribus apud *Fulgent. Planc. de prisc. serm.* 46. Valgia sunt labellorum obtortiones in subatione peractæ.

SŬBAUDĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBAUDĬO, is, ītum, ire, a. 4. Part. *Subaudiens* 2.; *Subauditus* et *Subaudiendus* 1. — Subaudio pro diversa particulæ *sub*, qua constat, significatione ¶ 1. Est ex connexu orationis intelligere aliquid verbis non expressum, *sottintendere.* *Ascon.* in *Cic.* 1. *Verr.* 2. *Senatorio* enim bis subauditur; et senatorio ordini et nomini senatorio. *et* ad 9. ad illa verba: *sed etiam Q. Metellum.* subaudi consulem. *Philarg.* ad *Virg.* 2. *G.* 323. *Utile* bis subaudiendum. Adde *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. *Ulp. Dig.* 28. 5. 1. *extr.* Non putavit valere, quoniam deest aliquid: sed et ipsa valebit, subaudito *jubeo.* ¶ 2. Est etiam paullum audio. *Apul.* 5. *Met.* Nec umquam viri mei vidi faciem, sed tantum nocturnis subaudiens vocibus etc.

SŬBAUDĪTĬO, ōnis, f. 3. (subaudio) actus subaudiendi, *il sottintendere.* *Serv.* ad *Virg.* 10. *Æn.* 80. In subauditione ponuntur ea, quæ non possumus dicere aperte. *Hieronym. Quæst. Hebr.* in 2. *Reg.* 3. 13. Est enim hic defectus et necessaria subauditio. Adde *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. et *Augustin. De serm. Dom.* 1. 9.

SŬBAUDĪTOR, ōris, m. 3. (subaudio) qui submisse audit. *Mar. Victorin.* apud *A. Maium, Nov. Coll. T.* 3. *p.* 61. et 62.

SŬBAUDĪTUS, a, um, particip. *V.* SUBAUDIO.

SŬBAUGĔO, auges, auxi, augere, a. 2. aliquantulum augeo. *Pacuv. Trag. reliq. p.* 96. *Ribbeck.* quo tandem ipsa orbitas grandævitasque Pelei penuriam stirpis subauxit. At recentiores alii cum *Mercer.* leg. *subaxet,* pro *subegisset* (V. *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 275.); *Bothe* vero *subaxit.*

SŬBAURĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬBAURO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Subauratus* et *Subaurandus.* — Subauro est auro leviter illino, *indorare.* *Petron. Sat.* 32. Habebat in minimo digito sinistræ manus annulum grandem subauratum, extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 3. *n.* 62. STATVA EQVESTRIS SVBAVRATA. *Alia* in *Novell. lett. di Firenze T.* 10. *p.* 615. BASILICAM POLIENDAM STATVAM SVBAVRANDAM DE SVA PECVNIA CVRAVIT. Adde *Schol.* ad *Juvenal.* 7. 23.

SŬBAUSCULTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBAUSCULTO, as, are, a. 1. Part. *Subauscultans.* — Subausculto est leviter et quasi prætereundo ausculto, *ascoltare di nascosto, alla sfuggita, origliare in passando,* ὑπακροάομαι. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 3. Tace, subauscultemus, ecqua de me fiat mentio. *Cic.* 2. *Orat.* 36. *in fin.* Subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrent, attendere. *Id.* 10. *Att.* 18. Omnes enim Κωρυκαῖοι videntur subauscultare, quæ loquor. *Id. Top.* 20. 75. Locutus est bonis viris subauscultantibus pariete interposito.

SŬBAUSTĒRUS, a, um, adject. aliquantum austerus. *Cels.* 3. 6. *in fin.* Vinum austerum vel certe subausterum. Adde 6. 6. *n.* 8. et *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. 211.

SŬBAXET. *V.* SUBAUGEO.

SUBBAJŪLO, as, are, a. 1. onus subeo, supporto. *Augustin. contra Faust.* 15. Subbajulare scapulis validis tantum molem. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑποβαστάζω, subbajulo.

SUBBALBĒ, adverb. aliquantum balbe. *Spartian. Get.* 5. Subbalbe canorus.

SUBBALTEĀTUS. *V.* BALTEATUS.

SUBBĂSĬLĬCĀNUS, a, um, adject. (sub *et* basilica) qui sub basilicis versatur, ut *subrostranus,* qui plurimum obambulant sub Rostris. *Plaut. Capt.* 4. 2. 35. Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum. *Id.* hos homines item sic nominat *Curc.* 4. 1. 11. Ditis damnosos maritos sub basilica quærito. Hi in *Gloss. Philox.* vocantur *basilicarii.*

SUBBATUO, is, ere, a. 3. subter batuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 117. Batuit, rebatuit, subbatuit.

SUBBĪBO, bĭbis, bĭbi, bĭbere, a. 3. aliquantum bibo et etiam aliquanto liberalius bibo, *bere alquanto, bere alquanto largamente,* ὑποπίνω. *Plaut. Truc.* 4. 3. 58. Qui improbus est, sive subbibit, sive adeo caret temeto; tamen ab ingenio est improbus. ubi *Göller* quamvis bibit; *Spengel* vero *leg.* si urnas bibit. *Sueton. Ner.* 20. *a med.* Si paullum subbibisset.

SUBBĪNI, æ, a, adject. idem fere quod bini. *Manil.* 4. 846. Ipsa (docet titulus causæ) quæ ecliptica signa Dixere antiqui, pariter subbina laborant, Nec vicina loco, sed quæ contraria fulgent. *due per volta.* At *Bentlejus* leg. *sed bina;* alii aliter.

SUBBLANDĪOR, iris, ītus sum, iri, dep. 4. Forma fut. *subblandibitur* pro *subblandietur,* quod in verbis quartæ conjugationis non est insolens, apud *Plaut. Bacch.* 3. 4. 19. Mihi inani atque inopi subblandibitur. — *Subblandirier,* parag. pro *subblandiri,* apud *eumd. Cas.* 3. 3. 22. Non matronarum officium est, sed meretricium, Viris alienis-subblandirier. — Subblandior est aliquantum blandior vel clam blandior: occurrit autem cum dativo aut absolute. *Plaut. Asin.* 1. 3. 32. Et quoque catulo meo subblanditur novus amator. *Lucil.* apud *Non. p.* 472. 6. *Merc.* Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 35. Ut subblanditur carnufex? Adde *eumd. ibid.* 3. 4. 19. et *Cas.* 3. 3. 22. init.

SUBBRACHĬA, ōrum, n. plur. 2. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 65. Alæ (*hominis*) subbrachia sunt appellatæ eo quod ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet.

SUBBRĔVIS, e, adject. aliquantum brevis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 20. (43). Saliunca folio quidem subbrevi et quod necti non possit.

SUBBULLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBBULLĬO, is, ire, n. 4. Part. *Subbulliens.* — Subbullio est aliquantum bullio.

I.) Proprie. *Plin. Valerian.* 1. 11. Ut levi calore subbulliat.

II.) Translate. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 2. *circa med.* Risus incontinens et quasi subbulliens.

SUBCÆLESTIS *vel* succælestis, e, adject. qui est sub cælo. *Tertull. advers. Valentin.* 31. Hebdomas subcælestis.

SUBCÆRŬLEUS, subcæruleus *vel* succæruleus, a, um, adject. aliquantum cæruleus. *Cels.* 6. 5. *sub fin.* Creta subcærulea.

SUBCANDĬDUS *vel* succandidus, a, um, adject. aliquantulum candidus, ad colorem candidum nonnihil accedens, ὑπόλευκος. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 39. (16). Folia bovis linguæ similia, minora, subcandida. Adde *ibid.* 12. 94. (120).

SUBCĂPĬO *vel* succapio, căpis, căpere, a. 3. idem ac suscipio. Agnoscitur a *Cledon. Art. p.* 1935. *Putsch.*

SUBCAUTĒ, adverb. aliquantum caute. *Apic.* 8. 7.

SUBCĂVO *vel* succavo, as, are, a. 1. suffodio. *Schol.* ad *Juvenal.* 1., 55. Quod parcus uxor, subditi ligni inopia, scrobe subter facto subcavet. Ita *leg. Cramer;* sed *Jahn* aliter sentit.

SUBCĂVUS *vel* succavus, a, um, adject. subter cavus, *concavo.* *Cato R. R.* 151. Areas subcavas facito, uti aquam continere possint. *Lucret.* 6. 556. Ventus per loca subcava terræ collectus. Adde *ibid.* 683. Adde *Var. Auct. de limit. p.* 252. *et* 260. *et* 303. *Goes.*

SUBCENDO. *V.* SUCCENDO.

SUBCĒNO. *V.* SUBCŒNO.

SUBCENTŬRĬĀTUS, a, um, *et*

SUBCENTŬRĬO, as. *V.* SUCCENTURIO, as.

SUBCENTŬRĬO, ōnis. *V.* SUCCENTURIO, onis.

SUBCERNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBCERNO *vel* succerno, cernis, crēvi, crētum, cernere, a. 3. Part. *Subcernens* II.; *Subcretus* I. — Subcerno est cribro secerno, ἐκκρίνω, σήθω (It. *separare col vaglio, passare per lo staccio, crivellare, stacciare;* Fr. *cribler, passer, tamiser, trier;* Hisp. *cribar, cerner;* Germ. *durchsieben;* Angl. *to range, bolt, searce, of sift meal*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 25. Vinaceos quotidie recentes succernito etc. cribrum illius rei parato. *et ibid.* 37. Partem de nucleis succernito. *et* 151. Dimidiatum digitum terram altam succernito. *Id. ibid.* 18. *ad fin.* Calx cribro subcreta. *Vitruv.* 2. 5. Testa tusa et subcreta. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (115). Postea farinario cribro subcernunt. — Joculariter *Plaut. Pœn.* 3. 1. 9. Sicine oportet ire amicos homini amanti operam datum? Nam iste quidem gradus succretu 'st cribro pollinario.

II.) Translate, per metonymiam, est agitare, succutere. *Auct. Ætn.* 492. *de mari quod æstu agitatur.* Ac primum tenuis sinus exigit ulteriores: Progrediens late diffunditur et subcernens. *h. e.* spisse crispatus.

SUBCĒSĪVUS. *V.* SUBSECIVUS.

SUBCĪDĀNĔUS. *V.* SUCCEDANEUS.

SUBCINCTUS. *V.* SUCCINCTUS.

SUBCĬNĔRĬCĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SUBCĬNĔRĪCĬUS, subcineritius *vel* succinericius, a, um, adject. (sub *et* cinis) qui sub cinere coquitur.

I.) Proprie. *Isid.* 20. *Orig.* 2. 15. Subcinericius panis (*sub*) cinere coctus et reversatus: ipse est et focacius. *Hieronym.* 2. in *Os.* 8. 7. De hac farina fiet subcinericius panis. *V.* MAMPHULA. Adde *Vulgat. interpr. Gen.* 18. 6. *Ambros. De Cain et Ab.* 1. 9. *n.* 35. ad *Exod.* 12. 39. Subcinericia azyma, quæ Græce ἐγκρυφίαι dicuntur, eo quod absconduntur in cinere.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Os.* 7. 8. Ephraim factus est subcinericius panis. — Hinc *Subcinericia,* æ, f. 1. absolute, substantivorum more, idem ac subcinericius panis. *Ambros. loc. cit.* Abscondita teneamus mysteria, sicut tenuit Abraham, qui subcinericias fecit. Cf. *Genes.* 18. 6.

SUBCĬNENS *vel* succinens, entis, particip. *V.* SUCCINO.

SUBCINGO etc. *V.* SUCCINGO.

SUBCĬNO. *V.* SUCCINO.

SUBCĪSĪVUS. *V.* SUBSECIVUS.

SUBCLĀMĀTUS *et*

SUBCLĀMO etc. *V.* SUCCLAMO.

SUBCŎACTUS. *V.* COACTUS, a, um.

SUBCŒNO, *rectius* subceno *vel* succeno, as, āvi, are, a. 1. clam ceno, *cenar di sotto o di nascosto,* ὑποδειπνέω. Absolute *Galba* apud *Quintil.* 6. 3. *a med.* Et Galba de piscibus, qui quum pridie ex parte adesi et versati postero die appositi essent, Festinemus alii subcenant, inquit.

SUBCŒRŬLEUS. *V.* SUBCÆRULEUS.

SUBCŎLŌRĀTUS *vel* succoloratus, a, um, adject. aliquantisper coloratus. *Isid.* 8. *Orig.* 10. 3. Tertia (*charta*) hieratica dicta, quod ad sacros libros eligebatur, similis Augusteæ, sed subcolorata.

SUBCOMMŪNIS, e, adject. promiscuus, ἐπίκοινος. *Diomed. p.* 301. 13. *Keil.* Est et quintum genus (*nominum*), quod Græce epicœnon dicitur, Latini promiscuum vel subcommune vocant, quod aut specie masculini generis declinatur et simul significat etiam femininum ge-

nus, ut passer, aut declinatur specie generis feminini et etiam masculinum genus significat, ut aquila. *V.* EPICŒNUS.

SUBCONDĪTOR. *V.* SUCCONDITOR.

SUBCONSTĪTŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *subconstituo*, subter statutus. *Boeth.* 2. *Eucl. geom. p.* 1357. *Mign.* Isopleurus rectus subconstitutus. At *Lachmann.* habet *subter constitutus*.

SUBCONSUL, sŭlis, m. 3. minister consulis. *Jos. Scalig. l.* 1. *ep.* 66. legi putat in *Inscript.* apud *Gruter.* 53. 10. Sed *V.* SUBCENTURIO.

SUBCONTĪNŬĀTĬO, ōnis, f. 3. subsequens continuatio. *Priscian.* 16. *p.* 1027. *Putsch.* Conjunctiones subcontinuativæ causam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum, ut *quoniam, quia:* ut quoniam ambulat, movetur. Quidam tamen et has continuativas et subcontinuativas inter species causalium posuerunt. Nec irrationabiliter; et continuationis enim et subcontinuationis per has causa ostenditur reddi. Continuationis, ut, si ambulat, movetur: subcontinuationis, ut, quia ambulat, movetur.

SUBCONTĬNŬĀTĪVUS, a, um, adject. qui alteri continuo subordinatur, ut Conjunctio subcontinuativa apud *Priscian. loc. cit.* in voc. præc.

SUBCONTRĀRĬUS, a, um, adject. qui alteri subditus aliquantum contrarius est. *Boeth.* in *Arist. de Interpr. ed. pr.* 1. *p.* 320. *Mign.* Propositiones subcontrariæ. *et ibid. ed. sec. p.* 470. Hæ dicuntur subcontrariæ, vel quod sub contrariis positæ sunt, vel quod ipsæ superioribus, sub quibus sunt, contrarias propositiones habent. *Id. De syllog. categ.* 1. *p.* 800. Subcontrariæ (*propositiones*) sunt, quæ particulariter eidem idem hæc affirmat, hæc negat. *Hygin. De limitib. p.* 172. *Goes.* Septentrionali circulo subcontrarium australem appellant. *et p.* 173. Ab hoc exemplo subcontrariæ partis, quæ videtur eisdem horis illuminari, umbra describitur. *et mox.* Quam regionem quidam subcontrariæ partis appellant. Alii minus recte *sescontrarium* et *sescontrariæ* legunt. Ita *Furlanetto* et *De-Vit.* At *Lachmannus* leg. ubique *sescontrarius*.

SUBCONTŪMĒLĬŌSĒ *vel* succontumeliose, adverb. aliquantum contumeliose, ὑφυβριστικῶς. *Cic.* 2. *Att.* 7. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius.

SUBCŎQUO *vel* succoquo, cŏquis, cŏquere, a. 3. leniter coquo. *Marcell. Empir.* 36. *a med.* Mixta omnia subcoquantur igni.

SUBCORNĪCŬLĀRĬUS *vel* succornicularius, ii, m. 2. optio aut adjutor cornicularii. *Inscript.* apud *Gruter.* 1108. 4. T. FLAVIVS PROCVLVS SCRIBA SVBCORNICVLARIVS. Ita leg. etiam *Orelli n.* 5490. et *Kellerm.* ad *Vigil. Rom. laterc. p.* 17. *c.* 1., qui *scribam subcornicularium* putat esse idem ac codicillarium. In ead. apud *Don. cl.* 6. *n.* 105. et *Murat.* 787. 1. pro *scrib.* legitur *trib.* h. e. *tribuni*. Fortasse hæc altera lectio unice amplectenda est.

SUBCORRĬGO *vel* succorrigo, is, exi, ere, a. 3. aliquantulum cŏrrigo. *V.* in SENSULUS.

SUBCORTEX *vel* succortex, ĭcis, m. et f. 3. interior cortex, nostrates vulgo *sottoscorza*, Latini etiam alburnum dicunt. *Veget.* 4. *Veterin.* 28. Cortices mali granati, subcorticem de ipsa arbore.

SUBCRASSŬLUS *vel* succrassulus, a, um, adject. aliquantum crassus. *Capitolin. Gordian.* 6. Corporis qualitate subcrassulus.

SUBCRESCO. *V.* SUCCRESCO.

SUBCRĒTUS. *V.* SUBCERNO.

SUBCRISPUS *vel* succrispus, a, um, adject. qui crines habet aliquantulum crispos, *alquanto crespo o riccio. Cic.* 4. *Verr.* 44. 108. Videtis illum subcrispo capillo nigrum? *Varro* 2. *R. R.* 5. Caudæ inferior pars frequentibus pilis subcrispa. *et ibid.* 7. Juba equi subcrispa. Adde *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 13. *Müll.*

SUBCROTILLUS. *V.* SUCCROTILLUS.

SUBCRŪDUS *vel* succrudus, a, um, adject. non omnino coctus, *mezzo crudo, non cotto in tutto*, ὕπωμος. *Cato R. R.* 156. Brassicam coquito paullisper, uti subcruda siet. *Cels.* 6. 13. Subcrudum incidendum, ne, si diutius ibi pus permanserit, os lædat. Adde 7. 2.

SUBCRŬENTUS *vel* succruentus, a, um, adject. ὕφαιμος, aliquantulum cruentus. *Cels.* 4. 18. Descendunt autem pituitæ mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta. *Id.* 5. 18. *n.* 24. Si facie contusa livor subcruentus est.

SUBCŪBO. *V.* SUCCUBO.

SUBCUBONEA. *V.* SUCCUBONEA.

SUBCULTRĀTUS *vel* succultratus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBCULTRO *vel* succultro, as, ātum, are, a. 1. (sub *et* culter) Part. *Subcultratus.* — Subcultro est cultro subter incido, concido, seco. *Apic.* 4. 2. Subcultrare pulpas. *et* 8. 8. *a med.* Thymum subcultratum.

SUBCUMBENS et

SUBCUMBO. *V.* SUCCUMBO.

SUBCUMBUS *vel* succumbus, a, um, adject. (subcumbo) terminus in agris, dictus videtur, quia basis aut stylobatæ, quæ columnæ succumbit, similis est. *Var. Auct. de limit. p.* 265. *et* 302. *Goes.*

SUBCŪNĔĀTUS, a, um, adject. ex particip. ab inusit. *subcuneo*, cuneis subter firmatus et fultus. *Vitruv.* 6. 11. Subjecti et subcuneati postes.

SUBCŪRA. *V.* SUCCURA.

SUBCŪRĀTOR *vel* succurator, *et etiam divisim* sub curator, ōris, m. 3. qui curatoris locum tenet, ὑποκηδεμών. *Julian. Dig.* 3. 5. 29. Eidem alium subcuratorem constitutum. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1851. SVB CVRATOR VIAE FLAMINIAE SVB CVRATOR OPERVM PVBLICORUM.

SUBCURSĬO. *V.* SUCCURSIO.

SUBCURSOR. *V.* SUCCURSOR.

SUBCURVUS *vel* succurvus, a, um, adject. aliquantum curvus. *Ammian.* 26. 9. *extr.* Procopius corpore non indecoro, nec mediocris staturæ, subcurvus humumque intuendo semper incedens.

SUBCUS, ŭtis, omn. gen. adject. (sub *et* cutis) qui sub cute est, subcutaneus. *Gloss. Isid.* Subcus, subcutaneus; intercus, intercutaneus; subtercus, subtercutaneus.

SUBCUSTOS, ōdis, comm. gen. 3. qui pro alio custode substitutus est, ὑποφύλαξ, ἀντιφύλαξ. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 54. Hunc subcustodem suum foris ablegavit.

SUBCŪTĀNĔUS, a, um, adject. (sub *et* cutis) qui sub cute est, subtercutaneus. *Aur. Vict. Epist.* 14. *de Hadriano.* Hic morbo subcutaneo victus, dolore ardens impatiensque plures e senatu exstinxit.

SUBCŪTĬO et deriv. *V.* SUCCUTIO.

SUBDĔALBO, as, are, a. 1. subter dealbo. *Varro* apud *Non. p.* 72. 11. *Merc.* Teges, ruina ne jacentem subdealbet. *Bücheler* leg. *dealbet;* alii *sub deo albet.* Cf. *Riese Rhein. Mus.* 21. 120. et *Stünkel De Varron. verb. form. p.* 74. *et seqq.*

SUBDĒBĬLIS, e, aliquantum debilis, *alquanto difettoso. Sueton. Vitell.* 17. Venter obesus, alterum femur subdebile.

SUBDĒBĬLĬTĀTUS, a, um, adject. aliquantulum debilitatus, ὑπεξασθενῶν. *Cic.* 11. *Att.* 5. Te subdebilitatum novas rationes tuendi mei quærere.

SUBDĒFECTĬO, ōnis, f. 3. (subdeficio) aliqua defectio. *Augustin. Quæst. in Hept.* 1. 26. Quomodo accipiatur, quod Abraham veniens in Ægyptum celare voluerit uxorem suam esse Saram, secundum omnia, quæ de hac re scripta sunt, utrum hoc convenerit tam sancto viro, an subdefectio fidei ejus intelligatur etc.

SUBDĒFENDO, is, ere, a. 3. aliquantum defendere. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 5. 3. 25.

SUBDĒFĬCĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBDĒFĬCĬO, ficis, ficere, n. 3. Part. *Subdeficiens.* — Subdeficio est sensim deficio, *andar mancando. Augustin. Serm.* 343. *ed. recent. sub fin.* Si in labore subdeficimus, adjutorium imploremus. *Curt.* 7. 7. *circa med.* Hac quassa adhuc voce subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat.

SUBDĒLĒGO, as, are, a. 1. alteri in vicem delego. *Edict. Theod.* 127. Delegare nemo debet invitus, sed si is, qui a creditore subdelegatur, consensum delegatione præbens debere se fateatur etc.

SUBDĬĀCON, ŏnis, m. 3. subdiaconus. *Cassiod.* in *ep. ad Tim.* 1. 3. Adjiciens quales episcopi, diacones et subdiacones esse debeant.

SUBDĬĀCŎNĀLIS, e, adject. (subdiaconus) ad subdiaconum pertinens. *Venant. Vit. S. Marcell.* 6. Quum subdiaconali ministerio fungeretur.

SUBDĬĀCŎNUS, i, m. 2. qui uno gradu diacono inferior est, *suddiacono*, ὑποδιάκονος. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod.* 1. 3. 6. Presbyteros, diaconos, subdiaconos atque exorcistas et lectores, ostiarios et acolythos etiam personalium munerum expertes esse præcipimus. Adde *Cod. Theod.* 5. 3. 1. *Augustin. Ep.* 63. 1., *Isid.* 7. *Orig.* 12. 23. et *Inscript. Neapol.* 1350. *et* 2064.

SUBDĬĀLIS *et* subdivalis, e, adject. De quantitate secundæ syllabæ V. *Lachmann* ad *Lucret. p.* 237. — Subdialis est sub dio positus, *posto allo scoperto*, ὕπαιθρος. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (11). Una vitis in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat. *Id.* 34. *ibid.* 12. 29. (117). Cadmia super terram ex subdialibus petris cæditur. *Ammian.* 19. 11. 4. Nostri pruinis subdivales moras difficile tolerabant. — Hinc

Subdiale et per apop. *subdial* vel *subdival, is*, n. 3. absolute, substantivorum more, solarium sive pars domus superior, quæ sub dio est, ὑπαίθρον, ὑπαίθριον. V. SOLARIUM. *Plin.* 36. *ibid.* 25. 62. (186). Subdialia Græci invenere. talibus domos contegentes tractu tepente. *terrazzi, battuti, altane.* et *Theod. Priscian.* 1. 2. In vase novo reponas diebus XL. in subdivale. *Tertull. advers. Jud.* 11. ex *Vulgat. interpr. Ital. Ezech.* 9. 3. Subdival domus. Alii leg. *subdivale.* At etiam in *Gloss. Lat. Gr. p.* 265. *Vulcan.* Subdival, ὕπαιθρον. *V* SUBTEGULANEUM.

SUBDIFFĬCĬLIS, e, adject. aliquantum difficilis, ὑποχαλεπός. *Cic. Amic.* 19. 67. Exsistit hoc loco quædam quæstio subdifficilis. Adde *Boeth.* in *Arist. de interpr. ed. sec.* 5. *p.* 586. *Mign.*

SUBDIFFĪDO, is, ere, n. 3. aliquantum diffido, *diffidare alquanto. Cic.* 15. *Att.* 20. Ego quo die audivi, subdiffidere cœpi.

SUBDĪMĪDĬUS, a, um, adject. subsesquialter, ὑφημιόλιος: huic opponitur superdimidius seu sesquialter. *Capell.* 7. *p.* 251. Superdimidius numerus est, qui ipsum aliquem numerum et dimidium ejus habet. Contra ex iisdem numeris minor majori subdimidius est, quem Græci ὑφημιόλιον appellant. Superdimidii rationem habent tria ad duo: subdimidii duo ad tria.

SUBDISJUNCTĪVUS, a, um, adject. *Procul. Dig.* 50. 16. 124. Hæc verba, ille aut ille, non solum disjunctiva sunt, sed etiam subdisjunctiva: disjunctivum est, veluti quum dicimus, Aut dies aut nox est, quorum posito altero, necesse est tolli alterum: Subdisjunctivi autem genera sunt duo; unum quum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrum esse, ut, Aut sedet, aut ambulat: alterius generis est, quum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit esse utrumque, veluti quum dicimus, Omne animal aut facit, aut patitur. — *Subdisjunctivæ conjunctiones*, apud *Priscian.* 16. *p.* 1030. *Putsch.* sunt, quæ voce disjunctivarum utrumque tamen esse significant, vel simul, ut copulativæ, vel discrete. Simul, ut Terentius in Eunucho: vel rex semper maximas mihi gratias agebat pro *etiam rex.* Discrete utrumque tamen esse significat, ut tota die vel legit iste vel cogitat.

SUBDISTINCTĬO, ōnis, f. 3. (subdistinguo). ¶ 1. Est alia post primam distinctio, περιδιαστολή. *Mall. Theod. De metr.* 3. 8. Sed quoniam de syllabis ac pedibus abunde dictum est, ad ipsam metrorum demonstrationem, distinctionem, subdistinctionem veniamus. ¶ 2. Est etiam nota interruptionis in legendo, qua pronuncia-

tionis terminus ita suspenditur, ut statim id, quod sequitur, succedere debeat. ὑποστιγμή. *Diomed.* 2. *p.* 432. *Putsch.* — *Isid.* 1. *Diff.* 145. Inter distinctionem et subdistinctionem (hoc est discrimen): distinctio finem sensus facit, subdistinctio suspendit. Adde *Comm.* in *Don. Art. m. p.* 230. ed. *Hag.*

SUBDISTINGUO, stinguis, stinctum, stinguere, a. 3. Part. *Subdistinguendus.* — Subdistinguo est subdistinctionis notam appono et sermonis cursum suspendo. *Ascon.* in *Cic.* 4. *Verr.* 13. 32. *ad illud:* Si quid perperam judicarit senatus: Multi subdistinguunt et separatim addunt *senatus*, ut quasi per interrogationem ostendat etc. *Porphyr.* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 3. 2. *Ut numquam inducant animum cantare rogati:* subdistinguendum *cantare* et sic *rogati* inserendum. *Id.* ad illud *ejusd.* 1. *Ep.* 6. 17. *et artes suspice:* potest et ad *suspice* subdistingui.

SUBDĬTĀTĬO. *V.* SUBDITO.

SUBDĬTĪCIUS *vel* subditītius, a, um, adject. (subdo) ¶ 1. Est suppositicius, *supposto, finto,* ὑποβολιμαῖος, ὑπόβλητος. — *a)* De personis. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 62. Ubi hominem exornavere, subditicium fieri ego illum militis servum volo. *Cic.* 7. *Verr.* 27. 69. Si hunc subditicium archipiratam in eamdem custodiam dedisset. Alii rectius leg. *subditivum.* et *Lamprid. Elagab.* 17. Sed porticus defuerant, quæ postea ab hoc subditicio Antonino exstructæ sunt. — *b)* De rebus. *Quintil.* 1. 4. 3. Et libros, qui falso videntur inscripti, tamquam subditicios summovere familia. ¶ 2. Est etiam subditus. *Ambros. Ep.* 19. *n.* 20. Præfato, quod essent subdititii Palæstinorum, quibus sibi necessitas obediendi etc.

SUBDĬTĬO, ōnis, f. 3. (subdo) ¶ 1. Est actus subdendi. *Varro Sentent. n.* 50. ed. *De-Vit* (*n.* 46. ed. *Riese*). Excellentissimum genus docendi est exemplorum subditio. ¶ 2. Est etiam subjectio. *Vulgat. interpr. Ital. ad Hebr.* 5. 8. ex *Codd. Sang.* et *Clar.* Quamquam esset filius, didicit, a quibus passus est, subditionem. *Noster* habet *obedientiam.*

SUBDĬTĪTĬUS. *V.* SUBDITICIUS.

SUBDĬTĪVUS, a, um, adject. substitutus, alterius loco positus. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 5. *p.* 179. Sed allegoricis sensibus et subditivis intelliguntur omnia illa secretis. ¶ 2. Speciatim est subditicius, suppositicius, non verus, ὑποβολιμαῖος. *Plaut. Amph.* 2. 2. 198. Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est. Adde *Cic. loc. cit.* in SUBDITICIUS, *Sueton. Ner.* 7. et *Senec. Œdip.* 803. — Hinc

Subditivus vel *subditivos*, i, m. 2. absolute, inscribitur una ex *Cæcilii* comœdiis. *Gell.* 15. 9., cujus fragmenta apud *Ribbeck, Com. fr. v.* 2. *p.* 47. Hypobolimæus seu Subditivos. *V.* ibid. adnot.

SUBDĬTO, as, are, a. 1. *frequentat.* vel *intens. a* subdo. *Lucret.* 6. 603. vis ipsa pericli Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris. *h. e.* addit, subdit. At *Lachmannus* pro *subditat hunc* habet *subdit adhuc.* Usum tamen vocis confirmat *Gloss. Gr. Lat.* Ἐνεχυριάζω; clarigo, subdito, pignero. Cf. etiam *ibid.* Ἐνεχυριασμός; clarigatio, subditatio, pigneratio.

SUBDĬTUS, a, um, particip. *V.* SUBDO.

SUBDĬTUS, us, m. 4. (subdo) id, quod supponitur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (28). ed. *Sillig.* Inter lethargicos odoris suffitus excitant volvarumque exanimationes vel subditu ac menses et secundas cient. Alii leg. *subdito;* at *V.* ibid. adnot.

SUBDĬU et *rectius divisim* sub diu, adverb. idem quod die sive interdiu. — *Plaut. Most.* 3. 2. 77. Audivit hic esse æstatem perbonam: subdiu coli absque sole perpetuum diem. Est qui leg. *sub dio.* At *Lachmannus* ad *Lucret.* 4. 211. Quod simul ac primum sub diu splendor aquai Ponitur. *p.* 226. *et seq.* lectionem *sub divo* improbat, interpretatur tamen *sub divo,* non interdiu, primā in *diu* productā. Cf. *Vitruv.* 5. 9., 6. 3. et 7. 1. *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 71. 6. *Müll.* Sub diu fieri dicimus, quod non fit sub tecto. V. *Weise* et *Ritschl* ad *Plaut. Most. loc. cit.*

SUBDĪVAL et
SUBDĪVĀLE et
SUBDĪVĀLIS. *V.* SUBDIALIS.

SUBDĪVĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBDĪVĪDO, vīdis, vīsi, vīsum, vīdere, a. 3. Part. *Subdividens* et *Subdivisus.* — Subdivido est post primam divisionem rursus divido, *suddividere. Augustin.* 6. *Civ. D.* 3. *a med.* Tres libros ita subdivisit, ut primus sit etc. Adde 3. *Trin. proœm. Chalcid. Tim.* 29. Ejus (*lineæ*) summa pars scindens proximum circulum, καταβιβάζον, hoc est subdividens. *Tertull. advers. Jud.* 11. *ad fin.* Hebdomades, quæ sunt subdivisæ in abscisionem etc.

SUBDĪVĪSĬO, ōnis, f. 3. (subdivido) alia post primam divisio, *suddivisione. Hieronym. Ep.* 58. *n.* 8. Præcipue in eo libro mihi subdivisio placuit. Adde *Justinian. Cod.* 3. 28. 37. et 6. 2. 22.

SUBDĪVĪSUS, a, um, particip. *V.* SUBDIVIDO.

SUBDĪVUM. *V.* voc. seq.

SUBDĪVUS, a, um, adject. qui sub dio est, ὕπαιθρος. *Gloss. Gr. Lat.* Ὕπαιθρος, subdivus. — Hinc

Subdivum, i, n. 2. absolute, cælum serenum, sudum, *ciel sereno,* apud *Tertull. Pall.* 2. *p.* 920. *Oehl. Gloss. Lat. Gr.* Subdivum, ὕπαιθρον.

SUBDO, dis, dĭdi, dĭtum, dere, a. 3. Part. *Subditus* sub *A* I. 1. 2. 3. et II. 1. et sub *B* 1. 2. et in fin.; *Subdendus* sub *A* I. 3. — Subdo duo præcipue significat.

A) Subdo proprie est subjicio, suppono: quasi subtus do, ὑποτίθημι (It. *metter sotto, sottoporre;* Fr. *mettre sous ou dessous, placer dessous;* Hisp. *poner baxo;* Germ. *unterlegen, untersetzen;* Angl. *to put, place or set under*). occurrit autem cum Accus. rei, quæ subditur, et sæpe addito rei, cui quid subditur, Dat. aut Accus. (fortasse etiam Abl.) cum præp. *sub;* aut absolute.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv. Andr. fr.* 24. *Ribbeck.* Subdere puerum ancillæ. *Cato R. R.* 105. Mustum in ahenum infundito, ignem subdito: ubi bullabit vinum, ignem subducito. *et ibid.* 84. Sub testum subde paullisper, postea eximito. Cf. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. et *Liv.* 8. 30. *Lucret.* 4. 447. At si forte oculo manus uni subdita supter Pressit cum quodam sensu, fit uti videantur Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina videndo. *Id.* 6. 1046. lapis hic Magnes quum subditus esset. *Ovid.* 4. *Met.* 631. ultima tellus Rege sub hoc, et pontus erat, ubi Solis anhelis Æquora subdit equis et fessos excipit axes. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Cœpto amphitheatro, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit. *Sueton. Oth.* 11. Quum pugionem pulvino subdidisset. Sic *Domit.* 17. Pugio pulvino subditus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (37). Subdere furcas vitibus. *Id.* 8. *ibid.* 16. 21. (55). leones jugo. *Tac.* 12. *Ann.* 24. tauros aratro. *Ovid.* 4. *Met.* 721. se aquis. *Id.* 2. *Art. am.* 732. et 2. *Pont.* 6. 38. calcar equo. *Seneca Herc. Fur.* 366. facem tectis. *appiccar fuoco.* et *Plaut. Curc.* 2. 3. 18. aliquem sub solum. *h. e.* humi sternere: *buttare a terra.* et *Ovid.* 8. *Met.* 661. erat mensæ pes tertius impar: Testa parem fecit. quæ postquam subdita clivum Sustulit etc. *Liv.* 8. 30. *a med.* Congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit. *Ovid.* 4. *Fast.* 856. subdita flamma rogo. *Id. Heroid.* 4. 57. Pasiphae decepto subdita tauro. *Id.* 14. *Met.* 553. Carina subdita navigiis. *e.* 12. *ibid.* 141. Vincla galeæ subdita mento. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (41). Cæletæ (*populi*) majores Hæmo, minores Rhodopæ subditi. *abitanti alle radici.* et *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 128. est oculis subdita terra tuis. *Virg.* 3. *G.* 371. avidis, ubi subdita flamma medollis. *Id. Cul.* 90. hæc cura est subdita cordi. *Auct. B. Afr.* 78. Quum elephantus in lixam inermem impetum fecisset eumque sub pede subditum pondere suo premeret. *Alii tamen rectius leg.* sub pedem. *Apul.* 5. *Met.* Lucernam subdere aliquo tegmine, *h. e.* tegere, abscondere vel supponere alicui operculo. *pro* sub aliquo tegmine; *nisi malis esse* ablat. instrumenti. ¶ 2. Speciatim est subjicere, domare, *sottomettere, soggiogare. Tibull.* 4. 1. 67. inferno Plutonis subdita regno Magna deum proles. *Pers.* 5. 124. Liber ego. Unde datum hoc sumis tot subdite rebus? An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat? *Tac.* 12. *Ann.* 40. Subditus imperio feminæ. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 34. Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis: Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis, Præferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit. *Claudian. II. cons. Stilich. præf.* 6. Subderet Hispanum legibus Oceanum. Sic *IV. cons. Honor.* 42. Subdidit Oceanum sceptris. ¶ 3. Item subscribere, adscribere, subjicere. *Gell.* 12. 11. (et 19. 11.) Versus ipsos ex poematis Furianis, in quibus hæc verba sunt, subdidi. *Auson. Ep.* 19. His litteris jucundissimum poema subdideras. *Hieronym. præf.* in *Euseb. Chron.* Littera superioribus signis subdenda. ¶ 4. Item loquendo verba addere, *soggiungere. Auson. Grat. act.* 23. Hic tu paullisper hæsisti, deinde illico subdidisti: Quid de duobus consulibus etc. Adde *Cyprian. Ep.* 2. (*al.* 8.) *n.* 3. ¶ 5. Item objicere, *esporre. Lucret.* 5. 102. rem aliquam oculorum subdere visu. *h. e.* subjicere oculis. *visu* pro *visui.* ¶ 6. Apud Grammaticos *subdi* dicitur littera, quæ in diphthongis secundum occupat locum. *Terentian. De metr.* 420. Ex quibus statim videbis—semper *i* vel *n* Latinas posse subdi ceteris. ¶ 7. Apud Logicos *subdita* est pars propositionis, quæ et subjecta dicitur, vel subjectum. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a super. paragr. 1. *Lucret.* 3. 303. Nec nimis irai fax umquam subdita percit Fumida. *Quintil.* 1. 2. 25. Subdere acriores ad studia dicendi faces. *Liv.* 8. 32. *ad fin.* Subdere ignem ac materiam seditioni. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 76. Ingenio stimulos subdere Fama solet. *Seneca Agam.* 133. Metus subdit stimulos dolori. *Liv.* 7. 40. Subdere alicui spiritus. — In illo *Cod.* 10. 10. 3. Subdere supplicia gravissima. *subdere* est pro adhibere, *far uso, adoperare, impiegare.* ¶ 2. Metaphorā a super. paragr. 2. ductā. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Vereor, ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere.

B) Subdo est etiam sufficio, substituo in locum alterius, ἀντικαθίστημι, ὑφίστημι. (It. *sostituire;* Fr. *mettre à la place, substituer;* Hisp. *substituir;* Germ. *an die Stelle setzen;* Angl. *to substitute*); occurrit autem cum Accus. objecti, sæpe addito, rei, cui quid subditur, Dat. aut Acc. vel Abl. et præp. *in* vel *pro.* ¶ 1. Generatim. *Cic. Dom.* 32. 85. Quis in meum locum judicem subdidit? *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. Quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reservavit? *Festus p.* 343. 3. *Müll.* Subditus dicitur is, qui in demortui judicis locum judex datur his, qui eum habuerant judicem dumtaxat in eamdem rem vel litem. Adde *Paul. Dig.* 5. 1. 60. *Propert.* 3. 21. 34. Nec solvit Danaas subdita cerva rates. *Planc.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. 7. *Plin. Paneg.* 25. et *Quintil.* 3. 6. 54. *Gell.* 1. 4. *sub fin.* Immutavit ergo et subdidit verbum et verbo, quod omiserat, finitimum. ¶ 2. Speciatim est per dolum et fraudem unum pro alio substituere, fictum pro vero subjicero, ostendere. *Ter. Heaut.* 5. 3. 12. Subditum se suspicatur. *supposto, subditicius. Liv.* 40. 9. Me subditum et pellice genitum appellant. *Tac.* 14. *Ann.* 40. Subdere testamentum. *falsificare.* et *Paul. Dig.* 4. 10. 19. partum. *h. e.* unum pro altero matri apponere, vel ei, quæ non peperit, alienum infantem subjicere. *Tac.* 1. *Ann.* 6. *ad fin.* (et 15. *ibid.* 44.) Abolendo rumori Nero subdidit reos et quæsitissimis pœnis affecit. *h. e.* falso reos egit. et 3. *ibid.* 67. Et nequis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur. *si fingevano.* et 6. *ibid.* 36. Subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, *sparsa una falsa voce.* et *Apul.* 10. *Met.* In ejus potionis vice subditur alia.

scil. venenata. ¶ 3. Item subornare, summittere, *subornare*. *Plaut. Merc. argum.* 2. 9. Hic filium subdiderat vicini: pater Vicinum. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Adsimulabat judicis partes, subditis, qui accusatorum nomina sustinerent. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Subdita, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Res subter positæ. *Ambros.* in *Ps.* 118. *Serm.* 9. *n.* 1. Nec Prophetæ meritum hujusmodi intellectum videtur admittere, nec series subditorum. ¶ 2. Etiam medicamenta, quæ in podicem immittuntur, *supposte*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (43). Cæpæ hæmorrhoidas pellunt, subdita pro balanis. *Id.* 22. *ibid.* 9. 11. (25). Glycyrrhizæ usus in subditis, decoctæ ad tertias.

Subditi, orum, m. plur. 2 absolute, substantivorum more, qui ditioni alicujus parent. *Ambros. Apol. David* 7. *n.* 34. Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, ut etiam per pericula regali imperio voluntarii milites obtemperarent. *Vulgat. interpr.* 1. *Tim.* 1. 9. Lex justo non est posita, sed injustis et non subditis.

SUBDŎCEO, dŏces, dŏcere, a. 2. loco alterius docere seu vicem præceptoris occupo, vel horis subsecivis doceo, ὑποδιδάσκω. — *a*) Transitive, seu cum Accus. *Cic.* 8. *Att.* 4. Cicerones nostros meo potius labore subdoceri, quam me alium vis magistrum quærere. — *b*) Neutrorum more, seu absolute. *Augustin.* 8. *Confess.* 6. Subdocere grammaticos. *h. e.* vicem gerere seu occupare.

SUBDOCTOR, ōris, m. 3. (subdoceo) qui post alium docet, *sottomaestro*. *Auson. Profess.* 22. Victorio subdoctori sive proscholo.

SUBDŎLĒ, adverb. (subdolus) callide, *con furberia, furbescamente,* ὑπούλως. *Plaut. Trin.* 2. 1. 12. Subdole blandiri. *Cic. Brut.* 9. 35. Acute, subdole, versute. *Sall. Jug.* 108. Subdole speculari consilia alicujus.

SUBDŎLENS, entis, particip. ab inusit. *subdoleo,* aliquantum dolens. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. 7. Subdolens faucium sensus.

SUBDŎLŌSĬTAS, ātis, f. 3. (subdolosus) occulta deceptio seu dolus. *Cassiod. in Ps.* 49. 19. Prius de furto atque de adulterio arguit peccatores: nunc etiam de conscientiæ pravitate et linguæ subdolositatibus accusantur. *Isid.* 10. *Orig.* 229. Pellex - dicta a fallacia (*lege* pellacia), idest versutia, subdolositate vel mendacio.

SUBDŎLŌSUS, a, um, adject. (subdolus) occulte dolosus. *Cassiod. in Ps.* 106. 34. Mentes subdolosæ. *Gloss. Lat. p.* 277. *n.* 223. *Hild.* Subdolosus, astutus.

SUBDŎLUS, a, um, adject. fraudulentus, astutus, dolosus, occulte decipiens, *ingannatore, astuto,* ἀπατηλός.

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 2. 3. 13. Quo pacto fiat subdola adversus senem. *Ovid.* 1. *Art. am.* 598. Fac, titubet blæso subdola lingua sono. *Sall. Jug.* 42. At Jugurtha, cognita vanitate legati, subdolus ejus augere amentiam. *Id. Cat.* 5. Animus audax, subdolus, varius. *Tac.* 6. *Ann.* 51. Occultus ac subdolus fingendis virtutibus. *et ibid.* 6. Immanem animum subdola modestia tegens. *Plaut. Capt.* 3. 3. 5. Subdola mendacia.

II.) Translate, refertur ad inanima, quibus falli quis potest. *Tac.* 5. *Hist.* 14. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa. *Martial.* 3. 58. Sed tendit avidis rete subdolum turdis.

SUBDŎMO, as, are, a. 1. domo, subigo. *Plaut. Asin.* 3. 3. 112. Sic isti solent superbi subdomari.

SUBDŬBĬTANTER, adverb. (subdubito) subdubitando. *Rufin.* ex *Orig. select.* in *Ps.* 41. 10. Subdubitanter dicere.

SUBDŬBĬTO, as, āvi, are, n. 1. nonnihil addubito, parumper dubito, *dubitare alquanto,* ὑπενδοιάζω. *Cic.* 44. *Att.* 15. Jam enim dico meum: antea, crede mihi, subdubitabam. — Cum particula relativa. *Id.* 2. *Fam.* 13. *circa med.* Significabas te subdubitare, qua essem erga illum voluntate. *Rufin.* ex *Orig. select.* in *Ps.* 2. 3. Subdubitasse, ad quid ista fierent.

SUBDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. *Subduxe,* pro *subduxisse,* apud *Varron.* 2. *R. R.* 1. 6. — Item *subduxti,* pro *subduxisti,* apud *Ter. Eun.* 4. 7. 24. — Part. *Subductus* fere in omnib. paragr.; *Subducturus* sub *B* 1.; *Subducendus* sub *A* I. 1. *b* et II. 2. — Subduco, prout partic. *sub,* qua componitur, est subtus, subter, infra, aut est quasi sursum, duo præcipua et aliquantum diversa significat.

A) Subduco, a *sub,* subter, infra, est subter aufero, clam subtraho, ὑπεξάγω, ὑφαιρέω (*It. togliere di sotto, sotto via o sotto mano, di nascosto, portar via, sottrarre;* Fr. *retirer de dessous, retirer, ôter;* Hisp. *substraer, quitar, arrancar;* Germ. *darunter wegziehen, wegnehmen;* Angl. *to take or convey away by stealth*); occurrit autem cum Accus. tantum, aut cum addito Dat. vel Ablat. loci, unde quid subducitur, per præp. *ab, ex, de,* aut sine præp.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cato R. R.* 105. Ubi bullabit vinum, ignem subducito. *Cæs.* 2. *B. C.* 23. Naves ex prædonum bello subductas reficiendas curaverat. *Cic.* 4. *Fin.* 15. 42. Subducere rerum fundamenta. *Liv.* 9. 11. furto aliquid. *Plaut. Merc. prol.* 65. Fluvius rapidus raptori pueri subduxit pedes. *Lucan.* 2. 717. Rapta puppe minor subducta est montibus Argo. *Triphonin. Dig.* 28. 2. 28. Subductus de potestate. Rursum *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Compluribus lapidibus ex turri subductis. *Virg.* 6. *Æn.* 524. fidum capiti subduxerat ensem. *di sotto il capezzale.* *Ulp. Dig.* 10. 2. 14. Rem de judicio subducere. — *Subducere se,* clanculum et sensim se removere, *sottrarsi, ritirarsi.* *Plaut. Asin.* 5. 2. 62. Tempus est subducere hinc me. *Nepos Alcib.* 4. Clam se a custodibus subducere. *Ovid.* 7. *Met.* 781. se a vulnere. *Id.* 5. *Trist.* 14. 27. se nimbo. *Ter. Eun.* 4. 7. 24. Mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum, et cum eo clam te subduxti mihi. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. 1. De circulo se subduxit. — *b*) In re militari. *Sall. Jug.* 103. Milites dispersos in unum contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem subducit. *ritira,* retrahit. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Copias in proximum collem subducit. *Liv.* 7. 34. Spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum. *Id.* 36. 18. Hostes pulsi loco intra munimenta, subductis ordinibus, concesserunt. — In illo *Sall. Cat.* 62. Reliqua signa in subsidiis artius collocat, ab his centuriones omnes lectos, præterea ex gregariis optume quemque armatum in primam aciem subducit. *subducere* est abductos ex subsidiis in primam aciem adducere. ¶ 2. Specialim est demere, auferre, *togliere, levare.* *Cic.* 2. *Tusc.* 17. *circa med.* Subduc cibum unum diem athletæ. *Virg.* 3. *Ecl.* 5. alienus oves custos bis mulget in hora: Et sucus pecori et lac subducitur agnis. *Juvenal.* 11. 142. Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ Novit avis noster tirunculus, *levare trinciando.* et *Sueton. Tib.* 22. Subducere materiam tumultus. *Ovid.* 3. *Fast.* 587. carbasa torto lino. *h. e.* funibus deducere et vento subtrahere, *ammainare.* Sic *Lucan.* 6. 287. vela procellæ. *Ovid.* 3. *Art. am.* 123. terræ subducitur aurum. *si cava di sotto la terra.* et *Lucan.* 6. 519. nubes subducunt sidera. *cuoprono.* *Virg.* 3. *Æn.* 565. Subducta ad Manes imos desedimus unda. *Vellej.* 2. 100. *extr.* Julia relegata in insulam patriæque et parentum subducta oculis. ¶ 3. Item furtim auferre, surripere, *rubare, furare.* *Plaut. Curc.* 2. 3. 81. Condormiscit. ego ei subduco anulum. *Martial.* 12. 29. Subduxit mappas quattuor Hermogenes. *Id.* 8. 59. Subducere alicui pallia a cubito. *di sotto il gomito.* et *Varro* 2. *R. R.* 1. 6. Atreus pecudem auream sibi Thyestem subduxe queritur. (V. *Cic.* 3. *Nat. D.* 27.) In illo *Ulp. Dig.* 47. 11. 7. Saccularii, qui vetitas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt etc. *subducere* est elicere pecuniam ad se carminibus, vel qua alia ratione illicita: *subtrahere* est manu auferre. *Subducimus* arte, *fare sparire: subtrahimus* manu, *rubare.* Ita *Cujac. l.* 10. *Observat. c.* 27. *Martial.* 14. 42. Subducta est puero namque lacerna tuo. *Horat.* 1. *Od.* 3. 27. ignis ætheria domo subductus. *Id.* 1. *Ep.* 17. 54. Aut cistam effractam et subducta viatica plorat. ¶ 4. Item sæpe est eripere ac liberare a molestia aut periculo, *sottrarre, liberare.* *Virg.* 10. *Æn.* 50. et 615. Subducere aliquem pugnæ. *et ibid.* 80. manibus alicujus. *Juvenal.* 1. 15. manum ferulæ. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 27. animam sævæ morti. *Id.* 1. *Pont.* 5. 24. colla oneri. *Vellej.* 2. 72. 5. aliquem periculo. ¶ 5. In re medica, *subducere alvum,* ducere, ciere, *lubricare, muovere.* Proprie videtur esse, per inferna ciere, ut clysteribus. *Cels.* 3. 4. Asclepiades medicamenta sustulit, alvum non toties, sed fere tamen in omni morbo subduxit.

II.) Translate. ¶ 1. Pro demittere. *Virg.* 9. *Ecl.* 7. qua se subducere colles Incipiunt mollique jugum demittere clivo. *h. e.* demittere se et desinere. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Hic quoque fons nascitur simulque subducitur. ¶ 2. *Subducere rationem,* ducere, inire, putare, *far i conti, sottrarre,* quod fere fit subducendo ab altera summa, ut, quid in altera reliquum sit, appareat. *Plaut. Capt.* 1. 2. 89. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam, Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 399. 16. *Merc.* Ineundis subducendisque rationibus. *et* 2. *Fin.* 19. 60. Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis prœlium ineunt? et 3. *Nat. D.* 29. 71. Medea et Atreus, inita subductaque ratione, scelera meditantes. *a conti fatti.* — Ad illud *Ter. Adelph.* 5. 4. 1. Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit etc. *ducere,* inquit *Donat.*, est digitis computare apud alium et palam: *subducere,* apud seipsum et secreto. Sed hoc discrimen non est perpetuum. — Absolute *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* Assidunt, subducunt: ad nummum convenit. — Hinc Part. præter. pass.

Subductus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Subductior.* — Subductus est remotus, *rimoto, riposto, ritirato.* *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Cubiculum subductum omnibus ventis. *Capell.* 6. *p.* 192. Concavis subductioris terræ latebris abderetur.

B) Subduco, a *sub,* qua motum ad superna significat, est sursum duco, tollo, ὑπάλω (*It. tirar da sotto in su, sollevare;* Fr. *retirer de dessous, élever, hausser;* Hisp. *conducir, llevar de baxo en alto;* Germ. *von unten emporziehen, hervor bringen od. schaffen, in die Höhe ziehen;* Angl. *to draw up, list or raise up*): occurrit autem absolute, aut cum Abl. loci, unde quid subducitur, et præp. *ab, ex,* aut sine præp.; aut cum Acc. vel etiam Abl. loci, quo quid subducitur, et præp. *in* aut sine præp. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 157. *sub fin.* Brassicam ad nasum admoveto: ita subducito susum animam, quam plurimum poteris. *Plaut. Aulul.* 2. 7. 3. In puteo cenam coquant: Coctam inde sursum subducemus corbulis. *Liv.* 27. 28. *a med.* Cataractam funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 11. 8. (49). Hæc ratio mortales animos subducit in cælum. *Ovid.* 2. *Fast.* 347. tunicas ora subducere ab ima. et 5. *ibid.* 611. *de Europe.* Sæpe puellares subducit ab æquore plantas. *alza e ritira.* et *Liv.* 37. 10. Dixit, subducturum per simulationem reficiendi quasdam naves. *h. e.* ex aqua in terram et sub navalia tracturum. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 555. *et* 577. et *Cæs.* 3. *B. C.* 23. *in fin.* *Plaut. Most.* 3. 2. 50. Navis subducta erat tuto in terra. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 26. tunicæ usque ad inguen subductæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. *de caniculis marinis.* Ac sæpe jam subducti, e manibus auferuntur. *h. e.* ex aqua in navem sublati. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (150). Mentæ recentis sucus narium vitia spiritu subductus emendat. et 30. *ibid.* 13. 38. (112). Sanguinem sistit in naribus coagulum agninum subductum vel infusum. *Virg.* 3. *Æn.* 135. sicco subductæ littore puppes. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 21. Longaque subductam celant navalia pinum. *Avien. Perieg.* (*Descr. orb.*) 99. proceras subducit in astra co-

lumnas. — *Subducere supercilium*, adducere, efferre, *inalzare*: quod tristitiæ aut gravitatis aut severitatis indicium est. *Turpil.* apud *Non.* p. 399. 30. *Merc.* Quum antehac videbam stare tristes, turbido vultu, subductis cum superciliis senes. *Varro ibid.* Ego, unus scilicet antiquorum hominum, subductis superciliis dicam. *Seneca Ep.* 48. *circa med.* Subducere supercilia. Adde *eumd.* 1. *Benef.* 1. et *Lævium* apud *Gell.* 19. 7. (ubi quidam putant, ipsum *subductisupercilicarptores* vituperones suos appellasse.) Sic *Propert.* 2. 8. 13. Nunc volo subducto gravior procedere vultu. ¶ 2. Speciatim in re medica de ea ductione dicitur, quæ per superna fit. *Gell.* 4. 11. Is cibus et subducit sensim alvum et lævigat. Cf. *A* I. 5.

Homonym. Discrimen inter *subducere* et *subtrahere* V. sub *A* I. 3.

SUBDUCTĀRĬUS, a, um, adject. (subduco) idem ac ductarius, quo quid subducitur seu levatur. *Cato R. R.* 12. 68. *et* 135. Funes loreos quinque, subductarios quinque, medipontos quinque. — De *fune subductario* in re nautica, Italice *collatore*, V. *Guglielmotti, Di due navi Rom.* etc. *p.* 52. ed. *tert.* Cf. voc. seq.

SUBDUCTĬO, ōnis, f. 3. (subduco) actus subducendi, idest subtrahendi, ὑπαγωγή, ὑπεξαγωγή, ὑφαίρεσις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 23. Subductiones aquæ. ¶ 2. Speciatim in re nautica. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Ad celeritatem onerandi subductionesque paullo facit humiliores (*naves*), quam quibus in nostro mari uti consuevimus. *e per tirarle in secco. Vitruv.* 10. 5. *in fin.* Funibus et trochleis subductiones navium efficiuntur. Adde *Theod. Priscian.* 3. 6.

II.) Translate, a significatione subducendi, qua ad rationes seu calculos pertinet. *Cic.* 2. *Orat.* 30. 132. Statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent.

SUBDUCTĬSŬPERCĬLĬCARPTŌRES. *V.* CARPTOR et SUBDUCO.

SUBDUCTUS, a, um, particip. *V.* SUBDUCO.

SUBDULCIS, e, adject. nonnihil habens dulcedinis, *un po' dolce*, ὑπόγλυκυς. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58). Radix subdulcis, in petris nascens aut sub arboribus vetustis. *Id. ibid.* 10. 63. (72). Intus album includi, sapore subdulce. Adde *Augustin. Ep.* 26. et *Marcell. Empir.* 29.

SUBDŬPLEX, plĭcis, omn. gen. adject. idem ac subduplus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 30. Manifestum etiam hoc est, quod horum comites (*numeri*) semper cum *sub* præpositione dicentur, ut est subduplex sesquialter, subduplex sesquitertius, subduplex sesquiquartus et ceteri quidem ad hunc modum. *Id. ibid.* 31. Hic quoque illud meminisse debemus, quod minores et comites non sine *sub* præpositione nominantur, ut sit subduplex superbipartiens, subduplex supertripartiens.

SUBDŬPLUS, a, um, adject. ita appellatur numerus, qui ab alio bis continetur, ut unitas a binario. *Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Si bis majorem numerum minor numerus metiatur, subduplus vocabitur; si vero ter, subtriplus *etc.* et sit per hæc in infinitum progressio additaque eos semper *sub* præpositione nominabis, ut unus duorum subduplus, trium subtriplus etc.

SUBDŪRUS, a, um, adject. aliquantum durus.

I.) Proprie. *Cels.* 5. 28. *n.* 14. Subdurum et in summo perasperum.

II.) Translate. *Q. Cic. Petit. Cons.* 12. 46. Hoc probabile est; illud alterum subdurum tibi homini Platonico suadere. *h. e.* subdifficile.

SŬBĔDO, ĕdis, ēdi, ēsum, ĕdere, a. 3. *Subes* pro *subedis* habet *Plaut. fragm.* apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 90. 3. *Müll.* Sic me subes cottidie, quasi fiber salicem. — Part. *Subesus.* — Subedo est subtus edo, *mangiar sotto*, ὑποτρώγω. *Ovid.* 11. *Met.* 783. e scopulo, quem rauca subederat unda, Decidit in pontum. — Hinc translate. *Hieronym.* 1. *in Jerem.* 2. 37. Omne contritum est et ita subesum, ut nihil in eo utilitatis valeant reperire. Ita cl. *Furlanetto* legend. videtur; aliis vero *subvesum*.

SŬBELLO. *V.* SUBVELLO.

SŬBĔO, is, ivi *et sæpius* ii, itum, ire, 4. Forma *subivi* apud *Ovid.* 1. *Fast.* 314., *Stat.* 2. *Silv.* 1. 155., *Apul.* 4. *Met.* 15. et *Tac.* 11. *Ann.* 24. *Ritter*; ubi tamen *Halm* et *Nipperd.* leg. *subiimus.* — *Subit* pro *subiit*, secundâ productâ, apud *Stat.* 2. *Theb.* 474. Jam stratum Ixiona linquens, Te, Meleagre, subit: ibi demum cuspide lata Hæsit etc.; nisi malis id per syncopen factum. Ceterum *Müllerus* ad *Lucret. p.* 206. *et seqq.* demonstrare studet, formam *iit*, cum compositis, alterâ extentâ proferendam esse pro *ieit*, ut apud *Marini Fr. Arv. p.* 30. etc.; hinc apud *Ovid.* 1. *Met.* 114. legit *subiit argentea proles* pro *subiitque*. V. quæ erudite ibi adnot. — Item *subisti, subisse* pro *subiisti, subiisse* et similia. *V.* infra. — Part. *Subiens* I. 2. *b*; *Subitus* in fin.: *Subiturus* II. 1. *a*; *Subeundus* I. 6. *b* et II. 1. *a*. — Subeo est subtus eo, succedo, ὕπειμι (It. *andar sotto, entrare*; Fr. *aller ou venir sous, se mettre sous*; Hisp. *andar ó venir baxo ó debaxo, meterse debaxo*; Germ. *unter etwas gehen od. kommen, hineinrücken*; Angl. *to go or come under*): dicitur autem tum de rebus tum de personis, et occurrit intransitive, sæpe tamen regit accusativum vi præpositionis: est enim ab *eo* et *sub.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 707. care pater, cervici imponere nostræ: Ipse subibo humeris. *Cels.* 3. 6. *ante med.* Venæ, incipiente febre, subeunt et quiescunt. *h. e.* subsidunt. — *b*) Cum Dat. *Virg.* 6. *Æn.* 222. pars ingenti subiere feretro. *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* Stamen a stando: subtemen, quod subit stamini. *Sil. It.* 5. 283. Aut dumis subit, albenti si sensit in æthra Librantem nisus aquilam, lepus ore citato. Alii *dumos* legunt. — *c*) Cum Accus. *Ovid.* 1. *Fast.* 314. Octipedis frustra quæruntur brachia Cancri: Præceps occiduas ille subivit aquas. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 21. asellus Quum gravius dorso subiit onus. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. *extr.* Qui intra annos quattuordecim tectum non subissent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 45. 62. (128). Leones jugum subeant. *Virg.* 3. *Æn.* 113. Et juncti currum dominæ subiere leones. *Curt.* 7. 6. 8. Lectica militari ferebatur, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant. — *d*) Cum Ablat. *Stat.* 1. *Theb.* 406. subit uno tegmine, cujus Fusus humo gelida partem prior hospes habebat. — *e*) Cum Acc. et præp. *in, sub. Ovid.* 4. *Met.* 600. *de anguib.* in appositi nemoris subiere latebras. *Liv.* 37. 4. *ante med.* Cælo sereno interdiu obscurata lux est, quum luna sub orbem solis subisset. ¶ 2. Speciatim est accedere, *accostarsi, farsi sotto.* — *a*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 86. *a med.* Alii tela conjiciunt, alii testudine facta subeunt. — *b*) Cum Acc. et præp. *ad, inter, contra*, aut sine præp. *Virg.* 8. *Æn.* 359. ad tecta subibant. *Liv.* 34. 16. Legionem subire ad portam castrorum jussit. *Id.* 31. 45. Diversis partibus rex et legatus R. ad urbem subeunt. *Id.* 2. 31. Loco iniquo subeundum erat ad hostes. *Val. Flacc.* 4. 299. hos inter Pollux subit et trucis ultro Advolat ora viri. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 33. Ingentique gradu contra ferrumque locumque Saxaque brumali grandine plura subis. *Liv.* 36. 18. *ad fin.* Multi temere subeuntes vallum transfixi sunt. *Virg.* 9. *Æn.* 371. Jamque propinquabant castris murosque subibant. *Alii leg.* muroque. Sic 7. *ibid.* 160. tecta Ardua cernebant juvenes muroque subibant. *Alii tamen leg.* murosque. *Servius* ait *muros* secundum naturam esse, *muro* per dativum, figuratum. Quid, si *muro* sit ablativus? ¶ 3. Item ingredi. — *a*) Cum Acc. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 33. Macra cavum repetes artum, quem macra subisti. *Lucan.* 1. 211. latum subeant venabula pectus. *Val. Flacc.* 3. 105. subit ilia cuspis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 25. Milia tum pransi tria repimus atque subimus Impositum saxis late candentibus Anxur. — Passive. *Juvenal.* 16. 2. si subeantur prospera castra. — *b*) Cum Abl. *Virg.* 3. *Æn.* 292. Littoraque Epiri legimus portuque subimus Chaonio et celsam Buthroti ascendimus urbem. *portu* tamen potest etiam esse dativus pro *portui*, ut *aspectu, concubitu, victu* etc. (de quibus *V.* in ASPECTUS) V. *Pier.* in hunc loc. — *c*) Cum Acc. et præp. *in. Seneca Hippol.* 209. Subire in Penates. ¶ 4. Item ascendere, *salire.* — *a*) Absolute. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (31). Levissima est imbrium aqua, ut quæ subire potest ac pendere in aere. — *b*) Cum Acc. et præp. *in*, aut sine præp. *Id. ibid.* Nec levitatis in pluvia aqua argumentum est, subisse eam in cælum. *Auct. B. G.* 8. 15. Si forte Romani subire collem conarentur. *Liv.* 27. 18. *a med.* Quamquam ascensus difficilis erat, assuetudine tamen succedendi muros subierunt primi. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 31. (57). Aqua subit altitudinem exortus sui. — Passive. *Id.* 4. *ibid.* 11. 18. *ante med.* Hæmi excelsitas sex mil. passuum subitur. ¶ 5. Item succrescere, exsistere, enasci, *venir su. Virg.* 1. *G.* 279. area creta solidanda tenaci, Ne subeant herbæ. *Martial.* 7. 83. Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci Expingitque genas, altera barba subit. ¶ 6. Item succedere, sequi, *sottentrare, succedere, venir dietro.* — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Met.* 114. subiit argentea proles Auro deterior. *Val. Flacc.* 4. 197. amnem Taurus aquis qui primus init; - mox omne pecus, formidine pulsa, Pone subit. *Inscript.* in *Bullett. dell'Istit. Arch. a.* 1835. *p.* 153. QVI IN CONLEGIO SILVANI HODIE ESSENT QVIQVE POSTEA SVBIISSENT. — *b*) Cum Dat. *Liv.* 27. 2. Primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit. — *c*) Cum Acc. et præp. *in*, aut sine præp. *Ovid.* 4. *Fast.* 43. Isque, Latine, tibi pater est: subit Alba Latinum. *succede nel regno.* et 8. *Met.* 699. casa parva Vertitur in templum: furcas subiere columnæ. — Hinc translate. *Varro* apud *Non.* p. 403. 27. *Merc.* In quarum locum subierunt inquilinæ impietas, perfidia, impudicitia, impudentia. *Ovid.* 1. *Met.* 129. fugere pudor verumque fidesque: In quorum subiere locum fraudesque dolique. ¶ 7. Item ire in aliquem aggrediendi causa, *andare addosso.* — *a*) Absolute. *Val. Flacc.* 6. 322. congressu subiit Gesander iniquo. — *b*) Cum Acc. *Virg.* 9. *Æn.* 342. incensus et ipse Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem Fadumque Hebesumque subit, Rhœtumque Abarimque. — Passive. *Quintil.* 4. 5. 5. Interim fallendus est judex et variis artibus subeundus, ut etc. ¶ 8. *Subire* est etiam clam irrepere, furtim ingredi. — *a*) Absolute. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 5. Nam, puto, sentirem, si quo tentarer amore. An subit et tacita callidus arte nocet? *Id.* 1. *Art. am.* 741. non tutum est, quod ames laudare sodali. Quum tibi laudanti credidit, ipse subit. *Propert.* 1. 9. 26. (et 2. 20. 68.) Acrius illa subit. Cf. *Cels. loc. supra cit.* — *b*) Cum Acc. *Ovid. Heroid.* 19. 56. subit furtim lumina fessa sopor. *Id.* 3. *Met.* 282. multi Nomine divorum thalamos subiere pudicos. *Alii leg.* iniere. ¶ 9. Obsceno sensu apud *Juvenal.* 2. 50. Hispo subit juvenes. *h. e.* pædicat. — Cum Dativo *Propert.* 3. 17. 14. Quæ voluit liquido tota subire deo.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime est adire, suscipere rem molestam, difficilem, asperam, laboriosam (It. *incontrare, soggiacere, incorrere, sottoporsi, esporsi*; Fr. *s'exposer, soutenir, supporter*; Hisp. *exponerse, arriesgarse, sobrellevar, soportar*; Germ. *erdulden, ertragen, ausstehen*; Angl. *to encounter, sustain, suffer*). — *a*) Cum Acc. *Cic.* 3. *Att.* 15. *sub fin.* Quod si fuisset, istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses. *Id. Rosc. Am.* 11. *a med.* Licet omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. *Id. Dom.* 38. *circa med.* Pœnam subire ac sustinere. *Id. Prov. cons.* 17. 41. Quamvis excipere fortunam, subire vim atque injuriam malui, quam etc. *et ibid.* 9. *sub fin.* Tela intenta in patriam subire atque excipere. *Id. Pis.* 18. 41. Subire sempiternas fœdissimæ turpitudinis notas. *Id.* 3. *Verr.* 55. 144. periculum. *Id. Dom.* 32. *a med.* vim et iracundiam populi incitati. *Id. Cluent.* 46. 128. (*Nepos Epam.* 8.) pœnam capitis. *Id.* 3. *Off.* 29. 105. voluntarium

ernclatum retinendi officii causa. *Cæs.* 2. *B. C.* 81. necessariam deditionem. *et* 3. *ibid.* 77. subitum casum. (Sic *ibid.* 13. Eumdem casum subiturus.) *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. *circa med.* dimicationem. *Id. Partit.* 28. *a med.* judicium. *Id. Quinct.* 31. 97. inimici vultum superbissimum. *Id. Dom.* 27. *ad fin.* nomen exsulis. *Id.* 11. *Att.* 6. *ante med.* In oppido aliquo mallem resedisse: minus sermonis subiissem, minus accepissem doloris. *avrei meno udito di cose spiacevoli.* Huc et illa pertinent *Val. Flacc.* 7. 428. Subire jussa. *Ovid. Heroid.* 4. 23. amores. *Id.* 4. *Trist.* 6. 8. servitium. *Id.* 1. *Amor.* 7. 28. Debita sacrilegæ vincla subite manus. *Val. Flacc.* 3. 702. Ipse ducis curas meritosque subiret honores. *h. e.* susciperet, assumeret. *Sil. It.* 1. 243. Subire partem laboris. *Id.* 16. 230. *de equo.* jugum. — Passive. *Cic.* 7. *Verr.* 71. 182. Inimicitiæ subeantur, labores? suscipiantur. *Id.* 2. *Tusc.* 5. *ad fin.* Ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor. *Id. Mur.* 2. *ad fin.* Cui video maximas reipubl. tempestates esse subeundas. — *Subire verba* apud *Tac.* 11. *Ann.* 27. ita interpretatur *Gronovius* in *Observ.* 2, 4. *p.* 187. *et seqq.* « Dicitur *subire verba*, cui dictat pia vota sacerdos, cujus preces præit. Sermo respondens τῷ *præire verba*. Ominata verba, quæ præivit auspex, subivit Messalina, i. e. repetivit, in ea verba ivit ». — *b*) Cum Dat. *Cic. Divin. Verr.* 14. *a med.* Poterisne ejus orationis subire invidiæ? Ita legit *Asconius*, et adscribit: Quasi Latine dixit, ut *magno ponderi subire*. Alii omn. leg. *invidiam*. Sed et illud *quasi* suspectum est. Præterea hoc est contra morem *Ciceronis*, ut ex adlatis exemplis apparet. Addunt quidam ex *Tibull.* 1. 4. 41. duro subiisse labori. Sed *duros labores* habent plerique omnes: quos defendit *Broukusius*. Illa vero dubia sunt *Virg.* 6. *Æn.* 222. ingenti subiere feretro. *et* 7. *ibid.* 161. muroque subibant. *et Propert.* 3. 17. 14. Quæ voluit liquido tota subire deo. *V.* supra. Attamen nullam, quod sciam, habet varietatem lectionis illud *Virg.* 8. *Æn.* 125. Progressi subeunt luco (*Ribbeck* loco). Nisi velis contendere *muro* et *luco* esse ablativos casus, ut in loco *Statii* supra adlato, *subit uno tegmine*. Ceterum, ut mihi videtur, hæc loca iis confirmantur, quæ, quamvis in alium sensum, Dativum certo habent. — *c*) Cum Infinito. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 105. adversaque tela subisti Pellere inermis adhuc. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 46. Jam clavum totamque subit torquere carinam. *intraprende.* ¶ 2. Sæpe etiam significat in mentem venire, succurrere, redire in memoriam, *sovvenire, venire in mente.* — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 562. subiit deserta Creusa Et direpta domus. *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 24. In tantis subeunt nec bona verba malis. — *b*) Cum Dat. ejus, cui quid subit. *Ovid.* 2. *Trist.* 291. Proxima adoranti Junonia templa subibit, Pellicibus multis hanc doluisse deam. *Id. Heroid.* 18. 61. *de Luna.* faveas, dea candida, dixi, Et subeant animo Latmia saxa tuo. Sic 4. *Pont.* 15. 29. Et pudet et metuo semperque eademque precari, Ne subeant animo tædia justa tuo. *Seneca Med.* 555. Melioris tibi memoria nostri subeat. *Apul.* 7. *Met.* Mihi merito subiret vituperatio: *Quintil. Declam.* 6. 11. *circa med.* Miseratio, quæ cogitationi nostræ subit. — *c*) Cum Acc. *Liv.* 36. 20. Deinde cogitatio animum subiit, indignum esse etc. *Ovid.* 12. *Met.* 472. nec mentem subiit, quo præmia facto, Quaque viri falsam speciem mercede parares? *Apul.* 3. *Met.* Consilium me subit. — *d*) Cum Infinito tantum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31. (49). Subit antiquitatem mirari. *Id.* 25. *ibid.* 3. 7. (23). Qua in reputatione misereri sortis humanæ subit. — *e*) Cum Conjunctivo et part. *ut*. *Id. ibid. præf.* § 11. Subiit me cura, ut, quæ tibi dicuntur, te digna sint. — *f*) Cum partic. relativa. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 38. et quid sim quid fuerimque, subit. ¶ 3. Item post venire, advenire, *venire.* — *a*) Absolute. *Virg.* 3. *G.* 66. Optima quæque dies miseris mortalibus ævi Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus. — *b*) Cum Acc. et præp. *sub*, aut sine præp. *Cic.* 1. *Orat.* 33. *a med.* Omnes sententiæ verbaque omnia sub acumen stili subeant et succedant necesse est. *Curt.* 3. 2. *in fin.* Sera deinde pœnitentia subiit regem. ¶ 4. *Subire* item dicitur qui adit loquendi gratia, qui dictis aggreditur, qui respondet. *Val. Flacc.* 2. 555. Illum torva tuens atque acri lubricus æstu Rex subit et patrio fatur male lætus amore. *Stat.* 9. *Theb.* 510. tandem precibus commota Tonantem Juno subit: Quonam miseros, sator inclite divum etc.? *Id.* 8. *ibid.* 84. At tibi quos, inquit, Manes, qui limite præceps Non licito per inane ruis? subit ille minantem etc. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 173. Nobiscum, Theodore, redi. subit ille loquentem Talibus. ¶ 5. In ludo talorum *subire* dicebatur, qui jactum aliquem nominabat, quo veniente vinceretur: *vocare*, qui aliquem, quo existente vinceret. *Ovid.* 3. *Art. am.* 355. Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte Quam subeat partem callida, quamque vocet. Ita *Mazzon.* in *Defens. Dantis l.* 1. *c.* 11. — Hinc Part. præt. pass.

Subitus, a, um, adjective usurpatur et est proprie qui mox succedit vel sequitur; sed idem valet apud scriptores ac repentinus, improvisus, *subitano, improvviso, repentino,* αἰφνίδιος. Dicitur autem tum de hominibus tum de rebus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 2. 3. 23. Ita res subita est: celeriter mihi hoc homine convento est opus. *Lucret.* 1. 286. Nec validi possunt pontes venientis aquai Vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri Molibus incurrit. *Cæs.* 3. *B. G.* 7. Subitum bellum in Gallia coortum est. *Auct. B. G.* 8. 81. *extr.* Subitas hostium incursiones sustinere. *Cic.* 10. *Fam.* 16. *a med.* Ne in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. *Id.* 1. *Orat.* 33. 150. Subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit. *Nepos Dion.* 6. Has tam inopinatas res consecuta est subita commutatio. *Liv.* 2. 2. Novæ rei ac subitæ admiratio. *Id.* 4. 27. Subita ministeria belli. *Tac.* 2. *Hist.* 96. Neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat. *Id.* 3. *ibid.* 47. Haud temnendæ manus dux Trapezuntem subitus irrupit. *Quintil.* 7. 2. 14. Subita mors. *Id.* 10. 3. 3. casus. *Id.* 12. 5. 3. silentium. *Val. Max.* 1. 6. *n.* 12. tristia. *Id.* 7. 4. *n.* 5. fluctuatio. — *b*) Cum homonymis. *Cæs.* 3. *B. G.* 8. Ut sunt Gallorum subita et repentina consilia. Sic *Sueton. Aug.* 73. Ad subitos repentinosque casus. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Quum dictum esset, recitare Nonianum, subitus recitanti inopinatusque venit. — *c*) Cum oppositis. *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 52. Maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 16. — *d*) *Subitus miles*, idem ac subitarius. *Tac.* 4. *Hist.* 76. Adventare ex Italia non subitum militem sed veterem expertumque belli. *novizio*, tiro. *V.* SUBITANEUS. Sic *subiti proceres*, h. e. tumultuarii et novi, apud *Stat.* 10. *Theb.* 179. — *e*) *Subitum est*, repentinum est. *Plaut. Trin.* 5. 2. 50. aperite propere et Lesbonicum si domi est, Evocate: ita subitum est, propere quod eum conventum volo. *h. e.* ita res subitaria est, repentina atque urgens, propter quam cito eum volo alloqui. Sic *Cic.* 13 *Fam.* 2. Nam propter opera instituta multorum, subitum est ei remigrare. *gli sopravviene un improvviso urgente motivo di etc.* ¶ 2. Speciatim est novus, recens. *Plin.* 8. *Ep.* 10. *in fin.* Relinquere liberis imagines non subitas. *Plin. alter* 22. *Hist. nat.* 24. 51. (110). Aquæ mulsæ duo genera: subitæ ac recentis, alterum inveteratæ. ¶ 3. Item minime clemens, abruptus, qui non paullatim, sed statim et in ipso initio arduus assurgit. *Stat.* 6. *Theb.* 258. Campum exire vetat, longo quem tramite planum Gramineæ frondes sinuataque cæspite vivo Mollia non subitis augent fastigia clivis.

Subitum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res subita, repentina, improvisa. — *a*) Universim. *Plaut. Pers.* 4. 4. 35. si tibi venisse est opus, Mihi quoque empta est: si tibi subiti nihil est, tantumdem est mihi. *h. e.* si nulla subita urget causa, cur vendas cito, neque me urget. *Tac.* 15. *Ann.* 59. Etiam fortes viri subitis terrentur. *Liv.* 25. 15. *ad fin.* Ut ad subita belli, si Hannibal venisset, equites vim sustinere possent. *Id.* 9. 43. Ut ad subita rerum duo justi scriberentur exercitus. *Plin.* 2. *Ep.* 3. Multa lectio in subitis. — Cum opposit. *Id.* 1. *Ep.* 16. Causas agens polite et ornate, sive meditata sive subita proferret. — *b*) *Per subitum*, subito. *Sil. It.* 10. 504. Talia dum pandit, vicinus parte sinistra Per subitum erumpit clamor. *et* 15. 145. Per subitum moto strepuere tonitrua mundo. Adde *ibid.* 404., 14. 330., 12. 653., 8. 628. et 7. 594. — *c*) *Ad subitum*, eadem significatione. *Cassiod. præf. Variar. a med.* Quæ impolitæ dictiones sic poscuntur ad subitum, ut vix vel scribi posse videantur. — *d*) *In subitum*, in rem subitam. *Sil. It.* 7. 525. Quem postquam rapidum vidit procedere castris Hinc Libys, hinc Fabius, simul accendere sagaces In subitum curas. — *e*) *In subito*, in re subita. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (143). Convolante quidem tam numerosa illa cohorte, sed (ut necesse erat in subito) tarde.

Subito, adverbiorum more, est repente, repentino, ex tempore, *all' improvviso, in un subito*, ἐξαίφνης. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 3. 4. Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo Abeas? *Ter. Phorm.* 1. 4. 2. Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 21. ita abripuit repente sese subito. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. *circa med.* Desperantes jam de pugna et dispersos subito adortus, magis ratione ac consilio, quam virtute, vicit. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Etsi utile est etiam subito sæpe dicere; tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque cogitatius dicere. *Id. Planc.* 20. 49. Consul comitia habere cœpit subito, præter opinionem omnium. *Id. Fontej.* 15. 32. Quum tot bella aut a nobis necessario suscipiantur, aut subito atque improvisa nascantur. *Virg.* 4. *G.* 499. Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras Commixtus tenues, fugit diversa. *Phædr.* 4. 16. Faciem ad serenam subito mutatur dies. — *b*) Cum partic. *quum, quum-ecce, ut*. *Curt.* 9. 9. 19. Quum subito novus et pristino major terror incutitur. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 3. Quum subito evaserunt. *Cic. Cæcin.* 10. 30. Quum subito ecce idem, qui solet, suos solos servos armatos fuisse dixit. *Ovid. Heroid.* 12. 137. ut subito Hymen cantatus ad aures Venit. — *c*) *De subito* conjunctim scribitur. *V.* DESUBITO. ¶ 2. Speciatim est celeriter, cito, propere, *presto, in fretta, subito,* αὐτίκα. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 47. Ex tabellis jam faxo scies, quam subito argento mihi usus invento siet. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Scutis ex cortice factis aut viminibus intextis, quæ subito, ut temporis exiguitas postulabat, pellibus induxerant. *Lucret.* 2. 391. subito per colum vina videmus Perfluere: at contra tardum cunctatur olivum. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 7. Breviores has litteras tabellario properanti subito dedi. *Nepos Datam.* 7. Sed tam subito copias contrahere non potuit. *Phædr.* ex iis, quæ *Gudius* reperit, *fab.* 4. Mus subito accurrens, non est quod timeas, ait. *Quintil. Declam.* 17. 14. Virus præsentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat.

Subitum, item adverbiorum more, subito, per subitum. *Sil. It.* 15. 462. quum subitum campo perstrinxerat aures Murmur triste tubæ. ni malis ad *murmur*, ut adjectivum, referri.

Homonym. *Subitus, subito* et *repentinus, repente* ita differunt, ut *subitus* opponatur *parato, proviso, meditato:* et *repentinus exspectato*. Hinc *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Est utile subito sæpe dicere, tamen illud utilius - paratius atque cogitatius dicere. et *Plin.* 1. *Ep.* 16. 2. Sive meditata sive subita proferret. et *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 12. Hostium repens adventus magis aliquanto conturbat, quam exspectatus: et maris subita tempestas, quam ante provisa terret navigantes vehementius. Ceterum fere promiscue usurpantur.

SŬBĔPĬTRĬTUS, a, um, adject. ὑπεπίτριτος, vox hybrida a *sub* et ἐπίτριτος, epitritus: ter-

tia parte minor seu deminutus. *Beda Mund. Constit. T.* 1. *p.* 399. Ut plenius liquescat probatio, proponantur epitritus et subepitritus numerus. V. *Quicherat* in *Add.* etc. ad *h. v.*

SUBER, ĕris, n. 3. Sunt qui, ut masculini quoque generis esse probent, afferunt *Plin. loc.* infra *cit.*; at ibi non *tardissimus suber*, sed *tardissimo suber* legend. est, cui respondet *serotino malus.* — Etymologi conferunt cum Gr. σῦφαρ, pellis rugosa. V. *Vanicek, p.* 1053. — Suber ¶ 1. Est arbuscula glandifera, corticem habens præcrassum. cui inniti solent, qui natare discunt, *sòvero o súghero, súghera*, ἴψος, φελλός, φλοιός (*Quercus suber* Linn.). *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). Suberi minima arbor, glans pessima, rara, cortex tantum in fructu, præcrassus ac renascens atque etiam in denos pedes undique esplanatus. Usus ejus ancoralibus maxime navium piscantiumque tragulis et cadorum obturamentis: præterea in hiberno feminarum calceatu. *Id. ibid.* 25. 41. (98). *Sillig.* Serotino autem germine malus, tardissimo suber. *Colum.* 4. *R. R.* 26. Nam est præcipua cuneis fissa olea, quercus et suber, et siqua sunt similia robora. *Id.* 9. *ibid.* 6. Si regio feras est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos (*apibus*) faciemus ex corticibus: quia nec hieme rigent, nec candent æstate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (234). Cortice in orbem detracto necantur arbores, excepto subere, quod sic etiam juvatur. *Id.* 16. *ibid.* 40. 76. (204). In aquis non fluitat suber, si dematur cortex. *et ibid.* 21. 33. (80). Folia non decidunt ilici, suberi, taxo. *Virg.* 7. *Æn.* 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex. Adde *Avien. Perieg.* 11. 89. ¶ 2. Est etiam cortex suberis. *Virg.* 11. *Æn.* 554. libro et silvestri subere clausam Implicat. *chiusa entro una scorza di sughero.* et *Pers.* 1. 97. Ut ramale vetus, vegrandi subere coctum?

SŬBĔRECTUS, a, um, particip. *V.* SUBERIGO.

SŬBĔRĔUS, a, um, adject. (suber) qui est ex subere, *di sòvero. Seren. Sammon.* 34. 649. Subereus cortex. *Colum.* 9. *R. R.* 1. *ante med.* Idque genus clatrorum fabricatur ex robore querceo vel subereo. Ita cum *Pontedera* legit *Schneiderus*, fretus codicum auctoritate, quum antea legeretur *ex robore, quercu vel subere.*

SŬBĔRĬES, ēi, f. 5. (suber) idem quod suber, ut constat ex *Festo* post *Strufertarios* et *Stura p.* 294. 14. *Müll.* Suberies, inquit, arboris genus, ex qua cortex natatorius detrahitur. His verbis addit *Isid.* 17. *Orig.* 7. *a med.* Ideo appellata suberies, eo quod fructus ejus sues edunt; porcorum enim sunt alimenta, non hominum, et dicta suberies quasi subedies. *scil.* a *sus* et *edo.* Adjecerat *Festus* auctoritatem *Lucilii*, quæ temporis injuria intercidit.

SŬBĔRĬGO, rĭgis, rectum, rĭgere, a. 3. Part. *Suberectus.* — Suberigo est surrigo, sustollo, *alzare, sollevare, rizzare. Sil. It.* 15. 154. Ut quum sæva fretis immisit prœlia Corus, Isthmon curvata sublime suberigit unda. *Apul.* 2. *Met.* Effultus in cubitum suberectusque in torum porrigit dexteram. *Marcell. Empir.* 20. Artus suberecti recubantesque. *sollevati e appoggiati.*

SŬBĔRĪNUS, a, um, adject. (suber) idem quod subereus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Piscator stataria retia suberinis corticibus extendit. *anelli di sovero.* Græce φελλοί. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SŬBERNUS, a, um, adject. (suber) subereus. *Seren. Sammon.* 34. 17. Subernus cortex calidis potatur in undis.

SŬBERRO, as, are, n. 1. sub aliqua re erro, ὑποπλανάομαι, ut Suberrare montibus, hoc est errare sub montibus. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 254. Indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant Montibus.

SŬBĒSUS, a, um, particip. *V.* SUBEDO et SUBVESUS.

SŬBEX, ĭcis, m. et f. 3. (subjicio) stratum vel fulcrum. *Gell.* 4. 17. *sub fin.* Ennius in tragœdia, quæ *Achilles* inscribitur, subices pro aere alto ponit, qui cælo subjectus est, in his versibus: Per ego deûm sublimes subices humidas, Unde oritur imber, sonitu sævo et spiritu. Sed *Festus p.* 305. 25. *Müll.* ita refert verba *Ennii:* Nubes per ego deûm subices humidas, Unde oritur *etc.* Ergo *nubes deûm subices* dixit, quia subjectæ sunt deorum pedibus: vel, ut alii volunt, quia sub cælum subeunt. Sed *nubes* videtur esse ab interprete. *Müllerus* vult leg. *sublimas subices.* Cf. *Non. p.* 169. 1. *Merc.* Subices, nove positum, non a subjiciendo, sed ab altitudine. Ennius Achille: Per ego deûm sublimes etc. Cf. OBEX.

SŬBEXCŪSO, as, are, a. 1. aliquantisper excuso. *Salvian.* 4. *Gubern. D.* 3. *ante med.* Scriptura Ecclesiastica quasi subexcusare quodammodo miserorum omnium noxas videtur dicens: (*Proverb.* 6. 30.) Non grandis est culpæ, quum quis furatus fuerit. Furatur enim, ut esurientem impleat animam.

SŬBEXHĬBĔO, es, ere, a. 2. idem quod exhibeo, vel aliqua ratione exhibeo. *Arnob.* 6. *p.* 195. Præsentiam vobis quamdam his numinum subexhiberi simulacris.

SŬBEXPLĬCANS, antis, particip. ab inusit. *subexplico*, subtus explicans, expandens. *Arnob.* 7. *p.* 251. *de Æsculapio.* Repsit ut coluber, non pedibus se ferens, neque suas subexplicans itiones, sed ventre nixus ac pectore.

SUBFĂCĬO. *V.* SUFFICIO init.

SUBFECTUS. *V.* SUFFECTUS.

SUBFĔRENTĬA. *V.* SUFFERENTIA.

SUBFERMENTĀTUS *vel* suffermentatus, a, um, particip. ab inusit. *subfermento*, aliquantum fermentatus. *Tertull. advers. Valentinian.* 17.

SUBFĔRO. *V.* SUFFERO.

SUBFERVĔO. *V.* SUFFERVEO.

SUBFĪO. *V.* SUFFIO.

SUBFLĀMEN. *V.* SUFFLAMEN.

SUBFLĀVUS *vel* sufflavus, a, um, adject. aliquantum flavus, *biondetto. Sueton. Aug.* 79. Capillum (*habuit*) leniter inflexum et subflavum.

SUBFLO et deriv. *V.* SUFFLO.

SUBFLŬO, is, ere, n. 3. subtus fluo. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑποῤῥέω, subfluo.

SUBFŎDĬO et

SUBFOSSUS. *V.* SUFFODIO.

SUBFRĀGĬUM. *V.* SUFFRAGIUM.

SUBFRAGMEN. *V.* SUFFRAGMEN.

SUBFRAGOSUS, a, um, adject. aliquantum fragosus. Vox a Lexico removenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 132. Fragilis, subfragosus.

SUBFRAGUM medicamen. *V.* SUFFRAGIUM.

SUBFRĪGĬDĒ *vel* suffrigide, adverb. (subfrigidus) aliquantum frigide, *alquanto freddamente*, ὑποψύχρως. *Gell.* 2. 9. Nimis minute ac prope etiam subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando λεξιθηρεῖ.

SUBFRĪGĬDUS *vel* suffrigidus, a, um, adject. nonnihil frigidus, *un po' freddo, soffreddo*, ὑπόψυχρος. *Ammian.* 17. 11. *sub fin.* Oblatrantes argumento subfrigido.

SUBFRINGO. *V.* SUFFRINGO.

SUBFRONDĔO *vel* suffrondeo, es, ere, n. 2. clam frondeo. *Augustin. Serm.* 118. *n.* 2. ed. *Mai.* Umbraculis opacata (*M. Virgo*) cælestibus subfrondet.

SUBFŪGĬO. *V.* SUFFUGIO.

SUBFULCĬO. *V.* SUFFULCIO.

SUBFULGURAT, are, impers. 1. aliquantum fulgurat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 118. Fulgurat, subfulgurat.

SUBFUSCŬLUS *vel* suffusculus, a, um, adject. *deminut. a* subfuscus, aliquantum fuscus. *Ammian.* 22. 16. *sub fin.* Homines Ægyptii plerique subfusculi sunt et atrati. *Apul.* 2. *Met.* Procerus et subfusculus.

SUBFUSCUS *vel* suffuscus, a, um, adject. aliquantum fuscus. *Tac. Agric.* 12. *sub fin.* Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca et liventia. *nericce.*

SUBGELO, as, are, n. 1. aliquantum gelo. Vox a Lexico rejicienda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 178. Adgelat, subgelat.

SUBGĔRO et deriv. *V.* SUGGERO.

SUBGILLĀTUS. *V.* SUGGILLATUS.

SUBGLUTĬNO, as, are, a. 1. aliquantisper vel subter glutino. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 178. Adglutinat, subglutinat.

SUBGLŪTĬO *vel* sugglutio, is, ire, n. 4. — *a*) Intransitive apud *Veget.* 3. *Veterin.* 60. Intestini vexatio his agnoscitur signis: prioribus pedibus transvaricat, et dolore subglutit. *Gesnerus* interpretatur *singultit;* at *Schneiderus* claudicationem hic latere suspicatur. Ego potius *cum difficultate aliqua ob dolorem glutit* interpretandum arbitror, inquit *Furlanetto.* At *Gloss.* vocis usum confirmant. — *b*) Transitive in *Thes. nov. Latin. p.* 559. ed. *Mai.* Subglutire, ligurire, lingere, sorbillare.

SUBGRANDIS *vel* suggrandis, e, adject. aliquantum grandis, *alquanto o più tosto grande. Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Subgrande cubiculum autem et hibernum altum valde probavi.

SUBGRĂVIS, e, adject. aliquantum gravis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 53. (76). Radice tenui, nigra, subgravi odore. *Silligius* cum *Harduino* leg. *gravi odore.*

SUBGRĂVO. *V.* SUBONERO.

SUBGRĔDĬOR. *V.* SUGGREDIOR.

SUBGRUNDA *vel* suggrunda, æ, f. 1. proje-ctura tecti, qua stillicidium a pariete arcetur, γεῖσον (It. *gronda, grondaja;* Fr. *gouttière;* Hisp. *gotera:* Germ. *die Traufe;* Angl. *guttor*). *Varro* 3. *R. R.* 3. *circa med.* Apes enim subter subgrundas ab initio villatico usæ sunt tecto. *Vitruv.* 10. 21. Testudo habet subgrundas proclinatas. Adde *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. et *Jabolen.* 50. 16. 242. *V.* SUBGRUNDIUM.

SUBGRUNDĀRĬUM *vel* suggrundarium, ii, n. 2. (subgrunda). *Fulgent. de prisc. serm. p.* 171. *Muncker.* Subgrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui nacdum quadraginta dies implessent; quia nec busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur, non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret. Unde Rutilius Geminus in Astyanacte ait: Melius subgrundarium misero quæreres, quam sepulcrum. Hæc *Fulgent.* Cremari autem non solebant infantes, si ante septimum mensem obiissent. V. *Plinii loc. cit.* in CREMO et *Juvenal.* 15. 139. Ad hanc vocem hæc adnotat *Morcell. De stil. inscript. Lat. T.* 1. *p.* 186. ed. *Pat.* Credo, quod, ut hirundini nidus, ita exiguo pueri corpusculo subter subgrundas loculus esse possit. Hinc *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 448. 2. et *Murat.* 1755. 2. PROTECTVM ANTE OLLARIA SVA IMPENSA DIS MANIBVS FECER. Cf. tamen *Lersch. p.* 37. in ed. *Bon. a.* 1854. *De abstr. serm.*

SUBGRUNDĀTĬO *vel* suggrundatio, ōnis, f. 3. (subgrunda) idem quod subgrunda, γείσωσις. *Vitruv.* 4. 2. Cantherii prominentes ad extremam subgrundationem.

SUBGRUNDĬUM *vel* suggrundium, ii, n. 2. (subgrunda) idem ac subgrunda. *Vitruv.* 2. 9. *sub fin.* Tabulæ in subgrundiis collocatæ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160). Aizoum alii vocant hypogeson (ὑπόγεισον), quoniam in subgrundiis fere nascitur.

SUBGRUNNĬO *vel* suggrunio, is, ire, n. 4. submissim grunnio. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 345. gestu (*sus*) subgrunnit alumno Blandus, et olfaciens motando dat oscula rostro.

SUBGŬLĀRIS, e, adject. (sub *et* gula) qui est sub gula, in bestiis. *Inscript.* apud *Gruter.* 647. 6. (*Orelli n.* 3166.) CAPITE PEDIBVS ET SEVO LACTANTE ET SVBGVLARI LANIO CEDENTIBVS.

SŬBHÆRĔO, hæres, hæsi, hærere, n. 2. subtus aut aliquantum hæreo. *Val. Max.* 6. 3. *n.* 10. Ulterior tui conspectus in suspicione et crimine subhæreat, necesse est. Addunt *Cels.* 5. 28. *n.* 12. *ante med.* At cartilago ubi subhæsit, ipsa sedes docet. Sed alii rectius leg. *subsit.* et *Augustin. De Trinit.* 12. § 3. Subhærere intelligibili atque immutabili veritati.

SŬBHARRĀTUS. *V.* SUBARRHATUS.

SUBHASTĀRĬUS, a, um, adject. hastæ et auctioni subjectus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 13. 6. 9. Quæcumque possessiones subhastariæ sorte distractæ sunt.

SUBHASTĀTĬO, ōnis, f. 3. (sub *et* hasta) au-

ctio, venditio, quæ hastâ positâ fit. *Imppp. Valentin., Theodos. et Arcad. Cod.* 4. 44. 16. Nec sub nomine subhastationis publicæ locus fraudibus relinquatur.

SŬBHASTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬBHASTO, as, ātum, are, a. 1. (sub *et* hasta) Part. *Subhastatus.* — Subhasto est hastæ et auctioni subjicio, in auctione vendo, λαφυροπωλέω (It. *esporre o vendere all'incanto;* Fr. *mettre à l'encan, vendre à la criée;* Hisp. *meter en la almoneda;* Germ. *öffentlich versteigern, subhastiren;* Angl. *to sell by auction*). *V.* HASTA. *Solin.* 10. Nupturæ non parentum arbitrio transeunt ad maritos, sed quæ præ aliis specie valent, subhastari volunt, et licentia taxationis admissa, non moribus nubunt, sed præmiis. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 7. 53. 3. Res, quæ pignori datæ sunt, diu subhastatas emptorem invenire non potuisse. *Firmic. Matern. De error.* etc. 16. Vendebatur deus —; emptor suppliciter adorabat, quidquid paullo ante viderat subhastatum. Adde *Augustin.* 3. *Civ. D.* 28.

SŬBHĒRES *vel* subhæres, ēdis, m. 3. heres secundus (*V.* HERES) vel substitutus. *Inscript.* mendose apud *Gor. Inscr. Etr. T.* 2. *p.* 186. et apud *Murat.* 865. 1., emendata apud *Spreti Monum. Ravenn. T.* 1. *tab.* 2. *n.* 70. M. VAL. SATVR. III. PIET. VIX. AN. XX. MIL. MENS. VI. M. VAL. CAPITO EX E. HER. FR. (*h. e.* eadem heres fratri) L. DOM. MART. DVP. SVB. P. C. (*h. e.* L. Domitius Martialis duplaris subheres ponendum curavit.) *Alia* apud *Murat.* 793. 6. L. AVRELIVS NIGRINVS H. (*h. e.* heres) EX EADEM FRATRI B. M. ET C. AVRELIVS TVRVS SVBH. III. MINERV. B. M. POSVERVNT. *Alia* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. p.* 3612. BASILIVS GERMANVS III. TRIVMP. HER. ITEM SVBHE. C. IVLIVS CONSTANS III. VIRT. BENEMERENTI POSVERVNT. Cf. *Inscr. Neap.* apud *Mommsen n.* 2823., ubi *subhæres* leg. pro *subheres. Alia* apud *Guarin. Comment.* 8. *p.* 44. C. POSTVMIVS VALENS PR. HER. (*h. e.* prior heres) ET M. PLAREНIVS SIRIO SVB. (*h. e.* subheres).

SŬBHĬANS, antis, adject. ex particip. verbi inus. *subhio,* aliquantum hians. *Ennod. Carm.* 1. 4. Fulserat raro subhiante filo Pectoris gemmæ in roseis papillis. At *Sirmond.* legit divisim *sub hiante,* quod *Quicheratio* non placet.

SŬBHIRCUS, i, m. 2. *Isid.* 11. *Orig.* 1. 65. Ilas (*alas*) quidam subhircos vocant, propterea quod in plerisque hominibus hircorum fœtorem reddant.

SŬBHORRĔO. *V.* voc. seq.

SŬBHORRESCO, is, ere, n. 3. nonnihil aut subtus horresco. *Sisenn.* apud *Non.* 5. 6. ex *Forcell.* Subito mare subhorrescere cæcosque fluctus in se provolvere leniter occepit. *Quicherat* ex pervetusto cod. leg. *subhorrere* et adnotat: vulgo est *subhorrescere,* quod verum videtur: perperam doctissimus *Mercer.* habet *persubhorrescere,* repugnantibus præpositionibus. At *Peter* in *Hist. Rom. reliq. p.* 291. *n.* 104. hanc postremam vocem retinuit addiditque, esse iteratam *ibid. p.* 423. 9.

SŬBHORRĬDUS, a, um, adject. aliquantulum horridus, ὑποφρικώδης. *Cic. Sext.* 9. 21. Quia eum tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant. *ruvido, selvatico, aspro.*

SŬBHŪMĬDUS, a, um, adject. aliquantum humidus. *Cels.* 6. 6. *ante med.* Subhumidi oculi. *Philarg.* ad *Virg.* 4. *G.* 77. Sudum est serenum subhumidum. *V.* SEMIUDUS.

SŬBĬCIENS et

SŬBĬCIO etc. *V.* SUBJICIO.

SŬBICITO. *V.* SUBIGITO.

SŬBĬCULA. *V.* SUBUCULA.

SŬBĬCŬLUM. *V.* SUDICULUM.

SUBIDCIRCO, adverb. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantum in *Not. Tir. p.* 125. idcirco, subidcirco.

SŬBĬDUS, a, um, adject. *Val. Ædit.* vetus poeta apud *Gell.* 19. 9. Dicere quum conor curam tibi, Pamphila, cordis, Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt. Per pectus miserum manat subido mihi sudor: Sic tacitus, subidus: duplo ideo pereo. *Subidus* videtur esse a *subando,* et significare libidine æstuantem, mollem, deliciis amorum deditum, minime durum aut rusticum. ut sit sensus: amore quidem æstuo, et tamen tacere cogor: ideo duplici de causa pereo. *V.* SUBO. Alii interpretantur scientem, videntem, peritum rei amatoriæ: unde *insubidus* ponitur pro rudi, rustico, ignaro. *V.* quæ ad *Sueton. Claud.* 30. adnotat *Baumgarten.* At *Hertz* apud *Gell.* leg. *subitus.*

SŬBĬGENS, entis, particip. *V.* SUBIGO.

SŬBĬGĬTĀTĬO. *V.* SUBAGITATIO.

SŬBĬGĬTO. *V.* SUBAGITO.

SŬBĬGO, ĭgis, ēgi, actum, ĭgere, a. 3. (sub et ago) *Subigit,* primâ syllabâ productâ, apud *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 106. Subigit ipsa feris transfigens unguibus anguem. Alii leg. *subjicit;* alii *ipsa feris subigit.* Sunt qui scribi mallent *subbigit.* Sed *Lachmannus* ad *Lucret. p.* 35. legendum esse monet *subrigit,* conf. *Val. Flacc.* 1. 157. — *Subigit* fortasse pro *subegit* legitur in *Inscript.* Scipionis Barbati. Cf. *Marini Fr. Arv. p.* 592. — *Subaxit* pro *subegerit* vel *subaxet* pro *subegisset.* V. SUBAUGEO. — Part. *Subigens* II. 4.; *Subactus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Subacturus* II. 1. *b.*; *Subigendus* I. 8. et II. 2. — Subigo occurrit absolute, aut cum Accus., cui alius sæpe additur Acc. cum præp. *in, ad, contra, sub,* vel Dat. rei seu loci, sub quem quid subigitur. Est autem

A) Subigo, qua *sub* significat subtus, subter, *sotto,* subtus ago, duco, subjicio, ὑπάγω (It. *condurre, cacciare, menar sotto;* Fr. *pousser sous, placer sous, conduire sous;* Hisp. *pujar baxo, conducir baxo;* Germ. *unter etwas führen od. treiben;* Angl. *to bring, lead or conduct under*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 4. Sues pastum exigunt æstate mane: et antequam æstus incipiat, subigunt in umbrosum locum. *Sil. It.* 15. 218. Subigere classem ad mœnia. *appressare.* et *Liv.* 26. 7. naves ad castellum. ¶ 2. Speciatim est jungere, *mettere sotto il giogo. Seneca Hippol.* 1002. Celsos sonipedes ocius subigit jugo. ¶ 3. Item domare, ad jugum aut onus assuefacere, *domare, dimesticare. Colum.* 6. *R. R.* 2. Vitulos, qui de grege feri comprehenduntur, sic subigi convenit. ¶ 4. Item in obscenis mulierem vel puerum sibi subdere stuprandi causa. *Auson. epigr.* 142. Uxorem habere, subigere ancillam velit. *Sueton. Cæs.* 49. Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem. *V.* SUBIGUS. ¶ 5. Item subtus aut intus agitare, miscere, macerare, *intridere, stemperare, impastare, mescolare, rimenare,* ἀναδεύω, φύρω. *Festus* apud *Paul. Diac. p.* 308. 9. *Müll.* Subactus modo significat mollitus: modo victus: modo compulsus, ut quum dicimus, pecus sub arborem subactum: modo coactus. *Cato R. R.* 74. Farinam in mortarium indito, aquæ paullatim addito subigitoque pulcre: ubi bene subegeris, defingito. *Id. ibid.* 18. *a med.* De glarea et calce arenato primum corium facito: id pilis subigito. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra gremio mollito ac subacto semen sparsum excipit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (111). Cato argillæ arenam fimumque bubulum admisceri, atque ita usque ad lentorem subigi jubet. *Id.* 32. *ibid.* 10. 44. (126). Subigere aliquid oleo. *Id.* 18. *ibid.* 11. 27. (106). panem ex ovis aut lacte. *Id.* 11. *ibid.* 37. 61. (162). Multis piscium dentes in lingua et toto ore, ut turba vulnerum molliant, quæ attritu subigere non queunt. *masticare.* et 15. *ibid.* 8. 8. (33). Amurca subigere areas. *h. e.* conspergere et arescere sinere, ne rimas faciant. *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. Subigere gallam. *V.* GALLA. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 29. (125). Locus bipalio subactus. *et* 33. *ibid.* 6. 32. (99). Pelles subactæ. *Id.* 32. *ibid.* 7. 27. (84). Ichthyocolla in aqua decocta, dein contusa et subacta ad liquorem usque mellis. *Id. ibid.* 9. 36. (111). Cancri triti sicque cinere et oleo subacti. *Id.* 34. *ibid.* 11. 27. (115). Ærugo cum resinæ terebinthinæ tertia parte subacta. *Colum.* 4. *R. R.* 29. *ante med.* Fissuram luto subacto linire. *Cels.* 6. 3. Emplastrum ex aceto subactum. ¶ 6. *Subigere pontum remis,* apud *Val. Flacc.* 1. 471. est remos agitando versare, miscere, ut qui farinam subigunt. ¶ 7. *Subigere manus labore agresti,* apud *Quintil. Declam.* 3. 4. domare, fatigare. ¶ 8. *Subigere terram,* bipalio fodere, aratro versare, *zappare, arare, lavorare. Cato R. R.* 161. Locum subigere oportet bene. ubi erit subactus, areas facito. *Virg.* 1. *G.* 125. Ante Jovem nulli subigebant arva coloni. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. 84. Homines glæbis subigendis exercitati. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 401. 9. *Merc.* Segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quam serant. — Absolute. *Colum.* 3. *R. R.* 5. *a med.* Bipalio subigere. — Hinc translate excolere. *Liv.* 42. 52. Ipsi a pueris eruditi artibus militiæ, tot subacti atque durati bellis. *V.* SUBACTIO. ¶ 9. Est etiam tractare. *Ovid.* 6. *Met.* 19. Sive rudem primos lanam glomerabat in usus, Seu digitis subigebat opus. *filava.* ¶ 10. Item subtiliter ac diligenter elaborare. *Vitruv.* 10. 13. Funduli ambulatiles ex torno subtiliter subacti. ¶ 11. Item fricare, defricare, *stropicciare. Colum.* 6. *R. R.* 3. Nec minus quotidie corpora pecudum, quam hominum defricanda sunt: ac sæpe plus prodest pressa manu subegisse terga, quam si largissime cibos præbeas. ¶ 12. Item obscene attrectare. *Augustin.* 6. *Civ. D.* 9. Adest dea Prema, ut subacta (*nova nupta*) ne se commoveat, comprimatur. ¶ 13. Item acuere, *aguzzare, affilare, arrotare. Virg.* 7. *Æn.* 626. spicula lucida tergent Arvina pingui subiguntque in cote secures.

II.) Translate. ¶ 1. Est cogere, compellere, quasi mollire, macerare et frangere duritiam quippiam facere recusantis, *sforzare, costringere, piegare a forza.* — *a*) Universim. *Liv.* 1. 5. Metu subactus. *Id.* 45. 8. Prima percontatio fuit, qua subactus injuria contra populum R. bellum suscepisset. *Tac.* 6. *Ann.* 16. Multitudine periclitantium subactus. *Virg.* 12. *Æn.* 494. insidiisque subactus. *Tac.* 13. *Ann.* 13. Vi amoris subactus. *et* 15. *ibid.* 13. Desperatione exercitus dux subactus. *Id.* 4. *Hist.* 70. Metu subacti legionarii. *Næv. B. Pun. fr. inc.* 7. ed. *Vahlen. p.* 18. Plerique omnes subiguntur sub suum (pro *ejus*) judicium. *Liv.* 9. 41. Hostes oppugnando ad deditionem subegit. *et ibid.* 1. Subigi ad necessitatem dedendi res. *Curt.* 7. 7. *a med.* Quod Spitamenes fame in deditionem subacturus obsedit. — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Amph.* 5. 2. 13. Haud promeruit, quamobrem vitio verteres. Mea vi subacta est facere. *Id. Truc.* 4. 3. 9. Vis subigit verum fateri. *Sall. Cat.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. *Id. Jug.* 33. Obviam ire factionis potentiæ, animus subigit. *Liv.* 9. 41. Tarquinienses metu subegerat frumentum exercitui præbere. *Virg.* 3. *Æn.* 257. Dira fames subigat malis absumere mensas. *Id.* 5. *ibid.* 794. classe subegit Amissa socios ignotæ relinquere terræ. — *c*) Cum Conjunctivo et partic. *ut. Plaut. Pœn.* 1. 2. 77. Illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest. *Id. Most.* 5. 2. 52. ego illum verberibus, ut sit quietus, subegero. Adde *Curc.* 4. 3. 8. et *Pers.* 2. 2. 22. *Tac.* 2. *Ann.* 40. Ut ederet socios, subigi non potuit. ¶ 2. Item mollire, frangere. *Seneca Thyest.* 302. Illinc egestas tristis, hinc durus labor, Quamvis rigentem tot malis subigent virum. *Varro* 9. *L. L.* 17. *Müll.* Subigere aures populi consuetudine. *assuefare,* quum verbum aliquod novum respuunt. ¶ 3. Item cruciare, macerare. *Accius* apud *Non. p.* 2. 22. *Merc.* Mors amici subigit. quod mihi est senium multo acerbissimum. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Cimbri et Teutoni simili inopia subacti. *Pseud.-Sall.* 2. *Rep.* 10. 7. Non adversa res ingentem eorum animum subegit, quin, quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. ¶ 4. Item in potestatem dicionemque redigere, *soggiogare, sottomettere. Cic.* 3. *Cat.* 12. 27. Mihi vivendum est cum illis, quos vici et subegi. *Id. Balb.* 10. 25. Quos armis subegimus atque in dicionem nostram redegimus. *Lucil.* apud *Non. p.* 401. *l. Merc.* Subigere et domare bellando. *Sall. Cat.* 2. Urbes capere, nationes subigere. *Cic. Rosc-*

Am. 36. 103. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse. *Justin.* 30. 3. *ad fin.* Græcos sub jugum Macedonici imperii subigere. *Tit.* apud *Liv.* 40. 52. DVELLO MAGNO DIRIMENDO REGIBVS SVBIGENDIS CAPVT PATRANDAE PACIS etc. V. *Ramorino, Framm. filol.* p. 96. *Tab. aen.* apud *Gruter.* 502. *col.* 2. *lin.* 35. DRVSO GERMANIAM SVBIGENTI TVTAM SECVRAMQVE A TERGO PACEM PRAESTITERVNT. *Curt.* 7. 7. 14. Et quanti æstimandum est, dum alium (*orbem*) subigimus, in alio quodammodo orbe tropæa statuere. Rursum *Cic. Fontej.* 1. 3. Galli partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati. et *ibid.* 12. 26. Ut velint isti quiescere: id quod victi ac subacti solent. *Id. Rosc. Am.* 47. *sub fin.* In isto bello non recreatus neque restitutus, sed subactus oppressusque populus R. est. *Horat.* 2. *Od.* 1. 23. Et cuncta terrarum subacta, Præter atrocem animum Catonis. *et ibid.* 5. 1. Nondum subacta ferre (*bos*) jugum valet Cervice. *Justin.* 36. 1. 10. Judæos quoque subegit. *Alii prave* subjecit. V. *Madvig, Adv. v.* 2. *p.* 627. *Colum.* 6. *R. R.* 2. *circa med.* Subactus bos.

B) *Subigo*, qua *sub* motum significat de inferiore in superiorem locum, *di sotto in su*, in altum vel sursum ago. *Virg.* 1. *G.* 201. qui adverso flumine lembum Remigiis subigit. *et* 6. *Æn.* 202. Ipse ratem conto subigit. *Liv.* 26. 7. *ad fin.* Naves in flumine Vulturno comprehensas subigi ad id castellum jussit. *Sil. It.* 13. 610. Ast alius subigit saxum contra ardua montis. *et* 17. 641. Subigere ad sidera. — Hinc Part. præter., cujus exempla retulimus

Subactus, a, um, adjective; unde Sup. *Subactissimus:* est autem mollitus, maceratus. *Marcell. Empir.* 36. Tamdiu batues, donec sit subactissimum. — Et absolute, substantivorum more

Subacti, orum m. plur. 2. dicuntur viri molles et pathici, μαλθακοί, de quibus multa habet *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. *V.* SUBACTOR et SUBIGO.

Subacta, orum, n. plur. 2. sunt novalia, agri recens culti. *V.* PERÆQUATIO.

SŬBIMPLĔO, es, ere, a. 2. aliquantum vel subter impleo. *Augustin. contra ep. Manich.* 22. Ab inferiore parte, qua hostili cuneo subimpletur.

SŬBIMPŬDENS, entis, adject. nonnihil impudens, *alquanto sfacciato*, ὑπαναίσχυντος. *Cic.* 7. *Fam.* 17. Interdum timidus in labore militari, sæpe autem etiam subimpudens videbare.

SŬBĪNA. *V.* SIBINA.

SŬBĬNĀNIS, e, adject. nonnihil vacui habens aut inanitatis, ὑπόκενος. *Cic.* 2. *Att.* 17. Quin etiam, quod est subinane in nobis et non ἀφιλόδοξον etc. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 38.

SŬBINCRĔPĬTANS, antis, partic. ab inusit. *subincrepito*, leviter increpans, *che fa un rumore leggero*. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 259. Atque subincrepitans casura cacumine nutat.

SŬBINDĔ, adverb. temporis ¶ 1. Est mox, paullo post, protinus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 103. Sparge subinde et, si paullum potes, illacrimare. *Id.* 1. *Ep.* 8. 15. Si dicet « recte » primum gaudere, subinde Præceptum auriculis hoc instillare memento. *Petron. Sat.* 7. At subinde, ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit. *Id. Sat.* 117. Nec contentus maledictis, tollebat subinde altius pedem etc. *Liv.* 7. 10. *a med.* Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *con due colpi l'un dopo l'altro.* et 39. 39. Hac sedata contentione, alia subinde C. Decimii prætoris morte exorta est. *subito dopo.* Sic 23. 27. *a med.* Universa gens postero die in deditionem venit, Nec diu in pacato mansit, nam subinde ab Carthagine allatum est, ut etc. *Colum.* 2. *R. R.* 4. *sub fin.* Ager aretur ultima parte mensis Augusti, subinde Septembri sit iteratus. *Tac. Agric.* 14. Consularium primus A. Plautius præpositus, subinde Ostorius Scapula. *Vellej.* 1. 7. *a med.* Capuam ab eisdem Tuscis conditam ac subinde Nolam. *Tac.* 6. *Ann.* 2. *a med.* Quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem, an subinde alios? *di mano in mano.* et *Quintil.* 11. 1. 83. Ne legem quandoque suis quoque subinde liberis daret. *Id.* 8. 3. 58. Loquentes de ornatu subinde, quæ sint vitanda similia virtutibus vitia, dicemus. *Curt.* 6. 27. 30. Edito gemitu subinde collapsus extinguitur. *Sueton. Aug.* 95. Subinde Juliæ monumentum fulmine ictum est. ¶ 2. Item interea, interim, *frattanto*. *Liv.* 10. 17. Vendita ista et illicite lucro mercatorem, ut sequatur agmen. Ego subinde suggeram, quæ vendatis. *Id.* 35. 21. *sub fin.* Prædæ minus inventum est, quo subinde spolia agrorum capta domos mittebant. *Colum.* 6. *R. R.* 30. Si diligenter subinde emundata fuerit humus. *Curt.* 7. 32. 20. Quæ subinde nunciata sunt regi, continuæ felicitati imposuerant labem. ¶ 3. Item crebro per intervalla, identidem, iterato, *di quando in quando, replicatamente, a più riprese, più volte*, θαμινά, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε: cf. Fr. *souvent* et It. *sovente*. *Liv.* 30. 7. Duæ subinde urbes captæ direptæque. *Plin.* 2. *Ep.* 7. *sub fin.* Erit pergratum mihi hanc effigiem ejus subinde respicere. *Martial.* 5. 39. semel fac illud, Mentitur tua quod subinde tussis. *Sueton. Cal.* 30. Tragicum illud subinde jactabat: Oderint dum metuant. *Id. ibid.* 50. *circa med.* Mentis valetudinem et ipse senserat: ac subinde de secessu deque purgando cerebro cogitavit. *più d'una volta, spesso.* Adde *Quæst. Gr. Cod. Bern.* p. 188. *Hag.*

SŬBINDĪCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬBINDĪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subindicatus.* — Subindico est aliquantum indico. *Rufin.* 1. *Invect.* in *Hieronym.* 39. Si Paulus non indicat, sed subindicat etc. *et mox.* Ideo non tam indicamus, sed subindicamus. *Id. ibid.* Quæ Apostolum subindicasse dicis, tu indica, qui non solum ea, quæ subindicata, verum et quæ confirmata ab eo scribis esse, nunc damnas.

SŬBINDO, is, ere, a. 3. subjungo, *soggiungere, aggiungere*. *Aurel. Vict. Orig. Rom.* 3. Secundum quod noster (*Virg.* 8. *Æn.* 357.) cognomento sic intulit *Hanc Janus Pater* etc. ac subindit *Janiculum huic* etc. Alii leg. *subinde.*

SŬBINDUCTUS, a, um, particip. ab inus. *subinduco*, clam inductus, illatus, *introdotto furtivamente o di nascosto*. *Mar. Victorin.* in *ep.* ad *Gal.* 1. 5. Propter subinductos falsos fratres. *Vulgat.* habet *subintroductos.*

SŬBĬNEPTUS, a, um, adject. aliquantulum ineptus. *Macrob. De differ.* Qui putant *fecere, dixere*, dualis esse numeri, subinepti sunt.

SŬBINFĔRENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBINFĔRO, fers, tŭli, ferre, anom. Part. *Subinferens.* — Subinfero est subjicio, subdo, subjungo. *Augustin.* 3. *de Genes. ad litt.* 24. *init.* Subintulit de omnibus. *h. e.* subjunxit. *Rutil. Lup. De fig. sentent.* 1. Quibus posterius ratio subinfertur, hujusmodi sunt. Adde *Augustin. De spirit. et litter.* 12. *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 1. 5. Vos curam omnem subinferentes.

SŬBINFLĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBINFLO.

SŬBINFLEXUS, a, um, adject. aliquantum inflexus. *Charis.* 1. *p.* 132. 10. *Keil.* Heres heredis facit e littera subinflexa, ut Periclētis, Stratoclētis.

SŬBINFLO, as, are, a. 1. Part. *Subinflatus.* — Subinflo est aliquantum inflo.

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. 71. Dolores dentium — sæpe ora faciunt subinflari. *Id.* 1. *Acut.* 2. 1. et 3. 38. Vultus subinflatus. *Id. ibid.* 6. 51. Pulsus subinflatus, *alquanto teso.*

II.) Translate est tumidus, superbiens. *Arnob.* 2. *p.* 46. In opinionem scientiæ subinflati pectoris tumore tolli.

SŬBINFLŬO, is, ere, n. 3. subtus fluo. — Cum Accus. vi præpositionis, quæ in verbo inest. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 30. Aliæ aquæ subinfluunt terras, aliæ circumfluunt. At *Fickert* et *Haasel* leg. *subterfluunt.*

SŬBINGRĔDĬOR, grĕdĕris, grĕdi, dep. 3. clam ingredior vel succedo. — Cum Accus. vi præpositionis, quæ in verbo inest. *Alcim. carm.* ad *Sor.* 664. Casta subingredier pomari claustra virentis. *subingredier* paragoge pro *subingredi.*

SŬBINJECTUS, a, um, particip. ab inusit. *subinjicio*, inlatus. *Seneca Controv.* 13. *sub init.* Subinjecta manu satelles, quid moraris? inquit; jam exposita tormenta sunt. *poste le mani addosso.*

SŬBINJUNGO, is, ere, a. 3. post injungo. *Volus. Mœcian. Distrib.* § 63. Quum denarii nota præscribatur eique subinjungatur æris excurrentis nota, manifestum est eam sedeciens ducendam ex adnotatione denarii.

SŬBINSERTĬO, ōnis, *f.* 3. subjunctio, figura rhetorica, quæ Græce *hypozeuxis* appellatur. *Aquila* seu *Jul. Rufinian. De schem. lex.* 4. *V.* SUBJUNCTIO.

SŬBINSTILLO, as, are, a. 1. post vel paullatim instillo. *Apic.* 3. 13. Oleum subinstillabis, si voles, acetum addes.

SŬBINSULSUS, a, um, adject. aliquantum insulsus, ὑπάναλος. *Cic. opt. gen. Orat.* 3. 7. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum aut alienum aut non acutum aut subinsulsum est.

SŬBINTELLĬGENS, entis, particip. *V.* SUBINTELLIGO.

SŬBINTELLĬGENTĬA, æ, f. 1. actus subintelligendi. *Mar. Victorin. De generat. div. Verb.* 5. Subintelligentia quædam est, ab iis, quæ sunt, privationem eorum subintelligere.

SŬBINTELLĬGO, is, ere, a. 3. Part. *Subintelligens.* — Subintelligo est idem fere ac subaudio. *Hieronym. Ep.* 145. *a med.* Hoc dico, non quod te avarum didicerim, sed quod subintelligam, idcirco adhuc militiæ operam dare, ut impleas sacculum. *ho avuto sentore, ho subodorato.* et *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 2. 3. Quæ autem subintelligentes proponimus ut etc. Adde *Mar. Victorin. loc. cit.* in voc. præc.

SŬBINTRO, as, āvi, are, n. 1. subeo, subintroeo, succedo, *subentrare*, ὑπεισέρχομαι. *Augustin.* 1. *Civ. D.* 32. Populo bellicoso et solis antea ludis Circensibus assueto, ludorum scænicorum delicata subintravit insania. Adde *Tertull.* 5. *contra Marcion.* 3. ex *Ep. ad Galat.* 2. 4.

SŬBINTRŌDŪCO, dūcis, ductum, dūcere, a. 3. Part. *Subintroductus* I. — Subintroduco est clam vel paullatim vel falso introduco.

I.) Proprie. *Augustin. Ep.* 137. (*al.* 78.) *ante med.* Quum nullo modo adducerer, ut per commendationem meam eum alicui fratri subintroducerem. *Vulgat. interpr. Gal.* 2. 4. Neque Titus compulsus est circumcidi, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem. Græce est παρεισάκτους, sc. clam et subdole introductos. *V.* SUBINDUCTUS.

II.) Translate. *Augustin. Ep.* 219. Subintroducere quartam in Trinitate personam.

SŬBINTRŎDUCTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬBINTRŎĔO, is, ivi et ii, ire, n. 4. Part. *Subintroiens* II. — Subintroeo est idem fere ac subintro.

I.) Proprie. *Arnob.* 6. *p.* 193. Quum qui Juppiter fuerat, idem possit existimari Mars esse; et qui Mavors fuerat, subintroire speciem possit Hammonis. *Vulgat. interpr. loc. cit.* in SUBINTRODUCO.

II.) Translate. *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 2. 220. Abundavit, lege subintroeunte, peccatum.

SŬBINVĪCEM, adverb. ad invicem. *Isid.* 16. *Orig.* 4. 12. Judaicus lapis albus est atque in schemate glandis, scripturis subinvicem modulatus, quas Græci γραμμάς appellant.

SŬBINVĪDĔO, vides, visum, videre, 2. Part. *Subinvisus* 2. — Subinvideo est aliquantulum invideo. ¶ 1. Neutrorum more occurrit cum Dat. *Cic.* 7. *Fam.* 10. Subinvideo tibi, te ultro etiam arcessitum ab eo. ¶ 2. Transitive part. *subinvisus*, apud eumd. *Rabir. Post.* 14. *in fin.* Subinvisum apud malevolos Postumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam.

SŬBINVĪSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬBINVĪTO, as, āvi, are, a. 1. aliquantulum invito et provoco: occurrit autem cum Conjunct. et partic. ut. *Cic.* 7. *Fam.* 1. *sub fin.* Quod

me quadam epistola subinvitaras, ut ad te scriberem.

SUBINVŎLO, as, are, n. 1. clam involo. *Augustin. Serm.* 1. *n.* 2. ed. *Mai.* Errat in lingua latronis simplicitas aliena, et obdulcantibus fabulis subinvolat feritas homicidii.

SŬBĪRASCOR, scĕris, ātus sum, sci, dep. 3. Part. *Subiratus* sub *b* et in fin. — Subirascor est nonnihil irascor, *adirarsi alquanto.* — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 12. Etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. — *b*) Cum Dativo. *Id.* 11. *Fam.* 24. Antea subirascebar brevitati tuarum litterarum. *Id.* 1. *Orat.* 16. *ad fin.* C. Lucilius homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat, familiaris. *Id.* 3. *Fam.* 9. Rescripsi tibi subiratus. — *c*) Cum part. *quod.* Tu in Epirum quod me non invitas, subirascor. — Hinc Part. præter., cujus exempla retulimus

Subiratus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Subiratior,* apud *Apul.* 4. *Met.* Ad hæc anus subiratior jubebat etc. *Alii tamen leg.* iratior.

SŬBĪRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBIS, is, f. 3. avis, quæ aquilarum nidos infestat et earum ova frangit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 14. 17. (37).

SUBISCALIRE. *V.* SUBSCALARIS.

SŬBĬTĀNĔUS, a, um, adject. (subitus) idem ac subitus. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *sub fin.* Si subitaneus imber incesserit. *subitanea e improvvisa pioggia.* et *Vulgat. interpr. Sap.* 17. 14. Subitaneus enim et insperatus timor supervenerat. *Id. ibid.* 19. 16. Quum subitaneis cooperti essent tenebris. Adde *Theod. Priscian.* 2. 13. et *Augustin. Serm.* 232.

SŬBĬTĀRĬUS, a, um, adject. (subitus) qui subito fit. — *a*) Universim. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 70. Hanc rem age: res subitaria est. *h. e.* quæ celerem operam poscit. *Tac.* 13. *Ann.* 39. Nero subitaria ædificia exstruxit, quæ multitudinem acciperent. *h. e.* subito ac temere facta, *provvisionali.* Sic 14. *ibid.* 20. Pompejum incusatum a senioribus, quod mansuram theatri sedem posuisset; nam antea, subitariis gradibus et scæna in tempus structa, ludos edi solitos. *Gell.* 9. 15. Subitaria dictione periculum sui facere. *col dire all'improvviso, estemporaneamente.* et *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 1. Subitariæ conclusiones. *Apul. Florid.* 23. Sic enim ferme adsolet apud prudentes viros esse in operibus elaboratis judicatio restrictior, in rebus subitariis venia prolixior. — *b*) *Subitarii milites,* qui subito colliguntur. *Liv.* 3. 4. *extr.* Ad eum (*exercitum*) explendum Latini Hernicique et colonia Antium dare Quinctio subitarios milites (ita tam repentina auxilia appellabant) jussi. Adde 40. 26. et 3. 30. Exercitum subitarium scribere. Cf. *Drakenb.* ad *eumd.* 41. 1., ubi de *repentinis* etiam et *tumultuariis* militibus agitur. *Tac.* contra *subitum militem* vocat 4. *Hist.* 76. et nemo præter eum sic locutus videtur, inquit *Boetticher* in *Lex. Tac. p.* 441. — Hinc

Subitaria, orum, n. plur. 2. absolute, quæ subito seu extempore dicuntur. *Apul. Florid.* 23. In isto, ut ait Lucilius, schedio et incondito experimini, an idem sim repentinus, qui præparatus; si qui tamen vestrum nondum subitaria ista nostra cognostis etc. et *De deo Socr. prol.* Subitaria ista nostra. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 10. et Germ. *Stegreifrede.*

SŬBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (subito) subitus adventus. *Vulgat. interpr. Sap.* 5. 2. et *Cyprian. Testim.* 3. 16. Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.

SŬBĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBITO, as.

SŬBĬTĒ, adverb. subito. *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 125. Ad cœliacos, idest qui subito et multa defundunt etc.

SUBITILLUM. *V.* SUAVILLUM.

SŬBĬTŌ, adverb. *V.* SUBITUS.

SŬBĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. (subitus) Part. *Subitatus* 2. — Subito est improvisus appareo vel advenio, *comparire o venire improvvisamente.* ¶ 1. Intransitive. *Pont. Vit. Cyprian.* 15. Ad hortos ejus (*Cypriani*) cum militibus suis princeps repente subitavit, immo, ut verius dixerim, subitasse se credidit; unde enim tamquam improviso impetu mens semper parata subitari? ¶ 2. Transitive etiam usurpatur et est re subitanea et insolita percello. *Cyprian. Ep.* 57. Ad prœlium apparet, fortiores nuper subitatos esse, et novæ atque insuetæ rei pavore trepidasse. Adde *Pont. Vit. Cyprian. loc.* supra *cit.*

SŬBĬTUM et

SŬBĬTUS, a, um, particip. *V.* SUBEO in fin.

SUBĪUM, ii, n. 2. *Auct. De idiom. p.* 580. *v.* 4. *Keil.* Subium, μύσταξ.

SUBJĂCENS, entis, particip. *V.* SUBJACEO.

SUBJĂCENTĬA, æ, f. 1. (sub *et* jaceo) actus subjacendi, vel potius id, quod subjacet. *Rufin.* ex *Orig. De princ.* 4. 1. Quum sensus noster omni qualitate ab intellectu suo remota ipsum subjacentiæ solius, ut ita dixerim, punctum contuetur et ipsi inhæret, nequaquam respiciens ad mollitiem vel duritiem vel calidum vel frigidum substantiæ, tunc simulata quodammodo cogitatione his omnibus qualitatibus nudam videbitur intueri materiam.

SUBJĂCĔO, jăces, jăcŭi, jăcere, n. 2. Part. *Subjacens* I. *a*-et II. *a, b* et in fin. — Subjaceo est subtus jaceo seu situs sum, subjectus sum, ὑπόκειμαι (It. *esser posto sotto;* Fr. *être couché dessous, être placé ou situé dessous;* Hisp. *ser extendido, ser situado debaxo;* Germ. *unterliegen;* Angl. *to be or lie beneath*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Hæc fenestra subjacens mare longius quidem, sed securius intuetur. *Plin. alter* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (174). Feles coeunt mare stante, femina subjacente. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Fenestris subjacet vestibulum villæ. *Plin. alter* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (302). Frumentum si tegulis subjaceat, confervescere. *Colum.* 1. *R. R.* 2. Campus in prata et arva digestus ædificio subjaceat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Lactant.* 2. 8. *ante med.* Deum credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente ac parata. *Quintil.* 3. 6. *prope fin.* Quæstionum, quæ velut subjacentes ad illud, quo judicium continetur, referuntur, sæpe in unam cadere plures posse. — *b*) Cum Dativo. *Quintil.* 7. 4. 3. Subjacet utilitati etiam illa defensio, si etc. *Id.* 3. 6. 26. Causa, cui plurimæ subjacent lites. *Prudent. Cathemer. præf.* 14. et male pertinax Vincendi studium subjacuit casibus asperis. *soggiacque.* et 2. *in Symmach.* 965. his vitiis subjacuit. *Apul.* 11. *Met.* Vita, quæ multis casibus subjacet. *Id.* 2. *Dogm. Plat. in fin.* Inopes divitum impotentiæ subjacentes. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 4. 40. 4. Viliores personæ capitali supplicio subjaceant. *Vulgat. interpr. Exod.* 21. 21. Non subjacebit pœnæ. *Id. Hebr.* 13. 17. Obedite præpositis et subjacete eis. *state sottomessi.* ¶ 2. Specialim in promptu esse. *Tertull. Apolog.* 15. Intelligi subjacet veritatis esse cultores. — Hinc Part. præs., cujus exempla retulimus

Subjacens, entis, etiam adjectivorum more usurpatur et est subter situs, *situato sotto, sottoposto.* *Inscript.* apud *Fabretti p.* 85. *n.* 155. FECIT..... COIVGI MEMORIOLAM CVM ORTVLO SVMIACENTE (*sic*). — Absolute apud *Hieronym. interpr. Orig. homil.* 2. in *Cant. p.* 1138. *Mign.* Habet et in sinistra et in dextera sermo Dei sapientiam, quæ quum pro intellectus varietate sit multiplex, in subjacenti una est.

SUBJACTO. *V.* SUBJECTO.

SUBJECTĒ, adverb. (subjectus) demisse, humiliter, more hominis subjecti. Occurrit tantum Sup. *Subjectissime.* *Cæs.* 1. *B. C.* 84. *extr.* Hæc quam potest demississime atque subjectissime exponit.

SUBJECTĬBĬLIS, e, adject. (subjectus) qui facile alicui subjicitur. *Vulgat. interpr. Bar.* 1. 18. Et non fuimus subjectibiles illi.

SUBJECTĬO, ōnis, f. 3. (subjicio) actus subjiciendi et supponendi, *il metter sotto, sottoponimento,* ὑπόθεσις ¶ 1. De abstractis. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. Rerum, quasi gerantur, sub aspectum pæne subjectio. Sic *Gell.* 10. 3. *ante med.* Rei sub oculos subjectio. ὑποτύπωσις forma rerum verbis expressa, evidentia. — *b*) Specialim est adjectio, additio, *soggiungimento, aggiunta.* *Vitruv.* 9. 8. *ad fin.* Subjectiones sunt, quæ post aliquod inventum adduntur. *Id. ibid.* 9. Ex quorum libris siquis velit subjectiones invenire, poterit, dummodo sciat analemmatos descriptiones. *Cic.* 2. *Herenn.* 18. 28. Ratio est causa, quæ demonstrat, verum esse id quod intendimus, brevi subjectione. *h. e.* addita declaratione. *Id.* 4. *ibid.* 17. 24. Illud quoque probandum est genus sententiæ, quod confirmatur subjectione rationis. — *c*) Hinc apud Rhetores *subjectio* est figura verborum, qua orator alium interrogat, ac statim ipse responsionem subjicit, ἀνθυποφορά. *Id. ibid.* 23. 33. Subjectio est, quum interrogamus adversarios, aut quærimus ipsi, quid ab illis aut quid contra nos dici possit: deinde subjicimus id, quod dici oportet aut quod non oportet, aut nobis adjumento futurum sit aut obfuturum ipsis. *Quintil.* 9. 3. 98. Quum alium rogaveris, non exspectare responsum et statim subjicere: quod schema quidam per subjectionem vocant. *Id. ibid.* 2. 40. Illa, ut ait Cicero, sub oculos subjectio. — *d*) *Subjectio testamentorum* apud *Liv.* 39. 18. est falsi testamenti suppositio pro vero. — *e*) In re politica est servitus, *soggezione.* *Augustin. in Johann. c.* 1. *tr.* 3. § 20. Forte petit subjectionem hostium suorum. *Jornand. Get.* 32. Desiderans Honorius germanam suam Placidiam subjectionis opprobrio liberare. *Oros.* 3. 14. Subjectiones provinciarum. — *f*) Hinc est demissio animi et voluntaria obedientia. *Cyprian. Ep.* 26. (*al.* 31.) Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit, sed pudor, humilitas atque subjectio. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Tim.* 2. 11. *Ambros. in Ps.* 118. 12. § 27. Subjectio mentium. Adde *Oros.* 1. *proœm.* § 8. et *Ambros. De Noe* 10. 31. et *De Spir. S.* 3. 1. § 8. ¶ 2. De concretis, quæ dicuntur, est fulcrum. *Vitruv.* 10. 10. *de catapultis.* Columna foraminum octo, – subjectio foraminum duodecim.

SUBJECTĪVĒ, adverb. (subjectivus) modo subjectivo. *Capell.* 4. *p.* 120. Quum dicimus, Cicero disputat, si accedat huic sententiæ, in Tusculano, declarative accessit; si accedat, Romanus, subjective. Quidquid igitur nominativo casui accedit, subjective accedit: quidquid declarative accedit, variis casibus et modis accedit.

SUBJECTĪVUS, a, um, adject. (subjectus). ¶ 1. Est qui subjicitur seu postponitur. *Tertull. Virg. veland.* 4. *ad fin.* et *Ter. Scaur. p.* 17. 19. *Keil.* ¶ 2. Est etiam ad subjectum pertinens. *Aggen. De controv. p.* 25. 18. *Lachmann.* Subjectivus status est controversiæ, quum relinquitur status generalis et alio quolibet statu controversia defenditur. Adde *eumd. ibid. p.* 68. 18. et 69. 8. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.,* ubi partem propositionis *subjectivam* vocat, quod scholæ *subjectum.* Adde *Capell.* 4. *p.* 120. ¶ 3. *Subjectivus modus* apud *eumd.* 3. *p.* 73. An ibi legend. *subjunctivus?* Cf. *Diomed. p.* 338. 10. *Keil.*

SUBJECTO, as, are, a. 1. (sub *et* jacto). *Subjacto* pro *subjecto* apud *Varron.* et *Coripp. loc.* infra *cit.* — Subjecto est subjicio, suppono, *metter sotto,* ὑποτίθημι.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 4. *Met.* 359. Subjectatque manus invitaque pectora tangit. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 93. Urget enim dominus mentem non lenis, et acres subjectat lasso stimulos. ¶ 2. Specialim est ex imo in altum jacto, *gettare da sotto in su,* ἀναῤῥίπτω. *Lucret.* 6. 700. Saxaque subjectare et arenæ tollere nimbos. *Virg.* 3. *G.* 240. ima exæstuat unda Verticibus nigramque alte subjectat arenam. *Varro* 1. *R. R.* 52. E spica exteruntur grana. iis tritis, oportet e terra subjectari valliis aut ventilabris, quum ventus spirat lenis. *Multi leg.* subjactari.

II.) Translate. ¶ 1. Est clam jacere, spargere, proferre. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 40. Exploraturus ecquis esset, qui forte vocem

de proximo subjectaret. ¶ 2. Est etiam præ se ferre, jactare. Coripp. fragm. 29. Ille etiam, solis qui se subjactat amicum.

SUBJECTOR, ōris, m. 3. (subjicio) qui subjicit, ὑποβολεύς: et fere in malam partem accipitur. Cic. 2. Cat. 4. 7. Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector etc.? h. e. qui falsa testamenta pro veris subjicit. Gloss. Gr. Lat. Ὑποβολεύς; subjector, submissor.

SUBJECTUM, i, n. 2. et

SUBJECTUS, a, um, particip. V. SUBJICIO.

SUBJECTUS, us, m. 4. (subjicio) subjectio, suppositio. In sexto casu sing. Plin. 26. Hist. nat. 15. 90. (154). Aristolochia vulvas procidentes inhibet fotu vel subjectu.

SUBJICIENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUBJICIO (subicio), jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (sub et jacio) — a) Ad scriptionem quod attinet, dicimus in MSS. et edit. libris, maxime recentioribus, subicio, subicit, subiciunt etc. uno i scriptum esse: licet primam corripere non sit opus, quod et in aliis a jacio compositis factitatum est. Pier. ad illud Virg. 5. Æn. 104. Subjiciunt verubus prunas. In antiquis, inquit, subiciunt, duobus ii in unum, idque figura oblonga, coeuntibus. Sic apud Fest. p. 347. 2. Müll. Subici aries dicitur etc. Plura hac de re habes apud Noris. in Cenotaph. Pis. dissert. 4. c. 4. V. ABJICIO et ADJICIO init. — b) De quantitate insuper monemus, primam syllabam, quoties trisyllabon sit, posse corripi; quoties vero tetrasyllabon, produci (V. Serv. De finalib. p. 451-452. Keil., Adnot. ad Sil. It. 1. 113. ed. Lemaire, L. Müllerum De re metr. p. 250., Brambach p. 201. et Sub init.) — Part. Subjiciens sub A I. 1. et II. 7.; Subjectus fere in omnib. paragr. et in fin.; Subjecturus sub A II. 7.; Subjiciendus sub A II. 1. 3. et 10. — Subjicio in diversam significationem occurrit, prout particula sub est subter, subtus, aut sursum: et construitur cum Accus., addito etiam sæpe Dativo, vel alio Accus. rei, cui quid subjicitur, cum præp. sub, inter, in, ad, vel etiam Abl. cum præp. sub.

A) Subjicio, a sub, subter, subtus, est suppono, ὑποτίθημι (It. metter sotto, sottoporre; Fr. mettre ou placer sous; Hisp. meter ó poner debaxo; Germ. unter od. unten an etwas werfen, legen, setzen, bringen, stellen; Angl. to put, lay or set under or below).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cæs. 2. B. C. 10. Hoc opus perficiunt subitoque, phalangis subjectis, ad turrim hostium admovent. Adde 3. ibid. 40. Cic. 3. Verr. 27. 69. Ligna et sarmenta circumdare ignemque subjicere cœperunt. Adde eumd. Rabir. Post. 6. 13., Auct. B. Afr. 87. et Ovid. 1. Met. 229. Cic. Mil. 35. 98., Vellej. 2. 48. 3. et Val. Max. 5. 5. n. 4. Subjicere faces. Varro 2. R. R. 1. a med. Si parum habet lactis mater, subjiciat agnum sub alterius mammam. Cæs. 1. B. G. 26. Nonnulli inter carros rotasque mataras ac tragulas subjiciebant nostrosque vulnerabant. Id. 3. B. C. 40. Biremes subjectis scutulis subduxit. Cic. 4. Herenn. 47. 30. Subjicere sub aspectum omnium rem. Nepos Pelop. 3. Epistolam in pulvinum subjiciens. Alii rectius sub pulvinum. Colum. 6. R. R. 2. ante med. Boum ventri et sub femina manum subjicere. Quintil. 8. 6. 19. Subjicere aliquid sub oculos. Cic. Orat. 40. 139. et Liv. 3. 69. oculis. Ovid. 3. Met. 167. Altera depositæ subjecit brachia pallæ. Id. 4. Trist. 1. 73. gladioque latus scutoque sinistram, Canitiem galeæ subjicioque meam. Colum. 6. R. R. 30. ad fin. Subjicere collyria, quæ ventrem movent. metter delle supposte. et 12. ibid. 39. Subactam brisam prelo subjicere. Sic Plin. 14. Hist. nat. 10. 12. (86). Vinacea prelo subjecta. Id. 26. ibid. 11. 69. (111). Si alsoum ignorantis pulvino subjiciatur. Id. 18. ibid. 26. 62. (231). Subjicere ova gallinis. mettere a covare. et 10. ibid. 59. 79. (163). Incubanda ova subjici utilissimum novem aut undecim. Adde ibid. 54. 75. (151). Id. 30. ibid. 14. 44. (130). Penna vulturina subjecta pedibus adjuvat parturientes. Ovid. 1. Met. 229. artus subjecto torruit igni. Sueton. Vitell. 17. Mento mucro gladii subjectus, ut visendam præberet faciem. Ovid. 15. Met. 618. depresso subjectis bubus aratro. h. e. sub jugum junctis. Plin. 2. Hist. nat. 67. 67. extr. Ut totum hoc, ceu subjectum oculis, quantum sit, ostendam. Liv. 7. 34. Habere hostem suis telis subjectum. et paullo sup. Subjectus ad omnes ictus. Ovid. 7. Met. 598. victima collapsa sine ictibus ullis, Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros. cacciati sotto la gola. (Sic Virg. 3. G. 492. Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.) Id. 2. Amor. 14. 27. Vestra quid effoditis subjectis viscera telis? Serv. ad Virg. loc. cit. Dicendo suppositi feriendi genus ostendit. Nam interdum sub inferiori parte, interdum desuper feriebantur. Curt. 9. 5. 11. Nudum hostis latus subjecto mucrone hausit. Liv. 7. 10. Romanus, mucrone subjecto, uno alteroque ictu ventrem hausit. di sotto in su. Utroque loco alii leg. subrecto. ¶ 2. Speciatim est subigo, ago sub. Varro 2. R. R. 2. circa med. Oves sub umbriferas rupes et arbores patulas subjiciunt. Cæs. 3. B. C. 56. (et 37.) Omnibus deinceps diebus Cæsar exercitum in aciem produxit, ut pæne castris Pompeji legiones subjiceret. ¶ 3. Item substituo, sufficio, sostituire. Auct. B. Alex. 26. Copias integras vulneratis defessisque subjiciebat. Festus p. 347. 2. Müll. Subici aries dicitur, qui agitur, ut cædatur: quod fit, ut ait Cincius, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo, qui scelus admisit, pœnæ pendendæ loco. Hanc ipsam rem Servius aliis verbis confirmat ex veteri lege Numæ (ad 4. Ecl. 43. et ad 3. G. 387.), qua reus homicidii jubebatur arietem pro se offerre. Cic. Orat. 27. 92. Subjicere pro verbo proprio aliud, quod idem significet. Adde Quintil. 3. 6. 28. et 6. 3. 74. ¶ 4. Item veris falsa suppono, dolo muto. Nepos Lysand. 4. Librum gravem conscripsit, in quo summis eum effert laudibus: quem quum legisset, dum obsignatur, alterum pari magnitudine signatum subjecit, in quo ejus avaritiam accusaret. Cic. 14. Phil. 3. 7. Subjicere testamenta. Quintil. 9. 2. a med. testamentum marito. Ulp. Dig. 25. 4. 1. ad fin. partum. Id. ibid. 13. 7. 36. In pignore dando pro auro æs subjicere creditori. Justin. 1. 9. 9. Prostrato Mergide, cui regnum debebatur, fratrem subjecit Oropasten. Plin. 10. Hist. nat. 9. 11. (26). narrat, coccygem avem pullos subjicere, quia in alienis nidis semper parit. ¶ 5. Item addere, assumere. Ovid. 13. Met. 718. Irrita subjectis fugere incendia pennis. ¶ 6. In illo Sueton. Cæs. 7. Visum per quietem matri stuprum intulisse, conjectores ad amplissimam spem incitaverunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes; quando mater quam subjectam sibi vidisset, non alia esset quam terra, quæ omnium parens haberetur. subjectam est stupro suppositam.

II.) Translate. ¶ 1. Est supponere. Cic. 2. Fin. 4. a med. Huic verbo (voluptas) omnes qui ubique sunt, duas res subjiciunt, lætitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. Quintil. 7. 3. sub init. Certum est de nomine: sed quæritur, quæ res ei subjicienda sit. qual significato dar se gli debba. Rursus Cic. 2. Fin. 15. 48. Sub hac voce honestatis quæ sit subjicienda sententia. At Wesenberg et Madvig leg. sub hanc vocem: veteres enim accusativo usi sunt, nec obstat illud Virg. 2. G. 19. sub ingenti matris se subicit umbra. ubi se subicere absolute sumendum est, ut sub oculis cadere, sub muris mittere et similia. V. Madvig ad Cic. De fin. p. 226. Cf. tamen Cic. Quinct. 15. 49. et Dom. 20. 52. ¶ 2. Item subdere, sottomettere, soggettare. Tibull. 4. 1. 117. Libera Romanæ subjecit colla securi. Tac. 13. Ann. 55. Gentem suam ditioni nostræ subjiciebant. Liv. 30. 9. Urbes subjicere. At Madvig corrigit subigere. et Flor. 2. 17. Scipio Hispaniam omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio. Cic. 2. Off. 6. ad fin. Subjiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Id. 2. Herenn. 31. 50. Nos sub eorum potestatem subjiciemus. Plin. Paneg. 65. Subjicere se legibus. Cic. 2. Off. 23. ad fin. Hastam in foro ponere et bona civium voci subjicere præconis. porre all' incanto. et Quinct. 15. 49. et Dom. 20. 52. Subjicere sub præcone. Sueton. Cal. 38. a med. Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subjecit et venditavit. Sic Tit. 8. sub fin. Delatores subjici ac venire imperavit. h. e. hastæ subjici tamquam servos. Cic. 1. Invent. 5. 7. Infinitam et immensam huic artificio (oratorio) materiam subjicere videtur. Vulgat. interpr. Ps. 8. 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. ¶ 3. Item objicere, exponere. Cic. 1. Orat. 46. a med. Scelus fraudemque nocentis subjicere odio civium. Id. Planc. 23. a med. Ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. Cæs. 4. B. G. 36. Infirmis navibus hiemi navigationem subjiciendam non existimabat. Id. 7. ibid. 77. Nolite - Galliam prosternere et perpetuæ servituti subjicere. Alii addicere. Liv. 38. 48. ad fin. Subjicere calumniæ ea, quæ dii comprobaverunt. Quintil. 7. 1. a med. universam domum periculo. Cæl. Aurel. 1. Tard. 4. 82. Cogente enim passione, nullo subjecto indigestionis obstaculo, erit arripienda phlebotomiæ commoditas. ¶ 4. Item ministrare, præbere. Cels. 1. præf. Quod si scientiam hanc non subjiciat evidens causa, multo minus eam posse subjicere, quæ in dubio est. Lucan. 7. 574. Ipse manu subicit, gladios ac tela ministrat. ¶ 5. Item submittere, subornare. Cæs. 1. B. C. 33. Subjicitur etiam L. Metellus ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem distrahat. Quintil. 5. 7. ante med. Testes frequenter subjici ab adversario solent, et, omnia profutura polliciti, diversa respondent. ¶ 6. Item addere, afferre, subdere loquendo aut scribendo, soggiungere. — a) Cum Infinito. Cic. Sull. 21. 60. Jam vero quod subjicit, Pompejanos esse a Sulla impulsos, id cujusmodi sit, intelligere non possum. — b) Cum partic. relativa. Plin. Paneg. 20. a med. Edicto subjecisti, quid in utrumque vestrum esset impensum. Cf. Cic. 2. Divinat. 50. sub fin. Et quidem cur sic opinetur, rationem subjicit. — c) Cum Accusativo. Id. 4. Herenn. 2. 3. Ut unumquodque genus exemplorum sub singulos artis locos subjicere possis. Sil. It. 1. 113. His acuit stimulis subicitque haud mollia dictu. Gell. 2. 20. Verba Varronis subjeci: Villaticæ pastionis genera sunt tria etc. Virg. 3. Æn. 313. vix pauca furenti subjicio. h. e. respondeo. — d) Absolute. Varro 1. R. R. 7. Subjicit Scrofa: de forma culturæ hoc dico etc. ¶ 7. Item suggerere, submonere, in memoriam revocare, suggerire. Ter. Phorm. 2. 3. 40. Si meministi id, quod olim dictum est, subjice. Cic. 7. Verr. 10. 25. Cupio, mihi ab illo subjici, si quid forte prætereo. Id. Flacc. 22. a med. Hic mihi Mæandrius, quasi ministrator, aderat, subjiciens, quid in suos cives, si vellem, dicerem. Liv. 3. 48. in fin. Cetera, quæ in tali re muliebris dolor querentibus subjicit. Id. 45. 18. extr. Præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia. Propert. 1. 7. 19. Et frustra cupies mollem componere versum: Nec tibi subjiciet carmina serus amor. Ovid. 7. Met. 304. Spes est virginibus Pelia subjecta creatis, Arte suum parili revirescere posse parentem. h. e. injecta. Sic Quintil. Declam. 3. init. Hæc furenti tribuno mens subjecta est, ut juberet etc. ¶ 8. Subjici dicuntur, quæ sub alia quapiam re comprehenduntur, continentur. Cic. 3. Herenn. 4. 7. Quattuor partes, quæ subjiciuntur sub vocabulo recti. Id. Top. 8. 33. Formarum certus est numerus, quæ cuique generi subjiciantur. ¶ 9. Refertur hinc ad ordinem et significat postponere. Quintil. 9. 4. ante med. Minus peccabit, qui longis breves subjiciet: et adhuc qui præponet longæ brevem. Id. 1. 4. a med. Vocabulum sive appellationem nomini subjecerunt, tamquam speciem ejus. et ibid. 5. Dicere apta, quod est præcipuum, plerique ornatui subjiciunt. ¶ 10. Item subigere. Cic. 2. Legg. 18. a med. Terræ cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam ferroque subjiciendam superstitionis aliquid

accesserit. Est qui mallet *subigendam.* ¶ 11. Item imponere, circumvenire, et quidem in malam partem. Impersonaliter. *Tertull. Apolog.* 8. Ignorantibus subjicitur et imponitur. *h. e.* circumveniuntur objectis calumniis.

B) Subjicio, a *sub*, desub, sursum, est sursum jacio, *gettare di sotto in su, alzare. Ovid.* 10. *Met.* 183. Tollere Tænarides orbem properabat: at illum Dura repercusso subjecit ab aere tellus In vultus, Hyacinthe, tuos. *Virg.* 12. *Æn.* 288. et corpora saltu Subjiciunt in equos. *Liv.* 31. 37. *ad fin.* Pavidum regem in equum subjecit. Sic 6. 24. Camillus subjectus a circumstantibus in equum. *Virg.* 10. *Ecl.* 74. Quantum vere novo viridis se subjicit alnus. *Albinov.* 1. 255. Tandem ubi complexa est (*flamma*) silvas alimentaque sumpsit, Æthera subjectis lambit et astra comis. *Virg.* 4. *G.* 385. Ter flamma ad summum tecti subjecta refulsit. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Subjectus, a, um, adjectivorum quoque more usurpatur; unde Comp. *Subjectior*.

I.) Proprie. ¶ 1. Est positus sub vel juxta aliquid, vicinus, conterminus. *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Rivus castris Scipionis subjectus. *Auct. B. Alex.* 35. Facilius Armeniam defendere posset, subjectam suo regno, quam Cappadociam longius remotam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Natura alvi subjecta stomacho. *Id.* 6. *Rep.* 20. 21. Cingulus terræ subjectus Aquiloni. *Liv.* 2. 39. Subjectus viæ campus. *Tac.* 3. *Hist.* 63. In subjectos Narniæ campos descendere. *Val. Max.* 7. 6. *n.* 2. Subjecti mœnibus campi fertilissimi. *Auct. B. Alex.* 28. Locus excelsior planitie ex omnibus partibus subjecta. *Ovid.* 13. *Met.* 438. Exanimem e scopulo subjectas misit in undas. *Liv.* 7. 35. Corporibus suis subjectis cingere collem. *Tac.* 15. *Hist.* 9. Subjectis campis volitabant. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. *sub fin.* Publicæ pro pariete subjectæ vim fluminis exciperent. *Ovid.* 6. *Fast.* 269. Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa, Aere subjecto tam grave pendet onus. *Id.* 13. *Met.* 913. admiraturque colorem Cæsariemque humeros subjectaque terga tegentem. — Tetrasyllabon. *Seneca Hippol.* 287. Siqua (*ora*) ferventi subjecta Cancro, Si qua Parrhasiæ glacialis Ursæ. ¶ 2. *Subjecta tabella* est supposita, falsa, *falsificata. Ovid.* 2. *Pont.* 9. 69. Nec mea subjecta convicta est gemma tabella Mendacem linis imposuisse notam. ¶ 3. *Subjectus partus*, suppositus, falso pro filio habitus, *supposto. Ulp. Dig.* 37. 10. 1. *ad fin.*, item *ibid.* 3. et *Papinian. ibid.* 12. et 48. 18. 1. ¶ 4. *Subjectus petitor*, subornatus, dolo malo petens, sycophanta. *Quintil.* 4. 2. *a med.* Suspicione subjecti petitoris non carebit.

II.) Translate. ¶ 1. Est imperio et dicioni subditus, *soggettato, soggiogato, sottomesso, suddito. Cic.* 2. *Nat. D.* 30. 77. Nulli est naturæ obediens aut subjectus Deus. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Gallia securibus subjecta, perpetua premitur servitute. *et ibid.* 1. Qui jam ante se populi R. imperio subjectos dolerent. *Liv.* 26. 49. Tristi servitio subjectus. ¶ 2. Item obnoxius, *soggetto. Cic.* 5. *Fin.* 12. *extr.* Res, quæ subjectæ sunt sensibus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. *a med.* Ea, quæ sub sensus subjecta sunt. *Id.* 5. *Tusc.* 1. *circa med.* Si virtus subjecta sub varios incertosque casus famula fortunæ est. *et* 4. *ibid.* 26. *a med.* Mare est subjectum ventis. *Id.* 2. *Nat. D.* 30. 75. Docet, omnes res subjectas esse naturæ sentienti. *Id. Quinct.* 15. *a med.* Cujus non modo fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius sub præcone subjectus est. *Id. fragm.* apud *Lactant.* 5. 8. *sub fin.* Homines non intelligunt, se esse consanguineos et subjectos omnes sub unam eamdemque tutelam. *Id.* 1. *Orat.* 46. 201. Ut in rerum privatarum causis oratori juris civilis scientia necessaria est; sic in causis publicis concionum, senatus et antiquitatis memoria et publici juris auctoritas et regendæ reipubl. ratio, tamquam aliqua materies, iis oratoribus, qui in republ. versantur, subjecta esse debet. *h. e.* exposita, in promptu et sub manu posita, parata et nota. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 47. subjectior in diem et horam Invidiæ. — *Cic.*, 1. *Orat.* 12. 51. Verborum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia. *Id.* 2. *Fin.* 2. *in fin.* Diligenter oportet exprimi, quæ vis subjecta sit vocibus. *Id.* 1. *Off.* 27. *in fin.* Quæ pars subjecta generi est, eam sic definiunt etc. *Id.* 4. *Tusc.* 7. *ad fin.* Sub metum subjecta sunt pigritia, pudor, terror etc. ¶ 3. Item additus, *soggiunto. Cic.* 3. *Orat.* 54. *a med.* et *Quintil.* 9. 3. *ad fin.* Ad propositum subjecta ratio. αἰτιολογία. *Phædr.* 1. 19. Habent insidias hominis blanditiæ mali, Quas ut vitemus, versus subjecti monent. *Gell.* 7. 2. Verba Cæselii subjecta sunt.

Subjectus, i, et sæpius plur. *Subjecti, orum*, m. 2. absolute, substantivorum more, subditus. *Virg.* 6. *Æn.* 854. Parcere subjectis et debellare superbos. *umili, sottomessi.* Sic *Ambros.* 1. *De Jac. et vit. beat.* 2. *n.* 2. Subjectis parcere justa ratio persuadet. *Veget.* 2. *Milit.* 9. Sciens, ad præfecti laudem subjectorum redundare virtutem. Adde *Ovid.* 2. *Art. am.* 411. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 4. Quid aut qualiter faciendum sit, ab subjecto discit. *Id. ibid. n.* 10. Custodire subjectos. *Id.* 11. *ibid.* 1. 25. Ne crudelius aut remissius agat cum subjectis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Ab omnibus subjectis singula exquirens. *Vulgat. interpr. Esth.* 13. 2. Clementia et lenitate gubernare subjectos.

Subjectum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est res subjecta. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Quum barbari truci sonore subjecta vallium ac resultantes saltus complerent. *h. e.* subjectas valles. ¶ 2. Apud Logicos est id, de quo sermo instituitur. *Capell.* 4. *p.* 105. et *Apul.* 3. *Dogm. Plat.*, ubi de syllogismo agitur.

SUBJŬGA. *V.* SUBJUGUS.

SUBJŬGĀLE. *V.* voc. seq.

SUBJŬGĀLIS, e, adject. sub jugo assuetus, domitus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 333. Jumenta, pecua, subjugales beluas. *Hieronym. Ep.* 53. Subjugalis asina. *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 2. 16. *de asina Balaam.* Subjugale mutum animal hominis voce loquens perhibuit prophetæ insipientiam. — Hinc

Subjugale, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est animal subjugale. *Id. Matth.* 21. 5. Sedens super asinam et pullum filium subjugalis. *sc.* (fortasse ex Gr. ὄνος, gener. commun.) asinum, idest pullum etc. *Id.* apud *Augustin. Quæst. in Hept.* 2. 71. Non concupisces — neque bovem ejus neque subjugale ejus etc.

SUBJŬGANS, antis, particip. *V.* SUBJUGŌ.

SUBJŬGĀTĬO, ōnis, f. 3. (subjugo) actus subjugandi, subjectio. *August. in Psalm.* 119. 7.

SUBJŬGĀTOR, ōris, m. 3. (subjugo) qui subjugat, *soggiogatore. Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 33. Subjugator hostium. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Suffragator bonorum, malorum subjugator. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 838. IMP. CAES. AELIO HADRIANO ANTONINO AVG. PIO FEL. P. P. SVBIVGATORI ORBIS TERRARVM RESPVBLICA AECLANENSIVM.

SUBJŬGĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBJUGO.

SUBJŬGIS, e, et subjugius, a, um, adject. (sub *et* jugum) ¶ 1. Dicitur, qui sub jugo est, qui jugo assuevit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (262). Ostentabat (*Nero*) hermaphroditas subjuges carpento suo equas. Alii plerique rectius leg. *subjunctas.* ¶ 2. *Subjugia lora*, quibus jugum collis boum vel equorum aptatur. *Cato R. R.* 63. et 135. Subjugia in plostrum lora pedes XVIII., in aratrum subjugia lora pedes XII. *Vitruv.* 10. 8. *a med.* Eadem ratione jumenta, quum juga eorum subjugiis loris per medium temperantur, æqualiter trahunt onera. Ita *Schneiderus* legend. putat. At *Forcellinus* dedit *subjugiorum loris*, quasi esset a *subjugium, ii*, Ital. *sottogiogo*: quod recentiores non admittunt. *Rich* tamen figuram exhibet *subjugii* ex vet. MS. *Hesiod. Op.* 469. Cf. etiam *Callim. fragm.* apud *Procl.* ad *l.* μέσσαβα βοῦς ὑποδύς. *V.* etiam SUBJUGUS.

SUBJŬGĬUM, ii, n. 2. et

SUBJŬGĬUS, a, um. *V.* voc. præced.

SUBJŬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subjugans* 1. *b*; *Subjugatus* 1. *a* et *b*; *Subjugandus* 1. *b.* — Subjugo proprie est sub jugum pono (It. *mettere sotto il giogo, aggiogare*; Fr. *mettre sous le joug*; Hisp. *uncir, meter baxo del yugo*; Germ. *unter das Joch schicken*; Angl. *to bring under the yoke*); sed, a similitudine, translate adhibetur et construitur cum Accus., cui sæpe additur rei, quæ subjugatur, Dat. vel aliquando Abl. et præp. *sub.* ¶ 1. In re militari. — *a*) Stricto sensu, est militari jugo subjicere. *Arnob.* 4. *p.* 129. Quum apud Furculas Caudinas, Decus publicum subjugatum est. *Eutrop.* 4. 17. A Numantinis bis Romani exercitus fuerunt subjugati. *Veget.* 3. *Milit.* 10. *a med.* Metellus in Africa, Albino imperante, subjugatum accepit exercitum; quem ita emendavit veteribus institutis et disciplina majorum, ut postea eos, a quibus sub jugum missi fuerant, superarent. Cf. *Sall. Jug.* 38.-45. — *b*) Latiore sensu, est debello et imperio subjicio, quasi sub jugum pono. *Claudian. VI. cons. Honor.* 249. nulla est victoria major, Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes. *Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 21. Quod quisque de subjugata provincia per triumphum apportavisset. *Vulgat. interpr. Judith* 5. 24. Subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ *Inscript.* apud *Gruter.* 281. 2. ORBEM TERRAE ROMANO NOMINI SVBIVGANTI DOMINO NOSTRO FL. CONSTANTIO PIO FEL. SEMPER AVG. ANNIVS ANTIOCHVS V. P. *etc.* — Hinc figurate. *Lactant.* 4. 10. *a med.* Ingratum populum legi subjugavit. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 9. Curatores, qui ad colligendos publicos reditus eligi solent, personali muneri subjugantur. *h. e.* adstringuntur. *Scævola ibid.* 4. 8. 43. Si maligne hoc fecerit, pœnæ subjugabitur. Cf. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. 131. In *edicto Maximini Imp.* apud *Lactant. Mort. persecut.* 34. Multi periculo subjugati. *h. e.* territi et domiti. Adde *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 419. et 777. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 5. 2781. TCIRE DEBET SEVERISSIMAE SE SENTENTIAE SVBIVGANDVM. ¶ 2. In re grammatica est subjungo. *Terentian. de syllab. p.* 2395. *Putsch.* Consonæ quum subjugatur (*vocalis*), vel relatæ in consonam, Temporis parte, atque duplo sit, necesse est, prædita.

SUBJŬGUM. *V.* voc. seq.

SUBJŬGUS, a, um, adject. (sub *et* jugum) qui sub jugo est vel factus est, ὑπόζυγιος. *Apul.* 7. *Met.* Protinus uxor ejus avara molæ machinariæ subjugium me dedit. *Gloss. Gr. Lat.* ed. *Vulcan.* Ὑποζύγιον; jumentum, subjugum. *Alii leg.* subjugium. — Hinc absolute, substantivorum more

Subjuga, æ, f. 1. pars ima jugi, in quam jumenta colla immittunt. *Gloss. Gr. Lat.* Ζεύγλη, subjuga.

Subjugum, i, n. 2. subjugale, apud *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 52. (146)., qui tradit, animal esse *subjugum* nomine; quod nec quale esset, nec ubi nasceretur, auctores tradiderunt. Ita edidit *Forcellinus.* At ibi recentiores pro *subjugum* leg. *sirulugus.*

SUBJUNCTĬO, ōnis, f. 3. (subjungo) figura, quæ Græcis est hypozeuxis. *Jul. Rufinian. Schem. lex.* 4. Hæc figura (ὑπόζευξις) Latine vocabitur subjunctio vel subinsertio vel subnexio. *V.* HYPOZEUXIS et SUBINSERTIO.

SUBJUNCTĪVUS, a, um, adject. (subjungo) qui subjungitur, ut — *a*) *Subjunctivus modus*, qui etiam conjunctivus, et adjunctivus dicitur, ὑποτακτικός, est unus ex modis verborum, ita dictus, quia subjungitur alteri verbo, vel potius alterum verbum el subjungitur. Nam eget aliqua re, ut sententia locutionis plena sit, ut: Quum clamem, quare me tacere dicis? *Diomed.*, *Priscian.*, *Apul.* — *b*) *Subjunctivæ conjunctiones*, quæ duo verba postulant, ut sententia sit completa, ut *si*, *quum*, *antequam*, *quamvis* etc. *Charis.* 2. *p.* 200. *Putsch.* — *c*) *Subjunctivæ vocales*, quæ alias vocales in iisdem syllabis antecedentes subsecuntur. *Priscian.* 1. *p.* 39. 9. *Keil.* Sunt vocales præpositivæ aliis vocalibus subsequentibus in eisdem syllabis *a*, *e*, *o*, subjunctivæ *e*, *u*, ut *ae*, *au*, *eu*, *oe*.

SUBJUNCTŌRĬUM, ii, n. 2. (subjungo) ¶ 1. Est quodvis vehiculum, quod subjunctis jumen-

tis trahitur. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8. 5. 10. Nulli de cetero subjunctorio privato animalia publica præbeantur. ¶ 2. Item ipsa jumenta currui subjuncta. *Vulgat. interpr. Ital. Jos.* 6. 21. apud *Lucif. Caral. p.* 771. *Mign.* A juvene usque ad senem et usque ad vitulum et usque ad subjunctorium occiderunt in ore gladii. *Noster* habet *asinos.* — In plur. num. apud *eumd. ibid. p.* 942.

SUBJUNCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBJUNGO, jungis, junxi, junctum, jungere, a. 3. *Subjungier;* paragoge pro *subjungi*, apud *Prudent.* 2. *in Symmach.* 586. — Part. *Subjunctus* I. 1.-3. et II. 2.; *Subjuncturus* II. 1.; *Subjungendus* I. 2. et II. 1. — Subjungo est appono, adnecto, colligo, conjungo (It. *apporre, attaccare, connettere;* Fr. *attacher, joindre, ajouter;* Hisp. *atar, juntar;* Germ. *hinzufügen;* Angl. *to join, subjoin*); occurrit autem cum Accus., cui sæpe additur rei, quæ subjungitur, Dat. vel alio Accus. et præp. *sub.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 10. *Æn.* 157. puppis Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones. ¶ 2. Speciatim est sub jugum mitto, ad currum jungo, *attaccare al giogo, mettere sotto al giogo,* ὑποζεύγνυμι. *Virg.* 5. *Ecl.* 29. curru subjungere tigres. *Colum.* 6. *R. R.* 2. *ante med.* Juvenci vacuo plostro subjungendi. *Manil.* 4. 231. libet subjungere currus, Ardentes et equos ad mollia ducere frena. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (262). Ostentabat (*Nero*) hermaphroditas subjunctas carpento suo equas. *Alii leg.* subjuges. *Vitruv.* 10. 6. Boves subjuncti. ¶ 3. Item substituo. *Gell.* 1. 25. Exempta una littera sonitus vastioris et subjuncta lenioris. ¶ 4. *Subjungere gressus*, pone sequi, apud *Juvenc. carm.* in *Exod.* 1015.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1., est addo, adjungo, subjicio. *Cic.* 1. *Orat.* 50. *a med.* Omnes artes oratori subjungere. *Id. Orat.* 27. 94. Aristoteles translationi hæc ipsa subjunxit. *h. e.* subjecit tamquam species ejus. *Id. Harusp. resp.* 17. 37. Video in haruspicum responsis hæc esse subjuncta. *Alii leg.* subjecta. *Colum.* 2. *R. R.* 12. *sub fin.* Subjungenda est sarritioni runcatio. *Ovid.* 5. *Met.* 339. Calliope querulas prætentat pollice chordas, Atque hæc percussis subjungit carmina nervis. *Quintil.* 9. 4. 23. Cavendum, ne decrescat oratio et fortiori subjungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur aut latroni petulans. *Id.* 10. 7. *ante med.* Tum iis, quæ dicit, quæ subjuncturus est, quæ ultra spectanda sunt etc. *Plin.* 7. *Ep.* 33. *a med.* Dicit Senecio quæ res ferebat: aliqua subjungo. *soggiungo.* Sic *Vulgat. interpr. Jer.* 27. 36. At ille subjunxit: Juste vocatum nomen ejus Jacob. *Plin.* 5. *Ep.* 14. Subjunxit preces multumque lacrimarum. *Frontin. Aquæd.* 102. Non est alienum subjungere, qui post Messalam huic officio præfuerint. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 94. Amisenos, quorum libellum epistolæ tuæ subjunxeras etc. *hai annesso.* et *Quintil.* 7. 9. 9. Sæpe, utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est, unde est controversia: Heres meus uxori meæ dare damnas esto argenti quod elegerit, pondo centum. Uter eligat, quæritur. *Manil.* 3. 325. sin summa prioris Et pars confertur subjuncti prima etc. *h. e.* sequentis, subsequentis. — *Lucret.* 3. 422. Tu fac, utrumque uno subjungas nomen eorum. *h. e.* jungas sub una re. Alii leg. *uni*, h. e. adjungas, attribuas uni eidemque rei. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., est subigo, subjugo, *sottomettere, soggiogare. Cic.* 3. *Verr.* 21. 55. Urbes multas sub imperium populi R. dicionemque subjunxit. *Vellej.* 2. 39. *in fin.* Novas provincias imperio nostro subjunxit. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 98. Ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem urbes, nationes, provincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem subjungeretis. *Virg.* 8. *Æn.* 502. Nulli fas Italo tantam subjungere gentem. Externos optate duces. *h. e.* imperio continere et ducis munere cum ea fungi. — Hinc figurate. *Claudian. Edyll.* 1. 30. Tum multis gravior tandem subjungitur annis. *h. e.* subigitur, superatur, vincitur. Alii *subducitur* malunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 19. Et mihi res, non me rebus subjungere conor. *h. e.* subdere, subjicere. Alii leg. *submittere.*

SUBLĀBENS, entis, particip. *V.* SUBLABOR.

SUBLĀBĬUM, ii, n. 2. herba, quæ et cynoglosson et lingua canis appellatur. *Apul. Herb* 96.

SUBLĀBOR, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. Part. *Sublabens* II.; *Sublapsus* in omn. paragr. — Sublabor est clam labor, insinuor, irrepo (It. *entrar di soppiatto, insinuarsi a poco a poco;* Fr. *se glisser dans, s'insinuer;* Hisp. *entrar á escondidas, insinuarse;* Germ. *unvermerkt herunschleichen, sich einschleichen;* Angl. *slip or slide away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Virg.* 7. *Æn.* 354. prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus atque ossibus implicat ignem. *Id.* 12. *ibid.* 684. montis saxum de vertice præceps Quum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas. — *Dict. Cret.* 5. 5. Palladium, antiquissimum signum, cælo sublapsum. *h. e.* delapsum. — *b*) Speciatim est subter labor, *cadere abbasso, sdrucciolar giù. Seneca Ep.* 71. *ad fin.* Imperfecta, necesse est, labent et modo prodeant, modo sublabantur aut succidant. Sublabentur autem, nisi ire et niti perseveraverint. *Id.* 1. *Controv.* 1. 16. Sublapsum est intercepto spiritu corpus. *Val. Flacc.* 6. 556. et cassa frendens sublabitur ira. *cade e muore.* ¶ 2. Latiore, seu prægnanti, ut ajunt, significatione, est corrumpi, dissolvi, destrui, absumi. *Plin.* 10. *Ep.* 75. Ædificia vetustate sublapsa reparare in melius. *Cf. Liv.* 4. 20.

II.) Translate. *Seneca Œdip.* 817. prima languescit senum Memoria, longo lassa sublabens situ. *Virg.* 2. *Æn.* 169. Ex illo fluere ac retro sublapsa referri Spes Danaum. Adde 1. *G.* 200.

SUBLĀBRO, as, are, a. 1. (sub *et* labrum) cibum intra labra mitto, ut interpretatur *Non. p.* 170. 7. *Merc. Novius ibid.* Jam ego illi subiens sublabrabo esui illud sinciput.

SUBLĂCRIMANS, antis, particip. ab inusit. *sublacrimor*, aliquantum lacrimans, ut Sublacrimantes oculi, apud *Veget.* 1. *Veterin.* 30.

SUBLĀMĬNA, æ, f. 1. lamina, quæ alicui rei supponitur. *Cato R. R.* 21. Sublaminas polulas minutas supponito. Alii leg. divisim *sub laminas.*

SUBLAPSUS, a, um, particip. *V.* SUBLABOR.

SUBLĂQUEO, as, āvi, are, a. 1. lacunar facio, *far la volta o concavo del solaio, soffittare. Inscript.* apud *Gruter.* 172. 14. CN. SVLPICIVS CN. F. RVF. IIII. VIR IVR. DIC. SVBLAQVEAVIT TRABES TECTI FERRO SVFFIXIT LAPIDE STRAVIT PODIO CIRCVMCLVSIT SVA PEC.

SUBLĀTĒ, adverb. (sublatus) Comp. *Sublatius* I. et II. *b.* — Sublate est elate, sublimiter, *altamente,* ἐπαιρομένως.

I.) Proprie. *Ammian.* 22. 15. *ante med.* Nilus diebus centum sublatius fluens, minuitur postea.

II.) Translate. — *a*) In bonam partem et est magnifice, splendide. *Cic. Brut.* 55. 201. Quoniam ergo bonorum oratorum duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium. *h. e.* sublimi dicendi genere. — *b*) In malam partem et est arroganter, superbe. *Id. ibid.* 36. 95. De se sublatius dicere. *Id. Dom.* 36. 95. Nihil enim umquam de me dixi sublatius, adsciscendæ laudis causa potius, quam criminis depellendi. Sic *Ammian.* 15. 12. 1. Avidi jurgiorum et sublatius insolentes.

SUBLĀTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBLĀTĔO, es, ere, n. 2. Part. *Sublatens.* — Sublateo est subtus lateo, ὑπολανθάνω. *Cœl. Aurel. signif. diæt. pass.* 136. Sublatente febricula. *Varro* 1. *R. R.* 48. Aristæ quasi cornua sunt spicarum, quæ primitus quum oriuntur, neque plane apparent, qua sublatent, herba ea vocatur vagina. Alii rectius leg. *qua sub latent herba, ea vocatur vagina.*

SUBLĀTĬO, ōnis, f. 3. (sublatus) actus sustollendi, *innalzamento,* ἄρσις, cui opponitur *positio, depositio,* θέσις.

I.) Proprie. ¶ 1. Est actus sustollendi, elatio. *Quintil.* 9. 4. *ante med.* Tempus sonum metitur, ut a sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum. *et mox.* Rhythmi, qua cœperunt sublatione ac positione, ad finem usque decurrunt. *Cf. Capell.* 9. *p.* 328. *init.*, ubi *V.* adnot. Adde *Mar. Victorin.* 1. 9. 2. *p.* 40. 11. *et* 15. et *Fortunat. Art.* 2. 4. 1. *p.* 280. 40. *et* 2. 4. 4. *p.* 281. 5. et 6. *Keil.* ¶ 2. Alio sensu est ablatio vel etiam destructio. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3. 1. 6. Filios legitimos faciunt partus et sublatio patris et matris. *Ambros.* in *Luc.* 6. 7. Et quasi excubantibus obsessos serpentibus fructus pervigili labore decerpimus, ita tamen ut non furtiva sublatio, sed direptio triumphalis sit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ a super. paragr. 1. deductâ. *Cic.* 2. *Fin.* 4. *ad fin.* Stoici voluptatem sic definiunt: Sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Quintil.* 7. 1. *prope fin.* An restitutio pro sublatione judicii sit, et perinde valeat ac si judicium non fuisset.

SUBLĀTUS, a, um, particip. *V.* TOLLO.

SUBLĀVO, as, are, a. 1. Part. *Sublavandus.* — Sublavo est subtus lavo, subluo. *Cels.* 6. 18. n. 10. Si anus vel os vulvæ procidit, considerari debet, purumne sit, quod provolutum est, an humore mucoso circumdatum. Si humidum est, vino austero sublavandum est. *Est qui leg.* subluendum. *Capitolin. M. Aurel.* 19. Ut, occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublavaret. *h. e.* τὴν φύσιν sublueret. *Apul. Herb.* 74. Si mulier laboret inferius, herbæ solatæ suco se sublavet. *V.* SUBLUO.

SUBLECTĬO *vel* sullectio, ōnis, f. 3. (sublego) collectio post primam lectionem facta, substitutio in locum alterius. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 31. *circa med.* Mandat de plateis et vicis civitatis facere sublectionem. — *NB.* de nom. propr. R. *V.* ONOM.

SUBLECTO, as, are, a. 1. oblectando clam decipio: ab inusit. *sublicio*, ut *allecto* ab *allicio. Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 74. Ut ludo! mi. Quid ego? ut sublecto os! *V.* SUBAGITO.

SUBLECTUS *vel* sullectus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBLĔGO, lĕgis, lēgi, lectum, lĕgere, a. 3. Etiam *sub lego* divisim scribitur. *Lex Jul. Municip.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 206. — Part. *Sublectus* I. 1.-3.; *Sublecturus* I. 3.; *Sublegendus* et *Sublegundus* I. 3. — Sublego est subtus lego, sub aliqua re colligo, ἀναλέγω (It. *raccogliere di sotto;* Fr. *ramasser sous, recueillir;* Hisp. *recoger debaxo;* Germ. *unten auflesen;* Angl. *to gather from below*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit, et alter Sublegit quodcumque jaceret inutile. *Colum.* 12. *R. R.* 50. Si bacca tempestatibus in terram decidit, necesse est eam sublegere. *Id. ibid.* 17. Ficus viridis quum subiecta est, in amphoras conditur. ¶ 2. Speciatim est surripere. *Plaut. Rud.* 3. 4. 43. Liberos parentibus sublectos habebis. ¶ 3. Item eligere in alterius locum, sufficere, substituere. *Varro* 6. *L. L.* 66. *Müll.* Hinc legitima: et collegæ, qui una lecti: et qui in eorum locum suppositi, sublecti, additi, adlecti. *Liv.* 23. 23. Et ita in demortuorum locum sublecturum. *Cic. in toga cand.* apud *Ascon. sub fin.* Nescis, me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum et meo beneficio in tertium locum esse sublectum? *Tac.* 11. *Ann.* 25. In numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e senatu - paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum et L. Brutus minorum gentium adpellaverunt, exhaustis etiam, quas dictator Cæsar - et Augustus - sublegere. *V. Drakenb.* ad *Liv. loc. cit. Justin.* 3. 3. 2. Lycurgus populo (*Spartano*) sublegendi senatum potestatem permisit. *Val. Max.* 6. 4. n. 1. Majori parti

senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 421. 2. et accuratius apud *Marin. Frat. Arv. n.* 56. C. IVLIVS C. F. FAB. ANTIOCHVS PHILOPAPPVS COS. FRATER ARVALIS SVLLECTVS INTER PRAETORIOS AB IMP. CAESARE NERVA TRAIANO OPTVMO AVGVSTO GERMANICO DACICO. *Lex Cornel. de Quæst. c.* 2. *l.* 11. PRAECONES LEGVNDI SVBLEGVNDI ¶ 4. Pro clam vel submissa voce lego. *V.* SUBRECITO.

II.) Translate est clam excipere, aucupari, intercipere, *ascoltare di nascosto. Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 98. Clam nostrum hunc sermonem sublegerunt. Adde *Turpil.* apud *Non. p.* 332. 29. *Merc.* Sic *Virg.* 9. *Ecl.* 21. Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper. *h. e.* te non sentiente percepi.

SUBLESTĬA, æ, f. 1. *Gloss. Isid.* Sublestia, infirmitas, tristitia. *V.* tamen *G. Loewe, Prodr. etc. p.* 261.

SUBLESTIS, e, et

SUBLESTUS, a, um, adject. Altera forma *sublestis* legitur in *Gloss. Isid.* Sublestis, infirmus, tristis. — *Voss.* in *Etymol.* derivat ab ὑπόλισπος, quod ab ὑπό, sub, et λίσπος, gracilis: sed rectius duxeris a *levis.* Hinc fortasse *lesto* Italorum facium est. Cf. tamen et *lædo.* — Comp. *Sublestior;* Sup. *Sublestissimus.* — Sublestus est infirmus, tenuis. *Festus p.* 294. 33. *Müll.* Sublesta antiqui dicebant infirma et tenuia. Plautus in Persa (3. 1. 20.) Ad paupertatem si immigrant infamiæ, Gravior paupertas fit, fides sublestior; idest infirmior. Idem in Nervolaria vinum ait sublestissimum, quia infirmos faciat vel corpore vel animo. Hæc *Festus.* Eodem fere modo *Non. p.* 177. 11. *Merc.* Sublestum est leve, frivolum. Plautus: Nam ubi ad paupertatem etc. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 13. Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide. — Quod *Festus* de vino dixit, nonnullis minus placet. Potius enim *sublestissimum vinum* esse aqua multa dilutum, tenue, sine viribus.

SUBLĒVANS, antis, particip. *V.* SUBLEVO.

SUBLĒVĀTĬO, ōnis, f. 3. (sublevo) actus sublevandi, erectio, *sollevamento, inalzamento.*

I.) Proprie. *Anian.* ad *Paul. Sentent.* 2. 7. 1. Si quorumcumque res pro sublevatione manibus in mare jactatæ fuerint. *Paulus* habet: si levandæ navis gratia jactus mercium factus est.

II.) Translate est levatio, *sollievo. Cic.* 2. *Rep.* 34. 59. Salutis omnium causa aliqua sublevatio et medicina quæsita est. Adde *Augustin.* 13. *Confess.* 7.

SUBLĒVĀTOR, ōris, m. 3. (sublevo) qui sublevat. *Inscript.* apud *Pratilli Via App. p.* 316. IMP. CAES. T. AELIO HADRIANO AVG. PATRI PATRIAE SVBLEVATORI ORBIS.etc. CAMPANI OB INSIGNEM ERGA EOS BENIGNITATEM D. D. Germana tamen non omnibus videtur.

SUBLĒVĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBLĒVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Sublevans* I.; *Sublevatus* I. et II. 1. *b*; *Sublevaturus* II. 2.; *Sublevandus* I. et II. 1. *b* et 2. — Sublevo est sursum levo, erigo, ὑπεξαίρω (*It. alzare, sollevare dal basso, da terra;* Fr. *soulever, lever, élever;* Hisp. *solevar, elevar;* Germ. *in die Höhe heben, aufrichten;* Angl. *to lift, raise*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 34. *a med.* Ut in ascensu, non nisi sublevati a suis, primi non facile eniterentur. *Id.* 1. *ibid.* 48. Jubis equorum sublevati. Adde 7. *ibid.* 47. *in fin. Cic.* 10. *Att.* 4. Qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem. *Id.* 4. *Herenn.* 50. 63. Sinistra mentum sublevat. *h. e.* sustollit et sustinet. *Liv.* 28. 20. Primi sequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui præirent, in summum evadunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (51). Apes regem fessum humeris sublevant: validius fatigatum ex toto portant. *Id.* 9. *ibid.* 8. 9. (31). Piscatores retia furcis sublevant. *Virg.* 10. *Æn.* 831. et terra sublevat ipsum Sanguine turpantem comptos de more capillos. *Sueton. Vesp.* 34. Inter manus sublevantium exstinctus est. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 89. nodus qui sublevat ensem. *h. e.* sustinet. *An legend.* subligat? *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 160. hanc pisce volutam Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris. *h. e.* vehit. Sic *II. cons. Stilich.* 358. vix sublevat unum Tarda ratis. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 26. Sublevandarum venarum causa erit laqueus collo circumdandus. — *Sublevare se,* se erigere, *alzarsi, sollevarsi, rizzarsi. Cæs.* 6. *B. G.* 27. Alces crura sine nodis articulisque habent, neque, si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese aut sublevare possunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est favere, juvare, erigere, tueri, *sollevare, ajutare, difendere.* — *a*) Absolute. *Sall. Cat.* 54. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo – carus. — *b*) Cum Accus. *Cic. Divin. Verr.* 2. *a med.* Videor non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere. et 5. *Verr.* 92. *a med.* Eadem illa æstimatione alter sublevarat aratores, alter everterat. *Id.* 4. *Tusc.* 37. *a med.* Zopyrus a Socrate sublevatus. *Plin.* 5. *Ep.* 14. Reum non modo non presserunt, verum etiam sublevaverunt. *Sueton. Cal.* 53. *ad fin.* Vel onerare sententia sua aliquem, vel sublevare. *Cic. Cæcin.* 9. 23. Non minus nos stultitiæ illius sublevat, quam lædit improbitas. *Id.* 7. *Phil.* 8. 24. Sublevare vicinos suis facultatibus. *Nepos Att.* 2. fugam alicujus pecunia. *Id. Ages.* 7. patriam. *Id. Epam.* 3. Fide ad alios sublevandos sæpe usus est. *h. e.* tuendos. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. 123. Erunt sublevandæ vires. *Tac.* 3. *Ann.* 12. *a med.* Sublevare innocentiam. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 101. absentem auxilio. *Auct. B. G.* 8. 34. oppidanos re frumentaria. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* testes. *h. e.* si titubare videantur, opportunis interrogationibus confirmare et veluti in gradum reponere. — *Vulgat. interpr. Os.* 4. 8. (*Sacerdotes*) peccata populi mei comedent: et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. *h. e.* lucri studio in hominum sceleribus connivebunt; atque ita se et populum non paucis criminibus contaminabunt. Ita *Weitenauer.* ¶ 2. Item minuere, levare, mitigare, lenire: ea scilicet, quæ gravia sunt et molesta, levia et lenia reddere. *Cæs.* 3. *B. C.* 80. *a med.* Docuit, quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerum inopiam, potiri oppido pleno atque opulento. *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 46. Sublevare calamitates. hominum indignorum. *Id. Mur.* 4. 8. pericula. *Id. Sull.* 27. 75. res adversas amicorum. *Id. Amic.* 24. 88. offensionem. *Cæl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 3. *a med.* odia. *Tac.* 14. *Ann.* 4. metum. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. *ad fin.* laborem militum. *Id.* 3. *B. C.* 73. *a med.* Si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Nominis novitatem dicendi gloria maxime sublevabis. *h. e.* minues invidiam, qua, homo novus quum sis, non laborare non potes. *Varro* 3. *R. R.* 14. Tuas partes, inquit, sublevavit Appius, o Merula noster. *ha supplito a ciò che a te toccava: ti ha levata la fatica.* et *Cic.* 16. *Fam.* 21. *ad fin.* Noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modo fortuna me.

SUBLĪCA, æ, f. 1. trabs prælonga, humi statuta et erecta ad quippiam sustinendum, pertica, palus: cujus vocis etymon *V.* in voc. seq. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 23. 37. Turrem ex ipso muro excitavit consul aliquanto altiorem, quia muro satis per se alto, subjectis validis sublicis, pro solo usus erat. *Alii leg.* subliciis, *ut sit a recto* sublicium. *Vitruv.* 3. 3. *sub init.* Si solidum non invenietur, tunc is locus fodiatur et palis configatur sublicæque machinis adigantur quam creberrimæ. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 49. ¶ 2. Speciatim dicitur de trabibus, quæ in alveo fluminis defixæ pontem sustinent, *piede o sostegno del ponte,* πρόβολος, ῥοπή. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna bina sesquipedalia in flumen defiverat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed etc. et 7. *ibid.* 35. *ad fin.* Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. *Alii* subliciis. Adde *Liv.* 1. 37. ¶ 3. Alio sensu de veste, quæ super aliam induitur, *sopravveste,* in *Gloss. nom. ed. Loewe p.* 169. Ependites (ἐπενδύτης): sublica. Cf. *Idiom. gen.* apud *eumd.* IV. *p.* 578. Superaria, σουβρικές, ἐπενδύτης.

SUBLĪCES, um, f. plur. 3. Ratione habita etymi, *Schneiderus* ad *Vitruv.* 3. 3. putat, *sublices* esse a *sublex, icis,* quod ab ὑποβλής, ῆτος, vel ab ὑποβλέξ, έγος (ut ἐπιβλής, pessulus), quia palus in aqua defixus ponti subjicitur. Alii tamen vocem conjungunt cum *liqueo,* quasi *sublices* sint trabes sub aqua defixæ: cui etymo favet *Festus p.* 393. 15. *Müll.* Sublicium pontem quidam putant esse appellatum a sublicibus peculiari vocabulo Volscorum, quæ sunt tigna in latitudinem extensa, quæ non aliter Formiani vocant, quam a nomine eorum; et quæ ab aliis auctoribus sublices vocantur, quod sub eis aqua liquens haberetur. Alii vero conferunt cum *licium, licinus,* a rad. *lic,* cui flectendi significatus inest, quasi *sublices* sint trabes sub vel sursum flexæ. — Quidquid sit de etymo, sublices sunt idem ac sublicæ. *Sall.* 4. *Hist. fr.* 74. *Dietsch.* (apud *Fest. p.* 293. 30. *Müll.*) Ne irrumpendi pontis sublici sublicibus cavata essent. Adde *Fest. loc. cit. Gloss. Philox.* Sublices, καταπῆγες οἱ ἐν τῷ ποταμῷ τὴν γέφυραν ὑποβαστάζοντες.

SUBLĪCĬUM. *V.* SUBLICA.

SUBLĪCĬUS *vel* sublicens, a, um, adject. (sublica) qui ex sublicis constat. *Auct. Gramm.* in *Excerpt. n.* 61. *p.* 211. *Endl.* (*fragm. Bob. p.* 544. *Keil*) Sublicei dicuntur pontes lignei. Hinc *Pons sublicius,* ita dictus, quod sublicis fulciretur et ligneus esset, *ponte sublicio o sui pali.* V. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100). — Fuit autem Romæ Sublicius pons, cujus adhuc durant vestigia, sub monte Aventino, ad eam partem Tiberis, qua Janiculum ab urbe dirimit, sine clavis ferreis ea arte constructus, ut trabes sine fulturis eximi possent ac reponi. Id enim religiosum esse cœpit, ex quo, defendente Coclite, ægre revulsus est. *Plin. loc. cit.* — Exstructus fuit ab Anco rege, cui placuit Janiculum Urbi conjungere. *Liv.* 1. 33. — Ab hoc ponte, sæpius a pontificibus refecto, ut cis et uls Tiberim sacra fierent, pontifices dictos esse, *Varro* 5. *L. L.* 83. *Müll.* existimat; qui et Æmilius appellatus, uti docet *Melchior. Guide de Rom. p.* 726. « Il dut ensuite avoir des piliers en briques ou en pierre par le censeur et pontife Paul Emile Lépide, d'où il pris son nom *Æmilius* ». V. *Riccio, Mon. d. fam. R. p.* 7. et ÆMILIUS in ONOM. *Varro* 7. *L. L.* 44. *Müll.* ait, ab hoc ponte Argeorum simulacra quotannis a sacerdotibus dejici solere. Hinc *Ovid.* 5. *Fast.* 621. Tum quoque priscorum virgo (*Vestalis*) simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet. *V.* alia in ONOM. sub v. SUBLICIUS PONS.

SUBLĪDO, līdis, līsum, līdere, a. 3. (sub et lædo) Part. *Sublisus.* — Sublido ¶ 1. Est subtus illido vel paullatim lædo, noceo, corrumpo. *Vitruv.* 6. 8. Limina enim et trabes structuris quum sint oneratæ, medio spatio pandantes frangunt sublisas structuras. ¶ 2. Est etiam aliquantum oblido vel exprimo. *Prudent. Apotheos.* 915. *de tibiæ sono.* Aut exile trahens sonitus producit acutos, Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.

SUBLĬGĀCŬLUM, i, n. 2. (subligo) vestis, qua pudenda teguntur, *brachetta, mutande, sottocalzoni:* ita dictum, ut ait *Non. p.* 19. 21. *Merc.,* quod subtus ligetur. Quum femoralia olim non haberent Romani, velamen subligabant verecundiæ causa. *Cic.* 1. *Off.* 35. *ad fin.* Scænicorum quidem mos tantam habet veteri disciplina verecundiam, ut in scænam sine subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, siquo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decore. *Varro* 6. *L. L.* 21. *Müll.* Is quum est, suffibulum haud habeat scriptum. Id dicitur a suffiendo ut subligaculum. Ubi *Müllerus* hæc adnotat: « Comparato *Festo* ad v. *Suffibulum,* fere adducor, ut credam, majus latere mendum et sic fere *Varronem* scripsisse: *Id dicitur non ab suffiendo sed ab suffibulando, ut ab subligando subligaculum* ». Viderint eruditi.

SUBLĬGAR, aris, n. 3. (subligo) idem ac subligaculum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (59). Subligaria signantur artifici (*tus metenti*). scil. ne in tractando ture aliquam partem artifex in

ca resondat. *Martial.* 3. 87. Si pudor est, transfer subligar in faciem. Adde *Juvenal.* 6. 70. *Mar. Victorin. de final. p.* 232. 9. *Keil. Ar* terminatus longus est, tamen auctoritate corripitur, ut *subligar*.

SUBLĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. (subligo) actus subligandi. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. *a med.* Subligatio acerbis uvis facienda est, quando excutiendi aut rumpendi acini nulla formido est.

SUBLĬGĀTŪRA, æ, f. 1. (subligo) subligaculum, *brachiere*, περίζωμα. *Theod. Priscian.* 1. 26. Herniarum perseverantiam subligatura percurare. *Alii rectius divisim ita legunt.* Hoc herniarum perseverantiam intus sub ligatura, etiam veterum, percurabit.

SUBLĬGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBLĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subligatus* I. — Subligo est subtus ligo, *legare sotto*, ὑποδέω.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 33. et ex eo *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (198). Ubi uva varia fieri cœperit, vites subligato. *Virg.* 8. *Æn.* 459. Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem. et 11. *ibid.* 10. clipeumque ex ære sinistræ Subligat, atque ensem collo suspendit eburno. *Val. Flacc.* 5. 444. truncas nemorum effigiesque virorum Rite locat quercus simulataque subligat arma. *Id.* 6. 700. Subligat extrema patrium cervice tiaram. *Id.* 5. 579. Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper Subligat? *cinge.* et *Stat.* 6. *Theb.* 366. chelyn lauro textumque illustre coronæ Subligat. *Martial.* 7. 67. Harpasto quoque subligata ludit. *h. e.* subligaculo velata. Cf *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 104. *retro.*

II.) Translate. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 4. Invisibilibus vinculis subligare.

SUBLĪMANS, antis, particip. *V.* SUBLIMO.

SUBLĪMĀTĬO, ōnis, f. 3. (sublimo) actus sublimandi, exaltatio. *Alcim. Ep.* 2. *a med.* Si caput nostrum est Christus, in sublimatione sument quantulæcumque sublimitatis consortium membra de vertice.

SUBLĪMĀTOR, ōris, m. 3. (sublimo) qui aliquem sublimat. *Salvian.* 1. *Gub. D.* 8. Deus est probator (*Abrahami*), quia tentari asperis voluit; sublimator, quia potentiorem omnibus fecit.

SUBLĪMĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBLIMO.

SUBLĪME, adverb. *V.* SUBLIMIS in fin.

SUBLĪMEN, mĭnis, n. 3. limen superius ostii, ut vult *Scalig.* ad *Varron.* 3. *R. R.* 5. *ante med. p.* 235.: aliis inferius, quod magis placet, *soglia, sogliare.* Ibi tamen pro sublimen cum aliis *Schneiderus* legendum putat *supplementum*, quem consule. *Propert.* 2. 19. 57. At nullo dominæ teritur sublimine amor. Sed lege divisim *sub limine*. Etiam *Not. Tir. p.* 98. Limen, sublimen. Cf. SUPERLIMEN.

SUBLĪMIS, e, *et* sublimus, a, um, adject. — *a*) Altera forma *sublimus* fuit in usu apud veteres. *Accius* apud *Non. p.* 489. 8. *Merc.* Sæpe ex humili sede sublima evolat. *Sall. ibid.* Sublima nebula cœlum obscurabat. *Lucret.* 1. 340. per maria ac terras sublimaque cæli. *Apul.* 3. *Met.* Sublimo suggestu. — *b*) Ad etymon quod attinet, a v. *sublevo* ducere videtur *Fest. p.* 306. 15. *Müll.* «Sublimem est in altitudinem elatum»; et a *sub* et *limen* melius *Paul. Diac.* ex *eod. ibid.* Id (*sublimem*) dicitur a limine superiore, quia supra nos est. Utrobique tamen, monente *Müllero*, alii leg. *sublimen* pro *sublimem*. (Cf. *Ritschl* in *Opusc. Philol. v.* 2. *p.* 462. *et seqq.*) Huic notationi adstipulantur recentiores, qui vocem conjungunt cum *limus* (a rad. *lic*, flecto), obliquus, transversus, unde et *limes* et *limen*, ita ut *sublimis* sit qui est sub limine superiore. — Comp. *Sublimior* I. 2. et II. 3.; Sup. *Sublimissimus* I. 3. — Sublimis est altus, excelsus, elevatus, supra nos positus, μετέωρος, ὑψηλός (It. *alto, elevato, sublime*; Fr. *haut, élevé*; Hisp. *alto, levantado, elevado*; Germ. *hoch, erhaben*; Angl. *lofty, high, elevated*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Fest. loc. cit.* Sublimem est in altitudinem elatum, ut Ennius in Thyeste. Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Jovem (refertur hic versus etiam a *Cic.* 2. *Nat. D.* 25. 65. et 3. *ibid.* 4. 10.). Virgil. in Georg. l. 1. (*v.* 242.) Hic vertex nobis semper sublimis. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 1. Omnis de universo quæstio in cælestia, sublimia et terrena dividitur. Prima pars naturam siderum scrutatur. Secunda tractat inter cælum terramque versantia. hæc sunt nubila, imbres, nives, tonitrua: quæcumque aer facit patiturque. Hæc sublimia dicimus, quia editiora sunt imis. *Virg.* 1. *G.* 404. Apparet liquido sublimis in aere Nisus. *Tibull.* 1. 7. 83. Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo Spectat. *Ovid.* 1. *Met.* 666. montis sublime cacumen. *Virg.* 12. *Æn.* 133. alii portis sublimibus adstant. *Id.* 9. *ibid.* 682. quercus sublimi vertice nutant. *Horat.* 3. *Od.* 1. 45. novo Sublime ritu moliar atrium. *Ovid.* 2. *Met.* 1. Regia solis erat sublimibus alta columnis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 59. 60. (151). Arcus (*iridis*) sublimes sunt humili sole humilesque sublimi. *Juvenal.* 11. 24. quanto sublimior Atlas Omnibus in Libya sit montibus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 36. Sublimis vertex. *Lucan.* 3. 86. nemus. *Id.* 7. 342. equus. *Colum.* 3. *R. R.* 8. Armentis sublimibus insignis Mevania est, Liguria parvis. *alti di statura.* et *Horat.* 1. *Od.* 15. 31. Sublimi fugies mollis anhelitu. *h. e.* elato vultu anhelans ex cursu et ascensu in fuga; facilius enim sublata facie spiritus ducitur. *Id.* 3. *ibid.* 26. 11. sublimi flagello Tange Chloen. *h. e.* alte sublato, ut sit gravior ictus. *Seneca Troad.* 1088. Sublimi gradu incedit Ithacus. *grave e sostenuto.* Similiter *Tac. Agric.* 44. Quod si habitum quoque ejus (*Agricolæ*) posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit. ¶ 2. Speciatim sæpe dicitur, qui in altum per aera fertur. *Liv.* 1. 16. *sub fin.* (et *ibid.* 34. et *Virg.* 1. *Æn.* 419.) Hæc locutus sublimis abiit. *Ovid.* 5. *Met.* 648. Jam super Europen sublimis et Asida terras Vectus erat juvenis. *Virg.* 11. *Æn.* 733. Consequitur (*accipiter*) pennis sublimem in nube columbam. *Id.* 5. *ibid.* 255. quem præpes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis. ¶ 3. Item qui sublimis loco sedet. *Catull.* 68. 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Ovid.* 6. *Met.* 650. sedens solio Tereus sublimis avito. *Id. Heroid.* 12. 179. Tyrio jaceat sublimis in ostro. *Virg.* 7. *Æn.* 285. Æneadæ Sublimes in equis redeunt. *Sil. It.* 1. 161. Quum rapidum effusis ageret sublimis habenis Quadrupedem. *h. e.* magis stans quam sedens, in concitato equi cursu. *Tertull. Apolog.* 33. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Adde *Imp. Justinian. Cod.* 7. 62. 39. — *Sublimem rapere, arripere* aut *ferre aliquem* apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 18., *Men.* 5. 7. 6. et 5. 8. 3. et *Mil. glor. a.* 5. *v.* 1. et *Ter. Andr.* 5. 2. 20. et *Adelph.* 3. 2. 18. est invitum aliquem vi abripere inter manus, ita ut terram non contingat: *portar di peso e per forza.* Fiebat id fere servis, qui rapiebantur ad pœnam.

II.) Translate. ¶ 1. Est excellens, præstans, egregius, *eccellente, sublime.* *Horat. Art. P.* 457. sublimes versus ructatur. *Juvenal.* 7. 28. Qui facis in parva sublimia carmina cella. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 164. natura sublimis et acer. *Martial.* 9. 1. et 79. sublimi pectore vates. ¶ 2. Item magnus, grandis. *Varro Sat. Menipp.* 1. *p.* 89. *Oehl.* Sublimis speribus jacta te nomine Nati volitantis. ¶ 3. Item illustris, nobilis. *Varro* 2. *R. R.* 4. *ante med.* Antiqui reges ac sublimes viri. *Juvenal.* 8. 231. Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi Inveniet quidquam sublimius? *Virg.* 10. *Æn.* 143. quem pulsi pristina Turni Aggere murorum sublimem gloria tollit. *Id.* 1. *ibid.* 263. sublimemque feres ad sidera cæli Magnanimum Æneam. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 121. Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet. *Lucan.* 10. 377. communis gloria nobis: Nos quoque sublimes Magnus facit. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 5. 5. (10). Qua claritate nihil in rebus humanis sublimius duco. ¶ 4. Item qui altiore animo est, magnanimus, fortis. *Ovid.* 1. *Fast.* 301. Non Venus et vinum sublimia pectora fregit Officiumve fori militiæve labor. *Id.* 3. *Pont.* 3. 103. Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum, Grandius ingenio nec tibi nomen inest. *Horat. Art. P.* 165. *de juven. morib.* Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix. *h. e.* elatus, audens, ὑπέροχος. ¶ 5. Refertur ad orationem et dicitur de stilo dicendi eorum, qui grandiloqui sunt cum sententiarum gravitate et majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ut *Cic. Orat.* 5. *sub fin.* loquitur. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 39. Non ego contulerim sublimia carmina nostris. *h. e.* tragica elegiacis. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Visus es mihi in scriptis meis adnotasse quædam, ut tumida, quæ ego sublimia; ut improba, quæ ego audentia; ut nimia, quæ ego plena arbitrabar. *Quintil.* 11. 1. 3. Quid prodest, si genus sublime dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus adhibeamus? Adde 8. 3. 74. *Petron. Griph.* 66. Trinum dicendi genus est, sublime, modestum Et tenui filo. Cf. *Gell.* 7. 14. — Hinc

Sublime, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est altitudo, sublimitas, *altezza.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Sonus natura in sublime fertur. *Sueton. Claud.* 27. et *Oth.* 2. Jactare aliquid in sublime. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (112). Aves ejaculantur sese in sublime. *Id.* 31. *ibid.* 6. 31. (57). Aqua surgens in sublime. *Id.* 18. *ibid.* 35. 87. (362). Grues per sublime volantes. *Id.* 27. *ibid.* 12. 105. (129). Datur decoctum ejus contusis, ex sublimi devolutis. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (13). Dianæ facies in sublimi posita.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 15. Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures. *h. e.* magna, grandia.

Sublime, adverbiorum more; unde Comp. *Sublimius* I. et II. — Sublime est sublimiter, alte, *altamente.*

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 102. Theodori nihil interest, homine an sublime putrescat. *in terra o in aria.* et 2. *Divinat.* 31. *in fin.* Scuta, quæ fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. *in alto.* et 2. *Nat. D.* 39. *sub fin.* Aer fusus et extenuatus sublime fertur. *all' insù.* et *Liv.* 21. 30. *a med.* Eos ipsos, quos cernant, legatos, non pennis sublime elatos Alpes transgressos. *per aria.* et *Lucret.* 6. 96. sublime volantes Ætheriæ nubes. *Virg.* 1. *G.* 318. ventorum concurrere prœlia vidi, Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis Sublime expulsam eruerent. *Sil. It.* 11. 275. multoque procul splendentibus ostro Accipitur sublime toris. *et ibid.* 132. sublime sedens. *Ovid. Halieut.* 69. sublimius altum Attollit caput.

II.) Translate ac speciatim refertur ad orationem. *Quintil.* 9. 1. *ad fin.* Quis dubitat, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda?

Sublimen, item adverb. pro sublime vel sublimiter. *Enn. tr.* 402. (apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 4. et *ibid.* 25. 65., ubi *Baiter* et *Schömann* leg. *sublimen*; *Müller* vero *sublime*) et *Næv. tr.* 32. Sic et *Plaut. Asin.* et *Men.* et *Ter. Andr.* et *Adelph. loc. cit.* sub I. 3., ubi alii aliter leg. Cf. *Ritschl, Opusc.* 2. 462.

Homonym. Discrimen inter *altum* et *excelsum, sublime* et *arduum*, hoc statuit *Isid.* 1. *Diff. n.* 14. «*Altum* ex superiori parte et inferiori est, *excelsum* ex superiori tantum; *sublime* excelsum est cum aliqua dignitate, *arduum* excelsum est cum aliqua difficultate. – Item altus puteus, murus excelsus. Summa videbis in excelso, ima in alto. Cf. *Serv.* ad *Virg.* 2. *G.* 67. et 1. *Æn.* 8. — Item *sublimis* est aliud ab *erecto* in illo *Tac. Agric.* 4. Sublime et erectum ingenium pulcritudinem ac speciem magnæ excelsæque gloriæ vehementius, quam caute appetebat. ubi *sublime* est supra vulgaria elatum, res magnas volvens; *erectum*, demisso, jacenti, languido oppositum, est altiora appetens. Cf. *Quintil.* 11. 1. 16. Habet mens nostra sublime quiddam et erectum et impatiens superioris».

SUBLĪMĪTAS, ātis, f. 3. (sublimis) *Sublimitatium* in genet. pl., pro *sublimitatum*, leg. *Sil-*

ligius apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (65). — Sublimitas est altitudo, elevatio, ὑψηλότης (It. *altezza, sublimità;* Fr. *hauteur;* Hisp. *altura;* Germ. *die Höhe;* Angl. *heigt, higtness*).

I.) Proprie. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (69). Cucurbitarum natura sublimitatis avida. *vogliosa d'andare in alto.* et *Quintil.* 12. 5. *a med.* Sublimitas corporis. — Et in plur. num. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (68). Sublimitates lunæ. Adde *ibid. n.* 65.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est locus sublimis, altus. *Colum.* 8. *R. R.* 3. Cellarum sublimitas dividatur tabulatis. ¶ 2. Metaphorice est perfectio, excellentia. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (94). Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas, captis Pompeji scriniis epistularum, concremasse ea optima fide atque non legisse. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (67). Hæc est in pictura summa sublimitas. *Sillig.* subtilitas. — *Cyprian. Idol. van.* 8. *inc. de Deo.* Illa sublimitas. *perfettissima essenza.* ¶ 3. Item ac specialim dicitur de sublimi dicendi stilo. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit. *et Ep.* 16. Splendor et sublimitas narrandi. *Quintil.* 8. 3. 3. Sublimitas et magnificentia et nitor. *et ibid.* 6. *ante med.* Præcipue ex his oritur sublimitas, quæ audaci et proxime periculum translatione tolluntur. *Id.* 1. 8. 6. Sublimitas heroici carminis. ¶ 4. *Sublimitas* est etiam sequiore ævo titulus honoris personis dignitate conspicuis tributus. *Cod. Theod.* 1. 5. 9. *Tatiano præf. præt. data.* Si quos servilis furti aviditate degeneres sublimitas tua repererit etc. Adde 4. 17. 2.

SUBLĬMĬTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sublimito,* frequentat. a *sublimo,* idem ac sublimatus. *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. Archeol. a.* 1857. *p.* 37. PRAEFECTO VRBI VTRIVSQVE IMPERII (*sic*) IVDICIIS SVBLIMITATO. *h. e.* utriusque imperatoris auctoritate evecto. Sed fortasse *sublimitato* est σφάλμα quadratarii pro *sublimato.*

SUBLĪMĬTER, adverb. (sublimis) alte, sublime, *altamente,* ὑψηλῶς. — Compar. *V.* in SUBLIME.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 70. Bos ipsus et qui dabit (*medicamentum*), facito, ut uterque sublimiter stent. *h. e.* celso et erecto corpore. *Colum.* 8. *R. R.* 11. Pavo nec sublimiter potest, nec per longa spatia volitare. *et ibid.* 15. Locus munitur sublimiter pedum quindecim maceria.

II.) Translate. *Hieronym.* 5. in *Is.* 19. 3. Quando quasi clangorem tubæ sublimiter resonantis audieritis.

SUBLĪMĬTUS, adverb. (sublimis) cum saltu, *di lancio. Fronto ad Ver. imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. *a med.* Pauci militum equum sublimitus insilire, ceteri ægre calce, genu, poplite repere. Hoc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50). *saltu insilire* dixit. et *Virg.* 12. *Æn.* 288. corpora saltu Subjiciunt in equos.

SUBLĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sublimis) Part. *Sublimans* in fin.; *Sublimatus* I. et II. 1.; *Sublimandus* II. 1. — Sublimo est in altum sublevo, tollo, exalto, μετεωρίζω (It. *innalzare, sollevare;* Fr. *élever;* Hisp. *elevar;* Germ. *hoch machen, erheben;* Angl. *to lift or raise up*): occurrit autem absolute aut cum Accus., addito etiam alio Accus. et præp. *in, ad,* vel Genet. et præp. *tenus,* (fortasse et Abl.) loci, quo quid sublimatur.

I.) Proprie. *Enn.* apud *Non. p.* 170. 11. *Merc.* Sol, qui candentem in cælo sublimat facem. *Apul. Florid. n.* 2. Aquila quum se nubium tenus altissime sublimavit. *Tertull. advers. Valentin.* 20. Corpora gravia, levia, sublimantia. *Vitruv.* 6. 9. *a med.* Granaria sublimata et ad septentrionem spectantia disponantur. *Apul.* 3. *Met.* Mox femina mutata in bubonem, sublimata in altum forinsecus totis alis evolat. *h. e.* in altum erecta. — Mediorum apud Græcos more. *Capell.* 8. *p.* 287. Per vices enim propinquitates descensusque ad terras solaris orbita cursusque summittit itemque pro signorum conditionibus sublimatur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cato* apud *Fest. p.* 306. 20. *Müll.* In *Sublimavit.* In maximum decus atque in excelsissimam claritudinem sublimavit. *Prudent. Apotheos.* 913. de sono tibiæ. Aut tumidum largo sublimat flamine bombum, Aut raucos frangit modulos, etc. *Macrob.* 1. *Saturn.* 24. *a med.* Si aliarum disciplinarum doctrina destitueretur, hæc illum vel sola professio sublimaret. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 29. *a med.* Quem sublimat et illustrat consulatus. *Ammian.* 18. 1. 1. Quum Eusebium atque Hypatium fratres sublimarent vocabula consulum. (Cf. *eumd.* 21. 13. 11. et *Cod. Theod.* 8. 5. 44.) *Aurel. Vict. Epit.* 4. *a med.* Prætoriis ornamentis sublimatus. *Petron. Carm. min. p.* 301. ed. *Wernsd. v.* 4. Mellea purpureum depromunt ora ruborem Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis. *h. e.* decorat. *Alii perperam leg.* sublinit. *Apul. De deo Socr.* 16. *extr.* Humilia sublimare. *Id. ibid.* 4. Ingenia illa ad beatitudinem sublimata sint, hæc ad miserias infirmata. *et* 1. *Met.* Manes sublimare, deos infirmare. ubi *sublimare* opponitur τῷ *infirmare.* Alii tamen rectius utrobique leg. *infimare.* et *Hieronym. Ep.* 1. *n.* 11. O divinæ potentiæ sublimanda majestas! *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 2. 10. Dominus dabit imperium regi suo et sublimabit cornu Christi sui. — Et mediorum apud Græcos more. *Id. Ezech.* 31. 10. Pro eo quod sublimatus est in altitudine. ἀλληγορικῶς. ¶ 2. Specialim refertur ad sonum verborum. *Serv. De accent.* 8. *p.* 526. *Endl.* Quum pars verbi aut in grave deprimitur aut sublimatur in acutum. — Hinc Part. præs.

Sublimans, antis, adjectivorum quoque more occurrit, et est qui superna petit, ἀνώφερος. Absolute. *Tertull. advers. Valentin.* 20. Ex incorporalibus corpora ædificat gravia, levia, sublimantia atque vergentia, cælestia atque terrena.

SUBLĪMUS, a, um, adject. duo diversa significat. ¶ 1. *Sublimus* idem ac sublimis. *V.* hanc voc. ¶ 2. *Sublimus,* a *sub* et *limus,* aliquantisper limus. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Si præstat oculos abducere ab ejusmodi propudiis, aspice tamen vel sublimis (*scil.* oculis). *h. e.* oculis saltem aliquantulum limis. *almeno sott' occhio.*

SUBLINGĬO, ōnis, m. 3. (sub *et* lingo) servus culinarius, coci discipulus, lingendis magis patinis, quam coquendis obsoniis idoneus. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 103. Jam hic quoque scelestus est coqui sublingio. *guattero.*

SUBLINGĬUM. *V.* voc. seq.

SUBLINGUĬUM, ĭi, n. 2. (sub *et* lingua) id, quod sub lingua est. *Isid.* 11. *Orig.* 1. *ante med.* Sublinguium, operculum gurgulionis, quasi parva lingua, quæ foramen linguæ recludit operitve. An legend. *sublingium?* quod habet *Gloss. Arab. Lat.* At cf. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπογλώσσιον, sublingua. et voc. seq.

SUBLINGUĬUS, a, um, adject. (sub *et* lingua) ad id pertinens, quod est sub tenui lamina in musicis instrumentis, qua diviso spiritu sonus efficitur, quæque Italice *linguetta* dicitur. *Placid. Gloss.* 79. 20. Sublinguius sonitus.

SUBLĪNĬO, is, ire, a. 4. *et*

SUBLĪNĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq. init.

SUBLĪNO, līnis, lēvi, lītum, līnere, a. 3. Part. *sublinitus* pro *sublitus,* ut sit ab *sublinio* (de quo *V.* SUBLINO), apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 75. Sublinitum est os custodi mulieris. At *Fleckeisen* Ita sublinetur. — Part. *Sublitus* I. 1. et 2. et II. — Sublino est subtus illino, contego (It. *stendere o coprir sotto, impiastrar o unger sotto;* Fr. *enduire;* Hisp. *enyesar;* Germ. *beschmieren;* Angl. *to anoint or besmear underneath*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 9. 23. (80). *Sillig.* Lacertæ viridis sanguis jumentorum pedes sublitus sanat. *Alii leg.* subtritus. *Id.* 33. *ibid.* 6. 32. (100). Argentum vivum, quum æra inaurantur, sublitum bracteis pertinacissime retinet. ¶ 2. Specialim est subtus linio, primum colorem induco, *tinger sotto, dar la prima mano,* ὑποχρίω. *Id.* 11. *ibid.* 36. 45. (126). Urorum cornua in laminas secta translucent multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita. *h. e.* nunc in superiore parte picta, nunc subtus aliquo colore supposito ornata. *Id.* 33. *ibid.* 5. 27. (90). Sublinunt chrysocollam arenosam, priusquam inducant, atramento et parætonio. *Id.* 35. *ibid.* 6. 26. (45). Si purpuram facere malunt, cæruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt. ¶ 3. Item substernere, supponere, *metter sotto. Id.* 36. *ibid.* 23. 55. (176). Uliginosa (*loca*) et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius. *Id.* 37. *ibid.* 7. 31. (106). Sardonyche argenteis bracteis sublinitur. *h. e.* substernitur suppositis bracteis. *et mox.* Inveniuntur et circa Leucada, quæ bractea aurea sublinuntur. *Cato R. R.* 15. Maceriam lecari oportet, uti sublinat conductor. *la intonachi di calce* (Fr. *crépir*). ¶ 4. *Placid. Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 500. Sublevi, subsignavi, et relevi, resignavi: hoc est subsignare, qui alio signante iterum resignat etc.

II.) Translate, proverbii instar, *sublinere os alicui* est illudere et pro ridiculo habere: tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, ut *Non. p.* 45. 21. *Merc.* docet. Cujus ludi exempla habes apud *Virg.* 6. *Ecl.* 22. et *Petron. Sat.* 22. — Hinc de iis dicitur, qui simulatione officii aut ficte blandiendo fallunt, decipiunt, fraudant, *schernire, gabbare,* ὑποστομίζειν. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 57. Ut sublinitur os custodi cauto, conservo meo! *et Merc.* 2. 4. 17. Vin patri sublinere pulcre me os tuo? CHA. sane volo. *Id. Capt.* 3. 4. 123. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis. *Id. Aulul.* 4. 6. 2. Fidei censebam maximam multo fidem Esse, ea sublevit os mihi pænissime. *Id. Capt.* 3. 4. 55. Senex tibi os est sublitum plane et probe. — In illo *Apul.* 9. *Met.* Hac opportuna fallacia vigorati juvenis inductus, immo vero sublatus et ad credulitatem delapsus Barbarus. *os sublitus* pro *sublatus* omnino ponend. censet *Stewechius* cum *Pricæo* aliisque, aliis tamen acriter repugnantibus.

SUBLIPPUS, a, um, adject. aliquantum lippus. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑποπτιλλός, sublippus.

SUBLĪSUS, a, um, particip. *V.* SUBLIDO.

SUBLĬTUS, a, um, particip. *V.* SUBLINO.

SUBLĪVĬDUS, a, um, adject. aliquantulum lividus, *alquanto livido,* ὑποπελιδνος. *Cels.* 5. 28. *n.* 1. Pustulæ eminent sublividæ aut pallidæ. Adde *n.* 11. *a med., Donat.* ad *Ter. Eun.* 4. 4. 22. et *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 6. 182.

SUBLO. *V.* SUBULO.

SUBLŪCĀNUS, a, um, adject. qui sub lucem fit, sublustris, *dell'alba, del far del dì,* ἀμφίλυκος. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 12. 12. (30). Sublucanis temporibus.

SUBLŪCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBLŪCĔO, lūces, luxi, lūcere, n. 2. Part. *Sublucens.* — Subluceo est subtus vel aliquantum luceo, *risplendere sotto o alquanto,* ὑποφαύσκω.

I.) Proprie. *Cic.* in *Arat.* 289. Aries sublucet corpore totus. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 5. Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo. *Id. Heroid.* 21. 215. Concidimus macie: color est sine sanguine etc. Candida nec mixto sublucent ora rubore. *Virg.* 4. *G.* 275. violæ sublucet purpura nigræ. *h. e.* apparet nitor purpuræ sub nigrore violæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (127). Experimentum picis, si fragmenta subluceant.

II.) Translate. *Cassiod.* in *Psalm.* 121. 4. *in fin.* Sic illa futura civitas beatitudine sublucenti et honore præmisso descripta est. Adde *eumd.* in *Psalm.* 87. 4.

SUBLŪCĬDUS, a, um, adject. aliquantum lucidus, *alquanto lucido,* ὑπολαμπής. *Apul.* 6. *Met. sub init.* Sublucidus lucus. Adde *Porphyr.* ad *Horat.* 3. *Od.* 27. 31.

SUBLŪCO, as, are, a. 1. (sub *et* lux) *Festus p.* 348. 16. *Müll.* Sublucare arbores est ramos eorum supputare et veluti subtus lucem mittere. *V.* dicta in COLLUCO. *Paul. Recept. Sentent.* 5. 6. 13. Arbor, quæ in alienas ædes vel in vicini agrum imminet, nisi a domino sublucari

non potest; isque conveniendus est, ut eam sublucet. Quod si conventus dominus id facere noluerit, a vicino luxuries ramorum compescatur. Id qualiscumque dominus facere non prohibetur. *Gloss. Lat. Gr.* Subluco, ὑποκαθαίρω.

SUBLŬCŬLUS, a, um, adject. (sub *et* lux) sublucidus, parum lucidus, subobscurus. *Gloss. Cyrill.* Ὑπόμαυρος, obscurus, subluculus. *Ibid.* Ὑποσκότεινος, obscurus, subluculus.

SUBLŪGĔO, es, ere, a. 2. breviter lugeo. In *cenotaph. Pisano C. Cæsar.* apud *Orell. n.* 643. MATRONAS QVAE IN COLONIA NOSTRA SVNT SVBLVGERE etc. V. *Fragm. Jur. civ. Antejustin.* in LUGEO. Adde *Inscr.* apud *Orell. n.* 643.

SUBLŪNĀRIS, e, adject. qui sub luna est. *Chalcid. Tim.* 144. Sphæra sublunaris.

SUBLŬO, luis, lūtum, luere, a. 3. Part. *Sublutus* I. et II. — Subluo ¶ 1. Est subtus lavo, expurgo, ὑπολούω. *Cels.* 4. 15. Quoties desedit, subluere aqua calida. *Colum.* 6. *R. R.* 32. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida. *Martial.* 6. 8. Inguina sic toto subluis in solio. *Id.* 2. 42. Zoile, qui solium subluto podice perdis? *V.* SUBLAVO. ¶ 2. Est etiam subter fluendo alluo. *Pacuv. fragm. p.* 129. *Ribb.* Omnes latebras, subluta mole (omnes) abstrusos sinus. Alii leg. *sub loto;* alii aliter. *Cæs.* 7. *B. G.* 69. Cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 97. *Curt.* 9. 25. 20. Qua rubro mari subluitur.

SUBLŪRĬDUS, a, um, adject. aliquantulum luridus, ὑποπέλιδνος. In *supposit. Amphitr. Plauti, scæna quæ incipit,* Quis tam vasto, *in fine.* Ut primum coivit cicatrix rufula, Sublurida.

SUBLUSTRIS, e, adject. (sub *et* lux) lumine aliquo illustratus, *alquanto chiaro,* ὑπόλαμπρος.

I.) Proprie. *Virg.* 9. *Æn.* 373. Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem. *Horat.* 3. *Od.* 27. 31. Nocte sublustri nihil astra præter Vidit et undas. *Val. Flacc.* 3. 141. simul aspera victor Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra. Adde *Liv.* 5. 47.

II.) Translate, refertur ad ea, quæ habent aliquid ornamenti. *Gell.* 13. 24. *circa med.* Quæ quoniam sunt eloquentiæ Latinæ tunc primum exorientis lumina quædam sublustria, libitum est, ea mihi ἀπομνημονεύειν.

SUBLŪTĔUS, a, um, adject. aliquantum luteus. *Arnob.* 5. *p.* 164. Color purpurei luminis offectione (*Orell.* suffectione) subluteus. *Apul. Florid. n.* 12. Non color lacteus ille vel lividus vel utrinque subluteus.

SUBLŪTUS, a, um, particip. *V.* SUBLUO.

SUBLŪVĬES, ēi, f. 5. (subluo) sordes et immunditiæ, quas et illuviem et proluviem vocamus, ῥύπος (It. *bruttura, sordidezza, fungo sottoposto;* Fr. *saleté, ordure;* Hisp. *suciedad, immundicia;* Germ. *der angespülte Schmutz, Unflath, Koth;* Angl. *filth, dirt, uncleanness*). ¶ 1. Generatim. *Apul.* 9. *Met.* Vix subluvie cœnosa lubrica. *Ammian.* 15. 4. 5. Nec limosa subluvie tardatur properans flumen Rhenus. ¶ 2. Speciatim est etiam genus morbi in discrimine ungulæ ovium nascens ex collectione saniei. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *circa med.* Clavi quoque duplicitei infestant ovem, sive quum subluvies atque intertrigo in ipso discrimine ungulæ nascitur, seu quum idem locus tuberculum habet. Adde *Plin.* 30. *Hist. nat.* 9. 23. (80). Videtur autem, hic inquit *Forcell.,* esse a *luo,* λύω, solvo, quia circa ungulas cutis resolvitur, ut fit in reduvia, quæ et ipsa subluviei species dici potest. *V.* voc. seq.

SUBLŪVĬUM, ĭi, n. 2. (subluo) idem ac subluvies. *Marcell. Empir.* 18. *ad fin.* Ad digitorum subluvium vel suppurationem sedandam atramentum sutorum ex aceto tempera etc.

SUBMÆSTUS. *V.* SUBMŒSTUS.

SUBMĂGISTER *vel* summagister, tri, m. 2. promagister, *sottomaestro,* ὑποδιδάσκαλος. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 82. 1. DEO INVICTO MITHRAE C. LVCRETIVS MNESTER M. AEMILIVS PHILETVS SVMMAG. ANNI PRIMI M. AEMILII CHRYSANTHI D. S. D. D. *Marini Frat. Arv. p.* 55. eas litteras *summag.* non *submagistri,* ut *Maffejus,* sed *sub magisterio* interpretatur; quemadmodum *summœnianus* dicitur is, qui *sub mœnibus* est: ejusdem enim viri ita mentio fit in alia *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 464. *n.* XVIII. SVB M. AEMILIO CHRYSANTHO MAG. (*h. e.* magistro) ANNI PRIMI.

SUBMĀNANS *vel* summanans, antis, particip. *V.* SUBMANO.

SUBMANDO, as, are, a. 1. clam mando. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 51. Mandat, remandat, submandat.

SUBMĀNES, ium, m. plur. 3. *V.* SUMMANES.

SUBMĀNO *vel* summano, as, are, 1. Part. *Submanans* I. — Submano est subtus mano. ¶ 1. Neutrorum more. *Vitruv.* 8. 1. *ante med.* Aquæ ex montibus sub terra submanantes. ¶ 2. Cum Accusativo. *Plaut. Curc.* 3. 46. *Fleckeis.* LU. quis tu homo 's? CU. Libertus illius quem omnes Summanum vocant. LU. Summane, salve, qui Summanu 's? fac sciam. CU. Quia vestimenta mea, ubi obdormivi ebrius, Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant. *h. e.* submejo. Alii tamen leg. *summanuo,* quasi Poeta jlocaliter confundat *manus* et *manes,* nulla etymi et quantitatis habita ratione.

SUBMĀNŬO. *V.* voc. præced.

SUBMĀNUS. *V.* SUMMANUS.

SUBMASSA. *V.* MASSA.

SUBMĔDĬUS, a, um, adject. qui medium obtinet locum. *Diomed.* 2. *p.* 432. *Putsch.* Lectioni posituras accedere oportet, quas Græci θέσεις vocant. Hæ tres sunt: distinctio, subdistinctio, media distinctio sive mora, vel, ut quibusdam videtur, submedia; quarum diversitas tribus punctis diverso loco positis indicatur. *Boeth.* 4. *Music.* 3. Paramesos, quæ est submedia.

SUBMEJO *vel* summejo, is, ere, n. 3. Part. *Submejens.* — Submejo est subtus mejo. *Marcell. Empir.* 8. § 5. *a med.* Ubi cutio manu apprehensus fuerit, statim se submejit. Adde *Sext. Placit. De medic.* 2. 1. *Gloss. Isid.* Submejes (*lege* submejens) qui in lectulo mingit, meies (*lege* mejens).

SUBMĔJŪLUS, i, m. 2. (submejo) qui in lectulo mingit. *Marcell. Empir.* 26. *ad fin.* Ignorans submejulus. *h. e.* infans.

SUBMĔMŎRĀTĬO *vel* summemoratio, ōnis, f. 3. ὑπόμνημα: tribuitur *Modestino Dig.* 27. 1. 13. *ad fin.,* sed is locus e Græco *Modestini* est conversus.

SUBMENTUM *vel* summentum, n. 2. pars, quæ sub mento est, mentum. *Gloss. Philox.* Submentum, ἀνθερεών. *Gloss. Cyrill.* Ἀνθερεών, mentum, submentum.

SUBMEO, as, are, n. 1. subter meo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 131. Meat, remeat, submeat.

SUBMERGO *vel* summergo, mergis, mersum, mergere, a. 3. Part. *Submersus* I. et II. 2. et in fin. — Submergo est sub aqua mergo, demergo, καταδύω (It. *affondare, annegare, sommergere;* Fr. *submerger, plonger dans l'eau;* Hisp. *sumergir;* Germ. *untertauchen, eintauchen;* Angl. *to sink or plunge under water*): occurrit autem cum Accus., cui additur etiam Ablat. loci, ubi quid submergitur, cum aut sine præpos. *in.*

1.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 43. Pallasne exurere classem Argivum atque ipsos potuit submergere ponto? *Tac.* 14. *Ann.* 5. Navem submergere. *Cæs.* 3. *B. C.* 39. Faucibus portus navem onerariam submersam objecit. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. *ad fin.* Quum equum demisisset in flumen, summersus equus voraginibus non exstitit. *Id.* 2. *ibid.* 39. *a med.* Quanta maris est pulcritudo! quot genera partim submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium! *che stanno sempre sott' acqua.* et *Colum.* 12. *R. R.* 4. *sub fin.* Salgama non innatent, sed semper sint jure submersa. *Virg.* 1. *Æn.* 583. Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi Submersum. et *ibid.* 73. submersasque obrue puppes. *Id.* 5. *ibid.* 125. Saxum quod tumidis submersum tunditur olim Fluctibus. *Justin.* 2. 1. *a med.* Si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerunt. *Ovid.* 1. *Met.* 277. ferrum igne rubens. Quum faber eduxit, lacubus demittit, at illud Stridet et in trepida submersum sibilat unda. *Claudian. B. Gild.* 42. Urbs submersa. *allagata.*

II.) Translate. ¶ 1. Est in terram deprimo, supplanto. *Auct. Symp. ænigm. de vite.* Nolo sepulcra pati: scio me submergere terra. ¶ 2. Est supprimo, condo, recondo, *sopprimere, nascondere.* *Arnob.* 3. *p.* 104. Intercipere scripta et publicatam submergere lectionem. *Claudian. IV. cons. Honor.* 221. Vile latens virtus. quid enim submersa tenebris Proderit obscuro? — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Submersus, a, um, etiam adjective occurrit; unde Comp. *Submersior.* Translate usurpatur et est submissus, humilis, apud *Bedam De tempor. rat. II. p.* 110. *de pharo.* Et quanto accesseris, tanto tibi, quæ submersior est, videbitur esse suspensior.

SUBMERSĬO *vel* summersio, ōnis, f. 3. (submergo) actus submergendi, ὑπόδυσις (It. *affondamento, sommersione;* Fr. *submersion;* Hisp. *sumersion;* Germ. *das Untertauchen;* Angl. *a drowning, submersion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 5. *p.* 182. Jovem pro pluvia, Cererem pro terra vultis audire, et pro Libera ac patre Dite submersionem seminis atque jactum. *Firmic.* 1. *Mathes.* 2. *sub fin.* Quem vides natantem et crebra submersionis trepidatione deficere. ¶ 2. Speciatim de astris, apud *Chalcid. Tim.* 39.

II.) Translate. *Augustin. Serm.* 162. Submersio libidinis: *Vulgat. interpr. Ital.* apud *Augustin.* in *Ps.* 51. *n.* 11. Dilexisti omnia verba submersionis, linguam dolosam. *Noster* habet: Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Hebraice est *absorptionis,* i. e. perniciosissima consilia.

SUBMERSO *vel* summerso, as, are, a. 1. *frequentat.* seu *intens.* a submergo, idem ac submergo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. 26. ed. *A. Mai* (3. 17. 121. ed. *Paris.*) Omne id solum repente, una cum viris et sepulcro, quod visebatur, submersari mari et in profundo labi conspicamur.

SUBMERSUS *vel* summersus, a, um, particip. *V.* SUBMERGO.

SUBMERSUS *vel* summersus, us, m. 4. (submergo) submersio. In sexto casu sing. *Tertull. Anim.* 32. *circa med.* Anima submersu piscinarum strangulabilis.

SUBMĔRUS, a, um, adject. qui meri aliquantum habet admixtum. *Plaut. Stich.* 1. 3. 115. Næ iste edepol vinum poculo pauxillulo Sæpe exanclavit submerum scitissume.

SUBMETIOR *vel* summetior, iris, iri, dep. 4. aliquantisper metiri. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 118. Metitur, submetitur.

SUBMĔTŬENS, entis, particip. præs. ab inusit. *submetuo,* aliquantum vel subtus metuens. *Dict. Cret.* 15. Nihil insidiosi submetuens. *h. e.* nihil subesse metuens.

SUBMICO, as, are, n. 1. furtim et celate mico. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solum in *Not. Tir. p.* 110. Micat, submicat.

SUBMĪGRĀTĬO, ōnis, f. 3. (submigro) actus occulte migrandi vel emigratio. *Ammian.* 25. 9. 1.

SUBMIGRO, as, are, n. 1. occulte migro. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 145. Migrat, submigrat.

SUBMĬNĬA *vel* summinia, æ, f. 1. (sub *et* minium) nomen est vestis femineæ, fortasse a minii colore sic dictæ, quia miniacei ruboris nonnihil habeat, apud *Plaut. Epid.* 2. 2. 48. Cf. *Salmas.* ad *h. l.*

SUBMINISCOR *vel* summiniscor, sceris, sci, dep. 3. aliquantum miniscor. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 125. Reminiscitur, subminiscitur.

SUBMĬNISTRĀTĬO *vel* sumministratio, ōnis, f. 3. (subministro) actus subministrandi, præbitio, χορηγία. *Tertull. Apolog.* 48. *sub fin.* Ignis jugis, habens divinam subministrationem incor-

ruptibilitatis. Adde *Vulgat. interpr. Eph.* 4. 16. et *Phil.* 1. 19.

SUBMĬNISTRĀTOR *vel* sumministrator, ōris, m. 3. (subministro) qui subministrat, præbitor, *somministrare*, χορηγός. *Seneca Ep.* 114. *sub fin.* Subministrator libidinum testisque.

SUBMĬNISTRĀTUS *vel* sumministratus, a, um, particip. *V.* SUBMINISTRO.

SUBMĬNISTRĀTUS *vel* sumministratus, us, m. 4. (subministro) subministratio. In sexto casu sing. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *ante med.* Potionis totius haustus in omne corpus simul penetrat, cibus autem exiguo subministratu paullatim penuriam consolatur.

SUBMĬNISTRO *vel* sumministro, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subministratus, Subministraturus* et *Subministrandus* I. — Subministro est suggero, suppedito, præbeo, ἐκπορίζω (It. *porgere, dare di mano in mano, somministrare; Fr. donner de la main à la main, présenter, fournir; Hisp. suministrar;* Germ. *darreichen, verschaffen;* Angl. *to furnish, afford*). Locum præcipua habet in iis, quæ non tota simul sed per partes præbentur: occurrit autem cum Accus., addito etiam Dat., vel alio Accus. et præp. *ad;* aut absolute.

I.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. *a med.* Frumentum Sequanos, Lingones subministrare. *Id.* 4. *ibid.* 20. In Britanniam proficisci contendit, quod hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat. *Id.* 3. *ibid.* 25. Lapidibus telisque subministrandis. *Cic. Dejot.* 9. 25. Sese exponiare maluit, quam tibi pecuniam non subministrare. *Id. Cæl.* 9. 20. Palam in eum tela jaciuntur, clam subministrantur. *Quintil.* 5. 7. 8. Sumministrare tela ad manum. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ante med.* aquam radicibus. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (97). Puteus qui CCC. pondo argenti Hannibali subministravit in dies. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (143). Terræ aliæ ferrum molle tantum plumboque vicinius subministrant, aliæ fragile et ærosum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. *in fin.* Quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas habebis. *Auct. B. Alex.* 35. Quod Cappadocia magnam commeatus copiam erat subministratura. — Absolute. *Vulgat. interpr.* 1. *Tim.* 5. 10. Si tribulationem patientibus subministravit. Græce ἐπήρκεσεν, sufficienter dedit, *h. e.* suppeditavit omnia, quæ ad eorum necessitatem sublevandam opus erant.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Invent.* 5. *a med.* Aristoteles huic arti plurima adjumenta atque ornamenta subministravit. *Sueton. Tib.* 61. Subministrare alicui occasiones sæviendi. *Justin.* 6. 7. 5. Tantum animorum viriumque patriæ et penatium conspectus subministrat. *Seneca Ep.* 104. *ante med.* Ipsa pax timores subministrabit. ¶ 2. Specialim administro, ministerium aliquod ago. *Cyprian. Ep.* 18. (*al.* 24.) Felix qui presbyterium subministrabat sub Decimo, proximus mihi vinculis.

SUBMINUO, is, ere, a. 3. aliquantulum minuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 5. Reminuit, subminuit.

SUBMISSĒ *vel* summisse, adverb. (submissus) Comp. *Submissius* 1. et 4. — Submisse est remisse, leniter. ¶ 1. Dicitur de voce. *Petron. Sat.* 105. *sub fin.* Sciscitari submissius cœpit, quod ergastulum intercepisset errantes. *Cic. Orat.* 8. 26. Demosthenes in illa pro Ctesiphonte oratione submissius a primo; deinde quum de legibus disputat, pressius; post sensim incedens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. *Orell.* submissus. *Claudian. B. Gild.* 247. si signa petisset Obvia, defecto submissius hoste dolerem. *h. e.* minus. ¶ 2. Item de oratione, ut *submisse dicere*, stilo dicendi subtili, tenui et sine ornatu uti. *Cic.* 2. *Orat.* 53. *a med.* Qui aut breviter aut submisse dicunt, docere judicem possunt, commovere non possunt. ¶ 3. Item de veste, quum scilicet de vestibus cingendis loquimur, et est fluxe. *Cur. Fortunat. Art. rhet.* 3. *ad fin.* Quemadmodum cingemur? nec submisse nec succincte. V. *Suetonii loc. cit.* in CINGO. ¶ 4. Item de aliis et est demisse, modeste, *modestamente, umilmente*, ταπεινῶς. *Cic. Planc.* 5. 12. Qui mihi non nimis submisse supplicarat. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. Quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus. *Quintil.* 6. 5. 5. Aspere, an leniter, an etiam summisse loqui expediat. *Tac.* 3. *Hist.* 9. *in fin.* Submisse scribere alicui. *Ovid.* 3. *Art. am.* 582. Multaque submisse, multa minanter agat.

SUBMISSIM *vel* summissim, adverb. (submissus) submisse, submissa voce, *con bassa voce.* *Sueton. Aug.* 74. Nam et ad communionem sermonis tacentes, etiam submissim fabulantes provocabat. *Gell.* 17. 8. Sensim atque submissim ridere.

SUBMISSĬO *vel* summissio, ōnis, f. 3. (submitto) actus submittendi, depressio, *abbassamento.*

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 37. Pedum quoque jugis ex alto submissio.

II.) Translate est depressio, ταπείνωσις. *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex ceteris similibus facile judicabimus, quid eorum apte fiat. *Id. Top.* 18. 71. Parium comparatio nec elationem habet, nec submissionem: est enim æqualis. *Arnob.* 7. p. 13. Submissione alterius datur alteri plurimum. — *Submissio orationis* apud *Cic. Orat.* 25. *a med.* est, quum stilo ac genere dicendi utimur tenui, subtili, humili et consuetudinem imitante, ut *id.* ait *ibid.* 23. 76.

SUBMISSO. *V.* SUMMUSSO.

SUBMISSOR *vel* summissor, ōris, m. 3. (submitto) subjector. *Gloss. Cyrill.* Ὑποβολεύς, subjector, submissor.

SUBMISSORIUM *vel* summissorium, ii, n. 2. (submitto) discus seu ferculum, quo cibi convivis submittuntur in mensam. *V.* MISSORIUM.

SUBMISSUS *vel* summissus, a, um, particip. *V.* SUBMITTO.

SUBMISSUS *vel* summissus, us, m. 4. (submitto) immissio, inductio. In sexto casu sing. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 16. *a med.* Ex submissu erroris ulciscitur.

SUBMĪTIS *vel* summitis, e, adject. aliquantum mitis. *Gloss.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 6. *p.* 546. Submitis, subplacabilis.

SUBMITTO *vel* summitto, mittis, mīsi, missum, mittere, a. 3. Part. *Submittens* sub *A* I. 1.; *Submissus* sub *A* I. 6. et 9. et II. 1. c et 2. et sub *B* 1. et in fin.; *Submittendus* sub *A* I. 2. et 4. — Submitto duo diversa significat et occurrit cum Accus., addito sæpe rei, cui quid submittitur, Dat. aut Acc. cum præp. *ad, in,* aut etiam Abl. et præp. *in.*

A) Submitto, prout est a *sub*, subter, idem valet ac subter mitto, demitto, ὑποτίθημι (It. *abbassare;* Fr. *mettre dessous, placer sous;* Hisp. *meter debaxo;* Germ. *herunter - herab - niederlassen;* Angl. *to send privily or underhand*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 45. 7. Consul introeunti regi dextram porrexit, submittentemque se ad pedes sustulit. *Id.* 2. 7. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (112). Submittere fasces. *h. e.* inclinare ac deprimere, non subrectos gestare. *V.* FASCIS. *Id.* 10. *ibid.* 48. 67. (132). Phasianæ geminas ex pluma aures submittunt subriguntque. *Id.* 8. *ibid.* 1. 1. (3). Elephanti regem adorant, genua submittunt. *Ovid.* 3. *Fast.* 372. Submittere oculos. *Id.* 3. *Met.* 592. Ille caput viridi fessum submisit in herba. *posò.* et *Lamprid. Helag.* 33. Submittere aliquem in Tiberim. *h. e.* demergere, submergere, *affogare.* et *Flor.* 1. 9. 4. eminentes ædes suas in plana. — Mediorum apud Græcos more. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Tiberis navium patiens hieme dumtaxat et vere: æstate submittitur immensique fluminis nomen arenti alveo deserit. ¶ 2. Specialim fere de fetura occurrit et est subjicio, suppono, *sottoporre. Colum.* 4. *R. R.* 14. Canterius vitibus submittendus est. *Id.* 7. *R. R.* 3. *a med.* Servare debebit, ne minori quadrimæ, neve ei, quæ excessit annos octo, prolem submittat. neutra enim ætas ad educandum est idonea. *et ibid.* 4. Singuli agni binis nutricibus submittuntur: nec quicquam subtrahi submissis expedit, quo saturior lactis agnus celeriter confirmetur. *Pallad.* 8. *R. R.* 4. Tauris vaccas submittere. *scil.* ut impleantur. *Id.* 4. *ibid.* 13. *a med.* Generosas equas alternis annis submittere debebimus. *Id.* 8. *ibid.* 4. In feturam submitti possunt vaccæ. *Nemesian.* de maribus pro *admittere* usurpavit *Cyneg.* 114. Huic (*cani feminæ*) parilem submitte marem. ¶ 3. Item quum de pecudibus sermo est, educare et servare ad gregem supplendum, *allevare. Varro* 2. *R. R.* 2. *ad fin.* Quos arietes submittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere solent. *et ibid.* 3. In nutricatu hædi, trimestres quum sunt facti, tum submittuntur et in grege incipiunt esse. *Virg.* 1. *Ecl.* 46. Pascite, ut ante, boves, pueri, submittite tauros. *Colum.* 7. *R. R.* 9. Hoc fit longinquis regionibus, ubi nihil nisi submittere expedit. *Varro* 2. *R. R.* 3. Mares submittere ad admissuram. *allevare da razza.* quod *Virg.* dixit 3. *G.* 73. submittere pullos equorum in spem gentis. *et ibid.* 159. submittere vitulos pecori habendo. *Ulp. Dig.* 7. 1. 70. Quamdiu submittantur et suppleantur capita (*gregis*), quæ demortua sunt. ¶ 4. Similiter in plantis *submittere* est relinquere in putando et crescere sinere in spem fructus. *Colum. Arbor.* 5. Duas materias relinquito, alteram, quam vitis constituendæ causa submittas, alteram subsidio habeas. *Id.* 4. *R. R.* 31. Salix quum germinavit, ad unam perticam submittitur. *et ibid.* 14. Nec vitis plus quam in unum flagellum est submittenda. *Id.* 3. *ibid.* 10. *a med.* Submittere pampinarium in resecem. *Id.* 11. *ibid.* 3. *circa med.* alternos frutices atri oleris in semen. *lasciar da semenza.* Eadem ratione *submittere prata* apud *Caton. R. R.* 8. est omissa aratione sinere, ut herba in fenum crescat. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Prata vel arva purgantur et in fenum submittuntur. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 49. ¶ 5. *Submittere capillum* aut *barbam*, est promittere, *lasciar crescere:* quod fere in luctu fiebat et a reis. Illud *Plinii* est 7. *Ep.* 27. *sub fin.*, utrumque *Senecæ Cons. ad Polyb.* 36., *Tac. Germ.* 31., *Sueton. Cæs.* 67. et alibi. ¶ 6. Item in locum alterius vel post mitto, substituo. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 21. *a med.* Ut provinciam tuear, dabo operam, quoad exercitus huc submittatis. *Cæs.* 7. *B. G.* 81. *in fin.* Qua ex parte premi nostros intellexerant, iis auxilio ex ulterioribus castellis deductos submittebant. Et absolute *ibid.* 85. Laborantibus submittit. *Cic. Prov. cons.* 4. *a med.* Huic vos non submittetis? *non manderete il successore?* Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 85. *circa med.* Legiones missas in Hispaniam, classes paratas, submissos duces rei militaris peritos. ¶ 7. Item subministrare, suppeditare. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 43. Vinea submittit capreas non semper edules. *Id.* 4. *Od.* 4. 63. non monstrum submisere Colchi majus. ¶ 8. Item pro submovere. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 16. Tentandum denique etiam cauteres sine olei motu submittere atque levare supposita spongia statim. ¶ 9. Est etiam clam vel occulte mitto, ὑποβάλλω, ὑφίημι, ἐπαφίημι, *mandar di nascosto. Cic.* 3. *Verr.* 41. *ante med.* Iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillæ matrem summittebat. *et* 5. *ibid.* 28. Summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, ut transigerent. Adde *Liv.* 6. 6. *Juvenal.* 1. 35. quem Massa timet, quem munere palpat Carus et a trepido Thymele submissa Latino.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a super. paragr. 1. — *a*) Generatim est subjicere, demittere. *Cic. Amic.* 20. 72. Ut ii, qui superiores sunt, summittere se debent in amicitia; sic quodam modo inferiores extollere. *abbassarsi.* et *Planc.* 10. 24. Appellavi populum, tribubus submisi me et supplicavi. *Liv.* 27. 31. *de rege Maced.* Submittendo in privatum fastigium, quo minus conspectus, eo solutior erat. *Id.* 38. 52. *de Scip. Afric.* Major animus erat, quam ut submitteret se in humilitatem causam dicentium. *Id.* 6. 6.

ante med. Submittere imperium alteri. *cedere il posto nel comando.* et *Justin.* 13. 2. 3. Nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se submitteret. *si soggettasse.* et *Plin.* 3. *Ep.* 13. Ut in pictura lumen non alia res magis, quam umbra commendat, ita orationem tam submittere, quam attollere decet. *Cic. Divin. Verr.* 15. 48. Ut in actoribus Græcis fieri videmus, sæpe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat. *h. e.* de actione remittere. *Ovid. Heroid.* 4. 154. Submittere se culpæ. *h. e.* culpam admittere. *Virg.* 4. *Æn.* 414. animos submittere amori. *et* 12. *ibid.* 832. inceptum frustra submitte furorem. *h. e.* remitte, depone. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (22). Æmuli pretia submittunt. *abbassano, sminuiscono.* — *b*) Specialim *submittere animum*, animum despondere, demittere, *perdere il coraggio, avvilirsi, scorarsi. Brut.* et *Cass.* ad *Anton.* 11. *Fam.* 3. *circa med.* Neque enim decet periculo ulli submittere animum nostrum. *Liv.* 23. 25. Ne qui Cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates animos submitterent. Adde *eund.* 6. 34. — *c*) Item est flectere ad misericordiam, placare, quasi precibus vincere et subigere. *Stat.* 1. *Theb.* 662. ardentem, tenuit reverentia, cædis Latoiden tristemque viro summissus honorem Largitur vitæ. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2., est subernare, *subernarè. Sueton. Ner.* 28. Acten libertam paullum afuit, quin justo sibi matrimonio conjungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam dejerarent.

B) *Submitto*, a *sub*, desub, sursum, est sursum mittere, tollere (It. *alzare*; Fr. *élever, faire surgir*; Hisp. *elevar*; Germ. *in die Höhe od. hinauf gehen lassen*; Angl. *to raise*). ¶ 1. Generatim. *Seneca Œdip.* 226. Et pias, numen precatus, rite summisi manus. *Sil. It.* 4. 411. Credite summissas Romam nunc tendere palmas. et 1. 673. Submissi palmas, lacerato tegmine vestis, Affigunt proni squalentia corpora terræ. ἐλλεγισμός. *Id.* 12. 640. Summissas tendunt alta ad Capitolia dextras. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 23. 1. Cælo supinas si tuleris manus. Quod est adorantium deos. *Petron. Sat.* 123. *sub fin.* quem fracto gurgite Pontus, Et veneratus erat submissa Bosporus unda. *Ovid. Heroid.* 20. 77. Utque solent famuli, quum verbera sæva verentur, Tendere submissas ad tua crura manus. *Seneca Herc. Fur.* 810. Cerberus patiens trahi Herumque fassus, ore submisso obsequens. *Sil. It.* 6. 414. numquam submissus colla dolori. ¶ 2. Specialim est ab inferiori parte emittere, fundere, producere. *Lucret.* 6. 818. Sic et Averna loca alitibus summittere debent Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras. *Id.* 1. 193. ut sine-certis imbribus anni Lætificos nequeat fetus submittere tellus. *Propert.* 1. 2. 9. Aspice, quot submittat humus formosa colores. *Lucan.* 4. 410. non pabula tellus Pascendis submittit equis. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

Submissus, a, um, etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Submissior* I. et II. 3. *b.* — Submissus est demissus, *abbassato, chino, basso, sommesso.*

I.) Proprie. *Liv.* 1. 4. *a med.* Lupam submissas infantibus adeo mitem præbuisse mammas, ut etc. *Ovid.* 7. *Met.* 191. in dura submisso poplite terra, Nox, ait, etc. *Id.* 3. *Pont.* 1. 149. submissaque terræ Ad nou mortales brachia tende pedes. *Colum.* 6. *R. R.* 30. *ante med.* Cervix jumenti cum capite aggravata et in terram summissa. *Ovid.* 8. *Met.* 637. Cælicolæ parvos tetigere penates Submissoque humiles intrarunt vertice postes. *abbassato il capo.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (145). Summissi oculi. *Curt.* 6. 6. *a med.* Prærupta rupes qua spectat occidentem: eadem, qua vergit ad orientem, leniore submissa fastigio. *Liv.* 44. 9. Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam testudinem faciebant. *Quintil.* 11. 3. 159. Submissa purpura. *Sueton. Tib.* 68. capillus.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de voce, et est vox non elata, non erecta, non contenta, qualis esse rogantium solet. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 41. Quid fuerat Magno majus? tamen ille rogavit Submissa fugiens voce clientis opem. Adde 7. *Met.* 90. et *Martial.* 8. 75. Sic *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vox in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis et submissa. *et ibid. ad fin.* An non hæc, *misellus* et *pauperculus* submissa atque contracta, *fortis* et *vehemens* et *latro* erecta et concitata voce dicenda sunt? *Cic. Orat.* 17. *ad fin.* Et contenta voce atrociter dicere et submissa leniter. *con voce bassa.* et *Albinov.* 1. 283. Sæpe Nero illacrimans submissa voce loquetur, Cur adeo fratres heu! sine fratre deos? *sottovoce, di soppiano.* Sic *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Summisso murmure loqui. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Qua ex frequentia T. Labienus prodit; summissa oratione loqui de pace atque altercari cum Vatinio incipit. *Alii tamen leg.* sed missa oratione de pace loqui elate. V. *Meusel, Lex. Cæs.* ad *h. v.* — Huc et illa pertinent *Quintil.* 11. 3. *a med.* In laudationibus (nisi si funebres erunt), gratiarum actione, exhortatione, similibus, læta et magnifica et sublimis est actio. Funebres contiones, consolationes, plerumque causæ reorum, tristes atque submissæ. *et* 9. 4. *ad fin.* In procemiis plerumque submissi, in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati atque ipso etiam motu celeres sumus. ¶ 2. Hinc *submissus orator*, qui utitur dicendi genere tenui, subtili, humili. *Cic. Orat.* 23. 76. Summissus est et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens. et *ibid.* 26. *a med.* Hanc ego judico formam summissi oratoris, sed magni tamen et germani Attici. ¶ 3. De habitu morali et est demissus, abjectus, non elatus, suppressus, *dimesso, modesto, sommesso, umile.* — *a*) In malam partem. *Cic.* 4. *Tusc.* 30. 64. Ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum abjectumque faciamus. *Id.* 1. *Off.* 34. *a med.* Privatum oportet æquo et pari cum civibus jure vivere, neque submissum et abjectum, neque se efferentem. *Quintil.* 11. 1. *ante med.* Summissa adulatio. — *b*) In bonam partem. *Auct. B. G.* 8. 31. Non dubitabat, quin eæ civitates recenti calamitate submissiores essent futuræ. *Lucan.* 8. 594. Submissis precibus adorare. *Val. Flacc.* 7. 476. Arripit Æsoniden dextra ac submissa precatur.

SUBMIXTUS. *V.* SUCCINCTUS.

SUBMŒNIĀNUS. *V.* SUMMŒNIANUS.

SUBMŒNĬUM, ii, n. 2. *V.* SUMMŒNIUM.

SUBMŒSTUS, submæstus *vel* summœstus, a, um, adject. subtristis, *alquanto mesto. Ammian.* 30. 1. 2. Demisse ambulans semperque submæstus.

SUBMŎLESTĒ *vel* summoleste, adverb. aliquantum moleste, ὑποδυσφόρως. *Cic.* 5. *Att.* 21. Te non esse Romæ meo tempore pernecessario, submoleste fero.

SUBMŎLESTUS *vel* summolestus, a, um, adject. nonnihil molestus, ὑποδυσχερής. *Cic.* 16. *Att.* 4. *sub fin.* Illud est mihi submolestum, quod parum properare Brutus videtur.

SUBMŎNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBMŎNĔO *vel* summoneo, mōnes, mŏnŭi, mŏnere, a. 2. Part. *Submonens.* — Submoneo est latenter, leviter, paucis moneo. *Ter. Eun.* 3. 5. 22. Submonuit me Parmeno, quod ego arripui. *Sueton. Aug.* 53. *a med.* Patres salutavit nominatim singulos, nullo submonente.

SUBMONSTRO *vel* summonstro, as, are, a. 1. clam aut aliquantum monstro. *Arnob.* 3. *p.* 143. Submonstrare responsa. Legitur et in *Not. Tir. p.* 77.

SUBMŎRŌSUS *vel* summorosus, a, um, adject. nonnihil morosus, ὑποδύσκολος. *Cic.* 2. *Orat.* 69. 279. Me quidem hercule valde illa movent stomachosa et quasi submorosa ridicula, non quum a moroso dicuntur, tum enim non sal, sed natura ridetur.

SUBMŌTĀTĬO *vel* summotatio, ōnis, f. 3. aliqua motatio. In plur. num. *Theod. Priscian.* 4. apud *Paucker* in *Add.* etc. *p.* 84. Venarum summotationes.

SUBMŌTOR *vel* summotor, ōris, m. 3. (submoveo) qui submovet. *Liv.* 45. 29. Submotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque.

SUBMŌTUS *vel* summotus, a, um, et

SUBMŌTUS *vel* summotus, us, m. 4. et

SUBMŌVENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBMŎVĔO *vel* summoveo, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. *Submosses*, syncope pro *submovisses*, apud *Horat.* 1. *Sat.* 9. 48. — Part. *Submovens* I. 2.; *Submotus* fere in omn. paragr.; *Submoturus* I. 1. *a*; *Submovendus* II. 1. — Submoveo est amoveo, dimoveo, removeo, repello, arceo, ὑπωθέω, μεθίστημι (It. *rimuovere, allontanare, respingere, far ritirare o dar luogo, far largo*; Fr. *éloigner, repousser*; Hisp. *alejar, hacer lugar*; Germ. *wegschaffen, entfernen*; Angl. *to remove, displace*) et occurrit absolute, aut sæpius cum Accus., addito etiam rei vel loci, unde quid submovetur, Dat., vel Acc. et præp. *ab*, *ex* aut sine præp.; vel loci, quo quid submovetur, Acc. cum præp. *ad*, *in*.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De personis. *Cæs.* 7. *B. G.* 50. *ad fin.* Irrupit in medios hostes, duobusque interfectis, reliquos a porta paullum submovit. *Id.* 2. *B. C.* 11. *a med.* Hostes ex muro ac turribus submovere. *Cic. Quinct.* 8. *extr.* Jubet recusantes nostros advocatos acerrime submoveri. *Id. Flacc.* 7. 15. Quæ scisceret plebes, aut quæ populus juberet, summota contione, re multos dies promulgata et cognita, juberi vetarique voluerunt. *Liv.* 26. 38. *circa med.* Quum starent, submoto populo, accusator et reus. *Auct. B. G.* 8. 10. Hostes paludem transgressi nostros longius submovebant. *Liv.* 4. 17. *ad fin.* Submovere hostes ex agro Romano trans Anienem. *Sall.* in *ep. Pomp. ad Senat.* ab Alpibus in Hispaniam. Rursus *Liv.* 37. 11. Inde facile telis ancipitibus hostem submoturus. *Id.* 45. 10. Submovere hostium lembos statione. *Flor.* 3. 6. piratas mari. — *b*) De rebus. *Horat.* 2. *Od.* 10. 15. informes hiemes reducit Juppiter, idem Submovet. *caccia.* Sic *Lucan.* 2. 385. Submovere hiemem tecto. *cacciare il freddo.* et *Plin. Paneg.* 55. Regnum ipsum arcet ac submovet. — *Virg.* 8. *Æn.* 193. Hic spelunca fuit, vasto submota recessu, Semihominis Caci. *h. e.* remota, *appartata, rimota, solitaria.* ¶ 2. Specialim in re civili est verbum lictorum, qui incedenti magistratui aut comprehendi aliquem jubenti, inter turbam viam faciunt. *Liv.* 2. 56. Submoveri Lætorius jubet, præterquam qui suffragium ineant. *Id.* 4. 50. Quum submoventes passim lictores centurionesque vexarent turbam. *Id.* 45. 7. *a med.* Donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad prætorium facerent. *Id.* 3. 48. I, lictor, submove turbam et da viam domino ad prehendendum mancipium. *Seneca Ep.* 94. *ad fin.* Non est, quod feliciorem eum judices, cui submovetur, quam quem lictor semita dejicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. *Plin. Hist. nat. præf.* Alia via occurris ingens et submoves ingenii fascibus. Translate *Seneca Ep.* 94. *ad fin. supra cit.* — Hinc absolute *submoto incedere* (subaudi *populo*) dicitur magistratus, quum procedit præeunte lictore, qui viam inter turbam aperiat. *Liv.* 28. 27. *ad fin.* Sederunt in tribunali, lictor apparuit, submoto incesserunt, fasces cum securibus prælati sunt. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 25. 32. et 35. SACERDOTES (*h. e.* fratres Arvales) SVMPTIS PRAETEXTIS ET CORONIS SPICEIS VITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 46. 71. (185). *de Api.* Quum se proripuit in cœtus, incedit summoto grexque puerorum comitatur. *Harduin.* male legit *summoto lictorum*. V. *Sillig.* ¶ 3. Hinc etiam pro patria ejicere, *bandire, esigliare. Ovid.* 3. *Pont.* 4. 91. Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum. *Id.* 4. *ibid.* 16. 47. Submotum patria proscindere, livor, Desine. Sic 3. *Trist.* 4. 41. Nunc quoque submotum studio defendis amicum. *Id.* 4. *ibid.* 9. 17. Ut Scythicis habitem longe submotus in oris. *Sue-*

ug. 45. *in fin.* Summovere aliquem Urbe atque Italia. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Philosophi ab Urbe submoti. ¶ 4. Item in re pastoricia *submovere* est vendere, in illo *Colum.* 7. *R. R.* 3. *circa med.* Hiemis sævitia pastorem decipit et eas oves interimit, quas ille, tempore auctumni ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat. *et ibid.* 4. Qui agni submoveri debent paucissimos post dies quam editi sunt, immaturi fere mactantur. ¶ 5. Item est ultra vel ante impellere, producere, promovere, *portare oltre o innanzi, allungare. Horat.* 2. *Od.* 18. 21. Marisque Baiis obstrepentis urges Summovere littora, Parum locuples continente ripa. *Seneca excerpt.* ex *Controv.* 5. 5. *p.* 277. 33. *H.* Maria projectis molibus submoventur. *si spingono indietro o respingono.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Ovid.* 5. *Met.* 389. Silva coronat aquas cingens latus omne suisque Frondibus, ut velo, Phœbeos summovet ictus (*al.* ignes). *Plin.* 3. *Hist. nat.* 19. 23. (132). Ubi Alpes Germaniam ab Italia submovent. *separano.* et *Cic.* apud *Quintil.* 11. 1. *ad fin.* Submovere honestis parentibus ac majoribus natos a republica. *h. e.* arcere ab honoribus. *Plin.* 2. *Ep.* 12. a proconsulatu. *Lamprid. Com.* 3. ministeria seniora. *licenziare, congedare.* — Figurate. *Cic. Rosc. Am.* 27. 70. Submovere improbos magnitudine pœnæ maleficio. *Liv.* 45. 29. *a med.* a bello reges. *distorre.* et *Sueton. Cæs.* 16. aliquem administratione reipublicæ. *Quintil.* 4. 1. 63. sermonem a persona judicis aversum in totum a procemio, *non permettere o ammettere.* et 12. 7. 6. utrumque ambitionis genus. *Val. Max.* 2. 6. *n.* 7. Submovendam mendacem ac fucosam superstitionem esse existimans. *h. e.* non tolerandam. *Vellej.* 2. 126. 2. Summota e foro seditio. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Lucan.* 8. 689. submota est capiti tabes. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 3. *Horat.* 2. *Od.* 16. 28. Non enim gazæ neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis et curas. *Id. Epod.* 11. 18. Desinet imparibus certare summotus pudor. *Colum.* 4. *R. R.* 29. Quum vero vastitas operis etiam diligentissimi agricolæ curam distendit, omnem scrupulum summovere debemus.

SUBMULTĬPLEX *vel* summultiplex, plicis, adject. omn. gen. de numero usurpatur, qui ab alio aliquoties continetur, ut duo a quattuor, *sottomolteplice, sottomultiplo. Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Numerus vocatur submultiplex, qui in alterius comparatione productus, plus quam semel majoris numerat summam.

SUBMULTĬPLĬCĬTAS *vel* summultiplicitas, ātis, f. 3. (submultiplex) condicio numeri, qui alterius est submultiplex. *Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Quum autem multiplicitas et submultiplicitas infinita sit, eorum quoque (*numerorum*) species per proprias generationes in infinita consideratione versantur. *V.* REPLICATIO.

SUBMULTĬPLUS *vel* summultiplus, a, um, adject. submultiplex. *Boeth. Arist. Top.* 2. 3. *p.* 677. Ut si triplum, multiplum et subtriplum, submultiplum dicitur: dicitur enim triplum quidem ad subtriplum, multiplum autem ad submultiplum. *Id. ibid. p.* 690.

SUBMURMŬRĀTĬO *vel* summurmuratio, ōnis, f. 3. (submurmuro) actus submurmurandi. *Augustin. in Psalm.* 36. *serm.* 3. Unde ista vestra submurmuratio? unde iste strepitus?

SUBMURMŬRO *vel* summurmuro, as, āvi, are, n. 1. submisse murmuro. *Auct. Vot. ad Ocean.* 24. *Wernsd. v.* 4. *p.* 317. De sulcante viam rostro submurmuret unda. *Cf. Rutil. Itin.* 2. 14. Et sulcata levi murmurat unda sono. *Augustin.* 6 *Confess.* 9. Submurmuraverunt argentarii, qui subter erant. Adde 8. *ibid.* 11. *Scholiast.* ad *Pers.* 3. 20. Succinis, id est submurmuras. *Cf. Terentian. De metr.* 561.

SUBMUSSI. *V.* SUMMUSSI.

SUBMUSSO. *V.* SUMMUSSO.

SUBMUTABILIS *vel* summutabilis, e, adject. aliquantum mutabilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 53. Mutabilis, remutabilis, submutabilis.

SUBMŪTĀTĬO *vel* summutatio, ōnis, f. 3. (submuto) actus submutandi. *Gloss. Labb.* Ὑπαλλαγή, submutatio. *Id.* Ἀντάλλαγμα, summutacio, commutacio (*sic*). Et *mox.* Ἀντάμειψις, permutacio, submutacio. Cf. voc. seq.

SUBMŪTO *vel* summuto, as, āvi, are, a. 1. ¶ 1. Est aliquid pro alio muto, ὑπαλλάττω: quod Græcum verbum ab ὑπό, *sub*, et ἀλλάττω, *muto*, ipsam Latinæ vocis vim exprimit. *Cic. Orat.* 27. 93. Hanc ὑπαλλαγήν rhetores, quia quasi submutantur verba pro verbis; μετωνυμίαν grammatici vocant, quod nomina transferuntur. *Gloss. Labb.* Ἀνταλλάσσω, submuto, cambio. ¶ 2. Clam muto, substituo. *Cæs. Germ. Arat.* 17. *p.* 382. *Eyss.* Submutasse et aliam posuisse ursam.

SUBNASCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBNASCOR, nascĕris, nātus sum, nasci, dep. 3. Part. *Subnascens* et *Subnatus* I. — Subnascor est subtus seu ab inferiore parte nascor, post nascor, pullulo, succresco, ὑποφύομαι (It. *nascer sotto, pullulare*; Fr. *naître au-dessous, pousser au-dessous, pulluler*; Hisp. *nacer, salir debaxo, pulular*; Germ. *heran - hervorwachsen*; Angl. *to grow up under or after*).

I.) Proprie. *Ovid. Halieut.* 90. Num vada subnatis imo viridentur ab herbis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (234). Tilia et vitis corticem mittunt, sed non vitalem, nec proximum corpori; verum eum, qui, subnascente alio, expellitur. *Id.* 16. *ibid.* 22. 34. (84). Neque eadem folia durant, sed subnascentibus aliis, tum arescunt vetera. *Id.* 12. *ibid.* 3. 7. (16). Arbor omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (148). Castaneæ solutæ sponte cadunt ex arbore atque subnascuntur. *Id.* 11. *ibid.* 39. 94. (230). Quadrupedibus pilum cadere atque subnasci, annuum est. *et ibid.* 23. 27. (78). Subnasci plumas.

II.) Translate. *Seneca* 2. *Ira* 10. *sub fin.* Numquid ille, cujus navigium multam aquam trahit, ipsi navigio irascitur? occurrit potius: nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. *Id. Brevit. vit.* 5. *a med.* Hæc ulcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebantur. Adde *Sil. It.* 14. 65.

SUBNĀTO, as, are, n. 1. sub aquis nato, mergor, *nuotar sotto. Sil. It.* 14. 483. pars subnatat unda Membrorum, pars exstat aquis. *Apul.* 4. *Met. de curru Veneris in mari.* Currus bijuges alii subnatant.

SUBNĀTUS, a, um, particip. *V.* SUBNASCOR.

SUBNĀVĬGO, as, āvi, are, n. 1. oras maris comminus lego: Græce ὑποπλέω, quod de nautis dicitur, qui, insulam in mari objectam prætervigaturi, circuitu utuntur: cui ὑπερπλέω opponitur, quod est de nautis, qui recta via prætervehuntur. *Vulgat. interpr. Act.* 27. 4. Et inde quum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii.

SUBNECTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBNECTO, nectis, nexŭi, nexum, nectere, a. 3. Part. *Subnectens* I. et II. a; *Subnexus* I. — Subnecto sub aliqua re necto, subligo, adnecto, ὑποδέω (It. *attaccare, legare*; Fr. *attacher par dessous, lier*; Hisp. *atar debaxo*; Germ. *unten anknüpfen, - anbinden*; Angl. *to tie under, tie, bind*): construitur fere cum Acc., addito etiam rei, cui quid subnectitur, Dativo.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *G.* 166. laxos tenui de vimine circlos Cervici (*vituli*) subnecte. *Id.* 1. *Æn.* 496. Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ. *Ovid.* 11. *Met.* 482. demittite cornua, rector Clamat, et antennis totum subnectite velum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (29). et *ibid.* 1. 11. (46). Subnectere collo quippiam. *Arator* 1. 1040. lateri subnexuit arcæ etc. *Virg.* 5. *Æn.* 312. tereti subnectis (*balteum*) fibula gemmâ. et 10. *ibid.* 138. molli subnectit (*crines*) circulus auro. — Mediorum apud Græcos more. *Val. Flacc.* 2. 103. tereti crinem subnectitur auro. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 113. Quum stata laudato caneret Quinquennia versu, Ora supergressus Pylii senis oraque regis Dulichii speciemque comam subnexus utraque. *h. e.* coronatus. — Ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 139. vitis adnotat: *subnectit* quid aliud est, quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit?

II.) Translate est subjungere, subjicere, *soggiungere, aggiungere*, scribendo aut loquendo. — a) Universim. *Quintil.* 7. 10. *ante med.* Deinde proxima subnectens, struxerit orationem. *Val. Max.* 2. 6. *n.* 15. Cui gloriæ Punicarum feminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam. *Justin.* 43. 4. 4. Subnectit et hanc fabulam. — b) Cum Infinito. *Id.* 14. 1. *ad fin.* Primo gratias agit: deinde callide subnectit, confictas a se epistolas esse.

SUBNĔGO, as, are, a. 1. fere vel quodammodo nego, ὑπαρνοῦμαι. *Cic* 7. *Fam.* 19. Quod præsenti tibi prope subnegarem, non tribuerem certe, absenti debere non potui.

SUBNĔRO, ōnis, m. 3. Ita est appellatus Domitianus, quia, quasi alter seu secundus Nero, ejusdem scelera omnia imitatus est: vel quia secundus a Nerone Christianos persecutus est; hæc enim leguntur in *Chron. Paschal. p.* 250. ed. *Paris.* Δεύτερος μετὰ τὸν Νέρωνα Δομετιανὸς Χριστιανοὺς ἐδίωξεν. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Ne caninæ forte constantiæ mandatum sit, impuriorem Physcone et molliorem Sardanapalo Cæsarem designare, et quidem Subneronem. Hinc *id. Apolog.* 5. Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, Christianos damnare. — Idem *Nero calvus* itidem dictus, quia calvitio erat deformis, et, ut refert *Sueton. Domit.* 18., calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur. *Juvenal.* 4. 37. Quum jam semianimum lacerraret Flavius orbem Ultimus et calvo serviret Roma Neroni. *V.* DOMITIANUS in ONOM.

SUBNERVO, as, āvi, are, a. 1. (sub *et* nervus) nervos incido, enervo, debilem facio.

I.) Proprie. *Tertull. advers. Jud.* 10. *ante med.* ad illud *Vulgat. interpr. Ital. Gen.* 49. 6. *In concupiscentia sua subnervaverunt taurum* (ubi *Noster* habet: in voluntate sua suffoderunt murum) subdit: id est Christum, quem interfecerunt, et nervos ejus suffigendo clavis desævierunt. *Vulgat. interpr. Jos.* 11. 6. Equos eorum subnervabis et currus igne combures. Sic 2. *Reg.* 8. 4. Subnervavit omnes jugales curruum. *Gloss. Philox.* Νευροκοπῶ, subnervo.

II.) Translate. *Apul. Apolog.* seu *de Mag.* 84. Calumnias præcipitasti et subnervasti. *pro* subnervavisti.

SUBNEŪTER, tra, trum, adject. idem ac alteruter. *Pseud.-Apul. De dogm. Plat.* 3. *p.* 266. *Hild.* Sive incongrua sive subneutra (*propositio*) *h. e.* nec incongrua nec suppar adeoque alterutra. Immo alii reponend. censent *alterutra.*

SUBNEXĬO, ōnis, f. 3. (subnecto) actus subnectendi: apud Rhetores ¶ 1. Est figura, quæ ei ὑπόζευξις (hypozeuxis) dicitur, ut docet *Jul. Rufinian. loc. cit.* sub v. SUBJUNCTIO. ¶ 2. Est etiam figura, quæ et προςαπόδοσις. *Auct. carm. de figur.* 112. *p.* 67. *Halm.* Est subnexio propositis subnectere quæque.

SUBNEXUS, a, um, particip. *V.* SUBNECTO.

SUBNĬGER, gra, grum, adject. nonnihil habens nigredinis, nigricans, fuscus, *neretto, nericcio, brunetto, fosco*, ὑπομέλας. *Plaut. Merc.* 3. 4. 55. Subnigri oculi. *Id. Pseud.* 4. 7. 120. Ventriosus, crassis suris, subniger, magno capite. *Varro* 2. *R. R.* 9. Canes labris subnigris aut rubicundis. *Cels.* 5. 28. *n.* 4. Cutis colorem habet ex rubro subnigrum.

SUBNĪSUS. *V.* SUBNIXUS.

SUBNĪTENS, entis, particip. *V.* SUBNITOR.

SUBNĬTĬDO, as, are, a. 1. subter nitido, lucidum reddo. *Venant.* 8. *Carm.* 7. 189. Credo, alter (*archangelus*) cuperet plantis substernere palmas, Ille excussa ala subnitidare viam.

SUBNĪTOR, nitĕris, nixus *vel* nisus sum, niti, dep. 3. Part. *Subnitens* I.; *Subnixus* in omn. paragr. — Subnitor est subter nitor, aliqua re supposita nitor, *appoggiarsi*: occurrit autem cum Ablat. aut absolute, et fere in particip. præterito, quod et adjectivorum more sæpissime usurpatur.

I.) Proprie. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.*

Molliter inflexo subnitens poplite sidit. Legitur et in *Not. Tir.* p. 122. Nititur, subnititur. *Cic.* 6. *Rep.* 20. 21. Duos circulos cœli, verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides. *Virg.* 1. *Æn.* 510. solioque alte subnixa resedit. *Id.* 3. *ibid.* 402. hic illa ducis Melibœi Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro. *cinta e difesa.* *Serv.* ad *h. l.*: civitas cincta muro modico, ut: crinemque madentem subnixus. V. infra. *Manil.* 1. 375. Quæque intra gelidum Capricorni sidus et axe Imo subnixum vertuntur sidera Mundum. *h. e.* axe Australi, qui nobis depressus est. *Claudian. VI. cons. Honor.* 49. subnixasque jugis immanibus ædes. *Id.* 2. *in Eutrop.* 442. cunctantia pronus Per vada reptabat cœno subnixa tenaci. *h. e.* quorum fundus cœnosus. — In illo *Virg.* 4. *ibid.* 217. Mæonia mentum mitra crinemque madentem Subnixus. *subnixus* est subligatus et circumdatus. mitra enim et caput cingit et ansulis sub mento subnectitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est munitus, firmatus atque adeo fidens. *Cic.* 2. *Rep.* 25. 45. Subnixus victoriis divitiisque. *Martial.* 1. 40. Siquis erit magnæ subnixus robore mentis. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 8. *extr.* Subnixus libertinorum et servorum manu. *spalleggiato.* et *Tac.* 1. *Ann.* 11. Civitas tot illustribus viris subnixa. *et* 11. *ibid.* 1. Multis et validis propinquitatibus subnixus. *Quintil. Declam.* 3. 3. *a med.* Quum tota subnixum Numidia fregimus Jugurtham. — Absolute *Liv.* 4. 42. Ubi illi patricii spiritus, ubi subnixus et fidens innocentiæ animus? ¶ 2. Item elatus, inflatus, superbiens. *Plaut. Pers.* 2. 5. 6. Subnixis alis me inferam atque amicibor gloriose. *h. e.* elatis cubitis et lacertis, ut qui utrinque aliorum brachiis innixi incedunt. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 246. Qui ejus artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant. *Liv.* 26. 13. *a med.* et 25. 41. Non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos. *Cœl.* apud *Non.* p. 405. 29. *Merc.* Et Latini subnixo animo ex inerti victoria consilium ineunt. (Alii pro *Cœl.* leg. *C. Claud.* [intellige *Quadrigar.*] ex quo hæc citat verba *Gell.* 17. 2. Ea dum fiunt, Latini subnixo animo. *Subnixo*, inquit *Gell.*, quasi sublimi et supra nixo: verbum bene significans et non fortuitum: demonstratque animi altitudinem. Veri simile est, eumdem locum et a *Nonio* et a *Gellio* designari.)

SUBNIXUS, a, um, particip. *V.* voc. præc.

SUBNŌTĀTIO, ōnis, f. 3. (subnoto) ¶ 1. Est subscriptio, *sottoscrizione*, ὑπογραφή. *Imp. Leo Cod.* 1. 23. 6. Ea fas sit dici rescripta, quæ in chartis sive membranis subnotatio nostræ subscriptionis impresserit. *Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 8. 5. 22. Minime quosque transire patiantur, antequam seriem evectionis asperserint et congrua subnotatione dimiserint. ¶ 2. Item adnotatio, commentarium. *Rufin.* ex *Euseb. Hist.* 4. 18. Est et alius (*Justini liber*), qui superscribitur Psaltes: et alius velut in subnotationum modo de Anima.

SUBNŌTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBNŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subnotatus* I. 1. et 2.; *Subnotandus* I. 1. — Subnoto est adnoto, subtus noto (It. *notare sotto, sottosegnare, registrare*; Fr. *noter en dessous, annoter, marquer*; Hisp. *notar abaxo, marcar, registrar*; Germ. *unter verzeichnen od. hinsetzen*; Angl. *to note, mark under or below*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* In inferiori linea particulares (*propositiones*) subnotentur. *si scrivano sotto.* et *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 132. Subnotanda summula. *Boeth.* 2. *Arithm.* 26. Qui vero numeri nascuntur, subterius subnotati. ¶ 2. Speciatim ponitur pro subscribere, *sottoscrivere, firmare*. *Plin.* 1. *Ep.* 10. *a med.* Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas. (*V.* SUBSCRIBO) *Sueton. Cal.* 41. Præbita advenientibus pecunia fenebris: appositique, qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantium Cæsaris reditus. *di mano in mano notassero.* et *Cassiod. Inst. divin. litt.* 8. Dicitur etiam et beatum Ambrosium subnotatum codicem epistularum omnium sancti Pauli reliquisse, suavissima expositione completum. *Inscript.* apud *Cavedoni, Le salutaz.* etc. p. 13. MARY FADII SECVNDI SVBNOTATVM ERAT etc.

II.) Translate est clam noto, observo, animadverto, *notare, osservare di nascosto*, ὑποσημειόω. *Martial.* 1. 28. Et non sobria verba subnotasti. *Id.* 6. 82. Quidam me modo, Rufe, diligenter Inspectum, velut emptor aut lanista, Quum vultu digitoque subnotasset. Adde *Marcell. Empir.* c. 29. p. 130. retr. *med.*

SUBNŪBA, æ, f. 1. (sub et nubo) quæ uxoris loco in domo est, pellex. *Ovid. Heroid.* 6. 153. Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nostri Mœreat. Alii leg. *succuba*: (quam vocem vide suo loco) et quidem rectius, quia pænultima syllaba in *subnuba* longa esse debet; quamquam etiam *pronuba* pænultimam breviat. Ita *Furlanetto*; sed recentiores *subnuba* retinent. Ceterum hæ voces fortasse a them. verbali brevi *nŭb* sunt derivandæ, non a præs. *nūbo*, pro antiqu. *noubo*: cf. *dūces, redŭces* a *dūc*, unde *dūco* pro *douco*; *fīdes, perfĭdus* a *fĭd*, unde *fīdo* pro *feido* etc.

SUBNŪBĬLUS, a, um, adject. aliquantulum nubilus, suboscurus, *oscuretto*, ὑπονέφελος.

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. C.* 54. Alteram noctem subnubilam nactus, tertia inita vigilia, silentio exercitum eduxit. *Ovid. Remed. am.* 599. Limes erat tenuis longa subnubilus umbra.

II.) Translate. *Tertull. Apolog.* 47. Non satis credentes divina esse, nec satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila etiam ipsis Judæis obumbrata.

SUBNUO, is, ere, n. 3. furtim vel clam innuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir.* p. 127 Innuit, renuit, subnuit.

SŪBO, as, are, n. 1. *Subimus* pro *subamus* est apud *Titin. Com.* 156. — Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. σῦς et Lat. *sus*, unde et σιβάω et *subo* factum sit: dicitur enim de suibus et quidem feminis, ut *surio* de maribus. Recentiores vero conferunt cum rad. Skr. *svab*, moveo, agito. — Part. *Subans* 1. et 2. 2.° — Subo generatim est ardeo, ferveo; sed speciatim occurrit pro prurio Venerea libidine, coitum appeto, καπράω, θυάω (It. *essere in caldo*; Fr. *être en chaleur, en rut*; Hisp. *ser ó entrar en calor*; Germ. *in der Brunst sein, ranzen*; Angl. *to brim, go to brim, be a brimming*). ¶ 1. Stricto sensu dicitur de suibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (181). Verres subantis audita voce, nisi admittatur, cibum non capit. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de aliis animantibus, et quidem — 1.°) De belluis. — *a*) De feminis. *Apul. Apolog.* 38. Memento de solis piscibus hæc volumina a me conscripta: qui eorum coitu progignantur, qui ex limo coalescant, quoties, et quid anni cujusque eorum generis feminæ subent, mares suriant. — *b*) De maribus. *Lucret.* 4. 1190. Nec ratione alia volucres, armenta feræque Et pecudes et equæ maribus subsidere possent, Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abunde Natura etc. — 2.°) De homine. — *a*) De mulieribus. *Horat. Epod.* 12. 11. Jamque subando Tenta cubilia tectaque rumpit. *Tertull. Apolog.* 46. Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recubantis ardori subantem. Adde *Augustin.* 2. *Op. imperf. contra Julian.* 4. — *b*) De viris. *Tertull. Apolog.* 14. Juppiter subans in sororem. *Hieronym.* 1. *in Jovinian.* n. 38. Dicam et ego nuptiatoribus meis, qui post castitatem et diuturnam continentiam subant ad coitum et pecudum more lasciviunt. *Id.* 2. *in eumd.* n. 36. Nunc restat, ut Epicurum nostrum, subantem in hortulis suis inter adulescentulos et mulierculas, alloquamur. ¶ 3. Latissimo sensu pro cubare usurpavit *Augustin. Serm.* 23. n. 3. ed. *Mai.*

SŬBOBLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *suboffero*, idem fere ac oblatus. *Juvenc. carm.* in *Levit.* 47. Immolet hircos Sorte suboblatos. Ita leg. cl. *Pitra*; alii divisim *sub oblatos*, repugnante *Quicherat* in *Add.* etc. ad *h. v.*

SŬBOBSCĒNUS *vel* subobscœnus, a, um adject. non omnino vacans obscenitate, ὑπαίσχρος. *Cic. Orat.* 26. 88. Ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobsceno, ne mimicum: nec petulanti, ne improbum

SŬBOBSCŪRĒ, adverb. (subobscurus) aliquantum obscure, *alquanto oscuramente*. *Gell.* 3. 14. Subtiliter quidem, sed subobscure explicat. *et* 10. 1. Varro breviter et subobscure dixit. Adde *eumd.* 10. 1., *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 5. Cf. *Augustin.* in *Ps.* 67. 15.

SŬBOBSCŪRO, as, āvi, are, a. 1. aliquantum obscuro. Translate *Rufin.* ex *select. Orig.* in *Ps.* 68. 5. Quamvis propriam gloriam subobscuraverit etc.

SŬBOBSCŪRUS, a, um, adject. aliquantum obscurus, intellectu difficilis, *scuretto*, ὑπόσκοτεινός.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Lev.* 13. 21. Subobscura cicatrix. *et ibid.* 13. 29. lepræ species. *et ibid.* 36. albor.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 7. *extr.* Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri. *Id. Orat.* 3. 11. Subobscura ingressio.

SŬBOCCULTĒ, adverb. aliquantum occulte. *Venant. Vit. S. Radeg.* 4. In mensa vero subocculte faba vel lenticula delectabiliter vescebatur.

SŬBŎCŬLĀRIS, e, adject. qui est sub oculo, ut Suboculares venæ, *Veget.* 4. *Veterin.* 4.

SŬBŎDĬŌSUS, a, um, adject. aliquantulum odiosus, ὑπομίσητος. *Cic.* 1. *Att.* 5. Quum eas audire (quod erat subodiosum) leve putassem.

SŬBŎDŌROR, āris, ari, dep. 1. subtus vel clam odoror, *subodorare, presentire, penetrare qualche cosa occulta*. *Ammian.* 26. 1. 7. Implendi negotii præsagiis, ut subodorari dabatur. Alii rectius leg. *opinari*.

SŬBOFFENDO, is, ere, a. 3. aliquantulum offendo, ὑποβλάττω. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* Nam apud illam perditissimam atque infimam fæcem populi Pompejus propter Milonem suboffendit.

SŬBŎLĔO, ōles, ōlui, ōlere, n. 2. *Subolat* pro *suboleat*, ita ut sit a *subolo, is, ere*, legunt recentiores apud *Ter. Heaut.* 5. 1. 26. — Suboleo proprie est aliquantum olere, paullum odoris emittere, ὑπόζω; translate vero est aliquid indicii dare: unde *subolet mihi*, sentio, præsentio, *accorgersi, presentire, aver qualche sentore o indizio*. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 7. Id jampridem sensi et subolet mihi. *Id. Trin.* 3. 2. 72. Scio equidem te, animatus ut sis: video, subolet, sentio. *Id. Cas.* 2. 3. 59. Subolet hoc jam uxori, quod ego machinor. *et* 3. 2. 24. Mirum, ni subolet jam hoc huic vicinæ meæ. — *Ter. Heaut. loc. cit.* Ut ne paullulum quid subolat, esse amicam hanc Cliniæ. *Forcellinus* leg. *suboleat*.

SŬBŌLES *vel, minus recte*, soboles, is, f. 3. (suboleo) — *a*) De scribendi ratione hæc habet *Forcellinus*: «Ut *soboles* scribatur, consuetudini, inquit *Manut.* in *Orthogr.*, largior auribus indulgenti, licet antiquiores libri habeant *suboles*, et iis lapides consentiant: ut omittam satis apertam compositionem ex *sub* et *olesco*. Confirmat *Manutii* sententiam *Festus* p. 309. 19. *Müll.* his verbis: Suboles ab olescendo, id est crescendo dictæ, ut adolescentes quoque et adultæ et indoles dicitur. Lucretius libro V. (*corrige* IV. *v.* 1225.) Sive virum suboles, sive est muliebris origo. Vergilius (4. *Ecl.* 49.) Cara deum suboles, magnum Jovis incrementum. Hæc *Festus*. Confirmat *Pier.* ad *Virg. ibid.*, item ad illud 4. *Æn.* 327. Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam suboles». V. etiam *Marini, Fr. Arv.* p. 828. At *Hildebr.* ad *Apul. Apol.* seu *De Mag.* 88. plurimis locis in opt. MSS. se *soboles* legisse testatur. Ita et *Halm.* ad *Cyprian Ep.* 39. n. 3. et alibi. — *b*) Ad formam quod attinet, *subolis* in recto casu pro *suboles* usurpavit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). *V.* infra. — In sing. num. fere adhibetur; in plur. tamen occurrit apud *Varron. loc. cit.* et *Dracont. carm.* 6. 82. *Duhn. Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. CENSORES POPVLI AEVITATES SOBOLES FAMILIAS PECVNIASQVE CENSENTO. Adde *Colum. loc. cit.* In-

script. apud *Marini*, *Fr. Arv. p.* 828., ubi mulier quædam *mater trium subolum* dicitur. Sic *Arnob.* 3. 9. Per suboles subolum multiplicata semper innumerabilitas ampliatur. — *Subolum* in gen. plur. *Arnob.* et *Inscr.* apud *Marini cit.* — c) *Cic.* 3. *Orat.* 38. 153. enumerat inter eas voces, quæ a poetis liberius usurpantur, et habent tamen etiam in oratione aliquando locum, si loco ponantur. — Suboles est id, quod subcrescit, subnascitur, ac proprie dicitur de arboribus et plantis et est stolo, *h. e.* nova stirps post aliam enata, παραφυάς, παραβλάστη (It. *pollone, germoglio, rimessiticcio, rampollo, rimessa;* Fr. *rejeton, pousse;* Hisp. *renuevo, vástago, pimpollo;* Germ. *das Heranwachsende, der Anwuchs, Spross;* Angl. *a shoot, young branch, sucker, sprig*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 12. (65). Multarum radicibus pullulante subole densa. *Colum.* 12. *R. R.* 10. Cæpa, quæ non fruticavit nec habuit suboles adhærentes. *Id.* 5. *ibid.* 6. Ulmum nemo jam serit ex samera, sed ex subolibus. *Id. Arbor.* 5. *a med.* Possunt etiam suboles (*vitium*) per brumam cædi, eo magis quod frigoribus exstirpatæ minus recreantur. *et ibid.* 26. *sub fin.* Materia, quam inseveris, si sobolem vel superiores ramos habebit, omnia præcidito. ¶ 2. Latiore sensu de crinibus succrescentibus. *Varro* apud *Non. p.* 456. 7. *Merc.* Ante aures modo ex subolibus parvuli intorti demittuntur sex cincinnuli. *Apul.* 2. *Met.* Quum capillus frequenti subole cumulat verticem, vel proliza serie porrectus dorsa permanat.

II.) Translate dicitur de animantium progenie et est proles, progenies, propagatio, γενεά (It. *schiatta, figliuolanza, stirpe, progenie, discendenza, generazione;* Fr. *descendants, postérité, race, lignée, fils;* Hisp. *raza, linage, descendientes, progenie, posteridad;* Germ. *der Sprössling, Abkömmling, das Kind;* Angl. *issue, progeny, offspring, race*). — 1.°) De hominibus. — a) Universim. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 102. bem subolem sis vide. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 54. Omnis suboles juventutis expulsa. *Id.* 1. *Off.* 17. 54. Propagatio et suboles origo est rerum publicarum. *Id. Marcell.* 8. 23. Constituenda judicia, revocanda fides, propaganda suboles. *Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 33. Robur et suboles militum interiit. *Lucret.* 4. 1232. Suboles virûm. *Virg.* 4. *Ecl.* 49. Cara deûm suboles. *Ovid.* 1. *Met.* 251. subolemque priori Dissimilem populo promittit origine mira. *Horat. Carm. sæc.* 17. Subolem producere. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 7. 7. (19). Sarmatæ Medorum, ut ferunt, suboles. *Justin.* 16. 1. 15. Omnem stirpem regiæ subolis delere. Rursus *Horat.* 4. *Od.* 3. 14. Romæ principis urbium Dignatur suboles inter amabiles Vatum ponere me choros. *gioventù.* — Hinc metaphorice *Cyprian. Sent. Episc. n.* 24. Filii alieni et suboles antichristi. — b) De filio tantum, *figlio. Liv.* 26. 41. Suboles imperatorum. *h. e.* Scipio. *et* 40. 6. Fortunati patris matura suboles. Adde *Virg.* 4. *Æn.* 328. si qua de te suscepta fuisset Ante fugam suboles. *Propert.* 4. 1. 79. Me creat Archytæ suboles Babylonius Horos. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). *Sillig.* Regnaverat in Colchis Aulaces Æetæ subolis. — 2.°) De belluis. *Horat.* 3. *Od.* 13. 8. Suboles lascivi gregis. *h. e.* hædus. *Colum.* 7. *R. R.* 6. *ad fin.* Anniculæ capellæ confestim depellenda suboles. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (32). Armentorum maribus interemptis, præterquam subolis causa.

SŬBŌLESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBŌLESCO *vel* sobolesco, is, ere, n. 3. *inchoat. a* suboleo. — Part. *Subolescens.* — Subolesco est subcresco, subnascor, ut suboles in plantis, *germogliare, rimettere,* ὑποφύομαι. *Liv.* 29. 3. *ad fin.* Juventutem majorem semper frequentioremque pro tot cæsis exercitibus subolescentem. *Ammian.* 14. 11. 8. Subolescere imperio adultos ejus filios, mussitantes.

SŬBOLFĂCĬO, făcis, făcere, a. 3. subolet mihi, subodoror, *subodorare, aver qualche sentore. Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann. a med.* Sed subolfacio, quod nobis epulum daturus est Mammea.

SŬBŌLIS. *V.* SUBOLES init.

SŬBŎNĔRO, as, are, a. 1. subter onero. *Gloss. Lat.* apud *Quicherat p.* 277. Subgravat, subonerat, plus gravat. Legitur et in *Not. Tir. p.* 131. Onerat, reonerat, subonerat.

SŬBOPTĬO, ōnis, m. 3. qui sub optione est, optionis subadjuva, *sottoajutante. Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. Arch. a.* 1865. *p.* 43. (*Orelli Inscr. n.* 3470. Cf. etiam *n.* 3471.) C. DOMITIO REGINO MIL. CL. PR. RAV. (*sc.* militi classis prætoriæ Ravennatis) SVBOPTIONI IIII. FORTVNA. *V.* OPTIO.

SŬBŎRĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBŎRĬOR, ŏrĕris, (ortus sum) ŏriri, dep. Part. *Suboriens* I. — Suborior est subnascor, exsurgo, in locum alterius abeuntis orior, ὑποφύομαι.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 1034. material Ex infinito suboriri copia posset. *Id.* 2. 1138. Unde queat tantum suboriri ac suppeditare. Adde *eumd.* 1049. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 95. (207). Metallorum opulentia tam varia, tam fecunda, tot sæculis suboriens. *Arnob.* 3. 9. Nova quoque suboriente fetura.

II.) Translate. *Boeth.* in *Cic. Top.* 3. Hic suboritur quæstio valde difficilis. Sic *Hieronym. Comm.* in *Eccle. p.* 1054. *Mign.* Adversus hoc præceptum suboriebatur quæstio.

SŬBORDĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus subtus ordinandi. *Cassiod.* 5. *Variar.* 39. Ut subordinationis vestræ novitate inveteratæ possit consuetudini nil licere. Alii divisim leg. *sub ordinationis.*

SŬBORNĀTOR, ōris, m. 3. qui subornat, instruit et submittit fallendi et nocendi causa. *Paul.* 5. *Sentent. tit.* 13. Perinde subornatores ac delatores puniuntur. *Ammian.* 15. 5. *ante med.* Subornatore et conscio præfecto prætorii. *Lamprid. Commod.* 19. *ad fin.* Subornatores servorum.

SŬBORNĀTRIX, trīcis, f. 3. quæ subornat vel quæ sub ornatrice est. *Inscript.* apud *Rénier n.* 3949. IVLIA MIMESIS SVBORNATRIS (*corrige* subornatrix) IONICI ET CANONIS.

SŬBORNANS, antis, *et*

SŬBORNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬBORNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subornans* II. 1. b; *Subornatus* in omnib. paragr. — Suborno est instruo, orno, κατασκευάζω (It. *assettare, abbellire, vestire, acconciare;* Fr. *arranger, parer, équiper, vêtir, pourvoir;* Hisp. *ordenar, adornar, proveer, equipar;* Germ. *ausrüsten, zustutzen, schmücken, austatten;* Angl. *to furnish, provide*).

I.) Proprie. *Seneca* 3. *Benef.* 28. *a med.* Pænulati isti, in militum et quidem non vulgarem cultum subornati. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 10. Præturæ insignia invasit, præcedentibus in modum lictorum et apparitorum publicorumque servorum subornatis. *Petron. Sat.* 21. Cinædus myrtea subornatus gausapila cinguloque succinctus. *et ibid.* 36. Videmus leporem pinnis subornatum, ut Pegasus videretur.

II.) Translate. ¶ 1. Est instruo, paro, *fornire, provvedere, allestire.* — a) In bonam partem. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 23. *a med.* Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem præsta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes. *h. e.* subinde, quum opus erit, instruas. *M. Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 16. Apulejana pecunia Brutum subornastis. Subdit *Cic.* Quid, si omnibus suis copiis excellentem virum respublica armasset? *Justin.* 39. 2. 2. Occupato Syriæ regno, spernere cœpit ipsum Ptolemæum, a quo fuerat subornatus in regnum. *Petron. fragm. Tragur.* 26. *Burmann. sub fin.* Horologium in triclinio et buccinatorem habet subornatum, ut subinde sciat, quantum de vita perdiderit. — b) In malam partem sæpe pro clam instruere contra aliquem, submittere, *sedurre, subornare.* In *argum.* 2. *Milit. glor. Plaut.* 13. Suam clientam solicitandum ad militem subornat, capitur ille, sperat nuptias. *Justin.* 11. 11. 7. Per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi velit. *Cic. Cluent.* 59. *ad fin.* Hominem subornatis, qui sibi manus allatas esse dicat. *Id. Dejot.* 6. 17. Medicum indicem subornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni. *Id. Rosc. Com.* 17. 51. Falsum subornavit testem. *Liv.* 24. 31. *sub fin.* Militem subornant, ut Syracusas perferret nuncium convenientem eis, quæ ad Mylam falso nunciata erat. *Plin. Paneg.* 42. Princeps in capita Dominorum servos subornans. *Justin.* 38. 8. 3. Subornare in regnum. *Id.* 9. 7. 7. in bellum. *h. e.* instigare. *Cic. Vatin.* 1. *sub fin.* Accusatores instructi et subornati. *Liv.* 38. 43. Ad invidiam ei faciendam legatos Ambracienses subornatos criminibus in senatum introduxit. *Sueton. Ner.* 34. *circa med.* Libertum ejus, ut percussorem sibi subornatum, arripi constringique jussit. ¶ 2. Figurate refertur ad animum. *Cic.* 1. *Legg.* 22. *ad fin.* Qui se ipse norit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam sapientiam. *Seneca Ep.* 24. Homo non eruditus, nec ullis præceptis contra mortem aut dolorem subornatus.

SŬBORSUM, i, n. 2. (*inus.* subordior) *Capell.* 4. *p.* 135. Loca passim blaterantem Jovialibus suborsis. Sic *Grot.*, quod, inquit *Quicherat* (in *Add.* etc. *p.* 278.), magis placet, quam *sub oris* a *Koppio* editum. At *Eyssenhardt* rectius leg. divisim *sub orsis.*

SŬBORTUS, us, m. 4. idem quod ortus, exortus, vel potius subsequens ortus, *il sorgere, il levarsi successivo. Lucret.* 5. 303. Sic igitur solem, lunam stellasque putandum Ex alio atque alio lucem jactare subortu. — Apud *Manil.* 3. 326. Stent veri stellarum ortus verique subortus. legit *Forcellinus* et *subortus* idem esse interpretatur, quod *occasus;* nam, quemadmodum *ortus* dicitur, quum sidus aliquod supra terras apparet, ita *subortus*, quum sub terris oritur. Attamen jure *Bentlejus* et *Quicheratius* mirantur esse, qui de occasu stellarum τὸ *subortus* intelligant. Sed recentiores locum *Manilii* totum suppositicium habent.

SŬBOSTENDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬBOSTENDO, tendis, tendi, tensum, tendere, a. 3. Part. *Subostendens* et *Subostensus.* — Subostendo est idem fere quod ostendo. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 38. *ante med.* Neminem timuit, ut quæstiones aut declinasse videatur, aut per occasionem earum, quod alias palam non docebat, subostendisse. *Id. advers. Valentinian.* 1. Si scire te subostendas, negant etc. *Id. De anim.* 12. Quem impassibiliter subostendens etc. *Id. Baptism.* 19. Spes adventus Domini subostensa. *h. e.* ostensa, promissa.

SŬBOSTENSUS, a, um, particip. *V.* voc. præc.

SUBPACTUS. *V.* SUPPACTUS.

SUBPÆDĂGŌGUS *vel* suppædagogus, i, m. 2. qui secundo loco pædagogus est, *sottopedagogo. Inscript.* apud *Donat.* 311. 1. (*Orelli n.* 2940.) T. FLAVIO ANICETO SVBPAEDAGOGO PVERORVM CAES. N.

SUBPÆNULARE. *V.* SUPPÆNULARE.

SUBPÆTŬLUS *vel* suppætulus, a, um, adject. aliquantum pætulus, *guercetto. Varro* apud *Non. p.* 456. 8. *Merc.* Sed cincinni oculis suppætulis, nigellis pupulis.

SUBPALLĬDUS *vel* suppallidus, a, um, adject. aliquantum pallidus, *pallidiccio, pallidetto,* ὑπώχρος. *Cels.* 5. 26. *n.* 20. *a med.* Ἰχὼρ crassus, sublividus aut subpallidus. *Id.* 2. 4. *sub fin.* Si id, quod excernitur, est exiguum, album idemque subpallidum.

SUBPALPOR. *V.* SUPPALPOR.

SUBPAR. *V.* SUPPAR.

SUBPĂRĂSĪTOR. *V.* SUPPARASITOR.

SUBPĀRO. *V.* SUPPARO.

SUBPĂTENS *vel* suppatens, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBPĂTĔO *vel* suppateo, pătes, pătere, n. 2. Part. *Subpatens.* — Subpateo est subtus pateo. *Apul.* 8. *Met.* Delapsus in proximam foveam, quæ fruticibus imis subpatet. *Id.* 7. *ibid.* Immitto me campis subpatentibus.

SUBPECCO. *V.* SUPPECCO.
SUBPERTURBO. *V.* SUPPERTURBO.
SUBPETIOR. *V.* SUPPETIOR.
SUBPETO. *V.* SUPPETO.

SUBPHRYGIUS, a, um, adject. ad modum musicum pertinens sub Phrygio positum. *V.* PHRYGIUS. *Boeth.* 1. *Music.* 1. Cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adulescentem Tauromenitanum subphrygii modi sono incitatum spondeo succinente reddiderit mitiorem et sui compotem.

SUBPILO. *V.* PULLIPREMA, ubi *subulo* pro *subpilo*, quod dedit *Schenklius* in sua ed. *Auson.*; sed cf. *ibid.* adnot. et *Lucil.* ed. *L. Müller fr. inc.* 127. *v.* 162.

SUBPINGO. *V.* SUPPINGO.

SUBPINGUIS *vel* suppinguis, e, adject. aliquantum pinguis, *grassetto*, ὑπολίπαρος. *Cels.* 6. 4. Densam cutem et subpinguem et ex toto glabram facit. Adde *Theod. Priscian.* 1. 27. et alibi.

SUBPLĀCĀBĬLIS. *V.* SUBMITIS.

SUBPLANO, as, are, a. 1. subtus plano. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 80. Replanat, subplanat.

SUBPLANTO. *V.* SUPPLANTO.
SUBPLĒMENTUM. *V.* SUPPLEMENTUM.
SUBPLEO. *V.* SUPPLEO.
SUBPLEX. *V.* SUPPLEX.
SUBPLĬCIUM. *V.* SUPPLICIUM.
SUBPLĬCO. *V.* SUPPLICO.
SUBPLŌDO. *V.* SUPPLODO.

SUBPLORO, as, are, n. 1. mox ploro. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 121. Plorat, replorat, subplorat.

SUBPŌNO. *V.* SUPPONO.

SUBPONTIUM, ii, n. 2. locus sub ponte, *il sottoponte*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 179. Pons, tripontium, subpontium.

SUBPORTO. *V.* SUPPORTO.

SUBPŎSĬTUS et

SUBPOSTUS, a, um. *V.* SUPPONO.

SUBPRÆDANUS, a, um, adject. qui sub præda est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 149. Prædator, subprædator, subprædanus.

SUBPRÆDATOR, oris, m. 3. secundus prædator, qui post alium prædatur. *V.* voc. præc.

SUBPRÆFĔCTŪRA, æ, f. 1. dignitas subpræfecti, *sottoprefettura*. *Inscript.* apud *Murat.* 54. 6. NEPTVNO DEISQ. AVG. T. ABVDIVS VERVS POST SVBPRAEFECT. CLASS. RAVENN. TEMPLO RESTITVTO MOLIBVS EXSTRVCT. DOMO EXCVLTA IN AREA D. D. CONCESSA SIBI DICAVIT. V. *Carli, Antich. Ital. T.* 2. *p.* 131.

SUBPRÆFECTUS, i, m. 2. qui loco præfecti præest munere ordinario, *sottoprefetto:* hinc distinguitur a *vicepræfecto*, qui potestate extraordinaria loco præfecti præest. *V.* VICEPRÆFECTUS et VICARIUS et *Kellerm. Vig. laterc. p.* 14. *col.* 2. *Inscript.* apud *Gruter.* 208. (*Orelli n.* 4405.) ALFENIVS SENECIO SVBPRAEF. CLASS. PR. MIS. *Alia* apud *eumd.* 359. 3. (*Orelli n.* 2223.) T. APPALIO T. F. VEL. ALFINO SECVNDO SVBPRAEF. CLASS. PRAET. RAVENN. etc. *Alia* apud *Féa, Framm. de' Fast. cons. p.* 82. IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO AVG. IMP. CAES. P. SEPTIMII SEVERI AVG. FILIO DEVOTA NVMINI ET MAIESTATI EIVS COH. V̅. VIG. (*h. e.* cohors quinta Vigilum) C. IVLIO QVINTILIANO P̅R̅. (*h. e.* præfecto, non prætori) M. FIRMIO AMINTIANO S. P̅R̅. (*h. e.* subpræfecto, non subprætori) L. SPERATIO IVSTO T̅R̅. (*h. e.* tribuno). (Cf. *Kellerm. Vigil. p.* 14.) *Alia* apud *Marini, Fr. Arv. p.* 473. SVBPRAFECTVS VIGILIBVS. Adde *aliam* in *Bullett. dell'Istit. Archeol. a.* 1874. *p.* 34. *V.* voc. seq.

SUBPRÆTOR, oris, m. 3. agens vice prætoris, *vicepodestà*, *sottopretore*. Vox nihili, ex falsa interpretatione *Inscript.* apud *Gruter.* 128. 5. C. TATIO MAXIMO P̅R̅. (*h. e.* præfecto) T. FLAVIO ANTEROTIANO S. P̅R̅. (*h. e.* subpræfecto) Q. PLOTIENO SABINO T̅R̅. COH. V̅. VIG. (*h. e.* tribuno cohortis quintæ Vigilum.) Agitur hic de Vigilibus, quibus non *subprætor*, sed *subpræfectus* præerat, ut constat ex alia *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 473. *cit.* in voc. præc. *V.* plura huc pertinentia apud *eumd. ibid.* et voc. præced.

SUBPREHENDO, is, ere, a. 3. clam vel improviso prehendo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 49. Prehendit, reprehendit, subprehendit, prehensus, reprehensus, subprehensus.

SUBPREHENSUS. *V.* voc. præced.

SUBPRESSICIUS *vel* suppressicius, a, um, adject. qui sub seu post alium premitur. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 39. Subpressorium, subpressicius.

SUBPRESSORIUM *vel* suppressorium, ii, n. 2. idem ac pressorium. *V.* voc. præc. et PRESSORIUS.

SUBPRINCEPS *vel* supprinceps *et divisim* sub princeps, cipis, m. 3. secundus a principe seu primo. *Inscript.* apud *Gruter.* 347. 1. P. AELIO P. F. PAPIR. MARCELLO CENT. FRVM. SVBPRINCIPI PEREGRINORVM *etc.* « Quamvis *Marinius Frat. Arv. p.* 474. aliter hic esse legendum aut interpretandum fidenter admodum affirmaverit, ego tamen, qui mense Januario ann. MDCCCXXVI. lapidem ipsum Fulginiæ adhuc exstantem pluries per septem dies attentius inspexi, sic marmorarii oscitantia insculptum vidi SVB . PRINCIPI . PE = PEREGRINORVM. Unde liquet, *subprinceps* fuisse vocem peregrinorum militum ita propriam, quemadmodum fuit etiam *princeps perefrinorum*, cujus mentio est in duabus *Inscript.* apud *Fabretti p.* 717. *n.* 383. et *Maffei Mus. Ver.* 425. 1., illiusque munus idem fortasse sic denotari in *Inscript.* apud *Gruter.* 22. 3. AGENS VICE PRINCIPIS PEREGRINORVM ». Ita cl. *Furlanetto*. Alia in *Bullett. dell'Istit. archeol. n.* 1849. *p.* 34. L. CEIVS L. F. PRIVATVS QVOD CVM EXAMPLIARETVR BALNEVM SVBPRINCIPI VOVERAT PRINCEPS PEREGRINORVM V. S. L. M. Adde *aliam* apud *Henzen. n.* 6785. — Afferebatur *alia* quoque apud *Gruter.* 417. 5. Q. HED. L. F. POL. RVFO LOLLIANO GENTIANO X. VIRO STL. IVD. PVTEOLANO SVP. VETERANOR. *etc.* At ex schedis *Ramberti* sic emendatius et plenius effertur X. VIRO STL. IVD. CENSIT. P. H. C. CVRAT. SPLEND. . . . PVTEOLANO. . . . SVPE. . . . VETERANOR.; ideoque restituendum videtur *Curat. Splend. Col. Puteolanor.* et *Superæqu. veteranor.* h. e. Superæquanorum veteranorum, quorum urbs in Pelignis fuit. — De hoc militari gradu agit *Henzenius* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1851. *p.* 114. *et seqq.*

SUBPRINCĬPĀLIS *vel* supprincipalis, e, adject. qui est post principalem. *Capell.* 9. *p.* 315. Tertius tonus παρυπάτη ὑπάτων, id est, subprincipalis principalium. *Boeth.* 4. *Music.* 3. Parhypate meson, quæ est subprincipalis mediarum.

SUBPRŎCŪRĀTOR, ōris, m. 3. procuratoris vice agens, *viceprocuratore*. *Inscript.* apud *Gruter.* 4. 4. AVIANVS AVG. (*Trajani*) LIB. SVBPROC. AVRARIAR. *Alia* apud *eumd.* 591. 1. HYPATICVS AVGG. LIB. SVBPROC. XX. *h. e.* vicesimæ hereditatum.

SUBPŬDET. *V.* SUPPUDET.
SUBPUNGO. *V.* SUPPUNGO.

SUBQUĀDRŬPLUS, a, um, adject. Ita appellatur numerus, qui ab alio numero quater continetur. *Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Si majorem numerum minor numerus quater metiatur, subquadruplus vocabitur; et sit per hæc in infinitum progressio.

SUBQUARTUS, a, um, adject. Ita appellatur numerus minor, qui cum alio majore comparatus ab eodem continetur cum quarta ejusdem parte: quemque *subsesquiquartum* vocat *Boeth.* 1. *Arithm.* 24. *Capell.* 7. *p.* 252. Aut subquartus (*numerus*), quem ὑποτέταρτον Græci appellant. Subquarti rationem habent quattuor ad quinque, octo ad decem. *et mox.* Ratio numeri subquarta. *V.* SUBDIMIDIUS.

SUBRĀDENS, entis, particip. *V.* SUBRADO.

SUBRĀDĬO, as, are, a. 1. irradio, illustro. — *a*) Transitive. *Tertull. Resurr. carn.* 29. Allegoricæ scripturæ resurrectionem subradiant. *h. e.* indicant. — *b*) Neutrorum more usurpat *Alcim. Avit. fragm. Serm. p.* 184. Et secretorum immortalium splendor etiam mortalibus oculis rara revelatione subradiat. V. *Quicherat, Add.* etc. *p.* 278.

SUBRĀDO, rādis, rāsum, rādere, a. 3. Part. *Subradens* II.; *Subrasus* I. — Subrado est subtus vel aliquantum rado.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 50. In vinea ficus subradito alte, ne eas vitis scandat. *Pallad.* 5. *R. R.* 4. Arbor ferrea strigili subrasa hilarior fiet. Legitur et in *Not. Tir. p.* 117.

II.) Translate est præstringo. *Ammian.* 28. 2. 1. Ultra flumen ædificiis positis, subradens barbaros fines.

SUBRANCĬDUS, a, um, adject. aliquantulum rancidus, ὑπόσαπρος. *Cic. Pis.* 27. *ad fin.* Exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Adde *Pseud.-Plaut. Querol.* 2. 3. 61. Cf. *Klinkhamer* ad *h. l.*

SUBRĀSUS, a, um, particip. *V.* SUBRADO.

SUBRAUCUS, a, um, adject. aliquantulum raucus, *alquanto roco*, ὑποβραγχώδης. *Cic. Brut.* 38. 141. Omnis motus cum verbis sententiisque consentiens, vox permanens, verum subrauca natura. — Absolute neutr. gen. *Ammian.* 31. 16. 6. Subraucum et lugubre strepens.

SUBRĔCĬTO, as, are, a. 1. clam vel submissa voce recito. *Gloss. Cyrill.* Ὑπαναγινώσκω, subrecito, sublego.

SUBRECTĬO *vel* surrectio, ōnis, f. 3. (subrigo) actus suberigendi.

I.) Proprie. *Arnob.* 5. *p.* 184. Phallorum illa fascinorumque subrectio, quos ritibus annuis adorat et concelebrat Græcia. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 2. 9. Sequitur colli subrectio inflexibilis.

II.) Translate est resurrectio. *Arat.* 1. 314. surrectio Christi, Ut furto celetur, emis.

SUBRECTĪTO. *V.* SUBREPTITO.

SUBRECTOR *vel* surrector, ōris, m. 3. (subrigo) qui subrigit vel dirigit. *Priscian. part.* XII. *vers. Æn.* 21. 204. *Keil.*

SUBRECTRIX *vel* surretrix, trīcis, f. 3. (subrector) quæ subrigit vel dirigit. *Priscian. loc. cit.* in voc. præc.

SUBRECTUS *vel* surrectus, a, um, particip. *V.* SUBRIGO.

SUBRECTUS, us, m. 4. (subrigo) actus subrigendi vel subrectio. *Priscian. loc. cit.* in v. SUBRECTOR.

SUBRĔFECTUS, a, um, particip. ab inusit. *subreficio*, aliquantum refectus, *alquanto ristorato*. *Vellej.* 2. 123. 3. Subrefectus aspectu alloquioque carissimi.

SUBRĔGO, is, ere, a. 3. leniter rego. *Venant.* 2. *carm.* 13. 28. *de S. Germano.* Qui regit hinc juvenes, subregit inde senes.

SUBRĔGŬLUS, i, m. 2. regulus inferioris ordinis, *piccolo re e ad altri soggetto*. *Ammian.* 17. 12. *sub fin.* Agilimundus subregulus aliique optimates. Adde *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sacr.* 10. Legitur et in *Not. Tir. p.* 45.

SUBRĔLINQUO, is, ere, a. 3. post relinquo, prætermitto, *lasciare indietro*, *abbandonare*. *Augustin.* 18. *Civ. D.* 33. *extr.* ex *Vulg. interpr. Ital. Sophon.* 2. Et subrelinquam in te populum mansuetum et humilem.

SUBRĔLĬQUUS, a, um, adject. qui est post relictus, prætermissus. *Vulgat. interpr. Ital.* apud *Lucif. Caral.* 1. *pro S. Athan. p.* 869. *Mign.* Judices ejus, sicut lupi Arabiæ, non subreliqui erunt in mane.

SUBRĔMĀNĔO, mānes, mansi, mānere, n. 2. idem quod remaneo. *Tertull. Anim.* 18. *a med.* A qua nec in fine subremanet. *Jul. Roman.* apud *Charis. p.* 192. 1. *Keil.* Strenue versatus, fortiter restitit, segniter subremansit.

SUBRĔMĬGANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUBRĔMĬGO *vel* surremigo, as, are, n. 1. Part. *Subremigans.* — Subremigo est subtus remigo, ὑπηρετέω.

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 47. (88). Brachiis subremigans, media cauda, ut gubernaculo, se regit. *Virg.* 10. *Æn.* 227. læva tacitis subremigat undis.

II.) Translate — *a*) Intransitive. *Calpurn. Flacc. Declam.* 20. Duce luxuria et subremigante seu potius velificante nequitia, in illos

impudicitiæ scopulos et ipse famæ suæ naufragia delatus. — b) Transitivorum more. *Auct. Ætn.* 295. *de organo hydraulico.* Quæ (*ars*) tenuem impellens animam subremigat undam. *h. e.* occulte quasi remis subagitat.

SUBRĒNĀLIS, e, adject. qui est sub renibus, ut Subrenalis morbus. *Veget.* 1. *Veterin.* 8. *et* 15.

SUBRĔPENS, entis, particip. *V.* SUBREPO.

SUBRĔPENTĔ, adverb. idem fere ac repente. *Hieronym. præf. in ep. ad Gal.* Per dies singulos lavacra iterum sordidanda, sed gratia Euangelii subrepente cessasse. Adde *Augustin.* 1. *De Mor. Eccl. cath.* 24. 25.

SUBRĔPO *vel* surrepo, rēpis, repsi (reptum), rēpere, n. 3. *Subrepsti,* syncope pro *subrepsisti,* apud *Catull.* 77. 3. Item *subrepsit,* pro *subrepserit,* apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 62. — Part. *Subrepens* I. et II. 1. *a.* — Subrepo est subtus aut clam repo, latenter subeo, obrepo, ὑφέρπω, ὑποδύομαι (It. *rampicarsi, accostarsi, venire di nascosto o a poco a poco o insensibilmente, insinuarsi di soppiatto;* Fr. *se glisser sous ou en cachette, s'avancer en se glissant, se traîner, s'approcher en se traînant;* Hisp. *escurrirse debaxo ó escondidamente, arrastrarse;* Germ. *hinunter kriechen, unten hinkriechen, herzuschleichen;* Angl. *to creep under, creep or steal along, steal softly*): construitur autem absolute aut sæpius cum Dat., vel Accus. et præp. *sub, in,* vel etiam sine præp.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, et quidem tum de brutis animantibus, tum de homine. *Cic. Sext.* 59. 126. Emergebat subito, quum sub tabulas subrepserat. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 100. *de muribus.* urbis aventes Mœnia nocturni subrepere. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 176. ductusque maligno Stamine fatorum claram subrepsit in aulam. *s'introdusse, si cacciò.* et *Colum.* 9. *R. R.* 1. *in fin.* Hæc animalia propter exiguitatem corporis facile clatbris subrepunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (70). Subrepenti lacertæ comminus sagitta insidians. ¶ 2. Speciatim est subnasci, succrescere. *Calpurn. Ecl.* 2. 43. Ars mea nunc malo pira temperat et nodo cogit Insita præcoquibus subrepere persica prunis. *h. e.* furtim se applicare et alterius locum occupare.

II.) Translate. — a) Universim. *Lucan.* 2. 505. moturas ingentia pondera turres Erigit et mediis subrepit vinea muris. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 251. Solvitur in laticem: subrepit crinibus humor. *h. e.* subtus et sensim fluit. — Figurate. *Ovid.* 7. *Met.* 155. Somnus in oculos subrepit. *Id.* 3. *Fast.* 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *Tibull.* 1. 1. 85. Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit. *Catull.* 77. 3. Sicine subrepsti mi, atque intestina perurens Mi misero, eripuisti omnia nostra bona? *Stat.* 11. *Theb.* 476. tacitus subrepsit fratribus horror. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (84). Huic oblivionem cibi subrepere ajunt. *Lucan.* 2. 390. nullosque Catonis in actus Subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas. *Quintil.* 4. 1. *circa med.* Insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causæ non satis honesta est. *Seneca Consol. ad Marc.* 1. *circa med.* Vide, quam non subrepam tibi, nec furtum facere affectibus tuis cogitem. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Paullatim et Romæ subrepsit appellatio. *s'introdusse tacitamente.* et *Seneca Ep.* 90. *post init.* Surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna versa sunt. *Sil. It.* 15. 136. Sed quamquam instinctis tacitus tamen ægra periclis Pectora subrepit terror. *Tibull.* 4. 3. 31. quæcumque meo subrepit amori. — b) Passive impersonaliter. *Quintil.* 4. 5. *a med.* Ita subrepetur animo judicis. — Hinc absolute neutr. *subreptum,* i. V. h. v.

SUBRĔPTĪCĬUS *vel* surreptitius et surrepticius a, um, adject. duo diversa significat.

A) Subrepticius, a *subrepo,* est qui furtim repit, furtivus, clancularius, celatus. *Plaut. Curc.* 1. 3. 48. quousque, quæso, ad hunc modum inter nos amore utimur semper surrepticio?

B) Subrepticius, a *subripio,* est clam aut furto ablatus, *furtivo, rubato. Id. Men. prol.* 60. Adoptat illum puerum surrepticium. *Ritschl* leg. *surrupticium.* Adde *Pœn.* 5. 2. 2.

SUBRĔPTĬO *vel* surreptio, ōnis, f. 3. duo diversa pro duplici vocis origine significat.

A) Subreptio, a *subrepo,* est actus subrependi, obreptio. Hinc *per subreptionem quippiam elicere aut impetrare,* apud *Impp. Theod. et Val. Cod.* 1. 14. 2. est aliquid per falsam rei narrationem vel simulatam causam obtinere. Adde *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 5. 8. 1. *V.* OBREPTIO.

B) Subreptio, a *subripio.* ¶ 1. Est actus subripiendi, occultum furtum, *furto occulto,* ὑφαρπαγή. *Apul.* 10. *Met.* Dejerant uterque, nullam se prorsus fraudem, nullam denique subreptionem factitasse. ¶ 2. Est etiam idem ac sublatio. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 11. Obtinente passione (*hydrophobica*), subreptio atque extensio præcordiorum ad superiores partes et officii ventris abstentio.

SUBRĔPTĪTĬUS. *V.* SUBREPTICIUS.

SUBRĔPTĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* subrepo, frequenter subrepo. *Cato* apud *Gell.* 10. 13. In cubiculum subreptitavit e convivio. *Hertz* rectius leg. *subrectitavit,* frequentat. a *subrigo,* h. e. crebro surrexit.

SUBRĔPTĪVĔ, adverb. (subreptivus) clam. *Jornand. Get.* 57. Inde (*urbe Ravenna*) subreptive noctu frequenter cum suis egrediens, (*Theodoricus*) Gothorum exercitum inquietat.

SUBRĔPTĪVUS, a, um, adject. (subrepo) per subreptionem impetratus, *surrettizio, finto, falso,* ut Subreptiva defensione muniri. *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 12. 16. 1.

SUBRĔPTOR *vel* surreptor, ōris, m. 3. (subripio) qui subripit. *Gloss. nom. p.* 170. ed. *Loewe.* Expilatores: alienæ hereditatis subreptores.

SUBRĔPTUM, i, n. 2. (subrepo) id, per quod subrepitur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 18. 20. (40). Scandere in subreptum. *h. e.* subrependo. *Silligius* tamen rectius leg. *subrectum.* V. SURRECTUS, a, um.

SUBRĔPTUS, a, um. *V.* SUBREPO et SUBRIPIO.

SUBRĔSĪDĔO, sīdes, sēdi, sīdere, n. 2. subsisto, pausam facio, cesso. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 1. Hoc maximum propositum vitæ subresedi. *h. e.* paullulum intermisi: alii rectius pro *subresedi* leg. *supremi præsidii.*

SUBRĔSŎNO, as, are, n. 1. aliquantisper resono. *Alcim. Sentent.* ex *ep. ad Eph.* 2. Ubi plurale aliquid in divinitate subresonat, non dualitas videtur intelligenda sed trinitas.

SUBRĪDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBRĪDĔO *vel* surrideo, rīdes, rīsi, rīdere, 2. Part. *Subridens* sub *a.* — Subrideo est leviter aut latenter rideo, ὑπομειδιῶ (It. *sorridere;* Fr. *sourire;* Hisp. *sonreirse;* Germ. *lächeln;* Angl. *to smile gently or a little*): occurrit autem tam in bonam, quam in malam partem. Cf. Italorum *sorridere* et *sogghignare.* — a) Intransitive. *Varro* 3. *R. R.* 2. 2. Axius Appio subridens inquit. *Cic. Rosc. Com.* 8. 22. Roscius fraudavit Fannium. qua de causa? Subridet Saturius veterator, ut sibi videtur: ait etc. *Virg.* 10. *Æn.* 742. subridens mixta Mezentius ira. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 33. limis subrisit ocellis. *Martial.* 6. 82. Subrisi modice. *Pers.* 3. 110. Candida vicini subrisit molle puella. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 108. subrisit crudele pater. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 40. Nec non etiam qui subridere videntur et stridore dentium aut singultu affici. — Cum Dativo. *Virg.* 1. *Æn.* 238. Olli subridens hominum sator atque deorum, Vultu, quo cælum tempestatesque serenat, Oscula libavit natæ. — b) Transitivorum more, cum Accus., idem ac irridere, *deridere. Vulgat. interpr. Am.* 5. 9. Qui (*Deus*) subridet vastitatem super robustum. *h. e.* sceleratorum robur irridet iisque vastitatem infert. Cf. *Ps.* 2. 4.

SUBRĪDĬCŬLĔ, adverb. aliquantulum ridicule, ὑπογελοίως. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. At in male olentem, Video me a te circumveniri, subridicule Philippus.

SUBRĪGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBRĬGO *vel* surrigo, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (sub *et* rego) *Surgite* pro *subrigite* est *Plauti* in fine *Epidici.* Lumbos surgite atque extollite. Hinc recentiores philologi dicunt, hanc esse formam primitivam verbi *surgo,* quod per syncopem a *subrigo* factum sit. *V.* SURGO. — Alia forma *subringo* est apud *M. Aurel.* ad *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 15. Ubi id audivi, calcar equo subringo, equum in oves inigo. « *Maius,* inquit *Furlanetto,* ita legi in codice affirmat; ego nullus dubito scriptum fuisse *subringo* pro *subrigo* amanuensis oscitantia ». At *Heindorf* apud *Nabal* ad *h. l.* pro *subringo* corrigit *suppingo.* — Part. *Subrigens* I 1. et II.; *Subrectus* I. 1. et 2. et in fin.; *Subrecturus* I. 1. et 2. — Subrigo est recta in altum tollo, erigo, arrigo, sustollo, ὑπαίρω, ἀναίρω (It. *alzar diritto, dirizzare;* Fr. *lever, élever, dresser;* Hisp. *elevar, erigir;* Germ. *in die Höhe richten, emporrichten;* Angl. *to lift or raise up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 4. *Æn.* 183. Subrigere aures. *Seneca Herc. Fur.* 392. caput. et *Stat.* 2. *Theb.* 27. *de Cerbero.* omnes capitum subrexit hiatus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 44. (86). Upupa crista visenda plicatili, contrahens eam subrigensque per longitudinem capitis. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 4. Terræ motus defert montes, subrigit plana, valles extuberat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 89. (365). Trifolium folia contra tempestatem subrigere certum est. *Id.* 36. *ibid.* 9. 14. (66). Quum subrecturus esset obeliscum. *Arnob.* 5. *p.* 176. *et* 177. Subrigere phallos. *Hieronym. Vit. Hilarion. n.* 43. Et jam membra, solidata ad standum, hominem surrigebant. *Capell.* 7. *p.* 236. Septingentos decem et septem numeros, complicatis in eos digitis, Jovem salutabunda subrexit. *V.* SUBRINGO. *Liv.* 8. 8. *a med.* Triarii sub vexillis considebant, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 21. Novos montes subrectos extollere. *Sil. It.* 2. 599. Surrecta moles. *Seneca* 5. *Benef.* 15. *sub fin.* Urbem subrectis intrate vexillis. *Id. Ep.* 86. Turres in propugnaculum villæ utrinque subrectæ. *Liv.* 7. 10. *a med.* Romanus, mucrone subrecto, quum insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *Lucan.* 9. 634. Surgunt adversa subrectæ fronte colubræ. — *Subrigere se,* vel *subrigi,* mediorum apud Græcos more, *sorgere, levarsi, rizzarsi. Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 47. (88). Paullatim subrigens se. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 6. Ut se, renitente dolore, nec inclinare valeant ac difficilius et dolentius subrigant. *Seneca* 1. *Ira* 1. *circa med.* Horrent et subriguntur capilli. *Adde Sil. It.* 13. 861. ¶ 2. Speciatim pro subjicere vel objicere. *Augustin. in Ps.* 56. 14. *de martyribus.* In carcerem missi sunt, bestiis subrecti sunt, alii ferro percussi, alii ignibus concremati. *et in Ps.* 51. 8. Ut multum sævias, subrecturus es bestiis. *et in Ps.* 36. *s.* 3. 13. Alios crucifixerunt, alios bestiis subrexerunt. *Alii leg.* subjecerunt.

II.) Translate. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 76. præcipuos merito subrexit in actus. *promosse ai principali impieghi.* Alii leg. *subvexit.* et *Augustin. Serm.* 60. Si ad ruinosam superbiam monachos subrigimus. *Ambros. de Is. et Anim.* 5. *n.* 44. Mirantur, quomodo anima ascenderit sicut vitis propago in superiora se subrigens. Adde *eumd. Ep.* 64. *n.* 4. *coll.* 1. *Hexaem.* 6. *n.* 23. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

Subrectus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Subrectior.* — Subrectus ¶ 1. Est in rectum elatus, erectus, arrectus, arduus, *ritto, alzato, diritto. Colum.* 7. *R. R.* 3. Minime nocent intorta potius, quam surrecta et patula cornua. *Id. Arbor.* 4. Vinearum fere genera in usu tria sunt, jugata, humi projecta, et deinde tertia, quæ est a terra subrecta, more arborum in se consistens. *Seneca Herc. Fur.* 790. Aure subrecta canis captat sonum. *cogli orecchi levati o tesi.* et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (137). Aures in equis indicia animi præferunt, fessis marcidæ,

micantes pavidis, subrectæ furentibus. *Id.* 10. *ibid.* 38. 54. (113). Aves subrectæ, pronæ, obliquæ, in latera, in ora feruntur. *Vopisc. Aurel.* 37. Surrectus ad stipitem bestiis objectus est. ¶ 2. Est etiam aliquantum seu modice erectus. Unde *subrectus locus* et *subrectior vallis,* apud *Auct. rei agrar. p.* 240. 252. *et* 260. *Goes.*

Subrectum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res subrecta. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 18. 20. (40). Pici arborum cavatores, scandentes in subrectum felium modo, *diritti all'insù.* Alii leg. *subreptum.*

SUBRĬGŪUS *vel* surriguus, a, um, adject. aliquantum irriguus, *alquanto innaffiato,* ὑποβρεχής. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (138). In agro crasso aut humido aut subriguo oleam seri jussit a messe ad brumam.

SUBRINGO. *V.* SUBRIGO init.

SUBRINGOR *vel* surringor, ĕris, i, dep. 3. Part. *Subringens.* — Subringor est aliquantulum ringor, stomachor, irascor. *Cic.* 4. *Att.* 5. Erimus uberiores, si et ille libenter accipiet et hi subringentur, qui villam me moleste ferunt habere. *Apul.* 2. *Met.* Infesto pollice dementer subringens infit Thelyphron.

SUBRĪPĬENS et

SUBRĪPĬO. *V.* SURRIPIO.

SUBRĪSĬO, ōnis, f. 3. (subrideo) actus subridendi. *Hieronym.* in *Amos* 2. ad *v.* 5. 8. *et seqq.* Μειδίαμα, quod nos subrisionem possumus appellare.

SUBRŎBĔUS. *V.* SUBRUBEUS.

SUBRŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. (subrogo) actus subrogandi, ἀντεισαγωγή. *Ambros. Ep.* 13. 2. et *Gloss. Gr. Lat.*

SUBRŎGĀTUS *vel* surrogatus, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBRŎGO *vel* surrogo, *vel etiam divisim* sub rogo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subrogatus* et *Subrogandus* sub *a.* — Subrogo est substituo, ἀντικαθίστημι (It. *sostituire, surrogare;* Fr. *placer sous ou après, faire choisir à la place, subroger;* Hisp. *sustituir, subrogar;* Germ. *an die Stelle setzen;* Angl. *put in the place of, subrogate*). Occurrit speciatim — *a*) De magistratibus et est alterum in demortui vel munere suo perfuncti locum sufficio. *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. *ad fin.* Statim enim collegam sibi subrogasset. *Liv.* 2. 7. Quia nec collegam subrogaverat in locum Bruti. *Id.* 23. 24. Ad consules subrogandos veniret. *Cic.* 2. *Rep.* 36. 61. In annum posterum decemviros alios subrogaverunt. *Val. Max.* 6. 3. *n.* 2. Magistratibus non subrogatis. *Sex. Ruf. Breviar.* 2. Consules (*Romæ*) fuerunt a Bruto et Publicola in Pansam et Hirtium, numero DCCCLXVII., præter eos, qui in eumdem annum sorte aliqua sunt subrogati. *Imppp. Valentinian., Theodos.* et *Arcad. Cod. Theod.* 1. 5. 9. Sublimitas tua amotis (*judicibus*) vicarios subroget. — *b*) De lege, apud *Ulp. Regular. tit.* 1. 3. Lex subrogatur, id est, adjicitur aliquid primæ legi. — *c*) De aliis. *Aurel. Vict. Epit.* 33. Gallienus in loco filii sui alterum filium subrogavit.

SUBROSTRĀNUS *vel* surrostranus, a, um, adject. (sub *et* rostra) qui plurimum obambulat sub Rostris, quod faciebant homines otiosi omniumque rumorum aucupes: ut subbasilicanus, qui sub basilica. In plur. num. absolute *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *ad fin.* Te ad IX. Cal. Jun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant periisse. Alii minus recte leg. *subrostrarii.*

SUBROSTRĀRĬUS. *V.* voc. præced.

SUBRŎTĀTUS *vel* surrotatus, a, um, particip. ab inusit. *subroto* (sub *et* rota). Subrotatus aries dicitur a *Vitruv.* 10. 19. *ante med.* militaris machina, quæ rotis suppositis agitur.

SUBRŎTUNDUS *vel* surrotundus, a, um, adject. aliquantulum rotundus, *rotondetto,* ὑποστρόγγυλος, ut Subrotunda radicula, apud *Cels.* 5. 28. *n.* 14.

SUBRŎVĔUS. *V.* SUBRUBEUS.

SUBRŬBĔO *vel* surrubeo, es, ere, n. 2. aliquantum rubeo, nonnihil rubeo, ὑπερυθραίνομαι. *Ovid.* 2. *Art. am.* 316. Plenaque purpureo subrubet uva mero. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *a med.* Grossi incipiunt subrubere. *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 590. *Riese.* Et veste ab rosea subrubet ipse polus. Adde *Æmil. Macr. c.* 77. *de Aloe p.* 246. *retro.*

SUBRŬBER *vel* surruber, bra, brum, adject. aliquantum ruber, *alquanto rosso, rossetto. Cels.* 5. 28. *n.* 8. Subrubra caro. *Apul. Herb.* 2. radix.

SUBRŬBĔUS (subrobeus, subroveus) *vel* surrubeus, a, um, adject. idem ac subruber. *Non. p.* 549. 9. *Merc.* Ostrina ab ostri colore, qui est subrubeus. *Oribas. fragm. Bernens.* 2. 4. *p.* 7. 4. 4. et 14.; 2. 5. *p.* 7. 32. *Hagen.*

SUBRŬBĪCUNDUS *vel* surrubicundus, a, um, adject. rubicundulus, aliquantum rubicundus, *rossetto, alquanto rubicondo o rosseggiante,* ὑπέρυθρος. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 106. (167). Herba ex trixaginis specie et mollitia, cauliculis subrubicundis. *Seneca* 3. *Ira* 4. Subrubicundus vultus. *Cels.* 5. 28. *n.* 4. ulcus. Adde *ibid.* 26. *n.* 20.

SUBRUDIS, e, adject. aliquantum rudis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 123. Rudis, subrudis.

SUBRŬFUS *vel* surrufus, a, um, adject. aliquantum rufus, ὑπόπυῤῥος. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 61. (41). Indica gentium suarum habet nomen, subrufo colore, in attritu sudorem purpureum emanat. Adde *Æmil. Macr. c.* 61. *de Hyoscyamo p.* 244. — Prægnanti, ut ajunt, sensu, dicitur de homine, qui capillos rubeos habet. *Plaut. Capt.* 3. 4. 115. Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

SUBRŪMANS *vel* surrumans, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUBRŪMO *vel* surrumo, as, are, a. 1. (sub *et* ruma) Part. *Subrumans.* — Subrumo est sub mammam submitto, *accostare alla poppa:* dicitur autem de brutis animantibus. *Festus p.* 306. 32. *Müll.* Subrumari dicuntur hædi, quum ad mammam admoventur, quia ea rumis vocabatur: vel quia rumine trahunt lac sugentes. Cf. *Paul. Diac.* ex *eod. p.* 307. 12. *Colum.* 7. *R. R.* 4. Ut et suis quotidie matribus et alienis non amantibus agni subrumentur. *Id.* 12. *ibid.* 3. *ad fin.* Pastores fetus ovium subrumantes.

SUBRUMPO *vel* surrumpo, rumpis, ruptum, rumpere, a. 3. Part. *Subruptus.* — Subrumpo est idem ac rumpo vel subtus rumpo, *rompere. Arnob.* 2. *p.* 82. Aliorum subrumpant et labefaciant scita. *Manil.* 3. 352. Pluraque per partes subrupto tempore signa Quærentur. Alii leg. *subrepto;* sæpius enim alterum cum altero in MSS. Codd. et ed. libb. confunditur.

SUBRŪMUS *vel* surrumus, a, um, adject. (sub *et* ruma) qui adhuc sub mamma est, ὑπομάστιος. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* (*et ibid.* 11.) Si parum habet lactis mater, subjiciat sub alterius mammam, qui appellantur subrumi, id est sub mamma. Antiquo enim vocabulo mamma rumis, ut opinor. *Festus* apud *Paul. Diac.* in *Ruminalis p.* 271. 4. *Müll.* Mamma autem rumis dicitur. Unde et rustici appellant hædos subrumos, qui adhuc sub mammis habentur. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 168. 1. *Merc.*

SUBRUNCĀTOR *vel* surruncator et

SUBRUNCĪNĀTOR *vel* surruncinator. *V.* IMPORCITOR.

SUBRUNCĪVUS *vel* surruncivus, a, um, adject. (sub *et* runco) qui runcatur, ut Subruncivi limites, *strade consortive,* in agris, ubi terra runcatur et a vepribus sentibusque purgatur, ut iter facientibus expedita transitio sit. Differunt ab actuariis, quia hi omnium iter facientium commodo inserviunt; subruncivi vero finitimorum et mensuræ tantum disterminandæ causa sunt constituti. *Hygin. de limit. p.* 152., 177. *et* 209. *Goes. Id. p.* 203. *ibid.* Limites, qui subruncivi appellantur, patere debent pedes VIII.

SUBRŬO *vel* surruo, rŭis, rŭi, rŭtum, rŭere, a. 3. Part. *Subrutus* in omn. paragr.; *Subruendus* I. 1. — Subruo est subtus fodio suffodio, ὑπορύττω (It. *scavar sotto;* Fr. *creuser dessous, saper les fondements, renverser;* Hisp. *cavar debaxo, echar;* Germ. *von unten einreissen, unterwühlen;* Angl. *to dig under, undermine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 6. 544. Terra superne tremit magnis concussa ruinis Subter, ubi ingentes speluncas subruit ætas. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Ubi murus defensoribus nudatus est, testudine facta, portas succedunt murumque subruunt. *Alii* subeunt. *Id.* 6. *ibid.* 27. Omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Amnis subruit montes. *Vitruv.* 5. 12. *circa med.* Arena fluctibus subruta efficiet in mare pilæ præcipitationem. *Auct. B. Afr.* 50. Erat convallis satis magna latitudine, altitudine prærupta, crebris locis speluncæ in modum subrutis. *Liv.* 5. 21. Subrutis cuniculo mœnibus, arcem jam plenam hostium esse. *Id.* 33. 17. *a med.* Multis simul locis aut subruti aut ariete decussi ruebant muri. *Id.* 34. 29. Jam testudinibus admotis, murus subruebatur: jam arietibus quatiebatur. *Id.* 21. 11. Subruendus murus ab imo. *Colum.* 5. *R. R.* 5. *ante med.* Tum subruta parte ima, leviter pilam commovere. ¶ 2. Latiore, seu prægnanti, ut ajunt, sensu, est diruo, destruo, everto, funditus proruo, *diroccare, abbattere, rovinare dalle fondamenta,* κατατειχίζω. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Captam suam urbem vident, opera perfecta, turrem subrutam. *Liv.* 31. 46. *ad fin.* Muri pars, ariete incusso subruta, multis jam locis prociderat. *Ovid.* 15. *Met.* 228. Subruit hæc ævi demoliturque prioris Robora. *Id.* 3. *Trist.* 11. 23. Subruere est arces et stantia mœnia virtus. Adde *Propert.* 3. 3. 53. *Id.* 3. 7. 55. Claustraque Pelusi Romano subruta ferro. *Stat.* 9. *Theb.* 474. genibusque obnixus et hærens Subruta fallaci servat vestigia limo. *h. e.* pedes eversos et consistere in vestigio nequeuntes propter limum lubricum et fallentem. *Auct. B. Afr.* 57. *ad fin.* Subito imbre grandineque consecuta, aqua omnes subruti disjectique per castra passim vagabantur. *h. e.* pæne ob. uti. *mezzo affogati.* et *Tac.* 3. *Hist.* 28. Subruere vallum. *Id. ibid.* 20. Perfringere ac subruere muros.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 863. rarescit corpus et omnis Subruitur natura: dolor quam consequitur rem. *h. e.* labefactatur et infirmior fit natura animalis. *Liv.* 41. 23. Nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur. *h. e.* libertatis fundamenta labefactari. *Horat.* 3. *Od.* 16. 13. diffidit urbium Portas vir Macedo et subruit Reges muneribus. *atterrò.* et 2. *Ep.* 1. 179. Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum Subruit ac reficit. *abbatte.* et *Tac.* 2. *Hist.* 101. Militum animos obstinatos pro Vitellio, variis artibus subruebat. *h. e.* tentabat, ut fidem mutarent. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 112. Ne multorum securitas subruatur. *Seneca Hippol.* 773. Res est forma fugax, dum licet, utere. Tempus te tacitum subruet. *Val. Max.* 9. 10. *ext.* 2. Subruere exspectationem. et *Ambros.* 1. *Hexaem.* 3. *n.* 10. veritatem. Rursus *Val. Max.* 5. 10. *n.* 3. Quum se obitu ejus subrutum et eversum videret. *Maximian. Eleg.* 1. 171. Donec longa dies, omni compage soluta, Ipsum cum rebus subruat auxilium.

SUBRŬPĬO. *V.* SURRIPIO.

SUBRŬPTĪCĬUS. *V.* SUBREPTICIUS.

SUBRUPTUS *vel* surruptus. *V.* SUBRUMPO.

SUBRUSTĪCĒ *vel* surrustice, adverb. (subrusticus) aliquantum rustice. *Gell. præf. ante med.* Nos vero, ut captus noster est, incuriose et immeditate ac prope etiam subrustice, ex ipso loco ac tempore hibernarum vigiliarum *Atticas noctes* inscripsimus.

SUBRUSTĪCUS *vel* surrusticus, a, um, adject. aliquantum rusticus, *rustichello,* ὑπάγροικος. *Cic. Brut.* 74. *a med.* Sonabat contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum. *Id.* 5. *Fam.* 12. Pudor quidam pæne subrusticus. Adde *Claud. Mamertin. Grat. act. Jul.* 21.

SUBRŪTĪLANS *vel* surrutilans, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUBRŪTĪLO *vel* surrutilo, as, are, n. 1. Part. *Subrutilans.* — Subrutilo est rutilus seu ·ſla·rus fio.

1.) Prŏprie. *Hieronym.* 15. in *Isai.* 54. 12. Est et alius iaspis nivi et spumæ marinorum fluctuum similis et elementer quasi mixto cruore subrutilans. Adde *Augustin.* 2. *Soliloq.* 20. *n.* 35.

II.) Translate. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 25. Si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi jam debet, quid sit anima.

SUBRŬTĬLUS *vel* surrutilus, a, um, adject. in rutilum vergens colorem, *rossello*, ὑπόπυῤῥος. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (8). Genus aquilarum media magnitudine, colore subrutilo, rarum conspectu. *Id.* 36. *ibid.* 21. 39. (150). Actites gallæ similis aut subrutilus. *Id.* 24. *ibid.* 11. 54. (91). Frutex subrutilus. *Sueton. Domit.* 20. Cujusdam caput varietate capilli subrutilum.

SUBRŬTOR *vel* surrutor, ōris, m. 3. (subruo) qui subruit. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 940. T. NAEVIVS DIADVMEN. CVR. *col.* SVBRVTOR. (sc. curator collegii subrutorum) CVLTOR. SILVANI. *Mommsen* ad *h. l.* conjicit, *subrutores* dictos, qui ædificia subruerent sive incendio labefactata sive alia de causa diruenda.

SUBRŬTUS *vel* surrutus, a, um, particip. *V.* SUBRUO.

SUBSALSUS, a, um, adject. salis saporem nonnihil referens, *salmastro*, ὑφάλμυρος. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 29. 103. (175). Subsalsa gustanti herba. *Cels.* 5. 12. Dare potui tepidam aquam subsalsam.

SUBSALTO, as, āvi, are, n. 1. aliquantum salto. *Vulgat. interpr. Ital. Joel* 1. 17. Subsaltaverunt vituli in præsæpibus suis. Adde *Rufin.* ex *Euseb. Hist. Eccl.* 7. 26.

SUBSĀNĬUM. *V.* SUBSANNIUM.

SUBSANNANS, antis, particip. *V.* SUBSANNO.

SUBSANNĀTĬO, ōnis, f. 3. (subsanno) actus subsannandi sive irridendi. *Vulgat. interpr. Ps.* 34. 16. Subsannaverunt me subsannatione. Adde *eumd. Job* 34. 7. *Gloss. Labb.* Subsannatio, μυκτηριασμός. — In plur. num. *Vulgat. interpr. Eccli.* 34. 21.

SUBSANNĀTOR, ōris, m. 3. (subsanno) qui subsannat, irrisor, μωκός. *Vulgat. interpr. Eccli.* 33. 6. Equus emissarius, sic et amicus subsannator, sub omni supra sedente hinnit. Adde *Augustin. Serm.* 5. *n.* 3. ed. *Mai.*

SUBSANNĀTŌRĬUS, a, um, adject. (subsanno) irrisorius. *Hieronym.* in *Job* 15.

SUBSANNĀTUS, a, um, part. *V.* SUBSANNO.

SUBSANNĬUM, ii, n. 2. Alii leg. *subsanium*, simplici *n*; sed prior lectio videtur præferenda. — Subsannium est capsa navis, *cassero*. *Auct. Hist. Apollon. reg.* 38. *extr.* et in *Act. S. Felic. ep. p.* 682. *Mign.* In subsannio navis.

SUBSANNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sub *et* sanna) Part. *Subsannans* et *Subsannatus.* — Subsanno est sanna irrideo, χλευάζω, ἐκμυκτηρίζω (It. *beffeggiare, dileggiare*; Fr. *se moquer de, tourner en dérision*; Hisp. *mofar, burlarse*; Germ. *mit spöttischen Gebehrden verhöhnen*; Angl. *to laugh to scorn, mock*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Tertull. advers. Jud.* 11. *ante med.* Ecce ipsi quasi subsannantes. *Hieronym. Ep.* 40. *n.* 2. Quadrante indignam eloquentiam nare subsanno: quid ad te, quid disertus es? *V.* SANNA. *Nemesian. fragm. de aucup.* 8. et rauca subsannat voce magistri Consilium. *Vulgat. interpr. Ps.* 2. 4. Qui habitat in cælis, irridebit eos et Dominus subsannabit eos. Adde *Ps.* 34. 16. et *V.* SUBSANNATIO. *Commodian.* 38. 6. In illam spem posuit, quam vos subsannati rejicitis. Adde *Hieronym. advers. Jovinian.* 2. § 28. — *b*) Cum Dativo. *Schol.* ms. ad *Juvenal.* 10. 29. ex *Gloss. Nov. Lat. p.* 67. Democritus subsannabat hominum fatuitati.

SUBSAXĀNEUS et

SUBSAXĀNUS, a, um, adject. (sub *et* saxum) qui sub saxo est. Hinc nomen habuit Bona dea, cujus ædes sub saxo exstructa erat, ut *Ovid.* significat 6. *Fast.* 149. *Curios.* et *Notit. Urb. p.* 20. et 21. *Pr.* Ædes Bonæ deæ Subsaxaneæ. — Ponitur Bonæ deæ Subsaxanæ ædes a *P. Vict.* in Reg. XII. urbis Romæ.

SUBSCĀLĀRIS, e, adject. qui sub scalis est. *Inscript.* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4331. IN HIS PRAEDIIS INSVLA SERTORIANA SOLO (*sc.* insulam Sertorianam volo) ESSE AVR. CYRIACETIS FILIAE MEAE CENACVLA N. VI. TABERNAS N. XI. ET REPOSSONE SVBISCALIRE (*sic*). Ita legitur in lapide pro *repositionem subscalarem.* h. e. *un ripostiglio sotto la scala, un sottoscala.* — Hinc

Subscalaria, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, loca sub scalis posita. *Inscript.*, quæ pertinet ad a. U. C. 754. apud *Henzen n.* 7368. NEPOS DEC. PAVIMENTVM IN OSSVARIO ET SVBSCALARIA D. S. P. D. C. CAESARE L. PAVLLO COS.

SUBSCALPENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSCALPO, is, ere, a. 3. Part. *Subscalpens.* — Subscalpo est subter scalpendo pruritum excito, *grattare, solleticare. Capell.* 1. *p.* 4. Venus prurituì subscalpentem circa ima corporis Psyches apposuerat voluptatem.

SUBSCINDO, is, ere, a. 3. aliquantum scindere. *Plin. Valer.* 2. 30. Spicam alii mandatam subscindes et balsamo intinctam injicies.

SUBSCRĪBENDĀRĬUS, ii, m. 2. (subscribo) qui subscribit: vox cadentis Latinitatis, quæ respondet fortasse τῷ *a subscriptionibus.* V. SUBSCRIPTIO. Est autem nomen officii, de quo aliquoties mentio fit in *Cod. Theod.*, ut 7. 4. 1. et 8. 4. 8. Erat autem minister comitis seu ducis rei militaris, similis actuario, sed majoris tamen dignitatis.

SUBSCRĪBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSCRĪBO, scrībis, scripsi, scriptum, scrībere, a. 3. Part. *Subscribens* I. 2.; *Subscriptus* I. 1. et 2.; *Subscripturus* et *Subscribendus* I. 1. — Subscribo est sub aliqua re scribo, adscribo, ὑπογράφω (It. *scrivere sotto*; Fr. *écrire dessous, écrire au bas*; Hisp. *escribir abaxo, suscribir*; Germ. *unten hinschreiben, darunter schreiben*; Angl. *to write under or below*). Usurpatur absolute aut sæpe cum Acc. vel Dat., sequente etiam aliquando particula relativa vel infinito.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 19. 58. Subscribere causam parricidii. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 9. *ad Att.* Cæsar nobis litteras perbreves misit, quarum exemplum subscripsi. *Horat.* 3. *Od.* 24. 28. Si quæret, pater urbium Subscribi statuis. *che sia posta l'iscrizione.* Adde *Ovid.* 9. *Met.* 562. *Colum.* 5. *R. R.* 6. Seminaria ulmorum parentur ea ratione, quam deinceps subscripsimus. *Callistrat. Dig.* 35. 1. 80. *sub fin.* et *Julian.* 34. 3. 12. Subscribere rationes. *Modestin. ibid.* 29. 2. 50. Post subscriptam epistolam. *Martian. ibid.* 7. 6. Codicillos non alias valere, quam sua manu signatos et subscriptos. *Martian. ibid.* 20. 6. 8. *ad fin.* Si subscripserit in tabulis emptionis, concessisse videtur. *Macer ibid.* 48. 2. 8. Qui duo judicia adversus duos reos subscripta habet. *Trebon.* ad *Cic.* 12. *Fam.* 16. *a med.* Concinnavi tibi munusculum ex instituto meo et tibi infra subscripsi. *Ulp. Dig.* 2. 13. 6. Si plures tutores tutelam simul administraverint, aut omnes edere debent aut certe unius editioni subscribere. *Scævola ibid.* 40. 7. 40. *circa med.* Quum testator non potuerit rationibus subscribere, testamento tamen subscripserit. *Marin. Pap. dipl. n.* 74. *col.* 5. Hoc testamentum scribendum dictavi, propria manu subscripturus cum testibus conrogatis numero competenti. — Cum Infinito. *Cic. Cluent.* 36. *a med.* Statuis inauratis, quas posuit ad Iuturnæ, subscripsit, reges ab se in gratiam esse reductos. — *Subscripta,* absolute, est constitutio vel lex subscriptione principis munita. *Cod. Hermog.* 13. 1. et *Justinian.* 8. 8. 3. ¶ 2. Speciatim frequens est ejus usus in judiciis. Nam qui reum aliquem deferebat et accusare parabat, non ante admittebatur, quam ejus, cui litem intendebat, nomen in libello perscripsisset et præterea adscripsisset suum: qua re subjiciebat se eidem pœnæ, si crimen non probasset. *V.* voc. seq. — Similiter advocati et patroni, paratos se ad eamdem accusationem professi operamque suam primario accusatori polliciti, nomina sua eidem libello subjiciebant: unde et *subscriptores* dicti. *Plaut. Pœn.* 3. 6. 5. Cras subscribam homini dicam. *h. e.* scribam, intendam. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *circa med.* Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratr Cæcilio, Sullæ filio. *Id.* 2. *Invent.* 19. 58. Quum veneficii nomen esset delatum et parricidii causa subscripta –; quoniam id causæ subscriptum esset. *Nepos Att.* 6. Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit. *Vellej.* 2. 69. *ad fin.* Capito Agrippæ subscripsit in C. Cassium. *Plin.* 5. *Ep.* 1. *circa med.* Post hoc ille cum ceteris subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit, *h. e.* litem intendit ceteris, mihi non intendit. *Ulp. Dig.* 47. 2. 92. et *ibid.* 1. 3. Subscribere in crimen. *Scævola ibid.* 48. 10. 24. in crimine. Hinc scite *Tac. Agric.* 45. Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici, quum suspiria nostra subscriberentur. *h. e.* accusarentur. Delatores enim, libello dato subscriptoque suo nomine, etiam suspiria deferebant. V. *Senec.* 3. *Benef.* 26. et *Apul. De Mag. init.* — Cum part. relat. *Cic. Cluent.* 47. *circa med.* In L. Popillium, qui Oppianicum condemnarat, subscripsit L. Gellius, quod is pecuniam accepisset, quo innocentem condemnaret. ¶ 3. Item simpliciter adnotare, perscribere. *Cic.* 5. *Verr.* 51. 120. Lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magistratus subscribitur. *si fa nota del numero degli aratori.* et *Quintil.* 12. 8. *circa med.* Nec tanta sit acturo memoriæ fiducia, ut subscribere audita pigeat. — Censores subscribere dicebantur, quum aliquem propter delictum nota inurebant: quia ejus notæ causam in tabulis perscribebant. *Cic. Cluent.* 42. 119. Video, animadvertisse censores in judices quosdam illius consilii Juniani, quum istam ipsam causam subscriberent. *et ibid.* 44. 123. Ac primum illud statuamus, utrum quia censores subscripserint, ita sit; an, quia ita fuerit, illi subscripserint. *et ibid.* 45. 127. Nam hæc, quæ de judicio corrupto subscripserint, quis est, qui ab illis satis cognita arbitretur? — Sub imperatoribus *subscribere* in fine epistolarum et rescriptorum erat, non nudum nomen adscribere imperatoris aut officialis (hoc enim potius *subnotare* dicitur), sed verba aliquot chirographo principis aut officialis subjicere, quibus vel exprimeretur illud ipsum, quod libello petebatur, ut in *Inscript.* apud *Gruter.* 607. 1.; vel vota et bona verba ad eos, ad quos litteræ mittebantur. *Lamprid. Commod.* 13. Ipse Commodus in subscribendo tardus et negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet, in epistolis autem plurimis, Vale, tantum scriberet. *Suetonii* quoque illud huc pertinet, *Tib.* 32. Quum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, ne verbo quidem insectatus ac tantummodo jussos subscribere remisit. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. Censor C. Atejum ementitum auspicia subscripserit. *V.* voc. sequent. ¶ 4. *Subscribere* pro clam et occulte scribere, videtur usurpari a *Sueton. Aug.* 27. Pinarium equitem R., quum, contionante se apud milites, subscribere quædam animadvertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit.

II.) Translate. ¶ 1. Est adstipulari, assentiri, favere, ratum habere, confirmare, *approvare, favorire, confermare. Ovid.* 1. *Trist.* 2. 3. Neve, precor, magni subscribite Cæsaris iræ. *Cels.* 3. 4. Ulterioribus diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit: primis vero tortoris vicem exhibuit. *Colum.* 1. *R. R.* 2. Si fortuna voto subscripserit. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 96. Tuo desiderio subscripsi. *Phædr.* 3. 10. Subscribere gratiæ aut odio. *Val. Max.* 4. 7. *n.* 4. Subscribere amoribus alicujus. *Manil.* 2. 551. sed totidem bellum subscribitur astris. *h. e.* firmatur astrorum influxu. *et ibid.* 834. Utcumque admixtis subscribant viribus astra. ¶ 2. *Subscribere aliquid* alicui, apud *Tertull. Virg. veland.* 10., est permittere, concedere, assignare. Adde *Idolol.* 13. et *Anim.* 40.

SUBSCRIPTĬO (suscriptio), ōnis, f. 3. (subscribo) actus subscribendi et etiam illud ipsum, quod subscribitur. ¶ 1. Stricto sensu. — 1.°) Generatim. *Cic.* 6. *Att.* 2. *a med.* Quum in turma inauratarum equestrium animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, er-

ratum fabrile putavi. *Callistrat. Dig.* 48. 10. 15. Si testator specialiter subscriptione sua declaraverit, dictasse etc. *h. e.* subsignatione. Adde *Paul. ibid.* 14. *Apul. De Mag. a med.* Estne tua ista subscriptio (*epistolæ*)? — 2.°) Speciatim. — *a*) In re forensi est adscriptio nominis sui facta ab eo, qui alterum est accusaturus (quæ et *inscriptio* dicitur): item ab iis, qui accusaturo se adjutores præbent, ut in SUBSCRIBO dictum est; unde et pro accusatione ponitur. *Ulp. Dig.* 48. 2. 7. Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio, quæ res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, quum sciat inultam sibi non futuram. *Cic. Divin. Verr.* 15. *ad fin.* Ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt. *Seneca* 3. *Benef.* 26. *in fin.* Quum Maro convivas testaretur et jam subscriptionem componeret. *Quintil. Declam.* 15. 6. Numquid inique, judices, in tanti sceleris subscriptione deposco, ne etc? *Gell.* 2. 4. Quum de constituendo accusatore quæritur, culnam potissimum ex duobus pluribusve accusatio subscriptioque in reum permittatur etc. *Quintil. Declam.* 319. Ut sequatur adulterii pœnam alia subscriptio, alii judices et alia sortitionis fortuna. *Seneca Apocoloc. ad fin.* Postulat nomen ejus recipi: edit subscriptionem: Occisos senatores XXX., equites R. CCCXV. etc. Ex hoc loco colligimus, in hujusmodi subscriptionibus non solum nomen rei, qui accusandus esset, sed etiam causas, propter quas accusari deberet, perscriptas fuisse. — *b*) *Subscriptio censoria* est adscripta subjectio causæ, propter quam censores in aliquem animadverterunt, ut similiter in voce præced. exposuimus. *Cic. Cluent.* 42., 43. *et* 44. — *c*) Item quod a principe aut ab ejus officiali litteris aut libello oblato subjicitur, ut diximus in voce præced. *Ulp. Dig.* 1. 4. 1. Quodcumque imperator per epistolam et subscriptionem statuit, legem esse constat. Adde *ibid.* 48. 10. 29. et *Cod.* 1. 23. 6. — *d*) Hinc *acceptor a subscriptionibus*, qui, ut videtur, accipiebat libellos principi oblatos, quibus subscriberet. *Inscript.* apud *Wilmans n.* 384. ¶ 2. Latiore sensu est simplex adnotatio, perscriptio. *Cic.* 5. *Verr.* 47. *extr.* In agro Leontino jugerum subscriptio ac professio non est plus XXX. milium. *la nota, il catastico.*

SUBSCRIPTĪVUS, a, um, adject. (subscribo) ad subscriptionem pertinens. *Boeth. in Porphyr. dial.* 1. p. 14. Horum ergo, quos Græci ὑπογράφους λόγους dicunt, Latini subscriptivas rationes dicere possunt, reddemus. Subscriptivæ autem rationes sunt demonstrativæ et quodammodo insignitivæ proprietatis illius rei, quæ quum ipsa generalissima sit, et genus ejus nullum reperiri possit, eam tamen definire necesse est.

SUBSCRIPTOR, ōris, m. 3. (subscribo) qui subscribit: et speciatim qui alteri quempiam accusare parato socium se atque adjutorem profitetur, ut in SUBSCRIBO dictum est.

I.) Proprie et speciatim. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 47. Venit paratus cum subscriptoribus exercitatis et disertis. Ubi *Ascon.* Subscriptores dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent. *Id. Dom.* 19. 49. Ille novitius Ligur, venalis adscriptor et subscriptor tuus. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. *init.* Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore Lentulo subscriptoribusque ejus infantius. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 8. Sine ullo subscriptore descendit et Tuccium reum fecit.

II.) Translate est fautor, approbator. *Gell.* 5. 21. Velim doceas nos, cur *pluria* non Latine, sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Ælius, P. Nigidius, M. Varro, quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus. *Id.* 19. 8. *a med.* Non ut hujus sententiæ legisque fundus subscriptorque fierem, sed etc.

SUBSCRIPTUS, a, um, particip. *V.* SUBSCRIBO.

SUBSCRŪPŌSUS, a, um, adject. aliquantisper scruposus vel scrupulosus. *Ammian.* 21. 16. *ab init.* Examinator meritorum nonnumquam subscruposus, palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo. Alii leg. *scrupulosus*, alii *subscrupulosus.*

SUBSCRŪPŬLŌSUS. *V.* voc. præced.

SUBSCŪDĪNES. *V.* voc. seq. init.

SUBSCŪS, scūdis, f. 3. (sub et cudo) In plur. num. *subscudines* pro *subscudes* dixit *Augustin.* 15. *Civ. D.* 27., cujus verba *V.* in EPIGRUS. — Subscus est tabella lignea vel alius materiæ, utrinque in modum caudæ hirundinis succisa, quæ immittitur, ut trabes aliave committat, *spranga, coda di rondine.* *Festus p.* 306. 31. *Müll.* Subscudes appellantur cuneatæ tabellæ, quibus tabulæ inter se configuntur, quia quo eæ immittuntur, succuditur. Pacuvius in Niptris: Nec ulla subscus cohibet compagem alvei. Plautus in Astraba: Terebratus multum sit et subscudes addite. Adde *Arnob.* 6. 16. — Differt a securicula; quia hæc ex una tantum parte in modum parvæ securis seu hirundininæ caudæ formatur et immittitur: subscus vero ex utraque parte eam figuram habet et utrinque compingitur; hujusmodi est ferrum illud, quod, in molendini superiorem molam immissum, eam sustinet et versat, quod proinde a *Vitruv.* 10. 10. subscus ferrea appellatur. *Id.* 4. 7. Eæ trabes ita sint compactæ subscudibus et securiculis, ut compactura duorum cubitorum habeat laxationem. *Cato R. R.* 18. *sub fin.* Orbem olearium facito: subscudes ligneas addito: eas ubi confixeris, clavis corneis occludito. — Cl. *Guglielmotti* (in op. *Di due navi Rom.* etc. § XV.) demonstrat, *subscudem*, Ital. *targone*, fuisse apud Græcos idem quod τροχαντήρ.

SUBSĔCĪVUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SUBSĔCĪVUS *vel* subsicivus (supsicivus) *et* Subcisivus *vel* succisivus, a, um, adject. — Scribitur hac duplici forma, prout derivatur a *sub* et *seco*, vel a *sub* et *cædo*; sed quum veri similior sit notatio prior a *sico* pro *seco*: ita probabilior videtur scriptio *subsicivus* vel *subsecivus.* — *Subsicivus*, ut monet *Lachmann.* ad *Lucret. p.* 16., veteribus magis placuit, quam *subsecivus.* Hanc tamen scribendi formam confirmat *Inscr.* in *Bullett. dell' Istit. Archeol. a.* 1862. *p.* 29. (*Wilmans n.* 190.); illam *Tabula aenea* apud *Gruter.* 1081. 2. tempore Domitiani scripta, ubi *subsiciva* legitur. Adde *Leg. Agr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 200. *l.* 66., ubi *supsicivus* scriptum est. Contra *Gruter.* ad *Cic.* 2. *Orat.* 89. *a med.* legit *subcisivis* pro *subsecivis* ex MSS. Cf. *Goerenz* in *Cic.* 1. *Legg.* 13. *p.* 15. et *Ellendt* in *eumd.* 2. *Orat.* 89. *not. crit. v.* 1. *p.* 433. et alibi. — Subsecivus est qui subsecatur seu succiditur.

I.) Proprie. ¶ 1. In re agraria. *Gromat. vet. p.* 6. *Lachm.-Rud.* Subsicivum est quod a subsecante linea nomen accepit. subsicivorum genera sunt duo: unum, quod in extremis adsignatorum agrorum finibus centuria expleri non potuit. aliut genus subsicivorum, quod in mediis adsignationibus et integris centuriis intervenit; quidquid enim inter $\overline{\text{IIII}}$ limites [minus] quam intra clusum est, si fuerit adsignatum, in hac remanet appellatione ideo quod is modus, qui adsignationi superest, linea claudatur et subsecetur. Nam et reliquarum mensurarum actu quidquid inter normalem lineam et extremitatem interest, subsicivum appellamus. *V.* etiam in fin. *et ibid. p.* 246. 27. Subsicivus ager. Adde *p.* 295. 14. et alibi sæpe. *et p.* 157. 19. Subsicivus finminum modus. *et p.* 366. 3. fossa. *et p.* 398. 4. loca. ¶ 2. De tempore, et *subsecivum tempus* est, quod veluti subsecatur et detrahitur a gravioribus et ordinariis negotiis et occupationibus, et in alias res obiter et quasi furtim impenditur: et *subseciva opera*, quæ tali tempore impenditur. *Gell.* 18. 10. *a med.* Quantum temporis habui subsicivi, medicinæ quoque libros attigi. *Plin. præf. Hist. nat. circa med.* Succisivis temporibus ista curamus, idest nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis. *Cic.* 2. *Orat.* 89. *a med.* Quæ ego sero, quæ cursim arripui, quæ subsecivis operis, ut ajunt; iste a puero, summo studio, summis doctoribus. *Seneca Ep.* 53. *a med.* Exercet philosophia regnum suum; dat tempus, non accipit: non est res subseciva, ordinaria est. *h. e.* non est obiter et quasi aliud agendo tractanda, sed primis et ordinariis curis et serio. *Plin.* 3. *Ep.* 15. Rogas, ut aliquid subsecivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis. *residui di tempo.* et *Cic.* 1. *Legg.* 3. *a med.* Subsiciva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior, ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 5. *p.* 179. Qui deos generis asseverat fuisse terreni, quamvis eos privet sublimitate cælitum, subsicivis tamen accumulat laudibus. *h. e.* similibus laudum divinarum ejusdemque generis, ac veluti inde sumptis et quasi resectis. ¶ 2. Speciatim ponitur interdum *subsicivus* pro interrupto et mutationi obnoxio. *Apul. de deo Socrat.* Quum vivacitas illic æterna et indefecta sit, hic caduca et subcisiva. ¶ 3. Item pro eo, quod reliquum est, quod superest, *restante, residuo.* *Apul.* 11. *Met.* Quod subcisivum, quamvis iteratæ jam traditioni remansisset. *Id.* 3. *ibid.* Sed una tantum subcisiva solicitudo nobis relicta est. Adde 8. *ibid.* — Apud *eumd. De Mag.* Græcia *subseciva* est, quæ *magna* et *major* apud *Cic.* 2. *Orat.* 37. et *Liv.* 31. 7. dicitur: cui opponitur *germana* apud *Plaut. Rud.* 3. 4. 32. — Hinc

Subsecivum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, id, quod subsecatur seu subciditur. ¶ 1. *Subseciva*, inquit *vet. Auct. De limit.* apud *Goes. p.* 293., sunt proprie, quæ sutor de materia præcideus, quasi supervacua abjicit: inde *subseciva agri*, quos in pertica divisos recusant quasi steriles aut palustres. ¶ 2. Hinc in re agraria, ut *id. ibid.* docet, *subseciva* dicuntur partes, quæ in divisura agri non efficiunt centuriam, idest jugera ducenta. Quare generatim subseciva dicuntur portiunculæ agrorum, quæ velut reliquiæ in dividendo superfuerunt. *Varro* 1. *R. R.* 10. Ab hoc principio mensores nonnumquam dicunt in subsicivum esse unciam agri aut sextantem aut quid aliud, quum ad jugerum pervenerunt. *Sueton. Domit.* 9. *sub fin.* Subseciva, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus ut usucapta concessit. (Quod testatur *Sicul. Flacc. p.* 24. *et* 68. *Goes.*) Adde *Gromat. vet. p.* 6. 4. *et seqq.*, 7. 1. 8., 8. 15., 9. 9., 20. 3. 6., 21. 6., 22. 2. etc. V. *Guarini, Illustr. della campagna Taurac. p.* 104.

SUBSĔCO, sĕcas, sĕcŭi, sectum, sĕcare, a. 1. Part. *Subsectus.* — Subseco est subtus seu in ima parte seco, abscindo, deseco. *Varro* 1. *R. R.* 50. Falce secundum terram succidunt stramentum et manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra. et 49. Herba subsecari falcibus debet. *Id. ibid.* 23. Quædam legumina serunda non tam propter præsentem fructum, quam in annum prospicientem: quod ibi subsecta et relicta terram faciunt meliorem. *Colum.* 2. *R. R.* 9. Quædam subterraneæ pestes adultas segetes radicibus subsectis necant. Adde *Pallad.* 10. *R. R.* 3. *Ovid. Ib.* 275. Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas Subsecuit partes, unde creatus erat. *Id.* 4. *Fast.* 438. Illa papavereas subsecat ungue comas. *Id.* 6. *Fast.* 230. Non ungues ferro subsecuisse licet.

SUBSECTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBSĔCUNDĀRĬUS, a, um, adject. ὑποδευτεραῖος. *Gell. præf. sub fin.* Quantum vitæ mihi deinceps erit quantumque a tuenda re familiari dabitur otium: ea omnia subsiciva et subsecundaria tempora ad colligendas hujuscemodi memoriarum disceptatiunculas conferam. Ubi *Gronovius:* Suspicari possis posterius *sub* imprudentia librarii repetitum, quum scripsisset Auctor *subsiciva et secundaria.*

SUBSĔCŪTĬO *vel* subsequutio, ōnis, f. 3. (subsequor) id, quod subsequitur, *seguito.* *Cassiod.* 8. *Variar.* 14. Talis subsecutio creditur, quale primordium venisse sentitur.

SUBSĔCŪTUS *vel* subsequutus, a, um, particip. *V.* SUBSEQUOR.

SUBSĔLĪĀRĬUM *et*

SUBSELLĀRĬUM. *V.* voc. seq.

SUBSELLĬĀRĬUM, ii, n. 2. (subsellium) *Sub-*

sellarium alii, alii *subsellarium* leg. in *Inscr.* infra *adlat.*; sed prior lectio præferenda videtur, quamvis fortasse ex errore simplex *l* pro duplici positum sit: ceterum apud *Baehrens. Proleg.* ad *Catull. p.* LX. (*Catull.* 39. 3.) est *subselium* pro *subsellium*. — Subsellarium est locus in theatro, in quo magistratuum subsellia collocabantur. *Inscript.* apud *Marin. p.* 527. (*Corp. Inscr. Lat.* 1. 1341.) L. ATEIVS M. F. CAPITO DVOMVIR QVINQ. CVRIAM TABVLARIVM SCAENARIVM SVBSELLARIVM (*sic*) LOCO PRIVATO DE SVA PECVNIA C. C. N. F. (*h. e.* civibus Castro Novanis faciunda) CORRAVIT PORTICVS CENACVLA EX DECVRIONVM DECRETO DE SVA PECVNIA C. C. N. FACIVNDA COERAVIT IDEMQ. PROBAVIT.

SUBSELLĬUM, ĭi, n. 2. *Subselium*, unico *l*, V. in voc. præc.; pro quo et *supselium* legitur in Codd. *Plaut.* — Est a *sub* et *sella*, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 128. *Müll.* Ut subsipere, quod non plane sapit, sic quod non plane erat sella, subsellium dictum: ubi in ejusmodi duo, bisellium dictum. — Subsellium est sedes, scamnum, ἕδρα, βάθρον (It. *sedia, sedile, panca o banco, seggio*; Fr. *banc peu élevé, siège, tabouret*; Hisp. *banco, silla*; Germ. *e. niedrige Bank*; Angl. *a bench, seat*). Differt *subsellium* a *sella*, quia non habebat integræ sellæ formam, ut ex *Varrone loc. cit.* apparet: constat enim, subsellium fuisse parvum scamnum quattuor suffultum pedibus rectis et sine reclinatorio, quale videre est quæstorum apud *Morell. Numism. fam. Rom.* in nummis G. Calpurniæ. *tab.* 3. *n.* VI., ædilium pleb. in G. Critoniæ, tribunorum pleb. in G. Caniniæ; de quibus consule *Eckhel. D. N. V. T.* 5. *p.* 317. Unde *Ascon. in Divin. Verr.* 15. Subsellia sunt tribunorum, triumvirorum, quæstorum et hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant. *Sueton. Claud.* 23. De majore negotio acturus in curia, medius inter consulum sellas tribunicio subsellio sedebat.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Stich.* 1. 2. 36. Non sedeo istic; vel sedete: ego sedero in subsellio. *Id. ibid.* 5. 4. 21. Potius in subsellio Cynice accipiemur, quam in lectis. *Cels.* 7. 26. *n.* 1. Homo resupinus super subsellium aut lectum est collocandus. *Pers.* 1. 82. Prosulus exsultat tibi per subsellia levis. *Inscr.* apud *Wilmans n.* 2879. Subsellia marmorea. — *Subsellii imi vir*, quemadmodum minores magistratus subsellio sedere solebant, dicitur is, qui eo utebatur. *Plaut. Stich.* 3. 2. 33. Scis tu, me dudum esse imi subsellii virum. *h. e.* qui non in lecto tricliniari sed in subsellio prope ipsum lectum sedet. *Id. Capt.* 3. 1. 11. Nil morantur jam Laconas, imi subsellii viros. ¶ 2. Speciatim dicitur de sedibus seu pulpitis in theatro, in quibus spectatores sedere consueverant. *Plaut. Amph. prol.* 65. In subsellia sant per totam caveam. Adde *eumd. Pœn. prol.* 5. et *Cic. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon. p. m.* 132. *Sueton. Aug.* 44. Ut quoties quid spectandi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus. ¶ 3. Item de sedibus in Curia, ubi senatores sedebant. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 16. Quid quod ab adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quid quod omnes consulares, qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? *Id. Brut.* 84. 290. Locus in subselliis occupetur. Adde *eumd.* 5. *Phil.* 7. 18. et *Sueton. Claud.* 23. *cit.* Hinc *Varro Sat. Menipp.* 60. *p.* 171. *Oehl.* Eloquentia in foro et apud subsellia: silentium vero non in convivio sed in cubiculo esse debet. *h. e.* in Curia. ¶ 4. Item de sedibus judicum ac præsertim eorum judicum, qui publicis judiciis disceptandis operam dabant. *Cic. Vatin.* 14. *a med.* Quæro ex te, num quis reus post Urbem conditam in tribunal sui quæsitoris ascenderit eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit etc. Ubi *Bud.* Hoc in loco tribunal Cicero prætori assignavit, qui judiciis publicis præerat et quæsitor vocabatur, subsellia vero judicibus, qui reos sententiis suis tabellaribus judicabant. *Id. Cluent.* 34. 93. Accusabat tribunus plebis idem in contionibus, idem ad subsellia. *et ibid.* 40. 111. Rem ab subselliis in Rostra detulit. ¶ 5. Item de sedibus, in quibus sedebant rei, accusatores et testes. *Cic. Rosc. Am.* 6. *a med.* Quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video. — Subsellia in judiciis, rebus prolatis, in ærario servabantur; rebus vero redeuntibus, ad forum transferebantur gratuitoque præbebantur. *Sueton. Claud.* 17. Item *(cautum)* ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita, utque rerum actu ab ærario ad forum ac reciperatores transferrentur. V. *Madvig* ad *h. l.* ¶ 6. Etiam pro solio, throno, apud *Coripp.* 2. *De laud. Justin.* 301. ¶ 7. *Publicus a subselliis*, servus vel libertus, cui demandata erat cura subselliorum eorumque distributio. *Inscript.* apud *Henzen n.* 6554. TI. CLAVDIO MELIPTHONGO OBVLTRONIANO PVBLIC. A SVBSEL. TRIBVNORVM.

II.) Translate. ¶ 1. *Subsellia* interdum ponuntur pro ipsis hominibus, qui in subselliis sedent. *Martial.* 1. 27. Sextiliane, bibis, quantum subsellia quinque. ¶ 2. Item pro publicis judiciis. *Cic.* 1. *Orat.* 8. *a med.* Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra curiamque mediteris. *Id. Brut.* 84. 289. Grandiorem et pleniorem vocem desiderant subsellia. *Id.* 3. *Fam.* 9. *circa med.* Longi subsellii judicatio. *h. e.* quæ longa inquisitione et a multis senatoribus in curia transigitur. *Auson. Griph.* 72. Et quem de scænis tetrica ad subsellia traxit Prosa Asiæ. — Hinc *homo a subselliis*, est peritus in causis negotiisque forensibus. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 48. — *Habitare in subselliis*, apud *eumd.* 1. *Orat.* 62. 264., est sæpe causas agere. — *A subselliis ad otium se conferre*, apud *eumd.* 2. *ibid.* 33. 143., est a causis agendis cessare. — *Versatus in utrisque subselliis*, apud *eumd.* 13. *Fam.* 10., is dicitur, qui et judex et patronus in causis privatorum fuit.

SUBSENTĀTOR, ōris, m. 3. (sub *et* sentio *vel* assentor) assentator, *adulatore. Plaut. fragm.* apud *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 13. Qui data fide firmata fidentem fefellerint, Subdoli subsentatores, regi qui sunt proximi, Qui aliter regi dictis dicunt, aliter in animo habent.

SUBSENTĬO, sentis, sensi, sentire, a. 4. subolet mihi, *presentire, aver qualche sentore. Ter. Heaut.* 3. 1. 62. etsi subsensi id quoque, illos ibi esse et id agere inter se clanculum.

SUBSĔPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. secunda separatio. *Gloss. Isid.* apud *Gaisford. Script. rei metr. p.* 575. Hypodiastole, subseparatio.

SUBSĔQUENS, entis, particip. *V.* SUBSEQUOR.

SUBSĔQUENTER, adverb. (subsequens) subsequendo, *susseguentemente. Augustin. Enarr. in Ps.* 87. Præcentor, qui vocem præmittit; succentor, qui subsequenter. *Fulgent.* 2. *ad Monim.* 12. Subsequenter autem etiam, quod Judas apostolus in epistola sua posuit, sanctus Augustinus exposuit. Adde *Isid.* 7. *Orig.* 12. 27. — *Messalæ Corvini* auctoritatem, apud quem (*Progen. Aug.* 23.) hæc vox occurrit, a *Forcellino* adlatam, recentiores non agnoscunt.

SUBSĔQUĬUM, ĭi, n. 2. (subsequor) id, quod subsequitur. *Cassiod. in Ps.* 9. 5. *In sæculum sæculi.* sæculum futurum Domini significat regnum: et ne possit aliqua permixtione confundi, dictum est *sæculi*; id est hujus, quo nunc utimur, subsequium.

SUBSĔQUO, is, ere. *V.* voc. seq.

SUBSĔQUOR, sĕquĕris, sĕquūtus *vel* sĕcūtus sum, sĕqui, dep. 3. Etiam forma activa *subsequo, is*, videtur in usu fuisse ex *Gloss. Gr. Lat.* Παρέπομαι, subsequo. *V.* SEQUOR. — Hinc *subsecutus*, significatione passiva, apud *Phoc. De aspir. p.* 1722. *Putsch.* Omnia nomina Græca, initiata syllaba *το* et *τ* littera statim subsecuta, dasia præposita proferuntur, ut Histrio. — Part. *Subsequens* II. 1. *a* et in fin.; *Subsecutus* in omn. fere paragr.; *Subsecuturus* II. 2. — Subsequor est statim aut post sequor, insequor, ἐφέπομαι (It. *seguire o venir dietro o dopo*; Fr. *suivre, venir immédiatement après*; Hisp. *ir immediatamente detras, seguir*; Germ. *gleich darauf folgen, unmittelbar nachfolgen*; Angl. *to follow fortwith, soon*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Amph.* 2. 1. 1. Age, i tu secundum. *so.* sequor, subsequor te. *Id. Bacch.* 4. 4. 73. Cedo manum ac subsequere propius me ad fores. *Cæs.* 4. *B. G.* 26. Nostri neque ordines servare neque signa subsequi poterant. *Ovid. Heroid.* 20. 131. Subsequi aliquem furtim. — *b*) Absolute. *Plaut. Most.* 3. 2. 116. Morare hercle quum verba facis, subsequere. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. et 5. *ibid.* 18. Equitatum præmisit, Labienum cum legionibus subsequi jussit. *Id. ibid.* 19. Cæsar, equitatu præmisso, subsequebatur omnibus copiis. *Id.* 4. *ibid.* 25. Hos item alii ex proximis navibus quum conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt. Adde 5. *ibid.* 44. *Ovid.* 3. *Met.* 17. Subsequitur pressoque legit vestigia gressu.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 220. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, *et mox.* Manus minus arguta, digitis subsequens verba, non exsequens. *Id.* 3. *Fam.* 1. *a med.* Libertus tuus ut mihi reddidit a te litteras plenas et amoris et officii, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem litterarum tuarum. *ha secondato e confermato.* et *Partit.* 7. *a med.* Quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient ejusque vim ac varietatem subsequentur. *Liv.* 8. 35. Tribuni quoque inclinatam rem in preces subsecuti, orare dictatorem insistunt. *Plin.* 14. *Hist. nat. s.* 1. (3). Subsecutis non paucis hanc curam ejus. — *b*) Absolute. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 1. Esse salutatum vult te mea littera primum *etc.* Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Princeps in hæc verba jurat ipse, idem jusjurandum adigit Afranium; subsequuntur tribuni militum centurionesque. *h. e.* priorum exempla secuntur. ¶ 2. Speciatim pro consequi. *Tertull. advers. Gnostic.* 9. Prospexerat enim et hanc vim plerumque in expugnatione nominis subsecuturam, ut qui se Christianum negasset, ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare. ¶ 3. Item pro post exsequi, exponere. *Auct. Ætn.* 219. quæ res incendia poscit – inest, quæ causa silenti, Subsequar. ¶ 4. Pro simplici sequi. *Paul. Dig.* 42. 2. 6. In his omnibus subsequi prætorem voluntatem orationis divi Marci debere. Adde *Papinian. ibid.* 49. 15. 10. *extr.* — Hinc Part. præs.

Subsequens, entis, usurpatur etiam ¶ 1. Adjective et est iis, qui subsequitur, *susseguente. Cic.* 2. *Nat. D.* 20. *in fin.* Stella solem tum antecedens, tum subsequens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (101). Subsequenti anno, exitu veris emittunt etc. — *Subsequentes conjunctiones* apud Grammaticos sunt, quæ in fine propositionis ponuntur. *Diomed.* 1. *p.* 409. *Putsch.* ¶ 2. Absolute, substantivorum more, est qui post alium sequitur, eique præsto est in officio. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6359. IVSTINVS CAESARIS VERNA SVBSEQVENS (*sic*) LIBRARIORVM. Adde *aliam* apud *Bruzza* in *Annali dell' Istit. Arch. a.* 1870. *p.* 173.

SUBSĔQUŬS (subsĕcŭus), a, um, adject. (subsequor) idem ac subsequens. *Oros.* 1. 1. Fidem annunciatione futurorum et subsequa probatione fecerunt. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 21. *in fin.* (2. 5. p. 60. *a* ed. *Paris.*) Ut subsicui metus vos formidine liberaret.

SUBSĔQŪTUS. *V.* SUBSECUTUS.

SUBSĒRĬCUS, a, um, adject. qui aliquid serici continet, *di mezza seta, misto di seta*, ut Subserica vestis, quæ vel solum stamen vel solum subtemen sericum habet. *Lamprid. Elagab.* 26. Primus Romanorum holoserica veste usus fertur, quum jam subserica in usu essent. Adde *Gallien.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 17. et *Vopisc. Aurel.* 15.

SUBSĔRO, sĕris, sĕrere, a. 3. duo diversa significat, prout derivatur

A) A sero, seris, sevi etc. et est in locum

demortuæ plantæ aliam substituo, post vel subinde sero, planto, *seminare, piantare*, ἐπισπείρω.

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 15. Nam plurimum interest, adhuc nova consitione, pedamen omne vestiri, nec mox vineam tum subseri, quum fructus capiendus est. *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. Qui agrum non proscindit, qui vites non subserit.

II.) Translate. *Auct. Carm. de Sodom.* 102. Æmula subseritur caligo.

B) A *sero, seris, serui* etc., unde Part. *Subsertus:* et est subter insero, subnecto, subjicio, subjungo, *sotto inserire, soggiungere.*

I.) Proprie. *Apul.* 7. *Met. sub fin.* Subsertis manibus exsolvit suam sibi fasciam. *Ammian.* 20. 3. 8. Luna nonnumquam ferienti se subserit lanci.

II.) Translate. *Id.* 16. 7. 4. Res monuit super Eleutherio pauca subserere. *Id.* 14. 11. 3. Per arcanos susurros nutrimenta fictis criminibus subserere. — Cum Acc. et Infinito. *Id.* 16. 2. 4. Quum subsererent quidam, Silvanum per compendiosas vias – transisse etc.

SUBSERTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBSERVĬO, is, ire, n. 4. Part. *Subserviens* II. — Subservio est sub aliquo servio, inservio, *servire*, ὑπηρετέω.

I.) Proprie. *Næv.* apud *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* 13. regum filiis Linguis faveant atque adnutent, haut subserviant. Cf. *Ribbeck Com. reliq. p.* 26. ed. alt. *Plaut. Men.* 5. 2. 16. Ita istæc solent, quæ viros subservire Sibi postulant, dote fretæ, feroces. *Apul. De dogm. Plat.* 1. Cetera membra ancillari et subservire capiti. *M. Cæs.* apud *Fronton.* 4. ad *M. Cæs.* 2. Omnium aures tuæ voculæ subserviunt sub jugum subactæ.

II.) Translate est auxiliari vel obsecundare. *Ter. Andr.* 4. 3. 19. Ego quoque hinc ab dextera Venire me adsimulabo: tu ut subservias Orationi, utcumque opus sit, verbis, vide. *h. e.* sermoni meo tuas accommodes responsiones, et interrogata subjicias ea, quæ in rem nostram erunt. Adde *Pacat. Paneg. Theod.* 18. *Augustin. Ep.* 154. Subserviente verecundia.

SUBSES, ĭdis, m. 3. (subsideo) qui subtus sedet. *Gloss. Isid.*, ubi male quidam leg. *subles.* Cf. OBSES.

SUBSESQUALTER et

SUBSESQUĬALTER, tĕra, tĕrum, adject. qui numero alio continetur, adjecta aliqua parte, *numero contenuto in un altro più una frazione. Boeth.* 1. *Arithm.* 24., ubi alii leg. *subsesqualter.*

SUBSESQUĬOCTĀVUS, a, um, adject. qui est ad sesquioctavum numerum, ut octo ad novem. *Beda Mund. constit. T.* 1. *p.* 399., si ita legend.

SUBSESQUĬQUARTUS, a, um, adject. idem ac subquartus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 24.

SUBSESQUĬQUINTUS, a, um, adject. idem ac subquintus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 24.

SUBSESQUĬTERTĬUS, a, um, adject. idem ac subtertius. *Boeth.* 1 *Arithm.* 24.

SUBSESSA, æ, f. 1. (subsideo) insidiæ, quibus in itinere exercitus imparatus ac nihil tale suspicans opprimi solet, *insidie, agguati*, ἔνεδραι *Veget.* 3. *Milit.* 6. *a med.* Adversarii in iis locis, quæ sibi opportuna intelligunt, subsessas occultius collocant. *et ibid.* 22. Si ab his, qui in subsessa fuerint, observentur. *et mox.* Qui vero superventus et subsessas passus est, culpam suam non potest excusare. *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 268. Hostium dolos subsessas vocamus.

SUBSESSOR, ōris, m. 3. (subsideo) qui delitescens insidiatur, *insidiatore*, ἐπίβουλος.

I.) Proprie. *Seneca Hippol.* 51. Tu præcipiti clamore feras subsessor ages. *Petron. fragm. Tragur.* 40. *Burmann.* Retia erant picta subsessoresque cum venabulis. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 268. Subsessores dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt. *Alii legend. putant* victores. *Id.* ad *eumd.* 5. *ibid.* 498. Subsessores vocantur, qui occisuri aliquem delitescunt. — Subsessor, ἔφεδρος, dicitur etiam, qui ex athletis exspectat, ut, quum aliquis ex paribus pugnantibus succiderit, ipse in deficientis locum succedat. *V.* adnot. ad SUCCURSOR.

II.) Translate. *Val. Max.* 2. 1. *n.* 5. et 7. 2. *extern. n.* 1. Subsessores oculi alieni matrimonii. *Arnob.* 4. *p.* 142. Subsessoris et adulteri persona.

SUBSICCO, as, are, a. 1. aliquantum sicco. *Colum.* 6. *R. R.* 14. *ad fin.* Tumor cervicis aqua madefactus subsiccatur. *Pelagon.* 2. 1. Mane paullulum se subsiccet. *et* 6. 16. Ipsa folia cupressi subsiccas.

SUBSICIUM, ii, n. 2. (subseco) id, quod subsectum est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 152.

SUBSĪCĪVUS. *V.* SUBSECIVUS.

SUBSĪCŬUS. *V.* SUBSEQUUS.

SUBSĪDENS, entis, particip. *V.* SUBSIDO.

SUBSĪDENTĬA, æ, f. 1. (subsido) ¶ 1. Est depressio. *Beda Mund. constit. T.* 1. *p.* 375. Propter exstantias montium et subsidentias vallium. *V. Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 279. ¶ 2. Est etiam quidquid ex aqua stagnanti sordium in fundo subsidit, *deposizione, sedimento. Vitruv.* 8. 3. *a med.* Dissipant, quæ ex aquarum subsidentia in corporibus offenderunt.

SUBSĪDĔO. *V.* SUBSIDO.

SUBSĪDĬĀLIS, e, adject. (subsidium) subsidiarius. *Ammian.* 14. 6. *a med.* Subsidiales acies. *squadroni di riserva.* Sic 27. 10. *sub fin.* Subsidialis manus.

SUBSĪDĬĀRĬI, ōrum, m. plur. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SUBSĪDĬĀRĬUS, a, um, adject. (subsidium) in subsidium positus, *di riserva.*

I.) Proprie dicitur de militibus, qui, instante pugna, post aciem locantur, ut laborantibus aut fessis subsidio sint, ἐπίτακτοι. *V.* SUBSIDIUM. *Cæs.* 1. *B. C.* 83. Has cohortes subsidiariæ et rursus aliæ totidem suæ cujusque legionis subsequebantur. *Liv.* 9. 27. Subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reservabantur, in primam aciem extemplo emisit. *Auct. B. Alex.* 14. Subsidiariæ naves. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 63. et *Auct. B. Afr.* 59. 2.

II.) Translate. ¶. 1. *Subsidiarius palmes* (qui et *præsidiarius* et *custos* et *resex*) dicitur a rusticis, qui relinquitur in vite in subsidium reliquorum, si forte fructum non ferant. *Colum.* 4. *R. R.* 24. ¶ 2. *Subsidiaria actio,* quæ datur in subsidium pupilli adversus magistratus, qui tutores minus idoneos dederunt. *Ulp. Dig.* 27. 8. 1. V. *Cod.* 5. 75. 1. *et* 5. — Hinc

Subsidiarii, orum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt milites subsidiarii. *Liv.* 8. 6. Terror, non in primam tantum aciem, sed etiam ad subsidiarios perlatus. Adde 5. 38. *et* 6. 8. *et* 9. 32. *in fin.*

SUBSĪDĬOR, āris, ari, dep. 1. (subsidium) subsidio sum. *Auct. B. G.* 8. 13. Perterriti non solum ii, qui aut comminus opprimebantur aut eminus vulnerabantur, sed etiam qui longius subsidiari consueverant.

SUBSĪDĬUM, ĭi, n. 2. (subsideo) speciatim dicitur de militibus et est militum numerus extra aciem locatus, qui laborantibus in prœlio aut fessis opem ferat, ἐπίταγμα (It. *corpo o squadrone di riserva;* Fr. *ligne de réserve, corps de réserve, réserve;* Hisp. *reserva;* Germ. *die Reserve, die Reservetruppen;* Angl. *a body of troops in reserve*): ut docet *Fest.* p. 306. 4. *Müll.* Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extrema acie labentique aciei succurrebant. quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, locum tamen retinebant in exercitu: quæ erat tertia acies triariorum, ut Plautus in Frivolaria: Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarii. Sic *Varro* 5. *L. L.* 89. *Müll.* Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur, quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum. a quo Plautus: Agite nunc etc. Ex *Festo* itaque et *Varrone* discimus, primo et proprie *subsidium* dici de triariis.

I.) Proprie. — 1.°) Concreto, ut ajunt, sensu. — *a*) Milites, ut diximus, extra aciem locati ad opem, ubi opus sit, ferendam. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. Neque certa subsidia collocari poterant. *et ibid.* 25. Neque ullum esse subsidium, quod submitti posset. *Sall. Cat.* 59. In fronte, post eas (*cohortes veteranas*) ceterum exercitum in subsidiis locat. Alii (ut *Non. p.* 490. 1. *Merc.*) leg. *in subsidio.* et *Liv.* 4. 28. Subsidia et secundam aciem adortus. *et* 6. 13. Impulsa frons prima et trepidatio subsidiis inlata. *Id.* 21. 46. Jaculatores fugerunt inter subsidia ad secundam aciem. Adde 31. 21. *Curt.* 3. 23. 3. In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. Adde 4. 50. 28. — *b*) Et etiam præsidium, *guarnigione*, h. *e.* copiæ aliquo in loco custodiæ et munimenti causa positæ. *Tac.* 4. *Ann.* 5. Sed præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanes Gallosque subsidium, octo legiones erant. *Sisenn.* apud *Non.* p. 363. 17. *Merc.* Duæ cohortes de subsidio procedunt atque equites protelant. — 2.°) Abstractorum more dicitur de ope, quam quæcumque cohortes aut turmæ ab acie sepositæ, ubi necesse sit, ferant, *rinforzo, ajuto, soccorso*, συμμαχία, βοήθεια. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium, quod submitti posset. *et ibid.* 26. Quum aliis alii subsidium ferrent. *et ibid.* 7. Funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. *et ibid.* 8. Legionibus in castris relictis, ut, si quid opus esset, subsidio duci possent. *Tac.* 12. *Ann.* 38. *extr.* Turmæ missæ ad subsidium. *et ibid.* 55. Missi in subsidium equites. *Id.* 15. *ibid.* 3. Legiones duas subsidium Tigrani mittit. *Cæs.* 4. *B. G.* 31. Ad omnes casus subsidia comparare. *Liv.* 9. 32. Quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit. *Liv.* 34. 15. Ad secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, equo revehitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. Ut per Illyricum Italiæ subsidio proficisceretur. *Id.* 7. *B. G.* 87. Quum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. *Liv.* 2. 53. Pars Sabinis eunt subsidio, pars Romanos adoriuntur. *Nepos Agesil.* 8. Quum subsidio Thaco in Ægyptum ivisset. *Id. Chabr.* 1. et *Liv.* 2. 48. et *Cic.* 8. *Att.* 7. Subsidio venire alicui.

II.) Translate. ¶ 1. Est quodcumque auxilium, *ajuto, sussidio. Plaut. Cist.* 2. 1. 26. Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidii. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Difficultatibus duæ res erant subsidio. *Id. ibid.* 29. *sub fin.* Omnes in fuga sibi subsidium posuerunt. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *a med.* His ego subsidiis ea sum consecutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem. *Id. Quinct.* 1. *a med.* Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi. *Id.* 1. *Att.* 8. *a med.* Bibliothecam, subsidium senectuti, parare. *Id.* 1. *Orat.* 60. *a med.* Subsidium bellissimum existimo esse senectuti otium. *Ovid. Ib.* 285. Nec tibi subsidio sit præsens numen. *Tac.* 11. *Ann.* 26. Subsidium ab audacia petere. *et* 15. *ibid.* 53. rei familiari orare. *sovvenzione*. et *Cic.* 2. *Cat.* 5. 9. Quum industriæ subsidia atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumerentur. *Id. pro leg. Manil.* 12. *a med.* Siciliam, Africam, Sardiniam, tria frumentaria subsidia reipubl., firmissimis præsidiis munivit. *Gell. præf.* Adnotare multa indistincte atque promiscue eaque ad subsidium memoriæ, quasi quoddam litterarum penus, recondere. ¶ 2. Est etiam perfugium, portus, suffugium, *rifugio, ricorso. Tac.* 1. *Ann.* 63. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. *et* 3. *ibid.* 60. Eodem subsidio (*asylorum*) obærati adversus creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. *et* 4. *ibid.* 67. Mare circa Capreas importuosum et vix modicis navigiis pauca subsidia. *h. e.* stationes, quibus subsiderent. ¶ 3. In illo *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (102). Huic picturæ quater colorem induxit, contra subsidia injuriæ et vetustatis. *subsidia* sunt insidiæ. Cf. SUBSIDO I. 2. et *Scheffer* ad *Phædr.* 3. 10. 20., *Burm.* et *Cort.* ad *Lucan.* 5. 226. et *Garat.* ad *Cic. Mil.* 19. Verum *Forcellinus* aliique leg. *subsidio*, sc. munimento, remedio.

Homonym. De differentia inter *auxilium*, *præsidium* et *subsidium* hæc accipe. *Isid.* 4. *Differ. n.* 436. *Præsidium* est aliquo loco utili positum: *auxilium*, quod ab exteris datur: sub-

sidium, quod postea supervenit. *et in Append. n.* 56. *Auxilium* laborantibus mittitur: *præsidium* præparatur: *subsidium* servatur, ut quum exegerit necessitas, detur. *Fronto De differ.* p. 2199. *Putsch. Subsidium*, quod subest deficientibus: *præsidium* imponitur: *auxilium* repentinum est. Item: *subsidium* ad secundos casus præparatur: *præsidium* ad custodiam collocatur: *auxilium*, ut prosit, ex insperato venit.

SUBSĪDO, sīdis, sēdi *vel* sīdi, sessum, sīdere, 3. Ad formam *subsideo, es*, quod attinet, *Forcellinus* eam sejunctim exhibuit; sed recentiores, quum hæc forma communis habeat cum *subsido*, quumque in præsentibus rarissime usurpetur et incertæ lectionis sint hujusmodi loca, ut apud *Quintil.* 2. 1. 3. et 11. 3. 24. et *Ammian.* 28. 4. 22. (*V.* infra), priorem formam ita præferunt, ut posteriorem nec agnoscere videantur. Hujus tamen usus, et similibus compositis per analogiam, et vocibus derivatis, quarum secunda syllaba corripitur, et *Gloss.* satis comprobatur. — Præteritum *subsidi* apud *Claudian. VI. cons. Honor.* 344. et *Colum.* 12. *R. R.* 41. *a med.* (*V.* infra); item *subsiderat* apud *Ammian.* 14. 3. 2. et *subsidisse* apud *eumd.* 24. 4. 29. cod. V.; ubi *Gardth.* leg. *subsedisse*. Verum *subsedi* frequentius est. — Part. *Subsidens* I. 1. *b* et II. et in fin. — Subsido est deorsum sido, demittor. descendo, ὑφίσταμαι (It. *abbassarsi, calare*; Fr. *se déposer, tomber, se baisser, aller en pente*; Hisp. *baxarse, descender*: Germ. *sich niederlassen, niedersetzen*; Angl. *to sink down, settle or descend to the bottom, subside*); et occurrit sæpius neutrorum more, aliquando tamen, ac speciatim, etiam cum Accusativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut.* apud *Varron.* 5. *L. L.* 89. et *Fest. p.* 306. 12. *Müll.* Agite nunc, subsidite omnes quasi solent triarii. *Liv.* 28. 2. Subsidunt Hispani adversus emissa tela. *Ovid.* 9. *Met.* 297. subsedit in illa Ante fores ara dextroque est poplite lævum Pressa genu. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quis subsidit. *Liv.* 44. 5. Elephanti clunibus subsidentes. *Virg.* 12. *Æn.* 492. se collegit in armis Poplite subsidens. *h. e.* uno pede retro, altero ante statuto sed genu aliquantum flexo. ¶ 2. Speciatim est occulte sido, latenter subsisto ad aliquem finem, fere insidiandi causa, videturque esse proprium venatorum feras insidiis excipientium, *appiattarsi, porsi in agguato.* — *a*) Absolute. *Cic. Mil.* 19. 49. Si illam ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit. Hinc *Propert.* 1. 8. 15. Atque ego non videam tales subsidere ventos, Quum tibi provectas auferet unda rates. *h. e.* exoriri ventos quasi ex insidiis, quum navis in altum provecta fuerit. — *b*) Cum Dat. ejus, cui quis insidians subsidit. *Auson. Epist.* 4. 30. Aut spumantis apri cursum clamoribus urges Subsidisque fero. — *c*) Cum Acc. sine aut cum præp. *ad*. *Virg.* 11. *Æn.* 268. devictam Asiam subsedit adulter. *h. e.* dolo captavit posseditque. *Alii leg.* devicta Asia. *Sil. It.* 13. 221. subsidere sæpe leonem, Nudus inire caput pugnas, certare Juvenco Assuerat. (*subsistere feras* dixit *Liv.* 1. 4. eod. sensu.) *Ammian.* 28. 4. 22. Subsidunt aliqui copiosos homines, senes aut juvenes, orbos vel cælibes, ad voluntates condendas allicientes. *h. e.* captant. Alii leg. *subsident.* Hinc translate *Lucan.* 5. 227. subsidere regnum Chalcidos Euboicæ, vana spe rapte, parabas. — *d*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Cic. Mil.* 19. 51. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret; nec in eo loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? ¶ 3. Item subsisto, consisto, *fermarsi*: occurrit autem — *a*) Cum Ablat. et præp. *in*. *Cic.* 5. *Att.* 16. Itaque subsedi in ipsa via, dum hæc summatim tibi perscriberem. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. *extr.* Multitudo calonum, quæ in castris subsederat, facta potestate, sequitur. *Sueton. Vitell.* 1. *sub fin.* Quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ. *essersi fermati ad abitare.* et *Vesp.* 1. Subsedisse in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. *Quintil.* 2. 1. 3. Ut ætas altioribus disciplinis debita, in schola minore subsidat. *resti, si fermi.* Alii leg. *subsideat.* — *b*) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 16. *sub fin.* Si apes ex alvo minus frequentes evadunt, ac subsidit pars aliqua. Hinc translate *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 4. Rursus subsidunt vel intenti resistunt repente tamquam fuerant necdum gressu tentato. ¶ 4. De brutis animantibus et dicitur de pecude femina marem admittente. *Lucret.* 4. 1190. Nec ratione alia volucres, armenta feræque Et pecudes et equæ maribus subsidere possent. *Horat. Epod.* 16. 31. juvet ut tigres subsidere cervis.

II.) Translate est pessum eo, descendo, *andare a basso o a fondo.* *Lucret.* 5. 493. Sidebant campi, crescebant montibus altis Ascensus, neque enim poterant subsidere saxa. *Id.* 6. 588. per mare pessum Subsedere suis pariter cum civibus urbes. *Ovid.* 1. *Met.* 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles. *Lucan.* 1. 645. terræne dehiscent, Subsident urbes? *si sprofonderanno?* et *Ovid.* 2. *Fast.* 457. Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna. *tramonta.* et *Lucan.* 3. 695. implicitis gaudent subsidere membris Mergentesque mori. *sommergersi.* et *Seneca Ep.* 108. *a med.* In amphora gravissimum quodque turbidumque subsidit. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 19. (68). In urina quod subsidit, si album est, significat dolorem imminere. *Claudian. VI. cons. Honor.* 344. hic tabescente solutus Subsidit galea liquefactaque fulgure cuspis Canduit et subitis fluxere vaporibus enses. *Colum.* 12. *R. R.* 41. *a med.* Quæ in colo subsiderunt, diligenter contrita levigantur. *Epit. Liv.* 112. Ptolemæus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. *s' affondò.* et *Petron. Sat.* 137. *ad fin.* Nuces mersit in vinum: et sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam capiebat. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *a med.* Siquæ fæces aut amurcæ in fundis vasorum subsederint, statim emundantur. — Figurate. *Seneca Thyest.* 283. anime, quid rursus times? Et ante rem subsidis? *h. e.* labascis, concidis, deficis. *ti accasci, vieni meno.* et *alter Seneca Ep.* 94. *ad fin.* Ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari et conspici fructus est. *Id. Ep.* 13. Formidata subsidunt et sperata decipiunt. *Virg.* 12. *Æn.* 835. commixti corpore tanto Subsident Teucri. *h. e.* latebunt. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Exercitatio vocis talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine. *h. e.* minuatur, deficiat. — Hinc Part. præs.

Subsidens, entis, adjectivorum quoque more usurpatur, et est qui subsidit. *Sil. It.* 4. 575. Haurit subsidens fugientum corpora tellus. *h. e.* mollis. *Colum.* 6. *R. R.* 1. Dorso recto planoque vel etiam subsidente. *h. e.* aliquantum inflexo seu curvo. *et ibid.* 29. Lati lumbi et subsidentes.

SUBSĬDŬUS, a, um, adject. (subsideo) in imo subsidens. *Grat. Cyneg.* 474. Subsiduasque fraces diffusaque Massica prisco Sparge cado.

SUBSIGNĀNUS, a, um, adject. (sub *et* signum) qui sub signis seu vexillis est; unde subsignanus miles nihil differre videtur a vexillario. Erat autem proprie subsignanus neque legionarius neque auxiliarius; ita dictus, quod non sub aquila, quæ ad legiones pertinebat, sed sub proprio vexillo seu signo militaret. Erat e Romanis copiis et eadem disciplina merebat, qua legiones: immo e legionibus sumptus existimatur et veterani loco habitus, donec assignatis agris et præmiis militiâ prorsus solveretur. *V.* VEXILLARIUS. — *a*) Stricto sensu. *Tac.* 1. *Hist.* 70. *extr.* Subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit. *Id.* 4. *ibid.* 33. Id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare: auxilia passim circumfusa sunt. — *b*) Latiore sensu, *subsignani* apud *Ammian.* 29. 5. *ante med.* videntur esse quicumque scripti milites et sub signis suis ordinati.

SUBSIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (subsigno) actus subsignandi, subscriptio, *sottoscrizione*, ὑποσφράγισμα, ὑπογραφή.

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 50. 16. 39. Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est. nam veteres subsignationis verbo pro subscriptione uti solebant. Adde *Cod. Theod.* 1. 11. 1. *Id.* 13. 11. 6. § 1. Subsignatio facultatum.

II.) Translate. *Tertull. Pœnit.* 2. *ante med.* Pœnitentiæ subsignatio.

SUBSIGNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBSIGNO (supsigno), as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Subsignatus* II. 3. — Subsigno est subtus scribo, subnoto, ὑπογράφω (It. *scrivere sotto, soggiungere scrivendo*; Fr. *écrire ou transcrire au bas, souscrire, soussigner*; Hisp. *escribir debaxo, subscribir*; Germ. *unten verzeichnen, unten hinsetzen*; Angl. *to write below or underneath*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (33). Traditas notas subsignabimus. Catonis maxime verbis. *et ibid.* 25. 64. (228). Mirabilior naturæ providentia, in qua Ciceronis sententiam ipsius verbis subsignabimus. ¶ 2. Speciatim est subscribo, *sottoscrivere*. *Fest.* in *Resignare p.* 281. 31. *Müll.* Resignare antiqui pro rescribere ponebant, ut adhuc subsignare dicimus pro subscribere. *V.* SUBSIGNATIO.

II.) Translate. ¶ 1. Est noto, perscribo. *Cic. Flacc.* 32. *a med.* Quæro, sintne ista prædia censui censendo: habeant jus civile: sint necne sint mancipi: subsignari apud ærarium aut apud censorem possint. *darsi in nota.* ¶ 2. Item subscribo, confirmo, approbo. *Plin.* 3. *Ep.* 1. *in fin.* Eumdem mihi cursum, eumdem terminum statuo: idque jam nunc apud te subsigno. ¶ 3. Item obligo, obnoxium reddo, *impegnare, obbligare.* *Id.* 10. *Ep.* 3. Non sine magna fiducia subsigno apud te fidem pro moribus Romani mei. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 207. *col.* 1. QVI REDEMERIT PRAEDES DATO PRAEDIAQVE SVBSIGNATO DVVMVIRVM ARBITRATV. *Alia* apud *eumd.* 207. *col.* 3. VBI PRAEDIA SATIS SVBSIGNATA ERVNT. *Justinian. Cod.* 5. 37. 28. *a med.* Res, quarum gubernationem gerunt, pro cautela litis subsignare. *V.* voc. præced. *Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. *a med.* Ne extenuentur facultates conductorum, quæ subsignatæ sunt fisco. *h. e.* subscriptione obligatæ. *Paul. ibid.* 50. 16. 39. Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est.

SUBSĬLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSĬLĬO (sussilio), sĭlis, silŭi (silīvi, -ĭi), sĭlire, n. 4. (sub et salio). — Part. *Subsiliens* I. *a.* — Subsilio est sursum salio, subsulto, exsulto, ὑφάλλομαι (It. *saltare in su*; Fr. *sauter en haut*; Hisp. *saltar en alto*; Germ. *empor od. in die Höhe springen*; Angl. *to leap up, jump, exult*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 1. 2. 64. Pessuli, heus pessuli, Subsilite, obsecro, et mittite istam foras. Adde *Cas.* 5. 2. 50. *Varro* apud *Non. p.* 135. 28. *Merc.* Non subsilis ac plaudis? *Propert.* 4. 8. 45. Me quoque per talos Venerem quærente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. *saltaron fuori.* et *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 6. 16. Vidit David regem subsilientem atque saltantem coram Domino. — *b*) Cum Accus. et præp. *ad, in.* *Lucret.* 2. 191. subsiliunt ignes ad tecta domorum. *Apul.* 8. *Met.* Pegasus in altum et adusque cælum subsilit ac resultat.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 13. *Haase.* Sæpe Fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsiluisti et acrior constitisti. Adde *eumd.* 1. *Clem.* 3. Utrinque alii minus recte leg. formam *subsilii* pro *subsilui*.

SUBSILLES. *V.* IPSULLICES.

SUBSĬMĬLIS, e, adject. ad alicujus rei similitudinem accedens, *alquanto simile*, παρεοικώς, παρόμοιος. *Cels.* 5. 26. *n.* 20. Μελίκηρα subalbida mellique albo subsimilis. *Ulp. Dig.* 35. 3. 1. *ante med.* Hodie tamen subsimile aliquid fit in fideicommissis.

SUBSĪMUS, a, um, adject. aliquantulum simus, ὑπόσιμος. *Varro* 2. *R. R.* 5. *ante med. de bubus.* Pilosis auribus, compressis malis, subsimi, ne gibberi. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπόσιμος, subsimus.

SUBSĬPĬO, is, ere, n. 3. (sub *et* sapio) aliquantulum vel non plane sapio. *Varro* 5. *L. L.* 128. *Müll.* Ut subsipere, quod non plane sapit sic etc.

SUBSISTENS, entis, particip. *V.* SUBSISTO.

SUBSISTENTĬA, æ, f. 1. (subsisto) actus subsistendi, *sussistenza*, ὑπόστασις: potest autem accipi aut in sensum, uti ajunt, abstractum, et est perfectio, per quam substantia fit sui ipsius vel completur ac terminatur: aut in concretum, et est substantia individua et completa, quæ, si accedat intelligentia seu ratio, persona seu hypostasis dicitur. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 38. Depositio *(fidei)* ultima Constantinopoli cum adjectione recitata est; erat enim additum, ut neque substantia, neque subsistentia diceretur in Deo. *Id.* 9. *ibid.* 3. Dum unam Trinitatis substantiam confitetur *(Nestorius)*, tres subsistentias prædicat in aperto. *Id.* 12. *ibid.* 4. *ad fin.* Nusquam Dei Verbi subsistentiam perimit; sed ubique id subsistere confitetur et habere substantiam, non sicut Photinus et Samosatenus, ejus existentiam perimentes. *Boeth. De duab. natur.* p. 950. Longe vero illi *(Græci)* signatius naturæ rationabilis individuam substantiam ὑποστάσεως nomine vocavere, nos vero per inopiam significantium vocum translaticiam retinuimus nuncupationem eam, quam illi ὑπόστασιν dicunt, personam vocantes, sed peritior Græcia sermonum ὑπόστασιν vocat individuam subsistentiam. Adde *Mar. Victorin.* 2. *advers. Ar.* 4. et *Rufin.* in v. SUBSTANTIA.

SUBSISTO, sistis, stiti, sistere, 3. Part. *Subsistens* sub *B* II. 1. *a.* — Subsisto occurrit *A)* Transitive; et *B)* Sæpius neutrorum more.

A) Subsisto, transitive, est sisto, stare facio, retineo, ἐφίστημι (It. *fermare, arrestare, trattenere*; Fr. *arrêter*; Hisp. *detener, reprimir*; Germ. *aufhalten, stehend machen*; Angl. *to arrest*). *Liv.* 1. 4. *in fin.* Hinc, robore corporibus animisque sumpto, jam non feras tantum subsistere, sed in latrones præda onustos impetus facere. *Id.* 9. 31. Præpotentem armis Romanum, nec acies subsistere ullæ nec castra nec urbes poterant. Alii hic leg. *sustinere*, sed prior locus dubiæ lectionis non est. *Apul.* 4. *Met.* Montis in excelsi scopulo subsiste puellam Ornatam mundo funerei thalami.

B) Subsisto, neutrorum more, duo præcipue significat.

I.) Est gradum vel cursum sisto (It. *fermare il passo, fermarsi, arrestarsi*; Fr. *s'arrêter*; Hisp. *quedarse, pararse*; Germ. *still stehen, einhalten*; Angl. *to stop, to stay*). ¶ 1. Proprie. — 1.°) Generatim. — *a)* De animantibus. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. Reliqui in itinere substiterant. *Virg.* 11. *Æn.* 506. Tu pedes ad muros subsiste et mœnia serva. *et ibid.* 608. Jamque intra jactum teli progressus uterque Substiterat. *et* 12. *ibid.* 622. adductisque amens subsistit habenis. *Petron. Sat.* 111. Visa pulcherrima muliere, primo, quasi quodam monstro turbatus, substitit, deinde etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 4. 5. (9). Traditur elephas, vestigio hominis animadverso, priusquam hominem, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circumspectare etc. *h. e.* postquam olfecit, pedem sistere. — *b)* De rebus. *Virg.* 10. *Æn.* 86. Tibris tacita refluens ita substitit unda, Mitis ut in morem stagni etc. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 47. (71). Concavus alarum sinus, in quo subsistit ros salsus. *Cels.* 8. 16. Si cubitus excidit, radius interdum distrahitur, interdum subsistit. *h. e.* in sua sede remanet, ut *id.* loquitur *ibid.* 10. — 2.°) Speciatim est moror, maneo, *stare*: quo sensu adhibetur etiam de his, qui insidiandi causa subsidunt. *Varro* 5. *L. L.* 155. *Müll.* Locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi. *Plin.* 4. *Ep.* 1. Erimus ibi dedicationis die: subsistemus fortasse et sequenti. *Id.* 6. *Ep.* 16. *a med.* In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. *Liv.* 22. 12. In aliquo flexu viæ, si excipere degressum in æquum posset, occultus subsistebat. Adde 9. 23. — 3.°) Pro esse vel existere. *Prudent.* 'Αποθ. *præf.* v. 3. Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore. Cf. SUBSISTENTIA et SUBSTO in fin. ¶ 2. Translate. — 1.°) Generatim. *Tac.* 12. *Ann.* 53. Contentum honore intra priorem paupertatem subsistere. *Plin.* 12. *Hist nat.* 25. 54. (114). Proceritas fruticis intra bina cubita subsistit. *si ferma, non eccede.* et *Ovid.* 1. *Met.* 207. Substitit ut clamor. *s'acchetò, cessò.* et 1. *Fast.* 538. Substitit in medios præscia lingua sonos. *ammutì.* et 4. *ibid.* 349. Substitit hic Erato. *qui finì di parlare.* et *Plin.* 6. *Hist nat.* 28. 32. (162). Gentes ditissimæ, ut apud quas maximæ opes Romanorum Parthorumque subsistant. *vanno a fermarsi, a colare.* et 33. *ibid.* 1. 7. (30). Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. *h. e.* ii tantum dicebantur equites, qui equo publico merebant. *Quintil.* 9. 4. *a med.* Si nihil refert, brevis an longa sit ultima, idem pes erit: verum, nescio quomodo, sedebit hoc, illud subsistet. *h. e.* hoc apte claudetur, illud utcumque desinet. *Sil. It.* 1. 582. pugnandi substitit ardor. — 2.°) Speciatim est subsido, deficio. *Ovid. Heroid.* 15. 195. dolor artibus obstat: Ingeniumque meis substitit omne malis. — 3.°) Item hæreo, sustineo assensum. *Ulp. Dig.* 3. 3. 33. Servum quoque et filiumfamilias procuratorem posse habere ajunt: et quantum ad filiumfamilias, verum est: in servo subsistimus. Adde *Cels. ibid.* 12. 1. 32. — 4.°) Item adsisto, adsum, opem fero. *Apul.* 6. *Met.* Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor, miserandæ Psyches animæ, supplicis tuæ, subsiste. *et* 11. *ibid.* Tu meis jam nunc extremis ærumnis subsiste. Adde 2. 5. *et* 8. *ibid.* — 5.°) Denique pro valere, consistere, *sussistere*. *Imp. Gordian. Cod.* 2. 13. 14. Non eo minus sententia adversus te lata juris ratione subsistit. *Id. ibid.* 3. 3. 1. Sententia ab eis prolata nullo jure subsistit. Adde *Impp. Diocl. et Maxim. ibid.* 7. 2. 11. — 6.°) *Subsistere sententia* dicitur, quæ per se stat sine adminiculo et seorsum ab aliis. *Quintil.* 8. 5. *a med.* Facit res eadem concisam quoque orationem. subsistit enim omnis sententia: ideoque post eam utique aliud est initium.

II.) Est etiam, attento fine, ad quem quis subsistit, idem ac obsisto, sustineo, duro ad ferendum aliquid, par sum (It. *resistere, sostenere, stare saldo*; Fr. *résister, soutenir*; Hisp. *resistir*; Germ. *widerstehen*; Angl. *to resiste, to oppose*): construitur autem absolute aut cum Dativo: de cujus tamen usu, saltem apud meliores, dubitant critici. ¶ 1. Proprie. — *a)* De personis. *Plaut. Epid.* 1. 1. 77. Tantæ in te impendent ruinæ. nisi suffulcis firmiter, Non potes subsistere. *Virg.* 9. *Æn.* 806. Ergo nec clipeo juvenis subsistere tantum, Nec dextra valet. *Tibull.* 4. 1. 195. ausim Pro te vel solus densis subsistere turmis. *Alii leg.* obsistere. *Liv.* 27. 7. Maxime movit patres Hasdrubalis transitus in Italiam, vix Hannibali atque ejus armis subsistentem. Alii leg. *obsistentem*. V. *Drakenb.* ad *h. l.* — *b)* De rebus. *Cæs.* 5. *B. G.* 10. Maxima coorta tempestate, prope omnes naves afflictas atque in litore ejectas esse, quod neque ancoræ funesque subsisterent, neque nautæ gubernatoresque vim tempestatis pati possent. ¶ 2. Translate. *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. *sub fin.* Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. ubi *Madvig* leg. *sufficere*. et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 368. Nec tantis unum subsistere posse periclis. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 83. Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo Æneidos vati grande fuisset onus. *Cels. Dig.* 21. 2. 62. Subsistere liti. *h. e.* litem sustinere, *portare il peso della lite.* quod *subsistere* absolute dixerunt *Paul. ibid.* 45. 1. 85. *a med.* et *Venulej. ibid.* 139. et in *Cod.* 8. 45. 23. adsistere negotio. *Haloand.* in *cit.* 21. 2. 62. edidit *litem sustinere*, quæ videtur esse interpretatio τοῦ *liti subsistere.* et *Lactant.* 4. 27. Aut hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest, aut illam falsam, quæ subsistere aut congredi non potest.

SUBSĪTUS, a, um, adject. ex particip. subter situs, *situato sotto*. *Apul.* 6. *Met. sub init.* Inter subsitæ convallis lucum.

SUBSŎLĀNEUS, a, um, adject. (sub et solum) *Fest.* p. 306. 16. *Müll.* Subsolanei, qui infimum solum colunt: ut qui in terram, supersolanei. Sed locus corruptus videtur. V. *Müllerum*.

SUBSŎLĀNUS (supsolanus), a, um, adject. (sub et sol) qui sub sole positus est, vel solem orientem spectat. Hinc *subsolani montes*, in Oriente ad æquinoctialem ortum obversi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (24). Sunt et Satyri, subsolanis Indorum montibus pernicissimum animal. — Item *Subsolanus ventus*, et *Subsolanus* absolute, *vento di Levante*, qui ab ortu æquinoctiali spirat: ita dictus, quia sub sole nasci videtur, qua ratione a Græcis quoque 'Απηλιώτης appellatur. *Id.* 2. *ibid.* 47. 46. (119). Ab oriente æquinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus; illum Apeliotem, hunc Eurum Græci appellant. Eadem omnino scribit *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. — In plur. num. *Cels.* 2. 1. *ab init.* Si genus aliud ventorum est, salubriores Septentrionales, quam Subsolani vel Austri sunt. Adde *Firmic.* 2. *Mathes.* 14., *Veget.* 5. *Milit.* 8., *Isid.* 13. *Orig.* 11. et *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 387. *Burmann.* — *Vitruv.* hunc ventum *Solanum* appellat. Cf. *Marini, Iscriz. Alb.* p. 178. et *V.* SOLANUS.

SUBSŎLĀNUS, i, m. 2. *V.* voc. præc.

SUBSŎLŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *subsolvo*, idem ac solutus. *Plin. Valer.* 2. 18. Gypsi flos cum aceto – in modum cataplasmatis subsolutus.

SUBSŎNO, as, are, n. 1. subtus sono. Translate *Sisenn.* apud *Charis.* 2. p. 175. *Putsch.* Quanti dantur? tanti, inquit Olympias. simul hæc dicens suavium dedit, ut scilicet subsonaret, quanti pretii. *h. e.* clam indicaret.

SUBSORTĬOR, sortiris, sortitus sum, sortiri, dep. 4. Part. *Subsortitus* et *Subsortiturus*. — Subsortior est sorte aliquem in rejectorum judicum locum substituere, *sostituire cavando a sorte*, ἐπιλαγχάνω. Electis enim sorte judicibus, qui judicaturi erant, liberum erat accusatori ac reo ex eo numero eos rejicere, qui iniqui sibi futuri putabantur; qua rejectione facta, iterum sortiebantur alios judices, ad legitimum numerum complendum: quod *subsortiri* dicebatur. *Cic.* 3. *Verr.* 19. *ad fin.* Cum iis judicibus, quos in horum locum subsortitus es. *Id. Cluent.* 35. 94. Sive quod ex lege subsortitus judicem non esset. *Ascon.* in *cit.* 3. *Verr.* Quos in horum locum subsortiturum se Verres esse credebat. — Passive *Serv.* ad *Virg.* 3. 71. Sortior est verbum judiciorum: nam subsortiti dicuntur judices, qui occupatorum funguntur officio.

SUBSORTĪTIO, ōnis, f. 3. (subsortior) actus subsortiendi, suffectio, quæ sorte fieri solebat a prætore ad supplendum numerum judicum, ὑποκατάστασις. *Cic.* 3. *Verr.* 61. 157. Nam de subsortitione illa Juniana judicum nihil dico. *Id. Cluent.* 33. 91. Et quod C. Verres prætor urbanus, homo sanctus et diligens, subsortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. *Sueton. Cæs.* 41. *extr.* Quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a prætore fieret. *V.* voc. præced.

SUBSORTĪTUS, a, um, particip. *V.* SUBSORTIOR.

SUBSPARGO, is, ere, a. 3. clam seu subtus spargo. *Tertull. Resurr. carn.* 63. *sub fin.* Hæreticorum versutiis semina subspargere.

SUBSTĀMEN, ĭnis, n. 3. subtemen, filum, quod sub stamine texitur, *trama*. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 2. 66. Vestes molli intextæ substamine. — Apud *Sil. It.* 12. 444. *substramina* pro *substamina* legendum est.

SUBSTANS, antis, particip. *V.* SUBSTO.

SUBSTANTĬA (substancia), æ, f. 1. (substo) id, quo quid substat et consistit, vel id, quo quæque res est, seu essentia, vel etiam natura, οὐσία, ὑπόστασις (It. *essenza, sostanza, natura*; Fr. *substance, essence, nature*; Hisp. *esencia, substancia, natura*; Germ. *der Bestand, das Wesen, die Beschaffenheit*; Angl. *the substance, essence*): cui rei *qualitas* vel *accidens* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* De concretis. *Quintil.* 7. 2. 5. Sed et illud potest videri extra hoc propositum conjecturæ genus, quum de aliquo homine quæritur, quis sit, nam et sub-

stantia ejus sub oculos venit, ut non possit quæri, an sit. *Id.* 3. 6. *ante med.* Aut de substantia quæstio est, aut de qualitate. *Seneca Ep.* 58. *ante med.* Et hæc, quæ non sunt, rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tamquam Centauri, Gigantes et quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat substantiam. *Nazar. Paneg. Constantin.* 14. Et quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex et inconcreta substantia naturæ tenuis eludat; illi tamen etc. *Capell.* 4. *p.* 107., cujus *lemma* est *prima substantia.* Substantia est, quæ nec in subjecto est inseparabiliter, neque de ullo subjecto prædicatur. *Id. ibid.* cujus *lemma* est *secunda substantia.* Secunda substantia est, quæ de prima, ut dictum est, prædicatur, ut homo de Cicerone. *Tertull. Resurr. carn.* 17. Habere proprium genus substantiæ soliditatis. *Id. Pall.* 2. Quippe si mundus ex diversis substantiis officiisque constabit etc. Sane Aristoteles tradit, quattuor omnino capita a physicis observari in re quaque, οὐσία, δύναμις, ἔργα, πάϑη; quorum duo priora ad substantiam rei pertinent, posteriora duo continentur officiorum appellatione. *Auct. Comm.* in *Donat. art. p.* CXIII. ed. *Hag.* Homo vel lapis substantiam significant, cujus significatio nec augeri nec minui potest. Ergo non ipsa substantia, sed quæ accidunt substantiæ, comparantur. *Priscian. Instit.* 3. *p.* 83. 18. *Keil.* Comparativa sumuntur ex accidentibus substantiæ nominum, accidentia autem sunt, quæ ex qualitate vel quantitate trahuntur, – sine quibus substantia intelligi potest. — *b*) De abstractis. *Quintil.* 1. *procem. a med.* et 2. 15. *a med.* Substantia rhetoricæ. *Boeth.* 1. *Arithm.* 2. et 5. numeri. ¶ 2. Speciatim in divinis quid sit, docet *Rufin.* 1. *Hist. Eccl.* 29. Additur sane in illo Concilii decreto etiam de Spiritu Sancto plenior disputatio, ut ejusdem substantiæ ac deitatis, cujus Pater et Filius, etiam Spiritus Sanctus crederetur; – sed et de differentia substantiarum et subsistentiarum sermo ejus per scripturam motus est. Græci οὐσίας et ὑποστάσεις vocant. Quidam etenim dicebant substantiam et subsistentiam idem videri: et quia tres subsistentias non dicimus in Deo, nec tres substantias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, quia substantia ipsam rei alicujus naturam rationemque, qua constat, designet; subsistentia autem uniuscujusque personæ, hoc ipsum quod exstat et subsistit, ostendat. Ideoque propter Sabellii hæresim tres esse subsistentias contendas etc. Sic *Vulgat. interpr. Hebr.* 1. 3. *de Filio Dei.* Figura substantiæ ejus. τῆς ὑποστάσεως, *h. e.* imago expressa essentiæ ejus *(Dei Patris).* ¶ 3. Item est subsistentia, qua quis subsistit et vivit. *Vulgat. interpr. Ps.* 68. 3. Infixus sum in limo profundi et non est substantia. *h. e.* ubi prorsus submergor ideoque vivere amplius nequeo. *Id. Ps.* 38. 8. Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est. *h. e.* spes vitæ. dixerat enim *v.* 6. substantia mea tamquam nihilum ante te. *h. e.* ὑπόστασίς μου, subsistentia mea vel spatium vitæ, quo subsisto, exsistentia mea, ævum, vita, est erga te *(Deus)*, qui æternus es, tamquam nihilum. *V.* integrum loc. Adde *Eccli.* 38. 20. ¶ 4. Item fundamentum, caput rei. *Vulgat. interpr. Hebr.* 11. 1. Est autem fides sperandarum substantia rerum. *h. e.* fides facit, ut res sperandæ in nobis subsistant, quasi sit fundamentum, quo spes nitatur. Ita *Beelen* in *Comm.* ad *h. l.* Alii tamen accipiunt pro essentia vel inchoata possessione rerum sperandarum. Cf. *Quintil.* 2. 21. 1. ¶ 5. Item est summa vel copia rei. *Tac. Dial. de orat.* 8. Sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, potentissimi sunt civitatis. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 19. In una parte regnum, in altera totius patrimonii summam atque omnem paternorum bonorum substantiam posuit. *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 29. Potior esse debet non solum gradu generis, sed et substantia rei familiaris.

II.) Translate. ¶ 1. Est ipsa res. *Paul. Dig.* 41. 5. 2. Qui potius substantiam intuetur, quam opinionem. *la cosa stessa.* et *Tertull. Cor. mil.* 5. Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a sæculo. *h. e.* res ipsa *sc.* flores ipsi a Deo, sed habitus *sc.* modus habendi flores a mundo. Adde *Venulej. Dig.* 26. 7. 50., et *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Cf. *Tertull. Cult. fem.* 2. et *Vulgat. interpr. Ps.* 138. 15. *Id. Gen.* 7. 4. Delebo omnem substantiam. *h. e.* substantiam vivam, sc. ipsum animal. Adde *ibid.* 23. ¶ 2. Item materia, qua quid constat. *Paul. Dig.* 50. 16. 14. Earum rerum pretium non in substantia, sed in arte positum est. *non nella materia, ma nel lavoro.* Adde *Cod. Theod.* 4. 12. 5. ¶ 3. Hinc *substantia emptionis* apud *Papinian. Dig.* 18. 1. 72. est id, quo emptio consistit. Cetera sunt *adminicula.* ¶ 4. Item materia seu argumentum alicujus tractatus, *materia, argomento. Frontin.* 4. *Strateg. præf.* Quæ idcirco separavi, quia, quamvis clara, diversæ tamen erant substantiæ. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 11. 17. In hac substantia gloriæ. Alii tamen interpretantur translate pro fiducia, ut *ibid.* 9. 4. et *Hebr.* 3. 14.: Gr. ὑπόστασις ab ὑφίστημι, suppono, quasi sustentaculum, *appoggio.* Cf. *Ps.* 38. 8., ubi *substantia* videtur esse spes, exspectatio. ¶ 5. Item refertur ad rem familiarem, patrimonium, facultates, censum, fortunas, *sostanze, beni, avere. Quintil. Declam.* 15. 9. Cujus census ex manibus, ex laboribus substantia. Adde *Papinian. Dig.* 5. 3. 51. et *Ulp. ibid.* 36. 1. 16. et *ibid.* 47. 8. 2. *ad fin.* et *ibid.* 10. 5. *extr.* et *Vulgat. interpr. Prov.* 3. 9. *Id. Luc.* 15. 13. Substantiam dissipare. *et ibid.* 30. devorare. ¶ 6. Item est sors, caput. *Tertull. Hab. mulier.* 9. Tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare. Græci dicunt οὐσίαν et κεφάλαιον et ἀρχαῖον. ¶ 7. Item dicitur de cibo, quo corpus alitur et sustentatur. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 39. decem recursibus Quater volutis sol peragrans sidera Omni carentem cerneret substantia.

SUBSTANTĬĀLIS, e, adject. (substantia) ad substantiam pertinens (It. *sostanziale;* Fr. *substantiel, essentiel;* Hisp. *substancial, esencial;* Germ. *wesentlich;* Angl. *substantial*).

I.) Proprie. *Tertull. Resurr. carn.* 45. *sub fin.* Substantialis differentia. *Cassiod. De dialect.* Substantialis definitio. — Apud *Ammian.* 21. 1. 8. Substantiales potestates dicuntur dæmones, sive spiritus incorporei.

II.) Translate. *Rufin. Hist. monach.* 7. Generabis mihi populum substantialem et perfectum æmulatorem bonorum operum.

SUBSTANTĬĀLĬTAS, ātis, f. 3. (substantialis) condicio ejus, qui substantialis est, *sostanzialità. Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Ex non exstantibus creat...: mundus novellam habet substantiæ recentemque nativitatem a Patre per Filium, hujusmodi utique substantialitatem cunctis accipientibus. Adde *Mar. Victorin.* 1. *advers. Ar.* 49. et 52. *et alibi.*

SUBSTANTĬĀLĬTER, adverb. ab adject. *substantialis;* unde Comp. *Substantialius.* — Substantialiter est secundum substantiam, *sostanzialmente. Mar. Victorin.* 1. *advers. Ar.* 20. In definitione animæ quum dicimus, quid est anima? proprie dicimus et substantialiter, quod a se movetur. Adde *Tertull. advers. Valentin.* 7. et 4. *advers. Marcion.* 35. *ad fin.* et *Rufin.* in *Symb. apost.* 7. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 17. *Migr.* Quamvis homo et Deus adjuncta mortali differentia separentur, proprio tamen, id est visibili, quod solus habet homo, naturalius substantialiusque disjungitur.

SUBSTANTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* substantia, parva substantia. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 26. Paterna et materna substantiola. *h. e.* facultatula. *Id. Ep.* 125. *n.* 16. Qui pauperes sunt et tenui substantiola.

SUBSTANTĪVĀLIS, e, adject. (substantivus) substantialis, *sostanziale. Tertull. advers. Valentin.* 27. *sub fin.* Substantivalis, non agnitionalis forma. *V.* AGNITIONALIS.

SUBSTANTĪVUS, a, um, adject. (substantia) substantialis, qui per se stare potest, *sostantivo*, ὑπαρκτικός. *Tertull. advers. Prax.* 26. et *advers. Hermog.* 36. Substantiva res. — *Substantivum nomen* a grammaticis non veteribus, sed recentioribus dicitur, quod in oratione per se stare potest, ut *orator, sermo, prudentia;* cui opponitur adjectivum. V. *Voss. l.* 3. *de Grammat.* c. 6. — *Substantivum verbum* dicitur item a grammaticis *sum, es. Priscian.* 8. *p.* 812. *Putsch.*

SUBSTERNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSTERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. Part. *Substernens* II. 2.; *Substratus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Substernendus* I. 5. — Substerno est subtus sterno, humi spargo, subjicio, ὑποστορέω (It. *stendere o spargere o porre sotto;* Fr. *étendre sous, répandre, étaler sous;* Hisp. *extender, estirar soto, parar soto ó debaxo;* Germ. *unterstreuen, unterbreiten;* Angl. *to strew, scatter or spread under or below*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) Cum Accus. *Cato R. R.* 37. Ex segete vellito ebulum, cicutam et circum salicta herbam altam ulvamque: eam substernito ovibus. Adde *ibid.* 5. *Ter. Andr.* 4. 3. 11. Ex ara hinc sume verbenas tibi Atque eas substerne. *Justin.* 3. 3. 7. Nihil eos somni causa substernere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 56. (158). Nepetam substernere in metu obdormituris, utile est. *Id.* 36. *ibid.* 25. 62. (186). *de paviment. subdialib.* Necessarium binas per diversum coassationes substerni. Adde *Ovid.* 15. *Met.* 399. *Liv.* 22. 51. Præcipue convertit substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus. (Cf. *Sil. It.* 6. 44.) Alii tamen rectius leg. *subtractus.* V. *Drakenb.* ad *h. l.* et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (82). Substrata glarea. *Id.* 20. *ibid.* 51. 84. (226). folia. *Id.* 28. *ibid.* 9. 42. (150). pelles cervorum. — *b*) Absolute. *Id.* 18. *ibid.* 23. 53. (194). Justum est, singulas vehes fimi denario ire: nisi contingat hoc, male substravisse pecori colonum apparet. — Et impersonaliter *Cato R. R.* 5. Pecori et bubus diligenter substernatur. — Apud veteres Orientis populos mos erat, regi adventanti in obsequii testimonium tapetia, vestes, flores substernere. *Vulgat. interpr. Luc.* 19. 36. Eunte illo *(Christo)*, substernebant vestimenta sua in via. Cf. 4. *Reg.* 9. 13. — Item in nummis aureis maximi moduli Valentis *(Eckhel, D. N. V. T.* 8. *p.* 153.) cernitur Augustus togatus capite nimbato, equo lente gradienti rectus, cui occurrit Genius muliebris Antiochiæ, imam pallæ seu stolæ extremitatem in via, qua transiturus est, substernens. Hæc *Cavedoni* in *Lex. Evang.* ¶ 2. *Substernere semina hordei,* est subserere, subterjacere. *Colum.* 5. *R. R.* 9. *circa med.* ¶ 3. *Substernere colorem,* est sublinere, primum colorem inducere, ut qui superinducetur, magis hæreat ac niteat. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 66. (103). Fucus marinus, lactucæ similis, qui conchyliis substernitur. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (89). Sardonyches Arabicæ excellunt candore, substrato nigerrimo colore. *Alii aliter leg.* ¶ 4. *Substernere delicias,* est subministrare. *Lucret.* 2. 22. ¶ 5. *Substernere pullos,* sub pullis quippiam sternere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (93). Confingunt nidos et occultandis habiles pullis et substernendis molles.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Propert.* 3. 5. 47. Fortuna insidias pontum substravit avaris. *h. e.* stravit in lato mari insidias avaris. ¶ 2. Speciatim subjicere, supponere, *sottoporre, soggettare. Cic. Tim.* 8. Omne, quod erat concretum atque corporeum, substernebant animo. *Val. Max.* 2. 7. *n.* 14. Ejusdem culpæ homines elephantis proterendos substravit. *Catull.* 64. 331. Languidulosque paret tecum conjungere somnos, Levia substernens robusto brachia collo. *et ibid.* 403. Ignaro mater substernens se impia nato. *h. e.* prostituens, succumbens. Sic *Sueton. Aug.* 68. Quasi pudicitiam A. Hirtio substraverit. *Hieronym.* 8. in *Is.* 26. 1. Omnes inimici substrati Christi pedibus. ¶ 3. Prægnanti, ut ajunt, sensu est substernendo tegere, *coprire, far letto. Cic.* 2.

Nat. D. 52. 129. Gallinæ avesque reliquæ cubilia sibi nidosque construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt. *Varro* 1. *R. R.* 57. Solum paleis substernunt. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (95). Fundamenta calcatis substravere carbonibus, dein velleribus lanæ. *Apul.* 10. *Met.* Lectum stragula veste substernere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (74). Substratus arena locus. — Hinc

Substratum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res substrata. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 50. (167). Coquitur ad medicinæ usus, patinis fictilibus, substrato sulphuris minoto etc. *Sillig.* leg. *substrato sulphure.* — Apud *eumd. loc.* supra *cit.* ex *l.* 37. *idem* Sillig. *leg.* substrato coloris.

SUBSTILLĀTĬO, ōnis, f. 1. (substillo) actus substillandi ex stranguriæ morbo. *Gloss. Cyrill.* Στραγγουρία, culbicio, substillacio (*sic*).

SUBSTILLO, as, are, n. 1. subtus vel aliquantum stillo, et etiam, speciatim, stranguriæ morbo laboro. *Gloss. Cyrill.* Ὑποστάζω, substillo. *Ibid.* Στραγγουριῶ, culbo, substillo. *Gloss. Philox.* Substillat, στραγγουριᾷ.

SUBSTILLUM. *V.* voc. seq.

SUBSTILLUS, a, um, adject. qui substillat et specialim dicitur de urina, quæ stillatim emittitur ex morbo, quem Græci vocant στραγγουρίαν. *Cato R. R.* 156. *sub fin.* Nunc de iis, quibus ægre lotium it, quibusque substillum est. — Hinc

Substillum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est tempus humidum, sive ante pluviam, quia jam stillat, sive post eam, quia stillare nondum desinit. *Fest. p.* 306. 26. *Müll.* Substillum antiqui appellabant tempus ante pluviam jam pæne uvidum et post pluviam non persiccum, quod jam stillaret aut nondum desisset. *Tertull. Pall.* 2. Aut imbres ruunt, et siqua missilia cum imbribus, dehinc substillum et denuo sudum. ¶ 2. Est etiam morbus de quo supra dictum est. *Gloss. Gr. Lat.* Δυσουρία, substillum.

SUBSTĬNENTĬA. *V.* SUSTINENTIA

SUBSTĬNĔO. *V.* SUSTINEO.

SUBSTĬTŬO (supstituo), stĭtŭis, stĭtŭi, stĭtūtum, stĭtŭere, a. 3. Part. *Substitutus* et *Substituturus* I. 2., *Substituendus* I. 1. — Substituo est subtus statuo, subjicio, suppono, ὑφίστημι (It. *mettere o piantar sotto o dopo*; Fr. *mettre, placer sous ou après*; Hisp. *meter soto ó despues*; Germ. *unter od. nach etw. stellen, legen*; Angl. *to put or place under*); et occurrit cum Acc., cui additur etiam Dat. vel Acc. et præp. *in*.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *a med.* Plantæ in scrobe depositæ lapides substituendi sunt. *Auct. B. Afr.* 59. Post elephantos armaturas leves Numidasque substituerant. *h. e.* post posuerant. ¶ 2. Speciatim est sufficio, in locum alterius pono, *sostituire, surrogare.* *Cic.* 7. *Verr.* 28. *ante med.* In eorum locum substituere et supponere cœpit cives Romanos. *Nepos Alcib.* 7. *a med.* Ut absenti magistratum abrogarent et alium in ejus locum substituerent. *Sueton. Cæs.* 76. Utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses. *Cajus Dig.* 4. 7. 1. Si quis, alienando rem, alium nobis adversarium suo loco substituerit. *Colum.* 5. *R. R.* 6 *init.* Primam quamque arborem senio afflictam submoveat et in vicem novellam sobolem substituat. *Id.* 4. *ibid.* 17. Æternitati eorum sic consulimus, ut demortuis seminibus alia substituamus. *Cic.* 5. *Verr.* 69. 161. Nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (91). Consenuit hæc tabula carie: aliamque pro ea Nero substituit. *Vellej.* 2. 58. 3. Quem substituturus sibi Cæsar designaverat consulem. *Liv.* 38. 42. *a med.* Consules alterum in Europa, alterum in Asia, velut pro Philippo atque Antiocho substitutos, regnare. *Sueton. Tib.* 4. Pontifex in locum Scipionis substitutus. *Justin.* 36. 1. 7. Substituere aliquem tutorem Antiocho. *Curt.* 6. 7. 31. aliquem hujus criminis reum. *Justin.* 11. 2. 5. Alexander dux in locum ejus (*patris*) substituitur. *a o come duce.* Sic 42. 2. 1. In hujus locum Artabanus rex substituitur. — Hinc translate *Cic.* 2. *Divinat.* 2. *sub fin.* Philosophiam nobis pro reipublicæ procuratione substitutam putabamus. — De substituendis in testamento heredibus V. *JCtos Dig.* 28. *tit.* 6. Sic *Sueton. Tib.* 76. Eo testamento heredes æquis partibus reliquit Cajum et Tiberium nepotes substituitque invicem. *sostituì l'uno all' altro.* et *Quintil.* 7. 6. *ad fin.* et *Ulp. lib. Regul. tit.* 22. § 33. et 34. Substitutus heres. *V.* SUBHERES.

II.) Translate. ¶ 1. Est subdere, obnoxium reddere, subjicere. *Plin.* 6 *Ep.* 31. *ante med.* Substituere aliquem crimini. *h. e.* reum facere et accusare. *Quintil.* 7. 4. 15. Fortuna sæpe substituitur culpæ. *si fa rea.* et *Declam.* 1. 10. Substituere aliquem reum. *Cels. Dig.* 38. 1. 30. aliquem arbitrio. *obbligarlo a stare all' arbitrio altrui.* ¶ 2. Item pono ante, objicio. *Liv.* 28. 35. Ceperat jam ante Numidam admiratio viri: substitueratque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam. *Ovid. Remed. am.* 573. Ut possis odisse tuam, Pari, funera fratrum Debueras oculis substituisse tuis.

SUBSTĬTŪTĬO, ōnis, f. 3. (substituo) actus substituendi, *sostituzione.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 3. *p.* 104. Ut nova quaque suboriente fetura, quidquid prior ætas abstulisset, recidiva substitutio subrogaret. Adde *Chalcid. Tim.* 32. ¶ 2. Speciatim apud JCtos in re testamentaria, ut Substitutio heredis, de qua integer titulus est 6. *l.* 28. *Dig.* Unde *Papinian. ibid. leg.* 7. Substitutionem facere. *Ulp. ibid.* 8. Ex substitutione heredem esse. *et ibid.* Aliquem ad substitutionem admittere. V. *Caji Institut. l.* 2. § 174.-184. (edente iterum *Goeschenio*), ubi de variis substitutionum generibus agitur.

II.) Translate. *Ambros.* 3. *Hexaem.* 17. *n.* 71. Nam quæ (*palma*) primo germinarent folia, ea sine ulla substitutionis successione conservat.

SUSTĬTŪTĪVUS, a, um, adject. (substituo) qui substitui potest, *sostitutivo.* *Apul. Dogm. Plat.* 3. *sub init.* Propositio substitutiva vel condicionalis. *V.* PRÆDICATIVUS.

SUBSTĬTŪTUS, a, um, particip. *V.* SUBSTITUO.

SUBSTO, stas, (stĭti) stare, n. 1. Præteritum commune habet cum *subsisto.* V. hanc voc. — Part. *Substans* 1. — Substo ¶ 1. Est subtus sum, subsum, lateo, *stare od essere sotto*, ὑφίσταμαι. *Cels.* 6. 10. *a med.* Si, pure substante, non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt. (Adde 2. 7. *a med.*) *Cic. Top.* 5. 27. Esse ea dico, quæ cerni tangive possunt: non esse quæ tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt, ut si usucapionem, tutelam, agnationem definias, quarum rerum nullum substet quasi corpus. *Pleriq. omnes leg.* subest. ¶ 2. Est etiam subsisto, resisto, resto, *star salda, resistere.* *Ter. Andr.* 5. 4. 11. Perii! metuo, ut substet hospes. ¶ 3. Apud Philosophos quid sit, *V.* infra.

Homonym. Differre *substo* a *subsisto* ita docet *Boeth. De duab. nat. p.* 950. « *Subsistit*, quod ipsum accidentibus, possit ut esse, non indiget: *substat* autem id, quod aliis accidentibus subjectum quoddam, ut esse valeant, subministrat ».

SUBSTŎMĂCHANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSTŎMĂCHOR, āris, ari, dep. 1. Part. *Substomachans.* — Substomachor est aliquantum stomachor, subirascor. *Augustin.* 3. *Confess. extr.* Substomachans tædio. *Id.* 6. *Op. imperf. contra Julian.* 16. Et substomacharis, si senis Manis suboles nuncupere.

SUBSTRĀMEN, mĭnis, n. 3. id, quod animalibus, hominibus aliive cuipiam rei substernitur, *strame*, ὑπόστρωμα. *Varro* 3. *R. R.* 10. Sed habeant molle substramen e palea aliave aliqua re. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 46. Flos lectus, flos vincla toris, substramina flores. *Sil. It.* 12. 444. Lubrica roboreis aderant substramina plaustris. (*V.* SUBSTAMEN) Adde *Varron.* 3. *R. R.* 6. et 9.

SUBSTRĀMENTUM, i, n. 2. idem quod substramen. *Cato R. R.* 161. *de asparago.* Quo anno severis, substramentis per hiemem operito, ne peruratur. Alii leg. divisim *sub stramentis.*

SUBSTRATORIUS, a, um, adject. ad substratum pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 90. Stratorius, substratorius.

SUBSTRĀTUM, i, n. 2. et

SUBSTRĀTUS, a, um, partic. *V.* SUBSTERNO.

SUBSTRĀTUS, us, m. 4. actus substernendi, ὑπόστρωσις. In sexto casu sing. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 38. (61). Vitices suffitu atque substratu fugant venenata. *Auct. Itin. Alex. M.* 34. *Volkm.* Substratu levium densarumque utrium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 72. (299). Culmum, quum inaruit, baculo frangunt, substratu animalium. At *Jan* et *Sillig.* leg. *sub strata*; alii vero *subtracta.*

SUBSTRĔPENS, entis, particip. ab inusit. *substrepo*, aliquantum strepens. *Apul.* 5. *Met.* Tertiata verba semianimi voce substrepens.

SUBSTRICTUS, a, um, particip. *V.* SUBSTRINGO.

SUBSTRĪDENS, entis, particip. ab inusit. *substrido*, aliquantum stridens. *Ammian.* 16. 4. 2. Ira exundante substridens.

SUBSTRINGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBSTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. Part. *Substringens* I.; *Substrictus* I. et in fin.; *Substringendus* II. — Substringo est idem quod ab inferiore parte stringo, constringo, adstringo, contraho, subcingo, complico, ὑποσφίγγω (It. *stringere abbasso, stringere*; Fr. *attacher au bas, lier, serrer*; Hisp. *atar abaxo, ligar*; Germ. *unten zusammenziehen od. binden*; Angl. *to bind or gird below*).

I.) Proprie. *Nepos Eumen.* 5. *a med.* Substringere caput equi loro. *Seneca Troad.* 88. sinus. *h. e.* vestes succingere. *Sil. It.* 1. 689. lintea malo. *ammainar le vele.* et *Sueton. Galb.* 21. Excreverat in dexteriore latere ejus caro propendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur. *Tac. Germ.* 38. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. *Lucan.* 3. 280. auroque ligatas Substringens, Arimaspe, comas. *Colum.* 2. *R. R.* 3. Boves quum ab opere disjunxerit, substrictos confricet. *Seneca Hippol.* 1002. Celsos sonipedes ocius subigit jugo, Et ora frenis domita substrictis ligat.

II.) Translate est adstringo, cohibeo, supprimo. *Juvenal.* 6. 432. maritus Nauseat atque oculis bilem substringit opertis. *reprime, raffrena, soffoca.* et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 95. aurem substringe loquaci. *h. e.* subjice, obnoxiam præbe, accommoda: quasi stringe et alliga loquaci seni: ut habeat te obstrictum et obaudientem, quandocumque loqui voluerit, ni malis locutionem sumptam esse a brutis animantibus, præsertim a canibus, qui ad eum locum, unde rumor exoritur, arrigunt aures, *puntar le orecchie.* et *Quintil. Declam.* 18. 7. *in fin.* Abstinebunt coram patre complexibus: omnis familiaritas substringetur in publico. *si toglierà.* et *Marcell. Empir.* 8. § 7. *ante med.* Collyrium diamisyos, quod facit ad asperitudines oculorum tollendas et ad lacrimas substringendas. — Figurate. *Quintil.* 10. 5. 4. Ipsis sententiis adjicere licet oratorium robur et omissa supplere et effusa substringere. *restringere.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Substrictus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Substrictior.* — Substrictus est artus, adstrictus, adductus, contractus, *ristretto, stretto, scarno*: cui opponitur laxus, prominens, effusus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (25). Tradunt castorum parvos esse substrictosque et ... spinæ, nec adimi sine vita animalis posse. *Sil. It.* 15. 608. sonipesque virique Substricti corpus. *Ovid.* 3. *Met.* 216. Canis substricta gerens ilia. *Id.* 11. *ibid.* 752. Substricta crura gerens mergus. *h. e.* gracilia. *Gell.* 7. 12. Romani primo sine tunicis, sola toga amicti fuerunt: postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentes habebant. *Pelagon. præf.* 2. Equus sit ventre substricto. *Alii male leg.*

substructo. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 20. Taurus ventre paullo substrictiore.

SUBSTRUCTĬO, ōnis, f. 3. (substruo) quidquid sub terra struitur ad firmamentum ædificii, ut fundamenta, arcus, fornices, cameræ, pilæ etc. et fere de magnis ædificiis dicitur, ὑποτείχισμα (It. *fondamenta, fabbrica sotterranea*; Fr. *fondation ou bâtisse souterraine*; Hisp. *fundamento ó edificio soterraneo*; Germ. *der Unterbau, Grundbau*; Angl. *a foundation, substruction*). ¶ 1. Stricto sensu, quæ sub terra struuntur. *Vitruv.* 6. 11. Maxima autem esse debet cura substructionum, quod in his infinita vitia solet facere terræ congestio. *Id.* 1. 5. Itaque non solum in muro, sed etiam in substructionibus parietes hac ratione religati, non cito vitiabuntur. *Plin.* 10. *Ep.* 48. *de theatro.* Fulturæ ac substructiones, quibus subinde suscipitur, non tam firmæ mihi, quam sumptuosæ videntur. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ad fin. Inscript.* apud *Orelli n.* 3267. (V. *Annali dell'Istit. arch. a.* 1858 *p.* 211.) Q. BVTATIVS Q. F. Q. N. CATVLVS COS. SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM EX S. C. FACIVND. CVRAVIT. ¶ 2. Latiore sensu, quæ supra terram fiunt, in ima ædificii parte, *substructiones* dicuntur: præsertim si crassiora sint et rudiora ac firmitatem ostentantia. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Castra Vari admodum munita natura loci, una ex parte ipso oppido Utica, altera theatro, quod est ante oppidum, substructionibus ejus operis maximis. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ante med.* Saxosum agrum facile est expedire lectione lapidum: quorum si magna est abundantia, velut quibusdam substructionibus partes agri sunt occupandæ, ut reliquæ emundentur. *Inscr.* in *Bullett. dell'Istit. archeol. a.* 1838. *p.* 188. IMP. CAES. DIVI NERVAE F. NERVA TRAIANVS AVG. SVBSTRVCTIONEM CONTRA LABEM MONTIS FECIT. — Apud *Frontin. Aquæd.* 3. 5. 6. et alibi *substructio* est paries et quodcumque aliud solidum opus, etiam supra terram structum ad sustinendos aquæductus: et distinguitur a rivo subterraneo et opere arcuato. ¶ 3. Latissimo sensu, quæcumque ædificia et fabricæ, præsertim amplæ et magni operis. *Liv.* 38. 28. Substructionem super Æquimælium in Capitolio et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt. *Cic. Mil.* 20. 53. Quo in fundo propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. *et ibid.* 31. *a med.* Substructionum insanæ moles.

SUBSTRUCTUM, i, n. 2. *et*

SUBSTRUCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBSTRŬO, strŭis, struxi, structum, strŭere, a. 3. Part. *Substructus* 1. et 3.; *Substruendus* 2. — Substruo est subtus struo, ab imo exstruo, a fundamentis ædifico, ὑποτειχίζω (It. *fabbricare sotto o dalle fondamentà*; Fr. *faire une substruction ou fundation, bâtir sous terre*; Hisp. *fundar ó echar los cimientos, construir debaxo de tierra*; Germ. *unterbauen*; Angl. *to lay the foundation, found, build*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (74). Convallis et intervalla substructis canalibus junguntur. *Inscr.* apud *Gruter.* 41. 5. TEMPLVM DIANAE MATRI D. D. APVLEIVS ARCHITECTVS SVBSTRVXIT. *h. e.* exstruxit. — *Plaut. Most.* 1. 2. 39. parentes fabri liberum sunt, Et fundamentum substruunt liberorum, Extollunt, parant sedulo in firmitatem. ¶ 2. Speciatim sternere, substernere, *lastricare*. *Liv.* 41. 27. Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt. — Absolute *Cels. Dig.* 8. 1. 10. Si iter legatum sit, qua, nisi opere facto, iri non possit; licet fodiendo, substruendo iter facere. ¶ 3. Prægnanti, ut ajunt, sensu est substruendo munire, firmare. — *a*) Universim. *Vitruv.* 8. 7. *ante med.* Intervalla montium substruere ad libramenta. *Varro* 5. *L. L.* 155. *Müll.* Locus substructus, ubi nationum subsisterent legati. Cf. *Plin. loc.* supra *cit.* — *b*) Cum addito Ablativo. *Liv.* 6. 4. *in fin.* Capitolium saxo quadrato substructum. *h. e* firmatum muro ab radicibus montis excitato, ne terra Capitolium sustinens dilaberetur, de quo *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (104). Tunc senes aggeris vastum spatium et substructiones insanas Capitolii mirabantur. — *c*) Impersonaliter *Vitruv.* 8. 7. Quum venerit ad imum, non alte substruitur, ut sit libramentum quam longissimum. — Hinc

Substructum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac substructio. *Vitruv.* 8. 7. *ante med.* Substructum ad libram factum.

SUBSTYPTĬCUS, a, um, adject. aliquantum stypticus. *Plin. Valerian.* 5. 31. Sit cibus substypticus mediocriter.

SUBSŪDO, as, āvi, are, n. 1. aliquantum sudo. *Venant. Vit. S. Radeg.* 34. *de hydropica.* Ita ut nec subsudasset, et intus aqua consumpta est.

SUBSULTIM, adverb. (subsilio) subsiliendo, per saltus, *saltellando*. *Sueton. Aug.* 83. Ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret.

SUBSULTO (sussulto), as, are, n. 1. *frequentat.* vel *intens.* a subsilio, est frequenter vel vehementer subsilio, ὑφάλλομαι (It. *saltellare*; Fr. *sautiller*; Hisp. *saltar ó andar á saltillos*; Germ. *in die Höhe springen, hüpfen*; Angl. *to hop, skip*).

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 2. 7. 10. Ut subsultabat, postquam vicit villicus! *Id. Capt.* 3. 4. 104. Tu subsultas, ego miser vix asto præ formidine. *Tertull. Anim.* 26. Si tantummodo matrem subsultando turbasset. *Hieronym. Ep.* 61. Ex latere subsultabas et plaudebas manu et applodebas pedem.

II.) Translate. *Quintil.* 9. 4. 42. Monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur, quia necesse est, compositio multis clausulis concisa subsultet. *Id.* 11. 3. *ante med.* Prima est observatio recte pronunciandi, æqualitas, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis.

SUBSUM, sŭbes, subfui *vel* suffui, sŭbesse, n. anom. subtus sum, sub aliqua re sum, insum, lateo, ὕπειμι (It. *essere o stare sotto o nascosto*; Fr. *être sous*; Hisp. *ser soto, abaxo*; Germ. *unten sein*; Angl. *to be under*): construitur autem absolute, aut cum Dat. vel rarius cum Accus. vi præpositionis, quæ verbo inest.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 18. *a med.* Subest intra cutem vulnus. *Tibull.* 2. 5. 27. Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ. *Virg.* 3. *G.* 388. Nigra subest udo tantum mi lingua palato. *Horat.* 4. *Od.* 5. 40. Quum sol Oceano subest. *Id.* 1. *Ep.* 1. 95. si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 78. (199). Subest venter stomachum habentibus. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 9. Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis æra subesse putat. — *Fest. p.* 348. 6. *Müll.* Suffuerat, sub eodem tecto fuerat. ¶ 2. Speciatim significat vicinum esse, imminere, instare, *essere vicino o imminente*, tum loco, tum tempore. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Pedem referre et quod mons suberat circiter M. passuum, eo se recipere cœperunt. *Sall. in epist. Mithrid. ad Arsac. a med.* Illi suberat regnum Ariobarzanis. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 21. Putabam, posse me subesse propinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 24. Nec vicina subest, vinum præbere taberna Quæ possit tibi. *Ovid.* 11. *Met.* 359. Templa mari subsunt. *Cæs.* 3. *B. G.* 27. Paucæ nationes, anni tempore confisæ, quod hiems suberat, id facere neglexerunt. *Cic. Mil.* 16. 42. Quum dies comitiorum subesset. *Vulgat. interpr. Sap.* 12. 18. Subest enim tibi, quum volueris, posse. *h. e.* præsto est, in promptu est. — Cum Accusativo. *Plaut. fragm.* apud *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 90. 3. *Müll.* in *Fiber.* Sic me subes cottidie, quasi fiber salicem. *mi sei addosso.*

II.) Translate: *Lucret.* 3. 274. penitus prorsum latet hæc natura subestque. *Id. ibid.* 874. Scire licet non sincerum sonere atque subesse Cæcum aliquem cordi stimulum. *Tibull.* 1. 10. 18. Sæpe solent auro multa subesse mala. *Cic.* 5. *Fin.* 10. *ad fin.* Intelligatur aliquam subesse causam, ut etc. *Nepos Alcib.* 1. Nec causa suberat, quare etc. *Cic.* 9. *Phil.* 2. 4. In qua periculi suspicio non subesset. *Id.* 3. *Att.* 25. Subest spes. *Justin.* 1. 9. 10. dolus. *et* 24. 2. *extr.* fraus. *Val. Flacc.* 7. 386. culpa. *Cic.* 1. *Rep.* 28. 44. Illi regi subest ad immutandi animi licentiam crudelissimus ille Phalaris. *Id.* 2. *Herenn.* 8. 12. Non temere famam nasci solere, quin subsit aliquid. *non vi sia qualche fondamento.* et *Ovid.* 1. *Art. am.* 397. bene si celabitur index, Notitiæ suberit semper amica tuæ. *h. e.* res, dicta, facta dominæ semper erunt nota tibi.

SUBSŬO, sŭis, sŭi, sūtum, sŭere, a. 3. Part. *Subsutus.* — Subsuo est subtus suo. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 28. sunt qui nolint tetigisse, nisi illas, Quarum subsuta talos tegat instita veste. *h. e.* matronas, cujus stola instita purpurea erat prætexta. *Acron* ad *h. l.* Matronæ stola utuntur demissa usque ad imos pedes, cujus imam partem ambit instita subsuta. Instita autem dicitur τὸ περιπόδιον, quod togæ subsuebatur, quo matronæ utebantur. Subsutam vestem prætextam dixit. At *Borghesi* in *Lett.* 18. *Ag.* 1831. ait, *subsuo* dici de vestibus detritis vel scissis idemque esse ac resarcio, *rimendare, rappezzare*: hinc *subsutam* vestem esse resartam eamque melius. quam quæ purpureo sit limbo ornata, convenire diobolari *Horatii* meretrici. Ita et *subsutio* et *subsutura* accipienda existimat. *F.* tamen et *Ritter* ad *h. l.* Legitur et in *Not. Tir. p.* 136. Suit, insuit, consuit, subsuit.

SUBSŬPERPARTĬCŬLĀRIS, e, adject. qui superparticulari numero continetur cum aliqua insuper ex suis partibus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 26. Igitur post duas primas habitudines multiplices et superparticulares et eas, quæ sub ipsis sunt, submultiplices et subsuperparticulares tertia inæqualitatis species invenitur. Adde *ibid.* 22. et *Cassiod. de Arithm.*

SUBSŬPERPARTĬENS, entis, particip. ab inusit. *subsuperpartior*, dicitur de numero, qui alio majore totus comprehenditur et cujus insuper aliquæ partes eodem continentur. *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. Post hos nascuntur comites, qui subsuperpartientes vocantur: hi autem sunt, qui habentur ab alio numero et eorum vel duæ vel tres vel quattuor vel quotlibet aliæ partes. Adde *ibid.* 22. et *Cassiod. De arithm.*

SUBSURDUS, a, um, adject. aliquantum surdus. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπόκωφος, subsurdus. Translate *Quintil.* 11. 3. 32. Sit ipsa vox non subsurda, rudis, immanis etc. Alii tamen aliter leg.

SUBSŪTĬO, ōnis, f. 3. (subsuo) actus subsuendi vel id, quod subsutum est. *Gloss. Lat. Gr.* Subsutio, ὑποκόλλημα, ὑποραφή, ἀνακολάφη.

SUBSŪTŪRA, æ, f. 1. (subsuo) sutura panni, quæ fit in ima vestium muliebrium parte, *orlatura, balzana.* Cf. tamen SUBSUO. *Edict. Diocl. p.* 21. Sarcinatori in veste subtili replicaturæ X sex, eidem aperturæ cum subsutura holosericæ X quinquaginta, eidem aperturæ cum subsutura subsericæ X triginta, subsuturæ in veste grossiori X quattuor.

SUBSŪTUS, a, um, particip. *V.* SUBSUO.

SUBTĀBĬDUS, a, um, adject. aliquantum tabidus. *Ammian.* 26. 6. *a med.* Stetit itaque subtabidus: excitum putares ab inferis.

SUBTĂCĬTUS, a, um, adject. aliquantum tacitus. *Prudent. Hamartig.* 174. Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam.

SUBTAL. *V.* SUBTEL.

SUBTĀLĀRIS, e, adject. qui sub talo est. *Isid.* 19. *Orig.* 34. 7. Talares calcei socci sunt, quia inde nominati videntur, quod ea figura sint, ut contingant talum: sicut subtalares, quod sub talo sunt, quasi subtalares.

SUBTECTĬO, ōnis, f. 3. (subtego) actus subtegendi. *Augustin. Quæst. in Heptat.* 2. 16. *in fin.* Veli undecimi cubita triginta duplicatione et subtectione ab hoc ambitu detrahuntur.

SUBTECTUS, a, um, particip. *V.* SUBTEGO.

SUBTEGMEN. *V.* SUBTEMEN.

SUBTĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. Part. *Subtectus* I. — Subtego est subtus tego (It. *coprire di sotto*; Fr. *couvrir par dessous*; Hisp. *cubrir debaxo*; Germ. *unten od. von unten bedecken*; Angl. *to cover under*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 9. 6. *de siderib.* Sub Avis

cauda pedes Equi sunt subtecti. At recentiores leg. *subjecti*. et *Ammian.* 19. 7. 3. Ferrea munimenta cælum omne subtexerunt. *Alii nunc leg.* subtexunt. *Jul. Val.* 2. 4. ed. *Paris.* Aera ipsum subtexisse jaculis et sagittis. *Augustin. Serm.* 122. Nostis primum hominem, quando peccavit, foliis ficulneis fuisse subtectum. *Jornand. Get.* 2. Refert Strabo, tantas illam (*Britanniam*) exhalare nebulas, madefacta humo Oceani crebris excursibus, ut subtectus sol per illam pæne totum fædiorem, qui serenus est, diem negetur aspectui, noctem quoque clariorem. *Placid. Gloss.* 63. 10. Lacunaria sunt, quæ cameram subtegunt.

II.) Translate. *Augustin.* 13. *Confess.* 15. Videamus, Domine, cælos opera digitorum tuorum: disserena oculis nostris nubilum, quo subtexisti eos. Ibi est testimonium tuum, sapientiam præstans parvulis. *V.* SUBTERMISSUS.

SUBTĔGŬLĀNĔUS, a, um, adject. (sub *et* tegula) qui est sub tegulis: et dicitur de pavimento sub tecto, quod alias barbaricum dicitur, ex testis tusis, rudere et calce constans, *pavimento al coperto*, ὑπόστεγον, κατάστεγον, στεγαστόν. Differt a subdiali, quod Græci vocant ὑπαίθριον, positum sub dio sive aere aperto. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 61. (185). Pavimenta credo primum facta, quæ nunc vocamus barbarica atque subtegulanea.

SUBTĔGŬMEN. *V.* SUBTEMEN.

SUBTEL, cui *Forcellinus* addit genet. *subtelis*, perinde ac nomen esset declinabile; sed in recto tantum reperitur. — Subtel est cavum pedis: idem enim est in pede, quod vola in manu. *Priscian.* 5. *p.* 644. *Putsch.* In *el* correptum neutri generis sunt mel, fel, subtel, τὸ κοῖλον τοῦ ποδός (unde *subtilis* ortus agnoscitur ab *eod.* 4. *p.* 631.). At *Perottus* mallet legere *subtal* et sic dici, quod sub talo sit. Verum, quum facile vocales permutentur, idcirco, hoc etiam probabili etymo admisso (Cf. *Döderlein v.* 6. *p.* 354.), prior scriptura retineri potest.

SUBTĒMEN *vel* subtegmen, mĭnis, n. 3. Ad scriptionem et simul ad etymon quod attinet, unde illa efficitur, quum *Varro* vocem a *stamine* ducat (*V.* infra), alii vero a *subteximen*, idque a *subtexo*, per syncopen, ut *semen* pro *serimen* a *sero*, utrumlibet postulat, ut *subtemen* scribatur: quod firmat et concordia MSS. et criticorum consensus. Alii tamen a *subtego* derivant et *subtegmen* malunt. V. *Schwabe* ad *Catull.* 64. 327. et *Ribbeck* ad *Virg.* 3. *Æn.* 483. Sunt etiam qui ita distinguunt, ut *subtemen* sit, quod explicatum est: *subtegmen* vero pannus, qui subsuitur vestibus, *soppanno*, *fodera*. Sed hoc hactenus; quod sciam, probatum est nemini, inquit *Forcellinus*. At in *Art. brev. p.* 503. 12. *Keil.*, quæ *Augustino* tribuitur, occurrit *subtegumen*, quod de interiore panno «quo vestis suffulta est commoditatis aut ornatus ergo» exponit *Fr. Junius* in *adnot.* ad *Plaut.* 3. 1. 20. ex *Gronovii* recens. — Subtemen est filum molle et parum tortum, quod transversum in tela sub stamine texitur, κρόκη, ἐφυφή, ῥοδάνη (It. *ripieno, trama*; Fr. *chaîne d'un tissu*; Hisp. *trama*; Germ. *der Eintrag od. Einschlag im Gewebe*; Angl. *to woof of a web*).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* Stamen a stando, quod eo stat omne in tela velamentum: subtemen, quod subit stamini. *Plaut. Merc.* 3. 1. 20. Subtemen tenue nere. *Vitruv.* 10. 1. *a med.* Connexus staminis ad subtegmen. *Ovid.* 6. *Met.* 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis: Quod digiti expediunt atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. *Virg.* 3. *Æn.* 483. Fert picturatas auri subtemine vestes. Alii leg. *subtegmine*, alii divisim *sub tegmine*. Notat hic *Servius*, male quosdam *subtemen* stamen accipere, quum stamen de auro esse non possit. *Sil. It.* 7. 86. et acu subtemina fulvo Quod nostræ nevere manus etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (80). *de araneo.* Tam tereti filo et tam æquali deducit stamina, etc. circinato orbe subtemina adnectens. *Id.* 13. *ibid.* 12, 24. (80). *de charta.* E secundo corio statumina facta sunt, e primo subtemina. *Fronto de nep. am.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 2. *ante med.* Nulla profecto tam sit importuna et insciens lanifica, quæ herili togæ solidum aut nodosum, servili autem subtile et tenue subtegmen neverit. *V.* loc. *Hieronym.* in ALVEOLUS adlatum.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen, apud poetas, est utrumque filum et tota tela. *Tibull.* 4. 1. 121. fulgentem Tyrio subtemine vestem Induere. *Val. Flacc.* 6. 227. picto subtemine bracæ. et 8. 234. croceo subtemine vestes. *Stat.* 7. *Theb.* 656. rubet Tyrio subtemine thorax. *Claudian. IV. cons. Honor.* 600. tribuere colorem Phœnices, Seres subtemina, pondus Hydaspes. Adde 1. *Rapt. Pros.* 257. et *Nemesian. Cyneg.* 91. ¶ 2. Item pro ipso stamine ponitur in illo *Capitolin. Pertin.* 8. Vestis subtegmine serico, aureis filis insignior. Neque enim, ut ait *Servius loc. cit.*, stamen ex auro esse potest. Multis hoc idem explicat *Salmas.* ad *Capitolin.* ¶ 3. Item dicitur de filo Parcarum. *Horat. Epod.* 13. 22. Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ Rupere. *Catull.* 64. 327. Currite ducentes subtegmina, currite fusi. ¶ 4. Et de quocumque filo. *Nemesian. Cyneg.* 311. Alternosque metus subtemine tendere longo. *h. e.* linea. *V.* FORMIDO. ¶ 5. Figurate. *Ambros.* in *Luc.* 8. *n.* 11. Non mediocris hæc femina, cujus tale textrinum est; quam non mollia lanæ fila carpentem sed pretiosæ virtutis pensa tractantem vir ejus inveniat; quæ manus extollat in noctibus et ad libram dirigat opus morumque suorum pondus examinet, gestorum quoque noverit servare mensuram, gloriosi subtegmen laboris intexens.

SUBTENDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTENDO, tendis, tentum, tendere, a. 3. Part. *Subtendens* 1. *a*; *Subtentus* 1. *b*. — Subtendo pro diversa significatione particulæ *sub*, qua constat ¶ 1. Est subtus tendo, extendo, ὑποτείνω. — *a*) Transitive. *Cato R. R.* 10. *sub fin.* Lectum in cubiculo unum, lectos loris subtentos quattuor. *h. e.* de tabulato seu solario loris propendentes, qui mos erat antiquorum. *Boeth. Geometr. p.* 414. *Lachman.* Omnium summitatum in metiundo observationes sunt duæ, enormis et lignis. Enormis vero est, quæ per omne latus rectis lineis continetur; lignis autem est, quæ minuendi laboris causa et salva rectorum angulorum ratione secundum ipsas extremitates subtenditur. *Id. ibid. p.* 381. Reliqui anguli reliquis angulis erunt æquales alter alteri, sub quibus æqualia latera subtenduntur. — *b*) Neutrorum more. *Frontin.* in *exposit. format. p.* 32. *Goes.* Linea subtendens. *h. e.* quæ sub alia linea tenditur, γραμμὴ ὑποτείνουσα. ¶ 2. Est sursum tendo, extollo. *Virg. Cir.* 7. Altius ad magni subtendit sidera mundi. Ita leg. *Scalig.*, *Ribbeck* et *Benoist*; alii *suspendit*.

SUBTĔNĔO, es, ere, a. 2. subtus teneo, *tenere sotto*. *Cato R. R.* 25. Vinaceos lectos cribus subtento. Syncope pro *subteneto*. Ita, *Pontedera* duce, edidit *Schneiderus*. V. CESTUS.

SUBTENTO, as, atum, are, a. 1. idem quod tento, ὑποπειράομαι. *Plaut. Truc.* 2. 2. 15. Advenisti huc subtentatum cum exornatis ossibus. *Alii tamen leg.* sistentatum. Sed *V.* SISTENTO.

SUBTENTUS, a, um, particip. *V.* SUBTENDO.

SUBTĔNŬIS, e, adject. aliquantulum tenuis, ὑπόλεπτος. *Varro* 2. *R. R.* 7. Juba crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis, implicata in dexteriorem partem cervicis.

SUBTER, particula, quæ tum adverbii tum præpositionis officio fungitur. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *supter*, pro *subter*, scribendum esse docent *Curt. Valerian. p.* 2290. *Putsch.* et *Albin. Orthogr. p.* 310. 30. *Keil.*: quæ scriptura firmatur auctoritate quorumdam Codd. MSS. et *Gloss.* et etiam analogiâ cum Græcis, in quibus β ante τ in π permutatur; hinc et Latine *scriptus* pro *scribtus*, quamvis *scribtura* hab. *Inscr.* apud *Henzen n.* 7408., *Gloss.* apud *Maium* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 581. etc. (V. et *Brambach p.* 248.): sed prior præferenda videtur. — *b*) Ratione habita etymi, *subter* est pro *subtera*, quod etiam contractum fuit in *subtra*, unde et *subtus*, ut *inter*, *intra* et *intus*: constat autem part. *sub* et *ter* pro *tera*, a τερος, quæ est forma comparativorum apud Græcos. — *c*) Componitur, vel potius apponitur variis verbis, quæ infra κατὰ στοιχεῖον recensemus: ita ut magnam partem et conjunctim scribi possit et divisim. Habet autem eamdem vim, quam *sub*, ut in *subterfluo*, et etiam *clam*, ut in *subterfugio*, et neutris interdum vim addit regendi accusativum. — Subter est idem ac sub, subtus, ὑπό, ὑποκάτω (It. *sotto*; Fr. *sous*; Hisp. *soto*; Germ. *unten*; Angl. *under*).

A) *Subter*, adverbii ritu, sine casu; unde Comp. *Subterius*: cui *supra* opponitur. *Acc. fragm.* 630. *Ribbeck.* Navem in fugam transdunt subter saxa. Adde 401. *ibid. Cic.* 3. *Orat.* 5. *sub fin.* Omnia hæc, quæ supra et subter, unum esse. (Adde *Lucret.* 6. 535.) *Id.* 6. *Rep.* 17. Deinde subter mediam fere regionem sol obtinet. Qui *subtermediam* unam esse vocem putant, valde errant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 106. draco serpit subter superaque Revolvens sese etc. *Lucret.* 4. 448. at si forte oculo manus uni subdita supter Pressit eum. Adde 6. 915. *Tertull. De patient.* 16. *ad fin.* Patientes rivalium et divitum, impatientes solius Dei vivunt. Sed viderit sua et sui præsidis patientia, quam subter ignis exspectat. *h. e.* in inferis. *Boeth. Geom. p.* 408. *Lachm.* Sicut est subterius in picturis. *et ibid. p.* 413. Sicut de duobus agris subterius pictura continet. Adde *eumd.* 2. *Arithm.* 26. *Isid.* 16. *Orig.* 8. 4. Sardonyx constat tribus coloribus, subterius nigro, medio candido, superius mineo. *h. e.* in parte inferiore.

B) *Subter*, præpositio, locum denotat inferiorem, ut *super* superiorem signat.

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo, sive quietis sive motus verbis adjungatur. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. *Virg.* 8. *Æn.* 366. angusti subter fastigia tecti Ingentem Æneam duxit. Adde 7. *ibid.* 179. *Petron. Sat.* 98. Arundinem subter lectum mittere. *Ovid.* 5. *Met.* 502. subterque imas ablata cavernas Hic caput attollo. *Propert.* 2. 25. 67. umbrosi subter pineta Galesi. Adde *Stat.* 12. *Theb.* 711., *Liv.* 8. 9. et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 19. 23. (132). *Liv.* 34. 20. Subter murum advehitur. — In illo *Vulgat. interpr. Amos* 2. 13. Stridebo subter vos. *subter* videtur esse *inter*, *in*, ita ut sit *inter vos*, *in terra vestra*. — *b*) Cum Ablativo. *Virg.* 9. *Æn.* 514. subter densa testudine. *Catull.* 65. 7. Rhœteo subter litore.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 4. Virtus omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet.

Homonym. *Subter* a *subtus* ita distinguit *Isid.* 1. *Differ.* 510. «Subter est, quod re aliqua superiore deprimitur et proculcatur: *subtus*, quod demissum altius non contingitur». At «verius, inquit *Forcellinus* sub v. *subtus*, non sensu, sed usu differunt; *subter* enim casus regit, *subtus* non item». Sed *V.* SUBTUS.

SUBTĔRACTUS, a, um, adject. ex particip. *Cels.* 5. 25. *n.* 1. Idque vitium subteractis quasi quibusdam radicibus serpit.

SUBTĔRADDO, dis, didi, dere, a. 3. subtus addo. *Auct. De limitib. p.* 305. *Goes.* Et nihil illos subteraddidimus. Cf. SUBTER.

SUBTĔRADNEXUS *vel* subterannexus, a, um, particip. ab inus. *subteradnecto*, subtus adnexus. *Capitolin. Macrin.* 12. Tribunum, qui excubias deseri passus est, carpento rotali subteradnexum per totum iter vivum atque exanimem traxit.

SUBTĔRADTEXO *vel* subterattexo, texis, texŭi, texere, a. 3. subtus adtexo. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. In pagina quam subteradtexui.

SUBTĔRANHĒLO, as, are, n. 1. subtus anhelo. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 56. insessaque pondere tanto Subteranhelat humus.

SUBTĔRANNEXUS. *V.* SUBTERADNEXUS.

SUBTĔRATTEXO. *V.* SUBTERADTEXO.

SUBTERCĂVATUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUBTERCĂVO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Subtercavatus.* — Subtercavo est subtus cavo, *scavare di sotto. Veget.* 4. *Milit.* 20. *in fin.* Quum rotis suis moles fuisset impulsa atque ad locum, qui subtercavatus fuerat, pervenisset etc. *Solin.* 2. 47. *De avib. Diomedeis.* Quum fetificum adest tempus, rostro scrobes excavant, deinde surculis superpositis texta cratium imitantur et sic contegunt subtercavata.

SUBTERCONSTĬTŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *subterconstituo,* subtus statutus. *Boeth.* 2. *Eucl. geom. p.* 404. *Lachmann.,* ubi alii leg. *subconstitutus.*

SUBTERCURRENS, entis, particip. ab inusit. *subtercurro,* subtus currens. *Vitruv.* 9. 6. Perseus dexterioribus subtercurrens basim Vergiliarum, sinisterioribus caput Arietis.

SUBTERCUS, cūtis, adject. omn. gen. (subter *et* cutis) qui est sub cute, subtercutaneus. *Thes. nov. Latinit. p.* 556. ed. *Mai.* Subtercus fœtor, sub cute natus. Cf. SUBCUS.

SUBTERCŪTĀNĔUS, a, um, adject. qui subter cutem est. *Aurel. Vict. Epit.* 14. *ad fin.* Subtercutaneus morbus, *idropisia,* intercus. *Veget.* 3. *Veterin.* 2. *a med.* humor.

SUBTERDŪCO, dūcis, duxi, dūcere, a. 3. subduco, subtraho, ὑφαιρέω, ὑφέλκω (It. *sottrarre, condurre via di nascosto;* Fr. *emmener en secret, soustraire;* Hisp. *traer á escondidas, substraer;* Germ. *entziehen, insgeheim fortziehen;* Angl. *to subtract, take away*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 71. Serva istas fores, Ne tibi clam se subterducat istinc atque huc transeat. *non se la svigni.*

II.) Translate. *Id. Asin.* 2. 2. 12. Si huic occasioni tempus sese subterduxerit, Numquam - indipiscet postea.

SUBTERFLŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTERFLŬO, is, ere, n. 3. Part. *Subterfluens* I. — Subterfluo est subtus fluo, *scorrere sotto,* ὑποῤῥεῖν: occurrit autem intransitive et etiam, translate, transitivorum more, cum accus.; ni malis hunc casum referre ad præp., quæ in ipso verbo inest, ut in ceteris hujusmodi. *V.* SUBTER init.

I.) Proprie, et quidem intransitive. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (201). Torrente rapido minaciter subterfluente. — Cum Acc. et præp. *sub. Vitruv.* 8. 2. *a med.* Amnis ex lacu sub montes desertus subterfluens.

II.) Translate, transitivorum more, cum Accus. *Eumen. Paneg. Constantin.* 15. Ita eos felicitas ingrata subterfluit, ut semper pleni sperum, præsentibus careant, dum futura prospectant.

SUBTERFŬGĬO, fŭgis, fūgi, fŭgere, n. 3. Part. *Subterfugiens* et *Subterfugiendus* 2. *a.* — Subterfugio est clam fugio, me subduco, *fuggire di nascosto, scappare,* ὑποφεύγω: usurpatur autem tum intransitive, tum transitivorum more. ¶ 1. Intransitive, est, ut diximus, clam fugere. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 1. Nimio illæc res est magnæ dividiæ mihi, Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum. *Ulp. Dig.* 42. 6. 20. Nam et eum, qui recedit, hoc est qui subterfugit, ut ne secum aliqua actio moveatur, latitare placet. ¶ 2. Transitivorum more, devitare, detrectare, *schivare, scansare.* — *a)* Cum Accusativo. *Plaut. Merc.* 1. 2. 83. Nequicquam mare subterfugi sævis tempestatibus. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 8. Ut quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. *Id. Cæcin.* 34. *a med.* Pœnam subterfugere aut calamitatem. *Id.* 15. *Fam.* 1. *a med.* periculum. *Id.* 3. *Off.* 26. 97. Ulyssem insimulant simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse. *Augustin.* 14. *Civ. D.* 18. Opus ipsum, quod libidine peragitur in stupris, ubi latebræ ad subterfugienda humana judicia requiruntur, devitet publicum aspectum. *Cod. Theod.* 14. 3. 6. Nulli liceat pistorum, supplicatione delata, subterfugiendi muneris impetrare licentiam. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 12. 1. 181. Subterfugientes decurionatum. — *b)* Cum partic. *quominus. Vulgat. interpr. Act.* 20. 27. Non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis. — *c)* Cum infinito. *Quintil. Declam.* 6. 12. Quid sit postea consecutum, subterfugit dicere.

SUBTERFŪNDO, as, are, a. 1. subtus fundo, stabilio, *stabilire o fermare sotto. Lactant.* 2. 8. *a med.* Quum fabricaretur cælum terraque subterfundaretur.

SUBTERFŪSUS, a, um, particip. ab inusit. *subterfundo, is,* subtus fusus. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 11. Modo sit Juppiter corporei hujus mundi animus -, modo sit æther, ut aerem Junonem subterfusam desuper amplectatur.

SUBTĔRHĂBĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *subterhabeo,* posthabitus. *Apul.* 1. *Met.* Qui meis amoribus subterhabitis etc. *Forcellinus* ait rectius leg. *insuper habitis;* sed recentiores nil mutandum censent.

SUBTĔRĬOR, ĭus, ōris, adject. comp. (subter) idem ac inferior. *Innocent. de casis litter. p.* 232. *Goes.* Subteriores termini. *Boeth.* 1. *Arithm.* 27. angulus. *et ibid.* ordo. — Absolute *Æmil. Macer* 2. 13. Nocuus sanguis per subteriora dicitur expelli.

SUBTĔRĬUS, adverb. comp. *V.* SUBTER.

SUBTERJĂCĔO, es, ere, n. 2. subtus jaceo, *essere posto sotto. Alcim.* 1. 196. Hic genus ardentem cæli subterjacet axem. *V.* SUBTER.

SUBTERJĂCĬO, is, ere, a. 3. Part. *Subterjectus.* — Subterjacio est subtus jacio, *gettare sotto. Pallad.* 3. *R. R.* 18. Hordei grana subterjaciuntur. *Rufin.* ex *Euseb. Hist. Eccl.* 5. 3. *ante med.* Attalus quum prunis subterjectis in sella ferrea torreretur etc.

SUBTERJECTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBTERLĀBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTERLĀBOR, ĕris, i, dep. 3. Part. *Subterlabens.* — Subterlabor est labor sub aliqua re, *scorrere sotto,* ὑπολισθαίνω: occurrit autem intransitive et etiam, transitivorum more, cum accusativo. ¶ 1. Est itaque subtus labor. — *a)* Neutrorum more seu absolute. *Auson. Edyll.* 10. 21. Et virides Baccho colles et amœna fluenta Subterlabentis tacito rumore Mosellæ. — *b)* Cum Accus. *Virg.* 10. *Ecl.* 4. *de Arethusa.* quum fluctus subterlabere Sicanos. *Id.* 2. *G.* 157. Fluminaque antiquos subterlabentia muros. ¶ 2. Ponitur etiam pro clam elabi et effugere. *Liv.* 30. 25. Sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem poterant.

SUBTERLĔGO, is, ere, a. 3. subter lego vel colligo: affertur ab *Auct. Quæst. gramm. p.* 181. 36. *Keil.*

SUBTERLĪNO, is, ere, a. 3. subtus lino, imam rei alicujus partem perlino. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (83). Sotira obstetrix tertianis quartanisque efficacissimum dixit, plantas ægris subterlini.

SUBTERLŬO, is, ere, a. 3. subtus lavo, subluo. *Claudian. VI. cons. Honor.* 177. Gurgite sidereo subterluit Oriona.

SUBTERLŬVĬO, ōnis, f. 3. (subterluo) subluvies, proluvies. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 2. Loca humoris assidui subterluvione cedentia.

SUBTERMĔDĬUS. *V.* SUBTER sub *A.*

SUBTERMĔO, as, are, n. 1. subtus transeo, *passare di sotto,* ὑποπορεύομαι. — Cum Acc., vi præpositionis, quæ verbo inest, apud *Claudian. Edyll.* 6. 61. Et junctos rapido pontes subtermeat æstu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (214). Hebetes esse qui negent subtermeare (*sc.* terram) sidera ac rursus eadem resurgere. — Absolute *Capell.* 8. *p.* 287. Polaris circulus, qui subtermeat aut evehitur aut descendit.

SUBTERMĬNISTRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *subterministro,* subtus injectus, *sottoposto. Rufin.* ex *Euseb. Hist. Eccl.* 5. 2. *prope fin.* Quum etiam sellæ ferreæ superpositi *(martyres)* consumptam verberibus carnem ignis subterministratus exureret.

SUBTERMISSUS, a, um, particip. ab inusit. *subtermitto,* subter positus. *Augustin. Quæst. in Heptat.* 2. 177. Ut dimidium redundans - subtegeretur, id est omnia ipsa quindecim cubita subtermissa tegerentur.

SUBTERMŎVENS, entis, particip. ab inusit. *subtermoveo,* subtus movens, *che muove di sotto. Isid.* 16. *Orig.* 4. 2. Deinde, subtermovente manu, cum lapide (*Magnete*) ferrum cursu desuper movebatur.

SUBTERNĂTANS, antis, particip. ab inusit *subternato,* subtus nato, *che nuota sotto. Solin.* 52. *a med.* Delphines crocodilos eliciunt ad natandum demersique astu tenera ventrium subternatantes secant. — Cum Accus. *Isid.* 12. *Orig.* 6. 16. *de serra.* Supernatans navem secat.

SUBTERNĂVĬGĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *subternavigo. Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (104). Præterea cloacas, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus atque urbe pensili subterque navigata. *V.* SUBTER init.

SUBTERNUS, a, um, adject. (subter) idem quod infernus. *Prudent. Hamartig.* 930. rapidos subterna nocte caminos. *Alii leg.* subtetra. *Id.* 1. *advers. Symmach.* 392. Relligionis opem subternis poscere ab antris.

SUBTĔRO, tĕris, trīvi, trītum, tĕrere, a. 3. Part. *Subtritus.* — Subtero ¶ 1. Est subtus tero, subtus attritu consumo, imminuo, *logorare di sotto, calpestando logorare. Cato R. R.* 72. Boves ne pedes subterant, prius, quam in viam quoquam agas, pice liquida cornua infima ungito. *Plaut. Asin.* 2. 2. 73. asinos prædicas Vetulos claudos, quibus subtritæ ad femina erant ungulæ *Colum.* 6. *R. R.* 15. Subtriti pedes boum eluuntur calefacta bubula urina. Adde *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (221). *Seneca Ep.* 51. *a med.* Quamlibet viam patiuntur jumenta, quorum durata in aspero ungula est: in molli palustrique pascuo saginata, cito subteruntur. ¶ 2. Est etiam comminuo, συντρίβω, *pestare, tritare. Colum.* 12. *R. R.* 5. Salis sextarium subterito, et subtritum cum quartario mellis aceto diluito. *Id.* 2. *ibid.* 11. *sub fin.* Cicera mixta paleis subtritis pecori præbetur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 20. 82. (218). M. Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate servari putat. *Id.* 30. *ibid.* 9. 23. (80). Lacertæ viridis sanguis subtritus et hominum et jumentorum pedes sublitus sanat. Cf. *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 105.

SUBTERPENDENS, entis, particip. ab inusit. *subterpendeo,* subtus pendens. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. Mala sine terræ tactu subterpendentia.

SUBTERPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. Part. *Subterpositus.* — Subterpono est subtus pono. *Max. Victorin. p.* 1954. *Putsch.* In casualibus hæc quoque verbis adjunguntur; dicimus enim infer, subtrahe, subterpone, superscribe. *Boeth.* 3. *Cat. Arist. p.* 259. *Mign.* Id ipse planissime subterposuit. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 93. Manibus subterpositis. Adde *Augustin.* 13. *Confess.* 15.

SUBTERPŎSĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBTERRĀNĔUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SUBTERRĀNĔUS, a, um, adject. (sub *et* terra) qui est sub terra, ὑπόγειος (It. *sotterraneo;* Fr. *souterrain;* Hisp. *soterraneo;* Germ. *unterirdisch;* Angl. *subterraneous*). *Cic.* 15. *Att.* 26. *a med.* Subterranei specus. *Colum.* 1. *R. R.* 6. Vinctis quam saluberrimum subterraneum ergastulum, angustis illustratum fenestris. *Pallad.* 10. *R. R.* 2. Subterranea animalia. *Juvenal.* 2. 149. regna. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 50. (170). structura. et *ibid.* 13. 19. (89). domus. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 16. *in fin.* Subterranei mures. *Flor.* 1. 12. *ad fin.* Non scalis nec irruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium. — Hinc

Subterraneum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus subterraneus. *Apul.* 11. *Met.* Quum ad Inferos demearis, ibi quoque in ipso subterraneo subrotundo me tibi propitiam frequens adorabis.

SUBTERRĒNUS, a, um, adject. idem ac subterraneus. *Apul.* 9. *Met.* Subterrenas orbis plagas illuminabat. *Poeta* in *Anthol. Lat. n.* 481. *v.* 39. *Riese.* Vili subterrena pusillus tumulor urna.

SUBTERRĔUS, um, adject. idem ac subterrenus. *Arnob.* 7. *p.* 226. Opinionem necesse est

frustrari, quam super atris pecudibus habetis divisque subterreis.

SUBTERSCRIPTUS, a, um. particip. ab inusit. *subterscribo*, qui subter est scriptus, subscriptus. *Boeth.* 1. *Music.* 10. Et ut sit clarius, quod dictum est, sint verbi gratia malleorum quattuor pondera, quæ subterscriptis numeris contineantur, XII. IX. VIII. VI.

SUBTERSĔCO, as, are, a. 1. subtus seco. *Cic.* in *Arat.* 273. Distribuens medium subtersecat hic Capricornum.

SUBTERSĔRO, is, (ui) ere, a. 3. subtus insero. *Chalcid. Tim.* 51. Quæ partui futura erant necessaria membra subterserunt.

SUBTERSTERNO, sternis, strāvi, sternere, a. 3. subtus sterno. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 2. 17. (edente *A. Maio*) Xerxem maria quidem muro munivisse, profundum etiam navibus constravisse, exercitu Græciam complevisse, aera ipsum subterstravisse jaculis et sagittis etc. At in edit. *Paris.* legitur *subtexisse.*

SUBTERTĔNŬO, as, are, a. 1. subtus imminuo, *logorare di sotto. Lucret.* 1. 312. Annulus in digito subtertenuatur habendo.

SUBTERTĬUS, a, um, adject. subsesquitertius, ut *subtertius numerus*, qui ab altero cum tertia ejusdem parte continetur. *Capell.* 7. *p.* 252. Subtertius (*numerus*), quem Græci ὑπότριτον appellant. Subtertii rationem habent tria ad quattuor, sex ad octo. *V.* SUBDIMIDIUS.

SUBTERVĂCANS, antis, particip. ab inusit. *subtervaco*, subtus vacuus, *vacuo di sotto. Seneca* 6. *Quæst. nat.* 25. Decidant in illum subtervacantem locum. Nisi malis divisim scribere *subter vacantem.* V. SUBTER.

SUBTERVŎLO, as, are, n. 1. subtus volo seu subtus volando ascendo. — Cum Accus., vi præpositionis, quæ verbo inest. *Stat.* 3. *Theb.* 669. fragor intonat ingens Hortantum et vasto subtervolat astra tumultu.

SUBTERVOLVO, is, ere, a. 3. subtus volvo. *Ammian.* 22. 8. *sub fin.* Ita Pontus perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur.

SUBTEXENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTEXO, texis, texŭi, textum, texĕre, a. 3. Part. *Subtexens* II. 1. *a*; *Subtextus* fere in omn. paragr.; *Subtexturus* II. 3. — Subtexo est subtus texo, pertexo, contexo, subnecto, συνυφάω (*It. tessere sotto, attaccare tessendo, tessere; Fr. tisser sous, adapter sous; Hisp. texer soto, adaptar soto;* Germ. *unter etw. weben od. ziehen;* Angl. *to weave under*).

I.) Propriè *Juvenal.* 7. 192. Appositam nigræ lunam subtexit alutæ. *Sil. It.* 4. 291. fugit illa per oras Multiplicis lini subtextaque tegmina nervis. *h. e.* clipeum multiplici corio taurino compactum. Hinc *Chalcid. Tim.* 235. Subtexere ejusdem naturæ capiti necessaria membra.

II.) Translate. ¶ 1. Est operire, *coprire.* — *a*) Cum Accus. rei, quæ subtexitur, addito etiam Abl. rei, qua quid subtexitur. *Virg.* 3. *Æn.* 583. cælum subtexere fumo. *Seneca Phœniss.* 422. atra nube subtexens diem Stymphalis. *Id. Hippol.* 955. Nunc atra ventis nubila impellentibus Subtexe noctem. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 127. Quum grave nocturna cælum subtexitur umbra. *Lucan.* 7. 519. ferro subtexitur æther. *h. e.* multitudine telorum. (Adde *Lucret.* 5. 467. et 6. 481.) *Id.* 4. 103. nec Phœbum surgere sentit Nox subtexta polo. *Sil. It.* 4. 550. hinc Libycæ certant subtexere cornua Densa nube (*telorum*) polum. — *Val. Flacc.* 5. 414. Sol - diem subtexit Olympo. *h. e.* lucem et diem cælo spargit. — *b*) Cum Accus. rei, qua quid subtexitur, et Dat. rei, quæ subtexitur. *Ovid.* 14. *Met.* 367. subtexere nubes Soli. *h. e.* prætexere, inducere. ¶ 2. Sæpe est historiam carmenve conscribere; quod commodâ metaphorâ *texere* et *pertexere* dicitur. *Nepos Att.* 18. Sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. *Tibull.* 4. 1. 211. Inceptis de te subtexam carmina chartis. ¶ 3. Est etiam addere, subjicere, subjungere, *soggiungere, aggiungere*, fere scribendo. *Colum.* 11. *R. R.* 1. Ut olitoris curam subtexerem villici officiis. *Auson. Profess.* 5. 3. Subtextus esto flebili threno patris, Laudi ut subibas æmulus. Hinc figurate *Stat.* 1. *Silv.* 99. mitisque incedere vates Maluit et nostra laurum subtexere myrto. *h. e.* anteposuit myrtum et elegiacum carmen lauro et graviori stilo. — Cum Acc. et Infinito. *Liv.* 37. 48. *ad fin.* Subtexit deinde fabulæ huic, legatos in senatu interrogatos esse. *Vellej.* 1. 14. 1. Huic rei per idem tempus civitatem propagatam auctumque Romanum nomen communione juris, haud intempestive subtexturi videmur. ¶ 4. Item intexere, immiscere. *Manil.* 3. 522. Et subtexta malis bona sunt.

SUBTEXTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUBTHO. *V.* SYLITHO.

SUBTĬCĔO, tĭces, tĭcui, tĭcere, n. 2. (sub *et* taceo) post taceo. *Augustin.* 1. *De ord.* 3. *n.* 9. Quod quum severiore, quam putabat, voce dixissem, subticuit aliquantulum. Cf. SUBTACITUS.

SUBTĪLĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. (subtilis *et* loquor) subtilis oratio. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 19. *a med.*

SUBTĪLĬLŎQUUS, a, um, adject. (subtilis *et* loquor) subtiliter loquens. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 19. *a med.*

SUBTĪLĬO, as, are, a. 1. (subtilis) subtilem facio, extenuo. *Plin. Valerian.* 5. 17. Dare oportet ea, quæ extenuare possunt humores. - Sed et sinape forte ad subtiliandum cum melle et aceto mandusatus. Adde *Oribas. fr. Bern.* 2. 11. *p.* 13. etc. *Hag.*

SUBTĪLIS, e, adject. Etiam *soubtilis* scriptum reperitur in *Edict. Diocl.* 7. 48. — Ducunt etymologi a *texo*, unde *tela* pro *texela*, quæ tenuibus filis constat, ita ut sit pro *subtexilis* vel *subtelis.* Cf. *exilis* pro *exigilis.* Aliter *Priscian.* 4. *p.* 631. *Putsch.* V. SUBTEL. — Comp. *Subtilior* in omn. paragr.; *Subtilissimus* I. 1. et II. 1. — Subtilis est tenuis, minutus, acutus, exilis, gracilis: cui *crassus, plenus*, opponitur, λεπτός (It. *sottile, tenue, minuto;* Fr. *fin, subtil, mince, menu;* Hisp. *sutil, fino, delgado;* Germ. *fein, dünn, zart;* Angl. *thin, subtile*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 86. Quæ vulgo volitant subtili prædita filo. *Id. ibid.* 899. ventus subtili corpore tenuis. *Id.* 6. 224. Ignis subtilis. *Id.* 4. 113. *et* 120. primordia subtilia atque minuta. *Catull.* 54. 3. Subtile et leve peditum Libonis. *Id.* 64. 63. Subtilis mitra. *Seneca Ep.* 76. *ante med.* Gladium bonum dices, cui ad secandum subtilis acies. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (71). Subtilis farina. *Veget.* 3. *Veterin.* 17. linum. *Manil.* 4. 718. Perque coloratas subtilis Græcia gentes Gymnasium præfert vultu fortesque palæstras. *h. e.* gracilis agilisque. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (168). Subtilior arundo. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (129). Raporum semen præstantius, quo subtilius. *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Subtilius corium. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Mel sucus dulcissimus atque subtilissimus. *Auct. De limitib. p.* 361. *Lachm.* Terminus subtilissimus. ¶ 2. Speciatim dicitur de saporibus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 38. Fervida subtile exsurdant vina palatum. *delicato, fino:* quod de saporibus acriter acuteque judicat. (Unde palatum doctum et eruditum dixit *Colum.* 8. *R. R.* 16. *ante med.* et *ibid.* Subtilior gula. Verum hæc loca inter translata retulit *Forcellinus* noster.)

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 15. *Fam.* 6. Sincerum et subtile judicium. *schietto, semplice e che tocca il punto.* Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (165). Subtilis et illa sententia: serenda ea in tenuiore terra, quæ non multo indigent suco. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Quæ sit in figuris animantium et quam sollers subtilisque descriptio partium quamque admirabilis fabrica membrorum. *fina, delicata disposizione.* et 1. *Orat.* 23. 109. Non intelligo, quamobrem, non, si minus illa subtili definitione et hac vulgari opinione, ars esse videatur, *stretta e rigorosa.* et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 101. Subtilis et callidus judex. *acuto, perspicace.* et 2. *Ep.* 1. 292. Judicium subtile videndis artibus. *fino, acuto.* et *Plin.* 4. *Ep.* 14. *a med.* Sapiens subtilisque lector. *attento e diligente.* Sic *Quintil.* 1. 4. *a med.* Scrutabitur mille præceptor acer et subtilis origines nominum. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 3. Democritus subtilissimus antiquorum omnium. *Cels.* 7. 7. *n.* 13. Ubi suffusio vetustior facta est, manus curationem desiderat: quæ inter subtilissimas haberi potest. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (40). Subtilissimum inventum. *ingegnosa invenzione.* Sic *Plin. alter* 6. *Ep.* 33. *ad fin.* Sunt multa (non auderem nisi tibi dicere) elata, multa pugnantia, multa subtilia. *cose acute e ingegnose.* Rursus *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 35. (132). Subtilis observatio. *Id.* 2. *ibid.* 108. 112. (247). (et *Quintil.* 2. 5. 8.) Improbum ausum: verum ita subtili argumentatione comprehensum, ut pudeat non credere, *h. e.* accurata. *Id.* 11. *ibid.* 16. 16. (46). *de apib.* Fetus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos et subtilis quæstio est. *Plin.* 4. *Ep.* 17. Ille vir, quo neminem ætas nostra graviorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit, *h. e.* in omni officio attentum, sedulum, assiduum, *puntuale, esatto, scrupoloso:* scilicet vel minutissima quæque subtiliter consectantem, ne videatur officio defuisse. *Auct. Ætn.* 143. Tu modo subtiles, animo duce, percipe curas. *h. e.* intentas, acres, sollertes. Sic *Manil.* 3. 43. subtili rem summam perspice cura. — In illo *Apul.* 4. *Met.* Subtilem occasionem feliciter nactus. *subtilis occasio* videtur esse subtilitas astus, quam illa occasione posset exercere. Cf. *Vellej.* 2. 119. Alii tamen aliter leg. — *Subtilis ductus causæ* ita exponitur a *Capell.* 5. *p.* 153. Ductus causæ adspiciendus est. Ductus autem est agendi per totam causam tenor sub aliqua figura servatus. Sunt autem ductus quinque: simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus. - Subtilis, quum aliud vult animus, aliud agit oratio, ut: Quidam abdicat filium, quod amicos non habeat: hic non vere abdicat, sed ut amicos habeat, terret. ¶ 2. Speciatim sæpe refertur ad locutionem. *Cic.* 5. *Att.* 14. *extr.* Habes epistolam plenam festinationis et pulveris: reliquæ subtiliores erunt. *h. e.* diligentiores et singula accuratius persequentes. *Id.* 3. *Fin.* 1. *ad fin.* Stoicorum non ignoramus, quam sit subtile vel spinosum potius dicendi genus. *h. e.* simplex, purum, inornatum et ad docendum solummodo aptum. *Id.* 1. *Orat.* 39. 180. et 3. *ibid.* 8. 31. Scævola oratione maxime limatus atque subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis. *Id.* 1. *Off.* 1. *ad fin.* Demetrius Phalereus disputator subtilis, orator parum vehemens. — Porro *subtile dicendi genus* est tertia illa species orationis, quæ et tenuis et acuta et pressa et submissa et humilis et incompta et modica et temperata a *Cicerone* dicitur, *Orat.* 5. *ad fin.* et *ibid.* 21. *et* 23. *et seqq.* et 2. *Orat.* 29. *a med.*, ab aliis *stilus infimus* appellatur. Habet autem locum in rebus parvis, in epistola et quum docendus est judex. *V.* ACUTUS et ACUMEN. *Cic. cit.* c. 21. Quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo. Adde *Quintil.* 6. 3. 39. et 7. 3. 14. Cf. PLENUS. — Hinc

Subtile, is, n. 3. absolute, substantivorum more, res subtilis. *Quintil.* 12. 10. 58. Subtile, quod ἰσχνὸν vocant. Adde *ibid.* 59. *Vulgat. interpr. Is.* 19. 9. Pectentes et texentes subtilia. Adde *Hieronym.* in *Comm.* ad *h. l. Vulgat. interpr. Ezech.* 16. 10. Cinxi te bysso et indui te subtilibus. *h. e.* vestibus subtili filo textis. — *Ad subtile,* adverbii ritu, subtiliter, exacte. *Censorin. De die nat.* 17. Sæculum quid sit, usque adhuc arbitror ad subtile examinatum non esse.

SUBTĪLĬTAS (suptilitas), ātis, f. 3. (subtilis) gracilitas, exilitas, tenuitas, λεπτότης, λεπτομέρεια (It. *sottigliezza;* Fr. *finesse, ténuité;* Hisp. *fineza, tenuidad;* Germ. *die Feinheit, Dünnheit, Zartheit;* Angl. *thinness, subtility*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat. init.* Insecta, immensæ subtilitatis animalia. *picciolezza, minutezza.* et 28. *ibid.* 9. 41. (148). Subtilitas ferramentorum. *h. e.* acies. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (82). lineæ. *Id.* 11. *ibid.* 37. 89. (220). Augusta sub-

tilitas (venarum). *Id.* 33. *ibid.* 12. 55. (157). Fecit idem et coquos, magiriscia appellatos, parvulis potoriis: sed e quibus ne exempla quidem liceret exprimere, tam opportuna injuriæ subtilitas erat. *minutezza, finezza, delicatezza di lavoro.* et 35. *procem.* Morosa cælandi fingendique ac tingendi subtilitas. *Vitruv.* 4. 1. *circa med.* Muliebris subtilitas. Paullo ante *gracilitatem* dixerat. *magrezza.* et *Petron. Sat.* 31. Aliis sequentibus ad pedes et paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. *h. e.* valde leniter purgantibus, ut ait *Horat.* 1. *Ep.* 7. 51. Rursus *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. In hortis seri coronamenta jussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate. *Id.* 2. *ibid.* 65. 65. (163). Subtilitas humoris.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more. — *a*) Est acumen, perspicacia, sollertia, *acutezza o sottigliezza o finezza d'ingegno, penetrazione.* *Seneca Ep.* 113. Dicam, si mihi accommodaveris subtilitatem et intentionem tuam. *Tac. Agric.* 9. Militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior calliditatem fori non exerceat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (335). Aristoteles, vir immensæ subtilitatis. *Id.* 11. *ibid.* 37. 88. (219). Nimia subtilitas. *Id. ibid.* 37. 77. (198). Subtilitas mentis. *Id.* 2. *ibid.* 65. 65. (165). Magna sua gloria inventores Græci subtilitate geometrica docent etc. *et ibid.* 108. 112. (247). Eratosthenes in omni litterarum subtilitate sollers. *Id.* 35. *ibid.* 3. 4. (13). Perversa grammaticorum subtilitas. *sofisticheria.* et 17. *ibid.* 22. 35. (172). Subtilitas parsimoniæ compendia invenit. *la spilorceria.* — *b*) In oratione est puritas, venustas et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento. *Cic.* 4. *Fam.* 4. Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiæ. *Id.* 3. *Orat.* 7. *ad fin.* Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, vim Demosthenes habuit. *et Brut.* 17. 67. Qui in Græcis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Flumen inanium verborum et subtilitas sententiarum. *acume.* — *c*) Hinc ponitur ad significandum stilum infimum, de quo in voce præcedenti: *tenuitas, jejunitas, siccitas, exilitas, acumen* etiam dicitur. *Id. Brut.* 82. et *Orat.* 23. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu est res inventa et excogitata subtiliter. *Petron. Sat.* 17. *a med.* Impetum morbi monstrata subtilitate lenire.

SUBTĪLĬTER, adverb. ab adject. *subtilis;* unde Comp. *Subtilius* I. et II. 2. et 3.; Sup. *Subtilissime* II. 2. — Subtiliter est minute, tenuiter, graciliter, *sottilmente*, λεπτῶς.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 1029. aer per crebra foramina ferri Privas ad partes subtiliter insinuatus. *Id.* 3. 740. Res subtiliter connexæ. *Pallad.* 3. *R. R.* 21. *extr.* Subtiliter fodere. *leggermente.* et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 12. 13. (67). Subtilius dividere aliquid.

II.) Translate. ¶ 1. Est acute, ingeniose, *acutamente, ingegnosamente.* *Cic.* 6. *Verr.* 57. *a med.* Iste eruditus homo et Græculus, qui hæc subtiliter judicat, qui solus intelligit. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Disputat subtiliter, graviter, ornate. ¶ 2. Item minute, singillatim, diligenter, *minutamente, per minuto, con accuratezza.* *Cic.* 2. *Att.* 21. De republica quid ego tibi subtiliter? tota periit. *Id. Balb.* 22. 50. A quo hæc, quæ ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita. *Id. Flacc.* 17. *extr.* Sed de hoc teste totoque testimonio Mithridatico disseruit subtiliter et copiose Q. Hortensius. *Id.* 1. *Att.* 13. *ad fin.* Sed hæc ad te scribam alias subtilius. *Liv.* 3. 5. *ad fin.* Interfecta inde quattuor millia et, exsequendo subtiliter numerum, ducentos ait et triginta. *Cels. præf. sub init.* Æsculapius, quoniam adhuc rudem et vulgarem hanc scientiam paullo subtilius excoluit, in deorum numerum receptus est. Adde 4. 3. ¶ 3. Refertur ad orationem puram, nativam et inornatam, et ad stilum infimum dicendi, ut in SUBTILIS dictum est. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Privatas causas et eas tenues agimus subtilius: capitis aut famæ scilicet ornatius. *et ibid.* paullo post submisse dicit. *Id. Orat.* 29. 100. Is est eloquens, qui et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate potest dicere. Sic *Quintil.* 8. 3. 4. Magnifice, an subtiliter dicere. ¶ 4. Item sine aspiratione. *Consent. De barbar. p.* 10. *Buttm.* Per immutationem fiunt barbarismi, ut, si quis *Traciam* dicens, primam subtiliter efferat.

SUBTĬMĔO, es, ere, a. 2. aliquantulum timeo, subvereor, ὑποφοβοῦμαι. *Cic.* 2. *Phil.* 14. *ad fin.* Numquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur?

SUBTINNĬO, is, ire, n. 4. aliquantum tinnio. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Ut Bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit. Cf. *Priscian.* 1. *p.* 559. *Putsch.*

SUBTĬTŪBANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTĬTŪBO, as, are, n. 1. Part. *Subtitubans* II. — Subtitubo est aliquantisper titubo, *titubare alquanto.*

I.) Proprie. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 475. Qui pede subtitubo, balbutio faucis anhelo.

II.) Translate. *Prudent. Apotheos.* 651. dubitabile pectus Subtitubante fide.

SUBTŎLĀRIS. *V.* SUBTALARIS.

SUBTORQUĔO, torques, torsi, torquere, a. 2. subtus torqueo. *Gargil. De cur. boum, ante med.* Si bis collum subtorserit. Legitur et in *Not. Tir. p.* 80. Torquet, retorquet, subtorquet, torsit, retorsit, subtorsit.

SUBTRA, adverb. (subter) Agnoscitur a *Dosith. Gramm. p.* 42. 17. *Keil.* V. SUBTER init.

SUBTRACTĬO, ōnis, f. 3. (subtraho) subductio, *sottrazione.*

I.) Proprie. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2499. *Putsch.* Apocope, id est subtractio syllabæ.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Hebr.* 10. 39. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. *h. e.* non nos subtrahimus, *sc.* non deficiemus a fide. — Apud Mathematicos est actus subtrahendi numerum minorem a majore. *Boeth.* 1. *Arithm.* 18. Si in unum incurrat vicissim ista subtractio, primi contra se necessario numeri dicentur.

SUBTRACTUS, a, um, *et*

SUBTRĀHENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBTRĀHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. Part. *Subtrahens* I. et II. 1.; *Subtractus* I. et II. 2.; *Subtracturus* II. 1.; *Subtrahendus* II. 1. et 3. — Subtraho est subter traho, subduco, clam aufero, paullatim adimo, ὑφέλκω, ὑφαιρῶ (It. *levar via, togliere di sotto mano o a poco a poco, sottrarre;* Fr. *enlever de dessous ou secrètement ou peu à peu, soustraire, ôter;* Hisp. *quitar de soto, debaxo ó á escondidas ó poco á poco, substraer;* Germ. *heimlich od. unter der Hand od. nach und nach entziehen;* Angl. *to subtract, to take away*): occurrit autem cum Accus., cui sæpe conjungitur Dat., vel Abl. et præp. *ab, ex.*

I.) Proprie *Plaut. Cas.* 2. 2. 28. Quin vero subtrahat (*peculium*). *h. e.* surripiat. *Lucret.* 6. 605. Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur In baratbrum. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Subtrahere dediticios. *Id.* 7. *ibid.* 22. aggerem cuniculis. *Auct. B. G.* 8. 33. Si oppidani impedimenta clandestina fuga subtrahere conarentur. *Cic. Mur.* 37. 80. Nolite mihi subtrahere vicarium meæ diligentiæ. *Id.* apud *Non. p.* 105. 10. *Merc.* Subtrahere alicui cibum. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 40. colla jugo. *Id. Ib.* 424. Subtrahitur presso mollis arena pedi. *sfugge di sotto il piede.* et *Liv.* 10. 14. Subtrahere hastatos primæ legionis ex acie. *Id.* 44. 37. milites ab dextro cornu. *Tac.* 3. *Ann.* 53. oculos. *Seneca Herc. Fur.* 1242. Arma flagito propere mihi subtracta reddi. *Tac.* 3. *Hist.* 7. Subtractus militum iræ, ad Vespasianum missus est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (134). Si herinaceus vivat subtractus fuga. *Cels.* 3. 4. Eam materiam, quæ lædere videtur, ducendo sæpius alvum, subtrahere. *h. e.* detrahere. — *Subtrahere se,* se subducere, *sottrarsi.* *Virg.* 6. *Æn.* 465. Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro. *Liv.* 44. 16. Subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quæ non probabat, cœpit. — Et absolute. *Plin. Paneg.* 86. Præfectum ex subtrahentibus legere. *h. e.* subtrahentibus se. Sic *Sueton. Cæs.* 65. Subtrahere repente interdiu vel noctu. *Ulp. Dig.* 21. 1. 17. *a med.* Pignori datus servus domino se subtraxit. — *Subtrahi,* mediorum apud Græcos more, se subtrahere, *sottrarsi.* *Virg.* 5. *Æn.* 197. vastis tremit ictibus aerea puppis Subtrahiturque solum. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 70. Subtracto solo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Dom.* 5. 11. Ut materiem subtraheremus furori tuo. Sic *Curt.* 7. 2. *a med.* Materiam consternationis subtrahendam ratus. *Liv.* 6. 1. et 8. 29. L. Furium morbo gravi implicitum fortuna bello subtraxit. *Id.* 9. 26. Calavios mors, haud dubie ab ipsis conscita, judicio subtraxit. *Justin.* 16. 4. *extr.* Quasi minis populi occulte eos subtraxerus. *Ovid. Ib.* 131. Finiet illa dies, quæ te mihi subtrahet olim. *mi ti torrà dinanzi.* et *Heroid.* 14. 132. vires subtrahit ipse timor. *leva le forze.* — *Subtrahere se,* se subducere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* Quo ego me libentius a curia et ab omni parte reipubl. subtraho. *Colum.* 1. *R. R.* 9. *a med.* Subtrahere se labori. — *Flor.* 4. 12. *a med.* Quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. *h. e.* subtrahentem se ab R. imperio et ad Parthos transeuntem. Adde *Vulgat. interpr. loc. cit.* in SUBTRACTIO. — *Subtrahi,* mediorum apud Græcos more, se subtrahere. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *ante med.* Mater non educando labori subtrahitur. *si solleva dalla fatica.* et 11. *ibid.* 1. *ante med.* Ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur. *sfugge.* ¶ 2. Speciatim est omittere, reticere. *Tac.* 1. *Ann.* 81. Subtractis candidatorum nominibus, originem cujusque et vitam et stipendia descripsit: aliquando ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus, ne etc. ¶ 3. Apud Mathematicos *subtrahi* dicitur numerus, qui majori subducitur, *sottrarre, far l'operazione della sottrazione.* *Boeth.* 2. *Music.* 23. Si diatessaron diapente consonantiæ subtrahes, fit reliquus tonus. *Id. Geometr. p.* 400. *Friedl.* Minores (*numeri*) a majoribus, quousque dividantur, sunt subtrahendi. ¶ 4. Pro vereri. *V.* voc seq.

SUBTRANSĔO, is, ire, n. anom. *Subtransiet* pro *subtransibit* V. infra et Cf. TRANSEO init. — Subtranseo est transeundo prætereo: regit autem Acc. vi præpositionis, qua componitur. Translate *Vulgat. interpr. Ital. Sap.* 6. 8. apud *Lucif. Caral. pro S. Athan.* 1. *p.* 862. *Mign.* Non subtransiet personam cujusque Dominus. *Noster* habet: *non subtrahet personam cujusquam Deus.* h. e. non timebit, non reverebitur.

SUBTRĬPLEX, *V.* voc. seq.

SUBTRĬPLUS, a, um, adject. Ita appellatur numerus, qui ab alio numero ter continetur. *Boeth.* 1. *Arithm.* 23. Si majorem numerum minor numerus ter metiatur, subtriplus vocabitur. Sic etiam leg. *Friedl.;* sed *Veratti, Termin. nat. p.* 93. minus recte leg. *subtriplex.*

SUBTRISTIS, e, adject. Comp. *Subtristior.* — Subtristis est aliquantulum tristis. *Ter. Andr.* 2. 6. 16. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi. *Hieronym. Ep.* 60. *n.* 1. Stilus ipse quasi sentiens et cera subtristior. Adde *Cyprian. Ep.* 7. *n.* 3.

SUBTRĪTUS, a, um, particip. *V.* SUBTERO.

SUBTŬNĬCĀLIS, e, adject. (sub *et* tunica) qui sub tunica est. — Absolute, idem ac subucula, ὑποδύτης, apud *Vulgat. interpr. Ital. Lev.* 8. 7. Et vestivit eum subtunicali. *Noster* habet: *vestivit pontificem subucula.* Adde *Hieronym. Ep.* 44.

SUBTURPĬCŬLUS, a, um, adject. demin. *a* subturpis, aliquantulum turpis. *Cic.* 4. *Att.* 5: Etiam subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία.

SUBTURPIS, e, adject. turpitudinis nonnihil habens conjunctum, ὑπαίσχρος. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 264. Et quæ sint, quod ridiculi proprium est, subturpia.

SUBTUS (suptus) tum adverbii, tum præpositionis more usurpatur, et est a *subter,* ut *intus* ab *inter.* V. SUBTER init.

A) *Subtus,* adverbii ritu, est idem ac subter, infra, *sotto, di sotto,*

I.) Proprie. *Cato R. R.* 48. Uti subtus homo ambulare possit, facito. *Varro* 2. *R. R.* 9. Labris neque resimis superioribus, neque pendulis subtus. *Lucret.* 1. 1059. animalia subtu' vagari Contendunt. Adde *eumd.* 6. 855., *Varron.* 5. *L. L.* 131. *Müll.*, *Plaut. Cas.* 5. 2. 26. et *Tac.* 4. *Hist.* 23. *a med.*, ubi alii leg. *intus.*

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Bar.* 2. 5. Et facti sumus subtus et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro. *h. e.* humiliati, depressi sumus.

B) Subtus, qua præpositio, apud sequioris ævi scriptores occurrit et est idem ac sub, subter, *sotto*, ὑπό: construitur autem cum quarto et sexto casu. — *a*) Cum Accus. *Vulgat. interpr. Ps.* 17. 39. Cadent subtus pedes meos. Adde *ibid. v.* 40. et *Is.* 10. 16. *Mich.* 4. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suum. *h. e.* maxima prosperitate fruetur. *Dosith. p.* 94. 9. *Keil.* Subtus lectum, ὑπὸ τὴν κλίνην. — *b*) Cum Abl. *Innocent. Cas. litter. p.* 316. 9. *Lachm.-Rud.* Sub Flaminea positus vinea et subtus vinea alveum.

Homonym. De discrimine inter *subtus* et *subter* V. SUBTER.

SUBTUSSĬO, is, ire, n. 4. aliquantum tussio. *Veget.* 3. *Veterin.* 25. Cui quum sub linguam tetigeris, subtussiet. *Schneiderus* monet, hæc corrupta esse et ex *Hippiatr. Græcor.* ita legenda: Ut nec in capite appareant venæ, nec sub lingua: quum tetigeris tumorem, cedit. Recentiores tamen priorem lectionem retinent.

SUBTŪSUS, a, um, particip. ab inusit. *subtundo*: aliquantum tusus seu percussus, *alquanto ammaccato*. *Tibull.* 1. 11. 55. Flet teneras subtusa genas. *Alii leg.* suffusa. — *Subtusus angulus*, est idem quod obtusus. *Boeth.* 1. *Geometr. p.* 1180. Subtusus angulus major recto est. nisi legend. *obtusus*, ut alibi: *cf. ibid. p.* 1201. *V.* tamen *Quicheratium* in *Add.* etc. *p.* 280. et *Furlanettum* ad *h. v.*

SUBTŪTUS, a, um, adject. aliquantum tutus. *Commodian.* 30. *Instruct.* 18. Subtutus in prosperis esto. *Ludwig* leg. *sub totis*, h. e. in totum, omnino.

SŬBŪBĔRES infantes, qui adhuc sunt sub ubere. *Gloss. Isid.*

SŬBŪCŬLA (subicula), æ, f. 1. Etymon vocis petunt alii a *sub* et *duco*, quasi *subducula*, quod subtus inducatur; alii rectius ab inusit. *subuo* pro *subduo* ex Gr. δύω, unde et *induo*, *exuo*. — Subucula est genus vestis interioris, quæ sub tunica adhibebatur, interula seu tunica intima, ὑπόβασις, ὑποδύτης, ὑποσεθής (It. *camicia*; Fr. *tunique de dessous, chemise*; Hisp. *tunica interior, camisa*; Germ. *des Unterg(e)wand*; Angl. *shirt, chemise*). Virorum propria fuisse videtur, inquit *Forcellinus*; sed ex *Varron.* 5. *L. L.* 131. *Müll.* et ex figuris in *Mus. Borbon.* XIV. 37. patet, eam fuisse viris atque mulieribus communem. *V.* INDUSIUM.

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 542. 24. *Merc.* Postea quam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam et indusium. *Id.* 5. *L. L.* 131. *Müll.* Capitium ab eo, quod capit pectus: alterum, quod subtus, a quo subucula: alterum, quod supra, a quo supparus. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 95. rides, si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ. *Sueton. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et subuculæ thorace laneo muniebatur.

II.) Improprie est genus libi in sacris. *Fest. p.* 309. 25. *Müll.* Subuculam Ælius Stilo et Cloatius iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex alica et oleo et melle. Nam de tunicæ genere notum est omnibus.

SŬBŪCŬLĀTUS, a, um, adject. (subucula) subucula indutus. *Quintil.* 8. 3. *ante med.* Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quædam, ut a Cicerone subuculatum et ab Asinio fimbriatum et figulatum. Alii rectius pro *subuculatum* leg. *sullaturit*. *V.* SULLATURIO.

SŬBŪDUS, a, um, adject. aliquantum udus. *Verr.* apud *Fest.*, *Philarg.* et *Non.* V. in SUDUS et SEMIUDUS. Sunt qui leg. etiam apud *Apul.* 2. *Met. init.*

SŪBŬLA, æ, f. 1. *Subla*, syncop. pro *subula*, legitur in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1712. et *Gloss. Labb.* Cf. *fibla* pro *fibula*. — Subula videtur esse a *suo*, ut *fabula* a *for*, *fibula* a *figo* etc., et significat ferramentum subtile oblongum, peracuta acie instructum: quale est, quo cerdones corium perforant suendi causa, *lesina, subbia*, περόνη, ὑπήτιον.

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 5. *a med.* Aenea subula pars auriculæ latissima circumscribitur. *et mox.* Media pars descripti cubiculi eadem subula transuitur. *Martial.* 3. 16. Das gladiatores, sutorum regule, cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit. *Pallad.* 7. *R. R.* 14. Caprini stercoris baccam subula subtiliter excavare. Adde *Vulgat. interpr. Deut.* 15. 17. — *Subula leonem excipere*, proverb., ad grave periculum leviter se munire: Ital. diciamo *andare incontro alle sassate con la testa di vetro*. *Seneca Ep.* 82. *extr.* Et adversus mortem tu tam minuta jacularis? subula leonem excipis? Cf. *eumd. Ep.* 85. Pudet in aciem descendere, pro diis hominibusque susceptam, subula armatum.

II.) Improprie videtur esse acuta pars marculi, qua lapicidæ utuntur ad poliendos lapides. *Simplic. De re agr. p.* 88. *Goes.* Si superior tantum pars dolata est et inferior subulis impolita derelicta. Adde *ibid. p.* 305. *Lachmannus ibid. p.* 516. *subulis* in hac significatione a recto *subulus* derivat, nescio tamen qua ratione ductus.

SŬBULCERO, as, are, a. 1. aliquantum vel subter ulcero. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 180. Exulcerat, reulcerat, subulcerat.

SŬBULCUS, i, m. 2. Ad etymon vocis quod attinet, ita in *Excerpt.* ex *Charis. Gramm. p.* 551. 14. *Keil.* «Subus, τὸ συοβόσκιον (h. e. grex porcorum vel suile, hara), unde subulcus, συοβοσκός». Sed veri similius, ut a *bos bubulus*, unde et *bubulcus* (Cf. Gr. βουκολικός pro βουπολικος); sic a *sus* per inusit. *subulus* factum est *subulcus* (Cf. Gr. ὑπολικός). — Subulcus est suum custos, porcarius, suarius, *guardiano de porci, porcaio*, συβώτης, ὑφορβός. *Varro* 2. *R. R.* 4. *a med.* Ut subulcus facile circumspicere possit, nequi porcellus a matre opprimatur. *et ad fin.* Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad buccinam. Adde *Colum.* 1. *præf.* 26. *Virg.* 10. *Ecl.* 20. Venit et upilio, tardi venere subulci. Ita *Ribbeck*, ubi vulgo legeb. *bubulci*. Adde *Martial.* 10. 93.

Homonym. Discrimen inter *subulcum* et *porculatorem* V. in PORCULATOR.

SŬBŬLO, ōnis, m. 3. duo diversa significat. ¶ 1. *Subulo*, nomen Etruscum, ut patet ex *Varron.* et *Fest. loc.* infra *adlat.*, conjungend. cum Lat. *sibilus* et Ital. *zuffolo* (*Galvani, Genti e Favell. in Ital. p.* 354.), est idem ac tibicen. *Fest. p.* 309. 2. *Müll.* Subulo Tusce tibicen dicitur. Itaque Ennius: Subulo quondam marinas propter adstabat plagas. *Varro* 7. *L. L.* 35. *Müll.* Subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tusci; quocirca radices ejus in Etruria, non Latio quærundæ. ¶ 2. *Subulo* — *a*) Dicitur, a *subula*, de quodam cervorum genere, qui rectis sunt cornibus et in modum subulæ acuminatis, simplicibus, non ramosis; nisi velis nomen ducere ab radice, quam habet in priore significatione, quod cornibus sit in modum tibiæ rectis et simplicibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (123). Aliis simplicia tribuit (*cornua*), ut in eodem genere (*cervorum*) subulonibus ex argumento dictis. *Id.* 28. *ibid.* 17. 67. (231). Sunt et qui suum fimi cinerem profuisse scripserint in passo et cervi pulmonem, maxime subulonis. — *b*) Hinc etiam dicitur pædico, quasi subula perforans. Ita exponit *Turneb.* locum *Ausonii Epigr.* 70. Perversæ Veneris postico vulnere fossor, Lucili vatis subulo, pulliprema. Sed *V.* SUBPILO.

SŬBUMBĪLĬCUS, i, m. 2. id, quod est sub umbilico, sc. venter et femora, apud *Hieronym.* in *Zach.* 1. *ad* 2. 18. In visione imaginis, quæ habebat aureum caput et pectus argenteum et subumbilicum aeneum ac pedes ferreos et fictiles.

SŬBUMBRO, as, are, a. 1. subtus umbro. *Vulgat. interpr. Ital. Exod.* 25. 20. Erunt Cherubim extendentes pinnas a susum subumbrantes pinnis suis et vultus eorum ad invicem respicientes. *Noster* habet *operientes*. Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 169. Umbrat, obumbrat, subumbrat.

SŬBUNCTĬO, ōnis, f. 3. (subungo) actus subungendi vel unctio quæ subtus fit. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. *a med.* Etiam subunctionibus faucium vel interiorum utemur.

SŬBUNCTOR, ōris, m. 3. (subungo) qui subungit. *Inscript.* apud *Henzen n.* 6899. L. DOMITIVS DEMETRI F. DEMETRIVS SVBVAC(tor) DE III. (*h. e.* triera) CONCORDIA.

SUBUNDO, a, are, a. 1. aliquantum vel subtus undo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 125. Undat, exundat, redundat, subundat.

SŬBUNGO (subunguo), ungis, unxi, unctum, ungere, a. 3. subtus ungo. *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπαλείφω, subungo. Adde *Gloss. Placid. p.* 498. ed. *Mai.* Legitur etiam in *Not. Tir. p.* 130. Subungit, subunxit, subunctum.

SŬBUNGUENTĀRĬUS, ii, m. 2. qui subungit, minister unguentarii. *Inscript.* Puteolana apud *Guarin. Comment.* VIII. *p.* 31. L. DOMITIVS DEMETRI F. DEMETRIVS SVBVNG. DE LIB. CONCORD. *h. e.* subunguentarius de Liburna Concordia.

SŬBŪRĀNUS (Suburranus), a, um, adject. (Subura) ad Suburam pertinens, unde Suburana regio et tribus. *V.* SUBURA in ONOM. Hinc etiam *Suburanæ canes* quibusdam videntur esse meretrices (quæ maxime in Subura habitabant) apud *Horat. Epod.* 5. 57. Senem, quod omnes rideant, adulterum Latrent Suburanæ canes. Sed *Horat.* notat quidem senem itaniem in Suburam meretricum causa, et canes simpliciter intelligit in eo vico noctu vigilantes. *Martial.* quoque ad meretrices respicit 11. 78. Ergo Suburanæ tironem trade magistræ. *et ibid.* 61. Quem quum fenestra vidit a Suburana Obscena nudum lena, fornicem clausit. Ita *Forcellinus*. In adnot. vero ad *Horat.* hæc habet *C. Fea*: «Canes, non ipsas meretrices dicit Poeta, ut putat *Herm. Figulus*; nec quod veræ canes ab ejus luci meretricibus alerentur, ut *Georg. Fabricius*; sed tantum illarum meretricum stationem innuere voluit *Horatius*, quum de mœcho agatur, cum vulgari imprecatione, ut apud *Tibull.* 1. 5. 56. Post agat e triviis aspera turba canum». Huic interpretationi favent *Ritterus*, *Bindius*, alii. At MSS. editique libri plurimi ex antiquioribus pro *Suburanæ* habent *suburbanæ*, ut etiam *Acron*. Contra *O. Kellero* posterior hæc lectio «scheint eine verfehlte Aenderung des Mavortius zu sein: auch *Priscian* od. *Pseudopriscian* XVII. 32. haben das richtige *Suburanæ*». Ita et *Ritterus*. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SŬBURBĀNI, ōrum, m. plur. 2. *V.* SUBURBANUS in fin.

SŬBURBĀNĬTAS, ātis, f. 3. (suburbanus) locorum suburbanorum situs, urbis vicinitas. *Cic.* 4. *Verr.* 3. 7. *de Sicilia.* Sic populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ. *Symmach.* 2. *Ep.* 22. Nunc intuta est latrociniis suburbanitas. Adde *Sidon.* 7. *Ep.* 2. *a med.*

SŬBURBĀNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

SŬBURBĀNUS, a, um, adject. sub urbe positus, urbi vicinus, *vicino o sotto la città*, προαστεῖος. *Cic. Rosc. Am.* 46. 133. Rus amœnum et suburbanum. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Suburbanus fundus. *Id.* 2. *Divinat.* 32. 69. ager. *Nepos Att.* 14. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia, præter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum prædium. Adde *Ulp. Dig.* 49. 4. 1. *a med. Cic.* 1. *Orat.* 21. *extr.* Suburbanum gymnasium. *Colum.* 11. *R. R.* 2. Suburbana Italiæ regio. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 15. Caules suburbanus. *h. e.* qui in suburbano horto nascitur. Sic *Martial.* 13. 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (19). Suburbana Italia. *h. e.* ea pars Ita

liæ, quæ vicina est Romæ. *Martial.* 5. 1. Plana suburbani qua cubat unda freti. *h. e.* maris urbem Antium alluentis. *Plin.* suburbana littora 9. *ibid.* 18. 31. (67). appellat maris Romæ vicini præ mari Rubro. *Tac.* 3. *Ann.* 47. Suburbana peregrinatio. *h. e.* per loca Urbi proxima. *et* 13. *ibid.* 43. crimina. *h. e.* quæ prope Romam quis admisit. Adde *Horat. Epod.* 5. 57., ubi tamen alii rectius leg. *Suburanæ.* V. banc voc. — Hinc absolute, substantivorum more

Suburbani, orum, m. plur. 2. Incolæ locorum seu oppidorum, quæ Romæ sunt vicina, ut Ariciæ, Laurenti, Lanuvii, Tiburis et Prænestis: quæ oppida non procul ab Urbe erunt. *Ovid.* 6. *Fast.* 57. *Juno loquitur.* Nec tamen bunc nobis tantummodo præstat honorem Roma: suburbani dant mibi munus idem.

Suburbanum, i, n. 2. (*subaud.* rus vel prædium) fundus aut villa urbi vicina. *Cic. Rabir. Post.* 10. 26. Senatores summo loco natos in hortis aut suburbanis suis cum mitella sæpe videmus. Adde 12. *Att.* 34. *et* 16. *ibid.* 13. et 3. *Verr.* 20. *extr. Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (144). Volcatium asturcone e suburbano redeuntem canis a grassatore defendit. *Id.* 31. *ibid.* 3. 25. (42). Avaritia in villas ac suburbana publicam salutem detorquens. *Martial.* 5. 35. Dum sibi redire de Patrensibus fundis Ducenta clamat coccinatus Euclides Corinthioque plura de suburbano. Adde *Sueton. Tib.* 11. *et Ner.* 48. *Cassiod.* 12. *Hist. Eccl.* 3. In suburbano Constantinopolis, cui nomen Oliva est.

SŬBURBĪCĀRIUS, a, um, adject. (sub *et* urbicus) idem ac suburbanus, ut Suburbicariæ regiones, Suburbicariæ partes. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 11. 1. 9. et *Impp. Honor. et Theodos. ibid.* 28. 12. Picenum et Tuscia, suburbicariæ regiones. Adde *ibid.* 16. 12. Cf. ad rem *Boecking* ad *Notit. Imp. Occid.* c. 4. et *alibi.* — Apud scriptores Ecclesiasticos *suburbicariæ Ecclesiæ* dictæ sunt, quæ in suburbano Romæ erant. *Rufin.* 1. *Hist. Eccl.* 6. Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerere.

SŬBURBIS, is, f. 3. *et*

SŬBURBĬUM, ii, n. 2. (sub *et* urbs) frequentes extra urbem domus instar vici urbani ædificatæ, προάστειον (It. *sobborgo;* Fr. *faubourg, banlieue;* Hisp. *arrabal;* Germ. *die Vorstadt;* Angl. *suburb, outpart*). *Cic.* 12. *Phil.* 10. 24. Qui Terminalibus nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non ausus sim? Legitur et apud *Cassian. Cen. inst.* 2. 5. — *Rufin.* ex *Orig. hom.* 11. Loca in suburbibus.

SŬBURGEO *vel* suburgueo, es, ere, a. 2. subtus aut prope urgeo, *spingere sotto. Virg.* 5. *Æn.* 202. furens animi dum proram ad saxa suburget Interior spatioque subit Sergestus iniquo, Infelix! saxis in procurrentibus hæsit. *Auct. Itiner. Alex. M.* 48. (*al.* 19.) Naves Memphim per Nilum suburgueri jubet, ipse per Heliopolim pedes eodem occursurus.

SUBURGUĔO. *V.* voc. præced.

SUBŪRO, ŭris, ussi, ustum, ŭrere, a. 3. Part. *Subustus* I. — Suburo est leviter uro.

I.) Proprie. *Sueton. Aug.* 68. Solitus sit crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. *Paulin. Nolan. carm.* 7. 37. Tamen subusti corporis signis miser Vitam tenebit, non tenebit gloriam. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. 224. Hæc enim singula corpus incendunt et in ignis vicem suburunt.

II.) Translate. *Luxor. Carm. in Vetulam* in *Anthol. Lat.* n. 312. *Meyer.* Quid te tam petulans suburit ardor, Nunc quum jam exilium tibi supersit? *Poeta ibid.* n. 623. *de Galatea,* Ipsa Cupidinem cedunt elementa pharetræ, Cujus et in mediis flamma suburit aquis.

SUBURRĀNUS. *V.* SUBURANUS.

SUBUS *et* sumbus, i, m. 2. ¶ 1. Est nomen lapidis finalis, idem fortasse ac trapizeus, apud *Auct. var. de limitib.* p. 405. 3. *Lachm.-Rud.* Subus sive trapideus (*al.* trapezeus). *et* p. 249. 6. *ibid.* Sumbus (*sic*) sive trapizeus. ¶ 2. Alia significatione *V.* in SUBULCUS init.

SUBUS pro Suis. *V.* SUUS, a, um.

SŬBUSTĬO, ōnis, f. 3. (suburo) levis ustio. Apud *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15. 1. 32. subustio thermarum vocatur, quæ ab *Ammian.* 31. 1. 2. succensio lavacri dicitur: hoc est calefactio, quia lavacra ex inferiore loco calefiebant.

SŬBUSTUS, a, um, particip. *V.* SUBURO.

SUBVAS, vădis, m. 3. qui subsistit in locum prioris vadis, seu qui pro vade spondet. *Gell.* 16. 10. recitat varia priscarum legum vocabula, in his *vades* et *subvades.*

SUBVASTO, as, are, a. 1. vasto. *Vulgat. interpr. Ital. Hebr.* 11. 28. ex MSS. *Sang.* et *Clar.* Ne qui subvastabat primitiva, tangeret eos. *Noster* habet *vastabat.*

SUBVECTANS, antis, particip. *V.* SUBVECTO.

SUBVECTĬO, ōnis, f. 3. (subvebo) actus subvehendi, comportatio, συγκομιδή (It. *condotta, trasporto, vettura;* Fr. *transport, arrivage;* Hisp. *transporte, arribo;* Germ. *die Zufuhr;* Angl. *a carrying, transporting*). *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Qui suum timorem in rei frumentariæ subvectionem angustiasque itineris conferrent, facere adroganter. Ita leg. *Kraff.;* alii *simulationem. Liv.* 44. 8. Frumenti tarda subvectio erat. Adde 2. *præf.* et *Tac.* 13. *Ann.* 51. *extr. Veget.* 3. *Milit.* 8. Subvectio frumenti ceterarumque specierum. *Augustin.* in *Ps.* 58. *serm.* 2. vehiculorum. *Cæl. Aurel.* 2. 13. 3. magna ponderis. *Vulgat. interpr. Gen.* 45. 19. parvulorum ac conjugum. — In plur. num. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. Ne ab re frumentaria, duris subvectionibus, laboraret. *Vitruv.* 1. 5. Quum opportunitates fluminum, seu per portus marinæ subvectiones, habuerint ad mœnia comportationes expeditas.

SUBVECTO, as, avi, are, a. 1. *frequentat. a* subvebo. — Part. *Subvectans.* — Subvecto est adveho, comporto, vecto. *Plaut. Asin.* 2. 2. 74. Asini, qui tibi subvectabant rure virgas ulmeas. *Virg.* 6. *Æn.* 303. Et ferruginea subvectat corpora cymba. *Id.* 11. *ibid.* 131. Subvectare saxa humeris. Adde *Stat.* 1. *Silv.* 6. 32., *Sil. It.* 1. 563. *et* 4. 21. et *Colum.* 6. *præf. Augustin.* 10. *Civ. D.* 9. Utendum alicujus Dæmonis amicitia, quo subvectante vel paullulum possit elevari a terra quisque post mortem.

SUBVECTOR, ōris, m. 3. (subvebo) qui subvehit. *Avien. Perieg.* 199. Bosphorus Inachiæ subvector virginis olim.

SUBVECTUS, a, um, particip. *V.* SUBVEHO.

SUBVECTUS, us, m. 4. (subvebo) idem ac subvectio. *Tac.* 15. *Ann.* 4. Et provisi ante commeatus, quorum subvectu etc. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 17. *a med.* Sed cursus publicus non sufficit subvectui episcoporum.

SUBVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. Part. *Subvectus* I. 1. (et *Subvexus* V. suo loco); *Subvehendus* I. 2. — Subveho proprie est ex inferiore loco in altiorem vehere, ὑποκομίζω (It. *portare in su, innalzare;* Fr. *transporter de bas en haut, transporter;* Hisp. *transportar de soto ó debaxo en alto;* Germ. *von unterhalb hervor, dah. hinauf führen, tragen, zuführen;* Angl. *to carry or bring up*): construitur autem cum Accus., addito etiam Acc. loci vel rei, ad quam quid subvehitur, et præp. *ad, in.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 5. 516. Ast alium (*aerem fluere*) subter, contra qui subvehat orbem. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Frumentum, quod flumine Arari navibus subvexerat. *Virg.* 11. *Æn.* 477. ad templum summasque ad Palladis arces Subvehitur magna matrum regina caterva. Ubi *Servius:* Proprie. matronæ enim pilentis vehebantur ad templa pergentes. *Id.* 5. *ibid.* 721. Et nox atra polum bigis subvecta tenebat. *Id.* 8. *ibid.* 58. Adversum superes remis subvectus ut amnem. *Ovid.* 8. *Met.* 796. illa dato subvecta per aera curru Devenit in Scythiam. *et* 6. *ibid.* 422. subvectaque ponto Barbara Mopsopios terrebant agmina muros. *Liv.* 24. 40. Philippum lembis biremibus flumine adverso subvectum. *Tac.* 2. *Ann.* 60. Germanicus Nilo subvehebatur. *navigava su pel Nilo.* et 15. *ibid.* 18. Naves Tiberi subvectas ignis absumpsit. *h. e.* adverso flumine tractas. *Id. ibid.* 39. Subvecta utensilia ab Ostia. *Sueton. Cal.* 15. Matris fratrisque cineres Romam Tiberi subvectos mausoleo intulit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 17. (80). Quanam ratione in tantam altitudinem subvecta sint cæmenta. *Sillig.* leg. *subjecta.* et *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 38. Vectes ad subvehendam mensam. *Rutil.* 1. *Itiner.* 153. *de Tiberi.* placidis commercia ripis Devebat hinc ruris, subvehat inde maris. *h. e.* secundo flumine Romam vehat opes agrorum ex Sabinis, Etruria etc. adverso merces peregrinas, appellentibus Ostiam navibus. — *Subvehere naves* apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 43. (73). et *Tac.* 2. *Ann.* 8. et 15. *ibid.* 8. *ad fin.* est contrario flumine agere. ¶ 2. Latiore sensu et universim est advehere, convehere, comportare, *portare, condurre, trasportare. Liv.* 9. 15. 23. *et* 43. Insessis omnibus viis, per quas commeatus ex Samnio subvehebantur. *Id.* 22. 16. Quum tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 88. quali te subvehat aura Doris Agenorei furtis blandita juvenci. Adde *Juvenal.* 5. 89. et *Apul.* 9. *Met. prope fin.*

II.) Translate. *Capitolin. Max.* et *Balb.* 5. Quem statim ad præfecturam prætorii subvexit. *Augustin.* in *Ps.* 77. *n.* 33. Ut ad cælestem gloriam per gratiam Christi subvehamur.

SUBVELLO, vellis, vulsum, vellere, a. 3. Part. *Subvulsus.* — Subvello est subtus vello. *Lucil.* apud *Non.* p. 95. 15. *Merc.* Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor. *h. e.* pilos corporis mihi vello. Est qui leg. *subellor,* h. e. quasi subere defricor. *Scipio Afric.* apud *Gell.* 7. 12. Qui barba volsa feminibusque subvolsis ambulet. *V.* VELLO.

SUBVĒLO, as, are, a. 1. aliquantum velo, *velare alquanto. Augustin.* 2. *De lib. arbitr.* 14. Solem autem istum si velim intueri – et in occasu me desereret et subvelaretur nubilo etc.

SUBVENDĪCO *vel rectius* subvindico, as, are, a. 1. aliquantum vendico. *Coripp.* 5. *Joann.* 742. dextrumque latus subvendicat undis Æquoreis, lævum gradiens umbone tuetur.

SUBVĔNĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBVĔNĬO, vĕnis, vĕni, ventum, vĕnire, n. 4. *Subvenibo* ἀρχαϊκῶς pro *subveniam,* ut *audibo* pro *audiam,* usurpat *Plaut. Men.* 5. 7. 20. V. *loc.* infra *cit.* — Part. *Subveniens* I. et II. 2. 1.° *b* et in fin.; *Subventurus* II. 2. 1.° *a.* — Subvenio est post venio, intervenio, supervenio, ὑπέρχομαι, ἐπέρχομαι (It. *sopraggiungere, sopravvenire;* Fr. *survenir, arriver inopinément;* Hisp. *sobrevenir;* Germ. *unten an etwas hinkommen, dazu kommen;* Angl. *to come on, come after*).

I.) Proprie, ut diximus, est supervenio, intervenio; plerumque vero auxilii ferendi causa, speciatim in re militari. *Tac.* 2. *Hist.* 26. Protrita hostium acie, versi in fugam etiam qui subveniebant. *et ibid.* 36. Nec multo post Vestricius cum cohortibus subvenit. *Id.* 2. *Ann.* 11. *in fin.* Ceteros vis sua aut equites cum Sternio subvenientes periculo exemere. *et* 1. *ibid.* 75. Pius Aurelius questus labefactas ædes suas, auxilium patrum invocabat. Resistentibus ærarii prætoribus, subvenit Cæsar pretiumque ædium Aurelio tribuit. — Passive impersonaliter. *Sall.* 58. *in fin.* Priusquam ex castris subveniretur. Cf. *Liv.* 34. 18.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de iis, quæ memoriæ occurrunt, *venire in mente, sovvenire. Gell.* 10. 7. Ut quæque vox digna animadversione subvenerat, memoriæ mandabamus. ¶ 2. Sæpius est subsidio venire, suppetias advenire, opem ferre, auxiliari, succurrere, *venire in ajuto, soccorrere, ajutare, sovvenire,* βοηθέω. — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Plaut. Men.* 5. 7. 20. Et operam dabo et defendam et subvenibo sedulo. *V.* init. *Id. Merc.* 5. 4. 35. Serva et subveni. *Gell.* 11. 7. *sub fin.* Rogo, prætor, subveni, succurre. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Visum est ei illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 28. Et subventuros auferet unda deos. *Quintil.* 4. 1. 44. Si

causâ laborabimus, persona subveniat; si personâ, causa. — b) Cum Dativo. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 24. Apollo, quæso, subveni mihi atque adjuva. *Id. Pseud.* 4. 7. 47. Nisi quid leno hic subvenit mihi. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Subvenire civitati. *Id. ibid.* 50. vitæ. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. homini jam perdito. *Id. Cluent.* 1. *extr.* Vestri auxilii est, judices, hujus innocentiæ in hac calamitosa fama subvenire. *Id.* 1. *Rep.* 10. 31. Subvenire his tam periculosis rebus. *Id.* 1. *Off.* 43. *ad fin.* Patriæ subveni, opitulare collegæ. *Sall. Jug.* 85. Omnes bonos reipublicæ subvenire decebat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (18). Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. — Et sequente *quominus* cum Conjunctivo. *Tac.* 4. *Ann.* 51. *extr.* Reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, præmatura montis Hæmi et sæva hiems subvenit. — c) Impersonaliter. *Tac.* 4. *Ann.* 72. Hinc ira et questus, et postquam non subveniebat, remedium ex bello etc. Ubi *subveniebat* est pro *subveniebatur.* — Passive. *Cic.* 1. *Att.* 17. *a med.* Huic quoque rei subventum est maxime a nobis. *Sall. Jug.* 15. Pauci subveniendum Adherbali censebant. Adde *Liv.* 23. 14. *a med. Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (173). Subveniri non poterat. Adde 30. *ibid.* 7. 20. (59). — 2.°) Lex quoque et prætor *subvenire* dicitur, quum favet, consulit, actionem dat. *Trajanus* ad *Plin.* 10. *Ep.* 68. Sed meæ naturæ accommodatius est credere, etiam statui ejus *(Flavii Archippi)* subventum interventu principis. *Ulp. Dig.* 36. 1. 1. Quamquam autem senatusconsultum subventum voluit heredibus, subvenit tamen et fideicommissario. *Id. ibid.* 47. 10. 7. *a med.* Si verberibus vulneravit non mediocriter (*libertum patronus*), æquissimum erit prætorem ei subvenire. Adde *ibid.* 39. 2. 15. *a med.* — 3.°) Sæpe ad morbos refertur, et significat mederi, prodesse, *curare, medicare, giovare.* *Cic.* 16. *Att.* 14. *sub fin.* Gravedini, quæso, omni ratione subveni. *Id. Cluent.* 24. *sub fin.* Acrioribus saluti suæ remediis subveniendum putavit. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 61. (129). Alica longo morbo ad tabitudinem redactis subvenit. *Id.* 23. *ibid.* 3. 37. (74). Amurca dentium stabilitati subvenit efficacissime. *Id.* 32. *ibid.* 9. 37. (112). Castoreum comitiali morbo correptis olfactu subvenit. — Hinc

Subveniens, entis, more adjectivi seu appellativi usurpatum, est idem ac auxiliator. *Gloss. Lat. p.* 278. *n.* 351. Subveniens, auxiliator vel succurrens. — Hinc *Subveniens* appellatus est Æsculapius in nummo Pariano, ut putat *Neumann* apud *Cavedoni* in *Opusc. di Modena T.* 3. *p.* 403. AESCVLAPIO SVBVENienti. Nisi tamen quis, minus recte, malit leg. *subventori.* Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* in SUBVENTOR.

SUBVENTĬO, ōnis, f. 3. (subvenio) actus subveniendi et auxiliandi, *sovvenzione.* *Cassiod.* 12. *Variar.* 28. Joseph legimus contra famem funestam emendi quidem tritici dedisse lætitiam; sed tale posuit pretium, ut, suæ subventionis avidus, se potius venderet alimonia mercaturus.

SUBVENTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* subvenio, frequenter subvenio. *Plaut. Rud.* 1. 4. 11. Spes bona, obsecro, subventa Mihi.

SUBVENTOR, ōris, m. 3. (subvenio) qui subvenit, *chi ajuta, sovvenitore.* *Inscript.* apud *Gruter.* 459. 1. (*Orell. n.* 3766.) POPVLI SVBVENTOR. *et* 1095. *n.* 7. (*Orell. n.* 6.) SVBVENTOR CIVIVM NECESSITATIS AVRARIAE. *h. e.* qui maxima auri vi necessitates civium sublevavit.

SUBVENTRĪLE, is, n. 3. (sub *et* venter) locus sub ventre, abdomen. *Marcell. Empir.* 28. *ad fin.* Leporinum stercus atque etiam pili vel lana ejus de subventrili cum melle decocta ruptis intestinis celeriter medetur. *Gloss. Philox.* Ὑποκοίλιον, sumen, subventrile.

SUBVERBUSTUS, a, um, adject. Etymon vocis alii petunt a *verber,* ut a *jus* est *justus,* ab *arbor arbustum,* ab *onus onustus;* at secundum *Fest. p.* 399. 18. *Müll.* dicitur quasi *sub veru ustus, b* pro *u* posito. Scribit enim: Subverbustam, veribus ustam significat Plautus, quum ait, Ulcerosam, compeditam, subverbustam, sordidam. Sed pro *veribus* critici monent legendum *verberibus.* — Subverbustus est igitur servus, qui sub veru ustioni, aut potius verberibus obnoxius sit, quasi verbero, στιγματίας: opponitur autem libero et liberali. *Plaut.* apud *Fest. loc. supra cit. Tertull. Pall.* 4. *a med.* Quantum denotatui passivitas offert libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus, dediticios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus!

SUBVĔRĔOR, ēris, eri, dep. 2. aliquantulum vereor, εὐλαβέομαι. *Cic.* 4. *Fam.* 10. Venit enim mihi in mentem subvereri interdum, ut te delectet tarda decessio.

SUBVERSĬO, ōnis, f. 3. (subverto) actus subvertendi, *sovversione.*

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Gen.* 19. 22. Liberavit Lot de subversione urbium. Adde *Deuter.* 29. 23.

II.) Translate. *Arnob.* 1. *p.* 7. Subversio humani generis. — Et in plur. num. *Id.* 5. *p.* 165. Animorum subversiones.

SUBVERSO *vel* subvorso, as, are, a. 1. *frequentat. a* subverto. — Part. *Subversandus.* — Subverso est sæpe subverto. *Plaut. Curc.* 4. 1. 23. Vel qui ipsi vortant, vel qui alios subversandos præbeant. *Alii leg.* vel, quæ aliis subvorsentur. præbeant. *h. e.* quæ ab aliis subvorsentur. *Alii vero aliter.*

SUBVERSOR, ōris, m. 3. (subverto) eversor. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Suarum legum auctor idem ac subversor Cn. Pompejus. *Alcim.* 2. 75. *de diabolo.* rectam quam condidit auctor (*naturam*). ad pravos subversor transtulit usus. *violatore.* Adde *Vulgat. interpr. Ezech.* 2. 6.

SUBVERSUS, a, um, *et*

SUBVERTENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUBVERTO *vel* subvorto vertis, verti, versum, vertere, a. 3. *Mar. Victorin. p.* 19. 4. *Keil.* monet, *suvverto* (al. *suverto*) scribendum esse: quod usu ceterorum non videtur probari posse. — Part. *Subvertens* II.; *Subversus* I. et II.; *Subvertendus* II. — Subverto est subtus movendo verto, ut fit in arando, everto, perverto, deturbo, dejicio, καταστρέφω (It. *rivoltare, rovesciare, abbattere;* Fr. *retourner, renverser;* Hisp. *volver, derribar, abatir;* Germ. *von unterst zu oberst kehren, umkehren, umstürzen;* Angl. *to turn upside down, overturn, subvert*).

I.) Proprie. *Sall. Cat.* 13. Subversi montes, constrata maria. *Ovid.* 2. *Fast.* 645. tantas operum subvertere moles. *atterrare, distruggere.* *Burmann.* leg. *submittere.* et *Colum.* 11. *R. R.* 2. *ante med.* Qui lupinum stercorandi causa serit, nunc demum aratro subvertit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 31. 39. (139). Arisbe terrarum motu subversa. *Id.* 15. *ibid.* 18. 20. (77). Subvertere simulacrum. *Lucan.* 3. 436. silvam. *Seneca Troad.* 220. clade subversa est pari Imposita celso parva Lyrnessos jugo. *Tac.* 13. *Ann.* 39. *a med.* Obices portarum subversi. *Sueton. Cal.* 34. Statuas ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint. *Id. Ner.* 47. Litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit. — Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 43. Cui non conveniet sua res, ut calceus olim, Si pede major erit, subvertet, si minor, uret. *farà traballare.* et *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 9. 13. *ad fin.* Neque recessit usquam, donec subvertit. *lo gettò a terra.*

II.) Translate. *Ter. Adelph.* 5. 3. 49. ne nimium modo Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, Et tuus iste animus æquus subvertat. *h. e.* re familiari evertat: fortunis nos exturbet. *non rovini la nostra casa.* et *Lucret.* 5. 1135. Ergo regibus occisis subversa jacebat Pristina majestas soliorum et sceptra superba. *Sall. Cat.* 10. Subvertit avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas. *Id. Jug.* 32. Subvertere decretum consulis. *annullare, abrogare.* et *orat. Philip. contra Lepid. ante med.* Arma, quæ ille cepit, non pro sua aut quorum simulat injuria sed legum ac libertatis subvertundæ, *et ibid.* Præter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium. *Quintil.* 5. 11. 13. Subvertere omnia præjudicia. *Id.* 7. 6. 2. interpretationem adversarii. *et ibid.* 7. 6. scriptam legem. *Id.* 9. 4. 3. Si id demum naturale esse dicunt, quod a natura primum ortum est, tota hæc ars orandi subvertetur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (245). Pudicitia subversa. *Plin. alter* 3. *Ep.* 4. *a med.* Est ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. *Plaut.* aliis verbis hoc idem dicit *Trin.* 2. 2. 41. Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant. *Tac.* 4. *Hist.* 42. Regulum subversa Crassorum et Orphiti domus in summum odium extulerat. *Id.* 2. *Ann.* 36. Subvertere leges. *et* 4. *ibid.* 30. jura. *Id.* 13. *ibid.* 5. acta. *Id.* 4. *Hist.* 3. senatum. *Id.* 3. *Ann.* 25. Subversa omnis domus delatorum interpretationibus. *Id.* 4. *ibid.* 71. Florentes privignos quum per occultum subvertisset, misericordiam erga afflictos palam ostentabat. *Lucan.* 8. 273. sparsit potius Pharsalia nostras, Quam subvertit, opes. *Val. Max.* 7. 8. *n.* 1. Subvertere testamentum. *tagliare.* et 6. 8. *n.* 1. omnem vim accusationis. *Justin.* 5. 4. *a med.* Maximi imperii subversi et rursum recepti auctor. Sic 6. 3. 8. Ne tot bellis quæsitum imperium brevis momenti culpa subverteret. *Id.* 12. 5. 2. Subvertere patriæ mores. *Vulgat. interpr.* 2. *Tim.* 2. 18. fidem alicujus. *Id. Esth.* 16. 5. mendaciorum cuniculis aliquem. *Id. Job* 30. 12. pedes alicujus. *soppiantare.* et *Luc.* 23. 2. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.

SUBVESPERTĪNUS, a, um, adject. qui sub vespere est. Hinc absolute Subvespertinus appellatur ventus Favonius seu Zephyrus a *Veget.* 5. *Milit.* 8., quemadmodum huic contrarius a pluribus Subsolanus dicitur, qui et Apeliotes.

SUBVESPĔRUS, a, um, adject. qui sub vespero est. Hinc absolute Subvesperus ventus est occidentalis apud *Vitruv.* 1. 6., cujus verba sunt: Dextra et sinistra circa Austrum Euronotus et Altanus flare solent: circa Africum Libonotus et Subvesperus: circa Favonium Argestes et certis temporibus Etesiæ etc. Videtur autem significare Italorum *Garbino verso Ponente:* qui ventus apud Latinos alios scriptores proprio nomine caret: *Vitruvius* enim quattuor et viginti numerat ventos, alii ad summum duodecim.

SUBVESTĬO, is, ire, a. 4. subtus vestio. *Dracont.* 1. 642. Et nova subvestit reparatas pluma volucres.

SUBVĒSUS, a, um, particip. ab inusit. *subvescor,* aliquantum comesus. Translate est consumptus. *Hieronym.* 1. *in Jerem.* 2. 37. Omne contritum est et ita subvesum, ut nihil in eo utilitatis valeant reperire. Videtur legend. *subesum,* ut sit particip. a *subedo.* V. SUBEDO.

SUBVEXUS, a, um, adject., vel potius particip. a v. *subveho* pro *subvectus,* aliquantulum ab imo in altum flexus, leniter acclinis atque adeo facilem ascensum præbens, *di dolce salita.* *Liv.* 25. 36. Nec natura quidquam satis arduum aut abscissum erat, quod hosti aditum ascensumque difficilem præberet: omnia fastigio leni subvexa. *Alii leg.* subnixa. V. *Drakenb.* ad *h. l.*

SUBVĪDEO, es, ere, a. 2. subobscure video. *Gloss. Cyrill.* Ὑποβλέπομαι, suspicor, subvideo.

SUBVILLĬCUS *vel* subvilicus, i, m. 2. qui sub villico est ejusque vice agit, *sottocastaldo.* *Inscript.* apud *Gruter.* 1112. (*Orell. n.* 2860.) BENEMEROTI VICARIO SVO LVPERCVS SVBVILLICVS HORTORVM ANTONIANOR. BENEMERENTI FECIT. Adde *Fast. Antiat.* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 327.

SUBVINDĬCO. *V.* SUBVENDICO.

SUBVĬRĬDIS, e, adject. aliquantum viridis, *verdiccio, verderognolo,* ὑπόχλωρος. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 65. (113). Herba foliis subviridibus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 55. (149). Balanitæ subvirides. *Scribon. Compos.* 201. *et* 202. Emplastrum subviride.

SUBVOCO, as, are, a. 1. subter voco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 53. Vocat, revocat, subvocat.

SUBVŎLĀMEN, ĭnis, n. 3. (subvolo) pars ædificii, quam *Pseudo-Ascon.* vocat *provolans tabulatum.* V. PROVOLO. *Isid.* 15. *Orig.* 2. 26. Imboli (*corrige* emboli) vel quia subvola-

mina sunt, vel quia sub iis ambulant: sunt enim porticus hinc inde platearum. *Lindem.* habet *sub volumine.*

SUBVŎLO, as, avi, are, n. 1. sursum volo, *volare in su, alzarsi al volo:* occurrit autem absolute vel addito loci, quo quis subvolat, Acc. cum præp. *in, ad.*

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Sic hæ sursum rectis lineis in cælestem locum subvolent. *Ovid.* 14. *Met.* 506. numerusque ex ordine major Subvolat et remos plausis circumsonat alis. Adde *ibid.* 577. et 11. *ibid.* 790. et *Aur. Vict. Vir. ill.* 6.

II.) Translate. *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 6. 14. Denique quum ad pudicitiam voluerit subvolare, gluten et viscum voluptatis obscenæ de perustis visceribus experitur. Adde *Mam. Claudian.* 1. *Stat. anim.* 7.

SUBVŎLO, vis, vŏlŭi, velle, anom. aliquantum seu leviter volo. Agnoscitur a *Mar. Victorin.* 1. p. 2465. *Putsch.*, sed omissa *b* scriptum.

SUBVOLSUS. *V.* **SUBVULSUS.**

SUBVOLVO, is, ere, a. 3. sursum volvo, ὑποκυλίω. *Virg.* 1. *Æn.* 429. Molirique arcem et manibus subvolvere saxa. — Mediorum apud Græcos more. *Avien. Phænom.* 379. alvo Helices Cancer subvolvitur. *h. e.* se subvolvit.

SUBVORSUS et

SUBVORTO cum deriv. *V.* **SUBVERTO.**

SUBVULSUS *vel* subvolsus, a, um, particip. *V.* **SUBVELLO.**

SUBVULTŪRĬUS (subvolturius), a, um, adject. (sub *et* vultur) qui fusco colore est instar vulturis. Venit Jocularitér *Plaut. Rud.* 2. 4. 9. eja corpus cujusmodi! Subvulturium est, illud quidem subaquilum volui dicere.

SUCCÆLESTIS. *V.* **SUBCÆLESTIS.**

SUCCÆRŬLĔUS. *V.* **SUBCÆRULEUS.**

SUCCANDĬDUS. *V.* **SUBCANDIDUS.**

SUCCĂNO. *V.* **SUCCINO.**

SUCCANTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a succino, frequenter succino. *Scholiast.* in *Pers.* 3. 19. Quid mihi has excusationes succantas? Cf. CANTO II.

SUCCĂPĬO. *V.* **SUBCAPIO.**

SUCCĂRUM *et* saccharum, i, n. 2. idem ac saccharum: cf. It. *zucchero. Veget.* 5. *Veterin.* 22. 4. Mannæ succari uncias tres. *et ibid.* 44. 5. Succari semunciam contere diligenter et cum vino diffunde.

SUCCĀSUS, us, m. 4. idem quod occasus. *Varro* apud *Non.* p. 451. 29. *Merc.* Ventus succasu vehementius sufflare et calcar admovere. Hanc lectionem adprobat *Quicherat* in *Add.* etc. p. 280.; alii tamen leg. minus recte *suo casu;* recte alii *sub occasu.*

SUCCĒDĀNĔUS *et* succidaneus *vel* subcidaneus, a, um, adject. *Fest.* p. 302. 25. *Müll.* de *succidanea hostia.* « Quidam a succedendo, non a succidendo, dictam putant ». Sane, ut ex subjectis exemplis patet, vox a v. *succedo* derivanda. — Succedaneus est qui alteri succedit, qui pro altero subjicitur vel substituitur, διάδοχος, ἀντανδρος (It. *che succede in luogo altrui, sostituito;* Fr. *substitué, qui remplace;* Hisp. *substituido, sucesor;* Germ. *an ein. Andern Stelle rückend, stellvertretend;* Angl. *substitude, succedaneous*): usurpatur autem in re sacra, scil. de hostia, quæ in locum alterius succedit et mactatur, si forte priore illa litatum non sit.

I.) Proprie. *Fest. loc. cit.* Succidanea hostia appellatur, quæ secundo loco cædebatur: quod quasi sub priore cædatur. quidam a succedendo, non a succidendo, dictam putant. V. *Müllerum* ad *h. l.* et *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140. Hostia, quæ ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari veteri more solet: in cujus locum quæ supposita fuerat, succidanea. (Adde ad *eumd.* 8. *ibid.* 641.) *Gell.* 4. 6. Succidaneæ hostiæ dicuntur, e littera per morem compositi vocabuli in *i* litteram commutata. Non quasi succidaneæ appellatæ: quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur: quæ quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur: ob id succidaneæ nominatæ, littera *i* scilicet tractim pronunciata. Audio enim, quosdam eam litteram in hac voce barbare corripere. Eadem autem ratione verbi præcidaneæ quoque hostiæ dicuntur etc. Hæc *Gell.* Eadem lis est de notatione in voce *præcidaneus,* quam vide.

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 1. 2. 36. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam? Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum? *Apul.* 8. *Met.* Non cervam pro virgine, sed asinum pro homine succidaneum videre. — Hinc

Succedanea, æ, f. 1. et *Succedaneus, i,* m. 2. sive in re sacra sive extra rem sacram, absolute, substantivorum more, eod. sensu.

I.) Proprie. — *a*) In re sacra. *Vet. S. C.* apud *Gell.* 4. 6. Si quid succidaneis opus esset. Robigus accederet. *Alii leg.* robus accederet. *h. e.* bos rufus. — *b*) Extra rem sacram. *Justin.* 38. 6. 2. Avum suum Pharnacem per cognationum arbitria succedaneum regi Pergameno Eumeni datum. *Impp. Gratian. et Valent. Cod.* 11. 65. 3. Is pro eo, quem succedaneum subrogavit, perpetuæ solutioni statuatur obnoxius. — Sequente genetivo. *Impp. Valent. et Valens ibid.* 10. 31. 27. Si militari avo et patre centurione nascetur, pater erit succedaneus functionis. *successore.*

II.) Translate. *Fronto* ad *M. Cæs.* 1. 12. Iste Fronto succidaneum se pro vestris periculis subdidit. *come sostituito.* et *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. *sub fin.* Nec patiuntur, ut succedanei sint alieni periculi. *Id. ibid.* 27. 8. 4. Magistratus quidem in omne periculum succedit: heres ipsius dolo proximæ culpæ succedaneus est.

SUCCĒDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUCCĒDO *vel* subcedo, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (sub *et* cedo) *Successe* pro *successisse* leg. *Schwabe* apud *Cic. fil.* in *Cic.* 16. *Fam.* 21. 2. infra *cit.* — Part. *Succedens* II. *b* et III. 2. *d* et in fin.; *Successus* I. 3. *a* et *b*; *Successurus* II. *b.* — Succedo pro diversa vi particulæ *sub,* qua componitur, diversa significat.

I.) *Succedo* est subeo, ingredior, ὑποδύομαι (It. *andare o entrare sotto o dentro;* Fr. *aller sous, entrer sous ou dans;* Hisp. *ir soto ó entre;* Germ. *unter etw. gehen, von unten hervorgehen, hinaufsteigen;* Angl. *to go or come under or into*). ¶ 1. Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Lucret.* 5. 286. Quod simul ac primum nubes succedere soli Cœpere. *Virg.* 5. *Ecl.* 6. *et* 19. antro potius succedimus. *Id.* 1. *Æn.* 631. tectis, juvenes, succedite nostris. *Id.* 3. *G.* 418. tecto assuetus coluber succedere et umbræ. *et* 4. *ibid.* 227. alto succedere cælo. *elevarsi.* et *Val. Flacc.* 6. 505. Quales instanti nimborum frigore mœstæ Succedunt ramis volucres. *si cacciano sotto.* Rursus *Virg.* 3. *Æn.* 541. curru succedere sueti Quadrupedes (*pro* currui). *Id.* 2. *ibid.* 723. Succedere oneri. *et* 7. *ibid.* 214. Atra subegit hiems vestris succedere terris. *entrar nel vostro paese.* et *ibid.* 36. et lætus fluvio succedit opaco. *entra con la flotta nel fiume.* et *Grat. Cyneg.* 165. ultroque gravi succedere tigri Ausa canis. *h. e.* succumbere, sc. marem admittere. *Vulg. leg.* gravis succedere tigrim etc. V. *Wernsdorf.* — *b*) Cum Accus. sine præp., quæ inest in ipso verbo, aut cum præp. *in. Avien. Perieg.* 329. Post Blemyes medii succedunt solis habenas. Adde *ibid.* 1213. *Calpurn. Declam.* 29. Ne pecora quidem jugum, nisi paria, succedunt. *Liv.* 5. 43. Succedere magis in arduum. *Lucret.* 6. 1369. Inque dies magis in montem succedere silvas Cogebant. *Virg.* 9. *Æn.* 663. ipsi in certamina rursus Succedunt animasque in aperta pericula mittunt. *entrano in battaglia.* — *c*) Cum adverb. *Cic. Dom.* 44. *ad fin.* Qui tectum, quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet. *Cæs.* 2. *B. C.* 24. *ad fin.* Hoc itinere est fons, quo mare succedit longius. *entra.* — *d*) Absolute *Tac.* 2. *Ann.* 81. Jussit promptissimum quemque succedere. ¶ 2. Translate. — *a*) Cum Dat. *Justin.* 8. 2. 2. Externæ dominationi, quam in suis timuerant, sponte succedunt. *h. e.* se subjiciunt, ultro subeunt, *si sottomettono.* Sic *Virg.* 2. *Æn.* 723. Succedere oneri. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (92). operi ad præscripta lineamenta. *Quintil.* 2. 1. 13. Qui labori isti successerint. *h. e.* susceperint. *Id.* 3. 6. 71. Quæ omnia succedunt legitimis quæstionibus. *Id. ibid.* 9. 1. Succedere probationi. *appartenere.* et *ibid.* 10. 4. comparativo generi. — Et sequente Infinito *Ambros.* 1. *Off.* 7. 23. Succedit animo, de officiis scribere. — *b*) Cum Acc. et præp. *ad, sub. Virg.* 12. *Æn.* 235. Ille (*Turnus*) quidem ad Superos, quorum se devovet aris, Succedet fama. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 151. Succedere sub acumen stili. ¶ 3. Item, prægnanti, ut ajunt, sensu, est prospere cedere, feliciter evenire, ex sententia, ex voto procedere, *andare o riuscire bene, avere buon successo,* εὐτυχεῖν. προχωρεῖν. — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 4. 1. 56. Parum succedit quod ago: at facio sedulo. *et ibid.* 47. Hac non successit, alia aggrediemur via. (Adde *Liv.* 32. 18.) *Varro* 3. *R. R.* 9. 16. *a med.* Incubare oportet incipere secundum novam lunam, quod fere quæ ante, pleraque non succedunt. *Cæs.* 7. *B. C.* 26. Omnia experti Galli, postquam res nulla successerat, consilium ceperunt etc. *Virg.* 11. *Æn.* 794. Audiit et voti Phœbus succedere partem Mente dedit: partem volucres dispersit in auras. *Nepos Datam.* 6. Hæc propter hiemale tempus minus prospere succedebant. *Liv.* 42. 58. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem movit. *Seneca* 3. *Ira* 1. Nulla res urget magis attonita et in vires suas prona et sive successit, superba, sive frustratur, insana. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (93). de *hyænis.* Quum fugiant venantem (*tradunt*), declinare ad dexteram, ut prætergressi hominis vestigia occupent, quod si successerit, alienari mente hominem. *se loro venga fatto.* et *Justin.* 9. 3. 7. Si prospere prima successerint. — Passive *Auct. prol. Pseud. Plaut.* 7. Et lege et legionibus hos (*malos*) fugitastis, Quirites, successis bonis. — *b*) Cum Dat. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. *extr.* Quibus quotidie melius succedere tempus videbant. *Liv.* 33. 5. Postquam nihil conceptæ temere spei succedebat. — Passive *Cic. fil.* ad *Tiron.* 16. *Fam.* 21. *ante med.* Quum omnia mea causa velles mihi successa. Alii leg. *successe V.* init. — *c*) Impersonaliter formâ activâ. *Cic. Orat.* 26. 98. Si quando minus succedet. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 14. 1. Si ex sententia successerit, bene erit opera posita. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 4. *extr.* Si perinde ut mereor, mihi successerit. Cf. *Liv.* 24. 19. Quum multa Romani acciperent vulnera, neque satis inceptis succederet. *Id.* 25. 37. *sub fin.* Si successisset cœptis, recepturum se afflictas res. *Id.* 38. 25. *ante med.* Et successisset fraudi, ni pro jure gentium stetisset fortuna. *et* 40. 11. *extr.* Si facinori eorum successerit, mortem meam persequi non poteris. *Petron. Sat.* 24. Ne contubernali meo melius succederet. *Quintil.* 1. 5. *ad fin.* Sed res tota magis Græcos decet: nobis minus succedit. — *d*) Impersonaliter formâ passivâ. *Liv.* 2. 45. Nolle inultos hostes, nolle successum non patribus, non consulibus.

II.) *Succedo* est prope accedo, subeo (It. *andar presso o accostarsi sotto;* Fr. *s' approcher de, s' avancer dessous;* Hisp. *ir acerca ó acercarse solo, debaxo;* Germ. *nahend an etw. herangehen;* Angl. *to go or come up, approach*). — *a*) Cum Dat. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Portis succedunt murumque subruunt. *Alii leg.* portas. *Virg.* 2. *Æn.* 478. Succedunt tecto flammasque ad culmina jactant. *Liv.* 9. 14. Succedere munimentis. *Id.* 10. 34. mœnibus. *Auct. B. Alex.* 30. *a med.* munitionibus. — Impersonaliter *Liv.* 9. 31. Ubicumque iniquo successum est loco. — *b*) Cum Accus. et præp. *sub, in, ad, supra,* aut sine præp. *Liv.* 38. 9. Id quum per colloquia principum, succedens murum, parum proficeret. *Sil. It.* 10. 597. ut hostis Nequidquam armatos ausit succedere muros. *Tac.* 2. *Ann.* 20. Si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur. Ubi *Wolphius:* « murum, *inquit,* succedere est subire, scandere; muro succedere est accedere ». Sed vix hoc discrimen apud scriptores deprehenderis. Adde *Liv.* 27. 18. *Cæs.* 1.

B. G. 24. *extr.* Sub primam nostram aciem successerunt. *Auct. B. Alex.* 10. *extr.* Naves, quas potuit, ad terram detrahit: quem in locum illos successuros non existimabat. *et ibid.* 30. Lassos milites ad oppugnanda castra succedere noluit. *Sisenn.* apud *Non. p.* 91. 23. *Merc.* Supra hostium munitionem succedunt. *Liv.* 10. 14. Fabius quadrato agmine ad prædictas hostium latebras subcedit. *Id.* 7. 37. Infestis signis ad castra hostium succedit. — Sic de his, quæ proxime sita sunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum civitas etc. — c) Absolute. *Liv.* 31. 36. Ubi latentem intra vallum sensit, exprobrans metum successit. Adde *Sall. Jug.* 57.

III.) *Succedo* est post venio, subsequor (It. *venire dietro o dopo*, *sottentrare*, *succedere*; Fr. *venir après*, *être placé a la suite de*; Hisp. *venir despues*, *suceder á otro*; Germ. *an Stelle treten*, *nachfolgen*; Angl. *to come after or immediately upon*, *follow close upon*). ¶ 1. Proprie. — a) Cum Dat. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. *extr.* Ut integri et recentes defatigatis succederent. Adde *Liv.* 9. 32. *Id.* 6. 4. Succedere prœlio. *Virg.* 10. *Æn.* 690. pugnæ. — b) Cum Acc. et præp. *in.* *Cæs.* 4. *B. G.* 32. Cohortes, quæ in stationibus erant, secum proficisci, duas in stationem succedere jussit. *Liv.* 9. 27. *a med.* Succedere in pugnam. ¶ 2. Translate. — a) Cum Dat. *Cic.* 11. *Phil.* 15. 39. Nihil enim semper floret, ætas succedit ætati. *Id.* 6. *Verr.* 37. *circa med.* Succedam ego vicarius tuo muneri. *Nepos Cat.* 2. Voruit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. *Id. Dion.* 10. Subito misericordia odio successerat. Rursus *Cic. Balb.* 1. *sub fin.* Etenim ei succedo orationi, quæ in animis omnium penitus insedit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (68). In Italia violis succedit rosa. *h. e.* nascitur post violas. *Id.* 9. *ibid.* 39. 63. (137). Purpuræ Tarentinæ successit dibapha Tyria. *Liv.* 4. 11. Consules, quo majori gloriæ rerum domi forisque gestarum succedere se cernebant, eo impensius etc. *Justin.* 2. 4. *ante med.* (et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 27. 70. [204].). Succedere regno. *Justin.* 19. 1. 3. Filii sicut generi, ita et magnitudini patris successerunt. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 3. *Fam.* 6. Te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse, *scil.* in provincia. Sic *Pis.* 36. 88. Quum tu, non solum, quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exsanguis et mortuus concidisti. — b) Cum Acc. et præp. *in. Cic.* 1. *Phil.* 25. 62. et *Nepos Epam.* 7. Succedere in alterius locum. *Liv.* 21. 3. in paternas opes. *Justin.* 7. 3. 9. in jura affinitatis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 118. (179). Graminis sucus dulcis est, in vicem ejus succedit decoctum. — c) Addito termino, unde quis succedit per Abl. et præp. *de. Tertull. advers. Valent.* 1. De multis multa succedere est. — d) Absolute. *Auson. Epigr.* 38. *de rosa.* Succedens ævum prorogat ipsa suum *h. e.* reflorescens, succedanea prole. *Quintil.* 11. 1. 16. Quotiens discessit æmulatio, succedit humanitas. — Hinc Part. *Succedens*, *entis*, absolute pro successore, apud *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. 30. Videtur etiam in posteros migrare cum semine et succedentes invadere. *h. e.* liberos. Cf. SUCCESSUS, us, in fin.

Successum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, res successa, *cosa felicemente riuscita*, *prospero successo*. *Ovid.* 2. *Met.* 788. successorumque Minervæ Indoluit. Ita leg. *Klotz*; alii tamen, ut ait *Forcellinus*, rectius leg. *successurum*; alii etiam aliter.

Successus, *i*, m. 2. cognom. R. *V.* ONOM.

SUCCENDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUCCENDO (subcendo), cendis, cendi, censum, cendere, a. 3. (sub *et* candeo) *Succendier*, paragoge pro *succendi*, V. sub II. — Part. *Succendens* I.; *Succensus* I. et II. — Succendo est igne subjecto accendo, incendo, concremo, ὑποκάω (It. *accendere*, *dar fuoco*, *abbruciare*; Fr. *allumer par dessous*, *embraser*; Hisp. *quemar debaxo*, *abrasar*; Germ. *von unten anzünden*; Angl. *to set fire to*, *set on fire*).

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. *Id.* 5. *ibid.* 43. Succendere turrim. *Id.* 7. *ibid.* 15. urbem suis manibus. *Cic. Pis.* 18. *a med.* Si sapiens in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur. *Ovid. Remed. am.* 721. Thestias absentem succendit stipite natum. *Liv.* 1. 37. Succendere pontem. *Id.* 28. 33. rogum. *Id.* 45. 33. arma face subdita. *Lucan.* 2. 413. Succendit Phaethon flagrantibus æthera loris. *et ibid.* 269. fulminibus succenditur aer. *Seneca Herc. Œt.* 790. Succendere aras. *Calpurn. Ecl.* 5. 89. Lurida conveniet succendere galbana sæptis. *Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 15. 1. *extr.* Succendere turrim ligneam. Rursus *Ovid.* 5. *Met.* 442. flammifera pinus succendit ab Ætna. et 13. *ibid.* 413. Succensa templa. *Lucan.* 1. 657. Succensus Phœbi flagrasset curribus æther. *Tibull.* 2. 5. 81. Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis. *Vulgat. interpr. Judic.* 15. 5. Quas (*vulpes*) igne succendens dimisit.

II.) Translate. *Ovid. Heroid.* 15. 167. Deucalion Pyrrhæ succensus amore. *Propert.* absolute eod. sensu, 2. 17. 15. *de Myrrha.* Crimen et illa fuit patria succensa senecta. *Id.* 1. 2. 15. Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe. *innamorò.* et *Lucan.* 9. 792. Nasidium Percussit prester. illi rubor igneus ora Succendit. *et* 6. 165. movit tantum vox illa furorem, Quantum non primo succendunt classica cantu. *accendono*, *ispirano.* et *Seneca Herc. Fur.* 779. Lapithæque multo in bella succensi mero. *Id. Hippol.* 541. succensas agit Libido mentes. *Sil. It.* 1. 169. Succensus ira. *Val. Flacc.* 3. 585. pavent montes, luctu succensus acerbo Quid struat Alcides tantaque quid apparet ira. *Claudian. IV. cons. Honor.* 242. Ira rabie succensa tumescit, Contrahitur tepefacta metu. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 221. mens facibus succensa pudoris. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 270. niveos infecit purpura vultus Per liquidas succensa genas. *Juvenal.* 7. 39. succensus dulcedine famæ. *Octavian.* in *Anthol. Lat.* 21. 193. *Riese.* mentes hominum succendier auro Non scierat?

SUCCĚNO. *V.* SUBCENO.

SUCCENSĚO, subcenseo *et* suscenseo, censes, censŭi, censum, censere, 2. «In nonnullis MSS., inquit *Forcellinus*, teste *Gronov.* et *Drakenborch.* ad *loc. Liv. cit.*, scriptum est *suscensuisti* et *suscenseтis*, eo modo, quo *suscipio* scribimus, olim *succipio* scribebatur, ut *Servius* docet ad *Virg.* 1. *Æn.* 148.». Hæc tamen scriptio, communis optimis codd. MSS. et edit. libr., a recentioribus alteri præfertur. V. *Ritschel.* ad *Plaut. Merc.* 5. 3. 4. et *Pers.* 3. 3. 26., *Faern.* ad *Ter. Andr.* 2. 6. 17., *Wagner.* et *Umpfenbach.* ad *eumd. Heaut.* 5. 1. 42. etc. — Ratione habita etymi, potius quam a *sub* et *censeo*, ut vulgo fit, derivanda vox a *succensus*, particip. verbi *succendo*, quod quidem ipse ejusdem vocis usus perspicue docet. — Part. *Succensens* 1. d; *Succensurus* 1. e; *Succensendus* 2. — Succenseo est succensus sum ira, irascor, ἀγανακτέω (It. *adirarsi*, *corrucciarsi*; Fr. *être enflammé de colère*, *être irrité*, *courroucé*, *s'irriter*; Hisp. *ser airado*, *irritarse*, *enfadarse*; Germ. *aufgebracht*, *zornig od. böse sein*; Angl. *to be angry or displeased with*): usurpatur autem intransitive, et aliquando etiam transitivorum more. ¶ 1. Intransitive. — a) Cum Dativo. *Plaut. Trin.* 5. 2. 42. Si id mea voluntate factum est, est quod mihi succenseas, Si illum minus norat etc. *Ter. Phorm.* 2. 3. 14. Adulescenti nihil est quod succenseam. *Cic. Arch.* 6. 13. Quis mihi jure succenseat? *Id. Rosc. Com.* 16. 46. Ex perfidia et malitia dii hominibus irasci et succensere consuerunt. *Id. Dejot.* 13. 35. Non jam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. *Id.* 1. *Tusc.* 41. *sub fin.* Nec vero iis, a quibus condemnatus sum, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. — b) Et adjecto Acc. cum præp. *propter*, *ob. Plaut. Trin.* 5. 2. 40. res, quas propter tibi tamen succensui. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 5. Talia succensent propter mihi verba Tomitæ. *Liv.* 25. 6. Quod ob meritum nostrum succensuistis, P. C., nobis aut succensetis. — c) Cum partic. *quia*, *quod. Plaut. Pers.* 3. 9. 26. tibi succensui, quia te negabas credere argentum mihi. *Cæs.* 1. *B. C.* 84. Non esse aut ipsi aut militibus succensendum, quod etc. *Ovid. Heroid.* 21. 185. Cur, quæ succenset, quod adhuc tibi pacta puella Non tua fit, fieri nec tua possit, agit? — d) Cum Acc. et Infinito. *Liv.* 7. 13. Quis tandem succenseat, milites nos esse, non servos vestros? *Sueton. Vesp.* 5. C. Cæsar succensens curam verrendis viis non adhibitam. Ita leg. *Roth*; aliter *Forcellinus*, qui habet *succensens propter curam* etc. — e) Absolute. *Plaut. Merc.* 5. 3. 4. Ego expurgationem habebo, ut ne succenseat. *Liv.* 22. 29. Aliud jurgandi succensendique tempus erit. *Augustin.* 3. *Civ. D.* 17. Eos minime succensuros esse. ¶ 2. Transitivorum more, cum Accusativo: quasi sit irascor ob aliquid, hinc exprobro, arguo. *Plaut. Most.* 5. 2. 41. Neque illi sum iratus, nec quicquam succenseo. *Id. Pers.* 3. 3. 26. Id tibi succensui. — Passive *Gell.* 6. 2. *ante med.* Peccata quoque hominum et delicta non succensenda sunt.

SUCCENSĬO, ōnis, f. 3. pro diversa vocis origine duo diversa significat; quamvis ad idem redigi possint, ita tamen ut unum proprie, alterum translate accipiatur. ¶ 1. *Succensio*, a *succendo.* — a) Est calefactio, *riscaldamento*. *Ammian.* 31. 1. 2. Succensio lavacri. *V.* SUBUSTIO. — b) Est etiam accensio, illustratio. *Tertull. Resurr. carn.* 12. Redaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio extinxerat. ¶ 2. *Succensio* (*suscensio*), a *succenseo*, est indignatio, ira. *Symmach.* 5. *Ep.* 35. (*al.* 37.) Litteræ tuæ officii plenitudine memoriam succensionis oblitterant.

SUCCENSUS, a, um, particip. *V.* SUCCENDO.

SUCCENTĪVUS *vel* subcentivus, a, um, adject. (succino) qui post alium et cum eo canit.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 2. Aliud pastio et aliud agricultura, sed affinis. et ut dextera tibia alia, quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. *che segue e accompagna.*

II.) Translate est inferior. *V.* INCENTIVUS.

SUCCENTOR *vel* subcentor, ōris, m. 3. (succino) qui succinit et cantum suum cum alio, sed submissius, accommodat.

I.) Proprie. *Augustin.* in *Psalm.* 87. *n.* 1. Succentor, qui subsequenter canendo respondet. *Isid.* 6. *Orig.* 19. 13. aliter succentorem definit: ait enim, tres esse in cantando gradus: primum succentoris (*h. e.* ejus, qui cantum incipit), secundum incentoris, tertium accentoris. Sed hæc, ut ait *Forcellinus* noster, ad Ecclesiam et psallentes in choro pertinent.

II.) Translate. *Ammian.* 19. 12. 13. Paullo succentore fabularum crudelium. *h. e.* impulsore.

SUCCENTŬRĬĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUCCENTŬRĬO *vel* subcenturio, as, ātum, are, a. 1. (sub *et* centurio) Part. *Succenturiatus* I. et II. — Succenturio est in locum occisorum militum alios substituere, ἐπιλαγχάνω, ὑποκαταγράφω (It. *reclutare*; Fr. *recruter*; Hisp. *reclutar*; Germ. *rekrutieren*, *anwerben*; Angl. *to recruit*, *complete*).

I.) Proprie. *Festus p.* 306. 25. *Müll.* Succenturiare est explendæ centuriæ gratia supplere, subjicere. Plautus in Saturione: Subcenturia, centum require, qui te delectent domi. Et Cæcilius in Triumpho: Nunc meæ malitiæ astutiam opus est subcenturiare. *Donat.* ad *Ter. loc. infra cit.* Succenturiati dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. *Auct. Itin. Alex. M.* 49. (*al.* 113.) Succenturiari dimissis alios e patria jubet.

II.) Translate. *Ter. Phorm.* 1. 4. 52. Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero succenturiatus, siquid deficies. *Gell.* 15. 8. Et alia esca melior atque amplior succenturietur.

SUCCENTUS *vel* subcentus, us, m. 4. (succino) cantus, qui post alium incipit et cum eo consonat. *Capell.* 1. *p.* 6. Etiam in cælo orbes parili ratione aut concentus edere aut succentibus convenire. Adde *Chalcid. Tim.* 44.

SUCCERDA. *V.* SUCERDA.

SUCCERNO. *V.* SUBCERNO.

SUCCESCO. *V.* SUCESCO.

SUCCESSĬO, ōnis, f. 3. (succedo) actus succedendi et subeundi, *sottentramento, il venir dopo*, ὑπόδυσις. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. In omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. *Chalcid. Tim.* 39. et 201. Rata alternaque lucis atque umbrarum successio. *avvicendamento, avvicendarsi.* ¶ 2. Speciatim est substitutio in locum alterius in hereditate, in administratione, in imperio etc. *successione*, διαδοχή. — *a*) Universim. *Brut.* ad *Att.* inter ep. *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *ante med.* Quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur, in Antonii locum successio? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 13. 11. (58). Quum Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis successione, veneno ejus interemptus est. *quando Nerone successe nell' impero.* et *Tac.* 4. *Ann.* 12. Pervertere Germanici liberos, quorum non dubia successio. *scil.* ad principatum. *Sueton. Oth.* 4. *extr.* Ut jam vix ullus esset, qui non et sentiret et prædicaret solum successione imperii dignum. *Id. Cal.* 12. Ad spem successionis admoveri. *Justin.* 9. 2. 1. Adoptare aliquem in successionem regni. *Flor.* 4. 2. *ante med.* Senatus de successione Cæsaris agitabat. *h. e.* de mittendo successore Cæsari Gallias administranti. Adde *Venant.* 4. *Carm.* 8. 9. — In plur. num. *Plin.* 1. *Ep.* 12. et 10. *Ep.* 24. Plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut alia, traduntur. *Tac. Germ.* 32. Jura successionum. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (5). *de magia.* Mirum, durasse artem tam longo ævo, commentariis non intercidentibus, præterea nec claris nec continuis successionibus custoditam. *h. e.* professoribus ejus ordine succedentibus. *Justin.* 3. 3. 2. Magistratibus judicia per annuas successiones permisit. Ita *Gronov.*, at *Jeep* leg. *successores.* — *b*) De filiis et nepotibus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (54). Familiæ, quæ per successiones jus sibi vindicant. *Auct. Paneg. ad Maximian.* etc. 2. Substituere successiones. *h. e.* liberos, qui succedant patribus. *Apul.* 8. *Met.* Vobis facile est puerum illum novissimum successionis meæ atque unicam stirpem sospitem mihi facere. *Lactant.* 6. 23. Duorum sexuum conjunctionem generandi causa datam esse viventibus, ut successionem parent. ¶ 3. Est etiam successus, eventus, *riuscita, successo. Augustin. Vit. beat.* 26. referens sententiam et fortasse etiam ipsa verba *Cic.* in *Hortens.* Omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est. Adde *Arnob.* 2. 8.

SUCCESSĪVUS, a, um, adject. (succedo) qui post alium succedit, *che succede. Lactant. Opif. D.* 12. *ad fin.* Duobus sexibus maris ac feminæ copulatis, successiva proles paritur.

SUCCESSOR, ōris, comm. gen. 3. (succedo) qui in alterius locum succedit, διάδοχος (It. *successore*; Fr. *successeur, remplaçant*; Hisp. *sucesor*; Germ. *der Nachfolger*; Angl. *successor*): cui *decessor* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Cum masculino genere. — *a*) Absolute. *Cic. fragm. orat. pro Scauro* (edente *A. Peyronio*) 33. Successori decessor invidit. *Id. Flacc.* 14. *extr.* Quum successor aliquid immutat de institutis priorum. *Id.* 3. *Fam.* 2. Quæ successori conjunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit. *Tac. Germ.* 20. Heredes successoresque sui cuique liberi. *sc.* heredes bonorum et successores dignitatis in regenda domo. Cf. *ibid.* 32. — *b*) Cum additis in Genet. aut Dat. *Ovid.* 3. *Met.* 589. studii successor et heres. *Id.* 4. *Trist.* 10. 53. Successor fuit hic (*Tibullus*) tibi, Galle; Propertius illi (*Virgilio*). *h. e.* floruit post. *Id.* 13. *Met.* 51. *de Philoctete.* quo successore sagittæ Herculis utuntur. *h. e.* herede. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 26. Unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. *h. e.* filius non portabit iniquitatem patris, ut dicitur *Ezech.* 18. 20. *Quintil.* 12. 10. 6. Successores Alexandri. — *c*) *Successorem alicui dare* dicitur, quum imperium alicui ante tempus abrogatur aut quis magistratu submovetur. *Spartian. Hadrian.* 9. et 11., *Lamprid. Alex. Sev.* 32. et *Capitolin. Antonin.* 5. Quo pertinent illa *Plin.* 9. *Ep.* 13. *ad fin.* Collega Certi consulatum, successorem Certus accepit. *h. e.* quum Vectius Proculus et C. Publicius Certus a Domitiano in annum a Chr. n. XCVII. consules suffecti designati essent, hoc interfecto, Proculus quidem consulatum accepit, Certus autem, in senatu a Plinio accusatus damnatusque, consulatu privatus est et alium veluti successorem habuit. *Sueton. Aug.* 88. Legato consulari successorem dedit, ut rudi et indocto. et *Domit.* 1. *extr.* Mirari se, Vespasiano dictitante, quod successorem non et sibi mitteret. ¶ 2. Cum feminino genere. *Cornel. Sever.* apud *Charis.* 1. *p.* 66. *Putsch.* Ignea nam cælo ducebat sidera Phœbe. Fraternis successor equis. *V.* AUCTOR.

II.) Translate. *Ovid. Remed. am.* 462. Successore novo tollitur omnis amor. *h. e.* novo amore subeunte. *Id.* 14. *Met.* 117. iste tuus tam raro prœlia passus, Integer est clipeus: nostro, qui tela ferendo Mille patet plagis, novus est successor habendus. *Id.* 5. *Fast.* 77. Junius mensis successor Maji. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

SUCCESSŌRĬUS, a, um, adject. (successor) ad successionem pertinens. *Ammian.* 14. 8. 5. Seleucus quum post Alexandrum successorio jure teneret jura Persidis. *Ulp. Dig.* 38. *tit.* 9. (*qui* De successorio edicto *inscribitur*) 1. *init.* (et *Papinian. ibid.* 2.) Successorium edictum idcirco propositum est, ne bona hereditaria vacua sine domino diutius jacerent. *Ulp. ibid.* 22. 6. 1. *sub fin.* Ex successorio capite bonorum possessio alicui competit.

SUCCESSUS, a, um, particip. *V.* SUCCEDO.

SUCCESSUS, us, m. 4. (succedo) pro diversa vi particulæ *sub*, qua constat, diversa significat.

A) *Successus* est actus intus cedendi, ingrediendi, subeundi; sed usurpatur de loco, in quem succedi et intrari potest, et est cavum, spelunca, antrum. *Arnob.* 5. *p.* 173. Per profundæ altitudinis specum rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vehit et terrarum absconditur successibus rursus. et 7. *p.* 251. Ex molibus in æqualiter aggeratis successus quidam et fornices, in quos serpens se intulit raptim.

B) *Successus* est etiam actus prope cedendi, accedendi, *avvicinamento.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Quarum rerum magnam partem temporis brevitas et successus et incursus hostium impediebant. ¶ 2. Speciatim dicitur de tempore et est cursus, decursus, spatium, quo res alia aliam prope sequitur seu subsequitur, *seguito, avvicendamento, corso. Justin.* 1. 8. *extr.* Cyrus regnavit annos triginta, non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu admirabiliter insignis.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe est eventus, et fere dicitur de iis, quæ prospere cedunt, *buon successo, felice riuscita. Virg.* 2. *Æn.* 386. Atque hic successu exsultans animisque Corœbus. et 12. *ibid.* 914. Successum dea dira negat. *Ovid. Remed. am.* 624. Successumque artes non habuere meæ. Sic *Publil. Syr. p.* 350. *Ribb.* Quam miserum officium est, quod successum non habet! *Phædr.* 2. 3. Successus improborum plures allicit. *Liv.* 2. 50. Multo successu Fabiis audaciam crescere. *Tac.* 4. *Hist.* 28. *a med.* Successu rerum ferocior. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (44). Successu aliquo tumes. *Id.* 2. *ibid.* 23. 21. (87). Mirum, quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquo invitata successu. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (65). Uvæ pictæ tanto successu, ut in scænam aves advolarent. *Id.* 29. *ibid.* 4. 19. (66). Successus petitionum a potestatibus et a diis etiam precum. *Sueton. Aug.* 13. Nec successum victoriæ moderatus est. *Justin.* 16. 5. 8. Ex successu continuæ felicitatis obliviscitur se hominem. *Id.* 17. 3. 22. Tantus rerum successu haberi cœptus est. *Id.* 18. 6. 1. Successu rerum florentes opes. *Id.* 21. 6. 1. Tanto successu rerum exterriti. — In plur. num. *Ovid. Heroid.* 2. 85. careat successibus opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat. *Id.* 8. *Met.* 273. pleni successibus anni Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyæo, Palladios flavæ latices libare Minervæ. *d'un anno di buon raccolto.* et *Justin.* 2. 4. 13. Ne successibus deesset auctoritas. — Et cum addito. *Liv. prœm. extr.* Ut orsis tanti operis successus prosperos darent. ¶ 2. Est etiam magis concreto, ut dicitur, sensu, qui patri succedit, proles, fetus, filius, *successione di famiglia, discendenti, prole. Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. 177. Ferunt Græcorum commenta loquacia et hieræ prolis feminam humanis excitatam fatis et sævo pœnitudinis dolore commotam sua manu suos exstinxisse successus. *h. e.* Medeam filios suos necasse. Cf. SUCCEDENS apud *eumd. loc.* ibi *cit.*

SUCCĪDĀNĔUS. *V.* SUCCEDANEUS.

SUCCĪDĬA, æ, f. 1. (succido) *Sucidia* per *c* simplex in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 8. 868. *V.* infra. — Succidia universim est res succisa; speciatim vero est tergum suis sive massa carnis porcinæ sale durata et in quotidianos usus servata, *carne porcina salata*, κωλήν, ταριχεία.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 110. *Müll.* Succidia ab suibus concidendis. Nam id pecus primum occidere cœperunt domini et, ut servarent, salire. *Id.* 2. *R. R.* 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam suspenderit in carnario potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Cic. Senect.* 16. *a med.* Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant.

II.) Translate. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Succidias humanas facere. *h. e.* homines occidere. *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat. cit.* SVCIDIS (*sic*) AETERNOQVE SILENTIO MAVRIS SVM (*traditus*). h. e. morti.

SUCCĪDĬO, as, āvi, are, a. 1. (succidia) succidias facio. *Cato* apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. 11. In Italia in scrobes terna atque quaterna milia aulia (?) succidiavere sus usque adeo pinguitudine crescere solet. Ita *Peter* in *Hist. Rom. reliq. p.* 62. 7. Locus mirifice corruptus vexatusque, at sanatus nondum.

SUCCĪDO *vel* subcido, cĭdis, cĭdi, cĭdere, n. 3. subtus cado, concido, ὑποπίπτω (It. *cadere sotto*; Fr. *tomber sous*; Hisp. *caer soto*; Germ. *unter etw. fallen*; Angl. *to fall under*).

I.) Proprie. *Plaut.* 2. 3. 30. Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt. *le gambe mi mancano sotto.* et *Lucret.* 5. 110. Succidere horrisono posse omnia victa fragore. et 3. 157. Caligare oculos, tremere aures, succidere artus. Adde *ibid.* 482. *Virg.* 12. *Æn.* 910. in mediis conatibus ægri Succidimus. *Seneca Agam.* 862. te duce succidit Mendax Dardaniæ domus. Adde *Manil.* 2. 259. *Curt.* 9. 19. 7. Succidere continuo labore gravia genua.

II.) Translate. *Varro* 5. *L. L.* 116. *Müll.* Lorica, quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant: postea subcidit Gallica e ferro sub id vocabulum. *h. e.* comprehensa est. *V.* quæ ad *h. l.* adnotat *Müllerus.* et *Seneca Ep.* 71. *a med.* Succidere mentem et incurvari et succumbere: quorum nihil sapienti viro potest evenire: stat rectus sub quolibet pondere.

SUCCĪDO *vel* subcido, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (sub *et* cædo) Part. *Succisus* I. et II. *Succidendus* I. — Succido est idem ac cædo vel subtus cædo, subseco, ὑποτέμνω, ὑποκόπτω (It. *tagliare di sotto, tagliare*; Fr. *couper au bas, tailler par dessous, trancher*; Hisp. *cortar debaxo*; Germ. *unten od. von unten abhauen, abschneiden, durchhauen*; Angl. *to cut, cut down*).

I.) Proprie. *Enn.* apud *Fest.* in *Supernatus p.* 305. *Müll.* His pernas succidit iniqua superbia Pœni. *Cæs.* 4. *B. G.* et 38. Omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis. Adde *ibid.* 19. *Id.* 5. *ibid.* 9. (et *Liv.* 23. 24.) Crebris succisis arboribus omnes introitus erant præclusi. Sic *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (58). Postea tota arbor succiditur et medulla ejus uritur. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ante med.* Nemorosi frutectosique tractus duplex cura est, vel exstirpandis radicitus arboribus et removendis, vel, si raræ sint, tan-

tum succidendis etc. Adde 11. ibid. 2. ante med. Virg. 1. G. 297. At rubicunda Ceres medio succiditur æstu. Id. 9. Æn. 435. flos succisus aratro. Id. 10. ibid. 699. poplite Palmum Succiso volvi segnem sinit. Sic Liv. 22. 51. Vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt. et 42. 59. Succidere crura equis. et 44. 28. nervos equorum. Ovid. 7. Met. 227. de herb. Partim succidit curvamine falcis ahenæ. Sil. It. 15. 536. Immatura seges rapido succiditur ense. Id. 14. 134. Ite, gregem metite imbellem ac succidite ferro. Seneca Med. 702. redeat Herculea manu Succisa serpens, cæde se reparans sua. Vitruv. 9. 9. Hemicyclium ad enclima succisum. h. e. sculptum, exculptum. — Poetice est castrare, exsecare. Claudian. 1. Eutrop. 190. pejus in aurum Æstuat: hoc uno fruitur succisa libido. — In illo Lactant. De mort. pers. 43. Alios succidere. succido est everto, abbattere.

II.) Translate. Vulgat. interpr. Job 22. 20. Nonne succisa est erectio eorum.

SUCCĪDO, as. V. SUCIDO

SUCCĪDUS. V. SUCIDUS.

SUCCĪDŬUS, a, um, adject. (succĭdo, is) cadens aut pronus ad cadendum, caducus, cadente, caduco o caduto, ὑποπίπτων, σφαλερός.

I.) Proprie. Ovid. Heroid. 13. 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. Id. 10. Met. 458. et illi Poplite succiduo genua intremuere. Stat. 7. Theb. 397. succiduasque adportat matribus agnas. h. e. tenellas et subinde succidentes. Id. 4. ibid. 661. de comitatu Bacchi. sunt illic Ira Furorque et numquam sobrius Ardor Succiduique gradus. Claudian. 3. Rapt. Pros. 153. Succidui titubant gressus.

II.) Translate. ¶ 1. Est deficiens Stat. 10. Theb. 116. primosque hortantia somnos Languida succiduis exspirant lumina flammis. fiamme moribonde. ¶ 2. Est etiam subsequens, succedens, susseguente, successivo. Sidon. 7. Ep. 4. ad fin. Quum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis heredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos. h. e. non sequente clericorum ordinatione propter episcopos a Gothis exsilio multatos. Alcim. 5. 96. qua (virga) deinde sacerdos Plurima succiduo monstravit tempore signa.

SUCCĪLUS, i, m. 2. (sub et cilium) suffusio sanguinis sub cilio. Caper De verb. dub. p. 111. 13. Keil. Sucilus, quum se sanguis cilio suffundit.

SUCCĪNĀCĬUS. V. SUCINACIUS.

SUCCINCTĒ vel subcincte, adverb. (succinctus) Comp. Succinctius. — Succincte est cum veste succincta.

I.) Proprie. Cur. Fortunatian. Art. rhet. 3. ad fin. Quemadmodum cingemur? nec submisse nec succincte. Ammian. 20. 11. a med. Miles dimicare succinctius parans per sublimes aggestus. h. e. promptius, expeditius: succincti enim expeditiores sunt ad agendum.

II.) Translate est breviter, succintamente. Id. 28. 1. 2. Nec pigebit docere succincte. Sidon. 1. Ep. 9. Faber super his aliqua succinctius. Ammian. 15. 8. 5. Succinctius edocebo.

SUCCINCTIM, adverb. (succinctus) breviter, idem ac succincte. Claud. Mamert. Stat. anim. præf. Succinctim atque uti digito denotare.

SUCCINCTĬO, ōnis, f. 3. (succingo) actus succingendi. Augustin. 2. contra Julian. 6. Succinctio foliorum.

SUCCINCTŌRĬUM, ĭi, n. 2. (succingo) subligar, campestre, præcinctorium, περίζωμα. Augustin. de Gen. 2. contra Manich. 15. ad fin., item Serm. 10. de verb. Dom. sub fin. et 2. contr. Julian. Pelagian. 6. et 14. Civ. D. 17. ex Genes. 3. 7. et Isid. 19. Orig. 33. 5.

SUCCINCTŬLUS, a, um, adject. deminut. a succinctus, aliquantum succinctus. Apul. 2. Met. Ipsa linea tunica mundule amicta et russea fasciola altiuscule sub ipsas papillas succinctula.

SUCCINCTUM, i, n. 2. et

SUCCINCTUS, a, um, particip. V. SUCCINGO.

SUCCĬNENS, entis, particip. V. SUCCINO.

SUCCĬNERĪCĬUS. V. SUBCINERICIUS.

SUCCĬNĔUS. V. SUCINEUS.

SUCCINGO vel subcingo, cingis, cinxi, cinctum, cingere, a. 3. Etiam divisim scribitur apud Priscian. Perieg. 398. Wernsd. Græcia-gemino sub æquore cincta. pro subcincta. — Part. Succinctus fere in omn. paragr. et in fin. — Succingo est subtus cingo, cingo, ὑποζώννυμι (It. cingere, succingere; Fr. ceindre en relevant, ceindre; Hisp. ceñir con alzadura, ceñir; Germ. von unten herauf gürten, aufschürzen; Angl. to gird round or under). De constructione verbi monet Priscian. 17. p. 1081. Putsch., succingor hanc rem et succingor hac re dici. V. loca infra cit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur — 1.°) De vestibus, et speciatim de iis, quas quis cingulo adstringit et colligit, quum expeditior esse vult ad opus aliquod faciendum, præcingo, accingo. Juvenal. 6. 445. Crure tenus medio tunicas succingere. scortarsi. Cf. Vulgat. interpr. Joh. 21. 7. Tunica succinxit se. et 1. Macch. 3. 3. Et succinxit se arma bellica in prœliis. — Hoc sensu occurrit sæpius Part. Succinctus, quod et adjectivorum more usurpatur. — a) Absolute. Plaut. Rud. 2. 3. 80. sic succincta aquam calefactat. Ovid. 3. Amor. 2. 31. Talia succinctæ pinguntur crura Dianæ. Propert. 4. 3. 62. Succinctique calent ad nova lucra popæ. Martial. 12. 24. Succinctus cursor. Lucan. 1. 612. Succincti ministri. Juvenal. 8. 162. Et cum venali Cyane succincta lagena. Petron. Sat. 21. Quartilla alte succincta. Manil. 4. 554. junctisque juvencis Mœnia subcinctus curvo describet aratro. V. CINCTUS, us, init. Hinc translate Vulgat. interpr. 1. Petr. 1. 13. Succincti lumbos mentis. — Dii Lares formabantur Gabino habitu cinctuque obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo. Pers. 5. 31. Bullaque succinctis Laribus donata pependit. εὐζώνοις. — Dicitur etiam de iis, qui paupere vestitu utuntur. Martial. 2. 46. Tu spectas hiemem succincti lentus amici. — b) Cum Acc. vel Abl. vestis. Ovid. 10. Met. 536. Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ. Enn. apud Non. p. 198. 2. Merc. Quæ lugubri succincta est stola. Virg. 6. Æn. 555. Tisiphone pallâ succincta cruentâ. et 12. ibid. 400. ille retorto Pæonium in morem senior succinctus amictu. Petron. Sat. 21. Myrtea subornatus gausapila cinguloque succinctus. et ibid. 28. sub fin. Ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo. Juvenal. 4. 14. Succinctus patria quondam, Crispine, papyro. h. e. servus ex Ægypto. — De iis, qui paupere vestitu utuntur. Virg. 7. Æn. 187. Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea. — 2.°) De aliis per similitudinem. Ovid. 13. Met. 732. Scylla feris atram canibus succingitur alvum. Virg. 6. Ecl. 75. (et Cir. 59.) de Scylla. Candida succinctam latrantibus inguina monstris. et Cul. 330. Scylla rapax canibus succincta Molossis. (Adde Lucret. 5. 890., Tibull. 3. 4. 89., ubi alii leg. submixta: et Senec. Med. 350.) Id. 10. Æn. 634. de Junone. agens hiemem nimbo succincta per auras. Seneca Octav. 262. Erinnys soluta crine, succincta anguibus. Vitruv. 9. 7. Anguis porrigens agmen stellarum intortus, subcingit regionem Cancri. Sic Grat. Cyneg. 271. de canib. adstricti succingant ilia ventres. — 3.°) Succinctus aliqua re, qui ad cincturam aliquid gerit. Enn. apud Fest. in Cracentes p. 53. 7. Müll. et Cic. 4. Herenn. 52. 65. Gladio succinctus, tenens jaculum. Liv. 7. 5. et 40. 7. ad fin. Quattuor juvenes ferro subcincti. coll'armi sotto. et M. Anton. apud Cic. 13. Phil. 16. Ser. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis. ¶ 2. Latiore sensu est circumdo, circondare, attorniare. — a) Absolute. Plin. 4. Hist. nat. 101 1. 1. (3). Ita succincta Rhodopes, mox et Hæmi vallatur excelsitas. — b) Addito Abl. rei, qua quis subcingitur. Id. 20. ibid. 17. 73. (189). Nervi, quibus succinctum est corpus. Claudian. 1. Laud. Stilich. 174. succincta Ceraunia nimbis. coperti. et Ovid. 1. Art. am. 695. Rejice succinctos operoso stamine fusos. avvolti. et Cic. 2. leg. Agr. 32. 87. Carthago quum hominum copiis, tum ipsa natura ac loco, succincta portubus, armata muris. cinta da porti: duplici portu instructa. Liv. 21. 10. Subcinctus armis legionibusque. Sic Justin. 6. 1. 2. Duo præfecti regis, maximarum gentium viribus succincti. et 35. 1. ad fin. Totius ferme Orientis viribus succinctus.

II.) Translate est instruo, munio, orno. Petron. Sat. 5. extr. His animum succinge bonis: sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. Plin. Paneg. 49. Frustra se terrore succinxerit, qui sæptus caritate non fuerit. Mamertin. Grat. act. ad Julian. 1. extr. Non mihi solum, quem tanta potestate succinxeras etc. Claudian. B. Get. 201. Famaque nigrantes succincta pavoribus alas. Stat. 5. Silv. 1. 77. succinctaque pectora curis, Et vigiles sensus, et digna evolvere tantas Sobria corda vices. h. e. instructa seriis gravibusque cogitationibus. Quintil. 12. 5. 1. Hæc arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus. h. e. instructus, munitus, paratus. Sic Cic. 7. Verr. 56. 146. Hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et majoribus canibus succinxerat. h. e. instruxerat, munierat, vallaverat. et Enn. apud Serv. ad Virg. 9. Æn. 678. succincti corda machæris. h. e. ferrea corda habentes, id est dura et cruenta cogitantes, ut ipse Serv. exponit. Cod. Theod. 16. 5. 54. Succinctus honore. h. e. ornatus. — Hinc Part. præter. pass.

Succinctus, a, um, etiam adjective adhibetur; unde Comp. Succinctior. — ¶ 1. Proprie, ut vidimus, dicitur de iis, qui quippiam administrant, quia succincti expeditiores sunt. Non. p. 541. 9. Merc. Meretrices apud veteres succinctiore veste utebantur. Afranius Excepto. Meretrix cum veste longa? Peregrino in loco solet tutandi causa sese sumere. ¶ 2. Translate — 1.°) Universim. — a) Cum Dat., vel Acc. et præp. ad. Ovid. 1. Trist. 11. 31. Barbara pars læva est avidæ succincta rapinæ. h. e. expedita, parata, intenta. Quintil. 3. 2. 12. Proni et succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt. h. e. parati, expediti. — b) Absolute. Ammian. 25. 3. 5. Exsiluit nostra succinctior armatura. Claudian. VI. cons. Honor. 299. exsertum raperem succinctior agmen. h. e. promptior, expeditior. — 2.°) Succincta arbor, brevibus et trunco adstrictis instructa ramis, ut pinus. Ovid. 10. Met. 103. Et succincta comas hirsutaque vertice pinus. et 15. ibid. 603. Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus, Murmura pinetis fiunt. Plin. 16. Hist. nat. 10. 17. (39) Arbores graciles succinctioresque et enodes. — Hinc figurate. Martial. 2. 1. succincti quæ sint bona, disce, libelli. h. e. brevis. Augustin. Ep. 157. ante med. Succinctior brevitas. succinta.

Succinctum, i, n. 2. absolute, idem ac succinctorium. Gloss. Cyrill. Ὑπόζωμα, subcinctum.

SUCCINGŬLUM vel subcingulum, i, n. 2. (succingo) balteus. Fest. p. 302. 4. Müll. Succingulum appellabant antiqui balteum. Plautus (Men. 1. 3. 17). Ab Hippolyte succingulum Hercules æque magno neutiquam abstulit periculo.

SUCCĬNO vel subcino, cinis, cinui, centum, cinere, n. 3. (sub et cano) Etiam succano apud Varron. 6. L. L. 75. Müll. Canere et accanit et succanit. — Part. Succinens. — Succino est post cano, canendo subsequor vel alternatim cano, cantare dopo o alternativamente, ὑπᾴδω.

I.) Proprie. Calpurn. Ecl. 4. 79. Cantibus ista tuis alterno succinet ore. Petron. Sat. 69. Tubicines imitatus est, succinente Hibinna. Adde Boeth. 1. Music. 1.

II.) Translate. Varro 1. R. R. 2. ante med. Agricultura succinit pastorali vitæ, quod est inferior, ut tibia sinistra dextræ. Horat. 1. Ep. 17. 48. clamat: victum date. succinit alter: Et mihi dividuo findetur munere quadra. fa da secondo nella cantilena o replica. — Cum Accus. Pers. 3. 20. quid istas Succinis ambages?

SUCCĬNUM. V. SUCINUM.

SUCCĬNUS. V. SUCINUS.

SUCCĬPĬO. V. SUSCIPIO.

SUCCĪSĬO, ōnis, f. 3. (succido) actus succidendi.

I.) Proprie. *Sidon.* 1. *Ep* 2. Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio. *Hieronym. Ep.* 140. Succisio florum. *Vulgat. interpr. Deut.* 19. 5. In succisione lignorum securis fugerit manu.

II.) Translate. *Prosper Aquit.* in *Ps.* 134. 10. Manus Dei succisiones et vivificationes facit.

SUCCĪSĪVUS. *V.* SUBSECIVUS.

SUCCĪSOR, ōris, m. 3. (succido) qui succidit, frondator, putator. *Alcim.* 4. 48. Quam (*silvam*) nec si sera succisor falce repurget.

SUCCĪSUS, a, um, particip. *V.* SUCCĪDO.

SUCCLĀMANS, antis, particip. *V.* SUCCLAMO.

SUCCLĀMĀTĬO *vel* subclamatio, ōnis, f. 3. (succlamo) actus succlamandi, vociferatio, ἐπιφώνημα. *Liv.* 40. 36. Si ex eo, quod aut inter se loquantur, aut subclamationibus apud contionantem imperatorem significent, quid sentiant, conjectandum sit etc. *colle grida.* et 28. 26. *a med.* Ferociter ad tribunal imperatoris, ut ultro territuri, subclamationibus concurrunt. *Sueton. Ner.* 24. Adjurante hypocrita, non animadversum id inter exsultationes succlamationesque populi. *acclamazioni, applausi.* Adde *Cod. Theod.* 11. 7. 4.

SUCCLĀMĀTUS, a, um particip. *V.* voc. seq.

SUCCLĀMO *vel* subclamo, as, āvi, ātum, are, 1. (sub *et* clamo) Part. *Succlamans* I. *a*; *Succlamatus* I. *c* et II. 2. — Succlamo

I.) Intransitive est post alterius orationem clamo, acclamo, *gridare*, ἐπιφωνέω. — *a*) Universim. *Liv.* 3. 50. Hæc Virginio vociferanti subclamabat multitudo, nec illius dolori, nec suæ libertati se defuturos. *Id.* 44. 45. *a med.* Quidam ausi sunt ex media contione subclamare: abite hinc, ne etc. Adde 6. 40., *Flor.* 2. 6., *Vellej.* 2. 31. *sub fin.* et *Val. Max.* 6. 2. *n.* 3. et 9. 1. *n.* 6. *extern. Inscript.* apud *Orell. n.* 4035. ANTONIO MARCELLINO ET PETRONIO PROBINO COSS. XI. NONAS MAIAS SVCCLAMANTE POPVLO etc. — *b*) Sequente infinito. *Liv.* 26. 22. Post hæc quum centuria subclamasset, nihil se mutare sententiæ. *Id. ibid.* 3. Tanta ira incensa est, ut capite anquirendum contio subclamaret. — *c*) Passive impersonaliter. *Id.* 43. 53. Quum per omnem orationem satis frequenti assensu subclamatum esset. *Id.* 21. 18. *sub fin.* Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, subclamatum est. Adde 10. 25.

II.) Transitivorum more. ¶ 1. Est aliquid clamando profero. *Vulgat. interpr. Judith* 16. 1. Et succlamabat omnis populus laudem Domino. ¶ 2. Est etiam clamoribus excipio, exagito. *Quintil. Declam.* 18. 9. Publica subclamatus invidia. et 19. 3. Omnium maledictis succlamatus.

SUCCLĪNANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SUCCLĪNO *vel* subclino, as, are, 1. Part. *Succlinans* 2. — Succlino ¶ 1. Intransitive est aliquantum inclino. *Venant.* in *epist. proœm. carm.* 6. *l.* 5. *ad fin.* Versus autem ex obliquo descendentes ab angulis ratione stant, etsi positione succlinant. *h. e.* ratione seu metro constant, etsi aliquantum inclinati sunt. ¶ 2. Transitivorum more, flecto. *Id.* 8. 14. *epist.* Talem habens basidem, ut nullus ventorum turbo succlinans, nulla procellarum propellens congeries etc.

SUCCO, ōnis. *V.* SUCO.

SUCCŒLESTIS. *V.* SUBCÆLESTIS.

SUCCŒNO. *V.* SUBCŒNO.

SUCCOLLANS, antis *et*

SUCCOLLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUCCOLLO *vel* subcollo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Succollans* et *Succollatus.* — Succollo est collo humerisque suppositis porto (It. *portare sulle spalle o sul collo*; Fr. *prendre sur son dos, porter sur ses épaules*; Hisp. *portar ó poner en los hombros*; Germ. *auf den Hals, — auf die Schultern nehmen*; Angl. *to bear or carry on the neck or shoulders*). *Varro* 3. *R. R.* 16. *ante med.* Apes regem suum sequuntur, quocumque it, et fessum sublevant, et, si nequit volare, succollant. (*Virg.* 4. *G.* 218 At tollunt humeris, dixit.) *Sueton. Claud.* 10 *circa med.* Ab his lecticæ impositus, et, quia servi diffugerant, vicissim succollantibus, in castra delatus est. *Id. Oth.* 6. *a med.* Succollatus et a præsente comitatu imperator consalutatus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (117). *de picturis Ludii.* Nobiles, palustri accessu villæ, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur. *Alii leg.* succollantium specie mulieres, labentes trepidæque. *Commodian.* 19. 10. Succollat, quando libet, eum, et quando deponit Vertitur a se rotans cum ligno bifurci Ac si putes illum afflatum numine ligni.

SUCCŌLŌRĀTUS. *V.* SUBCOLORATUS.

SUCCONDĪTOR *vel* subconditor, ōris m. 3. qui sub conditore operam suam dat, qui conditori paret. Conditorem autem intellige, qui inter ministros Circenses numeratur, de quo in CONDITOR dictum est. *Inscript.* apud *Gruter.* 339. 5. CHRESTO CONDITORI EPAPHRO SELLARIO MENANDRO AGITATORI HELLETI SVCCONDITORI etc. Adde 340. 3.

SUCCONTŬMĒLĬŌSĒ. *V.* SUBCONTUMELIOSE.

SUCCŎQUO. *V.* SUBCOQUO.

SUCCORNĪCŬLĀRĬUS. *V.* SUBCORNICULARIUS.

SUCCORRĪGO. *V.* SUBCORRIGO.

SUCCORTEX. *V.* SUBCORTEX.

SUCCŌSĬTAS. *V.* SUCOSITAS.

SUCCŌSUS. *V.* SUCOSUS.

SUCCRASSŬLUS. *V.* SUBCRASSULUS.

SUCCRĔPANS *vel* subcrepans, antis, ab inusit. *subcrepo*, subtus crepans. *Augustin. de beat. vit.* 3. Ut inflatos sibi superambulantes, succrepante fragili solo, demergat.

SUCCRESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUCCRESCO *vel* subcresco, crescis, crēvi, crescere, n. 3. Part. *Succrescens* 1. *a.* — Succresco ¶ 1. Est subtus cresco, ab imo cresco, *crescere*, ὑποφύομαι. — *a*) Generatim. *Cels.* 7. 7. *n.* 8. Sub ordine naturali pilorum (*in palpebris*) alius ordo subcrescit, qui intus ad oculum tendit. *Vulgat. interpr. Dan.* 8. 3. Aries habens cornua excelsa et unum excelsius altero atque succrescens. — *b*) Speciatim dicitur de plantis. *Colum.* 4. *R. R.* 14. *a med.* Utique frequenter solum exercendum est, dum id incremento suo vites inumbrent, nec patiantur herbam subcrescere. *Ovid.* 9. *Met.* 352. succrescit ab imo Totaque paullatim lentus premit inguina cortex. — Hinc translate. *Plaut. Trin.* 1. 1. 9. Mores mali, quasi herba irrigua, succrēverunt uberrime. ¶ 2. Est etiam post cresco et universim augeor, incrementum sumo. *Ovid.* 8. *Met.* 679. quoties haustum cratera repleri Sponte sua per seque vident succrescere vina, Attoniti novitate pavent. — Hinc translate *Cic.* 3. *Orat.* 61. 230. Non enim ille mediocris orator vestræ quasi succrescit ætati, sed et ingenio acri et studio flagranti etc. *vien crescendo dietro a voi.* Sic *Liv.* 10. 13. Et se gloriæ seniorum subcrevisse, et ad suam gloriam consurgentes alios lætum aspicere.

SUCCRĒTUS. *V.* SUBCRETUS.

SUCCRISPUS. *V.* SUBCRISPUS.

SUCCROTILLUS *vel* subcrotillus, a, um, adject. tenuis, exilis, gracilis. *Fest. p.* 301. 19. *Müll.* Succrotilla tenuis dicebatur et alta vox. Titinius: Feminina fabulare succrotilla vocula. Afranius in Epistola: Loquebatur succrotilla voce serio. Plautus in describendis mulierum cruribus gracilibus in Syro: Cum extortis talis, cum succrotillis (*al.* todillis) crusculis. Hæc *Fest.*, qui alibi aliter refert hunc Plauti versum. *V.* CROCOTILUM.

SUCCRŬDUS. *V.* SUBCRUDUS.

SUCCRŬENTUS. *V.* SUBCRUENTUS.

SUCCŬBA *vel* subcuba, æ, comm. gen. (subcubo) qui vel quæ sub aliquo cubat: et speciatim, qui in re Venerea se alteri subjicit, ὑπόκοιτος.

I.) Proprie. — *a*) In femin. gen. *succuba* est mulier adultera, quæ in locum legitimæ uxoris se alteri viro subjicit. *Ovid. Heroid.* 6. 153. lecti quoque succuba nostri Mœreat et leges sentiat ipsa suas. *Heinsius* legit *subnuba.* V. SUBNUBA. — *b*) In mascul. gen. *florulentum succubam* dixit *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 192. scortum masculum intelligens, h. e. Hyacinthum ab Apolline adamatum.

II.) Translate. *Apul.* 5. *Met.* Tunc indignata Venus exclamavit: vel maxime Psycheo ille meæ formæ succubam, mei nominis æmulam vere diligit. *h. e.* quæ debitum meæ pulcritudini cultum intercipit. Adde 10. *ibid.*

SUCCŬBANS, antis, particip. *V.* SUCCUBO.

SUCCŬBĬUS, a, um, adject. (succubo) qui succubat, id est cubat sub aliqua re, ut concubi s qui simul cubat. *Inscript.* apud *Murat.* 851. 1. A. SEIO ZOSIMIANO TRIB. LEG. XI. CL. SVCCVBIAE etc. Ita pro *Succubiæ.* Hæc eadem mendosa leguntur apud *Gruter.* 466. 5. et 562. 2. Hoc vero cognomine legio XI. Claudia donata esse videtur, quod in insidiis posita ideoque succubans victoriam aliquam adepta sit.

SUCCŬBO *vel* subcubo, as, are, n. 1. Part. *Succubans.* — Succubo est cubo sub aliqua re, ὑπόκειμαι. — *a*) Cum Dat. *Apul.* 1. *Met. ab init.* Humi prostratus grabatulo succubans jacet. — *b*) Cum Acc. *Id.* 9. *ibid.* Illum, qui ad instar testudinis alveum succubabat, depulso tegmine cunctis palam facere.

SUCCŬBO *vel* subcubo, ōnis, m. 3. (succubo) idem ac succuba. *Titin.* apud *Non. p.* 224. 20. *Merc.* Contempla ancillas, quam arbitres illarum subcubonem. Alii perperam leg. *subcuboneum esse*, inquit. *Forcellinus*; at *Ribbeckius* dedit *subcuboneam.* V. *ejusd.* adnot.

SUCCŪDO *vel* subcudo, cūdis, cūdi, cūdere, a. 3. idem quod cudo seu cudendo fabricor. *Varro* 5. *L. L.* 116. *Müll.* Lorica a loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli e ferro tunicam etc. *Müllerus* tamen aliter legit. *V.* SUCCĪDO.

SUCCŬLENTUS. *V.* SUCULENTUS.

SUCCULTRO. *V.* SUBCULTRO.

SUCCUMBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUCCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbĭtum, cumbere, n. 3. Part. *Succumbens* I. 1. *a* et *b* et II. 1. 2.° *c*; *Succubiturus* II. 1. — Succumbo est subtus cado, subjaceo, submittor, ὑποπίπτω (It. *cadere sotto, mancare sotto il peso, soccombere*; Fr. *s' affaisser sous, tomber, succomber*; Hisp. *asentarse, abaxarse soto, agobiarse*; Germ. *sich niederlegen, herabfallen*; Angl. *to fall or sink under*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Dat. *Catull.* 64. 369. ancipiti succumbens victima ferro. *Ovid.* 1. *Met.* 714. et *Heroid.* 12. 49. Succumbere somno. *Arnob.* 6. *p.* 201. Rationale homines animal, coctilibus testis succumbitis, æris laminas adoratis. *h. e.* submittitis vos adorandi causa. — *b*) Absolute. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (106). Trahuntur moles supernæ tantæ, non succumbentibus cavis operis. ¶ 2. Speciatim in re Venerea usurpatur de femina, quæ se viro subjicit. *Varro* 2. *R. R.* 10. *a med.* Virginibus in Illyrico mos eorum non denegavit, ut succumberent, quibus vellent. *Tab. aen.* apud *Gruter.* 502. *col.* 1. PRISCVS TARQVINIVS PATRE DEMARATO CORINTHIO NATVS ET TARQVINIENSI MATRE QVAE TALI MARITO NECESSE HABVERIT SVCCVMBERE. Adde *Catull.* 111. 3., *Ovid.* 2. *Fast.* 810., *Petron. Sat.* 126. et *Martial.* 13. 64. et 14. 201., ubi de scorto masculo sermo est. *V.* SUCCUBA. — *Vulgat. interpr. Lev.* 18. 23. et 20. 16. Succumbere jumento. ¶ 3. Item decumbere. *Sueton. Aug.* 98. Adgravata valitudine, Nolæ succubuit.

II.) Translate est se subjicere, cedere, vinci, inferiorem esse, labi, deficere. — 1.°) Universim et cum Dat. *Nepos Eumen.* 11. *sub fin.* Non enim cum quoquam arma contuli, quin mihi succubuerit. *Liv.* 22. 54. *extr.* Pugna adversa, cui hic ipse Hannibal succubuit. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 195. Plenaque privato succumbunt oppida regno. *h. e.* subjiciunt se ditioni, *si assoggettano.* Sic 2. *ibid.* 153. succumbere poscit Cuncta sibi. *Manil.* 1. 463. Quidquid subduxit flammis natura, pepercit Succubitura oneri. — *Succumbere oneri* alio sensu dixit *Liv.* 6. 32. Cui succumbere oneri coacta plebes, quia quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis. *portare il peso*, onus sub-

ire et ferre. 2.°) Sæpe refertur ad animum. — a) Cum Dat. Cæs. 7. B. G. 86. Cohortatur, ne labori succumbant. Cic. 3. Tusc. 17. 36. Cur succumbis cedisque fortunæ? Id. Senect. 11. 37. Nec languescens succumbebat senectuti. Id. 1. Fin. 15. 49. Succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre. Id. Planc. 33. a med. Jam succumbam isti tuæ orationi: in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, nimium me gratum esse concedam. Liv. 22. 54. a med. Numquam, salva urbe, tantum pavoris tumultusque intra mœnia Romana fuit. itaque subcumbam oneri, neque aggrediar narrare, quæ edissertando minora vero fecero. Ovid. Heroid. 3. 91. Succumbere precibus alicujus. Id. 7. Met. 749. et Virg. 4. Æn. 19. culpæ. h. e. culpam admittere. Ovid. 4. Trist. 10. 103. et Seneca Agam. 993. Succumbere malis. — b) Cum Infinito. Arnob. 1. p. 38. Quam (mortem) nec ipsam perpeti succubuisset vis, tanta si non agenda res esset. — c) Absolute. Cic. 2. Fin. 29. sub fin. Turpe est viro debilitari, dolore frangi, succumbere. Id. 2. Tusc. 23. extr. Dolere animoque succumbere. Nepos Eumen. 5. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit. Seneca Herc. Fur. 1315. Succumbe, virtus, perfer imperium patris. et Troad. 950. Labefacta mens succubuit. Nepos Hamilc. 1. Succumbente patria, ipse peritum se potius dixerit quam etc.

SUCCUMBUS. V. SUBCUMBUS.

SUCCŪNĔĀTUS. V. SUBCUNEATUS.

SUCCŪRA, h. e. sub cura, scriptum putatur in Inscr. in tubo plumbeo, edito in Annal. dell' Istit. Archeol. a. 1864. p. 6. FVRIVS FESTVS TRIB. COH. VII. PR. SVCCVRA MVCI GENITORIS 7 COH. VIIII. PR. sc. Furius Festus tribunus cohortis VII. Prætoriæ succura Muci Genitoris centurionis cohortis VIIII. Prætoriæ. Ita leg. et exponit Mommsen in Bullett. ejusd. Inst. a. 1866. p. 127. Verum, ut ait cl. De-Vit, quum SVC sit in fine prioris lineæ et CVRA in sequentis initio, non succura unica voce legendum videtur, sed divisim SVC CVRA, suc pro sub posito ante litteram c, eadem prorsus ratione, qua Ritschelius apud Plaut. ex Codd. MSS. sum manus pro sub manus dedit. (V. SUB init.) Ceterum formula sub cura reperitur etiam in alia Inscr. in Bullett. cit. a. 1857. p. 167. Nihil tamen obstat, quominus succura, æ, masc. gen., accipiatur pro succuratore vel subcuratore, quum sequiore ætate etiam cura pro curatore usurpatum sit.

SUCCŪRĀTOR. V. SUBCURATOR.

SUCCURRĪCĬUS vel succurritius, a, um, adject. (succurro) qui succurrit, soccorrevole. Vet. Scholiast. ad Germanic. Prognost. t. 2. p. 117. Buhle. In hoc mirabilem admirari benignitatem naturæ succurriciam, omnibus annis accidere non posse, idque quando sit futurum, facile nosci.

SUCCURRO vel subcurro, curris, curri, cursum, currere, n. 3. Part. Succursurus II. 1. b et 2. a. — Succurro est subtus curro, subeo, succedo: et dicitur proprie sed latiore sensu de inanimis, quæ celeriter moventur, correre sotto, ὑποτρέχω.

I.) Proprie. Lucret. 5. 764. Tempore eodem aliud nequeat succurrere Lunæ Corpus. Cic. Rosc. Am. 11. a med. Licet undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. Priscian. Perieg. 107. Wernsd. Adria succurrens eoo frangitur Euro. h. e. currens sub vel fluctuans.

II.) Translate. ¶ 1. Est occurrere, in mentem venire, subire, sovvenire, venire in mente. — a) Absolute. Cic. 14. Att. 1. a med. Ut quidque succurrit, libet scribere. August. apud Sueton. Tib. 21. ad fin. Succurritque versus ille Homericus, Τούτου δ' ἑσπομένοιο etc. Adde Quintil. 1. 9. 21. — b) Cum Dat. Sueton. Tit. 10. Nec cuiquam facile succurrat. — c) Cum Infinito. Cic. fil. ad Tiron. 16. Fam. 21. a med. Illud etiam mibi succurrebat, grave esse me de judicio patris judicare. Plin. 7. Hist. nat. 48. 49. (157). Et illud adnotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur. Id. 17. ibid. 1. 1. init. et 34. ibid. 18. 51. (171). Mirari succurrit. Petron. Sat. 102. Illud miror, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque jacere in scapha. — d) Cum partic. relativa. Liv. 6. 12. Non dubito, tot bella gesta legentibus illud quoque subcursurum, unde toties victis Volscis suffecerint milites. ¶ 2. Sæpe est accurrere auxilii ferendi gratia, opem ferre, subvenire, accorrere in ajuto, sovvenire, porgere aita, soccorrere, ἐπικουρέω. — a) De personis. Cæs. 5. B. G. 43. a med. Succurrit illi Varenus et laboranti subvenit. Id. 7. ibid. 80. Expeditos levis armaturæ interjecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent. Cic. 1. Orat. 37. 169. Laborantibus succurrere, ægris mederi. Sic Sall. Cat. 63. Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere. Nepos Att. 11. circa med. Non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. Colum. 11. R. R. 1. a med. Deficienti succursurus. — b) De rebus. Cæs. 3. B. C. 70. His tantis malis hæc subsidia succurrebant, quo minus omnis deleretur exercitus. Cic. Rabir. perduell. 1. ad fin. Ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus. Virg. 11. Æn. 335. rebus succurrite fessis. Sic Ovid. 1. Trist. 4. 35. rebus succurrite lapsis. Al. læsis. — c) Passive impersonaliter. Cæs. 3. B. C. 52. Plura castella pariter, distinendæ manus causa, tentaverat, ne ex proximis præsidiis succurri posset. et ibid. 80. Nuncios mittit, ut sibi subsidio veniant: se confidere munitionibus oppidi, si celeriter succurratur. Cels. 8. 4. Os fractum, nisi succursum est, gravibus inflammationibus afficit. — Cum Dativo. Liv. 3. 58. Cujus adversæ fortunæ velit succursum. ¶ 3. Hinc dicitur sæpe de his, quæ prosunt in medicina. Plin. 31. Hist. nat. 10. 46. (119). Nitrum succurrit et venenis fungorum ex posca potum. Id. 26. ibid. 15. 90. (158). Crebmos succurrit strangulationibus. Id. 20. ibid. 23. 97. (259). Cannabis succurrit alvo jumentorum. — Id. 23. ibid. 1. 27. (56). Intellectum ibi remedium est potuque succursum.

SUCCURSĬO vel subcursio, ōnis, f. 3. (succurro) actus subtus currendi, suffugium. Gloss. Cyrill. Ὑποδρομή, subcursio.

SUCCURSOR vel subcursor, ōris, m. 3. (succurro) qui succurrit: speciatim vero videtur esse is, qui in tauriciniis seu venationibus bestiario succurrit cum tauro pugnanti, idemque fortasse ac subsessor, quam vocem vide. Inscript. apud Gud. 106. 1. (Orell. n. 2530.) PRIMO DVVMVIRATV APOLLINARIBVS IN FORO POMPAM TAVROS TAVROCENTAS SVCCVRSORES PONTARIOS PARIA III. PVGILES CATERVARIOS ET PYCTAS (dedit). An succursor est idem ac Græcorum ἔφεδρος, scil. is, qui nemini comparatus in alius cujuspiam cadentis aut interfecti locum succurrebat? V. Lucian. Herm. 40. in fin. et seqq. An qui pontariis succurrit, quique in pugna taurorum ab Hispanis dicitur ciulo, vel taurariis taurocentisque, picador appellatus? V. Henzen, Expl. Mus. p. 82. — Subcursor alio sensu V. in SUCCUSSOR.

SUCCURSUS, us, m. 4. (succurro) actus succurrendi, auxilium. soccorso. Capell. 9. p. 313. Per me quippe vestrum homines illexere succursum.

SUCCURVUS. V. SUBCURVUS.

SUCCUS. V. SUCUS.

SUCCUSSĀTOR vel subcussator, ōris, m. 3. (succusso) Succusator per s simplex leg. L. Müller ad Lucil. loc. cit. p. 14. Item succusor et succuso, as, apud eumd. p. 66. — Succussator est equus, qui duriore gressu sessorem concutit, cavallo di duro portante e che trottando sbatte la vita, ὑποσειστής. Lucil. apud Non. p. 16. 10. Merc. Succussatoris tetri tardique caballi.

SUCCUSSĀTŪRA vel subcussatura, æ, f. 1. (succusso) succussus equi prave ingredientis, sbattimento. Non. p. 17. 24. Merc. Gradarius equus est, molli gradu et sine succussatura nitens.

SUCCUSSĬO vel subcussio, ōnis, f. 3. (succutio) actus subcutiendi, sbattimento. Seneca 6. Quæst. nat. 21. Succussio est, quum terra quatitur et sursum ac deorsum movetur. Adde Boeth Top. etc. 6. 4.

SUCCŪSSO vel subcusso, as, are, a. 1. frequentat. vel intens. a succutio, frequenter vel vehementer succutio, sbattere: dicitur autem speciatim de equis, qui duriore gradu incedentes sessorem succutiunt, ut Non. p. 16. 31. Merc. notat. Accius ibid. Agite, ac, vulnus ne succusset gressus, caute ingredimini.

SUCCUSSOR vel subcussor, ōris, m. 3. (succutio) idem ac succussator. Lucil. apud Non. p. 13. 31. Merc. Hunc Campanus sonipes succussor nullu' sequetur. Est qui minus recte leg. subcursor. V. SUCCUSSATOR init.

SUCCUSSUS, a, um, particip. V. SUCCUTIO.

SUCCUSSUS vel subcussus, us, m. 4. (succutio) actus succutiendi seu succussandi, sbattimento di cavallo che trotta, ὑποτιναγμός, ὑποσεισμός. Pacuv. apud Cic. 2. Tusc. 21. 48. Pedetentim, inquit, ite, et sedato nisu, ne succussu arripiat major dolor. Adde Apul. 3. Met. — In plur. num. Tertull. De anim. 49.

SUCCŪTĬENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUCCŪTĬO vel subcutio, cŭtis, cussi, cussum, cŭtere, a. 3. (sub et quatio) Part. Succutiens I.; Succussus I. et II. — Succutio est quatio, sursum ac deorsum movendo agito, ὑποσείω (It. sbattere, agitare, scuotere: Fr. secouer; Hisp. sacudir; Germ. in die Höhe rütteln, aufschütteln, aufrütteln, erschüttern; Angl. to shake).

I.) Proprie. Lucret. 6. 549. ubi fortis equum vis Ferratos utrinque rotarum succutit orbes. Ovid. 2. Met. 166. Succutiturque alte similisque est currus inani. Seneca 6. Quæst. nat. 21. a med. Nec succutiuntur tunc omnia, nec inclinantur, nec vibrantur. Id. 5. ibid. 1. Si legeris (Virg. 2. Ecl. 26.) Quum placidum ventis staret mare: scito, illud non stare, sed succuti leviter: et dici tranquillum, quia nec huc nec illo impetum capiat. Apul. 2. Met. Puella illud cibarium vasculum crebra succutiens. Id. de Mag. Manus contraxisset, caput succussisset. Id. 1. Met. Grabatulus succussus et inquietus. Seneca Thyest. 696. Tota succusso solo Nutavit aula.

II.) Translate. Val. Max. 6. 9. extern. n. 5. Semel dumtaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum. Arnob. 2. 6. Quibus et sua decreta confirment et aliorum succutiant ac labefaciant.

SŪCERDA, æ, f. 1. Sunt qui scribunt succerda per duplex c, innixi Gloss. et loc. Fest. mox cit., apud quem vox eo stat vocabulorum ordine, ut duplici cc scribi oporteat; cui tamen scriptioni obstaret quantitas prioris syllabæ, ni malis κατὰ διπλασιασμόν id factum. — Ratione habita etymi, alii ducunt a sus et cerno pro excerno, quasi suis excrementum; alii vero conjungunt cum Skr. su-karas, sus. — Sucerda est stercus suillum, ut muscerda murinum, sterco di porco, χοιρεία κόπρος. Lucil. apud Non. p. 175. 14. Merc. Hic in stercore humi stabulique fimo atque sucerdis. Titin. apud Fest. p. 303. 10. Müll. Quid habes, nisi unam arcam sine clavi, eo condis sucerdas?

SŪCESCO vel succesco, is, ere, n. 3. (sucus) in sucum abeo. Arnob. advers. Gent. 1. p. 2. Nec madidata imbribus arva succescunt. At recentiores leg. Nec madori ex imbribus arva succedunt. V. Quicherat in Add. etc. p. 280.

SŪCĪDĬA. V. SUCCIDIA.

SŪCĪDO vel succido, as, are, a. 1. (sucidus) Part. Sucidandus. — Sucido est humorem affundo. Plin. Valer. 2. 9. Cyminum Syriacum bonum in aceto infusum succidabis. Id. præf. Lana sucidanda.

SŪCĪDUS vel succidus, a, um, adject. (sucus) sucosus, suci plenus, pieno di sugo, πολύχυλος, χυλώδης.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Apul. de Mag. Regio fecunda et cælum pluvium et ventus clemens et sol apricus et solum sucidum. Cæl. Aurel. 3. Tard. 8. ante med. Fundendum igitur aridum ficum, sed quod sit pingue ac sucidum. V. SUCOSUS. ¶ 2. Speciatim sucida lana dicitur recens detonsa et necdum purgata. Varro 2. R. R. 11. circa med. Tonsuræ tempus inter æquinoctium vernum et solstitium, quum sudare

inesperrunt oves: a quo sudore recens lana tonsa sucida appellata est. *Martial.* 11. 27. Sucida palliolo vellera quinque petit. *Juvenal.* 5. 24. vinum, quod sucida nolit Lana pati. *Cels.* 8. 3. *ad fin.* Imponenda vulneri lana sucida. — *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. varios refert lanæ sucidæ usus in medicina. *Id. ibid.* 10. (35). appellat *sucidas sordes*, quæ pecudum lanis adhærent. ¶ 3. *Sucidum vinum* apud *Pelagon.* 18. est οἶνος γλυκὺς apud *Hipp. p.* 77. *l.* 11.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 193. *de meretrice.* Lautam vis an nondum lauta quæ sit? PA. siccam, sucidam: Quam lepidissimam potes quamque adulescentem maxume. *h. e.* bene habitam, suci plenam.

SŪCĬNĀCĬUS (sucinatius) *vel* succinacius, a, um, adject. (sucinum) sucini colorem referens. *Isid.* 20. *Orig.* 3. *ante med.* Sucinacium vinum sucinæ gemmæ simile est, id est fulvi coloris. V. *Furlanettum* in *Append. p.* 169.

SŪCĬNEUS *vel* succineus, a, um, adject. (sucinum) qui est ex sucino, *di elettro o súccino*, ἠλεκτρικός. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (99). Quando ipsæ suis manibus deliciæ præparant hunc cibum (*fungos*) solum et cogitatione ante pascuntur, sucineis novaculis aut argenteo apparatu comitante. *Harduin.* Intelligit novaculas, quibus manubria e sucino sunt; ego tamen, inquit *Furlanettus*, puto ipsas novaculas fuisse e sucino.

SŪCĬNUM *vel* succinum, n. *et* sucinus *vel* succinus, i, m. 2. Recentiores malunt *sucinum* per c simplex scribi: hoc namque derivant a *sucus*, quod unico c rectius scribitur. — Alia forma *sucinus, i,* masc., legitur apud *Isid.* 16. *Orig.* 8. 6. Sucinus, quem appellant Græci ἤλεκτρον. — Ratione habita etymi, vox ducitur a *sucus*, ut diximus: « fertur enim, inquit *Isid. loc. cit.* arboris sucus esse et ob id sucinum appellari ». Cf. et 17. *ibid.* 7. 31., *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (43). et *Cassiod.* 5. *Variar.* 2. — Sucinum est idem quod electrum, tum quod ex quibusdam arboribus fluit, tum quod inter metalla numeratur, *súccino, elettro*, ἤλεκρον. De utroque multa *Plin.* 37. *Hist. nat. c.* 2. et 3. *V.* ELECTRUM. De hoc in *Bibliot. Ital. n.* 226. *Ott.* 1834. « Il *succino* proviene da un succo di albero resinoso appartenente forse alla spezie dei pini ». Et cl. *P. A. Saccardo* in *Lett.* 11. *Apr.* 1894. « Fra il *succino* e *l'ambra* (gialla) corre questa differenza che dove il primo significa tanto il succo resinoso *attuale* (resina o simili), quanto il *fossilizzato* (resina petrificata); la seconda invece è solo quest' ultimo ».

I.) Proprie dicitur — *a*) De gummi arborum *Martial.* 3. 63. Quod myrtus, quod messor Arabs, quod sucina trita, Pallidus Eoo ture quod ignis olet. *Id.* 5. 37. Quod sucinorum rapta de manu glæba. *Juvenal.* 6. 573. Pinguia sucina. *Auson. Cupid.* etc. 74. *Wernsd.* Gemmea fletiferi jaculatur sucina trunci. *h. e.* instar gemmæ lucentia; nisi legend. sit *gummea*, et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (43). Arboris sucum prisci nostri credidere, ob id sucinum appellantes. *V.* ibi plura. — *b*) De metallo *Apul.* 2. *Met.* Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum, argentum alibi clarum et aurum fulgurans et sucinum mire cavatum in capides, ut bibas. — De sucino Germanorum. *Tac. Germ.* 45. Soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Ipsis in nullo usu rude legitur, informe perfertur pretiumque mirantes accipiunt. Sucum tamen arborum esse intelligas etc. *et mox.* Si naturam sucini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur etc. De hoc multa habet etiam *Sigob. Bayerus* in *Miscell.* 51.

II.) Translate, per synecdochen, est aliquid, puta monile, ex sucino confectum. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 21. Spernere sucina, flore rosas, Fulva monilia respuere. *collane di succino.*

SŪCĬNUS *vel* succinus, a, um, adject. (sucinum) ad sucinum pertinens, *di elettro, di súccino. Martial.* 4. 59. Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit, Fluxit in obstantem sucina gemma feram. Alii leg. *sucino gutta*, ut 6. 15. Dum Phaethontea formica vagatur in umbra, Implicuit tenuem sucina gutta feram. Adde *Isid. loc. cit.* in SUCINACIUS.

SŪCĬNUS *vel* succinus, i, m. 2. *V.* SUCINUM.

SŪCĬTĀRĬUM. *V.* SICCITARIUM.

SŪCO *vel* succo, ōnis, m. 3. (sucus) qui sucum extrahit: ita per contemptum vocatur fenerator, qui usuras ex debitoribus severe admodum exigit. *Cic.* 7. *Att.* 13. Oppios enim de Velia sucones dicis. *h. e.* αἰνιγματικῶς Oppios feneratores in Velia habitantes, de quibus mentionem item facit *id.* 8. *ibid.* 7. 1.; videtur autem alludere ad ipsum nomen *Oppii*, quum ὀπός Latine sucum significet. Alii minus recte *saccones, salacones, sanctones* etc. legunt.

SŪCŎPHANTA cum deriv. *V.* SYCOPHANTA etc.

SŪCŌSĬTAS *vel* succositas, ātis, f. 3. (sucosus) abundantia suci, *sugosità*. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. Ejus (*fici*) quamquam sit reflata sucositas, tamen manet veluti mellosa dulcedo.

SŪCŌSUS *vel* succosus, a, um, adject. (sucus) Comp. *Sucosior* I. — Sucosus est suco plenus, suculentus, humidus, ὀπώδης (It. *pien di sugo, sugoso, umido;* Fr. *plein de suc ou de sève, juteux;* Hisp. *lleno de jugo ó suco;* Germ. *saftvoll, saftreich;* Angl. *full of juice or moisture, juicy*).

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (69). *de solo hortis idoneo.* Sit ergo siccum sucosumque, bipalio subactum etc. *siccum* opponitur palustri, *sucosum* arido et gracili. *Id.* 25. *ibid.* 9. 70. (117). Radix crassa, sucosa. *Id. ibid.* 13. 102. (161). Sucosa folia. *Id.* 24. *ibid.* 6. 22. (33). Picea pinguem et turis modo sucosam resinam fundit. *Id.* 12. *ibid.* 25. 55. (125). Styrax minus sucosus. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (68). Massilia vinum gemino sapore, quando et condiendis aliis pinguius gignit, quod vocant sucosum. *Cels.* 2. 18. Ea ipsis pomis firmiora, quæ sucosa, quam quæ fragilia sunt. *Colum.* 2. *R. R.* 17. Melius habetur fœnum, quod suapte natura sucoso gignitur solo, quam quod irrigatum aquis elicitur. *Id.* 4. *ibid.* 29. Stirpium genera, quæ firmioris et sucosioris libri sunt. — *Sucosa lana* apud *Seren. Sammon.* 60. 1054. est sucida.

II.) Translate. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* Reliquos collibertos ejus cave contemnas: valde sucosi sunt. *h. e.* pecunia abundantes, opulenti. Adde *Inscr.* in *Giornale degli scavi di Pompei a.* 1868. *p.* 92.

SUCTUS, a, um, particip. *V.* SUGO.

SUCTUS, us, m. 4. (sugo) actus sugendi, *succiamento, succio*, σπάσις, ἀποθήλασμός. *Varro* apud *Non. p.* 169. 15. *Merc.* Ut cremento corpora fierent majora parvo, ut suctu candida lactis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 98. (211). Somniat infans et suctum imitatur. *Id. ibid.* 46. 63. (129). Bibunt aves suctu. *et* 8. *ibid.* 36. 44. (128). Ursi priorum pedum suctu vivunt. *et* 9. *ibid.* 30. 48. (91). Polypus luctatur complexu et sorbet acetabulis ac numeroso suctu.

SŪCŬLA, æ, f. 1. Etiam *succula* per duplex c habet *Inscript.* Pompejis reperta atque edita in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1867. *p.* 56. — Etymologi ducunt a *sus*, a quo sit deminut., quasi *suicula*, ut a *bos bucula* (*Priscian. p.* 108. 1. *Keil.* Cf. SUCULUS); pro diversa tamen significatione alii aliam vocis originem statuunt. *V.* infra. — Sucula igitur est parva porca, *porcelletta*, χοιρίδιον.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 4. 4. 125. Post est sicilicula argenteola et duæ connexæ maniculæ et Sucula. GR. Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis. Ubi *Plaut.*, ut ait *Forcellinus*, alludere videtur ad machinam tractoriam, de qua mox dicemus. *Viscont.* tamen *Mus. Pio-Clem. T.* 3. *p.* 234. ed. *Med.* putat, ad stellulam. *V.* PORCULUS. Adde *Inscript.* init. *adlat.*

II.) Translate. ¶ 1. Refertur, per similitudinem, ad machinam tractoriam, quæ Italice *fusello dell' argano, molinello, naspo* dicitur: fortasse ab rad. συ, unde σύω, σεύω, quatio, moveo, agito. Eam ita describit *Budæus*: Sucula est machina tractorii generis: constat autem tereti ligno, duobus aut pluribus vectibus trajecto utrinque, æqua existantibus longitudine. Hæc dum versatur, funis, qui ductarius dicitur, circa eam obvolvitur. Sic vocata est a scrophæ similitudine. Nempe quod etiam hæc machina suum porculum haberet. Nam in media circiter sucula batillus aut uncus, qui figebatur, ut teneret funem, qui, dum versabatur, sucula circumplicabatur, porculus vocabatur. Ejus etiam *Festus p.* 301. 29. *Müll.* meminit. *Cato R. R.* 19. Porculum in media sucula facito. *Vitruv.* 10. 2. Quum autem funis habet caput ad suculam religatum, et vectes ducentes eam versant, funis se involvendo circa suculam extenditur; et ita sublevat onera ad altitudinem et operum collocationes. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Quattuor biremes subjectis suculis impulsæ et vectibus. *Alii tamen rectius leg.* scutulis. — In re nautica *arganello* Italice dici monet cl. *Guglielmotti, Di due navi R.* etc. *p.* 32. ed. 1874. — Habet usum etiam in torculari et prelo, ut videre est apud *Caton. R. R.* 12. et 18. et *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. ¶ 2. *Suculæ* etiam Latinis dicuntur stellæ in capite Tauri, quæ Græcis Ὑάδες, Hyades appellantur: quod sidus vehemens est, et terra marique turbidum tamque in ortu suo, quam occasu, pluvias, tempestates largosque imbres concitat. *Tertull. De carn. Chr.* 9. Edite aliquid in illo cæleste de Septentrionibus et Virgiliis et Suculis emendicatum. — Nomen id ex veterum imperitia originem cepit. Putarunt enim, quia ὗς Græce suculam sive parvam suem notat, sidus hoc ita appellatum, quia suculæ similitudinem referat. Sed errorem hunc refellit *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. Tauri, inquit, caput stellis conspersum est frequentibus. Has Græci stellas ὑάδας vocitare suerunt: a pluendo. ὕειν enim est pluere. Nostri imperite suculas, quasi a suibus essent, non ab imbribus nominatæ. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 39. 39. et 18. *ibid.* 26. 76. et *Tiron. Tull.* apud *Gell.* 13. 9. Ipse autem *Gell. ibid.* veteres Romanos conatur ab imperitia defendere. At *Perizonius* ad *Sanctii Minerv. l.* 1. *c.* 10. imperitiæ arguit tum *Ciceronem*, tum *Gellium*, tum etiam *Plinium*, quippe qui non viderint, τὸ *sucula* derivasse Latinos ab ὕω, pluo, aspiratione in *s* mutata.

SŪCŬLENTUS *vel* succulentus, a, um, adject. (sucus) suci plenus, pinguis, obesus, *sugoso o sucoso*, ἔγχυλος.

I.) Proprie. *Apul.* 2. *Met. post init.* Inenormis proceritas, suculenta gracilitas, rubor temperatus. *et* 10. *ibid.* Corpus obesa pinguitie compleveram, corium arvina suculenta molliveram. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 631. Quia suculenti corporis licentia Retunditur jejuniis. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. 137. Erasistratus facile curabiles suculentos homines dixit atque fortes. *et ibid.* 138. Asclepiades difficile curabiles inquit suculentos atque carnosos ob vehementiam spirationis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 4. 88. *V.* SUCUS I. c.

II.) Translate. *Prudent. Hamartig. præf.* 57. Caro in sororem tela mentem dirigit: Mens in cerebro ventilatur ebrio, Ex quo furores suculentos colligit.

SŪCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sus, parvus sus, porcellus, *porcelletto, porcellino*, ὑίδιον. *Justinian.* 2. *Institut. tit.* 1. *a med.* § 37. Agni, hædi et vituli, equuli et suculi.

SŪCUS *vel* succus, i, m. 2. — *a*) Ad scriptionem quod attinet, *sucus* per c simplex tutius scribitur; in antiq. enim codicib. MSS. fere ita esse testantur *Pier.* ad *Virg.*, *Drakenborch. Dausq.*, alii veteres atque recentiores. (Cf. *Müller, De re metr. p.* 471. et *Georges, Ausführl. Lat.-Gr. Handw. p.* 2604.): quamvis *succus* per duplex cc videatur receptior, non tamen, ut putat cl. *Furlanettus*, quod sit a supino *suctum*, t in c converso. — *b*) Formam *sucus, us,* m. 4., habent scriptores minus antiq.: hinc *sucus*, genet. sing., *Apul.* 9. *Met.* et *Isid.* 17. *Orig.* 9. 28.; *sucu*, ablat. sing., *Colum.* 9. *R. R.* 15. 12. cod. *Pol.*, *Pelag.* 9. et *Apic.* 7. 294. et 311.; *sucuum*, genet. plur., *Apul.* 10. *Met.*; et *sucus*, accus. plur., *Manil.* 3. 144. — *c*) Ratione habita etymi, *Forcellinus* ducit a sugo (Cf. *Do-*

nat. infra *cit.*) quod singula corporis membra, quantum ex eo opus est, exsugant attrahantque; *Furlanettus* vero ait derivari ab inusit. ὕγος, unde ὑγιής, sanus, qui nempe vitalibus humoribus abundet: tamen, quum id longe petitum mihi videatur ac duriusculum, vocem ab ead. rad., unde ὑγρόν, humor, libentius duxerim. Ceterum recentiores cum Gr. ὀπός, pro ὀκός, humor, et cum Germ. *saugen*, sugere, conjungunt. Cf. *Vaniçek*, *Gr.-Lat. Etym. p.* 990. et *Curt., Grundz. p.* 350. — Sucus est humor tam in animalium quam in plantarum corporibus, quo illa aluntur. Intelligitur autem humor aliquid habens crassitiei aut lentitudinis; nam purus liquor, qualis est aquæ, sucus non est. Hinc *Plin.* (cujus verba in SAPOR retulimus) negat, in aqua sucum esse. Græce est χυμός (It. *sugo o suco, umore;* Fr. *suc, sève;* Hisp. *suco, jugo;* Germ. *der Saft;* Angl. *juice, moisture, sap*).

I.) Proprie. — *a*) De animalibus et de plantis. *Plaut. Capt.* 1. 1. 12. Cochleæ in occulto latent: Suo sibi suco vivunt, si ros non cadit. *Ter. Eun.* 2. 3. 26. Color verus, corpus solidum et suci plenum. *bene nutrito, bene in carne:* bene habitum. Plenum et forte, inquit *Donat.*, non flaccidum. nam sucus est humor in corpore, quo abundant bene valentes: sucus proprie, quasi *sugus*, quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant; sucus est interior pinguedo membrorum. Sic *Apul. Apolog.* Facies decora et suci palæstrici plena. Contra *Auct. Priap.* 33. puella, Quæ suco caret, atque petra pumex. *Lucret.* 4. 618. sucum sentimus in ore, cibum quum Mandendo exprimimus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 120. Stirpes ex terra sucum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur. *Id. ibid.* 55. 137. Ex intestinis et alvo secretus a reliquo cibo sucus is, quo alimur, permanat ad jecur. *chilo.* et *Virg.* 3. *Ecl.* 5. Hic alienus oves custos bis mulget in hora: Et sucus pecori et lac subducitur agnis. *Tibull.* 1. 7. 13. Tum sucos herbasque dedi, queis livor abiret. *h. e.* sucos herbarum, ut *pateris et auro* apud *Virg.* V. ENDIADYS. *Ovid.* eadem sententia, 2. *Trist.* 455. Et quibus e sucis abeat de corpore livor. *Petron. Sat.* 88. Herbarum sucos exprimere. *Seneca Med.* 712. sucos legunt Lucis Suevi nobiles Hercyniis. *h. e.* herbas sucis plenas. *Ovid. Heroid.* 5. 109. Tu levior foliis, tum quum, sine pondere suci, Mobilibus ventis arida facta, volant. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (14). Vites sucum terræ uvis bibunt. *Id.* 28. *ibid.* 14. 58. *extr.* Sucus caprini capitis decocti. *Id.* 12. *ibid.* 28. 63. (135). nuci expressus. *Id.* 22. *ibid.* 25. 66. (136). ptisanæ. *Id.* 13. *ibid.* 1. 1. (2). rosæ. *et ibid.* 2. (14). unguenti. *Quintil.* 1. 10. 7. Varium florum et sucorum genus. *Colum. De cult. hort.* 408. *de persicis.* At nunc expositi parvo discrimine leti Ambrosios præbent sucos oblita nocendi. *h. e.* saluberrimos. Cf. *Virg.* 4. *G.* 415. *et* 418. *Pallad. De insit.* 15. Sucus dulcis. *Id. ibid.* 111. blandus pirorum. *Id. ibid.* 121. pinguis fici. *Auct. De hort.* etc. 7. *Wernsd.* sanguineus mororum. *Curt.* 6. 4. 22. Modico tepore sucus extinguitur. — *b*) De aliis liquoribus. *Ovid.* 2. *Met.* 119. *de equis Solis.* ignemque vomentes Ambrosiæ suco saturi. (Adde *Virg.* 12. *Æn.* 419.) *Id.* 10. *ibid.* 176. et suco pinguis olivi Splendescunt. *Tibull.* 1. 11. 47. Pax aluit vites et sucos condidit uvæ. *Sil. It.* 7. 169. pocula sucis mulcere Lyæi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (113). Sucus lactis. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 233. sparsosque bibunt violaria sucos. *la rugiada.* et *Lucan.* 3. 237. bibunt tenera dulces ab arundine sucos. *zucchero.* et *Horat.* 1. *Sat.* 4. 100. nigræ sucus loliginis. *Id.* 2. *ibid.* 8. 46. garum de sucis piscis Hiberi. *h. e.* liquamine. *Seren. Sammon.* 60. 1052. qui candidus ovi Sucus inest. *Pallad.* 3. *R. R.* 23. Suco villarum subdita loca. *h. e.* sterquiliniis. — *c*) Et de medicamentis. *Ovid. Heroid.* 2. 184. et 2. *Art. am.* 335. amari pocula suci. *et ibid.* 491. Illa Machaonios superant medicamina sucos. *Id.* 4. *Pont.* 3. 53. I, bibe, dixissem, purgantes pectora sucos. *Id. Heroid.* 12. 181. et 14. *Met.* 403. Sucus veneni. *Lucan.* 6. 581. Diris sucis conspergere aliquem. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 88. Accipiat sucum parvum, suculentum, mollem, lenem, calidum, digestibilem. *h. e.* cremorem aliquem. τὸν χυλόν.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice. — *a*) Est alimentum, τροφή. *Varro* 1. *R. R.* 23. Rectius in tenuiore terra seruntur ea, quæ non multo indigent suco. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (165). — *b*) Est etiam sapor, *gusto, sapore.* *Horat.* 2. *Sat.* 4. 70. Picenis cedunt pomis Tiburtia suco. *et ibid.* 8. 27. cenamus aves, conchylia, pisces, Longe dissimilem noto celantia sucum. *et ibid.* 4. 13. Ova suci melioris. *Ovid. Halieut.* 103. Piscis suco ingratus. *d' ingrato sapore.* ¶ 2. Figurate est vis, vigor, robur, copia, nervi, pondus: ductâ metaphorâ a corpore suci pleno et bene habito. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Att.* 16. *a med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. *Quintil.* 1. *procem. ad fin.* His omnibus admiscebitur dicendi ratio, quæ non modo studiosos instruat, sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. nam nudæ illæ artes nimia subtilitatis affectatione omnem sucum ingenii bibunt, et ossa detegunt. — *b*) Speciatim et commode ad orationem refertur. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 96. Ornatur oratio genere primum et quasi colore quodam et suco suo. *Id.* 2. *ibid.* 22. *sub fin.* Omnes etiam tum retinebant illum Periclis sucum, sed erant paullo uberiore filo. *Id. Brut.* 9. 36. Hæc enim ætas effudit hanc copiam: et, ut opinio mea fert, sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *Id. Orat.* 23. 76. Orationis subtilitas etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen sucum aliquem oportet, ut etiam, si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine. *Quintil.* 10. 1. *ante med.* Historia quoque alere orationem quodam molli jucundoque suco potest.

SŪCUS *vel* succus, us, m. 4. *V.* voc. præced. init.

SŪDĀBUNDUS, a, um, adject. (sudo) sudans, *pieno di sudore.* *Auct. Paneg. ad Pison.* 176. totaque ludos Turba repente suos jam sudabunda relinquit.

SŪDANS, antis, particip. *V.* SUDO.

SŪDĀRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* sudarium. parvum sudarium, linteolum. *Apul. de Mag.* Si hodie illud sudariolum tu intercepisses. Adde *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 5.

SŪDĀRĬUM, ii, n. 2. (sudo) linteum, quo sudor faciei detergetur et nares purgantur, καψιδρώτιον, ῥινόμακτρον (It. *fazzoletto, sciugatoio moccichino;* Fr. *mouchoir;* Hisp. *pañuelo, mocador;* Germ. *das Schweisstuch, Schnupftuch, Taschentuch;* Angl. *a napkin, handkerchief, sudary*). *Catull.* 12. 14. et 25. 7. Sudarium Sætabum. *Martial.* 11. 39. Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba. *Sueton. Ner.* 48. Adoperto capite et ante faciem obtento sudario, equum ascendit, quattuor solis comitantibus. Adde *eumd. ibid.* 25. et *alibi.* *Quintil.* 6. 3. 60. Quum reus, agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Sudario manus tergens, quod in collo habebat. *Val. Max.* 9. 12. *n.* 7. Sudario coartatis ore et faucibus, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 9. Aliqui ridiculum et plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium orariumque non habeas, gloriari. Adde *Quintil.* 11. 3. 148.

SŪDĀTĪLIS, e, adject. (sudo) qui in modum sudoris fluit. *Cassiod.* 5. *Variar.* 2. *de sucino.* Fit sudatile metallum, teneritudo perspicua, modo croceo colore rubens, modo flammea alacritate pinguescens.

SŪDĀTĬO, ōnis, f. 3. (sudo) actus sudandi, *il sudare*, ἵδρωσις.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 86. *ante med.* Piscinæ, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. 145. Roscida sudatio. — In plur. num. *Cels.* 3. 2. *a med.* Se primo die protinus sublaturos languorem aut dejectione aut vomitu aut sudationibus sperant.

II.) Translate. ¶ 1. Est locus ipse, in quo sudor elicitur, sudatorium, *stufa.* *Vitruv.* 5. 11. *ante med.* E regione frigidarii collocetur concamerata sudatio. ¶ 2. Est etiam modus seu adminiculum, quo sudatio excitatur. *Cels.* 2. 17. Quædam naturales sudationes.

SŪDĀTOR, ōris, m. 3. (sudo) qui sudat, ἱδρωτήρ. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (43). Dysentericis, sudatoribus, in longa tussi, in epiphoris, meracum.

SŪDĀTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SŪDĀTŌRĬUS, a, um, adject. (sudo) ad sudationem pertinens, ἱδρωτικός. *Plaut. Stich.* 1. 3. 73. Vel unctiones Græcas sudatorias vel alias malacas. Solebant enim Græci atque Romani, priusquam accubitum irent, in balneis sudare et inungi. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. *ante med. de fonte Aponi.* Fluentorum natura inhalat primæ cellulæ sudatoriam qualitatem. — Hinc

Sudatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, caldarium, vaporarium, Laconicum, locus in balneis testudinis instar constructus, ab igne sine fumo accensus ad eliciendum sudorem, *stufa, luogo da sudare,* ὑπόκαυστον. *Seneca Vit. beat.* 7. Circa balnea et sudatoria ac loca ædilem metuentia. *Id. Ep.* 51. *ante med.* Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis? in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur.

SŪDĀTRIX, trīcis, f. 3. (sudator) *Martial.* 12. 18. Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat. *h. e.* quæ sudorem elicit, quippe quæ ampla et gravis sit.

SŪDĀTUM, i, n. 2. (sudis) munimentum valli ex sudibus factum. *Veget.* 4. *Milit.* 16. Musculos dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores sudatum auferunt. Vox cadentis Latinitatis. Hinc *Maur. tact.* 11. 27. σουδάτων ἐργασίαι. V. *Schwebel* in adnot. ad *h. l.*

SŪDĀTUS, a, um, particip. *V.* SUDO.

SŪDES, is, f. 3. *V.* SUDIS.

SŪDĬCŬLUM. *V.* SUDUCULUM.

SŪDĬFĬCUS, a, um, adject. (sudus et facio) serenum seu sudum inducens, *che fa sereno.* Affertur hæc vox in *Thesauro L. L.* confirmaturque duobus carminibus ex *Gell.* 2. 22. *et* 30., quæ quidem carmina in *Gellio* non inveniuntur nisi Græca, quæ aliquis, forte in Latinum vertens, Græcum αἰθρηγενέτης transtulit *sudificus.*

SŪDIS (sudes), is, f. 3. « De positione recti casus, inquit *Forcellinus*, nihil adhuc vidi. Si *sudiculum* deminutivum est a *sude*, videtur *sudis* in recto præferendum. Sic enim et a *fidis* est *fidicula* et a *mollis molliculus* etc., contra *trabecula* a *trabes* et *plebecula* a *plebes*. Adde, quod *sudis*, nomen piscis, satis confirmat, *sudis* de conto rectius dici, quam *sudes* ». Ita et recentiores sentiunt, adeo ut positionem *sudes* rejicere non dubitent. — Etymon vocis incertum est: *Döderlein op. cit. v.* 6. *p.* 356. conjungit cum ὄζος, nodus, ramus arboris, a them. ὀδ. — Sudis est pertica, contus, vallus, χάραξ (It. *pertica, palo, bastone, asta;* Fr. *piquet, échalas;* Hisp. *piquete, estaquilla;* Germ. *e. Pfahl;* Angl. *a thick stake*).

I.) Proprie. — *a*) In re rustica. *Virg.* 2. *G.* 25. Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos. *et ibid.* 359. Fraxineasque aptare sudes furcasque bicornes. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 24. (101). et *ibid.* 22. 35. (174). et 14. *ibid.* 1. 3. (13), quibus locis et sæpi muniendæ et viti pedandæ sudes adhibentur. — *b*) Sæpe in re militari, usum enim habet præcipue in bellis. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Fossas transversas viis præducit atque ibi sudes stipitesque præacutos defigit. *Id.* 5. *B. G.* 18. Ripa acutis sudibus præfixis munita. *et ibid.* 39. et *Virg.* 7. *Æn.* 524. Sudes præustæ. *Sil. It.* 6. 559. jaciuntque sudes et inania tela. *Lucan.* 6. 174. Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto Detrudit muris. *Ovid.* 12. *Met.* 299. Qua juncta est humero cervix, sude figit obusta. Ingemuit duroque sudem vix esse revellit Rhœtus. *Liv.* 40. 6. *ad fin.* Multa

vulnera sudibus facta. *et* 26. 51. Sudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt. Utroque loc. alii leg. *rudibus*. et *Sil. It.* 8. 552. vibrare sudem, tramittere saltu Murales fossas etc. Cf. *Pallad. de insit.* 93. Pro sudibus fetis et pro prægnantibus armis.

II.) Improprie, a similitudine, est piscis (*Esox Sphyræna* Linn.), de quo *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 54. (154). Sunt præterea a nullo auctore nominati, sudis Latine appellatus, Græce sphyræna rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed non degener. Itali vocant *pesce argentino*. Cf. *Varron.* 5. *L. L.* 77. *Müll.* Vocabula piscium pleraque translata a terrestribus ex aliqua parte similibus rebus, ut anguilla, singulaca, sudis. *V.* SUADENA.

III.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Juvenal.* 4. 127. *de rhombo pisce.* peregrina est bellua. cernis Erectas in terga sudes? *h. e.* spinas præacutas. (Hoc sensu usurpat etiam *Prudent. Apotheos.* 127.) *Apul.* 7. *Met.* Saxeas sudes incursando conterebam. *h. e.* acutas cautes. ¶ 2. Speciatim est stimulus. *Vulgat. interpr. Ital.* 2. *Cor.* 12. 7. apud *Tertull. De jud.* Datum sibi sudem, angelum Satanæ, a quo colaphizetur. *Noster* habet *stimulus*. Cf. *Jos.* 23. 13.

SŪDO, as, āvi, ātum, are, 1. Ratione habita etymi, ducunt a rad. Skr. *svid* ejusd. significationis, unde et Gr. ἴδος, ἰδίω. Cf. *udus*. — Part. *Sudans* sub *A* I. 1. *a*, 2. *b* et *B* II.; *Sudatus* sub *B* I. et II. — Sudo est sudorem emitto, ἱδρόω (It. *sudare*; Fr. *suer*; Hisp. *sudar*; Germ. *schwitzen*; Angl. *to sweat*): usurpatur autem *A)* Intransitive; et *B)* Transitivorum more.

A) Intransitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Asin.* 2. 2. 23. quando qui sudat, tremit. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 273. Quum ille diceret, se sine causa sudare; minime mirum, inquit, modo enim existi de balneis. *Id.* 2. *Divinat.* 27. 55. Deorum sudasse simulacra, nunciatum est. *Horat. Art. P.* 413. Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit. *Ovid.* 4. *Met.* 707. navis præfixo concita rostro Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis. *Seneca Ep.* 15. Bibere et sudare vita cardiaci est. *Petron. Sat.* 116. In montem sudantes conscendimus. *Jul. Valer.* 2. *res gest. Alex. M.* 31. Calente etiam tum et sudante corpore. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 190. Recte sudantibus pulsus erectior, respiratio facilior ac levior efficitur. — Passive. *Id.* 5. *Tard.* 10. 128. Neque impossibile putandum per intestinorum cavitatem sudari. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de quocumque humore. — *a*) Cum addito Abl. rei, qua quis sudat. *Enn.* apud *Non. p.* 504. 33. *Merc.* Franguntur hastæ, terra sudat sanguine. Sic *Lucret.* 6. 1147. Sudabant etiam fauces intrinsecus atræ Sanguine. *et Liv.* 27. 4. *ad fin.* Quattuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Rursum *Lucret.* 6. 942. in speluncis saxa superna Sudant humore. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 582. *Id.* 1. *G.* 117. cavæ tepido sudant humore lacunæ. *Sil. It.* 2. 435. Heu, quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore! Adde *Flor.* 2. 8. 3. — *b*) Absolute. *Virg.* 1. *G.* 480. Et mœstum illacrimat templis ebur æraque sudant. *Id.* 2. *G.* 118. odorato sudantia ligno Balsama. *Sil. It.* 7. 191. sudat dulcis humor ab uvis. *Martial.* 14. 221. Parva tibi curva craticula sudet ofella.

II.) Translate. seu prægnanti, ut ajunt, sensu, est vehementer laborare: quia magnum laborem sudor consequitur. — *a*) Universim. *Ter. Phorm.* 4. 3. 23. Sudabis satis, si cum illo inceptas homine. *Lucret.* 5. 1128. incassum defessi sanguine sudant, Angustum per iter luctantes ambitionis. *Cic.* 3. *Fam.* 12. *a med.* Vides sudare me, jamdudum laborantem, quomodo ea tuear et te non offendam. *Stat.* 5. *Theb.* 443. *de Hyla.* Lernæaque tollens Arma, sub ingenti gaudet sudare pharetra. *Propert.* 4. 1. 70. Has meus ad metas sudet oportet equus. *Quintil.* 8. 3. 14. In mancipii redhibitione sudare. — *b*) Poetice cum infinito. *Stat.* 10. *Theb.* 526. et ferrea sudant Claustra remoliri. — c) Passive impersonaliter. *Cic. Sext.* 66. *circa med.* Sudandum est his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ etc. *Sil. It.* 13. 72. Quidquid ad Idæos Xanthum Simoentaque nobis Sanguine sudatum est. *Seneca Ep.* 4. *extr.* Parabile est, quod natura desiderat: ad supervacua sudatur.

B) Transitive.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vigilandæ noctes et fuligo lucubrationum bibenda et in sudata veste durandum. — *b*) Latiore sensu est humorem aliquem emittere. *Virg.* 4. *Ecl.* 30. Et duræ quercus sudabunt roscida mella. *et* 8. *ibid.* 54. Pinguia corticibus sudent electra myricæ. *Nemesian. Ecl.* 1. 76. dulcia mella Sudabunt taxi. *Martial.* 13. 101. Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri. *Justin.* 36. 3. 4. Arbores certo anni tempore balsamum sudant. *Colum. De cult. hort.* 18. nec strenua toxica sudat. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 63. Lienosos, quorum gengivæ sudaverint sanguinem, phlebotomat. — Passive. *Tac. Germ.* 45. *a med.* Nemora Orientis, ubi tura et balsama sudantur. *Ovid.* 10. *Met.* 308. Cinnamaque costumque suam sudataque ligno Tura ferat.

II.) Translate est vehementer laborando aliquid perficere. *Prudent.* 2. *Cathemer.* 76. Jacob luctator Angeli Sudavit impar prœlium. Adde *Claudian. Epith. Honor.* 111. *Id. III. cons. Honor.* 145. quem merui te non sudante triumphum? *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 1207. (*Gruter.* 336. 5.) AD DIVORTIA RHENI PERVASI HOSTILES DEPOPVLATOR AGROS DVM TIBI BELLA FORIS AETERNAQVE SVDO TROPAEA. *Pers.* 5. 149. ut nummi, quos his quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces. *h. e.* parere, laborando et sudando quasi emittere. *Sil. It.* 4. 435. multoque labore Cyclopum Sudatum thoraca capit. *Claudian. II. cons. Stilich.* 94. Lingonico sudatas vomere messes. *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 16. sudata marito Fibula. *h. e.* a marito. *Id. Epigr.* 23. 12. zona castæ manibus sudata Serenæ. *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 550. Sudata bella — *Sudatus labor*, sudando exanclatus. *Stat.* 5. *Theb.* 189. gelidoque labor sudatus in Hæmo. Adde *Sil. It.* 3. 91. Sic *Pacat. Paneg. Theodos.* 8. Actæ sub pellibus hiemes, æstates inter bella sudatæ.

SŪDOR, ōris, m. 3. (sudo) humor per cutem animalis erumpens aut labore aut metu aut morbo, ἱδρώς (It. *sudore*; Fr. *sueur*; Hisp. *sudor*; Germ. *der Schweiss*; Angl. *sweat*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Enn. Ann.* 399. timido manat ex omni corpore sudor. Sic *Lucret.* 6. 944. manat nobis e toto corpore sudor. *Cic.* 3. *Orat.* 2. 6. Tum latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus, ex quo quum coborruisset, cum febri domum rediit. *Id.* 1. *Divinat.* 34. 74. Herculis simulacrum multo sudore manavit. *Petron. Sat.* 6. *extr.* In cursu fatigatus et sudore jam madens. *Virg.* 12. *Æn.* 338. Equi sudore fumantes. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 10. cum sudor ad imos Manaret talos. *Phœdr.* 4. 24. Juvenes sudore multo diffluentes corpora. *Seneca Ep.* 11. Quibusdam etiam constantissimis sudor erumpit. Rursus *Virg.* 5. *Æn.* 200. sudor fluit undique rivis. *Ovid.* 9. *Met.* 57. sudore fluentia multo Brachia. *Flor.* 2. 4. Alpina corpora mox ut caluere pugna, statim in sudorem eunt. *Sueton. Ner.* 24. Sudorem frontis brachio detergere. *Martial.* 5. 79. Sudor inhæreret madida ne veste retentus. *Petron. carm. min. t.* 4. *p.* 286. *Wernsd.* sudor quoque proluit ora Et mentem timor altus habet. — Cum adjectivis qualitatis. *Seneca Troad.* 487. Sudor per artus frigidus totos cadit. *et Œdip.* 923. gelidus fluit Sudor per artus. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 632. Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus. *et Virg.* 3. *Æn.* 175. gelidus toto manabat corpore sudor. *et* 2. *ibid.* 174. salsusque per artus Sudor iit. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Nudus sudor. *h. e.* athletarum, qui nudi sunt: opponitur autem illi, qui in veste perferendus est. Hinc *ibid.* In sudata veste durandum. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 189. Sudor diaphoreticus. *et ibid.* criticus. *et ibid.* 190. inæqualis malus. *et ibid.* modicus bonus, immodicus malus. *et ibid.* salutaris calidus, tenuis et non male redolens. *et mox.* perniciosus frigidus et sucidus et loturæ carnis similis. *et ibid.* 32. 167. repentinus et coacervatus per totum corpus. *et mox.* parvus, aquatus, crassus et tractuosus atque viscosus. *Id.* 1. *ibid.* 9. 69. extentus. *et* 2. *ibid.* 10. 71. fervens. *et mox.* igneus. *et* 1. *Tard.* 4. 65. roscidus rigenti corpore. — Cum aliis verbis. *Nepos Eumen.* 5. *a med.* Sudorem excutere. *h. e.* elicere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 44. (75). Sudore diffluere. *Id.* 7. *ibid.* 18. 18. (78). Sudorem emittere. *Id.* 27. *ibid.* 9. 48. (72). evocare. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (115). ciere. *Cels.* 2. 17. (et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 60. [101]. et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. 64.) movere. *Id. ibid.* (et *Cels.* 2. 12.) elicere. et 9. 38. (60). facere. *far sudare.* et *Scribon. Compos.* 217. ducere. *h. e.* ciere, elicere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 57. (196). sistere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 25. (50). coercere. *et ibid.* 9. 81. (161). cohibere. *et ibid.* 4. 39. (79). discutere. *Id.* 28. *ibid.* 19. 79. (260). inbibere. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (142). reprimere. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (185). sedare. — In plur. num. *Lucret.* 3. 155. Sudoresque ita palloremque exsistere toto Corpore. Adde *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 20. (30). et 27. *ibid.* 9. 48. (72). *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 36. 188. Multi etiam imperiti medici prosperos atque mediocres sudores constringentes morbosa ægrotantibus reddiderunt corpora. Adde *eumd.* 4. *Tard.* 3. 36. et *alibi.* ¶ 2. Latiore sensu est quivis humor sudoris modo erumpens. *Ovid.* 2. *Met.* 198. Scorpios nigri madidus sudore veneni. *Varro* 5. *L. L.* 24. *Müll.* Hinc sudor quivis deorsum in terra, imber. Alii aliter leg. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 11. 21. (52). Primus sudor picis aquæ modo fluit canali *etc.* Sequens liquor crassior jam etc. *Id.* 23. *ibid.* 8. 79. (151). Sudor virgæ corni arboris, lamina ferrea candente exceptus. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (186). Alumen est sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus. *Id.* 11. *ibid.* 12. 12. (30). *de melle.* Sive ille est cæli sudor, sive quædam siderum saliva. — *Sudor maris* apud *Lucret.* 2. 464. est ipsa aqua marina. Alii legunt *udor*, h. e. humor. — Sæpe, inquit *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 15. *sub fin.*, colligitur roris modo tenuis et dispersus liquor, qui ex multis in unum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttæ quædam vel pressura loci eliduntur, vel æstu evocantur. — In plur. num. *Vitruv.* 8. 1. *ante med.* In terra autem nigra sudores et stillæ exiles inveniuntur, quæ ex hibernis tempestatibus collectæ, in spissis et solidis locis subsidunt. *Ulp. Dig.* 43. 19. 1. *ante med.* Si aqua sudoribus manando, in aliquem primum locum effluere atque ibi apparere incipit, ejus hoc esse caput dicemus. *a goccia a goccia.*

II.) Metonymice est labor, *fatica*. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Salmacida spolia sine sudore et sanguine. *Plaut. Merc.* 4. 1. 8. eodem accedit servitus, sudor, sitis. *Cic.* 1. *Orat.* 60. *ad fin.* Stilus ille multi sudoris est. *Id. Font.* 1. *a med.* Multo ejus sudore ac labore sub populi R. dicionem ceciderunt. *Virg.* 9. *Æn.* 458. phaleras multo sudore receptas. *Stat.* 5. *Theb.* 124. Plena mihi domus atque ingens, en cernite, sudor. *h. e.* labor in pariendo. *Quintil.* 5. 7. 1. Maximis tamen patronis circa testimonia sudor est. *Id.* 6. 4. 6. Ambitiosum declamandi sudorem præstitisse. *Seneca Ep.* 31. Non est viri timere sudorem. *Tac. Germ.* 14. Sudore acquirere quod possis sanguine parare. *Vellej.* 2. 118. 3. Summo cum sudore consequi. *Capitolin. Maximin.* 2. *extr.* Sexdecim lixas (*in militari ludo*) uno sudore devicit. *et ibid.* 3. Septem fortissimos milites uno sudore vicit. *h. e.* uno labore et non interquiescendo. *Cajus* 3. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 146. Si gladiatores ea lege tibi tradiderim, ut in singulos, qui integri exierint, pro sudore denarii XX. mihi darentur. *h. e.* pro pugna gladiatoria.

SŪDŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (sudor et fero) qui sudorem fert seu elicit, *sudorifero*. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 21. *ante med.* Si cardiacum sudore defluentem calido lavacro vel sudoriferis vaporibus velit adjuvare.

SŪDŌRUS, a, um, adject. (sudor) sudore ma-

dens, sudato. *Apul. Florid. n.* 16. Sudore affatim corpore, diutine obrigui.

SŪDŬCŬLUM (sudiculum), i, n. 2. (sudo) *Sudiculum* legendum et a *sudis* (V. hanc voc.) duci posse existimat *Forcellinus* noster; obstat tamen primæ syllabæ quantitas et recentiorum ab eo dissensus. — Suduculum est id, quod sudorem exprimit. *Paul. Diac.* ex *Fest.* p. 336. 7. *Müll.* Sudiculum, flagelli genus erat, quod vapulantes sudantes facit. *Plaut. Pers.* 3. 3. 13. Vir summe populi, stabulum servitutium, Scortorum liberator, sudiculum flagri, Compedium tritor, pistrinorum civitas. *h. e.* qui sæpius exercendo ipsum quasi flagrum sudare faciat. Alii nullo commodo sensu leg. *subiculum*, quasi qui flagris subjicitur. Utrobique tamen *suduculum* legend. esse monent recentiores.

SŪDUM. *V.* voc. seq. in fin.

SŪDUS, a, um, adject. *Festus p.* 294. 30. *Müll.* « Sudum Verrius ait significare subudum. sed auctorum omnium fere exempla volunt, ut sudus siccum significet. Sudum enim quasi seudum, idest sine udo, ut securus sine cura dictum est ». Aliud tamen etymon exponit cl. *Vanicek, op. cit. p.* 357., ita ut vox conferri possit cum Gr. εὔδιος, serenus. — Sudus est serenus et siccus, αἴθριος (It. *sereno ed asciutto;* Fr. *sec, pur, serein;* Hisp. *sequedad, sereno;* Germ. *heiter, umbewölkt;* Angl. *fair and dry*). *Lucil.* apud *Non. p.* 31. 14. *Merc.* nec ventorum flamine flando suda secundent. Sic *Varro ibid. p.* 234. 7 sudum flamen venti. *Virg.* 4. *G.* 77. *de apib.* Ergo ubi ver nactæ sudum camposque patentes, Erumpunt portis. (*Philargyr.* ad hunc loc., *Non. p.* 31. 14. *Merc.* et *Serv.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 529. cum *Verrio* sentiunt, et exponunt subhumidum et semihumidum: sed standum est a *Festo.*) *Apul.* 11. *Met.* Cælum autem, nubilosa caligine disjecta, nudo sudoque luminis proprii splendore candebat. *Id. de deo Socrat.* Sudæ nubes. *secche:* quod multi legunt etiam apud *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 26. *extr. Alcim.* 1. 33. et 233. Aer sudus. — In illo etiam *Arnob.* 7. *p.* 212. Nisi forte hostiarum Deus animas devorat pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc suda de sanguine et prioribus humecta de sucis. *sudus,* ut *Verrius, Philarg.* et *Nonius* volunt, est subudus, subhumidus. (Cf. *loc. Virg.* supra *adl.*) Sed alii leg. *uda;* veri tamen similius legend. est *subuda.* — Hinc

Sudum, i, n. 2. (*subaud.* cælum) absolute, substantivorum more, cælum serenum, *ciel sereno,* αἴθρα; præsertim post pluviam. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 1. Curate, ut splendor meo sit clipeo clarior, Quam solis radii esse, quum sudum est, solent. *Id. Rud.* 1. 2. 34. exsiccare arundines, Qui pertegamus villam, dum sudum est. *Cic.* 16. *Fam.* 18. *a med.* Horologium mittam et libros, si erit sudum. *Virg.* 8. *Æn.* 528. Arma inter nubes, cæli in regione serena, Per sudum rutilare vident. Adde *Val. Flacc.* 2. 115. *Tertull. Pall.* 2. Substillum et denuo sudum.

Sudum, adverbii modo, cum serenitate. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 79. metalli lux argentei Sudum polito prænitens purgamine.

SŬĔO, sues, (suēvi, suētum) suere, n. 2. Poetæ modo trisyllabon faciunt, modo, per synæresin, bisyllabon: cf. *tenvis* pro *tenuis.* de rem consulas *Lachmann* ad *Lucret. p* 409. *et seqq.* et *Müller, De re metr. p.* 262. Vide tamen ex eo, quod dictum est in v. CONSUESCO init., quid de hac verbi forma conjiciendum sit. — Ratione habita etymi, recentiores alii ducunt a rad. Skr. *svadh,* assuefacio, alii ab eadem rad., unde et *suus,* perinde ac *sueo* sit *proprium habeo seu facio.* — Sueo est soleo, *essere so to,* εἴω, ἐθίζομαι, et construitur cum infinito. *Lucret.* 1. 54. Appellare suemus et hæc eadem usurpare. Adde 4. 370. *Id.* 1. 301. Usurpare oculis, nec voce cernere suemus. — Pro præterit. *V.* SUESCO.

SŬĔRA, æ, f. 1. (sus, suis et sueris) caro porcina. *Varro* 5. *L. L.* 110. *Müll.* Offula dicta ab offa minimæ sueræ. Ita leg. *Turneb.;* alii *minima e suere.*

SUBRICULUM, i, n. 2. *deminut. a* sus, cujus genetivus olim fuit *sueris* (V. SUS): videtur esse frustum carnis porcinæ. Vox tamen a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 167. Offa, offula, ofella, suericulum.

SUESCO, suescis, suēvi, suētum, suescere, 3. *inchoat. a* sueo. — In præterit. est etiam disyllabon, ut *suevit* apud *Propert.* et *Claudian. loc cit.*, et sæpe syncopen patitur, ut *suesti, suerit, suesse* etc. pro *suevisti, sueverit, suevisse* etc. *V.* has formas in subjectis exempl. — Part. *Suetus* in fin., quod et disyllabon est, ut apud *Virg.* et *Lucan, loc. cit.* — Suesco est consuesco, assuesco, *assuefarsi,* ἐθίζομαι: et occurrit ¶ 1. Neutrorum more. — *a*) Cum Dativo. *Tac.* 2. *Ann.* 44. Drusus in Illyrium missus est, ut suesceret militiæ. *Auson. Epist.* 16. 91. natus tuus Suescat peritis fabulis Simul jocari et discere. — *b*) Cum Infinito. *Lucret.* 6. 953. quin ferri quoque vim penetrare suevit. *Id.* 5. 53. dare dicta suevit. *Id. ibid.* 912. gemmis florere arbusta suesse. *Propert.* 4. 10. 17. Urbis virtutisque parens sic vincere suevit. *Cic.* in *Arat.* 2. *Nat. D.* 43. 111. Has Græci stellas Hyadas vocitare suerunt. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 488. arcanaque suevit Prodere. *Id.* 1. *in Eutrop.* 194. neglectaque sueverat arcæ Claustra remoliri. *Sil. It.* 15. 766. Romanæ vulnera suerint Quanta afferre manus. Quidam tribuunt et *Cic.* 6. *Fam.* 8., sed ibi pro *cum suescerent* alii rectius leg. *consuessent.* — *c*) Sine Infinito, qui facile subauditur. *Cic.* 15. *Fam.* 8. *extr.* A te id, quod suesti, peto. ¶ 2. Active cum accusativo. *Tac.* 2. *Ann.* 52. Ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret. *h. e.* assuefaceret milites. Alii tamen referunt ad ipsum Tacfarinatem. — Hinc Part. præter.

Suetus, a, um, adjectivorum more usurpatum, est assuetus, *assuefatto, avvezzo, solito,* εἰωθώς, ἐθιστός. Occurrit — *a*) Cum Dat. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Lacus suetas aquis volucres non patitur. *Id.* 2. *Ann.* 52. Sueti latrociniis. *Id.* 14. *ibid.* 27. Neque conjugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti. *Lucan.* 1. 325. Bella nefanda parat, suetus civilibus armis. — *b*) Cum Acc. et præp. *apud. Tac.* 1. *Ann.* 64. Sueta apud paludes prœlia. — *c*) Cum Infinito. *Sall. fragm.* apud *Augustin.* 2. *Civ. D.* 18. Discordia et avaritia atque ambitio, secundis rebus oriri sueta mala. *Lucret.* 2. 902. porro ex aliis sentire suetis. *Liv.* 5. 43. *extr.* Abstinere suetus ante talibus conciliis. *Virg.* 3. *Æn.* 541. equi curru succedere sueti. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 17. furesque feræque suetæ Hunc vexare locum. — *d*) Absolute. *Tac.* 2. *Hist.* 80. Suetum conturbernium. *Apul.* 6. *Met.* Suetum ducit vestigium. *Id.* 9. *ibid.* Sueta cibaria.

Suetum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, consuetudo, mos. *Apul.* 4. *Met.* Se ad sectæ sueta conferunt.

SUĒTŪDO, ĭnis, f. 3. (sueo) idem ac consuetudo. *Paulin. Pell. Euchar.* 179. Cogeret invectum blanda suetudine ritum Deserere, *et ibid.* 271. Allicerent et contra animum suetudo quietis, Otia nota domus. Adde *Auson. Edyll.* 4. 16.

SUĒTUS, a, um, particip. *V.* SUESCO.

SŪFES *vel, minus recte,* suffes, ĕtis, m. 3. *Sufetis,* abl. plur., pro *sufetibus* leg. *Müllerus* ad *Fest. loc.* infra *adlat.* V. in *Suppl. Annot.* ad *h. l.* — Origo vocis est petenda ab Hebr. seu Punic. שפט *shophet,* defensor, liberator et etiam judex, a v. שפט *shaphat,* defendit, tutatus est, servavit, unde et judicavit. V. *Grätz, Geschicht. d. Jud. t.* 1. *p.* 408. — Sufes fuit supremus apud Carthaginienses magistratus, non tamen proprie eo sensu intelligendus, quo *shophet* seu judex apud Hebræos, ut vult *Forcellinus;* hic enim, bello exorto, erat dux exercitus, et post dimissos milites, ut ait *Bertram* (*De rep. Hebr. p.* 110.) privatus vivebat et nonnumquam etiam de politicis rebus consulebatur; hinc factum est, ut et judex appellaretur, quamvis liberandi notio ei proprie tribuenda sit. (V. *Jud.* 3. 16. *et* 18. *et* 13. 5., 1. *Sam.* 24. 16., *Ps.* 72. 4., 82. 3. etc. Cf. etiam *Vigouroux, La Bibl.* etc. *t.* 3. *p.* 244. et *H. Ewald, Gesch. d. Volk. Isr.* 3. ed. II. *p.* 509.) *Liv.* 28. 37. Mago ad colloquium sufetes eorum (*Gaditanorum,* qui Carthaginensium colonia erant), qui summus Pœnis est magistratus, cum quæstore elicuit. *Id.* 30. 7. Senatum itaque sufetes. quod velut consulare imperium apud eos (*Carthaginienses*) erat, vocaverunt. Adde *eumd.* 38. 37. etc. *Fest. p.* 309. 29. *Müll.* Sufes dictus Pœnorum magistratus, ut Oscorum meddix tuticus. Calidius in oratione in Q. Cæcilium: Nonne vobis, judices, scintillam et fumus prosequi et fumum flamma videtur? Senatus censuit, referentibus sufetis. (pro *sufetibus:* fortasse ad evitandam repetitionem τοῦ *ibus.* V. init.) *Seneca Tranquill.* 3. *a med.* Non vis enim nisi consul aut prytanes aut ceryx aut sufes administrare rempublicam. *Tab. aen.* apud *Gruter.* 470. 2. AGENTE CELERE MILCHONIS GYLASSAE FILIO SVFETE. Adde aliam *ibid.* 1. — De sufetibus apud Carthaginienses *V.* etiam *Bochart, Geogr. sacr. p.* 472. et *Marquardt, Röm. Staatsverw.* 1. 313.

SUFFARCĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUFFARCĪNO *vel* subfarcino, as, ātum, are, a. 1. (sub *et* farcino) Part. *Suffarcinatus.* — Suffarcino est onero, impleo, quasi sarcinis et involucris onero, συνσκευάζω (It. *caricare, empire, affardellare;* Fr. *charger, surcharger;* Hisp. *cargar, enfardelar, sobrecargar;* Germ. *voll stopfen, voll packen;* Angl. *to stuff, load, fill*).

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 2. 3. 10. Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis. *Ter. Andr.* 4. 4. 30. Verum. vidi Cantharam suffarcinatam. *Apul.* 9. *Met.* Veteratricem feminam multis exorat precibus multisque suffarcinat muneribus. *Id. ibid.* Munificentia publica saginati vaticinationisque crebris mercedibus suffarcinati piissimi illi sacerdotes. *carichi di regali.*

II.) Translate. *Id.* 10. *ibid.* At ego, quamquam jam bellule suffarcinatus, esurienter exhibitas escas appetebam. *h. e.* affatim cibis saginatus et obesus factus. *Cassiod. Inst. divin. litter.* 28. Non aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus et doctor suavissimus et martyr beatissimus.

SUFFARRĀNĔUS, subfarraneus *et*

SUFFARRĀNĬUS, a, um, adject. (sub *et* far) qui far in castra convehit. *Plin* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (135). Cicero auctor est, P. Ventidium mulionem castrensem suffarraneum fuisse. *scil.* his sermo est de P. Ventidio Basso, cujus ita meminit *Cic.* 10. *Fam.* 18. Ventidii mulionis castra despicio. Hic porro, ut ait *Gell.* 15. 4. victum sibi ægre quæsivit et sordide invenit comparandis mulis et vehiculis: qui tamen ann. U. C. DCCXI. consul fuit: de quo est lepidum *epigr.* 8. inter *Catal. Virgil.* Ita *Furlanettus* in *Append.;* sed aliter leg. recentiores. V. *Sillig.* not. crit. ad *Plin. loc.*

SUFFECTĬO *vel* subfectio, ōnis, f. 3. (sufficio) ¶ 1. Est substitutio, supplementum, *sostituzione. Tertull. Anim.* 28. Animarum alterna mortuorum atque viventium suffectio. *Censorin. De die nat.* 4. 2. Suffectio prolis. At *Gruber* leg. *successio.* ¶ 2. Est etiam adjectio, adpositio. *Arnob.* 5. *p.* 166. Putorem temperare suffectione unguentorum. *Id.* 7. *p.* 212. Numquid forte dii aluntur his sacris et ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus est suffectione materiæ? — In plur. num. *Id.* 7. *p.* 251. Obsita squamis terga, macularum suffectionibus varia. Alii interpretantur ita, ut sit tinctura.

SUFFECTŪRA *vel* subfectura, æ, f. 1. (sufficio) supplementum. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 28. *a med.* Suffectura est quodammodo spiritus animæ.

SUFFECTUS a, um, particip. *V.* SUFFICIO.

SUFFECTUS, us, m. 4. (sufficio) suffectio. In sexto casu *Ennod. Dict.* 7. Multiplicate suffectu licentiæ parentum titulos.

SUFFERCĬO et

SUFFERCĪTUS et SUFFERCTUS *V.* SUFFERTUS.

SUFFĔRENTER, adverb. (suffero) patienter. *Anecd. Helv. p.* 213. 21. *Hag.*

SUFFĔRENTIA *vel* subferentia, æ, f. 1. (sub

et fero) tolerantia, *sofferenza, tolleranza. Vulgat. interpr. Ital. Jac.* 1. 3. et 4. Probatio vestra operatur sufferentiam; sufferentia autem opus consummatum habet. *et Noster ibid.* 5. 11. Sufferentiam Job audistis. Adde *Tertull. Orat.* 4. *a med.* et 4. *advers. Marcion.* 15.

SUFFERMENTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *suffermento*, aliquantulum fermentatus. *Tertull. advers. Valentin.* 17.

SUFFĔRO *vel* subfero, suffers, sustŭli, sublātum, sufferre, a. anom. (sub *et* fero) Etiam *suffero, is, it*, usurpatum vulgo fuisse arguitur ex illo *Vulgat. interpr. Ital.* 1. *Cor.* 13. 7. Caritas omnia sufferit *pro* suffert, quod habet *Noster*. Cf. *feris* pro *fers* apud *Firmic. De err.* 24. — Præteritum *sustuli* ad formam *sustollo*, quod ab inusit. *tulo* (τλάω), unde et *tollo* et deinde *tolero*, refertur. *V.* FERO init. — Part. *Sufferendus* II. 1. — Suffero est subter fero, subjicio (*It. sottoporre; Fr. porter sous, soumettre, placer sous; Hisp. poner debaxo, someter; Germ. unter etw. tragen, - bringen, unterhalten; Angl. to bear, support*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut.* apud *Non. p.* 397. 1. *Merc.* Intro ad uxorem: sufferamque meum tergum ob injuriam. *Id. Pœn.* 4. 2. 33. Ut enim ubi mihi vapulandum est, tute corium sufferas. ¶ 2. Speciatim est suppeditare, sufficere, *somministrare. Varro* 2. *R. R.* 4. *a med.* Nutricare octonos porcos parvulos primo possunt: incremento facto, a peritis dimidia pars removeri solet, quod mater neque potest sufferre lac, neque congenerati alescendo roborari. — Hinc translate, apud JCtos, *sufferre æstimationem*, h. e. offerre vel præstare vel exsolvere. *Ulp. Dig.* 21. 2. 21. Si venditor victus litis æstimationem sustulerit. *Cajus ibid.* [illegible] 1. 69. *extr.* Ut ob hoc delictum quasi litis æstimatio a legatario sufferatur heredi. Cf. tamen *Dirksen, op. cit.* ad *h. v.* ¶ 3. Item subsisto, par sum, non cedo, hinc sustineo, *resistere, star saldo, non cedere, portare, sostenere. Sueton. Cal.* 50. Ut stare, colligere semet ac sufferre vix posset. *Arnob.* 2. *p.* 83. An axis eum (*mundum*) sustineat, an ipse se potius vi propria sufferat.

II.) Figurate. ¶ 1. Est perfero, sustineo. *Plaut. Merc.* 1. 2. 4. Vix suffero hercle anhelitum, *appena posso respirare*: vix recipio spiritum: et ut *id. ibid.* ait 15. animam nequeo vertere. *Ter. Heaut.* 3. 1. 43. Satrapes si siet amator, numquam sufferre ejus sumptus queat, nedum tu possis. (*Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. *sub fin.* Non si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem.) *Virg.* 2. *Æn.* 491. Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra nec ipsi Custodes sufferre valent. — *Sufferre laborem, vulnera* etc., sustinere, tolerare, ferre, *soffrire, tollerare, sopportare. Plaut. Asin.* 3. 2. 11. Qui me vir fortior est ad sufferendas plagas? *Id. Merc.* 5. 2. 20. Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim. *Varro* 2. *R. R.* 8. *a med.* In mulis spectanda ætas, ut vecturis sufferre labores possint. *Lucret.* 5. 1301. boves Lucas Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni Sufferre. *Propert.* 3. 20. 21. Quod superest, sufferte pedes, properate laborem. *h. e.* iter, quod terra faciendum restat, tolerate. *Colum.* 3. *R. R.* 2. *ante med.* Vites valenter sufferunt ventos et imbres. — In illo *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 13. 7. Caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *suffert* est tegit, h. e. silentio premit. (Cf. *Euripid. Hel.* 273.): *sustinet* est perfert, tolerat. — Absolute. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 6. Si magis me instabunt, ad prætorem sufferam. *h. e.* patiar me rapi ad prætorem. ¶ 2. Similiter adhibetur pro perpeti, haurire, *patire, provare*, ὑποφέρειν. *Ter. Andr.* 5. 3. 17. An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam? *Cic.* 2. *Cat.* 13. 28. Ut ne improbus quidem pœnam sui sceleris sufferat. *Id. Cæcin.* 33. *in fin.* Quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent. Adde *Sulpic.* ad *Cic. loc. infra cit.* — *Sufferre pœnas*, pendere, dare pœnas, *pagare il fio, la pena. Accius* apud *Non. p.* 396. 33. *Merc.* Ego me non peccasse plane ostendam aut pœnas sufferam. *Plaut. Amph.* 3. 4. 19. Deinde illi actutum sufferet suus servus pœnas Sosia. *Id. Cist.* 1. 3. 54. Ut vobis victi Pœni pœnas sufferant. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 82. At Phalaris, at Apollodorus pœnas sustulit.

Homonym. Differunt *fero, tolero, perfero, patior, perpetior, sustineo, suffero*; nam *fero* est simpliciter aliquid porto vel permitto: *tolero*, fortiter seu viriliter fero; et *perfero*, omnino vel constanter fero: *patior*, cum dolore vel patienter fero; et *perpetior*, omnino vel constanter patior: *sustineo*, pondus quasi sursum teneo, ita ut id cadere non sinam: *suffero*, sub pondere ita consisto, ut una cum eo me cadere non patiar. Attamen etiam promiscue usurpantur. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 58. Nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre et perpeti. *et ibid.* 7. 18. Dolor tristis res est - ad patiendum tolerandumque difficilis. Adde 3. *Phil.* 11. 29. *Id.* 2. *Tusc.* 7. 17. Patietur, perferet, non succumbet. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 17. Rure meo non possum quidvis perferre patique. Sic *Ter. Andr.* 1. 1. 35. facile omnes perferre ac pati Cum quibus erat cumque sua. *Seneca Thyest.* 307. Leve est miserias ferre; perferre est grave. *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. *ante med.* Nisi hoc pejus sit, hæc sufferre et perpeti. Cf. *Senec. Ep.* 67. *a med.* Fortitudinis - patientia et perpessio et tolerantia. — Item inter *patior* et *experior* hoc interesse statuit *Isid. Differ. Append.* 4. 202., quod «patimur voluntate, experimur necessitate». Cf. *Döderlein Lat. Syn. v.* 4. *p.* 259. *et seq.*

SUFFERTIM. *V.* vcc. seq.

SUFFERTUS *vel* subfertus, a, um, particip. ab inusit. *suffercio*, sicut *refertus* a *refercio* est: plenus, densus, spissus, *pieno, zeppo*, πυκνός. *Sueton. Ner.* 20. Mediaque in orchestra frequenti populo epulatus, si paullum subbibisset, aliquid se sufferti tinnituri, Græco sermone promisit. *h. e.* cantaturum se aliquid, quod Græci dicunt πυκνόν, idest magnum quiddam et suci plenum, quod auditoris aures impleat: vel voce plena et sonora. Alii leg. *suffertim*. Aliud exemplum ex *Seneca Quæst. nat.* V. in SUFFICIO. *Lucil.* apud *Gell.* 4. 17. *Müll.* Subicit huic humilem et suffercitus posteriorem (ubi et *suffertus* scribitur). *Madvig* in *Adv. crit.* ad *Gell. p.* 594. præfert *suffercit*, quod aptissime superponatur subjiciendi verbo, ut sit quasi subter infercire.

SUFFERVĔFĀCĬO *vel* subfervefacio, făcis, factum, făcere, a. 3. (sub *et* fervefacio) Part. *Suffervefactus*. — Suffervefacio est aliquantum fervidum facio, *scaldare alquanto*, ὑποθερμαίνω. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (102). Vulgo nec suffervefaciunt. Adde *Plin. Valer.* 2. 17. — Hinc passivum *suffervefio*, ὑποθερμαίνομαι. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 51. (75). Affirmant, lapillos, qui suffervefiant, rumpi. *Id.* 14. *ibid.* 17. 21. (114). Mellis decem libris, aceti heminis quinque suffervefactis decies. *Id.* 22. *ibid.* 25. 67. (137). Semoucia amyli cum ovo suffervefacta.

SUFFERVĔFACTUS, a, um, particip. *et*

SUFFERFĔFĪO, fis, fiĕri. *V.* SUFFERVEFACIO.

SUFFERVĔO *vel* subferveo, ferves, ferbŭi, fervere, n. 2. (sub *et* ferveo) aliquantum ferveo, *bollire alquanto*, ὑποζέω. *Apul. Herb.* 115. Rutæ cauliculos conterito, additis aquæ cyathis tribus et aceti heminis, et sufferveat.

SUFFES. *V.* SUFES.

SUFFESSĬO, ōnis, f. 3. (sub *et* fateor) dimidia confessio, *confessione fatta a metà*, figura rhetorica eadem quæ Græce παρομολογία. *Auct. Carm. de fig.* 121. *p.* 68. *Halm.* Est suffessio, quum sensi pro parte fatemur.

SUFFĪBŬLUM *vel* subfibulum, i, n. 2. (sub *et* fibula) *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 349. 8. *Müll.* Suffibulum est vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales, quum sacrificant, semper habere solent: idque fibula comprehenditur. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 21. *Müll.* V. OPICONSIVA. et *Isid.* 19. *Orig.* 33. 4.

SUFFĬCĬENS, entis, particip. *V.* SUFFICIO.

SUFFĬCĬENTER *vel* subficienter, adverb. (sufficio) *Comp. Sufficientius*. — Sufficienter est cum sufficientia, quantum satis est, congrue, *bastantemente, sufficientemente, convenientemente*, ἀποχρώντως, ἀρκετῶς. *Trajan.* ad *Plin.* 10. *Ep.* 29. Mensores vix iis operibus, quæ Romæ fiunt, sufficienter habeo. *Ulp. Dig.* 7. 1. 15. Sufficienter autem alere et vestire debet, secundum ordinem et dignitatem mancipiorum. *Aurel. Vict. Epit.* 20. *a med.* Latinis litteris sufficienter instructus. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *a med.* Nucem perforari jubent: ibi paleas et ceram cum sulphure sufficienter includi. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. 204. *Augustin. De merit. peccat.* 1. 29. De hac quæstione multo uberius et multo sufficientius in duobus libris disserui.

SUFFĬCĬENTĬA *vel* subficientia, æ, f. 1. (sufficio) id, quod sufficit, *sufficienza. Tertull.* 1. *ad Uxor.* 4. *sub fin.* Sufficientia, quæ modestiæ et pudicitiæ apta est. *l'aver quanto basta per vivere*, et *Sidon.* 6. *Ep.* 12. *ad fin.* Quibus obtigit per panis tui abundantiam ad sui sufficientiam pervenire. *ad avere il bisogno da vivere.* et *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 3. 5. Sufficientia nostra ex Deo est. *attitudine*.

SUFFĬCĬO *vel* subficio, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 3. (sub *et* facio) *Suffacio* vel *subfacio* vulgo usurpatum fuisse colligitur ex *Cledon. Art. p.* 1. 1935. *Putsch.* — Part. *Sufficiens* sub *A* 3, *b* et *B* 1. 1.° *a* et in fin.; *Suffectus* fere in omnib. paragr.; *Sufficiendus* sub *A* 1, *a* et 2. *b*; *Suffecturus* sub *B* 1. 1.° *a, b, c.* — Sufficio adhibetur *A)* Transitive; et etiam *B)* Neutrorum more.

A) Transitive. ¶ 1. Est proprie subter facio. — *a)* Hinc dicitur de ædibus et est substruo, *costruire sotto. Curt.* 5. 1. 29. Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto, vix sufficiendo operi (*pontis*) firmum reperiunt solum. Ita *Mützell.* et *Zumpt.*; at *Hedicke* leg. *suffulciendo*. — *b)* De coloribus, subter inficio seu primum colorem induco. *Cic.* apud *Non. p.* 386. 10. *et p.* 521. 19. *Merc.* Ut qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam. *Virg.* 2. *Æn.* 210. *de anguib.* Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni. *tinti, macchiati*, et *Val. Flacc.* 2. 105. Et maculis suffecta genas. *et* 1. 821. suffecta lumina leto. *occhi smorti*. et *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 5. *a med.* Nubes sole suffecta. *colorita, accesa*. Alii leg. *sufferta*, h. e. solis luce oppleta. ¶ 2. Est etiam reficio, renovo vel subjungo, adjungo, *rifare, rinnovare o aggiungere*. — *a)* Proprie. *Virg.* 3. *G.* 65. Atque aliam ex alia generando suffice prolem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (68). Septimo mense gigni dentes: septimo eosdem decidere anno aliosque suffici. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. Quattuor cæli partes in terras dividunt et singulis ventis binos suffectos dant. *soggiunti, aggiunti*. — *b)* Translate est in locum alterius pono, substituo, subrogo, *sostituire, surrogare*, ὑφίστημι. *Cic. Mur.* 38. 82. Nam ne sufficiatur consul, non timent. *Id. ibid.* 39. 85. Consul in sufficiendo collega occupatus. *Nepos Hannib.* 3. Hasdrubale imperatore suffecto. *Virg.* 4. *G.* 201. *de apib.* ipsæ regem parvosque Quirites Sufficiunt. *Phædr.* 3. 10. Sperans heredem suffici se proximum. *Vatin.* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. 2. Si Appii os haberem, in cujus locum suffectus sum. *Liv.* 2. 8. Suffectus in Lucretii locum M. Horatius Pulvillus. *scil.* in consulatu. De Caninio Rebilo in paucas horas consule suffecto in locum Q. Fabii Maximi, verba faciunt *Cic.* 7. *Fam.* 30., *Sueton. Cæs.* 76., *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (181)., *Tac.* 3. *Hist.* 37. *extr.* et *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. *Liv.* 5. 31. *a med.* Nec umquam in demortui locum censor sufficitur. *Id.* 6. 27. Sufficere collegam censori. *Tac.* 4. *Ann.* 16. Filius patri suffectus. — *Suffectus consul* quid sit, *V.* in CONSUL. Consules modo suffecti, modo ordinarii nominantur in monumentis. V. *Borghesi Dipl. di Decio p.* 61. etc.: cessant autem tempora Constantini. V. eumd. in *Bullett. di Corrisp. arch. a.* 1845. *p.* 150. Cf. de his etiam *De-Rossi, Inscr. Christ. T.* 1. *præf. p.* XIV. *et seq.* ¶ 3. Et subinde præbeo, suppedito, sub-

ministro, *somministrare, porgere.* — *a)* Proprie. *Lucret.* 3. 704. *de cibo.* Disperit atque aliam naturam sufficit ex se. *Id.* 6. 480. Suffunduntque sua cælum caligine et altas sufficiunt nubes. *Virg.* 2. *G.* 424. Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco, Sufficit humorem. Rursus *Lucret.* 2. 108. hæc aera rarum Sufficiunt nobis. *Virg.* 2. *G.* 435. salices pecori frondem aut pastoribus umbras Sufficiunt. *Sil. It.* 1. 36. dux agmina sufficit unus Turbanti terras. *Liv.* 3. 61. *ad fin.* Milites excursionibus sufficere. *h. e.* subinde mittere ad excursiones faciendas. — *b)* Translate. *Virg.* 2. *Æn.* 618. (et 9. *ibid.* 802.) Ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit. *Justin.* 44. 1. 4. Ut *(Hispania)* Italiæ cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Absolute. *Ovid. Ib.* 243. Tempus in immensum lacrimas tibi vovimus istas, Quæ semper causa sufficiente cadent. ¶ 4. Pro afficere. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 15. Sicut enim coagula densant atque extenuant lactis naturam, quum caseus ex lacte crassescat et materia exinde tenuior ac magis liquida fiat, quam Græci ὀῤῥόν appellant, atque hæc contraria eadem virtute suffecta separantur. *Venant. Epist. præf. carm.* 6. 5. Veluti ignavi saporis hebetante marcore suffectus. ¶ 5. Pro excitare. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 146. Est passio generaliter acuta atque strictura suffecta. *h. e.* excitata, genita. ¶ 6. Singulare est illud *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. *init.* Hanc quoque *(compositionem)* exemplariis suffectam etc. *h. e.* sufficienter exscriptam. *Cf. B.*

B) Neutrorum more, est satis posse aut esse, parem esse alicui rei, satis valere, *bastare, potere, essere sufficiente, atto,* ἀρκέω. ¶ 1. Personaliter. — 1.°) Generatim. — *a)* Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 7. 16. *circa med.* Nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 3. valeo: corpusque, quod ante laborum Impatiens nobis invalidumque fuit, Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu. *h. e.* satis est, satis valet ferendis laboribus. *Virg.* 9. *Æn.* 515. Nec jam sufficiunt. *Id.* 12. *ibid.* 739. Idque *(ferrum)* diu, dum terga dabant palantia Teucri, Suffecit, postquam arma dei ad Vulcania ventum, Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit. *stette saldo.* et *Liv.* 21. 8. Et non sufficiebant (jam enim feriebantur arietibus) muri. *non reggevano.* et 36. 45. Romani, quoad sufficere remiges potuerunt, satis pertinaciter secuti sunt. *Id.* 38. 8. Ætolos simul occursantes sufficere. *Quintil.* 2. 5. 3. Non videntur tempora suffectura. *Id.* 5. 12. 8. Esse potentia, quæ non putamus sufficere. *Id.* 9. 2. 56. Hæc exempli gratia sufficient. *Sueton. Aug.* 43. Pro magistratibus, qui non sufficerent. *Curt.* 9. 18. 33. Scalis non sufficientibus devoluti. — *b)* Cum Infinito. *Virg.* 5. *Æn.* 21. Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus. Adde *Augustin. Ep.* 247. — *c)* Cum Dat. tum personæ tum rei. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. *ad fin.* Nec jam vires sufficere cuiquam, nec ferre operis laborem posse. *Cic.* 7. *Verr.* 48. 127. Paucorum cupiditati - sufficere aliquo modo poterant. *Virg.* 9. *Æn.* 810. nec sufficit umbo Ictibus. *Ovid.* 4. *Met.* 587. Sufficere verba volenti. *Id.* 2. *Pont.* 1. 63. Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum, Sufficiet nostris si modo vita malis. *h. e.* si supererit et subsistet. *Liv.* 29. 31. *a med.* Mons, quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque lacte ac carne vescentium abunde sufficiebat alimentis. Adde 6. 2. *Tac. Agric.* 45. Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus et rubor. *h. e.* pars esset vel sustineret. Adde *eumd. Germ.* 13. *Cf. Curt.* 6. 8. 16. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (173). Vitis vires capit suffecturas oneri. *Plin. alter* 1. *Ep.* 24. Scholasticis dominis sufficit abunde tantum soli, ut relevare caput possint. Adde 4. *Ep.* 12. *Quintil.* 1. 9. 3. Sufficere opus cuicumque discendo. *Id.* 2. 4. 33. Sommis operibus suffecturæ vires. Adde 5. 10. 90. *et* 10. 1. 119. *Curt.* 3. 34. 11. Sufficere prœdantium manus prædæ. *Id.* 4. 4. 25. manus desiderio meo. *Seneca Agam.* 663. Nostris ipsa sufficiam malis. — *Sufficit diei malitia sua,* satis est diei molestia, cura, sollicitudo sua, *a ciascun giorno basta il guaio suo.* γνώμη. *Vulgat. interpr. Matth.* 6. 34. — *d)* Cum Acc. et præp. *ad, in, adversus. Liv.* 4. 30. Sufficit terra vix ad perennes amnes. *Id.* 10. 47. annus vix ad solatium unius anni. *Id.* 21. 8. ad omnia tuenda atque obeunda. *Curt.* 9. 20. 10. ad vellendum telum dextra. Adde *Quintil.* 12. 1. 32. *Petron. Sat.* 88. Sufficere ad inventionem. *Ovid.* 7. *Met.* 613. Nec locus in tumulo nec sufficit arbor in ignes. *Id.* 2. *Amor.* 7. 1. Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper? *h. e.* satis ero ad præbendam materiam criminum. *Liv.* 10. 25. Non suffecturum exercitum unum adversus quattuor populos. — 2.°) Speciatim pro suppetere, occurrere. *Ovid.* 4. *Met.* 585. sed lingua repente In partes est fissa duas: nec verba volenti Sufficiunt. ¶ 2. Impersonaliter, significat satis est, *basta.* — *a)* Cum Infinito. *Quintil.* 4. 2. 41. Sufficit dicere. *Id.* 10. 2. 15. imaginem virtutis effingere. *Sueton. Ner.* 31. hæc retulisse. *Seneca Herc. Œt.* 621. Cupit hic gazis implere famem: Nec tamen omnis plaga gemmiferi Sufficit Istri. *Martial.* 9. 1. mihi parva locuto Sufficit in vestras sæpe venire manus. — *b)* Cum Conjunctivo et partic. *ut, ne, si. Plin.* 9. *Ep.* 21. Interim sufficit, ut exorari te sinas. *et Ep.* 33. *extr.* Sufficit, ne ea, quæ sunt vera, minuantur. *Id.* 5. *Ep.* 1. Igitur sufficere tibi debet, si exheredatus a matre quartam partem ab heredibus ejus accipias. *Id. Paneg.* 58. Sufficere ita credis, si probi et frugi existimentur. — *c)* Absolute. *Vulgat. interpr. Marc.* 14. 41. Dormite jam -. Sufficit, ἀπέχει. *h. e.* satis jam dormivistis. *Cf. Mayer ad h. l.* Similiter *Anacr.* 28. 33. et *Cyrill.* in *Agg.* 2. 9. Alii aliter. — Hinc Part. *Sufficiens, entis,* adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Sufficientissimus.* — Sufficiens est idoneus, satis aptus, satis subministrans, *bastante, sufficiente,* αὐταρκής. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Paul. Dig.* 29. 7. 8. Quid enim, si sufficientium testium facultatem non habuit? *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 2. *ante med.* Unica et sufficientissima definitio. — *b)* Cum Dat. *Sueton. Vitell.* 13. Epulas interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula et prandia et cenas comissationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. *Curt.* 3. 6. *sub fin.* Ætas vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens. *Id.* 8. 4. *ante med.* Regem multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, deserere erubescebant, *che stava saldo alle disgrazie.* et *Sueton. Vit. Pers. a med.* Fuit pietatis erga matrem et sororem exemplo sufficientis. *bastante a servir d'esempio.* — *c)* Cum Acc. et præp. *ad. Liv.* 2. 8. Consul magno natu, non sufficientibus jam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. — *d)* Cum Infinito. *Lucan.* 5. 153. nec vox antri complere capacis Sufficiens spatium. ¶ 2. Speciatim est contentus. *Vulgat. interpr. Phil.* 4. 11. Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. *h. e.* contentus esse meo statu didici.

Suffectus, i, m. 2. absolute, præfectus pro altero vel alterius vicem gerens, *vicario, luogotenente, Vulgat. interpr.* 2. *Mach.* 4. 31 Relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico.

SUFFĪGO *vel* subfigo, fīgis, fixi, fixum, fīgere, a. 3. (sub *et* figo) Part. *Suffixus* 2. *a, c; Suffixurus* 2. *a.* — Suffigo ¶ 1. Est subtus figo, suppingo, *ficcare, attaccare sotto,* ἀναπήγνυμι, προςπήγνυμι. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (50). Summæ licentiæ fuerat, Agnonem Tejum, Alexandri M. præfectum, aureis clavis suffigere crepidas. *Seneca Hippol.* 497. trabes multo auro suffigere. *h. e.* aureum lacunar facere. ¶ 2. Est etiam affigo, configo, *conficcare.* — *a)* Addito rei, cui quis suffigitur, Dat., vel Abl. sine aut cum præp. *in. Cic. Pis.* 18. 42. Si te et Gabinium cruci suffixos viderem. *Sueton. Cæs.* 74. Piratas suffixurum se cruci ante juraverat. *et Galb.* 20. Caput Galbæ hasta suffixum. *Catull.* 67. 39. Janua suffixa sigillo. *Sil. It.* 1. 153. erecto suffixus robore. *h. e.* cruci suffixus. *Justin.* 22. 7. *a med.* Patibulo suffixus est. Sic 30. 2. *a med.* Mulieres patibulis suffiguntur. *Apul.* 6. *Met.* Dona pretiosa postibus suffixa. *Catull.* 99. 4. Suffixus in cruce. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 3. 82. et *Auct. B. Afr.* 66. *extr.* Aliquem in cruce suffigere. *Flor.* 1. 11. *a med.* Spolia, quæ Mænius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit. — Hinc translate. *Seneca Phœniss.* 206. Quid est, quod te efferarit? quod novos suffixerit stimulos dolori? *h. e.* infixerit. — *b)* Et Acc. cum præp. *in. Varro Sat. Menipp.* 6. *p.* 94. *Oehl.* Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus: vos non barbari, qui noxios consuestis. *Justin.* 18. 7. 16. In altissimam crucem suffigi jussit. — *c)* Absolute *Tac.* 1. *Hist.* 49. Caput Galbæ per lixas calonesque suffixum laceratumque.

SUFFĪMEN, mĭnis, n. 3. (suffio) id, quod suffitur. *V.* SUFFIMENTUM. *Ovid.* 4. *Fast.* 731. I, pete virgineas, populus, suffimen ab ara: Vesta dabit: Vestæ munere tutus eris. Sanguis equi suffimen erit vitulique favilla: Tertia res, duræ culmen inane fabæ.

SUFFĪMENTO, as, are, a. 1. (suffimentum) suffumigo, *profumare. Veget.* 3. *Veterin.* 2. *in fin.* Sed et totum bovem suffimentare, percommodum est.

SUFFĪMENTUM, i, n. 2. (suffio) idem ac suffimen, θύημα (It. *profumo;* Fr. *fumigation, parfum;* Hisp. *sufumigacion, perfume:* Germ. *das Räucherwerk;* Angl. *perfume, suffumigation*). *Fest. p.* 348. 18. et *Paul. Diac. p.* 349. 4. *Müll.* Suffimenta sunt, quæ faciebant ex faba milioque molito, mulso sparso. Ea diis dabantur eo tempore, quo uvæ calcatæ prelo premuntur. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Nam et iis sine illius suffimentis expiati sumus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (135). Laurus suffimentum cædis hostium et purgatio. *Pelagon.* 6. 8. Et suffis illud istis suffimentis.

SUFFĪO *vel* subfio, fis, fīvi *et* fīi, fītum, fire, 4. *Suffivi* et *suffii* habet *Claud. Sacerd.* 2. *Gramm.* 128. et *Priscian. p.* 905. *Putsch.* Suffio suffivi vel suffii, quod quamvis a neutro passivo componatur, tamen quia significationem mutavit, mutavit etiam declinationem. *et mox.* Suffire - simplex ejus fieri est. — Hinc et longam esse litteram i in præsenti ejusque deriv. conjicere videtur *Lachmannus* ad *Lucret.* 4. *p.* 2. 214. atque adeo conjecit *Forcellinus;* sed, probabiliore etymo et usu verbi inspecto, aliter sentiendum esse puto. — Part. *Suffitus* sub *B* I. 1. et II.; *Suffiendus* sub *B* I. 1. — Vox composita est a *sub* et inusit. *fio,* quod a θύω, ejusdem significationis, derivatur, ut *fervo* a θέρω. — Suffio est aliquid adolendo suffumigo, ut docent *Serv.* ad *Virg.* 4. *G.* 241. et *Gloss. Cyrilli,* ubi θυμιάνω exponitur *suffio,* et *Philoxeni,* in quibus est Suffitio, ὑποθυμίασις ab ὑποθυμιάω (It. *profumare;* Fr. *fumiger;* Hisp. *perfumar, sufumigar;* Germ. *räuchern, beräuchern;* Angl. *to perfume, fumigate*): usurpatur autem intransitive, sæpius vero transitivorum more.

A) Intransitive. *Cato R. R.* 113. Sumito testam picatam: eo prunam lenem indito: suffito serta et schœno et palma. *Virg.* 4. *G.* 241. At suffire thymo cerasque recidere inanes Quis dubitet?

B) Transitivorum more, duo significat.

I.) Est aliquid adolendo suffumigo. ¶ 1. Proprie. *Lucret.* 4. 1168. Suffire se tetris odoribus. *Propert.* 4. 8. 83. Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ, Suffiit et pura limina tergit aqua. *V.* SUFFOCO. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (49). Melampodio domos suffiunt purgantque. *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (81). Urunt styracem in pellibus hircinis suffiuntque tecta. Adde *Pelagon.* 6. 8. — Passive. *Id.* 28. *ibid.* 4. 11. (45). Sunt qui præcipiant, dentem suffiri dente hominis sui sexus. *et ibid.* 11. 47. (171). Volunt et oculos suffiri jocinore decocto. *Id.* 35. *ibid.* 17. 57. (198). Primum abluitur vestis sarda, deinde sulfure suffitur. *Colum.* 12. *R. R.* 18. Cella quoque vinaria omni stercore liberanda et bonis

odoribus suffienda. *Id.* 9. *ibid.* 14. Suffitas deinde et æstivantes apes refrigerare oportet. *Ovid.* 5. *Fast.* 676. urna Purus suffita, quam ferat, haurit aquam. *Arnob.* 6. *p.* 202. Signa fumo suffita ac decolorata nigrescunt. ¶ 2. Translate apud poetas est calefacere. *Lucret.* 2. 1096. Ignibus ætheriis terras suffire feraces.

II.) Est adolere, urere suffumigandi causa, *abbruciare*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (139). Vulvarum causa rutam suffire. *et* 28. *ibid.* 10. 42. (154). Carnem recentem hædorum pilo suffiunt, eoque nidore fugant serpentes. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (187). Anisum dolores capitis levat suffitum naribus. *Marcell. Empir. c.* 7. *p.* 92. Mulier medicamine suffita.

SUFFISCUS. i, m. 2. saccus, marsupium. *Fest. p.* 309. 34. *Müll.* Suffiscus dicebatur folliculus testium arietinorum, qui celebris usus erat pro marsupio: forsitan dictus suffiscus a fisci similitudine. *h. e.* parvus fiscus.

SUFFĪTĬO, ōnis, f. 3. (suffio) actus suffiendi, suffitus, suffimentum, *profumo*, ὑποθυμίασις. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *a med.* Ne vina rursus nimia suffitione medicata sint. *Id.* 12. *ibid.* 50. *a med.* Suffitionem doliorum facere. *Festus* apud *Paul. Diac.* in *Aqua p.* 3. *Müll.* Funus prosecuti, redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem. Adde *Marcell. Empir. c.* 12. *p.* 102. *retro.* — In plur. num. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 5. (12). Orpheus et Hesiodus suffitiones commendavere. Adde 32. *ibid.* 4. 14. (32).

SUFFĪTOR, ōris, m. 3. (suffio) qui suffit seu suffumigat, ὑποθυμιάστής. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (79). Lycus et ipse puerum suffitorem (*pinxit*).

SUFFĪTUS, a, um, particip. *V.* SUFFIO.

SUFFĪTUS, us, m. 4. (suffio) suffumigatio, *profumo*, θυμίασις, ὑποθυμίασις.

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 42. (142). Suffitu necare cimices. — In plur. num. *Id.* 24. *ibid.* 11. 61. (102). A multis in suffitus pro ture assumitur.

II.) Metonymice. *Id.* 21. *ibid.* 18. 69. (116). Suffitum hujus herbæ excipientes ore. *h. e.* odor ex suffitu.

SUFFIXUS, a, um, particip. *V.* SUFFIGO.

SUFFLĀBĬLIS *vel* subflabilis, e, adject. (sufflo) qui sufflat, *spirabile*. *Prudent. Apotheos.* 906. Spiramus quotiens animæ sufflabilis auras.

SUFFLĀMEN *vel* subflamen, mĭnis, n. 3. Etymologi ducunt a *sub* et *frango*, ut *suffragmen* (V. *Lachmann* ad *Lucret.* 6. *p.* 382.): vel conjungunt eum Gr. ὑπόβλημα, substramen (V. *Döderlein Lat. Syn. v.* 6. *p.* 356.): vel vocem hybridam putant a *sub*, aliquantulum, et φλάω, Æolice pro θλάω, frango, mollio. — Quidquid sit de etymo, sufflamen est lignum illud vel vinculum ferreum, quo per radios rotarum trajecto, vel potius ferreum instrumentum in modum soleæ formatum, quo subter rotæ unius canthum supposito, currus in declivibus locis nimio impetu ruentes cohibentur: illud Itali *stanga*, hoc *scarpa* vocant.

I.) Proprie. *Juvenal.* 8. 148. Ipse rotam stringit multo sufflamine consul. *con ben salda scarpa.* et *Prudent. Psychom.* 415. nam prona (*Luxuries quadrigam ducens*) sub axem Labitur et lacero tardat sufflamine currum. *h. e.* suo corpore sub rota delapso. quasi quodam sufflamine, currum retardat.

II.) Translate pro quocumque retinaculo, impedimento, retardatione. *Juvenal.* 16. 50. Nec res atteritur longo sufflamine litis. *Inscript.* apud *Gruter.* 180. 3. FONTIVM AQVARVM CAELESTIVM EX MONTIBVS DELABENTIVM TORRENTI SVFFLAMEN HIS MVRIS FOSSAQVE OPPOSVIT ET AD PLANA PERDVXIT.

SUFFLĀMĬNO, as, are, a. 1. (sufflamen) Part. *Sufflaminandus.* — Sufflamino est ruentem currum sufflamine sisto.

I.) Proprie. *Seneca Apocoloc.* 14. Erant qui dicerent, aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.

II.) Translate pro cohibeo, comprimo, retineo, refreno in universum. *Seneca* 4. *Excerpt. controv. præf. a med.* Tanta illi erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque D. Augustus optime dixit, Aterius noster sufflaminandus est. Adeo nedum currere, sed decurrere videbatur; nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum erat.

SUFFLAMMĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUFFLAMMO *vel* subflammo, as, are, a. 1. (sub et flammo) Part. *Sufflamatus.* — Sufflammo est inflammo, accendo. *Sidon.* 4. *Ep.* 6. *ad fin.* Calumniam plectibili sufflammat invidia. *Vulgat. interpr. Ital.* apud *Lucif. Caral.* ex 2. *Mach.* 6. 11. Quod quum indicatum esset, subflammati sunt eo quod metuerent etc. *Noster* habet *flamma succensi sunt.*

SUFFLANS, antis, particip. *V.* SUFFLO.

SUFFLĀTĬO, ōnis, f. 3. (sufflo) inflatio, *gonfiamento*, ὑποφυσίασις, ἐμφύσημα. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (18). Præterea bullantium aquarum sufflatio lunæque effectu concharum quoque corpora augescentia. Adde *ibid.* 29. 46. (86).

SUFFLĀTŌRĬUM, ii, n. 2. (sufflo) follis, *mantice*. *Vulgat. interpr. Jer.* 6. 29. Defecit sufflatorium.

SUFFLĀTUS, a, um, particip. *V.* SUFFLO.

SUFFLĀTUS, us, m. 4. (sufflo) sufflatio. *Seneca* 1. *Clem.* 25. Ubi aliqua (*serpens*) sufflatu deurit obteritque quacumque incessit. Alii leg. *si afflavit.* et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (28). Lethargicos odoris sufflatu excitant. At *Sillig.* leg. *suffitu.*

SUFFLĀVUS. *V.* SUBFLAVUS.

SUFFLO *vel* subflo, as, āvi, ātum, are, 1. (sub et flo) *Sufflo, is*, vulgo usurpatum fuisse conjicit *Schuchius* ad *Apic.* 3. 96.; res tamen incerta est. — Part. *Sufflans* sub *B* I.; *Sufflatus* in fin. — Sufflo occurrit *A)* Neutrorum more; et etiam *B)* Transitive.

A) Sufflo, neutrorum more, est inflo, subtus aut aliquantulum flo, *soffiare, soffiar sotto o alquanto.*

I.) Proprie. *Martial.* 3. 17. Sufflavit buccis terque quaterque suis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (62). Rubetæ veniunt ultro adrepentesque foribus (*alveorum*) per eas sufflant. *Vulgat. interpr. Eccli.* 28. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit.

II.) Translate ¶ 1. Generatim. *Id. Is.* 40. 7. Spiritus Domini sufflavit in eo. Adde *Ezech.* 21. 31. ¶ 2. Speciatim superbia tumeo. *Pers.* 4. 20. suffla: sum candidus. *h. e.* jacta, gloriare, infla te. Cf. part. *Sufflatus* infra.

B) Sufflo, transitive est flatum in rem aliquam conjicio, *soffiar sopra o contro.*

I.) Proprie. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 19. 29. (79). Puer sufflans languidos ignes. *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Dedit gladiatores decrepitos, quos si sufflasses, cecidissent. Adde *Vulgat. interpr. Is.* 54. 16. — *Sufflare buccas*, sufflando inflare, *gonfiare le gote*. *Plaut. Stich.* 5. 4. 41. Age, tibicen, refer ad labias tibias, Suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia.

II.) Translate. *Id. Cas.* 3. 3. 19. Hic sodalis tuus nescio quid se sufflavit uxori suæ. *h. e.* ira intumuit. — Hinc Part. præter. pass.

Sufflatus, a, um, adjectivorum more usurpatur et est vento inflatus, *enfiato, gonfio.*

I.) Proprie. *Cato R. R.* 157. Venæ, ubi sufflatæ sunt ex cibo, non possunt perspirare. *Varro* apud *Non. p.* 395. 8. *Marc.* Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque emungerentur sufflatove corpore essent. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 58. (138). Sufflatæ cutis distentu ictus hominum et morsus canum arcent.

II.) Translate sumitur pro tumido, superbo. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 4. 2. 21. Sufflatus ille huc veniet. PIST. diruptum velim. *h. e.* iracundia tumens. *Varro* apud *Non. p.* 46. 31. *Merc.* Neque auro aut genere aut multiplici scientia Sufflatu' quærit Socratis vestigia. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 15. Nam gravi figuræ, quæ laudanda est, propinqua est ea, quæ fugienda est, quæ recte videbitur appellari, si sufflata nominabitur. ¶ 2. Speciatim dicitur de oratione. *Gell.* 7. 14. Plerumque sufflati atque tumidi (*in dicendo*) fallunt pro uberibus. *gonfi, ampollosi.*

SUFFŎCĀBĬLIS *vel* subfocabilis, e, adject. (suffoco) qui suffocat, *che soffoca*. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. 59. Parvus locus suffocabilis erit aeris paupertate.

SUFFŌCANS, antis, particip. *V.* SUFFOCO.

SUFFŌCĀTĬO *vel* subfocatio ōnis, f. 3. (suffoco) actus suffocandi, πνίξ, πνιγμός, ἀγχόνη.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 15. (30). Ejus semen contritum et in vino potum tumentem alvum et suffocationes mulierum doloresque lenit. Ubi *suffocationes* appellat, quum ex vulvæ conversione mulieres animo deficiunt et pæne exanimantur. Quæ hujusmodi morbo laborant, ὑστερικαί vocantur. *Id.* 26. *ibid.* 15. 90. (158). Hyssopum suffocationes laxat. Cf. 11. *ibid.* 37. 84. (209).

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Is.* 58. 6. apud *Cyprian. De orat. Domin.* 1. *in fin.* Resolve suffocationes impotentium commerciorum. *Noster* habet *solve fasciculos deprimentes.*

SUFFŌCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUFFŌCO *vel* subfoco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sub et faux) Part. *Suffocans* II.; *Suffocatus* II. et in fin. — Suffoco est spiritum præcludo obstrictis faucibus, πνίγω, ἄγχω (It. *soffocare, strangolare*; Fr. *étouffer, suffoquer*; Hisp. *sufocar*; Germ. *die Kehle zuschnüren, ersticken*; Angl. *to choke, stifle*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 905. Aut in melle situm suffocari atque rigere. *Cic. Mur.* 29. *in fin.* Non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 2. *circa med.* Ego timeam terras trementes, quem crassior saliva suffocat?

II.) Translate. *Cic.* 9. *Att.* 7. *circa med.* Consilium primum est suffocare Urbem et Italiam fame. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (209). Est quorumdam imperitia sub ramo vitem vinculo suspendendi, suffocante injuria. *h. e.* vinculo illo strangulante truncum (ut *Colum.* 4. *R. R.* 26. loquitur). *Id.* 20. *ibid.* 22. 87. (238). Sinapi vulvarum conversione suffocatas (*mulieres*) excitat odore. *donne isteriche.* V. SUFFOCATIO. *Augustin. Serm.* 9. Suffocans ambitionem. *Hieronym. Ep.* 160. *n.* 11. Alii nummum addunt nummo et marsupium suffocantes, matronarum opes venentur obsequiis. *Justin.* 4. 1. *a med.* Aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec etc. *Auct. Ætn.* 317. Pugnantis suffocat iter. — Hinc Part. præt. pass.

Suffocatus, a, um, etiam adjective usurpatur. De voce. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vox ultra vires augenda non est. nam est suffocata sæpe et nisu majore nimis clara est.

Suffocata, orum, n. plur. 2. absolute, apud Ecclesiasticos scriptores, dicta sunt quæ idolis a gentilibus immolata erant. *Arator* 2. 278. ne suffocata, cruore Quæ maculantur, edant. Adde *Vulgat. interpr. Act.* 15. 20.

SUFFŎCO *vel* subfoco, as, are, a. 1. (sub et focus) significat igni subjicere, igne purgare et quasi sub focum mittere. *Propert.* 4. 8. 83. Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ, Suffocat et pura limina tergit aqua. Ita cum *Scaligero* legunt nonnulli: alii *suffit*: quod recte et merito defendit *Broukus.* Hoc dedit etiam *Baehrens.* Cf. et *Hertzberg* ad *h. l.* V. SUFFIO.

SUFFŎDĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUFFŎDĬO *vel* subfodio, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. (sub et fodio) Part. *Suffodiens* 1.; *Suffossus* in omn. paragr.; *Suffodiendus* 1. — Suffodio est subtus fodio, ὑπορύττω (It. *cavar sotto, scavare*; Fr. *creuser sous*; Hisp. *ahondar, cavar debaxo ó soto*; Germ. *unten graben, unterwühlen*; Angl. *to dig under*) ¶ 1. Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 15. 32. Sacella suffossa, incensa, inædificata. *h. e.* suffodiendo diruta. *Auct. B. Alex.* 5. Alexandria est fere tota suffossa specusque habet ad Nilum pertinentes. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (184). Qui sarriet,

caveat, ne frumenti radices suffodiat. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (104). Suffodere montes. *Id.* 16. *ibid.* 1. 2. (5). Quercus subfossæ fluctibus aut propulsæ flatibus. *Id.* 8. *ibid.* 29. 43. (104). A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia. *Colum.* 2. *R. R.* 18. Neque suem velimus impasci, quoniam rostro suffodiat et cæspites excitet. *Tac.* 2. *Hist.* 21. Vineas expediunt suffodiendis muris. *h. e.* fodiendo subruendis. Adde *Senec. Ep.* 90. *Vulgat. interpr. Exod.* 22. 2. Effringens fur domum sive suffodiens. ¶ 2. Speciatim est humo contego vel obruo, defodio. *Venant.* 3. *Carm.* 14. 41. Commissum video non suffodisse talentum. Sed magis optatum multiplicatur opus. ¶ 3. Item fodiendo aperio vel struo. *Curt.* 9. 8. 14. In media ferme urbe e terra (*cunicularii*) exsistebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. ¶ 4. Item ab inferiore parte confodio, ferio. *Cæs.* 4. *B. G.* 12. Suffodere equos. *ammazzare altrui il cavallo sotto.* et *Sueton. Domit.* 17. Legenti traditum a se libellum suffodit inguina. *Virg.* 11. *Æn.* 671. Suffosso revolutus equo. *Alii leg.* suffuso. *V.* SUFFUSUS. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Cæcina suffosso equo delapsus. Adde 2. *ibid.* 11. — Hinc

Suffossum, i, n. 2. absolute, res suffossa. *Vulgat. interpr. Ps.* 79. 17. Incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.

SUFFOSSĬO *vel* subfossio, ōnis, f. 3. (suffodio) actus suffodiendi, *scavamento,* ὑπορυγή. *Seneca Ep.* 49. *a med.* Et ipsum solum suffossionibus tremeret et cuniculis. *Vitruv.* 1. 5. *a med.* Neque arietes neque suffossiones neque machinæ. *Schneid.* aliter leg. *V.* loc. integrum in SUFFOSSOR. Adde *Vulgat. interpr. Jer.* 51. 58.

SUFFOSSOR *vel* subfossor, ōris, m. 3. (suffodio) qui suffodit. *Vitruv.* 1. 5. Munitiones muri turriumque aggeribus conjunctæ maxime tutiores sunt: quod neque arietes neque suffossores neque machinæ ceteræ eis valent nocere. Ita *Schneid.*; at *Rose* leg. *suffossiones,* quod rectius videtur.

SUFFOSSUS, a, um, particip. *V.* SUFFODIO.

SUFFRÆNĀTĬO. *V.* SUFFRENATIO.

SUFFRĀGANS, antis, partic. *V.* SUFFRAGOR.

SUFFRĀGĀTĬO *vel* subfragatio, ōnis, f. 3. (suffragor) actus suffragandi, commendatio, *raccomandazione, broglio,* ψηφοφορία. *Sall. Jug.* 65. *in fin.* Sic illi a multis honestissima suffragatione consulatus petebatur. *Cic. Mur.* 18. 38. Tum vero in consule declarando multum etiam apud universum P. R. auctoritatis habet suffragatio militaris. *et ibid.* 19. Suffragatio urbana. *Id. Planc.* 6. 15. Sublata sunt studia, exstinctæ suffragationes, nullæ contentiones, nulla exspectatio suffragiorum. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 9. Nihil ad meam dignitatem accedere volo suffragatione vestra. *Cic. Petit. cons.* 6. Ut satis causæ putent, se ad studium suffragationis dedisse. *Liv.* 4. 44. Nec potestas nec suffragatio horum valuit, quin etc. *et* 10. 13. *sub fin.* Justa suffragatio visa. *Tab. aen.* apud *Gruter.* 242. *lin.* 12. Suffragationem suam alicui dare. *Seneca De consol. ad M.* 24. Suffragatio materna. *Sueton. Claud.* 11. De quæstore quodam candidato inter causas suffragationis suæ posuit, quod pater ejus frigidam ægro sibi tempestive dedisset. *Val. Max.* 4. 7. *n.* 1. Suffragatio consulatus, *raccomandazione per ottenere il consolato.* Cf. *Sall. loc. adl.*

SUFFRĀGĀTOR *vel* subfragator, ōris, m. 3. (suffragor) ¶ 1. Est qui suffragium fert, qui suffragio ferendo favet, ψηφιστής. At *Festus p.* 347. 28. *Müll.* «Suffragatores dicebantur apud majores hi, qui vulgo in usu erant candidatis, nam quo melius apparerent juncta suffragia, suffragator, quem quisque fieri vellet, notabat apposito puncto scriptis candidatorum hominum nominibus». Ad *h. l. p.* 346. *Müllerus* hæc adnotat: Hæc si recte supplevit *Ursinus,* ut videtur, suffragatores non qui suffragia ferebant, sed qui ea in usum candidatorum notabant, dicebantur. De punctis *Ciceronis pro Planc.* 22. notissimus est locus. *Cic. Mur.* 7. 16. Tua vero nobilitas, Servi Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior, populo vero et suffragatoribus obscurior. *Id. ibid.* 21. 44. Non testium potius quam suffragatorum comparatio. *Plin.* 4. *Ep.* 17. Suffragator meus in petendis honoribus. *Id. Paneg.* 92. honoribus nostris in curia. *Val. Max.* 4. 5. *n.* 3. Competitoris sui suffragatorem agere. — Cum Genet. rei, ob quam quis suffragatur. *Seneca* 7. *Benef.* 28. Suffragator quæsturæ. *h. e.* pro obtinenda quæstura. ¶ 2. Est etiam qui suffragatur favore, commendatione etc., προσήγορος. *Plaut. Cas.* 2. 4. 20. Ibi ego te et suffragatores tuos ulciscar. *Varro* 3. *R. R.* 5. *in fin.* Propter studia suffragatorum. *Seneca Brev. vit.* 17. Suffragatores incipimus. *Sueton. Vesp.* 23. Exacta pecunia, quantum is cum suffragatore suo pepigerat. *con chi lo portava, lo favoriva.* et *Plin.* 3. *Ep.* 20. Addebat quosdam ex suffragatoribus: illi graviter et paucis loquebantur. *Apul. Dogm. Plat.* 2. Suffragator bonorum et malorum subjugator.

SUFFRĀGĀTŌRĬUS *vel* subfragatorius, a, um, adject. (suffragor) ad suffragatores vel ad suffragia pertinens, ψηφιστικός. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Fore ex eo non brevem et suffragatoriam, sed firmam et perpetuam amicitiam. *h. e.* qualis esse debet suffragatorum.

SUFFRĀGĀTRIX *vel* subfragatrix, trīcis, f. 3. (suffragator) quæ suffragatur. *Augustin.* 18. *Civ. D.* 9. *sub fin.* Nec adfuit Minerva suffragatricibus suis. *et ibid.* 10. *ad fin.* Pœna suarum suffragatricium. — *Id.* 21. *ibid.* 27. Oratio suffragatrix.

SUFFRĀGĀTUS, a, um, particip. *V.* SUFFRAGOR.

SUFFRĀGĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (suffrago) *Isid.* in *Gloss.* Fragus est recurvatio poplitis, quæ et suffraginatio. *Ibid.* occurrit *suffraginare* et *suffraginatus* etiam de fractis vel præcisis cruribus. V. *Loewe Gloss. nom. p.* 170.

SUFFRĀGĬNĀTUS et

SUFFRĀGĬNO. *V.* voc. præced.

SUFFRĀGĬNŌSUS, a, um, adject. (suffrago) cujus suffragines morbo vitiatæ sunt. *Colum.* 6. *R. R.* 38. *de mula.* Suffraginosæ hordeacea farina imponitur.

SUFFRĀGĬUM *vel* subfragium, ii, n. 2. *Sufragium* per *f* simplex in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 196. et 198. — Quod ad secundæ syllabæ quantitatem attinet, qui eam corripuerunt, ut *Paulin. Nolan. carm.* 35. 616., imitandi non sunt. — De notatione dicendum, vocem a *sub* et *frango* (cf. ὑποβράχω) compositam esse, ut sit proprie aliquid *fractum,* puta fragmen testæ, quo suffragium fertur. V. *Nepot. Them.* 8. et *Arist.* 1. — Suffragium proprie est tabella, qua fit significatio voluntatis judiciique nostri in creandis magistratibus, legibus jubendis, reis judicandis etc.; populus enim R. initio suffragia voce tulit: deinde, variis latis hac de re legibus, per tabellas, quæ cistis deferebantur et a diribitoribus populo distribuebantur. *V.* TABELLA et TABELLARIUS: metonymice vero est ipsa significatio, quam diximus, facta vel voce vel tabella, ψῆφος, χειροτονία (It. *voto, voce, fava, pallottola, suffragio;* Fr. *suffrage, vote;* Hisp. *voto, sufragio;* Germ. *das Votum, die Wahlstimme;* Angl. *a vote or suffrage*).

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 2. 2. 28. sine suffragio populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. *Varro* 3. *R. R.* 2. Quum sole caldo suffragia tulissemus. *Id. ibid.* Dum diribentur suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis? *Schneid.* leg. *dirimentur.* V. DIRIBEO. *Sall. in orat. Licin. ad pleb.* Destinare aliquem præsidem per suffragia. *Id.* 1. *Hist.* 53. *Dietsch.* Adulescentior et a populi suffragiis integer. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Multitudinis suffragiis res permittitur. *Cic. Dom.* 18. 47. Ferre suffragium de capite alicujus. *squittinare, mandare a partito, ballottare.* et 15. *Fam.* 12. Facere aliquem consulem cunctis suffragiis. *a pieni voti.* Similiter *Justin.* 1. 10. *extr.* Constituitur dux omnium suffragio. *et Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. Suffragiis creare aliquem. *per ballottazione.* Adde *Vellej.* 2. 92. 3. *Quintil.* 7. 1. 29. Competitorem in suffragiis vincere. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 16. 43. Si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. *ante med.* Ut unusquisque studio et suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire possit. 3. *Legg.* 15. 33. Suffragia magistratu mandando aut reo judicando clam, an palam ferre melius esset. *Nepos Them.* 8. Testularum suffragiis e civitate ejectus (ὀστρακισμός). *Juvenal.* 8. 211. Libera si dentur populo suffragia, quis tam Perditus, ut Senecam dubitet præferre Neroni? *Sil. It.* 7. 540. per suffragia cæca Invasit nostros hæc ad discrimina fasces. *h. e.* plebis cæcæ et ignobilis vel incerta et vana vel plebis cæco impetu lata. Adde 8. 255. *Liv.* 3. 17. Inire suffragium. *mettersi a squittinare.* et 31. 7. Centurias in suffragium mittere. *Id.* 25. 37. Suffragium it per omnes. *Plin.* 3. *Ep.* 20. et 4. *Ep.* 25. Tacita suffragia. *h. e.* quæ tabellis feruntur. *Id.* 8. *Ep.* 23. Suffragio suo adjuvare aliquem in petendis honoribus. *Id.* 2. *Ep.* 1. *a med.* Candidatum suffragio ornare. *Plin. alter* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (72). Magnis suffragiis superari ab aliquo. *Vellej.* 2. 49. *sub fin.* Committere se suffragiis populi. *andare a partito, sottomettersi allo squittinio.* — *De suffragiis libertinorum* V. LIBERTINUS. — *De suffragiis novorum civium* V. Lex *Sulpicia Cornelia* in ONOM. — *De suffragiorum confusione V.* Lex *Manilia* in ONOM.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est centuria, quæ suffragium fert. *Fest.* in *Sex p.* 334. 30. *Müll.* Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quæ sunt adjectæ ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit. *Cic.* 2. *Rep.* 22. 39. Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriæ cum suffragiis, et prima classis, addita centuria, quæ ad summum usum Urbis fabris tignariis est data, LXXXIX. centurias habeat. *Liv.* 1. 43. hæc sex suffragia *sex item alias centurias* vocat. *V.* CENTURIA. ¶ 2. Item jus ferendi suffragii. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 17. Ut populus Romanus suffragio privaretur. *Liv.* 4. 49. Si suffragium detur. *Id.* 22. 14. Res est militaris suffragii. *Id.* 38. 36. *a med.* Populi est, non senatus, suffragium, quibus velit, impartiri. — *Civitas sine suffragio,* sine jure ferendi suffragia. *Vellej.* 1. 14. 3. *et mox n.* 6. Cf. *Th. Mommsen. St. R.* 1. 6. ¶ 3. Item locus, ubi suffragia feruntur. *Cic.* 3. *Verr.* 51. 127. Perfecerat iste imperio, ut pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renuntiaretur. Ita et Græci τὸ ψῆφος usurpant. *Euripid. Iph. Taur.* 943. *Herm.* V. *Gronov. Obs.* 4. 1. et *Hand* ad v. *pro,* ubi hæc invenies. ¶ 4. Item privilegium. *Cod. Theod.* 14. 2. 3. In honorem æternæ Urbis corporatis indulta suffragia valere præcipimus. *et ibid.* 4. 8. 5. Suffragia munerum et privilegia meritorum. ¶ 5. Item existimatio, voluntas, favor, *opinione, sentimento, raccomandazione, favore, voto.* *Cic.* 2. *Phil.* 17. 42. Et vero adhibes joci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum tuorum rhetorem. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 102. Multa fero, ut placem genus irritabile vatum, Quum scribo et supplex populi suffragia capto. *Id.* 1. *Ep.* 19. 37. Non ego ventosæ plebis suffragia venor Impensis cenarum et tritæ munere vestis. *Plin.* 10. *Ep.* 18. Gabium Bassum integrum, probum, industrium, voto pariter et suffragio prosequor. *Id.* 4. *Ep.* 16. *extr.* Cujus et suffragio senatus libentissime indulget, et testimonio plurimum credit. *Plin. alter* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101). L. Siccius Dentatus vel numerosissima suffragia habet. *h. e.* plurimos habet auctores, qui dant ei palmam fortitudinis. *Id.* 11. *ibid.* 16. 16. (51). *de apum regib.* Concordi suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. *di comune consenso.* et *Paul. Dig.* 24. 1. 24. Suffragium temporis procedit. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 2. 35. 1. Ætatis suffragio juvari. ¶ 6. Item preces ad cælites. *Venant. Vit. S. Martin.* 1. Suffragiisque tuis cæli fremit arduus axis. ¶ 7. *Extrema suffragia* sunt sacramenta, quæ morituris Ecclesia Catholica administrat. *Cod. Theod.* 15. 7. 1.

SUFFRAGMEN *vel* subfragmen, mĭnis, n. 3. (sub et fragmen) idem ac suffrago. *Plin. Va-*

lerian. 2. 45. In modum cataplasmatis sciatico induces a vertebra coxæ usque ad geniculum ita ne subfragmen tangas.

SUFFRĀGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *V.* SUFFRAGOR init.

SUFFRĀGO, ĭnis, f. 3. (sub *et* frango) Legitur et in *Not. Tir. p.* 129., ubi *suffuragines* pro *suffragines.* — Suffrago est flexura in posterioribus quadrupedum cruribus retrorsum incurvata, quæ in prioribus contrario modo inflexa *genu* dicitur, sic appellata, quod ibi cruris continuitas divisa ac quodammodo fracta appareat, κάμψις (It. *piegatura, giuntura, garetto;* Fr. *jarret;* Hisp. *jarrete;* Germ. *die Kniekehle;* Angl. *ham or hough*).

I.) Proprie. *Colum.* 6. *R. R.* 15. 2. Minus claudicabunt armenta, si suffragines vetere axungia defricentur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (183). Victimarum probatio in vitulo, ut cauda articulum suffraginis contingat. *Id.* 11. *ibid.* 45. 101. (248). Quæ animal generant, genua ante se flectunt et suffraginum artus in aversum. *et mox.* Aves, ut quadrupedes, alas in priora curvant, suffragines in posteriora. *Arnob.* 5. 23. Ex parte postica caudam suffragines talos perlitum.

II.) Translate, per catachresin, dicitur de quadam vitium subole: fortasse quia suffringi solet. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 4. Et, si suboles, quam rustici suffraginem vocant, radicibus adhæret, diligenter explantanda ferroque allevanda est.

Homonym. Inter *poplites* et *suffragines* hoc interest quod *poplites* hominum, *suffragines* animalium, inquit *Isid.* in *App. Differ. n.* 160. At non ubique hoc discrimen servatur.

SUFFRĀGOR *vel* subfragor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (suffragium) *Suffrago, as* etc. rarius, pro *suffragor,* forma activa. *Sisenn.* apud *Non. p.* 468. 12. *Merc.* Multi populi – dictaturam omnibus animis et studiis suffragaverunt. *et ibid.* Suffragabunt. — Part. *Suffragans* II. *c; Suffragatus* II. *a.* — Suffragor est suffragio ferendo aliave ratione faveo, ψηφίζομαι (It. *dare il voto in favore, portare, favorire;* Fr. *donner son suffrage, voter;* Hisp. *votar, dar ó decir su voto;* Germ. *durch s. Votum od. s. Stimme begünstigen;* Angl. *vote for*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Legg.* 15. 34. Suffragandi nimia libido eripienda fuit potentibus. *Id. Mur.* 34. 71. Si nihil erit, præter ipsorum suffragium, tenue est; si, ut suffragantur, nihil valent gratia. Adde *Sull.* 24. 68. *Liv.* 28. 38. Convenerant non suffragandi modo sed etiam spectandi causa P. Scipionis.

II.) Translate est auxilio sum, commendo, faveo, juvo, obsequor, cui *refragor* vel *adversor* contrarium est, *ajutare, raccomandare, suffragare.* — *a*) Cum Dativo. *Cæs.* 1. *B. C.* 61. Huic consilio suffragabatur illa res. *Cic.* 7. *Verr.* 69. 178. Cui legi quum vestra dignitas vehementer adversetur, istius impudentia suffragatur. *h. e.* suadet. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Domus quum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur. *Id.* 1. *Legg.* 1. 1. Mihi videris fratrem laudando suffragari tibi. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. *ante med.* Suffragari cupiditati alicujus. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 7. *sub fin.* A te peto, ut dignitati meæ suffrageris. *Lentul.* ad *eumd.* 12. *ibid.* 14. *ante med.* Velim, ut in senatu et in ceteris rebus laudi nostræ suffragere. *Mæcian. Dig.* 32. 1. 95. Voluntas defuncti ei sententiæ suffragatur. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Ornata est pronunciatio, cui suffragatur vox facilis, magna etc. — *b*) Cum Acc. *Capell.* 1. *p.* 12. Cum futura pronuba Eadem profecto quæque suffragabitur. — *c*) Absolute. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. *ad fin.* Eximiam quamdam gloriam et dignitatem esse oportet in eo, quem homines ignoti, nullis suffragantibus meritis, honore afficiant. In quodam MS. *Verburg.* deest *meritis.* et *Cic.* 10. *Fam.* 5. *a med.* Fortuna suffragante videris res maximas consecutus. *Nepos Alcib.* 5. Suffragante Theramene, populi scito restituitur. *Quintil.* 11. 3. 121. Si memoria fefellerit, aut cogitatio non suffragetur. Adde *ibid.* 2. 45. et 48.

SUFFRĀGUS *vel* subfragus, i, m. 2. medicamenti genus, apud *Marcell. Empir.* 20. *p.* 147. ed. *Basil.* Compositio medicaminis suffragi, quod facit ad digestionem et vitia stomachi. V. *Paucher* in *Add.* etc. *p.* 86. At fortasse *subfragii* pro *subfragi* legend. Cf. *Brambach, op. cit. p.* 327.

SUFFRĒNĀTĬO *vel* subfrenatio, ōnis, f. 3. (sub *et* freno) colligatio et arta structura, quæ lapides veluti freno retinet. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 49. (169). Lapis globosus contra injurias fortis, sed ad structuram infidelis, nisi multa suffrenatione devinctus.

SUFFRENDENS *vel* subfrendens, entis, particip. ab inusit. *suffrendo,* infrendens, infremens. *Ammian.* 15. 12. 1. Uxor inflata cervice suffrendens.

SUFFRENO *vel* subfreno, as, are, a. 1. freno aliquantisper retineo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 152. Refrenat, subfrenat.

SUFFRĬCO *vel* subfrico, as, are, a. 1. (sub *et* frico) idem quod frico aut leviter frico, *fregare,* ὑποτρίβω. *Colum.* 12. *R. R.* 23. 2. Si quid fæcis aut labris vasorum aut lateribus inhæsit, eradi ac suffricari. *et ibid.* 25. *sub fin.* et *ibid.* 30. Vasa nucibus pineis suffricato. *et ibid.* 38. *ante med.* Scopulis aridæ myrti seria suffricatur. Alii leg. *suffriatur* a *suffrio, as.* et *Cels.* 6. 6. *n.* 26. Palpebras versas medicamentis suffricant. Adde *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 5. *p.* 95. *retro.*

SUFFRĪGĬDĒ. *V.* SUBFRIGIDE.

SUFFRĪGĬDUS. *V.* SUBFRIGIDUS.

SUFFRINGO *vel* subfringo, is, ere, a. 3. (sub *et* frango) Part. *Suffringendus.* — Suffringo est idem quod frango aut leviter frango, *rompere, frangere,* ὑποῤῥήγνυμι. *Plaut. Rud.* 4. 4. 15. et *Truc.* 2. 8. 8. Ut ego hisce suffringam talos. *Cic. Rosc. Am.* 20. 56. Opinor, iis crura suffringantur. *Aur. Vict. Cæsar.* 41. Constantinus eo pius, ut etiam vetus teterrimumque supplicium patibulorum et cruribus suffringendis primus removerit. *V.* CRURIFRAGIUM.

SUFFRĪO. *V.* SUFFRICO.

SUFFŬĔRAT. *V.* SUBSUM.

SUFFŪGĬO *vel* subfugio, fŭgis, fūgi, fŭgere, 3. subtus vel clam fugio, confugio, *rifuggire,* ὑποφεύγω: usurpatur autem *A*) Intransitive; et etiam *B*) Transitivorum more.

A) Intransitive.

I.) Proprie. *Liv.* 24. 46. *a med.* Imber coortus custodes vigilesque dilapsos e stationibus subfugere in tecta coegit.

II.) Translate. *Julian.* apud *Augustin.* 2. *Op. imperf. contra Julian.* 116. Tali expositione, qua quidem nec pervertere sensum nec subfugere valebis.

B) Transitivorum more, est fugiendo vitare. *Lucret.* 4. 360. ubi suffugit sensum simul angulus omnis. et 5. 151. Quæ (*natura deûm*) quoniam manuum tactum suffugit et ictum. *Sueton. Tib.* 27. Per genua orare conantem ita suffugit, ut caderet supinus. *h. e.* recedendo vitavit.

SUFFŪGĬUM *vel* subfugium, ii, n. 2. (suffugio) actus vel potius locus, quo quis suffugit, securitatis causâ, *rifugio,* καταφυγή.

I.) Proprie. — *a*) Cum Dat. *Ovid. de nuce* 119. Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem? *Tac. Germ.* 16. Subterranei specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus. — *b*) Cum Genet., vel cum Acc. et præp. *adversus. Plin.* 9. *Ep.* 39. Nullum in proximo suffugium aut imbris aut solis. *Seneca* 1. *Ira* 11. Suffugia adversus perpetuum cæli rigorem. Adde *Tac. Germ* 46.

II.) Translate. — *a*) Cum Genet. *Quintil.* 9. 2. *a med.* Hæc deverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis. *Tac.* 4. *Ann.* 66. Suffugium urgentium malorum. *Apul.* 7. *Met.* pestis. — *b*) Absolute. *Cod. Theod.* 9. 42. 1. Ante quam orto nexu suffugium potius quam munificentia fraus que tentetur. *h. e.* præsidium ultimum.

Homonym. Inter *perfugium, refugium* et *suffugium* id videtur generatim interesse, quod illa locum significent tutum ac paratum apertumque ad cavenda pericula: hoc locum secretum et fortuitum vel temporarium. Cf. *Ovid. Nuc.* 119. Suffugium nimbos vitantibus. *Tac.* 4. *Ann.* 66. Urgentium malorum suffugium in tempus. *et* 3. *ibid.* 62. Dianæ perfugium inviolabile. *Justin.* 14. 2. 8. Refugia salutis et unica præsidia.

SUFFULCĬO *vel* subfulcio, fulcis, fulsi, fultum, fulcire, a. 4. (sub *et* fulcio) Part. *Suffultus* I. 1. et II. — Suffulcio est subtus fulcio, sustento, fulcio, *sostentare, puntellare,* ὑπερείδω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 428. porticus Stans in perpetuum paribus suffulta columnis. *Martial.* 9. 3. Octo Syris suffulta lectica. *Apul.* 10. *Met.* Pulvilli, queis maxillas et cervices delicatæ mulieres suffulcire consuerunt. ¶ 2. Specialim est supponere ad fulciendum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 54. Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo.

II.) Translate. *Id. Epid.* 1. 1. 77. Tantæ in te impendent ruinæ: nisi suffulcis firmiter Non potes subsistere. *Lucret.* 4. 865. Propterea capitur cibus ut suffulciat artus. *Seneca Troad.* 103. cadit ex humeris Vestis apertis imumque tegit Suffulta latus. *h. e.* fascia substricta.

SUFFULGĔO *vel* subfulgeo, es, ere, n. 2. (sub *et* fulgeo) subtus fulgeo. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 311. *Burmann.* Tum fit, ut humor aquæ suffulgeat atque colores Sub varia specie jaciat mirabilis arcus.

SUFFULTŪRA, æ, f. 1. (suffulcio) sustentaculum, *sostegno. Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 34. Columnæ tres suffulturæ solatio nudatæ et ipsæ ceciderunt et alias duodecim una traxerunt.

SUFFULTUS, a, um, particip. *V* SUFFULCIO.

SUFFŪMĀTĬO *vel* subfumatio, ōnis, f. 3. (suffumo) actus suffumandi, suffumigatio. *Colum. V.* loc. in SUFFITIO.

SUFFŪMĪGĀTĬO *vel* subfumigatio, ōnis f. 3. (suffumigo) suffitio. *Veget.* 3. *Veterin.* 23. *sub fin.* Frequentissimis suffumigationibus curare.

SUFFŪMĪGO *vel* subfumigo, as, are, a. 1. Part. *Suffumigandus.* — Suffumigo est subter fumum excito, suffio, *profumare, fumicare,* ὑποκαπνίζω. *Varro* 3. *R. R.* 16. *sub fin.* Si ex alvo apes minus frequentes evadunt, suffumigandum. *Cels.* 5. 27. *n.* 5. Super prunas scorpione imposito, vulnus suffumigant. *Id.* 4. 20. *a med.* Dolens vulva sulfure suffumigari debet. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *a med.* Dolia siccata suffumigare alba cera. *et ibid.* 25. *ad fin.* Vasa rore marino vel lauro vel myrto suffumigato. Adde *ibid.* 12. *extr.* et *Cels.* 6. 6. *n.* 35.

SUFFŪMO *vel* subfumo, as, are, n. 1. (sub *et* fumo) aliquantum fumi emitto. *Gloss. Labb.* Subfumo, ὑποκαπνίζω. — Translate. *Hieronym. Ep.* 29. *n.* 1. Non sunt suaves epistolæ, quæ non placentam redoleant, quas non condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum hujus temporis jure suffumat.

SUFFUNDANS et

SUFFUNDĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUFFUNDO *vel* subfundo, as, ātum, are, a. 1. (sub et fundo) Part. *Suffundans* II. et *Suffundatus* I. — Suffundo est subter fundo, *porre sotto per fondamento.*

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 48. 12. *Merc.* In domibus latericiis, paullulum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 39. Omnia suffundans mortis nigrore. *affondando.* Ita *Lachmann.*, sed alii leg. *suffundens.*

SUFFUNDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUFFUNDO *vel* subfundo, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (sub *et* fundo, is) Part. *Suffundens* II. 1. *b; Suffusus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Suffundendus* II. 2. — Suffundo est subtus vel clam fundo, ἐπιχέω, ὑποχύω (It. *spargere sotto o di nascosto, versare, spandere;* Fr. *verser au bas, répandre;* Hisp. *echar debaxo ó soto, verter;* Germ. *untergiessen, unterhalb giessen od. fliessen lassen;* Angl. *to pour under, pour*).

I.) Proprie de liquidis. ¶ 1. Generatim — *a*) Cum Acc. rei, quæ suffunditur, aliquando etiam addito Dat. loci, in quem quid suffunditur, et est subter vel clam fundo. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 19. Empedocles animum esse censet cordi suffusum san-

guinem. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 21. Imbrium aqua per secretos cuniculos reddita tacite suffunditur. *Ovid.* 1. *Fast.* 215. quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. *h. e.* aqua intercute, *idropici.* et 2. *ibid.* 637. Et bene nos, patriæ, bene te, pater optime, Cæsar, Dicite suffuso per sacra verba mero. — Hinc tropice *suffundere aquam frigidam*, gratiam alicujus aut famam clandestinis petitionibus aut calumniis deprimere ac refrigerare. *Plaut. Cist.* 1. 1. 35. nostro ordini Palam blandiuntur: clam, si occasio usquam est, Aquam frigidam subdole suffundunt. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 60. et *Sueton. Aug.* 66. — Huc accedunt illa *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 5. (142). Sanguis oculis suffusus. *et* 22. *ibid.* 21. 66. (54). Suffusa bilis. *et Claudian.* 2. *in Eutrop.* 13. Ulcera possessis alte suffusa medullis. *h. e.* intus et sub cute dilatata et profunda. — *b*) Cum Acc. loci, in quem quid suffunditur, et Abl. rei suffusæ, et est madefacere, tingere, implere. *Ovid.* 10. *Met.* 360. et tepido suffundit lumina rore. *h. e.* oculos lacrimis spargit. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (126). Suffusi cruore oculi. *Id.* 22. *ibid.* 21. 30. (65). Prodest felle suffusis et hydropicis. *agl' itterici.* et *ibid.* 20. 23. (49). Anchusæ radix datur bile suffusis. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 219. rabidas suffundit sanguine venas. *h. e.* implet, distendit. — *Virg.* 2. *Æn.* 232. lacrimis oculos suffusa nitentes. ἐλλημισμός. — *Suffundi* dicuntur oculi, qui concreto humore cæcantur: unde *suffusio*. *Seneca* 2. *Clem.* 6. *a med.* Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi suffunduntur. — *Suffusi equi*, inquit *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 671., dicuntur, quos vulgo cæspitatores vocant. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 53. ¶ 2. Speciatim est sparsim fundo, effundo, superfundo, perfundo, aspergo. — *a*) Cum Acc. rei suffusæ. *Plaut. Curc.* 1. 3. 3. Mane: suffundam aquulam. *Colum.* 12. *R. R.* 9. *a med.* Sæpe suffundere jus debebit, nec pati sitire salagma. *Vitruv.* 7. 12. In doliis sarmenta componentes, acetum suffundunt et super sarmenta plumbeas massas collocant. *Petron. fragm.* p. 678. *Burmann.* capiti suffundere costum. *sc.* unguentum e costo. *Apic.* 6. 2. Suffundis acetum et jus. *et ibid.* 4. liquamen. — *b*) Cum Acc. loci, in quem liquor suffunditur. *Plaut. Rud.* 2. 7. 30. Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare. ¶ 3. Item pro infundere. *Colum.* 6. *R. R.* 38. Lassæ et æstuanti mulæ merum in os suffunditur.

II.) Translate dicitur de aliis, quæ liquoris instar spargun ur. ¶ 1. Generatim — *a*) Cum Acc. rei, quæ suffunditur. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 15. Littera suffusas quod habet maculosa lituras. — Hinc figurate *Varro* 2. *R. R.* 8. *a med.* Id ante admissuram largius facimus, ut cibo suffundamus vires ad feturam. — *b*) Sæpius cum Acc. loci seu rei, in quam aliquid suffunditur. et Abl. rei, quæ suffunditur. *Lucret.* 3. 38. *de metu.* humanam qui vitam turbat ab imo, Omnia suffundens mortis nigrore. *Id.* 6. 478. *de nebulis.* Suffunduntque sua cælum caligine. *Tibull.* 2. 1. 55. Agricola minio suffusus. *tinto.* et *Stat.* 11. *Theb.* 120. trepidumque Hyperionis orbem Suffundi maculis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Tenuis ac perlucens et æquabili calore suffusus æther. *Seneca Herc. Œt.* 1405. Igne suffusæ genæ scelus minantur. *Ovid.* 11. *Met.* 368. lupus rubrâ suffusus lumina flammâ. ἐλλημισμός. — Hinc figurate. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Novi animum tum mihi amicissimum, tum nulla in ceteros malevolentia suffusum. *Ovid.* 2. *Trist.* 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi. — *c*) Et absolute. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (30). Lanæ sucidæ dolentibus nervis impositæ et crebro suffusæ. *bagnate.* ¶ 2. Speciatim refertur ad ruborem vultus. *Virg.* 1. *G.* 430. *de Luna.* Et si virgineum suffuderit ora ruborem, Ventus erit. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit. Adde 1. *Met.* 484. *Manil.* 5. 711. Femineum rubro vultum suffusa pyropo. *Liv.* 30. 15. Masinissæ hæc audienti non rubor solum subfusus, sed lacrimæ etiam obortæ. *Plin. Paneg.* 2. Ad quas ille voces lacrimis ac multo pudore suffunditur. *Pacat. Paneg. Theod.* 44. Et dejeceras oculos et vultum rubore suffuderas. — Absolute. *Tertull. Virg. veland.* 2. *extr.* Tam sancti viri est, subfundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si a viro visa sit. *Id. Resurr. carn.* 61. Officia membrorum ludibriose de industria suffundendæ resurrectionis oblatrant. *h. e.* erubescendæ seu negandæ. Adde *Pall.* 6. *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 48. *init.* Hæc Theophrastus disserens quem non suffundat Christianorum? *non farà arrossire.* Cf. *Tertull. Apolog.* 4. In pudoris notam capitis pæne conversa: bonorum addilita proscriptione, suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere. — Hinc Part. præter. pass.

Suffusus, a, um, etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Suffusior.* — Suffusus est aspersus, tinctus, plenus. *Ovid.* 2. *Met.* 777. *de Invidia.* Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno. Huc etiam trahi possunt nonnulla, quæ supra attulimus, loca. — Absolute de erubescentibus. *Tertull. Anim.* 38. *ante med.* Suffusior sexus. *h. e.* pudori magis obnoxius.

SUFFŬROR *vel* subfuror, āris, ari, dep. 1. (sub et furor) clam furor, *rubare occultamente*, κλέπτω. *Plaut. Truc.* 2. 7. 15. Hæc quum video fieri, suffuror, suppilo, de præda prædam Capio.

SUFFUSCULUS. *V.* SUBFUSCULUS.

SUFFUSCUS. *V.* SUBFUSCUS.

SUFFŪSĬO *vel* subfusio, ōnis, f. 3. (suffundo) ¶ 1. Est actus suffundendi, sparsio sub aliqua re, *spargimento*, ὑπόχυσις. — *a*) Generatim. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (104). Suffusio fellis. *itterizia.* et *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 4. 50. Hydropismi suffusio. — *b*) Speciatim *suffusio* vel *suffusio oculorum* est morbus oculorum ex humore sub tunicis concreto et visum impediente, *cateratta, suffusione*, quem describit *Celsus*, et quomodo curari possit, 7. 7. *n.* 14. et 6. 6. *n.* 35. docet. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 27. (114). Contra initia glaucomatum et suffusionum. *Id.* 32. *ibid.* 4. 14. (33). Sanguis testudinum suffusiones oculorum tollit. *Id.* 28. *ibid.* 1. 2. (7). Felle hominis suffusiones oculorum sanari. Adde 29. *ibid.* 6. 38. (118). et *ibid.* (122). — *c*) Item morbus pedum in jumentis ex labore: de quo *Veget.* 1. *Veterin.* 38. *a med.* Adde *Theod. Priscian.* 4. p. 315. ¶ 2. Est etiam infusio, affusio. *Apic.* 11. Suffusio vini. — Hinc metonymice *Pallad.* 1. *R. R.* 35. *a med.* Suffusio agrestis cucumeris et colocyntidis. *h. e.* infusum.

SUFFŪSŌRĬUM *vel* subfusorium, ii, n. 2. (suffundo) tubulus, canaliculus, ex quo oleum in lucernas suffunditur. *Gloss. Philox.* Suffusorium, ἐπίχυσις. *Hieronym.* 2. *in Isai.* 4. 1. In Zacharia legimus in uno aureo candelabro septem lucernas et septem suffusoria. *Id.* tamen in *Zachar.* 4. 2. *infusoria* habet, quæ vox idem significat. Adde *Vulgat. interpr. Ital. Num.* 4. 9.

SUFFŪSUS, a, um, particip. *V.* SUFFUNDO.

SŪGENS, entis, particip. *V.* SUGO.

SUGGĔRA, æ, f. 1. (suggero) suggestio vel additio. *Cod. Theod.* 14. 6. 3. Hoc autem excepto, a Tarracinensis præstationis canone suggera, quæ vetusto præberi phari ac portus usibus more consuevit. *Alii aliter leg.* — De hoc V. *Hänel.*

SUGGĔRENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUGGĔRO *vel* subgero, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (sub et gero) Part. *Suggerens* I. 3. et II. 5. *c* et in fin.; *Suggestus* I. 3.-5. et II. 2.; *Suggerendus* II. 4. — Suggero est subter gero, subtus pono, subjicio, suppono (It. *sottoporre*; Fr. *porter sous, mettre sous*; Hisp. *traer ó meter soto*; Germ. *unterlegen*; Angl. *to put under*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 7. *Æn.* 462. magno veluti quum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. Subjectis hinc inde cuniculis pavimenta suspendat et ignem suggerat fornace succensa. ¶ 2. Speciatim est afferre, adducere, advehere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (22). *de apib.* Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt. ¶ 3. Item subministro, suppedito, sufficio, subinde præbeo. *Ter. Adelph.* 1. 1. 36. Cur amat? cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris? *Virg.* 10. *Æn.* 332. fidum Æneas affatur Achatem: Suggere tela mihi, steterunt quæ in corpore Grajum. *Martial.* 3. 82. suggeritque ructanti Pinnas rubentes cuspidesque lentisci. *Tac.* 3. *Hist.* 36. Cibum suggerere alicui. *Ovid.* 15. *Met.* 81. Prodiga divitias alimentaque mitia tellus Suggerit atque epulas sine cæde et sanguine præbet. *Auct. B. Alex.* 3. Urbs fertilissima et copiosissima omnium rerum apparatus suggerebat. *Plin.* 2. *Ep.* 8. Lacus piscem, feras silvæ, studia altissimus iste secessus affatim suggerit. *Grammat. incert.* p. 94. *n.* 125. *Vichenfeld.* Ex quibus, quæ suggesta sunt memoriæ, inseruimus. — Hinc translate *Liv.* 3. 11. Invidiæ flammam ac materiam criminibus subgerère. Adde *Quintil.* 5. 7. 8. *Flor.* 2. 8. Ut ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus causis, imperium procederet. *h. e.* ultro se subinde offerentibus causis imperii amplificandi. ¶ 4. Item aggero, cumulo. *Propert* 4. 4. 8. Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno Fidaque suggesta castra coronat humo. ¶ 5. Item sustento, sustollo. *Sil. It.* 14. 644. celsis suggesta theatra columnis.

II.) Translate. ¶ 1. Est substituo, subrogo, *sostituire*. *Liv.* 2. 8. Apud quosdam auctores non invenio Lucretium consulem: Bruto statim Horatium suggerunt. *Id.* 4. 20. Nihil præter nomina consulum suggerere. Adde 9. 44. ¶ 2. Item subjicio, subdo, *soggiungere*. *Cic.* 2. *Orat.* 26. 110. Ambiguum tum explicatur, quum ea verba, quæ desunt, suggesta sunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Atque huic incredibili sententiæ ratiunculas suggerit. *Id.* 2. *Orat.* 27. 117. Quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. — *Suggeri*, adjici, accedere. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Alia mimi rapiebant, alia mimæ: totos dies potabatur: suggerebantur etiam sæpe damna aleatoria. *s' aggiungevano.* ¶ 3. Item pro afferre. *Plaut. Men.* 1. 3. 29. Madida quæ mihi apposita in mensam, miluinam suggerant. *h. e.* orexim rabidam faciant, ut ait *Juvenal.* 6. 427.; miluus enim avis est voracissima ac semper famelica. *V.* MILUUS et MILUINUS in fin. ¶ 4. Item clam inferre, adhibere. *Cic.* 12. *Att.* 44. Si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano *h. e.* Drusus aliqua techna est captandus. ¶ 5. Item memoriæ subjicere, submonere, *suggerire*, ὑποτίθεμαι. — *a*) Cum Acc. *Ulp. Dig.* 4. 6. 26. *sub fin.* Quoties æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum. *Curt.* 10. 5. 8. Nullis questibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit. Adde *Mamertin. Genethl.* 25. et *Pacat. Paneg. Theod.* 18. *Dig. Justin. fragm.* 1. 25. 4. Novum consilium et remedium suggerere. — *b*) Cum Conjunctivo et particula *ut*. *Ulp. Dig.* 28. 5. 35. *ad fin.* Quæ in proposito quoque suggerit, ut Italicarum rerum esse credantur eæ res, quas in Italia esse testator voluit. *h. e.* admonet, suadet, postulat. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 44. Si me memoria forte defecerit, tuum est, ut suggeras. Alii leg. cum *Gruter.* et *Orell.* ex MSS. *nisi memoria forte defecerit*, ceteris omissis. *Aurel. Vict. Epit.* 41. Suggerente conjuge. *Id. ibid.* 12. irâ. ¶ 6. Item pro allegare, profiteri. *Dig. Justin. fragm.* 2. § 2. Ultra vires facultatium est, quod decretum est, nec suggessit prætori de statu facultatium. *et ibid. fragm.* 97. *de legat.* 3. c. 8. A parte legatarii suggestum est etc. ¶ 7. Item pro denunciare. *Nov. Theod. de patrim.* 1. 8. 2. Suggestio tui culminis – per quam suggeritur etc. *et ibid. de postul.* 1. 10. 1. Providentissime suggerere. — Hinc absolute

Suggerens, entis, particip., est qui suggerit, *suggeritore*. *Veget.* 3. *Milit.* 4. Pro invidia suggerentum.

Suggestum, i, n. 2. *V.* SUGGESTUS, us.

SUGGESTĬO *vel* subgestio, ōnis, f. 3. (subgero) aggestio, additio unius rei ad aliam.

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *a med.*

Potius suggestione auctus. *h. e.* subinde addendo largius datus.

II.) Translate. ¶ 1. Est actus aliquid consulendi vel monendi vel proponendi, *suggestione, suggerimento. Vopisc. Aurelian.* 14. Hoc igitur quod Nerva in Trajano adoptando, quod Trajanus in Hadriano et ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt etc. *Id. ibid.* 19. Referimus ad vos, P. C., pontificum suggestionem. *Symmach.* 9. *Ep.* 20. (*al.* 22.) Sed plura tribues vel tuo provisa studio vel illorum suggestione comperta. Additur a quibusdam locus *Quintil.* 9. 2. 15., ubi agens de figura Responsionis, inquit: Quod schema quidam per suggestionem vocant. *Sed leg. alii rectius* subjectionem. *Inscript.* apud *Gruter.* 165. 1. (*Orell. n.* 2.) OB INSTAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS PORTAS AC TVRRES EX SVGGESTIONE V. C. FL. STILICHONIS. Hæc inscriptio pertinet ad ann. CCCCII. a Chr. n. ¶ 2. Et etiam actus denunciandi, denunciatio, insinuatio. *Cod. Theod.* 9. 40. 15. Officia - dispendiis subjacebunt, si in suggestione cessaverint. *Nov. maj. de ædif. pub.* 4. 4. 1. § 1. Ædes publicas - passim dirui plectenda urbani officii suggestione. ¶ 3. Pro consultatione principis libello comprehensa. *Cod. Theod.* 14. 6. 3. In notitiam nostram suggestionibus judicum perferendum. *et ibid.* 5. Suggestioni Illyricianæ advocationis respondentes decernimus etc.

SUGGESTUM, i, n. 2. *V.* SUGGESTUS, us.

SUGGESTUS, a, um, particip. *V.* SUGGERO.

SUGGESTUS, us, m. 4. *et* suggestum, i, n. 2. (suggero) locus eminens ex terra aliave materie suggesta seu aggesta (It. *luogo elevato, eminenza, rialto*; Fr. *hauteur, lieu élevé, éminence*; Hisp. *altura, eminencia, parage alto*; Germ. *d. Herbeischaffung*; Angl. *any elevated place, eminence, height*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 154. Labrum in suggestu inter dolia positum habeto, uti in culleum de eo vinum salire possit. *Varro* 3. *R. R.* 5. *a med.* Ex suggesto lateris, ubi solent esse περιπετάσματα, prodeunt anates in stagnum. *Colum.* 9. *R. R.* 7. Qualiacumque vasa placuerint collocari, debebit suggestus lapideus extendi per totum apiarium in tres pedes altitudinis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 10. 24. (38). Ejusdem insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores etc. *nel sito più rilevato. et Stat.* 1. *Silv.* 2. 113. celsæ procul aspice frontis honores Suggestumque comæ. *h. e.* comam in tutulum collectam in vertice, qua feminæ solebant caput alte ædificare, ut ait *Juvenal.* 6. 502. πύργον πλοκάμου. — Hinc translate *Apul.* 5. *Met.* Neve se de tanto fortunarum suggestu pessum dejiciat. *h. e.* cumulo. ¶ 2. Speciatim ac præcipue est pegma, pulpitum, ex quo in contione verba fiunt ad populum et in castris ad milites, ἀνάβαθρον, *pulpito, bigoncia, pergamo. Cæs.* 6. *B. G.* 3. Hac re pro suggestu pronunciata, proficiscitur. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. *in fin.* Illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendens. *Id.* 5. *Tusc.* 20. *a med.* Quum in communibus suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 36. *et* 55., ubi de suggestu militari sermo est: item *Liv.* 31. 29. *circa med.*, ubi de tribunali, ex quo prætor jus dicit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 11. (20). C. Mænius in suggestu rostra, devictis Antiatibus, fixerat. (Adde *Liv.* 8. 14. *in fin.*) — Hujusmodi fuit suggestus ceteris gradibus altior, quem sibi in orchestra decerni passus est C. Cæsar spectandi causa, *palchetto*: uti narrant *Flor.* 4. 2. *extr.* et *Sueton. Cæs.* 76., item *Ner.* 12., ubi *cubiculum* dicitur, quia sæptum undique parietibus, quo princeps videns omnes a nemine videretur. Laudat Trajanum *Plin. Paneg.* 51., quod et suggestum et cubiculum sustulit et una cum populo spectare et spectari voluit. ¶ 3. Apud *Tertull. Spectac.* 7. *et* 12. est congestio et apparatus variarum rerum in circensibus celebrandis. — *Suggestus imaginum* sunt parmulæ sive clipeoli, qui in orbem signis appendebantur, ita ut multæ essent gradationes, altiores depressiones, veluti tabellata et circuitus in turribus visuntur: in illis depictæ erant imagines imperatorum, qui consecrati et inter divos relati erant vel etiamnum imperabant. *Id. Apolog.* 16. ¶ 4. Est etiam sedile magistratuum majorum. *Nov. Valer. III. de honor.* 2. 12. 1. § 1. Tanti suggestus infulæ. ¶ 5. Pro additione. *Tertull. advers. Hermog.* 31. Suggestus autem cæli et terræ primo tunc fuerint etc. *Id. ibid.* 16. Plane socia materia per substantiæ suggestum. *h. e.* ornamenti seu decoris additione.

II.) Translate pro suggestione, *suggerimento. Ulp. Dig.* 27. 8. 1. *ante med.* Si curatores fuerint minus idonei dati, dicendum est, teneri magistratus oportere, si ex suggestu eorum præses dederit. Adde *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 6. 28. *Tertull. Apolog.* 18. Ex suggestu Demetrii Phalerei grammaticorum tunc probatissimi. *h. e.* hortatu et opera.

SUGGILLO cum deriv. *V.* SUGILLO.

SUGGLŪTĬO. *V.* SUBGLUTIO.

SUGGRANDIS. *V.* SUBGRANDIS.

SUGGRĔDĬOR *vel* subgredior, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (sub *et* gradior) Part. *Suggressus.* — Suggredior est latenter gradior, accedo, *andare occultamente, accostarsi*, ὑποβαίνω. *Tac.* 15. *Ann.* 11. Cæsis, qui barbarorum propius suggrediebantur. *Id.* 2. *ibid.* 12. Suggressi propius speculatores. Adde 4. *ibid.* 47. — Cum Accus. *Sall.* 4. *Hist. fragm.* 67. Stolide castra suggressus.

SUGGRESSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SUGGRESSUS *vel* subgressus, us, m. 4. (suggredior) actus suggrediendi. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantum in *Not. Tir. p.* 44. Gressus, regressus, subgressus.

SUGGRUNDA etc. *V.* SUBGRUNDA etc.

SUGGRUNNĬO. *V.* SUBGRUNNIO.

SUGILLĀTĬO *vel* suggillatio, ōnis, f. 3. (sugillo) actus sugillandi, ὑπωπιασμός (It. *lividura, contusione*; Fr. *meurtrissure, flétrissure*; Hisp. *magulladura, contusion*; Germ. *d. Quetschung, d. blaue Fleck*; Angl. *a black or blue mark, bruise*).

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (74). Reliquæ carnes impositæ suggillationem rapiunt. Adde *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 113.

II.) Translate sumitur pro contumelia, ignominia. *Liv.* 43. 14. Non sine sugillatione consulum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (150). Juxta hæc Variana clades et majestatis ejus fœda sugillatio. *Val. Max.* 2. 3. *n.* 1. Ne talis notæ contagio ad ipsius gloriæ sugillationem penetraret. *Ulp. Dig.* 47. 10. 15. *a med.* Si quis sic fecit injuriam servo, ut domino faceret, video, dominum injuriarum agere posse suo nomine: si vero non ad sugillationem domini id fecit etc.

SŪGILLĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* sugillatio, parva sugillatio. — In plur. num. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. Anim.* 9. Cernas hinc alios cloacam ventris et oris inhalare sentinam: interque ructandum quasdam sugillatiunculas fringultientem ab alio, qui stipem suam dilapidavit, parasitico more laudari.

SŪGILLĀTUS, a, um, particip. *V.* SUGILLO.

SŪGILLATUS, us, m. 4. (sugillo) sugillatio. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 34.

SŪGILLO *vel* suggillo, as, āvi, ātum, are, a. 1. — *a*) De scriptione alii aliter sentiunt. V. *Dausqu.* in *Orthogr. Mar. Victorin.* 1. 4. 71. docet, *suggillo* duplici *g* scribendum esse; quod firmat *Gloss. Lat. Gr.* Subgillatus, ὑπωπιασθείς. — Etiam *sugilo* vel *suggilo* per simplex *l* scriptum fuisse, monent *Georges* in *Philog. Anz.* 1872. p. 139. et *Ott* in *R. Jahrb.* 1874. *p.* 858. — *b*) Notatio vocis incerta est. Sunt qui putant, *sugillo* contractum esse a *sub* et *cilium*, ita ut sit lividum facere sub oculis: cui etymo respondet Gr. ὑπωπιάζω, lividam facio eam partem oris, quæ sub oculis est, ab ὑπό, sub, et ὤψ, πός, visus; cuique etiam favere videtur illud *Fest. p.* 302. 27. *Müll.* Suggillatum dici existimant ex Græco vocabulo, quod ea pars, quæ est sub oculo, κύλον ab iis dicitur. Contra *Cledon. Art. p.* 1911. *Putsch.* derivandum esse censet per deminutionem a *sugo*, ut *sorbillo* a *sorbeo*. Adde *Pompej. Comment. p.* 220. 36. et *p.* 221. 1, *Keil.* Huic notationi suffragantur etymologi recentiores. V. *Vanicek op. cit. p.* 993. — Part. *Sugillatus* I. et II. 1. et in fin.; *Sugillandus* II. 1. — Sugillo est contundo et lividum facio, ictu livorem induco, ὑπωπιάζω (It. *ammaccare e far livido*; Fr. *meurtrir, contusionner*; Hisp. *acardenalar, hacer contusiones*; Germ. *braun und blau schlagen od. stossen*; Angl. *make livid by a bruise, suggillate*).

I.) Proprie. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (100). Oculi ex ictu suffusi cruore et sugillati. *Seneca Ep.* 13. Non potest athleta magnos spiritus ad certamen afferre, qui numquam sugillatus est. *non riportò ammaccature sul viso.*

II.) Translate. ¶ 1. Est existimationem lædere, infamare, contumelia afficere, notare, *far arrossire, insultare, affrontare, tassare, infamare, offendere. Liv.* 4. 35. *sub fin.* Viros spectatos, primis annis suggillatos, repulsos; risui patribus fuisse; desisse postremo præbere ad contumeliam os. *Petron. Sat.* 128. Quæ, inquam, regina, noli sugillare miserias. veneficio contactus sum. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 1. *extern. in fin.* Sugillare crudelitatem alicujus. *Id.* 7. 5. *n.* 5. Sulla repulsa præturæ sugillatus est. *Id. ibid.* 8. *n.* 9. Sanctissimæ jura familiaritatis scurrili lusu sugillanda sibi desumere. *Ulp. Dig.* 2. 4. 10. *ad fin.* Prætor ait: in jus sine permissu meo ne quis vocet. Permissurus enim est, si famosa actio non sit, vel pudorem non suggillet, qua patronus convenitur, vel parentes. Adde *ibid.* 44. 4. 4. *ante med. Tertull. Apolog. c.* 4. Quasi præfatus hæc ad suggillandam odii erga nos publici iniquitatem. *h. e.* infamia notandam. ¶ 2. Item obcludere. Sic enim interpretatur *Non. p.* 171. 12. *Merc.* illud *Varron.* Contra lex Mænia est in pietate, ne filii patribus luci claro suggillent oculos. *Anton. Augustin. De legib. et S. C. p. m.* 155. Hoc fortasse per translationem dictum est, videlicet ne mortem eorum maturarent. neque enim vetus mos ignoratur, quo parentibus liberi, quum morerentur, oculos claudebant. *Klotz* aliique recentiores *h. l.* referunt ad paragr. præced.; sed *Oehler* verbum *suggillent* hic ancipiti sensu positum a *Varrone* censet, quo aliquam festivitatem captaret: significat enim proprie excutere, πλήσσειν, ut ipse ait, ex interpr. *Gloss. Steph.*; verum est simul cum comica quadam licentia admissum pro sigillare, i. e. occludere, operire, σφραγίζειν. Ceterum priorem sensum, inquit cl. *De-Vit*, videtur firmare *Gregorius Turon.*, qui in *Hist. Franc.* pluries hac voce utitur pro suffocare. ¶ 3. Item suggerere, *suggerire. Prudent.* 10. περὶ στεφ. 999. Sciat hic, quis illi verba sugillet Deus. — Hinc

Sugillata, orum, n. plur. 2. absolute de iis, quæ percussu vel lividis maculis deformata sunt vel confusa. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (55). Allium suggillata aut liventia ad colorem reducit. *Id.* 28. *ibid.* 9. 34. (132). Caseus recens cum melle suggillata emendat. *Æmil. Macer c.* 3. de *Absinthio.* Hocque modo sugillatis superaddita prodest.

SUGITUS, a, um, particip. *V.* voc. seq. init.

SŪGO (suggo), sūgis, suxi, suctum, sūgere, a. 3. Forma part. *sugitus* pro *suctus* videtur fuisse vulgo usurpata, ex *Not. Tir. p.* 193. Sugit, sugitus. — Radicem habet hæc vox communem cum *sucus, sanguis, sapio* et similibus. Cf. Germ. *saugen.* — Part. *Sugens* et *Suctus* I. — Sugo proprie est sucum attraho vel liquorem elicio, puta pressis labris aliave ratione, μύζω, ἐκμυζάω (It. *succhiare o suggiare, suggere*; Fr. *sucer*; Hisp. *chupar, sacar*; Germ. *saugen*; Angl. *to suck*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 1. *a med.* Quot diebus agni matris sugant mammam. *Id.* 1. *ibid.* 44. Agrum alternis annis relinqui oportet aut paullo levioribus sationibus serere, id est quæ minus sugunt terram. *Id. Sat. Menipp.* 88. *p.* 227. *Oehl.* Ac mammam lactis sugentem pascere pupum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. *ad fin.* Animalium alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 26. *sub fin.* Porca sex nutrire debet, quia frequentiore numero suctu deficiet. *Martial.* 3. 60. Sugitur inciso mytilus

ore mihi. *Alii leg.* sumitur. *Vulgat. interpr. Joel* 2. 16. Congregate parvulos et sugentes ubera.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. *ad fin.* Ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.

SŬĪ, sibi, se, pronomen. — 1.°) Ad scriptionem quod attinet — *a*) *Sis* olim pro genetivo *sui* usurpatum fuisse docet *Priscian.* 13. *p.* 955. *Putsch.* — *b*) Item *sibe* dativ. pro *sibi*, de quo hæc habet *Quintil.* 1. 7. 74. « *Sibe* et *quase* scriptum in multorum libris est, sed an hoc voluerint auctores, nescio: T. Livium ita his usum ex Pediano comperi, qui et ipse eum sequebatur: hæc nos *i* littera finimus ». Hunc usum videtur confirmare *Inscript.* Patavina apud *Gruter.* 977. 4., quæque legitur in *Museo Patav.*, teste etiam *Furlanetto, Lap. Patav. p.* 310. IVCVNDO CONTVBERNALI SVO ET SIBI. Adde *alias* apud *eumd. ibid. p.* 224. et *Gruter.* 958. 1. Cf. *Brambach p.* 159. — Etiam *sibei* pro *sibi* in *Monum. Scip.* apud *Viscont. Op. var. T.* 1. *p.* 48. *t.* 5. *litt. C.* edit. *Mediol.* MAIORVM OBTENVI LAVDEM VT SIBEI ME ESSE CREATVM LAETENTVR. Adde *aliam* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1271. Sic et *seibi* apud *Mommsen Inscr. n.* 1710.; et *sivi* apud *Lupi, Inscr. p.* 124. — *c*) *Sed* pro *se*, addita in fine vocis littera *d*, in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 196. *et* 197. — *d*) *Sese* occurrit sæpe pro simplici *se*, de quo *V.* infra, et pro quo *seese*, per epenthesin litteræ *e*, scriptum reperitur in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 197. — *e*) *Sepse* apud *Cic.* 3. *Rep.* 8. ed. *A. Maio* pro *se ipsa* aut pro *se ipse*. V. quæ de hac forma diximus in SEPSE. Cf. etiam REAPSE et *Müll. De re metr. p.* 304. — *f*) *Sibimet*, *semet* etc. *V. A* II. 1.° — 2.°) De syllabarum quantitate, monemus secundam in *sibi* esse ancipitem seu communem. *Virg.* 1. *Æn.* 604. si quid Usquam justitiæ et mens sibĭ conscia recti. At *Martial.* 6. 52. Sis licet inde sibī tellus placata levisque. — Sic etiam in compositis, ut in *sibimet*, cujus pænultima est brevis apud *Sil. It.* 13. 662. « Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces »; longa vero apud *Manil.* 4. 439. « Dabit ipse sibimet pondera ». — 3.°) Ratione habita etymi, ducitur a Skr. *sva*, proprius, unde et *svas*, suus, et Gr. ἑ (σφε). Cf. EGO init. ad *f.* — 4.°) Denique ad flexionem quod attinet — *a*) *Sui* proprie est genet. neutr. adject. possessivi *suus*, quod, ut genet. *mei*, *tui*, pronominis vice fungitur. V. *Madvig*, *Schweizer-Sidler*, al. — *b*) *Sibi* in ablat. pro *se* usurpatum inter vitia vulgaris sermonis reperimus in *Inscr.* in *Annali dell'Istit. archeol. a.* 1868. *p.* 107. PRO SIBI ET SVIS. — Ceterum *sui*, *sibi*, *se*, est pronomen omnis generis et utriusque numeri, et nominativo ac vocativo caret, οὗ, ἑαυτοῦ etc. (It. *di sè*, *a sè*, *sè*; Fr. *de soi*, *à soi*, *se*, *soi*; Hisp. *de se*, *á se*, *se*; Germ. *seiner*, *gegen sich* etc., *sich* etc.; Angl. *of himself*, *herself*, *itself*) occurrit autem sæpissime *A*) Ut pronomen reciprocum; raro *B*) Extra reciprocum.

A) *Sui*, *sibi*, *se*, sæpissime est pronomen reciprocum.

I.) Sine additis. — 1.°) Genet. *sui*, qui objectivus dicitur. — *a*) Cum substant. *Cic.* 13. *Att.* 1. *a med.* Nicias te amat vehementerque sua sui memoria delectatur. *Id. Tim.* 6. Ita mundus se ipse consumptione et senio alebat sui. *Id.* 5. *Fin.* 13. 37. Cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse. *Id.* 1. *Off.* 39. 139. Habenda ratio non sui solum, sed etiam aliorum. *Virg.* 8. *Ecl.* 91. Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit, Pignora cara sui. *Horat.* 1. *Od.* 18. 14. subsequitur cæcus amor sui. *Ovid.* 1. *Met.* 29. Densior his tellus elementaque grandia traxit Et pressa est gravitate sui. *Liv.* 7. 20. Oraverunt, ut Romanos sui misericordia caperet. *Tac. Dial. de orat.* 7. Quibus bona spes sui. *Juvenal.* 11. 35. Noscenda est mensura sui. *Val. Max.* 1. 1. *ext.* 3. Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira. — *b*) Cum adject. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *ad Att.* Nihil enim malo, quam et me mei similem esse et illos sui. Sic *Cic. Amic.* 14. 50. Nihil est appetentius similium sui. *Id. ibid.* 26. 98. Est amans sui virtus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 4. ille potens sui Lætusque deget, cui licet in diem dixisse: vixi. — *c*) Cum gerund. pro *se*. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. Sui recipiendi facultas. *Id.* 3. *ibid.* 6. Sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. *sub fin.* Dionysius alterum jussit interfici, quia viam demonstravisset interimendi sui, *h. e.* Dionysii. — Usus *sui* pro *suus* frequentissimus est *Apulejo*, ut 5. *Met.*, *Florid.* 1. *De mund.* 736. *Oud.* etc. — Contra *suus* pro *sui* in illo *Cic.* 5. *Fam.* 12. Agesilaus neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse. Adde *Phædr.* 1. 4. etc. — Aliquando *sui* cum alia voce conjungitur. *V.* SUIPASSIO etc. — 2.°) Dat. *sibi*. *Plaut. Epid.* 1. 1. 85. senserit Sibi data esse verba. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Magnam Cæsarem injuriam facere, qui vectigalia sibi deteriora faceret. *Id.* 2. *ibid.* 6. Nisi subsidium sibi submittatur. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. *circa med.* Dionysius instituit, ut filiæ candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. *Id.* 1. *Rep.* 5. 9. Perfugia, quæ sumunt sibi ad excusationem. *Id.* 2. *ibid.* 10. 20. Eum sibi mandasse, ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret. Adde *Virg. loc.* supra *cit.* *Nepos Them.* 10. Domicilium Magnesiæ sibi constituit. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Lunam sol numquam implet nisi adversam sibi. *Curt.* 8. 1. 9. Petebant, ut regis sui filiam matrimonio sibi jungeret. — *Sibi* abundat interdum, eleganter tamen: quod Dativum ethicum vocant recentiores. *Ter. Andr.* 2. 3. 1. Quid sibi vult pater? cur simulat? *Id. Eun.* 3. 5. 10. Quid sibi hic vestitus quærit? *Liv.* 44. 12. Hostes admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. — 3.°) Acc. *se*. — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 4. Nam qui liberos esse illico se arbitrantur, Ex conspectu heri si sui se abdiderunt etc. *Ter. Hecyr.* 4. 5. 13. si comperit crimini tuo se uxor credidisse. *Cic.* 1. *Tusc.* 23. 55. Sentit animus se vi sua, non aliena, moveri. *Id. Orat.* 28. *extr.* Manu si prehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia persuasisset, ut se dimitterem. *Id. Rosc. Am.* 2. 6. Scrupulum, qui se dies noctesque pungit, ut evellatis, postulat. — *b*) Cum præp. *ad*, *inter*, *per*, *ante*, *in* etc. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 16. Heri Philumenam ad se accersi hic jussit. *Cic.* 1. *Off.* 16. 50. Ratio et oratio conciliat inter se homines. *Id. ibid.* 17. 53. Multa civibus sunt inter se communia. *Id.* 1. *Rep.* 16. 25. Bellum summa inter se contentione gesserunt. *Id. Tim.* 6. Ipse (*mundus*) per se et a se et pateretur et faceret omnia. *Nepos Epam.* 8. Eos coegit superare Lacedæmonios, quos ante se nemo ausus est aspicere. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 50. *Curt.* 4. 16. 23. Præfectum equitatus incautius in se ruentem hasta transfixit. *Cic.* 2. *Fin.* 15. 50. Honestum, quod possit propter se jure laudari. *Vellej.* 2. 56. 1. Omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit. *Sueton. Tit.* 4. Equo amisso, cujus rector circa se dimicans occubuerat. — *Ad se*, domum suam, *apud se*, domi suæ. *Cic.* 15. *Att.* 4. *sub fin.* L. Cæsar, ut veniam ad se, rogat. *et* 5. *ibid.* 6. A me petiit, ut secum et apud se essem quotidie. Adde *Phædr.* 4. 21. — *Inter se* aliquando est simul. *Inscr.* apud *Viscont. Mon. Gabin. p.* 133. QVI VIXERVNT INTER SE ANN. XX. — *c*) Interdum repetitur, etiam ad majorem vim. Cf. *Charis.* 1. *p.* 111. *Keil. Ter. Heaut.* 4. 3. 24. Aperte, ita ut res sese habet, narrato. *Virg.* 3. *Ecl.* 66. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. *in fin.* Nisi subsidium sibi summittatur, sese diutius sustinere non posse. *Id. ibid.* 24. Præcipites fugæ sese mandabant. *Sall. Cat.* 2. Æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent. *Id. Jug.* 49. Monet, ut sese suumque regnum defendant. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 16. Hæc est una omnis sapientia, non arbitrari sese scire, quod nesciat. *Cic.* 6. *Rep.* 25. 27. Solum igitur, quod sese movet, quia numquam deseritur etc. — Et cum præp. *Enn. Ann.* 2. apud *Fest.* in *Tuditantes p.* 352. 27. *Müll.* Hæc inter sese tota vi illi tuditantes. *Sall. Cat.* 46. Vocari ad sese Lentulum jubet. *Cic.* 2. *Off.* 12. 42. Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est, quum ipsa per sese, tum etc. — *Apud sese* translate. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 85. Num tibi videtur esse apud sese? *h. e.* compos sui. — 4.°) Abl. *se*. — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Is se præsente de se ter sortibus consultum dicebat. *Id. ibid.* 40. Se consule. *et* 5. *ibid.* 7. Se absente. — *b*) Cum præp. *de*, *ab* etc. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. *sub fin.* Quum ad illum scribas, nihil te recordari de se. *Id.* 2. *Rep.* 10. 20. In contione dixisse fertur (*Julius Proculus*) a se visum esse Romulum, eum sibi mandasse, ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret, se deum esse et Quirinum vocari. *Horat.* 3. *Od.* 5. 42. Fertur – osculum Parvosque natos – Ab se removisse. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. In se habere boni constantiam. *Liv.* 4. 44. Pro se dicere causam. — *In se vivere*, *facere*, *laborare* est simul, insimul. *Inscript.* apud *Marini Frat. Arv. p.* 117. *de Conjugalibus.* VIXERVNT IN SE ANNIS QVADRAGINTA. *Alia* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 2113. QVI IN SE BENE LABORAVERVNT. Adde *aliam* apud *De-Rossi, Inscr. Christ.* 1. 151. — *c*) *Sese* usurpatur quoque in Ablativo casu, non tamen apud *Cæs.*, quem in Acc. tantum illud adhibuisse monet *Meusel Lex.* etc. *p.* 1958. *Ter. Andr.* 5. 4. 51. Habere aliud magis ex sese et majus. *Id. Adelph. prol.* 4. Indicio de sese ipse erit, vos judices. Ita leg. *Umpfenbach*; alii *de se*. et *Phorm.* 5. 7. 25. Antiphonem video ab sese amittere invitum eam. *Cic.* 4. *Fin.* 21. 58. Quæque secundum naturam sint, nihil habere in sese ejus appetitionis, de qua etc. *Sall. Jug.* 60. Neque alium in alio magis quam in sese spem habere. — Absolute *Ammian.* 18. 7. 10. Ut castra duo peterentur, sese ductante.

II.) Cum additis. — 1.°) *Sui*, *sibi*, *se*, copulatur cum *met*, *ipse*, quod pron. fere in alio casu (*V.* IPSE et Cf. *Madvig Gramm.* § 487.) et sive divisim sive unica voce. *Cic. Amic.* 21. 80. Ipse se quisque diligit. *Id.* 1. *Divinat.* 34. 74. Valvæ clausæ se ipsæ aperuerunt. *Liv.* 4. 44. C. Sempronius causa ipse pro se dicta damnatur. *Id.* 2. 12. Ne semet ipse aperiret, quis esset. *et ibid.* 44. Nisi inter semet ipsi seditionibus sæviant. *et* 5. 23. Sibimetipse. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 77. Artes, quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos. Adde *Sil. It.* et *Manil. loc.* supra *cit.* *Cic. Amic.* 3. 10. Suis incommodis graviter angi non amicum, sed se ipsum amantis est. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 3. 1. Semper seipso robustior. *Id. Eccli.* 37. 8. Est consiliarius in semetipso. *et alibi sæpe.* Cf. *Ter. Adelph. prol.* 4. — *Titin.* apud *Non. p.* 2. 18. *Merc.* Quod pestis, senia et jurgia sesemet ædibus emigrarunt. Alii aliter leg. V. *Ribbeck* in *Com. rel. p.* 154. ed. alt. — *Per se ipsum* est ipsum solum. *Cic. Harusp. resp.* 17. 36. *V.* IPSE 1. c. — 2.°) Cum adject. *suus*, *a*, *um*, ad majorem vim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 113. Me malum esse oportet atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere. *Id. Capt.* 1. 1. 12. Cochleæ in occulto latent: suo sibi suco vivunt. *Id. ibid. prol.* 46. Sua sibi fallacia. *et* 50. Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. *Id. Epid.* 1. 1. 81. Ut conseret suam sese emere filiam. *Ter. Adelph.* 5. 8. 35. Suo sibi hunc gladio jugulo. *col suo proprio coltello.* et *Cic. Amic.* 3. 11. Factus est consul bis: primum ante tempus, iterum sibi suo tempore. *a suo tempo proprio.* et *Colum.* 12. *R. R.* 54. Singula suo sibi jure eluito. *Vitruv.* 8. 7. Si tophus erit aut saxum, in suo sibi canalis excidatur. *in quello stesso.* et *Inscript.* apud *Gruter.* 465. 7. et 705. 3. IN SVO SIBI POSITI. *sepolti nel proprio monumento.* — 3.°) Ablativo *se* jungitur præp. *cum*, quæ semper postponitur, addito etiam *una*. *Cic. Senect.* 14. *a med.* Animum secum esse secumque, ut dicitur, vivere. *vivere a sè stesso.* et 5. *Att.* 6. A me petiit, ut secum et apud se essem quotidie. *Id.* 1. *Rep.* 17. 28. Qui ea possideat, quæ secum, ut ajunt, vel e naufragio possit efferre. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Cæsar postulat, ut rem publicam suscipiant atque una secum administrent. *Id.* 7. *B. G.* 71. Si indiligentiores fuerint, milia hominum delecta LXXX una secum interitura demonstrat. — *Secum* copulatur etiam cum *ipse* seu sequenti seu præcedenti. *Cic.* 8. *Att.*

14. Quis autem est, tanta quidem de re, quin varie secum ipse disputet. *Sall. Jug.* 113. Hæc Maurus secum ipse diu volvens etc. *et mox.* Secum ipse dicitur multa agitavisse. — *Ter. Andr.* 2. 6. 11. Etenim ipsus secum eam rem reputavit via. *Cic.* 2. *Invent.* 43. 125. Tum ipsum secum admirantem quidnam contra dici possit. Adde *Sall. Cat.* 32.

E) Sui, sibi, se, aliquando usurpatur extra reciprocum, quemadmodum et *suus. Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 26. Sist, jube hunc transire quantum possit, se ut videant domi. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 49. Grande malum Turius, si quis se judice certet. *pro* eo. *Martial.* 6. 52. Sis licet inde sibi tellus placata levisque. *pro* ei. *Alii tamen leg.* Sis licet, ut debes, tellus etc. *Colum.* 12. *R. R.* 44. *ad fin.* Poma ita disponere, ut scobs inter se calcari possit. *pro* inter ea. — Ceterum *V.* SUUS, ubi, quæ de possessivi hujus usu et respectu ad varias orationis partes dicuntur, etiam ad pronom. *sui* referri possunt.

SŬĪLE, is, n. 3. (sus) stabulum suum, sæptum, in quo nutriuntur porci, συοστασία, συφεός, συφεών (It. *porcile;* Fr. *étable à cochons, porcherie;* Hisp. *porqueriza;* Germ. d. *Schweinstall;* Angl. *pig-sty*). Differt ab hara, quod eo nomine significetur scropharum cubile, cui singulæ scrophæ separatim cum suis suculis includuntur. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *in fin.* Diligens autem porculator frequenter suile converrat et sæpius haras. *Varro Sat. Menipp.* 74. *p.* 106. *Oehl.* In tenebris ac suili vivunt: nisi non forum hara atque homines, qui nunc plerique, sues sunt existimandi.

Homonym. Discrimen inter *suile* et *haram* *V.* supra.

SŬĪLLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

SŬĪLLUS, a, um, adject. *deminut. a* suinus, ejusdem tamen significationis, *di porco, porcino,* ὑϊκός. *Varro* 2. *R. R.* 4. (et *Colum.* 7. *R. R.* 9. *extr.*) Suillum pecus. *Id. ibid.* cognomen. *h. e.* Scrofa. *Liv.* 22. 10. Ex suillo, ovillo, caprino grege. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (212). At in Arabia suillum genus non vivit. *Id.* 8. *ibid.* 33. 51. (121). Suillum rostrum. *Id.* 28. *ibid.* 8. 29. (117). *Iac. Juvenal.* 14. 87. *de Judæis.* Quidam sortiti metuentem sabbata patrem Nil præter nubes et cæli numen adorant, Nec distare putant humana carne suillam. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 4. 8. — *Suillum genus,* inquit *Festus p.* 310. 10. *Müll.,* invisum Veneri prodiderunt poetæ ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat dea. Quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore et ardentissimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, quum subare et surire dicuntur. — *Suilli fungi,* genus fungorum deterius, vilius et periculosius, *funghi porcini. Martial.* 3. 60. Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos. Adde *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (96). *V.* et infra — Hinc absolute, substantivorum more

Suilla, æ, f. 1. caro porcina, *carne porcina. Cels.* 3. 9. Protinus suillam assam et vinum homini dabat. *Id.* 5. 26. *n.* 30. Nam et avis et venatio et suilla elixa dari potest. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 12. (39). Vesci suilla tunc vetant.

Suillus, i, m. 2. genus quoddam fungorum, diversum a boleto. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 11. (31). Sed et boletos suillosque (*pariunt robora*), gulæ novissima irritamenta, qui circa radices gignuntur. — *NB.* De suillo, *h. e.* ichneumone, quod ex *Dracont. carm. de Deo* 1. 515. affert *Isid.* 12. *Orig.* 2. 37., docent critici, ibi legend. esse non *Suillus* sed *Psyllus.* Cf. *Lindem.* ad *h. l.*

SŬĪLLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

SŬĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SŬĪNUS, a, um, adject. (sus) suillus. *Varro* 2. *R. R.* 4. 9. Lanius conciliator suinæ carnis datus populo. Ita leg. in edit. princip., at pleræque aliæ rectius habent *suillæ.* Ita etiam *Gesner* et *Schneider. Theod. Priscian.* 4. 1. *p.* 314. Suinum serum. — Hinc

Suina, æ, f. 1. caro suilla. *Priscian.* 2. *p.* 29. 4. *Keil.* Tribuitur etiam *Acroni* ad *Horat.*

SŬĪPASSĬO, *rectius* sui passio, ōnis, f. 3. reciprocatio, ἰδιοπάθεια. *Priscian.* 17. *p.* 1084. *Putsch.* Græci quidem compositis utuntur pronominibus in suipassione, id est ἰδιοπάθεια. At *Keil* divisim dedit.

SŬĪPASSĪVĒ, *rectius* sui passive, adverb. reciproce, ἰδιοπαθῶς. *Priscian.* 18. *p.* 1128. *Putsch.*

SŬĪPASSUS, *rectius* sui passus, a, um, adject. reciprocus, ἰδιοπαθής. *Priscian.* 17. *p.* 1083. *Putsch.* Eorum primitiva duas habent (*constructiones*) reciprocam vel suipassam, quam Græci ἰδιοπαθῆ vocant, et transitivam: suipassam, ut *video memet;* transitivam, *video te* vel *illum.*

SŪIS. *V.* SUS.

SULCĀBĬLIS, e, adject. (sulco) qui sulcari seu arari potest. *Ambros.* 9. *Hexaem.* 4. Terra utilis sulcabilis et apta culturis.

SULCÆ Ficus memorantur a *Colum.* 5. *R. R.* 10., sed vox depravata videtur: alii enim *Faliscæ,* alii *mariscæ* legunt.

SULCĀMEN, mĭnis, n. 3. (sulco) idem quod sulcus. *Apul.* 6. *Met.* Glæbæ Siculæ sulcamina.

SULCANS, antis, particip. *V.* SULCO.

SULCĀTOR, ōris, m. 3. (sulco) qui sulcat, arator, *aratore,* αὐλακεργάτης.

I.) Proprie. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 939. Leontini sulcator campi. *Avien. Perieg.* 587. et patuli sulcator Thessalus agri.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 340. laterisque piger sulcator opaci Invitus trahitur lasso de pectore vultur. *h. e.* rostro lancinans et abrodens. *Lucan.* 4. 587. qua se Bagrada lentus agit, siccæ sulcator arenæ. *h. e.* fluvius per arenas defluens easque incidens. ¶ 2. Specialim et poetice de navigante. *Stat.* 11. *Theb.* 587. (et 8. *ibid.* 18.) qualis si puppe relicta, Exosus Manes pigri sulcator Averni, Exeat ad superos, *h. e.* Charon. Sic 8. *ibid.* 18. *de eod.* Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ. *Sil. It.* 7. 363. Fluctibus e mediis sulcator navita ponti Astra videt.

SULCĀTŌRĬUS. *V.* SCULCATORIUS.

SULCĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SULCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sulcus) Part. *Sulcans* II. 1. *a.* 2. et 4.; *Sulcatus* fere in omnib. paragr.; *Sulcandus* II. 2. — Sulco est sulcos facio, proscindo, aro, αὐλακίζω (It. *far solchi, solcare, arare;* Fr. *sillonner, labourer;* Hisp. *surcar, arar;* Germ. *furchen, pflügen;* Angl. *to furrow, plough*).

I.) Proprie. *Tibull.* 2. 3. 78. ad imperium dominæ sulcabimus agros. *Lucan.* 1. 168. rura quondam sulcata Camilli Vomere et antiquos Curiorum passa ligones. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 68. Nec quisquam presso vomere sulcat humum. Adde *Sil. It.* 9. 191. — Absolute *Colum.* 2. *R. R.* 2. *a med.* Bubulcum per proscissum ingredi oportet alternisque versibus obliquum tenere aratrum et alternis recto plenoque sulcare.

II.) Translate. ¶ 1. Est excavare, effodere. — *a)* Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 29. Satum frumentum operiunt in porcis et sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (14). Orca alveum in vado sulcaverat. *Ovid.* 15. *Met.* 725. anguis tractu squamæ crepitantis arenam Sulcat. *Lucan.* 9. 721. Et contentus iter cauda sulcare pareas. *strisciando segnare.* et *Apul.* 5. *Met. de serpente.* Postquam sulcatos intrahens gressus cubile solitum conscenderit. *Cod.* 9. 16. 6. Sit eculeo deditus ungulisque sulcantibus latera perferat. *h. e.* proscindentibus per verbera vel tormenta, vulnerantibus. — *b)* Specialim de cute rugis crispata. *Ovid.* 3. *Met.* 276. Sulcavitque cutem rugis. *increspò,* asperam et inæqualem fecit. Cf. *Cel. Aurel.* 1. *Acut.* 11. 86. Cutis veluti ruginosa vel sulcata pannositas, quam Græci ῥάκωσιν vocant. ¶ 2. Item a similitudine, præcipue apud Poetas, ponitur pro navigare, *navigare, solcare,* quia prora navis aquas findit, ut vomer humum. *Virg.* 5. *Æn.* 158. et longa sulcant vada salsa carina. *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 33. Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas *et* 1. *ibid.* 4. 35. Nos fragili vastum ligno sulcavimus æquor. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 426. sulcandas qui prævius edocet undas. *Id.* *VI.* *cons. Honor.* 488. celer Addua nostro Sulcatus socero. *Lucan.* 3. 550. ubi puppes Sulcato varios duxerunt gurgite tractus. *Seneca Agam.* 440. sulcata vibrant æquora. *Stat.* 8. *Theb.* 230. ingenti sulcatum Nerea tauro. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Arbore sulcamus maria terrasque admovemus. *Apul. De mund.* 730. *Oudend.* Peregrinorum fluminum sulcantes vias. — Figurate. *Capell.* 6. *p.* 200. Ejus (*oceani meridiani*) maximam partem Magni Alexandri sulcavere victoriæ. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (168). Majorem ejus partem victoriæ Magni Alexandri lustravere. ¶ 3. Et rotæ curruum *sulcare* dicuntur. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 300. Nec juga sulcabit noster Berecynthia currus. *et III. cons. Honor.* 150. stantemque rota sulcavimus Istrum. *Murrhed.* apud *Senec.* 5. *Controv.* 34. *in fin.* Triptolemus junctis draconibus sulcavit auras. Sic *Sil. It.* 1. 357. falarica sulcatum secat aera. ¶ 4. *Sulcare iter,* iter facere. *Seneca Herc. Œt.* 683. Medium cæli dum sulcat iter, Tenuit placitas Dædalus oras. Sic *Lucan.* 9. 668. Sulcans regna meatu. ¶ 5. Pro exarare vel elaborare. *Venant. Vit. S. Martin. prol.* Ita ut brevissime totum illud opus versu cursim et impolite inter frivolas occupationes sulcarim. Adde 1. *ibid.* 23.

SULCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sulcus, parvus sulcus, *solchetto,* αὐλάκιον. *Colum. Arbor.* 30. Rosam fructibus ac surculis disponi per sulculos pedales convenit. Alii rectius leg. *sulcos.*

SULCUS, a, um, adject., quo significatur genus quoddam fici apud *Colum.* 5. *R. R.* 10. 11. *Schn.* Ficus sulca. Alii tamen aliter leg. Oleam Siculam fructu nigro subsphærico, per medium sulcato, memorat *Sestini T. I. p.* 230. Videant peritiores, an talem ficum *Columella* intelligi voluerit. Ita *Schneiderus* ad *h. l.*

SULCUS, i, m. 2. Vox a Gr. ὁλκός, quod ab ἕλκω, traho, spiritu in *s* converso (Cf. *Fest. loc.* infra *cit.* sub II.); nec audiendus *Isid.* 17. *Orig.* 2. 5., qui *sulcum* derivatum facit a *sole* et *capio,* quod proscissus solem capiat. — Sulcus proprie est vestigium aratri, fossula in longum vomere impresso ducta, αὖλαξ, ὁλκός (It *solco;* Fr. *sillon;* Hisp. *sulco ó surco;* Germ. *die Furche;* Angl. *furrow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Varro* 1. *R. R.* 29. *sub fin.* Qua aratrum vomere lacunam fecit, sulcus vocatur. quod est inter duos sulces, elata terra, dicitur porca. Sic *Fest. p.* 302. 4. *Müll.* Sulci appellantur, qua aratrum ducitur vel sationis faciendæ causa vel urbis condendæ vel fossura rectis lateribus, ubi arbores serantur. *Cato R. R.* 61. Sulco vario ne ares. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. Quum terra araretur et sulcus altius esset impressus. *Virg.* 4. *Ecl.* 33. telluri infindere sulcos. *Id.* 5. *ibid.* 36. mandavimus hordea sulcis. *Id.* 1. *G.* 223. Debita quam sulcis committas semina. *Ovid.* 1. *Met.* 123. Semina Cerealia longis sulcis obruere. *et* 3. *Trist.* 12. 11. herba latuit Cerealibus obruta sulcis. *Id.* 3. *Met.* 104. Sulcos patefacere. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *sub fin.* (et *Juvenal.* 7. 48.) ducere. *Id.* 3. *ibid.* 13. 5. facere. *Id. ibid.* infodere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (178). Proscindere sulco jugerum uno die. *et mox.* Omne arvum rectius sulcis, mox et obliquis subigi debet. *et ibid.* 33. 76. (327). Sulcum ducere sarculo. *et* 17. *ibid.* 22. 35. (170). In colle sulcos agere transversos. *Id.* 18. *ibid.* 18. 47. (170). Sulco tenui arare. Rursus *Ovid.* 3. *Met.* 104. presso sulcum patefecit aratro. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 177. duras sulcis mollire novales. ¶ 2. Latiore sensu dicitur de minoribus fossis, quibus aquæ ducuntur, aut deponuntur arborum semina, aut designantur orbis mœnia etc. *Colum.* 2. *R. R.* 8. *circa med.* Ut patentes liras crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, et omnem humorem in colliquias atque inde extra segetes derivemus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 20. (60). Areas hortorum ambiri singulas tramitum sulcis, qua detur accessus homini scatebrisque decursus. *viali, vialetti.* Hinc *Virg.* 2. *G.* 24. plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis. *et ibid.* 289. tenui vitem

committere sulco. *Id.* 1. *Æn.* 429. optare locum tecto et concludere sulco. *et* 10. *ibid.* 295. inimicam findite rostris Hanc terram sulcumque sibi premat ipsa carina. *Ovid.* 4. *Fast.* 825. premens stivam designat mœnia sulco. Sic *Sil. It.* 13. 117. Hanc (*cervam*), agreste Capys donum, quum mœnia (*Capuæ*) sulco Signaret etc. Cf. *Isid.* 15. *Orig.* 2. 3. et *Serv.* ad *Virg.* 5. *Æn.* 755. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 110. (237). Baculo sulcum trahere. *una striscia.*

II.) Translate. ¶ 1. Poetice dicitur de aqua remigando diffissa, de undis crispantibus, de rugis cutis, de longo tractu alicujus rei, de orbita etc. *Virg.* 5. *Æn.* 141. adductis spumant freta versa lacertis: Infindunt pariter sulcos. *Val. Flacc.* 3. 32. Nox erat, et leni canebant æquora sulco. *Sil. It.* 14. 380. Cærula nigranti findit spumantia sulco. *Martial.* 3. 72. Sulci uteri. *crespe, rughe, grinze.* et *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 110. sulcisque genarum Corruerat passa facies rugosior uva. *Apul. De mag.* 429. *Ovid.* Mirarere tot in facie tua sulcos rugarum. *Lucan.* 5. 562. dispersos traxere cadentia sulcos Sidera. *Virg.* 2. *Æn.* 697. tum longo limite sulcus Dat lucem. *Val. Flacc.* 1. 568. ingenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem. *Stat.* 6. *Theb.* 415. delet sulcos iterata priores Orbita. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 101. cursuque rotarum Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis. *Id.* 3. *Rapt. Pros.* 425. en ora fatiscunt Vulneribus grandesque rubent in pectore sulci. *Lucan.* 4. 141. Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis, Spargitur in sulcos. *in rivi, in rigagnoli.* et *Prudent. Apoth.* 664. calamique revolvere sulcos. *h. e.* scripta. ¶ 2. Per synecdochen est ipsa aratio, *aratura. Colum.* 2. *R. R.* 9. *a med.* Hordeum altero sulco seminari debet. *h. e.* postquam bis araveris. *et ibid.* 13. *ad fin.* Semina, quæ quarto sulco seruntur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Tantis glæbis tenacissimum solum, quum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur. *Id. De cult. hort.* 230. Discrimen sulci. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (181). Spissius solum quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono. ¶ 3. Per allegoriam *sulcus* ponitur pro pudendo muliebri. *Lucret.* 4. 1266. Eicit enim (*mulier*) sulci recta regione viaque Vomerem. *Apul.* Ἀνεχ. 16. Arentque sulcos molli in arvo Venerio. Adde *Virg.* 3. *G.* 136. ¶ 4. *Sulcus* dicitur etiam fulmen, ut docet *Fest. p.* 302. 8. *Müll.* Fulmen quoque, qua ejus (*sulci*) vestigium, similiter appellatur: quod vocabulum quidam (*putant*) ex Græco fictum, quia illi dicunt ὁλκός.

Homonym. Ita *sulcum* a *scrobe* et *pastino* distinguit *Pallad.* 3. *R. R.* 9. *sub fin.*, ut *pastinum* proprie sit, quum terra tota foditur et ad semina recipienda præparatur; improprie, quum *scrobibus* et *sulcis* id fit. Ceterum latiore sensu *pastinum* fit, ut ait *id.* 2. *ibid.* 10., tribus generibus, aut terra in totum fossa aut *sulcis* aut *scrobibus*.

SULFUR *vel* sulphur (sulpur), ŭris, n. 3. — *a*) *Sulphur* scribi placet *Manutio* in *Orthogr.*, quia in opt. MSS. habetur *sulpur*, quod et *Pier.* adscripsit ad *Virg.* 3. *G.* 449. Veteres enim Græcam esse dictionem arbitrati sunt: et in similibus non solebant aspirationem apponere: unde scribebant *triumpus, Pilippus, Hypsipyle.* Contra *Voss.* in *Etymol.*, quia vox est Latina, *sulfur* præfert. *Dausqu.* sequitur *Manutium*, recentiores *Vossium.* — *b*) Masc. gen. apud *Tertull. advers. Prax.* 16. ex *Gen.* 19. 24. Pluens super Sodomam et Gomorrham ignem et sulfurem. et *Veget.* 1. *Veterin.* 38. *a med.* Sulfurem et resinam calentem ungulis imponis. — *c*) Ratione habita etymi, vox conferri potest cum Gr. σελασφόρος, lucifer, splendorem ferens; non enim placet sententia *Isid.* 16. *Orig.* 1. 9., qui *sulfur* vocatum docet, quia igne accenditur: namque *ur* ignis est (Cf. *Hieronym. Quæst.* in *Genes.* 1.): scilicet ipsum Hebr. אור *ur*, ignis, flamma, lux. — Sulfur est terræ genus, facile ignem concipiens, nidore gravi, θεῖον (It. *solfo o zolfo*; Fr. *soufre*; Hisp. *azufre*; Germ. *der Schwefel*; Angl. *sulphur*).

I.) Proprie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (174). In terræ reliquis generibus vel maxime mira natura est sulfuris, quo plurima domantur. Nascitur in insulis Æoliis: sed nobilissimum in Melo insula: in Italia quoque, in Neapolitano Campanoque agro, collibus, qui vocantur Leucogæi. ibi e cuniculis effossum perficitur igni. Genera quattuor: vivum, quod Græci apyron, nascitur solidum, hoc est glæba. Alterum genus appellant glæbam, fullonum tantum officinis familiare. Tertio quoque generi unus tantum est usus ad suffiendas lanas, quoniam candorem tantum mollitiemque confert: egula vocatur. Quarto autem ad ellychnia maxime conficienda. Persequitur inde *Plin.* ejus usus in medicina: additque habere et in religionibus locum ad expiandas suffitu domos: adde et ipsos homines et pecudes et res alias. *Lucret.* 6. 221. quali natura prædita constent Fulmina, declarant ictu loca inusta, vaporis Signa notæque graves halantis sulpuris auras. Adde *ibid.* 747. *et* 806. et *Caton.* 39. *R. R.* 1. *Sall. Jug.* 57. Picem sulfure et tæda mixtam ardenti mittere. *Tibull.* 1. 5. 11. Ipseque ter circum lustravi sulfure puro. *Propert.* 4. 8. 86. Terque meum tetigit sulfuris igne caput. *Ovid.* 4. *Fast.* 739. Cærulei fiant vivo de sulfure fumi: Tactaque fumanti sulfure balet ovis. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *ante med.* Paleas, quas substraturi sunt (*gallinis incubantibus*), sulfure et bitumine atque ardente tæda perlustrant. *Claudian. cons. Prob.* et *Olybr.* 257. Sulfur odorum. — In plur. num. *Virg.* 3. *G.* 449. Et spumas miscent argenti vivaque sulfura. *Ovid.* 14. *Met.* 791. Sulfura lurida. *et* 15. *ibid.* 351. lutea. *et* 3. *ibid.* 373. summis circumlita tædis Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de filo aut festuca aut ramento, quod sit sulfure illitum ad ignem excitandum. *V.* SULFURATUM. *Juvenal.* 5. 47. Siccabis calicem *etc.* rupto poscentem sulfura vitro. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 74. quæque commutis Permutat vitreis gregale sulfur. ¶ 2. Item de fulmine: quia, ut ait *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (177)., fulmina et fulgura sulfuris odorem habent: ac lux ipsa eorum sulfurea est. *Lucan.* 7. 160. Ætherioque nocens fumavit sulfure ferrum. *Pers.* 2. 24. ocius ilex Sulfure discutitur sacro.

SULFŬRANS *vel* sulphurans, antis, particip. ab inusit. *sulfuro*, idem ac sulfureus, ut Aquæ sulfurantes. *Tertull. advers. Valentinian.* 15.

SULFŬRĀRĬA *vel* sulphuraria, æ, f. 1. (sulfur) sulfuris fodina vel locus, ubi sulfur præparatur, *solfanaria, solfatara. Ulp. Dig.* 48. 19. 8. In calcariam vel sulfurariam damnari. Adde *ibid.* 47. 2. 53.

SULFŬRĀTĬO *vel* sulphuratio, ōnis, f. 3. (sulfur) mixtura sulfuris subterranea. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 15. *circa med.* Et sulfuratio contraxit humorem. *h. e.* vena sulfurea.

SULFŬRĀTUS *vel* sulphuratus, a um, particip. ab inusit. *sulfuro*, adjectivorum more adhibitum; unde Comp. *Sulfuratior.* — Sulfuratus est sulfure imbutus, aspersus, *di solfo, solforato, solfato,* θειώδης. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (59). Est utilis aqua sulfurata nervis. *Vitruv.* 8. 3. Sulfurati fontes. *Cels.* 4. 5. Sulfurata lana. *Martial.* 12. 57. Mercis sulfuratæ institor. *negoziante di solfanelli.* et 10. 3. Sulfuratum ramentum. *solfanello.* et *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 28. Credo, sulfuratiorem eis gehennam præparabit. — Hinc absolute, substantivorum more

Sulfurata, orum, n. plur. 2. res aut loca sulfurata. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 28. (49). Depressis puteis sulfurata vel aluminosa occurrentia putearios necant. *h. e.* loca aut venæ sulfuris. Adde *Ulp. Dig.* 50. 16. 167.

Sulfuratum, i, n. 2. filum aut festuca aut ramentum sulfure illitum ad ignem excitandum, *solfanello o zolfanello, solforato. Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 30. (138). Scintillæ exceptæ sulfuratis aut fungis aridis vel foliis. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *sulfure*, ex MSS. *Martial.* 1. 42. Qui pallentia sulfurata fractis Permutat vitreis. *Cf. Juvenal.* et *Stat. loc. cit.* in SULFUR sub II. 2.

SULFŬRĔUS *vel* sulphureus, a, um, adject. (sulfur) qui est ex sulfure, sulfuris naturam, nidorem aut colorem habens, θειώδης (It. *sulfureo*; Fr. *de soufre, sulfureux*; Hisp. *azufrado, sulfureo*; Germ. *schwefelig*; Angl. *sulphureous*). *Virg.* 7. *Æn.* 517. amnis Sulfurea Nar albus aqua. *Ovid.* 15. *Met.* 340. sulfureis ardet fornacibus Ætne. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 175. mare sulfurei ductum per viscera montis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (177). Fulminum lux sulfurea est. *et ibid.* 6. 25. (41). Terra sulfurei coloris. *Id.* 36. *ibid.* 19. 34. (141). Sulphureus odor.

SULFŬRŌSUS *vel* sulphurosus, a, um, adject. (sulfur) idem ac sulfureus, ut Sulfurosi fontes, *Vitruv.* 8. 3. *ante med. Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 7. *ad fin.* Plurima sulfurosa admiscenda probaverunt.

SULLĀTŬRĬO *vel* syllaturio, is, ire, n. 4. (Sulla *vel* Sylla) Sullam, hominem crudelissimum (de quo *V.* ONOM. in SULLA L. C.) ejusque mores, crudelitatem, proscriptiones imitor, aut meditor. *Cic.* 9. *Att.* 10. *a med.* Ita sullaturit animus ejus et proscripturit diu. *Quintil.* 8. 3. *ante med.* Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quædam, ut a Cicerone sullaturit. *et ibid.* 6. *ante med.* Vix illa, quæ παραγόμενα vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt sullaturit, proscripturit.

SULLECTĬO. *V.* SUBLECTIO.

SULLECTUS. *V.* SUBLECTUS.

SULPHUR cum deriv. et

SULPUR. *V.* SULFUR.

SULTAN, anis, m. 3. Vox ab Chald. שלט *shelat*, imperavit, unde שלטן et שולטן *shultan* et *sholtan*, imperator. — Sultan, *sultano*, est princeps vel imperator, apud Turcas. *Coripp.* 3. *Laud. Justin.* 390. En sultan nostra servire paratus in aula Legatos nobis et plurima munera mittit. *V.* TURCÆ in ONOM.

SULTIS pro si vultis, *se volete*, composito vocabulo, ut *sodes, sis. Plaut. Asin. prol.* 1. Hoc agite, sultis, spectatores nunc jam. *Id. Capt.* 3. 5. 9. Adstringite isti, sultis, vehementer manus. *Id. Pœn.* 3. 6. 19. Domos abeamus nostras, sultis nunc jam. *Id. Stich.* 1. 2. 8. Facite, sultis, nitidæ ut ædes meæ sint. *Id. ibid.* 1. 3. 67. Adeste, sultis. *Enn.* apud *Fest. p.* 343. 21. *Müll.* Pandite, sulti', genas et corde relinquite somnum. — Pro *sultis* etiam *sitis* apud *Apul. Florid. n.* 16. Quem librum sperabo me commode posse conscribere, sitis eum hodie vobiscum probare. Sed *alii aliter leg.*

SUM, es, esse, et (fuo) fŭi (fuere), n. anom. quod verbum ὑπαρκτικόν Græci vocant; nos, ut ait *Priscian.* 8. p. 812. *Pusch.*, possumus substantivum nominare. — 1.°) Ad scribendi rationem quod attinet, hæc proponimus, ex antiqu. præsertim inscriptionibus deprompta. — *a*) Ex forma usitata *sum* (V. infra sub 4.°). — *α*) *Su* pro *sum* in *Inscr.* apud *Mommsen n.* 3090. HOC EGO SV IN TVMVLO. — Item *so* pro *sum* in *alia* apud *Orelli, n.* 4811. NON FVI ET SO. Adde *aliam* apud *Mommsen n.* 2960. — *'ist* pro *est* in *alia* in *Bullett. archeol. Napol. a.* 1857. *p.* 103. SIIPVLTIS IIST. *h. e.* sepultus est. — *'St* pro *est* usurpant antiquiores passim, vocali vel littera *m*, et *s* quæ exteritur, antecedente, divisim aut etiam conjunctim scriptum, ut *loco 'st* vel *locost* apud *Plaut. Pseud.* 4. 5. 1., *servitium 'st* vel *servitiumst* apud *eumd. Curc.* 2. 3. 21., *opust* apud *eumd. ibid.* 4. 2. 33., *remst* apud *Ter. Eun.* 1. 2. 51. etc. Sic *difficile 'st* in *fragm.* 2. *Cic. pro Fontejo* (ed. *B. G. Niebuhr*) V. *Marini Iscriz. Alb. p.* 141. et *Ritschl* ad *Plaut. Trin.* ed. alt. — *'S* pro *es* apud *Plaut. Curc.* 3. 37. quojati 's. et *ibid.* 44. Summanu 's. et *Ter. Andr.* 3. 1. 16. veritu 's. etc. V. *Müller De re metr. p.* 301. *et seqq.* De hoc tamen cf. etiam *Lachmann* ad *Lucret. p.* 65. *et seqq. et alibi.* — *Sont* pro *sunt* in *Inscr.* apud *Fabretti* in *Gloss. Ital. p.* 1684. QVAE INFERA SCRITTA SONT. — *β*) *Sid* pro *sit* in *alia* apud

Momms. n. 3368. SID TIBI TERRA LEVIS. (Cf. litt. D sub f) — Seit pro sit in alia in Corp. Inscr. Lat. 1. 603. — γ) Escit pro essit vel esit idque pro erit, ob litterarum r et s ex priscorum usu permutationem, ut in Fusii, Valesii etc. pro Furii, Valerii etc. (V. litt. R et S) Lex XII. Tab. apud Fest. in Nec p. 162. 19. Müll. Ast ei custos nec esit. et ibid. Furtum, quod nec manifestum esit. Schoell pro esit leg. escit. V. Müllerum ad hæc loc. Lucret. 1. 619. Ergo rerum inter summam minimamque quid escit? Alii leg. essit. V. Lachmann. in h. l. p. 45. Cf. Müller. op. cit. p. 403. — Item escunt pro erunt in Leg. XII. Tab. apud Cic. 2. Legg. 24. 60. — δ) Ese, eset, esetis, esent, pro esse, esset, essetis, essent, in Inscr. apud Momms. n. 716. et in SCto de Bacchanalib. l. 2., 3., 5. et 23. — Essed pro esset apud Cic., teste A. Maio, in Class. Auct. T. 1. p. 384. — ε) Estod pro esto, imperat., apud Fest. p. 230. 14. Müll. — b) Ex forma inusit. fuo. — α) Fuiit pro fuit in Inscr. apud Perret, Catac. de Rome pl. LXXVII. n. 3. — β) Fuvi pro fui dixit Enn., primâ syllabâ productâ, apud Cic. 3. Orat. 42. 168. Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini. Cl. Vahlen leg. fuimus. Id. apud Gell. 12. 4. magnam cum lassu 'diei Partem fuvisset. Id. fortasse apud Oros. 4. 1. qui antehac Invicti fuvere viri, pater optime Olympi. Plaut. Pœn. prol. 110. Quo genere nata, qui parentes fuverint. Al. leg. fuerint. — Fuei pro fui in Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 1. 1008. et fuveit pro fuit in alia ibid. 1. 1051. — γ) Item fuise pro fuisse in Titulo Scipionum et alibi. — 2.°) Formæ conjugationis pro diversa verbi radice hæ potissimum anomalæ occurrunt. — a) Ab usitat. sum. — α) Siem, sies, siet, ab esiem etc., pro sim, sis, sit etc. De eo sic Cic. Orat. 47. 157. Siet, plenum est, sit, imminutum. licet utare utroque. Ergo ibidem: (Videtur Cic. afferre hoc ex Terentii Phormione, quia et supra allata duo loca ibidem leguntur 2. 3. 37. et 43., sed hoc ibi nunc non apparet.) Quam cara sintque, post carendo intelligunt, Quamque attinendi magni dominatus sient. Hæc Cicero. Lucret. 2. 1077. Qui cujusque sient sæcli etc. Plaut. Pseud. 2. 4. 50. Quod si opus siet, ut dulce promat indidem. Ita legit Plin. 14. Hist. nat. 13. 15. (93)., alii sit, alii est. Sed innumera prope sunt loca, in quibus Plaut. et Terent. dixere siem etc. — β) Simus, pro sumus, Messalam, Brutum, Agrippam scripsisse, auctor est Mar. Victorin. p. 2456. Putsch.; quod et dicere solebat Augustus, teste Sueton. Aug. 87. (Cf. Weichert, Imp. Cæs. Aug. script. rel. p. 143.) — γ) Site, pro este, quidam leg. apud Plaut. Curc. 1. 1. 89., ubi plerique omnes fite. — δ) Sito, pro esto, apud Claud. Mamert. 3. Stat. anim. 6. a med. Nunc igitur adesto totus et quam potis es, præsens sito. — ε) Estunto, pro sunto, apud Cic. 3. Legg. 3. a med., ubi alii aliter. — ζ) Essere pro esse in Vet. inscr. Rom. apud Ducange in Gloss. med. et inf. Latin. COD. (pro quod) ESTIS FVI ET QVOD SVM ESSERE ABETIS (sic). — η) Essendi, essendo, essendum, gerund. Augustin. De mor. Manich. 4. Quia exsistendi et, ut ita dicam, essendi auctor est Deus. Adde Boeth. in Arist. prædic. 4. p. 210. Item Ars Augustin. etc. p. 494. 26. Keil. Essendi et essendo et essendum et essens dixerunt docti quidam temporis recentioris. — ϑ) Ens, particip. præs., ut Gr. ὤν, quod sit Priscian. 18. p. 1140. Putsch. Cæsarem protulisse (in libris, opinor, de Analogia) et quidem non incongrue, quomodo potens a voce possum. Cf. seq. — ι) Et essens in Papyr., quæ ad medium circiter sæc. VI. pertinet, apud Marini, Pap. diplom. n. 91. p. 141. Essentibus et introeuntibus etc. (V. etiam sub η) — Ceterum sens per aphæresin ab (esens) essens mansit in particip. præsens, absens. — NB. Est, esse, alio sensu, pro edit, edisse V. in EDO init. — b) Ab inusit. fuo. — α) Fuam, fuas, fuat pro sim, sis, sit vel fuerim, is, it. Lucret. 4. 638. aliis fuat acre venenum. Virg. 10. Æn. 108. Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. Sic apud antiquiores Afran. apud Non. p. 111. 14. Merc. Cave ne pendeas, si fuas in quæstione. Enn. ibid. At ego omnipotens te posco, ut hoc consilium Achivis auxilii fuat. — Fuatis pro sitis in Prodr. Gloss. p. 100. ed. Loew., ubi fuat, fuet pro faciat, faciet olim dictum ex Gloss. demonstrat cl. Loeweius. et Plaut. Mil. glor. 2. 6. in fin. Ibo intro, ne, dum absum, illis sortito fuam. Id. Capt. 2. 3. 71. Caveto, mihi iratus fuas. Id. Pseud. 4. 3. 12. Ne capti prædones fuant. Ter. Hecyr. 4. 3. 4. Fors fuat pol. Vet. plebiscit. apud Censorin. De die nat. 24. Prætor urbanus qui nunc est quique posthac fuat. — β) Fueret pro esset apud Lucret. 3. 836. In dubioque fueret, utrorum ad regna cadendum etc. — γ) Fore pro fuĕre (forĕre), quod innuit Diomed. 1. p. 375. Putsch. — Hinc forem, es, et, ent, idem ac essem, es etc. Plaut. Rud. 1. 3. 37. Nunc qui minus servio, quam si forem serva nata? Sall. Jug. 26. Vellem, ut et hæc, quæ scribo, vana forent. Virg. 8. Æn. 130. Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis. Nepos Lysand. 3. Quam vere de eo foret judicatum. — Forem etiam pro fuissem, nisi velis per enallagen usurpari. Ovid. Heroid. 6. 144. si intrasses portus - Hiscere nempe tibi terra roganda foret. Phædr. 3. 10. Qui quum de puero multa mentitus foret, Adjecit etc. Adde eumd. 5. 5. — Fore, futurum infiniti. Cæs. 1. B. G. 39. extr. Nonnulli Cæsari nunciabant, non fore dicto audientes milites. Cic. 3. Orat. 61. 229. Fore, dicis? Ego vero esse jam judico. Sall. Jug. 118. Numquam ego ratus fore, ut etc. — Interdum ponitur pro esse. Cic. 5. Att. 21. ab init. Deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum. Liv. 6. 42. ad fin. Deûm immortalium causa libenter id facturos fore. Id. 37. 39. Instare hiemem aut sub pellibus habendos milites fore aut etc. Gell. 15. 1. Si quid posset remedii fore, ut ne tam assidue domus Romæ arderent. — δ) Futo, as, frequentat. V. FUTO. — ε) Futurus, a, um, particip. V. infra suo loc. — 3.°) De syllabarum quantitate hæc sunt animadvertenda. — a) Es, secunda præsentis sive indicativi sive imperativi, corripitur. Virg. 1. Æn. 391. Quisquis es, haud, credo, invisus cælestibus. Adde Tibull. 1. 4. 54., Propert. 1. 9. 30. etc. — Interdum vero producitur. Id. 2. 23. in fin. Quod si tu Grajas, sive es imitata Latinas. Alii leg. seu sis. et Albinov. 1. 379. Nata quod es alte, quod fetibus aucta duobus. Alii leg. en alte es; sed minus recte. V. Voss. De Gramm. l. 2. c. 31. — b) Ero utramque habet brevem apud Plaut., si credimus Ritschelio, Proleg. p. 167. — c) Erīmus, mediâ productâ, adhibuit Paulin. Nolan. 17. 287. Quaque contendas, comites erimus mente sequaci. Cf. eumd. 24. 629. Tum nostro socii poterimus vivere Celso. et Juvenc. 4. 683. Tunc sanctis digne poterimus credere signis. Utrobique poterīmus pænultimam habet longam. Cave tamen, imiteris. De his disserit Müller, De re metr. p. 365. — d) Sis, pro sies, longa est, ut et prima in simus et sitis. — Item sit productâ syllabâ usurpasse Plautum, monet Ritschl in Proleg. p. 182. et 267. — e) Fui monosyllabon, et etiam bisyllabon, duabus syllabis productis, itemque fuerunt, bisyllabon, eumdem adhibuisse demonstrat idem Ritschl ibid. p. 164. et 171. — Fuimus, fuisset longa usurpasse u ob contractionem Ennium, monet Müller De re metr. p. 246. — f) Fuĕrimus, conjunctivo modo, tempore præterito perfecto, brevis est: fuĕrimus eodem modo, tempore futuro, longa est. Ita Agroet. Orthogr. p. 2267. Putsch. — 4.°) Denique ad originem vocis quod attinet, duplex est radix verbi pro duplici forma sum et fui, a Sanskrita lingua, ut videtur, petenda, unde et Gr. εἰμί. Varro jam docuerat, 9. L. L. 100. Müll., olim dictum fuisse esum pro sum; unde es pro esis, est pro esit: sumus, estis, sunt (vel sont) pro esumus, esitis, esunt (vel esont). Recentiores formam — a) Sum, es, est etc. derivant a Skr. asmi, asi, asti etc.; eram etc., ab asam etc.; sim, ab syam etc.; hæc autem a rad. Skr. as, esse, unde Lat. es, ex quo esum (sum) etc., et Gr. ἐς, ex quo εἰμί pro ἐσμι, etc. — b) Fuo inus., unde fui etc., a rad. Skr. bhû, esse, fieri, ex quo Gr. φυ et Lat. fu, ac terminationes temporum, præsertim imperf., bam, et fut. bo, ut laudabam, laudabo, quasi laudans eram, laudans ero. Cf. Curt. Grundzüge etc. p. 285., Schweizer-Sidler Gramm. § 132. et seqq. et Bopp, Schleicher, Corssen, al. apud Pezzi, Gram. Stor.-Comp. d. L. L. a. 1872. Loesch. et etiam Bardelli in Dissert. inscripta La lingua Sanscr. e Lat. a. 1859. — Part. Ens init. 2.° ϑ et in fin.; vel Essens init. 2.° ι; Futurus sub A I. 1. 2.° a et 6. et II. 8. 3.° b α; et B 2. et in fin. — Sum est exsisto, sive in visu sive in re sive alio quocumque modo, εἰμί (It. essere; Fr. être; Hisp. ser; Germ. sein; Angl. to be): multiplicis autem est usus occurritque proprie ac translate, variata sæpissime constructione; præterea adhibetur absolute aut conjuncte seu relative, et quidem A) Personaliter; et B) Impersonaliter.

A) Personaliter.

I.) Absolute. ¶ 1. Generatim est exsistere — 1.°) Dicitur tum de exsistentia tum de essentia rei, sed non tam hoc aut illo modo singulari, ut in sequentibus paragr., quam communi atque universali, esistere, essere. — a) Improprie de rebus, quæ non a se seu necessario sunt vel exsistunt. — α) Sensu physico. Cic. Top. 5. 26. Definitionum duo sunt genera prima: unum earum rerum, quæ sunt: alterum earum, quæ intelliguntur. Esse ea dico, quæ cerni tangique possunt, ut fundus, ædes, parietem, cetera. Non esse rursus ea dico, quæ tangi demonstrarique non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt, ut si usucapionem, si tutelam etc. definias. Id. 2. Orat. 38. 158. Omne quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse. Quintil. 3. 6. 81. Non statim quod esse manifestum est, etiam quid sit, apparet. Boeth. Quomodo subst. bon. etc. 3. Quod est participare aliquo potest; sed ipsum esse nullo modo aliquo participat; fit enim participatio quum aliquid jam est. Est autem aliquid quum esse susceperit. Adde ibid. 4. et seqq. Augustin. 12. Civ. D. 5. Naturæ igitur omnes quoniam sunt, bonæ sunt. Et quum ibi sunt, ubi esse per naturæ ordinem debent, quantum acceperunt, suum esse custodiunt. Rursus Boeth. De interpr. p. 307. Esse aliquis duobus modis dicitur aut simpliciter aut secundum tempus. et ibid. Si autem dicimus dies est ad nullam diei substantiam pertinet, nisi tantum ad temporis constitutionem. — Absolute. Id. De unit. p. 965. Esse non est nisi ex conjunctione formæ cum materia. et mox. Sicut unitate res ad esse ducitur, sic et in illo esse custoditur. - Ac per hoc ex quo res habet esse, una est. Id. in Porpyr. 4. p. 90. Quid est autem esse rei? nihil aliud nisi definitio. Adde Boeth. 3. p. 74. — β) Sensu morali. Vulgat. interpr. 1. Cor. 1. 28. Elegit Deus ea, quæ non sunt. h. e. pro nihilo habentur. et mox. Ut ea, quæ sunt, destrueret. h. e. in pretio habentur. Cf. Augustin. Tract. 92. in Joh. V. sub A II. 3. 2.° — b) Proprie de Deo, qui a se seu necessario est. Vulgat. interpr. Exod. 3. 14. Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos, l' Essere, κατ' ἐξοχήν. Hinc Augustin. 12. Civ. D. 5. Deus, qui summe est atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quæ non summe est (quia neque illi æqualis esse deberet, quæ de nihilo facta esset, neque ullo modo esse posset, si ab illo facta non esset etc. et Sentent. n. 12. Quod summe, cum ipso et de ipso est: quod autem non summe est, ab eo, qui summe est, de nihilo accipit ut sit. In hac ergo natura non potest recte Deo tribui, nisi quod in se habet esse, id est, omne ejus bonum. Rursus Vulgat. interpr. Sap. 13. init. de Deo. Is, qui est. et Joh. 2. 58. Antequam Abraham fieret, ego sum. et 2. Cor. 1. 19. Non fuit Est et non, sed Est in illo (Christo) fuit. Id. Apoc. 1. 4. Qui (Deus) est, qui erat et qui venturus est. Ad rem Augustin. Sentent. n. 367. Quamvis natura incommutabilis non accipiat,

Fuit et Erit, sed tantum Est (ipse enim veraciter est, quia aliter qui est, esse non potest): tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, mendaciter dicimus, Fuit, Est et Erit: fuit quippe, quia numquam desinit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est. *Boeth. De interpr. p.* 307. Quum enim dicimus Deus est, non eum dicimus nunc esse, sed tantum in substantia esse, ut hoc ad immutabilitatem potius substantiæ, quam ad tempus aliquod referatur. — Huc pertinere potest illud *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 122. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus, Esse divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat. — *c*) Hinc etiam *esse* absolute significat id, quod verum ac firmum est. *Vulgat. interpr. Matth.* 5. 37. Sit autem sermo vester est, est: non, non. Adde 2. *Cor.* 1. 17. — Huc spectat *Auson. Edyll.* 17. cujus lemma Ναί καί οὐ Πυθαγορικόν. Est et Non, cuncti monosyllaba nota frequentant. His demptis, nihil est, hominum quod sermo volutat. *sì e no.* — 2.°) Dicitur de existentia, sed modo minus universali ac magis determinato, sc. pro vivere, *esistere, vivere.* — *a*) De animantibus. *Cic.* 11. *Fam.* 21. Dei isti Segalio malefaciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. *Id.* 6. *ibid.* 3. *ad fin.* Nec enim dum ero, angar ulla re: et, si non ero, sensu omni carebo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Non est tibi his solis utendum - qui nunc sunt hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. *Id.* 11. *Att.* 4. De Frusinati, si modo futuri sumus, erit mihi res opportuna. *Id.* 2. *ibid.* 16. Si quando erit civitas, erit profecto nobis locus. *Id. Senect.* 22. 79. Nolite arbitrari, me, quum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. (Sic *Plaut. Bacch.* 2. 2. 16.) *Nepos Agesil.* 6. Omnibus apparuit, nisi illa fuisset, Spartam futuram non fuisse. *Sil. It.* 6. 475. Nec umquam, Dum fuit etc. *Prudent. Cathem. præf. init.* Per quinquennia jam decem, Ni fallor, fuimus. — *b*) De inanimis. *Cic.* 1. *Rep.* 16. 25. Solis defectiones reputatæ sunt usque ad illam, quæ Nonis Quinctilibus fuit Romulo regnante. *Id.* 2. *Fam.* 16. Si erit ulla respublica; sin autem nulla erit etc. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. Per quem adhuc sumus. — *c*) Huc spectant formulæ illæ in inscriptis lapidibus, quæ enigmaticæ videntur. *Inscript.* in *Annali dell' Istit. archeol. n.* 1856. *p.* 18. *n.* 94. OCVLNIVS M. L. RVFIO HIC EST ET NON EST. *Alia* apud *Furlanetto Mus. d' Este p.* 148. OLIM NON FVIMVS NATI SVMVS VNDE QVIETI NVNC SVMVS VT FVIMVS. *Alia* apud *eumd. ibid.* SIC NON FVI DEINDE FVI MODO NON SVM. *Alia ibid.* FVI NON SVM ESTIS NON ERITIS NEMO IMMORTALIS. Adde *aliam* apud *Cavedoni, Mus. del Cataio p.* 50. — *d*) Hinc etiam *fuisse*, euphoniæ gratia, est idem ac vixisse, mortem obiisse, periisse. *Plaut. Truc.* 1. 2. 92. Horresco misera, mentio quotiens fit partionis: Ita pæne tibi fuit Phronesium. *Id. Capt.* 3. 3. 1. Nunc illud est, quum me fuisse quam esse nimio mavelim. *Virg.* 2. *Æn.* 325. fuimus Troes, fuit Ilium et ingens Gloria Teucrorum. Cf. *Euripid. Troad.* 586. Πρίν ποτ' ἦμεν. Βέβακεν ὄλβος, βέβακε Τροία. - Ἐμῶν εὐγένεια παίδων. et *Propert* 2. 8. 10. *Tibull.* 3. 5. 52. Sive erimus, seu nos fata fuisse volent. *Ovid. Heroid.* 17. 191. Certus in hospitibus non est amor: errat, ut ipsi, Quamque nihil speres firmius esse, fuit. Alii leg. *fugit.* et *Sil. It.* 6. 475. fuit ille (*Regulus*), nec umquam Dum fuit, a duro cessavit munere Martis. Sic *Inscr.* apud *Maffei, Mus. Ver.* 150. 4. OSSA HIC SITA SVNT AVCTAE APVSTIAE RVFAE (*sc.* servæ) QVAE FVIT ROGO PER SVPEROS QVI ESTIS OSSA MEA TVEATIS. et *Vulgat. interpr.* Cf. *Matth.* 2. 18. Rachel plorans filios suos et noluit consolari, quia non sunt. Cf. *Din. Comp. Ist. Fior.* 1., *Sen. Pist.* 12. et *Manzoni* in *Od.* «il cinque Maggio» *v.* 1. ¶ 2. Speciatim, ut videtur, pro solere, *esser solito. Cic.* 12. *Fam.* 20. Quod si, ut es, cessabis, lacessam. ¶ 3. Item pro durare. *Propert.* 2. 19. 74. Invidiam quod habet, non solet esse diu. ¶ 4. Item pro vere esse vel locum habere, valere. *Plaut. Epid.* 1. 17. Quid tibi vis dicam nisi quod est? *Ter. Hecyr.* 4. 4. 28. Consultatio est. *Id. Phorm.* 2. 1. 26. Neque testimonii dictio est. *Ovid.* 3. *Art. am.* 167. Nec rubor est emisse palam. *Liv.* 2. 18. Nec provocatio erat. Cf. 2. 33. *et* 6. 20. et *Cic.* 16. *Att.* 16. Cf. *A* I. 1. 1.° *b*. ¶ 5. Item pro adesse. *Liv.* 22. 3. Nunciaret, T. Manlium L. filium esse. ¶ 6. Item pro accidere, fieri, γίγνεσθαι, συμβαίνειν. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. Interim postulant, ut sint induciæ, atque ab iis impetrant. *Id.* 1. *B. G.* 46 Sine ullo periculo legionis delectæ cum equitatu prœlium fore videbat. — Sequente Conjunctivo et part. *ut*. (Cf. *B* 2.) *Id.* 1. *B. C.* 26. Se confidere demonstrat, fore, ut æquis condicionibus ab armis discedatur. *Id.* 2. *B. G.* 17. Qua (*legione*) pulsa impedimentisque direptis, futurum (*esse*), ut reliquiæ contra consistere non auderent. Adde 1. *ibid.* 10. et 31.

II.) Conjuncte seu relative, multiplici modo usurpatur variasque ex adjunctis vel conjunctis accipit significationes. Conjungitur scilicet cum alia propositione vel cum aliqua orationis parte, adjectivo, pronomine, nomine aut verbo per aliquam præpositionem seu particulam, aut etiam directo. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Occurrit in formula illa frequentissima *sunt qui, quæ* etc., unde major aliquando orationi vis accedit, et de cujus usu V. *Krüger, Gramm. d. Lat. Sprach.* § 615. — *a*) Cum Indicativo, si certa vel consueta res est. — *α*) Absolute. *Plaut. Cist.* 4. 2. 37. sunt Qui volunt te conventam. *Sall. Cat* 19. Sunt qui ita dicunt. *Varro* 5. *L. L.* 157. *Müll.* Sunt qui scripserunt. *Cic.* 1. *Invent.* 40. 72. Sunt qui putant. *Id. ibid.* 24. 84. Sunt qui quod sentiunt, non audent dicere. *Id.* 3. *Tusc.* 31. 76. Sunt qui abducunt a malis ad bona. *Horat.* 1. *Od.* 1. 3. Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat. *h. e.* qui delectantur: ἑλληνισμός. *Id. ibid.* 7. 5. Sunt quibus unum opus est intactæ Palladis urbem Carmine perpetuo celebrare. *Id.* 2. *Sat.* 1. 1. Sunt quibus in satira videor nimis acer. *Quintil.* 11. 3. 55. Sunt qui spiritum non recipiunt sed resorbent. — *Est quibus*, pro *sunt*, in illo *Propert.* 3. 7. 17. Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ: Est quibus in celeres gloria nata pedes. Alii leg. *sunt*: sed *est* in quinque suis MSS. vidit *Broukus*. et valde probat. Vidit etiam *Vulpius* in edit. princ. 1472. Est enim bellus Ἀττικισμός, laudatus etiam a *Marcilio* in *Horat.* 1. *Od.* 1. 3. confirmatusque illo *Xenoph. l.* 1. *Memorabil. c.* 4. Ἔστιν, οὖστινας ἀνθρώπων τεθαύμακας ἐπὶ σοφίᾳ. et *Dionis l.* 64. *sub init.* de *Galba*. Ὥστε μηδὲ δραχμὰς ἔστιν οἷς, ἀλλ' ὀβολοὺς, χαρίζεσθαι. *Propertius* autem Græca amat. — *β*) Cum additis. *Cic* 10. *Att.* 4. Sunt tamen quæ præterii. *Sall. Cat.* 39. Fuere complures, qui ad Catilinam profecti sunt. *Id. ibid.* 52. Alia fuere, quæ illos magnos fecere. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 152. Hæc sunt, quæ clamores et admirationes efficiunt. *Id.* 1. *Invent.* 54. 103. Hæc erunt quæ dicentur. *Id.* 2. *ibid.* 13. 42. Sunt aliquæ suspiciones, quæ sumuntur. *Id. Rosc. Am.* 33. 94. Permulta sunt, quæ dici possunt. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 7. 22. Sunt multa, quæ esse arbitratur. *Id.* 6. *Verr.* 25. 56. Sunt vestrum aliquammulti, qui Pisonem cognoverunt. *Id. Amic.* 20. 72. Sunt quidam, qui molestas amicitias faciunt. *Id.* 1. *Off.* 2. 5. Sunt nonnullæ disciplinæ, quæ pervertunt. *Id. ibid* 20 69. Multi sunt et fuerunt, qui removerunt etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Multæ et pecudes et stirpes sunt, quæ sine procuratione hominum salvæ esse non possunt. *Id.* 5. *Fin.* 14. 38. Sunt bestiæ quædam, in quibus inest aliquid simile virtutis. — *b*) Cum Conjunctivo, si res est incerta vel abstracta, seu ex animi judicio vel conjectura potius, quam ex re ipsa vel facto, sententia effertur. — *α*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 9. Sunt qui discessum animi a corpore putent esse mortem; sunt qui nullum censeant fieri discessum. *stimerebbero, giudicherebbero.* et 1. *Off.* 21. 71. Sunt qui in rebus contrariis parum sibi constent. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 28. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas etc. *non vorrebbero.* et 1. *Ep.* 1. 78. sunt qui viduas venentur avaras. *Id.* 2. *ibid.* 2. 182. vestes Getulo murice tinctas Sunt qui non habeant. *Sueton. Aug.* 100. Fuit, qui suaderet appellationem transferendam. *Quintil.* 10. 1. 93. Sunt qui Propertium malint. — In sing. num. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 83. est qui non curet habere. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 89. Est quod differat inter justitiam et verecundiam. — *β*) Cum additis. *Id.* 1. *Rep.* 7. 12. Si qui sunt, qui philosophorum auctoritate moveantur. *Id. Brut.* 49. 185. Tria sunt, quæ sint efficienda dicendo. *Id.* 1. *Cat.* 12. 30. Nonnulli sunt, qui ea, quæ imminent, non videant. *Id.* 1. *Fin.* 9. 31. Sunt quidam e nostris, qui hæc subtilius velint tradere et negent satis esse. *Id.* 1. *Off.* 2. 5. Sunt nonnullæ disciplinæ, quæ officium omne pervertant. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 34. sunt voces, quibus hunc lenire dolorem Possis. *Id. Art. P.* 347. Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus. Adde *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (75). *et alibi passim.* et *Quintil.* 9. 2. 31. Sunt quidam, qui dicant. *Id.* 8. 6. 58. Sunt etiam, qui hæc tropos dicant. *Alii leg.* dicunt. *Id.* 10. 3. 11. Sunt autem, quibus nihil sit satis. Cf. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Qui se ultro morti offerant, facilius reperiuntur. — In sing. num. *Cic. opt. gen. dic.* 2. 6. Nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit. *Id. Rosc. Am.* 23. 65. Erat nemo, in quem ea suspicio conveniret. *Id.* 2. *Phil.* 25. 61. Quis miles fuit, qui illam non viderit? *Id.* 1. *Tusc.* 35. 85. Sit aliquis, qui nihil mali habeat. *Id.* 2. *Divinat.* 60. 125. Quotusquisque est, qui somniis pareat? *Id.* 1. *Legg.* 8. 24. Nullum est animal præter hominem, quod habeat notionem aliquam Dei. *Id.* 5. *Tusc.* 8. 23. Si est quod desit, ne beatus quidem est. *Quintil.* 6. 4. 14. Quum est aliquid, cui responderi non statim possit. *Id. ibid.* 3. 111. Erat enim, quod posset inter ridicula numerari. *Id.* 10. 3. 29. Semper erit, propter quod nobis ignoscamus. — 2.°) Huc alia pertinent, sc. — *a*) *Est quod*, est causa, cur. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 26. Jam ad te revortar, namque est quod visam domum. *Liv.* 30. 31. *sub fin.* Si quid ad ea adjicitur, est quod referam ad consilium: sin etc. *Cic.* 16. *Att.* 5. Etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem. — *b*) *Non est, nihil est quod* aut *cur*, non est causa, cur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 30. non est quod multa loquamur. *Ovid. Heroid.* 19. 159. Quod timeas, non est. *Ter. Heaut.* 4. 7. 6. Nihil est, illic quod moremur diutius. *Cic. Orat.* 2. 6. Non est, cur eorum spes infringatur. *Id.* 6. *Fam.* 20. Nihil est, cur gestias. *Id.* 9. *ibid.* 26. Nihil est, quod extimescas. *Id.* 11. *ibid.* 1. Nihil erat, quod de singulis rebus scriberem. *Id.* 14. *ibid.* 12. In viam quod te des hoc tempore, nihil est. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 1. Nihil est, quod respondeam superiori epistolæ. ¶ 2. Speciatim *sum*, sequente nomine substantivo vel adjectivo vel pronomine vel adverbio, statum condicionemque significat, sive modum, quo quis aut quid se habet aut quidnam sit vel significet, *essere in tale stato o in tal modo, trovarsi.* — 1.°) Cum substantivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Flumen est Arar, quod etc. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 27. Nos numerus sumus et fruges consumere nati. *Propert.* 4. 9. 20. Nobile erit Romæ pascua vestra forum. *Alii leg.* erunt. *Liv.* 45. 39. *a med.* Pars non minima triumphi est victoriæ præcedentes. *Lucan.* 9. 811. Sanguis erant lacrimæ. — *Esse instar*, similem esse, exemplo esse. *V.* INSTAR. — *Esse opus*, oportere. *V.* OPUS. — 2.°) Cum adjectivo seu appellativo. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 60. Tuus sum. *Id. Amph.* 2. 1. 57. Satin tu sanus es? *Id. Pers.* 2. 4. 15. Ego me confido liberum fore. *Sall. Jug.* 1. Animus ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est. *Id. Cat.* 54. Esse, quam videri, bonus malebat. *Publil. Syr.* 548. *Ribb.* Quidquid futurum est summum, ab imo nascitur. *Cic. Amic.* 4. 15. Scipionis et Lælii amicitiam notam posteritati fore. *Id.* 1. *Tusc.* 6. 12. Non sum ita hebes ut etc. *Id. ibid.* Quis est tam excors, quem ista moveant? *Propert.* 4. 5. 56. tibi sit surda sine arte lyra. *h. e.* non respondeat. *Ovid.* 1. *Fast.* 47. Ille (*dies*) nefastus erit, per quem tria verba silentur: Fastus erit, per quem lege licebit agi. *Id.* 6. *ibid.* 220. qua

felix sospite semper ero. Sic et 4. *ibid.* 519. *sospes erit* pro *sospes eas* leg. *Koch* in *Symb. Phil. Bonn. p.* 355. *Liv.* 2. 7. Romanus sum civis. - Facere et pati fortia Romanum est. *Id. ibid.* 13. 19. Domus non ea est, quam parietes nostri cingunt. *Plaut. Amph. prol.* 30. Ego qui Jovis sum filius. *Cic.* 1. *Rep.* 6. 10. Consul autem esse qui potui? — *Esse totum* in aliqua re. *V.* TOTUS. — *Esse necesse*, esse necessarium. *V.* NECESSE. — *Est noster* dicitur qui nobis paret. *Ovid.* 1. *Art. am.* 175. nunc, oriens ultime, noster eris. — Alio sensu *id.* dixit *Heroid.* 3. 80. Et leviter dicas: hæc quoque nostra fuit. *et ibid.* 12. Quærebant taciti, noster ubi esset amor. — *Esto noster*, V. in NOSTER. — *Esto* imperativum formula est testamentorum, ut *heres* aut *exheres esto, dare damnas esto, liber esto,* quæ passim in *Pandectis* occurrunt. *Seneca Controv.* 15. Sola mihi heres esto. — 3.°) Cum pronomine. *Plaut. Stich.* 5. 4. 49. Ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus. *Cic.* 1. *Rep.* 4. 7. Is enim fueram, cui etc. *Augustin. Tract.* 92. *in Joh.* Scirent se Dei gratia esse (*id*) quod sunt; suis autem vitiis fuisse (*id*) quod fuerunt. *Id. Tract.* 26. in *Joh.* Quid sit manducare corpus Ejus et sanguinem bibere. — 4.°) Cum adverbio — *a*) Modi seu qualitatis. *Lucil.* 10. *fragm.* 4. *Müll.* Fluctibus a ventisque adversis firmiter essent. *Plaut. Amph.* 2. 1. 57. sic sum, ut vides. *Id. Rud. prol.* 3. Ita sum: quid id attinet ad te? *son fatto così.* et *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quum ea ita sint. Adde 3. *B. C.* 60. Cf. Gr. ἔχειν et Lat. *se habere. Cic.* apud *Lactant.* 1. 18. Est vero, inquit, Africane. - Sit ita. *et* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 25. Sit sane ita. *et* 13. *Att.* 38. Sic, inquit, est. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 51. Dato qui bene sit: ego, ubi bene sit tibi locum lepidum dabo. Sic *Ter. Adelph.* 1. 1. 9. Et tibi bene esse soli quum sibi sit male. *Cic. Dejot.* 7. 19. Quum in convivio comiter et jucunde fuisses. *et* 2. *Fam.* 16. Quos autem in maritimis sum facillime, moveo nonnullis suspicionem etc. *mi trovo assai volentieri.* et 13. *Att.* 26. Ego locum habeo nullum, ubi facilius esse possim quam Asturæ. *Id.* 1. *Att.* 7. Apud matrem recte est. *Id.* 6. *ibid.* 7. Tironem graviter ægrum reliqui, sed nunciant melius esse. *et Brut.* 10. 42. Aliter est apud te de Coriolano. *h. e.* aliter sentis. *Sall. Jug.* 9. Neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Sic *Liv.* 2. 25. Frustra id inceptum Volscis fuit. *Tac.* 1. *Ann.* 72. Dicta impune erant. — *Esse summe*, in divinis quid sit, V. *A* I. 1. 1.° *b.* — *Esse præsto*, in promptu esse etc., *V.* PRÆSTO. — *Esse satis*, sufficere, *V.* SATIS. — *b*) Temporis et loci. *Propert.* 2. 19. 74. non solet esse diu. *Cic.* 1. *Rep.* 1. 1. Sunt procul ab hujus ætatis memoria. — 5.°) Huc spectat formula explicativa *id est, hoc est*, videlicet, *vale a dire, cioè. Cic. Brut.* 46. 172. Sed domum redeamus, id est ad nostros revertamur. *Id. Amic.* 26. 97. Quod si scæna, id est in contione, verum valet etc. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Meos amicos, in quibus est studium, in Græciam mitto; id est ad Græcos ire jubeo. *Quintil.* 8. 3. 89. Quum in eo bona tua invasero, hoc est quum te docuero. Adde *eumd.* 3. 7. 1. — 6.°) Aliquando omittitur. *Enn. Sat.* 46. apud *Fest. p.* 330. 11. *Müll.* Soliti quod dicere. *Inscr. L. Scipionis.* IS HIC SITVS QVEI NVMQVAM VICTVS EST VIRTVTEM. *Virg.* 1. *Æn.* 621. Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ Alma Venus genuit? *et* 3. *ibid.* 45. Nam Polydorus ego. *Quintil.* 7. 1. 53. Hæc conjecturalia. *Id.* 9. 3. 8. Ex illis enim, qui non risere, hic, quem non dignata. *et* 7. 3. 27. Servus, quum manumittitur, libertinus. *et* 11. 3. 3. Quum hæc omnia fecerimus, felices tamen, si etc. *sc.* erimus. *Id.* 10. 7. 26. Studendum semper et ubique. *et ibid.* 3. 16. Quærunt, unde incipiendum. *et* 7. 10. 16. Qui (*sensus*) non modo ut sint collocati, laborandum est, sed ut inter se vincti. *Vulgat. interpr. Marc.* 14. 36. Sed non quod ego volo. *subaud.* sit. De usu apud Orientales omittendi v. *sum.* V. *Weitenauer* ad v. *Est* et *Wiseman Hor. Syr. T.* I. *p.* 8. *et seq.* — De hac ellipsi apud *Plaut.* V. *Ritschl* in *Opusc. Phil. v.* 2, *p.* 608. *et seqq.* — Huc etiam pertinent locutiones *nec mirum, nil mirum, mirum quin, mirum quantum, mirum si* etc., de quibus *V.* MIRUS. ¶ 3. Item statum condicionemque et affectum qualitatemve animi aut corporis adsignificat sæpe cum vi habendi. — *a*) Cum Genetivo. *Ter. Andr.* 3. 8. 7. Tam nulli consilii sum. *Cæs.* 5. *B. G.* 54. Senonum civitas est magnæ inter Gallos auctoritatis. *Varro Sat. Menipp.* 61. *p.* 174. *Oehl.* Hoc erat incommodi, quod etc. *Sall. Jug.* 1. Natura humana imbecilla atque ævi brevis est. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 257. Magni judicii, summæ etiam facultatis esse debet orator. *Id. Sext.* 16. 36. Me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse. *Id.* 5. *Tusc.* 1. 2. Virtus non tantarum virium est, ut se ipsa tueatur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 54. quære et refer, unde domo, quis, Cujus fortunæ, quo sit patre quove patrono. *Nepos Alcib.* 8. Se nullius momenti apud exercitum fore. *Id. ibid.* 11. Ejusdem ætatis fuit. *Liv.* 9. 16. Invicti ad laborem corporis erat. *Sueton. Claud.* 33. Libidinis in feminas profusissimæ fuit. Cf. *A* II. 8. 1.° — *b*) Cum Ablativo et præs. *in. Ter. Phorm.* 2. 1. 36. Esse in noxa. *h. e.* reum esse. *Id. Andr.* 2. 5. 13. *et* 3. 1. 9. et *Plaut. Trin.* 2. 2. 2. alicui in mora. *h. e.* moram afferre. *Cic.* 6. *Verr.* 6. 11. Hominem non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse ac semper fuisse. *Id.* 13. *Fam.* 30. Nullam arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum: et est hodie in bonis. *Id. Cluent.* 7. *a med.* Esse in servitute. *Metell.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 1. in luctu et squalore. *Cic.* 2. *Att.* 22. in odio. *h. e.* odio haberi. *et mox.* in summa perfidiæ et sceleris infamia. *Id.* 1. *Divinat.* 17. 31. in magno nomine et gloria. *Id.* 2. *Phil.* 15. 37. Fateor, me in tanta mœstitia fuisse, quanta ceteri cives fuissent. *Id.* 14. *Fam.* 3. *ante med.* Esse in spe. *h. e.* spem habere. in scriptis. *Id.* 2. *Legg.* 16. 40. Est in lege. *sc.* legitur. Sic 2. *Fam.* 2. 16. Quid enim fuit in illis (*litteris*) præter querelam temporum? *Id. Dom.* 2. Res est in opinione. *si fonda, è riposta, consiste.* et *Cluent.* 51. 142. in illa opinione populari. *Id.* 1. *Off.* 14. 42. in injustitia. *Id. ibid.* 15. 49. in officio. *Id. ibid.* 18. 61. in probris, in laudibus. *Id. ibid.* 2. 19. summo in honore. *Id.* 3. *Tusc.* 9. 19. in vitio. *Id.* 13. *Fam.* 30. in bonis. *Id.* 4. *ibid.* 7. Qua in sententia me quoque fuisse. *Id.* 10. *Att.* 16. Esse in maximis doloribus. *Liv.* 8. 33. Conveniens esse, civitatem in lætitia, victoria, supplicationibus ac gratulationibus esse. *Id.* 5. 47. in ingenti periculo. *Id.* 31. 29. in pace. *Id.* 8. 2. in dubia spe. *Cic. Rosc. Am.* 28. 77. in honore et pretio apud aliquem. *Horat. Art. P.* 70. Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. Adde *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (104). *Cic.* 2. *Verr.* 17. 51. Esse in laude et in gratia cum populo Romano. *Id. Brut.* 31. 117. Q. Ælius Tubero fuit illo tempore nullo in oratorum numero. *Id.* 6. *Verr.* 1. 3. et *Vatin.* 8. 20. Esse alicui in amore et deliciis. *h. e.* esse valde carum. Sic 6. *Verr.* 1. *ad fin. Cæs.* 8. *B. G.* 6. Quantumque in ratione esset. *h. e.* positum esset, *si poteva congetturare.* — *Esse in numero*, esse inter homines, vivere, numerari cum aliis. *Lucret.* 5. 180. Qui numquam vero vitæ gustavit amorem Nec fuit in numero. *V.* NUMERUS. — *Esse in oculis*, inter homines versari, prodire. *Liv.* 35. 10. Assiduus in oculis hominum fuerat. *V.* OCULUS. — *Esse in causa*, esse causam, apud *Cic.* 1. *Fam.* 1. 1. Adde *Liv.* 40. 26. *V.* CAUSA. — *Esse in votis*, optari. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 1. Hoc erat in votis etc. *V.* VOTUM. — *Esse in veste*, vestem habere, indutum esse. *Tibull.* 1. 9. 70. in laxa quid juvat esse toga? *Cic.* 8. *Phil.* 11. 32. Quum est in sagis civitas. *Ovid.* 2. *Art. am.* 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus: Sive erit in Cois, Coa decere puta. — *Esse in corpore*, vivere. *Inscr. in Corp. Inscr. Lat.* 6. 6257. QVAE FVIT IN CORPORE ANNOS PLVS MENVS (*sic*) XXI. — *c*) Cum Abl. sine præp. *Ter. Eun.* 1. 2. 4. et *Cic.* 5. *Att.* 18. Bono animo es. *imperativum.* Adde *Lucil.* et *Pompon.* apud *Non. p.* 506. 22. *Merc. Cæs.* 5. *B. G.* 14. Britanni sunt capillo promisso atque omni parte corporis rasa præter caput et labrum superius. *V.* alia sub *A* II. 6. 4.° ¶ 4. Item ponitur pro commorari, manere, versari, *stare, abitare.* — *a*) Absolute. *Cic.* 12. *Att.* 3. Ne vivam, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies. *Id.* 1. *Rep.* 8. 13. Quum simul essemus complures dies. — *b*) Cum Abl. loci et præp. *in. Cic.* 7. *Verr.* 35. *a med.* Cleomenes in publico esse non audet: includit se domi. *Id.* 1. *Rep.* 9. 14. In hortis esse. *Id. ibid.* 15. Quum essemus in castris. *Tibull.* 2. 3. 28. Amor in parva te jubet esse casa. — *c*) Cum locativo nominis aut adverbiis. *Cic.* 2. *Fam.* 8. Quum Athenis decem ipsos dies fuissem. *Id.* 4. *Verr.* 41. 100. Quum non liceret quemquam Romæ esse. *Id.* 4. *Fam.* 7. *a med.* Nonne mavis sine periculo domi tuæ esse, quam cum periculo alienæ? *Id.* 2. *Orat.* 7. 27. Ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro, ut hic sitis hodie. *siate qui meco a pranzo.* et 14. *Fam.* 7. Vos istic commodissime esse. Sic *Pompon.* apud *Cic.* 8. *Att.* 11. Te hic commodissime fore. — *d*) Addito Abl. personæ, quacum quis est, et præp. *cum. Cic. Brut.* 90. 309. Eram cum stoico Diodoto. *Id.* 4. *Fam.* 13. Complectar ejus familiarissimos, qui multum mecum sunt. *Id.* 5. *ibid.* 21. Erat nemo, quicum essem libentius quam tecum, et pauci, quibuscum essem æque libenter. *Id. Harusp. resp.* 12. 25. Si essetis versaremini que nobiscum. — Hinc *esse cum aliquo* in re matrimonii et amatoria. *Cic. Quinct.* 24. *a med.* Dicebam huic Q. Roscio, cujus soror est cum P. Quinctio. *Ovid.* 3. *Art. am.* 664. mecum non semel illa fuit. Adde 2. *Amor.* 8. 27., *Cic. Cœl.* 20. *a med.* et *Plaut. Merc.* 1. 1. 101. — *Esse cum aliquo* dicitur etiam de eo, qui præsto est, qui alicui valido ac singulari auxilio est. *Vulgat. interpr. Jos.* 1. 5. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. *et Matth.* 28. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Cf. *Cic.* 2. *Att.* 9. Si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia. ¶ 5. Item adhibetur pro transire. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Multi jam menses erant et hiems præcipitaverat. *Alii tamen leg.* transierant. Cf. *Hom.* κ 479. ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην. *Liv.* 9. 33. Permulti anni jam erant, quum oritur etc. ¶ 6. Item, constructione inspecta, varie præterea adhibetur. Hinc — 1.°) Cum Genetivo — *a*) Refertur ad pretium et est æstimari, *valere.* — α) Proprie. *Ter. Adelph.* 5. 9. 20. Postremo a me argentum, quanti (*servus*) est, sumito. *quanto costa.* Adde *Andr.* 5. 2. 15. *Cic.* 5. *Verr.* 81. *a med.* Quum in Sicilia HS. II. tritici modius esset, summum HS. ternis. *valeva.* et *ibid.* 84. 194. Si ullo in loco frumentum tanti fuit, quanti iste æstimavit. *Id.* 3. *Off.* 23. *sub fin.* Emere denario, quod sit mille denarium. *Id. Rosc. Com.* 12. 33. Ager nunc multo pluris est, quam tunc fuit. *Plin.* 6. *Ep.* 3. Agellus erat centum millium nummum. — Etiam cum Ablativo. *Cic.* 5. *Verr.* 75. 174. Esse sestertiis duobus. *Liv.* 29. 37. Sextante sal et Romæ et per totam Italiam erat. — β) Translate. *Plaut. Truc.* 2. 6. 8. Pluris est oculatus testis, quam auriti decem. *Ter. Andr.* 5. 2. 15. Quam faciem videas, videtur esse quantivis pretii. *un uomo di gran vaglia, un gran bacalare.* et *Cic.* 1. *Off.* 22. 76. Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi. *Id.* 12. *Att.* 28. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. *Id.* 15. *Fam.* 15. *sub fin.* Magni erunt mihi tuæ litteræ. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. *in fin.* Plus uno Cato fuerit, quam omnes leges. Alii leg. *pluris:* alii aliter. *Nepos Eumen.* 8. Videbant omnes præ illo parvi futuros. — *b*) Refertur etiam ad dominium vel possessionem et est habere, possidere. *Cic.* 2. *Fam.* 13. Jam me Pompeji totum esse scis: Brutum a me amari, intelligis. Similiter *Lucan.* 8. 659. et jam Cornelia non est Juris, Magne, sui. *Liv.* 42. 29. Ptolemæus propter ætatem alieni arbitrii erat. *Id.* 31. 45. Præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ esse, responderunt. *Id.* 7. 30. Ut aut amicorum aut inimicorum simus: si defenditis, vestri; si deseritis, Samnitium erimus.

saremo e cadremo in potere. — Huc spectat *Cic.* 9. *Fam.* 15. Hic versus Plauti non est. *non è fattura.* et *Top.* 4. 23. Omnia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt. Cf. etiam *loc. adl.* sub *A* II. 4. — c) Significat proprium esse: construitur autem cum Conjunct. et part. *ut*, vel Infinito, aut absolute. *Plaut. Capt.* 3. 4. 51. Est miserorum, ut malivolentes sint atque invideant bonis. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. Est hoc Gallicæ consuetudinis etc. *Cic.* 2. *Orat.* 20. *ad fin.* Alterum divinitatis mihi cujusdam videtur, alterum humanitatis *etc.* clamare contra quam deceat, hominis est - stultitiæ suæ quamplurimos testes colligentis. *Id. Senect.* 6. *extr.* Temeritas est florentis ætatis, prudentia senescentis. *Id.* 3. *Verr.* 26. 66. Negavit moris esse Græcorum, ut accumberent mulieres. *Id.* 1. *Off.* 24. 83. Subvenire tempestati sapientis est. *Id.* 1. *Rep.* 2. 3. Teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cujusque. *Id. ibid.* 5. 9. Neque sapientis esse accipere habenas. *Id ibid.* 7. 12. Audiant eos, quorum summa est auctoritas. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 9. 27. Esset humanitatis tuæ consulere. *Id.* 5. *Fam.* 16. Non est gravitatis ac sapientiæ tuæ fere immoderatius casum incommodorum tuorum. *Id.* 12. *Phil.* 2. 5. Cujusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. *Id.* 1. *Off.* 20. 68. Nihil est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias. *Id. Amic.* 17. 63. Est prudentis sustinere impetum benevolentiæ. *Seneca Herc. Œt.* 1561. Laudis est, purum tenuisse ferrum. *è cosa lodevole.* et *Quintil.* 1. 4. 7. An cujusvis auris est exigere litterarum sonos? *Id.* 11. 3. 69. Decoris illa sunt, ut etc. Sic *ibid.* 8. Illud insidiantis fortunæ fuit, ut etc. — d) Item officium, munus, partes. *Cic.* 5. *ad Q. fr.* 1. 19. Est ejus, qui præsit, eorum, quibus præsit, utilitati servire. *Id.* 1. *Off.* 34. 122. Est adulescentis majores natu vereri. — Pro genet. *mei, tui* etc. usurpatur *meum, tuum* etc. *Cic.* 12. *Att.* 28. Fuit meum quidem jam pridem rem publ. lugere. *Id. Mur.* 38. 83. Est tuum videre quid agatur. — e) Item addictum esse, operam dare, sequi, favere. *Nepos Att.* 6. Optimarum partium esse. *Liv.* 3. 38. *a med.* Patres indignitate rerum cesserant in agros: suarumque rerum erant, amissa publica. (Ubi perperam a nonnullis *solliciti* intrusum esse, monent critici meliores.) *si dedicavano ai loro privati affari.* et 35. 51. Qui Romanæ partis erant, urbe excesserunt. — f) Item pertinere, spectare, inservire. *Cic. ad Capiton.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Consules, quorum et lege et S. C. cognitio et judicium fuit. *Nepos Eumen.* 1. Alienæ erat civitatis. *Liv.* 8. 12. Cujus tum fasces erant. *Id.* 28. 8. Quod suorum fuisse finium, satis constiterat. *Id.* 37. 55. Ea civitatis Rhodiorum essent. *Id.* 38. 3. Dolopes numquam Etholorum fuerant, Philippi erant. — Cum gerundivis. *Sall. Cat.* 6. Regium imperium initio conservandæ libertatis atque augendæ reipubl. fuerat. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 132. Quæ res evertendæ rei publ. solent esse. *Liv.* 27. 9. Hæc prodendi imperii, tradendæ Hannibali victoriæ sunt. *Id.* 38. 50. Nihil tam æquandæ libertatis esse. Adde 34. 55. *Id.* 40. 29. Pleraque dissolvendarum religionum esse. — g) Item significat convenientiam, congruentiam. *Cic.* 1. *Orat.* 18. 81. Nitidum quoddam verborum genus est, sed palæstræ magis et olei, quam hujus civilis turbæ ac fori. — h) Item materiam aut qualitatem, numerum, magnitudinem et similia. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 292. Una fuit labes; cetera lactis erant. *h. e.* lactei coloris. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. Neque tanti sum animi, ut sine spe castra expugnanda censeam. *Id.* 7. *B. G.* 5. Etsi res erat multæ operæ ac laboris. *Id.* 5. *ibid.* 49. Esse magni periculi rem tantulis copiis iniquo loco dimicare. *Id.* 7. *ibid.* 22. summæ sollertiæ. *Id.* 2. *ibid.* 15. magnæ virtutis. *Id.* 2. *B. C.* 31. tanti timoris. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 26. Animus cujusdam modi esse debet. *Liv.* 21. 60. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit. *Id.* 1. *Orat.* 60. 257. Disputatio non mediocris contentionis est. *Id.* 10. 36. Captivorum numerus fuit septem milium ac ducentorum. *Id.* 23. 35. Ea maxima pars volonum erat. *questi per la maggior parte erano volontari.* et *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Ita omnis insula est in circuitu vicies centum milium passuum. *Nepos Them.* 2. Classis mille et ducentarum navium longarum fuit. *Sueton. Cæs.* 40. Annum ad solis cursum accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset. *Sall. Jug.* 95. Sulla gentis patriciæ nobilis fuit. Cf. exempla super. paragr. 3. *a.* — i) Item originem. *Vulgat. interpr. Luc.* 3. 23. *de gener. Christi.* Ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli. *et mox.* Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ etc. — 2.°) Cum Dativo. — a) Significat habere, possidere. (Cf. *Madvig Gramm.* § 246. *a.* 1.) *Enn. fragm.* 20. *Ribb.* Nimium boni est, cui nihil mali 'st. *Plaut. Amph. prol.* 9. Nomen Mercurii est mihi. *Ter. Adelph.* 1. 2. 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. Est diis gratia, unde hæc fiant. *Id. Heaut.* 3. 2. 22. Aliquid reperiret, Unde esset adulescenti, amicæ quod daret. *Id. Hecyr. prol.* 1. Hecyra est huic nomen fabulæ. *Cic. Brut.* 62. 225. Cui saltationi Titius nomen esset. *Id. ibid.* 10. 40. Nisi jam esset bonos eloquentiæ. *Id.* 1. *Legg.* 8. 25. Homini cum Deo similitudo est. *Id.* 3. *Fin.* 2. 6. Controversia mihi fuit cum avunculo tuo. Adde *Brut.* 10. 40. *Horat.* 2. *Od.* 15. 13. Privatus illis census erat brevis. *Liv.* 1. 1. Trojæ et huic loco nomen est. *Id.* 25. 2. Scipio, cui post Africano fuit cognomen — *Cordi esse, curæ esse. Plaut. Cist.* 1. 111. utut est erga me meritus, cordi est tamen. *Cic. Amic.* 4. 15. Idque eo mihi magis cordi est, quod etc. Apud *Non. p.* 88. 31. *Merc.* est *sedere animo.* V. COR. — b) Item aptum, idoneum esse. *Liv.* 31. 13. Quum solvendo æri alieno respublica non esset. *Alii leg. ære. Id.* 2. 9. Esse oneri ferendo. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 21. Non eris invidiæ ferendæ. *h. e.* invidiam ferre non poteris. *Modestin. Dig.* 50. 22. 9. Si bona liberalitati solvendæ non fuerint. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (96). Radix ejus vescendo est decocta. *Ulp. Dig.* 33. 9. 3. (et *Gell.* 4. 1. *sub fin.*) Etiam quæ esui potuique non sunt, contineri legato. *Cels.* 4. 10. *extr.* Injiciuntur ea, quæ humori extrahendo sunt. Adde *Cic.* 2. *Phil.* 2. 4. *et* 3. *Fam.* 8. *et* 13. *Att.* 10. — c) Item afferre. *Cic. Rosc. Am.* 4. 9. Impedimento esse alicui. *Id, ibid.* 17. 48. Vitam rusticam probro et crimini putas esse. *Id.* 2. *Phil.* 16. 40. Magno argumento est. *Sall. Jug.* 54. Quæ usui forent. Apud *Fronton. ad M. Cæs.* 3. 13. Veritus sum, ne tibi litteræ meæ crebriores oneris essent. Ita *Cod.*; sed *oneri* videtur scribendum, licet aliter sentiat cl. *Maius.* et *Cic.* 1. *Invent.* 34. 59. Quæ signo sunt, omnia etc. *Ovid.* 2. *Met.* 540. Lingua fuit damno. — Sæpe cum duobus Dativis, eodem sensu. *Cic.* 7. *Verr.* 8. 19. Hanc rem sic agemus, ut crimini aut invidiæ reo putemus esse oportere. et 5. *ibid.* 40. 91. Hæ pecuniæ tibi fraudi et damnationi esse deberent. *et ibid.* 62. *a med.* Quæ detrimento, maculæ, invidiæ, infamiæ nobis omnibus esse possint. *et ibid.* 37. *a med.* Hæc tam parva civitas prædæ tibi et quæstui fuit. *Id. Rosc. Am.* 5. 13. Quibus occidi Sex. Roscium bono fuit. — d) *Esse alicui cum aliquo*, intercedere. *Ter. Phorm.* 2. 3. 74. tecum nil rei nobis, Demipho, est. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Sibi cum illa mima posthac nihil futurum. *Id.* 15. *Fam.* 10. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus. Cf. *Quinct.* 6. 25. Jussit bona proscribi ejus, quicum familiaritas fuerat, societas erat. — 3.°) Cum Accusativo et præp. *ad, in.* — a) *Esse ad* — α) De personis, est cum aliquo esse, ad aliquem venire. *Varro* apud *Non. p.* 133. 28. *Merc.* Tum ad me fuerunt, qui libellionem esse sciebant. *h. e.* ad me venerunt, mecum fuerunt. Sic *Cic.* 10. *Att.* 4. *a med.* Curio fuit ad me sane diu. *fu da me.* et *ep.* 16. Commodum ad te dederam litteras, quum ad me bene mane Dionysius fuit. *Liv.* 28. 18. Esse sub uno tecto atque ad eosdem penates. Alii aliter leg. — β) De rebus, est prodesse, aptum esse. *Cato R. R.* 125. Vinum murteum est ad alvum crudam. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Res, quæ sunt ad incendia. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 124. Valvæ, quæ olim ad ornandum templum erant maxime. *Liv.* 2. 12. *de Scævola.* Hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est, quam fuit ad cædem. — De loco, pro *apud*, esse prope, *presso, vicino. Cæs.* 5. *B. G.* 22. Ad Cantium, quod esse ad mare supra demonstravimus. — γ) Apud Mathematicos proportionum terminum indicat. *Boeth.* 2. *Arithm.* 40. Quemadmodum sunt IV. ad II., sic sunt II. ad I. Ut ad æqualitatem quidem proportionis sunt I. II. IIII. VIII., sic enim sunt, quemadmodum duo ad unum, si octo ad quattuor et conversim. — b) *Esse in*, venire. — α) Proprie. *Cic.* 15. *Att.* 4. Ut certior fieret, qua die in Tusculanum esset futurus. At *Wesenberg* leg. *venturus.* et *Sueton. Aug.* 16. Nec prius militibus in conspectum fuisse. — β) Translate. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 54. ecquid in mentem est tibi, Patrem tibi esse? — *Esse in aliquid*, esse aliquid. *Vulgat. interpr. Ps.* 30. 3. Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii. — *Esse in rem*, utilem esse. *Sall. Cat.* 20. Tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari. Alii leg. *in re* contra usum dicendi. Cf. *Ter. Phorm.* 1. 3. 9. Quæ in rem tuam sint. *et Liv.* 30. 4. Quæ in rem erant. *Ruhnken* adfert etiam *Ter. Andr.* 3. 3. 14., quicum cf. *Sil. It.* 7. 244. — Eodem sensu dicitur *ob rem* apud *Sall. Jug.* 31. et *ex re* apud *Ter. Phorm.* 5. 7. 76. Cf. *Ruhnken* ad *eumd.* 2. 2. 41. — c) *Esse apud, penes, circum, citra, ante, ob, super* etc. vario sensu. *Cic.* 1. *Rep.* 14. 21. Quum esset casu apud Marcellum. *h. e.* versaretur. *trovandosi.* et *Cæs.* 1. *B. G.* 50. Quum apud Germanos ea consuetudo esset. *costumandosi.* et 3. *B. C.* 59. Erant apud Cæsarem ex equitum numero Allobroges duo fratres. *militavano sotto Cesare.* — In divinis *esse apud*, εἶναι πρός, indicat meram divinarum Personarum, non essentiæ, distinctionem. *Vulgat. interpr. Joh.* 1. 1. Verbum erat apud Deum. *sc.* persona Verbi alia est a persona Dei. *h. e.* Patris. Cf. *Patrizi* in *h. l.* — *Plaut. Amph.* 2. 2. 21. Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *h. e.* qui possidet virtutem seu virtute præditus est. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 19. 52. Penes Cn. Pompejum omne judicium et potestas debet esse. — *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Erant enim circum castra Pompei permulti editi atque asperi colles. *circondavano.* — *Id.* 4. *B. G.* 4. Pars Menapiorum, quæ citra Rhenum erat. *giaceva.* — *Id.* 2. *B. C.* 25. Quod (*theatrum*) est ante oppidum. *prospetta.* — *Sall. Jug.* 39. *ad fin.* Non prius omisit contra verum niti, quam animadvertit, super gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. *h. e.* plus posse. *V.* alia exempla suis locis etc. — 4.°) Cum Ablativo, absolute aut cum præp. *ab, pro, super* etc. — a) Absolute — α) Ad significandam rei qualitatem. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. *de uris.* Hi sunt magnitudine paullo infra elephantos; specie et colore et figura tauri. *Cic.* 2. *Orat.* 13. 55. Herodotus tanta est eloquentia, ut me magnopere delectet. *et* 6. *Fam.* 14. Esse animo magno. *Sall. Jug.* 95. animo ingenti. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Esse magna gratia. *Id.* 5. *ibid.* 40. tenuissima valetudine. Rursus *Cic. post red. ad Quir.* 1. 4. ægro corpore. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. capite et superciliis semper rasis. *Id. pro leg. Manil.* 9. 26. jam confectis stipendiis. *Id.* 5. *Legg.* 15. 45. hebeti ingenio atque nullo. *Id. Amic.* 23. 87. ea asperitate et immanitate naturæ. *Id.* 1. *Rep.* 43. 67. eodem jure. *Id.* 3. *Fam.* 10. ea stultitia. *et* 7. *ibid.* 1. ea mente, quem ratio præscribit. *Id.* 2. *Att.* 7. 2. mira alacritate ad litigandum. — β) Ad significandum pretium. *V. A* II. 6. 1.° — b) Cum præpos. — α) *Esse ab aliquo*, ab aliquo stare, alicui favere, cum eo sentire. *Cic.* 2. *Orat.* 38. *a med.* Critolaus erat ab Aristotele. — *Esse ab aliquo*, esse ex alicujus familia seu domo, ortum vel factum esse. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 22. Esse tu ab illo milite Macedonio? *Ter. Andr.* 3. 1. 3. *et* 4. 4. 17. Ab Andria 'st ancilla hæc. *Cæs.* apud *Sueton. Cæs.* 1. Non ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater; a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. *Cic.* 4. *Att.* 16. Pleræque epistolæ mihi nunciabant, ubi esses, quod erant abs te. *Id.* 1. *Orat.* 13. 55. Vide;

ne hoc totum sit a me. — β) *Esse pro aliquo,* alicui favere. *Cic. Cluent.* 32. *ad fin.* Judicia partim nihil contra Avitum valere, partim etiam pro hoc esse. — γ) *Esse ex aliqua re,* exsistere vel constare. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Transtra (*erant*) ex pedalibus in altitudinem trabibus. *Alii præpos. omittunt.* et *Cic.* 3. *Orat.* 47. 183. Creticus est ex longa et brevi et longa. *Id. Orat.* 63. 214. Temeritas ex tribus brevibus et longa est. *Id. ibid.* 64. 217. Dactylus, qui est e longa et duabus brevibus. — δ) *Esse in aliquo,* latere. *Ovid.* 2. *Met.* 444. *de Callisto.* Et timuit primo, ne Juppiter esset in illa. *h. e.* se absconderet sub ejus figura. — Alio sensu *V.* in super. paragr. 5. *b.* — ε) *Esse in eo, esse rem in eo, ut,* dicitur de re imminenti seu instanti, *esser sul punto di, essere in quello o in quella di, poco mancare che,* parum abesse. *Nepos Miltiad.* 7. Quum jam in eo esset, ut oppido potiretur. Adde *Liv.* 2. 17. *et* 28. 32. *V.* IS. — Sic *res inibi est,* in proximo est. *V.* INIBI. — ζ) *Esse de,* agere tractare. *Cic. Fat.* 1. 1. Libri, qui sunt de natura deorum. Sic 2. *Divinat.* 1. 2. Primus enim (*liber*) est de contemnenda morte. Adde 7. *Att.* 2. *sub fin.* V. in DE. — η) *Esse sub* aliqua re, v. c. sub imperio, sub ictu etc., *V.* in SUB. — θ) *Esse super,* superesse. *V.* SUPER. — *NB.* Plurimæ aliæ sunt locutiones ex hoc verbo conflatæ, quas tamen omittere opportunius ducimus, ne hujus articuli moles plus æquo excrescat, neu actum agere videamur, quum suis quæque locis, pro diverso additorum genere digestæ, inquirenti præsto sint.

B) Impersonaliter. ¶ 1. *Sum* est licere, dari, ἔξεῖναι — *a)* Cum Conjunctivo et part. *ut.* *Cic. Cæl.* 6. 14. Magis est, ut ipse moleste ferat errasse se. *Id. Mil.* 13. 33. Erat, ut odisset defensorem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Neque est, ut putemus ignorari ea. — *b)* Cum Infinito. *Ter. Adelph.* 5. 3. 42. Scire est liberum ingenium atque animum. *Virg.* 6. *Æn.* 595. Nec non et Tityon terræ omniparentis alumnum Cernere erat. *Ovid.* 5. *Trist.* 11. 19. alii, quorum numerum comprendere non est. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *Id.* 1. *Sat.* 2. 79. Plus haurire mali est. *Id. ibid.* 5. 87. quod versu dicere non est. *Id.* 2. *ibid.* 5. 103. est Gaudia prodentem vultum celare. *si può, è cosa facile.* et *Liv.* 42. 41. Quæ verbo objecta, verbo negare sit. *Madvig* ad *h. l.* in *Emend. Liv. p.* 645. hæc habet: «Frustra *Livio* adfingitur elegans, si dis placet, Græcismus, ut *negare sit* pro *negare liceat* dixisse putetur, quo Græcismo nemo in prosa oratione usus est. *Hearnius* recte *sit* ex *satis sit* ortum putavit». Sed V. *Drakenb.* ad *eumd. loc.*, qui aliter sentit. *Tac.* 16. *Ann.* 54. Ut conjectare erat intentione vultus. *Gell.* 13. 24. *sub fin.* Est tamen non nusquam invenire, ita scripsisse quosdam. *Ovid.* 2. *Art. am.* 27. Et quoniam in patria, fatis agitatus iniquis, Vivere non potui, sit mihi posse mori. Alii leg. *da;* sed *Heinsio* invito, qui plurima ibi congessit ad τὸ *sit* firmandum, ex eod. *Ovid.* et ex *Virgil., Tibull., Propert., Martial.,* aliis. Sic *Sil. It.* 12. 695. fuerit delere Saguntum, Exæquare Alpes etc. *et* 14. 581. Signaque ferre deum templis jam jamque fuisset, Ni etc. Ἐστί et ἦν eadem significatione etiam Græci usurpant. Simile est illud *Sall. Jug.* 3. Fuit uti. et *ibid.* 118. Fuerit mihi eguisse aliquando amicitiæ tuæ. Ad quem locum plura *Cortius.* Vim τοῦ *licere* animadvertere est etiam in his: *Tibull.* 4. 3. 3. Nec tibi sit duros acuisse in prœlia dentes. *et* 1. 6. 24. Tunc mihi non oculis sit timuisse meis. *Propert.* 1. 20. 13. Ne tibi sit duros montes et torrida saxa adire. *h. e.* ne liceat, ne velis, ne adeas, μὴ γένοιτο, μὴ ἔστω. *Virg.* 10. *Ecl.* 46. Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum. *Passerat.* Cf. *Sall. Cat.* 53. *in fin.* Quos, quoniam res obtulerat, præterire non fuit consilium. Adde *Dig.* 36. 1. 11. § 2. et *Gell.* 12. 9. — De *loc. Val. Max.* 1. 7. *n.* 2. Non est inter patrem et filium ullius rei comparationem fieri etc. V. *Madvig, Advers. crit. v.* 2. *p.* 315. ¶ 2. Item evenire, accidere — *a)* Cum Conjunctivo et part. *ut, ne, quin. Ter. Phorm.* 5. 7. 32. Sin est, ut velis manere illam apud te, dos hic maneat. *et Hecyr.* 4. 1. 43. Si est, ut dicat, velle se, redde. *h. e.* si vis, manere illam apud te: si dicit, se velle. *Id. Phorm.* 2. 1. 40. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit. *Lucret.* 5. 979. Non erat, ut fieri posset, mirarier umquam. *h. e.* fieri non poterat, ut mirarentur. *Cæs.* 1. *B. C.* 31. Futurum esse, ut omnes pellerentur. *Cic.* 2. *Orat.* 36. 152. et *Orat.* 59. 199. Est, ut id maxime deceat. *Id. Cæl.* 20. 48. Quando fuit, ut, quod licet, non liceret? *Id.* 1. *Divinat.* 56. 128. Non est igitur, ut mirandum sit. *Horat.* 3. *Od.* 1. 9. Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis. *Id.* 1. *Ep.* 12. 2. non est, ut copia major Ab Jove donari possit tibi. *h. e.* non potest. *Dig.* 38. 7. 2. Magis est, ne possit peti bonorum ejus possessio. *Cic.* 3. *Herenn.* 24. 40. Numquam est, quin aliquid memoriæ tradere velimus. — *b)* Cum Infinito. *Cato R. R.* 1. Est interdum præstare, mercaturis rem quærere. *h. e.* interdum præstat vel fit interdum, ut præstet. *Dig.* 46. 3. 72. *n.* 4. Et magis est definere stipulationem. Cf. *Sall. Jug.* 118. et *Propert.* 1. 20. 13. *cit.* sub *B* 1. — *c)* Cum alia particula. *Cic.* 5. *Tusc.* 8. *a med.* Est, ubi id isto modo valeat. *et* 4. *Herenn.* 26. *sub fin.* Est, quum non est satius. Cf. 5. *Att.* 11. *circa med.* Quintilis, si erit, ut volumus, initinere es consumendus. ¶ 3. *Est* vel *esto,* concedentis, confirmantis. *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 1. 18. Est vero, inquit, Africane. nam et Herculi eadem ipsa porta patuit. *Id.* 2. *Orat.* 36. 152. Est, ut dicis, Antoni, ut philosophi nulla tradant præcepta dicendi. *Virg.* 10. *Æn.* 67. Italiam fatis petiit auctoribus. esto. Cassandræ impulsus furiis. *et* 7. *ibid.* 313. Non dabitur regnis, esto. prohibere Latinis: At trahere atque moras tantis licet addere rebus. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 81. Esto, aliis alios rebus studiisque teneri. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 47. Esto: ipse nihil est, nihil potest. at venit paratus. Adde 5. *Verr.* 24. 59. Cf. *Sext.* 54. 115. et 4. *Fin.* 25. *Colum.* 3. *R. R.* 3. *ad fin.* Sit quidem, ut cultoris negligentia sex milia seminum intereant. *Cic. Amic.* 2. 6. Sunt ista, Læli. nec enim melior vir fuit Africano quisquam nec clarior. Cf. *Maximian. Ecl.* 2. 63. Sit gravitas sitque ipsa tibi veneranda senectus, Sit, quod te nosti vivere velle diu: Quis suam in alterius condemnet crimine vitam? — Hinc Part.

Ens, entis, n. 3. absolute, substantivorum more, de quacumque re subsistenti aut simpliciter exsistenti, quemadmodum apud Græcos τὸ ὄν, sc. *quod est,* ut sæpe illud vertit *Seneca Ep.* 58. 6. *et seqq.*, quem videsis de hac re disputantem, *ente. Boeth.* in *Porphyr.* 3. *p.* 74. Fuerunt enim, qui hac opinione tenerentur, ut rerum omnium, quæ sunt, unum putarent esse genus, quod ens nuncupatur, tractum ab eo quod dicimus est —: quæ quum ita sint, ultimum omnium genus *ens* posuerunt, scilicet quod de omnibus prædicaretur. Ab eo enim, quod dicimus *est,* participium inflectentes, Græco quidem sermone ὄν, Latine *ens* appellaverunt. *Id. ibid.* 2. *p.* 26. Hæc omnia decem genera si vere sunt subsistentia, quodammodo substantia vel entia dici posse. Flexus enim hic sermo est esse *etc.* Et ens hoc ipsum, id est esse, genus eorum fortasse dici videbitur, sed falso. — Tribuitur etiam *Censorin. fragm.* 3. *n.* 3. Jovis stella salutaris et temperata et universis entibus prospera. *Alii tamen aliter leg.*

Futurus, a, um, adjective quoque usurpatur, et est qui erit, qui eventurus est, *futuro, appartenente all' avvenire. Cic.* 2. *Nat. D.* 4. *ad fin.* Signa ostenduntur a diis rerum futurarum. *Colum.* 11. *R. R.* 1. Docendus et multis prius experimentis inspiciendus erit futurus villicus. *h. e.* qui debebit aut volet esse villicus. *Vulgat. interpr. Exod.* 16. 32. Custodiatur (*gomor ex man*) in futuras generationes. Adde *Is.* 9. 6. *et alibi.* — Hinc absolute, substantivorum more

Futuri, orum, m. plur. 2. ii, qui erunt, qui exsistent seu vivent, *i futuri, i posteri,* οἱ ἐσόμενοι. *Sil. It.* 4. 638. dabit exemplum non vile futuris Flaminius. *Vulgat. interpr. Bar.* 6. 47. Reliquerunt autem falsa et opprobrium postea futuris.

Futurum, i, n. 2. res futura, *la cosa avvenire, il futuro, l' avvenire.* ¶ 1. Generatim. *Virg.* 4. *Æn.* 508. haud ignara futuri. *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. Futura prospicere. *Curt.* 4. 1. 29. Futura præsentibus potiora esse videntur. *Augustin. Serm.* 3. *de Ascens. D.* Discat sperare promissa ac Dei sui præteritam præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. *Vulgat. interpr. Sap.* 8. 8. Etsi multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita et de futuris æstimat. *Id. Gen.* 41. 8. Somnium præsagum futurorum. Adde *Eccli.* 48. 28., *Is.* 42. 23. et *Hebr.* 11. 20. *Id. Rom.* 8. 38. Neque instantia nec futura *etc. et* 1. *Cor.* 3. 22. Sive præsentia sive futura. Cf. *Homer. Il.* 1. 70. τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. — *In futuro* vel *in futurum,* tempore futuro, *in avvenire. Liv.* 6. 12. *a med.* Si quid dii vatesque in futurum vident. *Inscr.* apud *Gruter.* 311. 2. IN FVTVRO PERSEVERET. *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 5. 1. In futuro revelanda est. *et Is.* 41. 23. Quæ ventura sunt in futurum. *et Luc.* 13. 9. In futurum succides eam. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos de declinatione verborum est ea verbi forma, activa et passiva, quæ rei eventuræ significandæ inservit. *Priscian.* 8. *p.* 805. *Putsch.* Sunt igitur *præsens, præteritum* et *futurum;* sed præteritum rursus dividitur in tria; quamvis Græci futurum quoque diviserunt in quibusdam verbis in *futurum infinitum,* ut τύψομαι et *paullo post futurum,* quod et *Atticum* dicunt, ut τετύψομαι: melius tamen Romani, considerata futuri naturâ, quæ omnino incerta est, simplici in eo voce utuntur nec finiunt spatium futuri. Nisi mavis ubique, subaudito n. *tempus,* adjective usurpari. — *Macrob. De diff.* et *societ. Græc. Latiniq. verb.* 16. tradit, apud Græcos futuro tribui etiam imperativum.

SUM pro Eum. *Fest. p.* 298. 2. *Müll.* Sum pro eum usus est Ennius: «At te non ut sum summam servare decet rem». «Ad se se sum quæ dederat in luminis oras.

SŪMA. *V.* SUMMA.

SŪMĀNUS. *V.* SUMMANUS.

SUMBUS. *V.* SUBUS.

SŪMEN (subimen), mĭnis, n. 3. Dictum est a *sue;* nam suis est abdomen: vel potius est a sugendo, quasi *sugimen* (*sugmen*), quæ *Nonii* sententia est, qui et *Lucilium* pro mulieris uberibus usum esse docet *p.* 458. S. *Merc.* Quidam denique ab ὑμήν, membrana, derivant, mutata υ in u et addito *s* pro spiritu. — Sumen est extimus venter suillus infra umbilicum cum ipsis uberibus, summis olim in deliciis habitus, præcipue si ex primipara excisus esset sue, uno die post fetum editum, οὖθαρ, ἦτρον. Narrat *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209)., nomen suminis impositum fuisse abdomini a Publilio minorum poeta. *V.* loc.

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 3. 4. Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas! *paronomasia.* Adde *Curc.* 2. 3. 44. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (211). *de vulva suis.* Proxima ejecticiæ est occisæ uno die post partum. Hujus et sumen optimum, si modo fetus non hauserit: ejecticiæ deterrimum. *Martial.* 13. 44. cujus lemma est *Sumen.* Esse putes nondum sumen: sic ubere largo Effluit et vivo lacte papilla tumet. *Alii leg.* esse potes nudum sumen. *Gloss. Cyrill.* Ὑποκοίλιον, submen, subventrale. Item ὑπογάστριον, sumen. — De modo condiendi suminis suilli ejusque vario in re culinaria usu V. *Apic.* 7. 2. et 2. *coll.* 4. 2. et *Macrob.* 3. *Sat.* 13. 12.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen, usurpatur pro sue. *Juvenal.* 12. 72. Conspicitur sublimis apex (*h. e.* arx Albæ urbis), cui candida nomen Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen, Et numquam visis triginta clara mamillis. Alii leg. *numen.* ¶ 2. Pro pinguedine, ubertate. *Varro* 1. *R. R.* 7. et *Plin.* 17. *Hist. nat.*

4. 3. (32). Campos Rosiæ Italiæ dixit esse sumen, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret. ¶ 3. A similitudine, de mulieris uberibus usurpasse traditur *Lucil.* apud *Non. loc. cit.* Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto, Et manus uberior lactanti in sumine sidat.

SŪMENS, entis, particip. *V.* SUMO.

SŪMĪNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sumino*, quod a *sumen*, pertinens ad sumen. *Arnob.* 2. *p.* 73. Suminata caro. *h. e.* caro suminis. — Hinc

Suminata, æ, f. 1. absolute, est scrofa. quæ lactat suculos. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem. *h. e.* neque scrofam neque suculum seu porcellum.

SUMMA (suma), æ, f. 1. proprie adjectivum a *summus, a, um*, absolute usurpatum. — *Summai* genet. sing., pro *summæ*, more suo dixit *Lucret.* 1. 982. *et* 6. 679. — Summa est supremus, altissimus locus seu gradus seu pars, vel id quod in unoquoque rerum genere supremum est, τὸ ὕπατον (It. *il primo posto o luogo o grado o parte suprema;* Fr. *le premier ou principal lieu ou degré;* Hisp. *el primero ó principal lugar, puesto, grado;* Germ. *der Vorzug, erste Platz, erste Rang;* Angl. *first or principal post or rank, grade*). ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 4. 2. 15. Solus summam habet his apud nos. *h. e.* primum locum obtinet. *Cic.* 4. *Cat.* 7. 15. Vobis summam ordinis consiliique concedunt. ¶ 2. Speciatim est alicujus rei culmen seu complementum. *Quintil.* 3. 2. 1. Huic studium et incrementum dederit utilitas, summam ratio et exercitatio. Adde *eumd.* 5. 10. 72. ¶ 3. Item res præcipua ex multis vel caput cujuscumque rei. *Ter. Phorm.* 2. 2. 3. Ad te summa solum rerum redit. *Cæs.* 1. *B. G.* 41. De summa belli judicium imperatoris esse. *Id.* 2. *ibid.* 4. Ad hunc totius belli summam omnium voluntate deferri. *Id.* 3. *B. C.* 51. Imperator ad summam rerum consulere debet. *Cic. Rosc. Am.* 32. 91. Is, qui summam rerum administrabat. *Id.* 1. *Rep.* 26. 42. Penes unum est omnium summa rerum. Sic *Liv.* 10. 14. Discrimen summæ rerum augebat animos. *et ibid.* 27. Ad discrimen summa rerum adducta. *Id.* 6. 22. Periculum summæ rerum facere. *Id.* 35. 10. De summa rerum decernere. In quibus loc. *summa rerum* alii cum *Forcell.* interpretantur universitatem. (Cf. paragr. 9.) Rursus *Cic.* 2. *Rep.* 28. 50. Quos penes summam consilii voluit esse, quum imperii summam rex teneret. *Id. Rosc. Am.* 51. 148. Summa reipublicæ in hujus periculo tentatur. *Id. Quinct.* 9. 32. In hoc summa judicii causaque tota consistit. *il punto principale.* et *Liv.* 32. 17. Eam ignominiam ad summam universi belli pertinere ratus. *Nepos Arist.* 2. Summa imperii maritimi. *Id. Eumen.* 11. Penes quem summa imperii erat custodiæ. *Virg.* 12. *Æn.* 572. hoc caput, hæc belli summa nefandi. *il capo e il fine.* et *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 37. Summa ducum Atrides. *h. e.* princeps et caput ceterorum ducum. Alii *summa* in hoc loco dicunt esse neutr. plur. *V.* SUMMUS, a, um. *Cæs.* 7. *B. G.* 21. Pæne ex eo, si id oppidum retinuissent, summam victoriæ constare intelligebant. *h. e.* discrimen, disceptationem. *Id.* 6. *ibid.* 11. In summa totius Galliæ. *h. e.* administratione et forma universæ civitatis Gallicæ. ¶ 4. Item extremitas rei, id quod extremum est, summitas. *Paul.* 5. 25. 6. Ut in summa marginis, ad mediam partem perforatæ (*tabulæ*) constringantur. ¶ 5. Item collectio seu quantitas rerum, quæ numerantur: quia vere summus est is numerus, quo colligitur totum. *Cæs.* 1. *B. G.* 29. Quarum omnium rerum summa erat capitum Helvetiorum milium. Adde 3. *B. C.* 29. *et* 89. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 193. 11. *Merc.* Quid, tu, inquam, soles, quum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare? *Id.* 1. *Off.* 18. 59. Addendo deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat. *Id.* 5. *Att.* 21. *a med.* Summam subducere, *sommare.* Sic Summam facere, 4. *Verr.* 53. 131. et 1. *Fam.* 9. *ante med. Id. Rabir. Post.* 4. 8. Summa litium. — Apud *Sueton. Domit.* 11. actor summarum dicitur, qui rationibus dispungendis præest. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (117). Quæ summa quadringenties sestertium colligebat. *ascendeva, montava, faceva* etc. ¶ 6. Hinc dicitur de summa pecuniæ. *Ter. Adelph.* 5. 3. 30. De summa nihil decedet. *Liv.* 32. 17. Macedonibus treceni nummi in capita statutum est pretium, hac summa redempti. *Phædr.* 4. 4. At illa gaudens pecore et lanæ dedita, Quacumque summa tradet luxuriæ domum, *a qualunque prezzo.* Adde *Quintil.* 5. 10. 19. *et* 117. — Et translate. *Plaut. Epid.* 1. 2. 2. Meorum mærorum atque annorum summam edictavi tibi. *Cic.* 1. *Invent.* 20. 28. Summam rei dicere. *Id.* 3. *Tusc.* 23. 55. mali. *Id.* 2. *Legg.* 7. 18. rerum. *Id.* 1. *Rep.* 43. 67. Ex hac infinita licentia hæc summa cogitur. *Id.* 2. *ibid.* 22. 39. Ex omni populi summa. *Id.* 1. *Fam.* 9. 10. Rationibus subductis, summam feci cogitationum mearum omnium. *Virg.* 4. *Æn.* 237. Hæc summa est, hic nostri nuncius esto. *Horat.* 1. *Od.* 4. 15. vitæ summa brevis. *Liv.* 40. 29. Lectis rerum summis. *i sommari, gl' indici*, summis rerum capitibus. *Id.* 41. 8. Summa querelarum erat. *Id.* 4. 43. De summa juris remittere. *Sueton. Aug.* 9. Proposita vitæ ejus velut summa. *Quintil.* 1. 1. 19. Majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum in summam proficit. *h. e.* in cumulum excrescit. — *Summa summarum* est, quum in rationibus conficiendis multa nomina et capita in unam summam rediguntur, *la somma delle somme:* et apte significatur summa et universitas rerum. *Plaut.* 1. 1. 4. Venus, quam penes amantum summa summarum redit. *Lucret.* 3. 818. et 5. 362. Sicuti summarum summa est æterna, neque extra Quis locus est. *Seneca Ep.* 40. *extr.* Summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse jubeo. Sic *summa summai*, τὸ πᾶν, apud *Lucret.* 6. 982. — *Ad summam*, ut summatim comprehendam, ne plura, breviter, *in somma. Cic.* 14. *Att.* 1. Ad summam non posse istæc sic abire. *Juvenal.* 3. 79. Ad summam nec Maurus erat nec Sarmata nec Thrax, Qui sumpsit pennas. Adde *Cic.* 7. *Att.* 7. *sub fin.* et 14. *Fam.* 14. et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 106. — *In summa*, ad summam. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. 3. Drusus erat de prævaricatione a tribunis ærariis absolutus, in summa quattuor sententiis, quum senatores et equites damnassent. *et* 3. *ibid.* 5. *ad fin.* Et in omni summa, ut mones, valde me ad otium pacemque converto. *Justin.* 37. 1. *ad fin.* Quum eum summi imperatores Sulla, Lucullus ceterique, in summa Cn. Pompejus, ita vicerint, ut etc. *in somma.* et 13. 8. Diu, mutuis vulneribus acceptis, colluctatus est: in summa victus occumbit. *finalmente.* ¶ 7. Apud Mathematicos *summa* dicitur numerus aut terminus. *Boeth.* 1. *Arithm.* 9. Ponatur pariter paris ordo ab uno usque CXXVIII. et ea sit summa maxima. - Totius enim summæ, idest CXXVIII., octava pars est XVI., sextadecima VIII. - Si autem impares terminos ponamus, idest summas (idem enim terminos, quod summas nomino). — Ordinatim dispositæ minores summæ *etc.* æquantur. *Id.* 2. *Music.* 12. Terminos autem voco numerorum summas. ¶ 8. Item quantitas. *Id.* 1. *Arithm.* 10. Duo enim per bis multiplicati (2 X 2) quaternarii (4) faciunt summam. — *Procurator summarum* et *rationalis summarum* V. in SUMMUS, a, um. Cf. *Sueton. loc. supra cit.* — *Summa crediti* est quantitas rei creditæ sive commodatæ. *Cod. Theod.* 2. 33. 1. Si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius consequantur. ¶ 9. Item est ipsa rerum universitas, τὸ σύμπαν. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. Non in summa exercitus tuenda, sed in singulis militibus conservandis. *Id.* 1. *B. C.* 67. Summa exercitus salva. *Id.* 7. *B. G.* 21. *et* 82. Summa victoriæ. *Cic. Flacc.* 10. 23. Summa est in testibus. *Id.* 13. *Fam.* 75. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaveris etc. *questa è la conclusione.* Sic *Cajus* 1. 47. 141. Summa sententiæ. *Ovid.* 2. *Met.* 300. rerum consule summæ. *Id.* 5. *ibid.* 337. dedimus summam certaminis uni. *Quintil.* 1. 1. 23. Pertinet ad summam. *et* 4. 2. 41. Longam efficit summam. *et ibid.* 90. In summam non consentiunt. *Tac.* 14. *Ann.* 7. Summam sceleris poscit. Cf. *Justin.* 6. 1. 5. Unius summa imperii. *et* 14. 4. 5. Summa propositorum. — *Cod. fr.* 32. § 3. et *fr.* 16. § 2. Summa rei est, ut etc., conclusio est, *la conclusione è questa che.* V. *Dirksen p.* 928.

SUMMĀGISTER. *V.* SUBMAGISTER.

SUMMĀLĀRIS, e, *et*

SUMMĀLĀRIUS, a, um, adject. (summus *et* alaris *vel* alarius) miles ex exteris nationibus, qui in exercitu Romano pugnabat in equestri militia alaria et quidem in parte summa alarum; quemadmodum qui pugnabat in inferiore ala, Græce hybrida voce dicitur ἐνταλάριος in *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiqu. p.* 112. et apud *Murat.* 374. 1. T. Αὐρ. Κλ. Ἀλφηνὸς πραιπόσιτος εἴλης ἐνταλαρίων. *Hygin. Gromat. p.* 8. *col.* 1. Et per reliquas strigas cohortes peditatæ et equitatæ ad viam quintanam spectare debebunt et super has sumactares (*lege* summalares) et reliquæ nationes tendere debebunt. *Id. p.* 10. *col.* 1. Nationes, Cantabri, Getæ, Daci, Brittones, Palmyreni, 77 statorum et si quid aliud datum fuerit in exercitu, summam clariorum (*lege* in summalariorum) retentura ponimus. *et ibid. p.* 14. *col.* 2. Sumacterias (*lege* summalares) et reliquæ nationes, quoties per strigas distribuimus, non plus quam tripertitæ esse debent. *Inscript. ann.* 1833. reperta Esquilii, nunc *Giesolo* prope Venetias, XII. mil. pass: ab Altino, quæ modo in Bibliotheca S. Marci asservatur, hæc habet. GVTIVS L. F..... AQVILO *tribunus* MIL. PRAEF. *equitum Al.* (*h. e.* alarum) SVMMARVM. Hucusque *Furlanetto* in *Append.* Verum *Henzen* in *Annali dell' Istit. Archeol. a.* 1866. *p.* 137. *et seqq.* in hoc Gavio non *præfectum equitum alarum summarum*, sed PRAEF. EQ. *proc.*, h. e. *præfectum equitum procuratorem summarum* agnovit. — Præterea in Græca *Inscr.* adlata *Boeckh* in *Corp. Inscr. Græc. n.* 3497. εἴλη σιγγλαρίων (*h. e.* ala singularium) agnovit in εἴλη ἐνταλαρίων. — Denique in locis *Hygini* aliter leg. *Lange*, sc. *subactares* et *subactarios* (V. hanc voc.): quæ lectio, quamvis incerta, *Borghesianæ* (quam sequitur *Furlanetto*), et putat *Mommsen* ad *Henzen* in *Suppl. Orell.* ad *n.* 6727., longe est præferenda. *V.* cl. *De-Vit* ad *h. v.*

SUMMĀLIS, e, adject. (summa) qui summam continet, completus. *Tertull. advers. Hermog.* 31. Novum non est, ut id solum, quod continet, nominetur, qua summale; in isto autem intelligatur et quod continetur, qua portionale.

SUMMĀLĬTER, adverb. (summalis) per summam vel compendium. *Tertull.* 2. *Nat.* 3. Ut summaliter tractem de universitate.

SUMMĀNĀLĬA, ium, n. plur. 3. (Summanus) liba farinacea in modum rotæ efficta, ut ait *Fest. p.* 348. 5. *Müll.:* a *Summanus*, quia eorum in sacris Summani usus erat.

SUMMĀNANS. *V.* SUBMANANS.

SUMMĀNES *vel* Submanes, ium, m. plur. 3. (sub *et* manes) dii gradus inferioris. *Capell.* 2. *p.* 40. In his etiam locis Submanes eorumque præstites Mana atque Mannana.

SUMMĀNO (submano), as, are, 1. ¶ 1. Est verbum jocülariter fictum a *Plauto*, quod significat omnia rapio ac devoro, Plutonis sive Orci instar, a *Summanus;* vel, ut alii sentiunt, a *manus*, ut sit idem ac involare sive manus vola arripere; quamquam obstant, quod secunda sit porrecta, et versus tertius et quintus ex his, quos infra afferimus, ostendunt. Sunt enim iambici senarii, qui trochæum respuunt. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 43. LE. Quis tu homo es? CU. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant. LE. Summane, salve. Qui Summanus? fac, sciam. CU. Quia vestimenta, ubi obdormivit ebrius, Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant. Ita *Furlanetto.* V. tamen, quod ad vocis originem,

scriptionem et significatum attinet, etiam v. SUBMANO 2. Sunt qui *summanare* leg. apud *eumd. Stich.* 5. 2 18.; at *Palmer* ibi leg. *obsonare*; alii *sommiare*. ¶ 2. Alio sensu *V.* in SUBMANO 1.

SUMMĀNUS *vel* Submanus, i, m. 2. De origine vocis, quæ Etrusca videtur, scribit *Capell.* 2. *p.* 40. Summanum esse a Manibus, quasi sit summus Manium. At mihi videtur idem esse ac *summus* vel *summas*, voce aliquantum inflexa ac producta (Cf. *pandanus*, *decumanus* etc.) et respondere adjectivo Gr. κατώτατος (ὁ Θεός), infimus, profundissimus (*deus*). *Varro* 5. *L. L.* 74. *Müll.* nomen Sabinum esse ait. — Summanus est Plutonis cognomentum (Cf. *Turneb. Advers.* 17. 4.); quamquam *Ovid.* 6. *Fast.* 731. ut incerti alicujus dei meminit, et de quo non constet, quum inquit: Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur. Ad rem *Augustin.* 4. *Civ. D.* 23. « Romani veteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuerunt, coluerunt; et vix invenitur, qui Summani nomen, quod audiri jam non potest, se saltem legisse meminerit ». Non recte tamen, ne legi quidem illud, dicitur; est namque non solum in lapidum titulis et in calendariis, sed apud multos etiam scriptores. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 43. SVMMANO PATRI VERVECES ATROS II. VESTE MATRI OVES II. (*immolant*). *Alia* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1216. V. S. L. M. IOVI ALTO SVMMANO FELICIANVS FIRMIVS CVM SVIS D. D. D. — Huic deo nocturna fulgura attribuebantur, sicut Jovi diurna, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 52. 53. docet. Sic *Georges* ad *h. v.* « S u m m a n u s, inquit, ist Gott des nächtlichen Himmels, blitzwerfender Nachtgott, wie Juppiter Gott des Tageshimmels ». Templum habuit Romæ, eodem *Plin.* teste 29. *ibid.* 4. 14. (57)., non longe ab æde Juventatis. Mentionem ejus fecit et *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16. et *Plaut. Bacch.* 4. 8. 54., ubi et *Submanus* legitur. Adde *Arnob.* 6. *p.* 191. et *Augustin. loc. cit.* — Hinc adjective in *Gloss. Gr. Lat.* Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωΐ νυκτερινόν, fulgur submanum. — Etiam ros et pluvia nocturna eidem tributa videntur. Cf. *Plaut. Curc.* loc. *adl.* in SUBMANO. V. *Hartung, Rel. der Römer* 2. 59. et *Oth. Müller, Etrusk* 2. 66., 167., 249.

SUMMĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

SUMMĀRĬUS, a, um, adject. (summa) qui summam habet, in summam collectus, apud scriptores cadentis Latinitatis, ut *Eugypp. Thes.* 115. *ad fin.* — Hinc absolute, substantivorum more

Summarium, ii, n. 2. idem quod breviarium, summa capita rerum continens, *sommario*, ἐπιτομή. *Seneca Ep.* 39. Vide, ne plus profectura sit ordinaria oratio, quam quæ nunc vulgo breviarium dicebatur.

Summarius, ii, m. 2. ¶ 1. Est vir princeps, primarius, *primario*. *Cic.* 10. *Att.* 1. Nisi forte iste summarius ei potest persuadere, ut etc. Ita legit *Lambinus*. Videtur autem *Cicero* perstringere aliquem ex factione Cæsaris, qui ceteris antecellere vellet: vel etiam ipsum Cæsarem, qui summæ rerum imperium affectabat. Verum critici fere omnes eam lectionem suspectam habent: itaque alii *Summanus*, alii rectius *nummarius* legunt: *scil.* C. Scribonius Curius magna pecunia a Cæsare corruptus. ¶ 2. Est etiam, qui summas seu summarum rationes conficit. *Julian. Antec. Const.* 58. 1. Æstimationem definire constitutio jubet non solum ab ipsis hortulanis sed etiam ab his, quos summarios consuetudo appellat. *Dirksen* interpretatur de eo, qui ad summam æstimationis præstandæ temperandam adhibetur. Cf. *Torremuzza, Inscr. di Palermo p.* 353. *n.* 89. XX. HER. VIL. SVMMAR. *h. e.* vicesimæ hereditatium vilicus summarius. — V. *Avellino Opusc. T.* 3. *p.* 80.

SUMMĂRŬDIS. *V.* RUDIS, is.

SUMMAS, ātis, comm. gen. 3. (summus) optimas, primas, princeps civitatis, ἄριστος (It. *primale, principe, primario*; Fr. *primaire, prince, chef*; Hisp. *primero, principe*; Germ. *vornehm, erhaben, prinz*; Angl. *principal, prince, chief*). ¶ 1. Adjective. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 90. Nunc tibi hæc ego loquor, deliciæ summatum virum. Adde *Stich.* 3. 2. 36. *et Pseud.* 1. 2. 9. et *Ammian.* 14. 6. 12. *Apul.* 11. *Met.* Benevolis præceptis summatis deæ recreatus. *h. e.* Isidis deæ præpotentis. *Sidon.* 9. *Ep.* 6. Puella moribus natalibusque summas. ¶ 2. Substantivorum more. *Cod. Theod.* 13. 5. 32. Alexandrinæ et Carpathiæ classis summates. Adde *Ammian.* 20. 6. 1. et *Ennod.* apud *Symmach. ep.* 9. *n.* 1.

SUMMĀTIM, adverb. (summa) ¶ 1. Est in summa, breviter et per summa capita, *sommariamente, brevemente*, κεφαλαιωδῶς, ὁμαδόν, ἐν ἐπιτομῇ. *Lucil.* apud *Non. p.* 296. 4. *Merc.* Summatim tamen experiar rescribere paucis. *Varro* 2. *R. R. præf. in fin.* De re pecuaria breviter ac summatim percurram. *Id.* 7. *L. L.* 3. *Müll.* Generatim ac summatim. *Cic.* 5. *Att.* 16. Dum hæc, quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. *Id.* 10. *Fam.* 28. Sed illa cognosces ex aliis, a me pauca et ea summatim. *Id.* 5. *Fin.* 13. 36. Summatim dicere. *Colum.* 9. *R. R.* 2. Ista quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen et uno tantummodo versiculo leviter attigit Virgilius, quum sic ait (4. *G.* 152.) Dictæo regem cæli pavere sub antro. *Ulp. Dig.* 5. 3. 7. *a med.* Summatim existimandum judici, si bona fide imploretur judicium. *Ammian.* 14. 6. 2. Summatim causas perstringam nusquam a veritate sponte propria digressurus. ¶ 2 Est etiam leviter et quasi in summo. *Colum. Arbor.* 6. et *ibid.* 10. *extr.* Primo anno summatim, ita ne radices eruas aut lædas, ablaqueato. *Id.* 12. *R. R.* 46. Inulæ radicem acutissimo cultello summatim eradito. *Seneca Ep.* 121. *a med.* Animal constitutionem suam crasse intelligit et summatim et obscure. *Sueton. Aug.* 85. Poeticam summatim attigit. *Id. Tib.* 61. De vita sua summatim breviterque composuit (*commentarium*). Adde *Quintil.* 10. 1. 44. Cf. *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 114.

SUMMĀTUS, a, um, particip. *V.* SUMMO.

SUMMĀTUS, i, m. 2. (summus) idem ac summus: vox sequioris ætatis. *Inscr.* apud *Le Blant, Inscr. Chrét. de la Gaul. n.* 429. INTER SVMMATOS ESSE PRIOR STVDVIT.

SUMMĀTUS, us, m. 4. (summus) imperium et rerum summa, principatus, *signoria*, πρωτεῖον, ἀρχή. *Lucret.* 5. 1141. Imperium sibi quum ac summatum quisque petebat.

SUMMĒ, adverb. (summus) maxime excellenterque, vehementer, summopere, *sommamente, estremamente*, εἰς τὰ μάλιστα. — *a*) Cum verbis. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. *extr.* Summe cupere aliquid. *Cic.* 2. *Orat.* 72. 295. Quod me sollicitare summe solet. *Id. Quinct.* 21. *a med.* Semper summe concupisti. *et ibid.* 24. *a med.* Quum a me peteret et summe contenderet, ut etc. *Id.* 4. *Fam.* 7. Summe diffidere. *Quintil.* 10. 1. 70. admirari. *Marcell. Empir. c.* 27. *p.* 126. *retro.* prodesse. *Matius* ad *Cic.* 11. *Fam.* 28. *ante med.* Causam dissensionis nascentem exstingui, summe studui. — *Summe esse*, apud *Augustin.* V. SUM. — *b*) Cum adjectivis tum posit. tum superl. *Cic.* 13. *Fam.* 18. 2. Summe jucundus. *Id.* 4. *ibid.* 3. 12. studiosus. *Id.* 3. *Verr.* 24. 63. officiosus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 31. munitus. *Quintil.* 12. 1. 23. disertus. *Plin.* 10. *Ep.* 11. Habui illum quæstorem in consulatu, mei summe observantissimum.

SUMMEJO etc. *V.* SUBMEJO etc.

SUMMENTUM. *V.* SUBMENTUM.

SUMMERGO etc. *V.* SUBMERGO etc.

SUMMĬNĬA. *V.* SUBMINIA.

SUMMINISCOR. *V.* SUBMINISCOR.

SUMMĬNISTRO etc. *V.* SUBMINISTRO etc.

SUMMISSĒ, SUMMISSIM. *V.* SUBMISSE, SUBMISSIM.

SUMMĬTAS, ātis, f. 3. (summus) vertex, fastigium, summa altitudo ἄκρα (It. *sommità, altezza, cima*; Fr. *sommet, sommité, cime*; Hisp. *cima, la altura mas*; Germ. *das Oberste, d. Höhe, Spitze*; Angl. *summit, height*).

I.) Proprie, seu de physicis. ¶ 1. Generatim. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. Ut quattuor pedibus a terra summitas ejus (*vitis*) insurgat. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Quum duæ summitates duabus interjectionibus vinciuntur. *Censorin. De die nat.* 13. Ad terræ summitatem. Adde *Ammian.* 14. 6. 3. — Apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). legend. *nives imitata* pro *nives in summitate.* — Pro extremitate rei, apud *Cel. Aurel.* 1. *Acut.* 8. 54. Summitas cordis. *Id.* 5. *Tard.* 10. 98. cutis *Id.* 2. *ibid.* 14. 198. Digitorum summitates crassescunt obuncatis unguibus. *et mox.* Summitas nasi. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. vertebrorum. *Id.* 2. *Acut.* 37. 209. articulorum. *Vulgat. interpr. Jer.* 25. 32. Turba magna egredietur a summitatibus terræ. *h. e.* ab extremis oris. Adde *eumd. Is.* 13. 5. ¶ 2. Speciatim apud Mathematicos est rei superficies. *Balb. Expos. mens. p.* 99. *Lachm.-Rud.* Summitas est secundum geometricam appellationem, quæ longitudinem et latitudinem tantummodo habet, summitatis fines lineæ. Plana summitas est, quæ æqualiter rectis lineis est posita.

II.) Translate, seu de moralibus. ¶ 1. Est id, quod excellentissimum est. *Arnob.* 1. *p.* 13. Deus summitatem omnium summorum obtinens. Cf. *Ammian.* 14. 6. 3. Fœdere pacis æternæ Virtus convenit atque Fortuna plerumque dissidentes, quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. ¶ 2. Hinc absolute de ipso Deo. *Inscript.* apud *De-Rossi Bullett. Crist. a.* 1865. *p.* 11. MARITVS BIRGINIAE (*leg.* Virginiæ) SVAE FECIT QVAE VIXITI (*leg.* quæ vixit) ANNV (*sic*) XXXXV. QVOD SVMMITAS DEDIT ASIGNABIT (*leg.* adsignavit). *h. e.* quotquot annos Deus ei dedit et adsignavit.

SUMMĬTER, adverb. (summus) idem ac summe, in summitate. *Marcell. Empir. c.* 29. *p.* 129. Ovum crudum summiter apertum exinanies. Adde *c.* 21. *p.* 117. *retro.* Cf. *Non. c.* 11., *Priscian.* 15. 3. 13. et *Neue, Lat. formenl.* II. *p.* 500. *et seq.*

SUMMITTO. *V.* SUBMITTO.

SUMMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (summa) ¶ 1. Est in summam seu ad certum caput redigo. *Gloss. Gr. Lat.* Summo, κεφαλαιόω. Cf. *Apul.* 11. *Met.*, ubi quidam particip. *summatus* leg. et *De deo Socrat.* ¶ 2. Est etiam consummo, ad culmen perduco. *Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 10. edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 112. Et considerato statim miram prudentiam, quod ita narrationem summaverit, ut, quum dominum crederent interemptum, fecerunt id servi Milonis, quod suos quisque servos facere voluerit.

SUMMŒNĬĀNUS *vel* submœnianus, a, um, adject. (sub *et* mœnia) ad Summœnium pertinens. *Summœnianæ* dicebantur meretrices, quæ sub ipsis Urbis mœnibus in fornicibus habitabant. *Martial.* 11. 62. Summœnianis inquinatior buccis. *et* 3. 82. Summœnianas cenet inter uxores. *V.* SUBURANUS. *Ilgenius* in *Animadv.* in *Virg. Cop.* (*Halæ a.* 1820.) *p.* 23. dictas putat *Summœnianas uxores* a fornicibus sub Mœnio atrio, cujus mentionem fecerit *Liv.* 39. 44. Cf. *Weichert* in *Poet. min. p.* 434.

SUMMŒNĬUM *vel* submœnium, ii, n. 2. (sub *et* mœnia) locus Romæ sub mœnibus, ubi meretrices prostabant. *Martial.* 1. 35. At meretrix abigit testem veloque seraque: Nullaque Summœni fornice rima patet. Cf. *Petron. Sat.* 26. Quartilla per rimam improbe diductam adplicuerat oculum curiosum lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia.

SUMMŒSTUS. *V.* SUBMŒSTUS.

SUMMŎLESTĒ, SUMMŎLESTUS. *V.* SUBMOLESTE, SUBMOLESTUS.

SUMMŎNEO. *V.* SUBMONEO.

SUMMONSTRO. *V.* SUBMONSTRO.

SUMMŎPĔRE, adverb. (summus *et* opus) Dicitur et divisim *summo opere*, ut *magno opere*, *tanto opere* etc. ex pluribus MSS., quæ collegit *Drakenborch* ad *Liv.* 28. 18. § 4. — Summopere est maxime, vehementissime, *sommamente*, μάλιστα. *Lucret.* 4. 1186. Omnia summopere hos vitæ postscænia celant. *Cic.* 1. *Invent.* 18. 26. Vitia vero hæc sunt certissima exordiorum, quæ

summopere vitare oportebit. Ubi tamen recentio res *summo opere* divisim leg.

SUMMŎRŌSUS. *V.* SUBMOROSUS.

SUMMŌTĀTĬO. *V.* SUBMOTATIO.

SUMMŌTĔNUS, adverb. (summo *et* tenus) ¶ 1. Est usque ad summitatem tantum, *fino alla sommità. Apul. Herb.* 75. Floribus celeriter scissis ac florescentibus summotenus. ¶ 2. Est etiam summis labiis, breviter, summatim. *Ennod. Paneg. Theod.* 7. Unam certaminis tui lineam summotenus libet attingere. Adde *Beoth. Geom. p.* 397. *Friedl.*

SUMMŎVĔO etc. *V.* SUBMOVEO etc.

SUMMŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* summa, parva summa. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 11. *Met. sub fin.* Veste ipsa mea distracta, sufficientem corrasi summulam. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 131. Nam calculanda primitus, Tum subnotanda summula. *Arnob.* 2. 24. Bis bina, bis terna quam efficiant summulam, quærito. — In plur. num. *Seneca Ep.* 77. *ante med.* Summulas minutas distribuit flentibus servis. ¶ 2. Speciatim apud Mathematicos dicitur de numero. *Boeth.* 1. *Arithm.* 10. Quod continetur sub intra se positis summulis. *il prodotto dei numeri medii.* Adde *eumd.* 2. *ibid.* 1.

SUMMULTĬPLEX etc. *V.* SUBMULTIPLEX etc.

SUMMUM, i, n. 2. *V.* SUMMUS, a, um, in fin.

SUMMURMŬRO etc. *V.* SUBMURMURO etc.

SUMMUS, a, um. *V.* SUPERUS.

SUMMUSSO *vel* submusso, as, are, n. 1. (sub *et* musso) aliquantum musso, *borbottare un poco, parlare tra i denti. Fest. p.* 298. 32. *Müll.* Ennius in Andromacha: Dice jam mater, non est. Summussare sine. Alii leg. *nam mussare.* Firmatur tamen vox *Gloss. Gr. Lat.* Ὑπογογγύζω, submisso (*lege* submusso).

SUMMUSSUS *vel* submussus, a, um, adject. (summusso) murmurator. *Næv.* apud *Fest. p.* 298. 27. *Müll.* Odi, inquit, summussos: proinde aperte dice, quid siet, quod times.

SUMMŬTO etc. *V.* SUBMUTO etc.

SŪMO, sūmis, sumsi *vel* sumpsi, sumtum *vel* sumptum, sūmere, a. 3. (sub *et* emo. V. *Fest.* apud *Paul. Diac.* in *Emere p.* 76. 1. *Müll.*) — Ad scribendi rationem quod attinet, hæc habet *Papinian.* apud *Cassiod. Orthogr.* 4. « *Sumpsi* quæritur, an possit sine *p* littera, ut *hiemps*, sonare; sed quia et in alia declinatione *p* respondit, quum dicimus *sumptus, sumpturus*, necessario per *p* scribi debet. Sic *Priscian.* 8. 20. *Emo, emi,* assumit *ps:* demo dempsi, como compsi etc. Adde 10. 37. *Id.* 11. 36. In *plus* exeunt participia præteriti passiva – ut *sumpsi sumptus.* Contra *Ter. Scaur. p.* 2256. *Putsch.* Interdum et *p* littera supervacuo adjicitur, ut quum scribimus *sumptus, demptus, comptus*, quum alioqui ceteris declinationibus verborum non adsit. *sumo* enim et *demo* et *emo* detracta *p*, ut supervacua : quare participationibus adjiciatur ratio non est. et *Mar. Victorin. p.* 2466. *Putsch.* Sumsit et insumsit, demsit sine dubio per *ms* scribetis. Cf. *Brambach p.* 248. Porro hæc omnia id efficiunt, ut qui *sumsi* et *sumtus* scribat, non sit reprehendendus. Sed, ut ait cl. *Corradini,* qui antiquitatis consensum sequetur, quem antiqui lapides et monumenta fere ostendunt, ubi frequentius *ps, pt* exhibent, videtur laudandus magis. *V.* EMO. — *Sumpse* pro *sumpsisse,* syncope. *Nævius* apud *Gell.* 2. 19. Umquam si quicquam filium rescivero Argentum amoris causa sumpse mutuum. — *Suremit* pro *sumpsit,* et *surempsit* pro *sumpserit,* teste *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 298. 9. *conl. p.* 299. 2. *Müll.* Suremit, sumpsit (*Poetæ nomen hic excidit*): «Inque manus suremit hastam.» Surempsit, sustulerit. Alii leg. *surrempsit.* Cf. *Müller* ad *h. l.* et *Lachm.* ad *Lucret. p.* 135. — Part. *Sumens* I. *a; Sumptus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Sumpturus* II. 1.; *Sumendus* I. *a* et II. 1. — Sumo est capio, prehendo, accipio, λαμβάνω (It. *pigliare, prendere, togliere;* Fr. *prendre, saisir;* Hisp. *tomar, asir;* Germ. *nehmen, zu sich nehmen;* Angl. *to take, take up).*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Acc. objecti. *Plaut. Amph.* 1. 1. 202. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Id. Merc.* 1. 2. 16. Sume laciniam atque absterge sudorem tibi. *Sall. Jug.* 71. Epistulam sumit ac perlegit. *Id. ibid.* 21. Alios arma sumentes fugant. *Id. Cat.* 25. Sumere pecuniam mutuam. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Senatores omnes evocasse, ut in sumenda pecunia bis testibus uteretur. *Alii leg.* in summa pecuniæ. *Id.* 2. *B. G.* 33. Partim sumptis armis, partim *etc.* eruptionem fecerunt. *Alii aliter leg.* et *Cic.* 1. *Rep.* 12. 18. Sumere calceos et vestimenta. *Id. Amic.* 1. 1. Sumpta virili toga. *Virg.* 7. *Æn.* 390. molles tibi sumere thyrsos. *Id.* 2. *G.* 125. Sumere pharetras. *Id.* 2. *Æn.* 518. Juvenalia arma. *Ovid.* 3. *Art. am.* 300. Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba. *Id. Heroid.* 16. 371. ferrum pro aliquo. Sic *Liv.* 40. 11. *in fin.* Qui ad me interficiendum ferrum sumserunt. *Id.* 8. 9. Sumere togam prætextam. *Nepos Eumen.* 13. regium ornatum et nomen. *Val. Max.* 5. 7. *ext.* 5. diadema. *Juvenal.* 2. 43. multitia. *et* 6. 85. cucullos. *et ibid.* 437. cothurnum. *Sueton. Aug.* 94. *a med.* Sumenti virilem togam tunica lati clavi ad pedes decidit. *Id. ibid.* 100. Alii exsequiarum die ponendos anulos aureos ferreosque sumendos censuerint. *Petron. Sat.* 100. Quum (*senex*) voluerit aliquid sumere, opus anhelitu prodet. *V.* infra *n.* 8. *Quintil.* 6. 7. 3. Sumpta famulari veste. — De cibo et potu. *Nepos Att.* 21. Sumere cibum. *Id. Themist.* 10. venenum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 28. (76). Lacerta in cibo sumpta. *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115. Cibo sumere. *et ibid. retr.* Cibum sumere. *Horat.* 1. *Od.* 27. 9. Vultis severi me quoque sumere partem Falerni. *et* 3. *ibid.* 8. 13. Sume, Mæcenas, cyathos amici Sospitis centum. *Ovid.* 3. *Fast.* 636. Parca precaturæ sumite vina manus. Sic *Maximian. Eleg.* 1. 42. At si me subito vinosus reperit hospes Aut lætus fecit sumere vina dies. — In re medica. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 95. (256). et 27. *ibid.* 13. 113. (140). *et* 32. *ibid.* 5. 17. (46). et *Curt.* 3. 14. 3. — *b*) Cum addito termino, quo quid sumitur, per Abl. aut Acc. et præp. *in*, vel termino, a quo, per Abl. et præp. *ab, de. Plaut. Bacch.* 4. 4. 24. Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus? *Ovid.* 1. *Met.* 672. Parva mora est, alas pedibus virgamque potenti Somniferam sumpsisse manu tegimenque capillis. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 63. Sumere unumquodque vas in manus. Sic 2. *leg. Agr.* 6. 15. Hoc animo legem sumpsi in manus, ut etc. *Id.* 2. *Tusc.* 2. 3. Epicurum et Metrodorum non fere præter suos quisquam in manus sumit. *Ter. Adelph.* 5. 9. 20. Sumere argentum ab aliquo. Adde *Cic. Flacc.* 20. 46. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 20. Sumere pomum de lance. *Liv.* 45. 13. Sumere itaque eos de se etc. *h. e.* capere. Ita vult leg. *Madvig* pro vulg. *eosdem, se* etc. De sensu Cf. *Hand op. cit. v.* 2. *p.* 190. ¶ 2. Speciatim est accipio, *ricevere, accogliere. Cic.* 5. *Verr.* 81. 15. Sumere frumentum in cellam. *Id.* 13. *Fam.* 26. 3. Litteras ad te a M. Lepido consule quasi commendaticias sumpsimus. ¶ 3. Item emo, *comperare. Cic.* 5. *Verr.* 64. 149. Sumere decumas agri. *Id.* 3. *Off.* 23. 89. Quoad perventum sit eo, quo sumpta navis est. *Id.* 7. *Fam.* 23. Quanti ego genus omnino signorum omnium non æstimo, tanti ista quattuor aut quinque sumpsisti. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 106. Quæ parvo sumi nequeunt, obsonia captas? ¶ 4. Item mutuum accipio, mutuor, *prendere ad imprestito. Juvenal.* 16. 40. Debitor aut sumptos pergit non reddere nummos. ¶ 5. Item acquiro, occupo, potior, *conquistare. Flor.* 4. 2. 43. Prœlio sumpta est Thessalia. ¶ 6. Item insumo, impendo, *spendere. Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 78. In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est: In bono hospite atque amico quæstus est, quod sumitur. *Id. Trin.* 2. 4. 9. Minus hercle in hisce rebus sumptum est sex minis. *et ibid.* 12. Non tibi illud apparere, si sumas, potest: nisi tu immortale rere esse argentum tibi. — Hinc translate *Apul. De mag. p.* 417. *Oud.* Operam diutino sumere. ¶ 7. Item consumo, macero. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. metu Perculsu', curis sumptu' suspirantibus. *Apul.* 2. *Met.* Venustate juvenis sumitur mulier. Alii aliter interpretantur. ¶ 8. *Sumere aliquam,* in re turpi, *Martial.* 10. 81. — Sic *sumere gaudia,* apud *Nemesian. Ecl.* 4. 59. Cf. *Ovid.* 3. *Art. am.* 90., *Auct. Priap.* 5. et *Petron. Sat.* 100.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 4. 10. 8. Sumere animo obsequium. *h. e.* animo obsequi, *darsi piacere.* et *Lucret.* 3. 298. calor ille animo, quem sumit in ira. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat. *Ovid.* 3. *Met.* 545. Sumere animos serpentis. *Id.* 1. *Fast.* 147. Sumpsi animum gratesque deo non territus egi. *mi diedi animo.* et 3. *Pont.* 4. 31. Sumere vigorem. *Id.* 3. *Fast.* 691. Oscula sumpturus subito Mars aspicit Annam. *Virg.* 4. *Æn.* 284. quæ prima exordia sumat? Sic *Claudian. III. cons. Honor.* 1. Tertia Romulei sumant exordia fasces. *Horat.* 3. *Od.* 30. 14. sume superbiam Quæsitam meritis. Cf. *eumd.* 3. *Od.* 16. 25. *Liv.* 37. 10. Certamine animi adversus eum sumpto. *Id.* 8. 18. *a med.* Sumere spatium ad colloquendum. *prender tempo.* Sic *Cic. Rabir. Post.* 16. 44. Videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandam illius dignitatem. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 69. quis te mala sumere cogit? Aut quis deceptum ponere sumpta vetat? — Addito termino, a quo quid sumitur, per Abl. et præp. *ex, de. Cic. Amic.* 11. 38. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt. *Maximian. Eleg.* 3. 88. de contemptu sume tropæa tuo. ¶ 2. Speciatim est accipio. *Ovid. Heroid.* 18. 127. Vel tua me Sestos vel te mea sumat Abydos. Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet. ¶ 3. Item cum delectu comparo, eligo, adopto, *eleggere, adottare. Nepos Milt.* 1. Ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. *Sall. Jug.* 10. *extr.* Ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse. *h. e.* adoptasse. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 6. *a med.* Flavius de controversia, quam habet cum Dyrrhachinis, sumpsit te judicem. *Horat. Art. P.* 38. Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus. *Cic.* 16. *Fam.* 11. Italiæ regiones descriptæ sunt, quas quisque partes tueretur. nos Capuam sumpsimus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. *a med.* Sumere sibi studium philosophiæ. *Id.* 4. *Herenn.* 1. 2. Sumere exemplum, testimonium. *Id.* 5. *Verr.* 44. 104. annum tertium. — Addito Abl. cum præp. *ex. Sall. Jug.* 87. *in fin.* Sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. *Cic. Cœl.* 15. 36. Ex hisque tuis sumam aliquem. *Id. Sext.* 12. 27. Quid quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius? ¶ 4. Item suscipio, ineo, assumo. *Sall. Jug.* 85. Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere. Sic *Tac. Agric.* 16. Boudicca, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt), sumpsere (*Britanni*) universi bellum. *et Liv.* 8. 4. Bella sumenda ponendaque. Cf. Gr. πόλεμον ἑλέσθαι. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 110. Cum tabulis animum censoris sumet honesti. *Cic. Vatin.* 11. *a med.* Sumere inimicitias. *Sueton. Cæs.* 60. Prœlia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat. *h. e.* inibat. (Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.) *Cæs.* 1. *B. G.* 33. *extr.* Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. *Sil. It.* 8. 306. Cum duce tam fausti Martis, qua viderit hora, Sumpturum pugnam. — Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 12. 1. Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? *t' accingi, imprendi a.* et 1. *Ep.* 3. 7. Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit? Cf. *h. l.* cum paragr. seq. — *Sumere initia* apud *Arnob.* 5. *p.* 169. est idem ac *accipere sacra* apud *Apul.* 11. *Met.* h. e. initiari sacris seu mysteriis, παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια. ¶ 5. Item attribuo, arrogo. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Ne imperatorias sibi partes sumsisse videretur. *Cic.* 13. *Fam.* 29. *ad fin.* Tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. *impegnati* etc. — Cum Conjunctivo et part. ut. *Cic. Planc.* 1. *a med.* Mihi non sumo tantum, judices, neque

arrogo, ut etc. *Id. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. a med.* Sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit. *non pretendo tanto, che* etc. et 13. *Fam.* 50. Sumpsi hoc mihi pro tua in me observantia, ut ad te familiariter et quasi pro meo jure scriberem. *mi son presa la libertà di* etc. ¶ 6. Item consumo, transigo. *Ter. Adelph.* 5. 3. 68. I ergo intro, et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem. Ubi *Donat.* Non accipiamus, sed impendamus et consumamus. Unde et *sumptum* dicimus pecuniam, quæ insumenda est. *Id. Heaut.* 4. 3. 15. Frustra operam, opinor, sumo. *perdo la fatica, getto l' opera.* ¶ 7. *Sumere* dicuntur disputantes, quum ponunt aliquid tamquam certum, ex quo alia colligant, *supporre, presupporre. Lucret.* 1. 972. Alterutrum fatearis enim sumasque necesse est. *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 104. Non solum ea non sumitis ad concludendum, quæ ab omnibus conceduntur; sed ea sumitis, quibus concessis, nihilo magis efficiatur quod velitis. *et in fin.* Id sumere illos pro certo, quod dubium controversumque sit. *Liv.* 39. 28. Pro non dubio legati Eumenis sumebant, quæ Antiochi fuerunt, Eumenem æquius esse, quam me, habere. *Pers.* 5. 124. Liber ego. unde datum hoc sumis tot subdite rebus? — Cum Infinito. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 89. Beatos esse deos sumpsisti: concedimus. ¶ 8. *Sumere supplicium* vel *pœnam*, exigere. *Plaut. Merc.* 5. 4. 31. Supplicii sibi sumat, quod vult ipse, ob hanc injuriam. *Liv.* 2. 5. Damnati sunt proditores sumptumque supplicium. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 501. — Cum addito Abl. et præp. *de, ex. Cæs.* 6. *B. G.* 44. De Accone more majorum supplicium sumpsit. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 117. Supplicium constituitur in illos, sumitur de parentibus. *Id. Rosc. Am.* 24. 66. Quos poetæ tradiderunt, patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumpsisse. *Virg.* 12. *Æn.* 949. pœnam scelerato ex sanguine sumit. ¶ 9. Pro adlegare, admittere. *Cic. Rosc. Am.* 16. 47. Homines notos sumere odiosum est. *citare. et ibid.* 34. 97. Non quæro, quis percusserit. unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus etc. *ammetto, dico, dichiaro.* — Hinc absolute, substantivorum more

Sumpta, æ, f. 1. res sumpta. *Gargil. Cur. boum, init.* Sumpta salis.

Sumptum, i, n. 2. apud Rhetores, est sumptio, assumptio. *Capell.* 4. *p.* 125. Plenam sententiam quum proposuerimus, quum concessa fuerit, sumptum dicitur. Adde *ibid. p.* 38. et *Boeth. De syllog. hyp.* 1. *p.* 844. *Mign.*

Sumptus, i, m. 2. id, quod impenditur et insumitur, impendium, impensa, *spesa, costo. Cato R. R.* 22. *a med.* Eo sumpti opus est HS. LX. *Plaut. Trin.* 2. 1. 20. Quod ebibit, quod comest, quod facit sumpti. Cf. *Cas.* 2. 7. 2. *Turpil.* apud *Non. p.* 484. 27. *Merc.* Intercepedo sumpti faciendi fuit. Adde *Cæcil., Lucil.* et *Varron. ibid.* et 8. 12. *Inscr.* apud *Gruter.* 797. 10. et *Murat.* 1388, 3. CONIVGI BENEMERENTI SVMPTIS SVIS FECIT. Hinc minime attendendus *Walchius*, qui in *Act. Soc. Lat.* etc. 4. *p.* 50. putat scriptum fuisse *sumptis* errore marmorarii, quum potius id ἀρχαϊσμῷ tribuendum sit. Apud *Gruter.* tamen *sumptibus* rectius legitur.

Homonym. *Caper De orthogr. p.* 2243. *Putsch.* hoc dicit esse discrimen inter *sumere* et *accipere*. « Sumimus, inquit, ipsi: accipimus ab alio. Sic, quum dabimus, dicendum est, accipe: quum permittimus ipsi tollere, dicendum, sume ». Idem docet *Isid.* 1. *Diff.* 512. — Item inter *sumere, accipere* et *tollere* apud *eumd. ibid.* Sumimus per nos, accipimus a volentibus, tollimus a non volentibus. Cf. *Fronton.* et *Vel. Long. p.* 2243. *Putsch.*

SUMPSIO. *V.* SUMPTIO.

SUMPTA, æ, f. 1. *V.* SUMPTUS, a, um.

SUMPTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* sumptus, parvus sumptus. *Cyprian. Ep.* 6. (*al.* 13.) *ad fin.* Tamen etiam ipse de sumpticulis propriis, quos mecum ferebam, misi vobis etc. Alii tamen *l.* omittunt, aut *Augustino De mor. cler.* tribuunt.

SUMPTĬFĂCĬO, facis, feci, facere, a. 3. (sumptus et facio) facio sumptum, *fare spesa, spendere, consumare,* δαπανάω. *Plaut. Cas.* 2. 7. 1. Si nunc me suspendam, meam operam luserim, Et præter operam restim sumptifecerim. Vox fortasse a *Plaut.* conficta, si ita legend.; ceterum firmatur *Gloss. Lat. Gr.* Sumptifacio, καταναλίσκω. Alii apud *Plaut.* divisim leg. Cf. SUMPTUS, i.

SUMPTĬO vel sumtio, ōnis, f. 3. (sumo) Etiam *sumpsio*, in plur. num., apud *Caton. loc. cit.* — Sumptio est actus sumendi et ipsa res sumpta, *il pigliare o prendere, la presa,* λῆψις, λῆμμα.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 145. Oleum ne tangito utendi causa, neque furandi, nisi quod custos dederit aut dominus. si sumpserit, in singulas sumpsiones etc. Alii leg. *sumptiones.* et *Vitruv.* 1. 2. Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumptione conveniens effectus.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Dialecticos est assumptio, h. e. minor propositio syllogismi. *Cic.* 2. *Divinat.* 53. 108. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quæ λήμματα appellant dialectici: sed nos Latine loqui malumus. ¶ 2. Apud Grammaticos, figura eadem quæ metalepsis. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 1. 13. Utitur sæpe sumptionibus, quas Græci μεταλήψεις appellant, ut, exempli causa, dicat densatura liquorem pro partibus liquoris densatis: partes enim ad totum redigit.

SUMPTĬTO vel sumtito, as, āvi, are, a. 1. *frequentat. a* sumo, sæpe sumo, *pigliare spesso. Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (51). *de helleboro.* Ut plerique studiorum gratia, ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumptitaverint.

SUMPTŬĀRĬUS vel sumtuarius, a, um, adject. (sumptus) ad sumptus et impensas pertinens, *attenente a spese,* δαπανηρός. *Cic.* 13. *Att.* 47. Velim, cognoscas rationes nostras sumptuarias. *i conti delle mie spese. et ibid.* 7. Ne se absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. *h. e.* quæ moderabatur sumptus, præsertim in cenis: unde *Cato* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. vocat *cibariam.* Meminit etiam *Cic.* 7. *Fam.* 26. et *Sueton. Aug.* 34. Porro septem fuere leges sumptuariæ, variis latæ temporibus, sc. Æmilia, Antia, Cornelia, Didia, Fannia, Julia, Licinia et Orchia, quas describit *Gell.* 2. 24. *V.* ONOM. — Hinc

Sumptuarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui sumptus erogat vel domi vel in scæna, *spenditore, maestro di casa,* ἐπαναλωτής. *Inscript.* apud *Gruter.* 333. 5. PHILOMVSO SVLLONI *etc.* CVRATORIBVS DAPHNO SVMPTVARIO ET MEDVLALO A MANV. Adde 331. 2. et apud *Murat.* 978. 6.

SUMPTŬĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

SUMPTŬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *sumptuo*, in sumptum instructus, *provveduto per le spese. Jul. Val.* 2. *res gest. Alex. M.* 18. Dederat volentibus facultatem, uti viatico sumptuati, si vellent, ad patriam remearent.

SUMPTUM, i, n. 2. *V.* SUMPTUS, a, um.

SUMPTŬŌSĒ vel sumtuose, adverb. (sumptuosus) Comp. *Sumptuosius.* — Sumptuose est magno sumptu, *dispendiosamente,* δαπανηρῶς. *Catull.* 47. 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis. *Sueton. Claud.* 16. *sub fin.* Essedum argenteum sumptuose fabricatum. Adde *Inscript.* in *Annali dell' Istit. arch. a.* 1865. *p.* 18. *Varro* 3. *R. R.* 17. Piscibus victum ministrare sumptuosius. *Cic.* 2. *Cat.* 9. *a med.* Qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. *Plin.* 9. *Ep.* 12. Sumptuosius equos et canes emere.

SUMPTŬŌSĬTAS vel sumtuositas, ātis, f. 3. (sumptuosus) magnus sumptus, *spesa grande. Sidon.* 9. *Ep.* 6. Quantum de bonusculis avitis paternisque sumptuositas domesticæ charybdis abligurisset.

SUMPTŬŌSUS vel sumtuosus, a, um, adject. (sumptus) Comp. *Sumptuosior;* Sup. *Sumptuosissimus.* — Sumptuosus est qui magno sumptu et multa pecunia fit, δαπανηρός (It. *dispendioso, di grande spesa, splendido, sontuoso;* Fr. *dispendieux, somptueux;* Hisp. *costoso, suntuoso;* Germ. *aufwandreich, kostbar, theuer;* Angl. *expensive, sumptuous*). — a) De rebus. *Cato R. R.* 1. *a med.* Sumptuosus ager. *h. e.* qui multo sumptu colendus est. *Cic.* 9. *Fam.* 23. Exspecta hospitem quum minime edacem, tum inimicum cenis sumptuosis. *Horat.* 3. *Od.* 23. 18. Sumptuosa hostia. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Villa usibus capax, non sumptuosa tutela. *Id.* 10. *Ep.* 48. Substructiones non tam firmæ, quam sumptuosæ. *Id.* 2. *Ep.* 4. Dignitas sumptuosa. *h. e.* quæ multo sumptu servanda est. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 8. *sub fin.* Ludos apparat magnificentissimos, sic, inquam, ut nemo sumptuosiores. *Colum.* 7. *R. R.* 3. *a med.* Cicercula sumptuosior est, quam ut exiguo pretiō possit præberi. *Sueton. Ner.* 9. *extr.* Portum operis sumptuosissimi fecit. — b) De homine, et dicitur de eo, qui sumptus præter rationem facit. *Varro* 2. *R. R.* 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Ter. Heaut.* 2. 1. 15. Mulier potens, procax, magnifica, sumptuosa. *Plin.* 2. *Ep.* 6. Quidam sordidus simul et sumptuosus. *Sueton. Cæs.* 50. Sumptuosus in libidines. Adde *Cic.* 2. *Orat.* 31. *a med.* et *Parad.* 6. 3. *Seneca Ep.* 50. Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit.

SUMPTUS, a, um, particip. et

SUMPTUS, i, m. 2. *V.* SUMO.

SUMPTUS vel sumtus, us, m. 4. (sumo) idem ac sumptio. ¶ 1. Generatim. *Veget.* 3. *Milit.* 11. Veteribus sæculis mos fuit, parco cibo juratos milites ad certamen adducere, ut audaciores sumptus escæ redderet. ¶ 2. Speciatim est id, quod impenditur et insumitur, *spesa, costo, dispendio,* δαπάνη. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 77. Tibi tanto sumptui esse, mihi molestum est. *esserti di tanta spesa.* et *Ter. Adelph.* 3. 4. 6. Dare pecuniam in sumptum. *et* 1. 1. 37. Cur tu his rebus sumptum suggeris? *h. e.* pecuniam insumendam. *Id. Heaut.* 1. 2. 33. Præbere exigue sumptum. *Id. Eun.* 5. 8. 46. Sine sumptu suo. *Id. Phorm.* 4. 3. 61. opus est sumptu ad nuptias. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Magnum numerum equitatus suo sumptu alere. *a proprie spese.* et *Cic.* 1. *Off.* 39. *a med.* Cavendum, si ædifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. *Id.* 5. *Tusc.* 33. *extr.* Extenuare magnificentiam et sumptum epularum. *Id.* 5. *Verr.* 98. 227. Ad incertum casum et eventum certus labor et certus sumptus impenditur. *Id.* 2. *Invent.* 38. 113. Quid sumptus in eam rem aut laboris insumpserit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 2. *sub fin.* Homines sumptu exhauriri. *et* 3. *ibid.* 1. 2. Sumptum nusquam melius posse poni. *Id.* 6. *Verr.* 10. 22. Sumptum facere in prandium. *Id.* 9. *Fam.* 16. *sub fin.* Ego tibi unum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit. *Id. Flacc.* 19. *ad fin.* Pro frumento quum pecuniam accepisset, celavit suos cives ultroque iis sumptum intulit. *Id.* 3. *Fam.* 8. *circa med.* Sumptum minuere aut remittere. *Id.* 2. *Off.* 17. 39. Pro amplitudine honorum sane exiguus sumptus ædilitatis fuit. *Id.* 12. *Fam.* 30. 4. Sumptum te in rem militarem facere et fecisse dicis. *Id.* 15. *ibid.* 4. Sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit. *Alii leg.* sumptu. *Id.* 5. *Att.* 14. Nemini ne minimo quidem fuit sumptui. *Id.* 6. *ibid.* 2. Omnino nullus in imperio meo sumptus factus est. *Id.* 5. *Verr.* 98. 228. Opera, sumptu, labore. *Horat.* 2. *Od.* 15. 19. Oppida publico Sumptu jubentes et deorum Templa novo decorare saxo. *a spese del publico.* et *Fronto* 2. *De nepot. am. p.* 1221. Sumptu numquam prodigo fui, quæstui interdum necessario. — Singulare est illud *Ter. Heaut.* 1. 1. 91. Servi, qui opere rustico faciundo facile sumptum exercent suum. *si guadagnano le spese, sula laboribus:* vel quam sumptum dominus iis alendis facit, excolunt et opere pensant. *V.* tamen hunc eumd. locum in EXSARCIO. — In

plur. num. Ter. Heaut. 3. 2. 33. Quum tolerare hujus sumptus non queant. Sic Sall. Cat. 24. Primo ingentes sumptus stupro corporis toleraverant. Ter. Heaut. 4. 5. 6. Ubi videbit tantos sibi sumptus fieri. Id. ibid. 5. 1. 57. Si illi pergo suppeditare sumptibus. scil. pecuniam, dargli da spendere e spandere. et Hecyr. 2. 1. 28. Sumptus vestros ut nostra res posset pati. Cic. 2. Off. 16. 56. In his immanibus jactoris infinitisque sumptibus. Id. ibid. 12. 42. Ratio, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales. Id. 1. Legg. 23. 59. Minuendi sunt sumptus. Id. 1. ad Q. fr. 1. 8. Sumptus et tributa civitatum ab omnibus tolerari æqualiter. Liv. 32. 27. Sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi aut sublati. ¶ 2. Hinc est pecunia, quæ in sumptum impenditur, denaro. Varro 1. R. R. 2. ante med. Impensam ac sumptum facere in culturam. Cic. 2. Invent. 29. 96. Legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Lamprid. Alex. Sev. 44. Civitatibus sumptus ad instaurationem dedit. Spartian. Hadr. 17. Servis eum donavit et sumptibus. Adde ibid. 3. et Donat. ad Ter. Adelph. 5. 3. 68. Cf. Apul. 11. Met. Sumptuum tenuitas.

Homonym. Discrimen inter sumptum et impensam V. in v. IMPENSA.

SUMTĬO, SUMTĪTO etc. V. SUMPTIO, SUMPTITO etc.

SUNGRĂPHUS. V. SYNGRAPHUS.

SUNTŎNĀTOR. V. SYNTONATOR.

SŬENS, entis, V. voc. seq.

SŬO, sŭis, sŭi, sŭtum, sŭere, a. 3. Præterit. sui agnoscitur a Priscian. 10. p. 881. Putsch. — Ratione habita etymi, recentiores ducunt a Skr. siv, unde et Gr. σύω et κασσύω, ejusdem significationis. — Part. Suens I.; Sutus I. et in fin. — Suo est acu et filo vel fune aut nervis duarum rerum oras connecto, consuo, ῥάπτω (It. cucire; Fr. coudre; Hisp. coser; Germ. nähen; Angl. to sew or stitch).

I.) Proprie. Pacuv. apud Fest. p. 343. 4. Müll. Navis suta lino et sparteis serilibus. V. SUTILIS. Varro apud Gell. 17. 3. Hi plerasque naves loris suebant: Græci magis cannabo et stuppa ceterisque sativis rebus. Cic. 2. Nat. D. 60. 150. Tegumenta corporum vel texta vel suta. Ovid. 3. Trist. 10. 19. Pellibus et sutis arcent male frigora bracis. Virg. 4. G. 33. seu corticibus tibi suta cavatis Seu lento fuerint alvearia vimine texta. Martial. 10. 93. Carmina suta toga purpurea. h. e. libellus carminum purpura velatus et ornatus. Stat. 4. Silv. 9. 24. Pilea suta de cæsis lacernis. Cels. 7. 4. n. 3. Fistula excisa necesse est latius foramen relinquat, quod nisi permagna vi sui non potest. Flor. 4. 12. circa med. Unius a sutum, recisa prius lingua. Fest. p. 310. 28. Müll. Sutelæ, dolosæ astutiæ, a similitudine suentium dictæ sunt.

II.) Translate. Ter. Phorm. 3. 2. 6. Metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. h. e. sibi malum struat. Sic consuere dolos et sutelæ. V. CONSUTUS. — Hinc

Suta, orum, n. plur. 2. absolute, res sutæ. Virg. 10. Æn. 313. huic gladio perque ærea suta, Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum. h. e. thoracem sutilem ex ære sive ex æreis lamellis vel catenulis. Alii minus recte leg. scuta.

Homonym. Hoc discrimen inter consuo, suo et assuo statuit Isid. Differ. 102. « Consuere vestium, suere codicum, assuere coriorum ». Ceterum ab scriptoribus promiscue usurpantur.

SŬŎMET et

SŬOPTĔ. V. SUUS.

SŬŎVĔTAURĪLĬA et solitaurilia, ĭum, n. plur. 3. — a) Scriptionis ratio alia apud alios; scribunt namque alii suovetaurilia vel suovitaurilia, alii solitaurilia (V. infra); alii etiam suovetaurealia (Gloss. apud G. Loewe): sua quisque habet, quibus se tueatur, monumenta, ita ut difficile statui possit, quomodo sit legendum. — b) De origine et significatu vocis hæc habet Fest. p. 293. 10. Müll. Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significat, tauri, arietis, verris: quod omnes eæ solidi integrique sint corporis: a solus et taurus quæ virilia significat, quia harum hostiarum inviolati sunt tauri, quæ pars scilicet cæditur in castratione (nam vervecibus et hircis mos erat abscindi, quum immolarentur, ut colligitur ex Martial. 3. 24. Teter ut immundæ carnis abiret odor). Sunt qui putent, ex tribus hostiis præcipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. Quidam dixerunt, omnium trium vocabula confusa, suis, ovis, tauri, adeffecisse, ut uno modo appellarentur universæ (hostiæ). Ita Fest., cujus postrema verba occasionem dederunt suspicandi, ipsam vocem solitaurilia corruptam esse, et suovitaurilia vel (quod sæpius legitur) suovetaurilia rectum esse, ut habetur apud Caton. R. R. 141., Varron. 2. R. R. 1. ante med., Liv. 1. 44. et 8. 10. extr. et Tac. 6. Ann. 37. et 4. Hist. 53. in plurimis et optimis libris. Non desunt tamen, qui contra sentiunt, nempe solitaurilia veram esse appellationem: quæ, quum vulgo inerudito minus nota esset, mutata sit in suovetaurilia, quod viderent tres hostias, suem, ovem, taurum in eo sacrificio mactari. Quibus ego me libentius adjunxerim, inquit Forcellinus. Sic Charis. 1. p. 84. Putsch. Suovetaurilia quidam putant dicenda a victimis sue, ove et tauro: sed Valgius de rebus per epistolam quæsitis, solitaurilia dicta ait esse: tauri autem nomen pro omnibus maribus sumptum esse. (Cf. Unger, De C. Valgii poem. p. 174. et seqq.) Quintil. quoque 1. 5. ad fin. ita dixisse credendus est, ubi quarumdam vocum obscuriorem notationem explicans, ut capsis, lupercalia; si suovetaurilia dixisset, promptum erat cuique suem, ovem, taurum intelligere: at in solitaurilia magis abdita notatio erat et merito explicanda. V. tamen adnotat. Spaldingii ad Quintil. loc. cit. Recentiores τὸ suovetaurilia præferunt, et solitaurilia vocem putant ab illa decurtatam. — In Inscr. apud Gruter. 61. 3. in fin. LITATVRVM SE SCIAT X. KAL. SEPT. OMNIBVS ANNIS VITVLO ROBIO ET VERRE. Marini Fr. Arv. p. 367. hæc postrema verba ita leg.: vitulo, obe (h. e. ove) et verre, ut idem sint ac suovetaurilia, ordine tamen inverso. — Suovetaurilia sunt igitur sacrificium verris, arietis et tauri quod usurpabatur in lustrationibus agrorum, populi, exercitus et hujusmodi. Cato loc. cit. Agrum lustrare sic oportet. Impera suovitaurilia circumagi etc. Varro loc. cit. Populus R. quum lustratur suovitaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus. Liv. cit. 1. 44. Instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit. Tac. cit. 4. Hist. 53. Lustrata suovetaurilibus area. Liv. cit. 8. 10. Telo, super quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri. Ascon. in Divin. Verr. 3. Censores completo quinquennio urbem lustrabant et solitaurilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant. — — Suovetaurilia duplicis generis erant, nam ita Numæ lex apud Festum in Opima: Solitaurilia utra voluerit, cædito. Alia enim vocabantur majora, in quibus nempe hostiæ majores, h. e. adultæ et perfectæ ætatis; alia minora, in quibus minores hostiæ, h. e. adhuc lactentes immolabantur. Hinc suovetaurilia lactentia vocantur hæc minora a Catone R. R. 141. Mars pater, ejusdem rei ergo macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto. De majoribus vero mentio est apud Marini, Inscript. Frat. Arv. n. 32. Q. LICINIVS NEPOS IMMOLAVIT SVOVETAVRILIBVS MAIORIBVS. Adde ibid. n. 41. et 43. — Quando autem majores vel minores hostiæ in suovetaurilibus immolarentur, docet Serv. ad Virg. 12. Æn. 170. In rebus, quas volebant finiri celerius, senilibus et jam decrescentibus animalibus; in rebus vero, quas augeri et confirmari volebant, de minoribus et adhuc crescentibus sacrificabant.

SŬPAT, jacit. V. SIPO.

SŬPĔLEX. V. SUPELLEX.

SŬPELLECTĬCĀRĬUS, a, um, adject. (supellex) ad supellectilem pertinens. Ulp. Dig. 33. 7. 12. § 31. Supellecticarii servi. h. e. quibus cura supellectilis mandata est. Adde Petron. Sat. 34., ubi alii leg. lecticarius. V. ANALECTARIUS et LECTICARIUS.

SŬPELLECTĪLIS. V. voc. seq. init.

SŬPELLEX, lectilis, f. 3. — a) De ratione scribendi dicendum est, vocem aliis aliter scribi, ut supelex per l simplex in Inscript. apud Orell. n. 2974. et Murat. 917. 10. et in Annali dell'Istit. archeol. a. 1856. p. 21.; et superlex apud Arnob. 2. 40. et in Mus. Veron. 130. 2.; cf. tamen Prob. App. p. 198. 13. K. et Brambach p. 258.: item suppellex, per duplex p, apud Paul. Dig. 33. 10. 3. M. et Ammian. 22. 8. 42. G. — b) Ad formam quod attinet, occurrit etiam supellectilis in recto, pro supellex, apud Plaut. Stich. 1. 2. 5. nisi erit mihi sita supellectilis. Ita leg. Müller et Ribbeck. Adde Eutrop. 3. 23. et Salvian. 3. Gub. D. 2., ubi tamen Halm leg. supellectiles copiosæ; sed rectius, ut puto, legitur supellectilis copiosa: sane Diomed. 1. p. 314. Putsch. monet, hoc nomen carere plurali num.; est enim collectivum. Cf. Fest. p. 294. 7. Müll. et Charis. p. 47. 31., p. 88. 13., p. 144. 13. K. Priscian. 6. p. 724. affert loc. Catonis; at ibi supellectilis, non rectus, sed patrius casus est. — In ablativo sing. supellectile fere dicitur; invenitur tamen aliquando et supellectili, ut Dig. 33. 10. 3., Vulgat. interpr. Gen. 45. 20. etc. — c) Originem vocis Labeo apud Cels. ibid. 7. inde ducit, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus, h. e. sub tentoriis, usui forent. Sed si ratio habenda Inscript. apud Maff. Mus. Ver. 130. 2., in qua T. FLAVIVS HERMES AVG. LIB. A SVPERLECTILE F. CAE. N. (h. e. privata Cæsaris nostri) dicitur; supellex proprie est id, quod super lectos cubiculares seu tricliniares ponitur: quod etymon confirmatur etiam ex voce præced., in qua supellecticarii servi sunt, qui res ad lectos præcipue pertinentes curant, et ex Pauli loco supra citato; quod confirmat Orellius, Inscr. n. 2957. Fronto Princ. Hist. p. 319. In penuria subita ramis et frondibus pro supellectile usus est L. Verus, cæspitem interdum, ut torum, incubans. Rectius fortasse duxeris ab eadem radice, unde lectus, ita ut supellex sit a super et rad. lag, ponere, sternere, quasi super positum vel stratum. — Quidquid sit de etymo, supellex est domesticum instrumentum familiæ, quod neque argento aurove facto vel vesti adnumeratur, ut Pompon. definit Dig. 33. tit. 10. qui inscribitur De supellectile legata. 1. Supellectile (alii supellectili) autem legata, inquit Paul. ibid. 3., continentur mensæ, trapezophora, delphica, subsellia, scamna, lecti etiam inargentati, culcitæ, toralia, mappæ villosæ, vasa aquaria, pelves, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ: item vasa abenea, vitrea et fictilia escaria et potoria. Græce est τὰ σκεύη, τὰ ἔπιπλα (It. masserizie, arnesi di casa, mobili, suppellettile; Fr. ustensiles de ménage, mobilier; Hisp. muebles, trastos; Germ. der Hausrath; Angl. household-furniture, moveables, chattels).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. Varro 1. R. R. 22. ad fin. Instrumentum et supellectilem rusticam omnem oportet habere scriptam, in urbe et rure, dominum. Cic. 2. leg. Agr. 15. 38. Multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectile. Id. 2. Phil. 27. 66. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Adde Parad. 1. 2. Virg. 1. G. 165. Virgea præterea Celei vilisque supellex Arbuteæ crates et mystica vannus Iacchi. Horat. 1. Ep. 5. 7. Splendet focus et tibi munda supellex. et 1. Sat. 6. 117. adstat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex. stoviglie della Campania, h. e. vilis. Propert. 4. 8. 37. vitrique æstiva supellex. Juvenal. 3 14. Judæi, quorum cophinus fœnumque supellex. Liv. 39. 6. Supellex magnifica. Curt. 10. 1. 24. pretiosa. Id. 5. 1. 10. Re-

gia supellectile ditique gaza repleta. — Etiam argentum aurumve factum aliquando hoc nomine comprehenditur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (39). Qui triumphali denas argenti libras in supellectile crimini dabant. *Paul. loc.* supra *cit.* Et pelves argenteas et aquiminaria argentea et mensas et lectos inargentatos vel inauratos atque gemmatos in supellectili esse, non dubitatur; usque adeo ut idem juris sit, etsi tota argentea vel aurea sint. Adde 3. *Recept. sentent. tit.* 7. *a med.* — *A supellectile,* in domo Augusta, servus vel libertus, cui supellectilis cura erat demandata. *Inscr.* apud *Grut.* 31. 11. EVMOLPVS CAESARIS A SVPELLECTILE DOMVS AVREAE. *h. e.* servus Neronis, cujus domus aurea celebratur a *Sueton. Ner.* 31. — Supellectilem minute ac pulcre describit *Prudent.* in *præf.* ad περὶ στεφ. — *b)* Latiore sensu. *Seneca Ep.* 95. Nihil opus erat tam magna medicorum supellectile nec tot ferramentis atque pyxidibus. *Fronto De orat.* 1. Sed et loricas et conos et enses et balteos et omnem armorum supellectilem sequere. *Nemesian, Cyneg.* 238. nunc omnis adhuc narranda supellex Venandi. *h. e.* quidquid venando inservit. Cf. *Vulgat. interpr. Jud.* 5. 20. Supellex varia ad ornanda colla.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 15. 55. *Seyffert.* Amicos parare, optimam et pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, supellectilem. *Id. Orat.* 24. 80. Verecundus erit usus oratoriæ quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. *Id.* 1. *Orat.* 36. 165. In oratoris instrumento tam lautam supellectilem numquam viderum. *Seneca Ep.* 88. *a med.* Supellex litterarum supervacua. *Id. Ep.* 110. gemmea. *Quintil.* 8. *procem.* 28. Copiosam sibi verborum supellectilem comparavit. *Pers.* 4. 52. Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex. *h. e.* virtus, sapientia, eruditio. « esamina Te stesso e vedi non ti aver che zacchere » (*Monti*). — Proverbii more dictum est illud *Plaut. Pœn.* 5. 3. 27. Tace atque parce muliebri supellectili. Quæ ea est supellex? clarus clamor sine modo. *il capital delle donne è levar forte la voce e non finirla mai.*

SUPER, particula, quæ in antiqu. MSS. et editis libris sæpe cum supra confunditur vel permutatur. *V.* in fin. — Est autem a Skr. *upari,* unde Græc. ὕπερι, ὑπείρ et ὑπέρ, ejusdem significationis. — In compositione fere integra manet, ut *superabundo, superaddo, supercurro* etc.; aliquando vero assimulatur fortasse primæ vocis litteræ, quacum conjungitur, ut in *supellex* (V. hanc voc. init.): inservit autem universim additioni sive proprie sive translate, ut in *superabundo, superfluo;* interdum elevationi, ut in *superascendo, supergredior,* aut indicat, quod reliquum est, ut in *supersum, superstes, superfio.* — Super locum superiorem significat, ubi quis versatur vel quo quis fertur, et est idem ac supra, in superiore loco vel statu, ἐπί, ὑπέρ (It. *sopra, di sopra, su, sur;* Fr. *en dessus, sur;* Hisp. *sobre;* Germ. *oberhalb, über;* Angl. *above, over, upon, on*). Usurpatur *A)* Qua adverbium; et *B)* Qua præpositio.

A) Super, qua adverbium est. ¶ 1. Proprie dicitur de loco et significat ex superiore loco vel parte. *Sall. fragm.* 1. 73. Super astantium manibus in murum attollitur. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Eo super ligna bipedalia injiciunt *Virg.* 9. *Æn.* 168. Hæc super e vallo prospectant Troes et armis Alta tenent. *Id.* 6. *ibid.* 221. Tum membra toro defleta reponunt Purpureasque super vestes, velamina nota Conjiciunt. *Cels.* 3. 1. *a med.* Renes tunicis super conteguntur. *Id.* 6. 19. Imponendumque super medicamentum. *Lucan.* 4. 291. Quum super e totis emisit collibus agmen Magnus. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 20. infra superque Saxeus. *Manil.* 5. 431. Pendere super. ¶ 2. Translate — 1.°) Refertur ad numerum vel mensuram, et est insuper, præterea, *inoltre, di più.* — *a)* Absolute. *Lucret.* 6. 514. dissolvantur solis super icta calore. (Cf. *Zachmann* ad *h. l.*) et 3. 672. Cur super ante actam ætatem meminisse nequimus? *Ovid.* 15. *Met.* 308. Plurima quum subeant audita aut cognita nobis, Pauca super referam. *Virg.* 2. *Æn.* 70. quid jam misero mihi denique restat? Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt. *e di più.* Est qui leg. *insuper* pro *et super,* minus recte. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 78. Adde super, dictis quod non levius valeat. *Est qui male leg.* supra dictis quod etc. *et* 2. *Ep.* 2. 32. Clarus ob id factum donis ornatur honestis, Accipit et bis dena super sestertia centum. *Phædr.* 4. 23. Super etiam jactas, tegere quod debet pudor. Alii *leg. superba jactas.* et *Ovid.* 12. *Met.* 205. voto deus æquoris alti Annuerat dederatque super, ne saucius ullis Vulneribus fieri posset. *Sueton. Vesp.* 24. Annum agens ætatis sexagesimum ac nonum superque mensem ac diem septimum. Adde *Sil. It.* 8. 121. et *Seren. Sammon.* 957. *Capell.* 1. *p.* 15. Nisi super senatus consulto mortalis esse desineret. Alii interpretantur *de;* alii male leg. *superi.* — *b)* Cum particulis. — *Super quam,* plus quam. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 65. pœnas dedit usque superque Quam satis est. — *Super quam quod,* præter quam quod. *Liv.* 22. 3. *sub fin.* Primoribus, super quam quod dissenserant e consilio. territis etiam duplici prodigio. *oltrechè.* Adde 27. 20. — *Satis superque,* plus quam, magis quam. *Cic. Harusp. resp.* 9. 18. Satis superque prudentes sint. Adde 1. *Tusc.* 45. 109. *Id. Rosc. Com.* 4. 11. Satis superque habere dicit, quod etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 2. Nam contra Epicurum satis superque dictum est. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 65. *et Epod.* 1. 31. et *Ovid.* 4. *Met.* 429. *Liv.* 3. 53. Satis superque humilis. — 2.°) Refertur ad tempus et dicitur de iis, quæ adhuc remanent, *supersunt,* reliqua sunt. *Liv.* 4. 58. Quid jam integri esse in corpore loci ad nova vulnera accipienda? quid super sanguinis, qui dari pro republica possit? rogitantes. *Virg.* 6. *Ecl.* 6. super tibi erunt, qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant. *Id.* 5. *Æn.* 489. Cape dona extrema tuorum, O mihi sola mei super Astyanactis imago. *Nepos Alcib.* 8. Atheniensibus exhaustis præter arma et naves nihil erat super. *Val. Flacc.* 8. 435. Nec spes ulla super. Cf. tamen SUPERSUM.

B) Super, qua est præpositio, construitur cum Accusativo et cum Ablativo, et post suum casum aliquando ponitur vel inter adjectivum et substantivum, vel etiam aliqua voce a suo casu disjungitur. *V.* exempla suis loc.

I.) Cum Accusativo. ¶ 1. Proprie est de loco et significat in vel ex superiore loci parte, *di sopra, sopra.* — *a)* Universim. *Sall. Jug.* 58. Quum alii super vallum præcipitarentur. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Super lateres coria inducantur. *et ibid.* Lateres, qui super musculos struantur. *Alii leg.* musculo. *Cic.* 2. *Legg.* 26. 66. Super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam. *Id.* 2. *Fin.* 18. 59. Aspidem occulte latere et velle aliquem super eam assidere. *Ovid.* 13. *Met.* 477. Illa super terram desecto poplite labens. *Id.* 10. *ibid.* 86. Collis erat collemque super planissima campi Area. *Id.* 1. *Fast.* 407. super suras tunicam collecta. Sic *Curt.* 5. 6. 18. Vestis super genua est. *Liv.* 24. 39. *ab init.* Pars maxima super theatrum circaque consistunt. *et mox.* Quum alii super aliorum capita ruerent. *Id.* 21. 14. Domos super se ipsos concremaverunt. *Id.* 22. 58. Aqua super montium juga concreta erat. *Phædr.* 2. 6. suadet, ut scopulum super Altis ab astris duram illidat corticem. *Colum.* 8. *R. R.* 17. *a med.* Clathri super aquam emineant. *Curt.* 5. 1. 32. Super arcem pensiles horti sunt. *Cels.* 5. 28. *n.* 5. Super id imponi debet. — *b)* De ordine, quo res sunt in loco earumque successione — *α.)* Est ultra, *di là da, oltre.* *Sall. Jug.* 19. Proxuma Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gætulos accepimus. *Virg.* 6. *Æn.* 795. super et Garamantas et Indos Proferet imperium. *Liv.* 28. 8. Super Sunium navigans. *Id.* 31. 46. Super Demetriadem promontorium. Alii interpr. *e regione.* et 1. 2. Situs super Numicium flumen. *Curt.* 6. 2. 13. Qui super Bosporum colunt. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 30. (110). Lydia super Joniam procedit. — De accumbentibus mensæ, *Horat.* 2. *Sat.* 8. 23. Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra, *Curt.* 8. 5. *ad fin.* Polypercon, qui cubabat super regem, *Sueton. Aug.* 43. Super se collocavit. — *β)* Item post, *dopo, dietro.* *Apul.* 9. *Met.* Clausis obseratisque super me foribus. — *γ)* Item prope, juxta, *presso, vicino.* *Vulgat. interpr. Ps.* 136. 1. Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus. *Id. Num.* 33. 10. Fixerunt tentoria super mare Rubrum. *h. e.* in littore. *et Ezech.* 19. 10. Vinea super aquam plantata est. — *δ)* Item ante, coram, *dinanzi.* *Id.* 3. *Reg.* 13. 1. Jeroboam stans super altare. — *ε)* Item pro *ad.* *Id. Num.* 6. 6. Super mortuam non ingredietur. *h. e.* ad cadaver vel ubi est cadaver. — *ζ)* Item pro *in.* *Id. Ps.* 142. 4. Anxiatus est super me spiritus meus. ¶ 2. Translate. — 1.°) Dicitur de tempore et ponitur pro in, *durante, nel tempo di.* *Plin.* 4. *Ep.* 22. *a med.* De hujus nequitia omnes super cenam loquebantur. Sic *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 17. Nec cenæ causa occidisse super cenam. *Madvig vult leg.* nec cenæ causa occidi sed super cenam. *Curt.* 8. 4. *in fin.* Pudebat super vinum et epulas socerum esse electum. *Stat.* 1. *Theb.* 676. Non super hos divum tibi sum quærendus honores. *h. e.* inter sacra, ut mox subjicit. *Id.* 5. *ibid.* 136. Super somnos. *h. e.* dum dormio, inter dormiendum. *Flor.* 4. 2. Super mensas et pocula. Sic *Curt.* 7. 4. 7. Super mensam. — 2.°) De numero aut mensura pro *præter* et accessionem significat. — *a)* Universim. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 38. Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det. Sic *Liv.* 22. 54. Vulnus super vulnus. *Id.* 1. 50. Alii super alios trucidantur, exsulatum eunt, bona amittunt. *Id.* 28. 46. Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. *Id.* 2. 31. Super ceteros honores locus in Circo ipsi ad spectaculum datus. *Phædr.* 3. 11. Qui super obscena dicta et petulans jurgium, Damnum insectatus est amissi corporis. *Colum.* 7. *R. R.* 6. *a med.* Super lactis abundantiam samera vel cytisus aut hedera præbenda. *Liv.* 2. 18. Super belli Latini metum id quoque accesserat. Alii leg. *supra.* sed *Livius* hac significatione non *supra* sed *super* solet dicere. V. *Drakenb.* et *Madvig* ad *h. l.* et *Virg.* 11. *Æn.* 685. Trajicit (*hunc*) et super hæc inimico pectore fatur. Cf. *Sil. It.* 1. 60. *et* 8. 21. *Quintil.* 11. 1. 91. Indecorum est super hæc omne nimium. *Id.* 9. 3. 46. Super necessitatem. — *Tac.* 15. *Ann.* 50. Adscitæ sunt super Subrium et Sulpicium militares manus. — *b)* Speciatim est supra, plus quam, magis quam. *Sueton. Vitell.* 13. Famosissima super ceteras fuit cena ei data adventicia a fratre. *Quintil.* 11. 3. 169. Super modum ac pæne naturam. *Id.* 12. 5. 5. Super omnes tragœdos. *Tac.* 3. *Ann.* 48. Cunctis super vota fluentibus. *Id. Germ.* 33. Super LX. milia. *Sall. Jug.* 39. *ad fin.* Non prius omisit contra verum niti, quam animadvortit, super gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. *h. e.* plus posse. Adde *ibid.* 64. — *c) Super omnia,* præcipue, præsertim, in primis, *più di tutto, sopra tutto.* *Virg.* 8. *Æn.* 303. Talia carminibus celebrant: super omnia Caci Speluncam adjiciunt. *Ovid.* 6. *Met.* 525. frustra clamato sæpe parente, Sæpe sorore sua, magnis super omnia divis. Adde 8. *ibid.* 677. et *Liv.* 31. 18. — *d) Super aliquam rem esse,* officium, munus, curam alicujus rei habere. *Scribon. Compos.* 162. *extr.* Anteros Tiberii libertus super hereditates. *Alii tamen leg.* supra. *Curt.* 6. 7. 22. Super armamentarium positus. — 3.°) Alios insuper habet usus. — *a)* Ponitur pro *de.* *Sil. It.* 5. 60. mentesque deorum Explorant super eventus. *Alii rectius leg.* eventu. Cf. *Plaut. Cist.* 4. 1. 8. Adde *Fest.* in *Superescit p.* 302. 4. *Müll.* Hoc tamen sensu certior est usus ablativi casus. — *b)* Pro *erga.* *Vulgat. interpr. Luc.* 7. 13. Misericordia motus super eam. — *c)* Pro *contra.* *Id. Ps.* 14. 5. Munera super innocentem non accepit. Adde *Job* 31. 21., *Ezech.* 23. 5. etc.

II.) Cum Ablativo. ¶ 1. Proprie est de loco.

Cæs. 3. *B. C.* 39. Navis, super qua turrim effectam ad introitum portus opposuit. Cf. 2. *ibid.* 10. *V.* supra. *Horat.* 3. *Od.* 1. 17. Destrictus ensis, cui super impia Cervice pendet. *Id.* 1. *ibid.* 9. 5. Ligna super foco Large reponens. *Id. Epod.* 7. 3. Parumne campis atque Neptuno super Fusum est Latini sanguinis? *Id.* 1. *Od.* 12. 6. Cujus (*dei*) recinet jocosa Nomen imago, Aut in umbrosis Heliconis oris, Aut super Pindo gelidove in Hæmo? *Virg.* 1. *Ecl.* 81. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem Fronde super viridi. *Id.* 6. *Æn.* 203. liquidumque per aera lapsæ Sedibus optatis geminæ (*columbæ*) super arbore sidunt. ¶ 2. Translate. — 1.°) Refertur ad tempus. *Virg.* 9. *Æn.* 59. Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili Nocte super media. *Servius* interpretatur *ultra* mediam noctem. — 2.°) Refertur sæpius ad ordinem rerum vel finem et ponitur pro de, *di, intorno, circa. Cato* apud *Fest. p.* 305. 13. *Müll.* Nemo fecit super tali re cum hoc magistratu rem. *Plaut. Aulul.* 4. 7. 2. Justa rem mecem tenes, Super Euclionis filia. *Id. Bacch.* 3. 6. 33. Super amica. *et Cas.* 2. 3. 36. Super ancilla. *Cic.* 14. *Att.* 22. Velim cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiva. *Id.* 16. *ibid.* 16. Hac super re scribam ad te, Phlegio. *Id.* 10. *ibid.* 8. Sed hac super re nimis. Sic *Tac.* 11. *Ann.* 23. Multus ea super re rumor. *Cic.* 1. *Herenn.* 13. 23. Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit, jus esto. *Virg.* 1. *Æn.* 754. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. *Id.* 4. *ibid.* 233. Nec super ipse sua molitur laude laborem. *h. e.* pro sua laude. *Horat. Carm. sæc.* 18. decreta super jugandis Feminis prolisque novæ feraci Lege marita. *Id.* 3. *Od.* 8. 17. Mitte civiles super urbe curas. *Id.* 4. *ibid.* 2. 42. Publicus ludus super impetrato Fortis Augusti reditu. *Nepos Pausan.* 4. Qui super tali causa eodem missi erant. Cf. *Sil. It.* 5. 615. — 3.°) Alios habet usus. — *a*) Ponitur pro *ob, propter. Virg.* 1. *Æn.* 29. His accensa super, jactatos æquore toto Troas Arcebat longe Latio. *Vulgat. interpr. Ps.* 113. 9. Nomini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua. — *b*) Item loco *pro. Virg.* 10. *Æn.* 42. Nil super imperio moveor: speravimus ista, Dum fortuna fuit. Cf. 4. *ibid.* 273. — *c*) Item pro *post. Vulgat. interpr. Am.* 1. 3. Super tribus sceleribus Damasci et super quartum non convertam eum. *h. e.* post certa quædam ac numero definita scelera non puniam; sed post aliud, quod his additur, puniam.

Homonym. Inter *super* et *supra* quidam ita distinguunt apud *Putsch. p.* 2273. *et* 2346., ut *super* sit, quod eminet, licet non contingat; *supra*, quod substratum aliquid habet eique contiguum est. Sed hujus discriminis nulla est ratio: præsertim quum hæ duæ voces passim confundantur, quia in MSS. secunda syllaba fere per notam scribitur. — Aliud statuit discrimen *Auct. De Smaragd. art. p.* CCXLV. *Hag.* Inter *super* et *supra* hoc distat, quod *super* aliquoties «ad locum» significat; *supra* locum tantum. Sed neque hoc attendendum videtur.

SŬPER, pĕra, pĕrum, adject. *V.* SUPERUS.

SŬPĔRĂ. *V.* SUPRA init.

SŬPĔRĀBĬLIS, e, adject. (supero) qui superari potest, *superabile, vincibile.*

I.) Proprie. *Liv.* 25. 23. *a med.* Humilior murus et vel mediocribus scalis superabilis. *sormontevole.*

II.) Translate. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 27. per vim non est superabilis ulli. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Cæcitas ac debilitas ope humana superabiles.

SŬPĔRABLŬO, is, ere, a. 3. in superiore parte abluo, ὑπερλούω. *Avien. Perieg.* 881. Caspia nam late terram superabluit unda. Alii *superadluit*; alii divisim *super adluit* legunt.

SŬPĔRABNĔGĀTĪVUS, a, um, adject. *Boeth.* in *Cic. Top.* 5. *p.* 825. Tertius modus, quum inter partes connexæ atque ex duabus affirmationibus copulatæ propositionis negatio interponitur eaque ipsa negatio denegatur, quæ propositio ὑπεραποφατική Græco sermone appellatur, ut *si dies est, lux est*, si inter hujus propositionis partes negatio interveniat, fiet hoc modo: *si dies est, lux non est.* Quæ propositio superabnegativa appellatur, talesque sunt omnes, in quibus negatio præponitur negationi, ut *non est dies*, et rursus *nec non Ausonii Trojæ gens missa coloni.*

SŬPĔRĀBUNDANS, antis, particip. *V.* SUPERABUNDO.

SŬPĔRĀBUNDANTER, adverb. (superabundo) Comp. *Superabundantius.* — Superabundanter est valde abundanter, *soprabbondantemente. Vulgat. interpr. Eph.* 3. 20. Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus. *Augustin.* in *Ps.* 69. *n.* 8. Facere superabundantius.

SŬPĔRĀBUNDANTĬA, æ, f. 1. (superabundo) id, quod superabundat vel superest; speciatim vero usurpatur ¶ 1. De usura. *Hieronym.* 6. in *Ezech.* 18. 6. Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt, usuram appellari superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint. *et paullo supra.* Quod prævidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. ¶ 2. De excellentia, quam Græci ὑπερβολήν vocant. *Boeth. Arist. Top.* 3. 3. *p.* 682. Cujus est superabundantia eligibilior et ipsum eligibilius: ut amicitia pecuniis; nam eligibilior superabundantia amicitiæ, quam pecuniarum.

SŬPĔRĀBUNDO, as, āvi, are, n. 1. Part. *Superabundans.* — Superabundo est redundo, superfluo, abundo, *sovrabbondare*, περισσεύω. *Tertull. Resurr. carn.* 34. *et* 47. *ex Apost. ad Rom.* 5. 20. Ubi delictum abundaverit, illic gratiam superabundasse. *Augustin.* in *Ps.* 32. *serm.* 2. In terra abundat hominis miseria, superabundat hominis misericordia. Adde *Vulgat. interpr. Rom.* 5. 20. — Addunt nonnulli locum *Ulp. Dig.* 50. 17. 94., ubi plerique omnes leg. *abundo: item Modestin. ibid.* 27. 1. 6., ubi eadem lectionis varietas est; et præterea lex illa est e Græco translata. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 14. Deus superabundanti majestatis fecunditate de se mentem creavit. *Lactant. Epit.* 6. *a med.* Munera superabundantia non recipiet a tenuioribus. — Hinc

Superabundantia, um, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, res, quæ superabundant. *Vulgat. interpr. Ital. Ezech.* 18. 8. Et pecuniam suam in usuram non dabit et superabundantia non recipiet. *l'interesse.*

SŬPĔRACCĬPĬO, cĭpis, cēpi, cĭpere, a. 3. insuper accipio. *Act. Arv. n.* 219. apud *Henzen p.* CCIX. Superaccepit coronam pactilem roseam et super carceres adscendit.

SŬPĔRACCOMMŎDO, as, are, a. 1. Part. *Superaccommodandus.* — Superaccommodo est in superiore parte accommodo, *aggiustare sopra. Cels.* 8. 10. *n.* 1. *ad fin.* Ferulæ superaccommodandæ sunt, quæ ossa contineant.

SŬPĔRĂCERVO, as, are, a. 1. coacervo, acervum super acervum impono. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 15. Superacervabitur in votis quidquid ratione defecerit.

SŬPĔRACTUS, a, um, particip. *V.* SUPERAGO.

SŬPĔRADDĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRADDO, dis, dĭtum, dere, a. 3. Part. *Superadditus.* — Superaddo est addo supra, *aggiungere sopra. Virg.* 5. *Ecl.* 42. Et tumulum facite et tumulo superaddite carmen. *Id.* 3. *Ecl.* 38. Lenta quibus torno facili superaddita vitis. *Propert.* 2. 10. 33. Et sit in exiguo laurus superaddita busto. *Ribbeck* et *Haupt* divisim dedere. *Auson.* 24. *ep.* 89. Ostrifero superaddita Barcino ponto. Adde *Chalcid. Tim.* 346.

SŬPĔRADDŪCO, is, ere, a. 3. insuper adduco, *condurre di più. Plaut. Truc.* 2. 6. 53. quot ancillæ sunt jam? Quine etiam superadducas, quæ mihi comedint cibum? Alii leg. divisim *super adducas.*

SŬPĔRĀDHĬBĔO, es, ere, a. 2. supra adhibeo. *Theod. Priscian.* 2. 1. Fronti linimenta hæc superadhiberi suadeo.

SŬPĔRADJECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRADJĬCĬO, jĭcis, jēci, jectum, jĭcere, a. 3. Part. *Superadjiciens* et *Superadjectus.* — Superadjicio est insuper adjicio, *aggiungere di più. Pallad.* 11. *R. R.* 14. *ad fin.* Quartam partem, quam alibi diffuderas, superadjicies. *Macrob.* 1. *Saturn.* 14. Decem dies observationi veteri superadjecit. *Boeth. Arist. Top.* 6. 1. *p.* 706. Omne, quod superadjectum erit in definitione, superfluum est.

SŬPĔRADLĬGO. *V.* SUPERALLIGO.

SŬPĔRADLŬO. *V.* SUPERABLUO.

SŬPĔRADNECTO, nectis, nexŭi, nectere, a. 3. simul conjungo vel addo. *Boeth.* 5. *Music.* 17. *in fin.* Atque hic est octavus modus; quem Ptolemæus superadnexuit.

SŬPĔRĀDORNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *superadorno. Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *a med.* Signorum coagmenta solvuntur, nullam materiæ superadornatæ manet operimentum.

SŬPĔRADSCENDO. *V.* SUPERASCENDO.

SŬPĔRADSPERGO etc. *V.* SUPERASPERGO etc.

SŬPĔRADSTO. *V.* SUPERASTO.

SŬPĔRĀDULTUS, a, um, adject. admodum adultus, exoletus, ὑπέρακμος. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 7. 36. Si quis turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta.

SŬPĔRADVŎLO, as, are, n. 1. postea advolo. *Val. Flacc.* 6. 343. trepidus superadvolat Idas. Alii divisim leg.

SŬPĔRÆDĬFĬCANS, antis, particip. *V.* SUPERÆDIFICO.

SŬPĔRÆDĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (superædifico) actus superædificandi. — Translate. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 6. *ad fin., Mar. Victorin.* in *ep. ad Eph.* 2. 20. et *Augustin.* in *Ps.* 31. *enarr.* 2.

SŬPĔRÆDĬFĬCĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERÆDIFICO.

SŬPĔRÆDĬFĬCĬUM, ĭi, n. 2. id, quod ædificio superstructum vel quod super ædificatum est. *Ambros.* in *ep. ad Cor.* 1. 3. Superædificia sunt, quæ post prædicationem apostolorum a supervenientibus traduntur aut malis aut bonis doctoribus. Ut superædificia congruant fundamento, ne si obliqua fuerint et frivola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento.

SŬPĔRÆDĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Superædificans* I. et II.; *Superædificatus* II. — Superædifico est super exstruo vel ædifico, *edificare sopra.*

I.) Proprie. *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Od.* 18. 20. Corripit eos, qui in Campania affectant molibus in mare jactis prætoria superædificare. *Ennod. Dict.* 2. *a med.* Qui in restauratione ædis essent necessarii, nisi architectus et petra? nisi lapis et superædificans? nisi fundamentum et opifex?

II.) Translate. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 3. 14. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. *Id. Jud.* 20. Vos autem, carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei. *Paulin. Nolan. Ep.* 28. Si digna tanto monimento superædificetur operatio. *Vulgat. interpr. Eph.* 2. 20. Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. Adde *Col.* 2. 7.

SŬPĔRÆQUĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac peræquatio. *Impp. Honor. et Arcad. Cod.* 11. 58. 15. Si quis deserta prædia, quæ navalem sustinent functionem, et in desertis nunc usque remanent, superæquationis jure perceperit. Alii rectius leg. *sub peræquationis jure.* V. PERÆQUATIO.

SŬPĔRAGGĔRO, as, are, a. 1. aggere impleo. *Colum.* 12. *R. R.* 41. Scrobs ea humo quæ fuerat egesta, superaggeratur.

SŬPĔRĂGO, ăgis, ēgi, actum, ăgere, a. 3. Part. *Superactus.* — Superago est supra vel sursum aliquid ago seu duco. *Tibull.* 4. 1. 157. Sed durata riget densam in glaciemque nivemque; Quippe ubi non umquam Titan superegerit ortus. Possis et divisim legere *super egerit.* Alii

tamen leg. *super ingerit.* et *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 165. Ast alios, pedibus superactis, vertit in altum.

SŬPĔRALĬA. *V.* SUPERARIA.

SŬPĔRALLĪGO *vel* superadligo, as, are, a. 1. supra alligo. *Marcell. Empir. c.* 32. (*et* 34.) Sic impones supra paniculam, deinde chartam superalliga. Adde *Dynam.* 2. 103. Cf. SUPERILLIGO.

SŬPĔRALTO, as, are, a. 1. (super *et* altus) super exalto. *Gloss. Cyrill.* Ὑπερυψῶ, superalto, exalto.

SŬPĔRAMBŬLANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRAMBŬLO, as, are, 1. Part. *Superambulans.* — Superambulo est supra ambulo, *camminare sopra.*

I.) Proprie. *Sedul.* 3. 226. calcatas Dominus superambulat undas.

II.) Translate. *Augustin. De beat. vit.* 3. *in fin.* Ut inflatos sibi superambulantes succrepante fragili solo demergat ac sorbeat.

SŬPĔRĀMENTUM, i, n. 2. (supero) quod superat et superfluum est, *avanzo Ulp. Dig.* 32. 1. 55. Etiam virgulæ et cremia et sarmenta et superamenta materiarum et vitium stirpes atque radices continebuntur ligni appellatione.

SŬPĔRANS, antis, particip. *V.* SUPERO.

SŬPĔRANTĔACTUS, a, um, adject. ex particip. supra anteactus, jam præteritus, *già passato, trascorso. Lucret.* 3. 673. Cur superanteactam ætatem meminisse nequimus? *synizesis.* Alii rectius leg. divisim *super anteactam.*

SŬPĔRANTĬA, æ, f. 1. (supero) exsuperantia. *Cœl. Aurel. Sign. diæt. pass.* 9. Naturalis fervoris superantia. *esuberanza.*

SŬPĔRAPPĀRĔO, es, ere, n. 2. supra appareo. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 16. Unde et ὑπερηφανία Græce superbia dicitur, sed ὑπερηφανία proprie superapparitio nuncupatur, quod in istis duobus signis (*h. e.* Geminis), quæ eorum fratrum vocabulo nuncupaverunt, unus superappareat, alter vero vergat: sicut Lucifer et Antifer (*alii leg.* Noctifer). *Cels.* 5. 28. *n.* 8. Qui (*furunculus*) ubi adapertus est et exiit pus, superapparet pars carnis in pus versa. Alii perperam leg. *apparet.* V *Darenberg* ad *Cels. p.* XXXV.

SŬPĔRAPPĀRĬTĬO, ōnis, f. 3. (superappareo) superior apparitio. *V.* voc. præced.

SŬPĔRAPPŎSĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *superappono,* supra appositus, *sovrapposto. Boeth.* 4. *Music.* 9. Paranete synemmenon chromatica, cui littera S superapposita est. Adde *Æmil. Macr. c.* 43. *de Iri. p.* 240.

SŬPĔRARGŪMENTOR, āris, ari, dep. 1. insuper argumentor. *Tertull. advers. Hermog.* 37. Proinde superargumentasset. Alii leg. *superargumentas;* alii rectius *superargumentans.*

SŬPĔRĀRĬA, æ, f. 1. (superus) genus quoddam vestis, quæ aliis superinduitur, apud *Charis. Excerpt. p.* 553. 11. *Keil.* Adde *Gloss. Isid.* et *Gloss.* apud *Mai* in *Class. Auct. T.* 7. *p.* 582. *Gloss. Lat. Gr. p.* 271. *Vulc.* Superalia, ἐπενδύτης. *h. e.* tunica. An legend. *superalia?*

SŬPĔRASPERGO *vel* superadspergo, spergis, spersum, spergere, a. 3. Part. *Superaspersus.* — Superaspergo est super spargo, *spargere sopra. Veget.* 3. *Veterin.* 3. *a med.* Resinæ ferventi superaspergis hordeaceam farinam. *Apic.* 4. 2. Piperis pulverem superasperges. *Isid.* 12. *Orig.* 2. 19. Camelopardus albis maculis superaspersus. Adde *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 14.

SŬPĔRASTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRASTO *vel* superadsto, stas, stĭti, stare, n. 1. Part. *Superastans.* — Superasto est supra sto, immineo, *stare sopra.* ¶ 1. Intransitive. *Virg.* 6. *Æn.* 17. Chalcidicaque levis tandem superastitit arce. Alii divisim scribunt *super adstitit.* et *Sall.* 1. *Hist. fr.* 74. *Dietsch.* Sertorius per calonum corpora ad medium, evasit dein superadstantium manibus in murum adtollitur. *Non. p.* 530. 33. habet *deinsuper stantium.* Cfr. *Plut. Sert.* 14. *extr. Markl.* 1. 637. orbem verticibus superastantem mediumque secantem Cælum. ¶ 2. Transitivorum more cum Acc., vi præpos., quæ verbo inest. *Id. ibid.* 909. Ossa virûm lacerosque prius superastitit artus.

SŬPĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (supero) actus superandi.

I.) Proprie. *Vitruv.* 3. *præf. a med.* In ambitione certationis contrariorum superatio. Adde *Firmic* 3. *Mathes.* 10.

II.) Translate. *Theod. Priscian.* 4. 2. Lapidem dicit in vesica generari superatione fervoris. *h. e.* superabundantia. Adde *Vitruv.* 1. 4. *Rose.*

SŬPĔRĀTOR, ōris, m. 3. (supero) qui superat, *vincitore.*

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Fast.* 641. populi superator Etrusci. *Id.* 4. *Met.* 698. Perseus superator Gorgonis. *Non. p.* 524. 11. *Merc.* Victorem, altæ rei superatorem dici voluit Virgilius (2. *G.* 307).

II.) Translate. *Augustin.* in *Psalm.* 28. *n.* 9. Superatores et repulsores venenosarum linguarum.

SŬPĔRĀTRIX trīcis, f. 3. (superator) quæ superat, *vincitrice, superatrice. Inscript.* non probæ notæ apud *Fabrett. p.* 383. *n.* 209. AVRELIAE CLEOPATRAE OMNIVM RETRO TEMPORIS CASTARVM SEV DISCIPLINARVM (num scribendum *discipularum?*) SVPERATRICI etc.

SŬPĔRATTOLLO *et divisim* super attollo, is, ere, a. 3. supra attollo, *alzare sopra. Plaut. Cas.* 4. 4. 1. Sensim superattolle limen pedes, nova nupta. *h. e.* tolle pedes super limen. Alii divisim *super attolle* scribunt.

SŬPĔRATTRĂHO, is, ere, a. 3. extollo, sursum traho. *Avien.* in *Arat.* 1249. Argo quod puppim curvis superattrahit oris.

SŬPĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERO.

SŬPĔRAUGMENTUM, i, n. 2. aliud augmentum, *sopraggiunta. Isid.* 6. *Orig.* 17. 23. Embolismus nomen Græcum est, quod interpretatur Latine superaugmentum eo quod expleat numerum annorum communium, quibus undecim lunares dies deesse cernuntur.

SŬPĔRAURĀTUS, a, um, adject. auro supra tectus. *Ovid. Halieut.* 107. Et superaurata sparulus cervice refulgens. Alii divisim leg. *super aurata.*

SŬPERBĒ, adverb. (superbus) Comp. *Superbius;* Sup. *Superbissime.* — Superbe est elate, cum fastu, *con alterigia, superbamente,* ὑπερηφανῶς: usurpatur itaque in malam partem, idque sæpius; sed aliquando in bonam partem accipi potest. *Plaut. Merc.* 5. 4. 38. Superbe invehi. *Ter. Phorm.* 5. 7. 22. illudere aliquem. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Superbe et crudeliter imperare. Sic *Nepos Pausan.* 3. Superbe respondebat et crudeliter imperabat. *Lucret.* 3. 1223. Superbe dictum. *Martial.* 1. 15. Humane facis, Herme, non superbe. *Liv.* 2. 45. Superbe insolenterque eludere. *Id.* 9. 14. Superbe vincere. *Id.* 37. 10. Superbe quædam et contemptim in aliquem dicere. *Id.* 24. 25. Aut servit humiliter, aut superbe dominatur. *Tac.* 2. *Ann.* 37. Preces alicujus superbe accipere. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 11. Legati appellati superbius. *Curt.* 7. 11. 33. Superbius loqui. *Cic. Pis.* 27. 64. Alicujus decreta et preces superbissime repudiare. *Capitol. Gord.* 30. Quum Philippus se contra Gordianum superbissime ageret. — *Martial.* 8. 28. Non ego prætulerim Babylonica picta superbe Texta, Semiramis quæ variantur acu. *con isfarzo, con lusso,* magnifice.

SŬPERBĬA, æ, f. 1. (superbus) magnitudo, excellentia: occurrit autem *A)* Sæpius in malam partem; et *B)* Aliquando in bonam partem.

A) Superbia, in malam partem, est nimia animi elatio, arrogantia, fastus, insolentia, ὑπερηφανία (It. *alterigia, burbanza, orgoglio, superbia;* Fr. *fierté, orgueil, hauteur;* Hisp. *altaneria, orgullo, soberbia;* Germ. d. *Stolz, Hochmuth, Uebermuth;* Angl. *pride, haughtiness*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 2. 2. 77. Nam sibi aut stultitia accessit aut superat superbia? *Cæs. fragm.* apud *Gell.* 4. 16. *extr.* Unius arrogantiæ superbiæque dominatuque. *Sall. Cat.* 2. Pro labore desidia, pro continentia et æquitate lubido atque superbia invasere. *Id. ibid.* 51. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. *Id. Jug.* 64. Superbia commune nobilitatis malum. *Cic. Partit.* 23. *a med.* Magnitudinem animi superbia imitatur in animis extollendis. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium arrogantiamque magnopere fugiamus. *Id.* 6. *Verr.* 41. 89. Illa tua singularis insolentia, superbia, contumacia. *Id.* 1. *Invent.* 54. *ad fin.* In superbiam et arrogantiam odium concitare. *Id.* 1. *Orat.* 22. 99. Quod ego non superbia neque inhumanitate faciebam. *Virg.* 1. *Æn.* 529. Non ea vis animo, nec tanta superbia victis. *h. e.* insolentia. *Ovid.* 1. *Fast.* 419. Fastus inest pulcris sequiturque superbia formam. *Val. Flacc.* 3. 699. Non hi tum flatus, non ista superbia dictis, quum etc. *Phædr.* 1. 3. Inani superbia tumens. *Quintil.* 3. 6. 57. Divitiæ superbiam pariunt. *Plin.* 8. *Ep.* 24. Absit superbia, asperitas. *Petron. Sat.* 126. Mirari cœpi, quod ancilla haberet matronæ superbiam et matrona ancillæ humilitatem. *Plaut. Merc.* 5. 2. 10. Superbiam abjicere. *Horat.* 3. *Od.* 10. 9. ponere. *Phædr.* 4. 23. alicujus retundere. *Titin.* apud *Non. p.* 316. 3. *Merc.* confringere. *Tac.* 6. *Ann.* 13. Silentium ipsius non civile, sed in superbiam accipiebatur. *Augustin. Serm.* 16. *de temp.* Est enim superbia non magnitudo sed tumor: quod autem tumet, videtur magnum sed non est sanum. *Id. Serm.* 12. *ad fr. in erem.* O sancta humilitas! quam dissimilis es superbia! — In plur. num. *Plaut. Stich.* 2. 1. 28. Secundas fortunas decent superbiæ.

II.) Translate. *Vitruv.* 7. 3. *ante med.* Semper enim album opus, propter superbiam candoris, non modo ex propriis, sed etiam ex alienis ædificiis concipit fumum. *h. e.* propterea quod candor nullum alium colorem admittere potest, quin corrumpatur. Cf. *Vulgat. interpr. Nah.* 2. 2. — Apud Mythologos et Poetas, *Superbia* tamquam dea habebatur, Ætheris et Terræ filia, ut scribit *Hygin. præf. fab.*

B) Superbia, in bonam partem, est honor, decus, magnitudo animi.

I.) Proprie. *Horat.* 3. *Od.* 30. 14. sume superbiam Quæsitam meritis. Sic *Vulgat. interpr. Is.* 60. 15. Ponam te in superbiam sæculorum. *h. e.* magnitudinem et gloriam tuam omnia sæcula admirabuntur.

II.) Translate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (53). Eadem causa in piris taxatur superbiæ cognomine: parva hæc sed ocissima. *Vulgat. interpr. Jer.* 49. 19. Quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulcritudinem robustam. *h. e.* sicut leo, quem intumescens Jordanis caverna sua expulit, in fertilem et abundantem agrum irrumpit. Ita *Weitenauer* ad *h. v.*

Homonym. Qui differat *superbia* ab *arrogantia* et *insolentia,* V. sub v. ARROGANTIA.

SŬPERBĪBO, bĭbis, bĭbi, bĭbere, a. 3. Part. *Superbibendus.* — Superbibo est post cibum potumque assumptum alium potum superingerere, ἐπιπίνω.

I.) Proprie. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (42). Aquæ potum interponere utilissimum itemque jugi superbibere ebrietati. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 109. Superbibenda pars sextarii.

II.) Translate. *Tertull. advers. Gnost.* 15. Si quis hanc nostram ex fide superbiberit potionem.

SŬPERBĬENS, entis, particip. *V.* SUPERBIO.

SŬPERBĬFĬCUS, a, um, adject. (superbus *et* facio) superbum faciens, γαυρικοποιός. *Seneca Herc. Fur.* 58. superbifica manu Atrum per urbes ducit Argolicas canem. *h. e.* quæ superbum Herculem facit ob Cerberum vinculis obstrictum et per urbes ductum.

SŬPERBĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. (superbus *et* loquor) elatus atque arrogans sermo, *parlare superbo,* μεγαλῃγορία vel ἀκόλαστος γλῶσσα. *Cic.* 4. *Tusc.* 16. 35. *ex poeta.* Impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera animi-

que impotentiam et superbiloquentiam. *Non.* p. 175. 30. *Merc.* hunc locum, tamquam Ciceronis ipsius verba, recitat.

SŬPERBĬO, is, ivi et ii, ire, n. 4. (superbus) Part. *Superbiens.* — Superbio est excello, extollor, et usurpatur *A)* Sæpius in malam partem, et proprie; et *B)* Aliquando in bonam partem, et translate.

A) Superbio, in malam partem et proprie, est fastu extollor, arrogans sum, insolesco, me jacto, tumeo, ὑπερηφανεύομαι (It. *fare il superbo, gonfiarsi, invanirsi, insuperbire*; Fr. *être orgueilleux ou fier, s'enorgueillir*; Hisp. *ensoberbecer, ensoberbecerse*; Germ. *stolz-, übermüthig sein*; Angl. *to be proud, boast*). ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 29. 94. Si habes quod liqueat, neque respondes, superbis. Alii rectius leg. *superbe.* et *Vulgat. interpr. Eccli.* 10. 9. Quid superbit terra et cinis? Adde *Deut.* 17. 12. et *Ps.* 10. 2. — *b)* Cum addito Abl. rei, qua quis superbit, sine præp. aut cum præp. *de. Ovid. Heroid.* 8. 43. Ille licet patriis sine fine superbiat actis. *Id.* 11. *Met.* 218. Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris. *Id.* 3. *Art. am.* 103. Superbire forma. *Phædr.* 5. 7. Superbiens honore divinæ domus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 59. (122). Ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius. *Claudian. B. Gild.* 73. vulgique superbit Fletibus. *Id. Edyll.* 1. 87. tumidusque regendo Celsa per famulas acies ditione superbit. Adde *Stat.* 7. *Theb.* 704. et *Propert.* 4. 1. 63. *Augustin.* 1. *Civ. D.* 1. Superbire de vita. — *c)* Cum Acc. et præp. *adversus. Id.* 9. *Confess.* 9. 19. Superbire adversus dominos. — *d)* Sequente *quod. Tac.* 1. *Ann.* 19. *extr.* Superbire miles, quod filius legati, orator publicæ causæ, satis ostenderet etc. ¶ 2. Speciatim est contemno, non dignor, *sdegnare*, et construitur cum Infinito. *Stat.* 8. *Theb.* 588. Præterit haud dubium fati et spoliare superbit Œnides.

B) Superbio, in bonam partem, et translate, fere apud Poetas, dicitur de re illustri, pretiosa, nobili. *Propert.* 4. 5. 22. Et quæ sub Tyria concha superbit aqua. — Cum Abl. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 79. radiis auri Tyriaque superbit Majestate torus. *fa superba mostra.* et 3. *Rapt. Pros.* 337. Phlegræis silva superbit Exuviis totumque nemus victoria vestit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 33. (106). *de sarda, gemma.* Hac certe apud Menandrum et Philemonem fabulæ superbiunt.

SŬPERBĬPARTĬENS, entis, particip. ab inusit. *superbipartior*, in duas partes dividens: ita dicitur numerus, qui alterius numeri duas partes præter ipsum in se habet. *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. Si quinarii numeri ad ternarium comparatio consideretur, erit superpartiens ille qui vocatur superbipartiens. Habet enim quinarius totos in se tres et eorum duas partes, idest duo. *et mox.* Si quis duplicet quinque, faciet decem; si tres, faciet sex, qui decem contra senarium comparati superbipartientem faciunt habitudinem. Cf. SUPERPARTIENS et SUPERBITERTIUS.

SŬPERBĬTER, adverb. (superbus) superbe. *Afran.* apud *Non.* p. 515. 10. *Merc.* Illa superbiter imperat. *Næv.* apud *eumd.* p. 516. 1. *Merc.* Superbiter, contemptim conterit legiones. Adde *Enn.* apud *Priscian.* 15. p. 1010. *Putsch.*

SŬPERBĬTERTĬUS, a, um, adject. (super, bis et tertius) numerus dicitur, qui duobus super tribus exuberat. *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. *ad fin.* Cf. SUPERBIPARTIENS.

SŬPERBUS, a, um, adject. Etiam *supervus* pro *superbus* legitur in MSS. Codd., ex usitata litteræ *b* in *v* permutatione. *V.* etiam *Inscr.* ined. in *Mus. Sem. Ven.* in ONOM. — Etymon vocis alii petunt a Gr. ὑπερβάς, supergrediens, transgrediens, vel ὑπέρβιος, immodicus, violentus: alii a Lat. *super* et *ire*, quo spectat *Isid.* 10. *Orig.* 248. «*Superbus* dictus, quia *super* vult videri quam est: qui enim vult supergredi quod est, superbus est»: alii denique a *super* et *habere*, ut *Pseudo-Front.* apud *Popm.* p. 112. «*Superbia* est a superhabendo et est proprie supergradiens mentis elatio». Rectius tamen mihi videtur esse simpliciter a *super*, adjecta terminatione *bus*, ut ab *acer acerbus.* — Comp. *Superbior*; Sup. *Superbissimus.* — Superbus proprie est magnus, excellens: usurpatur autem *A)* Sæpius in malam partem; et *B)* Aliquando in bonam partem.

A) Superbus, in malam partem, est nimis elatus, arrogans, insolens, inflatus, fastosus, ὑπερήφανος (It. *altiero, orgoglioso, invanito, gonfio, superbo*; Fr. *fier, orgueilleux*; Hisp. *altanero, soberbio, orgulloso*; Germ. *hochmüthig, stolz, übermüthig*; Angl. *proud, haughty*).

I.) Proprie. ¶ 1. De homine. — 1.°) Generatim. — *a)* Absolute. *Plaut. Asin.* 2. 4. 64. Non decet superbum esse hominem servum. *Virg.* 12. *Æn.* 236. (et *Lucret.* 2. 1091.) Superbus dominus. *Id.* 3. *ibid.* 326. juvenis. *Id.* 3. *G.* 226. victor. *Id.* 1. *ibid.* 527. gentes frenare superbas. *Sall. Jug.* 34. *a med.* Homines sceleratissumi, nocentissumi iidemque superbissumi. Adde *Auct. B. Afr.* 57. et *Curt.* 7. 1. 34. *Cic.* 8. *Att.* 4. Superbum se præbuit in fortuna, quam putavit nostram fore. *Id.* 7. *Fam.* 13. Utrum superbiorem te pecunia facit, an quod te imperator consulit? *Ovid.* 13. *Met.* 802. laudato pavone superbior. *Tibull.* 2. 5. 48. victoriam vocat Divam superbam: quia, ut ait *Cic. Marcell.* 3. 9. victoria natura insolens et superba est. *Juvenal.* 5. 66. Maxima quæque domus servis est plena superbis. — Ludit in ambiguo *Plaut. Amph.* 1. 1. 201. MERCUR. Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. SO. quonam modo? MERCUR. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *h. e.* instar eorum, qui pedibus ire dedignantes, equo aut curru sublimes feruntur, te fuste adeo contundam, ut ingredi nequiens inter aliorum manus ferare. — *Rex Superbus*, et *Superbus* absolute, est Tarquinius Romanorum rex ultimus. *Cic.* 1. *Tusc.* 16. *ad fin.* et 1. *Rep.* 37. 58. et 2. *ibid.* 15. 28., *Ovid.* 2. *Fast.* 718. et *Liv.* 1. 49. Quamquam etiam Tarquinius Priscus interdum appellatur *Superbus*, ut apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *ad fin.*, de quo eadem narratur historia de Compitalibus, quæ a *Plin.* 36. *Hist. nat.* 27. 70. (204). Tarquinio Prisco tribuitur. — *b)* Cum addito Abl. rei, qua quis superbus est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 59. Superbi viribus. *Horat. Epod.* 15. 17. quicumque es felicior atque meo nunc Superbus incedis malo. *Id. ibid.* 4. 5. Licet superbus ambules pecunia, Fortuna non mutat genus. *Virg.* 5. *Æn.* 268. opibusque superbi Puniceis ibant. *Curt.* 7. 4. 3. Superbus parto regno. — 2.°) Speciatim est sævus, crudelis, *crudele, tiranno. Virg.* 11. *Æn.* 15. Quod superest, hæc sunt spolia et de rege superbo Primitiæ. Cf. *eumd.* 8. *ibid.* 118. Hinc quidam putant nomen *Superbi* inditum *Tarquinio*, de quo *V.* supra et in fin. et ONOM. ¶ 2. De brutis animantibus. *Val. Flacc.* 3. 634. reboatque superbis Comminus ursa lupis. *Martial.* 3. 58. Superbi galli. *Id.* 6. 55. et 9. 12. Superbæ alitis nidus. *h. e.* phœnicis. *Propert.* 2. 18. 59. Superbus pavo.

II.) Translate dicitur de rebus. — *a)* Absolute. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 109. qui Pluribus assuerit mentem corpusque superbum? *Id. ibid.* 6. 87. tangentis male singula dente superbo. *Id.* 1. *Ep.* 1. 68. An qui fortunæ te responsare superbæ Liberum et erectum præsens hortatur etc.? *Virg.* 2. *Ecl.* 15. Superba fastidia. *Id.* 3. *G.* 116. equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus glomerare superbos. *Ovid.* 6. *Met.* 169. Superbi oculi. *Seneca Herc. Fur.* 721. vultus. *Id. Med.* 205. Sceptris superbus quisquis admovit manus. Sic *Agam.* 10. superba sceptra gestare manu. *Val. Flacc.* 7. 66. solitoque superbior ignis Ore fremit. *Cic. Amic.* 14. 50. Non est inhumana virtus, neque superba. *Id. Orat.* 44. 150. Aures, quarum est judicium superbissimum. *h. e.* severissimum. *Id.* 3. *Legg.* 5. 13. Superbum jus. *Propert.* 3. 9. 48. vita. et *ibid.* 23. 35. fastus pati. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 8. verba. *Id. Heroid.* 21. 33. forma. *Tibull.* 1. 9. 80. regna. *Stat.* 1. *Achill.* 279. honor. *Liv.* 9. 12. pax. *Id.* 4. 4. Superbissima lex. — *b)* Cum Abl. *Sil. It.* 14. 388. *de navi.* veloque superba capaci - lento se robore agebat. *Val. Flacc.* 1. 98. jam stare ratem remisque superbam Poscere quos revehat. — *c)* Cum Infinito. *Sil. It.* 3. 374. Sætabis et telas Arabum sprevisse superba Et Pelusiaco filum componere lino. *Id.* 12. 431. Fumabat versis incensa Petilia tectis, Infelix fidei miseræque secunda Sagunto, At quondam Herculeam servare superba pharetram. *Id.* 14. 645. adde ordine longo Innumeras spatioque domos, æquare superbas Rura.

B) Superbus, in bonam partem, accipitur pro insigni, præstanti, illustri, nobili, et qui in re, honesta jure se jactat.

I.) Proprie. *Tibull.* 4. 2. 22. Et testudinea Phœbe superbe lyra. *et ibid.* 4. 2. intonsa Phœbe superbe coma. *Virg.* 1. *Æn.* 25. populum late regem belloque superbum. *Sil. It.* 10. 573. I, decus Ausoniæ, quo fas est ire superbas Virtute et factis animas. Adde 12. 433.

II.) Translate refertur ad res et *superba* dicuntur, quæ sunt illustria, pretiosa, ornata, magnifica. *Virg.* 3. *Æn.* 475. Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo. *Horat.* 1. *Od.* 35. 3. superbos Vertere funeribus triumphos. *Id. Epod.* 2. 7. Forumque vitat et superba Potentiorum limina. *Sil. It.* 11. 435. Superbæ Aoniæ laudes. *et* 5. 77. nomen. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 504. Barbarico postes auro spoliisque superbi. *Val. Flacc.* 3. 9. oneratque superbis Muneribus. *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 26. Et tegit auratos palla superba pedes. *Seneca Agam.* 880. Superbæ exuviæ. *Martial.* 3. 45. *de mensa.* Illa quidem lauta est dapibusque instructa superbis. *Id.* 8. 44. Superba densis arca palleat nummis. *Seneca Herc. Œt.* 569. Superbæ domus. *Catull.* 64. 85. Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas. — *Pira superba* apud *Colum.* 5. *R. R.* 10. *ad fin.* genus pirorum ita dictum, quia, ut ait *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15 *extr.* et *ibid.* 15. 16. *init.*, parva quidem sunt, sed prima adventu et decerpi properantia. — *Herba superba* apud *Apul. Herb.* 23. est chamæmeli. — *Superbæ olivæ* apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 4. (17). sunt crassiores et carnosiores ceteris. — *Superbum Tibur* apud *Virg.* 7. *Æn.* 630. est ornatum (Cf. *Non.* p. 391. 11. *Merc.*) vel potius alto loco situm. *Servius* ad *h. l.*, aut nobile, inquit, aut tangit illud, quod olim Tiburtes, quum postularent a Romanis auxilia sub commemoratione beneficiorum, retulerunt hoc a senatu responsum: Superbi estis. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM. — Hinc absolute, substantivorum more

Superbum, i, n. 2. res superba. — *a)* In malam partem. *Cic.* 2. *Rep.* 22. 39. Reliqua multo major multitudo neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum. *Propert.* 1. 10. 22. Superba loqui. — Cum Infinito. *Cic.* 6. *Verr.* 20. *a med.* Superbum est, et non ferendum, dicere prætorem etc. Cf. 2. *Orat.* 39. 165. Aliud consilium (*instituere*) superbum. *h. e.* violentum, subvertens. — *b)* In bonam partem. *Ovid.* 13. *Met.* 17. Ajaci non est tenuisse superbum, Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulixes.

Superbus, i, m. 2. homo superbus. — *a)* Generatim. *Seneca Med.* 1007. I nunc: superbe, virginum thalamos pete. *Virg.* 6. *Æn.* 854. Parcere subjectis et debellare superbos. *Vulgat. interpr. Eccli.* 11. 32. Sicut eructant præcordia fœtentium, sic et cor superborum. — *b)* Speciatim ita dictus Tarquinius, postremus Romanorum rex, ex moribus, ut ait *Jul. Tol.* apud *Hagen* in *Excerpt.* p. CCXIII. 30., quia superbia utebatur. *Ovid.* 2. *Fast.* 718. Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidiis, dive Superbe, tuis. *V.* sub *A* I. 1. 1.° *a* et 2.°

SŬPERCĀDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERCĀDO, cādis, cĕcĭdi, cādere, n. 3. Part. *Supercadens.* — Supercado est supra cado, *cadere sopra. Augustin.* in *Psalm.* 57. n. 19. Supercadit enim ignis iste, et solem non videbitis. Verba *Vulg. interpr.* sunt: supercecidit ignis et non viderunt solem. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 3.

70. Totius capitis curatio ex illisione aquarum supercadentium, quam Græci κατακλυσμόν appellant. *la doccia*, ἔμβρεγμα.

SŪPERCÆLESTIS *vel* supercœlestis, e, adject. qui supra cælum est, ὑπερουράνιος. *Tertull. Anim.* 23. De supercælestibus sedibus. Adde *Resurr. carn.* 49. *Hieronym.* in *Is.* 24. 6. Supercælestis imago. Adde *ibid.* 57. 15. et *Augustin.* in *Ps.* 67. *n.* 21. — Hinc

Supercælestis, is, m. 3. absolute, dicitur Christus, cui opponitur Adam terrenus. *Hieronym.* in *Is.* 51. 12. Eos cælos, qui portant imaginem supercælestis. *Id. ibid.* 64. 1. Imago supercælestis.

SŪPERCALCO, as, are, a. 1. supra calco, *calcare sopra*, ἐπιστείβω. *Colum.* 12. *R. R.* 39. *a med.* Ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato et item vinum conspergito. *Marcell. Empir.* c. 26. Supercalcare renes dolentes. *h. e.* desuper vel a parte superiore calcare.

SŪPERCĂNO, is, ere, a. 3. insuper cano. *Mar. Victorin.* 1. 16. 4. Epodos est tertia pars aut periodos lyricæ odes. Igitur quæ post στροφήν et ἀντιστροφήν, ἐπῳδόν dicebant: ἐπᾴδειν quidam est supercanere.

SŪPERCĒDO. *V.* SUPERGREDIOR.

SŪPERCERNO, is, ere, a. 3. terram cribro purgatam injicio, ἐπικρίνω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (73). Terraque cribris supercernitur pollicis crassitudine. *Sillig.* leg. *superincernitur.*

SŪPERCERTOR, āris, ari, dep. 1. insuper certo. *Vulgat. interpr. Jud.* v. 3. Deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. — Cl. *Furlanetto* et *Klotz* ponunt *supercerto*, formâ activâ. Sane in nonnullis Codd. ita legitur; rectius tamen deponentium more accipias, quemadmodum Gr. ἐπαγωνίζομαι, quo utitur *Jud.* Sic et *certor* in illo *Eccli.* 11. 9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris. Adde *ibid.* 38. 29. et *Sap.* 15. 9. Cf. etiam *Pacuv.* apud *Non.* p. 473. 14. *Merc.* An quis est, qui te esse dignum, quicum certetur, putet? ubi *certetur* pro *certet* usurpat *Pacuv.*, teste *Non.*; quamquam cum cl. *Corradinio* puto, *Nonium* falso existimasse ibi deponentis formâ adhiberi. *V.* CERTO *init.*, ubi loca ex *Vulgat. interpr.* etiam pro forma dep. sunt inserenda.

SŪPERCĬDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŪPERCĬDO, is, ere, n. 3. Part. *Supercidens.* — Supercido est idem ac supercado, *cadere sopra. Gloss. Lat. Gr.* Supercido, ὑπερπίπτω. *Colum.* 4. *R. R.* 9. Aqua supercidens. Sed *V.* SUPERINCIDO.

SŪPERCĬLIŌSUS, a, um, adject. (supercilium) Comp. *Superciliosior.* — Superciliosus est supercilia adducens, severus, austerus, *chi ha sopracciglio, cipiglioso, severo*, ὑπέροφρυς. *Seneca Ep.* 123. *a med.* Istos tristes et superciliosos alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris. *Capell.* 8. *p.* 273. Me censorio clangore superciliosior increpabas. — *Arnob.* 1. *p.* 8. Superciliosa nimium res est, quum ipse sis non tuus, potentioribus dare condicionem velle. *h. e.* superba.

SŪPERCĬLĬUM, ii, n. 2. (super et cilium pars inferior frontis eminens et pilosa, supra cilia, *h. e.* palpebras, sita et ad oculi protectionem adversus ea, quæ superne incidere possunt, velut vallum a natura facta, ἐπισκύνιον, ὀφρύς (It. *ciglio, sopracciglio*; Fr. *sourcil*; Hisp. *ceja*; Germ. d. *Augenbraunen*; Angl. *a brow or eye-brow*).

I.) Proprie. *Paul. Diac.* p. 43. 3. *Müll.* Cilium est folliculus, quo oculus tegitur, unde fit supercilium. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Supercilia homini et pariter et alterne mobilia et in iis pars animi. Negamus, an annuimus? Hæc maxime indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. *Quintil.* 11. 3. *ante med.* Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino aut nimium mobilia, aut inæqualitate dissident, aut contra id, quod dicimus, finguntur. Ira enim contractis, tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur. annuendi quoque et renuendi ratione demittuntur aut allevantur. *et paullo supra.* Multum et superciliis agitur. nam et oculos formant: aliquatenus et fronti imperant. his contrahitur, attollitur, demittitur. *et rursus.* Altero erecto, altero composito est supercilio. *Id.* 1. 11. 10. Vidi multos, quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur: aliorum constricta: aliorum etiam dissidentia, quum altero in verticem tenderent, altero pæne oculus ipse premeretur. *Cic. Pis.* 6. *extr.* Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. *Id.* 1. *Off.* 41. 146. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione aut contractione facile judicabimus etc. *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Caput et supercilia penitus abrasa. *Virg.* 8. *Ecl.* 34. Hirsutumque supercilium etc. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 100., *Lucret.* 6. 1184., *Ovid.* 3. *Art. am.* 201. et 2. *Amor.* 5. 15. *Ammian.* 16. 10. 12. Supercilium arduum. *Ovid. Heroid.* 17. 16. Nec sedeo duris torva superciliis. *Capell.* 5. *p.* 178. Nec nimium gravioribus superciliis premendi oculi. — *Supercilium salit*, proverbio dicitur, quoties bona quædam spes est, quippiam processurum, quod optamus: sumptum a superstitione vulgi, boni augurii loco habentis, si membrum aliquod sine evidenti causa moveatur, si dexter oculus subsiliat, si dextra auris tinniat. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 102. Spero, alicunde me - Tibi inventurum esse auxilium argentarium. atque id futurum unde dicam, nescio, Nisi quia futurum est: ita supercilium salit. Cf. *Scalig.* ad *h. l. V.* SALISATOR. — Pars formæ est supercilia habere minimo discrimine distincta. *Petron. Sat.* 126. *a med.* Nulla vox est, quæ formam ejus possit comprehendere. Crines ingenio suo flexi; frons minima: supercilia usque ad malarum scripturam currentia et rursus confinio luminum pæne permixta. *Ovid.* 3. *Art. am.* 201. Arte, supercilii confinia nuda repletis. *Claudian. nupt. Honor. et Mar.* 267. Quam juncto leviter sese discrimine confert Umbra supercilii! *Juvenal.* 2. 93. Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu. *V.* PYXIS, ubi et de fuco diximus, quo supercilia tingebant. — *Festus p.* 305. 10. *Müll.* et *Varro* 5. *L. L.* 69. *Müll.* docent supercilia in Junonis tutela a mulieribus putata fuisse, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuit Juno: unde ipsa dea Lucina quoque dicta videtur.

II.) Improprie et a similitudine ¶ 1. Dicitur pars eminens et propendens cujuscumque rei, crepido, *ciglione, altezza, sommità. Virg.* 1. *G.* 108. supercilium clivosi tramitis. *Liv.* 34. 29. *ad fin.* Supercilium tumuli. *Id.* 27. 18. *circa med.* Ad levem armaturam infimo stantem supercilio ducit. *Auct. B. Afr.* 58. Supercilium quoddam excelsum nacti, ibi consistunt. *Ammian.* 14. 10. *ante med.* Ventum est ad supercilia fluminis Rheni. *h. e.* ripas et margines altiores aggerum, inter quos Rhenus fluit. Adde 17. 9. ¶ 2. Simili sensu supercilium usurpant rei agrariæ scriptores, *Siculus Flacc.* p. 4. et 7., *Frontin. de limit.* p. 40. *Goes.*, nempe de loco editiore, sive collis sit, sive tumulus, sive agger, qui pro agri termino sit. ¶ 3. Ab architectis sic dicitur parvum membrum coronæ, puta quadra sive regula aliquantum eminens et propendens. *Vitruv.* 3. 3. *ante med.* Una pars fiat, cum suis astragalis et supercilio, superior trochilus. *listello sopra il cavetto della cornice.* et 4. 6. Supercilii altitudo, quanta antepagmentorum in summa parte erit crassitudo. *et infra.* Ancones sive prothyrides vocentur, exsculptæ dextra ac sinistra præpendeant ad imi supercilii libramentum, præter folium. ¶ 4. *Supercilium Veneris*, dicta est herba millefolium, teste *Apul. Herb.* 88. ¶ 5. *Supercilium terræ*, est item herba eadem quæ polytrichon, apud *eumd. ibid.* 52.

III.) Translate per metonymiam ¶ 1. Est pro nutu. *Horat.* 3. *Od.* 1. 7. imperium Jovis Cuncta supercilio moventis. Cf. *Homer. Il.* 1. κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Sic *Catull.* 64. 204. et *Virg.* 9. *Æn.* 106. *Claudian. epist.* 2. 57. Saltem absens, regina, fave, reditusque secundos Annue sidereo læta supercilio. ¶ 2. Ponitur etiam pro fastu et superbia, gravitate, severitate, *sostenutezza, superbia, gravità, severità, sopracciglio. Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Hunc Capuæ Campano supercilio ac regio spiritu quum videremus, Magios, Blosios mihi videbar videre. *Id. in Senat.* 7. 16. Vos populumque R. non consilio neque eloquentia, sed rugis supercilioque decepit. *Id. Sext.* 8. *a med.* Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reipublicæ videbatur. tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio respublica, tamquam Atlante cælum, niti videretur. *Id. Prov. cons.* 4. *a med.* Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia, contegebat. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 8. *init.* Supercilio stuporem suum ædificant Marcionitæ. Cf. *Virg. Cop.* 34. Ah pereat, cui sunt prisca supercilia. et *Horat.* 1. *Ep.* 18. 94. Deme supercilio nubem. τὸ τῶν ὀφρύων νέφος. *Id. Cic. Pis.* 9. 20. dixit *frontis nubecula.* et *Martial.* 1. 5. Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos, Terrarum dominum pone supercilium. *et* 11. 2. Triste supercilium durique severa Catonis Frons. *Seneca* 2. *Benef.* 4. Beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt. *Juvenal.* 6. 166. Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium et numeras in dote triumphos. *et* 5. 61. sed forma, sed ætas Digna supercilio. *h. e.* merito superbit, quæ interpretatio ex sequentibus apparet. ¶ 3. *Tollere supercilium* apud *Catull.* 67. 46. est hominis irascentis. *far cipiglio.* Sic *Tertull. advers. Hermog.* 27. Supercilia capitis altius tollens. *Alii aliter leg.* Cf. *Varron.* et *Turpil.* apud *Non.* p. 399. 30. *Merc.* Subducere supercilia.

SŪPERCINGO, is, ere, a. 3. e parte superiore cingo, *cingere di sopra. Augustin.* 2. *Quæst.* 2. in *Heptat.* 177. Et facies vela capillacia operire super tabernaculum, id est quæ venirent super, non a parte tecti, sed supercingendo. Cf. *Exod.* 26. 7.

SŪPERCĬNO, is, ere, a. 3. insuper cano, supercano. *Mar. Victorin.* 1. *Art. grammat.* p. 2502. *Putsch.* Hæc brevia cola vel hymnis vel dithyrambis supercini moris est, quæ epodicis carminibus, si quando præponuntur, προύμνια; si autem post antistrophon collocentur, μεθύμνια nuncupabuntur.

SŪPERCLAUDO, is, ere, a. 3. supra claudo. *Liv.* 37. 27. *ad fin.* A mari rupes exesæ fluctibus superclaudunt. Alii rectius leg. *A mari exesæ fluctibus rupes claudunt.*

SŪPERCŒLESTIS. *V.* SUPERCÆLESTIS.

SŪPERCOMPELLO, is, ere, a. 3. insuper compello. *Cod. Theod.* 7. 20. 2. Publicani quoque, ut solent agentibus supercompellere. Alii leg. *super pellere.*

SŪPERCOMPŌNO, is, ere, a. 3. super aliquid compono, colloco. *Apic.* 4. 2. *a med.* Cæpas concides in patinam, et pisces supercompones.

SŪPERCOMPRĔHENDO, is, ere, a. 3. insuper comprehendo. *Vulg. interpr. Ital. Marc.* 2. 21. Nemo plagulam panni rudis supercomprehendit in vestimentum vetus. *Noster* habet *assuit.*

SŪPERCONCĪDO, is, ere, a. 3. supra concido, *tagliare sopra. Apic.* 5. 5. *extr.* Colliculorum minutias superconcidito.

SŪPERCONTĔGO, tĕgis, texi, tĕgere, a. 3. a superiore parte contego. *Cels.* 4. 1. *ante med.* Renes tunicis superteguntur. *Sil. It.* 16. 42. supercontexere herbida lapsos Pondera.

SŪPERCORRŬO, rŭis, rŭi, rŭere, n. 3. cado super aliquid, *cadere sopra*, ἐπιπίπτω. *Val. Max.* 5. 6. *n.* 5. Factaque ingenti strage talis obrutus supercorruit.

SŪPERCRĔĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *supercreo*, adnatus, adventicius, ἐπιγενόμενος. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 125. Supercreata humoris infusio.

SŪPERCRESCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŪPERCRESCO, crescis, crēvi, crescere, n. 3. Part. *Supercrescens.* — Supercresco est super

aliquam rem cresco seu innascor, *crescere di sopra*, ἐπιφύομαι.

I.) Proprie. *Cels.* 5. 28. *n.* 2. *sub fin. de carcinomate.* Si id nimium supercrevit, tentanda squama æris est. *et ibid.* 22. Carnem supercrescentem exedere. Adde *Jul. Val.* 3. *res gest. Alex. M.* 29. et *Marcell. Empir.* c. 34.

II.) Translate. *Quintil. Declam.* 5. 14. *in fin.* Excogitasti, fortuna quod supercresceret caritati. — Cum Acc., transitivorum more. *Augustin.* 1. *contr. Acad.* 1. Potestates, quæ municipalem habitum supercrescerent.

SŬPERCRISTĀTUS, a, um, adject. qui supra habet cristam, ὑψίλοφος. *Coripp.* 8. *Joann.* 480. Belliger ipse supercristata casside celsus.

SŬPERCŬBO, as, āvi, are, n. 1. superjaceo, super dormio, *giacere o stare sopra*, ἐπίκειμαι. *Colum.* 7. *R. R.* 4. Perforatis tabulis, quibus ovilia consternuntur, ut grex supercubet. *Apul.* 6. *Met.* Credemus, etiam Europam tauro supercubasse.

SŬPERCURRENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERCURRO, is, ere, n. 3. Part. *Supercurrens.* — Supercurro est supra curro, insequor.

I.) Proprie. *Veget.* 3. *Milit.* 20. Detrudendo atque supercurrendo ad hostium terga pervenire. Adde *Vitruv.* 9. 4., ubi tamen *Rose* leg. *subtercurrentes.*

II.) Translate. *Plin.* 7. *Ep.* 18. Ager ipse propter id, quod vectigal large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet. *di gran lunga sopravanza.* et *Alcim. Ep.* 78. Licebit supercurrenti ingenio vestro terminos præscriptæ demandationis excedere. Adde *Mar. Victorin. præf.* in *Gen.* 118.

SŬPERDĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERDO.

SŬPERDĔLĬGO, as, are, a. 1. Part. *Superdeligandus.* — Superdeligo est supra ligo, *legare sopra. Cels.* 7. 7. *n.* 8. *ad fin.* Spongia ex aqua frigida expressa superdeliganda est.

SŬPERDESTILLANS, antis, particip. ab inusit. *superdestillo*, guttatim infundens. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. 18. Superdestillantes liquefactam calcem.

SŬPERDĪCO. dīcis, dixi, dīcere, a. 3. dicendo adjicio. *Ulp. Dig.* 12. 2. 13. *in fin.* Si quis juraverit per genium principis et pejeraverit, imperator rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti et ita ei superdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε. Alii leg. *superindici.* Apud *Cic.* 2. *Legg.* 21. *circa med.* alii *superdicebant* leg., alii divisim *super dicebant*, alii rectius *superiores dicebant.* Attamen vocis usum confirmant sequioris ætatis scriptores, ut. *Vulgat. interpr.* 4. apocr. *Esdr.* 7. 29. Superdixerunt Altissimo non esse.

SŬPERDĪMĬDĬUS, a, um, adject. idem ac sesquialter: huic opponitur subdimidius. *Capell.* 7. *p.* 251. Ubi inter majores minoresque numeros ratio membrorum est, major aut superdimidio vincit, quem ἡμιόλιον, aut supertertio, quem ἐπίτριτον, aut superquarto, quem ἐπιτέταρτον Græci vocant: et sic ad superquintum, supersextum ulterioresque ratio procedit. Superdimidius est, qui ipsum aliquem numerum et dimidium ejus habet. *et mox.* Superdimidii rationem habent tria ad duo.

SŬPERDO, das, dătum, dăre, a. 1. Part. *Superdatus* et *Superdandus.* — Superdo est super addo, super impono, *porre sopra. Cels.* 5. 28. *n.* 3. *ad fin.* Superdanda cum melle vel linamenta vel oleæ folia vel marrubium. *Id.* 8. 7. *a med.* Foveri debere per spongiam, eademque, quæ primo foverant, superdari. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 61. In iis, qui sufficienter sumpserint, nihil erit omnino superdandum. — *Id.* 3. *Acut.* 17. *a med.* Praxagoras dat etiam radices circa vesperam comedendas, prædato aut superdato oleo. *h. e.* postea dato.

SŬPERDŎMĬNOR, āris, ari, dep. 1. valde dominor. *Rufin.* ex *Orig. select.* in *Ps.* 118. *v.* 133. Mente peccantis dominari dicitur injustitia; opere prævaricantis, superdominari. Vel forte paullulum peccantium dominatur iniquitas, plurimum vero peccantium, superdominatur.

SŬPERDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. Part. *Superductus* I. 1. et 2.; *Superducendus* I. 3. — Superduco est supra duco, ἐπάγω: construitur autem cum Acc., cui etiam additur Dat. vel Acc., et præp. *super*, personæ aut rei, cui quid superducitur.

I.) Proprie ¶ 1. Generatim. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 3. 32. Translatio a marmorariis, qui juncturas marmorum tum demum perfectas dicunt, si unguis superductus non offendat. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. *ante med.* Sub umbra palmitis, quam pampinus superducta tenuerat. *Cassiod.* in *Psalm.* 103. *v.* 6. Superducto diluvio. ¶ 2. Speciatim *superducere* novercam pater tum dicitur, quum, priore uxore mortua, filiis prioris matrimonii novercam inducit. *Quintil.* in *argum. Declam.* 381. Quidam filio superduxit novercam, et ex ea aliam filiam suscepit. *Capitolin. M. Aurel. in fin.* Concubinam sibi adscivit, ne tot liberis superduceret novercam. *Donat.* in *Ter. Eun. prol.* 9. Noverca superducta adulescenti. *h. e.* in alterius locum suffecta. Cf. illud *Vulgat. interpr. Eccli.* 36. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. ¶ 3. In illo *Cod. Theod.* 8. 5. 53. Qui, vel per unam mutationem, veredum mulamve aut bovem superducendum esse crediderit etc. *superducendum* est *insuper adducendum.*

II.) Translate. *Jul. Val.* 2. *res gest. Alex. M.* 17. Sagittis gentem Persidos superduxisse captivitatibus Græciæ. Adde *Vulgat. interpr.* 2. *Petr.* 2. 1. *Cyprian. De laps.* 20. Et superduxit super eos iram animationis ejus.

SŬPERDUCTĬO, ōnis, f. 3. (superduco) actus superducendi. *Ulp. Dig.* 28. 4. 1. Si novissime fuerit adscriptum (*in testamento*), Lituras, inductiones, superductiones ipse feci.. *Torrentin.* et *Gothofred.* habent *superinductiones*; at *Mommsen* nihil mutat. *V.* INDUCTIO.

SŬPĔRĒDĬTUS, a, um, adject. ex particip. plus quam editus, *alto. Lucret.* 5. 707. *de luna.* Atque oriens obitus ejus (*solis*) superedita vidit. *Lachmann.* leg. divisim *super edito.*

SŬPĔRĔDO, ĕdis, ēdi, ēdere, a. 3. post cibum assumptum allium superingero, rursus edo, *mangiare dopo*, ἐπιφάγω. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (113). Menander e Græcis auctor est, allium edentibus, betæ radicem in pruna tostam si superederint, odorem exstingui. Adde *Gloss. Gr. Lat.*

SŬPĔREFFĔRO, fers, tŭli, ferre, a. anom. supra effero vel extollo. *Augustin.* in *Ps.* 40. Si superextuleris te tamquam glorians de meritis tuis.

SŬPĔREFFĬCĬO, is, ere, a. 3. supra facio vel constituo. — *a*) Transitive. *Isid.* 7. *Orig.* 12. 11. Episcopatus autem vocabulum inde ductum, quod ille, qui superefficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. — *b*) Neutrorum more est supra cresco. *Ambros.* in *Psalm.* 118. *serm.* 14. *n.* 9. Si ad mensuram teneris, vide, ne superefficiant ipsæ mensuræ, ne superefluant etc.

SŬPĔREFFLŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔREFFLŬO, is, ere, n. 3. Part. *Supereffluens.* — Supereffluo est supra effluo.

I.) Proprie. *Val. Flacc.* 4. 668. fluctuque coacto Angitur et clausum scopulo supereffluit æquor. *Alii rectius leg.* scopulos super effluit humor.

II.) Translate est superabundo, *soprabbondare, essere superfluo. Paulin. Nolan. carm.* 55. 511. Quidquid, inique, ubi nullo supereffluit usu. *Inscript.* apud *Murat.* 1772. 8. Supereffluens pecunia. Adde *Ambros. loc. cit.* in SUPEREFFICIO, *Claud. Mamertin.* 1. *Stat. anim.* 21. 4. et *Vulgat. interpr. Luc.* 6. 38. — Figurate. *Ambros.* in *Luc.* 5. § 34. Legi supereffluit doctrina Christi. *h. e.* excellit.

SŬPĔREFFUNDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔREFFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. Part. *Supereffundens.* — Supereffundo ¶ 1. Transitive est extra fundo copiose. *Rufin.* ex *Orig. hom.* 12. in *Num.* 1. Bibe aquas de tuis vasis *etc.* et non supereffundantur tibi aquæ extra tuum fontem. — *Virg.* 5. *Æn.* 482. Ille super tales effudit pectore voces. *tmesis*, ut videtur. ¶ 2. Neutrorum more est supra aut valde effundo. *Vulg. interpr. Ital. Luc.* 6. 38. Mensuram supereffundentem dabunt in sinum vestrum. Sic *Hieronym.* in *Is.* 14. 17.

SŬPĔREGRĔDĬOR, dĕris, di, dep. 3. supra egredior, *sorpassare*: occurrit autem cum Acc. vi præpositionis, quæ inest verbo. *Ambros. Ep.* 6. Superegrediamur plebejas opiniones.

SŬPĔRĔLĔVĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *superelevo*, supra elevatus. *Hieronym.* in *Is.* 49. *in fin.* Ut in passione (*Christus*) superelevatus, crucifigentibus benediceret. Cf. *Joh.* 3. 14. et 12. 32.

SŬPĔRĒMĪCO, as, are, n. 1. ex superiore parte emico, supra tollo.

I.) Proprie. — *a*) Intransitive. *Mall. Theod. De metr.* 7. 6. Nivibus superemicat Ætna. Alii leg. *nubibus.* — *b*) Transitivorum more, cum Acc. *Sidon. carm.* 15. 75. Hinc fieri, ut terram levior superemicet unda. *h. e.* supra terram se extollat.

II.) Translate est super salio, *balzare sopra. Id.* 9. *Ep. ante med.* Si excussura quemcumque catulorum Parthi collo raptoris pede volatico tigris orbata superemicet.

SŬPĔRĒMĬNENS, entis, particip. *V.* SUPEREMINEO.

SŬPĔRĒMĬNENTĬA, æ, f. 1. (supereminoo) superior eminentia. *Augustin. Serm.* 40. *de Temp. circa med.* Supereminentiæ Dei non competere intelligat. Adde *eumd.* in *Ps.* 14. *n.* 1. et *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 25.

SŬPĔRĒMĬNĔO, es, ere, n. 2. Part. *Supereminens.* — Supereminoo est supra alios emineo. ¶ 1. Intransitive. *Colum.* 12. *R. R.* 47. Ut olivæ premantur et jus supereminoat. Adde *Augustin.* in *Ps.* 51. *n.* 10. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 33. (50). Herba paullum supereminens extra aquam. *V.* SUPERIMMINENS. *Sillig.* leg. *semper eminens.* et *Gell.* 9. 9. Gaudia quasi in summo pectore supereminentia. ¶ 2. Transitivorum more, cum Acc. ob præpos., quæ in ipso verbo inest. *Virg.* 6. *Æn.* 857. victorque viros supereminet omnes. *Id.* 10. *ibid.* 765. humero supereminet undas. Adde *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 49. — Hinc Part. præs.

Supereminens, entis, etiam adjective occurrit; unde Comp. *Supereminentior*; Sup. *Supereminentissimus.* — Supereminens est supra eminens, excellens, *sovrastante, sovreminente, sovreccellente. Priscian.* 18. *p.* 139., 142., 144. *K.* Supereminentia verba. *Vulgat. interpr. Eph.* 1. 19. Quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos. *Augustin. De catech. rud.* 8. Supereminentior via. *Id.* in *Psalm.* 85. *n.* 1. Supereminentissima et excedens omnia creaturarum sublimis divinitas Filii Dei.

SŬPĔRĒMŎRĬOR, rĕris, ri, dep. 3. supra emorior, *morire sopra. Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (4). *de phœnice.* Senescentem casiæ turisque surculis construere nidum, replere odoribus et superemori.

SŬPĔRĒNĂTO, as, are, 1. supra nato. *Lucan.* 4. 133. tumidum superenatat amnem. Alii divisim leg. *super enatat.* Adde *Alcim.* 4. 240.

SŬPĔRĒNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *superenascor*: supra natus, *nato sopra. Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 15. (45). Superenato caule. *Sillig.* supernato.

SŬPĔRĔO, is, ire, n. anom. supra gredior. — Cum Acc., transitivorum more. *Lucret.* 3. 1045. Ac pedibus siccis docuit superire lacunas. Alii leg. *superare.* alii rectius divisim *super ire.* Cf. *Lachmann.* ad *Lucr. p.* 205.

SŬPĔRĒRECTUS, a, um, particip. ab inusit. *supererigo*, supra erectus. *Ammian.* 20. 3. 9. Quum luna velut e perpendiculo supererectum gerit colem. At *Gardthausen* rectius leg. *superjectum.*

SŬPĔRĒRŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. (supererogo) actus supererogandi. *Quintil. Declam.* 3. et 6.

SŬPĔRĒRŎGO, as, āvi, are, a. 1. aliquid supra id, quod debeo, erogo, seu largior, aut condono. *Imp. Alex. Cod.* 2. 19. 14. Si quid forte

supererogasti. Adde *Augustin.* 1. *Confess.* 4. et *Vulgat. interpr. Luc.* 10. 35.

SŬPĔRESCIT *V.* SUPERSUM.

SŬPĔRESSENTĬĀLIS, e, adject. maxime essentialis. *Cyprian. De Sp. S. sub init.* Superessentialis naturæ altitudo. Ita *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 283. Sed hoc opus *Cypriano* abjudicatur; usus tamen vocis firmatur a *Ps.-Cassiod. De amic.* 20. Rerum superessentiale principium.

SŬPĔRĒVŎLO, as, are, n. 1. supra volo, *sorvolare.* — Cum Acc., transitivorum more. *Lucan.* 3. 299. Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem. *h. e.* celeriter ac raptim transcendit.

SŬPĔREXACTĬO, ōnis, f. 3. exactio ultra debitum vel nova exactio, *sovraimposta. Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 10. 20. 1. Si quis exactorum in superexactionis crimine fuerit confutatus, capitali periculo etc. *Cod.* 12. 58. 1. Omnes stationarii neque superexactionem audeant neque carcerem habeant. *V.* ejusd. *Cod.* 10. *tit.* 20. De superexactionibus.

SŬPĔREXĀLTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔREXALTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Superexaltatus.* — Superexalto est in altum attollo, *sovrinnalzare.* ¶ 1. Transitive. *Augustin.* 3. *Confess.* 2. Deo superexaltato in omnia sæcula. *Vulg. interpr. Ital.* apud *Gelas. tract.* 3. *n.* 33. ex *Phil.* 2. 9. Deus eum superexaltavit. Adde *Nostr. Psalm.* 36. 35., *Dan.* 3. 52. etc. ¶ 2. Intransitive. *Vulg. interpr. Ital.* apud *Augustin. De perf. justit.* § 34. Superexaltat misericordia judicio. *la vince su o sopra,* præstat.

SŬPĔREXCĒDO, is, ere, a. 3. supra vel ultra excedo. *Augustin. Specul.* 6. Qui circumplecteris omnia, superexcedis omnia. — Absolute *ibid.* Sustinendo superexcedis et superexcedendo sustines. V. *Paucker* in *Spic. Add. p.* 169.

SŬPĔREXCELLENS, entis, particip. ab inusit. *superexcello,* qui excellit super alios. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 18. Quarum (*rerum*) tibi non usum tantummodo Dominus, sed augmentum, etiam et superexcellentem cumulum pollicetur.

SŬPĔREXCURRO, is, ere, n. 3. supra aliquid excurro, *scorrere o stendersi sopra. Ulp. Dig.* 43. 27. 1. Si arbor alienis ædibus impendeat, utrum totam arborem jubeat prætor adimi, an vero id solum, quod superexcurrit.

SŬPĔREXĔO, is, ire, n. anom. supra exeo. — Translate. *Auson. Edyll.* 18. 1. Ter binos deciesque novem superexit in annos. *h. e.* procedit ad annos nonaginta sex.

SŬPĔREXHAUSTUS, a, um, particip. ab inusit. *superexhaurio,* maxime exhaustus. *Scholiast.* in *Juvenal.* 9. 57.

SŬPĔREXĬGO, is, ere, a. 3. insuper exigo. *Imppp. Gratian. Valent. et Theodos. Cod.* 1. 55. 4. Superexigendi damna vel spolia plus petentium ab iis, quos liberorum loco tueri debes, excludas.

SŬPĔREXSTO *vel* superexto, as, are, n. 1. ¶ 1. Est supra exsto vel extollor. *Gloss. Lat. Gr.* Superexsto, ἀναφαίνομαι. ¶ 2. Est etiam supersum. *Venant.* 7. *carm.* 12. 18. Occubat Hyppolitus nec superexstat Adon.

SŬPĔREXSULTO, as, are, n. 1. vehementer exsulto. *Cassiod. Complex.* ad *ep. Jac.* 5. Quando fit misericordia, superexsultat sine dubitatione judicio. Adde *Augustin.* 21. *Civ. D.* 27. — Tribuitur et *Symmach.* 5. *Ep.* 92. (*al.* 94.); ubi tamen alii codices habent *exsulto.*

SŬPĔREXTENDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔREXTENDO, tendis, tendi, tendere, a. 3. Part. *Superextendens* I. — Superextendo est supra extendo, *estendere sopra,* ὑπερεκτείνω.

I.) Proprie. *Venant.* 10. *carm.* 6. 40. Se superextendens, effugat arma necis. *Vulgat. interpr. Ezech.* 37. 5. Superextendam in vobis cutem.

II.) Translate. *Id.* 2. *Cor.* 10. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos; *non travalicammo voi, o il vostro paese, senza arrivare a voi.*

SŬPĔREXTOLLO, is, ere, a. 3. supra extollo, *alzare sopra gli altri. Tertull. Resurr. carn.* 24. ex 2. *Thessalon.* 2. 3. Adde *Commodian. Carm. apol.* 28. *Vulgat. interpr. Ps.* 71. 16. Superextolletur super Libanum fructus ejus. *h. e.* præstabit arboribus Libani, *sc.* erit pulcherrimus et copiosissimus.

SŬPERFĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, a. anom. Part. *Superlatus.* — Superfero est supra aliquid fero vel sursum effero, elevo, *portare sopra o in alto.*

I.) Proprie — *a*) Est supra aliquid fero. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 25. (58). Pisces superferuntur. *h. e.* supernatant. Adde *Tertull. Baptism.* 4. et *Apul de Mundo, extr.* — *b*) Est etiam sursum effero, elevo. *Val. Max.* 8. 6. *n.* 2. Ad auxilium servorum pileo superlato confugit. *Alii leg.* sublato. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (103). Sinistrum pedem hyænæ superlatum parturienti letalem esse. Adde 33. *ibid.* 4. 25. (84).

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores *superlata nomina* aut *verba* dic intur, quæ augendi causa in oratione proferuntur. *Cic. Partit.* 15. 53. Illustris autem oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur ac translata et superlata et ad nomen adjuncta et duplicata. Intelligere videtur *Cic.* voces hyperbolicas. Adde *Quintil.* 8. 3. *circa med.* ¶ 2. Apud Grammaticos dicitur de gradibus. *Serg. Expl.* in *Donat. p.* 512. 35. *Keil.* Si augere volumus, dicamus magis mane; si superferre, maxime mane. ¶ 3. Pro differo, apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (133). Sed si castoreum fibrumve supergrediatur gravida, abortum facere dicitur, et periclitari partus, si superferatur.

SŬPERFĒTO *vel* superfœto, as, are, n. 1, super concipio, post fetum conceptum in utero alium concipio, *concepire sopra,* ἐπικυέω. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (179). Dasypodes omni mense pariunt et superfetant, sicut lepores. Adde 7. *ibid.* 11. 9. (48).

SŬPERFĬCĬĀLIS, e, adject. (superficies) ad superficiem pertinens (It. *superficiale;* Fr. *relatif aux surfaces;* Hisp. *superficial;* Germ *oberflächlich;* Angl. *superficial*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Aggen. Urb. De agr. qualit. p.* 3. 16. *Lachm.-Rud.* Superficiales qualitates. ¶ 3. Speciatim de numeris. *Cassiod. Arithm.* Superficialis numerus est, qui non solum longitudine, sed et latitudine continetur, ut trigonus, quadratus, quinqueangulus, circularis et ceteri, qui semper in superficie continentur.

II.) Translate. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 28. Incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrans.

SŬPERFĬCĬĀRĬUS, a, um, adject. (superficies) qui ad superficiem refertur, ἐπιπολαῖος, ut *Superficiariæ ædes,* quæ in conducto solo positæ sunt, quarum proprietas et civili et naturali jure ejus est, cujus est solum: *Superficiaria prædia,* quæ in conducto solo certa pensione annua habentur. *Seneca Ep.* 88. *a med.* Non est ars sui juris, cui precarium fundamentum est. Philosophia nil ab alio petit: totum opus a solo excitat. Mathematica, ut ita dicam, superficiaria est: in alieno ædificat, aliena accipit principia. *Ulp. Dig.* 10. 2. 10. Item prædia, quæ nostri patrimonii sunt: sed et vectigalia vel superficiaria etc. — Hinc

Superficiarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, quinam sit, docet *Paul. Dig.* 6. 1. 74. Superficiarius, id est, qui in alieno solo superficiem ita habet, ut certam pensionem præstet, *et ibid.* 39. 2. 18. Superficiarius, qui in conducto solo superficiem imposuit. *Ulp. ibid.* 1. 3. Si ego superficiarius sim, et opus novum fiat vicino. Adde *ibid.* 43. 17. 3. *a med.*

SŬPERFĬCĬENS, entis, particip. ab inusit. *superficio,* superfluens, redundans. *Ulp. Dig.* 39. 3. 1. *ante med.* Aquam pluviam in suo retinere vel superficientem ex vicini in suum derivare. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.* recte cum recentioribus; at *Haloand.* superfluentem.

SŬPERFĬCĬES, ēi, f. 5. (super et facies) In plur. num. *Dig. titul.* 27. *l.* 48., qui *de superficiebus* inscribitur. — Superficies est pars superior vel summa alicujus rei, aut quidquid super faciem alicujus rei est vel fit vel exstat, ἐπιφάνεια, τὸ ἐπιπολῆς (It. *parte superiore, sommità;* Fr. *sommet, la partie supérieure, le dessus, surface;* Hisp. *la parte superior, sobrefaz;* Germ. *der obere Theil ein. sache, das Obertheil, die Oberfläche;* Angl. *upper part, superficies*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (91). *et ibid.* 24. 28. (109). et 9. *ibid.* 10. 12. (35). Testudinum superficie familias habitantium contegi: tanta reperiri magnitudine. *h. e.* testa superiore. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (89). Superficies sardonychum locustarum maris crustis rubentior. — In arboribus et plantis est id, quod supra terram crescit atque exstat: et opponitur radici atque imo trunco. *Colum.* 4. *R. R.* 11. Omnem superficiem amputabant solo tenus juxta ipsum articulum, ut e duro pullularet. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (130). Quorumdam radix vivacior superficie, ut lauri. itaque quum trunco inaruit, recisa lætius fruticat. *Id.* 19. *ibid.* 4. 19. (57). *de horto.* Is in solo sponsor est, et sub dio reditus superficiesque cælo quocumque gaudens. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ante med.,* ubi de allio agit. — In candelabris est pars summa, in qua candela infigitur, Itali *tazza* dicunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (11). Ægina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. ¶ 2. Speciatim est cacumen, *cima. Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (101). *de insitione.* Aufertur serra æqualiter superficies, lævigatur falce truncus. *et ibid.* 19. 30. (138). Fico adepta vires, detruncata superficie etc. (*Columellæ* locus est 5. *R. R.* 11. *ad fin.,* quo hæc verba *Plinii* illustrantur) *Id.* 13. *ibid.* 8. 16. (59). Ficus plantigera imis partibus: et ideo superficie flavescens, sucum auferente subole. ¶ 3. *Superficies ædis,* superior facies, h. e. tectum. *Id.* 34. *ibid.* 3. 7. (13). Vestæ quoque ædem ipsam Syracusana superficie tegi placuisse. *h. e.* columnis et tecto ad rationem Syracusanam (fortasse Archimedis) constructo. *Gloss. Philox.* Ὑπερῷον, superficies, cenaculum, pergula. ¶ 4. *Superficies aquæ* est aqua super solum fusa. *Colum.* 8. *R. R.* 15. *ante med.* Solum stagni lapidibus inculcatis ac tectorio muniendum est, ne possit herbas evomere præbeatque nantibus aquæ puram superficiem. ¶ 5. A JCtis *superficies* dicitur, quidquid solo impositum est et supra terram exstat, ut arbor, planta, vinea etc., sed præsertim ædificium. Horum possessor *superficiarius,* et ipsa res *superficiaria* ab iisdem vocatur. V. *Dig. tit.* 17. *lib.* 48. *Cic.* 4. *Att.* 1. *ad fin.* De domo nostra nihil adhuc pontifices responderant. qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus; superficiem consules ex senatusconsulto æstimabunt: sin aliter, demolientur. *Jabolen. Dig.* 41. 3. 23. Quum ædes ex duabus rebus constent, ex solo et superficie. *Paul. ibid.* 39. 2. 18. Qui in conducto solo superficiem imposuit. *Cajus Institut. tit.* 9. *circa med.* Si quis in solo nostro domum ædificaverit, ad eum, cujus terra est, domus ædificata pertinet. Vel si aliquis in agro nostro arbores aut vineam vel plantas quascumque posuerit, similiter superficies solo cedit. Adde *Colum* 1. *R. R.* 5. *ad fin.* V. *Inscript.* in STRATURA. ¶ 6. A Mathematicis *superficies* dicitur, quæ extremitas a *Cicerone,* magnitudo longa et lata, *superficie, soprafaccia,* ut *Macrob.* docet: cujus verba sunt 2. *Somn. Scip.* 2. Punctum corpus est individuum *etc.* hoc protractum efficit lineam *etc.,* hanc si geminaveris, alterum mathematicum corpus efficies, quod duabus dimensionibus æstimatur, longo latoque, sed alto caret: et hoc est, quod apud illos superficies vocatur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 48. 108. (260). Solidipedum crura statim justa nascuntur mensura. itaque in infantia scabunt aures posterioribus: quod addita ætate non queunt: quia longitudo superficiem corporum solam ampliat. *h. e.* extimam et superiorem partem corporis. *Rhem. Fann.* de ponderib.

107. Lineaque a summa, tenuis descendit ad ima Ducta superficie. *h. e.* a summa atque extima parte aquæ. — *Plena superficies* est, quæ ex æquo in suis rectis lineis jacet. *Cassiod. de geometr.* ¶ 7. Item de numeris. *Boeth.* 2. *Arithm.* 5. Superficies quoque numerorum, quum ipsa solidum corpus non sit, additi tamen latitudini solidi corporis caput est. Adde *ibid.* 6. ¶ 8. Pro persona, apud *Varron. Sat. Menipp.* 31. *p.* 119. *Oehl.* Tragici prodeunt cum capite gibbero, quum antiqua lege ad frontem superficies accedebat.

II.) Translate. *Tertull.* 1. *Nat.* 5. Qui superficie vocabuli infamant veritatem. *h. e.* colore, obtentu. Adde *Augustin.* in *Ps.* 117.

SŬPERFĬCĬŌSUS, a, um, adject. (superficies) superficiem habens. *Isid.* 3. *Orig.* 7. 1. Numeri aut discreti sunt aut continentes. Iste dividitur sic: I. lineales, II. superficiosi, III. solidi. Ita *Lindem.*; alii tamen leg. *superficiales.*

SŬPERFĬCĬUM, ĭi, n. 2. idem ac superficies. In *Kalendar. Farnes.* apud *Gruter.* 137. *col.* 2. et 138. *col.* 2. Segetes sarriuntur, vinearum superficium colitur. *Inscript.* apud *Gruter.* 608. 8. et *Murat.* 889. 8. AVRELIVS HERMIAS AVG. LIB. PROC. K. HEROVM MACERIA CINCTVM CVM SVPERFICIO INSVLAE COMPARAVIT SIBI etc. Apud *Murat.* perperam *cuperficio* legitur. Adde aliam apud *eumd.* 1337. 8. et *Pompon. Dig.* 23. 3. 32. et *Jabolen. ibid.* 31. 1. 39. Sic etiam legitur in *Not. Tir. p.* 163. et in *Gloss. Philox.* Ὑπερῷον, superficium.

H o m o n y m. *Superficies* vel *superficium*, si est de ædificiis, distinguitur a *solo*; nam hoc significatur area ædificii in longitudinem porrecta (*area orizzontale*), illo autem area ejus in altitudinem sublata (*area verticale*). Hinc *Jabolen. loc.* supra *cit.* Si areæ legatæ post testamentum factam ædificium impositum est, utrumque debebitur, et s o l u m et s u p e r f i c i u m. Adde *Tab. aen.* leg. *Thoriæ* apud *Gruter.* 205. 1. *l.* 31.

SŬPERFĪGO, fīgis, fixum, fīgere, a. 3. Part. *Superfixus.* — Superfigo est supra aliquid figo, *figgere sopra. Liv.* 42. 6. Cum cantu superfixa capita hostium portantes redierunt. *h. e.* infixa hastis. *Trebell. Claud.* 3. In Rostris posita est columna cum palmata statua superfixa. *Anon. De archit.* 19. Superfigantur (*tesseræ*). Alii leg. *superfricentur.*

SŬPERFĬO, fis, fiĕri, n. pass. anom. supersum, resto, *avanzare, restare. Plaut. Stich.* 4. 2. 12. Edepol te vocem (*ad cenam*) libenter, si superfiat locus. *Id. Trin.* 2. 4. 108. Is ager de stultitia mea solus superfit præter vitam reliquus. *Colum.* 12. *R. R.* 1. *sub fin.* Villica debebit, quæ domum inferuntur, recipere: tum separare quæ consumenda sunt, et quæ superfieri possunt, custodire; ne sumptus annuus menstruus fiat. *h. e.* condi et servari. Adde *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 983.

SŬPERFIXUS, a, um, particip. *V.* SUPERFIGO.

SŬPERFLEXUS, a, um, particip. ab inusit. *superflecto*, supra aliquid flexus. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. *a med.* Superflexa crate paradarum sereni brumalis infida vitabis.

SŬPERFLŌRESCENS, entis, particip. ab inusit. *superfloresco*, insuper florescens. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (70). Particulatim cucumis floret, sibi ipse superflorescens.

SŬPERFLŬĒ, adverb. (superfluus) supervacue, *superfluamente*, παρελκόντως. *Augustin.* 2. *de Gen. contra Manich.* 7. Superflue quæritur, unde hominis corpus Deus fecerit. *Capell.* 3. *p.* 83. Sed hos superflue adjectos ratio non admittit. *Imp. Honorius* ad *Symmach.* 10. *ep.* 72. *circa med.* Superflue exspectatam sententiam nostram esse sensimus. Adde *Hieronym. Ep.* 27. *n.* 1., *Theod. Priscian.* 1. 1. *p.* 291. *retro*, *Serv.* in *vit. Virg. v.* 1. *p.* 2. *Lion.* et *Gromat. vet. p.* 403. 16. *Lachm.-Bud.*

SŬPERFLŬENS, entis, particip. *V.* SUPERFLUO.

SŬPERFLŬĬTAS, ātis, f. 3. (superfluus) nimia abundantia, redundantia, *ridondanza*, περιουσία. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate, peritia domini amplo discursu atria media complentes. At *Sillig.* omittit. *V.* ibi adnot.

SŬPERFLŬO, adverb. *V.* SUPERFLUUS.

SŬPERFLŬO, flŭis, fluxi, flŭere, n. 3. Part. *Superfluens.* — Superfluo est super aliquid fluo, exundo, redundo, abundo, ἐπιῤῥέω (It. *scorrere sopra, ridondare*; Fr. *déborder, inonder*; Hisp. *inundar*; Germ. *überfliessen*; Angl. *to overflow, inundate*).

I.) Proprie. — *a*) Intransitive. *Cels.* 6. 18. *n.* 2. Tum in aeneo vase leniter coquuntur, ne superfluant. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 4. 28. (51). Apolloniæ in Ponto fons æstate tantum superfluit, parcius, si frigidior sit æstas. *Tac.* 2. *Ann.* 61. Superfluentis Nili receptacula. — *b*) Transitivorum more. *Vulg. interpr. Ital. Prov.* 3. 20. *Vindob.* Nubes superfluxerunt rorem.

II.) Translate. — *a*) Intransitive. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (115). Apparatus tantus fuit, ut reportatis, quæ superfluebant, quotidiani usus deliciis etc. *sopravanzavano.* et *Quintil.* 8. 2. 22. Nihil neque desit neque superfluat. *Id.* 10. 7. *ante med.* Nec fortuiti sermonis contextum mirabor umquam, quem jurgantibus etiam muliercculis superfluere video. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 7. 81. (24). *de Athenis.* Libera hæc civitas nec indiga ullius præconii amplius. tanta claritas superfluit. *Sil. It.* 8. 604. Nec non cum Venetis Aquileja superfluit armis. — *b*) Transitivorum more est fluendo prætereo. *Quintil.* 2. 5. 13. Nec quæ dicentur, superfluent aures. — Hinc

Superfluens, entis, adjective quoque usurpatur, et est redundans, superfluus, *ridondante, copioso.* — Translate. *Catull.* 29. 7. Et ille nunc superbus et superfluens Perambulabit omnium cubilia? *h. e.* divitiis satis superque abundans. *Petron. Sat.* 125. Quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram. *Seneca* 1. *Benef.* 11. *a med.* Pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata. *Cic. Brut.* 91. *ad fin.* Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret. *Alii* suprafluentes. *Tac. Dial. de orat.* 18. Orator supra modum exsultans et superfluens.

SŬPERFLŬUS, a, um, adject. (superfluo) superfluens, exundans, *ridondante, inondante*, ἐπιῤῥέων.

I.) Proprie. *Plin. Paneg.* 82. Nunc rigentia gelu flumina aut campis superflua. nunc liquida ac deferentia lustrare navigiis. *Keil* leg. *superfusa.* et *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 3. 33. Superfluus humor.

II.) Translate. ¶ 1. Est supervacaneus, nimius, *superfluo, soverchio. Capit. Anton. P.* 7. Superfluæ species imperatoriæ. *Aurel. Vict. Cæs.* 38. futuri notio. *Vopisc. Aurel.* 5. Multa superflua in eodem legisse memini. — De personis. *Augustin. Ep.* 266. *n.* 4. Ne sim superfluus, si conatus fuero docere, quod scis. ¶ 2. Item qui superest, *che sopravanza. Papinian. Dig.* 36. 1. 58. *sub fin.* Quod ex hereditate superfuisset, restituere rogatus, fructus superfluos restituere non videtur rogatus. *Scævola Dig.* 26. 1. 81. Id, quod superfluum est. ¶ 3. *Superfluus numerus*, qui descendit de paribus. *Cassiod. Arithm.* et *Boeth.* 1. *Arithm.* 19. et 20. — Hinc absolute, substantivorum more

Superfluum, i, n. 2. ¶ 1. Est res superflua, supervacanea. *Seneca Ep.* 45. *ante med.* Invenissent fortasse necessaria, nisi et superflua quæsissent. *Haase* leg. *supervacua.* et *Papinian. Dig.* 36. 1. 58. *ad fin.* Bonorum superfluum restituere. *h. e.* quod superest. *V.* supra sub II. 2. Adde *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 13. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. 67. Superflua corporis. *sc.* excrementa. ¶ 2. Est etiam vana res et inutilis. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 30. Superfluum forte videatur, quæ vosmetipsi vidistis, iterare.

Superfluus, i, m. 2. qui superest. *Vulgat. interpr. Jer.* 39. 9. Et superfluos vulgi, qui remanserat. — *Superflui*, milites adjecti, *soldati soprannumerari*, apud *Veget.* 3. *Milit.* 17. et 18.

Superfluo, adverbiorum ritu, idem ac superflue. *Augustin. Ep.* 28. Ne verbi controversiam superfluo faciam. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 5. 51. 6. Quod autem petitis, pretium vobis exsolvi, superfluo a nobis desideratis. Adde *eosd. ibid.* 7. 34. et 2. *Capell.* 6. *p.* 189.

SŬPERFŒDO, as, are, a. 1. supra fœdare. *Coripp.* 6. *Johann.* 348.

SŬPERFŒTO. *V.* SUPERFETO.

SŬPERFŎRĀNĔUS, a, um, adject. qui super seu circa forum fit, ubi otiosi homines desidere solent: ita etiam *subrostranus* dicitur, qui sub rostris obambulat. *Symmach.* 3. *Ep.* 48. Superforanei laboris est commendare conspicuos. *h. e.* superflui et inutilis. Alii leg. *supervacanei*, quod videtur esse interpretatio alterius verbi. — Absolute. *Sidon.* 4. *Ep.* 11. *circa med.* Super his plura replicare, superforaneum puto.

SŬPERFŎRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *superforo*, in superiore parte foratus. *Scribon. Compos.* 84. Si utris superforatus casu fuerit. Alii divisim scrib. *super foratus.*

SŬPERFŎRĔ. *V.* SUPERSUM.

SŬPERFRĬCO, as, are, a. 1. supra vel in superiore parte frico. *Sext. Placit. De medic.* 22.

SŬPERFRŬTĬCO, as, are, n. 1. denuo pullulo. *Tertull. advers. Valentinian.* 39. Talia ingenia superfruticant apud illos ex materni seminis redundantia.

SŬPERFŬGĬO, is, ere, a. 3. super aliquam rem fugio. *Val. Flacc.* 3. 554. intactas levis ipse superfugit undas.

SŬPERFULGĔO, es, ere, n. 2. desuper affulgeo, ἐπιστραπτέω. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 33. Templa superfulges et prospectare videris. Rectius fortasse dividas *templa super fulges.*

SŬPERFUNDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. Part. *Superfundens* II. 1.; *Superfusus* in omn. paragr.; *Superfundendus* II. 1. — Superfundo est supra aliquid fundo, superinjicio, *spargere sopra*, ὑπερχέω.

I.) Proprie. — *a*) Cum Acc. rei, quæ superfunditur, addito etiam Dat. vel Acc. cum præp. *in, adversus*, rei, cui quid superfunditur. *Plin.* 9. *Ep.* 33. *ad fin.* Delphino in litus educto superfudisse unguentum. *Colum.* 12. *R. R.* 57. Hanc mixturam quum in catillo composueris, oleum superfundito. *Id.* 4. 8. *ad fin.* Veteris urinæ senos sextarios radicibus superfundito. *Tac.* 13. *Ann.* 55. Potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores. *Id. Agric.* 36. Britanni magnam vim telorum superfundere. *Ovid.* 2. *Met.* 459. Nuda superfusis tingamus corpora lymphis. *Liv.* 7. 3. Quum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset. *Seneca Thyest.* 584. Ne superfusis violetur undis Ignis. *Flor.* 2. 8. *in fin.* Imber subito superfusus Persicos arcus corruperat. — Mediorum apud Græcos more. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Tiberis alveum excessit et demissioribus ripis alte superfunditur. Sic *superfundi*, de liquido, pro extra fundi, *traboccare*, apud *Marcell. Empir. c.* 25. *p.* 121. — *Superfundere pavimenta*, est pavimenta superstruere. *Pallad.* 1. *R. R.* 40. Super has pilas bipedæ constituantur atque his superfundantur testacea pavimenta. — *b*) Cum Acc. rei, cui quid superfunditur, et Abl. rei, quæ superfunditur. *Colum.* 12. *R. R.* 57. 3. Compositum oleo superfundito. *Scribon. Compos.* 73. Capita papaveris aqua superfunduntur. *Id. ibid.* 257. Vino superfundi. *Colum.* 2. *R. R.* 4. Superfusa terra latentibus scamnis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Tac.* 3. *Hist.* 2. *ad fin.* Sedecim alarum conjuncta signa pulsu sonituque, et nube ipsa operient ac superfundent oblitos prœliorum equites equosque. *h. e.* obruent, *sopraffaranno.* et *Plin.* 6. *Hist. nat.* 13. 15. (39). Albani gens superfusa montibus Caucasis. *Lucan.* 7. 365. Nonne, superfusis collectum cornibus, hostem In medium dabimus? *Liv.* 39. 49. Jacentem hostes superfusi oppresserunt. *Veget.* 3. *Milit.* 16. Hostium cornua superfundenda

sunt atque turbanda. — *Superfundere se,* et *superfundi,* mediorum apud Græcos more. *Liv.* 5. 7. Tum vero jam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est. *traboccante.* et 45. 9. Macedonum fama Europæ se finibus continuit: superfudit deinde se in Asiam. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Gallias hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ. *Seneca Tranquill.* 8. *sub fin.* Habiliora sunt corpora in bello, quæ in arma sua contrahi possunt, quam quæ superfunduntur. *h. e.* quæ vasta sunt et veluti extra arma sparguntur. ¶ 2. Speciatim est indebite alicui imponere vel adscribere. *Cod. Theod.* 13. 11. 5. Ut quod ei fuerat superfusum, ipse cognoscat.

SŬPERFŪSĬO, ōnis, f. 3. (superfundo) actus superfundendi, ἐπίχυσις. *Ammian.* 17. 7. *a med.* Nimia aquarum cælestium superfusio. Adde *Ambros.* 3. *Hexaem.* 2. *Serv.* ad *Virg.* 3. *G.* 354. Superfusio nivis. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *sub init.* liquoris. — *Superfusio pavimenti,* apud *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Solum alto rudere solidatum testacei pavimenti superfusione. Cf. voc. præc. sub I. *a.*

SŬPERFŪSUS, a, um, particip. *V.* SUPERFUNDO.

SŬPERFŬTŪRUS. *V.* in SUPERSUM.

SŬPERGAUDĔO, es, ere, n. 2. insuper gaudeo: construitur cum Dat. *Vulgat. interpr. Ps.* 34. 19. Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique. Adde *Ps.* 37. 17., *Ambros. Ep.* 70. *n.* 20. *extr.* et *Arnob.* in *Ps.* 3.

SŬPERGĔNĔRO, as, are, a. 1. insuper genero. *Ambros. Tob.* 13. *n.* 40.

SŬPERGESTUS, a, um, particip. ab inusit. *supergero,* super aggestus, superingestus. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ab init.* Funes per sulcum porrecti obruuntur, sed ita, ut non nimium supergesta terra, semina spinarum enasci possint. ¶ 2. Speciatim, seu prægnanti, ut ajunt, sensu, est super clausus, materie aliqua ingesta. *Apul.* 9. *Met.* Hortulanus derepit in cistulam et supergesto delitescit orificio.

SŬPERGLŌRĬŌSUS, a, um adject. maxime gloriosus. *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 53. Superlaudabilis et supergloriosus (*Deus*) in sæcula.

SŬPERGRĂDĬOR et

SŬPERGRĔDĬENS, entis, particip. et

SŬPERGRĔDĬO. *V.* voc. seq.

SŬPERGRĔDĬOR, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. *Supergradior,* pro *supergredior,* apud *Plin.* 27. *Hist nat.* 12. 86. (110). *Harduin.* et *Sillig.;* et *supergredio,* forma activa, apud *Apul.* 10. *Met.* Duodecimum ætatis annum supergresserat. At *Hildebr.* leg. *supercesserat.* Hinc particip. *supergressus,* passive. *Pallad.* 12. *R. R.* 4. *in fin.* Ut altitudine animalium supergressa, modus transcendatur injuriæ. — Part. *Supergrediens* II.; *Supergressus* I. et II. — Supergredior est supra vel ultra gradior, *camminare sopra, oltrepassare,* ἐπιβαίνω.

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (133). Si castoreum supergrediatur gravida, abortum facere dicitur. *Colum.* 7. *R. R.* 9. *in fin.* Limen in tantam altitudinem consurgat, quantum possit matrix evadere, lactens autem supergredi non possit. *h. e.* transgredi. Cf. *Senec. Ep.* 32. *in fin.* Ille demum necessitates supergressus est et exauctoratus ac liber. Rursus *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (202). Capram alteram procubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam.

II.) Translate est excellere, superare, tum in bonam tum in malam partem. *Justin.* 42. 2. 4. Filius claritatem parentum animi magnitudine supergreditur. *Id.* 44. 5. 6. Hannibal utriusque res gestas supergressus. *Tac.* 13. *Ann.* 45. Mulier ætatis suæ feminas pulcritudine supergressa. *Quintil.* 6. *procem. circa med.* Mater optima atque laudem omnem supergressa. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 114. Ora supergressus Pylii senis oraque regis Dulichii. *Auson. Ecl. de nom.* etc. 11. Cuncta supergrediens Saturni septima lux est. *Vulgat. interpr. Ps.* 37. 5. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.

SŬPERGRESSĬO, ōnis, f. 3. (supergredior) actus supergrediendi. *Boeth.* 1. *Arithm.* 27.

SŬPERGRESSUS, a, um, particip. *V.* SUPERGREDIOR.

SŬPERGRESSUS, us, m. 4. (supergredior) sublevatio, ὑπερβολή. *Tertull. Resurr. carn.* 40. ex 2. *Corinth.* 4. 17. Quod ad præsens est temporale et leve pressuræ nostræ, per supergressum æternum gloriæ pondus perficiet in nobis. Pro *per supergressum* Vulgata editio habet *supra modum.* At *Rigalt.* leg. *per supergressum in supergressum,* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. Adde *eumd. advers. Gnost.* 13.

SŬPĔRHĂBĔO, hăbes, hăbŭi, hăbere, a. 2. Part. *Superhabendus.* — Superhabeo est supra aliquid habeo vel teneo, aut insuper habeo. *Cels.* 7. 20. *ante med.* Eodem tempore superhabendum cataplasma. *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. Si duas solas partes minoris numeri superhabuerit.

SŬPĔRHŬMĔRĀLE, is, n. 3. (super et humerus) vestimenti genus pontificis Hebræorum proprium, quod super humeros ponebatur, ἐπωμίς. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 15. Ubicumque in Exodo sive in Levitico superhumerale legitur, sciamus apud Hebræos (אפוד) *ephod* appellari. Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 4. etc. — Ejus descriptionem videsis apud *Ackermann op. cit.* § 358. et *Zanolinium* nostrum in *Lex. Hebr.* p. 29.

SŬPĔRI, ōrum. *V.* in SUPERUS.

SŬPĔRILLĬGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRILLĬGO *vel* superinligo, as, ātum, are, a. 1. Part. *Superilligatus.* — Superilligo est idem quod superligo, *legare sopra,* ὑπερδέω. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (40). Eadem cum oleo trita ignes sacros leniunt, betæ foliis superilligatis. *Id.* 30. *ibid.* 6. 17. (51). Quidam recentem superilligant. Alii leg. *superalligant.* quod habet *Marcell. Empir. c.* 34. *p.* 135. *retro.*

SŬPĔRILLĬNĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *superillinio,* idem ac superillitus. *V.* in voc. seq.

SŬPĔRILLĬNO (superinlino), līnis, lĭtum, līnere a. 3. Part. *Superillitus,* pro quo et *Superillinitus;* et *Superillinendus.* — Superillino est supra ungo, *ungere sopra,* ἐπιχρίω. *Veget.* 5. *Veterin.* 2. 5. Quod diu subactum et calidum ita, ut manus pati possit, superillines renibus. *Cels.* 3. 19. *a med.* Totum corpus bulbis contritis superillinendum est. *Id.* 6. 18. *n.* 9. Idque superillitum panniculo imponendum est. *Apul. Herb.* 74. Sucus superillinitus. *Alii leg.* superillitus. Adde *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 2.

SŬPĔRILLĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRIMMĬNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRIMMĬNĔO, es, ere, n. 2. Part. *Superimminens.* — Superimmineo est supra immineo, *stare sopra. Virg.* 12. *Æn.* 306. Podalirius Alsum Pastorem Ense sequens nudo superimminet. *Avien.* in *Arat.* 962. Virgineusque pudens zonæ superimminet artus. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 15. Viderunt conceptus aquarum inertium non compressos terra superimminente, sed liberæ laxitatis. Alii perperam leg. *supereminente.*

SŬPĔRIMMITTO, is, ere, a. 3. supra immitto, superinjicio. *Apic.* 2. 1. Teres piper, rutam, liquamen, et sic superimmittis jecur, et teres et misces.

SŬPĔRIMPENDENS, entis, particip. ab inusit. *superimpendeo:* superimminens, *pendente sopra. Catull.* 64. 286. Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes.

SŬPĔRIMPENDO (superinpendo), pendis, pensum, pendere, a. 3. Part. *Superimpensus.* — Superimpendo est insuper vel ultra modum impendo.

I.) Proprie. *Julian. Antec. Const.* 123. 3. Id quod superimpensum est, ex omni canone exinde provinciæ reputari debebunt.

II.) Translate. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 12. 15. Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.

SŬPĔRIMPENSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRIMPLĔO, es, ere, a. 2. abunde impleo. *Vulgat. interpr. Ital. Eccle.* 1. 7. apud *Eustath.* 4. *Hexaem.* 3. *Gloss. Cyrill.* Ὑπερπίμπλαμαι, superimpleo (*superimpleor*) et Ὑπερπληρῶ, superimpleo. — *Virg.* inverso ordine, 5. *Æn.* 697. Implenturque super puppes.

SŬPĔRIMPŌNO, is, ere, a. 3. Part. *Superimpositus* et *Superimponendus.* — Superimpono est superpono, *sovrapporre,* ἐπιτίθημι. *Liv.* 39. 50. Saxum ingens, quo operitur (*thesaurus*), machina superimpositum est. *Ovid.* 9. *Met.* 100. Aut superimposita celatur arundine damnum. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 1. Quæ superimposito moles geminata colosso Stat Latium complexa forum? *Cels.* 5. 27. *n.* 6. Allium cum ruta ex oleo contritum superimponitur. *Colum.* 8. *R. R.* 3. *circa med.* Ut palis in parietes vehementer actis, vimineos qualos superimponant. *Alii leg.* superponant. *Quintil.* 1. 1. *a med.* Puer non egebit adjutorio manum suam manu superimposita regentis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (103). Superimposito linteolo madente vino. Rursus *Cels.* 3. 10. Superimponenda sunt cataplasmata. *et* 5. 25. *n.* 35. *a med.* Superimposita arundinis radix. Adde *Marcell. Empir. c.* 19. *p.* 113. *retro.*

SŬPĔRIMPŌSĬTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRINCENDO, is, ere, a. 3. insuper et magis incendo. *Val. Flacc.* 2. 124. *de Fama.* videt illa prior jamque advolat ultro. Hanc superincendit Venus.

SŬPĔRINCERNO. *V.* SUPERCERNO.

SŬPĔRINCĬDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINCĬDO, is, ere, n. 3. Part. *Superincidens.* — Superincido est desuper incidere, *cadere sopra. Liv.* 2. 10. *ad fin.* Multis superincidentibus telis, incolumis ad suos tranavit. *Alii leg.* desuper incidentibus. *Id.* 23. 15. *ad fin.* Ruina superincidentium virorum oppressus. *Colum.* 4. *R. R.* 9. Ne cælestem superincidentem aquam contineat. Est qui leg. *supercidentem. Gloss. Lat. Gr.* Superincido, ὑπερπίπτω.

SŬPĔRINCĪDO, is, ere, a. 3. supra incido. *Cels.* 7. 31. Cutis superinciditur.

SŬPĔRINCRĔPĬTANS, antis, particip. ab inusit. *superincrepito,* supra increpans. *Juvenc.* 2. 163. Et superincrepitans: Procul hæc auferte profani.

SŬPĔRINCRESCO, crescis, crēvi, crescere, n. 3. super aliquam rem cresco. *Cels.* 8. 10. *sub fin.* Superincrevit nimius callus.

SŬPĔRINCŬBANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINCŬBO, as, are, n. 1. Part. *Superincubans.* — Superincubo est supra jaceo, superincumbo. *Liv.* 22. 51. Substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus. *Apul.* 4. *Met.* An ignoras hoc genus bestiæ fontes amœnos superincubare. *Alii tamen leg.* semper incubare. V. *Oudend.* et *Hildebr.* ad *h. l.*

SŬPĔRINCUMBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cumbere, n. 3. Part. *Superincumbens.* — Superincumbo est supra incumbo. *Ovid. Heroid.* 11. 57. Quum superincumbens, scissa tunicaque comaque, Pressa refovisti pectora nostra tuis. *et ibid.* 117. Non superincubui, non oscula frigida carpsi. *Lucan.* 9. 933. Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit. Adde *Manil.* 1. 714., ubi alii divisim leg. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 727.

SŬPĔRINCURVĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *superincurvo,* curvatus super aliquid. *Apul.* 9. *Met.* Inclinatam uxorem superincurvatus secure dedolabat.

SŬPĔRINDĪCO, dīcis, dictum, dīcere, a. 3. Part. *Superindictus.* — Superindico est insuper indico. *Ulp. Dig.* V. in SUPERDICO. *Cod. Theod.* 1. 12. 7. Canone superindicto. Adde 15. 2. 1. — Hinc

Superindictum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, quo significatur extraordinarium munus impositum ultra solitam collationem: augmentum indictionis seu vectigalis, quod solvendum indicitur pro aliqua necessitate, *gravezza straordinaria. Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.*

10. 17. 1. et *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ibid. tit.* 18. *qui* De superindicto *inscribitur*. Item *Imp. Constantin.* 11. 74. 1. *Cod. Theod.* 11. 6. 1. Superindictorum nomen.

SŬPĔRINDICTĪCĬUS *vel* superindictitius, a, um, adject. (superindico) qui superiore tempore indictus fuerat. *Imp. Majorian. Novell. tit.* 2. Fessas provincialium varia atque multiplici tributorum exactione fortunas et extraordinariis fiscalium solutionum oneribus attritas solutæ indationis amisisse substantiam et defectum sui etdam in his, quæ merito fuerant solvenda, sensisse. Superindicticiis quidem titulis possessor exhaustus, dum ægræ solutionis trahit sub impossibili devotione reliquias et pro temporis cursu novis subinde perurgetur venientium indictionum tributis et in redimendis attenuatur induciis, coacervata in unum sarcina obnoxietatis obruitur et præcedentibus debitis neutiquam sufficiens, ad futuram quoque inlationem minus idoneus invenitur. *Sirmond. Constit.* 11. *Impp. Honor.* et *Arcad.* Nihil extraordinarium ab hac (*ecclesia*) vel superindicticium flagitetur, nulla pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur. Hucusque cl. *Furlanetto* in *Append.* etc. *Dirksen* interpretatur *superindicticium* id, quod est indictioni ordinariæ adjectum.

SŬPĔRINDICTĬO, ōnis, f. 3. (superindico) actus superindicendi, augmentum indictionis, superindictum. *Cod. Theod.* 19. 16. 5. Ad sordida vel extraordinaria munera vel superindictiones aliquas conveniri. Adde *ibid. c.* 1., ubi *superindictioni* opponitur *sollemnis indictio.* V. SUPERINDICTUM.

SŬPĔRINDICTUM, i, n. 2. *et*

SŬPĔRINDICTUS, a, um, particip. *V.* SUPERINDICO.

SŬPĔRINDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. Part. *Superinductus.* — Superinduco est insuper induco, superjacio, ἐπεισάγω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 19. (61). Sorba scrobibus, gypsato operculo, duum pedum terra superinducta etc. Alii leg. *superintecta,* ut non ad *terra,* sed ad *sorba* referatur. *Sillig.* superinjecta. Cf. *Quintil.* 5. 8. 2. Nervis illis, quibus causa continetur, adjiciunt superinducti corporis speciem. *Justin.* 2. 10. 14. *Jeep.* Superinducere tabellas cera delita. Adde *Marcell. Empir. c.* 32. *p.* 133. ¶ 2. Speciatim est insuper adjicio cum vi. *Vulgat. interpr.* 2. *Par.* 33. 11. Superinduxit eis principes exercitus.

II.) Translate. *Id. Dan.* 9. 12. Malum superinducere in aliquem. *Tertull. advers. Hermog.* 26. Scriptura cælum primo factum professa, dehinc dispositionem ejus superinducit.

SŬPĔRINDUCTĪCĬUS *vel* superinductitius, a, um, adject. (superinduco) subditicius, ficticius. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 3. Quos propterea falsos et superinducticios fratres appellat.

SŬPĔRINDUCTĬO. *V.* SUPERDUCTIO.

SŬPĔRINDUCTUS, a, um, particip. *V.* SUPERINDUCO.

SŬPĔRINDŪMENTUM, i, n. 2. (superinduo) id, quod superinduitur, *sopravveste. Tertull. Resurr. carn.* 42. et 5. *advers. Marcion.* 12. et alibi.

SŬPĔRINDŬO, dŭis, dŭi, dūtum, dŭere, a. 3. Part. *Superindutus.* — Superinduo est super cetera vestimenta induo, ἐπενδύω.

I.) Proprie. *Sueton. Ner.* 48. Pænulam obsoleti coloris superinduit. Adde *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 12.

II.) Translate. *Augustin.* in *Ps.* 110. 1. Habitaculum nostrum, quod de cælo est, superindui cupientes. Cf. 2. *Cor.* 5. 2. *Tertull. Apolog.* 48. *sub fin.* Dei cultores superinduti substantia propria æternitatis.

SŬPĔRINDŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRINFUNDO, fundis, fūsum, fundere, a. 3. Part. *Superinfusus* et *Superinfundendus.* — Superinfundo est supra infundo, *spargere sopra. Cels.* 8. 4. *ad fin.* Mel superinfundendum. *Id.* 5. 25. *n.* 4. Papaveris manipulus in vas demittitur et superinfunditur aqua. *Id.* 3. 20. Excitat validissime repente aqua frigida superinfusa. Adde *Marcell. Empir. c.* 20. *p.* 115.

SŬPĔRINFŪSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRINGĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. Part. *Superingestus.* — Superingero est aggregatim superimpono, ἐπεισφέρω. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (307). Sunt qui leguminum acervos superingerant. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 59. Quæ superingesti portaret culmina montis. *Gran. Licinian. fragm.* Superingerere vestes. — *Virg. Mor.* 98. Caseus adjicitur: dictas superingerit herbas. Sunt qui leg. *superinserit,* minus recte. Ira *Forcellinus;* at recentiores divisim leg. *Tibull.* 4. 1. 157. Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus, *h. e.* oriendo radios caloremque superinfundit. *Recentiores leg.* super egerit.

SŬPĔRINGESTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRINGRĔDĬOR, dĕris, di, dep. 3. Part. *Superingressus.* — Superingredior est supra ingredi. *Colum.* 10. *R. R.* 344. Superingredi hortos. — Passive. *Rufin.* ex *Euseb.* 7. *Hist. Eccl.* 25. In Trinitate neque superinductum quid, tamquam antehac quidem non subsistens, postea vero superingressum, *h. e.* superjectum.

SŬPĔRINGRESSUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔRINJECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINJĬCĬO, jĭcis, jēci, jectum, jĭcere, a. 3. Part. *Superinjectus* et *Superinjiciendus.* — Superinjicio est desuper injicio, *gettare sopra,* ἐπεμβάλλω. *Virg.* 4. *G.* 46. raras superinjice frondes. *Ovid.* 8. *Met.* 640. Quo superinjecit textum rude sedula Baucis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (53). Farinæ vice fimum superinjici cribris. *Cels.* 5. 26. *n.* 33. Solani folia contrita et illita (*suilla adipe*) linteolo superinjicienda. Rursus *Ovid.* 5. *Fast.* 533. Tum superinjecta texere madentia terra. *et* 6. *ibid.* 570. Sed superinjectis quis latet æde togis?

SŬPĔRINLĪGO etc. *V.* SUPERILLIGO etc.

SŬPĔRINLĪNO etc. *V.* SUPERILLINO etc.

SŬPĔRINPENDO etc. *V.* SUPERIMPENDO etc.

SŬPĔRINSĔRO. *V.* SUPERINGERO.

SŬPĔRINSĪDĔO, es, ere, n. 2. idem quod insideo, immoror. *Lucret.* 3. 915. Jam desiderium rerum superinsidet una.

SŬPĔRINSPECTOR, ōris, m. 3. (superinspicio) qui superinspicit. *Ambros. De dignit. sac.* 6. Cf. *Gloss. Nom.* p. 170. *Loewe.*

SŬPĔRINSPERGO, is, ere, a. 3. supra spergo. *Veget.* 3. *Veterin.* 1. Cornu caprinum ambustum et contritum ulceribus superinspergitur.

SŬPĔRINSPĬCĬO, is, ere, a. 3. curam habeo, inspicio. *Sidon.* 9. *Ep.* 3. *circa med.* Ecclesiæ sacra superinspicere. Adde 6. *Ep.* 1.

SŬPĔRINSTANS, antis, particip. ab inusit. *superinsto,* qui super aliquem stat seu alicui præest, *soprastante.* — Absolute. *Cod.* 12. 38. 5. Milites et eorum superinstantes nihil penitus a provincialibus accipere audeant. *Alii aliter leg.*

SŬPĔRINSTERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. Part. *Superinstratus.* — Superinsterno est super sterno. *Liv.* 30. 10. Tabulas superinstravit. Alii minus recte *superstravit.* et *Sil. It.* 7. 288. Superinstrati tori. *Ruperti* et *Lemaire* divisim leg.

SŬPĔRINSTILLO, as, are, a. 1. superstillo, *Apic.* 4. 2. *ad fin.* Olei modicum superinstillabis.

SŬPĔRINSTRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERINSTERNO.

SŬPĔRINSTRĔPO, is, ere, n. 3. valde instrepo. *Sil. It.* 2. 186. superinstrepit ater, Et servat cursum perfractis ossibus axis.

SŬPĔRINSTRUCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINSTRŬO, strŭis, structum, strŭere, a. 3. Part. *Superinstructus.* — Superinstruo est supra aliquid struo, super ædifico. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 8. 10. 1. Ut concameratis superinstruas, et ipsum concameres. *Colum.* 9. *R. R.* 7. Ordines vasorum superinstructos in altitudinem tres esse, abunde est. *disposti l'uno sopra l'altro.*

SŬPĔRINSULTANS, antis, particip. ab inusit. *superinsulto,* supra insiliens. *Claudian. Gigantom.* 83

SŬPĔRINTECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRINTĔGO, tĕgis, tectum, tĕgere, a. 3. Part. *Superintectus.* V. SUPERINDUCTUS. — — Superintego est superne intego, *coprire sopra,* ἐπεγκαλύπτω. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (47). Ora fossarum binis utrinque lapidibus statuminari et alio superintegi.

SŬPĔRINTELLĬGO, is, ere, a. 3. insuper intelligo. *Hieronym.* in *Didym. De Sp. S. n.* 10.

SŬPĔRINTENDO, is, ere, n. 3. super aliquid animum intendo, *sopraintendere,* ἐπισκοπέω. *Augustin.* in *Psalm.* 126. *n.* 3. Ut ipsi superintendant et quasi custodiant populum. nam et Græce quod dicitur episcopus, hoc Latine superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Adde 19. *Civ. D.* 19. et *Hieronym. Ep.* 146. *n.* 1.

SŬPĔRINTENTOR, ōris, m. 3. (superintendo) qui superintendit. *Augustin.* V. *loc.* in voc. præced. *Gloss. Lat.* Speculator, superintentor.

SŬPĔRINTŌNO, as, are, n. 1. desuper tono, ἐπιβροντάω. *Virg.* 9. *Æn.* 709. Dat tellus gemitum, et clipeum superintonat ingens.

SŬPĔRINTRĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *superintero,* desuper intritus. *Theod. Priscian.* 1. 17. Folia superintrita impones.

SŬPĔRINTRO, as, āvi, are, n. 1. de superiore parte intro. *Vulg. interpr. Ital. Am.* 6. 1. Parvindemiaverunt initia gentium et superintraverunt in eis.

SŬPĔRĬNUNDO, as, are, n. 1. desuper inundo, *inondare.* — Translate. *Tertull. Resurr. carn. sub fin.* Ejusmodi eloquiis superinundare.

SŬPĔRĬNUNGO (superinunguo), is, ere, a. 3. Part. *Superinungendus.* — Superinungo est supra inungo, ἐπαλείφω. *Cels.* 7. 7. *n.* 1. Dein superinungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi superinunguntur. *et n.* 8. *ad fin.* Collyrio superinungendum. Adde *n.* 2. item *ibid.* 8. *extr.* et 6. 6. *n.* 1. *a med.* et 7. 7. *n.* 2. *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 1. *et* 5. et *Scribon. Compos.* 26. et 27.

SŬPĔRINVĔHO, is, ere, a. 3. supra veho, *portare sopra. Avien.* in *Arat.* 1157. Fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.

SŬPĔRINVERGO, is, ere, a. 3. superinfundo, *versare sopra. Ovid.* 7. *Met.* 246. Tum superinvergens liquidi carchesia vini.

SŬPĔRINVOLVO, is, ere, a. 3. supra involvo vel jacio. Dividitur per tmesin a *Lucan.* 9. 434. Auster, Qui super ingentes cumulos involvit arenæ.

SŬPĔRĬOR. *V.* SUPERUS.

SŬPĔRIRRŬO, is, ere, n. 3. supra irruo. *Mar. Victorin. Carm. de fr. Mach.* 263. Dicto citius superirruit igni.

SŬPĔRĬUS. *V.* SUPERUS.

SŬPERJĂCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERJĂCĔO, es, ere, n. 2. Part. *Superjacens.* — Superjaceo est supra jaceo, *giacere sopra. Cels.* 8. 9. *circa med.* Cataplasma interdiu superjacebit. *ci starà sopra.* V. STABULATUS. *Cyprian. De laud. martyr.* 4. *in fin.* Superjacens æquor. Adde *Boeth.* 1. *Arithm.* 27. et *Augustin.* in *Ps.* 32. *serm.* 1. *n.* 5.

SŬPERJĂCĬO, jăcis, jēci, jectum *vel* jactum, jăcere, a. 3. Part. *Superjectus,* raro *Superjactus,* I. 1. et 2.; *Superjacturus* I. 2. — Superjacio est supra jacio, *gettare sopra,* ἐπιβάλλω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid. Heroid.* 16. 222. Membra superjecta cum tua veste fovet. *Virg.* 11. *Æn.* 625. scopulosque superjacit undam Pontus. *Horat.* 1. *Od.* 2. 11. Et superjecto pavidæ natarunt æquore damæ. *h. e.* superfuso. *Colum.* 2. *R. R.* 18. Prata situ vetustatis obducta, quibus mederi solent seminibus de tabulato superjectis. *Sueton. Cal.* 19. Superjecto aggere terreno. *Tac.* 5. *Hist.* 6. *de lacu Asphaltite.* Superjacta velut solido feruntur. *Sall. fragm.* apud

Non. p. 503. 33. *Merc.* Insulam superjactis fluctibus circumlavit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (21). Arbores tantæ proceritatis, ut sagittis superjaci nequeant. ¶ 2. Speciatim est superpono, superextendo, *sovrapporre*. *Colum.* 2. *R. R.* 1. *ad fin.* Quæque temporibus auctumni frutetis et arboribus delapsa folia superjaciebantur. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 7. *extern.* Ut victus ardentibus tectis superjaceretur. *et* 6. 6. *n.* 1. *extern.* Communi rogo semet ipsi superjecere. *Id.* 1. 8. *n.* 10. *extern.* Superjacturus se rogo. — Cum addito Dat. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 41. (145). Phrygia Troadi superjecta. *h. e.* supra Troadem sita.

II.) Translate sumitur pro addere. *Liv.* 10. 30. Sed superjecero quidam augendo fidem.

SŬPERJACTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERJACTO, as, are, a. 1. frequenter supra jacio, *gettare sopra o spesso gettare sopra.*

I.) Proprie. *Val. Max.* 9. 2. *n.* 4. Infantes alios in conspectu parentum humo infligi, alios superjactatos pilis excipi jussit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 21. (54). Mugiles tam præcipuæ velocitatis, ut transversa navigia superjacteat. *h. e.* jactent se super navigia et transcendant.

II.) Translate. *Phædr.* 4. 20. Super etiam jactas, tegere, quod debet pudor. *tmesis.*

SŬPERJACTUS, a, um, particip. *V.* SUPERJACIO.

SŬPERJECTĬO, ōnis, f. 3. (superjacio) actus superjaciendi, *il gettare sopra*, ὑπερβολή. ¶ 1. Generatim. *Arnob.* 3. *p.* 108. Ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos. ¶ 2. Speciatim est hyperbole, figura rhetorica, definitur a *Quintil.* 8. 6. *a med.* ementiens superjectio.

SŬPERJECTUS, a, um, particip. *V.* SUPERJACIO.

SŬPERJECTŬS, us, m. 4. (superjacio) saltus supra rem aliquam. *Colum.* 6. *R. R.* 36. *in fin.* Quum mas etiam superjectu (*equæ*) eblanditus est.

SŬPERJŪMENTĀRĬUS, ĭi, m. 2. qui jumentariis præest, quique in *Inscript.* apud *Murat.* 933. 1. et in *alia* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 106. *supra jumenta* dicitur. *Sueton. Claud.* 2. Quem barbarum et olim superjumentarium ex industria sibi appositum etc.

SŬPERLĀBENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERLĀBOR, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. Part. *Superlabens* II.; *Superlapsus* I. — Superlabor est supra labor, *scorrere sopra.*

I.) Proprie. — *a*) Intransitive. *Augustin.* 1. *Ord.* 6. *n.* 11. Aqua ligneolis canalibus superlabitur et ducitur usque in usus nostros. *Venant.* 4. *Vit. S. Martin. præf.* Quia lituram tantam scribenti pluvia superlapsa suffudit, — *b*) Transitivorum more. *Seneca Ep.* 90. *ad fin.* Non impendebant cælata laquearia, sed in aperto jacentes sidera superlabebantur.

II.) Translate. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *circa med.* Languentem chordæ laqueum vagantis digito superlabente prosequitur.

SŬPERLĂCRĬMO vel

SŬPERLĂCRȲMO, as, are, a. 1. super aliquid lacrimo. *Colum.* 4. *R. R.* 24. *a med.* Deveram resectionem facere post gemmam, ne superlacrimet et gemmantem cæcet oculum.

SŬPERLAPSUS, a, um, particip. *V.* SUPERLABOR.

SŬPERLĀTĬO, ōnis, f. 3. (superlatus) ¶ 1. Est oratio superans veritatem, augendi minuendive causa, ut *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 44. definit, *iperbole*, ὑπέρθεσις, ὑπερβολή. *Id.* 3. *Orat.* 53. 203. Tum augendi minuendive causa, veritatis superlatio atque trajecto. ¶ 2. A grammaticis ponitur etiam pro gradu nominum superlativo. *Charis.* 1. *p.* 88. 89. *et* 90. *Putsch.* Ipsa superlatio per se prælationem omnium significat. Etiam *Quintil.* sic usurpavit 1. 5. *a med.* ¶ 3. Interdum pro insigni cognomine a re aliqua sumpto, ut quum aliquis per excellentiam sapiens vocatur. *Val. Max.* 6. 9. *n.* 12. Crasso nonne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem injunxit. Alii tamen rectius leg. *appellationem.*

SŬPERLĀTĪVĒ, adverb. (superlativus) in gradu superlativo. *Charis.* p. 113. 2. *Keil.*

SŬPERLĀTĪVUS, a, um, adject. (superlatus) superans vel eminentiam denotans. ¶ 1. Hinc apud Grammaticos dicitur de gradu adjectivorum, cui *absolutus* seu positivus et *comparativus* opponitur. *Charis.* 1. *p.* 87. *Putsch.* Nomen superlativum illud est, quod rem ad summum gradum attollit vel deprimit ad infimum, ut *doctissimus, indoctissimus, fortissimus.* Adde *Priscian.* 3. *p.* 605. *Putsch.* ¶ 2. Est etiam augumento inserviens, ut *et* conjunctio, pro etiam, in illo *timeo Danaos et dona ferentes*, apud *Diomed.* p. 417. 24. *Keil.* ¶ 3. Hinc pro hyperbolico. *Isid.* 2. *Orig.* 21. 16. Superlativæ sententiæ. *Priscian. Præex.* p. 1333. *Putsch.* Sententiæ aliæ sunt veræ, aliæ verisimiles, aliæ conjunctæ, aliæ superlativæ *etc.* Superlativæ, ut Nihil imbecillius homine terra pascit et Fama malum, quo non aliud velocius ullum Mobilitate viget. Cf. voc. seq.

SŬPERLĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERFERO.

SŬPERLAUDĀBĬLIS, e, adject. maxime laudabilis. *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 53. Deus superlaudabilis et supergloriosus. Adde *ibid.* v. 54.

SŬPERLEX. *V.* SUPELLEX.

SŬPERLĬGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERLĬGO, as, are, a. 1. Part. *Superligatus.* — Superligo est supra ligo. *Marcell. Empir.* c. 34. *p.* 135. et c. 14. *p.* 105. *retro.* et *Veget.* 4. *Veterin.* 18. 1. Superligatis cornibus. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 57. 1.

SŬPERLĪMEN, mĭnis, n. 3. idem ac superliminare. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 324. SVPERLIMEN LAPIDEVM ET FASTIGIVM. *V.* voc. seq.

SŬPERLĪMĬNĀRE, is, n. 3. (superlimen) limen ostii superius, hoc est lignum sive lapis, qui, postibus superincumbens, jugi formam efficit, ὑπέρθυρον (It. *soglia di sopra*; Fr. *linteau au-dessus d'une porte*; Hisp. *dintel, lintel ó la parte superior en las portadas*; Germ. *der Theil über der Oberschwelle*; Angl. *the transom or lintel over a door*).

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 26. (83). Privatimque ovilibus circumlatum toties et pedibus suspensum sursum in superliminari. *Harduin.* legit *in supero limine.* quod est magis Latinum et ab eod. *Plin.* alibi ab *Plauto* usurpatum. At *Sillig.* leg. *superlimine.* et *Vulgat. interpr. Is.* 6. 4. Commota sunt superliminaria cardinum. Adde *Exod.* 12. 7.

II.) Translate. *Augustin.* in *Ps.* 55. *n.* 1. In superliminari psalmi hujus habemus inscriptum etc.

SŬPERLĪMĬNĬUM, ĭi, n. 2. *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 351. Scænomate, quod in ejus fuerat superliminium.

SŬPERLĬNĬO, is, ire, a. 4. Part. *Superliniendus.* — Superlinio est idem ac superlino. *Plin. Valer.* 1. 5. Lavas prius caput suffimentis ex vino, post hæc superlinies. *Marcell. Empir.* 8. 1. Ad inungendum vel ad superliniendum. Adde *Sulpic. Sev. Vit. S. Martin.* 19. 4.

SŬPERLĬNĬTĬO, ōnis, f. 3. (superlinio) actus superliniendi. *Marcell. Empir.* c. 8. s. 3.

SŬPERLĬNO, lĭnis, lĭtum, lĭnere, a. 3. *Superlitus.* — Superlino est supra vel insuper illino, ἐπιχρίω. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 6. 24. (42). Bibitur radix in vino decocta et aliquando superlinitur. *Id.* 22. *ibid.* 23. 49. (103). Laser visco superlitum, ut hæreat. *Pallad.* 7. *R. R.* 14. *ante med.* Superlines dolium et serta die aperies. Adde *Marcell. Empir.* c. 8. *p.* 95.

SŬPERLĪTĬO, ōnis, f. 3. (superlino) actus superlinendi, et ipsa res, quæ superlinitur, ἐπίχρισις. *Marcell. Empir.* c. 8. *a med.* Quum siccata fuerit superlitio ipsa.

SŬPERLĪTUS, a, um, particip. *V.* SUPERLINO.

SŬPERLŪCĔO, es, ere, n. 2. supra luceo. *Hieronym.* in *Ps.* 89. Semper superluceat lucerna in domo Domini.

SŬPERLŪCRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERLŪCROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Superlucratus.* — Superlucror est insuper lucror. *Vulgat. interpr. Matth.* 25. 20. Ecce alia quinque (*talenta*) superlucratus sum.

SŬPERLŪGĔO, es, ere, a. 2. supra lugeo. *Augustin.* in *Job* 27. Non enim superlugetis perditionem impiorum.

SŬPERMĂLĔDĪCO, dīcis, dictum, dīcere, a. 3. insuper maledico. *Rufin.* ex *Orig. Hom.* in *Num.* 15. 3. Quid supermaledicam, quem non supermaledicit Dominus? Cf. voc. seq.

SŬPERMĂLĔDICTUM, i, n. 2. (supermaledico) maledictio cum indignatione prolata. *Rufin. loc. cit.* in voc. præced.

SŬPERMANDO, is, ere, a. 3. post rem aliquam mansam aliam mandendo superingero, *rimasticare*, ἐπιμασσάομαι. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 33. (65). Raphanos supermandi ex mulso aceto jubent.

SŬPERMĔANS, antis, particip. *V.* SUPERMEO.

SŬPERMENSUS, a, um, particip. *V.* SUPERMETIOR.

SŬPERMĔO, as, are, n. 1. Part. *Supermeans.* — Supermeo est superfluo sive superlabor, ὑπερρέω. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (224). Quædam vero (*aquæ*) etiam dulces inter se supermeant alias, ut in Fucino lacu. Adde *Ammian.* 24. 1. 7. — Absolute *Solin.* 37. *circa med.* Supermeantes naves.

SŬPERMĒTĬOR, mētīris, mensus sum, mētiri, dep. 4. Part. *Supermensus.* — Supermetior est supra metior. *Tertull. Anim.* 38. Ceterum proprie naturalis concupiscentia unica est alimentorum solummodo, quam Deus in primordio contulit: et secundæ post diluvium geniturae supermensus est. *h. e.* magis contulit, majore liberalitate mensus est alimenta hominibus.

SŬPERMĪCO, as, are, n. 1. supra mico.

I.) Proprie, transitivorum more. *Avien.* in *Arat.* 846. de *Scorpio.* tepidumque supermicat Austrum. Alii divisim leg. *super micat.*

II.) Translate. *Seneca* 3. *Benef.* 32. *sub fin.* Etiamsi, quæ retuli exempla, nondum satisfaciunt, nec beneficia parentum suorum supermicant. *h. e.* superant, magis illustria et insignia sunt. *Lips.* ex *vet. Codicib.* legit *superinjiciunt.*

SŬPERMISCĔO, es, ere, a. 2. commisceo. *Cyprian.* ad *Demetr.* 9. ex *Vulg. interpr. Ital. Os.* 4. 2.

SŬPERMISSUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERMITTO, mittis, mīsi, missum, mittere, a. 3. Part. *Supermissus.* — Supermitto est superaddo, superinfundo, *mettere o infondere sopra, aggiungere. Apic.* 5. 3. Componis porros, lucanicas concisas: iterum pisa supermittis. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 60. Supermisso liquore in aquam vertere. Adde *Plin. Valer.* 1. 6. *et* 50. *Itin. Alex.* 18. (*al.* 46). et *Marcell. Empir.* c. 36. *p.* 140. — Cum addito Dat. *Justin.* 12. 14. *in fin.* In aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.

SŬPERMŎLĀRIS, e, adject. qui supra molam est, ut Lapis supermolaris, apud *Ambros. De Tob.* 21. *n.* 83.

SŬPERMŎLĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. prætergredior, transeo. *Itin. Alex.* 45. (*al.* 104). Undecima die, quam supermolitus est illic, Alexandriam venit.

SŬPERMUNDĬĀLIS, e, adject. qui supra mundum est, cælestis, ut Supermundiales substantiæ, apud *Tertull. Anim.* 18.

SŬPERMŪNĬO, is, ire, a. 4. a superiore parte munio. *Colum.* 9. *R. R.* 7. *circa med.* Convenit alvearia porticibus supermuniri.

SŬPERMŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. alia post aliam mutatio. *Augustin. Serm.* 95. *n.* 2. ed. *Mai.*

SŬPERNANS, antis, particip. ab inusit. *superno*, supernatans, *galleggiante. Macrob.* 7. *Saturn.* 12. 14. Mellis pars, quæ in imo est, supernante pretiosior est. Alii leg. *supernatante.* — Apud *Gell.* 9. 9. *Hertz* pro *supernantia* leg. *supereminentia.*

SŬPERNAS, ātis, adject. omn. gen. (supernus) qui est supra, ὁ ἄνωθεν.

I.) Proprie, ut Abies supernas, quæ ad mare superum, hoc est Adriaticum, nata est: et contra *infernas*, quæ nata est ad mare inferum sive Tyrrhenum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (196). Ideo Romæ infernas abies supernati præfertur. Adde *Vitruv.* 2. 10. *Id.* 15. 12. Supernatia Persica e Sabinis veniunt. *Inscript.* sub Decio Imp. ann. a Chr. n. CCLI. apud *Reines. cl.* 3. *n.* 88. ARGENTARII ET EXCEPTORES ITEMQVE NEGOTIANTES VINI SVPERNAT. ET ARIMIN. *h. e.* vini, quod e regionibus ad superum mare sitis Romam importabatur. — Partem terræ supernatem apud *Capell.* 6. *p.* 196. *V.* in INFERNAS.

II.) Translate, ab *Augusto* in *Epist. ad Mæcen.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. vocatur per jocum Mæcenas *adamas supernas, Tiberinum margaritum* etc., quum aut adamantes supernates, aut margarita in Tiberi nulla sint. — Hinc

Supernas, atis, m. 3. absolute, substantivorum more, ventus, qui a superi maris regionibus, si Romæ sis, spirat. *Vitruv.* 1. 6. *a med. de ventis.* Circa Septentrionem Thrascias et Gallicus: dextra ac sinistra circa Aquilonem Supernas et Boreas.

SŬPERNASCOR, nascĕris, nātus sum, nasci, dep. 3. Part. *Supernatus.* — Supernascor est supra vel insuper nascor.

I.) Proprie. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 15. (45). Supernato caulè, quem magydarim vocarunt. Alii leg. *superenato.* et *Cels.* 8. 2. Supernatis gravibus ulceribus aut fistulis. *Arnob.* 2. 61. *Reiff.* Supernatum sit aliquid an ortus primogeniosque habeat. Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. *init.*

II.) Translate. *Cur. Fortunat. Art. rhet.* 1. 18. Quomodo sic supernascitur qualitas qualitati?

SŬPERNĂTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERNĂTO, as, āvi, are, n. 1. Part. *Supernatans.* — Supernato ¶ 1. Est supra nato, *soprannuotare,* ἐπινέω. *Apul.* 6. *Met.* Credemus etiam, Phryxum arieti supernatasse. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 179. Tabulis adhuc supernatabat extimis. ¶ 2. Est etiam in aquæ alteriusque liquoris superficie fluito, *galleggiare,* ἐπιπολάζω. *Colum.* 12. *R. R.* 9. Deinde arido spissamento fœniculi sic comprimi, ut jus supernatet. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 35. (134.). Quod supernatat, butyrum est. *Id.* 7. *ibid.* 15. 13. (65). Supernatans bitumen. Adde *Augustin.* 15. *Civ. D.* 27. ¶ 3. Et supra spargor. *Avien. Progn.* 87.

SŬPERNĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERNASCOR.

SŬPERNĀVĬGO, as, are, n. 1. supra navigo. *Gloss. Labb.* Ἐπιπλέω, supernavigo. — Translate. *Paulin. Nolan. Ep.* 23. Supernavigare sæculum.

SŬPERNĒ, adverb. et præpos. (supernus) Postrema syllaba longa est: sed corripitur, ut inferne, a *Lucret.*, ubi tamen alii leg. *superna:* item ab *Horat.* et *Prudent.* V. APPRIMA. Cf. *Neue, Formenl.* 2. 518. ¶ 1. Superne, qua adverbium — *a*) Est desuper, de parte superiore, *di sopra.* *Virg.* 6. *Æn.* 658. unde superne Plurimus Eridani per silvam labitur amnis. Adde *Horat. Art. P.* 4. *Liv.* 1. 25. Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit. — *b*) Ponitur etiam pro supra, in parte superiore. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (95). Argentum superne innatat, ut oleum aquis. — *c*) Item pro sursum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 25 (76). Solum enim hoc genus superne tendit, non, ut cetera, in terram. — *Peccare superne* apud *Horat.* 2. *Sat.* 7. 64. est equitare amasium suum, quod de femina dicitur, quæ eo Veneris schemate utitur, de quo *Boccaccio Giorn.* 9. *nov.* 3. Ita *Furlanetto.* *V.* Interpretes et voc. PENDULUS. ¶ 2. Superne, qua præpositio, est supra, et construitur cum Accus. *Cæs. German. Phæn.* 456. (ex *Grot.* conject.). Cui cauda superne Centaurum lucet.

SŬPERNEXĪVUS, a, um, adject. (super et necto) qui supra nectit, ut Conjunctiones supernexivæ apud *Asper. p.* 553. 22. *Keil.*

SŬPERNĪTAS, ātis. f. 3. (supernus) altitudo. *altezza.* *Tertull. advers. Valentinian.* 7. supernitates supernitatum *dixit.*

SŬPERNŌMĬNO, as, āvi, are, a. 1. ¶ 1. Est post alium nomino vel nomen profero, ἐπονομάζω. *Augustin.* 2. *Locut.* in *Exod.* 20. 24. Quod Græcus (*interpres*) habet ἐπονομάσω; *supernominavero* aut *annominavero* expressus dicitur. Cf. *Vulgat. loc. cit.* ¶ 2. Est etiam cognomine appello vel cognomen tribuo, *dare il soprannome.* *Tertull. Apolog.* 18. Ptolemæorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant.

SŬPERNŬMĔRĀRĬUS, a, um, adject. (super et numerus) qui est supra numerum vel ultra numerum statutum, *soprannumerario.* *Veget.* 3. *Milit.* 18. Supernumerarii equites. — Hinc

Supernumerarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more. — *a*) In re militari. *Veget.* 2. *Milit.* 19. *sub fin.* Accensi, hoc est postea additi, quam fuisset legio completa, quos nunc supernumerarios vocant. — *b*) Extra rem militarem. *Augustin. in Ps.* 146. *n.* 9. — *c*) In domo Augusta. *Cod. Theod.* 6. 30. 15. *et* 17.

SŬPERNŬMĔRĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

SŬPERNUS, a, um, adject. (super) qui supra est, superior, ὑπέρτερος (It. *posto di sopra, superiore, superno;* Fr. *placé en haut, supérieur;* Hisp. *alto, superior;* Germ. *oben–, oberhalb befindlich;* Angl. *that is above, on high*). ¶ 1. Generatim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. Vice dentium continuum os superna parte oris. *Id.* 2. *ibid.* 56. 57. (147). Superna vulnera. *Gell.* 12. 2. *circa med.* Lac, adventante partus tempore, in supernas se partes profert. *Id.* 2. 30. *sub fin.* Aquilones, qui alti supernique sunt. *Lucan.* 6. 733. Stygiasque canes in luce superna Destituam. *h. e.* solis, respectu Inferorum. — In illo *Horat. Epod.* 1. 29. Neque ut superni villa candens Tusculi. *Bentlej.*, assentiente *Lehrs,* multis argumentis contendit *supini* legendum esse et *Markland* conjecit *superbi:* sed utraque conjectura *Kellero* minime necessaria videtur. Hinc omnino legend. esse *superni* monent recentiores plerique omnes. *V.* quæ ad *h. l.* fuse disserit cl. *Fea.* ¶ 2. Speciatim est superus, cælestis. *Lucan.* 6. 430. supernis Detestanda deis sævorum arcana magorum Noverat. *et* 9. 556. vita tibi semper directa supernas Ad leges, sequerisque deos. *Ovid.* 15. *Met.* 128. numenque supernum Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci. — Hinc

Supernum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, res seu locus supernus vel cælestis. *Ambros. De Jac.* etc. 2. 9. *n.* 38. Superna paradisi mentis vigore penetrare. — *De superno,* et *de, ex supernis,* de parte seu loco superno. *Vitruv.* 10. 16. (*al.* 22.) Picis de superno contra capita hostium etc. Ita leg. *Rose;* alii conjunctim *desuperne.* et *ibid.* 7. (*al.* 12.) De supernis in modiolis emboli masculi *etc.* commoventur. Adde *Tertull. De bapt.* 10. *Ammian.* 19. 7. 5. Ballistæ in humiliora ex supernis valentes. Sic *Gell.* 9. 1. Quum proclivior faciliorque jactus sit ex supernis in infima, quam ex infimis in superna.

SŬPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (super) *Superat* pro *superavit* apud *Lucret.* 5. 396. *Lachmann.* Ignis enim superat et lambens multa perussit. Cf. 1. 71. *et* 6. 587. *V.* plura de hac forma contracta apud *Lachmann.* ad *Lucr. p.* 290. et apud *Müllerum De re metr. p.* 399. — Part. *Superans* sub *A* II. 1. 2. et 3. et *B.* I. 1. et in fin.; *Superatus* sub *B.* II. 1. et 2.; *Superaturus* et *Superandus* sub *B* II. 1. — Supero usurpatur *A*) Intransitive; et etiam *B*) Transitivorum more.

A) Intransitive, est prodeo, exeo, emergo, exsisto (It. *uscire fuori, emergere, soprastare;* Fr. *sortir, s'élever au–dessus de, gagner le haut de, gravir;* Hisp. *salir, evadirse, elevarse, estar sobre;* Germ. *über etwas hinaus–, hervorgehen, –schreiten, emporragen;* Angl. *to go out, be over, stand above*).

I.) Proprie — *a*) Absolute. *Enn.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Superavit gravidus armatis equus. *Virg.* 11. *Æn.* 514. Per deserta jugo superans adventat ad urbem. *et* 2. *ibid.* 219. superant (*angues*) capite et cervicibus altis. — *d*) Cum Abl. termini, a quo, et præp. *ex;* vel cum Acc. termini, ad quem, et præp. *ad* vel *in.* *Plaut. Stich.* 2. 2. 41. Radiosus ecce sol superabat e mari. Alii leg. *sese sol superabat.* *Stat.* 4. *Theb.* 458. Quamquam infossus humo, superat tamen agger in auras. Alii *ad auras.*

II.) Translate. ¶ 1. Est victorem seu superiorem existere, præstare, prævalere, excellere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 80. nostra superat manus. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Quibuscum sæpenumero Helvetii congressi superarint. *Id.* 3. *ibid.* 14. Qua nostri milites facile superabant. *Id.* 5. *ibid.* 31. Superat sententia Sabini. *Liv.* 29. 30. Superare numero militum. *Id.* 9. 32. Virtute Romanus superat. *Id.* 3. 16. Tantum superantibus malis. *Nepos Ages.* 3. Hostes superare equitatu quum videret. *Plin.* 7. *Ep.* 1. Si tamen superaverit morbus, denuncio, ne quid mihi detis. *Propert.* 3. 3. 51. Unde salo superent venti, quid flamine captet Eurus. ¶ 2. Item superesse, abundare, superfluere, *abbondare, sopravanzare, essere più del bisogno.* *Lucret.* 5. 806. Multus enim calor atque humor superabat in arvis. *Sall. Cat.* 21. Quis tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse? *Id. Jug.* 68. Cui virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant. *Cic.* 2. *Orat.* 19. *sub fin.* In quo et deesse aliquam partem et superare mendosum est. *Id.* 5. *Fin.* 15. *circa med.* De eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. *Id.* 13. *Att.* 46. *sub fin.* Siquid æri meo alieno superabit et emptionibus. *Liv.* 3. 5. Superante multitudine, hostes carpere multifariam vires Romanas, ut non suffecturas ad omnia, aggressi sunt. *Id. ibid.* 17. Comitia interim in foro sunt, velut quum otium superat. *Virg.* 1. *G.* 189. Si superant fetus (*nucis*), pariter frumenta sequentur. *Id.* 3. *ibid.* 63. superat gregibus dum læta juventus, Solve mares. *h. e.* suppetit, abunde sufficit vires. *Tibull.* 4. 1. 28. quamquam antiquæ gentis superant tibi laudes, Non tua majorum contenta est gloria fama. ¶ 3. Item restare, reliquum esse, *restare.* *Plaut. Truc. prol.* 20. ætas huic si superet mulieri. *Sall. Jug.* 73. Omnes res exsequi solitus erat, quæ Jugurthæ fesso aut majoribus adstricto superaverant. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Quæ superaverint animalia capta, immolant. *Cic.* 5. *Verr.* 84. 195. Quod superaret pecuniæ. *Pompej.* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. Quæ arma superabunt. *Liv.* 22. 40. *a med.* Nihil ex raptis in diem commeatibus superabat. *Horat. Art. P.* 327. dicat si de quincunce remota est Uncia, quid superat? *Propert.* 4. 2. 57. Sex superant versus: te non moror. *Tibull.* 3. 2. 17. Pars quæ sola mei superabit corporis ossa. *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 5. *extr.* Quam hoc Cæsari superet, non te fallit. *Liv.* 29. 7. *a med.* Classis R. a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit. *restando qualche ora del dì.* et *Virg.* 9. *Ecl.* 27. superet modo Mantua nobis. *h. e.* non auferatur, sed nostra remaneat. *Liv.* 45. 23. Quid igitur superat, quod purgemus? *et* 22. 40. Nihil ex raptis superabat. ¶ 4. Item superstitem esse, supervivere, ἐπιβιόω. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque pervenit. *Virg.* 3. *Æn.* 339. Quid puer Ascanius? superatne et vescitur aura? *et* 2. *ibid.* 642. satis una superque Vidimus excidia et captæ superavimus urbi. — In hac postrema significatione non solum adhibetur absolute, neutrorum more, sed accusativo etiam jungitur. *Inscript.* in *Novell. letter. di Firenze T.* 15. *p.* 680. L. PLAVTIO L. F. GAL. EPERASTO VIX. ANN. XXVI. OPTIMO ET PIENTISSIMO L. PLAVTIVS L. F. GAL. EPERASTVS ET SVLPICIA CN. F. FIRMA PARENTES MISERI QVI EVM SVPERAVERVNT. *che gli sopravvissero.*

B) Transitivorum more, est transcendo, supergredior, prætereo, evado, ὑπερβαίνω (It. *passare, sormontare;* Fr. *passer, franchir, monter par-dessus, avoir le dessus, surmonter;*

Hisp. *pasar ultra, propasar, sobrepujar*; Germ. *über etwas gehen, übersteigen, passiren, überragen*; Angl. *to outreach, surpass, surmount*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Enn.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 73. *Müll.* temo superat Stellas. *Lucret.* 3. 1031. pedibus salsas docuit superare lacunas. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Tempestas ex omnibus montibus nives proluit ac summas ripas fluminis superavit. *Virg.* 2. *Æn.* 302. summi fastigia tecti Ascensu supero. *Id.* 3. *G.* 270. superant montes et flumina tranant. *et ibid.* 317. capræ gravido superant vix ubere limen. *Lucan.* 1. 183. Jam gelidas Cæsar cursu superaverat arces. *Liv.* 5. 34. Superare Alpes. *et ibid.* 8. munitiones. *Virg.* 6. *Æn.* 676. jugum. *et* 9. *ibid.* 314. fossas. *Ovid.* 1. *Met.* 317. cacumine nubes. *et* 7. *ibid.* 767. *de vulpe.* Illa levi velox superabat retia saltu. *Tac. Agric.* 33. Superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria, pulcrum ac decorum. *Liv.* 26. 45. Superans genua aqua. *sormontando.* — Translate. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Quam regionem quum superavit animus, finem altius sese efferendi facit. ¶ 2. Hinc speciatim est verbum nauticum, et significat, locum aliquem navigando prætervehi, præsertim si singulari contentione id fiat, ut fretum, promontorium, adversum amnem, contrarium ventum. *Virg.* 1. *Æn.* 247. Intima Regna Liburnorum et fontem superare Timavi. *Lucil.* apud *Serv.* in *hunc loc.* Promontorium remis superamu' Minervæ. *Ovid. Ib.* 595. ubi ventosum superaris naufragus æquor. *Id.* 1. *Trist.* 11. 5. bimarem cursu superavimus Isthmon. *Seneca Octav.* 128. Superatum mare. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 43.

II.) Translate est vinco, excello, antecedo, præsto, superior sum. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cist.* 2. 1. 3. Qui omnes homines supero. *Varro* 1. *R. R.* 50. Ne in ea re sumptus fructum superet. *h. e.* excedat. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Milites, quum frigore et assiduis imbribus tardarentur, tamen continenti labore omnia hæc superaverunt. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* In quo, etiamsi multi mecum contendent, omnes facile superabo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. *init.* Non dubitabam, quin hanc epistolam fama esset ipsa sua celeritate superatura. *Id.* 1. *Tusc.* 1. *a med.* Superare aliquem doctrina et omni litterarum genere. *Id.* 1. *Orat.* 15. 66. arte dicendi. *Id. ibid.* 44. 195. Bibliothecas videtur XII. tabularum libellus utilitatis ubertate superare. *Id. Amic.* 3. 11. Se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. *et ibid.* Superare spem alicujus. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 56. aliquem mobilitate. *Id. Heroid.* 2. 137. ferrum duritia. *Virg.* 5. *Ecl.* 9. Quid, si idem certet Phœbum superare canendo? *Id.* 5. *Æn.* 710. superanda omnis fortuna ferendo est. *Liv.* 29. 8. Superare omnes avaritia. *Nepos Alcib.* 11. splendore et dignitate vitæ. *Id. Dion.* 4. ingenio, auctoritate, amore populi. *Id. Epam.* 2. Doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. *Sil. It.* 10. 347. custos Inachiæ multa superandus nocte juvencæ. *h. e.* Argus. *Id.* 8. 506. Marsya Mygdoniam Phœbi superatus pectine loton. ἑλληνισμός. *Inscript.* apud *Gruter.* 1094. 2. LIBERALITATE IN PATRIAM A MAIORIBVS TRIBVTAS EXEMPLIS SVIS SVPERAVIT. ¶ 2. Speciatim in re militari est armis vinco, debello, profligo, domo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 24. Superare hostes. *Cæs.* 2. *B. C.* 5. Suos cohortatus, quos integros superavissent, ut victos contemnerent. *et ibid.* 22. Equestri prœlio superare hostem. *Id.* 2. *B. G.* 22. Classem magnam superatam esse. *Cic. pro leg. Manil.* 3. 8. Mithridates superatus. *Virg.* 1. *Æn.* 350. clam ferro incautum superat. *Ovid.* 12. *Met.* 364. bello superatus Amyntor. *Nepos Them.* 5. Se a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. *Id. Con.* 4. Quem (*ducem*) neque consilio neque copiis superare possent. *Id. Ages.* 4. Superare Asiam bello. *soggiogare, occupare.* et *Flor.* 2. 6. *med.* Tota insula in una urbe superata est. ¶ 3. Hinc metaphorice extra rem militarem. *Enn.* apud *Cic.* 3. *Rep.* 3. 6. Quem nemo potuit ferro superare nec auro. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 7. Si herum videt superare amorem. *Cic.* 4. *Cat.* 11. 23. Si meam spem vis improborum fefellerit atque superarit. *Id.* 4. *Fin.* 4. 7. Injurias fortunæ facile præceptis superabat. *Liv.* 9. 4. Quam (*necessitatem*) ne di quidem superant. *Virg.* 3. *Æn.* 368. Superare labores. *Id.* 11. *ibid.* 244. casus. *Vellej.* 2. 120. *a med.* difficultates. *Ammian.* 19. 8. 6. Ut incedendi nimietate superarer. — Hinc Part. præs.

Superans, antis, etiam adjective usurpatur; unde Comp. *Superantior*; Sup. *Superantissimus.* — Superans est prævalidus, eminens. *Virg.* 5. *Æn.* 473. Hic victor, superans animis tauroque superbus. *Lucret.* 5. 394. Quum semel interea fuerit superantior ignis Et semel, ut fama est, humor regnarit in arvis. *abbia pigliato forza o siasi ingagliardito.* et *Solin.* 2. Mons superantissimus.

SŬPĔROBDUCTUS, a, um, particip. ab inusit. *superobduco*, superinjectus. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 110. Sed superobducto prædita (*Rebecca*) palliolo.

SŬPĔROBRŬO, rŭis, rŭi, rŭtum, rŭere, a. 3. Part. *Superobrutus.* — Superobruo est re aliqua injecta operio vel opprimo. *Propert.* 4. 4. 89. Dixit et ingestis comitum superobruit (*Tarpejam*) armis. *Auson. Epitaph.* 25. Hic Hecuba injectis perli superobruta saxis.

SŬPĔROBRŬTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPĔROCCĪDENS, entis, particip. ab inusit. *superoccido*, supra aliquem occidens. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 18. *circa med.* Luna soli antecedenti superoccidens.

SŬPĔROCCŬPO, as, are, a. 1. deprehendo. *Virg.* 10. *Æn.* 384. Quem non superoccupat Hisbo. *Alii divisim leg.*

SŬPĔRŎPĔRĬO, is, ire, n. 4. supra operio. *Vulgat. interpr. Ps.* 105. 17. apud *Augustin.* ad h. *Ps.* Terra superoperuit super congregationem Abiron. *Vulg.* habet *terra operuit super.*

SŬPĔRORDĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (superordino) alia super aliam ordinatio. *Ambros. Ep.* 12. *n.* 5.

SŬPĔRORDĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRORDĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Superordinatus.* — Superordino est insuper dispono seu potius insuper novas condiciones addo. *Vulgat. interpr. Gal.* 3. 15. Hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. Adde *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 4.

SŬPERPARTĬCŬLĀRIS, e, adject. Ita appellatur numerus aliquis ad alterum comparatus, qui continet totum minorem et partem ejus aliquam, quam Itali *aliquota* dicunt: idem etiam sesquatus dicitur, ἐπιμόριος. *Capell.* 7. *p.* 251., *Boeth.* 1. *Arithm.* 24. et *Isid.* 3. *Orig.* 6. 11.

SŬPERPARTĬCŬLĀRĬTAS, ātis, f. 3. (superparticularis) condicio numeri superparticularis. *Boeth.* 1. *Arithm.* 32. et 1. *Music.* 6.

SŬPERPARTĬENS, entis, particip. ab inusit. *superpartio*, qui parte aliqua alium superat. Hinc superpartiens numerus vocatur, qui alterum continet integrum et insuper aliquas ejus partes, ἐπιμερής. *Capell.* 7. *p.* 252. De superpartiente: sumamus quinque ad tria; antecedit quinarius ternionem, quod et illum ipsum et ejus duas tertias (*partes*) habet. *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. Superpartiens numerus habet alium totum intra se et ejus insuper aliquas partes, vel duas vel tres vel quattuor, vel quot ipsa attulerit comparatio. Si ergo numerus alium intra se numerum habens ejus duas partes habuerit, superbipartiens nominatur: si vero tres, supertripartiens; quod si quattuor, superquadripartiens; atque ita progredientibus in infinitum fingere nomina licet. Adde *Cassiod. Arithm. p.* 585. et *Isid.* 3. *Orig.* 6. 12. Cf. SUPERPARTICULARIS.

SŬPERPĔNDENS, entis, particip. ab inusit. *superpendeo*: supra pendens, ut Superpendentia saxa, apud *Liv.* 37. 27. *ad fin.*

SŬPERPĔTENS, entis, particip. ab inusit. *superpeto*, instanter petens. *Venant. Vit. S. Leob.* 6. Nec superpetenti daret aliquid superfluum, nec indigenti congruum subtraheret alimentum.

SŬPERPICTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERPINGO, pingis, pictum, pingere, a. 3. Part. *Superpictus.* — Superpingo est supra vel in superiore parte pingo. *Avien.* in *Arat.* 906. Cuncta superpingunt rutilam sua sidera noctem. *Solin.* 17. Pantheræ minutis orbiculis superpictæ.

SŬPERPLAUDO, is, ere, n. 3. super aliquid plaudo. *Solin.* 2. *ad fin. de avibus Diomed.* Aquis imbuunt plumas: ita ædem excusso humore purificant: tunc pinnulis superplaudunt.

SŬPERPONDĬUM, ĭi, n. 2. (super et pondus) pondus auctarium, quod legitimæ sarcinæ adjicitur, *soprappeso, sopraccarico*, ἐπίμετρον. *Apul.* 7. *Met.* Exiguum scilicet et illud tantæ molis superpondium. *Gloss. Lat. Gr.* Superpondium, ὑπέρμετρον.

SŬPERPŌNENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERPŌNO, pōnis, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. Part. *Superponens* I. 1. *c*; *Superpositus* fere in omn. paragr.; *Superponendus* II. 3. — Superpono est supra pono, impono, *mettere sopra, soprapporre*, ὑπερτίθημι.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Ovid. Heroid.* 21. 190. Ægra superposita membra fovere manu. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 42. (146). Galatia superposita. *h. e.* supra sita. — *b*) Cum addito Dat. *Liv.* 1. 34. Superpositum capiti decus. *h. e.* pileus. *Sueton. Claud.* 20. *in fin.* Congestis pilis superposuit altissimam turrim. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (43). Desertis Africæ duas Æthiopias superponunt. *h. e.* sitas esse ajunt. *Colum.* 1. *R. R.* 5. *ante med.* Superponere villam profluenti. *Id.* 4. *ibid.* 24. Brachia vitis jugo superposita præcipitato. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *circa med.* Apodyterio superpositum est sphæristerium. *Capit. Max. et Balbo* 9. Hominis collo superpositum. *Ammian.* 24. 2. 3. Templum arci superpositum. — *c*) Cum Acc. et præp. super. *Cyprian. Ep.* 7. (*al* 11.) Superponens manum super aratrum — *d*) Cum Abl. *Ammian.* 24. 2. 11. Montis interrupta planitie superposita (*arx*). ¶ 2. Speciatim de medicamentis est adpono, *applicare, applicare sopra.* *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (75). Ranæ carnes doloribus oculorum superponunt. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (126). Superponi oportet splenium e melle decoctum. *Sillig.* superimponi. *et ibid.* 2. 10. (38). Vellera medicamentis superponantur. *Cels.* 5. 26. *n.* 35. Malicorium cerato miscere idque superponere. *Scribon. Compos.* 206. Superpositum loco dolenti emplastrum.

II.) Translate. ¶ 1. Est præpono, præficio. *Lactant. Mort. persecut.* 36. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret. *h. e.* Sacerdotales. *V.* SACERDOTALIS. — Absolute. *Inscript.* apud *Gruter.* 581. 7. T. FLAVIO PAEDEROTI AVG. LIB. SVPERPOSITO MEDICORVM etc. *protomedico.* — Cum addito Acc. et præp. *in*. *Liv. fragm. l.* 91. apud *Niebhur p.* 95. Perperna in maritimam regionem superpositus, ut ea, quæ integra adhuc ab hoste sint, tueri posset. — Cf. *Petron. fragm. Tragur.* 56. *Burmann.* Puer super hoc positus officium. ¶ 2. Hinc est præfero. *Seneca Ep.* 58. *ante med.* Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale. *Id. Const. sap.* 19. Superponere animum injuriis. — *Se superponere*, se præferre, apud *Augustin.* in *Ps.* 93. *n.* 21. Superponere se volunt illi, exagitant quasi justum etc. ¶ 3. Item ultra adjicio. *Quintil.* 9. 4. 25. Levioribus superponenda sunt. Adde 8. 4. 6. — Cum Abl. et præp. *in*. *Vulgat. interpr. Eccli.* 23. 2. Quis superponet in cogitatu meo flagella et in corde meo doctrinam sapientiæ? ¶ 4. Est etiam insuper habeo, negligo. *Colum.* 3. *R. R.* 10. *ante med.* Siquam scientiam eligendi malleoli habet, eam propter infirmitatem dissimulat aut superponit. Alii leg. *seponit.* Cf. *Quintil.* 9. 4. 25.

SŬPERPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. (superpono) actus superponendi, *sovrapposizione.* ¶ 1. Generatim. *Augustin.* 2. *Quæst.* in *Hept.* 151. *ad fin.* Manus superpositio. Adde *Vulgat. interpr. Lev.* 23. 15. ¶ 2. Speciatim apud *Cæl. Aurel.* 2.

Tard. 13. et 3. *ibid.* 2. est παροξυσμός, summa morbi accessio, tempus morbi vehementius et exacerbatio per intervalla rediens: quam *in præf. Tard.* superpositionem vocat, et 4. *ibid.* 3. 44. opponit *lenimento*. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 12. *init.*, ubi *superpositio* respondet *epithesi*.

SŬPERPŎSĬTĪVUS, a, um, adject. (superpositus) qui superponit. *Priscian.* 18. *p.* 1163. *Putsch.* Verba, quæ per obtinentiam, id est κατ' ἐπικράτειαν, dicuntur superpositiva, ut *habeo, possideo, teneo* etc. At *Keil* hanc voc. omittit.

SŬPERPŎSĬTUS, a, um, particip. *V.* SUPERPONO.

SŬPERPOSTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. alia ultra debitum postulatio vel exactio. *Cod. Theod.* 7. 4. 28.

SŬPERQUĂDRĬPARTĬENS. *V.* SUPERPARTIENS.

SŬPERQUĂDRĬQUINTUS, a, um, adject. (super, quadrus *et* quintus) *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. Ut qui dicitur superquadripartiens, idem dicatur superquadriquintus.

SŬPERQUAM. *V.* SUPER.

SŬPERQUARTUS, a, um, adject. Ita appellatur numerus major, qui, cum alio numero comparatus, eumdem integrum continet atque insuper quartam ejus partem, quemque *sesquiquartum* vocat *Boeth.* 1. *Arithm.* 24., et *subquarto* opponitur, ἐπιτέταρτος. *Capell.* 7. *p.* 251. Superquartus (*numerus est*), qui ipsum aliquem et quartam ejus (*partem habet*). et *mox.* Superquarti rationem habent quinque ad quattuor. *V.* SUPERDIMIDIUS. Adde *Boeth.* 1. *Arithm.* 28. *ad fin.*

SŬPERQUĂTĬO, is, ere, a. 3. super concutio. *Avien.* in *Arat.* 1205. superquatit ira furorque Matrem. *Alii divisim leg.* super; quatit.

SŬPERQUINTUS, a, um, adject. Ita vocatur numerus major, qui, cum alio comparatus, eumdem integrum continet atque insuper quintam ejus partem, quemque *sesquiquintum* vocat *Boeth.* 1. *Arithm.* 24., et *subsesquiquinto* opponitur. *V.* SUPERDIMIDIUS. Adde *Capell.* 7. *p.* 251.

SŬPERRĀSUS, a, um, particip. ab inusit. *superrado*, supra rasus, *raso di sopra*. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (104). Clavis pedum superrasis.

SŬPERRĪDĔO, es, ere, n. 2. super aliquid rideo. — Cum Dat. *Vulg. interpr. Ital. Prov.* 1. 26. apud *Augustin.* in *Ps.* 51. Ego vestræ perditioni superridebo. Adde *Pseudo-Cyprian. De sing. cler.* 1.

SŬPERRĬGO, as, are, a. 1. supra rigo, inundo. *Sil. It.* 15. 155. Cornu Isthmon curvata sublime superrigat unda. Ita leg. *Heins.*, alii *suberigit*.

SŬPERRĬMUS (superrumus). *V.* SUPERUS.

SŬPERRŬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERRŬO, is, ere, n. 3. Part. *Superruens.* Superruo est super aliquid cado. ¶ 1. Intransitive. — *a*) Cum Dat. *Apul.* 2. *Met.* Ecce uxor flens introrupit et statim corpori superruens etc. — *b*) Absolute. *Ammian.* 16. 12. 53. Acervis superruentium obruti necabantur. ¶ 2. Transitivorum more, cum Acc. *Apul.* 1. *Met.* Atque ego de alto desidens, Socratem superruo.

SŬPERRŬTĬLO, as, are, n. 1. super rutilo. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 196. Tecta corusca superrutilant De laquearibus aureolis.

SŬPERSĂPĬO, is, ere, n. 3. valde sapio. *Tertull. Anim.* 18. Plato illum ait supersapere, qui mente maxime sapiat.

SŬPERSCANDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERSCANDO, is, ere, a. 3. Etiam *superscendo* apud *Tertull. Pœnit.* 10. et 1. *Nat.* 7.; item leg. nonnulli apud *Colum. loc. cit.* — Part. *Superscandens.* — Superscando est sursum ascendo, *salire, andare sopra*, ὑπερβαίνω.

I.) Proprie. *Liv.* 7. 36. Superscandens vigilum strata somno corpora miles. *Colum.* 11. *R. R.* 3. Quam superscandant sentes utriusque sulci. *Schneider* leg. *superscendant*; alii aliter.

II.) Translate. *Tertull.* 1. *Nat.* 7. Hoc superscendit omnem admirationem. *trascende, supera.* Adde *Pœnit.* 10.

SŬPERSCENDO. *V.* voc. præced.

SŬPERSCRĪBO, scrībis, scripsi, scriptum, scrībere, a. 3. Part. *Superscriptus.* — Superscribo est supra scribo, *scrivere sopra*, ἐπιγράφω.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Modestin. Dig.* 50. 10. 4. Præsidis nomen superscribere. *h. e.* inscribere operi novo. *V.* INSCRIBO. *Scholiast. Bob.* ad *Cic. Arch.* 11. *n.* 1. *p.* 359. 4. *B.* Cujus (*libri*) plurimos vērsus vestibulo templi Martis superscripsit Brutus. *Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 123. Quoniam in cellis nomina meretricum fuerant superscripta. ¶ 2. Specialim scripturæ adjicere, puta animadversionis seu adnotationis causa. *Ulp. Dig.* 28. 4. 1. Si inconsulto superscripsit, induxisse se etc. ¶ 3. Et etiam emendandi gratia scripto inscribere. *Gell.* 20. 6. *sub fin.* Quum ita in Catilina (*Sall.* 34.) scriptum esset: Sæpe majores vestrum miseriti plebis Romanæ: *vestrum* obleverunt et *vestri* superscripserunt. *Sueton. Ner.* 52. *extr.* Ita multa et deleta et inducta et superscripta inerant. Adde *Plin.* 7. *Ep.* 12.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Hebr.* 8. 10. In corde eorum superscribam eas (*leges*). Adde *ibid.* 10. 16.

SŬPERSCRIPTĬO (superscribtio), ōnis, f. 3. (superscribo) actus superscribendi, vel id quod supra scriptum est. *Vulgat. interpr. Matth.* 22. 20. Cujus est imago hæc et superscriptio? Adde *Scholiast.* ad *Juvenal.* 5. 34.

SŬPERSCRIPTUS, a, um, particip. *V.* SUPERSCRIBO.

SŬPERSĔDENS, entis, particip. *V.* voc seq.

SŬPERSĔDĔO, sēdes, sēdi, sessum, sĕdere, n. 2. Etiam *supersideo* reperitur in quibusd. Codd., ut apud *Liv.* 38. 51. et *Ammian.* 25. 8. 2. (*V.* infra) Cf. *Dosith. Gramm. p.* 425. 4. *K.* Item *supersido* apud *Capell.* 3. *p.* 58. Decem et octo numero (*litteræ*) supersidunt. — Part. *Supersedens* sub *A* I.; *Supersessus* sub *A* II. 3. *c* et *B.* I. et II.; *Supersedendus* sub *B* II. — Supersedeo est super aliquid sedeo, *sedere sopra*, ἐπικαθίζομαι: usurpatur autem *A)* Intransitive; et aliquando etiam *B)* Transitivorum more.

A) Intransitive.

I.) Proprie. *Sueton. Ner.* 11. Eques R. elephanto supersedens. *Id. Aug.* 96. Aquila tentorio ejus supersedens. *Ammian.* 23. 6. *ad fin.* Supersedere corio damnati ob iniquitatem judicis, judex alius cogebatur. Alii leg. *supersidere.* quod habetur etiam apud *Liv.* 38. 51. Rursus *Ammian.* 25. 8. 2. Supersedentes utribus. *Gardthaus.* leg. *supersidentes.*

II.) Translate ¶ 1. Est præsidere. *Cato R. R.* 5. *sub init.* Villicus sua servet diligenter, litibus familiæ supersedeat. *h. e.* inter jurgia familiæ discernat eaque componat. ¶ 2. Item in sua sententia perstare, manere. *Cyprian. Ep.* 42. (*al.* 45) *n.* 3. Qui obstinatione sua vel furore supersederunt etc. V. *Hartel* in *præf.* ad *Cypr. p.* LIII. de *h. l.* disserentem. Cf. *Augustin. De hæres.* 87. ¶ 3. Item sæpius est cessare ab aliqua re, abstinere, rem institutam omittere: quasi super aliqua re cunctari et sedendo nihil agere, *lasciare, cessare, soprassedere.* — *a*) Cum Dat. vel Abl. *Auct. B. Afr.* 75. Supersedere pugnæ. *Plaut. Epid.* 1. 1. 37. Supersede istis rebus jam. et *Pœn.* 1. 3. 5. Supersede istis verbis. *Turpil.* apud *Non. p.* 40. 7. *Merc.* Supersedere nuptiis. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. prœlio. *Cic.* 4. *Fam.* 2. *sub fin.* Ut supersedeas hoc labore itineris. *Monum. Ancyr.* 1. 1. 22. *p.* LXVIII. *Mommsen.* QVVM PLVRIS TRIVMPHOS MIHI SENATVS DECREVISSET IIS SVPERSEDI. — *b*) Cum Infinito. *Sisenn.* apud *Non. p.* 40. 11. *Merc.* De virtute eorum accusanda proloqui supersedeo. *Liv.* 21. 40. Supersedissem loqui apud vos. *Sueton. Tit.* 7. *a med.* Artifices non modo fovere, sed spectare omnino supersedit. *Val. Max.* 2. 6. *n.* 6. Supersedeo te habere civem. et *ibid* 8. *n.* 6. Moris erat, consules invitari ad cenam, deinde rogari, ut venire supersedeant. — *c*) Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Herenn.* 19. *ad fin.* Complexione supersedendum est, si res brevis est. Sic 1. *Invent.* 20. *a med.* Verborum multitudine supersedendum est. *Liv.* 7. 27. Tributo ac delectu supersessum est. *Id.* 38. 51. Quum hodie litibus et jurgiis supersederi æquum sit.

B) Transitivorum more.

I.) Proprie. *Apul.* 11. *Met.* Ansam supersedebat aspis. — Passive. *Isid.* 17. *Orig.* 9. 52. Aristolochia dicitur, quod mulieribus fetis optima sit, nam supersessa post partum, matricem beneficio vaporis expurgat. *h. e.* superposita.

II.) Translate. *Gell.* 2. 29. *a med.* Cognati et affines operam, quam dare rogati sunt, supersederunt. *supple* dare supersederunt: vel figurate per ἀναστροφὴν locutus est, ut *Virg.* 1. *Æn.* 577. Urbem quam statuo, vestra est. — Passive. *Cic.* 2. *Herenn.* 17. 26. Hæc causa non visa est supersedenda. *Apul. Florid. n.* 18. Sed istis omnibus supersessis, nihil amplius spectari debet, quam etc. *h. e.* omissis.

SŬPERSĒMĬNĀTOR, ōris, m. 3. (supersemino) qui superseminat, *soprasseminatore. Tertull. Anim.* 16. *extr.*

SŬPERSĒMĬNĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERSĒMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Superseminatus* II. — Supersemino est supra semino, *soprasseminare*, ἐπισπείρω.

I.) Proprie. *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 14. ex *Matth.* 13. 25. Zizania superseminet. *Vulg. int. Matth. loc. cit.* Inimicus homo superseminavit zizania in medio tritici. Adde *Augustin.* in *Ps.* 65. 16.

II.) Translate. *Tertull. advers. Prax.* 1. *a med.* Avenæ Praxeanæ superseminatæ.

SŬPERSĔRO, sĕris, sēvi, sĕrere, a. 3. idem ac supersemino. *Arnob.* in *Ps.* 55. Degeitur (*homo*) tritico supersevisse zizanias.

SŬPERSESQUALTER et supersesquialter, tĕra, tĕrum, adject. *Boeth.* 1. *Music.* 4. Quartum est inæqualitatis genus, quod ex multiplici et superparticulari conjungitur, quum scilicet major numerus habet in se minorem numerum vel bis vel ter vel quotienslibet atque ejus unam aliquam partem, et si eum bis habet et ejus dimidiam partem, vocabitur duplex supersesqualter, ut sunt quinque ad duo; sin vero bis minor continebitur et ejus tertia pars, vocabitur duplex supersesquitertius, ut sunt septem ad duo.

SŬPERSESQUĬALTER. *V.* voc. præced.

SŬPERSESQUĬDĔCĬMUS, a, um, adject., ut Supersesquidecima proportio, *Boeth.* 3. *Music.* 1. *p.* 1111. Cf. voc. præc. et seq.

SŬPERSESQUĬSEXTUSDĔCĬMUS, a, um, adject. *Boeth.* 3. *Music.* 1. *p.* 1110. Quoniam vero ad XVI. numerum XVII. numerus comparatus supersesquisextamdecimam obtinet proportionem; unde fit, ut quoniam supersesquisextadecima proportio tonum bis aucta transcendit.

SŬPERSESQUĬTERTĬUS, a, um, adject. *V.* SUPERSESQUALTER.

SŬPERSESSUS, a, um, particip. *V.* SUPERSEDEO.

SŬPERSEXTUS, a, um, adject. ἔφεκτος, appellatur numerus major, qui, cum alio comparatus, eumdem integrum atque insuper sextam ejus partem continet, ut septem ad sex. *V.* SUPERDIMIDIUS.

SŬPERSĪDĔO et

SŬPERSĪDO. *V.* SUPERSEDEO.

SŬPERSĬLĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERSĬLĬO, is, ire, n. 4. Part. *Supersiliens.* — Supersilio est supra salio. *Colum.* 8. *R. R.* 3. *a med.* Perticæ dolantur in quadrum, ne teres lævitas earum supersilientem volucrem non recipiat. — Cum Acc. *Chalcid. Tim.* 220. Habent etiam muta vim animæ, qua *etc.* prærupta et præcipitia supersiliunt.

SŬPERSISTO, sistis, stĭti, sistere, n. 3. supra sisto vel sto, supersto, *stare sopra.* ¶ 1. Intransitive. *Jul. Val.* 3. *res gest. Alex. M.* 86. Ibi demum et fons fictus est, et aquila aurea supersistebat. ¶ 2. Transitivorum more, cum Acc. *Apul.* 8. *Met.* Jamque Charite fremens invadit ac supersistit sicarium. *Id.* 11. *ibid.* Ante deæ simulacrum constitutum tribunal ligneum superstiti.

SŬPERSĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *supersino*, supra positus, *sovrapposto. Inscript.*

apud *Gruter.* 43. 10. Q. MANILIVS PHILVMENVS SICILLVM CVM ARA HVIC ARAE SVPERSIT. ET SCRIPTVRAM EIVS VETVSTATE CORRVPT. RENOVAVIT. *Fabrett.* tamen in *Emend. p.* 1. et *J. B. Molossi* in *Mem. di Lodi p.* XXII. pro *supersit.* legunt *superposuit;* hic vero postremus *ibid.* pro *Manilius* leg. *Manlius.*

SŬPERSŌLĀNĔUS. *V.* SUBSOLANEUS.

SŬPERSŎLĬTUS, a, um, particip. ab inusit. *supersoleo,* consuetus. *Jornand. De regn. succ. p.* 681. ed. an. 1531. Addito supersolito Isauris dono etc.

SŬPERSORBĔO, es, ere, a. 2. insuper sorbeo. *Sex. Placit. De medic.* 16. 30.

SŬPERSPARGO (superspergo), spargis, sparsum, spargere, a. 3. Part. *Supersparsus* et *Superspersus.* — Superspargo est supra spargo, inspergo, aspergo, *spargere sopra,* ἐπιπάσσω. *Cato R. R.* 54. Quæ herbosissima erunt, in tecto condito et sale superspargito. *Alii leg.* spargito. *Plin. Valerian.* 1. 56. Et farinam fabæ superspargес. Adde *Pelagon. Veterin.* 9. 1. *Arnob. advers. Gent.* 7. p. 223. Rebusque his omnibus cunilam superspergere bubulam. *Solin.* 27. *a med.* Gemma viridi colore, stellis puniceis superspersa: et *ibid.* 30. *a med. de camelopardali.* Candidis maculis superspersa. *Alii leg.* supersparsa.

SŬPERSPARSUS et

SŬPERSPERGO. *V.* voc. præced.

SŬPERSPĒRO, as, āvi, are, n. 1. insuper aut valde spero, ἐπελπίζω. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 15. *n.* 23. Et in verbum tuum spero. Græcus tamen ἐπήλπισα habet, quod est supersperavi: quod de eo dicitur, qui semper addit ad sperandum, et quum speravit aliquid, iterum sperat. *Vulg. int. Ps.* 118. 43. habet: in judiciis tuis supersperavi. *Id. ibid.* 90. In verba tua supersperavi.

SŬPERSPERSUS, a, um, particip. *V.* SUPERSPERGO.

SŬPERSPĬCĬO, is, ere, a. 3. (super *et* specio) supra vel ultra suspicio. *Solin.* 1. 97. Superspicere per (*h. e.* super) centum triginta quinque millia passuum.

SŬPERSTAGNO, as, āvi, are, n. 1. restagno, redundo, *allagare di sopra,* ἐπιλιμνάζω. *Tac.* 1. *Ann.* 79. Si amnis Nar in rivos deductus superstagnavisset.

SŬPERSTANS, antis, particip. *V.* SUPERSTO.

SŬPERSTĀTŪMĬNO, as, are, a. 1. statumine supra firmo. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 4. Superstatuminare rudus.

SŬPERSTĀTŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *superstatuo,* qui præter statutum exigitur. *Cod. Theod.* 7. 4. 12, ubi alii male leg. *super statutorum divisim.*

SŬPERSTERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. Part. *Superstratus.* — Supersterno est superextendo, *distendere sopra,* ὑποστρώννυμι. *Liv.* 10. 29. *sub fin.* Obrutum (*corpus consulis*) superstratis Gallorum cumulis erat. *Colum.* 1. *R. R.* 6. *ante med.* Simili modo pavimenta testacea supersternuntur. *Cyprian. Ep.* 59. (*al.* 64.) *n.* 3. Helisæus super infantem viduæ filium se, Deum deprecans, superstravit. — *Ammian.* 16. 8. 10. Superstravit fossam ponte solubili. *pro super fossam pontem solubilem.*

SŬPERSTES, stĭtis, omn. gen. adject. (super *et* sto) *Superstens* pro *superstes* in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 3. 410.; et *superistes* in *Titulo* cœmet. apud *Perrot, Cat. de Rom.* LXXII. 8.: item *superstem* in accus. pro *superstitem,* ut sit a *superstis,* is, nisi per contractionem ita scriptum malis, in *Inscr.* in *Corp. Inscr. Lat.* 6. 6295. — Superstes est qui super stat et præsens adest, ἔφεδρος, παρών (It. *presente; Fr. qui se tient près, qui est présent, témoin;* Hisp. *presente, testigo;* Germ. *der nahe bei etwas ist, gegenwärtig ist, Zeuge;* Angl. *present, testifier*), ut docet *Festus p.* 305. 32. *Müll.* Superstites, testes præsentes significat. cujus rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Plautus in Artemone: Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo hic adest superstes.

I.) Proprie. ¶ 1 Generatim. *Cic. Mur.* 12. 26. Utrisque superstitibus (*præsentibus*), istam viam dico. Formula antiqua ICtorum. Hinc *Serv.* ad *Virg.* 3. *Æn.* 339. Superstes præsentem significat, ut Cicero in Mureniana: Suis utrisque superstitibus. Monent critici, ubicumque post *superstites* additur *præsentes,* hoc videri interpretamentum vocis prioris. *Utrisque superstitibus* significat actore et reo præsentibus. Quod autem apud *Cicer.* præmittitur *suis,* ita legunt totum illum locum: Carmen tum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo usu: Utrisque superstitibus etc. ¶ 2. Specialim est qui post mortem alterius superest et supervivit, περιλιπής, περιγινόμενος (It. *chi sopravvive, superstite;* Fr. *qui reste, qui survit;* Hisp. *sobreviviente;* Germ. *überlebend, am Leben bleibend;* Angl. *surviving*). — *a*) Cum Genet. vel Dat. *Plaut. Asin.* 1. 1. 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ superesse vitæ sospitem et superstitem. *et ibid.* 6. Ut tibi superstes uxor ætatem siet. *Id. Trin.* 1. 2. 19. deos oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat. *Ter. Heaut.* 5. 4. 7. Ita mihi atque huic sis superstes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72. Ut sui sibi liberi superstites essent. *Id.* 6. *Fam.* 2. 3. Quum superstitem te esse rei publ. velis. *Horat. Carm. sæcul.* 42. Æneas patriæ superstes. Adde *Liv.* 2. 7., *Tac.* 5. *Ann.* 8., *Senec. Ep.* 84. etc. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 1. Utinam te non solum vitæ, sed etiam dignitatis meæ superstitem reliquissem. *Sueton Tib.* 62. *extr.* Felicem Priamum putabat, quod superstes omnium suorum extitisset. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (156). Omnium, quos in consulatu sententiam rogaverant, superstites fuere. *Tac.* 3. *Ann.* 4. *extr.* Integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur. — *Superstes sibi* dicitur, qui magnum vitæ discrimen vix evasit et quodammodo revixit. *Seneca Ep.* 30. *ante med.* et *Tac. Agric.* 3. *a med.* — *b*) Absolute. *Horat.* 2. *Od.* 2. 7. Illum aget penna metuente solvi Fama superstes. *Quintil.* 6. *pr.* 6. Liberis superstitibus. ¶ 3. Item qui salvus et incolumis vivit. *Ter. Andr.* 3. 2. 6. Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo: deos quæso, ut sit superstes. *Lucan.* 7. 660. Stante potest mundo Romaque superstite, Magnus Esse miser.

II.) Translate dicitur de rebus. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Ovid.* 11. *Met.* 552. Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor, Frangitur et regimen spoliisque animosa superstes Unda, velut victrix sinuataque despicit undas. *Alii* superbit. *Stat.* 8. *Theb.* 471. Ille ingens in terga jacet, stat fronte superstes Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Ovid.* 3. *Art. am.* 127. nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis. *Id.* 3. *Amor.* 15. 20. Post mea mansurum fata superstes opus. *Martial.* 10. 48. *a med.* cenisque tribus jam perna superstes. *ch' è avanzato.* — Cum Infinito. *Stat.* 6. *Theb.* 94. *de silva perantiqua.* nec solos hominum transgressa veterno Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes.

SŬPERSTĪCĬO, ōnis, et

SŬPERSTĪCĬUM, ii. *V.* SUPERSTITIO.

SŬPERSTILLO, as, are, a. 1. supra stillo, *gettare sopra a goccia a goccia. Apic.* 6. 7. *ad fin.* Superstillabis oleum, piper asperges. Adde 9. 13.

SŬPERSTIS. *V.* SUPERSTES.

SŬPERSTĪTĬO, ōnis, f. 3. (superstes) Scribitur et *superstitio,* et etiam *supersticium,* ex more permutandi litt. *t* et *c,* ut in *Gloss. Gr. Lat.* Δεισιδαιμονία, supersticium, superstitio, religio. — De origine et signi ficatu nominis hæc habet *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. *a med.* Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Contra *Lactant.* 4. 28. *sub fin.* Superstitiosi vocantur, non quia filios suos superstites optant (omnes enim optamus), sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi, tamquam deos Penates. *V.* SUPERSTITIOSUS et *Döderlein Lat. Syn. v.* 6. *p.* 358. — Superstitio est religio quæcumque, sed sæpius delira et anilis, ut ait *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 117., in qua inest timor inanis deorum, *superstizione,* δεισιδαιμονία, ἐθελοθρησκεία. ¶ 1. Superstitio sæpius in malam partem sumitur, sensu, quem modo exposuimus. *Cic.* 2. *Divinat.* 63. 129. Superstitio ægrorum. *Id. ibid.* 72. 148. Superstitio hominum imbecillitatem occupavit. *Id.* 1. *ibid.* 4. 7. Superstitione obligari. *Id.* 1. *Legg.* 11. 32. confligari. *Id.* 1. *Nat. D.* 42. 117. liberari. *Id.* 1. *Fin.* 18. 60. imbutus. *Liv.* 26. 19. captus. *Tac.* 1. *Ann.* 85. infectus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 417. Superstitio magna. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 79. tristis. *Cic.* 2. *Divinat.* 4. 7. anilis. *Tac.* 15. *Ann.* 44. exitialis. *Quintil.* 3. 7. 21. Judaica. *Id.* 4. 4. 5. Superstitiones novas inducere. *Seneca Ep.* 123. *sub fin.* Superstitio error insanus est: amandos timet; quos colit, violat. *Tac.* 12. *Ann.* 59. Magicas superstitiones objectare alicui. — Hinc translate. *Quintil.* 4. 2. 85. Superstitione præceptorum contra rationem causæ trahi. ¶ 2. Interdum in bonam partem, pro religione. *Virg.* 12. *Æn.* 817. *de Styge.* Una superstitio superis quæ reddita divis. Ubi *Servius:* religio, metus: eo quod superstet capiti omnis religio. *Justin.* 39. 3. 8. His tot necessitatibus sanguinis adjicit superstitionem templi, quo abdita profugerit. *h. e.* sanctitatem. *et* 41. 3. 6. In superstitionibus atque cura deorum, præcipua omnibus veneratio est. — Hinc translate *Seneca Ep.* 95. *circa med.* Virtutis quadam superstitione tenentur: hanc ament, cum hac vivere velint. Adde *Marcell. Empir. c.* 26. *p.* 122. *retro med.* ¶ 3. Ceterum universim *superstitiones* dicuntur externarum gentium religiones a Romanorum more abhorrentes. *Tac. Agric.* 11. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasiones. Cf. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. et *Vulgat. interpr. Act.* 25. 19. V. etiam *Orell.* ad *Tac.* 13. *Ann.* 32. et 15. *ibid.* 44. et *Germ.* 43.

Homonym. Differt *superstitio* a *religione,* quod, ut ait *Lactant.* 4. 28., hæc est veri cultus, illa falsi. Aliter *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 117. Horum sententiæ omnium non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor deorum, sed etiam religionem, quæ deorum cultu pio continetur. *V.* etiam RELIGIO init.

SŬPERSTĬTĬŌSĒ, adverb. (superstitiosus) ¶ 1. Proprie cum superstitione. *Cic.* 3. *Nat. D.* 39. 92. Neque id dicitis superstitiose et aniliter, sed physica constantique ratione. *Id.* 1. *Divinat.* 55. *ad fin.* Fatum non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa æterna etc. ¶ 2. Translate est nimis sollicite et diligenter. *Quintil.* 1. 1. 13. Non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Græce aut discat, sicut plerisque moris est. *Id.* 10. 6. *a med.* Cogitatis superstitiose inhærere. *scrupolosamente.* et *Gell.* 1. 25. Inducias superstitiose definire.

SŬPERSTĬTĬŌSUS, a, um, adject. (superstitio) Comp. *Superstitiosior;* Sup. *Superstitiosissimus.* — Superstitiosus est superstitione imbutus, *superstizioso,* δεισιδαίμων. ¶ 1. Generatim. — *a*) Fere in malam partem. *Non. p.* 432. 2. *Merc.* Sed vere superstitiosi proprietatem ex hoc habent, quod præ cultura deorum superseдeant, id est, negligant cetera. *Nigid.* apud *Gell.* 4. 9. Superstitiosa religione se alligare. *Cic.* 2. *Divinat.* 57. 118. Superstitiosi philosophi. *Id. ibid.* 41. 86. sollicitudo. *Id. Dom.* 40. dedicatio. Cf. 1. *Nat. D.* 42. 117. *Tertull. Scorp.* 2. Superstitiosissimum sæculum. — Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 81. Imbecilli animi superstitiosa concipiunt. Sic *Theophr. Char.* 16., *Diod.* 1. 62. 4. 51. et *Plut. De adul. c.* 16., *De superst. c.* 10. — *b*) In bonam partem sumi videtur apud *Vulgat. interpr. Act.* 17. 22. Per omnia quasi superstitiosiores vos video. *h. e.* præ ceteris Græcis religioni deditі. Sic *Xenoph. Cyr.* 3. 3. 58. et *Arist. Polit.* 5. 11. ¶ 2. Specialim dicitur interdum de eo, qui aliquid divinat. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 27. Superstitiosus hic quidem est; vera prædicat. *Id. Rud.* 4. 4. 95. Quid si ista aut su-

persitiosa aut bariola est, atque omnia, quidquid infit, vera dicet? *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. ex *Poeta*. Missa sum superstitiosis hariolationibus. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 167.

SŬPERSTĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* supersto. ¶ 1. Intransitive est superstes et incolumis sum, supersum, *essere sano e salvo*, περιγίνομαι. *Plaut. Pers.* 3. 1. 3. Ut mihi supersit, superet ac superstitet. ¶ 2. Transitivorum more est servare sive incolumem præstare. *Enn.* apud *Non. p.* 170. 14. *et* 176. 3. *Merc.* Regnumque vestrum ut sospitent superstitentque.

SŬPERSTO, stas, stĕti, stare, n. 1. Part. *Superstans.* — Supersto est supra aliquid sto, *stare sopra*, ἐφίστημι: occurrit autem tum intransitive tum transitivorum more. ¶ 1. Intransitive. — 1.°) Generatim est, ut diximus, supra stare. — *a*) Cum Dativo. *Liv.* 40. 2. Atrox cum vento tempestas signa in circo maximo cum columnis, quibus superstabant, evertit. *Id.* 10. 28. Essedis carrisque superstans hostis armatus, ingenti sonitu equorum rotarumque advenit. *Id.* 28. 7. Armati ruinis superstantes instar munimenti erant. *Sueton. Galb.* 23. Statuam ei decreverat rostratæ columnæ superstantem. — *b*) Absolute. *Sall. Jug.* 60. Nostri primum resistere, deinde, ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ, qui superstiterant, afflicti sunt. — *Liv.* 10. 5. Forte quodam loco male densatus agger pondere superstantium in fossam procubuit. — 2.°) Speciatim superstes sum, *Ennod. Epigr.* 6. 1. Corpore devicto moritur quicumque, superstat, Dant leti legem crimina sola homini. ¶ 2. Transitivorum more, apud Poetas, supra stando occupo, detineo. *Virg.* 10. *Æn.* 540. Quem congressus agit campo lapsumque superstans Immolat. *Ovid. Heroid.* 10. 123. Ossa superstabunt volucres inhumata. *Stat.* 2. *Theb.* 713. Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans.

SŬPERSTRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPERSTERNO.

SŬPERSTRICTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERSTRINGO, stringis, strictum, stringere, a. 3. Part. *Superstrictus.* — Superstringo est supra stringo, constringo. *Sidon.* 4. *Ep.* 20. Penduli ex humero gladii balteis supercurrentibus superstrinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Alii leg. *strinxerant.* et *Apul.* 11. *Met.* Nam compressis in artum feminibus et superstrictis accurate manibus, quantum nudo licebat, velamento me naturali probe muniveram.

SŬPERSTRUCTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERSTRŬO, strŭis, struxi, structum, strŭere, a. 3. Part. *Superstructus.* — Superstruo est superædifico, *sopra fabbricare*, ἐποικοδομέω.

I.) Proprie. *Seneca* 1. *Controv. procem. ad fin.* Hoc fundamentum tot et tantis superstructis molibus obruebatur. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit. *Apul.* 10. *Met.* Desuper pulvillis superstruunt.

II.) Translate. *Quintil.* 1. 4. 5. Quidquid superstruxeris, corruet. Adde *Rufin.* ex *Orig. select.* in *Ps.* 17. *v.* 15.

SŬPERSUBSTANTĬĀLIS, e, adject. qui supra substantiam est. *Vulgat. interpr. Matth.* 6. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Græce est ἐπιούσιος (ὁ ἄρτος), ab ἐπιέναι, *h. e.* ad crastinum diem spectans (victus), *sc.* necessarius aut sufficiens: hinc optime *ibid.* sibi respondent ἐπιούσιος et σήμερον, *h. e.* ab uno ad alterum diem sufficiens. Alii cum *Rosenmüller* (*Schol.* ad *h. l.*) et *Kamphausen* (*d. Gebet d. Herrn p.* 86.-102.) interpretantur *qui adest* vel *præsto est*, ab ἐπεῖναι; alii cum *Origene* et *Eutymio*, ex vetustiorib., et *Tholuck, Bleek, Kuinoel*, ex recentiorib., *sustentandæ vitæ inserviens*, et *Vulg. int. Luc.* 11. 3. vertit *quotidianus*. Non enim probandum, quod ab οὐσία derivetur, instar vocum ἐξούσιος, ἐνούσιος, in sensum philosophicum, ut sit idem ac ὕπαρξις apud *Platon. Theæt. p.* 185. c et *Arist. De part. anim.* 1. 1. Cf. *Cavedoni Lex. Evang.* et *Grimm Lex. Gr.-Lat.* etc. ad h. v.

SŬPERSUM, es, fŭi, esse, n. anom. *Superescit* pro *supererit.* Ennius: Dum quidem unus homo Romæ toga superescit. Et Accius in Chrysippo: Quin hic superescit (*al. leg.* quin huic, si superescit), Spartam atque Amyclas trado. Hæc *Fest. p.* 302. 30. *Müll.* Sunt qui sumant pro *superest*, sed V. *Müllerum ibid. p.* 386. — Per tmesin interdum dividitur aut invertitur. *Plaut. Curc.* 1. 1. 85. Si quid super illi fuerit, id nobis sat est. *Virg.* 2. *Æn.* 567. Jamque adeo super unus eram. *Nepos Alcib.* 8. Atheniensibus præter arma et naves nihil erat super. Adde *Ovid.* 2. *Fast.* 748. et *Tac.* 1. *Hist.* 20. Cf. SUPER. — Part. *Superfuturus* II. 1. — Supersum est supra aliquid sum, exsto, emineo (It. *soprastare, emergere, apparire*; Fr. *être élevé au-dessus, dépasser, être proéminent, saillant*; Hisp. *sobrepujar, ser saliente*; Germ. *über etwas sein, hervorragen*; Angl. *to be or stand upon or over, overcome*).

I.) Proprie. *Val. Flacc.* 6. 760. Armaque, quique cava superest de casside vultus. *apparisce dalla visiera.*

II.) Translate. ¶ 1. Est fere reliquus sum, resto, *sopravanzare, restare*, περίειμι, περιγίνομαι. *Enn.* apud *Gell.* 1. 22. Inde sibi memorat unum superesse laborem. Adde *eumd.* apud *Fest. loc.* supra *cit.* *Ter. Heaut.* 4. 5. 23. Sed porro ausculta quod superest fallaciæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Ex eo prœlio circiter milia hominum CXXX. superfuerunt. *et ibid.* 23. Quod omnino biduum supererat, quum exercitui frumentum metiri oporteret. *et* 5. *ibid.* 22. *ad fin.* Quum non multum ætatis superesset. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 108. ut mihi vivam Quod superest ævi, si quid superesse volunt di. *Virg.* 5. *Æn.* 615. heu tot vada fessis Et tantum superesse maris! *Cic.* 5. *Cat.* 10. *extr.* Hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitæ cædi restitisset. *Poll.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 33. *ad fin.* Qui supersunt de Hirtii exercitu, confluant ad eum. *Scævola Dig.* 17. 1. 60. *a med.* Nullam actionem superfore ad recipiendum. *Ovid.* 3. *Fast.* 675. Nunc mihi cur cantent, superest... Dicere. Adde 14. *Met.* 145. — *Quod superest*, quod restat, quod reliquum est, ceterum. *Cic.* 9. *Att.* 19. *extr.* Quod superest, scribe, quæso, quam accuratissime, quid placeat. *del rimanente, del resto.* et *Phædr.* 2. *epil.* Quoniam occuparat alter, ne primus forem, Ne solus esset, studui: quod superfuit. ¶ 2. Item superstitem esse, *sopravvivere*. *Plaut. Asin.* 1. 1. 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ superesse vitæ sospitem et superstitem. *Liv.* 27. 49. Ne superesset tanto exercitui suum nomen secuto. *Id.* 1. 34. Lucumo superfuit patri, bonorum omnium heres. ¶ 3. Item abundare, affluere, *abbondare, ridondare*, in utramque partem. *Ter. Phorm.* 1. 2. 19. Cui tanta res erat et supererat. *et ibid.* 3. 10. Aliis, quia defit quod amant, ægre est: tibi quia superest, dolet. *Cic.* 2. *Orat.* 25. *a med.* Ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam neque supersit. *Id.* 13. *Fam.* 63. Vereor, ne mihi jam superesse verba putes, quæ dixeram defutura. Adde *Varron.* apud *Gell.* 1. 22. *Tac. Germ.* 6. Ne ferrum quidem superest. Cf. *Agric.* 26. et 44. et 1. *Hist.* 51. — Huc pertinet illud *Cic. fragm.* apud *Gell. ibid.* Nec vero scientia juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. In quo loco, inquit *Gellius*, superfuit significare videtur, supra fuit et præstitit superavitque suos doctrina sua superfluenti. ¶ 4. Item suppetere. *Virg.* 3. *G.* 10. Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, Aonio rediens deducam vertice Musas. Hoc in loco, inquit *Gell. ibid.*, Virgilius ἀκυρωτέρῳ verbo usus videtur, quod, supersit dixit pro longinquius diutiusque adsit. ¶ 5. Item superiorem esse. *Gell. ibid.* Illud contra ejusdem Virgilii est aliquanto probabilius (3. *G.* 126.) Pubentesque secant herbas fluviosque ministrant Farraque, ne blando nequeam superesse labori. Significat enim, inquit *Gell.*, esse supra laborem, neque opprimi ab eo. ¶ 6. Denique aliquando positum est pro adesse, favere, advocatum esse culpiam causamque ejus defendere: neque in compitis solum usurpatum est, ut ait *Gell. loc. cit.*, neque tantum in plebe vulgaria, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. *August.* apud *Sueton. Aug.* 56. Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur. *Gell. loc. cit.* hunc usum vehementer improbat. ¶ 7. In illo *Varron. Sat. Menipp.* 60. *p.* 172. *Oehl.* Ea potissimum, quæ simul sint βιωφελῆ et delectent potius, ut id quodque videatur non defuisse magis quam superfuisse. *superfuisse* est immo dice et intempestive fuisse. V. *Oehler* ad *h. l.*

SŬPERSŪMO, sūmis, sumptum, sūmere, a. 3. Part. *Supersumptus.* — Supersumo est ultra debitum vel abundantius sumo. *Plin. Valerian.* 1. 61. Supersumere humorem. *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 111. Vini cyatho supersumpto.

SŬPERSUMPTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPERSUS, a, um, adject. idem ac superstes. *Plaut. fragm. Truc.* (edente *A. Maio*) p. 31. Tu nunc supersus solus sermoni meo. *h. e.* præsens es. Itane legendum?

SŬPERSUSPENSUS, a, um, particip. ab inus. *supersuspendo*, supra suspensus. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. 50. Immobilis et supersuspensa palpebrarum et superciliorum positio. *Alii divisim leg.*

SŬPERTECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERTĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. Per tmesin dividitur a *Tertull.* 3. 2. 10. Candidaque ossa super nigra favilla teget. — Part. *Supertectus.* — Supertego ¶ 1. Est insuper tego, *coprire di nuovo*, ἐπικαλύπτω. *Colum.* 9. *R. R.* 14. *a med.* Et quamvis porticu protecta vasa, nihilo minus congestu culmorum et frondium supertegemus. Adde *Sever. Ætn.* 429. ¶ 2. Pro simplici tego, intego, *coprire*. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. Liberatos omnibus pullis testa supertegere debebis aut cortice. *Apul.* 11. *Met.* Superiorem exutus tunicam supertexit me celerrime. *Justin.* 43. 4. 7. Plures frondibus supertectos induci vehiculis jubet. *Veget.* 2. *Milit.* 25. Supertegere tabulata.

SŬPERTENDO, is, ere, a. 3. supra aut valde intendo.

I.) Proprie. *Augustin.* in *Ps.* 70. *serm.* 2. *n.* 11. Concavum lignum, cui chordæ supertenduntur.

II.) Translate, neutrorum more. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. *a med.* In augmento tumores supertendunt.

SŬPERTERRĒNUS, a, um, adject. qui supra terram est. *Tertull. Resurr. carn.* 49.

SŬPERTERTĬUS, a, um, adject. ¶ 1. Dicitur numerus major, qui, cum alio comparatus, eumdem integrum atque insuper tertiam ejus partem continet, quique sesquitertius etiam vocatur, et quidem *subtertio* opponitur, ut quattuor ad tria. *V.* SUPERDIMIDIUS. ¶ 2. *Supertertius* tamen etiam vocatur a vetustioribus, qui a recentioribus subtertius appellatur. *Censorin. De dienat.* 10. *a med.* Quum earum (*chordarum*) pondera inter se collata rationem haberent, quam tria ad quattuor: quem phthongum arithmetici Græci ἐπίτριτον vocant, Latini supertertium.

SŬPERTEXO, texis, textum, texere, a. 3. Part. *Supertextus.* — Supertexo est supra texo. *Avien. Or. mar.* 127. Supertexi solum. *Veget.* 2. *Milit.* 25. Supertextis tabulatis.

SŬPERTEXTUS, a, um, partic. *V.* voc. præc.

SŬPERTOLLO, is, ere, a. 3, sustollo, *inalzare*. *Commodian. Instruct.* 61. 2. Nec me supertollo. *h. e.* elatius me gero, nec superbio.

SŬPERTRĀHO, is, ere, a. 3. supra aliquid traho, *tirare o trascinare sopra*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (173). Semen protinus injiciunt cratesque dentatas supertrahunt.

SŬPERTRANSĔO, is, ivi vel ii, ire, a. 4. supra vel ultra transeo. *Ambros.* in *Ps.* 37. *n.* 29. Iniquitates meæ supertransierunt caput meum.

SŬPERTRĬPARTĬENS. *V.* SUPERPARTIENS.

SŬPERTRĬQUARTUS, a, um, adject. *Boeth. p.* 1009.

SŬPĔRUNCTĬO, ōnis, f. 3. (superungo) actus superungendi. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. 34. Synanchicis convenit sanguinis detractio, oris collutio et superunctiones tenuabiles.

SŬPĔRUNCTUS, a, um, particip. *V.* SUPERUNGO.

SŬPĔRUNDO, as, are, n. 1. superinundo, superabundo. — Translate. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 183. crescente Fide superundat gratia Christi. *sovrabbonda.*

SŬPĔRUNGENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPĔRUNGO (superunguo), ungis, unxi, unctum, ungere, a. 3. Part. *Superungens* et *Superunctus.* — Superungo est supra ungo, superillino, *ungere di sopra*, ἐπαλείφω. *Cels.* 7. 7. *n.* 1. Deinde superungi collyrio debet ex bis aliquo, quo lippientes oculi superunguntur. Alii legunt *superinungi* et *superinunguntur.* et *Ambros. Ep.* 80. *n.* 6. Lutum fecit et superunxit oculos ejus. Sic *Rufin.* 2. *Hist. Eccl.* 4. Eodem luto oculos suos superungens. *Scribon. Compos.* 29. Hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras facit.

SŬPĔRURGENS, entis, particip. ab inusit. *superurgeo*, desuper urgens. *Tac.* 2. *Ann.* 23. *extr.* Quo levarentur alvei (*navium*) manantes per latera et fluctu superurgente.

SŬPĔRUS, pĕra, pĕrum, adject. (super). — *a*) Scribitur et *super* pro *superus*, ut *infer* pro *inferus*, apud *Caton. R. R.* 149. Ubi super inferque vicinus permittet. Sic *Lucret.* 1. 650. Naturam, quam totus habet super ignis, haberent. — *b*) Forma *superum* in Genet. plur., pro *superorum*, usurpant passim *Lucret.*, *Virg.*, *Ovid.*, *Lucan.*, *Martial.*; at *superorum* dixit aliquando *Ovid.*, ut 4. *Fast.* 4. 19. et 1. *Pont.* 1. 43. Ceterum *deum* et *divum*, *virum*, *liberum*, *nummum* etc., syncop. pro *deorum* etc., tralaticia sunt. Cf. *Müller De re metr. p.* 378. *et seq.* — Comp. *Superior* sub *B*; Sup. *Superrimus*, a quo et *Supremus* et *Summus*, sub *C*. — Superus est in superiore parte positus, altus, editus, ὁ ἄνω (It. *superno, alto*; Fr. *qui est en haut, qui est au-dessus, haut*; Hisp. *alto, elevado*, Germ. *d. obere, oberhalb befindlich*; Angl. *above, upper, on high*): cui *inferus* opponitur.

A) Positiv. *Superus.* ¶ 1. Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. 14. Quum superum lumen nox intempesta teneret. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 31. Quom portæ Phrygiæ limen superum scinderetur. Cf. *Merc.* 5. 1. 1. Limen superum inferumque salve (et *Nov.* apud *Non. p.* 336. 13. *Merc.*). *Id. Aulul.* 2. 7. 3. Faciam, ut in puteo cenam coquant. Inde coctam sursum subducemus corbulis. Si autem deorsum comedent, superi incenati sunt et cenati inferi. *Lucret.* 6. 854. Quippe ubi sol nudum contractans corpus aquai Non quierit calidum supera de reddere parte, Quum superum lumen tanto fervore fruatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Sunt enim e terra homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium. *Id.* 1. *Tusc.* 26. 64. Ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. Adde *ibid.* 18. 42. *Id.* 2. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Hicetas cœlum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet. Cf. 1. *ibid.* 41. 127. — *Superum mare*, et absolute *superum*, est Adriaticum et Ionium. *V.* INFERUS. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, quæ in terra atque inter homines fiunt, quum de Inferis sermo est. *Virg.* 7. *Æn.* 562. *de Alecto.* Cocytique petit sedem, supera ardua linquescens. *Id.* 6. *ibid.* 680. Inclusas animas superumque ad lumen ituras. *Id.* 2. *ibid.* 90. pater superis concessit ab oris. *h. e.* vita functus abiit ad plures. *Ovid.* 5. *Met.* 641. quæ me superas eduxit prima sub auras. *Lucan.* 7. 769. infectumque aera totum Manibus et superam Stygia formidine noctem. ¶ 3. Item de cælestibus. *Liv. Andronic.* apud *Priscian.* 4. *p.* 606. *Putsch.* Inferus an superus tibi fert deu' funera, Ulixe? *Plaut. Cist.* 2. 1. 36. at ita me di deæque superi atque inferi et medioxumi. *Ter. Phorm.* 4. 4. 6. Ut te quidem omnes di deæque superi, inferi Malis exemplis perdant. *Horat.* 1. *Od.* 1. 30. Me doctarum hederæ præmia frontium Dis miscent. *Id.* 2. *Ep.* 1. 138. Carmine di superi placantur, carmine manes. *Catull.* 55. 4. templum superi Jovis. *h. e.* Capitolini: et dictum est ad distinctionem *inferni*, h. e Plutonis. Cf. *Senec. Herc. Fur.* 48. — Hinc absolute

Supera, adverbiorum more. *V.* SUPRA init.

Superi, orum, m. plur. 2. ¶ 1. Sunt viventes, superstites, *i viventi*, quibus opponuntur vita functi. *Vellej.* 2. 48. de *Pompejo.* Quam apud superos habuit magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. *Val. Flacc.* 1. 792. Tunc excite, parens, umbris, ut nostra videres Funera, et oblitos superum paterere dolores? Adde *Virg.* 6. *Æn.* 128. et *Senec. Hippol.* 145. *Inscript.* in *Bullett. arch. Neap. a.* 1854. *p.* 152. L. ANTESTIVS CELER. POMPONIAE ANTESTIAE CONIVGI SVAE CARISSIMAE B. M. F. (*sc.* benemerenti fecit) ET SIBI ET SVPERIS SVIS. *Minervini* hoc loco *superos* interpretatur non *posteros*, sed *majores*, qui ad superos transierint; sed, ut recte ait *De-Vit*, vox de superstitibus commode sumi potest. Sic *alia* apud *Rénier n.* 3008. VOS SVPERI BENE FACITE DIV VIVITE ET VENITE. ¶ 2. Sæpius *Superi* dicti sunt dii, qui cælum seu loca superiora habitant, quibus opponuntur *Inferi*, qui inferiora incolunt. *Virg.* 10. *Æn.* 34. Quæ Superi Manesque dabant. *Id.* 1. *ibid.* 4. terris jactatus et alto Vi Superum. *Lucret.* 6. 33. ratio superum cœlique tuenda. *Ovid.* 1. *Met.* 161. illa propago Contemptrix Superum. *Id.* 13. *ibid.* 70. Aspiciunt oculis Superi mortalia justis. *Id.* 4. *Trist.* 4. 19. Caussa tua exemplo Superorum tuta duorum. Rursus *Virg.* 4. *Æn.* 379. Scilicet is Superis labor est! *Id.* 7. *ibid.* 312. Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. *Id.* 2. *ibid.* 141. te per Superos et conscia numina veri Oro. *Horat.* 1. *Od.* 6. 16. Ope Palladis Tydiden Superis parem. — *Id. ibid.* 10. 19. Superis deorum Gratus et imis. — Hinc illæ appellationes *o Superi! pro Superi! Ovid.* 14. *Met.* 729. et 1. *Trist.* 2. 59., ubi etiam distinguuntur a diis maris; ut a Manibus seu inferis, apud *Virg.* 7. *Æn.* 312. Adde *Ovid.* 1. *Met.* 196.

Superum, i, n. 2. res supera. *Virg.* 6. *Æn.* 788. Omnes cælicolæ, omnes supera alta tenentes. *Id.* 6. *ibid.* 240. talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. — Hinc *de supero* vel *ex supero*, de vel ex superiore parte, *d'alto, dall'alto. Plaut. Amph.* 3. 4. 17. illuc sursum escendero: inde optime cispellam virum; De supero, quum huc accesserit, faciam ut sit madidus sobrius. Adde *Lucret.* 6. 511. *Id.* 2. 225. Incidere ex supero. Sic *ibid.* 248. Ex supero quum præcipitant. Cf. *Lachmann* ad *Lucr. p.* 375.

B) Compar. *Superior* m. et f., *ius* n., gen. *oris*, apud Italos *superiore, più alto*, ἀνώτερος.

I.) Proprie est de loco. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 3. 1. 3. in superiore qui habito cenaculo. *Id. Most.* 1. 1. 42. neque superior accumbere (*potest*). *V.* ACCUMBO. *Pompon.* apud *Non. p.* 429. 16. *Merc.* Urbis superiorem locum inscende. Cf. *Ribbeck Com. Lat. reliq. p.* 214. *Cœs.* 2. *B. G.* 23. Ex loco superiore in ipsis fluminis ripis prœliabantur. *Id.* 7. *ibid.* 46. Inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis castris compleverant. *Cic. Cœcin.* 17. 50. Dejectus vero qui potest esse quisnam nisi in inferiorem locum de superiore motus? *Id.* 12. *Att.* 10. Tota domus superior vacat. *Id.* 4. *Invent.* 40. 117. Ex superiore et ex inferiore scriptura docendum est, quod quæritur, fieri perspicuum. — *b*) Speciatim de loco, unde quis dicit. *Id.* 3. *Orat.* 6. 23. Sive ex inferiore loco sive ex æquo sive ex superiore (*loquitur*). Cf. 3. *Fam.* 8. 2. *Id.* 4. *Verr.* 42. 102. De loco superiore dicere. Sic 3. *ibid.* 5. 14. Agere cum populo Rom. de superiore loco. *sc.* Rostris. — *c*) *Mare superius*, idem est ac mare superum, apud *Liv.* 41. 1. — *d*) *Superior provincia* dicta, quum in duas partes dividitur, quæ Romæ propior erat; inferior, quæ remotior Romæ. *Borghesi* in *Ann. dell' Istit. archeol. a.* 1845, *p.* 20.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus. *Cœs.* 2. *B. C.* 5. Omnis juventus omnesque superioris ætatis etc. *Id.* 7. *B. G.* 58. Superioribus diebus. *h. e.* præteritis. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Quid proxima, quid superiore nocte egeris. *Id.* 5. *Fam.* 17. Superioribus temporibus ad te nullas litteras misi. *Id. Harusp. resp.* 8. 15. Anno superiore. *Id. Dom.* 37. 99. Utriusque temporis fructum tuli maximum: superioris, quod etc. posterioris, quod etc. *Nepos Thrasyb.* 3. Superior crudelitas. *Id. Dion.* 1. Superior Dionysius. *h. e.* senior, prior. Sic *Cic.* 7. *Verr.* 10. 25. Superior Africanus. *Id. Senect.* 8. *a med.* In superiore vita. *Varro* 2. *R. R.* 10. Ad majores pecudes ætate superiores, ad minores etiam pueros (*pastores habendos*). et *Cic. Orat.* 34. 120. Superiores (*homines*). h. e. priores, majores. *Sall. Jug.* 99. Omnibus superioribus prœliis. ¶ 2. Item ad vires et fortunam. *Cœs.* 5. *B. G.* 15. Equites hostium cum equitatu nostro conflixerunt, ita tamen ut nostri omnibus partibus superiores fuerint. *Nepos Alcib.* 4. *extr.* Quo facto multo superiores bello esse cœperunt. *Id. Phoc.* 3. Populus superior factus duces adversariæ factionis patria pepulit. *Cic. post redit. ad Quirit.* 9. 22. Superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exæquari. ¶ 3. Item ad genus et dignitatem. *Id.* 2. *Orat.* 52. 209. Invident homines maxime paribus aut inferioribus *etc.*, sed etiam superioribus invidetur. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. Philippum Macedonum regem rebus gestis superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. *et mox.* Ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius. *Id.* 2. *Fam.* 18. Habes enim neminem honoris gradu superiorem. *Vellej.* 2. 101. 1. Cui omnem honorem, ut superiori, habuit. — Hinc absolute

Superior, oris, m. 3. qui auctoritate aliis præstat eosque regit, *il superiore. Cassiod.* 4. *Variar.* 3. Collegis gratia, superioribus humilitate placuisti. *Serv.* ad *Virg.* 12. *Æn.* 652. Contumelia est nomine superiorem vocare. *chiamare col suo nome un superiore.*

Superiora, orum, n. plur. 3. loca superiora. *Ambros.* 3. *Hexaem.* 2. *n.* 9. In superiora se subrigere. Adde *Vulgat. interpr. Act.* 10. 9. etc.

Superius, adverbialiter, superiore parte, supra, *superiormente*, ἄνω. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 8. *a med.* Quum sol processit, alia superius rapiuntur, alia diffunduntur tepore. *in alto.* et *Pallad.* 1. *R. R.* 34. Si fons desit aut imprimendus est puteus aut piscina superius construenda, ut illinc aquas pluvia conferente, hortus rigetur. *sopra terra.* et *Phœdr.* 4. 24. Quantum valerent inter homines litteræ, Dixi superius: nunc etc. *di sopra.* Sic *Auct. B. Hisp.* 28. et 34. *in fin.* Ut superius demonstravimus.

C) Superlativi triplex est forma, h. e. *superrimus, supremus, summus.*

I.) *Superrimus* (*superrumus*), *a, um*, agnoscitur a *Varron.* 6. *L. L.* 5. et 7. *ibid.* 51. *Müll.* Sic *Charis.* 2. *p.* 130. *Putsch.*, ubi tamen *supremus* leg. *Keil.*

II.) *Supremus, a, um*, per syncop. a *superrimus*, ut *Varro* docet *loc. cit.* in hac voce. — Duplici *pp* scribitur *suppremus* apud *Fest. p.* 305. 22. *Müll.* et in *Inscr.* apud *Manut.* in *Orthogr.* et in *alia* apud *Mazoch. de Ascia p. m.* 130.; sed contra est frequentior usus et poetarum auctoritas primam sæpe corripientium, inquit *Forcellinus.* — *Supremus*, ut docet *Isid.* 10. *Orig.* 242., dicitur ab eo quod supereminet. et *Fest. loc. cit.* Supremus modo significat summum: alias extremum: alias maximum. Est igitur proprie altissimus, summus, *sommo, il più alto*, ὑπέρτατος. ¶ 1. Proprie. *Lucret.* 1. 274. montesque supremos Silvifragis vexare flabris. *Virg.* 4. *G.* 460. At chorus æqualis Dryadum clamore supremos Implerunt montes. *Horat. Epod.* 17. 69. Optat supremo collocare Sisyphus In monte saxum. *Seneca Œdip.* 95. Suprema rupes. *Alii leg.* superna. *Claudian. III. cons. Honor.* 167. stetit arce suprema Algenti qua zona riget Saturnia tractu. *h. e.* altissima cœli parte. ¶ 2. Translate. —

— 1.°) Refertur ad ordinem, et est extremus, ultimus, novissimus, *ultimo, estremo*, ἔσχατος. *Ovid. Remed. am.* 114. Supremam bellis imposuisse manum. *Martial. Spectac.* 2. Et quem supremæ Tethyos unda ferit. *h. e.* maris Britanniam alluentis. *Colum.* 10. *R. R.* 294. Jubare exorto jam nocte suprema. *h. e.* ultima parte noctis. *Claudian. B. Get.* 554. Ligurum regione suprema. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 100. Suprema sors. *h. e.* ultima, quæ Plutoni obtigit post Jovem et Neptunum. *et ibid.* 261. fine supremo. *h. e.* extrema telæ parte. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 3. Supremo te sole domi, Torquate, manebo. *al tramonto.* — 2.°) Item ad tempus. — Hinc — *a*) *Suprema tempestas*, et *suprema* absolute, olim erat occasus solis: postea sic dicta est pars diei inter eam, quæ *de meridie* dicitur, et vesperam, ut docet *Censorin.* mox afferendus. Nomen habuit ex eo, quod erat ultimum diei tempus, quo agi in foro licebat. In leg. XII. Tab. apud *Fest.* p. 305. 28. *Müll.* SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. *Varro* 6. *L. L.* 5. *Müll.* Suprema summum diei. hoc tempus duodecim Tabulæ dicunt occasum esse solis: sed postea lex prætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremam pronunciavit populo. *Gell.* pleniorem refert XII. Tabular. locum 17. 2. ANTE MERIDIEM CAVSAM CONSCITO QVOM PERORANT AMBO PRAESENTES POST MERIDIEM PRAESENTI STLITEM ADDICITO SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. *Censorin. De die nat.* 24. Meridies, quod est medii diei nomen: inde de meridie: hinc suprema, quamvis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII. Tabulis scriptum sic: SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Sed postea M. Plætorius trib. pleb. scitum tulit, in quo scriptum est: PRAETOR VRBANVS QVI NVNC EST QVIQVE POSTHAC FVAT DVOS LICTORES APVD SE HABETO ISQVE VSQVE AD SVPREMAM IVS INTER CIVES DICITO POST SVPREMAM SEQVITVR VESPERA etc. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). de *horolog.* Accensus consulum, a columna Mænia ad carcerem inclinato sidere, supremam pronunciabat. *Plaut. Asin.* 3. 3. 4. Mater supremam mihi tua dixit, domum ire jussit. Ita *Turneb.* Alii leg. *supremum.* Priore lectione adluditur ad morem indicendi supremam, post quam dimittebantur in judiciis actores et rei. Alterâ ad morem dicendi novissima verba (ut est apud *Virg.* 6. *Æn.* 231.) in funeribus. — *b*) *Supremus* sæpissime dicitur de ultimo vitæ tempore, morte, funere, exsequiis. *Cic.* 1. *Phil.* 14. 34. Acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum. *Id.* 2. *Legg.* 9. 22. INCESTVM PONTIFICES SVPREMO SVPPLICIO SANCIVNTO. *Tibull.* 1. 1. 73. suprema mihi quum venerit hora. *Ovid.* 6. *Fast.* 668. Supremi tori. *h. e.* lecti funebres. *Id.* 1. *Amor.* 15. 42. ignes. *h. e.* rogi. *Virg.* 11. *Æn.* 61. Mille viros, qui supremum comitentur honorem. *h. e.* exsequias. *Petron. Sat.* 112. Corpus supremo officio mandare. *h. e.* sepulturæ. *Catull.* 64. 151. Supremo in tempore deesse alicui. *h. e.* quum in vitæ discrimine versatur. *Sil. It.* 7. 708. suprema ac fœda precari. *h. e.* ut aliquis te occidat. *Id.* 5. 416. Suprema mors. *h. e.* ultimus vitæ finis. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 2. 171. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 447., *Stat.* 3. *Theb.* 70., *Apul.* 7. *Met.* etc. *Virg.* 8. *Æn.* 583. hæc genitor digressu dicta supremo Fundebat. *h. e.* post quem non erat amplius filium visurus. *Ovid.* 8. *Met.* 521. (et 3. *Trist.* 3. 87.) sociamque tori vocat ore supremo. *h. e.* moribundo nec amplius locuturo. *Quintil.* 6. 3. *a med.* et *Plin.* 7. *Ep.* 20. et 31. Suprema hominum judicia. *h. e.* testamenta. *Id.* 9. *Ep.* 19. Supremi tituli. *h. e.* inscriptiones sepulcrorum. *Plin. alter* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (29). Nero in suprema ira duos calices crystallinos fregit. *h. e.* mox occidendus. Sic 7. *ibid.* 45. 46. (150). Augusti suprema cura. *et ibid.* 37. 37. (124). Suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 289. Phrygiæ casus venisse supremos. *h. e.* excidium. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 190. Trojæ sors suprema. *Martial.* 5. 32. et 39. Supremæ tabulæ. *testamento.* Sic *Cod. Theod.* 16. 7. 3. Suprema scriptura. *Id.* 9. 1. 5. actio. *h. e.* actio criminalis, quam premit suprema pœna. — 3.°) Item ad dignitatem et magnitudinem, et est præcipuus, primus, maximus. *Plaut. Capt.* 4. 1. 1. Juppiter supreme serva me. *Vet. Poeta* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (115). Reginæ Junonis supremi conjugis templum. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 14. nam tu me antidhac Supremum habuisti comitem consiliis tuis. — Veteres teste *Festo loc. cit.* et *Gell.* 11. 1., duas oves et triginta boves *supremam multam* dixerunt. *h. e.* maximam. Sic *Virg.* 3. *Æn.* 590. macie confecta suprema Ignoti nova forma viri. — Hine absolute

Supremæ, arum, f. plur. 1. suprema voluntas. Hinc *prætor supremarum* in *Inscr.* apud *Henzen n.* 6454., *sc.* voluntatum. *Borghesi* (in *Ann. Inst. arch. a.* 1853. *p.* 195.), ut ibi adnotat idem *Henzenius*, nomine tantum a prætore fideicommissario, qui dicitur, illum differre credit. Cf. *Cajum Dig.* 2. 278. et *Ulp.* 25. 12.

Supremum, i, n. 2. res ultima, suprema. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 803. Ventum ad supremum est. Adde *Vulgat. interpr. Sap.* 4. 19. ¶ 2. Speciatim in plur. num. *suprema* — *a*) Dicuntur mors, funus. *Quintil.* 6. *procœm. a med.* Quo ille animo mensium octo valetudinem tulit! ut me in supremis consolatus est! *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (93). Hercules torva facie sentienteque suprema. *Id.* 16. *ibid.* 44. 86. (236). Circa suprema Neronis. *Id.* 7. *ibid.* 3. 3. (33). Supremis divi Augusti. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Solvere suprema militibus. *et* 3. *ibid.* 49. Carmine suprema alicujus deflere. *Id.* 4. *Hist.* 59. Agitare de supremis. *pensar di ammazzarsi.* et *ibid.* 44. Planctus et lamenta et supremorum imago præsenti circumdata. *Tac.* 12. *Ann.* 66. Claudius admotus supremis. *vicino a morte.* et 6. *ibid.* 50. Appropinquare supremis. *Quintil. Declam.* 8. 10. Longe ventura suprema prospicere. *et ibid.* Vidimus frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes. *Virg.* 6. *Æn.* 213. Cineri suprema ferre. ¶ 3. Item *suprema* interdum sunt τὰ λείψανα, reliquiæ et cineres cadaveris in rogo combusti. *Solin.* 1. *a med.* Priscorum testantur molem Orestis suprema. *Ammian.* 25. 9. *in fin.* Quum Juliani supremis Procopius mittitur, ea humaturus in suburbano Tarsensi. ¶ 4. Item ultima voluntas, *testamento. Quintil. Declam.* 1. 2. Neque gravissimum patrem suprema sua juveni jactasse crediderim. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti. *Papinian. Dig.* 29. 1. 36. Miles in supremis ordinandis, ignarus uxorem esse prægnantem etc.

Supremum et

Supremo, adverbiorum more, supremo tempore, ultima vice, novissime. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 53. 115. (277). Anima exitura supremo. *sul fine della vita.* et *ibid.* 37. 55. (150). Ut neque ab homine supremum eos (*oculos*) spectari fas sit. *sul punto della morte.* et *Ovid.* 12. *Met.* 526. Quæ mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum. *per l'ultima volta.* Sic *Tac.* 4. *Hist.* 14. Liberi a parentibus supremum dividuntur. *per non vedersi mai più.* et *Quintil. Declam.* 6. 6. *ad fin.* Supremum et in æternum. *Virg.* 3. *Æn.* 67. animamque sepulcro Condimus et magna supremum voce ciemus. *V.* CONCLAMO.

III.) *Summus, a, um*, pro *supmus*, syncop. a *supremus*; unde etiam Comp. *Summior* apud scriptores inferioris notæ, ut *Eustath.* 1. *Hexaem.* 10. Cf. Lat. *proximior* et Gr. ἠλαχιστότερος. Cum adverbiis ad vim augendam, apud *Claud. Quadrig. Ann.* 1. *fr.* 15. V. *Gell.* 6. 11. Apprime summus. *et Plin. Valerian.* 1. 38. Valde summus. — Summus est altissimus, *sommo, il più alto*, ὕψιστος, ὑπέρτατος. ¶ 1. Proprie est de loco. — 1.°) Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti Mœnia concubia vigiliisque repente cruentant. *Id.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. Ipse (*Thyestes*) summis saxis fixus asperis, evisceratus. *Id.* apud *Donat. ad Ter. Eun.* 3. 5. 42. Qui templa cæli summa sonitu concutit. *Cato R. R.* 38. Si parum altam fornacem habebis, ubi facies, lateribus summam struito aut cementis cum luto summam extrinsecus oblinito. Quum ignem subdideris, si qua flamma exibit, nisi per orbem summum, luto oblinito. *Plaut. Men.* 1. 2. 56. Summum oportet olfactare vestimentum muliebre: nam ex istoc loco spurcatus nasum odore inlutili. *Id. Cas.* 2. 6. 33. In aqua summa. *Id. Mil. glor.* 4. 4. 14. Non tu scis, quom ex alto puteo sursum ad summum escenderis, Maximum periculum inde esse, ab summo ne rursum cadas? Nunc hæc res apud summum puteum geritur. *alla cima del pozzo.* et *Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. mento summam attingens siti enecatus (*Tantalus*). et apud *Quintil.* 8. 3. 48. Saxea est verruca in summo montis vertice. *Titin.* apud *Charis.* 2. *p.* 192. *Putsch.* De ædi summa, quo avolavit gallus gallinaceus. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Labienum summum jugum montis ascendere jubet. *Id.* 2. *ibid.* 23. *extr.* Summum locum castrorum petere cœpit. *Cic.* 4. *Fin.* 23. 64. Qui ad summam jam aquam adpropinquant, et qui sunt in profundo. *a fior d'acqua.* et 1. *Divinat.* 24. 48. In summa columna. *Id. Planc.* 7. 17. In summa sacra via. *Nepos Hannib.* 9. Amphoras complures complet plumbo: summas operit auro. *h. e.* summam amphorarum partem. *Virg.* 12. *Æn.* 434. Summa oscula. *a fior delle labbra.* Huc pertinet illud *Senec.* 1. *Ira* 16. *a med.* Non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhærere. *h. e.* non insidere, non penetrare. Rursus *Virg.* 5. *Æn.* 819. per æquora summa. *et* 6. *ibid.* 678. cacumina summa. *et* 1. *ibid.* 110. fluctu in summo pendere. Sic 6. *ibid.* 357. summa prospicere ab unda. *et* 4. *ibid.* 168. Summus vertex. *Cic.* 6. *Verr.* 53. *extr.* urbs. *la parte più alta della città.* et *Colum.* 12. *R. R.* 56. cutis. *Lucan.* 2. 211. In fluvium primi cecidere, in corpora summi. *Quintil.* 6. 4. *in fin.* Eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima et summa ponantur. — 2.°) Speciatim de loco in tricliniis seu conviviis. *Cic.* 1. *Phil.* 15. 37. Idem quum a summis, mediis, infimis, quum denique ab universis hoc idem fit, non plausum illum sed judicium judico. — *Summus* in mensa, qui et *superior*, dicitur tum de lecto tricliniari, tum de conviva, qui primus et ad caput lecti accumbit. *V.* ACCUMBO. *Plaut. Pers.* 5. 1. 15. Tu, Sagaristio, accumbe in summo (*lecto*). *Horat.* 2. *Sat.* 8. 20. Summus ego et prope me Viscus Turinus et infra, si memini, Varius. *V.* et in fin. — 3.°) *Summus digitus* idem ac medius. *V.* DIGITUS. *Atejus Capito* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. Medium et minimum (*digitum*) vitaverunt, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum; et electus est qui ab utroque clauditur et minus officii gerit, et ideo servando anulo magis accommodatus est. *Inscript.* apud *Murat.* 139. 1. IN DIGITO MINIMO ANVLI DVO GEMMIS ADAMANTINIS DIGITO SEQVENTI ANVLVS POLYPSEPHVS ZMARAGDIS ET MARGARITO IN DIGITO SVMMO ANVLVS CVM ZMARAGDO etc. ¶ 2. Translate. — 1.°) Refertur ad tempus et est extremus, ultimus, *ultimo*, ἔσχατος. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 140. Sicut hæc est præstituta summa ei argento dies. *Virg.* 2. *Æn.* 324. Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniæ. *Horat.* 3. *Od.* 28. 13. Summa carmina (*cantabimus*) quæ Caldon-tenet. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 29. Quum ætas summa esse cœperat. *Id.* 13. *Fam.* 60. Sæpe hieme summa navigavit. *Id.* 8. *Phil.* 10. 31. Quum esset summa senectute et perdita valetudine. Sic *Non. p.* 400. 31. *Merc.* Vixit ad summam senectutem optima valetudine. — *Summum tempus*, quum agitur de summa re, quum summa res in discrimen venit. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 46. Summo reipublicæ tempore veteranos ad libertatem populi R. cohortatus est. Sic *Flacc.* 3. 6. In summo et periculosissimo rei publ. tempore. — 2.°) Item ad dignitatem, præstantiam, gradum, et est maximus, amplissimus, singularis, perfectus: in bonam atque malam partem. *Ennius* apud *Non. p.* 402. 3. *Merc.* Annos multos longinque ab domo bellum gerentes summa industria. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *p.* 499. *Jan.* Romani scalis summa nituntur opum vi. *Id.* apud *Paul. Diac. p.* 123.

14. Müll. Summus ibi capitur meddix, occiditur alter. Id. apud Non. p. 116. 28. Merc. Juppiter, tibi, summe, tandem male re gesta gratulor. Id. apud Prob. ad Virg. 6. Ecl. 31. Juppiter, tuque adeo summe Sol, qui omnes res inspicis etc. Id. apud Cic. 3. Tusc. 19. 44. Ex opibus summis opis egens, Hector, tuæ. Plaut. Cist. 2. 1. 40. Juno filia et Saturnus patruus et summus Juppiter. Id. Amph. 1. 3. 6. Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum. Id. Merc. 1. 1. 49. Summo clamore dicere. Id. Asin. 2. 2. 20. (et Horat. 1. Sat. 3. 7.) Summa vox. Id. Capt. prol. 30. De summo loco summoque genere captum esse equitem ex Alide. et Most. 5. 2. 20. Quod faciunt summis nati generibus. et Cic. 2. Fam. 18. Tres fratres summo loco nati. h. e. nobili, illustri. Cœl. apud Cic. 4. Tusc. 32. 68. Amorem deum qui non summum putet. Cic. 3. Off. 8. 35. Quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum. Id. 3. Nat. D. 29. 73. In amore suave est summo summaque inopia. Ter. Andr. 3. 3. 9. Summum bonum heræ esse deputabam hunc Pamphilum. Id. ibid. 1. 1. 12. Quod habui summum precium persolvi tibi. Id. ibid. 74. unicam gnatam suam Cum dote summa filio uxorem ut daret. Acc. apud Cic. 3. Nat. D. 26. 68. Quod re in summa summum esse arbitror periculum. Sic Cic. pro leg. Manil. 5. 12. Quid quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Virg. 9. Æn. 199. Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis? h. e. gloriosis, laudabilibus. Sall. Cat. 12. Summum scelus. Id. Jug. 31. gloria. Id. Cat. 20. lubido. et 31. lascivia. et 58. turpitudo. Id. Jug. 25. vis. Cæs. 1. B. G. 31. cruciatus. Cic. Amic. 10. 33. puerorum amores. Id. 6. Verr. 21. 46. artificium. Id. Quinct. 17. 55. sanctimonia ac diligentia. Id. 2. Orat. 1. 1. prudentia. Id. 16. Att. 16. bonitas et æquitas causæ. Id. 5. Fam. 2. laus. Id. 4. Verr. 53. 121. ambitio. Id. Amic. 4. 15. voluntatum, studiorum, sententiarum consensio. Id. Quinct. 2. 8. copia facultasque dicendi. Id. 1. Fin. 1. 1. studium litterarum. Id. 15. Att. 19. desperatio. Id. 1. ibid. 1. amici existimatio. Id. Quinct. 4. 14. (et Lucret. 4. 1156.) honor. Id. ibid. 2. 10. injuria. Id. 2. Fin. 11. 34. inscitia. Id. 3. Off. 8. 39. malum. Id. 6. Verr. 40. 86. hiems. il colmo, il cuor dell' inverno. et Liv. 39. 12. religio. Nepos Phoc. 1. paupertas. Cic. 1. Fam. 9. circa med. Qui et summa voluntate cessarit, et egregia animi alacritate abfuerit. h. e. omnino libenter. Id. Quinct. 17. 55. Nævius ridet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus. Id. ad Pompej. post ep. 11. l. 8. ad Att. a med. Existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. Phædr. 4. 2. vulpes alta in vinea Uvam adpetebat, summis saliens viribus. h. e. maximis, totis. Spartian. Hadrian. 23. Capite nudo et in summis plerumque imbribus atque frigoribus. h. e. imbribus maximis, quum rupto cælo pluit. — Cic. pro leg. Manil. 17. a med. Concedunt, in uno Cn. Pompejo summa esse omnia. tutte le doti in sommo grado. et 15. Att. 13. a med. Se de attributione omnia summa fecisse. aver fatto il possibile. et Lucil. apud Non. p. 382. 23. Merc. Quum me ruperim, summa omnia fecerim. — Summus vir, præstantissimus, amplissimus, excellens, egregius, eximius. Cic. 1. Orat. 2. ante med. Summi homines ac summis ingeniis præditi. Id. Brut. 85. 293. Magnus homo vel potius summus et singularis vir. Id. pro leg. Manil. 13. 36. Summus atque perfectus imperator. Nepos Chabr. 1. Summus dux Agesilaus. Plaut. Capt. 2. 2. 29. HE. Quid ipsus hic? quo honore est illi? PH. summo atque ab summis viris. — Summus auctor vocatur a Tac. Germ. 28. J. Cæsar, non propter artem scribendi, sed quia summa ejus de illis rebus fides est, cujus testimonium plus quam aliorum valet. V. Æritz. — Summus sacerdos vel pontifex, princeps omnium sacerdotum, pontifex maximus. Vulgat. interpr. 1. Mach. 10. 69., Marc. 8. 31., Judith 15. 9. etc. — Summus amicus, carissimus, familiarissimus. Ter. Phorm. 1. 1. 1. Amicus summus meus et popularis Geta. — Absolute. Id. Eun. 2. 2. 39. plurima salute Parmenonem Summum suum impertit Gnatho. et Adelph. 3. 2. 54. Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxime. — Summum jus, extremum, nimium, rigidissimum. Cic. 7. Verr. 2. 4. Non agam summo jure tecum. con tutto il rigore. et Cæcin. 2. 6. Summo jure experiri. Hinc summum jus summa injuria, proverb. apud eumd. 1. Off. 10. 33. — Summa res, summa rei, illud, in quo potissimum status et firmamentum totius rei nititur. Virg. 2. Æn. 322. Quo res summa loco, Panthu? Justin. 6. 2. 5. Summæ rei aliquem præponere. dargli il supremo comando. et Nepos Eumen. 10. De summis rebus dimicare. — Item summa res et plenius summa res rationum vel summæ rationes, administratio generalis redituum et expensarum, ut statuit Mommsen in Memorie dell' Istit. archeol. v. 2. p. 323. Cod. Theod. 11. 9. 2. Officium summæ rei. Inscr. apud Mommsen n. 2518. Procurator summarum rationum. Adde aliam apud Orelli n. 1090. — Dicitur etiam, pro summæ rationes, absolute summæ, ut in Inscr. apud Henzen n. 6396. Dispensator summarum. et apud Gruter. 36. 12. Villicus summarum. — Summa cavea, locus in theatro, qui assignatus erat plebi. V. CAVEA. — Summo studio vel ex summo studio, totis viribus, data opera, apud Cic. 5. Phil. 17. et Apul. 8. Met. Sic ex summa ope apud Gell. 6. 3. — Summo opere, maxime, vehementissime. V. SUMMOPERE. — Hinc

Summa, æ, f. 1. absolute. V. SUMMA.

Summa, orum, n. plur. 2. absolute. ¶ 1. Dicuntur extremitates alicujus rei, puta corporis, ut manus et pedes. Seneca 2. Ira 3. Magno imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit: et oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt. Ita etiam Alciphr. l. 2. ep. 2. Ἄρτι ἀπέψυγμαι καὶ ἱδρῶ τὰ ἄκρα. svenni tutta e sudai sino alle estremità. et Vulgat. interpr. Matth. 24. 31. A summis cælorum usque ad terminos eorum. h. e. extrema terræ. — Summa petere in obscenis est idem ac irrumare. Martial. 11. 46. Summa petas, illic mentula vivit anus. Auct. Priap. 76. Mentula barbatis non nisi summa petet. ¶ 2. Item, ut videtur, de iis, qui summam rerum habet. Ovid. 1. Amor. 9. 37. Summa ducum Atrides. Cf. Lucret. 1. 86. Ductores Danaum delecti prima virorum. Sed V. SUMMA, æ.

Summæ, arum, f. plur. 1. absolute. V. sub C III. 2. 2.°

Summo, adverbialiter, postremo loco, in fine. Quintil. 7. 1. ante med. Celsus putat, primo firmum aliquod (argumentum) esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia et initio movendus sit judex et summo impellendus.

Summum, i, n. 2. absolute. ¶ 1. Est summa altitudo, summitas, sommità, cima. Cæs. 7. B. G. 73. a med. Scrobes paullo angustiore ad summum fastigio. Sall. Jug. 93. Ad summum montis. Cic. 1. Divinat. 17. 30. Incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. Id. 3. Fin. 14. ad fin. Qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo. Plin. 2. Ep. 17. ad fin. Puteos ac potius fontes habet. sunt enim in summo. Petron. Sat. 137. ad fin. Nuces mersit in vinum, et sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam ducebat. ¶ 2. Est etiam finis, terminus, ut Summum diei, la sera, apud Varron. 6. L. L. 5. Müll. ¶ 3. Et extremitas. Vulgat. interpr. Marc. 13. 27. A summo terræ usque ad summum cæli. h. e. undique.

Summum, adverbiorum more. ¶ 1. Est quod ultimum concedi potest in aliqua re, al più al più, pro quo etiam ad summum dicitur. Cic. 13. Att. 21. Exspectabam hodie aut summum cras, ab eo tabellarios. Id. 2. Fam. 1. A te vero litteras bis terve summum, et eas perbreves accepi. Id. Mil. 9. extr. Respondit, illum biduo, ad summum quatriduo periturum. Adde Liv. multis in loc., quorum magnam partem collegerunt critici, et Drakenborch. ad Liv. 21. 35. et 31. 42. § 4., ubi et illud adscribitur, frequentius in multis MSS. summum, quam ad summum reperiri, illudque magis quam hoc probari. Cf. Cœl. Aurel. 2. Tard. 12. extr. ¶ 2. Est etiam postremum, per l'ultima volta. Albinov. 1. 137. Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque.

Summus, i, m. 2. absolute. ¶ 1. Est qui primo et digniore loco mensæ accumbit. Cic. Senect. 14. 46. Is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis. V. ACCUMBO. — Hinc bibere ab summo dicuntur convivæ, quum omnes incipiendo ab eo, qui summus accumbit, circumlatis poculis bibunt. bere in cerchio, ἐν κύκλῳ πίνειν. Plaut. Asin. 5. 2. 41. Da, puere, ab summo: age tu, interibi ab infimo da suavium. Id. Pers. 5. 1. 19. Age, puere, a summo septenis cyathis committe hos ludos. ¶ 2. Est etiam qui summum locum tenet in theatro. V. CAVEA. Cic. 1. Phil. 15. 37. Idem quum a summis, mediis, infimis, quum denique ab universis hoc idem fit, — non plausum illum sed judicium judico. h. e. ab infimis seu vilioribus; summam namque caveam tenebat plebs.

SŬPERVĂCĀNĔO, adverb. V. voc. seq. in fin.

SŬPERVĂCĀNĔUS, a, um, adject. (super et vacuus) ultra usum qui est, non necessarius, περισσός (It. di sopra più; Fr. au surplus, surabondant, accessoire; Hisp. sobreabundante, accesorio; Germ. überflüssig; Angl. unnecessary, superfluous). ¶ 1. In bonam partem. Cato R. R. 12. In torcularium quæ opus sunt vasis quinis: prela temperata quinque, supervacanea tria: suculas quinque, supervacaneam unam. Cic. Senect. 16. a med. Tum conditiora facit hæc supervacanei etiam operis aucupium atque venatio. h. e. subsecivi, non necessarii, sed animi causa præter agricultionem suscepti. ¶ 2. In malam partem est superfluus, inutilis, supervacuus, soverchio, superfluo. Cic. 16. Att. 2. ad fin. Vereor, ne meas litteras supervacaneas arbitrentur. Id. 2. Nat. D. 47. 122. Omnia ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit. Justin. 11. 12. ad fin. Alexander, gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse, respondit. Liv. 22. 39. Si collega tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. Id. 10. 24. a med. Quin alter consul pro supervacaneo atque inutili habeatur. Sueton. Rhet. 1. a med. Vitæ instituta tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea. — Absolute. Vellej. 2. 36. 2. Supervacaneum videri potest. — Cum Infinito. Sall. Cat. 50. Dietsch. De timore supervacaneum est disserere. Alii leg. supervacuum. Eadem lectionis varietas est etiam ibid. 51. — Hinc

Supervacaneo, adverbii more usurpatur et est superflue. Fronto 4. ad Cæs. (edente iterum A. Maio) ep. 3. a med. Navem triremem rite dixerim, triremem navem supervacaneo addiderim; neque enim periculum est, ne quis lecticulam aut rhedam aut citharam triremem dici arbitretur.

SŬPERVĂCO, as, are, n. 1. supervacaneus aut superfluus sum. Gell. 1. 22. Superesse ita dixerunt, ut eo verbo significarent superfluere et supervacare, atque esse supra necessarium modum.

SŬPERVĂCŬĒ, adverb. (supervacuus) ¶ 1. Est idem ac supervacaneo, superfluamente. Paul. 3. Recept. sentent. tit. 5. n. 20. Libertas supervacue data videtur. Adde Tertull. Martyr. 1., Mythogr. Lat. 3. 6. et Porphyr. ad Horat. 2. Od. 20. 24. ¶ 2. Est etiam frustra. Vulgat. interpr. Ps. 24. 4. Iniqua agere supervacue. Ad. Ps. 30. 7.

SŬPERVĂCŬĬTAS, atis, f. 3. (supervacuus) vana gloria. Vulgat. interpr. Sap. 14. 14.

SŬPERVĂCŬO, adverb. V. voc. seq.

SŬPERVĂCŬUS, a, um, adject. supervacaneus, inutilis, vanus, inanis, περισσός, κενός (It. superfluo, inutile, vano, soverchio; Fr. superflu, inutile; Hisp. superfluo, inútil; Germ. überflüssig, unnöthig, unnütz; Angl. superfluous, needless, vain, idle). Horat. 2. Od. 20. 23. sepulcri Mitte supervacuos honores. Id. 1. Ep. 15. 3.

mihi Bajas Musa supervacuas Antonius - facit. *senza effetto.* et *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 1. Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?) Ad sua natalis tempora noster adest. *Id.* 2. *Pont.* 7. 6. Supervacui metus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. 92. Descriptio omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacuum est. *Orell.* supervacaneum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 64. (111). Daucum radice lignosa, et quum inaruit, supervacua. *buona da nulla.* et 16. *ibid.* 36. 64. (158). Arundo crassiore paniculæ coma, neque hac supervacua. *non inutile.* et 32. *ibid.* 7. 26. (69). Carnes oculorum supervacuas consumit. *l'escrescenze carnose.* et *Colum.* 2. *R. R.* 12. *circa med.* Lupini cultus supervacuus. *Id.* 5. *ibid.* 5. *in fin.* Ut vitis non in totum supervacuis frondibus oneretur. *Justin.* 3. 7. 4. Supervacuam pugnam existimantes, quum ulcisci hostem sine periculo possent. *Quintil.* 7. 3. *a med.* Finitio supervacua et nihil ad causam pertinens. — Hinc

Supervacuum, i, n. 2. res inutilis, supervacua. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (9). Affectare diligentiam in supervacuis. *Jabolen. Dig.* 8. 4. 5. Adjectio vicini pro supervacuo habenda est. Cf. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 99. (125). Phyteuma quale sit, describere supervacuum habeo. *ho per superfluo.* et *Quintil.* 7. 2. *ante med.* Qui dicit, ut occidisti, supervacuum habet postea dicere, ego non occidi. — *In supervacuum,* sine utilitate, incassum, nequidquam, *senza pro, senza effetto. Seneca* 2. *Ira* 11. Quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? *Id. Consol. ad Marc.* 1. *a med.* Omnia in supervacuum tentata sunt. Adde *Ep.* 70. *a med.* — *Supervacuum est,* inutile est: cum Infinito. *Id.* 1. 4. *a med.* Quod monere supervacuum fuerat. *Colum. Arbor.* 26. *extr.* Supervacuum est, hoc loco repetere jam traditam rationem. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 74. (121). Distingui genera hæc, pæne supervacuum est.

Supervacuo, adverbii more, idem ac supervacue. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (87). In novem genera descriptis scorpionibus: supervacuo, quoniam etc. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. *circa med.* Quod si supervacuo fuerit factum. *Quintil. Declam.* 16. 11. Supervacuo hoc vos in matris causa movet, quæ cæca est. *Jabolen. Dig.* 18. 1. 64. Personam Titii supervacuo accipiendam puto.

Homonym. Ita distinguunt quidam grammatici *supervacuum* a *supervacaneo,* ut hoc sit, quod non est necessarium; illud, quod abundat et superfluit. Scriptores id discriminis nihili pendunt. *Varro* non putabat dici oportere *supervacuum,* sed *supervacaneum,* si *Nonio* credimus (*p.* 525. 12. *Merc.*), sique tamen locus ille sanus est.

SŬPERVĀDENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVĀDO, is, ere, a. 3. Part. *Supervadens.* — Supervado est ascendo, supero, supergredior, *ascendere, superare,* ὑπεραίνω.

I.) Proprie. *Sall. Jug.* 78. Omnes asperitates supervadere ac naturam loci etiam vincere aggreditur. *Liv.* 32. 24. Ruinas muri supervadebant. *et* 31. 38. Hostis supervadens munimenta.

II.) Translate. *Itin. Alex. M.* 3. Scilicet ut inclitorum quam maxime principum merita supervadas.

SŬPERVĂGĀNĔUS, a, um, adject. (supervagor) *Fest. p.* 305. 6. *Müll.* Supervaganea avis vocatur ab auguribus, quæ ex summo cacumine vocem emisit: quia quasi in altissimis superque omnia vagatur, appellata. *Gloss. Lat. Gr.* Supervaganea, ὑπερπλωτής.

SŬPERVĂGĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVĂGOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Supervagatus.* — Supervagor est præter justum et æquum vagari, superfluere, *essere troppo vagante,* ὑπερπερισσεύω. *Colum.* 4. *R. R.* 21. Vineæ non est alia putatio, quam ut figuretur, quemadmodum supra instituimus, neve supervagetur. *h. e.* superfluos ramos habeat. *Id. ibid.* 22. Supervagatam partem recidere.

SŬPERVĂLĔO, es, ere, n. 2. supra invaleo, superior sum. *Vulgat. interpr. Eccli.* 43. 32.

SŬPERVECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* superveho, supra veho. *Tertull. Baptism.* 4. Dei spiritus ab initio supervectabatur.

SŬPERVECTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. *et* Supervehor, vehĕris, vectus sum, vehi, dep. 3. Part. *Supervectus.* — Superveho, vel supervehor, est super aliquid veho, ὑπεροχέω.

I.) Proprie. *Catull.* 66. 43. Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris Progenies Phthiæ clara supervehitur. *Auson. Epigr.* 24. 2. Arma superveheris quod, Thrasybule, tua etc. Alii leg. *arma super veheris* divisim pro *super arma. Liv.* 42. 48. Præter oram Italiæ supervectus Calabriæ promontorium. *Gell.* 16. 11. *in fin.* Eos universos, cumulis montibusque arenarum supervectis operuisse. — *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 332. 9. *Müll.* Sceleratus vicus Romæ appellatur, quod quum Tarquinius Superbus interficiendum curasset Servium regem socerum suum, corpus ejus jacens filia carpento supervecta sit.

II.) Translate. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* 82. Mulieres (*Amazones*) magnitudine corporis pariter ac pulcritudine cetera hominum genera supervectæ. — *Supervectus,* adjective. *Chalcid. Tim. p.* 220. Inquisitio rei primariæ supervectæque contemplationis, quæ appellatur ἐποπτεία.

SŬPERVĔHOR. *V.* voc. præc.

SŬPERVĔNĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnire, n. 4. Part. *Superveniens* I. 3. et II. 1. et in fin.; *Superventurus* II. 1. — Supervenio est supra venio, superscando, ascendo, ὑπέρχομαι (It. *venire sopra, montare;* Fr. *venir au-dessus, monter;* Hisp. *venir sobre, sobrevenir, subir;* Germ. *darüber, - herzukommen;* Angl. *to come over or upon*): construitur absolute, aut cum Dat., vel Acc. et præp. *ad, in;* aut etiam transitivorum more cum Acc., vi præpositionis, quæ verbo inest.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 355. curru desilit atque Semianimi lapsoque supervenit, et pede collo impresso etc. *salta addosso.* et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 175. et heres Heredem alternis, velut unda supervenit undam. *Ovid.* 10. *Met.* 489. nam crura loquentis Terra supervenit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97). Quibusdam pennarum tutelæ crusta supervenit, ut scarabæis. *Colum.* 2. *R. R.* 17. *sub fin.* Planitiem supervenit humor. *Id.* 12. *ibid.* 42. Caseum in picato vase componito, tum musto adimpleto, ita ut superveniat. *Id.* 4. *ibid.* 22. Vineæ superveniunt jugum. *Id.* 8. *ibid.* 7. *sub fin.* Ne tempus opimandi quintam et vicesimam lunam superveniat. *h. e.* transcendat. ¶ 2. Speciatim dicitur de mare inscendente feminam. *Colum.* 6. *ibid.* 24. et 7. *ibid.* 6. Caper, dum adhuc uberibus alitur, matrem stupro supervenit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (174). Supra dictorum plerisque feminæ priores superveniunt, reliquis mares. Rursus *Colum.* 6. *R. R.* 24. 3. Qui (*taurus*), ubi juvencam supervenerit, certis signis comprehendere licet etc. ¶ 3. Item sæpe est ex inopinato advenire, *sopravvenire, sopraggiungere, venire all' improvviso. Virg.* 6. *Ecl.* 20. Addit se sociam timidisque supervenit Ægle. *Liv.* 34. 40. *in fin.* Huic lætitiæ Quinctius supervenit, pace data tyranno etc. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 118. (181). Ire ad domum absentis, cui medeatur supervenientique ter dicere, jejuno jejunum medicamentum dare. ¶ 4. Hinc dicitur de iis, qui subito adsunt nocendi causa, ut in bello sæpe fit. *Liv.* 24. 35. *a med.* Munientibus supervenit Marcellus. *Justin.* 2. 11. *a med.* Nec exspectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed securis et lætis superveniendum. *Id.* 8. 3. *in fin.* Sed Philippus ad judicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu supervenit. *Grat. Cyneg.* 185. Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes. *h. e.* inopinato assequitur.

II.) Translate. ¶ 1. Est accedere, succedere, adjungi. *Cels.* 5. 28. *n.* 5. Ulcus, quod θηρίωμα Græci vocant, et per se nascitur et interdum ulceri ex alia causa facto supervenit. *et ibid.* 26. *n.* 26. Illa febris perniciosa est, quæ vel levi vulneri supervenit. *Tac.* 4. *Hist.* 25. Ejusdem proditione cæsos, nullis supervenientibus auxiliis. *Frontin. Aquæd.* 15. Quotiens imbres superveniunt, turbida pervenit in urbem. *Stat.* 1. *Achill.* 147. Nescio quid magnum - Vis festina parat tenerosque supervenit annos. *h. e.* virtus præmatura venit in annis teneris. *Tertull. Pœnit.* 2. Superventurus Spiritus sanctus. *Vulg. interpr. Ital. Rom.* 8. 18. apud *Cyprian. Ep.* 77. (*al.* 76.) *n.* 7. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis. *Noster* habet *futuram gloriam.* ¶ 2. Item superare, præstare. *Stat.* 2. *Theb.* 297. Tum donis Argia nitet vilesque sororis Ornatus sacro præculta supervenit auro. — Hinc Part. præs.

Superveniens, entis, absolute, idem ac superventor, h. e. idem fortasse miles, qui et *superventor* dicitur. *Notit. dignit. Imp. Occid. v.* 2. *p.* 113. *Boeck.* V. PRÆVENTOR.

SŬPERVENTOR, ōris, m. 3. (supervenio) qui supervenit. *Ammian.* 18. 9. 3. et *Notit. dignit. Imp. Occid. v.* 1. *p.* 9. et *v.* 2. *p.* 22. *Boeck. V.* PRÆVENTOR.

SŬPERVENTUS, us, m. 4. (supervenio) actus superveniendi, *sopravvenimento,* ἐπέλευσις. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). *de profluvio mulier.* Acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges. *Tac.* 2. *Hist.* 54. Affirmans, superventu quartædecimæ legionis cæsos victores ¶ 2. Speciatim, in re militari, est repentinus hostium impetus, *assalto improvviso. Veget.* 3. *Milit.* 8. Postremo noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio occasionem superventibus præbet. *et ibid.* 23. Imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus ac nihil tale suspicantibus superventus adsolent fieri. *et mox.* Qui vero superventus et subsessas passus est, culpam suam non potest excusare.

SŬPERVERGENS, entis, particip. ab inusit. *supervergo,* supra vergens. *Venant. Vit. S. Radeg.* 31. Unda supervergente, quum navis etc.

SŬPERVESTĬENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVESTĬO, is, itum, ire, a. 4. Part. *Supervestiens* et *Supervestitus.* — Supervestio est supra vestio, veste superiore contego, *vestire sopra, coprire,* περιβάλλω.

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 60. 2. (140). Imagines rerum tenui folio brevique et virente supervestiens. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *semper vestiens. Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 1. 155. Nero maleficos homines tæda et papyro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent. *V.* TÆDA.

II.) Translate. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 5. 4. Nolumus exspoliari sed supervestiri. *Ambros.* in *Ps.* 58. Exspoliatus homo vetus quam supervestitus. Adde *eumd.* 5. in *Luc. n.* 25.

SŬPERVESTĪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPERVINCO, is, ere, a. 3. omnino vinco, supero.

I.) Proprie. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 48. In tantum obsedit Julianus regem Persarum, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suæ patriæ partem, si bello solutus discederet; quod ille noluit, neque supplicantibus est miseratus neque mente percepit, quod vincere bonum est, supervincere nimis invidiosum. — Apud *Senec.* 3. *Benef.* 32. recentiores pro *supervincere* leg. *superjacere.*

II.) Translate. *Vulg. interpr. Ital. Rom.* 8. 37. apud *Augustin.* 22. *Civ. D.* 23. In his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos. Adde *Tertull. advers. Gnost.* 13.

SŬPERVĪVENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVĪVO, vivis, vixi, victum, vivere, n. 3. Part. *Supervivens* et *Supervicturus* I. a. — Supervivo est superstes sum, supero, περιβιόω (It. *sopravvivere;* Fr. *survivre;* Hisp. *sobrevivir;* Germ. *überleben;* Angl. *to survive*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Triginta annis gloriæ suæ supervixit. *Flor.* 2.

2. *ante med.* Expeditioni superfuit et supervixit. *Justin.* 28. 3. 3. Olympias non diu filiis supervixit. *Apul.* 1. *Met.* Etiam mihi ipse supervivens et postumus. *h. e.* mihi superstes, quippe qui quodammodo revixerim. *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Od.* 17. 5. Significat, non se ei supervicturum. — *b*) Absolute. *Sueton. Cæs.* 89. Percussorum fere neque triennio quisquam amplius supervixit. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 457. Si supervixisset. *Paulin. Vit. Ambros.* 32. Post cujus obitum fere triennium supervixit. *Inscript.* apud *Donat.* 358. 5. POST DESIDERIVM SORORIS SVAE VNA SVPERVIXIT. — *Serv.* ad *Virg.* 11. *Æn.* 160. Veteres *vivendo vincere* dicebant supervivere.

II.) Translate. *Ambros.* in *Luc.* 9. *n.* 27. Christus idem testator et heres, quia morti propriæ supervivit. *Cyprian. De laps.* 30. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi etc. Adde *ibid.* 19.

SŬPERVŎLĬTANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVŎLĬTO, as, āvi, are, n. 1. (*frequentat.* a supervolo) Part. *Supervolitans.* — Supervolito est supra aliquid volito, ἐπίπταμαι. — *a*) Fere cum Acc., vi præpositionis, quæ in verbo inest. *Virg.* 6. *Ecl.* 80. et quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis. *Lucan.* 5. 195. fragilemque supervolitantia malum Vela tulit turbo. *Itin. Alex. M.* 49. Celsitudo (*petræ*), quam nec alites supervolitent. — *b*) Cum Dat. *Tac.* 3. *Hist.* 56. Contionanti tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut etc.

SŬPERVŎLANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SŬPERVŎLO, as, are, n. 1. Part. *Supervolans.* — Supervolo est supra aliquid volatu feror, *volare sopra*, ὑπερπέταμαι.

I.) Proprie. — *a*) Intransitive. *Virg.* 10. *Æn.* 522. Ille astu subit: at tremebunda supervolat hasta. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (36). Supervolantes alte alites. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 33. 51. (102). et *Melam* 1. 19. — *b*) Transitivorum more, cum Acc. *Ovid.* 4. *Met.* 623. Despectat terras totumque supervolat orbem. Adde *Ambros.* 6. *Hexaem.* 8.

II.) Translate. *Claud. Mamertin. Grat. act. Jul. Aug.* 6. Per ultima ferarum gentium regna, calcata regum capita supervolans in medio Illyrici sinu improvisus apparuit.

SŬPERVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. Part. *Supervolutus.* — Supervolvo est supra volvo, *voltare di sopra*, ἐπικυλινδέω. *Avien.* in *Arat.* 970. Quinque supervolvit se partibus. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *circa med.* Incrementum ejus supervoluto cylindro coerceat.

SŬPERVŎLŪTUS, a, um, particip. *V.* voc. præced.

SŬPERVŎMO, is, ere, a. 3. supra vomo, *vomitare sopra*. *Sil. It.* 10. 183. Conjecto fodit ense: supervomit ille calentem Sanguinis effundens per hiantia viscera rivum. *Alii ita distinguunt:* Conjecto fodit ense super: vomit ille etc. *multo rectius.*

SŬPERVUS. *V.* SUPERBUS init.

SŬPĪNĀLIS, e, adject. (supinus) ut *Juppiter Supinalis*, quod vim haberet omnia et stabiliendi et resupinandi, h. e. evertendi. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 11.

SŬPĪNANS, antis, particip. *V.* SUPINO.

SŬPĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (supino) actus supinandi, ut *supinatio stomachi* apud *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 64. est, quum cibos recusat ac rejicit.

SŬPĪNĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPINO.

SŬPĪNĒ, adverb. (supinus) in modum supini, ὑπτίως. — Translate. *Seneca* 2. *Benef.* 24. *a med.* Alius beneficium accepit supine, ut dubium præstanti relinquat, an senserit. *h. e.* aliud agens et alio spectans, velut qui in altum supinata facie respicit.

SŬPĪNĬTAS, ātis, f. 3. (supinus) status supinus, *positura supina*, ὑπτιότης.

I.) Proprie. — *a*) De animantibus. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Pectus ac venter ne projiciantur, observandum. pandant enim posteriora: et est odiosa omnis supinitas. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 35. *init.* Supinitas stomachi. *h. e.* languor, exsolutio. — *b*) De rebus, seu de situ locorum plano, quasi facie terræ tota ad cælum obversa. *Solin.* 3. Planasia (*insula*) de supinitate sic vocata.

II.) Translate significat stupiditatem. *Firmic. Err. prof. rel.* Erubescite, o miseri, supinitatem. *Halm* leg. *summitatem.*

SŬPĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (supinus) Part. *Supinans* et *Supinatus* I. 1. *a.* — Supino est supinum colloco, facie sursum versum statuo, resupino, ὑπτιόω (It. *voltare o rovesciare all' insù*; Fr. *jeter à la renverse, renverser*; Hisp. *echar hácia atras, de espaldas, derribar*; Germ. *rückwärts beugen, - strecken*; Angl. *to place in a supine posture*).

I.) Proprie. ¶ 1. Universim. — *a*) De animantibus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 38. fateor me Duci ventre levem. nasum nidore supinor. *h. e.* naso erigor in sublime, quod facere solent ii, qui jucundo cibi odore capti sunt. ἑλληνισμός, pro *nasus mihi supinatur.* et *Stat.* 12. *Theb.* 289. visuque sagaci Rimatur positos et corpora prona supinat. *et* 6. *ibid.* 789. Præcipitatque retro juvenem atque in terga supinat. *Id.* 8. *ibid.* 394. *de equis.* tolluntque armos equitemque supinant. *h. e.* cælum suspicere cogunt, tergum retro inclinantes. *Quintil.* 11. 3. *circa med.* Aut eadem manus supinata in superiora jactetur. *Seneca Ep.* 121. *ante med.* Supinata testudo inquieta est desiderio naturalis status, nec ante desinit niti, quatere se, quam in pedes constituit. *Auct. Laud. Hercul.* inter opera *Claudian.* 116. Aper supinato lumine. *h. e.* oculis in cælum versis. *Apul.* 9. *Met. ad fin.* Miles supinatus humi. *gettato a terra col ventre in su.* et 8. *ibid.* Equus toto tergo supinatus, dominum suum devolvit ad terram. *h. e.* in posteriores pedes lapsus et tergum supinans. Adde *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. et 5. *ibid.* 2. — *b*) De inanimis. *Virg.* 2. *G.* 261. Ante supinatas Aquiloni ostendere glæbas. *Stat.* 3. *Theb.* 413. meritos vertunt ad molle jugales Gramen, et erecto currum temone supinant. *Id.* 7. *ibid.* 346. qui Parnasson utrumque Aut Cirrham tauris Anemoriamque supinant. *h. e.* inversis aratro glæbis et ad solem supinatis. *Manil.* 2. 852. Supinatur arcus. *h. e.* inversus, cornibus in altum versis. ¶ 2. *Supinari*, est etiam planum fieri, inclinari, extendi, ut videmus in iis, qui supini jacent. *Stat.* 12. *Theb.* 243. Jamque supinantur fessis lateque fatiscunt Penthei devexa jugi.

II.) Translate. *Seneca* 2. *Benef.* 13. Libet interrogare, quid tantopere te supinet. *h. e.* extollat, inflet, superbum faciat; solent enim qui superbiunt, caput attollere, pectus projicere, quod est quodammodo supinari. Adde *Ambros.* 1. *De Abr.* 2. *n.* 8.

SŬPĪNUS, a, um, adject. Etymon vocis petunt ab antiquo *suppus*, quod et *supus* scripsere. *V.* SUPPUS. Ceterum ab ead. rad., unde *super*, utrumque derivandum est. — Comp. *Supinior* I. 1. *b.* et II. 1. — Supinus est sursum versus, resupinus, ὕπτιος (It. *rovesciato all' insù, supino*; Fr. *penché ou tourné en arrière, couché sur le dos*; Hisp. *inclinado ó girado de espaldas, boca arriba, supino*; Germ. *rückwärts gebeugt, rücklings, zurückgelehnt*; Angl. *with the face or belly turned upwards*): cui *pronus* opponitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De animali in tergum jacente et ventre sursum verso, *volto colla faccia o col ventre in su.* *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 120. Omne animal, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino *Plaut. Cist.* 2. 3. 76. Quid nunc supina susum in cælum conspicis? *Horat.* 1. *Sat.* 5. 19. stertitque supinus. *et ibid.* 85. Supinus venter. *Stat.* 8. *Theb.* 640. dependet languida cervix Exterior clipeo, crines a fronte supini. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (41). Supinæ testudines. *Id.* 11. *ibid.* 8. 8. (19). Apes nocte deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, ut alas a rore protegant. *Id.* 28. *ibid.* 4. 14. (54). Supini cubitus oculis conducunt, et proni tussibus, in latera adversum destillationes. *Juvenal.* 3. 280. cubat in faciem, mox deinde supinus. *Capell.* 8. *p.* 272. Donec, Baccho jubente, Satyrus rapit jacentem (*Silenum*) scapulisque dat supinum. *h. e.* scapulis suis impositum resupinat. — *b*) De rebus, quæ cælum spectant, *volto all' insù.* *Virg.* 4. *Æn.* 176. tendoque supinas Ad cælum cum voce manus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (125). Cornua aliis adunca, aliis redunca, supina, convexa, conversa. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (93). Hirundines rusticæ confingunt nidos totos supinos, faucibus porrectis in angustum. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (175). (et *Juvenal.* 8. 201.) Supina falce palmitis oculos auferre. *et ibid.* 24. 37. (227). In supinum excisæ vites. (*Colum.* 4. *R. R.* 24. *a med.* Ne resupina cælum, sed prona potius plaga terram spectet.) *Id. ibid.* 23. 35. (214). In arborum tonsura supiniore. *Frontin. Aquæd.* 36. Calix supinus nec ad haustum pronus. *Liv.* 30. 10. *a med.* Vana pleraque (utpote supino jactu) tela in superiorem locum mittebant. *Auct. carm. de hort. v.* 6. *p.* 199. *Wernsd.* surgit olus malvæque supinæ etc. — *Supina tellus, supinum mare*, extima terræ aut maris facies cælo et soli obversa. *Plin.* 23. *Hist. nat. procem.* Omnia, quæ ciborum aut florum odorumve gratia proveniunt supina tellure. *Id.* 9. *ibid.* 2. 1 (2). In mari tam late supino etc. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (185). *de vitib. quæ sparguntur in terram.* Major pars terrarum ita supinam in tellure vindemiam metit. ¶ 2. Speciatim est is, qui retro convertitur et sursum redit. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 43. Fluminaque in fontes cursu reditura supino. *Id. Medic. fac.* 40. Nec redit in fontes unda supina suos. Adde *Lucret.* 4. 442. — Hinc *supinum carmen* apud *Martial.* 2. 86. est recurrens, reciprocum, ἀνακυκλικόν. *V.* RECURRO. De hoc carminum genere *id.* 2. 86. Turpe est difficiles habere nugas, Et stultus labor est ineptiarum. ¶ 3. Item supino et leni clivo situs, *posto in pendio.* *Horat.* 3. *Od.* 4. 23. Tibur supinum. *Juvenal.* 3. 192. eodem sensu, *pronum Tibur*, dixit. Adde *Horat. Epod.* 1. 29., ut quidem *Bentlej.* legit; sed *V.* SUPERBUS. ¶ 4. *Supinus* dicitur etiam aliquantum inclinatus, clementer ascendens, leniter acclivis, quasi homo in tergum inclinatus et vultu ac pectore in cælum conversus, *di dolce salita o pendio.* *Virg.* 2. *G.* 276. tumulis acclive solum collesque supini. *Liv.* 4. 46. et 6. 24. Supina vallis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (77). Supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri. *Id.* 16. *ibid.* 38. 68. (174). Cathedra supina. *seggiolone*, nostrates vulgo *poltrona* dicunt. Adde *Quintil.* 12. 10. *sub fin.*

II.) Translate. ¶ 1. Est solutus, otiosus, ignavus, oscitans, negligens, delicatus; hujusmodi enim supini jacere diu aut sedere solent. *Quintil.* 10. 2. 17. Otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant, ita Ciceronem locuturum fuisse. *Juvenal.* 1. 190. Et multum referens de Mæcenate supino. *Catull.* 17. 25. Et supinum animum in gravi derelinquere cœno. *Martial.* 2. 6. Deliciæ supiniores. *Id.* 6. 42. Non attendis et aure me supina Jamdudum quasi negligenter audis. Rursus *Quintil.* 11. 3. *sub init.* Nedum judicem supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. *Ulp. Dig.* 22. 6. 6. Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis. *Paul. ibid.* 18. 1. 15. Ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit. ¶ 2. Item tumens, inflatus, superbus. *Pers.* 1. 129. Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas. *Martial.* 5. 8. Hæc et talia dum refert supinus etc. ¶ 3. *Supina opinio*, fallax, falsa. *Chalcid. Tim. p.* 396. *Meurs.* V. integr. loc. ¶ 4. *Supinus stomachus*, famis stimulos nondum sentiens, languidus. *V.* SUPINATIO et SUPINITAS. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. 29. Supinus adhuc stomachus, hoc est cibi adpetitu non admonitus, sine ulla commotione revomit. *Id.* 2. *Acut.* 37. *extr.* Stomachus jamdudum supinus fortificatur. ¶ 5. Grammatici *supinum* vocant modum verbi in *um* activa et in *u* passiva significatione desinentis, ut (*Horat.* 1. *Od.* 2. 15.) vidimus Tiberim Ire dejectum monumenta regis.

et (1. *Sat.* 4. 124.) inhonestum et inutile facto. *Quintil.* 4. 1. *extr.* verba participialia vocat. — Cur autem *supina* dicantur, causam reddit *Priscian.* p. 412. 49. *Keil.*, quia a participiis passivis, quæ quidam supina nominaverunt, nascuntur. Id autem fortasse a mulieribus, ut ait *Furlanettus*, desumptum est, quæ supinæ stuprum patiuntur. et *Voss. de Grammat. l.* 5. *c.* 11. dicit, ideo appellari, quia participia significant rem præteritam: re autem gesta, licere nobis esse supinis atque otiosis. Quod tamen mihi frigidum et ineptum videtur. *Priscian. loc. cit. p.* 823. et *Charis.* 2. *p.* 153. etiam gerundia hac appellatione comprehendunt. *V.* plura apud *Voss. loc. cit.* ¶ 6. Item participia et gerundia. *V.* sub II. 4. ¶ 7. Item *supina verba* dicuntur ea, in quibus nescis, agat quis an patiatur, inquit *Diomed.* 1. p. 337. 13. *Keil.*; quæ quidem alii absolutiva appellant, nonnulli depositiva, ut *algeo, sitio, esurio* etc.

SUPO. *V.* SIPO.

SUPPACTUS, a, um, particip. *V.* SUPPINGO.

SUPPÆDAGOGUS. *V.* SUBPÆDAGOGUS.

SUPPÆNULARE *vel* suppænulare, is, n. 3. (sub *et* pænula) vestis, quam quis sub pænula habet. Vox a Lexico expungenda; legitur enim tantum in *Not. Tir. p.* 157. Penula, suppenulare.

SUPPÆTŬLUS. *V.* SUBPÆTULUS.

SUPPALLĬDUS. *V.* SUBPALLIDUS.

SUPPALPOR *vel* subpalpor, āris, ari, dep. 1. *Suppalparier*, paragoge pro *suppalpari*, apud *Plaut. loc. cit.* — Suppalpor est clam palpo, adulor, blandior. — Cum Dat. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 28. Occœpit ejus matri suppalparier vino, ornamentis opiparisque obsoniis. Absolute *Symmach.* 1. *Ep.* 84. (*al.* 90.) *a med.* Non dicam dolo, utpote suppalpandi nescius.

SUPPAR *vel* subpar, păris, adject. omn. gen. prope æqualis, pæne par, *quasi eguale*, πάρισος: construitur autem absolute vel cum Dativo. *Cic. Brut.* 7. *ad fin.* Huic ætati suppares Alcibiades, Critias. *Vellej.* 1. 17. 1. Dulces Latini leporis facetiæ per Cæcilium Terentiumque suppari ætate nituerunt. *Auson. Epist.* 1. 13. nam suppari ævi Sum tibi ego et possum fratris habere vicem. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Dicantur hæ (*propositiones*) inter se suppares. *h. e.* subcontrariæ. — *Id.* 6. *Met.* Venus suavi musicæ suppari gressu saltavit. *h. e.* composito ad numeros musicæ.

SUPPĂRĂSĪTOR *vel* subparasitor, āris, ari, dep. 1. subservio, obsequor tamquam parasitus, *compiacere, secondare, accarezzare*, ὑποπαρασιτεύομαι. *Plaut. Amph.* 3. 4. 10. Accedam atque hanc appellabo et supparasitabor patri. *Id. Mil. glor.* 2. 77. Sed hic illi supparasitatur semper.

SUPPĂRĀTŪRA *vel* subparatura, æ, f. 1. (supparo) suffectio, substitutio, *sostituzione*, ἀντικατάστασις. *Tertull. Resurr. carn.* 61. Sublata enim morte, neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura gravis erit membris. *h. e.* generis humani reparatio per genituram.

SUPPĂRĬLIS *vel* subparilis, e, adject. qui quasi par est. — Absolute usurpatur de figura, quæ paronomasia dicitur. *Auct. Carm. de fig.* 109.

SUPPĂRO *vel* subparo, as, are, a. 1. duo diversa significat. ¶ 1. *Supparo*, a *paro*, est apparo, accommodo, adjungo. *Tertull. Cult. fem.* 7. Ne exuvias alieni capitis sancto et Christiano capiti suppares. *Id. Anim.* 25. *sub fin.* Labem corpori et animæ supparare. ¶ 2. *Supparo*, a *par*, est similem reddere. *Id. advers. Valentin.* 4. Lupæ feminæ formam quotidie supparare, sollemne est.

SUPPĂRUM, n. *et* supparus, i, m. 2. Scribitur et *siparum* et *siparus* et *sipharum* et *sifarus*, unde etiam *siparium*, quam vocem vide suo loco. — Videtur esse ab Arab. *sapharon*, iter, navigatio, quæ nempe fit velis expansis, unde et Gr. σίφαρος: non ab Hebr. ספר *sepher*, numerus (unde et Ital. *cifra*), ut putat *Furlanettus*; nulla enim inter hæc duo significationis similitudo, nedum æqualitas, interest. Sed *V.* SIPARIUM. — Supparum est lineum velum, *velo*, σίφαρος. ¶ 1. Generatim. *Fest. p.* 310. 14. *Müll.* Velum omne, quod ex lino est, dicitur supparum. Cf. *Müller* ad *h. l. Tertull. Apolog.* 16. Siphara illa vexillorum stolæ crucium sunt. V. *Rosini Paral. Antiq. Rom. l.* 10. *p.* 792. ¶ 2. Speciatim, in re nautica. — *a*) Stricto sensu, dicitur de velo navium, *vela*: non tamen quovis, sed eo, quod minus est et summo malo appensum, quod favente vento pandi solet, *súppara*. Id porro sic describit cl. *Guglielmotti. op. cit. p.* 94. « Suppara, specie di vela altissima, al di sopra delle altre dell'acato e dell'artimone, per far forza nel navigare quando il vento è debole: vela che ha un piede solo, cioè una sola bugna, perchè è triangolare col solo vertice o angolo acutissimo, abbasso sul pennone, e la base in alto alla parte più sublime dell'albero: è chiamata quasi sempre col numero del più perchè, sebbene una, pure è divisa in due triangoli doppi e separati che scendono ciascuno con un sol vertice alle due punte opposte della stessa verga ». Similiter et cl. *A. Rich*, qui ejusdem figuram exhibet, a pictura quadam Pompejana desumptam. *Seneca Ep.* 77. *sub init.* Omnis in pilis Puteolorum turba consistit, et ex ipso genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba navium, intelligit. Solis enim licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves; nulla enim res æque adjuvat cursum, quam summa pars veli: illinc maxime navis urgetur. et *mox.* Quum intravere Capreas, ceteræ velo jubentur esse contentæ: supparum Alexandrinarum insigne est. *Isid.* 19. *Orig.* 3. 4. Supparum genus veli, unum pedem habens, quo juvari navigia solent in navigatione, quoties vis venti languescit. *Siparum*, teste *Arevalo*, legitur in plerisque codicibus. — In plur. num. *Lucan.* 5. 428. Obliquat lævo pede carbasa cummaque pandens Suppara velorum, perituras colligit auras. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 27. vos stuppea tendite mali Vincula, vos summis adnectite suppara velis. *Baehrensius* leg. *sipara.* et *Seneca Herc. Œt.* 698. Medioque rates quærit in alto, Quarum feriunt suppara nubes. *Id. Med.* 327. alto rubicunda tremant Suppara velo. *Loewe* et *Peiper* leg. *sipara.* — *b*) Latiore sensu, de quovis velo nautico. *Manil.* 5. 48. non invehet undis Suppara, nec pelagos Xerses facietque (*al.* farietque) tegetque. Alii *sipara*. Legitur hoc sensu et in *Not. Tir. p.* 177. Sifarus, scalmus, remus. — Hinc translate. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *circa med.* Quamquam non semper ex summis opibus ad eloquentiam velificaris, tamen sipharis et remis tenuisse iter (*vides*): atque ut primum vela pandere necessitas impulit, omnes eloquentiæ studiosos, ut lembos et celocas, facile prætervehi. ¶ 3. Item, in re militari, usurpatur de velo in signis militaribus. *Festus p.* 310. 19. *Müll.* Nunc supparos appellamus vela linea in crucem expansa. Adde *Tertull. Apolog.* 16., ubi de labaro loquitur. Legunt autem plerique omnes *sipara*. ¶ 4. Item, in re domestica, de veste puellari linea, quam eamdem esse putat *Festus* ac subuculam: sed sic distinguit *Varro* 5. *L. L.* 131. *Müll.* Alterum, quod subtus, a quo subucula: alterum quod supra, a quo supparus: nisi quod id dicunt Osce. *Afran.* apud *Non. p.* 540. 13. *Merc.* Tace; puella non sum, supparo si induta sum. Hinc *Auct.* incert. *carm. de verb. Achill.* in *Parthen.* apud *Wernsd.* 7. 1. *v.* 4. *p.* 428. et *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 68. *Burmann.* Arma tegant nostrum potius, quam suppara, corpus. ¶ 5. Etiam de veste matronali. *Lucan.* 2. 363. *de Marcia Catonis uxore.* humerisque hærentia primis Suppara nudatos cingunt angusta lacertos. *Plaut. Epid.* 2. 2. 45. Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova indusiatam, patagiatam, supparum aut subminiam. *Novius* apud *Non. loc. cit.* Supparum purum Veliensem, interim Oscam meram. Alii aliter leg. V. *Ribbeck op. cit. p.* 265. — In *Gloss. Philox.* dicitur παρώμιον vestis humeris circumdata. ¶ 6. Et de veste virili. *Nonius ibid.* definit linteum femorale usque ad talos pendens: dictum, quod subtus appareat. *Varro ibid.* Auroræ at ostrinum hic indutus supparum, Coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit. ¶ 7. Denique *Nævius* apud *Festum l. c.* ita vocat puniceum (*al.* Punicum) vestimentum: item vestem Neptuno consecratam.

SUPPĂRUS, i, m. 2. *V.* voc. præc. init.

SUPPĂTEO. *V.* SUBPATEO.

SUPPECCO *vel* subpecco, as, are, n. 1. idem fere ac pecco. *Augustin. Serm.* 99. *n.* 2. ed. *Mai.*

SUPPĔDĀNĔUM *vel* subpedaneum, i, n. 2. scamnum sub pedibus, ὑποπόδιον. *Lactant.* 4. 12. *a med.* ex *Ps.* 109. 2. Quoadusque ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum. — De suppedaneis, quæ diis generatim supponebantur, in antiquis monumentis, V. *Visconti* in *Museo Chiaram. p.* 58. *et seq.*

SUPPĔDĬTANS, antis, particip. *V.* SUPPEDITO.

SUPPĔDĬTĀTĬO *vel* subpeditatio, ōnis, f. 3 (suppedito) abundantia, affluentia. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 111. Quæ ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu.

SUPPĔDĬTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUPPĔDĬTO *vel* subpedito, as, āvi, ātum, are, 1. *Suppeditor, aris*, deponentis formæ, apud *Cic.* 14. *Att.* 18. De Patulciano nomine quod mihi suppeditatus es, gratissimum est. Alii tamen rectius cum *Manutio* leg. *suppetiatus es.* — Suppedito, pro diversa vocis origine, duo diversa significat.

A) *Suppedito*, frequentat. a *suppeto*, unde Part. *Suppeditans* et *Suppeditatus* II., usurpatur tum intransitive tum transitivorum more

I.) Intransitive, et proprie, est suppetere, superesse: et construitur absolute aut sequente Dat., vel Acc. cum præp. *ad, in*; aliquando cum Abl. rei, quæ alicui suppeditat. ¶ 1. Generatim — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 5. 1. 3. Ita gaudiis gaudium suppeditat. *h. e.* abundat et cumulatur aliis gaudiis. *Lucret.* 1. 230. Unde mare, ingenui fontes externaque longe Flumina suppeditant. *Cic.* 7. *Fam.* 18. An hoc significas, ne chartam quidem tibi suppeditare? *Id.* 3. *Orat.* 31. 124. In hoc campo facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. *Liv.* 30. 25. Navis defendebatur egregie, quoad tela suppeditarunt. *Id.* 6. 24. Quod multitudo suppeditabat, aliquot cohortes in castris reliquerant. *Id.* 1. 55. *ad fin.* Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant, vix in fundamenta subpeditavere. *bastarono.* et *Rutil. De fig. sent.* 1. 6. Aristoteles dicitur dixisse, ejus esse vitam beatissimam, cujus et fortunæ sapientia et sapientiæ fortuna suppeditat. *h. e.* suppetit. — *Vita suppeditat*, suppetit, durat. *Cic. Brut.* 70. 245. Cui si vita suppeditavisset, consul factus esset. *se fosse vivuto.* et *ibid.* 27. 105. Carbo, quoad vita suppeditavit, est in multis judiciis causisque cognitus. *sinchè visse.* et *ibid.* 32. *extr.* Miror, quum et vita suppeditavisset et splendor ei non deesset, consulem non fuisse. *essendo vivuto a sufficienza.* — *b*) Cum part. relativa. *Liv.* 28. 27. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium nec oratio suppeditat. — *c*) Cum Infinito. *Lucret.* 3. 731. At neque, cur faciant ipsæ quareve laborent, Dicere suppeditat. *h. e.* promptum, facile est, suppetit, licet. ¶ 2. Speciatim satis esse, sufficere, parem esse, *bastare*, ἐπαρκεῖν. *Plaut. Asin.* 2. 4. 17. Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare. *Varro* 2. *R. R.* 4. Sues oportet largiore cibatu sustentare, quo facilius lac suppeditare possit. *Cic.* 1. *Off.* 4. 12. Parare ea, quæ suppeditent et ad cultum et ad victum. ¶ 3. Item abundare, *abbondare, avere in copia*. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, ille eget.

II.) Transitivorum more. ¶ 1. Est præbeo quod satis sit, abunde subministro, largior, χορηγέω, ἐπαρχέω (It. *somministrare o dare in copia od a bastanza*; Fr. *donner en abondance ou suffisamment, fournir*; Hisp. *dar abundantemente á bastantemente*; Germ. zur Genüge, in

Fülle darreichen,-darbieten,-geben; Angl. *to furnish, afford, supply*): construitur cum Acc., cui sæpe additur Dat.; aut etiam cum Abl.. pro Acc., et præp. *de*. *Plaut. Asin.* 4. 2. 10. Luxuriæ sumptus suppeditare. *Cic.* 2. *Legg.* 27. 67. Terra fruges ferre et, ut mater, cibos suppeditare possit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. 3. Suppeditare aperte pecunias. *Id.* 2. *Nat. D.* 24. 63. fabulas. *Id.* 5. *Verr.* 74. 172. frumentum. *Liv.* 23. 48. *a med.* Tributo sumptus suppeditari. *Nepos Alcib.* 8. Ipsis pecunia a rege suppeditabatur. *Sil. It.* 10. 137. armiger, suppedita mihi tela. — *Cic.* 2. *Fin.* 21. Suppeditabit nobis Atticus de thesauris suis. — Hinc translate. *Lucret.* 3. 10. Suppeditare alicui præcepta. *Cic. Amic.* 23. *a med.* Aliquis deus suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam. *Id. Top.* 18. 67. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis mirabilem copiam dicendi. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. *ad fin.* De hortis quod me admones, nec fui umquam valde cupidus, et nunc domus suppeditat mihi hortorum amœnitatem. *mi serve di giardino.* — Absolute. *Cic.* 14. *Att.* 20. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. *Id. Arch.* 6. 12. Suppeditat nobis, ubi animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessæ conquiescant. Sic *Ter. Heaut.* 5. 1. 57. Si illi pergo suppeditare sumptibus, mihi res ad rastros redit. — Impersonaliter *Cic.* 14. *Att.* 11. 2. Ut ei suppeditatur ad usum. ¶ 2. Est etiam instruo. *Lucret.* 2. 1162. Conficimus ferrum, vix arvis suppeditati. *provveduti.* Cf. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. sub *A* I.

B) Suppedito, as, are, a *sub* et *pes, pedis,* est sub pedibus ponere, prosternere, *atterrare, prostrare. Inscript.* apud *Reines. l.* 3. *var. lect. c.* 10. *ad fin.* ex *Mazella de Puteol. sub fin.* MORS CVNCTA CALCAT SVPPEDITAT RAPIT. Addit *Reines.* illud *Guilelmi Brit. l.* 3. fastu, Quo nos, quo cunctos sibi suppeditare laborant. *et l.* 10. virtus Omnia suppeditat, supereminet omnibus una.

SUPPĔDO *vel* subpedo, is, ere, n. 3. idem quod pedo. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *sub fin.* Suppedit, flagitium est. jam eris nudus in balneo: non reprehendes.

SUPPELLECTILIS et

SUPPELLEX. *V.* SUPELLEX.

SUPPENDĔO *vel* subpendeo, es, ere, n. 2. subter pendeo. *Colum.* 4. *R. R.* 26. *in fin.* Sæpe notavi, per imprudentiam rusticos subjicere jugo palmam et ita colligare, ut solo vimine suppendeat. Alii rectius leg. *suspendant.*

SUPPERNĀTUS *vel* subpernatus, a, um, adject. (sub et perna) in modum pernæ succisus. *Paul. Diac.* ex *Fest. p.* 305. 9. *Müll.* Suppernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius in Annalibus: His pernas succidit iniqua superbia Pœni. Catullus ad Coloniam (17. 18). velut alnus In fossa Liguri jacet subpernata securi. Hæc *Festus*. Locus *Ennii* videtur esse de pugna Cannensi, in qua, ut *Livius* 22. 51. narrat, in strage cæsorum quidam jacentes vivi succisis feminibus poplitibusque inventi sunt. In verbis *Catulli* est metaphora; tribuit enim ligno, quod animalibus convenit. Sunt qui gerperam *separata* legendum putant: alii *expernata.*

SUPPERTURBO *vel* subperturbo, as, are, a. 1. aliquantum perturbo. *Seneca Apocoloc.* 13. Pusillum subperturbatur, ut illum vidit canem nigrum, villosum. Est qui male leg. *superturbatur.* At *Bücheler* ex Cod. Sang. leg. *perturbatur.*

SUPPES *vel* subpes, pĕdis, adject. omn. gen. qui sub pedibus est: vel, ut alii divinant, qui supinis est pedibus. Habetur in *fragm. Petron. p.* 674. *Burmann.* et in *Tab. marm.* apud *Gruter.* 341. *ad fin.* Item reliquos mangones suppedes ipsius perieges. *Lege divisim* sub pedes. *Gloss. Isid.* Supes (*al.* Suppes), supumpis; hoc est supinis pedibus.

SUPPĔTENS, entis, particip. *V.* SUPPETO.

SUPPETIÆ *vel* subpetiæ, ārum, f. plur. 1. (suppeto) *Suppetias*, accus. absolut. pro *ad suppetias*, ut *exsequias*, V. infra. — Suppetiæ idem ac subsidium, auxilium, quod fertur laboranti, quod datur ad rem sustentandam, ne labatur aut pereat: ita dictæ, quia suppetunt et adsunt in discrimine, *ajuto, soccorso,* βοήθεια, ἐπικουρία. Usum habent in recto et quarto casu. — *a*) In recto. *Plaut. Epid.* 5. 2. 12. Quidquid ego male feci, auxilia mihi et suppetiæ sunt domi. *Id. Amph.* 5. 1. 54. Non metuo, quin meæ uxori latæ suppetiæ sient. — *b*) In quarto casu. *Id. Epid.* 5. 1. 52. Memento suppetias mihi cum sorore ferre. *Apul. De mag.* Piscibus non ad quæstum sed ad suppetias uti. — *Suppetias*, absolute, ad suppetias, auxilii causa. *Plaut. Men.* 5. 7. 31. Næ tibi suppetias tempore adveni modo. *Auct. B. Afr.* 5. Et nunciabantur auxilia magna equitatus oppidanis suppetias venire. *et ibid.* 25. *extr.* Suis finibus oppidisque suppetias profectus est. *et ibid.* 39. Suis fugientibus suppetias ire contendit. *et ibid.* 75. *ad fin.* Milites turmis suorum suppetias mittit. *et ibid.* 66. *et* 68. Occurrere suppetias legionibus. *Apul.* 9. *Met.* Accurrere alicui suppetias. Adde *Sueton. Vesp.* 4.

SUPPĔTIĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPPETIOR.

SUPPĔTIĀTUS *vel* subpetiatus, us, m. 4. (suppetior) suppetiæ, auxilium. *Non. p.* 74. 17. *Merc.* ut Latinum agnoscit. Auxiliatum, inquit, ut suppetiatum. Ita *Forcellinus.* Cf. SUPPETIOR.

SUPPĔTĪLIS (suppetulis), e, adject. (suppeto) ad suppetias pertinens. *Itin. Alex. M.* 32.

SUPPĔTĬOR *vel* subpetior, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (suppetiæ) *Suppetio, as,* formâ activâ, apud *Næv. fragm.* 12. Manubias suppētiat prone. Alii aliter. — Part. *Suppetiatus.* — Suppetior est suppetias fero, *recare ajuto, soccorrere,* ἀμύνω: construitur absolute aut cum Dat. *Cic.* 14. *Att.* 18. De Patulciani nomine. quod mihi suppetiatus es, gratissimum est. *V.* SUPPEDITO. *Apul.* 8. *Met.* Vobis facile est suppetiari miserrimo seni. *et* 1. *ibid.* Proclamares saltem suppetiatum, si resistere nequibas. *et* 4. *ibid.* Suppetiatum decurrunt auxii. *et* 7. *ibid.* Omnem viciniam suppetiatum convocant. *et* 8. *ibid.* Maritum suum suppetiatum ciet. *Itin. Alex. M.* 116. Si claustra effringunt suppetiatique in tempore jam regem sui recipiunt diffidentem. Adde *ibid.* 63. et *Jul. Val.* 1. *res gest. Alex. M.* 52. *in fin.*

SUPPĔTĬUM *vel* subpetium, ii, n. 2. (suppeto) idem ac suppetiæ. *Commodian. Instruct.* 43. 13. Suppetium nullum erit. *et* 70. 12. Tum petit suppetium miser. *Gloss.* in *Prodr. Gloss.* ed. *Loewe p.* 366. Suppetium: refugium.

SUPPĔTO *vel* subpeto, is, ere, n. 3. Part. *Suppetens.* — Suppeto est prope venio, advenio; sed, latiore sensu, est in promptu sum, supersum, adsum vel abunde sum; et construitur absolute aut cum Dat. (It. *essere in pronto o presente od in copia;* Fr. *se trouver sous la main, être en abondance, être présent;* Hisp. *ser presente ó abundante;* Germ. *herbeikommen, zur Hand sein, in Fülle -, vorräthig sein;* Angl. *to be present or abundant, to occur*).

A) Impersonaliter seu in tertia persona.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pers.* 3. 1. 3. Ut mihi supersit, suppetat, superstitet. *Id. Trin.* 1. 2. 19. deos oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat. *Auct. B. Afr.* 31. *circa med.* Numquam tanta suppeteret victoriæ fiducia, ut castra sua adoriri auderent. *h. e.* non esset eis. *Cic.* 15. *Fam.* 13. Mihi ad remunerandum nihil suppetit præter voluntatem. *Id.* 3. *Verr.* 11. *a med.* Vereres, ne mihi crimina non suppeterent, ne oratio deesset. *Nepos Dion.* 7. Pecunia deesse cœpit, neque, quo manus porrigeret, suppetebat. *Liv.* 4. 48. *a med.* Ut pro se quisque, nec consilium sibi suppetere diceret, neq se ullam opem cernere, nisi etc. *Id.* 5. 26. *sub fin.* Quum frumentum copiæque aliæ largius obsessis, quam obsidentibus, suppeterent. *Id.* 4. 22. Quibuscumque vires suppetebant ad arma ferenda, præsto fuere. *Plin.* 9. *Ep.* 2. Tullio et copiosissimum ingenium et ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largissime suppetebat. *Plin, alter* 2. *Hist. nat.* 9. 6. (46). Non suppetente ad hauriendum justa vi. *Ammian.* 24. 4. *ad fin.* Architectus, cujus nomen non suppetit. *h. e.* venit in mentem. — *Vita suppetit*, datur, durat. *Cic* 1. *Fin.* 4. 11. Scribentur fortasse plura, si vita suppetet. *Liv.* 40. 56. Si vita longior suppetisset, haud dubium fuit, quin etc. *Auct. B. Afr.* 92. Quoad vita suppetet. *Plin.* 5. *Ep.* 5. *extr.* Dum vita suppetit, enitamur, ut etc. *Plaut. Trin.* 1. 2. 19. deos oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat. ¶ 2. Speciatim pro clam aut alterius nomine petere. *Ulp. Dig.* 47. 2. 52. *ante med.* Furti actionem adversus eum, qui suppetet, siliginario competere, non mihi. Ita *Torrentin.*, at *Haloand.* edidit *qui sic petet.*

II.) Translate. ¶ 1. Est sufficere, satis esse. *Cic.* 5. *Tusc.* 32. 89. Ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiæ suppetant. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 4. Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus. *Liv.* 2. 56. Rudis in militari homine lingua non suppetebat libertati animoque. ¶ 2. Et par esse, respondere. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 106. Utinam quæ dicis, dictis facta suppetant.

B) Personaliter, et quidem translate. *Horat. Epod.* 17. 63. Ingrata misero vita ducenda est, in hoc, Novis ut usque suppetas doloribus. Cf. *Lucret.* 1. 1048. Et tamen ut plagæ quoque possint suppetere ipsæ, Infinita opus est vis undique materiai.

SUPPĔTŬLĒ, adverb. (suppeto) suppetendo. *Itin. Alex. M.* 76. Quidquid suppetule insequentibus foret, id omne corrumpens etc. Alii adjectivum putant. V. *Gloss. Nov. Lat. Rom.* 1844. *p.* 68. et voc. seq.

SUPPĔTŬLIS. *V.* SUPPETILIS.

SUPPĪLĀTOR *vel* subpilator, ōris, m. 3. (suppilo) qui pilos evellit. *Laber.* apud *Non. p.* 490. 21. *Merc.* Quænam mens, quæ deliritas vos suppilatores facit cum cano eugio puellitari? *Est qui rectius leg.* suppilitores. V. *Ribbeck op. cit. p.* 299.

SUPPĪLĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUPPĪLO *vel* subpilo, as, ātum, are, a. 1. (sub et pilo) Part. *Suppilatus.* — Suppilo est clam compilo, expilo, suffuror, spolio, ὑπεξαιρούμαι (It. *rubare;* Fr. *enlever en cachette, voler, dérober;* Hisp. *alzar á escondidas, hurtar, robar;* Germ. *heimlich rupfen, stehlen;* Angl. *to steal craftily or underhand, pilfer*). ¶ 1. Generatim. *Plaut. Men.* 5. 1. 39. Quum pallam atque aurum meum Domo suppilas uxori tuæ et tuæ Degeris amicæ. *et* 5. 2. 52. Suppilat mihi aurum et pallam ex arcis. — Absolute. *Id. Truc.* 2. 7. 15. Suffuror, suppilo, de præda prædam capio. ¶ 2. Speciatim est suffurando spolio, *spogliare, espilare. Cæcil.* apud *Non. p.* 12. 33. *Merc.* Suppilatum esse eum atque ornamenta omnia. *Plaut. Asin.* 4. 2. 6. Suppiles clam domi uxorem tuam? *et* 5. 2. 38. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas Suspicabar. *Pompon.* apud *Non. p.* 13. 2. *Merc.* Alter amat, potat patrem suppilat semper.

SUPPINGO *vel* subpingo, pingis, pinxi, pingere, a. 3. (sub et pingo) subtus vel leviter pingo. — Translate est suffundo. *Avien.* in *Arat.* 1454. tenui surrexerit autem Si fæce et ignito suppinxeritora rubore.

SUPPINGO *vel* subpingo, pingis, pactum, pingere, a. 3. (sub et pango) Part. *Suppactus.* — Suppingo est subter compingo, *attaccare sotto. Plaut. Trin.* 3. 2, 94. Fulmentas jubeam suppingi soccis. *Id. Bacch.* 2. 3. 97. Divesne est istic Theotimus? CHRYS. etiam rogas? qui soccis habeat auro subpactum solum. *h. e.* clavis aureis soleas seu crepidas suffixas. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (50) scribit, Hagnonem Teium aureis clavis suffigere crepidas solitum. et *Val. Max.* 9. 1. *n.* 4. *extern.* Antiochi exercitum magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuisse.

SUPPINGUIS. *V.* SUBPINGUIS.

SUPPLANTANS, antis, particip. *V.* SUPPLANTO.

SUPPLANTĀTĬO *vel* subplantatio, ōnis, f. 3. (supplanto) actus supplantandi. — Translate est decentio. *Vulgat. interpr. Ps.* 40. 10. Qui ede-

bat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Adde *Prov.* 11. 3.

SUPPLANTĀTOR *vel* subplantator, ōris, m. 3. (supplanto) qui supplantat. *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 6. Rachel propter aquas supplantatoris osculo salutatur. *h. e.* Jacobi, qui fratrem suum supplantavit. (V. *Genes.* 29. 11.) *Ambros. Ep.* 60. Ille est supplantator, qui usurarum captat emolumenta.

SUPPLANTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUPPLANTO *vel* subplanto, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Supplantans* sub *B*; *Supplantatus* sub *A* I. 1. et 2. — Duplex statui potest origo vocis, prout a planta pedis vel a planta vegetali derivatur; sed hæc duo, quod ad significationem attinet, fere in idem recidunt. — Supplanto est, planta pedis seu pede supposito, dejicio, everto, ὑποσκελίζω (It. *far cadere, fare il gambetto, soppiantare*; Fr. *renverser en donnant un croc en jambes*; Hisp. *dar zancadilla*; Germ. *durch Unterstellen d. Beines niederwerfen*; Angl. *to supplant, trip up one 's heels*): occurrit autem transitive et aliquando etiam neutrorum more.

A) Transitive.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 3. *Off.* 10. *ante med.* Qui stadium currit, eniti et contendere debet, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Adde *Lucil.* apud *Non. p.* 36. 3. *Merc. Seneca Ep.* 13. Athleta, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus. ¶ 2. Latiore sensu est prosterno et quasi sub plantis dejicio, everto. *Colum. Arbor.* 7. Si vitem sternere voles, juxta radicem ita, ne ipsam lædas, curiose fodito et vitem ita supplantato. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (212). Totas supplantare in terram vites. *Id. ibid.* 22. 35. (193). In pampinatione non hos detrahere pampinos, qui cum uva sint. id etenim uvas supplantat, præterquam in novella vinea. *Vitruv.* 10. 22. *sub fin.* Vehemens aquæ vis immissa supplantavit fulturas. — *Vulgat. interpr. Os.* 6. 8. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. *h. e.* propter sanguinem injuste fusum eversa.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. *Vulgat. interpr. Job* 12. 19. Optimates supplantare. *Id. Prov.* 19. 3. Stultitia hominis supplantat gressus ejus. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. *Pers.* 1. 35. et tenero supplantat verba palato. *h. e.* supprimit ac veluti strangulat, pressa voce, nec expresse pronuncians. *Auct. declam. quæ inscribit.* Trib. Marian. *inter declam. Quintil.* 7. Supplantare judicium. *h. e.* evertere, labefactare, corrumpere.

B) Neutrorum more est corruo. *Vulgat. interpr. Jer.* 9. 4. Omnis frater supplantans supplantabit et omnis amicus fraudulenter incedet.

SUPPLAUDO (supplodo) *vel* subplaudo, plaudis, plausi, plaudere, 3. usurpatur tum transitive, tum intransitive.

A) Transitive est pedibus terræ illisis sonitum facio, ut fit in dolore, ira, contemptu aliisque hujusmodi animi motibus, *battere coi piedi.*

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Orat.* 53. *extr.* Pedem nemo in illo judicio supplosit: credo, ne Stoicis renunciaretur. *Seneca Ep.* 75. Etiam si disputarem, nec supploderem pedem nec manum jactarem nec attollerem vocem, sed ista oratoribus reliquissem.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Metricos est versus ferire. *Bassus* apud *Rufin. De metr.* 1. 5. Iambicus, quum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut quum pedem supplodis, iambicum ferias. ¶ 2. *Supplodere calumniam*, apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 2. est evertere, destruere et quasi pedibus calcare.

B) Intransitive est idem quod plaudo vel tacite plaudo. *Tertull. Idolol.* 13. Male nobis supplaudimus. *Id. Pudic.* 19. Nescio quid diversæ parti supplaudere videtur.

SUPPLAUSĬO (supplosio) *vel* subplausio, actus supplaudendi. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. Pedis dextri rara supplausione uti oportebit. *Id.* 3. *Orat.* 12. *ad fin.* Vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus. *et ibid.* 59. 220. Supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis. Adde *Brut.* 38. 141. et 80. 278.

SUPPLĔMENTO *vel* subplemento, as, are, a. 1. (supplementum) suppleo, supplementum addo. *Hygin. Gromat. p.* 14. *col.* 1. Quod si adhuc amplius seu minus, quam ostendimus, supplementanda fuissent, omnia immutabuntur. *Schelius* legend. putat *supplementis dandum fuerit*; at *Lange* edidit *supplementa data fuissent.*

SUPPLĔMENTUM *vel* subplementum, i, n. 2. (suppleo) quod ad supplendum rei cujuspiam numerum adjicitur: quod submittitur in locum eorum, quæ desunt, πλήρωμα (It. *supplemento*; Fr. *supplément, complément*; Hisp. *suplemento, complemento*; Germ. *das Ergänzungsmittel*, *die Ergänzung*; Angl. *a supply, filling up, supplement*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Vellej.* 2. 81. 2. Speciosum adjectum supplementum Campanæ coloniæ. Ejus reditus erant publici: pro his longe uberiores reditus, duodecies sestertium, in Creta redditi. *Colum.* 7. *R. R.* 6. *a med.* Ex geminis singula capita in supplementum gregis reservare. *Id.* 9. *ibid.* 13. *sub fin.* Apes nimio fatigatæ opere plurimæ pereunt, nec ullis juventutis supplementis frequentatæ, novissime reliquæ intereunt. *Impp. Dioclet.* et *Maximian. Cod.* 3. 36. 24. Compensato, quod a coheredibus percepit, et, si quid deest, in supplementum deducto. ¶ 2. Speciatim, in re militari, dicitur certus militum numerus, qui in locum eorum, qui desunt, sufficiuntur ad justum corpus, puta legionem, implendam, *reclute. Cæs.* 7. *B. G.* 7. Partem copiarum et supplementi, quod ex Italia adduxerat, in Helvios convenire jubet. *et ibid.* 9. Per causam supplementi equitatusque cogendi ab exercitu discedit. *Id.* 3. *B. C.* 4. Magnum numerum ex Thessalia, Bœotia, Achaia supplementi nomine in legiones distribuerat. *Cic.* 3. *Fam.* 3. Scribere supplementum legionibus. *Liv.* 29. 37. In supplementum classis juventus armaque data. *Id.* 38. 36. Terna millia peditum in supplementum sociis imperata. *Id.* 26. 47. Servos in classem ad supplementum remigum dedit. *Id.* 42. 10. *a med.* Ut novos exercitus scribere aut supplementum veteribus liceret. *Id.* 1. 30. Legiones veteres supplemento explere. *Curt.* 5. 1. *sub fin.* Legere milites in supplementum. *Justin.* 3. 4. 5. Milites, qui in supplementum venerant. *et ibid.* 5. 6. Ut ad supplementum exercitus servos manumitterent. ¶ 3. *Supplementa* apud *Hygin. De munit. castr.* dicuntur omnes copiæ propter legiones. Sic § 32. Observare itaque debebimus, ut quotiens tres legiones cum supplementis acceptæ fuerint etc. ¶ 4. Hinc de aliis rebus. *Justin.* 8. 6. 1. Quosdam bello captos in supplementis urbium dividit.

II.) Translate est adjumentum, subsidium. *Sueton. Aug.* 80. Digitum salutarem tam imbecillum sentiebat, ut torpentem frigore vix cornei circuli supplemento scripturæ admoveret. *Apul.* 2. *Met.* Sagæ ora mortuorum demorsicant: eaque sunt illis artis magicæ supplementa. *et* 4. *ibid.* Tenuato ventri sordentia supplementa et dapes gratuitas conquirere. *et* 9. *ibid.* Quum esset confectum omne frumentum, supplementum operi opifices postulabant. *Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 8. 14. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.

SUPPLENS, entis particip. *V.* voc. seq.

SUPPLĔO *vel* subpleo, plēvi, plētum, plere, a. 2. (sub *et inusit.* pleo) Part. *Supplens* 4.; *Suppletus* 1. 2. et 4.; *Suppleturus* et *Supplendus* 1. — Suppleo est, quod plenum erat, rursus impleo, quod deerat, addendo, ἀναπληρόω (It. *empire, riempire*; Fr. *ajouter ce qui manque, compléter, suppléer*; Hisp. *suplir, cumplir ó entregar lo que falta*; Germ. *ergänzend vervollständigen, voll machen, ergänzen*; Angl. *to fill, fill up, supply, complete*). ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 88. Fiscellam cum sale populari suspendito et quassato suppletoque identidem. *Lucret.* 1. 1043. Supplere summam. *Cic.* 6. *Verr.* 5. 9. Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum provinciæ supplere. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. *a med.* De bibliotheca Græca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim etc. *Ovid.* 7. *Met.* 291. Adjectoque cavæ supplentur sanguine venæ. *et* 4. *ibid.* 140. Vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori Miscuit. *Seneca Herc. Œt.* 1084. Supplere colos consumptas. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Ærarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. *Colum.* 12. *R. R.* 50. *ad fin.* Ex alio acervo, quantum cuique mensuræ defuit, supplet. *et ibid.* 10. Cepam composito in fidelia et infuso jure *etc.* quæ, quum jus combiberit, simili mistura vas suppleatur. *Sueton. Cæs.* 36. Hirtius, qui Gallici belli novissimum imperfectumque librum supplevit. *suppli, compi.* et *Aug.* 41. Senatorum censum duodecies sestertium taxavit supplevitque non habentibus. *Id. Cal.* 16. et *Tac.* 1. *Ann.* 71. Multis incendiorum damna supplevit. *risarci.* et *Cic.* 2. *Orat.* 26. *de ambiguo.* Ut referendis præteritis verbis id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur. *si supplisca e si spieghi.* et *Plin.* 2. *Ep.* 4. *a med.* Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *si supplisce con la parsimonia.* et *Censorin. De die nat.* 20. Dies, qui annum verum suppleturus videbatur. — Translate. *Vulgat. interpr. Jac.* 2. 23. Et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo etc. *si adempì.* — *Supplere locum, vicem*, esse loco, vice, *far le veci. Seneca Hippol.* 633. Tibi parentis ipse supplebo locum. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Hypocauston, si dies nubilus, solis vicem supplet. ¶ 2. Speciatim, in re militari, est deminutum legionum numerum, novis militibus adjectis, iterum complere, *reclutare, compire. M. Anton.* apud *Cic.* 8. *Phil.* 9. 27. Legiones suppletæ ex Bruti exercitu. Sic *Liv.* 24. 24. *extr.* Suppleritque ita eas legiones, ut singulæ sena milia *etc.* haberent. *Tac.* 4. *Hist.* 19. Subito delectu suppletæ legiones. *Justin.* 12. 11. 4. Dimissis veteranis, exercitum junioribus supplet. *Liv.* 26. 39. Supplere remigio naves. *Virg.* 3. *Æn.* 471. Remigium supplet, socios simul instruit armis. *Sueton. Tib.* 41. Decurias equitum supplere. *Veget.* 3. *Milit.* 17. Sicubi hosti vehementer insistit, ne rumpatur acies, provolent subito et subpleant loca. *h. e.* in aliorum loca subeant. ¶ 3. Hinc de aliis rebus. *Virg.* 7. *Ecl.* 36. Si fetura gregem suppleverit, aureus esto. Ubi *Servius*: Si tot agnos habuero, quot oves. hoc est enim gregem suppleri per feturam. *Sueton. Cæs.* 41. Senatum supplevit, patricios allegit. ¶ 4. Pro adjicere, adjungere, *aggiungere. Cic.* 12. *Phil.* 6. *a med.* Ponite ante oculos M. Antonium consularem: sperantem consulatum Lucium adjungite: supplete ceteros etc. *Auson. Edyll.* 10. 412. libataque supplens Præmia. *h. e.* honores prius vix concessos tribuens. *Propert.* 4. 8. 43. Sed neque suppletis constabat flamma lucernis. *riformite d'olio.*

SUPPLĒTĬO *vel* subpletio, ōnis, f. 3. (suppleo) completio. *Ps.-Soran. Qu. med.* 249. et *Beda Mund. const. T.* 1. *p.* 398. apud *Quicherat.* in *Add. etc. p.* 285.

SUPPLĒTŌRĬUM *vel* subpletorium, ĭi, n. 2. (suppleo) supplementum, complementum. *Julian.* apud *Augustin.* 5. *contra sec. Julian. resp.* 42. Illud voluntatis suppletorium denegatis, id est, cogente nullo. (Definitur namque bene voluntas: motus animi cogente nullo.)

SUPPLĒTUS, a, um, particip. *V.* SUPPLEO.

SUPPLEX *vel* subplex, plĭcis, adject. omn. gen. *Suplex*, non geminata p et correpta syllaba priore, apud *Porphyr. Opt.* 16. 11. 25.: sic et *suplico, coloco, anulus* etc. V. *Müller De re metr.* p. 360. — In Abl. sing. *supplici* et *supplice* promiscue usurpatur. *V.* infra. Cf. et *Neue Formenl.* 2. 30. — In Gen. plur. *supplicium*, pro *supplicum*, apud *Liv.* 25. 30., ubi tamen dubia est lectio rectiusque leg.

supplicia vel supplicum. V. etymon in SUPPLICO. — Supplex est qui plicato et curvato corpore aut flexis genibus submisse aliquid petit, orat, precatur, ἱκέτης (It. *supplichevole, supplice;* Fr. *qui prie humblement, suppliant;* Hisp. *suplicante;* Germ. *demüthig bittend, flehend;* Angl. *humbly begging or entreating, suppliant*).

I.) Adjective. — *a*) Proprie. *Cic.* 4. *Cat.* 9. 18. Votis supplex manus tendit patria communis. *Id. Fontej.* 11. 23. Qui ad opem judicum supplices inferioresque confugiunt. *Id. pro leg. Manil.* 8. 21. Supplicem se contulisse ad alios. *Id.* 16. *Att.* 16. Ut supplex ad te venirem. *Id.* 2. *Phil.* 34. 86. Misericordiam captabas: supplex te ad pedes abjiciebas. *Auct. B. Alex.* 67. Rex, depositis regiis insignibus, supplex ad Cæsarem venit oratum, ut sibi ignosceret. *Virg.* 1. *Æn.* 670. Ad te confugio et supplex tua numina posco. *et* 3. *ibid.* 592. supplexque manus ad litora tendit. *et* 10. *ibid.* 523. Et genua amplectens effatur talia supplex. *et* 12. *ibid.* 930. Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem Protendens etc. — *Supplicem esse alicui,* supplicare. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. *ad fin.* Socrates nec patronum quæsivit ad judicium capitis nec judicibus supplex fuit. *Id.* 3. *ibid.* 32. 77. Quum se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut etc. Adde *Ovid. Heroid.* 12. 185. — *b*) Translate dicitur de rebus. *Sall. Cat.* 32. Demisso vultu, voce supplici postulare. *Cic.* 12. *Att.* 32. Orat multis et supplicibus verbis. *Id. Fontej.* 17. *a med.* Tendit ad vos Vestalis manus supplices. *Horat.* 3. *Od.* 14. 8. Matres decoræ supplice vitta. *Val. Flacc.* 3. 424. Tempora tum vittis et supplice castus oliva Implicat. *Id.* 4. 11. Tum precibus, tum me lacrimis et supplice dextra Attentare veto. *Martial.* 8. 31. supplicibus dominum lassare libellis, *memoriali.* et *Virg.* 3. *Æn.* 438. dominamque potentem Supplicibus supera donis. *et* 8. *ibid.* 60. iramque minasque Supplicibus supera votis.

II.) Substantivorum more. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Ut in miseros ac supplices usus misericordia videretur. *Cic. Mur.* 40. 86. Vester est supplex, judices: vestram fidem obtestatur. Adde *Cluent.* 70. 200. *Horat.* 3. *Od.* 10. 16. Supplicibus tuis parcas. *Val. Flacc.* 7. 290. tu laude nova, tu supplice digno Dignior. — Et cum Genetivo. *Nepos Pausan.* 4. Quem quum supplicem dei videret in ara sedentem etc. Sic *Agesil.* 4. *extr.* Sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus deorum nocuissent. *Cic. Cœl.* 32. 79. Supplicem vestræ misericordiæ, servum potestatis, abjectum ad pedes vestros sustentate. Adde *Senec. Agam.* 543. et *Troad.* 313. et *Quintil. Declam.* 9. 1. — Supplicum olim non tantum capita erant velata, sed et vittis manus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 101. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 237. et *Hom. Il.* 1. de Chryse. Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

SUPPLĬCĀMENTUM *vel* subplicamentum, i, n. 2. (supplico) idem quod supplicatio. *Apul.* 11. *Met.* Supplicamenta sollemnia. *et infra.* Quantoque sumptu deberem procurare supplicamentis. *Arnob.* 7. *p.* 227. Supplicamenta diis præstare. *V.* SUPPLICIAMENTUM.

SUPPLĬCANS, antis, particip. *V.* SUPPLICO.

SUPPLĬCANTER *vel* subplicanter, adverb. (supplico) supplicantis instar. *Sedul.* in *dedic. op. Pasch.* Domino et grego supplicanter et offero. Adde *Gloss. Placid. p.* 499. ed. *Mai.*

SUPPLĬCĀTĬO *vel* subplicatio, ōnis, f. 3. (supplico) supplicandi actus, precatio in universum, ἱκεσία (It. *supplica, preghiera;* Fr. *prière, prière humble;* Hisp. *rezo, suplica;* Germ. *d. demüthige Beten;* Angl. *a supplication, prayer, humble entreaty*); speciatim vero et frequentissime ¶ 1. Ponitur pro Dei adoratione et gratiarum actione pro re aliqua, quæ reipublicæ prospere evenit. Sic apud Romanos *supplicationes* dicebantur, quando, re feliciter gesta, ex senatusconsulto, templa aperiebantur divorumque simulacra in lectulis collocabantur, sacra faciente pontifice et populo certatim ad pulvinaria confluente diisque suis pro eorum in rempubl. meritis supplicante gratiasque agente. *Cæs.* 7. *B. G.* 90. Supplicationem indicere. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 15. Atque etiam supplicatio diis immortalibus, pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est. *Id.* 14. *Phil.* 14. 37. Prætor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat. *Liv.* 5. 23. Senatus in quatriduum, quot dierum nullo ante bello, supplicationes decernit. *scil.* ob Vejos captos. — Hic honor supplicationis dabatur imperatoribus tamquam prærogativa quædam triumphi. Nam supplicatione decernenda declarabatur, adeo insignem fuisse victoriam, ut pro ea diis gratulari gratiasque agere dignum esset. *Cic. Sull.* 30. 85. Cui uni togato supplicationem senatus decrevit. *Id. Prov. cons.* 11. 27. Decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompejo. *Sueton. Cæs.* 24. *ad fin.* Prospere decedentibus rebus, et sæpius et plurium, quam quisquam umquam, dierum supplicationes impetravit. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 35. et *Inscript.* apud *Orell. n.* 3187. ¶ 2. Ita etiam dicebantur, quæ averruncandæ iræ deum habebantur, vel eorum favori captando. *Liv.* 10. 33. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum causa supplicationes in biduum senatus decrevit. *et ibid.* 47. *extr.* Unum diem Æsculapio supplicatio habita est. *scil.* ob pestilentiam urentem urbem atque agros. *Id.* 31. 9. Supplicationibus habitis jam et obsecratione circa omnia pulvinaria facta. *scil.* ut bellum Philippo indictum prospere eveniret. *Id.* 37. 3. Supplicatio quoque earum religionum causa fuit. V. *Henzen. Act. Arv. p.* 77. ¶ 3. *Supplicatio* est titulus comœdiæ togatæ *Quinct. Attæ,* cujus fragm. apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 18. ¶ 4. Pro absoluta deditione. usurpat *Ammian.* 17. 13. 21.

Homonym. Discrimen inter *supplicationem* et *obsecrationem* V. in OBSECRATIO.

SUPPLĬCĀTOR *vel* subplicator, ōris, m. 3. (supplico) qui supplicat, *supplice. Prudent.* 1. περὶ στεφ. 14. Lætus hinc tersis revertit supplicator fletibus. *Augustin.* 5. *Civ. D.* 23. *ad fin.* Victis supplicatoribus dæmonum.

SUPPLĬCE, adverb. (supplex) suppliciter. *Carm. Saliar.* apud *Varron.* 7. *R. R.* 27. *ed. princ.* Divum exta cante: divum deo supplice cante. At *Müllerus* leg. *supplicante.*

SUPPLĬCĬĀLIS *vel* subplicialis, e, adject. (supplicium) qui est ex supplicio sive pœna. *Julian.* apud *Augustin. Op. imperf. contra Julian.* 6. 36. *a med.* Ergo et mors non supplicialis est sed naturalis. *Jul. Valer.* 2. 18. Suppliciali servitio devincti.

SUPPLĬCĬĀMENTUM *vel* subpliciamentum, i, n. 2. (supplicium) idem ac supplicium. *Tertull. Fug. in persecut.* 9. *ad fin.* ex 1. *Joh.* 4. 18. Perfecta dilectio foras mittit timorem: quia timor suppliciamentum habet, utique ignem stagni. Alii rectius leg. *supplicamentum* eod. sensu. Vulgata editio *pœnam* habet.

SUPPLĬCĬTER *vel* subpliciter, adverb. (supplex) cum supplicatione, humiliter, submisse, abjecte, *supplichevolmente,* ἱκεσίως. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Suppliciter locuti flentes pacem petissent. Sic *Justin.* 14. 2. *a med.* Suppliciter alloqui singulos. *Cic. Flacc.* 10. 21. Quumque defensor suppliciter demisseque responderet. *Id.* 1. *Orat.* 20. 90. Blandiri et suppliciter insinuare iis, a quibus est petendum. *Virg.* 12. *Æn.* 220. aram Suppliciter venerans. *et* 1. *ibid.* 485. Iliades suppliciter tristes et tunsæ pectora palmis. *Ovid.* 2. *Fast.* 438. Suppliciter posito procubuere genu. *Id.* 1. *Pont.* 10. 44. Suppliciter rogare deos. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 32. effigies cerea suppliciter stabat. *in atto di supplichevole.* et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (56). Mentor, leone obvio suppliciter volutante, attonitus pavore etc.

SUPPLĬCĬUM *vel* subplicium, ii, n. 2. (supplex) *Supplici* pro *supplicii* apud *Acc., Plaut.* et *Ter.;* et *supplicis* pro *suppliciis* apud *Senec. Med.* 746. et 1023. — Supplicium, in plur. num., significat supplicationes, preces diis habitas sive publicas sive privatas, *supplica, preghiera,* ἱκεσία.

I.) Proprie, in plur. num. tantum. *Afran.* apud *Non. p.* 398. 19. *Merc.* Nullam accessi ad aram, quin deos suppliciis, sumptu, votis, donis, precibus defatigarem. *Acc. ibid.* Suppliciis placans cælitum aras expleam. *Sall. Cat.* 52. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. *Id. ibid.* 9. In suppliciis deorum magnifici, domi parci. *Id. Jug.* 70. Vaccenses fatigati regis suppliciis. Sic *Liv.* 27. 50. Matronæ per omnia delubra suppliciis votisque fatigare deos.

II.) Metonymice, in sing. et plur. num. ¶ 1. Sunt dona, quæ in suppliciis offeruntur. *Plaut. Rud. prol.* 22. Hoc scelesti in animum inducunt suum, Jovem se placare posse donis, hostiis: Et operam et sumptum perdunt, id eo fit, quia Nihil est acceptum a perjuris supplicii. et *Epid.* 5. 2. 59. Numquam hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam. PE. Optimum atque æquissimum oras. soccos, tunicam, pallium Tibi dabo. *Apul.* 11. *Met.* Vannos onustas aromatis et hujuscemodi suppliciis certatim congerunt. (Huc pertinet etiam non unum ex allatis exemplis: ut et illud *Liv.* 22. 57. Quibus precibus suppliciisque deos possent placare.) ¶ 2. Item rami et velamenta, quæ præferebantur a caduceatoribus, veniam et pacem poscentibus, ἱκετηρίαι, ἱκετήριος κλάδος (V. *Sophocl. Œd. Tyr. v.* 5. Cf. SUPPLEX in fin.) *Festus p.* 309. 12. *Müll.* Supplicia sunt, quæ caduceatores portant. ea sumebantur ex verbena felicis arboris. nec enim ex alia supplicia fas erat, quam de verbenis, sumi. *Sall. Jug.* 50. Jugurtha diffidere rebus suis, ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent. ¶ 3. Item — 1.°) Et quidem passive — *a*) Est sacrificium, quod in supplicationibus fit. *Varro* 2. *R. R.* 5. *circa med.* Quos boves propter amplitudinem præstare dicunt, ad victimas fariciunt atque ad deorum servant supplicia. *Sinnius Capito* apud *Fest.* ait, quum civis necaretur, institutum fuisse, ut Semoniæ res sacra fieret vervece bidente, ut eo sacrificio pœna solutis civibus, caput ipsum damnati patrimoniumque cui delibatum esset, id fieret sacrum deo: indeque fuisse solitum, ut, quia tunc in foro supplicandi causa prodiret rex sacrorum, id vocaretur supplicium. — *b*) Hinc *supplicium* dici cœptum pœna capitalis aut quæcumque gravior animadversio et cruciatus, τιμωρία (It. *grave castigo, pena di morte, supplizio, tormento, strazio;* Fr. *peine, châtiment, supplice, torture, tourment;* Hisp. *pena, tormento, carniceria, suplicio;* Germ. *Strafe, Bestrafung, Leibesstrafe, Marter;* Angl. *punishment, capital punishment, torture, torment*). Supplicium, inquit *Fest. loc. cit.,* a suppliciis differt, ut usus arguit. deorum sunt supplicia, h. e. supplicationes: supplicium est hominum, ut quum dicimus, sumere supplicium de aliquo. Sed et in plurali hoc sensu usurpatur, ut dictum est. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 22. Nisi mihi supplicium virgeum (*alii perperam leg.* virgarum) de te datur. et *mox.* Nisi mihi (*alii perperam leg.* tibi) supplicium stimuleum de te datur. *Cæs.* 7. *B. G.* 4. *ad fin.* Magnitudine supplicii dubitantes cogit. nam majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leviore de causa, auribus desectis aut singulis effossis oculis, domum remittit. *et ibid.* 5. His suppliciis celeriter coacto exercitu etc. *et* 1. *ibid.* 31. *sub fin.* De obsidibus gravissimum supplicium sumere. *et* 7. *ibid.* 26. Ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent. *Nepos Pausan.* 5. Dare aliquem ad supplicium. *condannare a morte.* et *Agesil.* 5. Illa multitudine supplicium Persas dare potuisse. *pagare il fio,* dare pœnas. (Sic *Plaut. Asin.* 2. 4. 75. Dabitur supplicium mihi de tergo vestro. Adde *eumd. ibid.* 76. et *Ter. Eun.* 1. 1. 24., quo sensu *M. Anton.* dixit apud *Cic.* 13. *Phil.* 10. 22. Solvere supplicium. *et Tac.* 6. *Ann.* 26. persolvere. *et Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 14. (57). pendere. *et Justin.* 17. 1. 6. *et Tac.* 15. *Ann.* 60. *extr.* luere. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 238. Ad supplicium rapi ob facinus. *Id.* 7. *Verr.* 26. *a med.* ducere aliquem. *Tac.* 11. *Ann.* 35.

ad fin. trahere. et 14. ibid. 42. agere. Seneca 1. Ira 16. mittere. Justin. 28. 3. in fin. Seditionis auctores supplicio tradere. Cæs. 1. B. G. 27. Supplicio affici. Cic. Rosc. Am. 25. 70. Constituere singulare supplicium in aliquem. et ibid. 26. alicui maleficio. Id. pro leg. Manil. 5. 11. Aliquem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necare. Id. ad Pompej. 2. a med. post ep. 11. l. 8. ad Att. Supplicia miserrima et crudelissima perferre. Id. 3. Nat. D. 33. 81. Summo cruciatu supplicioque perire. Id. 1. ad Brut. 12. Summa supplicia subire. Ovid. 2. Trist. 540. pati. Rursus Cæs. 1. B. C. 84. Satis supplicii tulisse perpessos omnium rerum inopiam. Cic. 1. Cat. 1. sub fin. Acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem, coercere. Ovid. 5. Met. 666. et Trajan. ad Plin. 10. Ep. 39. Capitale supplicium merere. Sueton. Galb. 12. Supplicio capitis afficere. Tac. 5. Ann. 49. in fin. Ultimum supplicium alicui indicere. et 6. ibid. 3. in fin. Summum supplicium alicui decernere. et ibid. 38. in fin. Extremum ad supplicium damnari. Horat. 1. Sat. 3. 79. Suppliciis delicta coercere. Plin. 11. Hist. nat. 25. 30. (86). Graviore supplicio, lenta post triduum morte, conficiunt. con più grave dolore e pena. et Martial. 2. 60. Supplicium puerile. V. PUERILIS. — Supplicia apud Romanos vel in comitio ac foro sumebantur ad augendam ignominiam (Tac. Agric. 2. init., Plin. 4. Ep. 11., Sueton. Domit. 8., Liv. 22. 57. et Ascon. ad Cic. Mil. 5. p. 43. Orell.); vel extra portam, sc. Metiam, quæ eadem cum Esquilina, fortasse ne frequenti sanguine ex cæde contaminari oculi civium aut delibari videretur libertas. Plaut. Mil. glor. 2. 4. 6. V. Casaub. ad h. l. — c) Sumitur pro scelerato. Tertull. Apolog. 12. Si per hæc constat divinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrantur, et numina erunt dicenda supplicia. h. e. scelerati, qui supplicia patiuntur. — 2.°) Active est animadversio, punitio. Vatin. ad Cic. 5. Fam. 10. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, remitto tibi et condono. Plaut. Most. 5. 2. 43. Si hoc pudet, fecisse sumptum, supplicii habeo satis. Ter. Andr. 5. 3. in fin. Pro peccato magno paullulum supplicii satis est patri. Plin. 9. Hist. nat. 35. 55. (100). Concha (unionum) manum si præveniat, acie sua abscindit: et aliis munita suppliciis: quippe inter scopulos major pars invenitur. Id. 7. ibid. 43. 44. (138). de Sulla phthiriasi exstincto. Erodente se ipso corpore et supplicia sibi gignente. h. e. vermiculos, quibus cruciaretur.

Homonym. Inter multationem, pœnam et supplicium hoc discrimen statuit Isid. 1. Diff. 359. « Multatio potest esse et sine sanguine in damno pecuniæ; supplicium cum sanguine; pœna vero dolor sine sanguine ». Cf. Lucan. 2. 538. jam jam me præside Roma Supplicium pœnamque petat. h. e. cruciatum et animadversionem.

SUPPLĬCO vel subplico, as, āvi, ātum, are, a. 1. Suplico, unica p, scribitur in Inscr. apud Orelli n. 2489. V. infra. — Supplicassis, ἀρχαικῶς, pro supplicaveris apud Plaut. Asin. 2. 4. 61. — Ratione habita etymi, Vaniçek aliique recentiores ducunt a sub et placo; in antiquis enim precationum formulis dicebant sub vos placo, ut docet Fest. in Sub et Ob; sed a plico derivandum censuerim sive ex analogia cum applico, complico etc., sive ex quantitate prioris syllabæ, quæ est brevis in plĭco, longa in plāco. — Part. Supplicans I. 1. b et c et 2. a; Supplicaturus I. 2. b. — Supplico est plicato seu flexo corpore aut genu adoro, veneror, supplicem me abjicio, oro, deprecor, ἱκετεύω (It. inchinarsi per orare, supplicare, pregare, far orazione; Fr. prier humblement, supplier; Hisp. rezar humildemente, rogar, suplicar; Germ. flehentlich bitten, flehen; Angl. to pray or beg humbly, beseech, supplicate): construitur sæpius cum Dativo personæ, cui supplicatur; aliquando vero cum Acc., transitivorum more.

I.) Intransitive. ¶ 1. Dicitur respectu habito ad deum, cui supplicatur. — a) Absolute. Plaut. Curc. 4. 2. 41. Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare. — Passive impersonaliter. Plin. 13. Hist. nat. 1. 1. (2). Iliacis temporibus ture non supplicabatur. Liv. 27. 23. Supplicatum tota urbe est. Capitol. Max. 24. Sacrificio supplicari. — b) Cum Dat. Plaut. Aulul. prol. 24. Ea mihi (Lari) quotidie Aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat. Cato R. R. 143. Villica Lari familiari pro copia supplicet. h. e. rem divinam faciat. Sall. Jug. 57. Mario per hostias diis supplicanti mirabilia portendi. — Passive impersonaliter. Id. fragm. apud Macrob. 2. Saturn. 9. Metello venienti ture quasi deo supplicabatur. Inscript. apud Orelli supra cit. AD SVPLICANDVM NVMINI EIVS. — c) Cum Abl. Plaut. Rud. prol. 26. Facilius, si qui pius est, a dis supplicans - inveniet veniam sibi. Ita Schellerus; sed rectius verba a dis ab inveniet pendere putat Rostius Comment. Plaut. p. 105. — 2.°) Item ad homines, quum demisse quippiam petimus. — a) Absolute. Plaut. Asin. 1. 3. 93. Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro. Sall. Jug. 42. Missitare supplicantes legatos. Plin. 8. Hist. nat. 7. 7. (21). Elephanti Pompejani, amissa fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere. — b) Cum Dat. Plaut. Aulul. 4. 10. 22. tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam. Id. Merc. 1. 2. 59. Quandoquidem mihi supplicandum servulo video meo. Ter. Hecyr. 3. 5. 50. Is sibi me supplicaturum putat. Cic. 6. Fam. 14. extr. Neque Cæsari solum, sed etiam amicis ejus omnibus pro te libentissime supplicabo. Id. Planc. 20. a med. Prosternere se et fracto animo atque humili supplicare alicui. et ibid. 5. Qui mihi non nimis submisse supplicarat. Id. Fontej. 14. 31. Quum tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentia salute supplicent. Ovid. 6. Met. 366. neque enim jam filia Cœi Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra Verba minora dea. — Nemini supplico est aliena re aut ope non egentis. Plaut. Bacch. 2. 2. 47. Domi est (argentum), non metuo, nec cuiquam supplico. Id. Rud. 5. 2. 48. Præi verbis, quod vis. id quod domi est, numquam ulli supplicabo. Adde Capt. 4. 1. 5., Epid. 5. 2. 17. et Pseud. 1. 5. 92.

II.) Transitivorum more, cum Acc. ¶ 1. Universim. Priscian. recte dici ait, 18. p. 1184. Putsch., ut Græci, ἱκετεύω σε et εὔχομαι τοῖς Θεοῖς. Paul. Dig. 28. 5. 92. Pactumeja magna supplicavit imperatores nostros. Adde Sidon. 8. Ep. 9. 35. ¶ 2. Supplicare aliquem est etiam supplicem reddere. Ammian. 30. 8. a med. Utque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes et ad supplicandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati; bene vestitos oderat et eruditos et opulentos et nobiles.

Homonym. Supplico est plus quam precor; qui enim precatur, tranquille potest se habere; qui vero supplicat, animo est anxio ac perturbato, idque corporis motibus ostendit. Cic. 5. Par. 3. 40. Noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. pregare umilmente, scongiurare, vehementer, enixe seu demisse precari.

SUPPLĬCŬĒ, adverb. (supplico) idem quod suppliciter. Apul. 11. Met. sub fin. Pro meo modulo supplicue gratiis persolutis. et 9. ibid. Hortulanus supplicue respondit.

SUPPLŌDO cum deriv. V. SUPPLAUDO.

SUPPO et supo. V. SIPO.

SUPPŒNĬTET vel subpœnitet, ebat, ere, imp. 2. ὑπομεταμέλει, est aliquantulum vel propemodum pœnitet. Cic. 7. Att. 14. Nam et illum furoris et hunc nostrum copiarum suppœnitet.

SUPPŎLĬTOR vel subpolitor, ōris, m. 3. qui alienam mulierem subegitat. Laber. apud Non. p. 490. 21. V. SUPPILATOR.

SUPPŌNENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUPPŌNO vel subpono, pōnis, pŏsŭi vel pŏsīvi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. Supposivi, præter. perf., apud Plaut. Truc. 2. 5. 9. et 4. 3. 30. V. infra. — Suppostus, sincop. pro suppositus, apud Virg. 6. Æn. 24. et Sil. It. 3. 90. V. infra. — Part. Supponens I. 1. b; Suppositus fere in omn. paragr. et in fin.; Suppositurus I. 1. b. — Suppono est subtus pono, subjicio, subdo, submitto, ὑποτίθημι (It. mettere sotto, sottoporre; Fr. mettre sous, placer sous, approcher de; Hisp. meter, colocar debaxo; Germ. unterlagen,-stellen,-setzen; Angl. to put, place, set or lay under).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Acc. tantum. Virg. 6. Æn. 248. Supponunt alii cultros tepidumque cruorem Suscipiunt pateris. h. e. sub jugulum victimarum infigunt. Sic 3. G. 492. vix suppositi tinguntur sanguine cultri. Propert. 2. 10. 31. ubi suppositus cinerem me fecerit ardor. — b) Sæpius cum addito Dat. Ovid. 5. Fast. 180. Cervicemque polo suppositurus Atlas. et 4. ibid. 803. Supponere tectis agrestibus ignem. Id. 3. Trist. 12. 48. caput pedibus ducis. Id. ibid. 3. 68. aliquem tumulo. sotterrare, seppellire. Sic Ib. 153. terræ. et 3. Amor. 9. 47. Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus Ignotum vili supposuisset humo. (Ubi vili humo ablativus esse potest. h. e. posuisset sub humo.) Id. Remed. am. 171. Colla jube domitos oneris supponere tauros. Virg. 1. G. 348. Falcem maturis supponere aristis. Ovid. 4. Fast. 755. nec, dum degrandinat, obsit Agresti fumo supposuisse pecus. l'avere posto al coperto. et Horat. 2. Sat. 4. 51. Massica si cælo suppones vina sereno, esporrai a ciel sereno. et Sil. It. 3. 90. suppostaque cælo Saxa. h. e. Alpes tam editæ, ut cælum contingere videantur. Cic. 2. Nat. D. 48. ad fin. (Varro 3. R. R. 9. et Colum. 8. R. R. 5.) Anatum ova gallinis sæpe supponimus. Horat. 1. Ep. 15. 8. Qui caput et stomachum subponere fontibus audent. Colum. 12. R. R. 47. ad fin. Olivam prelo supponere. Horat. 2. Od. 1. 7. incedis per ignes Subpositos cineri doloso. Seneca Herc. Œt. 159. Partbus suppositus plagæ soliferæ. Ovid. 7. Met. 118. Suppositi jugo tauri. Id. 4. Trist. 8. 47. Nil ita sublime est supraque pericula tendit, Non sit ut inferius suppositumque deo. soggetto. et Seneca Herc. Œt. 1333. Orbis suppositus malis. esposto, sottoposto. et Vulg. interpr. Gen. 28. 11. Tulit (Jacob) de lapidibus et supponens capiti suo etc. — c) Et cum addito Acc. et præp. sub: Plaut. Pœn. 5. 2. 65. Sub cratim aliquem supponere. ¶ 2. Speciatim substituo, alterum pro altero pono, sostituire, surrogare, porre in iscambio: præsertim si dolo et fallendi causa. Plaut. Curc. 2. 2. 6. Meliorem, quam ego sum, suppono tibi. Cic. Rosc. Am. 38. a med. Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur. Id. 7. Verr. 28. 72. Substituere et supponere aliquem. et ibid. 30. et Justin. 7. 3. a med. In locum mulierum supponit matronali habitu exornatos juvenes. Sueton. Vitell. 5. extr. Pro auro et argento stannum et aurichalcum supponere. Cic. Dejot. 15. 42. Criminibus illis pro rege se supponit reum. si sottomette in iscambio del re. et 7. Verr. 27. sub fin. Ut ille suppositus facile et libenter se illum, qui non erat, esse simularet. et Cluent. 44. a med. Qui supposita persona, falsum testamentum obsignandum curarit. Tibull. 1. 6. 27. ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua. posta acqua invece di vino. et Paul. Dig. 29. 2. 90. Si is, qui bonis paternis se abstinuit, per suppositam personam emptoris bona patris mercatus probetur. per via di terza persona, di un finto compratore. et Virg. 7. Æn. 282. jugales Semine ab æthereo, quos Circe Supposita de matre nothos furata creavit. h. e. equa terrestri et degeneri. Id. 6. ibid. 24. suppostaque furto Pasiphae. — Supponere puerum vel puellam, alienum filium pro suo alere et tamquam suum ostentare. Plaut. Truc. 4. 3. 30. Puerum supposivit sibi pro filiolo. et 2. 5. 8. Alienos dolores mihi supposivi. Adde 2. 4. 50. et Cist. 2. 3. 11. et Ter. Eun. prol. 39. Quo pertinet illud ejusd. ibid. 5. 3. 2. Referam illi sacrilego gratiam, qui hunc supposuit nobis. h.

e. hunc adulescentulum pro Eunucho ad nos adduxit. Rursus *Plaut. Truc.* 1. 1. 71. Suppositus puer. *Id. Cist.* 4. 2. 49. puella heræ meæ supposita. *h. e.* tamquam vera filia tradita, quum alia matre nata esset. — *Supponere testamentum*, falsum, ficticium pro vero et legitimo subjicere, *falsificare*. *Cic. Parad.* 6. 1. Si testamenta amicorum exspectas aut ne exspectas quidem, at ipse supponis. *Id.* 1. *Legg.* 16. 43. Falsa testamenta supponere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Rom.* 16. 4. Pro anima mea suas cervices supposuerunt. *h. e.* suam vitam periculo objecerunt. Adde *Psalm.* 36. 24. ¶ 2. Speciatim est subjicio, subjectum reddo, *soggettare*. *Ovid.* 1. *Fast.* 306. Ætheraque ingenio supposuere suo. *Pers.* 5. 36. Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos. *mi son posto sotto la tua disciplina*. ¶ 3. Hinc *rem supponere* apud *Torrentin.*, *Gothofred.* et *Cujac. Dig.* 27. *tit.* 9. *in lemmate* est pignori subjicere, ubi *Haloander* edidit *pignori obligandis*. ¶ 4. Item subjungo, subjicio, *aggiungere, soggiungere*. *Cic.* 1. *Invent.* 9. 12. Huic generi Hermagoras parte quattuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, juridicialem, negotialem. *et* 2. *ibid.* 21. *a med. et* 23. Supponere rationem. *Id.* 8. *Att.* 6. Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitii. ¶ 5. Item posthabeo, *posporre*. *Ovid.* 6. *Fast.* 47. Pœniteat Sparten Argosque measque Mycenas, Et veterem Latio supposuisse Samon. ¶ 6. Pro tamquam certum ponere. *Lucret.* 6. 542. His igitur rebus subjunctis suppositisque, Terra superne tremit etc. — Cum Infinito. *Cod. Theod.* 5. 6. 27. Neque ferendum est supponere, quosdam esse etc. — Hinc absolute, substantivorum more

Supposita, æ, f. 1. ¶ 1. Est constitutio seu lex exhibita vel data. Legitur in subscriptionibus legum quarumd. in Codd., ut in *Cod. Justinian.* 6. 55. 6. Supposita VI. Id. Februar. Cæss. Conss. *et alibi*. ¶ 2. Pro substantia esse videtur apud *Boeth. De duab. nat. p.* 950. Eas substantias nuncupamus, quasi suppositas, quas ὑποστάσεις etc. *il supposto*.

Suppositum, i, n. 2. id, quod supponitur. *Ammian.* 14. 1. 10. Cæsar acrius efferatus - ad vertenda supposita instar rapidi fluminis irrevocabili impetu ferebatur. Ita *Valesius*; at *Gardthausen* leg. *opposita*.

SUPPORTANS, antis, particip. *V.* SUPPORTO.

SUPPORTĀTŌRĬUM *vel* subportatorium. *V.* voc. seq.

SUPPORTĀTŌRĬUS *vel* subportatorius, a, um, adject. (supporto) supportando inserviens. *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 25. 27. Erunt annuli in thecis supportatoriis ad tollendam mensam. — Hinc

Supportatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, sustentaculum, fulcrum. *Ambros. De Noe et Arca* 7. *n.* 1. Addidit etiam illic supportatoria immobilia esse.

SUPPORTO *vel* subporto, as, āvi, are, a. 1. Part. *Supportans* II. — Supporto est subinde porto, subveho, importo, comporto, ὑπάγω (It. *portare, condurre di volta in volta*; Fr. *porter, amener, transporter de temps en temps*; Hisp. *traer, conducir ó transportar de quando en quando*; Germ. *zu Zeiten od. herzu-, herbeibringen, - führen, - tragen*; Angl. *to carry, convey from time to time, import*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Miles muro tectus operi quæcumque usui sunt sine periculo supportat. *Nepos Att.* 11. Ceteros pari fortuna perculsos instituit tueri atque ex Epiro iis omnia Samothraciam supportari jussit. *Liv.* 41. 1. In portu emporium brevi perfrequens factum est: omniaque hinc in castra subportabantur. *Cass.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 13. *ad fin.* Nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat, necesse est. *Cæs.* 3. *B. C.* 41. Frumentum exercitui navibus supportabat. *et ibid.* 15. Ligna atque aquam Corcyra navibus onerariis supportare. *et ibid.* 112. Uti tuto frumentum auxiliaque navibus ad eum supportari possent. *Auct. B. G.* 8. 35. Paullatim frumentum in oppidum supportare.

II.) Translate. *Vulg. interpr.* 2. *Cor.* 11. 1. Sed et supportate me. — Absolute. *Eph.* 4. 2. Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate. Cf. *Gal.* 6. 2.

SUPPŎSĪTA, æ, f. 1. *V.* SUPPONO in fin.

SUPPŎSĪTĪCĬUS *vel* supposititius, a, um adject. (suppono) alteri suppositus, alterius loco pro vero et nativo positus, ὑποβλημαῖος. *Varro* 2. *R. R.* 8. Matri suppositiciæ quoque inserviunt. *h. e.* equæ pullum asininum lacte nutrienti. — *Gladiator suppositicius*, qui alteri interfecto vel fesso substituitur eique in certamine succedit. Hinc de Hermete, præstantissimo gladiatore, qui numquam pugnando defatigabatur nec successore indigebat, *Martial.* 5. 24. Hermes vincere nec ferire doctus: Hermes suppositicius sibi ipsi. *Inscript.* in *Corp. Inscr. Lat.* 4. 1179. GL. PAR. XXX. ET EOR. SVPP. PVGN. POMPEIIS. *h. e.* gladiatorum paria XXX et eorum suppositicii pugnabunt Pompeiis. — *NB.* Antepænultima in *suppositicius* apud *Martial. loc. cit.* propter metri necessitatem producitur, licet corripienda esset, ut est in *Floralicius, Saturnalicius, tribunicius*. Ita *Furlanettus*. Sed in *Append.* «perperam, inquit ipse, hoc affirmatur; etenim omnia nomina in *icius* finita, si ex nomine derivata fuerint, antepænultimam breviant, ut *patricius, natalicius* etc.; sin ex participio, eamdem producunt, ut *conducticius, subditicius* etc.».

SUPPŎSĪTĬO *vel* subpositio, ōnis, f. 3. (suppono) actus supponendi, *il mettere sotto*, ὑπόθεσις. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 8. *R. R.* 5. *ante med.* Ipsa suppositio (*ovorum incubandorum*) per hos fere dies est commodissima. Adde *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 49. ¶ 2. Speciatim *suppositio pueri* vel *puellæ* est, quum alienum puerum quis pro suo supponit atque educat. *Plaut. Cist.* 1. 2. 25. Suppositionem ejus rei facere gratia. *Id. Capt.* 5. 4. 3. neque ulla amatio Nec suppositio pueri. *et Cist.* 1. 3. 4. de puellæ proloqui Suppositione. Adde *Truc.* 2. 4. 83. *Hygin. fab.* 67. Suppositio Œdipodis. ¶ 3. *Suppositio*, apud Dialecticos, dicitur id, quod pro certo ponitur sive hypothesis, vel etiam acceptio seu potestas termini, prout est in propositione. *Boeth. Arist. post. anal. interpr.* 1. 8. *a med.* Quæcumque demonstrabilia esse accipit ipse non demonstrans, hæc si quidem quæ videntur accipiat, discenti suppositio. *et mox.* In hoc differt suppositio et petitio: est enim petitio in contrarium discentis opinioni aut quodcumque aliquis demonstrabile quum sit, accipiat et utatur non demonstrans. *Id. ibid.* Termini igitur non sunt suppositiones, nihil enim esse aut non esse dicunt, sed in propositionibus sunt suppositiones. Terminos solum intelligere oportet, hoc autem non est suppositio, nisi et audire aliquis suppositionem esse dicat etc. Videsis quæ de suppositione terminorum (Cf. *Th.* 3. *dist.* 6. 9. 1. *a.* 3.) optime disserit *Tilm. Pesch Inst. Log.* etc. *P.* I. *p.* 594. ¶ 4. Apud JCtos est oppigneratio. *Cod. Theod.* 6. 61. 3. Inutilis alienatio vel suppositio. ¶ 5. Apud Grammaticos dicitur de particulis, quæ suo casui supponuntur. *Comment.* in *Donat. Art. maj. p.* 265. *Hag.* Suppositæ præpositiones, jam non sunt præpositiones sed suppositiones. ¶ 6. Similiter *Priscian. p.* CLXXVII. *ibid.* Inductio quidem in sensu, suppositio vero per rectum ordinem in constructione.

SUPPŎSĪTĪTĬUS, *V.* SUPPOSITICIUS.

SUPPŎSĪTĪVĒ, adverb. (suppositivus) supponendo, per suppositionem, ὑποθετικῶς. *Priscian.* 18. *p.* 1145. *Pusch.*

SUPPŎSĪTĪVUS *vel* subpositivus, a, um, adject. (suppono) hypotheticus sive qui subtus collocatur. *Priscian.* 8. *p.* 843. *Putsch.* Quæ Latini in plurali numero imperativa primæ personæ accipiunt, hæc Græci ὑποθετικά vocant, id est suppositiva sive hortativa. Adde 18. *p.* 1144. *et* 1145. *Id. de XII. vers. Æn. p.* 1224. Arma virumque, quæ pars orationis est? Conjunctio. Quot accidunt conjunctioni? Tria: potestas, ordo, figura. Cujus est potestatis? Copulativæ. Cujus ordinis? Suppositivi. Cujus figuræ? Simplicis.

SUPPŎSĪTOR. *V.* SUPPOSTOR.

SUPPŎSĪTŌRĬUM. *V.* voc. seq.

SUPPŎSĪTŌRĬUS *vel* subpositorius, a, um, adject. (suppono) qui subtus positus est, ut Cella suppositoria in balneis eadem est, quæ tepidaria, ita dicta quia frigidariæ supposita erat. tres enim erant balneorum cellæ, frigidaria, tepidaria et caldaria: aqua per frigidariam primum, deinde per tepidariam influebat in caldariam, ut *Vitruv.* 5. 10. docet. *Vopisc. Carin.* 17. Balneis ita frigidis usus est, ut solent esse cellæ suppositoriæ. *V.* ibi *Casaubon.* et *Salmas.* Adde *Theod. Priscian.* 3. 9. — Hinc

Suppositorium vel *subpositorium* (et *suppostorium* per sync. in *Gloss.*), *ii*, n. 2. absolute, substantivorum more, universim id quod supponitur; speciatim ¶ 1. Est vas, quod lucernis supponitur, ut ibi, quæ emuncta sunt, exstinguantur. *Vulg. interpr. Ital. Exod.* 25. 38., ubi *Noster* habet *emunctoria*. ¶ 2. Et scabellum, quod pedibus supponitur. *Gloss. Cyrill.* Ὑποπόδιον, scabellum, subsellium, scamillum, subpositorium.

SUPPŎSĪTRIX. *V.* SUPPOSTRIX.

SUPPŎSĪTUM, i, n. 2. *V.* SUPPONO.

SUPPŎSĪTŪRA, æ, f. 1. (suppono) suppositio vel id quod supponitur. *Veget.* 5. *Veterin.* 17. V. *loc.* in GLANTIS.

SUPPŎSĪTUS, a, um, particip. *V.* SUPPONO.

SUPPOSTOR. *V.* MALLEATOR.

SUPPOSTŌRĬUM. *V.* SUPPOSITORIUM.

SUPPOSTRIX (*sync. a* suppositrix), trīcis, f. 3. (suppono) quæ supponit: speciatim, quæ alienos pueros aliis tamquam suos nutriendos clam præbet. *Plaut. Truc.* 4. 2. 50. Venefica! Suppostrix puerûm.

SUPPOSTUS. *V.* SUPPOSITUS.

SUPPRÆFECTUS. *V.* SUBPRÆFECTUS.

SUPPRESSĒ *vel* subpresse, adverb. (suppressus) aliquantum presse, submisse. Occurrit comparat. apud *Augustin.* 1. *Ord.* 8. *n.* 23. Deinde suppressius, quasi ad aures. *V.* REPRESSE.

SUPPRESSICIUS. *V.* SUBPRESSICIUS.

SUPPRESSĬO *vel* subpressio, ōnis, f. 3. (supprimo) actus supprimendi, *soppressione*, ἀπόκρυψις.

I.) Proprie. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 60. (87). Grana nigra auxiliantur et suppressionibus nocturnis, in vino pota, quo dictum est, numero. Ubi *suppressiones nocturnæ* dicuntur de spiritu qui per somnium supprimitur, vel etiam de ipsa voce, quæ incerta indiscretaque editur, quemadmodum in eo morbo accidere solet, qui Græcis *ephialtes*, Latinis *incubus* vocatur. — *Suppressio ventris*, laxationi opponi videtur, apud *Marcell. Empir. c.* 30. *p.* 131. *med.*

II.) Translate. *Cic. Cluent.* 25. 68. Statuit ad easdem sibi prædas ac suppressiones judiciales revertendum. *h. e.* injustas detentiones pecuniæ sibi ad corrumpendos judices oblatæ et in usus proprios conversæ. V. integr. *Ciceronis* locum.

SUPPRESSOR *vel* subpressor, ōris, m. 3. (supprimo) qui supprimit, hoc est occultat alienum servum. *Callistrat. Dig.* 48. 15. 6. Apud quem unus aut alter fuerit fugitivus inventus, qui operas suas locaverit, ut pasceretur; et utique si idem antea apud alios fecerit, hunc non jure quis suppressorem dixerit.

SUPPRESSORIUM. *V.* SUBPRESSORIUM.

SUPPRESSUS, a, um, *et*

SUPPRĪMENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

SUPPRĪMO *vel* subprimo, prĭmis, pressi, pressum, prĭmere, a. 3. Part. *Supprimens* II.; *Suppressus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Suppressurus* II.; *Supprimendus* I. 3. — Supprimo est premendo dejicio, deprimo, καταβάλλω (It. *abbassare premendo, deprimere*; Fr. *abaisser en pressant dessus, couler bas*; Hisp. *abaxar prensando, deprimir*; Germ. *unterdrücken, nieder-herabdrücken*; Angl. *to keep down or under, press down*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 28. 30. sub

fin. Quinqueremis Romana duas triremes subpressit. *cacciò a fondo.* Sic 37. 11. *a med.* Navis rostris icta subprimitur. *Id.* 22. 19. *extr.* Duæ captæ naves, quattuor suppressæ. *affondate.* Adde *Justin.* 2. 9. *a med.* ¶ 2. Speciatim retineo, cohibeo, compesco, reprimo, *fermare, ritenere, arrestare, raffrenare,* ἐπέχω. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit. *et ibid.* 66. Iter supprimunt, copiasque in castris continent. *Nepos Timoth.* 3. Tempestatem evitare utile rati, classem suppresserunt. *Ovid.* 6. *Met.* 709. Nec prius aerii cursus suppressit habenas, Quam etc. *Id.* 1. *Amor.* 13. 10. Roscida purpurea supprime lora manu. *Id.* 1. *Met.* 715. Supprimere vocem. *Cels.* 2. 10. *sub fin.* (et *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. [113].) sanguinem. *stagnare, fermare.* (Sic 5. 26. *n.* 21. Sanguis supprimendus.) *et* 4. 19. ventrem. *Colum.* 6. *R. R.* 17. *a med.* Epiphoram supprimit polenta conspersa mulsa aqua. *Seneca Troad.* 261. Hoc se magis supprimere felicem decet Variosque casus tremere. *Albinov.* 1. 427. Supprimere lacrimas. *Auct. B. G.* 8. 42. Quæcumque per locum præcipitem missa erant, ea vineis et aggere suppressa comprehendebant idpsum, quod morabatur. *Ovid.* 11. *Met.* 777. Cum vita suppressa fuga est. ¶ 3. Item obstruo, claudo, *chiudere, sopprimere.* *Cels.* 2. 12. *n.* 2. Si is, qui sæpe purgatus est, subito habet alvum suppressam. Sic *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 18. Læsaque suppresso fonte resistit aqua. *Id.* 5. *Met.* 192. pars ultima vocis In medio suppressa sono est. *V.* infra. ¶ 4. Item occulto, celo, *occultare, nascondere, sopprimere.* *Cic. Cluent.* 36. 99. (et 25. 68. et 26. 71.) Pecuniam quum accepisset nomine judicii Safiniani, retinuit atque suppressit. *Id. ibid.* 27. 75. Qui accipere in campo consuerunt, iis candidatis, quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse. *Liv.* 3. 55. Supprimere senatusconsulta. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 1. 1. *init.* Et nos elaborata iis abscondere atque supprimere cupimus. *Sueton. Gramm.* 8. *in fin.* Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit vulgandosque curasse. *Id. Cal.* 16. Supprimere testamentum. *Id. Tib.* 8. Ergastulorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed et quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset. *Paul. Dig.* 47. 2. 6. Alienam ancillam supprimere. ¶ 5. Item premendo applicare, *attaccare.* *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 21. Si jam deficiam, suppressaque lingua palato. *Alii leg.* Si jam deficiat suppresso lingua palato. ¶ 6. Item premendo attollo, sursum impello. *Vitruv.* 9. 1. Suppressa rotatione circumactum trans e locis obscuris egreditur ad lucem.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 2. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 24. Supprimere stultiloquium. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 75. Tollere ægritudinem funditus aut sedare aut detrahere quam plurimum aut supprimere, nec pati manare latius. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Canis avocatus cibo furorem suppresserat. *Id. Sat.* 91. et *Ovid.* 4. *Fast.* 83. Supprimere querelas. *Id.* 1. *Pont.* 8. 69. iram. *Propert.* 4. 1. 113. fletum. Cf. *Albinov.* 1. 427. *Lucan.* 6. 228. dolorem alta mente. *Liv.* 7. 24. *et* 31. 18. impetum militum. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a super. paragr. 4. *Liv.* 5. 1. Ejus decreti suppressa fama est. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 17. *extr.* Male coercitam famam supprimentes, augebant. *Curt.* 6. 8. 10. Conjurationis indicium suppressurus. *Ammian.* 16. 8. 6. Nec adulterii fœditate suppressa. *Tac.* 2. *Hist.* 96. Suppresso Vespasiani nomine. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla retulimus

Suppressus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Suppressior.* — Suppressus ¶ 1. Est depressus, non explicatus, submissus et dicitur speciatim de voce. *Cic. Sull.* 10. 30. Qui quum suppressa voce de scelere P. Lentuli dixisset, tantummodo ut vox exaudiri possetis; de supplicio P. Lentuli magna et queribunda voce dicebat. *Id. Orat.* 25. *a med.* Valentiorum hæc laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda aut postulanda. erit enim, ut voce, sic etiam oratione suppressior. *Val. Flacc.* 5. 470. suppressumque videt jam murmur Iason. *cessato il bisbiglio.* ¶ 2. Est etiam contractus. *Varro* 2. *R. R.* 9. Canes facie debent esse formosi, oculis ravis, labris subnigris, mento suppresso et ex eo enatis duobus dentibus eminulis etc. *h. e.* contracto et maxillæ superiori adhærente.

SUPPRINCEPS. *V.* SUBPRINCEPS.

SUPPRINCĬPĀLIS. *V.* SUBPRINCIPALIS.

SUPPRŎCŪRĀTOR. *V.* SUBPROCURATOR.

SUPPRŌMUS *vel* subpromus, i, m. 2. secundus promus, sive qui promo substituitur, *sottodispensiere,* ὑποταμίας. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 24. Bono suppromo et promo cellam creditam. *Id. ibid.* 12. Eho tu sceleste, qui illi suppromus es.

SUPPŬDET *vel* subpudet, ebat, ere, imp. 2. aliquantulum pudet. *Lucil. Sat. fragm. inc.* 154. Facti suppudet. *Cic.* 9. *Fam.* 1. Sed quod eorum me suppudebat. *Id.* 15. *ibid.* 16. Puto, te jam suppudere, quum hæc tertia jam epistola ante te oppressit, quam tu schedam aut litteram (*scripseris*).

SUPPUNGO *vel* subpungo, is, ere, a. 3. clam vel subtus pungo. *Cyprian. advers. Jud.* 3. 1. Etenim subjectos nobis suppungitis.

SUPPŪRANS, antis, particip. *V.* SUPPURO.

SUPPŪRĀTĬO *vel* subpuratio, ōnis, f. 3. (suppuro) collectio puris, vomica, abscessus, ἐμπύημα, ἀπόστημα (It. *postema;* Fr. *suppuration, plaie supparante, abces, apostème;* Hisp. *supuracion, abceso, apostema;* Germ. *das Geschwür, die Eiterung;* Angl. *a collection of pus in a bag or cyst, aposthume*). *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (16). Suppurationes, quæ Græci vocant apostemata. *Cels.* 2. 8. Ex suppurationibus hæ tolerabiles sunt, quæ in exteriorem partem feruntur et acuuntur. *et ibid.* 7. *a med.* Omnis tumor ad suppurationem fere spectat. *Seneca Ep.* 14. *ante med.* Præcordiorum suppurationes. φθίσεις. *Colum.* 6. *R. R.* 38. Suppuratio ferro recluse linamentis curatur. *et ibid.* 12. *ad fin.* Quum maturuerit suppuratio, rescinditur ferro. *et* 17. *a med.* Si ante quam tumor discutiatur, in suppurationem convertitur. *Cels.* 3. 27. *sub fin.* Suppurationem dissipare, et evocare. *et ibid.* rumpere. *Id.* 7. 2. *in fin.* incidere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. discutere. *Id.* 22. *ibid.* 25. 58. (122). extrahere. *h. e.* evocare. *Id.* 24. *ibid.* 4. 7. (13). siccare. *Id.* 21. *ibid.* 19. 74. (127). *et* 30. *ibid.* 14. 43. (125). concoquere. *h. e.* ad maturitatem perducere, *far venire a capo.* *Id.* 24. *ibid.* 3. 3. (7). Suppurationibus resistere.

SUPPŪRĀTŌRĬUS *vel* subpuratorius, a, um, adject. (suppuro) ad suppurandum pertinens, ἀποστατικός, ut Suppuratoria medicamenta, *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 13. (51). *h. e.* quæ ad suppurationem tumores perducunt.

SUPPŪRĀTUM, i, n. 2. *et*

SUPPŪRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUPPURO.

SUPPURGĀTUS *vel* subpurgatus, a, um, particip. ab inusit. *suppurgo,* probe purgatus. *Augustin. Serm.* 107. *n.* 1. ed. *Mai.*

SUPPŪRO *vel* subpuro, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Suppurans* in fin.; *Suppuratus* sub *B* I. et II. et in fin.; *Suppuraturus* sub *A* II. — Suppuro est in pus vertor, ad suppurationem venio, ἐμπυέω (It. *far capo, marcire;* Fr. *suppurer, être en suppuration;* Hisp. *suppurar;* Germ. *unterschwären, schwären, eitern;* Angl. *to breed or generate matter, rankle, suppurate*): usurpatur autem intransitive et etiam transitivorum more.

A) Intransitive est, ut diximus, in pus vertor, ad suppurationem venio.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 157. Cancer fistulosus subtus suppurat sub carne. *Colum.* 6. *R. R.* 12. Sanguis nisi emissus fuerit, famicem creabit: qui si suppuraverit, tarde percurabitur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 14. 16 (38). Si strumæ suppuraverint. *et ibid.* 24. 78. (152). Ervum panos suppurare prohibet.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vit.* 11. *ad fin.* Quos hasta prætoris infami lucro et quandoque suppuraturo exercet. *h. e.* vertendo in damnum. *Id. Ep.* 59. *sub fin.* Quum voluptates angusto corpori, ultra quam capiebat, ingestæ suppurare cœperunt.

B) Transitivorum more, est suppurando emitto.

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (33). Lanæ cinis additur in fistulas auresque suppuratas. Adde *Marcell. Empir.* c. 34. *p.* 150. *retro.* et *p.* 137.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 80. *a med.* Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis et suppurata tristitia. *h. e.* intus et in imo pectore, quasi collectum pus, insidens. *Tertull. advers. Gnost.* 1. Magnum de modico malum, scorpium terram suppurat. *h. e.* tamquam pus quoddam emittit. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 256. Evomuit lacrimis, quem suppuraverat, æstum. *h. e.* tamquam pus conceperat. — Hinc absolute, substantivorum ritu

Suppurans, antis, n. 3. id quod suppurat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 58. (122). Lens contra suppurantia cum polenta imponitur.

Suppuratum, i, n. 2. idem ac suppuratio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 14. (29). Strumis vel suppuratis (*pastinacæ radicem*) alligant. *Id.* 22. *ibid.* 25. 58. (123). Suppuratis triticea farina lenior. *Id.* 21. *ibid.* 19. 76. (131). Flos albæ violæ suppurata aperit, ipsa discutit. *Id.* 23. *ibid.* 3. 35. (72). Oleæ cortex medetur sanguinem rejicientibus et suppurata extussientibus.

SUPPUS *vel* supus, a, um, adject. De vocis etymo hæc habet *Fest. p.* 290. 5. *Müll.* «Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinus dicimus: ex Græco, videlicet pro aspiratione ponentes litteram s, ut cum ὕλας dicunt, et ὕλας silvas; item ἕξ sex et ἑπτά septem. Ejus vocabuli meminit etiam Lucilius: Si vero das quod rogat et si suggeri', suppus. Hæc *Festus,* qui satis indicat esse ab ὕπτιος, et τ extrito, ὕπιος, ὑπός, supus, supinus. — Suppus est igitur supinus. *Lucret.* 1. 1061. Adsimili ratione animalia suppa vagari Contendunt. *Id.* 3. 172. At tamen insequitur languor Terræque petitus Suppus. Ita leg. et lectionem defendit *Lachmannus.* — Hinc speciatim apud *Isid.* 18. *Orig.* 65., qui tradit in jactu talorum ternionem *suppum* dictum, quaternionem *planum,* unionem *canem.* *Scalig.* ad *Fest.* docet, partem tali lusorii, ὕπτιον dictam, h. e. supinam, quum talus ita caderet, ut esset illa superior, *suppum* vocatam fuisse.

SUPPŪTANS, antis, particip. *V.* SUPPUTO.

SUPPŪTĀRĬUS *vel* subputarius, a, um, adject. (supputo) qui supputationi inservit, *che serve a computare.* *Tertull. Apolog.* 19. Supputarii digitorum gesticuli. Alii leg. *supputatorii* eod. sensu.

SUPPŪTĀTĬO *vel* subputatio, ōnis, f. 3. (supputo) actus supputandi, *computo.* *Vitruv.* 3. 1. *circa med.* Quum ad supputationem crescat. *Arnob.* 2. *p.* 93. Quibus istud rationibus colligi aut quibus supputationibus potest?

SUPPŪTĀTOR *vel* subputator, ōris, m. 3. (supputo) qui supputat, *computista.* *Firmic.* 5. *Mathes.* 8. *circa med.* Boni erunt supputatores, arithmetici, geometræ. *Id.* 6. *ibid.* 26. *ad fin.* Acutissimi supputatores.

SUPPŪTĀTŌRĬUS. *V.* SUPPUTARIUS.

SUPPŪTĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

SUPPŪTO *vel* subputo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Supputans* et *Supputatus* II.; *Supputandus* I. — Supputo est identidem puto, cædo (It. *potare o tagliare tratto tratto;* Fr. *couper, tailler parfois ou en bas, élaguer, émonder;* Hisp. *entresacar, tajar, cortar debaxo ó de quando en quando;* Germ. *unten od. zu Zeiten abschneiden, beschneiden;* Angl. *to cut here and there or under*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 27. Oleas teneras supputato. *Colum.* 4. *R. R.* 33. *sub fin.* Castanea supputari debet bima, quin etiam trima. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 14. (70). Semina fruticantia supputare et falcem pati consuescere. *Id. ibid.* 20. 34. (150). *de castaneis.* Cultura non alia fodiendis supputandisque per biennium sequens,

II.) Translate est computo, *far conti, calcolare. Pallad.* 2. *R. R.* 12. Decem et octo decempedæ decies et octies supputatæ trecentas viginti quattuor explebunt. Adde *Hieronym. præf.* in *Chron. Euseb.* 3. *Id. ibid.* Supputans annorum numeros. — Sequente partic. relativa. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 17. et sibi quid sit Utile, sollicitis supputat articulis. Ita enim meliores libri, teste *Heinsio*. Alii leg. *computat*.

SŬPRĀ, adverbium et præpositio. — Veteres, ut in similibus, addentes in fine vocis litteram *d*, scribebant *suprad*, quod habet *SCtum de Bacchanalib. l.* 21. *et* 24. — Ultimam, quæ longa est, licenter corripit *Juvenc.* 1. 717. Ita per angustam, justi, supra sidera portam. — Vox est a *supera* per contractionem, uti docet *Priscian.* 14. *p.* 980. *et* 1001. *Putsch.* Super et supra a supera: illud per apocopam, hoc per syncopam facta sunt. Sic enim antiqui frequenter protulerunt et maxime Cicero in poematibus suis, ut in Arato, Torvu' draco serpit subter superaque revolvens Sese. idem in eodem: Huic supera duplices humeros adfixa videtur Stella micans. Hæc *Priscianus*. Sunt tamen qui leg. *supra* ad *Cic. loc. cit.*, nec certa dici potest lectio in bis aliisque loc. *Lucret.* V. infra. At *Inscript.* optimæ notæ apud *Fabretti p.* 421. *n.* 388. SEE (*leg.* re) FVIT ET VERO PLVS SVPERAQVE PARENS. — Supra universim est super, ὑπέρ, ὑπερθεν, ἄνω (It. *sopra, su*; Fr. *en haut, pardessus, sur*; Hisp. *sobre, encima, cerca*; Germ. *oben darauf, darüber, oberhalb, oben*; Angl. *above, over, upon*): cui opponitur *sub, subter, infra*.

A) *Supra*, qua est adverbium, superiorem locum vel partem denotat, *sopra, di sopra*.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 119. In orculam condito, oleum supra siet. *Cæs.* 1. *B. C.* 64. Magno numero jumentorum in flumine supra atque infra constituto, transducit exercitum. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 20. Omnia hæc, quæ supra et subter unum esse dixerunt. *Id.* 1. *Divinat.* 17. 33. Cotem illam et novaculam defossam in comitio supraque impositum puteal accepimus. *Virg.* 7. *Æn.* 381. *de trocho.* stupet inscia supra Impubesque manus, mirata volubile buxum. *h. e.* turba circumstans atque imminens trocho currenti. *Id.* 11. *ibid.* 683. ipse catervis Vertitur in mediis et toto vertice supra est. *h. e.* supereminet. Adde 8. *ibid.* 149. *Ovid.* 3. *Met.* 56. corpora vidit Victoremque supra spatiosi corporis hostem.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus et — *a*) Est superius, ante, superioribus verbis. *Cato R. R.* 157. Validior est brassica, quæ supra scripta est. *Lucret.* 1. 429. Id quod jam supra tibi paullo ostendimus ante. Plerique omn. leg. *supera*, quod idem est. *Cæs.* 2, *B. G.* 1. Uti supra demonstravimus. *et ibid.* 29. De quibus supra scripsimus. *Cic. Cæcin.* 5. *circa med.* Ille, quem supra deformavi. *Id.* 3. *Orat.* 55. Illa, quæ supra dixi. Adde 6. *Fam.* 10. *Nepos Dion.* 6. De quo commemoravi supra. *Plin.* 6. *Ep.* 27. *extr.* Ut supra scripsi. *Vopisc. Aurel.* 9. Supra dictus vir. — *b*) Item retro, altius. *Sall. Cat.* 5. *sub fin.* Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere. et *Jug.* 5. Priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam. Sic *Tac.* 16. *Ann.* 18. De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. ¶ 2. Refertur ad numerum et mensuram, et est amplius, ultra, ulterius. *Cic.* 5. *Verr.* 33. *ad fin.* Licitii sunt usque eo quoad se efficere posse arbitrabantur: supra adjecit Æschrio. *h. e.* majus pretium obtulit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 164. ager fortasse trecentis Aut etiam supra nummorum millibus emptus. *o anche più*. — *Nihil supra*, eodem sensu. *Cic.* 13. *Att.* 19. Dialogos confeci et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra. *h. e.* magis, *con più diligenza*. et *Ter. Adelph.* 2. 3. 11. meum amorem et peccatum in se transtulit. Nihil pote supra. *Id. Eun.* 3. 1. 37. Facete, lepide, laute: nihil supra. *Horat.* 2. *Od.* 18. 11. nihil supra Deos lacesso, nec potentem amicum Largiora flagito. — *Supra quam* vel conjuncte *supraquam*, plus quam, *più di quello che. Sall. Cat.* 5. Patiens inediæ, algoris, supra quam cuiquam credibile est. *Cic. Orat.* 40. *extr.* Sæpe rem dicendo subjiciet oculis: sæpe supra feret, quam æstimari potest, avidissimus. — *Supra quod*, idem. *Paul. Dig.* 32. 1. 28. Supra quod capere possum.

B) *Supra*, qua est præpositio, idem significat ac super, *su, sopra*: construitur autem cum Accusativo, etiam post verba quietem designantia, et ponitur ante aut post suum casum, voce etiam interposita.

I.) Proprie. ¶ 1. Refertur ad locum. — *a*) Generatim. *Plaut. Pers.* 5. 2. 38. Ille qui supra nos habitat. *Cæs.* 1. *B. G.* 24. Aciem instruxit ita, ut supra se in summo jugo duas legiones collocaret. *Id.* 2. *B. C.* 9. Supra eum locum duo tigna transversa injecerunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. *a med.* Si essent, qui sub terra semper habitavissent, nec exissent umquam supra terram. *Id.* 9. *Fam.* 26. Accubueram hora nona: et quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. *V.* ACCUMBO. *Virg.* 9. *Æn.* 553. et (*fera*) saltu supra venabula fertur. *Phædr.* 1. 2. Tignumque supra turba petulans insilit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (26). Nereides supra delphinos et cete sedentes. — Hinc translate. *Id.* 34. *ibid.* 6. 12. (26). Attolli supra ceteros mortales. Cf. *Tac. Germ.* 43. Gothones regnantur, paullo jam adductius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tandem supra libertatem. *h. e.* regno supra libertatem elato, ita ut hæc opprimatur. — *Supra caput* esse dicitur res, quæ valde urget, impendet et gravis est. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Ecce supra caput homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus. etiam is lenietur. *Sall. Cat.* 56. Dux hostium cum exercitu supra caput est. Adde *Liv.* 3. 17. *et* 4. 22. et *Tac.* 4. *Hist.* 69. — *b*) Speciatim ad significandum situm locorum. *Liv.* 23. 32. Exercitus, qui supra Suessulam Nolæ præsideret. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 75. (183). Syene oppidum, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum. Cf. *Enn.* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 17. 49. A sole exoriente, supra Mæoti' paludes. *h. e.* ultra. et *Liv.* 45. 26., ubi varia est lectio. V. *Madvig, Emend. Liv. p.* 728. — *c*) Item est juxta, prope. *Vulg. interpr. Num.* 36. *extr.* Supra Jordanem.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus et est ante. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Paullo supra hanc memoriam. *Liv. præf.* Supra septingentesimum annum. ¶ 2. Refertur sæpe ad numerum et mensuram — *a*) Est ultra, plus quam, *più di. Cic.* 2. *Legg.* 16. 41. Hæc commemoratio vereor ne supra hominis fortunam sit. *Liv.* 30. 35. Carthaginiensium cæsa eo die supra milia viginti. *Colum.* 4. *R. R.* 27. *circa med.* et *Liv.* 21. 7. *a med.* Supra modum. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 22. vires. *Virg.* 2. *G.* 227. morem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 40. 95. (233). Quibus solida ungula nec supra geminos fetus. *Id.* 34. *ibid.* 7. 17. (37). Supra humanam fidem. *Phædr.* 4. 24. Duo juvenes humanam supra formam. *Brut. ad Att.* inter *ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *ad fin.* Bellum gerere cum dominatione et potentia, quæ supra leges se esse velit. *h. e.* plus posse, quam leges. *Virg.* 11. *Æn.* 509. est omnia quando Iste animus supra. *è superiore*, supra omnes grates et supra omne præmium. *Albinov.* 1. 353. Alta mane supraque tuos exsurge dolores. *h. e.* animo et virtute dolores supera. *Horat.* 3. *Od.* 19. 15. tres prohibet supra Rixarum metuens tangere Gratia. *più di tre*. et *Colum.* 12. *R. R.* 49. Supra duos menses. — *Supra modum*, vel conjunctim *supramodum*, est ultra modum seu mensuram, ὑπὲρ τὸ δέον, ὑπὲρ τὸ μέτρον. *Liv.* 21. 7. et *Colum.* 4. *R. R.* 27. *circa med.* — *b*) Est etiam præter, *oltre. Liv.* 2. 18. Supra belli Latini (al. *Sabini*) metum id quoque accesserat, quod etc. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 9. (13). De floribus, supra dictos, scripsit Teophrastus. *Manil.* 1. 145. dubiumque manebit Quod latet et tantum supra est hominemque deumque. *h. e.* majus est humana divinaque prudentia. ¶ 3. Significat etiam curam et munus. *Inscript.* apud *Gruter.* 599. 8. M. FLAVIVS AVG. LIB. SVPRA VELARIOS DE DOMV AVG. *Alia* apud *eumd.* 1111. 1. M. LIVIVS AVGVSTAE L. AMARANTHVS SVPRA CVBICLARIOS. *Alia* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 17. CYDNVS TIB. GERMANICI SVPRA HORTOS. *Alia* apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 721. et *n.* 2927. NARCISSVS TI. CLAVDII BRITANNICI SVPRA INSVLAS. *Alia* apud *Henzen n.* 6286. CN. DOMITIVS CN. AGATHANGEL. SVPRA BVBALOS. *Jahn* hanc suspectam habet; at defendit *Henzenius*. Cf. *Marini Iscriz. Alb. p.* 106. *Vitruv.* 7. *pr.* 7. Supra bibliothecam aliquem constituere. *Auct. Declam.* 353. *inter op. Quintil.* Dicet, sibi placuisse servum, et ideo supra rationes esse positum. *V.* SUPER.

Homonym. Discrimen inter *supra* et *super V.* sub SUPER.

SŬPRĀDJĬCĬO, is, ere, a. 3. insuper adjicio. *Apic.* 5. 4. Mittis in cacabum, supraadjicies oleum. *Schuch* rectius leg. *super adjicies*.

SŬPRĀCÆLESTIS *vel* supracœlestis, e, adject. idem ac supercælestis. *Mar. Victorin.* 3. *advers. Ar.* 3. A supracælestibus ad usque cælestia. *Id.* 4. *ibid.* 31. Locis vel supracælestibus vel intracælestibus.

SŬPRAD. *V.* SUPRA init.

SŬPRĀDĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *suprado*, superius datus. *Prob. Art. min. n.* 105. et *n.* 139. *Endl.* Sed *Keil* utrobique aliter legit.

SŬPRĀDICTUS, a, um, particip. ab inusit. *supradico*, superius dictus, *detto di sopra. Pallad.* 2. *R. R.* 14. *a med.* Præter raphanum semina supradicta deponunt. *Id.* 3. *ibid.* 32. Supradictis potionibus mersa serventur. *Valerian. Imp.* apud *Vopisc. Aurelian.* 9. Supradicto viro efficiet etc. Habet etiam *Quintil.* 1. 5. *init.* et 6. 1. *ante med.* et *ibid.* 2. *init.*, sed ubique disjunctim scribi potest.

SŬPRĀDĪVĬDENS, entis, particip. ab inusit. *supradivido*, ex superiore parte dividens. *Chalcid. Tim.* 29. Ejus (*lineæ*) summa pars scindens proximum circulum, καταβίβαζον, hoc est subdividens, appellatur; immo vero secans æque sursum versum majorem orbem, ἀναβίβαζον, id est supradividens.

SŬPRĀDUCTUS, a, um, particip. ab inusit. *supraduco*, super duco. *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 41. Medicaminum supraducto cortice.

SŬPRĀFĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *suprafari*, supra dictus, *prefato. Sidon.* 5. *Ep.* 14. *ad fin.* Suprafatus summus sacerdos.

SŬPRĀFUNDO, is, ere, a. 3. idem ac superfundo. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 10. 153. Dicitur primus Hannibal per Alpem viam fecisse, dum saxa montium igni primum exureret, deinde acetum acrum superfundebat.

SŬPRĀGRĀVO, as, are, a. 1. supra modum gravo. *Tertull. Resurr. carn.* 48.

SŬPRĀJĀCĬO, is, ere, a. 3. superjacio. *Colum.* 11. *R. R.* 3. *ad fin.* Virgis stramenta suprajaciuntur.

SŬPRĀLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus supra ferendi seu extollendi. *Mar. Victorin.* 4. *advers. Ar.* 23. Deus sine exsistentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur, non per privationem sed per supralationem; omnia enim, quæ voces nominant, post ipsum sunt. Est qui leg. apud *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. et *Quintil.* 2. 1. 29. et 9. 2. 3. pro *superlatio*.

SŬPRĀMEMŎRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *supramemoro*, superius memoratus. *Chalcid. Tim.* 35. Adde *Papyr.* apud *Marini Pap. dipl.* (239). *n.* 114. *l.* 24.

SŬPRĀMŎDUM. *V.* SUPRA.

SŬPRĀNĀTANS, antis, particip. ab inusit. *supranato*, super natans, *galleggiante*, ut Supranatans bitumen in lacu Asphaltite, *Vitruv.* 8. 3. *ante med.*

SŬPRĀNŎMĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *supranomino*, super nominatus. *Papyr. Ravenn.* (sæc. VI.) apud *Marini Pap. Dipl. n.* 90. *l.* 29. Sex unciæ supranominatæ totius substantiæ. *et mox l.* 50. Huic chartulæ donationis supranominatæ rogatus testis subscripsi.

SŬPRĀPŌNO, pōnis, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. Part. *Suprapositus*. — Suprapono est superpono, *sovrapporre*. *Inscript*. in *Mem. Rom. di antich.* etc. *T*. 3. *p*. 73. *n*. 41. SIVE PATER SIVE MATER SVPRAPONATVR. *Cels*. 6. 18. *n*. 2. *ante med.* Quale suprapositum est, cataplasma superdare.

SŬPRĀPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. (suprapono) superpositio. *Cœl. Aurel. præf. Tard.*, ubi *suprapositio* est exacerbatio passionum per intervalla rediens τῆς ἐπιτάσεως. *V*. SUPERPOSITIO.

SŬPRĀPŎSĬTUS, a, um, particip. *V*. SUPRAPONO.

SŬPRĀQUAM. *V*. SUPRA.

SŬPRASCANDO, is, ere, a. 3. supra ascendo, *salire sopra*. *Liv*. 1. 32. *circa med.* Quum fines suprascandit.

SŬPRASCRĪBO, scrĭbis, scriptum, scrībere, a. 3. Part. *Suprascriptus*. — Suprascribo est superius scribo. *Cenotaph. Pis. C. Cæs. sub fin.* Ea omnia, quæ suprascripta sunt. *Vitruv*. 2. 8. *a med.* In dextra parte fanum est Veneris et fons suprascriptus. *h. e.* de quo supra scripsi. Adde *Boeth*. 2. *Music*. 28. — Apud *Cic*. 6. *Fam*. 10. divisim scribendum est, et apud *Plin*. 7. *Ep*. 12. *Keil* leg. *superscripto*.

SŬPRASCRIPTĬO, ōnis, f. 3. (suprascribo) actus supra scribendi, inscriptio. *Vulg. interpr. Ital. Matth*. 22. 20., ubi *Noster* habet *superscriptio*.

SŬPRASCRIPTUS, a, um, particip. *V*. SUPRASCRIBO.

SŬPRĀSĔDENS, entis, particip. ab inusit. *suprasedeo*, qui supra sedet. *Vulgat. interpr. Eccli*. 33. 6. Equus emissarius, sic et amicus subsannator, sub omni suprasedente hinnit. Adde *Cod. Theod*. 5. 8. 9.

SŬPRĀVĪVO, vīvis, vixi, vīvere, n. 3. supervivo, *sopravvivere*, ἐπιβιόω. *Inscript*. apud *De-Vita. Antiquit. Benevent. gl*. 9. *n*. 80. QVAE VIXIT ANN. CVM EO XII. MENS.... QVAE SVPRAVIXIT DIEB.... *V*. MONNULA.

SŬPRĒMĒ, adverb. (supremus) idem ac supremo. Agnoscitur a *Priscian*. 15. *p*. 1016. *Putsch*., nulla tamen adjecta Latini scriptoris auctoritate.

SŬPRĒMĬTAS, ātis, f. 3. (supremus) ¶ 1. Est supremum tempus, mors. *Ammian*. 31. 13. *ad fin.* Nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse. ¶ 2. Item summa dignitas. *Claud. Mamert*. 2. *Stat. anim*. 13. Supremitates et præminentias adire.

SŬPRĒMO et

SŬPRĒMUM, adverb. *et*

SŬPRĒMUS, a, um, adject. *V*. SUPERUS.

SUPSĬCĪVUS. *V*. SUBSECIVUS.

SUPSIGNO. *V*. SUBSIGNO.

SUPTER. *V*. SUBTER.

SUPTUS. *V*. SUBTUS.

SŬPUS. *V*. SUPPUS.

SŪRA, æ, f. 1. pars posterior humani cruris crassior et carnosior, γαστροκνημία (It. *polpa della gamba, polpaccio*; Fr. *mollet*; Hisp. *la pantorilla*; Germ. *die Wade*; Angl. *the calf of the leg*).

I.) Proprie. *Plaut. Pseud*. 4. 7. 120. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris. *Turpil*. apud *Non*. *p*. 236. 16. *Merc*. 4. 5. Apertæ suræ, brachia autem procera horrorem mihi ex corde exsuscitabant. Adde *Cic. Arat*. 256. et 399. et *Horat*. 2. *Od*. 4. 21. *Ovid*. 3. *Art. am*. 623. sura chartas celare ligatas. *Claudian*. 2. *in Eutrop*. 342. pars compede suras Cruraque signati nigro liventia ferro. *Juvenal*. 16. 14. grandes magna ad subsellia suræ. *Plin*. 11. *Hist. nat*. 45. 105. (253). Suræ homini tantum et crura carnosa. — *Suram femori imponere* signum erat stuporis ac doloris acerbissimi apud Veteres, præsertim orientales. *Vulgat. interpr. Judic*. 15. 8.

II.) Translate. ¶ 1. Synecdoche potest esse in his, h. e. ut sura pro crure ponatur. *Virg*. 7. *Ecl*. 32. et 1. *Æn*. 341. alte suras vincire cothurno. *Plaut. Pseud*. 4. 7. 80. Ubi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes. *Horat*. 2. *Od*. 4. 21. Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo. *Virg*. 12. *Æn*. 430. suras incluserat auro. *Grat. Cyneg*. 338. tegat imas fascia suras. ¶ 2. Item os minus ipsius cruris, quod anatomici *fibulam* vocant. *Cels*. 8. 1. *sub fin.* Alterum os ab exteriore parte suræ positum est: quod ipsum quoque sura recte nominatur. id brevius supraque tenuius, ad ipsos talos intumescit. Adde *ibid*. 11. ¶ 3. In lusu pilæ *suram dare* dicitur, qui pilam cruore prolato faciendam collusoribus præbet. *Isid*. 18. *Orig*. 69. 21. ¶ 4. A similitudine dicitur etiam pars montis gibbosa. *Gromat. De colon*. 1. *p*. 254. 13. *Lachm.-Rud*. Qui (montes) ad suram finem habent. *Id. ibid*. *p*. 240. 1. Montes, qui usque ad sura deficiunt. *Goes*. An legend. *ad suram*? — *NB*. De nom. et cognom. Rom. *V*. ONOM.

SURCELLUM *vel* surcillum, n. *et* surcellus *vel* surcillus, i, m. 2. *deminut. a* surculum, parvum surculum. *Plin. Valerian*. 2. 5. Rutæ medicum surcillum. — *Ad surcellum componere*, apud *Apic*. 4. 2., videtur esse idem atque ad ignem surcularem seu sarmenticium coquere.

SURCILLUM et

SURCILLUS. *V*. voc. præced.

SURCLO. *V*. SURCULO.

SURCLUS. *V*. SURCULUS.

SURCŬLA. *V*. SIRCULA.

SURCŬLĀCĔUS, a, um, adject. (surculus) surculo similis, ξυλώδης. *Plin*. 19. *Hist. nat*. 7. 36. (119). Semina duritie surculacea. *h. e.* surculosa, lignosa.

SURCŬLĀRIS, e, adject. (surculus) ad surculos pertinens. *Colum*. 3. *R. R*. 11. *circa med.* Considerandum est, surcularis, necne, sit terra, idque facillime exploratur per stirpes, quæ sna sponte proveniunt. *h. e.* surculos et virgulta progignens.

SURCŬLĀRĬUS, a, um, adject. (surculus) surcularis, πολύκλωνος. *Varro* 1. *R. R*. 2. *a med.* Leges colonicas tollis, in quibus scribimus: Colonus in agro surculario ne capra natum pascat. *h. e.* surculis consito. *Pontedera* in *Op. post. T*. 1. *p*. 173. contendit, legend. *ne capras tum pascat* etc. — *Surcularia cicada*, quæ in surculis arborum vivit. *Plin*. 11. *Hist. nat*. 26. 32. (94). Quidam duo alia genera (*cicadarum*) faciunt: circulariam, quæ sit grandior: frumentariam, quam alii avenariam vocant. apparet enim simul cum frumentis arescentibus.

SURCŬLO *et per syncop*. surclo, as, are, a. 1. (surculus) ¶ 1. Est surculos, stolones, ramulos amputo: ut *pampino, rusco*. *Colum*. 5. *R. R*. 9. *a med.* Plantæ non nisi post biennium ferro tangendæ: ac primo surculari debent, ita ut simplex stilus altitudinem maximi scrobis excedat. Adde *Pallad*. 12. *R. R*. 4. ¶ 2. Est etiam surculo connectere, ligare. *Apic*. 4. 5. *et* 7. 2.

SURCŬLŌSĒ, adverb. (surculosus) surculorum more. *Plin*. 18. *Hist. nat*. 16. 43. (148). de herba *Medica*. Arescit surculose ac postremo in pulverem inutilem extenuatur. *h. e.* postquam viridis crevit ac tenera, demum lignosa fit et surculis durioribus arescit.

SURCŬLŌSUS, a, um, adject. (surculus) surculi naturam habens, lignosus, duriusculus, φρυγανώδης. *Plin*. 12. *Hist. nat*. 19. 42. (89). Quattuor digitis surculosus, arido similis. *Id*. 24. *ibid*. 15. 87. (137). Surculosa herba. *Id*. 19. *ibid*. 6. 31. (98). radices. *Id*. 27. *ibid*. 11. 74. (98). ramuli.

SURCŬLUM, i, n. 2. *V*. voc. seq.

SURCŬLUS *et per syncop*. surclus, i, m. 2. Etiam *surculum*, neutr. gen., apud *Venant*. 5. *Carm*. 16. 4. Insita cum fructu surcula, poma simul. — *Surclus*, syncop. pro *surculus*, apud *Varron*. 1. *R. R*. 40. ex Codd. *Vict*. — Ducitur a *surus* (*Fest*. *p*. 236. et 297. *Müll*.) vel potius a *surcus*, a quo deminut.; non enim attendendus videtur *Isid*., qui 17. *Orig*. 6. 17. dicit « *surculos* a præcisione *serræ* nuncupatos ». — Surculus est parvus surcus sive ramus, sarmentum in arbore nascens vel ab ea resectum, φρύγανον, κλών (It. *ramoscello, pollone, germoglio, sorcolo*; Fr. *jeune branche, rejeton*; Hisp. *ramito, pimpollo*; Germ. *junger Zweig, Schössling, Reis*; Angl. *a joung twig or small branch of a tree, a sprout*). ¶ 1. Generatim. *Virg*. 2. *G*. 85. Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ *etc.* nec surculus idem Crustumiis Syriisque piris. *Plin*. 29. *Hist. nat*. 6. 36. (113). Surculus ex nido milvi pulvino subjectus. — In illo *Cic*. 3. *Orat*. 28. 110. Ut ex jure civili, surculo defringendo, usurpare videantur. *Turneb*. *l*. 21. *Adversar*. *c*. 14. docet, significari morem inductum a jureconsultis, ut qui possessionem agri arboribus consiti caperet, inde surculum defringeret secumque auferret. Similiter si ager plantis careret, glæbam sumebant. *V*. CONSERTUS. — *Surculos* in fascinationibus quoque habuisse locum, patet ex *Lævio* apud *Apul. De mag*. Radiculæ, herbæ, surculi-Hinnientium dulcedines. ¶ 2. Speciatim ac præcipue *surculus* dicitur, qui ex arbore reciditur, inserendi aut deponendi gratia, *marza, magliuolo, nesto*, qui et *semen* et *malleolus* et *talea* dicitur. *Cic*. 2. *Orat*. 69. 278. Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. Multa de his *Varro* 1. *R. R*. 40. et 41. et *Plin*. 17. *c*. 14. *et* 21. etc. *Id. ibid*. 10. 13. (68). Salix vel inverso surculo seritur. *Apul. Florid*. 15. Ruratio omnis in sarculo et surculo. *h. e.* in plantandis olivarum seminariis iisque sarculo purgandis seu sarriendis. — *Surculus* opponitur sato. *Pallad*. 1. *R. R*. 6. 3. Soli et provinciæ consuetudo facile ostendet, qui numerus (*operarum*) unamquamque rem faciat sive in surculis sive in omni genere satorum. ¶ 3. Item planta minor, virgultum, stirps, frutex, *virgulto, pianta*. *Colum*. 7. *R. R*. 4. *ante med.* Campi liberi et omni surculo ruboque vacantes. *et ibid*. 12. *a med.* Surculo consitus ager. *Id*. 4. *ibid*. 28. Tres esse motus in omni surculo naturales: unum, quo germinet; alterum, quo floreat; tertium, quo maturescat. Adde 2. *ibid*. 15. *a med*., 3. *ibid*. 1. et 9. *ibid*. 4. ¶ 4. Est etiam ramulus, unde pendent poma. *Varro* 1. *R. R*. 59. *a med.* Mala Punica demissis suis surculis in dolio arenæ manere putant satis commode. *Plin*. 15. *Hist. nat*. 17. 18. (60). Varro et in dolio arenæ servari jubet mala Punica et immatura obrui terra in ollis fundo effracto, sed spiritu excluso ac surculo pice illito. ¶ 5. Item ligni fragmentum, secamentum, schidia, *scheggia*. *Colum*. 6. *R. R*. 15. Si forte bos surculum calcaverit aut acuta testa vel lapide ungulam pertuderit. *Cels*. 5. 26. *n*. 35. Ubi surculus corpori infixus est. ¶ 6. Item, apud chirurgos, ferula vel paxillus, ad quem fracta membra deligantur, *stecca*. *Id*. 8. 10. *n*. 6. Digitum fractum satis est ad unum surculum deligari. *steccare*. ¶ 7. Item pro veru. *Apic*. 5. 181. *Schuck*. Surculo alligare. — *NB*. De cognom. R. *V*. ONOM.

SURCUS, i, m. 2. ramus ab arbore resectus. *Excerpt.* ex *Charis*. *p*. 552. 31. *Keil*.

SURDASTER, tra, trum, adject. *deminut. a* surdus, ut docet *Priscian*. 3. *p*. 610. *et* 618. et 4. *p*. 628. *Putsch*. — Surdaster est aliquantum surdus, *mezzo o alquanto sordo, sordastro*, ὑπόκωφος. *Cic*. 5. *Tusc*. 40. 116. Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat. *Gloss. Lat. Gr.* Surdaster, ὑπόκωφος. *Augustin*. 5. *contra Julian*. 9. 37. Aures surdastræ.

SURDĒ, adverb. (surdus) surdorum more, *sordamente*, κωφῶς. *Afran*. apud *Charis*. 2. *p*. 194. *Putsch*. Amentes, quibus animi non sunt integri, surde audiunt. *h. e.* audiunt quidem, sed vel non intelligunt vel non attendunt.

SURDĔO. *V*. voc. seq.

SURDESCO, is, ere, n. 3. (surdus) *inchoat. a* surdeo, quod occurrit tantum in *Gloss. Lat. Gr.* Surdeo, κωφοῦμαι. — Surdesco est incipio surdere, surdus fio, obsurdesco, *divenire sordo*, κωφάομαι.

I.) Proprie. *Augustin. Ep*. 157. *n*. 4. In parte aures aperiant, in parte surdescant.

II.) Translate. *Boeth*. 1. *Music*. 9. Ut in vocibus, quas, si minimæ sint, difficilius capiat auditus; si sint maximæ, ipsius sonitus intentione surdescit.

SURDĪGO, igĭnis, f. 3. (surdus) surditas, sor-

dagyine. Marcell. Empir. 9. *a med.* Auricula, quæ molestiam surdiginis patitur. *et mox.* Apri lotium remediat surdiginem.

SURDĬTAS, ātis, f. 3. (surdus) privatio sensus audiendi, κώφωσις (It. *sordità;* Fr. *surdité;* Hisp. *surdedad;* Germ. Angl. *deafness*). *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. In surditate vero quidnam est mali? *Cels.* 6. 7. *n.* 7. *extr.* Immaturæ uvæ succus adversus surditatem satis proficit.

SURDĬTĬA, æ, f. 1. (surdus) idem ac surditas. *Gargil. De pom.* 23. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 424.) Cum oleo tritas (*amygdalas amaras*) stillato: antiquam surditiam tollunt. Adde *ibid.* 26. (*p.* 426.) Alii leg. *surdities* utrobique.

SURDĬTĬES, ēi, f. 5. *V.* voc. præced.

SURDO, as, are, a. 1. (surdus) surdum reddo. *Calpurn. Ecl.* 4. 131. *Glaser.* Turbida nec calamos jam surdant classica nostros. Alii leg. *exsurdant.* At vocis usus confirmatur *Gloss. Lat. Gr.* Surdo, κωφόω.

SURDUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, ducitur a rad. *suar,* obscurus, sordidus, ita ut vox contracta videatur a *sordidus.* — Comp. *Surdior* II. 1. 1.° et 2.° *a;* Sup. *Surdissimus* II. 1. 1.° — Surdus itaque est fulgore carens, obscurus vel subobscurus (It. *smorto, scuriccio, fosco;* Fr. *obscur, terne, blême, sombre;* Hisp. *deslucido, obscuro, hosco;* Germ. *etwas dunkel, finster, blass;* Angl. *faint, dim, dark, dull*).

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). *de smaragdis.* Quibusdam intercurrit umbra surdusque fit color. *et ibid.* 20. (76). Polluntur sexangula figura, quoniam bebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. *h. e.* languidus, sine fulgore, hebes, obtusus, *smorto.* — Hinc metaphorice. *Id.* 35. *ibid.* 2. 2. (4). Argenteæ facies surdo figurarum discrimine. *h. e.* obscuro et vix internoscendo, quum colorum ac picturæ lumine nullo illustrentur. *Id.* 13. *ibid.* 15. 30. (98). Mensæ vitia, lignum: ita vocatur materia surda et indigesta simplicitas. *h. e.* in qua nulla venarum varietas, nullus splendor.

II.) Translate fere usurpatur et refertur ad sensus, præsertim auditus, qui sonos aut non clare, sed obscure et confuse, aut nullo modo percipit. ¶ 1. Active. — 1.°) Est qui audire nequit, quia aurium sensu caret. *Plaut. Cas.* 3. 3. 2. Metuo, ne non sit surda atque hæc audierit. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 200. Audio, ne me surdum verbera. *h. e.* ne me, ut surdum, obtundas, eadem sæpius iterando. *Ter. Andr.* 3. 1. 5. Utinam aut hic surdus aut hæc muta facta sit. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 9. Surdus varietates vocum aut modos noscere non potest. *Id.* 5. *Tusc.* 40. 116. Epicurei nostri Græce fere nesciunt, nec Græci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi. *Tibull.* 4. 13. surdis auribus esse. *Lamprid. Elag.* 16. Aure surdior. *Capell.* 9. *p.* 314. Asclepiades tuba surdissimis medebatur. Adde *Augustin. Ep.* 39. (*al.* 41). — Hinc metaphorice de inanimis et sensus expertibus. *Plin.* 20. *Hist. nat. procem.* Res surdæ ac sensu carentes. *Id.* 24. *ibid.* 1. 1. (3). Surdis etiam rerum sua cuique sunt venena ac minimis quoque. Adde 27. *ibid.* 13. 119. (146). — 2.°) Sæpe *surdus* est, qui audire non potest aut non vult, et qui nulla re movetur aut flectitur. — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 24. et *Pers.* 4. 9. 13. Ballio, audi. BAL. surdus sum, profecto inanilogus es. *Lucan.* 8. 582. sed surda vetanti Tendebat geminas amens Cornelia palmas. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 61. nec te precibusve minisve Movimus, o foribus surdior ipse tuis. *Id.* 14. *Met.* 711. Surdior illa freto surgente. — *b*) Cum Genetivo. *Sil. It.* 10. 554. Mars genitor, votorum haud surde meorum. *Id.* 1. 692. surdus pactorum. *Colum.* 3. *R. R.* 10. *a med.* Idque nobis poeta, velut surdis veritatis, indulget. — *c*) Cum Dat. vel Acc. et præp. *ad, in. Sil. It.* 11. 354. surdus timori. *h. e.* qui timore non deterretur. *Ovid. Heroid.* 7. 27. Ille quidem male gratus et ad mea munera surdus. *Id.* 2. *Pont.* 6. 28. Per nunquam surdos in tua vota deos. — *Surdo canere seu cantare,* proverb. præcepta dare negligenti aut recusanti, *predicare a' porri. Propert.* 4. 8. 47. Cantabant surdo, nudabant pectora cæco. *Virg.* 10. *Ecl.* 8. Non canimus surdis: respondent omnia silvæ. *Liv.* 40. 8. Quæ præcepta vereor ne vana surdis auribus cecinerim. Sic *Ter. Heaut.* 2. 1. 10. Næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 199. narrare asello fabellam surdo. Græce: ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. — Hinc metaphorice de rebus. *Propert.* 2. 16. 13. De et quodcumque ad surdas mihi dicitur aures. *et ibid.* 13. 48. Juppiter et surda negligit aure preces. *Ovid.* 9. *Met.* 653. surdæque adhibent solatia menti. *Martial.* 10. 13. Et madet, heu! lacrimis janua surda tuis. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 54. Surdæ fores. *Id.* 1. *Art. am.* 531. Thesea crudelem surdas clamabat ad undas. *Stat.* 12. *Theb.* 200. nec surda feræ pulsabimus urbis Limina. *Propert.* 4. 11. 4. tuas lacrimas litora surda bibent. *Liv.* 2. 3. Leges rem surdam, inexorabilem esse. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (21). Surda tellus. *h. e.* quæ culturæ non respondet. *Stat.* 9. *Theb.* 864. et surdos expedit arcus. *h. e.* qui non parebunt tendenti neque ictum perferent. *Horat. Epod.* 17. 54. Non saxa nudis surdiora navitis. ¶ 2. Passive. — *a*) *Surdus* est qui non auditur, tacitus, de quo nulli loquuntur. *Juvenal.* 7. 71. Surda nihil gemeret grave buccina. *Propert.* 4. 5. 56. Istius tibi sit surda sine ære lyra. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 19. mihi surda sine illo plectra. *Sil. It.* 8. 248. Atque illi sine luce genus surdumque parentum Nomen. *h. e.* ignobile, obscurum. *Id.* 6. 75. et haud surda tractarat prœlia fama. *Stat.* 4. *Theb.* 359. opus surdum atque ignobile. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Auctoritas quanta debeatur etiam surdis, hoc est ignobilibus herbis, perhibebitur. *Juvenal.* 13. 193. quos diri conscia facti Mens habet attonitos et surdo verbere cædit. *h. e.* occulto, tacito. Sic *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (20). Surdi ictus. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 31. et quoniam laudem pietate mereris, Non erit officii gratia surda tui. *h. e.* a me non tacebitur. — *b*) *Surda vota* apud *Pers.* 6. 28. sunt, quibus dii surdi fuerunt. — *c*) *Surdus locus,* ubi sonus et vox supprimitur, *muto. Varro* 8. *L. L.* 38. *circa med.* Surdum theatrum. *Vitruv.* 3. 3. *de theatris.* Diligenter est animadvertendum, ne sit locus surdus, sed ut in eo vox quam clarissime vagari possit. *Seneca Herc. Fur.* 576. *de Orpheo.* Mulcet non solitis vocibus inferos Et surdis resonat clarius in locis. *scil.* ibi degunt umbræ silentes, ea est sedes silentum etc. *V.* SILENS. — *d*) *Surdus sonus* est durus, mutus, insuavis. *Quintil.* 12. 10. *ante med.* Zephyri, si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient. — *e*) *Surdus,* de odore, est remissus, languidus et qui vix sentitur. Absolute. *Pers.* 6. 36. spirant cinnama surdum.

SUREMI et

SUREMPSI. *V.* SUMO.

SURĒNA, æ, 1. duo diversa significat. ¶ 1. *Surena,* fem. gen., est nomen piscis: fortasse a *sura* dictum. *Varro* 5. *L. L.* 77. *Müll.* Vocabula piscium vernacula ad similitudinem, ut surenæ, pectunculi, ungues. ¶ 2. *Surena,* masc. gen., apud Parthos nomen erat summæ dignitatis post regem, cui ex officio obtingebat novum regem diademate coronare, ut docet *Plutarch.* in *Crasso* c. 21., cujusque auctoritas par illi erat, qui nunc apud Turcas *Gran Visir* appellatur et olim apud quosdam reges *Gran Contestabile.* Videtur esse a Persico *sar,* caput, dux, vel a *sarajon,* ædes regiæ, Ital. *seraglio,* vir aulicus, *cortigiano, seragliere.* Cf. et Hebr. שר *sar,* princeps, imperator, Ital. *sire,* cui additum sit pron. נו *enu,* noster, sc. princeps noster. *Tac.* 6. *Ann.* 42. *in fin.* Surena, patrio more, Tiridaten insigni regio evinxit. *Ammian.* 24. 2. *ante med.* Surena post regem apud Persas promeritæ dignitatis.

SURGENS, entis, particip. *V.* SURGO.

SURGĬTE pro Surrigite, apud *Plaut. V.* voc. seq.

SURGO, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (*syncop. a* surrigo *pro* subrigo) *Surrexti,* syncop. pro *surrexisti,* apud *Martial.* 5. 79.; et *surrexe,* pro *surrexisse,* apud *Horat.* 1. *Sat.* 9. 72. — Item *surregit* et *sorctus* (al. *sortus*), pro *surrexit* et *surrectus,* apud *Fest. p.* 297. 4. *Müll.* Surregit et sorctus antiqui ponebant pro surrexit et ejus participio: quasi sit surrectus. quibus L. (*sic*) Livius frequenter usus est. — Part. *Surgens* I. 2. et II. 1.; (*Surrectus* V. in SURRIGO) *Surrecturus* I. 2. et 3. et II. 1. et 2. — Surgo usurpatur aliquando *A*) Transitive; et sæpius *B*) Neutrorum more.

A) Transitive est erigo, extollo (It. *alzare diritto, levare;* Fr. *lever, élever, dresser;* Hisp. *alzar, elevar, erigir;* Germ. *v. unten hervor richten, erheben;* Angl. *to raise or lift up*).

I.) Proprie. *Plaut. Epid. in fin.* Plaudite, valete, lumbos surgite atque extollite. *Sil. It.* 3. 659. pontum surgens super æthera Corus. *Alii leg.* spargens. *Avien. Perieg.* 484. qua Boreali vertice ad æthram Concrescunt Alpes, surgit caput Apenninus. *Alii leg.* Apennino. *Arnob.* 5. *p.* 169. Scribit Flaccus, surrexisse se deos etc. — Huc etiam referri possunt loca, quæ adlata sunt pro particip. *Surrectus* aliisque formis in SURRIGO.

II.) Translate pro oriri facio. *Manil.* 1. 387. Cernere vicinum Geminis licet Oriona, In magnum cæli tendentem brachia partem, Nec minus extento surgentem sidera passu.

B) Neutrorum more, seu absolute, (accusativus enim *se* usu ita omittitur, ut neutrius naturam induisse videatur) est erigi, *alzarsi, rizzarsi, levarsi,* ἀνίστημι, ὄρνυμαι, quum sedentes aut jacentes erigimur: et construitur absolute aut cum Abl. termini, unde quis surgit, et præp. *ab, ex* vel sine præp., et etiam cum Acc. termini, ad quem, et præp. *ad, in.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 62. a mensa surgunt saturi, poti, Qui suum repetunt. *h. e.* mensa trapezitarum. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 5. *a med.* Surgere a cena. *Cic.* 3. *Off.* 31. *a med.* Surrexit e lectulo et ad se adulescentem jussit venire. *Id.* 6. *Verr.* 65. *in fin.* Prætor de sella surrexit et abiit. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 397. 13. *Merc.* Sella surgere, caput aperire solitum. Alii aliter leg. *Ovid.* 2. *Met.* 771. et 6. *Fast.* 735. humo. *Id.* 3. *Met.* 273. solio. *et* 9. *ibid.* 701. et 12. *ibid.* 579. toro. *Virg.* 7. *Æn.* 771. ab umbris Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ. — Passive impersonaliter. *Juvenal.* 4. 144. Surgitur et magno proceres exire jubentur Concilio. — *b*) De iis, qui surgunt dicendi causa. *Cic.* 2. *Orat.* 78. 316. Surgere ad dicendum. *Id. Cluent.* 18. 51. ad respondendum. *Ovid.* 13. *Met.* 2. Surgit Ajax ad hoc. — Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 1. 1. Credo, vos mirari, quid sit, quod, quum tot summi oratores sedeant, ego potissimum surrexerim. *Quintil.* 12. 5. 4. Nolo eum, qui dicturus est, sollicitum surgere. — *c*) *Surgere,* absolute, e lecto et a somno surgere, *levarsi di letto. Cic.* 2. *Invent.* 4. *ab fin.* Ille multo ante lucem surrexit. *Ovid.* 13. *Met.* 676. mensa somnum petiere remota, Cumque die surgunt. *Id.* 1. *Amor.* 13. 21. *ad Auroram.* Non tu causidico, non tu jucunda diserto. Cogitur ad lites surgere uterque novas. *et ibid.* 38. Surgis ad invisas a sene mane rotas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 81. vegetus præscripta ad munia surgit. — Passive impersonaliter. *Jul. Obsequ. Prodig.* 130. Nocte lux ita fulsit, ut, tamquam die orto, ad opus surgeretur. ¶ 2. Speciatim ponitur pro exsistere, oriri, nasci, erumpere, *sorgere, nascere, spuntare. Seneca Thyest.* 822. Sol occiduus tenebras jubet surgere. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 72. huncine solem Tam nigrum surrexe mihi? *Ovid.* 4. *Met.* 92. lux Præcipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem. *Id.* 4. *Pont.* 9. 53. surgat plus ignis ab ara. *Martial.* 14. 86. sole a nudo surgere ficus equo. *et ibid.* 167. trito pollice pusula surgit. *Quintil.* 8. 3. *sub init.* Amœni fontes surgentes. *sorgenti. Virg.* 3. *G.* 400. Surgente die. *Id.* 3. *Æn.* 481. Surgentes Austri. *Id.* 1. *G.* 161. nec potuere seri nec surgere messes. *Id.* 4. *Ecl.* 8. ferrea primum Desinet ac toto surget gens aurea mun-

do. ¶ 3. Item pro crescere, ab imo in altum attolli, *innalzarsi da' fondamenti, crescere*. *Horat*. 2. *Sat*. 2. 114. venerata Ceres culmo surgeret alto. *Ovid*. 3. *Met*. 891. Vivaque per rimas proceraque surgit arundo. *Virg*. 1. *Æn*. 369. ingentia cernes Mœnia surgentemque novæ Carthaginis arcem. *Ovid*. 8. *Met*. 192. Fistula disparibus paullatim surgit avenis. *Colum*. 6. *R. R*. 23. Fruticem surrecturum in altitudinem compescere. *Virg*. 3. *Æn*. 196. et *Ovid*. 14. *Met*. 711. et 15. *ibid*. 508. Mare surgit. *si gonfia*. et *Pers*. 3. 95. surgit tibi lutea pellis. *h. e*. intumescit. *Ovid*. 1. *Met*. 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles *etc*. lapidosos surgere montes. *Lucan*. 2. 678. tunc aggere multo Surgit opus. *Plin*. 6. *Ep*. 16. *a med*. Area cinere mixtisque pumicibus surrexerat. ¶ 4. *Surgere* etiam dicuntur, quæ alta et erecta stant. *Virg*. 10. *Æn*. 476. humeri surgunt qua tegmina summi. *et ibid*. 725. surgentem in cornua cervum. *Juvenal*. 6. 628. in æde Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili. *et* 10. 43. volucris sceptro quæ surgit eburno.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Virg*. 1. *Æn*. 582. quæ nunc animo sententia surgit? *et* 9. *ibid*. 667. pugna aspera surgit. *et* 10. *ibid*. 28. in Teucros Ætolis surgit ab Argis Tydides. *h. e*. insurgit. *et* 12. *ibid*. 313. discordia surgit. *Seneca Thyest*. 943. Dolor ex aliqua causa surgens. *Cic*. 8. *Fam*. 8. Magna illico fama surrexit. Sic *Tac*. *Dial*. *de orat*. 34. Famam constantius surgere, fidelius conroborari. *et* 2. *Hist*. 42. Rumor surgit. *Virg*. 6. *Æn*. 103. non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit. *mi si presenta*. et 10. *ibid*. 813. sævæ altius iræ Dardanio surgunt ductori. *la collera monta*. et 4. *ibid*. 274. (6. *ibid*. 364. et 10. *ibid*. 524). Ascanium surgentem et spes heredis Iuli Respice. *h. e*. ad majora procedentem. *et* 4. *ibid*. 47. Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna Conjugio tali! *Ovid*. 5. *Fast*. 228. Surgit honor. *h. e*. venit. *Id*. 1. *Art. am*. 186. Surgit ingenium suis velocius annis. *Id*. 1. *Amor*. 1. 27. Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat. *h. e*. incipiat. *Virg*. 6. *Æn*. 762. surgere ad auras Ætherias. *venire alla luce, nascere*. et *Ammian*. 15. 5. 21. Surgere ad culmen imperiale. *Id*. 14. 6. 3. in mundanum fulgorem. *Id*. 31. 3. 4. Surrecturus in vires. *et* 26. 5. ad motum certaminum civilium. *Apul*. 7. *Met*. in Venerem. ¶ 2. Speciatim apud Ecclesiasticos scriptores, pro resurgere, reviviscere, *risorgere*. *Vulgat. interpr*. *Rom*. 6. 4. Christus surrexit a mortuis. Adde 1. *Cor*. 15. 42. *Ambros*., *Augustin*., *Hieronym*., al. *Inscript*. apud *Le Blant*, *Inscr. Chrét. de la Gaul*. *n*. 398. HIC PAVSAT EVFRASIVS. SVRRECTVRVS DIE CAELO CVM VENERIT AVCTOR. *sc*. Christus. — Hinc translate. *Hieronym*. in *Is*. 66. 10. Illam (*Jerusalem*), quæ surrectura est omni desiderio præstolantibus. ¶ 3. Item pro insurgere, impetum facere, irruere. *Vulgat. interpr*. *Luc*. 21. 10. Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum.

SURIENS, entis, particip. *V*. voc. seq.

SURIO, is, ire, n. 4. (sus) Part. *Suriens*. — Surio est libidine prurio, καπρίζω.

I.) Proprie et stricto sensu dicitur de suibus; improprie seu latiore sensu de aliis brutis et de homine. *Fest*. in *Suillam p*. 310. 14. *Müll*. Immundissimi sunt sues ex omni mansueto pecore et ardentissimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde factum sit, quum subare et surire dicuntur. Adde *Apul*., cujus verba *V*. in SUBO.

II.) Translate. *Arnob*. 5. 13. Ubi autem cautes et saxa pariunt dura, ibi poma necesse est suriant.

Homonym. Ita distinguunt quidam *subo* a *surio*, ut illud de feminis dicatur, hoc de maribus, ut apud *Arnob*. 5. 28. Euius lascivia surientis assumpta etc.

SURIX. *V*. SOREX.

SURPĬCŬLA. *V*. SIRPICULA.

SURPĬO et

SURPTUS, um, a. *V*. SURRIPIO.

SURRĀDĬO. *V*. SUBRADIO.

SURRĀDO. *V*. SUBRADO.

SURRANCĬDUS. *V*. SUBRANCIDUS.

SURRAUCUS. *V*. SUBRAUCUS.

SURRECTĬO, ōnis, f. 3. (surgo) actus surgendi. ¶ 1. Generatim. *Priscian*. *Part*. *XII*. *vers*. *p*. 1277. *Putsch*. Dic ab eo quod est *surgo*, nomen verbale *surrector*, *surrectrix*, ipsa res *surrectio*, *surrectus*. et *Gloss*. *Gr*. *Lat*. Ἄγερσις, surrectio. ¶ 2. Speciatim est resurrectio, *risurrezione*, ἀνάστασις. *Arat*. 1. 314. surrectio Christi Ut furto celetur, emis. *V*. SUBRECTIO.

SURRECTĪTO. *V*. SUBRECTITO.

SURRECTOR, ōris, m. 3. (surgo) qui surgit, *et*

SURRECTRIX, trīcis, f. 3. (surrector) quæ surgit. *V*. in SURRECTIO.

SURRECTUS, a, um. *V*. SUBRECTUS, a, um.

SURRECTUS, us, m. 4. (surgo) idem ac surrectio. *V*. in SURRECTIO.

SURRĔFECTUS. *V*. SUBREFECTUS.

SURRĔGIT. *V*. SURGO init.

SURRĔGŬLUS. *V*. SUBREGULUS.

SURRĔMĂNĔO. *V*. SUBREMANEO.

SURRĔMĬGO. *V*. SUBREMIGO.

SURRĔMIT et

SURREMPSIT. *V*. SUMO.

SURRĒNĀLIS. *V*. SUBRENALIS.

SURRĔPO cum deriv. *V*. SUBREPO.

SURREPTUS, a, um, particip. *V*. SURRIPIO.

SURRĪDĔO. *V*. SUBRIDEO.

SURRĪDĬCŬLĔ. *V*. SUBRIDICULE.

SURRĬGO. *V*. SUBRIGO.

SURRĬGŬUS. *V*. SUBRIGUUS.

SURRINGOR. *V*. SUBRINGOR.

SURRĬPĬO *vel* subripio, rĭpis, rĭpŭi, reptum, rĭpere, a. 3. Quod ad scriptionem attinet, hæc habet *Priscian*. apud *Cassiod*. *Orthogr*. 12. *Surripio* per R geminum, non per B et R scribendum: similiter et *corripio*, *arripio*, quoniam B in R quoque commutatur. *V*. tamen dicta in litt. *B* et v. SUB init. — *Surrepsit* vel *subrepsit*, pro *surripuit*, habet *Plaut*. *Mil*. *glor*. 2. 3. 62. et *Gloss*. *Paris*. p. 277. *n*. 341. — *Surpio*, *pis*, *pui*, *ptum*, *pere*, per syncopen, apud Poetas. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 283. me surpite morti. *et* 4. *Od*. 13. 20. Quæ me surpuerat mihi. *et Lucret*. 2. 314. Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent. et *Plaut*. *Capt*. *prol*. 8. Puerum servus surpuit. Adde 3. 5. 102. et 5. 4. 14. — Item *surrupio* vel *subrupio*, *rupui*, *ruptum*, *rupere*, apud *Plaut*. *Aulul*. *prol*. 39. et 2. 5. 23. *et* 4. 10. 29., *Capt*. 2. 2. 42., *Curc*. 1. 1. 60. et *Trin*. 1. 2. 46. V. *Ritschl* ad *Pseud*. 13., *Lex Atin*. apud *Gell*. 17. 7. a, *Manil*. 3. 352. et *Inscript*. apud *Orell*. *n*. 2488.; et cum simplici *r* in *Tab*. *aen*. apud *Haubold Monum*. *Leg*. *p*. 142. *l*. 15. — Part. *Surreptus* I. et II.; *Surripiendus* II. — Surripio est clam et dolo aufero, suffuror, subduco, ὑφαιρέω (*It*. *togliere di nascosto, rubare, trafugare*; *Fr*. *prendre à la dérobée, soustraire, enlever, dérober*; *Hisp*. *substraer, robar, hurtar*; Germ. *unter d. Hand,-heimlich wegnehmen, stehlen, entziehen*; Angl. *to snatch or take away secretly, withdraw privily, steal*): occurrit autem cum Acc., cui additur sæpe Dat. rei vel personæ, cui quid surripitur, et Abl. termini, unde surripitur, cum præp. *ex*, *ab*, *de*.

I.) Proprie. *Plaut*. *Capt*. *prol*. 8. Surripere puerum. *Id*. *Men*. 5. 5. 38. sacram coronam Jovis. *Id*. *Pœn*. *prol*. 109. captane an surrepta sit. *Id*. *ibid*. 5. 4. 77. filias ex patria surreptas esse. *Cic*. 2. *Invent*. 18. 55. Qui vasa ex privato sacro surripuerit. *Id*. *Brut*. 19. *a med*. Qui a Nævio vel sumpsisti multa, si fateris; vel si negas, surripuisti. *Id*. *Dom*. 25. *a med*. Qui ex ejus custodia, per insidias, regis filium captivum surripuisset. *Id*. 13. *Fam*. 77. *a med*. Servus meus quum multos libros surripuisset, aufugit. *Horat*. 1. *Ep*. 16. 55. Nam de mille fabæ modiis quum surripis unum.

II.) Translate. *Plaut*. *Men*. 3. 2. 26. Surripuisti te mihi dudum de foro. *mi ti sei sottratto*: e meo conspectu te subduxisti. *Id*. *Mil*. *glor*. 2. 3. 62. ne se surrepsit mihi. *Cic*. 5. *Att*. 16. Etsi in ipso itinere et via discedebant tabellarii et eramus in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne etc. *rubare un po' di tempo*. et *Ovid*. 5. *Trist*. 11. 8. Quum me surripuit principis ira tibi. *Id*. *Heroid*. 11. 66. Crimina sunt oculis subripienda patris. *h. e*. subtrahenda. *Seneca Ep*. 1. Tempus, quod adhuc aut auferebatur aut surripiebatur aut excidebat, collige et serva. *auferebatur* a potentioribus per officia et cultum: *surripiebatur* ab amicis per blanditias et sermones: *excidebat* tua negligentia. Ita *Lipsius*. *Cic*. *Parad*. 6. 3. *sub fin*. Virtus nec eripi nec surripi potest umquam. *Ovid*. 4. *Pont*. 2. 39. Sed quid solus agam? quaque infelicia perdam Otia materia surripiamque diem? *h. e*. animo meo tristi subtraham, consumam, transigam. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 283. unum me surpite morti. *h. e*. subducite. *Sueton*. *Gramm*. 15. Puer catenis surreptus. *Petron*. *Sat*. 119. Persarum ritu male pubescentibus annis Subripuere viros. *h. e*. virilitatem exsecando ademerunt. *Cod*. *Theod*. 1. 11. 2. Divæ memoriæ Valentiniani surreptum est etc. — Absolute. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 127. perjuras, surripis, aufers Undique?

SURRŎGO. *V*. SUBROGO.

SURROSTRĀNUS. *V*. SUBROSTRANUS.

SURRŎTĀTUS. *V*. SUBROTATUS.

SURRŎTUNDUS. *V*. SUBROTUNDUS.

SURRŬBĔO. *V*. SUBRUBEO.

SURRŬBER etc. *V*. SUBRUBER.

SURRŬFUS. *V*. SUBRUFUS.

SURRŬMO. *V*. SUBRUMO.

SURRUMPO. *V*. SUBRUMPO.

SURRUNCĀTOR etc. *V*. SUBRUNCATOR.

SURRŬO etc. *V*. SUBRUO.

SURRŬPĬO etc. *V*. SURRIPIO.

SURRUPTĪCĬUS. *V*. SUBREPTICIUS.

SURRUSTĬCUS. *V*. SUBRUSTICUS.

SURRŬTĬLUS etc. *V*. SUBRUTILUS.

SURSUM, adverb. — 1.°) Aliæ formæ sunt — *a*) *Sursus*, apud *Lucret*. 2. 188. Sursus enim vorsus gignuntur et augmina sumunt. — *b*) *Susum*, apud veteres præsertim usurpatum, pro *sursum*, cum quo in MSS. et in edit. libris sæpe a librariis commutatum est. *V*. infra. — Item *suso* in *Gloss*. *Cyrill*. Ἄνω, suso, supra, super. et *susu* in *Gloss*. *Lat*. *Gr*. Susu, ἄνω. — *c*) *Susovorsum*, *sursuorsum* vel plenius *sursumvorsum*. *Inscript*. apud *Gruter*. 204. *l*. 7. (quæ pertinet ad ann. ante Chr. n. CXVII) IBI TERMINVS STAT INDE FLOVIO SVSOVORSVM IN FLOVIVM LEMVRIM. V. *alias* in *Corp*. *Inscr*. *Lat*. 1. 199. *l*. 7., 14., 16. — *d*) *Sus*. V. SUSQUE DEQUE. — 2.°) Vox contracta est a *sub* vel *sus* et *vorsum*, h. e. ad superiorem partem versus: eique opponitur *deorsum*. — Sursum, cum verbis sive quietis sive motus ¶ 1. Est versus superam partem. — *a*) Absolute. *Plaut*. *Amph*. 3. 4. 25. Dein sursum ascendam in tectum. *Id*. *Mil*. *glor*. 4. 4. 14. Quum ex alto puteo sursum ad summum escenderis. *Id*. *Cist*. 2. 3. 78. Quid nunc supina sursum in cælum conspicis? *Gell*. 2. 30. Propellere aliquid sursum. *Cato R. R*. 157. *sub fin*. Ad nasum admoveto: ita subducito susum animam, quam plurimum poteris. *Plaut*. *Cist*. 2. 3. 78. Quid nunc supina susum in cælum conspicis? *Alii* sursum. *Inscript*. in *Giorn*. *Arcad*. *T*. 32. *p*. 99. CLIVOM STRAVI LAPIDE AB IMO SVSVM LONGVM PEDES CCCXL. LATVM CVM MARGINIBVS PEDES VIIII. *Augustin*. *Serm*. 19. *n*. 2. ed. *Mai*. Susum cor feratur, terra carne calcetur. *Cyprian*. *ad Demetr*. 16. Susum erigi. Adde *Næv*. apud *Non*. *p*. 116. 30. *Merc*. et *Lactant*. *De mort*. *persec*. 19. 4. ex Codd. — *b*) Jungitur cum *versus*, *versum* vel *vorsum*. *Cato R. R*. 33. Vineam sursum vorsum semper ducito. *Cic*. *Orat*. 39. *a med*. Quum gradatim sursum versus reditur. Adde *Marcell*. *Empir*. *c*. 30. *p*. 131. et *Philarg*. ad *Virg*. 3. *G*. 55. *Gromat*. *vet*. *p*. 111. *Lachm*. *Rud*. Spectanti ad occidentem scribtura susum versus sit. — *c*) Item cum *deorsum*. *Ter*. *Eun*. 2. 2. 47. Te totos hos menses quietum reddam, ne sursum deorsum cur-

sites. Cic. 2. Nat. D. 33. a med. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citro commeantibus. ¶ 2. Est etiam in supera parte vel loco. — a) Absolute. Ter. Adelph. 4. 2. 35. Præterito hac recta platea sursum. Cic. 2. Nat. D. 56. 141. Nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt — b) Jungitur cum deorsum, Varro 1. R. R. 6. Qui colunt deorsum, magis æstate laborant; qui sursum, magis hieme. h. e. campestres agros aut collinos. Ita in MSS. suis Petr. Victor., alii sursum. Tubero apud Gell. 6. 4. Sursum ac deorsum diductus. — Proverbii speciem habet illud Senec. Ep. 44. Omnia ista longa varietas miscuit, et sursum deorsum fortuna versavit. et Petron. fragm. Tragur. 65. Burmann. sub fin. Sunt mulieres plus sciæ, sunt nocturnæ, et, quod sursum est, deorsum faciunt. — c) Contrarium est aliquando jusum pro deorsum, quo usum fuisse videtur vulgus Romanum, unde Italorum recentiorum giuso, giù ortum habuit. Augustin. Tract. 8. in ep. 1. S. Joh. n. 2. Quod sursum, faciens jusum; quod deorsum, faciens sursum. Jusum vis facere Deum et de susum? et Tract. 10. n. 5. Susum me honoras, jusum me calcas. — d) Item cum præp. ab, de, substantivorum more, usurpatur. Vulg. interpr. Ital. Marc. 15. 38. A sursum usque deorsum. h. e. a parte superiore, a summo. Id. Joh. 8. 23. Vos ex inferioribus estis, ego de sursum sum. h. e. de loco superiore, sc. de cælo. Adde Augustin. pr. loc. cit.

SURSUMVORSUM et

SURSUORSUM et

SURSUS. V. SURSUM init.

SURUS, i, m. 2. palus, fustis, ut Festus docet et suo loco et in Rigido p. 286. 1. Müll. et eo Ennium usum p. 298. 7. ibid. esse ait. Inde est deminut. surculus. V. hanc voc. Hinc crebrisurum, teste eodem, apud Ennium significat vallum crebris suris, id est palis munitum. Gloss. Isid. Surus, musculus brachiorum et surculus.

SUS. V. SUSQUE.

SUS (raro sūis), sŭis, comm. gen. 3. (ὗς, σῦς) — a) In recto suis apud Prudent. 2. advers. Symmach. 813. Spurca suis nostro amne natat. — b) In genet. sueris olim dixere, ut boveris pro bovis. Plaut. fragm. apud Fest. in Spectile p. 330. 28. Müll. Pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia. Varro 5. L. L. 110. Müll. Perna a pede sueris. Alii aliter leg. — Pro sueris vulgo suris usurpatum esse videtur ex Inscript. apud Promis Antich. di Aosta p. 38. — c) In dat. plur. etiam subus, ut bobus, habet. Lucret. 6. 974. nam setigeris subus acre venenum est. et ibid. 977. eadem subus hæc jucunda videtur. Plin. 29. Hist. nat. 4. 23. (75). A quibusdam animalium, ut subus, manditur. — Sus est porcus vel porca (It. porco; Fr. cochon, porc, pourceau; Hisp. puerco, tocino, lechon; Germ. der Schwein, der Sau; Angl. a swine, hog, pig, sow); et dicitur tam de feris, quam de domesticis.

I.) Proprie. Varro 2. R. R. 4. ante med. Sus Græce dicitur ὗς, olim θῦς dictus ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur: cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis, fœdus quum feritur, porcus occiditur: et quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Etruria in conjunctione nuptiali, nova nupta et novus maritus primum porcum immolant. Ovid. 4. Fast. 414. A bove succincti cultros removete ministri, Bos aret, ignavam sacrificate suem. Cic. 2. Nat. D. 64. 160. Sus vero quid habet præter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus? Varro 2. R. R. 1. ante med. De suibus nemini ignotum, nisi qui apros non putat sues vocari. et ibid. 4. Qui suum gregem vult habere idoneum. Horat. 2. Ep. 2. 75. lutulenta ruit sus. Plin. 28. Hist. nat. 17. 67. (230). Suis feminæ herbis pastæ lardum. Martial. Spectac. 14. Sus fera, jam gravior, maturi pignora ventris Emisit fetum. Auct. Philom. 57. p. 400. Wernsd. Sordida sus pascens ruris per gramina grunnit. Adde Prudent. loc. cit. — Sidon. 7. Ep. 17. in carm. Rura paludicolæ temnis populosa Ravennæ, Et quæ lanigero de sue nomen habet. h. e. Mediolani agrum. Quum enim Gallis consilium esset eam urbem condendi, solum effodientibus ferunt inventam suem dimidio lanatam, a quo portento ductum Mediolani nomen. V. Isid. 15. Orig. 1. a med. — Suis lactantis effigiem descriptam vide sis apud Visconti in Mus. Pio-Clement. T. 7. p. 155. — Sues Veneri invisi fuerunt. Fest. in Suillum p. 310. 10. Müll. Suillum genus invisum Veneri prodiderunt poetæ, ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat dea: quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore et ardentissimæ libidinis, ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, quum subare et surire dicuntur.

II.) Translate dicitur de homine libidinoso. Vulgat. interpr. 2. Petr. 2. 22. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; et: Sus lota in volutabro luti. V. Forst. De adag. N. T. c. 4. p. 776. — Sus Minervam docet, est indoctus docet sapientem. Fest. p. 310. 18. Müll. Sus Minervam in proverbio est, ubi quis id docet alterum, cujus ipse inscius est. Cic. 1. Acad. (post.) 5. init. Nam etsi non sus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quisque Minervam docet. Id. 2. Orat. 57. ad fin. Docebo sus (ut ajunt) oratorem eum. quem etc. Itali dicunt i paperi menano a bere l' oche.

III.) Improprie est hoc nomine piscis, qui a Plin. 11. Hist. nat. 51. 112. (267). caper vel potius aper vocatur, pesce porco. Ovid. Halieut. 132. Lolligo durique sues sinuosaque serpens.

SUS, sa, sum. V. SUUS.

SUSARIŌNIUS, a, um, adject. ad Susarionem pertinens, de quo V. ONOM. Mar. Plot. Sacerd. De metr. p. 2663. Putsch. Compositum Susarionium fit quattuor pedibus trochaicis præpositis et subjuncto penthemimerico dactylico, χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν τὰν θέμιν οὐρανίαν. Machinæ trahunt carinam, solvitur acris hiems. Aliter apud Keil. p. 545. v. 9. Cf. Diomed. 3. p. 436.

SUSCENSĔO. V. SUCCENSEO.

SUSCENSĬO V. SUCCENSIO.

SUSCEPTĬBILIS, e, adject. (suscipio) qui suscipere potest, suscettibile. Boeth. in Arist. prædic. 1. p. 141. Orationem et opinionem contrariorum esse susceptibilia. Adde ibid. p. 82. Id. in Arist. lib. de interpr. ed. s. p. 374. Stoici possibile quidem posuerunt, quod susceptibile esset veræ prædicationis

SUSCEPTĬO, ōnis, f. 3. (suscipio) actus suscipiendi.

I.) Proprie. Ambros. 4. Hexaem. 4. n. 14. Inter effusionem et susceptionem depositionemque pignoris etc. Augustin. in Ps. 15. n. 1. Susceptio humana. h. e. susceptus homo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Cic. 3. Fin. 9. extr. Quæ proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt judicanda. Id. 1. Acad. (post.) 6. circa med. Laborum dolorumque susceptio. Id. Mur. 1. ad fin. Studium meæ defensionis ab accusatoribus atque etiam ipsa susceptio causæ reprehensa est. Adde Gell. 9. 3. extr. ¶ 2. Speciatim pro auxilio, subsidio. Vulgat. interpr. Ps. 107. 9. Ephraim susceptio capitis mei. Adde Ps. 21. 1. ¶ 3. Item est receptio, exceptio, ricevimento. Cassiod. 11. Variar. 12. Turpis aucupatio est terrere enormitate pretii et susceptione blandiri. h. e. receptione hospitum.

SUSCEPTĪVUS, a, um, adject. (suscipio) qui suscipit, suscettivo, recettivo. Boeth. in Arist. categor. 1. p. 141. Substantia una numero contrariorum susceptiva. Id. in Arist. l. de interpr. ed. s. p. 373. Philo necessarium esse definit, quod quum verum sit, quantum in se est, numquam possit susceptivum esse mendacii.

SUSCEPTO, as, āvi, are, a. 1. frequentat. a suscipio, sed ejusdem fere significationis. Apul. 2. Met. sub fin. Vicariam pro me lanienam susceptavit. Adde 11. ibid.

SUSCEPTOR, ōris, m. 3. (suscipio) qui aliquid suscipit, assuntore, prenditore.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cassiod. in Ps. 118. 114. Susceptor autem noster factus est per sanctæ incarnationis arcanum, qua præstante suscepit hominem. ¶ 2. Speciatim susceptores dicti, qui per provincias pecuniam tributorum et species nomine civitatium aut principis excipiebant, in ærarium mox inferenda, esattori, cassieri, διαδέκται: eaque in codice describebant et apochas solventibus dabant; habebantque aliquam similitudinem cum quæstoribus Romanis. Cod. Justin. 10. tit. 70. et Cod. Theod. 12. tit. 6., ubi multa de his. Adde Ammian. 17. 10. 4. et Inscript. apud Murat. 720. 2. SVSCEPTORVM OSTIENSIVM SIVE PORTVENSIVM ANTIQVISSIMVM CORPVS.

II.) Translate. ¶ 1. Est qui aliquid perficiendum suscipit, intraprenditore. Justin. 8. 3. circa med. Mittit, qui opinionem sererent, regem magna pecunia locare et muros et templa facienda: et ut per præcones susceptores sollicitarent. h. e. conductores, capi maestri, imprenditori, ἐργολάβους. ¶ 2. Item auxiliator, adjutor. Vulgat. interpr. Ps. 3. 4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum. Adde Ps. 41. 10. etc. ¶ 3. Item patronus, qui causam suscipit alicujus. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 2. 12. 6. Nemo militantium fiat susceptor defensorve causarum. ¶ 4. Item qui receptat, ricettatore, ὑποδέκτης. — a) In malam partem, de eo, qui domi suæ aleatores, furta et fures, item servos fugitivos suscipit et receptat. Ulp. Dig. 11. tit. 5. qui est De aleatoribus, 1. Susceptorem verberatum prætor non vindicat. Paul. 5. Sentent. tit. 3. a med. Sublatis susceptoribus grassantium cupido conquiescit. Ascon. in 3. Verr. 39. Hic extraordinariarum Verris pecuniarum susceptor esse ostenditur. h. e. receptator pecuniarum ex sordidis lucris et furtis collectarum. — b) In bonam partem. Augustin. in Ps. 103. Serm. 3. n. 11. Quum quisque sanctum suscipit, non suscepto sed susceptori præstatur.

SUSCEPTRIX, trīcis, f. 3. (susceptor) quæ suscipit. Boeth. Dial. 2. in Porphyr. p. 35. Accidentis susceptrix substantia. et in Arist. l. de interpr. ed. s. p. 373. Materia (est) contrarietatis susceptrix. et mox. Materia et caloris susceptrix et frigoris. Adde Mar. Mercat. ex Nest. serm. 1. 12.

SUSCEPTUM, i, n. 2. et

SUSCEPTUS, a, um, particip. et

SUSCEPTUS, i, m. 2. et

SUSCĬPIENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUSCĬPIO et succipio, cĭpis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. (sus et capio) Etiam succipio pro subcipio: sane ita scriptum se invenisse in aliquot MSS. ad Virg. 1. Æn. 179. Pierius testatur: et ita veteres dixisse, Servius ibid. et ad v. 148. confirmat. Sic habet Lucret. 5. 404. et Inscr. in Corp. Inscr. Lat. 2. 136. Hinc suceptus legitur, sed unico c, in Tit. cœmet. in Revue archéol. 3. 167. Cf. Ribbeck ad Virg. 4. Æn. 591. et alibi. — Item subcapio vel succapio agnoscitur a Cledon. Art. p. 1935. Putsch. V. SUBCAPIO. — Part. Suscipiens II. 3. et in fin.; Susceptus fere in omn. paragr. et in fin.; Suscepturus I. 5.; Suscipiendus II. 1. et 2. — Suscipio proprie est subtus accipio aut prehendo, subjecta manu aliave re excipio vel erigo; universim sumo, capio, excipio, recipio, concipio, ὑποδέχομαι, παραδέχομαι, (It. pigliare, prendere, ricevere, accettare; Fr. prendre, recevoir; Hisp. tomar, recibir; Germ. nehmen, aufnehmen, aufheben; Angl. to receive, catch, take or lift up).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucret. 5. 402. de Phaethonte. solque cadenti Obvius, æternum suscepit lampada mundi. Virg. 11. Æn. 805. (et 4. ibid. 391.) Concurrunt trepidæ comites dominamque ruentem Suscipiunt. Id. 6. ibid. 248. tepidumque cruorem Suscipiunt pateris. Plin.

20. *Hist. nat.* 1. 2. (3). Sucus suscipitur aqua cælesti atque subsidit. *Propert.* 4. 9. 36. Et cava suscepto flumine palma sat est. (Similis est locus *Ovid.* 3. *Art. am.* 198.) *Seneca Troad.* 726. Suscipe, dixit, rector habenas. *Id. Herc. Œt.* 1483. Œteum nemus suscipiat ignis. *Alii leg.* ignem. *Virg.* 1. *Æn.* 179. silici scintillam excudit Achates Suscepitque ignem foliis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 198. Oraque suscepta mane laventur aqua. *Vulgat. interpr. Act.* 20. 13. Suscepturi Paulum (*in navem*). — Hinc translate. *Id. Ps.* 106. 17. Suscipere de via iniquitatis. *h. e.* auferre, removere, sublevare. ¶ 2. Speciatim est suffulcio, sustineo, subtus firmo, suspendo, *sostentare, sorreggere, fortificare per di sotto. Seneca Ep.* 90. *a med.* Quid loquar lapideas moles, in rotundum ac læve formatas, quibus porticus et capacia populorum tecta suscipimus? *Id.* 6. *Benef.* 15. *sub fin.* Labentem domum suscipere. *Plin.* 10. *Ep.* 48. Fulturæ ac substructiones, quibus theatrum subinde suscipitur, non tam firmæ mihi, quam sumptuosæ videntur. *Pallad.* 9. *R. R.* 9. Quo facto, latera puteorum structura suscipiat. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 43. graminea suscepta crepidine fumant Balnea. *h. e.* fundata, imposita, suffulta. — Hinc translate. *Sall. Cat.* 35. Miserorum civium causam suscepi. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Facilitatis meæ fiducia debes famam defuncti pudoremque suscipere. *Quintil.* 9. 4. *circa med.* Quædam clausulæ sunt claudæ atque pendentes, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent. *h. e.* insistere ac fulciri. ¶ 3. Item obsceno sensu apud *Apul.* 10. *Met.* ¶ 4. Item excipio, recipio. *Inscript.* apud *De-Rossi, Bullett. Crist. a.* 1846. *p.* 57. NE QVIS SERVVM ALIENVM SVSCIPEAT (*corrige* suscipiat). *Vulg. interpr. Philem. v.* 17. Suscipe illum sicut me. Adde *Marc.* 9. 37. ¶ 5. *Suscipere filium* est tollere, h. e. agnoscere et educare, ut in TOLLO dicemus. *Ter. Andr.* 2. 3. 26. Puerum ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est. nam pollicitus sum suscepturum. *Cic.* 11. *Att.* 9. *in fin.* Hæc ad te die natali meo scripsi, quo utinam susceptus non essem. *Id. Harusp. resp.* 27. 57. Eodem enim tempore et suscipimur in lucem et hoc cælesti spiritu augemur. ¶ 6. Hinc *suscipere filium* vel *liberos,* procreare, habere, educare, *avere, allevare figliuoli. Plaut. Epid.* 4. 1. 34. Filiam, quam ex te suscepi. *Cic.* 3. *Phil.* 6. *ad fin.* Ipsa ex libertini filia susceperit liberos. *Id.* 5. *Verr.* 69. 161. Susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriæ. *Justin.* 11. 10. 2. A captiva susceptum puerum Herculem vocavit. *generato.* et *Virg.* 4. *Æn.* 327. siqua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam suboles. ¶ 7. *Suscipere aliquem,* tuendum, fovendum suscipere, *torre a difendere, a proteggere:* quod patroni faciunt in clientes. *Vatin.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 9. Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum. *Plin.* 6. *Ep.* 6. *extr.* Suscepi candidatum et suscepisse me notum est: ego ambio, ego periclitor. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 3. modo suscepti causam dimittis amici, *poco fa tolto a proteggere:* in fidem et clientelam suscepti. Similiter *Quintil.* 2. 8. 13. Pancratiasten suscipere docendum. *Id.* 2. 5. 1. Discipuli a se suscepti. *Liv.* 7. 30. Suscipere aliquem in amicitiam. *ricevere.* Pleriq. alii leg. *accipere.* et *Cic.* 2. *Legg.* 2. *a med.* in civitatem. *Vulgat. interpr. Act.* 20. 35. Sic laborantes oportet suscipere infirmos. *aver cura.* Adde *Ammian.* 30. 4. *med.* et *Augustin. Ep.* 59. *n.* 17.

II.) Translate est assumo, aggredior, *pigliare, assumere, imprendere o intraprendere,* προσλαμβάνω. ¶ 1. Generatim. *Sall. Cat.* 48. Suscepto malorum patrocinio. *Cic.* 1. *Orat.* 22. *a med.* Permagnum quiddam suscipere ac profiteri. *Id. Quinct.* 24. 76. Quod turpissime susceperas, perseverare et transigere non potuisti. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. *extr.* Cetera ejus suscipio, ut me putem præstare debere. *Brut.* ad *Anton.* 11. *Fam.* 3. *ad fin.* Etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis. *Id.* 2. *Legg.* 14. 34. Suscipere, gerere, deponere bellum. *Id.* 3. *Cat.* 2. *a med.* aliquod negotium. *Id. Quinct.* 24. 76. Susceptum negotium transigere. *Id.* 4. *Att.* 15. Suscipere iter. *Ovid. Remed. am.* 153. Suscipe sanguinei juvenilia munera Martis. *h. e.* militiam sequere. *Justin.* 7. 4. *sub fin.* Quæ occidendum virum regnumque adultero tradendum susceperat. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Suscipere curam et cogitationem, ut aliquid fiat. *Cic. Mil.* 15. *a med.* fortissime gravissimam partem reipublicæ. *Id. Sext.* 2. 3. partes pietatis potius, quam defensionis; querelæ, quam eloquentiæ; doloris, quam ingenii. *Id.* 5. *Fam.* 8. sibi perpetuam propugnationem pro ornamentis alicujus. *Id.* 3. *Orat.* 17. 63. patrocinium voluptatis. *Id. Sext.* 22. 49. salutem reipublicæ contra improbos cives. *Id. Rosc. Am.* 38. *in fin.* onus officii, quod te putas posse sustipere. *Id.* 3. *Fam.* 7. *extr.* benevolentiam. *imprendere, mettersi ad amare.* et *Nepos Datam.* 9. odium in aliquem. *et ibid.* 10. *extr.* erga aliquem. *concepire.* et *Cic. Sull.* 9. *extr.* Bellum susceptum cum omnibus improbis. *Id.* 6. *Fam.* 23. Suscipere bene ac fortiter aliquod consilium. *prendere un partito, una risoluzione.* et *Planc.* 21. *sub fin.* Cursum illum tenere, quem a prima ætate susceperis. *Id. Harusp. resp.* 28. 61. Hanc orationem tam tristem, tam gravem non suscepissem, nisi hanc personam et has partes deberem et possem sustinere. *non avrei preso a parlar così.* et 7. *Verr.* 58. *ad fin.* Tantum sibi auctoritatis in republica suscepit, ut etc. *si usurpò, si arrogò.* et *Cæl.* 16. 37. Mihi auctoritatem patriam severitatemque suscipio. *mi vesto* etc. *Id. Cluent.* 36. *a med.* Suscipere personam viri boni. *h. e.* simulare, *voler comparire.* et *Apul. De mag. ante med.* Utrum putas majorem curam decoris in adseveranda oratione suscipiendam rhetori jurganti, an philosopho objurganti? ¶ 2. Speciatim refertur ad sacra. *Cic. Vatin.* 6. 14. Quum inaudita ac nefaria sacra susceperis, quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos mactare soleas etc. *Id. Dom.* 41. 107. In religionibus suscipiendis caput est interpretari, quæ voluntas deorum immortalium esse videatur. *Id. fragm.* apud *Lactant.* 2. 3. Ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. *Varro* 6. *L. L.* 26. *Müll.* Sementinæ feriæ sationis causa susceptæ. *Id.* apud *Non. p.* 163. 20. *Merc.* Quod humatus non sit, heredi porca præcidanea suscipienda Telluri ac Cereri. *Liv.* 5. 52. In Jovis epulo non alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? *h. e.* institui, poni ad lectisternium faciendum. ¶ 3. Et ad funera. *Sueton. Claud.* 1. *de Druso.* Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum sepultumque est in campo Martio. ¶ 4. *Suscipere votum,* concipere, facere, nuncupare, voto se obstringere, *fare un voto:* cui respondet *solvere,* quum voti compotes facti, diis præstamus, quæ vovimus. *Martial.* 8. 4. Suscipit et solvit pro duce vota suo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 75. et *Ovid.* 6. *Fast.* 245. Suscipere vota Jovi. *Liv.* 27. 45. *a med.* Ut damnarentur ipsi votorum, quæ pro iis suscepissent. *Propert.* 2. 7. 63. Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem. ¶ 5. Item subeo, contraho, admitto, concipio, percipio, haurio. *Lucret.* 3. 461. corpus Suscipit immanes morbos durumque laborem. *contrae, patisce.* et *Cic. post redit. ad Quirit.* 1. 1. Ut si meas rationes vestræ saluti anteposuissem, sempiternam pœnam sustinerem mea voluntate susceptam. *Id.* 1. *Tusc.* 46. *sub fin.* et *Dom.* 37. Suscipere dolorem. *concepire.* et *Vatin.* 8. 19. gemitum. *Cic.* 4. *Verr.* 55. 137. invidiam atque offensionem apud populos. *incorrere.* et 6. *Att.* 1. *ad fin.* odium alicujus. (Alio sensu *V.* sub II. 1.) *Id. Cluent.* 56. 153., *Mur.* 4. 9. et *Planc.* 21. *a med.* culpam. *Id.* 11. *Phil.* 4. 9. (et *Catull.* 88. 4.) scelus in se. et 7. *Verr.* 40. *a med.* crimen et vituperationem inconstantiæ. *Id.* 2. *Phil.* 3. *sub fin.* omnes impuritates. *Id. Cluent.* 11. *in fin.* multa parricidia. *Id.* 6. *Verr.* 35. 78. Susceptum scelus. *h. e.* commissum. *Id. Fontej.* 12. 26. Suscipere maculam et ignominiam. *et Sull.* 24. *a med.* Neque enim istorum facinorum tam atrocium crimen P. Sullæ persona suscipit. *non è capace.* ¶ 6. Item adeo, ineo, recipio. *Cic.* 1. *Off.* 9. 28. Aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt. *incontrare.* et *Harusp. resp.* 4. 7. Cujus ille inimicitias non solum suscepit propter meam salutem, verum etiam appetivit. *Brut. ad Att.* inter *ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *ab init.* Valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitavit inimicum. *farsi nemico.* et *Cic. Dom.* 11. 27. Suscipere laborem, simultatem, contentionem pro dignitate alicujus. *Id.* 1. *Fin.* 7. *a med.* pericula. *Id. Cæcin.* 6. *in fin.* molestiam. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. pœnam dignam suo scelere. *riportare, ricevere.* et 2. *Off.* 16. 56. æs alienum amicorum. *torsi a pagare i debiti.* ¶ 7. In dialogismis *suscipere* dicitur, qui post intervallum rursus loqui incipit et institutum sermonem continuat, *ripigliare, prendere la parola, rispondere. Varro* 1. *R. R.* 2. *a med.* Suscipit Stolo: Tu, inquit, invides etc. ὑπολαβὼν ἔφη. *Virg.* 6. *Æn.* 722. Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo, Suscipit Anchises. *Apul.* 4. *Met.* Suscipit unus: tune solus ignoras etc. ¶ 8. In disserendo est assentiri, admittere, *concedere, accordare. Cic.* 1. *Tusc.* 32. 78. Qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiunt, posse animum manere corpore vacantem: illud autem, quod facile ad credendum est, id certe non dant, ut, quum diu permanserit, ne intereat. *Id.* 2. *Nat. D.* 24. 62. Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent. — Hinc absolute, substantivorum more

Susceptum, i, n. 2. res suscepta, inceptum facinus, *impresa. Ovid.* 11. *Met.* 200. susceptaque magne labore Crescere difficili.

Susceptus, i, et sæpius plur. *suscepti, orum,* m. 2. ¶ 1. Est cliens. *Symmach.* 5. *Ep.* 39. (*al.* 41.) Epictetus causidicorum more prolapsus, dum vult impensius placere suscepto, sanctum Sabinum incauto sermone perstrinxit. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod.* 12. 22. 1. Ne causarum patroni sub unius persona suscepti aliena negotia inserenda esse pertentent. *Augustin. Ep.* 59. (*al.* 149.) *n.* 16. Antistites, velut advocati, susceptos suos misericordissimæ offerunt potestati. Adde *Serv.* ad *Virg.* 6. *Æn.* 609. et *Ammian.* 30. 4. *a med.* ¶ 2. Est etiam ægrotus, quem medicus curandum suscepit. *Ambros. Serm.* 27.

Suscipiens, entis, qui aliquid tenet, *possessore. Cod. Theod.* 11. 39. 12. Intentanti, non suscipienti, probationum necessitas imponenda est. *h. e.* non accusato sed accusatori; melior est enim condicio possidentis.

Homonym. Discrimen inter *suscipio* et *recipio* colligitur ex illo *Cic.* in *Q. Cæcil. divin.* 8. 26. Siculorum causa recepta, populi Romani suscepta. et 4. *Verr.* 1. 1. Ego tamen hoc onere suscepto et recepta causa Siciliensi amplexus animo sum aliquanto amplius. Suscepi enim causam totius ordinis; suscepi causam populi Rom. Ubi *suscepisse* causam dicitur, qui causam dicendam negotiumque tractandum non detrectaverit; *recepisse* autem, qui sancte promisit, se causam ex sententia confecturum esse. Ad rem *Madvig:* «*recipiuntur* ea tantum, quæ demandata et tradita sic *suscipimus,* ut promittamus aliquid et rationem debeamus». (ad *Cic. de Fin. l.* 1. *c.* 20. *p.* 126.) — Alia de *recipio* et verbis cognatis *V.* sub ACCIPIO. — *Isid.* 1. *Differ.* 540. conatur discrimen exponere inter *suscipio* et *succipio;* quod innuit etiam *Vel. Long. De orthogr. p.* 2226. *Putsch.,* ita ut *suscipio* proprie dicatur de incorporeis; de corporeis vero *succipio.* Sed cum *Dausqu.* in *Orthogr.* et *Forcellino* nostro putamus in diversa tantum scriptione discrimen esse statuendum.

SUSCĬPŬLUM, i, n. 2. (suscipio) vas quodlibet, quo aliquid suscipitur. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim solum in *Not. Tir. p.* 148.

SUSCĪRI pro Sciri apud *Plaut. Men.* 2. 3. 78. corruptum est. *Bothius* ibi leg. *subsili;* alii vero aliter.

SUSCĬTĀBŬLUM, i, n. 2. (suscito) propei

instrumentum quo quis incitatur, id quod excitat. Varro apud Non. p. 176. 31. Merc. Phonascus adsum vocis suscitabulum cantantiumque gallus gallinaceus. Cf. Apul. Florid. 15. Dextera psallentis gestu pulsabulum citharæ admovet. Ubi alii leg. suosabulum; alii conjiciunt suscitabulum, h. e. plectrum. Gloss. Lat. Gr. Suscitabulum, ἐμπύρευμα. Cf. Gell. 15. 2.

SUSCĪTANS, antis, particip. V. SUSCITO.

SUSCĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (suscito) actus suscitandi.

I.) Proprie et speciatim. ¶ 1. Dicitur de dormientibus, qui expergefiunt. Cæl. Aurel. 2. Acut. 32. init. Parvus somnus et in suscitatione hallucinatio, hebetudo, jactatio. ¶ 2. Est ad vitam revocatio. Tertull. Car. Chr. 23. ex Vulg. interpr. Luc. 2. 34., ubi legitur resurrectio.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractorum more. Ambros. De bon. mort. 4. Sepultura vitiorum, virtutum suscitatio. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu, id quod suscitatum est. Vulg. interpr. Ital. apud Augustin. 1. Locut. in Hept. ad Gen. 7. 23. Et deletà est omnis suscitatio. h. e. creatio, sc. id, quod creatum est.

SUSCĪTĀTOR, ōris, m. 3. (suscito) qui suscitat, speciatim qui ad vitam revocat, chè resuscita.

I.) Proprie. Tertull. Car. Chr. 5. extr. Nec mortuorum suscitator, sed vivorum avocator. Adde eumd. advers. Prax. 28. in fin.

II.) Translate. Sidon. 8. Ep. 2. Litterarum quodammodo jam sepultarum suscitator, fautor, assertor.

SUSCĪTĀTUS, a, um, particip. V. voc. seq.

SUSCĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (sus et cito) Part. Suscitans II. 2.; Suscitatus I. 1. et 2.; II. 2.; Suscitaturus et Suscitandus II. 2. — Suscito est sursum cito seu cieo, excito, exsuscito, ἐγείρω (It. muovere insù, alzare, far levare su; Fr. lever, soulever, relever; Hisp. alzar, elevar, erigir; Germ. v. unten in die Höhe bewegen, erheben; Angl. to raise or stir up, lift up).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Lucret. 5. 1165. Suscitare delubra deum. ergere. et Virg. 1. G. 97. Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso perrumpit aratro. Ovid. Heroid. 5. 54. Aura levis rigido pendentia lintea malo Suscitat. Lucan. 10. 225. Nilus neque suscitat undas Ante Canis radios, nec etc. Val. Flacc. 2. 125. Fama suscitat aures. h. e erigit, subrigit. Eumen. Paneg. ad Constantin. 22. a med. Basilicas et forum in tantam altitudinem suscitari, ut etc. Val. Max. 9. 3. n. 3. extern. Inflictoque in terram pede suscitatoque pulvere etc. ¶ 2. Speciatim dicitur de eo, qui dormientem aut sedentem surgere facit. Plaut. Most. 2. 1. 35. Hic deposuit caput et dormit. suscita. destalo. et Mil. glor 3. 1. 95. Quæ me somno suscitet. Cic. 4. Tusc. 19. ad fin. Miltiadis tropæis se e somno suscitari. Catull. 80. 3. et quum te octava quiete E molli longo suscitat hora die. Plaut. Rud. 4. 2. 17. Non illum exspectare oportet, dum herus se ad suum officium suscitet. Val. Flacc. 3. 545. celerem frondosa per avia cervum Suscitat. h. e. e cubili excitat et ad cursum impellit. Cic. Rosc. Com. 13. 37. Te ab tuis subselliis contra te testem suscitabo. — De subselliis seu gradibus in theatro. Martial. 5. 36. Et suscitanti Lectio reluctatur. h. e. expellenti. Id. 3. 95. Et sedeo qua te suscitat Oceanus. Id. 6. 9. In Pompejano dormis, Lævine, theatro, Et quereris, si te suscitat Oceanus. Apul. 2. Met. in fin. Jam tumultu eo Fotide suscitata. h. e. expergefacta. ¶ 3. Suscitare ignem, sopitum rursus accendere, riaccendere. Virg. 5. Æn. 743. cinerem et sopitos suscitat ignes. Ovid. 8. Met. 641. hesternos suscitat ignes. ¶ 4. Suscitare crepitum, ciere, movere, edere, fare strepito. Propert. 2. 3. 4. Et crepitum dubio suscitet ira pede. Sic Phædr. 5. 5. Moveique plausus et clamores suscitat. ¶ 5. Suscitare palatum, excitare, allicere palatum, obsonare famem, stuzzicar l'appetito. Varro Sat. Menipp. 89. p. 229. Oehl. Nec multinummus piscis ex salo captus Helops neque ostrea illa magna captata Quivit palatum suscitare. ¶ 6. Item excitando removeo, abigo, cacciare via. Catull. 68. 124. Suscitat a cano vulturium capite.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Brut. et Cass. ad Anton. 11. Fam. 3. a med. Suscitare bellum civile. suscitare. et Claudian. 2. in Eutrop. 281. Curetumque alacres ad tympana suscitat enses. Nazar. Paneg. ad Constantin. 8. Ne sopitam memoriam malorum oratio mea suscitet. Seneca Agam. 789. Suscita sensus tuos. svegliati. et Ovid. 3. Art. am. 597. Quamlibet exstinctos injuria suscitat ignes. risveglia gli affetti sopiti. et Virg. 5. Æn. 454. Acrior ad pugnam redit et vim suscitat ira. et 2. ibid. 618. ipse deos in Dardana suscitat arma. incita, aizza. et 9. ibid. 462. Turnus in arma viros suscitat. Horat. 2. Od. 10. 18. quondam cithara tacentem Apollo suscitat musam. Id. 3. Od. 27. 11. Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu. h. e. excitabo, eliciam. Val. Flacc. 8. 233. Suscitat affixam mœstis Æetida curis. h. e. erigit ac recreat. Id. 3. 209. Vesvius attonitas acer quum suscitat urbes. h. e. turbat, terret ac fugam parare cogit. ¶ 2. Speciatim est ad vitam revoco, resuscito, risuscitare. Augustin. Serm. 44. de verb. Dom. n. 1. Nemo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari. et ibid. n. 2. Nisi enim ad mortuos suscitandos Dominus venisset etc. Adde ibid. n. 3. 4. 5. et alibi. Ambros. 1. Hexaem. 7. n. 27. Suscitaturus Lazarum Dominus jussit etc. — Hinc figurate. Augustin. Serm. 44. de verb. Dom. n. 2. De hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Vulgat. interpr. Luc. 3. 8. De lapidibus potens est Deus suscitare filios Abrahæ. ¶ 3. Suscitare semen alicui, filios procreare. Id. Deut. 25. 5., Ruth 4. 5. et Luc. 20. 28. V. LEVIR. ¶ 4. Suscitare Nazaræos, ritum Nazaræorum instaurare, revocare. Id. 1. Mach. 3. 49. ¶ 5. Sæpius est eligere, creare, decernere, constituere. Id. Ezech. 34. 23. Suscitabo super eas pastorem meum. Id. 16. 60. Suscitare pactum. h. e. sancire vel renovare. Adde Deut. 18. 25.

SUSCUS. V. SUBSCUS.

SŪSĪNĀTUS, a, um, adject. (susinus) idem ac susinus, ut Susinatum oleum, Marcell. Empir. 7. ad fin., h. e. ex liliis.

SŪSĪNUM. V. voc. seq.

SŪSĪNUS, a, um, adject. (σούσινος) ex liliis confectus: a σοῦσον, quod Persica ac Phrygia lingua lilium significat. Cf. Hebr. שׁוֹשַׁן shoshan, lilium. Plin. 15. Hist. nat. 1. 2. (11). Susinum unguentum tenuissimum omnium est. constat ex liliis, balanino, calamo, melle etc. Adde Cels. 5. 21. — Hinc

Susinum, i, n. 2. absolute, genus rorismarini, ita a Tuscis appellatum. Apul. Herb. 80.

SUSOVORSUM. V. SURSUM init.

SUSPECTA, æ, f. 1. V. SUSPECTUS, a, um.

SUSPECTANS, antis, particip. V. SUSPECTO.

SUSPECTĀTĬO. V. SUSPICIO, onis.

SUSPECTĀTUS, a, um, particip. V. SUSPECTO.

SUSPECTĬO, ōnis, f. 3. (suspicio) ¶ 1. Actus suspiciendi, qua significat suspicari, suspicionem habere. Enn. apud Non. p. 511. 5. Merc. Severiter suspectionem ferre falsam, futilium est. Ter. Andr. 3. 2. 21. Nam qui istæc tibi incidit suspectio? Paulin. Nolan. carm. 11. 16. Duceret in sanctum suspectio falsa parentem. Alii leg. suspicio. Auson. Epist. 24. 8. Concinnat verisimilis suspectio culpas. Alii leg. suspicio. Cels. 2. 10. circa med. Nulla eruditatis suspectione remanente. Quintil. Declam. 1. 2. in fin. Vel aliquo indicio vel suspectione muliebri. Frontin. 1. Strateg. 6. ante med. Ne suspectione prœlii deducerent vires. Omnib. his loc., excepto loco Ennii, alii suspicio reponunt. V. SUSPICIO, onis. ¶ 2. Est etiam actus suspiciendi, h. e. admirandi, valde æstimandi. Arnob. 7. p. 221. Efficitur, ut videatur magnus, quem suspectio minoris extulerit.

SUSPECTĪVUS, a, um, adject. (suspicio) qui suspicatur. Priscian. 18. p. 1163. Putsch. Suspectiva (verba) etiam vel opinativa: suspicor, opinor, arbitror. h. e. quæ suspectionem significant. V. OPINATIVUS.

SUSPECTO, adverb. V. SUSPECTUS, a, um.

SUSPECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (frequentat. a suspicio) Etiam suspector, aris, deponentis forma, apud Ammian. 28. 1. 8. Impetrarunt, ut hi, quos suspectati sunt, illico rapti compingerentur in vincula. et Itin. Alex. M. 103. Callisthenes una cum insidiatoribus regis suspectatus est. — Part. Suspectans I. et II.; Suspectatus supra; Suspectandus II. — Suspecto est sursum specto, suspicio, guardare in su, ἀναβλέπω.

I.) Proprie. Ter. Eun. 3. 5. 35. Virgo in conclavi sedet, suspectans tabulam quamdam pictam. Plin. 8. Hist. nat. 16. 21. (57). Leo suspectans. Ammian. 24. 2. 22. Obsidium ante suspectans. — Cum Conjunctivo et part. ne. Plin. 11. Hist. nat. 29. 35. (104). Sollicite suspectantibus populis (locustas volantes), ne suam operiant terram.

II.) Translate est suspicari, suspectum habere, sospettare, avere in sospetto. Tac. 3. Hist. 82. Omnem prolationem, ut inimicam victoriæ, suspectabant. Id. 4. Ann. 3. Pellit domo Sejanus uxorem, ne pellici suspectaretur. per non rendersi sospetto alla concubina. et 12. ibid. 65. Agrippinam magis magisque suspectans. Id. 2. Hist. 27. extr. Suspectare perfidiam. Apul. Apolog. Vidua non minus suspectans novam domum (mariti), quam ipsa jam ob unum divortium suspectanda. — Cum Infinito. Tac. 15. Ann. 51. extr. Suspectante Nerone, haud falsa esse, quæ vera non probarentur.

SUSPECTOR, āris. V. voc. præced. init.

SUSPECTOR, ōris, m. 3. (suspicio) qui suspicit, admiratur, ammiratore. Sidon. 3. Ep. 5. Morum vestrorum suspector admiratorque.

SUSPECTUS, a, um, particip. V. SUSPICIO.

SUSPECTUS, us, m. 4. (suspicio) actus suspiciendi, h. e. sursum aspiciendi, il guardare in alto, ἀνάβλεψις.

I.) Proprie. Plin. 9. Hist. nat. 38. 62. (135). Color nigricans aspectu idemque suspectu refulgens. Id. 37. ibid. 9. 40. (123). Color præcellens debet esse in suspectu. Adde 21. ibid. 8. 22. (45).

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam est altitudo, altezza. Virg. 6. Æn. 578. Tartarus Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum. Id. 9. ibid. 530. Turris erat vasto suspectu et pontibus altis. ¶ 2. Item admiratio, cultus. Ovid. 5. Fast. 31. Protinus intravit mentes suspectus honorum. Seneca 2. Benef. 26. Nimius sui suspectus et insitum mortalitati vitium se suaque mirandi. Id. Consol. ad Marc. 5. Facta ejus dictaque quanto meruit suspectu celebramus. Vitruv. 7. præf. ad fin. Quorum excellentiæ prudentesque cogitationum apparatus, suspectus habent in deorum sessimonio.

SUSPENDENS, entis, particip. V. SUSPENDO.

SUSPENDENTER, adverb. (suspendo) suspendendo. Comm. Eins. in Donat. etc. p. 261. 9. Keil., nullo auctore laudato. Cave imiteris.

SUSPENDĔO. V. SUPPENDEO.

SUSPENDĬŌSUS, a, um, adject. (suspendium) qui suspendio sibi mortem conscivit, chi s'è appiccato. Varro apud Serv. ad Virg. 12. Æn. 603. Suspendiosis, quibus justa fieri jus non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis, parentari. Plin. 28. Hist. nat. 4. 12. (49). Laqueus suspendiosi circumdatus temporibus, capitis dolorem sedat. Adde Ulp. Dig. 3. 2. 11.

SUSPENDĬUM, ii, n. 2. (suspendo) suspensio per laqueum collo injectum, ἀγχόνη, ἀρτάνη (It. appiccamento; Fr. pendaison; Hisp. colgazon; Germ. das Anhängen, das Aufhängen; Angl. a hanging). Plaut. Aulul. 1. 1. 11. Utinam me divi adaxint ad suspendium. Id. Cas. a. 1. v. 23. Hercle me suspendio satius est mortuum. Cic. 5. Verr. 56. a med. Ut homines injuriæ tuæ remedium morte ac suspendio quærerent. Petron. Sat. 94. et Sueton. Aug. 65. Suspendio vitam finire. Plin.

28. *Hist. nat.* 1. 2. (7). Suspendio interemptus. *Id.* 8. *ibid.* 37. 56. (135). Erinaceus apprehensus pede altero e posterioribus, suspendio ac fame necatur. *Sillig.* suspendiosa fame. *Apul.* 9. *Met. a med.* Suspendium sese et totis illis et ipsis legibus mandare proclamans. *mandare alle forche.* V. MANDO, as. — In plur. num. *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 17. Præbuit illa arbor misero suspendia collo.

SUSPENDO, pendis, pendi, pensum, pendere, a. 3. (sus et pendo) Part. *Suspendens* I. 2. *d* et II. 2.; *Suspensus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Suspendendus* II. 1. — Suspendo est sursum appendo, in alto ligo, ut pendeat, ἀναρτάω, ἀνακρεμάω (It. *attaccare in alto, appendere, appiccare, sospendere; Fr. attacher en haut, suspendre, pendre;* Hisp. *suspender, levantar, colgar en el ayre;* Germ. *nach oben hängen, aufhängen, hängen;* Angl. *to hang, hang up, suspend*): construitur cum addito sæpe termino, unde quis suspenditur, per Dat. vel Abl. sine aut cum præp. *ab, ex, de, in, sub,* vel per Acc. et præp. *in, super.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 162. Suspendito in carnario. *Id. ibid.* Perna suspensa in vento et in fumo. *Lucret.* 1. 305. fluctifrago Suspensæ in littore vestes Uvescunt: eædem dispansæ in sole serescunt. *Ovid.* 8. *Met.* 652. erat alveus illic Fagineus, curva clavo suspensus ab ansa. *Liv.* 8. 16. *a med.* Quum vinculis ruptis, religata ad pinnam muri reste suspensus, manibus se demisisset. *Cels.* 10. 8. *n.* 3. *sub fin.* Brachium commode ex cervice suspensum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (98). Caro hyænæ suspensa collo continet partus. *Id.* 26. *ibid.* 5. 14. (26). Herba suspensa in collo comprimere dicitur strumas. *Id.* 20. *ibid.* 20. 81. (215). Radicem ejus filo suspensam e collo gerere. *Id.* 32. *ibid.* 8. 29. (92). Suspensæ pedibus ranæ. *Id.* 19. *ibid.* 6. 34. (115). Allium super prunas suspendere. *Id.* 23. *ibid.* 7. 63. (125). aliquid illigatum licio e collo. *et* 17. *ibid.* 23. 35. (209). vitem sub ramo vinculo. *Id.* 30. *ibid.* 4. 11. (31). aliquid in fumo. *Id.* 37. *ibid.* 9. 40. (124). aliquid collo. *Virg.* 2. *G.* 389. Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. *et* 4. *ibid.* 307. tignis nidum suspendit hirundo. *Id.* 1. *Æn.* 322. humeris habilem suspenderat arcum. *Id.* 5. *ibid.* 488. trajecto in fune columbam *etc.* malo suspendit ab alto. *Apic.* 2. 1. Singula ad fumum suspenduntur. Sic 2. 4. Lucanica ad fumum suspenditur. *et* 7. 7. Aqualiculum porci ad fumum suspendis. — Ἑλληνισμός est in illo *Horat.* 1. *Sat.* 6. 74. et 1. *Ep.* 1. 56. *de pueris.* Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto. *h. e.* habentes loculos et tabulam e lævo brachio suspensam. — *Seneca* 4. *Benef.* 12. *a med.* Suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus. *h. e.* pendentem conspicuo loco et amici bona venalia continentem. Alii leg. *suspensis amici bonis.* etc. — *b*) Speciatim de iis, qui obstricta gula occidendi causa appenduntur. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 34. Restim tute tibi cape ac suspende te. *Id. Rud.* 5. 3. 59. Perii hercle: nisi me suspendo, occidi. *Cic.* 5. *Verr.* 23. *a med.* Hominem corripi ac suspendi jussit in oleastro. *Vet. Lex* apud *Liv.* 1. 26. et *Cic. Rabir. perduell.* 4. 13. CAPVT OBNVBITO INFELICI ARBORI RESTE SVSPENDITO. *Cic.* 2. *Orat.* 69. 278. Uxorem suam suspendisse se de ficu. *Ulp. Dig.* 48. 13. 6. Sacrilegos in furcas suspendere. *Ovid.* 15. *Met.* 101. pisces hamo. *Ovid. Ib.* 301. More vel intereas capti suspensus Achæi. *impiccato.* et *Gell.* 15. 10. Virgines corporibus suspensis demortuæ. — Similiter *suspensus,* absolute, est suspensus in equuleo. *Ammian.* 14. 9. 5. Eusebius, objecta fidentius negans, suspensus in eodem gradu constantiæ stetit etc. — *c*) Item de rebus votivis, quæ diis dicantur et appenduntur in templis. *Varro Sat. Menipp.* 81. p. 207. *Oehl.* Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula ac strophia. *Virg.* 6. *Æn.* 860. Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino. *et* 9. *ibid.* 408. siqua ipse meis venatibus auxi Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi. *Horat.* 1. *Od.* 5. 15. Suspendisse potenti Vestimenta maris deo. Adde *Virg.* 12. *Æn.* 767. *Tibull.* 2. 4. 23. Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (12). Frugem furtim pavisse, puberi capitale erat: suspensumque Cereri necari jubebant. — *d*) *Suspendere in trutina aliquid* apud *Juvenal.* 6. 436. est pendere, *pesare.* Sic *Pers.* 4. 10. Scis etenim justum gemina suspendere lance. ¶ 2. Latiore sensu. — *a*) Est levare, sustollere, efferre, *sollevare, alzare, sospendere. Quintil.* 11. 3. *a med.* Pedem summis digitis suspendere. *h. e.* ita levare, ut solis digitis insistat. *stare o andare in punta di piedi.* Cf. *Suspensus* infra sub I. 1. — *b*) Item in alto locare, *collocare in luogo alto. Val. Flacc.* 2. 85. Junonem (*Juppiter*) volucri primam suspendit Olympo, Horrendum chaos ostendens pœnamque barathri. *h. e.* in summo Olympo ligavit. *Sil. It.* 3. 556. Castraque præruptis suspendunt ardua saxis. Cf. *Suspensus* infra sub I. 3. — *c*) Item fulcire, sustinere, firmare, suscipere, *tenere sollevato, sostenere. Seneca* 6. *Benef.* 15. *sub fin.* Agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendere, *puntellare. Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (69). Tellus ligneis columnis suspenditur. *Martial.* 2. 43. Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes: Fulcitur testa fagina mensa mihi. *h. e.* mensas citreas eboreis pedibus fultas habes. *Lucan.* 3. 396. terra levis mediam virgultaque molem Suspendunt. *Colum.* 12. *R. R.* 18. *a med.* Dolia subjectis parvis lapidibus suspendere. *tenere sollevate da terra.* Sic 3. 13. *a med.* Præstat, vineam non conserere, quam in summa terra suspendere. *h. e.* leviter demersam deponere. *Id.* 2. *ibid.* 16. *extr.* Lupinum robustius glæbas solidiores diutius sustinet et suspendit. *solleva.* et *Horat.* 2. *Sat.* 8. 54. suspensa graves aulæa ruinas In patinam fecere. *Petron. Sat.* 135. Humilis casa fumoso suspensa tigillo. *Claudian. Nupt. Honor.* 163. hæc cærulea suspensa leæna Innatat. *h. e.* innitens, sedens. — *Suspendere ædificium* aut alia id genus, est in altum, puta super arcus aut fornices, exstruere, ut pendere videantur. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 194. 13. *Merc.* Primus balneola suspendit, inclusit pisces. *Id. Top.* 4. *circa med.* Damnum factum est ejus operis vitio, quod ita ædificatum est, ut suspendi non posset. *Pallad.* 1. *R. R.* 20. Subjectis inde cuniculis pavimenta suspendat et ignem suggerat. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Tignis suspendere contignationem. *et ibid. a med.* Turris tectum ex contignatione prima suspendere ac tollere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (156). Arundinibus cameras levissime suspendere. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (75). Canachus cervum (*statuam*) ita vestigiis suspendit, ut linum subter pedes trahatur. *h. e.* suspensis pedibus et vix solum tangentibus fecit. — *Pallad.* 6. *R. R.* 11. Pavimenta in frigidis regionibus, et ubi pruinæ sunt, glacie suspenduntur et pereunt, *si gonfiano, si sollevano,* intumescunt et sustolluntur. — *d*) Item cohibere, detinere, *tenere sospeso, rattenere. Ovid.* 1. *Amor.* 7. 57. Suspensæque diu lacrimæ fluxere per oras. *Cyprian. De mortal.* 8. Quando imbrem nubila serena suspendunt. *Auct. Carm.* in *Genes.* 20. Et volucres varias suspendunt aere pennas. *Reposian. Concub.* etc. 84. *p.* 331. *Wernsd.* Admovit teneris suspendens oscula labris — De morbis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 12. 91. (143). Psyllion illitum fronti epiphoras suspendit. *ferma.* et 28. *ibid.* 7. 21. (73). Lac, madida lana frontibus impositum, fluxiones oculorum suspendit. — *e*) Aliquando est arare, quia vomere terra sustollitur. *Virg.* 1. *G.* 68. si non fuerit tellus fecunda *etc.*, tenui sat erit suspendere sulco. *Stat.* 4. *Theb.* 117. Qui ripas, Lyrice, tuas, tua litora multo Vomere suspendunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est interrumpere, differre, aliquantisper sistere, *sospendere, differire, interrompere. Liv.* 39. 29. Movit aliquantum oratio regis legatos. itaque medio responso rem suspenderunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 849. Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum Sustinet: et pietas dissimulata patet. *Quintil.* 1. 8. *de lectione pueri.* Sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere. *pigliare fiato, fare pausa.* et 11. 3. *ante med.* Observandum, quo loco sustinendus et quasi suspendendus sermo sit, quo deponendus. *Id. Declam.* 19. 14. *extr.* Non diviso dolore, non per partes, non per intervalla suspenso. *Maximian. Ecl.* 1. 55. Cogimur a gratis animum suspendere rebus. *h. e.* cohibere, retrahere. ¶ 2. Item incertum reddere, suspensum habere, *tenere sospeso. Ovid.* 7. *Met.* 307. Illa brevi spatio silet et dubitare videtur Suspenditque animos ficta gravitate. *Plin.* 2. *Ep.* 20. Ut diu miseram exspectatione suspendat, *per tenerla in croce.* et *Quintil.* 9. 2. *ante med.* Quum diu suspendisset judicum animos, subjecit quod multo esset improbius. *Sueton. Tib.* 24. Precantem senatum et procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis et callida cunctatione suspendens. Adde *Quintil. Declam.* 8. 4. ¶ 3. Item admirantem detinere, stupore defigere. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 97. Suspendit picta vultum mentemque tabella. ¶ 4. *Suspendere naso.* V. NASUS. — Hinc Part. præt. pass., cujus exempla retulimus

Suspensus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Suspensior* II.; Sup. *Suspensissimus* I. 3. — Suspensus, et quidem latiore sensu.

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur, qui leviter imprimitur, nec toto pondere gravat. *Lucret.* 5. 1068. morsuque potentes Suspensis teneros imitantur dentibus haustus. *Colum.* 12. *R. R.* 49. (*et* 52). Oliva injicitur quam mundissimis molis suspensis, ne nucleus frangatur. *Ter. Phorm.* 5. 6. 28. Suspenso gradu ire. *camminare in punta di piedi.* Sic *Ovid.* 6. *Fast.* 338. Et fert suspensos, corde micante, gradus. *et* 1. *ibid.* 425. vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. *Phædr.* 2. 4. Suspenso pede evagari. *Sil. It.* 15. 617. Erepit, suspensa ferens vestigia, castris. *Virg. Cir.* 212. suspensa levans digitis vestigia primis. *Seneca* 1. *Controv. præf. ad fin.* Per spinosum locum ambulantem suspensos pedes ponere. *Quintil. Declam.* 1. 13. *ad fin.* Suspensa manu sonantem blande cardinem flectere. — Hinc translate. *Plin.* 6. *Ep.* 12. Suspensa manu commendare aliquem. *h. e.* leviter, perfunctorie, dubitanter. ¶ 2. Item levatus, sublatus, elatus, *sollevato, alzato, sospeso. Cic.* 2. *Tusc.* 27. 67. Equi illi Neptunii, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Radix suspensa pariter et mersa. *sopra e sott' acqua.* et *Virg.* 7. *Æn.* 810. Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti Ferret iter. *Sil. It.* 1. 470. Corus suspensum in terras portat mare. *Propert.* 3. 4. 8. Nunc mihi siqua tenes, ab origine dicere prima Incipe. suspensis auribus ista bibam. *h. e.* arrectis. *con l' orecchie tese.* et *Colum.* 3. *R. R.* 13. *ante med.* Neque parum refert, suspensissimum esse pastinatum, et si fieri possit, vestigio quoque inviolatum. ¶ 3. Item in alto situs, editus, *alto, elevato. Virg.* 8. *Æn.* 190. saxis suspensam hanc aspice rupem. *Sil. It.* 12. 533. Anagnia dorso suspensa tumenti. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 96. Roma cenaculis sublata atque suspensa. *Virg. Cir.* 53. Hæc suspensa rapit carpente cacumina morus Vel salicis lentæ etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 10. 9. (35). Grandissimus pineis nucibus fructus altissimeque suspensus. *Pallad.* 1. *R. R.* 40. Balneum constituere loco ab humore suspenso. — De volantibus. *Sil. It.* 12. 94. Suspensum librans mediis inter nubila corpus Evavit Superosque novus conterruit ales. *Stat.* 3. *Theb.* 463. Nubila suspenso celerem temerasse volatu Persea. *Claudian. Edyll.* 1. 75. stipatque volantem Alituum suspensa cohors. *Id. IV. cons. Honor.* 543. vix te suspensa sequuntur Agmina. *le schiere volanti.* ¶ 4. *Aura suspensa levisque* apud *Lucret.* 5. 197. est placida, quieta, silens, quasi a cursu cohibita.

II.) Translate est animi pendens, incertus, dubius, anceps, sollicitus, *incerto, dubbioso, ambiguo, sospeso. Cic.* 2. *Att.* 18. Intellexi, quam suspenso animo et sollicito scire averes, quid esset novi. *Id.* 2. *leg. Agr.* 25. 66. Nolo, suspensam

et incertam plebem R. obscura spe et cæca exspectatione pendere. et 1. ibid. 8. 23. Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus tradidistis. Id. 1. Orat. 56. a med. Suspenso animo et occupato Crassum tibi respondisse video. Id. 7. Phil. 1. 1. Animus aberat a sententia, suspensus curis majoribus. Id. Cluent. 3. a med. Ne diutius oratione mea suspensa exspectatio vestra teneatur. et ibid. 19. in fin. Timor ejus, perturbatio, suspensus incertusque vultus, crebra coloris mutatio. Planc. ad Coss. etc. 10. Fam. 8. Si cui forte diutius et hominum exspectationem et spem reipubl. de mea voluntate tenuisse suspensam. Liv. 8. 13. ad fin. Tot populos inter spem metumque suspensos animi habetis. Plin. 6. Ep. 20. ad fin. Suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus. Sil. It. 15. 457. Ille ubi suspensi patres et curia vocem etc. Claudian. B. Get. 457. mentem suspensa silentia librant. h. e. quæ servari solent, quum quis animi suspensus est. Tac. 1. Ann. 11. Tiberio, etiam in rebus, quas non occuleret, suspensa semper et obscura verba. Cic. 5. Fam. 13. Laus sapientiæ maxima, non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. h. e. extra nos positas atque adeo incertas. Auct. B. Afr. 48. Suspensiore animo commoveri. V. SUSPENSIO. — Active, est qui suspensos facit. Ovid. Heroid. 16. 84. Suspensus timor. — Hinc

Suspensum, i, n. 2. Absolute, substantivorum more, res suspensa, sollicita. Plin. 6. Ep. 4. Est enim suspensum et anxium, de eo, quem ardentissime diligas, interdum nihil scire. — In suspenso est animo suspenso, ancipiti, dubio. Id. 10. Ep. 40. a med. Rem totam dum te consulerem, in suspenso reliqui. indeciso. et Cajus Dig. 9. 4. 15. Si adhuc in suspenso sit statuta libertas. h. e. in pendenti.

SUSPENSĒ, adverb. (suspensus) Comp. Suspensius. — Suspense est dubitanter, suspenso animo. Public. ad Augustin. Ep. 35. Dignare mihi definitive scribere, non suspense. Augustin. 10. Confess. 34. in fin. Evellis aliquando non sentientem, quia suspensius incideram.

SUSPENSĬO, ōnis, f. 3. (suspendo) actus suspendendi, κρεμασμός. ¶ 1. Abstractorum more. Cæl. Aurel. 3. Acut. 5. init. Suspensio palpebrarum. — Figurate ponitur pro animi fluctuatione, dubitatione. Auct. B. Afr. 48. a med. Exercitus ejus magis suspensione animi ante adventum Jubæ commovebatur. Alii leg. magis suspensiore animo. Adde Vulg. interpr. Ps. 41. apud Augustin. in Ps. cit. n. 15. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu est locus suspensus, h. e. arcuato aut fornicato opere factus. Vitruv. 5. 10. Flamma facilius pervagabitur sub suspensione. Id. ibid. paullo supra suspensuram vocat.

SUSPENSŪRA, æ, f. 1. (suspendo) actus suspendendi, suspensio. ¶ 1. Abstractorum more, sed translate, pro actu sustinendi, sospensione, minaccia. Augustin. in Ps. 41. n. 15. Fluctus in his, quæ sentio, suspensuræ in his, quæ minaris. Omnis comminatio tua, suspensura tua (sic) est. ¶ 2. Concreto, ut ajunt, sensu est opus a terra elevatum et suspensum. Vitruv. 5. 10. de balneis. Suspensuræ caldariorum ita sunt faciendæ etc. (V. voc. præc.) 2. Seneca Ep. 90. a med. Quædam nostra prodisse memoria scimus, ut suspensuras balneorum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor. h. e. balnea a terra substructionibus et pilis elevata, ut sicciora sint et facilius calorem concipiant. Pallad. 1. R. R. 40. Suspensuras cellarum sic facies: aream primo bipedis sternis etc. Plin. 9. Hist. nat. 54. 79. (168). et 26. ibid. 3. 8. (16). balneas hujusmodi pensiles vocat. V. Romanelli, Viagg. a Pompei T. 1. p. 24.

SUSPENSUS, a, um, particip. V. SUSPENDO.

SUSPICĀBĬLIS, e, adiect. (suspicor) qui suspectus est, pieno di sospetto o dubbio. Arnob. 1. p. 28. medicinam vocat artem suspicabilem. Adde Chalcid. Tim. 347.

SUSPĬCANS, antis, particip. V. SUSPICOR.

SUSPĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. (suspicor) actus suspicandi. Apul. 10. Met. Alii aliter leg.

SUSPĪCĀTRIX, trīcis, f. 3. (suspicor) quæ suspicatur, suspicax, sospettosa. Varro 7. L. L. 66. Müll. ex veteri scriptore. At Müller con- supplicatrices.

SUSPĪCĀTUS, a, um, particip. V. SUSPICOR.

SUSPĪCAX, ācis, adject. omn. gen. (suspicor) Comp. Suspicacior. — Suspicax ¶ 1. Active est suspiciosus, che ha sospetto, sospettoso, ὑποληπτικός. Liv. 40. 14. Minime malus ac suspicax frater. Nepos Timoth. 3. Suspicax populus. Tac. 1. Ann. 13. Suspicacem alicujus animum perstringere. Quintil. Declam. 18. 2. In rumore tam suspicax, post tormenta patiens. ¶ 2. Passive est is, de quo suspicionem habemus, che dà sospetto. Tac. 3. Ann. 11. Suspicax silentium. Adde Senec. 2. Ira 29., quamquam ibi immerito dubitat Lipsius. et Apul. De mag. Ut per hæc suspicacioribus fidem facias.

SUSPĬCĬENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUSPĬCĬO, spĭcis, spexi, spectum, spĭcere, a. 3. (sus et specio) Part. Suspiciens I. c et II. 3.; Suspectus II. 3. et in fin.; Suspiciendus II. 2. — Suspicio est sursum aspicio, ἀναβλέπω (It. guardare in su, mirare in alto; Fr. regarder de bas en haut, lever les yeux vers, contempler; Hisp. mirar de lo baxo en lo alto, contemplar; Germ. unten deraufsehen nach d. Höhe, emporblicken; Angl. to look up or upwards): cui despicio opponitur.

I.) Proprie — a) Cum Acc. Enn. apud Cic. 2. Nat. D. 18. 49. Suspicere cæli palatum. Id. ibid. 2. 4. Quum cælum suspeximus cælestiaque contemplati sumus. Adde Ovid. 15. Met. 516. et Sueton. Tit. 10. Cic. 1. Tusc. 25. 62. astra. Id. 4. Verr. 35. 82. Pisces, qui neque videntur a nobis, neque ipsi nos suspicere possunt. Lucan. 6. 476. submisso vertice montes Explicuere jugum: nubes suspexit Olympus. V. integr. loc. — b) Cum Acc. et præp. in. Cic. Harusp. resp. 9. a med. Quis quum in cælum suspexerit, deos esse non sentiat? Adde 3. Rep. 2. 6. et 9. — c) Absolute. Id. 2. Divinat. 34. 72. Nec suspicit nec circumspicit. Ovid. 5. Met. 296. Suspicit et quærit. Plin. 35. Hist. nat. 8. 34. (56). Varie formare vultus, respicientes suspicientesque et despicientes. Apul. 2. Met. Suspicit ille de lectulo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Cic. Amic. 9. 32. Nihil magnificum ac divinum suspicere possunt. ¶ 2. Speciatim est admirari, ammirare: quasi supra nos aspiciamus illum esse collocatum in sede sublimiore, quem admiramur. Id. 2. Divinat. 72. 148. Et eam naturam suspiciendam admirandamque hominum generi pulcritudo mundi ordoque rerum cælestium cogit confiteri. Id. 2. Off. 10. 36. Itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus. Id. Orat. 28. 97. de eloquentia. Quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Nepos Agesil. 4. In hoc non minus ejus pietas suspicienda, quam virtus bellica. Horat. 1. Ep. 6. 18. I nunc, argentum et marmor vetus æraque et artes Suspice. Planc. ad Cic. 10. Fam. 9. Sic honores præmiaque vestra suspicio, ut etc. Plin. 6. Hist. nat. 22. 24. (85). Mirum in modum justitiam ille suspexit. ¶ 3. Item suspectare, suspectum habere, avere in sospetto. Sall. Jug. 73. Bomilcar suspectus regi et ipse eum suspiciens. Cf. ea, quæ secuntur. — Hinc Part. præter. pass.

Suspectus, a, um, adjectivorum etiam more usurpatur; unde Comp. Suspectior et Sup. Suspectissimus 1. 1.° a. — Suspectus accipitur sæpius in malam partem, aliquando in bonam. ¶ 1. In malam partem. — 1.°) Passive est is, de quo suspicionem habemus: et construitur absolute aut cum Gen. vel Abl. et præp. de, in. — a) De personis. Plaut. Bacch. 3. 6. 43. Tu me habebis falso suspectum. Adde Sall. Jug. 73. Cæs. 5. B. G. 52. ad fin. Nulla fere fuit civitas non suspecta nobis. Cic. 1. Cat. 7. 17. Si me meis civibus suspectum tam graviter atque offensum viderem. Id. 2. Off. 9. sub fin. Quo quis versutior et callidior est, hoc invisior et suspectior, detracta opinione probitatis. Id. 3. ibid. 25. 94. Filius patri suspectus de noverca. Sueton. Gramm. 16. (et Tac. 1. Hist. 13.) Quum filiam patroni doceret, suspectus in ea et ob hoc remotus. Id. Tit. 6. Suspectissimum quemque sibi haud cunctanter oppressit. Sall. Jug. 74. extr. Ne super tali scelere suspectum se haberet. Tac. 3. Ann. 29. extr. Suspectus jam nimiæ spei Sejanus. et ibid. 60. Suspecti capitalium criminum. Ulp. Dig. 26. 7. 6. sub fin. Suspectum aliquem fecere. — Cum Infinito. Tac. 1. Hist. 46 Adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis suspectus, consilia ejus fovisse. — b) De rebus. Cic. Amic. 15. 52. In tyrannorum vita omnia suspecta atque sollicita. Id. 3. Tusc. 1. 1. Medicina animi pluribus suspecta et invisa. Horat. 1. Ep. 16. 50. Accipiter metuit suspectos laqueos. Plin. 10. Ep. 91. Locus suspectus et mollis. scil. ad aquam perducendam. Pallad. 1. R. R. 16. Si provincia de morbis ætate suspecta est. Plin. 27. Hist. 9. 55. (80). Folia filicis serpentem non recipiunt, ideo substerni utile est in locis suspectis. Ovid. 15. Met. 332. Est locus Arcadiæ etc. Ambiguis suspectus aquis. Seneca Agam. 464. Suspecta varius occidens fecit freta. Seren. Sammon. 50. 929. Suspectum tempus. h. e. quo accedere solet febris. Sic Seneca 6. Benef. 8. Suspectæ horæ quartanæ. Plin. 20. Hist. nat. 6. 23. (54). Suspectos tumores sanare. Id. 31. ibid. 6. 37. (71). Aquam frigidam suspectam haurire. Ovid. 1. Met. 616. crudele, suos addicere amores: Non dare, suspectum. — 2.°) Active est suspicans, suspicax, qui suspicionem habet, sospettoso. Caton. distich. 4. 89. Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis. Nam timidis et suspectis aptissima mors est. Apul. 9. Met. Suspectus e re nata, quæ gesta sunt etc. ¶ 2. In bonam partem dicitur de eo, quem admiramur et laudamus. Vitruv. 9. 3. Grati in ejus rei concertationibus sunt suspecti.

Suspecta, æ, f. 1. absolute, titulus fabulæ Afranii, a muliere, ut videtur, de qua suspicio erat. Hujus fragmenta V. apud Ribbeck in Scæn. Rom. Poes. fragm. T. 2. p. 205.

Suspecto, adverbii ritu, suspiciose, con sospetto. Paul. Dig. 34. 9. 21. Liberi suspecto decedentes.

Homonym. Discrimen inter suspicio et cognata verba aspicio etc. V. apud Fronton. De diff. p. 2272. Putsch. et A. Popmam De diff. verb. in Aspicio. — Differunt etiam suspicio, admiror et revereor: nam reveremur validas auctoritates, admiramur raras virtutes, suspicimus excellentia dignitate. (V. Döderlein op. cit. v. 2. p. 189.) Cf. Cic. 1. Fam. 7. Hoc tamen discrimen non semper servatur. Ceterum, si utrumque occurrit, plus est admirari, quam suspicere. Id. Orat. 28. 97. Quam (eloquentiam) suspicerent omnes, quam admirarentur.

SUSPĪCĬO (suspitio), ōnis, f. 3. In antiqu. MSS. et edit. libris quibusd. scribitur suspitio pro suspicio, ut et suspitiose, suspitiosus; quæ quidem scriptio ad originem vocis magis accedere videtur. V. Fleckeisen Fünfz. Art. 30., cui quidem consentit Ritschl Philog. Schrift. p. 645., adversantur tamen Haupt. Opusc. 3. 456. et seqq., Bergk in Philol. 28. 448. et Brambach Hülfsb. 6. 2. Aufl.). — Secunda syllaba longa est, quasi sit contracta a suspicatio vel potius ab antiquo suspicitum pro suspectum, unde inusit. suspicitio. Phædr. 3. prol. Suspicione si quis errabit sua. et 3. 10. Maligna insontem deprimit suspicio. Martial. 11. 45. Oblinitur, minimæ siqua est suspicio rimæ. Auson. Epist. 24. 8. Concinnat verisimilis suspicio culpas. Est qui leg. suspectio. Paulin. Nolan. carm. 11. 16. Duceret in sanctum suspicio falsa parentem. Hic quoque alii suspectio. Plaut. quoque semper produxisse dicitur ab eruditis, qui ejus metrorum rationem accurate inspexerunt. Ego, inquit Forcellinus, Latinum poetam, qui corripuerit, inveni adhuc neminem. — Suspicio proprie est actus sursum aspiciendi; sed translate adhibetur et est opinio, cogitatio, conjectura, levis cognitio (It. sen-

tore, notizia, opinione; Fr. *notice, conjecture, opinion, idée, pressentiment;* Hisp. *noticia, opinion, conjetura;* Germ. *die Vermuthung;* Angl. *a knowledge, idea, notion, opinion, conception).* ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute. *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 64. Istam intelligentiam non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. — *b)* Cum Genet. *Id.* 1. *ibid.* 23. 62. Multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. *et Pallad.* 2. *R. R.* 15. *ante med.* Mulsa, quæ suspicionem tantum possit habere dulcedinis. *h. e.* levis sensus, leve indicium. Sic *Petron. Sat.* 94. *sub fin.* Nulla suspicione vulneris læsus. ¶ 2. Speciatim et sæpissime est actus suspicandi, metus, conjectura, incerta opinio de malo, ὑποψία, ὑπόληψις (It. *sospetto, sospizione, diffidenza;* Fr. *soupcon;* Hisp. *sospecha;* Germ. *der Verdacht;* Angl. *mistrust, suspicion*). — *a)* Absolute. *Plaut. Trin.* 1. 2. 42. Suspicionem et culpam ut a me segregent. *Id. Bacch.* 3. 3. 32. Suspicionem sustinet innocens. *Id. Epid.* 3. 4. 53. Sic suspicio 'st. *Id. Mil. glor.* 2. 4. 35. Suspicionem maximam sum visa sustinere. *et Merc.* 1. 2. 100. Suspicio me prehendit. *Ter. Andr.* 2. 2. 22. Mihi incidit suspicio. *Id. Eun.* 3. 3. 8. Jam tum erat suspicio. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Quum ad has suspiciones certissimæ res accederent. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum judex. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 186. 20. *Merc.* Multis suspicionibus volentia plebis facturus videbatur. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. *in fin.* Gallus inter Gallos sine ulla suspicione versatus. *senza dar sospetto.* et 3. *ibid.* 38. Suspicionem inferre. *Cic.* 7. *Att.* 8. afferre. *Id.* 4. *Herenn.* 27. 37. occulte facere. *Id. Cluent.* 64. 180. commovere in aliquem. *Nepos Datam.* 11. parere. *Id. Hannib.* 2. Ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Res venit in suspicionem. Sic *Cic. Flacc.* 31. 83. Decianus, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit. *Id.* 11. *Phil.* 10. 24. In eamdem cadere suspicionem collega non potest. *Id. Rosc. Am.* 10. 28. In hac re nulla subest suspicio. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 23. Exsolvere se suspicione. *Id. Eun.* 3. 1. 46. Suspicionem augere. *Cic.* 5. *Verr.* 59. *in fin.* levare atque ab se removere. *et ibid.* 60. *extr.* omnem ab sese propulsare. *Id. fragm.* pro *C. Cornel.* apud *Ascon.* tollere. *Plaut. Trin.* 3. 3. 54. amovere ab aliquo. *Cic.* 1. *Invent.* 16. 22. Si aliquas minus honestas suspiciones injectas diluemus. Est qui leg. *suspectationes.* et *Cluent.* 5. 14. Suspiciones obscuræ. — *b)* Cum Genet. *Plaut. Amph.* 1. 2. 28. Ne in suspicione ponatur stupri. *Ter. Heaut.* 4. 5. 52. amoris. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. Neque ulla ad id tempus belli suspicione interposita. *Id.* 7. *ibid.* 62. Acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugæ quisquam. *et* 1. *ibid.* 39. Timoris suspicionem vitare. *et* 2. *ibid.* 33. infidelitatis sustinere. *Nepos Datam.* 10. præbere alicui insidiarum. *Cic.* 3. *Fam.* 12. *extr.* Dare alicui suspicionem ficte reconciliatæ gratiæ. *Id.* 7. *Verr.* 4. *in fin.* Leonidæ cujusdam familia in suspicionem vocata est conjurationis. *Id. Harusp. resp.* 17. 37. Multi sunt, in quos maleficii hujus suspicio cadat. *Id. Cluent.* 2. Largitionis recipiendæ suspicio est. *Id.* 2. *Cat.* 2. 4. Suspiciones seditionum. *Auct. B. Afr.* 45. Quod et tempestas erat turbulenta et nulla suspicio hostis. — *c)* Cum Abl. et præp. *de. Ter. Adelph.* 4. 4. 5. Tanta nunc suspicio de me incidit. *Cic.* 13. *Fam.* 24. Ut omnem offensionem suspicionis, quam habebas de Lysone, deponeres. *Id.* 1. *ad Brut.* 6. Venire alicui in suspicionem de aliqua re. — *d)* Cum Infinito. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 149. Suspicio est mihi, nunc vos suspicarier, me idcirco hæc promittere etc. *Nepos Eumen.* 4. Injicere suspicionem hostibus, his locis esse castra. Adde *Agesil.* 8. et *Eumen.* 9. — *e)* Cum Conjunctivo et partic. *quin. Cæs.* 1. *B. G.* 4. *extr.* Neque abest suspicio, quin ipse sibi mortem consciverit. ¶ 3. *Suspicionem habere* tum active sumitur, tum passive. — *a)* Active pro suspicari, *sospettare. Cic. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Suspicionem nullam habebam, te mare transiturum. Adde 3. *Fam.* 24. — *b)* Passive pro in suspicione esse, esse suspectum, *essere sospetto. Nepos Epam.* 5. *sub fin.* Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii. *Cic. Cluent.* 62. 174. Ea res satis firmam veneni suspicionem non habet. *Id.* 16. *Att.* 4. *a med.* Hæc navigatio habet quasdam suspiciones periculi. ¶ 4. Singulare est illud *Fronton. De orat.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *ad fin.* Quod librarii manu epistula scripta est, a labore gravi digitis consului, qui sunt jam in suspicione. *h. e.* qui ex chiragra jam jam laboraturi videntur.

SUSPĪCIŌSE (suspitiose), adverb. (suspicio) Comp. *Suspiciosius.* — Suspiciose est suspicionem injiciendo, *sospettosamente, dando sospetto,* ὑπόπτως. *Cic. Dejot.* 7. 17. Non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. *Id. Rosc. Am.* 20. 55. Quum aliquid habeat, quod possit criminose ac suspiciose dicere. *Seneca* 3. *Controv. proœm.* Affectus efficaciter movit: figurabat egregie, præparabat suspiciose. *Cic. Brut.* 34. *extr.* Qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivi neminem.

SUSPĪCIŌSUS (suspitiosus), a, um, adject. (suspicio) Sup. *Suspiciosissimus.* — Suspiciosus dicitur tum de personis tum de rebus. ¶ 1. Active est pronus ad suspicandum, suspicionum plenus, ὑποληπτικός (It. *pien di sospetto, sospettoso;* Fr. *soupçonneux;* Hisp. *sospechoso;* Germ. *argwöhnisch;* Angl. *full of suspicion, suspicious*). *Ter. Adelph.* 4. 3. 14. Omnes, quibus sunt res minus secundæ, magis sunt, nescio quomodo, suspiciosi. *Cic.* 7. *Verr.* 29. 74. An te, id quod fieri solet, conscientia timidum suspiciosumque faciebat? *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. *ad fin.* Durum in suos esse nimium aut suspiciosum. *Id. Flacc.* 28. 68. In tam suspiciosa ac maledica civitate. *Seneca Vit. beat.* 15. Vita anxia, suspiciosa, trepida, casuum pavens. *Lamprid. Alex. Sev.* 64. Suspiciosissimus erat. ¶ 2. Passive is, de quo suspicio habetur, suspectus, *che dà sospetto, che dà a sospettare. Gell.* 9. 11. Suspiciosum Cato suspectum significat, non suspicientem. *Cato* apud *eumd. ibid.* Si fabulosus et suspiciosus fuisset. *et ibid.* (et *Non. p.* 168. 31. *Merc.*) Homo famosus et suspiciosus. *Cic. Partit.* 33. 114. Hæc sunt, quæ suspiciosum crimen efficiunt. *Id. Cluent.* 19. *extr.* Quæ erant ante suspiciosa, aperta et manifesta facere. *Id. Rosc. Am.* 7. 18. Id, quod adhuc est suspiciosum, perspicuum facere. *Sueton. Domit.* 10. *ante med.* Suspiciosi joci. *Seneca Ep.* 114. *init.* Suspiciosæ sententiæ, in quibus plus intelligendum est, quam audiendum. *Cic. Flacc.* 3. 7. Suspiciosissimum negotium. *Id.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* Suspiciosissimum tempus.

SUSPĪCITER, adverb. (suspicio) idem ac suspiciose. *Non. p.* 360. 5. *Merc.* Observare, curiose et suspiciter circum aspicere.

SUSPĪCO, as etc. *V.* voc. seq.

SUSPĪCOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. Etiam *suspico, as, avi, are,* activa positione, apud *Plaut. Cas.* 2. 6. 42. Ne a me memores malitiose de hac re factum aut suspices. *Alii leg.* suspicere. *Id. Men.* 5. 9. 22. spem insperatam date mihi, quam suspico. *Alii leg.* suspicor. *Id. fragm.* apud *Donat.* ad *Ter. Hecyr.* 3. 1. 33. Fortasse te amare suspicavere. *Alii leg.* te amare suspicabere. *alii* suspicari *aut* suspicarier. — *Suspicarier,* paragoge pro *suspicari,* est *Plaut. Pseud.* 1. 5. 149. et *Trin.* 1. 2. 49. et fortasse *Ter. loc. cit.* — Part. *Suspicans* 3. *a; Suspicatus* 3. *c.* — Suspicor est opinor, puto, conjicio, cogito, reputo, οἴμαι (It. *avere opinione, stimare, pensare;* Fr. *conjecturer, penser, avoir idée de, supposer;* Hisp. *conjeturar, opinar, pensar, estimar;* Germ. *ahnen, vermuthen, sich einbilden;* Angl. *to think, be of opinion, imagine, conjecture*). ¶ 1. Generatim. — *a)* Cum Acc. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. *ad fin.* In quo neque figuram divinam neque sensum quisquam suspicari potest. *Id.* 3. *Orat.* 4. *a med.* Postulamus, ut majus quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimitur, suspicentur. *Id. Brut.* 14. *a med.* Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari. *h. e.* existimare, eum fuisse magno ingenio. Adde *Plaut. loc.* supra *cit. Ovid.* 3. *Met.* 461. de *Narcisso.* Et, quantum motu formosi suspicor oris, Verba refers aures non pervenientia nostras. *h. e.* ex motu oris conjicio. — *b)* Cum Infinito. *Id. Heroid.* 20. 6. Suspicor, ingenuas erubuisse genas. — *c)* Cum particula relativa. *Cic.* 2. *Invent.* 1. 2. Quare, qua sint illæ dignitate, potes ex his suspicari. ¶ 2. Speciatim pro spero, *sperare. Id.* 2. *ad Q. fr.* 9. 1. Placiturum tibi esse librum meum suspicabar. *Id.* 1. *Fam.* 6. Me consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas. *ho qualche sentore e speranza. et Ovid.* 3. *Pont.* 1. 155. Suspicor, hoc damno tibi non fore. et 2. *ibid.* 10. 19. Quorum te memorem (quamquam procul absumus) esse Suspicor et casus velle levare meos. ¶ 3. Item sæpe est suspicionem habeo alicujus mali, vereor, ὑπολαμβάνω (It. *sospettare, temere;* Fr. *soupçonner;* Hisp. *sospechar;* Germ. *argwöhnen;* Angl. *to suspect, mistrust*). — *a)* Cum Acc. *Plaut. Men.* 5. 2. 24. quod suspicabar. Adde *Asin.* 5. 2. 39. *Ter. Heaut.* 4. 1. 44. quid nunc suspicare? *Cic. Cluent.* 9. 27. Mater nihil mali misera suspicans, filium mittit. *Id. Mil.* 23. *in fin.* Cives optime de republica meriti, in quibus homines non modo res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. *Quintil.* 9. 2. 80. Summum nefas suspicabar. Adde *Apul.* 10. *Met.* — *b)* Cum Abl. et præp. de. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 13. Temere atque injuriose suspicari de aliquo. — *c)* Cum Infinito. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 32. Omnes me suspicentur habere aurum domi. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *ad fin.* Debere se suspicari, simulata Cæsarem amicitia habere etc. et 4. *ibid.* 6. Eo quum venisset, ea quæ fieri suspicatus erat, facta cognovit. *Ovid. Heroid.* 10. 83. venturos aut hac aut suspicor illac, Qui lanient avido viscera dente, lupos. — *d)* Absolute. *Horat.* 2. *Od.* 4. 22. fuge suspicari.

Homonym. Inter *putat, æstimat, arbitratur, suspicatur, opinatur* hoc interest, ut docet *Isid. De diff. App. n.* 212., quod *putat,* qui dubitat; *æstimat,* qui existimaturo quæ acta sunt, dicit; *arbitratur,* qui dubiæ rei finem imponit; *suspicatur,* qui latentis rei prospicit formam, vel qui, ut ait *Fronto* apud *Popm.,* aliquo modo prævidet; *opinatur,* qui opinioni aut suæ aut alterius credit. Porro *opinanti* opponitur is, qui rem *comprendit* et *scit,* a *Cic.* 2. *Acad. extr.* Ut intelligat se opinari sciatque nihil esse quod comprendi et percipi possit. *et* 1. *Orat.* 23. 108. Res ab opinionis arbitrio sejunctæ scientiaque comprehensæ.

SUSPĪRANS, antis, particip. *V.* SUSPIRO.

SUSPĪRANTER, adverb. (suspiro) cum suspirio. *Gramm. Vatic.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 271. *c.* 1.) Sic et cetera, quæ cum motione animi suspiranter promuntur, ad interjectionem pertinere probantur.

SUSPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (suspiro) actus suspirandi, suspirium, *sospiro,* στέναγμα. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 11. 3. *a med.* Suspiratione sollicitudinem fateri. ¶ 2. Speciatim est exclamatio, quæ fere suspirando fit. *Prob. Art. min.* 671. *p.* 146. 1. *Keil.* Interjectio est pars orationis ostendens animi motum per suspirationem. *Plin. præf. Hist. nat. ante med.* Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!

SUSPĪRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUSPIRO.

SUSPĪRĀTUS, us, m. 4. (suspiro) idem quod suspiratio, suspirium. *Cic.* 1. *Att.* 18. Consul est impositus is nobis, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspiratu posset. *Alii tamen rectius leg.* suspiritu. *Ovid.* 14. *Met.* 129. Respicit hunc vates et, suspiratibus haustis, Nec dea sum, dixit.

SUSPĪRIŌSĒ, adverb. (suspiriosus) cum suspirio, *con asma. Colum.* 7. *R. R.* 5. *ad fin.* de *ovib.* Suspiriose laborantibus auriculæ ferro rescindendæ. *Schneiderus* recte pro *suspiriose* edidit *suspirio.*

SUSPĪRIŌSUS, a, um, adject. (suspirium) qui spirandi difficultatem patitur, *asmatico,* ἀσθμα-

τικός. *Colum.* 6. *R. R.* 38. Mulæ suspiriosæ sanguis detrahitur. *bolsa.* et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 311. *retro.* Tussis suspiriosa. — Absolute. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (111). Siccæ fici utiles anhelatoribus ac suspiriosis. Adde 30. *ibid.* 7. 20. (59).

SUSPĪRĬTUS, us, m. 4. (suspiro) idem quod suspirium. *Plaut. Merc.* 1. 2. 3. Abige abs te lassitudinem: - Simul enicato suspiritus. *Liv.* 30. 15. Quum crebro suspiritu et gemitu aliquantum temporis consumpsisset. *Cic. loc.* V. in SUSPIRATUS, us.

SUSPĪRĬUM, ii, n. 2. (suspiro) suspiratio, h. e. ab imo pectore respiratio: quæ plerumque doloris aut curarum signum est, στέναγμα (It. *sospiro;* Fr. *soupir;* Hisp. *suspiro;* Germ. *das tiefe Athemholen;* Angl. *a sigh*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a)* Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 7. 41. Traxit ex intimo ventre suspirium. *Id. Cist.* 1. 1. 58. hoc sis, vide, ut petivit Suspirium alte! *Recentiores utrobique leg.* suspiritum. *Cic.* 4. *Tusc.* 34. 72. Sine sollicitudine, sine desiderio, sine cura, sine suspirio. *Propert.* 3. 6. 27. Odi ego, quos pungunt numquam suspiria, somnos. *Tibull.* 3. 6. 61. Sollicitus repetam tota suspiria nocte. *Ovid.* 10. *Met.* 402. suspiria duxit ab imo Pectore. *et* 1. *ibid.* 656. alto suspiria pectore prodis. *Martial.* 10. 13. Urere nec miserum cessant suspiria pectus. *Id.* 1. 110. *de catella.* Collo nixa cubat capitque somnos, Ut suspiria nulla sentiantur. *Colum.* 6. *R. R.* 14. Crebrum suspirium facere. *Reposian. Concub.* etc. 18. Imis ducta trahunt suspiria crebra medullis. — *b)* Speciatim est morbus orthopnœa et anhelitu gravior, respirationem maxime infestans, suffocatio, quæ a medicis *angina di petto d' Heberden* vocatur, ut multis argumentis probavit *Jo. M. Zecchinelli* in *Nuovi Saggi dell'Accad. di Pad. T.* 1. *p.* 56.-71.; vel dyspnœa, h. e. spirandi difficultas, *asma. Seneca Ep.* 54. Uni morbo quasi assignatus sum: quem quare Græco nomine appellem, nescio. Satis enim apte dici suspirium potest. Brevis autem valde et procellæ similis, impetus est: intra horam fere desinit. - Aliud quidquid est, ægrotare est: hoc est animam agere. itaque medici hanc meditationem mortis vocant. Adde *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 111. *Colum.* 7. *R. R.* 5. *extr.* Suspirio laborantibus. *Veget.* 1. *Veterin.* 38. 4. Suspirium articulare. *Id.* 4. *ibid.* 10. *extr.* Morbus cito in suspirium. *h. e.* anhelitum transit. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 17. 101. Suspirium sive spiratio difficilis, quam iidem (*Græci*) dyspnœam vocant. ¶ 2. Latiore sensu est respiratio, *respiro. Lucan.* 4. 328. Rescissoque nocent suspiria dura palato. *et* 9. 928. nec dat suspiria cursus Vulneris. *h. e.* non sinit respirare et verba incantantia intermittere celeritas vulneris se diffundentis. *Sil. It.* 11. 220. anhelis faucibus acta Versabant penitus dirum suspiria murmur.

SUSPĪRO, as, āvi, ātum, are, 1. (sus *et* spiro) Part. *Suspirans* sub *A* 1. *et* 3. et *B* 1. 2.°; *Suspiratus* et *Suspirandus* sub *B* 3. — Suspiro est sursum spiro, in altum exhalo, spirando emitto, ἀναπνέω (It. *spirare o soffiare in alto o fuori;* Fr. *exhaler, haleter, pousser des soufles en haut ou dehors, s'evaporer;* Hisp. *exhalar, respirar ó echar vapor en alto ó fuera;* Germ. *dampfen, ausdunsten;* Angl. *to breathe upwards, exhale*): usurpatur autem *A)* Intransitive; et *B)* Transitivorum more.

A) Intransitive. ¶ 1. Generatim. *Sil. It.* 12. 135. tellus atro exundante vapore Suspirans. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. *ad fin.* Relicto brevi foramine, quo æstuantia vina suspirent. *sfiatino, svaporino.* et *ibid.* 17. Mundo linteo tegas, per quod facile confectio æstuabunda suspiret. Adde *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 344. ¶ 2. Speciatim est spiritum ab imo pectore traho, suspirium duco: quod fere sollicitudinis aut doloris signum est, στένω, *sospirare. Plaut. Men.* 5. 4. 8. Quum suspirabo plus sexcenties in die. *Cic.* 1. *Att.* 18. Reperire neminem possumus, quocum jocari libere aut suspirare familiariter possimus. *Ovid.* 2. *Met.* 655. suspirat ab imis Pectoribus. *Id. Heroid.* 21. 201. Ingemit et tacito suspirat pectore. *Claudian. IV. cons. Honor.* 572. Liniger imposito suspirat vecte sacerdos, Testatus sudore deum. *h. e.* anhelat, laborat sub onere. *Id.* 1. *in Eutrop.* 268. atque inter singula dicta Flebile suspirat. — De brutis. *Gargil. De cur. boum* 7. Bos si tussiet aut suspirabit. ¶ 3. Item suspirando deploro. *Lucret.* 2. 1163. suspirat arator Crebrius incassum magnum cecidisse laborem. *Horat.* 3. *Od.* 2. 9. virgo Suspiret: Eheu, ne rudis agminum etc. *sospirando esclami.* ¶ 4. Hinc desiderio vel amore suspiro. *Catull.* 64. 97. Qualibus incensam jactastis mente puellam Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem! *Ovid.* 1. *Fast.* 417. Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa. — Et translate. *Enn.* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 21. 42. mentis metu Perculsu', curis sumptu' suspirantibus. *Claudian. Epithal. Pallad. et Celer.* 11. fluitant arcus ramisque propinquis Pendentes placido suspirant igne pharetræ. *h. e.* quasi amore incensæ suspirant.

B) Transitive. ¶ 1. Generatim. *Lucan.* 6. 369. Quique neque humentes nebulas nec rore madentem Aera nec tenues ventos suspirat Anauros. *Sil. It.* 13. 425. eructat acerbam Cocyti laxo suspirans ore paludem. *Apul. De mund.* 17. Quibusdam sub terris occulti sunt spiritus et flantes incendia indidem suspirant. ¶ 2. Speciatim est suspirando ab imo pectore traho, emitto, duco. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 56. defixæque hospite pulcro Persides arcanum suspiravere calorem. ¶ 3. Hinc est suspirando desidero, opto, invoco. *Tibull.* 4. 5. 11. si forte alios jam nunc suspirat amores. *h. e.* cogitat et cupit. *Juvenal.* 11. 152. Suspirat longo non visam tempore matrem, Et casulam et notos tristis desiderat hædos. *Prudent.* 2. *Cathemer.* 44. Suspirare lucra. *Stat.* 4. *Theb.* 19. et cunctis dependent ab armis Suspiranda domus. *h. e.* familia desiderabilis et militiam procul agitantibus suspiriorum causa futura. *Sil. It.* 15. 82. Quid suspiratos magno in discrimine nautis Ledæos referam fratres? *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Cremonam pervectus adveni, cujus olim est Tityro Mantuano suspirata proximitas. — Cum Infinito. *Val. Flacc.* 1. 133. Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem. *h. e.* nec optat. ¶ 4. Pro spiro. *Sil. It.* 4. 779. Edonis inclusum suspirat pectore Bacchum.

SUSPĪTĬO et deriv. *V.* SUSPICIO, onis.

SUSQUĒ DĒQUĒ (susquedeque), adverb. (sus *et* que) sursum et deorsum, *dall' alto in basso, in su e in giù,* ἄνω καὶ κάτω. *Festus p.* 290. 29. *Müll.* interpretatur *susque deque,* plus minusve, quod nos Itali *suppergiù* dicimus: quæ interpretatio, inquit *Forcellinus* noster, aptari non potest locis adlatis, neque placet criticis. Hoc tamen, cur interpretibus displicuerit, *Handius* (*De particul. comm. T.* 2. *p.* 229.) non videt; quod propinqua sit notio afferendi et detrahendi idque in animo fortasse habuerit *Gell.* 10. 29. Occurrunt autem hæ locutiones. — *Susque deque ferre,* aut *habere,* significat, ut docet *Gell.* 16. 9., æquo animo esse, et quod accidit, non magni pendere atque interdum negligere et contemnere: et propemodum id valet, quod Græce dicitur ἀδιαφορεῖν, *non curarsi punto, non tener conto, vilipendere, passarsene con indifferenza. Laberius ibid.* Nunc tu lentus es: nunc tu susque deque esse habituram putat. *Cic.* 14. *Att.* 6. Odiosa illa fuerant, legiones venire. nam de Octavio susque deque. — *Susque deque esse,* rem nihili esse et de qua non sit laborandum, *essere cosa da non farne conto, da nulla. Varro* apud *Gell. ibid.* Quod si non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, susque deque esset. — Et interposita voce. *Lucil. ibid.* Verum hæc ludus ibi, susque omnia deque fuerunt: Susque et deque fuere, inquam, omnia ludu' jocusque: Illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem. *Alii leg.* susque hæc deque fuere, inquam etc., ut tollatur illud *et,* quod videtur superfluum.

SUSSĪLĬO et

SUSSŬLĬO. *V.* SUBSILIO.

SUSSULTO. *V.* SUBSULTO.

SUSTENDO, is, ere, a. 3. sursum tendo. *Theod. Priscian. p.* 315. *retro.* Filum collo sustendas.

SUSTENTĀBĬLIS, e, adject. (sustento) qui sustentari potest. *Lactant. De mort. persec.* 31. et *Chalcid. Tim. p.* 13. *Meurs.*

SUSTENTĀCŬLUM, i, n. 2. (sustento) fulcimentum, id quod aliquid sustinet, *sostentacolo,* ἔρεισμα.

I.) Proprie. *Schol. Bern.* ad *Virg.* 2. *G.* 400. Vitium sustentacula.

II.) Translate. *Tac.* 2. *Hist.* 28. Sin victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur etc. *Augustin. De gen. ad litt.* 9. 3. Sustentacula alimentorum. *Id. Mor. Eccl. Cathol.* 33. Viliore victu vivere placet minimeque sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillam ducere.

SUSTENTANS, antis, particip. *V.* SUSTENTO.

SUSTENTĀTĬO, ōnis, f. 3. (sustento) actus sustentandi vel etiam sustentaculum.

I.) Proprie. *Servius* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 29. Sustentatio casæ. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. 109. capitis.

II.) Translate. ¶ 1. Est alimentum, nutritio, *sostentamento. Ulp. Dig.* 2. 3. 22. *a med.* Necessitas imponatur marito omnem talem mulieris sustentationem sufferre. ¶ 2. Item cohibitio. *Lactant.* 6. 18. *sub fin.* Quæ sustentatio sui recte patientia nominatur. *raffrenamento.* ¶ 3. Item dilatio, *dilazione. Cic.* 1. *Invent.* 49. *a med.* Utrum statim fieri necesse sit; utrum habeat aliquam moram et sustentationem. ¶ 4. Hinc etiam rhetoricum schema, Græce παράδοξον et ἐποχή. *Quintil.* 9. 2. 22. Sed nonnumquam communicantes aliquid inexspectatum subjungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero (7. *Verr.* 5.): quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut prædam aliquam? deinde quum diu suspendisset judicum animos, subjecit quod multo esset improbius. hoc Celsus sustentationem vocat. Est autem duplex etc. *V.* ibi cetera. Adde *Rufin. De fig. sent.* 34.

SUSTENTĀTRIX, tricis, f. 3. (sustento) quæ sustentat sive alit. *Jul. Valer.* 2. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 19. Neque bis modo sufficiens (*urbs*), quæ mœnibus suis atque gremio teneantur, sed procul etiam laborantibus et dimicantibus idonea sustentatrix una viris unaque his omnibus, quæ sint multitudini necessaria, opulens et abundans.

SUSTENTĀTUS, a, um, particip. *V.* SUSTENTO.

SUSTENTĀTUS, us, m. 4. (sustento) actus sustentandi. *Apul. De mag.* Levia sustentatui, gravia demersui. Ita leg. *Krüger* et *Auson. Perioch.* 5. *Odyss. Homeri.* Dea calvaticam natanti accommodat, cujus ille sustentatu ad usque Phæacum litus evadit.

SUSTENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. a* sustineo) Part. *Sustentans* I. et II. 5.; *Sustentatus* I. et II. 1. 2. 4. et 5.; *Sustentaturus* II. 4.; *Sustentandus* I. — Sustento est fulcio, conservo, sustineo, ἀποστηρίζω (It. *sostenere, reggere, sostentare;* Fr. *maintenir debout, soutenir;* Hisp. *sustentar, mantener en pie ó derecho;* Germ. *in die Höhe-, empor-, aufrecht halten, aufhalten;* Angl. *to sustain, bear or hold up*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 96. multosque per annos Sustentata, ruet moles et machina mundi. *Virg.* 10. *Æn.* 338. Huic frater subit Alcanor fratremque ruentem Sustentat dextra. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (145). Canis cadaver in Tiberim abjecti (*domini*) sustentare conatus. *Claudian. B. Gild.* 221. cæca sub nocte vocati Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones. *h. e.* navim sustinent, ne mergatur. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 143. sic Hercule quondam Sustentante polum, melius librata pependit Machina. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. 96. Nunc sustentatæ pulmonis partes jacent, nunc pendere sentiuntur. *Vopisc. Aurel.* 34. Sustentare catenas. *h. e.* ferre. *Vulg. interpr. Exod.* 35. 14. Candelabrum ad luminaria sustentanda.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est confirmare, defendere, tueri. *Cic.* 7. *Fam.* 1. *ad fin.* Tu mihi istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta et tuere. *Id.* 4. *Att.* 10. A ceteris oblectationibus deseror: litteris sustentor et recreor. *et* 3. *ibid.* 23. *sub fin.* Terentiam, unam omnium ærumnosissimam, sustentes tuis officiis. *et* 10. *ibid.* 4. *ante med.* Præclara conscientia sustentor, quum cogito, me de republica meruisse optime. *et* 6. *Fam.* 4. *sub fin.* Tu velim tete, ut debes et soles, tua virtute sustentes. *Id.* 14. *ibid.* 4. *ad fin.* Sustenta te, mea Terentia, ut potes. *Id. Flacc.* 2. 3. Spes siqua reliqua est, quæ fortium civium mentes cogitationesque sustentet. *Id. Mil.* 36. 100. Nunc me una consolatio sustentat, quod etc. *Id. Rabir. Post.* 2. 4. Fide sustentare amicos. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. *a med.* C. Cato a Crasso sustentatur. *è spalleggiato.* et 2. *Off.* 24. *a med.* Valitudo sustentatur notitia sui corporis etc. *si conserva.* et *Virg.* 10. *Æn.* 609. Venus Trojanas sustentat opes. *Id.* 11. *ibid.* 224. Multa virum meritis sustentat fama tropæis. *Tac.* 1. *Ann.* 65. *ad fin.* Cæcina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus. *h. e.* hortatur et a fuga retinet. *et* 2. *ibid.* 17. Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam. Rursus *Cic. Mur.* 2. 3. Cui respublica a me uno traditur sustinenda, magnis meis laboribus sustentata. *Id.* 1. *Orat.* 56. *circa med.* Jurisconsultus non suo artificio, sed alieno, hoc est non juris scientia, sed eloquentia sustentatus. *Sall. Jug.* 60. *extr.* Milites Jugurthini paullisper ab rege sustentati, postquam majore vi hostes urgent, profugi discedunt. *Tac.* 2. *Hist.* 15. Cohortium præfecti, sustentata diu acie, telis obruuntur. ¶ 2. Speciatim sæpe refertur ad rem familiarem et tolerare significat, re juvare, opitulari, alere. *Ter. Adelph.* 3. 5. 3. Hic alit illas: solus omnem familiam sustentat. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. *extr.* Auxiliis atque opibus aliorum sustentare bella. *Cic. Prov. cons.* 5. *a med.* Qui se nunc subsidiis patrimonii aut amicorum liberalitate sustentat *si mantengono.* et *Tac.* 4. *Ann.* 13. Mutando sordidas merces sustentabatur. *si sostentava, viveva.* et *Cic.* in *Senat.* 5. 11. Quum suam rem confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit. *Cic. fil.* 16. *Fam.* 21. *circa med.* Huic locum in proximo conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. Venditando coronas sustentaverat paupertatem. *Plin. alter* 9. *Ep.* 30. *ad fin.* Quos præcipue indigere scias, sustentare et fovere. Rursus *Cic. Cœl.* 16. 38. Alere adulescentes et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentare. *supplire alla scarsezza.* et *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Pecore e longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentabant. *Liv.* 2. 34. Ex Tuscis frumentum Tiberi venit: eo sustentata est plebs. *Tac.* 4. *Ann.* 63. *extr.* Magna post prœlia saucios largitione et cura sustentabant. — Absolute. *Plaut. Stich.* 3. 2. 14. Valuistin usque? EP. sustentatum est sedulo. *et* 4. 2. 8. Valuistin bene? PAM. sustentavi sedulo. Sic *Juvenal.* 3. 27. et pedibus me Porto meis. — Hinc figurate. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Animus nulla re egens, aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. ¶ 3. Item fero, patior, perfero, non demitto animum in adversis, *tollerare e star saldo.* *Plaut. Capt.* 5. 1. 3. Miserias plurimas sustentavi. *Cic. Pis.* 36. *a med.* Quum sustentare vix posses mœrorem tuum doloremque decessionis. *Sueton. Tib.* 72. *a med.* Sustentare morbum. *h. e.* ferre et vim ejus dissimulare. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 265. procellas invidiæ. ¶ 4. Hinc est etiam resisto, obnitor. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Oppidum magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. ægre eo die sustentatum est. *et* 5. *ibid.* 38. Nervii legionem oppugnare incipiunt. nostri celeriter ad arma concurrunt. ægre is dies sustentatur. *Tac.* 15. *Ann.* 10. *ad fin.* Sustentare hostem. *Auct. B. Hisp.* 17. legionum impetus. — Absolute. *Liv.* 34. 18. Nec nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Græco die sustentatum est. ¶ 5. Et cohibeo, sisto, *fermare, trattenere,* ἐπέχειν. *Auct. B. Afr.* 82. Dubitante Cæsare atque eorum studio cupiditatique resistente et etiam atque etiam aciem sustentante. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 65. *Albinov.* 1. 229. *de Tiberi.* Sustentabat aquas cursusque inhibebat equorum. ¶ 6. Et etiam differo, *differire, portare innanzi,* quia qui rem differt, quasi in medio cursu rem sistit, ne procedat. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 7. *extr.* Ædificationem Arcani ad tuum adventum sustentari placebat. *Id.* 4. *Cat.* 3. *extr.* Malum id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. quacumque ratione placet. celeriter vobis vindicandum est. *Id.* 13. *Fam.* 64. De Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero veniat. *Ovid. Rem. am.* 405. Sustentata venus gratissima.

SUSTENTUS, a, um, particip. *V.* SUSTINEO.

SUSTENTUS, us, m. 4. (sustineo) idem ac sustentatus. *Apul. De mag.* V. tamen SUSTENTATUS, us.

SUSTĬNENS, entis, particip. *V.* SUSTINEO.

SUSTĬNENTĬA, æ, f. 1. (sustineo) tolerantia. *Lactant. Epit.* 34. Sustinentia malorum — Absolute pro patientia. *Vulgat. interpr. Eccli.* 2. 16. et *Augustin. Serm.* 38. 1. et 5.

SUSTĬNEO, tĭnes, tĭnŭi, tentum, tĭnere, a. 2. (sus et teneo) Part. *Sustinens* I. 1. et II. 3. *c* et 4.; *Sustentus* II. 5. 1.°; *Sustenturus* et *Sustinendus* I. 1. — Sustineo est fulcio, sustento, fero, cadere non sino, quasi sursum teneo, ὑφίστημι, ἀνέχω (It. *sostentare, reggere, sostenere, portare;* Fr. *tenir en l'air, maintenir debout, tenir, porter;* Hisp. *mantener en pie ó derecho, tener, llevar;* Germ. *in die Höhe -, aufrecht -, emporhalten, stützen;* Angl. *to sustain, hold or stay up, upbear, support*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pœn. prol.* 90. (et *Sall. Jug.* 14.) homini, si leno est homo, Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo. *Id. Asin.* 3. 3. 68. hic istam colloca crumenam in collo plane. LE. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Ut jam se sustinere non posset. Sic *Liv.* 21. 35. Sustinere se a lapsu. *Auct. B. Alex.* 19. Fornice, quo pons sustinebatur. *Cic. Senect.* 10. 33. Quum Milo humeris sustineret bovem vivum. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Aer volatus avium sustinet. *Id. Orat.* 3. 64. Columnæ et templum et porticus sustinent. *Id.* 6. *Verr.* 3. 5. Manibus sublatis sacra quædam in capitibus sustinebant. *Sall. fragm.* 3. *Hist.* apud *Arusian. Mess.* Sustinere corpora plerique nequeuntes. *reggersi in piè.* et *Ovid.* 6. *Met.* 27. infirmos baculo quoque sustinet artus. *Id.* 4. *ibid.* 411. Avis sustinet se alis. *Id. Heroid.* 3. 119. manibus clipeos et acutæ cuspidis hastam Et galeam pressa sustinuisse coma. *Virg.* 11. *Æn.* 750. Sustinet a jugulo dextram. *tiene sospeso e lontano dalla gola il braccio nemico.* (Eodem modo locutus est *Stat.* 2. *Theb.* 684.) *Horat.* 1. *Sat.* 6. 116. lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. *Liv.* 1. 35. Furcis spectacula sustinentibus. *Id.* 23. 45. Vix arma membraque sustinentes pugnabant. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (127). Lacus omnia illata pondera sustinens. *che porta a galla.* et 36. *ibid.* 15. 24. (119). Populus R. universus binis cardinibus sustinetur. *è tenuto sospeso su due cardini.* de theatris versatilibus loquitur. *Id.* 33. *ibid.* 11. 49. (140). Vas ad sustinenda obsonia. *per tenerci sopra.* et *Modestin. Dig.* 31. 1. 35. *ad fin.* Quem scis magna onera sustenturum. ¶ 2. Speciatim est sisto, cohibeo, contineo, *trattenere, fermare.* *Cic.* 13. *Att.* 21. Arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges jussi. id non esse ejusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. non enim sustinent, sed alio modo remigant. *Lucil. ibid.* Sustineas currum, ut bonu' sæpe agitator equosque. *Ovid.* 5. *Fast.* 301. Sæpe Jovem vidi, quum jam sua mittere vellet Fulmina, ture dato sustinuisse manum. *et* 6. *ibid.* 398. Sustinere gradum. *Propert.* 3. 1. 41. Orpheu, te duxisse feras et concita dicunt Flumina Threicia sustinuisse lyra. *Alii leg.* detinuisse. — *Sustinere se,* in medio cursu se sistere, *fermarsi.* *Val. Flacc.* 3. 100. Restitit ille gradu seseque a lumine ferri Sustinuit præceps. *s'arrestò di botto.* et *Seneca Hippol.* 793. te dea noctium Dum spectat, celeres sustinuit vias. *Liv.* 25. 36. Nunc agendo, nunc sustinendo agmen. *et* 5. 39. Aliud priori simile miraculum eos sustinuit. ¶ 3. Item habeo, teneo. *Ovid.* 1. *Art. am.* 47. qui sustinet hamos, Novit quæ multo pisce natentur aquæ. *et* 2. *ibid.* 216. Ingenua speculum sustinuisse manu. *Plaut. Men.* 1. 3. 13. Sustine hoc, Penicula. *prendi e tieni.* Sic *Afran.* apud *Non. p.* 111. 32. *Merc.* Accipe hoc tegmen tu et sustine. *Ovid.* 3. *Art. am.* 148. Sustineat similes fluctibus illa sinus. *h. e.* habeat, gestet in capite comam in modum sinus dispositam. *V.* SINUS. — Sic figurate illud *Plaut. Trin.* 2. 2. 99. Multa ego possum docta dicta loqui: historiam veterem atque antiquam hæc mea senectus sustinet.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est tueor, fero, defendo, in suo statu rem conservo, *sostentare, difendere, conservare, mantenere.* *Cic. Rabir. Post.* 16. 43. Veterem amicum suum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide hodieque sustinet. *Id.* 9. *Fam.* 8. *a med.* Sed superiorum temporum fortuna reipublicæ causam sustineat. *difenda, renda ragione.* et *Divin. in Q. Cæcil.* 8. *ad fin.* Non tibi venit in mentem, quid negotii sit, causam publicam sustinere? *portare il peso, avere l'impegno d'una causa pubblica.* et 3. *Off.* 2. 6. Sustines magnam exspectationem imitandæ industriæ nostræ. *sei in non piccolo impegno.* et 1. *ibid.* 34. *ad fin.* Magistratus debet civitatis dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere. ¶ 2. Speciatim est gero. *Cic.* 5. *Verr.* 86. 199. Fungi ac sustinere aliquid muneris in republica. *Id.* 2. *Orat.* 24. *a med.* Tres personas unus sustineo summa animi æquitate, meam, adversarii, judicis. *fo le parti di tre.* et *Sueton. Gramm.* 24. Numquam ita docuit, ut magistri personam sustineret. ¶ 3. Item fero, patior. *Plaut. Merc.* 2. 4. 8. Quantum malarum rerum sustineam. *Cic. Dom.* 38. 101. Pœnam subire ac sustinere. *Ovid.* 8. *Met.* 500. Et quos sustinui bis mensum quinque labores. *Planc.* ad *Cic.* 10. *Fam.* 34. *ad fin.* Maximam hic sollicitudinem curamque sustineo. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Qui non modo mala futura timet, verum etiam fert sustinetque præsentia. *et Ulp. Dig.* 18. 6. 1. Si venditor se periculo subjecit, periculum sustinebit, quoad etc. *h. e.* præstabit. *Plin. Valer.* 1. 5. Lava prius caput sustinentis. *del paziente,* absolute. — *Sustinere marem* est, quod *Horat.* 2. *Od.* 5. 3. ruentis in Venerem tolerare pondus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 486. Sustinet immundum sima capella marem. — Apud Grammaticos *sustinens,* absolute, est idem quod dicitur patiens, *il paziente.* *Macrob. De diff. verb. p.* 694. Nam in activo et passivo debent omnino duæ et administrantis et sustinentis personæ subesse. ¶ 4. Hinc patienter exspecto, præstolor, opto. *Vulgat. interpr. Tob.* 2. 2. Ecce sustineo te, fili, donec venias. Adde *Psalm.* 55. 7., *Ambros.* 6. *Hexaem.* 8. ex *Vulg. int. It. Thr.* 3. 25. Bonus est dominus sustinentibus eum. Cf. *Apul.* 11. *Met.* — Absolute. *Hygin. Fab.* 257. Sustine, carnifex. Adde *Vulg. interpr. Matth.* 26. 38. ¶ 5. Hinc etiam resisto, obnitor, par sum, duro, non cedo, subsisto, *tollerare, star saldo, sopportare, resistere, reggere.* — 1.°) Universim. — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 64. Quorum aut animus aut vires videbantur sustinere non posse. Adde *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 27. — *b*) Cum Acc. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Non posse imperia ejus diutina sustineri. *Cic.* 7. *Phil.* 3. 17. O dii! quis hujus potentiam poterit sustinere? *Brut.* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. *sub fin.* Non, si Varronis thesauros haberem, sustinere sumptum possem. *Alii leg.* subsistere sumptui. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Cur me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut scilicet isti latroni vel uno die supersim. *Ovid.* 13. *Met.* 384. Hectora qui solus, qui ferrum ignemque Jovemque Sustinuit toties, unam non sustinet

iram. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 6. a med. Philo ea sustinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur. Id. 7. Verr. 39. 101. Videbat, illis navarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. Vatin. ad Cic. 5. Fam. 10. Si mehercule Appii os haberem, tamen hoc sustinere non possem. Cic. 6. Fam. 6. Non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi concesserit. *resistere alle istanze.* et Aurel. Vict. Cæsar. 42. ad fin. Queis (armis) tyrannide depulsa sustentoque Persarum impetu etc. — c) Cum Infinito. Ovid. 1. Met. 530. non sustinet ultra Perdere blanditias juvenis deus. *non ha più pazienza, non soffre.* (Adde Heroid. 5. 32.) et Phædr. 4. 15. monet, ut sustineas tibi Habitu esse similes, qui sunt virtute impares. *soffra, pazienti, lasci di buona voglia, che* etc. — 2.°) Similiter *non sustinere aliquam*, roganti non resistere, repellere non audere. Ovid. 14. Met. 787. Has rogat auxilium: nec Nymphæ justa petentem Sustinuere deam. Liv. 31. 13. Senatus querentes eos non sustinuit. Ovid. 5. Fast. 75. Et Numitor dixisse potest: da, Romule, mensem Hunc senibus: nec avum sustinuisse nepos. Alii leg. *avo*, ut *negare* vel *resistere* subintelligatur. Adde Colum. 11. R. R. 1. — Cum Infinito autem est audere posse, in animum inducere, persistere. Ovid. 4. Fast. 850. nec jam suspendere fletum Sustinet. *non ha forza.* et Plin. 30. Hist. nat. 7. 20. (64). Si quis aquam per pedes fluentem haurire sustineat. *abbia coraggio di bere.* et Albinov. 1. 135. Tene ego sustineo positum scelerata videre? *mi basta il cuore? poss' io?* et Sueton. Cal. 30. extr. Eos, qui (cædem) spectare sustinuissent, exsecratus est. Ovid. 11. Met. 321. quæ se præferre Dianæ Sustinuit. *ebbe tanto ardire di* etc. et 4. ibid. 446. Sustinet ire illuc, cælesti sede relicta (Tantum odiis iræque dabat) Saturnia Juno. Auct. Priap. 48. Quicumque vestrum, qui venitis ad cenam, Libare nullos sustinet mihi versus etc. Petron. Sat. 116. Si urbanioris notæ homines sustinetis semper mentiri. *se potete fingere* etc. Quintil. 3. 6. a med. Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulanti. h. e. non audeo, non possum dissimulare. Adde Cic. 3. Verr. 4. 10. Vellej 2. 22. 5. Bona civis Romani aut donare auderet aut petere sustineret. Sic ibid. 40. 1. et 81. 1. et 86. 2. — 3.°) In re militari. Cæs. 7. B. G. 10. sub fin. Magno animo hostium impetum sustinere. Id. 1. B. C. 45. ad fin. Virtute et patientia nitebantur atque omnia vulnera sustinebant. Liv. 33. 36. a med. Nec ultra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verterent. Nepos Hannib. 11. Hostium vim quum rex sustinere non posset, fuga salutem petiit. — Absolute. Cæs. 2. B. G. 6. extr. Nisi subsidium sibi mittatur, se diutius sustinere non posse. Cic. 12. Fam. 6. sub fin. Brutus Mutinæ vix jam sustinebat. ¶ 6. Item ponitur pro differre, *differire, portare innanzi;* nam qui differt, quasi moram injicit et rem sistit, ne ad finem perveniat. Liv. 5. 45. a med. Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent: compressique a Cædicio rem in noctem sustinuere. Id. 3. 60. Sustinuere consilio bellum. Martial. 9. 4. Exspectes et sustineas, Auguste, necesse est. Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis. Albinov. 1. 371. Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis: Illa rapit juvenes, sustinet illa senes. ¶ 7. Et pro suspendere, cohibere, *sospendere.* Cic. 4. Acad. (2. pr.) 34. 108. Obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere. et ibid. 15. in fin. Sustinere se ab omni assensu. ¶ 8. Pertinet etiam ad rem familiarem et significat alere, sustentare, *mantenere, nutrire, sostentare.* Id. 5. Verr. 5. sub fin. Re frumentaria alimur et sustinemur. Liv. 39. 9. sub fin. Adulescens, maligne omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. Id. 6. 15. a med. Ex eo, quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum. Virg. 2. G. 514. Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes Sustinet. Colum. 9. R. R. 14. ad fin. Sustinere penuriam temporum. ¶ 9. *Sustinere alicui vitam*, servare, tueri. Mæcenas apud Senec. Ep. 101. Vita dum superest, bene est. Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, sustine.

SUSTOLLENS, entis, particip. V. voc. seq.

SUSTOLLO, sustollis, sustŭli, sublātum, sustollere, a. 3. (sus et tollo) Olim *sustulo* pro *sustollo* usurpatum fuisse, testantur Charis. 3. p. 220., Diomed. 1. p. 369. et Priscian. 8. p. 817. Putsch. — Præterit. *sustuli* et particip. *sublatus* communia habet cum *suffero*, et etiam, ex Grammaticorum sententia, cum *tollo;* quæ tamen hic solum ponenda censuimus. — Part. *Sustollens* I. 1.; *Sublatus* fere in omn. paragr. et in fin.; *Sublaturus* II. 2.; *Sustollendus* I. 1. — Sustollo est sursum tollo, attollo, elevo, erigo, αἴρω, ἀναίρω (It. *alzare, sollevare;* Fr. *lever en haut, élever;* Hisp. *elevar, alzar, erigir;* Germ. *in die Höhe heben;* Angl. *to raise or lift up*): construitur autem cum Acc., sæpe addito termino, quo quis sustollitur, per Acc. et præp. *in, ad,* vel Abl.; et termino, unde, per Abl. et præp. *ab, ex, de,* aut sine præp.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Cist. 1. 1. 117. (et Pœn. 1. 2. 136.) Amiculum hoc sustolle saltem. SIL. sine trahi, quum egomet trahor. Id. Pœn. 5. 3. 49. Græcæ sunt hæ columnæ: sustolli solent. Lucret. 4. 908. navem-levi sustollit machina nixu. Catull. 64. 210. Dulcia nec mœsto sustollens vela parenti. et 235. Candidaque intorti sustollant vela rudentes. Cæs. 4. B. G. 28. Naves, quæ equites sustulerant, ex portu solverunt. *aveano portato.* Sic Auct. B. Afr. 54. Quod C. Avienus navem commeatu, familia sua atque jumentis occupavisset, neque militem unum ab Sicilia sustulisset. Cæs. 2. B. C. 20. Legio signa sustulit seseque Hispalim recepit. Propert. 4. 9. 37. Audistis aliquem, tergo qui sustulit orbem? Cic. 7. Fam. 5. Sustulimus manus et ego et Balbus. *alzammo le mani al cielo.* et Dejot. 10. 28. Dejotarum quum plures in equum sustulissent. Id. 3. Nat. D. 31. 76. Sol in currum filium sustulit. Id. 3. Verr. 3. 7. Cives R. in crucem sustulit. Id. 4. Tusc. 22. ad fin. Herculem in cælum sustulit fortitudo. Horat. 2. Od. 7. 13. Sed me per hostes Mercurius celer Denso paventem sustulit aere. Cic. 2. ad Q. fr. 10. circa med. Tunc, ut dico, certe sustulissem ut etc. h. e. in lecticam et in villam meam portassem. Id. 3. Off. 25. 94. Phaethon optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est. Phædr. 2. 6. Aquila in sublime sustulit testudinem. Cæl. Aurel. 1. Tard. 4. 109. Erit sustollendus ægrotans subjectione manuum ex utraque alarum parte. Rursus Cæs. 4. B. G. 23. in fin. Datum signum, sublatæ ancoræ. Cic. 7. Verr. 35. in fin. Prædonum adventum significabat ignis e specula sublatus. Id. 6. ibid. 3. 5. Quæ manibus sublatis sacra quædam reposita in capitibus sustinebant. Id. 2. leg. Agr. 35. 96. Roma in montibus posita et convallibus, cenaculis sublata atque suspensa. Plin. 18. Hist. nat. 19. 49. (177). Ut boves capitibus sublatis arent. Lucil. apud Non. p. 385. 31. Merc. Scorpius cauda sublata. Virg. 9. Æn. 749. et 12. ibid. 729. sublatum alte consurgit in ensem. Id. 2. ibid. 474. Lubrica convolvit (coluber) sublato pectore terga. et ibid. 804. sublato montem genitore petivi. *recátomelo sulle spalle.* et Lucret. 1. 95. Iphianassa-sublata virum manibus tremebundaque ad aram Deducta. *portata sulle braccia.* et Phædr. 5. 7. Inter manus sublatus et multum gemens Domum refertur. Horat. Epod. 6. 7. Agam per altas aure sublata nives. h. e. subrecta. Ovid. 7. Met. 354. sublatus in aera pennis. Id. 3. Fast. 851. Nunc potes ad solem sublato dicere vultu. — Cic. 16. Fam. 10. Litterulæ meæ tui desiderio oblanguerunt: hac tamen epistola oculos sustulerunt. h. e. recreatæ sunt etc. ¶ 2. Speciatim est aufero, amoveo, *tor via, levare, togliere.* Plaut. Cist. 2. 3. 7. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim herilem filiam nostram sustollere. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 1. ad fin. Quod eorum simulacra Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. Virg. 8. Æn. 175. dapes jubet et sublata reponi Pocula. Propert. 2. 12. 9. Quam multa apposita narramus verba lucerna! Quantaque sublato lumine rixa fuit! Tac. 15. Ann. 29. sub fin. Sublatum capite diadema imagini subjecit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. — a) Generatim. Cic. Fat. 5. ad fin. In quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Id. 2. ad Q. fr. 1. ad fin. et 1. Divinat. 36. 79. Clamorem satis magnum sustulerunt. Sic Virg. 2. Æn. 338. sublatus ad æthera clamor. Adde Phædr. 1. 6. Id. 3. 10. Tunc illa talem sustulit sententiam. *proferì, pronunziò.* Alii *protulit.* et Plaut. Truc. 2. 8. 10. Postquam filiolum peperit, animos sustulit. *ha alzato la cresta.* et Cic. 2. Att. 25. Nostras laudes in astra sustulit. et 6. ibid. 2. a med. Salaminii nos in cælum decretis suis sustulerunt. — b) Speciatim subeo. Cic. Rosc. Am. 4. 10. Fide vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. — c) Item de liberis, suscipio, gigno, educo. Virg. 9. Æn. 205. Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes Sublatum erudiit. Horat. 2. Sat. 5. 45. Si cui præterea validus male filius in re Præclara sublatus aletur. Trajan. ad Plin. 10. Ep. 72. Qui liberi nati expositi, deinde sublati a quibusdam et in servitute educati sunt. Ter. Heaut. 4. 1. 15. Meministin, mihi te maximo opere dicere, si puellam parerem, nolle tolli? CHRE. Scio quid feceris. sustulisti. Cic. 13. Phil. 10. extr. Is autem humilitatem despicere audet cujusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos? h. e. procreaverit. Sic Sueton. Ner. 5. extr. Decessit morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina. V. TOLLO. — Figurate. Tac. 15. Ann. 52. Ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium invaderet. Id. 11. ibid. 21 Tali omine in spem sublatus. — d) Item sumo, accipio, *pigliare.* Cic. 3. Orat. 45. 177. Quum verba jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. — a) Generatim. Cæs. 6. B. G. 40. extr. Quem timorem Cæsaris adventus sustulit. Sall. Jug. 49. Metellum edicto adjumenta ignaviæ sustulisse. Id. ad Cæs. orat. 2. de rep. ordin. 7. Si studium pecuniæ aut sustuleris aut minueris. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 19. ante med. Sublata assensione, omnem et motum animorum et actionem rerum sustulerunt. Id. 1. Phil. 2. 4. Dictatoris nomen funditus ex republica sustulisset. Id. 2. Att. 24. a med. Cæpionem de oratione sua sustulit, quem in senatu acerrime nominarat. Id. 15. ibid. 12. Eam rem Servilia sublaturam ex S. C. se esse dicebat. Id. Dom. 17. extr. Si qua res illum diem aut auspiciis aut excusatione sustulit, tota causa judiciumque sublatum est. h. e. ademit tempus agendi cum populo aut judicii ferendi. V. TOLLO. Lucil. apud Non. p. 385. 24. Merc. Sublatus pudor omnis. Cic. 1. Phil. 2. 4. timor. Virg. 12. Æn. 26. sine, me hæc haud mollia fata Sublatis aperire dolis. Cic. Rosc. Am. 1. ad fin. Non modo ignoscendi ratio, sed etiam cognoscendi consuetudo jam de civitate sublata est. Id. 1. ad Brut. 6. Jampridem hoc ex nostra consuetudine sublatum esse debet. Horat. 3. Od. 24. 31. Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi. Cic. pro leg. Manil. 11. a med. Bellum adventu Pompeji sublatum atque sepultum. Id. 1. Orat. 58. 247. Veteres leges novis legibus esse sublatas. Justin. 13. 5. sub fin. Morte Leonati lætatus est: quippe et æmulum sublatum et vires ejus accessisse sibi gratulabatur. Id. 6. 8. 2. Telo si primam aciem præfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris. — b) Speciatim est everto, perdo. Cic. 1. Off. 11. 35. Majores nostri Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. *distrussero.* et 1. Phil. 1. ad fin. Dictaturam funditus ex republica sustulit. — c) Item neco, *tor di vita.* Id. 3. Nat. D. 33. 81. Q. Varius Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. Horat. 2. Od. 17.

27. Me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra levasset. *Poeta* apud *Sueton. Ner.* 39. Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem. *h. e.* hic occidit, ille sublatum humeris portavit. — Hinc Part. præter., cujus exempla retulimus

Sublatus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Sublatior* 2.; Sup. *Sublatissimus* 1. — Sublatus ¶ 1. Est altus, elatus, *alto. Gell.* 16. 19. *circa med.* Carmen quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit. ¶ 2. Est etiam superbiens, inflatus, elatus, *superbo, orgoglioso, gonfio. Ter. Hecyr.* 3. 5. 56. Quia paullulum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Quo prœlio sublati Helvetii audacius subsistere cœperunt. *Tac.* 13. *Ann.* 11. Juvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus. *Virg.* 10. *Æn.* 501. Nescia mens hominum fati sortisque futuræ Et servare modum, rebus sublata secundis. *Ovid. Halieut.* 54. *de leone.* Quoque venit, fidens magis et sublatior ardet, Concussitque toros et viribus addidit iram.

SUSTŬLO. *V.* voc. præc. init.

SŪSU et

SŪSUM. *V.* SURSUM.

SŪSURRĀMEN, minis, n. 3. (susurro) susurratio. *Apul.* 1. *Met. sub init.* Magico susurramine amnes reverti, solem inhiberi. *Capell.* 7. *sub init. post carmen.* Atlantiades hilaro susurramine sic respondit.

SŪSURRANS, antis, particip. *V.* SUSURRO.

SŪSURRĀTIM, adverb. (susurro) susurrando. *Capell.* 6. *p.* 227. Cui de proximo susurratim decenter arrisit. *con voce bassa.*

SŪSURRĀTĬO, ōnis, f. 3. (susurro) murmur, rumor.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cassiod.* 2. *Variar.* 18. Diu est, quod diversorum querelæ nostris auribus crebris susurrationibus insonarunt. Adde *ibid.* 21. ¶ 2. Speciatim est secreta inter paucos collocutio, sermones de aliqua re taciti et susurratim habiti, *secreto bisbiglio. Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *a med.* Quod ad Cæsarem, crebri et non belli de eo rumores: sed susurrationes dumtaxat veniunt. Alii leg. *susurratores.*

II.) Translate est secreta obtrectatio, malus sermo, *maldicenza. Vulgat. interpr.* 2. *Cor.* 12. 20. Ne forte contentiones, æmulationes, susurrationes sint inter nos.

SŪSURRĀTOR, ōris, m. 3. (susurro) qui susurrat. *Ennod.* 5. *Ep.* 27. Quis favis toxica, qui cœnum fontibus clandestinus susurrator admiscuit? Adde *Cœl.* apud *Cic.* in voc. præc., *Vulgat. Eccli.* 3. 11. et *Cyprian. Ep.* 68. *n.* 7.

SŪSURRĀTUS, a, um, particip. *V.* SUSURRO, as.

SŪSURRĬO. *V.* SUSURRO, onis.

SŪSURRĬŌSUS, a, um, adject. (susurrium) susurrator. *Gloss. Cyrill.* Ψιθυριστής, susurriosus, susurrator.

SŪSURRĬUM, ii, n. 2. (susurro) idem ac susurrus. *Augustin.* 9. *Confess.* 9. Susurria malarum ancillarum. Adde *Hieronym. Vit. S. Malch.* 6. ex *Ducange* in *Gloss. med. et inf. Latin.* ad *h. v.*

SŪSURRO, as, ātum, are, n. 1. (susurrus) Part. *Susurrans* sub *A* I. et *B a;* et *Susurratus* sub *B b.* — Susurro est submissum et confusum strepitum edo, qualis est apum aut aquæ decurrentis aut venti leniter spirantis, ψιθυρίζω (It. *mormoreggiare, borbogliare, susurrare;* Fr. *murmurer, bourdonner;* Hisp. *murmurar, susurrar;* Germ. *zischeln, flüstern;* Angl. *to make a low confused noise, buzz, murmur*): usurpatur autem *A*) Intransitive; et etiam *B*) Transitivorum more.

A) Intransitive.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 260. *de apib.* Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant. *Id. Cul.* 103. compellente vagæ pastore capellæ Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ. *et ibid.* 153. quos leniter afflans Aura susurrantis possit confundere venti. Adde *Claudian.* 2. *Nupt. Honor.* 13.

II.) Translate est submissa voce et in aure loqui, occulte sermones serere. *Ovid. Heroid.* 19. 19. Aut ego cum cara de te nutrice susurro. *et ibid.* 21. 233. Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat, Neglectam queritur testis habere fidem. Cf. *Vulg. interpr. Ps.* 40. 8. Adversum me susurrabant omnes inimici mei. — Cum particula relativa. *Ovid.* 3. *Met.* 643. Pars mihi significat, pars, quid velit, aure susurrat.

B) Transitivorum more. — *a*) Cum Acc. *Martial.* 3. 63. Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat. *canta sotto voce, va canterellando.* et *Nemesian. Ecl.* 1. 72. Silvestris nunc te platanus, Melibœe, susurrat, Te pinus. *Lamprid. Alex. Sev.* 44. *extr.* Susurrans versum Persii. *Ammian.* 25. 8. 18. Susurrans quædam. — *b*) Passive. *Capell.* 7. *p.* 236. Voluptas ad Venerem regressa cuncta ejus auribus intimavit, quæ delicioss mollitie et interrumpente genas rubore pæne prodidit susurrata. *h. e.* ea, quæ susurratim fuerant prolata. — Et impersonaliter cum infinito. *Ter. Andr.* 4. 4. 40. Jam susurrari audio, civem Atticam esse hanc.

SŪSURRO (susurio), ōnis, m. 3. (susurrus) *Susurrio* legitur apud *Vulg. interpr. Eccli.* 5. 16. *et alibi* ex Cod. Amiat. et *Cyprian. Test.* 3. 110. — Susurro est qui occulte maledicendo odium in aliquem aut dissensionem molitur, obtrectator, delator, *susurratore, mormoratore,* ψιθυρός. Causam nomini præbuit, quod delatores, ne exaudiri possint, in aure soleant susurrare. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. *ad fin.* Aures mariti susurronum fæce completas opportunitate Salsi sermonis eruderat. *Hieronym. Ep.* 11. *n.* 1. Non eadem sententia est tribunalis Christi et anguli susurronum.

SŪSURRUM, i, n. 2. et

SŪSURRUS, a, um, adject. *V.* voc. seq. init.

SŪSURRUS, i, m. 2. In illo *Ovid.* 7. *Met.* 825. Procrin adit linguaque refert audita susurra: alii *susurra* neutrum plurale: sic 12. *ibid.* 61. dubioque auctore susurra. In aliquot codicib.; alii *susurra* adjectivum faciunt: et *lingua susurra* esse insusurrante, quod magis placet. Malebat *Gronovius:* lenique refert audita susurro. — Vox est a sono per onomatopœjam facta: conferri etiam potest cum rad. Skr. *svar,* sonare, et Gr. συρίζειν, fistula cano, sibilo. — Susurrus est submissus et confusus sonus, murmur, strepitus: ut venti inter frondes, aquæ decurrentis, apum murmurantium et hujusmodi, ψιθυρισμός (It. *suono leggero e confuso, mormorio, susurro;* Fr. *murmure, frémissement, bourdonnement;* Hisp. *mormullo, zumbido;* Germ. *das Zischeln, Flüstern;* Angl. *a gentle murmur*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Ecl.* 54. vicino ab limite sæpes Sæpe levi somnos suadebit inire susurro. *Calpurn. Ecl.* 1. 3. Et spumant rauco ferventia musta susurro. *Venant.* 8. *carm.* 6. 356. Quum matrem dulci fauce susurrus (*infantis*) alit.

II.) Translate. — *a*) De sono submisso et in aure loquentium, occulto sermone, *bisbiglio, mormoramento, cicaleccio. Plaut. Rud.* 5. 3. 48. Palam age, nolo murmur ullum neque susurrum fieri. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 103. Demosthenes illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ insusurrantisque alteri. *Lucan.* 6. 104. tacito mala vota susurro Concipere. *h. e.* occulta prece. — In plur. num. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 77. tum in lecto quoque videres Stridere secreta divisos aure susurros. *Id.* 1. *Od.* 9. 18. Lenes susurri. *h. e.* verba, quæ amans amanti in aurem dicit. *Propert.* 1. 11. 13. blandos audire susurros. *Pers.* 2. 6. murmur - humilesque susurros Tollere de templis et aperto vivere voto. — Ab *Ovid.* 12. *Met.* inter comites Famæ ponuntur, *v.* 61. dubioque auctore Susurri. — *b*) Hinc de narratione festiva ad relaxandos animos. *Apul.* 1. *Met.* Aures tuas benevolas lepido susurro permulceam. Adde *Fulgent. Mythol.* 1. *præf. post init.* — *c*) Et de narratione tædium afferente. *Apul.* 8. *Met.* Trasyllus pergit susurros improbos inurguere, quod simulanter revicta Charite suscepit. — *d*) Item de occulta delatione. *Juvenal.* 4. 110. tenui jugulos aperire susurro. *con poche parole dette all' orecchio di Domiziano.* — *e*) Item de occulta incantatione. *Julian. Antecess. Constit.* 108. 5. Si venenis aut susurris magicis vitæ eorum insidiarentur.

SŪSURRUS, us, m. 4. idem significat ac vox præcedens. In sexto casu tantum occurrit apud *Apul. Florid. n.* 17. Et fistula susurru jucundior et buccina significatu longinquior.

SŪTĒLA, æ, f. 1. *Sutella,* cum duplici *l,* nuspiam reperitur, quamquam hinc derivata sic etiam scribuntur in *Gloss. Cyrill.* Ῥάπτω, sarcio, insuo, obsuo, sutello. et Δικοῤῥάφος, sutellosus. *h. e.* astutiarum consarcinator, calumniator. *et Gloss. Philox.* Sutellose (*sic*), πανούργως. *h. e.* cum astutia, cum fraude. Solum in *Gloss. Isid.* Sutella, corrigia, quæ tenditur sub cauda, ubi pro *sutella* rectius leg. *subtela* vel *subtella.* — Vox est a *suo,* ut *cautela* a *caveo.* Non itaque audiendus *Fulgent. De prisc. serm.,* qui affirmat, *sutelam* dici quasi *subtilem telam.* — Sutela igitur est dolosa astutia, techna callide consuta, sumptâ metaphorâ a suentibus. *Fest. p.* 310. 27. *Müll.* Sutelæ, dolosæ astutiæ, a similitudine suentium dictæ sunt. *Plaut. Capt.* 3. 5. 35. Atque ob sutelas tuas te morti misero. Adde *Cas. a.* 1. *v.* 7. Sic Græci dicunt καττύειν et συῤῥάπτειν δόλους; immo et *Plaut. Amph.* 1. 1. 211. consuere dolos.

SŪTELLA et

SŪTELLO *vel* sutelo, as, are, a. 1. et

SŪTELLŌSĒ *vel* sutelose, adverb. et

SŪTELLŌSUS *vel* sutelosus a, um. *V.* voc. præced.

SŪTERNA. *V.* SUTRINUS.

SŪTĬLIS, e, adject. (suo) consutus, *unito insieme, cucito,* ῥαπτός. *Virg.* 12. *Æn.* 273. teritur qua sutilis alvo Balteus et laterum juncturas fibula mordet. — *Sutiles coronæ,* ex meris rosarum foliis consutis factæ; quum pactiles et textiles e multiplici flore, plectiles e ramusculis sibi invicem implexis essent. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 8. (11). Summa auctoritas pactili coronæ: sutiles Saliorum sacris invenimus et solemnes cenis. Aliter *Sillig.,* qui paullo infra leg. *sutile folium.* V. tamen adnot. *Martial.* 9. 91. Perfundas glaciem triente nigro, Frontem sutilibus ruber coronis. *et* 5. 64. Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo: Lassenturque rosis tempora sutilibus. Adde 9. 94. et *Ovid.* 5. *Fast.* 335. Hinc *Tertull. Cult. femin.* 7. Enormitates sutilium atque textilium capillamentorum. — *Sutiles thyrsi* dicuntur ab *Auct. Priap.* 20., quia mucro hastæ compactis hederis tegebatur. — *Sutiles naves,* lino vel corio vel sparto sutæ. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 40. (65). et *Varro* apud *Gell.* 17. 3. V. *Varronis loc. cit.* in SUO. *Virg.* 6. *Æn.* 414. gemuit sub pondere cymba Sutilis et multam accepit rimosa paludem. — *Sutiles lapilli,* consuti in coronam vel adsuti diademati, *Prudent.* 7. *Cathemer.* 158. Sic hyacinthi sutiles, *et Hamartig.* 269. — *Sutilis domus* apud *Val. Flacc.* 6. 81. est Scytharum Hamaxobiorum, qui ex crudo corio consutas casas et plaustris impositas habitasse dicuntur.

SŪTOR, ōris, m. 3. (suo) qui calceos suit, ῥάπτης (It. *calzolaio, ciabattino;* Fr. *cordonnier;* Hisp. *zapatero;* Germ. *Flickschuster;* Angl. *a shoemaker, cobler*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 34. Interdiu, quasi claudus sutor, domi sedet totos dies. et 3. 5. 39. calceolarii, Sedentarii sutores, diabathrarii, Solearii adstant. *i calzolai, i ciabattini sedentari, i lavoratori di pianelle* etc. *Martial.* 3. 16. Das gladiatores, sutorum regule, Cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit. et 9. 74., cujus lemma est *Sutor.* Dentibus antiquas solitus producere pelles Et mordere luto putre vetusque solum, etc. *Sempron. Asell.* apud *Gell.* 13. 21. *extr.* Crepidarium cultellum rogavit a crepidario sutore. *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 1. C. ATILIVS C. F. IVSTVS SVTOR CALIGARIVS. *h. e.* qui caligas militares sun-

bat. His locis duplex sutorum genus distinguere est, *sc.* crepidarios et caligarios. — *Sutorum collegium* habetur in *Inscript.* apud *Don. cl.* 1. *n.* 131. — *Sutor, ne supra crepidam*, proverb., quo monemur, ne, quibus in rebus minus intelligimus, in his sententiam proferamus: quum, ut optime ait *Cic.* 1. *Orat.*, de iis, quæ non novimus, non possumus nisi turpissime judicare. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (85). Ferunt, Apellem a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die, superbo emendatione pristinæ admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam judicaret. quod et ipsum in proverbium venit. Adde *Val. Max.* 8. 12. *in fin.* — *b*) Habetur artificum vilissimus et ponitur pro infima plebe. *Juvenal.* 3. 293. quis tecum sectile porrum Sutor et elixi vervecis labra comedit? *Cic. Flacc.* 7. *a med.* Se velle, dixit. id sutores et zonarii conclamarunt. Cf. *Martial. loc. cit.*, ubi *sutorum regulum* vocat qui gladiatorum munus dederat, quemque *ibid.* appellat *sutorem cerdonem*.

II.) Translate. *Augustin. contra Faust.* 22. et *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Sutores fabularum. *h. e.* qui eas fingunt et consuunt. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

SŪTŌRĬA, æ, f. 1. *V.* SUTORIUS.

SŪTŌRĬCĬUS, a, um, adject. (sutor) idem ac sutorius, ut Sutoricium atramentum, *Marcell. Empir.* 8. § 2. *ante med.*

SŪTŌRĬUS, a, um, adject. (sutor) ad sutorem pertinens, *da calzolajo o ciabattino*, ῥαπτικός. — *a*) Universim. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 23. (100). Sutoria fistula. *h. e.* scalprum, quo coria inciduntur. *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 2. Comparator mercis sutoriæ. — *b*) *Sutorium atramentum*, χάλκανθον, Italice *vitriuolo.* V. *Cic.* et *Plin. loc. cit.* in ATRAMENTUM. — *c*) *Sutorium atrium* memoratur a *Varron.* 6. *L. L.* 14. *Müll.*, qui ibidem ait in Tubilustrio sacrorum tubas lustrari. Adde *Kal. Prænest.* apud *Orell.* *p.* 386. Meminit etiam *Panvinius* in descript. urb. R.; sed quid fuerit aut quo loco, nemo dicit. — Hinc absolute, substantivorum more

Sutoria, *æ*, f. 1. ars sutoria. *Boeth. Arist. Elench. Soph.* 2. 9.

Sutorius, *ii*, m. 2. qui olim fuit sutor vel malus sutor. *Cic.* 6. *Att.* 1. *a med.* Graves habent judices, Turpionem sutorium et Vettium mancipem.

SŪTŌRĬUS, ĭi, m. 2. *V.* voc. præced.

SŪTRĬBALLUS, i, m. 2. sutor veterum vel potius malus sutor. *Scholiast.* in *Juvenal.* 3. 150. A sutriballo sutus (*calceus*). *Gloss. Cyrill.* Παλαιοράφιον, sutriballum. et Παλαιοράφος, veteramentarius.

SŪTRĪNA, æ, f. 1. *et*

SŪTRĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

SŪTRĪNUS, a, um, adject. (sutor) ad sutores pertinens, sutorius, *da calzolaio. Tac.* 15. *Ann.* 34. Vatinius sutrinæ tabernæ alumnus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Fulloniam artem Nicias invenit, sutrinam Tychius. — Hinc absolute, substantivorum more

Sutrina, *æ*, f. 1. ¶ 1. Est officina sutoris, *bottega da calzolaio*, σκυτεῖον. *Id.* 10. *ibid.* 43. 60. (121). Corvus in oppositam sutrinam evolavit. *et mox.* Sutrinæ manceps. *et* 35. *ibid.* 10. 37. (112). Tonstrinas sutrinasque pinxit. *Tertull. Pall.* 5. Magnum incessui munimentum sutrinæ Venetiæ prospexere, perones effeminatos. *sc.* ubi Venetæ pelles ad conficiendos calceos accommodarentur; in Veneta enim regione pecudum ingens erat copia, ex quarum pellibus calcei fiebant. ¶ 2. Item ipsa sutoris ars, *arte di calzolaio*, σκυτική. *Varro Sat. Menipp.* 40. *p.* 141. *Oehl.* Qui sutrinas facere inscius, nihil domo (*al.* homo) agis. Alii leg. *suternas* eod. sensu; quod et *Apulejo Florid. n.* 9. nonnulli tribuunt. *Vitruv.* 6. *præf. sub fin.* Sutrinam vel fullonicam facere.

Sutrinum, *i*, n. 2. ars sutrina. *Seneca Ep.* 90. *circa med.* Non multum abfuit, quin sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret. — *Sutrium* fortasse pro *sutrinum* legitur in *Gloss. Isid.*

SŪTRĬUM, ĭi, n. 2. nomen oppidi Etruriæ in Vejentibus, de quo *V.* ONOM. — Hinc proverb. *Sutrium quasi eant*, de iis, qui celeriter et simul bene instructi rem quampiam aggrediuntur. Ortum est ex eo, quod quum Sutrium ab Etruscis captum esset, ad illud recipiendum missus M. Furius Camillus, ut est apud *Liv.* 6. 3., edixit, (quo facilius hostes necopinantes opprimeret) ut miles trium dierum cibaria secum ferret: qua celeritate factum est, ut eodem die oppidum reciperetur. *Plaut. Cas.* 3. 1. 9. Sed facito dum memineris versus, quos cantat Colax: Cibo cum suo quiqui facito uti veniant, quasi eant Sutrium. Adde *Festum p.* 310. 32. *Müll.* et *V.* adnotata ad eum a *Dacerio*. et ab eruditis ad *Plaut. Taubmanni.*

SŪTRIX, trīcis, f. 3. (sutor) quæ calceos suit, *calzolaia. Inscript.* apud *Gud.* 199. 5. IVLIAE TANABAEAE AVG. LIB. LIVIAE AVG. SVTRICI AN. XV. etc. *Alia ibid.* 220. 1. MARONIAE M. L. AVGAE SVTRIC. ET SARCINATR. A MVNDO MVLIEBRI etc.

SŪTUM, i, n. 2. *V.* SUTUS.

SŪTŪRA, æ, f. 1. (suo) actus suendi et ipse locus, ubi duo quædam suta sunt, ῥαφή (It. *cucitura, commessura*; Fr. *couture*; Hisp. *costura*; Germ. *das Zusammennähen*; Angl. *a sewing or stitching, a seam*). *Liv.* 38. 29. Triplex scutale crebris suturis duratum. *Cels.* 7. 4. *n.* 3. Oras vulneris suturæ comprehendunt. et *mox.* Sutura oras conjungere. *et ibid.* 11. *extr.* Suturam illini spuma argenti. Adde *Petron. Sat.* 13. — De commissuris calvariæ. *Cels.* 8. 1. *et* 4.

SŪTUS, a, um, particip. *V.* SUO.

SŬUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

SŬUS, a, um, adject. possessivum, quod quum vice nominis substantivi fungatur, pronomen quoque dicitur. — *a*) Ad vocis scriptionem formamque quod attinet, hæc attendenda sunt. — Olim *sus, sa, sum*, declinatum esse docet *Fest.* apud *Paul. Diac. p.* 47. 3. *Müll.* Antiqui dicebant *sam* pro *suam*. et *p.* 325. 17. *ibid.* Sas Verrius putat significare *eas*, teste Ennio qui dicat in l. 1. *Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas*, quum *suas* magis videatur significare. *et p.* 301. 19. *ibid.* Interdum (*sos*) pro *suos* ponebant, ut quum per dativum casum idem Ennius effert. *Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit.* et *p.* 249. 17. *ibid.* ab Ennio: *Pœni soliti sos sacrificare puellos.* — Hinc etiam *sapsa* contracte pro *sua ipsa* apud *Enn.* ad *Fest. p.* 325. 29. *ibid.* Quo res sapsa loco sese ostentatque jubetque. *Alii leg.* resapsa. *et Pacuv. ibid.* Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet. Adde *Inscript. Sard. a.* 1855. *p.* 62. — *Suvus, a, um* pro *suus a, um*, occurrit in Codd. MSS. *Caji* apud *Lachmann p.* XLIV. et *Cic. fragm.* apud *Maium* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 143. et in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. 1245. etc. — Nom. sing. *suos* pro *suus* in *Corp. Inscr. ibid. n.* 198. *l.* 3. *et* 60. — Gen. sing. *suei* pro *sui* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 198. *l.* 60. — et plur. *suum* vel *suom* pro *suorum* apud *Ter. Adelph.* 3. 3. 57. et *Sisenn.* 4. *Hist. fragm.* 112. (*Non. p.* 495. 12. *Merc.*); et *sovom* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 588. — Dat. plur. *suois* pro *suis* in *aliis ibid. n.* 1258., 1267. etc. et *subus* in *Inscr.* apud *Fabretti p.* 85. *n.* 155. — Abl. plur. *sueis* (*soveis*) et *suies* in *Corp. Inscr. Lat.* 1. 1297., 1042. etc. — *b*) De syllabarum quantitate monet *Müller De re metr. p.* 272. unâ syllabâ *sua, suo* et *suos* usurpasse *Ennium v.* 278., *Lucret.* 1. 1022. *et* 5. 420. et *Senec. Agam.* 250. — Alia ad hanc rem pertinentia apud Comicos invenies. — *c*) Ratione habita etymi, derivant recentiores a Skr. *sva, svas, svayám*, ejusdem significationis, unde et Gr. ὅς (pro σός) vel potius σφός, ὁφέος. Cf. SUI. — Suus significat eum, qui sui est, qui ad se pertinet, σφέτερος, ἑός (It. *suo, particolare, proprio*; Fr. *son, sien, leur, propre*; Hisp. *su, proprio*; Germ. *sein, ihr*; Angl. *one's own, its own, proper*); et dicitur de omnibus rebus, quæ ad aliquem quacumque ratione pertinent. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 2. 3. 39. Non tuum tu magis videre, quam ille suum gnatum cupis. *Ter. Heaut.* 2. 3. 92. Quid hic faciet sua? *Cic.* 9. *Att.* 12. Illum ulciscerentur mores sui. *Id.* 3. *Nat. D.* 23. 59. Virginitatem suam violare. *Id. Cluent.* 12. 33. Uxorem suam interrogavit. *Id.* 2. *Invent.* 17. 52. Hunc pater suus de templo deduxit. *Id.* 10. *Att.* 11. Indulsit illi suus pater semper. *Id* 7. *Verr.* 29. Quibus oculis cruentas cervices filii sui viderat. *Phædr.* 3. 13. Apes in alta quercu fecerant favos. Hos fuci inertes esse dicebant suos. *di loro proprietà.* et *Horat. Epod.* 9. 30. Ventis iturus non suis. *h. e.* qui eum ferant, quo volebat, *venti non propizi.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (77). Aurum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est. *h. e.* suæ naturæ: sine coctura aurum est. — *b*) Jungitur cum aliis vocibus ad majorem vim. — *α*) Cum *sibi. Plaut. Capt. prol.* 5. Is quo pacto serviat suo sibi patri. *Id. ibid.* 1. 1. 13. Suo sibi suco vivunt, ros si non cadit. Adde *Pœn.* 2. 1. 40. et *Ter. Adelph.* 5. 8. 35. *Cic. Amic.* 3. 11. Factus est consul bis: primum ante tempus; iterum sibi suo tempore, reipublicæ pœne sero. *h. e.* legibus præfinito. *Vitruv.* 8. 7. In suo sibi canalis excidatur. *Colum.* 12. *R. R.* 54. 2. Suo sibi jure. *Id. Arb.* 11. Uvas suo sibi pampino tegito. *Apul.* 8. *Met.* Suo sibi sanguine. — *β*) Cum *proprius. Cæs.* 3. *B. C.* 20. Calamitatem suam propriam queri. *Liv* 3. 70. Ni suo proprio eum prœlio equites Volscorum tenuissent. *h. e.* opponendo equites equitibus. — *γ*) Cum *met, pte. Sall. Jug.* 34. Suomet ipsi more præcipites eant. *Id. Cat.* 24. Neque suamet ipsi scelera occultare. *Liv.* 8. 25. Capti a suismet ipsi præsidiis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 38. Quum illa osculata mea soror gemina esset suumpte amicum. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Suopte nutu et suo pondere. *Id.* 2. *Orat.* 23. 98. Suapte natura. (*et Liv.* 1. 25. Suopte ingenio.) *Id.* 3. *ibid.* 3. 10. Crassus suapte interfectus manu. *Auct. argum. Rud. Plaut.* 4. Suipte patris. — *δ*) Cum *ipse Liv.* 1. 11. Sua ipsam peremptam mercede. Adde *Lactant.* 3. 28. *et* 6. 4. — *ε*) Cum *quisque. Varro* 1. *R. R.* 7. Quæcumque suo quæque loco sunt posita, ea minus loci occupant. *Virg.* 7. *Ecl.* 54. Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma. *Id.* 10. *Æn.* 467. Stat sua cuique dies. *il dì prefisso alla morte di ognuno.* et *Cæs.* 7. *B. C.* 81. Suus cuique erat locus attributus. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 25. Sua cujusque animantis natura est etc. *Id. ibid.* 18. 46. Quia cujusque partis naturæ et in corpore et in animo sua quæque vis sit. Cf. *Madvig* ad *h. l. p.* 689. Adde 2. *Orat.* 85. 345. Cf. quæ congessit *Lachmannus* ad *Lucr. p.* 94. 95. *et* 214. ¶ 2. Speciatim suus dicitur, qui sui juris est, liber, sui compos, neque ab alio pendet. *Plaut. Pers.* 4. 3. 3. Ancilla, mea quæ fuit hodie, sua nunc est. *Ulp. Dig.* 42. 4. 7. *ante med.* Furiosus venditionem pati non potest, quia non se occultat, qui suus non est. *Ovid.* 8. *Met.* 35. Vix sua, vix sanæ virgo Niseia compos Mentis erat. *Cic.* 4. *Fin.* 4. *sub fin.* Qui sciet, ubi quidquid positum sit, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in disputando suus. *Nepos Att.* 10. *init.* Ille autem sui judicii. *h. e.* homo; αὐτογνώμων. *Id. ibid.* 6. Esse in sua potestate. *Seneca Ep.* 75. *in fin.* Non homines timere, non deos; nec turpia velle, nec nimia; in seipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est, suum fieri. Eleganter *Apul. Florid.* 1. *n.* 7. Solus Alexander ut ubique imaginum suus esset. *h. e.* ubique idem. ¶ 3. Item qui cuique proprius est et ex natura rei sequitur. *Virg.* 2. *G.* 82. Miraturque novas frondes et non sua poma. *Ovid. Heroid.* 12. 133. Justo desunt sua verba dolori. *et ibid.* 14. 67. lacrimæ sua verba sequuntur. *Cic.* 2. *Orat.* 15. *sub fin.* Qui profitetur esse suum, de omni re dicere. *Liv.* 3. 62. Marte suo pugnare. *Sueton. Cæs.* 89. Sua morte defungi. *naturale.* ¶ 4. Item conveniens, proprius, legitimus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. 3. Petere consulatum anno suo. *legittimo.* et *Brut.* 1. *a med.* Cessit e vita suo magis quam civium suorum tempore. *quanto a sè maturo, ma troppo presto pe' suoi cittadini.* et 5. *Verr.* 60. 139. Scandilius rem se totam relicturum dicit et

suo tempore esse rediturum. *a suo tempo, a tempo proprio.* et *Ovid. Heroid.* 2. 8. Non venit ante suum nostra querela diem. *h. e.* ante tempus præfinitum et pactum. *innanzi tempo.* et *Modestin. Dig.* 3. 5. 26. Ex duobus fratribus, uno quidem suæ ætatis, alio vero minore annis etc. *h. e.* ætatis legitimæ, scil. XXV. annor. *Sueton. Vesp.* 24. Consulatu suo nono temptatus. ¶ 5. *Suum facere aliquem,* sibi devincire, amicum facere, *farselo amico, porlo fra' suoi. Stat.* 1. *Achill.* 377. Facere aliquem suum. *Nepos Alcib.* 3. *a med.* Multos liberalitate devinxerat: plures etiam opera forensi suos reddiderat. *Apul.* 9. *Met.* Pistor ille, qui me pretio suum fecerat. Sic *Ter. Adelph.* 5. 6. 10. Paullatim plebem facio meam. et *Cic. Quinct.* 7. 29. Alphenus utebatur populo sane suo. *h. e.* sibi faventi. Cf. *Drakenborch* ad *Liv.* 41. 8. — Mos præscribendi initiis epistolarum familiarium *suo*, ad significandam necessitudinem, tempore Ciceronis cœpisse videtur, ut 12. *Fam.* 12. Cassius Ciceroni suo. et 14. *ibid.* 1. Tullius Ciceroni suo. et 16. *ibid.* 2. Tullius Tironi suo etc. Passim vero obtinuit sequenti ætate, ut videre est in *Plinii* epistolis. *Martial.* 14. 11., cujus lemma est *Chartæ epistolares.* Seu leviter noto seu caro missa sodali, Omnes ista solet charta vocare suos. ¶ 6. Item *sua* videtur dici mulier a viro amata et cognita ante conjugium. *Inscr.* apud *Gruter.* 19. 2. DIIS CONSERVATORIBVS PRO SALVTE ABRIAE SVAE M. NONIVS MACRINVS CONSECRavit. Adde *aliam ibid.* 973. 4. ¶ 7. *Suum numerum* habere navis dicitur, quæ omnes babet, qui vebendi sunt. *Cic.* 7. *Verr.* 51. 133. et *Ovid. Heroid.* 10. 36. ¶ 8. *Suus* pro genet. *sui* aliquando usurpatur. *Sall. Cat.* 51. Nec cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur. *h. e.* injuriæ sui, *sc.* sibi factæ. *Liv.* 29. 9. Neglectam ab Scipione et nimis leviter latam suam injuriam ratus. *Id.* 7. 8. Eventum suum in aliena virtute ponere. *Id.* 6. 4. Metu suo quemque obedientes fecit. *Nepos Lysand.* 4. *extr.* Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator. Adde *Vellej.* 2. 91. 4. ¶ 9. Apud sequioris ævi scriptores *suus* redundat. *Act. Fr. Arv.* apud *Henzen p.* CLI. *l.* 13. Trebicius Decianus magister-cum collegis suis indixit. ¶ 10. Ponitur non raro *suus* pro *ejus* aut *illius.* V. SUI. Præter non unum ex locis superius adlatis sunt etiam hæc. *Plaut. Amph.* 3. 4. 19. Sufferet suus servus pœnas Sosia. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 38. Quamobrem reducam? LACH. mater quod suasit sua. *Cic.* 2. *Invent.* 17. 52. (et *Nepos Cimon.* 3.) C. Flaminius per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus, concilium plebis habentem, de templo deduxit. *Id. Sext.* 68. 142. Hannibalem sui cives e civitate ejecerunt. *Id.* 1. *Cat.* 13. 32. Desinant insidiari domi suæ consuli. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 41. Dicæarchum cum Aristoxeno, æquali et condiscipulo suo, doctos sane homines omittamus. In nummo apud *Mionnet De la rareté* etc. CARAVSIVS ET FRATRES SVI. *h. e.* Diocletianus et Maximianus. (Contra *Cic. Orat.* 51. 172. Omitto Isocratem discipulosque ejus, Ephorum et Naucraten. et 1. *Tusc.* 23. 70. Deum agnoscis ex operibus ejus.) *Id.* 2. *Att.* 1. Pætus omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit. *Id.* 1. *Divinat.* 27. 57. Tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut mortem suam ne inultam esse pateretur. *Id.* 6. *Att.* 2. *a med.* Non destiti rogare et petere mea causa, suadere et hortari sua. *Ovid.* 5. *Fast.* 223. Therapnæo feci de sanguine florem: Et manet in folio scripta querela suo. — Plurima alia *Gunther.* congessit *par.* 2. *Latinit. restit. n.* 160. Ceterum de vario et sibi minus constanti hujus vocis usu in vocabulorum ac sententiarum connexu, consule Grammaticos. In hac re prolixe *Robigius* in *Lex. Crit.* 4. 4., *Buchner* in *Thes.* et in *Comm. ad hymn. Venant. de res. Chr. v.* 82., *Bangius Obs. philol. part.* 2. *p.* 952. etc. Adde cl. *Vorstii lib. De Latin.* etc. *c.* 5. *p.* 46. ¶ 11. Item aliquando pro *noster. Julian. Dig.* 46. 2. 20. Novare autem possamus aut ipsi, si sui juris sumus, aut per alios. *Sui* dixit, quia *sui juris esse* quædam formula est. *Ulp. ibid.* 5. 3. 2. Sive suo nomine, sive per se, sive per alium effecti sumus. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.* — Hinc absolute, substantivorum more

Sui, orum, m. plur. 2. qui ad aliquem pertinent vel cognatione vel affinitate vel amicitia vel partium studio seu factione vel officio. *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Cæsar suos a prœlio continebat. *Cic.* 14. *Att.* 12. Octavius, quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non. *h. e.* affines, amici, clientes, fautores. *Liv.* 30. 11. Recurrere ad suos. *Nepos Lysand.* 3. Decemviralem potestatem sui sustulerunt. *Id. Con.* 4. Optime suos nosse deberet. *Cic.* 1. *Rep.* 1. 1. Commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem prætermissum queratur. *Vulgat. interpr. Joh.* 1. 11. Et sui eum non receperunt. *h. e.* conterranei seu cives et cognati.

Suum, i, n. 2. res sua cuiusque, *il suo.* — 1.°) In sing. num. — *a*) Absolute. *Plaut. Trin.* 2. 2. 34. Ne suum adimerem alteri. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Sui nihil deperdere. *Cic.* 14. *Att.* 20. *circa med.* Meum mibi placebat, illi suum. *Id. Quinct.* 14. 46. Ut ad suum quisque perveniat. *Id.* 1. *Off.* 31. 113. Quid quisque habeat sui. *Id.* 13. *Fam.* 26. *extr.* Illum studeo quam facillime ad suum pervenire. *Priscian. init. p.* 537. *Putsch.* Philosophi definiunt, vocem esse aerem tenuissimum ictum et suum sensibile aurium, id est, quod propere auribus accidit. *Inscr.* apud *Steiner Corp. inscr. Rom. p.* 321. 1. H. D. D. I. O. M. PATRONUS PATRIIVS ARAM DE SVO IN SVO POSVIT L. L. M. D. N. SEVERO ALEXANDRO III. ET DIONE COS. *h. e.* ann. 229. *Procul. Dig.* 23. 3. 67. Si eam pecuniam pro suo possidendo usuceperit. *come roba sua.* Adde *Ulp.* et *Pompon. ibid.* 41. *tit.* 11. *qui inscribitur* Pro suo, *l.* 1. 2. *et* 4. *Id. Dig.* 50. 17. 239. § 9. Verbum *suum* ambiguum est, utrum de toto an de parte significat; et ideo qui juret suum, non esse, adjicere debet, neque sibi commune esse. — Hinc formula *de suo proprio* vel *de proprio suo, ex proprio suo* in *Inscript.* in *Bullett. dell' Istit. archeol. a.* 1874. *p.* 25. — *b*) Cum Infinito. *Priscian.* 1. 25. Quia suum est, interjectionis voce abscondita proferri. — 2.°) In plur. num. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Ædui quum se suaque ab iis defendere non possent. Adde 2. *ibid.* 13. *Ammian.* 21. 4. 5. Ad sua redire. *Id.* 17. 1. 2. Ut in suis requirerent barbaros. *Ambros.* in *Ps.* 118. *serm.* 15. *n.* 9. Christus, qui in sua venerat. *h. e.* ad suam gentem. *Vulgat. interpr. Joh.* 19. 27. Ex illa hora accepit eam *(Mariam)* discipulus in sua. *h. e.* in suam domum.

SUVUS, a, um. *V.* voc. præced. init.

SY

SȲĂGRĬUS, ii, *et*

SȲĂGRUS, i, f. 2. σύαγρος, σουάγριος, genus palmæ pomum grande ferens, durum, horridum et a ceteris generibus distans, sapore ferino, quemferme in apris novimus: evidentissimeque causa est nominis (a σῦς sus et ἄγριος ferus.) *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4, 9. (41). — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SȲBŌTES, æ, m. 1. συβώτης, *porcaio,* subulcus. *Manil.* 5. 126. *de Hyadib.* Et fidum Laertiadæ genuere syboten. *h. e.* Eumæum Ulyssis porcarium: de quo ita *Hygin. fab.* 126. Ulysses, naufragio facto, nudus Ithacam pervenit, ad quamdam casam suam, ubi erat nomine Eumæus Sybotes, hoc est, subulcus pecoris, quem etc.

SȲCĂMĬNON, onis, f. 3. *et*

SȲCĂMĬNOS *vel*

SȲCĂMĬNUS, i, f. 2. (συκάμινος) In *Pandect. Torrentini* habetur: si quis arborem sycaminonem exciderit. ut a recto Græcæ positionis facta sit Latina positio *sycaminon, onis.* — Est vox Græca, quæ tamen ducenda videtur ab Hebr. שקמים *shiqmim,* plur. num., ejusdem significationis — Sycaminus est arbor morus, συκάμινος, quam memorat his verbis *Plin.* 13. *Hist. nat.* 7. 14. (56). Et Ægypto multa genera (*plantarum*), quæ non alibi. Ante omnia ficus, ob id Ægyptia cognominata. Arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. *Cels.* 3. 18. *a med.* Alii vel amomum vel sycamini lacrimam fronti inducunt. Hoc nomen apud medicos reperio: sed quum Græci morum συκάμινον appellent, mori nulla lacrima est. Sic vero significatur lacrima arboris in Ægypto nascentis, quam ibi μωροσυκον appellant. Hæc *Celsus,* qui rursus 5. 18. *n.* 7. Sycamini [quam alias sycomorum vocant] lacrimæ. *Leon. Targa* verba uncis inclusa additicia esse putat. — Hoc arboris genere utuntur Ægyptii in aggeribus Nili, per quos incrementa ejus dispensantur et coercentur. *Ulp. Dig.* 47. 10. *ad fin.* Sed et metallo plectuntur secundum suam dignitatem, siquis arborem sycaminon exciderit. Nam et hæc res vindicatur extra ordinem non levi pœna, idcirco quod hæ arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos incrementa Nili dispensantur et deminutiones æque coercentur. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SYCARCADANA, nomen Ægyptium herbæ, quæ et scelerata dicitur. *Apul. Herb.* 8.

SȲCE, es, f. 1. συκῆ. ¶ 1. Est genus herbæ, quæ et peplis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 93. (119). *V.* PEPLIS. ¶ 2. Et etiam apud Græcos, sucus e tæda, quæ mas est, effluens, odore gravissimo: ita dictus, quia similis est suco arboris fici, nam συκη ficum significat, 16. *ibid.* 10. 19. Item ulcus in angulo oculi perpetuo humore manans, 20. *ibid.* 6. 21. (44).

SYCIOS AGRIOS. *V.* SICYOS.

SȲCĪTES, æ, m. 1. συκίτης (οἶνος) genus vini, quod sit e συκῆ ficus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (102). *V.* CATORCHITES.

SȲCĪTIS, idis, f. 3. συκῖτις, gemma fici colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (191).

SȲCŌLĀTRŌNĬDÆ, ārum, m. plur. 1. (σῦκον et latro) Vox hybrida, jlocalariter ficta a *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 43. ad quamdam gentem designandam, quasi in ea essent ficorum fures. *V.* SYCOPHANTA. Cf. tamen *Rost. Comment. Plaut. p.* 5.

SȲCŌMŌRUS, i, f. 2. (συκομορος) Pænultima vulgo brevis est; sed et produci potest, nam Græce συκόμορος et συκόμωρος per *o* et per *ω* pronunciatur. At longam omnino efferri vult *Weitenauer* apud *Vulgat. interpr. Luc.* 19. 4., ex Gr. συκομωρέα per *ω*, quod *Luc.* usurpat: alii tamen hic leg. συκομορέα per *o;* quare nihil inde solidi pro absoluta ejus sententia erueris. — Ducitur a σῦκον, ficus, et μόρον, morus; fructus enim habet ficui similes, foliis vero universoque habitu morum refert. — Sycomorus est eadem arbor ac sycaminos (quamvis sint qui ab hac differre existimant, coll. *eod. Luc. c.* 17. *v.* 6. cum *c.* 19. *v.* 4.), in depressioribus Palæstinæ eique finitimis regionibus frequentissima. Magna planta est et lata et altissime crescit ejusque stirps crassior ita in plures diffunditur ramos ut facile quis inter eos consistere possit. Porro folia babet parva et rotunda, corticem planum et pæne expolitum in album colorem vergentem; fructus fert plurimos quidem sed exiguos, qui mespilum forma et magnitudine referunt verguntque in rubedinem et concocta difficiliores, qui a tenuissimæ conditionis hominibus colliguntur, nec facile maturescunt, nisi ungue vel ferro vellicentur. Hæc arbor fertilissima pluries per annum fructus profert semperque viret (*Ficus Sycomorus* Linn.). Cf. *Calmet* ad *Am.* 7. 14. et *Cultrera Flor. Bibl.*

I.) Proprie. *Cels. loc. cit.* in SYCAMINUS. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 7. 20. *Vulgat. interpr. Am.* 7. 14. Armentarius ego sum vellicans sycomoros. et *Luc.* 19. 4. Ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum (*Christum*). *Id.* 3. *Reg.* 10. 27. Cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus. — In monumentis Ægypti funebribus videre est

deam, quæ inter sycomori ramos consistens aquam e vase diffundit (*Rosellini Mon. Civ. Tav.* 134.).

II.) Translate. *Id. Is.* 9. 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus; sycomoros succiderunt, sed cedris immutabimus. *h. e.* domos humiles in superbas commutabimus.

SȲCOPHANTA et sucophanta, æ, m. 1. (συκοφάντης) Nominis causam affert *Festus p.* 302. 30. *Müll.* his verbis: Sycophantas quidam ex hoc dictos putant. Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos quorumdam irrumpere ficosque deligere, quam ob causam legem factam, qui id fecisset, capital esset ei, quam pœnam qui persequerentur ob parvula detrimenta, sycophantas appellatos. Hæc *Festus*. Alii nominis etymon ad hujusmodi referunt fabulam, quam et *Maximus Planudes* in vita Æsopi refert. Quum Xanthi philosophi servus ficus domino ex agro adlatos absumpsisset, ejus rei culpam in Æsopum conservum suum conjecit; qui ut domino innocentiam suam probaret, aquam tepidam ebibit eamdemque puram, ut hauserat, evomuit. Quod quum, jubente hero, alter quoque fecisset, una cum aqua ficuum quoque frusta ejecit. Ea ratione prodito calumniatore, factum est, ut sycophantam dicamus, qui insontem falso crimine calumniatur. Vide et *Aristophanis Scholiast.* ad *Plut. v.* 874. atque *Etymolog. M.* — Sycophanta est igitur calumniator, *calunniatore*. ¶ 1. Stricto sensu. *Apul.* 7. *Met.* Dum ista sycophanta ego mecum maxima cum indignatione disputo. ¶ 2. Latiore sensu a Latinis comicis hoc nomen fere usurpatum pro quovis fallaci homine, fraudulento, mendaci, doloso, improbo, *furbo, bugiardo, ingannatore. Plaut. Pœn.* 5. 2. 72. At hercle te hominem et sycophantam et subdolum, qui venisti nos captatum etc. *Ter. Andr.* 4. 5. 20. Clamitent, me sycophantam hereditates persequi. Adde *Heaut. prol.* 38. *et Andr.* 5. 4. 16. ¶ 3. Item de eo, qui ad aliquem decipiendum alicujus personam imitatur. *Plaut. Men.* 5. 9. 28. Illic homo aut sycophanta aut geminus est frater tuus. Nam ego hominem homini similiorem numquam vidi alterum. ¶ 4. Interdum etiam pro adulatore et callide blandiente. *Plaut. Amph.* 1. 3. 8. Nimis hic scitus est sycophanta, qui quidem meus sit pater. Observatote, quam blande mulieri palpabitur. *Id. Men.* 2. 1. 35. Sycophantæ et palpatores plurimi in urbe hac habitant. *Prudent. Apotheos.* 35. Væ captiosis sycophantarum strophis, Væ versipelli astutiæ.

SȲCŎPHANTĂCĪĒ, adverb. συκοφαντικῶς, sycophantarum more. *Auct. argum.* in *Pseud. Plac.* ab *A. Maio* edit. *v.* 14. Lenonem fallit sycophantacie cacula. At sane *sycophanta* hic reponendum videtur, ut versus iambici constet ratio. *Seyffert* et *Bergk* sic scripserunt: Lenonem fallit cacula sycophantice. V. *Schoell, Goetz* et *Loewe* in *Analect. Plaut. p.* 150.

SȲCŎPHANTĬA et sucophantia, æ, f. 1. (συκοφαντία) mendacium, fallacia. *Plaut. Asin.* 1. 1. 54. Nauclero ipse ornatu per fallaciam, Quam amabat, abduxit ab lenone mulierem: Neque puduit id ætatis sycophantias Struere. *Id. ibid.* 3. 2. 1. Perfidiæ laudes gratiasque habemus merito magnas, Quum nostris sycophantiis, dolis astutiisque, Scapularum confidentia etc. *Id. Bacch.* 4. 6. 88. nunc, pater mi, - Sycophantias componit, aurum ut abs te auferat. *Ritschl* leg. *sucophantias*. Adde *Pseud.* 1. 5. 70.

SȲCŎPHANTĬŌSĒ et sucophantiose, adverb. συκοφαντικῶς, dolose seu per calumniam, *con inganno. Plaut. Pseud.* 4. 7. 113. Ego nec sycophantiose quicquam ago, nec malefice.

SȲCŎPHANTOR et sucophantor, āris, ari, dep. 1. συκοφαντέω, *ingannare, trattare furbescamente*, sycophantias struo, fallo. *Plaut. Trin.* 3. 3. 57. Quamquam hoc me ætatis sycophantari pudet. Adde *ibid.* 4. 2. 116.

SȲCŎPHYLLON, i, n. 2. συκόφυλλον, herba foliis fico similibus, alio nomine hibiscus. *Apul. Herb.* 38.

SȲCOS, i, m. 2. σῦκον, ficus. *Næv.* apud *Osann.* in *Præf.* ad *Apul. De Orth.* Hodie syces mihi recens fuit.

SȲCŌSIS, is, f. 3. (σύκωσις) tumor quidam ficosus: quem morbum describit *Cels.* 6. 3. Est ulcus, quod a fici similitudine σύκωσις a Græcis nominatur. caro excrescit, at id quidem generale est. sub eo vero duæ species sunt: alterum durum et rotundum, alterum humidum et inæquale etc. Ita *Cels.* Sed Latinis litteris usurpat *Marcell. Empir. c.* 8. *s.* 5. *p.* 95. *retro*. Excrescens caro, quam sycosim Græci vocant, in qua est callum durissimum.

SȲCŌTUM, i, n. 2. (συκωτόν) jecur anseris ficis saginati, quod et *ficatum* dicitur, Italice *fégato*. V. FICATUM. *Vespæ judic. coci* apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 236. Unguellam Hydippi, sycotum pono Promethei. V. *Anthol. Lat.* 199. 84. *Riese*.

SȲDUS. *V.* SIDUS.

SȲĒNĪTES, æ, m. 1. (Συηνίτης) qui est ex Syene urbe, de qua *V.* ONOM. — Hinc *Syenites lapis*, qui circa Syenen nascitur: quem olim pyropœcilon vocabant, nunc *granito rosso*, apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 13. (63).

SȲLĀTĒRĬA et syliteria, ōrum, n. plur. 2. spolia: a συλάω, spolio. *Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 68. Nam et niceteria syleteria sunt. *Alii leg.* syllateria *vel* syllacteria. V. *Iahn* ad *Juvenal. p.* 201. adn. et *Quicherat* in *Add.* etc. *p.* 287.

SYLFI. *V.* SULFI.

SYLITHO, vox Ægyptia, qua significatur herba, quæ vulgo scilla dicitur. *Apul. Herb.* 43., ubi alii aliter leg.

SYLLĂBA, æ, f. 1. (συλλαβή) comprensio litterarum vel unius vocalis enunciatio temporum capax, quamquam proprie hoc nomine vocatur id, quod ex pluribus litteris constat, *sillaba*: quod autem una vocali perficitur, abusive syllaba vocatur. Hinc *Priscian.* 5. *p.* 671. *Putsch.* Syllabas nominamus, non quod omnes comprehensione litterarum constant, sed quod pleræque.

I.) Proprie. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 29. Unam peccare syllabam. *Cic. Parad.* 3. *sub fin.* Si versus pronunciatus est syllaba una brevior aut longior. *Seneca Ep.* 48. Tu mihi verba distorques et syllabas digeris. *Martial.* 9. 12. Sed tu syllaba contumax repugnas, Dicunt Earinon tamen poetæ, Sed Græci, quibus est nihil negatum. *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 12. Fiat ut e longa syllaba prima brevis, Aut producatur quæ nunc correptius exit, Et sit porrecta longa secunda mora. *Comment. Eins. p.* 225. *Hag.* Syllaba ab una incipiens littera sex adusque pervenit, ut a, ab, abs, mons, stans, stirps. *et p.* 226. Syllabæ communes, sunt modo longæ, modo breves. *et ibid.* Brevis syllaba unum tempus habet, longa vero duo. *Libr. Bern. p.* XVIII. *ibid.* Habet unaquæque syllaba altitudinem in tenore, crassitudinem vel latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore. *Priscian. p.* CLXXVI. *ibid.* Inconcinnitas syllabarum, ut *displicina* pro disciplina. *et mox*. Productio et correptio accidunt syllabis. *Capell.* 3. *p.* 59. Juncturæ syllabarum sunt genera quattuor: duo naturalia, duo historica etc. — *Syllaba immobilis* dicitur, quæ suo loco in carmine semper manet immutata. *Mar. Victorin.* 4. 1. 65.

II.) Translate per synecdochen. *Martial.* 1. 62. *de Catullo.* Verona docti syllabas amat vatis: Marone felix Mantua est. *h. e.* numeros et versus.

SYLLĂBĀRĬUS, a, um, adject. (syllaba) qui syllabas novit legere. *Rufin.* ex *Orig. hom. in Num.* 27. *n.* 12. Pueri syllabarii.

SYLLĂBĀTIM, adverb. (syllaba) per singulas syllabas, *a sillaba per sillaba*, κατὰ συλλαβάς. *Cic.* 13. *Att.* 25. Ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintheri syllabatim. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 119. Quum tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit. Adde *Augustin. Gen. ad litt.* 1. 10. *et* 10. *Civ. D.* 15.

SYLLĂBĬCĒ, adverb. (syllabicus) per syllabæ additionem, syllabarum ratione seu causa. *Priscian.* 14. *p.* 83. *Putsch.* Est quando abundant (*præpositiones*) syllabice, id est auctionis syllabarum causa tantummodo, nulla significationis additione, ut *emori* pro *mori*. et *ibid.* 999. Ergo (quando *absque*) amittit significationem (*h. e.* non adhibetur integra), syllabice magis adjecta videtur. *h. e.* syllaba *que* aucta. *Id. De XII. vers. Æn. p.* 1252. *ibid. Que* syllabice quoque additur in fine et vim conjunctionis amittit et enclitice, ut *undique, denique, itaque*.

SYLLĂBĪCOS, e, on, *Græca positione*, et

SYLLĂBĪCUS, a, um, adject. (syllaba) ad syllabam pertinens. *Priscian. De accent. p.* 1299. *Putsch. Met* namque adjectio syllabica est in *ego*. et *Mar. Victorin.* 1. 11. 1. Fiunt ex syllabis pedes ordine incrementorum, quem Græci syllabicen parauxesin vocant: item temporum, quem Græci chronicen parauxesin nominant.

SYLLĂBUS, i, m. 2. σύλλαβος, index paucis complectens, quæ pluribus disputantur. *Augustin.* 13. *Confess.* 15.

SYLLEPSIS (synlepsis), is, f. 3. (σύλληψις) Scribitur etiam *syllempsis* vel *synlempsis* apud *Pompej. Gramm. p.* 301. 28. *Keil.* et *Mar. Plot. Sac. p.* 457. 1. *ibid.* — Syllepsis est figura verborum et constructionis, h. e. dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, quum singularis dictio plurali verbo vel posteriori tantum vel ultimo redditur: ut est (*Virg.* 1. *Æn.* 20.) hic illius arma, Hic currus fuit. Sic *Nepos Phoc.* 2. Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica mereri existimabantur, in exsilium erant expulsi. *Diomed.* 2. *p.* 440. et *Charis.* 1. *p.* 250. *Putsch.* Agnoscit *Donat.* syllepsim et in illo *Ter. Andr. prol.* 3. Populo ut placerent quas fecisset fabulas. *ad* fecisset, *inquit, retulit* fabulas, *non ad* placerent: et est *figura syllepsis*. V. alia apud Grammaticos. Latine *conceptio* dicitur (*V.* CONCEPTIO) ejusque tres species statuit *Mar. Plot. Sac. loc. cit.*

SYLLŎGISMĂTĬCUS, a, um, adject. συλλογισματικός, syllogismis constans, ut Syllogismaticum Aristotelis breviloquium, apud *Fulgent.* 1. *Mythol. præf. ad fin.* Hoc *Tertull. Anim.* 6. *a med.* vocat *Aristotelis minutiloquium*.

SYLLŎGISMUS (synlogismus), i, m. 2. (συλλογισμός) Secundam licenter produxit in versu spondaico *Sidon. Paneg. Anth.* 175. Argumentosis dat retia syllogismis. — Syllogismus proprie est ratiocinatio, qua unum ex alio colligimus: v. gr. quum arithmeticus subductis calculis multarum rerum summam colligit. id enim proprie hæc vox significat: translate vero, quum disputantes, ex eo, quod est manifestum, id, quod non est, deducimus, *deduzione, raziocinio, sillogismo*. — Forma syllogismi in scholis philosophorum est, ut tria habeat enunciata, quorum prius propositio, alterum assumptio, tertium complexio et conclusio dicitur. Sed ne ipsi quidem philosophi, ut est apud *Gell.* 2. 8., nedum oratores, aut numerum illum aut ordinem servant. V. *Quintil.* 7. 8. 1., ubi etiam species oratorii syllogismi enumerat. — De syllogismis in universum deque variis eorum generibus fuse disserit *Boeth.* in *Arist. interp.* et *comment.* Usurpatur — *a*) In bonam partem. *Plin.* 2. *Ep.* 3. Crebra νοήματα, crebri syllogismi, circumscripti et effecti. Adde *Quintil.* 3. 6. 43. *et alib.*, *Gell. loc. cit.* etc. — *b*) Aliquando in malam partem. *Seneca Ep.* 108. *ante med.* Relictis ambiguitatibus et syllogismis, cavillationibus et ceteris acuminis irriti ludicris.

SYLLŎGISTĬCĒ, adverb. (syllogisticus) more syllogistico. *Boeth. Arist. Anal. post.* 1. 9. Contigit autem quosdam non syllogistice dicere propter id, quod accipiunt utrisque consequentia.

SYLLŎGISTĬCOS, *Græca positione*, et

SYLLŎGISTĬCUS, a, um, adject. συλλογιστικός, ad syllogismum pertinens.

I.) Proprie. *Quintil.* 5. 10. 6. Cicero statum syllogisticum ratiocinativum appellat. Adde *Cassiod. De dialect.* et *Boeth.* passim. *Jul. Vict. Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 11. *p.* 69. Syllogisticon enthymema est, quod ad imaginem syllogismi ex multis aliquid colligit. Ut si dicamus:

Adulterium multis modis arguitur: quod munuscula missa sint, quod ad cellulam sæpius convenit ancillæ, quod ad domum meriti accessum sit, quod qui accesserit, latere voluerit. Atque hæc omnia quum adstruxerimus, tunc concludimus: Quod si munera misisse doceo et cum ancillulis familiaritatem habuisse et egressum furtim, quid est, quod non ex his omnibus adulterium videatur esse commissum? *V.* ELENCTICUS.

II.) Translate. *Ambros.* 6. *Hexaem.* 4. *de cane.* Obiens singularum semitarum exordia, tacitus secum ipse pertractat, velut syllogisticam vocem sagacitate colligendi odoris emittens.

SYLLŎGIZANS, antis, particip. *V.* voc. seq.

SYLLŎGIZO, as, are, n. 1. (συλλογίζω) Part. *Syllogizans.* — Syllogizo est syllogismo utor, syllogistice loquor, *sillogizzare. Boeth. Arist. Anal. post.* 1. 9. Aliquando quidem syllogizare non contingit ex acceptis, aliquando vero contingit. *Id. Arist. Anal. pr.* 11. 1. Dialectica percontanti quidem interrogatio contradictionis est, syllogizanti vero sumptio apparentis et probabilis.

SYLVA cum deriv. *V.* SILVA.

SYMBŎLA (sumbola *vel* simbola), æ, f. 1. συμβολή, collatio in universum.

I.) Proprie et speciatim dicitur de pecunia, quam sodales pro se quisque conferunt, simul cenaturi: quam *Cic.* 2. *Orat.* 57. *a med. collectam* vocat (It. *stregua, rata, scotto;* Fr. *écot, colisation pour un repas;* Hisp. *escote;* Germ. *der Geldbeitrag;* Angl. *a shot or club*). *Plaut. Curc.* 4. 1. 13. Symbolarum collatores (*sunt*) apud forum piscarium. *Id. Stich.* 3. 1. 28. Eo condixi in symbolam ad cenam, ad ejus conservum Sagarinum. *et ibid.* 34. Symbolam dabo et jubebo ad Sagarinum cenam coqui. *Ter. Eun.* 3. 4. 1. Aliquot adolescentuli coimus in Piræo in hunc diem, ut de symbolis essemus. *Ritschel.* et *Fleckeis.* ubique *sumbola* edid. Sic *sumbolum* pro symbolum, apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 29. ex eod. *Ritschelio.*

II.) Translate. ¶ 1. Est a primitiva vocis potestate, in universum acceptæ, collatio. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. *de libr. Claud. Mamert.* Si quidem dum se adversus eum, quem contra loquitur, exserijat, morum ac studiorum linguæ utriusque symbolam jure sibi vindicat. ¶ 2. Lepide servus, apud *Plaut.*, cui verbera herus minitatus fuerat, *Epid.* 1. 2. 22. Sine meo sumptu paratæ jam sunt scapulis symbolæ. ¶ 3. De quæstiunculis in convivio agitatis, *Gell.* 6. 13. Tales apud Taurum symbolæ taliaque erant secundarum mensarum, ut ipse dicere solitus erat, τραγήματα.

SYMBŎLĬCĒ, adverb. συμβολικῶς, *sotto metafora,* sub symbolo, per metaphoram, figurate. *Gell.* 4. 11. Κυάμους hoc in loco testiculos significare dicunt eosque more Pythagoræ operte atque symbolice κυάμους appellatos, quia sint αἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν, et genituræ humanæ vim præbeant.

SYMBŎLĬCE, es, f. 1. Συμβολική, dea, quæ varietatibus ominatis ventura componens auspiciorum proventus pensat viribus futurorum, ut scribit *Capell.* 9. *p.* 303. *V.* quæ adnot. *Koppius.*

SYMBŎLĬCUS, a, um, adject. συμβολικός, ad symbolum pertinens, qui aliquid significat. *Charis.* 2. *p.* 134. *Putsch.*

SYMBŎLĬUM, ii, n. 2. (symbolum) idem ac symbolum. *Hieronym. Ep.* 28.

SYMBŎLO, ōnis, m. 3. *V.* SIMPULATOR.

SYMBŎLUM (sumbolum), i, n. *et*

SYMBŎLUS (sumbolus), i, m. 2. σύμβολος et σύμβολον, signum, nota, indicium, ex quo quid cognosci potest (It. *segno, contrassegno, segnale;* Fr. *signe, marque, charactère, cachet;* Hisp. *signo, marca, sello;* Germ. *die Marke, das Kennzeichen;* Angl. *a ring, ring-seal, signet*). ¶ 1. Generatim. *Justin.* 2. 12. 3. Quum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi et saxis proscribi curat: Quæ vos, Iones, dementia tenet? etc. Sunt qui hic leg. *symbola:* sunt etiam qui *symbolas:* sed hi male, *symbolum* cum *symbola* confundentes: quod viri docti jampridem admonuere. *Apul.* 2. *Dogm. Plat. ante med.* Divisionum æqualitas et eorum, quæ pacta sunt, symbola. *h. e.* tabulæ, tesseræ, arrhæ, pignora et alia, quæ contractuum signa sunt. *Alii leg.* symbolæ. ¶ 2. Speciatim apud Latinos anulus, quia illo utebantur ad epistolas et vasa obsignanda et in pignus atque argumentum cujuspiam rei promissæ. *Cato* apud *Fronton.* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *ad fin.* Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecunias magnas caperent. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (10). Anulum Græci a digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant: postea et Græci et nostri symbolum. ¶ 3. Item ipsa imago anulo impressa symbolum est. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 53. Ea causa miles hic reliquit symbolum, Expressam in cera ex anulo suo imaginem, Ut, qui huc afferret ejus similem symbolum, Cum eo simul me mitteret. *et* 2. 2. 52. Tu epistolam hanc a me accipe atque illi dato. Nam istic symbolum est inter herum meum et tuum de muliere. *et* 2. 4. 26. PSEVD. Epistolam modo hanc intercepi et symbolum. CHAR. symbolum? quem symbolum? PSEVD. qui a milite allatu 'st modo. Adde *Bacch.* 2. 3. 29. ¶ 4. Apud Ecclesiasticos scriptores *symbolum* est regula seu formula eorum, quæ credenda sunt ex fide divina, qua fideles ab infidelibus discernuntur. *Augustin. Ep.* 214. 2. Tota Ecclesia in symbolo confitetur (*Deum*) judicare vivos et mortuos. Adde *Rufin. Comment.* in *Symb. Apost.* 2. Hinc *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 437. Confœderentur omnia Hinc inde membra in Symbolum: Mansuescat orbis subditus, Mansuescat et summum caput. *h. e.* fidem Christi. — *Symbolum accipere et reddere* dicebantur baptizandi, qui, antequam baptisma reciperent, symbolum memoriter proferebant. *Augustin. Ep.* 67.

SYMMĔTER *et, Græca positione,* symmĕtros, mĕtra, mĕtrum, adject. σύμμετρος, ejusdem mensuræ seu proportionis, *simmetrico, proporzionato, fatto con simmetria. Vitruv.* 1. 2. Symmetros est eurhythmiæ causa. *Boeth. Arist. Anal. pr.* 1. 23. Ut quando diameter est asymmeter eo quod fiunt abundantia æqualia perfectis, posito symmetro. *Id. Anal. post.* 1. 2. Non est scire, ut quod diameter sit symmeter.

SYMMĔTRĬA, æ, f. 1. συμμετρία, commensus, convenientia mensuræ, apta proportio multarum partium inter se congruentium, *proporzione, simmetria. Vitruv.* 1. 2. Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus ex partibusque separatis, ad universæ figuræ speciem, ratæ partis responsus: ut in hominis corpore, e cubito, pede, palmo, digito ceterisque partibus symmetros est eurhythmiæ qualitas: sic est in operum perfectionibus. *Varro Sat. Men.* 52. *p.* 150. *Oehl.* Symmetria ædium confutabat architectones. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (58). *de Myrone.* Numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior. *et ibid. de Lysippo.* Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (67). Parrhasius primus symmetriam picturæ dedit. — In plur. num. *Vitruv.* 1. 3. *extr.* Membrorum commensus justas habet symmetriarum rationes. — *NB.* Latino vocabulo *commensus* dicitur a *Vitruv. loc.* modo *cit.* et 3. 1., *congruentia* et *æqualitas* a *Plin.* 2. *Ep.* 5., *commoditas* a *Sueton. Aug.* 79. *in fin.*, *competentia* a *Gell.* 1. 1. *sub fin.* Hæc non placuerunt scilicet *Plinio* seniori *loc. cit.*, quum dixit, *symmetriam* Latinum nomen non habere.

SYMMĔTROS. *V.* SYMMETER.

SYMMYSTES, æ, *et Græca positione*

SYMMYSTES, æ, m. 1. συμμύστης, iisdem sacris initiatus et, ut loquitur *Apul. De mag.*, eorumdem sollemnium particeps. *Id. ibid.* Unius Liberi patris symmystæ, qui adestis, scitis *etc.* Recentiores tamen leg. *mystæ.* Adde *Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 533. — Etiam de Christiano presbytero et monacho usurpat *Hieronym. Ep.* 58. *n.* 11. Ad teipsum (*Paulinum presbyterum*) veniam symmystam, sodalem meum et amicum. *et Ep.* 66. *n.* 9. *ad Pammachium monachum.* Sed prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes.

SYMONĬĀNUM trifolium vel, ut alii scribunt, *Simonianum* vel *Symoniacum,* quid sit apud *Colum.* 6. *R. R.* 17. *ante med.*, incertum olim erat. *Morgagnius epist.* 3. *in Colum.* § 31. multa disserit et legendum conjicit *siler* vel *sil montanum.* Verum *Pontedera* in *Antiqu. Lat. et Græc. p.* 543. et *Schneiderus* ad *Colum. loc. cit.* ex Codicibus et ex comparato simili loco *Veget.* 3. *R. R.* 4. *a med.* corrupta *Columellæ* verba ita scribenda statuerunt: *Si montanum trifolium invenitur* etc., quos secutus Italus interpres *B. Del-Bene* ita vertit: *Se trovasi trifoglio montano.*

SYMPASMA, ătis, n. 3. σύμπασμα, medicamentum pulvereum, quod corpori adspergitur. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. 318. *et alibi.* Adde *Prob.* in *App.* 25. *p.* 195. 19. *Keil.*

SYMPĂTHĪA, æ, f. 1. συμπάθεια, compassio, naturalis consensus et convenientia, qualis est maris cum lunæ natura et heliotropii cum natura solis, *simpatia, inclinazione naturale.* Græca vox est, et Græcis perpetuo litteris scribitur a *Cicerone*, quem quidam Lexicographi afferunt ad ejus usum confirmandum. Usus est tamen Latine *Vitruv.* 1. 1. *ad fin.*, ubi ait: Similiter cum astrologis et musicis est disputatio de sympathia stellarum. Item *Varro* apud *Non. p.* 458. 24. *Merc.* Quam sympathiam lumbi ad oculos haberent. Adde *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (84). *et ibid.* 9. 41. (147). *et* 37. *ibid.* 4. 15. (59).

SYMPĔRASMA, ătis, n. 3. συμπέρασμα, conclusio, id quod ex positis vel concessis concluditur. Est syllogismi species, apud *Capell.* 4. *p.* 98. Quid syllogismus, quid symperasma, quid prædicativus syllogismus *etc. et p.* 127. Hoc a Græcis συμπέρασμα dicitur, a nobis dici potest confinis conclusio.

Homonym. In quo differat *symperasma* a *syllogismo*, V. apud *eumd. loc. cit.*, qui tamen ab antiquiorum, puta Aristotelis, notione discedit, quibus συμπέρασμα est simplex ex propositione et assumptione (quæ προτάσεις vocantur) conclusio, a πέρασι dicta (*Arist. Anal. pr.* I. 9. etc. *V.* vocis συμπεραίνειν usum *Arist. Phys.* I. 3. et περαίνειν *Anal. pr.* I. 25. Cf. *Trendelenb. El. Log. Arist.* § 21. *et* 63.).

SYMPHŌNĬA, æ, f. 1. (συμφωνία) *Sumfonia* scribitur in *Inscr.* in *Annal. dell' Istitut. arch. a.* 1856. *p.* 10. *V.* ONOM. — Symphonia, spectata litterali vocis vi, est consonantia, concentus; aptius vero apud rei musicæ scriptores, temperamentum sonitus gravis ad acutum vel acuti ad gravem modulamen efficiens, ut docet *Cassiod. de music.*, ubi sex ejus species proponit.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Chalcid. Tim.* 44. Ex accentibus et succentibus variata ratione musicæ cantilena symphonia dicitur. *accordo.* Adde *Isid.* 3. *Orig.* 20. 3. *Vitruv.* 1. 1. Mathematica ratione sonituum discrimina ad symphonias musicas seu concentus componuntur divisa circinatione in diatessaron et diapente et diapason. *Capell.* 7. *p.* 239. Tres symphonias continet harmonia, id est diapason, hemiolion, diatessaron. *Boeth.* 2. *Arithm.* 54. *in lemmate.* Maxima et perfecta symphonia, quæ tribus distenditur intervallis. ¶ 2. Speciatim est musicus concentus, *concerto musicale, concerto, sinfonia. Horat. Art. P.* 374. Ut gratas inter mensas symphonia discors Ostendit. *Seneca Ep.* 12. *ad fin.* Ad symphoniam canere. *Cic.* 5. *Verr.* 44. 105. Quum in eis conviviis symphonia caneret maximisque poculis ministraretur. *Id. Cæl.* 15. 35. Bajis acta convivia, comissationes, cantus, symphonias etc. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (84.) Lusciniae jussas canere cœpisse et cum symphonia alternasse.

II.) Metonymice dicitur de musico instrumento, et speciatim ¶ 1. De classico militari,

apud Ægyptios. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 527. signum symphonia belli Ægypto dederat. Cf. *Anthol. Lat.* 742. 60. — Item apud Parthos. V. *Plutarch. Crass.* 23. ¶ 2. Sumitur etiam, sequiore Latinitatis ævo, pro organo musico. *Hieronym. Ep.* 21. *n.* 29. Male quidam de Latinis symphoniam putant esse genus organi; quum concors in Dei laudibus concentus hoc vocabulo significetur. Attamen *Isid.* 3. *Orig.* 22. *ad fin.* Symphonia vulgo appellatur lignum cavum ex utraque parte, pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt: fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus, ῥόπτρον βυρσοπαγές. V. *Arevali* adnot. ad *loc. cit.* Cf. etiam *Cels.* 3. 18. Quorumdam discutiendæ tristes cogitationes, ad quod symphoniæ et cymbala strepitusque proficiunt. *et Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Delphinus mulcetur symphoniæ cantu et præcipue hydrauli sono. V. *Rich* ad *h. v.* — Apud *Vulgat. interpr. Dan.* 3. 5. *et seqq.*, ubi sambuca cum *symphonia* conjungitur, videtur hæc esse tibia utricularis, Italice *cornamusa*, qua Asiatici populi utebantur. Denarium gentis Papiæ hæc duo instrumenta simul juncta repræsentat, ut videre est apud *Cavedoni* in *Opusc. di Modena. T.* 1. *p.* 173. Ceterum Danielis interpres vel instrumenta musica Babylonensia, a quibus Græci, ut ab aliis Orientis gentibus, plura mutuati sunt, nominibus appellavit Græcis; aut sua potius Græci instrumenta Babylonem detulerunt, nam « la musique, inquit *Lenormant Hist. anc.* V. *p.* 129., fût un art dévolu aux étrangers et aux esclaves; les riches Babyloniens dédaignaient d'exécuter eux-mêmes ». ¶ 3. Est etiam corpus symphoniacorum servorum. V. *Dirksen* ad *h. v.* — *NB.* Quæ de *symphonia* herba (quam *symphoniacam* appellant alii) afferuntur a nonnullis firmanturque verbis *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 23. (40)., incerta omnino sunt. *Harduin.* et *Sillig.* pro *symphonia* ex MSS. posuerunt *gromphæna*; alii vero aliter. Cf. tamen SYMPHONIACUS, a, um.

SYMPHŌNĬĂCA, æ. *V.* voc. seq. in fin.

SYMPHŌNĬĂCUS (sumphoniacus), a, um, adject. συμφωνιακός, ad symphoniam pertinens, *sinfoniaco. Arnob.* 2. *p.* 73. Idcirco (*rex mundi ex se genitas*) animas huc misit, ut res augustissimi nominis symphoniacas agerent et fistulatorias artes? — *Symphoniaci* homines, servi vel pueri, *suonatori, musici*, συμφωνιακοί, sunt qui ad modulationes musicas concentusque conficiendos comparantur. *Cic. Mil.* 21. 55. Milo tum casu symphoniacos pueros uxoris ducebat. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 55. Ab hac præfectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. *Ascon.* ad hunc locum adnotat, adhibitos fuisse etiam in navibus symphoniacos, qui remigantibus celeusma canerent vel per assam vocem, hoc est ore prolatam, vel per citharam, ut in Argo navi. Sed quia hic *in classe* dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant: unde ipsi tubæ classis nomen positum est *classicum*. Hæc *Ascon.* V. ARREPTICIUS. — Hinc absolute, substantivorum more

Symphoniaca, æ, f. 1. herba, quæ et hyoscyamus seu jusquiamus et insana dicitur. *Apul. Herb.* 4., *Pallad.* 11. *R. R.* 12. *sub fin., Veget.* 3. *Veterin.* 68., *Pelagon.* 6. 10. et *Marcell. Empir. c.* 36. *p.* 140. *retro.*

Symphoniacus, i, m. 2. musicus. ¶ 1. Generatim. *Inscr.* in *Annali dell' Istit. archeol. p.* 1856. *p.* 10. *n.* 7. SVRERVTIS PAMPHILI TI. CAESARIS SYMPHONIACVS. *Alia ibid. p.* 18. *n.* 97. COLLEGIO SYMPHONIACORVM QVI SACRIS PVBLICIS PRAESTV (*sic*) SVNT etc. *Alia ibid. p.* 18. *n.* 93. vocem Latinam habet *musicarius.* ¶ 2. Speciatim *symphoniaci* vocantur, qui scabella pede pulsantes et tibias ore inflantes saltantibus choris obstrepebant. V. *Augustin. loc. cit.* in SCABELLUM.

SYMPHŌNĬĂCUS, i. *V.* voc. præced.

SYMPHŌNĬUM, ĭi, n. 2. idem ac symphonia. *Schol. Bern.* 3. ad *Virg.* 2. *G.* 193., si vera est lectio.

SYMPHȲTON et

SYMPHȲTUM, i, n. 2. σύμφυτον. ¶ 1. Est genus herbæ, alio nomine *halum* vel *halus*, apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 6. 24. (41). *V.* integr. loc. ¶ 2. Est etiam aliud symphyti genus apud *eumd.* 14. *ibid.* 16. 19. (108)., quod alii helenion, alii medicam vocant. Vide etiam *Theod. Priscian.* 3. 18. et *Marcell. Empir. c.* 17. *p.* 111. *retro.*, ubi *symphytum* quidam vocant inulam rusticam, quidam vero allium (*sic*) gallicum.

SYMPĪNĬUM, ĭi, n. 2. genus vasis, ex quo plures bibere possunt vel quo in compotationibus utebantur. *Arnob.* 7. *p.* 235.

SYMPLĀGĬUM. *V.* SEMIPLAGIUM.

SYMPLASĬA, ōrum, n. plur. 2. fortasse idem ac seplasia. *Augustin.* in *Ps.* 63. *n.* 19. *ad fin.* Quid empturus est, ut facias? quæ symplasia quæsiturus es? *Alii leg.* emplastra.

SYMPLECTOS, on, adject. σύμπλεκτος, colligatus, connexus; sed usurpatur more substantivi, et significat quoddam genus pedis metrici, qui duabus syllabis longis et tribus brevibus constat, ut *symphoniacus. Diomed. p.* 481. 27. *Keil.*

SYMPLĒGAS, ădis *vel* ădos, f. 3. συμπληγάς, duæ insulæ sunt vel potius scopuli in Ponto Euxino apud os Bosphori Thracii, quæ et Cyaneæ dictæ sunt, de quibus *V.* ONOM.: a συμπλήττω, simul percutio, collido; fabulantur enim poetæ, olim mobiles fuisse et inter se concurrisse: donec, navi Argo medias pertranseunte, deorum imperio stetere. Origo fabulæ inde est, quod parvo discretæ intervallo, ex adverso intrantibus geminæ cernebantur, paullumque deflexa acie, coeuntium speciem præbebant. — Translate usurpatur — *a*) De complexione et cohæsione natium. *Auson. Epigr.* 108. 8. rotat inguina, suras, Tergum, colla, humeros, luteæ symplegadis antrum. *h. e.* podicem. Adde *Martial.* 11. 99. — *b*) Item de complexione et cohæsione limi in vadis maritimis. *Rutil.* 1. *Itiner.* 361. Ut, præbente algam densi symplegade limi, Servet inoffensas semita clara notas. — Hinc figurate *Julian.* apud *Augustin.* 4. *Op. imperf. contra Julian.* 13. Quo furore numquam cariturus es, nisi prius obscenum dogma rejeceris: quia inter pœnitentiæ pudorem, numquam tamen a Christianis eversatum, et argumentationis inopiam, graves perferens symplegadas, necesse est, ut bona dicta, quibus obrueris, aut sequaris aut laceres.

SYMPLEGMA, ătis, n. 3. σύμπλεγμα, συμπλοκή, complexio, copulatio, *gruppo.* ¶ 1. De signo, quo duo vel plures invicem amplexi vel osculantur vel luctantur, usurpat *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 3 (24). ¶ 2. Est etiam obscena copulatio spinthriarum ac præcipue histrionum incestos deorum amores in scæna repræsentantium, qualis depicta videbatur in tabellis Elephantidis. *Martial.* 12. 43. Sunt illic Veneris novæ figuræ, Quales perditus audeat fututor: Præstent et taceant quid (*præstiterint*) exoleti: Quo symplegmate quinque copulentur; Qua plures teneantur a catena. *Arnob.* 7. *p.* 239. Mimis nimirum dii gaudent: et illa vis (*deorum*) præstans neque ullis hominum comprehensa naturis libentissime commodat audiendis his aures, quorum symplegmatibus plurimis intermixtos se esse derisionis in materiam norunt.

SYMPLŎCE, es, f. 1. συμπλοκή, complicatio. Ita appellatur figura rhetorica, ubi et incipit sæpius ab una parte orationis et toties in unam atque eamdem desinit: ut est: Quis legem tulit? Rullus. Quis decemviros, quos voluit, creavit? Rullus. Hæc *Capell.* 5. *p.* 175.

SYMPŎRUS (sumporus), i, m. 2. σύμπορος, significare videtur itineris comitem; sed usurpatur speciatim de sodalibus collegii cujusdam funeraticii, in *Inscr.* apud *Bruzza Iscriz. Vercell. p.* 131. D. M. AVGVSTIANO MAGISTRO SYMPORUM.

SYMPŎSĬACA, ōrum. *V.* voc. seq. in fin.

SYMPŎSĬĂCUS, a, um, adject. συμποσιακός, convivalis, ad symposium seu convivium pertinens, *da convito.* Apud *Gell.* 6. 13. *in titulo* ita legitur: De quæstiunculis apud Taurum philosophum in convivio agitatis, quæ symposiacæ vocantur. — Hinc

Symposiaca, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. Ita notatur liber Platonis et Plutarchi, quod Symposium inscribitur, quia scilicet hujusmodi quæstiones continet. *Gell.* 4. 11. *sub fin.* Plutarchus in Symposiacis dicit. *et* 17. 11. *a med.* Plutarchus in libro Symposiacorum.

SYMPŎSĬON et

SYMPŎSĬUM, ĭi, n. 2. συμπόσιον, compotatio, convivium, *convito. Cic.* 9. *Fam.* 24. Ut sapientius nostri, quam Græci: illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id est compotationes aut concenationes, nos convivia, quod tum maxime simul vivitur. — Hoc nomine inscriptus est Platonis liber περὶ ἔρωτος, h. e. de amore, in quo Alcibiadem cum aliis inducit in convivio disputantem. *Gell.* 1. 9. Hic a Symposio Platonis incipere gestit, propter Alcibiadis comissationem. *Nepos Alcib.* 2. De quo mentionem facit Plato in Symposio. Adde *Auson. Edyll.* 13. *extr.* Item liber Xenophontis, de quo *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (79). — *Symposium* est etiam nomen sodalitii sive collegii, ex convivio, quod facere solerent hujusmodi sodales, in *Inscr.* apud *Bruzza Iscriz. Vercell. p.* 129. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SYMPŎTĬCUS, a, um, adject. συμποτικός, ad symposium pertinens, ut Sympoticæ quæstiunculæ apud *Gell.* 6. 13. *in lemmate.*

SYMPSALMA, ătis, n. 3. σύμψαλμα, vocum copulatio in cantando seu psallendo. *Augustin. in Psalm.* 4. *sect.* 4. et *Isid.* 6. *Orig.* 19. 15. *V.* PSALMA.

SYMPTŌMA, ătis, n. 3. σύμπτωμα, *sintoma*, affectus cum morbo conjunctus. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 13. *ante med.* Omnia minuuntur, quæ Græci symptomata vocaverunt, nos accidentia passionis. *et mox.* Ex ceteris accidentibus, quæ Græci symptomata vocant etc.

SYMPTYCTOS, on, adject. σύμπτυκτος, complicatus: qua voce significatur genus quoddam metri apud *Mar. Plotium Sacerd. De metr.* 3. 63. *p.* 515. 22. *Keil.* Pherecratium trimetrum, quod quidam symptycton, alii anapæsticum dicunt, monoschematistum est: semper enim spondeo dactylo spondeo percutitur.

SȲNĀFĬA. *V.* SYNAPHIA.

SȲNÆRĔSIS (synhæresis), is, f. 3. συναίρεσις, Latine complexio, figura est grammaticorum, qua duæ vocales in unam contrahuntur, servatis iisdem elementis: ut in illo *Virg.* 7. *Æn.* 33. fluminis alveo. *et* 6. *ibid.* 280. Ferreique Eumenidum thalami. *et Varron. Atacin.* apud *Quintil.* 1. 5. 17. Quum te flagranti dejectum fulmine, Phaethon. *V.* SYNALŒPHE. — Huic contraria est diæresis, ut in *Europai, aulai*, frequens apud *Lucret. Quintil. loc. cit.* et *Donat. de schematib. p.* 1772. *Putsch.* Græce.

SȲNĀGŌGA, æ, f. 1. συναγωγή, congregatio, cœtus hominum, *congregazione, unione, società.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cyprian. Ep.* 75. *n.* 14. Synagoga hæreticorum. *Vulgat. interpr. Eccli.* 3. 30. superborum. *Id. Ps.* 85. 14. potentium. *et Ps.* 7. 8. populorum. ¶ 2. Speciatim de conventu Hebræorum. *V.* infra. *Id. Luc.* 12. 11. et *Act.* 9. 2. *et alibi.* — Et de cœtu Christianorum, sed Græce, apud *Jac.* 2. 2. (Cf. *Epiphan. advers. hær.* 30. 18.). ¶ 3. Item de sectatoribus, qui ad cœtum aliquem pertinent. *Id. Apoc.* 2. 9. Se dicunt Judæos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Adde *ibid.* 2. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam est locus, in quo conventus habetur, sæpius vero ac speciatim locus publicus, in quem Judæi conveniebant, ut preces funderent et legem Mosaicam addiscerent, et quidem singulis sabbatis ac festis; post, etiam cujusvis hebdomadis die secundo et quinto, *sinagoga. Vulg. interpr. Matth.* 23. 6. Amant (*Pharisæi*) primas cathedras in synagoga. *Id. Luc.* 4. 16. Venit (*Jesus*) Nazareth et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surrexit legere. Et traditus est ei liber

Isaiæ. *et ibid. v.* 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ. *Id. Num.* 16. 2. Quinque viri proceres synagogæ. *Id. Luc.* 8. 41. Princeps synagogæ. Adde *Tertull. adv. Jud.* 8. *et* 13. et *Cod. Theod.* 16. 8. 9. — Origo synagogarum repetenda est inde a tempore Machabæorum in Palæstina, in exteris vero regionibus inde ab exsilio Babylonico (Cf. *Jos. De B. J. l.* 8. 3. 3.). Christi et Apostolorum tempore non solum in quavis Palæstinæ, sed etiam regionum Gentilium urbe, quam magna Judæorum multitudo incoleret, saltem una erat synagoga, in majoribus vero oppidis vel urbibus plures aut etiam plurimæ. Ædes hujusmodi dispositæ erant ad formam templi Hierosolymitani, ut atrium cum porticibus haberent et in medio atrio sacrarium quattuor columnis innixum, cui additum quoddam cubiculum, ubi, aura asperiore, et quidem ut in atrio, secundum familias statutis locis sedibusque Judæi congregabantur (V. *Vitringa De synag. vet., Della Valle Reiseb.* IV., *Th. Sendschr.* 5. 195. et *Ackerm. op. cit.* § 333. et 384. Cf. etiam '*Thalm. Succod* 51. 2.). — Habita in iis fuisse judicia atque adeo pœnas sumptas, testantur *locc. Matth.* 10. 17. *et* 23. 34., *Marc.* 13. 9., *Luc.* 12. 11. et *Act.* 9. 2. et 22. 19.; quamquam puto, non de synagoga, qua est domus liturgiæ accommodata, hæc omnia loca strictim esse accipienda. Cf. *Matth.* 10. 17. etc. (V. de Synag. etiam *Leyrer* in *Herzog Enc.* 15. *p.* 299. et *Schürer ntl. Zeitgesch. p.* 468.). — *Absque synagoga, extra synagogam facere aliquem*, conventu et communione fidelium excludere, sacris prohibere, excommunicationis pœna afficere. *Vulg. int. Joh.* 16. 2. *et* 9. 22. — *Pater* et *mater synagogæ*, qui vel quæ honoris causâ ex collatis beneficiis appellabatur, *Inscr.* apud *Henzen n.* 6145. M. AVILIVS IANVARIVS PATER SINAGOGAE (*sic*). Sic *Cod. Theod.* 16. 8. 4. Hiereos et archisynagogos et patres synagogarum et ceteros, qui synagogis deserviant, ab omni corporali munere liberos esse præcipimus. *et Inscr.* apud *Gruter.* 323. 3. COELIAE PATERNAE MATRI SYNAGOGAE BRIXIANORVM. *Alia* apud *Orelli n.* 2522. NOMINE SARA MATER SYNAGOGARVM CAMPI ET BOLVMNI. Adde *alias* apud *Murat.* 1044. 6. *et* 1713. 1. — In synagogis servi dimitti solebant. Cf. *Corp. Inscr. Græc.* 2. 1004. *et* 1005. ¶ 2. Per synecdochen ipsi congregati in synagoga. *Vulgat. interpr. Act.* 12. 43. Quum dimissa esset synagoga, secuti sunt multi.

SȲNĂGŌNUS, a, um, adject. συνάγωνος, appellatur lapis quidam finalis apud *Gromat. vet. p.* 249. *et* 405. *Lachm.-Rud.* Exagonus, septagonus, synagonus. *h. e.* ejusdem anguli.

SȲNĂLĪPHA, æ, et

SȲNĂLĪPHE, es, f. 1. *V.* SYNALŒPHA.

SȲNALLAGMA, ătis, n. 3. συνάλλαγμα, conventio, placitum (mutuæ præstationis). *Cod. Theod.* 2. 14. 7. § 2.

SȲNĂLŒPHA (synalipha), æ, *et*

SȲNĂLŒPHE (synaliphe), es, f. 1. συναλοιφή, figura poetica, qua ultima vocalis aut diphthongus præcedentis dictionis a prima vocali vel diphthongo sequentis excipitur et quodammodo absorbetur: a σύν, simul, et ἀλοιφή, pressio, vel ἀπὸ τοῦ συναλείφειν, hoc est a conglutinando, propterea quod per eam duæ syllabæ in unam coalescant, ut in illo *Virg.* 2. *Æn.* 1. Conticuere omnes intentique ora tenebant. — Differt a synæresi, quod ea in eadem dictione duas vocales contrahit, hæc in duarum fine et initio. *Quintil.* 1. 5. 17., *Charis.* 4. *p.* 249. *Putsch.*, *Diomed.* 2. *p.* 437. *ibid.*, sed omnes Græce. Latine *Quintil.* 9. 4. *a med.* Nam synalœphe facit, ut ultimæ syllabæ pro una sonent. Adde *Priscian.* 7. *p.* 279. *Putsch.* et *Isid.* 1. *Orig.* 35. 5.

SȲNANCHE, es, f. 1. συνάγχη, asidina, *squinanzia. Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 1. 3. Si interius atque exterius et in utraque parte fuerit tumor, tunc proprio nomine synanchen memorant nuncupandam. Cf. *eumd. ibid. n.* 1. *Gell.* 11. 9. Synanchen pati. Adde *Veget.* 2. *Veterin.* 10. 3. *et* 5. — Narrat *Gell. loc. cit.* lepidam de angina Demosthenis historiam. Quum legati Milesiorum Athenas venissent quippiam rogatum, Demosthenes contra eorum postulata acri oratione usus, eos dixit rejiciendos. Re in posterum prolata, venerunt ad eum domum legati et, grandem pecuniam polliciti, obtinuerunt, ut ne contra eos amplius diceret. Postridie venit ille in forum, lana multa et fasciis collo circumvolutus: excusavitque synanchen, quod contra Milesios, ut promiserat, verba non faceret. Tum e populo unum exclamasse ferunt, non synanche Demosthenem, sed argyranche laborare.

SȲNANCHĬCUS, a, um, adject. συναγχικός, ad synanchen pertinens, ut Synanchica passio. *Cæl. Aurel.* 2 *Acut.* 25. 140.

SȲNĂPHE, es, f. 1. συναφή, conjunctio. *Boeth.* 1. *Music.* 24. Est igitur synaphe, quæ conjunctio dicitur, duorum tetrachordorum vox media, superioris quidem acutissima, posterioris vero gravissima.

SȲNĂPHĪA (synafia), æ, f. 1. συνάφεια, conjunctio. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2568. *Putsch.* Ita binæ bases, hoc est breves ac longæ junctæ per synaphiam ut Græce vocant, nos per conjunctionem. *Id. p.* 2569. Diximus ionicum ἀπὸ μείζονος gigni, per synaphiam, id est, quum vicissim breves longis aut longæ brevibus syllabis, prout metri mensura fuerit, subjiciuntur. Adde *Serv. De metr. Horat. p.* 471. 12. *Keil.* et *Terentian. p.* 2429. *Putsch.*

SȲNĂPOTHNESCONTES, συναποθνήσκοντες, simul morientes, commorientes, titulus cujusdam Græcæ comœdiæ. *Ter. Adelph. prol.* 6. Synapothnescontes Diphili est comœdia: Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.

SȲNĂRISTŌSÆ, ārum, f. plur. 1. Συναριστῶσαι, h. e. feminæ simul prandentes: a σύν, simul, et ἀριστάω, prandeo. Nomen est comœdiæ *Menandri* et *Cæcilii*, in quibus tales feminæ inducuntur. Memoratur a *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 81. (159)., *Gell.* 15. 15. et *Non. p.* 370. 14. *Merc.*

SȲNASTRĬA, æ, f. 1. συναστρία, constellatio, sensu, quem habet apud Mathematicos genethliacos. *Auct. Queroli* 2. 4. 168. Hora est: mihi synastria hæc placet. V. *Klinkhameri* adnot.

SȲNĂTHRISMUS et rectius

SȲNĂTHRŒSMUS, i, m. 2. συναθροισμός, figura, qua multa simul coacervantur. Potest autem et singulis verbis et plurium verborum conjunctione fieri, ut docet *Rutil. Lup. De fig. sent.* 2. Singulis verbis, ut apud *Ter. Heaut.* 2. 1. 15. Mea est procax, potens, magnifica, sumptuosa, nobilis. — Plurium verborum conjunctione, ut apud *Sall. Cat.* 5. Audax animus, cujuslibet rei simulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus etc. *V.* CONGERIES. Adde *Cassiod.* in *Ps.* 75. 12. *et* 87. 13. — Ipsa vox Græca est et Græce scribenda; quamquam in recentiorib. edit. aliquando Latinis litteris scribitur.

SȲNAXIS, is, *et* eos, f. 3. σύναξις, congregatio vel locus, in quo congregatio fit. *Venant.* 8. *carm.* 17. 1. Repsit quale nefas intra pia sæpta synaxis! *h. e.* monasterii.

SYNCĂTĒGŎRĒMA, ătis, n. 3. (συγκατηγόρημα) *Priscian.* 2. *p.* 574. *Putsch.* Partes orationis, nomen et verbum, solæ per se conjunctæ faciunt orationem; alias autem partes syncategoremata, hoc est consignificantia, appellabant.

SYNCĔCHȲMĔNOS, on, adject. confusus, quo significatur unus e sex modis metricis, de quibus *Diomed.* 3. *p.* 500. *Putsch.* Sed *Keil* Græcis litteris dedit. *V.* SYNEZEUGMENOS.

SYNCĔRASTUM, i, n. 2. συγκεραστόν, Græce est rerum commixtio, quasi contemperatum. Per synecdochen ponitur pro omni edulio. *Varro* 7. *L. L.* 11. *Müll.* Plautus in Phagone, Honos synceraste perit. Syncerastum est omne edulium antiquo vocabulo Græco.

SYNCĒRUS. *V.* SINCERUS.

SYNCHŌRĒSIS, is, f. 3. συγχώρησις, concessio, figura rhetorica, quæ locum habet, quoties aliqua importuna desiderantibus conceduntur, quæ ad utilitatem ipsorum pertinere non possunt, ut ait *Cassiod.* in *Ps.* 77. *v.* 31. Cf. *Auct. Schem. Dian.* 26. *Isid.* vero 2. *Orig.* 21. *in fin.* Synchoresis est quum differimus aliquid petentes, ut aliud interim nos permittant dicere.

SYNCHRISMA (syncrisma), æ, f. 1. *et*

SYNCHRISMA, ătis, n. 3. σύγχρισμα, inunctio. *Pelagon.* 4. *Veterin. a med.* Inde synchrismate curetur. *Veget.* 3. *Veterin.* 45. Post synchrisma ad curandos armos inducitur. *et* 6. *ibid.* 18. Compositio synchrismæ. *et* 5. *ibid.* 12. 3. Synchrisma (*scribe* synchrismate) etiam (*jumentum*) perunges in sole. Adde *Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 88. *retro.*

SYNCHRŎNUS, a, um, adject. σύγχρονος, æqualis, contemporaneus. *Hieronym. præf.* in *XII. Proph.* Vos admonitas volo, Osee esse synchronon Isaiæ. Alii Græce scribunt.

SYNCHȲSIS, is, f. 3. σύγχυσις, confusio, turbatio ordinis, speciatim apud Grammaticos hyperbaton obscurum seu transgressio confusa et perturbata, id est vitium, quo verba inter se longius permiscentur et confunduntur, quam æquum sit, ut apud *Horat.* 1. *Sat.* 5. 49. Namque pila lippis inimicum et ludere crudis. *Rectus ordo erat:* Namque pila ludere inimicum est lippis et crudis. *Charis.* 4. *p.* 246. *Putsch.*, *Donat. De trop. p.* 1777. *ibid.*, *Pompei Comment. p.* 310. 6. et *Diomed. p.* 461. 7. *Keil.* V. HYPERBATON.

SYNCĬPUT. *V.* SINCIPUT.

SYNCŎPA. *V.* SYNCOPE.

SYNCŎPĀTUS, a, um, particip. *V.* SYNCOPO.

SYNCŎPE, es, *et* syncopa, æ, f. 1. συγκοπή, concisio. ¶ 1. Apud Grammaticos est figura, qua littera vel syllaba de medio dictionis subtrahitur, ut *periclum, vixet, exstinxem* et sescenta hujusmodi apud poetas, *leva 'n mezzo.* Quin et prosæ scriptores, *nummum, liberum, triumvirum* pro *nummorum, liberorum, triumvirorum* etc. dicunt: qua de re *Cic. Orat.* 45. 46. *et* 47. multa. *Charis.* 4. *p.* 248. *Putsch.* et *Diomed.* 2. *p.* 436. ¶ 2. Apud rei veterinariæ scriptores est defectio virium. *Veget.* 1. *Veterin.* 25. 3. *V.* voc. seq.

SYNCŎPO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (syncope) Part. *Syncopatus.* — Syncopo est viribus destituo. — Absolute, neutrorum more. *Veget.* 2. *Veterin.* 25. Si quod jumentum syncopaverit, his agnoscitur signis: pigrius ambulabit, tamquam suffusione constrictum. *h. e.* viribus defecerit. — Passive. *Id. ibid.* Inter suffusos et syncopatos hæc distantia est, quod suffusi-flectentes crura incedere solent: syncopati autem etc.

SYNCRĂSIS, is, f. 3. σύγκρασις, commixtio, temperatio. Unus est ex æonibus Valentinianis, apud *Tertull. advers. Valentinian.* 8.

SYNCRĪSIS, is, f. 3. σύγκρισις, concretio, comparatio ¶ 1. Apud Rhetores, figura quæ Latine collatio dicitur, quum comparatione quadam justiorem causam nostram, quam adversarii, demonstramus, ut docet *Cassiod.* in *Ps.* 19. 8. *coll. Ps.* 25. 11. — Græce usurpat *Jul. Rufinian. De fig.* 37. et *Auct. Schem. Dian.* 27. ¶ 2. Apud Grammaticos putatur esse eadem ac synalœphe. *Consent. Art. p.* 389. 32. *Keil.* Synalœphe est vel syncrisis, quum per collisionem concurrentium vocalium subtrahendi ex his aliquam præbeatur occasio. Sic *Julian. Tolet. p.* CCXXXV. 19. ed. *Hag.* Sinalœphe – a quibusdam syncrisis nominatur etc.

SYNDESMOS, i, m. 2. σύνδεσμος, colligatio, conjunctio. ¶ 1. Generatim. *Charis. excerpt. p.* 552. 38. *Keil.* ¶ 2. Speciatim figura rhetorica, Latine collatio, quando sibi aut personæ aut causæ sive ex contrario sive ex simili comparantur, ut scribit *Cassiod.* in *Ps.* 11. *v.* 7.

SYNDICASMOS, i, m. 2. fortasse pro *syndyasmos*, id est collatio, quando res diversæ in contrarium sibi comparantur, apud *Cassiod.* in *Ps.* 51. *v.* 8. Cf. SYNDESMOS.

SYNDĬCUS (syndicos), i, m. 2. σύνδικος, qui ab aliquo collegio vel civitate ad causam ipsius agendam ejusque jura tuenda electus est, *sindico o sindaco, rappresentante di qualche università, collegio o città. Hermog. Dig.* 50. 4. 1. Munerum civilium quædam sunt patrimonii, alia personarum: personalia sunt civilia mu-

nera, defensio civitatis, id est ut syndicus fiat etc. *Arcadius ibid.* 18. § 13. Defensores quoque, quos Græci συνδίκους appellant, qui ad certam causam agendam vel defendendam eliguntur. *Cajus ibid.* 3. 4. 1. Quibus autem permissum est corpus habere, collegii, societatis sive cujuscumque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum reipublicæ habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem tamquam quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat. *Ulp. ibid.* 43. 24. 5. § 10. Procurator, tutor, curator municipumque syndicus.

SYNDO vel

SYNDON. *V.* SINDON.

SYNDȲASMOS, i, m. 2. συνδυασμός, copulatio, conjunctio; speciatim figura rhetorica eadem ac syndesmos. *Cassiod.* in *Ps.* 62. *v.* 12. *et* 76. *v.* 13.

SȲNECDŎCHE, es, f. 1. συνεκδοχή. ¶ 1. Apud Grammaticos, est figura verborum per detractionem, quum subtractum aliquod verbum satis ex ceteris intelligitur, ut Cælius in Antonium: Stupere gaudio Græcus. simul enim auditur, cœpit. Hæc *Quintil.* 9. 3. *a med.* Hinc *Cic.* 16. *Fam.* 17. Ego hinc perendie mane cogito. *scil.* discedere. ¶ 2. Apud Rhetores est tropus, quo totum ex parte aut contra, vel antecedentia ex consequentibus intelliguntur: fitque octo modis, quos persequitur *Quintil.* 8. 6. 18. *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 44., qui intellectionem vocat, *Charis.* 4. *p.* 245. *Putsch.* et *Diomed.* 2. *p.* 453. *ibid.*

SȲNECDŎCHĬCĒ, adverb. (synecdochicus), per synecdochen. *Hieronym.* 2. in *Matth.* 12. 40. Synecdochice totum intelligitur ex parte.

SȲNECDŎCHĬCUS (synecdochicos), a, um, adject. συνεκδοχικός, ad synecdochen pertinens. *Hieronym.* 5. in *Is.* 14. 2.

SȲNĔCHES, is, adject. omn. gen. συνεχής, continuus, perpetuus. *Capell.* 9. *p.* 331. Pes brevior proceleusmaticus, id est disemus synechcs vocatur, quia ipsa assiduitas et frequentia comprehendentis se invicem syllabæ nec magnitudinem aliquam, nec modum divisæ potestatis extendit. *Boeth.* 1. *Music.* 12. Omnis vox aut synches (*corrig.* synechcs) est, quæ continua aut diastematice prædicitur cum intervallo suspensa. Et continua quidem est, qua loquentes vel prosam orationem legentes verba percurrimus: diastematice autem ea est, quam canendo suspendimus, in qua non potius sermonibus sed modulis inservimus. At *Friedl.* leg. Græce.

SȲNĔCHĪTIS. *V.* SYNEPHITIS.

SYNECHON, vox Ægyptia, qua significatur herba eadem, quæ Latinis dicitur scelerata. *Apul. Herb.* 9. Alii aliter leg.

SȲNĔCHON, ontis, particip. Græcum litteris Latinis, a συνέχω, contineo, h. e. continens, absolute usurpatum, quo Rhetores eam controversiæ partem intelligunt, qua continetur omnis defensio, ut definit *Fortunatian. Art. rhet.* 1. 2. Apud *Augustin. De rhet.* 14., *Jul. Vict. De rhet.* 2., al. Græcis litteris scribitur.

SȲNECPHŌNĒSIS, is, f. 3. συνεκφώνησις, figura metrica, eadem quæ synæresis, Græcæ originis atque usus. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2510. *Putsch.* Sed *Keil* dedit Græcis litteris.

SȲNECTĬCUS, a, um, adject. συνεκτικός, activus, operativus, *che ottiene il suo effetto, efficace. Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. 112. Asclepiades dixit, non esse activas atque operantes causas ægritudinum in liquidis constitutas, quas synecticas vocant, sed esse antecedentes, quas Græci procatarcticas appellant. Adde 3. *ibid.* 15. 119.

SȲNĔDRĬUM, ii, n. 2. συνέδριον, universim congregatio seu cœtus virorum qui sedent, consessus; speciatim vero ¶ 1. Apud Hebræos (voce parce detorta, *sanedrin* ab iis dictum, Latine *concilium* apud *Vulg. interpr. Matth.* 5. 22.), erat supremus judicum consessus seu tribunal, ex septuaginta et uno assessoribus constans, quorum alii principes sacerdotum (ἀρχιερεῖς), alii legisperiti (γραμματεῖς), alii vero seniores erant (πρεσβύτεροι), sinedrio. Porro ad hoc tribunal afferri solebant causæ graviores; verum a Romanis Judææ imperantibus relicta quidem est ei juris dicundi itemque capitis damnandi potestas, ita tamen, ut sententia capitis ab eo dicta, nisi a procuratore Romano confirmaretur, rata non esset. (Cf. *Joh.* 18. 31., *Sanhedr. p.* 24. *col.* 2. et *Jos. Antiq. Jud.* 20. 9.) — Originem synedrii repetunt historici quidam ab illo Hebræorum judicio, quod Moyses constituerat (*Num.* 11. 16. *et seq.*): quibus adstipulatur cl. *De-Vit.* Sed alii rectius censent, perperam Hebræos hanc sibi antiquitatem vindicare, et ortum esse hoc tribunal post reditum ab exsilio Babylonico, et quidem ætate Machabæorum, quod primum memoretur sub Hircano secundo. (*Jos. Antiq. Jud.* 14. 9., *Ackerm. op. cit.* § 237., *Ubaldi Introd.* etc. *v.* III. *p.* 661. et *seq.*, al.) *Cod. Theod.* 16. 8. 29. Judæorum primates, qui in utriusque Palæstinæ synedriis nominantur vel in aliis provinciis degunt. ¶ 2. Dicitur etiam de quocumque conventu juri dicundo. *Arnob.* in *Ps.* 103. *V.* voc. seq.

SȲNĔDRUS, i, m. 2. σύνεδρος, consessor, adsessor, consiliarius. *Liv.* 45. 32. *de Macedonib.* Macedonum convocatum concilium: pronunciatum, senatores, quos synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica administraretur. — De synedris *Lucan.* 8. 259. monent critici legendum *Syedris*, quod est Ciliciæ oppidum maritimum.

SȲNEMMĔNOS, on, adject. συνημμένος, adjunctus, connexus, uti explicat *Gell.* 16. 8., ubi ostendit quid sit συνημμένον ἀξίωμα apud Græcos. Speciatim vero usurpatur in re musica. *Boeth.* 1. *Music.* 20. Eptachordum dicitur synemmenon, quod est conjunctum, octachordum vero dieuzeugmenon, quod est disjunctum. Adde *eumd. ibid.* 26. et *Censorin. fr. p.* 2723. *Putsch.* — Hinc *nete synemmenon*, *trite synemmenon*, *paranete synemmenon* nomina sunt chordarum musicarum apud *Vitruv.* 5. 4., quarum prior *nete synemmenon*, h. e. ultima conjunctarum, respondere videtur ei, quæ a recentioribus musicis dicitur *D la sol:* altera *paranete synemmenon*, h. e. pænultima conjunctarum, *C sol fa:* tertia *trite synemmenon*, h. e. tertia conjunctarum, *B fa b mi.* Ita *Forcellinus.* Adde *Boeth.* 4. *Music.* 15.

SȲNEMPTŌSIS, is, f. 3. συνεμπτωσις, concursus vel collisio, figura grammatica, Latine *concidentia*, ut eam vocat *Priscian.* 17. *p.* 1199. *Putsch.*, ubi Græcis litteris scribitur; Latinis vero 18. *p.* 1199. *ibid.*

SȲNĔPHĒBUS, i, m. 2. συνέφηβος, qui una pubescit. *Synephebi* est nomen comœdiæ Statii Cæcilii. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 4. Synephebos ego, inquit, potius Cæcilii aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? *Id. Senect.* 7. 24. Ait Statius in Synephebis. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SȲNERGUS, i, m. 2. συνεργός, administer, adjutor. *Firmic.* 1. *Mathes.* 4. Quidam terna numina decanis singulis applicarunt, quos munificos appellandos esse voluerunt, hoc est synergos. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SȲNĔSIS, is, f. 3. σύνεσις, intelligentia, perspicax animi facultas; speciatim vero ¶ 1. Apud Grammaticos est figura syntaxeos. *V.* SYNTHESIS. ¶ 2. Est etiam unus ex æonibus Valentinianorum. *Tertull. advers. Valentinian.* 8. — *NB.* De nom. propr. R. *V.* ONOM.

SȲNEZEUGMĔNOS, on, adject. ex particip. Græco συνεζευγμένος, conjunctus, quo significatur unus e sex modis metricis, de quibus *Diomed.* 3. *p.* 500. *Putsch. Catasticus*, definitivus: *systematicos*, compositus: *asynarthros*, incompositus; *synecchymenos*, confusus: *synezeugmenos*, conjunctus: *paragogos*, derivativus. Conjunctus est quando ex duobus metris versus ordinatur ut heroicus et iambicus. *Keil* Latinis litteris dedit.

SYNGĔNICON. *V.* POLYGYNÆCON.

SYNGRĂPHA (syngrafa), æ, et

SYNGRĂPHE, es, f. 1. (συγγραφή) *Syngraphe* terminatione Græcanica scribitur in *Not. Tir. p.* 124. — Syngrapha est scriptura sive schedula, quæ fit propria manu contrahentium ad pactorum fidem, ab utroque subscribitur et ab utraque parte servatur (It. *scrittura d'obbligo, cauzione, obbligo in iscritto, scritta, cedola;* Fr. *billet, obligation, ecrit;* Hisp. *billet, poliza, obligacion;* Germ. *der Schuldschein, die Schuldererschreibung;* Angl. *a bond or bill signed and sealed by both parties*). *Cic.* 7. *Fam.* 17. Tamquam enim syngrapham ad imperatorem, non epistolam attulisses, sic pecunia ablata, domum redire properabas. *Id. Harusp. resp.* 13. *ad fin.* Alterum putabo regem, si habuerit, unde tibi solvet, quod ei per syngrapham credidisti. *Id. Dom.* 50. 129. Facere syngraphas cum aliquo. *Id. Mur.* 17. 35. Agere ex syngrapha. *far lite sopra una cauzione o scrittura.* et 5. *Att.* 21. *a med.* Postulare aliquid ex syngrapha. *pretendere in vigor d'una scrittura d'obbligo.*

Homonym. Differt *syngrapha* a *chirographo*, ut ostendunt hæc *Asconii* verba in 3. *Verr.* 36. Inter syngraphas et cetera chirographa hoc interest, quod in ceteris tantum, quæ gesta sunt, scribi solent; in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit et, non numerata quoque pecunia aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutoque Græcorum: et ceteræ tabulæ ab una parte servari solent, syngraphæ signatæ utriusque manu, utrique parti servandæ traduntur. Cf. SYNGRAPHUS.

SYNGRĂPHEUS, i, m. 2. trisyllab. συγγραφεύς, synchronus scriptor. *Idac. præf. Chron.* Post hunc (*Eusebium*) successor syngrapheus perfectus universis factorum dictorumque monimentis Hieronymus presbyter.

SYNGRĂPHUM, i, n. 2. idem ac syngrapha. *Coripp.* 2. *Laud. Justin.* 368.

SYNGRĂPHUS (sungraphus), i, m. σύγγραφος ¶ 1. Est idem ac syngrapha. *Plaut. Asin.* 4. 1. 1. Agedum, istum ostende, quem conscripsti, syngraphum inter me et amicam et lenam. ¶ 2. Idem *Plautus* syngraphum posuit etiam pro chirographo, quod belli tempore datur, ut liber transitus quoque sit, diploma, *passaporto, salvocondotto.* Sic enim ait *Capt.* 2. 3. 90. Eadem opera a prætore sumam syngraphum, quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.

SȲNHISTOR. *V.* SYNISTOR.

SȲNHŎDUS. *V.* SYNODUS.

SȲNISTOR, ŏris, m. 3. συνίστωρ, conscius, *consapevole, conscio.* Titulus fuit unius ex saturis Menippeis *Varronis*, ex qua fragmenta recitat *Philargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 478. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SȲNIZĒSIS, is, f. 3. συνίζησις, subsidentia, nomen est figuræ grammaticorum, quæ et *Synæresis*, qua vocales duæ in unum quasi subsidunt et unam syllabam faciunt. Ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 702. Aurea composuit sponda etc. *Servius* hæc adscribit: Si Dido *aurea*, pulcram significat et est nominativus: si *sponda*, septimus quidem est, sed synizesis fit et spondeus est.

SYNLEMPSIS et

SYNLEPSIS. *V.* SYLLEPSIS.

SYNNAS, ădis, m. 3. ad Synnadam, oppidum Phrygiæ pertinens, de qua *V.* ONOM.; dicitur autem speciatim de lapide seu marmore, quod circa illud effodiebatur. *Sidon. carm.* 5. 17.

SYNNĀVUS, a, um, adject. σύνναος, qui in eodem templo colitur. Æolico digammate inserto, Latini, ut sæpe alias, pro *synnaus* scripserunt *synnavus.* Hinc *Inscript.* apud *Gruter.* 89. 2. DI SYNNAVI. Hos ita memorat *Ovid.* 6. *Fast.* 63. Aurea possedit socio Capitolia templo Mater et, ut debet, cum Jove summa tenet. *Serv.* ad *Virg.* 2. *Æn.* 225. Delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut Capitolium, in quo Minerva, Juppiter, Juno sunt σύνναοι.

SYNNĔPHĪTIS, ĭdis, f. 3. gemma eadem quæ galactites. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (162). Ita leg. *Jan* et *Sillig.*; alii *synophites*, alii *synephitis* vel *synechitis*.

SȲNŎCHĪTĬDA, æ, f. 1. idem ac synochitis. *Isid.* 16. *Orig.* 15. 22.

SȲNŎCHĪTIS, ĭdis, f. 3. συνοχῖτις, gemma, qua magi umbras inferorum evocatas teneri asserunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (192). Anachitide in hydromantia dicunt evocari imagines deorum, synochitide umbras inferorum evocatas teneri.

SȲNŎCHUS, a, um, adject. σύνοχος, continuus; hinc de febri *Soran. Isag.* 5. Hoc tempore nutriantur causon, synochus, tertiarius.

SȲNŎDĀLĬA, ĭum. *V.* voc. seq.

SȲNŎDĀLIS, e, adject. (synodus) ad synodum pertinens, *sinodale*. *Venant.* 3. *Vit. S. Martin.* 415. Concilium allectum fuerat synodale Nemausum. — Hinc

Synodalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, decreta, quæ in synodo sanciuntur. *Id. ibid.* 423. Pro vice Martini (*angelus*) peragens synodalia præsens.

SȲNŎDĬCĒ, adverb. (synodicus) synodali more, ex synodi præscripto. *Cassiod.* 4. *Hist. Eccl.* 25. *a med.* Juberet imperator non synodice, sed judicialiter potius examinari etc.

SȲNŎDĬCUS, a, um, adject. συνοδικός, in itinere conjunctus; sed speciatim ¶ 1. Apud Astronomos, dicitur de luna, quæ *synodica* vocatur, quum est in conjunctione cum sole, quo scilicet tempore lumine omnino caret. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *a med.* et 4. *ibid. præf. ad fin.* ¶ 2. Est etiam ad synodum pertinens, synodalis. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 13. Synodica epistola. *Id.* 4. *ibid.* 21. His litteris motus Constantius præcepit Sardicæ et orientales et occidentales convenire pontifices. Multæ siquidem etiam aliæ passiones medicinam synodicam requirebant. Adde *Hieronym. Vir. ill.* 45.

SȲNŎDĪTÆ, ārum, m. plur. 1. συνοδῖται, qui simul et communi societate vivunt. Monachi synoditæ iidem sunt, qui cœnobitæ. *Socrates l.* 4. *c.* 23. Τοὺς ἐν κοινοβίοις ἢ συνόδοις μοναχούς. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 1. 4. 6. (et *Cod. Theod.* 11. 30. 57.) Nulli clericorum vel monachorum, eorum etiam, quos synoditas vocant etc. Repetitur hoc idem in eod. *Cod. Theod.* 9. 40. 16., ubi *cœnobitæ* legitur, ut intelligas, duabus his vocibus idem significari.

SȲNŌDĬUM, ĭi, n. 2. συνῴδιον, concentus. *Diomed.* 3. *p.* 439. *Putsch.* V. MONODIUM.

SȲNŎDONTĪTIS, ĭdis, f. 3. συνοδοντῖτις, gemma, quæ in cerebro synodontis piscis inveniri dicitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182).

SȲNŎDOS (synhodos) *vel*

SȲNŎDUS (synhodus), i, f. 2. σύνοδος, conventus, cœtus, concilium: proprie autem et speciatim ¶ 1. Ita appellabatur collegium scænicorum et athletarum Romæ sub Hadriano Aug. institutum, ut ex Græcis *Inscript.* apud *Gruter.* 315. 9. et 616. 1. patet. Hinc *Inscript.* apud *eamd.* 313. 8. L. AVRELIO APOLAVSTO MEMPHIO AVGG. LIB. HIERONICAE ET ARCHIERI SYNHODI etc. *et* 330. 3. M. AVR. AVG. LIB. AGILIO SEPTENTRIONI PANTOMIMO SVI TEMPORIS PRIMO SACERDOTI SYNHODI APOLLINIS etc. *Alia* apud *Orelli n.* 2542. SACRA SYNHODOS NEAPOLI CERTAMINE QVINQVENNALI DEC. Hæc *sacra synhodos* illustratur marmore, quod subjecit *Orellius*. V. ¶ 2. Usurpatur etiam de conventu Ecclesiastico religionis causa inito, *sinodo, concilio*. Hinc *Ammian.* 15. 7. *a med.* Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam cœtus in unum quæsitus ejusdem loci multorum (synodus, ut appellant) removit a sacramento, quod obtinebat. *Impp. Valent.* et *Martian. Cod.* 1. 3. 23. Venerabilis synodus innumerabilium pæne sacerdotum, qui Chalcedone convenerunt. Adde *Ambros., Augustin.,* al. passim.

SȲNŎDUS, ontis, m. 3. σύνοδους, piscis genus ita dicti a dentibus prominentibus (*Sparus* Linn.), *dentale, sinodonte*. *Ovid. Halieut.* 107. Et rutilus pagur et fulvi synodontes et ex se Concipiens channe. Adde *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67.

SȲNŒCĬŌSIS, is, f. 3. συνοικείωσις, figura verborum per detractionem, per quam duæ res inter se diversæ in oratione conjunguntur: a σύν, simul, et οἶκος domus; nam res diversas in unam sedem orationis congregat. Habet magnam vim, ut ait *Rutilius Lupus* vel ex laude vitium vel ex vitio laudem exprimendi. Hujusmodi est tritum illud: *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. Quintil.* 9. 3. *a med.*, ubi tamen Græcis litteris scribit.

SȲNŒCĬUM, ĭi, n. 2. συνοίκιον, contubernium, cohabitatio. *Petron. Sat.* 93. Aliquis ex his, qui in eodem synœcio potant. Alii leg. *gynæcio* seu *gynæceo*.

SȲNŌNĒTON (synonetum), i, n. 2. συνώνητον, coemptio seu comparatio specierum ad annonam pertinentium, quæ fiebat in caritate annonæ a fisco ad avertendam famem Urbi imminentem. Adigebantur enim provinciales vendere species annonarias, puta frumentum, vinum etc. justo pretio accepto. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11. *tit.* 15., qui *De publica comparatione* inscribitur 1.

SȲNŌNȲMĬA, æ, f. 1. συνωνυμία, figura rhetorica, eadem quæ Latine *interpretatio* dicitur. *Mar. Plot. Sacerd. p.* 455. *Keil.* Synonymia est quum una res multis nominibus nuncupatur. Adde *Capell.* 5. *p.* 175. *Isid.* 2. *Orig.* 21. 8. et *Fronton. De diff. voc. p.* 525. *Keil. Quintil.* 8. 3. 16. Græce usurpat. *V.* INTERPRETATIO.

SȲNŌNȲMON. *V.* voc. seq. in fin.

SȲNŌNȲMOS et

SȲNŌNȲMUS, a, um, adject. συνώνυμος, qui nomen commune habet vel qui idem significat. *Prob. Art. min. p.* 120. 6. *Keil.* Sunt nomina, quæ appellantur synonyma, quæ variis significationibus (*Dosith. Gramm. p.* 398. 6. *ibid.* habet *loquelis*) unam rem designant, ut puta: *tellus, terra, humus.* et *Boeth. Soph. Arist.* 1. 4. Redargutio est contradictio unius et ejusdem, non nominis, sed rei et nominis non synonymi, sed ejusdem etc. — Hinc

Synonymum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, id, quod ejusdem, ut aliud, est significationis. *Fronto de eloqu.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 232. Nonne te tumultuariis quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis? ut veterum commata, ut cola synonymorum ratione converteres, ut de vulgaribus elegantia, de contaminatis nova redderes. *et p.* 237. Securus inde abeas, cui nihil per noctem meditandum aut conscribendum, nihil magistro recitandum, nihil de memoria pronunciandum, nulla verborum indagatio, nullius synonymi ornatus, nihil de Græco in nostram linguam pariter vertendum.

SȲNŌPHĪTES. *V.* SYNNEPHITIS.

SȲNŌPIS. *V.* SINOPIS.

SȲNOPSIS, is, f. 3. σύνοψις, breviarium multarum rerum sub uno aspectu positarum, *ristretto, compendio*. *Ulp. Dig.* 27. 9. 5. *a med.* Prætor requirat, qui notitiam rerum pupillarium habeat: aut, si nemo invenitur, jubere debet edi rationes; itemque synopsim pupillarium bonorum advocatumque pupillo dare, *inventario*. Ita *Torrentin., Gothofred.* et *Cujac. l.* 8. *Observat. c.* 1. Alii, *itemque si opus est, pupillarium bonorum advocatum pupillo dare* leg. — *Synopsis operis construendi*, diagramma, *disegno, modello, pianta*, in quadam *epist. Imp. Valentiniani ad Sallust. præf. Urb.*, quæ refertur a *Baron. ad ann. CCCLXXXVI. n.* 40. Adde *Gromat. vet. p.* 92. 17. *Lachm.-Rud.* et *Renier Inscr. Afric.* 1890. — *Synopsis Jovis*, in *Inscr.* apud *Henzen n.* 6130. est index donorum etc. *V.* loc.

SȲNOPTĬCUS, a, um, adject. (synopsis) ad synopsim pertinens. *Soran. Isag.* 4. Synoptica inspectio.

SȲNŌRIS, ĭdis, f. 3. συνωρίς, proprie par equorum vel jumentorum currum trahentium, bigæ. — Translate par duarum rerum, *un paio*. *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 7. A sancta Christi synoride virgini traditum. *h. e.* ab avia et matre. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SYNTAGMA, ătis, n. 3. σύνταγμα, opus ordine compositum, præsertim litterarium, tractatus, liber: *trattato, libro*. Aliquoties a *Cicerone* usurpatur. ut 12. *Att.* 45. et 16. *ibid.* 3. et *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 3., sed Græce ubique; ideo Lexicographi recentiores quidam hujusmodi voces omittunt.

SYNTAXIS, is, f. 3. σύνταξις, ordo, dispositio, compositio, constructio. Speciatim ¶ 1. Vocant ita Grammatici constructionem et compositionem partium orationis, *costruzione, sintassi*. *Priscian.* 17. *init.* ¶ 2. A *Cicerone* adhibetur pro compositione operis litterarii, confectione tractatus aut libri, eodem fere sensu, quo σύνταγμα, 13. *Att.* 16. et 15. *ibid.* 14. *extr.*, sed Græce.

SYNTECTĬCUS, a, um, adject. συντηκτικός, qui syntexi laborat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (105). Præcordiorum vitiis syntecticis, comitialibus etc. — Absolute. *Id.* 28. *ibid.* 8. 24. (88). Elephanti sanguis et syntecticis prodest jecurque comitialibus morbis. *et ibid.* 9. 33. (125). Phthisici, syntectici, cachectæ. Adde *Theod. Priscian.* 3. 11. — De brutis animantibus *Veget.* 2. *Veterin.* 10. 4.

SYNTEXIS, is, f. 3. σύντηξις, colliquatio, defectio et consumptio solidæ substantiæ in corpore animalis, quæ ex tabe fit; eadem atque atrophia. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 61. (120). Tali sorbitionis genere emendantur syntexes. *Theod. Priscian.* 2. 1. Multis præcedentibus causis nascitur syntexis vel atrophia. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 7. 90. Syntexis vesicæ. Cf. *Marcell. Empir. c.* 14. *p.* 105. — De syntexi, qua jumenta laborant, multa habet *Veget.* 5. *Veterin.* 54., ubi ejus morbi indicia et remedia demonstrat.

SYNTHĒMA *et* synthēma, ătis, n. 3. σύνθεμα et σύνθημα, tessera, signum, diploma, quo facultas datur publicæ evectionis usurpandæ. *Gloss. Philox.* Σύνθεμα, sigillum, evectio, tessera. Eædem: Σύνθημα, insigne, sigillum, evectio. Occurrit apud *Hieronym. Ep.* 118. *n.* 1. Jam dimisso synthemate equus publicus sternebatur. — Alio sensu in *Quæst. gramm. p.* 187. 17. *Hag.* Galli Senones ab urbe Romana revertentes condiderunt secus mare civitatem vocantes Anchonam velut «hanc unam», inde progredientes vocaverunt Auximum, quapropter ubi tu posuisti synthema, si posuisses «epithema», putasses id augendi gratia superaddidisse.

SYNTHĒSĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

SYNTHĒSĪNUS, a, um, adject. (synthesis) ad synthesin pertinens: ut *synthesina vestis;* sed occurrit absolute. *Sueton. Ner.* 51. Plerumque synthesinam indutus. *Alii leg.* synthesin. — In plur. *Titin. com.* 168. *Ribb. V.* voc. seq.

SYNTHĔSIS, is, f. 3. σύνθεσις, plurium rerum congestio et compositio.

I.) Proprie et speciatim. ¶ 1. In re medica compositio medicamentorum. *Seren. Sammon.* 30. 578. Synthesis hæc prodest unda mollita calenti. et 61. 1069. Antidotus vero multis Mithridatia fertur Consociata modis. sed Magnus (*Cn. Pompejus*) scrinia regis Quum raperet victor, vilem deprendit in illis Synthesin, et vulgata satis medicamina risit: Bis denum rutæ folium, salis et breve granum Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus. *ingredienti di poco valore*. Hanc eamdem syntesin eodem modo describit *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 77. ¶ 2. Item plurium vasorum series. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 44. Aut unam dare synthesin (quid horres?) Alborum calicum atque caccaborum. *un servizio di stoviglie*. et *Martial.* 4. 46. Et crasso figuli polita cælo Septenaria synthesis Sagunti, Hispanæ luteum rotæ toreuma. *V.* SEPTENARIUS. ¶ 3. Et plurium vestium copia, quæ in arca ad usum servabatur, *provvisione di abiti*. *Scævola Dig.* 34. 2. 39. Quæro, an ex universa veste, idest synthesi, tunicas singulas an et palliola eligere possit. (*Salmas.* in *Vopisc. Bonos.* 15. legit: *an ex synthesi:* et discrimen esse ait inter *universam vestem* et *synthesin*. V.) *Martial.* 2. 46. Sic micat innumeris arcula synthesibus.

II.) Improprie et translate. ¶ 1. Sumitur sæpissime pro veste quadam cenatoria, cujus usus erat domi in cena, foris vero Saturnalium tempore. Erat autem veluti linteum pallium, quo ceteris vestibus depositis involvebantur cenaturi itemque in Saturnalibus eo amicti prodibant,

quia eo tempore crebrius convivia agitabant. Extra hæc tempora synthesi indutum prodire, mollitiei dabatur et probro: hinc reprehendit Neronem *Sueton. Ner.* 51., quod tali cultu incederet. *Martial.* 5. 79. Undecies una surrexti, Zoile, cena, Et mutata tibi est synthesis undecies. *Id.* 14. 1. *de Saturnalium celebratione.* Synthesibus dum gaudet eques dominusque senatus: Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem. — Putat cl. *Rich* ex indumento et amictu *synthesin* constitisse, quod quidem nativæ vocis significationi congrueret. Cf. etiam *Böttiger Albrand. Hochzeit, Abschn.* 12. et *Marquardt Handb. d. Röm. Privatalterth.* 1. 331. *et* 2. 176. ¶ 2. Apud Medicos est morbus nec periculo nec facie phthisi dissimilis, ut ait *Plin. Valer. c.* 62. *p.* 175. ¶ 3. Apud Grammaticos *synthesis*, quæ et *synesis*, est figura syntaxis, ubi constructio non ad verba, sed ad verborum sensum refertur: ut *Virg.* 1. *Æn.* 216. Pars in frusta secant. *Sil. It.* 17. 515. cæsique cadant exercitus omnis. et *Stat.* 7. *Theb.* 605. subeunt Tegeæa juventus Auxilio tardi. *V.* alia in CENTAURUS. — Dicitur autem *synthesis*, qua compositionem seu constructionem significat; et *synesis*, qua intelligentiam: quia aliud dicitur, aliud intelligitur, quo constructio referri debet. Sed hæc Græca sunt.

SYNTHĔTOS, on, adject. συνθετός, compositus. *Syntheta* et *asyntheta metra* dicuntur, quæ ex diversis metris inter se junctis componuntur: et *asyntheta* quidem, quæ ejusdem sunt generis, *syntheta* vero, quæ ex diversis copulantur, ut scribit *Mar. Victorin.* 3. 8. 1. *p.* 114. 15. *Keil.*, sed Græcis litteris.

SYNTŌNĀTOR (suntonator), ōris, m. 3. videtur esse, inquit *Spon. Miscell. antiqu. p.* 234., organorum musicorum magister: et affert *Inscript.* in qua est: G.... STACTVS SVNTONATOR REGIS THOLOMEI (*leg.* Ptolomæi). *suntonator* Latina consuetudine vertendi Græcam υ in u. V. vocem seq.

SYNTŎNUS, a, um, adject. σύντονος, in re musica, qui cum nervorum contentione fit, vehemens, concitatus. — Absolute, apud *Quintil.* 9. 4. 142. Quotidie magis lascivimus, syntonorum modis saltitantes. Ubi syntona videntur esse musica quædam scabella, quæ pedibus pulsata symphoniacum quemdam ejusdemque semper tenoris sonum edebant moderandæ voci aptum. Alii perperam leg. *Sybaritarum.* Cf. *Gloss. Philox.*, ubi exponitur συντονάριος, h. e. qui pedibus scabilla percutit. *V.* PEDICULARIUS. Cl. *Rich* absolute accipit et fuisse putat idem ac scabillum.

SYNTRŎPHĬUM, ĭi, n. 2. συντρόφιον, herba, quæ et rubus seu ruscus dicitur. *Apul. Herb.* 87., ubi alii leg. *syntrophyllon.*

SYNTRŎPHUS, i, m. 2. σύντροφος, qui simul educatur, collactaneus. *Tertull. advers. Valentinian.* 8. Quare non et stercejæ et syntrophi nominantur? — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SYNTRŎPHYLLON. *V.* SYNTROPHIUM.

SYNZŪGĬA. *V.* SYZYGIA.

SYPNUS, i, m. 2. *Capell.* 2. *p.* 39. Tages sulcis emicuit et ritum statim gentis sypnumque monstravit. — De hujus tamen vocis lectione ac significatione conjecturas videsis apud *Kopp* in adnot. ad *h. l.*

SYREN et

SYRĒNA. *V.* SIREN.

SYRĔON, i, n. 2. σύρεον, genus herbæ, de quo *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 117. (177). Tordylon alii semen silis esse dixerunt, alii herbam per se, quam et syreon vocaverunt. neque aliud de ea proditum invenio, quam in montibus nasci, combustam potu ciere menses etc.

SȲRĬA, æ, *V.* SYRIUS, a, um, in fin.

SȲRĬĀCĒ, adverb. (Syriacus) Syriaco more vel lingua. *Hieronym.* in *Chron. Euseb. exord.* 6. Aramei Syriace dicuntur filii Aram. *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 18. 26. Precamur, ut loquaris urbis servis tuis Syriace. Adde 1. *Esdr.* 4. 7. et *Dan.* 2. 4.

SYRIACINUM (*sic*) oleum, apud *Marcell. Empir. c.* 1. *p.* 88. *retro.*

SȲRĬĀCUS, a, um, adject. ad Syriam pertinens vel qui in Syria nascitur seu provenit. *V.* ONOM. *Plin.* 14. *Hist. nat* 16. 19. (107). et 23. *ibid.* 8. 79. (151). Syriacæ siliquæ. *carobe.* et *Colum.* 11. *R. R.* 3. Syriaca radix. *ravanello.* V. RADICULA. *Id.* 12. *ibid.* 41. Ros Syriacus. *V.* RHUS. *Petron. Sat.* 31. *extr.* Syriaca pruna, *h. e.* Damascena, quia Damascus in Syria est. *C. Memm.* apud *Serv.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 261. Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. — Alia *V.* in ONOM.

SȲRĬARCHA *e.*

SȲRĬARCHES, æ, m. 1. Συριάρχης, qui totius provinciæ Syriæ sacris præerat, ut Asiarcha, qui totius Asiæ. *V.* ASIARCHA. — Hujus muneris mentionem facit *Imp. Constantin. Cod.* 5. 27. 1. Deficiente tamen idololatria, anno potissimum post Chr. nat. CCCXCI., ex sacro civile cœpit esse, ut in *Cod. Theod.* 15. 9. 2. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

SȲRĬARCHĬA, æ, f. 1. Συριαρχία, dignitas et munus Syriarchæ. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 12. 1. 103.

SȲRĬĀTĬCUS, a, um, adject. idem ac Syriacus. *Pelagon. Veterin.* 27. Calami Syriatici P. V. — Alia *V.* in ONOM.

SȲRĬCUS, a, um, adject. idem ac Syriacus. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.* et *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (51). Syrica mala. *Plin.* docet, ita dicta esse a colore, quia valde rubent et colorem illum imitantur, qui ex sinopide et sandice mixtis fit et *Syricum* appellatur ab *eod.* 33. *ibid.* 7. 40. (120). et 35. *ibid.* 6. 24. (40). et *Isid.* 19. *Orig.* 17. 5.; item *Phœnicium* a Phœnicia Syriæ provincia. *Harduin.* eos reprehendit, qui contra MSS. legunt *Scyricum* apud *Plin.* — Alio sensu *V.* in ONOM.

SȲRINGA et syringia, æ, f. 1. et syringio, onis, f. 3. idem ac syrinx, h. e. fistula. *V.* SYRINX. — Apud medicos ¶ 1. Est injectio. *Veget.* 1. *Veterin.* 28. 7. ¶ 2. Et etiam ulcus, fistula putris in corpore. *Plin. Valerian.* 1. 23. et 32. et *Theod. Priscian.* 1. 27. Rursus *Plin. Valerian.* 5. 44., ubi pro *syringiones* alii leg. *syrones.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SȲRINGĀTUS, a, um, adject. (syringa) excavatus in modum fistulæ, intus inanis factus. Hædus syringatus dicitur ab *Apic.* 8. 6., cujus intestina probe expurgata, omni emissa fæce et vacua facta sunt, ut condimentis farciri possint, quibus postea consutis, integrum coquitur et mensæ infertur. Alii leg. *syringianus.*

SȲRINGĬA *V.* SYRINGA.

SȲRINGĬĀNUS. *V.* SYRINGATUS.

SȲRINGĬAS, æ, m. 1. συριγγίας, genus calami, qui totus concavus est, utilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (164). *Sibthorpio* et *Smithio* est *saccharum Ravennæ.*

SȲRINGĬO, ōnis, f. 3. *V.* SYRINGA.

SȲRINGĬON et

SȲRINGĬUM, ĭi, n. 2. συρίγγιον, parva syringa seu fistula. *Gloss.* ad *Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 5. 6. apud *Isid.*, ubi alii leg. *syringion.*

SȲRINGĪTIS, ĭdis, f. 3. συριγγῖτις, gemmæ genus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). Syringitis stipulæ internodio similis, perpetua fistula cavatur.

SȲRINGŎTŎMĬUM, ĭi, n. 2. συριγγοτόμιον, cultellus incidendis fistulis accommodatus. *Veget.* 2. *Veterin.* 27. Alii scalpello (*fistulas*) resecari et aperiri jubent et syringotomio decarnari. *Cels.* 8. 3. vocat *modiolum.*

SȲRINX, ingis, f. 3. (σῦριγξ) Accus. *syringa* sing., Græca positione, apud *Ovid.* 1. *Met.* 691. et *syringas* plur. apud *Ammian.* 17. 7. *a med.* — Syrinx est fistula pastoritia, cui nomen factum, ut fabulantur Poetæ, a Nympha Arcadiæ, quæ quum Panos vim effugere non posset, miseratione deorum, mutata est in palustres calamos. Ex iis calamis, varie simul junctis, idem Pan concinnavit fistulam, quam sæpe inflabat ad Nymphæ desiderium levandum, eodemque nomine σύριγγα appellavit, quæ vox Græce calamum seu fistulam pastoriciam significat: item cuniculum seu cavitatem. *Ovid.* 1. *Met.* 689. *et seqq.* — Hinc *syringes*, cavitates subterraneæ. *Ammian.* 22. 15. *ad fin.* Sunt et syringes subterranei quidam et flexuosi secessus. *Id.* 17. 7. *a med.* Aut in cavernis minutis terrarum, quas syringas Græce appellamus. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

SȲRĪTES, æ, m. 1. συρίτης, genus lapidis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 83. (208). In vesica lupi lapillus, qui syrites appellatur.

SȲRĬUM. *V.* voc. seq.

SȲRĬUS, a, um, adject. Σύριος, ad Syriam pertinens, de qua *V.* ONOM. — Hinc *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 49. (95). Syrium oleum. *h. e.* irinon, quod laudatissimum in Laodicea Syriæ, ut *id.* 21. *ibid.* 5. 11. (24). docet. *Id.* 18. *ibid.* 7. 12. (63). Syrium triticum. *Virg.* 2. *G.* 87. nec surculus idem Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis. Ubi *Servius:* Syriis, id est nigris. *Colum.* 5. *R. R.* 10. *a med.* Tarentina pira, quæ Syria dicuntur. *Tibull.* 3. 4. 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma. *h. e.* nardo. *Id. ibid.* 6. 63. Syrio madefactus tempora nardo. *Propert.* idem significat 2. 10. 30. Quum dabitur Syrio munere plenus onyx. *Isid.* 16. *Orig.* 4. 10. Syrius lapis. Alia *V.* in ONOM. — Hinc etiam absolute, substantivorum more

Syria, æ, f. 1. genus oleæ. *Isid.* 17. *Orig.* 7. 67.

Syrium, ii, n. 2. appellatur a quibusdam sucus expressus flore lilii. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 74. (127)., ubi alii leg. *sirœum*, quæ est sapa. contra *Harduin.* et *Sillig.*

SYRMA, ătis, n. 3. et

SYRMA, æ, f. 1. σύρμα, vestis prælonga, fluxa et pone laciniam trahens, mollium et delicatorum propria, *veste lunga con istrascico.*

I.) Proprie. *Seneca Œdip.* 423. de *Baccho molliter induto.* Et sinus laxi fluidumque syrma. et *Herc. Fur.* 474. cum parum forti gradu Auro decorum syrma barbarico trahit. *Prudent. Psychom.* 362. Ut tener incessus vestigia syrmate verrat Sericaque infractis fluitent ut pallia membris. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 127. Et fluidam crispo duxisset syrmate vestem. — Utebantur hac veste etiam tragœdi, quo proceriores viderentur, heroum deorumque personam agentes. *Juvenal.* 8. 229. longum tu pone Thyestæ Syrma vel Antigones seu personam Menalippes. *Valerius* in *Phorm.* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* Quid hic cum tragicis versibus et syrma facis? *V.* SCHEMA. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *in carm.* Paullum depositis, alumna, plectris Sparsam stringe comam virente vitta, Et rugas tibi syrmatis profundi Succingant hederæ expeditiores. Adde *Vopisc. Carin.* 20. *Inscr.* apud *Henzen n.* 6187. SYRMATA BACCHICI COTVRNI.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est ipsa tragœdia et tragicus stilus. *Martial.* 12. 95. Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos: Aptasti longum tu quoque syrma tibi. *Id.* 4. 49. Musa nec insano syrmate nostra tumet. *Juvenal.* 15. 30. Nam scelus a Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas, Nullus apud tragicos populus facit. — Etiam oratoribus *syrma* tribuitur a *Capell.* 2. p. 30. Tu (*Philologia*), quæ rhetorico clangere syrmate (*soles*). ¶ 2. Figurate dicitur de tortuosa curvatione. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Ita enim nexili de syrmate mæandrico graminum labrusca coibat, quo sæpta herbosis radicibus tellus, Triptolemicum contumax abnuerat dentem.

SYRMĀTĬCUS, a, um, adject. (syrma), qui trahit, ut Syrmaticum jumentum apud *Veget.* 5. *Veterin.* 21., h. e. claudicans et dolore aliquo coxam trahens.

SYRON, i, n. 2. herba quædam apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 19. (33). Molon scapo est striato, foliis mollibus, parvis; vocatur a quibusdam syron.

SYRPE. *V.* SIRPE.

SYRTĪBŎLOS, i, f. 2. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 29. (115). Persæ rubrum mare semper accoluere, propter quod is sinus Persicus vocatur: regio ibi maritima syrtibolos. *h. e.* regio palustris, syrtibus similis. Ita leg. *Harduin.*; at *Sillig.* Ciribo,

SYRTĬCUS, a, um, adject. (syrtis) ad syrtim pertinens. ¶ 1. Stricto sensu, vel proprie. *Seneca Vit. beat.* 14. Deprehensi in mari syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. *Id. Ep.* 90. Gentes syrticæ in defosso latent: quibus propter nimios solis calores, nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 11. 11. (32). Syrticæ solitudines. ¶ 2. Latiore sensu, vel translate, pro arenoso, sterili. *Lucan.* 10. 38. Syrticus Ammon. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Syrticus ager et vagum solum.

SYRTIS, idis *et* idos, f. 3. (syrtis) Syrtica. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 67. (182). Syrtides gemmæ in litore Syrtium, jam quidem et in Lucania inveniuntur. *Sillig.* syrtitides.

SYRTIS, is, f. 3. (σύρτις). In genet. sing. etiam *syrtidos* apud *Lucan.* 9. 909. Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva Chersydros. — In abl. *syrti* et *syrte*. *Solin.* 27. 54. et *Sidon.* 8. *Ep.* 12. et *carm.* 5. 549. — Syrtis est locus arenosus in mari, navigantibus periculosus, quod mare ibi vadosum est, arenæ vehens cumulos, qui loci faciem subinde immutant dorsaque et brevia modo hic modo illic faciunt, in quæ tracta navis undarum cursu dehiscere periclitatur (It. *secche, banchi*; Fr. *banc de sable*; Hisp. *bajio, banco de arena, seca*; Germ. *die Sandbank*; Angl. *shallow, sandbank*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 114. tres Eurus ab alto In brevia et syrtes urget - Illiditque vadis atque aggere cingit arenæ. *Horat.* 1. *Od.* 22. 5. Sive per syrtes ire æstuosas. — *Sall. Jug.* 80. *de Lepti.* Oppidum situm inter duas Syrtes, quibus ex re nomen inditum. Nam duo sunt sinus in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terræ præalta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. nam ubi mare magnum esse et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt. ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Hæc *Sall.* Itaque duæ sunt Syrtes, major et minor, *le secche di Barberia:* illa nunc dicitur *golfo di Sidra:* hæc *golfo di Cabes* vel *Kabbs*. Describuntur a *Lucano* 9. 303. Syrtes vel primam mundo natura figuram Quum daret, in dubio pelagi terræque reliquit etc. *Avien. Perieg.* 293. Major vasta sibi late trahit æquora Syrtis Infidumque rati pelagus fuerit. *Horat. Epod.* 9. 3. exercitatæ Noto. *Id.* 2. *Od.* 6. 3. barbaræ. *Lucan.* 9. 861. dubiæ. *et* 5. 484. vadosæ. *Val Flacc.* 7. 86. sævæ. *Virg.* 5. *Æn.* 51. Gætulæ. *et* 4. *ibid.* 41. et *Ovid.* 8. *Met.* 120. Syrtis inhospita. *Sil. It.* 17. 634. naufraga. *Tibull.* 3. 4. 91. horrenda. *Lucan.* 9. 431. vaga. *et ibid.* 713. ambigua. *Propert.* 2. 7. 71. incerto mutantur flumine Syrtes. — Hinc de re, quæ fieri omnino nequeat. *Id.* 3. 17. 7. Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis Præbeat hospitio sæva Malea suo. *et Seneca Hippol.* 568. ignibus junges aquas, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de terris arenosis ac sterilibus, quæ vel ad Syrtes Africæ vel alibi sunt. *Lucan.* 3. 295. Usque parætonias Eoa ad litora syrtes. *Id.* 9. 447. nam littore sicco, Quam pelago, syrtis violentius excipit Austrum. *Prudent. Apoth.* 511. Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon. *Id.* 11. *Cathemer.* 65. Ipsasque arenas syrtium Fragrasse nardo et nectare. *et* 7. *ibid.* 30. *de Helia.* Casto fruentem syrtium silentio. *h. e.* solitudinis. ¶ 2. Metaphora est *syrtis patrimonii* de eo, qui naufragium bonorum luxuria fecit, apud *Cic.* 3. *Orat.* 41. 163. Syrtim patrimonii, scopulum libentius dixerim; Charybdim bonorum, voraginem potius.

SYRTĪTIS. *V.* SYRTIS, idis.

SYRTĪTES, æ, m. 1. gemma, apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93)., ubi *Harduin.* et *Littré* leg. *sititas*. V. SITITES. — De alia *Isid.* 16. *Orig.* 14. 10. Syrtites vocatur, quoniam in littore Syrtium inventa est primum in parte Lucaniæ. color ejus croceus: intus stellas continens elanguidas, sub nubilo renitentes.

SȲRUS, i, m. 2. ¶ 1. Vocatur a rusticis scopa: a σύρω, traho, quia trahit et verrit sordes. *Varro* apud *Non. p.* 46. 10. *Merc.* Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici, septentrionum filii, Secum ferentes tegulas, ramos, syros. ¶ 2 Est etiam scrobs. *V.* SIRUS.

SYSSĪTIĒTÆRIS, idis, f. 3. herba sic appellata a σύσσιτος, convivator, et ἑταιρεία, societas. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). Syssitietærida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. *Harduinus* et *Silligius* ediderunt ex MS. *hestiatorida*.

SYSTALTĬCUS, a, um, adject. συσταλτικός, contrahendi vim habens. *Capell.* 9. *p.* 335. Tropi in rhythmopœia tres sunt, quos systalticos dicimus.

SYSTĒMA, ătis, n. 3. σύστημα, compages, constructio. Solet in scientiarum studiis adhiberi pro ingeniose excogitata rerum dispositione, *sistema:* quo sensu tamen deest nobis Latini scriptoris exemplum. Transfertur ad explicanda genera multorum tonorum musicalium, qua de re V. *Capell.* 9. *p.* 322. *tit. Quid sit systema.* Adde *Fulgent.* 3. *Mythol.* 5. *et* 3. *ibid.* 10. et *Chalcid. Tim.* 44.

SYSTĒMĂTĬCUS, a, um, adject. (systema) ad systema pertinens. *Mar. Victorin.* 1. 15. 4. Systematica (*carminum species*) autem, quæ ex plurimis metris, neque ex uno versu aut eodem colo vel commate continentur. Adde *Diomed.* 3. 21. 1., ubi *systematicus* est unus e sex modis metricis. *Atil. Fortunatian.* 2. 28. 10. *p.* 296. 1. *Keil.* Inter binos versus decurrunt melica systematica.

SYSTŎLE, es, f. 1. συστολή, figura poetica, per quam syllaba naturâ longa corripitur. Ab *Isid.* 1. *Orig.* 34. 4. dicitur correptio verbi contra naturam. Exemplo sit illud *Virg.* 6. *Æn.* 827. Illæ autem, paribus quas fulgĕre cernis in armis. pro *fulgēre*. Puto tamen nullam hic esse systolem, quum apud veteres *fulgo, is,* et *fulgeo, es,* reperiantur. *V.* FULGEO init. *Mar. Plot. Sacerd.* 1. *Gramm. p.* 452. 15. *Keil.* Systole - ut *stetĕruntque comæ* pro *stetērunt*. — Locum etiam habet, quum syllaba longa positione, altera consonante extrita, brevis fit. *Lucan.* 8. 796. Cur obicis Magno tumulum Manesque vagantes? pro objicis. V. *Diomed.* 2. *p.* 437. *Putsch.* et *Charis.* 4. *p.* 240., qui tamen Græce semper usurpant.

SYSTȲLOS. *V.* DIASTYLOS.

SYZȲGĬA, syzugia *et* synzugia, æ, f. 1. συζυγία, copulatio, conjunctio. ¶ 1. Generatim. *Tertull. De præscr.* 46. Exponit (*Valentinus*) hos Æonas per syzygias. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 9. 19. ¶ 2. Specialim, apud Grammaticos, est conjugatio. *Id. De diff. verb.* 14. 5. ¶ 3. Item figura poetica, quæ fit variorum pedum velut in unum pedem collecta conclusione, ut definit *Sergius* in *Donat. p.* 1822. *Putsch.*, ut si v. gr. dictio aliqua quattuor syllabarum numerum excedens, in duas partes aut tres dividatur, ut *ædificatio* nullum per se pedem efficit; at si dividatur hoc modo *ædifi-catio,* duos dactylos facit; si hoc modo *ædifica-tio,* choriambum et pyrrhichium.

DE LITTERA T

T t est *A)* Littera alphabeti; *B)* Nota breviationis; et *C)* Nota numeralis.

A) T est littera decima nona Latini alphabeti, consona et quidem muta, quæ scilicet non in sonum suum sed in sonum *e* litteræ finitur; et etiam spiritalis, quia *h* littera ei subjecta inserit spiritum, ut *Thoas,* inquit *Mar. Victorin.* 1. 3. 24. *et* 30. — *a*) Scriptione et sono respondet Græcorum litteræ ταῦ. — *b*) Pronunciatione affinis est litteræ *d*, cum qua aliquam habet cognationem, ut docet *Quintil.* 1. 4. 16. *et ibid.* 11. 5., atque adeo aliquando permutatur (*V.* infra et litt. D): eo tamen differunt, quod *t*, ut ait *Capell.* 3. *p.* 58., appulsu linguæ dentibusque impulsis extunditur, *d* appulsu linguæ circa superiores dentes innascitur. Cf. *Terentian.* 2388. *Putsch.* — In syllaba *ti,* sequente vocali, ita aliquando prolata est, ut quasi *s* littera interposita esset vel ut tamquam *zi* scriptum esset. Cf. *Isid.* 1. *Orig.* 27. 28. *Pompej. Comment. p.* 286. 11. *Keil.* «Quotiescumque, inquit, post *ti* vel *di* syllabam sequitur vocalis, illud *ti* vel *di* in sibilum vertendum est» Cf. etiam *Consent. Art. p.* 395. 6. et *Serv. Comment.* in *Donat. p.* 445. 8. *Keil.* Hinc sequiore potissimum ætate hæc syllaba *ti* sæpe mutata est in *ci*, ut patet ex MSS. et edit. libris, ubi *ocium, solacium, mutacio* et similia passim occurrunt pro *otium, solatium, mutatio* etc. Ceterum postquam critici viri recentiores inscriptiones veteres diligenter investigarunt atque explorarunt, compertum est, usum syllabæ *ci* pro *ti* ante vocales nec tam frequentem nec tam antiquum esse, ut quidam affirmaverant. V. *Pezzi op. cit. p.* 52. — Excipe, si ante syllabam *ti* sint litteræ *t, s, x*, ut *Attius, ostium, mixtio;* vel, ex quorumdam sententia, sequatur terminatio *er*, ut *nitier, petier, quatier* pro *niti, peti, quati;* vel *ti* insit in Græcis nominibus, ut *Miltiades, Bœotia* etc.; tunc enim littera *t* naturali sono est efferenda. — *c*) In compositione vocum — *α*) Præponitur vocalibus ipsve subjicitur, ut *tulit;* et etiam geminatur in mediis vocibus, ut *attulit;* quia vero inter vocales duriore sono olim efferebatur, quædam voces simplici atque duplici *t* scriptæ occurrunt, ut *cotidie* et *cottidie, quatuor* et *quattuor, glutire* et *gluttire, Britannia* et *Brittannia* etc. V. *Pezzi op. cit. p.* 51. — *β*) Præponitur etiam consonantibus *l, m, r*, ut *Tlepolemus, tmarus, tmesis,* quæ Græca sunt, et *trabs, tremo, tritus, Troja, truncus,* quæ Latina. *Diomed.* 2. *p.* 420. *Putsch.* Verum ante *l* aliquando mollitur, præmissa littera *s*, ut in *stlata, stlembus, stlis, stlocus,* quæ tamen, in usu apud veteres, fere jam obsoleverunt. — Item ante *h*, sed raro, occurrit in antiquis monumentis; hinc reperitur *Kartago* pro *Karthago*, *teatrum* pro *theatrum*. Cf. *Vel. Long. Orthogr. p.* 2230. *Putsch.* Ad rem *Cic. Orat.* 48. 160. «Quin ego ipse, quum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem* dicerem etc.» *V.* integr. loc. — Et subjungitur consonantibus *p, c, s,* ut *Ptolemæus, Ctesipho, Stichus.* — *d*) Supplet aliquando hæc littera alias, nam in quibusdam vocibus — *α*) Ponitur pro *d*, ut in *Alexanter* pro *Alexander*, *Cassantra* pro *Cassandra;* item in fine vocum *aput* pro *apud*, *aliut* pro *aliud*, *set* pro *sed* etc.; contra *adque* pro *atque*, *quodannis* pro *quotannis*, *quadraginta* pro *quatraginta* inus.; *quadriduum* pro *quatriduum*. Cf. *cetle* pro *cedile*, at *fecid* pro *fecit* etc. in multis vet. monum.; sunt enim hæ duæ litteræ affines. Cf. *Quintil.* 1. 4. 16. et *Mommsen* in *Ephemerid. epigr.* II. *p.* 122., qui ex *Leg. Colon. Genit.*, nuper in Hispania reperta, exempla hujusmodi congessit. — *β*) Pro *c*, ut *setius* pro *secius*, *ecquis* pro *etquis* inus. — *γ*) Pro *s*, ut in *versus* a *verto*. *Priscian.* 1. *p.* 44. *Putsch.* Sic fortasse in *civitas* pro *civitat*, *lis* pro *lit* et similibus; quamquam in his litteram *t*, ut apud Græcos τ ante sigma, extritam esse puto, ut sit *civitas* pro *civitats*, *lis* pro *lits* etc.: interdum litteræ *s* adsimilatur, ut in *concussus* a *concutio*, *fassus* a *fateor*, ut fit etiam ante *r* in *parricida* pro *patricida*. — *e*) Denique aliquando omittitur, ut in *pos* pro *post*, *hau* pro *haut*, *stis* pro *stlis*. — Videsis plura apud *Lachmann* ad *Lucr.* passim, *Pezzi op. cit. p.* 52. et seqq., *Schleicher Gramm.* § 82.-91., *Schw.-Sidl.* § 266. *et seq.*, *Ribbeck* ad *Virg.* in *Ind. Gramm.*, al.

B) Nota breviationis seu littera singularis. — *a*) In notis prænominum T. valet *Titus;* at ⊥ inversa est *Tita*, ut putat *Ursatus Marm.* etc. p. 263. et in *Not. Rom.* et *Ferrari* in *Sigl. Rom.;* TI. valet *Tiberius;* TR. *Trebius* et TER. *Terentius*. — *b*) Præterea T. valet *tribunus* vel *turma;* TR. *trierarchus* vel *tribunus:* TR. LAT. *tri-*